GUILIELMI ALVERNI EPISCOPI PARISIENSIS, ... OPERA OMNIA, ...

Guillaume : d'Auvergne m. 1249

Digitized by Google

Digitized by Google

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
40 N
3
ROMA

Digitized by Google

GUILIELMI ALVERNI

EPISCOPI PARISIENSIS,

MATHEMATICI PERFECTISSIMI,

EXIMII PHILOSOPHI,

AC THEOLOGI PRÆSTANTISSIMI,

OPERA OMNIA,

Quæ hactenùs reperiri potuerunt, reconditiſſimam rerum humanarum, ac divinarum doctrinam abundè complectentia, ac proinde bonarum artium ac ſcientiarum ſtudioſis, maximè verò Theologis, ac divini verbi Concionatoribus apprimè neceſſaria.

Nunc demùm in hac noviſſima Editione ab innumeris errorum chiliadibus expurgata, inſtaurata, elucidata, atque Sermonibus & variis Tractatibus aucta ex M.SS.Codd. ut ex Præfationibus ad Lectorem apertiùs intelligetur.

TOMIS DUOBUS CONTENTA.

Quorum Catalogum proxima poſt Præfationes pagina indicabit.

CVM INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS RERVM NOTABILIVM.

TOMUS PRIMUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

AURELIÆ, ex Typographia F. Hotot. *Et veneunt*

PARISIIS,

Apud Dionysium Thierry, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Urbis Lutetiæ.

M. DC. LXXIV.

Digitized by Google

8. 40. V. 3

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

PETRO DU CAMBOUT DE COISLIN

AURELIANENSIUM EPISCOPO,

REGI AB ELEEMOSYNIS PRIMO, &c.

ILLVSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS,

Sacras manus tuas oſculaturus, mortuum tibi ſiſto proprio rogo ſuperſtitem, ac in ſcriptis poſt ultima fata redivivum, qui temporum expertus inconſtantiam te Patrono prodire geſtit, ut ſub ampliſſimi tui nominis umbra patrio ſolo reſtitutus repetiti funeris injuriam non pertimeſcat. Cuinam vel tutiùs, vel convenientiùs ſupplicare poteſt mortuus Antiſtes, quàm virtutum omnium characteribus inſignito Pontifici. Æternitati ſuæ conſulit qui tale patrocinium ambit, & minùs immenſum tuæ gloriæ decus hac ſui conſecratione augere cogitat, quàm propriæ famæ ſatagit ſeris nepotibus commendandæ. Enimverò is eſt tui nominis ſplendor, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *ut externis non egeat honoribus ac encomiis quibus illuſtretur & fulgeat; ſuâ ſe ſatis majeſtate ſuſtinet, quem tot inſignes tui Sanguinis Heroes rebus præclarè geſtis fecere percelebrem. Novit Gallia noſtra quid aſtruam quæ inter Gentiles tuos, quos fati ſæva neceſſitas nobis eripuit, & Duces fortiſſimos, & integerrimos ſacræ Themydis Miniſtros, & ſanctiſſimos Eccleſiæ ſuæ Pontifices annumerat. Duces quidem intrepidos, Regiæ Majeſtatis deffenſores, Iudices æquos & bonos, fraudis inimicos, criminum vindices, ac innocentiæ per calumniam periclitantis aſſertores. Pontifices porrò zelo Epiſcopali laudabiles, ac antiquæ Canonum diſciplinæ reparatores acerrimos. Ita ut tam generoſa, tam inclita, tam*

Digitized by Google

chriſtiana familia communi omnium regni ordinum bono, patriæ delitiis, felicitati noſtræ, votis omnium divinitùs conceſſa videatur. Effari tamen liceat, Illustrissime Præsul, *deterſo omni adulationum fuco, te famam decuſque tuum minùs à tam generoſis hominibus quàm à teipſo mutuari. Quorſum enim ad Majores tuos redeo, apud eoſdem encomii tui materiam quæſiturus, à quibus natalium nobilitatem accepiſti; cùm nihil vitâ tuâ pulchrius oſtendi poſſit. Patere me hîc ex animo loqui,* Præsul Illustrissime, *& tenui calamo penicilli fungente vices nativis vultus tuos adumbrare coloribus. Non offendatur inſignis tua modeſtia purâ veritatis icône quæ te tibi exhibet; nec me iniquæ aſſentationis inſimulet qui vera prædicare profiteor. Talis ad Pontificales infulas acceſſiſti, qualem poſtulat divinus Gentium Apoſtolus; & ambigi meritò poteſt num te Pontificia dignitas, vel tu illam & pietate morum & præclaris animi dotibus illuſtraveris. Vix te ſuum ſuſcepit Aurelia tua Pontificem, cùm & pauperum patrem, & miſerorum ſolatium, & omnibus omnia factum admirata eſt. Vidit in te primorum Eccleſiæ temporum Antiſtitem, quem Aula Regia inter eas, quibus abundat, humanæ vitæ delitias incorruptum ſtupuit; & facilè de amiſſo per crudele funus ALPHONSO Sponſa vidua ſeipſam conſolata eſt, quem in PETRO renaſcentem cognovit. Talis conveniebat GUILLIELMO redivivo Patronus; nec avo fœliciore Patriæ reſtitui poterat, quàm eo quod tui regiminis integritas,* Illustrissime Præsul, *planè nobis aureum fecit. Niſi ergo omnibus explorata unum me tua fallit urbanitas, Nominis tutelam non denegabis Antiſtiti bene merito, quem tuis auſpiciis, tua in Urbe è veternoſa antiquæ editionis illuvie puriorem auctioremque, quaſi Phœnicem è cineribus, aſſurgere feci, ut Dignitati conſecrarem tuæ. Nec Laborum quoque meorum primitias, primoſque Præli naſcentis fœtus reſpues, quos eò confidentiùs & offero & voveo, quò non injucundos tibi fore certiſſimè ſum arbitratus. Hoc unum mihi ſemper fuerat in votis ut primario meæ artis opificio tibi demonſtrarem,* Præsul Illustrissime, *quàm ſim & virtutis & Dignitatis tuæ ſincerus cultor; quod cùm avidè cupienti in hac GUILLIELMI noſtri, imò tui, conſecratione Divinum Numen conceſſerit: unum ſubmiſſiſſimè rogare reſtat, ut hoc meæ tenuitatis munuſculum, & meæ in te reverentiæ ſpecimen, & in perpetuum devotæ tibi ſervitutis monimentum habere non deſinas. Ita precatur & vovet,*

ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS,

SACRÆ TUÆ DIGNITATI

Addictiſſimus Servus & Cliens,
Franciscus Hotot.

Digitized by Google

C

IN NOVAM OPERUM
GUILIELMI PARISIENSIS
EDITIONEM
PRÆFATIO.

HABENT Illuſtrium Virorum ſcripta funus ſuum (amice Lector) & maligna Genii ſæculi influentia ſæpè fit, ut quæ poſterorum commodo literati parturiunt, præmaturo fato diſpereant. Hæc infeſta literariæ Reipublicæ peſtis multos magni nominis Autores affecit, quorum operâ, vel inerti mortalium incuriâ periere penitùs, vel ſuppoſita prælo, quia mendorum impuritate deformia, ſpes de futura utilitate conceptas fefellere. Uſque adeò verum eſt eadem omnia viciſſitudinis lege teneri, nihilque, vel perfectiſſimum eſſe, quod non aliquando fatiſcat. Non abſimili infortunio tenebatur Guilielmus Arvernus, Pariſienſis Antiſtes, vir, dum viveret, verbo & exemplo nulli ſecundus, cuique inſignis pietas, zelus igneus, ac eruditio miraculo proxima, non favor humanus, non mendicata ſuffragia, ſupremum Pontificatus apicem meruere. Divinis tanti Pontificis operibus fama perennis debebatur; illa tamen neglexit ingrata poſteritas, & communem rebus cæteris ſortem habuere. Quippe quæ jacuere diu, magno ſanè Chriſtianæ univerſitatis detrimento, partim typorum Venetorum tenebris pluſquam Cymmeriis impervia, partim Germanicæ editionis inordinata diſpoſitione confuſa, partim manuſcriptis Codicibus, quaſi ſecretis monumentis ſepulta, ita ut nihil unquam aut erroribus & mendis adulteratum, aut lapſu temporum obliteratum magis viſum fuiſſe fatendum ſit. Hoc ingenita patriæ charitas perferre non potuit, non illuſtrium hominum nobilibus animis infuſus amor; indignum viſum eſt inglorium, exulemque lugere Guilielmum noſtrum, & nihil in votis eruditi omnes habuere penitius, quàm ut de univerſo Clero Gallicano bene meritus Antiſtes, ex utriuſque præli ruderibus erutus, & adjectis, qui deficiebant, tractatibus auctus, patriis laribus, quaſi quodam poſtliminii jure reſtitueretur. Hanc ſuſcepere provinciam viri in orbe literario famæ non obſcuræ, ſummaque experientia æſtimandi plurimùm ſe utile aliquid operaturos arbitrati, ſi ſudores, vigiliaſque ſuas ſyderi noſtro ab ecclypſi revocando conſecrarent. Et quoniam munus arduum, & eventus anceps ipſis videbatur, inofficioſi laboris conſortium multiſcios homines non paucos advocavere, quorum oculata diligentia accurataque perſcrutatio in emendandis, elucidandis, expurgandiſve innumeris operis hujuſce locis, perquàm utiles fuere. Omnes igitur communibus uſi conſiliis, in hac rudi indigeſtaque mole reformanda, Venetum volumen fœditate vitiatum, mendis, abreviationibus, & malè diſpoſitis punctis perditum, ineptumque politiore forma donavere. Quod quantis ſudoribus actum annuus labor, & ipſa præſertim operis immenſi, ſi inſpiciatur, ſeries ordinatior dubitantes facilè convincent. Adeò ut meliore titulo quàm Dominicus Trajanus in ſua Venetæ editionis Præfatione effari ipſis liceat. *In hac Aurelianenſi editione orthographiam, punctaque curavimus, ſuperflua ſuſtulimus, rurſùs quæ deerant reſtituta ſunt, marginales annotationes ſuis locis diſpoſuimus ac locupletavimus, porrò Authorem noſtrum Gallorum decus & ornamentum perditum recreavimus.* Etenim quàm injuſtè reſtitutum puriori luci Guilielmum ſibi vindicet Italus ille Veneti libri ingrata lectio demonſtrat. Volumen alterum Germanicæ editionis Sermones complectens, non minore induſtria priſtino nitori reſtituere. Tenebris in eo nihil quoque non obſitum, Sermonum inordinatus ordo, argumenta vel obſcura, vel mutila, chaos omnia. Spes tamen benè cordatis non defuit; operi omnes manum admoverunt, & aſſidua vigiliarum frequentia quidquid confuſum ac malè diſtributum erat, in ordinem redegere, Sermones ſuis quoſque locis poſuere, argumenta porrò dilatavere quæ conciſa nimis videbantur; ſicque volumen utrumque fœlici laborum (dicam Herculeorum) ſucceſſu, errorum monſtris informe puriore luce frui curaverunt. Veruntamen poſt tot exantlatos labores, poſt tot ſuperatos ſaltus, mutilum adhuc & mancum opus hoc extitiſſet, ni favens votis bonus Genius

ã iij

Digitized by Google

inſperato nobis ſuppeditaſſet inviſos hactenùs Guilielmi noſtri Tractatus quatuor, *de Trinitate ſcilicet, de Anima, de Pœnitentia & de Collatione & ſingularitate Beneficiorum*, quos omnes ex inſignis Eccleſiæ Carnotenſis Bibliotheca erutos Doctorum omnium communi bono publicos eſſe voluit. Benefici Genii noſtri nomen quæris, amice Lector? (Hominum enim ingenia novi, curioſa ſunt) dicam & lubenter: Licet enim ſingularis ejus modeſtia & verè Chriſtiana humilitas ſemetipſum declarare vetuerit in ſua ad Supplementum hujus Operis Præfatione, eum tamen celebrare jubet inſperati beneficij magnifica & generoſa collatio. FERONIUS nuncupatur Genius ille noſter, Doctor ac Socius Sorbonicus, Eccleſiæ Carnotenſis Canonicus, vir omni exceptione major, & cujus nomen dixiſſe laudaſſe eſt. Hunc inter præcipuos quorum indefeſſo ſtudio opus hoc omnibus abſolutum numeris exit in lucem, principem jure prædicabo primipilumque. Etenim ut ad ſe pervenit poſtremæ hujus editionis rumor, illico laboris minimè parcus ad ſuſcepti oneris exitum opem nobis ultrò pollicitus eſt, curavitque ſupra nominatos Tractatus ab accuratis Amanuenſibus diligenter exſcribi, quos ſedulò lectos, relectoſque miſit nobis cupientibus & poſcentibus his voluminibus adjungendos. His appoſuit doctam ac galeatam Diſſertationem, in qua forti rationum aggere legitimos Guilielmi noſtri fœtus eſſe ſuſtinet, ipſique tanquam vero parenti vindicat & aſtruit. Hæc dixiſſe ſatis, fruere modò ſudoribus noſtris, amice Lector, & gaude multùm novo redivivi Guilielmi Pariſienſis decore. Dedit illi quondam magnifica Venetia lumen, ſed inutile. Dedit ingenioſa Germania, ſed tenue. Dat temporibus noſtris celebris Aurelia, ſed inſigne: tantum quidem opus abſolviſſe læta, ſed illuſtriſſimo Eccleſiæ ſuæ Pontifice operis patrono lætior: cujus auſpiciis incœptum, perfectumque immortale decus habiturum confidit.

Digitized by Google

JOANNIS DOMINICI TRAJANI

In Editionem Venetam anni M. D. XCIX.

PRÆFATIO.

DIU, multúmque, candide Lector, dubitatum eſt à ſapientibus, præſtetne, literis excultum, qui, ne vitam ritu pecudum ſilentio tranſigat, velit ingenii communem ad utilitatem aliquod extare monumentum, marte ſuo novi quippiam comminiſci, an ut fœtum edere genuinum, an in ſcriptis veterum, quorum nomen apud omnes ſit ampliſſimum, ab interitu, & oblivione, vindicandis operam collocare. Plurimis utrinque rationibus, & ſanè probabiliter, certatur, & adhuc ſub judice lis eſt. Qui nova pangunt, id dictitant, ſibi veriſimile non fieri, naturam priſcis quidem fuiſſe matrem, poſteris autem novercam, velle ſe ingenii aleam experiri, ac licet, dum ſpirant, laude fraudentur, fore tamen, ut, quod etiam antiquis uſu venit, majus ab exequiis nomen in ora veniat; inſitum etiam omnibus, ut vetera, ceu recoctam crambem faſtidiant, novitate verò gaudeant. Addunt pleroſque noſtra, patrumque memoria ſuperaſſe priſcos ingenii fœlicitate, certaque, ac facili docendi ratione, demùm, pulchrum cuique ſuum. Alij contra frivolum, & ſupervacaneum, putant hujuſmodi laborem, quòd actum agi videatur, cùm nil dicatur, quin dictum ſit priùs, &, quod rideas, furti recentiores arguunt. Inſcriptiones ſolùm aiunt, ac diſpoſitiones immutari; ac tantum abeſt, ut, ſi quid novi ſit adjectum, ſuſpiciant, contemnunt etiam, quod facile ſit inventis addere. Et quoniam novelli fœtus ingeniorum, tanquam abortus, ſtatim extinguuntur, vellicant authores, quòd mortuos elugeant libros, quorum celebritatem perpetuendam ſperabant. Quamobrem ſatius eſſe dicunt, operam navare tractandis, & ornandis eorum monumentis, qui majorum gentium vel Theologi, vel Philoſophi ſemper habiti ſunt, quaſi pauxillum laboris, quod his impenditur, ingentibus aliorum lucubrationibus antecellat. Hic ego, ſi ſententiam roger, dixero quidem, ſed gravatè, quòd vel reprehenſionem, vel odium ſubverear eorum, qui toti ſunt in edendo quidquid vel luce venerit in buccam, vel ſecundùm quietem noctu ſeſe obtulerit. Damno quidem, quæ ſola ſpe quæſtus, vel per jocum, vel ad oſtentationem, eduntur, prodigioſa, nihil ad rem attinentia, frugis expertia, detrimentoſa, trivialia. Et omnino ſcribacitas ipſa ſemper bonis fuit ſuſpecta. Teſtem habes Baſilium Magnum, ubi carpit Origenem; Ἐν πολυγραφίᾳ, i. in multa ſcriptione, non deerit, inquit, peccatum. Non damno, ſi quis egregium aliquid, & divinum, à ſe excogitatum, & perfectum, pro loco, vel tempore, cum aliis communicet. Licebit etiam per me ex antiquorum fontibus in μέσον hortulum aliquid derivare, verecundè tamen, ut ne quis aliena venditet pro ſuis: id quod noſtra ætate factum à pleriſque maxima cum laude, nec vulgari Chriſtianæ rei commodo, videmus. Quòd ſi è vetuſtioribus authorem quempiam à doctrina nobiliſſimum è tenebris quis in lucem eruat, & ſqualentem priſtino reſtituat nitori, is demùm, & nova cum antiquis miſcet, & utrumque ſcribendi genus amplectitur. Poſtremum hoc mihi ſummopere ſemper placuit, id conſilii dedi cæteris, mihi cepi. Quæ cauſa fuit, ut mea, hoc eſt, quæ multis ante annis Græcè, vel Latinè, ſum meditatus, neglexerim hactenùs, in edendis autem antiquorum operibus, quoad licet, emendatiſſimè, quod otij datur, libenter impendam. Id in multorum editione, præſertim in hac Guilielmi ſecuti ſumus, an etiam ſimus aſſecuti, aliorum ſit judicium. Hoc, ut manifeſtiùs eluceſcat, de Guilielmo pauca. Fuit is cum primis doctus vir, ac, quod pauciſſimis eſt conceſſum, acutiſſimo ingenio, judicio verò peracri, in Mathematicis verſatiſſimus, arcanorum naturæ ſolertiſſimus indagator, difficiles locos non perfunctoriè tractat, ſed reſecat ad vivum, nullam Philoſophiæ partem indiſcuſſam reliquit. Platonis, Ariſtotelis, aliorumque Philoſophorum, in quibus bene ſentiunt, nullus ſequacior; in quibus malè, nemo vehementior inſectator. Si qua noſtratium authorum minùs probat, refellit quidem, ſed modeſtè, parcit tamen nomini. Fortiter oppugnat hæreticos, antiquiores, inquam, nam de monſtroſis, quæ poſtea pullularunt, hæreſibus, & irreligionibus, ne per ſomnium quidem ſuſpicari potuit Guilielmus. Illud in eo ſingulare, quòd frequenter quidem rationibus neceſſariis, ſæpiùs autem novo docendi genere, ſimilitudinibus ſcilicet, & exemplis popularibus planè, quod vult, aptiſſimè conficit. Iam verò cùm cæteros longo vincat intervallo, in tribus tamen ſeipſum etiam vicit. Quod genus liber, qui de Rhethorica divina, & qui de Cauſis, cur Deus homo; itemque qui de Univerſo ſcribitur. Quæ cùm ita ſint, mirum pariter, & indignum, mihi viſum eſt, jacere in tenebris obſitum ſqualore præclarum Doctoris egregii theſaurum, nec quemquam repertum vel in Gallia vel parente, vel altrice Theologiæ, ac ſcientiarum, vel alibi, qui Pariſienſem Antiſtitem, Gallorum decus, & ornamentum, perditum recrearet. Dicat quis: An non antea fuit editus? fateor, ſed ita fuit editus, ut videretur non editus, nec legebatur, ſed & nomen ejus ignorabatur. Nam editio tanta fœditate vitiata erat, ut nec particula, nec dictio ſine ſtomacho legeretur. Nullam uſpiam diphthongum reperias, nulla ortographiæ, nulla ſenſus habita ratio. Ferè quot literæ, tot menda. Omnia confusè, & ineptè, ut mihi videantur opere nulla de re minus, quàm de editione recta, laboraſſe, imò conjuraſſe potiùs in ignominiam Guilielmi. Non mirum igitur, ſi doctos deterruit hic limæ labor. Equidem invitus facio, ut in labores invehar alienos; facio tamen, ut, quid hîc præſtitum ſit, intelligatur: neve ſine cauſa ſuſcepiſſe negotium videamur. Nec operam laudo, ſed opus, quanquam hæc apta ſunt inter ſe, & connexa, ut alterum ab altero ſejunctum intelligi nequeat, non tamen is animus, non ea mens. Sed tribuatur aliis hoc laudis. Damianus enim Zenarus vir navus, & attentus, in re deſperata non modò non animo concidit, ſed etiam ab annis ſex de inſtauratione Guilielmi cogitare, ſedulóque agere cœpit, incitatus, opinor, ab inſignibus pietate doctrináque viris, aſſerentibus è re Chriſtiana fore, ſi recuderetur accuratiùs. Hujus ego votis, & conſiliis amicorum acquievi tandem, mox moleſtiam expertus opinione majorem, oneri propè ſuccubuiſſem, niſi ſudores, & algores octimeſtres, & æſtivas etiam ad multam noctem lucubrationes ea ſpe leniſſem, quòd non dubitarem hanc operam non Theologis modò, verùm etiam Philoſophis & Concionatoribus, & Chriſtianorum univerſitati fore fructuoſam, nec proinde Dei præſidium defuturum. Nunc quid in hac rudi mole formanda, quam chaos dixeris, effectum ſit, paucis expediam. Ubi dignus vindice nodus incidit, integro Lectori relicto judicio, ſtellulam adſtituimus. Breviter orthographiam curavimus. Superflua ſuſtulimus. Rurſus, quæ deerant, reſtituta ſunt. Marginales annotationes

Digitized by Google

ex parte circumcidimus, partim locupletavimus. Capitum aliquot argumenta refecimus, & ipſa capita diſtinximus. Annotavimus lectionum varietatem, & notas arithmeticas curavimus fideliter paginis adhibendas. Ad hæc, ſi qua diſcrepare videbantur à recentioribus Eccleſiæ placitis, cautè legenda ſignificavimus; non tamen id ubique fieri neceſſarium putavimus. Nolo plura. Sed & hæc recenſere ſuppuditum eſſet, niſi laborioſi teſtes operis Venetiis haberem quamplurimos, qui cùm ſingula ferè verba deleri, aliaque ſubſtitui cernerent, mutandi laborem, & veterum impreſſorum inertiam mirabantur. Sed quid teſtimoniis opus eſſet? Res ipſa per ſe loquitur. Conferatur cum noſtra Pariſienſis editio ferè octogenaria, nihil à me non veriſſimè dictum reperietur. Ac in cæteris quidem libris conjectura fuit utendum; cum opere verò de Univerſo meliùs actum ex collatione manu ſcriptorum exemplarium, ex quibus caſtigatiſſimum unum perbellè diſtinctum, deſcriptum, atque depictum, eſt repertum in Cœnobio D. Antonii Venetiarum in Bibliotheca, quam Dominicus ex illuſtriſſima Grimanorum familia, quondam D. Marci Cardinalis, extruxit, inſtruxitque marmoreis ſignis, ac libris exquiſitiſſimis, publicæ commoditati ſumptu maximo. Quo loco tacitus præterire non poſſum, nec debeo, Laurentii Prioli Patriarchæ Venetiarum illuſtriſſimi, Dalmatiæque Primatis, ſtudium huic negotio peropportunum. Per eum enim patuerunt nobis hunc ad uſum vetuſtiſſimæ Bibliothecæ Religioſorum. Et quoniam inter legendum interdum, tanquam in ſalebris, hærebitur, & quaſi maculis offenderis, ne me indiligentiæ accuſes, ſcito ſtudium fuiſſe ea mutare tantùm, quæ aliunde irrepſerant, non quæ author ipſe ſcripſit. Quo in genere ſunt Syntaxeos vitia, argumentorum in utramque partem confuſio, conjunctionum orationis abſurditas, inſtitutæ diſputationis intermiſſio, & ſimilia, quæ crediderim negotiis occupato, &, ut fit, morte prævento, emendare non licuiſſe. Nec tamen inficiandum eſt, in longo opere vel mihi, vel adminiſtris ſomnum obrepere potuiſſe. Nec meum eſt vel prælo, vel officinis adhærere. Tu, ſi quid erratum, pro tua humanitate benignè corrige, conatum noſtrum bonam in partem accipe, fruere qualicunque fructu noſtri laboris. * Interim à nobis expecta nova quædam Guilielmi. Vale.

IN PRIMA PARTE TOMI PRIMI HÆC HABENTUR.

De Fide, liber unus. fol. 1
De Legibus, liber unus. 18
De Virtutibus, liber unus. 102
De Moribus, liber unus. 192
De Vitiis & Peccatis, liber unus. 260
De Tentationibus & Reſiſtentiis, liber unus. 293
De Meritis, liber unus. 310
De Retributionibus Sanctorum, liber unus. 315
De Immortalitate Animæ, liber unus. 329
De Rhetorica divina, liber unus. 336

IN SECVNDA PARTE.

De Sacramentis in generali, liber unus. 407
De Sacramento Baptiſmi, liber unus. 416
De Sacramento Confirmationis, liber unus. 426
De Sacramento Euchariſtiæ, liber unus. 429
De Sacramento Pœnitentiæ, liber unus. 451
De Sacramento Matrimonii, liber unus. 512
De Sacramento Ordinis, liber unus. 528
De Sacramento extremæ Vnctionis, & de Sacramentalibus, liber unus. 553
De Cauſis, cur Deus homo, liber unus. 555
De Pœnitentia novus Tractatus, liber unus. 570
De Vniverſo Partis primæ principalis, pars prima. 593
De Vniverſo Partis primæ principalis, pars ſecunda. 682
De Vniverſo Partis primæ principalis, pars tertia. 754
De Vniverſo ſecundæ Partis principalis, pars prima. 807
De Vniverſo ſecundæ Partis principalis, pars ſecunda. 844
De Vniverſo ſecundæ Partis principalis, pars tertia. 1015
Index rerum in hunc primum Tomum.

IN PRIMA PARTE TOMI SECVNDI.

Sermones in Epiſtolas & Evangelia Dominicarum & Feſtivarum qui deſunt in Editione Veneta.

IN SECVNDA PARTE SIVE SVPPLEMENTO.

Tractatus quatuor eximii nunc primùm ex M. SS. eruti.

I. De Trinitate, Notionibus & Prædicamentis in divinis. fol. 1
II. De Anima. 65
III. Supplementum Tractatus novi de Pœnitentia. 229
IV. Tractatus de Collatione & ſingularitate Beneficiorum. 248
Indices neceſſarii.

GVILIELMI ALVERNI
EPISCOPI PARISIENSIS,
DOCTORIS EXIMII,
OPERA QVÆ EXTANT.

PARS PRIMA.

TRACTATUS.
DE FIDE, ET LEGIBUS.

Scientiam veri, ac divini cultus, ac veræ religionis primum locum in ordine ſapientialium, ac divinalium ſcientiarum obtinere. Deinde ſacratiſſimi cultus multiplicem utilitatem, & fructum oſtendit, fœlicitatem ſcilicet æternam. Poſteà exponit de quibus ſit dicturus.

IN ordine ſapientialium divinaliumque ſcientiarum, iſtam divini cultus, veræque religionis ſcientiam, de qua prout de furſum accepimus, ſcribere intendimus, primum locum obtinere, primæ ac theologicæ philoſophiæ prima pars declarat, atque certificat. Hujus autem utilitas, & fructus idem prorſùs eſt, qui divini cultus, veræque ac Deo acceptæ religionis: omnium enim utilitatum utilitas, & omnium fructuum fructus, fœlicitas æterna eſt propter quam omnes ſubſtantiæ nobiles, hoc eſt rationales, & intelligentes creatæ ſunt. Quia igitur nec greſſu, nec volatu, neque natatu, nec alio quocunque motu, quam ſacratiſſimi cultus, ſive Deo altiſſimo placitis obſequiis, nec alia via, niſi ſincera, immaculatiſſimaque religione ipſius, hoc eſt, qua ei adhæretur, & vivitur, eſt poſſibile venire ad fœlicitatem æternam. Manifeſtum eſt hujus ſacræ, ac divinalis ſcientiæ, quæ motus iſtos obſequiorum, ſcilicet divinorum, veræque religionis viam ſola aperit, & demonſtrat, fructum, & utilitatem eſſe fœlicitatem æternam. Hæc eſt cujus ſolius ignorantia erubeſcenda eſt, ſicut ait Philoſophus Apuleius: interrogatus enim (inquit) an ſcias ſtatuam facere? abſque rubore reſpondebis: Neſcio, quia non pudet te non eſſe ſingificum, ideſt ſtatuarium: interrogatus autem, an ſcias bene vivere? non audebis dicere, neſcio; hujus enim ignorantia adeò veréque damnata eſt, ut omnis natio illam gladio, & igne exterminet, & profliget. Cùm enim animal irrationale ſciat, ut ita dicamus, vivere ſecundùm quòd decet ipſum, quid eſt magis majorique damnatione in genere humano dignum, quàm vivere cum ignorantia bene vivendi? Bene vivere autem, eſt vivere, ut decet: nihil autem adeò decet vitam noſtram, ut religioſitas, nihil adeò decorum poteſt habere ut illam, & ut ad unum dicamus, totus, & ſolus decor vitæ noſtræ ipſa eſt religioſitas; ipſa enim eſt perfectio ad quam nati ſumus, quæ quidem hîc aggredienda eſt, & continuis profectibus ſemper augenda; in futuro verò poſt hanc vitam expectatur ejuſdem cumulatiſſima plenitudo, quæ eſt potiſſima pars gloriæ ac fœlicitatis æternæ, ſicut faciemus ſciri, cùm loquemur de ſtatu animarum noſtrarum poſt corpora; totum enim Deo vivere religionis conſummatio eſt, & beatitudinis, & gloriæ finalis plenitudo. Quia igitur fides veræ religionis fundamentum eſt, prima radix atque principium divini cultus, neceſſe habemus in prima parte tractatus iſtius, fidem, quæ virtus eſt, ſtabilire ac declarare, præeminentiaſque certitudinis, & etiam altitudinis quam habet ad mundanæ philoſophiæ diſciplinas, cæteraſque comparationes ipſius ad illas oſtendere; deindè cauſas errorum, impietatis, ſectarumque perditioni aperire, & numerare. Tertiò valorem ipſius, & meritum apud Deum patefacere. Quartò quòd non eſt fides, nec poteſt eſſe nomine fidei digna, quæcunque credulitas, nec Deo ullo modo accepta, niſi hæc, quam hîc ſtabilire, ac declarare intendimus: faciemus etiam ſciri cum his, quia ipſa fundamentum eſt veræ religionis, & divini cultus principium, & quia ſine fundamento ædificare nititur qui hanc non præjecit, & ſine radice fructificare, qui hanc non præfecit. Deindè verò, quia lex continentia quædam eſt, & velut aggregatio honeſtatis atque religionis, oportebit nos declarare legem diffinitione certiſſima, parteſque ejus nume-

Fœlicitas æterna.

Apuleius

Ignorantia bene vivendi.

Bene vivere.

Digitized by Google

Lex una. rumque ipſarum. Deinde quæ eſt lex veritas, ſive lex veritatis, & quòd illa non eſt, niſi una: & quòd illi ſoli competit nomen legis intentione, ac ratione veriſſima, & quòd illa eſt evangelium æternum: quod nec præceſſit aliud nec ſubſequi poteſt, & quod æquivocè lex Judæorum, & lex Moyſi, non propria ratione leges nominantur. Poſt exponemus ea quæ videntur abſurda atque ridicula in lege Hebræorum, & dabimus cauſas præceptionis, & prohibitionis earum. Deinde deſtruemus perfidiam Machometi & evacuabimus promiſſiones & comminationes quibus ſeduxit gentem Arabum. *Perfidia Machometiſtarum.* Primùm oſtendentes non ſolùm ridiculoſitatem earum, ſed etiam impoſſibilitatem: loquemur etiam cum his de diverſitate legum, & dicemus quid ſenſerint, & adhuc etiam ſentiant philoſophi de illa, & deſtruemus errores eorum in hoc: primò hic loquemur de idolatria dictione univerſali, & undè ortum habuit: & poſt hæc de ritibus & ſacris, & ſacrificijs: & aſſignabimus cauſas ſacrorum, & ſacrificiorum quæ impoſita ſunt genti Hebræorum, & deſtruemus errores, qui de idolis, vel fuerunt, vel adhuc ſunt. Deinde evacuabimus ſacra, & ſacrificia omnium falſorum deorum, & faciemus ſciri. quia ipſa ſunt execrationes facientium, & offenſiones Dei altiſſimi, cujus ſola pace & gratia, bene eſt generi humano, cujus ſola indignatione male ei eſſe poteſt, & propter hoc ſolus ipſe honorificentiæ ultimo cultu colendus, & quod nec idola, nec dij quidquam poſſunt per ſe, & ideò nonniſi fruſtra, & vanè coli poſſunt cum cultoribus ſuis, nec prodeſſe, nec obeſſe poſſunt; & propter hoc ſacris & ſacrificijs ſolus Deus altiſſimus honorandus, atque placandus. Noviſſimè verò aſſignabimus vera ſacra, quibus Deus veriſſimè colitur, quæ & cultores ipſos ſacrant, atque ſacrificant, Deoque acceptabiles efficiunt. Deindè vera ſacrificia, quæ Deum per ſemetipſa, abſque ulla dubitatione placant offerentibus, & ſtabiliemus hæc omnia ſtabilitione cui nec erit obviatio, vel contradictio, & declarabimus ea declaratione, poſt quam non relinquetur ex eis dubitatio. Et ſic eſt finis prologi.

DE FIDE.

CAPVT I.

Diffinitur fides, oſtenditur probabilitatem, & evidentiam veritatis, fidem quandam, & credulitatem probabilium, & manifeſtarum ingerere cogitantibus ea: improbabilitatem fidem non facere, ſed auferre, & quod credere improbabile & virtutis.

INcipiamus igitur cum Dei adjutorio, & dicamus quia fides, quam hîc ſtabilire intendimus, veriſſima ratione, rectiſſima diffinitione eſt virtus, qua ea quæ ad fundamentum religionis pertinent, rectè firmiterque creduntur. *Fides.* Quemadmodum enim aliud eſt diligere aliquem ex meritis ſuis, ſive aliquid ex ſuavitate, vel utilitate, qua ſuave eſt, vel utile diligenti aliquid, aut ex virtute ipſius diligentis: ſic aliud eſt credere ex probabilitate, ſive ex evidentia ipſius crediti, aliud ex virtute credentis. Sicut enim probitas poſſeſſoris ſui dilectionem ingerit, & infigit agnoſcentibus eam, ſive credentibus; & ſicut ſuavitas, & utilitas ſuavis, ſcilicet rei alicujus & utilis, dilectionem, & deſiderium ſui incitant, & inflammant in agnoſcentibus, & credentibus eas: *Probabilitas.* ſic probabilitas, & evidentia veritatis fidem quandam, ſive credulitatem probabilium, & manifeſtorum ingerunt, & imprimunt cogitantibus ea. Cùm autem quis malum, & dilectione indignum, vel ipſum inimicum diligit, hoc indubitanter non ex meritis eſt, ſed contra merita. Et hoc eſt ex virtute diligentis, non ex aliquo quod ſit in ipſo dilecto: ſic & cùm paupertas, vel moleſtia, vel contumelia, vel mors ipſa diligitur, ex virtute eſt diligentis, non ex ipſis, quæ nihil videntur habere in ſe propter quod diligenda ſint. Sic & cum improbabilia creduntur, ex virtute credentis eſt, non ex ipſis. *Improbabilitas.* Sicut enim improbabilitas, non ſolùm amorem non excitat, ſed extinguit: ſic improbabilitas non ſolùm fidem non facit, & credulitatem non generat, ſed etiam aufert, & prohibet. Similis igitur virtutis eſt amare improbum ſeu reprobum, & credere improbabile, nec minoris virtutis eſt credere improbabile, quam improbum diligere. Amplius ſic eſt probabile ad intellectum ſicut lucidum ad viſum, & ſic ſuave & utile ad affectum, ſicut calidum ad tactum, & ſicut gelidum ad tactum, ſic inſuave. & inutile ad affectum, & ſicut improbabile ad intellectum, ſic tenebroſum nulloque lumine ſuperaſperſum ad viſum. Sicut igitur non eſt virtuoſum videre lucidum, quod nullo modo pugnat contra viſum, imò modis omnibus adjuvat ipſum: ſic non eſt virtuoſum credere probabile, vel verum manifeſtum. Et ſicut non virile nec magnificum eſt calere ex calido, vel calidum eſſe: ſic neque diligere probum, aut amare, ſeu deſiderare utile, vel ſuave. Sicut igitur calere contra frigidum, hoc eſt repugnare frigido, virtutis eſt, atque vigoris: ſic amare improbum, vel reprobum, & amare vel appetere inſuave, ſive moleſtum, & inutile, ſeu damnoſum, & juxta hunc modum credere improbabile, virtutis erit, atque vigoris. *Credere improbabile.* Amare enim, atque deſiderare utile, vel ſuave, non eſt niſi de admiſſo, vel immiſſo, & igne calere, hoc opus naturæ propriè eſt, non enim minus naturale eſt igni ſpirituali, idem ſi admovetur, calefacere ſpiritualiter, quàm igni corporali corporaliter, juxtà hunc modum credere probabile, vel manifeſtè verum, nihil aliud eſt, quàm videre lucidum, vel illuminari à lucido: ſuavis enim eſt utilitas, & magnificentia. *Ignis ſpiritualis tres ſpecies.* Tres ſunt ſpecies ignis ſpiritualis, & tres in animabus humanis arſiones, ſeu combuſtiones efficiunt, videlicet concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, vel melius, luxuriam, avaritiam, ſuperbiam. Et his tribus ſpeciebus ignis ita nati ſumus exuri, vel ardere, ut ligna arida igne corporali, & hoc naturali ſeu originali corruptione, non primæ creationis inſtitutione; ſic & probabilitas omninò ſuperaſperſio lucis ſpiritualis eſt, & debilis. Et propter hoc non ſufficit firmare, ſeu figere apprehenſionem, evidentia autem veritatis fortis, & penetrans luciditas, ſeu luminoſitas eſt, & propter hoc figit, & firmat certitudinem intellectus. Sicut igitur tres nominatæ diſpoſitiones ignis ſunt ad noſtrum affectum ſive ad vires motivas noſtras, tam ſublimes, & nobiles, quàm inferiores, & ignobiles: ſic probabilitas, & evidentia luces ſunt, vel lumina ad noſtrum intellectum, & etiam ad vires noſtras apprehenſivas tàm nobiles, quàm ignobiles. Manifeſtum igitur eſt, quod credere improbabilia, fortitudinis eſt, atque vigoris noſtri intellectus, ſicut amare damnoſa, moleſta, & ignominioſa fortitudinis eſt & vigoris noſtri affectus; quia igitur multa improbabilia, & ab intellectu humano innotiſſima, pertinent ad fundamentũ religionis, quæ credi neceſſe eſt veram religioné ingredientibus, & aggredientibus, hoc eſt ad Deum accedentibus; manifeſtum eſt neceſſariam eſſe hanc virtutem, ſeu fortitudine intellectus, quæ tenebras improbabilitatis irrumpat, & vincat, & luminoſitate propria, ea quæ illa abſcondere contendit, lucida & aperta hoc eſt credita faciat. Amplius. Si tota mens humana glorificanda eſt, hoc eſt gloria fœlicitatis æternæ veſtienda, non redditur autem gloria, niſi gratiæ,

Digitized by Google

nec ſupervestitur gloria, niſi quod prævestitum invenitur gratia: tota igitur natura eſt glorificanda, hîc ex neceſſitate eſt gratiâ veſtienda, quare & intellectus gloria hic eſt, ſeu gratiis veſtiendus, inter quas palam eſt eſſe fidem. Amplius. Si totam neceſſe eſt eſſe mentem humanam religioſam, & nihil in ea irreligioſitatis, ſeu prophanationis relinqui; ergo & ipſum caput mentis, ſive oculum, hoc eſt intellectum, neceſſe eſt eſſe religioſum; fides autem ex neceſſitate, aut tota religio ejus eſt, aut pars prima. Amplius. Eodem jure, & æquè primò tenetur ſubditus eſſe humanus intellectus Deo, ut affectus, & æquè debitor eſt obedientiæ ad eundem, quia ergo intellectus humanus adeò debitor eſt obedientiæ Deo, ut contra ſeipſum, vel amare, vel velle, vel deſiderare, vel odire, & etiam contra ſeipſum dimicare propter ipſum neceſſariò tenetur humanus intellectus, & operari contra ſe, & pugnare contra ſe propter ipſum: nulla autem operatione poreſt hoc facere niſi illa, quæ eſt credere, tenetur ergo contra ſe credere propter ipſum; de operationibus enim intellectus ſolùm credere, bellum habet. Comprehendimus autem opinari in eo quod eſt credere, quoniam credere quoddam opinari eſt. Credere enim eſt vehementer opinari; ſcire autem non habet bellum propter fortitudinem & firmitatem ſuam, niſi ſophiſticum. Quod ipſa luminoſitate ejus quod eſt ſcire, non tàm mentitur, quàm diſſolvitur ut nebula, & evaneſcit ut illuſio, & phantaſia. Quod verò ipſum cogitare, bellum habere videtur, propter cogitationes, quæ improbiſſimè ſe ingerunt quod evidentiſſimum atque duriſſimum eſt in cogitationibus blaſphemiæ, & ſimiliter propter cogitationes mundas, ac rectas, quæ per intellectum multa difficultate, & vix obtineri poſſunt. Ita nec propter hoc dictum videatur, id quod legitur in tertio ſecundæ ad Corinthios. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi à nobis, & revera ipſum cogitare, quia voluntarium eſt; ideò & bellum habet, & bellum eſt. Scire autem non videtur eſſe voluntarium, poſtquàm eſt, licet ejus acquiſitio voluntaria ſit. In eis enim quæ per ſe nota ſunt, & maximè in primis impreſſionibus, non eſt in libertate arbitrij, nec in libera poteſtate noſtra ſcire, vel non ſcire, propter proximitatem ipſorum ad intellectum noſtrum, & propter vehementem impreſſionem ipſorum in illo. Propter quod dicit, & Ariſtotel. in hujuſmodi non eſt contradicere ad exterius rationem. In aliis autem quæ per ſe non videntur, ſed per alia cognoſcuntur, neceſſe habet intellectus noſter acquieſcere eis poſitis principiis, & ſillogiſtica concluſione ordinatis ad illa: nec eſt ullo modo in poteſtate noſtra eis contradicere, verùm cogitare de his, ſtudere in his, libros inſpicere in quibus de his agitur, doctores interrogare, & audire de hujuſmodi, quæ omnia faciunt ad acquiſitionem ſcientiæ, voluntaria ſunt, & omnia ſunt facientia, & accidentia ad ſcientiam talium, & propter hoc, & vitioſa, & virtuoſa eſſe poſſunt, & laudem habere, & vituperium, & benè, & malè fieri, & non fieri. Ipſum verò ſcire non poteſt habere niſi laudem, nec unquàm poteſt eſſe niſi bonum. Si quis autem dicat, quia quemadmodùm primæ impreſſiones, ſive prima principia ex neceſſitate ingerunt ſui ſcientiam, & certitudinem; ſic prima probabilia ſui credulitatem, ſive fidem, & propter hoc credere non eſt voluntarium in ipſis, ſicut nec ſcire in illis. Reſpondemus, quia probabilitas quantacunque ſit, non ingerit fidem, ſive credulitatem intelligentibus, & exercitatis ex neceſſitate, cum ipſi certi ſint, non omne quod videtur verum, eſſe verum, vel etiam ſimile vero, eſſe verum: idem autem eſt probabile quod veriſimile, & idem quod id, quod videtur verum. Sapientium etiam eſt tàm à veriſimilitudine, & probabilitate, quàm à ficto falſoque colore ſemper timere, & cavere. Illud tùm verum eſt, quod qui credit principiis ſillogiſticè ordinatis neceſſe habet credere concluſioni, poſita enim credulitate principiorum, non eſt ei liberum credere, vel non, concluſioni, immò neceſſarium eſt, non quidem neceſſitate abſoluta, & preciſa, ſed determinata, & conditionali. Voluntarium tamen ſimplicis eſt, & liberum de omni probabili, ut ei quis credat, vel non credat, quoniam nihil adeò probabile, quod non habeat, aut diſſuaſionem qua poſſit videri falſum, aut ſaltem qua poſſit videri non eſſe credendum, & hoc propter periculum erroris. Sufficit enim ſapienti, cùm veritatem comprehendere non poteſt, non illudi à falſitate, & non errare atque non falli, quemadmodùm, & bellatori cùm hoſtem ſuperare non poteſt, ſatis eſt ei ſi non ſuperetur ab ipſo, & negociatori cùm lucrum capere non poteſt, ſi damnum evitet. Et ne putes leve damnum philoſophantibus, credulitatis, & opinionis errorem, hoc enim totis ſtudiis effugere contendunt, videlicet ne ſuperentur ab erroribus, ne pro veritate quam quærunt, fallente probabilitate, vel veriſimilitudine, mendacium accipiant. Nunc autem revertamur ad id in quo eramus, & dicamus, quia cogitare ſi nudum eſt, & ſolum cogitare, informe eſt valdè, atque materiale, ſi non habeat aſſenſionem, aut certitudinem, aut diſſenſionem. Vnde nec ex ipſa materia ſuper quam cadit, quantumcunque bona, aut mala ſit, nunquàm formatur, aut denominatur, neque nunquàm habet ex ea laudem, vel vituperium: cogitare enim quantumcunque horribile, & quantumcunque deteſtandum malum, ſi nudum eſt, ut diximus, non eſt malum, ſicut neque videre quantumcunque malum, dummodò videre nudum ſit à delectatione, & aſſenſione, malum non eſt. Alioquin neceſſe eſſet Deum, qui omnia videt, inquinatiſſimum eſſe, ac peſſimum, ſi mala viſa videntes inquinarent, & malos eos efficerent, cùm ipſe omnia mala, & ſuper omnes videat, & videre nunquàm deſiſtat. Amplius. Cogitare propter ipſum nunquàm quæritur, nec in eo ſiſtitur, quæri tamen poteſt, & laudabiliter, & fortiter, ſeu virtuosè, quemadmodum ſi ad hoc quæritur, ut perimat, vel excitet bonas affectiones. Ad hoc enim viri ſancti interdum, cogitant turpia, ut ea magis ac magis abominentur, ad hoc cogitant infernum, ut magis ac magis ipſum horreant: ſimiliter bona ad hoc cogitant, ut ea magis diligant. Sunt & aliæ bonæ affectiones, propter quas viri boni, vel qui boni eſſe cupiunt, exquirunt multa ſtudio, & defendunt exquiſitas cogitationes: manifeſtum igitur eſt ex omnibus his, quia credere, vitioſum poteſt eſſe, & virtuoſum. Addamus autem & alias declarationes ad ſtabiliendam virtutem fidei, de qua hîc intendimus, & dicamus, quia credere ea quæ pertinent ad fundamentum veræ religionis, bellum adverſum ſe habet, videlicet diſputationum, diſſuaſionum, contradictionum & etiam improbabilitatis ipſorum, quæ improbabilitas directè contra credulitatem eorumdem pugnat. Omne autem bellum bellica virtute, ſeu fortitudine agendum eſt, quia ſine virtute non provenit belli victoria, quam neceſſe eſt modis omnibus provenire, ut mors utraque declinetur, & vita utraque, vel acquiratur, vel ſervetur; neceſſaria ergo eſt in bello iſta virtus, qua contra dictas quatuor acies pugnetur, atque de eis triumphetur. Hæc autem indubitanter eſt fides, quoniam contra eam directè pugnant acies illæ; quare & ipſa ex neceſſitate pugnat, & acies ſuas dirigit contra illas. Amplius. Contra tot jacula tanquàm pernicioſa, neceſſaria eſt menti humanæ armatura, quæ illa ac-

Intellectus debet eſſe Deo ſubjectus ſicut affectus.

Opinari. Credere. Scire.

Cogitare.

Poſitis principijs acquieſcendum.

Cogitare ſine aſſenſu quid.

Affectiones bonæ.

Armatura neceſſaria.

cipiat & retundat, ipſum verò protegat: nulla autem eſt alia ſpititualis armatura, quæ ab his jaculis illam protegat, & contra illa ipſam muniat, niſi virtus fidei, quod inde apparet, quia omnia iſta jacula, & directè trajiciuntur in illam, & immediatè illam percutiunt. Amplius. Ea quæ pertineut ad fundamentum religionis, aut ſunt omnia probabilia, ſive manifeſtè vera, aut quædam ſunt ibi improbabilia, & non apparentis veritatis. Non autem ſunt omnia manifeſtè vera, quoniam tunc nulla eſſet in fide diſſenſio, nulla hæreſis, nulla omnino contradictio, manifeſtè enim veris nemo contradicit. Quia igitur tanta eſt in his diſſenſio, tanta hæreſum monſtruoſitas, manifeſtum eſt quædam ex his eſſe veritatis non apparentis. Credere autem ea quæ non apparent eſſe vera, vel quæ non videntur eſſe vera, hoc non eſt niſi virturis, ut diximus, & niſi ex virture credentis, F cùm talia in ſe cauſam credulitatis non habeant, ſicut jam declaravimus, neceſſe igitur eſt virtute credi quædam ex his quæ pertinent ad fundamentum religionis, quare neceſſaria eſt virtus fidei. Amplius Aut eſt credendum Deo abſque ſuaſione aliqua & probatione, aut non, ſi ſic, ergo credendum eſt ei virtute, quod enim abſque ſuaſione, & probatione creditur, virtute credentis creditur. Quod ſi dixerit, quia non ei credendum ſine ſuaſione, vel probatione: non igitur ei credendum eſt, niſi ſicut cuivis alij. Cuilibet enim alii cum ſuaſione, & probatione creditur: quod ſi dixerit, quia credendum eſt ei ſine ſuaſione, & probatione: quoniam ſcitur, vel creditur eſſe verax, & quod non mentitur, nec ſic evaſit: quoniam nec ſine ſuaſione eſt hoc, ſeu probatione, habet enim ſuaſum apud ſe & fixum, Deum mentiri nolle, & vera eſſe, quæcunque dixerit: per hoc ergo credit Deo, quia credit eum mentiri nolle, & vera eſſe quæcunque G dixerit: per hoc ergo credit Deo, quia credit eum mentiri nolle, & ita credit ei ſicut crederet alicui bono viro, cui utique propter hoc crederet, quia crederet eum non mentiri; apparet igitur, quia non credit ei niſi ſicut alicui bono viro. Amplius. Hoc ipſum, quia credit Deum eſſe veracem, & mentiri nolle, aut credit ei ex virture fidei, aut ex evidentia veritatis ipſius, aut ex probabilitate, aut ex ſuaſione, ſeu probatione; ſi ex evidentia veritatis, vel ex aliquo ſequentium, in nullo igitur honorificat Deum credendo hoc: de quolibet enim alio idem crederet ſi eandem cauſam credendi haberet, credendo ergo hoc de Deo non honorificat Deum, honorificat quidem in hoc, quod magnum credit de eo, à parte crediti ſcilicet, non autem à parte credulitatis. Quia igitur religioſitas ſecundùm quamlibet ſui partem Dei honori intendit: immo ejus honor eſt, cum hujus credulitas in ſe honor Dei non ſit, licet à parte crediti honor ipſius ſit, manifeſtum eſt, quod hujuſmodi credulitas, nec religio eſt, nec pars religionis, eſt autem fides ex neceſſitate pars prima religionis, & fundamentum: H fides igitur quam hîc intendimus, virtus eſt quam diximus. Amplius. Quoniam manifeſtum eſt communitati hominum non poſſe ſatisfieri probationibus, vel ſuaſionibus de his quæ credenda ſunt, ad Deum accedentibus, piéque ac religioſè vivere volentibus, vel propter defectum probationum, & ſuaſionum, vel propter brevitatem intellectûs ſimplicium, & vulgarium hominum, credenda autem erant neceſſariò ea ſine quorum credulitate ad Deum non acceditur: neceſſe igitur eſt ut alia via credantur hæc à communitate hominum, quam per probationes aut ſuaſiones, nihil autem eſt medium: quoniam credulitas omnis aut ſuaſa ſit, aut virtutis: neceſſe igitur eſt ut talia credat virtute communitas hominum. Amplius. Adeò impium eſt, adeóque ſceleroſum male ſentire de Deo, ut omnis ſecta, omniſque ſuper-

Credere apparentia nõ eſt virtutis.

Deus non mẽtitur.

Via credendi.

E ſtitio de Deo vel idolis ſuis ſibi contraria ſentientes ferro, & igne, omnique genere tormentorum conetur avertere à credulitate contraria, quemadmodum à furtis, & rapinis, & multò ampliùs, & propter hoc multò fortius prohibet, multòque diſtrictiùs contrariam ſibi credulitatem quam furta, & rapinas prohibet, quare & multò diſtrictius credulitatem ſuam imperant. Amplius quis dubitat inſuaſibilibus incredulis, qui ſuaſiones & probationes credendorum, vel non habent, vel non capiunt, ſalutarem credulitatem eſſe imperandam, & contrariam incredulitatem ſuppliciis exterminandam; ſi enim juſta eſt prohibitio errorum impietatis, juſta eſt neceſſariò, & imperatio credulitatum, ſive creditionum pietatis, hoc eſt veræ religionis, quare juſta erit obedientia, & ex neceſſitate debita in utriſque. Obediendum igitur eſt ex neceſſitate in credendo, & obedientiæ F debitor eſt intellectus humanus, quantùm ad operationem iſtam, maximè cum nullum appareat privilegium exceptionis ſuæ: nulla autem eſt obedientia intellectus in credendo, ſi ex ſuaſionibus aut probationibus creditur, quemadmodum nulla eſt obedientia affectus, ſi ex utilitate, vel ſuavitate amatur. Amplius. Sicut Deo debetur digna eo dilectio, digna eo honoratio, ſic ei debetur digna eo credulitas, ſive creditio, non eſt autem digna Deo credulitas, quæ ei propter ſuaſiones, aut probationes impenditur, quia nec etiam bono viro, & magno digna eſt, quare ſublimior ei credulitas impendenda eſt. Procedamus autem & aliâ viâ, & dicamus, quia intellectus humanus, ſive vis intellectiva noſtra, in ſeipſo infirmus eſt: & non ſtans per ſemetipſum: & propter hoc interdùm inſtat dubietatem, dubitatio enim non eſt, niſi mutatio ipſius, qua nunc in alteram partem contradictionis, nunc in alteram inclinatur, interdùm G verò cadit in tenebras, & vacuum ignorantiæ: interdum in ipſa falſa, & errores, fulcitur autem infirmitas ipſius interdum evidentia veritatis, plerumque probationibus aut ſuaſionibus, quandoque ſignis, & cùm debilis fuerit, vel levis ratiocinatio, hoc eſt probatio vel ſuaſio, non innititur ei confidenter, ſed quodammodò ſe retinet, timens ne non ſatis fortis ſit ad ſuſtentandum ipſum. Et propter hoc manifeſtum eſt, quia ipſe utitur hujuſmodi fulturis, ſeu ſuppodiaculis, quemadmodum baculo debili, & fragili, cui neque ſine timore, neque totaliter innititur geſtans ipſum, tales enim rationes opinionem faciunt ſolam, quæ eſt apprehenſio alterius partis contradictionis, cum formidine reliquæ. Evidentia autem veritatis, & probatio demonſtrativa, fortiſſima fulcimenta ipſius ſunt, & tanquàm baculi inflexibiles, & infrangibiles, nullaque ex parte nutantes. Manifeſtum igitur eſt tibi ex his, quia intellectus non quærit hujuſmodi fulcimenta, niſi ex infirmitate, & debilitate ſua; & quia intellectus philoſophans, eſt H ſicut viator ambulans à concluſione in concluſionem, non valens propria virtute ſuſtentare ſemetipſum, ſed adjutorio baculi ſe transferens, & tranſiliens ab uno noto, ſeu probato, ad aliud: baculus autem, cujus adminiculo ita adambulat, & tranſilit, demonſtratio eſt, ſive probatio demonſtrativa. Intellectus autem qui virtute propria credit, nec requirit hujuſmodi fulturas, nec illis indiget, magis fortis eſt magiſque firmus, quia propria virtute, & firmitate nititur, quàm qui alienâ; quapropter magis firmiter credit quàm ille. Amplius. Magis credit intellectus ea, quæ credit per ſemetipſum, quàm ea quæ credit per aliud: quare intellectus virtute fidei credens, magis credit ea quæ credit ex illa, quàm ea quæ credit ex ſuaſionibus, & probationibus: quemadmodum & magis amat amatum qui ex virtute propria id amat, quàm qui ex eo quod eſt apud amatum. Similiter,

Obedientia intellectus in credendo.

Nota.

Intellectus.

Digitized by Google

Amare ex propria virtute.

& rectiùs credit, qui ex virtute propria credit, quàm aliena; credit enim talis intellectus ex ſuaſionibus, vel probationibus, quaſi inclinatus, & innixus ſuper eas & quaſi claudicans ambulat ambulatione quam diximus. Quemadmodum, & rectè amat ſolus, qui amat ex virtute, amore autem curvo, ſive deflexo amat illectus, & abſtractus ab amato. Debes etiam ſcire, quia intellectus requirens ea quæ ſupra diximus, eſt ſicut venditor incredulus, qui emptori non aliter credit, niſi pignus, vel cautionem ſive ſecuritatem det ipſi, & probatio ſive ſuaſio, ut pignus eſt, & cautio ſecuritatis, ſine qua non credit hujuſmodi intellectus. Et quemadmodum venditor non aliter dat rem niſi ſub pignore vel cautione: ſic nec hujuſmodi intellectus dat credulitatem ſuam, niſi poſtquàm pignus, vel cautionem, quam diximus, acceperit. Et ſicut de manu talis venditoris merces non exeunt, niſi prius ſecuritatem tenuerit; ſic nec de hujuſmodi intellectu exiit credulitas, donec medium probationis, quaſi pignus ſive cautionem, tenuerit. Notum autem eſt tibi, quia exactio pignoris aut alterius cautionis, non eſt niſi ex parvitate ſeu debilitate credulitatis, aut ex defectu ipſius: quare manifeſtum eſt intellectum exactorem hujuſmodi pignoris, & ſecuritatum, videlicet probationum, ſuaſionum, ſignorum, eſſe credulitate infirmum, aut incredulum, & eſſe claudicantem & nutantem, per ſeque ſtare non valentem, penéque cadentem, & ut ita dicamus, ſoloque fulcimento prænominati baculi caſus quos diximus declinantem. Manifeſtum etiam eſt tibi, quia magnitudo & multitudo pignorum in domo venditoris, etſi ſecuritatem ipſi faciant, ſigna tamen ſunt & teſtimonia incredulitatis ipſius: ſic pignora & ſecuritates probationum, atque ſuaſionum, & ſignorum, licet ſecuritates ſint intellectus apud quem ſunt: tamen manifeſtè deſignant incredulitatem ejus ad ea de quibus ſunt. Quàm infirma verò hujuſmodi ſit credulitas, apparet ex ſuperpodiaculis: quemadmodum enim videns aliquem uno baculo, vel duobus ſubnixum atque ſuffultum ambulantem, & ambulare aliàs non valentem, ejus greſſibilem infirmam, aut debilem, ſtatim ex hoc judicat virtutem, aut coxas, & tibias ejus ſeu pedes læſos, vel quocunque modo occaſionatos, ſic probationes, ſuaſiones, & ſigna: velut multitudo baculorum atque ſuppodiaculorum intellectum philoſophantem, hoc eſt per viam veritatis ſic ambulantem infirmum indicat, & contractum atque claudicantem. Poſt hoc oſtendemus evidenter, quod hujuſmodi credulitas ſeu fides, non ſolùm non eſt virtus, ſed etiam vitium Deo contumelioſum, & propter hoc damnatione, ſupplicioque digniſſimum: oſtendamus etiam quia hujuſmodi fide ſeu credulitate Deo non creditur. Primùm igitur dicamus, quia neutrum contrariorum eſt receptabile alterius, ſicut nec calor frigidum, nec frigus calidum eſſe poteſt: quare nec virtus infirma; nec infirmitas virtuoſa, hæc autem credulitas infirma eſt, quod apparet ex ſuppodiaculis & fulturis, quare manifeſtum eſt eam non eſſe virtutem. Amplius. Omnis virtus ſicut ſanitas eſt, & ſicut fortitudo fortem faciens habentem ipſam, hujuſmodi autem credulitas nec ſanat intellectum ab incredulitate, nec fortem facit contra incredulitatis infirmitatem: quemadmodum baculi ſuſtentantes contractum, ſeu claudicantem, non illum ſanant à membrorum contractione, ſeu claudicatione, nec fortem illum faciunt contra membrorum greſſibilium infirmitatem, ſeu læſionem: quemadmodum nec multitudo vel magnitudo pignorum ſanant incredulum venditorem à vitio incredulitatis; manifeſtum autem eſt hujuſmodi credulitatem non eſſe virtutem. Amplius. Cùm virtus & ars circa difficillima ſint, hujuſmodi autem credulitas non ſolùm circa facillima ſit, ſed etiam circa ea quæ vel impoſſibile eſt, vel difficile non facere, manifeſtum eſt ipſam non eſſe virtutem; impoſſibile enim eſt, non credere manifeſtè vera, difficile autem eſt non credere probabilia, & reſiſtere ſuaſionibus. Amplius. Quis adeò brevis intellectus eſt, vel potius nullius intellectus, ut virtuoſum judicet ea credere, vel quod evidentem habent veritatem, vel probationem irrefragabilem vel ſuaſionem probabilem? manifeſtum igitur eſt talem credulitatem omninò non eſſe virtutem, & propter hoc nec eſſe partem ullo modo religioſitatis. Quòd autem & vitium ſit Deo contumelioſum, ut diximus, oſtenditur tibi ex his. Manifeſtum enim eſt contumeliam cuilibet fieri notæ veritatis & bonitatis viro, ſi ei abſque pignore fides adhibita non fuerit, ſi cautio ſecuritatis ſuper his B quæ promiſerit ab eo exacta fuerit. Quantò fortiùs igitur contumelia eſt Deo & injuria, gladio, & igne vindicanda, ab eo pignus pro bonis exigere, & non aliter dictis, aut promiſſionibus ejus credere. Amplius. Non eſt adeò quis perjurus, aut mendax, cujus probationibus atque pignoribus idoneis non credatur à quolibet. Qui igitur non aliter Deo credere volunt, quam ſcilicet pignoribus idoneis & probationibus certis, manifeſtum eſt quia Deum in parte iſta mendacibus & perjuris in nullo penitùs anteponunt, ſed ipſos illi pariſicant in fide, & credulitate, & omninò adæquant: hoc autem eſt aperta contumelia Dei, & nullatenus toleranda, quam & Græci & Judæi Deo irrogabant. Sicut teſtatur Apoſtolus in 1. 1. ad Corinthios. Judæi ſigna quærunt, miraculorum intellige, Græci verò ſapientiam, probationum ſupple, nec hi, nec illi aliter credere volentes. Declarabimus etiam cum his, quia hujuſmodi fide vel credulitate à ſecta Græca vel Judaïca Deo non creditur, nec unquam creditum eſt, in quo ſufficit exemplum quod ſupra poſuimus de incredulo venditore, de quo manifeſtum eſt illud, quia non credit emptori, ſed pignori aut alicui cautioni, quare manifeſtum eſt, quia nec Judæi nec Græci hujuſmodi credulitate vel credunt, vel unquam crediderunt Deo, ſed ſignis tantùm, & ſapientiæ. Iam igitur declaratum eſt tibi, quia nulla fide Deo creditur præter hanc, & nulla eſt Deo digna, præter ipſam, nullaque honoratur Deus niſi hac, & nulla eſt virtus præter ipſam, & propter hoc nec fundamentum nec alia pars religionis aut religioſitatis eſſe poteſt. Apparet etiam tibi ex his, quia per viam probationum & ſignorum ſolam ad Deum accedere intendentes, & ſi illo quidem genere cognitionis quodammodo philoſophicè in hoc proficiant, meritò contumeliam incredulitate ſua Deo irrogant, à religione deficiunt, ac longiùs repelluntur atque ſublimiori cognitionis genere defraudantur. Sublimiùs enim atque nobiliùs omnique modo certiùs, virtute, quàm arte cognoſcitur: ſicut dicit Ariſtot. quia virtus eſt omni arte certior ac melior. Hinc eſt quòd metaphyſica plus eſt virtus quàm ars ſicut ipſemet teſtatur. Propter hoc autem virtus eſt certior quàm ars, quia intimior & hoc utroque modo, quia magis profundans in nos: magis enim penetrat mentem, & inficit virtus quàm ars, & à profundioribus ſeu fundamentalioribus rerum ipſarum eſt. Ars enim omnis à rebus eſt, tanquàm umbra vel deſcriptio imaginum reſultantium in ſpeculo intellectus, virtus autem quæ à rebus eſt, ſicut conſuetudinales, & fortè quædam aliæ, non ſicut umbra vel pictura eſt à rebus & rerum forinſeca, ſed ſicut odor vel ſapor eſt à rerum intimo, vel profundo, virtutes verò quæ Dei dona tantùm ſunt, & deſuper ſolummodò deſcendentes, manifeſtum eſt, quia omni arte ſublimiores ſunt, ut potè

Similitudo bona.

1. Cor. 1. d.

Iudæi per ſigna credentes: Græci per probationum ſapientiam.

Ars.

Digitized by Google

ſubli miſſimis, hoc eſt, mundo altiori & fonti bonorũ omnium propinquiores. Quemadmodum igitur lumen quod à ſole emicat, quantò ſoli vicinius eſt, tantò fortius & nobilius eſt, & quod ab eo longius diſcedit, nobilius atque ſublimius eſt, quàm quod ex illuminato reflectitur. Sic lumina à prima luce deſcendentia, nobiliora ac ſublimiora ſunt, quàm ea quæ ex illuminatis per reflexionem deſcendunt; quare fides, de qua hic agimus, cùm ipſa deſcendat à primo lumine, nobilior eſt atque ſublimior, quam ſcientiæ, vel credulitates quæ à rebus per reflexionem illuminationis, quam à lumine primo recipiunt, ad intellectum noſtrum accedunt. Omnia enim quæcunque lucent à lumine primo & relucent ipſum, omni eo quod habent virtutis, pulchritudinis & bonitatis, omnium enim eo relucent ad virtutem primam. Et hujuſmodi relucere non eſt niſi aſſimilari, & aſſimilatione licet remotiſſima & diſſimilitudinis & diſtantiæ, cui nec eſt æſtimatio nec finis. Ex his ergo apparet tibi quàm multùm refert, an deſcendat ſuper mentes humanas illuminatio à lumine primo, an deſcendat per reflexionem à creaturis ſeu rebus creatis, quæ ſunt lumina aſperſione pertenui illuminata à lumine primo, & inde relucentia ad ipſum ſimilitudine, qua diximus, & lucentia in ſpeculo intellectus humani apparitione imaginum ſeu ſimilitudinum ſuarum in illo. Quapropter manifeſtum eſt, quia fortiores, atque nobiliores ſunt illuminationes deſurſùm venientes, quàm deorſùm aſcendentes, & rectè deſcendentes quàm reflexæ, dummodò remotio, ſive diſtantia, vel fortitudo reflectentis non obſiſtat. Fortior enim eſt reflectio radiorum ſolarium ex ſpeculo concavo, quam ipſi ſint ex deſcenſione, & ſole: & hoc apparet, quia reflexio ignita eſt, & adurens obviantia nubila: ipſi verò radij directè deſcendentes igniti non ſunt neque urentes. Similiter reflexio radiorum ſolarium ex berillo, criſtallo, & vitro ignita eſt, & adurens. Hoc autem eſt propter adunationem radiorum ac denſationem luminis ipſius in ſpeculo concavo, & rebus alijs nominatis. Facit ergo adunatio & multiplicata reflexio, quod non facerent radij ſimplices & pauciores: indè Iacob. 1. igitur eſt fortitudo luminis & caloris. Debet igitur ex omnibus his clarum eſſe tibi, quia data optima, & dona perfecta à patre luminum, per largiſſimam beneficentiam ipſius ſuper animas noſtras deſcendentia fortiora ſunt & majora, quàm data bona temporalium ſcilicet & conſuetudinalium, & quàm data meliora naturalium, propter quod & data optima nominata ſunt, videlicet comparatione bonorum & meliorum: ut bona data accipiamus ſcientias à rebus acquiſitas, ut tetigimus, & virtutes etiam frequentia, & aſſuefactione operum generatas, eodem modo divitias & delicias temporales: bona verò meliora virtutes, & ſcientias naturales. Similiter divitias & delicias naturales, quæ naturam non corrumpunt, ſed illuſtrant, & meliorant. Virtutes naturales vocamus prudentiam naturalem, manſuetudinem, pietatem naturalem, & magnificentiam naturalem. Scientias verò naturales vocamus, quæ & natura nobis inditæ ſunt, ſicut noſtrimet, & eorum quæ in animabus noſtris ſunt, ut ejus quod eſt vivere, quod eſt intelligere, quod eſt gaudere, quod eſt triſtari, & oppoſitorum ipſorum; eorum igitur declinatio eſt nobis impoſſibilis. Deliciæ verò naturales honeſtatis ſunt & honeſtæ in rebus, ſcilicet honeſtis honeſtate naturali & per ſe nota, ſicut delectari de profectu ſcientiarum, delectari in bonis & honeſtis operibus, ut eſt delectari in benefaciendo indigentibus, in honorandis parentibus, in ſervando fidem amicis. Quia igitur data optima ſupra naturam ſunt, & indè naturam ipſam noſtram ſurſùm ſupra ſeipſam trahunt in ſubli-

E me, ſcilicet æternæ gloriæ & beatitudinis, manifeſtum eſt ea maiora & fortiora eſſe naturalibus, & omninò ſublimiora atque nobiliora eiſdem. Ex naturalibus enim ſolis, ſolummodò deſcenditur in inferiora, & nullo modo ſupra naturam, vel naturalia per ipſa aſcenditur, ſicut jam declaravimus in tractatu quo contra pelagianam hæreſim gratiam ſtabilivimus, & ipſam ſolam, principium eſſe motus in ſurſum æternæ beatitudinis oſtendimus. Quia igitur inter naturam, & gloriam, gratia media eſt, gloria autem in fortitudine & magnitudine, nobilitate & ſublimitate ultima eſt, ſeu ſuprema, neceſſariò in his omnibus ſignificata eſt gratia, ultima natura. Quare minor natura eſt omnibus modis quàm gratia, quare fides, de qua hîc loquimur, omni cognitione naturali major eſt, fortior, ſublimior atque nobilior, & propter hoc verum dixit qui hoc dixit, quia fide nihil certius eſt: nec invenies fidelem, qui prius non concederet affirmationem, & negationem de eodem F dici poſſe, quam unum ex fidei articulis verum non eſſe. Quòd autem & virtus gratia ſit, licet in prænominato tractatu hoc plenè declaravimus, tamen ex hoc evidenter oſtenditur, quòd nulla virtus poteſt contra ſe, vel ſupra ſe, nullaque potentia, & hoc per ſe: quia nulla virtus, vel potentia per ſemetipſam eſt major, vel fortior ſe. Intellectus igitur humanus per ſemetipſum ſolum non poteſt credere contra ſe, vel ſupra ſe, neque vincere ſe. Cùm igitur neceſſe habeat, ut oſtendimus, credere contra ſe, hoc eſt contra omnia quæ pro eo ſunt, & ſua ſunt, quodammodo, & ipſum adjuvant, illuminant & fulciunt naturaliter: neceſſe habet credere contra omnia adjutoria ſua naturalia & contra omnem illuminationem ſibi naturalem: credere autem eſt & videre & illuminari, quare neceſſe habet videre contra omne lumen ſuum naturale & illuminari. Non au- G tem poteſt videre vel illuminari niſi per lumen, quare neceſſe eſt ipſum illuminari fortiori lumine atque fortiori illuminatione. Naturalibus autem illuminationibus nulla eſt fortior niſi aut gratia, aut gloria, quare illuminatio ejus hîc cùm non poſſit eſſe gloria, & cùm vincat illuminationes ejuſdem naturales, neceſſariò eſt gratia. Non oportet igitur ampliùs nos laborare circa hoc, quia jam ex his manifeſtum eſt, videlicet fidem eſſe gratiam, hoc eſt divinæ largitatis & beneficentiæ gratuitum bonum, & eſſe virtutem erigentem, & firmantem intellectum, facientemque ſtare per ſe & rectè ambulantem per viam ſalutaris veritatis abſque ſuſtentatione baculorum & ſuppodiaculorum quæ diximus, & inſuper ipſam eſſe armaturam protegentem intellectum humanum adverſus jacula diſputationum. Similiter & firmamentum ſupportans illum adverſus impulſiones & concuſſiones contradictionum & opinionum, & adverſus propriæ infirmitatis & ponderoſitatis H ruinoſitatem. Et cum his omnibus etiam declaratum eſt ipſum eſſe lumen vincens naturalia lumina ipſius intellectûs humani. Naturalia verò lumina ipſius ſunt ſenſibilia & quodammodo ipſi ſenſus, ſimiliter & probabilia, omnia ſuaſiones & ſigna hominum teſtimonia, ſive ſcripta, ſive non ſcripta. Qualiter autem lumen fidei ipſos ſenſus & ſenſibilia vincat, in ſacramento altaris manifeſtum eſt, clamat, aſſerit & oſtendit viſus, ibi ſolum panem materialem eſſe. Similiter idipſum clamant, aſſerunt & oſtendunt, ſeu indicant omnia accidentia viſibilia: idem facit tactus, & tãgibilia, olfactus & olfactibilia. Hæc autem omnia videlicet tam ſenſus ipſi quam eorum ſenſibilia lumina ſunt ipſius intellectus noſtri, quibus in mũdo iſto, ſcilicet ſenſibili & videre & illuminari naturaliter habet. Lumen autem fidei omnia lumina adeò obfuſcat & obtundit, ut ſola veritas ſacrificij,

pura &

Digitized by Google

pura & integra ſit in corde credentis, & nihil falſitatis, aut impietatis ingerere poſſint vel impingere in illud. Apparet etiam ex his quia fides hæc eſt digna Deo credulitas, qua ei, ſcilicet Deo, ut dignum, & iuſtum eſt creditur, hoc eſt ſine omni pignore & cautione, ſcilicet gratis & obedienter & non propter hoc, quia verax eſt, aut quia verum eſt quod ipſe loquitur, ſic enim crederetur homini cuivis. Sed quia jubet, ſeu præcipit, ſeu vult: jubet inquam aut præcipit per legiſlatorem, vel legis expoſitores: creditur ergo ei ex virtute obedientiæ, & ipſa fides eſt per quam obedientiæ ſuæ debitum Deo ſolvit intellectus humanus. Oſtenſum eſt etiam quia hîc fides eſt fundamentum, & caput totius religionis, ſive religioſitatis hîc: hoc eſt in vita iſta, ex quo ſequitur, quia eius operatio prima eſt in Dei operationibus, & eius obſequium primum in Dei honorificentia & cultu. Et hoc eſt, quia quemadmodùm intellectus primus eſt inter vires humanæ animæ nobiles: ita neceſſe eſt ut ejus operatio, ejuſque obſequium, atque religioſitas primæ ſint. Declaratum eſt etiam, quia aliis credulitatibus & Deo non ſervitur, & contumelioſæ ſunt ipſæ, & inſuper Deo non creditur, ſed pignoribus & cautionibus, ut diximus. Quare manifeſtum eſt non eſſe fidem, qua Deo, vel in Deum credatur niſi hanc, & propter hoc nullam aliam credulitatem fidei nomine dignam, cùm nulla alia credulitas incredulitatem ſanet, ut oſtendimus: & propter hoc nulla ſana eſt alia credulitas, niſi quam facit fides. Immò palàm eſt ex his quæ diximus, quia omnis alia gens infidelis eſt in Deum & incredula; ſola autem gens quæ hac fide fundata, firmata, armata, & illuſtrata eſt, Deoque obediens & ſubdita, & ideò quantùm ad intellectum ſanctificata ac Dei obſequio, ejuſque cultui jam quantùm ad hoc dicata eſt, ſola iſta gens velut capite inclinato adorat altiſſimum, capite id eſt intellectu per hanc obedientiam inclinato, cæteris gentibus variis erroribus ſeductis, & quodammodò in capitibus inclinatis errorum ſuorum ſuaſiones adorantibus, atque colentibus. Declaravimus etiam, quia fides iſta neceſſaria eſt, ut intellectus humanus Deo per ipſam ſerviat, ſuæque obedientiæ debitum eidem reddat, & ut contra bella quæ adverſùs ipſum inſurgunt, pugnans vincat, & victoriæ coronam tandem à rege regum recipiat. Et propter hoc manifeſtum eſt, quia ſi vel evidentis eſſent veritatis ea, quæ fide hac credenda ſunt, vel probabilia eſſent, vel probationes haberent, vel ſigna, & propter hoc ſolummodò crederentur: ceſſarent bella intellectus, propter hoc victoria, quare & victoriæ corona. Ceſſarent etiam alia bona quæ narravimus, quia nulla eſſet religio intellectus, nulla obedientia, nulla Dei veneratio, nullum obſequium, quare remaneret injuſtus & iniquus, atque peccator, & hæc eſt fides viva quæ non ſolummodò lumen eſt ad oſtendendum credita, ſed etiam vita, eſt ſive vivens, ad movendum ad illa facienda vel declinanda, quærenda, vel fugienda. Quemadmodùm enim ſcientia medicinæ lumen eſt ad oſtendendum ipſi medico ægrotanti quæ ei ſalubria ſint, vel nociva, ſed ipſum non erigit aut confortat, & ut ita dicamus, non vivificat ipſum, neque mirificat, ſive fortificat ipſum ad ea ſumenda vel declinanda: & propter hoc ſcientia mortua eſt, & meritò mortua, quæ à rebus mortuis eſt, vel non vivificantibus, & de pellibus interdùm mortuorum animalium accipitur. Fides autem, de quâ hîc loquimur, de fonte vitæ ut radius vivificus, imò pars vitæ ipſius, quæ vita gratiæ dicitur, in ipſum caput mentis humanæ, id eſt intellectum ad ipſum vivificandum, & illuſtrandum, muniendum, armandumque deſcendit: & propter hoc dicit Dominus in ſecundo Abacuc. Quia juſtus meus ex fide vivit. Si quis autem quærat quæ eſt fides mortua, de quâ loquitur Jacobus dicens quia fides ſine operibus mortua eſt. Dicimus, quia hæc eſt, ſi tamen fides dicenda ſit, quæ inſtar hominis mortui vel animalis mortui, qui nec ſeipſum movere poteſt neque aliud. Quòd ſi dixerit quis, quia benè movet intellectum hujuſmodi fides ad apprehendenda, & cogitanda credenda. Verùm utiquè eſt hoc, ſed non motu vitali ſive vivo. Quemadmodum enim in mortuorum & decoriatorum atque decolatorum animalium cadaveribus, motus quidam relinquuntur, ſicut tremor in ipſa carne eorum & palpitatio interdum in membris: ſic & in mortuo intellectu per extinctionem fidei aliqui ſimiles motus inveniuntur, non autem motus perfecti, ut ambulatio, quæ non invenitur in animali mortuo, neque volatus. Et omninò ſcire debes, quia ſi medicina eſſet virtus & ſcientia viva, non ſolùm illuminaret medicum ad videnda ſalubria & noxia corpori ſuo, ſed etiam ipſã ægritudinem fugaret vivacitate ſua. Tãta enim eſt luminoſitas iſtius virtutis, ut tenebras noxiæ incredulitatis, aut periculoſæ ignorantiæ de his quæ ad fundamentum religionis pertinent, non patiatur, tantæ vivacitatis, ut torporem mortis, quo mens humana ad ſalubria moveri non permittitur, excutiat. Timoris enim fortiſſimi & amoris motus incitat & excitat ingreſſus ipſius moles malarum conſuetudinum de mente, quam illuſtrat, cadunt malorum deſideria, malique amores velut diabolica vincula dirũpuntur. Quemadmodùm enim fortiſſimam concupiſcentiam timor mortis, aut erubeſcentiæ extinguit, & ſicut opinionem fortem aut dubitationem, cùm fortis fuerit ipſa rei evidentia: ſic fides omnem labem peccatorũ diluit, omneſque tenebras eorum diffugat: uno enim modo lux diei latrones fugat, alio modo patibulum, & alio modo prætor: ſic nihil prohibet, & lucem fugare vitia & peccata, & unamquamque virtutem ſimiliter. Fides autem mortua, quantùm ad luminoſitatem, differt à fide viva, ſicut lumen, quod eſt de nocte à Luna, & Stellis ab eo lumine, quod eſt de die, & quantùm ad vivacitatem ſicut lumen, quod eſt in umbra à radio: lumen enim quod in umbra eſt, & admixtum eſt tenebris, & frigidum eſt ac mortuum. Radius verò nec habet tenebras, & calidus eſt atque vivificus, ſicut ergo videre utcunque contingit clauſis oculis, vel velatis: ita videtur fide mortua, interdùm autem & melius: eſt ergo fides mortua in quibuſdam, ſolùm fidei non contradicere, ſicut dicit beatus Bernardus, quia quorumdam fides eſt, ſcilicet fidei non contradicere. In aliis verò eſt ligata, & quaſi ſomnolẽta ac torpida & impedita credulitas, nec lumen quantùm debet emicare, nec motũ efficere ſufficiens, & ideò nec virtus nec virtuoſa eſt, ſed eſt opinabilis apprehenſio, & credulitas debilis & tenebroſa per multum. Quia verò virtus fidei hoc modo, ut diximus, fugat vitia & peccata, ideò dictum eſt. Fide purificans corda eorum.

Fides fundamentũ religionis.

Epilogus ſupradictorum.

Abac. a.

Iac. 2. d.

Fides mortua quæ.

Fides mortua & viva differunt.

CAPVT II.

Enumerat cauſas varias errorum impietatis, & ſectarum perditionis, acutis ſimilitudinibus ſuo more diſputans, quas vide ſuo ordine; qui eſt ſingularis & eximius.

Poſt hoc autem relinquitur nobis declarare, & numerare cauſas errorum impietatis, & ſectarum perditionis. Harum prima eſt ignorantia menſuræ, & capacitatis intellectus humani. Qui enim intellectum ſuum omnia capere exiſtimat, credit ex

1. cauſa.

Digitized by Google

neceſſitate non eſſe quicquid in intellectu ſuo non invenit. Quemadmodùm ſi quis crederet intra circulum vel velum lunæ eſſe omnia, neceſſe haberet credere non eſſe quicquid intra ipſum non inveniret. Hoc igitur eſt cauſa propter quam, quicquid intellectus eorum non capit non eſſe credunt. Tu ergò adverte hoc, & crede intellectum humanum menſuratum, & limitatum in ſua capacitate, ab ipſo creatore ſuo Deo, qui poſuit ei terminos, quæ quot, & quanta capiat capacitate ſua naturali; multa apud ſe ſecreta reſervans revelanda, cùm voluerit, & quandò voluerit. Similis error huic, & ſimilis ignorantia invenitur in hominibus, qui crederent nullo modo eſſe poſſe ſcientiam de magnitudinibus ſolis, & lunæ atque ſtellarum, & de ſimilibus, *2. cauſa.* pro eo quod non eſt in intellectu eorum. Secunda cauſa errorum iſtorum eſt averſio intellectus ab eis quæ credenda ſunt; quemadmodùm enim qui averſos habet oculos ab eis quæ videnda ſunt & converſos ad alia videnda, videre non poteſt in iſta averſione: ſic qui intellectum habent averſum ab eis quę credenda ſunt, & converſum ad contraria credenda, credere non poſſunt in iſta averſione. Hi ſunt qui tanto amore amplectuntur opiniones ſuas & ſectas, ut de contrariis nec etiam cogitare velint, tantoque odio averſi ſunt, & contrarii contrariis errorum ſuorum, ut ea nec reſpicere ullatenus velint. Tu autem ſcis quia idem eſt cogitare, quod corde ſive intellectu intueri, atque reſpicere, & quia amor converſio eſt ad amatum, & odium averſio eſt ab eo quod oditur, quod ipſæ converſiones, & averſiones corporales indicant, & oſtendunt, velut umbræ & ſimilitudines quædam interiorum, ſive ſpiritualium converſionum, & averſionum. Manifeſtum igitur eſt propter quid hujuſmodi homines ea quæ credenda ſunt, credere ſeu videre non poſſunt; non enim datum eſt hominibus videre poſt *3. cauſa.* tergum ſuum, neque videre ſine intuitu, & aſpectu. Tertia cauſa erroris eſt ipſa rerum ſubtilitas, quæ turbido, & groſſo intellectu viſibiles non ſunt: quemadmodùm enim viſus adeò turbidus, & groſſus, ut ab eo pilus videri non poſſit; eſt &. viſus quo pilus, & pilo gracilius videri poteſt: ſic & intellectibus hominum ſimilem differentiam, & comparationem eſſe contingit. Quemadmodùm igitur homines groſſi ac turbidi pilum non videntes ubi eſt, & contendunt, & jurant ipſum ibi non eſſe propter ejus ſubtilitatem, & gracilitatem ipſum non videntes, & de ipſo videntibus credere nolentes; ſic ea, quæ ex fide quam diximus, credenda ſunt propter ſui ſubtilitatem, groſſities, & turbiditas intellectus vulgarium, & indoctorum hominum, non capiens, ea non eſſe, & credit, & contendit & dejerat. *4. cauſa.* Quarta cauſa eſt remotio, ſive diſtantia, hoc eſt longinquitas à rebus credendis, & hæc longinquitas eſt imperitia, & inexercitatio in illis, ſicut dicit Ariſtoteles: imperiti veluti longè diſtantes ſpeculantur. Qui enim in ſenſibilibus verſantur, aut in aliis, quę longe ſunt à credendis, verſantur, & commorantur aſſiduè, longè ſunt indubitanter ab illis, & propter hoc illa videre non poſſunt, qui nec ſtudio nec exercitatione ad illa appropinquaverunt. *5. cauſa.* Quinta verò cauſa eſt ſtultitia, quo volunt intelligere intellectu naturali per ſe id quod per ſe capi non poteſt. Quemadmodùm ſi quis viſu humano vellet videre quicquid aquilino viſu videri poteſt, aut altitudinem ſtaturę ſuę longè deſuper eminentem contingere, & quę in ea ſunt manu capere; *Similitudo.* ſic brevior intellectus credendorum altitudinem non attingit, & intellectus naturalis ad ea quę ſupra ipſum ſunt per ſe nullatenus ſe extendit. *6. cauſa.* Sexta cauſa eſt inquiſitio probationum; Probationes enim ve-

E lut ſcala ſunt quibus attingitur ad probata; quia verò ad ea quæ fidei ſunt ſcala hujuſmodi non pertingit, quoniam non habent aliquas probationes inde quales vellent; ideò deeſt eis ſcala, vel omninò, vel ſaltem ejus altitudinis quæ hujuſmodi res attingat. Hi tanquàm deficiente ſcala altitudine aſcendenda incomparabili breviori ad ea nullatenùs aſcendunt, eo quòd ſolas probationes ſcalam qua illuc contingat aſcendere, opinantur. Septima *7. cauſa.* cauſa eſt peccatum, ſive negligentia qua divinum adjutorium ad iſta credenda non quæritur, ſeu quodcunque aliud, quod viam gratiæ obſtruit & concludit; meritò enim & juſtiſſimè fit, quòd Dei judicio, Dei adjutorium non obtinet qui illud obtinere non curat, meritòque gratiæ lumen divinę cor illius ad illuſtrandum non ingreditur, qui obicem illi opponit peccati; meritò enim radius ſolis domum illius non illuminat, qui radiis ejus feneſtras & oſtia alioſque introitus omnes claudat, *Similitudo.* F & obſtruat. Scito etiam quòd quemadmodùm homines propriis manibus lumen ſolis viſibilis ab oculis ſuis quandòque prohibent & abſcondunt: ſic peccatores malis operibus ſuis, ſolis inviſibilis radios, hoc eſt dona gratiarum & virtutum, à cordibus ſuis declinant, & avertunt. Quod enim ſunt manus interpoſitę inter ſolem & oculos ad obtenebrandos eos: hęc ſunt opera mala inter ſolem intelligentię atque iuſtitię, & oculos cordis ad eos obſtruendos. Attende autem & alias ſimilitudines, ſive exempla, ut melius innoteſcat tibi erroneorum inſania. Quia enim ſenſus humanus in hujuſmodi rebus tanquam cęcus eſt, & omnino inſcius, qui eo duce ambulare volunt in his, cæcum ſibi ducem eligunt, & propter hoc non eſt mirum ſi in pręcipitia & profunda errorum corruunt. Similiter qui ipſum de his rebus conſulunt, cùm horum omninò G inſcius ſit, ſuum in rebus periculoſiſſimis habent conſiliarium. Meritò igitur perniciosè errant, & pericula errorum non effugiunt. Aſſimilatur & ſtultitia hujuſmodi hominum veſpertilionibus qui ſolem videre contendunt, & ipſum totis viribus fugiunt, dùm neque ortum ejus expectant, neque ante occaſum ejus evigilant; Sic & iſti ſolem intelligentiæ & juſtitiæ dominum ex omni parte fugiunt oriturum, ſi quidem non expectant, dùm nec miraculis, nec ſacrorum eloquiorum teſtimoniis, nec ſacrorum doctorum ſuaſionibus, quibus omnibus velut quibuſdam radiis illuceſcere poſſent, eiſdem attendere nolunt: immò ab ipſis tanquàm à vitiis fugiunt, ſicut & omnes aves lucifugæ, quibus & ipſi congruentiſſima ſimilitudine comparantur. Sol iſte luminoſiſſimus à tempore ſuæ infidelitatis eis occidit, & propter hoc fruſtrà eum videre contendunt præter occaſum ſuum, qui non eſt niſi caſus eorum, donec eis oriatur, cujus tamen ortum, ut diximus, H fugiunt. Eſt etiam eorum ſtultitia ejus veſaniæ ut ipſâ tenebrâ, ſive per tenebram velint videre lucem; quemadmodùm enim viſus lumen eſt ad cognoſcenda viſibilia ſolummodò, ad ea vero, quæ per ipſum cognoſci non poſſunt, idem viſus tenebra eſt; ſic ſenſus humanus, & intellectus ad ea quæ per ipſos cognoſcibilia non ſunt, tenebræ ſunt. Cùm igitur ea, de quibus loquimur, parte magna per ſenſum humanum & intellectum cognoſci non poſſunt, hujuſmodi verò erronei non aliter, quàm per ſenſum & intellectum humanum volunt ea cognoſcere vel videre. Manifeſtum eſt quòd per tenebras ſolas volunt videre; Hæc igitur eſt ſtultitia eorum, ut cùm talia eis videnda, vel cognoſcenda proponuntur, ad ſolas tenebras humani ſenſus, & intellectus recurrant, ut ex eis ea videant, & cognoſcant. Ampliùs. Iſti ſunt ſicut qui volunt videre ſolem de *Similitudo.*

nocte,

Digitized by Google

noćte, vel qui ſolem eſſe non contendunt, pro eo quod nunquàm eis ortus eſt. Quemadmodùm enim nox eſt ubicunque non lucet ſol iſte viſibilis; ſic & nox ſpiritualiter eſt ubicunque non lucet ſol intelligentiæ, & in omni regione cordis quam non illuminat. Quemadmodùm igitur non ante poſſibile eſt videre ſolem intelligibilem, quàm nox receſſerit; ſic non ante poſſibile eſt videre ſolem intelligibem, quàm nox infidelitatis receſſerit.
Similitudo. Et ſicut ſoli vident ſolem viſibilem, apud quos dies eſt; ſic ſoli ſolem vident intelligibilem apud quos ſpiritualiter eſt dies de illuxione, & irradiatione ipſius. Amplius. Sicut cæcus eſt corpore, qui ſolem iſtum corporeum, atque viſibilem videre non poteſt; ſic cæcus eſt corde qui ſolem intelligibilem corde videre non prævalet; cæci igitur intùs, & corde ſunt, hoc eſt quantùm ad ſpiritualia, omnes hujuſmodi erronei. Quare non aliter diſputant de ſpiritualibus, quàm cæci de coloribus, & viſibilibus, aſſertio eorum omnis, & contradictio de ſpiritualibus, aſſertio, & contradictio eſt cæcorum de coloribus. Amplius. Sicut cum terrà vel nube vel luna interpoſita, inter aſpicientem, & ſolem, non contingit aſpicientem ad ſolem videre, niſi interpoſitum; ſic & omnis hujuſmodi erronei cùm inter eos & veritatem ſalutarem interpoſita ſint infidelitatis ſuæ mendacia, non eſt poſſibile eos videre niſi illa. Interpoſitis autem prohibentibus, non provenit aſpectus eorum ad ipſam veritatem, ſicut dicit
Prov. 18. a. Salomon proverbiorum. 18. Non recipit ſtultus verba prudentiæ niſi ea dixeris quæ verſant in corde ejus. Et quoniam impoſſibile eſt ab intellectu materiali, atque poſſibili aliquid videri ſeu cognoſci, niſi irradiatione ſua ſuper illud, & apparitione formæ ſuæ in illo, quoniam ipſe eſt velut ſpeculum intelligibile ac noſcibile formarum intelligibilium; hoc eſt in quo reſultare, & pingi quodam modo habent omnes formæ intelligibiles reſultatione, & pictura ſoli convenientibus; manifeſtum eſt conſequenter, quia nec in quaſſato intellectu, nec in declinato, nec per interpoſitionem prohibito, quemadmodùm nec in ſpeculo quod eſt diſpoſitionum ſeu comparationum iſtarum. Manifeſtum eſt tibi,
Intellectus hæreticus. quia in intellectu hæretico; cum loco terſionis, & puritatis habeat craſſitudinem, & immunditiam, loco directæ oppoſitionis ad veritatem ſalutarem, habeat declinationem ab ea, & averſionem, loco liberæ viæ, ſeu tranſitus habeat interpoſitum, prohibens ab eo irradiationem ab ipſa veritate ſalutari: manifeſtum eſt tibi, inquam, quia impoſſibile in hujuſmodi intellectu fieri deſcriptionem, ſeu apparitionem hujuſmodi veritatis. Et quoniam non ſolùm ſol in lumine ſuo, & ex lumine videtur quod infundit videntibus, ſed etiam omnis res alia, & quantùm ad ſenſus exteriores & quantùm ad intellectum materialem, quantò fortius neceſſe eſt, ut ſol intelligentiæ atque juſtitiæ non videatur niſi in lumine & ex lumine quod ipſe infundit videntibus, & hoc infuſione gratuita, ac liberali, non irrationali, ſeu naturali, qualis eſt effuſio luminis à ſole, & caloris ab igne, quorum potentiæ irrationales atque ſerviles nominantur. Irrationales quidem, quia abſque diſcretione & diſtinctione æquè bonis & malis, & ad bona & ad mala operantur; æquè enim illuminat ſol, æquè fundit lumen ſuum rapientibus, & occidentibus, cæteraque maleficia perpetrantibus, ut piè agentibus. Serviles verò quia, ut alibi didiciſtis, nulla non operantur per modum ſervientis, cujus non eſt vel

A aliud, vel aliter facere quàm acceperit in mandatis: non enim habet ignis in poteſtate, ut alicubi ab aduſtione caveat, vel ut nunquàm aliquid magis aut minus calefaciat, ſed totum facit ex neceſſitate, nihil autem ex propria libertate. Utrumque autem ab altiſſimo Deo longè eſt in ultimo elongationis, & propter hoc omnia bona, quæ ex ipſo nobis ſunt, dona ſunt largitatis ipſius, & beneficia pietatis. Amplius. Si fides eſſet naturalis, eadem eſſet apud omnes, in eis enim quæ naturaliter fiunt in hominibus, non invenitur diverſitas, aut contrarietas. Quia igitur tanta eſt contra fidem diſſenſio, tanta contra ipſam contradictio, tanta demum ejus ignorantia penè in majori parte hominum, quia nec dum venit ad largiſſimam barbariem occidentalem, & aquilonarem, cùm in natura non poſſit eſſe vacuum; manifeſtum eſt ipſam eſſe ex divinæ bonitatis electione,
B gratuitumque ipſius donum. Hæc igitur, & alia multa ſunt ridicula hæreticæ ſtultitiæ quibus magis ridenda, & irridenda apparent hæreticorum deliramenta, quàm diſputatione digna: cùm in eis quæ Dei ſunt, omninò animales ſint, & propter hoc animaliter, ſeu brutaliter de ipſis latrantes, & more puerorum inſanientium, aut ægrorum aliena loquentium, inſtarque cæcorum, ut diximus, de his quæ nunquàm viderunt phantaſias ſuas delirantium. His autem ità ſe habentibus, tranſitum ad alia faciemus. Docet fidem eſſe ex neceſſitate unam, & in qua neceſſe eſt uniri populum Dei, acutéque oſtendit fidem in ſeipſa, unam eſſe ſecundùm eſſentiam ſuam, neque eam diverſificari propter diverſitatem creditorum, itemque unam eſſe unitate creditorum, non qua illa unum ſunt, ſed qua una ſunt, idest communia in credentibus & articulos fidei quoſ-
C dam radices eſſe, quoſdam ramos. Poſtquàm autem patefecimus fidem hanc, de qua hic agimus, primam eſſe atque initialem, & quaſi capitalem Dei altiſſimi honorificentiam, quæ caput mentis humanæ, idest intellectum ad adorandum, venerandum ipſum, primum incurvat, & inclinat. Sequitur poſt hoc, ut declaremus ipſam eſſe ex neceſſitate unam, in qua neceſſe eſt uniri, & adunari populum Dei, qui verè eſt populus ſanctorum cætus, ſeu congregatio ipſum vera religione colentium. *Intellectus caput humanæ veritatis.* Dicamus igitur, quia fides uno modo una eſt in ſeipſa ſecundùm eſſentiam ſuam: non enim oportet, ut diverſificetur propter diverſitatem creditorum, aut ut multiplicetur propter multitudinem eorumdem, & hoc eſt quoniam non eſt ab ipſis, ſed eſt divinæ beneficentiæ gratuitum donum & gratia infuſa deſuper. Si autem eſſet à rebus, neceſſariò ſequerentur diſpoſitiones rerum in
D unitate, & multitudine, & in identitate, ac diverſitate. Quemadmodùm enim arithmetica, & geometria diverſæ ſcientiæ ſunt, propter diverſitatem rerum de quibus ſunt, & etiam à quibus ſunt, velut umbræ & imagines earum relucentes in ſpeculo intellectus: ſic neceſſariò fides, ac credulitates, quæ à rebus ſunt aut eædem ſunt prò identitate earum, aut diverſæ, pro diverſitate ipſarum. Vis autem intellectiva, quoniam non eſt ab ipſis rebus, ſed ab uno datore omnium bonorum: ideò non diverſarum rerum diſpoſitiones ſequitur, ut diximus, ſed imitatur unitatem cauſæ ſuæ manens una & eadem, non obſiſtente diverſitate vel multitudine intelligibilium. Sic & fides ab uno & eodem datore Deo una perſiſtit, & eadem, non impediente diverſitate, vel multitudine creditorum, ſeu credibilium: *Fides una* evidens autem exemplum eſt in virtute viſibili, & viſionibus quæ ex eadem cauſa una eſt, qua fides, &

Digitized by Google

vis intellectiva ; illæ vero diverſæ & multæ propter eandem cauſam, qua arithmetica, & geometria.

Fides cautionaria.

Fides autem cautionaria, ſeu pignoratia, hoc eſt probationibus fuſa vel extorta, quoniam à rebus eſt, quemadmodùm & ſcientiæ mortuæ, ſequitur diſpoſitionem rerum, & propter hoc diverſificatur atque multiplicatur ſecundùm diverſitatem, atque multitudinem rerum, de quibus & à quibus eſt. Secundo modo fides una eſt unitate creditorum, non qua illa unum ſunt, ſed qua una ſunt, id eſt communia in credentibus.

Fides extorta diverſificatur.

Articuli fidei.

Quidam ut radices.

Quidam ut rami.

Communiter autem credendorum quæ uſualiter articuli fidei vocantur, alia ſunt ut radices primitivæ, & fundamenta primaria, alia ſunt ſicut rami deſcendentes ab hujuſmodi radicibus & ſicut partes diviſionis, quas tibi nominabimus, & numerabimus in ſequentibus; quòd autem certus ſit numerus hujuſmodi credendorum, & determinatus, inde manifeſtum eſt. Si enim infinita ſunt, infinitas autem intranſibilis eſt; intranſibilis inquam, non ſolùm doctrina, & eruditione, ſed cogitatu, & narratione. Quare neque ad narrationem hujuſmodi credendorum ſufficient doctores, neque ad auditionem, vel cogitationem eorum ſufficient homines, multo minus igitur ad credulitatem ipſorum, & cognitionum. Impoſſibile eſt igitur hominibus credulitas eorum, & cognitio. Credulitatem autem cauſalium neceſſe eſt eſſe fundamentum religionis, ut poſitum eſt. Manifeſtè igitur conſequens eſt religionem non poſſe fundari in infinitis credendis, cùm corda hominum in quibus ſolùm fundata eſt religio, credulitatem infinitam ſive infinitorum portare non poſſit.

Credenda non infinita.

Et ipſi operarij ſeu fundatores, hoc eſt doctores, & prædicatores, fundamentum hujuſmodi inducendo, neque prædicando, neque ſimpliciter narrando, præjacere nullo modo ſufficiant; neque enim virtus humana ad enarrationem infinitorum ſufficit, & etiam ſi ſufficeret, tempus hoc faciendi in vita iſta non haberent.

Tempus finitum.

Cùm tempus vitæ iſtius finitum ſit, infinitis autem narrationibus quantumcunque brevibus tempus finitum ſufficere non poſſet, eo quòd nullum finitum, infinita tanta, quacunque quantitate demonſtrata, continere poſſit. Si enim poſuerimus. a. omnium credendorum, & cogitatu, & narratu breviſſimum, quale eſt Deum eſſe, cùm omnium credendorum aliorum narrationes ipſi aut æquales, aut majores ſint ex neceſſitate, neceſſariò tempus narrationis omnium aliorum ſimul ſumptum continebit infinita tempora tanta, vel majora, quantùm eſt tempus narrationis. a. nec brevioris narrationis invenire poſſit. a. cùm nec brevior articulus ſit ipſo. Ponere igitur infinita eſſe hujuſmodi, de quibus loquimur, eſt deſtruere credulitatem eorum, quæ ſunt fundamentum religionis, & propter hoc religionem infundabilem facere, quare & inædificabilem; hoc igitur eſt deſtruere religionem, & auferre etiam de medio doctrinam ac prædicationem fidei, atque religionis. Reſtat igitur finita eſſe, & determinata numero, credenda iſta fundamentalia, ſeu fundatoria religionis. Sicut autem religio una, & communis debet eſſe in hominibus; ſic neceſſariò unum & idem ipſius fundamentum oportet eſſe in eiſdem. Non eſt autem dubium, quin unam & communem oporteat eſſe religionem, qua Deus colatur, eique placeatur, & ſerviatur ab hominibus: quòd enim religionem unam oporteat eſſe in omnibus qui religionis capaces ſunt; inde manifeſtum eſt, quoniam nec debitam vitæ hone-

E ſtatem cuiquàm non obſeruare licitum eſt, nec debitum Deo cultum eidem non impendere; quicunque ergo ſic Deo debitus eſt cultus, illum neceſſe eſt eidem ab omnibus exiberi, non enim debitus eſt ei ſimpliciter cultus, qui poteſt ei ſine injuria ſubtrahi, vel denegari. Juxta hanc viam manifeſtum eſt eſſe debitam vitæ honeſtatem, quæ ſine dehoneſtatione, ac deturpatione vitæ poteſt non ſervari. Non ſervari inquàm ab eo qui capax eſt hujuſmodi honeſtatis. Eodem modo & intelligimus de cultu. Quia procul dubio non eſt ſimpliciter Deo debitus, qui à quocunque, qui idoneus eſt ad ipſum colendum, poteſt eidem abſque injuria denegari. Quare neceſſe eſt unam atque communem fidem fundamentum religionis eſſe in omnibus, cum nulli unquàm licitum eſſe poſſit aliam vitam agere, niſi qua Deus colitur, qua ei placetur atque ſervitur. Unam igitur eſſe
F catholicam fidem, quam latinè univerſalem dicimus, ſeu communem neceſſe eſt unius atque communis religionis fundamentum. Amplius una eſt veritas rerum divinalium in ſe, quam non diverſificat, nec variat in aliquo diverſitas hominum, vel varietas eorum. Non enim pendet ullo modo veritas rerum hujuſmodi ex hominibus, vel diſpoſitionibus eorum, unius autem veritatis una eſt apprehenſio, quantùm ad apprehenſum, vel apprehenſa, licet modi apprehenſionum varij. Quia igitur iſta apprehenſio, propter cauſas quas diximus, non poteſt eſſe in communitate hominum, niſi credulitas. Neceſſariò una, id eſt communis, eſt credulitas hujuſmodi rerum, ſi qua eſt in communitate hominum, ſicut & communis eſt veritas: credulitas inquàm ſubter quam, tanquàm fundamentum ædificandus ſit divinus cultus, veraque religio. Super errores enim
G neque ſincerus cultus, neque vera religio ullo modo fundari poteſt; cùm error pertinax in rebus hujuſmodi blaſphemia ſit, & impietas adverſus Deum. Eadem via eſt oſtendere, quia communis eſt vera credulitas de rebus aliiſque divinalibus. Eadem enim eſt veritas aliarum rerum ad religionem pertinentium, eadem inquàm apud omnes, & omninò communis. De communi autem omnibus veritate communis eſt neceſſariò credulitas. Quare manifeſtum eſt de rebus ad religionem pertinentibus, ſicut communis eſt, & eadem apud omnes veritas; ſic communem eſſe veram credulitatem, & eandem apud omnes. Quicquid autem contra veram credulitatem eſt, error eſt. Conſequens igitur eſt omnem credulitatem, quæ communi fidei contradicit, errorem eſſe impietatis, & ideò gladio, & igne exterminanda. Amplius. Creator unus eſt per omnem modum in ſe, & quic-
H quid eſt in ſeipſo creator æqualiter eſt omnibus. Quicquid igitur debetur ei propter ſe, debetur ei ab omnibus communiter. Similiter ipſa natura hominum eadem eſt apud omnes, quare quæcunque debentur creatori ratione naturæ, vel naturalium, & jure naturaliter, & communiter, ei debentur ab omnibus, & apud omnes. Quare cultus qui Deo debetur naturaliter, ſive propter ſui ipſius excellentiam, ſiue propter donorum, & beneficiorum naturalium obligationem, communis eſt, & idem eſt apud omnes. Quare & credulitas vera de rebus omnibus ad cultum ejus, & religionem veram pertinentibus, quę fundamentum eſt ejus cultus ei debiti, & veræ religionis, eadem eſt quantùm ad credita apud omnes, licet in modo credendi poſſit eſſe multa varietas. Diligenter igitur intende in ſecundas iſtas radices, quia iſtæ evidenter cogunt unam eſſe veram fidem, & communem apud om-

Digitized by Google

nes, videlicet communitas, & identitas veritatis credendæ. Communitas & identitas debiti, & obligationis, quibus univerſitas hominum, ſeu ſpecies humana obligata eſt ad colendum, & honorificandum creatorem. Et attende quia ſicut nulli fas eſt, qui ſolvendus ſit, debitum cultum, & honorificentiam creatori non ſolvere, vel negare; ita nec veritatem ejus, vel rerum ad ipſum pertinentium, ſive ad cultum, & honorificentiam ejus, pertinaciter diſcredere, vel contradicere, quod eſt corde, vel ore negare. Et ideò, nec à communi fide, nec à communi cultu, licet cuiquàm recedere, vel pertinaciter aberrare. Amplius. Aut aliqua ſunt ſervitia, quæ communiter exhibenda ſunt Deo ab omnibus hominibus, & quibus ſine Dei blaſphemia contradici non poteſt. Quod ſi dixerit nulla eſſe hujuſmodi; ſequitur ergo nullum hominem habere veram religionem, ſive divinum cultum. Si enim abſque Dei contumelia, & blaſphemia poteſt dici, vel ab uno, vel à F pluribus de quocunque ſervitio, quod ipſum Deo altiſſimo non debetur: ergo procul dubio nullum ei ſervitium pro certo debetur. Si enim aliquod ei deberetur, de illo non poſſet dici, ſine Dei injuria, quin ipſi deberetur. Quare ſi de quolibet ſervitio poteſt dici ſine Dei injuria, quod ipſi non debeatur, pro certo nullum ei debetur. Amplius. Certum eſt evidenter, quia ſine Dei injuria, & contumelia non poſſet dici Deum non eſſe adorandum, venerandum, orandum, & multa ſunt his ſimilia. Quare manifeſtum eſt aliqua eſſe ſervitia, quæ neceſſe habent omnes homines Deo recognoſcere, & confiteri, & exibere. Hæc autem infinita eſſe non poſſunt. Quoniam ſi infinita eſſent, non ſolùm exhiberi non poſſent, ſed neque etiam cognoſci, neque numerari, neque nominari. Certa igitur, & numero determinata ſunt ſervitia, quæ communitas hominum ex neceſſitate tenetur impendere Deo altiſſimo. Horum autem aggregatio, G eſt integer divinus cultus, qui ſcilicet ex neceſſitate Deo exhibendus eſt, hoc eſt præter voluntaria, & ſupererogata. Quia verò divini cultus operibus tanquàm effectibus reſpondent affectiones tanquàm eorum cauſa: & iterùm ipſis affectionibus apprehenſiones, eadem comparatione, & numero neceſſe eſt divini cultus operibus ſubeſſe certas & determinatas apprehenſiones, ex quibus procedant affectiones, quæ cauſæ ſunt operum divini cultus. Hæc autem apprehenſiones non poſſunt eſſe certitudines in communitate hominum propter brevitatem intellectus, & paucitatem exercitationis vulgi, omniumque ſimplicium, & indoctorum. Quare ex neceſſitate hujuſmodi apprehenſiones non ſunt, niſi credulitates ac opiniones, quæ quoniam paria ſunt in eis, quæ ad veram religionem, & cultum divinum pertinent, neceſſariò principia, & fundamenta, & H radices illius ſunt. Manifeſtum igitur eſt certas eſſe, & determinatas numero apprehenſiones de his quæ pertinent ad fundamentum religionis. Quare & ipſa apprehenſa. Hæc autem ſunt, quæ vocantur articuli fidei: ex quo conſequens eſt, ut quemadmodùm nullus hominum exceptus eſt, niſi privilegio diabolico, quod eſt pertinax in Deum blaſphemialis contumelia, ejuſdemque ſacrilega negatio: exceptus inquam ab operationibus Deo ex neceſſitate debitis; Sic neque ab affectionibus, ex quibus debent eſſe hujuſmodi operationes, quare neque ab apprehenſionibus, quæ cauſant hujuſmodi affectiones. Hæ autem ſunt, ſicut jam diximus, apprehenſiones radicales fidei articulorum, & credulitates ipſorum. Quare

Servitia Deo exhibenda neceſſario.

Articuli fidei.

E manifeſtum eſt à credulitate articulorum fidei, nullum hominem credulitatis capacem eſſe exceptum: immò ad illam eodem jure teneri omnes & ſingulos, quo tenentur ad ipſam religionem, atque divinum cultum. Et hi articuli ſunt fides, quæ creditur, ſcilicet fides catholica, ideſt univerſalis, in qua ſola neceſſe eſt adunari, & uniri omnes qui ad veram religionem eliguntur, & aggregantur populo ſanctorum. Amplius. Nulli dubium eſt, neminem Deum colere, niſi qui credit ipſum eſſe, & niſi qui credit de illo ea propter quæ merito debetur eidem cultus, quem ipſe impendit; verbi gratia, nemo exhibet ei ſervitutis officium, niſi qui credit, & reputat eum divinum. Similiter nemo impendit ei latriæ cultum, niſi qui credit ipſum eſſe Deum Et juxtà hunc modum, nemo orat, vel adorat illum, niſi qui credit ſe eum poſſe, & velle juvare. Et ita ſe habet per ſingulas partes divini cultus ac veræ religionis. Quare manifeſtum eſt, cùm generaliter proportionabiles F ſint partes ſimiles, & eorum tota, quòd integrato divino cultu, hoc eſt ex omnibus debitis Deo ſervitijs aggregato, ſubeſt ex neceſſitate fides integra, hoc eſt ex omnibus articulis aggregata, ad quorum credulitatem neceſſariò tenentur quicunque ad exhibitionem divini cultus, & veræ religionis obſervantiam obligati ſunt. Amplius. Nullo privilegio exemptus eſt intellectus humanus à cultu divino, & vera religione, quemadmodum neque affectus. Ea autem quæ in intellectu ſunt, hoc eſt apprehenſiones, principia ſunt, & cauſæ, & fundamenta eorum, quæ ſunt in affectu. Similiter ea quæ ſunt in affectu, hoc eſt affectiones, cauſæ ſunt & principia, atque fundamenta eorum quæ ſunt in effectu, ideſt operatione Quare religio intellectus cauſa eſt, & principium, atque fundamentum totius ſequentis religionis, atque divini cultus. Religio autem intellectus non poteſt eſſe, niſi apprehenſio: apprehenſio verò in communitate hominum non poteſt eſſe certitudo propter cauG ſas, quas diximus. Quare credulitas neceſſariò religio eſt intellectus. Neceſſe autem eſt omnem intellectum capacem religionis religioſum eſſe, ne & Deo injurietur, & ne pœnam tantæ injuriæ debitam meritò incurrat. In omni igitur intellectu humano neceſſe eſt fundari credulitatem religioſam, intellectu inquam qui capax eſt illius. Quod dicimus propter parvulos, & alios impeditos. Hæc autem credulitas, quia neceſſariò eſt de his, quæ pariunt in nobis affectiones, ex quibus ſunt operationes divini cultus, neceſſariò eſt de rebus, quas diximus, & de ſimilibus. Manifeſtum eſt igitur jam ex his unam eſſe neceſſitate credulitatem religioſam, & fundamentum religionis, & hanc eſſe de certis articulis, & numero determinatis, in qua neceſſe eſt uniri omnes veros religioſos, veroſque Dei cultores; quæ unitio non eſt, niſi concordia conſenſionis, & credulitatis in hujuſmodi articulis. Amplius. Omne obſequium, quod Deo impenditur, aut H impenditur ei ex amore recto, & puro, qui eſt gratuitus, aut impenditur ei ex timore reverentiæ ſcilicet vel offenſæ aut ex timore pœnæ, aut ex pudore, aut ex ſpe veniæ, vel gratiæ, aut ſpe remunerationis. Quod ſi ex amore, credit igitur eum eſſe bonum, qui ei hoc impendit, nulli enim impenditur rectus amor, & purus ab aliquo, niſi credat illum eſſe bonum, & meritò bonitatis ſuæ hujuſmodi amore eſſe dignum. Servitium autem, & cultus, qui intuitu ſolo bonitatis ipſius eidem impenduntur, ſinceriſſimi ſunt, atque rectiſſimi, & in eis præcipuus atque potiſſimus amor eſt, amor inquam actus; amor enim habitus, ſeu virtus, non propriè ſervitium, ſed magis ſervitus, licet ſpontanea, & jucunda, atque ideò libera dicenda eſt. Arma enim non di-

Fides catholica.

Latria cultus.

A cimus armorum ſervitium, ex quo quæcuuque procedunt obſequia, ſola gratuita ſunt. hoc eſt gratis impenſa. Et propter hoc ſola ipſa ſuur dona, & munera, quare ſola merito digna, immò quòd ampliùs eſt in eis ſolum locum habet remuneratio, quoniam remuneratio non dicitur, niſi reſpectu muneris, ſeu muuerationis præcedentis. *Remuneratio quid ſit.* Remuneratio enim eſt reflexa ſeu reciproca in præmuneratorem, ſeu prædonatorem muneratio. Qui cuim non gratis, ſed ex neceſſitare quacunque ſervit, ſive ex timore, ſive ex pudore, ſive ſpe mercedis, ſive ex pacto, ſeu ex quocuuque alio debito: non propriè remunerandus dicendus eſt, ſed magis ei pretium operæ ſuæ elocatæ reddendum. Sed de hoc alibi. Revertamur igitur & dicamus, quia quibus innotuit divina bonitas, quoniã eſt bonitas in ultimo per omnem modum redundautiſſima, & implens omuia ſæcula pro modo capacitatis, & poſſibilitatis eorum, vel potiùs B profunditas ea perfundens perfuſioue largiſſima, quantùm in ipſa eſt, colunt eam amore puro, & recto, & propter hoc colunt eam gratis: nou enim capiunt ſæcula abundantiam inundationis ipſius, ſed velut perfuſionem tenuem, & apertionem permodicam illius. Et ut ad unum dicamus, totum quod apparet, & quod eſt bonitatis in uniuerſa ſerie ſæculorum, & in ipſo univerſo, à ſummo uſque deorſum, non eſt, niſi veſtigium tenuiſſimæ impreſſionis, & velut umbra diſſimilis appatitionis abiſſalis bonitatis illius, quam nec aſſequitur loquela, nec attingit cogitatus. Quia igitur non eſt poſſibile, ut ametur Deus amore iſto ſinceriſſimo atque gratuito, niſi & cognoſcatur, aut credatur eſſe bonus, & amore hujuſmodi dignus: manifeſtum eſt, quòd ex amore hujuſmodi non poteſt coli Deus abſque apprehenſione, vel certitudinis, vel credulitatis, qua apprehendatur ejus bonitas. Et ad hunc modum ſe habet de C timore, & pudore, & de aliis affectionibus quas nominavimus, videlicet quia neceſſe eſt unamquamque *Affectus.* hujuſmodi affectiouum habere apprehenſionem præambulam, & apprehenſum certum, verbi gratia, quemadmodùm amor, quem nominavimus, habet apprehenſionem bonitatis præambulam, & bonitatem apprehenſam: ſic timor habet apprehenſionem potentiæ, vel juſtitiæ, & potentiam, & juſtitiam apprehenſam. Similiter pudor apprehenſionem ſapientiæ, & ſapientiam apprehenſam, & ita de aliis. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia cultui divino integro exteriori qui eſt univerſitas ſervitiorum, quibus Deus colitur, ſubeſt ex neceſſitate certus numerus affectionum cauſantium cultum exteriorem operum, & huic ſubeſt certus numerus apprehenſiouum, quæ ſunt fides, qua creditur de certis, & determinatis apprehenſis. Amplius. Quorum negatio, & incredulitas ſuppliciis vindicanda, & exterminanda eſt, eorum credulitas, & conceſſio neceſſaria eſt neceſſitate D debiti, ſive obligationis, atque ſalutis. Et intelligo neceſſitatem obligationis, & ſalutis, unumquemque qui capax eſt, teneri ad hujuſmodi credulitatem, & non aliter eidem eſſe ſalutem ab æterna perditione. Quia ergo certa, & determinata numero ſunt, quorum incredulitas, & negatio vindicanda eſt, ut diximus, & hi propriè vocantur articuli fidei. Ad quorum ſcilicet credulitatem nos arctat duplex neceſſitas quam diximus, neceſſe eſt certos, & numero determinatos eſſe articulos fidei: alioquin ipſa fides impoſſibilis eſſet, hoc eſt inenarrabilis, indocibilis, incredibilis, inconceſſibilis, & propter hoc nulla; *Religio decor humanæ vitæ.* quare & religio nulla, quæ eſt totus decor, & totum decus humanæ vitæ, & totum meritum remuuerationis ac fœlicitatis æternæ: Et quoniam abſque hujuſmodi articulorum credulitate, vel eorundem conceſſione, nulli hominum eſt excuſatio, niſi ſola incapa- *Incapacitas excuſat.*

A citas, ut jam diximus; neceſſe eſt univerſitatem hominum adunari, & uniri concordia, & confeſſione credulitatis in hujuſmodi articulorum fidem, pertinaciamque incredulitatis, & negationis eorum, gladio & igne eſſe exterminandam, & tollendam de medio hominum, tanquàm execrabiliſſimam Dei contumeliam, tanquàm radicem perditionis peſtilentiſſimam. Si quis autem dixerit, quia eſt neceſſe aliqua nullo modo communiter ab hominibus credi, ſed quædam ab uno, & quædam ab alio, & ſic de cæteris: error iſte duobus modis deſtruitur. Primùm quia iſtam diverſitatem neceſſe eſt eſſe propter diverſitatem hominum, quia alii quorumdam capaces ſunt, quæ alii propter brevitatem intellectus, aut paucitatem experientiæ, aut deffectum doctrinæ, aut gratiæ, non capiunt explicitè & expreſſè, hoc eſt in particulari. Sed nullum eſt genus hominum adeò tardum B intellectu naturaliter, quod ſaltem univerſali, & generali credulitate, quicquid ad fundamentum veræ religionis pertinet, capere non poſſit. Nullus enim eſt omninò in omnibus, qui credere non poſſit verum eſſe quicquid ſacris eloquiis continetur, quicquid ſpiritu Dei edocti homines docuerunt credendum eſſe. Similiter verum eſſe de Deo quicquid prophetæ de ipſo crediderunt, vel prophetaverunt. Nullus eſt adeò pertinax, qui non facilè acquieſcat, ut credat imitandos eſſe ſanctos, & ſapientes viros, imitandos inquam & fide, & moribus, & qui non facilè credat huiuſmodi homines videre, vel noſce veritatem, quam indocti & vulgares homines nondùm ſufficiunt. Qui autem ſic credit, credit utique credulitate univerſali quicquid credendum eſt in talibus: nulli enim licet credere in ſacris eloquiis mendacium aliquod contineri, vel ſpiritu Dei doctos homines mentitos in aliquo fuiſſe. Similiter nulli licet credere C ſanctos, & ſapientes viros in fide vera aut moribus errare. Manifeſtum igitur, quia in univerſali credulitate credendorum ſalutarium unienda eſt communitas hominum. Et quia nullus eſt excuſatus, quantacumque tarditate intellectus, ab ejuſmodi credulitate. *Tarditas intellectus non excuſat.* Paruulos enim & moriones ac furioſos cæteriſque hujuſmodi paſſionibus alienatos, ſeu mente captos, tanquàm naturali impoſſibilitate prohibitos, & omninò indocibiles, dum his paſſionibus laborant, nec credere, nec diſcredere aliquid teneri dicimus. Attende igitur, & vide, quia vir ſapiens, qui novit, & credit in particulari, ſive explicitè & expreſſè ſingulos fidei articulos, & vir ſimplex qui paucos credit in ſingulari, & expreſſè, ſed cùm credit verum eſſe in univerſali quicquid ille vir ſapiens credit, hujuſmodi non eſt diverſus in fide ab ipſo ſapiente, etſi fortè in modo fidei. Eadem enim credit, licet alio modo, credit enim omnia in univerſali, quæ vir ille ſapiens credit in particulari, ſive D ſingulari. Nunquàm autem vel dictum, vel cogitatum fuit alterius fidei eſſe majores, & alterius fidei minores, ſeu ſubditos credentes, quamvis majores & verius & certius, & etiam in particulari ſingula crederent credendorum: minores verò pauca in ſingulari aliaque & alia minus firmiter minuſque lucidè. Una quoque & vnius eſt Dei fides Hebræorum, non obſtante diverſitate, quam diximus, una fides Moyſis, & populi, qui dux ipſe præpoſitus erat. Quia igitur, ſicut jam oſtendimus in univerſali, ſaltem neceſſe habet credere communitas hominum principia ſeu fundamenta religionis, & hoc abſque contradictione, & repugnantia. Nec obſiſtit diverſitas credulitatis in particulari qua alius alium articulum in particulari capit, aut etiam eundem articulum alius magis, alius minus. Manifeſtum eſt unam debere eſſe ex neceſſitate in mundo iſto Catholicam ſeu communem fidem certorum determinatorum nu-

mero articulorum. Et quia illa duas habet differentias credendi, ut diximus, ſive duos modos quos nominavimus, univerſalem, ſive in univerſali, & particularem, ſive in particulari. Manifeſtum eſt ex antecedentibus, quia duobus modis ab ea receditur, & aberratur, videlicet, quia vel non creditur unam eſſe fidem, quam tenet, & prædicat eccleſia ſanctorum, & eccleſia catholica, vel aliquid tale, quandoque in univerſali, vel pertinaciter non creditur, vel pertinaciter diſcreditur, aut ejus contrarium creditur, eodem modo, & in particulari, videlicet ſi uni ex articulis non acquieſcitur pertinaciter, & ſi ab eo taliter diſſentitur. Secundus autem modus deſtructionis iſtius erroris eſt, quia affectiones ex quibus ſunt opera religionis, quæ ſuprà nominavimus, communes ſunt omni generi hominum, videlicet gratitudo, ſpes & timor, & alia. Quare apprehenſiones ex quibus ſunt hujuſmodi affectiones, neceſſariò communes ſunt omni generi hominum. Manifeſtum igitur eſt ea quæ pertinent ad fundamentum religionis communia eſſe omni generi hominum, & nullo modo eſſe diviſibilia, niſi ſicut diximus, videlicet ut in ſolo modo credendi, non autem in creditis ſit apud eos diverſitas. Nullo autem modo in ipſis creditis repugnantia, vel contrarietas. Manifeſtum autem fiet, quod dicimus, ſi ea ipſa, de quibus fides à nobis exigitur, nominemus, & numeremus.

CAPUT III.

Credere eſſe ipſius creatoris, eſt radicale fundamentum omnium credendorum: quo ſublato, nihil de ipſo creditur, neque colitur, neque timetur, neque amatur Deus ſine hoc primario articulo, qui eſt caput omnium, & veræ fidei fundamentum, ſcilicet, ut credamus eſſe Deum, deinde enim ſequitur, ut credamus ipſum, eſſe ſolum. Poſteà ut credamus trinum in perſonis.

Fundamentum credendorum. Dicamus igitur primùm, quòd radicale fundamentum omnium credendorum eſt eſſe ipſius creatoris. Hoc enim ſublato, nihil de eo creditur propter quod cultus ei, vel honorificentia impendatur. Nullus ei honor, nullus amor impendetur. Et iterùm nulla ſpes erit, & breviter dicendo nulla de eo fiducia. Quare nec curabitur, nec cogitabitur etiam; & ideò manifeſtum eſt incredulitatem hujus articuli, atque negationem ipſius, deſtructionem eſſe divini cultus, & ſubverſionem totius religioſi ædificij. Manifeſtum igitur eſt hunc eſſe articulum primarium, & fundamentum, atque caput fidei, quæ creditur ut ſæpè diximus, & nulli hominum poſſe eſſe excuſationem de ejus pertinaci incredulitate, aut negatione, præter illas excuſationes, quas diximus. Per hunc ſequitur conſequenter unitas, ſive ſolitudo ipſius in nobilitate, & ſupereminentia ſua propter quod conſequenter credendum eſt ipſum creatorem eſſe unum ſolum, & non eſſe è regione, vel ex adverſo alium ullo modorũ. Sed ipſum ſolum eſſe, & principiũ & Principem univerſitatis ac ſingularis, & univerſalis imperij, dominũ omnium ſæculorũ. Contra quem articulum blaſphemant nefandiſſimi Manichæi, qui *Manichæi.* duo principia videlicet malorum, & bonorum, & duos principes, lucis, & tenebrarum, & duos principatus, ſive regna, duaſque univerſitates, ſive duo univerſa bonorum, & malorum, veſaniſſima pertinacia mentiuntur; non intelligentes, quia utrumque, ſcilicet principium, & Principem, & etiam regnum, ſeu principatum, ponunt dimidium, & conſequenter nullum, quod nos alibi declaramus. Impoſſibile enim eſt eſſe principium abſolutè, cui eſt compar aliud. Omnis enim multitudo ante ſe habet unitatem

E & omnia contraria neceſſariò habent ante ſe idem aliud. Quare impoſſibile eſt, ut aliquod eorum ſit principiũ abſolutè. Principium enim abſolutè, & primum eſt abſolutè. Non enim eſt principium, niſi ſit primum omnium, omni enim non primò eſt principium aliud, & ideò non principio eſt primum aliud. *Principium.* Hunc autem errorem, & alios hujuſmodi ſufficienter & irrefragabiliter deſtruximus in eo tractatu, quem de principio, & principe univerſitatis ſcripſimus, ubi evidenter oſtendimus, quia principium univerſitatis eſt Deus unus, verus, & ſolus. Quanta autem blaſphemia, quantaque Dei contumelia ſit Deum partiri per medium, & auferre medietatem ſui eſſe, regnique ſui & gloriæ, & attribuere eam inimico ejus capitali implacabili, & impaſſibili per omnem modum, qui non videt, nihil videt. Quod procul dubio faciunt dementiſſimi Manichæi, quorum perfidiam Deo adjuvante, adeò evidenti, & appropriatâ deſtructione ſubruere proponimus, ut de eorum inſaniâ etiam vulgaribus, & indoctis hominibus ſatisfaciamus. F Tertio loco ſequitur trinitas perſonarum, ſive perſonalis quam qui non credit, cùm non minus ſit unaquæque perſonarum, quàm ipſa eſſentia divina ullo modorum, ſupra omnem æſtimationem, detrahit gloriæ divinæ: ſpecialiter autem perſonæ, quam eſſe negat, immò in unaquaque ſuprà modum blaſphemat contra ſingulas, & ſicut ſuprà diximus nullum veſtigium illi relinquitur, nominis divini, cultus, aut honoris; Cùm eodem jure per omnia, & debito æquali, divinus honor, ſacerque cultus omnibus illis debeatur perſonis. Amplius. Si quis negaret Deum creaſſe mundum, non eſt dubium quin intolerabiliter blaſphemaret, cùm igitur incomparabiliter major ſit gloria ipſe filius genitori ſuo, quàm mundus creatori, & tantò utique major, *Locus à majori.* quantò ipſe filius major eſt mundo à patre incomparabilitatis, nequiùs blaſphemat, qui negat Deum patrem genuiſſe filium, quàm qui negat eum creaſſe mundum. Et ad hunc modum eſt oſtendere de ſpiritu G ſancto, qui eſt primum & maximum donum largitatis ipſius; ex quo apparet quantùm divinæ largitati detrahit, qui hujuſmodi donum, ex eo non procedere contendit. Cùm enim omnia alia dona comparatione iſtius nihil ſint manifeſtum eſt, quòd quaſi nihil divinæ largitati relinquit, comparatione ejus, quod ei detrahit, qui donum ſpiritus ſancti eidem auferre præſumit. Amplius. Si auſus fuit dicere propheta: Delectaſti me Domine in factura tua: quantò fortius dicere potuit, delectaſti me domine in genitura tua, propter filium, & in proceſſura tua, propter ſpiritum ſanctum. *Pſal. 91.* Ex his igitur manifeſtum eſt tibi, quia quæcunque de Deo credenda ſunt, aut ſunt per ſe, hoc eſt ſine reſpectu, & comparatione rerum aliarum, aut non, & ſi fuerint per ſe, partim ſunt ea quæ diximus, partim conſequentia ex his: Et conſequentia vocamus æternitatem ſimplicem, impaſſibilitatem, æqualitatem perſonarum invicem, & multa H alia quæ poſito fundamento trinitatis ex neceſſitate ſequentur perſonas, vel aliquam, vel aliquas ex ipſis, ſicut in prænominato tractatu declaravimus. Verùm tria hæc quæ præmiſimus principalia, ſunt radices, ac fundamenta aliorum, videlicet eſſe ipſius creatoris, & *Tria fundamenta.* ſolitudo, ſeu ſingularitas nobilitatis, ac ſupereminentia ſuæ deinde trinitatis perſonalis. Et attende diligenter, quia aliquatenus incepimus aperire tibi viam, quâ cognoſcitur, quæ neceſſitas nos urgeat, & arctet de credenda trinitate perſonarum. Eorum verò quæ de Deo ſunt, & de ipſo dicuntur reſpectivè, & comparatione rerum aliarum, prima, & radicalia ſunt potentia, & ſapientia, & bonitas ſive benignitas. Omnia enim alia conſequentia horum ſunt, ſicut quod dicitur creator, quod dicitur pater, quod dici-

Digitized by Google

tur nutritius, quod dicitur ſalvator, quod dicitur lux, **A** vel dux hominum, & ſimilia. Et ex apprehenſione, vel credulitate horum trium, oriuntur omnes partes divini cultus. Ex altitudine enim & ſupereminentia potentiæ oriuntur adoratio, & veneratio atque purificatio, & ſacrificatio. Et adoratio nihil aliud eſt, *Adoratio quid.* quàm ſubjectio interior, vel exterior, & humiliatio noſtra, quâ nos eidem ſubeſſe, ad ſalvandum, & parendum, jure pleniſſimo, ac ſingulariſſimo recognoſcimus. Sic ex adoratione ſequuntur aliæ partes, quales ſunt incurvatio, genuflexio, proſtratio. Ad hæc etiam pertinēt petitiones, & orationes, deprecationes quæ ad iſta per ſe referuntur, & quæ de dominantiſſima potentia ejus, ſcilicet noſtrâ ſubjectione, ad ipſam expreſſam faciunt intentionem. Hujuſmodi enim orationes, & adorationes ſunt. Veneratio verò eſt, quâ ad ipſum nonniſi purificati, neque ad ejus ſervitium accedere præſumimus; & pertinet ad ipſam etiā loca ſacra intrare, & ſacra contrectare, quæ aliàs, **B** hoc eſt ſine præparatione hujuſmodi declinam'. Pertinet etiam ad hāc venerationem locorum ſanctorum munditia, decor, & magnificentia Similiter vaſorum, & ornamentorum eodem modo, & luminarium apparatus, pertinet etiam ad eandem cantionum celebritas, pſalmodiarumque, & lectionum, necnon & tota feſtivitas muſicalis. Purificatio verò, & ſacrificatio adeò notæ ſunt, ut præſenti declaratione non egeant. Ex ſapientia verò quâ omnia ad nudum lucidiſſimè intuetur Deus, oriuntur timor, & pudor, & *Timor erga Deum.* ſollicitudines, quas timor, & pudor pariunt, & aliæ affectiones ab eiſdem genitæ, quibus Deo diſplicentia declinantur, & eidem placentia quæruntur, & fiunt. Non enim poteſt firma ſeu fixa, & lucida eſſe de aſpectu, ſive intuitu Dei, ſuper omnes cogitationes noſtras, affectiones, & operationes credulitas, quin timorem, & pudorem incutiat formidandorum, & erubeſcendorum, & alias affectiones, quæ ſe- **C** quuntur ex his, & comitantur eaſdem. Omnia enim in oculis Dei agere, & hoc impudenter, & intimoratè, non eſt hominis qui credat eum aſpicere, & videre. Attende autem in his duobus, videlicet potentia, & ſapientia, quantæ impietatis ſit pertinacia, quâ malè ſentitur de alterutro eorum. Qui enim credit de Dei potentiâ, quòd ea ſuperior ſit aliâ, aut ei æqualis, *Incomparabilis Dei potentia.* ut quòd alij ſubditi eſſe debeamus, proculdubiò, vel totum honorem ſuum eidem aufert, vel dimidiam partem ut diximus. Et quidquid dicit ei non eſſe ſubditum, quantùm in ſe eſt, aufert illi. Similiter & qui negat Deum omnia videre ad nudum, & lucidum, jugiterque intueri, multum aufert ei de ſapientia ſua, quantùm in ipſo eſt, & per conſequens dicit ipſum eſſe, vel in parte cæcum, vel quandoque occupatum, *Deus ad nudum, & lucidum omnia videt.* aut dormientem. Hæc autem omnia apertè contumeliæ ſunt contra divinam potentiam, & ſapientiam, a- **D** pertéque blaſphemiæ, & ideò hæreſes. Quare contraria eorum articuli erunt fidei. Omnium enim duorum oppoſitorum, quorum alterum eſt hæreſis, neceſſe eſt reliquum eſſe articulum fidei. Et ſi aliud eſt ſubverſivum religionis, reliquum eſt ædificativum ejuſdem. De bonitate verò imprimis oritur amor, ut diximus, cùm in ſe ipſa bonitas conſiderata fuerit, & firmâ ac lucidâ credulitate apprehenſa. Cùm autem ad effectus, & operationes relata fuerit, ſeu comparata, inveniemus quatuor ejus comparationes, & nominationes. Et primùm vocatur gratuita beneficentia, ex quâ oriuntur quatuor partes divini cultus, ex unâ radice virtutis procedentes, quæ interdùm nominatur devotio, ſed apertius gratitudo. Harum prima eſt gratiarum actio. Secunda benedictio, quæ eſt bo- *Gratiarū actio.* norum imprecatio. Tertia eſt laudatio, quæ eſt benefactoris magnificatio. Quarta eſt glorificatio, quæ eſt prædicatio, publicatio, ſeu divulgatio, ſeu diffama-

A tio benefactoris, & beneficiorum ad alios. Gloria *Gloria quid.* enim nihil aliud eſt, quàm clara, ſublimis, & lata fama. Secundò nominatur miſericordia, inquantùm, vel lenit, vel tollit miſeriam, ex quâ oriuntur multæ partes divini cultus, ex unius virtutis radice procedentes, quæ ſpes veniæ, & gratiæ nominatur Harum *Deprecatio* prima eſt deprecatio, hæc eſt pro malis leniendis, & tollendis. Secunda eſt oratio, quæ eſt pro bonis obtinendis. Tertia eſt afflictio, ut jejunium, & aliæ macerationes. Quarta eſt oblatio, ſeu ſacrificium. Quinta, eleemoſina, quæ eſt miſerationis quæcunque ſubventio, hæc eſt tam ſpiritualis, quàm temporalis. Et iſtæ quinque partes tunc ex miſericordiâ Dei circa prænominatam virtutem oriuntur, cùm ad impetrandam veniam, vel gratiam referuntur, hoc eſt cùm ad hoc fiunt. Tertiò nominatur juſtitia, ex quâ per donum timoris oritur declinatio à malis præteritis, & pœnitentia cum partibus ſuis, & hoc eſt cùm iſta **B** duo ad effugiendam divinæ juſtitiæ ultionem referuntur. Quartò nominatur magnifica largitas obſequiorum remuneratrix, ex quâ oritur ſpes remunerationis, & ex eâ omne obſequiū divini cultus, inquantùm ipſum via eſt ad mercedem æternam, hoc eſt in quantùm per eam tenditur, & intenditur ad ipſam; non enim dubium eſſe tibi debet, quin eadem opera exteriora divini cultus poſſint eſſe ex diverſis virtutum radicibus, & propter fines varios, & diverſos. Idem enim ſacrificium offerri poteſt Deo altiſſimo, & ob honorem ipſius tantùm, & propter impetrandam veniam tantùm, & ad impetrandam gratiam tantùm, & ad obtinendam ęternam remunerationem tantùm, & quandoque propter hæc omnia ſimul, ſi placet offerenti. Conſidera igitur diligenter iſta quatuor, & radicem ipſorum, divinam bonitatem, & apparebit tibi evidenter, quia neceſſe eſt, ut credatur divina bonitas, & ut concedatur ab his quibus nulla eſt excuſa- **C** tionum quas diximus. Et quia hæreſis eſt credere, vel Deum non eſſe bonum, vel minus bonum, hoc eſt ex parte non bonum, vel mutabiliter bonum, vel non eſſe maximè bonum. Eodem modo pertinaciter errare circa gratuitam beneficentiam ejus, ut credatur, vel non eſſe beneficium, vel bonum quodcunque obtineri non ab eo, vel per eum, & iterùm non gratis eum benefacere quibus vult, ſed neceſſitate, hæretica proculdubiò falſitas eſt, quare contrarium neceſſariò catholica veritas eſt. Juxtà hunc modum ſunt errores, & negationes circà juſtitiam, & miſericordiam & remunerationis magnificentiam. Qui enim pertinaciter credunt Deum adeò miſericordem eſſe, ut peccata non requirat, vel adeò juſtum, ut pœnitentes non recipiat, vel adeò prodigum vel avarum, aut inconſideratum largitorem, ut obſequia ſibi impenſa non curet, & cultores ſervitoreſque ſuos potius **D** quàm alios non reſpiciat, neque remuneret, non niſi magna Dei contumelia, atque blaſphemia hæc credunt. Quare contraria neceſſariò credenda ſunt, tanquàm partes, & articuli fidei. Jam igitur declaravimus tibi, quia in his, quæ Dei ſunt, conſiſtunt duæ *Articuli* partes fidei, & quia una pars articulorum eſt in his, quæ ſunt ei per ſe, hoc eſt ſine reſpectu, & comparatione rerum aliarum, & nominavimus tibi principalia, & radicalia in his. Et aſſignavimus etiam tibi partes divini cultus, & virtutes, ſeu affectiones ex quibus oriuntur. Et nominavimus, & numeravimus tibi de Deo ea, in quibus error pertinax, negatio, ſeu contradictio, hæreſis ſunt, atque blaſphemia. Manifeſtum igitur tibi eſſe debet ex his, quia duæ partes fidei, quæ creditur, inveniuntur apud creatorem, & quòd ſunt articuli fidei principales atque primarij circà eum, & quia nulli eſt excuſatio, quin teneatur ad credulitatem ipſorum, & quia nulli fas eſt contradicere, vel negare aliquem ex illis, niſi in caſibus, quos

Digitized by Google

quos diximus Ex quo conſequens eſt fidem hujuſmodi articulorum eſſe catholicam, id eſt univerſalem, hoc eſt ad quam ſine ulla excuſatione tenetur univerſitas hominum ſine excuſatione, & contradictione pertinaci. Apparere etiam tibi debet ex his, quia adeò apertæ ſunt in his contumeliæ, & blaſphemiæ negationum, & contradictionum, ut gladio, & igne exterminandæ ſint, & credulitas iſtorum articulorum etiam ſupplicijs injungenda, atque inducenda duabus de cauſis; videlicet, quia vicina ſunt ac proxima intellectui humano non impedito, & non alienato. Et quia non niſi in credulitate eorum cultus divinus, veraque religio fundari poteſt, relinquitur autem ex his, ut tertia pars fidei circa res alias ſit in qua nihil præeminet, id eſt nihil numinis eſt in quâcunque aliâ re, hoc eſt nihil divinæ excellentiæ, vel nobilitatis, & ideò nihil dignum honorificentia divini cultus, & propter hoc nulli aliæ rei quicquam eſſe divini cultus, aut honorificentiæ impendendum. Tertium eſt mundi novitas cum univerſis, quæ in eo ſunt. Quartum eſt ejuſdem renovatio Quintum novitas animarum humanarum in corporibus ſuis, & origo. Sextum immortalitas earum. Septimum ſingularitas corporum earum contra pluralitatem Pythagoricam. Octavum reſurrectio corporum. Nonum judicium. Decimum retributio bonorum, & malorum. Undecimum infernus. Duodecimum purgatorium De his duodecim invenies errores impietatis tàm apud philoſophos, quàm apud hæreticos, quorum deſtructiones etiam deſcribere proponimus tractatu uno, & ſingulari ſi auxilium, & ſpatium dederit dominus. Præter hæc ſunt ſacramenta, virtutes, gratia, & liberum arbitrium, de quibus etiam multa nefanda latrare non ceſſant hæretici. Et nos de his quatuor prout deſuper excepimus, duobus tractatibus completis nos expedivimus, ſcilicet de ſacramentis, & libero arbitrio, atque gratia. De virtutibus verò, cùm multa, & varia ſcripſerimus, tractatum tamen complere occupationibus, & peccatis facientibus, nondùm permiſſi ſumus. Revertamur autem ad id in quo eramus, & dicamus, quia in his partibus fidei, quas nominavimus in præcedentibus, facile eſt obviare contradicentibus, & per viam probationis ora eorum obſtruere, hoc eſt in radicabilibus, & primitivis propter propinquitatem, & vicinitatem ſuam ad intellectum humanum, verùm in conſequentibus non ita ſe habet regula. Valdè enim ſunt remota ab intellectu humano, & valdè improbabilia, humanatio, ſeu incarnatio filij Dei, paſſio ejuſdem, & mors. Reſurrectio & in cœlum aſcenſio, & ad dexteram patris conſeſſio, & alia multa valdè longè à noſtro intellectu inveniuntur in fide catholica. Qui igitur his contradicunt, videlicet incarnationi filij Dei, & paſſioni ejuſdem, contra Dei bonitatem blaſphemant; Non in fonte quidem, & radice ſua, ſed in ramo maximo ipſius, & deviatione; Dum enim de fonte largitatis divinæ, tantum donum negant procedere potuiſſe, de fonte miſericordiæ tantam eleemoſynam, de abyſſali fonte illo bonitatis tantam undam effluere potuiſſe, de immenſa fornace illa, & camino charitatis divinæ, tantam flammam emicare potuiſſe ſine dubio, & in fontis etiam immenſitatem, nefariè blaſphemant, dum inundationi ejus, menſuras, & limites ponunt. Neceſſe enim eſt fontem cui non eſt menſura, neque numerus, cui non eſt finis, neque limes, aut terminus, ſibi ſimilem inundationem habere cùm voluerit, cùm liberum habeat fluere prout voluerit, hoc eſt quantùm voluerit, & quomodo voluerit. Manifeſtum eſt ex his, quia contra immenſitatem fornacis divinæ charitatis mentiuntur, & ejuſdem flammam, & contra infinitatem, & divitias largitatis divinæ qui diminuunt ejus donum. Sic, & in injuriam magnitudinis

Contumelia & blaſphemia in Deum.

Vicinitas fidei cum intellectu humano.

Fons divinæ largitatis.

Qualiter blaſphemia committatur in Deum.

E miſericordiæ Dei attenuant ejus eleemoſynam. Eodem modo, & in contumeliam copioſitatis fontis abyſſalis divinæ bonitatis reſtringunt ejus inundationem; Cùm incarnatio filij Dei ſit velut flamma de camino, & fornace divinæ dilectionis emicãs, & velut eleemoſyna de imméſitate miſericordiæ Dei humano generi erogata, & velut donũ de divitijs divinæ largitatis eidem donatum, & velut unda de fonte divinæ bonitatis ſuper genus humanum emanans. Non advertunt cæci, & miſeri, quia omnis fons juxta modum ſuæ poſſibilitatis, atque divitiarum dignis, & indigentibus elargitur: & omnis miſericordia juxta poſſibilitatem facultatum in pauperes, & miſeros ſe profundit: Et omnis ignis luminoſitatem ſuam, & flammas in receptabilia, pro modo ſuæ virtutis diffundit: Et generaliter oculis ſuis, ſi tamen oculos habere dicendi ſunt, ubique iſtud conſpiciunt, quia unaquæque natura, juxta modum ſuæ virtutis operatur, & larga eſt virtutis, & operationis ſuæ in omne receptabile illius, quantùm poteſt, quantumque permittitur, F ſicut apparet in Sole qui tota qua poteſt largitate luminoſitatem ſuam, atque calorem diffundit circumquaque. Ad hanc igitur dementiam devenerunt, ut in fonte largitatis negent eſſe largitatem, quod tamen oculis ſuis vident in omnibus rivulis creaturarum ipſius; hos igitur mendaces facit univerſitas creaturarum largitate ſua, & profuſione clamans contra eos, & prædicans, atque teſtificans largitatem creatoris. Quoniam largitas ipſarum creaturarum non eſt, niſi indicium, & teſtimonium largitatis ipſius fontis, de quo omnes creaturæ hauriunt, & ut largæ ſint, & quid largiantur. Inſani, & miſeri non vident quid ſtilla pietatis operata ſit in multis virorum ſanctorum, videlicet ut ſe venderent pro redemptione egenorum, & captivitati addicerentur pro liberatione ipſorum: quid ergo mirum ſi fons totius pietatis tale quid facere potuit in rege gloriæ, & domino ſæculorum? G Si ſcintilla dilectionis hoc in matre poteſt, ut pro liberando ſubmerſo filio ſe det in periculum ſubmerſionis proſiliens inquam poſt filium, quid debuit facere caminus infinitus dilectionis, & fornax immenſa charitatis in Deo qui charitas eſt, pro liberatione totius generis humani in abyſſum perditionis ſubmerſi? Amplius. Quis paſtor eo modico, quod habet, amoris ad oves ſuas, non dat ſemetipſum in periculum, pugnans contra Lupos, & Leones aliaſque beſtias inimicas gregi ſuo? & hoc tantò promptius atque libentius, quantò ipſe melior fuerit atque fidelior? Quid ergo mirum ſi Deus qui charitas eſt, & ſancti amoris fons unicus, videns lacerari gregẽ ſuum & undique devorari à beſtijs infernalibus, deſcendit adverſus eas in pugnam, qualem decuit, & opus fuit? Similiter quis rex videns civitatem ſuam, & regnum ab hoſtibus vaſtari, populumque ſuum catervatim trucidari, & captivari, non adverſus eos conſurgat in H prælium, & hoc tantò faciliùs atque libentius, quantò ipſe fuerit ſanctior, juſtior, tantòque honorificentius, quantò fuerit poteſtate ſublimior? Regalis enim officij impletio, non ſolùm honori regio non detrahit, ſed etiam illum adauget, & ampliat ac illuſtrat. Quid ergo decuit facere regem regum, & dominum dominantium, imò quid debuit ex regali officio videns tantam partem regni ſui, genus ſcilicet humanum, vaſtari, diripi, captivari ab hoſtibus ſuis, infernalibus ſcilicet? An non debuit in tanto regni ſui diſcrimine, regale implere officium, quod eſt pugnare pro regno? Quid ergo mirum ſi ſe accinxit ad prælium, ſi arma aſſumpſit, & induit, in quibus decuit ditari pro regno, & hoc ut dicebat, & expoſcebat lex illius certaminis? Quod ſi dixerint quia non oportebat, ut divina ſublimitas uſque in noſtram miſeriam deſcenderet propter hoc, eamque ſuſciperet, cum ſolo ver-

Immenſa Dei miſericordia.

Exemplu.

Paſtor bonus.

Similitudines pulchræ.

Digitized by Google

bo genus humanum liberare poſſet ac reparare; Nos jam reſpondimus ad hoc in eo tractatu quem vocamus: Cur Deus homo & ad alia omnia qua movere poſſent incredulos, vel alios imperitos: verùm ex incidenti ita diximus hîc ut palam faceremus, quòd increduli in eo ipſo, quòd credũt ſe honorare Deum, contumeliam ei faciunt, & blaſphemant adverſùs ipſum: magnitudo enim doni honor eſt dantis, & magnitudo eleemoſinæ honor eſt erogantis, & magnitudo flammæ honor eſt camini, ſive fornacis, & magnitudo inundationis honor eſt fontis. Quia igitur beneficium incarnationis filij Dei, donum eſt Dei largientis, quo majus in theſauris Dei inveniri non potuit, & eleemoſyna quâ miſeriæ generis humani ſanandæ atque relevandæ efficacior, atque convenientior erogari non potuit, & flamma divinæ charitatis, quâ calefaciendo, atque vivificando generi humano de camino, & fornace divinæ dilectionis ardentior, ſive ferventior emicare non potuit. Similiter & inundatio, qua de fonte aquarum viventium lavando generi humano, & extinguendis ejus incendijs, efficacior manare non potuit; manifeſtum eſt, quia in injuriam, & contumeliam ipſius fontis univerſalis bonorum, beneficium Dominicæ incarnationis negant increduli, cùm honor fontis ſit magnitudo, & magnificentia emanationis. Verùm quoniam non eſt intentionis noſtræ atque propoſiti in hoc tractatu ſingulos fidei articulos aſtruere probationibus, ſed fidem ipſam piam atque veridicam, & ſalutarem in univerſali ſtabilire: revertamur ad ipſam, & ſtabiliamus ipſam probationibus univerſalibus, & nulli ex articulis appropriatis. Incipiamus igitur, & dicamus, quia fides hæc ſola habet teſtimonium, & confirmationem miraculorum, nulla enim gens, nulla ſecta habet miracula, præter eam, quæ fidem iſtam habet: Et fidem iſtã ſemper comitata ſunt, & ſecuta miracula quæ ab ipſo Abel filio Adæ continuata ſunt uſque ad legem datam per Moyſen, & in gente Hebræorũ mirabiliter multiplicata, & ab exitu Ægypti, uſq; ad ingreſſum terræ promiſſionis comitata ſunt, & conſolata ſunt gentem Hebræorum, nec deſeruerunt eam, donec ipſa deſeruit fidem iſtam, tunc enim cum ipſa fide in apoſtolis, & alijs ex Judæa credentibus tranſlata ſunt ad eccleſiam: ex Judæis, & gentibus congregatã, & perſeverantem, videantur, per Dei gratiam in eadem, uſque in hodiernum diem, ita ut ea poſita, poni videantur, & remota removeri, quaſi ipſius fidei ſint effectus, & teſtimonia inſeparabiliter illam comitantia. Nec enim Idolatræ quos paganos vulgo dicim⁹, neque gens Machometi quos ſarracenos vocam⁹, neque fidei, neque hæretici legum, aut ſectatum ſuarum ullum habent miraculi teſtimonium. Miracula autem appellamus virtutis Dei admirandas operationes inſolitas, curſuique naturæ contrarias, quales ſunt ſuſcitationes mortuorum, illuminationes cæcorum, mundationes leproſorum, curationes Dæmoniacorum, effugationes, & religationes Dæmonum, & ſimilia. Quia autem mirificorum operum teſtimonijs hanc ſolam confirmare, nec ab initio ceſſavit, nec adhuc ceſſat miſericors Deus, neceſſe eſt hanc ſolam eſſe veridicam, ipſique placitam fidem, ad hanc enim confirmandam, & fiunt & fieri petuntur miracula, undè rebelles, & increduli, qui ſermonibus ſanctorum virorum credere non volebant, miraculis inducebantur, & uſque ad hodie inducuntur ad fidem. Amplius. Et in nomine ipſius domini Jeſu Chriſti crucifixi, & mortui, alij mortui ab ejus adventu manifeſtè ſunt ſuſcitati, & per apoſtolos, & per viros ſanctos hodie ſuſcitantur, ipſi etiam idem apoſtoli, & martyres, & confeſſores mortui, & mortuos ſuſcitant, & alia mirabilia operantur, & ad ipſos jam mortuos viri fideles, pro impetrandis miraculis ſæpè re-

Fides.

Fidei miracula.

Idolatræ.

Sarraceni miraculũ quid.

A currunt, & obtinent fieri ea per ipſos. Apparet igitur fidem hanc non ſolùm in vivis, ſed etiam in mortuis fidelibus habere miracula. Infideles verò ſicut nec vivi apud Deum quicquam poſſunt; ſic mortui nec ſe poſſunt, nec alios adjuvare: apparet etiam ex hoc veritas fidei iſtius cui fideles etiam mortui miraculis atteſtantur, & quam vivi tenuerant, etiam poſt mortem miraculis approbant, & confirmant. Amplius. Hæc eſt, quæ ſola prædicat ea, quæ maximè Dei honorem ſuadeant, maximè ejus timorem incutiant, maximè ſpem in eo erigant, & confirment; & quod plus eſt, ea ſola eſt quæ potentiæ Dei in nullo detrahit, cùm omnis ſecta perditionis eidem ex toto detrahat, vel ex parte: multa enim dicit hujuſmodi ſecta creatorem non poſſe, vel non aliter poſſe ea facere, quàm faciat. Sola fides autem catholica libertatem potentiæ ejus, & credit, & concedit in ultimo; B ſimiliter amplitudinem, & fortitudinem, quæ tria ſimul accepta, videlicet, libertas, fortitudo, & amplitudo potentiæ, & hoc in ultimo, ratio ſunt ſive explicatio omnipotentiæ lucida & perfecta. Eſt enim omnipotentia veriſſima ratione potentia libera in ultimo libertatis, & fortis in ultimo fortitudinis, & ampla in ultimo amplitudinis. Sapientiæ verò ipſius & multi contumelioſiſſimè detrahunt & multi fortè non detrahunt, ſed omnes generaliter hæretici, & increduli ejuſdem detrahunt bonitati; aut enim malè ſentiunt de juſtitia ipſius, ſicut qui dixerunt ipſum nunquàm requirere, vel vindicare peccata, aut ſaltem æternis ea non vindicaturum ſupplicijs: aut de ipſius miſericordia, ſicut qui dixerunt non eſſe reverſionem animabus poſt lapſum, & hi deſtruxerunt pœnitentiam, & omnem aliam viam reverſionis ad Deum. Alij de beneficentia ejus tantò nequius, tantòque perC nitioſius ſenſerunt, quantò majora ejuſdem beneficia diſcredere auſi ſunt, & negare, qualia ſunt beneficium incarnationis filij Dei, & redemptionis generis humani & reparationis ipſius ad gratiam, & gloriam; alij contra liberalitatem ejus, & largitatem iniquiſſimè blaſphemare non verentur, qui negant eum eſſe remuneratorem ſuorum, ſibique famulantium. Similiter, & contra gratuitam, ac naturalem ejus beneficentiam, multi enim in Dei injuriam deliraverunt attribuentes dona, quibus in mundo iſto utuntur, vel fato, vel ſtellis, vel alij evidentiæ dicentes herbas, & planetas, fruges & fructus non à Deo creari, ſed terram ex ſeipſa hujuſmodi producere. Vides igitur, quia ſola fides catholica declinat Dei contumelias, & honoris ſui diminutiones, ſola ſentiens de ipſo magnificè ut decet ipſum, ſola ipſa eſt, qua ipſe honorificatur abſque detractione ſui honoris, & contumelia. Omni autem alia ſecta inhonoratur, & dehoneſtatur damnabiliter. Quare manifeſtum eſt hanc ſolam eſſe veridicam, & ei acceptabilem fidem. Amplius Quia neceſſe eſt tales eſſe apprehenſiones fidei, D quæ affectiones neceſſarias pariant ac religioſas. ſpes autem veniæ, & gratiæ, & gloriæ, quæ eſt adoptionis, & hæreditatis æternæ ex alia credulitate vel apprehenſione generari non poteſt, quàm ex credulitate magnitudinis miſericordiæ Dei, ejus inquam magnitudinis qua miſeriam noſtram aſſumere dignatus eſt, & noſtræ miſeriæ mirum conſortium. Nulla enim via magis ſuaderi communitati generis humani potuit, Deum nos gloriæ ſuæ velle habere conſortes, quàm per hoc, quòd miſeriæ noſtræ conſortium iniit. Qua enim via evidentiùs oſtendi potuit hominibus, quòd ſecum vellet eos Deus beatè, & glorioſè vivere, quàm per hoc, quòd cum eis voluit miſerè & ignominioſè vivere, & quod plus eſt etiam mori. Quid ingentiùs imprimere potuit cordi humano, quòd communicanda eſſet ei divinæ gloriæ beatitudo, quàm ipſius humanæ miſeriæ in filio Dei facta com-

Mortui infideles, fideles vivi.

Sapientia Dei quomodo detrahatur.

Miſericordia beneficentia.

Liberalitati.

Nota.

Spes veniæ à Deo.

municatio? Deinde quid adeò ſpem veniæ erigere potuit, quid adeò de miſericordia Dei firmare fiduciam, quo ſigno, vel argumento veriſimilius probari potuit cordi humano Deum velle parcere, & miſereri hominibus, quàm per hoc, quòd parer miſericordiarum proprio filio, ut eis parceret, non pepercit, & ipſe filius, ut immunes, & illæſi ipſi abirent latrociniorum ipſorum, dignatus eſt perferre ſuſpendium. Manifeſtum igitur eſt ex his quantùm Deus voluerit homines eſſe ſuos ſocios in gloria ſua, quibus & ipſe voluit eſſe ſocius in eorum tanta miſeria. Hæc igitur argumenta, hæc ſigna ſunt quæ nullum locum deſiderationi, nullum mutationi, vel dubietati relinquunt in corde humano, cùm ipſa credita fuerint, credulitate firma, & lucida. Deſperationis inquam, vel dubietatis de venia, vel gratia, vel gloria quantacunque e contrario deterreat magnitudo, vel multitudo peccatorum. Credulitas igitur horum eſt quæ ruinam deſperationis penitus prohibet, B & avertit, & ſpem magnificam, velut columnam firmiſſimam in corde humano erigit, & confirmat ad religionis ædificium ſupportandum. Hæc credulitas eſt, quæ corda ſubverſa erigere, erecta portare ſola ſufficit, & fulcire. Quapropter ex neceſſitate in omni corde, in quo ædificanda eſt religio, neceſſe eſt, ut fundamentum firmiſſimum ſupponatur. Ad hunc modum eſt oſtendere, & de affectione amoris, quia ſola fides catholica ea continet, & prædicat, quæ illam qualem, & quantam Deo, & incitent, & inflamment. Sicut enim ignis ignem maximè generat, & applicatione ſua, ſeu contactu quæ ignibilia, & ſuccenſibilia ſunt maximè inflammat, & ignit; ſic ignis divinæ dilectionis tanto beneficio nobis exhibitæ, per credulitatem cordibus hominum applicatus, ignem ſanctæ dilectionis in Deum maximè in illis generat, eaque amore vivifico maximè incendit, & inflammat. Et alia omnia beneficia velut ſcintillæ, & prunulæ permodicæ ad calefaciendum, inflammant cor humanum; beneficium verò incarnationis atque redemptionis non ſolùm eſt ſicut mons ignens cordibus noſtris inflammandis per credulitatem appoſitus, immò incomparabiliter major ignis, quàm eſſet totus mundus, ſi totus arderet. Quantò enim major eſt filius Dei toto mundo, tantò corda humana magis calefacere debet, & inflammare per hanc credulitatem eis applicitus, quàm totus mundus corpora noſtra, ſi totus arderet. Eſt enim filius Dei beneficium nobis collatum, inquantum nobis, & pro nobis datus. quod autem ſunt torres, & faces, aliique ignes ad calefacienda corpora calore ſenſibili, hæc ſunt beneficia ad calefacienda corda calore ſpirituali, hic autem calor amor eſt. Manifeſtum igitur eſt, quia ſi totus mundus arderet, modicus ignis eſſet ad calefaciendum corpus quodcunque, immò nullus comparatione hujus beneficij ad calefaciendum corda humana. Manifeſtum igitur eſt, quia major ignis calefaciendis, aut inflammandis cordibus noſtris adhiberi non potuit, quàm beneficium Dominicæ incarnationis, & paſſionis, hunc autem iſta ſola fides, ſeu credulitas eiſdem adhibet. Quia verò alia beneficia corporibus aliarum gentium applicantur, quæ ut diximus, niſi modicæ ſcintillæ ſunt ad iſtum ignem, manifeſtum eſt omnes alias gentes ab amore divino frigidas eſſe comparatione Chriſtianorum, & ideò mortuas, cùm calor ille ſolus ſit vivificus, & vitalis; quia ergo nulla ſecta, quæ huic articulo contradicat adhibet ignem cordi humano, qui ipſum amore Dei calere, ut oportet faciat, manifeſtum eſt, quia nulla alia credulitas cor humanum vivificat. Manifeſtum igitur eſt, quia ſola iſta fides vivifica eſt. Amplius, quia ſola iſta fi-

Filius Dei.

Ignis.

A des, ut diximus, & fulcimentum ſpei præſtat contra ruinam deſperationis, & finem amoris nectit, quo ad Deum trahimur, contra pondus propriæ corruptionis. Manifeſtum quia hac ſola fide præſtantur nobis, & fulcimentum ne cadamus, & adjutorium quo ad Deum aſcendamus. Hæc autem eſt ſumma religionis videlicet, immobiliter perſeverare contra impulſus tentationum, & ſurſum jugiter aſcendere, Deoque inſeparabiliter adhærere. Trahimur autem ſurſum, & Deo adhæremus amore, fulcimur autem, ut diximus, ſpe. Quare manifeſtum eſt hanc ſolam fidem eſſe Deo placitam, & hominibus ſalutarem, per quam nobis ſumma veræ religionis provenit, & ex qua ſola ejuſdem fabrica tota conſurgit. Amplius. Firmiſſimè in Deo ſperandum eſt, & ardentiſſimè diligendus eſt à nobis. Omnes autem aliæ ſectæ, omneſque errores, aut fulcimenta ſpei prorſus tollunt, ut diximus, aut debilia fulcimenta adhibent inſtar feſtucarum, aut palearum, quæ fulcire, & cor humanum ſupportare nullo modo ſufficiunt. Et ſimiliter ſcintillulas, & prunulas modicorum beneficiorum cordibus noſtris calefaciendis adhibent, aut omninò nihil incentivum amoris in Deum cordibus noſtris apponunt. Quare manifeſtum eſt hanc ſolam eſſe credulitatem, ſeu fidem, quæ & corda humana debita firmitate ſuppodiat, & ſuſtentat, & quanto decet amore inflammat. Neceſſe igitur eſt ipſam veræ ac debitæ in Deum ſpei debitæque in Deum dilectionis eſſe principium ac fundamentum. Et ad hunc modum manifeſtum eſt quòd ex ipſa eſt ſimiliter maximus Dei timor, dum per eam creditur iuſtitia eius in ultimo diſtricta in contumaces atque rebelles, eiuſque vindicta, & æterna eſſe duratione, & incogitabili acerbitate, & ad hunc modum ſe habet de aliis, quæ Dei ſunt, ea enim ſola creditur immenſitas eorum, quæ C ſupra nominata ſunt, atque magnificentia abſque diminutione, ſicut prædiximus. Quare ipſa ſola eſt quæ rectas ac quietas affectiones in Deum generat in cordibus humanis. Aliæ verò omnes credulitates, aut eas tollunt penitus, aut pariunt diminutas diminutione Deo injurioſa & contumelioſa, ut jam pro parte oſtendimus. Amplius. Quid eſt fides recta, niſi digna & debita eorum quæ pertinent ad fundamentum religionis credulitas, hæc igitur eſt qua de Deo creditur, & quod credendum eſt, & ſicut credendum eſt ad colendum ipſum. Et ſi habuerit diminutionem, vel imperfectionem, vel errorem credulitas, neceſſe eſt habere ſimilia, & affectiones, & operationes, quæ ex ipſa credulitate fiunt. Quia igitur in cultu diminuto, & error & blaſphemia eſt, & defectus neceſſariæ partis grave peccatum in Deum, neceſſe eſt credulitatem prænominatam, quæ fundamentum eſt divini cultus, ac veræ religionis, puram D eſſe & liberam ab errore falſitatis, & integram, hoc eſt ſine diminutione partis hujus videlicet neceſſariæ quam diximus; hujuſmodi autem credulitas videlicet de Deo, & his quæ ejus ſunt, quæ nec errorem habeat falſitatis, nec diminutionem neceſſariæ partis, innoteſcere non potuit, niſi prophetiâ ſeu revelatione divinâ; quare manifeſtum eſt fidem, ſeu credulitatem, quæ fundamentum eſt veræ religionis, & principium divini cultus per ſe eſſe ex prophetia, vel revelatione divina, hæc autem eſt ſola catholica. Nulla enim alia ſecta prophetijs ſolis in parte iſtâ innititur, & ſi qua innititur, in quantum innititur, concordat huic fidei, & propter hoc in parte iſtâ non errat, dummodo propheticorum eloquiorum intelligentiam non pervertat. Quod propter Judæos dicimus qui in multis fidei articulis rectè ſentiunt, fideique catholicæ conſentiunt, inducti teſtimonijs prophetarum, verùm ubi diſſentiunt, ipſa prophetarum

Amore Deo adhæremus, ſpe fulcimur.

Fidei virtus.

Blaſphemia in cultu Dei diminuto.

Judæi propheticoru eloquioru mali interpretes.

Digitized by Google

eloquia non tam falſa, quàm ridiculoſa interpretatione errori ſuo aptare conantur. Amplius. Prophetis & apoſtolis non eſt creditum in articulis fidei, niſi miraculorum teſtimonijs: Miracula autem omnia ejus ſunt teſtimonia, cujus, & opera. Dei igitur teſtimonia ſunt, cum ejus ſolius manifeſtè ipſa ſint opera. Recepti igitur ſunt omnes catholicæ fidei articuli, & crediti Dei teſtimonijs; Dei autem teſtimonia non poſſunt eſſe falſa in aliquo; Dei igitur teſtimonijs crediti ſunt articuli fidei recepti, quare & ipſi omnes veri ex neceſſitate; Dei enim teſtimonium non poteſt habere, quod verum non eſt, niſi fortè de falſitate ſua. Amplius. Apparet ex hoc, quia quicquid credit Eccleſia Catholica in articulis fidei ſuæ, Deo teſtificante credit; quare etiam ſi erraret in aliquo quod tamen impoſſibile eſt, non ei eſſet imputandum, ſed Deo teſtificanti; ſecurè igitur ſola credit, quæ Deum ſola teſtem habet credulitatis ſuæ, & cujus credulitas non niſi Deo imputari poteſt. Declaratum igitur eſt ex his, quia hujus fidei ſolius Deus veritatis, immò Deus veritas teſtis eſt Et cùm hoc etiam manifeſtum eſt, quia Eccleſia Catholica Deo ſoli credit, ſive credat per miracula, ſive credat per revelationem. Generaliter enim in omnibus, & ubique illi creditur cujus teſtimonio creditur. Quare manifeſtum eccleſiam catholicam ſoli Deo credere, fideique catholicæ ſolum ipſum eſſe datorem, & ideò eſſe veridicam per omnia, ac ſalutarem. *Fides.* Quare omnem ſectam contrariam, ſeu contradicentem, ſectam eſſe erroris, atque perditionis. Amplius. Iſta fides ſola captivat, & in ſervitutem redigit omnem intellectum humanum in obſequium Deo ad credendam veritatem quam non capit, immò cui quaſi naturaliter contradicit atque rebellat. Primum autem obſequiorum divinorum eſt ipſius intellectus quod non poteſt eſſe niſi quoddam credere, ut ſupra oſtendimus. Quare fides iſta primum obſequiorum exhibet Deo. Ipſa igitur eſt ex neceſſitate primum principium divinorum obſequiorum, atque divini cultus. Amplius. Ipſa eſt quæ intellectum, qui utique caput humanæ mentis eſt, primò inclinat, & incurvat per obedientiam divinæ authoritatis ad recipiendam humiliter veritatem eorum, quæ pertinent ad cultum, & honorificentiam divinam. Quare prima veneratio, & adoratio, hoc eſt prima primi capitis incurvatio ad Deum, *Fides.* ideſt ad majeſtatem, ſeu authoritatem divinam ex ea eſt. Ipſa igitur eſt principium primum divinæ venerationis, & cultus Et propter hoc manifeſtum eſt, quia credita ejus, ſive apprehenſa ſunt ea, quorum apprehenſio, ſeu credulitas parit in credentibus affectiones, ex quibus eſt exterior, ideſt forinſecarum operationum, & obſequiorum divini cultus.

DE LEGIBVS.

CAPVT I.

Supradicta omnia per epilogum quendam, ac ennumerationem repetens: paulatim ad legis mentionem delabitur, ipſamque primum finiens, ſeptem ejus partes facit, ex quibus quatuor eſſe dicit, quæ de ſubſtantia legis non ſunt, ſcilicet teſtimonia, exempla, comminationes, & promiſſiones. Poſtea oſtendit obligationes agendi quædam, & quædam declinandi non ceſſare ſermone & ſcriptura ceſſantibus: legemque ipſam eſſe in anima. Mox pulchra de legibus ſubjungit pulchro, & eleganti ordine, oſtenditque nihil fuiſſe in tota lege Hebræorum, quod non haberet cauſam rationabilem.

IAm igitur expedivim⁹ nos auxilio Dei de his, quæ propoſueramus hîc dicere de fide, & declaravimus, quia fides uno modo, intentione una, virtus eſt fortificans intellectum humanum contra in- E firmitatem, ſeu debilitatem credulitatis rerum ſalutarium, hoc eſt, quorum ſalutaris, & neceſſaria eſt credulitas. Et quia ipſa eſt rectitudo, erigens ipſum à claudicatione ſua, qua non poteſt ambulare per viam veritatis, abſque ſuppodiaculo, ſeu ſuſtentaculo, vel evidentiæ ipſius veritatis, vel probationis firmæ, vel ſaltem ſuaſionis probabilis. Et quia ipſa eſt armatura ejuſdem protegens ipſum adverſus jacula propriarum obmurmurationum, propriorum ſenſuum ſapientiæ humanæ, ac mundanæ, quæ jacula vocamus, & cogitationes fidei contrarias, quas ipſe intellectus humanus contra fidem ipſam ſæpè obmurmurat, & obſuſurrat, & ſimiliter contra ſuggeſtiones ſenſuum corporalium, argumenta philoſophorum, & hæreticorum, & alias contradictiones hominum Noviſſimè verò, hæc armatura eſt protegens intellectum humanum, contra urgentiſſimas, periculoſiſſimaſque impugnationes blaſphemiarum, F quibus ſanctiſſimorum, ac fortiſſimorum virorum intellectus incredibiliter infeſtatur Ex quibus omnibus eluceſcit, quia ipſa eſt etiam velut gladius exacutus, & elimatus in manu ipſius intellectus: *Fides gladius acutus.* exacutus ad diſſecandas, & diſperdendas prænominatorum hoſtium acies: elimatus ut ſplendeat ad irrumpendas, & diluendas tenebras quas hujus hoſtes, tanquàm genus tenebrarum ingerunt Et pateſecimus etiam cum his, quia ipſa eſt ſola Deo digna credulitas, & quia ipſa eſt caput religionis, & fundamentum, & quia ipſa eſt totius ſacri cultus divinæque honorificentiæ principium, inclinans & incurvans caput mentis, ideſt intellectum in venerationem, & adorationem divinæ veritatis, & authoritatis per obedientiam credendi. Propter quod ipſa eſt in primis ſanctificans intellectum humanum, atque purificans ab erroribus impietatis, & ſanctificans ipſum Deo altiſſimo. Mortificans ipſum quantùm ad G ea, quæ ſua ſunt, ut non ſecundùm ſe Deo credant, ſed ſupra ſe, & contra ſeipſum. Et oſtendimus inſuper quod articuli fidei hujus, id eſt res hâc fide creditæ dividuntur in tres partes. *Articuli fidei.* Et quia ipſorum articulorum alij ſunt radicales, & primitivi, faciliſque probationis, atque ſuaſionis: Alij verò ſunt conſequentes, & longæ derivationis, & propter hoc difficilis ſuaſionis propter elongationem ſuam multam ab intellectu humano Et quod omne genus hominum, quod capax eſt credulitatis, neceſſe eſt adunari, & uniri in fidem hujuſmodi articulorum, & hoc concordia, & aſſenſione credulitatis ipſorum. Certum etiam fecimus, quia omnis ſecta contradicens his articulis deſtruit religionem, aut in toto, aut in parte. Fecimus etiam ſciri quia omnis erronea ſecta, quæ contra fidem hanc ſe erigit, genus humanum in ruinam deſperationis, quantùm in ipſa eſt præcipitat, & in mortifero gelicidio à calore divini amoris deſtitutum derelinquit, quia hujuſmodi fidei dator, & do- H ctor, teſtificator, & approbator ſemper eſt Deus. Conſequens igitur eſt poſt omnia hæc, ut aggrediamur loqui de lege, juxtà quod propoſuimus, & promiſimus. Dicamus igitur, quia lex veriſſima ratione nihil aliud eſt, quàm honeſtas legibilis, ideſt deſcripta *Lex quid.* religionis præceptis; juxtà quod dictum videtur, lex eſt ſcriptum, aſſiſtens honeſtis, prohibenſque contrarium. *Non omne mandatũ honeſtatis eſt lex.* Propriè verò non omne mandatum honeſtatis dicitur lex, ſive præceptio ſit, ſive prohibitio, & tamen uſualiter, omne jus ſcriptum dicitur lex, ut ergo propriè legem diffiniamus. Lex eſt honeſtas integra, ſeu completa legibilis, & deſcripta literis, & ad obſervantiam imperata, licet enim Tullius, *Tullius.* & Seneca, & alij quàm plures, honeſtatem literis deſcripſerunt, *Seneca.* ſcripta eorum tamen nemo legem dicit Nec lex cujuſquam propriè dicitur, niſi vel ejus qui eam imperavit, *Lex à ligando.* vel ejus qui ad populum eam tulit. Undè lex

Hebræorum,

Digitized by Google

Hebræorum, & Dei dicitur, & Moyſis. Lex autem populi aliter dicitur, qui eidem videlicet ſubjectus eſt, & ad quem lata eſt, undè & legem à ligando nonnulli dictam eſſe voluerunt, pro eo quòd ei obſervandæ alligati ſunt hi, quibus data eſt. Aliâ verò intentione lex dicitur, liber huj⁹ deſcriptionis. Sunt autem partes legis hujus ſeptem. Quarum prima eſt teſtimonia, & hæc ſunt veritatis, & ideò credenda. Secunda ſunt mandata, & hæc ſunt honeſtatis, & ideò adimplenda. Tertia ſunt judicia, & hæc æquitatis, & ideò parendum eis. Quarta ſunt exempla, & hæc imitanda. Quinta promiſſiones præmiorum, & hæc ſperanda. Sexta comminationes pœnarum ſcilicet vel ſuppliciorum, & hæc timenda. Septima cerimoniæ, videlicet honorificentiæ, & cultus divini, & hæc reverendæ, ac venerandæ. Attende diligenter, ſeptem iſtas partes, quòd hæ ſunt propriè intentiones earum quas poſuimus. Et ſcito, quia quatuor illarum non ſunt de ſubſtantiâ legis propriè, videlicet teſtimonia, exempla, comminationes, & promiſſiones, non enim poteſt dici propriè lex, quâ nihil imperatur, vel prohibetur. Certum autem eſt, quia narratio veritatis, quæ aſſertio hiſtorica tantùm eſt, nihil imperat, aut prohibet Similiter neque exempla virorum bonorum, ſive malorum. Eodem modo neque comminationes, neque promiſſiones, verùm fortiſſima ſunt adjutoria ad legem ſuſcipiendam, & obſervandam: ſapientiæ autem divinæ lex Hebræorum, & edita eſt, & deſcripta, poſt narrationem enim hiſtoricam quam deſcripſit ſic, Deum in principio creaſſe omnia, cœlum, & terram, & hominem, ſuppoſuit exempla divinæ juſtitiæ contra peccantem primum hominem. Deinde inundationem diluvij contra totum genus humanum, poſteà ſubverſionem Sodomorum, poſteà flagellationem Ægypti, & Ægyptiorum. Interſeruit etiam his narrationibus exempla divinæ pietatis, & beneficentiæ, in Abraam, Iſaac, & Jacob, ut per comminationes deterrerentur à tranſgreſſionibus, per promiſſiones allicerentur, ab obedientiam per exempla provocarentur, & animarentur ad totam legis obſervantiam, per teſtimonia docerentur, ſolum Deum eſſe colendum, qui omnia creaverat, omnia conſervat, & cujus ſolo nutu, & beneplacito bona, vel mala proveniunt quibuſcunque. Adjuvabant etiam populum illum teſtimonia, ut & promiſſionibus crederent, & comminationibus, & ut nihil numinis in alio eſſe crederent, quàm in eo, quem cœlum, & terram, & omnia creaſſe legebant. Et ideò nec in cœlis, nec in ſtellis, nec in terrâ, nec in mari, neque in aëre, neque in igne, nec in alio quicquam numinis eſſe, apertè cognoſcerent. Quare divinum cultum nulli, niſi ſoli creatori ſcirent eſſe impendendum. Hęc igitur fuit prudentia legiſlatori à Deo inſpirata, ut unum Deum omnia creaſſe primum doceret, & ſcriberet, quatenùs æternitatem pariter, & divinitatem ab omnibus alijs removeret. Et ſic idolâtriæ nullum locum relinqueret. Æternitatem enim & divinitatem, & cœlis, & cœleſtibus, & elementis tàm Babylonij, quàm Ægyptij, inter quos populus Hebræorum nutritus fuerat, attribuebant. Et propter hoc divini cultus eis honorificentiam impendebant. Hoc ergo teſtimonium veritatis in ipſo veteris legis initiò divina ſapientia ordine rectiſſimo poſuit, ut ab his qui legerent legem ejus, errores tantæ impietatis prorſùs abraderet, ut nihil numinis ea habere appareret, quæ de nihilo facta eſſe, tantæ authoritatis teſtimonio conſtaret; ſed totam divinitatem, totamque gloriam deitatis ei ſoli ineſſe non dubitaretur, qui omnipotentiæ ſuæ virtute de non eſſe ad eſſe cuncta adduxerat, & ne in non eſſe iterùm evaneſcentia recidant, retinet & conſervat: cujus ſolo beneplacito ſunt quæ ſunt, & ſicut ſunt. Præmiſſum

Legis partes quot.

Ordo veteris teſtamenti.

Legiſlatoris Moyſi prudentia inſcribendo.

A igitur fuit hoc fundamentum fidei ſalutaris, ut creaturæ omnes honore divino, & cultu cognoſcerentur indignæ, vanæque, & inutiliter coli eas ſciretur, quæ nihil poſſent niſi quantùm eſſet divinæ dignatio bonitatis. Et nos de hoc in tractatu de idolatriâ diſpoſitione, quâ convenit dicemus. Interim autem revertamur ad declarandum de lege, & de legibus, & dicamus, quia lex ſicut propriè liber non dicitur, ideſt ſcriptura viſibilis, ita nec ſcriptura audibilis, ut ita loquamur: ſignum enim, & veritas ſive res nunquàm in voce nomen communicant. Quia igitur tam ſcriptura viſibilis regularum honeſtatis, quàm ipſa lex, ut ita dicamus, audibilis, ideſt verba audibilia hujuſmodi rerum, non dicuntur vel lex, vel regulæ, niſi ea figura vel tropo, qua nomen ipſius rei, & veritatis ſigno, vel imagini ejuſdem imponitur, ſicut imago Petri, Petrus dicitur, & Petrus ſcribi vel legi dicitur, ubi nomen ejus ſcribitur aut legitur. Amplius. B Quia ſolæ res ſunt quæ imperantur aut prohibentur, ſolarum enim rerum eſt fieri, vel non fieri, non propriè ſermonum, aut mandatorum, qui enim imperat currere, non verbum imperat, ſed curſum ipſum: neque qui obedit, verbum currendi facit, ſed curſum ipſum propriè: ſicut igitur propriè res, vel fieri vel omitti dicuntur, ita propriè imperari, & prohiberi, quare etiam propriè imperata & prohibita ſunt res, figuratè verò ſermones. Præcepta igitur, & mandata, & lex, primò, & propriè leguntur, ſicut & intelliguntur. Res enim ſunt propriæ, quarum propriè & primò intellectus, & cognitio quæritur. Amplius. Si ſermonos audibiles ut ſcripti ſunt, lex autem præcepta propriè, multò fortius ſermones intelligibiles, hoc eſt ſermones in mente, qui propriè ſunt rerum ſigna tanquàm naturalia, & rerum naturales imagines aut ſimilitudines. Amplius. Nullo exiſtente ſermone, nulloque loquente, ſi ſoli ſermones audibiles C eſſent lex, nulla eſſet lex. Eodem modo deletis, ſeu deſtructis omnibus libris, nulla eſſet lex ſcripta. Quare ſi lex non habet niſi has duas intentiones, nulla erit lex omninò duobus iſtis communibus contingentibus: Et ita nulla erit prævaricatio, nullum peccatum. Amplius. Regulæ honeſtatis, quales ſunt Deum eſſe honorandum, Deum eſſe timendum, Deum eſſe adorandum, omnem hominem eſſe diligendum, omni homini conſulendum, ſive illæ regulæ ſcriptæ ſint exteriùs, ſive non, & ſive audiantur exterius, ſive non: veræ ſunt & tenendæ. Et obligatus eſt unuſquiſque debito honorandi Deum, debitoque timendi eum, ſive legat hoc foris ſcriptum, ſive non: & ſive audiat hæc foris, ſive non. Et ad hunc modum ſe habet de alijs, quæ ſunt debita per ſe, licet verum ſit, quòd major notitia altitudinis, & potentiæ Dei debitum honoris atque timoris ad eum & obligationem augeat. D Manifeſtum igitur eſt quia & regulæ honeſtatis & debita, ſive obligationes agendi quædam, & declinandi quædam, ſunt ceſſantibus omni ſermone atque ſcriptura, & quia prævaricatio, & peccatum ſimiliter ſunt abſque his, quare quædam lex ex neceſſitate eſt præter hoc. Amplius. Tota honeſtas indubitanter in anima eſt, honeſtas inquam vitæ humanæ, & morum: honeſtas autem vitæ & regulata eſt & ordinata, & moderata, non autem regulata eſt, vel moderata, vel ordinata, niſi honeſtate, nec decora niſi honeſtate. Quare totum id quod ordinat, regulat, moderatur, & decorat vitam humanam, in anima eſt; eſt igitur præter ſermones, atque ſcripturam cùm illa foris ſint. Cùm igitur verè lex ſit, quæ ordinat, regulat, moderatur, atque decorat vitam humanam; manifeſtum eſt veram legem eſſe in anima. Amplius. Quid eſt lex vera niſi ars quædam aut ſapientia rectè honeſtéque vivendi? Omnis autem ars, & omnis ſapientia in anima eſt, quare ſi verè dictum eſt,

quia vera lex ars eſt, & ſapientia rectè honeſtéque
vivendi, verè lex eſt, & vera natura lex in anima. His
autem omnibus rationibus nihil ad præſens aſtruere
intendimus niſi quòd meritò, & non minus propriè,
immò magis propriè magiſque veraciter lex dicitur,
quod eſt in mente, quàm quod eſt in ſeripro, vel vo-
ce. His autem ita ſe habentibus dicamus, quia duo
ſunt ex quibus eſt vitæ humanæ decor, quæ & hone-
ſtas dicitur. Et eorum alterum eſt in intellectu tan-
tùm, ut regulæ ipſæ honeſtatis quales nonnullas jam
poſuimus. Et alterum eſt partim in intellectu, & par-
tim in affectu videlicet virtutes, quarum quædam ſũt
in intellectu, & in noſtra appreheſiva ſuperiori, & no-
bili: quædam verò in affectu, hoc eſt in vi noſtra moti-
va nobili. Omnes namque regulæ aſſertiones ſunt ve-
ritatis, & ideò ubi aſſertio & veritas, ibi & regulæ; ve-
ritas autem, ut alibi diximus, ſic eſt ad intellectum qui
eſt viſus interior ac ſpiritualis, ſicut lux & color ad ex-
teriorem viſum, undè quemadmodùm ſolum lucidũ,
vel coloratũ eſt viſibile exterius, ſic ſolum verum vi-
ſibile interius, ſeibile, vel cognoſcibile. Aſſertio verò
inclinatio propria eſt, quæ neceſſariò cadit ſuper verũ
vel falſum; nec poteſt ullo modo eſſe aſſertio quæ
non ſit vera, aut falſa, nec habet locum in affectu, ſi-
cut nec ejus oppoſitum, quod eſt negatio. Affectio-
nes verò, nec veræ nec falſæ ſunt, ſicut timor, vel a-
mor, ſed reverà bonæ, vel malæ ſunt, & juſtæ vel in-
juſtæ, & laudandæ, vel vituperandæ. Quidquid au-
tem eſt verum vel falſum neceſſariò pertinet ad intel-
lectum. Quia enim veritas ad intellectum pertinet,
ut jam oſtendimus, ideò & falſitas de neceſſitate, quo-
niam oppoſita naturaliter circà idem ſunt. Locus igi-
tur proprius regularum honeſtatis & receptaculum,
intellectus, eſt & ejus propria ſunt quæcunque lucẽt
veritate tanquàm luce veritatis ſuperradiante perfu-
ſa. Et quæcunque falſitate tenebreſcunt tanquàm luce
veritatis privata. Lux enim & tenebræ circà eundem
viſum, ſive ſpirituales ſint, ſive corporales, circà ve-
rò viſum corporalem corporales, circà ſpiritualem
verò ſpirituales. Quoniam autem honeſtas exterior
non eſt niſi ex honeſtate interiori, eo quòd honeſtas
exterior non eſt niſi opera virtutum: opera autem
virtutum numero æqualia ſunt virtutibus. Manife-
ſtum quoque eſt quòd honeſtas exterior, ideſt opera
virtutum exteriora neceſſariò reſpondent honeſtati
interiori ideſt virtutibns pari numero. Amplius, quia
præcepta non ſunt niſi de operibus virtutum, hoc eſt
quæ ſunt, vel eſſe debent virtutum: ſimiliter & pro-
hibitiones non ſunt niſi de operibus eodem modo
vitiorum, opera autem vitiorum, & virtutum nume-
ro æqualia ſunt vitijs & virtutibus. Similiter & regu-
læ præceptis & prohibitionibus numero æquales
ſunt, quoniam juxta unamquamque rationem hone-
ſtatis eſt reſpondens ei præceptum, aut prohibitio.
Quemadmodùm juxta regnlam quâ dicitur Deus di-
ligendus, eſt præceptum de diligendo Deum, & jux-
ta regulam quæ dicit neminem eſſe odiendum, eſt
prohibitio de non odiendo proximum. Et eſt mani-
feſtum hinc, ſive generales ſint regulæ, ſive ſpeciales,
cùm nos intendimns hoc de ſpecialibus regulis & o-
peribus, præceptis, & prohibitionibus. Ex unaquâ-
que enim regula præceptum, vel prohibitio oritur:
tanquàm ex ſua cauſa, quia enim diligendus eſt Deus,
ideò præcipitur diligi, & quia non eſt odiendus pro-
ximus, ideò prohibetur odiri: quia igitur vera lex
honeſtatis, ac decoris vitæ, quæ per ſe verè, propriè
naturaliterque lex eſt, id eſt naturaliter legibilis, ſive
lecta, non ex ſignis poſitis tantùm, ſed inſcriptione
naturali inſita, & impreſſa cordibus humanis, natu-
raliterque id eſt jure ipſo naturæ ligans ad ſui obſer-
vationem, & adimpletionem. Ligans inquam vincu-
lo indiſſolubili, & indiſpenſabili. Manifeſtum eſt

Lex in mente magis quàm in ſcripto.

Aſſertio.

Veritas ad intellectum pertinet.

Intellectus.

Lex ſpiritualis & corporalis.

Ex unaquáque regula præceptũ, vel prohibitio oritur.

Lex impreſſa cordibus humanis.

A quia verè propriéque ac per ſe lex innatæque dile-
ctionis ac ligationis, quam nec ſolvi poſſibile eſt, nec
contra eam diſpenſari, eſt integra, ac perfecta aggre-
gatio rerum honeſtatis ſpecialium, juxta ſpecies vir-
tutum & numerum ipſarum. Et hæc lex eſt jus divi-
num, hoc eſt divina authoritate humano generi im-
poſitum, & ejus inſcriptione quaſi digito ſuo inſcri-
ptum, & eſt jus naturale: quia naturaliter cum homi-
nibus & in eis naſcitur, & naturam humanam inſe-
parabiliter comitatur. Et ideò verè lex eſt, quia lex
eſt ſimpliciter ſemper, & ad omnes, à cujus obſerva-
tione non eſt exemptio. Ex quo manifeſtum eſt, quia
præcepta, vel prohibitiones quæcunque fiunt, vel fa-
cta ſunt præter hanc non ſunt lex ſimpliciter, ſed cui
& quãdo, & ideò nec verè lex, nec ſimpliciter lex. Am-
plius. Quoniam quod naturale, & quod per ſe tale,
magis tale. Manifeſtum eſt, quia quod in anima eſt
B naturaliter, magis eſt lex, & magis propriè quàm
quod eſt in ſcripto, vel voce. Amplius quia ſicut di-
ximus tota honeſtas virtutum lex eſt, deſcriptio au-
tem omnis vera, & propria adæquatur rebus, & nu-
mero ſermonum, & æqualitate, neceſſe eſt legem ex-
teriorem ſcriptam, ſive rebus, ſive mandatis deſcri-
batur, honeſtati virtutum adæquari, & regulas exte-
riores regulis interioribus, mandatiſque mandata ſi-
militer. Quare eſt conſequens evidenter legem perfe-
ctam, id eſt, integram deſcriptionem honeſtatis ve-
rè, ac propriè, hoc eſt, quòd verè, ac perfectè hone-
ſtas eſt, regulas, & mandata continere ad numerum
virtutum. Manifeſtum etiam eſt ex his, quæ diximus,
regulas omnes honeſtatis eſſe naturaliter apud intel-
lectum propter jam dictas cauſas, & quodammodò
naturaliter inſcriptas eſſe in ipſo; præcepta verò, &
prohibitiones partim fieri apud intellectum, & par-
tim apud affectum. Et hoc eſt quoniam eodem jure
C per omnem modum ſubjecti ſunt imperio creatoris,
eodemque prorſùs obedientiæ debito obligati. Nihil
enim privilegii, nihil exemptionis, nihil penitùs li-
bertatis habet alteruter eorum adverſus creatorem.
Et propter hoc: ſicut eadem authoritate præceptum
eſt intellectum credere Deo, & affectum diligere, vel
timere Deum: ſic pari obedientiæ debito per omnia
tenetur intellectus Deo credere, & affectus ipſum di-
ligere, vel timere. Nec refert, an iſta quæ dicimus ad
hominem referantur ratione dictarum virium, an ad
ipſas vires, pro eodem enim reputamus, & intelle-
ctum credere, & hominem in intellectu, ſive per in-
tellectum, & de affectu ſimiliter intelligimus. Am-
plius. Quoniam jam alibi declaravimus tres eſſe ſpe-
cies virtutum, videlicet naturales, quales ſunt natu-
ralis manſuetudo, naturalis magnanimitas, natura-
lis verecundia, naturalis pietas. Et iſtæ hominibus
naturaliter inditæ ſunt. Et malitia, vel bonitate com-
plexionis impediuntur, vel adjuvantur, & quandó-
D que aliquæ earum, quandóque una ſola ex his, aut
impeditur, aut adjuvatur. Et hoc manifeſtum fit per
operationes earum, quæ ſecundùm impedimentum,
aut adjumentum complexionis, quæ eſt à parte cor-
poris, aut tardiores, & rariores exeunt, aut frequen-
tiores, & majores. Alias verò oſtendimus eſſe conſue-
tudinales, quæ ex frequentia operationum acquirun-
tur & gignuntur, & quòd naturales ſint quaſi pedes,
ſed pedes læſi multiplicibus occaſionibus, non ſolùm
malitia complexionis ut dicimus, ſed etiam corru-
ptione, quæ peccato primorum parentum in totum
genus humanum transfuſa eſt & traducta. In Adam
verò pedes iſti & ſani, & recti omni modo fuerũt ante
peccatum. Et propter hoc per viam morum honeſtatis
naturalis, ſcilicet hujuſmodi pedibus ambulare rectè
poterat abſque claudicatione, & offenſione lapidis
peccati, quaſi per planum naturæ, nunc quemadmo-
dùm greſſibiles erant exterius, hoc eſt ſecundùm cor-

Ius divinum Dei inſcriptione inſcriptum.

A legis obſervatione non eſt exemptio.

Adam.

Digitized by Google

pus per viam ſenſibilem, ita & greſſibiles eſſent interius per viam intelligibilem, quam diximus planum honeſtatis naturalis. Conſuetudinales verò ſicut lignei pedes ſunt, & alia ſuppodiacula atque adjumenta quæ occaſionatis, & læſis pedibus ad adjuvandum ac quoquomodò perficiendum greſſum adhibentur. Tertias verò patefecimus eſſe theologicas, hoc eſt divinas ſeu divinales, quas Jacobus Apoſtolus vocat data optima, & dona perfecta deſcendentia à patre luminum Jacobi primò. Et nos uſuali verbo theologicas, atque gratuitas conſuevimus nominare. Hæ verò ſunt ſicut alæ ſpirituales divinæ bonitatis artificio, quibus dignationis ſuæ beneplacito fuerint appoſitæ, atque inſitæ ad volandum, non ſolùm ad volandum in ſublime beatitudinis, & gloriæ ſuæ, ſed ad vivendum ita ſublimiter atque nobiliter, ut ad hanc vitam imperat honeſtatis naturalis ambulatio. Hæc verò ad illam volatus merito nominetur. Vita verò quæ nihil habet perfectionis aut decoris, niſi à parte virtutum conſuetudinalium, nec volatus eſt, nec ambulatio recta, ſed ambulatio quædam nugatoria, mixta ex aliqua parte ambulationis, & alterius motus. Ligneis pedibus enim aut hujuſmodi ſuppodiaculis non ſolùm non volatur, ſed neque rectè etiam ambulatur. Intende igitur in hæc tria genera virtutum, & videbis, quia perfectiones ſunt virium animæ humanæ naturalium, ſed ſecundùm magis, & minus. Naturales enim naturæ perfectiones ſunt, atque completę quantùm ad naturam, hoc eſt ita ut natura non habeat quid eis adjiciat, verumtamen comparatione divinalium quaſi innaturales ſunt, & tantò à nobilitate earum diſtantes, quantò pedes ab alis, ut diximus, & recta ambulatio à volatu: conſuetudinales verò adjumenta quædam ſunt, ut diximus, & nec nobilitate, aut perfectione unquàm naturalibus adæquandæ, paucæ enim numero ſunt, propter paucitatem exercitationis & temporis, quibus indigent ad ſui generationem: vix enim invenitur, ſi tamen invenitur, quod non credimus, adeò ætate grandævus adeòque admodùm ſtrenuus, & corpore validus, qui in omni actu honeſto incõcuſſè ſe exercuerit, vel eam frequẽtiam habuerit, ut ex ejus exercitio virtutem acquiſierit congruentem, & hoc modo omnes conſuetudinales virtutes tantis, & tam variis obtinuerit exercitijs. Attẽde igitur diligenter, quia virtutes naturales, & operationes earum eiſdem nominantur nominibus, quibus conſuetudinales & operationes earum, propter quod multis viſum eſt, quia operationes harum omnium virtutum non differunt ſpecie ullo modo, ſed ſecundùm magis, aut minus, verbi gratia, credere, ſive ſit ex virtute deſuper infuſa, hoc eſt gratuita ſeu theologica, ſive ex probatione ſive ſuaſione, ſive ex natura, ſive ex aſſuefactione, unum eſt ſpecie. Veruntamen magis credit, atque nobilius, qui ex fide gratuita, quàm qui alia. Nos autem jam hoc declaravimus in ſuperioribus declaratione evidenti, quòd manifeſtum eſt, lumina deſcendentia deſuper à patre luminum alterius modi eſſe prorſus, quàm lumina aſcendentia, immò veriùs eſſe umbras à rebus creatis, & aliter ſecundùm ſpeciem lucere ſpeculum intellectus & ſuper irradiatione, vel primi luminis, vel aliorum luminum, quæ ſunt ſupra ipſam etiam ſub primo tanquàm media, aliter ex aſcenſu illuminationum, quæ reflectuntur à rebus creatis, & per organa ſenſuum infundit ſe ſpeculo intellectus. Patefecimus etiam, quia fides infuſa deſuper una eſt, non obſtante quantacunque credibilium diverſitate. Quoniam ſequitur unitatem luminis à quo fluit ſuper intellectum. Fides verò quæ eſt à rebus ipſis tanquàm umbra, vel imago ipſarum diverſa eſt pro diverſitate credibilium; ſequitur enim diſpoſitiones credibilium in identitate, &

Iac. 1. c.

Virtutes theologicæ

E diverſitate tanquàm cauſarum ipſorum. Eadem dicimus & de alijs. Dilectio enim deſuper infuſa, & dilectio à rebus impoſſibile eſt quòd ſint ejuſdem ſpeciei propter eandem cauſam, qua & fides. Et ad hunc modum ſe habet de alijs. Jam igitur manifeſtum eſſe tibi debet ex his, quia complementum & perfectio honeſtatis ſunt ipſæ virtutes gratuitę, ita ut eas habentibus aliæ non ſint neceſſariæ, quantùm ad neceſſitatem perfectionis. Veruntamen aliæ adjumenta non modica præſtant operari volentibus, poſita enim fide gratuita, ſive deſuper infuſa, non eſt neceſſaria alia credulitas animæ humanæ ſive ad perfectionem honeſtatis, ſive ad decorem quo placeat creatori. Manifeſtè tamen verum eſt, quia qui habet lumen hujuſmodi fidei, & habet cum hoc lumina ſuaſionum, ſeu probationum cum lumine fidei quę ex ipſis eſt, erit expeditior, & ad cogitandum fidem, hoc eſt fidei articulos, & ad prædicandos, atque docẽdos. Et ſicut ex uno lumine habet quis ſufficientiam ad regendos greſſus ſuos, ſi alia apponantur, licet

Virtutes.

F minora, quia & ex hoc fiet expeditior in gubernatione greſſuum ſuorum; ita & hic habens enim fidem hujuſmodi hoc eſt deſuper infuſam: habet utique lumen quo regat greſſus intellectus ſui in eis, quæ pertinent ad fundamentum religionis. Si tamen lumina quæ prædiximus probationum & miraculorum addita fuerint huic fidei, erit adjutus in multo ad regendos hujuſmodi greſſus. Revertamur autem & dicamus, quia ſi ſint hujuſmodi virtutes de neceſſitate perfectæ, virtutes dico naturales, manifeſtum eſt quia ab eis incipit perfectio hujuſmodi tanquàm à fundamento: complementum autem ac perfectio ejus eſt decus virtutum gratuitarum, & hæ ſunt in fine perfectionis ſecundùm ſpeciem, non dico ſecundùm gradum. Quoniam in vita iſta non invenitur ſpecies virtutum ſublimior aut nobilior, ſed in unaquaque earum ſpecierum invenitur graduum multa diverſitas & varietas; non enim omnes fides gratuitæ

Virtutes gratuitæ.

G æquales ſunt, nec omnes qui hujuſmodi fide credunt æqualiter credunt: ſed & alii magis, alii minus, & alii lucidius, alii minus clarè, & iterùm: alii fortius, alii debilius, & ſecundùm hunc modum ſe habet res in aliis. De conſuetudinalibus verò manifeſtum eſt, quia de neceſſitate huius perfectionis nullatenùs ſunt, tum quia ex aliis per ſe, hoc eſt talibus naturalibus & gratuitis: manifeſtum eſt perfectè eſſe honeſtum qui eas habuerit, tùm quia numquàm omnes conſuetudinalès in anima una inveniuntur, neque poſſibile eſt invenire propter humanę vitę brevitatem & humanę naturę infirmitatem, ut diximus: quare non eſſet poſſibile virum perfectę honeſtatis invenire vita hac. Fruſtra igitur inditus eſſet naturaliter honeſtatis appetitus mentibus humanis, cùm ab eo ſint naturali impoſſibilitate prohibitę. Et ita aliud eſſet naturaliter fruſtra, quod eſt manifeſtè impoſſibile. Naturam enim aliquid fruſtra facere,

H etiam in uno individuorum, nedum in tota ſpecie omnipotentiſſima Dei ſapientia, qua ipſa adminiſtratur, & regitur, nullatenùs permittit. Conſideremus igitur hanc perfectionem, quę à naturalibus virtutibus incipiens gratuitis conſumatur. Quia igitur ſine hac perfectione, nec volatur in ſublime æternę beatitudinis, nec ſublimiter vivitur, nec Deo acceptabiliter: manifeſtum eſt, quia hęc eſt perfectio modis omnibus neceſſaria atque ſufficiens. & ad vitę decorem, & ad meritum æternę fœlicitatis, & de qua non licet aliquid detrahi, & cui nihil neceſſe eſt ſuperaddi; lex igitur quę hanc perfectionem mandatis & regulis pręcisè deſcribit, eſt lex neceſſarię, ac ſalutaris perfectionis. Et manifeſtum eſt quia hæc unica eſt & ſola, & quia impoſſibile eſt aliam eſſe; earundem enim virtutum impoſ-

Natura nihil fruſtra operatur.

Digitized by Google

A ſibile eſt diverſas eſſe regulas & mandata: cùm unius virtutis non ſit niſi una regula, & unum mandatum, quò eius operatio præcipitur. Sicut & unius vitij regula una, qua dicitur eſſe declinandum, & una prohibitio, qua ejus operatio prohibetur. Amplius. Ejuſdem honeſtatis impoſſibile eſt eſſe diverſas deſcriptiones per regulas & mandata, quia ſi fuerint diverſæ regulæ, cùm nulla regula honeſtatis aliquid dicat, niſi virtutem illam eſſe ſervandam, ſive tenendam de qua regula illa eſt, ſimiliter cùm nullo præcepto cujuſque virtutis aliquid dicatur, vel præcipiatur, niſi fieri opus illius virtutis eſt, manifeſtum eſt regulas illas, & mandata non eſſe diverſa niſi voce tenus, cùm res eædem per omnia ſubſint illis. Amplius. Sicut una virtus ſe habet ad ſuam rationem & præceptum: ſic tota honeſtas ad legem totam. Quid enim eſt una regula & mandatum ad ſuam virtutem hoc eſt tota lex ad totam honeſtatem. B Qualis enim pars eſt una virtus totius honeſtatis: talis pars eſt unius virtutis regula, & præceptum totius legis totam honeſtatem mandatis, & regulis præſcribentis. Quare ſicut unius virtutis non eſt, niſi una regula & præceptum; ita unius honeſtatis non eſt niſi una lex. Si enim poſſent eſſe duæ vel plures, accideret iſta multitudo neceſſariò in regulis, & mandatis: quoniam ſi non eſſet in regulis, & mandatis, cùm ex eiſdem regulis & mandatis impoſſibile ſit leges eſſe diverſas, impoſſibile eſt quod accidat iſta multitudo in lege. Jam igitur certificatum eſt ex his, unam eſſe & ſolam legem & aliam impoſſibile eſſe ſalutarem eſſe atque perfectam ſicut unam & ſolam honeſtatem aggregatam ex omnibus virtutibus naturalibus, ſcilicet & gratuitis, ſine quibus nec rectè vivitur, nec Deo acceptabiliter, nec apud ipſum remunerabiliter Hæc lex Evangelica eſt continens naturales regulas honeſtatis, naturaliaq; præcepta & prohibitiones, & inſuper eſt continens gratuitæ regulas honeſtatis, C præceptaque & prohibitiones ipſius, ut quemadmodùm honeſtas ipſa tota atque perfecta & naturali honeſtate gratuita conſiſtit; ſic lex ſalutaris perfectionis, ac perfectæ honeſtatis eſt ex utriuſque regulis & mandatis, hoc eſt prohibitionibus & præceptis. Quid autem iſta honeſtas atque perfectio Evangelica ſit, juxta quod ipſa veritas dicit Mathæi. 5. Non veni legem ſolvere, ſed adimplere, non demonſtratione indiget, ſed ſola enarratione, naturalem enim honeſtatem ſola continent mandata legis moralia. Omnia enim illa innata ſunt & inſcripta naturaliter humano cordi. Quia igitur Evangelica perfectio naturalem non evacuavit, ſed gratuitam addidit. (Eam enim ſervari voluit & mandavit.) Evangelica igitur honeſtas utramque continet naturalem, ſcilicet quæ eſt veteris legis moralitas, & gratuitam quæ propria eſt Evangelica ſuperadditio, & complementum. Amplius. Sicut non eſt honeſtas, ſed pars honeſtatis, D cui deeſt pars major honeſtatis, atque nobilior: ita nec lex eſt quæ maiorem partem ac nobiliorem regularum, & mandatorum honeſtatis non continet. Quare manifeſtum eſt legem Moyſis non legem fuiſſe perfectam, ſed legis partem, & illam inicialem atque primariam, & ad gratuitam perfectionem introductoriam, & puerorum, atque incipientium elementariam, & hoc quantùm ad moralia ſola dicimus. Moralia inquam, quę diximus, quæ ſunt de neceſſitate honeſtatis. Ex quo manifeſtum eſt legem Macometi multominùs legem eſſe vel poſſe dici, quæ multò pauciora naturalis continet honeſtatis; de gratuita verò apud utrumque nihil. Cùm enim populus Hebræorum vix alphabetum naturalis honeſtatis capere ſufficeret, fruſtra eidem gratuitæ perfectionis eminentia traderetur. Macometus verò pauca de honeſtate, multa verò de inhoneſtate, & vitiorum fœditate deliramentis ſuis immiſcuit. Quia igitur Evangelium propriè lex eſt ſola, regulas, & mandata hujus ſalutaris integræque perfectionis continens. Manifeſtum eſt ſolum Evangelium legem eſſe integræ honeſtatis, ſolamque ſalutarem, ſolamque legem perfectam: ſicut dicit Jacobus in. 1. Qui autem proſpexerit in lege perfectę libertatis. Vetus enim lex imperfecta erat ut oſtendimus, & Apoſtolus atteſtatur in vij. ad Hebręos dicens. Nihil ad perfectum adduxit lex. Et lex ſervitutis erat, ſicut ipſemet teſtatur in viij. ad Rom. dicens. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore. Et in iiij. ad Galathas. Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. Vide autem ne erres in nomine Evangelij; Evangelium enim dicit interdú ipſa hiſtoria geſtorum domini ſalvatoris, immò nec hiſtoria, ſed pars hiſtoriæ, non enim ſcripta ſunt niſi ad modicum geſta eius, ſicut teſtatur Joannes in ultimo, ſed verè doctrinam ſuam Evangelium vocat Paulus in ſecundò ſecundæ ad Timotheum: De regulis enim perfectæ honeſtatis, & Evangelicæ perfectionis nihil omiſit, quod non diceret, & penè nihil prætermiſit de illis quod non ſcriberet, ſi tamen & aliquid prætermiſit. Quę enim virtus eſt, vel naturalis, vel gratuita, quàm in Epiſtolis ſuis prætermiſit. Quòd autem & lex iſta æterna ſit, & Evangelium æternum, & mandata æterna facilè eſt declarare. Vide per ſingulas regulas, & videbis æternam veritatem ipſorum & obligationem ſeu debitum, à quibus neminem unquàm poſſibile fuit abſolui vel eximi: Contra quam nec privilegium, nec diſpenſationem unquam poſſibile fuit dari. In ſingulis ergo regularum videbis veritatem æternam, ſicut evidenter apparet in uno quoque iſtorum, videlicet Deum eſſe diligendum, Deum eſſe timendum, Deum eſſe honorandum, Deum eſſe adorandum. Manifeſtum etiam eſt tibi, quia nunquam poſſibile fuit aliquem exemptum eſſe à debito, & oblatione alicujus iſtorum. Nulli enim licere unquàm potuit non diligere, vel non timere Deum. & ita de uno quoque aliorum. Hæc igitur lex eſt, quæ non recipit abrogationem neque derogationem, nec exemptionem, nec diſpenſationem ullo tempore. Et propter hoc, & regulæ eius ſunt veritatis æternæ, & mandata ejuſdem obligationis æternæ. Et hæc eſt intentio noſtra in eo quod eam vocamus Evangelium æternum, vel mandata æterna. Quod autem ſupra tetigimus & diximus quaſdam virtutes eſſe naturales, hoc eſt naturaliter inditas, & eas perfectas fuiſſe in Adam ante peccatum ſimiliter intelligimus, & nobis inditas, veruntamen multum læſas atque depreſſas, & penè omninò ſopitas, atque ſepultas immerſione animalitatis, ſive originalis corruptionis, verùm exercitio, & conſuetudine congruentibus multùm eas adjuvari, atque perfici ipſo ſenſu experientiæ manifeſtum eſt: ad eam tamen perfectionem naturalem ſuam, quam in Adam eas habuiſſe diximus, nec una earum in vita iſta quantacunque exercitatione pervenit, aut pertingit. Naturales igitur virtutes vocamus & quales in nobis ſunt naturaliter, & quales laudabilium operum exercitio ipſo efficiuntur, non enim dubitamus naturaliter manſuetos exercitio eorum, quę manſuetudinis ſunt, in ipſa manſuetudine proficere & augeri. Similiter & naturales pios exercitio eorum quæ pietatis ſunt, ipſa pietate naturali proficere & augeri. Verùm an augeatur ipſa virtus naturalis an liberetur potius, & quaſi detumuletur, & detegatur ab immerſione quam diximus. & ita erumpat in opera majora, ac frequentia nullo modo immutata apud ſe. Quemadmodùm ſi homo ligatus diruptis, aut ſolutis vinculis incipiat ambulare, cùm virtus ejus greſſibilis in nullo mutata ſit apud ſe, ſed liberata tantùm. An novus habitus acquiſitus, vel generatus ſit hujuſmodi exercitium, quæſtio eſt alibi diſcutienda

Matt. 5. b.

Moralia.

Lex Macometi.

Iacobi. 1.

Heb. 7. c.

Rom. 8. c.

Gal. 4. d.

Paulus.

Ioannes.

2. ad Timoth. 2.

Virtutes naturales in Adam perfectæ. In nobis ſopitò quodammodo.

Virtus naturalis quid ſit.

Digitized by Google

cutienda & determinanda. Verumtamen quòd veriſimilius, hic nobis ad præſens videtur, eſt ut dicamus, quia magis proficiunt ipſæ naturales virtutes, ſuarum operationum exercitio, quàm novi habitus ex illa frequentia generentur, alioquin nulli habitus poſſent in ſe proficere, vel augeri quantacunque frequentia operationum ſuarum ſi per illam aliquis novus habitus gigneretur: Sequeretur etiam ex hoc diſpoſitionem non poſſe firmari, vel converti in habitum, ſed potiùs novum habitum aſſuefactione generari. Et de hujuſmodi habitu, ſic diceretur de novo generato, & de modo ſe habere neceſſe eſſet, videlicet quòd ipſe ſimiliter frequentia operationum, & aſſuefactione non poſſet fieri fortior, aut firmior, aut alio modo proficere. Immò frequentia operationum, & aſſuefactio ſequens, ipſum novum quendam alium habitum generaret & ſuperinduceret; priori verò nec robur, nec aliam perfectionem adjiceret, & de iſto ſecundo habitu eadem ſimiliter quæſtio reſtaret. B

Virtutes naturales exercitio proficiunt.

Veriſimilius igitur eſt virtutes naturales ſuarum operationū frequentia & exercitio proficere, & meliorari multipliciter, & ipſas quodammodo fieri promptiores & faciliores, & expeditiores ad operationes ſuas. Et has expeditiones ſeu promptitudines ad operationes, oonnulli vocaverunt habitus, veriſſimum autem eſt quia expeditus & facilis ad frequentiam operationum non aliter differt à potentia quam fons plenus & redundare paratus à fonte ſimpliciter; potentia enim fontem operationum dicit ſimpliciter, habitus verò plenitudinem dicit fontis. Si quis autem dixerit quia habitus in potentia aqua eſt in fonte, veriſimiliter dicit. Et hoc in his quæ de foris totaliter adveniunt, & quaſi fundantur, ut poſt modum refundantur. Studio enim & experientia atque doctrina & revelatione quædam ſcientiæ infunduntur, quæ cum receptæ ſunt, ſcientes quidem primo faciunt, deinde doctores, & quæ diſcendo quodammodo infuſæ fuerant, docendo poſt modum refundaotur. C In his autem quæ ad habitus ſunt, & quæ ab intus, id eſt ex indita copioſitate fluunt, aliter eſt habitus enim in hujuſmodi non eſt niſi expeditio, & habilitas, & ſicut purgatio ipſius fontis.

Originalis fæculentia.

Originalis enim fæculentia fluxum impedit virtutum naturalium, faciens, & ut minor ac rarior ſit emanatio operationum, & ut minus meritoriæ; purgatur autem hujus alveus ad modicum declinatione vitioſarum operationum, & propriarum aſſuefactione. Quemadmodum ſi fons redundatione ſua, & fluxu obſtacula ipſius fluxus, & obices aliquatenus irrumpat & expellat, & de ſordibus obviantibus aliquid diluat ac deleat. Sanctificatione verò & gratiæ plenitudine purgatur, atque mundatur, ut liberè, copioſè, atque ſincere fluat. Manifeſtum igitur eſt ex his, quantum differant ab invicem habitus in his quæ ab intus & de ſe, id eſt de propria copioſitate fluunt, & in his quæ de aliena & ſuperinfuſa: D virtutes autem naturales fontes ſunt inditæ & innatæ copioſitatis, ſimiliter & gratuitæ. Conſuetudinales autem præhaurire videntur præcedenti frequentia & aſſuefactione operationes, quas poſtmodum quaſi de pleno eructent, atque refundant. Differunt igitur ea quæ diximus, quemadmodùm purgatio, ſeu liberatio alvei, & impletio ejuſdem. Revertamur autem ad id in quo eramus & dicamus quia jam planum eſt ex his quæ diximus quia hæc lex de qua hic intendimus ſola eſt integra perfectæ honeſtatis deſcriptio, ſola ſine diminutione regulas & mandata omnia continens honeſtatis, & propter hoc ſola lex veri nominis: quia verò ſola omnium virtutum aggregatio, ſive totalis vera honeſtas, immò ipſa veritas honeſtatis internæ quæ mentem humanam veſtit, atque venuſtat, manifeſtum eſt quia ipſa eſt lex veritas & lex veritatis.

Lex.

Lex enim ſignificationis, lex ſermonum eſt, & ſcriptu- A rarum. Hæc autem eſt quæ mentem humanam ſua ipſa veritate abſque medio bene ordinat atque conſtituit, benéque ordinatam ac conſtitutam inſtar civitatis, quæ juſtiſſimæ, ac ſanctiſſimæ legis ſtatutis adminiſtratur, & regitur. Hæc etiam eſt lex cujus obſervantia exterior decor eſt, & rectitudo totius vitæ, & converſationis humanæ verus decor, ac vera rectitudo, quia omne ejus contrarium veriſſimè pravitas eſt, & ſancto indecens, ac repugnans ſpirituali pulchritudini turpitudo. Apparet etiam ex his, quia lex Hebræorum inquantùm vetus, non lex integra eſt ut diximus, ſed pars legis.

Lex Hebræorum.

Non enim tota aggregatio mandatorum, quæ in quinque libris Moiſis continentur, ad legem veterem pertinet, inquantùm veterem, immò multa ſunt ibi ejus, de qua nunc loquimur, evangelicæ perfectionis mandata. Quemadmodum nec omnes Hebræi temporis illius ad vetus teſtamentum pertinebant, ut dicit Auguſtinus, immò erant in populo illo qui ad novum pertinent. B

Vetus lex.

Vetus igitur lex ſecundùm unam intentionem dicitur lex populo veteri tradita, ſcilicet tota aggregatio mandatorum quæ in quinque libris Moyſis continentur. Secundùm aliam verò intentionem dicitur naturalis, videlicet qua naturalis honeſtatis regulas continet, & mandata, propter hoc autem vetus dicitur, quia omnibus aliis antiquior eſt, quemadmodum honeſtas naturalis antiquior eſt, & natura, & tempore, honeſtate gratiæ. Tertia intentione dicitur vetus lex aggregatio mandatorum puerili populo, propter ipſam puerilitatem ſuam tradita. Quoniam ipſa hujuſmodi puerilitas vetuſtas ſpiritualis eſt, hoc eſt ad mortem æternam feſtinans, vicinans, ſeu propinquans. Jam igitur expediti ſumus auxilio Dei de his quæ propoſueramus dicere in declaratione, quia & lex veritas, & lex veritatis veriſſimè dicitur, & fecimus manifeſtum, quia ipſa unica eſt quemadmodùm & honeſtas perfecta unica eſt, C conſiſtens ex duabus partibus naturali, videlicet & gratuita. Et naturalis quidem honeſtas pars ejus initialis eſt. Gratuitas verò pars ejus perficiens eſt, & adimpletio conſummata, propter quòd & lex vetus rudi adhuc & puerili populo, tanquam alphabetum honeſtatis, tanquam elementa initialia religionis tradita eſt. Pars verò ſecunda tanquam plenitudo atque perfectio erudito jam populo, atque perfectæ, ſuſcipiendæque perfectionis, longis ac magnis multorum ſæculorum eruditionibus præparato, per Chriſtum dominum appoſita eſt, qui eſt conſummatio legis ad juſtitiam, ſicut legitur ad Roma. 10. propter quòd & legitur ad Galat. 5. quia lex in uno ſermone impletur, videlicet in ſermone de dilectione. Sicut legitur ad Rom. 13. Qui diligit proximum legem implevit. Et iterùm ibidem plenitudo legis eſt dilectio.

Rom. 10. a
Gal. 5. c.
Rom. 13. c.

Mandatum enim de dilectione potentia & virtute omnia alia mandata quodammodo eſt quoniam ſine ea inutiliter obſervantur, D ſicut legitur primæ ad Corinth. 13. ferè per totum.

1. Cor. 13.

Cùm ea verò omnia Deo acceptabiliter meritoriéque, atque remunerabiliter adimplentur, propter hoc ex ejus mandato pendere dicitur tota lex & prophetæ, ſicut legitur Matth. 22. Marci 12. Similiter primæ ad Timotheum primo. Fratres perfecti charitas præcepti, id eſt totius legalis præceptionis finis conſummationis eſt charitas.

Mat. 22. d.
Mar. 12.
Timoth. 1. b

Quoniam propter illam aut acquirendam aut nutriendam, aut conſervandam, aut adaugendam, aut adimplendam omnia præcepta ſunt & prohibita, quæ in utraque lege continentur, propter hoc etiam dictum eſt. Initium ſapientiæ timor Domini. In Pſalterio, & Eccleſiaſtici primo. Dilectio dicta eſt honorabilis ſapientia.

Pſal.
Eccle. 1. b

In eodem verò eccleſiaſtico habentur multiplices ſui perfectiones & laudes, quas hic tranſimus. Comparatione verò timoris qui utique puerilis eſt, & elementarius ſeu alphabetarius, ut ita dicamus, ſapien-

Digitized by Google

tia ipſa dilectio honorabilis eſt. Timere enim timore ſervili, timere eſt utiliter, & ideò ſapere utiliter, quare timor ſervilis, ut ita loquamur, ignobilis eſt & vilis. Meritò igitur comparatione ſervilis timoris, dilectio ſapientia nobilis eſt & honorabilis. De timore enim ſervili illa accipienda ſunt quæ præmiſimus, propter quòd autem ſola opera, quæ ex gratuita dilectione fiunt Deo acceptabilia ſunt, ac remuneratione digna in eis quæ præceſſerunt declaravimus. Si quis autem quærat numerum mandatorum, & regularum legis hujus, de qua jam declaramus, quia ipſa eſt lex integræ honeſtatis ac perfectæ religionis. Reſponſio, quia in alio tractatu & quærendus, & ſtabiliendus eſt, videlicet in tractatu de virtutibus, & moribus, qui eſt pars ſeptima ſcientiæ ſapientialis, & divinalis. Et hic eſt quoniam juxta unamquamque virtutem eſt ſapientia, vel de operatione ejus regula & mandatum, quemadmodum ſuperius diximus. Et quia eundem numerum neceſſe eſt eſſe virtutum ſuarum regularum & mandatorum ſpecialium. Ideò ſtabilire numerum virtutum, eſt ſtabilire numerum regularum ipſarum ſpecialium & mandatorum. De generalibus enim mandatis, & regulis, ſive de aggregatis in quibus tota lex aggregata præcipitur, non eſt neceſſe nos hîc intendere, quæ potentia eadem ſunt cum particularibus, & partibus ſuis.

Generalia mandata. Generalia autem mandata ſunt, ut declina à malo, & fac bonum, quæ utique eadem ſunt cum ſubſtantiis ſibi ſpecialibus, ſicut genus quodammodò idem eſt cum ſpecie ſua, & quodammodò diverſum. Aggregativa verò ſunt, quemadmodum ſerva legem, cuſtodi mandata, ambula per viam mandatorum Dei. Omnia enim mandata legis unoquoque iſtorum mandatorum præcepta ſunt. Et propter hoc unumquodque iſtorum ad omnia mandata legis eſt, ſicut totum aggregatum ad partes ſuas. Si verò quæratur ad quid tanta numeroſitas mandatorum populo Hebræorum data eſt, videlicet ſexcenta, & xiij. cùm conſtet numero virtutum longè majorem eſſe. Certum enim eſt declaratione veriſſima numerum virtutum quadragenarium non excedere poſſe.

Cauſa multitudinis mandatorum. In quo reſpondemus tres cauſas fuiſſe multitudinis mandatorum, primam ruditatem, & ineruditionem ipſius, propter quam generalibus præceptis ſolùm erudiri, & inſtitui non potuit. Et ideò per partes particularium mandatorum erudiendum illum ac inſtituendum decrevit Deus, quaſi parvulum magis fractionibus panum, atque in tauciis, quàm panibus integris nutriendum. Secunda cauſa execrabilis idolatria multiplex, in cujus eliminationem pro parte magna intendit lex, & hoc potiſſimum in omnibus mandatis, quæ abſurda videntur, & nullam utilitatem afferre ſervantibus. Tertia quia librum legis voluit Deus eſſe ſufficientiæ pro tempore illo, & capacitate novitij adhuc illius populi, vel pro parte maxima puerilis, voluit ergo legem continere omnia ea quæ dirigere, moderari, ac decorare ſufficerent vitam hujus populi, dans eis in hoc multam materiam meditationis, vel exercitationis in lege illa, pro captu ruditatis eorum & imperitiæ. Ne librorum paucitas, & parvitas mandatorum ſimul eſſent eis occaſio evagandi ad libros humanarum traditionum, & inde crudelitates novas & errores impietatis legiſque Dei contrarias ſuperſtitiones haurirent, & hoc multa vigilantia, ac diſtrictione obſervatum eſt apud Hebræos multis temporibus, videlicet ut ſapientia legis contenti, libros aliarum gentium declinarent. Unde nec philoſophiæ operam dare illis temporibus auſi ſunt; donec commixti inter gentes, videlicet Caldeos, diſciplinas, & ſtudia maxime proveherent, & adhuc ampliare, neque provehere non deſiſtunt. Quamquã Ægyptij inceperint, *Græci.* & Græci ſint ſtudioſiſſimè atque magnificè proſecuti. Hoc ipſum voluit lex. *Deut. 4. a.* Deuteron. 4. ubi dicit. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus. Similiter & Iſaiæ viij. *Iſa. 8. d.* Nunquid non populus à Deo ſuo requirit viſionem pro vivis, ac mortuis ad legem magis & ad teſtimonium. Et in pſalmo. *Pſal. 1. a.* Beatus vir qui in lege domini meditatur die ac nocte. Et multa hujuſmodi; Deinde ita arctavit eos ipſa lex ad ſui jugum, meditationem, & obſervantiam, ut alias ei cogitare, & in aliis ſtudere, nullo modo vacaret. Sicut legitur Deutero. vj. *Deut. 6. b* Meditaberis ea ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens &c.

Caldei. Poſtquam autem Caldeis ſive Babiloniis, & genti Arabum commixti ſunt, & miſcuerunt ſe ſtudiis eorum & philoſophiæ, & ſecuti ſunt opiniones philoſophorum, neſcientes legis ſuæ credulitates & Abrahæ fidem, contra diſputationes eorum & rationes defendere. Hinc eſt quòd facti ſunt in lege erronei, & in fide ipſius Abrahæ hæretici, maximè poſtquam regnum Sarracenorum diffuſum eſt ſuper habitationem eorum. *Ariſtotelis error.* Exinde enim æternitatem mundi & alios Ariſtotelis errores ſecuti ſunt multi eorum. Hinc eſt quòd pauci veri Judæi, hoc eſt, qui non in parte aliqua credulitatis ſuæ Sarraceni ſunt, aut Ariſtotelicis conſentientes erroribus in terra Sarracenorum, inveniuntur de his, qui inter philoſophos commorantur. Dedit etiam occaſionem non levem apoſtaſiæ hujuſmodi ea quæ videtur multorum mandatorum abſurditas, vel inutilitas. Dum enim apparent in eis abſurditas & inutilitas, nulla autem præceptionis aut inhibitionis earum ratio, nulla obſervantiarum utilitas, non eſt mirum ſi ab eis receditur & ſi tanquàm onera ſupervacua projiciuntur. Quòd autem tota lex Hebræorum Deo authore, & inſpiratore, & condita, & edita ſit, & populo Hebræorum competens, & ipſe legiſlator, *Moyſes.* videlicet Moyſes verus Dei nuntius eſſet, indubitatam fidem faciunt ſigna, & mirabilia in quibus venit, quibus ſimilia nullis ante temporibus, & hiſtoriis certum eſt eveniſſe. Fidem igitur de his faciunt tibi illa ſigna quæ data ſunt ei facere coram filiis Iſraël, & leguntur Exodi. 4 *Exod. 4. a* ſcilicet de virga verſa in colubrum, manus leproſa, vera viſio ardentis rubri, ſubmerſio exercitus Pharaonis, manna deſerti, aqua verſa in ſanguinem, decem plagæ Ægypti, *Signa Moyſis.* diviſio maris rubri, aqua educta de petra, & alia quæ enumerare longum eſt. Et ne magicæ artis cuiquàm irrepat ſuſpicio, defectus magorum & atteſtatio prohibet, & removet evidenter, deficientes enim in tertio ſigno, cogente veritate confeſſi ſunt, quia digitus Dei hic, id eſt virtus vel opera Dei ſicut legitur Exod. 8. *Exo. 8. c.* Apparet etiam quia virtute Dei omnipotentis iſta facta ſunt, ex hoc quòd Dij Ægyptiorum, nihil contra iſta mirabilia potuerunt, videlicet nec plagas avertere, nec Ægyptiorum exercitum juvare aut liberare, nec Moyſen aut populum Hebræorum nullatenus impedire, propter quod cùm tantis mirabilibus populo Hebræorum omnipotens virtus Dei altiſſimi claruiſſet, omnimodiſque defectus, & impotentia Deorum hujuſmodi evidenter apparuiſſet, beneficientiamque eius largiſſimam expertus eſſet idem populus, Deorumque cultutam omninò cultoribus ſuis inutilem eſſe deprehendiſſet, locus fuit, ut cultus Dei altiſſimi, & honorificentia ac lex qua ſecundùm beneplacitum eius viveret, eidem imponeretur cultuſque Deorum apertè deprehenſus vanus, & inutilis eidem interdiceretur. Quod & factum eſt poſt ſubmerſionem ſcilicet exercitus Pharaonis, & victoriam de Amalech, ſicut legitur Exod. 19. *Exo. 19. a* ubi per Moyſen loquitur ipſe Deus ad eos dicens. Vos-ipſi vidiſtis quid fecerim Ægyptiis &c Ubi & eligit eos in populum peculiarem dicens. Quomodò vos aſſumpſerim mihi,

Exod. 19. & 20. c.

Et iterùm vos eritis mihi regnum ſacerdotale gens ſancta &c. Deindè in 20. dat eis legem interiorem cum horrore magno, non enim poterant abduci, immò abrumpi ab inveteratis erroribus, niſi in oſtenſione magnalium, & timore magno, propter quod omnipotentem in oſtenſione magnalium, & terribilem in ardore ignis, in vocibus, & clangore buccinæ, ſe eiſdem exhibuit, & oſtendit. Multum enim eſt efficaciſſima vis timoris ad mitiganda corda, ad exterminandas veteres conſuetudines, & mirabiliter eſt humilians corda dura atque ſubjiciens ejus imperio, qui timetur. Et propter hoc primò ſemper uſus eſt dominus minis, & terroribus contra duritiam, & cervicoſitatem populi illius. Sicut legitur in omnibus prophetis. Apparet igitur ex omnibus his legem Moyſi Deo authore, & conditore editam eſſe. Quare nihil in ea inutile, nihil ſupervacuum, nihil abſurdum. Nihil igitur in ea vel præceptum, vel prohibitum eſt, nihil vel ſtatutum, vel narratum, quod non habeat cauſam rationalem, & ſufficientem rationem, ſive occultam ſive manifeſtam. Etenim quæ evidenter ad Dei honorificentiam, & vitæ noſtræ compoſitionem, & decorationem pertinent, per ſe manifeſtam habent utilitatem, & debita ſunt per ſe, ſicut mandata quibus præcipitur diligi Deus, vel timeri. Et ad hunc modum redduntur omnia illa quibus aliqua operatio virtutis expreſsè præcipitur, aut alicujus vitij operatio prohibetur. Sicut non furaberis, non mæchaberis. Eodem modo evidens utilitas eſt in quibuſdam, quæ propter mala, quæ de rebus alicujus provenire conſueverunt, præcepta ſunt, ſicut cooperiri ciſternam ne quis in eam cadat. Recludi bovem cornupetam, ne quem cornu feriat. Sunt & alia in quibus evidens eſt utilitas pacis ſicut eſt furum & raptorum perimitio. Similiter rebellium filiorum, ac protervorum contra parentes. Ad hoc etiam pertinet prohibitio ſcortorum, & lupanarium pro parte. Et ſi enim aliam inhoneſtatem non haberent, nec vitam humanam aliàs deturparent ſcorta & lupanaria, multas tamen perturbationes vitæ humanæ ingerunt videlicet rixarum, latrociniorum & homicidiorum, & de his eſt non ſolùm credulitas aut opinio, ſed per quotidianam experientiam certitudo. Ad hoc pertinent judicia, quibus lites & diſcordiæ pacificantur. Sunt & alia permiſſa tantùm, nullomodò præcepta, permiſſa utique hæc in lege non punita, ſicut repudium odioſæ uxoris, & exactio uſurarum ab alienis quàm fratribus, hoc eſt ab aliis quàm Hebræis, quæ utique ideò in lege permiſſa ſunt ut majora mala declinarentur. Sciebat namque legiſlator eam eſſe Judæorum malitiam, ut uxores odioſas, quæ ab eis non niſi per mortem ſeparari poſſent, occiderent, ſciebat & eam eſſe eorundem cupiditatem & avaritiam, ut nec fratribus, hoc eſt Judæis, ab uſuris parcerent, niſi alienis ad uſuram dare permitterentur, uſuram enim malum eſſe, & rapinam evidentem jam alibi declaravimus. Fecit igitur legiſlator per hujuſmodi permiſſiones, quod in tali populo fieri potuit, videlicet eos per minorum malorum permiſſionem à majoribus averti. Quòd autem quædam mala licet minora quibuſdam majoribus magis puniri præcepit, illa proculdubio cauſa fuit, quia licet minora frequentiùs tamen contingebant in populo illo. Et propter hoc plus nocebant tranquillitati, & paci populi ipsâ frequentiâ ſuâ, quàm illa magnitudine ſuâ. Propter hoc etiam, quia multitudine involvebantur difficilior erat eorum curatio. Ampliùs. Facilior erat eorum commiſſio propter oportunitates, ſicut facilior eſt ovis furatio quàm auri æquivalentis, & hoc eſt quoniam & ovis facilius invenitur, & aurum arctius cuſtoditur. Ampliùs. De bobus, & ovibus ſanctificabant Domino aliqua, & offerebantur in ſacrificiis ex neceſſitate, & propter hoc quaſi partem habebat Dominus in gregibus, & armentis. De auro verò nihil ſibi ſanctificari præceperat, præterquàm in conſtitutione tabernaculi, & ædificatione templi, & fabricatione vaſorum ipſorum. Quid ergo mirum ſi diſtrictiùs ea cuſtodiri voluit, & direptionem eorum ac furationem ſeveriùs vindicari, de quibus ei pars de neceſſitate debebatur, quàm ea de quibus nihil ei debebatur, ſed voluntariè tantùm offerebantur? Ampliùs. Armenta, & greges non ſolùm utilia, ſed etiam neceſſaria erant victui, & habitui, ſive veſtitui humano per ſemetipſa, aurum verò ad hoc ſuperfluum eſt atque inutile. Meritò ergo magis cuſtodienda fuerunt, furtaque, & rapinæ eorum ſeveriori animadverſione punienda. Ampliùs. Bobus, & ovibus tanquàm ſanctis animalibus, & pœnè divino honore dignis parcendum credebant Ægyptij, inter quos nutriti fuerant, propter Deos quos colebant, videlicet Seraphim, & Ammonem, quorum primus apparebat in ſpecie bovis, alter in ſpecie arietis, propter hanc etiam cauſam deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ovium ſicut legitur Geneſeos. 46. propter hoc hujuſmodi animalia vocantur abominationes Ægyptiorum, ſicut legitur Exod. 8. Abominationes autem Ægyptiorum immolabimus Deo noſtro. Quia igitur nutriti erant in terra Ægypti, & inter Ægyptios, oſtendit eis dominus non eſſe abominanda hujuſmodi animalia juxta conſuetudinem Ægyptiorum, & uſum eorum neceſſarium ac multipliciter utilem. Aurum autem in parte iſta, & omnes divitias ſuperfluas non parùm vilificavit, avaritiam etiam, & cupiditatem hoc facto ſuggillavit. Quòd autem quinque boves pro furto unius, & quatuor tantùm oves pro una reſtitui præcepit? Exod. 22. Illa creditur eſſe cauſa videlicet, quia quatuor commoda, ſive utilitates habet ovis duas, ſcilicet pelles, & carnes, & alias duas, ſcilicet fructus, & fœtus. Fructum autem intelligimus lac, caſeum, & butirum. Has verò quatuor utilitates habet bos, & inſuper quintam, videlicet laboris, ſive agricolationis, ſive evectionis onerum. Quia igitur quinque damna irrogat qui bovem furatur, quatuor verò tantùm qui ovem, meritò quinque boves pro uno reſtitui, & quatuor tantùm oves pro una reddi præcepit dominus, veriſimiliùs autem videtur non hoc attendiſſe dominum, quod diximus de numero utilitatum in hoc præcepto. Quoniam & invenitur alia utilitas boum in terra promiſſionis valde neceſſaria, videlicet tritura ſegetum, & ita ſex boves pro uno reſtitui præcepiſſet, ſi hujuſmodi utilitatum numerum attendiſſet. Si quis tamen dicat, quia utilitatem trituræ ſegetum non reputavit aliam dominus ab utilitate agriculturæ. Quoniam annexa eſt tritura agricolationi non improbabiliter dicet. Probabilius tamen videtur dominum in iſta conſtitutione reſpectum habuiſſe ad majoritatem audaciæ atque damni. Majoris enim audaciæ, & improbitatis eſt bovem furari, quàm ovem; ideò ſeverius puniendum. Hanc ergo pœnam ſtatuit omnipotens Deus, quia vidit eam ſufficere ad deterrendam, & corrigendam improbitatem, & audaciam populi illius ab his malis, majorem autem, aut minorem pœnam ſtatuiſſet in his, ſi hoc eſſe neceſſarium, aut expediens vidiſſet, quod utique eum nullomodò latere potuit. Debes autem ſcire, quia iſtæ pœnæ non inſti-

Repudium uxoris odioſæ.

Prudens legiſlator.

Gen. 46. d.

Exod. 8. f.

Quatuor oves pro una, quare reſtituebant, & quinque boves pro uno.

Lex Hebræorum.

gebantur, niſi cùm animalia hæc ab ipſis furatoribus vel comeſta, vel aliter conſumpta erant. Si enim inveniebantur apud eos viva, non niſi duplum reſtituere cogebantur, ſicut legitur in præmemorato capitulo, & hoc eſt, quoniam & conſumptio & comeſtio rei alienæ, aut nova peccata erant, videlicet nova furta, cùm eſſent novæ contrectationes rei alienæ invito domino, aut ſaltem magnæ aggravationes furtorum, & ideò merito ex ſuperadditione addebatur, & pœna. Cùm autem inveniebatur furtum illæſum, ſive integrum, reſtituebatur domino rei furtivæ duplum duabus de cauſis, videlicet lege talionis, quæ juſtiſſima videtur, hoc eſt, ut tantùm damnificaretur ipſe fur, quantùm damnificare voluerat alium, & ſic in ſua ipſa pœna diſceret qualiter erga alios ſe habere deberet. Alia etiam de cauſa duplici reſtitutione puniebatur hujuſmodi furtum. Quia videlicet peccat dupliciter in eum cui aliquid furatur. Tenetur enim unuſquiſque non ſolummodò innocentem ſe ſervare erga alium, ſed amicum ſe eſſe per beneficium, fur autem contra utrumque delinquit. Invenies etiam in hujuſmodi mandatis ſeverè valdè interdum puniri malitiam, & negligentiam, quemadmodùm cùm quis dimittebat jumentum ſuum depaſcere alienum agrum, vel vineam, puniebatur enim hujuſmodi delictum oblatione ejus, quod ille habebat optimum in agro ſuo, vel vinea. Et hoc eſt, ut rixæ, & homicidia, quæ occaſione hujuſmodi factorum evenire facilè poterant, declinarentur. Diſciplina namque judicialis, ſive judiciaria velut chirurgia quædam ſpiritualis eſt, quia tanquàm ferro, & igne, quæ putrida ſunt, aut aliàs morbida in corpore populi uruntur, per minores pœnas, aut etiam reſecantur, videlicet cùm per mortem corporalem de medio tolluntur. Gladium igitur, & ignem cæteraque pœnarum corporalium inſtrumenta, velut Dei chirurgia habent, & portant principes ſæculares, ſicut legitur in 13. Ad Romanos Non enim ſine cauſa gladium portat. Et quia de fundo putei abyſſi, hoc eſt de profundo diabolicæ adinventionis exivit noſtris temporibus hæreticæ garrulitatis ranunculus, audens coaxare contra Dei juſtitiam & legem. Quod nullo modo, niſi ex cauſa licet corporaliter occidere hominem; poſtquàm in hoc devenimus, videlicet ut de lege talionis loqueremur, deſtruamus hunc errorem deſtructione qua poſſibile eſt, & convenit. Quærimus igitur ab hujuſmodi erroneis, utrùm erudiendi ſint parvuli, & corrigendi, ſaltem quantumcunque levibus flagellis. Qui ſi reſponderint, quòd non. Reſtat ergo ut dimittantur omnibus vitiis, & inſaniis. Et propter hoc, ut minus curentur, quàm canes, & aſini, & equi, & minus etiam curandi ſint, cùm diſciplina hujuſmodi animalibus adhibenda ſit, & non filiis, & melioratio per diſciplinam quærenda ſit aliis animalibus, filij autem pœnitùs negligendi, & in omnem deteriorationem, & peſſimationem abire dimittendi. Ampliùs. Cùm homines etiam animalia ſint, non ideò quia animalia ſunt, extra diſciplinam erunt, quoniam ex hac cauſa nulli animalium eſſet impendenda diſciplina, ergo propter hanc cauſam non erit eis impendenda diſciplina, videlicet quia homines ſunt. Erunt igitur negligendi, & viliores quantùm ad hoc cæteris animalibus habendi, quo homines ſunt. Manifeſtum autem eſt ex hoc quia homines incomparabiliter nobiliores ac pretioſiores ſunt cæteris animalibus, magis igitur erudiendi, magis omni cuſtodia, omni diſciplina curandi. Ampliùs. Quis dubitat, quin morti corporali hominum, tàm parvulorum, quàm adultorum occurrendum

Duæ cauſæ quare furtum reſtituebat, duplum in leg. vet.

Ad Rom. 13. b.

Lex talionis.

E ſit, etiam eis invitis, & quin extrahendi ſint de aqua, & igne, ea videlicet violentia quam requirunt iſta pericula, & etiam ne in ea ſe præcipitent, aut aliter cadant avertendi? Si enim morti corporali brutorum animalium tantopere ſuccurritur. Si tanta ſollicitudine extrahuntur de puteis, aut foveis, aut prænominatis periculis, ut occurratur morti eorum corporali. Quantò fortius iſta facienda ſunt, ut occurratur morti hominum corporali? Multò fortius igitur iſta adhibenda ſunt, ut occurratur morti eorundem ſpirituali? Inviti, & quantumlibet renitentes extrahendi ſunt de hujuſmodi periculis, & avertendi ab eis homines propter mortem corporalem, quare multò fortius incomparabiliter extrahendi ſunt de periculis ſpiritualibus, & avertendi ab eis propter mortem ſpiritualem. Hæc autem mors non eſt, niſi vitium, & peccatum, quæ à Deo ſeparant, qui eſt vita ſpiritualis animarum. F Quare manifeſtum eſt non ſolùm extrahendos eſſe homines à vitiis, & peccatis, ſed etiam arcendos, atque repellendos cum ſtudio atque vi à nephariis ſceleribus. Ampliùs. Si aſinus tuus in lutum ceciderit, nunquid non flagellis, & ſtimulis urgendus eſt, ut inde exiliat? Nunquid non funibus ſi aliter inde exire noluerit quantumcunque renitatur, erit inde extrahendus? Quantò fortius igitur homo de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, de limo profundi, cui non eſt ſubſtantia, erit totis ſtudiis, ac viribus extrahendus? Diſciplinam igitur eſſe adhibendam hominibus, non ſolùm manifeſtum eſt per viam probationum quas diximus, ſed etiam ejus confeſſio extorquenda, ejuſque negatio igne, & gladio profligenda. Sicut enim maximè juſtitiandi ſunt, qui juſtitiam eſſe faciendam negant, tanquàm maximè injuſti, & maximi hoſtes juſtitiæ. Sic maximè coercendi ſunt, qui coertionem faciendam eſſe negant, & maximè diſciplinandi qui diſciplinam maximè impugnant. G Quare omnis juſtitia, & omnis diſciplina contra iſtam injuſtitiam, & indiſciplinationem totis ſtudiis ac viribus armari, & inſurgere debet. Quid enim aliud prædicat hujuſmodi erroris inſania, niſi omnem juſtitiam eſſe iniquam ſævitiam? Si enim non eſt juſtum fieri juſtitiam, ut ipſi dicunt, immò injuſtum cùm omne, quod injuſtum eſt fieri, injuſtitia ſit, proculdubiò conſequens eſt omnem juſtitiam, injuſtitiam eſſe. Et iterùm, ſi non poſſunt puniri niſi iniquè, ut ipſi dicunt. Cùm omnis injuſtitia plena iniqua ſævitia ſit, & maculoſa crudelitas, verum eſt ex neceſſitate ſecundùm eos quod diximus, videlicet, quod omne id quod vocatur, juſtitia eſt. Juſtitia dico, id eſt juſta punitio, ſeu vindicta malefactorum, & omnis pœna non erit, niſi iniqua ſævitia. Reſtat igitur coertionem juſtam, & diſciplinam adhibendas eſſe hominibus, & multò H amplius adultis, quàm parvulis, quia indiſciplinatio adultorum & inſolentia, majorem turbationem ingerit rebus humanis, quàm parvulorum, propter vires corporum, & aſtutiam, motuſque malitiæ, quæ omnia magis vigent in adultis, quàm in parvulis. Cui enim dubium eſt unum adultum, aſtutia, & viribus, & malitia, plus poſſe ad nocumentum hominum, & perturbationem, quàm parvulos multos? Ampliùs. Cui non eſt manifeſtum furioſos corpore recludendos eſſe atque ligandos, auferendoſque eis gladios, cæteraque inſtrumenta nocendi, ne ſibi, vel aliis noceant? multò fortius igitur iſta facienda ſunt furioſis mente, ne ſibi, vel aliis ſpiritualiter noceant. Cùm nocumenta ſpiritualia quibus animæ pereunt incomparabiliter majora ſint, magiſque declinanda,

Locus à minori.

Digitized by Google

quàm corporalia. Reſumamus igitur iſtam radicem certiſſimam, atque firmiſſimam, videlicet diſciplinam eſſe adhibendam hominibus, non ſolùm doctrinam. Et iterùm diſciplinam levium pœnarum quod eos auſos fuiſſe negare nondum audivimus; ſed mortis ſupplicium irrogandum eſſe; hoc eſt, quod negant. Quærimus ergo ab eis, ſi minores pœnæ non ſufficiunt ad correptionem alicujus, utrùm ſint augendæ, vel non? Non poſſunt enim negare, quin augendæ ſint, ſi enim de juſtitia leviores pœnæ inferendæ ſunt alicui pro culpa aliqua, cum ipſe per eas nondum corrigatur, ſed addat præteritæ culpæ contumaciam, manifeſtum eſt cùm contumacia ſit grave peccatum, quòd merito contumaciæ debet creſcere pœna, aut contumacia remanere impunita. Non autem de jure contumacia debet remanere impunita, augenda igitur eſt de juſtitia in caſu propoſito pœna, videlicet ratione contumaciæ, quæ ſuperaddita eſt

Abſurdū. præcedenti culpæ. De ipſa ſimiliter quærimus contumacia ſi creſcat ipſa, an creſcere de jure debeat ejus pœna? Si dixerit, quòd non accidit ex hoc evidenter, quòd majori & minori culpæ debetur æqualis pœna, cùm creſcente contumacia creſcere de jure non debeat ejus pœna ſecundùm ipſum. Relinquitur ergo, ut ſi creſcat contumacia, de jure creſcere debet ejus pœna. Quia igitur creſcere poteſt quantumlibet contumacia, creſcere poteſt de jure quantumlibet & pœna; quare neceſſe eſt, ut ipſa, vel ſit mors corporalis, vel æqualis illi, cùm mors corporalis non ſit pœna infinita, per hanc enim viam à levibus flagellis venietur ad gravia, & gravibus ad vulnera, ab illis ad tormenta, à tormentis ad ipſam mortem per ſimilia, ſcilicet contumaciæ crementa. Ampliùs Mors corporalis, aut eſt pœna major omni culpa, aut non Si eſt major omni culpa, injuſtus ergo eſt Deus, qui eam inflixit pro comeſtione ligni ſcientiæ boni, & mali Cùm major ſit pœna mortis, quàm culpa comeſtionis illius. Ampliùs. Si eſt major omni culpa, aut habet proportionem ad aliquam culpam, vel non. Si nulla ejus eſt comparatio ad quamcunque culpam, conſequens eſt ex neceſſitate, quòd nulla eſt ejus comparatio ad aliam quamcunque corporis pœnam. Omnis enim alia pœna corporis habet elementalem ſibi culpam. Et hoc eſt quoniam

Culpæ. quæcunque alia pœna corporis deberi poteſt pro aliqua culpa. Hujus autem probatio eſt per crementa, & comparationes culparum. Cùm enim quælibet alia pœna corporis finita ſit, neceſſariò eſt certa comparatio cujuſcunque alterius ad quamcunque ſui generis, ſicut unaquæque flagellatio, plaga, ſive livor ad livorem comparationem certam habet. Similiter & mutilatio ad mutilationem. Cùm igitur proportionales ſint culpæ, & pœnæ illis debitæ, ponamus quòd alij culpæ debeatur flagellatio aliqua ex neceſſitate, duplo majori duplo major debebitur flagellatio, & ita in infinitum. Similiter quia alicui culpæ debetur mutilatio, neceſſariò duplo majori culpæ debebitur de jure duplo major mutilatio, ut ſi amputatio unius auris debetur alicui culpæ, amputatio duarum debebitur duplo majori. Ampliùs. Quærimus ab eis utrùm pro aliqua culpa debeatur alicui membro mutilatio, ſive amiſſio. Si enim pro nulla culpa poteſt de jure inferri alicujus membri mutilatio, cùm tamen pro aliqua poſſit inferri flagellatio, conſequens eſt ex neceſſitate, ut etiam pro aliqua culpa poſſit inferri alicujus membri mutilatio. Eſt enim aliqua culpa, quæ vocetur A, cui debita ſit flagellatio, quæ vocetur B, culpæ igitur centuplæ ad A, debebitur flagellatio

A centupla ad B, & mille culpæ mille culpa, & ita in infinitum Quare non eſt reperire aliquantam flagellationem, quin de jure poſſit deberi maior. Eſt autem aliqua flagellatio maior pœna, quàm mutilatio auris, vel oculi, vel pedis, poteſt igitur de jure deberi major aliqua pœna corporalis, quàm ſit mutilatio alicujus nominatorum membrorum. Multò igitur fortius poteſt deberi de jure ipſa mutilatio. Si autem hoc eſt verum, ſequitur de neceſſitate, quòd & mors ipſa corporalis de jure pro aliqua culpa poſſit infligi. Sicut enim oculus ad totum corpus, ſic amiſſio oculi ad amiſſionem totius corporis, & ſicut mors oculi ad oculum, ſic mors totius corporis ad totum corpus. Quia igitur certa eſt comparatio totius corporis ad oculum in omnibus, hoc eſt & in magnitudine, & virtute, & valore, & ſi quid aliud tale attendi

B poteſt, & debet in his, certa erit comparatio mortis totius corporis ad mortem oculi, & pœnæ hujus ad pœnam illam. Ponamus igitur A culpam cui debeatur B, eruitio ſive mors oculi. & ſit centupla, vel millecupla mors totius corporis ad mortem oculi, B verò ſit ad A in eadem proportione, quia igitur ſicut culpa ad culpam, ita pœna debita ad pœnam. Pro A verò culpa debetur mors oculi, ſive amiſſio illius, ergo pro B culpa debetur mors, ſive amiſſio totius corporis. Manifeſtum autem, quia eſt reperire culpam in quacunque proportione ad A. Quare in ea proportione, quæ eſt totius corporis ad oculum ad idem venietur per gradus, & augmenta flagellationum. Cùm enim poſſet culpa, vel contumacia cui debentur 40. plagæ, vel centum, creſcere in infinitum, neceſſariò poteſt creſcere contumacia cui *Pœnæ.*

C debeatur tantus illarum plagarum numerus, qui mortem de neceſſitate inducat, & ita debebitur pœna mortis corporalis pro aliqua culpa. Ampliùs. Eſto quòd aliquis occiderit hominem iniquè omninò, quærimus ab eis qua pœna mors illa punienda ſit de juſtitia, aut erit punienda pœna mortis, aut minore. Si pœna mortis, non ſolùm igitur licitum, ſed etiam iuſtum eſt occidere occiſorem. Si minori pœna, vel finito minori, vel infinito. Si infinito minori, nullius comparationis eſt id quod patitur ad id quod intulit. Eſt igitur iniuſta iuſtitia. Quemadmodùm ſi quis damnificaſſet in mille millibus librarum auri, & puniretur amiſſione unius paleæ, vel feſtucæ. Sicut enim una palea, vel feſtuca ad mille millia librarum auri, ita pœna, quæ interfectori infligenda eſt pro homicidio ad mortem quàm intulit, quoniam in infinitum, & abſque ulla comparatione minor, & hoc non eſt, niſi ridiculum. Si verò finito minor pœna infligenda eſt interfectori, mi-

D nor igitur redimit maius. Et idem eſt, ac ſi damnificaſſet proximum in tribus marcis, & ipſe abſolveretur pro una. Ampliùs. Qui dato ſibi beneficio, impugnat datorem omninò innocentem, & in nullo illum lædentem de iure debet amittere illud; quicunque igitur vita, quam revera, ut beneficium à Deo datore habet, Deum impugnat, de jure debet amittere illam, omnis enim vitiosè & malignè vivens, vitâ ſuâ Deum impugnat, maximè autem hæreticus, & paganus, illi enim apertè Deum impugnant auferendo illi hæreditatem ſuam, videlicet animas hominum ſuas, & aliorum. Similiter gloriam ſuam, & honorem, dum cultum ejus, & religionem totis ſtudiis, ac viribus deſtruere conantur. Iſta enim duo genera hominum, totam ferè vitam ſuam in Dei oppugnationem, in ejus injuriam, & contumeliam converterunt. De jure igitur auferri eis poteſt non ſolùm vita corporis, ſed etiam

Digitized by Google

Mors æterna. animarum, ſi animæ mortales eſſent. Amplius. Si mors æterna infligenda eſt pro culpa aliqua, quantò fortius mors temporalis? Amplius. Aut pugnandum eſt contra Dei inimicos gladio, aut non? ſi ſic, expugnandi ergo ſunt, & juſtum eſt bellum contra eos, tamdiu igitur pugnandum eſt contra eos, quandiu rebellant. Si igitur rebellant uſque ad mortem corporum ſuorum, nolentes omninò credere, vel deſiſtere à Dei injuriis, pugnandum eſt contra eos uſque ad mortem corporalem eorum. Manifeſtum igitur eſt, quia juſto bello occidi poſſunt. Quòd ſi dixerit quis, non eſt pugnandum contra eos, fugiendum igitur eſt, vel cedendum eis, quare ſuſtinenda eſt exterminatio honoris divini atque cultus, ut parcatur corporibus inimicorum Dei? fugiendo enim, & cedendo ad iſtud inconveniens devenitur? **F** Cùm fugientes tandem cedere neceſſe habeant. Apparet igitur evidenter, quia ſub textu falſæ pietatis, qua parci volunt corporibus ſuis, hujuſmodi erronei impietatem nequiſſimam prædicant in Deum, & animam evidenter, dum Dei cultum, & religionem ſic tollunt de medio. *Nota.* Hoc igitur quærit tandem iſta impietas, ut regnum Dei, & ejus civitas remaneat penitus indefenſum, prædæque & direptioni vaſtantium exponatur, & ut vita corporum mortalium, vel iniquè moriturorum, vita inquam miſerrima, vitæ beatæ animarum, & divinæ honorificentiæ præferatur. Amplius. Quærimus ab ipſis utrùm ſaltem verbo contradicendum ſit erroribus impietatis? Quòd ſi dixerint, quia nec verbo contradicendum eſt. Reſtat igitur, ut veritas ſalutaris, nec prædicanda ſit, nec docenda, cùm contra errores hujuſmodi diſputandum non ſit; Doctrina enim potiſſimum in diſputationibus, & probationibus **G** conſiſtit, quo deliramento nullum majus inveniri poteſt. Si verò contradicendum eſt hujuſmodi erroribus ſaltem verbo, pugnandum eſt igitur contra eos lingua. Nullo autem privilegio exempta eſt manus etiam à divini honoris ſervitute, ſive ſervitio, immò per omnia æquè debitrix ejus, ut lingua. Quare æquè manu pugnandum eſt contra errores hujuſmodi pro Dei gloria, & animarum ſalute. Amplius. Si beſtiæ corporales, ſeu materiales, videlicet Lupi, & Leones, Serpentes, & Dracones ferro, & igne, omnique genere debellationis exterminandæ ſunt pro ſalute corporum humanorum, quæ devorant, & occidunt; quantò fortius beſtiæ ſpirituales pro ſalute animarum, quas ſeducendo, & ſubvertendo ſpiritualiter devorant, & occidunt ſeparantes eas à Deo, qui vita eſt animarum, *Locus à minori.* omni gladio, & bello exterminandæ ſunt. Et attende comparationem beſtiarum materialium, & ſpiritualium, **H** quia convenientiſſima eſt ac propria, ſi ſævitiam poteſtatum hæreticorum, ſi venenoſitatem pſeudo prædicatorum attenderis. Amplius. Quia blaſphemus incorrigibilis blaſphemiarum prædicator ſic eſt in eccleſia Dei, ſicut ovis contagioſa & morbida in grege, & ſicut membrum canceroſum in corpore, canceroſum dico cancro incurabili, & jugiter ſerpente, ergo idem faciendum eſt de eo pro ſalute totius eccleſiæ, quòd faciendum eſſet de ove, & membro hujuſmodi, pro totius gregis, & corporis ſalute. Quare reſecandi, aut urendi, aut exurendi, modiſque omnibus ex neceſſitate de medio tollendi. Quòd ſi fortè dixerint, quia revera occidendi ſunt impij pertinaces, non autem ab hominibus, ſed à Deo: immò ſequitur eos, & ex neceſſitate, quia honorem exterminant extirpandos, & trucidandos eſſe à filiis ipſiuſmet Dei, nulla ergo eſt eis defenſio exhibenda. Accidit etiam, ut Deo nihil honoris penitus debeatur, cùm nec **E** in nobis, nec in aliis liceat nobis honorem ejus defendere defenſione, quæ repellat oppugnantes. Ampliùs. Quærimus ab eis, qua de cauſa adeò velint parci corporibus morte Si enim propter ſpem correctionis, quæ omninò per mortem præſcinditur: hoc nihil eſt, quia ubi non eſt ſpes correctionis, ibi ceſſat ex neceſſitate falſa pietas iſta. Quare ubi evidenter pertinaces, & incorrigibiles ſunt, & mori omninò volentes in impietate perverſitatis ſuæ, occidendi ſunt. Si verò pretioſitas vitæ corporalis cauſa eſt, propter quam parcendum eſt corporibus, quantò fortius incomparabiliter major pretioſitas vitæ ſpiritualis efficiet, ut eis parcendum non ſit? *Manichæi.* Manichæi autem qui corpora humana dicunt eſſe opera Diaboli, non habent quid reſpondeant, cùm neceſſe habeant confiteri, deſtruenda eſſe opera Diaboli, maximè à filiis Dei. Jam igitur planum eſt ex his, quæ diximus, quanta impietate in ipſum Deum, & humanas animas ſæviendum eſſe credunt, ſub prætextu pietatis corporum hujuſmodi erronei. *Nota.* Nec advertunt, quòd ipſis etiam corporibus impiorum incomparabiliter parcitur, occidendo ea temporaliter. Occidendo enim temporaliter ab æternis ſuppliciis corporibus impiorum in tantum parcitur, quantùm ea ſi ſupervivérent, adaugerent: proportionabiliter namque, ſicut ulterius viventes impij peccata peccatis adderent, ſic & ſupplicia ſuppliciis cumularent. Et propter hoc ſicut per mortem corporum proſunt eis, licet invitis ne peccent amplius, ſic & ne amplius torqueantur. Non ſolùm ne in animabus, ſed etiam ne in corporibus. Quapropter ipſis corporibus eorum occidendo parcitur evidenter, cum pars ſuppliciorum infernalium, quæ in corpore paſſuri erant, eis detrahitur per mortem. Quælibet autem pars ſuppliciorum infernalium major eſt incomparabiliter ſupplicio mortis corporalis, qua incomparabiliter magis parcitur eis, occidendo corporaliter, quàm parci poſſit eiſdem à morte corporali parcendo. Ad id autem, quòd objicere nobis ſolent, *Matthæi 13. d.* quia præcepit veritas in Evangelio Matthæi 13. ut ſinerent zizaniam creſcere uſque ad meſſem, ne fortè ſimul eradicaretur & triticum. Reſpondemus, quia manifeſtum eſt iſtud non præcepiſſe veritatem, niſi ut ſolummodò tritico parceretur. Non enim voluit parci zizaniis, ſed tritico ſoli, quare noluit parci zizaniis in tritici detrimentum. Quare ubi non poteſt eis parci ſine tritici detrimento, noluit eis parci. Ubi ergo impii in conſumptionem populi Dei, vel diminutionem creſcunt, ibi nullatenus creſcere ſinendi ſunt, ſed eradicandi, & hoc per corporalem mortem, quando alias eradicari non poſſunt. Alias autem eradicari non poſſunt incorrigibiles, & contumaces. Quare occidendi ſunt ex neceſſitate Quòd ſi quis dixerit, quia ipſi qui modò ſunt zizania poſſunt eſſe triticum, quia converti poſſunt ad viam veritatis, verùm utique dicunt, ſed quòd convertantur, & triticum fiant, hujuſmodi videlicet contumaces, & in errore pertinaces, non eſt certum. Quod autem per ipſos illi qui triticum ſunt, zizania fiant, hoc evidenter certum eſt. Simplices enim, & ineruditos aſtutia ſua, credibili facilitate ſubvertunt Et inſuper pauca zizania multam tritici ſegetem facile pervertit atque ſuffocat *Rara converſio Hæreticorũ.* Difficile enim admodùm, & raram videmus Hæreticorum converſionem, faciliimam autem & crebram fidelium ſubverſionem. Quare bonum converſionis hujuſmodi erroneorum, & parvum eſt, & rarum atque difficile, & eo uſque incertum, ut propter quod proſperari meritò poſſit, non appareat. Ma-

Digitized by Google

lum verò quod inceſſanter irrogant in alterum ſit, ut peſtis, vel incendium crebrum, etiam quod facilè non eſt evidens atque certiſſimum, ut emendetur. Quis ergo non videat, quia vita adeò peſtilens, & perniciosa paucorum, tota feſtinatione tollenda eſt de medio, ut peſtis, & incendium? ne dum vanâ ſpe paucis parcitur, per eos, & reparabilis multitudo perdatur? Hoc enim eſt ac ſi diceretur, ut paucis lupis in medio gregis exiſtentibus, gregemque inceſſanter lacerantibus, ac devorantibus parcatur, quia fortè Deus facit illos oves, & agnos. Idem etiam eſt, ac ſi

Adverte.

diceretur dimittendas eſſe paucas faces ardentes in medio ſilvæ lignorum germinantium, ipſamque ſilvam inceſſanter exurentium, quia forſitan Deus faciet illas arbores fructiferas. Idem quoque eſt, ac ſi diceret quis paucos leproſos dimittendos eſſe in medio ſani populi, aſſiduo contagio ipſum corrumpentes, & inficientes, quia forſitan Deus ſalvabit illos.

Nota.

Non attendunt, quòd facilius ſæviat rabies lupina in conſumptionem gregis, quàm manſuetudo ovina tranſeat in lupos, & incendium à facibus ad arbores facilius diſſiliat, quàm viror, & fertilitas ab arboribus ad faces, ſic lepræ contagium facilius à leproſis derivatur ad ſanos, quàm ab ipſis ſanitas ad leproſos. Hoc autem dicimus, & intelligimus, quod his infidelibus & impijs, qui ſimulatione ſanctitatis ſpectantes decipiunt, & pravitate dogmatis audientes ſeducunt, & ad demoliendam vineam domini ſabaoth, totis malignitatis ſuæ fraudibus incendunt. Cæterùm qui ſimpliciter errant corrigendi, & erudiendi ſunt, dummodò errores ſuos pertinaciter non defendant.

CAPUT II.

Exponit alias cauſas, & rationes præceptionum, & negationum legis Moſaica, aperte oſtendens nihil fuiſſe in eà quod iuſtiſſima ratione firmatum ac roboratum non eſſet. Ac primum de ſacrificijs, & de tabernaculo ejuſque figura. & quomodo voluit Moyſes omnem idolatriam ex cordibus Iudæorum prorſus abolere.

REvertamur autem ad id in quo eramus, & dicamus, quia poſtquàm jam claruit nihil eſſe in tota lege, quod non habeat cauſam rationabilem, ſive præceptionis, vel prohibitionis, aut enarrationis. Manifeſtum nihil eſſe abſurdum, nihil irrationale in ea,

Nihil abſurdum in lege.

& hoc in multis evidenter apparet, cùm manifeſtæ, vel honeſtatem contineant, vel utilitatem. Et propter hoc non oportet nos aliquatenus laborare. Incipiamus igitur in alijs, cauſas, & rationes præceptionum, & prohibitionum, juxta literam aperire. Primum ergo de ſacrificijs, & altari. Deinde de circoncisione. Hæc enim omnia ante legem Moyſi obſervata ſunt à patribus. Caïn enim de fructibus terræ legitur obtuliſſe munera domino. Abel verò de primogenitis gregis ſui, Geneſeos 4. Similiter & Melchiſedech panem,

Gen. 4. a.
Gen. 14. d.
Gen 17. b.

& vinum, Gen. 14. Abrahæ verò circuncisio injuncta eſt, & impoſita à domino Deo, & toti generi ejus. Geneſ. 17. Propter quod & tota gens Sarracenorum circunciditur. Hanc enim traditionem ab Iſmahel filio Abrahæ primum recepit gens Arabum, qui propriè Iſmahelitæ nominantur, Iſmahel enim gentis Arabum inſtitutor fuit, ſicut narrat Joſephus in libro antiquitatum. Eſt igitur ſacrificium oblatio, quæ

Sacrificiū quid.

& ſacra fit offerendo, & ſacrat, ſeu ſanctificat offerentem, niſi hic, aut irreverentia, aut aliud peccatum offerentis impediat. Et dixerunt aliqui, quia ſacrificium

Levit. 2. a. & b.
Ex. 31. b.

non eſt niſi de animalibus, & erraverunt in hoc, quia etiam de ſimila ſacrificium eſt, ſicut legitur Levit. & etiam de aromatibus, ſicut legitur Exodi 31. Meritò autem quæſtionem habet, quare ſacrificia ſibi offerri voluit Deus, qua de cauſa placuit ei mors animalium innocentium. Nihil enim ſuavitatis habet per ſe nidor cadaverum. Nihil utilitatis carnificina illa animalium, ſed ſolum laborem, horrorem, & inquinationem offerentium. Præterea, quæ juſtitia eſt hæc, ut cùm homines ſoli peccent, pro peccatis eorum ſola animalia, & illa innocentiſſima moriantur? Juxta illud. Quid meruere boves, animal ſine fraude doloque? In quo reſpondemus quia ſeptem de cauſis ante legem, & etiam ſub lege ſacrificia hujuſmodi ſibi

Septem cauſæ ſacrificiorū.

offerri voluit Deus, non ſolùm propter conſuetudinem Idolatriæ, ut quidam opinati ſunt. Hæc enim cauſa in Caïn, & Abel locum non habet. Cùm temporibus eorum, nec ipſi, nec alij Idolatræ idolatria aſſueti eſſent. Prima igitur ac præcipua cauſa fuit Dei

Prima.

honorificentia, ſeu veneratio. Omnis enim cultus Deo honorificus eſt, quo ipſe ſibi ſerviri vult. Et propter hoc altare ſibi ædificari voluit. Altare enim eſt ſecundū unum officiorū ſuorum, divini honoris titulus, & memoriale inſigne, ſicut docebimus in ſequentibus: talibus ergo muneribus honorabatur Deus, non quidem pretioſitate ipſorum, ſed electione, inſtitutione, & acceptione ipſorum à parte ſua. Obedientia verò, & devotione offerentium à parte ipſorum. Hæc igitur quinque honorifica efficiebant Deo hujuſmodi ſacrificia videlicet, quæ ipſe elegerat, inſtituerat, & accepta habebat, quæ ei obedienter ac devotè offerebantur. Non enim coli voluit, neque colendus erat adinventionibus humanis, ſed magis ritu electionis, & inſtitutionis ſuæ, ipſe enim melius ſemper novit, quod & æquale ei ſervitium magis placet, magiſque ſit gratum, propter quod iraſcitur, & minatur Iſaiæ 29. dominus. Coluerunt me mandato hominum, &

Iſa. 20. d.
ſecunda.

doctrinis &c. Secunda cauſa fuit juſtitiæ ſuæ, & miſericordiæ vehemens ac fortis impreſſio, quam ſacrificia hujuſmodi faciebant, eo enim ipſo, quòd ad mortem hujuſmodi animalia offerebant, mortique tradebant ſeipſos morte dignos oſtendebant, & Deum de juſtitia mortē eis poſſe inferre, ſi ſecundùm merita peccatorum ſuorum judicare vellet, expreſſè hujuſmodi opere cognoſcebant. In hoc verò, quòd mors eorum morte animalium commutabatur, mors inquam, quam meruerant Dei miſericordiam erga ſe expreſsè legere poterant, vel etiam legebant, & erat fortior atque magis penetrans, magiſque imprimens cognitionem, ac rememorationem ſeveritatis, ac miſerationis divinæ hujuſmodi operatio, quàm poſſet eſſe ſermo. Nihil autem ſalubrius fore poterat hominibus, quàm vivax, & tenax memoria, ſive cognitio divinæ ſeveritatis & pietatis, ut timore, ſcilicet mala fugerent, & ſpe bona Deo placita ſectarentur. Quod ſi quis dixerit, quia multa hujuſmodi ſacrificia offerebantur non pro peccatis aut delictis ſicut ſalutaria pacifica, quæ dicebantur ſacrificia laudis. Reſpondemus quia hæc omnia in idipſum revertuntur. Pacifica enim ſunt, quæ pro pace obtinenda offerebantur, bellum verò non ſolum periculum eſt, ſed etiam mortis. Salutaria verò, quæ pro ſalute obtinenda, ubi autem ſalus perditur ſacrificia quoque laudis, vel pro liberatione à malis, vel pro largitione bonorum offerebantur. Et ita ſemper locum habuit in cordibus offerentium iſta cogitatio, videlicet mors nobis imminebat quemadmodum iſtis animalibus, cui utique de juſtitia tua tradere nos poteras, ſed per miſericordiam tuam, vel liberati ſumus, vel liberari nos petimus, ô Deus. De his autem cùm ad ea, quæ legis ſunt veniremus, latius dicemus. Tertia cauſa, divinæ

Tertia.

beneficentiæ recognitio, propter quod de ipſis donis ac datis ſuis, partem reſervabant, & offerebant domino in recognitionem, quòd de ejus benedictione, & largitione omnia receperant, videlicet & quæ ſibi retinebant, & quæ domino offerebant, ſicut legitur

Deut. 26. a.

Quarta. Deutero xxvj. Profiteor hodie coràm domino Deo meo &c. Quarta cauſa offerentium ſanctificatio. Expediebantur enim, & emundabantur à contaminationibus peccatorum per hujuſmodi ſacrificia faciente Dei virtute, & miſericordia. *Quinta.* Quinta cauſa familiaritas ad Deum, & appropinquatio, oblatio namque munerum, & participatio ſacræ menſæ, multam fiduciam præſtant appropinqnationis, & de familiâ Dei efficit participãtes, ejus enim cenſetur eſſe familia à quo paſcitur, & de cujus menſâ vivit. Quare manifeſtum eſt hujuſmodi ſacrificia participantibus imprimere familiaritatem, & proximitatem ad Deum, dum eos Dei commenſales quodammodò efficiebant. Commenſalitas autem tanquàm ſumma communio poſt commutationem cauſarum eſſendi, quæ ſunt pater & mater maximè effectiva eſt familiaritatis. Propter quod cùm Deus non poſſet eis viceverſa comedendo communicare, mittebat interdùm ignem de cœlo qui partem ſuam ſacrificiorum comederet quaſi vice ipſius. *Sexta.* Sexta cauſa, adunatio, ſive unio populi Dei videlicet, ut una domus fieret, & una familia ex multis perſonis, unam enim familiam, & unam domum literalem maximè facit communio victualium. Sic & unam familiam ſpiritualem unamque domum maximè facit communio ciborum, & potuum ſpiritualium. Spirituales autem potus, & cibos vocamus ſanctificatos, in quibus non corporalis refectio quæritur, ſed potius ſpiritualis Manifeſtum etiam eſt tibi, quia hoc ipſo in Dei domum ejuſque familiam, & omninò ejus partem tranſibant homines, qui vel ſacrificabant, vel ſacrificiis participabant, ſeu communicabant. *Septima.* Septima cauſa fuit attractio ad Dei cultum, nihil enim magis aggregat homines, & convenire facit ad locum aliquem, vel factum, quàm cibus, & potus, propter quod & infirmaria ſtatuit Eccleſia, ubi præparatur refectio corporalis, quæ utique ſi non ibi eſſet, vel nulli vel pauciſſimi propter hoc convenirent. Voluit ergo ſapientiſſimus, & miſericordiſſimus Deus, ut in domo ſuâ & altari eſſet communicatio cibi, & potus, ut cõmunitas populi ſui per hoc, & illuc attraheretur, & ibidem aſtrictius teneretur, voluitq; hujuſmodi ſibi ſanctificata eſſe, ut popul⁹ non tanquã bona propria, ſed tanquã Dei dona, nec tanquàm communia, ſed tanquàm ſacra illa ſumeret, ut Deum patremfamilias ſuum, à quo paſceretur, & animaretur agnoſceret, & ſe ad ſanctorum communionem, ſeu participationem admiſſum videns ab omni vitiorum contaminatione, & macula conſervaret. Nec credendum eſt ſanctiſſimos, & ſapientiſſimos patres abſque collationibus, collaudationibus, & benedictionibus ſacrificia ſua Deo altiſſimo obtuliſſe, paſcentemque cibum ſacrificijs populum de hujuſmodi quæ Dei ſunt, indoctum penitùs reliquiſſe, quis enim credat Dei cultum orationibus, & laudibus unquàm caruiſſe? Cùm hæc in Dei cultu à parte noſtrâ, manifeſtè præcipua ſint, Deoque placidiſſima. Quæ laudes, & orationes ſi ad nos perveniſſent, cauſas, & utilitates, hujuſmodi ritus evidenter nos docuiſſent. *Animalia offerri ſcr-tita.* Si quis autem quærat quare iſta tria animalium genera ſibi offerri elegit de quadrupedibus videlicet, bovem, ovem, & capram in utroque ſexu. *Boves, oves, & capra cur Deo offerebantur.* Reſpondemus, quia hæc ſunt maximè neceſſaria victui humano, & veſtitui, maximè, quia apud patres abundabant, in his ergo quibus ipſi maximè utebantur, maximè voluit communionem, & participium habere cum eis, & de his in quibus largior erat beneficentia ejus erga eos, voluit ſibi majorem recognitionem, regratiationem & honorificentiam exhiberi. Manifeſtum etiam eſt, quia inter omnia quadrupedia, iſta manſuetiſſima ſunt, & minori rebellione ſuſtinent mortem, & ideò minori periculo occidentium. Præterea aſſueti erant interfectioni hujuſmodi animalium, utpotè qui eis inceſſanter veſcebantur, maximè poſt diluvium. Familiaria igitur animalia hominibus voluit quodammodò, & familiaria eſſe ſibi, & quæ maximè in uſu erãt hominib⁹, in uſu voluit eſſe ſui honoris & cultus. Amplius. De quadrupedibus iſta mundiſſima ſunt, quia & mundiſſimis vivunt paſtibus, & eorum immundiciæ etiam mundæ ſunt. Amplius. Iſta ſunt, quæ totum quod ſunt, & vivunt, neceſſitati hominum ſunt & vivunt, hoc eſt victui, atque veſtitui, ſola enim ſunt ſine quibus homines vivere non poſſunt; ſine animalibus enim alijs poſſunt vivere homines, quemadmodùm ſine porco, cane, & equo. Si igitur vitæ humanæ neceſſitas reſpiciatur, ſola iſta de animalibus neceſſaria ſunt hominibus. Cætera verò ſuperflua quantùm ad neceſſitatem vitæ Quare eo ipſo, quòd voluit talia ſibi offerri in ſacrificijs, abſtulit nobis occaſionem quærendi non neceſſaria, dum eis honorari noluit, neque ea ſibi offerri. Solas ergo fruges, & hæc animalia ab initio ſibi offerri voluit, *Gen. 4. a.* ſicut legitur Geneſ. quarto. Poſtmodùm verò addidit turturem, & columbam in ſacrificiis Abrahæ, ſicut legitur Geneſ. xv. *Turtur & columba.* *Gen. 15. b.* in quibus præter hoc, quòd munda & manſueta, & utilia uſibus humanis ſunt, etiam caſtitas quaſi conjugalis in columbis, & quaſi vidualis in turturibus invenitur. Manifeſtum igitur eſt, quia partem ſuam greſſibilium, & volatilium mundam, manſuetam, & utilem voluit eſſe dominus Deus, exceptis aliis, quæ diximus. In quo etiam iuxta literam quales ſint, qui in partem eius atque ſortem tranſeunt, intelligentibus inſinuavit, ſi enim hujuſmodi mores requirit in animalibus brutis, quæ in partem ſuam elegit, quantò fortius in hominibus? Et ſi moribus iſtis vitia contraria eò uſque repellit in brutis animalibus, ubi reprehenſibilia non ſunt, nec culpabilia, nec punibilia, ut in parte electionis ſuæ ea eſſe non ſuſtineat, quantò fortius in hominibus ubi culpanda ſunt, & pœna digniſſima vindicanda, ea deteſtatur, & reprobat, ut eis qui contaminati, ac deturpati ſunt, in partem Dei nullatenus admittantur? *Paſſer.* Paſſer autem ſuperadditus eſt in lege ſicut dicemus in ſequentibus, de quo manifeſtum eſt, quòd multùm ſimilis eſt columbis, habitatione ſcilicet & paſtu, nidificant enim in foraminibus domorum, & gregatim volant, ut columbæ, plurimúmque & generationi intendunt, quemadmodùm & ille. Et videtur Abraham ritum offerendi pecora munda, & volatilia prænominata accepiſſe à Noe, quia Noe legitur talia obtuliſſe. Geneſ. viij. *Gen. 8. d.* Hæc ſibi tam pauca de tot generibus animalium elegit dominus, & ſibi appropriavit, quaſi reliquias, quia omnia genera, aut idolatræ ſacrificijs ſuis execrabilia fecerant, aut augures vanitate obſervationum ſuarum profanaverant, aut magi veneficiis ſuis, & maleficiis odibilia reddiderant, ſicut apparet ex multitudine ſacrificiorum Ægyptiorum, quæ erant ſexcẽta ſexaginta ſex genera ſacrificiorum. *Sexcenta ſexaginta ſex genera ſacrificiorũ apud Ægyptios.* Apparet igitur ex omnibus his Deum voluiſſe, quod legitur in pſalmo. Juſti epulentur in conſpectu Dei, non ſacrificiis multis propter cauſas quas diximus. De holocauſtis verò non comedebant offerentes, ſed tota incendebantur, & hujuſmodi cauſas dicemus in ſequentibus. *Holocauſta non comedebantur.* Clarum etiam eſt ex his, quòd idolatria non dedit occaſionem ſacrificijs, cùm ante idolatriam ſacrificia fuerint, ſicut apparet in Cain, & Abel, *Pſal. 67. a.* præter has autem cauſas ſacrificiorum quas diximus, nonnulla fuiſſe videtur alimonia, ſeu ſuſtentatio ſacerdotum: hoc eſt virorum divino cultui, & eruditioni populi vacantium, quibus duobus officiis, ut liberè vacarent, liberos eos eſſe oportuit à ſollicitudine acquirendi victus. His autem ita ſe habentibus revertamur ad dicendum quid eſt altare, & quæ ejus altaris officia. *Altare quid.* Altare igitur eſt, ut diximus, divini honoris titulus, & memoriale inſigne, Dei propitiato-

Digitized by Google

rium offerentium, & oblatorum ſanctificatorium, ſpiritalis refectionis, & communionis menſa, & per hæc, quæ diximus, quatuor altaris officia manifeſta ſunt. Officium ſiquidem altaris primum eſt Dei honorem, & memoriam ingerere ſpectantibus, propter quod ſcriptum eſt de Jacob. Et erexit lapidem in titulum. Gen. 28. Secundum officium altaris eſt, ut in eo, & per illud propicietur dominus Deus ad ipſum fugientibus, & in eo adorantibus. Tertium eſt ſanctificare munera, & offerentes in eo. Quartum eſt ſpiritalis ut diximus refectio, atque communio, propter quas ædificatum, atque dedicatum eſt. Altare autem dicitur ab altitudine eminentiæ ſuæ, quapropter hoc habebat, ut aſtans populus, & offerentes, & oblata videret, hoc ergo ſub lege de terrâ ſibi fieri voluit dominus Exod. 20. ut à conſuetudine idolatrarum populum Hebræorum aliquantulùm averteret, & per ipſam idolatriam ſaltem in hoc modico detruncaret, idolatræ namque altaria magnificæ, ac ſumptuoſæ ſtructuræ ædificabant idolis, ut ex hoc magis reverendam idolatriam facerent. Incepit igitur in hoc Deus per iſtam, ſcilicet diſſimilitudinem altaris idolatriæ memoriam in ipſa radice ſua, & principio, videlicet altari, delere de cordibus Judæorum, ut ſcilicet non videntes amplius ſimilitudinem altarium idolorum, inciperent obliviſci eorum, vel propter hoc qui avariſſimi erant, noluit eis ſumptibus facere oneroſum cultum ſuum. Facile enim eſt natura avaris recedere ab omni bono, quantumcunque illud ſit, dummodo ſumptuoſum ſit. Eædem cauſæ ſunt quare præcepit illud ex ſectis lapidibus non ædificari, videlicet ne fricaret eis memoriam idolatriæ: ex ſectis enim lapidibus ædificabant altaria idolis, ut diximus, & figuras ſculpturaſque faciebant in eis: adeò enim voluit memoriam idolorum aboleri à cordibus eorum, quod nec aurum, nec argentum idolorum permiſit eis habere in aliquem uſum, ſicut legitur Deutero. vij. in fine capituli, propter eandem cauſam prohibuit, & nemus plantari juxta illud, ut legitur Deutero. xvj. & etiam quamcunque arborem. Conſuetudo autem idolatrarum erat ſub arboribus idolatriam exercere, & hoc ipſi Dæmones ſuggeſſerant, ut ipſa locorum amœnitas eos ad idolatriam provocaret, & in eâdem arctius detineret. In ipſis etiam arboribus, & pingebantur, & ſculpebantur imagines Dæmonum, ad exercendam idolatriam, ſicut nos ipſi legimus in libris maleficiorum. Gradus etiam fieri ad altare prohibuit Exodi xx. propter eandem cauſam, quia ſcilicet gradus habebant altaria idolorum, in quibus ſingulis ſingulas ſtationes, & genuflexiones faciebant, & hanc memoriam voluit abradere de cordibus eorum, ut ſicut ibidem ſubjungitur, ne videretur turpitudo poſteriorum ipſorum, hoc eſt ne viſu notaretur, aut perpenderetur, ſcilicet, ex coruſcatione veſtis, vel alio ſigno. Non enim veriſimile eſt, vel non fuiſſe tunc uſum bracarum, vel ſacrificare, & adorare volentes eas deponere, niſi forſitan in ſacris veneris, & ſacris priapi, ubi excerandæ & abominandæ turpitudines exercebantur, quemadmodùm & Saraceni adorare dicuntur alterius manus digito minimo infixo podici alterius, aut digito infixo auri ſiniſtræ. Eodem modo, & lapides per intermedium crurum ſuorum poſt ſe incurvati projicere ante angulum quendam domus apud mecham in qua eſt corpus Machometi; tamen nota erât temporibus illis ridiculoſitas iſta in ſervitio idoli, quod vocabatur pavor, cui pudendis diſcoopertis ſacrificabatur, hoc ergo prohibuit Deus non ſolum propter ridiculoſitatem, ſed etiam ne cultus Dei idolatriæ aſſimilaretur. & ſecundùm hoc unum mandatum erit per ſe hoc, ne videatur turpitudo tua. Summa igitur iſtorum eſt per diſſimilitudinem altaris, & aliorum Deum voluiſſe eos abſtrahere à conſuetudine idolatriæ qua vehementer imbuti, & intimè infecti erant. Apparet etiam tibi ex his, quæ diximus, quia ritus ſacrificiorum non eſt ex Moyſe, ſed eſt ex patribus, quemadmodum dixit veritas in evangelio, quia circumciſio non ex Moyſe eſt, ſed ex patribus. De forma verò, ſive figura tabernaculi, quæ oraculum, id eſt ſanctum ſanctorum habebat ad occidentem, ita ut totus populus Iſrael, nonniſi ad occidentem per ipſam adorare cogeretur. Illa cauſa evidētiſſima eſt videlicet, ut Dei populus averteretur ab adoratione, & cultura ſolis, ſi enim adoraret ad orientem, facto ipſo in attentione ſolis ad idolatriam recidivaret, & adorandi ad partem illam aſſuetudine ipſam Dei adorationem in ſolis idolatriam facile intorqueret. Adoratores enim ſolis, ipſum ſolem ad orientem incurvati adorabant, voluit ergo Deus adoratores ſuos dorſum vertere ad ortum ſolis, ut ſolem ipſum, quantùm ad culturam abominabilem redderet. Hoc autem ſatis evidenter legitur in viij. Ezechielis. Hæc illa adoratio videlicet, qua ſol adorabatur ad ortum ſuum, vocabatur abominatio major, ibi enim ita legitur. Ecce vidiſti fili hominis. Adhuc converſus videbis abominationes majores his. Et introduxit me in atrium domus domini interius, ſed ecce in hoſtio templi domini inter veſtibulum, & altare quaſi xxv. viri dorſa habentes contra templum domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum ſolis, & dixit ad me, certè vidiſti fili hominis, nunquid leve eſt hoc domui Juda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hîc &c. Hæc ergo Dei queruloſitas, & clamor tam frequens apertè indicat, quòd adoratio iſta, quam faciebant ad ortum ſolis, adoratio idolatriæ erat. Non eſt autem dubitandum, quin adoratio ſolis verſus illam partem fieret. Hac igitur prudentia poſitio tabernaculi, & figura illa fuit. Eadem eſt cauſa poſitionis, ſive ſitus altaris tabernaculi, & aliorum altarium, ſi duo fuerunt, altare incenſi, & altare thymiamatis, quod veriſimilius eſt, ut immolantes, & thurificantes domino, dorſum haberent ad partem adorationis idolatriæ. Altare verò holocauſtorum idcircò ſub dio erat, hoc eſt ſub aëre libero, ne ignis ſacrificiorum & vapores tabernaculum denigrarent, atque dehoneſtarent, & ne fœtor etiam cadaverum ſacrificiorum ipſum fœtidum redderet, & ideò deſpicabilem atque abominabilem ſcito etiam quia altaria idolorum, intra templa ipſorũ erant. Voluit ergo Deꝰ altare holocauſtorum habere liberam eventationem propter nidorem ſeu fœtorem cadaverum immolatitiorum, & ut diſſimilem haberet poſitionem, ſive ſitum altaribus idolorum. Candelabrum verò cum ſeptem lucernis ſuis præcepit erigi á parte meridiei contra Aquilonem, ſecundùm Joſephum in figura ſeptem planetarum. Menſam verò propoſitionis cum panibus ad partem Aquilonis ex adverſo, quia populatio ad partem Aquilonis eſt in mundo iſto, & propter hæc fertilitas terræ quæ ſignificatur in panibus, pars enim auſtralis terræ noſtræ habitationi oppoſita habitabilis eſt. Alijs verò viſum eſt, quia fons vitalis caloris, & luminis in parte cœli meridionali eſt, & ideò in deſignationem hujus candelabrum ignis, & luminis ſtare præcepit ad partem illam, ex adverſo verò ad partem Aquilonis poni præcepit menſam, & panes propoſitionis videlicet, quia eſca nutrimentum eſt vitalis caloris, & hæc in parte mundi Aquilonari maximè abundat. Sed hæc quid proderant inſcientibus & non intelligentibus. Hæc igitur cauſa fuit juxta literam, ut offerentes & adorantes in Dei tabernaculo, & in ejus altaribus ab ipſo vitam, lucem, & nutrimentum ſe obtinere cognoſcerent, & ex ejus ſervitio quod in eodem tabernaculo fiebat, iſta ſperarent. Amplius. Inter largitionis divinæ beneficia exteriora, iſta maxi-

Altaris officia quatuor.

Gen. 28. d.

Altare unde.

Exod. 20. d.

Deut. 7. d.

Deut. 16. d.

Altarium gradus nulli.

Ex. 20. d.

Ritus ſacrificioru.

Ioan. 7. c.

Tabernaculi forma

Cur antiqui juſſi ſunt adorare verſi ad occidentem.

Ezec. 8. c

Altare tabernaculi.

Candelabrum.

Menſa propoſitionis.

mè ſalubria, maximéque neceſſaria ſunt, lumen videlicet & eſca, horum igitur datorem ſe per candelabrum luminis, & menſam propoſitionis deſignare voluit dominus, & etiam polliceri, ac ſi diceret cultoribus & adoratoribus meis iſta polliceor & largior. Volnit etiam oſtendere quia in domo ejus iſta ſunt, & abundant ſicut legitur Baruch 3. Diſce ubi ſit longiturnitas vitæ & victus ubi ſit lumen oculorum, & pax. Longiturnitas vitæ & virtus in panibus propoſitionis, & renovatione eorum: lumen verò in candelabro luminis facile erat intelligi. Vel voluit hoc ipſo inſinuare ſe eſſe Deum cui ſeptem planetæ ſerviunt, & quia ipſe eſt dator eſcæ, non ceres, & propter hoc non eis, nec huic, ſed ipſi ſoli ſerviendum. Tota verò figura tabernaculi, & operimenta ipſius, operimentorumque colores vivendi iſtius populi figura erant. Supremum enim operimentum videlicet, ex pellibus yacintinis figura erat ætheris ſive cœli. Secundum verò quod erat ex pellibus rubricatis figura ignis. Tertium verò quod erat ex ſagis ſalicinis, quod ad protectionem tentorij interioris erat. & ad ſuſtinendum impetum imbrium, & vẽtorum & alias injurias aëris, non propter deſignationem aliquam fuiſſe videtur: maximè ſi color ejus ſalicinus erat. Verùm hujus color non decori, nec honori congruebat tabernaculi: tentoriũ verò interius, quod operiebat ſancta & ſancta ſanctorum, figura erat & cœli, propter yacintũ, & ignis propter coccũ, & aquæ propter purpuram, cujus color nobiliſſimus ex aquis ſumitur, videlicet ſanguis piſcis qui murex vocatur, & terræ ſimiliter figura erat propter biſſum, biſſus enim ex terrâ gignitur. Ex his enim quatuor coloribus, miro artificio & pulchritudine intextum erat tentorium, habens intexturas omnium florum, quos gignit humus ſecundùm Joſephum, in quo etiam figuram terræ gerebat. Totum igitur tabernaculum, figuram totius mundi gerebat, & propter hæc adorantes in eo, eo ipſo ſe Deum, & dominũ mundi adorare profitebantur, quare enim tabernaculũ Dei, & dom⁹ ejus totus mũdus eſt, habetur in circuitu ejus tabernaculũ ejus. Spiritualiter tamen cœlũ tabernaculum Dei dicitur ſicut legitur in Pſalmo. Introibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Ipſum igitur formâ ſuâ & extenſione deſuper formam cœli præferebat, ipſumque ſignificabat tentorium ſic contextum. Et propter hoc adorantes in illo, & ad illud inhabitatorem cœli ac dominatorem ſe adorare eo ipſo oſtendebant. Septem verò lucernæ in candelabro quod erat ad partem auſtralem, evidenter ſeptem planetas deſignant ſatis congruenter & ſatis apertè. Has ergo voluit eſſe à ſiniſtris adorantium, & immolantium, ne ſi ſtarent ante eos, adorationes, & immolationes quæ Deo fiebant, in idolatriam ſeptem planetarum fieri viderentur, ſicut diximus de adoratione ad ortum ſolis. Non decebat autem ut adorantes & immolantes lucernas haberent poſt dorſum, inutiliter enim lucerent eis, voluit ergo ſapientiſſimus Deus ut eſſent lucernæ à ſiniſtris eorum in parte auſtrali, tùm quia ipſi planetæ ad auſtrum totaliter ſunt; cùm Zodiaci latitudinem, qui totus auſtralis eſt, nunquam exeant, tùm etiam propter hæc ut congruentiùs lucerent immolantibus, & adorantibus, & per hanc poſitionem, ſeu ſitum candelabri non ſolùm idolatria, ſed idolatriæ ſpecies declinabatur. Nihil enim eis venerationis impendi videbatur, nec eis ſerviri; ſed magis ipſæ lucernæ ſervire. Quia verò in ſacris lunæ panes offerebantur. ſicut ſuperiùs oſtendimus, ex teſtimonio Jeremiæ deplacentis, quæ fiebant reginæ cœli, adeóque dediti erant hujuſmodi ſervitio, quod non ſufficiebat eis, ut mulieres hæc agerent, immò filij colligebant ligna, & patres ſuccendebant ignem, & mulieres conſpergebant adipem, ut hujuſmodi placentæ fierent lunæ, ſicut ibidem legitur: non fuit facile eos ſubitò abrumpi ab hujuſmodi conſuetudine, & ideò factum eſt præcipiente Deo, ut ſaltem paululùm quaſi per regnationem abducerentur ab illa. Non enim facile fuit hujuſmodi conſuetudini deditis non videre menſam panum in tabernaculo domini, quam videre conſueverant, & ipſimet implere in domo idoli, quapropter poſita eſt menſa in tabernaculo domini ad aquilonem, non directè ante ipſum oraculum, & iterum prohibitus eſt populus panes ponere in menſa illa, & de panibus etiam illis edere, ſoli enim ſacerdotes juſſi ſunt panes illos ponere, & ſolùm illis conceſſum eſt inde comedere. Vides ergo quòd iſta triplici diſſimilitudine ab idolatria quaſi tegeneravit eos Deus & aliquatenùs elongavit videlicet ipſa poſitione, & ſitu menſæ. Item prohibitione ponendi panes, & prohibitione veſcendi ex eis Menſam enim conſueverant videre directè ante idola, quibus in ea panes offerebant. Amplius. Super unumquemque panum illorum ponebatur patena aurea, & pugillus thuris, quales appoſitiones videre non conſueverant in domibus idolorum. Amplius. Populus adeò erat rudis & puerilis, ut ſi non videret carnes ſacrificiorum ex una parte, & menſam panum ex altera, quia talia in domibus idolorum videre conſueverant, & eis veſci, facilè in errorem ſtultæ credulitatis inciderent, quia culturam idolorum meliorem crederent quam eſſet cultura Dei, ſi adeò minorem abundantiam talium in tabernaculo Dei conſpicerent, quam videre conſueverant in domibus idolorum. Sicut enim Deos argenteos, & aureos, majoris numinis, & ſublimioris potentiæ putabant, quàm plumbeos eſſe, vel ſtagneos: ſic culturam ſalubriorem, ac ſanctiorem, eadem inſipientia crederent quòd altare refertiùs haberet cadaveribus, & menſam panibus cumulatiorem. Ab hac ſtultitia cautum eſt eis, ne inciderent in eam, & à conſuetudine qua profundi infecti fuerant, aliquatenùs abſtracti, etſi non radicitùs avulſi ſunt. Duo verò cherubin in abſcondito, videlicet intra oraculum poſiti ſunt, ne ſi apparerent, vel adorarentur à populo in divino cultu, non de firmamento, vel adorari viderentur. Nihil enim quod adorari poſſet apparere voluit dominus in tabernaculo ſuo tempore illo, ſciens levitatem, & lubricitatem populi illius, quibus ſine occaſione leviſſima recciderent in idolatriam conſuetam, nec imagines cherubin apparere voluit; qui enim imaginem vituli paulò ante adoraverant, qualiter ſe ab angelorum imaginibus continerent, ne eas ſcilicet adorarent, & propter hoc dicebat eis dominus Deuteron. 4. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt dominus vobis in Oreb, ne fortè decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem, &c. Significaverunt etiam duæ partes univerſi, videlicet mundum ſpiritualem, & mundum ſenſibilem. Oraculum enim quod abſcondebatur velo, & erat abſconſum populo, ubi erat propitiatorium & arca & duæ imagines cherubin, in quarum medio apparebat dominus, & inde dabat reſponſa, ſignificabat ſæculum alterum, habitationem & patriam ſpiritualium ſubſtantiarum ubi Deus apparet ſicuti eſt: & iſtud ſpeculum quod in abſcondito hominum eſt, & velatum hominibus, & homines ab ipſo ſeparat, mundus ſenſibilis eſt. Et propter hoc non videtur ab hominibus, nec in id intrant, niſi cùm velum iſtud tranſierit, aut cùm ablatum fuerit à cõſpectu eorum, hoc eſt de medio Mundum autem ſenſibilem expreſsè ſignificabat velum per quatuor colores ex quibus contextum erat, quod jam ſupra notavimus, & hoc pro parte dicit Apoſtolus ad Hebræos decimo. Signante ſpiritu ſancto nondùm propalatam eſſe viam ſanctorum. Reliqua verò pars tabernaculi quæ vocabatur ſanctum, ſive ſanctuarium

Baruc 3. b. — *Colores operimentorum tabernaculi.* — *Tabernaculum figuram mundi gerebat.* — *Pſ. 41. a.* — *Septem lucernæ in candelabro* — *Ritus mirabiles.* — *Populus rudis.* — *Nihil apparens adorabatur.* — *Deut. 4.* — *Duo mundi.* — *Oraculum*

E F G H

ctuarium, ſive ſancta, & erat ex parte populi abſque velo interpoſito mundum ſenſibilem figurabat, & ipſo velo quo claudebatur per colores, & in texturas quæ in eo erant, mundi faciem præferebat.

CAPUT III.

Circunciſionis Iudaicæ cauſas ſex affert, quarum ultimam, quæ eſt de pacto Dei ad Abraham, & eius ſemen: dicit primam eſſe, ac præcipuam. Subjungit etiam mulieres Hebræorum intrare in illud pactum, per quaſdam traditiones, quæ in corpore legis non inveniuntur, cærimonialiaque relinquenda.

QUIA verò circunciſio de his eſt, quę ante legem patribus impoſita ſunt, & non videtur in ſeipſa habere utilitatem aliquam, excepto ſolo obedientiæ bono, neceſſe eſt aperire cauſas ejus literales, & utilitates quas habet præter iſtud bonum. Harum ergo *Prima.* prima eſt debilitatio libidinoſæ concupiſcentiæ, quæ viget in membro illo virili ex vulnere circunciſionis, & effuſione ſanguinis, quæ in eo fit. F *Secunda.* Secunda expoſitio partis illius, id eſt culpæ membri illius frigori, & defricationibus veſtium, ex quibus omnibus efficitur minus ſenſibilis, quemadmodùm & manus duris operibus aſſuetæ minus ſenſibiles minuſque paſſibiles indè redduntur. Nihil autem in parte illa magis minuit, aut debilitat concupiſcentiam, quàm diminutio ſenſibilitatis, & paſſibilitatis illius. *Tertia.* Tertia cauſa, ut pars illa, quæ maximè in partibus illis viliſſimos homines faciebat, maximéque nobilitatem humanæ naturæ impugnabat, vilificaretur & impugnaretur in primis. *Quarta.* Quarta in ſuggillationem ſacrorum veneris, & priapi, in quibus pars illa tanquàm pars, & occupatio veneris in corpore humano, non parùm ornabatur, & colebatur. Hæc autem erat pars carnis, quæ maximè pugnabat contra ſpiritum ſicut & maximè adhuc. Maximéque contaminaverat populos terrarum illarum, ita ut in omnia flagitia non ſolùm G maſculorum, ſed etiam brutorum animalium proruebant, ſicut legitur Levitici 8. *Levit. 18.* Omnes execrationes illas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos & polluerunt eam. Et iterùm ejuſdem. 20. *Levit. 20.* Omnia hæc fecerunt & abominatus ſum eos. Hæc etiam plaga effrenatæ ac flagirioſæ libidinis, gentes illas ſeptem execrabiles quæ terram promiſſionis ante adventum filiorum Iſrael inhabitaverant, in idolatriâ nutriebat, ac potiſſimum detinebat. *Quinta.* Quinta verò cauſa eſt fortitudo impreſſionis memoriæ creatoris & pacti ejus ad Abraham, Abrahæque cum ipſo. *Circuncißio.* Eſt enim circunciſio ſignaculum & ſtigma inſeparabile, graviſſimoque dolore impreſſum, & propter hoc fortiſſimum eſt memoriale creatoris, & pacti ejuſdem, quod pactum de duobus eſt; videlicet de caſtitate ſpirituali, qua Deo adhæretur per cultum, & omninò receditur ab idolis, & de caſtitate corporali qua receditur à flagitijs, & reſtringitur, ac reſcinditur effrenitas libidinis, H ad minus uſque ad conjugium: Hujus ergo pacti memoriam refricat circunciſionis ſignaculum, ſicut legitur Geneſis 23. *Gen. 23.* ubi dicit Deus ad Abraham. Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus tuis fœdere ſempiterno Et iterùm, hoc eſt pactum meum. *Fœdus cum Deo initur per circunciſionem.* Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, &c. quare manifeſtum eſt, quia hoc ſignaculo profitetur omnis circunciſus, ſe hujuſmodi pactum ſeu fœdus iniſſe cum Deo, & ipſa ſuſceptione hujus ſignaculi intrat in pactum ac fœdus Abrahæ & ipſa ſuſceptione illius obligat ſe. ac debitorem ſe conſtituit univerſæ legis, quæ ſemini Abrahæ data eſt, ſicut dicit Apoſtolus ad Galathas 10. Teſtificor omni homini circuncidenti ſe quoniam debitor eſt univerſæ le-

E gis faciendæ. Quemadmodùm ſuſcipiēs ſignaculum, hoc eſt tonſuram, & habitum cujuſcunque religionis, ad eam ſe obligat univerſam, quemadmodùm ſuſcipiens crucem rubeam ad religionem templariorum ſe obligat, & ſuſcipiens albam ad religionem hoſpitaliorum. *Sex cauſæ & utilitates circunciſionis.* Sex igitur ſunt cauſæ & utilitates circunciſionis literalis in univerſo. Prima, ac præcipua eſt, quam nos noviſſimam poſuimus, videlicet firmitas pacti, ac fœderis cum Deo, quod pactum & fœdus, pactum conjugale eſt, ac fœdus ſpiritualium nuptiarum, quo Deo adhæretur caſtiſſimo cultu, & ab idolorum fornicatione receditur. Quid autem habeat ſacramentalis virtutis alibi determinatur. *Mulieres loco circũciſionis quid habebant.* Si quis autem quærat utrùm & mulieres Hebræorũ debitrices ſint hujuſmodi pacti & fœderis, cùm ſignaculum circunciſionis nec ſuſcipiant, nec habeant. Dicimus quod ſic, cùm ſint de ſemine Abrahæ. Pactum enim & fœdus iſtud initum eſt inter Abraham, & ſemen ſuum, ac dominum. Intrant autem in pactum Abrahæ per quædam baptiſmata & traditiones, quæ in corpore legis non inveniuntur. *Cerimonialia relinquẽda.* F Supplebatur autem eis ſacramentalis virtus circunciſionis per quædam, quorum umbræ vaniſſimæ omninóque à fructu vacuę apud Judæos adhuc extant & obſervantur, licet in mortem ſervantium, & perditionem, ſicut & alia legis cerimonialia, quæ cæca pertinacia adhuc deſerere contemnunt, non intelligentes quia cerimonialia legis fuerunt uſque ad tempus correctionis impoſita, ſicut legitur in 9. capit. ad Heb. ſervientem ſolummodò in cibis, & potibus, & in varijs baptiſmatibus & juſtitijs carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis. *Circuncißio octava die.* Juſſa eſt autem fieri circunciſio octava die à nativitate parvuli, & hoc in lege, quoniam ante octavam diem teneritudò infantium tam grave vulnus abſque periculo mortis non facile ſuſtineret. Si autem differretur uſque in annos pueritiæ, vel majoris ætatis multi declinarent eam ſuſcipere propter gravitatem doloris. Et propter hoc novitio adhuc G populo Hebræorum, non indixit ſtatim Moyſes circunciſionem, ſed dilata fuit uſque ad Joſué, qui populum circuncidit, ſecundò ſicut legitur Joſue 5. *Ioſue 5.* vel quia fortè non vacabat eis, quia vel per bellum concutiebantur, vel peſtibus vaſtabantur, vel ſeditionibus dividebantur, vel obmurmurationibus exagitabantur, vel alijs incommodis urgebantur, vel ita obtenta erat conſuetudo circunciſionis à patribus, & apud eos obſervata, ut impoſitione, vel replicatione non indigerent, locus ergo fuit circunciſioni faciendæ, firmato populo in fide Abrahæ, & obtentis pro parte promiſſionibus eidem factis, tunc enim innovandum fuit pactum Abrahæ, & firmandum ex parte ſeminis ejus, cùm firmum apparebat ex parte Dei, & hoc per exhibitionem. Quod autem cultro lapideo fieri juſſa eſt, obtentum videtur fuiſſe à ſephora, quia cùm occurriſſet dominus Moyſi volens occidere eum, vel eo quòd filius ejus non eſſet circunciH ſus, vel pro eo quòd diverterat à recto itinere Aegypti, quo eum mittebat Deus, *In circunciſione lapideus culter.* tulit ſephora illicò acutiſſimam petram & circuncidit illum; Forſitan autem non propter aliud uſa eſt ſephora petra ad opus iſtud, quam propter feſtinationem. Quacunque autem ex cauſa hoc fecerit, ita obſervatum eſt, & obſervatur hodie apud Hebræos & in 5. Joſue authoritate divina firmatum, ubi inquit, fac tibi cultros lapideos, &c. Cauſa autem in hoc fuiſſe videtur, quia malefici ferro faciebant inciſiones in corporibus ſuis, & maximè in ſacris Martis. *Metallum Martis.* Metallum enim ferri, metallum Martis, & partem ejus in metallum opinabatur idolatrarum vanitas: voluit ergo ritum iſtum per alud, quàm per ferrum exerceri, ut ſaltem hac diſſimilitudine aliquatenùs eos ab idolatria abduceret, vel ut fœdus quod cũ eis pepigerat in petra Oreb;

Digitized by Google

eis per hoc ad memoriam reduceret, vel quod aquam E de petra eis produxerat, in eorum aſpectu cultrorum lapideorum recordaretur, vel etiam ut lapideorum cordium ſuorum duritiam in hujuſmodi cultris legerent in ipſa hora circuncisionis, ut ad pœnitudinem emollirentur, & cordium ſuorum duritiam ſentirent, interiùs per compunctionem quemadmodùm cultrorum hujuſmodi duritiam corporalem per circuncisionem: *Abraham* legimus autem Iſaiæ 51. quod Abraham cum quo pactum circuncisionis primò inijt, eſt petra vocatus à domino Attende inquit ad petram unde excisi eſtis, &c. Salutare autem erat, immò valdè neceſſarium pactum Abrahæ per circuncisionem, in petra recordari firmitatem, & conſtantiam Abrahæ, quâ tam fortiter, tamque fideliter Deo adhæſit, propter quod petra vocatus fuiſſe videtur à domino, & forſitan ipſe Abraham ex præcepto Dei cultris lapideis circuncisionem celebravit, ut firmitas pacti illius & fœderis ſic oſtenderetur, petra enim F fundamentum fortiſſimum eſt ædificiorum, ſic & deſponſatio illa, ſive contractus ſpiritualis conjugii fundamentum eſt, & firmamentum ſupportans totum ſanctæ conversionis ædificium. *Abraham* Et ipſe Abraham totius veteris, hoc eſt Judaïci populi fuit præcipuum fundamentum, propter hoc igitur in petra meritò fieri præcepta eſt circuncisio, ut agnoſceret totius Judaïci ritus eſſe fundamentum atque principium, & fulcimentum firmiſſimum, quo ſublato totus collaberetur & rueret, vel ut petræ quam diximus Abrahæ, ſcilicet pactum ſe intrare cognoſcerent circuncisi.

CAPUT IV.

Pergit explicare cauſas cerimonialium legis Moſaicæ quædam de ſeptenario numero diſcutiens, quia ſeptima die ceſſavit Deus ab omni opere, quod patrarat G *quodque ſepteno millenario venturam quietem quidam ſcripſere: oſtendit vero in mandatis legis, quæ videntur ad litteram eſſe abſurda, fuiſſe rationem aliquam ſcilicet reductionem populi Hebræi ab idolatria.*

POſt hæc tranſibimus ad ea, quæ in lege videntur abſurda juxta litteram, & proſequamur; primùm mandata huiuſmodi. Deinde immunditias in viris & mulieribus. Tertiò immunditias animalium. Quartò ſacrificia, & ea quæ ſacrificiis annexa ſunt. Quintò de lepris. Sextò commixtiones animalium, & ſeminum diverſorum generum. Septimò loquimur de veſtibus prohibitis. Huiuſmodi ergo mandatorum *Sabbati obſervatio unde habuit originem. Geneſ. 2. Deut. 5.* primum eſt requies diei ſabbati cuius duæ cauſæ in lege expreſſæ ſunt. Altera in 2. Geneſ. & in 20. Exodi videlicet, quia ſeptima die ceſſavit Deus ab omni opere quod patrarat. Secunda, ut memores eſſent Hebræi, quia requieſcere eos fecerat Deus à laboribus Ægyptiæ ſervitutis, operibus inquam duris, luti & H lateris, & hæc cauſa legitur Deut. 5. Idcircò præcepi tibi ut obſervares diem ſabbati. Tertia verò cauſa licet in lege non ſit expreſſa, ut parte illa temporis, id eſt die ſeptima ſoli divino cultui, hoc eſt laudibus, orationibus, & ſacrificiis, & eruditioni populi vacaretur, alioquin ſervilia opera totum tempus habentia Dei memoriam, & legis ſuæ ſcientiam, cultusque ipſius honorificentiam, de medio tollerent, & oblivione delerent. Non enim delitiis, & epulis carnalibus diem illum deputavit Deus, ſed magis illum ſacris exercitationibus, & ſancto otio conſecravit. Benedixit enim diei ſeptimo, & ſanctificavit illum ut legitur Gen. 2. Non eum expoſuit carnalium delitiarum ſpurcitiis polluendum. Quartam cauſam aſſignant quidam quietem venturam ſeptimo die, hoc eſt ſeptimo millenario annorum ſæculi, quod credunt ſeptem annorum millibus finiendum; *Septenus Millenarius.* Hanc autem quietem intelligunt ceſſationem conflictus quatuor elementorum, ex quo eſt omnis generatio, & corruptio in mundo naturæ ſive mundo inferiori, qui eſt mundus ſublunaris, & cum iſta ceſſatione credunt etiam ceſſaturum eſſe motum omnium cœlorum, ſtellarumque & luminarium & tunc verè ceſſabit ipſe Deus ab omni opere quod patrarat, cùm omninò creatio, & generatio, cæteræque operationes creatoris ceſſabunt, cùm nec creabitur quicquam, nec generabitur, impleto numero univerſitatis, atque decore, licet autem verum ſit generationem, & corruptionem ceſſaturas eſſe, de ceſſatione tamen motuum cœleſtium, & de ſeptenario millenario annorum nihil certum habent. Et inſuper iſtud potiùs miſticum eſt, quam litterale: verùm de hoc in deſtructione erroris Ariſtotelis, *Ariſtotelis error.* quo poſuit æternitatem mundi, & de aliis erroribus, quæ circà hæc ſunt, latiùs dicemus. Propter quid autem ſeptimam diem potius quàm alterius numeri ad hoc elegerit illa eſt ratio, quia cùm creatio mundi dominica die cœperit, conſummatio ejus completa eſt ſeptimo die, quæ fuit dies ſabbati. Quidam dicunt, quia dies illa, dies ſaturni. Saturnus autem eſt proprius planeta, *Dies ſabbati. Dies ſaturni.* & dux regni Hebræorum. Et propter hoc naturali inſtinctu, licet penitùs neſcientes obſervatione diei hujus honorant eum, & celebritatem, ſeu ſolemnitatem illius natura ei reddente honorem debitum tanquàm duci, & rectori populi illius. Hunc autem errorem cum aliis, qui ſunt de diverſitate legum, pro parte deſtruemus in ſequentibus. Scito autem generaliter, quòd in mandatis quæ apertam videntur habere abſurditatem, & nullam ſecundùm literam utilitatem, intenditur elongatio ab idolatria, quemadmodùm in iſto mandato quod legitur Exodi 22. Maleficos non patiaris vivere prout malefici intelliguntur magi, & incantatores, hujuſmodi enim homines omnes idolatriæ ſunt ſicut docebimus in tractatu de idolatria. Et quia non in his ſolis hominibus ſtaret idolatria ſi vivere permitterentur, ſed etiam pervagaretur in populum, juſſi ſunt tolli de medio. In hoc verò quòd prohibiti ſunt habere fermentum in domibus ſuis & comedere fermentatum, contra idolatriam factum eſt cujus conſuetudo erat, & fermentatos panes offerre, & ſuper fermento vel fermentato fundere ſanguinem victimarum, & propter hoc expreſsè prohibitum eſt, Exodi 23. ubi dicitur. Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ tuæ. *Ratio agni paſchalis.* Cur autem juſſi ſunt agnum paſchalem comedere in egreſſu de Ægypto, renes accincti, baculos tenentes in manibus, aſſum igitur non coctum aqua, & cum lactucis agreſtibus, & iterùm non confractis oſſibus, una cauſa fuit feſtinatio, & quia compellebantur exire de Aegypto ſicut legitur Exodi 11. & 12. & propter hoc dictum eſt eis, Exodi 12. In una domo comedetis, ne efferatis de carnibus ejus foras. Non enim poterat eis vacare, mittere tunc xenia, nec medullas ex oſſibus extrahere. *Alia ratio* Secunda cauſa fuit, ut eis imprimeretur memoria amaritudinis per lactucas agreſtes, & tribulationis per ignem, quam paſſi erant in Ægypto, & propter hoc gratiores eſſent liberatori Deo. Similiter quod præcepti ſunt comedere azima, tunc cauſa fuit feſtinatio quam diximus, ſicut legitur Exodi 12. *Exo. 12.* Vrgebantque Ægyptij populum exire de terra velociter. In hoc autem quòd agnum in ipſa Ægypto immolare juſſi ſunt, & ſanguinem ejus linire ſuper liminaria domorũ ſuarum, & utrumque poſtem à parte, ab idolatria Aegyptiorum juſſi ſunt recedere & contrarium cultum ſuſcipere. Aegyptij enim arietem colebant, & propter hoc comeſtionem arietis, aut agni mortiferam ſibi putabant, ſanguinemque ejuſdem peſtiferum. Admiranda igitur

prudentia in his liberati ſunt filij Iſraël & ritui divino quodammodò initiati, ut ſimul & à ſervitute Ægyptiacâ exciperētur & à ſervitute nefandæ idolatriæ liberarentur, ſalutiferamque experirentur comeſtionem agni, & ejuſdem ſanguinem à morte protegentem. Similem cauſam habet & id mandatum quod *Ratio de hædo.* legitur Exodi 23. Non coques hædum in lacte matris ſuæ, in naturâ enim ſuâ nihil habet immunditiæ hædus, neque lac caprinum: nihil etiam habet malitiæ, hoc eſt nocumenti contra ſanitatem corporalem. Præterea utrumque licitum erat eis comedere vel bibere, qua de cauſa igitur conjunctio amborum ejuſdem prohibita eſſet? Hædus enim, & lac, mundus cibus, & licitus eſt ſecundùm legem, præterea non eſt cur à Deo lacticus, aut hujuſmodi delicatus cibus, propter hoc meritò prohibendus eſſet. Amplius. Quare prohibuit hoc potius de hædo, quàm de agno & vitulo: ex his ergo omnibus con- *Quæſtio.* ſequens eſt aliquam conſuetudinem idolatrarum voluiſſe Deum per hoc removere, ut Dei populus diſſi- B milis eſſet idolatris, non ſolùm ritu ſed vivendi ac veſcendi conſuetudine, hujus autem ſignum validum eſt, quòd iſta prohibitio repetitur Deuteron. 14. & *Deut. 14. Exod. 24.* Exodi 24. ut fortius ei imprimeretur. Ex hoc enim apparet vehementer Deo diſplicere contrarium ipſius. Cùm ergo in eo non inveniatur cauſa prohibitionis ſuæ, neceſſe eſt ut propter aliud prohibitum ſit, quod Deo non mediocriter diſplicebat, & propter hoc non poteſt eſſe niſi idolatria vel aliquo modo ducens ad illam. De hoc eſt illud mandatum, quod *Deut. 22.* legitur Deuteron. 22. Si ambulans per viam in arbore vel terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filijs, ſed abire patieris, captos tenens filios, ut benè ſit tibi, & longo tempore vivas, quo quidam ridiculosè & pueriliter dixit præceptum eſſe cauſa pietatis, ne mater filios perdens, & otioſa ſimul nimis affligeretur quaſi duplici contritione contrita. C *Ratio optima.* In quo etiam credit ipſe Deum inſinuare filijs Iſrael, quam miſericordes deberent eſſe in homines, quantùmque parcere ab afflictione eorum, quando in avibus ſic parcere eos voluit ab afflictione, propter hoc dicimus quòd id bonum non eſt tantum, nec ullo modo Deo adeò placitum, ut tanta mercede ab eodem remuneretur, quanta legis obſervantia univerſa. Quis enim audiat, & riſum contineat de dimiſſione unius aviculæ tantam mercedem promittere, quantam pro univerſorum mandatorum ſuorum obſervatione? Amplius. Magis parcendum erit filijs, ſi pietas ibi locum haberet. Cùm filii verò nec *Pietas.* ſibi, nec alijs poſſent conſulere, & matre adhuc indigerent, ipſa verò non indigeret eis. Majori verò crudelitate detinentur, & occiduntur filij in caſu iſto, quàm mater. Ne dubites etiam vel aliquam idolatriam vel aliquid idolatriæ ſimile, ſapientiſſimum Deum per hoc mandatum voluiſſe damnare. Sicut D enim malefici explorabant coitus, ſeu commixtio- *Coitus animaliũ.* nes quorumdam animalium, ut illa hora interficerent ea, & de corporibus eorum, vel pulvere darent eis, quos vellent ardore ſuæ libidinis inflammare, credentes corpora eorum vel pulverem, ſi illa hora occiderentur, hanc virtutem habere: ſic & de matre ovis incubante, vel pullis ſi ea hora caperetur, fœcunditatem & fortunam in nutriendis filijs poſſe præſtare, & hoc ſcimus ex multis ſimilibus, quæ legimus in libris maleficiorum. Voluit ergò hoc removere miſericors Deus à cordibus eorum, ne aliundè venientem fœcunditatem quærerent, vel ſperarent quàm ab ipſo: & propter hoc dixit ut longo vivas tempore. Amplius. Obſervatores auguriorum fauſtam, *Auguria.* & fortunatam reputabant inventionem nidorum cum matre & filijs, vel cum matre & ovis, &

A ideò dogmatizabant non eſſe offendendam matrem, neque filios, nec ſeparandos eos abinvicem, quicquid enim contra nidum ſic inventum facerent, contra fortunam facientis fieri credebant. Sed nidum cum omnibus in eo ſic inventis ſervari præcipiebant, tanquàm bonæ fortunæ cauſam quandam. Undè & quamdiu ſervabant nidum hujuſmodi cum omnibus inventis in eo i[illegible]ſum cauſam putabant, diu eis benè eſſe & vivere, ſi verò diſſiparent, aut aliquid de inventis læderent diſſipari domos ſuas. Et quod matri vel filijs, vel ovis malefacerent, hoc vel filios eorum eſſe paſſuros pro certo ſcirent, quemadmodùm adhuc eſt opinio multorum inſipientium, & à vetularum cordibus avelli non poteſt, fauſtam eſſe inventionem acus, vel oboli, & magis fortuna- *Vetularũ ſtulta opinio.* tam eſſe quàm magni ponderis argenti vel auri; & ideò cuſtodienda eſſe arctiſſimè, tanquàm fortunæ fœlicis & bonorum eventuum cauſas & pignora certiſſima, alioquin in perditione eorum perduntur iſta B bona. Voluit ergo miſericors Deus hanc ridiculo- *Vanitas ridicula.* ſam vanitatem, opinionemque mendacem delere de cordibus eorum, & bonum quod ſperabant ex conſervatione matris, vel pullorum vel ovorum, & eorum conjunctione poſuit in contrario, videlicet in dimiſſione matris, & captione ac detentione filiorum. Non ergo propter bonitatem, quam haberet in ſe dimiſſio aviculæ, captioque & detentio filiorum, tam magnificam mercedem promiſit dominus: ſed propter deſertionem vaniſſimæ ſuperſtitionis, & elongationem ab idolatria atque ſuſceptionem veræ credulitatis, & bonæ ſpei firmationem. De iſto genere *Aliud. Deut. 25.* videtur & id quod legitur Deut. 25. Non ligabis os bovis triturantis, licet enim videri poſſit dictum eſſe, & contra avaritiã Judæorum qui eo uſque parcebant frugibus, ut nec boves triturãtes indè comedere permitterent, & ne hanc avaritiam in vindemiatores uvarum extenderent, non permittentes eos ſimiliter C de uvis comedere vel de muſto bibere, quod erat innatæ eis avarititiæ intoleranda crudelitas. Tamen conſuetudo eorum, qui boves, oveſque abominabantur, ut de frugibus ſuis eos non ſinerent comedere, in mandato iſto percuſſa eſt & oſtenſa æquitas, quia juſtiſſimum eſt, ut qui participat *Aliud. Levit. 21.* in labore, participet in comeſtione. De iſto genere ſunt prohibitiones illæ, quæ leguntur Levit. 21. de ſummis ſacerdotibus, ut non radant caput, neque barbam, neque in carnibus ſuis faciant inciſuras, iſtas enim raſiones faciebant ſacerdotes idolorum, capilloſque & pilos ſuos in ſacrificijs offerebant inciſuraſque in carnibus ſuis propter extrahendum ſanguinem, quem idolis offerrent & propter aliqua alia, quæ nos hic ſubticemus. Voluit ergo Deus ſacerdotes diſſimiles eſſe ſacerdotibus idolorum, & de *Levit. 29.* hujuſmodi eſt id quod legitur Levitici 29. Cùm plantaveritis ligna pomifera, auferetis præputia eo- D rum, id eſt prima genimina, quæ vocavit præputia, quia immunda ea haberi voluit, contra errorem idolatrarum qui ea tanquam primitias idolis offerebant in parte, & in parte in domibus idolorum comedebant, & iſtud obſervabant per tres annos conti- *Primitiæ frugum.* nuos à plantatione, nec erat fatua veneratio idolorum in hoc: eo enim ipſo quod primitias eis hujuſmodi fructuum offerebant, eos principes ſuos eſſe ac dominos confitebantur, primitijs enim honorari conſueverunt principes, & domini, ſicut & adhuc vides quòd primitivis fructibus honorantur. Et prima etiam membra, id eſt capita ferarum, quæ venatione capiuntur eiſdem præſentari conſueverunt. Erat etiam error eorum ſimiliter, & adhuc eſt multorum primitivos fructus fauſtos eſſe, & fortunatos, & etiam omnia primitiva. De primis autem fructibus, Genio, id eſt Deo naturæ ſacrificabatur, & propter

Digitized by Google

Poma germinantia.

hæc dixit Deus poma quæ germinat, huju modi ligna ſcilicet, immunda erunt vobis tribus annis ſubaudi projicientes ea, nihil fauſtæ virtutis, nihil fortunæ in eis credentes, quod autem ſequitur. Quarto anno omnes fructus ſanctificabuntur, hoc eſt mundi erunt, & veſtris uſibus apti. Credebant autem idolatræ, quia niſi ceteri & genio & aliis quibuſdam demoniis, de primorum trium annorum fructibus juxta dictam ſuperſtitionem offerrent, arbores illæ vel ex toto areſcerent, vel ſteriles efficerentur. Reliquiæ autem hujuſmodi ſuperſtitionis apud nonnullos inſipientes adhuc extant, qui primæ generationis porcellos aut canes, aut omninò projiciunt aut occidūt aut unum illorum, quaſi offerentes illos genio, quod diximus apud nos, aut ideò fit quòd mater in hujuſmodi animalibus nutrire non ſufficit primos fœtus: & quia credunt non poſſe vivere: de canibus verò, quia creduntur futuri tabidi ſive rabioſi. Juxta hæc quæ diximus, intellige cauſas & utilitates præceptionum, & prohibitionum ſimilium.

Reliquiæ ſuperſtitionis.

CAPUT V.

Amplius exponit immunditias legis Iudaicæ quas ſcilicet ipſa lex immunditias reputabat, affertque multas cauſas cur tales immunditias declinandas lex propoſuerit, ac præceperit.

POST hoc proſequamur immunditias legales & dicemus, quia immunditias legales intelligimus, quas lex immunditias reputabat & nominabat. Harum prima erat corporalis, ſicut ſtercoris & fimi, & ab hac voluit Deus ut ſe obſervaret populus Hebræorum, ita etiam ut egeſtiones, & purgationes ventris unuſquiſque baculo fodiens abſconderet, & hæc pluribus de cauſis. Primò, propter Dei honorem, ſicut legitur Deuteron. 23 Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum. Secundò, propter provocationem & exemplum aliarum gentium ut videntes populum Iſrael declinare immunditias & munditias ſectari, provocarentur ad ritus & conſuetudines eorum. Tertiò, ut honor etiam eſſet caſtris eorū, ut ipſi ex hoc in ipſis caſtris ſuis aliquid turpe facere vererentur. Quartò, ſalubritas contra corruptionem fœtoris. Quintò, neceſſitas per quam oportebat eos diu eſſe in loco uno, quod utique facere non poſſit tanta populi multitudo, niſi eis ab egeſtorum fœtore caveretur.

Deut. 23

Fœtor egeſtionis.

Hac etiam de cauſa carnes in deſerto non comedebant, quia fœtor tot & tantorum cadaverum tantæque carnificinæ eos frequentius debito caſtra mutare compelleret. Secunda immunditia erat velut quædam irregularitas reſpectu tabernaculi, qua ſcilicet prohibebatur quis intrare tabernaculum niſi purificatus. Et hoc etar immunditia, qua immundi dicebantur, qui tetigiſſent mortuum vel mortui ſepulchrum, vel quodcunque de illis, quæ lex tangi prohibebat, quod eſt mirabilius, quia ipſi qui tangebant ea quibus alii mundabant, & ipſi qui alios mundabant, etiam mundando immundi fiebant. Et hoc eſt quod legitur Numero decimo-nono. Omnis qui tetigerit aquas expiationis immundus erit uſque ad veſperam. Et intelligitur hoc: qui tetigerit per ſe ſive aſpergendo alios niſi qui aſperſus indè fuerit. Tertiò immunditia & ſola verè immunditia, immunditia eſt peccati & culpæ. Immunditia verò animalium immunditia erit irregularitatis corporalis & irregularitatis quidem, quia non admittebantur ad ſacrificium vel eſum. Quatuor igitur indicata ſunt immunda in viris, & mulieribus, videlicet mulier menſtruata, lcptoſus, ſeminifluus, nocturna illuſione pollutus, & iſti quatuor immundi erant per ſe & in ſe, Quin-

Immunditia eorum qui mortuum tetigiſſent.

Quatuor immunda.

E tum, qui tetigiſſet immundum. Præter hæc autem vaſa quædam ex alia cauſa.

CAPUT VI.

Eandem rem proſequitur aperto ordine ac ſtilo; ac primum de menſtruata muliere quæ immunda erat ex veteri Hebræorum ritu.

INcipiamus igitur ab ipſis hominibus poſtmodùm dicturi de aliis. Et primum de muliere menſtruata. Hæc igitur immunda reputata eſt ſecundum quoſdam ex conſuetudine & lege gentis Zabiorum, quæ adeò eas execrabatur tempore menſtruorum, ut nonniſi igne purgari poſſe eas crederet. Et propter hoc comburebantur veſtimenta earum, & omne quod tetigiſſent tempore menſtruali. Quia verò ritus iſte ita inoleverat in Ægypto, & in terrâ promiſſionis non

F potuit averti ab eo ex toto populus Judæorum, & ideò legiſlator fecit ſuper hoc, quod in gente tam duræ cervicis fieri potuit mutans ritum ſimul & mitigans, quem radicitùs extirpare nequivit. Judicavit igitur eas immundas, quod quidem fieri neceſſe erat, propter inveteratam conſuetudinem, ſed cum ablutione aquæ mundari eas, & ea quæ tetigiſſent inſtituit, in quo multum detraxit veteri conſuetudini. Non eſt autem dubitandum quin idolatriæ qua luna colebatur per iſtam immunditiam multùm detractum ſit, cùm fluxus menſtruorum lunæ curſui deputaretur, & ita hanc immunditiam referrent in lunam. Et propter hoc addiſcerent eam non eſſe colendam, cujus opere pollutio eſſet & immunditia. Potuit autem eſſe ut mulieres menſtruatæ cæteris mulieribus audaciùs ſe lunæ cerimonijs immiſcerent, reputantes ſe eo ipſo ſacris hujuſmodi digniores, quod in ipſis luna eo tempore manifeſtiùs operaretur. Potuit etiam

Mulier menſtruata immunda.

Fluxus menſtruorum.

G eſſe, & hîc credimus ex eis, quæ de idolatriâ legimus: quod mulier menſtruata aliquandò ei immolata ſit, & quia ſanguis menſtruus crebro in ejus ſacrificijs offerretur. Coli enim à mulieribus multa aviditate ſolebat luna, ſicut legitur Hieremiæ 7. Mulieres aſpergunt adipem, ut faciant placentas, reginam cœli credebant lunam. Hæc igitur eſt una cauſa, propter quam eas immundas judicavit lex. Secunda cauſa fuit, ut abſtinerent viri à commixtione earum diebus illis, tùm propter fœtum, ne corrumperetur, & occaſionaretur venenoſitate ſāguinis illi⁹, & ne ex fœditate ea fierent abominabiles viris. Tertia cauſa fuit ipſe menſtruus ſanguis de qua multa monſtrifica faciebant malefici. Quarta, honor & reverentia tabernaculi, in quo poſſet mulieribus fluxus contingere, ſi ad id eo tempore admitterentur, qua inquinatione nulla abominabilior fieri poterat tabernaculo. Quinta, honor ſanguinis, quem in mentem ſemper ingerere volebat dominus filiis Iſraël in deteſtationem ido-

Hiere. 7.

Honor Tabernaculi.

H latriæ. Sexta cauſa contagium & corruptela menſtrui ſanguinis, quæ tantæ infectionis eſt, ut etiam in ſpeculo in quo tempore illo mulier faciem inſpexerit, fœculentiæ ſuæ manifeſtum inditium imprimat. Manifeſtum igitur eſt, quia & ſaluti animarum, & ſaluti corporum, & ſaluti partuum, ſeu fœtuum, & ipſi ſacramento matrimonii conſultum eſt per legem, quia menſtruatæ immundæ ſunt uſque in tempus purgationis ſuæ Tangentes autem menſtruatam, & tacta ab ea propter eaſdem cauſas immunda judicata ſunt, ſed à remotiori. Leproſus verò judicatus eſt immundus, & propter fœculentiam morbi etiam propter ejus contagium, & propter honorem caſtrorum, atque tabernaculi, in quo potiſſimùm intelligimus honorem Dei. Seminifluus verò propter ipſam ſpurcitiam fluxus, & propter abominationem idolatriæ venereæ, in qua ſemen ipſum humanæ generationis miſcebatur ſacrificijs, & propter hono-

Leproſus.

Seminifluus.

Digitized by Google

rem caſtrorum, & etiam tabernaculi ut diximus. Horruit etiam lex, & horreri voluit fluxum humani ſeminis alibi, quàm in opere humanæ generationis, & hoc propter execrationes idolatriæ, & ſodomiticas abominationes, quas omninò abolere & ſtudioſiſſimè extirpare intendit, voluit; & honorem haberi tabernaculo, & caſtris, propter quod nõniſi loti aqua etiam ſacerdotes intrare tabernaculum debebant; propter hoc etiam membrõrum deformitas & maculoſitas prohibita eſt à ſacerdotibus. Leviti 21 Si membris deformes aut maculati, aut mutilati admitterentur ad miniſterium tabernaculi, ex hoc vilipenderetur etiam tabernaculum & miniſterium ipſius, & in hoc ꝓ[illegible]i honor minueretur. Immunditiæ verò irregularitatis meræ quæ requirebant purificationem, multiplices erant & ad hanc pertinet immunditia vaſorum, ſicut vas fictile, in quo aliquid ex octo nominatis reptilibus cecidiſſet, aut quod aliquid de mortuis eorum tetigiſſet, & propter hoc frangendum ſicut legitur Levit. 11 Eodem modo & clibani, & fontes, ciſternæ & omnis aquarum congregatio ſicut legitur ibidem, in quo non aliud intelligi rectè poteſt, niſi prohibitio appropinquationis ad idolatriam, idcò enim quia prohibiti ſunt filii Iſraël tangere hujuſmodi animalia, vel morticinia eorum & prohibiti ſunt neceſſariò immolare ea, vel comedere de immolatis. In hoc etiam quod immunda judicata ſunt immunditia, quæ prohibebat acceſſum ad Dei tabernaculum etiam tangentibus ea, præciſa eſt etiam eiſdem omnis ſpecies emundationis, & appropinquationis ad Deum per illa, & quod plus eſt, oſtenſa ſunt cauſa divinæ offenſionis & indignationis, non quidem propter ſe, ſed propter idolatriam quæ de iis fiebat, juxta hunc modum erat vas quod non habebat operculum nec ligaturam ſicut legitur Numeri 19. quia vaſa hujuſmodi habere conſueverant idolatræ, & etiam cauſa honeſtatis, & munditiæ corporalis. Quoniam faciliùs cuſtodiuntur munda, quæ habent operculum, & honeſtiùs tenentur atque contrectantur, quæ ligaturam habent de ſe, utpotè anſulam, vel annulũ. Poterat etiam eſſe, ut alienas ligaturas adhiberent idolatræ vaſis ſuis, non ſine aliqua cõtaminatione idolatriæ, & vaſa volebant carere operculis, ut aliquibus ſervitiis idolatriæ magis præſto eſſent, & ut ipſa reptilia idolis immolanda in ea irreperent, ſicut mures, muſtellæ atque lacertæ, & in eis invenirentur: ſic enim inventa magna accepta credebant eſſe diis, utpotè electa ab eis. Reſtant autem adhuc aliquæ reliquiæ idolatriæ iſtius: credũt enim nõnulli inſipientes quædam numina nocturna frequentare domos, & vaſa, quæ diſcooperta, vel operta inveniunt: poſtquã indè comederint vel bibiberint denuò replere. Si autem cooperta, vel clauſa, ſive obſtructa ei inveniunt, inde offendi, & ex hoc imminere infortunium domui, & hujuſmodi cauſam dicemus in tractatu de idolatria. Mortuos autem generaliter tàm viros, quàm mulieres immundos eſſe voluit lex, ut elongaret populum Iſraël, & à ritu quem habebant fundandi idolatriæ, & ab operibus maleficis ac nigromanticis, quorum multa legimus; & propter hoc qui tangeret mortuum, immundus eſſet, ſicut legitur Numerorum 19 Sacerdotes autem ſummi prohibiti ſunt ingredi ad mortuos, præterquam ad ſeptem ſicut legitur Levit. 21 Ad eos autem ingredi permiſſi ſunt, ne inhumana nimiſque dura videretur lex. Meritò autem quæritur, quare ipſi qui combuſſerant vitulam ruffam, vel cineres eius portaverant, vel qui alios aqua expiationis aſperſerant, atque mundaverant, immundi reputarentur? Cùm ex cineribus vitulæ illius, & aquis vivis aqua expiationis conficeretur, qua omnes hujuſmodi immunditiæ expiabantur: mirabile enim valdè videtur, qualiter ex aqua purificante, & tantis emundationis præſidiis immunditia contraheretur. Amplius. Quicunque alios aſpergebat immundus efficiebatur, oportebat igitur, ut aſpergeretur ab alio, ſed iterùm aſperſor ille efficeretur immundus quare indiget neceſſariò alio aſperſore, & ita erit circulatio ridiculoſa non habens finem, aut ibit res in infinitum ſecundùm rectum, & ita non ſufficiet numerus hominum aſperſionibus faciendis, & erunt aſperſiones inutiles; in quo videntur dicenda & fortè ampliora. Primùm quòd voluit Deus ſemper & meritò reverentiam, & honorem ac timorem exhiberi ſanctuario ſuo, & ſanctificatis in ipſo & propter hoc unumquemque, qui tangeret aliquid ex ſacris quibuſdam indignum ſe reputare hujuſmodi attactu, & immundum eſſe comparatione ipſorum, & timere ne irreverenter etiam tetigiſſet, & peccato irreverentiæ ſe reputare pollutum. Et hoc ſecundùm hunc intellectum erat immundum fieri ex contactu mundorum atque ſanctorum, quemadmodùm legitur Levitici 7 quòd anima polluta comedens de carnibus hoſtiæ pacificorum ex hoc efficiebatur adeò immunda, ut etiam morti adjudicetur ibidem. Sed ſi hoc eſſet verum, ſacerdotes ſemper immundi fierent, contrectando ſacrificia & quælibet ſancta: ideò veriſimiliùs eſt atque veriùs, ut totum iſtud ſtatutum ſit in horrorem peccati, propter quod hujuſmodi ſacrificium offerebat. Adeò ergo voluit Deus populum ſuum exhorrere peccatum iſtud, adeòque fœdans, & maculans authores ſuos id reputare, ut non ſolùm hoſtia quæ pro illo offerebatur, & illud ſignificabat, immunda reputaretur & polluens contingentes, ſed etiam ipſæ reliquiæ, ut cineres, & quicquid haberet aliquid eorum admixtum, ut aqua luſtrationis quam diximus. Si ergo peccatum illud fuit peccatum adorationis in tali ſicut nonnulli opinantur ſive peccatum totius populi, meritò adeò horrendum, & immundum judicavit dominus, ut qui de hoſtia ejus, vel hoſtiæ cineribus quicquam tangeret, cui cineres illi commixti erant, immundus eſſet non immunditia culpæ vel peccati neque, immunditia corporali, ſed immunditia irregularitatis quam diximus, quæ peccatum nullatenùs eſſet, ſed peccati horrorem, & abominationem ducens, alioquin peccatum eſſet eam immolare, & cineres eius colligere, & alios aqua expiationis aſpergere, ſeu mundare. Inſinuatur & in hoc non aliter juxta literam eos qui ſacrificia offerunt, ſacraque contrectant, & aliis miniſtrant, alioſque purificant. Purificari per alios, indigere, & mundationes quam aliis impendent, miniſterio contentos eſſe non debere, immò ab aliis recipere oportere, in eodem verò capitulo hoc eſt Numero 19. legitur expreſsè mortuum, ejuſque tabernaculi, totam ſuppellectilem immundam eſſe, & omnes qui ingrediuntur tabernaculum illud. Et hoc propter cauſas quas diximus & propter alias de quibus aliquid ſuo loco dicemus. Iſtæ autem immunditiæ quas irregularitatis diximus, aqua expiationis tollebantur.

Membris deformes aut maculati. — *Levit. 11.* — *Idolatria.* — *Mortui immundi.* — *Num. 19.* — *Levit. 21.* — *Quæſtio.* — *Honor exhibendus ſanctuario.* — *Levit. 7.* — *Sacerdotes* — *Peccatum horrendum* — *Purificatio* — *Num. 19.*

CAPUT VII.

Oſtendit animalia quædam in lege prohibita, immunditiam habuiſſe corporalem & legalem. Sicut porcus, non tantum eſt ſuapte natura immundum animal: ſed immunditiam habet legalem, id eſt propter quam etiam in lege prohiberi debuit, quia mactatione porci gentiles, & ethnici ſua fœdera adhuc etiam confirmant, & ſanciunt.

POſt hæc proſequimur immunditias animalium, ubi iſtud primum ſciendum, quia quædam animalium immunda erant immunditia corporali, & immunditia repudiationis quam diximus, & irregulari-

tatis. Quædam verò ſola immunditia irregularitatis, & hæc immunditia eſt, quæ prohibita erant à Dei ſacrificio, & ab eſu humano: nec novimus ullum de animalibus, quod immundum repertum ſit, propter ſolam immunditiam corporalem: porcus enim de quo minus videri poſſet, non ſolum immunditiam habet corporalem, ſed etiam immunditiam illam legalem. Adhuc enim pagani porcos immolant, fœderaque ſua, & pacta ſacrificio porcorum firmant, non aliter ratum exiſtimantes, neque inviolabiliter obſervandum, niſi ipſi qui paciſcuntur aut fœderantur per intermedium porcum hujuſmodi ſacrificii tranſierint. Et ut ex paucis alia intelligas, ſi ſalubritati corporum populi ſui per hanc diſcretionem animalium intendere voluiſſet, animalia non munda, vel immunda, ſed ſalubria, vel noxia nominaſſet: licet verum ſit, quòd in animalibus greſſibilibus, & piſcibus, atque volatilibus, eis penè ſaniora, atque ſalubriora elegit, mortifera multa atque venenata ab eis prohibuit. Ad aliud igitur intendebat Dei providentia, licet hæc non prætermiſerit. In hoc ergo quòd in quadrupedibus duo ſigna munditiæ ſimul conjunxit, videlicet ruminationem, & ungulæ diviſionem, generali regula Deus hujuſmodi populum inſtruxit: ubi verò alterum deeſt, immunditiam judicavit, ut camelo, & cyrogrillo. Tu autem ſcito, quia camelum ſacrificabant idolatræ, & malefici, & hoc ipſum legimus nos in libro de anulis ſeptem planetarum, & propter hoc etiam de cyrogrillo idem licet opinari, nec mirum ſi pauca munda animalia invenit dominus quæ idolatria abominabilia non feciſſet, cùm apud Ægyptios ſexcenta, & ſexaginta ſex genera ſacrificiorum haberet idolatria Ægyptiorum, ſicut dicit Miglodotus. Poſtmodùm verò mitigatione Deorum redacta eſſe ad 25. præcipua. Immolationem verò lacertæ nos-ipſi legimus alibi, ſimiliter & talparum, & veſpertilionum. Ad eam quoque legimus deveniſſe dementiam idolatras, ut & veſpertiliones adorarent, ſicut Iſayas teſtatur in 2. Noſtris temporibus, proh dolor, buffones adorari ab inſaniſſimis quibuſdam audivimus. Ex his igitur patenter intellige, & mirare Dei ſapientiam, quæ omnia alia, quæ ſibi uſurpaverat idolatria, abominabilia voluit eſſe populo ſuo, ut vel ea non comederent, vel nec etiam contingerent, ut per hoc longè fierent ab idolatria, & conſuetudine gentium quas Deus abominabatur, ſicut & nunc ex neceſſitate ſtatuendum eſſet in regionibus, ubi adorari dicitur cattus, ne ibi inveniretur, & apud quem inveniretur graviter puniretur. Eodem modo, & in regionibus, in quibus bufo dicitur adorari, ſi quis bufonem inveniens non ſtatim occideret, ſi poſſet, gravi animadverſione feriretur. Quod autem quoddam genus locuſtarum eis ad eſum conceſſit, etiam in memoriam auxilij, quod eis ad debellandum Ægyptios cœlitùs per locuſtas datum eſt, factum videri poteſt.

Duo ſigna munditiæ. *Migledotus.* *Iſa. 2.*

CAPUT VIII.

Sacrificia (inquit) peccata dicebantur quia pro peccatis offerebantur, docetque mortem. & conſumptionem animalium, quæ immolabantur, fieri ſolitam pro conſumptione, & extinctione peccati. Affert etiam rationem ſalis in ſacris, & ſimul quomodo animalia, quæ offerebantur non debeant eſſe maculoſa, aut aliqua parte vitiata. Et alia de eodem.

NUnc autem attendemus ad loquendum de ſacrificijs. Ubi primùm ſcire debes, quia ſacrificia ſignificabant ipſa peccata, pro quibus offerebantur, & propter hoc etiam peccata vocabantur, ſicut legitur

E Oſeæ 4. Peccata populi mei comedent, & ad Rom. 8. De peccato damnavit peccatum, & 2. ad Corint. 5 Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum propter hoc ergo quod fiebat in ſacrificijs, fiebat merito ſacrificiorum in peccatis. Crematio ergo ſeu combuſtio ſacrificiorum, & conſumptio, atque mors, mortem, & conſumptionem ſignificabat, & efficiebat etiam peccatum. Qui igitur immolabat animalia, vel cremabat facto & etiam verbo, ſicut credimus, dicebat, ſicut moriuntur, vel conſumuntur iſta animalia, ſic moriantur, & conſummantur peccata pro quibus offero illa. Et iſta intentio ſacrificiorum multum conſona eſt litteræ legis, & ſicut ſuprà diximus ipſos offerentes ſignificabant ſacrificia. Secundùm hoc intentio offerentium erat, vel eſſe debebat, talis mortis, ſeu terminationis, quam patiuntur, ſcilicet animalia, ſupplicium metuiſſe me confiteor, & per hæc ſacrificia veniam mihi peto. Et iſtæ intentiones valdè congruunt ſacrificijs, quæ offerebantur pro peccato & pro delicto. Debes autem ſcire, quòd in omni ſacrificio præcepit domin' multa in conculcatione apponi ſal, & vocavit illud ſal fœderis, ſicut dicitur Levit. 2. Quod in ſolis Dei ſacrificijs apponebatur, in ſacrificijs verò idolorum non. Mel verò apponi prohibuit in ſacrificijs ſuis, eo quòd poneretur in ſacrificijs idolorum, ſicut legitur Levit. 2. Quòd autem de ſacrificijs præcepit, ut animalia offerenda eſſent abſque macula corporis, intelligimus ut nullo membro carerent, nullum membrum vitiatum haberent, & hoc propter honorem Dei, ſicut legitur Malachiæ 1. Offer illud duci tuo; quòd ſanguinem hoſtiarum fundi ſemper juſſit, & quòd comedi illum prohibuit, omninò cauſa fuit potiſſimè conſuetudo idolatriæ, ſanguinem enim non ſolùm animalium, ſed etiam filiorum, & filiarum ſuarum immolabant Dæmonibus, ſicut legitur in pſalmo [illegible]. Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan. Et erat opinio idolatrarum Deos ſuos amare ſanguinem, quoniam utique non alia de cauſa diligebant, niſi quia in hoc major ſubjectio, difficiliorque ſervitus eis impendebatur, & etiam honor major, ipſa enim oblatione ſanguinis, qui nutrimentum vitæ eſt, & ſuſtentatio corporis authores, & conſervatores vitæ ſuæ confitebantur, & recognoſcebant. Quemadmodùm autem Diabolus non fuit permiſſus tentare primos parentes, niſi per ſerpentem, ut eo ipſo quòd per ſerpentem loquebatur, ſuſpecta, & horrenda eſſet ejus locutio, & propter hoc magis ab ea ſibi caverent: ſic & ſanguinem exigere permiſſus eſt, ut eo ipſo ſuſpecta, & horrenda redderetur ſervitus idolatriæ, & eo ipſo ampliùs fugeretur, quo nutrimentum vitæ, & ſuſtentatio immolantium in ea petebatur, & ipſi Dij eo ipſo efficerentur odibiles, quo ſanguinem adoratorum, & cultorum ſuorum ſitire, & in mortem eorum apertè intendere videbantur. Adeò autem placuit ſanguis dæmonibus aliquandò, & apud aliquos idolatras, ut nec tangi etiam, nec tangere illum auderent idolatræ, tanquàm partem Diis conſecratam, & eis ſolis debitam, propter quod & circà ſanguinem, vel ante ipſum comedebant, Diis ſuis ſanguinem relinquentes, opinabanturque ex hoc ſe placere Diis ſuis, quia antè vel circà ſanguinem immolantium comedebant, putantes ea hora etiam Deos ſuos ad ebibendum convenire ſanguinem hujuſmodi. Et ita in conſpectu eorum de ſacrificiis comedentes Diis ſanguinem illum bibentibus communione forti, ac fœdere indiſſolubili conſtringerentur. Et hæc videtur potiſſima cauſa, quare prohibiti ſunt comedere animal captum à beſtia, vel ſuffocatum, videlicet propter admixtionem ſanguinis; nam ſuffocatio modus quidam erat immolandi Dæmonibus, & ideò

Oſeæ. 4. *Rom. 8.* *1. Cor. 5.* *Sal in ſacrificijs.* *Levit. 2.* *Mel non apponitur.* *Levit. 2.* *Mala. 1.* *Pſal. 78.* *Tentatio parentum per ſerpentem.* *Animal ſuffocatum à beſtiâ.*

Digitized by Google

ideò prohibuit comedere ſuffocata. Quod autem legitur quòd ſanguis pro anima eſt, intelligendum eſt quantùm ad idolatriam, quia enim animas ſuas non poterant dare ad comedendum, vel bibendum Dæmonibus, ſalva vita corporis, dabant vicinius poſt animas, quaſi vice animarum videlicet ſanguinem, vel ſanguis pro animâ eſt, hoc eſt, ſicut anima in eis animalibus, ſcilicet hic eſt corruptibilis, & deſtructibilis, & cum ipſo ſanguine perit, & propter hoc qui comedit, vel bibit ſanguinem, comedit aut bibit animam animalis illius per conſequens. Voluit igitur ſic deterrere eos à comeſtione ſanguinis, videlicet ne comedentes, aut bibentes ſanguinem, etiam ſimul cum illo animas animalium comedere, vel bibere viderentur. Voluit etiam inſinuare quòd falſi Di, qui ſanguinem comedere, vel bibere idolatri videbantur, ſanguinem habebant pro anima offerentis, ſcilicet, vel immolantis & hoc eſt dicere. Anima omnis in ſanguine eſt, vel ſanguis pro anima eſt. Sanguis utique immolatitius pro anima offerentis, & anima ejus in ſanguine illo eſt; quia in eo comeditur, & bibitur ſpiritualiter ab ipſo diabolo cui immolatur. Nec dubitandum eſt illam eſſe aſtutiam Diaboli, ut per aſſuefactionem immolandi animalia, & ſanguinem eorum offerendi, vellet eos inducere ad immolandum ſeipſos, & filios ſuos, & filias, & ad offerendum tàm proprium ſanguinem, quàm filiorum, & filiarum ſuarum, ſicut & fecit, ut eos plenius poſſideret, vel in memoriam protectionis, ſive defenſionis, vel potiùs vindictæ, quæ promiſſa eſt eis. Gen 9. ubi dicitur. Carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim inquit animarum veſtrarum requiram de manu omnium beſtiarum: & iterùm. Quicunque fuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis illius: & juxta hoc poſſet intelligi ſanguis pro animâ, id eſt, pro vitâ, ſub hoc ſenſu. Sanguinem veſtrum requiram, id eſt vitam, & qui fuderit ſanguinem humanum, id eſt, qui vitam humanam extinxerit, fundetur ejus ſãguis, hoc eſt, extinguetur vita ejus. Illud quoque prætermittendum non eſt, quòd perverſor, & imitationis ſimia diabolus, etiam divini cultus, & honorificentiæ gloriam, quam primos patres exhibere vidit Deo altiſſimo à deceptis hominibus ſibi ſuggeſſit impendi. Et his etiam non contentus, ampliora requirere non expavit, propter hoc ſuggeſſit nonnullis, ut non ſolùm animalia illi, ſed etiam proprios filios, & filias immolarent. Inſaniſſimus enim ambitor falſi honoris, & gloriæ, Deo altiſſimo invidit obedientiam, & devotionem Abrahæ, quâ filium unigenitum Deo voluit immolare: quapropter à multis eorum quos decipere potuit, non voluntatem tantùm, ſed etiam immolationem impiiſſimam atque ſacrilegam requiſivit. Adipem omnium ſacrificiorum ſibi retinuit, & ſanctificavit Deus, ſimiliter renes, atque renunculos, cauſa autem adipis, videlicet propter quam retentus eſt, videtur eſſe duplex. Una, quia idolatræ contrarium faciebant, ſicut legitur Deut. 32. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. Alia cauſa, ut in Dei ſacrificijs gulæ detraheretur, & in ipſis ſobrietas ſervaretur. Tertia cauſa fuit honor Dei, qui potiori, ac pingui oblatione honorabatur. Minueretur enim Dei honor in ſacrificiis, ſi pars ei deterior offerretur. Quod autem pectuſculum, & armum dextrum in partem voluit cedere ſacerdotum, cauſa fuit diſſimulatio, & elongatio ab idolatriâ, & fortè ab ea parte divinationis, quæ adhuc ſpatulomantia nuncupatur, quam maximè exercebant in ſpatulis, & extis animalium immolatitiorum. Modi verò occidendi animalia immolatitia, id eſt jugulatio, decollatio, colli intorſio juxtà litteram, nullam aliam videntur habere cauſam, quàm elongationem ab idolatria, quia videlicet alios modos habebant idolatræ occidendi animalia immolata.

Sanguis pro anima. — *Aſtutia diaboli.* — *Gen. 9.* — *Aſtus diaboli.* — *Deut. 32.* — *Humerus dexter.* — *Idolatria.*

CAPUT IX.

Repetens ſupradicta per epilogum explanat alia legalia, & primo dicit de ſolemni ſacrificio hircorum, deinde rationem affert de vitulo ab Aaron in holocauſtum oblato pro ſe, & domo ſua, cauſas ſubjungens aliquas de hirco emiſſario, & cremato.

ET quia jam incepimus aſſignare cauſas ſacrificiorum, & expedivimus nos jam de ſacrificio agni paſchalis, & dedimus cauſam literalem ipſius, & quare in ipſo egreſſu de Ægypto, juſſi ſunt hujuſmodi ſacrificium offerre filij Iſrael, ut diſcedentes localiter ab Ægyptijs diſcederent etiam à ritu, ritumque B valdè abominabilem, & odioſum Ægyptijs, ſuſcipientes, jugum ſimul diabolicæ ſervitutis abjicerent. Et in ipſo ritu novo quem ſuſcipiebant contra errorem, & ſpem Ægyptiorum vitam ac libertatem invenirent. Ægyptij verò in abominationibus idolatriæ ſuæ perditionem & mortem, & cum his omnibus verus Deus, ac ſolus appareret, qui contrarium Ægyptiç conſuetudini ritum imperabat, quique contrario cultu, & odioſo falſis dijs, & eorum cultoribus ſuos liberabat, atque ſalvabat, dijs Ægyptiorum omninò contra eum, & cultores eiuſdẽ nihil potentibus, & nec ſibi, nec cultoribus ſuis adeſſe, vel prodeſſe valentibus, verus, ac ſolus Deus innoteſceret evidenter. Diximus etiam alia quæ circa hujuſmodi ſacrificium dicenda erant juxta litteram: relinquitur ergò ut proſequamur alia ſacrificia ſolemnia. Inter quæ valdè ſolemne erat ſacrificium hircorum: quorum alter vocabatur domino, vel domini, alter C verò emiſſarius, & ſorte eligebatur, ut eſſet domino, vel ut eſſet emiſſarius, & ſuper quem cadebat ſors, quod eſſet domini, vel domino, comburebatur extra caſtra cum vitulo, ita ut nihil eorum remaneret incombuſtum, nec pelles, nec fimus: Hircum verò emiſſarium ſtatuebat ſummus ſacerdos viventem coram domino, & confitens univerſa peccata filiorum Iſrael, & univerſa delicta imputabat capiti ejus, quod eſt dicere, quia dicebat ſacerdos ad hircum, ſuper caput tuum ſint omnia peccata iſta, ſive capiti tuo imputet ea Deus, & non filijs Iſrael, vel ſcripturam omnium peccatorum in univerſo, id eſt continentem omnia peccata illa in univerſo, imponebat vel ligabat ſuper caput ejus. Et tunc emittebat eum in deſertum, per hominem paratum ad hoc, credebantque juxtà literam, & adhuc credunt filij Iſrael, quia hircus ille portabat omnia peccata populi in deſertum, & ſicut diſparebat, vel devoratus à beſtijs, vel fortè factus ſilveſtris ille, ita diſparare ac diſperdere credebant D peccata ſua per hujuſmodi ritum. Et quia portabat omnia peccata populi hircus ille, ſecundùm opinionem eorum, immundus erat qui tangebat illum, & & adducebat in deſertum. Quomodò inquiunt, mundus eſſet qui portantem tantas immunditias tetigiſſet? Levit. 16. Mirabile autem valdè videtur & etiam ridiculum, quod capiti hujuſmodi hirci imputarentur omnia peccata populi, cùm innocentiſſimus eſſet, & immunis ab eis, quod etiam portaret peccata populi, cùm illa propriam ſubſtantiam mutare non poſſint. Quòd ſi dixerit quis, quòd non portabat peccata populi, ſed pœnam pro illis, & hoc ſimiliter non videtur verum, quia liber, & ſanus mittebatur in deſertum? Præterea quid faciebat hircus alter, qui offerebatur in holocauſtum ſimiliter pro peccatis totius populi? Si enim omnia peccata dimittebantur populo per holocauſtum hirci, quid ergo portabat hircus emiſſarius? ſi verò pars peccatorum dimittebatur,

Abominatio idolatriæ. — *Hircus.* — *Filij Iſrael credentes ad litteram.* — *Levit 16.*

Digitized by Google

Aaron offerebat vitulum.

per holocauſtum; non omnia igitur portabat hircus emiſſarius. Quæſtionem etiam habet, quare Aaron pro ſe, & pro domo ſuâ juſſus eſt offerre vitulum in holocauſtum, qui extra caſtra cum hirco combureretur? Et videtur juxta literam, quia volebat Deus eum eſſe ſine metu de peccato vituli conflatilis, quem ipſe filijs Iſrael conflaverat. In quo populo Iſrael materiam, & occaſionem idolatriæ detraheret, vel propter hoc, quod vitulus multos habet labores ſimiles officiis ſacerdotalibus arare, triturare, vehicula trahere, cornibus ventilare, potuit etiam eſſe quod in ſuggillationem idolatriæ, quâ in Aegypto bos colebatur, cujus idolatriæ reliquias tacuiſſe videtur, quidam de gente Judæorum, qui boves non occidunt. Decuit igitur doctorem legis, & divini cultus miniſtrum veríque Dei ſacerdotem primum exemplo ſuo ſuperſtitionem hujuſmodi evacuare propriæque purificationis pondere mandatum Dei in eo quod idolatræ ſacrilegam contaminationem reputabant, ponere, ut per hoc ad fidem rectam & ritum Deo acceptum, populus facilius traheretur, & præeuntem ducem atque doctorem ſuum, pontificem videlicet ſequerentur. De hirco verò emiſſario, quare in deſertum emitteretur.

Hircus emiſſarius

Hæ cauſæ nobis juxta literam videntur. Prima, quia Dæmones in deſertis habitare videbantur, & adhuc à multis creduntur: voluit Deus populo ſuo habitationem Dæmonum reddere horrendam, & abominabilem, & propter hoc hircum immunditias peccatorum portantem illuc emitti. Voluit etiam loca habitationis Dæmonum, loca eſſe immunditiarum, & peccatorum, ut longè indè faceret filios Iſrael, quaſi diceretur hirco, illùc vade, illùc porta immunditias peccatorum, ubi priùs locus eſt earum. Voluit etiam in hoc eis oſtendere, quod peccatores, & peccata pars Dæmonum ſunt, juxta illud. Partes vulpium erunt, & illud, funes ceciderunt mihi in præclaris.

Pſal. 62.
Pſal. 15.
Alia ratio hirci.

Per hircum autem ideò fieri voluit, quia & fœtidus eſt in ſe, & de pilis ejus veſtimenta nonniſi pungentia, beſtiolaſque immundas generantia, ac nutrientia fieri poſſunt. Ex his etiam funes fortiſſimi fiunt, in quibus facile erat intelligi fœtorem, & immunditiam, & aculeos, funiculoſque ac vincula peccatorum, vel fortiſſan propter hujuſmodi, quòd in ſpecie hircorum, ſeu caprarum in deſertis Dæmones apparebant, ut ex hoc Dæmones ipſos, qui in ſpecie illâ interdùm apparebant hominibus, immundos eſſe oſtenderet, populumque ſuum à colloquio, & familiaritate ipſorum abſtraheret.

Ritus idolatriæ.

Sciendum eſt autem hunc ritum idolatriæ valde fuiſſe contrarium, & Dæmonibus inimicum, qui nullum animal ſibi offerri volebant abſque effuſione ſanguinis aut combuſtione, aut aliqua læſione. In hoc igitur ritu quo præceptum eſt emitti hircum integrum, aliquantùm elongavit eos ab idolatria. Voluit etiam in eodem ritu oſtendere, non eſſe locum peccatis, niſi deſertum, ut ex hoc agnoſceret populus Iſrael, & non eſſe admittenda peccata in caſtris populi Dei, & ipſa peccata cauſas eſſe, quare ipſa loca populoſa, aut culta per iram Dei deſerta fierent. Quòd autem extra caſtra, & cum fimo, & pellibus comburebantur hircus, & vitulus; in horrorem & abominationem factum eſt peccatorum: factum eſt etiam contra idolatriam qua colebatur ignis in qua propter honorem ignis cremari ſacrificia non ſinebantur extra caſtra, ne ipſum Deum ſuum, ideſt, ignem, tanquàm immundum, à caſtris ſuis viderentur abjicere.

Nota.

Factum fuit etiam propter honorem Dei, & tabernaculi, ne pelles, & fimus in ejus ſacrificijs altaris honorem, ac reverentiam minuerent, & opinione hominum cultum Dei vilificarent, & propter hoc contaminata, & immunda reputarentur. Factum etiam eſt propter hoc, ut quantùm odiret Deus peccata, quæ à caſtris

E ſuis ejici volebat, incendioque, & concrematione conſumi præcipiebat, evidenter appareret populo ſuo, & in hoc ipſum eum imitari, eique placere ſtuderent. Quòd autem vel hircus portare peccata dicebatur, vel quòd in hirco cremari, atque conſumi putabâtur, ſignum ibi pro veritate acceptum eſt. Quemadmodùm aliquid dicitur ſcribi, vel pingi, cùm ejus nomen ſcribitur, aut pingitur: in cordibus enim hominum ſolummodò poterant verè portari, & cremari peccata.

Crematio hoſtiarum.

Sed quia ſicut diximus hoſtiæ, ſigna, & figura erant peccatorum, ideò crematio, & mors, & ejectio, ſive fugatio hoſtiarum cremationem, & mortem, & diffugationem ſignificabat peccatorum, propter quod hujuſmodi hoſtias tangi prohibuit dominus, & qui tangerent, immundos eſſe decrevit. Patenter in hoc docens, quod longè eſſe eos vellet à peccatis, quorum hoſtias, quæ ſigna, & figura ipſorum peccatorum erant, eos tangere prohibeat. F Si enim adeò horrenda erat figura peccatorum, quantò fortiùs ipſa veritas eorum? in hoc ergo, quod prohibiti ſunt à Deo appropinquare ſignis peccatorum, & ea tangere, evidenter multò fortiùs prohibiti ſunt appropinquare veritati eorum, & eadem cauſa eſt in prohibitione tactus vitulæ ruffæ, & cinerum ejus.

Horror peccati.

Oratio verò quæ fundebatur ſuper hircum hujuſmodi fuiſſe videtur. Sicut tu ejiceris, & longè ſis à populo iſto, ita fiat de peccatis eorum, vel ſicut tu liber, & ſanus, & immunis, & à morte & læſione evadis, vel emitteris, ita liber & immunis fiat populus iſte à peccatis. Eodem modo ſuper vitulũ. Sicut tu cremaris, atque conſumeris, ita conſumãtur peccata populi iſtius. Et hoc erat dicere, imputet ſacerdos capiti capri emiſſarij peccata populi, ut ſicut tu in figura, & ſignificatione ſuper caput tuum portas peccata populi, & exportas longè ſeorſùm ab illo, ita faciat Deus in veritate peccata ſeorſùm longè à populo ſuo, & reverà

Caper emiſſarius.

G fiebat ita, non quidem ex veritate quam haberet alteruter hircorum, ſed omnipotentiſſimâ miſericordiâ Dei. Ne obliviſcaris autem, quia deſerta omnia volebat Deus eis immunda, & abominabilia reddere per hircum emiſſarium, unde quia malefici, & idolatræ deſerta propter hoc maximè frequentabant, ut audirent ibi reſponſa Dæmonum, eiſque ibidem immolarent, ſicut & adhuc multi faciunt. Undè quidam magus in libro ſuo de magicis dicit ſe tranſiſſe cauſâ philoſophandi ad loca deſtituta omni habitatore, habitaſſeque ibi cum inhabitantibus lucem, ſex luſtris annorum & ab eiſdem didiciſſe, quæ in eodem libro ſcripſit.

Fauni & Satyri.

Tùm etiam propter faunos, & ſatyros qui in ſpecie hircorum frequenter ibi hominibus illudebant, & adhuc illudere non ceſſant. Voluit etiam inſinuare Deus in hirco emiſſario, ut quemadmodùm hircus emiſſarius abſque cuſtode relinquebatur in deſerto, expoſitus beſtijs deſerti ad devorandum H propter peccata, quæ in figura portabat; ſic populus gravatus peccatis, à Deo cuſtode ac defenſore ſuo derelictus, beſtijs malorum regnorum, ſeu principum inimicarum nationum, quaſi quibuſdam beſtijs diripiendus, ac dilacerandus exponendus eſſet. Et in hoc prudenter eos admonebat, ut declinarent immunditias peccatorum, ſi Deum habere vellent cuſtodem, ac defenſorem, juxta illud Deut. 32. Dentes beſtiarum immittam in eos. Et quòd alter cremabatur, alter verò in deſertum mittebatur, inſinuabat quia peccatorum quædam fuganda erant, & longè facienda à populo, videlicet contagioſa, maximéque declinanda, quædam verò conſumenda, & conterenda vindicta, pœnitentia, ſacrificio, vel melius intelligitur de omnibus peccatis: omnia enim & fugienda ſunt & fuganda, longéque faciẽda, & nihilominùs tribus modis, quos diximus, conſumenda. Et in iſta duplici hoſtia duo iſti modi, videlicet declinatio

Digitized by Google

natio peccatorum, & conſumptio eorum oſtenſi ſunt. Has tres hoſtias quas nominamus, qui tangebant, immundi erant propter horrorem & abominationem peccatorum, nec ad caſtra denuò admit-
Deut. 32. tebantur, niſi loti, ſeu purificati, ſicut legitur in
Levit. 16. eodem Levitici 16. Aſperſio verò illa ſeptenaria,
Aſperſio ſeptenaria. quam de ſanguine hirci, & vituli faciebat pontifex ad ſanctuarium, emundationem ejus fieri ſignificabat per hujus ſacrificia ab univerſitate peccatorum, quæ vniverſitas in ſeptenario intelligitur, vel quæ tota in ſeptenario dierum committitur. Fiebat autem hujuſmodi aſperſio contra ritum idolatriæ, quæ ſanguinem immolatitium totum apponebat Dæmonibus ad bibendum, & offerentibus, niſi propter aliquas ſcripturas, aut figuras indè faciendas reſervaretur. Hoc enim in multis idolatris factum fuiſſe certum habemus, & ſi totam idolatriam Ægyptiorum, Chananeorum, & Caldeorum, ſicut in libris eorum ſcripta eſt, aut noſſemus, aut legeremus in his, & aliis, quæ abſurda videntur de ſacrificiis legalibus, nil penitus dubitaremus.

CAPUT X.

Vitula ruffa offerebatur pro expiando peccato adorationis vituli conflatilis, cur eam ruffam eſſe voluit Deus, cur cedrinum lignum, hiſopum, & coccum bis tinctum cremari præcepit cum vitula: demum dicit de ſacrificio, quod fiebat pro mundatione leproſi, & de ſacrificio Zelotypiæ.

Sacrificium verò vitulæ ruffæ, hanc videtur habuiſſe cauſam. Cùm enim ſacrificium vituli appropriaſſet jam dominus ſacerdoti, videlicet ut offerret illum pro ſe, ac domo ſua, hircum verò ap-
Levit. 16. propriaſſet populo, ſicut jam diximus ex 16. Levit. Hic vitulam præcipit offerri communiter pro peccato, ſcilicet adorationis vituli, ut quibuſdam Hebræorum videtur, quia Aaron in illo peccato communicavit populo; & propter hoc, præceptum eſt, ut ruffa eſſet, colorem ſcilicet habens vituli adorati, ut ipſi Aaron, & toti populo, per ſubſtantiam ſuam, & colorem rememorationem peccati illius, pro quo offerenda erat, faceret, & dolorem, & pudorem ejuſdem peccati eiſdem ingereret; vel propter hoc, quia cineres ejus cum aquis vivis in expiatione debebant eſſe, & ſacerdotibus, & toti
Vitula ruffa cur. populo. Et propter hoc forſitan ruffam eam voluit eſſe Deus, quia ſicut iſte color in genere illo animalium invenitur communior, ita hujuſmodi ſacrificij expiatio amplior; vel ideò pro ipſo populo, ſive ſinagoga, vacca offerebatur, ſeu vitula; quia ipſum populum vaccam, & vitulam vocare conſueverat
Oſee 4. dominus; ſicut apparet ex Oſeæ 4. ubi dicitur. Sicut vacca laſcivieus declinavit Iſraël, vbi alia translatio habet, quaſi vacca percuſſa à ſylo, ſive ceſtro;
Oſee 10. & iterùm ejuſdem 10. Effraim vitula docta diligere
Pſal. 67. trituram, & in pſalmo. Congregatio taurorum in
Amos 4. vaccis populorum. Ad idem facit, & quod legitur Amos 4. Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte ſamariæ. Fortaſſis autem ideò ſic vocabat eos dominus, quia vaccæ erant juxtà litteram,
Oſee 10. idolaque colebant, ſicut legitur Oſeæ 10. Vaccas Betaven coluerunt, vocat igitur eos vaccas dominus
Pſal. 134. irriſoriè; quia vaccas aureas colebant, juxta illud. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis Et videtur iſtud improperium duraſſe ab eo tempore, quo vitulum ſub Aaron adoraverunt uſque ad noviſſimum prophetarum Cùm iſta vitula præcepit etiam Deus cremari lignũ cedrinum, hiſopum, coccumque bis tinctum, id eſt ſericum bis tinctum coccinei coloris, quid his de cauſis fuiſſe præceptum credimus, ſcilicet ut virtus ſacrificij oſten-

A deretur. Per lignum enim cedri, quòd putredinem non recipit, ſed à ſe eam perpetuò repellit, & odo- *Lignum cedri.*
rem habet ſuavitatis. Per hiſopum, quòd pectus pur- *hiſopum.*
gat, & bonum odorem ſpargit, & per coccum bis tinctum, qui colorem ſuum indelebilem ſervat, oſtendebatur, quòd ſacrificium iſtud cum ſequela ſua conſervativum erat filiorum Iſraël à putredine peccatorum, & fœtore, atque decoloratione: & ideò legitur in decimo nono Numerorum de omni- *Num. 19.*
bus ſacrificiis, ut ſint multitudini filiorum Iſraël in cuſtodiam. Conſervativum etiam erat boni coloris ſpiritualis in eis, id eſt exterioris decoris in conſervatione ſua, quaſi per hoc ſacrificium imputribiles, infætidibiles indiſtinguibiles à colore ſuo bono ſer-
B uatentur, juxtàque quod legitur Thren. 4 Quomodò ob- *Thren. 4.*
ſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus. Secundùm Joſephum verò in cocco ſemper intelligi- *Per coccum quid.*
tur ignis; ergò juxtà ipſum in cineribus quatuor elementa quodammodò ſignificata ſunt. In cedro terra, quia ex terra creſcit, & valdè terreſtris ſubſtantiæ eſt, ac ſolidæ. In hiſopo aqua, quia ex pluvia ſola gigni, & nutriri videtur hiſopus, propter quòd in petris, & petroſis creſcit: in odore amborum aër maximè ſecundùm eos qui odorem non niſi vaporem eſſe credunt, vaporem dico reſolutum à corpore odorifero, unde & aroma quaſi aërioma dictum, dicit Iſidorus. In cocco verò ignis, ut dictum eſt. *Purgatio mundi.*
C Combuntur autem iſta quatuor in rememorationem purgationis noviſſimæ inferioris mundi, quæ per ignem facienda eſt in horrorem peccatorum, & quandam ipſorum pro parte purgationem, quia in ipſis elementis, & abuſione eorum contracta ſunt. Quia igitur hæc purgatio per ignem facienda eſt; ideò coccus in hac pugatione, & in purgatione leproſorum appenitur, vel ob rememorationem, quòd in igne Deus Moyſi primùm apparuit, & quòd in igne data eſt lex. Quare ergo de quatuor elementis ſacrificium iſtud offerebatur Deo altiſſimo, tanquàm *Sacrificiũ*
auctori elementorum, & quia auctori, & propter *de quatuor*
hoc, ut quicquid immunditiæ, & quocunque qua- *elementis.*
D tuor elementorum contractum eſſet, per hoc ſacrificium expiari intelligeretur. Ideò etiam in cedro terram intelligi voluit, quia cùm terra mater ſit omnium plantarum, cedrus videtur eſſe primogenita filia ejus. Eſt enim maxima plantarum magnitudine perpetuóque creſcens. Et ideò abundantiùs nutrit eam terra inter cæteras filias, tanquàm primogenitam. De hiſopo autem certum eſt, quòd ex ea facie- *Aſperſo-*
bant aſperſoria, & aſperſiones, & expiationes facien- *ria ex hi-*
das, ſicut legitur in quarto Levit. in expiatione le- *ſopo.*
proſi. Et ideò dicitur in pſalmo. Aſperges me domine hiſopo &c. ut ex hoc intelligeretur putredo ſimul, & fœtor peccati dilui, & abſtergi, puritaſque, & odoris ſuavitas advenire. Forſitan ante cineres ligni cedrini, ſicut apud nos cineres fabarum, aut vernicis fortioris virtutis erant ad emundationem corporalem. Et ideò in cineribus illis virtus ſacrificij illius, quantùm ad expiationem ſpiritualem commenda-
E tur. In ſacrificio verò quod offerebatur pro mundatione leproſi abhibebantur lignum cedrinum, hiſo- *Sacrificium pro*
puſque, & coccus bis tinctus, & paſſer unus vivus. *mundatione le-*
Non quidem, ut iſta comburerentur, ſed ut ex eis fieret aſperſorium, videlicet ut filo coccineo ligarentur *proſi.*
paſſer, & hiſopus, & alligarentur ligno cedrino, ut lignum cedrinum eſſet quaſi aſperſorij manubrium; hiſopus verò & paſſer eſſent id quod de aſperſorio tingendum erat in ſanguine alterius paſſeris immolati, & in aquis vivis, quæ duo ſcilicet ſanguis, & aquæ vivæ ſimul debebant eſſe in vaſe fictili. His ergò aquis, & ſanguine hujus aſpergebatur ſepties leproſus mundandus ab immunditia irregularitatis. Mundabatur autem interdùm & à lepra per hæc & alia,

Digitized by Google

quæ in eodem capitulo leguntur. Apparet autem evidenter ex his quæ diximus, quare tria iſta adhibebantur in hujuſmodi ritu, ſcilicet propter tres corruptiones lepræ. Quarum prima eſt putredinis, ſecunda fœtoris, tertia decolorationis. In his ergo tribus, quæ adhibebantur, inſinuabantur mundari ab his tribus corruptionibus, videlicet, quia omnis lepra contrahitur ab aliquo quatuor elementorum, licet per medium aliquod quatuor humorum. Cum his tribus tria elementa intelliguntur, ut diximus. In paſſere congruè intelligitur aer. Inſinuabatur ergo circa literam in his quatuor, quòd ex quocunque quatuor elementorum contracta eſſet lepra, ipſe auctor elementorum per hujuſmodi aſperſionem, & alia quæ ad hoc adhibebantur mundabant eam, & hoc cùm beneplacitum ejus erat. Non enim omnes leproſi mundabantur hoc ritu, immò pauci. Et erat notum miraculum emundationis lepræ per ritum hujus in Iſrael. Quòd autem paſſer alligatus in aſperſorio vivus avolare in agrum dimittebatur, lepram evolaſſe, ſive evanuiſſe ſignificabat, quia paſſer ſociale animal eſt in volatilibus, & mundum ſecundùm legem. Quòd autem avolans ab alligatione ſua, & aſperſione hujus revertebatur ad conſocios paſſeres, & ad gregem à quo per captionem ſeparatum fuerat, ut cum eis poſtmodùm habitaret, ſignificabat leproſum à caſtris, & extra caſtra tempore aliquanto detentum, poſt aſperſionem hujuſmodi, & emundationem ad caſtra reverti, & inter ſanos ac mundos ad inhabitandum admitti. Quòd autem ſanguine, & oleo immolatitiis, id eſt, qui offerebantur in emundatione leproſi præceptum eſt extremum auriculæ dextræ pollicesque manus dextræ, & pedis dextri tingerentur, indè videtur eſſe juxtà literã, quia ibi primum lepra dignoſcitur & ſentitur, hoc eſt in pollicibus illis, & hoc in ſenſibilitate eorum, ut dicitur, & hoc juxta literam dicimus, ut ergò in ipſo capite ſuo, & radice primùm percuti, & ideò radicitùs purgari per hujuſmodi ritum cognoſceretur; ita præceptum eſt & fieri, ut idem eſſet ordo purgationis, qui erat infectionis. Forſitan autem, & in extremo auriculæ dextræ ſignum aliquod lepræ apparere conſuevit, quia pars illa valdè parùm ſenſibilis eſt. Attende autem, quia tres liquores huic ritui adhibeantur, videlicet aqua viva, hoc eſt ſcaturiens, & manans, quæ majoris puritatis eſt, quàm ſtans ſeu mortua: hæc ergo adhibebatur in ablutionem, quia lepra immunditia eſt, oleum in ſanationem, quia lepra morbus eſt, & ſanguis in repropitiationem, quia interdùm pro peccato ex irâ Dei inferebatur plaga lepræ, vel quia maximè lepra eſt ex corruptione ſanguinis, ut ſanguine mundorum animalium corruptio, & infectio ſanguinis purgaretur. In ſacrificio verò zelotypiæ notum erat miraculum, videlicet de inflatione ventris, & putrefactione fœmoris mulieris corruptæ, ſicut legitur Numerorum quinto. Hoc autem ſacrificium non erat, niſi modicum farinæ hordeaceæ ſuper quam fundi oleum, & poni thus prohibuit dominus, quod nec propter honorem Dei fiebat, nec ex bonâ voluntate, ſed ſolummodò cauſa detegendi occultum adulterium. Voluit hujuſmodi ſacrificio revelari occulta adulteria mulierum, ut adulterari metuerent, & ne mariti ſuſpectas uxores occiderent. Hoc autem ex farinâ hordeaceâ ſine oleo, & thure offerebatur, ut viris eſſet rubori ſacrificium hujuſmodi tùm propter hoc, quia Deo non offerri ex devotione oſtendebatur per hoc ipſum, quia nec oleum, nec thus habebat, tùm quia malè erat in ſe, immò omnium ſacrificiorum viliſſimum, atque pauperrimum. Noluit etiam ſacerdotibus in parte iſtâ dare occaſionem cupiditatis, & hoc ne invitarent homines ad hujuſmodi ſa-

Tres corruptiones. *Paſſer quid.* *Non omnes leproſi mundabantur.* *Paſſer volans.* *Paſſer avolans.* *Sacrificium Zelotypiæ.* *Farina hordeacea.*

E crificium offerendum, quod non tam honorificentiæ Dei exigebat, quàm vitiorum malitia extorquebat. Sacrificij autem ſimilæ conſperſæ oleo illa cauſa fuiſſe videtur, videlicet ut faceret filiis Iſrael memorationem mannæ, quam pluerat Deus in deſerto, & paverat eos indè 40. annis; habebat enim ſaporem panis oleati, ſicut legitur Numerorum 11. Ad hæc enim intendebat lex, ut forti impreſſione infigeret magnalia, quæ pro eis fecerat dominus. *Num. 11.*

CAPUT XI.

De vocabulo lepræ quædam præmittit, & quod Deus voluit caſtra populi ſui eſſe munda, ſine ſuſpicione contagij. Deinde cauſas affert cur in mundatione leproſi adhibebantur quatuor, ſcilicet lignum cedrinum, hiſopus, coccus bis tinctus, & paſſer vivus.

F POst hæc loquimur de lepris, ubi primùm te ſcire oportet, quia lepræ nomen non juxtà propriam intentionem accipitur hîc. Lepra enim propriè læralis prurigo eſt, & quaſi cancer univerſalis ab intimis forſicibus ſerpens, & corruptionem in totum corpus diffundens; quòd autem multum abuſivè accipiat lex nomen lepræ, apparet ex ipſo plano textu, & ſerie. Primùm enim lepram vocat ſcabiem. Deinde vocat lepram mundiſſimam, & hominem mundum, in quo effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite uſque ad pedes; non poſſet autem eſſe mundiſſima, neque homo ea infectus, mundus, ſi veri nominis lepra eſſet. Tertiò, quia lepram vocat vulnus, & cicatricem ex uſtione carnis, vel cutis; uſtio autem nec ex ea lepra naturaliter oriri poſſe videtur. Nihil igitur aliud hîc accipiendum eſt ſub nomine, & intentione lepræ, niſi G quod deformem, & de lepra notabilem abominabiliſque cohabitationis faciebat hominem. Voluit enim Deus caſtra populi ſui munda non ſolùm eſſe, ſed etiam apparere, propter honorem ſuum, & gloriam, & ut populus ſuus eſſet in hoc cæteris gentibus præeminens. voluit etiam populo ſuo cavere, non ſolùm à contagio morbi hujus, ſed etiam à ſuſpicatione contagij. Quoniàm autem cicatricem uſtionis potiùs, quàm alterius vulneris exhorruit in ſugillationem idolatriæ quâ colebatur ignis, hæc fecit. Cultores enim ignis in veneratione ipſius uſtiones faciebant in carnibus ſuis, & cutibus. Quemadmodùm alij idolatræ inciſiones, ſeu inciſuras. Accidit autem plerúmque, ut vulnus uſtionis ſanioſum, ſive ſanie fluens fiat. Et in hoc caſu propter corruptionem, atque putredinem, nomine lepræ illud ſignificavit amator munditiæ Deus. De coloribus autem & inæqualitate cutis, an ſint ſigna veræ lepræ, non tàm ars medicinæ, quàm experientia conſulenda eſt, hi- H que qui cum leproſis diu cohabitaverunt, eos dijudicare conſueverunt. Verumtamen nullatenùs dubitandum eſt, ſigna quæ lex aſſignat, vera eſſe ſigna paſſionum, quas lex immundas, & lepras eſſe judicabat. Lepra verò in capillis, & pilis duobus modis intelligitur. Et primùm lepra eſt alopecia, quæ caſum capillorum, & pilorum efficit, ita etiam, ut per eam ſupercilia depilentur. Et ſpecies iſta veræ lepræ nomen eſt apud medicos, ſicut & aliæ. Secunda accipitur morbus corroſivus capillorum, & pilorum, conſumens eos, & putrefaciens paulatim, quemadmodùm carnem putrefacit cancer, ſive lepra. & non operatur iſta paſſio fluxum, ſive caſum capillorum, aut pilorum, ſed conſumptionem eorum à parte exteriori, & finali. Et ſimilis huic paſſioni eſt lepra in veſte, & pelle. Eſt enim paſſio corroſiva pilorum, & ſubſtantiæ ipſius pellis. Hæc etiam paſſio invenitur in lapidibus, & parietibus. Et ſuper hoc interrogari

Lepra quid. *Lepra ſcabies.* *Cultores ignis.* *Color cutis.* *Alopecia.*

Digitized by Google

ſuimus, jam multi anni ſunt, de quodam lapide, qui A in ſeipſo ita conſumitur in quadam abbatia, & dicunt eum cancroſum. Non eſt autem mirum ſi fit in uno lapide ex abundantia ſiccitatis, quia hoc accidit in congerie lapidum, hoc eſt in pariete, etiam in cemento ex ejuſdem abundantia ſiccitatis: hoc idem videmus fieri in lignis, & hæc paſſio poteſt fieri in toto pariete, ſicut in toto lapide naturaliter, quia eadem cauſa nata eſt fieri æque in toto pariete, ut in uno ex lapidibus. Has ergo paſſiones in veſtibus, domibus lex exhorruit, tùm propter ſalubritatem inhabitantium, tùm propter idolatriam; pro his enim paſſionibus colebantur penates, & lares, vel pro hoc, quòd eas tollerent, vel ne eas inferrent. Voluit ergò Deus, ut ad ſacerdotes ſuos pro his paſſionibus recurreretur, & abraſionibus, atque combuſtionibus, ablutionibuſque & expiationibus inundarentur, aquam verò expiationis per ſacerdotes ideò adhiberi voluit, ut hujuſmodi dæmonia exterminarentur, & novo ritu voluit mundationes iſtas fieri, ut à ritibus ſuperſtitionis longè fierent. Scito autem, quòd notum erat miraculum & famoſum, curatio leproſorum apud Hebræos. Species autem lepræ ſecundùm intentionem legis ſic diſtinguitur, ut in prima ſit capitis, & barbæ. Secunda calvitij, & recalvationis. Tertia carnis, & cutis. Quarta, cutis, & corporis, & cicatricis albæ cum rubore. Quinta, ulceris, & cicatricis. Sexta uſtionis in capite. Diſtinguitur etiam alio ordine. Prima in corpore. Secunda in carne. Tertia in cute. Quarta in capillatura. Quinta in veſte. Sexta in domo. Colores verò lepraium, de quibus lex facit mentionem, hi ſunt, videlicet color pallidus, rubeus, albus, lividus, niger, & floreſcens. Lepra autem capitis, & barbæ pro eo ſic nominata eſt, quòd in eis primùm apparet. Similiter lepra calvitij, & recalvitij, & recalvationis, quia in eis primùm, vel maximè apparet. Propter quid autem in mundatione leproſi, & leproſæ domus quatuor illa adhibentur, videlicet lignum cedrinum, hiſopus, C coccus bis tinctus, & paſſer vivus, ex quibus fit aſperſorium; ut lignum cedrinum ſit quaſi ejus manubrium, coccus verò ſit filum, & ligatura ipſius quo alligentur ſimul faſciculus hiſopi, & paſſer vivus unus, hique duo ſimul, videlicet hiſopi faſciculus, & paſſer velut aſperſorium intingantur in aquis vivis, & ſanguine alterius paſſeris immolati, ut indè aſpergatur qui mundandus eſt: propter hoc adhibentur, quod diximus in ſacrificio vitulæ ruſæ, videlicet quia ab unoquoque quatuor elementorum radicaliter, & primitivè unaquæque ſpecies lepræ contrahitur per humorem elemento congruentem, propter hoc authori elementorum Deo ritus iſte exhibetur, ut immunditia ab elementis contracta, hoc ritu ab ipſo mundetur. In hoc autem ritu paſſer aëra expreſsè deſignat, licet in odore aliorum cedri, videlicet, & hiſopi ſatis intelligi poſſit, ut ſuprà diximus. Verùm hîc illæſa, & integra adhibentur, ibi verò, id eſt in prænominato ſacrificio comburuntur, ſive propter hoc, ut major oſtendatur immunditia peccatorum, quæ ſpiritualis eſt, quàm immunditia lepræ, quæ corporalis eſt, ſive propter hoc, ut oſtendantur tria elementa per peccata hominum inquinata tandem per ignem eſſe purganda, & ideò coccus bis tinctus qui, utique coloris ignei eſt, adjicitur, ut purgationem noviſſimam per ignem eſſe faciendam inſinuet. Cæterùm de cedro, quæ putredinem à ſe perpetuò repellit. De hiſopo, quia putridum humorem purgat, & maculas faciei abſtergit, odorê ſuavitatis ſpargit, meritò contra lepræ putredinem adhibentur. Cedrus imputribilis, & contra putridum humorem, hiſopus ejuſdem purgativa, nec non & contra fœtorem paſſionis illius, & maculas convenienter

Lapis cancroſus.

Paſſiones in veſtibus, & domibus.

Curatio leproſorum notum miraculum apud Iudæos.

Quatuor adhibebantur in mundatione leproſi.

Paſſer.

adhibentur. Creditur autê, & hiſopi ſuccus faciei maculas abſtergere. Coccus verò bis tinctus, & propter hoc ut vividum, ac redivivum colorem per hunc ritum, leproſo inſtitui ſignificet. Adhibentur etiam iſta quatuor, ut leproſus immunditiâ lepræ ſuæ inquinari tria elementa ad minùs agnoſcat, verùm tantò minorem eſſe immunditiam lepræ corporalis, immunditiâ lepræ ſpiritualis intelliget, quantò faciliorem ejus eſſe purgationem cognoſcit, dùm hanc conſpicit levi aſperſione, illam verò nonniſi forti conflagratione purgari. Et attende, quia paſſer vivus liber in agrum avolare hîc dimitti præcipitur, poſt expletum ritum purgationis. Paſſer ſiquidem de avibus eſt gregatim inhabitantibus, atque volantibus: cùm ergo ab alligatione aſperſorij ad agrum avolare dimittitur, idem eſt ac ſi ad propria caſtra redeundi licentia ei detur; in quo ſignificatur leproſus à ritu expiationis liber ad caſtra revertens. Quòd autem B de ſanguine hoſtiæ immolatæ ſuper extremum auriculæ dextræ, & ſuper pollices dextros manus, & pedis poni præcipitur; illa cauſa videtur eſſe juxta literam, quia in hujuſmodi pollicibus ſigna lepræ apparere imprimis conſueverunt, videlicet inſenſibilitas eorum, & fortè idem apparet in extremo auriculæ dextræ. Pars tamen illa valdè parùm ſenſibilis eſt.

Coccus bis tinctus.

Signa lepræ in pollicibus.

CAPUT XII.

Octo cauſas enumerat propter quas prohibitum erat animalia diverſi generis commiſceri, ſicut in illa prohibitione. Non arabis in bove, & aſino. Vbi notandum multa fuiſſe in lege, aut præcepta, aut prohibita, ut Hebræi ab idolorum cultu abducerentur.

POst hoc dicemus cauſas prohibitionis commixtionis animalium diverſi generis. Prima ergò cauſa fuit, ut ordo ipſe naturæ commendaretur populo Dei, tanquàm jus naturale, ejuſdemque ſtatutum. Secunda cauſa, ut flagitium omne ſodomiticum declinaretur. Tertia cauſa, ut ſpurciſſimis illis gentibus, quæ ante Dei populum ex terrâ promiſſionis ejiciendæ erant, diſſimularetur, ſicut legitur in 18. Levit. & ejuſdem 20. Quarta cauſa, ut modeſtia, & preſſio concupiſcentiæ ex hoc Deo acceptior eſſe oſtenderetur, quòd etiam in animalibus brutis ad limites, & normam naturæ eam eſſe regulatam volebat. Quinta, ut nefanda opera, & maleficia, quæ de fecibus ex hujuſmodi commixtione procreatis fiebant, declinarentur; & hæc opera leguntur in libro qui dicitur, Neumich, ſive Nevemich, & alio nomine vocant leges Platonis, qui liber totus eſt de hujuſmodi commixtionibus, & vocatur leges Platonis, quia contra leges naturæ eſt. Sexta cauſa, ſuggillatio D culturæ, ſive idolatriæ veneris, & priapi; hujus enim commixtiones in ampliationem hujuſmodi idolatriæ faciebant homines perditionis Septima cauſa, ut ait quidam, erat, ne homines hujuſmodi operibus contaminarentur, eis immiſcendo ſe, animalia quippe diverſarum ſpecierum rariſſimè, & vix ſe invicem concupiſcunt, niſi homo aliquid opere ſuo, vel operis adhibeat ad appetitum hujuſmodi concitandum: hoc ergò indignum homine valdèque indecens ipſum judicavit iſte, & non immeritò videlicet, quòd homo aliqua operatione ſua appetitum hujuſmodi concitaret, & cõmixtionem procuraret Octava cauſa, quia hujuſmodi commixtio vix fieri poteſt, niſi in conſpectu hominû, unius, aut plurium, per quem aut quos procuretur, ut diximus. Periculoſus autem eſt conſpectus hujuſmodi, provocatorius enim eſt libidinis, ſimiliſque nefariæ commixtionis; & iſtæ

Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Liber Neumich.* *Sexta.* *Septima.* *Octava.*

eædem cauſæ fuerunt prohibitionis conjunctionis hujuſmodi animalium in aliquo opere, ſicut & illa prohibitio. Non arabis in bove & aſino, quæ legitur Deut. 22. Scito tamen, quia iſtas conjunctiones animalium diverſorum generum, in operibus ſuis faciebant juxta conjunctiones planetarum, & quaſdam alias conſtellationes, credentes ex hoc, opera proſperari, voluit ergo Deus removere vanitatem credulitatis ipſius à cordibus eorum, tanquàm radicem idolatriæ, ne per eam, creatore relicto, ad ſtellarum ſervitia traherentur.

Deut. 22.

Servire aſtris magis quàm creatori.

CAPUT XIII.

Alterius in lege probibiti, ſcilicet ne vir veſte fœminea uteretur, cauſas refert, naturæ præſcriptum, ac congruentiam, primam cauſam fuiſſe dicens, ut ſcilicet quos natura ſexu diſcreverat, diſcerneret & habitus, & ut occaſio turpitudinis, ac ſuſpicionis auferretur, & ut idolatria vetus deleretur ex cordibus Hebræorũ, quoniam gentiles ſacra Martis, & Veneris mentito ſexu, ac mutato habitu celebrarent. Reliqua patent.

CAuſæ verò prohibitionis, ne vir uteretur veſte fœminea, vel econverſò multæ fuerunt. Prima fuit congruentia ipſius naturæ videlicet, ut quos natura ſexu diſcreverat, diſcerneret & veſtitus Secunda, ut opportunitas auferretur turpitudinum latibulis, poſſet enim intrare vir ad mulierem ſub habitu muliebri, & econverſò mulier ſub habitu virili. Ablata igitur eſt per hanc diſcretionem veſtitus multa opportunitas flagitijs. Tertia, exterminatio ſacrorum Martis & Veneris, in ſacris enim Martis non ſolùm virili veſtitu veſtiebantur mulieres, ſed etiam armabantur, ut in ipſis veſtimentis bellicis, id eſt armis ipſum tanquàm Deum belli, & victoriæ datorem colerent. Et Cocogræcus in libro maledicto, quem ſcripſit de ſtationibus ad cultum Veneris, inter alia ſacrilega, & Deo odibilia præcepit, ut qui nefandum ritum illum exercet, coronam fœmineam habeat in capite ſuo, eodem modo in ſacris Veneris viri effeminabantur, videlicet in veſtibus muliebribus ſacra Veneris exercentes, propter hujuſmodi ſacrilegos ritus Marti, & Veneri ſe placere credentes, atque quærentes. Quarta cauſa, ut occaſio magna provocationi libidinis auferretur, magna enim eſt provocatio libidinis viris, veſtitus muliebris, & econverſò, & hoc eſt quoniam veſtis muliebris viro circundata vehementer refricat memoriam, & commovet imaginationem mulieris, & econverſo, alibi autem didiciſtis, quia imaginatio rei deſiderabilis commovet deſiderium. Quinta cauſa, ut auferretur occaſio maleficij, quibus gentes illæ refertiſſimæ erant, & in eis nutritæ. Conſueverunt enim malefici & maleficæ in veſtibus, aut de veſtibus libidinis maleficia exercere, & hoc nos in libris eorum ſæpè legimus, ut ergò occaſio hujuſmodi tolleretur, jam voluit Deus hanc confutationem veſtitus eſſe in viris, & mulieribus. Sexta cauſa, ut tolleretur error periculoſus, & ſuperſtitioſa credulitas, qua trahi poſſent ad idolatriam, quibus credebant decepti applicatione veſtium muliebrium, maximè in ſacris Veneris, conjungi ſibi ac conciliari amore fortiſſimo corda mulierum, propter quas hoc facerent, vel quæ poſteà hujuſmodi veſtibus uterẽtur ſimiliter & deceptæ mulieres idipſum credebant de viris, & virilibus veſtimentis, voluit ergò Deus hunc ſuperſtitioſum errorem auferri de cordibus eorum, per ablationem abuſionis iſtius, ne per illum tandem traherentur ad cultum Veneris. Uſus verò veſtis ex lana linoque contextæ prohibitus fuit juxta literam, quia ſacerdotes idolorum & in Ægypto maximè, veſtibus hujuſmodi utebantur. Cauſa igitur in hoc fuit, ne Dei populus aſſimilaretur idolatris, alia cauſa fuit generalis, ut idolatria quæ conjunctionibus exercebatur, ex hoc percuteretur. Tertia fuit, ut ordo naturæ quem idolatræ multipliciter pervertebant, ſervaretur in veſtibus, ut linum ſcilicet ſub lana eſſet, & corpori humano propinquius. Quarta, ut veſtibus & materijs earũ ipſa, quam natura inter eas fecerat, diſcretio, ſeu diſtinctio ſervaretur, ut linea ſive camiſia, natura camiſia eſſet, & tunica, natura tunica, & ita de alijs. Hæc enim quæ diximus omnia confundebant, & commiſcebant idolatræ, & venerationem maximè elementorum, de quâ aliquid loquimur in ſequentibus, pro eo ſcilicet quod de commixtione elementorum, quibus ſerviebant, eorumque confuſione omnia hujuſmodi gignere dicebant. Volebant etiam inſinuari per hoc, hoc eſt per hujuſmodi commixtiones, & conjunctiones, agricolas, & paſtores ad ſtellarum ſervitium obligatos, quia ſtellarum favore, & beneficio putabant fœcunditatem, & lanæ copiam in animalibus, fertilitatem in agris provenire. Propter hoc ergo lanam, & linum ſimul in veſtibus conjungebant, ut ipſo habitu hanc ſuperſtitionem profiterentur, & utramque copiam à ſtellis provenire confiterentur, utrumque autem iſtorum erat ſtellarum ſervitium, videlicet tam profeſſio, quàm confeſſio antedicta. Quemadmodùm habitus religioſi delatio apud nos eſt Dei ſervitium, ſcito etiam, quia hujuſmodi conjunctiones lini & lanæ in veſtimentis, faciebant cum obſervatione conjunctionis ſtellarum, eiſdem de cauſis prohibuit Deus in eodem cap. Deuteron. 2. Ne vinea ſereretur altero ſemine: veruntamen cauſam unam addidit aliam, videlicet ne ſementes quas ſeviſtis, & quæ naſcuntur, pariter ſanctificentur, hoc eſt pariter decimæ & primitiæ eorum reddantur, voluit Deus enim diverſis temporibus decimas eorum reddi, ſicut diverſis temporibus colliguntur. Utilitas autem juxta literam manifeſta eſt in hoc, quia collectio ſementis non poſſet fieri abſque detrimento vineæ vel periculo. Ridiculum autem eſt in hoc dominum voluiſſe conſulere populo ſuo, conſulere in quo nullo conſilio indigebat. Cuilibet enim manifeſtum erat detrimentum hujus atque periculum. Cauſa igitur in hoc fuit idolatria Cereris, & Bacchi, quorum cultores ſuis vineis culturas conjungebant, atque miſcebant, ſic & fructus quos de beneficio eorum ſe obtinere credebant, in eodem agro conjungere conſueverant, cauſa autem in hoc erat, quia in eadem terra radices habent vites & fruges, & ex eadem naſcuntur & nutriuntur. Volebant igitur Cererem & Bacchum & cultu, & operibus ſociare. Attende autem, quia generaliter dictum eſt Levit. 19. Agrum non ſeres diverſo ſemine. Et iterùm, veſte quæ ex duobus contexta eſt, non indueris, & hoc propter cauſas, quas diximus. Iſta autem repetitio inſinuat nobis legiſlatorẽ, non parùm erroris, atque periculi intellexiſſe in conjunctionibus hujuſmodi: non enim propter literalem utilitatem ſolummodò prohibitiones earum repetivit, ex quo ſatis intelligitur propter idolatriam Cereris & Bacchi, vel ſtellarum eas tam ſtudioſè prohibuiſſe.

Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Sacra Martis & Veneris.* *Cocogræcus.* *Quarta.* *Imaginatio.* *Quinta.* *Sexta.* *Superſtitio gentilium.* *Veſtis ex lana & lino contexta.* *Elementorum cultus.* *Aſtrorum cultus.* *Deut. 2.* *Ceres & Bacchus.* *Levit. 19.*

CAPUT XIV.

Generaliter docet quomodo Deus filios Iſrael voluit ab omni idolatria purgare & ab omni impietate liberare, & ſibi mirabili quodam fœdere copulare, ac deſponſare, quod probat per ipſam legem, & prophetas.

DE utilitatibus verò feſtorum quæ præcepta ſunt in lege celebrari, nos aliquid ſcribere non oportet, cùm ipſa ſerie textus expreſſæ ſint ſicut feſtivitas paſchalis in rememorationem liberationis ab

Scenophegia.

Ægyptia ſervitute cum tota ſolemnitate ſacrificij A agni paſchalis, & obſervatione azimorum. Similiter feſtivitas ſcenophegiæ hoc eſt tabernaculorum in rememorationem habitationis filiorum Iſraël quâ in tabernaculis habitaverunt in deſerto quadraginta annis inſtituta eſt, videlicet ne oblivione deleretur mirifica illa, & magnifica beneficentia Dei de cordibus filiorum Iſraël, quibus eos in deſerto quadraginta annis pavit, veſtimenta eorum, & calciamenta illæſa ſervavit, aliaque magnalia miſericordiæ ſuæ, quæ ipſis in eodem deſerto exhibuit hac ſolemnitate, quaſi ſcriptura quadam populorum, in memorabili fortiſſimo retineretur. Hæc igitur pauca de multis, quæ dici poſſent de his quæ abſurda videbantur in lege, aperiunt tibi viam litteralium rationum, ſive cauſarum in ſingulis eorum; nunc verò dicemus ſermonem univerſalem, per quem omnia, quæ de his diximus, & clariora tibi fient, & certiora: dicemus igitur in primis, quia ex ipſo textu legis, & prophetarum apparet, quia Deus populum illum non ſolùm B ab errore & impietate idolatriæ, cæterorumque vitiorum contaminationibus mundare voluit, & ad ſe convertere, immò etiam ſpiritualiter deſponſare ſibique mirabili fœdere copulare, ſicut expreſſè legitur in ſecundo Oſeæ. Indicate matrem veſtram, quia non ipſa uxor mea, & ego non vir ejus. Et iterùm in eodem ejuſdem. Sponſabo te mihi in ſempiternùm, ſponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & miſericordia, & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide. Fornicationes verò, & adulteria contra iſtud matrimonium, vocat idolatriam, abominationes, in eodem, & in primo ejuſdem; Similiter Iſaiæ legitur. Quis eſt liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam. In lege verò multoties replicat quod eſt fortius, ubi vocat ſe Deum zelotem & æmulatorem videlicet, Exo. 15. Non adorabis inquit ea neque coles ego ſum dominus Deus tuus fortis zelotes, zelus autem propriè, C vehemens amor eſt in propriam uxorem, quo alium accedere ad eam non patitur, nec aliquid ſuſpectum habere cum illa, hoc eſt nec ad tactum, nec colloquium, nec nutum, nec ſignum, neque appropinquationem ad illam, quæ occaſionem dare poſſit adulterio. Meritò ergo iſta duo adjunxit Deus in ipſo exordio legis ſuæ, videlicet idolatriæ adulterium & mariti zelum, zelique magnitudinem, ut uxorem deterreret ab adulterio. Non ſufficit autem zelanti marito, ut uxor ejus declinet adulteria, niſi declinet, & adulterij ſpecies, & ſuſpiciones, omneſque ejuſdem occaſiones, & propter hoc ſuperaddit Deus in 23. Exodi. Deſtrues aras eorum & confringes ſtatuas eorum. Si enim remanerent, remaneret ipſa ſpecies idolatriæ, viderentur enim coli idola, ubi aras, & ſtatuas haberent. Inſuper aræ eorum & ſtatuæ occaſionem dare poſſent populo Dei ut ad idolatriam rediret, propter hanc etiam cauſam ſubjunxit ibidem. Non inibis fœdus cum eis, D neque diis eorum, non enim habitent in terra tua, ſubaudi idolatræ vel idola, ne fortè peccare te faciant in me. Expreſſè ergo hîc dicit Deus, quâ de causâ nec idolatras, nec idola permiſit habitare in terra filiorum Iſraël, videlicet ne convictus eorum & colloquia, aut exempla, populum Dei corrumperent, & à caſtitate hujus ſpiritualis matrimonij in tantæ impietatis adulterium inducerent, propter hanc eandem cauſam dixit eiſdem. Deuter 7. Non concupiſces argentum & aurum de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quicquam, ne offendas &c. Sub prætextu enim retinendi hujuſmodi aurum, & argentum poſſet quis ſervare ſtatuam. Præterea ipſum metallum, quod aliquandò in idolis adoratum fuerat, poſſet ex hac cauſa videri alteri aliquid adhuc habere numinis vel ſanctitatis ampliùs, quàm aliud

Oſea 2.

Deus zelotes.

Exod. 23.

Spirituale matrimonium.

Deut. 7.

A metallum. Has ergo occaſiones voluit removere dominus, ne eſſent in læſionem caſtitatis, quam dominus zelabat in populo ſuo, propter hanc eandem cauſam occidi juſſit maleficos, hoc eſt incantatores. Incantatio enim non eſt ſine idolatria, etſi enim ſint opera quædam miranda quæ naturaliter fiunt, ſicut ſubita generatio ranarum & pediculorum, & multa hujuſmodi, non tamen incantationes dicenda ſunt, neque dicuntur, immò operationes naturales ſunt, & ſcientia earum una eſt de undecim partibus ſcientiæ naturalis, in qua nihil adjutorio dæmonum fit, propter hanc eandem cauſam prohibuit conſuli ariolos, obſervari ſomnia, & auguria, & ne inveniretur in terra Iſraël maleficus, aut incantator, aut qui divinos conſuleret: omnia enim iſta declinant, & reducunt in idolatriam. Hac eadem de cauſa præcipit ut vir, in quo phitonicus ſpiritus eſſet occideretur, & etiam mulier, ne per divinationem phitonicam, in Apollinis idolatriam declinaret. Speciem verò idolatriæ B eodem zelo prohibuit. Levi. 19. dicens. Neque in rotundum attundebitis comam, nec radetis barbam, & ſuper mortuos non incideris carnes veſtras, neque figuras veſtras, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. Nec in coma nec in barba voluit apparere ſpeciem idolatriæ, illa enim faciebant idolatræ ſicut inciſiones ſuper mortuos, propter placandum Deum inferorum, & tunc erat idolatria vel ut vehementiam doloris de morte carorum ſuorum exprimerent, quod adhuc multi faciunt in morte carorum ſuorum, quod utique eſt de reliquiis ſacrorum, & idolatræ Plutonis Stigmata verò, & figuras adhuc etiam Chriſtiani faciunt & deferunt, & vocant eas brevia, & in propriis corporibus, & in cartis & in rebus aliis videlicet metallis, quæ omnia aut idolatria una ſunt, aut idolatriæ ſpecies, aut ipſius reliquiæ deteſtandæ & Chriſtianæ religionis adverſæ. De his C autem omnibus loquimur in ſequentibus, videlicet in declaratione idolatriæ, & ejuſdem deſtructione. Hic ergò eſt ſermo univerſalis, quæ prætermittendum diximus, & radix communis ex qua declaratur tibi, propter quod unumquodque talium prohibitum eſt, videlicet zelus & æmulatio Dei. Omnia enim hujuſmodi quæ videntur abſurda in lege, aut enim adulteria ſunt contra matrimonium ſpirituale, quod diximus, aut ſpecies ſeu ſimilitudines adulteriorum, aut ſuſpiciones, aut occaſiones, aut reliquiæ ipſorum: zelotypi autem, & æmulatoris mariti non eſt dubium quin ſit omnia hujuſmodi uxori interdicere, & ab eadem avertere, urgente ſcilicet zelo, ſive æmulatione quam habet in uxorem. Apparet igitur quia zelus Dei cauſa eſt propter quam prohibita ſunt hæc omnia, cauſa inquam urgentiſſima; hac igitur de cauſa videlicet de zelo, & æmulatione, qua zelabat hujuſmodi uxorem, ſic debebat prohibere hoc, ſicut debebat zelotes ſeu æmulator, & ſic decebat eum iſta D prohibere ſicut decebat eum eſſe zelotem aut æmulatorem. Jam igitur dedimus tibi cauſam univerſalem, propter quam & debitum & decens fuit, ut talia prohiberentur: ita ut cùm interrogatus fueris quid fecit, ut prohiberentur hæc omnia, confidenter reſpondere poſſis, quia zelus domini exercituum hoc fecit, quo nihil ad adulterium pertinens in ſponſa ſua voluit ſuſtinere. Et cùm inſpexeris diligenter textum legis per ſingula fiet tibi magis clarum, quod diximus. Nunc verò addemus tibi declarationes alias, & rationes in idipſum. Dicemus ergò, quia populo adeò prono adeòque facili ad idolatriam, quo malo, videlicet malo idolatriæ, nullum erat eidem pernicioſiùs, nullum ut ita dicamus familiariùs. Ipſe verò nulli magis ſubditus aut magis obnoxius conſulendum erat pro tanta infirmitate, tantaque recidivandi pronitate. Et ipſum tantum malum omniſque

Arioli divinatores.

Stigmata & ſigna non portanda.

Bona zelotypia.

Populus Iſraël pronus ad idolatriam.

Digitized by Google

ſequela ejus præcidendum fuit, & omnis ejuſdem occaſio. Omnia autem quæ nominavimus, aut ipſum malum erant, aut ejus occaſiones; quare neceſſariò omnia interdicenda populo illi. Ampliùs. Quia in Dei præceptis nihil inutile eſſe poſſibile eſt: multa auté de præceptis, & prohibitionibus abſurda & inutilia eſſent in lege juxtà litteram, niſi propter antè dictas cauſas præcepta vel prohibita eſſent. Juxtà litteram igitur his de cauſis præcepta, vel prohibita ſunt, quia ſi juxta litteram veriſimiliores cauſæ inveniri non poſſunt, quàm iſtæ quas nominavimus, quæ dubitari non poſſunt, juſtiſſimæ fuiſſe ac rationabiliſſimæ. Credendum igitur eſt nobis in parte iſta. Ampliùs. Cùm iſto tempore quo erumpunt ſapientiæ cæleſtis abyſſi, ſicut legitur Prover. 4. Et repleta eſt terra ſcientia domini, ſicut aquæ domini maris operientes, ut legitur Iſaiæ 11. Cùm inquàm iſto tempore quo dicitur populus à Deo eruditus eſſe, ſimiles præceptiones & prohibitiones apud nos propter ſimiles cauſas juſtè ac rationabiliter fiant,

F quantò fortiùs novitio illi populo, & inſaniæ idolatriæ innutrito, ipſique adhuc populo utpotè indè exeunti talia, & ex talibus cauſis injungenda erant, verbi gratia: Si quis vellet apud nos die ſabbati ceſſare à ſervilibus operibus, etiam ut vacaret orationi, non ſuſtineret hoc Eccleſia; & hoc propter ſpeciem Judaïſmi; & ſi conſuetudinarius eſſet, durè in eum vindicaretur. Quid ergò mirum, ſi omnis ſpecies idolatriæ tunc temporis prohibebatur populo illi, quandò ſpecies Judaïſmi ita damnatur apud nos? Eodem modo ſi quis diem veneris ſolemnem vellet ac feſtivum, corriperetur ab Eccleſia, & prohiberetur omninò quacunque intentione iſtud faceret propter ſpeciem Saracenicæ ſuperſtitionis. Juxtà hunc modum invenies alias multas præceptiones, & prohibitiones ex hujuſmodi cauſis, & ſimilibus factas eſſe. Multò fortiùs igitur faciendæ fuerunt hujuſmodi prohibitiones & præceptiones, nondùm extincta in populo Iſrael, immò adhuc fervente idolatriæ veſania, & apud nos

Populus Iſrael rudis erat.

G etiam auguria, veneficia, & incantationes, omneque hujus maleficium eiſdem de cauſis prohibita ſunt. Vides etiam quòd, quia ſi quis vellet ſingulis diebus lavare genitalia ſua, & in hoc eſſet conſuetudinarius, corriperetur graviùs, & deſiſtere compelleretur. Similiter ſi quis vellet adorare ad Aquilonem hodie, vel ad Occidentem, ſuperſtitioſus haberetur, nec ſuſtineretur ab Eccleſia: eodem modo ſi quis vellet ante arborem flectere genua, & adorare etiam creatorem conſuetudinariè, ſuſpectum hoc haberet Eccleſia, propter antiquam idolatriam, quæ ſub arboribus, & antè arbores ſolebat exerceri. Meritò igitur populo in idolatria enutrito, & ab idolatris circumquaque circundato interdictæ ſunt ſuſpectæ vicinæ idolatriæ obſervationes. Nos autem oſtendemus in ſequẽtibus in tractatu de idolatria, quòd obſervationes ſomniorum, auguriorum, conſtellationum, ſternutationum obviationum dierum, & horarum;

Superſtitio omnis fugienda.

H item figurarum, ſtigmatum, caracterum, imaginum, & impreſſionum, atque ſtrenarum, non ſolùm vicinæ idolatriæ ſunt, ſed etiam vera idolatria, cùm radicitùs & intimè fuerit perſcrutata.

Strenæ ſapiunt idolatriam.

CAPUT XV.

Oſtendit Moyſen prophetam, & Legiſlatorem ſapientiſſimum nihil præcepiſſe abſurdum, ac ridiculum populo Iſraëlitico ſibi commiſſo, & ideo omnia ejus præcepta juſtiſſimas cauſas habuiſſe, etiam intelligentia litterali.

LIcet autem ex his clarum tibi ſit, & meritò, quia juxtà litteram intelligenda ſunt ea, quæ abſurda

E videntur eſſe in lege, & quia cauſas habent juſtas ac rationabiles ſuæ præceptionis, & ſuæ prohibitionis, & quia tempus id, & populi ruditas, & ineruditio, idolatriæque proximitas, ac vicinitas, præcepta, & prohibitiones hujuſmodi requirebant. Oſtendimus etiam tibi, quia magna pars eorum etiam apud nos extant, ſicut prohibitiones obſervationum ſuperſtitioſarum, quas proximè enumeravimus, & quia etiam tales præceptiones & prohibitiones fiunt apud nos propter ſpeciem Judaïſmi, & Saracenìſmi, aliarumque ſuperſtitionum ſuſpiciones; & propter hoc meritò ex ſimilibus cauſis ſimiles præceptiones, & prohibitiones primitivo illi populo, & idolatriæ innutrito, & circumquaque obſeſſo, multò fortius faciendæ fuerunt: nunc verò dicemus quòd ſi hujuſmodi non haberent literalem ſenſum, ſive intelligentiam, multa inconvenientia, multaque abſurda viderentur. Horum primum eſt, quia ipſe legiſlator barbarus fuiſſet, & ipſa lex barbara quantùm ad hoc, cùm non

Iudaiſmus.

F intelligerentur à populo illo. Quid autem ſtultius ſentiri poteſt de propheta ſapientiſſimo, & legiſlatore, quàm ea locutum fuiſſe populo, & ſervare mandaſſe, quæ populus non intelligeret? quid autem erat hoc quàm populo illudere, ipſumque irridere? Amplius. Cùm dux & doctor populo illi datus fuerit, qualiter implebat doctoris officium, cùm ipſam legem ad populum ferebat; cúmque docere debebat, eis non exponeret & ediſſereret? Quid aliud erat hoc facere quàm populum in errorem inducere? proponere namque mandatorum literam, literalem intelligentiam non habentem, & hoc ipſum populo non exponere, nihil aliud eſt, quàm populum in intelligentiam literalem, ubi ipſa omninò non, eſt inducere, vel rudem populum, & omninò indoctum ad derivandam intentionem literali velamine abſconditam, & adumbratam cogere: ut quid enim vir tam ſapiens tamque fidelis populo, quem docendum ſuſceperat, intelligibiliter loqui nolebat? Simul igitur & fraudem doctrinæ fa-

Bonus legiſlator.

G cere videbatur, dùm eum abſcondebat, & ſimulatio erat doctrinæ, quantùm ad hujuſmodi non doctrinæ veritas, quod erga populum faciebat. Præterea mirabiliter abutebatur ſermone, ſeu loquela in hujuſmodi, ſermo ſiquidem interpres animi eſt: ſermo autem ejus quantùm ad hoc non interpres erat animi ſui, ſed magis abſconditor, & celator. Amplius. Tot & tanti doctores legis præceſſerunt in populo illo, & in iſto errore populum reliquerunt, nihil omninò ſuper hoc loquentes, & de alio intellectu, quàm de literali populum omninò non admonentes? Amplius. Ipſi prophetæ abſque ulla dubitatione, ſi alia intelligentia quàm literalis erat his, cùm ad corrigendum populum miſſi fuerint à Deo, quomodò ab iſto errore inter alios illum aut non correxerunt, aut de eo mentionem aliquam non fecerunt. Quod ſi quis dixerit, quia talibus præceptis & prohibitionibus non lo-

H quebatur lex populo illi, ſed populo novo, videlicet Chriſtiano, cui talium ſpiritualis intelligentia ſervabatur; contradicit expreſsè Apoſtolus in 3. ad Rom. Scimus quia quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur. Amplius. Quæ neceſſitas erat ut nobis lex tunc ſpiritualem intelligentiam loqueretur, cùm nondùm eramus? poſtquàm autem ædificata eſt Eccleſia Chriſtiana, non fuit neceſſe, ut lex in umbra illa figurarum nobis loqueretur, cùm ipſa evangelica veritas ad nos nuda & aperta veniſſet. Modis igitur omnibus neceſſe eſt talia literalem intelligentiam habuiſſe; improbabile namque valdè eſt totum populum Judæorum, qui ſchola totius legis jam tot millibus annorum fuit, totuſque in eadem à maximo uſque ad minimum doctus fuerit atque ſtuduerit, errorem iſtum non deprehendiſſe, & tam diu velut hære-

Nota Apoſtolus.

Digitized by Google

ditarium tenuiſſe, & ad poſteros tranſiviſſe; ſiquis autem quærat, quomodò hodie ipſi Hebræi iſta norunt quæ diximus & ſcripſimus de hujuſmodi abſurditatibus? reſpondemus, quia tempore ſuæ præceptionis & prohibitionis notiſſima erant ſapientiſſimis: rudibus autem & indoctis facillimè cognoſcibilia propter notitiam idolatriæ, & ſuperſtitioſarum conſuetudinum gentis Ægyptiæ, & aliarum gentium quæ eidem populo vicinæ erant. Periit autem ab Hebræis iſta ſcientia, tùm longitudine dierum, tùm afflictione, & diſperſione eorum, tùm etiam negligentia ſtudendi in lege, quam negligentiam, partim avaritia, cui admodùm deditiſunt, partim amor alienæ philoſophiæ induxit.

Scientia legis periit in Hebræis.

CAPUT XVI.

Probat teſtimoniis legis legem ipſam, non tantum litteralem intelligentiam, ſed etiam ſpiritualem habuiſſe, ac interiorem. Ideo dicit legem eſſe multiplicem, propter ſenſus varios, & myſticos. Vide in hac parte maximas laudes ſacræ ſcripturæ.

ET quoniam jam defendimus, & declaravimus litteralem intelligentiam legis, in his in quibus abſurda penitùs, & nullatenùs poſſibilis videbatur. Patefaciemus poſt hæc quia non ſolùm litteralem intelligentiam habet lex, ſed etiam ſpiritualem multiplicem à Deo, vt omninò intellectus illuminativus, & ædificativus animarum, qui ex eâ elici poteſt, in eâ neceſſariò ſit: & primùm oſtendemus hoc ex ipſius legis, & prophetarum teſtimoniis. Legitur ſiquidem Deuteron. 4. Hæc eſt enim ſapientia noſtra, & intellectus coram omnibus populis, ut audientes univerſi præcepta hæc, dicant, en populus ſapiens, & intelligens, quis enim propter litteralem intelligentiam ſolam, legis ſapientem & intelligentem cenſeat populum illum, præſertim cùm etiam parvuli Hebræorum illam doceantur à patribus ſuis, & hoc ex mandato Dei; prætereà, ſi nihil haberet intimæ intelligentiæ lex, non haberet apud eam locum ſcrutatio: quid ergo eſſet dicere? Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus. Et iterùm. Scrutabor legem tuam? Scrutata enim in animalibus inteſtina vel interiora ſunt. Ampliùs. Si non haberet niſi exteriorem iſtum ſenſum lex, quare David oraſſet ad Deum? Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua; cujus enim oculi adeò velati ſunt, vt iſta exteriora legis videre non valeat, quæ ut diximus etiam parvulis oſtenduntur? Ampliùs. Quæ ſunt iſta mirabilia de lege tua? quid enim admirationis habet carnificina ſacrificiorum, inſpectio leprarum, & infinibilis circuitus expiationum. Ampliùs? Mandata, judicia, teſtimonia, totaque fabrica tabernaculi, totaque ſupellectilia ejuſdem? quid inquam habent admirationis hæc omnia exteriùs? quid philoſophicæ ſubtilitatis? quid ſapientialis profunditatis? nunquid propter hæc conſideranda exteriùs vir prophetici ſpiritus David, qui ſuper ſenes ſe intellexiſſe gloriabatur, petebat revelari oculos ſuos? Ampliùs Quem intellectum petebat ſibi dari, cùm dicebat: Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua? Naturalem intellectum habebat, qui utique ſufficientiſſimus eſt ad omnem litteralem legis intelligentiam. Sublimiorem intellectum igitur petebat: ergò habent hæc mandata legis ſublimiorem intelligentiam quàm litteralem. Ampliùs. Qualiter beatum dicit David virum, qui in lege meditatur die ac nocte: cùm meditatio exteriorum de his quantùm ad majorem ſui partem etiam oneroſa & tedioſa videatur. Quòd autem multiplex ſit lex, non multitudine mandatorum, quia hoc ridiculoſum eſſet dicere: expreſſè legitur Job 11. utinàm Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, ut oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quàm multiplex ſit lex ejus. Quòd enim multiplex ſit multitudine mandatorum, oſtenſione non indiget, ſimiliter Oſeæ 8. Scribam eis multiplices leges meas. Ut autem ad unum dicamus, manifeſtum eſt, quia liber legis totius, vt etiam libros prophetarum comprehendat, toti populo Hebræorum datus eſt, ut in eo totus erudiretur, & doceretur. Inconveniens autem eſt, & omninò ſupervacuum, rudibus, & etiam doctis eandem lectionem proponere. Quis enim magiſter hoc faciat in ſchola ſua, ut non unicuique diſcipulorum ſuorum pro captu ipſius, ſive capacitate lectionem proponat? Quantò magis omnium eruditor Deus in ſchola ſua in qua tantus populus erudiendus, & docendus erat, unicuique de populo, prout capacitati ejus congruebat, lectionem propoſuit? ergo & rudibus initialia, & provectis ulteriora, & doctis ſublimiora propoſuit. Et iterùm, quia in eis quæ docti erant diverſi gradus inveniebantur, ita ut alij eſſent eminentes, alij eminentiores, & in his etiam multa varietas, neceſſariò proviſum eſt omnibus in ſchola Dei de convenienti unicuique doctrina. Non autem proviſum eſt eis ſic per unicam lectionem: proviſum igitur eſt eis per tantam varietatem, ac multitudinem lectionum; non autem eſt eis proviſum niſi in uno libro, qui ſolus in ſchola Dei legebatur: in illo igitur libro congeſſit Deus tantam varietatem, ac multitudinem lectionum quantam requirebat varietas, & multitudo lectorum. Ampliùs. Quoniàm doctrina cibus eſt intellectus, & doctor dapifer eſt, miniſtrans hujuſmodi cibum, ſchola cænaculum, liber menſa: menſam autem Dei refertiſſimam neceſſe eſt eſſe ferculorum menſæ congruentium, & convivis Quid enim divinæ largitati, ejuſque divitiis, magis indecens eſt, magiſque repugnans, quàm menſam ejus diminutionem vel defectum pati, aut in abundantia ferculorũ, aut in varietate ſeu multitudine; ad ſatietatem igitur convivarum, & delitiis refertam oportet eſſe menſam Dei varietate, ac multitudine ferculorum. Fercula autem intellectus, quibus reficitur mens humana per doctrinam, intelligentiæ ſunt, & expoſitiones eloquiorum. Tanta igitur eſt in Dei eloquiis varietas, ac multitudo intellectuum, & expoſitionum, quantam requirit varietas ac multitudo reficiendorum. Quare quicquid indè mordere, ſive exugere poteſt quicunque convivantium, totum ibi appoſitum eſt. Idem autẽ eſt indè mordere & exugere aliquid, quod eſt indè elicere. Manifeſtum igitur eſt quòd intendebamus, quia omnis intellectus illuminativus animarum, qui ex lege elici poteſt, in eadem eſt. Hæc autem plenitudo, & varietas ferculorum melius innoteſcet tibi maſticando, id eſt diſcutiendo, & comedendo, id eſt intelligendo, quàm enarrando; ita ut verè cognoſcas ſapientiæ cœleſtis artificio congeſta eſſe in unum volumen ſacræ ſcripturæ ea eloquia, quæ humanæ mentis refectiones innumerabiles contineant. Sicut legitur Proverb. 13. Multi cibi in novalibus patrum. Et ubi rectè & propriè ac diligenter exponuntur propter ſenſus, qui indè eliciuntur, apertè videas dicta eſſe. Apparebit etiam tibi ipſa ſcriptura, velut minera eſſe, venas habens omnium metallorum, & lapidum: undè & ferrum trahitur ad conterenda dura corda, ad ea fabricanda in vaſa utilia, in vaſa belli, in lanceas, ſcilicet gladios, & ſagittas. Deindè aurum nobilis ac pretioſæ ſapientiæ ad ditanda eadẽ corda & exornanda. Deindè argentum ſuaviter ſonans, puræque & examinatæ eloquẽtiæ. Deinde gemmæ vernantes, ac coruſcantes virtutum nobilium: iſtos autem theſauros in ea inveniunt qui in ea quæ-

Lex etiam ſpiritualis.

Pueri legem diſcebant ex præcepto Dei.

Pſal. 118.

David.

Nota diligenter.

Lex multiplex.

Gradus ſcientiæ.

Menſa Dei variis ferculis abundans.

Eloquia Dei.

Laus ſacræ ſcripturæ.

runt. Sicut legitur Proverb. 2. Si quæſieris eam, quaſi E pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, qui in ea, ut operarij minerales laborant, quærendo ſcilicet, & effodiendo in ea prænominatas divitias: vacuos autem & inanes reliquit eos, qui volunt videri ejus operarij, & tamen in eâ operari recuſant: propter hoc dictum eſt Sapientiæ 7 Infinitus eſt in ea

Laus ampla.

theſaurus hominibus. Videbis etiam eam eſſe velut hortum deliciarum, immenſam varietatem arborum, foliorumque & fructuum habentem animabus, non ſolùm amœniſſima umbracula foliorum, ſed etiam fructuum ſuaviſſimas refectiones præſtantem. Invenies autem indubitans cellam vinariam ad jucundandum, & inebriandum bibentes. Cellam pigmentariam ad confortandos, medicandos, & deliniendos comedentes: cellam unguentariam, ad decorandos, aromatiſandos, medicandos, ſanctificandos, & exaltandos in reges & ſacerdotes eius unguentis uti volentes. Deinde ſecretarium divinorum conſiliorum ſanctuarium, res ſacratiſſimas cuſtodiens, F & eas dignis & mundis ſolis largiter exponens.

CAPUT XVII.

Quatuor ſenſus non literales, quatuor modis fieri ſubtiliter explicat, & probat, & alia quædam de ſenſibus myſticis affert, atque ſimilitudinibus, & parabolis, quæ paſſim occurrunt ſacras literas legentibus.

QUIA verò nonnullos offendunt, & graviter ſcãdaliſant ſacræ ſcripturæ hujus expoſitiones, undè & abuſivè impoſitiones eis potiùs videtur, quàm expoſitiones quædam earum; laborabimus paucis, ut eis ſuper hoc ſatisfaciamus. Scito igitur, quia ſignificationes non literales quatuor modis fiunt. Primùm facto ipſo, videlicet cùm res ad hoc factæ ſunt, ut ſignificent ſicut factum illud Iſaiæ, quo ivit nudus, & diſcalciatus. Et factum Ezech. quo fecit ſibi vaſa G transmigrationis, &c. Quæ utique ad hoc facta ſunt, ut ſignificarent. In his ergò manifeſtum eſt, quia alia ſignificatio, quàm literalis, quærenda eſt in eis: propter hoc dixit Iſaias in 8. Ecce ego & pueri quos dedit mihi dominus in ſignum, in portentum, &c. Similiter & Ezechie. in 4. Signum eſt domui Iſrael. Et iterùm, Ego Ezechiel portentum veſtrum: Et apparet in eodem capitulo per totum, quia quicquid factum eſt in Ezechiel, ſignificabat mala quæ futura erant domui Iſrael.

Primus modus.

Secunda ſignificatio eſt dicti, quando videlicet aliquid dicitur ad ſignificandum expreſsè, ſicut illud Ezechie. 17 Aquila grandis magnarum alarum, &c. Et propter hoc vocatur ibidem ænigma, & parabola, & iſtæ duæ ſignificationes neminem offendunt: cùm enim exprimitur in ſcripturâ de facto quocunque quod ipſum fiat, vel factum ſit ad ſignificandum, & de dicto ſimiliter quod ad hoc dicatur vel dictum ſit, ut ſignificet aliud quàm literalis ſenſus habeat, nemo offenditur, ſi aliud in his H quàm literalis ſenſus habeat requiratur.

Secundus. Ænigma Parabola.

Tertius modus eſt ſecundùm conſequentiam, quemadmodùm dicimus: quòd ubi corporalis, & exterior idolatria prohibita eſt, intelligitur ſecundùm conſequentiam prohibita ſpiritualis, & iſte intellectus ſimiliter neminem offendit: cùm enim diximus, quia ubi Deus prohibuit adorari idolum aureum, quod utique ſimilitudinem aliquam habet viventis & adjuvare valentis, inſinuavit, & intelligi dedit ſe nolle quòd aurum nudum, hoc eſt abſque formâ idoli adoraretur; & propter hoc prohibitio avaritiæ ſecundùm conſequentiam in illa prohibitione intelligitur. Eſt enim avaritia idolorum ſervitus: ſicut legitur in 5. ad Epheſios; ſimiliter & ubi prohibuit falſum teſtimonium dici contra proximum in cauſa modica pecuniaria, prohibuit per conſequens & in cauſa famæ, cùm fama pretioſior ſit pecunia: eodem modo ubi prohibuit, ne ligaretur os bovi trituranti, prohibuit per conſequens, ut operarius non fraudaretur cibo ſuo. Si enim hanc æquitatem voluit ſervari in bobus ut collaborantes etiam comederent, multò fortiùs in hominibus, hunc modum ſignificationis, quilibet intellectus recipit.

Tertius.

Avaritia.

Deut. 25.

Quarta ſignificatio eſt per ſimilitudinem rerum, quæ non ad hoc factæ ſunt, ut ſignificent; & hæc eſt quæ multos offendit, & propter hoc quia abuſivum eis videtur res ad ſigna trahere, quæ non ad ſignificandum factæ ſunt, quale eſt id Hieremiæ 8. Nunquid ſicut facit figulus iſte non potero vobis, domus Iſrael, ait dominus. Diſſipatio enim vaſis quæ priùs fiebat, & formatio vaſis alterius factæ ſunt ut ſignificarent; & cùm eis ad ſignificandum uſus eſt Deus, neque offenderetur quis audiens hujuſmodi expoſitiones, ſeu interpretationes, ſi diceretur ei hoc modo. Quemadmodum dicit dominus. Nunquid non ſic facere vobis potero? ubi de ſignificatione nihil locutus eſt, ſed de ſimilitudine tantùm. Quemadmodùm & Hieremiæ tertio, non dixit quicquam de ſignificatione, ſed ſimilitudinem & modum tantùm expreſſit dicens. Quomodò ſi mulier contemnat amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſrael. Non dixit, quia contemptus hujus mulieris ſignificaret contemptum filiorum Iſrael, nec dixit, quòd amator hujus ſignificaret ipſum, neque dixit, quòd diſſipatio, aut reformatio vaſis prophetia eſſet, vel parabola ejus quod ipſe operatus eſſet in populo Iſrael, vel quòd figulus eſſet figura ipſius, ſed expreſſit modũ ſeu ſimilitudinem notã inter opus figuli & opus ſuum, & inter factum mulieris contemnentis amatorem ſuum, & factum populi Iſrael: quomodò ſi loquerentur ſacri expoſitores, & doctores in allegoriis, & tropologiis ſuis, etiam anagogicis interpretationibus, & ſcripturæ ſatisfacerent, & audientium ſive legentium intellectus non offenderent.

Quartus per ſimilitudinem.

Similitudines.

Allegoria. Tropologia. Parabola.

Sed quia dicetur tale quid, ſignificat tale quid, & eſt figura ſeu prophetia, aut parabola talis rei, cùm alterum propter alterum ſignificandum, nec factum, nec dictum videatur, offendunt graviter audientes. Quemadmodùm ſe habet in facto David & Uriæ, quod legitur in 11. & 12. Regum; ubi dicunt quòd David qui utique proditor erat in facto illo, & adulter, atque homicida ſignificat Chriſtum, Urias autem vir ſanctus & fidelis, diabolum. Et iterùm adulterina illa copula Davidis de Berſabee, proditione, & homicidio exectabili ſignificat ſanctiſſimum matrimonium, & immaculatiſſimam copulam Chriſti & Eccleſiæ de gentibus; quæ auribus multorum multam indignationem ingerunt, fidemque ſacrarum expoſitionum, aut penitùs in eis abrogant, aut multùm lædunt. Primùm, quia iſtud non eſt factum ad ſignificandum, nec veriſimile eſt multis, quòd propter hoc ſit ſcriptum.

Similitudo impropria.

Similitudo recta.

Si autem ita dicerent, quomodò rex David Berſabee adamavit, & pro amore ipſius mortem viri procuravit, quomodò illam regali connubio honoravit, & regali ſolio exaltavit: ſic rex cœlorum Chriſtus dominus ſynagogam adamavit, & procurata morte magiſtratus, ſeu principatus ejus, cui velut marito ſuberat, eam connubio ſuo ſpirituali honoravit, & cœleſtis regni ſolio ſublimavit. Si inquam de modo tantùm aut ſimilitudine mentionem facerent, & ipſam ſimilitudinem decenter, ac diligenter proſequentes exponerent, abſque offenſione ulla audientium hoc fieret. Eodem modo de Eccleſia, de gentibus, quòd procurata morte diaboli, morte ſcilicet ſpirituali, cui velut marito ſuberat; undè & vocabat ipſum Bahalim, quod interpretatur vir meus, quod ſic & ſic ei fecit, non ſolùm pacificè, ſed gratanter etiam audiretur: verbum ergò ſignificandi, eſt quod in parte iſta graviter offendit auditores atque lectores. Quamquàm verum ſit, quòd omnium duorum ſimilium,

Digitized by Google

ſimilium, quorum alterum eſt intellectui noſtro propinquius, nobiſque notius; ſignum naturale eſt id minus noti, atque ab intellectu noſtro remotioris. Signũ inquam eſt naturale illius, & velut liber in quo legitur, unde & quaſi natura docente, altero ad alterum declarandum utimur; hoc ergo modò ſacri doctores, & expoſitores, ſanè & abſque offendiculo ullo dicere poſſunt, quia factum illud de Berſabee factum ſignificavit eccleſiæ de gentibus, ſignificavit propria ſimilitudine, tanquàm naturali deſignatione Licet autem ſpiritui ſancto, & ſcriptoribus ejus notioribus ſimilibus uti ad minus nota ſignificanda & declaranda. Secundò, propter rerum multam diſſimilitudinem & nimiam, ubi magis violenta eſt ſignificatio in ipſis, quàm rerum ſignificatarum expoſitio. Et in hoc errant imperiti multi, qui neſciunt qualiter tractandum ſit verbum veritatis, ſed ingenium ſuum, ut ait Hieronymus, facere nolunt eccleſiæ ſacrificium; & propter hoc dixit ſuper Abac. Tropologia libera eſt, & his tantum legibus circunſcripta, ut pietatem ſequatur in intelligentiæ, ſermoniſque contextu, nec in rebus multùm inter ſe contrariis violenta ſit copulandis Tertium, eſt ignorantia explicandi, proſequendique ſimilitudines, ex quo defectu accidit, & illud quod diximus, ut non credatur expoſitionibus, maximè ubi ex ſimilitudine potiſſimùm ſignificant. Ceſſante namque in his rerum ſimilitudine, ceſſat & ſignificatio apud audientes. Quartum, eſt ignorantia ejus videlicet quòd ſolùm in negotio ſignificat, ſicut accidit in ſomnis quæ expoſuit Ioſeph in 40. & 41. Geneſis. Tres enim propagines, & tria caniſtra panum propter numerum tantùm ſignificaverunt tres dies, de quibus ibi agitur, & ſolus ternarius, quantùm ad dies illos ſignificat. Erraret enim intolerabiliter qui caniſtra, vel propagines, in ſignificationem dierum detorquere vellet; propter hoc dictum eſt, quia ſacra ſcriptura eſt velut cithara, in qua non omnia ſonant. Dicemus autem tibi ſuper hoc ſermones univerſales duos. Primùm, quia tanta eſt continentia ſeu contentus ſacrorum cum his, & in his ſignificationibus, ut nullomodò videri poſſint, niſi divinæ ſapientiæ artificio in unum volumen collecta. Univerſaliter enim expoſitiones ſalutarem doctrinam reſonant, & in eis admirabiliter ſibi conſonant, quibus utitur eccleſia ſanctorum. Non igitur caſu factum eſt, ut ita ordinaretur, ut ita ſibi invicem conſequens, & conſona eſſe in tanta varietate expoſitionum ſacra ſcriptura, ut abſque ulla diſcrepantia in unam concordiam ſacræ doctrinæ concordarent omnes ejuſdem libri, omneſque librorum partes, ut unam veritatem catholicam, ac ſalutarem concorditer reſonarent: univerſalitas enim in rebus omnibus ſignum eſt providentiæ & artis. Secundùm eſt, quia quemadmodùm ex Dei bonitate factum eſt, & abſque ulla dubitatione credendum, ut omnia opera ſua fecerit, propter omnem bonum uſum, & utilitatem, quæ ex eis quacunque induſtria elici poſſunt: ſic omnia dicta ſua ſive eloquia propter omnem bonum uſum, & utilitatem, quæ ex eis quacunque induſtria elici poſſunt, & dicta voluit eſſe, & ſcripta. Quare propter omnem illuminationem intellectus humani, ac propter omnem ædificationem eccleſiæ ſuæ, quæ inde elici poſſunt, ea voluit eſſe, & dicta, ſcripta: propter omnem igitur intellectum ad eruditionem noſtram ſalutarem pertinentem, qui inde elici poteſt, voluit ea dicta eſſe & ſcripta. Attende igitur diligenter iſtas duas radices, & videbis evidenter non humano ſenſu, non fortuito caſu ſacram ſcripturam editam eſſe & ſcriptam ſeu ordinatam, ſed ſapientiæ cæleſtis artificio admirando. Videbis etiam ad magiſterium divinæ pietatis pertinere, ut omnes

Senſus ſpiritualis. *Tropologia violenta.* *Scandaloſæ ſimilitudines.* *Varietas expoſitionum.* *Univerſalitas.* *Sacra ſcriptura mirabili artificio conſtat.*

A libri ejuſdem propter omnem eruditionem, & edificationem, quæ inde elici poteſt, ſcripti ſint. Alioquin reſtrictior eſſet intentio ejus in parte iſta, quàm ejus largitas patiatur.

CAPUT XVIII.

Proponens deſtruere, & ſubvertere deliramenta legis Macometicæ & legis ipſius ridiculoſitatem, impoſſibilitatem & fraudulentiam aperire, quædam de ipſo ſeductore, & audaciſſimo impoſtore Macometo præmittit, de gente Iſmaelitica, de Neſtorio, Sergio monacho, ipſius Macometi præceptore, deque Sarracenis, qui verè ſunt Agareni: quia ex Agar per Iſmaelem orti ſunt.

B POſtquàm autem auxilio Dei oſtendimus intelligentiam litteralem legis Hebræorum, in his in quibus videbatur abſurda, & nullomodò conveniens ſapientiæ tanti prophetæ, nedùm ſapientiæ Dei, & declaravimus omnes cauſas præceptionis & prohibitionis hujus, & hoc rationibus, exemplis, atque ſimilitudinibus: & quia ſimilis neceſſitas induxit eccleſiam Dei, ut apud eam pars hujus prohibitionis & præceptionis perpetuò ſtaret, ſicut prohibitio ſtigmatum, & characterum, ſeu figurarum, ſimiliter auguriorum, & omnium divinationum, obſervationum, quæ quolibet modò vergunt in idolatriam; & pateſecimus inſuper, quia præter intelligentiam litteralem, in eadem lege eſt omnis intellectus ad ſalutarem eruditionem pertinens, qui ex ea elici poteſt non qui per quamcumque violentiam, litteræque repugnantiam eidem abuſivè imponi poteſt. Hujuſmodi enim intorſiones ſcripturæ, non C expoſitiones ejuſdem ſunt, ſed abuſivè impoſitiones; & quia divinæ bonitatis intentio fuit de ſcriptura ſacra, ut omnis intellectus ſalutaris eruditionis, qui ex ea convenienter, ut diximus, elici poſſet, in ea intelligeretur; & quia per omnem hujuſmodi intellectum ipſe intellexit eam, quemadmodùm in omni creatura ſua, intendit omne bonum, quod ex eâ, ſive per eam provenire poteſt intenſiùs; & propter omne illud bonum creavit eam; ſic & propter omnem hujuſmodi intellectum ſacram ſcripturam inſpiravit aut edidit. Poſtquàm inquam de his omnibus prout de divinæ largitatis dignatione excedimus, expediti ſumus, accedemus juxtà promiſſum ad deſtructionem deliramentorum, & inſaniarum Macometi, quæ nomen legis intolerabili abuſione uſurparunt: hanc autem abuſionem induxit ſeducto populo per ipſum, & inſipientium multitudinem, quæ ipſum ut prophetam & mendaciſſima figmenta ejus, ut legem ſuſcepit. Scito igitur imprimis hunc fuiſſe de genere Abrahæ per Iſmaelem, qui inſtitutor gentis Arabum fuit, ut dicit Joſephus, & ab ipſo Iſmahele, gens Arabum magnificanda accepit juxta promiſſionem Dei dicentis ad Abraham Geneſ. 16. Filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt. Et iterùm ad Agar in eodem ejuſdem. Surge, & tolle puerum & tene manum ejus, quia in gentem magnam faciam eum. Et iterùm ejuſdem 17. ad Abraham. Super Iſmael quoque exaudivi te: ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valdè, duodecim duces generabit, & faciam illum creſcere in gentem magnam. Quæ promiſſiones implendæ pro parte videri poſſunt ex eo quòd legitur 7. Judicum de bello contra Madianitas: totus ille enim exercitus Madianitarum de gente Iſmahel fuit ſecundùm narrationem Methodij. Antè tempora verò Caroli magni, adeò multiplicata eſt gens Iſmahelitarum, adeoque dilatatum regnum ejus, ut & totam Hiſpaniam ſuperiorem, totam provinciam, totamque Aquitaniam

Prohibitio characterum. *Deliramenta Macometica.* *Macometus de genere Abrahæ.* *Gen. 16. Nota.* *Gen. 17.* *Iudic. 7.* *Gens Iſmaelitica.*

Digitized by Google

& ferè uſque ad Bituricam, & Andegaven. diœceſ. occuparent, donec miſericors Deus per præfatum principem, uſque ad fines regnorum Hiſpaniæ, quæ chriſtianitas nunc eo auctore obtinet, bellis mirabilib⁹. & triumphis nobilibus eos expugnās diffugavit. In noviſſimis verò diebus dixit prænominatus martyr, filios Iſmahelis exituros de deſerto, tanta multitudine, & fortitudine futuros, ut toti mundo dominentur, & ipſum regnum chriſtianorum occupent, & populum chriſtianum peccatis facientibus, dira ſervitute opprimant, & affligant aliquot annis, donec miſericors Deus populum ſuum reſpiciens viſitet, & per regem chriſtianorum tunc futurum de tanta etpiai ſervitute, ſubjiciens verſa vice filios Iſmahelis chriſtiani populi ſerviruti. Et hæc erit ſumma ac noviſſima gentis illius exaltatio, & altitudo: tanta enim virtute opprimetur & affligetur à populo Dei, quòd de cætero non adjiciet ut reſurgat, juxta ſæpè nominati martyris narrationem. Incepit autem peſtis hujus tam ridiculoſæ tamque pernitioſæ ſectæ, temporibus Heraclij Imperatoris vacillante tunc Romano Imperio, & ad occaſum vergente, barbaris nationibus illud undique multiplici rebellatione concutientibus, regnis terrarum jugum ejus abjicientibus, & ſe erigentibus contra illud, à quo tempore, uſque hodie, nec lacerari deſiit, nec diſcerpi. Nec autem opineris ipſum fuiſſe Macometum philoſophum, qui vocatus eſt albategni, hujus enim librum de aſtrologia, Plato Tiburtinus ex Arabico eloquio, tranſtulit in latinum, quæ libri illius nobilitas philoſophica, atque profunda ſolùm nomen Macometi ipſum habuiſſe, commune tamen cum homine illo, ne dicam ruſticano, ſed ut ait quidam veriſſimè vaccino, atque porcino, comprobat evidenter. Abſit enim, ut tantus philoſophus ita deſiperet, itaque peculariter ſentiret. Creditur à nonnullis, quia iſte Macometus à Sergio monaco Neſtorij hæretici diſcipulo, ſeductus ſit, & in hæreſim illam ductus, qua contra divinitatem domini noſtri Ieſu Chriſti blaſphemavit. Naturam enim divinam in Chriſto domino, & in Deo patre æternam generationem apertè, & ſæpè negat in lege ſua. Iſte autem Sergius, poſtquàm damnati ſunt Eutiches & Neſtorius magiſter ejus in ſynodo conſtantinopolitana, pro eo ſcilicet, quòd duplicem naturam in Chriſto divinam ſcilicet, & humanam eſſe negabant, tranſtulit ſe in Arabiam, ubi vitam eremiticam ſimulans tantæ religioſitatis, ac ſanctitatis apparuit, ut Macometus ipſum habere doctorem voluerit, & illum Gabrielem Archangelum interdùm vocaverit, abſcondens, & revelare non audens, quòd inſanias, quas hominibus deceptis tradebat, ab homine didiciſſet. Has enim promiſſiones tenens gens Iſmahelitarùm ex traditione Iſmahelis, ſperavit eas ſemper in aliquo gentis ſuæ adimplendas eſſe, quemadmodùm gens Hebræorum promiſſiones factas Abrahæ, Iſaac & Iacob. Methodius autem martyr in libello revelationis ſuæ, quæ facta eſt ei in remotiore carcere oranti ad dominum, ut revelaret ei de primis & noviſſimis mundi ea, quæ ſcripta ſunt in canone ſcripturæ, dicit iſtas promiſſiones factas de Iſmahele impletas fuiſſe in Macomero, qui & Macometh. & blaſphumo, & narradaſch vocatus eſt; gens enim Iſmahelitarum, & regnum, gens Arabum & gens Sarracenorum, ſed nomen Sarracenorum falsò ſibi uſurpant à Sara, tanquàm filij Sarræ per Iſmahelem, cùm tamen nihil cognationis, ſed ſolam adoptionem ad Sarram habent, ſicut legitur Geneſ. 16. Alij autem dicunt eos vocatos Sarracenos à Sarram civitate, in qua primum, vel maximè gens illa, vel crevit, vel dominata eſt. Verè autem Agareni ſunt, quia ex Agar per Iſmahelem deſcenderunt; hic ergo legis Abrahæ latorem ſe dixit, & ipſum Abraham Sarracenum fuiſſe evidenter aſſerit in lege ſua

Secta Machometi quando.

Alter Macometus Philoſophus.

Sergius monachus.

Eutiches & Neſtorius.

Methodius

Sarraceni.

Agareni.

E Quoniàm autem ſtudioſè prædicavit unum verum, ac ſolum Deum eſſe, & idolatriam potenter in gladio, ac ſtrenuè exterminavit, ſodomiticam ſpurcitiam interdixit, & alia quædam honeſtavit, & quædam inhoneſta prohibuit, multi de ſapientibus gentis ſuæ crediderunt eum, & credunt adhuc verum Dei, ac fidum fuiſſe prophetam. Et quæ iniqua videntur in lege ejus genti illi magis permiſiſſe pro decipientia, & ruditate ſua, quàm injunxiſſe, abſurdaque & ridiculoſa plurima, quæ in lege ejus inveniuntur, non dixiſſe, nec ſcripſiſſe, nec ſenſiſſe, ſed magis ab inimicis veritatis partim inſerta fuiſſe, partim verò, aut imperitia, aut negligentia diſcipulorum ipſius, diſcordiaque & contradictione eorundem, aut mutata eſſe, aut aliter corrupta; & de iſta contradictione atque diſcordia, multa leges in libello diſputationum cujuſdam Chriſtiani, & cujuſdam Saraceni, qui tacitis nominib⁹ ſuis, de legib⁹ ſuis diſputāt utroque legē ſuam defendente, & legem alterius

F impugnante. Omni modò enim improbabile eſt, & procul à veritate videtur, hominem, qui ſe Dei prophetam, ejuſque legiſlatorem dicebat, ridiculoſa deliramenta, tam ſpurca dogmata genti alicui tradere auſum fuiſſe, niſi fortè, vel mente captus, vel alia occaſione decipiens extiterit. Quia igitur de vita ejus, & de geſtis, apud alios multa leguntur, præter intentionem eſſet præſentis propoſiti: quòd autem gens Saracenorum iſtas inſanias, quas in lege ejus legimus, tenet, veneratur, ut divina oracula per Dei prophetam ad ſe miſſa, & ſervat, ut Dei mandata; deſtruemus eas oſtendentes ridiculoſitatem earum, & impoſſibilitatem, ut diximus. In hac ergo lege, & mendatiis, multa vera inſerta ſunt, & malis bona commixta; vel malignitate fallendi videlicet, ut aut falſis propter vera crederetur, aut ut mala propter bona reciperentur. Cujus inſipientiam, immò veſaniam, cujus præſumptionem, & auſum, nemo poteſt intelligens non mirari.

Lex Macometica.

G

CAPUT XIX.

Oſtendit primo Macometum, qui ſuis nonniſi carnalem fœlicitatem, ſcilicet delitias vitæ hujus, & maximas voluptates promiſit, non intellexiſſe fœlicitatem futuræ vitæ, quia cum cibos illis lautiſſimos promiſerit, & corporis nutrimenta delicatiſſima, nihil aliud promiſit, quàm laborioſum & miſerum conſiſtium contra ruinam, ac defectionem corporis, & ſubtiliter argumentatur, quòd deſideria cum delitiis creſcunt, & quod ſpirituales delitiæ non poſſunt carnalibus copulari.

Radicales autem errores quibus gentem illam brutalem ſeduxit, in hoc loco deſtruere intendimus. De Paradiſo Macometi, ſcilicet, & fœlicitate

H quam nonniſi carnalem eis promiſit, & illam ſpurciſſimam. Promiſit ſi quidem eis delitias epularum corporalium, dapiferos, & pincernas Angelos. Deindè pretioſitatem veſtium, & lectorum, umbraculorumque amœnitates. Tertiò, delitias concupiſcentiarum, & blandimentorum muliebrium. Dicemus igitur imprimis ſermone univerſali; quia ut ait Tullius, voces iſtæ pecudum videntur eſſe, non hominum, & quia magis, & minùs non diverſificant ſpeciem; manifeſtum eſt, quia non alia bona, quàm habeat vita iſta, promiſit deceptor iſte deceptis ſuis. Cùm enim promiſit eis flumina lactis, & vini, & mellis, non promiſit eis alios liquores ſecundùm ſpeciem, quàm habeat vita iſta, & ſi fortè guſtu ſuaviores: eodem modò ſe habet, & de ſaporibus, cùm determinati ſint numero ſpecierum ſuarum, nec ampliores, aut alij eſſe poſſint. Eodem modò ſe habet de omnibus generibus ciborum; quare

Paradiſus Macometi.

Tullius.

Digitized by Google

A Quare manifeſtum eſt, quia non aliam fœlicitatem promiſit, & carnalem, quam habebat vita iſta, nec aliam vitam prædicavit, quàm ſit vita iſta; ſed eandem majorem, aut melioratam. Ex quo relinquitur, quòd divites, & abundantes hujuſmodi delitiis, hîc, id eſt in hac vita, obtineant hujuſmodi promiſſiones ipſius. In vanum igitur eos propter hujuſmodi delitias, & divitias oneravit obſervatione mandatorum ſuorum, in vanum eas alibi, vel ſperandas, vel quærendas præcepit; ſtultiſſimum enim eſt propter bona, quæ abundanter hîc haberi poſſunt, ut alibi habeantur laborare, niſi forſitan propter hoc, ut quia hîc per mortem amittenda ſunt, alibi recuperentur.

Nota.

Summa igitur eſt ratiocinationis noſtræ in hoc, quòd intentionem, & veritatem Paradiſi, & fœlicitatis non intellexit, qui tam propinquam vitæ præſenti eam poſuit, & tam vilem, ut in ea etiam bruta animalia communicent. B In hoc ergo ferè æquavit eam vitæ præſenti, ut nos docebimus in ſequentibus, quòd longè melior eſt vita præſens, etiam flagitioſa, quàm fœlicitas illa, quæ in hoc etiam homines brutis animalibus ſimiliter penè coæquavit, dùm non aliam fœlicitatem hominibus poſuit, quàm cujus & bruta animalia poſſent eſſe conſortia.

Nutrimẽtum corporis quid.

Quærimus autem ab eis, utrùm cibi hujuſmodi, & potus, corpora hominum nutriant; quòd ſi nutriant, nutrimentum autem non erit, niſi reparatio conſumptionis, quæ fit per motum, & calorem vitalem; erit igitur ibi conſumptio, & reparatio corporum, quare corpora erunt & conſumptibilia & reparabilia, quare & defectibilia, & mortalia in ſe, & moritura de neceſſitate, niſi morti eorum, & conſumptioni per nutrimentum occurrunt.

Nota diligenter.

Hæc autem eſt admixtio magna miſeriæ, videlicet quotidianus conflictus C contra ruïnam corporis, & quotidiana refectio contra ejus continuam defectionem, ſive conſumptionem, eruntque epulæ hujuſmodi non ſolùm fœlicitatis, ſed etiam urgentiſſimæ neceſſitatis, qua per conſumptionem corpora in mortem fluentia, neceſſe eſt quotidianæ refectionis alimonia retineri. Ampliùs, quia proportionabiles, immò æquales ſunt ſemper delitiæ deſideriis ſuis, aut erunt majora deſideria carnalium voluptatum hominibus in vita illa, quàm ſint in iſta, aut non, ſi non erunt majora deſideria: ergo neque delitiæ, cùm deſideria proportionabilia ſint aut æqualia delitiis, æqualiter enim deſiderata, ſive ab eodem, ſive à diverſis, æqualiter delectant, ſive eundem, ſive diverſos.

Deſideria cum delitiis creſcũt.

Quòd ſi dixerit, quia majora erunt deſideria, & hoc pro majoritate delitiarum, ita videlicet, quia addetur deſideriis quemadmodùm & delitiis, & creſcant deſideria, quantùm & delitiæ. D Quia igitur æqualia æqualibus adduntur in iſta remuneratione, ſeu fœlicitate, quam promittit, tota fiunt æqualia: quare nec major eſt fœlicitas hæc futura, quàm præſens, nec minor miſeria, ſicut & ſitis, & fames. Similiter & æquales ſint delitiis ciborum & potuum in vita iſta, & æquales fiant his & illis additiones, atque æqualiter creſcent in illa, quam promittit fœlicitate; ergo & in illa erunt æquales fames & ſitis ſuis delitiis, ſicut & modò ſunt. Quantùm igitur creverunt delitiæ ciborum, & potuum, tantùm & malitiæ famis & ſitis. Et ſimiliter quantùm crevit fœlicitas ciborum, & potuum, tantùm miſeria famis, & ſitis. Quare quantùm in vita illa fœliciores erunt, quàm in iſta, tantùm & miſeriores. In nullo igitur eſt major fœlicitas vitæ illius, quàm iſtius in nullo minor miſeria. Quemadmodùm enim ſi aquam tepidam, per admixtionem aquæ calidioris, aliquis ex una parte calefacere vellet, è contrario autem æqualem aquam, & æque frigidam, ut illa calida, immiſceret, aqua in nullo proficeret ad calorem,

A Sic & quantumcunque augeantur delitiæ carnales, poſtquàm ex adverſo tantùm augentur & moleſtiæ contrariæ illis, in nullo proficitur per hujus augmentum ad voluptatem.

Moleſtiæ augentur cum carnalib. delitiis.

Ampliùs. Aut erunt fames, & ſitis in vita illa, aut non erunt; ſi non erunt, aut erunt ibi evacuationes ventrium, & conſumptiones corporum quas neceſſe eſt reparari per nutrimentum, aut non, ſi erunt ibi, cùm fames, & ſitis ſenſus ſint hujuſmodi evacuationum, & conſumptionum; igitur non ſentientur, cùm fames, & ſitis ibi non ſint. Ex quo duo inconvenientia manifeſtè ſequuntur; primum eſt, mortificatio naturæ ipſius, quæ tantum ſui malum, videlicet conſumptionis, & evacuationis non ſentit. Secundum eſt, non eſſe ibi delitias cibi & potus.

Delectatio quid.

Vbi enim nec fames, nec ſitis eſt, impoſſibile eſt delectationem eſſe in cibo, vel potu; cùm delectatio non ſit, niſi quies deſiderii, & impletio vacuitatis illius. B Si verò fames, & ſitis ſunt ibi, magna pars præſentis miſeriæ ibi eſt, & illa utique incomparabiliter major, quàm hîc ſit, cùm delitiæ ciborum, & potuum majores incomparabiliter ibi ſint, quàm hîc. Impoſſibile enim eſt, ut magno incomparabiliter delectetur quis comedens, aut bibens, niſi incomparabiliter magna eſuriat, aut ſitiat. Ampliùs. Sicut vera miſeria nihil habet contrarij hoc eſt fœlicitatis; ſic vera fœlicitas nihil habet miſeriæ: quare nihil famis, aut ſitis, & ideò nihil paupertatis, & indigentiæ. Indigentia enim eſt pars miſeriæ. Fœlicitas igitur illa, quam promittit, aut non eſt vera fœlicitas, aut nihil habet indigentiæ: quare nihil habet famis, aut ſitis, nihil indigentiæ cibi, vel potus.

Spirituales delitiæ.

Ampliùs. Aut cum his delitiis erunt delitię ſpirituales, aut non. Si ſic, C manifeſtum eſt, quòd ſe non patiuntur; ſpirituales enim delitiæ animam humanam ad ſe trahunt, & in ſe totam rapiunt, & carnalia ſentiri non patiuntur ea hora, qua mentem humanam tetigerint: quod apparet in extaſi, & raptu, ubi ad modicum ſpiritualia bona mentem humanam tangunt, & totam mentem in ſe rapiunt, & à ſenſibus, & à ſenſibilibus omninò abſtrahunt: quantò fortius igitur ubi totaliter beatificanda eſt mens humana, nihil carnalis ſenſibilis voluptatis ſentire, vel etiam cogitare permittetur. Si modica ſtilla ſpiritualis voluptatis totam eam occupat & abſorbet, quid faciet torrens ipſe voluptatis, & ebrietas, ab ubertate domus Dei? Non poterunt igitur ſimul eſſe fœlicitas ſpiritualis, & iſta de qua loquimur carnalis. Quòd ſi dixerit, quia alternatim, hoc eſt altera poſt alteram fruentur in vita illa ſequitur ex neceſſitate, quia neutra erit plena, cùm neutra ſit continua. Continuitas enim pars eſt fœlicitatis.

Continuitas.

D Ampliùs. Ipſa experientia ſenſus manifeſtum eſt, quia guſtantes delitias ſpirituales ſtatim faſtidiunt carnales, ſicut dicit Auguſtinus, quia guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro: quare impoſſibile eſt, ut voluntariè à ſpiritualibus in patria redeant ad carnales. Cùm enim ea hora, qua vacabunt ſpiritualibus; carnalia non appetant, adhæreant autem ſpiritualibus amore fortiſſimo, & qui nec memoriam patitur carnalium voluptatum; impoſſibile eſt, quòd ab eis redeant voluntariè propter carnales, cùm illas non appetant illa hora. Nihil igitur eſt ibi, quòd eos abſtrahat à ſpiritualibus delitiis, vel quòd eos abſtrahat eo tempore ad carnales & hoc voluntariè: violentia autem, vel ſubreptio locum ibi non habet. Manifeſtum igitur eſt ſemel admiſſos ad ſpiritualem fœlicitatem ab ea, vel ad modicum divertere, vel ſejungi impoſſibile eſſe.

Impoſſibilitas.

Impoſſibile igitur eſt alternatim utramque fœlicitatem ibi obtineri; neceſſe igitur eſt fœlicitatem ſpiritualem, vel omninò ibi non eſſe, vel ſolam eſſe: hoc eſt præter carnalem iſtam de qua loquimur; cùm nec eſſe

ſimul poſſit illa, nec alternatim, nec poſt, nec ante illam. Quod ſi ibi non eſt fœlicitas ſpiritualis, illa autem eſt indubitanter potiſſima, aut nobiliſſima, maximaque pars fœlicitatis, ſi tamen & alia eſt aliqua ejus pars. Apparet igitur evidenter, quia fœlicitatem non poſuit, ſed partem fœlicitatis, & illam modicam atque viliſſimam, qui carnalem ſolam poſuit. Amplius Aut creſcent virtutes tam appetitivæ, quàm effectivæ hujuſmodi delitiarum pro magnitudine earum, aut non creſcent: ſi creſcent, verbi gratia, effectiva cibi, & virtus appetitiva potus, & iterùm virtus comedendi, & virtus bibendi, quæ ſunt effectivæ delectationis in cibo, & potu: & iterùm virtus appetitiva coitus, & virtus effectiva ejuſdem; neceſſe eſt, cùm delitiæ illæ non ſint comparabiles iſtis in magnitudine, ut nec virtutes virtutibus ſint comparabiles. Non eſt igitur comparatio appetituum ad appetitus in magnitudine, ſeu intentione, & ſimiliter neque virtutum ad virtutes. *Nota.* Incomparabiliter igitur erunt plus appetentes comedere, & bibere, & plus petentes, quàm modo ſint. Satisfiet autem in illa fœlicitate, & appetitibus, & virtutibus. Incomparabiliter igitur plus comedent, & bibent, quàm hic. Ex quo etiam ſequitur, quòd plus tempore incomparabiliter, & ita continuè, *Organa virtutibus reſpondent* quia organa, ſeu inſtrumenta neceſſe eſt reſpondere virtutibus; atque congruè conſequens eſt, ut fauces, & ventres ſint incomparabiliter majores quàm hic, & ſimile inconveniens ſequitur de virtute coeundi, videlicet ut major ſit in eis incomparabiliter, quàm inveniri poſſit in vita iſta, & propter hoc uſus ejus incomparabiliter major, quare continuus, & non interpolabilis: conſidera igitur in his, quæ diximus, qualiter iſta ſpurciſſima fœlicitas ſeipſam deſtruat, & pars ejus partem non patiatur; dum unaquæque, immenſitate ſua, & totum ſubjectum ex *Turpis fœlicitas.* neceſſitate occupat, & totum tempus requirit, participium alterius non admittens, & conſidera hoc in unaquaque per ſe, verbi gratia, ſicut dicebamus in virtute appetitiva guſtabili, ſeu comeſtiva. Si enim creverit eo uſque, ut in infinitum major effecta ſit quàm ſit in vita iſta; ergo & ejus appetitus. Neceſſe enim eſt omnes virtutes ibi operari ſecundùm perfectionem in qua ibi ſunt, cùm ibi locum non habeat impedimentum, vel imperfectio, quare hujuſmodi virtute appeteretur ibi non ſolùm magis, ideſt ardentiùs incomparabiliter, ſed etiam majus incomparabiliter, hoc eſt major cibus eodem modo, quia virtus comeſtiva ſimiliter crevit ultra omnem comparationem, comedetur ea non ſolùm magis incomparabiliter ſed & major incõparabiliter cibus Impoſſibile autem eſt quantúcunque parvo cibo majorem incomparabiliter inveniri: nullum enim corpus infinities continere *Corpus omne finitum.* poteſt quantumcunque parvum; cùm omne corpus ex neceſſitate ſit finitum. Continuam etiam neceſſe eſt eſſe comeſtionem, cùm tantus ardor appetitus, niſi per applicationem ad comeſtioné, nec quieſcere ibi, nec mitigari poſſit; alioquin ſupervacuè, & inutiliter eſſet in cibum, ſive de cibo ad hunc modum conſiderare potes in ſui, & appetitu ſpurcæ voluptatis. *Quæſtio.* Quærimus etiam ab eis, utrum ſint ibi digeſtiones, & egeſtiones ciborum & potuum? quos utſque ibi eſſe neceſſe eſt: cùm enim cibi, & potus multas partes habeant, quæ non conveniant ad nutrimentum humanorum corporum; eas igitur per digeſtionem neceſſe eſt ſeparari ab eis, quæ conveniunt hujuſmodi nutrimento, & in ſeceſſum mitti, & tandem egeri? Quare cùm hujuſmodi digeſtiones, & egeſtiones finem non habeãt, non ſufficit Paradiſus ille etiam ſola ſtercora egeſtionũ capere, cùm omnis regio corporalis finita ſit magnitudine. Pulchrè autem irriſit quidam Chriſtianus quendam Saracenum ex hoc di-

E cens ei. Maledicta Paradiſus in qua tantum cacatur. *Urbanum dictum.* Quòd ſi fortè dixerit, quia ea erit ibi vis ventrium, ut totam ſuperfluitatem conſumant, quantò fortiùs dicere debuit; quia ea erit virtus corporum, ut conſumptionem, ſeu reſolutionem non patiantur, multò enim minus eſt non pati conſumptionem ab alio, quàm facere conſumptionem in cibo. Amplius. Cùm ponat coitum, neceſſe habet ponere ſuperfluitatem tertiæ digeſtionis, ſive tertium *Coitus ex ſuperfluitate tertiæ digeſtionis* cibi, cur ergò non & primæ, & ſecundæ digeſtionis? Ex hoc verò ſequentur abominandæ fœditates; aut enim ibi erit generatio ex illo tanto uſu n u ierum, aut non erit: ſi erit, & hoc per modum vitæ, neceſſariò ibi erit magna miſeria parientium, & nutrientium, & tantò major, quantò major, & crebrior erit ibi commixtio maſculorum, & fœminarum. Quocunque autem modo ſit, quia mors ibi locum non habet creſcit populus in infinitum. *Alia impoſſibilitas* Finita autem eſt regio paradiſi illius, & omnis regio corporalis, ſicut in naturalibus didiciſti; quare brevi tempore

F neceſſe habebit exire pars magna populi illius de Paradiſo, & parari neceſſe erit eis regionem aliam ad habitationem eorum, & non unam ſolam, ſed etiam infinitas. Omninò impoſſibile eſt quomodocunque regiones finitas quantumcunque ſint, homines capere infinitos Et hoc manifeſtum eſt eadem via qua declaratum eſt omne corpus eſſe finitum, & nullum poſſe *Finitum infinitum non capit.* continere infinita tanta, quantumcunque parvo demonſtrato. Quòd ſi ibi non erit generatio, erit ergo ſterilitas in maribus & fœminabus; quare fruſtrà erit vis generativa in utriſque Amplius Sterilitas plaga eſt & læſio naturæ in virtute generativa, vel à parte membrorum, vel à parte ſeminis per quam remanet incompletum opus generationis; ibi autem nec plaga, nec læſio, nec incompletio locum habet. Amplius. Secundùm hoc vis generativa non fructui deſerviet, ſed ſoli voluptati; maximum autem bonum ejus fructus, & abſque ulla comparatione melior eſt pro-

G les quàm voluptas illius commixtionis; privabitur ergo eo, quod habet optimum, virtus generativa, & minus bonum in infinitum ex ea proveniet *Proles fructus generationis.* tunc, quàm proveniat in vita iſta: quare ſtatus ejus erit incomparabiliter minus bonus, minuſque perfectus, quàm ſit in vita iſta.; vis igitur generativa non beatificabitur. Quòd ſi dixerit, quia non erit ibi commixtio maris, & fœminæ fœditas aliqua, vel immunditia, ſed ſola conjunctio corporum, & amplexus abſque emiſſione humoris: hinc indè manifeſtum eſt; quia æquivocè utitur nomine concubitus Amplius. Quid eſt Paradiſus iſte, niſi taberna indefeſſæ ingurgitationis, & perpetuæ turpitudinis proſtibulum. Prætermimus innominandas abominationes, & fœditates, quæ ex his commixtionibus maris & fœminæ ſequuntur. Quòd autem dixit *Paradiſus Macometi.* Angelos pinçernas futuros eſſe, atque dapiferos eorum, qui ei crederent, & legem ſuam ſervarent; quis

H non rideat Angelos ſanctos, fœlicitatem illam quam nec oculus vidit, &c. deſerere, ut lectos parent eis, & ornatum ad turpitudines exercendas, & ut Angelicæ beatitudinis excellentiam commutent in coquinariam, ſeu dapiferariam, aut pincernariam ſervitutem, *Abſurdũ.* Incomparabiliter enim vilius eſt ſervire hujuſmodi lectis, & menſis, quàm ſervire porcis. Undè animalis iſte homo, animalibus loquens, nec patriam, nec fœlicitatem patriæ cogitavit, & hoc declarabimus evidenter oſtendentes, quia totum, quod in parte iſta ſomniavit, miſeria eſt, & veræ fœlicitati contraria. Dicemus ergo primùm, quia deſideria carnalia vincula ſunt captivantia mentes humanas, & laquei irretientes, & flammæ exurentes eaſdem: ſunt & tenebræ excæcantes, & funiculi *Deſideria carnalia.* retrahentes, atque avertentes eas, & à fonte ipſo

Digitized by Google

bonorum qui eſt Deus, & dominus ſæculorum, & à veris bonis, in quibus conſiſtat vera, & tota fœlicitas verorum, ex quâ redundat in inferiores vires ipſarum, & in ipſa corpora earum non fœlicitas, quæ ut dicit Aug. intelligenter, & fruenter eſt propria; ſed ſanitas incorruptionis, quæ glorificatio corporum propriè dicitur, continens quatuor dotes, tanquàm partes gloriæ ipſorum, quæ alibi, & oſtendendæ ſunt, & declarandæ.

Dotes quatuor corporis glorificati.

De voluptatibus verò carnalibus dicimus, quòd immergunt, enervant, inebriant, & decipere faciunt mentes humanas, & totas rapiunt eas in ſe. Similiter & aliæ paſſiones, quæ vitia nominantur. Cùm igitur in vita iſta ubi adeò modicæ ſunt, adeò rapiunt in ſe, adeòque capiunt corda hominum, ut aliorum & amorem extinguant, & oblivionem inducant; quantò fortius ubi nec amare ſinantur, nec aliorum reminiſci. Quare nec ipſum Deum amari ibi, nec reminiſci permittant. Erunt igitur in tantò magis culpabiles, tantòque magis mortiferæ, quàm hic, quantò & majores, & hoc eſt: quoniam tantò magis ſunt rapientes in ſe, & occupantes corda hominum, & ab ipſo fonte bonorum avertentes, quantò majores erunt numero, & ſpecie plures. Amplius. Aut amabuntur ibi hujuſmodi voluptates, aut non? non amabuntur? nec erunt igitur voluptates, neque delitiæ: impoſſibile eſt enim delectari aliquem in eo quod non amat;

Impoſſibile.

ſi autem non amabuntur illo tempore delitiæ neque delectabilia earum; non erit igitur in ipſis delectabilibus earum delectatio: qui enim non amat cibum, vel mulierem ſpecioſam, non delectabitur in eis. Quòd ſi amabuntur, aut amabuntur propter ſe, aut non? Si amabuntur propter ſe, & non propter Deum, culpabiliter igitur amabuntur. Omnis enim creatura via debet eſſe, non ſolùm ad cognoſcendum Deum, ſed etiam ad diligendum ipſum.

Nota.

Sicut enim oſtendit unaquæque creatura Dei veritatem, hoc eſt, ſicut relucet in unaquaque creaturarum Dei veritas; ita in bonitate, ſeu ſuavitate uniuſcujuſque creaturæ redolet ejus bonitas atque ſuavitas. Sicut igitur non licet intellectui humano dare ſe totum veritatibus, ut ita loquamur, creaturarum cogitandis, meditandis, contemplandis, creatore relicto; ita non licet affectui ſe dare totum bonitatibus, ſeu ſuavitatibus creaturarum, fonte ipſo bonorum, ſcilicet Deo neglecto.

Bonitas Dei in creaturis.

Amor quid.

Amare autem bonitatem, ſeu ſuavitatem creaturarum propter ſe, eſt dare ſe eis, ut diximus; quia amor non eſt, niſi donum amantis in amatum, quo videlicet amans ſeipſum, & ſua omnia dat amato; culpabiliter igitur amabuntur ibi delectabilia propter delectationē; quod manifeſtū eſt, quia tota vita illa quā delirus iſte ſomniat, ſicut tota erit delectatio, ſive delitiæ; ita tota erit peccatum, tota culpa, & propter hoc tota miſeria, & tota mors ſpiritualis. Amplius. Sicut lux ad lucē, ſic illuminatio ad illā illuminationē in eodem illuminabili. Sicut ergò lux creaturarum ad lucem ipſam creatoris, quæ eſt lux prima, & pura, per quam lucent, quæ lucent omnia: ſic illuminatio veniens ſuper intellectum humanum à luce creaturarum ad illuminationem venientem ſuper eundem à luce creatoris: quare ſicut lux ad lucem nullius comparationis eſt; ita illuminatio ad illuminationem nullius. Eodem modo ſe habet, ut ſicut ſuavitas creaturarum ad ſuavitatem creatoris nulla eſt; ita delectatio veniens à creaturis ſuper affectum ad delectationem venientem à creatore ſuper eundem nulla.

Fœlicitas quid.

Et quia beatitudo ſive fœlicitas eſt ſtatus ultimus, hoc eſt perfectionis ultimæ: manifeſtum eſt, quia nec illuminatio à creaturis eſt beatitudo, ſeu gloria intellectus humani, nec delectatio à creaturis eſt beatitudo, ſeu gloria affectus; niſi fortè quis dicat intellectum humanum non eſſe illuminabilem à

A luce prima, ut conjungibilem ipſi immediatè; quia ſi eſſet, quieſceret ex neceſſitate intellectus humanus in cognitione creaturarum, & eſſet ei violenta inveſtigatio creatoris; omnis enim motus ſive corporalis, ſive ſpiritualis à loco ſuæ quietis violentus eſt, & moleſtus ipſi moto: hoc autem manifeſtè falſum eſt, quia nihil eſt intellectui humano ſuavius de apprehenſionibus, quàm apprehenſio creatoris, & de inveſtigationibus, ſuaviſſima eſt inveſtigatio creatoris; & hoc à ſenſu accipimus.

Nota.

Si autem eſt intellectus illuminabilis à prima luce, erit & affectus jocundabilis, ſeu delectabilis à prima ſuavitate. Proportionales enim ſunt uſquequaque prima veritas, & ejus illuminatio ad intellectum humanum, & prima bonitas ſeu ſuavitas, & ejus jocūdatio, ſeu delectatio ad affectum humanum: quare impoſſibile eſt alterius eorum beatitudinem, ſeu gloriam eſſe, niſi in ipſo fonte luminis, & bonitatis, ſive ſuavitatis; & hoc eſt quoniam beatitudo, ſeu gloria non eſt, niſi ultimata perfectio potentialitatis, & plenitudo cumulata poſſibilitatis: v. gr. illuminatio quæ nihil relinquit illuminabile in intellectu, hoc eſt, quæ nihil ignorantiæ, nihil tenebrarum relinquit in eo, eſt gloria intellect⁹; ſic & delectatio, quæ nihil moleſtiæ nihil vacuitatis, ſive carentiæ deſiderabilium, ſeu delectabilium relinquit in affectu, gloria eſt illius: impoſſibile igitur eſt in creaturis beatitudinem, vel gloriam eſſe animæ humanæ. Quare in ſola luce primæ veritatis, ſive veritate primæ lucis eſt gloria intellectus, & in ſola ſuavitate primæ bonitatis eſt beatitudo affectus. De hoc autem loquimur plenius loco ſuo. Amplius. Et delectationes ſenſibiles, & vires quibus delectationes hujuſmodi percipiuntur, communicamus cum brutis;

Bruta.

his autem delectationibus non beatificantur, niſi vires earum; hac ergò beatitudine non beatificantur in nobis, niſi quòd communicamus cum brutis, & alia beatitudo non eſt, nec poteſt eſſe cum iſta, ſicut oſtendimus. Non igitur beatificandum, ſive remunerandum hac fœlicitate in nobis, niſi quòd communicamus cum brutis. Hoc autem ſequuntur duo inconvenientia.

Inconveniens.

Primùm, quia hujuſmodi fœlicitas, nec fœlicitas eſt, nec humana, ſed pars modica, atque viliſſima, etiamſi nomine fœlicitatis digna eſſet; modicum enim, atque vile eſt in nobis id quod cum brutis communicamus. Secundò, ſequeretur ex hoc manifeſta Dei iniquitas atque perverſitas; pars enim iſta ſemper rebellis eſt in nobis, dùm hîc vivimus, honeſtati, & repugnans Dei voluntati. Reliquum autem quod eſt in nobis nobile, atque præcipuum, ſemper pugnat pro honeſtate, & pro Dei voluntate contra reſiduum; hæc igitur eſſet manifeſta Dei iniquitas, quòd ſervientem ſibi partem in nobis, & pro eo ſemper pugnantem, non remunerat propria fœlicitate, & gloria. Hæc verò perverſitas, quòd inimicam ſibi, & honeſtati partem, vitiorumque omnium fomitem remuneret. Quoniàm autem manifeſtum eſt ſuperioribus viribus animæ humanæ atque nobilibus proprias eſſe perfectiones; ideò neceſſe eſt, & propria eſſe perfectibilia, quorum adeptione, & obtentu perficiantur. Quare proprias beatitudines, & glorias ſublimes, & nobilitati ſuæ congruentes eas habere neceſſe eſt. Hæ autem beatitudines, & gloriæ porcinam iſtam fœlicitatem non ſuſtinent, ſicut oſtendimus, immò abſtrahunt & longè faciunt ab illa, alioquin magis providenda erat brutis animalibus, utpotè totaliter eis congruens. Hoc enim quod hujuſmodi fœlicitati repugnet in brutis eſt nihil, quod ea vel abſtrahat, vel avertat ab illa. In nobis autem eſt amor, & deſiderium naturale ſapientiæ & honeſtatis; quod eſt manifeſtum indicium, quia ad illas nati ſumus, & in eis ſolis nati quieſcere. Omnis enim motus naturalis, ſive ſpiritualis ſit, ſive corporalis, in id

Amor bonitatis nobis naturalis.

ſolum eſt, in quo eſt quies naturalis ipſi moto. Quia igitur iſte amor naturalis inclinatio eſt, & iſtud deſiderium naturalis motus, licet ſpiritualis, in ſapientia, & honeſtate ſolùm eſt quies naturaliter animabus noſtris. Manifeſtum igitur eſt illas eſſe, & locum ſpiritualem, quem naturaliter quærimus, & patriam quam naturaliter intendimus. Ab his autem nos retrahunt, & avertunt voluptates ſenſibiles; quare à naturali loco noſtræ quietis, & à patriâ noſtræ naturalis manſionis nos in ſe exiliant, & captivant.

Voluptates ſenſibiles.

Manifeſtum igitur eſt, quia impoſſibile eſt in eis eſſe patriã animabus noſtris; immò declaratum eſt evidenter in hoc, quia ipſa ſunt exilium & carcer & vincula animarum noſtrarum. Amplius. Cùm delitiæ hujuſmodi miſeriæ ſint evidenter hìc, & amores earum ſervitutes, & vincula; manifeſtum, quia augmentum earum erit augmentum miſeriarum; quare maximitas miſeriarum. Iſta igitur quaſi ſomnialis fœlicitas ex neceſſitate maxima miſeria eſt; quòd autem primum ita ſit, indè manifeſtum eſt, quia qui magis amat luxuriam, magis captus eſt in ea, & magis ſervus ipſius, magiſque impotens ad alia bona acquirenda, magiſque longè à cognoſcendo & amando alia quæcunque bona, & magis cœcus ad videndum ipſam delectationem, vel ipſum delectabile.

Servitus voluptatis.

Quod uno exemplo palàm facimus. Qui enim amat mulierem licet deformem, & oculis, & corde judicat eam ſpecioſam, & ſi creverit amor, creſcet & iſte error in eo, ut quantò ampliùs eam amaverit, tantò eam magis judicet ſpecioſam. Vides ergò quia creſcit in eo error hujus judicij, cùm enim non creſcat ſpecioſitas in muliere, nec major ſit, quàm ante; ipſe tamen judicat eam majorem, & ita ſecundùm quòd creſcet amor, creſcent in eo tenebræ, & error hujuſmodi: ſimiliter creſcet ſervitus, creſcet vinculum, creſcet ardor deſideriorum; quare cùm venerit ad ſummum amor hujus, erit in ultimo erroris & inſaniæ, ita ut deformiſſimam judicet formoſiſſimam, & nigerrimã forſitan albam, & ad hunc modum ſe habet in aliis ſenſibus.

Inſatiabilitas voluptatum.

Quia erunt ei pro ſuavi odore fœtor ipſius, & pro ſuaviſſima cantilena horrenda vociferatio, & ita de aliis. Declaratum igitur eſt tibi evidenter ex his, quia non ſolùm impoſſibile eſt carnalem eſſe paradiſum, & fœlicitatem ſenſibilium delitiarum, ſed etiam ridiculoſum. Et quia ſomniata iſta fœlicitas non eſt niſi brutorum animalium, nec eſſe poteſt: patefactum etiam eſt tibi, quia vera fœlicitas non ſuſtinet hujus delitias, ſed abſtrahit ab his, & propter hoc ceſſabunt de neceſſitate in patria. Quare manifeſtum eſt verbum veritatis, quod legitur Matthæi 22. In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Similiter Lucæ 20. Neque nubent, neque ducunt uxores, qui digni habentur ſæculo illo. Æquales enim Angelis ſunt.

Mat. 22. Luc. 20. Status vitæ futuræ

Manifeſtum eſt etiam, quia paradiſus iſte non eſt niſi ſicut volutabrum porcorum, & quia vociferatio ipſius vox pecudum eſt, non hominum, ut ſuprà diximus. Ex his de cauſis volunt quidam ſapientes de Saracenis, non juxtà literam Macometum intellexiſſe promiſſiones iſtas, videntes eas eſſe ridiculoſas, & Macometum per eas toti mundo fieri ridiculum. Avicenna tamen in philoſophia ſua prima deliramentis iſtis expreſsè conſentit dicens, quia gaudia corporum expreſſa ſunt in lege noſtra, quam dedit Macometus loquens de gaudiis poſt corpora, in quo non philoſophum, ſed inſaniæ iſtius conſortem ſe evidenter oſtendit, cujus damnatio tantò juſtior, quantò iſta deliramenta tantus philoſophus magis videre potuit, & videre neglexit.

Avicenna

Blaſphemias verò quibus contra beatam Trinitatem, Deique, ac domini noſtri Jeſu Chriſti divinitatem oblatravit, jam alibi deſtruximus, & eas hìc propter hoc tranſimus.

Blaſphemus Avicenna.

CAPUT XX.

Recitat ſententias quorumdam de diverſitate legum, quia legem Hebræorum dicebant legem eſſe fortunæ; legem Saracenorum, naturæ; legem Chriſtianorum, legem gratiæ, quam diſtinctionem dicit non eſſe magnopere curandam. Poſteà affert opinionem eorum, qui hujuſmodi legum diverſitatem ſtellis attribuunt, ſicut ſectarum particularium diverſitatem conjunctionibus, & participationibus planetarum. Quem errorem manifeſtum pulchrè improbat ac ingenioſè.

POST hæc autem loquemur de diverſitate legum iſtarum, & narrabimus de his ſententias eorũ, qui reputati ſunt ſapientes in mundo. Ex his ergò fuerunt qui dicerent, quia lex Hebræorum lex fortunæ eſt, & quia Hebræi colunt fortunam, quia lex eorum apud eos ſequi viſa eſt fortunam, in hoc quòd propter fortunam, id eſt proſperitatem temporalium, legem tenere videbãtur, nec aliud erat eis expreſsè in lege promiſſum, quàm proſperitas temporalis, nec aliud eis minatum eſt, quàm fortuna contraria, hoc eſt adverſitas temporalis.

Lex Hebræorum.

Legem verò Saracenorum, legem naturæ dixerunt, & eos quodammodò colere naturam, eo quòd paucas habeat poſitiones, ſive conſtitutiones. Hi ergò intellexerunt naturam, nativam corruptionem, cum quâ ſcilicet naſcimur, ex qua delitiis, & divitiis carnalibus inhiamus. Hæc autem eſt tota gloria Saracenorum in præſenti, & hanc ſolam expectant ſicut ſuprà diximus in futuro.

Lex Saracenorum.

Legem verò Chriſtianorum, legem gratiæ, & Chriſtianos colere gratiam dixerunt, pro eo quia lex iſta gratiam maximè prædicat, & extollit, & in ſola gratia Dei ſpem ponendam docet, & aſſerit; & euſque eam magnificat, & extendit, ut Deum, ac Dei filium hominem factum pro hominibus, nec non & mortuum inæſtimabili gratiæ largitate, & credere doceat, & confiteri præcipiat. De hac autem diſtinctione non multùm cures, quia non valdè ſcrutatus videtur fuiſſe leges, qui eas hoc modo diſtinxit.

Lex Chriſtianorum.

Alij verò diverſitatem legum attribuunt cœlis & ſtellis, ſicut & alias diverſificationes, & conditiones hominum, & dixerunt, quia lex Hebræorum ortum habet à Saturno & cœlo ipſo. Et propter hoc celebriorem habent diem Saturni, quæ eſt dies ſabbati, & eadem die propter eandem cauſam maximè vacant legi illi legendæ, ſcilicet docendæ, & implendæ. Et propter multiplicia infortunia Saturni, videlicet retrogradationes, combuſtiones, aliaſque ejuſdem occaſiones, lex illa, & regimen ejus, atque gens, variis ſemper cladibus, & caſibus, multiplicibuſque infortuniis expoſitum eſt.

Aſtris leges attribuunt.

Quia etiam ipſe Saturnus, ut aiunt, dux eſt prophetiæ, & revelationum; ideò in lege ejus, & regno abundavit prophetia, & multiplicata eſt valdè, ſicut apparet in libris legis illius, & in libris prophetarum, libriſque regnorum.

Saturnus.

Sunt alia propria, ut dicunt Saturni, ſcilicet avaritia, pertinacia, & duritia, quibus vitiis gens illa Hebræorum ſemper noſcitur laboraſſe.

Vitia Hebræorum.

Juxtà hunc modum ſentiunt, & de lege Saracenorum, & de regno eorum, undè & credunt, & planè aſſerunt legem hanc, die & horâ Veneris, promulgatam, & per Venerem, id eſt luxuriam vigere, propter hanc cauſam, ut dicunt, & ipſum diem Veneris omni ſeptimana celebriorem habent. Quantùm autem gens illa omni turpitudine ſe polluat venerea; manifeſtum eſt, quia nec multitudo uxorum ſodomiticam turpitudinem apud eos extinguit, licet in ipſa lege eorum interdicta ſit. In hoc ergò, ut aiunt, & lex, & gens, & regnum apparet eſſe Veneris. Sunt & alia quæ ipſi circa hoc conſiderant, quæ non eſt neceſſe ſcribere hìc,

Venus.

Digitized by Google

hic. De lege verò, quæ ſola lex veritas eſt, & fœlix A lex veritatis, ut in præcedenti oſtendimus, & quæ ſola eſt perfecta deſcriptio honeſtatis, & ſanctitatis videlicet, Chriſtianam dicunt, quia ipſa, & lex Solis, & regnum ejus, regnum Solis; & propter hoc celebriorem habet genus Chriſtianorum diem Solis; & propter hoc, qui præeſt ſpiritualibus in regno iſto, id eſt Romanus Pontifex, ſedem habet in civitate Solis, quæ etiam habet figuram Leonis, qui in cœlo eſt domicilium Solis, & ipſa civitas etiam fundata dicitur in ortu, ſive aſſenſu Leonis; & propter hoc civitatem Solis illam dicunt. Et quia lex iſta firmitatem teſtimonialem habet à lege Hebræorum, ideò ſedes ejus capitalis, & radicalis in Italia eſt in medio ipſius, videlicet urbs Roma. Italiam enim dicunt de religionibus partem Saturni. Propter hoc etiam dicunt Pontificem Romanum in confirmationibus, & teſtificationibus ſuis uti ſigillo plumbeo, quia plumbum eſt proprium metallum Saturni, ſicut & ipſa lex cui præeſt, & Pontifex confirmationibus, & teſtificationibus utitur legis Saturni. Veſtibus verò rubeis utitur propter participationem Solis, cujus pars de coloribus color rubeus eſt ſecundùm eos. Sectarum verò particularium, id eſt hæreſum, quæ ſunt præter iſtas leges, dicunt, cauſas eſſe conjunctiones, & participationes planetarum invicem; propter hoc mutationes legum, atque ſectarum, necnon & regnorum, ſive magnorum, quæ tria ſuprà diximus, ſive minorum ex eis prædivinare, & prænoſcere ſe poſſe opinantur, & in libris judiciorum aſtronomiæ multa leguntur. Quòd autem error iſte impoſſibilis ſit, non ſolùm ex errore, ſed & ex ruditate poſitionis manifeſtum facimus; & primùm ab ipſo ſenſu. Apparet enim evidenter ſtellas, & planetas ſubjectas eſſe cultui divino, & legi: nullatenùs autē è cōverſo; jubente ſiquidē Joſue & dicente. Sol contra Gabaa ne movearis, & Luna contra vallem Hailon. Steterunt Sol & Luna, ſtetitque Sol in medio cœli ſpatio unius diei, & non feſtinavit occumbere, & ſic duplicata eſt dies, quæ duplicatio toti mundo ex neceſſitate viſa eſt, propter quòd diximus, quia à ſenſu, id eſt teſtimonio oculorum, iſtam primam radicem deſtructionis erroris iſtius accepimus. Obedierunt igitur Sol, & Luna Joſue cultori Dei altiſſimi, & legis ejus miniſtro, nonniſi propter Dei cultum, legiſque miniſterium. Cultus igitur Dei altiſſimi, & lex ejus Solem & Lunam Joſue obedire compulerunt. Quare manifeſtum eſt ipſum Dei cultum, & legem ſuperiores eſſe, & fortiores Sole & Luna, ſuperioreſque facere, & fortiores hujuſmodi cultores atque miniſtros; nullatenùs ergo ſubſunt cultus Dei, & lex ejus planetis, ſed magis è converſò. Ad idem etiam facit retroceſſio Solis, & reverſio umbræ per decem lineas quæ facta ſunt Ezechiæ in ſignum liberationis ſuæ ab ægritudine, quod utique ad ipſius Ezechiæ orationem factum eſt, ſicut legitur 4. Regum 20. & Iſaiæ 38. Probationes autem evidentes quibus error iſte deſtituitur, hæ ſunt; quia cœli & ſtellæ, atque hæc luminaria, videlicet Sol, & Luna, aut ſcienter, & voluntariè iſta operantur, quæ eis imponunt, aut naturaliter, quemadmodùm ignis calefacit, & lux illuminat: quòd ſi ſcienter, & voluntariè inducunt ſectas perditionis, & contradictiones, quibus contradicitur cultui divino, & legi, neceſſe eſt eos graviſſimè peccare in Deum, & in animas, quas à cultu ejus in lege avertunt, & in errores impietatis, & perditionis inducunt; quare, & malos eos eſſe, & Dei capitales inimicos dubitari non poteſt. Deindè malitia illa aut eſſet eis innata, aut adventitia, & acquiſita; quòd ſi innata, erunt igitur naturaliter mali. Jam autem declaravimus alibi, quia impoſſibile eſt aliquid eſſe naturaliter malum. Et iterùm, ſi naturaliter mali eſſent, cùm nihil naturale habeant, quod

Lex Solis. — *Stellæ.* — *Stellæ ſerviunt cultui divino.* — *Joſue* 10. — *Retroceſſio Solis.* — *Ezechias* 4. *Reg.* 20. *Iſa.* 38. — *Nihil malum naturaliter.*

Deus in eis non creavit, non ſolùm malos eos creaſſet Deus, ſed etiam malitiam creaſſet in eis, quod quàm longè ſit à divina bonitate, palam eſt. Si enim malitiam creaſſet Deus, contumeliam ſuam creaſſet, & adverſus ſemetipſum contradictionem, & inimicum ſibi capitalem. Si verò fuerit eis acquiſita iſta malitia, neceſſariò corrupti ſunt, atque decepti, mutatique à ſuo ſtatu, & bonitate naturali; quare locum habebit apud animas eorum mutatio, & corruptio; cùm tamen corpora eorum immutabilia naturaliter eſſe conſtet, & immortalia, & hoc ordo naturæ non patitur, ſcilicet ut in ſubſtantiis ex animabus, corporibuſque compoſitis, quales ipſi eos credunt, nobilior ſit ſtatus corporum, quàm animarum. Quantùm enim animæ hujuſmodi propinquiores ſunt primo immutabili, & incorruptibili, quàm corpora tātò minùs obnoxias eas oportet eſſe corruptioni, & alij cuiquam mutationi. Ampliùs. Quid accreſcit vel acquiritur eis ex iſta ſubverſione animarum, quam
B ſcienter & voluntariè operantur? quis etiam fuit ſuggeſtor malitiæ tantæ atque perverſitatis, ut nulla utilitate ſua hujus ſubſtantiæ, tantas Deo contumelias, tantas animabus pernicies irrogentur. Reſtat igitur, ut non ſcienter, & involuntariè operentur talia in mundo iſto inferiori. Quòd ſi dixerit quis, quia naturaliter iſta operantur abſque ſcientia & voluntate, quemadmodùm lapis adamas attrahit ferrum, aut ignis calefacit potentia, ſcilicet quæ neceſſitate operatur, non libertate, cui non eſt liberum operari, vel non operari, ſed neceſſarium eſt ei operari, & impoſſibile non operari; quæ quidem operatio ſervilis eſt; propter quòd dixit Philoſophus, quia natura operatur per modum ſervientis; hoc apparet evidenter impoſſibile, quoniàm virtus ſic ſerviliter, ſcilicet operans, ignobilis eſt & vilis comparatione virtutis liberè operantis, videlicet quæ poteſt ſuper utrumque oppoſitorum, hoc eſt ſuper ſuum operari & ſuper
C ſuum non operari. Viliùs autem impoſſibile eſt cauſam eſſe nobilioris; quare virtutes cœlorum, ſtellarum & luminarium impoſſibile eſt in nobis cauſare ſapientiam, vel virtutes, vel bonos mores, vel etiam quaſque artes, vel voluntates, cùm omnia hæc nobiliora ſint omnibus hujuſmodi virtutibus, quas ipſi ponunt in cœlis. Ampliùs, Virtutes ex quibus ſunt hujuſmodi operationes, aut ſunt corporales, aut ſunt ſpirituales; ſi corporales, non poſſunt igitur naturaliter imprimere diſpoſitiones ſpirituales. Naturales enim operationes ſunt per ſimilitudines, agens enim naturaliter intendit dare quod habet, & aſſimilare ſibi recipiens. Manifeſtum igitur eſt, quia nec leges, nec ſectæ, nec alia hujuſmodi ex talibus virtutibus eſſe poſſunt propter naturalem diſſimilitudinem, & etiam propter nobilitatem, quia hæc ſunt nobiliora illis. Non eſt enim poſſibile in natura, ut cauſa ſit ignobilior cauſato. Ampliùs. Jam alibi didiciſti,
D quia corporales virtutes non agunt, niſi per contactum agentis, & patientis, aut medij, quod neceſſe eſt, ut ſit contingens ad utrumque, & deferens paſſionem ab altero in alterum. Quare in his quæ in antris, aut locis ſubterraneis naſcuntur, vel degunt, nihil poterunt virtutes hujuſmodi; corporalium enim virtutum operationes abſcindi neceſſe eſt per interpoſita, niſi interpoſita paſſibilia fuerint ab hujuſmodi agentibus. Quare intrantib⁹ hominibus domos ſuas, aut receptacula, abſcinduntur ab eis cœleſtes operationes omnes, quemadmodùm intrante aliquo domū ſuam abſcinditur ab eo operatio illuminationis. Non enim operatur lux Solis in ipsū operationem ſuā, quādiu durat interpoſitio, quę abſcōdit ab eo illuminationem hujuſmodi. Nihil igitur poſſunt cœleſtes virtutes in homines, niſi quandò, & quandiu ſunt extra habitacula ſua: ex quo accidit, quòd totiès mu-

Corpora Solis & Lunæ immutabilia — *Similitudo.* — *Adamas.* — *Philoſophus.* — *Naturales operationes.* — *Nota.*

Digitized by Google

tuntur mores hominum, & leges, & ſectæ, quotiès intrant habitacula ſua, aut ſaltem per mortem, & quietem in eis deleantur ab ipſis; ſicut per moram, & quietem in domo frigida, & obſcura deletur quicquid impreſſum erat luminis, aut caloris à ſole. Ad minus igitur iſtud non effugiunt, ut in eos qui in locis ſubterraneis, atque profundis naſcuntur, & in eis morantur nihil poſſint virtutes hujuſmodi. Quòd ſi dixerit eas eſſe ſpirituales, jam noſti, quia virtutes hujuſmodi non operantur, niſi intelligendo, imaginando, & deſiderando. Primùm apud ſe. Rectè igitur eſt cœlos, & cœleſtia, quæ diximus, intelligere. Primùm, imaginari atque deſiderare hujuſmodi impreſſiones in hominibus. Et ex hoc ſequuntur inconvenientia, quæ priùs oſtendimus, videlicet, quòd ſcienter, & voluntariè mala prænominata, non ſolùm bona imprimant hominibus & animabus humanis. Noſti etiam quia nec loco, nec tempore adjuvantur, ſive impediuntur hujuſmodi operationes, quemadmodùm vides in hujuſmodi operationibus animarum noſtrarum: æquè enim intelligis, & æquè liberè in F uno loco, ut in alio, ſimiliter æquè imaginaris, & de deſiderio, & voluntate, ſimiliter ſe habet. Quilibet igitur planetarum, & quæcunque ſtellarum æquè potens eſt ad hujuſmodi operationes in uno ſitu vel loco, vel in quocunque alio æquè igitur in ortu, ut in occaſu, æquè in uno ſigno, ut in quocunque alio. Manifeſtum igitur eſt, quia nec fortunæ impedimentum locum habet apud eos; ſimilitèr nec domicilium, nec exaltatio, nec caſus, aut aliquid aliorum undecim, quæ hujuſmodi non ſapientes, ſed ſomniantes eis attribuunt alioquin debiliores eſſent intellectus, & imaginatio, & voluntas, & deſiderium apud eos, quàm apud nos. Ampliùs. Si nec magis neque minus eſt potens intelligere, vel imaginari, velle, vel deſiderare aliquis, planetus in aſcendente, quàm in me- G dio cœli, aut in caſu ſuo; ergò non eſt magis potens operari ſpiritualiter in uno loco, vel ſitu, quàm in alio. Quid igitur eſt dicere, quòd aſcendens eſt in cœlo primus locus in fortitudine, & dignitate. & medium cœli ſecundus, & ita de aliis dignitatibus, & poteſtatibus, quæ ipſis attribuuntur; & quomodò erit hoc quòd animabus noſtris hujuſmodi ſitus vel loca nihil addunt, vel minuunt, & hujuſmodi virtutibus adeò addunt vel minuunt, ut cadentes, vel infortunatas impeditaſque eas efficiant, & deinde fortes, atque dominantes. Quòd ſi quis dixerit, quia ejus virtutes ſunt ſimiles virtutibus, quæ attribuuntur lapidibus pretioſis, qualis virtus attribuitur puro ſmaragdo, videlicet attrahendi divitias domino ſuo, & diamanti, quod efficit gratioſum; nec in hoc effugiunt inconveniens, quia ſecundùm hoc, nec ſitus, nec locus aliquid addit, vel minuit virtutibus iſtis: H pone enim ſmaragdum à parte orientis juxta te, vel applica eum tibi à parte occidentis, vel à parte meridiei cœli, nihil addidiſti, vel minuiſti virtuti ejus: quare virtutes cœlorum, atque cœleſtium, per quas eas operari dicunt, omnium virtutum infauſtiores ſunt, caſibuſque, & infortuniis, omnibuſque modis impedimentorum magis obnoxiæ. Poſſemus juxta hoc contra errorem iſtum multa alia inducere, ſed iſta ſufficere credimus intelligibilibus, quantùm pertinet ad intentionem præſentis tractatus. Diligenter autem intendo in hoc, quòd diximus de modis operationum ſubſtantiarum ſpiritualium: ex his enim, & ſimilibus, quæ in ſeipſis operantur, fiunt foris aliæ operationes, ſicut motus, & opera artificiorum, quæ per motum membrorum noſtrorum, & inſtrumentorum imprimuntur materiis artificiorum. Ex quo apparet, quòd opera artificiorum non ſunt merè ex ſpiritualibus operationibus animarum noſtrarum; immò adjuvantur à corporalibus operationibus, vi-

Planeta.

Nota.

Smaragdus.

Diamas.

Operationes ſpiritualium ſubſtantiarum.

E delicet motibus membrorũ & inſtrumentorum ut diximus. Et iterùm operationes, quæ ſũt ab animabus in corpora ſibi conjuncta non ſunt ex ſolis ſpiritualibus, quæ in anima ſunt; immò cooperantur operationes ſpirituum, quos multi medios, & ſumma, & operatione opinantur eſſe inter animas, & corpora eorum, & cooperationibus eorum, & mediationibus indigent animæ, ut operentur in corporibus ſuis, ſive motum, ſive aliam operationem: ſimiliter & ad hoc, ut operentur per ipſa corpora in aliis materiis. Hic eſt ergo modus operationum ſpiritualium ſubſtantiarum, quæ ſunt conjunctæ corporibus videlicet, ut ipſæ ſubſtantiæ primùm operentur in ſeipſis operationes merè ſpirituales, & per illas demùm in corpora ſibi conjuncta operationes corporales, & per illa iterùm alia in corpora aliena, & procedit ordo iſte operationum ſemper ingroſſando, ut ita loquamur, per elongationem à ſpirituali ſubtilitate atque nobilitate. Manifeſtum autem eſt per ſe, quòd iſte modus operationum non poteſt eſſe in cœleſtibus; quoniàm per hanc viam non poſſunt imprimi, niſi corporales F diſpoſitiones ignobiles, & ita nec ſcientiæ, neque artes, neque prophetiæ, neque virtutes ullæ: quia animæ cœlorum (ſi ſunt cœli animati) nobiliores ſunt longè, quàm animæ noſtræ & influentiæ ſublimioris, utpotè animæ corporum longè nobiliorum; & propter hoc non utuntur corporibus ſuis ad operandum in alia, niſi ad corporales operationes tantùm. Sicut anima Solis non utitur corpore Solis, niſi ad agendum in corpora, videlicet ad illuminandum, & calefaciendum ea, & cætera hujuſmodi facienda: virtutibus autem ſuis nobilibus atque ſublimibus influunt operationes ſuas nobiles ſpirituales. Sequitur ex hoc ex neceſſitate, ut non influat, niſi quas, vel quarum ſimilitudines habet, & ad hunc modum neceſſe G eſt ſe habere in aliis: quare vel eaſdem diſpoſitiones ſpirituales operabuntur ſemper in inferioribus iſtis, quantùm in eis eſt, vel mutabuntur virtutes animarum eorum juxta diverſitatem operationum, quas operantur in iſtis inferioribus: quare in aſcendente & medio cœlo, & in qualibet domorum quas ipſi diſtingunt; ſimiliter & in quolibet angulorum, aliorumque locorum quos in cœlo deſignant, eadem operabuntur, vel ſimili mutabilitati ſubjecti erunt, quali & homines. Ampliùs. Una eſt figura totius cœli in uno climate, & hora una unica domorum, angulorum, aliorumque omnium, quæ ipſi conſiderant, diſpoſitio. Quare una ſignificatio, & una cauſa omnium eventuum in hora illa. Omnium igitur interrogationum de re una, illa hora non erit, niſi unũ judicium, unicaque reſponſio; verbi gratia. Si mille millia hominum in hora una, & climate uno eadem H ſollicitudine urgente de una re interrogẽt, ut de negotiatione, vel furto ubi ſit, idẽ erit omnibus reſpondẽdũ & eadẽ omnibus evenient. Quare ſi in climate uno naſcantur hora una centum, vel mille parvuli, eadem prorsùs illis evenient; ergò ſi unus Rex, & omnes. Ampliùs. Aut iſtæ conſtellationes ſive ſtellarum luminum poſitiones ſunt ſigna tantùm iſtorum eventuum inferiorum, aut ſigna, & cauſæ ſimul: ſi ſigna tantùm, aut erunt comitantia res de neceſſitate, aut non: ſi ſic, cùm igitur ipſa ſigna neceſſaria ſint, hoc eſt, quod averti vel mutari nullomodò poſſunt; erunt igitur ipſi eventus immutabiles, & inaverſibiles, & ita omnia de neceſſitate evenient mortalibus. Si verò ſunt ſigna, quæ de neceſſitate non comitantur eventus inferiores, erunt poſſibilia ſeparari ab ipſis. Signum autem à quo ſeparata eſt ejus res, ſignum mendax eſt; quare poſſibile eſt hujuſmodi ſigna fallere; non eſt igitur ſcientia de ſignificationibus eorum: ſcientia enim, & ars non ſunt de fallibilibus, & aliter eſſe valentibus. Ampliùs. Si ſigna ſunt, & utique

Spiritus.

Gradus operationũ ſpiritualium.

Anima Solis.

Una figura cœli totius in uno climate.

Scientia & ars.

Digitized by Google

utique naturalia notiora ſunt naturaliter, quàm res ipſæ, & intellectui noſtro proximiora, cùm ſint ſigna naturalia, & res ſuas naturaliter præcedentia; hoc autem nulli hominum videtur: ſi verò ſigna ſunt, & cauſæ ſimul iſtorum eventuum, cùm in ſe neceſſaria

Motus cœlorum neceſſarius.

ſint, erunt eventus ex neceſſitate neceſſarij. Motus enim cœlorum cum omnibus diſpoſitionibus ſuis neceſſarius eſt, & immutabilis: figura enim cœli & poſitio ſtellarum, & luminum, quæ futura eſt, & cras hac hora, nullo modo poteſt averti, quin ſit futura cras; & de omni alia poſitione, ſive diſpoſitione cœli, atque cœleſtium omnium ſimiliter ſe habet: quare eventus omnes creati à conſtellationibus, ſimiliter erunt neceſſarij, & inaverſibiles. Ampliùs. Si ſtarent cœli & deſtruerentur ſtellæ omnes, & luminaria, perirent omnes iſtæ diſpoſitiones & eventus in hominibus: & ita nec eſſent virtutes, neque vitia, neque artificia apud homines, ſecundùm iſtos. Ex his igitur manifeſtè videre potes qualem poſuerunt vitam humanam hujuſmodi homines, quia & immemorabilem & immutabilem protsùs. Quid autem veritas habeat circa hæc, hoc eſt, circa aſtronomiæ judicia, & quatenùs ſalva fidei pietate credi poſſit eis, hîc determinare ſuperſedemus: longiorem enim tractatum, atque diſcuſſiorem requirit negotium illud. Sufficit autem tibi quantùm ad præſens negotium ut cognoſcas, quia ſectæ perditionis, & erroris, atque vitia, & peccata, quibus Dei juſtitia per ejus juſtiſſimum judicium æterna damnatio certiſſimè reddenda eſt, ab ipſis, & per ipſos ſunt, qui pro his juſtiſſimè punientur: nullatenùs autem cœleſtibus creaturis attribuenda; quia neque naturaliter, neque voluntariè à bonis Dei creaturis, tantæ Dei contumeliæ, tantæ perditiones hominum effici poſſunt, ſive creaturæ hujuſmodi cœleſtes, ſcilicet animatæ ſunt, & animalia, ut ipſi opinantur, ſive non. De omni verò lege bona, omnique ſalutari credulitate nullatenùs dubitare debes, quin ſit ab auctore fonteque univerſali, ac primitivo bonorum, qui eſt Deus altiſſimus, & dominus omnium ſæculorum.

Aſtronomia.

Vitia cœleſtibus creaturis non adſcribenda.

CAPUT XXI.

Deſtruit erroneam ſententiam eorum qui affirmant, & credunt unumquemque in ſua lege ſalvandum, ſi eam credat eſſe bonam: atque ejus erroris originem, & cauſam unam affert, ſcilicet quia abſurdum putant credere Deum miſericordem tam paucos elegiſſe, videlicet Chriſtianos ſolos & alios reprobaſſe; oſtenditque unumquemque errantem ac deviantem eſſe ſibi ſui erroris cauſam, & auctorem; vel quia in via viſibili noluit videre pericula, quæ videri poſſunt ſed clauſis oculis ambulare; vel quia ſine duce ambulet, cùm poſſit ducem itineris habere. Mox dubia quædam acutè ſolvit.

QUoniàm autem ſive occaſione diverſitatis iſtarum legum atque ſectarum, ſive ex verbis Macometi nonnulli in eum errorem devenerunt, ut credant unumquemque in ſua fide, vel lege, ſeu ſecta ſalvari; dummodò credat eam eſſe bonam, & à Deo, ipſique placere quod facit, dummodò propter Deum faciat quod facit: conſequens eſt ut in hoc loco errorem iſtum tam pernitioſum, tamque peſtilentem deſtruere tentemus. Hujus igitur erroris una cauſa eſt, quæ multos exagitat, atque confundit; multitudo ſcilicet numeroſiſſima damnandorum, & paucitas ſalvandorum. Ut quid inquiunt tam paucos elegit Dei miſericordia ad ſalutem, tam multos autem deſeruit in perditione; maximè cùm pronior credatur ad ſalvandum, quàm ad damnandum: vel non minor ſaltem ſit ejus miſericordia ad miſerandum & ignoſcendum, quàm ejus juſti-

A tia ad judicandum, & puniendum? Præſumptio etiam videri poteſt, ut pauci Chriſtiani ſe ſolos arbitrentur ſalvandos, tota reſidua multitudine hominum, videlicet malorum Chriſtianorum, qui longè plures ſunt quàm boni, & deinde Judæorum, Saracenorum atque paganorum, ſive idolatrarum in perditione relicta, qualiter implebitur domus Dei cœleſtis tanta paucitate electorum; cùm infernus, qui longè minor eſt, capere ſufficiat etiam, cum dæmonibus totam multitudinem damnatorum? An videtur conveniens regi regum & domino ſæculorum, ut plures habeat in carcere vinctos, plures ad patibulum affixos, tormentiſque traditos, quàm habeat ſibi famulantes & ſubditos? An poteſt miſericordia Dei, cujus nec numerus eſt, nec menſura, ſuſtinere tantam carnificinam tormentorum: ut quid inquiunt tantam multitudinem damnatorum creavit Deus, & an creavit eos in perditionem & mortem? An convenit divitiis bonitatis ejus, & immenſitati miſeri-

Vide.

Nota.

Miſericordia Dei.

B cordiæ ſuæ eos creaſſe, quos utique ſalvare poterat, & flammis infernalibus depaſcendos derelinquere? Sic quid aliud creando eos voluiſſe facere videri poteſt, quàm igni infernali de ipſis pabulum miniſtrare? De his autè, qui pro eo faciunt, quicquid faciunt, credentes ſe obſequiũ eidem præſtare in eis, quæ, licet malè, ignoranter tamen faciunt; quid erit, & potiſſimùm de his qui pro Deo, ſive propter Deum omne genus ſuppliciorum, non ſolùm patienter, ſed etiam gaudenter ſuſtinent? ſicut de multis hæreticis audivimus, & ipſi etiam videre poſſemus, quia ignem & alia tormenta ſponte, immò gaudenter ſubeunt; utique propter Deum ſe omnia ſufferre dicentes, & in corde ſicut credimus habentes. Incipientes igitur dicamus, quia error circa res multas eſt in multis hominibus, & damnabiliter eſt cauſa damnationis. Si enim volens ambulare corporaliter, nollet prævidere viæ ipſius diſcrimina, videlicet offendicula, præcipitia, & alia quæ oculis corporis videri, &

Error damnabilis.

C præviderí poſſunt; ſed magis clauſis oculis, aut averſis à via vellet incedere; quicquid ei mali, hoc eſt, vel offenſionis, vel caſus eveniret, juſtiſſimè ipſi imputari poſſet: poterat enim per ſe hujuſmodi pericula declinare. In eo igitur qui per ſemetipſum imminentia ſibi mala hujuſmodi via viſibili, & noſſe, & evitare potuit rectiſſimè dicitur, ut ſibi ea imputet, ſi in illa inciderit; & iſta eſt communis omnium animarum conceptio. Eodem modò, ſi quis ire voluerit ad locum aliquem viam ignorans, quæ ducat ad illum; præſto autem habeat, qui viam eidem oſtendat, & ducatum itineris præbeat, & neutrum iſtorum habere velit, id eſt, nec ducem itineris, nec viæ oſtenſorem: ſi erret ſic itinerans, ei meritò imputandus eſt error itineris hujus, & hanc propoſitionem cujuſliber animus approbat auditam: ſimiliter immò mul-

Conceptio communis.

D tò fortius in via morum ſe habere neceſſe eſt. Quantò enim pericula majora ſunt in via morũ, quàm in via hujuſmodi, tantò magis, & proprio viſu ſpirituali, & alieno prævidenda ſunt & præcavẽda: qui igitur nec proprio ſenſu, ubi eis ſuppetit, nec alieno, ubi eis paratus eſt conſulere, pericula ſpiritualia declinare nolunt; meritò eis imputanda ſunt, cùm in ea inciderint. Ampliùs. Si videris aliquem errare in via iſta viſibili, teneris illum ab errore illo avertere, & à periculis, quæ ipſi imminere cernis, eidẽ præcavere: multò magis igitur, & in via morum; longè autem ampliùs teneris tibi conſulere quàm alij. Tantò ergo culpabiliùs ſibi unuſquiſque non conſulit de via hujuſmodi, & ad viam pertinentibus, quàm alij; quantò magis ſibi debitor eſt in hoc, quam alij. Ex his ergo manifeſtum eſt tibi, quia negligentia iſta quærendi ſcilicet viam veritatis, & ſalutis, negligentia eſt culpabilis, & damnatione digniſſima. In

Negligentia quærendi viam ſalutis.

H

Digitized by Google

his ergo qui ptoprio ſenſu, ingenioque & induſtria, diſcrimina ſpiritualia prævidere, & præcavere potuerunt, ſive ex ſcripturis, ſive ex doctrina, ſive ex miraculis, ſive ex omnibus his; juſtiſſima eſt damnatio erroris, & ignorans talis meritò ignoratur, ut dicit Apoſtolus in 14. primæ ad Corinthios. Tales ſunt qui nolunt intelligere, ut benè agerent. Si quis autem quærat de illo, qui invenit doctores vel prædicatores contrarios, videlicet unum fidelem, & alium infidelem: nec ſufficit ſcire ex proprio ſenſu vel ex dictis eorum, vel ex vita, cui eorum magis credere debeat, an requiret Deus ab iſto ut divinet fidem: hic proculdubiò, quia non habet de humana ratione quid faciat, implorare debet divinum auxilium, ut dicit Auguſtinus; & tota inſtantia deprecari, ut illuminator animarum Deus, viam veritatis ei oſtendat, & cor ejus applicet ei parti contradictionis, quæ vera eſt, & eidem accepta. Piè autem credendum eſt de miſericordia Dei, quia ſic pulſanti aperiat, & quòd niſi vel negligentia quærendæ veritatis, vel alia culpa obſiſtat; cor ejus avertet Deus, ne impietatis errori conſentiat. Idem ſentiendum eſt & in illo alio caſu, videlicet, ſi ſeductor ſub prætextu veri, catholicique doctoris ſimplici alicui, & indocto errorem aliquem impietatis prædicet, quia Deus cor ejus avertet, ne illi credat, niſi hoc vel negligentia ejus, vel alia culpa impediat. Cuſtodit enim dominus diligentes ſe: dicimus etiam, quia cùm intellectus humanus creatus ſit ad inquirendam, & cognoſcendam veritatem ſalutarem: maximè de hoc debet eſſe ſtudioſus, atque ſollicitus. Quare negligentia ejus in hoc, atque deſidia, maximè culpabilis eſt atque damnabilis. Ampliùs, Quia unaquæque virtus ad actum, & finem proprium expeditior eſt atque facilior, quàm ad aliquem alium; manifeſtum eſt, quia virtus intellectiva noſtra ad quærendum, & inveniendum Deum, quatenùs hîc requiritur, & expedit, expeditior eſt, atque facilior, quàm ad quærendum, & inveniendum aliquid aliud; maximè cum præſto ſit Deus ſemper adjuvare conantes ad ſe, & appropinquare appropinquantibus ſibi. Conſidera igitur iſta quæ diximus, & videbis omnes errantes in via veritatis, & ignorantes eadem culpa naturaliter errare, & damnabiliter ignorare. Nullum enim eſt invenire in eis, qui non ſit negligens in inveſtigando per ſemetipſum ſalutarem veritatem, aut inquirendo ab aliis, aut implorando divinum auxilium, aut in faciendo veritatem: qui enim negligit facere bonum, quod eſſe faciendum novit, meretur non accipere notitiam illud faciendi, quod nondùm novit. De uno quoque enim ſperandum eſt, ſi talento intellectus tota diligentia bene negotiatus fuerit, in quibus per ſe potuit, quod etiam multipliciter ei, vel augeatur, vel ut etiam divinæ revelationis, ſeu inſpirationis munere capiat ampliora, ad quæ per illa pertingere non valebat; vel etiam quia prædicetur ei doctrina, vel prædicatio ſalutaris: quod dicimus propter hoc, quia ſi aliquis eſſet ſeorsùm ab hominibus, & vellet negotiari diligenter in talento intellectus ſui, & conſideratione viſibilium; facile eſſet ei invenire cauſam creationis, & multa alia de ipſo, videlicet ipſum Deum eſſe diligendum, honorandum, & adorandum: & ſi in inventis bene negotiaretur, adderet ei Deus alia, vel per inſpirationem, vel per doctrinam aut per prædicationem quam ipſemet ei procuraret; omninò enim credendum eſt, Deum neminem velle deſerere, qui ei ſtudeat adhærere. Jam ergo ſatisfactum tibi de omni adulto errante errore impietatis, quia juſta eſt ejus damnatio: declarabimus autem hoc evidentius, & dicemus; quia ſicut liberæ voluntatis eſt, ut ſe aver-

Quæſtio.

Intellectus humanus ad quid creatus.

Talentum intellectus.

Dei providentia, & charitas.

Nota hunc locum.

Similitudo bona.

E tat ab omni malo volito & ut per conſenſum ſe non inclinet in illud: ita eſt & intellectus humani, ſive rationis, ut ſe avertat ab omni malè credito, & ut non aſſentiat illi; & hoc, vel ex proprio lumine ei poſſibile eſt, vel ex alieno: ex proprio, hoc eſt propriæ inveſtigationis: ex alieno, id eſt, divinæ revelationis, vel humanæ eruditionis. Sicut igitur libera voluntas damnabiliter conſentit in male volitum; ſic humanus intellectus damnabiliter aſſentit in male creditum: quare tenetur, vel ipſe ſe corrigere, vel correctionem ſuam per aliquam viarum, quas diximus, procurare: quare non licet errare in hujuſmodi, nec talia ignorare, & hoc apud omnes nationes receptum eſt. Ipſi enim idolatræ dixerunt, quia qui dubitat Deos eſſe honorandos, indiget pœna. Ampliùs. Sicut debitrix eſt libera voluntas, ſive affectus ſuæ F operationis, quod eſt velle in bonis volendis: ſic & intellectus ſuæ operationis debitor eſt in veris credendis, ſeu cognoſcendis: quare ſicut non licet affectui, vel damnabilia velle, vel ſalutaria non velle; ita non licet intellectui impia falſa credere, vel ſalutaria vera non credere: quare nec error, nec ignorantia aliquem excuſat unquàm à perditione omninò. Ampliùs. Si non minùs tenetur Deo in ſuis operationibus intellectus humanus, quàm affectus; nunquàm autem licet affectui amare contrarium Deo, vel eis, quæ ejus ſunt: ſimiliter nunquàm licet ei vel amare ei contraria, vel non amare ea quæ ejus ſunt; quare nunquàm licet intellectui credere contraria ei, vel eis, quæ ejus ſunt: ſimiliter non licet non credere G ipſum, vel ea quæ ejus ſunt; quod enim eſt non amare in affectu, hoc eſt non credere, ſive non cognoſcere in intellectu. Ampliùs. Si ignorantia, vel error excuſaret, cùm omnes peccantes errent, & ignorent, & tantò ampliùs, quantò ampliùs peccant, omnia peccata eſſent excuſabilia, & majora magis excuſabilia, quantò majores errores, & tenebræ peccantibus contingunt. Vides igitur quoniàm ad hanc dementiam tandem devenerunt, ut liceat unicuique credere, vel diſcredere quicquid voluerit, & nullam eſſe legem poſitam intellectui; quare nec affectui, & propter hoc nullam legem tenendam eſſe ſimpliciter, quia quælibet poteſt teneri licitè ſecundùm eos, & contra quamlibet fieri: Si enim error & ignorantia ubique excuſent, ex eo ſequitur, nihil eſſe virtutem, nihil vitium ſimpliciter, quia credenti de virtute quia H ſit vitium, aut econversò, erit virtuoſum agere contra virtutem, vel ſecundùm vitium: ſimiliter erit virtuoſum, immò religioſum ſit unicuique credere ſecundùm credulitatem ſuam, quantumcunque impiam vel erroneam. Ampliùs. Secundùm hoc nullus errabit, vel credendo, vel operando, cùm credendum ſit unicuique quod credit, & operandum quod operatur ſecundùm credulitatem erroris ſui. Iterùm æquè coletur Deus ſecundùm hoc vitiis, & virtutibus, & æquè compoſiti erunt mores vitioſi, & judicio Dei æque laudabiles, quin æquè remunerabiles: poſtquàm non refert quid agat unuſquiſque, vel qualiter, ſed ſolummodò quid credat ſe agere, vel intendat aut qualiter: per hanc viam æquè colenda erunt idola ut Deus altiſſimus, ſi credantur æqualiter eſſe colenda, & meritoriè, atque religioſè negabitur Deus, ſi credatur eſſe negandus. Apparet igitur tibi manifeſtè ex his intellectui poſitam eſſe legem, & limites in operationibus ſuis, & limitatum ei eſſe quid credere eidem, vel diſcredere, & iterùm non credere, vel ignorare liceat. Et iterùm interdùm ignorantiam eſſe damnabilem, videlicet in quibuſdam ignoratis: ſimiliter & credulitatem quorundam damnabilem eſſe & impiam, & propter hoc neutram excuſare à tota damnatione eos quos involverit: Fortaſſis autem excuſat à tanta, non enim tantùm peccare

Alia ſimilitudo.

Intellectus non minus Deo conformis eſſe debet, quà affectus.

Abſurdū.

Lex intellectui poſita.

Digitized by Google

Nota.

ſare videtur qui erranter, vel ignoranter malè agit, A quantùm qui ſcienter, vel contra conſcientiam. Quod autem quibuſdam viſum eſt, quia ſi aliqua mulier viro neſciente intret lectum ipſius, & cognoſcat eam, cùm credit eſſe uxorem ſuam maximè de nocte, quia non peccat, excuſatus per hujuſmodi errorem, vel ignorantiam, alioquin tenerentur viri accendere lucernas media nocte, & diligenter conſpicere, atque probare an eſſent uxores ſuæ, quas juxta ſe invenirent, quia conſuetum non eſt fieri, nec leve videtur ad faciendum: Dixerunt, quia in hujuſmodi caſu excuſatus eſt vir, niſi fortè in muliere, adeò notabiles, adeóque evidentes ſint differentiæ, ut ipſum niſi omninò ebrium, aut dormientem, errare non ſinant. Quemadmodùm ſi uxor ſit mulier gracilis modicæque ſtaturæ, ſuppoſita verò ſit giganteæ magnitudinis, aut multæ pinguedinis, multæque B corpulentiæ; in hoc quippe caſu nullo modo licitum eſt errare vigilantibus viris Nobis autem videtur aliter ſentiendum, quia niſi culpa aliqua viri hoc impediat, avertet Deus cor ejus, ne cognoſcat mulierem ſic juxta eum jacentem, & hoc vel infrigidando eum, vel aliquam cogitationem immittendo, vel aliter ipſum occupando, vel ipſam mulierem terrendo; ita ut inde abeat, vel aliqua alia via.

Opinio Guilielmi.

Pſal. 144. Prov. 2.

Modi autem, & viæ innumerabiles omnipotenti Deo propriiſſimæ ſunt ad cuſtodiendum, quos voluerit cuſtodire: cuſtodit ergo dominus diligentes ſe, ſicut legitur in pſalmo: Et iterùm Proverbiorum 2. Cuſtodiet iſtorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter; & etiam hoc per ſimilitudinem matrimonij ſpiritualis evidenter oſtendi poteſt. Apparet enim interdùm lucifer diabolus in ſpecie domini ſalvatoris, & etiam cuidam apparuit noſtris temporibus in ſpecie Crucifixi. Quærimus ergo ſi adoraſſet eum pro domino ſalvatore, utrùm eſſet excuſatus C per ignorantiam in hoc adulterio ſpirituali. Si enim vir ſuſcipiens ad amplexum carnalem adulteram credens eam eſſe uxorem ſuam; ſimiliter & mulier ſuſcipiens adulterum credens eum eſſe maritum ſuum, excuſatur per hujuſmodi errorem probabilem: ergo & in ſpirituali adulterio eſt excuſata anima fidelis errore probabili inducta, ſuſcipiens adulterum diabolum pro Chriſto ſponſo ad amplexum orationis, & ad omnia alia quæ ſunt honorificentiæ divinæ & cultus. Sequitur etiam ex his quia talia non ſolùm excuſabunt excuſabiliter, ſed meritoriè fieri poſſunt, videlicet ſi cauſa reddendi debitum cognoſcat alienam, & ex charitate, cùm omne, quod non eſt peccatum, fieri poſſit ex charitate. Poterit igitur adorare diabolum anima fidelis ex amore, quem habet ad Chriſtum, ita ſeducta probabili errore ut diximus; quare meritoriè poterit ſervire diabolo cum genere idolatriæ. Juxta viam iſtam, & D ſequitur, præmiſſam opinionem ut piè & fideliter, atque remunerabiliter poſſit homo credere majorem partem omnium hæreſum. Si enim licet marito commiſceri adulterio per ſupradictum errorem, vel ignorantiam; licebit & intellectui humano falſitatem adulterinam, hæreticam ſcilicet pro ſalutari, catholicaque veritate, quaſi ſponſam ipſius per ſimilem errorem, & ignorantiam admittere ad copulam ſpiritalem, quæ copula non eſt ibi aliud quàm credulitas ſive fides. Quare poterit intellectus humanus credere multos errores impietatis & hoc piè, & fideliter atque remunerabiliter, cùm crediderit eos eſſet articulos fidei: Illud igitur potiùs nobis videtur, quod etiam divinæ pietati magis conſonum, ut ubi invincibilis eſt ignorantia, quod eſt ubi non habet homo de humana ratione quid faciat, ibi imploret divinum auxilium, & non temerè ſe præcipitet, totum pertinet facere ad Deum, ubi non habet homo

Similitudo.

Quæſtio.

Aſimili.

Opinio Guilielmi.

A quid debitè faciat, verbi gratia, ſi in eam figuram vel formam ſe tranſfiguravit lucifer in qua non poſſit apparere homini per quod non videatur Chriſtus, neq; aliquid per quod dignoſci valeat non eſſe Chriſtus; ſolius Dei eſt hominem cuſtodire, nec aliud ibi homini relictum eſt niſi divinum auxilium implorare. Nuſquàm autem dubitandum eſt quin præſto ſit auxiliator Deus piè invocantibus ipſum, & etiam non invocantibus niſi culpa eorũ obſtiterit. Quare in præmiſſo caſu dicimus, quia Deus avertet cor hominis, & ab impietate adorationis diaboli, & ab impietate errorũ quos poſuimus, niſi culpa eorum hoc impedierit Nec cogimur dicere, quòd Loth cognoſcendo proprias filias licet ignoranter, non peccavit; aut Jacob cognoſcendo Lyam, credens ſe cognoſcere Rachelem, ſicut neq; Judas patriarcha qui credens ſe cognoſcere ſcortum, B nurum ſuam Thamar cognovit. Peccare enim potuerunt Jacob & Loth: ſicut enim Loth inebriari potuit, & Judas fornicari; ſic & Jacob. Excuſantur enim per ignorantiam à tanto, ſed non à toto, ut dici ſolet, hoc eſt non ut omninò non peccaverint, ſed ut non tantùm. Quia ergo quærũt de multitudine damnatorum ad quid eam Deus creaverit, certum eſt, quia ex divitiis bonitatis ſuæ eam creavit, & quia multa, & magnifica bona eis contulit, pœnas verò vel tormenta niſi meritas, atque juſtiſſimas, nulli unquàm intulit, nec in poſterùm illaturus eſt. Apparet ergo tibi ex his, quia juſtitia Dei cauſa eſt damnationis eorum utique efficiens, quâ nulla juſtior excogitari poteſt. Mala verò eorum merita cauſa ſunt quaſi materialis perditionis ipſorum, quibus juſtiſſimo judicio, & laudandâ in omnibus juſtitiâ damnatio illa redditur. Quòd autem tam multi ſunt, qui damnentur, & tam pauci qui ſalventur, & in naturalibus, & moralibus ſimilitudinem expreſſam invenis; viliorum enim, & C ignobilium major ſemper eſt multitudo, quàm pretioſiorum, atque nobiliorum; ut ferri, plumbi, quàm auri & argenti, & lapidum ignobilium, quàm gemmatum: ſimiliter quercuum, quàm cedrorum vel palmarum; eodem modô ſtultorum hominum, quàm ſapientum, & malorum quàm bonorum. Vides etiam in tanta multitudine hominum paucos de illis Reges vel principes, & tam modicorum, tamque ignobilium regnorum, ut ſunt temporalia. Quantò fortiùs ergo mirari non debes, ſi paucis largitur præclara, ac nobiliſſima regna cœleſtia. Ampliùs. Cùm tam raros videas qui regna cœlorum appetant, vel curent: tam multos autem qui ab eis ſe avertunt, & contraria ſectantur: propter quid miraris ſi tam pauci perveniunt, tam multi non perveniunt ad illa. Ampliùs. Si videres de centum partibus generis humani nonaginta-novem, totis ſtudiis, ac viribus, currentes per viam quæ ducit ad mortem; paucos verò è contrariò D currentes per viam, quæ ducit ad vitam, non mirareris ſi magna illa multitudo tota deveniret in mortem, & ſola illa paucitas perveniret ad vitam? Sic & conſidera tantam multitudinem perditorum, & videbis eam feſtinantem ad mortem; è contrario verò paucitatem electorum feſtinantem ad vitam. Quid igitur mirum eſt, ſi unuſquiſque hominum ad finem pervenit, ad quem totis ſtudiis, ac viribus tendit: multitudo namque perditorum hominum in via vitæ illius, multitudo ſtulta eſt, & vitam fugiens, & in mortem ſe præcipitans, & in ſtagnum ignis & ſulphuris ſe injiciens, atque in mare & abyſſum æternarum amaritudinum ſe demergens: quòd in baratrum infernale unuſquiſque cadit, de ponderoſitate eſt propriæ iniquitatis: quòd ſurſum, ad ſublime, ſcilicet æternæ beatitudinis aliqui trahuntur, de virtute eſt omnipotentis divinæ bonitatis. Ut quid inquiunt, ſuſtinet divina bonitas tantam ſtragem hominum, quos

Deus promptus auxiliator.

Loth.

Jacob.

Judas patriarcha.

Viliorum major copia quàm pretioſiorum.

Multitudo perditorum.

Iniquitas ponderoſa.

creavit, an delectat eum tanta carnificina tormentorum infernalium? Reſpondemus, quia nihil extra ipſum delectat ipſum propriè, & quia placent ei tormenta malorum, & quia bona, utpotè creaturæ ejus, & propter pulchritudinem juſtitiæ, quæ in eis inæſtimabiliter, & miranda eſt, & laudanda, quam tantò delectabilius intuebuntur ſancti in patria, quàm hîc eam cogitant, vel audiunt: quantò major erit eis ibi amor juſtitiæ atque cognitio, quàm hîc: ſimiliter & quantò major videbitur ipſa divinæ juſtitiæ magnitudo. Ex quibus tribus per locū à proportione ex neceſſitate conſequitur majus eſſe futurum gaudium ibi de aſpectu, ſeu intuitu pulchritudinis divinę juſtitię quæ ibi dilucidiſſimè conſpicietur, quàm eſſet gaudium ex omnibus gaudiis, ſi conflarentur in unum; omne enim gaudium, & omnis delitia pro magnitudine amoris, qui in eum eſt, & pro F magnitudine cognitionis, quæ de Deo eſt, atque pro magnitudine ipſius delectabilis, magnum eſt. Quia igitur tria hæc in patria, ac tria ſunt proportionabilia, ſeu reſpondentia; hîc in via infinita ſunt, id eſt ſupra omnem proportionem majora, neceſſe eſt gaudium ex his in patria eſſe infinitum ad gaudium ex comparatione proportionabilium eorum in via: tunc enim poſuerimus duo delectabilia, & duos amores, duaſque cognitiones ſive perceptiones eorum, proportionabiles videlicet. Ut ſicut amor primi delectabilis ad amorem ſecundi, ita, & cognitio ſive perceptio primi ad cognitionem ſive perceptionem ſecundi; & ipſum primum delectabile ſimiliter ſe habet G ad ſecundum, erit neceſſariò, ut ſi per omnem proportionem amor, & perceptio primi delectabilis ſunt majores, quàm amor, & perceptio ſecundi; gaudium ex primo ſecundùm amorem, & perceptionem primam erunt ſuper omnem proportionem majus gaudio, quod eſt hîc, & ſecundo, ſecundùm amorem, & perceptionem ipſius in via: verbi gratia. Primum delectabile eſt id quod apparebit de pulchritudine divinæ juſtitiæ in patria, amor in ipſum, & perceptio ſive cognitio ipſius; primæ ſunt amor divinæ juſtitiæ & perceptio ejuſdē quales ſunt in patria: Secundū verò delectabile eſt illud quod apparet hîc de pulchritudine divinæ juſtitiæ. Secundò verò amor, ſecundaque cognitio, ſive perceptio ſunt amor atque perceptio divinæ juſtitiæ, quales ſunt in via. Jam autem alibi didiciſti, quia eorum quæ ſunt patriæ ſeu gloriæ ad ea, quæ ſunt viæ, nulla eſt comparatio in H magnitudine, ſeu intenſione: quare amoris ad amorem, & cognitionis ad cognitionem nulla erit comparatio. Similiter neque ejus, quod apparebit de pulchritudine divinæ juſtitiæ in patria, ad id quod de eadem apparet in via, quemadmodùm, nec ejus quod apparebit tunc de divina miſericordia, ad id quod de eadem nunc apparet in via, & ita de aliis quæ Dei ſunt. Declaratùm igitur eſt tibi per hæc, quàm delectabile, & quàm admiranda erit divinæ juſtitiæ pulchritudo, & carnificina tormentorum infernalium, & quia gaudio inenarrabili, & omninò gaudio mundano in inferiora majori, delectabit electos. Fiet autem evidentius quod dicimus litterarum deſignatione. Nominemus igitur D id, quod apparebit de pulchritudine juſtitiæ in patria, amorem verò atq; cognitionē ejuſdem, quales erunt: ibi vocemus A & B, gaudium verò quod erit ex D, per A & B, vocemus C, & ad hunc modum hoc quod apparet hîc de pulchritudine juſtitiæ nominemus H, E verò & F, amorem atque perceptionem ſive cognitionem H, quales ſunt in via, G verò gaudium quod eſt H, per E & F. Vides igitur quia D ad H, nulla eſt proportio ſeu comparatio in magnitudine ſeu intentione; proportionales autem ſunt A & B ad C, id eſt ſimiliter ſe habentes, ut E & F ad G. Quare permutatim proportionabiles erunt:

Gaudium divinæ iuſtitiæ.

Nota.

Primum delectabile.

Secundum

Nota.

Iuſtitia divina.

B ſicut igitur A & B ad E & F, ita C ad G. Cùm in infinitum majores ſunt A & B, quàm E & F, in infinitum majus erit C quàm G. Debes autem ſcire quia A & B & C, æqualia ſunt, & generaliter omnes apprehenſiones ſuis affectionibus erunt æquales in patria, ut cognitio uniuſcujuſque ibi, & amor ejus ex illa cognitione ibi erunt æquales: ſimiliter & gaudium omni cognitioni, & amori ex quibus erunt, erit æquale, & hoc, quoniam unaquæque virtus aget actum ſuum ibi in ultimo perfectionis ſuæ; & ideò actus, & virtutes æquales erunt ibi invicem, hoc eſt omnis actus ſuæ virtuti & è converſo. Ex his ergò quæ diximus, manifeſtum eſſe tibi debet, quia laudanda eſt divina bonitas in hoc, quòd & malis, & reprobis præter eſſe, & vitam, aliaque bona naturalia, & innumerabilia gratuita, & temporalia largitur. Quòd autem ampliora non præſtat, non ideò hoc eſt, quia ipſe manum ſuæ retrahat largitatis; ſed quia ipſi manus ſuas aliis occupant, aut quominùs recipiant, avertunt: ſicut quòd lumen Solis ſuper multos non cadit, & eos non illuminat, non ex eo eſt, quòd Sol radios ſuos retrahat, ſed quia ipſi à lumine ejus ſe avertunt. Si quid igitur extra ſemetipſum omnipotentem Deum delectare poteſt in tanta multitudine, magnitudineque tormentorum infernalium, eo modo quo fas eſt, delectationem de ipſo cogitare, cur non delectet eum, admiranda ibi pulchritudo juſtitię ſuæ. Similiter & gaudium electorum ſuorum pro Dei juſtitia, videlicet quod erit eis magnum pro magnitudine cogitationis & amoris ipſius juſtitiæ, nec non pro miſericordia ejus, quod de ipſa apparebit. Deindè nonniſi dimidiam bonitatem ſuam impleret Deus, ſi juſtitiam etiam in malos non exerceret: quaſi enim duæ partes divinæ bonitatis ſunt, ſicut partes ibi cogitari fas eſt, miſericordia & juſtitia videlicet ſecundùm affectum tantùm; cùm bonitas divina impartibilis ſit ſecundùm ſe in ultimo impartibilitatis: ſecundùm hunc errorem igitur, aut eſſet apud Deum otioſa miſericordia, aut juſtitia enormiter diminuta. Quòd autem mirantur æternitatem pœnarum infernalium inſipientes, & increduli; indè eſt, quia ſolam immenſitatem miſericordiæ Dei conſiderant, & magnitudinem juſtitiæ ejus non attendunt. Cùm enim nec minor, nec minùs æterna ſit Dei juſtitia, quàm ejus miſericordia, nec minor nec minùs æternus eſſe debet ipſius effectus in damnandos & puniendos, quàm effectus miſericordiæ in ſalvandos, & beatificandos. Quapropter ſicut ſalus, & beatitudo æternæ erunt in prædeſtinatis, ita damnatio & pœnalitatis miſeria æterna erunt in reprobis. Ampliùs: Movet inſipientes, & incredulos, quòd peccatum momentaneum eſt, & admodùm brevis perpetratio ipſius. Qualiter, inquiunt, juſta poteſt eſſe pœna æterna pro eo illata: in quo manifeſtum eſt eos non cognoſcere naturam ſive eſſentiam ipſius peccati. Peccati enim ipſius perpetratio, vulneratio ſpiritualis eſt ex una ſui comparatione. Tu autem noſti, quia non eſt mirum ſi ex vulneratione breviſſimi temporis vulnus multæ durationis, aut etiam mors, quæ, quantùm in ſe eſt, perpetua eſt, & finem non habens, relinquitur. Ex alia verò ſui comparatione peccati perpetratio caſus eſt in profundum, & in hoc exemplo etiam notum eſt tibi, quia nihil obſiſtit, quin caſus hujuſmodi breviſſimo tempore fieri poſſit, & tamen multo tempore, vel abſque exitu remanebit in profundo, qui ſic cecidit: ex tertia etiam comparatione, ipſa peccati perpetratio, ſicut furtum eſt, aut rapina ſpiritualis, vel ſicut aliquid ex maleficiis forinſecis: & non miraris neque ipſi etiam mirantur, quin mutilatio, vel mors quæ pro illo juſtè ſecundùm leges ſæculares infligitur, perpetua ſit, & quòd non eſt ſanitas à mutilatione in vita iſta, niſi reſurrectione à

Bonitas Dei.

Similitudo.

Miſericordia & iuſtitia, partes divine bonitatis.

Peccati natura.

Sex comparationes.

Comparatio.

Digitized by Google

morte corporis, vel miraculo divinæ virtutis. Ex quarta verò comparatione, peccati perpetratio ligatio eſt, ſeu vinculatio peccantis; natura autem vinculationis eſt, ut brevi tempore fiat; verùm ejuſdem natura eſt, ut tandiu ligatum teneat, quamdiu vincula ipſa inſoluta duraverint & indirupta. Ex quinta quoque comparatione, peccati perpetratio aliqualis contractus eſt, & emptio infernalium tormentorum, necnon ex venditione, qua pretio brevis voluptatis ſe ipſum tam anima quàm corpore vendit inſanus peccator: cui autem dubium, quin ex venditione, & emptione, quantumcunque brevi tempore fiant illa, jus perpetuum rei emptæ acquiratur emptori, & quòd transferatur res empta perpetua alienatione, & venditione. Ex ſexta etiam comparatione peccati perpetratio, ſicut extinctio lucernæ eſt: lucet enim ſalutari cognitione, & ardet vitali ſeu vivifica dilectione peccator, antequàm peccet; peccando verò quaſi in ſpurcitiam peccati ſe demergens, ſemetipſum extinguit. Attende igitur ſex iſtas comparationes quas diximus, & videbis non ſolùm levem; ſed & intolerabilis ſtultitiæ admirationem incredulorum in his. Mirantur enim quòd ex vulneratione breviſſimi temporis, remanet vulnus perpetuum vel mors, quòd cadens in profundum diutiùs in eo remanet, hoc eſt longiori tempore, quàm fuerit caſus ejus: ſimiliter quòd plus eſt tempus mutilationis ſeu ſuſpendij furis, quàm tempus furationis: ſimiliter mirabile eis videtur quòd detentio alicujus in vinculis longioris temporis eſt, quàm ipſa ligatio: ſimiliter, & quòd aliquis habet jus in re empta, niſi tanto tempore quantùm durabit emptio: & quòd lucerna non poteſt vel debet majori tempore remanere extincta, quàm fuit tempus extinctionis ſuæ. Hæc autem omnia quàm leviter, quàmque inſipienter dicantur, per ſe evidens eſt. Addemus autem tibi & alia, per quæ divina juſtitia perpetuitate ſuppliciorum infernalium etiam lucidiùs declaretur. Manifeſtum enim eſt per ſe, quia qui addit ſuper peccatum impœnitentiam, ſeu contumaciam, addit de jure, & pœnam: & juſtiſſimè quantùm durat in unoquoque Dei injuria, tantùm in eodem durat & pœna. Quia igitur exiſtentes in inferno ſuper peccata ſua etiam addunt impœnitentiam, & contumaciam nunquàm pœnitentes, nec unquàm pœnitere volentes; quia ſemper durat in eis Dei injuria, id eſt peccatum; quare ſemper meritò durat & eis pœna, & de jure etiam meritorum ipſorum, quoniam propter additionem contumaciæ addi poſſet eis & pœna: tamdiu enim durat in unoquoque Dei injuria, quæ non eſt niſi peccatum, quamdiu idem non emendatur. Alibi autem declaratum eſt, quia nec pœnitentia, nec emendatio aliqua apud inferos eſt. Ampliùs. Quantò minus bonum eſt Deo, quod ei præfertur, ſive propter quod ipſe deſeritur, tantò major ei contumelia irrogatur. Quia igitur omne quod eſt, vel eſſe poteſt, in infinitum minus bonum eſt ipſo, quicquid ei præferatur, aut pro quocunque alio deſeratur, infinita ei contumelia irrogatur. In omni autem peccato mortali aliquid ei præfertur, & pro illo deſeritur; quare omni peccato mortali infinita Deo contumelia irrogatur. Hoc autem eſt manifeſtè videre ex proportionibus: ſi enim præferret Deo duplo minùs bonum, quàm ipſe ſit, quanta ei contumelia irrogaretur? Si autem quadruplò minùs bonum eidem præferretur; duplo major injuria eidem irrogaretur, & ita in infinitum. Quia igitur non eſt reperire aliquid quod non ſit eò in infinitum minus bonum; manifeſtum eſt, quia quicquid ei præferatur, aut pro quocunque alio deſeratur, infinita ei contumelia ſive injuria irrogetur. Jam igitur declaratum eſt tibi, quia omnis peccans mortaliter infinitam contumeliam vel injuriam irrogat Deo: infinitæ autem injuriæ vel contumeliæ, infinita de jure debetur pœna; hoc autem intelligitur infinita duratione, & ita declaratum eſt quòd intendebamus propoſitum. Cùm enim omnis virtus humana ad agendum, & patiendum finita eſſe videatur, non videtur ei poſſe infligi infinita in acerbitate pœna. Quapropter infinitate durationis compenſabitur ex neceſſitate acerbitatis infinitas. Ampliùs. Æquales ſunt ex neceſſitate pœna finitæ acerbitatis, & infinitæ durationis, & pœna finitæ durationis & infinitæ acerbitatis. Ponamus enim quòd pœna infinitæ acerbitatis, & finitæ durationis ſit pœna unius diei, vel anni; & ſumamus ex altera parte pœnam ejuſdem infinitæ durationis, ſed finitæ acerbitatis, & nominemus primam A, ſecundã B. Dico igitur quod A, eſt in infinitũ major quàm B, intenſione ſcilicet in acerbitate, & hoc eſt quoniàm A infinities continet B. In infinitum enim magis punitur, qui punitur A, quàm qui punitur B. Quare in infinitum magis punitur, qui punitur uno A, quàm qui punitur duobus B, & ſimiliter quàm qui punitur tribus B, & ita in infinitum. Quoniàm ſi non eſt proportio unius A ad unum B, non erit proportio unius A, ad quodcunque B. Quodlibet enim B, certam habet proportionem ad unum B, ſicut centupla & millies millecupla aliis. Quia igitur proportio extremorum ſemper componitur ex proportionibus intermediis, ſi eſſet proportio unius A, ad quodcunque B, ſicut proportio certa ad unum B, compoſita ex proportionibus, quarum altera eſſet unius A ad illa B, & altera eſſet illorum B, ad unum B. Ut autem iſta evidentiùs videas. Ponamus unum hominem puniri uno A, & alium uno B. Manifeſtum eſt, quia qui punitur uno A, in infinitum plus punitur uno B. Eodem modò ſi duo homines punirentur duobus B, verum eſſet, quòd in infinitum magis puniretur, qui uno A puniretur, quàm illi duo ſimul ſumpti. Eodem modò & quàm tres ſimul ſumpti, & ita in infinitum. Quare qui puniretur uno A, æquè puniretur, ut infiniti infinitis B. Non refert autem utrùm ſimul intelligatur infinita B, aut per ſucceſſionem. Æqualia enim ſunt, ſive ſucceſſivè ordinata, ſive ſimul intellecta. Quia ergo ſucceſſivè ordinata infinita ſunt B, ſunt una pœna perpetua; manifeſtum eſt quod diximus, quia pro unoquoque peccato mortali debetur pœna infinita duratione. Ampliùs. Si aliquis peccaret in aliquem æqualem ſibi, proculdubiò aliquantùm peccaret in eum, & ſi idem, vel ſimile peccatum committeret in majorem, magis, & quantò in majorem, tantò magis, verbi gratia: ſi in ſacerdotem ſuum magis quàm ſi in æqualem; & iterùm in Archidiaconum graviùs, & deindè in Epiſcopum, & ita de gradibus ſuperioribus; quare manifeſtum eſt, quia quantò in majorem peccatur, tantò magis. Quare ſi in infinitum, & in infinitum magis: quia igitur Deus in infinitum major eſt quocunque alio, in infinitum magis peccatur, quoties peccatur in Deum, quàm peccetur in hominem eodem genere peccati, verbi gratia: ſi occiditur Deus, & occiditur homo qui non eſt Deus, in infinitum magis peccatum eſt occiſio Dei, quàm occiſio hominis; eodem modò ſi conſpuitur Deus, & conſpuitur homo, vel percutitur, vel vulneratur. Quare ſi contemnitur Deus, & contemnitur homo, vel offenditur Deus, & offenditur homo; in infinitum majus peccatum eſt tam offenſa quàm contemptus Dei, offenſa vel contemptu hominis, quia omni peccato mortali offenditur, & contemnitur Deus, quia ejus mandatum, & voluntas præteritur. Manifeſtum eſt omni peccato mortali in Deum infinitè peccari, vel ſaltem in infinitum, magiſque peccaretur quàm in hominem, ſi homo offenderetur, vel contemneretur. Quòd ſi dixerit quis, quia non ex hoc oſtenſum eſt, quod ideò omnis of-

Comparatio alia. *Item alia.* *Peccati perpetratio velut contractus.* *Item alia.* *Amplior declaratio.* *Apud inferos nulla pœnitentia.* *Infinita pœna infinita injuriæ debetur.* *Adverte.* *Nota.* *Acute diſputat.* *Alia perſuaſio.* *Gradus & circumſtantiæ perſonales.*

fenſa Dei, vel injuria infinita ſit; non enim ſequitur ſi A eſt in infinitum maior B, vel ſi A continet infinita B, quòd ideò A ſit infinitum: omnis enim linea eſt in infinitum, hoc eſt, ſupra omnem proportionem major omni puncto, vel omnis linea continet ſuper omnem proportionem, atque infinitiès quodlibet punctum, vel infinita puncta; nulla tamen linea eſt infinita: ſic offenſa & injuria Dei, licet contineat infinitiès ſimilem offenſam, vel injuriam hominis, ſive in homine; non tamen eſt infinita; quoniàm non eſt aggregata, ſive compoſita ex illis, ſicut neque linea ex punctis: & revera, omne quod continet infinita cauſata contentione, ſive continentia aggregativa, ſive totali, hoc eſt, quod continet ea ut totum partes, & ut aggregatum ex illis, ex neceſſitate eſt infinitum. Sed dicetur forſitan, quòd offenſa, ſive injuria Dei non eſt totum ad offenſas, ſive injurias hominis, neque ad aggregatum ex illis: verùm nec per hanc viam effugit, nec minùs propter hoc non neceſſe habet concedere perpetuitatem pœnarum, cùm pro offenſa vel injuria Dei debebuntur infinitæ tantæ, aut finitæ; verbi gratia. Eſto quòd pro aliqua offenſa vel injuria hominis debeatur pœna vnius diei, & nominemus illam A, cùm offenſa Dei ſit in infinitum maior offenſa hominum, de qua agitur; proportionabiles autem ſint offenſæ, ſive injuriæ & pœnæ eis debitæ; erit ex neceſſitate pœna debita injuriæ, vel offenſæ Dei in infinitum major A: quare etiam duobus A, & tribus & ita in infinitum: erit igitur æqualis infinitis A ſimul ſumptis, vel major illis. Infinita autem A ſimul ſumpta, non ſunt, niſi pœna infinitorum dierum, ſive pœnarum, hoc autem niſi pœna perpetua; quare pro omni offenſa Dei mortali debetur ex neceſſitate pœna perpetua.

An omnis offenſa Dei ſit infinita.

Ampliùs. Obligationes, & tranſgreſſiones ſemper æquales ſunt, & ſemper proportionabiles: quicunque enim æqualiter tenentur ad aliquid, æqualiter peccant, non faciendo illud, & qui duplò magis tenetur ad aliquid quàm alius, duplò magis peccat non faciendo illud; ſimiliter & qui triplò, vel qui quadruplò, & ita in infinitum. Quare, quæ eſt proportio generaliter obligationis ad obligationem, ea eſt tranſgreſſionis, ſive omiſſionis ad tranſgreſſionem, ſive omiſſionem; ſimiliter proportionabiles ſunt culpæ & pœnæ, ita ut generaliter, quæ proportio culpæ ad culpam, ea ſit pœnæ meritæ, ſeu debitæ ad pœnam meritam, ſeu debitam. Quærimus ergò vtrùm obligatio, quâ quis tenetur Deo obedire, atque ſervire, ſit finita, an infinita: quòd ſi dixerit finita, deſtruitur iſtud duobus modis. Primùm, quia non eſt finitum, quia aut intranſibile eſt debitum, aut tranſit, & tranſit ſerviendo: quia igitur debitum, ſive obligatio, de qua agitur, non eſt ſolvendo, hoc eſt obediendo, atque ſerviendo tranſibilis; conſequens eſt ex neceſſitate, vt non ſit finitum: ratio enim finiti tranſibile eſt, ſicut & ratio infiniti intranſibile. Quòd autem impoſſibile ſit tranſiri vel tranſire huiuſmodi debitum, indè manifeſtum eſt; quia ſi tranſiret, vel tranſiretur in aliqua creatura, neceſſariò perficeretur eius tranſitus in aliqua hora, vel inſtanti. Eſſet igitur tunc perfectè per tranſitum hujuſmodi debitum vel obligatio; nihil igitur reſtaret de illo, vel illa; eſſet ergo hujus debitum perfectè ſolutum, quare debitor ab illo eſſet penitùs abſolutus. Non igitur eſſet ampliùs debitor in aliquo creatori, in aliquo inquam, nec in obedientia, nec in ſervitio aliquo. Contingeret igitur ſecundùm hoc, aliquam creaturam poſſe liberari omninò à ſervitute creatoris, & à debito obediendi, atque ſerviendi eidem. Hoc autem eſt manifeſtè impoſſibile, ut ſit homo, vel angelus, qui non teneatur obedire, vel ſervire creatori, & qui euſque eidem ſervierit,

Proportionabiles.

Quæſtio de obligatione quâ Deo obedire cogimur.

Nemo omninò liberatur ab

E ut ampliùs ſervire ei non teneatur. Ampliùs. Si finita eſt obligatio qua unuſquiſque tenetur Deo obedire atque ſervire, & finita eſt obligatio, qua unuſquiſque tenetur cuicunque alij hominum obedire, atque ſervire: erit ex neceſſitate certa comparatio, ſeu proportio alterius ad alteram, cùm ſint ejuſdem generis: quemadmodùm omnia debita pecuniaria comparabilia ad invicem certa comparatione, & proportionata invicem: ſimiliter & debita ſimilium ſervitutum. Debita igitur, ſive obligationes, de quibus agimus, quoniàm ſimilia ſunt, videlicet obedientiarum atque ſervitiorum, erunt certa proportione comparabilia: erit igitur vel dupla, vel tripla, vel centupla proportio alterius ad alteram. Ponamus igitur exempli gratia, quòd debitum, quo quis tenetur obedire Deo, ſit centuplum, ad debitum, quo quis tenetur obedire patri ſuo, vel magiſtro in eodem mandato; & vocemus debitum, quo tenetur obedire Deo A, & aliud debitum nominemus B: quia igitur A eſt centuplum B, erit ex neceſſitate vnum A, æquale centum B; & ita non erit majus debitum, quo aliquis tenetur Deo obedire debito, quo centum homines tenentur obedire patribus ſuis in eodem mandato, ſive debito, quo unus tenetur patri ſuo in centum ſimilibus mandatis. Cave autem ne erres in hoc quod diximus, debitum, quo unuſquiſque tenetur Deo, eſſe infinitum: hoc enim evidenter verum eſt, ſi intelligatur infinitum ſecundùm magnitudinem, hoc eſt, ſecundùm ſui univerſum: univerſitas enim eorum, quæ Deo debentur ab unoquoque noſtrum, neque numeratione tranſibilis eſt; quia innumerabilia ſunt, quæ debentur eidem ab unoquoque noſtrum: eodem modò infinibilis eſt & intranſibilis ſolutione, ſive ſolvendo, ſicut ſupra oſtendimus: quoniàm impoſſibile eſt, ut ſolvendo tranſeatur, & perveniatur ad abſolutionem, ſive liberationem ab ipſo: verùm non propter hoc conſequens eſt, ut ſit infinitum intenſione; etſi enim majus ſit debitum uniuſcujuſque totius, quàm partis ſuæ; majus inquam magnitudine, non tamen major eſt obligatio ad totum quàm ad partem, immò æqualis ſecundùm intenſionem: æqualiter enim debet debitor omnis quamcunque ſummam, & quamcunque partem illiùs, nec magis obligatus eſt debitor centum marcarum ad ſolutionem earum, quàm ad ſolutionem uniuſcujuſque illarum. Qui enim mutuatus eſt centum marcas, & qui mutuatus eſt unam ſolam, æqualiter obligati ſunt quantùm eſt ex mutuo: æqualiter inquam intentione obligationis, non autem æqualiter magnitudine obligationis, quoniàm altera eſt pars, & reliqua totum. Quemadmodùm enim ſumma centum marcarum totum eſt ad unamquamque earum aggregatum ex illis: ſic obligatio ad ſolutionem centum marcarum totum eſt ad obligationem ſolutionis unius marcæ; & hoc quoniàm debitor centum marcarum debitor eſt uniuſcujuſque earum: ad hoc ergo valet iſta ratiocinatio ſolummodò. Quia proculdubiò quicunque peccat mortaliter, ſummam totam debitorum Deo in facto ſervitiorum, quantùm in ſe eſt, aufert illi; Dum enim gratiam in ſe extinguit, ſi habet, aut magis elongat, ſi illam non habeat, impotentem ſe proculdubiò efficit, aut magis impotentem ad reddendum Deo debita ſervitia, quippe quæ Dei gratia grata Deo non efficit, ſervitia reputanda non ſunt; Cùm igitur ſervitia debita ex quocunque tempore in antea infinita ſint, & ſolvenda, ſive ſolutione intranſibilia; manifeſtum eſt omnem, quicunque peccat mortaliter, quantùm in ſe eſt, in infinitum Deum damnificare, & in infinitum rapinam in ipſum committere: ex quo ſequitur evidenter ipſum infinitam pœnam mereri, tum quia Deum debito ſervitio perpetuò

Obedientia & ſervitio Dei.

Exemplū.

Infinitū quomodo.

Solutione non liberamur à debito Dei.

Acuta ratiocinatio.

Nota.

Concluſio.

petuò, & abſq; fine defraudat, tum quia pro unoquoque eorum, quæ Deo, vt diximus, quantùm in ipſo eſt, aufert, pœnam aliquam & aliquantam meretur. Quemadmodùm igitur, cùm hujuſmodi damna omnia aggregata fuerint, ſummam infinitam conſtituent: ſic & pœnæ pro ſingulis hujuſmodi damnis, ſi debitæ tamen, aggregatæ ſimul in unam fuerint, pœnam unam conſtituent infinitam.

Similitudo.

Quemadmodùm enim ſi quis in domo aliqua perpetuam haberet ſervitutem, aut cenſum perpetuum, qui eam irreparabiliter deſtrueret, non ſolùm unius anni cenſum, ſed etiam infinitorum annorum cenſus eidem auferret; ſic & qui ſeipſum irreparabiliter deſtruit, non unius diei ſervitium ſolùm eidem aufert, ſed totius futuræ perpetuitatis innumerabilia, infinitaque ſervitia: non enim ſola præſentis vitæ ſervitia domino Deo debentur, ſed etiam ſervitia futuræ, quæ tantò nobiliora ſunt, atque præſtantiora præſentibus, quantò gratiæ gloria antecellit; nec ideò minus delinquit in Deum, qui peccat mortaliter, quia reparabilis eſt ipſe peccator, hoc eſt reparari, & reſuſcitari poſſibilis à Deo.

Perſuaſio.

Quemadmodùm non ideò minus quis in eum, cujus domum deſtruxit, vel exuſſit, quia ipſe cujus domus eſt, poteſt eam reparare, vel reædificare. Nihilominùs enim propter hoc aufert ei, quantùm in eo eſt, omnem cenſum tam præſentialiter, quàm in futuro ex ea percipiendum. Revertamur autem, & dicamus, quia ſi majoritas debiti, vel obligationis accipiatur ſecundùm intenſionem; ſequitur evidenter quocunque modo attendenda, ſive metienda ſit intenſio, quod omne mortale peccatum, infinita eſt injuria, ſive contumelia creatoris.

Nota.

Manifeſtum enim eſt per ſe, quia debitum, & obligatio intenditur erga benefactorem juxta magnitudinem beneficij ex illa: non enim dubium eſt omne beneficium obligare receptorem erga datorem, & quantò majus fuerit, tantò magis obligare. Dicamus ergo, quia ſi aliquis mille marcas gratis alicui dederit, proculdubiò aliquantùm intenſa obligatione obligatur ei, ſive aliquantùm intenſo debito & ſi duo millia eidem dederit, duplò magis, & ita in infinitum.

Quanta ſit noſtra in Deum obligatio.

Quare ſi in infinitum melius, aut prætioſius eidem dederit, quàm illæ marcæ ſunt, in infinitum magis obligatus eſt ei, quia ſolus oculus, vel lingua, ne dicam totum corpus, incomparabiliter melior eſt atque pretioſior mille marcis auri, & in infinitum magis obligatus eſt Deo datori ratione ſolius linguæ, vel oculi, quàm eſſet eidem ratione doni mille marcarum hujuſmodi. Continuat igitur hæc obligatio ſecundùm intenſionem infinitas tantas, & ideò infinita ſecundùm hunc modum. Ampliùs. Ponamus quòd alicui dederit Deus mille marcas auri tantùm, alio autem dederit infinita millia: manifeſtum eſt, quòd obligatio, & debitum gratitudinis, atque ſervitij ejus qui recepit donum infinitum, in infinitum majori ſecundùm intenſionem, obligatione, & debito Deo tenetur illo, qui prænominatum finitum donum ſolùm recipit: cauſæ igitur obligationis, & debiti iſtius infinitiès illas continent.

Proportionabilia.

Quia igitur proportionabiles ſunt cauſæ ſimiles, & eorum effectus, infinitiès ſecundùm intenſionem continet effectum. Et proculdubiò dubitationem non habet, quod diximus: quoniàm non ſolùm magnitudo obligationis aggregata ex magnitudinibus partium, quemadmodùm magnitudo doni ex magnitudinibus partium, ſed etiam intenſio ex intenſionibus: & hoc eſt quoniàm magnitudo doni cauſa eſt intenſionis obligationis, quæ eſt ex eo; ſimiliter & magnitudines partium cauſæ ſunt intenſionis obligationis ad gratitudinem, & ſervitium, ſive obligationem; quia ſunt ex ipſis partibus doni ante-

A

dicti. Quemadmodùm igitur linea recta continens infinitas tantas lineas rectas ſuæ ſpeciei, ex neceſſitate infinita eſt; ſic obligatio, ſeu debitum, quo obligatus eſt iſte Deo ratione doni infiniti, quod diximus, cùm contineat infinitas tantas ſuæ ſpeciei, ex neceſſitate infinita erunt: hoc enim nuſquàm dubitationem habet, immò vbique demonſtrationem. Cùm igitur obligatio, qua quis tenetur Deo ratione ſolius linguæ, vel oculi in infinitum major ſit hâc, quàm manifeſtum eſt eſſe infinitam, non ſolùm infinita eſt, ſed major infinito. Multò fortior igitur eſt obligatio qua tenetur Deo ratione totius corporis; incomparabiliter multò magis infinita eſt obligatio, qua tenetur Deo ratione animæ.

Infinita obligatio qua tenemur Deo ratione animæ.

Cùm enim incomparabiliter melior atque pretioſior ſit anima, quàm corpus; & eadem gratuita bonitate utraque data, incomparabiliter majorem neceſſe eſt obligationem eſſe uniuſcujuſque noſtrum ad Deum, qua ratione animæ tenetur eidem, quàm ſit obligatio,

B

qua ratione corporis ipſi obligati ſumus. Ampliùs. Si anima humana nõ deberet eſſe, vel durare, ſeu vivere, niſi per diem unum, obligata eſſet Deo ratione diurni eſſe vel vitæ, aliquanta obligatione; & ratione biduanæ vitæ, duplò majori; & ratione quatriduanæ, quadruplò majori, & ita in infinitum; quare ratione perpetuæ, & infinitæ vitæ, in infinitum majori. Manifeſtum igitur eſt omnem animam humanam, obligatam eſſe Deo ratione exiſtentiæ, ſeu vitæ, infinita obligatione; quia continet infinitas tantas, demonſtrata obligatione, qua tenetur Deo unaquæque anima ratione exiſtentiæ ſuæ, ſive pro duratione unius diei.

Infinitũ.

Palàm autem eſt alibi demonſtrativè declaratũ, quia omne aggregatũ ex infinitis tantis generis, ſive ſuæ ſpeciei, infinitum eſt ſimpliciter. Quia igitur obligationes ratione vitæ immortalis, ſive infinibilis, non ſunt alterius generis ſive

C

ſpeciei, quàm obligationes provenientes ex partibus ejuſdem, videlicet ex vita diurna, biduana, triduana, & ita de alijs; manifeſtum eſt, quòd continet infinitas tantas, quacunque quantitate durationis, vel temporis demonſtrata. Declaratum autem eſt ex his eam eſſe infinitam.

Obligatiò & tranſgreſſio obligationis equales.

Jam igitur declaratum eſt tibi per vias multas obligationem, ſive debitum gratitudinis atque ſervitij, quibus Deo tenetur unuſquiſq; hominum, eſſe infinitam. Æquales autem ſunt obligatio, & tranſgreſſio ipſius; quare omnis tranſgreſſio iſtius obligationis, vel debiti neceſſariò eſt infinita, & ideò pœna ejus jure, & merito infinita.

Triplex tranſgreſſio obligationis.

Tranſgreſſio autem hujus obligationis, & debiti triplex eſt; & prima quidem eſt non ſervire Deo, ſive debitum ſervitium eidem ſubtrahere. Secunda, debitum eidem ſervitium alij impendere. Tertia, Deum impugnare. Intelligimus autem & ſubtractionem debiti Deo ſervitij gratias nõ ei agere de beneficijs ab eodem receptis; eſt enim pars non modica divini ſervitij actio gratiarum. Ampliùs. Cùm in rerũ univerſitate inveniatur pura, & vera fœlicitas, &

D

inveniatur mixta; erit non vera mixta, mixta inquam ex fœlicitate, & miſeria, qualis eſt præſentis vitæ neceſſe eſt, ut inveniatur etiam pura, & vera miſeria.

Pura & vera fœlicitas.

In omni enim genere contrariorum ſi inveniatur alterum, & amborum medium, neceſſe eſt inveniri naturaliter, & reliquum. Quare ſicut eſt ſecundùm veritatem in univerſo pura, & vera fœlicitas; ita neceſſe, ut in eo ſit pura, & vera miſeria: non autem eſt pura, & vera fœlicitas, quæ perennis, atque perpetua non eſt; quoniàm impoſſibile eſt, puram, & veram eſſe fœlicitatem ad quam attingit defectus, & mors.

Pura & vera miſeria.

Quare neque pura, & vera miſeria eſt, quam bonum liberationis, ſive terminationis abſcindit: eſt enim pars aliqua fœlicitatis liberatio, & immunitas à malis. In hoc autem ſcire debes, quia ratio

Digitized by Google

iſta, ſive probatio validiſſima nõ eſſet & irrefragabilis, ſi vera, & pura, quam diximus, fœlicitas verum haberet contrarium: non autem habet verũ contrarium, & hòc eſt, quoniàm prima, ac pura redundantiſſimaque bonitas, cujus cognitio, ſeu fruitio vera & pura fœlicitas eſt, non habet contrarium. Si enim haberet contrarium, haberet & compar, & coævum, & coæquale: jam autem declaravimus tibi impoſſibilitatem inconvenientis iſtius. Quod verò ex hac radice elici poteſt ad oſtenſionem ejus, quod intendimus, hoc eſt videlicet, quia neceſſe eſt completa eſſe opera Dei in univerſo; quapropter neceſſe eſt, ut opera juſtitiæ ejus, nec diminutionem habeant, nec defectum; & ideò neceſſe, ut quemadmodùm retributiones, ſeu remunerationes juſtitiæ Dei perpetuæ ſunt, ſive ſempiternæ in beneficijs: ſic vindictas, & pœnas ejuſdem juſtitiæ neceſſe eſt eſſe ſempiternas. Si enim & temporales, & ſempiternæ inveniuntur remunerationes juſtitiæ, & ſolummodò temporales vindictæ, ſeu pœnæ ejuſdem; non eſt completa ſine dubio univerſitas operum juſtitiæ Dei in parte iſta, neque completa univerſitas contrarietatis iſtius, videlicet præmiorum, atque pœnarum; cùm tantus ſit defectus, & diminutio ex parte pœnarum: nec etiam æqualitas reperietur in hujuſmodi contrarijs, quæ revera contraria ſunt in ratione, & nominatione, in quibus ea accipimus: præmia enim, & pœnæ inquantùm præmia, & pœnæ, ſimiliter remuneratio, & vindicta inquantùm tales contrariæ ſunt. Ampliùs. Cùm per eundem modum cauſandi juſtitia Dei cauſa ſit præmiorum, atque pœnarum, hoc eſt per ſemetipſam, quod eſt dicere per hoc, quòd juſtitia eſt, ſi per ſe efficit perpetuitatem in præmijs; ergò & in pœnis. Ampliùs. Mala merita omninò noſtra ſunt, bona verò merita ferè omninò Dei ſunt, & minimum habent à parte noſtra: magis igitur debentur nobis de juſtitia pœnæ malorum meritorum, quàm præmia bonorum. quare de juſtitia magis puniendi pro malis meritis ſumus, quàm remunerandi pro bonis: ſi igitur æternaliter ſumus remunerandi pro bonis, multò fortius æternaliter puniendi pro malis; & de juſtitia Ampliùs. Si virtus & vitia verè contraria ſunt; ergo & effectus eorum immediati, & per ſe erunt contrarij: quare remuneratio, quæ debetur unicuique virtuti, veri nominis, ac rationis, contraria erit pœnæ, quæ debetur vitio oppoſito: non eſt autem contraria pœna temporalis remunerationi æternæ; pœna igitur æterna eſt non temporalis, quæ debetur unicuique vitio de juſtitia Dei. Ampliùs. Proportionabilia ſunt ſemper peccata ſuis pœnis. Si igitur non eſt comparatio peccati ad peccatum, non eſt comparatio pœnæ ad pœnam: quia igitur non eſt comparatio peccati ejus qui furatus eſt, vel rapuit alienum animal, vel occidit illud; ad peccatum ejus, qui furatus eſt, vel rapuit, vel occidit dominum ipſum animalis, non erit comparatio pœnæ ad pœnam: harum ergo pœnarum, aut utraque eſt temporalis, aut utraque æterna, aut altera temporalis, altera æterna, ſive perpetua: ſive autem utraque ſit perpetua, ſive altera tantùm; manifeſtum eſt, quod intendimus, quia perpetuæ pœnæ debentur aliquibus peccatis. Si autem utraque ſit temporalis, erit neceſſariò comparatio alterius ad alteram, cùm fuerit ejuſdem generis; quare erit comparatio peccati ad peccatum; poſitum ergo erat, immò manifeſtè verum contrarium. Scito autem, quia virtus veri nominis, & veræ rationis, & vitium non ſunt contraria, quia nec ſub eodem genere ſunt, & hoc alibi declaravimus. Poſſibile autem eſt, ut in virtutibus naturalibus, & conſuetudinalibus inveniatur vera contrarietas; ſed illæ apud nos, nec veri nominis, nec veræ rationis virtutes

Remunerationes perpetuæ.

Vindictæ perpetuæ.

Alia perſuaſio.

E F G H

ſunt. In Adam verò, & Eva ante lapſum, & in ſanctis Angelis erant, & ſunt virtutes naturales veri nominis, quæ in nobis, & ſopitæ penè, & ſepultæ ſunt. Theologicæ verò quoniam deſursùm ſunt, velut data optima, & dona perfecta deſcendentia à patre luminum, etſi fortiſſimam repugnantiam habent ad vitia, veram tamen contrarietatem ad illa non habent. Jam igitur expedivimus nos auxilio Dei de ... quæ videbantur eſſe contra Dei miſericordiam, & bonitatem, videlicet de multitudine damnatorum, de perpetuitate tormentorum, vel de paucitate electorum, & ſalvandorum; deinde de juſta damnatione quorundam ignorantium, quorundam veriſimiliter errantium, & errore probabili deceptorum; & dedimus cauſas & proportiones in hoc, & exẽpla, prout & de dignatione divinæ largitatis accepimus.

Virtutes naturales ferè in nobis ſopitæ.

CAPUT XXII.

Explicat & docet omne peccatum ſecundùm unam comparationem eſſe contumeliam, & injuriam Dei; & ſecundùm aliam comparationem eſſe læſionem peccantis; & præterea actum aliquem in ſeipſo, aut privationem, & ſecundùm unamquamque comparationem recipere magis, & minus, ut docet exemplo fornicationis; deinde eos confutat, qui volunt Dei juſtitiam evacuare, vel ridiculam, & fruſtratoriam facere, oſtenditque juſtitiam Dei qua punit damnatos eſſe rectam, quamvis notum ſit ei damnatos, vel damnandos nunquàm eſſe corrigendos.

NUnc autem relinquitur nobis, ut oſtendamus tibi, quia peccatum eſt injuria, ſeu contumelia Dei una comparatione, & læſio peccantis ſecundùm aliam comparationem, & in ſeipſo actus aliquis eſt, ſeu privatio; & propter hoc ſecundùm unamquamque comparationum iſtarum recipit magis, & minus, ſive intenditur, & remittitur, verbi gratia, una & eadem fornicatio injuria Dei eſt, & læſio fornicantis, & inſuper eſt in ſeipſa actus aliquis, videlicet concubitus. Poteſt igitur eſſe, ut ſit minor concubitus, hoc eſt minoris delectationis, & operis, & temporis; & tamen erit major Dei contumelia, vel injuria, verbi gratia; ſi ſacerdos, aut ſanctimonialis illo ſe polluat, licet minori tribus illis modis quos poſuimus, quàm ſi ſimplex laicus in illum incidat: eodem modò etiam poteſt eſſe major læſio peccantis, videlicet; ſi majora dona ei gratiarum, & virtutum auferat, vel ſi peccantem magis captivat, & irretiat: hoc eſt, ſi fortiori amore mulieris illum irretiat, aut inflammet, & hic eſt modus, quô graviſſimum peccatum dicitur ignorantia Dei, quia videlicet nihil vitale relinquit, & omnem radicem boni indè funditùs evellit. Loquuntur autem hujuſmodi erronei de juſtitia, & miſericordia Dei, ac ſi altera vellet, quod alterius eſt uſurpare, & tanquàm miſericordia vellet evacuare juſtitiam; cùm inter eas ſit pax in ultimo tranquillitatis; & Deo notiſſimum ſit quatenùs eum deceat miſereri uniuſcujuſque, aut quatenùs vindicare in illum. Novit enim & miſereri ſalva, & illæſa juſtitia ſua, & vindicare ſalva miſericordia, & utraque ſine injuria alterius uti. Vides igitur manifeſtè, quia error iſte, aut evacuat ex toto Dei juſtitiam, aut ridiculoſam efficit; cùm manifeſtum ſit ex eis, quæ diximus, & etiam ſine eis, quia poſſibile eſt aliquem mereri pœnam æternam, quicquid ſit de ea infligenda, vel ſuſtinenda. Ponunt enim hujuſmodi erronei, & imbecilles, quia non ſuſtinet Dei clementia tanta pœna, & tam diutina quemquam puniri. Ab his ergo quærimus, utrùm ſaltem aliqua, vel nulla. Quòd ſi nulla: ecce evacuatio omnimoda juſtitiæ: ſi verò aliqua, non tamen æterna;

Nota.

Ignorantia Dei.

Digitized by Google

æterna, ſed temporali tantùm. Ecce ridiculoſitas. Et hoc eſt, quoniam quæcunque pœna temporalis, comparatione pœnæ æternæ id eſt perpetuæ, nec etiam eſt ſicut levatio unius feſtucæ de terra ad excoriationem, ſeu totius corporis decalvationem.

Comparatio pœnæ temporalis ad pœnam æternam.

Qui autem, eum qui excoriari meruiſſet levatione unius feſtucæ ſolummodò puniviſſet, proculdubiò ridiculoſus eſſet judex, & cachinnis omnium, atque ſubſannationibus omnium videntium, & audientium hanc juſtitiam ſuam, ſi tamen juſtitia dicenda eſt, exponeret, incomparabiliter, aut multò fortius in Dei judicio, atque juſtitia ſecundùm poſitionem iſtam erroneam iſtam ridiculoſitatē abſcindere neceſſe eſt evidenter. Quia ſi dixerit quis, quia boni judicis eſt ad correptionem ſubditorum intendere, & pœnas propter hoc ſolummodò infligere, quatenùs inde fructum habeat correptionis, vel utilitatem, quòd ſi non certum habet, & evidens eſt, non eſſe B proventurum ex pœnis, ab ipſis debet deſiſtere. Similiter, & malignitatis eſt inimicæ, atque diabolicæ pœnas, quæ non niſi tormentum, & patientiam operentur irrogare.

Optimus locus.

Cùm igitur manifeſtum ſit Deo altiſſimo deputatos jam & in poſterùm deputandos omnes æternis ſupplicijs, nunquàm eſſe corrigendos, neque poſt judicium univerſale aliquos alios propter pœnas eorum: neceſſe eſt ex tanta cauſa boni judicis bonitate ceſſaturas eſſe pœnas ejus omnes ſaltem poſt judicium, alioquin non ex bonitate divina, ſed ex malignitate diabolica pœnas hujuſmodi poſt ſuum univerſale judicium irrogabit, cùm ex tunc nihil operentur, niſi patientiam cruciatuum. Intende igitur in erroneam iſtam ratiocinationem. Manifeſtum eſt tibi, quia judices, qui hìc, hoc eſt, in C vita iſta conſtituuntur hominibus, utique juſti ſunt, licet utrunque iſtorum Deo cedat ad gloriam & honorem: manifeſtum eſt tibi, quia intentio hujuſmodi judicium, & officiorum ſuorum utilitas hominum eſt, & illa triplex, videlicet ut corrigantur, ut innocenter vivant; tertiò, ut in tranquillitate ſeu pace.

Vtilitas triplex ex officio judicis.

Cùm igitur hujuſmodi judices ex ſuis officijs nihil harum utilitatum provenire cognoverint; neceſſe habent à ſuis officijs deſiſtere: ceſſante nempè cauſa, neceſſe eſt, & effectum ceſſare: Deus autem ſicut bonus eſt apud ſe, & in ſe, & non propter homines, quāquàm bonitas ejus, & juſtitia inæſtimabiliter proſint hominibus, qui etſi velit, & intendat prodeſſe hominibus, primùm tamen intendit in gloriam, & honorem ſuum; & ut faciat quod decet eum facere ſecundùm omnem nominationem, & comparationem ſuam; videlicet ut faciat in eo quod miſericors, quod decet miſericordiā D ſuam, ut in eo quod juſtus, quod decet juſtitiam ſuam, & ſic de alijs. Nō igitur, quod inde proveniat facientibus refert, quantùm ad ipſum in primis, & maximè, ſed magis, quid eum facere deceat, & juſtitia eius exigat quid gloria ejuſdem requirat; non enim parva gloria ipſius eſt inimicos ſuos, & rebelles, & contumaces legibus ſuis, & mandatis vindicta perpetua mulctare; nec ſolùm decens, aut decorum eſt Deo altiſſimo in eos, qui nec pœnitere, nec emendari volunt, vindicare ſuas, & ſuorum injurias; ſed hoc evidenter exigit eiuſdem juſtitia, cui nunquàm contraria eſt eiuſdem miſericordia.

Quid deceat Dei juſtitiam & miſericordiam.

Omnes etiam philoſophi nobiles in hoc conſentiunt, quod prima cauſa non intendit aliud, neque operatur propter aliud; immò propter ſe tantùm, & gratis, ſicut legitur Proverb. 16. univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.

Prima cauſa non operatur propter aliud.

Prov. 15.

Quòd autem intendere gloriam ſuam, & laudem quandoque dicitur, non ut operæ pretium, neque ut emolumentum intentionis, & operationis ſuæ munera intendit; ſed eſt decens, ac deco- A rum, & per ſe debitum. In damnatione autem reproborum tantò major eſt gloria, quantò major erit magnitudo, multitudoque ipſorum: ſimiliter, & tantò major decor juſtitiæ, quantò magis apparebunt vitia eorum, & peccata, peccatiſque ſuperaddita obduratiſſima, & nunquàm emollibilis contumacia; nec eſſet completa laus Dei aut gloria, quæ nō aliud eſt, quàm ſublimis, clara, & lata fama, ſi non eſſet ei perennis, & perpetua laus & gloria de juſtitia, quēadmodùm de bonitate, & miſericordia; complebit igitur tandem opera juſtitiæ ſuæ, ſicut & miſericordiæ, & ideò complebuntur laus eius, & gloria quam diximus ex utriſque. Et quemadmodùm juges laudes, & gratiarum actiones continuè reſonabunt ejus miſericordiam in redemptis atque ſalvatis & glorificatis; ſic planctus, ejulatus, ſuſpiria, & rugitus, clamores, & ululatus reſonabunt Dei juſtitiam in maledictis, & damnatis.

Dei g[...] ria quia.

Et propter hoc infernus ibi in glorificatorum auribus ineffabili ſuavitate reſonat in Paradiſo: auribus enim ſanctorum inæſtimabili jucunditate Dei juſtitiam, Deique honorem, & gloriam, ſicut ſuprà pro parte oſtendimus, reſonabit.

Paradiſus gaudet vides Dei juſtitiam in inferno.

CAPUT XXIII.

Satis ipſe ſe ſummat, quia exponit de quibus ſit dicturus.

POſt hæc autem tranſibimus ad nefandiſſimam idolatriam, ut eam radicitùs cum omnibus partibus ſuis, & ramis, atque ſequelis deſtruamus. Dicemus igitur in primis eſſentiam ejus, & rationem, deindè originem; conſequenter partes ejus, & mo- C dos, verùm ea cautela, & circunſpectione, ut avertamus ab impijs execrationibus ipſius omnes, qui hoc legerint, & nullam prorsùs demus occaſionem ruinæ inſaniſſimæ curioſitati ſtultorum. Incipiamus igitur, & dicamus, quia latria ſummæ venerationis cultus eſt, & ultimæ honorificentiæ obſequium, & propter hoc ſoli Deo altiſſimo debita: ipſe enim in primis & maximè ex omnibus modis, & venerandus, & honorandus eſt.

Latria quid.

Cùm igitur hujuſmodi cultus, aut obſequium ad aliud transferatur, ſive illud ſit, ſive non ſit; & quicquid iſtud ſit, intolerabilis, & omni gladio, & igne exterminanda injuria, & contumelia Deo altiſſimo irrogatur, & illa duplex vel potiùs triplex. Prima, ex eo, quod ſubtrahitur debitæ honorificentiæ ejus. Secunda, ex eo quod alij impenditur. Tertia, ex eo quod aliquid ei coæquatur. D Quemadmodùm ſi quis regi ſuo honorem regium ſubtraheret, & alij illum impenderet, & in regis illius regno, vel civitate alium ei in potentia, vel honore æquaret. Aggravant autem nefas iſtud vilitas, & ignobilitas, atque impotentia, ſive infirmitas, & quòd honor ille incommunicabilis transfertur. Execrabiliùs enim peccaverunt, qui honorem iſtum in quadrupedes, aut reptilia tranſtulerunt, quàm qui in homines; & qui in imagines hominum, aut animalium, quàm qui in homines, aut animalia, ſicut legitur ad Romanos 1. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum; & in Pſalmo, Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.

Idolatria.

Rom. 1.

Pſal. 105.

Vides igitur ad quantas Dei injurias, & contumelias deducti ſunt inſipientiſſimi homines, ut non ſolùm in minimas viliſſimaſque creaturas honorem & gloriam creatoris tranſtulerint, ſed etiam in imagines earum; & ſicut legitur in hiſtoria, ſive in itinerario Clementis, hoc eſt, in libro diſputationum Petri contra Simonem magum: legitur etiam ſtrepitus ventris adorare,

Itinerarium Clementis.

nec erubuere, ſicut & hodie extant in barbaria gentium aquilonarium, qui tonitrum adorant: hæc igitur inſaniſſima ſuperſtitio, execrabiliſſimaque animarum ſeductio idololatriæ ad tam abominanda inconvenientia cæcatiſſimos homines perditiſſimoſque perduxit. *Idolatriæ etymologia.* Nominata verò idolatria eſt quaſi idolorum latria, non quia omnis execratio hujus ſervitutis idolis impenderetur, ſed quia vel primum idolis exhibita eſt, vel frequentius, vel quia primùm idolo filij Regis Babiloniæ, *Prima idolatria.* qui acerbo luctu doloris de morte filij imaginem ſibi ad memoriam filij conſtituens, non quidem ut eam adoraret, ut videtur, ſed ut in aliquale ſolatium, ſive ſolamen pro amiſſo filio illam videret, & haberet: poſtmodum tamen eam colere cœpit tanquàm Deum, & conſtituit illi inter ſuos ſacra & ſacrificia, ſicut legitur Sap. 14. *Sap. 14.* Hinc igitur ortum habuiſſe videtur idolatria Babiloniorum, hoc eſt ſuperſtitio iſta nefaria idolis exhibita. Et per ſimilem cauſam à Xicophane quodam Ægyptio idola Ægyptiorum ortum habuiſſe creduntur; *Xicophanes.* propter hoc autem idolum apud Babylonios celeberrimum, ac famoſiſſimum vocatum eſt Bel; *Bel. Belus.* quia Belus filio ſuo illud fecit, vel quia factum eſt ei. In idolis ſi quidem ſeu imaginibus alij idola ipſa, alij alia colebant, ſicut in ſequentibus exponemus: ſtellas enim & ſolem, & lunam, & elementa, & homines, ut diximus, colebant, & ut Deos venerabantur, ſicut legitur Sap. 14. Ignem autem ipſum, aut citatum aërem, aut girum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt, & de hominibus quidem ex fabulis, & hiſtorijs gentium certum eſt. Homines namque mortalitatis, & infirmitatis ſuæ obliti, ſicut expreſsè legitur de Nabuchodonoſor Iudith. 3. *Nabuchodonoſor. Iudit. 3.* Præcepit enim Holoferni principi militiæ ſuæ, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipſe ſolus Deus diceretur ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubjugari. Et iterùm in quinto ejuſdem, Holophernes inquit, ut ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alter non eſt: ſimiliter veſania permotus Caius Cæſar in templo domini, *Cæſar.* quod erat in Hieruſalem, ſtatuam ſibi erigi fecit, ut vel ipſa, vel potiùs ipſe in ea pro Deo coleretur, hoc eſt tanquàm eſſet Deus. Apparet igitur tibi jam ex his quæ diximus eſſentia ipſius idolatriæ, hoc eſt quid ipſa idolatria ſit, & cauſa ipſa nominationis etiã manifeſta eſt tibi. Verùm quoniàm dicit Apoſtolus in 14. primæ ad Corinth. *1. Cor. 14* quia idolum nihil eſt, & præſens etiam tractatus hoc requirit; dicemus hîc idola, & ſpecies idolorum. Scito igitur, quia idolorum ſeu imaginum quædam erant imagines tantùm, hoc eſt ad memoriam, & repræſentationem eorum, quorum erant imagines, & nihil omninò numinis habere credebantur; quemadmodùm apud nos ſunt imagines ſanctorum; alia erant habitacula Deorum hoc eſt Dæmoniorũ, omnes enim Dij gentium Dæmonia. *Pſal. 95.* In his enim idolis vel imaginibus Dæmones ludificabant idolatras, & illecti ſacrificijs eorum, *Idolatria.* & impiiſſimis honoribus reſponſa dabant eiſdem ac ſi in ipſis habitarent, & ad hoc herbis, & aromatibus, & cantilenis execrabilibus ipſas imagines conſecrare ſe putabant, in ipſos Dæmones induti videlicet, & ut ipſe, ſacra habitacula Deorum fierent, & ipſi ad inhabitandum inducerentur. Interdùm autem ſola horæ obſervatione, qua imago hujus vel funderetur vel ſculperetur, idem fieri opinati ſunt, & in libris eorum qui per Dei gratiam jam ex parte maxima perierunt, iſta inveniuntur: hujuſmodi autem imagines, nec colebantur, ut Dij, nec Dij nominabantur; ſed ſacra habitacula Deorum habebantur; niſi forſitan errore hoc fieret inſipien-

E tiſſimorum hominum, qui imagines hujuſmodi reſponſa Dæmonum loqui putarent: adeò enim quidã incircunſpecti erant, adeòque inconſiderati, ut inter iſta non diſtinguerent ſicut & forſitan multi ſimplices hodie ſunt, qui inter imagines ſanctorũ, & ipſos ſanctos in ſuis orationibus non diſtinguunt, immò orationes quas ad ſanctos facere deberent, ad ipſas imagines faciunt. Potuit autem eſſe, & credibile eſt eam fuiſſe, & ſemper eſſe malitiam Dæmonum, ut imagines ſuas, hoc eſt in quibus habitare videbãtur, *Simplicitas quorundam mortaliũ.* vel pro ſe, vel in ſui honorem, vel etiam tanquàm Deos vellent & facerent adorari. Tertiũ genus idolorum, ſeu imaginum erat ſecundùm opinionem eorũ Deus factitius, hoc eſt, cui velut ſplendor quidam deitatis, & virtus numinis infundebatur, ſeu imprimebatur; & hoc vel à ſpiritibus cœleſtibus, vel ab F ipſis cœlis, & ſtellis, ac luminaribus, & hoc cùm juxta obſervationes eorum ſub certis horis, & conſtellationibus, vel fundebatur, vel ſculpebatur, vel fabricabatur, cujus erroris velut reliquiæ adhuc apud vetulas multas etiã Chriſtianas extant. Dicunt enim omnes imagines ſexageſimo anno à factione ſua virtutem ſortiri, *Superſtitio anilis.* & deinde quandiu duraverint obtinere: his ergo imaginibus ſuffumigia, ſive ſuffumigationes, verbaque, & decantationes conſtituerunt ac ſi veri Dij eſſent, ſcilicet factitij. Et hanc adinventioné extollit Mercurius Triſmegiſtus in libro, qué ſcripſit de hellera, hoc eſt de Deo Deorum his verbis *Mercurius.* dicens, quia inter omnia mirabilia, mirabilius eſt, quòd homo potuit divinam naturam invenire, & G eam efficere. Ubi etiam expreſsè dicit, quia Deorum alij ſunt naturales, alij factitij. Et ne qua eſſet dubitatio de intellectu ejus, & intentione, interrogatus in eodem libro ab Aſclepio diſcipulo ſuo ſtatuas dicis ô Triſmegiſte? Statuas ô Aſclepi. Et iterùm miraris ô Aſclepi, & nunquid tu diffidis ut multi, quòd homines faciunt Deos? & poſt pauca ſicuti Deus, aut dominus, ut ſui ſimiles eſſent, Deos fecit æternos, ita *Homines Deos facere.* humanitas Deos ſuos ex ſui vultus ſimilitudine figuravit. Et alibi dominus & pater, vel quod eſt ſummum, Deus, ut effector eſt Deorum cœleſtium; ita homo effector eſt Deorum, qui in templo ſunt, humana proximitate contenti. Verùm hic Mercurius de ſtatuis, quas Dæmones inhabitare credebat, hæc *Mercurius Triſmegiſtus.* expreſsè intellexit his verbis: vides ô Aſclepi quatenùs tu ipſe diffidas ſtatuas animatas ſenſu, & ſpiritu plenas, tanta & talia facientes futurorum præ-H ſcientes. Et iterùm proavi noſtri invenerunt artem quâ Deos efficerent, cui inventæ adjunxerunt de mundi natura convenientem materiam, eamque miſcentes, quoniàm animas facere non poterãt, evocantes animas Deorum, vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis diviniſque myſteriis, per quas idola & benefaciendi & malefaciendi vires habere potuiſſent, & horum Deorum Triſmegiſte, qui terreni habentur cujuſlibet materiæ qualitas eſt, cõſtat ô Aſclepi de lapidibus & aromatibus vim divinitatis naturalé in ſe habentibus; & propter hanc cauſam ſacrificiis frequentiùs delectantur, hymnis, & laudibus, & dulciſſimis ſonis in modum cœleſtis armoniæ concinentibus. Sive igitur iſta duo genera idolorum execrabiliumque imaginum intellexerit Mercurius in verbis iſtis, ſive illud ſolum genus, cui animas Dæmonum inditas dicit: nullatenùs dubitandum eſt, quin virtutem divinam, & naturam *Vetus idolatria.* attribuerit hujuſmodi erroneis ſtatuis, ſeu imaginibus, vel ſub certis cõſtellationibus ſolùmodò factis, vel nefandis ſacrificiis, & orationibus, atque ſcripturis, & figuris adhibitis cum ipſis conſtellationibus; in quem errorem inducti videntur alij ex opinione ſtellarum, luminarium, & cœlorum: quemadmodùm enim ab ipſis conſtellationibus naſcentibus

Digitized by Google

ſub ipſis hominibus credebant provenire, cùm fauſtæ, vel fortunatæ eſſent supereminentias quaſdam hominibus, videlicet, ut reges, aut principes, aut prophetæ, aut ſapientes eſſent ante alios; ſic virtutes non quidam iſta obtinendi, ſed magis præſtandi provenire credebant imaginibus, & hoc expreſſè legitur in libris eorum quos de præſtigijs, & imaginibus, alijſque ſacrilegis maleficijs ſcripſerunt. Quidam enim imaginibus poſuerunt virtutem præſtandi honores, ſeu dominationes, atque prælationes, aut artes, aut eloquentiam; & imagini muſcæ ſub certa conſtellatione ſculptæ, attribuerunt virtutem fugandi muſcas ab omni loco in quo ipſa eſſet. Similiter, & imagini ſcorpionis fugandi omnes ſcorpiones à civitate, vel regione in qua ſepulta eſſet; eodem modo, & imaginibus quorundam animalium poſuerunt virtutes congregandi ea; ſimiliter & quibuſdam ſpeculis virtutem liberandi quemcunque captum, vel carceratum vellet. Manifeſtum autem eſt virtutem præſtandi honores, & dignitates, & ſapientiam, & prophetiam, atque eloquentiam non eſſe virtutem, niſi Dei omnipotentis; ex quo manifeſtum eſt eos Dei gloriam, & virtutem tranſtuliſſe in hujuſmodi imagines, nec ſolùm imagines, ſed etiam in ea quæ imagines non ſunt, ſicut in ſtellas ipſas, luminaria, nec in ipſa ſolùm, ſed etiam in figuras quaſdam, quarum alias ſigilla planetarum, alias annulos, alias caracteres eorum, alias imagines vocant, cùm nullam eorum ſimilitudinem habeant, &c. Eſt igitur prima & radicalis idolatria cultus Dæmonum. Secunda, ſtellarum & luminum. Tertia, elementorum. Quarta, idolorum. Quinta, imaginum, quas proximè nominavimus. Sexta, figurarum de quibus jam mentionem aliquam fecimus. Septima, verborum, & nominum. Octava, temporis & partium ejus, videlicet horarum, & quatuor partium anni. Nona, initiorum & initialium rerum. Decima, inventionũ, & inventitiarum rerum. In hæc enim omnia quę diximus inſaniſſimi perditiſſimiq; homines Dei virtutem & gloriam tranſtulerunt.

Vera ſententia.

Varia ſpecies idolatriæ.

CAPUT XXIV.

Obtenebrationem & corruptionem humanæ naturæ cauſam dicit fuiſſe, & radicem idolatriæ, & impietatis, ac nobiliſſimæ mentis humanæ proſtitutionem, per quam multi veritatem non propter ipſam, ſed propter aliud quærere ſtuduerunt ſtulta curioſitate. Idcircò varijs erroribus implicati, ac multis inquietudinibus vexati non invenerunt requiem in animabus ſuis, id eſt verum Deum, qui eſt quies virtutis noſtræ, & rationabilis, & apprehenſivæ, & concupiſcibilis; quæ tres virtutes datæ ſunt animæ noſtræ, ut per eas benè ordinatas efficitur capax perfectæ beatitudinis, & legitima ſponſa Dei: alioquin neceſſe eſt ipſam animam fornicari. Mox idolatriam per ſingula capita deſtruit.

Origo idolatriæ.

His autem ita poſitis, revertamur ad ipſam radicem iſtius ſacrilegæ impietatis, oſtendentes originem ipſius, & cauſas radicales. Harum prima videtur ipſa corruptio humanæ naturæ: ſicut enim de obtenebratione, & corruptione virtutis noſtræ rationabilis provenit non ſolùm, ut veritatem non cognoſceret, ſed etiam ut erroribus crederet; immò totius veri malum, videlicet proſtitutio curioſitatis, qua paſſim cum quacunque veritate fornicatur intellectus humanus, amplexans eam amore & deſiderio propter ſemetipſam, eique adhærens ſpreta, aut non curata prima accumuloſiſſima veritate, quæ Deus eſt, cui ſoli amore & deſiderio adhærere debuit, ut naturali ſponſæ ſuæ, & ad quam ſolã debuit A eſſe converſio ejus, quam ſolam ad thorum immaculatiſſimorum amplexuum admittere debuit; qui amplexus credulitas quædam ſunt, & amor ipſius ac deſiderium, necnon & quædam delectatio in ipſa Nõ enim omnis credulitas primæ veritatis, nec omnis delectatio immaculati amplexus ejus ſunt. Et etiam de credulitate quidem patefecimus hoc in his, quæ præceſſerunt de fide in hoc ipſo tractatu, ubi palàm fecimus, quia fides ſive credulitas ſuaſa, magna Dei contumelia, & credulitas maculata eſt. Delectatio vero quæ ex curioſitate ſola eſt in prima veritate, & ex ſcientia inflante non eſt dubium quin maculata ſit juxta illud quod legitur in 4. ſecundæ ad Corinthios. Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei. Qui enim in cogitatione Dei delectatur, & hoc ſibimet tantùm hoc eſt non ad Dei B gloriam, non ad fructum animarũ, ipſam Dei veritatem quodammodò adulterat, & tam nobili ſponſa in libidinem propriæ voluptatis abutitur. Sicut inquam tria iſta prænominata mala de obtenebratione & corruptione vani intellectus in genere humano exorta ſunt; ſic de corruptione virtutis noſtræ concupiſcibilis, & obtenebratione ſimul proſtitutio ejuſdem proceſſit, & hæc proſtitutio eſt voluptuoſitas, cum qua vel ſpreta, vel neglecta, vel omninò non curata primitivæ ac fontalis bonitatis ſuavitate, quæ naturalis ejuſdem ſponſa eſt, vaniſſimis, ac falſis voluptatibus illudendam ſe, ac polluendam proſtituit. Cùm enim mentis humanæ nobilitatem naturalem intimè perſcrutantem inſpexeris in ipſa puritate ſua, ac libertate ſecundùm tres vires ſuas; velut ſponſam amãtiſſimam, atque caſtiſſimam Deo altiſſimo invenies, ut ſponſo eiuſdem ſingulari atque cariſſimo totis naturalibus inhærentem, inhiantem & intendentem. Ipſe namque ſolus & finis motionum ejuſdem & quies laborum eſt, & C deſideriorum ipſius omnium cumulatiſſima plenitudo; & propter hoc circa ipſum, & agitatur inquietudinibus, & fatigatur laboribus, & ardet atque affligitur deſideriis fameque, ac ſiti ſpiritualibus ſuæ vacuitatis impatiens torquetur. Quod inſinuavit qui dixit. Satiabor cùm apparuerit gloria tua; in ipſo enim, & ex ipſo velut de luminoſiſſima veritate eſt quies, atque ſatietas virtutis noſtræ rationabilis, ſive apprehenſivæ nobilis. Similiter in ipſo, & ex ipſo velut redundantiſſimę ſuavitatis bonitate quies, atque ſatietas virtutis noſtræ concupiſcibilis ſuperioris, ac nobilis; & juxta hunc modum in ipſo, & ex ipſo velut ultimæ ſupereminentiæ altitudine eſt exaltatio, atque levatio ab infirmitate, ac depreſſione ſua, liberatioque à ſervitute indebita, & in naturali omnimoda virtutis noſtræ iraſcibilis ſuperioris, ac nobilis: & de obtenebratione ac corruptione ipſius provenit in mente humana proſtitutio D ipſius, dum vanis, & falſis laudibus, falſiſque nominis altitudinibus ſe impudenter proſtituit, ſpreta aut non curata vera ac ultimæ ſupereminentiæ altitudine ad quam naturalem habet converſionem, & naturale conjugium, naturaliſque amoris deſiderii inhærentiam, & inhiationem. Attende igitur, quia ſicut virtus rationabilis, ſive intellectiva in omnibus ſubſtantiis nobilibus, hoc eſt, tã in hominibus, quàm in Angelis, quandocunque eſt à tenebris, & corruptione libera, caſtiſſimo amore, ac immaculatiſſimo deſiderio ipſi primæ luminoſiſſimæ veritati inhæret, & ipſam fert, ut ex ipſa luceat, & ab ipſa luminetur, ut in ipſa quieſcat, & ex ipſa ſatietur, ut ex ipſa perficiatur, beatificetur ſimul, & glorificetur; eodem modo & vis concupiſcibilis noſtra ſuperior, ac nobilis ſe habet ad redundantiſſimæ ſuavitatis primitivam, ac univerſalem bonitatem: ſimiliter & vis noſtra iraſcibilis ſuperior ad ſupere-

Nota.

Fides ſuaſa.

2. Cor. 4.

Deus quies laborum, ac deſideriorum.

Virtus rationabilis.

Virtus concupiſcibilis.

Digitized by Google

Vis iraſcibilis.

minentiſſimæ altitudinis dominantiſſimam majeſtatem; & hæc eſt cauſa propter quam tres vires ſuperiores, ac nobiles, omni animæ nobili, omnique ſubſtantiæ intelligenti datæ ſunt; videlicet ut capaces eſſent perfectæ beatitudinis, quæ in tribus præmiſſis conſiſtit, & ut tam ſublimi, & nobili ſponſo congruerent. Cùm nullatenùs congruerent congruentia, ut ita dicamus maritali, ſeu conjugali, niſi tanta perfectione in amplexum ejuſdem conjungibiles, ac copulabiles eſſent, nec beatiſſima hujuſmodi copula perfecta eſt tam nobili matrimonio conveniens, ſi vel unus trium iſtorum amplexuum deeſſet ei: ſi enim vel luminoſitatem primitivam immediata & ultima conjunctione amplecti non poſſet vis apprehenſiva nobilis, ac fontalem bonitatem vis concupiſcibilis ſuperior, aut ſupereminentiſſimam altitudinis iraſcibilis, anima humana non eſſet perfectè conjungibilis, aut copulabilis hujuſmodi ſponſo; quare nec perfectè beatificabilis ex copula ipſius, nec eſſet ſponſa conveniens, aut nubilis eidem: oportet autem te ſcire, quia vis iraſcibilis perfectionem, & ultimitatem ſuæ exaltationis, ac libertatis, copulæque ſuæ beatitudinem cumulatiſſimam habet, ipſam ultimatam ſubjectionem, & ex modis omnibus perfectam ſervitutem ad ultimæ ſupereminentiæ dominantiſſimam majeſtatem; tunc enim in ſupremo exaltationis ſuæ culmine, libertatiſque ſuæ tranquilliſſima pace erit, tumque beatiſſima copula eidem ſociata, cùm eidem fuerit ultimatè, ac totalitate ſervitutis ſubjecta. Nec enim aliud eſt vera exaltatio, veraque libertas ejuſdem, quàm vera ſubjectio, utraque ſervitus, hoc eſt, univerſalis, & pura ad ſupereminentiſſimæ majeſtatis dominationem. Hæc autem, quæ hic diximus, non ſolùm ad propoſitum, ſed etiam ad cognoſcendam beatitudinem, ac gloriam animæ humanæ te non parum adjuvabunt, ſi diligenter de his conſiderationem feceris. Nunc autem revertamur ad declarandum ex his radicem peſtis ipſius execrabilis, & dicamus; quia quemadmodùm ex ea obtenebratione, atque corruptione cum qua naſcimur, accidit, ut credulitatem, amorem, & deſiderium, quas debet vis noſtra intellectiva primæ, ac luminoſiſſimæ veritati transferat in alia, hoc eſt in alias veritates, & quas debuit habere pediſſequas, & famulas, tantùm eas fornicaria iniquitate pellices, & adulteras habeat ad amplexus, & thorum conſcientiæ illas propter ſeipſas admittens, ſponſa ut diximus omninò non curata; ſimiliter & vis noſtra concupiſcibilis non minori iniquitate, veruntamen manifeſtiori ſe vilibus, ac imputis voluptatibus proſtituit; ſic & juxta hunc modum iraſcibilis majori impietate, & apertiori inſania de innata obtenebratione, atque corruptione ſe proſtituit idolatriæ, & cultum ſubjectionis, atque ſervitutis, quem ſoli majeſtati divinæ debet, transfert in alia: ſicut enim famelica, & avida eſt veritatis vis intellectiva, & ſuavitatis, ſeu voluptatis vis concupiſcibilis; ſic divini honoris atque ſervitutis vis iraſcibilis ſuperior. Hujus autem indicia ſunt evidentia, quia ſervitus divina, ſive cultus divinus, ſive verus, ſive erroneus univerſalis eſt, hoc eſt apud omnes nationes, & perpetuas penè enim nullo tēpore defuit idolatria, vel verus Dei cultus, ex quo homines multiplicari cœperūt, & adhuc idolatria apud omnes gentes eſt, vel in capitalibus ſuis, vel in ramis, vel in reliquijs; adeò autem abhorrens, ut nec igne, nec gladio, nec alia via adhuc exterminati poſſit. Tria igitur iſta indicium validiſſimum ſunt, quia idolatria naturalis eſt ſicut curioſitas, quæ eſt fornicatio proſtitutæ virtutis rationabilis noſtræ, & voluptuoſitas, ſive luxuria fornicatio virtutis concupiſcibilis noſtræ; ſic &

Anima ſponſa Dei.

Servire Deo vera animæ libertas.

Vis intellectiva quomodo corrumpitur, ac proſtituitur.

Vis concupiſcibilis.

Vis iraſcibilis.

Idolatria naturalis ex natura corrupta.

E idolatria fornicatio eſt virtutis iraſcibilis noſtræ per quam ùm idolis, vel rebus alijs polluitur fornicans honorificentia, qua Deo copulari, & adhærere deberet, dum eis hujuſmodi honorificentiam impendit; & hoc ſive opinione, ſive ſervitio, opinione duobus modis primo, ſi vel aliquid horum dignum tanta honorificentia credimus. Secundò, ſi aliquid, quod de ſolo altiſſimo Deo ſentiendum eſt, de aliquo eorum ſentimus, verbi gratia. Si quis de ſole, vel luna, vel de aliquo alio crederet, vel quòd omnipotens eſſet, vel quòd adorandus, vel quòd ejus virtutis, aut numinis, ut vitam vel ſaltem dare poſſet, proculdubiò jam ejus ſacrilega opinione, & Dei altiſſimi majeſtatem offenderet, & ſolem in corde ſuo, quantùm in ipſo eſt, deificaret, Deique altiſſimi gloriam intolerabili injuria in ſolem transferret. Servitio quoque dupliciter, ſive exteriori, F ſive interiori, interiori per affectus: ſunt enim intenti ad orationes, ſicut timor, amor, & honor, & cæteræ hujuſmodi affectiones, quarum multæ ſoli Deo impendendæ ſunt, & nullatenùs rebus alijs; exteriora autem ſervitia jam in ſeptem partes diſtinximus, & declaravimus eas in tractatu ſacramentorum, ſacramentalium, atque juſtificationum. Ex his ergo quæ diximus recollige breviter; quia ſicut vis noſtra rationabilis, vel caſtitatem illius nobilis matrimonij, quod ſupra nominavimus, ſervat ex neceſſitate, vel fornicatur cum alijs veritatibus; & ſimiliter vis noſtra concupiſcibilis primitivæ, ac jocundiſſimæ bonitatis, vel ſervat caſtitatem matrimonij, vel fornicatur cum alijs bonitatibus: ſic & vis noſtra iraſcibilis, vel debita caſtitate adhæret præeminentiſſimæ altitudini, ut diximus, reddens ei ultimæ honorificentiæ debitum, ac nobiliſſimæ ſervitutis cultum, vel fornicatur cum alijs altitudinibus, impendens eis ſervitia, quæ ſoli ſponſo impendenda eſſent. Quia igitur fornicationes duarum altarum virium, quas nominavimus, naturales ſunt, hoc eſt G ex nativa, ſeu innata nobis corruptione procedentes; ſic & hanc nefariam fornicationem idolatriæ naturalem eſſe neceſſe eſt; cujus rei triplex eſt indicium, ut diximus, videlicet univerſalitas, perpetuitas, & ſeparationis difficultas. In eis enim, quæ naturalia non ſunt, contrarium ſemper invenitur, videlicet, & ut rarò ſint, & ut in paucis, & ut non ſemper. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc, radicem tam pernicioſæ peſtis naturalem eſſe; nihilominùs etiam & hoc ſenſu declarari poteſt. Quam citò enim altitudo divinitatis apparere potuit in idolis, vel ſtellis, vel Dæmonibus quocunque ſigno, videlicet ſive prædictione futurorum, ſive quocunque opere magico, aut aliqua quacunque ludificatione, ſtatim inclinati ſunt homines ad adorandum. Innatum eſt enim nobis ad alta humiliari; ad ſupereminentiſſimæ autem divinæ nobilitatis altitudinem, non naturali corruptione, ſed naturali bona inſtitutione, H ac conditione, quæ in primis parentibus ante peccatum fuit, maximè nati ſumus humiliari, & extrema ſervitute ſubjici; & propter hoc in corruptione in qua ſumus, veſtigia ejus, loco ipſius ſeducti, amplectimur, & veſtigijs ejus loco ipſius inhæremus. Quantæcunque enim altitudo, quantacunque nobilitas in creatura quacunque per hujuſmodi ſigna, quæ diximus, apparent, non eſt, niſi ſupremæ ac divinæ altitudinis veſtigium permodicum, atque pertenue; verùm tenebræ in quibus ſumus, hujuſmodi veſtigia faciunt videri ipſam veritatem: ſic & de nocte veſtigium permodicum, & umbra pertenuis rei alicujus, res ipſa videtur oculis corporalibus, & quod eſt mirabilius, frutex aliquis, vel nemus videtur exercitus. Hæc illuſio manifeſta eſt in noſtra concupiſcibili, quæ tanta avidita-

Fabricatio idolorum in corde.

Fornicatio virium animæ.

Corruptio naturæ.

Illuſio mentis humanæ.

Digitized by Google

te amplectitur, tanto deſiderio inſequitur veſtigia divinæ bonitatis in temporalibus, tanto amore eis inhæret tam miſerabiliter in eis capitur, tam inſeparabiliter detinetur; ut primitivæ, ac redundantiſſimæ bonitatis penitùs oblita, eam omninò non curet, atque quòd iſta ſint veſtigia ejus, & quòd ad eam tranſmittant, & invitent omninò non videatur: eodem modô ſe habet, & in virtute rationabili noſtra, quæ ſcintillulas primæ ac luminoſiſſimæ veritatis pro illa amat, atque amplectitur. Quæ imperfectio ſi eidem illuceſceret, ab aliis averſa illi ſoli adhæreret, & quòd modò lumé eſſe opinatur, tenebras eſſe cognoſceret. Sicut & vis noſtra concupiſcibilis prægustata, ſive etiam ponderata primitiva bonitate, extrema ejuſdem veſtigia, quæ diximus, faſtidiret, omnemque carnalem voluptatem, illuſionem ſordidam, & ſomnium vaniſſimum, & nullatenùs veram veritatem eſſe videret: ſic & vis noſtra iraſcibilis ſtatim ubi ſe aperit divinæ nobilitatis ſublimitas, quòd ei ſoli ultimæ honorificentiæ cultu ſerviendum ſit, agnoſcit, & idolatriam non ſolùm deteſtandam creatoris injuriam, ac contumeliam; ſed etiam inſaniſſimam, ac turpiſſimam fornicationem ſuam apertiſſimè videt & propter hoc inde exiliens toto horrore à ſe eam abjicit. Summa verò hujus rationis eſt, quòd ſicut vis noſtra rationabilis non poteſt eſſe abſque credulitate, & opinione, & quomodò eas impēdat, vel cui debet, vel cui non debet; & ſicut vis noſtra concupiſcibilis non poteſt eſſe abſque deſiderio, & delectatione, & aliis ſuis paſſionibus, quin per eas adhæreat, & commiſceatur, vel quibus debet, vel quibus non debet: ſic virtus noſtra iraſcibilis non poteſt eſſe abſque honorificentia, & cultu divino; non poteſt inquam eſſe univerſaliter, quin illum impendat, vel cui debet, vel cui non debet.

Nota diligenter.

Et propter hoc cùm prævaluerit obtenebratio, & corruptio naturaliter in ipſis, & defuerit divina gratia ad illuminandum, & dirigendum eas, incidunt in eas fornicationes quas diximus. Præter indicia verò tria, quæ poſuimus ad oſtendendum, quòd idolatria naturalis eſt, hoc eſt de innata nobis corruptione proveniens licet bonæ inſtitutioni ejuſdem inimiciſſima eſt, & quærunt indicium in pueris, & parvulis, qui in ipſa pueritia ſua, & parvulitate cultum divinum effingunt, provt poſſunt, & capiunt, altariola ſibi parantes & ornantes. Quòd cùm nullo præcepto faciant, & tam generaliter hoc inveniatur in parvulis, judicatur ex hoc naturaliter inditum eſſe nobis amorem divini cultus.

Veſtigium idolatriæ naturalis in pueris.

Veruntamen ſicut rectitudo illius & opus eſt & donum creatoris; ita perverſitas ejus, & abuſio, quæ in idolatriam intorquetur, innatæ nobis eſt obtenebrationis, & corruptionis effectus. Poſt hæc autem proſequamur deſtructionem ipſius incipientes à capite, hoc eſt à capitali, & principali ejuſdem parte de decem partibus ipſius, quas in præcedentibus enumeravimus.

Deſtructio idolatriæ per capita decem.

Hæc igitur eſt idolatria dæmonum, qua dæmonibus per ſe hoc eſt apertè, & immediatè ſervitur, quacunque ex ſeptem partibus in quas divinum cultum diſtinximus. Huic autem error ille cauſam dedit, quo credebant decepti homines dæmones habere poteſtatem, non ſolùm in homines, & res humanas; ſed etiam in elementa. In hunc autem errorem inducti ſunt, quia & ſanare læſiones corporum dum ab eis ceſſabant, & ſedare turbationes rerum humanarum, hoc eſt lites & bella, ſedare etiam tempeſtates marium, & fluminum viſi ſunt. Quæ quidem mala non rebellando vel avertendo neque pacificando, ſed potiùs nō irrogando & non concitando ſanare ſunt crediti; interdùm enim juſto, & occulto & manifeſto Dei judicio prænominata mala irrogare, & concitare permittuntur. Interdùm enim & prohibentur nihil omninò poteſtatis habentes, niſi quantùm divinæ voluntatis be- A neplacitum aut dederit aut permiſerit. Et in hujus declaratione non oportet nos hîc aliquatenùs laborare, cùm in prima parte Theologicæ Philoſophiæ evidenter declaratum ſit, omnem virtutem & omnem poteſtatem ex prima, & univerſali potentia eſſe, eidemque pleniſſimo jure ac ſervitute ſubeſſe ad reſtringendum & limitandum, auferendum; & tranſeundum, ſuſpendendum & relaxandum, & de virtutibus naturalibus exemplum manifeſtum eſt in virtute ignis, quæ ſuſpenſa fuit à combuſtione rubi, ſicut legitur Exodi 3. Similiter & in virtute aquæ, quæ ſuſpenſa fuit à fluxu, & ſubmerſione in diviſione maris rubri, ſicut legitur ejuſdem 14 Similiter ſuſpenſa fuit virtus motiva lunæ ad vocem Ioſue, ſicut legitur Ioſue quinto. Quantò magis ergo potentiæ rationales ſubſtantiarum intelligentium neceſſe habent parere beneplacitis imperioſiſſimis voluntatis B Dei, & hoc voluntariè ſi bonæ ſunt hujuſmodi ſubſtantiæ, vel etiam invitè ſi malæ.

Omis virtus ex prima potentia.

Virtus ignis ſuſpēſa.

Exod. 3.

Virtus aquæ ſuſpēſa.

Virtus lunæ ſuſpenſa.

Ioſue 5.

Quia igitur ſcire interdùm permittuntur limitationes, & reſtrictiones ſuarum poteſtatum dæmones; ſimiliter relaxationes & ampliationes: quid mirum ſi poterant prædicere hominibus, & mala, quæ irrogaturi erant, & malorum hujuſmodi ceſſationes, ut ſic poſſe nocere videantur, & prodeſſe poſſe, tacentes omninò quòd Dei judicio, & voluntate, & mala irrogare permittebantur, & ab illis deſiſtere compellebantur. Si enim iſta revelarent, omninò apparerent non eſſe timendi, cùm creatoris imperio adeò obligata teneatur eorum poteſtas, ut non quotiens neque quanta vellent mala hominibus inferrent; ſed quotiens, & quanta fuerit omnipotentiſſima creatoris voluntas, quæ & ab infeſtatione hominum eoſdem compeſcit, licet invitos, C & ad vexandum eoſdem relaxat, provt & gloriæ ſuæ, & ſaluti hominum videt expedire, juſtitiamque ſuam decere Hac igitur de cauſa, & hoc errore ſuadente ſervitus idolatriæ primùm dæmonibus exhibita eſt.

Ars dæmonum.

Provexit & adauxit hanc peſtem divinatio dæmonum, qua futura quædam, & alia occulta prædicere videbantur: per hanc enim divinitatem veram habere credebantur; unde & divinatio quaſi divinitatis imitatio dicta eſt; ſolius enim divinæ intelligentiæ, ac ſapientiæ eſt occulta noſſe & revelare.

Divinatio.

Tertia cauſa fuit mirificentia quorundam operum, quæ reverà opera naturalia ſunt: verumtamen quia procuratione dæmonum naturas ipſas, vel conjungentium, vel commiſcentium, vel aliter ad operandum expedientium facta ſunt opera dæmonum credebantur ab ignorantibus hæc.

Opera dæmonū qualia.

Et de operibus hu- D juſmodi eſt magia naturalis, quam necromantiam, ſeu philoſophicam philoſophi vocant, licet multum impropriè, & eſt totius licentiæ naturalis pars undecima.

Magia naturalis.

Hæc igitur mirifica homines ignari ſcientiæ iſtius, quæ natura operabatur virtutibus ſibi à creatore inditis, credebant dæmones operari, & propter hoc non ſolùm potentiam magnam, & mirificam eiſdem attribuerunt; ſed etiam omnipotentiam: & hoc in duplicem injuriam creatoris. Primùm quia virtutem, quæ talia operabatur, ab ipſo creatore removebant, & etiam ab ipſa natura; cùm & ipſius creatoris eſſet, & auctoris dominantis, & ipſius naturæ, ut proprij ſubjecti, & beneplacito creatoris abſque ulla rebellione, ac contradictione ſervientis. De hujuſmodi autem operibus, eſt ſubita generatio ranarum, & pediculorum, & vermium, aliorumque animalium quorundam, in quibus omnibus ſola natura operatur, verùm adhibitis adjutoriis, quæ ipſa ſemina naturæ confortant, & acuunt adeò, ut opus generationis in tantùm accelerent, ut ab eis qui hoc neſciunt, non opus naturæ videatur, quæ tardius talia conſuevit efficere, ſed potiùs vis naturæ cujuſpiam imperantis. Qua de cauſa ut etiam maximè vi-

Opera naturæ.

Digitized by Google

geret, & præſtaret Chriſtiana religio, indictum eſt, ut ſi quis talia, & taliter operaretur, malus, & maleficus haberetur, & non virtute naturæ alicujus; ſed magis adjutorio, & potentia dæmonum hujuſmodi opera facere putaretur. Qui autem in his docti ſunt, talia non mirantur, ſed ſolum creatorem in eis glorificant ſcientes, quòd ſola omnipotentiſſima voluntate ipſius natura operatur, & juxta conſuetudinem notam hominibus, & præter conſuetudinem non ſolùm novis modis, ſed etiam res novas. Non erit igitur dubitandum in novis ſeminum commixtionibus, & ipſorum adjutoriis, nova animalia, & needum viſa poſſe gigni, ſicut apertè docetur in Emuth, de quo ſuperiùs fecimus mentionem. Scito autem, quia omne genus peccati idolatriam provexit, ſicut evidenter apparet de curioſitate, quæ eſt libido ſciendi non neceſſaria: tanta namque libido ſciendi futura, & alia cordium occulta quorundam hominum mentem inflammavit, ut hujus ſcientiam execrabili animarum ſuarum commercio à dæmonibus mercarentur: propter quod & ipſi naturæ humanæ inimiciſſimi dæmones ſacrilega opera excogitaverunt, eiſque ſe placari, & induci poſſe hominibus ſuggeſſerunt, impetrarique poſſe ab ipſis ſcientiam futurorum & aliorum occultorum. Inde proceſſerunt infandiſſima illa opera, quæ etiam vulgò nominatiſſima ſunt, videlicet inſpectio ſpeculi, inſpectio ſpatæ, inſpectio unguis, videlicet ut furta, & alia occulta invenirentur, in quibus omnibus diabolicorum ſacrificiorum impietas partim latet, & partim omnibus manifeſta eſt, ſi perfectè ſcripta inveniantur. Ex hac eadem peſte curioſitatis proceſſit liber maledictus, & execrabilis, qui dicitur liber ſacratus: ſimiliter & aliud quod dicitur ſpeculum ab hominibus, in quibus præterita, præſentia, & futura videri ipſi auctores eorum dæmones promiſerunt. Sunt & aliæ hujuſmodi peſtes innumeræ, per quas curioſitatis initium ſtragem animarum inæſtimabilem fecit. Juxta hunc modum, & luxuria ſive amor mulierum idolatriæ non parvam, neque levem occaſionem dedit, neque enim facile eſt enumerare ea ſola, quæ de his legimus, vel in confeſſione poſt ſuſceptum ſacerdotium audivimus. Juxta hunc modum ira, & odium, cupiditas & ambitio innumerabilibus maleficiis cauſam dederunt, quorum nullum abſque impietate idolatriæ exerceri poteſt. Jam igitur declaravimus tibi radicem intimam idolatriæ, & cauſas omnes, quæ cauſæ eſſendi ſunt eidem, ſive provectionis atque dilatationis. Poſt hæc igitur dicemus impietatem ipſius, atque veſaniam, & hæc dictio erit deſtructio ipſius plana & evidens, & nullum habens penitùs nubilum dubitationis. Verùm quoniam Ariſtoteles malos angelos eſſe credere noluit, deceptus ab ipſo familiari dæmone ſuo, quem de oculo veneris deſcendiſſe opinabatur; quia hoc ex ſomno ruſtici cujuſdam acceperat, & in hoc eodem errore multi ex philoſophis fuerunt arbitrantes hujuſmodi ſubſtantias rectores orbis terrarum Deos, ſicut legitur Sapientiæ 13. Deſtruemus imprimis idolatriam, etiam ſecundum errorem hujuſmodi. Dicemus igitur etiam ſi boni eſſent, ut ipſi ponunt, & omnes eſſent calodæmones, vel cacodæmones ut Græcè dicitur; tamen non eſſet eis impendendus niſi honor eiſdem competens; nullatenùs autem honor omnipotenti ſoli altiſſimoque Deo debitus: hujus enim honor jus proprium eſt creatoris; quare ſine injuria ipſius alij dari non poteſt. Ampliùs. Aut eſt de voluntate eorum, quòd hujuſmodi honor eis impenditur, aut non; quòd ſi eſt de voluntate eorum, placet igitur eis injuria creatoris. Ex quo manifeſta eſt infidelitas eorum pariter, & iniquitas; infidelitas quidem, quia ipſum Deum, & creatorem ſuum debito honore defraudant, & illum ſibi appli- E cant; iniquitas in hoc, quod jus alienum uſurpant. Si verò non de voluntate eorum eſt, nec indifferenter ſe poſſunt habere, ſi boni ſunt, ad tantam creatoris injuriam: contra voluntatem igitur eorum eſt, quòd hujuſmodi eis honor impenditur; quare offenduntur potiùs hujuſmodi honoribus, quàm placantur: qui igitur hujuſmodi honores eis exhibent, infeſtos eos ex hoc ſibi reddunt potiùs, quàm placatos. Ampliùs. Si puer coquinarius, vel ſervus alius videret uxorem domini ſui, & filios volentes ſibi exhibere honorem ſoli domino ſuo in domo illa debitum, ſi fidelis bonus eſſet, nunquid hoc ſuſtineret? nunquid non tota iracundia, & horrore à ſe hujuſmodi honorem abjiceret? Si autem talia ſuſtineret ſibi fieri, nunquid non fur, & proditor domini ſui eſſet? Incomparabiliter autem majoris fidei debitores ſunt calodæmones omnes domino ſæculorum, ac Deo altiſſimo, quàm poſſit eſſe ſervus quiſquam domino ſuo hîc. Quare ſi talia vel volunt, vel ſuſtinent ſibi fieri, fures intolerabiles ſunt, ac nequiſſimi Dei proditores; ideò non ſolùm non honorandi, ſed & totis ſtudiis ac viribus F exterminandi, & de medio tollendi: quemadmodùm puer coquinarius, aut ſervus de quo mentionem fecimus, ſi talia ſibi in domo domini ſui uſurparet, nunquid non alij ſervi boni & fideles totaque bona eiuſdem domini familia in illum inſurgere deberet, & de domo ejicere? Ampliùs. Si pro modico furto, vel rapina exilium, vel exterminium, etiam ſuſpendium meretur quis, etiam cum illa committit contra extraneum & parem: quanta ſupplicia multò fortius merentur pro furto, vel rapina divini honoris atque ſervitii hujuſmodi, ne dicam calodæmones, ſed etiam intolerabiles. Ampliùs Quid eſt idolatria, niſi duplex furtum, atque ſacrilegium? Alterum nempe, quo idolatria ſervitium ſoli Deo debitum ſurripit, alterum verò quo ille cui impenditur illud rapit. Ampliùs. Quis vir bonus ſi nec Rex eſſet, nec Dux, vellet honorari pro Rege vel Duce? nunquid non magis G irrideri ſe putaret, ſi honorem Regium aut Ducalem ſibi exhiberi videret? Cùm igitur boni illi dii ſint incomparabiliter magis inferiores ſe videant Deo altiſſimo, dominoque ſæculorum omnium, quàm iſte vir Duce, vel etiam Rege; quantò magis irrideri ſe reputabunt, & in contumeliam ſuam intolerabilem referent honorem ſoli creatori debitum ſibi exhiberi. Ampliùs. Quantò majorem honorem indebitum impendi ſibi vult aliquis, tantò major eſt ejus ſuperbia, ſeu inanis gloria, verbi gratia: ſi ſimplex clericus ſacerdotalem honorem ſibi exhiberi velit, erit hoc aliquantæ vanitatis, atque ſuperbiæ: ſi verò duplò majorem, erit duplò majoris vanitatis, atque ſuperbiæ, & ita generaliter: quantò longius eſt hic ab eo ſtatu vel meritis, cujus vel quorum honorem appetit; tantò major eſt vanitas eius atque ſuperbia. Quia igitur Dii hujuſmodi in infinitum longè ſunt ab altitudine, & ſuper- H eminentia creatoris, & appetant impendi ſibi honorem ſoli debitum creatori: infinitæ ſunt neceſſariò vanitates eorum, atque ſuperbiæ; quare infinitæ malitiæ & ideò in infinitum inhonorandi, & impugnandi, ut potè Dei hoſtes atrociſſimi, & injurioſiſſimi. Quòd ſi dixerit quis, quia non honorem ſoli creatori debitum ſibi impendi volunt boni Dii, ſed honorem ſibi debitum; & qui his competit, ſimiliter, & ſervitia ſibi fieri quæ meritò eis debentur. Quærimus ergo utrùm favorem ſuum & gratiam, aliaque beneficia ſua gratis impartiri debent hominibus aut non? Quòd ſi ſua ipſa bonitate & gratia nolunt beneficia ſua impartiri hominibus, hoc eſt niſi allecti muneribus, & oblationibus; apparet manifeſtè nullam eſſe bonitatem eorum: ſi enim in hominibus hujuſmodi diſpoſitio, bonitas reputanda non eſt; multò fortius nec in Diis; venalis enim beneficentia non eſt beneficentia.

Curioſitas quid.

Vanitates magicæ.

Ariſtoteles.

Nota.

A ſimili.

A minori.

Idolatria quid.

Nota.

Venalis beneficentia non eſt beneficentia. centia veri nominis, ſed negotiatio veriſſima eſt; inter negotiantes autem, in eo quod negotiantes, nullum locum habet gratia. Quòd ſi quis dixerit, quia in hoc locum habet gratia, & beneficentia apud Deos, quia à cultoribus ſuis parva recipiunt, & magna eis tribuunt; quærimus iterùm, an indigeant muneribus noſtris, an non indigeant. Quòd ſi indigent, miſerrimi ſunt omnium, & in extremo inopes, qui ſanguine talparum, & veſpertilionum, atque vaccarum indigent; & feliciores eis ſunt milvi, atque bubones, qui gratis, hoc eſt abſque mercimonio aliquo, hujuſmodi animalia ubique accipiunt: feliciores etiam, atque potentiores lupi, atque leones, qui pro deſideriis ſuis animalia, quorum carnes eſuriunt vel ſanguinem ſitiunt vt ſua vbique capiunt: ſi verò non indigent hujuſmodi muneribus, apparet ex hoc nulla eſſe bonitas eorum, vel beneficia, quando munera hujuſmodi pro beneficiis ſuis exigant. Si enim deteſtanda eſt venalitas in hominibus, ut nec liceat eis ex beneficiis exigere munera, de quibus indigent: quantò fortius non licebit exigere munera etiam quibus non indigent? pro indigentia ſiquidem ſua poteſt unuſquiſque petere ab eo qui abundat, ut ei tribuat aliquid, non pro beneficio, alioquin vendit beneficium, & deturpat illud in mercimonium. Summa igitur ratiocinationis hæc eſt, quòd veri nominis bonitas pro beneficio, quod ex illa eſt, non patitur unquàm aliquid exigi; & maximè quandò eo, hoc eſt

Nota. munere, vel retributione non indigetur. Quare ſi verè boni Dij ſunt, impoſſibile eſt quòd retributionem à cultoribus ſuis, vel exigant, vel intendant, vel quòd eam etiam patiantur: vir enim bonus, & erubeſcit, & horret hanc maculam poni in gloria ſua, nec ullo modo ſuſtinet, ut quod gratis ex bonitate debet effluere, retributio extrahat inde, vel extorqueat, alioquin non de plenario bonitatis opus effluit, ſed de vacuo, & arido, tetroque cupiditatis. Ampliùs. Aut de ſuo præſtant Dij beneficia cultoribus ſuis, aut interpellantes apud creatorem ea præſtari impetrant. Quia ſi dixerit quis quia de ſuo, hoc eſt virtute, & potentia ſalutem, & vitam præſtant mortalibus, ſimiliter liberos & divitias, & honores; manifeſtum eſt hoc eſſe impoſſibile, primùm, quia omnis virtus eorum, & potentia dona Dei altiſſimi ſunt per quæ vel propter quæ non poſſunt niſi quantùm jubet, aut ſinit altiſſimus. Non enim virtutes, & potentias, quæ largitus eſt eis altiſſimus ita alienavit, & longè fecit à ſeipſo, ut eas in poteſtate ſua non retinuerit, neque ipſos à ditione ſua eximit, ut non eidem omnimoda ſervituti ſubjecti ſint: quare virtutibus, & potentiis, quas eis tribuit non poſſunt, niſi quantùm ipſe vult aut ſinit; hoc autem in prima parte hujus philoſophiæ declaratum eſt evidenter. Quare illud ſolùm poſſunt, quod vult eos poſſe, & illud ſolùm agunt, quod & vult, & ſinit eos agere. Si igitur præſtant beneficia, ex divitiis eſt hoc, & abundantia bonitatis creatoris, & inundantis, & influentis, primùm in ipſas, deinde per ipſas in

Nota alia. Quare gratiarum actio & collaudatio de omnibus beneficiis in primis eſt & maximè creatoris, ſicut & ipſa largitio ipſorum, & propter hoc in primis & maximè ab ipſo petenda ſunt & ſperanda. Ampliùs. Eo ſolo volente, & invitis, atque contradicentibus Diis hujuſmodi, obtinentur quæcunque beneficia; eo autem ſolo nolente quicquid agant Dij, quantumque conentur ad præſtandum impoſſibile eſt, ut aliquid eorum obtineatur. Præſtatio igitur omnium beneficiorum per ſe eſt divinæ voluntatis, à diffinitione ejus quod eſt per ſe, quoniàm ea poſita ponitur, & remota removetur: quare ſi propter beneficia cultus, ſive ſervitium cuiquam debetur, Deo per ſe debetur, & propter hoc ex neceſſitate ei ſoli: quod enim per ſe debetur alicui, ei ſoli debetur juſta ratione ejus quod

A eſt per ſe. Ampliùs. Si beneficia præſtant Dij non gratis, ſed intuitu remunerationis ſacrificiorum & oblationum; jam non ut Dij, neque ut boni homines præſtant illa, ſed ut viliſſimi homines; omnium enim hominum viliſſimi ſunt, qui venales ſunt. *Homines venales viliſſimi.* Quòd ſi dixerit, quia non eo intuitu, ſed magis gratis, & ideò magis colendi ſunt, quia gratis beneficia præſtant mortalibus, & ideò magis colendi ſunt, magis honorandi, magis amandi; hoc utique verum eſſet hoc poſito, ſed non ideò creatori gloria ſua auferenda eſt, nec munera illius uſurpanda. Ampliùs, Si de ſuo præſtant beneficia mortalibus, quærimus qualiter intelligatur de ſuo: nihil enim ſuum habent, quod non ab univerſali largitore bonorum acceperunt; quare de Dei donis acceptis à Deo præſtant hujuſmodi beneficia: addimus autem, quia ad hoc acceptis, ut inde largi eſſent quantùm poſſunt & decet. Non enim in avaritiam, neque in excommunicationem proprietatis ditavit eos creator bonis donis ſuis. Quare hac

B conditione ea receperunt, ut inde ipſi divites & beati eſſent in primis, & deinde illa quibus deceret communicarent. Hæc autem eſt ratio nuntij, & deferentis beneficium, quare in præſtatione beneficiorum non ſunt Dij, niſi nuntij univerſalis largitoris bonorum deferentes beneficia ipſius, quibus ea mittere fuerit largitatis ſuæ dignatio. Manifeſtum autem eſt tibi, & cuique intelligenti intelligibilia, quid nuntiis, & dona deferentibus faciendum ſit, & non propter hujuſmodi officium deificandi ſint, vel Dij habendi: apparet igitur inſania, & impietas ſimul idolatriæ ex hoc. Ampliùs. Potentia & virtutes eorum, *Nota.* aut ſunt irrationabiles, aut per electionem operantes: quòd ſi fuerint irrationabiles, hoc eſt non liberæ, ſed per neceſſitatem operantes, qualis eſt virtus ignis ad calefaciendum, cui non eſt liberum non calefacere, cùm obviaverit ei materia calefactibilis, immò neceſſarium: non enim poteſt non calefacere tunc, nec

C habet in poteſtate continere virtutem ſuam; tunc nulla gratia habenda eſt Diis ex præſtatione beneficiorum, ſicut nec igni ex calefactione. *Virtutes neceſſariæ quæ.* Non enim ex gratuita voluntate, & libera intentione talia operantur, ſed per modum, ut ait philoſophus, ſervientis, qui non habet in poteſtate aliud facere vel contradicere quare colendi non ſunt ullo modo propter beneficia. *Philoſophus.* Si verò fuerint rationabiles, & liberæ; neceſſe eſt, ut tantò majoris gratiæ majoriſque liberalitatis ſint, quantò fonti gratiarum viciniores, ſi tamen boni Dij ſunt; *Virtutes liberæ.* quare tantò minus intendentes retributionem, longiuſque ab omni venalitate. Quare ex neceſſitate non ſolùm non amant hujuſmodi munera ſacrificiorum & oblationum, ſed etiam offenduntur ex oblatione ipſorum, ut ſupra diximus. Quòd ſi dixerit quis, quia non placent munera Diis per ſe, neque ea amant, utpotè qui eis non indigent, ſed debitum per ſe eſt atque decens honorificentia beneficiorum, & majorum atque ſublimium, & magnus decor juſtitiæ eſt in hoc, & hic eſt qui placet eis in tota cultura ſua.

D Reſpondemus quia dignum, & juſtum eſt, decens atque decorum ut honorentur boni Dij, veruntamen non honore, quo ipſi ex neceſſitate offenduntur, ſi boni ſunt, hoc eſt non de honore alieno, & ſacrificio de rapina, & qui eis impendi non poteſt niſi cum inhonoratione & injuria creatoris. *Inhonoratio Dei.* De alieno verò eos honorat & de rapina, qui de toto cultu ſoli Deo altiſſimo debito, ejuſque ſolius proprium eis aliquid offert. Honorandi autem ſunt, ut alti, atque ſublimes, non autem ut Deus altiſſimus, & ipſi, ſi boni ſunt, ut ſæpè diximus, longè ampliùs offenduntur inhonoratione, & injuria creatoris, quàm viri ſancti. Quantò enim meliores, atque ſanctiores, tantò etiam & juſtiores quare omnis injuſtitiæ, & iniquitatis magis inimici; & ideò hujuſmodi injuſtitiæ, & iniquitatis

Digitized by Google

& favente mortalibus, ira hujuſmodi Deorum aut poteſt nocere eiſdem, aut non poteſt: ſi poteſt: non eſt igitur Deus Deorum omnipotens, nec Deus Deorum verè, cùm coercere non poſſit Deos hujuſmodi, ne contra favorem ſuum, & voluntatem noceant mortalibus. Si verò eo placato, & favente mortalibus nocere non poſſunt, nec timenda eſt nec curanda ira eorum couſque, ut placatio eorum quærenda ſit ſacrificiis, vel muneribus; ſupervacuè namque placatio ejus quæritur, qui nocere non poteſt. Ampliùs. Cùm Deus altiſſimus Deus Deorum ſit, & Dii omnes creaturæ ipſius, ex neceſſitate ſubditi ſunt ei ſubjectione pleniſsima. Jam enim declaravimus in primo tractatu ſcientiæ iſtius, quia non eſt virtus, vel potentia adeò firma vel ſolida, quæ non in nihilum vaneſceret, & in non eſſe recideret; niſi omnipotentis Dei altiſsimi virtute, & B beneplacito retineretur: quare manifeſtum eſt nullam ſubſtantiam omninò aliquid poſſe contra beneplacitum ipſius: quare neque prodeſſe neque nocere contra beneplacitum ipſius, neque invito eo eſſe quantùm ad omnia alia: quibus verò ipſe iratus eſt nihil habere poſſe præſidii ab aliis: manifeſtum igitur eſt nec iram Deorum poſſe nocere mortalibus ipſo placato, & favente eiſdem, neque favorem poſſe prodeſſe ipſo irato. Declaratum igitur eſt, neque favorem eorum eſſe quærendum neque iram timendam. Ampliùs. Si mali ſunt Dij, Deus Deorum, quantùm ad hoc, adverſarius eorum eſt; malitiam eorum reprimens & compeſcens: ſi enim permitteret eos ſævire juxta malitiam ſuam in homines; aut faceret hoc judicio, aut non curans, aut penitùs ignorans. Impoſſibile eſt autem, ut penitùs ignorans, cùm ignorantia in ipſum cadere impoſſibile ſit. Declaratum eſt etiam in tractatu de cura ipſius quòd impoſſibile eſt ipſum non curare res humanas: relinquitur ergo ex neceſſitate, ut nunquàm permittat affligi mortales à Diis hujuſmodi, niſi judicio quare non pro voluntate ipſorum, ſed ſicut limitat eos divina juſtitia: non eſt igitur in voluntate ipſorum, ut affligantur mortales, vel ut parcatur eis, neque quatenus alterum eorum fiat; quare in ſolo judicio, ac beneplacito Dei omnipotentis poſita eſt pax, & turbatio rerum humanarum: ſimiliter & proſperitas, & adverſitas hominum: non ſolùm igitur ſupervacuum eſt, & inutile Deos colere propter quodcumque iſtorum, ſed etiam ſtultiſſimum, & impium. Ampliùs. Ex propria virtute nihil poſſunt, ſed ex ea ſola, quam à Deo acceperunt poteſtate, & ex ea utique quantùm vult, aut ſinit Deus altiſſimus, non valentes eam ullatenùs extendere ultra quàm eis ipſe limitat altiſſimus. Quare propter omnia mala, & bona, quæ mortalibus vel eveniunt vel evenire poſſunt, nihil omninò cultus, aut honorificentiæ impendendum eſt Diis, quantùm ad propriam eorum poteſtatem. Quòd ſi dixerit quis, quia propter hoc cultus eis impendendus eſt, quia bona, & mala procurare poſſunt mortalibus apud altiſſimum, ut potè miniſtri regni ipſius, & amici illius: reſpondeamus, quia nihil apud ipſum procurare poſſunt, nec impetrare, utpotè inimici ipſius. De bonis verò nunquàm negatum eſt, vel à nobis, vel ab aliis, quin ut miniſtri Dei altiſſimi honorandi ſint; & ideò propter ipſum cujus miniſtri, & amici ſunt, honore miniſteriali, non autem dominali, ut ita loquamur, ſeu divinali honorari poſſunt, quem ſi vel exigerent vel peterent, non eſſent non ſolùm boni vel honorandi, ſed velut Dei hoſtes iniquiſſimi gloriæ ipſius uſurpatores, igne, & gladio, ſi fieri poſſet, perſequendi, atque de medio tollendi. Quoniàm autem jam alibi declaratum eſt, ipſos nihil, ampliùs poſſe in regno Dei altiſſimi, quod eſt regnum domini ſæculorum, & univerſale imperium, dominatioque completa in ultimo perfectionis, à qua

Nulla virtus ſtabilis ſine Dei auxilio.

Providentia Dei.

Nota.

Miniſtri Dei honorandi.

A poſſibile eſt aliquid exemptum eſſe, eique non ſubditum ſubjectione ultima, nihil inquàm ampliùs, quàm miniſtros, vel ſervos adhuc vel bonos & fideles, qui in obſequium, & honorem domini ſui ſe & ſua totaliter conferunt, vel malos, & perfidos: manifeſtum eſt ex hoc, nihil honorificentiæ, vel cultus, qui latria dicitur, eiſdem eſſe impendendum; & ſi eis inde quicquam impenditur, non ſolum non prodeſſe, ſed etiam obeſſe mortalibus, quia ipſimet ipſis offenduntur inde, ſi boni ſunt, non ſolùm Deus altiſſimus; ſi verò mali ſunt, quantò magis inde offenditur Deus altiſsimus, cùm ipſi non ſolum omni honore indigni ſint, ſed omni ſupplicio, & exterminio digniſsimi. Ampliùs. Poteſtatem quam dicunt habere Deos iſtos, neceſſe eſt ut dicant, vel eſſe datam ipſis à Deo Deorum, vel eſſe eis à ſe, hoc eſt non aliunde; & ſequitur ex hoc, ut neque ſapientia, neque ipſum eſſe, quare ex neceſsitate increati erunt, & æterni. Jam autem errorem illum deſtruximus, & declaravimus, quia neceſſe eſt unum ſolum numero eſſe in ultimitate unitatis, & in fine ſimplicitatis; & quia non eſt ei coævum, neque compar aliud, neque ullo modo ei à latere quicquam eſt, nec è regione quicquam. Si verò fuerit eis hæc poteſtas à Deo Deorum juxta ſententiam Platonis in libro ſuo, quem vocat Timeum, in qua opinione etiam multi alii fuerunt; neceſſe eſt ut poteſtatem iſtam comitentur ſapientia, & iuſtitia, regulantes eam, & moderantes eam, aut non comitantur ipſam: quod ſi comitantur ipſam; manifeſtum eſt, quia juſtis, & bonis mortalibus nunquàm adverſantur, vel iraſcuntur, nunquàm nocent eiſdem: manifeſtū etiam eſt ſecundùm hoc, quia ſolis iniquis, & peccatoribus adverſantur, & iraſcuntur, & propter ſolam iniquitatem, & peccata. Quoniàm ſapientia, & juſtitia ſapientes, & juſtos ob alias cauſas iraſci non ſinunt, & C quia etiam ſapientia, & juſtitia, bellum inexorabile ſemper habent contra vitia, & peccata, quod neque pace ſopiri, neque treuga unquàm ſuſpendi poteſt; ſequitur iſtud ex neceſsitate, ut nunquàm placati ſint iniquis, & peccatoribus, quandiù in iniquitatibus ſuis, & peccatis perſtiterint; quare neque muneribus, neque ſacrificiis poſsibile eſt, ut obtineatur favor, & gratia ab his omnibus. Inutilis igitur eſt cultus eorum quantùm ad ipſos; ſupervacuus autem quantùm ad juſtos & bonos. Sapientes enim & juſti Dij non poſſunt non favere, & gloriam ſuam impartiri ſibi ſimilibus, hoc eſt ſapientibus, & juſtis hominibus. neceſſe enim modis omnibus eſt, quantò ſapientiores, & juſtiores ſunt Dii, tantò eos, & bonos, & omnia bona majori favore, & gratia amplexari, fortiorique eis amicitia, ſeu dilectione D aſtringi: non ſolùm igitur placatos, atque propitios neceſſe eſt eos eſſe bonis, & juſtis hominibus, ſed etiam amiciſsimos, amicitia incomparabiliter majore, quàm homines amici eſſe poſſint hominibus. Quia igitur amicitia vera potiùs confert amico, quàm ab eo recipere intendit, immò contra intentionem, & veritatem amicitiæ eſt aliquid proprii commodi in ipſa quærere; manifeſtum eſt Deos nec velle, nec quærere munera, vel ſacrificia iſtius inſaniſsimæ culturæ: cùm igitur in bonis, & juſtis hominibus favorem, & gloriam Deorum quærere per ſemetipſam ſufficiat, ſupervacuum eſt eis offerre munera vel ſacrificia propter hoc. Ampliùs. Quis homo ſapiens, & juſtus vellet ſibi offerri quæcunque munera propter hoc, ut faveret bonis, & juſtis hominibus, & propter hoc ut eſſet eis amicus, & propitius? certum eſt quod nullus immò manifeſtum eſt quia iraſceretur omnis ſapiens & juſtus offerentibus, iraſceretur, inquam, faciente hoc ſapientia, & juſtitia; & hoc tantò magis quantò maior in eo ſapientia, & iuſtitia: quia igi-

Nota.

Vam.

Plato in Timeo.

Nota.

Amicitia vera.

K

Digitized by Google

tur incomparabiliter maior eſt ſapientia, & juſtitia Deorum, quàm poſſit eſſe quotumcunque mortalium; ex neceſſitate incomparabiliter magis iraſcuntur boni Dii munera huiuſmodi & ſacrificia ſibi offerentibus. Non ſolùm igitur iram bonorum Deorum qualemcunque contra ſe provocant huiuſmodi cultores, ſed inæſtimabilem, & immenſurabilem mortalibus. Si quis autem dixerit, quia multò fortius poſſumus iſta objicere cultui, ſeu culturæ Dei altiſſimi, cùm ipſe incomparabiliter magis ſapiens, ac bonus, & juſtus ſit omnibus Diis, neceſſe enim eſt, ut bonitate ſua pura, & redundantiſſima gratis faveat, & ſit propitius atque amicus ſapientibus, & juſtis hominibus. Et propter hoc non ſolùm ſupervacua, ſed etiam noxia, & iram eiuſdem provocans eſt cultura, quæ ipſi ab eiſdem impenditur.

Adverte.

F Reſpondemus, quia cultura omnis, & honorificentia ipſius & debitum per ſe eſt propter ſupereminentiſſimam ipſius nobilitatem, ac maieſtatem, ſeu magnificentiam; & propter obnoxitatem, qua unaquæque creatura totum quod eſt, & totum quod habet, eidem ſingulariter debet; aliis autem nec debet niſi propter ipſum, quoniàm ab aliis nihil habet propriè, etſi per alia tanquàm per nuntios, atque deferentes multa bona receperit. Manifeſtum autē eſt per ſe quia incomparabiliter longè eſt dator muneris à nuntio deferente illud. Nuntio enim, & deferenti munus inquantùm nuntio, & deferenti ex voluntate, & beneplacito mittentis illud, non debetur aliquid honorificentiæ vel gratiæ vel remunerationis; niſi propter datorem muneris, vel mittentis illud.

Dator muneris à nuntio deferente illud differt.

G Quare ſicut ſupra diximus, bonis Diis nihil debetur honorificentiæ, vel beneficiorum, quæ per eos præſtantur mortalibus niſi propter datorem ipſorum, qui eſt Deus altiſſimus. Sacra autem, & ſacrificia, & templa, totaque cultura idolatriæ non eſt honorificentia Deorum, nec nuntiorum, ac deferentium beneficia, quæ Deus eorum præſtat mortalibus, ſed ut datorum, vel ut miniſtrorum, & amicorum Dei altiſſimi, ſed ut authoris ipſius Dei altiſſimi. Per ſe autem notum eſt, quia ſolus Deus altiſſimus honorandus eſt, & ſolus auctor beneficiorum, ſoluſque dator ipſorum, ut auctor, & dator illorum. Manifeſtum igitur eſt culturam Deorum injuriam eſſe intolerabilem Dei altiſſimi. Si quis verò dicat, quia nos Chriſtiani templa ædificamus, non Diis, ſed hominibus, ſanctis ſcilicet; & quia ſacra eis ſtatuimus, videlicet

H feſta, ſacraſque cantationes, & lectiones, quemadmodùm & contra religionem Chriſtianam dixerat Fauſtus hæreticus, quia Chriſtiani idola in martyres ſacrificia in agapas converterunt. Reſpondemus, quia non templa ſanctis, vel martyribus, vel aliis, ſed Deo altiſſimo ædificamus, & quicquid honoris ſanctis impendimus, ut Dei amicis, & ut Dei ſervis, & propter ipſum Deum ſolum hoc facimus: Neque ſanctos ipſos invocamus, aut oramus ut Deos, neque ut auctores eorum, quæ nobis præſtari petimus, ſed ut interpellatores pro nobis, & impetratores; neque ab ipſis petimus, ut nobis hujuſmodi beneficia largiantur, ſed potiùs ut Deum altiſſimum orantes, quatenùs ipſe nobis ea largiatur. Nec dicimus, ſancte Petre ſalva nos, ſed potiùs ora pro nobis: Martyres igitur, & alios ſanctos colimus, non ut illi idola, vel Deos. Illi ab idolis Diis ſalutem ſibi & ſperabant, & poſcebant dari, & illos eam poſſe dare credebant, nos autem non ſic. Non enim à ſanctis ſperamus, vel petimus nobis ſalutem dari, ſed ut à domino Deo nobis detur impetrari; nec eiſdem imponimus, vel credimus, quòd ipſi ſint auctores, vel datores ſalutis, ſed potiùs obtentores,

Fauſtus hæreticus.

Nota.

Sancti interpellatores pro nobis.

A ſanctis quid nobis ſit.

E ſeu impetratores. Quòd ſi quis dixerit, quòd quemadmodùm regibus debetur regius honor, & pontificibus, & ſacerdotibus ſacerdotalis; ita etiam Diis divinus honor ex neceſſitate fidei debetur. Reſpondemus, quia divinus honor apud nos non ſignat niſi Dei altiſſimi honorem, ſicut neque hoc nomen Deus, niſi Deum altiſſimum; unde & nomen incommunicabile vocatur, Sapientiæ. 14. ubi dicitur de idolatris, quia nomen incommunicabile dederunt ligno, & lapidi, quia ergo divinus non à Diis, ſed à Deo denominatum eſt, quemadmodùm regius ab eo quod eſt rex, & pontificalis ab eo quod eſt pontifex, non procedit uniformiter ſecundùm intentionem eorum. Deus enim nomen commune eſt, & communicabile apud eos. Nunc revertamur ad id in quo eramus, & dicamus, quòd

Divinus honor quis.

Sap. 14.

Deus nomen incommunicabile.

F ſi ſapientia, & juſtitia vel bonitas comitantur poteſtatem, quam dicunt habere deos; manifeſtum eſt, quia inutilis eſt cultura deorum iniquis, & malis hominibus: ſupervacua autem ſapientibus, & juſtis, immò etiam noxia, deoque altiſſimo intolerabiliter injurioſa. Si verò non comitantur eam ſapientia, vel juſtitia, ſeu bonitas, palam eſt, quòd hujuſmodi poteſtas in diis, gladius eſt in manibus furioſorum. Apparet etiam quanta eſt veſania idolatriæ, quæ & deos illos nominare non erubeſcit, quos & abſque ſapientia, & abſque bonitate eſſe confitetur; quare inſipientes. & malos, & ideò potiùs inhonorandi atque ſpernandi, quàm honorificandi. Quòd ſi dixerit quis, quòd propter inſipientiam

G ſuam, atque malitiam placandi ſunt ne ſæviant in mortales, error iſte multis viis deſtruitur; primùm, quia hujuſmodi ſubſtantiæ non dii ſunt, ſed belluæ. Bellua enim eſt, quæ ſine ſapiētia iraſcitur ad ſæviendum, & placatur eſca: ſecundò, quia hujuſmodi ne dicam dij, ſed belluæ, ſi placarentur muneribus, iraſcerentur non offerentibus munera, ſed ſacrificia eorum contemnentibus, & ita non ſinerent vivere niſi cultores ſuos. Ampliùs. Aut eſt eis poteſtas hæc libera, ut ſæviant in quoſque, & quantumcunque voluerint; aut eſt in eis ligata, & limitata: quòd ſi eſt eis libera, quomodò igitur proſunt contemptoribus ſuis, & exterminatoribus culturæ ſuæ: ſi verò non eis libera, ſed ligata ac limitata, eſt igitur in poteſtate, & beneplacito ligatoris, ac limitatoris, in quos, & quantùm, & quandò ſæviant. Ipſe igitur ſolus placandus eſt muneribus, & ſacrificiis, non hujuſmodi belluæ quarum

Errorem aliorum confutat.

Nota.

H malitia nihil habet, niſi quantùm ipſe vult, & ſinit. Quis enim videns aliquem tenentem beſtiam ligatam, adoret, vel honoret ipſam beſtiam, ut in ipſum non ſæviat, & non potiùs tenentem illam. Certum autem eſt, quia ſolus Deus altiſſimus, & ligator, & limitator eſt hujus poteſtatis; quare ipſe ſolus orandus, & adorandus, & honorandus eſt contra iram, atque ſævitiam hujuſmodi beſtiarum, non ipſæ beſtiæ. Quòd ſi dixerit, non eſt ex toto ligata hujuſmodi poteſtas à Deo altiſſimo, ſed in parte; tenet igitur eos ligatos quantùm vult, cùm invitus nihil eis liberum dimiſerit. Quare ex toto in manibus ejus ſunt, ſicut belluæ catenatæ: debes autem ſcire, quia eo uſque deſipuit quorundam vanitas, ut deos crederent, vel ſibi ipſis partitos fuiſſe ad hoc ſorte, vel Deum deorum ipſis diſtribuiſſe totum orbem terrarum. Plato verò ſentit Deum deorum orbem terrarum eis regendum tradidiſſe ac diſtribuiſſe. Quòd ſi verum eſt, nec ipſi ſuggerunt mortalibus contra Deum deorum, nec aliquid ab eis exigunt contra honorem ipſius; quare neque culturam hujuſmodi eis ſuggerunt, nec ab ipſis exigunt ipſam, nec etiam impendi ſibi ſuſtinent eandem: alioquin non ſolùm infideles miniſtri, ſed etiam nequiſſimi ipſius eſſent, cùm gubernationi ſuæ, & curæ commiſſos

Poteſtas omnis à Deo.

Plato.

mortales

mortales à Deo altiſſimo averterent, & in culturam ſuam transferrent, & Deus altiſſimus iniquus eſſet, ſi tantam eorum nequitiam ſuſtineret. Si enim cura eſt ei de hominibus, ut juſtè vivant, & injuſtitias eorum impunitas eſſe non ſinat; tantò fortius in diis non ſuſtinebit tantam iniquitatem, quin eam quandoque vindicet, & quin eos à tam malis adminiſtrationibus quandoque amoveat. Si enim in atria domus ſuæ, hoc eſt in genere humano tantas iniquitates tanta diſtrictione interdicit, tantaque ſeveritate vindicat; quantò fortius in ipſis penetralibus domus ſuæ, hoc eſt in cœtu deorum, & in ipſo cœlo? Si enim nec ipſum cœlum cœtuſque deorum vacat à tantis injuriis, & contumelia creatoris, quæ illi eſt cura de honore ſuo, & gloria, & de ſalute ipſorum? quoniam omnium ægritudinum perniſioſiſſima eſt iniquitas, & omnium mortium peſſima eſt mors peccatorum, & omnium ſordium ſpurciſſima eſt fœculentia vitiorum. Quòd ſi non curat hæc vindicare, quæ eſt ejus juſtitia? ſi non curat ſanare, quæ ejus miſericordia? ſi non curat mundare, quæ eſt ejus ſanctitas? Eouſque verò inſanivérunt quidam, ut Deum Hebræorum nonniſi unum ex his opinarentur, & fortè obtinuiſſe, ut Deus eſſet Hebræorum; & Jupiter ſimiliter, ut Deus eſſet Cretæ, & Venus ut Dea eſſet Cypri, & ita de aliis. Quærendum autem eſt ab hujuſmodi hominibus, cùm orbem terrarum Deus deorum creaſſet, & ejus eſſet jure pleniſſimo, ac ſingulariſſimo, utrùm ipſe Deus deorum ſortes hujuſmodi immiſit, an ipſi per ſe; Deum autem deorum ſortem miſiſſe, non ſolùm non verum, ſed puerile eſt ſentire, cùm ſortes ibi tantum locum habeant ubi ignoratur quid evitandum, vel committendum ſit. Sapientiſſimus autem Deus nihil in parte iſta ignorabat. Quòd ſi ipſimet inconſulto Deo altiſſimo ſortes hujuſmodi miſerunt, & de re ejus; apparet eos nihil juris habere in his, quæ per hujuſmodi ſortes occupaverunt, quare nec ut dii nec ut domini in his honorandi ſunt. Si verò eo conſulto, & de beneplacito ejus ſortes hujuſmodi de toto orbe miſerunt; qualiter ergo de tot partibus mundi exterminati ſunt, & ejecti, & hoc Deo ipſo Hebræorum jubente in lege ſua? Quomodò non fuit contentus Deus Hebræorum ſorte ſua, & fines aliorum invaſit, videlicet terram promiſſionis? Si enim eſt pax & amicitia inter eos, nullus eorum invadit fines aliorum, quin etiam adjuvant ſe invicem, & promovet alter alterius culturam. Quomodò igitur permiſerunt ſe ſic exterminari omnes de terra promiſſionis, & de toto orbe Chriſtianorum, & de toto regno Saracenorum, & potiſſimùm de Ægypto, ubi omnes colebantur, ubi adeò erat celebris cultus eorum, ut Ægyptus propter hoc templum mundum vocaretur, ſicut dicit Mercurius. Sed de urbe Roma, & maximè de templo, quod pantheon vocabatur, quod unum omnium erat deorum. Quomodò illud ſaltem non ſibi cuſtodierunt & defenderunt? Quòd ſi nec pax, nec amicitia eſt inter eos; mali igitur ſunt, avari, & cupidi, invicem ſe impugnantes, fineſque ſuos contra alterutrum invadentes, & occupantes. Hæc autem omnia longè ſunt à natura deorum maximè bonorum, quales ipſos ipſi credunt. Apparet igitur ex ipſo exterminio eorum tanto atque profugatione eos in orbe terrarum nihil poſſe. Si enim ea eſſet poteſtas eorum, quam eis imponunt, & ſibi primùm & maximè conſuluiſſent, reſervantes templa ſua, atque defendentes, deinde ſtatuas, ſive imagines aut idola ſua miniſtroſque ſacrorum ſuorum, pontifices, ſcilicet, & ſacerdotes, & poſtmodùm cultoribus ſuis. Omninò enim incredibile eſt, quòd ſponte ſua exterminati ſunt dii, & profugati de maiori parte orbis terrarum; ſimiliter & mo-

Nota.

Inſania quorumdam.

Sortes ubi locum habeant.

Ægyptus.

Pantheon.

Nota.

Dy fugati ex orbe.

A dis omnibus improbabile, & eoſdem cultoribus ſuis adeſſe noluiſſe, utrunque igitur nolentes, & inviti paſſi ſunt; quare manifeſtum eſt eos reſiſtere nequiſſe poteſtati, per quam talia paſſi ſunt. Hæc igitur poteſtas aut humana eſt, aut Dei altiſsimi; quòd ſi eſt Dei altiſſimi, inimici igitur, & infeſti erant Deo altiſſimo, qui eos invitis ipſis de tantis regnis omninò expulit, omnemque culturam eorum, & honorificentiam exterminavit; ex quo manifeſtum eſt eos malos eſſe, & propter hoc ne dicam honore divino, ſed prorſùs omni indignos. Apparet etiam culturam eorum prorſùs inutilem fuiſſe cultoribus ſuis, irato eis exiſtente Deo deorum. Quòd ſi iræ ipſius reſiſtere non potuerunt, vel pro ſe, vel pro cultoribus ſuis; ergo neque favore, & gratia eidem reſiſtere poſſunt contra cultores ipſius ſolius: manifeſtum igitur eſt omninò inutilem eſſe culturam eorum, cùm non iræ Dei altiſſimi reſiſtere poſſint, & adeſſe ſibi, vel cultoribus ſuis contra illam, nec favorem, aut gratiam ipſius impedire quominùs per eas benè ſit cultoribus ipſius ſolius. B Non enim minor eſt ullo modorum gratia, ſeu benevolentia Dei altiſſimi, quàm ira eius: quare totum bene eſſe rerum humanarum, totumque contrarium ex ſolo beneplacito Dei altiſſimi eſt, contra quod omninò nihil pro ſe, vel etiam pro ſuis eos poſſe manifeſtum eſt, neque contra hoſtes ſuos ſimiliter. Non igitur timenda eſt poteſtas eorum propter rerum humanarum periculum, neque ſperandum in eis omninò propter earundem proſperationem; quare neque cultura eis propter hoc adhibenda, neque aliud. Si verò poteſtas humana eſt per quam exterminati & profugati ſunt; magis igitur eis adorandi ſunt homines, quàm ipſi hominibus; & poteſtas humana magis timenda eſt eis, atque placanda, quàm poteſtas eorum hominibus: quare magis colendi ſunt, & dii habendi ab eis homines, quàm ipſi ab hominibus. C Manifeſtum enim ex tertio Judith Nabuchodonoſor regem Babilonis præcepiſſe Holoferni principi militiæ ſuæ cunctos deos gentium exterminare, videlicet ut ipſe ſolus Deus diceretur ab aliis nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari. Et iterùm ex ſexto eiuſdem. Magnates Holofernis ad Achior, ut oſtendam tibi quoniàm non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor; denique Romani ſtatuerunt ut nullus abſque decreto eorum coleretur, nec haberetur Deus in terra. Apparet igitur ex his defectus, & impotentia Deorum huiuſmodi, qui honorificentiam, & cultum ſuum, etiam adversùs homines defendere non potuerunt. Quòd ſi quis objiciat, quia idem poteſt contra nos dici de Deo altiſſimo, cuius cultus per gentes inſipientes, & principes eorum ſæpè exterminatus eſt, & vix etiam proficere potuit, & toties quoties creſceret, atque dilataretur, per homines impeditus fuit. Reſpondeamus, quòd hoc non eſt pœna Dei altiſsimi, ſed D facientium; exterminium verò idolatriæ pœna eſt deorum, & ſalus idolatriam deſerentium. Non igitur quicquam contra Deum altiſsimum faciebant idolatriæ recedentes à cultura ipſius, ſed potiùs contra ſemetipſos; & propter hoc iniuriam Dei in ſemetipſis atrociſsimè vindicabant. Nec enim ſibi perniciosiùs irrogare poterant idolatriæ ſervitutem, nullam iram Dei maiorem portare poterant, quàm tenebras excæcationis, & tirannidem peſſimam, quibus unum Deum, ac ſolum verum cognoſcere prohibebantur, & implacabilibus inimicis ſuis, atque ludificatoribus Dæmonibus ſervire permittebantur; diis autem inanis gloriæ amatoribus, & honorificentiæ Dei altiſsimi invidentibus pœna erat idolatriæ deſtructio, ſalus autem erat eos deſe-

Nota.

Nabuchodonoſor Deum ſe ſolum dici voluit. Iudit. 6.

Digitized by Google

ex his miranda ſtultitia omnium idolatrarum, qui potentiores deos, aut ſaltem potentiſſimum inter eos, ſi quis inter eos eſt talis, non eligunt, aut colunt. Ampliùs. Cùm pro bello & victoria non colatur niſi mars, æquè colentibus, & venerantibus ipſum æqualiter favere debet, ſi intuitu tantùm culturæ favet cultoribus ſuis. Quapropter impoſſibile eſt hujuſmodi bellantibus de invicem provenire victoriam: quòd ſi dixerit quis, quia Diana etiam pro bello, & victoria colitur; revertemur ad id quod proximo diximus, videlicet quia ſi æquè fortes ſunt Mars & Diana, neutri parti proveniet victoria. Si autem alteruter fortior, ſequitur relinqui defectus, & miſeriam, atque ſtultitiam quam diximus. Ampliùs. Aut pax aut amicitia eſt inter hujuſmodi deos, aut non. Si ſic neceſſe igitur eſt, ut unuſquiſque eorũ amet cultores omniũ aliorum, & faveat eis. Amicorum enim maximè tanta amicitia, & tam ſancta, ut deos decet ſeſe invicem complectentium, manifeſtum eſt omnia eſſe communia. Quare impoſſibile erit aliquem illorum, vel munera ſacrificiorum, vel aliarum oblationum recipere à cultoribus ſuis, ut impediat cultores alicujus aliorum. In hoc enim jam ageret contra illum, cujus cultores, & ſubditos impediret; hoc autem non permittit veritas amicitiæ: vanè igitur, & inutiliter offerentur hujuſmodi munera, & ſacrificia non accipientur. Si verò non eſt pax, neque amicitia inter eos, ſunt igitur in diſcordia, & odio inter ſe invicem: hæ autem ſunt paſſiones peſſimæ, quas divinitatis bonitas omninò non recipit. Ampliùs. Aut juſto odio ſe invicem oderunt, aut non. Si ſic. Igitur meritò odibiles ſunt, & propter hoc omni honore indigni. Si verò non juſto odio ſeſe oderunt, eo igitur ipſo iniqui ſunt, & mali; & propter hoc magis pœna & contumelia, quàm honore aut ſervitio digni. Jam igitur declaratum eſt tibi ex his culturam deorum, quæ idolatria vſualiter dicitur, ſtultitiam eſſe, atque ſacrilegam.

Mars. *Diana.* *Amicorum omnia communia.* *In Deum non cadunt paſſiones humanæ.*

CAPUT XXV.

Multis argumentis deſtruit cultum ſtellarum, & corporum cæleſtium. Recitatque Platonis, Ariſtotelisque, & quorundam aliorum opinionem de cælis, quos animatos, ac veluti divina quædam animalia eſſe voluerunt, tantòque præſtantiores illis animas eſſe putaverunt, quantò cæleſtia corpora humanis ſunt præſtantiora. Mox explicat quomodo ſolem, lunam, & cæteros planetas adoraverunt gentiles, tanquàm ſubſtantias rationales, & intelligentes. Quam idolatriam ſubtiliter, & philoſophicè confutat; & ſuccedit auctor in hoc articulo pulcherrimo, ac doctiſſimo, quem vide diligenter, & penitus inſpice.

POſt hæc igitur relinquitur nobis declarare inſaniam, & vanitatem, atque impietatem idolatriæ ſtellarum, & luminum. Dicemus igitur, quia idolatræ hujuſmodi aut intendebant huiuſmodi cultu ſervire corporibus inanimatis, aut corporibus animatis, quæ etiam animalia eſſent, aut ſpiritibus forinſecis, qui animabus hujuſmodi, vel corporibus præſiderent, quòd ſpiritibus eadem idolatria hic quàm ſupra diximus. Quare non oportet nos in deſtructionem ipſius iterùm laborare. Si verò corporibus animatis, vel animalibus, neceſſe eſt hujuſmodi animalia eſſe irrationabilia, & non intelligibilia. Vanè igitur & ignominioſè eis ſervitur, cùm neque ipſum ſervitium agnoſcant, neque ſervitores, & propter hoc in re- A muneratione eorum nullatenùs intendant. Cultum enim divinum agnoſcere non eſt, niſi rationalis animæ, & intelligentis. Ampliùs. Brutis animalibus divinum honorem impendere manifeſtæ inſaniæ eſt. Omne namque animal rationale nobilius eſt, atque præſtantius, ſublimiuſque incomparabiliter omni irrationabili; incomparabiliter igitur inferiori atque ignobiliori ſe ſubditum animal rationale eſt. Eis enim, ſcilicet huiuſmodi animalibus, ut dicunt cæleſtibus, per adorationem, & cultum ſe ſubdit, quare ordinem naturæ intolerabili perverſitate ſubvertit: eſt igitur contra naturam inſania, eſtque manifeſta perverſitas: præterea cùm huiuſmodi animalia nec audiant, nec videant adorantes, perinde eſt ac ſi ſurdis, & cæcis talia offerrentur, perinde etiam, ac ſi non exiſtentes orarentur, & invocarentur. Tanta namque diſtantia, tantaque remotio huiuſmodi animalium à nobis, ut nullus clamor noſter ad eos pertingere poſſit. Præterea orationes, & adorationes, quæ mente ſolummodò fiunt, hoc eſt in corde de internis ad ipſa, impoſſi- B bile eſt ad eos pervenire, quare fruſtra fierent eis huiuſmodi. Ampliùs. Ut deitas ſit in non intelligẽte eſt impoſſibile, hoc enim eſt, quo potiſſimùm anima humana divinitati aſſimilatur, videlicet ipſo intelligere. In eo autem impoſſibile eſt eſſe divini honoris dignitatem, cùm divini honoris dignitas, aut divinitas ſit, aut ex divinitate ſola; quare impoſſibile eſt huiuſmodi animalia digna eſſe divino honore. Præterea, ut poſſunt quicquam boni facere, aut non cultoribus ſuis. Si non poſſunt. Vanè igitur, & inſaniſſimè coluntur. Quòd ſi poſſunt aliquid boni facere cultoribus ſuis, aut naturaliter igitur hoc faciunt, aut violenter, aut voluntariè: manifeſtum autem eſt, quia voluntate nihil, cùm voluntas non ſit niſi rationabilium animalium. Si verò ſolummodò naturaliter, aut violenter; manifeſtum eſt, quia naturalia, & violenta, nec cultu, nec C muneribus indigent, neque ſit poſſibile obtineri ab operatoribus ſuis, hoc eſt ab aliis, quæ naturaliter, vel violenter operantur: quia igitur hoc eſt extrema fatuitas, ut veſania, quæ evidentia propriæ falſitatis per ſeipſam evaneſcit, & de omni corde intelligentis abſque ullo ratiocinationis pulſu corruit: tranſeamus ad ea, quæ probabiliter aliquid habere potuerunt, & in quæ etiam nobiles philoſophorum prolapſi ſunt. Dixit enim Plato in Timæo, quia mundus eſt animal intelligens divinæ providentiæ ſanctionem: Et Avicenna, quia cœlum eſt animal Deo obediens. Ariſtoteles quoque, & omnes ſequentes ipſius cœlos poſuerunt animalia, & animas eorum intelligentes, & unicuique huiuſmodi animarum appropriant ſubſtantiam ſeparatam, quaſi animatum proprium ſeparatum, quam & vocaverunt intelligentiam. Deſiderium autem ſpiritualis, & materialis virtutis, ſive ſubſtantiæ non poteſt D eſſe niſi in natura intelligente; quare unamquamque animarum huiuſmodi neceſſe eſt eſſe intelligentem ſecundùm eos. Mercurius verò in libro quem ſæpè nominavimus, mundum vocat Deum ſenſibilem, & etiam planetas; Boetius verò de anima mundi loquens dicit, mentemque profundam circuit, & ſimili convertit imagine cœlum. Iſti igitur intenderunt cœlos, & ſtellas, & lunam, divina animalia quædã eſſe, & tantò præſtantiores eſſe animas eorum animabus humanis, quantò corpora illa cæleſtia corporibus humanis antecellunt. Et hac de cauſa viſum eſt eis quòd & nobilitate ſublimiores eſſent hominibus mortalibus, potentiaque, ac ſapientia hominum cuſtodes & rerum humanarum rectores. Et hæc eſt cauſa propter quam honores eis divinos ſacraque ſacrificia ſtatuerunt. Solem igitur,

Rationalis animæ eſt cultum divinum agnoſcere. *Deitas non eſt in non intelligente.* *Anima humana divinitati per intellectum aſſimilatur.* *Voluntas eſt rationabilium tantùm.* *Mundus ſecundùm Platonem quid.* *Avicenna.* *Ariſtoteles.* *Mercurius.* *Boetius.*

Digitized by Google

E

& lunam colebant, ut ſubſtantias rationales, & intelligentes, alioſque planetas ſimiliter; & hoc eſt quod legitur Sapientiæ 13. Solem, & lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt, & ipſis planetis, atque ſignis 12. orbem inferiorem terrarum totum partiti ſunt, ſicut ſupra teigimus, ut Marti Germaniam, Saturno Italiam, Cyprum Veneri. Sectas etiam, & leges & artificia, virtuteſque & vitia eiſdem diſtribuerunt; eodem modo ornamenta, & inſtrumenta, colores, odores, & ſapores per ſingulos diviſerunt, necnon & animalia, etiam furnos, molendina, & quidquid etiam de locis & habitudinibus hominum: Animalia quandoque eiſdem partiti ſunt, ut animalia gypſei coloris attribuerunt Veneri, & aves ruffi coloris Marti, & corvinum genus Phæbo, ſive Apollini; litteras etiam, & numeros ſimiliter eiſdem partiti ſunt, & ad ultimum ipſum corpus humanum per partes, & membra diſtribuerunt eiſdem; & hæc omnia in libris judiciorum aſtronomiæ, & in libris magorum atque maleficorum tempore adoleſcentiæ noſtræ nos meminimus inſpexiſſe. Quæcunque autem contra culturam deorum ſpiritualium diximus ſupra, & contra culturam iſtorum deorum ſenſibilium, & animalium abſque ulla dubitatione induci facile eſt intelligenti, & etiam quæ in deſtructione judiciorum aſtronomiæ ſuprà diximus. Si enim veri dij ſunt, nec retrogradatio, nec infortunium, neque combuſtio, nec aliud impedimentum locum habet apud eos. Ampliùs. Si veri dij ſunt, nutu ſolo, & beneplacito juvant cultores ſuos, ſecundùm aſtronomos verò nihil poſſunt, cùm ipſi neque fortunati ſint, vel re non liberi à malis. Ampliùs. Secundùm aſtronomos frequenter ipſimet impediuntur, aut caſu, aut operatione fortiorum, aut contrarietate ſignorum in quibus ſunt; Divinitas autem ſemper libera eſt, & invicta. Ampliùs. Ad horam poſſe, & ad horam non poſſe, fortunati quandoque, impediri aliàs, manifeſta inditia ſunt defectus, & impotentiæ; vera autem deitas immunis eſt omninò, & libera ab hujuſmodi. Manifeſtum igitur eſt, vel aſtronomiam mendacem eſſe in parte illa, vel nihil habere veræ divinitatis deos hujuſmodi. Ampliùs. Cùm ſol & luna cæterique planetæ ex neceſſitate motuum ſuorum ad eos ſitus, & poſitiones deveniant, & ad eas conjunctiones, & operationes in quibus neceſſe eſt eos fortunari quandoque, & exaltari, vel cadere, ut aſtrologi dixerunt, atque ſcripſerunt: proſperantur autem, & impediuntur res humanæ juxta diſpoſitionem ipſorum; impoſſibile autem eſt non proſperari, quod fit ſub fortunata, ſeu fauſta conſtellatione ipſorum: fruſtra igitur ritu, & vanis ſacrificiis & muneribus quæritur favor eorum, & propitiatio, fruſtra timetur ira, vel indignatio eorundem, cùm omninò nihil poſſent contra proprias fortunas, aut infortunia, & fortunas eorum, & infortunia cætera, ſed hujuſmodi diſpoſitiones illorum ſequuntur ex neceſſitate fortunationis rerum humanarum aliæque hujuſmodi diſpoſitiones illarum. Si enim Mars cadens fuerit, & in ſigno ſibi contrario fuerint fortiores planetæ ejus contrarij, & ipſemet retrogradus non poteſt contra hæc infortunia ſua, & impedimenta, quare non poterit juvare cultores ſuos illa hora, vel ad obtinendam victoriam, vel ad aliquid aliud. Inutiliter igitur illa hora recurretur ad ipſum, inutiliter ei ſacrificabitur. Ampliùs. Aut illa hora favet cultoribus ſuis, aut non favet. Si ſic, cùm non poſſit eos juvare, dolet igitur illa hora de infortunio cultorum ſuorum; quare ſimilis defectus, & impotentia, ſimiliſque miſeria dolorum invenitur apud eum, turpemque infortuniorum ſuorum defectum patitur, & impotentiæ atque doloris cultorum ipſius. Similibus igitur miſeriis, atque defectibus obnoxius eſt, & ſubditus talibus, ut

F

G

H

Saturno quid tributum.

Deus ſolo nutu juvat.

Planeta aliquando impeditur.

Nota.

Mars.

cultores ipſius: ſi verò illa hora videlicet infortuniorum ſuorum prænominatorum non favet cultoribus ſuis, ingratus igitur eſt eis, cùm ipſi eundem venerari, & colere non deſinant, & optare ejus exaltationem, & liberationem à malis; illa ingratitudo omnium vitiorum odibiliùs cadit in deos hujuſmodi. Juxta hunc modum eſt ratiocinari de aliis. Ampliùs. Juxta quod ſcripſerunt aſtrologi, & adhuc tenetur, & obſervatur, certis temporibus, vicibuſque determinatis dominantur annis & annorum partibus, verbi gratia. Saturnus, qui eſt dominus anni, videlicet ſi fortior fuerit, & plures habens dignitates, quàm aliquis aliorum ſole ingrediente initium arietis, & juxta hunc modum incipit, & iterùm in eiſdem annis plus, aut minus dominantur, & poſſunt ſecundùm quod plus vel minus adjuti fuerunt à benevolis ſuis, vel impediri ab aliis, vel etiam à domibus, & triplicantibus, atque ſignis, in quibus fuerunt in illa hora, videlicet initiali totius anni. Quare manifeſtū, non eos poſſe ſicut volunt, ſed ut adjuvantur aut impediuntur: quare nec proſunt, nec nocent, nec dij ſunt, ſive domini adjumentorum, & nocumentorum, ſed potiùs, ut per ſe impotentes ab aliis impediti; quare manifeſtum eſt aſtronomiam, & idolatriam ſibi invicem contradicere, per hoc autem alterutram eſſe vanam & falſam. Ampliùs. Iſta limitatio aut diſtributio dominorum, ſeu dominationum atque poteſtatum hujuſmodi non eſt eis à ſeipſis, quia tunc voluntaria eſſet eis reſtrictio poteſtatis ſuæ, & diminutio dignitatum ſuarum, cæteraque impedimenta; & hoc quidem verum eſt, ſecundum poſitiones aſtronomorum, cùm pari velocitate fugiant, ſeu recedant à locis dignitatum ſuarum, ſeu fortunarum, qua revertuntur ad ipſa. Indifferenter igitur ſe habent ad hoc, & ad illa; quare & ad effectus eorum. Quemadmodùm igitur non plus curant ipſi ſeu amant eſſe in locis dignitatum ſuarum, atque fortunarum, quàm in contrariis, neceſſariò & plus morarentur in illis, quàm in contrariis; non autem eſt ita. Quòd ſi dixerit quis, quia violenter recedunt ab illis, ſed voluntariè revertuntur ad illa, hoc eſt erroneum, ponere hanc confuſionem in motibus cœleſtibus, nam ponit eos in parte eſſe voluntarios, & in parte violentos. Blaſphemat inſuper deos ſuos, dùm concedit eos de dignitatibus ſuis tam ſæpè dejici, atque deponi, & non habere poteſtatem, niſi ex locis, & non ex ſe, nec erubeſcit confiteri hanc eſſe deorum ſuorum impotentiam, ut violenter, & inviti de dignitatibus ſuis, atque dominationibus in tanta infortunia deturbentur. Præthereà quis erit iſte violentus dejector eorum? neceſſe eſt indubitanter ipſum eſſe potentiorem, & circa hoc multæ patent tibi viæ, quia juſtè hic facit, ille autem injuſtè: quòd ſi injuſtè, indigni igitur ſunt dignitatibus, & dominationibus, à quibus dejiciuntur. Multò fortiùs igitur indigni ſunt, ut in eis, aut pro eis honorentur. Si verò injuſtè; habent igitur illum velut tyrannum ſupra ſe cujus iniquam oppreſſionem patiuntur. Quare ſervi illius ſunt, vel ſpontanei, vel inviti; & ideò nec dij, nec domini. Ampliùs. Si à ſe eſt hujuſmodi limitatio, & diſtributio dignitatum, hoc modo ſcilicet, quia alterius poteſtatem minuit, impedit, & reſtringit, & quandoque adjuvat, & confortat: ſequitur hunc errorem, quòd inter eos ſit pugna, & contrarietas, & nihilominùs, quòd fruſtra, & vanè colantur, cùm nec in muneribus, nec in ſacrificiis, nec orationibus obtineri poſſit ab aliquo eorum, ut adjuvet alterum, vel impediat, hoc eſt inter eos non agitur, niſi ex conjunctionibus, oppoſitionibus, aſpectibus, & aliis, quæ circa hoc eorum vanitas ſomniaverit. Ampliùs. Quòd operantur in rebus humanis planetæ, & ſtellæ, & luna, & in mundo iſto inferiori, aut operantur naturaliter,

Planetæ certis vicibus dominantur annis.

Planetis liberum non eſt juvare.

Optimè deſtruit.

Digitized by Google

Optimum argumentum.

turaliter, aut voluntariè, aut violenter. Quòd ſi naturaliter; ergo non plus adorandi, venerandi, vel colendi ſunt pro his, quàm ignis pro naturali calefactione ſua. Si violenter, multò minus, cùm non violenter operanti illud, ſed magis violentiam inferenti, & cogenti debeatur; & propter id magis adorandus ac venerandus, ſi alteruter eorum colendus eſſet. Quemadmodùm ſi pro bono, quod provenit ex revolutione molæ molendinariæ, ipſa rota adoranda vel veneranda eſt, multò fortius aqua rotam movens, quam illud efficere violenta impulſione compellit; immò nullo modo rota, ſed aqua: dij ergo hujuſmodi nullo modo propter hujuſmodi bona colendi ſunt. Si verò voluntariè operantur, aut hoc faciunt voluntate ſola, hoc eſt nutu, & beneplacito ſolo ſine motu ullo corporali ſuo, aut non; ſi ſic: Cùm voluntas, & beneplacitum non pendeant ex locis dignitatum ipſorum; alioquin immutabiles eſſent voluntates eorum ſicut noſtræ, & etiam plusquàm noſtræ; non enim quia mutamus loca, & ſitus, ideò ex neceſſitate mutamus voluntates noſtras; ipſis autem accidit ille miſeriarum cumulus, & infœlicitatis inquietudo, ut nunquàm in eodem ſtatu quantùm ad voluntatem permaneant, & hoc eſt, quoniàm continuè ea velocitate, qua intuentur, mutant ſitus, & loca. Si verò non ſine motu corporali, & operatione; jam igitur non operantur ut dij, immò nec ut homines, vel animalia, hæc enim eſt voluntas deitatis, ſive divinitatis, ut ſolo favore & gratia ipſius benè ſit mortalibus. Iſti autem erronei ponunt deos ſuos indigere motu corporali & operatione ad hoc ut influant in cultores ſuos. Manifeſtum igitur eſt quàm longè ſit ab intellectu eorum deitatis, ſeu divinitatis nobilitas, quæ ex neceſſitate abundantiſſima eſt, ac redundantiſſima, gratiſque influens ſolo beneplacito ſuo in eos, quos voluerit bonitas. Debes autem memor eſſe, & reminiſci eorum quæ ſupra diximus, de bonitate, & malitia deorum, atque ira, & propitiatione ipſorum. Si enim boni, & juſti ſunt, gratis favent mortalibus in omni bono, & gratis eoſdem adjuvant, & tantò magis oderunt acceptionem munerum, omnem venalitatem, quam ſancti & juſti homines, quantò ipſi ſanctiores ac meliores ſunt hujuſmodi hominibus. Repellunt igitur munera ſacrificiorum, & oblationum, indignanturque offerentibus. Reminiſcere igitur eorum, quæ ſupra diximus circa hoc, & ſufficient tibi. Quoniàm autem viſum eſt quibuſdam, & temperiem aëris & intemperiem, omneſque generationes, & corruptiones, quæ fiunt in ſublimi, videlicet pluvias, & grandines, nives, æſtum, frigus, gelu, fulgura, tonitrua & coruſcationes, omneſque aëris paſſiones ab ipſis eſſe; & inſuper generationes animalium, & plantarum, nec ſolum brutorum animalium, ſed etiam hominum; ſicut etiam dicit Ariſtoteles, quia homo generat hominem, & ſol. Et ipſi aſtronomi ſcripſerunt in libris ſuis, quia Saturnus primus operatur in generatione animalium, infrigidando ſcilicet, & congelando ſemen generationis; deinde Jupiter, unde & poſuerunt eos & formatores & figuratores membrorum animalium, unde & Mercurium poſuerunt extenuare linguam, & labia ad expeditionem eloquentiæ, & Jovem disjungere duos dentes ſuperiores, & multa alia hujuſmodi circa figuras, & formas animalium, & membrorũ ipſorum. Quoniàm inquam ita viſum eſt eis, opinati ſunt conſequenter ipſos eſſe adorandos, atque colendos ab hominibus, utporè formatores ipſorum, ac fabricatores, & ut datores ſerenitatis ipſius aëris, pluviarum, & roris, cæterorumque hujuſmodi, ex quibus videtur eſca eſſe, & nutrimentum mortalibus; & quia in rebus vitæ hominum neceſſarijs, lumen, & eſca præcipua ſunt,

Nota.

Concluſio ſuperioris argumēti.

Opinio quorūdam.

Ariſtot. 1. Phiſ.

Homo & Sol generant hominem.

A

magiſque ſalubria, adorandos eos eſſe putaverunt, ex quibus iſta videantur eſſe mortalibus. Horum autem omnium facilis deſtructio intelligentibus modos animalium, & nunc proſequemur ſingula horum, quæ diximus, ſingulatim ea deſtruentes. Quia igitur eis impoſuerunt aëris contemperationes, roremque, & pluviam, cæteraque hujuſmodi; non cogit, etiam ſi verum eſſet, ut propter hoc debeatur eis cultura hujuſmodi, quæ idolatria nuncupatur. Si enim naturaliter ab eis proveniunt, quemadmodùm lumen à calore ſolis, & calor ab igne; manifeſtum eſt, quòd non per modum divinæ operationis proveniunt ab eis: quare non operantur hujuſmodi operationes, ut dij; propter illas igitur non ſunt habendi dij, neque colendi ut dij; alioquin & panis, & vinum, & medicamenta omnia, & veſtimenta, calciamenta, cæteraque vitæ humanæ neceſſaria adoranda eſſent nobis, & divinis cultibus honoranda, cùm tam magna bona, tamque

B

ſalubria nobis ab ipſis naturaliter proveniant, & ita in creaturis viſibilibus ac ſenſibilibus inveniri poſſet, quod habendum quodque eſſet Deus, colendumque, & venerandum, ut Deus, & tantò magis colendæ eſſent, ac venerandæ, quantò manifeſtiùs bona magnifica, ac ſalubria nobis operantur. Si autem nutu, & beneplacito ſolo hæc operantur nobis; ergo ubicunque ſint, & quæcunque ſit figura, vel ſitus eorum, ſive aſpectus; nihilominùs hæc operabuntur: ea enim eſt excellentia, eaque nobilitas divinitatis, ut nec ex loco, nec ex tempore pendeat favor, aut gratia ipſius; ſimiliter neque ira, aut indignatio ejuſdem. Inſuper ea eſt imperioſitas, & voluntas ipſius, ut nec impediri

C

poſſit ab eo quod vult, nec cogi ad id quod non vult. Quare omni hora, omni loco, omni tempore idem poſſunt: non pendet igitur poſſibilitas eorum ex hujuſmodi; non minus autem libera eſt, neque nobilis voluntas eorum, quàm poteſtas, ergo neque voluntas eorum pendet ex hujuſmodi. Fruſtra igitur explorant aſtronomi loca dignitatum, fortunationes, ſitumque hujuſmodi, vel contraria his. Modis igitur omnibus apparet, quia aſtronomia aufert eis divinitatem, divinamque nobilitatem. Aſtronomi autem ſunt, qui maximè effectus eorum explorant, & maximè noſcere debent eoſdem, & ipſi pro hujuſmodi operationibus non cultum divinæ honorificentiæ eiſdem impendendum dixerunt. Ampliùs. Ægyptus ubi maximè coli conſueverunt, non habet pluvias, ſeu grandines, vel alia hujuſmodi. Ampliùs. A tempore quo coli deſierunt in

D

toto orbe Chriſtiano, & regno Judæorum, atque Saracenorum, nihil horum, vel mutatum de pluviis, & roribus, & grandinibus, & aliis hujuſmodi ab antiquo curſu, niſi forte ſicut ipſi aſtronomi docuerunt de his, atque ſcripſerunt, aut divino miraculo, juxta id quod legitur Hierem. 3. quandò propter peccata populi prohibitæ ſunt & ſtillæ pluviarum, & ſerotinus imber non fuit. Si enim hæc beneficia cultus idolatriæ præſtabat mortalibus in terris, in quibus exercebatur; ceſſante illa debuerunt & iſta ceſſare, & ante ceſſarant; quare vaniſſimè impendebatur cultus idolatriæ dijs hujuſmodi propter prænominata beneficia. Ampliùs. Declaratum eſt in libris meteorotum omnia hujuſmodi videlicet, quæ fiunt in ſublimi ex vaporibus fieri, qui reſolvente calore à terris, & aquis, & paludibus, & alijs locis aſcendunt, & ſecundùm quòd magis, aut minus frigiditate, & ſiccitate facientibus coagulantur, aut congelantur, nunc ex eis nubem; nunc pluviam, nunc nivẽ, nunc grandinem ex his fieri. Similiter ſecundùm quòd copioſiores, ſubtilioreſque, ſublimiuſque

Divinitas non pendet ex loco.

Aſtronomi.

Ægyptus pluvias non habet.

Hiere. 3.

Impreſſiones aëris.

aſcendentes ventos, tonitrua, coruſcationes, & fulgura ex colliſione eorum fieri. Ad hoc igitur deducuntur idolatræ hujuſmodi, ut & calorem, & frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem deificare, atque adorare neceſſe habuerint, cùm iſtæ quatuor radicales naturæ maximè prænominatas res operentur, etſi cœlum totum cū omnibus ſtellis, & luminaribus ſtaret, nihilominùs fieret generatio nivium, pluviarum, & aliarum per quatuor prænominatas virtutes; & hoc apparet apud nos in materiis humidis in quibus operatur calor. Manifeſtiùs autem apparet in operibus ſublimationis, quorum unum eſt aqua roſacea,

Aqua roſacea quomodo fiat.

ubi primùm ex ipſis roſis vapor reſolvitur, qui cùm pervenerit ad ſuperficiem interiorem operculi ipſius vaſis, in quo hujuſmodi operatio fit, coagulatur in nubem denſam, deinde in guttas ſeu ſtillas, quæ paulatim defluentes ad ipſius operculi labium, ibique conjunctæ ac collectæ, poſtmodùm ad exitum, ſive roſtrum ipſius operculi convenientes, atque defluentes rivulum faciunt. Ibi enim ex calore vapor, ex vapore nubes, ex nube ſtillæ pluviæ, ex ſtillis, ut diximus, defluentibus tandem fit rivulus.

Ex calore vapor, ex vapore nubes, ex nube ſtillæ.

Nunquid neceſſe eſt aliquem planetarum ad hoc operari? Manifeſtum eſt, quòd non, & nunquid propter hujuſmodi operationem neceſſe eſt, ut deificemus ignem ſubter vas ſublimationis calentem, aut operculum vaſis vel ſuperficiem ejus vaporem hujuſmodi in ſtilla pluviæ coagulantem, quaſi pluviæ datorem? Præſertim cùm hæc pluvia aquæ ſcilicet roſaceæ multò ſit pretioſior, quàm pluvia communis aquæ. Quis autem dubitat, quin frigiditas aëris in ſublimi id faciat de nubibus coagulando eas in pluviam, quod ſuperficies hujus vaſis de vapore roſarum? Manifeſtum igitur [G] eſt hujuſmodi erroneos omninò ignaros eſſe rerum naturalium; & propter hoc meritò deſipuerunt in cognitione divinalium, & cùm omninò non cognoverint modos generationis nubium, pluviarum, & cæterorum hujuſmodi, non eſt mirum, ſi errarunt circa modos generationis animalium. Quia ergo poſuerunt deos hujuſmodi formatores, figuratores, intolerabilis dementiæ eſt. Manifeſtum enim eſt animalia ex invicem, & ab invicem generari pro parte, alia verò ex materiis; fabricatio autem & generatio impoſſibile eſt, ut dicantur de eodem.

Nota.

Nemo enim dicit ſtatuas generari, neque vaſa, quæ formantur, vel figurantur quolibet modo, & generaliter ubi faber, ſive fabricator eſt, nec pater, nec mater neceſſariò eſt, nec generatio. Statuæ namque ut diximus [H] contentæ ſunt fabris ſuis & fabricatione, nec genitorem requirunt, aut generationem; quare nec patres, nec matres eſſent, ut in animalibus, nec generatio. Manifeſtum autem eſt deos hujuſmodi, nec fabricatores eſſe, aut formatores corporum animalium. Ampliùs. Quòd cœleſtia corpora dant formas & figuras hominibus, & cæteris animalibus, aut hoc eſt per virtutem corporalem, aut per virtutem ſublimiorem, atque nobiliorem: quòd ſi fuerit per virtutem corporalem, tunc non debet hoc eſſe, niſi per formas, & figuras ipſorum, quemadmodùm ſi calidum imprimit calorem per virtutem ſuam corporalem, ex neceſſitate hoc eſt per calorem proprium, & ſi frigidum frigiditatem, & ita de aliis; quare cœleſtia corpora, hoc eſt ſtellæ, & luminaria, & cœli ipſi ſi imprimunt formas eas, & figuras animalium, ut dicunt, non imprimunt eas, niſi per formas, & figuras ſuas.

Nota.

Corpus autem generaliter, quod per formam, aut figuram ſuam format, aut figurat aliud, non dat ei niſi formam, aut figuram qualem habet, ſicut vas aquæ quam continet & ſigillum ceræ cui imprimitur: quare omnium animalium formæ & figuræ ſphæricæ erunt, cùm formæ cœleſtiū corporū omnes ſphæricæ ſint. Quòd ſi quis dixerit, quia malleus, & incus non habent formas, aut figuras, quas in vaſis fabricatione imprimunt: reſpondemus, quia malleus, & incus non imprimunt hujuſmodi formas, aut figuras niſi per partes, immò particulas hujuſmodi formarum, ac figurarum, quas habent diviſim, ſeu particulatim, non in totalitate, quæ apparet in vaſis, licet inſtantia iſta ſophiſtica ſit ex modo aliquo, per violentiam enim eſt operatio fabricationis, & per aggregationes multas particularium operationum, & non per virtutem ſolam mallei, & incudis, virtus autem agens anima eſt ſabricantis, in qua animæ forma, aut ſimilitudo vaſi imprimitur, & per formam illam agit fabricator; ideò ſimilitudo ejus imprimitur: eodem modo neceſſe eſt eam eſſe & in corporibus cœleſtibus, ſi per formas, & figuras fabricant, hoc eſt formant, aut figurant illa.

Opera fabricationis per violentiam.

Virtus agens anima fabricantis.

[F] Ampliùs. Hujuſmodi operatio in cœleſtibus corporibus, aut naturalis erit, aut violenta eſt, ſed cùm violentia apud eos locum non habeat, ſi fuerit naturalis, omnis operatio naturalis eſt per ſimilitudinem, ſicut dicit Ariſtot. Si per formas, aut figuras ſuas eſt hujuſmodi operatio, ex neceſſitate non impriment, niſi formas, & figuras ſimiles ſuis, hoc eſt ſphæricas: quòd ſi ſit voluntaria, non erit igitur à parte corporeitatis ipſorum, hoc eſt per virtutem corporalem; voluntas enim virtus ſpiritualis eſt, & propter hoc divinitas non erit in eis nobilitas corporum, ſed præſidentium hujuſmodi corporibus animarum, quas quidam eorum vocavit animas angelicas.

Operatio naturalis qualis.

Voluntas virtus ſpiritualis.

Huic autem errori contradicitur per omnes vias, quibus ſuperiùs contradiximus idolatriæ ſpirituum. Ampliùs. Si naturales ſunt operationes cœleſtium corporum, hoc eſt cœlorum, ſtellarum, & luminum, natura autem ſemper operetur ad modum ſervientis, & [G] propter hoc ſimiliter; manifeſtum eſt, quia ex his operationibus non debuerunt quæri, vel reputari dij, quemadmodùm ex ſervitute nemo debet reputari dominus, nec ex nigredine albus, nec ex calore frigidus. Jam igitur declaravimus tibi in hoc, non ſolùm errorem, quo prædictas ſubſtantias opinati ſunt deos, ſed etiam deliramentum ridiculoſum, quo ex ipſa ſervitute ipſos eſſe dominos putaverunt, & inſuper quia in operationibus naturalibus, quæ nonniſi ſervitutes eſſe poſſunt, omninò cæci fuerunt; eſt enim ex neceſſitate ſemper ſublimis, & imperioſa vera divinitas, ex neceſſitate inquam eſſentiæ ſuæ. Ipſi autem extremam omnium ſervitutum, & divinitatum in hujuſmodi cœleſtibus ſimul eſſe arbitrati ſunt; extrema quippè omnium ſervitutum ſervitus [H] eſt naturæ, & hoc eſt, quia longiſſimè eſt à libertate, maximæ differentiæ ad illam; operatio enim naturalis, ignis videlicet calefactio, nihil omninò habet in poteſtate ignis; non enim eſt in igne, ut plus, vel minus, vel aliter calefaciat, vel non calefaciat, vel ut quandóque calefaciat, quandóque non; ſed neceſſe habet, & quantumcunque poteſt, & qualitercunque poteſt, & quicquid poteſt In nullo autem genere ſervorum reperiri poteſt iſta univerſalis neceſſitas, videlicet, ut nihil poſſit detrahere, vel addere quicunque operi ſuæ ſervitutis; quare manifeſtum eſt ſublimitatem divinitatis iſtos dejeciſſe in infimum ſervitutis, & conjunxiſſe in eiſdem ſubſtantiis duarū contrarietatum extrema, videlicet ſublimitatis, & ultimum inferioritatis, & ultimum imperioſitatis, & ultimum ſervitutis; ultimum enim ſublimitatis, & ultimum imperioſitatis, divinitatis ſunt eſſentialiter, & incommunicabiliter propria; quare impoſſibile eſt contraria eorum ad ipſam attingere. Ampliùs. Si naturales ſunt hujuſmodi operationes, cùm etiam unius ſubjecti una ſit natura, erit ex neceſſitate tanta diverſitas, atque multiplicitas operationum, non per ſe ex hujuſmodi ſubſtantiis, ſed per accidens, & à caſu; unius enim per unam naturam ſuam naturaliter operantis

rantis

rantis una eſt ſemper operatio per ſe Quare ſi multiplicantur, aut diverſentur operationes, erit hoc per accidens, & à caſu. Iſtæ igitur operationes, quæ fiunt in mundo iſto inferiori, aut ſunt omnibus diis hujuſmodi communes, videlicet, ut eas ſimul operentur, & concorditer, atque naturaliter, aut ſingulis ſunt propriæ: utrumlibet autem iſtorum ſit, nihil mutabitur de curſu mundi iſtius inferioris per ipſos, nec habent in poteſtate aliquid mutare, poſtquàm naturaliter, & ideò ſerviliter operantur. Si quid igitur meliorationis in rebus humanis ſit univerſaliter, ſive alicui ex hominibus contingat, nec erit hoc ex virtute, vel intentione deorum hujuſmodi, ſed erit ex accidente, & caſu; & ita non erat eis imputandum, ſed caſui aut fortunæ; quare non erit deorum beneficium reputandum. Similiter neque ſi quid deteriorationis, aut adverſitatis cuiquam contigerit, hoc eorum iræ imputandum erit. Nec bona igitur, nec mala rerum humanarum deorum gratiæ, vel iræ imputanda erunt, quare propter hoc, nec venerandi, nec placandi, & ideò nec colendi. Quòd ſi quis dixerit, quia corpora hujuſmodi colenda ſunt, & veneranda à mortalibus, pro eo, quòd etſi non auctores ſint mortalium, neque fabricatores, tamen inſtrumenta ſunt fabricationis, & formationis eorum diis mortalibus, hoc eſt, ac ſi diceret, quòd non ſolus figulus adorandus eſſet à fictiiibus, ſed etiam rota ipſius, & quoque limus; qua de cauſa, & omnes cauſæ mortalium potiſſimè quatuor, quæ principales ſunt, adorandæ erunt ex neceſſitate mortalibus; & ita materialis, & formalis, quæ ſolæ cauſæ eſſentiales ſunt, hoc eſt de eſſentiis compoſitorum: adorabit ergo unuſquiſque mortalium corpus ſuum, quod eſt ejus cauſa materialis, & animam ſuam, quæ eſt cauſa ejus formalis. Ex quo etiam ſequitur, quòd tenetur colere & adorare ſingulas ſui partes, cùm ſingulæ partes cauſæ ſint totius. Manifeſtum igitur eſt ex his, quòd cauſalitas per hoc, quod eſt cauſalitas, non cogit cauſatum ad debitum adorationis, & cultus cauſantis. Relinquitur ergo ut quædam cauſalitas, & non omnis, non enim naturalis cauſalitas, ut diximus, neque violenta, neque voluntaria, niſi ſublimis, & nobilis, ſublimis ſcilicet hoc eſt libera, & inimpedibilis poteſtatis; nobilis, hoc eſt gratuita, & nulla ex parte venalis bonitatis,; hæc enim eſt cui ſe totum ſemper debet cauſatum. Ampliùs. Cùm non debeatur cultus, niſi ratione divinitatis, cauſa enim debendi cultum per ſe à parte ejus cui debetur, ſola eſt divinitas: quare ſi à parte corporum, hoc eſt ratione corporeitatis ſuæ deberetur prænominatis ſubſtantiis cultus hujuſmodi, ex neceſſitate eſſet eis à parte corporeitatis ſua divinitas: quare nihil eſſet eis nobiliùs, quàm ipſa earum corporeitas; & ita neque animatæ eſſent, neque viventes: incomparabiliter igitur minus nobiles eſſent cultoribus ſuis, qui utique & viventes, & intelligentes ſunt naturaliter; & propter hoc incomparabiliter magis reputandi ſunt Dij, & magis adorandi, atque colendi à prænominatis ſubſtantiis, quàm econverſò. Ampliùs. Neque corpora mortua, hoc eſt inanimata à parte corporeitatis ſuæ, poſſunt noſſe, vel diligere, vel odire cultores ſuos: quare à parte illa, nec placari, nec iraſci, nec ullo genere affectionis moveri in ipſos cultores. Non autem impendendus eſt ei cultus, niſi propter impetrandum favorem, vel placandam iram: à parte igitur illa nullus eſt ei cultus impendendus: nec oportet nos laborare ad deſtruendum cultum idolatriæ in corporalibus omninò inanimatis, cùm verba prophetarũ ad hoc per ſe ſufficiãt, & omni intelligẽti intelligibilia adeò ridiculoſus ſit, ut qui illũ exercent non ſolùm pœna indigere, ſed ſenſu etiã carere penitùs videantur. Adorator enim lapidis, & ligni ſeu cujuſque alterius hujuſmodi, ipſa adoratione confitetur, & teſtificatur viliorem ſe eſſe ligno & lapide: & propter hoc adorator luteæ imaginis, luto viliorem ſe eſſe confitetur; conſequenter autem & vitam & animam, & intelligentiam, & rationem habere ſe negat. Ipſa quippe adoratione hujuſmodi confitetur ſe nihil nobilius eſſe vel habere, quàm ſit id quod adorat; & propter hoc confitetur ſe non eſſe hominem.

Acutè.

Corpus cauſa materialis.

Anima cauſa formalis.

Sola cauſa inimpedibilis eſt colenda.

Adorator rei inanimata ſenſu caret.

CAPUT XXVI.

Deſtruit idolatriam elementorum, cauſam afferens, & originem talis vanitatis, oſtenditque non mirum eſſe, ſi elementa priſca gentilitas adoraverit, cùm ligna combuſtibilia, & luteas imagines Deos eſſe crediderint gentiles fatui. Acriter autem & ſubtiliter inſtat contra hujuſcemodi idolatriam, oſtendens reliquias vana illius ſuperſtitionis, aliquas adhuc quibuſdam locis ſupereſſe. Poſtea tranſit ad cultum idolorum deſtruendum.

POſt hæc loquemur de idolatria elementorum, cujus pars prima eſt cultura ignis. Secunda, cultura aëris. Tertia, cultura aquæ. Quarta, cultura terræ. Et ideò latria quidem ignis in Caldæa vigebat tempore Abrahæ Patriarchæ, quem juxta traditiones Hebræorum Babilonij vivum exurere volentes in ignem miſerunt, pro eo quod ignem colere deteſtabatur, unde illæſum eum omnipotens Deus ſervavit, & de igne liberavit, utpotè cultorem ſanctiſſimum ſuum: & hoc eſt quod aiunt quod jam crebrò legitur in ſacra ſcriptura, quòd Abraham liberavit Deus de Hur Caldæorum. Hur enim interpretatur ignis, expreſsè autem dicit Eſdras in nono, & Neemias in oratione ſua ad Deum. Tu ipſe domine Deus, qui elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Caldæorum. Quòd autem ignem coluerit vanitas idolatrarum, expreſsè legitur Sap. 13. ubi dicitur de idolatris, quòd neque operibus intendentes agnoverunt, quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut girum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quid autem ad iſtam inſaniam induxerit, non parùm habet dubitationis & admirationis. Si enim iſtum, quem colebant, intelligebant ignem elementum, qui utique corpus mortuum eſt, id eſt vitâ carens, & omninò inanimabile, & invivificabile, non videmus quid eos inducere potuerit, niſi operationes, quæ ex igne ſunt, & quas ipſi attribuerunt: calorem enim vitalem, qui quaſi vita quædam eſt, ſeu cujuſdam vitæ principium illi attribuerunt dicentes, exinde eſſe calorem hujuſmodi; ex illo etiam dicebant eſſe lumen, & alias innumeras utilitates, quæ ex operationibus caloris proveniunt. Quâ inſaniâ verò igni quem videbant ab aqua quotidie extingui, & ſubtractione lignorum, aut alterius materiæ deficere, divinitatem attribuerant, non eſt facile videre: non enim veriſimile eſt ut æſtimarent, Deum id eſſe, quod tam facilè extingui, tam citò deficere conſpicerent. De igne verò elemento, qui ſupervacat aëri. quòd illum colerent, quem omninò non videbant non eſt veriſimile: qualiter enim innotuiſſet vulgò corpus hujuſmodi, quod vix à philoſophis inventum eſt: verùm qui paulo antè dictas inſanias eorum cogitat, non mirabitur, ſi etiam in iſtam dementiam inciderunt. Qui enim potuerunt credere lignum combuſtibile, & imaginem luteam, tam facilè confringibilem Deum eſſe non mirum eſt, ſi eouſque delirare potuerunt, ut ignem crederent Deum eſſe, cujus virtutem videbant fortiſſimam, &

Idolatria elementorum.

Abraham ignem colere noluit.

Eſdras 9. Hur quid.

Ignis. Sap. 13.

Elementa corpora ſunt inanimata.

Luſtrationes.

operationes ejus neceſſarias, ac ſalutares. In luſtrationibus autem, & aliis ſuperſtitionibus, quæ fiebant per ignem, vel ad ignem, non eſt dubitandum ludificationes multas fieri, ſicut falſas ſanationes parvulorum, quibus & ſuadebatur, & firmabatur credulitatis iſtius dementia, & ſuperſtitionis iſtius obſervantia, cujus apud nos multæ extant reliquiæ, & plures apud idolatras. Quicquid enim vetulæ inſenſatæ conſulunt fatuis mulieribus, vel pro ſe, vel pro liberis ſuis, de tranſiliendo igne, vel tranſiliendis ignibus, vel de accipiendis torribus ex tribus, vel ſeptem ignibus, vel aliô quoque numerô ignium, ſeu focorum, totum eſt de reliquiis idolatriæ iſtius, & de viis Amorrei: ſimiliter & quòd foci fiunt ex oſſibus tempore ſolſtitij, pro quo vulgus hoc facit in nativitate beati Joannis Baptiſtæ. Quòd enim hoc fieri credunt quidam in memoriam combuſtionis oſſium beati Joannis Baptiſtæ, mirum eſt; neque enim veneratio eſt ſancti Joannis combuſtio oſſium canũ, & equorum, nec ipſi, qui hoc faciunt, hoc intendunt: Prætereà à pueris & inſipientibus fit hoc ſolùm. Ampliùs. In multis locis fiunt hujuſmodi foci de ſolis lignis. Prætereà luſtrationes, & tota ſuperſtitioſitas ferè, quæ de hoc remanſit apud nos, fit in hujuſmodi ignibus, & maximè creduntur ignes illi virtutem habere: unde tranſilitiones, & circuitiones eorum fiunt maximè in hac nocte: nonnullis autem viſum eſt ad ſacra ſolis talia pertinere. Ad hanc ſuperſtitionem pertinent foci illi, quos in eadem nocte facere conſueverunt in quibuſdam regionibus homines, exeunt enim ad montana geſtantes faculas accenſas, quam ſuperſtitionem non eſt dubium ad ſacra ignis pertinere, licet culturam ignis non intendant, qui hoc faciunt: eodem modo, & foci, qui fieri conſueverunt in vigiliis Epiphaniæ, quæ eſt quinta die Januarij per quos credunt inſipientes, ſe extinguere, & exterminare peſtium incendium; ex hoc etiam ritu ortum habuiſſe videntur combuſtiones mortuorum, quibus conſueverunt comburi maximè magnates. Quod ergo veriſimile eſt de hoc ſuperſtitioſo ritu, hoc eſt, quod ignis dicebatur? tam ipſum corpus igneum, vel ignitum, quàm ipſe ſpiritus, quem credebant Deum ignis, cujus nomen de induſtria prætermiſſus, quemadmodùm Cupido, & ipſe amor, & Deus amoris dicit, & Thetis quod ipſum mare, & Dea maris vocatur. Quemadmodùm ergo Neptunus, & Thetis in mari colebantur; ſic & iſtum in igne; quemadmodùm illos in mari, tanquàm Deum, & deam maris; ſic iſtum in igne tanquàm Deum ignis, & generaliter unuſquiſque Deorum in eo colebatur, quòd ad dominationẽ ſuam pertinere credebatur, ut Diana in ſylvis, & lares, atque penates in laribus, & penatibus; & habuit ortum ex hac ſuperſtitione ludificatio pyromantiæ, hoc eſt divinatio in igne qua vel ex ſonitu ignis, vel ex figura lignorum ejus fieri ſolebat; & hoc maximè in ignibus, qui propter hujuſmodi culturam fiebant, & hæc divinatio, ſicut & aliæ pro parte cauſam dedit huic idolatriæ, ſicut ſupra tetigimus. Invaluerat autem adeò in terra Chanaan, & in Ægypto, & in vicinis regionibus, ut neceſſe fuerit eam prohiberi tam crebrò, & tam diſtrictè in lege Hebræorum, & ad eam recurrebant maximè pro læſionibus, quæ ab igne proveniebant, vel ſanandis, vel præcavendis, quaſi libera virtute ſua ignis, vel læderet urendo, vel ſanaret à læſione ceſſando. Jam autem declaravimus, quia operatio ignis in urendo, vel calefaciendo non ſolùm ſervilis eſt, ſed etiam extremæ ſervitutis, & inquantùm in hoc nihil omninò poteſtatis habet ignis, & propter hoc longè à nobilitate, & ſublimitate divinitatis in ultimo elongationis quæ deſtructio ſufficit hanc ſuperſtitionem ſubruere. De ipſo verò ſpiritu, quẽ ponebant principem, & Deũ ignis,

Vanitas anilis.

Amorreus.

Vide reliquias ſuperſtitionis antiquæ.

Pyromantia.

Operatio ignis ſervilis.

E quid habeat veritatis, utrùm videlicet ſit, an aliquis ſpiritus ſive princeps ignis, qui præſit ei, & regat eũ: & de aliis elemẽtis ſimiliter ad alium tractatum pertinet, cui & hæc reſervamus. Verùm quòd hujuſmodi ſpiritui cultura idolatriæ impendenda non ſit, jam in præcedentibus declaravimus. Manifeſtum autem eſt, quòd ignis magis adorare deberet paleas & ſtipulam, & ligna arida, & folles, & inſufflationes earum, & cineres, quibus tegitur, nè extinguatur, quàm adorari à quoquam ab his enim, ex his generatur, & propter hæc ſubſiſtit. Ampliùs. Non magis parceret ignis adoratoribus ſuis, quàm extinctoribus; æquè enim utroſque exureret ſi utrique in eum mitterentur. Ut autem Heraclitus philoſophus hujus ſuperſtitionis auctor extitit, qui nec veritus eſt, nec F erubuit ponere principium rerum ignem eſſe, ita provexerunt iſtam idolatriam quicunque crediderunt cœlum ignem, vel igneum eſſe: cœlo enim, & cœleſtibus divinitatem attribuit antiquitatis vanitas, ſicut & æternitatem, quæ non eſt niſi veræ divinitatis; & in his non oportet nos ampliùs immorari. Aëri verò ſimiliter culturam impendit antiquitas, quæ & divinitatem ſimiliter de eo credidit inſania hominum perditorum, qui & principium rerum ipſum eſſe delitaverunt, ſicut ſupra oſtendimus, ex 14. Sap. qui & vitam nos habere ex ipſo, & per ipſum ſomniaverunt propter ſpirationem, & reſpirationem: demùm quia nubes, & pluvias & rores ipſum miniſtrare creditur, ex quibus fruges, & fructus, & vegetabilia vivere, & nutriri, ac creſcere videbantur. Ipſam tonitruum etiam vocem ejus eſſe credebant, & quia adeò terrifica erat, ipſam opinati ſunt eſſe vocem Dei minantem mortalibus, & iram ejus nuntiantem, quam ſe-G quentia fulgura, niſi placaretur, indicabant. Error autem iſtorum manifeſtus eſt, & ignorantia ſimul; omninò enim neſcierunt, ſicut ſupra tetigimus, generationes nubium, pluviarum, & roris, eſſentiam verò tonitrui, & fulguris nec cogitaverunt. Certum enim eſt, quia tonitruum eſt ſonitus colliſionis ventorum, & extinctionis ignis in nube, quemadmodùm ſonitum efficit extinctio ferri cadentis in aqua. Fragor igitur ex colliſione eſt ſonitus ſequens extinctionem. Coruſcatio ſplendor eſt ignis qui generatur ex colliſione. Fulgur igitur ignis eſt, quem violentia colliſionis deorſùm mittit, cui propter acumen ſubtilitatis, & vehementiam caloris corpora inferiora nulla duritia ſua reſiſtunt. Adeò autem proceſſit idolatria quatuor elementorum, quòd etiam nominibus H eorum virtutem mirabilem attribuerunt, & ſcribenda, & invocanda eſſe in quatuor anni partibus in maleficis operibus ſtatuerunt. Quia verò vita non minus nutritur eſca, quàm aëre, nec minus ea indiget, cur non ſimiliter, & omnem eſcam colendam, & adorandam eſſe non ſimiliter poſuerunt? Magis autem colendus, & adorandus eſſet pulmo in nobis, cujus virtute aëre ſic utimur: non enim ſe ſponte aër ingerit, ſed virtute pulmonis attractus. Ampliùs. Per violentiam, & motum ſuum naturalem illum attrahimus; quare magis violentiam, & ut ita dicamus, rapinam quòd ex noſtra aſpiratione, & reſpiratione patiatur, quàm præſtet beneficentiam. Aliena enim vi, & violentia extrahitur ab aëre quicquid nobis in parte illa acquiritur, & non ejus benefica voluntate. Eodem modo eſt diſputare contra idolatriam maris, & terræ, ſive ipſis corporibus impendatur, ſive ſpiritibus, quos eiſdem præeſſe autumabant, ad quam deſtruendam, hæc & præmiſſa ſufficiunt, & abundant. Hinc ergo tranſibimus ad idolatriam idolorum, idolis igitur duobus modis impendebatur cultura, videlicet interdùm propter ſe, interdùm propter ea, quorum idola erant. Qui enim dixerunt in 32. Exodi. ad caput vituli aurei, quòd conflaverat

Heraclitus.

Divinitatẽ & æternitatem cœlo tribuit gentilitas.

Tonitr. quid.

Similitudo.

Coruſcatio quid.

Pulmo aërem trahit.

Idolis quomodo cultura impendebatur.

Exod. 31.

Vitulus conflatilis.

flaverat Aaron: Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti, adoraſſe illum propter ſeipſum videntur, cui liberationem ſuam ab Ægyptiaca ſervitute attribuebant, quæ fuit omnium dementiarum extrema. Si quis autem quærat, quare potiùs vitulos, vel tunc, vel poſtmodùm adoraverit populus Hebræorum, quàm alterius formæ vel figuræ idola: credunt aliqui, quia non intendebat Aaron conflare eis vitulum, ſed de auro liquefacto, & fuſo vitulus exivit caſualiter; hoc eſt, præter intentionem ipſius. Nonnulli autem credunt, quia pro eo exivit forma vituli, quia tauri ſignum erat in ortu & caput ejus aſcendebat: & hi ſunt de opinione eorum, qui omnes figuras animalium cœleſtibus corporibus attribuunt. Aliis autem videtur, quia formam vituli conflari ſibi petierunt ab Aaron; & hoc propter conſuetudinem Ægyptiæ idolatriæ, ubi adorabatur Serapis, qui in forma tauri conſueverat apparere Ægyptiis, & hoc ſonat textus in 32. Exodi, ubi ita legitur.

Serapis.

B

Formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, per quæ verba, fortuna & caſus evidenter excluduntur: aliis enim videtur, quòd in vitulo illo conflatili colere intenderent taurum cœleſtem, id eſt ſignum, de quo fecimus mentionem, tanquàm proprium ſignum ſuum, & à quo tota fortuna, & infortunium eorum penderet; opinati namque ſunt aliqui ex aſtronomiæ profeſſoribus taurum ſignum eſſe regis, & legis Hebræorum, quemadmodùm & Saturnum planetam eorum, de quo ſupra fecimus mentionem. Stellæ quoque Saturni veneratio, & cultura apud barbaros mirabiliter inolevit antiquitùs, & adhuc apud ſpurciſſimas gentes, & barbariſſimas Gog ſcilicet & Magog viget, atque generaliter obſervatur, unde & lingua ſua vocant eum ma choſon, id eſt ſtellam Deorum.

Gog. & Magog.

Veriſimile autem eſt hoc, quòd in idolo illo tauri, vel vituli coleretur taurus cœleſtis, propter ea quæ dicit dominus Deuteron. 4. Ubi cùm generaliter prohibeat adorare quamcunque ſimilitudinem piſcis, volucris, reptilis, quadrupedis, ſubdit cauſam prohibitionis ſuæ, dicens. Ne fortè oculis elevatis ad cœlum videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas: veriſimile autem eſt, & pietati, fidei conſonum, diabolum non permiſſum fuiſſe, ut de alterius animalis ſimilitudine adoranda populum illum tentaret, ſicut nequ per aliud animal primos parentes quàm per ſerpentem, hac de cauſa, videlicet, ut verba ſerpentina deſpecta haberent, & pomum ore ſerpentino ſibi porrectum, vel oblatum reſpuerent, magis venenatum illud, atque mortiferum, quàm ſalutare, vel utile ſuſpicantes.

Nota.

Idolatria ſub forma cati.

Sic & idolatria noſtri temporis ſub forma cati nigri, vel bufonis apparere permittitur lucifer cultoribus, & adoratoribus ſuis, & ab eis exigere deoſculationes, alteram abominabilem, videlicet cati ſub cauda, alteram horrificam, bufonis ſcilicet in ore, ut ipſa abominatio, & horror hujuſmodi formarum eos à tanta veſania avertat: Sic cùm animal illud, videlicet bovem vivum ſibi tam officioſè ſervire conſpicerent, & imagini ejuſdem mortuæ ſervire erubeſcerent; immò dùm ipſi vilitati hujuſmodi animalis ſe tanto imperio dominari conſpicerent, ut ipſam, & vivere, & mori uſibus ſuis, videlicet ſimilitudinem ejus, quæ ea incomparabiliter inferior, ac vilior eſt, ſubjici tam impia ſervitute dedignarentur, ut propter hoc, quia ipſum Serapin cultoribus ſuis Ægyptiacis nihil auxilij, nihil præſidij ferre potuiſſe paulò antè cognoverant, culturam ejus, utpotè vanam, & inutilem, declinarent. Quocunque autem modò adorentur hujuſmodi idola, hoc eſt, ſive propter cœleſtes formas, ſive propter ſpiritus in eis dantes reſponſa, jam deſtructa eſt idolatria eorum. Poſtquàm declaratum eſt, quia nec ipſis ſpiritibus, nec ipſis formis cœleſtibus declaratum eſt etiam cum hoc, quia nec alicui impendenda eſt propter illa; ſi enim impendenda eſſet illis propter illa, multò magis illis impendenda eſſet, quoniàm propter quod unumquodque tale illud magis.

Serapis.

Quòd autem ipſis idolis in ſe, vel propter ſe impendendum ſit, quàm veritati, cujus idola, vel imagines ſunt, impendendum inquam de his, quæ ſunt honoris, & venerationis, qui credit conſequenter neceſſe habet credere, meliorem eſſe incomparabiliter ſimilitudinem ipſa veritate, & ſignum re, & à pictura, vel ſculptura quærendum eſſe auxilium, quod nec ipſa veritas præſtare poteſt. Poſſet autem movere aliquem, quòd ipſa idola terrifica ſunt & aſpectu ſuo terrorem inducentia hominibus maximè de nocte, & ſolis quibuſdam hominibus, quorum imagines ſunt, nullum terrorem incuterent; unde ergo terror hujuſmodi, ſi nulla eſt virtus, niſi apertæ materiæ ſuæ. Et nos reſpondemus in hoc, quia ſi hujuſmodi terror deberet quemque inducere ad adorationem idolorum, induceret multò fortius ad adorationem corporum mortuorum. Non ergo virtus numinis terrifica facit idola, vel homines mortuos, ſicut neque ſerpentes, ſed horret natura humana mortem in cadaveribus mortuorum, & mortis ſimilitudinem in idolis: alibi autem cauſas alias in hoc aſſignabimus.

Idola.

Conſequenter autem his deſtruamus idolatriam imaginum ſecundùm omnem modum, & faciemus ſciri, quantùm erravit Mercurius, qui eas Deos factitios mentitus eſt, & virtutem divinitatis eis attribuit; & declarabimus verbum illud Apoſtoli quod legitur in 14. primæ ad Corinth. quia idolum nihil eſt.

Mercurius.

Idolum nihil eſt.

C

Jam autem deſtruximus in præcedentibus, quia imagines iſtæ juxta duos modos intelligantur, alias enim poſſunt habere ſpiritus inhabitantes, de quibus multa legimus in geſtis ſanctorum, ſicut de Aſtaroth & Berith; alias verò virtutem divinam adeptas ex verbis quibuſdam, & aromatibus, quaſi ex quadam conſecratione: & de primo modo quærimus ab eis qualiter intelligant ſpiritus inhabitare hujuſmodi imagines? Si enim ſpiritus hujuſmodi, vel corporei ſunt, vel corpora, cùm imagines iſtæ omninò ſolidæ ſint, & nihil concavitatis habentes; manifeſtum eſt impoſſibile eſſe habitationem, quam ponunt, & hoc eſt, quoniàm corpus non intrat corpus non habens aliquid vacui, vel concavitatis; quin faciat diviſionem continuitatum ipſius; quare frangi, vel diſſolvi neceſſe eſſet hujuſmodi imagines in ſubintratione ſpirituum.

Aſtaroth.

D

Si verò ſpiritus ſunt incorporales, & omninò impartibiles, tunc magnum ridiculum eſt ponere habitationem eorũ in corporibus; hujuſmodi enim ſpiritum in corpore eſſe localiter error eſt ſine intellectu, nec poſſunt dicere, quòd ſunt ſpiritus hujuſmodi in imaginibus iſtis, quemadmodùm animæ in corporibus: ſunt enim in animabus animalium vires, ſeu virtutes ad corporales operationes, qualiter organa ſive inſtrumenta; unde viſus eſt in oculo, ſicut virtus in inſtrumento ſuæ operationis, & anima in corpore, ſicut virtus in inſtrumento univerſali omnium ſuarum operationum, omnium inquam quas habet inquantùm anima, hoc eſt quas habet exercere per id quod animatum; hujuſmodi autẽ ſpiritus nihil operantur per hujuſmodi imagines ut per organa; unde non movent labia, vel linguas hujuſmodi imaginis, quæ dant reſponſa, & videntur loqui hominibus. quare nec membris imaginũ utuntur ut organis: non igitur habitant ut ibi virtutes in organis, hoc eſt ut operãtes in illis, vel per illas; quare ſupervacuæ ſiunt eis hujuſmodi imagines, quantùm ad operationes, & magis ſupervacuè, quantùm ad inhabitationem, cùm nullo corporali habitaculo indigeant, nec eo etiam uti poſſint ut habitaculo: quare

Nota.

Digitized by Google

manifeſtum eſt imagines hujuſmodi nihil adminiculi præſtare ſpiritibus vel ad danda reſponſa, vel ad alia, quæ ſpiritus cultoribus ſuis facere videntur, & propter hoc idolá nihil eſſe in virtute, vel operatione manifeſtum eſt; ſed hoc ſolùm reverá efficiunt, quòd honori ac venerationi ſunt ſpiritibus, quorum cultui factæ ſunt. Declaratum etiam eſt in hoc, quia nec in ipſis, nec per ipſas loquuntur ſpiritus, vel quicquam operantur; & ideò verbum inhabitare idola apud hujuſmodi homines, verbum eſt ſine intellectu, cùm in parte iſta non intelligãt quod loquuntur. Similem errorem habet verbum reclusionis ſpirituum, quo dicitur Salomon incluſiſſe omnes dæmones in phiala vitrea, & quòd recludi creduntur in ſpeculis, anulis, lapidibus. Quod quidem nulla conſignatione, nulla clauſura, nulla obſtructione, vel obturatione corporum fieri poſſe certum eſt in ſubſtantiis omninò incorporalibus: ſimilem autem imbecillitatem intellectus habuerunt erronei, qui animarum humanarum immortalitatem deſtruere opinati ſunt per hoc, quia ſi includeretur homo vivens in vaſe ferreo nullam habente rimulam, nullam aperturam, nullum omninò foramen, hujus hominis anima non haberet, inquiunt, qua exiret; unde ex neceſſitate retineretur in vaſe illo, nec aſcendere poſſet in cœlum, nec deſcendere ad inferos: de his igitur manifeſtum eſt, quàm imbecilles intellectu fuerunt, & quàm longè à cognitione naturæ ſubſtantiarum incorporalium, & ſpiritualium. Jam enim declaravimus, & ſuo loco latiùs declarandum reſervamus, quòd etiam corporibus noſtris glorificatis reſiſtere non poterunt alia corpora, nec prohibere ullo modo motum eorum, quin tranſeant per illa, & ſine læſione & diviſione ipſorum per quæ tranſire ea continget. Quantò fortiùs igitur animas humanas nec retinere poſſunt corpora, nec ullo modo prohibere, quin eant, & aſcendant in cœlum, vel deſcendant ad inferos, per modum quo aſcenſum, vel deſcenſum contigerit intelligi de hujuſmodi ſubſtantiis. Ampliùs. Cui non eſt manifeſtum, quòd religatio hujuſmodi, & retentio quas iſti deſipientes ſomniant, non ſunt niſi per contactum, nec ipſi eas aliter fieri intelligunt. Contactus autem non corporis ad corpus manifeſtè impoſſibilis eſt; quare manifeſtum eſt eos ponere animam humanam corpoream eſſe, ſeu corpus, aut ſomniare contactum, quem nullus intellectus, niſi delirus, recipit. Ampliùs. Cùm corpori in motu ſuo non poſſit reſiſtere, niſi corpus, quomodò ſupernaturalibus ſubſtantiis in genere motuum ſuorum reſiſtent corpora, quæ incomparabiliter infirmiora ſunt, & debiliora quàm ipſæ. Et quidem ſicut tetigimus, natura ſpiritualium ſubſtantiarum non facile innoteſcere poteſt hominibus tam brevis intellectus, quia etiam ſapientes ad modicum penetraverunt illam, & nondùm profundaverunt in ea, nec tractatum aliquem de eadem ſcripſerunt, qui ad nos pervenerit, excepto ſolo Avicenbros, qui etſi multa ſublimia & longè à vulgari intellectu de eis dixerit & ſcripſerit; multò ampliora tamen dicenda de eis, & ſcribenda reliquit, & ſcientiam de his licet aliquatenùs inchoatam, procul tamen à complemento & perfectione dimiſit. Debes igitur ſcire, quia verba & nomina quæ motus corporales, & de corporibus, aut de corporalibus dicuntur, aliter ſignificant, cùm ad hujuſmodi ſubſtantias transferuntur, & aliis ſignificationibus, & intelligentiis aptanda, & applicanda ſunt. Non enim patitur ſpiritualitas, & incorporalitas earum univocationem, hoc eſt unitatem vocationis in illis, ſicut palàm faciemus in tractatu de ipſis. Nunc autem revertamur ad id, in quo eramus, & dicamus, quia idolum ſive imago in nullo prorsùs juvat ſpiritum ad loquendum, vel dandum reſponſum, ſicut in parte videre potes ex his quæ diximus, & inſuper per hoc, quia non minùs apertè, non minùs clarè loquuntur, vel dant reſponſa, etiam ſine idolis, ſicut in gemmis, in anulis, in ſpeculis, in unguibus puerorum, & etiam ſine his omnibus interdùm. Attende autem quod nondùm patefecimus tibi intellectum noſtrum de hoc, quod dicuntur loqui & dare reſponſa hujuſmodi ſubſtantiæ, ſed verbis vulgarium hominum nos utimur, intellectu noſtro, & intentionibus, præter quas non ſubeſt veritas hujuſmodi ſermonibus, nec ſubeſſe poteſt; & hoc ſciri faciemus. Manifeſtum igitur eſt jam ex his, idolum reverá nihil eſſe in eo, ſcilicet in quo creditur aliquid eſſe, hoc eſt in numine vel virtute, locutione, reſponſione, occultorum revelatione ſeu divinatione. Illo enim ſubtracto per ſe nihil reperit prædictorum, quia nihil adminiculi præſtat, ex aliquo quod in ſe habeat ad prædicta, ſed ſola veneratio, quæ eſt in mente adorantis, & colentis idolum, per quam ſenſus inducitur in ea, quæ diximus patienda; unde prudenter Deus altiſſimus non de altero duorum cherubin, qui ſtabant ſuper propitiatorium, ſed de medio amborum, reſponſa dare voluit filiis Iſraël, ne daret eis occaſionem colendi alterutrum eorum, medium autem ſanctorum nullam habebat imaginem, propter eandem cauſam. Si quis autem quærat, unde iſta inſania in animabus humanis, vel ſubſtantiis ſpiritualibus, ut adorari, & coli appetant, & etiam imagines, ſeu idola ſibi fieri, ſicut expreſsè legitur de Nabuchodonoſor in 3. Dan. qui ſtatuam auream quadraginta cubitorum altitudinis, & ſex cubitorum latitudinis ſibi fieri fecit, & erexit eam in campo Dura, ſtatuens edicto publico ſub pœna ſupplicij, eam adorari ab univerſis tribubus, & linguis & populis qui ſuberant ejus imperio, ita ut qui eam adorare contemneret, eadem hora mitteretur in fornacem ignis ardentis, ſicut legitur Dan. 3. Similiter & Caïus Cæſar præcepit ſibi fieri ſtatuam, & eam erigi in ipſo templo domini in Hieruſalem, ut narrant hiſtoriæ. In quo reſpondemus, quia totum hoc provenit ex perverſitate corruptionis, quam diximus. Sicut enim animæ noſtræ ex illa perverſitate, & cupiunt, & quærunt delectari perversè, quantùm ad vim concupiſcibilem; ſic etiam perversè honorari quantùm ad vim iraſcibilem. Ampliùs. Innatus eſt animabus noſtrjs naturaliter amor divinæ ſimilitudinis, & ejuſdem deſiderium, quod unuſquiſque aſſenſu interiori ſuo accipere poteſt in anima ſua, præſertim cùm amor Dei, & deſiderium beatitudinis naturaliter nobis innata ſint, & indita, ſicut & fuga miſeriæ. Beatitudo autem non eſt niſi ſimilitudo, ſive aſſimilatio creatoris. Quia igitur hunc amorem & deſiderium pervertunt tenebroſitas, atque corruptio in quibus ſumus, quærimus non tam falſam aſſimilationem, ſive ſimilitudinem ejuſdem, quàm etiam impiam, atque ſacrilegam, ſicut falſam beatitudinem in voluptatibus, falſam opulentiam in divitiis temporalibus, ſeu terrenis. Ampliùs. Si propter dationem reſponſorum, ſeu divinationem, quas facere videntur hujuſmodi ſpiritus in idolis, adoranda erunt idola, vel colenda; ergo & gemmæ, quæ neque ſculpturam neque picturam habent, & ſpecula de quibus diximus, & ungues puerorum, & pelles, & ova, & pelves, & manici eburnei cultellorum adorandi eſſent, ſeu erunt, atque colendi; in omnibus enim his certum eſt, ſpiritus dare reſponſa de præteritis, præſentibus, & futuris. Mandal autem & Amandel, figura eſt ærea quadrangula, quæ cùm habeat omnes execrationes ſuas & ſuperſtitiones, conveniũt ad eam ut dicunt, univerſi ſpiritus hujuſmodi obedientes execrabili miniſtro illius operis. Manifeſtum igitur eſt

Nota.

Erroneum credere ſpiritus includi in annulis.

Alius error.

Corporibus glorificatis corpora alia non reſiſtunt.

Contactus eſt corporis ad corpus.

Scriptor ignotus.

Imago nihil juvat ſpiritum.

Idolum nihil eſſe.

Cherubin duo ſuper propitiatorium.

Nabuchodonoſor.

Dan. 3.
Cæſar.

Corruptio naturæ idolatriam induxit.

Beatitudo quid.

Mandal & Amandel quid.

Digitized by Google

eſt, quia hujuſmodi locutiones, & reſponſionum manifeſtationes non ſunt cauſæ quas dicunt inducere culturam idolorum; alioquin ea, quæ prænominavimus neceſſe habent adorare, & colere cultores idolorum; nondùm autem pervenit ad nos, quòd talium cultura inducta eſſet apud idolatras, vel unquàm ab alio obſervata. Nunc autem procedemus ad deſtructionem erroris Mercurij, quo poſuit ſtatuas cum illis execrationibus, quas vocat conſecrationes Deos factitios eſſe & humano artificio, atque potentia Deos effici, attribuens illis virtutes divinas mirificas, ſicut ſupra diximus. Primùm igitur in ipſa ſua radice deſtruamus errorem iſtum, & dicamus, quia omne datum naturaliter magis eſt apud datorem, & majus, & omne cauſatum naturaliter magis, & majus eſt apud creantem, ſicut calor magis naturaliter apud calefacientem; quare ſi deitas, ſive divinitas earum naturalis eſt & per ſe humanæ naturæ, in ſtatuis erit ex neceſſitate, & magis, & major apud humanam naturam naturaliter; quare & humana natura eſt magis Dea, & majori divinitate naturaliter erit, quàm hujuſmodi ſtatuæ; & ideò magis adoranda, magiſque colenda. Ampliùs. Secundùm hoc non ſolùm erit Dea humana natura, ſed etiam deifica, quod eſt longè majus, longéque præſtantius; majus enim eſt eſſe, magiſque quàm magnum. Si verò non naturali, ſed voluntatis tantum operatione, hoc eidem mirabilius, & incredibilius videlicet, ut ſolo nutu ſuæ voluntatis humana natura divinitatem præſtet, ſeu conferat hujuſmodi ſtatuis. Non enim ſolummodò divina eſt, ſed divina longè ſublimior natura hominis, in cujus nutu, ac poteſtate iſta poſita eſt divinitas, ut eam largiri poſſit pro beneplacito ſuæ voluntatis; quare hominibus ædificanda ſunt templa, & impendendæ culturæ, non ſtatuis, & verſa vice ſtatuæ adorare, & colere debent homines, ut factores ſuos deificos, & divinitatis ſuæ largitores. Ampliùs. Ipſi credebant homines deificos, non autem auditum eſt à ſæculis, quòd homines adorarent ea, quæ deificant: quare nec debet audiri, nec cogitari in ſæculis, ut deificam à ſe ſtatuam quis adoret, aut colat. Ampliùs. Cùm longè propinquior ſit naturaliter natura humana divinæ, quam aurea, vel argentea, vel ærea; quare etiam magis capax divinitatis, & acceptabilior capax: ſi igitur ſtatuis præſtare potuerunt homines, multò fortius ſibi invicem: non enim eſt auditum à ſæculis, vel viſum, quòd homo hominem deificaverit, illo modo deificationis. Quòd ſi dixerit, quia virtus iſta cauſa eſt humanæ naturæ herbarum, & aromatum, dixit enim Mercurius, quia uſi ſunt majores noſtri ad hoc herbis, & aromatibus, vim divinitatis in ſe habentibus: Et propter hoc meritò quærimus ab eis quam vim divinitatis credant habere herbas, & aromata: Aut enim intelligunt vim creandæ divinitatis, aut generandæ. Manifeſtum autem eſt, quia creandæ divinitatis non eſt vis alicui, niſi creatori omnipotenti, quæ eſt Deus altiſſimus: creatio enim univerſaliter operatio propria eſt Dei altiſſimi. Quòd ſi dixerit ſe intelligere vim divinitatis, ſcilicet generandæ, & hîc oblitus eſt ſcientiæ naturalis, in qua declaratum eſt ſubſtantiam impartibilem non recipere eſſe quia igitur divinitas, id eſt divina quæcunque ſubſtantia ex neceſſitate impartibilis eſt, neceſſariò eſt ingenerabilis: Non dat igitur iſte intellectus vim generandæ divinitatis: Si igitur non dixerit vim generandæ ſed ſuſcipiendæ, ut ita dicamus divinitatis, quemadmodùm in ſemine humano vim eſſe humanitatis, non quidem creandæ, vel generandæ, ſed ſuſcipiendæ, quoniàm ex ſemine illo poteſt fieri homo; & hic error ſimiliter manifeſtus eſt, quia non ex materia, neque in materia creabiles ſunt divinæ ſubſtantiæ,

Mercurij confutatio. — *Nota.* — *Mercurius.* — *Creatio eſt operatio Dei.*

A cùm abſtractæ ſint à materia, & à conditionibus materiarum, & ab eis naturaliter ſpoliatæ: non enim ſunt hujuſmodi ſubſtantiæ, ſicut animæ humanæ, ut corporibus organicis indigeant. Ampliùs. Hujuſmodi ſubſtantias vocat ipſemet Mercurius animas dæmonum, & dicit quia majores noſtri animas dæmonum ſtatuis indiderunt, quæ locutio non poteſt habere intentionem, niſi erroneam. Si enim intelligat animas dæmonum, quæ fuerunt dæmonum, non poteſt effugere alterutrũ iſtorũ duorũ inconvenientiũ, ut vel moriantur dæmones amiſſis hujuſmodi animabus, vel quin animæ hujuſmodi ſimul præſint & propriis corporibus, & corporibus ſtatuarum. Ipſe autem Mercurius, & alij idolatræ dæmones Deos immortales appellant; alterum verò manifeſtum eſt, unam & eandem animam non poſſe eſſe in duobus corporibus, & regere illa: quid igitur intellexit Mercurius in eo ſermone, quia ſi intellexit animas dæmonum, quemadmodùm & ſuperius diximus, B quia animas cœleſtium corporum quidam philoſophorum vocaverunt animas angelicas propter ſimilitudinem, quam habent ad nobilitatem angelicæ naturæ. Si ergo intelligit animas dæmonum, hoc eſt dæmonibus ſimiles, & hic error ſimiliter facile deſtruitur: ſi enim veri nominis ſunt animæ, nunquàm ſunt exutæ à corporibus, niſi per violentiam, & non eſt recipere corpora in quibus hujuſmodi animæ unquàm fuerint. Ampliùs. Ubi erant hujuſmodi animæ antequàm ſtatuas intrarent? Omnes enim neceſſariò creantur in corporibus ſuis, ſicut declarat Ariſtoteles. Quòd ſi dixerit, quia in conſecratione ſtatuarum creantur, vel generantur; ergo manifeſtum omnia verba, quibus ad hoc utuntur malefici, ſupervacua eſſe, cùm nec ad creationem, nec ad generationem verba neceſſaria ſint. Jam igitur declaravimus in præcedentibus, quia impoſſibilis eſt C conjunctio aliquarum animarum, & ſtatuarum, ſive imaginum, quoniàm conjunctio animæ ad corpus non eſt niſi ſicut virtutis ad organum ſuum, & ſicut materiæ ad formam, & ſicut perfectionis ad potentionale receptibile ipſius: ſenſu verò manifeſtum eſt, nec ſtatuas, nec partes earum, organa eſſe aliquarum operationum animalium, unde nec agunt, nec patiuntur in datione reſponſorum. Ampliùs. Confractis, vel reſolutis ſtatuis illis, aut pereunt animæ illæ aut permanent: quòd ſi pereunt, nulla igitur in eis divinitas; comes enim inſeparabilis eſt divinitas immortalitatis; ſi verò permanent, & hoc extra corpora, ſi veræ animæ ſunt, neceſſe eſt eas redire ad corpora, vel ſtatuarum, vel alia: apparet autem manifeſtè eas non eſſe animas, cùm corpora ſtatuarum nec moveant naturaliter, nec movere poſſint. Prætereà omni animæ innatum eſt diligere corpus ſuum, & proficere ei contra omnia pericula, videlicet contra ignem, contra aquam, contra gladium, & contra omne deſtructivum illorum, ſicut apparet evidenter in omnibus animabus animalium, quæ ab igne D corpora ſua per fugam eripiunt, & ab aliis periculis ſimiliter, interdùm etiam, & protegendo, hoc eſt aliquibus periculis obtendendo, vel opponendo: iſtæ autem animæ ſtatuarum pericula omnia non curant, ſicut evidenter legitur in hiſtoriis omnium gentium; quia ubi templa idolorum exurebantur, concremabantur pariter & ſtatuæ, utporè ab animabus ſuis omninò neglectæ; neque enim effugere potuerunt Dij Eneæ, id eſt ſtatuæ de Trojano excidio, nec Dij Laban caverunt ſibi à captione, & furto, cùm eos ſecum detulit Rachel filia ipſius, ſicut legitur Gen. 31. vel cùm eos infodit Jacob ſubter terebintum, ſicut legitur ejuſdem 35. Et ex his eluceſcit tibi intellectus propheticorum quod dicitur. Aures habent, & non audient, oculos habent, & non vide-

Anima dæmonum in ſtatuis. — *Dæmones juxta ſecundùm Mercurium.* — *Animæ creantur in corporibus ſuis.* — *Conjunctio corporis & animæ quid.* — *Omnis anima ſuũ corpus amat.* — *Dij Eneæ & Labã. Gen. 31.* — *Pſ. 113. & 134.*

bunt, &c. Non enim vere oculi ſunt, & oculi animalium, ſed æquivocè. Si enim hujuſmodi ſtatuis hujuſmodi animæ præſtare non poſſunt ea quæ minora ſunt in operibus ſuis, videlicet viſum, auditum, & alia hujuſmodi; multò fortius nobiliores operationes ſuas eiſdem præſtare non poſſunt; quare nec ſcientiam, nec præſcientiam futurorum: Mercurius autem vocat eas futurorum ſtatuas; quapropter relinquitur ex neceſſitate hujuſmodi animas, quas vocavit dæmonum, nullo modo veri nominis animas eſſe. Ampliùs. Hujuſmodi ſtatuæ vel vivunt, vel non vivunt: quòd ſi non vivunt, ergo multò fortius nec loquentur; loquela enim & vox non poſſunt eſſe niſi viventis. Ampliùs. Si non vivunt, ergo nec vident, nec audiunt: ſenſus enim ſuper vitam intùs fundatur: omnium enim animalium operationum fundamentum eſt, & radix; & propter hoc ſublata vita, nulla earum remanet. Manifeſtum autem eſt, & declaratum in ſcientia de anima, quæ una eſt ex partibus philoſophiæ naturalis, quòd privatio auditus, & privatio loquelæ concomitativæ ſunt inſeparabilis, ita ut qui ſurdus eſt naturaliter, ex neceſſitate fit & mutus: quare cùm ſurdæ ſint hujuſmodi ſtatuæ, erunt ex neceſſitate & mutæ, & ita ſine loquela, & ita nec dabunt reſponſa, nec prædicent futura. Jam autem removimus ab eis evidenter iſta duo ſigna divinitatis, videlicet prędictionem futurorum, & dationem reſponſorum; hæc autem erant propter quæ maximè colebantur. Quòd ſi dixerit, quia vivunt; manifeſtus eſt error, quia non ſolùm indigent intellectu, ſed etiam ſenſu, nullum etiam omninò ſignum vitæ in eis apparet, quia nec motus, qui primum eſt ſignum vitæ, niſi fortè quis dicat, quoniàm motus corruptionis in eis apparet, videlicet à rubigine, & putrefactione; corruptio autem hujuſmodi non eſt ſignum vitæ; ſecundùm hæc enim omnia alia metalla, & ligna arida, quæ putrefactibilia ſunt, viverent. Ampliùs. Ante adventum hujuſmodi animarum iſta ſigna apparebant in eis. Ampliùs. Iſta ſunt in iſtis ſtatuis à parte materiarum ſuarum, putrefactio ſcilicet & rubiginatio, & nullatenùs à parte divinitatis. Si verò dixerit ſtatuas ipſas non loqui, ſed dæmones in eis, non effugiet, quin intelligat in ſermone iſto alterutram duarum intentionum, videlicet aut ſicut anima loquitur in corpore, hoc eſt per corpus, tanquàm per organum loquelæ, aut in eis, ſicut in vaſe, verbi gratia: ſicut in arca vel in alio vaſe. Jam autem removimus priorem harum intentionum, per hoc quòd organum vocis, & loquelæ neceſſariò movetur in formatione vocis, & neceſſariò fit colliſio aëris in organo loquelæ, & ſpiratio ejuſdem; nihil autem horum fit in ore ſtatuæ, quare non loquuntur dæmones in ſtatuis, ſicut anima in corpore; per quod etiam declaratum eſt conſequẽter, quia nec in ſtatuis tanquàm in vaſis loquuntur, ſed nec in ungue, quem puer ſuſcipit, neque in ſpata, nec in ovo, nec in pelvi, neque in manubrio eburneo, cùm impoſſibile ſit in aliquo iſtorum vocem formari: addemus etiam aliam declarationem ad hoc, quia ſi vera vox eſſet, neceſſariò communiter audirent eam omnes aſtantes, quorum eſſent auditus æquè benè diſpoſiti, & in eadem propinquitate ſive diſtantia cum ipſo inſpectore. Manifeſtum autem eſt, quòd ſolus inſpector præmiſſorum inſtrumentorum audit, vel audire ſibi videtur hujuſmodi voces, cùm nullus aſtantium vel audiat, vel audire ſibi videtur; eodem modo, & reſponſa hujuſmodi ſoli ſacrificantes audiunt, vel audire ſibi videntur plerunque: interdùm autem & in aſtantes idolorum ſacrificiis ſimiles illuſiones dæmones operantur, ita ut ſibi etiam ipſi reſponſorum voces audire videantur; quare manifeſtum eſt auditum hujuſ-

Surdus naturaliter mutus eſt.

Motus primum ſignum vitæ.

Acutè.

E. modi auditum eſſe, ſicut ſomniantium, quibus vocum imagines voces eſſe videntur. Utrùm autem veram vocem formare poſſint, & loqui ipſi dæmones per ſeipſos, hoc eſt aliis inſtrumentis; de hoc loquemur, ſi Deus voluerit, loco ſuo. Concedimus autem planè, quia poſſibile eſt dæmones in corporibus humanis viventibus voces formare, & loqui ex modo aliquo, quem hìc non determinamus. Verùm inter vocem ipſius hominis, hoc eſt quam homo ipſe per ſe format, & vocem ipſius, aperta differentia eſt, ſicut accepimus ab illis, qui multos audierunt, & ejecerunt; vox enim ipſius dæmonis ſubrauca eſt ſemper comparatione ipſius hominis, & forſitan cauſa in hoc eſt, quia inſtrumenta vocalia non ita obediunt abutenti eis dæmoni, ut ipſi animæ, cujus naturaliter ſunt propria. Declaratum etiam eſt cùm

F hoc impoſſibile eſſe (quod tam famoſum eſt apud aſtronomos & in tot libris eorum ſcriptum.) videlicet quod in ortu Saturni, ſi quis imaginem de ære fuderit, loqui eam ut hominem probabit. Jam enim patefecimus imaginem æream, & quamcumque aliã loqui non eſſe poſſibile ullo modorum, ortum autem Saturni intellige ingreſſum ejus in primum arietis, vel verius eſſe videtur aliquibus, ingreſſum ejus eſſe in primum gradum capricorni. Ampliùs. Si loquitur in eis ſicut in vaſe potiùs, vel pyxide, tunc nullus honor debetur propter hoc hujuſmodi ſtatuis niſi quemadmodùm deberetur arcæ, vel pyxidi, nec ampliùs nomine divinitatis dignæ ſunt, quàm arca, vel pyxis, ſeu aliud quodcunque vas: non eſt autem auditum à ſæculis, quòd quis arcam vocaret Deum ſuum, vel ollam, vel pyxidem, vel quod alicui horum ſacra, vel ſacrificia conſtitueret, vel templum æ-

G dificaret. Ampliùs, ſecundùm hoc, videlicet ſi ſtatuæ non aliud quàm vaſa ſunt, in parte iſta dæmonibus loquentibus in eis, non potiùs neceſſariæ ſunt ejuſdem ſtatuæ figurationes humanæ, quàm ollæ, vel pyxidis; & hoc ipſum tam multa diverſitas imaginum indicat evidenter: penè enim nulla eſt figura in genere animalium, in qua idolatriam non exercuerint hujuſmodi inſipientes, ſicut evidenter oſtendit Apoſtolus in primo ad Rom. Et de Judæis celeberrimum eſt quòd vitulos aureos, & æreos multis annis adoraverunt: in tertio vero Iſidori de talpis, & veſpertilionibus apertè ſcriptum eſt. Quòd ſi dixerit, quia diverſitas figurarum erat juxta electionem, & beneplacitum dæmonum eligentium ſibi formas, & imagines, prout unuſquiſque volebat, ut in eis colerentur; tunc jam cecidit in errorem, quem in præcedentibus deſtruximus, videlicet in idolatriam dæ-

H monum: ſimiliter, & ſermo eius qui dixit, quòd dæmones in ſtatuis dabãt reſponſa, & præloquebãtur divina, quẽadmodùm in vaſis eundẽ errorẽ inevitabiliter reducit, & reducere neceſſe habet: in cujus deſtructione non oportet nos laborare amplius, cùm ea quæ diximus, omni intelligenti meritò ſufficere poſſint.

Dæmones in corporibus loqui poſſe.

Nota.

Idolatria per varias figuras animalium fiebat.

CAPUT XXVII.

Confutat alium errorem veteris idolatriæ, ſcilicet de ſtatuis, quæ ſtultis viſæ ſunt eſſe Dii factitii; oſtenditque ſubtiliter, quòd cùm hujuſmodi ſtatuæ non ſint vitæ capaces, ac ſuſceptibiles, ſcientiæ quoque, & intellectus ſuſceptibiles eſſe non poſſunt: docet igitur Mercurium Triſmegiſtum turpiter erraſſe, qui crediderit animas, ſeu ſubſtantias aliquas animabus ſimiles, ſtatuis advenire poſſe: deinde tranſit ad deſtructionem characterum, ſeu figurarum, ac impreſſionum, dicens tales figuras nihil aliud eſſe, quàm ſigna quædam quibus dæmones ſuos cultores agnoſcunt.

PRocedamus igitur ad deſtruendum ſecundum errorem, quo ipſæ ſtatuæ viſæ ſunt inſipientibus eſſe

eſſe Dij factitij, execrabilibus conſecrationibus accipientes virtutem divinam, & ſplendorem deificum; verbi gratia: quemadmodùm ſaphirus juxta opinionem quorundam *Saphiri virtus quid.* virtutem habet naturaliter curandi infirmitatem, extinguendique ardorem, & reprimendi timores, quæ virtus cæleſtis, & divina non cultus eſſe videtur. Non enim à parte compoſitionis tantùm, nec ullo modorum à parte materiæ ſuæ vel formæ, ſed ſecundùm totam naturam ſuam deſuper infuſo ſplendore, & deſuper impoſita irradiatione; *Carbunculus adamas.* etiam ad hunc modum carbunculus & adamas, cæterique lapides pretioſi, virtutes quas eis attribuerunt homines, accepiſſe videntur: ſic ſtatuæ, & imagines, aliquatenùs virtutes ſimiles virtutibus lapidum execrabilibus illis conſecrationibus accipiunt. Si enim formæ cereæ, quæ utique ſimilitudinem habent agnorum, hanc virtutem accipiunt per benedictionem Romani Pontificis, ut fulgura arceant, & compeſcant, ne lædant eos qui illas detulerint; *Campanarum ſonitus arcet fulgura.* ſi campanæ quæ utique nec formam habent, nec animalem naturam, ſimilem virtutem in conſecratione ſua, ſeu benedictione recipiunt, ut tempeſtates, & fulgura nihil lædere poſſint in regionibus, quibus ſonitus earum eo tempore auditus fuerit: ſi ſal, & aqua per exorciſmos, ac benedictiones virtutem effugandi dæmones, & benedicendi recipiunt: *Cerei benedicti quid poſſunt.* ſi cerei qui benedicuntur in purificatione beatæ Virginis virtutem arcendi fulgura ex benedictione illa ſuſcipiunt, quæ omnes virtutes divinæ eſſe dubitari non poſſunt; veriſimile videri potuerit erroneis hoc, ut maledictis benedictionibus ſuis, & execrationibus, virtutes darentur imaginibus. Manifeſtum autem eſt tibi, quia hæc, quæ narravimus tibi, non fiunt, niſi virtute omnipotentis creatoris: unde non petit Chriſtiana devotio ab aqua benedicta, ut fuget dæmones, neque à campana, neque ab agno, vel cereo benedicto, ut arceat fulgura, & tempeſtates, ſed ab omnipotente creatore. Sicut ergo regale ſigillum, ſeu aliud quodcunque ſignum ducatus tuetur deferentes, & ſecuros efficit, ne eis noceatur ab his, qui regi ſubſunt, & hoc non ſua virtute, ſed poteſtate regia, & voluntate; ſimiliter hujuſmodi res vel ſigna non ex virtute aliqua, quæ ex eis ſit, ſed omnipotentis virtute, & beneplacito creatoris, illæſos à prænominatis nocumentis protegent ſe portantes. *Quæſtio* Quæſtionem autem illam utrùm aliquid aquæ ſanctificatæ accreſcat ex ipſa ſanctificatione, aliquid inquam quod in illa ſit de novo, & utrùm illud ſit ſubſtantia, vel accidens convenientius alibi, & quæritur, & declaratur, & de præmiſſis ſimiles ſunt quæſtiones. Revertamur igitur *Nota.* in quo eramus, & dicamus, quia fundamentum intellectus, & ſcientiæ vita eſt, & communicans utrumque inſeparabiliter; quare ſi vitæ omninò inſuſceptibiles ſunt ſtatuæ, erunt ex neceſſitate inſuſceptibiles tàm intellectus, quàm ſcientiæ. quare manifeſtum eſt Mercurij ſermonem, quo dixit ſtatuas futurorum eſſe præſcias, ſermonem falſum & impoſſibilem eſſe; ſimiliter & ſermonem, quo dicuntur ſtatuæ Dij poſſe eſſe, vel fieri. Manifeſtum eſt erroneum eſſe, cùm divinitas, ſive deitas eſſe non poſſit in ſubſtantia non intelligente. Ampliùs. Iſte ſplendor quem vocant deificum, & cujus irradiatione dicunt ſtatuas Deos, & fieri & eſſe, aut ſubſtantia eſt, aut accidens; quòd ſi fuerit ſubſtantia, aut intelligens per ſe, aut non: ſi dixerit, quia eſt ſubſtantia intelligens per ſemetipſam, erit igitur vel abſtracta ſubſtantia videlicet dæmon, ut ipſi aiunt, vel ſicut anima humana: quòd ſi ut dæmon, jam removimus hoc, quoniàm nullo modo conjungibilis eſt hujuſmodi ſubſtantia corporibus ſtatuarum; & ſi fuerit ut anima humana, ſibi impoſſibilis eſt conjunctio ejus ad ſtatuam; à parte enim virtutis intelligentiæ non eſt conjungibi-

A lis anima humana corpori cujuſcunque, quoniàm operatio intellectivæ virtutis, nec in corpore eſt, nec per corpus, ſicut alibi didiciſti. Noſti etiam quia à parte virium non eſt con;ungibilis, niſi partibus corporis, quæ natæ ſunt organa eſſe operationum animalium: quemadmodum virtus viſibilis non eſt conjungibilis, niſi parti corporis, quæ nata eſt eſſe inſtrumentum videndi, & hæc veriſſima ratione oculus eſt; *Nota.* & ſimiliter à parte virtutis iraſcibilis & ad hunc modum ſe habet in aliis viribus, & operationibus earum, & organis: quare manifeſtum, quia impoſſibilis eſt conjunctio animæ humanæ, & cujuſlibet corporis ſtatuarum, cùm membra ſtatuarum organa eſſe non poſſint operationum, ſeu virtutum ipſius. Quòd ſi fuerit ſubſtantia non intellectus ſplendor iſte deificus, tunc magis apparet ſermo prædictus magis eſſe B impoſſibilis, & erroneus, cùm manifeſtum impoſſibile ſit, ſubſtantiam non intelligentem dare alij cujuſcunque, ſive pars illius ſit, ſive non, ſcientiam, vel intellectum. Ampliùs. Intellectus, & ſcientia aut eſſent in hujuſmodi ſtatuis ſecundùm partem, aut ſecundùm totum; quòd ſi ſecundùm totum, tunc eſſet partibilis intellectus, & ſecundùm hoc ex neceſſitate ſequitur partibilitatem ipſius ſtatuæ, & ita in qualibet parte ipſius: tu autem vides, quia hoc eſt abſurditas adeò impoſſibilis, & incredibilis, ut ad eam deſtruendam nullo modo laborandum ſit, cùm per ſeipſam credat anima cujuſcunque. Quòd ſi dixerit, quia non eſt in ſtatua ſecundùm totum; ergo vel eſt in ea ſecundùm aliquam partem hujus ſtatuæ, videlicet in pede, vel in digito, vel capite; & hoc jam removimus, vel ſecundùm aliam partem ipſius ſtatuæ, vel ſecundùm aliud, quod eſt hujus ſtatuæ. Non eſt autem in ſtatua ſecundùm naturam, aut for- *Mitalla non recipiunt intellectum.* C mam ipſius, quia tunc magis eſſet in materia, vel forma ipſius: manifeſtum autem eſt tibi, quia nec metallum, nec æs, nec lignum, nec lutum receptibile eſt intellectus, aut ſcientiæ ullo modorum, quia nec ſecundùm partem, ut diximus, nec ſecundùm totum, ſed nec etiam vitæ, quæ longè minus eſt, & ex neceſſitate præcedens utrumque. Quòd ſi fuerit in ſtatua ſecundùm formam ſuam, hoc eſt longè magis inconveniens, cùm forma ſtatuæ, qua ſcilicet ſtatua eſt, ſit tantùm accidens alicujus ex materiis, quas nominavimus, hoc eſt metalli, vel æris, vel ligni, vel luti. Nulli autem poteſt eſſe dubium, vel ignotum, quin impoſſibile ſit intellectum, vel ſcientiam eſſe in accidenti; quare relinquitur ex neceſſitate, ut intellectus, & ſcientia, ſi ſint in hujuſmodi ſtatuis, eſſent in eis ſecundùm aliud, quàm ſecundùm totum, vel partem corporeitatis ſuæ, & quàm ſit earum materia, vel D forma: quare quoniàm aliud in parte iſta ſomniare non poſſunt, quàm iſtum, quem fingunt deificum ſplendorem; erunt neceſſariò in ſtatuis, vel intellectus, vel ſcientia ſecundùm iſtum ſplendorem, quemadmodùm in hominibus ſecundùm animas; & propter hoc hujuſmodi deificus ſplendor erit ſubſtantia. Jam autem removimus hoc, quia nec poteſt eſſe ſubſtantia intelligens, quæ intellectum, & ſcientiam præſtet ei in quo eſt, nec poteſt eſſe ſubſtantia intellectus, quæ conjungitur hujuſmodi corporibus: quare neceſſe habent concedere, & confiteri virtutem iſtam, & ſplendorem deificum, accidens tantùm eſſe; & propter hoc removerunt ab eo intellectum, & ſcientiam, & divinitatem. Ampliùs. Iſte ſplendor deificus magis debet cadere ſuper ſubſtantias magis receptibiles; quare ſuper aſinos, & porcos, & canes magis deſcendere debet, quàm ſuper ſtatuas: in his enim animalibus ſunt vita; & apprehenſio, quæ ſunt fundamentum, & apparatio ad nobiliores, & ſubliniores operationes. In ſtatuis autem contraria impedimenta eſſe manifeſtum eſt, quare prænominata

Digitized by Google

alia adjumenta habent ad ſublimes, & divinas operationes; ſtatuæ verò impedimenta, quorum non eſt poſſibilis remotio. Ampliùs. Ad prophetias, & divinationes certum eſt animas humanas, & homines habiliores, & præparatiores eſſe, quàm ſtatuas ad earum virtutes, & propter hoc ad deitatem ſeu divinitatem. Virtus enim ex qua ſunt prophetia & divinatio, divinitas eſt: manifeſtum igitur eſt, quia faciliùs, & digniùs eſt homines deos effici, quàm ſtatuam, immò porcos, & aſinos, & canes: manifeſta igitur eſt inſania Mercurij ex utraque parte, cùm impoſſibile ſit, & animas, ſeu animabus ſimiles ſubſtantias ſtatuis advenire, & eis conjungi, & impoſſibile ſit evidenter illum fictum, & ſomniatum deificum ſplendorem adeſſe in ſtatuis, cùm nec ſubſtantia illud ſit poſſibile eſſe, nec accidens; & prioris quidem ſermonis impoſſibilitas per viam diviſionis facilè declaratur. Conjunctionis enim animæ ad corpus tres ſunt modi, & eorum primus eſt vita, ſecundus, ſenſus, & non diſtinguimus à ſenſu ea quæ in ſenſu relinquuntur, videlicet imaginationem, & memoriam; iſta enim videntur eſſe ſenſus repoſiti, & theſaurizati; tertius modus eſt affectus, cujus rami, & partes ſunt paſſiones motivæ, ut triſtitia, & delectatio, timor, & ira, & hujuſmodi alia, prout eius communicant homines cum aliis animalibus; & non eſt dubitatum apud intelligentes, quin vita ſit prima operatio animæ in corpore, & ſenſus ſecunda, & affectus tertia, & quin vita ſit fundamentum aliarum, & velut hypoſtaſis aliarum, & quin ea remota removeantur cæteræ, & quin poſita qualibet aliarum neceſſariò ponitur vita. Quòd enim non vivit, nec ſentit, nec iraſcitur, nec aliqua aliarum hujuſmodi paſſionum afficitur; ſimiliter quòd iraſcitur, ſeu aliqua aliarum hujuſmodi paſſionum afficitur, neceſſariò & ſentit, & vivit: manifeſtum igitur eſt impoſſibile eſſe conjunctionem animarum, & ſtatuarum. Si enim unumquodque particularium eſt impoſſibile, neceſſe eſt ſermonem indefinitum, & univerſalem de hujuſmodi impoſſibilem eſſe: quarta verò operatio animarum, quæ eſt intelligere, nec eſt, ſicut diximus corporis, nec per corpus, niſi fortè quis dicat virtutem intellectivam de theſauris memoriæ, & imaginationis formas materiales, ſive ſenſibiles recipere, ac ſpoliare eas à conditionibus particularitatis. Mercurius autem & qui ſimiliter ei ſenſerunt, non ponunt in animabus, quas animas Dæmonum dicunt, vires ſenſibiles, neque virtutem imaginandi, quin eas tunc non animas Dæmonum, ſed animas hominum nominarent; quare neceſſe habent eas ponere abſtractas, & omninò inconjungibiles corporibus quibuſcunque: cur enim conjungibiles eſſent corporibus figuratis in ſimilitudinem hominum, aut aliorum animalium, cùm in nullo ſit eis neceſſaria corporalis quæcunque figura? non enim habent operationes animæ illæ, quibus neceſſariæ ſint partes corporum propter hoc, ut ſint organa earum, cùm hujuſmodi organis impoſſibile ſit earum. Ampliùs. In conſecrationibus imaginum juxta ſermonem Mercurij, aut fit invocatio alicujus alterius virtutis, aut ſolarum animarum illatum. Quòd ſi dixerit quis quòd fit invocatio alicujus alterius virtutis, quærimus ab eis, quid petatur ab hujuſmodi virtute, in quo non aliud reſpondere poſſunt, niſi quod ab hujuſmodi virtute petitur, ut animas immittat ſtatuis, cùm non propter aliud invocetur. Illa igitur virtus eſt, quæ ſtatuas deificat, ſeu deos efficit; non igitur humanæ virtutis, ſeu inventionis eſt deos hujuſmodi efficere. Si verò ſolæ illæ animæ invocentur, & per hujuſmodi invocationes veniunt, aut veniunt coactæ, aut ſpontaneæ. Quòd ſi coactè nulla igitur eſt divinitas, cùm manifeſtum ſit eam ſecundùm hoc ſubjectam eſſe mortalibus, & ideò infirmiorem. Quòd ſi ſpontè veniunt, cùm non veniant niſi ut conſulant mortalibus, non igitur eſt neceſſaria invocatio, ſeu aromatum adhibitio, niſi ad eas placandas, ſive alliciendas; & ita incidit Mercurius in omnia inconvenientia, quæ prius ex idolatria Dæmonum, ſeu quorumcunque ſpirituum ſequi oſtendimus. Ampliùs. Aut habent in poteſtate ne adveniant ſtatuis hujuſmodi animæ ſuis his execrabilibus conſecrationibus, aut non habent: quòd ſi non habent, aut igitur ſunt ligatæ propria impoſſibilitate ſeu neceſſitate, aut alicujus ſuperioris poteſtate, & voluntate: quòd ſi propria neceſſitate apparet earum infirmitas, quæ & aromatibus indigent adjuvari, & à vinculis hujuſmodi, atque ligatione abſolvi; quòd ſi ſuperioris virtutis poteſtate, & voluntate, non igitur ſunt animæ hujuſmodi Dij, ſed omnipotentis Dei & altiſſimi velut ſervi, herbæque, & aromata, quæ conſecrationibus imaginum adhibentur in hujuſmodi conſecrationibus Deo altiſſimo in ſacrificium offeruntur ad impetrandum, ſcilicet, ab ipſo, ut eas dimittat, & abſolvat à vinculis, quibus obligatas eas detinet, & in ſtatuas ipſas illas mittat, vel ſaltem intrare permittat, vel detineantur Dei alterius, ſeu deorum poteſtate, & voluntate. Tu autem vides, quòd utrumque iſtorum removet ab ipſis nobilitatem divinitatis: fœlicitas enim veræ divinitatis, inſeparabilis eſt comes; quare miſeria, nec actio, nec potentia attingit ad ipſam, ligatio autem, ſeu vinculatio miſeria non modica eſt. Quòd ſi dixerit, quia ſola propria voluntate adveniunt hujuſmodi animæ ſtatuis, veruntamen attractæ ſacrificiis herbarum, & aromatum, & illectæ verbis, & cantilenis: nos jam in præcedentibus multa de his diximus ad deſtructionem erroris ipſius, nec oportet nos quicquam addere præcedentibus. Poſt hæc conſequens eſt, ut deſtruamus idolatriam characterum, & figurarum, ſtigmatum, & impreſſionum: dicemus igitur, quia ea fuit ſtultitia quorundam hominum, eaque imbecillitas, ut eas, ſive ſculptas, ſive ſcriptas, aut pictas, ſive impreſſas, crederent virtutem habere divinam ad operanda mirifica, quæ manifeſtum eſt impoſſibilia eſſe, præterquàm ſoli omnipotentis creatoris virtuti: hujuſmodi autem erroris deſtructio facilis eſt, & manifeſta, cùm evidenter impoſſibile ſit, figuram virtutem habere quamcunque, quæ non ſit ei à parte materiæ ſuæ figurationis, vel generationis ſuæ materiæ, videlicet metalli, vel ligni, vel ceræ, vel lateris, & tùc dignius eſt, & magis debitum ſecundùm materiã, ut hujuſmodi virtus ſit ipſius materiæ, quàm figuræ; omne enim datum ſecundùm naturam & magis, & verius eſt apud datorem. Jam autem perhibuimus hic, & oſtendimus virtutem divinam non poſſe eſſe ullo modorum virtutem corporis, & intolerabili dementia divinitas attribuitur ſubſtantiæ corruptibili, atque partibili, ut quemadmodùm ſupradiximus, nec ſecundùm totum, nec ſecundùm partem hujuſmodi virtus eſſe poſſit in corpore. Si verò dixerit hujuſmodi virtutem ineſſe figuræ ex parte lineationis, ſeu procurationis ſuæ, videlicet ex parte angulationis, aut circulationis, non apparet inſania major hujuſmodi errore: exempli autem cauſa ponemus pentagonum, quem dicunt Salomonis; neceſſe igitur eſt, ut iſte pentagonus habeat hanc virtutem mirificam ex iſta lineatione, qua intùs habet quinque angulos obtuſos, & extra quinque acutos, quinque triangulorum exagonorum, quibus circundatur interior pentagonus. Ut autem vel angulis, vel angulo attribuatur divinitas, nullus patitur intellectus: primùm, quia angulus quantitas eſt imperfecta; ſola enim ſoliditas in quantitatibus continuis perfecta quantitas eſt, ſicut declarat Ariſtoteles in libro

Nota. Mercurij error.

Conjunctionis animæ ad corpora tres ſunt modi.

Egregiè confutat.

In Mercurium Triſmegiſtum.

Fœlicitas divinitatis inſeparabilis comes.

Deſtructio characterum.

Pentagonus.

Ariſtoteles.

libro cœli, & mundi, & hoc eſt, quia nihil deeſt ei A de univerſitate dimenſionis, quæ omnes in univerſo non ſunt, niſi tres videlicet longitudo, latitudo, & profunditas. Si igitur angulo, vel angulis attribuitur divinitas per ſe, hoc eſt, quòd anguli ſunt; eo ſic divinitas erit major in pluribus angulis, quàm in paucioribus, & propter hoc figura quantò plurium angulorum erit, tantò erit divinior, & divinitate ſublimior. Ampliùs. Si angulus à figura divinitatem habet, cur non circulus? nonne hujuſmodi figuram eſt inſcribere circulo? quamlibet enim angulorum formam contingit inſcribere circulo, & deſignare intra ipſum per quartum geometriæ. Quia igitur omnem figuram inſcriptam circulo neceſſe eſt eſſe partem circuli, partem cujuſlibet circuli poſſibilem eſt habere virtutem divinam:

Nota.

omnis autem circulus eſt totum homogeneum, hoc B eſt unius naturæ per totum; quare ſi poſſibile eſt aliquibus partibus divinitatis aliquid eſſe, & toti. Ampliùs. Si virtus divina invenitur in angulo per ſe, id eſt per hoc quia angulus, invenietur in omni angulo, quare omne angulatum erit divinum, & ideò omne corpus animalis, & omnis domus quadrata, vel quolibet alio modo vel aliter angulata. Quòd ſi dixerit, non in angulo per ſe, ſed in quodam angulo videlicet recto, qui videtur eſſe inter angulos nobilior; ſequitur ex hoc manifeſtè, ut in omni angulo inveniatur divinitas naturaliter; quicquid enim invenitur in parte totius homogenei, neceſſe eſt inveniri & in toto; quia igitur rectus angulus pars eſt obtuſi, & acutus pars recti, neceſſe eſt divinam hanc virtutem inveniri tam in obtuſo, quàm in acuto, & etiam in angulo contingentiæ, & in angulo portionis cum in eos perfectè velut C in partes dividatur rectus. Ampliùs. Cùm omnis angulus continua quantitas ſit, & accidens corporis; erit ex neceſſitate deitas in accidente, qua abſurditate nulla major. Ampliùs. Si in quantitate continua invenitur hoc, cur non & in diſcreta, & potiſſimùm in numero, qui eſt quantitate continua naturâ prior, & dignior, & exemplar ipſius Ampliùs. Quare in quantitate, & non ſimiliter in qualitate videlicet in calore, vel colore? manifeſtum igitur eſt ex his, quæ diximus figuris impoſſibilem eſſe divinitatem, aut virtutem dici: nam ſive figuræ intelligantur quantitates, ſive intelligantur qualitates, figuræ inquam per hoc, quòd figuræ ſunt; manifeſtum eſt, quia nullo genere conſecrationis, vel execrationis poteſt eis advenire virtus hujuſmodi. Accidentia enim impoſſibile eſt hujuſmodi virtutem quomodolibet ſuſcipere; quare declaratum eſt, quia quicquid mirificum videntur operari figuræ, D non propter hoc, quòd figuræ ſunt, fit illud, neque per virtutem acquiſitam figuris, ſed per virtutem ſublimiorem; neque naturaliter poſſibile eſt per figuras opera hujuſmodi fieri, quia figuræ nihil habent, vel habere poſſunt, niſi quòd vel figuræ ſunt, vel ſigna poſitiva rerum aliquarum, & inter aliquos, & hoc ex pacto, ſeu voluntate illorum. Declaratum eſt in præcedentibus per figuras hujuſmodi nihil fieri poſſe, niſi quemadmodùm per ſigna poſita, ſeu inſtituta inter aliquos ex conſenſu mutuo, ſive pacto; nulli enim intelligenti dubium eſſe poteſt figuras hujuſmodi, ſeu characteres naturaliter nihil ſignificare, niſi eo, quo ſcriptura ſignificat ſcriptorem, & omne opus generaliter operatorē. Hujuſmodi autē ſignificatio nihil virtutis mirificæ præſtare poteſt, vel figuris, vel aliis quibuſcunque rebus, nec per hujuſmodi ſignificatio eſt aliqua ex rebus, vel aliquid mirificum operatur.* Exempla autem operationum, quæ per ſigna videntur fieri, manifeſta ſunt in regibus, & ſubditis eorum, inter quos

Acutè diſputat.

Characteres nihil ſignificare.

diſcurrunt literæ regiæ cum impreſſione annuli, vel imaginis ſuæ, quibus credunt & obediunt ſubditi, velut ex pacto obedientiæ, qua regibus ſuis tenentur, & ipſi reges, velut ex pacto quo tenentur veritati, & juſtitiæ debent abſque falſitate per hujuſmodi ſigna ſuam exprimere voluntatem. Similia ſigna currunt inter amicos, ſimiliter inter perſonas publicas, & univerſas, & hujuſmodi ſignis ſe conſueverunt obligare homines invicem: præter hoc autem fiunt ſubſcriptiones, primùm in teſtimonium aſſenſus, ſicut in privilegiis Pontificum Romanorum: ſecundò in teſtimonium ſubjectionis, quales faciunt Epiſcopi conſecrati coram Pontifice Romano: tertiò in teſtimonium profeſſionis, quales faciunt regulares coram Prælatis ſuis, fiunt ſigna pactorum, & quorumlibet contractuum, quæ vulgariter dicitur chirographia, & generaliter ad omnia, quæ volunt indicare homines, ſignis utuntur, prout inter ipſos convenit, ſicut ſigna certa ſcripturæ, quam Judæi in proſelitis ſuis faciunt, ut ubique Judæi recipiantur à Judæis, ſimiliter & Epiſcopi clericis ſuis ſervientibus dant literas teſtimoniales, vel alia inſignia, quibus agnoſcantur eſſe clerici eorum, vel ſervientes, ſic Abbates monachis. Quid ergo mirum, ſi convenit inter Dæmones, & cultores ſuos de diverſis figuris, ut eas deferrent, vel ſcriptas, vel impreſſas, vel inſculptas per inciſionem, ut cultores eorum, hoc eſt per cultum ſubditi ſe profiterentur, & agnoſcerentur, eo ipſo, quo hujuſmodi figuras deferrent, & propter hoc ab ipſis ea ſibi fieri obtinerent, quæ cultus eorum requireret, ſi eùm ipſi Dæmones hoc poſſent, etiam facere permitterentur. Nonnulla enim pars culturæ Dæmonum eſt ſigna hujuſmodi, vel inſignia eorum deferre Quare declaratum eſt tibi figuras, & characteres hujuſmodi non ex virtute ſua aliqua naturali operari mirifica illa, ſed ex Dæmonum pacto, quo cultoribus ſuis per hujuſmodi ſigna ſe adeſſe polliciti ſunt, ſicut & ſigna ſacra, quibus utitur Chriſtiana religio, non ex virtute ſua naturali aliqua, ſed ex Dei altiſſimi pacto, qui cultoribus ſuis ſe adeſſe firmiſſima promiſſione pollicitus eſt operatur, eo tropo loquendi, quo ſignis hujuſmodi operationes attribui fas eſt. Non enim ſigna deificat fides, aut religio Chriſtiana; propter hoc dicit ſanctus, ac ſapiens Auguſtinus, quia omnia hæc pacta ſunt Dæmonum. Debes autem ſcire, quia quatuor genera figurarum poſuerunt idolatræ ſtellarum in planetis, videlicet ſigilla, anulos, characteres, & imagines; non intelligas autem imagines iſtas planetarum ſimilitudines, immò quoſdam characteres, quæ in lineatione ſua, & figuratione nullam habent ſimilitudinem planetarum, & hæc idolatria quatuor ſcilicet iſtorum, hoc eſt per quatuor iſta exercebatur, & intùs erat idolatria Dæmonum. Ad hoc genus idolatriæ pertinent illæ quatuor figuræ, quæ anuli Salomonis, & quinta, quæ vocatur ſigillum Salomonis, & novem aliæ, quæ vocantur novem cādariæ, quorum omnium execrabiliſſimæ conſecrationes, & deteſtabiles invocationes, ſcripturæ, imagines, apertiſſimam idolatriæ continent impietatem. De nefanda autem imagine illa, quæ idea Salomonis, & entocta dicitur, nulla fit mentio apud Chriſtianos; ſimiliter nec de libro quem ſacratum vocant, nec de operibus ejuſdem Eodem modo neque de figura, quæ Mandal, ſive Amandel dicitur, aut operibus ejus. Hæc enim omnia adeò impia, adeòque ſacrilega ſunt, ut ſine horrore pia corda ea nec legere valeant, nec audire; unde, & nos iſtorum memoriam horrificam non tam perſtringimus, quàm etiam fugimus, & fugamus, ne majoris inſaniæ occaſionem demus inſipientibus. Contra ſtigmata autem, & impreſſiones evidenter

Signa pactorum & contractuum.

Characteres ſunt quædam ſigna, & ſimbola dæmonii, & eorum qui dæmones colunt.

Auguſt.

Idea Salomonis.

dici poſſunt, quæ contra characteres, & figuras diximus, quia & ipſa expreſsè vergunt ad idolatriam. Iſta enim in propriis corporibus, & membris faciebant idolatræ, propter quod evidenter cultores ejus idolatriæ, ad quam inſignia illa pertinebant, eo ipſo ſe profitebantur: quemadmodùm equi certo inſignio cognoſcuntur ungari, ſive ungarici, & falſarij deprehenſi, atque puniti, eo ſigno apparent eſſe falſarij, videlicet impreſſione Apoſtolicæ Bullæ; ſic diabolicorum illorum characterum, & ſigillorum impreſſionibus conſignatos ſe cultui diabolico, atque addictos oſtendebant, ſicut Judæi ſignaculo circuncisionis pacto Abrahæ, & legi Moſaycæ aſtrictos ſe confitentur, & ſuſcipiendo hujuſmodi ſignaculum, ad ea ſe obligant obſervanda. Non igitur eſt mirum, ſi hujuſmodi Dæmoniorum cultores ab ipſis per iſtas execrationes interdùm obtinebant, videlicet quod & ipſi Dæmones poterant naturali virtute ſua, & permittebantur juſtiſſima Dei altiſſimi voluntate. Ex his igitur omnibus apparet juſtitia divinæ legis, quæ omnia iſta nefaria prohibuit, utpotè, & humani generis pollutiones abominabiliſſimas, & creatoris intolerabiles injurias. Quemadmodùm enim Chriſtiano nefas eſt circuncidi; ſic & hujuſmodi ſtigmatibus incidi, & characteribus imprimi, & multò amplius, videlicet quantò execratio idolatriæ deteſtabilior eſt, quàm ritus Judaïcus. Septima pars idolatriæ, ſicut diximus in præcedentibus, idolatria eſt verborum, & nominum, quibus tantam virtutem imponunt malefici, ut ipſo auditu, & hominès, & animalia occiderent, & etiam inſpectione literarum, & figurarum, quibus ſcripta eſſent, ſicut dicebat Judęus ille maleficus, qui ſola infuſione verborum quorundam, taurum viſus eſt occidiſſe; aſſerebat quippe, quia verba illa, nec homo, nec aliud animal audire poterat, quin moreretur continuò, nec etiam literas inſpicere, quibus verba illa ſcripta eſſent. Propter quod & neceſsè habent, ea diſcere per ſcripturam eorum in aqua factam, ubi protractio literarum ſicut fiebat, etiam abolebatur. Quàm falſum autem ſit, & quàm impoſſibile declarabimus paucis. Si enim iſta virtus ineſſet verbis, eſſet eis ex neceſſitate uno quatuor modorum, hoc eſt, vel à parte materiæ ſuæ, hoc eſt aëre, aut à parte formæ ſuæ, hoc eſt ſoni, ſive ſonationis, aut à parte ſignificatorum, aut ex omnibus his, aut ex aliquibus illorum. De primo quidem modo manifeſtum eſt tibi, quia impoſſibile eſt, niſi cùm aer veneno, aut aliâ causâ corruptus fuerit, ut mortem inferat: hæc autem eſt virtus veneni, aut alterius peſtis non veneni, vel venenorum, qualis virtus apparet in aëre, quem ſpirant Dracones, ſimilis virtus apparet in aëre, quem inſufflat buffo. Propter quod, & buffo dicitur quaſi bufflo, quia buccis flat, ſeu inſufflat venenum: de ſecundo modo facile eſt videre, quia non eſt poſſibile per modum illum hujuſmodi virtutem ineſſe verbis, aut nominibus; ſonus enim, ſive ſonatio non poteſt nocere audientibus, niſi per vehementiam acuminis ſui, aut per magnitudinem ſuam, per quam eſt interdùm terrificus, ſicut fragor tonitrui, ſicut rugitus Leonis; unde etiam per terrorem, ſeu timorem poſſibile eſt mori audientes, vel homines, vel alia animalia. Manifeſtum eſt paſſiones animarum vehementiâ ſuâ mortem poſſe inferre patienti, & hoc apud vulgus famoſum eſt, videlicet nimio ardore, & odio nimio, dolore, & gaudio, nimia ira, nimiaque triſtitia interdùm moti homines, & etiam canes nimia triſtitia de morte dominorum ſuorum multotiens mortuos eſſe audire potuiſti; nimio vero acumine vocis, vel ſoni poteſt mors accidere, ex vehementi enim concuſſione, ſive percuſſione oſſis petroſi, in quo fit auditus, poteſt tanta perturbatio fieri in interioribus capitis, ut mortem inducat. Hæ autem virtutes ambæ ſunt naturales, & nihil omninò divinitatis habentes; quare manifeſtum eſt nomina, & verba ex parte iſta nihil divinæ virtutis habere. Manifeſtum etiam eſt Judęum illum virtute nominum & verborum taurum illum nullatenùs occidiſſe. Quòd ſi dixerit quis, quia conſonantia, & diſſonantia in ſonis virtutem habent plurimam, atque fortiſſimam, propter quod & Plato dixit in Timæo, quia potentiſſima autem noſtra eſt muſica: reſpondemus ei, quia verum eſt hoc, ſed virtus hujus tantùm naturalis eſt, quemadmodùm virtutes aliarum qualitatum ſenſibilium, hoc eſt pulchritudinum, colorum, odorum, atque ſaporum, in quibus divinitatis aliquid eſſe natura putatur, vel opinatur. Tertia via ſimiliter erronea eſt, & impoſſibilis videlicet, ut à parte figurati ſit hujuſmodi virtus verbis, atque nominibus. ſi enim malitia, & nocumenta ſignati præſtarent hanc virtutem nocendi verbis atque nominibus, nomen mortis, atque inferni mortem, & tormentum intolerabile, & tormentum neceſſariò inferrent audientibus. Ampliùs. Bonitas, atque ſalubritas ſignati ſecundùm hoc virtutem præſtarent verbis, atque nominibus, & hoc juxta magnitudinem, ſive immenſitatem bonitatis quare tanta virtus eſſet vnicuique nominum creatoris, ut ad prolationem ipſorum, & omnia mala tollerentur ab audientibus, & omnia bona præſtarentur eiſdem; quare & mors toleraretur, & omnia infirmitas, & propter hoc neceſſariò, & reſurrectio mortuorum fieret, & ſanatio cujuſlibet infirmi, & ablatio penitùs nocumentorum. Ampliùs. Iſta virtus aut eſſet nominibus, & verbis à parte ſignati, quia ſignant, hoc eſt ratione ſignificationis, aut quia res, hoc eſt propter ipſam rem quæ ſignatur. Quòd ſi dixerit, quia ratione ſignificationis tunc neceſſe eſt, ut quæ magis eadem ſignant, majorem habeant hujuſmodi virtutem; quare imagines rerum, ſive pictæ, ſive ſculptæ, ſive fuſæ magis hujuſmodi virtutem habènt, quàm verba & nomina, cùm magis, hoc eſt evidentiùs, & expreſſiùs ſignificent, & ita fortior erit imago aliquantulùm & ſimilitudo ad occidendum reſpicientem eam, quàm nomina quæcũque, vel verba, & ita inſpectione alicujus imaginis, vel viſu morietur quicunque viſor, vel inſpector illius & de omni ſigno naturali ſimiliter ſe habere neceſſe erit, cùm naturalia ſigna magis ſignificent quàm poſitiva. Quòd ſi dixerit, quia nominibus, & verbis eſt virtus propter res non quâ ſignatæ, nec rectæ ſignificationis; manifeſtum hoc eſſe falſum, & frivolum, res enim, quo res, non potiùs pertinent ad verba, & nomina, quàm ad alia quæcunque: non enim pertinent ad ea, niſi propter ſignificationem, & ita non potiùs pręſtant eis virtutem hujuſmodi, quàm aliis quibuſcunque rebus; quare nulla erit à parte illa virtus nominibus, & verbis. Quartæ verò viæ impoſſibilitas ex præcedentibus facile patefiet. cùm enim ad prædictam virtutem præſtandam nullum juvet; manifeſtum eſſe debet tibi, quia nec omnia illam ſimul præſtare poſſunt. Ampliùs. In non intelligentes nihil virtutis habebunt nomina, & verba ratione ſignificationis. Ampliùs. Cùm ſignificatio nihil poſſit niſi ratione imaginationis, aut intellectûs, ipſa verò imaginatio, & intellectio ſignificationis ſint maximæ, atque fortiſſimæ; erunt neceſſariò in virtutis intellectivæ iſtæ virtutes imprimis, & maximè, & ita imaginando, atque intelligendo abſque nominibus, & verbis fient mirifica illa, quæ virtute verborum, & neceſſariò fieri opinantur. Jam

Nota.

Chriſtiano nefas eſt circuncidi.

Buffo.

Paſſiones animarum vehementer mortiferæ.

Canes interdùm mortui ob mortem domini ſui.

Plato.

Nota.

Signa naturalia.

Imaginatio.

Digitized by Google

autem declaravimus tibi errorem iſtum, quo nominibus, & verbis virtutes mirificas attribuebant; quare conſequenter patefactum eſt tibi, quia verba, & nomina non habent vires illas, ſive virtutes hujuſmodi in parte illa, niſi ut exorciſmata, vel errores, vel laudes, vel alio quolibet modo, ſub veneratione cujuſlibet, vel dicta, vel ſcripta, vel portata: cùm autem aliquod iſtorum eſt, certum eſt non virtute verborum aliquid fieri, ſed virtute illius cui veneratio talis impenditur. Ex quo etiam conſequenter apparet tibi, quia duplex eſt idolatria verborum, & nominum videlicet, quoniàm altera qua virtutes illæ mirificæ ipſis attribuuntur, altera veneratio, quæ ſoli creatori altiſſimo debetur, alij cuicunque, ſive ſcriptura, ſive prolatione verborum impenditur: quemadmodum enim veri cultores Dei altiſſimi, & pronuntiando ſermones ejus, & etiam ſcriptos interdùm deferendo, ipſum venerantur, & per hujuſmodi venerationem mira interdùm à creatore obtinent: ſic & iſti malefici non virtute verborum, quæ vel proferunt, vel ſcripta deferunt, ſed veneratione, quam vel proferendo, vel deferendo illa Dæmonibus impendunt, ab eiſdem obtinent multotiens quæ homines admirentur, multotiens verò non obtinent, vel quia ipſi Dæmones Dei altiſſimi creatoris imperio illa facere prohibentur, vel intelligentia, vel fraude ipſorum, quam forſitan compoſuerunt petita cultoribus ſuis non annuunt, ut ſic gratis ſervos poſſideant, dum eorum ſervitiis omninò non impendunt aliquid, & ex inde graviùs Deus altiſſimus offendatur, vel forſitan ut ampliora ſervitia ab eis extorqueant, qui nec de offenſa Dei altiſſimi, nec de ſanguine animatum poſſunt ullatenùs ſatiari. Exemplum de hoc evidenter fuit in Aſtaroth, qui in præſentia ſancti Bartholomæi Apoſtoli loqui non permittebatur, & hoc ipſum Berich alius Dæmon cultoribus ſuis reſpondit. De aliis duabus cauſis malignitas Dæmonum pleniſſimam fidem facit. Jam igitur declaratum eſt tibi qualiter taurus ille occiſus eſt de quo fecimus mentionem: evidenter enim apparere debet tibi, quia miniſterio occulto Dæmonum; ſic & ad prolationem quorundam verborum ligantur interdùm ſerpentes à maleficis, & aggregantur, non quidem ipſorum virtute, ſed prætextu venerationis, quam dicimus; aliter autem a Dei altiſſimi ſervis, hoc eſt alia veneratione, ſcilicet veneratione creatoris & prolatione ſanctorum verborum; accidit etiam interdùm, quòd mali homines ſanctis exorciſmis & talia faciunt, & Dæmones abjiciunt, Dæmonibus dantibus honorem Deo altiſſimo, invocationem ejus ferre non ſuſtinentibus aliquandò, vel in eos qui talia acceptant ſæviunt, ſicut legitur Actuum. 19. de filiis Scævæ Principis Sacerdotum. In multis autem animalibus fit ligatio, & congregatio, vel divina virtute, & miraculosè, ut diximus, vel ſenſu naturæ, quæ eſt una de radicibus magiæ naturalis. Jam igitur patefecimus tibi errores hominum, qui verbis, & caracteribus virtutes mirificas attribuerunt, & qualiter habent eas, & qualiter non habent, & quantùm erraverunt, qui ſapientiſſimi reputati ſunt, videlicet magi, qui ſigillis, & annlis, imaginibus, & caracteribus planetarum tantas virtutes attribuerunt, quòd totum mundum inferiorem per illa in poteſtate ſe habere credebant. Similiter, quàm longè à veritate, qui uni ex nominibus creatoris penè omnia majora, ſeu magica, & malefica opera impoſuerunt. Declaratum eſt etiam tibi cum his error Artheſij magi, ſimul & philoſophi, qui librum ſcripſit de virtute verborum, & caracterum, & propter hoc idolatriæ impietate ſacrilegum. Nec prætereunda eſt illa veſania magorum, & aſtronomorum, qui virtute cujuſdam ex nominibus creatoris opinati ſunt ſe operari diabolica omnia mirabilia ſua; cui etiam illud honoris, & reverentiæ impendi voluerunt, ut librum in quo ſcriptum eſſet, nemo tangere præſumeret, niſi mundus, & mundis veſtibus indutus. Scito autem quia nomen illud, vel vox quæcunque ſit, valdè barbara eſt, & non eſt ullo modo aliquod ex quatuor nominibus, quibus apud Hebræos nominatur creator, & de iſto nomine ea, quæ diximus, inveniuntur in libro nefario imaginum lunæ, licet autem ſufficiant ad deſtructionem iſtius erroris ea quæ diximus, trademus tibi & aliam deſtructionem: quia igitur per nomen illud, ſecundùm illos, fiunt maleficia, quibus nocetur innocentibus; manifeſtum eſt eos execrabiliter polluere nomen illud, quo tam deteſtabiliter abutuntur, videlicet ad maleficia, & flagitia, ad turpitudines perficiendas. Ampliùs. Cùm hujuſmodi opera, non virtute creaturæ, ſed ab ipſo creatore efficiantur; vel per nomen ſuum, vel gratia nominis ſui, ipſe creator operabitur injuriam, & contumeliam ſui, vel virtutem ſuam accommodabit, & exhibebit contra ſeipſum, & propter hoc erit omnium inſipientiſſimus, & peſſimus, dum nec innocentibus, nec ſibimet in iſta parte parcat. Ampliùs Quid magis contra ſanctitatem, & dignitatem nominis illius fieri poteſt, quæ pollutio eidem magis adverſari poteſt, quàm abuſio ejuſdem ad tam impia, tamque turpia opera, quæ per ipſum ſe facere mentiuntur? Quare eo ipſo virtutem nominis illius impediretur, quòd ad tam deteſtabilia opera eo abuti præſumerent, vel creator virtutem ſuam præſtaret: quanta autem mala, & quam diſplicentia creatori faciunt per illa malefici, apparet librum legentibus, & alios omnes præſtigiorum, & imaginum, & ligaturarum, ſi tamen & libri illi inveniantur, quod nunc avertat Deus, ſed pereat memoria eorum cum eorum ſonitu. Poſt hoc reſtat nobis loquendum de octava parte idolatriæ, quæ eſt temporis, quam etiam adeo provexit error maleficiorum, ut etiam nominibus dierum, & horarum virtutem mirificam attribuerent, & operibus maleficiorum ſuorum illa adhiberent; unde crebertimè invenitur in operibus maledictarum imaginum, ſcribens in ea imagine, ſcilicet nomen diei, & horæ, & hoc de genere idolatriæ eſt illud, quòd in parietibus domorum ſcribitur etiam horæ nomen, & diei, quo audita ſunt tonitrua in regione illa; credunt enim inſaniſſimi multi, quòd virtute hujus ſcripturæ tuta ſit domus à læſione fulguris, qua credulitate quæ major poteſt cogitari dementia De hoc genere eſt omnis error ille, quo creduntur quædam horæ fortunatæ, & fauſtæ, quædam infortunatæ, & infauſtæ rebus incipiendis, ſive aggrediendis. Hujuſmodi autem inſaniæ facilis eſt deſtructio; neceſſe enim eſt, ut altero duorum modorum attribuant hanc virtutem tempori, videlicet aut ex natura ipſa temporis, aut ex aliquo, quod fieri poteſt ex natura temporis: cùm autem natura temporis ſit homogenea in toto, & in qualibet ejus parte, eodem modo igitur eadem virtus totius, & ſingularum partium eius; quare totum fauſtum erit, & horæ ſingulæ, ſimiliter autem totum infauſtum, & horæ ſimiliter, aut totum neutrum. Ampliùs. Omnium virtutum iſta fortiſſima eſt, videlicet fortunandi, & infortunandi, proſperandi, & deſtruendi, ſeu lædendi; fortiſſima enim virtus eſt, qua conſervatur princeps cum toto exercitu ſuo in prælio, & navis magna in medio mari contra impetum ventorum, & inundationem fluctuum, cujuſmodi omnia ipſa attribuerunt homines horis, vel exitus ad bellum, vel aſ-

Idolatria duplex.

Contra magiam verborum.

Aſtaroth. Berich.

Mali homines etiã demones ejicere poſſunt.

Artheſius magus.

Nota.

Error quorundã.

E

cenſus in mare: ſimiliter conſervationes domorum à ruina, & fabarum, ſegetum, & fructuum ab omni læſione ſibi, & contraria omnia horis attribuerunt: quare ſicut diximus virtutem fortiſſimam rei debiliſſimæ attribuerunt, quia & rei, quæ accidens eſt, & inter omnia accidentia debilioris eſſe, cùm ejus eſſe non ſit niſi fluxus, & deſitio, atque defectus ab ipſo eſſe.

Tempus quid.

Ampliùs. Cur tempori, & non potiùs motui, virtutem hujuſmodi attribuerunt, cùm tempus non ſit niſi menſura ipſius motus. Ampliùs. Cur tempori, & non loco, cùm locus evidenter ſit ſtabilioris eſſe, & fortioris, quàm tempus. Ampliùs. Si iſta virtus eſt naturalis tempori, erit major ex neceſſitate in toto, quam in ipſa parte; & ita major in anno, quàm in menſe; & in menſe, quàm in die & in die, quàm in hora; & ita in toto tempore quod fluxit ab origine mundi, quàm in qualibet hora, vel die.

F

Quòd ſi dixerit, quia ex alio non invenimus, quòd aliqui attribuerunt hanc virtutem tempori, niſi vel ex conſtellatione, ſicut dicunt eſſe martis diem, aut horam, aut alterius planetæ, aut ex rebus, quæ factæ ſunt in tempore, ſicut adhuc dies Ægyptios multi infauſtos credunt, & infortunatos propter plagas, quibus diebus, vel credunt flagellatam fuiſſe Ægyptum, vel Ægyptios, & iſtorum duorum primum pertinet ad idolatriam ſtellarum, de qua ſufficiunt tibi ea quæ jam diximus; ſecundum adeo evidentis erroris eſt, ut ratione deſtructio ejus non indigeat.

Nota.

Manifeſtum enim eſt, quia duo millia annorum ſunt inter iſtos, & inter illos dies, in quibus percuſſa fuit Ægyptus & dies iſti non communicant niſi nomen, & ſpeciem cum illis. Hæc igitur cauſa eſt, quia iſti dies infauſti ſunt, quia ſunt ejuſdem ſpeciei, & eorumdem nominum dies, & hoc eſt ſicut diceretur: quia quidam Petrus fuit malus, & infortunatus, quòd omnis homo, qui de cætero vocabitur Petrus,

G

Averte.

ſit malus, aut infortunatus, quo nihil magis frivolum, & irrationabile dici poteſt; jam igitur patefacta eſt tibi idolatria temporis, & error, aut impietas ejus. Poſt hæc loquemur de nona parte idolatriæ, quæ de initiis, & de rebus initialibus, & hoc eſt ſecundùm duos modos, quia res initiales, & initia, quandò vocant homines hujuſmodi, aut intelligunt cauſas eſſe ſubſequentium eventuum, aut intelligunt eorum eſſe ſigna, verbi gratia, cùm ſurget aliquis de loco ſuo, ſi motum ſurgendi inchoaverit à parte ſiniſtra ſui, videlicet movens eam priorem, quàm dextram, aut ſuper pedem ſiniſtrum, plus quàm dextrum moverit, aut veſtimentum primo induendum everſum, aut non inceperit, aut everſio in unoquoque iſtorum fuerit, credunt hujuſmodi erronei, quòd talia initia, vel cauſæ ſint, vel ſigna infortuniorum, vel fortunarum illa die, vel menſe,

Alius error confunditur.

H

vel anno futurarum juxta, vel cum primo die anni, vel menſis, vel ſeptimanæ talia acciderint; quòd autem talia cauſa eſſe non poſſunt eventuum noſtrorum facile eſt videre. Si enim hoc eſſet in poteſtate, immò in voluntate noſtra, poſitum eſſet quicquid nobis unaquaque die, vel anno accideret, cùm in poteſtate noſtra poſitum ſit quicquid prædictorum, & ſimilium initialium in prænominatis temporibus faciamus; & ita non accideret nobis, niſi proſperum, & ſi accideret adverſum, de voluntate noſtra nobis accideret.

Nota.

Ampliùs. Manifeſtum eſt, quòd talia cauſa eſſe per ſe non poſſunt eventuum noſtrorum, omninò enim incontingentia ſunt eventibus noſtris, atque omninò inordinata ad illos. Omninò enim inordinatus eſt motus pedis, vel alterius partis noſtræ, ad malum, & ad bonum contrahendum, & ad alia multa hujuſmodi; cauſa autem omnis, quæ per ſe cauſa eſt, ordinata eſt ad omne illud, cujus cauſa

E

per ſe eſt. Ampliùs. In hoc non providentia, ſeu diſpoſitione cogemur, & evenient nobis, vel proſpera, vel adverſa, ſed ut ex hujuſmodi cauſis, niſi fortè dicat, quòd providentia divina ordinat apud nos, & de nobis, quem pedem primum moveamus, aut quòd ex calceamentis noſtris primum accipiamus, & hoc manifeſtum ridiculum videtur.

Ridicula contra Dei providentiam.

Ampliùs. Secundùm errorem iſtum iſta non ſunt cauſa eventuum noſtrorum, niſi quia initialia: hoc autem accidit eis videlicet, ut ſint prævia in aliquo prædictorum temporum ſive initialia opera noſtra. Initialitas igitur, ſive primitas præſtat eis hoc, ut ſint fortunata, vel infortunata, & infortunent, vel fortunent eventus noſtros, ſed & hoc unde? Nihil enim dignitatis vel fortunitatis habet aliquis homo, ex hoc, quòd primus ingreditur, vel egreditur locum aliquem, quàm qui ſecundo, vel tertio ingreditur, vel egreditur ipſum.

F

Præterea hora quæcunque temporis in nullo immutatur per ea, quæ in ea fiunt; alioquin omnis hora, & fortunatiſſima eſſet, & infortunatiſſima, cùm in omni hora incipiant fieri, & fiant innumerabilia bona, & innumerabilia mala, & optima, & peſſima. Ampliùs. Si initialitas confert operibus noſtris, ut fortunet, vel infortunet bona opera noſtra, videlicet convenientia, cur non & finalitas? Contraria enim æqualium virtutum eſſe neceſſe eſt, etſi alterum horum altero vel dignius, vel potius eſſet, dignius eſt, ut hoc ſit finalitas: perfectio enim, & conſummatio digniores ſunt quam initium, ſive initiatio.

Inſtat fortiter & ſubtiliter.

Ampliùs. Si propter hoc, quia præcedit hujuſmodi opus ſequentia, poteſtatem habet, ut ea fortunet, vel infortunet, quodlibet opus habebit poteſtatem fortunandi, vel infortunandi ſequentia ipſum opera. Quòd ſi dixerit, quia non propter hoc opus initiale anni, vel menſis, vel diei fortunat, vel infortunat ſequentia, quia præcedit illa ſolummodò, ſed quia

G

precedit illa initialiter, videlicet quia eſt primum in aliquo prænominatorum: primum dico in tempore illo, cur non ſimiliter, quòd primum fuerit ſecundùm locum, non habebit ſimilem virtutem fortunandi opera ſequentia, id eſt ordinatione locali; magis enim conſequenter certa ſunt opera ſecundùm locum, quàm ſint ſecundùm tempus, quare majoris virtutis, & majoris influentiæ indigent. Ampliùs. Quòd res viliores ſint cauſæ nobilium, & debiliores fortium & minores majorum, contra ordinem naturæ eſt, & conſequenter contra rationem, & eſſe cauſæ, cauſæ inquam efficientis; cauſa enim efficiens naturaliter omnis de plenitudine, & abundantia ſua influens, cauſat omnem effectum ſuum; & propter hoc major, & fortior eſt, atque nobilior,

Res viliores non ſunt cauſa nobilium.

H

ſicut vides in luminoſitate ſolis, quòd major & fortior eſt omni ſplendore quem cauſat, & calor ejus ſimiliter, & ad hunc modum ſe habet de omnibus cauſis naturaliter, & per ſe efficientibus: contrariò autem ſe habent ſecundùm errorem iſtorum, initialia enim opera noſtra interdùm viliſſima ſunt, ac debiliſſima, & ſequentibus operibus nullatenùs comparanda. Apparet igitur hujuſmodi erroneos contra naturam, & rationem ſimiliter talia ſomniaſſe, & in hoc in impietatem idolatriæ incidiſſe, propter hoc, quòd proſperationem, & infortunationem totius vitæ noſtræ, immò totam ejus gubernationem rebus tam vilibus attribuerunt, honorem enim creatoris, & gloriam quantùm ad hoc in res hujuſmodi tranſtulerunt: ordinatio enim vitæ noſtræ Dei altiſſimi opus eſt; opera autem noſtra initialia, de quibus mentionem fecimus, cauſalia ſunt, & voluntaria, & talia ex quibus nullo modo pendent ſequentia. Manifeſtum igitur eſt eos nimis erraſſe, qui dixerint initia-

Ordo vitæ noſtræ à Deo.

Digitized by Google

lia opera noſtra non cauſas eſſe, ſed ſigna ſequentium eventuum: error autem iſte manifeſtè deſtruitur per hoc, quòd hujuſmodi ſigna, nec naturalia ſunt bonorum, nec malorum eventuum, nec poſita, ſeu poſitiva; naturalia quidem ſigna non ſunt, quoniàm nec per ſimilitudinem ſignant, nec per conſequentiam, ut fumus ignem, & ut effectus naturalis generaliter cauſam; poſita verò non ſunt, quia à nullo auctore poſita, vel inſtituta ſunt ad hæc ſignificanda. Præterea ſignificatio neminem retrahit ab agendo, neque aliquis curat eam: ſi enim miles quis ſtultiſſimus vel legat, vel audiat ſignificationem mortis ſuæ, vel cujuſdam alterius hujuſmodi ſimiliter etiam legat, vel audiat ſe regem eſſe, vel fieri, ſeu quantumcunque aliud bonum de ſe, non propter hoc aliquid dimittit facere, vel aggreditur: ſimiliter quantumcunque expreſsè pictum aliquid videat infortunium ſuum, aut fortunam, non movebitur ad agendum aliquid, vel non agendum, ſciens quia hujuſmodi ſignificatio non fit ad eum præmuniendum, vel inſtruendum, vel forſitan conviciandum; nuda autem ſignificatio omninò non movebit eum ad aliquid faciendum, vel dimittendum.

Nota.

Quòd ſi dixerit quis, quòd in rebus hujuſmodi obſervatores plerunque inveniunt veritatem: reſpondemus tibi, quia hoc duobus modis fit, & primus modus naturalis eſt. Qui enim obſervationibus credunt hujuſmodi, confortantur animæ eorum, & exhilarantur cùm bona ſibi eventura credunt; & propter hoc magnificentiùs agunt, atque ſtrenuiùs. Magnificentia autem, atque ſtrenuitas opera meliorant interdùm, & proſperant: econtrariò verò cùm mala ſibi evenire ſtulta credulitate ſuſpicantur, timore, atque deſperatione, & dolore ſimiliter deficiunt, & concidunt, & ideò ſegniter, atque debiliter agunt in operibus ſuis.

Segnities & puſillanimitas.

Segnities animi, & defectus puſillanimitas, ſicut opera ipſa deteriorant, ſic malis imminentibus non reſiſtunt, quin potiùs ea evenire patiuntur, & bona ipſa quominus eveniant, impediunt. Secundus modus ex ſuggeſtione Dæmonum, qui ea vel bona, vel mala, quæ prævident ſtultis obſervatoribus ſuggerunt; & non eſt dubium, quin aliqua prævideant, & præſciant Dæmones de futuris, aut imminentibus novis eventibus. Non eſt ergo mirum ſi quæ ſuggeſſerunt, interdùm experiuntur homines evenire.

Noviſſima pars idolatriæ.

Noviſſima pars idolatriæ, quam ſuperiùs decimam numeravimus, rerum inventitiarum eſt, in quibus juxta errorem antiquorum ſi quis ova cum matre in nido cubante inveniret, vel cum pullis, locum optimum obtinebit, de quo ſuperiùs fecimus mentionem; huic autem tantam attribuerunt virtutem, ut ſi quis illum inveniret, & ſi cuſtodiret, ut matrem abire non ſineret, fœcunditas, & proſperitas à domo ſua nunquàm recederet; unde & adeò invaluerat apud eos iſta ſtultitia, ut nidum hujuſmodi tanquàm cauſam fœcunditatis, & proſperitatis, ſicut & temporalis abundantiæ unuſquiſque, qui eum inveniret, cuſtodiret. De matre etiam ſic inventa multa malefica, atque venefica operabantur, & ad reconciliandum amorem, præſtandamque fœcunditatem, virtutem eidem mirificam ineſſe credebant, & ita Dei opera, atque dona alij, quàm ipſi attribuebant; quare alium auctorem fœcunditatis, & opulentiæ temporalis, quàm Deum altiſſimum opinabantur: hoc autem erat idolatriæ impietas, & ideò, ut ſupra diximus, removit eam Deus in 22. Deuter. De hoc errore proceſſit verbum illud vulgatiſſimum, quo quis dicitur non eſſe fortunatus ad inveniendum nidum picæ: ad hunc errorem tendunt, qui credunt inventionem modici ferri, quàm multi auri eſſe magis fauſtam, & inventionem ferri fortunatiſſimam credunt eſſe acus. Credunt etiam non minori ſtulti-

Deut. 22.

A tia meliorem eſſe inventionem oboli, quàm nummi, credunt etiam infortunatam eſſe inventionem bovis, vel ovis, fortunatiſſimam autem lupi, vel colubri. Proceſſit autem hæc inſania, euſque apud omnes Barbaros, ut omne illud quod primò invenerint, adorent undique, ſive porcus ſit, ſive canis, ſive aliud quodcunque.

Inſania idolatriæ.

Debes autem ſcire, quòd inventam acum, vel obolum inventum arctiſſimè cuſtodiunt erroris hujus profeſſores, tanquàm cauſam fortunationis, & proſperitatis: hic autem error manifeſtus eſt, ut nec contra eum ratiocinandum eſſet. Qui enim dubitet acum, nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ ſuæ quicquam poſſe ad fortunam vel proſperitatem? Si enim ex parte materiæ quicquam poſſet, tunc inventio majoris ferri, vel ferri magis fortunata eſſet, quod ipſi negant: ſi autem ex parte formæ, tunc non refert, utrùm ferrea, vel lignea ma-
B teria ſit acus, & hoc ipſi iterùm negant: ſi verò ex ambobus ſimul, tunc non reſtat niſi ut omnes viæ ſeminentur acubus, ut quocunque venerimus acus inveniamus, & bona nobis in omnibus, ac per omnia eveniant. Quòd ſi dixerit, quia non eſt fortuna inventio acus niſi ab alio perdita fuerit, & caſu inventa, vel quod melius eſt, reperta; tunc ex infortunio, & perditione alterius pendet fortuna hæc; & ita aliquod contrariorum pendet ex altero: de obolo verò & nummo facilis eſt deſtructio. Si enim à parte materiæ ſuæ cauſa eſt bonæ fortunæ, multò fortius nummus integer, cùm in eo ſit plus de materia eadem: ſi verò à parte formæ, ſimiliter cùm eadem forma etiam major ſit in ipſo nummo; eodem modo, & ſi à parte amborum: ambo enim, & majora, & fortiora ſunt in nummo integro, quàm in obolo. Quòd
C ſi dixerit, quia non eſt hoc ex obolo ſecundùm ſe, ſed ex inventione noſtra eſt iſta virtus ipſi obolo, non refert igitur an obolus ſit, an nummus, illud inventum, & inſuper omne inventum à nobis habebit ex neceſſitate virtutem iſtam, & nullum erit infortunatum. Præterea qualiter inventio noſtra hanc virtutem præſtabit obolo, & non nummo, cùm & quantùm ad materiam, & quantùm ad formam nummus receptibilior ſit cujuſcunque impreſſionis, quàm obolus. Quòd ſi dixerit, quia ratione minoritatis eſt hoc, tunc melius eſſet invenire viliſſimam partem unius nummi, & ita in infinitum, & modicum ferri, quàm mille millia auri, & argenti. Amplius. Quæ cauſa eſt prohibens aurum à receptione hujus virtutis?

Optimè deſtruit.

CAPUT XXVIII.

Deſcendit ad alia, & proponit ſe dicturum de ſacris, & ſacrificiis, ac primùm de circumciſione diſputat, quam dicit tempore legis ſuſtuliſſe peccatum originale, & forte ſufficientem fuiſſe contra alia peccata tollenda
D *propter fœdus, & pactum initum inter Deum & Abraham, ſemenque Abrahæ, quod ipſa circumciſio ſignificabat. Dicit praetereà circumciſionem fuiſſe impoſitam ſoli generi Abrahæ; unde neceſſarium fuiſſe remedium aliud commune, ac generale contra communem plagam originalis peccati, & ad tollendas diſſenſiones, quas cultus diſparitas generare potuiſſet; & ideò unam legem omnibus eſſe poſitam. Poſteà de baptiſmo dicens, quæſtiones quaſdam occurrentes circa ipſum ſubtiliter explicat, & ſolvit; deinde deſtruit ſacrificia animalium, dicens, ipſa non modò eſſe inutilia populo ſpirituali, ſed illi etiam interdicenda: verum autem ſacrificium, quo Deus maximè gaudet, eſſe ſui ipſius oblationem.*

POſtquàm igitur expedivimus nos auxilio Dei de idolatria, & partibus ejus, & aperuimus tibi ali-

Digitized by Google

quatenùs vias deſtructionis ipſius, conveniens eſt ut conſequenter accedamus ad ritum, ſeu ad ritus, & ſacrificia atque ſacra, & declaremus veritatem eorum, patefaciamuſque tibi, quæ ipſorum placeant Deo altiſſimo, & quæ ſint veri nominis ſacra, & ſacrificia, & quæ nominibus iſtis omninò indigna ſint. Dicemus igitur in primis, quia ritus propriè mos eſt initiationis, ſive ſanctificationis ſecundùm opinionẽ uniuſcujuſque legis, & maximè, atque frequentiſſimè dicitur ſacramentorum, ut ritus circunciſionis, ritus baptiſmi. Interdùm autem extenditur nominatio hæc ad totam obſervantiam uniuſcujuſque legis; unde dicitur ritus Judaicus tota obſervatio Judaicæ legis, & ritus Chriſtianus, & ritus Saracenicus eodem modo: & de ſacramentis quidem jam expedivimus nos, prout tractatus ille requirebat, & ſecundùm intentionem, & propoſitum noſtrum in ipſo.

Ritus quid.

Sacramenta, ſacrificia, ſacra propter quid inſtituta.

F Tria igitur iſta, videlicet ſacramenta, ſacrificia, & ſacra propter tria generaliter inſtituta ſunt. Sacramenta ſcilicet ad ſanctificationem. Sacrificia ad repropitiationem. Sacra ad Dei honorificationem: unde ſacra dicuntur feſtorum, & ad feſta pertinentia: hæc enim tria nobis neceſſaria ſunt. Neceſſe enim eſt ut ſanctificemur, & ſancti ſimus. Neceſſe iterùm eſt, ut iram creatoris declinemus, & ut pacem ejus & gratiam habeamus. Neceſſe iterùm eſt, ut ipſum creatorem cultu ſibi placito jugiter honorificemus. Et primùm quidem per ſacramenta nobis tribuitur: quemadmodùm enim per veſtimentum veſtitio, & per ornamentum ornatio, & ita de aliis: ſic per ſacramentum ſacratio perficitur: ſicut igitur non eſt veſtimentum cujus applicatio ſive oppoſitio non veſtit illum cui apponitur, neque ornamentum cujus conveniens appoſitio non ornat illum cui apponitur, ſic non eſt veri nominis ſacramentum, cujus adhibitio, ſeu appoſitio, quantùm in ipſo eſt, non ſacrat, ſeu ſanctificat illum, cui ad hoc adhibetur, ſeu apponitur. **G** Signum utique, & adjutorium ſanctificationis eſſe poteſt, aliàs quoque ſacramentum nominatur, ſed inſtrumentum, & cauſa ſanctificationis nullatenùs eſſe poterit, ſicut apparet in circunciſione, quæ quidem in ſe eſt adjutorium ſanctificationis, quantùm ad munditiam carnis, ut ſupra diximus, & ſignum eſt, ſive ſignaculum ſpiritualis circunciſionis, ex ipſa ſimilitudine reſecationis præputij, & ex nominatione ſua. Si ergo fiat circunciſio tantùm manualiter abſque ulla invocatione creatoris, & intentione ulla ſpiritualis circunciſionis, erit quidem & ſignum, & adjutorium, quod diximus, ut eſſet pro tempore quo inſtituta fuit, hoc modo tunc fieret, qualis fuit circunciſio Philiſtæorum ducentorum, quorum præputia petebat Saül à David ſicut legitur in 18. 1. Reg. **H** Manifeſtum igitur eſt, quia circunciſio, id eſt ablatio manualis præputij non eſt per ſe, & in ſe ſacramentum veri nominis, ſed quemadmodùm dicimus, tamen ante tempora legis ritè fiebat, videlicet, ſicut & patribus tradita, & ab eis ſervata, valebat ad tollendum originale peccatum ex obedientia, & devotione ſervantium, & ex obligatione, qua per ipſam cuſtodiendum pactum, & fœdus inivit Deus inter ſe, & Abraham, atque ſemen ipſius; quapropter in ſignum fœderis, & obligationis ſervandi pactum prædictum ſolummodò inſtituta fuit circunciſio. Pactum autem illud, & fœdus erat inter Deum ex una parte, Abrahamque & ſemen ejus ex altera, ut ipſe eſſet Deus eorum: quare manifeſtum eſt quòd per ipſam circunciſionem obligabant ſe ad cultum Dei, quoniàm ad hoc obligabant ſe, ut eſſent populus Dei, & ut ipſe eſſet Deus eorum: quare conſequenter per ipſam circunciſionem idolatriæ renuntiabant, & omni cultui ſuperſtitioſo: & de omnibus his expreſsè legitur in 17. Geneſis. Quare ex neceſſitate valebat circunciſio generi Abrahæ, cui ſoli impoſita fuit. Valebat inquam ex conſequenti, etſi non expreſsè ex inſtitutione ad tollendum originale peccatum, & fortè contra alia peccata; non enim parum eſt obligare ſe ad Dei culturam, & intrare per eam, per portam rectam arctam. Verùm quoniàm per circunciſionem, & quantumcunque, & quocunque modo valeret ſervantibus, non erat conſulium, niſi modicæ particulæ generis humani, videlicet ſoli ſemini generis Abrahæ, & illi etiam, non toti, ſed ſolùm maſculis in illo. Plaga autem originalis peccati, & aliorum peccatorum communis erat toti generi humano, quare naturaliter requirebat commune remedium, quare decebat communem omnium Deum, omniumque miſeratorem univerſorum commune tantis plagis adhibere remedium. Sicut igitur una erat plaga, ſic oportebat unum eſſe remedium.

Circunciſio tollebat peccatum originale.

Circunciſio ſoli generi Abrahæ impoſita.

Amplius. Si omnes electi Dei uniendi erant in unum Dei populum, cùm unitas ritus ſola mutatione populum efficiat, neceſſe erat unum ritum inſtituere, per quem in populum Dei intrantes excipetentur, & in unum Dei populum unirentur: ſi enim diverſi eſſent ritus in populo Dei, non eſſet populus Dei, ſed populi, & ideò non eſſet inter eos unio, ſeu fraternitas ſpiritualis: neceſſe autem eſt inter Dei electos fraternitatem eſſe ſpiritualem: & hoc eſt, quoniàm omnes Dei electi, & filij ejus ſunt per gratiam, & hæredes, quare & fratres ex neceſſitate. Ampliùs. Iſta diſparitas cultus quid aliud faceret, quàm diviſiones, & diſſenſiones, & tandem inimicitias, & bella, tam ſpiritualia diſputationum, & contradictionum, quàm & corporalia, unoquoque populo certante pro lege ſua, & ritu & cultu, & eam exaltare conante, & omnem aliam aſpernante, deteſtante, & pro viribus impugnante, ſicut videmus hodie, & de Judæis & Saracenis, de Hæreticis & paganis, hoc eſt idolatris, qui omnes bello ſeſe invicem impugnare non ceſſant, & tantis contradictionibus, & repugnantiis, ſimplices & ineruditos, aut in dubietatem, aut in confuſionem, aut in errorem inducunt, dum neſciunt quem cultum eligere debeant, aut cui parti ſit potiùs adhærendum? Modis igitur omnibus neceſſe fuit unum ritum, unum cultum, unam legem in mundo inſtitui, & ubique prædicari, & ea omnes nationes uniri. Ampliùs. In præcedentibus diximus quòd una eſt veritas de creatore, de magnificentia videlicet, & gloria ipſius; ſic neceſſe eſt & unam fidem eſſe, hoc eſt veram credulitatem de ipſa: Fides verè vera neceſſariò ſequitur veritatem, fidem autem unam ſequitur ſpes una. Item ſicut una eſt magnificentia & gloria creatoris apud omnes nationes; gloriam autem & magnificentiam ſequitur honorificentia, & cultus; ita neceſſe eſt eſſe unam magnificentiam, unumque cultum creatoris apud omnes nationes. Ampliùs. Quòd per abundantiam dicitur, uni ſoli convenit: quia igitur latria eſt ſummæ venerationis obſequium, ſive cultus neceſſaria eſt una latria; quare unus eſt & ſolus cultus creatori debitus, & propter hæc nullus alius cultus debetur eidẽ: nullus autẽ decet eum, qui non debeatur eidem, quare uno ſolo cultu decet eum ubique coli. Ampliùs. Ex utraque parte eſt unitas, videlicet ex parte creatoris, qui eſt unus & ſolus Deus; ex parte autem generis humani unitas eſt, ex utroque ſcilicet eorum, quæ per ritum & cultum à creatore obtinere intendit: nihil enim intendit à creatore principaliter obtinere, niſi immunitatem, ſive puritatem à peccatis, & gratiam qua filij Dei ſint, & hæredes. Neutrum autem iſtorum dividitur, quia vera puritas iſta diverſa non eſt in quibuſlibet, ſeu peccatoribus, ſeu juſtis, gratiam verò filiationis impoſſibile eſt dividi in ſe ſecundùm ſpeciem. Forſitan

Diſparitas cultus non debuit eſſe inter nos.

Latria quid.

Gratia filiationis

ſitan autem utraque ſuſcipit magis & minus: conſequens igitur eſt, ut per viam unam utrumque quæratur: unius enim finis una eſt vera via eſſentialiter. Exteriùs autem, & ex accidenti nihil prohibet diverſificari unam ſicut per eandem gratiam, & per virtutes eaſdem neceſſe eſt intrare in finem quem diximus, videlicet in hæreditatem æternam. Ampliùs. Communis eſt inquinatio totius generis humani, & quantùm ad originale peccatum, & etiam quantùm ad actualia, quia ſi in unoquoque naturalium individuorum generis humani non inveniatur actualiter omne genus peccati, potentialiter tamen invenitur in illo; non eſſet autem conveniens remedium, quod ſolùm magis actualiter exiſtentibus occurreretur, niſi ab imminentibus, & potentialiter occurrentibus per illud caveretur. Manifeſtum igitur, quia communis ablutio, & commune lavacrum exhibenda fuerunt generi humano. Ampliùs. Unius domus, unius civitatis, unus eſt ingreſſus, & porta: non enim diverſantur portæ in unaquaque civitate ſecundùm quòd portæ, hoc eſt ſecundùm eſſentiam ſuam, vel ſubſtantiam, ſed ſecundùm plagas, porta enim Orientis non diverſificatur ſecundùm ſpeciem à porta Occidentali, vel Meridionali, vel Septentrionali: quare in civitate Dei, quæ non eſt niſi populus Dei, neceſſe eſt unum eſſe ingreſſum à quacunque parte veniatur in illam; ingreſſus autem iſte initiatio, & ſanctificatio eſt vero nomine, ac veriſſima ratione, quare una eſt initiatio, atque ſanctificatio ingredientium in civitatem Dei. Ampliùs. Unum fœdus cum Deo de adhærendo ſcilicet ei, & una civilitas civitatis ipſius, videlicet obſervatio legis, & juris, quibus in civitate illa vivitur, nihil aliud eſt quàm ingreſſus iſte ſive indicet fœdus, ſive indicet populum, vel civitatem, quantùm ad ingredientes pertinet, niſi ſuſceptio cultus & legis ipſius, & hæc ſuſceptio non eſt niſi pactum verum, hoc eſt ex corde de iſtis ſervandis; quare ex neceſſitate unus eſt ingreſſus generalis in Dei populum, & civitatem, & ideò oportet, ut ſit etiam in ſignis, quæ ad hoc adhibentur minus. Signa enim hujuſmodi per quæ ſcilicet deſignatur pactum hujuſmodi, & roboratur, ſi diverſa fuerint per diverſitatem nationum, ſciſſuras, & alia mala, quæ ſupra diximus, introducent. Jam diximus in tractatu de Baptiſmo, quia omnibus ſignis convenientiùs eſt ablutio exterior in aqua facta, & cauſas in hoc dedimus; unde nullo modo approbanda eſt conſuetudo nubiorum, qui ſignum crucis, quam per uſtionem faciebant, pro baptiſmali ablutione imponunt, æſtimantes ſe per hoc in igne Spiritus ſancti baptiſari, in quo & divinæ auctoritati, & Evangelicæ veritati, Apoſtolicæque traditioni evidentiſſimè contradicunt, adinvenire etiam talia, Eccleſiam Dei eſt ſcindere quam neceſſe eſt exteriùs unitati ſignorum ſacramentalium eſſe conformem ſicut interiùs, una eſt non difformis, neque diſſimilis gratiæ unitate. Quòd ſi dixerit quis, quia multa diverſitas, & multa varietas invenitur in Eccleſia Dei, quia alij conjugati, alij continentes inveniuntur in ea, & quomodò uniri poſſunt tot diverſorum varietates, & novorum, & veterum? Reſpondemus, quia in eis, quæ ſunt de ſubſtantia, & veritate religionis nulla eſt in illa diſcrepantia, & ex eadem ſinceritate veræ religionis procedit tota illa varietas, ſicut appàret in uno, & eodem homine, qui ex timore, & amore Dei nunc peregrinatur, nunc paſcit pauperes, nunc induitur ſacco, nunc ſericis, nunc cantat coram domino, nunc plorat coram eo: ſic ex eiſdem ſpe, fide & charitate, & ex eadem prorſus interna, & vera religione procedit iſta varietas pulchritudinis. Neque intendunt ſecundùm Dei cultum, cùm transferunt ſe à ſeculari converſatione ad reli-

eſt indiviſa. — *Nota.* — *A ſimili.* — *Conſuetudo nubiorum quæ.* — *Quæſtio & ejus ſolutio.*

E gionem minus eſſe, vel omninò fieri non Chriſtiani, nec intendunt cultum Dei ſe imminuere, ſed augere, & contaminatione peccati ab admixtione ſecularitatis totaliter depurare: quemadmodùm dicit ſciens, & ſapiens Auguſtinus. Quoniam in via Dei alius ſic ibat, quemadmodùm, & per eandem viam, alius pedes, alius eques, alius exoneratus. Et iterùm Alius ſolus cum comitiva plerumque incedit, ſic & per eandem viam veriſſimæ, ac ſinceriſſimæ religionis ambulant omnium ordinum veri profeſſores ac ſervatores. Jam igitur declaravimus tibi quia communis debet eſſe initiatio, & ſanctificatio, quam requirit inquinatio, ſeu contaminatio generis humani, quemadmodùm ipſa ſanctitas quæ per eam intenditur, & quæritur & obtinetur, una eſt indiviſa, &
F communis omnibus. Et quia ſignum, quod hujuſmodi ſanctificationi adhibendum eſt, debet eſſe convenientiùs omnibus, & quia debet eſſe unum non diverſificatum propter periculum ſciſſurarum & aliorum malorum, quæ ſupra nominavimus. Patefecimus etiam tibi de ſigno iſto, & de his, quæ adhibentur cum ipſo, & hoc eſt omnibus ſignis ſanctificationi convenientiùs, quia igitur non decet creatorem, nec poſſibile eſt creatori facere, niſi convenientiſſimè quod facit nec decet eum, aut poſſibile eſt præferre minus conveniens convenientiori; neceſſe eſt igitur eum elegiſſe ſignum baptiſmalis ſanctificationis ad omnem initiationem totius generis humani; quare omnis ritus alius initialis ſanctificationis, & ritus eſt, & Deo diſplicens, ſolùm enim is quem deligit, ei placet. Nulli nationi nulli perſonæ licet aliũ ritum vel introducere, vel ſervare vel licuit ab eo
G tempore, quo ritum iſtum induxit creator, ſimiliter neque iſtum negligere, vel non ſervare à tempore antedicto, quare ab eodem tempore alius ritus perditionis eſt, & damnationis. Quòd ſi dixerit aliquis, nonne per ſolam fidem ſanctificabitur adultus, & ſalvabitur, cùm habere non poterit qui eum baptiſet? Reſpondemus, quia pœnitentia cum fide, & deſiderio baptiſmi ſupplebit in eo vicem baptiſmi, quantùm ad remiſſionem culparum, & perfectam emundationem ab ipſis, nec reputandus eſt eſſe ſine baptiſmo, qui finem habet, & deſiderium ipſius, unde & baptiſmum nominare conſueverunt ſacri Doctores pœnitentiam interiorem, ſive punctitudinem, vocantes eam baptiſmum flaminis. Cùm autem conſideraveris, quia totum genus humanum ardet à parte ſua inferiori, ardet inquam amore eorum,
H quæ carnis ſunt & mundi, amore inquam perverſo, & friget econtrariò à parte ſua ſuperiori, velut congelata, friget inquam ab amore ſpiritualium, & æternorum bonorum, apparebit tibi lucidiſſimè totum genus humanum, incendio pariter & extinctione egere, videlicet ut econtrariò frigeat, & ardeat. Quapropter adhibitione ignis & aquæ, ſicut ſupra tetigimus, & merſione in utrumque manifeſtiſſimè tibi videbitur indigere, ut ſe habeat ſicut debet, & ſicut requirit neceſſitas ſalutis; una autem, & eadem ſanctificatio, & inflammatio ejus eſt à parte perverſæ congelationis, & extinctio ejuſdem à parte perverſæ arſionis. Similiter una eſt, & eadem gratia ſanctitatis, & ignis ad diſſolvendum, & ſanctificata ad inflammandum in nobis perverſum gelicidium, & aqua eſt ad extinguendum in nobis perverſum incendium. Ampliùs. Eandem conſiderationem faciens, invenies in toto genere humano, non ſolùm peccatorum actualium adventitiam inquinationem, ſed etiam innatam, & profundam & adhærentiſſimam corruptionem, corruptionem inquam ſpiritualem, hoc eſt animarum interitum. Intelliges ergo naturam humanam interiùs non ſolùm ablutione qualibet, ſed fortiſſima, & penetrabiliſſima

Auguſt. — *Communis debet eſſe initiatio omnium.* — *Quæſtio optima.* — *Baptiſmus flaminis quid.* — *Nota.*

Digitized by Google

indigere, qua adventitias ſordes diluere ſufficiat, & A innatas prævaleat expurgare; quare neceſſarium eſt toti generi humano commune extinctorium, commune inflammatorium, commune lavatorium, communem habere fontem purgatorium, atque purificatorium, atque vivificum, communem fornacem ſanctiſſimi ardoris. Et ut ad unum dicamus, communem officinam gratiæ Dei, in qua fiant omnia, quæ ſaluti neceſſaria ſunt, in qua plena fiat ſanctificatio, & perfecta ſanctitas dignè intrantibus tribuatur: ſi quis autem quærat quare ritus communi ſaluti generis humani tam conveniens tamque neceſſarius tamdiu dilatus ſit, & tam tardè mundo impoſitus, & expoſitus? huic nos in hoc jam reſpondimus in tractatu de ſacramentis: ſi quis etiam quærat qualiter providebat miſerator Deus aliis nationibus, cùm ſoli generi Abrahæ pactum circuncifionis, & legem dediſſe videatur. Reſpondemus, quòd nullam ex nationibus deſpexerat, vel neglexit Deus, niſi quæ ſemetipſam neglexit, & ſalutem ſuam, prout curanda fuerat, non curavit: penè enim totus mundus eo derelicto in impietate idolatriæ obierat. ſed in partibus Orientis, atque Meridiei, necnon & Occidentis, & potiſſimùm in parte Ægypti fuerunt viri magni, qui Deum agnoſcerent, & colerent ritu, quem vel à patribus acciperent, vel quem divina revelatione, vel propria prudentia didicerant. Legimus etiam Melchiſedech ſacerdotem fuiſſe Dei altiſſimi; ritus tamen ſacrificij ejus non legitur, niſi quòd panem, & vinum offerebat, & hoc in 14. Gen. legitur: etiam legimus Abraham ante legem, & etiam ante pactum circuncifionis Deo placuiſſe, & ritum ſacrificandi quendam habuiſſe & ſervaſſe, & ab ipſo Deo altiſſimo accepiſſe, ſicut expreſsè continetur Gen. 15. Legitur & Job in 1. cap. libri ſui, filios ſanctificaſſe, & holocauſta pro ſingulis obtuliſſe, qui non de legalibus, C ſed gentilis fuit. Legitur etiam in geſtis Alexandri magni, Didymum philoſophum brachmanorum nobiliſſimum, omnia munera ſibi ab Alexandro miſſa recuſaviſſe, exceptis aromatibus ex quibus ſacrificium Deo altiſſimo obtulit. In lege verò quæ Macometi dicitur, quam & Saraceni profitentur, ſi tamen ei in aliquo credendum eſt quòd 20. prophetas miſerat Deus ad diverſas nationes ante adventum ipſius Macometi, ut prædicatione eorum ab erroribus ſuis apud omnes eſſet philoſophos nobiles de uno vero Deo, videlicet Deorum. Multa ſublimia, & Deo digna leguntur ex hiſtoriis librorum legalium; manifeſtum eſt tibi in Babylonia per Abraham primò, deinde per prophetas tempore captivitatis, & deindè per totam Meſopotamiam, & Syriam, totamque terram pronuſſiens, tandem in Ægypto per gentem Hebræorum, & mirabilia, quæ ibi operatus eſt altiſſimus non itiam ejuſdem fuiſſe. Quare non eſt dubitandum aliquem cultum honorificentiæ Dei altiſſimi, cultum quidem exteriorum operum oblationum, & ſacrificiorum eos ſervaſſe. Interior enim D cultus, qui in puritate, & devotione potiſſimùm conſiſtit, etiam parum doctis omni tempore fuit notus. Hæc autem omnia ideò congeſſimus, & longè plura prætereuntur, ut agnoſcatur miſericordiſſimum Deum ſemper curaſſe eos, qui curare, & curari ab ipſo prout decuit curaverunt, & qui tolerabili negligentia ſuæ ſalutis, atque impietate operum miſericordiæ illius auxilium non retulerunt: conſuluit igitur clementiſſimus Deus ſaluti electorum ſuorum ſemper, ſicut voluit. Verumtamen communi ſaluti totius generis humani nullo ritu generaliter proviſum ante inſtitutionem baptiſmi, & nullo ritu ſicut jam declaravimus, adeò conſequenter potuit provideri, nec dubitandum eſt alium modum Deo ſemper fuiſſe poſſibilem, & alios multos modos, cùm in ſolo

Communis officina gratiæ Dei

Quæſtio alia.

Melchiſedech.

Iob gentilis.

Didymus philoſophus.

Cultus Dei nunquàm defuit bonis & probis.

beneplacito illius tota poſita ſit ſalus, & perditio ſingulorum. Quòd ſi quis dixerit, quia deberent adhuc ſufficere ad ſalutem in utroque modernorum, quæcunque ſuffecerunt ad ſalutem antiquorum. Reſpondemus quòd non eſt verum. Non enim licet legē auctoritate divina impoſitam tantis ſanctorum teſtimoniis approbatam, tantis miraculis confirmatam, tot & tantis mundi partibus tam longis temporibus obſervatam, & ſuæ ipſius utilitatis, ac ſalubritatis evidentia tam acceptam, quemquam negligere vel mutare. Neque enim concutienda eſt veterum conſuetudinum ſuſcitatione religio, nec eſt ſcindenda diſcrepantiâ rituum Eccleſia. Jam igitur expedivimus nos hîc de ritu initialis ſanctificationis, & patefecimus, quia non eſt alius ritus conveniens communiter omnibus, & ſingulis ſanctificandis, ſed aliis ritibus uſi ſunt antiqui Sancti temporibus ſuis, & in B tractatu de baptiſmo multa diximus, quæ hîc induſtria prætermiſimus. Poſt hæc tranſibimus ad ſacrificia & dicemus in primis, quia ſacrificia animalium per ſe eſſe inutilia manifeſtum eſt, & nullam habere virtutem ad placandum Deum altiſſimum, vel impetrandam gratiam ipſius, nec habuiſſe unquàm, niſi quemadmodùm munus apud receptorem ipſius. Manifeſtum enim eſt non eſſe eam ligationem, ſeu vinculum inter animas immolantium animalia ipſa, quæ naturalia cogat, vel exigat, ut propter mortem animalium ſequatur mors peccati, quod totum in anima vel in animabus eſt, & propter conſumptionem ejus, quod in ſacrificio de animali immolato conſumitur, vel ſequatur conſumptio peccati, vel peccatorum. Neque ullo modo neceſſe eſt, ut paſſiones rerum immolatitiarum ſequantur ſimiles paſſiones in animabus operantium, vel aliquid immutetur aut innovetur in animabus offerentium ſive eorum pro quibus offeruntur animalia, propter aliquid quod fit in animalibus. Quare manifeſtum eſt mactationes, vel combuſtiones animalium ex propria virtute prodeſſe non poſſe animabus offerentium, vel eorum pro quibus offeruntur, vel ad mundationem à peccatis vel ad gratiarum inquiſitionem, munera verò apud receptorem nihil poſſunt, niſi vel placore ſuo, vel fervore donantis: & quidem quod placorem nullum apud Deum habeant animalia in ſe manifeſtum eſt, ſicut ipſemet dicit. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Nihil enim habent propter quòd placere debeant, vel poſſint, niſi aut utilitatem ad reficiendum, vel ſuavitatem guſtabilem ad delectandum, vel pretioſitatem ad ditandum, vel pulchritudinem aliquam ad ornandum: de his autem omnibus nihil ad creatorem, quare propter proprium placorem nullatenùs placere potuerunt unquàm creatori. Reſtat igitur ſi unquàm ei placuerint, quòd hoc fuerit propter offerentes propter devotionem, ſeu obedientiam offerentium, vel propter aliam utilitatem eorum placuerunt Deo altiſſimo talia, quantumcunque placuerunt. Quoniàm autem nihil odit eorum quæ fecit altiſſimus, & quoniàm generaliter odio habet iniquitatem; manifeſtum eſt, quia vita animalium nunquàm fuit odioſa, vita verò vitiorum, & peccatorum ſemper eidem odioſa, & inimica eſt, quare mors eorundem placita, ſeu accepta: quia verò ſacrificia duobus modis fiebant, videlicet mortificando, ſive gladio ſive igne, & igne quidem quatuor modis, videlicet comburendo, ſicut in holocauſto; aſſando ſicut in ſacrificiis, de craticula frigendo, ſicut in ſacrificiis: de ſartagine coquendo, ſicut in ſacrificiis de clibano, & in cornibus quæ coquebantur in calderis, ſeu in caldariis, ſeu lebetibus. Manifeſtum eſt quia apparatus iſte coquinarius Deo nunquàm per ſe placuit, ſed ſicut diximus, vel propter devotionem,

Sacrificia animalium fuiſſe inutilia.

Nota.

Immolatio hircorum nihil ad Deum.

Sacrificia per ignem quatuor modis.

Digitized by Google

tionem, & obedientiam offerentium, vel propter exercitationem eorundem, videlicet ut eſſent eis materia & occaſio rememorationis, vel propter inſtructionem ſeu eruditionem videlicet, ut in ſacrificiis ipſis legerent, quod in ſemetipſis Deo placere debent, vel propter conſervationem, & retentionem eorundem in cultu divino. Carnificina enim illa non parùm trahebat illos, atque ducebat in cultu creatoris, quemadmodùm & in idolatria adipes victimarum, & vina libaminum in idolatria multos retinebant, & ad eam convocabant, ſicut & hodie vides in confratriis noſtris fieri, in quibus ſi deeſſet præparatio coquinaria pauci vel nulli ad eas convenirent, vel propter alimoniam ſacerdotum, qui de hujuſmodi ſuſtentabantur. *Nota.* Mortificatio verò vitiorum, & peccatorum per ſe creatori ſemper accepta & placita & per ſe ſacrans, & ſanctificans facientem, & per ſe mundans, atque purificans ipſum: per ſe enim expellens execrationem, & auferens impuritatem, & immunditiam peccatorum, quia nihil aliud eſt mortificatio eorum, quàm ablatio ipſorum: quia igitur deſertio, ſive receſſus ab eis mortificatio eorum eſt, manifeſtum eſt, quia deſertio peccatorum, & receſſus ab eis, ſacrificium eſt Deo acceptum, ſicut legitur Eccleſiaſtici 15. Quia ſacrificium ſalutare eſt diſcedere ab omni iniquitate. Et iterùm. Beneplacitum eſt domino recedere ab iniquitate, & de peccato recedere, & ab injuſtitia. *Mortificatio vitiorum eſt ſacrificiũ.* Et quia iſta mortificatio non ſolùm placita Deo ſemper eſt, ſed etiam ſaluti humanæ adeò neceſſaria, ut ſine illa nec ſit, nec eſſe poſſit, manifeſtum eſt, quia ipſa per ſe & eſſentialiter eſt ſacrificium, & quia ipſa eſt ſacrificium juſtitiæ, quia ex neceſſitate debita, & quoniàm eſt juſtitiæ quam Deo ipſi de nobis facimus veriſſimè juſtificantes nos. Et iterùm eſt juſtitiæ, id eſt juſtificans dum injuſtitiam in nobis mortificat, & extinguit. Hæc igitur ſpiritualia animalia, vitia videlicet, & peccata, tam immunda, tam venenata, tam noxia ex neceſſitate in nobis occidenda ſunt, & quantùm ad nos pertinet à nobis, quorum vita, quia execrabilis eſt & execrans animas in quibus ſunt, erit ex neceſſitate mors eorum ſacra, & ſacrans eos in quibus, & à quibus fit: quia hujuſmodi ſacrificia ſpiritualia, quæ diximus, offerentibus ſemper neceſſaria fuerunt, & nunquàm neceſſaria fuerunt ſacrificia animalium literalium, ſeu materialium, nec unquàm ſunt neceſſaria inquantùm ad emundationem: manifeſtum eſt, quòd poſtquàm iſta offeruntur, neceſſe habent illa ceſſare tanquàm ſuperflua quantùm ad emundationem, & ſanctificationem; quare quàm citò iſta impoſita, & expoſita ſunt, ceſſare oportet illa, & ideò ſpirituali populo interdicta ſunt meritò, evangelio coruſcante: ſpirituali enim populo hoc eſt ſpiritualia cognoſcenti, nec neceſſaria ſunt ad eruditionem, neque ad emundationem, vel ſanctificationem, neque ad eas quas diximus, ſcilicet ad conſervationem & retinentiam in Dei honorificentia & cultu, neque ad alimoniam ſacerdotum, cùm aliàs, & meliùs & honeſtiùs provideatur ſacerdotibus ſpiritualibus. *Nota.* Quare manifeſtum eſt nullo modo ea eſſe neceſſaria, Deo autem accepta, vel placita impoſſibile eſt eſſe, niſi propter utilitatem populi ſui: ergo manifeſtum eſt, quia facto ſpirituali populo, nec Deo placita ſunt, ut ei offerantur ab hujuſmodi populo, nec ipſi populo expedit, vel utile eſt, immò oneroſum, atque ſupervacuum: quare ſpirituali populo non tam dimittenda ſunt, quàm etiam interdicenda. Quòd ſi dixerit quis, quoniàm adhuc & totus populus Judaicus carnalis eſt, & magna pars Chriſtiani populi, ergo neceſſaria ſunt adhuc hujuſmodi hominibus carnalia illa ſacrificia. Reſponde-

A mus, quia culpa ſua carnalis eſt quicunque carnalis eſt, cùm ſpiritualis eruditio, & doctrina nulli deſit; *Nemo carnalis, niſi propria culpa.* carnalitas verò quæ culpanda eſt, etiam modis omnibus deſerenda eſt, ſacrificiiſque carnalibus nullatenùs nutrienda, ſed ad ſpiritualia non tam provocanda, quàm etiam compellenda: carnalia verò ſacrificia, carnalitatem in hominibus potiùs nutrirent, quàm tollerent, & ideò nullo modo reducenda, ne in populo Dei fiat ſciſſura, quam diximus, aliis ſervilibus innitentibus, aliis ſpiritualia ſola quærentibus, atque ſervantibus. Si quis autem quærat, quare animalia munda occidi ſibi dominus præcepit, cùm ea quæ munda ſunt in hominibus teneri, conſervari, roborari, & augeri velit, & munda illa animalia ſignificent dona gratiarum ſuarum, & virtutum. Reſpondemus, quia nihil adeò eſt mundum in hominibus, quod non mundatione indigeat, vel quod emendari B non poſſit, ſicut legitur Iſaiæ 64 Quaſi pannus menſtruatæ juſtitiæ univerſæ noſtræ. Apocalypſis ultimo. Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc. Vel quia illa animalia, etſi munda eſſent, id eſt non polluta idolatriis, vel ſortilegiis gentium, tamen habebant immunditias naturales quibus noſtræ immunditiæ ſpirituales ſignantur, ut in tauro eſt cervicoſitas, in ariete effeſtas, hoc eſt cornibus feriendi levitas, ſpiritualia noſtra ſignificant, ſcilicet ſuperbiam, id eſt cervicoſitatem, ſeu contentioſitatem: vel occidebantur munda animalia pro impetranda, ſeu conſervanda, roboranda, & augenda juſtitia, ut propter hoc eo ipſo agnoſcerent qui offerebant, non aliter in Dei *Nota.* partem tranſire, niſi mundos ſe eidem offerrent, & non aliter ad ipſum pervenire poſſe, niſi per ignem ſpiritualem & gladium, quibus ingreſſus paradiſi primis parentibus prohibitus eſt, vel quod eſt ſublimioris ſignificantiæ, ut non aliter ſe vivere Deo poſſe, niſi ſibi morerentur offerentes agnoſcerent. Sicut igitur animalia illa per mortem corporalem *Simile.* C pars Dei efficiebantur, ſic & omnes electi per hujuſmodi mortem ſpiritualem. Jam igitur patefecimus tibi eſſe utilitatem ſacrificiorum legalium, ſeu literalium, & cauſas aſſignavimus, & tempus durationis eorum, atque ceſſationis ipſorum, & prohibitionis, quod eſt tempus prolationis ſacrificiorum ſpiritualium, & internæ ſanctificationis, & oſtendimus tibi etiam inutilitatem eorum, quòd videlicet in ſemetipſis deficiunt ab omni virtute ſanctificandi, & ab omni gratia & planatione, quibus aliquod obtineatur, vel impetretur à Deo altiſſimo; & de his aliqua diximus in expoſitione litteræ legis Hebræorum. Nunc autem addemus alias declarationes, & oſtenſiones, cùm dicemus, quoniàm per ſe eſt, id quo poſito ponitur, & quo remoto removetur, ſicut dicit Ariſtoteles, & per hoc per ſe ſacrificium eſt, quo *Ariſtot.* poſito ponitur id, propter quod eſt ſacrificium: id D autem propter quod eſt ſacrificium eſt repropitiatio Dei altiſſimi, hoc eſt propitiationis impetratio, quod eſt ut Deus habeatur propitius ad præſtandum, quod ab eo petitur, & propter hoc ſacrificium eſt munus Deo immediatè oblatum; propitiationis ejus impetratorium, immediatè dicimus, propter eleemoſynas, quæ etſi interdùm oblationes Dei factæ, ſacrificium Dei interdùm inveniantur, impropriè tamen ſacrificia ſunt; quare manifeſtum eſt quòd ſacrificium laudis eſt laus ipſa, ſicut & hoſtia vociferationis; unde & vituli labiorum vocantur pſalmi, & aliæ cantationes Eccleſiæ, ſicut Oſeæ ultimo. Reddemus vitulos labiorum noſtrorum in ultimo ad Heb. *Oſeas 14.* Quia igitur poſitis hujuſmodi ſacrificiis quæ diximus, ponitur Dei propitiatio, & remotis removetur; manifeſtum eſt iſta eſſe propriè, & per ſe, & immediatè ſacrificia. Ampliùs.

Digitized by Google

A Nil juſtius eſt quantùm innocentiæ parcere, quare nihil habet juſtitiæ innocentem occidere; occiſio igitur animalium innocentium non eſt ſacrificium juſtitiæ. Ampliùs. Cùm ratione culpæ ſolummodò debeatur pœna, ſoli igitur illi debeatur pœna, in quo eſt culpa; quia igitur ſoli homines peccant, non animalia iſta, ſolis hominibus debetur pœna, juxta illud. Quid meruere boves? Quare ſolis animalibus, & jumentis mortuis, & peccantibus hominibus omninò impunitis, adhuc remanet debitum pœnæ penes homines; quare nec ſolutum, nec remiſſum eſt per hujuſmodi pœnam animalium. Quòd ſi dixerit quis, ſaltem pœnam damni delet omne debitum iſtud vel remiſſum vel ſolutum, nihil dicit, quia ſine ſacrificio pœnitudinis interioris in adultis, pœna damni omninò nihil remiſſionis operatur: alioquin pauperes & omninò nihil habentes, immunes

Nota.

B eſſent à peccatis; accideret etiam ſecundùm hoc, quòd latrones, & raptores, & prædones juſtificarent, & ſanctificarent homines. Si pœna damni, per hoc, quod eſt pœna damni, operaretur remiſſionem omnium peccatorum ad ſolutionem ſpiritualium debitorum. Ampliùs. Nihil à nobis requirit divina juſtitia, niſi ut mala noſtra id eſt vitia, & peccata deſerámus, occidentes ea, & mortificantes in nobis, & ut virtutes, & alia dona, gratiarum ipſius ab ipſo obtinentes, ſecundùm ea vivamus, & in iſtis duobus perfectè conſiſtit ſanctificatio noſtra. Perfectè enim ſanctum eſt, in quo & mala illa mortificata ſunt, ac ſi nunquàm fuerunt in illo, & bona & ſupradicta vivunt, cui autem alterutrum eorum deeſt, proculdubiò ſanctus non eſt. In quo autem gratia non vivit, bonus non eſt ea bonitate, quam hic intendimus: bonitate ſiquidem naturali boni

Quid à nobis requirat divina juſtitia.

C fuerunt Eva & Adam ante peccatum, non autem bonitate gratiæ ſtatim ut creati ſunt: iſta ergo duo genera operum, videlicet mortificativa malorum, & effectiva bonorum dicimus eſſe duo genera ſacrificiorum. Et primum genus pertinet ad pœnitentiam, & ſecundum ad diſciplinam: his enim duobus mala in nobis perſequimur, & occidimus; & ut dicitur hoc in genere ſunt timor & dolor, pudor & ira, qua contra noſmetipſos in Dei vindictam accendimur: ſimiliter & omnes hujuſmodi affectiones, videlicet indignatio, abominatio, aſpernatio, deteſtatio, execratio, averſio, odium. Omnia enim hæc in exterminium peccatorum ſunt, & pœnitens ſecundùm quod verè pœnitens, his omnibus, vel aliquibus, vel aliquorum eorum mala præterita in ſe perſequitur, & unumquodque eorum ſacrificium eſt Deo acceptum, & ſacrificium juſtitiæ, quoniàm ma-

Adam & Eva bonitate naturali boni fuerunt ante peccatum.

D ctatio eſt peſſimi animalis, & ideò inimici eſt, cui parci, ſalvâ juſtitiâ, ſine injuria creatoris impoſſibile eſt. Eodem modo, & diſciplina in illis intentionibus velut armis, velut fuſtibus, & gladiis utitur ad diſperdenda de humana anima hujuſmodi immunda animalia, ſed & omnes virtutes animalia iſta perſequuntur, & pro poſſe mortificant, & cùm ampliùs non poſſunt ſaltem captivant, vel ut ea ne regnent, reprimunt, & eiſdem reſiſtunt, ſicut dicit Apoſtolus in 10. 2. ad Cor. In captivitatem redigentes omnem intellectum, extollentem ſe adverſùs ſcientiam Dei in obſequium Chriſti. Et iterùm in 6. ad Romanos. Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Et in 4. ad Coloſ. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Scire tamen debes, quòd utrunque iſtorum videlicet captivatio & repreſſio, quam diximus, repreſſio ſcilicet, qua prohibetur regnare peccatum, mortificatio eſt peccati, etſi non omnimoda: mortuum enim reputatur omne peccatum, quod vitam gratiæ non exti-

2. Cor 10.

Rom. 6.

Nota.

A guit; tunc enim nec vitam gloriæ auferre poteſt, quare mortuum reputatur, cùm non regnat. Quia igitur per ſe manifeſtum eſt, quòd mors & occiſio animalium omninò non placat Deum, peccatis, & vitiis ſic viventibus, & omninò illæſis animalibus, & rebus quibuſcunque: manifeſtum eſt, quòd hanc ſolam mortem in nobis & à nobis Deus per ſe, mortem verò animalium, & deſtructionem quarumcunque rerum, ſicut thuris, & thymiamatis, & aliorum hujuſmodi nunquàm Deus requirit per ſe, aut propter ſe, ſed propter hanc, quam diximus mortem, ſcilicet vitiorum & peccatorum, ſine qua inutilis omninò eſt illa; quare intantùm ſolummodò utilis fuit mors animalium, inquantùm ad hanc præſtabat aliquod adminiculum, per ſe autem aliud adminiculum nec præſtare poterat, nec unquàm potuit, niſi causâ inſtructionis, &

Mors peccati à nobis requiritur.

B ſignificationis, quare revelatione veritatis inſtructo Dei populo, penitùs inutilia remanſerunt, & ideò ceſſante illo tempore, ceſſare debuerunt, ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræos 9. In variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis. Ampliùs. Quid eſt ſupervacuum, & ſuperfluum, niſi illud quo poſito nihil additur utilitati, propter quam ponendum eſt, & quo remoto nihil detrahitur utilitati propter quam removendum eſt: tota autem utilitas ſacrificiorum eſt propitiatio creatoris, quare cùm per ſacrificia ſpiritualia, quæ diximus, ſola ſufficienter obtineatur iſta utilitas, & per illa animalia nihil de illa addatur; manifeſtum eſt illa eſſe inutilia per ſe. Ampliùs. Cùm hujuſmodi ſacrificia animalium offerantur ab iniquis, clament autem omnes prophetæ, quia dona iniquorum non

Supervacuum quid.

C probat altiſſimus, ſicut legitur Eccleſiaſtici 34. Si quis autem quærat, quare tempore legis à viris ſanctiſſimis, & hujuſmodi inſtructione, vel ſignificatione non indigentibus ſervarentur. Reſpondemus, quia toti communitati populi Hebræorum impoſita fuerunt, & ſaltem ſymbolum obedientiæ, & devotionis in illis acquirebant viri ſancti & eruditiſſimi, ſimplices verò, & rudes inſtructionem, quam diximus; præter iſta duo bona, etſi viri ſancti ab eis recederent, duos fructus, quos diximus amitterent, & legis tranſgreſſores fierent, inſuper ſciſſuras in populo Dei facerent, & ſcandalum magnum tempore illo. Ipſa etiam ſacrificia contemptibilia redderent minoribus, quare ſequeretur diſſipatio legis ex toto, quantùm ad ſacrificia, & ſacerdotum egeſtas, & ſciſſura, & eſſet ſcãdalum in populo, aliis ſacrificia illa contẽnentibus, aliis illa honorantibus, & offerentibus. Ampliùs. Qui ſine

D mactatione vitiorum offerebant animalia manifeſtum eſt, quia ſeipſos immolabant vitiis, & propter hoc dæmoniis: animalia enim offerebant creatori, & ſic ſe dividebant, ſicut Caïn ex 4. Gen. Quare interiùs exercebant ſpiritualem idolatriam, exteriùs autem Dei culturam. Quis autem dubitat, quin vacare luxuriæ, & eis, quæ luxuriæ ſunt, ſit Venerem colere, & ejus idolatriam ſpiritualiter exercere? & ad hunc modum de aliis; quare manifeſtum, quòd per exteriorem cultum ſolum non recedebatur à cultura dæmonum, niſi forſitan exteriùs, cùm interiùs corda per vitia, & peccata, & dæmonibus offerrentur, & in vitiorũ, & peccatorũ operibus corpora humana ſervirent eidem. Quare manifeſtũ eſt, quia nec vera latria, nec verus Dei cultus fuit per ſe ritus ſacrificiorum; verus enim cultus Dei omnem ſuperſtitionem exterminat, & ſecum eſſe non patitur, & ipſos exercentes etiam ſacrat, atque ſanctificat. Ampliùs. Cùm hujuſmodi ſacrificiorum ritus per ſe exercentes non ſacret, aut ſanctificet, nec per ſemetipſum Deo placeat,

Luxurioſi venerem colunt.

placeat, propter neutram iſtarum cauſarum impoſitus eſt populo Judaico: propter cauſam igitur, quæ erat apud populum illum. Quæ autem cauſa poterat eſſe apud populum, propter quam non imponeretur ei per ſemetipſum ritus, ſeu cultus acceptus Deo, ac per ſe ſanctificans exercentes, cùm talis eſſet maximè neceſſarius, & maximè ſalutaris, niſi incapacitas, & imperfectio populi illius, quia nondùm vixerat in ritu ſublimioris, atque divinioris cultus. Unde poſtmodùm per prophetas paulatim ad ſpiritualem cultum & interiorem ſanctificationem invitati ſunt, ſicut apparet Hieremiæ 4. ubi dicitur. Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Circuncidimini domino, & auferte præputia cordium veſtrorum. Et iterùm ejuſdem 5. Ecce incircuncifæ aures eorum, & audire non poſſunt. Et iterùm ejuſdem nono. Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Iraël incircuncifi ſunt corde. Jam igitur manifeſtum eſt, quia nec veritas, nec virtus, nec ſalubritas hujuſmodi ſacrificiorum cauſa fuit, ut imponeretur populo Hebræorum, ſed ſicut generaliter verum eſt, quia pro rudibus, & novitiis perfecta ab initio non traduntur, vel imponuntur, immò minima quædam, & levia & omnia perfectionem non habentia, ſola imperfectio eorum efficit: ſi enim æquè capaces eſſent ad majora & minora, à ſapientiſſimo inſtitutore potiùs imponerentur eis majora, quàm minora. & perfecta, quàm imperfecta, & magis utilia, quàm minus. Ampliùs. In ſchola doctrinæ, & in ſchola virtutum paulatim proficitur, traditiones autem ſemper proportionales debent eſſe profectibus: quare ſicut proficiebat ſera eruditione populus ille; ſic majora, & minora eidem gradatim imponenda erant; & doctrinæ legis ſucceſſit doctrina prophetarum, tanquàm perfectioni vicinior: tandem autem advenit Evangelicæ perfectionis excellentia, ultra quàm non eſt, quo ſe extendat in vita iſta perfectio ſanctitatis, & ideò prænominata rudimenta, & initialia in adventu ejus penitùs ceſſaverunt, & interdicta ſunt toto orbe communiter ad perfectionem ſpiritualem per Apoſtolos invitante, & miſeratore Deo toti mundo per eos perfectionis Evangelicæ gratiam offerente, & gratiarum diluvium in ablutione ipſius eis qui ad eam recipiendam ſe præparare conati ſunt, mundante, & ſicut alibi diximus gratiarum fonte ſeptem ſacramentis, quaſi ſeptem fluminibus eos purificante, ſanctificante, atque replente. Poſt hæc autem proſequemur ſacramenta, & ſacrificia ſpiritualia noſtra quæ Deo altiſſimo offerre debemus, quibus ſolis, & non aliis eidem placere poſſumus, & quæ offerentibus quæcunque ſibi ſalubria, vel neceſſaria concedunt. Verum igitur, & generale ſacrificium, quod Deo in primis eſt, & maximè offerendum, & quod Deus maximè & in primis requirit, & quo non oblato non acceptat quod aliquid ei offeratur, eſt unuſquiſque noſtrum: oblatio autem iſta tribus modis fit. Primùm cùm jugum ſacratiſſimæ ac liberrimæ doctrinæ ſervitutis ſuæ ſuſcipimus, tunc enim & pars ejus efficimur, & ſacramur ſimul, ſeu ſanctificamur: omne igitur ſacrificium, quod Deo ritè offertur, ipſa oblatione & Deo ſanctificatur, & pars ejus efficitur: ſic fit & in nobis cùm Chriſtiani efficimur, quia per manus baptiſantium Deo oblati & ſanctificamur, & pars Dei efficimur, ſicut dicit Apoſtolus ad Coloſ. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum filij dilectionis ſuæ. Et iterùm. Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. De his autem, qui religiones ingrediuntur, unuſquiſque eorum dicitur quia domino offertur holocauſtum: holocauſtum autem dicitur ab holon quod eſt totum, & cauma quod eſt incendium, quaſi totum incendium, ſeu incenſum: holocauſtum autem propriè dicebatur ſacrificium, quod totum igne conſumebatur, de quo nihil relinquebatur incombuſtum; ſic & iſti nihil de ſe, vel de ſuis relinquunt quod in igne ſanctæ dilectionis eadem vice non offerant; nemo autem dubitare poteſt, quin & Deo offerendi ſimus, & quin etiam ejus totaliter effici debeamus, & quin hujuſmodi oblatione qua Dei efficimur, ſacremur, & ſanctificemur. Secundum ſacrificium eſt pœnitentiæ, ſeu diſciplinæ, quarum videlicet præſentia, vetera vitia, atque peccata mactamus, altero verò id eſt diſciplina dona gratiarum, & virtutum in nobis cuſtodimus, & vitia, atque peccata, quominùs in nobis oriantur, aut creſcant, ſaltem debita vigilantia præcavemus. Tertium ſacrificium eſt orationis, in quo intelligimus etiam ſacrificium laudis; non enim eſt uſquequaque perfecta oratio, quæ laudem non habet, & quamdiu durat corruptio in qua ſumus, ſemper invenit unaquæque virtus in nobis, quid Deo mactet, & occidat; ſemper enim invenit fides obmurmurationes, vel ſenſuum exteriorum, vel interiorum, ſcilicet, qui eſt intellectus contra veritatem Dei. Officium autem fidei eſt opus proprium mortificare, hoc eſt imponere eis ſilentium; & propter hoc non ſolum victorioſiſſima eſt fides in ſacramento altaris, ubi & ſenſus exteriores, & ſenſus interiores, prout diximus, omnemque contradictionem philoſophorum, & hæreticorum admirando triumpho vincit, & ſuperat; ſicut & immolatrix opulentiſſima atque ditiſſima, quæ tantarum belluarum carnificinam offert Deo, & immolat; ſic diſciplina intellectus vanarum, & immundarum, & noxiarum cogitationum ſtragem innumeram mactans, & exterminium in ipſis faciens, mortem illarum jocundum Deo ſacrificium exhibet, ſpiritui ſancto habitaculum intellectus pacatum, & quietum efficiens, ipſum quodammodò ibidem retinet, ne recedat; maximè autem eidem gratum ſacrificium faciens de mortificatione cogitationum venientium à ſpiritu blaſphemiæ, quorum improbitas maximè inquietat, & contriſtat in quibuſdam ſpiritum ſanctum, & interdùm extinguit, non quidem eſſentialiter, ſeu perſonaliter, ſed propter gratiam ejus, quæ ſic extinguitur interdùm, ſicut dictum eſt, & ſcriptum Sapientiæ 1. cap. Sic timor Dei aquas concupiſcentiarum mortificat, velut frigus ſpiritualem tremorem incutiens eos congelat, & movere, vel fluere non ſinit, & propter hoc ſuo tremore illas Deo immolat; propter quod in pſalmo dictum eſt. Confige timore tuo carnes meas; ſic ſpes terrores, & minas, quæ ſunt à parte carnis, & mundi; ſic charitas omnia odia, & mala quæ ſunt odiorum, ut lites, rixas, & bella & ad hunc modum de aliis interioribus, ut benevolentia invidiam, & quæ invidiæ ſunt, pax turbulentiam, & iram, & quæ eorum ſunt, & de exterioribus idem eſt videre, ut diſciplina oculorum illicitos aſpectus, & diſciplina aurium illicitos auditus, & diſciplina oris illicitos, & inhoneſtos guſtus, ſimiliter illicitos, & inhoneſtos, & otioſos ſermones, & ad hunc modum de omnibus aliis, quæ per corpus aguntur, & inde quia omnes occiſiones, & victoriæ ſunt inquantùm per certamen, & bellum fiunt, & ſacrificia ſunt inquantùm propter ſanctificationem ſecundùm ipſius Dei honorem fiunt: manifeſtum igitur eſt tibi,

Carnalis & rudis populus Hebræorũ. *Hiere. 4.* *Traditiones proportionantur profectibus.* *Evangelica perfectio.* *Septem ſacramenta, ſeptem fontes.* *Oblatio ſuiipſius verum ſacrificium.* *Holocauſtum unde.* *Holocauſtum quid.* *Fidei officium.* *Sap. 1.* *Timor Dei quid faciat.* *Pſal. 118.* *Vera ſacrificia.*

Digitized by Google

quia ſacrificia noſtra nos emundant, & ſanctificant intùs, & exteriùs, & Deo gratum obſequium ſunt, cui ſemper grata, & placita eſt mortificatio peccatorum; propter hoc diximus, quia ſingulæ virtutes offerunt Deo munera placita ex nobiſipſis, ſicut fides offert Deo intellectum illuminatum, ſaluberrima veritate purificatum à tenebris ignorantiæ & errorum, & cautum à claudicatione, quam ſupra expoſuimus, & fortem à debilitate dubietatis, & opinionis, quam ſimiliter ſupra declaravimus. Offert etiam ipſum devotum, & incurvatum per obedientiam ad divinæ auctoritatis venerationem, & ad veritatis, quam ſupra fundamentalem nominavimus, receptionem, & in his omnibus, quæ diximus, fides ipſa exiſtens ſanctitas intellectus, ſanctificans ipſum caput mentis id eſt intellectum, & ſacrificans ipſum id eſt mactãs, & hoc duobus modis quibus diximus, videlicet mortificans ipſum quãtùm ad vitia, & peccata ipſius, & quantùm ad ſeipſum, videlicet ut ſibi mortuus Deo vivat, & hoc eſt commune omniũ virtutum Similiter & Spes offert Deo altiſſimo totum ſecurum, jucundum, & tripudiantem affectum, tanquàm ceruum ſalientem quaſi agnos ouium: Charitas verò tria ſacrificia illa offert, quæ nominantur Levitici. 1. Juxta tres ramos ſuos, quorum primus zelus eſt, quo ad Dei contumelias cor per eam uritur, & aſſatur Secundus, pietas quâ ad tribulationem, ſive ad ſpiritualem, ſive temporalem proximorum cor frigitur in oleo, ſcilicet miſericordiæ per ignem ſupernæ dilectionis. Tertius eſt benevolentia, per quam piis deſideriis cor coquitur, & quodammodò velut panis ſuaviſſimus Deo offertur: per ſe autem notum eſt nihil Deo fragrare ſuavius aut ſapere, quàm cor quod zelo ejus ſic uritur, comparatione proximorum ſic frigitur, pijs deſideriis ſic coquitur, & in his omnibus, & ſimilibus, quæ metu prolixitatis præterimus, & adeò evidens eſt veritas, ut probatione non egeat; ſic de ſpiritu contribulato, quoniàm ſit Deo acceptiſſimum ſacrificium, nullus intellectus permittitur dubitare. Eſt enim tribulatio cordis, non ſolùm mortificatio vitiorum, & peccatorum, ſed etiam cordis ſpirituale martyrium, quod gladiis peccatorum ex omni parte confoditur, & ex omnibus compunctionibus iſtis, atque vulneribus ſuaviſſimos dolores, atque Deo gratiſſimos ſuſtinet. Si enim martyrium corporis Deo acceptum eſt, multò fortius martyrium cordis. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc quæ diximus, quia duo genera ſacrificiorum ſpiritualium offeruntur Deo altiſſimo per unamquamque virtutem, quorum alterum eſt interiùs vitij contrarij; alterum autem eſt fructus, & operatio propria ipſius virtutis. Unaquæque enim virtus ratione contrarietatis mortificat vitium ſibi contrarium, & peccatum, & nihilominùs ex ſe velut de fonte vivo, atque puriſſimo, emanationem propriæ operationis emittit; ſic de charitate, velut de fonte vivo, atque puriſſimo, tres emanationes effluunt, quarum prima zelus eſt, ſive zelari, ſecunda, compati, ſive condolere, tertia, bonum aliis appetere, ſeu deſiderare: ſunt & alij ex eodem fonte ſacratiſſimo perfluentes rivi puriſſimi, fratres optimi præcedentes, quos hîc nos de induſtria præterimus. Præter autem emanationes iſtas, & fructus ex eadem virtute offertur Deo altiſſimo mactatio, ſive mortificatio omnium vitiorum, & peccatorum, præſertim directè charitati repugnantium. Si vis autem ad aliquid videre, quæ diximus, imaginare virum ſanctum, & diſciplinatum, & fac de eo diligentem conſiderationem, & apparebit tibi evidenter animal eſſe, in quo nihil vacat à ſacrificio; totam enim mentem ipſius impleverunt illa duo genera virtutum, quæ diximus, totum corpus ejuſdem occupant exteriora opera virtutum, & propter hoc velut agnus eſt aromatibus virtutum, & gratiarum repletiſſimus, ac fragrantiſſimus totaliter, quantùm ad vitia, & peccata mortificatus, detruncatus, ac circunciſus, cùm in eo nihil ſuperfluum, nihil fœtidum, nihil inordinatum omninò relictum ſit, & propter hoc totus eſt in ſacrificio, totus ſacrificium, totus oblatio; cujus exemplar Chriſtus dominus eſt in cruce pendens, in quo nihil à martyrio, vel ſacrificio vacavit. Primum igitur, ac principale ſacrificium, quod à nobis requiritur, noſipſi ſumus, ſine cujus oblatione nihil, quod Deo offerimus, placitum eſt, vel acceptum, cujus placatione alia Deo accepta, & placita ſunt, propter quod dictum eſt Geneſ. quarto. Reſpexit dominus ad Abel, & ad munera ejus & ſecundùm aliam literam inflammavit dominus ſuper Abel, & munera ejus, non eſt dictum ad munera Abel, & poſt ad Abel, quia propter Abel accepta fuerunt Deo altiſſimo munera, non Abel propter munera. Secundum ſacrificium eſt operum interiorum ſicut illud eſt. Cor contritum, & humiliatum ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Tertium eſt operum exteriorum, videlicet, quæ per corpus aguntur, & quia horum duo ſunt genera ſacrificiorum iſtorum, videlicet ſacrificia paſſionum, & ſacrificia actionum, & in ſacrificiis paſſionum excellit martyrium; martyrium enim eſt paſſio conſummata ultra quàm nulla: Sacrificia verò actionum evidentiora ſunt in operibus diſciplinæ clauſtralis, ſicut ſunt operationes vigiliarum, pſalmodiarum, laborum etiam corporalium quales habet Ordo Ciſtercienſium. In his autem ſacrificiis excellit oratio cum partibus ſuis, cùm perfecta fuerit, excellit inquam quantùm ad pinguedinem devotionis; doctrina autem, & prædicatio excellunt, quantùm ad fructum; in doctrina enim, & prædicatione ſincera, atque devota non ſolùm offeruntur verba, & labor, qui in utriſque ſuſtinetur, ſed etiam ipſi auditores, qui per eam convertuntur. Verus enim atque ſincerus doctor, ſeu prædicator, verus occiſor, & mactator, & verus manducator eſt animalium mundorum, ſicut legitur Job 4. Concident illum amici, divident illum nego iatores, & Actuum 10. Occide Petre, & manduca. Occiſor inquam, & mactator in gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei ſicut legitur ad Epheſ. 6. & Hierem. 48 Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, & in pſalmo gladius in labiis eorum, & quoniàm nec ſaporem, nec odorem habent ſuavitatis ſacrificia, niſi ex virtutibus, & gratiis, vel quæ ſunt, vel ex quibus ſunt: nulla autem ſacrificia virtutes ſunt, vel ex virtutibus, niſi quæ nominavimus, & numeravimus, manifeſtum eſt nulla eſſe ſacrificia, quæ ſaporem, aut odorem ſuavitatis habeant præter hæc, quæ nominavimus & numeravimus. Ampliùs. Cùm ſacrificium nihil placationis habeat niſi ex virtutibus, vel gratiæ condimento; non enim ſunt aromata alia, quæ ad nares Dei aliquid ſuavitatis, vel boni odoris transmittant, quàm gratiæ, vel virtutes; quare ſola ſacrificia de quibus agimus placationem habent, quo Deo accepta ſunt, & non alia, quare in nullis aliis, vel placatur Deus, vel placetur Deo. Hæc autem ſunt quæ offert Eccleſia Catholica, quare ſola ſacrificia Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt Chriſtianæ, Deo altiſſimo accepta ſunt, & placatoria. Ampliùs. Quia nihil quod apud homines ſit, vel in hominibus eos ſacrat, vel ſanctificat, niſi virtutes, & gratiæ, aut opera quæ ſunt ex illis: ſacrificia autem hominis veri ſacrant, & ſanctificant offerentes, immò nulla alia placent Deo, vel placant Deum. Attende autem, quia ſacrificium domini Salvatoris, quod in ara crucis patri miſeri-

Spes.

Charitas. Levit. 1.

Spiritus contribulatus verũ ſacrificiũ.

Riuuli charitatis.

Primum verum ſacrificium.

Gen. 4.

Secundũ. Pſal. 50. Tertium.

Martyriũ quid.

Doctrina prædicationis.

Act. 10.

Epheſ. 6. Heb. 43. Pſal. 58.

Nota.

Sacrificiũ Salvatoris

noſtri in aracrucis. cordiarum pro reconciliatione mundi obtulit, quod ipſemet fuit, velut tota apotheca ſpiritualium aromatum conditiſſimum, fragrantiſſimum, hîc non tangimus, nec ipſum (cùm de communitate generis humani aut univerſitate hominum loquamur in præcedentibus ſermonibus noſtris) apprehenſum intelligimus, quantùm, & ſacrificiis ipſius, & condimento gratiarum, & virtutum eminentiſſimatum placuit, eouſque, quòd Deum mundo placare potuit.

CAPUT XXIX.

Duo templorum genera ponit, alterum vivum, & verum, alterum mortuum, & materiatum. Poſteà tranſit ad ſacra exteriora, quæ in hoc poſtremo templo fiunt, ſeptem eorum modos enumerans. Et primùm de proceſſione, quæ miſſæ celebrationem præcedit, & quid ea rudibus ac ſimplicibus, quid etiam doctis inſinuet, item quid ſignificet apparatus ipſius proceſſionis & ſonitus campanarum in ea, & laudum decantatio & aquæ benedictio, & item alia exteriora ſacra, quæ ſunt interiorum ſigna quædam, quid ſignificent, quorum quintuplicem utilitatem oſtendit.

POſt hæc autem loquemur de ſacris de quibus jam diximus, quia ſacra per ſe ad divinæ honorificentiæ cultum pertinent, immò ipſa ſunt cultus ipſe. Et quia honorificentia divini cultus in templis maximè & agitur, & exercetur: quia verò duorum genera templorum ſunt divino honori, & cultui deputata, neceſſariò erunt & duo genera ſacrorum. Et *Duo genera templorum.* duo genera templorum ſunt, alterum vivum, & verum, quod eſt totus cœtus Sanctorum, & unuſquiſque eorum, alterum verò mortuum, videlicet ex mortuis lignis, & lapidibus, & hoc eſt ad vivum, & verum templum ſicut figura ad veritatem, quare cultus ejus ad cultum illius ſimiliter; proportionabilium enim, ut ait Ariſtoteles, ſi alterum eſt, alterum eſt, proportionabilia ſunt templa iſta cultibus, ſeu culturis. Cùm igitur ſimiliter ſe habeant ad cultus ſuos, erit permutatim quia ſicut templum ad tẽplum, ita cultus, ad cultũ, & propter hoc, quia templum & figura eſt, & imago latriæ, erit latria verus atque liber cultus. Evidens autem eſt iſtud in dedicatione Eccleſiæ, & reconciliatione ejuſdem; dedicatio enim ſive conſecratio Eccleſiarum figura eſt dedicationis, *Dedicatio Eccleſiæ quid.* ſive conſecrationis baptiſmalis, & reconciliatio Eccleſiarum reconciliationis pœnitentialis, quod facile eſt videre intelligentibus, & exercitatis in his. Et quia ſicut diximus ſacra exteriora ad honorificentiam Dei ſpecialiter pertinent, & propriè, unde & *Pſal. 25.* templa exteriora loca habitationis gloriæ Dei vocantur, ſicut ibi. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Declarandum eſt nobis per diviſionem quot ſunt modi, ſive *Septem modi ſacroru exteriorum.* materies ſacrorum iſtorum. Dicemus igitur quia ſeptem ſunt; quorum primus eſt proceſſio, in qua & ornatè, & ordinatè inceditur, donec pervenitur ad maximum ſacrorum, quod eſt miſſæ celebratio exterior: ſacramentum enim altaris, & veritas eſt in eo, quòd continet intùs, videlicet dominum Salvatorem in integritate naturæ humanæ, & formæ ſervilis, quam pro nobis ſuſcepit. Secundus eſt in eo quòd exteriùs ſenſibus exhibetur, unde communicatio exterior ad ſacramenta exteriora pertinet. Tertius eſt laudum divinarum audibilis reſonantia. Quartus eſt miniſtrorum ornatus exterior. Quintus eſt ipſius templi apparatus. Sextus eſt ſignorum ſeu campanarum pulſatio. Septimus eſt expiatio exterior, id eſt aquæ benedictæ aſperſio. Horum ergo ſacrorum exteriorum veritas ſunt ſacra interiora. A Interior enim profectus, quo de virtute in virtutem proceditur, quo & venienti ſponſo cum debito ornatu, & apparatu occurritur, vel in meliora & ſublimiora proficitur, veritas eſt proceſſionis illius exterioris, & illa figura iſtius; non poteſt autem dubitari quin iſta proceſſio interior, & ſalutaris ſit, & ex neceſſitate debita, & propter hoc non ſolùm decens, & expediens, ut vulgò competenti figura, & ſimilitudine convenientiſſima monſtraretur, cùm nonniſi per expreſſas ſimilitu- *Nota.* dines ad ſpiritualia intelligenda communitas vulgi poſſit pertingere; niſi enim cognita non diligeretur, & niſi dilecta non quæreretur, & niſi quæſita non inveniretur ab adultis. Indoctis igitur eſt ad doctrinam, & eruditionem iſta exterior proceſſio; doctis autem magna provocatio eſt, & magnũ incita- B mentum ad profectum, & proceſſum interiorem; apertè enim legunt in ipſo ordine, ornatu, & apparatu proceſſionum, qualiter & incipiendum ſit eis, & progrediendum, & in cœleſtem Eccleſiam intrandum, & ad cœleſtem menſam, hoc eſt æternæ refectionis intrandum; per menſam enim altaris æternæ ſatietatis menſa & acquiritur, & ſignatur, & iſta eſt meditatio & cantatio, & ſignatio valdè dulcis, & jucunda, ſpeciem iſtorum bonorum habentibus. Non ſolùm autem jucundum eſt, ſed & ſalutare eſt, ſæpè repreſentari populis, qualiter obviàm itur venturo regi pariter, & judici, & qualiter obviàm ei euntes proceſſionaliter cum apparatu, qui in apparatu proceſſionali legitur, & intelligitur, ab eodem ducendi ſunt triumphali vexillo crucis primo, C & introducendi in illam cœleſtem domum, & aulam *Nota.* non manufactam, & ut ſermonem de hujuſmodi rebus abbreviemus totum quod in ſacris exterioribus agitur, figura, & repræſentatio convenientiſſima veritatis, & quæ in nobis eſſe debet nunc, & quæ in futuro nobis promittitur, & obtinenda ſperatur, ſicut totus apparatus palliorum ſericorum, & ſacrorum veſtimentorum decor eſt, quo hîc interius fulgere debemus, hoc eſt decorũ virtutũ, & gratiarũ, & decorum, quo in futuro ſæculo decorandi ſumus, & lucidè, & valdè utiliter repræſentat; ſic ſplendor luminarium, & internum gratiæ ſplendorẽ, & futurum gloriæ fulgorem; ſic pulſatio campanarum, & ſonitus doctrinæ, & prædicationis voces, ſic expiatio illa, quam diximus aquæ ſanctificatæ juges, & *Circunciſio noviſſima quid.* quotidianas expiationes, & noviſſimam per quam omnis macula, & ruga tolletur à tota Eccleſia Dei, quæ vocatur in ſacra ſcriptura circunciſio noviſſimã, D & myſtica per quam nihil culpæ, nihil pœnæ remanet in electis, deſignat, & repræſentat intelligentibus. Sic ſacra communio exterior, & internam communionem, atque refectionem præſtat, & æternæ refectionis communionem pariter, & refectionem evidenti ſimilitudine repræſentat; ſic jugis laudum divinarum reſonantium perpetuò jucunditas cantiones in gloria Sanctorum in futuro cantandas, & hîc internas triumphationes videre valentibus evidenter monſtrat, & ut abbreviemus ſermonem iſtũ, manifeſtum eſt ſacra exteriora, quæ utique ſigna ſunt interiorum, abſque veritate eorum non poſſe prodeſſe, inquantùm ad hoc, ut ſacrentur, & ſanctificentur celebrantes. Sacrorum autem exteriorum nulla eſt virtus, præter quam diximus; manifeſtum eſt etiam ſacrorum exteriorum quorumcunque nõ eſſe virtutem ſacrandi, vel ſanctificandi, veruntamen quintuplex eſt utilitas eorum. Prima eſt eruditio ad ſacra ſpiritualia, & hanc expreſſam repræſentationem faciunt in rudibus & indoctis. Secunda eſt rememoratio eorundem per quam etiam docti in amorem eorum, & augentur, & roborantur. Tertia eſt invitatio, & provocatio intuentium exterior

ad amorem, & deſiderium internorum. Quarta eſt E impetratio æternorum ſacrorum, cujus exteriora impetratoria ſunt, hoc autem eſt per quod cultus Dei altiſſimi ſunt. Quinta enim eſt rememoratio beneficiorum Dei aut aliorum mirabilium, ſicut apud Hebræos feſtum tabernaculorum in rememorationem, quòd in tabernaculis quondàm habitare fecit Deus tribus Iſraël, & feſtum Paſchæ in rememorationem liberationis de Ægyptiaca ſervitute. Apud nos quoque ſimilia multa inveniuntur in ſacris noſtris, qualis eſt repræſentatio Dominicæ reſurrectionis, & ſacrarum mulierum collocutio, ac ſollicitudo ungendi cum aromatibus, qualis eſt repræſentatio geſtorum, quæ apparet in ſculpturis & picturis Eccleſiarum noſtrarum. Quia igitur nulla ſacra iſtas utilitates habent, niſi noſtra, & propter has utilitates omnia ſacra inſtruenda ſunt; manifeſtum eſt F nulla debere eſſe præter hæc; nulla enim ſunt, vel fuerunt, quæ adeò utiliter oſtendant indoctis, & tantam rememorationem faciant eorundem, quæ adeò invitent, & provocent ad amorem internorum ſacrorum, nulla ſunt, vel fuerunt, quibus adeò honoretur Deus altiſſimus, nulla ſunt, vel eſſe poſſunt, in quibus Dei mirabilia ita evidenter legerentur, & generaliter nulla ſunt, quæ iſtas quinque utilitates habeant, vel efficiant; ergo nulla ſunt digna nomine ſacrorum præter hæc. Quibus enim libris evidentiùs ornatur noſter interior apparatus, qui eſt virtutum, & gratiarum apparatus; ita evidenter deſcribi poteſt, ſicut ornatu luminarium, & apparatu palliorum ſericorum appenſorum templi parietibus, & ſacris altaribus circunſtantium, qua affluentia ſermonum, qua diſertitudine, vel eloquentia adeò ſuaderi poteſt ſpectantibus qualiter videri templum, ornari, vel apparari conveniet, quàm inſpectione hujus ornatus, & totius templi viſibilis apparatu. Quibus libris excogitati potuerunt, quibus G adeò ruditati ſuæ, adeóque lucidè doceri poſſet aliquis indoctus de templo interno, & ſpirituali, quòd nos eſſe debemus; & de omni apparatu, qua via adeò convenienter oſtendi hominibus potuit, quales in Dei myſteriis eos eſſe oporteat, & qualiter ſe habere, ut ſacris veſtibus, & ornatu miniſtrorum in ſacris veſtibus, atque geſtaculis, ſive reliquiarum, ſive ſacrorum vaſorum, ſive in proceſſionibus, ſive in aliis ſacris. Ampliùs. Quis vetus eſt cultus exterior neceſſariò ſummæ venerationis exterioris comparandus huic, cui innititur religio Chriſtiana? ergo eſt alius cultus Dei exterior, alia latria, quàm hæc; quare non ſunt vera ſacra, & Deo accepta, niſi hæc. Ampliùs. In iſto cultu, & in his ſacris non ſolùm ſpencioſiſſima ſenſibus oculorum, & aurium adhibentur, ſed etiam ſpecioſiſſima, ut aurū, & argentū, & lapides H pretioſi: quare ſummus decor exterior neceſſariò eſt in his, & ſummus decor interior ſubeſt ei, quare iſte cultus ſummi decoris per omnia eſt, & ideò ſummo Deo ſummè dignus; manifeſtum etiam eſt ipſo ſenſu nec negari poteſt, niſi qui negat nivem eſſe albam, nec unquàm fuiſſe cultum perfecti decoris præter iſtum, quo Deus honoratur in ſola Eccleſia Chriſtiana: etſi enim cultus Hebræorum aliquid decoris habuit, modicum illud & initiale ſolùm fuit: adeò enim ea, quæ diximus, ſenſu manifeſta ſunt, ut quicunque vident decorem domus domini exteriorem apud nos, ipſum incredibiliter admirentur, & corde confiteantur cultum iſtum non eſſe inventum inſtinctu humani artificij, ſed divinæ revelationis, & cœleſtis magiſterij documentum. Cultum autem iſtum exponere per ſingula, & cultum iſtum interpretari declamatoriè, & popularis eſt exhortationis, & præter propoſitum præſentis negotij, & hic quidem finem facimus præ- E ſentis tractatûs, ſi in aliquibus debitum promiſſionis exſolvimus, divinæ gratiæ hoc attribuentes: in quibuſcunque autem minus fecimus, noſtris hoc defectibus imputantes.

Feſtum tabernaculorum. *Feſtum Paſchæ.* *Commendatio noſtrorum ſacrorum.* *Cultus perfecti decoris in Chriſtiana Eccleſia.* *Decor domus Dei mirabilis.*

DE VIRTUTIBUS.

CAPUT I.

Dicturus de virtutibus primò diffinitionem Tullij quam poſuit de virtute ſubtiliter diſcutit; deinde Ariſtotelis diffinitionem etiam affert, & eam etiam exagitat. Poſteà explicat, an potentia differat ab habitu, & quædam multùm ſubtilia affert ex officina philoſophiæ, quæ vide, quia aptè ſummari nequeunt.

POſtquàm claruit ex ordine ipſo rerum divinalium, atque ſcientiarum ſapientialium ſcientiam de virtutibus, & moribus, de vitiis, & peccatis, nec non & de meritis, & retributionibus conſequentem eſſe præcedentibus. Incipiemus auxiliante Deo perſcrutari de his per modum ſapientialem, & per vias probationum, donec ſtabiliatur eſſe eorum, quod habet quæſtionem, & contradictionem, ut acquiratur tibi certitudo ſuper quæſtionibus, & opinionibus, quæ de eis fuerunt ante, & etiam adhuc ſunt. Poſt hæc verò loquemur de his modis aliis, ut ſit non ſolùm multipliciter lucida ipſorum cognitio, ſed etiam jucunda, & generans affectiones, quibus adjuvetur animarum noſtrarum perfectio, quibus incitentur, & etiam armentur ad bella contra vitia, & peccata, quibus virtutes, & mores efficiantur eis deſiderabiles, non ſolùm ſpe retributionum, ſed G etiam ipſa perfectione, decore, ſuavitate, ſalubritate, & multitudine, ac pulchritudine mirabilium earum. Dicemus etiam in primis ſermones eorum, qui præceſſerunt nos, & declarabimus eos expoſitione brevi, & lucida. Tullius igitur qui dixit, quia virtus eſt habitus mentis benè conſtitutæ, ſi intellexit in ſermone hoc, quòd virtus ſit mentis benè conſtitutæ, id eſt mentem benè conſtituens, quod eſt benè ordinans; relinquit nobis adhuc ambiguitatem non parvam, quia vel intellexit de virtute, quòd eſſet benè ordinans mentem ſecundùm quid, ſive ſecundùm partem, aut ſimpliciter, hoc eſt ſecundùm totum: non videtur autem quòd ſecundùm totum, cùm quædam virtutes alio modo ſe habere videantur. Prudentia namque ſolam vim intellectivam in mente, non autem totam mentem benè conſtituere, ſive ordinare videtur. Si verò intellexit ſecundùm H quid, ſive ſecundùm partem, forſitan non benè videtur dicere, non ſolùm propter hoc, quia mens humana impartibilis eſt, ſed propter duas alias cauſas, videlicet quia forſitan impoſſibile eſt mentē humanā ſecundùm partem tantùm benè conſtitutam, ſive benè ordinatam eſſe: impoſſibile enim eſt forſitan, aliquam ex viribus ejuſdem ſuperioribus ſolam ita corruptam, vel perverſam eſſe, ut aliæ ſint omninò immunes, & liberæ à perverſitate, & corruptione. Deinde ſi virtus omnis habitus univerſalis eſt, forſitan non ſuſtinet ſecum in eis mentibus aliquid perverſitatis ſive inordinationis; quare à tota mente expellit omnem inordinationem, & propter hæc ex neceſſitate totam mentem benè ordinat, ſive conſtituit. Hæc autem in ſequentibus determinabimus. Quòd ſi dixerit quis, quia virtus eſt habitus mentis benè conſtitutæ ſimpliciter, id eſt habitus, qui eſt in mente, quæ eſt benè conſtituta, quòd eſt benè ordinata, ad inſtar civitatis, in qua ritè imperatur, & ritè paretur, quæ prudentibus conſiliariis, ſive conſulibus,

Tullius. *Prudentia.* *Nota.*

Digitized by Google

bus, juſtis judicibus, cæteroq; magiſtratu, ut decet, adminiſtratur. Hæc ratio non magis eſt virtutis, quàm ſcientiæ, niſi in hoc forſitan, quòd virtutem veri nominis non contingit eſſe alterius modi mentis; ſcientiam autem veri nominis, contingit etiam in mente valdè perverſa, ut arithmetica, geometriam. Sermo verò Ariſtotelis, quo dixit, quia virtus eſt quæ ſubjectum benè habens perficit, & quâ opus ſuum bonum reddit, non aliam videtur habere intentionem, niſi quia virtus eſt, quæ ſubjectum ſuum ſanum elicit à læſione contraria, benè enim habens

Matt. 9. idem eſt, quod ſanum, ſicut legitur Matthæi 9. Non
Mar. 20. eſt opus medico benè habentibus, ſed malè habentibus. Et Marci 20. Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent. Poteſt etiam intelligi benè habens, hoc eſt benè ſe habens ad operationes; quod

B apparet ex his, quæ in eodem ſermone ſequuntur, videlicet ex hoc quòd opus ſuum benè reddit: magis autem nobis videtur, quòd vera littera Ariſtotelis in loco ſuo ſit hæc, quæ bonum habens perficit, ut accipiatur habens accuſativi caſus ac ſi diceretur, virtus eſt quæ perficit bonum ſubjectum habens illam. Et hoc quod ſequitur declaratio eſt ejus, quod eſt bonum, ac ſi diceretur, bonum eſt, quod opus ſuum bonum reddit, & hoc vult ipſa declaratio, & exemplum, quod ponit Ariſtoteles de oculo, nec eſt contemnenda illa littera. Quoniàm omnis virtus, cujuſcunque fuerit virtus id benè habet, & perficit, & ejus opus bonum reddit, ſicut virtus oculi, & oculum bonum reddit, & opus ejus, oculi enim virtute benè videmus: ſimiliter exemplum ponit de equo, & de virtute ejus, deinde temperans ſermonem Ariſtot. ſubjungit. Si utique hoc in hominibus ſic ſe

C habet, hoc eſt dicere, ſi virtus in hominibus juxta hunc modum dicitur, videlicet quemadmodùm in oculo, & equo, erit omnis virtus utique habitus, à quo bonus homo, & à quo opus ſuum bonum redditur, in quo ſermone virtutem, & bonitatem idem eſſe intellexiſſe videtur, quemadmodùm & ante hunc ſermonem virtutes, & malitias conjungit quaſi

Nota. contraria; quod utique non faceret, niſi virtutem, & bonitatem pro eodem acciperet: apertè etiam dicit, quoniàm ſecundùm virtutes, & malitias boni, & mali dicuntur: habet autem duas dubitationes ſermo iſte Ariſtotelis, alteram ſcilicet in hoc, quòd virtutem dicit habitum, à quo homo bonus eſt; quare non ſolùm ex virtute homo bonus eſt, ſed etiam ex unaquaque. Quare videtur contingere eundem hominem ſecundùm ipſum, ſimul eſſe bonum, & malum, maximè autem in virtutibus conſuetudinalibus: verbi gratia aliquis videtur caſtus eſſe ſimul & avarus, vel largus, & invidus, vel caſtus, & prodigus. Non autem habet hæc conſuetudo loquendi,

Virtus. ut ſimul dicatur aliquis bonus, & malus ſimpliciter, ſed ſolummodò ſecundùm quid, & ita non circumſpectè, nec etiam verè, ut videtur dixit illud, quia

D virtus eſt habitus, à quo homo bonus, ſive à quo quis bonus ſit; quare nec virtus bonitas erit ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, quemadmodùm neque calor erit ſimpliciter, à quo proprium ſubjectum non eſt calidũ, neque propriè color, à quo propriũ ſubjectũ non eſt ſimpliciter coloratũ. Alterã autẽ dubitationem nobis relinquit in ſermone iſto, in hoc, quòd dixit, quia nec paſſionibus, nec potentiis boni, vel mali ſumus; neque ſecundùm eas laudamur nec vituperamur, ſed ſecundùm habitus tantùm, cùm ma-

Natura nihil pravum ſuggerit. nifeſtum ſit ſecundùm naturam ſolummodò operantes, benè, & laudabiliter operari. Natura enim per ſe nihil pravum, nihil malum ſuggerit; hæc autem evidens eſt in primis parentibus, qui ſi ſolam ſuam naturam ſecuti eſſent non declinantes ab ea, nullatenùs peccaſſent, nec dubitat aliquis ullatenùs intel-

A ligens, quin & obediendum ſit per omnia creatori, & quin natura ipſa hoc ipſũ ſuggerat. Maximè autẽ dubitari non poteſt, quin in primis parẽtib⁹, in quibus nihil obtenebrationis, vel prorsùs læſionis habuit humana natura, illud ſuggeſſerit, & hoc abſque

Adam avertit aures ab inſtinctu & clamore naturæ. ulla contradictione, vel rebellione: verùm cùm mulier ad vocem ſerpentis aurem inclinavit, vel vir ad vocem mulieris contra Dei mandatum ſuadentis, à voce, immò clamore naturæ aurem avertit, bonum inſtinctum naturæ deſerens, ſuggeſtioni perverſæ acquievit; quare manifeſtum eſt, ſolis naturalibus naturaliter tantùm utentes, benè & laudabiliter operari; quare non ſolùm habitibus boni ſumus, aut ſolùm

Quæſtio. bonum opus reddimus. Ampliùs. Meritò quærimus ab Ariſtotele, & ſequacibus ejus, utrùm Adam & Eva in ſtatu innocentiæ boni fuerunt, an mali, an neutri: manifeſtum eſt, quia mali non fuerunt eo tempore, cùm totum quod in eis erat, creaſſet in eis Deus: malitiam autem nec in eis, nec in aliis unquàm creavit Deus, quare malitia in eis non erat. Non erant igitur mali tempore illo, quare vel boni, vel medij; quòd ſi boni non erant, ſed medij, totum autem quod erant, naturaliter erant ſolummodò: quare naturaliter fuit medius ille ſtatus, antequàm alter extremorum: hoc autem incompoſſibile manifeſtum videtur ut medium in quocunque genere contrarietatis ſit naturaliter antequàm alterum extremorum. Ampliùs. Si poſuerimus aliquem hominem in contrario ſtatu creatum fuiſſe, certum eſt illum malum eſſe eo temporè, videlicet tempore ſuæ creationis, & malitia ipſa erit hujuſmodi naturalis, quemadmodùm ſe-

Nota de Adam. cundùm errorem Manichæorum; quare contrarius ſtatus erit bonitas, & ita Adam, & Eva boni fuerunt in ſtatu illo, non autem fuerunt boni ex paſſionibus, vel habitibus acquiſitis, ſive per frequentiam operationum, ſive aliter, quare ex ſolis potentiis, & ſecundùm illas ſolas boni erant. Ampliùs. Quales dicit intelligentias, & Angelos fuiſſe ex ſola creatione, ſi creatos confitetur, aut ſi increatos, quales eſſe, cùm omninò non ponat in eis aliquid acquiſitum eſſe, nihil adventitium? utique omnes hujuſmodi ſubſtantias non ponet eſſe, niſi bonas, præſertim cùm Dæmones, ſive diabolos omninò non eſſe contendat, & probationes ad hoc conentur inducere. Quia ſi dixerit juxta ſententiam ſuam, quòd in hujuſmodi ſubſtantiis idem eſt potẽtia & actus, & ideò non eſt mirum, ſi hujuſmodi ſubſtantiæ bonæ ſunt ſecundùm potentiam, quia hoc eſt dicere bonas eſſe ſecundùm actũ, cùm actus & potentia prorsùs idem ſit in illis, non propter hoc evadit, quoniàm neceſſe habeat confiteri bonitate potentiæ bonas illas eſſe. Quòd ſi potentiæ

Potentiæ principia ſunt bonorũ actuũ. naturales in hominibus, ſive vires, non ſunt ejus perfectionis, ut ex neceſſitate conjũctæ ſint actibus ſuis, vel idem cum illis, non ideò tamen aut malæ aut non bonæ ſunt, cùm ſint principia per ſe bonorum actuũ, & laudabilium. Ampliùs. Iracundia in leone, rapacitas in lupo, & inſidioſitas in vulpe, & avaritia in corvo, & his ſimilia, ſi vituperanda eſſent in hujuſmodi animalibus, ex neceſſitate & vitia eſſent naturalia in eiſdem; quare contraria his naturalia ubique laudabilia, erunt virtutes naturales in illis: quia igitur contraria naturaliter ſunt in hominibus & utique laudabilia in ipſis, verbi gratia, manſuetudo naturalis, beneficentia naturalis, ſimplicitas naturalis, largitas naturalis, & ad hunc modum de aliis; quare naturales virtutes, & naturaliter ſunt, & naturaliter fuerunt in hominibus. Scito autem quia Manichæi etiam in animalibus ponunt prænominatas diſpoſitiones eſſe malitias, & à Deo maligno, quem principem tenebrarum vocãt cum ipſis ſubjectis earum creatas eſſe & conditas, ipſum enim ponunt non ſolùm malorum auctorem, ſed etiam omnis malitiæ. Ampliùs. In le-

Digitized by Google

Macometi opinio de angelis.

ge Macometi dicitur (ſi tamen ſermones illi ſermones ſunt alicujus, qui nomine hominis dignum ſit) quia Deus creavit Angelos de luce, diabolos autem de flamma, in quo apertè videtur, diabolos creatos fuiſſe malos intellexiſſe, Angelos autem bonos, & poſuiſſe naturalem eſſe bonitatem Angelorum, & malitiam diabolorum. Ampliùs. Si malitia naturalis eſt, non eſt niſi læſio, atque deturpatio, ſive defectus vis, aut potentiæ quæ in ſe, & per ſe naturaliter eſt bona: quæ malitia ex hoc utique malitia eſt ſolummodò, quia bonum hujuſmodi aliquo modorum iſtorum lædit, videlicet aliquid minuendo, ſeu detrahendo, ut privatio, vel aliquid addendo, quod non convenit; immò diſconvenit, ut vitor in facie humana, vel quod ſuperfluit, quod nimium eſt; manifeſtum eſt, quia ſublata malitia, & à malo homine, & à mala anima, remanet utrumque bonum: manifeſtum igitur eſt ex his, quòd præter virtutes iſtas, quas ſic diſtinivit, ſunt ex neceſſitate virtutes, & bonitates naturales, & in ſubſtantiis abſtractis nobilibus, & fuerunt quandóque in hominibus, videlicet in Adam, & Eva. Declaratum etiam eſt tibi ex his, quia virtutes naturales non ſunt niſi potentiæ naturales, & hoc cùm liberæ ſint, & omninò immunes à diminutione, quam diximus, ac ſuperfluitate, & indecentia: habet autem quæſtionem, quid differt potentia ab habitu. Et jam æſtimaverunt aliqui, quia ſubjecto unum ſunt potentia & habitus, & quia habitus nihil addit ſuper potentiam, niſi expeditionem, quæ non eſt niſi ſublatio, vel privatio impedimenti, quo impeditur benè reddere opus ſuum, & eodem modo ſe habet de libertate: hoc autem exemplum eſt virtus greſſibilis in homine compedito, vel cujus pedes ligati ſunt, ita tamen ut ambulare poſſit quoquomodò, & ambulando confringere, aut vincula diſrumpere: ſicut igitur inquiunt, iſte homo ambulando non novam virtutem greſſibilem acquirit, ſed priſtinam confringendo compedes, aut diſrumpendo vincula liberat, & expedit; ſic quibuſcunque bonis operibus ſe exercens non novum aliud acquirit, ſed vires ſuas naturales liberat & expedit. Cùm autem objicitur eis, quia etiam qui liberam habet virtutem greſſibilem à compedibus, & vinculis exercendo ſe, ambulando, currendo, ſaltando efficitur meliùs habens; & meliùs opus illius virtutis reddens; & ita acquirit, vel habitum, vel habilitatem, vel promptitudinem, vel facilitatem ad opus illius, quas non prius habebat. Reſpondent, quia hujuſmodi exercitationibus nihil novum ei acquiritur ſicut priùs, ſed impedimenta ſolummodò tolluntur ſicut fortè in nervis, & lacertis, in chordis, & ligamentis pedum, & tibiarum, atque coxarum, & fortè aliorum membrorum humor, aut viſcoſitas aliqua quæ agilitatem eorum impediebat conſumitur, & calor etiam qui non parùm adjuvat virtutem hujuſmodi augetur; ſic & in animabus noſtris obſcuritas, & craſſitudo, quæ viribus ejuſdem adhærent à parte corporis, inſtar rubiginis elimantur & deterguntur, & ſplendificantur, inſtar ferri, quod exercitio alicujus operis à naturali obſcuritate ſua, & nigredine ſplendidatur, atque candeſcit, vel inſtar ſpeculi aut vitri quod terſione clareſcit, aut inſtar lapidis pretioſi qui politione radioſus, atque coruſcus efficitur, aut inſtar aquæ, quæ motu ſuæ labilitatis admixtas ſordes deferens, depuratur in claritatem; & hæc omnia non fiunt prænominatis rebus additione aliqua, ſed magis detractatione: ſculptores enim & elimatores atque politores nihil addunt rebus in quibus operantur, ſed magis detrahunt. Videtur autem horum ſententia multùm concordare opinioni Platonis qui poſuit ſcientias ſepultas, & obtectas in animabus

Virtutes naturales quæ.

Potentia & habitus an differant.

A ſimili.

E humanis non acquiri, neque advenire ullo modo, ſed diſcooperiri & apparere, quæ priùs erant. Quemadmodùm ferrum per elimationem ſpeculum effectum, potentiam, ſive virtutem reddendi imagines, non acquirit ex elimatione, ſed diſcooperitur eidem, & apparet in illo. Quod autem poſuit Plato de ſcientiis, neceſſe habet ponere de virtutibus, quæ per frequentiam operum acquiruntur: manifeſtum igitur eſt ex omnibus præcedentibus Ariſtotelis non diffiniviſſe virtutem generaliter, neque bonitatem intentione generali accepiſſe, ſed moralem ſolummodò, ſive civilem, vel potiùs ſecundùm conſuetudinem, videlicet eam, qua vulgus, & communitas hominum, bonos homines vocare conſueverunt, & de qua eos laudant, de cujuſque contrario vituperant, bonitatem quippe naturalem, quam diximus, pauci F ex hominibus capiunt, quia ſoli philoſophi, quemadmodùm, & bonitatem gratuitam non capiunt fortè, niſi quibus revelata eſt; de hoc quidem latiùs loquemur in ſequentibus. De habitibus verò, quos ponit Ariſtoteles, non levem habet quæſtionem, an ſint novæ qualitates additæ ſuper potentias naturales, an ſint libertates, & experimenta, ſicut ſuprà narravimus. Si enim ſuper potentiam agendi, quæ juſta ſunt ex frequentia agendi talia, acquiritur habitus, qui vocatur juſtitia, videtur ſimiliter ex frequẽtia videndi fieri ſimilis additio ſuper virtutẽ viſibilẽ, ſive viſum, & ita erit viſus conſuetudinalis ſuper viſum naturalem, & eodem modo ſuper auditum, & ſuper unumquemque quinque ſenſuum aliorum. In quo videtur dicendum per Ariſtotelem quòd potentia G agendi, quæ juſta ſunt, ad ea quæ juſta ſunt, patitur medium propter elongationem ſui ad illa, & ob eandem cauſam indiget medio; viſus verò nec patitur, nec indiget propter propinquitatem ſui ad operationem, quæ eſt videre, unde & ſtatim illam reddit oblato viſibili ſibi, vel objecto. Potentia verò naturalis agendi, quæ juſta ſunt, non ſic propter cauſam contrariam. Quòd ſi dixerit quis, quia hujuſmodi habitus cùm ſit impartibilis, impoſſibile eſt ut acquiratur in tempore, vel per partes: impartibile enim omne totum ſimul generatur, & ſubitò. Si enim pars poſt partem in eo generatur, partibile eſſet ex neceſſitate; habitus ergo hujuſmodi totus ſimul, & ſubitò generatur, quare in una, vel ex una operatione, non igitur ex frequentia operationum. Ampliùs. Aut generatur in prima operatione aut non. ſi ſic ex prima, non igitur ex frequentia; ſi non, aut aliquid ejus generatur, aut nihil; ſi aliquid, erit igitur par- H tibilis; ſi nihil eadem ratione nec in ſecunda, nec in aliqua ex ſequentibus, cùm omnes ejuſdem virtutis ſint in agendo, quare nec in omnibus ſimul. Quòd ſi dixerit quis, quòd ex ultima operatione generatur; ſed aliæ ſunt præparatoriæ, ex una ergo ſola eſt propriè, non ex frequentia, niſi æquivocè, ſed hæc aliter oportet inveſtigari: dicitur enim omnibus modis impoſſibile, quòd ex operatione quacunque quæ ex anima fit aliquid generetur in illa; verbi gratia, cùm operatur quis aliquod eorũ quæ juſta ſunt, videlicet puniendo maleficum aliquem, manifeſtum eſt, quòd hujuſmodi operatio abſque reflexione erit in eum qui punitur; quare nihil generat in anima punientis, ſed in eo ſolummodò qui punitur. Ampliùs. Iſta operatio eſt actio punientis, impoſſibile autem eſt, quòd actio cujuſcunque agentis agat in ipſum, quoniam nec ſeipſa poteſt agere in ipſum, nec alia actione: ſi enim alia actione iret res tunc in infinitum; nulla enim eſſet ratio, quare prima actio non poſſet agere per ſeipſam potiùs quàm ſecunda, vel quare potiùs requireret aliam actionem, quàm ſecunda; quare ipſa non requirit aliam actionem ad agendum in animam,

Habitus.

Acute diſputat.

Digitized by Google

mam, vel ſecunda requireret hoc ipſum, & ita in infinitũ. Valde autẽ abſurdum videtur ut actio, quæ ex anima eſt aliud generet in illa agẽdo ipsã ſeipſa; actio enim non eſt niſi via & generatio ſequẽtis paſſionis, ſecundùm hoc autẽ eſſet generatio paſſionis, videlicet ejus qui per ipſam fieret in anima, & ita ageret quaſi in anima & retrò; hoc autẽ apertè impoſſibile videtur, cùm tota ipſa actio tota intentione agentis feratur in patientẽ.

Idem dicit.

Ampliùs. Totũ quod in anima eſt punientis iſtũ maleficum, quod ad hanc punitionem pertineat, nõ eſt niſi vel deliberatio, vel conſiliũ, vel cogitatio actualis ipſius punitionis, aut delicti, aut volũtas, ſive velle actuale ipſius punitionis aut finis, hoc eſt boni quod intenditur per hujuſmodi punitionẽ. Certũ autẽ eſt, quia nihil horũ omniũ eſt, vel fit in anima ex actione illa, quàm punitionem vocamus, immò ipſa punitio ex omnibus illis eſt ſimul aggregatis; quare omninò nihil generatur, vel fit in anima ex hac, vel ab hac operatione, & ad hunc modum eſt oſtendere de alijs.

Velle actuale.

Ampliùs. Secundùm hæc, cùm anima ſit agens illã actionem erit agens, & omne id, & in omne id quod, & in quo per illã actionẽ agitur, quare & erit agens in ſeipſam, & generans in ſeipſa id, quod illã per illam actionem generatur, quia erit agens in ſeipſam, & patiens à ſeipſa, & hęc ſecundùm idem, cùm habitus ſecundùm hanc ſententiã generetur in ipſis viribus animæ ex frequentia operationũ ſuarũ, nec eſt ſimile exemplũ Ariſtotelis de medicante, atque ſanante ſeipſum, quia ibi manifeſtè ſecũdum aliud eſt agens, & ſecundùm aliud patiens.

Ariſtot.

Secũdùm animam enim eſt agens in ipſa medicamenta, & partes eorũ conterens, cõmiſcens, atque coquens illa. Secundùm corpus autem ſolũmodò eſt patiens à virtutibus eorũ. Ampliùs. Secundùm hoc, ex frequenti apprehẽdere, ſive cogitare, generabitur habitus, vel bonus, vel malus; quare ex ipſo cogitare, ſive apprehendere erit aliquid in vi noſtra intellectiva, ſive cogitativa. Aliquid inquam aliud quàm ipſum apprehẽdere, vel cogitare, & per hunc modum in virtute ipſa viſibili per ipſum videre fiet, vel erit aliquid aliud in virtute viſibili, quàm ſit ipſum videre. Quare & per illud fiet eadem ratione tertiũ in eadem, & per tertiũ quartum, & ita in infinitum. Ampliùs. Illud quod eſt, vel fit ex ipſo cogitare per ſe in vi cogitativa ex neceſſitate ejuſdẽ eſt ſpeciei cũ illo, cùm omnis operatio naturæ per ſimilitudinẽ ſit; albedo enim per ſe in ſubjectũ albabile naturaliter imprimit albedinem; quare ſi ex ipſo cogitare imprimitur aliud in vi cogitativa naturaliter, ac per ſe imprimetur in eadẽ ex neceſſitate aliud cogitare ejuſdẽ ſpeciei, & ita erunt duo cogitare ejuſdem ſpeciei actu ſimul in eodem ſubjecto ſecundùm idem: hoc autem eſt dicere, quòd duæ albedines ſimul ſint in eadẽ ſuperficie.

Virtus cogitativa.

Ampliùs. Albũ ab æquè albo nullo modo eſt paſſibile ſecundùm albedinem; quare nec vis cogitativa eſt receptiva ullo modo alicujus, quandiu habet in ſe paſſionẽ ejuſdem ſpeciei in affectu; & ita quandiu habet unum cogitare in ſeipſa, in effectu nõ eſt receptibilis alterius ejuſdẽ ſpeciei. Ampliùs. Ipſa virtus cogitativa eſſet ſecũdùm hoc agens in ſe ipſam per ipſum cogitare, & patiẽs à ſe ipſa per illud & hoc ſecundùm idẽ, quoniàm impartibilis, & ita contraria eſſent in eodem ſecundùm idẽ: agere enim & pati, ſimpliciter cõtraria ſunt.

Agere & pati contraria.

Forma.

Ampliùs. Qualiter intelligunt, quòd forma aliqua agat in propriũ ſubjectum, cùm forma & ſubjectum eadẽ res ſit, & ita formã agere, vel imprimere aliud in propriũ ſubjectũ, hoc erit ipſum ſubjectũ agere, vel imprimere aliquid in ſeipſum. Ampliùs. Habitus hujuſmodi hoc eſt generatus ex frequẽtia ejus quod eſt apprehendere, vel ejus, quod eſt velle, ex neceſſitate erit ejuſdem ſpeciei cũ ipſis. Non enim refert, an ex una calefactione, an ex multis ſit generatio caloris. Sive enim una agatur calefactione, ſive multis, idem calor in ſpecie ge[...]ner[...]tur ab una, & à multis, & hoc eſt quoniàm una ca[...]lefa[...]ctio cũ multis ejuſdẽ eſt ſpeciei: ſimiliter unum [...]velle cu[...]m multis, ſive quotieſlibet iteratũ unũ eſt ſec[...]ndùm ſpe[...]ciem; quare una erit impreſſio ejuſdem, & ſem[...]el tantùm [...]perátis, & multoties.

Ariſtot.

Quare habitus, que[...]m ponit Ariſt[...]teles per iterationẽ hujuſmodi generat[...], aut erit ejuſde[...]m ſpeciei cum ipſo velle, vel cũ ipſo apprehendere, ſeu quacũque aliæ operatione, ex cujus frequentia, vel iteratione acquiritur. Ampliùs. Si alterius ſpeciei eſt habitus gener[...]tus, quàm paſſiones, vel operationes illum generantes, unde illi ſpeciei diverſitas? ex uno enim agente, & ſecundùm unum nunquàm eſt multitudo naturaliter, ſive diverſitas; nunquàm eſt multitudo naturaliter, ſive diverſitas; unum autem eſt agens, & ſecundùm unum in tota frequentia: quemadmodùm igitur calidum per id quod eſt calidum ſemper agens non generat per ſe, niſi calidum, ſive ſemel tantùm, ſive multoties operetur; ſic impoſſibile eſt quamcunque operationem, vel paſſionem tam ſemel, quàm multoties operantem per ſe diverſum à ſe in ſpecie, ſive diſſimile generare. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia frequentia videndi temperata, & media viſibilia, viſum adjuvat, & confortat. Abſtinere autem omninò à videndo, ipſum debilitat, & ad ultimum extinguit: nunquid frequentia hujuſmodi generat novum habitum ad videndum? & ita erunt duo habitus in unoquoque homine benè vidente, videlicet naturaliter, & iſte videndi habitus exercitio acquiſitus: ſi autẽ duos viſus ponit Ariſtoteles, neceſſe eſt eum ſimpliciter ponere duas cæcitates; quòd ſi dixerit, quia non novus habitus generatur in virtute viſibili per hujuſmodi frequentiã, ſed confortatur naturalis, expeditur, & adjuvatur multipliciter, cur non ſimiliter dicet, & in alijs potentijs? quia non novus habitus in eas, vel ſecundùm eas generatur, ſed ipſæ potentiæ per operationũ ſuarũ frequentias confortantur roborantur, liberæ, & expeditæ efficiuntur.

Habitus ab habendo.

Virtus qualitas eſt.

Ampliùs. Cùm habitus ab habendo dictus ſit, erit igitur habitus alicujus rei habitę; habitus autem rei habitæ non eſt genere qualitas, ſed magis relatio, ſive ad aliquid, virtus autẽ omnis, de qua ipſe intẽdit, genere qualitas eſt, ſicut & malitia, quoniàm ſecũdùm eas quales dicũtur, id eſt boni vel mali. Ampliùs. Quid differt diſpoſitio a b habitu ſecundùm ipſum, niſi quod hæc eſt facilè, ille verò difficilè mobilis? Facilitas enim, & difficultas mobilitatis nõ diverſificantur ſecundùm ſpeciem; non enim alterius ſpeciei eſt nigredo in corvo, & albedo in nive, quàm ſint in eis, quæ facilè tingibilia, aut diſtingibilia ſunt; albedo enim, & nigredo veri nominis ſpecies ſpecialiſſimæ ſunt. Ampliùs. Quid eſt ſcientia verſa in habitũ, niſi ſcientia radicata, atque firmata? Firmatio autẽ & radicatio non ſunt generationes novæ ſcientię, neque acquiſitiones, quemadmodùm alibi dicitur; quia firmatio non eſt creatio novi juris, ſed approbatio priſtini.

Firmatio.

Ampliùs. Eſto quòd uno, & eodẽ docẽte audiant duo ab ipſo eandem ſcientiam, ſed alter ſit fortis, ac tenaciſſimæ memoriæ, alter verò labilis, & infirmę; manifeſtũ eſt, quia in utroque generabitur ſcientia, ſed in altero facilè mobilis propter labilitatẽ memoriæ, in altero difficilè mobilis propter bonitatẽ memoriæ: erit autẽ in altero diſpoſitio, in altero habitus. Si utique diſpoſitio, & habitus, nõ aliter differũt, quàm facilitate & difficultate mobilitatis; quare ſcientia eſt habitus eorũ non ex aliquo quod generatum, ſive additum ſit ei ſuper eſſentiam diſpoſitionis, ſed ex bonitate, ut diximus recipientis. Quemadmodùm ſi quis ſcriberet, vel ſigillaret in cera molli, & cera dura eandem ſcripturam, vel ſigillationem, certum eſt, quòd eadem eſſet ſcriptura, & ſigillatio, ſed altera facilè mobilis, & altera difficilè. Juxta hunc modum poteſt accidere de virtuti-

Digitized by Google

bus; eadem enim prædicatione, ſive exhortatione in iracundo naturaliter, & naturaliter manſueto generabitur Deo auctore patientia, ſed in altero facilè mobilis, in altero verò difficilè mobilis; iracundi enim naturaliter facilè patientiam deſerunt, & in iram atque vindictam accenduntur, atque proſiliunt, manſueti autem difficilè. Iſta autem difficultas non ex aſſuetudine, vel frequentia operum eſt, ſed ex bonitate, ſeu ex bona diſpoſitione ſubjecti, quemadmodùm dicit Tullius. Natura, inquit, excelſum animo creavit ſtatim, de magnanimitatis virtute indicta animo inſedit oratio. Ampliùs. Virtus & bonitas ex alio eſt bonitas, & ex alio habitus, certum autem eſt, quòd eſſentialiter bonitas eſt? Quid ergo eſt ex eo, quòd habitus non videtur aliud poſſe reſponderi, niſi quòd qualitas eſt ſpiritualis difficilè mobilis; quare videtur nihil addere habitus ſuper eſſentiam ſcientiæ, vel bonitatis, niſi firmitatem, vel difficultatem mobilitatis. Quia igitur frequentia operum non additur bonitati, ut bonitas ſit, neque ſcientiæ, ut ſcientia ſit, ſed fortè ut major, aut ut melior, aut firmior ſit. Quare manifeſtum eſt, quòd habitus ex frequentia operum non gignitur niſi ſecundùm quid. Quemadmodùm quis diceret hominem album generari, ſic & habitus non ſecundùm totum, quo eſt ex frequentia operum gignitur, licet id forſitan in eo gignitur, unde habitus nominatur: quemadmodùm ſi quis dicat ſcientiam firmatam generari pro eo, quia firmitas ipſi ſcientiæ adgeneratur. Veriſimiliter autem forſitan dicet aliquis, quia quemadmodùm applicatio una calidi ad frigidum aliud operatur ſcilicet imminutionem frigiditatis, vel impreſſionem aliquantulam caloris, deinde iterata multotiens paulatim ac deſtructa frigiditate, calorem purum ac ſuam vim tandem imprimit: ſic forſitan iteratæ bonæ operationes, ſive interiores, ſive exteriores aliud quod eſt contrarium virtuti paulatim minuendo conſumunt, donec ultima diſpoſitio imprimatur, quæ propter hoc habitus eſt, quia ſubjecto præcedentibus operationibus præparato, & aptato, profundè ac tenaciter adhæret. Dicet quis forſitan, quia frequentia operum, profundatio eſt diſpoſitionis, & infixio ipſius, quemadmodùm malleus multis impulſionibus, aut deſuper malleationibus paulatim profundatur, & figitur donec firmiter ſtet, aut difficilè moveatur: ſic ſcientiam vel bonitatem iteratio, vel frequentia operum infigunt, atque profundant, donec intimè hæreat animæ humanæ, vel quemadmodùm plantula radices paulatim mittit in terram, donec terræ vitaliter hæreat; ſic ſcientia, & virtutes paulatim per aſſuefactionem diffunduntur in interiora mentis humanæ, donec ei quaſi vitaliter hæreant, & tunc habitus nominantur, cùm poſſeſſio earum firmata eſt. Unde & ex hoc habitus nominari videntur, quia tunc verè haberi videntur cùm infirmam poſſeſſionem mentis tranſierint: quamdiu enim facilè amitti poſſunt, quaſi non haberi videntur, ſed ſunt velut hoſpites ad tempus recepti: poſtmodùm autem tanquàm cives, & manſionarii in ipſa mente morantur. Ampliùs, Secundùm Ariſtotelem habemus ſupernaturalem potentiam, ut ex ea operemur expeditè ſive promptè, deinde firmiter. tertiò gaudenter, alioquin enim non operatur quis virtuosè, niſi promptè & expeditè opus virtutis reddiderit. Si enim non ex corde, ſed quaſi per vim, aut per difficultatem, jam non ex habitu, ſed potiùs ex diſpoſitione infirma, & debili: eodem modo ſi infirmiter aut debiliter quod eſt ſi levi, aut modica, vel diſcuſſione, vel difficultate, videlicet damno, vel labore modico deſiſtat operari; iſta enim certa indicia ſunt nondùm firmatæ, nondùm verſæ in habitum in eo bonitatis. Similiter, ſi non gaudenter, ſed cum metu, vel triſtitia, indicat ſecundùm Ariſtotelem, quòd

Iracundi naturaliter.

Cicero.

Habitus rurſum.

Frequentia operũ quid.

Habitus quando.

Ariſtot.

Ariſtot.

E non virtute operetur, ſed magis motus à principio exteriori, gaudium eſt enim juſto, facere judicium ſicut legitur Proverbiorum undecimo. An autem veritas ita ſe habeat videlicet, quòd operatio virtuoſa tria illa ex neceſſitate habeat, aliquid habet quæſtionis, quod nos in ſequentibus declarabimus: verùm tentabimus primum perficere declarationem quæſtionum quas præmiſimus: dicemus igitur, quòd differt inter memoriam, & ſcientiæ habitum, quemadmodùm differt inter cyſternam, & fontem, vel alio modo. Memoria enim theſaurus eſt continens, & cuſtodiens repoſita, habitus autem eſt generans, & efficiens nova, videlicet novum apprehendere, & novum velle, & novas operationes, quemadmodùm fons eructans, & effluens continuè novas aquas; ciſterna verò repoſitas continet, & cuſtodit, nec ex ea eſt fluxus, vel
F emanatio aquæ novæ, vetera igitur, & jam præterita de theſauro memoriæ extrahuntur, ſcilicet quæ in ea, ut diximus, recondita erant. De ſcientiæ verò habitu novæ concluſiones, & novæ adinventiones inſtar fontis prodeunt, aſſuetudine igitur operum, vel bonarum operationum fiunt vires naturales, velut fontes, & putei promptæ & expeditæ emanationis, quæ priùs erant alvei, aut aridi, aut penè aridi; unde & quaſi penè implentur frequentia bonarum operationum, non ut eas ſolas reddant, quemadmodùm ciſterna, ut diximus, & theſaurus, quæ utique non reddunt niſi depoſita, ſed ut eas generent. Eſt etiam aſſuefactio operum bonorum, ſicut irrigatio, ſicut ſeminatio, & ſicut impregnatio vi-
G rium noſtrarum naturalium: qua de cauſa, poſtmodùm ex ipſis producuntur, & generantur, velut fruges, ac partus, operationes laudabiles. Non multùm autem refert ſi quis dicat, habitum fontem eſſe exortum per aſſuefactionem operum in terra alicujus virium naturalium, aut puteum foſſum in illa, aut illam eſſe factum fontem, aut puteum per hujuſmodi aſſuefactionem, aut dicat habitum hujuſmodi vim naturalem impregnatam, aut irrigatam, aut fœcundatam aut ſeminatam, per prænominatam aſſuefactionem. Si quis autem quærat quid eſt eſſentialiter quod additur, vel acquiſitum eſt in anima humana, vel aliqua virium ejuſdem, per frequentiam operum? Et quid eſt eſſentialiter? Reſpondemus quòd eſſentialiter eſt bonitas, vel malitia radicata prægnãs, ſeu gravida, & ad partus operum ſuorum prompta atque parata; & iterùm, non ſolùm plena, ſed cumulata, & ad redundantiam facilis, & præſtò, & ex hoc
H forſitan habitus nominata, ex habendo ſcilicet fontalem, ac redundantem copioſitatem. Meritò enim habitus dicitur ex eo, quòd habentem faciat, & divitem poſſeſſorem ſuum, divitem inquam, & copioſum operum; vel forſitan ex eo quòd habeat, & poſſideat ſubjectum in quo eſt, & ei pleniſſimè dominetur. Paſſiones enim, & diſpoſitiones facilè mobiles neque habent, nec poſſident ſubjecta in quibus ſunt: habitus autem ſive boni ſive mali illa totaliter habent & poſſident, & eiſdem imperant, & dominantur: quibuſdam tamen viſum eſt, quòd habitus ſpirituales, & interiores, de quibus hîc loquimur, inſtar habituum exteriorum, habitus nominati ſunt. Aut enim veſtiunt, & ornant ſi boni ſunt animas noſtras, vel contrarium in eiſdem faciunt, & quemadmodùm varietas habituum in perſonis religioſis veritatem indicat profeſſionum, velut proprium inſigne religionis, ut habitus Ciſtercienſium, habitus Cluniacenſis, & ita de aliis: ſic velut inſignia variarum probitatum, aut malitiarum, profeſſores eorum ſpiritualiter intuentibus demonſtrant. Quod verò quæritur utrũ una operatione habitus generetur, vel pluribus? jam reſpondimus in hoc quia una operatione quãdòq; totus habitus generatur, & hoc duob' modis videlicet

Memoria & ſcientia differunt.

Aſſuefactio.

Quare habitus ita dicatur.

Una operatione quandoque

generatur habitus.

videlicet, per vehementiam impreſſionis, vel per bonam diſpoſitionem accipientis. Accidit enim plerumque ſuadere, quod vitij eſt, vel virtutis alicui adeò efficaciter, ut penetret in profundum cordis, & tenaciter inhæreat eidem: accidit etiam ex uno concubitu, vel etiam aſpectu mulieris, aliquem vitio incontinentiæ in perpetuum corrumpi; famoſum etiã & captum ſemel ab hoſtibus, perpetuò contra eos timidum fieri, & fortè accidit hoc in pleriſque, quotiens generatur habitus per frequentiam operationũ, ita quod ex omnibus ſimul dicimus quia generatur: quemadmodùm calor, aut color, quantùm ad quid, generatur enim diſpoſitio poſt diſpoſitionem, donec veniatur ad noviſſimam, vel noviſſimas, quæ omniũ debent eſſe maximæ, quemadmodùm generatur calor poſt calorem, donec veniatur ad noviſſimum calorem maximum, & hoc eſt manifeſtè videre, quoniàm generatur cogitatio poſt cogitationem, & deliberatio poſt deliberationem, & conſilium poſt conſilium: ſic & velle poſt velle, & operatio exterior poſt operationem in omnibus his, qui eaſdem frequenter iterant operationes, quemadmodùm in generatione caloris deſtruitur ſemper, aut tepiditas, aut aliquis ex caloribus modicis generatis & unicuique illorum qui ſic deſtruitur, ſuccedit calor fortior, & major donec veniatur ad extremum maximum; ita fit in generationibus, & deſtructionibus diſpoſitionum ſpiritualium, donec compleatur generatio habitus. Et attende, quia in generatione caloris & extremi, & maximi, nihil generatur cujuſcunque præcedentis generatione, quod ſit, aut debeat eſſe pars ipſius, ſed tamen generantur diſpoſitiones quibus aptatur ſubjectum caloris noviſſimi ad recipiendum illum, & ad hoc ut fiat generatio ejus in ipſo. In generationibus verò corporum ſecus eſt, quoniàm in illis pars poſt partem corporis generatur, & permanent partes generatæ, & congregantur altera alteri, donec conſtituatur, ac perficiatur plena integritate partium ſuarum corpus, quod generatur: permanent itaque partes ſucceſſivè ita generatæ, & propter fortitudinem ſubſtantiæ ſuæ; & quia neceſſe ſibi ad hoc, ut ex illis conſtituatur generatum, & quia hoc intendit natura, ut ex illis aggreget totum. Præterea nihil omninò contrarietatis ſecundùm eſſentiam ſuam habent ad totum; hoc autem intelligimus in generatione corporum ſimplicium homogeneorum: in generatione verò caloris jam non permanent generati calores ante noviſſimum, quoniàm contrarij ſunt noviſſimo calori, eo modo, quo medium contrarium eſt utrique extremorum: verum igitur eſt manifeſtè, quia nihil caloris noviſſimi generatur generatione cujuſcunque mediorum, nihil inquam actu, & nihil quod debeat eſſe pars ejus actu, ſed potentialiter in uno quoque mediorum generatur illud, quod eſt extremum generandi: in generationibus ergo corporum, & corporalium diſpoſitionum ita ſe habet, ut in generationibus corporum ſemper generetur actu aliud quod erit pars noviſſimi generati: in corporabilium verò diſpoſitionum generationibus fit ſecundùm potentiam, & hoc eſt, quoniàm in his ſemper generatur medium, quod non poteſt eſſe pars alicujus extremorum: in corporum verò generationibus ſemper eſt aliquid corporis generandi, quod eſt corpus, & pars illius videlicet generandi: in ſpiritualium verò generationibus non currit res per continuum, neque per partes, quæ ſunt impartibiles. Unde cùm quæritur, utrùm prima operatione frequentiæ generetur aliud ipſius habitus boni, vel mali. Reſpondemus quòd non generatur aliud, quod ſit pars ſecundùm actum, ſed generatur fortè amare, aut velle, quod eſt adjumentum magnum ad hoc, ut tandem generetur amor, habitus, aut voluntas; & in ſecunda operatione generabitur fortaſſis amare, & velle fortiùs, nihil autem iſtorum pars eſt habitus generandi, ſed adjumentum magnum eſt, ut generetur habitus quæ eſt bonitas vel malitia aggregatus ex hujuſmodi diſpoſitionibus, ſed relictus ex illis, & non ex illis, ut partibus, ſed ut ſeminibus. Quòd ſi quæſierit utrùm totum ſimul generetur, vel per partes? Reſpondeo per partes quidem potentialiter, non autem ſecundùm actum, quoniàm ſecundùm actum impartibilis eſt: generatur igitur ex hujuſmodi diſpoſitionibus, quaſi in ſeminibus, & quaſi pullus in ovo, unde valdè abuſivè vocamus ibi generationem, quia generatio habitus prout intẽdit Ariſtoteles quaſi ſeminatio tantùm illius eſt. Quòd ſi quæſierit utrum aliquandò primũ ſit habitus? Reſpondemus quòd ſic, videlicet cùm præceſſerit frequentia ex qua, vel per quam debeat relinqui, & mala diſpoſitio (ſicut ſupra tetigimus) operantis non impedierit. Quòd ſi dixerit quis, iſte habitus nunc eſt, cùm ante non fuerit, nec omninò aliquid ejus; ergo nunc generatur vel creatur? Reſpondemus pro Ariſtotele quia non ſequitur, & hoc manifeſtum, ſi accipiat generationem ſecundùm intentionem Ariſtotelis; idem eſt enim ac ſi argumentaretur dicens: Nunc eſt cùm ante non fuerit, nec aliquid ejus: ergo nunc primo ſeminatur, vel præparatur ad omne. Poſſibile autem eſt ſicut diximus, ut in uno ſolo inſtanti abſque præparatione habitus generetur, ut diximus. Quod autem quærit de reflexione actionum hujuſmodi, ſolvimus dicentes, res apprehenſæ agunt in animas noſtras, & imprimunt eas impreſſiones, & paſſiones, quas vocamus cogitationes, & affectiones, per quas poſtmodùm ſimiles generantur, verbi gratia; vidit aliquis, aut audivit aliquem aliquid operari eorum, quæ iſta ſunt, & complacuit ſibi in illo propter bonitatem juſtitiæ, & pulchritudinem ejuſdem, & incepit amare illum, & excitatum eſt in eo deſiderium ſimilia faciendi, & adauctum eſt deſiderium illud, donec generaretur in eo voluntas operandi ſimile, deinde operatus eſt illud. Vides igitur quòd operatio illa generavit in ipſo apprehenſionem per ſenſum, ſive cogitationem, aut imaginationem, & complacentiam, atque delectationem in illa, poſtmodùm amorem, deinde deſiderium, poſteà voluntatem ſimile operandi. Quòd ſi prima operatio quæ utique extra erat, & longiùs remota ab ipſo, & à longè apprehenſa, generavit in eo affectiones hujuſmodi; quantò fortiùs iſta propinquior generavit in eo affectiones hujuſmodi, & à propinquiori agens ſimilia, & ita fortiora, & majora operabitur in eodem. Aliæ ergo ſunt impreſſiones in anima, quæ generatæ ſunt per apprehenſionem primæ operationis, aliæ quæ per ſecundam, & illæ utique majores, & fortiores: non igitur eſt operatio iſta ullo modorum ex illis eiſdem cogitationibus, & affectionibus, quas per ſui apprehenſionem generat in anima, neque operans operatur ex illis iſtam operationem, immò ex prioribus; quare non eſt inconveniens ullo modo, ut actiones, quæ ſunt in animabus noſtris agant in eas, & reflectant ſuper eas: neque inconveniens eſt, ut ſimiles ſint in apprehenſione cogitationes, & affectiones illis cogitationibus, & affectionibus, ex quibus & per quas exeunt, ſed omninò inconveniens, & impoſſibile eſt, eſſe eaſdem numero: neque inconveniens eſt animam & agere in ſe, & pati à ſeipſa, & hæc ſecundùm diverſas vires. Vis enim memorativa in vi imaginativa interdùm generat apprehenſionem imaginativam, & vis ſenſitiva agit in memorativam, theſaurizans in ea formas ſenſibiles, & quòd ampliùs eſt, ſecundùm eandem vim agit, & patitur in ſeipſa; alioquin inventio, & diſciplina nihil eſſent: cùm enim aliquis ſyllogizat ex aliquibus principiis concluſionem aliquam, & addiſcit illã

Nota.

Generatio corporum per partes.

Generatio ſpiritualium.

Quæſtio.

Ariſtot.

Ariſtot.

Uno inſtãti poteſt habitus generari

Impreſſiones in anima.

Adverte.

ex eis, proculdubiò ipſa anima ſecundùm vim intellectivam, vel ratiocinativam eſt agens, & generans ſcientiam concluſionis illius, & patiens, id eſt recipiens illam. Verùm ex aliis eſt agens, quia ex principiis, hoc eſt ex rebus principiorum, & ex aliis eſt patiens, hoc eſt ex rebus concluſionis; nec eſt differentia inter vim intellectivam, & vim ratiocinativam; una enim prorsùs vis eſt animæ humanæ apprehenſiva nobilis ſublimium rerum. In eodem enim prorsùs generatur ſcientia concluſionum, in quo eſt ſcientia, vel intellectus principiorum, & nihil prohibet in eadem anima humana, ſecundùm eandem vim eſſe duas qualitates ejuſdem ſpeciei, ſicut duas ſcientias duorum ſimilium, & duos amores duorum hominum, & duas triſtitias de duabus mortibus duorum amicorum omninò ſimilium. Ipſa enim vis intellectiva, ſive apprehenſiva nobilis, non ſolùm ſubjectum eſt, & locus ſcientiarum, ſed & fons redundans, ac generativus ſimul utrunque, & generativa, ſive influens, & receptibilis earum, juxta verbum veritatis Joannis 4. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Si enim non eſſet potens anima humana, & agere in ſe, & pati à ſe, & movere ſe, & moveri à ſe; fortè nihil eſſet in ea libertas arbitrij, & nihil eſſet apud eam virtus vel vitium. Similiter neque meritum, aut peccatum, & iterùm non ſecundùm idem utrunque poſſet, videlicet & agere, & pati, eadem forſitan inconvenientia ſequerentur, & vergere videtur aliter ſentire in inſaniam Manichæorum: quapropter conveniens erit conſiderationem aliquam de his facere, quandò loquimur de cogitationibus, & de reſiſtentiis, & de bellis earum, atque victoriis. Si quis autem quærat de his, qui rapaciſſimi ſunt, rapientes undecunque poſſunt, & rapinam prodigaliter, & profuſiſſimè largientes, utrùm in eis ex contrariorum actuum frequentiis generentur habitus contrarij, avaritiæ videlicet, & prodigalitatis, an neutri eorum. Quod quidem magis videri poteſt: videtur enim contrariorum actuum uterque deſtruere non ſolùm reliquum, ſed & id quod ex eo relinquitur; juxta id quod legitur Eccleſiaſtici 34. Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt ei niſi labor? Quemadmodùm ſi quis calefieret, & iterùm frigefieret, & econversò, nec calidus, nec frigidus remaneret, nec reliquiæ caloris, aut frigoris in eo ullo modo ſalvarentur; quare relinquitur, ut ſimul avarus, & prodigus ſit. Eadem eſt quæſtio de lubrico, qui interpolatè, & viciſſim multa frequentia facit ea quæ caſtitatis ſunt, & ſæpè ſimiliter relabitur. Utrùm contrarij habitus, videlicet incontinentiæ & caſtitatis generantur in ipſo, aut nihil horum? In quo reſpondemus, quia in utroque caſu neuter habitus generatur, impediente contrarietate operationum. Verùm quia tam opera prodigalitatis, quàm avaritiæ mala ſunt, licet contraria ſint, in hoc conveniunt, & concordant, quòd mala ſunt, & animæ humanæ læſiva, & viribus ejuſdem valdè nocentia: licet igitur contraria ſint, & alterum alterum deſtruat, tamen quod commune eſt ambobus, videlicet nocumentum, & læſio animę, & ab utroque relinquitur & cum utroque permanet. Quemadmodùm nimius calor nimium frigus deſtruit, non tamen læſionem, quæ ex alio eſt, tollit, quin potiùs auget, & econversò: ſic caſus, & relevatio contraria ſunt, & alterum alterum funditùs tollit, læſionem tamen vel inquinationem, quæ ex caſu eſt, non ſanat, aut diluit. Quid etiam eſt quod ſequitur in ſermonibus Ariſtotelis, quia virtus eſt bonitas duarum malitiarum media, & nominat duas malitias ſuperfluitatem & indigentiam, quas vulgariter nos vocamus nimiùm, & parùm, quæſtiones multas & dubitationes generat, medium enim

Anima ſimul agens & patiens.

Vis animæ intellectiva.

Quæſtio.

Nota.

Ariſtot.

E duorum extremorum minùs diſtat ab utroque illorum, quàm illa abinvicem: quare minùs diſtabit bonitas, & bonus per bonitatem à ſic malo, quàm ſic malus à ſic malo. Ampliùs. Sicut ipſemet dicit ibidem. Contraria ſunt quæ maximè ab invicem diſcedunt. Et in libro prædicamentorum, quæ maximè differunt. Et in libro Metaphyſicorum, quia contrarietas eſt differentia completa; quare magis differunt, ſeu diſtant ab invicem, quàm à medio, vel medium ab illis, & ita magis diſtant ab invicem duæ malitiæ, quàm virtus media diſtat ab illis; econtrariò autem videtur, quoniàm bonum, & malum contraria ſunt, ſimiliter bonitas & malitia, quare maximè abinvicem differunt, ſive diſtant, minus ergo diſtant duæ malitiæ ab invicem, quàm diſtent à bonitate. Ampliùs. Si bonitas media eſt ut ipſe dicit inter duas malitias, erit ergo natura poſterior; medium F enim omne, ſi verum medium eſt inter duo verè contraria, natura poſterius eſt utroque illorum, quemadmodùm medius color utroque extremorum. Reſpondemus autem in hoc, quia bonitas non eſt verè medium inter duas malitias, & hoc apparet, quoniàm non eſt tranſitus per illam ab altera earum in reliquam. Iterùm non eſt compoſita ex ipſis, ſicut medius color compoſitus eſt ex albo, & nigro, & tepiditas ex calido & frigido; ſed reverà res circa quas bonitates ſunt, de qua intendit Ariſtoteles, mediæ ſunt inter res ſuperfluas, & diminutas, vel inter nimiùm, & parùm eo modo ſicut numerus inter duos quoſcunque circa ſe poſitos, quemadmodùm inter denarium, & quinarium, vel quicunque aliorum mediorum, verbi gratia. Quemadmodùm inter comedere nimiùm, & comedere parùm, eſt comedere in aliqua quantitate, ſicut inter comedere libram panis, & comedere quartam, eſt comedere medietatem ejuſdem. Quod autem objicitur, quia contraria maximè G ab invicem differunt, intelligimus inter res generis illius ſicut prænominatæ malitiæ in genere ſuo, quemadmodùm color albus, & color niger in genere colorum maximè differunt; non autem magis differunt abinvicem color albus, & color niger, quàm color atque grammatica. Si quis autem quærat cùm virtus, & ars circa difficillima ſint, difficilliores autem ſint operationes ex quibus relinquitur habitus, quàm illæ quæ poſtmodùm procedunt ex habitu, immò cùm habitus firmatus fuerit, non ſolùm faciles ſunt operationes ex illo, ſed etiam jucundæ, minus ergo virtuoſæ, quàm præcedentes vel omninò non virtuoſæ. Reſpondemus, quia difficultas, & moleſtia in operationibus ex infirmitate eſt, non ex virtute. Quòd enim equus debilis, & morbidus ſeſſorem, vel pondus cum labore portat, atque dolore, non ex virtute eſt, ſed ex infirmitate ipſius. Quòd H verò equus fortis, & validus alacriter portat, & leviter, ex virtute illius eſt, & bonitate: ſicut & quòd oculo videmus interdùm cum moleſtia, & dolore, ex vitio, & malitia illius eſt, ſicut quòd clarè, & cum jucunditate videmus, ex virtute ejuſdem eſt, ac bonitate: virtus igitur, & ars circa difficillima ſunt, facientes non ſolum facillima, ſed jucunda operantibus. Jam igitur declaravimus pro parte ſermones Ariſtotelis in diffinitione virtutis conſuetudinalis, & oſtendimus tibi modum generationis illius, & quia hujuſmodi virtus non eſt theſaurus ullo modo, neque aggregatus ex operationibus, vel diſpoſitionibus, ex quibus relinquitur, quoniàm ex theſauro, & aggregato, nec magis, nec melius exiit, nec etiam aliud, quàm quod eſt in eo repoſitum. Ex habitu verò hujuſmodi exeunt & majora, & meliora opera, quàm eſſent illa, ex quibus relictus eſt, aut generatus, & inſuper infinita, cùm illa eſſent finita. Et quia generatio ejus non eſt per continuum, & partes,

Contraria.

Ariſtot.

Nota.

Epilogus ſupradictorum.

Digitized by Google

niſi potentialiter, quoniàm non eſt partibilis eſſentia ſua; & quia aliquandò primo eſt hujuſmodi habitus; non tamen dicitur tunc generari, quoniàm tunc non eſt in via ad eſſe, ſed in ipſo eſſe completo, generatio autem eſt via ad eſſe. Aſſignavimus etiam tibi cauſas nominationis ſuæ, quare ſcilicet nominatus eſt habitus, & oſtendimus tibi qualiter eſt medius duarum malitiarum: declaratum eſt etiam tibi cum his, quia tres ſunt modi generationis hujus habitus, & oſtendimus eos tibi, & numeravimus: patefecimus etiam tibi quaſdam virtutes naturales eſſe, & ſtabilitum eſt eſſe earum, & nos loquemur in ſequentibus de comparatione earum, & inveſtigabimus alia, quæ circa ipſas ſunt. His ergo ita ſe habentibus perſcrutabimur de hujuſmodi virtutibus qualiter, vel bonitatis ſint, vel bonos efficiant, & quæ ſit, vel eſſe debeat intentio boni, vel bonitatis in his.

Proponit de quibus ſit dicturus.

CAPUT II.

Tria requiruntur ad humanæ vitæ honeſtatem, & bonitatem; primò ut ſit Deo honorifica. Secundò ut ſit in ſe decora. Tertiò ut in alios utilis, ac benefica. Oſtendit præterea innocentiæ debitum in alios, & honorem creatori debitum eſſe de primis impreſſionibus.

Qualis debeat eſſe vita humana.

ILlud ergo primùm quærendum eſt qualem ſcilicet oporteat, ac deceat eſſe vitam humanam: dicimus ergo quia vitam humanam oportet datori ejus Deo eſſe honorificam, in ſe decoram, in alios utilem, ſive beneficam. Manifeſtum enim eſt quoniàm ſi Deo contumelioſa fuerit, aut in ſe indecora, ſeu turpis, aut in alios noxia, ſeu mala, erit & iniqua in ipſum Deum, & etiam in ipſum viventem, & in alios quibus nocebit; non ei minus iniquum eſt irrogare contumeliam, quàm inferre injuriam, nec minus injurioſum per ſe, ſi per ſe eſſe poſſet, nocere ſibi, quàm nocere alii. Et hoc inde manifeſtum, quoniàm debitum innocentiæ de primis impreſſionibus eſt, & cordi humano naturaliter inditum, & impreſſum: non eſt enim cor humanum, quod in ſemetipſo non confiteatur naturaliter ſe nulli debere nocere, quod autem natura univerſaliter, & naturaliter confitetur, neceſſe eſt verum eſſe: naturam enim naturaliter, & univerſaliter mentiri impoſſibile eſt. Quare manifeſtum eſt debitum innocentiæ de primis impreſſionibus, & de per ſe naturaliter notis, unum eſſe; non minùs autem nocet, qui aufert cuicunque debitum honorem, & gloriam, aut irrogat contumeliam, quàm qui debitum retinet, vel aufert alienam ſubſtantiam, ſeu pecuniam. Manifeſtum igitur eſt, vitam, quæ Deo contumelioſa eſt, aut non honorifica, eſſe iniquam in Deum, atque nocentem, & inſuper in eo in quo contumelioſa eſt, vel non honorifica, iniquam eſſe, atque nocentem in illum. Si enim dixerit quis, quòd ſufficit, ut in parte ſolummodò ſit Deo honorifica vita humana, errat indubitanter, quia ſicut tota eſt ex eo; ſic tota debet eſſe ad illum. Ampliùs. Quo privilegio exemptum erit reſiduum à Dei honorificentia? Ampliùs. Cujus eſt arbor tota, & non eſt ejus totus fructus? cujus totus ager, & non tota fruges? cujus eſt totus equus, & non totus labor? totum ejuſdem equi ſervitium? Quia igitur totum quod ſumus, totum quod vivimus, & movemur, totum boni quod vel habemus, vel facimus, totum eſt Dei opus, Dei donum, Dei beneficium: ex toto quolibet horum honorandus eſt à nobis quare tota vita, totis operibus, tam interioribus, quàm exterioribus noſtris honorandus eſt Deus; ex omnibus enim operibus ſuis, ex omnibus donis ſuis, & bene-

Debitum innocētiæ.

Natura non eſt mendax.

Similitudo.

A ficiis ſuis honorandus eſt, quare tota vita noſtra, tota debet eſſe honorifica Deo. Ampliùs. Non eſt natio adeò barbara, adeò indocta, vel incompoſita, quæ Deos ſuos adorandos non eſſe audire patiatur, quæ non reputet iſtud blaſphemiam intolerabilem, & quæ eam ferro, & igne non vindicet, adeò ut qui tale quid dicere præſumpſerint, nec doctrina, nec correctione dignos judicet, ſed ſolis ſuppliciis, niſi ſtatim reſipuerint. Quare manifeſtum eſt, quòd honor creatoris de primis impreſſionibus eſt, cùm humana natura etiam verbum contra illum ſuſtinere non poſſit, & tam ſeverè vindicet. Quòd ſi dixerit quis; reverà honor creatoris impreſſus eſt naturaliter mentibus humanis, ſed non oportet propter hoc, quòd ex tota vita, & in tota vita humana honoretur creator. Reſpondemus, quia ex toto dato debetur honor datori generaliter: quare

Honor creatoris de primis impreſſionibus.

B ex omni, & toto bono honorandus eſt creator, utpotè cujuſlibet boni totius dator, & auctor. Totam igitur vitam humanam honorificam eſſe Deo neceſſe eſt, alioquin vel in toto, vel in parte erit iniqua, non reddens Deo quod ſuum eſt, hoc eſt debitum honorem. Ampliùs. Quis audeat dicere in parte eſſe ſerviendum Deo, & in parte non ſerviendum? Si enim in omnibus omninò dominus eſt, in omnibus igitur eidem eſt, & per omnia ſerviendum: non eſt autem ſervitium, quod non eſt honorificum ei cui impenditur. Ampliùs. Si omnes operæ, & omnia opera ſervorum liberalium, dominorum eſſe debent, nec licet ſervis aliud de hujuſmodi ſubtrahere dominis; quantò fortiùs domino dominantium, dominoque ſæculorum non licebit nobis opus, vel opera detrahere. Ampliùs. Omnia opera mea neceſſe eſt eſſe, vel bona, vel mala, vel indifferētia aut

Nota.

C otioſa, mala autem eſſe non licet, ſed neque indifferentia, aut otioſa; quemadmodùm, ſervos non licet otioſos eſſe vel non facere opera, quæ fructuoſa non ſint dominis ſuis: ſic incomparabiliter fortiùs non licet nos opera facere, quæ non ſint ad honorem Dei, vel otioſos eſſe, cùm poſſimus operari ad honorem illius. Omnia ergo quæcunque facimus, quæ mala non ſunt, in honorem debemus convertere illius. Ampliùs. Si honor Dei adjunctus operibus noſtris bonis, vel indifferentibus (ut quibuſdam videtur) in nullo facit illa difficiliora, vel magis gravia, nunquid non culpabiliter præteribitur honor Dei in talibus? Quantò fortiùs igitur ſi ex hoc, aut leviora erunt, aut jucundiora, non erit in illis prætereundus honor Dei, verbi gratia; comedis aut bibis, aut dormis exigente neceſſitate corporis. Si adjeceris honorem Dei in intentione tua, ut cogi-

Similitudo.

D tes in corde tuo, quia etiam neceſſitati corporis vis conſulere propter honorem Dei, quid quæſo tibi deperiit? aut quid gravaminis impoſitum eſt tibi ex hoc, videlicet ſi vis comedere, vel bibere, vel dormire cum ipſa neceſſitate corporis etiam propter honorem Dei, quin etiam ex iſta appoſitione, niſi ultra modum perverſus es, magnæ condimentum ſuavitatis operi tuo addidiſti, cùm intentione tua Dei honorem appoſuiſti. Quòd ſi dixerit quis, quia ſufficit ad perficiendam operationem hujuſmodi intentio conſulendi infirmitati corporis, ergo ſupervacua eſt alia intentio. Reſpondemus, quia ſufficit ad comedendum etiam mala intentio, verùm ad hoc ut comedas benè, & ad hoc ut ſicut Dei ſervus, & cultor hoc facias, non ſufficit niſi Dei honorem, & honorificentiam operi tuo miſceas. Quòd ſi quis dixerit, quia non eſt neceſſe nec requiritur ab aliquo, ut in omnibus ita faciat, licet ita habeat ſanctus ſermo, ſive comedentis, ſive biberitis, ſeu quid aliud feceritis, omnia in gloriam Dei facite. & iterùm alibi, ut in omnibus honorificetur Deus; quærimus utrùm

Nota.

Nota.

Digitized by Google

aliquis finis quærendus ſit in hujuſmodi operationibus? Quòd ſi reſponderit, quia finis hujuſmodi operationum ſuſtentatio eſt, ſive refectio, aut conſervatio corporis humani. Quærimus iterùm, utrùm hujuſmodi conſervatio quærenda ſit propter ſe tantùm, & non propter aliud. Non poteſt autem dicere, quia propter ſe tantùm quærenda ſit, ſicut nec ipſum corpus, & hoc eſt quoniàm ipſum corpus organum eſt, ſive inſtrumentum operationum, quæ ſunt ab anima per illud: univerſaliter autem manifeſtum eſt, quia organum eſſe, & ejus ſalus, & ejus bonitas, & quæritur, & conſervatur propter operationes quæ fiunt per illud: ſicut oculus, & ejus ſalus, & ejus bonitas non propter ſe quæruntur, ſed propter videre. Quòd ſi dixerit, quia operationes hujuſmodi quærendæ ſunt propter ſe tantùm, manifeſtum eſt ipſum errare; quoniàm ſecundùm hoc, non eſſent quærendæ propter majus bonum, quare non poſſent eſſe utiles, vel adminiculantes ad obtinendum majus bonum, quàm ipſæ ſunt, & hoc eſt de manifeſtè falſis, quoniàm videre, & audire, & ſimilia utilia ſunt ad ipſum ſcire, & ad ultimum ipſum ſcire utile eſt evidenter ad obtinendam fœlicitatem æternam: ſimiliter, & aliæ omnes perfectiones animæ humanæ atque operationes bonæ, licet per multa media ſint utiles, & expedientes ad fœlicitatem æternam: omnium autem utilitatum hæc maxima eſt fœlicitas æterna, & omnium ut ita dicamus utilitatum utilitas. Quare ſi quærenda eſt nobis ipſa, quærenda ſunt nobis omnia, quæ utilia ſunt ad ipſam, manifeſtum eſt omnia illa quærenda eſſe propter ipſam: in nullo ergo citeriori bono ſiſtendum eſt, quare nullum citerius bonum quærendum eſt propter ſe tantùm. Ampliùs. Quoniàm ad illam, & nati & creati ſumus totaliter, & quicquid naturaliter vel ſumus, vel habemus, propter illam ſumus & habemus; ergo in illam totaliter conferenda nobis ſunt omnia, ſeu referenda, illam ergo debemus intendere per omnia quæ facimus. Quid eſt vita bona, niſi via recta, & ducens ad fœlicitatem æternam? & quid aliud ſunt bonæ operationes in vita, quàm boni paſſus, vel greſſus in via fœlicitatis æternæ? quia ergo tota vita eundum eſt, & totis paſſibus ad finem viæ; tota ergo vita totiſque operibus eundum eſt ad fœlicitatem æternam: quare nec licet ſtare in aliquo ex operibus, declinante à via: declinatur autem per malitiam ab illa: ſtatur autem, cùm intentio, & propoſitum citra figitur, & uſque ad fœlicitatem æternam non extenditur. Ampliùs. Cùm multæ ſint intentiones ejus, quod eſt bonum, ipſe Ariſtoteles determinat, quòd bonum in conſuetudinalibus dicitur mediocre, ſive medium, ſive temperamentum, aut menſuratum inter ſuperfluitatem, & indigentiam: quemadmodùm dixit in libro Topicorum, quia bonum dicitur quantùm ut in mediocri, unde non videtur dici bonum, niſi comparatione magnorum, & apertorum malorum, ſecundùm hanc intentionem. Adeò enim aperta mala ſunt prodigalitas, & avaritia, adeòque magna ſuperfluitas eſt prodigalitas, magnaque diminutio avaritia, ut qui ab utroque recedit, bonus, hoc eſt temperatus, judicetur; quamvis nullum medium tenetur propter hoc ſolùm, quia in eo receditur ab utroque extremorum, & nulla media via inceditur: nec propter hoc tantùm, ut ſeorsùm vel longè ſit ambulans ab utraque illarum, ſed propter hoc potiùs, ut per ipſam veniatur ad finem viationis, & forſitan ut rectiùs, & commodiùs per illam, quàm per alterutram illarum veniretur, ſed non propter hoc ſolùm ut declinetur utraque malitia extrema, tenetur medium, ſed ut acquiratur per medium, quod non per alterutram acquiritur extremarum malitiarum, quin potiùs amitteretur per utramque illarum neceſſe eſt medium finem habere meliorem ſe, propter quem quæritur & intenditur. Ampliùs. Si ſimpliciter, & per ſe bonum eſt, quo obtento, alia nec quæruntur, nec quærenda ſunt: alia verò non ſufficiunt, vel beatos vel fœlices efficere, immò eis obtentis reſtat quærendum per ea illud bonum: manifeſtum igitur eſt alia omnia, & bona eſſe propter illud & quærenda. Ampliùs. Virtus hujuſmodi & bonitas, aut eſt quærenda propter ſe tantùm, aut propter aliud tantùm, aut propter ſe & aliud: & manifeſtum eſt, quia in nullo bono ſiſtendum eſt nobis, citra bonum ultimæ fœlicitatis, cùm ad eam, & ire, & pervenire nati ſimus, & ad ipſam obtinendam creati. Quia ergo in omni bono ſiſtendum eſt, quo obtento non aliud quærendum; manifeſtum eſt, quia nullum eſt bonum citra illud quo obtento non eſt aliud quærendum: omne autem tale, videlicet in quo non eſt ſiſtendum, & quo obtento reſtat aliud quærendum, via eſt; quare hujuſmodi virtus, vel bonitas, de qua hîc loquimur, via eſt: via autem non eſt quærenda propter ſe, quare non eſt quærenda hujuſmodi virtus propter ſe tantùm. Quòd ſi dixerit quis, quòd eſt quærenda propter aliud tantùm, quærenda autem eſt, quia bona tantùm; quærenda ergo eſt, quia bona eſt ad aliud, & bonitas ejus bonitas ad aliud tantùm; hujuſmodi autem bonitas via tantùm ad acquirendum majus bonum, & vera ſui nominatione nominatur utilitas. Quòd ſi dixerit, quia quærenda eſt propter ſe, & aliud, erit ſimul finis, & via; quod enim propter ſe quærendum eſt finis eſt inquiſitionis; quod propter aliud via, hoc autem inconveniens eſt per ſe. Ampliùs. Si quis quæreret hujuſmodi virtutem, vel bonitatem propter ſe tantùm, ſecundùm hoc peccaret, cùm ſit quærenda etiam propter aliud; eodem modo ſi propter aliud tantùm, ſimiliter peccaret, cùm ſit quærenda propter ſe. Ampliùs. Eſto quòd aliquis quærat eam propter ſe, ut ea obtenta quieſcat in ea, nunquid non malè faciat cùm ſit natus, & creatus ad majus bonum? Ampliùs. Nullo modo eſt in ea ſiſtendum, ergo nullo modo eſt ponenda finis: finis autem eſt quòd quæritur propter ſe; quare nullo modo eſt quærenda propter ſe. Quòd ſi dixerit quis, quòd hoc modo quærenda eſt propter ſe, quoniàm etſi aliud bonum non contingeret acquiri, per ſe tamen & amanda eſſet, & quærenda ſicut ejus contrarium declinandum. Verum utique dicit. Nos autem non quærimus quid faciendum eſſet tunc, ſed quod modò faciendum ſit; videlicet cùm ita ſit, quòd hujuſmodi virtutis, aut bonitatis eſt acquirere fœlicitatem æternam. Jam igitur declaratum eſt tibi ex his, quia virtus, & bonitas de quibus intendit Ariſtoteles, viæ ſunt ad acquirendum, & obtinendum aliud bonum, & illud bonum vocatur apud eos fœlicitas æterna; licet autem multa alia bona ex ea, & per eam ſint, tamen finaliter, & ultimò per eam obtinetur fœlicitas æterna; propter iſta autem bona homines dicuntur boni ſicut dicit Tullius de juſtitia, quia ex ea boni viri nominantur, quoniàm in ea eſt ſplendor maximus honeſtatis. Ex juſtitia enim pax hominibus ad invicem, & ab iniquis; per juſtitiam namque ipſi, qui juſti ſunt cavent, ne cuiquam noceant, vel lædant, & per eandem comprimuntur improbi, & audaces, ne in læſionem aliorum proſiliant; ex pace etiam & ſecuritate provenit multiplicatio non ſolùm in rebus humanis, ſed etiam in hominibus, ſicut econtrariò ex bellis, & rapinis, & aliis perturbationibus proveniunt contraria, videlicet diminutio, non ſolùm rerum humanarum, ſed etiam hominum. Ad hunc modum ſe habet de temperantia, & intemperantia; vix enim eſt malum in rebus humanis, quòd ex aliqua ſpecie intemperantiæ

Corpus eſt organum operationis animæ.

Fœlicitas æterna.

Ariſtotelis ſententia de bono.

Nati ſumus ad obtinendã fœlicitatẽ.

An virtus propter ſe tantùm ſit quærenda.

Ariſtot.

Tullius.

Iuſtitia bona.

Temperantia effectus.

tiæ non procedat, ſicut apparet de luxuria, ebrietate, & guloſitate. Meritò igitur & boni dicuntur, qui virtutibus iſtis pollent conſuetudinalibus, boni inquam, hoc eſt Reipublicæ utiles, & ipſæ virtutes bonitates, hoc eſt utilitates, cùm per ipſas tot & tanta bona hominibus, & rebus humanis proveniant; mali, immò peſtilentes, qui econtrariò ſe habent nominandi ſunt. Si quis autem dicat, quòd ſicut ſimilitudo cum ſupernis, divinisque ſubſtantiis juſtitia eſt, ut ait Boëtius, ita & bonitas, verum utique dicit, & quemadmodùm dicit Ariſtoteles Quoniàm alba dicuntur quædam, quia vel de habere vel de albere, videlicet quia propinqua ſunt, verè ac purè albis: ita boni, & bona. Quia verò perfecta bonitas, etiam perfecta beatitudo eſt, & ſimilata bonitas & ſimilata fœlicitas eſt, ſicut in ſequentibus declarabimus; neceſſe eſt bonitatem, quæ via eſt ad illam, quodammodò bonitatem eſſe, videlicet tanquàm umbram, ac ſimilitudinem permodicam veræ ac perfectæ bonitatis, ſicut generaliter mediæ diſpoſitiones, quibus venitur ad extremam, perfectam, veramque & puram, aliquatenùs ſunt ſimilitudines illius, & quæ propinquiores magis aſſimilantur illi. Sunt ergo virtutes hujuſmodi bonitates ex ſimilitudine, quam habent ad veram & perfectam bonitatem, quemadmodùm dicere ſolemus, quia gratia eſt umbra quædam gloriæ & ſimilitudo perennis: potentialiter enim non ſunt ſine admixtione malitiæ, donec perveniatur ad putum, perfectum, noviſſimum. Et hoc eſt quod dicit ſermo propheticus, Iſaiæ 64. Quaſi pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ: ſicut enim vulgares homines, & indocti magna bona vocant etiam quæ minima ſunt, videlicet temporalia, maxima verò omninò non capiunt, & in temporalibus etiam pueriliter errant, reputantes magna vel maxima, quæ minima vel penè nulla ſunt; ſic & bonitates vocant homines etiam magnas, & maximas, quæ valdè modicæ ſunt, & interdùm etiam quæ magis malitiæ ſunt, & ſæpè virtutes opinantur ea, quæ vitia ſunt. Jam enim patefecimus tibi, quia qui ſiſtit in tentione, & propoſito citra fœlicitatem æternam, diminutus eſt, & abuſor bonorum, quæ circa fœlicitatem æternam ſunt, & hoc eſt, quoniàm bona, quæ via ſunt, finem conſtituit. Quemadmodùm igitur, qui finem iſtum faceret viam, & non ſiſtens in eo, ſive quieſcens, ſed per illum quærens aliud, fine ipſo abuteretur; ſic qui in via ſiſtens, atque finaliter, via ipſa abutitur, finem illam conſtituens. Amplius. Et naturæ ſuæ inimicus eſt cùm eam fraudet bono bonorum omnium, propter quod, & ad quod natus, & creatus eſt. Quemadmodùm ſi quis natus ad regnum, vili prædiolo contentus regnum negligat, & recipere recuſet ignavia, vel pigritia ſola, ſibi ipſi inimicus maximus eſſet. Amplius. Ordinationi rectiſſimæ creatoris hujuſmodi homo proculdubiò contradicit, cùm ordinatio creatoris ſit, vitam eſſe ad finem placidiſſimæ, & jucundiſſimę quietis, & omnes motiones noſtras greſſus eſſe ad patriam cumulatiſſimæ fœlicitatis; & propter hanc, & ad hanc, ſicut ſupra tetigimus, totum ſumus quod naturaliter ſumus, & totum habemus quicquid boni undecunque in nobis habemus, propter quã, & vitam noſtram ſumma velocitate currere voluit cum tempore, ut eſſet perventio noſtra ad illud bonum celerrima, & bona minima à quibus tanta velocitate fugimus, & quæ tanta velocitate nos fugiunt detinere non poſſent, nec iter noſtrum vel impedirent, vel retardarent. Jam igitur manifeſtum eſt ex omnibus his, quia bonus & bonitas tripliciter dicitur. Et prima intentio bonitatis eſt utilitas. Secunda intentio ſimilitudo veræ ac perfectæ bonitatis Tertia vocalis admixtio veræ bonitatis; & huic intentioni ut

Boëtius.

Vulgus non intelligit vera bona.

Ordinatio creatoris.

Bonitas & bonus tripliciter.

A diximus, & nominationi cauſam dat ignorantia vulgaris, & paucitas, ac brevitas intellectus indoctorum. Paucis enim adhuc hominibus innotuit gloriam Dei præcipuum eſſe finem, & ſolùm forſitan, atque verè bonarum operationum; ſicut enim communitas hominum minima ſola bona diligit, & illis contenta eſt, niſi aliter erudiantur, & inſtituantur; ſic & illa ſola cognoſcit, & cogitat inſtar puerorum, qui ſolùm lac, & pira atque poma norunt, & curant. Habet autem quæſtionem, utrùm qui ſolam fœlicitatem æternam intendit, & propter eam ſolummodò obtinendam bona operatur, nullatenùs inſpecto Dei honore, vel gloria, bonus, vel juſtus dicendus ſit, & videtur quòd manifeſtè injuſtus ſit. Primùm ſicut diximus, quia Deum jure ſuo defraudet, honorem ei, & gloriam non ſolùm non exhibens in operibus ſuis, ſed nec etiam intendens: deinde cùm ipſa fœlicitas æterna bonum creatum ſit, B non eſt in ea ullatenùs quieſcendum finaliter, aut ſiſtendum. Sicut enim nullum tale bonum propter ſe eſt, ſic nec propter ſeipſum ſolummodò diligendum; alioquin multipliciter ordinationi creatoris, & ipſi naturæ contradicitur, cùm nullum tale bonum in ſeipſo finis ſit, ſed magis via tibi ſit propter aliud, nullo modo finis, ſed magis via habendum eſt, quemadmodùm cùm creator & in ſe finis ſit, ſicut & principium omnium bonorum, nullo modo via tantum habendus eſt ſic, & quod via in ſe tantùm eſſe natũ eſt, nullo modo finis habendũ eſt. Amplius. Hujuſmodi homo diligit fœlicitatem & vitam æternam propter ſe hominem tantùm, aut diligit propter illam, aut non: ſi ſic, ergo magis illam quàm Deum: ſi non, ingratus igitur eſt datori illius Deo, cùm euſque diligat datum illius, & datorem non diligat propter illud. Quòd ſi dixerit, quia non diligit Deum propter illam, ſed propter ſe tantùm, aut æqualiter diligit Deum & illã, aut alterum magis; C ſive autem æqualiter, ſive magis illam, quàm Deum, injurioſus eſt Deo, cùm ipſe ſit incomparabiliter magis diligendus quàm ipſa. Amplius. Omnia facit propter illam hujuſmodi homo, & nulla propter Deum magis ergo diligit illam, quàm Deum. Amplius. Si hujuſmodi homo ſervit Deo propter obtinendam ab eo fœlicitatem iſtam ſolummodò, vendit ergo Deo ſuum ſervitium, quod eidem impendit; quare non eſt inter ipſum, & Deum quantùm ad hoc niſi venalitas, aut mercatio, ſive negotiatio: negotiatores autem ſibi invicem non ſerviunt, ſed merces, & pretia tantùm commutant. Amplius. Hujuſmodi homo ſibi ſolummodò ſervit, ſibi enim ſoli prodeſſe intendit, & non Deo: nos autem de his meritis, & retributionibus perſcrutatiùs, & latiùs loquimur. Intantùm autem determinatum ſit tibi, quia hujuſmodi homo, nec bonus, nec juſtus ſimpliciter D dicendus eſt, ſecundùm aliquam trium prænominatarum intentionum.

Quæſtio.

Nota.

Deus incomparabiliter magis diligendus.

Servientes Deo propter fœlicitatem habendam tantùm.

CAPUT III.

De ipſa virtute iterùm latiſſimè diſputat, quærens an ejuſmodi habitus ſit voluntas, vel ſcientia aut utrumque, aut alterum in comparatione alterius.

POſt hæc autem inquiremus de hujuſmodi habitu, an ſit æqualiter voluntas, vel ſcientia, aut ambo illa, aut alterum in comparatione alterius Dicit enim Ariſtoteles, quia virtutes, aut voluntates quædam ſunt, aut non ſine voluntate. Incipiamus ergo & dicamus, quoniàm in anima humana non inveniuntur niſi tria genera virtutum; videlicet apprehenſiva, deinde motiva, cujus duæ ſpecies, vel

Ariſtot.

Tria genera virtutum in anima.

Digitized by Google

partes, ſcilicet imperativa motus, & effectiva illius, & effectiva quidem nullatenùs ſuſceptibilis eſt virtutis: nulla enim habilitas membrorum ad motum, nullus habitus, qui in eis generari poſſit, virtus inquam de qua hîc agitur nominatus eſt, virtus ergò eſt quæ temporum & operationum frequentia generatur, aut in apprehenſiva vi generatur, aut in motiva imperativa motus; quòd ſi in apprehenſiva, tunc facilè eſt declarare, quòd vel opinio eſt vel ſcientia: dubitatio enim, & admiratio hactenùs virtutes à nullo hominum nominatæ ſunt.

Opinio virtus non eſt.

Quòd autem nec opinio, nec ſcientia virtus hujuſmodi ſit, inde manifeſtum eſt, quoniàm non qui magis opinatur, aut ſcit in eis quæ virtutum ſunt magis bonus, aut virtuoſus eſt, hoc autem ex neceſſitate ſequeretur. Si enim opinio, aut ſcientia virtus eſſet, augmentum hujuſmodi eſſet augmentum illius virtutis, & in quo augeretur hæc, augeretur & illa.

Amor non eſt concupiſcentia coitus.

Quemadmodùm & alibi dicit Ariſtoteles: quoniam amor non eſt concupiſcentia coitus. Non enim qui magis amat, magis concubitum concupiſcit, ipſe autem Ariſtoteles teſtatur, quòd ſcire vel parùm, aut nihil operatur ad virtutem.

Scire nihil aut parum ad virtutem.

Reſtat igitur, ut hujuſmodi habitus generetur in vi imperativa motus tantùm: imperativa autem motus eſt vis volendi; in vi verò volendi non generatur habitus niſi voluntas, aut noluntas, quare hujuſmodi habitus non erit niſi voluntas, aut noluntas. Ampliùs. Si ex frequenter apprehendere non generatur niſi habitus apprehenſivus, ergo ex frequenter velle non generetur, ut ita dicatur, niſi habitus ad volendum ſive volitivus; habitus autem ad volendum non eſt niſi voluntas quare virtus ſecundùm hoc conſuetudinalis non erit niſi voluntas. Ampliùs. Poſita voluntate ponitur habitus, voluntate inquam bona ſolùm ponitur bonitas, & ponitur quis bonus, & remota removetur, ergo voluntate per ſe & propriè eſt quis bonus, quare voluntas bona per ſe, & propriè bonitas eſt. Ampliùs. Ea ſola poſita, nihil ponitur, quod non ſit ipſum, & ea ſola remota nihil removetur, quod non ſit ipſum: ponitur autem ſic, & removetur bonitas, ergo ipſa eſt bonitas, & bonitas ipſa. Quòd autem verum ſit hoc, quòd ea ſola poſita ponitur & bonitas, & ſola remota removetur, inde manifeſtum eſt, quoniàm homo bonæ voluntatis ſimpliciter bonus eſt, & qui habet bonam voluntatem talem videlicet habitum, bonitatem habet ex neceſſitate, quicquid aliud non habeat, & qui caret bona voluntate hujuſmodi bonus non eſt, quicquid aliud habeat; quare nihil niſi bona voluntas bonum facit habentem:

Auguſt.

hoc & Auguſtinus dicit in libro Enchiridion, quia voluntate rectè vivitur, & voluntate peccatur. Similiter, Seneca.

Seneca.

Omne peccatum adeò voluntarium, quòd ſi non eſt voluntarium non eſt peccatum, quare & de bonis neceſſe eſt ſimiliter ſe habere. Ampliùs.

Voluntas velut Imperator.

Cùm in mente humana voluntas ſit inſtar Imperatoris cui ſubſunt, & parent omnia alia; ſcientiæ autem, & memoriæ cæteraque hujuſmodi inſtar conſiliariorum qui ſuggerere, atque ſuadere utilitates, & pericula oſtendere in operibus ſolummodò poſſunt, ſed nec imperare quicquam, nec exequi; membra verò, & vires motivæ inferiores velut miniſtri ſunt, & executores tantùm juſſionum, ſeu præceptorum hujus Imperatoris;

Senſus.

ſenſus verò exteriores ſunt, velut nuntij & curſores ea quæ foris viderint, vel audierint ad conſiliarios, & Imperatorem hujuſmodi reportantes: manifeſtum eſt, quòd ut benè, vel malè omnia hujuſmodi adminiſtrentur, totum conſiſtit in bonitate, vel malitia hujus Imperatoris; bonus autem eſt qui hujuſmodi omnia adminiſtrat, & regit, & malus qui econverſò ſit, totum eſt ex bonitate vel malitia voluntatis. Ampliùs. Tolle bonitatem à voluntate

E relictis in homine quibuſcunque, vel quantiſcunque volueris, ſublata eſt bonitas ab illo. Pone bonitatem in ea, ſublatis ab eo aliis quibuſcunque volueris, bonitatem in eo poſuiſti: & de malitia quidem manifeſtum eſt, quia poſita malitia in voluntate de neceſſitate ponitur malus homo, ſublatis aliis quibuſcunque; & remota malitia ſimiliter à voluntate, remanet homo non malus, remanentibus aliis quibuſcunque in eo, præter ſolùm malitiam voluntatis.

Bonitas quid ſit.

Reſpondemus ergo in omnibus his, quoniàm proculdubiò bonitas iſta conſuetudinalis non eſt, niſi voluntas habitus, hoc eſt voluntas firmata conſuetudine in operandis bonis, licet vis apprehenſiva forſitan non ſit in nobis aſſuefactionibus ſuis, non ſit inquam ſine acquiſitione multiplicis meliorationis ſuæ; acquiritur enim illi, & promptitudo, & certitudo cognoſcendi, quæ bona ſunt. De ipſa experien-

F tia operatorum generatur in ea cognitio aliorum multorum, nec poteſt eſſe melioratio ejus in operatis, vel operandis, quæ non adjuvet multipliciter bonitatem quam diximus, hoc eſt bonam volùtatem.

Auguſt.

Eruditi enim ſicut dicit Auguſtinus, melius modis omnibus operantur & quòd dicit Ariſtoteles, quia ſcientia nihil, aut parùm operatur ad virtutem, de ſcientiis aliis, & rerum aliarum intelligendum eſt, non de ſcientia qua cognoſcuntur ipſæ virtuoſæ operationes. Quemadmodùm enim viſus, vel videre non nihil, vel non parùm operatur ad greſſum, immò multùm; ſic ſcientia operandorum permultùm quidem operatur, & ad operationes eorum, & ſicut virtus greſſibilis valdè impedita eſſet, ſi non adjuvaretur viſu quo greſſus regit, & quo eidem providetur, ac præcavetur; ſic virtus abſque hujuſmodi ſcientiæ lumine quaſi cæca eſſet, neſciens quid, aut qualiter ageret; quemadmodùm cæcus gradiens &

G neſciens, qua, vel quorſùm iret, periculoſè ambulare videtur; quemadmodùm igitur in quibuſdam ex hominibus, aliud eſt virtus aggrediendi, & agendi magnifica ædificia, ac ſumptuoſa, aliud ars eadem faciendi architectonica videlicet: ſic & in bonis viris aliud eſt ſcientia, qua cognoſcunt quid agendum, & qualiter, & quandò, & cui, aliud virtus, & facultas aggrediendi talia, & agendi.

Quomodo ſcire operatur ad virtutem.

Poſſet tamen intelligi verbum illud Ariſtotelis, quo dixit ſcire vel parùm, vel nihil operari ad virtutem, hoc eſt ad eſſe virtutem, vel ad eſſentiam ipſius. Ad benè autem ſe habere illius permultùm, ut diximus operatur, utpotè dirigens, & illuminans operationes illius. Quemadmodùm viſus ad virtutem greſſibilem nihil operatur quantùm ad eſſentiam, ad bonum autem ſe habere illius, hoc eſt ad hoc, ut benè, & bonas reddat operationes greſſibiles permultùm.

Nota.

Si quis autem dixerit, quia virtus conſuetudinalis non

H generatur in alterutra virium prædictarum, ſeu in ambabus ſimul, ſermo ejus eſt impoſſibilis, & hoc eſt, quoniàm ſecundùm eum hujuſmodi habitus, aut totus eſſet in utraque hujuſmodi virium, aut partim in altera, & partim in altera; ut autem idem numerus habitus ſit in duobus ſubjectis ſimul impoſſibile eſt; ſimiliter ut partim in altera partim in reliqua, impoſſibile eſt, cùm habitus ille ſit impartibilis. Si aliud eſt ſecundùm hoc etiam habitus ille nihil unum eſſet, quemadmodùm enim ex generantibus illum nihil unum fieri poteſt, videlicet ex ſcire, & operari, vel ex potentiis eorum: ſic ex generatis ex ipſa vel ex ipſis, nihil unum fieri, vel componi poteſt, & quemadmodùm ex frequentia operum greſſibilium in ſola vi greſſibili, vel organis ipſius, non autem in oculis, vel in viſu quamquàm ſine illis non agantur hujuſmodi opera: ſic habitus virtuoſus in ſola vi motiva, quæ greſſibilis ſpiritualis eſt ſolummodò generatur, non in vi apprehenſiva nobili, quæ

eſt vi-

Quæſtio ſingularis. *Solutio.*

eſt viſus interior. Si quis autem quærat, quare voluntas boni bonos efficiat volentes, & ſcientia boni bonos non faciat ſcientes? Reſpondemus, quia voluntas imperativa eſt, ut ſupra diximus, & omnia opera noſtra ſunt ſubdita, & obedientia ei, & propter hoc bonitatem ejus, & malitiam ſequuntur ex neceſſitate bona adminiſtratio, & laudabile regimen noſtri met, & noſtrorum, hoc eſt omninò eorum, quæ noſtra ſunt. Ampliùs. Nos ipſi ut ita dicamus ſubditi ſumus voluntati noſtræ, licet ſubjectione liberrima, non autem ſcientiæ ullo modo; quare cùm bona voluntas noſtra eſt cui paremus per omnia, bona eſt omnis operatio noſtra, quoniàm omnis operatio noſtra tunc non eſt niſi executio bonæ, & benè imperantis voluntatis. Ampliùs. Voluntas intimior eſt, quàm ſcientia, & magis penetrans; non eſt ergo mirum ſi magis aſſimilat ſibi volentem, quàm ſcientia ſcientem. Ampliùs. Voluntas eſt uniens volentem & volitum, & etiam ipſos volentes invicem: inde eſt, quòd unum volentes unum dicuntur eſſe, quòd eſt propter unitatem voliti. Major autem eſt conjunctio, & fortior quorumcunque extremorum ad medium, quàm illorum adinvicem: quare major eſt volentis ad volitum, quàm volentium per illud adinvicem. Eodem modo eſt inter amantem, & amatum, & inter amantes adinvicem, amantes enim ſe adinvicem, & amici unum eſſe communi ſermone dicuntur, amans enim, & amatum adeò uniuntur, ut amans ſe non aliud eſſe reputet, quàm id quod amat; ſicut apparet de avaro, & divitiis ejus, qui non aliud ſe eſſe reputat, quàm acervum divitiar um ſuarum, unde prædia ſua, & torcularia, & grangias, membra ſua nominat. De ſciente autem, quòd aliquod ſcitorum ſuorum, & ſcitum eſſe membrum ſuum nominet, inauditum eſt à ſæculis; amor verò, & voluntas, etſi ratione differre videntur, ſubjecto tamen, & eſſentia unum ſunt. Utrùm autem ſcientia operandorum, quæ aſſuetudine, & experientia illorum acquiritur, virtus nominari debeat aut virtus ſit, ſicut eſſe videtur, cùm prudentia nominatiſſima virtus ſit, & inter quatuor Cardinales prima, quæſtionem habet non levem, & nos quod intelligenti ſufficere debeat, in parte iſta diximus, in quinta parte tractatus totus, videlicet in capitulo de fide, & adhuc neceſſe habemus repetere cum additione eorum, quæ neceſſaria ſunt ad cognoſcendam virtutem, quæ nominatur prudentia, & faciemus ibi ſcire, quòd non ſola prudentia virtus eſt apprehenſivæ noſtræ nobilis ſuperioris, immò etiam multæ aliæ, ſicut jam declaravimus de fide. Verùm generatio earum non eſt per aliquem trium modorum, quibus oſtendimus generari virtutem conſuetudinalem immò eſt irradiatio primi luminis, quod eſt Deus verus, ac unus, & eſt aſperſio primi fontis, & univerſalis, qui eſt implens omnia ſæcula: intantùm igitur nunc determinata ſint tibi, quæ diximus, ut ſcias non eſſe neceſſe generari habitum, qui ſit virtus, & ſcientia, ex frequentia apprehendendi, vel cognoſcēdi quæ operanda ſunt, neque omnē hujuſmodi ſciētiam, etiam tùm fuerit habitus virtutem eſſe. Poſſibile tamen eſt hujuſmodi ſcientiam generari, quæ virtus ſit, & hoc declarabimus in capitulo prudentiæ.

Voluntas intimior ſcientia.

Prudētia.

Scientia poteſt eſſe talis quæ ſit virtus.

CAPUT IIII.

De nomine virtutis diſputat dicens, ſolùm fortitudinem qua laboribus, & doloribus reſiſtimus, antiquitùs dictam eſſe virtutem. Mox alias eodem virtutis nomine fuiſſe dictas.

POſt hæc autem nobis relinquitur videre nominationes virtutum, & cauſas earum. Prima igitur generalis earum nominatio qua virtutes nominantur quæ nominatio earum, ut dicit Tullius, antiquitùs ſolius fortitudinis fuit. Cauſa autem in hoc manifeſta eſt, quia non ſtatim innotuit virtuoſitas, ſeu vigoroſitas aliarum, penè autem ſuper fortes apparuerunt, & nominati ſunt, qui laboribus, & doloribus non facilè vinci potuerunt. Poſtmodùm autem innotuerunt per experientiam multiplicem alia certamina, alia bella conſurgere contra mentem humanam, videlicet à deliciis, & divitiis, ab honoribus, & gloria, cæteriſque hujuſmodi, quorum victoria eſt valdè rara, & difficilis, propter quod & fortes, & virtuoſi nominati ſunt, qui talia, vel viciſſent, vel vincere poſſent & bonæ qualitates, quibus hæc poſſent, virtutes, & fortitudines nominatæ ſunt. Nominata eſt igitur virtus à vi, & tuendo, vi enim ab hujuſmodi hoſtibus tuetur poſſeſſorem ſuum, ne lædatur, aut corrumpatur, aut capiatur ab illis: probabiliter quoque virtus à viro, quaſi veritas à quibuſdam dici putata eſt, eo quòd veri nominis viros interiùs, & animò viriles efficiat, ſicut econtrariò vitio effœminantur, & infirmantur quotcumque poſſederit. Sunt & alij, qui dixerunt, quia virtus quaſi viri ſtatus nominata eſt per ſimilitudinem igitur corporalis fortitudinis, & virilitatis, & virtus & fortitudo, nominatus eſt hujuſmodi habitus, & per ſimilitudinem naturalis potentiæ: hoc eſt autem ex tribus cauſis; vel potiùs quatuor. Fortes enim dicuntur corporaliter quidam ad onera portanda, alij ad labores tolerandos, alij ad bella, alij ad læſiones repellendas ſicut aper, & cocodrilus propter duritiam; ac ſpiſſitudinem cutis. Invenitur enim unaquæque iſtarum ſine aliis: invenitur enim fortis ad onera, qui non eſt fortis ad aliquod aliorum, invenitur etiam carne tenerrimus ad bella fortiſſimus. Onera verò ſpiritualia ſunt gubernatio multitudinis cujuſcunque, ad quod onus multi infirmi inveniuntur, & debiles, malentes laborare ſcribendo, legendo, ſtudendo, diſputando, prædicando, vel etiam corporaliter, ut agricolando, quàm portare onus regendæ multitudinis, maximè diſcolæ, & diſcordis; ſicut evidenter apparuit in Moyſe ex ipſis teſtimoniis ejus; labores autem ſpirituales ſunt, & corporales, videlicet pſallendi, legendi, cantandi, orandi, & multi alij hujuſmodi, quos proximè nominavimus, & multi alij corporales autem per ſe noti ſunt. Ad utroſque autem inveniuntur multi fortes, qui in bellis ſpiritualibus pleriſque infirmi, facilè quippè, aut vento inanis gloriæ dejiciuntur, aut ira, vel invidia vaſtantur, aut cupiditate ſeu ambitione facilè capiuntur: ſic & multi ad bella tentationum ſpiritualium fortiſſimi ſunt, atque magnifici, ad prænominata verò videlicet onera, & labores infirmi, & hoc eſt quoniàm vinci dedignantur ex ſancta ſuperbia, & præ oculis ſemper habent Deum certantium pro ipſo ingenij inſpectorem, promptiſſimum adjutorem, magnificentiſſimum & remuneratorem, ſicut dixit ſanctus, & ſapiens Auguſtinus. De cœlo inquit clamat dominus certate, adjuvabo, vincite, coronabo. Quibuſdam enim ex magnificentia cordis moleſtiùs eſt vinci, & potiſſimùm ab hoſte, qui vires & arma non habet contra nos, niſi quas ei fortè dederimus. Quibuſdam quoque eſt fortitudo in mente, ſicut durities in lapide, aut in cocodrili cute, vel quemadmodùm in manibus eorum qui duris operibus aſſueti ſunt, ut in coriariis & agricolis, fabriſque ferrariis, & metallorum operariis, & hac bonitate difficilè læduntur, & facilè repellūt jacula ab hoſtibus ſpiritualibus emiſſa, qualia ſunt verba conviciorum, detractionum, & aliorum hujuſmodi quæ corda tranſverberāt atque transfigunt. Hac etiam virtute facilè irrumpunt reſiſtentia, quēadmodùm lapis cùm ponderoſitate ſua

Virtutes unde dictæ.

Virtus à viro.

Fortes quotupliciter.

Sancta ſuperbia nolle vinci.

Similitudo.

deſcendit & irrumpit acra, & aquam poſtmodùm, & deinde etiam terram intrans aliquatenùs in eam: ſic & iſti cùm dura initiant, vel contumeliarum, vel verborum, irrumpunt ea facilè, etiam abſque læſione, vel vulnere cordium. Utrùm autem una ſit fortitudo, ex qua omnes iſtæ operationes exeant, meritò quæſtio eſt: ſimiliter & utrùm eadem ſit ipſa, quæ patientia. Deinde quid erit manſuetudo, & quid bonitas illa, unde quis mitis dicitur, & qualiter ad invicem differant utrùm ratione tantùm, an ſubjecto etiam, & eſſentia, meritò quærat quis; nos autem nondùm venimus ad hæc, & ideò ſuo loco illud determinandum reſervamus.

CAPUT V.

De alio nomine virtutis diſputat dicens, virtutem perfectionem vocari, quoniam anima ſine virtute eſt quodam modo imperfecta, & quaſi aliquid informe, & materiale ad homine virtutibus præditum & perfectū, deinde dicit de animæ ſtatu ex Ariſtotele & Platone.

SEcunda autem eſt ex nominationibus quibus virtutes nominari conſueverunt, perfectio, & & hæc eſt; quoniàm mens humana cùm eſt ſine illis, ejus eſſe eſt valde incompletum quantùm ad benè ſe habere & valdè informe, & homo ipſe in illo ſtatu velut potentiale quoddam eſt, & materiale ad hominem perfectionibus iſtis completum; & diximus aliquandò, quòd ipſe eſt ſicut imago ſculpta, *Similitudo.* non autem polita, nec tota decentia membrorum circumciſa: hoc autem dicimus ſecundùm ſtatum hujuſmodi corruptionis. Iſta vero perfectio in ea videlicet virtutum eſt, ſicut compoſitio colorum nobilium, aut ſicut deauratura. Cùm igitur imaginatus fueris mentem humanam in iſta perfectione, videbis eam ante hujuſmodi perfectionem, velut materiale quoddam, & potentiale ad hujuſmodi perfectionis completionem, & invenies eam in iſtis duobus ſtatibus ſic ſe habentem, quemadmodùm puer ſe habet ad virum. Puer enim, etſi homo nominetur, ad virum tamen potentiale quod- *Alia ſimilitudo.* dam, & materiale eſt: cùm autem patefecerimus tibi ſtatum originalis corruptionis, oſtendemus tibi alias iſtarum rerum ſimilitudines quæ omnino improbabiles, & incredibiles ſunt, corruptionem illam, ac perverſitatem ignorantibus. Similitudo verò qua utitur Ariſtoteles in rebus iſtis de tabula *Ariſtot. ſententia de anima.* non ſcripta, & de ſpeculo in quo nondùm reluxit formæ alicujus apparitio, intentionem ejus ſatis exponunt, & ſententiam ipſius de ipſa anima humana, quam opinatus eſt creatam eſſe vacuam à ſcientiis, vel virtutibus, veruntamen receptibilem earum; & nos concedimus, quòd aliquatenùs verum dixit. Sed totam veritatem de ſtatu animæ humanæ, qualiter ſcilicet ſe habet ſtatim ut creata eſt, nec vidit, nec attigit totaliter; ſed eam reverà tetigit, & hoc eſt quoniàm corruptioné quam diximus, penitùs ignoravit. Præterea ſi corruptio, & immerſio corpo- *Nota.* ris non impediret, forſitan non vacua crearetur, ut ſenſit Ariſtoteles, quod tamen hìc diffinimus; animæ enim Adæ & Evæ, quæ ante omnes alias creatæ ſunt, non vacuæ creatæ ſunt. Cùm enim conſtet animam humanam ſecundùm ſuperiores vires ſuas nobiles regioni lucis propinquare, immò ipſi luci æternæ, quæ ſecundùm Ariſtotelem ultima decem intelligentiarum eſt, & vocat eam intelligentiam agentem: ſecundùm Platonem verò mundus ſpecie- *Mundus idearum Platonis.* rum ſive idearum, quem vocat mundum archetipum, & mundum exemplarem, & mundum intelligibilem; Auguſtinus verò vocat eam æternam verita- E tem. Cùm inquam hujuſmodi luci proxima ſit, & abſque medio, niſi à parte corporis aliquo modorum impediretur, non videtur poſſibile eſſe, quin ſtatim in ipſa ſua creatione ab hujuſmodi luce irradiaretur. Omne enim illuminabile à quacunque luce, quàm citò eſt ei contiguum, tam citò ab illa perfunditur, niſi mala aliqua diſpoſitio animę humanæ hoc prohibuerit: nulla autem eſt mala diſpoſitio animæ humanæ in ipſa ſui creatione, niſi à parte corporis. Quare meritò videri poſſet non eſſe poſſibile animam humanam creari ſic vacuam, ut ponit Ariſtoteles, niſi in ſtatu hujuſmodi corruptionis.

CAPUT VI.

F *De tertio nomine virtutis dicit, quia virtus etiam ſanitas dicitur ſpiritualis, per ſimilitudinem ſanitatis corporalis, ut bene exponit.*

TErtia ex nominationibus virtutis, ſeu bonitatis eſt, qua nominatur ſanitas ſpiritualis, & hoc comparatione læſionis, & vulnerationis, atque morbidationis vitiorum & peccatorum, & eſt hujuſmodi ſanitas in animabus bonis ad ſimilitudinem, & proportionem ſanitatis in corporibus. Quemadmodùm enim cùm humores ſpiritus, & membra benè ſe habent in corpore, hoc eſt abſque ſuperfluitate & indigentia, tam in qualitate, quàm in quantitate, *Similitudo bona.* benè ſe habet corpus, & ſanum eſt; ſic proportionaliter cùm cogitationes & affectiones ſe habent in anima humana, benè ſe habet & ſana eſt. Et iterùm cùm vitalis calor benè ſe habet in corpore, ut non excedat in ardorem febrilem, vel quemcunque alium, benè ſe habet corpus à parte illa, & ſanum eſt; ſic cùm amor vel voluntas benè ſe habet in anima humana, ut non excedat in ardorem deſideriorum G innaturalium atque inordinatorum, benè ſe habet à parte illa anima humana & ſana eſt. Et quemadmodùm cùm virtus viſibilis nihil habet turbiditatis, vel obſcuritatis aut ſequelæ illius, benè ſe habet, & ſanus eſt oculus; ſic virtus noſtra viſibilis interior, cùm nihil habuerit obtenebrationis, aut ſequelæ ipſius benè ſe habet, & ſana eſt anima humana in parte illa. Hæc autem pars mens ſecundùm quoſdam in anima nominatur juxta verbum Ariſtotelis in libro Topicorum. Fiet autem manifeſtiùs, quod diximus, cùm declarabitur tibi, quia vitia velut morbi ſunt, & languores, ac vulnera, peccata verò vul- *Morbi ſunt vitia.* nerationes & caſus.

CAPUT VII.

H *Virtus etiam decor dicitur, quoniàm virtus eſt maximum ornamentum animæ noſtræ, & maximus ſplendor.*

QUarta verò ex nominationibus eſt, qua nominatur decor; nominatur autem decor à decendo, ſive ab eo, quod decet, & hoc eſt, quoniàm nihil adeò decet animam humanam, ut virtus, & hoc manifeſtum eſt ex contrario: quoniàm nihil adeò dedecet eam, ſicut contrarium virtutis, ſive vitium, nihil omninò adeò alienum, adeò diſcrepans à natura humana, ut vitium. Quemadmodùm enim nihil adeò decet oculum, ut viſus, aut quod viſum adjuvat, ut pupillæ rotunditas, claritas, & nobilitas ſic nihil adeò dedecet eundem, ut cœcitas, aut malitia, aut nebuloſitas ſeu quodcúque aliud ex his quæ viſum impediūt: & generaliter ſic ſe habet monſtruoſitas morum brutalium ad mentem humanam, ſicut

Digitized by Google

ſicut monſtruoſitas membrorum brutalium ad cor-
Similitudo aptiſſima. pus humanum. Sicut enim in corpore humano caput aſini valdè indecenter, & incongruenter eſſet; ſic in anima humana ſenſus brutalis, ſive deſipiens; & ſicut in corpore humano os ſerpentinum, ſic in anima humana detractionis vitium ſeu quodcunque aliud venenatum eloquium: & iterùm ſicut in corpore humano roſtrum porcinum; ſic in anima humana guloſitatis vitium; & ad hunc modum ſe habet de aliis, & longè etiam majoris, immò incomparabilis indecentiæ eſt monſtruoſitas iſta ſpiritualis, magis eſt offendens oculos ſpirituales, & magis horribilis aſpectu, quàm illa corporalis, & hoc eſt, quia major eſt diſtantia hujuſmodi ineptarum, & incongruentiùm appoſitionum, hoc eſt vitiorum ad animam humanam, quàm illorum corporalium membrorum ad corpus humanum.

CAPUT VIII.

Exponit alia nomina, quibus virtus appellari poteſt per quaſdam ſimilitudines.

QUinta eſt, qua nominatur pulchritudo, & iſta eſt, quæ in humano corpore maximè eſt ex coloribus, & eſt iſta pulchritudo velut ornatus decoris. Ex decentibus enim membris, & decenter invicem conjunctis, & coaptatis decorum eſt corpus huma-
Similitudines. num, & pulchrum, aut cùm fuerit flavus color in capillis, glaucus, ſeu varius in oculis, candidus cum admixtione rubicundi in facie; ſic cùm anima humana ſuper decorem virium naturalium habuerit velut colores virtutum, erit pulchra, atque decora: & ideò tam crebrò in libro Canticorum utrunque in laudibus ejus dicitur. Si quis autem econtrariò intelligere voluerit, vocans pulchritudinem, quod nos decorem econverſò, nos non pugnamus de nomine, dummodò res eluceſcant, nec coget nos ordo verborum, ut quia poſitio membrorum, & forma prior naturaliter eſt, quàm ſuperimpoſitio co-
Regula divinæ ſcripturæ. lorum in corpore decoro, & pulchro, quod ideò ſponſus debuerit dicere decora es, & pulchra, cùm ſacra eloquia humani artificij ordinem multotiens non ſequantur, & maximè in amorum, & amantium alloquiis; quamquàm enim amor ille ſanctus ordinatiſſimus ſit, illum tamen ordinem nec ſervat, nec curat in verbis amantium, ſed interdùm, & primùm, & maximè loqui cogit quod primò, & maximè illexit, vel inflammavit amantem: meritò igitur primùm pulchram, & poſteà decoram vocavit ſponſam. Quia verò Hierony. pulchrum, nigrum vocat, ut veſtem pulchram, nigram nominat, ut ex pulchra, vel lucida nigredine, non improbamus, ſi quis intelligat pulchram pulchro, id eſt indecenti colore carentem, & per inſinuationem decenter, ſed aptè nos diximus coloratam. Debes autem reminiſci,
Anima niſi originali perverſitate purgata decora non ſunt. quia iſte decor non invenitur in animabus humanis, niſi cùm vires earum ab originali perverſitate, & aliis vitiorum deformitatibus purgatæ ſunt & liberatæ; ante verò, nec decoræ, nec pulchræ ſunt, exceptis animabus primorum parentum pro ſtatu innocentiæ, ut ſupra diximus, in quo nec purgatione, nec liberatione indiguerunt, naturali adhuc decore pollentes, excepta etiam anima domini Sal-
Anima Salvatoris. vatoris, quam nihil omninò maculæ originalis unquàm habuiſſe tibi debet eſſe certiſſimum; in animabus autem primorum parentum in ſtatu memorato, idem ex neceſſitate fuit decor, & pulchritudo, ſicut reminiſci potes ex præcedentibus, quoniàm ipſæ vires naturales animarum, ipſarum etiam virtutes in eis fuerunt, hoc eſt laudabilium operatio-

A num voluntariarum immediata principia. Sexta eſt, qua nominatur agilitas, & hoc eſt in primis ſimilitudine corporalis agilitatis. Quemadmodùm enim, qui ad magnos, & veloces motus corporis, atque artificioſos prompti ſunt, agiles nominantur ab agendo, & circumagendo corpora ſua verbi gratia, qui ad curſus, & ſaltus, & alias circumactiones corporum prompti ſunt, & expediti, & ad alios etiam motus, qui difficillimi videntur aliis hominibus, agiles vulgò nominantur, ut ſaltatores, & ſaltatrices ſimiliter pugiles: ſic qui ad operationes laudabiles expediti ſunt, atque veloces, & in his, quæ difficillima videntur aliis hominibus, parùm aut nihil difficultatis omninò patientes, agiles animo ſunt promptique, & ut ita dicamus leves, molem gravitatis, aut tarditatis neſcientes. Hoc autem eſt accipere
B à ſenſu, & maximè ſanctorum virorum conventibus atque collegiis, ubi eſt evidenter videre viros ad omnes ſacras obſervantias promptiſſimos, verbi gratia, ad ſurgendum media nocte ad confitendum domino, facillimos ad laborem pſalmodiæ, & ſacrarum cantionum, ſtrenuiſſimos ad ſecretas orationes, ferventiſſimos ad lectiones & avidiſſimos, ad labores corporales invictiſſimos, & ut uno verbo dicamus, omnes piæ exercitationes, quaſi de promptuario aperto eis exeunt, filioſque bonorum operum cum labore, & dolore pariunt, illud antiquum Evæ maledictum longè à ſe faciunt. Septima à qua nominatur veſtis, ſeu veſtimentum, ad ſimilitudinem, & proportionem *Veſtimentum corporis tres habet utilitates.* veſtimenti corporalis: ſicut enim veſtimentum corporale tres habet utilitates. Prima, qua protegit contra frigus & alias injurias aëris. Secunda qua tegit verenda, videlicet ac turpia membra. Tertia, qua or-
C nat, quaque decori, & pulchritudini, non parùm ſplendoris, atque placoris addere videtur: ſed & virtus unaquæque & protegit contra frigus inordinati amoris, & timoris & contra æſtum innaturalium, ac ſæcularium deſideriorum, & tegit præteritorum vitiorum, & peccatorum fœditatem, & ornat animas noſtras multiplici ſplendore, ut diximus, & placore, & cœleſti ſponſo reddit per omnia gratiores: nec mi- *Frigus animæ.* reris, quòd amorem inordinatum, ſive carnis, ſive mundi, frigus diximus, ſed ſpirituale, cùm alibi didiceris, quia frigiditas eſt congregativa heterogeneorũ, hoc eſt rerum diverſarum naturarum. An non vides, quàm diverſa & ab invicem naturaliter diſtantia congregata ſit glacie: ſimiliter & omnis amor inordinatus mentem humanam, & res exteriores, atque vitia congregat, & invicem ligat; an non vides, qualiter menti humanæ per avaritiam adhærent argentum, ligna, & lapides, campi, & ſilvæ, domus, & vineæ, molendina,
D & torcularia, jumenta, & homines: ſimiliter & ipſa vitia per eundem amorem adhærent animabus humanis, quæ omnia quàm longè diſtantia ſint à natura earum, nullus intelligens ignorat. De omni autem timore tam bono, quàm malo, quod frigus ſpirituale ſit, manifeſtum eſt ex tremore quem inducit, cordis, & ex aliis, quæ loco ſuo dicentur in ſequentibus. Debes autem ſcire, quia veſtis in ſacra ſcriptura, & in uſu etiam vulgatiſſimo, dicitur tota virtutis pulchritudo, atque varietas ſimul ſumpta; ſicut *Nota.* Matthæi 22. dicitur. Amice quomodò huc intraſti *Mat. 22.* non habens veſtem nuptialem? Similiter & ſtola eadem intentione accipitur Lucæ 15. Citò proferte ſtolam primam. Si enim de ſola innocentia *Luc. 15.* rectè acciperetur filius ille prodigus, non ſufficienter, neque decenter denuò veſtiretur; hæc autem intentio congruit evidenter utrique textui. Quòd autem & veſtes, & veſtimentum, pro unaquaque virtute accipiantur, apertè legitur Zacha. 4. Auferte inquit *Zach. 4.* ab eo veſtimenta ſordida, & induite eum veſtibus albis, ſimiliter Eccle. 9. Omni tempore ſint veſti- *Eccle. 9.*

Digitized by Google

Pſal. 1 menta tua cādida. In pſalmo autem dicitur expreſſè. E Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtē meam miſerunt ſortem. Ex his igitur manifeſtum eſt tibi, quòd quædam virtutes nominandæ ſunt veſtes hiemales contra frigus, ſcilicet timoris, atque torporis, & quædam æſtivales contra æſtum, atque fervorem ſæcularium, atque carnalium deſideriorum: ſimiliter contra ardores, iræ, invidiæ & odij cæterorumque hujuſmodi. Octava eſt, qua nominantur armatura, ſive arma, propter uſum earum neceſſarium, atque perutilem ad bella ſpiritualia. *Nota. Conflict. virtutum & vitiorum.* Nos autem dicemus in ſequentibus, quæ earum ſint arma impugnationis, & dicemus modos protectionis, & defēſionis earum, modoſque victoriarum, & aſſignabimus exercitus earum, & duces unicuique. Nona nominatio eſt, qua nominantur nominibus membrorum animalium, verbi gratia, ut quædā nominantur oculi, quædam manus, quædam pedes, quædam alæ, quædam aures, quædam umbilicus, quædam dentes, ſicut apparet ex libris prophetarum, & ex ſermonibus viſionum, & potiſſimùm ex libro canticorum, in cujus expoſitione multa jam diximus. Veruntamen prout nobis tunc datum eſt, & prout requirebat expoſitionis illius negotium, hîc autem perſcrutatiùs, & latiùs de his proſequemur. Decima nominatio eſt, qua nominantur nominibus elementorum. *Nota.* Quædam enim ex illis nominatur ignis, ut amor rectus, quædam nominatur aër, & ventus, & quædam nominatur aqua, & quædam terra; & cauſas nominationum iſtarum docebis in ſequentibus, & quibus etiam hujuſmodi nominationes congruunt patefaciemus tibi. Undecima eſt, qua nominantur nominibus elementatorum animatorum tantùm non animalium, ſicut plantarum. Quædam enim ex illis nominatur cedrus, quædam cypreſſus, quędam mirtus, quædam libanus, & ita de alijs arboribus, vel nobilibus, vel communibus, ſicut ſunt pomus, & pyrus, ficus, & vitis. *Nota.* Duodecima eſt, qua nominantur herbarum nominibus, ut nomine hyſopi, & nardi, & generaliter nomine herbarum virentium, & licet paucæ hujuſmodi nominationes inveniantur in ſcriptura ſacra, multæ tamen adaptari poſſunt eis ex ſimilitudine virtutum, hoc eſt virtuoſarum operationum, quæ ex herbis ſunt, & hæc ſcire faciemus. *Nota. Cant. 2.* Tertiadecima eſt, qua nominantur nominibus florum, ſicut ſunt roſa, & lilium, & hoc interdùm generaliter, ſicut in ſecundo Canticorum. Fulcite me floribus, quia amore langueo. Interdùm autem ſpecialiter, ſicut in prænominatis exemplis. *Varia virtutis nomina per ſimilitudinem.* Quattadecima eſt, qua nominantur nominibus elementatorum inanimatorum, quæ congelata ſunt, vel ſolida, & primùm nominibus metallorum, ut nominibus auri, & argenti, & electri, & aliorum deinde nominibus lapidum pretioſorum, quædam enim ex illis nominatur ſaphirus, quædam margarita; & ita de alijs certis nominibus liquidorum, ut nomine olei, balſami, & quorundam aliorum. Quintadecima eſt, qua nominantur nominibus ſtellarum, aut planetarum, ſicut nomine ſolis, & nomine lunæ, nomine luciferi, & nomine veſperi, & nomine ſtellæ matutinæ, & interdùm etiam nominibus aſtrorum, Arcturi, & Pleiadum, & Hyadum, & Orionum. Sextadecima nominatio, qua nominantur nominibus ædificiorum, ut portæ, feneſtræ, gradus, gazophylatia, coquinæ, ſive culinæ, & iterùm muri, & antemuralia, & propugnacula. Septimadecima eſt, qua nominantur nominibus inſtrumentorum, ut claves, vincula, compedes, frena, calcaria, & ſingula. Octavadecima eſt, qua nominantur nominibus vaſorum, videlicet ſacrorum, hoc eſt, templi, ut crateres, ollæ, lebetes, fuſcinulæ, lampades, candelabra, & alia hujuſcemodi. Nonadecima eſt qua etiam nominantur nominibus miniſtrorum, & maximè ſecundùm ritum noſtrum, in quo miniſtri ordinantur nunc in choria, nunc in proceſſionibus; proceſſio enim naturalis literalis exterior, id eſt, clerus ordinatus, & ordinatus procedens liber eſt, & repræſentatio proceſſionis ſpiritualis, quòd in ſequentibus declarabimus. *Nota.* Viceſima verò eſt, qua nominantur nominibus variæ ſuppellectilis in domo, ut mappæ, menſialia, cortinæ, culcitræ, pulvinaria, tapetes, & cætera hujuſmodi operationibus earum congruentia per ſimilitudinem. *Nota.* Viceſima prima eſt qua nominantur nominibus ornamentorum virorum, aut mulierum, ſicut inaures, monilia, diſcriminalia. Vigeſima ſecunda eſt, qua nominantur nominibus ipſorum animalium, ſicut agnus, F manſuetudo, & bos, laborioſitas. Forſitan ſunt, & aliæ. Nos autem proſequemur de his aptantes de virtutibus comparantes juxta congruentiam ſimilitudinum ſuarum ad illas. His igitur ita dictis, revertamur ad id in quo eramus, & dicamus, quia ſcientia quædam eſt virtus, & quia hujuſmodi ſcientia generatur ex frequenter ſcire, & vocatur alio nomine peritia. *Scientia.* Hæc ſcientia eſt fortitudo magna intellectus, ſuſtentans ipſum, & fulciens contra impulſus ſuggeſtionum, atque ſuaſionum, necnon & opinionum, atque cogitationum, ne eis temerè, aut periculoſè aſſentiat: ſimiliter & contra nutationes dubitationum, & generatur iſta virtus ex multotiens experiri in rebus voluntariis, quia aliter videtur, & aliter eſt; qui enim in hujuſmodi experti non ſunt, circumferuntur omni vento doctrinæ, & agitantur diverſitate conſiliorum, ut leves. *Experientia.* Cùm igitur vel ſe, vel alios erraſſe in G talibus quis multotiens expertus fuerit, non facilè, neque leviter ad credendum ſe dabit; meritò ergo peritia, ſive ſcientia, quibus ſe fortiter tenet ne in temeraria, vel periculoſa, aut etiam falſa corruat, virtus eſt fortificans intellectum contra nutationes, & ruinas hujuſmodi. Vi enim, & vigore & violentia illius irrumpit iſta obſtantia, quæ diximus, & reſiſtit illis; & hoc tantò fortiùs tantòque virtuoſiùs, quantò per majorem experientiam, & majorem conſuetudinem erit firmatus in his. Licet autem hujuſmodi virtus bonitas ſit intellectus, ſive virtutis intellectivæ, non tamen ex eo erit bonus homo. Jam enim declaravimus tibi propter quid ſcientia boni non faciat bonum, & manifeſtè poteſt eſſe, ut in homine malo, hoc eſt malè operante, & malo ſit hujuſmodi habitus. Eſt enim hujuſmodi homo, ſicut homo malus habens bonum conſiliarium, ſed eius conſilio regi non vult. Intellectus enim habitu hujuſmodi illuſtratus, & armatus, ut diximus, eſt ſicut bonus conſiliarius, & fidelis juxta malum Regem, vel Imperatorem videlicet voluntatem, quæ velut Rex quidam, aut Imperator in homine toto regnat, & imperat: *Similitudo.* H talis autem homo bonus conſiliatius eſt, non autem bonus operatius, & eſt ſicut homo, qui habet bonum & ſanum viſum, vel oculum, ſed nolens per illum regere greſſus ſuos, ſcienter præcipitans ſeipſum lædit, aut inquinat, aut in captionem, & prædam hoſtibus, & beſtiis ſe tradit. Utrùm autem ſcientia hujuſmodi, nominis veri ſcientia ſit, & cujuſmodi ſit, tibi apertè elucere poteſt ex his, quæ dixiſti in tractatu quinto, & in capitulo de fide. Eſt enim indubitanter hujuſmodi ſcientia exanimis, mortua, quemadmodùm ſcientia medicinæ in medico ægrotante, quæ etſi eidem oſtendat qualiter ſanari poſſit, ipſum tamen non erigit, aut confortat ad hoc, ut neceſſariò, & ſalutari medicamento utatur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Explicat differentiam quam ipſe facit inter mores, & habitus, deinde exponit, quæ ſunt virtutes, quæ naturales dicuntur, quæ ut ipſe dicit, neque æquales ſunt in omnibus, neque propriè virtutes appellantur, ſed habilitates potiùs, & appropinquationes ad ea quæ ſunt virtutis.

POſt hoc determinabimus tibi, quæ differentia ſit inter habitus, & mores, & dicemus, quia mores ſunt habitus, ex quibus ſine præmeditatione eſt frequentia operum, ut ait Avicenna, & exemplum de hoc eſt in hominibus, qui non ſolùm ſine præmeditatione, ſed etiam ſine meditatione, & cordis appoſitione percurrunt pſalmos, vel alias narrationes, quibus aſſueti ſunt. B Mos igitur dicitur, vel ab eo quòd mox; hoc eſt ſine mora ex eo eſt operatio, vel veriſimiliùs à mora, hoc eſt longitudine aſſuefactionis; unde vulgata acceptione pro eodem accipiuntur mos & conſuetudo; unde idem eſt dicere ſecundùm vulgatem intentionem, juxta morem, quod juxta cõnſuetudinem: habitus ergo non ſtatim, ut eſt habitus, eſt & mos, ſed per moram tranſit in morem, ita ut verè dici poſſit, quia mos eſt habitus moroſus. Jam ergo declaratum eſt tibi ex omnibus his, quia non omnes habitus ſtatim mores ſunt, & quia non eſt neceſſe, ut qui habet unam ex hujuſmodi virtutibus conſuetudinalibus, habeat & omnes alias. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm non eſt neceſſe, & forte, neque poſſibile eſt, ut qui aſſuefacit ſe in operationibus, ex quibus relinquitur una quòd aſſuefaciat ſe in operationibus ex quibus omnes aliæ relinquũtur. Ex quo etiam manifeſtum eſt tibi, quia non neceſſe eſt æquales eſſe omnes conſuetudinales virtutes, ſicut neque cauſas earum, hoc eſt frequentias operationum, ex C quibus ſunt poſſibile enim eſt, ut magis per omnem modum aſſuefaciat ſe quis in operationibus juſtitiæ, quàm caſtitatis, & econversò, & ut etiam ſit anima illius meliùs diſpoſita, & aptior naturaliter ad recipiendum alteram, quàm alteram. Declaratum etiam eſt tibi cum his, quòd nulla hujuſmodi virtutum bonitas eſt veri nominis, aut completa, ſed magis ſecũdùm quid, & diminuta valdè, & quia nulla earũ dignus eſt aliquis nominari bonus, niſi in quo, vel ſecũdùm quid, quoniã nulla earũ totaliter bonũ faciat hominẽ; cauſa autem in hoc eſt, quia nulla earũ totaliter exterminat, & eradicat malitiã ab anima humana immò unaquæque earum patitur ſecũ in ea aliquã malitiam. Oſtenſum etiam eſt tibi per hæc, quia appropinquationes quædã ſunt, & velut conatus quidã ad veri nominis bonitates, atque virtutes. Veruntamen multùm longè à perventione, & quia propter D nonnullam elongationem à maximis, & evidentiſſimis malitijs, & vitijs, virtutes, & bonitates nominatæ ſunt ex cauſis, quas aſſignavimus. Quod autem apud philoſophos videlicet Tullium, Platonem, Senecam, Macrobium, & quoſcunque alios de quatuor virtutibus, quas vulgò Cardinales vocant, legitur, nihil niſi de veris, & veri nominis prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudine ullo modo verum eſt: quales autem illæ ſint, faciemus ſciri in ſequentibus; & quia mentionem jam fecimus tibi de naturalibus virtutibus, conſequenter loquemur de eis. Dicemus igitur in primis, quia naturales virtutes ſunt laudabilium operationum voluntariarum naturalia, & immediata principia, hoc eſt animabus humanis, ſeu quibuſcunque alijs naturaliter impreſſa, quales ſunt naturalis manſuetudo, naturalis pietas, naturalis magnificentia, ſeu magnanimitas,

Mos quid.

Habitus.

Nota.

Epilogat

Virtutes naturales quæ.

A & generaliter nomina conſuetudinalium, & etiam aliarum naturaliter alijs congruunt, & convenienter aptantur. Stabilitio autem hujuſmodi virtutum eſt facilis, primùm per diffinitionem, quam poſuimus videlicet, quia ſunt laudabilium operationum voluntariarum naturalia, & immediata principia. Hoc enim eſt de manifeſtis, & per ſe notis, nihil enim aliud virtus recta ratione intelligi, vel nominari poteſt: in ſubſtantiis enim nobilibus abſtractis, & immaterialibus manifeſtum eſt conſiderare volentibus, virtutes hujuſmodi, naturales videlicet eſſe, & eiſdem concreatas fuiſſe, ſi verum eſt, quòd perfectè creatæ ſint, hoc eſt in ipſo actu perfectionis naturalis, non in ſola potentia quemadmodùm ſenſit Ariſtoteles de animabus humanis. Plato verò ſicut ſupradiximus econtrariò. In hujuſmodi enim ſubſtantiis non eſt neceſſe novos habitus aſſuetudine B operum generari, cùm vires earum totum deſursùm recipiant, nihil deorsùm. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ab his quæ poſteà ſunt, hoc eſt ab inferioribus nullo modorum paſſibiles ſimiles ſunt; cauſa autem in hoc eſt, quoniàm omninò incontingentes ſunt illis. In animabus autem noſtris aliter eſt, quoniàm animæ noſtræ contingentes ſunt quodammodò corporibus ſuis, & ideò ex neceſſitate communicantes paſſionibus eorum, & propter hoc etiam recipientes impreſſiones multiplices per illas etiam ab aliis corporibus. Subſtantiæ verò, abſtractæ adeò ſeorsùm ſunt, adeóque longè, & in regione multæ diſſimilitudinis, ut ad eas non attingat paſſio aliqua ab his quæ ſub eis, & poſteà ſunt, nec conſequatur illas impreſſio ulla ab hujuſmodi, quin potiùs influant de plenitudine & perfectione ſua ſuper incompleta, & diminuta, atque indigentia, quæ ſub eis & poſt illa ſunt. Ex propinquitate igitur ad primum, & univerſalem fontem in ipſa creatione ſua implentur, atque complentur complemento perfe- C ctionis naturalis, nihil expectantes parte inferiorum; cujus exemplum eſt in corporibus cœleſtibus, quæ in ipſa creatione ſua ultima completione ſua completa ſunt ſecundùm ipſos, & nihil ab inferioribus corporibus expectantia, nihilque prorsùs ab eis recipientia, influere in ea influxiones multiplices non ceſſant, verbi gratia Illuminationes, calefactiones, frigefactiones, humefactiones & deſiccationes, & horum omnium temperationes totum deſursùm habentia, unde in inferiora influunt: ſic ſubſtantiæ nobiles abſtractæ totum deſursùm habentes, nihil ex deorsùm vel recipiunt, vel expectant; animæ verò noſtræ ex utraque parte receptibiles ſunt, ac perfectibiles, & propter hoc ex utraque parte influuntur, atque perficiuntur. Hæc autem omnia alibi declarantur: manifeſtum igitur tibi debet eſſe ex his, quia ipſæ vires naturales in hujuſmodi ſubſtantiis ſunt, ſicut habitus conſuetudinales, D immò ſicut mores, quantùm ad hoc ſcilicet quia promptiſſimæ & expeditiſſimæ ſunt ad voluntarias rectas, atque laudabiles operationes; quare virtutes ſunt veri nominis licet naturales. Naturalitas enim neque nomen, neque rationem veræ bonitatis, aut veræ virtutis ab eis prohibet; alioquin Deus altiſſimus ab utraque eſſet maximè prohibitiſſimus, cùm maximè naturaliter bonitas, & virtus de ipſo dicantur. Ampliùs. Quod verè bonitati, vel virtuti propinquiùs, & quæ maximè bono, maximéque virtuoſo ſimiliora, maximæ virtutes, & bonitates ex neceſſitate ſunt quare virtutes & bonitates hujuſmodi ſubſtantiarum maximè virtutes, & maximè bonitates ſunt, ipſæque ſubſtantiæ, maximè bonæ & maximè virtuoſæ, cùm bonitati, & virtuti Dei altiſſimi virtutes earum, & bonitates propinquiores ſint, & ipſæ hujuſmodi ſubſtantiæ Deo altiſſimo proxi-

Subſtantiæ abſtractæ an perfectè ſint creatæ.

Animæ noſtræ cõmunicant paſſionibus corporum.

Influxus corporum cœleſtium in hæc inferiora.

Nota.

Digitized by Google

Subſtantia abſtracta bona creata.

miores. Ampliùs. Quales dicemus hujuſmodi ſubſtãtias naturaliter bonas, aut malas, aut neutras, & iterùm virtuoſas, aut vitioſas? quia ergo neque malas, aut neutras, neque vitioſas, aut medias dicere, aut credere fas eſt ſecundùm ſtatũ ſuũ naturalem, neceſſe eſt, ut credantur, & bonæ eſſe, & virtuoſæ, quare bonitates, & virtutes naturales neceſſe eſt in eis eſſe. Ampliùs. Quid dicemus in nobis manſuetudinem naturalem, pietatem naturalem, benignitatem naturalem, magnificentiam naturalem, patientiam naturalem, & ad hunc modum de aliis? Dicemus eas non eſſe virtutes, cùm contraria eorum evidenter vitia ſint? Nemo enim dubitat ea, quæ diximus bonitates quaſdam eſſe, licet parvas ac impeditas; parvitas enim ſpeciem non deſtruit, ſicut nec magnitudo.

Parvitas ſpeciem nõ deſtruit.

Ampliùs. Si iſta ſola in nobis eſſent abſque vitijs contrarijs, eſſent inquam naturaliter, & per ea boni, & virtuoſi eſſemus; quare manifeſtum eſt ea eſſe virtutes, & bonitates naturales.

Veſtigia virtutum naturaliũ in quibuſdã brutis.

Horum autem veſtigia immò expreſſæ ſimilitudines inveniuntur in animalibus, ſicut naturalis pietas in leonibus, qui deviantes, ſive aberrantes ad viam reducere dicuntur, & naturalis magnificentia, qua proſtratis, & coràm ſe humiliatis hominibus, & inferioribus, quàm ipſi leones ſint, animalibus parcere creduntur, niſi vehementia famis, atque neceſſitas cogeret: eodem modo fidelitas, & veritas amicitiæ apparent in canibus; ſimiliter pietas naturalis in lupis, ſive lupabus, qua parvulos derelictos, & à matribus expoſitos ab aliis beſtiis defendere, & etiam nutrire multis experimentis compertum eſt. Gratitudo verò erga benefactores ſuos in omni genere animalium reperitur:

Leonis gratitudo mirabilis.

ſicut in leone noſtris temporibus à faucibus Draconis cujuſdam, & dentibus liberato, qui liberatori ſuo adeò gratus, & devotus extitit, ut in medio exercitu mitiſſimè ſe haberet, & omni die venationum eidem jucundiſſima xenia, & multiplicia præſentaret. Revertentemque navigio ſequi prohibitus, per mare ipſum ſequi aggreſſus eſt, & natando deficiens in eodem extinctus.

Delphinis gratitudo.

Sic & de delphine, qui puerum panem ſibi porrigere conſuetum, eo uſque benefactorem recognovit, ut eum per mare quantùm puer ipſe vellet dorſo ſuo inſidentem vectitaret, & cùm vellet, ad littus eundem revectaret. De his autem innumerabilia & leguntur, & apparent videre volentibus. Quis enim non miretur quorundam equorum fidelitatem, ut ita loquamur, qui in medijs conflictibus contra hoſtes aſcenſorum ſuorum pedibus, & dentibus incredibili audacia, & fortitudine dimicant, & de manibus eorum eoſdem eripiunt, & liberant, plerumque autem victoriam eis faciunt: inveniuntur etiam in animalibus incredibilia exempla prudentiæ, providentiæ, medicinalis ſcientiæ, artis architectonicæ, & aſtutiæ venatoriæ. Manifeſtum etiam eſt, ut ſupra diximus, quia in Adam, & Eva ipſæ vires naturales virtutes fuerunt, antequàm naturalia dona in eis illuſtrarentur gratuitis.

Quæſtio.

De his ergo meritò quæſtionem habet, utrùm æquales ſint in quibuſcunque ſunt: & quidem in ſubſtantiis nobilibus, & abſtractis meritò videri poteſt, cùm nec à parte creatoris ſit inæqualitas, nec à parte recipientis, ex una enim luce ſolis omnes radii deſcendentes ſuper idem receptibile æquales ſũt ex neceſſitate: ſic ex luce primitiva, quæ eſt Deus altiſſimus, omnes radij quorumcunque donorum ſuper idem receptibile cadentes, ſeu deſcendẽtes æquales eſſe vidẽtur.

Influxus virtutum naturaliũ.

Et hoc utique verum eſſet, ſi naturalis eſſet influxio hujuſmodi radiorum; ſed quoniàm voluntaria eſt, & tota poſita in beneplacito creatoris, liberum eſt ipſi creatori æquales, vel inæquales radios, in quo, & quandò voluerit influere: & hoc eſt in quo penè omnes phi-

E loſophi erraverunt; conſiderantes enim unitatem naturalem creatoris omni modo impartibilem, & indiverſabilem, opinati ſunt ex illo per ſe multitudinem aut diverſitatem eſſe non poſſe, unde & pro principio poſuerunt: ex uno, ſecundùm quòd unum non poſſe eſſe multitudinem, & ex eodem per ſe non poſſe eſſe diverſitatem: cauſa autem erroris iſtius manifeſta eſt, ut diximus: ignorantia libertatis ipſius, quæ eſt in ultimo elongationis à coactione, & impedimento per omnem modum: ſimiliter & incõſideratio ſupereminentiſſimæ voluntatis ejus, qua promptiſſimum eſt ei facere quicquid voluerit, & ſicut voluerit, ſive unum, ſive multa, ſive idem, ſive diverſa.

Ariſtot.

Ampliùs. Secundùm Ariſtotelem, & ſequaces ejus, ſenſus, & intellectus duo radij ſunt deſcendentes ab uno fonte & parte luminum ſuper eandem animam humanam, nec tamen æquales naturaliter F ſunt, cùm ſenſus evidenter promptior, & expeditior, atque certior videatur in operationibus ſuis, quàm intellectus. Statim enim, ut creatus eſt, operatur certiſſimè, ac perfectè, non autem intellectus, neque in vita iſta unquàm producitur ad perfectum ſuæ operationis. Similiter viſus, & olfactus duo radij ſunt in una & eadem anima brutali, videlicet canina, & videtur olfactus in eadem ſubtilior longè, atque ſublimior: eodem modo & viſus, quàm auditus in nobis, & quidem ſecundùm Ariſtotelem dicimus.

Viſus promptior quàm auditus.

Ampliùs. Quid aliud eſt multitudo virium in anima humana, aut alia ſubſtantia nobili, quàm radioſitas in ſtella? & quid aliud anima humana in corpore humano, quàm ſtella radioſa in nube? ex G ſcientia enim animæ humanæ emicat radioſitas virium naturalium in toto corpore pro captu ſingulorum membrorum, ſicut ex ipſa ſtella exiſtente in nube radiorum varietas, & multitudo radioſitas autem ejuſdem ſtellæ una eſſe, & æqualis videtur per totum. Quare vires omnes naturales, & virtutes ex eadem animæ humanæ eſſentia procedentes, æquales eſſe videntur.

Objectio. Solutio objectionis ſupra dictæ.

Reſpondemus in hoc, quòd duobus modis diverſantur radii ex eadem luce micantes; primùm ex propinquitate, & elongatione ſuæ originis. Debiliores enim ſunt radij Solis quantò ab ipſo Sole ſunt elongatiores; diverſantur etiam pro diverſitate receptibilium, in aqua enim debiliores ſunt, quàm in aëre. Quanta autem diverſitas ſit receptibilium radioſitatis animæ humanæ in corpore humano, manifeſtum eſt ex ipſa diverſitate operationum, & organorum ſive membrorum. Oſſa enim in corpore humano non recipiunt niſi vitam, ocu- H li autem recipiunt viſum & aures auditum; & ad hunc modum ſe habet de aliis, & fortè verum eſt, quòd majoris luminis eſt anima humana quantùm ad vitam, quàm quantùm ad ſenſum, vel intellectum; & hoc eſt, quoniàm à propinquiori fluit ex ea vitæ radius, quàm ſenſus, vel intellectus; ſimiliter forſitan & motus, unde & primò iſta duo operatur in corpore humano vitam, ſcilicet & motum, & etiam noviſſimè Extincto autem ſenſu per vehementiam ægritudinis, & ſopito intellectu, adhuc vigent vita, & motus in nobis: non igitur neceſſe eſt ut radioſitas animæ humanæ, quam diximus, una ſit æqualis per totum. Hujuſmodi autem exemplum eſt in corporibus tam cœleſtibus, quàm terreſtribus:

Nota.

non enim in Sole æquales ſunt lumen, & calor, immò lumen eſt majus, & latius, quàm calor; neque in eodem corpore æquales ſunt odor & ſapor, immò quandóque odor major ſapore, ut in quodam genere roſarum & quandóque ſapor major odore, ut in pipere; & de his ſunt innumerabilia exempla. Fortaſſis enim iracundia in leone major multis alijs ejuſdem virtutibus. Et in rebus mirabilibus, quibus magia naturalis utitur, invenies quaſdam virtutes præcellere

Digitized by Google

A præcellere aliis, & longè eminentiores, atque præſtantiores eſſe virtutibus naturalibus, quæ in eadem anima, vel eodem animali inveniuntur.

Naturales virtutes propriæ virtutes non ſunt.

Scito autem quòd naturalis pietas in nobis, & naturalis manſuetudo, & alia hujuſmodi non ſunt nobis virtutes, ſed habilitates quędam, & propinquationes ad ea, quæ virtutis ſunt, hoc eſt ad operationes, & paſſiones laudabiles & forſitan non minus ad vituperabiles: ſicut enim qui naturaliter magnifici videntur licet ſint ad magnificentiam prompti vel apti ita & ad ſuperbiam, & indignationem propinqui ſunt; & qui naturaliter pij dicuntur, ſicut ad veram pietatem requirendam, aut recipiendam apti, & habiles ſunt, ita & ad miſeriam quam philoſophi vitium vocant, id eſt, quandam miſeriam cordis, qua nec mortem gallinæ unius, aut agni videre poſſint, proni ſunt, & in remiſſionis vitium patariſſimi: ſic & qui ad conſtantiam videntur apti, ex eadem diſpoſitione ad pertinaciam erunt proni.

Miſeriam philoſophi vitium vocant.

Vitia cognata virtutibus.

B In Adam autem, & Eva, & in ſubſtantiis nobilibus abſtractis completi, atque perfecti ſunt creati habitus hujuſmodi quoniàm vires naturales in eis propter promptitudinem, & expeditionem ad operationes laudabiles & voluntarias, habitus ipſi ſunt: in nobis ergo iſta ſunt ſicut initialia ſemina, quæ corrumpi poſſunt in vitia, ſicut diximus, & hæc vocat Tullius virtutum initia, dicens. Sunt inquit nobis innata ipſa virtutum initia, quæ ſi adoleſcere liceret, & pateremur nos ad beatitudinem cum divino munere ipſa natura produceret & alibi verò vocat iſtas habilitates, ſeu aptitudines igniculos à natura datos. Nos inquit igniculos, & à natura datos, reſtinguimus: hi autem igniculi, & hæc initia, ſeu ſemina ſecundùm Ariſtotelem non aliud intelligi debent, quàm vires ipſæ naturales Secundùm Platonem verò completi, verùm quaſi ſepulti in terra corporis, & obſcurari nebuloſitate materiæ.

Nota. *Tullius.* *Ariſtot.* *Plato.*

C Licet autem opinatus ſit Ariſtoteles, Platonis ſententiam deſtruxiſſe in libro metaphyſicorum, & veritatem ſuper hac re declaraſſe, multas tamen quæſtiones & determinationes difficiles prò & contra ſe reliquit, & rationibus Platonis, ut opus nobis eſſet forſitan, nec contradixit, nec reſpondit: & ideò loco ſuo videlicet tractatui de ſubſtantiis nobilibus abſtractis hujuſcemodi ſervamus. Intantùm igitur determinatum eſt tibi ad præſens de virtutibus naturalibus, quæ & cujuſmodi ſint.

Paſſiones animæ.

Quia verò affectiones noſtras, paſſiones vocat Ariſtoteles, & vivere ſecundùm paſſiones reputat malum, & vitioſum, perſcrutandum eſt nobis de his: non enim videtur ſecundùm ipſum quòd amor, aut odium, dolor, aut gaudium, ira aut pax, & cætera hujuſmodi poſſint eſſe virtutes Dicemus igitur in primis, quia manifeſtum per ſe eſt quędam amanda eſſe, & quædam odienda eſſe: D & quia contingit quædam benè & laudabiliter amare, ſimiliter quædam benè & laudabiliter odire.

Paſſio inquantùm paſſio nihil habet laudis neque vitij.

Paſſio verò, quæ tantùm paſſio eſt, in eo quòd paſſio nihil laudis, aut vituperij, nihil protſùs hujus bonitatis habet, aut malitiæ: quare iſta non tantùm paſſiones ſunt, in alienis enim in quantùm aliena ſunt, nemo dignus eſt laude, vel vituperio. Paſſiones autem inquantùm paſſiones aliena opera ſunt, & non ſunt patientum opera, licet in eis ſint, cujus exemplum eſt imago artificioſè ſculpta, & decorata. Non enim laudanda eſt imago de hujuſmodi pulchritudine, vel decore, cùm in ea pulchritudo, & decor paſſiones ſint, & tantùm ab alio licet in ea ſint, ſed tota laus debetur artifici, ſicut neque de contrario vituperanda eſſe. Eodem modo, ſi iſta quæ diximus paſſiones tantùm ſunt, & ab aliis in nobis, non ex eis boni, vel mali ſumus, neque laudandi, vel vituperandi; ſicut ex membris noſtris nec boni, nec mali ſumus, nec

Aliena non noſtra.

laudandi, vel vituperandi, quoniàm unumquodque eorum alienum opus tantùm eſt, nobis omninò nihil ad hæc agentibus ab alio in nobis factum. Ampliùs. Per ſe manifeſtum eſt, quòd ex frequenter iraſci, ſive benè, ſive malè, acquiritur in nobis ad iraſcendum habitus, quo iracundi dicuntur, vel dicimur, & ſumus: ſimiliter ex frequenter gaudere habitus generatur, quo jucundi dicimur, & ſumus. Manifeſtum autem eſt per ſe, quia hujuſmodi habitibus, vel boni, vel mali ſumus, quare hujuſmodi habitus bonitates, & malitiæ ſunt, & propter hæc virtutes, & vitia. Ampliùs. Hujuſmodi habitibus benè & malè nos habemus ad paſſiones, & ad operationes forinſecas voluntarias: hujuſmodi enim habitibus, vel benè reſiſtimus paſſionibus, vel benè admittimus illas, vel malè. quare hujuſmodi habitus virtutes, & vitia ſunt ſecundùm ipſum. Ampliùs. Ex hoc maximè, atque potiſſimùm bonus quis judicatur quòd amat quæ amanda ſunt, & odit quæ odienda ſunt. Impoſſibile eſt enim eſſe bonum, qui amat quæ odienda ſunt, aut qui odit quæ amanda ſunt: quare amor hujuſmodi & odium, bonitates & virtutes ſunt contraria verò ex neceſſitate vitia. Ampliùs. Quis dubitat avaritiam eſſe vitium, quæ utique non eſt niſi amor inordinatus, vel immoderatus pecuniæ? Similiter & invidia, nonne vitium eſt, quæ utique ſecundùm ipſum eſt dolor de proſperitate alicujus? Et generaliter invidiam dicunt, dolorem alieni boni. Quòd ſi amor, & dolor tales vitia ſunt, erunt ex neceſſitate contraria eorum virtutes. Si quis autem dixerit, quòd Ariſtoteles non intellexit in paſſionibus, niſi malas diſpoſitiones animarum noſtrarum, & eas vocavit paſſiones, pro eo, quòd læſiones ipſarum ſunt, non videtur Ariſtotelem intellexiſſe Paſſiones enim apud ipſum ſunt diſpoſitiones non permanentes, ſed ſtatim tranſeuntes: quemadmodùm in libro prædicamentorum manifeſtum eſt, ubi diſtinguit paſſionem à paſſibili qualitate, ubi & dicit de paſſionibus, quoniàm ab eis non fiunt denominationes. Non enim inquit, qui propter verecundiam factus eſt rubeus rubeus dicitur; non enim intelligenda paſſio, effectus illatioque actionis ſicut in libro ſex principiorum, ſed diſpoſitio ſolummodò non permanens, & dicitur hoc comparatione habitus, qui eſt firmus, & permanens, paſſio verò facilè mobilis, & non permanens.

Paſſiones quales ſecundùm Ariſtot.

Quicquid autem intelligat hîc Ariſtoteles, oportet perſcrutari de his, an ſint operationes noſtræ, ſive actiones licet internæ, & ſpirituales; an ſint veræ impreſſiones: aut enim fiunt in nobis, & non à nobis; & tunc manifeſtum, quia nec habent laudem, nec vituperium, neque ex eis boni, vel mali ſumus bonitate, vel malitia de quibus hîc agitur ſicut nec ex membris noſtris, nec ex aliis, quæ in nobis vel facta ſunt, vel fiunt, ſicut communiter & uſualiter dicitur, paſſionibus non meremur. Si verò fiunt in nobis, & à nobis, erunt animæ noſtræ ſimul operantes in ſemetipſis, & ita agentes, & patientes ſimul, & dantes ſibi ipſis, & recipientes à ſemetipſis Hæc autem ſunt contraria, quare non erunt in eodem, vel idem; & ita, vel non erunt in animabus noſtris ſimul, vel erunt in illis ſecundùm diverſa quare videntur animæ noſtræ eſſe partibiles, ſicut ſupra tetigimus. Accidet etiam ſecundùm hæc, quòd uno reſpectu erunt laudabiles, & vituperabiles. Jam autem diximus, quòd nihil prohibet alteram virium agere in alteram in eadem anima, ut apprehenſiva in motivam, quemadmodùm imaginatio in deſiderativam, ſicut dicit Ariſtoteles. Deſiderabile imaginatum movet deſiderium, imago ergo ejus, quod eſt delectabile, gignit deſiderium, quemadmodùm lumen gignit calorem. Utrùm autem eadem vis ſeipſam movere,

Paſſionibus non meremur.

Nota.

Digitized by Google

vel in ſeipſam agere poſſit, quæſtionem habet, ut ſupra tetigimus, & de ipſa voluntate videtur, quòd operationem ſuam, quæ eſt velle ipſa de ſe eliciat. Non enim velle naturaliter eſt ex voluntate ſine volendi actu, vel habitu, ſicut eſt ex calore calefacere, vel calere, immò voluntariè, & liberè. Impoſſibile eſt enim ipſam velle aliquid invitam, hoc eſt nolentem velle illud. Declaratio autem hujuſmodi facilis eſt. Sit A volitum, & voluntas nolit ſe velle A. Dico igitur ſi nolit ſe velle A, non vult ipſum A, velle enim nec quæritur, nec fugitur, nec recuſatur, nec oditur niſi propter volitum. Quare ſi velle A, eſt recuſatum, vel oditum, vel fugitur propter ipſum A, multò fortiùs ipſum A eſt recuſatum, vel oditum, vel fugitum. Quare ſi ipſum velle A eſt nolitum, multò fortiùs ipſum A erit nolitum. Manifeſtum igitur eſt quòd apud quemcunque eſt nolitũ ſe velle A, eſt nolitum ipſum A. Declaratum igitur eſt impoſſibile eſſe aliquem velle aliquid invitum, id eſt nolentem ſe velle illud. Quare quicunque vult aliquid, aut vult ſe velle illud, aut ſuſtinet: manifeſtum igitur eſt, quòd ex voluntate, ſive ex vi volendi non procedit velle ad modum naturæ, quod eſt ſerviliter, ut ſupra diximus, & non liberè; liberum enim eſt volenti, & voluntati ipſum velle, ſuper quodcunque volitum cadat. Non enim poteſt ad illud cogi, vel trahi invitus, ut diximus. Eodem modo declarabimus tibi, quia non poteſt voluntas ſive volens prohiberi, vel impediri quin velit, immò quia vult ſe velle A, ex neceſſitate ſtatim vult ipſum A. Et hoc eſt, quoniã non vult ſe velle, niſi propter ipſum A quare magis vult ipsũ A. velle enim nõ quæritur niſi propter volitum, propter quod autem unumquodque tale & illud magis. Juxta hunc modum negotiari potes circa amare, & deſiderare, & odire; ſed circa odire per contrarium, & circa nolle ſimiliter; verbi gratia, ſi odit aliquis ſe odire A, non odit A, & ſi non vult ſe nolle A, vult A, ſed ſi amat amare A, ex neceſſitate amat A, & ſi deſiderat deſiderare A, deſiderat ipſum A: quòd autem legitur in pſalmo. Quia concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore, proculdubiò qui ſic concupiſcebat, & deſiderabat deſiderare juſtificationes Dei, deſiderabat eas, ſed non deſiderabat eas eo deſiderio, hoc eſt tanto, & tam ferventi quo vellet eas deſiderare: alioquin non eſſet verum, quod dicit. Concupivit anima mea deſiderare. Nemo enim concupiſcit, vel deſiderat id, quod ſcit ſe habere. Si enim quis deſiderat ſe deſiderare A, proculdubiò deſiderat A; habet igitur deſiderium ipſius A, & ſentit illud apud animam ſuam. Quare non deſiderat illud, ſed deſiderat aliud deſiderium ipſius A, quod nondùm habet, unde verum eſt evidenter, quia non deſiderat ſimpliciter deſiderare A, ſed magis quoddam deſiderare A, aut qualiter, nec deſiderat ſimpliciter deſiderium ipſius A, ſed quoddam deſiderium ipſius A, vel quale. Manifeſtum igitur factũ eſt tibi, quòd voluntas liberrima eſt in nobis à coactione & impedimento, ſeu prohibitione, & hæc eſt una de excellentijs quibus homo præcellit cæteris animalibus, & anima rationalis cæteris animabus. Scito autem, quia cæteras vires movet, & impellit neceſſitas tam in nobis, quàm in brutis animalibus, & hoc eſt videre per ſingula; vis enim noſtra intellectiva neceſſe habet conſentire primis impreſſionibus, & primis principijs, & omnibus propoſitionibus, quæ vocantur communes animorum conceptiones, aut dignitates; ſimiliter & conſequentijs ſillogiſmorum, & etiam concluſionibus eorum, poſtquàm conſenſerit propoſitionibus eorum. Non enim eſt contradicere in hujuſmodi ad interiùs rationem, ſicut dicit Ariſtoteles. Quia igi-

Acutè diſputat

Voluntas qualis in homine.

Pſ. 118.

Voluntas liberrima

E tur in talibus non eſt liberum virtuti noſtræ intellectivæ conſentire, vel diſſentire, ſimiliter neque in oppoſitis eorum; manifeſtum eſt eam eſſe neceſſitati ſubditam, & obnoxiam in parte iſta: in quibuſdam tamen ſicut in tractatu de fide diximus, liberũ eſt ei conſentire, vel diſſentire, credere, vel diſcredere; & propter hoc circa illam imminet ei bonitas, & malitia, laus, & vituperium, meritum, & demeritum, atque tandem pœna & præmium, quod non accidit de apprehẽſivis inferioribus & maximè de his, quæ apprehenduntur à foris, ut ſenſus: non enim liberum eſt viſui judicare album alterius modi eſſe, quàm album, neque tactui de frigido vel calido, aut de quocunque aliorum ſenſatorum ſuorũ aliter judicare, quàm prout ab eo recipit, aut patitur, hoc eſt non niſi juxta teſtimonium paſſionis, F ſeu immutationis quam recipit à ſenſato. Eſt enim paſſio, quæ imprimitur ſenſui à ſenſato generaliter, ut teſtis teſtificans à ſenſato quale ſit, & velut nuntius ex parte ejus veniens, annuntians de eo quale ipſum ſit: idem eſt reperire in omnibus alijs ſenſibus ægritudine, vel alia occaſione non impeditis. Quod dicimus propter præſtigias magorum, & illuſiones dæmoniorum, idem eſt videre de apprehenſivis ab intùs, ſicut in ſenſu communi imaginatione & memoria: nihil enim poteſt ſenſus communis nõ impeditus ut diximus, niſi prout recepit à particularibus, & imaginatio ſimpliciter, niſi prout recepit à ſenſu communi, ac ſi diceretur prout ei traditum eſt. Eſt enim ſicut parvulus fingere neſciens, aut non valens fingere, ſed quod apud ipſum eſt ſimpliciter, ac verè loquens, & propter hoc vulgariter dicitur, à pueris veritas auditur. Quòd ſi quis G hoc objecerit de monſtris, quæ nunquàm viſa ſunt, aut alio ſenſu percepta, quæ tamen imaginantur, & effigiantur picturis, & ſculpturis, & etiam fabricantur varijs artificijs. Reſpondemus, quia partes eorum proculdubiò ſenſibus perceptæ ſunt, & ab illis imaginationi traditæ, nec novus eſt acervus, cujus omnis pars vetus eſt, nec ſimpliciter novum aliquid dicendus eſt facere, qui ſola vetera ſolummodò aggregat: ſimiliter neque figmentum ſimpliciter nominandum eſt, cujus quælibet pars veritas eſt. Manifeſtum autem magis eſt in memoria, quæ non reddit reminiſcendo, niſi quæ apud ipſam repoſita, vel theſaurizata ſunt. De motivis autem inferioribus manifeſtum eſt ſingula cõſideranti, quòd neceſſariæ ſunt paſſiones eorum, non liberę ullo modo; & propter hoc dixit Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam, quia bruta ex neceſſitate feruntur, H non libertate, ſeu voluntate: alioquin peccata, & merita, laus, & vituperium, virtutes & vitia locum haberent neceſſariò apud illa: imputandum enim eſſet cani, vel cato, quòd fruſtum carnis rapere, quod in alia animalia ſævit, imputandum inquam ad vitium, & peccatum, & eſſet facienda juſtitia de eis ſicut de hominibus, & querimoniæ deponendæ: nemo autem ſanæ mentis imputat leoni, quòd iraſcitur, aut prænominatis animalibus, quòd rapiunt, vel quòd in alia animalia ſæviunt. Quòd ſi quis dicat, quòd verberantur canes, & equi, & coràm leonibus verberantur cati, ut corrigantur, & quia Ariſtoteles dicit quædã animalia diſciplinabilia eſſe in libro Metaphyſicorum. Reſpondemus, quòd & iſta quæ vocatur in eis correctio nec voluntaria eſt, neque libera, immò neceſſaria: ſequitur enim ex neceſſitate paſſionis, timoris, famis, & voluptatis cujuſque, cujus receptibilia ſunt. Iſtæ autem paſſiones generantur in eis ex neceſſitate, quantùm ad ipſa, quia non eſt in eis virtus, vel vis aliqua qua illas repellant, cùm viderint delectabilia, vel terribilia ſibi, unde nunquam niſi vi, & violentia aliena ab eis

Communes intentiones ſeu dignitates.

Paſſio.

Senſus communis.

Nota.

Memoria.

Bruta ex neceſſitate feruntur.

Digitized by Google

ab eis abſtrahuntur, aut niſi metu, hæc autem à foris ſunt, non ab ipſis. Jam igitur declaratum tibi per ſingula, quia de omnibus viribus naturalibus animæ rationalis ſola voluntas eſt uſquequaque libera. Vis autem intellectiva ſecundùm quid, & in aliquibus: cæteræ autem omnes neceſſitati ſubditæ vel obnoxiæ naturaliter. Et hoc ſecundùm Ariſtotelem, non autem ſecundùm nos; & hoc tractabimus in ſequentibus, ſcilicet in tractatu de originali peccato, quamvis in tractatu de matrimonio, & in tractatu de baptiſmo de hoc multa dixerimus, quorum reminiſci oportet. Nunc autem revertemur ad ipſam voluntatem, & ipſum velle. Dicemus igitur, quia ſicut ipſa libertima eſt, ſic & velle quod eſt prima, & per ſe operatio ipſius, & ex illa exit, ſive procedit libertimè, hoc eſt abſque neceſſitate, quæ ſit à parte voluntatis, aut quæ à foris adveniat. Tribus enim modis fluunt operationes ex ſuis virtutibus, ſeu viribus. Et primùm quidem inundatione plenitudinis, ſicut ex fonte copioſiſſimo aqua, ex igne calor, ex ſole lumen, & hic eſt modus omnium naturalium operationum. Secundo modo alieno influxu, ſeu influentia, & hoc modo fluunt apprehenſiones, & paſſiones animabus brutorum. Ex his enim quæ à foris adveniunt, & ſentimus, & afficimur paſſionibus doloris, & gaudij, iræ & manſuetationis; & ſic de aliis. Tertio juſſu ſive imperio, ſicut eſt motus in nobis, & in aliis animalibus, & ea quæ ſunt ex motu, ut loquela & artificiorum operationes, & etiam rerum neceſſariarum, ut arare & ſeminare, & cætera hujuſmodi. Virtus enim greſſibilis non elicit ex ſe modum ambulationis, niſi cùm fuerit imperata, vel à voluntate vel ab aliqua paſſione, quemadmodùm timor imperat fugam, ſpes inſecutionem, ira percuſſionem per pedem, vel dentem, vel cornu, vel aliud quodcunque ex his, quæ vice armorum dedit creator animalibus: eodem modo eſt & de loquela, quæ non exit ex lingua, & labiis, & palato, & dentibus, niſi imperatis, & vocem formare juſſis; & propter hoc rectè diviſerunt philoſophi virtutem motivam in duos ramos, videlicet imperativam motus, & effectivam, ſive executivam ipſius, & imperativa ſublimior motus voluntas eſt: imperativæ etiam inferiores concupiſcibilis & iraſcibilis ſunt, quas ſecundùm Ariſtotelem communicamus cum brutis. Quartus verò modus, præter iſtos tres proprios eſt voluntas ad cognoſcendum difficilis, quo ſcilicet fluit, vel exit velle ex ipſa ſponte tantùm, ſine impulſu neceſſitatis & attractu, ſed ut diximus libertimè. & ideò ſemper imputandum ad bonum, vel ad malum. Non enim licitum eſt, ut cadat velle ſuper otioſum, ſive quod non prodeſt, & hoc ex parte jam declaratum eſt tibi in his quæ præceſſerunt, videlicet ubi oſtendimus cauſas propter quas operatio intellectus non ſequitur diſpoſitiones rerum, ſuper quas eſt, videlicet propter quid ſcire vel intelligere vitioſum, non eſt vitioſum, & ſcire, vel intelligere malum, vel vitium, non eſt malum vel vitioſum; velle autem bonum, vel virtuoſum, bonum eſt & virtuoſum; ſimiliter velle, vel amare malum, vel vitium, malum eſt, & vitioſum. Penès volūtatem enim reſidet tota auctoritas movendi membri, ut dicit Auguſtinus. Et nos addimus quòd tota poteſtas & totum dominium, & ejus quod ſumus, & omnium quæ in poteſtate habemus: quapropter ipſum velle totam tradit voluntatem volito, & totam in volitum trahit, & totam alligat eidem, & adhærere facit eidem. Quare per ipſum velle, totum hominem trahit volitum poſt ſe, & totum habet ſubjectum: non autem ita eſt de paſſionibus, quæ ſunt gaudere & triſtari, & cæteræ hujuſmodi. Illæ enim non ſubjectæ ſunt voluntati, niſi læſa fuerit, aut oppreſſa velut

Sola voluntas libera. *Nota diligenter.* *Virtus motiva in duos ramos.* *Auguſt.*

A ægritudine jacens proſtrata, ſicut tibi declarabitur in ſequentibus, & inſinuatur utcunque in epiſtola. Ad Romanos ubi dicitur Velle adjacet mihi, hoc quod juxta me proſtratum jacet, erigere ſe non valens. Scito igitur, quia tribus modis fluit velle ex voluntate; interdùm enim de plenitudine ejus ſponte emiſſum, ſive emanans, & hoc gratis per omnia ſicut accidit in eis, qui vel virtutibus, vel vitiis dediti ſunt. Viri enim virtutibus ex toto dediti, in omne bonum, quod eis poſſibile eſt facere, quam cito aſpectibus eorum, vel cogitationibus oblatum fuerit, corda eorum confeſtim declinantur: ſimiliter habet & in eis, qui pravitatibus dediti ſunt, ut in omne malum, quod nequitias eorum aut paſcat, aut adjuvet, mira celeritate rapiuntur, ut ea velint. Secundo modo exit conſiliatum, in quibus ea retinentur obice dubitationis, quemadmodùm aqua parata fluere tenetur excluſorio. B Quidam enim viri boni parati ſunt velle quod bonum eſſe cognoverint, ſed ipſa dubitatio retinet in eis fluxū voluntatis, id eſt velle. Nolentes enim ipſum velle quod bonum non eſt, ipſum velle retinent, donec aperiatur eis veritas, qua quidem aperta & intellectum eorum per deliberationem fluentem, dimittunt fluere in voluntatem, & exit nolle, quaſi ſublato obice dubitationis, atque periculi: & licet illa detineantur & obice dubitationis atque periculi, ipſa tamen voluntas eſt quæ ſe retinet ne fluat per velle, vel etiam per nolle: non enim eſt voluntas in alterius alicuius, quàm in ſua propria poteſtate. Tertio modo exit velle precatum, & hoc ſuggeſtionibus, ſuaſionibus, & precibus, & ſic ipſi viri boni, & etiam mali & de ſe, & de aliis volentibus, faciunt plerunque nolentes, & econversò. Nulla enim alia eſt poteſtas humana apud voluntatem humanam, niſi conſiliatio, ſuaſio, atque precatio. C Quòd enim muneribus interdùm, qui nolunt, aliàs volentes efficiuntur ad ſuaſionis, & ſuggeſtionis viam referendum eſt: munera enim apud venales homines vicem obtinent, & poteſtatem conſiliorum, & ſuaſionum. Propter quod non conſiliis ſanis, aut bonis ſuaſionibus, ſed ſolis muneribus homines viliſſimæ proſtitutionis, impudentiſſimè acquieſcunt. Et ſicut procurant viri ſancti, ut inclinent voluntates aliorum in bona, ſic & de ſuis voluntatibus hoc ipſum ſanctis cogitationibus, inſpectione, & auditu ſacrorum, divinorumque eloquiorum ſatagunt procurare. Plerunque enim multa vellent ſe velle, quæ nondùm volunt. Non enim idem eſt dicere vellem, & volo. Optativus enim modus ex re nomen habet. Qui ergo dicit vellem, optare ſe indicat, non autem præciſè velle. Qui autem dicit volo, velle ſe præciſè indicat. Eſt ergo velle ab eo quod eſt volo, ſicut diffinitio, aut decretum Regis magnifici, & pertinacis, D qui modis omnibus enititur, ut fiat quod diffinivit, & ut ſervetur ſtatutum ejus, ſive decretum: & inde eſt, quòd totum poſſe ſuum cōmovet, & colligit, & conatur, quatenùs requirat res, quas fieri ſtatuit aut decrevit. Unde Auguſtinus. Non eſt dicendus velle, qui cùm potuit, non fecit. Eſt igitur differentia inter optare, cupere, ſive deſiderare, & velle præciſè, quæ eſt inter trahi & rumpi, quæque eſt inter appropinquare aliquantùm, & abire totaliter poſt trahentem: ſimiliter, & quæ eſt inter moveri ſuaſionibus, & allegationibus & perſuaderi uſque ad diffiniendum. Qui enim dixit vellem, cupio, vel opto, vel deſidero, moveri ſe indicat aliquantùm, & declinare in ipſum deſideratum, & cupitum: qui autem dicit volo, perſuaſum ſe indicat, atque permotum, jamque diffiniviſſe, & etiam executioni mandare. Ut enim jam diximus, voluntas vis eſt ſublimior imperativa motus, & vires quę ſunt in lacertis, muſculis, & nervis, executivæ ſunt, &

Velle ex voluntate quomodò fluit. *Optativus modus.* *Auguſt.* *Voluntas quid.*

Q

motus membrorum, & eorum quæ per illum ſunt, quales ſunt loquela, ambulatio, fabricatio, & hujuſmodi: ipſum igitur velle, ab eo quòd eſt volo, imperare eſt executoribus, quos diximus; dicere autem volo, hoc eſt affirmare ipſam imperationem. Interdùm autem facere ipſam imperationem, ſive imperare videlicet cum animo imperandi dicitur. Quemadmodùm cùm quis dicit ſervienti, volo ut facias hoc, intendens per hoc imperare eidem; interdùm dicit hoc amicus amico, volo ut facias hoc, & hoc eſt quoniàm per amicitiam alter alteri ſubjectus eſt. Propter hanc cauſam ridentur, & meritò ridendi ſunt, qui de his quæ præcisè & immutabiliter volũt, conſiliantur: non enim qui præcisè vult aliquid, juxta conſilium mutare paratus eſt voluntatem, alioquin non quærit conſilium, ſed conſenſum. *Nota.* Quemadmodùm Balaam conſulebat Dominum. Nume. 22 Utrùm eundum eſſet ad Balaach Regem Moab, qui eum vocabat ad maledicendum populum Dei, Diffiniverat enim apud ſe cupiditate illectus, & abſtractus ire ad Balaach. *Voluntas eſt velut Rex.* In ſequentibus autem dabimus tibi ſimilitudines plures, & expreſſiones, & exempla evidentiora de his. Intantùm ergo ad præſens tibi determinatum ſit, quòd voluntas velut Rex aut Imperator eſt uſquequaque liber, & plenè dominans in toto eo quòd ſumus aut nobis ſubeſt, & quòd inferiores vires motivæ pleno jure ſubſunt ei, velut ſervi parati parere omnibus mandatis ſuis. & hoc ſive imperativæ ſint motus, ſive executivæ. *Senſus exteriores.* Senſus autem exteriores ſive particulares, velut nuntij ſunt, diſcurrentes circumquaque, & quæ foris ſunt, vel fiunt in rebus ſenſibilibus renuntiantes. *Senſus cõmunis.* Senſus verò communis & imaginatio, & etiam memoria ſunt ſicut armaria, vel libraria continentes omnium, quæ foris ſunt, vel fiunt vel facta ſunt deſcriptiones, quemadmodùm apud Reges fieri conſuevit. *Intellectus.* Intellectus verò ſicut conſiliarius eſt. *Ratio.* Ratio verò ſicut judex media probationum, ut teſtes. Cùm ergo in agẽdis ſuis ſequitur conſilium intellectus, prudenter adminiſtrat regnum ſuum voluntas, cùm ſecundùm rationem judicat, facit juſtitiam, & judicium in toto regno ſuo, & eſt Rex ſedens in ſolio judicis qui intuitu ſuo diſſipat omne malum, ſicut legitur Proverbiorum 20. Cùm autem dat ſe conſiliis ſervorum, hoc eſt interiorum virium, & ſenſuum, dat ſe in ſervitutem ſervorum, & eſt ſicut Rex qui derelicto conſilio, & prudentia ſeniorum, ſequitur voluntates & conſilia puerorum inſenſatorum; & ideò ſubvertuntur in regno ejus juſtitia, & judicium, & eſt ſicut princeps, qui libenter audit verba mendacij, & ideò habet omnes miniſtros impios, ſicut legitur Proverbiorum 29. Omnes enim vires imperativæ inferiores, & etiam omnes aliæ impietati ejuſdem ſerviunt, libidinoſæ enim voluntati etiam ſervit viſus, & auditus, & quæcunque vitium aliarum. Impij igitur ſunt hujuſmodi miniſtri, quoniàm impietatis miniſtri ſunt, & procuratores, ſed culpa eſt impiè imperantis. Propter libertatem igitur, atque damnationem voluntatis Geneſ 4. dictum eſt. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: manifeſtum eſt igitur ex omnibus quæ diximus jam, paſſiones facilè mobiles per vias, quas ſupra oſtendimus, firmari poſſe in habitus bonos, & malos atque in bonitates, & malitias, quæ ſunt virtutes. & vitia; & ideò amorem, & odium, dolorem, & gaudium, iram, & manſuetudinem, cæteraſque hujuſmodi, cùm per habitum firmatæ fuerint, virtutes, & vitia eſſe, bonitates, & malitias radicales, atque fontales, ex quibus procedunt paſſiones, ſive diſpoſitiones bonæ & malæ exteriores. *Ariſtot.* Et quicquid videatur Ariſtoteli, jam mali mala facimus, non ſolùm mala facientes mali ſumus, vel efficimur: ſicut enim non poteſt ſolvi vel

E evacuari ſermo veritatis, quo dicitur in Evangelio Matthæi 8 Non poteſt arbor bona fructus malos facere Et iterùm. Omnis arbor bona fructus bonos facit Et ejuſdem 12. Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos, aut facite arborem malam & ejus fructũ malum, & ibidem. Ex fructu arbor cognoſcitur. Et rursùs. De abundantia cordis os loquitur. Et iterùm, bonus homo de bono theſauro cordis profert bona, & malus homo de malo theſauro cordis profert mala. Et ejuſdem 15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominẽ. De corde enim exeunt cogitationes malæ homicidia, adulteria & cætera: ſimiliter & Marci 7. Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare. Et iterùm. Quæ de homine exeũt, illa coinquinant hominem. Ab intùs enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes & cætera; & poſt omnia hæc mala ab intùs

F procedunt, & coinquinant hominem. Qualiter enim ſenſit Ariſtoteles, quòd qui conſentit ad horam, vel momẽtum, ut neget Deum, & qui blaſphemat Deum ſemel tantùm, aut occidit hominem, quòd fit in momẽto, quòd non ſit malus illa hora, & morte dignus? an non erit malus, niſi cùm multa millia hominum occiderit? quis eſt qui non judicet illum illa hora malum, & morte dignum? Sed fortè dicet Ariſtoteles eum non eſſe malum habitu conſuetudinario, quod utique verum eſt, ſed graviter peccaſſe & egiſſe, quod eſt morte plectendum. *Nota.* Jam verò manifeſtum eſt malum eſſe, quod operatus eſt homo hujuſmodi, & malam eſſe operationem, quæ utique mala non eſt, id eſt culpabilis, niſi malitia voluntatis ex qua proceſſit. Si enim caſu, vel ignoranter hominem occidiſſet, non imputaretur ad peccatum; per ſe igitur ex malitia voluntatis malus eſt, aut malè fecit, non ex malitia operis; quare potiùs malè volentes, ſive mala, mali ſumus, quàm mala facientes? & iterùm in-

G tùs, id eſt in corde, vel anima peccantes, magis peccamus, quàm foris mala operantes. Ampliùs. Malitia vel bonitas, quibus mali vel boni ſumus certum eſt quòd in nobis ſunt & apud animas noſtras ſunt: ex illis autem procedunt mala opera, quare ex illis mala facimus: ex illis ergo mali ſumus. & mala facimus, quare malè agere frequenter ex malitia eſt ſive injuſtitia, quæ eſt apud animam, qua mali ſumus: non igitur econversò ex malè agere frequenter, mali ſumus. Ampliùs. Quis dubitat, quin malitia interior voluntatis creſcere poſſit, & firmari in habitum abſque ulla operatione exteriori? *Nota de paſſionibus.* quia abſque eo quod eſt frequenter malè agere, malus poteſt fieri quis, ſicut apparet evidenter in ira, quæ tantò ampliùs creſcit, immò fervet, & ardet quantò minor, & rarior fuerit operatio ejus exterior: & hoc manifeſtum eſt ſive enim operatio ejus exterior vindicta ſit, ſive victoria per eam mitigatur, atque quieſcit.

H Nullus autem dubitat iram eſſe unam ex maximis malitiis, atque vitiis; quare manifeſtum eſt, non ex frequenter agere vel benè, vel malè nos effici bonos aut malos, ſed magis econversò. Ampliùs. Ex eo quòd quis ſemel tantùm cogitaret in mortem principis, judicatur proditor, & reus majeſtatis & haberetur unus de peſſimis, & puniretur pœna graviſſima: ſimiliter enim ex eo quòd aliquis unum ſolum occidit hominem per malitiam, ſimiliter & ſacrilegus judicatur, qui ex una ſola violatione ſacri loci; & ad hunc modum de aliis maleficiis, nec eſt lex aliqua iſtiuſmodi quæ conſuetudinem expectet; *Nota.* nec eſt dubium quin leges & divinæ & ſæculares rectè judicent. Malè enim eſſet rebus humanis, ſi conſuetudo expectaretur in maleficiis, & non judicarentur eſſe mali ſingulorum maleficiorum perpetratores, & pro ſingulis maleficiis. Omnia enim

ſacra

ſacra priùs contingeret, & omnes principes occidi, & omnes homines etiam, & omnes civitates incendi, atque ſubverti, quàm omnes malefactorum perpetratores in ſuis maleficiis conſuetudinarios fieri. Debes autem reminiſci hîc, quatuor modos, quos

Ariſtot.

ſupra aſſignavimus quibus generantur habitus. Ariſtotelis igitur intentio non videtur hîc alia eſſe, niſi quòd vel de habitibus conſuetudinalibus ſolummodò loquitur, vel de his habitibus, qui laudem civilem, ſeu popularem pariunt, aut vituperium. Et reverà in nullo genere bonitatis, vel malitiæ conſuevit communitas civium laudare vel vituperare ex unico opere bono, vel malo, quaſi ex unius ſolius teſtimonio, ſed magis ex pluralitate, aut eorundem operum, vel ſimilium conſuetudo eſt veri nominis & rationis; leges autem tanquàm intendentes conſulere ſaluti hominum, & utilitati, atque patriæ, malitiam ſtatim ubi deprehendunt præcidunt, ut inimicam hominibus, immò ut radicem perditionum, ut peſtem, & ut cauſam tempeſtatis, atque turbationis rerum humanarum, non ſinentes eam creſcere, nec mittere radices.

Lex civilis malos judicat ex uno actu.

Meritò ergo malos judicant leges, & legumlatores maleficiorum ſingulorum actores, malos inquam, id eſt noxios, & aliis peſtilentes. Si enim unum homicidium inultum remaneret, procederetur occaſione illius ad multa, tam ab his quibus impunitas incentivum conſuevit parere delinquendi, tam ab amicis occiſi vindicare factum volentibus, quàm ab amicis occiſoris, propter quòd ipſum homicidium peſtem diximus, quia tam latè depaſceret velut incentivum, niſi ſeveritas legum illud ſtatim extingueret.

Viri boni.

Viros igitur bonos dicere non conſuevit communitas hominum, niſi quorum bonitas eſt ex multiplicium bonorum teſtimoniis approbata: ſimiliter neque malos, hoc autem eſt propter ſubitas & tranſeuntes velociter paſſiones bonas, vel malas, ex quibus non auſi ſunt homines judicare bonos, vel malos, quia non eſt eis viſum conveniens judicare homines nunc bonos, nunc malos, neque tam benè eſſe mutationem à bono in malum, aut econverſò. Æquivocè igitur utuntur legumlatores, & leges nominibus bonitatis, & malitiæ & communitas hominum, quam ſequitur Ariſtoteles in hoc. His igitur ita poſitis, reſtat nobis perſcrutandum de ipſis virtutibus naturalibus quid, vel quantùm poſſint ex eis, qui eas perfectas habent, & quatenùs differant operationes earum ab operationibus gratuitarum: ſimiliter & fines earum à finibus, ubi etiam determinandum nobis erit, an ſolæ ſufficiant perfectè bonum facere, deoque altiſſimo acceptum.

Quæſtiones de naturalibus virtutibus.

Ponentes igitur quandam prudentiam, & ſcientiam, naturalem virtutem eſſe ex cauſis, & rationibus, quas diximus, quas ſufficere tibi debere non dubitamus. Quærimus in primis an res ſciantur, vel cognoſcantur hujuſmodi ſcientiis, & prudentiis, & videtur in primis quia res quarum ignorantia nec turpis eſt, nec vituperabilis, ſicut rerum geometricarum, & philoſophicarum, & arithmeticarum, & generaliter mathematicarum; eodem modo videntur, & res naturales ad hujuſmodi ſcientias non pertinere; pro ignorantia enim rerum hujuſmodi nemo eſt dignus vituperio, nemo culpandus; earum igitur ſolarum rerum cognitio, quibus vita noſtra, vel laudabilis, vel vituperabilis eſt, & bona, vel mala, ad iſtas virtutes pertinere videtur. Qui enim diffiniverunt philoſophiam artem eſſe vivendi,

Tullius.
Seneca.

ut Tullius, & Seneca poſuerunt, proculdubiò rerum hujuſmodi ſolarum ſcientiam. Ampliùs. Solà ignorantia benè vivendi erubeſcenda eſt, & vituperanda, atque culpabilis,

Apuleïus.

ſicut docet Apuleïus per inductionem in libro de dæmonio Socratis. Interrogatus inquit, an ſcias ſtatuas facere, audacter A reſpondebis neſcio, nec pudet me non eſſe ſtatuificum. Interrogatus autem an ſcias benè vivere, non audebis dicere neſcio, vel metu mendacij, vel præ erubeſcentiâ, quæ eſt juſtæ reprehenſionis timor. Quia igitur hæc erubeſcentia naturalis eſt, & ideò eſt apud omnes manifeſtum, iſtam naturam in nobis erubeſcere iſtam ignorantiam; quare & non ſubſiſtere eam in nobis: quare manifeſtum hanc ſcientiam naturaliter gignere in nobis. Ampliùs. Benè vivere requirit à nobis ipſa natura, & naturaliter tenemur benè vivere, quare & ad omnia quæ requirit ipſum benè vivere, & per hæc ad ſcientiam earum rerum, quibus vita noſtra bonificatur.

Lex in corde hominis.

Ampliùs. Quæ eſt lex in corde hominis naturaliter ſcripta, niſi ratio mandatorum naturalis honeſtatis? & quid eſt ipſa inſcriptio naturalis earum, niſi ſcientia naturalis ipſarum? B Ampliùs.

Tullius.

Quia verum proculdubiò eſt, quod dicit Tullius, quia naturâ avidiſſimi ſumus, appetentiſſimique honeſtatis; nullum autem bonum appetitur niſi bonum, & quatenùs notum. Quare natura ſcientiſſimi ſumus honeſtatis, nihil enim eſt honeſtas, niſi bonitas vitæ Eadem autem ſcientia eſt bonitatis vitæ, & benè viventis; quare naturaliter ſcientes ſumus benè vivere & propter hoc eorum, quæ ad benè vivendum pertinent. Ampliùs Ut ipſemet Tullius dicit, nemo nos inſpicere poteſt, qui non cognoſcat nos ad honeſtatem natos; quare finis propter quem ſumus, & ad quem naturaliter tendimus, honeſtas eſt. Unicuique autem creaturæ innata eſt virtus movens ipſam, atque perducens ad finem propter quem eſt; quare nobis innata eſt virtus, quæ ad honeſtatem nos perducat, niſi impediatur, & quoniàm ad honeſtatem non venitur caſu, nec ignoranter, neceſſe eſt nobis innatam eſſe ſcientiam ipſius. C

Similitudo.

Ampliùs. Sicut pondera ſunt in corporibus, ita affectiones in animabus, ut dicit Auguſtinus; pondera autem naturalia ſunt in corporibus, & naturaliter ea inclinantia, & inducentia in loca ſuæ quietis naturalis: igitur & affectiones ſunt naturales in animabus, naturaliter & inclinantes eas, & inducentes in ſtatum ſuæ quietis naturalis: ſtatus autem quietis animarum noſtrarum naturalis beatitudo eſt: beatitudo autem non eſt niſi honeſtas, ut docebimus in ſequentibus: quorum autem affectiones nobis innatæ ſunt naturaliter, horum & cognitiones naturales; quare cognitiones honeſtatis ſeu beatitudinis. Ampliùs. Si oculus eſt in homine propter aliquem actum proprium, ut propter videre & auris propter audire, & ad hunc modum de aliis, erit & totus homo ex neceſſitate ob aliquid qui erit ejus actus proprius; ſimiliter, & ſi equus eſt propter aliquem actum D proprium, & cervus, & bos, & unumquodque aliorum animalium, inde erit & homo ſimiliter; quare erit actus ejus aliquis proprius.

Actus hominis proprius.

Ampliùs. Actus proprius hominis hic eſt, qui maximè eum decet, & maximè in eo requiritur. Maximè autem decet hominem benè vivere, & maximè in eo requiritur, quare inter omnes ſcientias ſcientia benè vivendi in eo maximè requiritur, & maximè illum decet. Ampliùs, Secundùm ordinem naturæ aut eſt hominis aliquod proprium officium, id eſt aliquis congruus actus, ſicut eſt canibus hominum cuſtodia, & rerum ipſorum, & equis curſus, aut hominum vectitatio, aut aliquid tale, & ita de aliis, aut nullus eſt proprius hominis actus: quòd ſi nullus eſt proprius ejus actus, & officium, minori ergo cura providentiæ divinæ creatus eſt, quàm alia animalia; videtur etiam ſecundùm hoc inutiliter, & vanè creatus, quemadmodùm vas nulli officio certo deputatum inutiliter, & vanè videtur fabricatum. Quòd ſi dixerit, quia hominis multi ſunt actus, & propter illos creatus eſt; omnes illi; aut æquales ſunt, aut eſt in eis aliquis

Digitized by Google

præſtantior. Manifeſtum autem eſt, quòd non omnes æquales ſunt, quia videre, & audire, inæquales ſunt, & iterùm ædificare, aut arare, aut ſeminare, & Deum colere, vel benè vivere, inæquales ſunt: quare manifeſtum eſt aliquem in iſtis, vel aliquos præſtantiores eſſe. Nihil autem eſt in eo, vel æquale ei, quod eſt benè vivere, vel eo præſtantiùs; quare benè vivere eſt actus ejus nobiliſſimus, & optimus: optimum autem in uno quoque illud finis illius, & actus proprius ipſius naturalis; in uno quoque verò uno exiſtente optimo naturaliter, cætera naturalia adminicula ſunt, & propter illud, & quoniàm naturaliter natura docet unumquodque naturale, & proprium ejus, etiam naturaliter natura docet hominem bene vivere. Ampliùs. Si cantoris verum, & proprium officium eſt cantare, & lectoris legere, & non eſt veri nominis cantor, qui non ſcit cantare, & ita de aliis, nec veri nominis textor, qui neſcit texere; nec erit veri nominis homo naturaliter, qui naturaliter ignorat benè vivere, & qui prohibitus eſt naturaliter benè vivere, prohibitus eſt naturaliter eſſe homo. Et quidem ſecundùm Ariſtotelem creantur & naſcuntur homines perfecti prima perfectione quæ eſt naturæ, quod eſt dicere perfectione materiæ, & formæ, hoc eſt anima, & corpore, potentiis, & viribus; perfectibiles ſunt autem ſecunda perfectione, quæ eſt ſcientiarum, & virtutum decore: ſecundùm Platonem verò, ut ſæpè tetigimus, utroque modo perfecti, ſed perfectio ſecunda in eis impedita eſt, quam nos ſecundùm opinionem ipſius narrabimus in ſequentibus, & declarabimus ſecundùm veritatem. Intantùm autem hîc declarare intendimus, quòd ſcientiæ naturales ſecundùm tres intentiones, vel modos dicuntur. Et primò quidem naturales intelliguntur, id eſt naturaliter inſitæ vel editæ, hoc eſt ex ipſa natura, quales & in ſubſtantiis ſupernaturalibus hoc eſt nobilibus & abſtractis eſſe ſuperiùs diximus. Secundò, naturales dicuntur, hoc eſt ab ipſa nativitate, ſeu creatione datæ, quales Adam & Evam habuiſſe diximus. Tertiò, naturales dicuntur per ſola naturalia, hoc eſt abſque doctrina, & revelatione acquiſitæ: unde & propter hoc naturales nobis, & interdùm innatæ dicuntur, quia interdùm non à foris nobis advenire, ſed magis ab intùs, hoc eſt ex intimis naturalium naſci, & prodire, propter quod dicit Auguſtinus. Quia innata ſunt nobis amor boni, & notio veri, intelligens innata, hoc eſt ab intùs ſive ab intimis noſtris naturalibus nata. Ex his igitur quæ diximus manifeſtum eſt tibi, quia ſcientiæ iſtæ naturales, quas virtutes vocamus non ſunt niſi de his, quæ pertinent ad benè vivere, ſive ad honeſtatem, & hæc ſunt regulæ naturalis honeſtatis, qualia ſunt Deum eſſe timendum, in Deum eſſe ſperandum, Deum eſſe diligendum, Deum eſſe honorandum, Deo eſſe obediendum, deinde omnibus aliis ſubveniendum, neminem eſſe lædendum, nulli injuriandum, nullum fraudandum, cum omnibus juſtè, & piè, & verè agendum. Tertiò rebus, quæ poſt nos ſunt ſobriè & moderatè utendum, & non ſine gratiarum actione, utpotè Dei donis, & beneficiis. Vides autem quia regulas honeſtatis naturalis in tres partes dividimus, quarum prima pertinet ad Deum, ſecunda ad nos, tertia ad res, quarum nobis uſus à largitore bonorum conceſſus eſt. Si quis autem quærat, propter quid ſcientiæ hujuſmodi virtutes ſunt, jam reſpondimus in tractatu de fide, & in eis quæ in iſto tractatu præceſſerunt, quia ipſæ ſunt & fortitudines virtutis noſtræ intellectivæ, & armaturæ ipſius, & principia laudabilium voluntariarum operationum. Quemadmodùm ignorantiæ, & opiniones contrariæ & culpabiles ſunt, & vitia & obſervationes earum culpabiles, & pœna dignæ. Si quis

Benè vivere proprium hominis.

Similitudo bona.

Scientiæ naturales tribus modis.

Nota.

E autem quærat, quis eſt modus cognoſcendi hujuſmodi ſcientias, videlicet an ſit, ſicut eſt cognoſcere per ſenſum, puta per viſum, aut auditum, an ſicut eſt intelligere principiorum? an ſicut per demonſtrationem? an per aliam viam probationis? Reſpondemus quia modus cognitionis eſt ſicut intellectus principiorum primorum diſciplinalium, aut doctrinalium, & fortè nobilior in hoc, quia rerum iſtarum cognitionem tantò intimius impreſſam, & tantò magis adhærentem voluit eſſe bonitas creatoris ſubſtantiis hujuſmodi, quàm rerum doctrinalium, aut diſciplinalium, hoc eſt mathematicarum, & naturalium, quantò utiliorem ac ſalubriorem eiſdem, ſibique honorificentiorem eam eſſe cognovit. In animabus verò noſtris etiam aliquatenùs ſimiliter ſe habet, quòd & faciliùs & profundiùs intrant, & recipiuntur in animas noſtras, & fortiùs adhærent eiſdem, F quàm res prænominatorum principiorum; & hoc eſt, quoniàm omnis virtus, & omnis potentia magis accommoda eſt, & prona naturaliter ad ea quibus expeditur, & adjuvatur ad id, quod eſt optimum ſuum, hoc eſt ad finem, & perfectionem ſuam ultimam, quàm ad alia. Quia igitur res iſtæ ſunt ad benè, ſive beatè vivere, magis quàm aliæ; ideò & faciliùs, & intimiùs eas admittunt animæ noſtræ, ſicut & aera intimiùs recipiunt corpora noſtra, quàm æquam, utpotè vitæ utiliorem, ac magis neceſſariam, & ipſi homines magis utiles ſibi homines, magiſque neceſſarios intimiùs recipiunt, hoc eſt in majorem amicitiam, ac familiaritatem. Si quis verò quærat, utrùm diverſificentur hujuſmodi ſcientiæ pro diverſitate recipientium. Reſpondemus, quòd non, ſicut neque viſus habitus pro diverſitate viſorum; G cauſa autem in hoc eſt quam aſſignavimus de fide, quare non diverſificatur tanta diverſitate creditorum. Quòd ſi quis quęrat utrùm ſcientiæ illius lex ipſa naturalis fuit, quæ dicitur ſcripta eſſe in corde hominis Adæ ſcilicet, & Evæ naturaliter, id eſt à nativitate, vel in nobis ſicut expoſuimus. Reſpondemus, quia ſcientia propriè veritatis eſt, veritas autem affirmationum, & negationum propriè. De modis enim locutionum ſola affirmatio, aut negatio veritatem habet, aut falſitatem; lex autem in eo quòd lex, imperativa eſt; unde nec dicitur vera, nec falſa, ſed magis juſta vel injuſta, tenenda vel non tenenda; & ideò lex eſt continentia ſive aggregatio mandatorum. Eſt ergo ſcientia ejus quòd eſt Deum eſſe timendum; lex verò ejus quòd eſt Deum timere, propriè, & ſimilium. Sacri tamen Doctores. & uſus communis interdùm confusè ambobus utuntur, & nos pro diverſitate acceptionum, & intentionum legis in præcedenti tractatu, videlicet de fide & lege, vel legibus. Jam ergo declaratum eſt tibi per hęc, quæ & quales ſunt ſcientiæ, & prudentiæ naturales, quæ nomine virtutum dignæ ſunt. Et etiam propter quid virtutes nominatæ ſunt, & etiam quarum re- H rum ſint, & quis modus cognoſcendi in ipſis & quia res hujuſmodi ſunt res quæ pertinent ad benè, ſive beatè vivere & contraria earum Ex quibus manifeſtum eſt etiam tibi, quia non eſſent creatæ perfectæ ſubſtantiæ nobiles perfectione naturali ſine eis immò cum imperfectione erubeſcendâ & turpi, quæ eſſet ignorantia vel inſcientia benè ſeu beatè vivendi: & idem ſentiendum eſt de animabus Adæ & Evæ. Si quis autem quærat, utrùm alias etiam ſcientias, hoc eſt rerum aliarum habeant naturaliter hujuſmodi ſubſtantiæ, ſicut habuerint eas Adam & Eva ex ſuâ creatione, videtur nobis, quòd ſic: non autem ejuſmodi ſcientias quales acquiruntur apud nos per vias probationum, ſed cognoſcere earum in rebus hujuſmodi erat, ſicut videre interiùs, hoc eſt intelligere ſicut diximus, neque otioſæ, vel

Nota.

Quæſtio.

Epilogat.

Digitized by Google

ſupervacuę in eis ſunt, ſicut neque in benè utentibus apud nos. Multa enim mirabilia Dei ſunt in rebus illis, & propter hoc cognitio earum rerum benè utentes erigit, & dirigit ad magnificandum creatorem. Nec parùm laudis, & gloriæ ſuæ detractum fuiſſet creatori apud eas, hoc eſt apud ſubſtantias abſtractas nobiles, & Adam, & Evam, ſi tot, & tanta magnalia creatoris, quæ ſunt in rebus naturalibus, & mathematicis ignorarent. Ipſis etiã non parùm ſplendoris, & luminis, ſi ſcientias iſtas non haberent, defuiſſet, eſſentque intellectus earum magis tenebris obſeſſi, & involuti, ſi nec cœlum, nec terrã, nec aliqua de his quæ in eis ſunt cognoſcerent. Eſſent enim quemadmodùm homo viator, qui nihil, niſi greſſus ſuos, & finem itineris, & veſtigia ſua videret, quantùm ad omnia alia cœcus. Si quis verò quærat, utrùm una numero ſcientia ſit eis, vel eſſet illis, qua cognoſcerent omnes hujuſmodi res, videtur nobis quòd ſic: Sicut enim uno lumine viſus videmus omnia viſibilia viſu noſtro naturali, ſic tam iſti quàm illi, longè ſublimiùs atque nobiliùs omnia intelligibilia intellectu naturali intuentur, & intuebantur, & hoc ſimul. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm non per paſſiones à rebus, ſicut nos viſibilia cognoſcimus, & ideò nec tempore, nec viciſſitudine indigebant ad illa omnia intuenda. Hæc autem diſcutiemus, & perſcrutabimur in tractatu de hujuſmodi ſubſtantijs. Hîc enim præter propoſitum eſt. Potiſſimùm autem hanc ſcientiam, virtutem vocamus, ſecundùm quòd dirigit ad benè vivendum, quoniàm erigit, & vivificat poſſeſſorem, movet, & concitat ad faciendum, quæ facienda oſtendit. Si quis autem quærat, utrùm ſcientia hęc literis deſcriptibilis ſit: & ſermonibus interpretabilis. Reſpondemus quòd ſic aliquatenùs, verumtamen impoſſibile eſt ſermones noſtros, vel deſcriptiones reſpondere hujuſmodi intellectui, vel ſcientiæ, ſicut in eodem tractatu oſtendemus. His autem ita determinatis tranſibimus ad virtutes naturales affectivas, & incipiemus ab affectionum potiſſimâ, ac nobiliſſimâ. Et videtur in primis amor iſte omnium eſſe maximus, juxta illud, propter quod tale unumquodcunque ipſum magis tale. Quare quæ naturali amore diliguntur, maximè diliguntur; videtur autem, vel nihil habere laudis diligere ſe, vel bona ſua, pro eo, quòd adeò naturale eſt & nihil habet difficultatis omninò, & potiſſimùm ex verbo Evangelij. Matth. 5. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Et iterùm Lucæ 6. Si diligitis eos qui vos diligunt quæ vobis eſt gratia? Nam & peccatores diligentes ſe diligunt. Edem modo nihil videtur habere laudis, vel gratię, id eſt regratiationis diligere patrem, & matrem propter eandem cauſam. Ampliùs. Si dilectio non eſt, niſi boni inquantùm bonum, nec debet eſſe pater, & mater nõ eſt melior, quia, vel inquantùm pater, aut mater, quàm ſine his; ergò non ſunt magis diligendi cum his, vel propter hæc, quàm ſine his. Ampliùs. Iſta ſunt indifferentia paternitas videlicet, & maternitas, & cæterę attinentiæ & nihil addunt bonitati; ergo nihil addere debent dilectionis. Quare non eſt tibi magis diligendus pater tuus, quàm alius quilibet homo. Ampliùs. Si non ſunt diligenda bona niſi inquantùm bona, vel quia bona; ergo æqualiter bona æqualiter diligenda. Quilibet ergo bonus æqualiter patri tuo, erit tibi æqualiter diligendus. In his autem, & in hujuſcemodi omnibus ſciendum eſt, quia amor naturalis non eſt in bonum, inquantùm bonum ſimpliciter, immò in bonum determinatum, hoc eſt in bonum hoc, & propter hoc, & cùm æquè bonus ſit pater tuus cuicunque alijs ſimpliciter, non tamen æqualiter diligis eum, nec æqualiter eſt tibi diligendus, quoniàm non æqualiter eſt tibi bonus, & alijs. Neque ſequitur. Iſti duo homines ſunt æqualiter diligendi, ergo ſunt æqualiter tibi diligendi, ſicut neque æqualiter boni, ergo æqualiter boni tibi. Si quis autem diligenter intueatur ſermones iſtos, non eſt melior pater inquantùm pater, aut mater, quàm ſine his; ſi de bonitate naturali intelligat, falſum dicit etiam ſimpliciter. Qui enim pater eſt, habet bonitatem, quam habet inquantùm homo, & inſuper bonitatem, quæ eſt utilitas generationis quæ eſt bonitas redundans, & ſupereffluens; unde non ſolùm melior eſt tibi bonitate naturali, ſed etiam melior ſimpliciter. Fœcunditas enim non parva bonitas eſt, & hoc agnoſcimus omnes in ovibus, & bobus, & etiam arboribus, & agris, quia hæc omnia meliora judicamus ex fœcunditate, & fertilitate. Similiter non ſequitur, ſi aliqua duo ſunt æquè diligenda, quòd peccet quicunque, non æquè diligit ea, quia licet ſint æquè diligenda, non ſunt tamen æquè diligenda unicuique: ſecundùm hanc cauſam æquè diligendus eſſet æquè bonus unicuique, ut ipſe ſibi, & magis bonus diligendus eſſet unicuique, magis quàm ipſe ſibi. Non autem videtur iſte ordo naturæ, unde uſualiter, & communiter dicitur de charitate, quia ordinata charitas incipit à ſe ipſa, hoc eſt à proprio ſubjecto, & hoc idem quantum ad homines videtur, videlicet quòd inter homines unuſquiſque ſeipſum in primis, & maximè dilectione naturali diligat, & diligere teneatur. Mirabile autem, & difficile videtur ad cognoſcendum, utrùm aliquis diligat ſe, an etiam diligere poſſit? dilectio enim vinculum eſt & ligatura. Quomodò autem poteſt eſſe vinculum ejuſdem ad ſemetipſum aut ligatura & qualiter intelligatur aliquis eſſe ligatus ſibi ipſi? Ampliùs. Si dilectio amicitia eſt quomodò erit in uno ſolo? & cùm relatio ſit quomodò erit unius ad ſe? amicitia enim relatio eſt æquiparantię in prędicamento relationis. Ampliùs. Sicut fraternitas corporalis non poteſt eſſe niſi inter duos ad minus; ſic neque fraternitas ſpiritualis quę non eſt niſi amor aut dilectio, non poterit eſſe niſi inter duos. Ampliùs. Quid eſt amor habitus, niſi largitas ultra quam non eſt largitas, & amor actus, niſi donum omnium donorum primum, & maximum? largitas autem, & datio non ſunt unius ad ſe & hoc quoniàm datum eſt magis naturaliter apud dantem, quàm apud recipientẽ: quare ſi idem eſſet dans, & recipiens amorem, eſſet ex neceſſitate majus, & minus amor apud ipſum. Ampliùs. Quid eſt dare niſi transferre in accipientẽ, & datum facere ſuũ accipientis, & hoc per dationẽ, cùm aliàs non eſſet illius, quomodò autem erit hoc unius ad ſe? Ampliùs. Dantis primum naturaliter eſt datum, quàm accipientis; quare ſi idem eſt dans, & recipiens naturaliter erit hujuſmodi donum, quod eſt amor naturalis priùs, & poſteriùs in eodẽ. Ampliùs. Secundùm quid eſt dans, & ſecundùm quid recipiens, & quomodò largus in æquè divitẽ, & æquè abundantem, videlicet in ſemetipſum? propter hæc, & alia, nullo modo videtur amor poſſe eſſe ejuſdem ad ſe, nec propriè eſſe dictum illud Apoſtoli in 3. 2. ad Timo. quia in noviſſimis diebus erunt homines ſe ipſos amantes, neque illud. Auguſt. in libro de civitate Dei, quia fundamentum civitatis babilonicæ eſt amor ſui, & creſcit uſque ad contemptum Dei; ſed tropo dictum eſt de hujuſmodi hominibus, qui quærunt quæ ſua ſunt. Quemadmodùm enim, qui amat alterum, & quærit quæ ſua ſunt, & multi quærunt, quæ ſua ſunt, ac ſi amarent ſeipſos dicuntur effectu, non affectu,

Scientia Adæ & Evæ qualis.

Bona quæſtio.

Nota.

Amor naturalis.

Nota.

Diligere ſeipſum quid & quomodo.

Acutè diſputat.

Auguſt.

Amare ſeipſũ figuratè dicitur.

Digitized by Google

quia non videtur poſſibile, quòd affectum amoris poſſit aliquis habere ad ſemetipſum, nec ex affectu, quem habeat ad ſemetipſum, quærit quis divitias, aut delitias, ſed ex affectu, quem habet in ipſas ſolummodò; propter ſe enim diligit voluptuoſus delitias, hoc eſt eſſe propter ipſas delitias tantùm: ſimiliter & veri nominis avarus, aut cupidus divitias. Et ſimiliter ſe habet de alijs, nec ambitioſus honores, non enim ad ſe trahunt res hujuſmodi, ſed poſt illas abeunt eis adhærentes, & ſervi eorum effecti, turpiſſima, & viliſſima ſervitute: meliùs autẽ ac rectiùs ſciendum eſt, quòd amor poteſt eſſe, & eſt alicujus ad ſe; hujuſmodi autem declaratio duos habet modos.

Quibus modis quis ſeipſum amat.

Primus eſt per diffinitionem, ſeu rationem ipſius amoris; amor enim veriſſima ratione non eſt, niſi intentio inquirens aliud, hoc eſt movens ad obtinendum illud, & hoc iterùm eſt ſecundùm duos modos, quia vel movet ad acquirendum idipſum in quo eſt, & tunc meritò nominatur concupiſcentia, vel cupiditas, vel ambitio, aut aliqua alia ex nominationibus hujuſmodi: manifeſtum eſt, quia concupiſcentia amor eſt voluptatis, & in ipſam voluptatem eſt inquiſitio ejus, & movens ad obtinendum eam: ſimiliter cupiditas divitiarum, & ambitio bonorum inquiſitrices ſunt, & moventes ad obtinendum eas, & quietantes motum in eis.

Nota.

Secundus modus eſt, quo amor eſt intentio inquirens non illud in quo eſt, ſed illi, ſecundùm quam intentionem amicitia amor eſt. Eſt enim intentio inquiſitrix honoris, vel commodi illius in quem eſt, hoc eſt amici: non enim amicitia movet ad quærendum, vel obtinendum amicum, ſed magis ad quærendum vel obtinendum amico commodum, vel honorem, vel aliquid aliud ex eis, quæ placere creduntur amicis: quare manifeſtum eſt, quòd amor voluptatis, & amor amici æquivocè dicuntur, niſi in eo caſu, quem ponit Seneca dicens:

Seneca.

Si ad futuros caſus amicitiam paras, negotiatio eſt iſta, quam jactas, non amicitia. Quidam enim ſic amicos quærunt, ſicut agros, aut arbores, aut ſicut murorum, aut propugnaculorum præſidia, quod eſt dicere, ut commodum aliquod ex amicis capiant, ſicut quæruntur ſervi, vel equi: quare manifeſtum, hujuſmodi homines non amicis intendere, ſed ſibimetipſis; & ideò vocavit eam negotiationem Seneca, non amicitiam. Quemadmodùm enim negotiatores alijs negotiatoribus dant, ut plura vel meliora recipiant; ſic iſti amicis præſtant obſequia, non ut eis proſint ſed ut ab eis majora recipiant, æqualibus non contenti, ſicut negotiatores non ſunt contenti, ſi merces eorum data pretia non excedant. Quia ergo manifeſtum eſt, neminem eſſe prohibitum naturaliter ab intentione inquirendi, quod ſibi vel placet, vel expedit; hæc autem intentio proculdubiò amor eſt juxta ſecundam intentionem, manifeſtum eſt neminem prohibitum eſſe ab amore ſui ipſius: quare manifeſtum eſt poſſibile eſſe amorem alicujus ad ſe. Secunda declaratio, quia nulla ſubſtantia intelligens prohibita eſt cognoſcere, vel intelligere naturaliter, immò ex neceſſitate unaquæque hujuſmodi ſubſtantiarum intelligit, & cognoſcit ſe. Si autem cognoſcit ſe bonam, quomodò prohibita eſt diligere ſe?

Diligere ſeipſum.

eiſdem enim rationibus quibus inducti ſunt aliqui ad credendum, quòd nemo poteſt diligere ſe, neceſſe eſt, ut inducantur ad credendum, quòd nulla ſubſtantia intelligens poteſt intelligere vel cognoſcere ſe. Ampliùs. Si bona aliorum diligere poſſumus, & debemus, quomodò bona noſtra diligere prohibemur? An propter hoc, quia noſtra ſunt? hoc autem abſurdiſſimum eſt ſecundùm naturam cùm unaquæque natura diligat ſe, unumquodque enim animal ſibi quærit cibum, & nidum, & etiam compar propter generationem. Quare unumquodque animal naturaliter diligit ſe ex diffinitione amoris, cùm naturaliter ſibi quærat bona, vel utilia atque ſalubria. Ampliùs. Quis ſani capitis audeat dicere, quòd homo non diligit naturaliter corpus ſuum, aut partes corporis ſui? quæ tanto opere nutrit, & fovet atque defendit, ut omni pretio redimeret, ſi periculum eorum eidem immineret, & poſſet? Quare manifeſtum eſt, quia negaret naturam, cùm omni modo ſit inquiſitrix utilium, & ſalubrium proprij ſubjecti & cuſtoditrix, atque defenſatrix eorumdem.

Auguſt.

Propter quod diximus, quia juxta verbum Auguſtini, quo dixit. Sicut pondera in corporibus ita affectiones in animabus; ſicut ex natura pondus eſt in corpore ponderoſo ita ex natura eſt amor naturalis in omni ſubſtantia nobili; & ſicut pondus eſt inquiſitivum loci convenientis & ſalutaris ad quieſcendum ipſi corpori ſic & amor iſte inquiſitivus eſt convenientium, & ſalutarium omni ſubſtantiæ nobili, & iſte amor non eſt quaſi vinculum, vel ligamen ejuſdem ad ſe, ſed magis ſubſtantiæ in qua eſt, & eorum quæ ſunt utilia vel ſalutaria eidem.

Nota.

Qua propter quærit illa conjungere adinvicem, quemadmodùm pondus, vel inclinatio eſt vinculum, vel ligatura ipſius corporis & loci eidem convenientis & propter hoc quærit cõjungere illa, videlicet locum, & corpus in effectu. Unde quẽadmodùm pondus ſeu inclinatio corpus trahit ad locum ſibi naturaliter convenientem, & illum quærit eidem: ſic amor iſte omnem ſubſtantiam nobilem trahit ad ſtatum ſibi naturaliter convenientem, & ipſum quærit eidem. Scito etiam, quoniàm amor hujuſmodi, non eſt relatio veri nominis ſed magis qualitas eſſentiâ, & veritate, licet reſpectum aliquem habeat ad amatum. Hoc autem inde manifeſtum eſt quia non requirit de neceſſitate, ut ſit amatum, hoc eſt inquiſitum, nec aliquid in ipſo.

Relatio vera quæ.

Relatio autem veri nominis correlationem exigit in correlativo, & comitantur ſe ad invicem comitantiâ neceſſariâ & inſeparabili ut ſi alterum eſt aliquandò & alterum ex neceſſitate tunc ſit.

Solutiones cõtrariorũ ſupra poſitorum.

Scito etiam quòd iſte non cadit in rationem dati, & accepti ſicut neque pondus, aut inclinatio; per illum enim non intendit natura aliquid dare, vel in illo, ſed magis quæ ſua ſunt jure naturæ, & quæ ſibi debentur, acquirere, vel vendicare, & in quibuſdam reddere, ſicut conſequenter declarabimus. Quemadmodùm vides, quòd natura corporis ponderoſi non intendit per pondus, & motum aliquid dare, vel etiam in illis, in amore autem gratuito forſitan locum habet ratio dati, & accepti: nos autem loquimur de illo in ſequentibus. Et quia diximus duas intentiones iſtius amoris, videlicet acquirendi, & reddendi, neceſſe habemus oſtendere, quibus per hunc amorem, vel ad quid reddendum ſit, & quibus iſte amor reddendus ſit.

Amor in Deum.

Conſentiũt etiam omnes, quia naturalibus benefactoribus, quales ſunt Deus, & parentes, unde communiter dicitur, quia Deus diligendus eſt ut creator, dator vitæ, & bonorum omnium naturalium conſervator, & auctor, doctor, atque illuſtrator eorum.

Parentes.

Parentes verò, id eſt pater, & mater, & progenitores, quatenùs eos attingit notitia: ipſi enim adjutores fuerunt & miniſtri, quorum miniſterio datum eſt nobis eſſe, ſicut dicitur Eccleſiaſtici ſeptimo.

Eccl. 7.

Memento quoniàm niſi per illos non fuiſſes, retribue illis, quomodò & illi tibi.

In filios.

Filiis autem ratione beneficentiæ non debetur hujuſmodi amor, ſed magis lege, & inſtitutione naturæ, quæ amorẽ iſtum quemadmodùm, & virtutem generativam transfundit in omnes genitos, ut quemadmodùm

factum

factum eſt illis à genitoribus; ſic & ipſi faciant eis, quos genuerunt Quoniàm autem ſubſtantiæ angelicæ nobiles Adamque, & Eva in ſua perfectione naturali, cognitionem de creatore naturalem habebant, & de largitate beneficentiæ ſuæ in ipſos, *Queſtio.* neceſſariò & amorem habebant in ipſum, & naturalem amorem habebant, ut jam diximus in ſe ipſos; quæſtionem habet, utrùm iſto amore naturali, quo Deum diligebant, & ſeipſos, an æqualiter ſeipſos ut Deum diligerent, an ſe plus quam Deum, vel Deum plus quàm ſeipſos; & viſum eſt multis quia plus diligebant ſeipſos quàm Deum naturali dilectione, quia nec contra ſe, nec ſupra ſe poterant per naturam ſuam: nulla enim natura contra ſe, vel ſupra ſe videtut aliquid poſſe. Ampliùs. Si hujuſmodi dilectione videlicet naturali non diligebant Deum niſi in eo, quòd actorem ſuum, & omnium bonorum ſuorum non diligebant igitur ipſum, niſi quia, & inquantùm benefactorem ſuum, quare non niſi intuitu & ratione beneficiorum ſuorum Beneficia autem illa non diligebant niſi propter ſemetipſos, & quia nec ipſum Deum niſi propter ſemetipſos, & propter hoc ſemetipſos magis quàm ipſum; nam propter quod unumquodque tale, ipſum magis. Videtur autem econtrariò, quia nec ſimpliciter ipſi diligendi ſunt plus quàm Deus, cùm incomparabiliter minus boni ſint ſimpliciter, nec ſibi ipſi meliores ſint his, quàm Deus eiſdem, immò econtrariò: incomparabiliter enim Deus eſt melior eis, atque utilior, quàm ipſi ſibi: in nullo enim prodeſſe ſibi poſſunt, niſi in procurando conſervationem ſui eſſe, & vitæ ſuæ, & inquirendo ea quæ pertinent ad benè vivere, & in benè vivendo: hæc autem omnia præſtat eis Deus, & inſuper ipſum eſſe cum omni perfectione ſua, & decore naturali. Ampliùs. Ipſum benè vivere naturaliter in eis non eſt, niſi benè uti naturaliter donis *Nota. De datis à natura.* Dei naturalibus. naturalis enim bonus uſus à natura eſt: quicquid enim natura eſt, Dei donum eſt. Ampliùs. Omnis inquiſitio naturalis opus naturæ eſt, & à natura, & propter hoc Dei donum eſt: ſimiliter & omne acquiſitum naturaliter, id eſt per naturam, Dei donum ſimiliter eſt. Quare manifeſtum eſt eos naturaliter nihil habere, vel poſſe acquirere, niſi Dei dona. Manifeſtum igitur eſt Deum eſſe incomparabiliter utiliorem eis, quàm ipſos ſibi, quoniàm etiam ſi creſcere poſſent in naturalibus bonis naturaliter, ſive acquirendo nova, ſive meliorando jam habita, ipſum crementum hujuſmodi eſſet etiam donum, & opus Dei, licet per naturam, hoc eſt per naturalia bona ipſorum. Quidquid enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, & omnis cauſa primaria plus eſt influens etiam ſupra cauſatum ſecundæ: & hoc eſt quoniàm de propria plenitudine, & abundantia eſt influens primaria; ſecunda verò ex ſolo fluxu, & influentia, quam recipit à prima. Sicut enim alibi declaravimus, cauſæ ſecundæ ſive mediæ non ſunt niſi ſicut nuntij, & deferentes influentiam cauſæ primæ ad cauſata ſua ſecunda. *Cauſæ ſecundæ.* Ampliùs. Cùm nihil perverſum vel habeat, vel doceat, vel operetur natura, utpotè velut magiſterio creatoris edocta, & rectitudine voluntatis ipſius directa, ac regulata, ac per omnia ordinata, cùm manifeſtè perverſum ſit Deo præferre, vel anteponere quicquam aliud, vel etiam æquare, impoſſibile eſt naturaliter, vel à naturâ, ut aliqua ſubſtantia in amore, vel dilectione Deo ſe præferat, vel etiam æquet. *Natura nihil perverſum operatur.* Quare, & ſequens eſt nullam ſubſtantiarum prænominatarum plus ſe, quàm Deum diligere naturaliter, vel æquè, ut illum, quoniàm amor, ut diximus, inquiſitor eſt *Amor.* boni, videlicet quòd eſt bonum ipſius, in quem eſt

A amor. Nullum autem aliud bonum Deo inquirendum eſt, quàm gloria, & honor, collaudatio, & benedictio, gratiarum actio, & obſequium, & iſta bona quærẽda ſunt ei, tã in nobis quàm in alijs, quæ utique quærenda ſunt ei non quia eis indigeat, cùm illius divitiæ ſint in ultimitate ſufficientiæ & copioſitatis. Amor verò naturalis, quo ſe diligunt hujuſmodi ſuſtantiæ, inquiſitor eſt ſimiliter bonorum naturaliter continentium, ſeu conviventium, qualia ſupra nominavimus, videlicet benè, ſeu beatè vivere, honeſtas naturalis, & ea quæ pertinent ad utrumque iſtorum. Quærimus ergo an iſta præferenda ſint ab eis Dei bonis, quæ nominavimus. Quòd ſi dixerit, quia præferenda ſunt ab hujuſmodi ſubſtantijs iſtis dei bonis, ergo aliud eorum, vel aliqua, vel omnia ſimul præferenda ſunt Dei B obſequio. Quare ſi contigerit, ut illa non poſſent haberi cum Dei obſequio, dimittendum Dei obſequium propter illa; quàm falſum autem ſit iſtud, inde evidenter apparet, quia illa omnia etiam in Dei obſequio expendenda, & conſumenda eſſent, ſi opus eſſet, in Dei obſequio. *Nota.* Lege enim, & juſtitia gratitudinis ad id, vel tantùm tenetur receptor beneficij largitori ejuſdem, videlicet ut vel id, vel tantùm, ſi facultas ei ſuppetat, ipſi rependat, vel donando vel expendendo, ac etiam ad majus ſi & poſſibile fuerit: ſi enim receptor beneficij non teneretur datori niſi in tanto quantùm eſt, quod ab ipſo recepit, non eſſet benefactor niſi mutuator, aut creditor. & ipſe receptor non eſſet niſi debitor mutui, ipſumque beneficium, ſive benefactio non eſſet niſi mutuatio ſeu commodatio. Ampliùs. Cùm C omnia illa naturalia ab ipſo Creatore receperint, ergo ex omnibus tenentur ei ſervire & pro omnibus & in omnibus. Non licet eis igitur aliquod eorum vel habere vel retinere abſque ſervitio creatoris; quare non eſt dimittendum ſervitium creatoris pro aliquo eorum ſolvendo, vel retinendo, vel pro omnibus; quare nec aliquod eorum, nec omnia etiam ſimul præferenda ſunt ſervitio creatoris. *Creatura magis amare debet Deũ, quàm ſeipſas.* In quo etiam declaratum eſt, quia nec æquanda, ſed enim expendenda & conſumenda ſint omnia illa in ſervitium, & in ſervitio creatoris ſi opus eſſet. Manifeſtum eſt ſervitium creatoris eis eſſe omnibus præferendum. Reſtat igitur ut magis inquirenda ſint hujuſmodi ſuſtantijs bona creatoris, quàm ſua naturaliter quare major debet eſſe amor earũ in creatorẽ, quàm in ipſas. Qualis autem debet eſſe naturalis amor in eis, talis & fuit ab initio, & D eſt adhuc, quare naturali amore & ab initio plus dilexerunt Deum quàm ſeipſas, & adhuc diligunt. *Propter honorem Dei data omnia.* Ampliùs. Quo fine data ſunt eis illa naturalia tam pura, & tam excellentia bona, niſi ad Dei honorem, & gloriam, & obſequium, &c. Eſt ne alius finis univerſaliter bonorum, quàm ipſe, qui eſt principium; ſic legitur Proverb. 16 Univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus. Ampliùs. Nulli dubium eſt, quin omnia Dei dona & beneficia in honorem ejus, & gloriam convertenda ſint, nihil autem aliud eſt de eis faciendum, nec ad aliud detorquenda ſunt, ſeu declinanda, quàm ad finem, propter quem data ſunt. *Finis.* Hic ergo eſt finis omnium donorum, & beneficiorum Dei: finis autem ſemper eſt melior eo, quòd eſt ad ipſum, ſive propter ipſum, & idem neceſſariò præferendus. Manifeſtum ergo eſt ex his, quia magis amanda ſũt Dei bona hæc quæ diximus, quàm hujuſmodi ſubſtantijs dona illa, quæ prænominavimus. Quia verò magis amandum eſt generaliter, cujus bona magis amanda. ſeu magis quærenda; magis igitur amandus eſt Deus naturaliter hujuſmodi ſubſtantijs, quàm ipſæ ſibi. Quicquid autem eſt faciendum na-

Digitized by Google

turaliter, & faciunt, & fecerunt ab initio. Non **A** enim prævaricatores ſunt legis naturalis aut tranſgreſſores, quare Deum naturali amore plus diligunt quàm ſe ipſas. & ab initio dilexerunt: addimus etiam quia lex naturæ hoc requirit in eis, & ipſe amor naturalis ad eos inſtigaret, & induceret, ſi opus eſſet ut vitam, & omnia alia bona ſua pro Deo ponerent, ſi Dei honor, aut gloria, hoc requireret, & hoc eis poſſibile eſſet. Ampliùs. Naturales virtutes earum ex neceſſitate omnes ſunt æquales, quare obedientia earum ad Deum, & dilectio ex neceſſitate in eis ſunt æquales; certum autem eſt, quia ſi Deus præciperet eis, ut bona ſua omnia pro honore ejus dimitterent, hoc facere paratæ eſſent, ſi poſſent, ex naturali obedientia, ſeu juſtitia. Non autem immutaretur in aliquo natura earum, quantùm ad naturalia ex mandato hujuſmodi, quare ex obediẽtia naturali, quæ in eis creata eſt, & eis concreata, etiam modò paratæ ſunt id facere ſi poſſent, & Deus præciperet. Quare manifeſtum **B** eſt, quòd de juſtitia naturali tenentur præferre Dei voluntatem & ſibi, & omnibus ſuis; æquales autẽ ſunt amor naturalis, & iſta juſtitia, ergo etiam in comparatione amoris, hoc eſt in amando, præferre tenentur Deum ſibi, & omnibus ſuis. Proportionabiliter enim ſe habent obedientia ad obediendũ, & amor ad amandum. Ex his igitur manifeſtum eſſe tibi debet, quia proculdubiò naturali amore plus diligunt hujuſmodi ſubſtantiæ creatorem quàm ſeipſas & magis quærunt, ſeu inquirunt naturaliter ea, quæ creatoris ſunt, quàm ea quæ ſua ſunt, & quia iſte amor eſt velut ex lege, ſeu juſtitia naturalis gratitudinis, & patefactum eſt tibi, quia iſte amor eſt in creatorem, ut creatorem, & ut patrem & ut datorem omnium bonorum, & nutritorem & conſervatorem, & gubernatorem, & generaliter, ut univerſalem, & gratuitum benefactorem, & iſtum amorẽ vocamus, qui eſt prima ſpecies amoris, amorem debitum: iſte igitur amor eſt ſicut amor **C** gratitudinis, & debitus, & redditus. Secundus amor, ſive ſecunda ſpecies, quam ſupra ſecundò nominavimus, eſt amor venditus prætio ipſius amati, qualis eſt amor voluptatis divitiarum, & honorum, & aliorum omnium, quæ propter ſe ſolùm quæruntur. Tertius amor eſt deditus, ſeu donatus, & gratuitus, iſte enim fluit ex amore, qui eſt gratia, & non debitum qui eſt non vendens, ſed donans, nec venditus per quẽ non intenditur bonum amanti, ſed amato, in quo amans ſeipſum, & omnia ſua donat amato, cùm perfectus fuerit hujuſmodi amor, & de hoc, & de intentionibus ejus latius loquemur in ſequentibus. Scito autem, quia per hoc, quòd dicimus, Adam ex amore naturali ante peccatum, vel ſubſtantias Angelicas Deum dilexiſſe, vel diligere pluſquàm ſe, non cogimur, ut dicamus naturam aliquid poſſe ſupra ſe, vel contra ſe; non enim **D** contra naturam eſt, naturam facere quàm creator ipſam facere conſtituit, aut naturali lege præcepit, neque aliud eſt adeò pro natura, vel ſecundùm naturam, quàm quòd ipſa pro creatore facit; nec magis eſt ſupra naturam, naturam diligere aliud plus quàm ſe, quàm naturam aliud cognoſcere plus, vel melius quàm ſe, ſicut & anima humana multa novit meliùs quàm ſe viſu corporali. Fortaſſis autẽ neque naturalis juſtitia hoc patitur, ut hujuſmodi ſubſtantiæ diligant ſe naturaliter, niſi propter creatorem: ſi enim diligerent ſe propter ſe, abuterentur ſe, amore enim inhærerent ſibi propter ſe, quare fruerentur ſe non autem eſt fruendum, niſi beatâ & glorioſâ Trinitate, ſicut docet beatus Auguſtinus. Ampliùs. Cùm non ſint diligendæ, niſi quia bonæ, & inquantùm bonæ, & non ſint bonæ propter ſe; non enim ſunt ipſemet finis bonitatis ſuæ, aut cauſa alia illius, non ſunt ergo diligendæ propter ſe. Manifeſtum igitur eſt, quòd naturalis juſtitia non patitur, ut diligant ſe, niſi propter creatorẽ, cùm non ſint diligendæ naturaliter propter ſe, neque propter aliud à creatore, cùm aliud à creatore non poſſit eſſe finis bonitatis eorum. Si quis autem quærat, utrùm iſto amore amant, vel amaverunt Deum in eo, quòd Deus vel in eo, quòd bonus, jam reſpondimus in hoc, & diximus, quòd iſte amor non eſt abſolutè in Deum, in eo quòd Deus vel in eo, quòd bonus, ſed magis in eo, quòd Deus eorum, vel in eo quòd bonus in eis, neque cogimur dicere, quòd qui diligit benefactorẽ ſuũ, in eo, quòd benefactorẽ ſuũ vel etiã quia benefactorẽ ſuũ, quòd ideò diligat eum propter beneficia. & quòd ampliùs eſt, ſi dilectionis iſtius cauſa ſunt beneficia, non ſequitur propter hoc, ut diligantur beneficia; non enim omnis cauſa ex neceſſitate finalis eſt, ardet enim ignis per flatum, & per ligna, non autem propter flatum, aut propter ligna: ſic ardet ignis hujuſmodi dilectionis per ligna beneficiorum, & per flatum bonarum allocutionum, ſicut & per apprehenſiones pulchritudinis, & bonitatis amati, non autem propter hæc quemadmodùm interdùm ardet ſitis, & fames per odorem cibi vel potus, non autem propter odorem. Non autem quærit eſuriens, vel ſitiens in cibo, vel potu odorem finaliter, ſed per odorem potiùs quærit ſaporem, & refectionem in utroque. Beneficijs enim creatoris, quaſi quibuſdam odoribus ſẽtitur bonitas ipſius neceſſaria, & ſalutaris, & ideò illis, & per illa diligitur, non autem propter illa. Si quis autem quærat, utrùm circunſcriptis beneficijs, iſto amore amaretur creator? Reſpondemus, quòd non; circunſcriptis enim beneficijs non amaretur, ut benefactor, vel in eo quòd benefactor, quemadmodùm circunſcripto odore cibus & potus non appeterentur appetitu provocato per odorem. Si verò quærat, utrùm amaretur ſimpliciter creator in eo quòd bonus, amore naturali, vel alio? Reſpõdemus, quia ſi hoc poſſibile eſſet videlicet circumſcribi beneficia creatoris in creatura hujuſmodi, quòd adhuc amaretur ab illa creator in eo, quòd Deus vel in eo, quòd bonus, ſi apprehenderet divinitatem, aut bonitatem ipſius, & perverſitate corruptionis ſuæ non impediretur. Si quærat autẽ modum diligendi? Reſpondemus, quia gratis: & quia iſta dilectio eſſet gratuita, quoniàm abſque venalitate ulla, & nihil prorsùs habens negotiationis, quam ſupra expoſuimus, eſſet etiam recta, id eſt nec habens curvitatem, nec deflexionem, & iſta exponemus in ſequentibus, etiam eſſet gratia ab eo, quòd eſt gratis, & eſſet donum veri nominis, & amor datus puriſſimâ, ac ſinceriſſimâ datione. Veruntamen non eſſet gratia ullo modo, quæ media eſt inter naturam, & gloriam & arra ipſius gloriæ, ac prægustatio, quæ eſt nobiliſſimũ adjutorium naturæ ad diligendum Deum, & adhærendum eidem, & eſt incomparabiliter ſublimior ac præſtantior, quàm natura, & naturalis quæcunque diſpoſitio, quoniàm eſt elevans naturam, & rapiens eam ſupra ſe in creatorem, & elevans eam velut ab infimo greſſu ad ſublimem volatum, & hæc omnia ſtabiliemus in ſequentibus. Quòd ſi quis quærat, utrùm etiam iſto amore, qui utique naturalis eſt, diligatur Deus ſuper omnia alia? dicimus quòd ſic, & etiam ſuper ipſum diligentem; alioquin perverſa eſſet, & iniqua hujuſmodi dilectio, ſi ea pluſquàm Deus, vel etiam æqualiter illi aliquid diligeretur; neque conſequens eſt, ſi iſto amore diligatur Deus ſuper omnia & gratis, quòd iſte amor charitas ſit & gratuita illa dilectio, quæ gratos Deo, atque acceptabiles, atque regno

Naturales virtutes.

Obedientia & amor.

Nota.

Frui ad quid.

Exemplum.

Propter beneficia Deus non eſt diligẽdus.

Quæſtio.

Gratis amandus Deus.

Quæſtio.

Digitized by Google

regno cœlorum dignos facit: apparebit autem differentia inter eas, cùm patefecerimus, & ſtabilierimus eſſentiam illius. A Si quis autem quærat, utrùm etiam modò iſte modus naturalis dilectionis invenitur in hominibus, vel ſaltem in ſubſtantiis ſpoliatis. Reſpondemus, quia in hominibus propter perverſitatem, & depreſſionem originalis corruptionis, & difficillimum, & impoſſibile eſt ut inveniatur. Adeò enim recurvat humanam naturam in ſemetipſam, adeòque coanguſtat illam circa ſe, & ſua ut ita in creatorem & erigi, & extendi penè ei impoſſibile ſit, donec liberetur à ſervitute corruptionis iſtius; verùm in ſpoliatis ſubſtantiis, & ab iſtâ ſervitute & anguſtatione liberis, non dubitamus amorem hujuſmodi & eſſe, & abundare. Dubitabit autem aliquis, utrùm cùm creator diligitur in eo, quòd benefactor, aut in eo quòd creator, utrùm diligatur propter aliud? an diligatur gratis, licet per alia? B Et ſi quis dixerit, quia non diligitur gratis in iſtâ intentione, quia oculus intentionis dirigitur in beneficia, & hujuſmodi beneficia dilectionem hujuſmodi ſuaſiſſe videntur, forſitan non improbabiliter dicet: & ſi quis dixerit etiam, quia hujuſmodi amor non eſt purus, vel rectus, propter admixtionem beneficiorum, & recurvationem intentionis in propria commoda, benè dicet. Veruntamen diligenter diſtinguendum eſt, quid intendit propter ſe: multiplex enim eſt intentio ejus, quod eſt propter ſe; interdùm enim propter ſe dicit operæ pretium, ſive pretium operæ quemadmodùm cùm dicitur, voluntas diligitur propter ſe, quia ipſa eſt pretium dilectionis, & quia pro ea obtinenda datur, vel impenditur vel potiùs expenditur. Certum autem eſt, quia iſto amore Deus hoc modo propter ſe non diligitur, quia ad eum obtinendum iſto amore non intenditur. C Secunda intentione dicitur diligi propter ſe, hoc eſt ad commodum ipſius, ac ſi diceretur diligitur propter ſe, hoc eſt ipsâ dilectione bonum ei intenditur, vel quęritur, & hoc utique modo naturali dilectione. In eo etiam quòd benefactor diligitur propter ſe, quia naturali dilectione bonum ejus vel ei intenditur, quale quidem decet ei intendi, vel quęri: nullo modo autem diligitur Deus naturali dilectione propter ipſa beneficia; tunc enim magis diligerentur ipſa beneficia, & hoc eſſet iniquitas, atque perverſitas, videlicet, ut beneficia finis eſſent, ſive cauſa finalis dilectionis in eum; hoc enim eſt dicere, diligitur propter beneficia idest amore beneficiorum, quemadmodùm diligitur magiſter propter puerum, hoc eſt amore pueri, cujus magiſter eſt: & ſic in dilectione eſſet inferior, atque poſterior beneficiis ſuis, quemadmodùm magiſter, qui diligitur amore pueri, inferior eſt, atque poſterior in amore, vel dilectione. D Quæret autem aliquis, utrùm naturales virtutes in hujuſmodi ſubſtantiis frequentiâ operum, & longanimitate aut roboratione, quemadmodùm in nobis omnis virtus, & omnis potentia exercitio ſui moderato, & debito confortatur, roboratur, intenditur, invaleſcit; cur ergo & in ſublimibus ſubſtantiis, videlicet angelicis ſcientiis, & ſi quæ aliæ ſunt, non ſimiliter ſe habebit? Cùm enim non ceſſaverint à ſæculis agere, quæ juſtitiæ ſunt, & benignitatis, & etiam aliarum naturalium virtutum, nunquid tam longa aſſuefactio, & exercitatio non roborabit, aut non augebit, ſive intendet virtutes eorum hujuſmodi? Reſpondemus in hoc, quia ſubſtantiæ hujuſmodi nihil patiuntur à rebus, vel quas, vel in quas operantur; ſecùs autem eſt in animabus noſtris. Animæ enim noſtræ, & novas apprehenſiones, & novas affectiones in omnibus recipiunt, quæ de novo operantur; & ideò aſſuefactione, & exercitatione multipliciter proficiunt in virtutibus quas operantur. Subſtantiæ autem abſtractæ non ſic; omninò enim ſeorsùm ſunt à tumultibus paſſionum, & impreſſionum procedentium à rebus, quæ poſt ipſas ſunt, & propter hoc aſſuefactio, ſive exercitatio forſitan nihil eſt apud illas, quantùm in ipſis eſt. Continuæ namque operantur operationes, quas operantur apud ſe, & non tranſmutatur ſtatus earũ in aliquo ſecundùm tranſmutationem, quam operãtur in nobis, & apud nos: verbi gratia, operantur in nobis, & apud nos plerunque novas illuminationes, & novas revelationes & alias divinæ dignationis multiplices viſitationes, neque neceſſe eſt ullo modorum, ut propter hæc novæ paſſiones, aut impreſſiones fiant in eis. Quemadmodùm neque in ſole ex novis illuminationibus quas operatur, aut ex novis calefactionibus, ſeu quibuſcunque aliis operationibus ſuis, non eſt neceſſe novam aliquam generari paſſionem in ipſo; de his autem & ſimilibus acquiretur tibi certitudo in tractatu de hujuſmodi ſubſtantiis. Interim autem ſcito, quia totus profectus hujuſmodi ſubſtantiarum de ſublimi eſt, hoc eſt de influentia primi, & univerſalis fontis, & de irradiatione primi & univerſalis luminis, licet hujuſmodi profectui occaſionem det interdùm profectus noſter. Revelantur enim eis, ſeu aliquibus earum quædam occulta providentiæ Dei, quæ in nobis per eas eidem operari placet; quare occultum fuit myſterium Incarnationis filij Dei, & ſalutis mundi per eam, & alia hujuſmodi; & hoc eſt quod legitur ad Epheſ. 3. Ut innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, quod eſt dicere Eccleſiæ, ſive propter Eccleſiam. Utrùm autem, & aliter iſtud conveniat intelligi certificaberis in eodem tractatu: quòd autem dilectio grativa, ſeu gratuita quędam etiam naturalis ſit, manifeſtum eſt a ſenſu: nullus enim hominum tanta eſt malignâ perverſus corruptione, ut bonum non diligat, bonum dico hominem, cùm ei innotuerit, niſi fortè bonitatem ipſius noxiam ſibi ſuſpicatus fuerit, qui metus propriè, aut ſuperbiæ eſt, aut invidiæ, aut alterius ex hujuſmodi paſſionibus: ſimiliter cùm impium, & contumacem, & in alios graſſantem flagellari conſpiciunt homines, aut aliter puniri, generaliter adgaudent pœnis illius ex amore naturali juſtitiæ: & generaliter verum eſt, quod ait ſanctus & ſapiens Auguſtinus quia amor boni, & notio ejuſdem naturaliter nobis indita ſunt. Si quis verò quærat numerum virtutum naturalium. Reſpondemus, quòd idem eſt qui & bonitatum, & bonorum operum: meliùs autem & latiùs de eo determinabitur in ſequentibus. Quia ſi quærat, utrùm caſtitas corporalis ſit etiam virtus naturalis. Reſpondebit Ariſtoteles quia potiùs contra naturam eſt, vel quòd ipſa non eſt, niſi quædam temperantia concubitus, & medietas ejuſdem inter ſuperfluitatem, & indigentiam hoc eſt parùm, & nimiùm, vel quia ipſa non eſt, niſi conſuetudine inveterata continentia ab hujuſmodi voluptate: unde ad hanc devenit dementiam ut inſenſibiles ab hujuſmodi voluptate caſtos eſſe neget, cùm perfectio caſtitatis ultima, vel inſenſibilitas hujuſmodi voluptatis ſit, vel eam tandem inducat. Ultima enim perfectio virtutũ eſt, non ſolùm invictũ, aut invictibilẽ, ſive inexpugnabilẽ perficere operationib⁹, ſed etiã tãdẽ nõ impugnabilẽ, ſive inoppugnabilẽ. Hæc ergo hacten⁹ dixim⁹ de virtutibus cõſuetudinalib⁹, & naturalib⁹, & hoc ſparſim quęſtiones multiplices ſuſcitãtes, & exagitãtes, ut ſtudioſis paleſtrã quandã proponeremus ingenij, & diſputatoriæ exercitationis materiã, amore veritatis flagrãtibus, & ut occaſionẽ ampliora ſapiendi daremus ſapiẽtibus, ſequẽtes in parte iſta aliquatenùs philoſophorum rudimenta, & initialia, quibus etſi ad perfectũ non invenitur veritas ejus, tamẽ qualitercunque inventio adjuvatur.

Corruptio originalis magnum impedimẽtum eſt.

Quæſtio.

Propter ſe quid.

Nota.

Anima quomodò à ſubſtantijs abſtractis differant.

Similitudo.

Epheſ. 3.

Amor boni in nobis.

Quæſtio.

Contra Ariſtotelem.

CAPUT X.

Theologici nunc primùm incipit de virtutibus diſputare, & virtutes naturales comparat pedibus, & cæteris membris corporis humani. Conſuetudinales verò comparat adminiculis ipſorum membrorum deficientium forte, aut aliquo modo læſorum.

DEinceps igitur perſcrutabimur de virtutibus juxta theologicam ac ſapientialem altitudinem, palàm facientes, quàm longè fuerint, & adhuc ſint à veritate cognitionis eorum mundi ſapientes. *Virtutes naturales.* Dicemus igitur in primis, quia virtutes naturales ſic ſunt in animabus, ſicut pedes in hominibus, aut in aliis animalibus, & conſuetudinales ſicut lignei pedes, aut gradiendi adminicula, & etiam generaliter *Conſuetudinales.* naturales virtutes ad ſimilitudinem, & proportionem membrorum noſtrorum ſe habent in animabus noſtris. Conſuetudinales verò ad ſimilitudinem, & proportionem eorum adminiculorum, quæ nobis adhibemus propter defectum, vel læſionem membrorum noſtrorum, ſicut propter defectum pedis lignei, pedem, & propter defectum manuum interdùm uncos, ſive uncinos ferreos; ſic & propter defectum tibiarum baculos ſuſtentatorios, quos vulgò potentias vocant. Eodem modo ſe habet, & de aliis adminiculis, quæ læſio, vel defectus corporalium membrorum nos mendicare, nobiſque applicare compellit, & hoc eſt quoniàm vires ſic ſunt in animabus noſtris quadam ſimilitudine, ſicut membra noſtra in corporibus noſtris; quare læſiones earum ſic ſunt in eis, ſicut læſiones membrorum in *Nota.* ipſis membris; quare & adminicula contra illas læſiones ſic ſunt ſicut adminicula contra illas alias: læſiones autem virium naturalium in animabus noſtris ſunt ex originali peccato, & ex originali corruptione, quam ſtabiliemus in ſequentibus, quam *Philoſophi & poetæ non intellexerunt originalem corruptionem.* multi ex philoſophis ignoraverunt penitùs, multi verò ex illis, & ex poetis eam ſomniaſſe videri potuerunt, multi ex hæreticis intolerabili contumacia credere noluerunt. Quemadmodùm igitur deficientes membris aliquibus, aut læſi, ſive occaſionati in ipſis, coguntur quærere ſibi, aut adminicula fabricare, quibus defectus hujuſmodi, & læſiones utcunque ſuppleant, ſive ad gradiendum, ſive aliter operandum; ſic læſi, & occaſionati viribus noſtris naturalibus neceſſe habemus ad benè operandum, conquirere nobis adminicula conſuetudinalium virtutum, & ea nobis fabricare multo labore ac difficultate aſſuefactionum. Scito autem, quia ſicut ligneis pedibus, aut aliis gradiendi adminiculis, nunquàm rectè ambulatur, ita nunquàm conſuetudinalibus virtutibus adeò rectè, ut aliis ambulatur; & hoc eſt, quia læſiones naturalium, & occaſiones nunquàm per eas ad perfectum ſanantur; quare remanent pro parte etiam cum eis læſiones, & occaſiones hujuſmodi; & ſicut etiam prænotavimus, vel difficile, vel impoſſibile eſt omnes animarum noſtrarũ læſiones, & occaſiones hujuſmodi virtutibus adjuvari, propter multitudinem & temporis, & aſſuefactionis quam requirunt. Brevis autem eſt vita noſtra, & ad tot, & ad tantas aſſuefactiones non facilè perceptibilis, ut eas in tanta brevitate valeat obtinere. *Virtutes naturales ſunt organa operationum bonarum.* Jam ergo manifeſtum eſt tibi, quia virtutum naturalium cauſa efficiens, & dator ipſarum eſt creator immediatè, & per ſe, & quia ipſæ ſunt ſicut organa voluntariarum bonarum operationum, organa, dico perfecta, & nihil habentia læſionis, aut occaſionis, & quia ipſæ ſicut præmittimus decor animarum noſtrarum, & pulchritudo earum primaria, atque per-

E fectio fundamentalis, ſeu radicalis. Conſuetudinales verò, ſicut defectionum, & læſionum adjumenta quædam, & ſupplementa, verùm quæ nunquàm ad perfectionem naturalium deveniunt, neque in decore, neque in firmitate, & hoc eſt quoniàm magis *Nota.* decent unumquemque membra naturalia, quàm ſupplementa eorum, & firmiùs inhærent, & adhærent naturaliter indita unicuique, quàm advenientia, ſeu acquiſita; neceſſitas autem, qua ſtabiliuntur, neceſſitas eſt honeſtatis, & bonæ vitæ ad quam nos eſſe natos natura humana univerſaliter confitetur, atque teſtificatur.

CAPUT XI.

Oſtendit bona naturalia noſtra non ſufficere ad promerendam remunerationem æternæ fælicitatis ſicut hæ- F *reticis quibuſdam viſum eſt, ſcilicet Pelagianis, qui gratiam negabant eſſe neceſſariam. Auctor verò eam dicit adeò neceſſariam in vita præſenti, ut dicat animam virtutibus naturalibus, & conſuetudinalibus perfectam gloriæ ſuſceptibilem, & capacem non eſſe, atque ideò alias perfectiones requiri, quàm quæ ſunt ex virtutibus naturalibus, ac conſuetudinalibus.*

VTrùm autem aliæ virtutes ſint ſublimiores, atque nobiliores his, quas velut alas creator electis ſuis, & dilectis inſerit ad volandum in ſublime beatitudinis, & fœlicitatis æternæ, quod & nos poſuiſſe aliquandò meminimus, tentabimus deinceps perſcrutari: multis enim & præcipuè hæreticis viſum eſt ſola bona naturalia noſtra ſufficere poſſe nobis ad benè vivendum, ad dignè & laudabiliter creatori ſerviendum, & ad promerendum ab ipſo G remunerationem fœlicitatis æternæ. Et de hoc genere fuerunt Pelagiani hæretici, qui & gratiam eſſe *Pelagiani gratiam negaverunt.* negaverunt, & eam omninò non eſſe neceſſariam poſuerunt: fuerunt & alij qui inter naturales virtutes, & gratias nihil diſtare poſuerunt ſecundùm ſpeciem, ſive ſubſtantiam, ſed ſolummodò ſecundùm majus, & minus; neutri igitur iſtarum gratiarum eſſentias, aut utilitates, ſive neceſſitates, agnoverunt. Videtur autem pro illis facere, quòd inter naturam ſubſtantiarum abſtractarum, hoc eſt ſanctorum Angelorum, & gloriam ipſorum, non interceſſit medium ullum, ſed cùm eſſet perfecta eorum natura, & ab omni læſione, & occaſione immunis, ſuſceptibilis abſque medio gratiæ inventa & gloriæ. *Nota.* Cur igitur ſimiliter, & animæ humanæ ſolâ naturalium virtutum perfectione, abſque mediis gratiarum ſuſceptibiles non poſſunt eſſe gratiæ? quòd ſi dixerit, quia longiùs diſtant animæ humanæ à ſublimitate gloriæ ſuæ, quàm ſubſtan- H tiæ angelicæ, manifeſtum eſt iſtud non eſſe verum, cùm perfectibilitas earum naturalis educta fuerit in actũ ſuæ perfectionis. Tunc enim indubitàter perfectio, quæ naturalis eſt ſanctis Angelis, etiam ex ipsâ creatione ſuâ erit animabus humanis acquiſita: quare non erit tunc in propinquitate, & elongatione à gloria, & ad gloriam inter ſanctos Angelos; & ſic perfectas humanas animas differentia. Quia verò gratiam mediam inter naturam, & gloriam non ponimus, niſi propter neceſſitatem ſtatûs præſentis vitæ quoad Adam & Evam, quantùm ad ſtatum eorum ante peccatum, & propter præſentem miſeriam, quæ partim originalis corruptio eſt, & partim ex illâ oritur: intentio propoſiti præſentis eſt ſtabilire gratiam hujuſmodi, pro neceſſitate præſentis vitæ noſtræ, quam neceſſe eſt eſſe rectam, & acceptã creatori, & habere alias perfectiones, quas dicimus ex ſolis viribus naturalibus, atque cõſuetudinalibus,

Digitized by Google

Gratiæ neceſſitas in vita præſenti.

nalibus eſſe non poſſe. Scito etiam, quòd natura A mentis humanæ quantumcunque perfecta naturalibus, & conſuetudinalibus virtutibus, non eſt ſuſceptibilis gloriæ, quòd inde palam eſt: ſi enim ſtilla, immò id quod etiam nec ſtilla divinę largitatis dicendum eſt, mortem corporis inducit, quemadmodùm interdùm contingit in raptu, & extaſi Sanctorum, ſicut declarat beatus Auguſtinus, factum eſſe in raptu Pauli in libro 12. ſuper Geneſ. ad literam: quanto fortiùs non ſuſtinebit immenſitatem divinæ claritatis, cùm ſe nudam exhibuerit, & infuderit? quæ exhibitio & infuſio gloriæ eſt virtus noſtræ intellectivæ, & hoc eſt, quod legitur Exodi 33. Non videbit homo me, & vivet, quia claritatem divinæ viſionis vita humana qualis eſt hìc, non ſuſtinet. Simile eſt illud Job 26. Cùm vix parvam ſtillam ſermonis ejus audierimus, tonitruum magnitudinis ejus quis poterit intueri. Ampliùs. Manifeſtum eſt à ſenſu, quia etiam præ magnitudine, & vehementia uniuſcujuſque paſſionum ſpiritualium mors corporalis evenit facientibus, ſicut ex vehementia amoris, timoris, gaudii; manifeſtum autem eſt, quia corporale gaudium quantumcunque ſit ad torrentem voluptatis gloriæ, nec ut ſtilla eſt ad abiſſum vel fluvium: quare conſequens eſt ex neceſſitate, ut ſi corporale gaudium magnitudine ſua vitam præſentem extinguit, multò fortiùs torrens voluptatis gloriæ immenſitate ſua. Ex quo etiam declaratur tibi Adam & Evam in eo ſtatu perfectionis naturalium virium, & virtutum ſuarum, gloriæ ſuſceptibiles nullo modo fuiſſe donec ad vitam immortalem & impaſſibilem transferrentur licet vita eorum longè firmior atque ſolidior eſſet noſtra in eo ſtatu, & paſſionibus longè minus obnoxia. Ex hoc etiam manifeſtum eſſe tibi debet paradiſum carnalem, qualem Macometi perfidia ſomniavit, eſſe non poſſe cum paradiſo ſpirituali; non autem declarabimus, quia nec etiam per ſe, nec nomen paradiſi hujuſmodi ſpurcitiæ ſi poſſibilis eſſet, aliter ei conveniret, quàm ſterquilinio, & volutabro paradiſum eſſe porcorum: nulla enim immunditia comparabilis illi paradiſo cogitari poteſt. Revertamur autem ad id in quo eramus, & dicamus, quia gratiam intelligimus hìc, divinæ largitionis adjutorium ad operandum quæ bona ſunt, & beneplacita creatori, & digna remuneratione ipſius, quæ eſt merces æternæ fœlicitatis: iterùm ad certandū contra ſe, & contra omnia quæ impugnant impugnatione ſpirituali, & iterùm ad vincendum ſe, & omnia quæ impugnant prædicta impugnatione; & iterùm ad tenendum, continendum, & retinendum ſe, ad frenandum, ligandum, domandum, ſubjiciendum ſe, perfecta domatione; & iterùm ad conſervandum ſe invulneratum, & illæſum omninò in medio gladiorum, jaculorum, ſagittarum, omniumque armorum hoſtilium undique percutientium & mortem ſpiritualem intentantium; ſimiliter in medio flammarum & in medio fornacis Babilonicæ, non ſolùm abſque uſtione, ſed etiam calefactione omninò frigidum, in vinculis, & compedibus, & carcere ſolutum, & ut paucis dicamus in ſervitute liberum, in ipſa cloaca immunditiæ mundiſſimum. Sunt & alia ſimilia multa in ærumnoſitate vitæ iſtius, propter quod dicta eſt vita iſta militia, & tentatio. Job 7. Accipiemus igitur à ſenſu ſuppoſitiones, quemadmodùm in omni facultate philoſophantibus conceſſum eſt, quas non eſt neceſſe ſingulorum ſenſibus eſſe manifeſtas. Quemadmodùm & aſtrologi à ſenſu acceperunt revolutionem ſtellarum omnium atque cœli ſtellati, nec ipſæ manifeſtæ ſunt ſingulorum ſenſibus, quia nec ſinguli ſenſus ſuos ad eas cognoſcendas exhibuerunt: ſimiliter, quòd non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem communis, ſed

Auguſt.

Exod. 33.

Iob. 26.

Nota.

Paradiſus Macometi.

Gratia quid.

Vita hominis militia quædam.

adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Innumerabiles autem viri ſancti, & mulieres ſanctæ, ipſo ſenſu cognoverunt dæmones contra ipſos impugnare omni genere impugnationis, hoc eſt & per blanda, & aſpera: quemadmodùm & ipſe Apoſtolus de ſeipſo locutus eſt in 12. ſecundæ ad Corinth. Et ne inquit magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi angelus Satanæ, qui me colaphiſet. Senſu experientiæ innotuit iſtud primis parentibus, quos & ſpoliaverunt, & vulneraverunt graviter in naturalibus, & à paradiſi terreſtris gaudiis, & fœlicitate expulerunt, ſicut legitur Geneſ. 3. Cognovit iſtud & Job ſimili experientia ſenſus, quem ad maledicendum Deo tantis impugnationibus, & aſtutia etiam Satan inducere B conatus eſt, ſicut legitur Job nono. Ipſe etiam Chriſtus dominus, ejuſdem fraudis conatu, in ſemetipſo eſt ab ipſo multipliciter tractatus, ſicut legitur Matthæi quarto, & Marci primo, & Lucæ quarto. Et pervenit iſta experientia uſque ad tempora noſtra, qui conquerentes de hujuſmodi tentationibus multos audivimus varias flagellationes, quas ab ipſis dæmonibus patiebantur miſerabiliter referentes, & à nobis ſuper his conſilium requirentes. Sed & viros ſanctos, atque ſacerdotes audivimus pro hujuſmodi tentatis, & afflictis viros ſanctos, & ſapientes & Epiſcopos conſulentes, innumera etiam hujuſmodi tentamenta relicta ſunt nobis in ſcriptis ſanctorum. Sicut igitur licuit Ptolemæo ſupponere ea quæ expertus eſt ante eum Ambrachius in rebus aſtronomicis, & eis qui fuerunt poſt Ptolemæum, eaque Ptolemæus conſiderationibus ſuis deprehendit & de ſtellis, & de luminaribus; ſic licere nobis debet ea ſupponere, quæ nobis tantorum tam veneranda in ſcriptis ſuis reliquit antiquitas, & quæ noſipſi propria experientia cognovimus, & etiam quæ ſinguli in ſemetipſis, aut in aliis experiri poſſunt, ſi ſenſus ſui diligentiam ad hæc voluerint adhibere; neque enim fas eſt, aut ullo modo conveniens, ut veritas ſalutaris quam de medio ipſarum contradictionum eripere, & vindicare intendimus, deterioris conditionis ſit, quàm veritas illa cujus inveſtigatio plus habet laboris, quàm fructus. Hoc ergo ſuppoſito, videlicet, quia bellum agendum eſt nobis contra hujuſmodi poteſtates, & victoria facienda, ſed adhuc alio quod per ſe manifeſtum eſt, videlicet quia fortiores longè, & aſtutiores nobis ſunt, manifeſtè conſequēs eſt, neceſſarium eſſe nobis præter vires noſtras, atque prudentiam adjutorium, quod non niſi divinæ gratiæ manifeſtum eſt eſſe donum. Nos autem nominabimus tibi, & numerabimus iſta adjutoria, ex quibus unum illud eſt bellandi, ſcilicet peritia, quod cognoſcebat David, cùm diceret, Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad præliū, & digitos meos ad bellum; propter hoc dictum eſt illud Proverbiorum 24. Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus, & validus ſimiliter & illud Sapientiæ octavo. Timebunt me Reges horrendi &, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Quemadmodùm enim ſpeculatio, & exploratio adjutoria magna ſunt bellantium, ſimiliter & reliqua bellandi peritia, ſic & prudentia hæc qua cognoſcuntur inſidiæ, aſtutiæ, nec non & vires prænominatorum hoſtium, magna ſunt adjutoria ſpiritualibus. Secundum adjutorium eſt ipſorum hoſtium impugnatio, quam miſericors Deus per ſeipſum interdùm facit, pugnans pro bellatoribus ſuis ſicut legitur Exodi decimoquarto. Fugiamus Iſraelem, dominus Deus pugnat pro eo. Et ejuſdem decimoquinto. Dominus quaſi vir pugnator. Iſtud adjutorium agnoſcebat David quandò dicebat ad eum, Apprehende arma &

Tentationes diaboli flagellationeſque.

Ptolemæus.

Bellum gerendum contra poteſtates.

Adjutoria Dei.

ſcutum, & exurge in adjutorium mihi. Tertium autem adjutorium eſt hoſtium reſtenatio, ſive religatio, qua omnipotentis Dei miſericordia tenet hoſtes hujuſmodi ligatos, ne pugnent contra nos, quantùm vellent ſicut apparuit in Job ad quem tentandũ Satan à Deo ſibi dati petiit poteſtatem dicens: Extende manum tuam in Job. Et in pſalmo, Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi, eſcam ſcilicet animarum noſtrarum, quarum mortem eſuriunt & ſitiunt, quærant, in qua relaxatione ligatæ ſunt poteſtates ſuæ. Non enim immittit Deus animas noſtras in fauces eorum, ſed ſolummodò permittit eos tentare nos, vel pugnare contra nos; propter hoc dicit Apoſtolus in decimo. 2. ad Corinth. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Quartum adjutorium eſt conſolatio, ſive confortatio, quæ quantum adjutorium ſit ex contrario ipſius apparet, videlicet puſillanimitate, atque defectione animi, quo nihil magis dejicit præliantes, nihil turpiùs eos victos efficit, quoniàm etiam ſine vulnere, & ſine ictu eos terga dare hoſtibus, & fugere compellit. Quintum adjutorium eſt protectio, & iſta protectio ſimilis eſt ei, qua protecti ſunt tres pueri in fornace Babylonica, & ſervati illæſi in medio ignis quam promittit Deus in electis, Iſaïæ decimoſeptimo. Cùm tranſieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te; cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non comburet te, &c. De hac protectione legitur Sapientiæ quinto. Dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos. Quis enim dubitet Deum mirificè operari in quibuſdam ſanctis ſuis, immò in omnibus adultæ ætatis. Omnia enim concupiſcibilia mundi ignis ſunt ad inflammanda corda hominum; corda autem electorum in medio tantorum ignium frigida ſunt ab incendio concupiſcentiarum, & hoc ſola divina protectione, & non minori miraculo, quàm tres illi pueri in fornace Babylonica corporaliter ſervati ſunt illæſi. Sextum adjutorium divinæ gratiæ virtus eſt mirabilis, inſtar virtutis, quæ Sanſoni data fuiſſe dicitur ſuper alios homines, Judicum 14. 15. & 16. Sicut enim virtus illa corporalis admiranda erat alienigenis in Sanſone, & ſimilis in hominibus non inveniebatur naturaliter; ſic & mirabiles fortitudines ſemper inventæ ſunt in Sanctis, qualis fuit fortitudo Moyſi jejunando, & Heliæ, & ſimiles fortitudines ad patiendum, & ad agendum inventæ ſunt in Martyribus & Confeſſoribus, & eas etiam quotidiè experimur in aliis Sanctis. Quis enim non miretur vigilias? orationum inſtantias? pſalmodiarum labores? cæterarumque ſacrarum exercitationum virtutes in viris ſanctis? & quis eas naturæ attribuere audeat? cùm univerſalis natura hominum eas naturalibus ſublimiores miretur. Septimum adjutorium divinę gratiæ in bellantibus armatura, qualem armaturam diximus aliquandò patientiam, quæ contra omnia tela inimici ignea, invulnerabilia cuſtodit corda ſanctorum; ſic & gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, adeò armantur ſancti viri aliqui, ut ſtragem hoſtium ſpiritualium ubicunque illum adduxerint fugere faciat, ſicut legitur de Helia Eccleſiaſtici 48. Surrexit Helias propheta, quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat; propter hoc dicitur & gladius in labiis eorum in pſalmo, ubi alia litera habet & mors in labiis eorum. In quorumdam autem labiis verbum Dei non eſt gladius, neque mors mortis, ſed eſt quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulcique ſono canitur. ſicut dicit dominus Ezechielis 33. Non enim ſe in prædicando gerunt, ut pugnantes in gladio, nec per verbum Dei mortem hoſtibus intentantes, ſed magis joculatorem, aut hiſtrionicam geſticulationem, vel muſicam exercentes.

Iob.

Puſillanimitas.

Nota.

Nota.

Gladius ſpiritualis.

E Hæc igitur ſunt ſeptem adjutoria neceſſaria bellantibus, & ſub uno eorum comprehendimus Angelorum cuſtodiam, atque præſidium, quam ſepem, vel maceriam vocat dominus Iſaïæ quinto dicens. Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem: non enim dubitandum eſt ſanctos Angelos dæmones compeſcere; arcere, religare, ne noceant hominibus quantùm vellent, ſicut legitur Thobiæ ſeptimo. Quia Raphael apprehendit dęmonium nomine Aſmodeum, & religavit eum in deſerto ſuperioris Ægypti. Quoniàm autem manifeſtum eſt omnem principem, & omnem Ducem exercitui bellatorum ſuorum, juxta vires & facultates ſuas, & indigentiam ipſorum proportionalia providere; alioquin iniquè, & prodiriosè cum eo ageret, gladio hoſtium eos exponeret, atque in propriam ignominiam, & perniciem, utpotè imparatos eos ad bellum mitteret: neceſſe eſt F regem regum exercitui ſuo omnia adjumenta quæ nominavimus & numeravimus, præſtare, quoniàm indigentia hujuſmodi adjutoriorum manifeſta eſt in toto exercitu Sanctorum, & facultas talia præſtandi apud ipſum. Quare manifeſtum eſt ex his, Dei gratiam hominibus Dei bellatoribus eſſe neceſſariam in tantis ſpiritualium bellorum diſcriminibus, & ad faciendum victoriam ſicut diximus adjutricem manifeſtum etiam eſt iſtam gratiã ſupra naturam eſſe. Hoc autem lucidiùs faciemus, ſi miſeriam, & infirmitatem humanarum animarum patefaciemus quæ quidem aſſenſu in unoquoque facilè accipi poteſt. Manifeſtum enim eſt omni gladio, & igni ſpirituali, velut inermem, & aridam expoſitã eſſe animam humanam in ſtatu vitæ præſentis; ariditatis enim judicium certiſſimum eſt facilitas arſionis quam ad obviationem ignis, vel tactum ſtatim ardeſcere, & niſi occurratur ſtatim, totaliter exuri, nulla eſt quæ hæc in ſeipſa experiri non poſſit: ſtatim enim ut concupiſcibile obviat ei per cogitationem, G & tangit eam per ſenſum, ardeſcit deſiderio, ſeu concupiſcentia illius; & niſi occurratur, tota ſtatim abit in flammas, & exuritur ardore libidinis. Idem concupiſcibile etiam gladius eſt unus amoris mortiferi, ſtatim ut cor humanum tetigerit infringens, ipſumque tranſverberans, ex qua facilitate ſcilicet tranſverberationis apparet inermitas ab armatura ſcilicet protectionis: quia igitur ſine prænominatis adjutoriis inceſſanter hujuſmodi arſiones, ac vulnerationes patiuntur animæ humanæ; manifeſtum eſt eas aridas hujuſmodi ignibus, & inermes hujuſmodi gladiis expoſitas eſſe; manifeſtum etiam eſt per ſe, eas verſari in medio hujuſmodi ignium, & in medio hujuſmodi gladiorum: ſic igne & gladio omnia moleſta manifeſtum eſt eſſe, verbi gratia, ignominias, injurias, moleſtias, ſive tormenta, omnia iſta ira, & H odio exurunt animas, & vulnera doloris infligunt eiſdem. Ampliùs Et omnia concupiſcibilia laquei ſunt ad irretiendas eas, & carceres ad detinendum; in omni enim malè amato captiva, & ligata retinetur anima amantis: ſunt & aliæ innumerabiles miſeriæ quibus expoſitæ ſunt animæ humanæ in ſtatu præſentis miſeriæ, à quibus naturalibus viribus ſuis ſeſe defendere non prævalent. Quia igitur non minus miraculum eſt, neque minoris virtutis, animam humanam in medio ignis ſpiritualis illæſam permanere, quàm corpus in medio ignis corporalis; & nullo modo eſt virtutis naturalis corpus combuſtibile in medio ignis, atque flammarum illæſum permanere; manifeſtum eſt nullo modo eſſe virtutis naturalis, animam humanam in medio hujuſmodi ignis, atque flammarum illæſam ſervari, quare neceſſe eſt hoc eſſe ſublimioris, atque nobilioris. Eſt igitur vel ex divina natura protegere, ut dixim⁹ per ſem-

Maceria.

Gratiæ neceſſitas

Simile.

Nota.

Miſeria animarum noſtrarum.

Digitized by Google

A ipſam, vel ex divinæ virtutis adjutorio naturalibus ad eorum conſervationem, & defenſionem à divina bonitate gratuito dato. Quòd ſi dixerit quis, quia nõ eſt neceſſe animabus noſtris aliquid melius, quàm ut naturalia eorum bona ſint, ſed ſufficiunt naturalia earum bona, hoc eſt vires tantùm mundari, atque ſanari. Solâ enim munditiâ, & ſanitate naturalium tueri ſe poſſunt animæ noſtræ ab hujuſmodi periculis. Reſpondemus quia in Adam & Eva, & in Angelis, qui ceciderunt, mundiſſima, atque fortiſſima fuerunt naturalia, nec tamen munditia illa, & ſanitate defenſi, & conſervati ſunt. Reſpondemus ad illud quia quantacunque eſſet munditia, & ſanitas naturalium bonarum animarum noſtrarum, tamen ex immunditia, & corruptione corporum noſtrorũ & inquinarentur, & infirmarentur: certum enim eſt quia mundiſſimæ creantur animæ noſtræ atque ſanctiſſimæ, tamen conjunctione corporum corrumpuntur, & infirmantur, ut diximus. Ampliùs. Si cor- B pori febricitanti, ideſt febri levem in ſe diſtemperãtiam habenti, conjungatur anima quantumcunque ſana in naturalibus viribus ſuis, nunquid non ſentiet febriles æſtus, & ardores, atque tremores? Similiter & inſipiditatem, atque amaritudinem oris? & eodem modo neceſſe eſt, ut & alia ſenſibilia, ſive delectabilia ſint, ſive triſtia, ſimiliter ſe habeant. Quare neceſſe eſt, ut infirmetur juxta infirmitatem corporis, & corrumpatur juxta corruptionem ipſius, quantùm ad inferiores vires ſuas; & hoc eſt, quoniam non ſolùm corpori conjuncta eſt ſecũdùm illas, ſed etiam pœnæ conjuncta, ita ut quicquid paſſionis ſit in corpore, & in ipſa ſecundùm aliquã dictarum virium quodammodò fiat. Quare jam declaratum eſt tibi per hæc, quia non poteſt ſtare ſanitas, & munditia bonorum naturalium in animabus noſtris per ſe cum corruptione, & immunditia in qua corpora noſtra ſunt in ſtatu miſeriæ præſentis, C tanta enim eſt conjunctio, immò ſocietas, & unio animarum noſtrarum, & corporum, ut neceſſariò corruptionem, & infirmitatem corporum ſequatur corruptio, & infirmitas animarum. Ampliùs. Sicut oculus ad virtutem viſibilem, & pes ad greſſibilem, ſic totum corpus ad totam animam: ſicut igitur turbatus aut obſcuratus oculus, aut aliter occaſionatus, turbat, & impedit operationem virtutis viſibilis, & pes obligatus, aut curvatus operationem virtutis greſſibilis, detorquens ea, atque deturpans in claudicationem; ſic neceſſariò totum corpus quolibet modo læſum, aut impeditum in parte læſionis & impedimenti ſui lædet, & impediet operationes animæ totius; & hoc generale eſt in organis tam naturalibus, quam artificialibus, quemadmodùm in cithara, vel nervis diminuta, vel ineptè tenſa, impe- D ditur operatio citharizationis per hæc. Et ad hunc modum ſe habet de aliis; quia igitur læſum & corruptum eſt corpus humanum in interioribus, immò in intimis ſuis, neceſſariò lædit & corrumpit operationes animarum noſtrarum intimas, quæ in ipſo & per ipſum ſunt. Amplius. Si humor corruptus licet naturaliter corrũpit, atque pervertit vim guſtabilem & appetitivam exteriorem, hoc eſt corporalẽ; quantò fortiùs ſubſtantia cordis naturalis, & intima corrũpet, & perverter palatũ cordis, & vim appetitivã interiorem? Quæ utique corruptio atque perverſitas ſenſu manifeſta ſunt: dum tam generaliter nobis, & bona malè ſapiunt, & mala benè, malaque appetimus, & bona declinamus: quod enim eſt dulce, & amarum ad palatum corporis, hoc eſt bonum & malum ad palatum cordis; bonitas enim, & malitia ſapores ſpiritualium rerum ſunt, unde rectè, & veri nominis ſapiens eſt, atque ſpirituali guſtu ſano præditus, cui res ſapiunt prout ſunt, hoc eſt bonę

Naturalia bona non ſufficere.

Anima à corporibus corrũpuntur.

Unio animarũ cum corporibus

Similitudo bona.

Similitudo.

A benè, & malæ malè. Ampliùs. Natura animarum noſtrarum non eſt per ſe abſtrahens ſemetipſam à corruptione, & perverſitate corporum noſtrorum, neque eſt per ſemetipſam potens vincere illam, immò trahitur ad ipſam, & vincitur, & cum illa involvitur: hujuſmodi autem exemplum convenientiſſimum & inditium certiſſimum eſt in medico peritiſſimo febricitante. Cùm enim invaluerit in eos ſitis potus noxii, aut appetitus alterius quod ſanitati ejus nocere debeat, & ægritudinem augere, nec peritia ſua, nec amor ſalutis, ſive ſanitatis propriæ abſtrahunt eum ab appetitu perverſo, immò obtenebratur ejus peritia, & amor ſanitatis abſorbetur in eo, abitque totus ipſe in deſiderium hujuſmodi, nõ curans vitæ ſuæ periculum. Vides ergo, quia iſta corruptio, & perverſitas corporalis appetitus totam animam illam medici cum omnibus bonis ſuis vincit, & trahit poſt ſe captivam in periculum mortis B corporalis, nec poteſt ei reſiſtere magna medicinalis artis peritia, neque magnum ſalutis deſiderium. Simile eſt prorsùs in paſſionibus ſpiritualibus, quales ſunt appetitus voluptatis carnalis, & alia perverſa deſideria, quæ cùm inarſerint, nec amor naturalis honeſtatis, neque literarũ quãtacũq; quãtacũq prudentia ſufficit illa extinguere, & vincere, & animã humanam ab eis defendere. Fortaſſis autem in initijs eorum cùm adhuc debilia eſſent, & quaſi ſcintillæ tantùm, potens eſt ſuper ea anima ex naturalibus bonis ſuis, cùm autem in flammas, & incendia jam creverint, inſtar furoris, & inſaniæ, inſtarque rabiei beſtialis, atque tempeſtatis vehementis, captivam animam in omne periculum rapiunt. Quod vidiſſe videtur poeta, qui dixit. Serò medicina paratur, cùm mala per longas invaluere moras. Qui utique non niſi de medicina naturali locutus eſt, quia nec aliam docebat contra morbum hujuſmodi C amoris; omnia enim illa remedia natura excogitavit. Quòd ſi dixerit quis, quia ſufficit unicuique libera voluntas ad reſiſtendum hujuſmodi incendijs, cùm nemo peccet, vel peccare poſſit, niſi voluntariè, & nemo poſſit quicquam mali agere omninò invitus, quare ſi non vult ſuperari, non ſuperabitur, & ſi non vult ſuccumbere, non ſuccumbet, ita ut nõ vult intelligatur quaſi dictio una ab eo, quod eſt nolle, non ab eo quod eſt non velle. Reſpondemus, quia reverà ſi vult quis vincere quamcunque tentationem, vincit eam vult inquam, præcisè & abſolutè non dicimus ſi vellet, verùm hoc modo volendi non poteſt velle ex ſe, ideſt ex naturalibus bonis ſuis anima humana omni hora, quoniàm in illa hora qua concupiſcibilia vel triſtabilia penetraverint ad ipſam, non poteſt ſe ſervare illæſam, & invulnera- D tam, ſicut neque lignum aridum in medio incendij, nec etiam lignum viride virere vel florere, vel frondere poteſt in hujuſmodi ſtatu: eſt enim adeò alligata corruptioni corporis, ut cùm illa adjuta fuerit à foris concupiſcibilibus, aut triſtabilibus ſequi eam per ſe neceſſe habet. De hoc autem jam diximus in præcedentibus, & perſcrutatiùs dicemus in ſequentibus, videlicet in tractatu de tentationibus, & reſiſtentijs. Revertamur ergo ad id in quo eramus, & dicamus, quia natura humana ad ea quæ poſt ipſam ſunt, videlicet ad ea, quæ carnis & mundi ſunt non patitur defectum in cognitione, vel cognitionis certitudine, ſive bona ſive mala ſint, & etiam ad illa eſt perfectè ſenſibilis: verbi gratia, ad ignem & aquam, ad gladios, & tormenta, & vincula, & carceres, ad fœlicitates, & deformitates, ad vulnera, & mortem ad omnia alia ſimilia mala, & corporalia, & certiſſimam habet cognitionem, & ſenſus infallibiles: ſimiliter & ad horum contraria; ad ſpiritualia verò bona, & mala prænominatis

Nota.

Ovidius.

Nota.

Digitized by Google

ſimilia, nec certitudinem habet cognitionis, nec ſenſum, unde abſque dolore irruit in gladios, & ignes ſpirituales, & in mortem ſpiritualem, quæ eſt ſeparatio animæ à Deo. Ponamus ergo ſimilem illam habere perfectionem ad ſpiritualia, quam habet ad carnalia: erunt igitur in ea æquales ſpiritualitas, atque carnalitas; quare neutra vincet alteram tunc: ſi igitur altera minoretur in infinitum, remanebit altera in infinitum ea fortior: ita autem eſt in ſtatu miſeriæ iſtius, quòd ſpiritualitas & ſenſu, & certitudine penè nulla eſt in animabus noſtris. Cùm enim Deus ſit fons omnium ſuavitatum, omninò inſuavis eſt animabus noſtris, & neque honorem, neque ſaporem ſuavitatis ejus ſentimus, placorem, atque ſuavitatem virtutum penè omninò non percipimus, mortem peccati, & peccatorum vulnera non ſolùm non ſentimus eſſe mortem ſed etiam in eis inſaniſſimè delectamur. Deinde quis videt mundum iſtum mare eſſe ſpirituale ad immergendas, & enecandas animas noſtras, videt in quam adeò clara viſione, ut videtur mare viſibile, ad immergenda opera; ſimiliter & maris hujus ſpiritualis ſpiritualia pericula, videlicet ſyrtes, ſyrenas, ſcillam, carybdim, tempeſtates & alia pericula ſpiritualia, quis ſimili viſione ſpirituali videt ei viſioni, qua corporalia ſimilia pericula? Ex his igitur, & multis alijs, quæ facilè aggregare potes manifeſtum eſt tibi ſpirituale noſtrum, hoc eſt quod in nobis eſt ſuperius, atque nobiliùs, in infinitum depreſſum eſſe, & debiliùs factum eſſe, quàm ſit id, quod in nobis inferiùs, videlicet carnale noſtrum. Neceſſe autem eſt, ut ſpirituale noſtrũ vincat & ſuperet carnale noſtrum, & ut ſpiritualitas prævaleat in nobis contra carnalitatem noſtram; neceſſe igitur eſt nobis dari ad hoc adjutorium, quod ſufficiat ſpirituale noſtrum defendere, ſervare & carnale noſtrum ſubjicere, calcare, jugiterque mortificare, & hoc eſt quod nos vocamus gratiam, videlicet gratuitum creatoris donum, quod naturalibus noſtris apponitur, ut per ipſum ſpiritualitas animalitatem noſtram vincat, & ſuperet, captivet, atque mortificet; vides igitur neceſſitatem, quæ cogit nos ponere gratiam. Ampliùs. Jam declaravimus quia vis apprehenſiva noſtra, ad hoc ut religioſa, & Deo accepta ſit, indiget cognitione ſublimiori atq; nobiliori, quàm ſit naturalis ejuſdẽ cognitio, vel quæcũque alia ideò acquiſita naturaliter. Non autem minus debitrix eſt religioſitatis vis motiva noſtra nobilis, quàm apprehenſiva illa; quare ad hoc ut religioſa ſit, & Deo accepta, neceſſaria eſt ei affectio ſublimior, atque nobilior, quàm ſit ejus quæcunque affectio naturalis, quæ non ſit, aut gratiæ, aut gloriæ: affectionum verò gloriæ non eſt capax aut ſuſceptibilis anima humana in ſtatu iſto, ut jam declaravimus; quare non neceſſaria eſt ei in ſtatu iſto affectio gloriæ: affectio autem gratiæ in ſtatu iſto neceſſaria eſt. Ampliùs. Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut dicit Apoſtolus in quinto ad Galatas. Aut igitur æquè fortes ſunt, aut alterum fortius; quia ſi æquè fortes, cur igitur tam rara eſt victoria ſpiritus contra carnem, & tam crebra carnis contra ſpiritum; pares enim deberent eſſe victoriæ & numero, & magnitudine, cùm habeant cauſas pares: ſi verò caro fortior eſt, indiget igitur ſpiritus adjutorio contra illam; minus enim fortis fortiorem vincere non poteſt per ſe, & hoc eſt adjutorium quod quærimus. Quòd ſi dixerit, quia Deus adjutor ſit præliantium, virtute ſua præſtans eis victoriam, abſque eo quod aliquid novum apponat animabus eorum, quemadmodùm quandò pugnabat pro filijs Iſrael, virtute ſua dejiciens Aegyptios,

Mors ſpiritualis.

Gratia.

Nota.

Caro concupiſcit adversùs ſpiritum.

E aut alios hoſtes filiorum Iſrael, iſte in primis deſtruit victoriam præliantibus hujuſmodi: non enim vincit, qui virtute ſua non vincit, cùm enim ab alio occiditur adverſarius, alio inquam cujus virtus ipſius non eſt, quod dicimus propter Reges, qui vincere dicuntur, cùm exercitus eorũ vincunt, licet ipſi perſonaliter non pugnent quoniàm virtus eorum, virtus exercitus eſt quodammodò; poteſtas enim regia exercitus eſt. Ampliùs. Nomine regis, & auctoritate pugnatur ab exercitu ſuo, quare ipſe illo tropo, & genere loquendi pugnat, quare & expugnat. Si quis autem amore alicujus occiderit hoſtẽ ipſius, vel vicerit alter non propter hoc idem vel occidiſſe hoſtem, vel viciſſe dicendus eſt: manifeſtum igitur eſt, quia qui ſic dicit, deſtruit victoriã, quare deſtruit & coronam. Ampliùs. Deſtruit virtutem omnem & bonitatem in electis; cùm enim non poſſit aliquis ſecundùm eum per aliquod, quod in ipſo ſit vincere luxuriam in ſe, non poteſt ergo F habere caſtitatẽ, cùm caſtitas, ſi quid eſt, aut eſſe poteſt, virtus ſit & bonitas, per quam reſiſtitur luxuriæ, & vincitur ejus malitia: & ad hunc modum ſe habet de alijs. Ampliùs. Deſtruit & merita, & opera bona quia vel omninò non ſunt neceſſaria opera bona ſecundùm errorem ipſius, Deo per ſemetipſum, & propria virtute operante reſiſtentiam, & deſtructionem vitiorum, & ſimiliter ob eandem rationem alia bona; quare ex neutra parte erunt merita, videlicet nec ex reſiſtentia, vel mortificatione vitiorum, nec in affectione aliorum bonorum, quia non minus attribuenda eſt Deo affectio bonorum, quàm declinatio malorum. Ampliùs. Quale ſervitium debeat vis noſtra apprehenſiva nobilis creatori, in alio tractatu jam declaravimus, in capitulo, ſcilicet de fide, & hoc eſt illud, videlicet credere ei ſupra ſe & contra ſe. Quia igitur non minus bonus G eſt creator, quàm verus, vel verax, & hujuſmodi ſervitium debetur ei ratione ſuæ veritatis, debebitur ei ſimile ſervitium à virtute noſtra motiva nobili ratione ſuæ bonitatis. Quòd ſi dixerit quis, quia non debetur ei primum illud ſervitium ratione ſuæ veritatis, aut veracitatis, ſed ratione ſuæ dominationis, quia ſcilicet dominus eſt, & jubet, ut ei ſic credatur, verum utique dicit, ſed eodem modo jubet, ut ſic diligatur, videlicet ut ſupra omnia & cõtra omnia, & gratis diligatur; quia ſi illud eſt ſuper vires virtutis intellectivæ, & poſſe ipſius & donum deſuper ei adveniens, erit ex hoc ſupra poſſe virtutis motivæ, & donum deſuper adveniens, non enim potentiorem fecit Deus virtutem illam apprehenſivam ad cognoſcendum quolibet modo, quàm iſtam motivam ad diligendum, H neque econversò; quare neceſſarium eſt donum gratuitum divinæ bonitatis virtuti noſtræ motivæ nobili. Ampliùs. Ibidem diximus & declaravimus, quia diligere bonum inquantùm bonum vel quia bonum, non eſt ſimpliciter virtuoſum, neque gratiam habens aut meritum; eſt enim hujuſmodi dilectio ſuaſa aliena bonitate, vel attracta beneficijs, ſicut & dilectio amicorum, & beneficiorum; quare nihil habet laudis aut gratiæ juxta teſtimonia veritatis in Evangelio: diligere autem malum aut adverſarium hoc eſt virtutis, & gratiæ diligentis, & per eaſdem vias generaliter eſt declarare & ſtabilire dilectionem virtuoſam, ſive virtutem, per quas ſtabilivimus, & declaravimus fidem, virtutem. Sicut enim non ſua virtute credit aliquis qui probabilitate ipſius ſuaſus, aut evidentia veritatis illius, vel neceſſitate ſyllogiſtica impulſus credit illud, & non ſua luce, ut ita dicamus, videlicet in parte iſta, ſed aliena, videlicet quam vel probabilitas inducit, aut evidentia veritatis illius emittit, aut neceſſitas demonſtrationis

Virtute aliena non vincimus.

Nota. Deus ſupra omnia & gratis diligendus

Diligere bonum inquantùm bonũ non eſt virtutis

Digitized by Google

monſtrationis impingit, atque infigit: ſic nec ſua virtute, nec ſua bonitate diligit aliquid in bonitate ipſius, intellectus abſtractus diligit illud, & non ſuo calore, ut ita dicamus, ſed alieno: talis eſt enim bonitas aliena, quæ utique ignis eſt ſpiritualis ad calefacienda corda calore amoris, cùm ipſum calefecerit. Ampliùs. Generatio iſta amoris naturalis eſt, naturalis enim eſt generatio affectionis per apprehenſionem, ſicut dicit Ariſtoteles, quia delectabile imaginatum movet, & motus ille intelligitur deſiderium, nec intendit Ariſtoteles de generatione deſiderij niſi naturalis: cujus autem generatio naturalis eſt, ipſum quoque naturale eſt; quare hujuſmodi amor, ſive dilectio, qua aliud diligitur inquantùm bonum, naturalis eſt tantùm. *Ariſtot.* Ampliùs. Quis non videat, quia innatum eſt unicuique noſtrum diligere bonum, inquantùm bonum & quia bonum, & quia natus eſt amor generari per apprehenſionem bonitatis? *Nota.* quemadmodùm calor per lumen, quod enim eſt lumen ad calorem hoc eſt apprehenſio, ſive cognitio bonitatis ad amorem. Attende ergo quia amor Dei, quia bonus, & inquantùm bonus, ſic eſt ex domo vel bonitate in amante, ſicut calor in lucido, & luminoſo & ſicut calefactio, ſed hoc idem eſt naturali efficientia, & generatione: amor autem virtuoſus, quem hìc ſtabilire intendimus, eſt ſimiliter ex divina bonitate, verùm non per apprehenſionem, nec per generationem naturalem (ut diximus) ſed per donationem, ut ita loquamur, & ut donum. Si quis autem quærat, utrùm creetur hujuſmodi à Deo? dicimus quòd ſic; ille autem alius non creatur à Deo, immò alio modo creationis, & effectionis ab eo efficitur: creatio enim ejus ſolius divinæ voluntatis eſt abſque ullo modo effectivo cujuſcunque rei; ibi autem non eſt effectio abſque medio, quoniàm media eſt apprehenſio. Sicut calorem non propriè creat Deus, quoniàm per medium lumen Solis, illum operatur in mundo iſto inferiori: eo autem modo quo dicitur creator omnium, & creaſſe omnia, manifeſtum eſt ipſum creare quantumcunque bonum amorem. Si quis quærat qualiter amor creetur, & generetur abſque apprehenſione, cùm calor non videatur in multis generari ſine lumine. Reſpondemus, quia & calor ex ſolo motu ſive lumine generatur & quia ignis elementum, qui totum aerem circundat, & circũvolvit, atque deſuper circumegit, cùm ſit calidus in ultimitate caloris tenebroſus eſt in ſe, hoc eſt lumine carens: ſi enim luminoſus eſſet, totum cœlũ ſemper ardere lumine videretur, & quemadmodùm flamma deſuper totum aerem circumtegeret. Ampliùs. Declaravimus in tractatu de baptiſmo, quia omnes virtutes, & omnia dona gratiarum quas requirit neceſſitas ſalutis, infundũtur ſimul in parvulis baptiſatis; *Nota pro parvulis.* quod manifeſtum eſt fieri ſine apprehenſione, niſi fortè quis vocet apprehenſionem hìc tactum, quo ſentit parvulus aquam frigidam ſanctificatam, qua perfunditur, vel in aquam mergitur. Et generale eſt dona gratiarum atque virtutum, de quibus hîc agimus, pro majori parte ſine apprehenſione rerum ſuarum infundi & non per apprehenſionem effectivam, licet interdùm cum apprehenſione aliquid eorum infundatur, ſicut interdùm gratia compunctionis, & gratia devotionis, necnon & multiplices gratiæ revelationum plerumque ſacras exhortationes audientibus, aut in divinalibus rebus meditantibus infunduntur. *Nota.* Et quoniàm ſufficere tibi debent ad ſtabiliendum hujuſmodi amorem ea, quæ in prænominato tractatu de fide loquentes diximus, non repetemus ea hîc: tu ergo debes reminiſci eorum, ut nos alia proſequamur. Si quis ergo quærat, qua-

A liter hujuſmodi amore, videlicet gratuito, id eſt gratis dato, & non naturali, ſed ſupra naturam diligatur Deus, dicemus quia virtuosè, & fortiter hujuſmodi amore intẽditur ei, cujus quæritur honor, & gloria, & eo diligitur inquantùm bonus, non autem quia bonus, ut determinavimus, & ſicut de fide diximus, quia ipſa eſt obedientia virtutis noſtræ apprehenſivæ nobilis, quæ eſt intellectiva; & ſicut fide hujuſmodi creduntur omnia, quæ pertinent ad fundamentum veræ religionis; ſic hujuſmodi amore diliguntur omnia, quæ pertinent ad Dei gloriam, & honorem, & etiam quæruntur, & fiunt, & ſuſtinentur; ſimiliter & omnia beneplacita ipſius, & declinantur contraria: hujuſmodi etiam amore amatur mors propria, & delectabilis efficitur, in quo proculdubiò hujuſmodi amor **B** naturam ſuam evidenter vincit, & etiam ſemetipſum; amore namque naturali ſuſtineri poſſet mors pro ſic amato, amari verò non poſſet, quoniàm adeò amara eſt, adeò inimica naturæ. Si quis autem quærat de inſaniſſimis hæreticis, qui videntur amore dementiſſimo amare mortem, & non tantùm ſuſtinere fortiter, quin etiam amplecti delectabiliter. *Bona ſimilitudo.* Jam reſpondemus in hoc, quòd ſicut fortitudo videtur in eis & patientia, quod eſt infirmitas, atque debilitas; ſic & amentia, non amor eſt, quod in eis amor videri poteſt; & illudit eis diabolus, quemadmodùm conſuevit illudi parvulis, quibus caſus ſimulatur eſſe ſaltus, & quantumcunque ſaltu ſe vulneraverint, dicitur eis à nutricibus, & matribus, quàm benè ſaltaſti fili mi? per quam adulationem ſe magis ſaltaſſe ſtrenuè quàm ſtultè cecidiſſe credunt; **C** hinc enim eſt quòd gaudent de ipſa vulneratione caſus, non utique vero gaudio, ſed potiùs ſomniato, inſtar freneticorum ridentium atque crepentium. Ampliùs Sicut fides infirma, & claudicans eſt quæ pendet ex diſpoſitionibus, quæ ſunt apud res, ut in nominato tractatu declaravimus, ſic & dilectio infirma quæ pendet ex rerum bonitate; *Dilectio infirma quæ ex rerum bonitate pendet.* quare ſicut hujuſmodi fides virtus non eſt, ita nec dilectio hujuſmodi virtus erit. Quòd ſi dixerit, quia dilectio, quæ in Deum eſt, ideò firma eſt, & virtus, quia bonitas Dei cui innititur immutabilis eſt, & fixa, atque firma in ultimitate firmitatis, errat evidenter, quẽadmodùm claudus non ideò firmior eſt quia ſolidius eſt pavimentum, aut ſuſtentamentum cui pede claudo unitur, nec ipſe pes inde fortior: ſic nec affectus, ſive vis motiva noſtra nobilis, ex hoc firmior eſt in parte illa quia firmiſſimo fulcimento divinæ bonitatis innititur, nec pes ejus minus claudus, *Nota.* id eſt dilectio; tunc enim per eandem viam ſtratã aut idem pavimentum claudi, & cœci ambulantes æquè firmiter ambularent, hoc autem nõ eſt verum, **D** & hoc eſt, quoniàm etſi ejuſdem fortitudinis, vel firmitatis fulcimento innitantur, non tamen æquè fortiter innituntur eidem, immò claudi infirmiter. *Similitudo.* Hujuſmodi autem exẽplum evidens eſt in homine altero pede mutilato, quoniàm greſſus ejus non eſt rectior ſi ambulet lignipede ferrea, quàm ſi lignipede lignea, nec ipſemet in ſe magis firmus aut fortis, & de his ſatisfecimus tibi in præcedentibus. Ampliùs. Si vis noſtra apprehenſiva nobis deſuper recipit illuminationes nobiles, naturalibus ſublimiores, atque præſtantiores, cur non ſimiliter & vis noſtra motiva nobilis, congruentes ſibi deſuper nõ reciperet perfectiones naturalibus meliores, cùm & illis magis egeat, & periculoſiùs careat? Eâ ſi quidem bello quocunque vitiorum expugnatâ, nihil ſupereſt nobis reſidui; eâ verò defenſâ, atque ſalvâ, & omnia in tuto ſunt, & victores exiſtimus. Ampliùs. Manifeſtũ quia prophetia illuminatio eſt ſuper omnes illuminationes animarum noſtrarum;

Digitized by Google

manifeſtũ autem eſt illam non naturæ noſtræ viſu, vel operatione, ſed ſolo creatoris munere gratuitò advenire, ſic etiam & ſunt multæ aliæ tales illuminationes, ſicut & revelationes omnes eorum, quorũ cognitionem non attingit intellectus humani naturalis poſſibilitas; aut igitur cum iſtis dabit proportionales affectiones Deus eis, in quibus dat hujuſmodi illuminationes aut non; ſi dat, habemus quod intendimus: ſi verò non dat, in ſolo igitur lumine prophetiæ erunt prophetæ ſublimiores alijs hominibus, in alijs autem ſimiles aut æquales. Hoc autẽ manifeſtè ſemper apparuit falſum eſſe, ſemper enim prophetæ cæteris ſanctis viris vita ſanctiores, & ſublimiores extiterunt tantò, quantò prophetiæ lumine clariores.

Not.

Amplius. Cùm naturalis cognitio nec naturali dilectione inferior, nec magis diſtans à ſtatu gloriæ ſit, intercedat autem medium inter cognitionem naturalem & eam, quæ eſt gloriæ, medium inquam gratiæ, quod eſt fides, ut jam declaravimus, intercedet igitur & inter dilectionem naturalem, & eam dilectionem quæ eſt gloriæ media: & ad hunc modum eſt oſtendere de alijs affectionibus, & habitibus, videlicet de ſpe, timore, & quibuſcunque alijs.

Quæſtio.

Quòd ſi quærat, utrùm apprehenſio, ſive cognitio quæ eſt, vel erit gloriæ, pariat dilectionem ſibi congruentem in gloria. Reſpondemus, quòd non eſt neceſſe, quoniàm ſimul animæ humanæ infundetur totum, quod eſt gloriæ, non pars poſt partem, ſed ex fonte uno totum ſimul effluet; & ſi iſtud concederemus non eſſet contra id, quod hic dicimus, ſed potiùs contra adverſarios: ſi enim naturalis cognitio naturalem parit dilectionem, & ea, quæ eſt gratiæ, cognitio, eam quæ eſt gloriæ dilectionem; quare & ea, quæ eſt gratiæ cognitio videlicet fides, congruentem ſibi pariet dilectionem, quæ ſimul erit gloriæ non naturæ.

Epilogat.

Jam igitur ſtabilivimus tibi virtutes ſublimes, & nobiles tranſcendentes nobilitate, tam cõſuetudinales, quàm naturales ſtabilitione univerſali, & oſtẽdimus tibi differentias earum, videlicet conſuetudinalium, & naturalium; & quia conſuetudinales adjumenta quædam ſunt virium noſtratum naturalium læſarum, & multipliciter infirmatum, quemadmodùm quædam inſtrumenta, & adjumenta ſunt pedum occaſionatorum, & manuum & quoniàm naturales virtutes ſunt ſicut membra ſana, pedes, ſcilicet & manus, veruntamen quibus non eſt poſſibile ambulare ſupra, vel ultra planum naturalis æquitatis; & quia non eſt per eas operari ultra limites naturæ, vel ſupra, neque corporaliter, neque ſpiritualiter; & quia iſtæ etiam ſi in nobis perfectæ invenirentur, nõ poſſunt nos defendere, vel tueri à corruptione in qua ſumus, neque à paſſionum prælijs, neque inſidijs, & inſultibus malignorum ſpirituũ, etiam quia ſi eſſet vera ſententia Platonis de animabus humanis, eſſet unaquæque earum in iſta miſeria, ſicut æger medicus febricitans.

Anacephaleoſis ſupradictorum.

Tetigimus autem exempla multa de iſta miſeria, & comparationes, videlicet quia anima humana eſt in corpore mortis hujuſmodi, ſicut lignum aridum in medio ignis, & ſicut homo merſus in profundo maris, aut aquarum multarum, & ſicut aqua fluidiſſima atque labiliſſima in vaſe undique perforato: & ſimilia multa diximus, quæ ſenſu manifeſta ſunt, ex quibus conſequens eſt ex neceſſitate ſublimiores animabus humanis in hac vita virtutes eſſe neceſſarias, quæ illas in medio ignis hujuſmodi tueantur ab incendio, & profundo aquarum, aliaque defectione, & in vaſis foraminoſis, id eſt in corporibus iſtis eas contineant, atque ſervent à fluxu & diſperſione.

Originalis corruptio.

Faciemus autem ſciri in ſequentibus, quia originalis corruptio eſt tota diſcriminoſitas iſta, atque periculoſitas, quam diximus,

E

& eſt longè major, atque numeroſior in periculis, quàm diximus, declaravim' etiã cũ his omnib', quia iſtæ ſublimiores virtutes, quæ meritò theologicæ nominandæ ſunt, quia iſtæ ſublimiores ſunt, ſicut illæ quas creator electis ſuis inſeruit ad volandum in ſublime beatitudinis, & quia operationes earum volatus ſunt, comparatione operationum, quæ ſunt ex alijs duobus virtutum generibus. Exempla verò quæ de miſeria animarum humanarum, quas in præſenti vita patiuntur, propoſuimus, proſequi ſuperſedimus prolixitatem timentes; declaravimus etiam tibi quòd neque conſuetudinales, neque naturales ſunt perfectæ bonitatis, aut virtuoſitatis, & propter hoc non ſunt dignæ vero nomine virtutis, aut bonitatis, quia neque verè bonos, aut virtuoſos efficiunt eos in quibus ſunt.

Virtutes naturales non ſunt propriè virtutes.

Specialiter autem de dilectione naturali latiùs proſecuti ſumus propter multas ejus quæſtiones, quas audiſtis & propter opi-

F

niones aliquorum qui non rectè ſenſerunt de ea, credentes quòd per eam non poſſet aliqua creatura diligere creatorem plus quàm ſe, & hunc errorem evidenter tibi deſtruximus; ſimiliter & errorem aliorum quorundam, qui opinati ſunt eam non differre ſecundùm ſpeciem ab iſta dilectione ſublimi, & nobili, ſed ſecundùm majus, & minus ſolùm, quos ex neceſſitate ſequitur, quòd natura & gloria, & ea, quæ ſunt naturæ & gloriæ non differunt, niſi ſecundum magis, & minus; & propter hoc vita præſens ſtatus animarum hic, & ſtatus gloriæ non erunt differentes niſi per eundem modum; hoc autem deſtruemus in ſequentibus. Cùm autem volueris imaginari puritatem, ac nobilitatem ſublimis dilectionis, reminiſci debes eorum, quæ audiſti in tractatu fidei virtutis; eſt enim ſimillima fidei in generatione, quia deſuper tantùm eſt, videlicet à datore bonorum, quemadmodùm fides eſt, & generationis modo, quoniàm ut dictum eſt, ab eo eſt, quemadmodùm

G

fides, non per operationem naturalem ipſius, quẽadmodum cultellus aliter eſt à fabro aliter à datore qui dat eum fabricatum, atque completum. Tertiò ſimiliſſima eſt ei rectitudine contra claudicationem, quam tibi diximus, & hic tetigimus. Quartò fortitudine, qua armat, & protegit animam in qua eſt, maximè ab odio, & ita contra jacula ignita injuriarum & contumeliarum, atque perſecutionum omnium.

Nota.

Cùm verò volueris imaginari cæteras virtutes ſimiles huic, imaginaberis eas ex ſimilitudine apprehenſionum ſublimium, qualis eſt prophetia cum ramis ſuis, & intellectus ſanctus, & modi divinarum revelationum, quæ ſunt in hoc mundo apud nos.

Nota.

Quemadmodùm enim illa ſuſpenſum, & elevatum in ſublimi intellectum humanum, maximè autem à ſenſibus, & alijs quæ corporis ſunt: ſic & illæ in ſpiritualibus & ſublimibus ſuſpenſum, & elevatum detinent affectum, hoc eſt vim noſtrã

Nota.

H

motivam nobilem cujus exemplum unum eſt in beato Mauro beati Benedicti diſcipulo, quem virtus obedientiæ adeò rapuit, & ſuſpendit à ſenſibus, ut aquam non videret, & per eam intrepidus curreret; aliud exemplum in Adam, & Eva, quorum mẽtes hujuſmodi virtutes velut in ſublime raptas adeò in his, quæ ſurſùm ſunt occupabant, ut nuditatem ſuam corporalem non cognoſcerent, ut legitur Geneſis tertio.

Maurus

Nota exẽpla utiliſſima.

Secundò imaginaberis ipſas ex ſui perfectione, quales apparent in viris ſanctiſſimis, qui ita ſunt in mundo iſto, ac ſi jam extra eſſent & quaſi vivunt in ſæculo altero, & altiori, ſicut dicit Apoſtolus. Noſtra autem converſatio in cœlis eſt. Lucidiùs autem apparebunt tibi cùm didiceris quid eſt eſſe in ſpiritu; iſtæ enim virtutes faciunt nos eſſe in ſpiritu, & faciunt eſſe ſpirituales, & faciunt homines ſupra homines, & pluſquàm ho-

Virtutes nobis ſpiritualitatem largiuntur.

mines

Digitized by Google

mines, quod inſinuabat Apoſtolus in primo primæ ad Cor. dicens. Cùm lites & contentiones ſint in vobis, nonne adhuc homines eſtis? Tertiò comparatione vitiorum, quemadmodùm enim vitia animam humanam dejiciunt, atque demergunt in ea quæ ſub ipſa, & poſt ipſam ſunt, & in eiſdem illam alligant, incarcerant, & captivant, naturales veræ virtutes eã tenent, cuſtodiunt, & conſervant in ſtatu ſuo, & rectitudine naturali; ſic iſtæ ſublimes, & nobiles virtutes eam rapiunt, & elevant à ſeipſa, hoc eſt à naturalibus ſuis, & ſupra ſe, velut ſuſpenſam in ſpiritualibus, & æternis eam tenent. Manifeſtum eſt autem hoc ex cauſa, & proportione; cùm enim iſtæ virtutes ſublimes, & nobiles non minus potentes ſint naturaliter in animam humanam, quàm ipſa vitia, conſequens erit ut eam naturaliter, aut plus, aut æquè poſſint elevare ſupra ſe, ut vitia eam dimittere infra ſe. Ampliùs. Si corporalia iſta, & caduca per infirmitatem (dico corruptionis) poſſunt in eam hanc depreſſionem quam diximus, erit ex neceſſario ut ſpiritualia, & æterna per ſanitatem prædictæ infirmitatis, & liberationem ab illa corruptione, poterunt in ipſam elevationem, quam diximus, & etiam tantò ampliùs, quantò ipſa fortiora ſunt caducis, & corporalibus; & ipſa anima humana ſursùm tendere ad ſublime, ſcilicet gloriæ, quàm deorsùm retrocedere, & recidere naturaliter potentior & aptior ſit, utporè ad illud creata. Quòd ſi quæſierit quis, & ubi, & unde veniat ſanitas à prænominata infirmitate, & liberatio à prædicta corruptione. Reſpondemus, quia à datore hujuſmodi virtutum, qui ſimul cum illis utrãque largitur, quibus ipſas infuderit; hoc autem maximè virtute ſacramentorum, & ſacramentalium, quæ in ipſis fieri conſueverunt, licet & alibi, & aliter interdùm hoc faciat ſicut declaravimus in tractatu de eiſdem. Si quis verò dixerit, quòd pauci ſunt, qui hujuſmodi virtutibus prædici ſunt, vel eas habeant. Reſpondemus, quia reverà perpauci ſunt qui eas habeant in perfectione & complemento, minus autem pauci ſunt, qui eas habent in mediocritate, multò perplures autem habent eas in maxima imperfectione & penè initialiter, & his omnes comparatione vitioſæ multitudinis perpauci ſunt. Dicimus etiam, quia multi eas habent in quibus non apparent propter multas cauſas, quarum una eſt ſimilitudo, quæ eſt in forinſecis operationibus naturalibus, & virtuoſis, & etiam vitioſis, ſicut eſt in ipſo ambulare, & in ipſo comedere, ſive enim ex virtute quis comedat, ſive ex naturali appetitu, ſive ex deſiderio voluptatis guſtabilis, ſimillimæ ſunt operationes forinſecæ in actu comedendi, & plerunque nihil omninò differunt, vel differre videntur. Secunda cauſa eſt raritas operationum ſublimium; pauciſſimis enim datum eſt illud ſemper eſſe ſpiritu: ubi autem ſæpiùs hoc contingit, hoc eſt operationes, quæ magis ſæpè animam humanam ſic elevant, oratio ſunt, & contemplatio nec mirandum eſt tibi ſi raræ ſunt operationes hujuſmodi cùm rariſſimi ſint operatores: de bonis enim, ac ſanctis viris pauciſſimi ſunt, qui intendant ad eas. Tertia cauſa eſt ſubtilitas, ac ſpiritualitas earum, hoc eſt virtutum hujuſmodi, qua difficillimè cognoſcibiles ſunt; ipſos enim plerunque latent in quibus ſunt, & ipſimet ſunt qui maximè timent, etiam cùm ipſas habent, ne fortè non habeant. Reminiſci etiam debes hîc eorum, quæ prædiximus in præcedentibus in declaratione hujuſmodi ſcilicet quoniàm nec veri nominis bonitates, ſunt nec verè bonos efficiunt, neque verè virtuoſos, niſi virtutes iſtæ de quibus hîc loquimur, & hoc quidem eſt, quoniàm nec verè rectos, nec verè juſtos: ſi enim, ut alibi didiciſti, rectum eſt cujus media non exeunt ab extremis, rectum inquam in magnitudinibus, erit ad ſimilitudinem, & proportionem hujuſmodi in moribus, cujus media non exeunt ab extremis, extrema autem vitæ noſtræ non ſunt alia, niſi principium ejus, & finis: non eſt autem principium ex quo ſit vita noſtra, & finis ad quem, niſi Deus; cùm igitur ſicut eſt ex Deo totaliter, ſic erit etiã ad ipſum, tunc erit recta proculdubiò vita noſtra. Eodem modo de intentione, & de operatione ſe habet, quoniàm cùm fuerit intentio ex Deo, & ad ipsũ non exiens ab eo, in aliquo erit recta. Ampliùs Rectum non habet curvitatem, nec deflexionem, curvitas autem reditus eſt ad principium, deflexio verò exitus in latus; intentio igitur, & operatio, quibus aliquis intendit, & operatur ſibimet, hoc eſt propter ſe, quod eſt dicere propter commodum ſuum, vel utilitatem ſuam, vel aliquid aliud eorum circa quæ verſantur humana deſideria, intentio, & operatio curvæ ſunt, exeuntes enim ab intendente, & operante in eundem redeunt, & recurvantur; deflexionem verò habent intentiones & operationes, quæ in proximi commodum, vel nocumentum finaliter fiunt: in latus verò ſiniſtrum exit intentio, vel operatio juxta conſuetudinem ſcripturæ ſacræ, cùm per eam nocumentum proximi finaliter quæritur: in latus verò dexterum, cùm ejuſdem proximi commodum, intellige autem commodum larga intentione, ut etiam honor, & voluptas, & placitum proximi, ejus commodum accipiatur. cùm verò intentio, vel operatio eſt in finem ſummum, Deum videlicet, hoc eſt propter Deum glorificandum, vel honorandum, vel propter beneplacitum ejus implendum, ipſa indubitanter eſt recta. Ampliùs. Ex neceſſitate rectum eſt, quod recto applicitum, vel applicatum ab eo non diſcrepat: manifeſtum autem eſt omnium rectorum ſpiritualium rectiſſimam eſſe divinam voluntatem, quare omnem intentionem, & operationem quæ ab ea in nullo diſcrepat, neceſſe eſt eſſe rectam, & idem de voluntate ſentiendum: voluntas enim, quæ divinæ voluntati totaliter concordat, neceſſariò recta eſt; hæc autem eſt, qua quis vult, quod Deus vult, & ſicut Deus, & propter quod Deus. Nulli enim dubiũ eſt curvum, & reflexum cùm recto applicata fuerint, ab eodem diſcrepare, & hanc applicationem ſpiritualem, & in ſpiritualibus non intelligimus niſi conſiderationem & comparationem eorum adinvicem; quemadmodùm enim qui corporale rectum ponit juxta regulam in poſitione corporali ut dignoſcat an rectum, ſic & qui comparat voluntatem ſuam voluntati divinæ, conſiderans an velit, quod Deus, qualiter, & propter quod, applicationem ſpiritualem facit ſuæ voluntatis ad Dei voluntatem, ex qua applicatione dignoſcere poteſt, ſi Dei voluntatem videt, aut novit. Meritò autem quæritur qui gratis vult bonum alterius, quemadmodùm dicunt, qui de amicitia ſcripſerunt, utrùm recta ſit ejus voluntas. Reſpondemus, quia hujuſmodi voluntas perſcrutatiùs conſiderata deflexa eſt à recta voluntate, & diminuta à perfecta; recta enim voluntas in ſublime divinæ gloriæ dirigitur, & uſque in illud extenditur, hujuſmodi voluntas jacet in plano, quoniàm non elevatur ſupra utilitatem proximi, quare deflexa eſt ex neceſſitate à præſcripta voluntate, quam neceſſe eſt eſſe rectã: diminuta etiam eſt evidenter à perfecta, ſive completa, cùm tã longè ſiſtat à termino, ſive fine, qui eſt Deus. Eſt ergo hujuſmodi homo qui ſic vult, ſimilis viatori qui debet ambulare in ſublime, & ambulat per planum, & qui debet perambulare ſpatium multorũ ſtadiorum, de quibus non pertranſit niſi unum, ceſſans in fine illius à viatione ſua. Omnis enim voluntas, & omnis intentio, quæ propter Deum eſt glorificandum, aut beneplacitum ejus implendum, naturaliter uſque in eum extenditur, & in eo finitur: ma-

Raptus.

Pauci veras virtutes habent.

Nota.

Nota.

Vera virtutes bonos faciunt.

Rectum quid.

Commodum.

Rectum quid.

Rectum.

Voluntas divinæ voluntati conſentanea.

Quæſtio.

Nota.

Quid rectum. nifeſtum igitur eſt tibi, quid propriè eſt rectum in moribus, ſive in moralibus; hoc enim eſt propriè atque veriſſimè, quod nec habet recurvationem, nec deflexionem, & quod in nullo diſcrepat à primo recto, quod eſt veriſſima regula rectitudinis; hoc autem eſt divina voluntas, ſicut dicit Auguſtinus ſuper illud verbum pſalmi. Rectos decet collaudatio. Tunc ergo eſt tota vita humana recta, cùm in nullo errat à ſuis extremis, hoc eſt à ſuo principio, quod eſt Deus, & à ſuo fine, qui eſt ipſemet; hoc autẽ eſt cùm tota eſt ab ipſo & tota ad ipſum: nõ enim eſt tota ab ipſo, cùm aliquid habet perverſi, & multò fortiùs non eſt ad ipſum in eo, quòd eſt perverſum. Similiter ſe habet de intentione, de voluntate, & de operatione: debes autem ſcire, quia non ſufficit rectitudo perficere aliquod iſtorum, & ex toto depurgare, ſeu depurare à malitia, & hoc eſt quoniàm intentio, & *Nota.* voluntas, etiamſi ſit ex Deo, & ad Deum, interdùm debilis eſt & remiſſa, inſuper particularis, vel ſecundùm quid. Si enim aliquis vult aliquid quod Deus, F & ſicut Deus, eſt quidem ejus volũtas in illo, & ſecũdùm illud recta: in aliis autẽ multis forſitã eſt diſcrepans à præſcripta regula rectitudinis, & in hoc ipſo forſitã non ſatis firma, nec ſatis fervens nec omninò depurata à ſuo contrario. Juxta id quod legitur *Nota.* Prover. 21. Vult & non vult piger: & ad Rom 7. Quod nolo hoc ago; poteſt igitur eſſe, quòd voluntas ſecũdùm quid ut diximus, bona ſit, & nõ ſimpliciter, nec univerſaliter; ſed cùm voluntas, id eſt vis volendi fervens eſt & firma, & univerſaliter, ſive totaliter extenſa in Deum, nihil habens recurvationis, aut deflexionis, tunc eſt bona bonitate perfecta ſimpliciter: *Bonitas voluntatis in quatuor conſiſtit.* bonitas enim voluntatis in his quatuor conſiſtit, videlicet, rectitudine, fervore, firmitate, & integritate, ſive totalitate. In viris enim malis, & aliquibus vitiis laborantibus experimur, ut & bonas diſpoſitio- G nes voluntatis habeant, & bonos etiam habitus volũtatũ, ſed particulares nonnulli enim carne lubrici pij in pauperes inveniuntur, & invenitur voluntas particularis in eis recta, & fervẽs ad ſubveniendum pauperibus, & hoc propter Deum; ſic & aliæ multæ bonæ voluntates particulariter, & rectè inveniũtur in viris, & mulieribus, & vocantur virtutes, & *Virtus dicte.* mores laudabiles. Nos autem intelligimus quòd virtutes ſunt ſecundùm quid & particulares, atque diminutè valdè, nec ſunt nomine virtutum dignæ ſimpliciter, & hoc declaramus in ſequentibus. Poteſt autem videri ex iis quæ diximus, non eſſe niſi unã virtutem numero, & unam bonitatem, vel forſitan eſſe *Una eſt virtus.* quatuor, ſicut videtur allegare Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ. Ubi prudentiam dicit quantùm ipſe capit, aut intelligit, non niſi amorem prudenter omnia faciendi, nihil temerè, vel incautè: ſimiliter & juſtitiã amorem ſimilẽ ad ea quę ſunt juſtè facienda, & fortitudinem ſimilem amorem H ad tolerandum, vel ſuſtinendum fortiter quicquid oportet, temperantiã ſimilem amorem ad præſcindendum, quæ in corpore noſtro ſint præſcindenda; benè igitur ſe habet diſputare, & perſcrutari de his utrùm veritas ita ſe habeat. Dicimus igitur in primis, quia amor viæ propter finem, & amor ipſius propter ſe, vel unus amor ſunt, vel ex uno amore, quẽadmodùm amor vini propter ſaporem, & amor ſaporis propter vinum, unus amor eſt: quare amor Dei propter ſe tantùm, & amor cujuſcunque alterius propter Deum, erunt ex neceſſitate vel unus amor habitu, vel duæ diſpoſitiones ex uno amore habitu; hoc autem dicimus, quia amor dicitur ſecundùm duas intentiones: dicitur enim amor, & ipſe habitus quo ali- *Amor.* quis amicus, vel amator dicitur & ipſa diſpoſitio qua amas id eſt effectu, vel amare: receptũ etiam eſt apud omnes noſtros videlicet ſacros Doctores at-

E que ſcholares, quia una eſt dilectio Dei, & proximi, licet duo mandata. *Dilectio Dei & proximi una.* Juxta hunc modum neceſſe eſt unum eſſe amorem Dei & omniũ aliorum quæ propter ipſum ſolummodò diliguntur, quæcunque illa ſint. Quicunque igitur amat benè facere, benè vivere, adverſa pati, ſeu quodcunque aliud bonum propter illum tantùm, eo amore amat id quod etiam ipſum; unus autem eſt, & ſolus amor, quo ipſe diligit ſecundùm quemcunque trium modorum quos determinavimus; quare unus erit amor ex neceſſitate, quocunque alio propter ipſum ſolummodò diligun- tur quare non erunt quatuor, ut viſum eſt beato Auguſtino Qui enim rectè & laudabiliter amat prudenter agere, non amat illud niſi propter Deum, ſicut *Nota.* jam multipliciter declaravimus; quare non erunt neque quatuor virtutes, niſi ratione, vel relatione, neque quatuor amores, amores illi de quibus loquitur ipſe. Ampliùs. Si amores iſti diverſi eſſent propter diverſitatem rerum, neceſſariò & fides eſſet valdè F diverſa in uno, & eodem fideli propter tãtam diverſitatem creditorum; diverſa inquam non ſolùm numero, vel ſpecie, ſed etiam genere, & prædicamento, cùm in ipſis creditis inveniãtur omnes iſtæ diverſitates manifeſtæ. *Fides non diverſificatur propter diverſitatem credendorum.* Quòd ſi dixerit, quia non eſt neceſſe, ut fides diverſificetur ſecundùm diverſitatem creditorum, quoniàm non eſt ab ipſis creditis, immò eſt lumen deſuper infuſum animę fideli, & eſt una numero, & non ſubjecto ſequens unitatem principij ſui, atque datoris, quemadmodùm diximus, & declaravimus in tractatu de ipſa fide, quæ veri nominis virtus caput eſt, & fundamentum veræ religionis, neceſſe habet dicere, & de amore vero & puro creatoris, qui deſurſùm eſt ab ipſo ſcilicet creatore, ut donum gratuitum ipſius. De amoribus enim, & deſideriis quæ ab ipſis rebus in animabus noſtris gene- G rantur, non debet eſſe tibi dubium, quin ſequantur diſpoſitiones rerum, à quibus generantur, hoc eſt quoniàm varientur & diverſificentur juxta unitatem, & diverſitatem ipſarum rerum hujuſmodi. Ampliùs. A contrariis hoc eſt à contrariorum ſimilitudine manifeſtum tibi fieri poteſt, quod dicimus. Quemadmodùm enim ex eodem amore turpi, quo ardet in mulierem aliquam turpis amator ipſius, tam multa tanquàm diverſa, & etiam contraria operatur, *Similitudo.* ut in ea ſuas expleat libidines, ſimiliter avarus ex uno & eodem amore pecuniæ nunc arat, nunc ſeminat, nunc negotiatur, furatur quandóque, quandóque rapit, quandóque emit, & vendit interdùm, & etiam occidit; eodem modo ſe habet & de ſuperbo in omni ramo, vel ſpecie ſuperbiæ. Innumerabilis enim eſt diverſitas operationum ipſius quas operatur, vel propter inanem gloriam adipiſcendam, vel propter honorem aliquem habendum, vel propter aliquid aliud ex his, quæ requirit ſuperbia: quare H ex uno eodemque amore Dei nihil prohibet eſſe poſſe quantamcunque multitudinem, aut diverſitatem operationum, quæ viæ ſunt ad obtinendum finem, qui per amorem Dei quæritur. Ampliùs Interroga ſingulos ſanctorum virorum, qui tam multa & varia operantur, ſive in clauſtris, ſive in aliis locis, aut officiis, propter quid unuſquiſque eorum illa *Propter amorem Dei varia operationes.* operatur. Reſpondebit indubitanter unuſquiſque, ſe omnia hujuſmodi operari propter amorem Dei, & ex amore Dei: certiſſimum autem habet unuſquiſque apud ſe, quid ſit ei principium movens ad operandum quicquid operatur, nec habet locum in hoc apud aliquem error, vel ignorantia; quare manifeſtum eſt ex uno & eodem amore Dei, poſſe eſſe quantamlibet multitudinem, atque diverſitatem bonarum operationum. Secundùm hæc igitur eſt neceſſe, eſſe quatuor amores, aut quatuor virtutes, de quibus ſupra fecimus mentionẽ, non inquã, neceſſe eſt

Digitized by Google

E eſt propter diverſitatem operum ſolummodò: ſi quis autem dixerit quia tota illa varietas bonarum operationum poteſt eſſe, & ſufficienter, ex ſolo Dei amore; ergo non eſt neceſſe ponere virtutem aliquam aliam, vel ſupervacuum eſt ponere quancunque aliam. Reſpondemus in hoc, quòd etſi non propter ſolam eſſentiam operationum neceſſe eſſet alias virtutes ponere, tamen propter meliùs ſe habere ipſarum operationum ponendæ ſunt, quemadmodùm etſi propter ſolam eſſentiam operationis, quæ eſt greſſus, non ſit neceſſe ponere viſum, tamen neceſſe eſt ponere ipſum propter melius ſe habere ipſius greſſus, multò enim eſt ſecurior, & rectior ipſe greſſus propter viſum gradientis, ſimiliter & propter duritiem cutis in plantis pedum, aut fortitudinem in calciamentis. Eodem modo ſe habet & de prudentia in operationibus amoris, quæ multò meliores, & multò meliùs fiunt, cùm prudentia eas rexerit, & ſimiliter cùm fortitudo eas firmaverit, & cùm juſtitia eas regulaverit & cùm temperantia eas circunciderit; & F quicquid tibi videatur forſitan operatio fidei, de qua mentionem fecimus, non poteſt eſſe ex illo amore: amor enim non poteſt imperare, niſi quantùm ipſa natura per ſe poteſt. aut quantùm poteſt ex adjutoriis, ſive gratiarum, ſive aliis, quare non poteſt imperare intellectui noſtro humano operationem, quæ fidei eſt, niſi quatenùs illam exequitur: non autem poteſt in illam per ſe, niſi ex adjutorio fidei, ſicut alibi oſtendimus. Non enim poteſt imperare hujuſmodi amor niſi id, cujus potentiam invenit, aut potentem efficit: quia igitur non efficit potentem credere, neceſſe eſt, ut inveniat potentem credere intellectum; aliunde enim eſt potens intellectus credere, quàm ex amore. Simile autem valdè eſt, licet non videatur, quia ſicut non poteſt imperare volatum, & hoc eſt quoniàm nec potentiam invenit ejus, nec potentem efficit, ita nec ipſum credere, niſi cùm intellectum potentem ejus invenit; ſicut enim non præſtat volatum volare imperans, ita nec cre- G dere, cùm illud imperat. Iſte igitur amor, quoniàm ſemper rectus eſt, cùm fuerit fortis, ſive firmus, & cùm fuerit fervens, cùm fuerit univerſalis, erit virtus veri nominis, nec vitium ſecum ſuſtinens, nec peccatum, & eſt aliud fortitudo ejus, aliud fervor: fortitudo enim ejus eſt in adhærendo amato, hoc eſt inſeparabilitas, vel difficultas ſeparationis ab amato: fervor verò nihil aliud eſt, quàm vehementia deſideriorum earum rerum, quę quæruntur amato, ſeu quolibet modo alio ex amore illo. Hoc autem inde manifeſtum eſt, quia multò fortiùs, & firmiùs adhærent Deo, qui multis aliis minus fervent in eum, & in ea, quæ ejus ſunt, & minùs firmiter adhærent eidem; ſicut vides, quia interdùm ardentiùs amant amici, quàm fratres, & vehementiùs quæruntur ea quæ ſunt eorum, quàm ea quæ ſunt fratrum: non ta- H men firmiùs, aut fortiùs amantur, quàm fratres: ſimiliter accidit interdùm, quòd ferventiùs amatur proximus, quàm Deus à viris ſanctiſſimis, non tamen fortiùs, quod facilitas, & difficultas ſeparationis faciunt manifeſtum; incomparabiliter enim faciliùs à proximis viri ſancti ſepararentur, quàm à Deo. Sicut enim apparet in naturalibus, quòd quædam quibuſdam aliis faciliùs, & vehementiùs calefiunt, non tamen calorem, aut firmiùs, aut diutiùs retinent, quàm illa propter diſſimilitudinem in naturalibus, ut in ligno arido. & ferro, quo ad calorem in ære, & lapide, & omni metallo quo ad frigiditatem, & in diverſis partibus terræ, quo ad humefactionem; ſic & accidit de iſto calore vitali, atque vivifico; lignum enim aridum faciliùs, & vehementiùs calet in tanto tempore, quàm ferrum, non tamen fortiùs aut firmiùs calorem retinet, immò econtrario: eodem mo-

Nota.

Amor non imperat ultra vires naturales.

Nota.

Fortitudo.

Fervor.

do accipitur in ære, & lapide, & omni metallo de frigiditate, & frigefactione: vehementiùs enim friget aer, atque faciliùs quàm ferrum, vel argentum non autem frigiditatem firmiùs retinet ſic accidit in humefactione: quædam enim partes terræ faciliùs, & vehementiùs humectatur quibuſdam aliis, & ſunt debilioris retentionis in hoc, & facilioris deſiccationis, verbi gratia partes terræ quæ diutiùs conſueverint eſſe ſub aquis, cùm aquæ hujuſmodi receſſerint, aut conſumptæ fuerint, inveniuntur majoris deſiccationis & duritiæ, quàm aliæ, & etiam prioris, atque facilioris & partes hujuſmodi terræ vocantur vulgariter noes, ſive quia natent in aquis diu, aut aquæ in eis. ſive quia diverſæ diu jacent ſub eis: ſimiliter & aer vehementiùs, atque faciliùs illuminatur multis aliis etiam quàm oculus cujuſcùque animalis, faciliùs tamen à lumine totaliter exuitur, quàm in oculo, quòd taliter eſt, quia poſt receſſum lucis exterioris remanet impreſſionis ejus veſtigium F in oculo, unde & viſus poſteà ad modicum impeditur Ex his igitur, & aliis innumerabilibus evidenter apparere poteſt tibi. quia non magis diligit, qui ferventiùs: fervor autem iſte etſi de radice dilectionis procedat, adjutorium tamen habet fortiſſimum ex bonitate, & intentione apprehenſionis, hoc autem eſt ex vicinitate, ſeu proximitate amati. Quid ergo mirum ſi interdùm minus fervens eſt dilectio in Deum propter debilitatem apprehenſionis, & elongationem amati in illa hora? & quid mirum ſi vehementia apprehenſionis, & ipſe ſenſus adjuvatur, ut magis ferveat in amatum magis apprehenſum, & magis propinquum? Propter hęc dixit Joannes in quarto primæ Canonicæ ſuæ. Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodò poteſt diligere? De ipſa verò fortitudine, & firmitate amoris legitur in Cant 8. Fortis ut mors dilectio Et ad Rom. 8. Certus ſum, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos ſeparare à charitate G Dei ſicut etiam ex eodem igne, unus & idem homo poteſt nunc magis, nunc minus calefieri ſic ex eadem dilectione poteſt, nunc magis, nunc minus fervere, & nihil prohibet ex eodem igne, nunc majorem, nũc minorem flammam emicare. Quemadmodùm ſecundùm quòd adjuvatur ignis, aut flatu aut appoſitione, ſeu aptatione lignorum, aut impeditur contrariis, majorem aut minorem flammam emittit; ſic eadem dilectio, vel flatu apprehenſionum, ſeu meditationum, ſeu allocutionum, aut rememoratione beneficiorum, quaſi appoſitione, ſeu aptatione lignorum adjuvatur interdùm, ut majorem flammam, id eſt fervorem & actum dilectionis emittat: eodem modo & impeditur contrariis, & eſt conveniens ſimilitudo, ut quod eſt flatus ad ignem corporalem, H vel augendum, vel adjuvandum, hoc allocutio de amato, ſive apprehenſio, vel quod appoſitio, vel aptatio lignorum adjumentum ignis corporalis, hoc eſt rememoratio, & recogitatio beneficiorum ad ignem ſpiritualem, qui eſt amor, ſive dilectio. Et hoc autem manifeſtiùs eſt, quod dicimus, videlicet quia firmitas una eſt ex diſpoſitionibus, quæ requiruntur ad hoc, ut dilectio ſit virtus, quoniàm ſine firmitate, nec eſt etiam habitus; quare nec virtus, cùm omnis virtus ſit habitus. In rationem ipſius virtutis cadit fortitudo ſeu firmitas; inde enim & nomen habet. Relinquitur ergo nobis, ut declaremus tibi, quia requiritur ad ipſum etiam quarta diſpoſitio, quam ſupra nominavimus univerſalitatem. Quoniam igitur jam alibi didiciſti, quòd nec ſimpliciter, nec verè dicitur de aliquo, quòd ſecundùm quid, ſive ſecundùm partem tantùm de illo dicitur, ut non verè, nec ſimpliciter album, quod in parte eſt album tantùm; ſic nec ami-

Nota.

Non magis diligit qui ferventiùs diligit.

Fortitudo amoris.

Nota.

Firmitas.

Nota bene.

Digitized by Google

cus alicujus dici poteſt verè, atque ſimpliciter, qui E ſecundùm quid tantùm, & in parte amicus illius eſt: ſimiliter & qui in parte inimicus non verè inimicus, neque ſimpliciter amicus illius dici poteſt; eodé modo qui in parte perſequitur, aut impugnat alium, non poteſt dici pacificus illius, aut pacé habere cum eo. Et generaliter receptum eſt apud omnes, quòd qui amicus eſt, totú diligit quod eſt amici; unde & vulgariter dicitur qui diligit me, diligit & cané meum, & generaliter, qui aliquid odit de bonis alicujus, non eſt amicus illius. Ampliùs. Qui aliquid diligit de injurijs, aut contumelijs alterius, aut damnis illius aliquid, non eſt amicus illius. Quia igitur omnes homines ſunt bona Dei non ſolùm, ſed etiã magna bona ipſius, non eſt amicus Dei ſimpliciter, aut verè, qui aliquem ex hominibus odit. Ampliùs. Si quis odit cané, vel equum alterius, non diligit ipſum ſimpliciter, aut verè; quantò ampliùs, ſi nõ diligit aliquem ex filijs ejus? Quia verò ſola vitia, & peccata Dei injuriæ & contumeliæ ſunt, manifeſtum eſt quòd quicunque diligit quodcunque F ex vitijs, aut peccatis mortalibus, & amicus Dei non eſt, immò inimicus manifeſtus, & hoc ſaltẽ facto, etſi non intentione. Quòd ſi dixerit quis quoniàm ad hoc, quòd aliquis nõ ſit amicus, vel ſit Dei inimicus, non ſufficit, ut oderit aliquid ex bonis Dei, vel quòd diligat aliquẽ ex inimicis aut cõtumelijs Dei, ſed requiritur, ut hoc faciat ſcienter, & ex intentione videlicet, ut intendat hoc facere cõtra Deũ vel ſaltẽ ſciat hoc eſſe contra ipſum. Reſpondemus, quia eouſque diligit Deus veros amicos ſuos, ut nõ ſinat ignorare eos, quæ ei placent, aut diſplicent; ſicut legitur primæ Canonicæ Joannis ſecundo. Unctio quam accepiſtis ab eo manet in vobis, & nõ neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus. Si enim omniũ periculorum maxima maximè cavenda ſunt vitia & peccata; eſt autem Deus diligendiſſimus, ac fideliſſimus cuſtos diligentium ſe, & maximè cuſtodit illos ab his pe- G riculis; quare maximè oſtendit eis illa, & præmunit eos ab illis; quare non ſinit eos errare in hujuſmodi. Ampliùs. Quia dilectio Dei eſt bonum, quod maximè diligit in electis ſuis, quoniàm propter illud, & dat & diligit, & remunerat illos, & maximè vult, ut cuſtodiant illud, & ut ſibi caveant à contrario; quare maximè largitur eis ea, per quæ cuſtodiatur illud, & ſibi caveant à contrario; non poſſunt autẽ, vel cuſtodire illud, vel cavere à contrario, niſi cognoſcant & amiſſionis periculũ, & ejus contrariũ quare neceſſe eſt Deum illuminare amicos ſuos in his, quæ tanta diſtrictione præcipit obſervari, & tã perículosè omitterẽtur. De hujuſmodi autem ignorantia, & de alijs multa in ſingulari illo tractatu jam diximus, & ſcripſimus, & ubi excuſet, & ubi non, & quatenùs excuſet, vel non H excuſet. Jam igitur declaratum eſt tibi ex his omnibus, quia vera Dei dilectio, ſcilicet quæ verum Dei amicum efficit ſimpliciter, univerſalis eſt, & non admittens ſecundùm quid, ſive in parte odium, vel intentione, vel facto; ſimiliter neque injuriam, aut Dei contumeliam, quia utraque illarum impugnatur Deus & hoſtiliter cum eo agitur, eodem modo non patitur iſta dilectio impugnationem, vel bellum contra aliquem ſervorum. Unuſquiſque enim Rex, & Princeps in ſuis ſubditis impugnatur, & meritò hoſtẽ reputat eum qui milites ſuos impugnat; rarò enim accidit, ut perſonaliter ipſi Reges pugnent, vel ut ſic contra eos pugnetur. Si quis autẽ quærat utrũ leones, & urſi, cocodrili, & cætera hujuſmodi animalia, quæ infeſta ſũt hominib⁹ diligẽda ſint, tãquàm bona Dei propter ipſũ, & ita nec occidẽda erũt, ergo nec tremẽda. Reſpondemus in hoc, quia diligenda ſunt ad id, quòd ſunt, videlicet ad uſum hominum, inquantùm ad uſum hominum ſunt, & quia non proſunt hominibus quandóque, niſi occiſa, occidenda ſunt, ut habeatur uſus pelliũ eorum, & carnis, & aliarum partium, vel ad medicinam. Generaliter autem omnia diligenda ſunt opera ejus, & quia prædicat unumquodque ſuo modo ejus potentiam, ſapientiam, bonitatem; propter quod dicit beatus Auguſtinus, quia omnia laudant Deum, diligendæ etiam ſunt univerſæ creaturæ, ſicut & fiſtulæ carminis pulcherrimi, in quo laus creatoris inceſſanter canitur; eſt enim ſicut ipſemet ait; univerſa ſeries ſæculorum, ſicut carmen pulcherrimum, quod modulatur Deus cujus ſingulæ creaturæ ſillabæ ſunt, ſingulæ verò generationes, vel ſæcula, ſingula à Deo ſunt. Proculdubiò enim qui non diligit carmen, ſeu cantionem, non diligit illum, cujus laus in illo canitur. Si verò quærat quis, quomodò diliguntur ſerpentes, & ſcorpiones cùm occiduntur? Jam reſpondimus quia diliguntur ſicut diligendi ſunt, cùm occiduntur ad medicinam; ſimiliter, & cùm occiduntur ne infeſta ſint hominibus, vel ne noceant eis, hoc etiam ex amore Dei poteſt eſſe, ſic etiam cùm occiduntur hæretici, tanquàm venenata animalia, ne ſpiritualiter occidant homines alios, fidem vivificam in eis extinguendo, non ex odio, immò ex amore Dei, & hominum occiduntur, & etiam quod amoris eſt cum eis agitur, dum ne ſibi, vel alijs noceant prohibentur, non ſolùm tamen curandum eſt de nece muſcarum, aut etiam majorum animaliũ, ſive infeſta ſint hominibus, ſive neceſſaria, atque ſalubria, quia reparatio facillima eſt, & etiam hoc eſt lex Dei altiſſimi, & ſtatutum ipſius, & hujuſmodi, ut invicem ſe occidant, & etiam devorent, & in hoc videntur alia hujuſmodi naſci, ut ſint in cibũ alijs. Jure enim naturæ rapaces aves, & beſtiæ, & inferiores ſe devorant. Prætereà ipſo Deo auctore homines dominantur piſcibus maris, & volatilibus cœli ut inde prout voluerint comedant, & occidant, ſicut legitur Geneſis nono. Si terror, & tremor veſter ſuper omnia animantia terræ, & ſuper omnes volucres cœli cum univerſis, quæ moventur in terra: ſicut autem non oportet, quòd amicitia, aut fides extendatur uſque ad feſtucã vel paleã inter veros amicos ita videlicet ut ſi alter paleã alterius exarſerit, vel quolibet alio modo diſperdiderit, contra ipſam amicitiã, vel fidẽ ipſius feciſſe dicendus ſit; ſimiliter, neque ſi cervum, aut aprum occidit, aut etiã elephantem, quia etiam elephas in tanta multitudine bonorũ Dei vix palea ſit. Si quis autẽ quærat quid differat inter amorem, & voluntatem, & intentionẽ? Dicimus, quia idem ſunt ſubjecto, ſed amor, vel amicitia ab adhærendo dicitur & voluntas inquantùm imperat aliquid fieri vel non fieri, & intentio ab inquirendo, unde ab intendendo, ſive ab attendendo id, quod quæritur, intentio dicta eſt, & eſt in omni negotio intentio principalis voluntas, id eſt voluntas finis. Voluntas verò ſimpliciter imperiũ faciendi, vel nõ faciendi aliquid, quicquid illud ſit; volũtas verò habendi, vel non habendi aliquid, deſideriũ, aut concupiſcentia eſt: amor autem volũtas eſt alieni boni prout de eo hìc loquimur. Veruntamen amor dicitur ab adhærentia, & affectione in amato vel unione ad amatum, de qua unione legitur Actu 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Jam igitur declaratum eſt tibi, quis amor ſit dignus nomine virtutis, & nomine bonitatis, & etiam quia tres ſunt differentiæ quaſi eſſentiales ipſius perficientes ejus virtutẽ, & bonitatẽ, & hæc ſunt rectitudo, fortitudo, ſive firmitas, & univerſalitas. Quarta autẽ differentia, de qua

Amicus totum diligit.

Inimicus Deo eſt qui vitia amat

Dei bonitas.

Nota.

Dilectio Dei.

Dilectio Dei univerſalis

Quæſtio bona.

Omnia opera Dei diligenda.

Nota.

Nota.

Nota.

Amor, voluntas, & intentio quomodo differant.

Epilogat.

Digitized by Google

locuti ſumus, quæ eſt fervor, ſive amor ipſius dilectionis illuſtrat quidem, & facit, ut melius ſe habeat, ſed non eſt de neceſſitate ipſius in eo, quòd virtus, aut bonitas, & oſtendimus tibi, quia ſeparatur ab eo multotiens. Sunt autem & aliæ differentiæ, quibus perficitur ad eminentiam: aliæ quinque, ſcilicet, quarum prima teneritudo, cujus contrarium ſuggillat Deus, Amos 6. Dicens. Et optimo unguento delibuti, nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph. Sunt enim quidam duri amatores, qui nihil ſentiunt adverſorum, quæ amicis accidunt ſenſu compaſſionis; unde & teneri amatores dicuntur, vel tenerè diligentes, qui omnia mala amicorum per compaſſionem quodammodò patiuntur in ipſis; ſimiliter & omnia bona per gratulationem. Secunda eſt amplitudo, ſeu latitudo, propter quod de mandato, quod eſt de dilectione dictum eſt: latum mandatum tuum nimis; latitudinem autem iſtam nimiam intelligimus, quia etiam comprehenduntur inimici. Nos autem extendimus eam, ut etiam comprehendat univerſum, immò univerſam ſeriem ſæculorum, ſicut jam prædiximus. Tertia verò perfectio ejuſdem eſt charitas, ſive charitudo. Quidam enim, ut ita loquamur, Deum diligunt pro modico ipſum, & quaſi vile mancipium taxantes, & quod eſt deterius, quantò pro minori poſſunt ipſum habere volentes, ſemper multò cariorem ipſum reputantes, & ut ita dicatur de pretio, pro quo eis offertur, totis viribus diminuere conantes. Si enim offertur eis Deus, totumque regnum cœlorum pro obſervatione ordinis Cartuſien. ac ſi nimis carus eis exhiberetur, & nimium pretium pro eo exigeretur: reſpondent ſe non tantùm velle facere, vel dare pro eo obtinendo, & quòd pro minori vellent ipſum habere, & ut uno verbo dicamus, vix invenitur atque rariſſimè, qui non pro leviori pretio, quàm ei offeratur, velit ipſum habere, ac ſi Deus minùs valeret omni eo, quod pro eo habendo exigitur, ac ſi periculum eis immineret in emptione ipſius, ne fortè non valeat tantùm, quantùm pro eo ab eis exigitur. Hi ſtultiſſimi, immò inſaniſſimi negotiatores neſcientes, quia quantò carius Deus emitur, tantò majus lucrum ex ejus emptione reportatur, & quantò levius emitur, ſeu vilius, hoc eſt pro leviori pretio, vel viliori, tantò minùs lucrum ex ejus emptione acquiritur; econtrariò autem ſe habet in mentibus diabolicis, & ſæcularibus, & mentibus divino amore ſucceňſis, in quibus charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum Sanctum, ad Romanos quinto. Quæ eſt finis præcepti de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, primæ ad Timot primo. Quæ ſcilicet charitas, ſive charitudo, totum contrarium in mentibus juſtorum operatur prædictis jam conditionibus. Quarta verò eſt immenſitas; quidam enim metiri, ac limitare volunt amorem ipſum, quantùm ad opera præfigentes apud ſemetipſos, quot, & quanta facienda ſint eis pro amore Dei, ut ultra ſe extendere non volentes, cogitantes apud ſemetipſos tot, & tanta pro Deo facere, vel dare, & nihil ultra, vel ampliùs. Iſti non attendunt, quod dicit veritas Joan. 3. Sic Deus dilexit mundum ut unigenitum ſuum daret. Immenſus autem eſt unigenitus ejus, ſicut univerſalis Eccleſia confitetur, & prædicat immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus. Similiter & Joannes 15. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, hoc eſt abſque menſura, ne aliquis limitet ſibi menſuram aliquam in patiendo, vel agendo amore ipſius: hæc immenſitas vocatur nimietas ad Epheſios ſecundo; propter nimiam inquit charitatem ſuam, qua dilexit nos: ſimiliter & vocatur exceſſus, Lucæ 9. ubi legitur. Erant autem Moyſes, & Elias in majeſtate viſi ſtantes, & dicebant exceſſum ejus quem completurus erat in Hieruſalem. exceſſus igitur, vocata eſt iſta immenſitas ſimpliciter, quaſi exceſſus menſuræ; exceſſus enim, & terminatio contraria ſunt. Quinta verò ſtultitia eſt, ſive dementia, qua inſtar amoris inſanientium, ſpretis, atque relictis omnibus, illum multi ſequuntur, quemadmodùm amore inſaniens Amaſius relictis patre, & matre, & omnibus aliis, Amaſiam ſequitur, vilipendens omnia alia. De hoc Matthæi quarto. Relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum: ſimiliter Lucæ quinto. Relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Hoc eſt ſtultum Dei, quod eſt ſapientius hominibus, ſicut dicit Apoſtolus primo primæ ad Corint. Hoc eſt ſtultitia, de qua dicit idem in quarto ejuſdem. Nos ſtulti propter Chriſtum: manifeſtum eſt ipſa quotidiana experientia ſenſus, quàm ſtultos, immò quàm inſanos reputet mundus eos, qui ita Deum diligunt. Hujus rei exempla evidentiſſima ſunt illis, qui mundo ſpreto ad Fratres Minores, vel Prædicatores ſe transferunt; nec mirum cùm ipſi Apoſtoli dominum Jeſum inſanum eſſe crediderint pro eo, quòd doctrinæ, & prædicationi adeò inſtabat, ut non poſſet neque panem manducare: de hoc legitur, Marci tertio. Exierunt tenere illum, dicebant enim, quoniàm in furorem verſus eſt; audemus autem, & ampliùs dicere, quia ſi propoſuiſſet in conventu omnium Angelorum, quia quædam fornicaria eſt in terris, omni libidini proſtituta, omni turpitudine coinquinata, cui validitate, vel fœditate, nulla meretrix comparabilis, hanc volo ducere in uxorem, & conſtituere reginam cœlorum, & omninò coæquare, & inſuper euſque amare eam ut pro latrociniis, ac turpitudinibus ejus crucis affigar patibulo; ſi inquam, iſta eis proponeret, & hujuſmodi, ut ita dicamus ſtultitiæ profundiſſimam, & inveſtigabilem ſapientiam eiſdem non revelaret, & ipſum inſaniſſimum reputarent, & quod Petrus ſimilia audiens, dixit eidem Matth. 16. Ipſi proculdubiò reſponderent, videlicet, abſit à te domine, non erit tibi hoc. Verùm dubitandum non eſt de ſanctis Angelis, & illa claritate fruentibus gloriæ, ſi talia eis ibidem veritas proponeret, quin ita faciendum eſſe ſtatim agnoſcerent: ſed proculdubiò ſi Petri tenebras paterentur, Petro ſimiliter reſponderent. Habet autem quæſtionem non parùm difficilem, & admirationem multam apud multos, quòd virtutes tam citò, & facilè, & tam levibus, ut videtur vitiorum, & peccatorum impulſibus & inſultibus, vincuntur, etiam extinguuntur. Primùm, quia cùm habitus ſint ſunt ex neceſſitate difficilè mobiles, contrarium autem penitùs apparet in multis: penè enim nihil faciliùs movetur à mentibus humanis, quàm ipſæ virtutes & caſus videtur facilior ab ipſis ſicut dicit poeta. Facilis deſcenſus Averni. Ampliùs. Eo ipſo quòd virtutes ſunt, ſunt fortitudines fortificantes mentem humanam; quare & invictam ſive invincibilem facientes maximè ab æquali, & inferiori; vitia autem non ſolùm infirmiora ſunt quàm virtutes, ſed etiam infirmitates, & debilitates ſunt. Ampliùs. Qualiter eſt, quòd habitus caſtitatis, vel cujuſcunque alterius virtutis, unica operatione contraria penitùs extinguitur, immò unico conſenſu in turpitudinem fornicationis: ſimiliter, & charitas quaque offenſâ mortali penitùs extinguitur? In habitibus autem naturalibus econtrariò contingit; quia neque multotiens, aut frequenter quieſcere deſtruit in nobis virtutem greſſibilem, aut voluntatem nobilem, & multotiens non videre, aut non audire, non deſtruit in nobis habitum naturalem viſus, aut auditus. Ampliùs. Si aliquis habet ſcientiam grammaticæ, ſcientiam inquam habitum, nó

Tener amor. *Nota.* *Emptio Dei.* *Immenſus amor in Deum & Dei in nos.* *Amoris inſania.* *Stultitia propter Deum.* *Nota.* *Virtutes quomodò facilè vincuntur & unde.* *Nota.*

Digitized by Google

propter ſemel loqui barbaricè, aut ſolœciſticè, nec propter ſemel ſcribere non rectè, amittit habitum ſcientiæ: & ſimili modo, ſi quis habet ſcientiam etiam muſicæ in habitu, ſcientiam etiam practicam, ſi milleſies abſurdè canat, aut citariſet, non propter hoc extinguitur in eo ſcientia hujuſmodi, neque minuitur aut læditur, quin potiùs interdùm augetur. Quæ igitur eſt cauſa, ut virtus quantumcũque fortis aut firma ſit, uno contrario actu deſtruitur, & non ſimiliter ſcientia? deinde cùm fortitudo bellica corporalis tot ſibi contrarios actus ſuſtineat, videlicet, interdùm fugam, interdùm caſum, interdùm captionem & vincula ſuſtineat, non propter hoc moritur in viro forti, & bellativo egregio, qualiter erit hoc, quòd fortitudo bellica ſpiritualis nihil contrarij actus, aut paſſionis ſuſtinere poteſt, quin ſtatim cedat, & etiam moriatur. Ampliùs.

Quæſtio eſt ſingularis.

B Cùm incompatabiliter major ſit charitas, & quicquid ejus eſt, quàm cupiditas, & luxuria, & quicquid eorum eſt, qualiter cedit alteri earum, vel quòd ex ea ſit, qualiter vincitur ab altera earum, vel ab aliquo, quod ab ipſa ſit; ipſa enim eſt ſicut pyra pergrandis, illæ verò non ſunt niſi ſtillæ modicæ. Quomodò igitur tanta pyra tam modicæ aquæ injectione, ſive ſupereffuſione extinguitur? dixerunt quidam in hoc, quia virtutes indignantis naturæ ſunt, & nec modicum fœtoris, ſeu abominationis à parte vitiorum, propter hoc pati poſſunt, & hic eſt ſermo hominum pueriliter ſentientium & res, de quibus loqui præſumimus, penè penitùs ignorantiũ, ac de ipſis vaniſſimè ſomniantiũ. Aliorũ autem ſermo eſt in hoc, quia faciliùs eſt deſtruere quam cõſtruere: hic autẽ ſermo hominũ quoquomodò effugere volentium, ſed nõ eſt ſermo diſſolvens nodum quæſtionis, & auferens dubitationem.

Nota.

C Scito igitur, quia virtutes, nec cadunt, nec deficiunt, nec ſucumbunt, nec cedunt vitijs, nec extinguuntur infirmitate, aut debilitate ſua, ſed infirmitate, aut debilitate ſubjecti ſuſtinentis, & portantis ipſas: ſunt enim in anima humana, quantùm ad præſentem miſeriam, quemadmodum bellator fortiſſimus ſuper equum debilem, aut vitiatum: quemadmodùm enim hujuſmodi bellator caſu talis equi neceſſe habet cadere, & hoc propter debilitatem ipſius equi, non propter ſuam, cùm ſit fortiſſimus; ſic & virtutes: adeò enim debilis eſt anima humana, adeò læſa ſive vulnerata, ſive vitiata originali corruptione, ut levi impulſu facilè cadat, & cum ea virtutes, quas ſuſtinet & portat.

Solutio.

Quòd ſi dixerit quis, quia virtutes debent hoc prohibere fortitudine ſua, cùm eam fortẽ efficiant, & robuſtam. Reſpondemus, quia hoc utique faciunt, quantùm, & quandiu vult, quandiu enim vult uti eis, & pugnare in ipſis, ſive agendo, ſive patiendo, tandiu fortis eſt, & robuſtus homo per eas; ubi autem negligit, & avertit ſe ab uſu earum, & convertit ſe ad contraria, eſt ſicut inſanus pugnator, qui projicit arma ſua, immò quod plus eſt, ipſam fortitudinem, & dat ſe in manus hoſtium. Hic igitur non eſt defectus armorum, immò defectus bellatoris arma ipſa, & fortitudinem abjicientis, quæ etiamſi perſiſterent victo, vel capto aut interfecto bellatore nihil tamen per ſe poſſent. Attende autem, quòd licet virtutes fortificent animas humanas, non tamen eas liberant à vulneribus & infirmitate originalis corruptionis in hac vita & ideò quantumcunque fortes & firmæ ſint virtutibus animæ humanæ, nulla tamen infirmitate & vulneratæ, & circũdatæ ſunt in vita iſta. Perſcrutatiùs autẽ & latiùs perſcrutabimur de hoc in ſequẽtibus, ſcilicet in tractatu de tentationibus, & reſiſtentijs, & plenè de hoc intelligentibus ſatisfaciemus. Debes autem ſcire, quia voluntariæ operationes ſunt, quibus maximè impugnantur virtutes, & hoc quoniàm virtutes, ut ſupra diximus, aut voluntates aut non ſine voluntate ſunt, & propter hoc impugnant etiam ſcientias, quæ virtutes ſunt, quoniàm voluntati conjunctiſſimæ ſunt utpotè erigentes, rectificantes, & vivificantes ipſam, & propter hoc ipſa cadente, & moriẽte quantùm ad vitam hanc ſcilicet gratiæ, cadunt & moriuntur ipſæ. Scientiæ verò mortuæ, à voluntate ſeparatæ ſunt, & propter hoc nihil ad ad eas de errore, aut perverſitate voluntatis; unde & perfectiſſimæ eſſe poſſunt cum perverſiſſima voluntate: nihil enim pertinet de geometria, & grammatica ad rectitudinem vitæ, vel voluntatis, aut econversò, peſſimus enim hominum poteſt eſſe optimus geometer, vel grammaticus. Jam igitur ſolvimus illud, quare ſolœciſmi, vel barbariſmi voluntarij non minuũt, aut lædũt ſcientiã grãmaticæ; ſciẽtiã autem & virtutẽ ex neceſſitate cõtrariã eſſe oporter, perverſa igitur voluntaria operatio læderet eam, aut extingueret.

Nota.

Nota.

De hoc autem quod quærebatur, quòd multotiens non videre viſum habitum naturalem non minueret, aut læderet, Reſpondemus, quia totiens, & tam diuturnum poſſet eſſe, quod omninò illum extingueret, & tale quod velut quies ei eſſet, & ideò privationem efficeret, ac roboraret. Si quis autem quærat, ſi omninò extinguuntur virtutes, quomodò tam facilis eſt reſurrectio ad illas, & opera illarum? Quidam enim adeò facilè, & citò reſurgunt à lapſibus, non tardi tamen ad pœnitentiam, ut caſtitas non videatur in eis extincta fuiſſe, ſed ad modicum dormiviſſe: in quo reſpondemus, quòd quemadmodum carbo ſubitò extinctus adhuc remanet calidus calore quodam, qualis invenitur in cineribus, & ideò faciliùs reaccenditur, quàm ſi infrigidatus penitùs, & aqua frigida humectatus, aut lautus ſit. Et in quibuſdam carne lubricis ſe habet quòd in eis etiam poſt lapſum remanet quidam calor, id eſt amor caſtè vivendi, longè quidem diſtans ab ipſa virtute caſtitatis, quemadmodùm calor in carbone extincto ſubitò remanens ab ardore ipſius. In his igitur facilè reaccendi poteſt per gratiã pœnitudinis virtus caſtitatis. Quidam verò remanent non ſolùm extincti, ſed etiam frigidi, & madidi; hi ſunt, qui poſt lapſum remanent torpidi, vel torpentes, & iſte torpor eſt in eis frigiditas ſpiritualis, remanent etiam madidi reliquijs quibuſdã præteritæ voluptatis, & horum reſurrectio longè difficilior eſt, quemadmodùm reaccenſio carbonũ, qui poſt extinctionem frigidi, & madidi ſunt facti, & ſicut lignorum de aqua frigida extractorum, vel exeuntium.

Similitudo.

Torpor ſpiritualis

D Inde eſt, quòd dum in delitijs ſunt, aut in delitiarum reliquijs, ſive etiam prælud ijs, animæ humanæ, ſeu homines, difficilis eſt reverſio, ſeu cõverſio ipſorum, quemadmodùm difficilis accenſio lignorum aqua frigida aſperſorum, & adhuc diſtillantium. Jam igitur diximus eſſentiam virtutis ſecundùm omnem intentionem, & modum, & declaravimus perfectiones ejus, ſeu differentias quibus perficitur in eo, quòd virtus veri nominis, ad hoc ut ſit virtus ſimpliciter, & non ſecundùm quid. Firmitas videlicet univerſalis rectitudo non diminuta, ſed extenſa uſque ad finem ultimum qui eſt Deus, deinde vivacitas, quæ ſufficiat movere mentem humanam, & erigere, atque elevare à languore præſentis corruptionis, quæ mortem contrariam nullatenùs ſuſtineret: hoc autem eſt ſeparatio à Deo, qui eſt vita animarum, & hæc ſeparatio eſt ſeparatio offenſæ qua amor gratiæ inter Deũ, & mẽtem humanã rumpitur, & amica Dei eſſe deſinit, donec eidem per pœnitentiam reconcilietur. Diximus etiam perfectiones, quæ ſunt veri, ac ſancti amoris, atque puriſſimi, quibus perficitur ad eminentiam, & cumulum,

Epilogus.

Nota.

mulum. Diximus etiam ſpecies amoris, & modos omnes, & differentias earum ab invicem. Poſt hæc verò dicemus ea, quæ reſtant de his quæ communiter pertinent ad virtutes, cùm oſtenderimus etiam differentias trium nominationum, quibus interdùm nominari videntur virtutes, videlicet dona, & virtutes, & fructus, ſicut legitur ad Galat. 5. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, &c. Quartam nominationem addunt quidam, videlicet beatitudinem. Octo enim virtutibus, quæ nominantur in 5 Matthęi promittit ipſa veritas beatitudinem, quemadmodùm dicitur Beati pauperes ſpiritu. Et in hac quidem declaratione, ſive diſtinctione non eſt ea utilitas, quę diſputationem, aut inveſtigationem requirat, ſed propter homines erroneos, & imbecilles, qui ſub prætextu theologicorum quærunt grammaticalia, neſcientes differentias horum ad illam, ideòque de hiſtumultu multo corrixantur, & ut ita dicam us de Deo vaniſſimè cornicantur. Dicemus rationes iſtarum nominationum.

Donum quid. Quoniàm igitur jam alibi didiciſti, quia donū eſt datum irredibile, hoc eſt tale datum quod recipientis efficitur; unde donare propriè eſt ſuum

Donare quid. accipientis facere; quia igitur ſuum fit donum accipientis, meritò non eſt cur teneatur reddere illud datori, vel alii; non autem ita eſt de pecunia data mutuò ſive de dato in mutuo. Quare manifeſtum eſt, quia omnis virtus, quæ verè eſt datum optimum, & donum perfectum deſursùm eſt deſcendens à patre luminum, ut ait Jacobus in primo, ex neceſſitate eſt donum, quia unaquæque talis largitate divina ſua facta eſt accipientis, & ideò donum, quamquàm verum ſit ex 25. Matth. & 19. Luc. quia unaquæque data eſt poſſeſſori ſuo mutuò, ſicut talentū ad negotiandum, ſicut omnia. Non oportet autē, ut detineamus te in declarando, qualiter dona Dei ejus ſunt, & ejus remanent, & poſtquàm ea nobis largitus fuerit, noſtra efficiuntur; nullum enim bonorum alienat à ſe largiendo, quod in alijs donationibus nō invenitur.

Nota. Cauſa autem in hoc eſt dominantiſſimæ poteſtatis ejus, & imperioſitatis univerſalitas, à qua impoſſibile eſt aliquid eximi, & per quam neceſſe eſt quicquid cadit, vel cadere poteſt in univerſalitatem, ſive in univerſum ſub ectum eidem eſſe ſubjectione ultima, & poſſideri ab ipſo poſſeſſione pleniſſima; nihilominùs autem, & dona ejus ſunt accipientium, & habentium ea: vides igitur, quia omnes virtutes naturales, & gratuitæ dona Dei ſunt ex ipſa ratione ejus, quòd eſt donum; propter hoc dicuntur in primo Jacobi data optima, & dona perfecta, propter quod & Auguſtinus dicit Inter dona Dei maximum charitas. Quòd ſi quis quæſierit, unde uſus ille inoleverit quòd ſeptē dicuntur eſſe dona ſpiritusſancti, & cùm de donis Spiritusſācti ſermo eſt, ſacri Doctores, & ſcholares de hujuſmodi donis ſolummodò agi intelligunt. Reſpondemus, quia aliquandò viſum eſt nobis ſeptem illa dona magis in recipiēdo conſiſtere, quàm in effluēdo, ſeu emanādo: cū enim virtutes in eo quòd virtutes, principia videātur eſſe quarūdā volūtariarū operationū, ut ſæpè diximus, iſta ſeptē dona magis videbātur nobis principia eſſe quodammodò paſſionum, hoc eſt aptitudines receptionum à fonte gratiæ in

Septē dona Spiritus ſancti. mentem humanam deſcendentium, ac defluentium. Sapere enim & deguſtare ſpirituales delitias, ac ſapores magis eſt recipere, ac influi, quàm effluere: ſimiliter & intelligere ſpiritualia, ac divina, intelligere inquam intellectu, qui eſt donum, magis videtur nobis illuminari, ſive lumen recipere, quàm lumen hujuſmodi intellectu agere, vel effluere. Juxta hunc modum videbatur etiam nobis de dono conſilij hoc eſt, quòd viri ſancti de dono iſto, vel

E ſibi, vel alijs cōſulūt. De hujuſmodi dono non videbantur nobis ſententias conſiliorum, velut de theſauro memoriæ proferre, aut de fonte peritiæ illas effluere, ſed potiùs ipſa hora illuminari, conſultationis lumina recipere, quibus non videntibus ſua pericula, ipſi efficiantur videntes. Juxta illud quod legitur in Job 28 Oculus fui cæco. *Nota.* Similiter quoque de dono fortitudinis, quòd ipſum eſſet aptitudo quædam & habilitas ad recipiendam confortationē deſursùm confortari autē magis eſt recipere, quàm agere, & proculdubiò, quia aliud eſt eſſe fortem, aliud eſſe confortabilem, ut ita loquamur, aliud eſt virtus, quæ fortitudo dicitur, aliud donum quod in iſta numeratione fortitūdo nominatur. Juxta vias iſtas de donō ſcientiæ, quæ propriè eſt boni, & mali, quia ipſum ſcire, ſive videre in bonis, & malis, eſt illuminari, & lumen quoddam deſursùm recipere, non ſicut ex theſauro elicere, vel ex fonte

Pietas. F profluere, & de dono pietatis ſimiliter; pietas enim hæc congruentiùs intelligitur veneratio, ſive reverentia ſanctorum, hoc eſt omnium eorum, quæ ſancta ſunt, in primis Dei ipſius, qui eſt ſanctus ſanctorum, & omnium ſanctorum: revereri enim ſancta, ſeu venerari interiùs, hoc eſt corde, non videbatur nobis aliquid agere, ſed magis recipere ab ipſis ſanctis; eodem modo de dono, ſeu ſpiritu timoris ſentiendum putabamus. Qui enim timet, magis pati, & recipere videtur quam agere; præterea non videtur virtuosè, vel utile aliquid agere qui timet; fuga enim potiùs videtur infirmitatis eſſe quàm virtutis. Quidam autem addiderunt huic rationi noſtræ, quia ſeptem iſta dona, ideò ſpecialiter dona

Septem dona Spiritus in petitionibus orationis dominicæ. dici obtinuerunt quia ſeptem dominicæ orationis petitionibus & petuntur & impetrantur ſicut invenies in ſcriptis eorum, & in libello beati Bernardi qui ſic incipit. Quinqueſeptena. Tu verò, ne decipias animam tuam in his, quæ grāmaticalia penè

G ſunt, ne multùm cures, utrum dona, an virtutes nominentur, quia & reverà dona ſunt, & virtutes, cùm utriuſque nominationis ratio eis conveniat. Sapientia enim virtus eſt, de qua hîc agimus, & fortitudo maxima eſt fortificans poſſeſſorem ſuum, ſicut legitur Eccleſiaſt. 7. Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis. Et iterùm; Proverbiorum 14. Vir ſapiens fortis eſt, & doctus, robuſtus, & validus, & multa alia hujuſmodi; ſic & de omnibus alijs ſex intelligendum eſt, unde & melior dicitur ſapientia, quàm vires, & vir prudens magis, quàm fortis. Majora enim & fortiora bella ſunt interiora, quàm exteriora, & ſpiritualia, quàm carnalia, & nonminus fortia bella, aut acria intellectus, quàm affectus; quod maximè apparet in prælijs, aut certaminibus ſpiritus blaſphemiæ: & propter utraque certamina dictum eſt Proverb. 16 Melior eſt patiens viro forti,

H & qui dominatur animæ ſuæ expugnatore urbium.

Nota. Qui ergo ita ſomniant de virtutibus, quia nec nomina equorum (ut dicit poeta) nec prælia, nec certamina virtutum, neque nobiles triumphos adhuc intelligunt, meritò circa grāmaticalia reptant, ſe in rebus parùm utilibus occupantes. Verùm quòd iſta dona ſecundùm intellectum hujuſmodi hominum, & virtutes ſint, multis modis, atque vijs manifeſtum eſſe poteſt & ut incipiamus à noviſſimo, quod videtur omnium infirmiſſimum: dicimus, quia timor virtus eſt, alioquin ſpes ejus contrarium virtus non eſſet, cùm omnia contraria aut in eodem genere ſint, aut in contrarijs generibus, aut genera aliorum, ut bonum, & malum de quibus dicit Ariſtoteles, quòd non ſunt in genere, ſed genera aliorum. ſpes verò non eſt in genere contrario virtutum, cùm non ſit vitium, neque genus aliorum,

Digitized by Google

ſpes verò non eſt in genere contrario virtutum, cùm non ſit vitium, neque genus aliorum, quare relinquitur ex neceſſitate ipſam eſſe virtutem. Quòd ſi dixerit, quia timor domini, & ſpes virtus non ſunt contraria, alioquin impoſſibile eſſet, quòd unquàm ſimul eſſent in eodem: verum utique dicit, quia in eodem & ſecundùm idem, & eodem modo accepta contraria ſunt, ſpes, & timor, ſicut ſperare & timere; ſpes enim non eſt niſi de bono, & timor contrarius illi non eſt, niſi de malo, quia timor etiam pœnæ gehennalis donum Dei eſt. Conſentiunt autem omnes ſacri doctores in hoc, quòd timor initialis, hoc eſt initialiter timens oculum habet ad utrumque, ſcilicet ad pœnam, & præmium, & ſervit Deo partim amore præmij, ſive juſtitiæ, partim timore pœnæ: quare ſpes, & timor contrariorum ſimul ſunt in eodem, & ideò non ſunt contraria ſecundùm hunc modum, id eſt in hoc reſpectu, ſed ſi ad idem relata fuerint, proculdubiò contraria ſunt. Omninò enim impoſſibile eſt idem, ſecundùm idem ſperari, & timeri ab eodem; quare manifeſtum eſt, quòd reverà ſimpliciter contraria ſunt ſpes, & timor, ſicut & motus eorum contrarij ſunt, videtur ſperare & timere: ſunt enim quemadmodùm inſequi, & fugere. Cùm igitur utrumque ſit bonum, & alterum manifeſtum eſt eſſe virtutem, videlicet ſpem, neceſſe eſt, & alterum eſſe virtutem: videtur inſuper quòd una virtus ſunt ſpes & timor; quemadmodùm enim ex una virtute greſſibili ſunt in animalibus motus in antè, & motus in retrò, inſecutio, & fuga, acceſſus, & receſſus: ſic in anima humana ex eadem virtute ſunt proportionales prænominatis motus ſpirituales, videlicet motus in antè, & motus in retrò, ſpirituales acceſſus, & receſſus fuga, & inſecutio ſpirituales; ſperare autem & timere ſunt ſicut fugere, & inſequi; quare ex eadem virtute ſunt: timor igitur non ſolum virtus eſt, ſed eadem virtus cum ipſa ſpe. Ampliùs. Non minoris virtutis eſt fugere, virtutis inquam greſſibilis, quàm inſequi, nec minoris fortitudinis, cùm fuerint ejuſdem velocitatis, nec virtuoſius eſt inſequi ſic, quàm fugere: quare inſequi ſpiritualiter, quod eſt ſperare, non eſt virtuoſius, quàm fugere ſpiritualiter, quod eſt timere. Ampliùs. Ejuſdem modeſtiæ ſunt loqui, & tacere, ſimiliter ejuſdem ſobrietatis bibere vinum, & ab ipſo abſtinere, & generaliter de omnibus aliis actibus contrariis & bonis. Ampliùs. Contrariorum eadem eſt diſciplina, idem ſenſus, ergo eadem virtus. Ampliùs. Eripere ſe de vinculis peccatorum effugere de carcere, abjicere jugum graviſſimum peſſimæ conſuetudinis, dimittere pallium Ægyptiacæ, ſicut legitur. Gen. 39. vincula mundi erumpere, de ſepulchro profunditatis peccatorum prodire ligatis manibus & pedibus inſtitis, & à facie ſudario abjecto à gremio terræ, ſeu tumulo, ſicut legitur Joan. 11 quis dubitat eſſe virtuoſiſſimum? manifeſtum autem eſt, quia hæc omnia per timorem Dei ſunt. Hæc autem & ſimilia, & incomparabiliter fortiora, & mirabiliora in ſequenti tractatu de operibus, & mirabilibus virtutum latiùs enarrabimus: deinde, ſi timor domini expellit peccatum, ſicut legitur Eccleſiaſt. 1. Timor inquit Domini expellit peccatum; & ſi in timore domini fiducia fortitudinis, ſicut legitur Proverb. 14. & qui timet Deum nihil trepidabit, ſicut Eccleſiaſt. 34 quomodò timor Dei infirmus? Ampliùs. Quomodò timor Dei ipſe theſaurus ejus? ſicut legitur Iſa. 33. Quomodò timor domini divitiæ & gloria, & vita? ſicut legitur Proverbiorum 22. ſi timor domini virtus non eſt? theſauri enim ſpirituales aut virtutes, aut ſcientiæ ex neceſſitate ſunt. Ampliùs. Qualiter iſte timor domini fons vitæ? ſicut legitur Proverb. 14. Quid enim aliud poteſt eſſe,

Spes. Timor. — *Simile.* — *Contrariorum eadem eſt diſciplina.* — *Effectus timoris Dei.* — *Timor Domini expellit peccatum.*

vel vita ſpiritualis, vel fons vitæ? Deinde pietas, quomodò non erit virtus? Si enim intelligatur reverentia, vel honor ſanctorum, neceſſe eſt ipſam eſſe virtutem, cùm ejus contrarium, ſcilicet irreverentia, manifeſtè vitium ſit peſſimum. Quòd ſi dixerit quis, nihil prohibet vitia oppoſita eſſe donis, ſive contraria, licet dona virtutes non ſint, manifeſtum eſt ipſum errare & hoc eſt, quoniàm uni unum ſolum ex neceſſitate contrarium eſt. Cùm igitur virtutibus, & donis vitia contraria ſint abſolutè, neceſſe eſt quaſdam virtutes eſſe dona. Ampliùs. Eſſe donum eſt nominatio, ſeu denominatio à foris, & ab accidente tantùm nominans ſive denominans: manifeſtum eſt enim præter eſſentiam rei cujuſcunque. quæ donabilis eſt, eſſe dari ſive donari, quare & fieri, & eſſe donum accidunt rebus hujuſmodi poſt completam eorum eſſentiam; quare manifeſtum eſt quòd cuicunque accidit dari ſive donari, accidit eſſe & fieri donum, quare & omni virtuti. Nihil igitur habet quæſtionis iſta diſtinctio donorum, & virtutum, circa quam tanta curioſitate laborant, & tanta imbecillitate intellectus erratur, niſi hoc ſolùm videlicet: quare Iſaïas propheta loquens de Domino Salvatore expreſsè & nominatim dixit de illis, quòd requieſcerent ſuper eum ſex illorum; de ultimo verò, ideſt, de ſpiritu timoris dixit expreſsè, quòd repleret ipſum. Cùm igitur alia dona ſint non minora, immò etiam quædam majora, ut charitas, quare de aliis tacuit propheta, & iſta ſola expreſſit in laudem redemptoris? videtur nobis, quia hæc fuit cauſa, ſcilicet quia iſta minus in eodē apparuiſſe videntur opinione Judæorum, & etiam ſpectantium, & de eo ſecundùm hominem ſolummodò cogitantium; totum enim quod agebat ſecundùm hominem, aut deſipientia, aut inſipientia hujuſmodi hominibus videbatur, & hoc eſt ſtultum Dei, atque ſtultitia, de quibus Apoſtolus in 1. & 4. ad Corint. loquitur. Similiter & ſine intellectu videbatur eiſdem eſſe Salvator, propter quod irridebant eum, velut dementem dicentes quia dæmonium haberet, ſicut Joan. 8. De dono verò conſilij propter ejus eminentiam vocatus eſt conſiliarius, & magni conſilij Angelus, per quem contra omnia mala mundo conſultum eſt omninò, nihil de eodem cognoverunt; poteſt tamen intelligi conſilium ibi profundiſſima, ſecretiſſimaque voluntas Dei Patris quam beatus Auguſtinus vocat altitudinem myſterij de ſalute generis humani, & ad Coloſ. 1. vocatur myſterium abſconditum à ſæculis. Et uſualiter etiam omne quod volumus haberi ſecretum, vocamus conſilium, & cùm volumus illud abſcondi, dicimus, conſilium ſit. Spiritus ergo conſilij ſuper eum requieviſſe dicitur, quia ſpiritus per quem tantum conſilium eidem commiſſum eſt, etiam per eundem tandem adimpletum, ideò abſque ulla inquietatione peccati requievit. De ſpiritu verò fortitudinis omninò ignari fuerunt Judæi, atque Judæis ſimiles, qui in eo ſolam infirmitatem noſtram eſſe opinati ſunt, eumque magis mortuum fuiſſe, ſive mortem ſuſtinuiſſe ex infirmitate carnis, quàm ex fortitudine ſpiritus, ſive ſpiritu fortitudinis, putaverunt. De dono verò ſcientiæ quæ verè, ac per ſe eſt boni, ac mali, circa eum ſimiliter erraverunt videntes enim ipſum eligere, atque deligere, necnon & prædicando extollere, quæ mala ipſi putabant; ea verò reſpuere, fugere, quæ ipſi bona judicabant, magis inſcium, atque ignarum boni, & mali, quàm ſcientem æſtimaverunt ipſum: cùm enim prædicaret eis. Beati pauperes ſpiritu. Beati qui lugent. Magis ipſum erroneum & falſa prædicantem, quàm ſcientem, atque veridicum ipſum eſſe crediderunt; nec dubites totum illud ſcilicet quinto Matthæi cum declarationibus ſuis atque

Nota. — *Stultum Dei.* — *Conſilium.* — *Nota.*

probationibus

probationibus ad donum ſcientiæ pertinere, ſicut apparet ex ipſa expoſitione, quam jam diu ſuper illud ſcripſimus. *Pietas.* De ſpiritu verò pietatis non minus manifeſtum, utrolibet duorum modorum pietas accipiatur: dicitur enim pietas ſecundùm duas intentiones, & ſecundùm alteram ipſe Dei cultus, quæ Græcè theoſebia vocatur *Theoſebia.* quæ cùm in Chriſto domino ultra omnem creaturarum incomparabiliter eſſet, Judæos tamen latuit, propter quod & dicebant. Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Non enim Dei cultorem, ſed magis divini cultus diſſipatorem, gentiſque illius ſubverſorem ipſum habebant, propter quod Marci 13. dicebant. Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram. Secundùm alteram verò pietatis intentionem, intelligitur virtus compaſſionis, quam in eo non cognoverunt, qui eum non ex compaſſione generis humani, ſed magis pro impietate ſua mori putaverunt, propter quod & Barrabam latronem & homicidam eidem prætulerunt. Spiritus autem timoris eum ſpecialiter repleviſſe dicitur, quantùm ad gratiam reverentiæ, quia ſecundùm hominem providebat Deum in conſpectu ſuo ſemper, propter hoc, ultra omnem cogitatum noſtrum repleverat ſanctiſſimam animam illius gratia reverentiæ, ſicut dicit Apoſtolus in quinto ad Hebræos. In omnibus exauditus eſt pro ſua reverentia. Hæc autem gratia mirabiliter purificat animas videntes, ſive providentes Deum, nec patitur aliquod culpabile, vel accedere ad ipſas, vel remanere in ipſis. Tanta quippe reverentia eſt divinæ majeſtatis intuentibus illam, ut nihil culpabile in ſeipſis ſubſtineant & ſi quid tale in ſe perpendant, tota feſtinatione excutiant, atque à ſe abjiciant. Quare ſicut benedictus redemptor plenus erat viſione patris, ſic erat plenus & reverentia ejuſdem: & ſicut viſio, qua patrem continuè intuebatur, incomparabilis erat charitatis ad omnium aliorum patrem videntium viſiones; ſic reverentia ipſius erga patrem ad reverentias aliorum. Quare & puritas ſanctiſſimæ animæ illius ad puritates non ſolùm animarum humanarum, ſed etiam Angelorum omninò incomparabilis, hoc eſt ſuper omnem comparationem major. *Timor reverentiæ.* Quia igitur timor reverentiæ ita eſt purificans & ſanctificans eos, in quibus eſt, ſpecialiter ipſum repleviſſe dicitur, quem incomparabili ſinceritate purificavit. De timore verò offenſæ, aut timore gehennæ, manifeſtum eſt repletionem iſtam non poſſe intelligi: nunquàm enim ei fuit timor, ne patrem offenderet qui certiſſimus erat, rationem, quapropter in eodem complacuit, nec minui poſſe, nec lædi ullo modorum. Si enim certus erat Apoſtolus, ſicut ipſemet teſtatur in 8. ad Roma. quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura ſeparare poterant eum à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quantò fortiùs certus erat de hoc ſecundùm hominem ipſe Chriſtus dominus; De timore quoque gehennæ certum erat ei ultra omnem æſtimationem noſtram, quia ipſe infernum erat & confracturus, & ſpoliaturus, & captivitatem ſuam inde cum triumpho gloriæ reducturus; nec timor igitur offenſæ, nec timor gehennæ replevit eum, nec in eo locum habuit ullo modorum. Propter iſtas autem tres ſpecies timoris, videlicet timorem reverentiæ, timorem offenſæ, timorem gehennalis pœnæ, quæ ab ipſo Spiritu ſancto ſunt, tanquàm dona ipſius, *Spiritus ſanctus ſpiritus timoris.* Spiritus ſanctus, ſpiritus timoris dicitur; timor enim naturalis videlicet horror mortis, naturæ eſt, non ſpiritus; timor enim humanus, atque mundanus mali ſunt uſitata acceptione Jam igitur diximus tibi, quia ſeptem iſta dona expreſſa ſunt, & enumerata in laudem redemptoris, non quia præſtantiora ſint aliis, ſed quia minus in ipſo, & ſecundùm homi-

E nem, & infirmitatem noſtram ſolam attendentibus in eo minùs apparuerunt. Cùm ergo audis dici ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, ſubaudire debes expreſſa, & enumerata in laudem creatoris ab Iſaïa propheta; non enim illa ſeptem ſola ſunt, neque præſtantiora, ut diximus. *Nota.* Scito autem, quia invenies ſanctos expoſitores ſcripturarum variè de iſtis loquentes. Donum itaque ſapientiæ Grego. vocat fidem ſuper primum Cap. Job 40. verò Ezechielis dicit, quia ſapientia pellit ſtultitiam intellectus, & hebetudinem, conſilium temeritatem, fortitudo ſimiliter ſuum contrarium, & ita de aliis, verùm intentiones iſtas textus ſcripturæ generaliter non ſequitur, & multa quidem poſſemus hîc dicere, ſed onerare te nolumus. Paucis igitur aperiemus tibi intentiones ſeptem iſtarum nominationum, juxta F generalitatem ſcripturæ ſacræ; dicemus igitur eas intentiones, in quibus non invenies diſcrepantiam à libris prophetarum, vel aliis libris canonicæ ſcripturæ. *Sapientia quale donum ſit.* Sapientia igitur donum eſt, quo mundatur, atque rectificatur palatum cordis, & etiam ſublimatur, ut in eo ſapores poſſit in quos naturæ poſſibilitate non poſſet. De quo beatus Bern. Sapientia inquit eſt, qua ſapiunt res prout ſunt, hoc eſt bonæ vel malæ. De hoc Eccleſ. 6. Sapientia doctrina ſecundùm nomen ejus, hæc eſt ſapida prout nomen ejus, quod eſt ſapientia indicat; de hac Tullius videtur aliquid ſomniaſſe cùm dixit quia ſapientia eſt virtutum condita ſcientia. *Sapientia quid.* Ex his ergo omnibus evidenter colligitur, quia ſapientia ſapida eſt vel ſaporata cognitio, & hoc duobus modis intelligendum eſt, videlicet, quia ſapore afficit cognoſcentem, ſapore G ſcilicet ſublimis delectationis, quæ eſt ex ſenſu ſpirituali divinæ ſuavitatis; propter quod diximus, quia donum ſapientiæ ſublimat palatum cordis, adeò enim eſt longè ab aliis ſuavitatibus, & voluptatibus illa, quam de ſeipſa effundit, & qua mentes humanas perfundit divina bonitas, ut non niſi novo guſtu ad eam poſſit palatum humani cordis; propter hoc igitur ſapientiam donum, guſtum iſtum novum, atque ſublime intellexerunt quidam non improbabiliter, neque neceſſe eſt ut unus guſtus ſit ſpiritualis, ad guſtandos omnes ſapores ſpirituales, ſicut unus eſt guſtus corporalis ad guſtandos omnes ſapores corporales; cauſa autem in hoc eſt, quia omnes ſapores corporales in uno genere ſunt, ſapor autem divinæ bonitatis nec ejuſdem generis eſt cum aliis, ſed longè diſſimilis, & eis nullatenùs comparandus, quare proprio guſtu ſolummodò guſtabilis, & non communi cum aliis. *Sapientia ſapor affectionis per cognitionem.* Secundo modo eſt ſapor affectionis per cognitionem, quemadmodùm accidit in cognitione pulchritudinis, ex qua cognitione eſt ſapor amoris ipſius pulchritudinis, atque ſapor deH lectationis in illa. *Sapores.* Generaliter enim ſapores appellamus affectiones animarum, & etiam diſpoſitiones rerum, ex quibus generantur hujuſmodi affectiones, quemadmodùm ſaporem dicimus bonum amorem in anima humana, & bonitatem in re bona, ſaporem ipſius dicimus, eſt enim ſapida. Sive ſapora ſcientia, ſive cùm ex ſapore rerum eſt, ſive cùm ſaporem affectionis gignit in anima, & propter hoc ſapientialis, ſive ſapientia meritò nominanda eſt. Quemadmodùm enim eſcæ ex guſtu cognoſcuntur, & olfactu, ſed hoc per ſapores, & odores ſuos, & poſſet dici hujuſmodi cognitio ſapida, vel ſapora, & etiam ſapientialis à ſapientia, ut ita dicamus guſtabili corporali; ſic & res, quæ cognoſci poſſunt velut guſtu ſpirituali per ſapores ſuos, quos diximus, quod eſt dulce ad palatum oris hoc videtur eſſe bonum ad palatum cordis, & quod amarum ſimiliter ad palatum corporis, hoc malum ad palatum cordis, & ſimiliter ſe habent ad invicem bonitas,

Digitized by Google

Quæſtio. & dulcedo ;malitia, & amaritudo. Quæſtionem **E** ramen habet, utrùm in anima humana ſit guſtus ſpiritualis reſpondens guſtui corpotali, & an delectatio guſtabilis ſpiritualis ſit aliud quàm delectatio amoris; & hoc ideò viderur, quia ſcripturæ atteſtari videnrur ram vereres, quàm novæ. Guſtate inquit propheta,& videte, quoniàm ſuavis eſt dominus. Et iterùm:Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Et idem: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, &c. ſuper mel & favum. Similiter Eccleſiaſt 24 Spiritus meus ſuper mel dulcis. Et hæreditas mea ſuper mel, & favum,& in eodem ejuſdem. Qui edunt me,adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient ; quæ omnia verba,& nomina ad ſaporem,& guſtum pertinent, ſicut illa ad olfactum, & odorem. In eodem Eccleſiaſt. Quaſi balſamum non mixtum odor meus. Et iterùm: Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris. **F** In novo teſtamento Matth. 5. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, & in Evangelio Joan. quod crebrò clamat ipſa veritas. Ego ſum panis vivus, & qui manducat me, vivet propter me. Quæ omnia teſtimonia ad guſtum ſpiritualem ,& ſapores ſpirituales indubitanter pertinent, niſi quis forſitan dicat, quia metaphoricè , & non propriè omnia illa dicta ſunt. Quòd ſi verum eſt, videlicet quòd Deus non eſt verus panis animarum humanarum, & vera refectio, ſed per ſimilitudinem tantùm dictum eſt. quemadmodùm ſi diceretur pulchritudo viſibilis cibus eſſe viſus,atque refectio,pro eo quia per illud,vel ſecundùm illud videntem dicimus. Et ſi generaliter reficere dicitur omne,quod delectat,multa videntur inconvenientia ſequi, neceſſe igitur habemus inquire-

Nota. re de hoc. In primis ergo dicimus quia videri poteſt, quòd ſicut viſus,& auditus ſpirituales idem ſunt adinvicem, & idem cum ipſo intellectu ; ita guſtus, & olfactus ſpirituales idem ſunt invicem,& etiam cum eodem: verumtamen hoc non eſt ita,& hoc eſt, quoniàm ſpiritualis apprehenſiva nobilis, unica eſt in **G** animabus humanis: motivæ verò ſpirituales ac nobiles multæ, quæ manifeſtè diverſæ ſunt ab ipſa apprehenſiva,& etiam abinvicem. Olfactus autem, & guſtus ſpirituales,vel motivæ duæ ſunt,vel motiva una, & ideò nullo modo eadem cum intellectu; non improbabiliter tamen dici poteſt,quòd viſus, & auditus ſpirituales, licet ſubjecto,& eſſentia intellectus ipſe ſint, cùm intellectus, ideſt ipſa intellectio, operatio ſcilicet prima virtutis intellectivæ, inquantùm eſt per viſibilia, viſus, vel viſio non immeritò dicatur; inquantùm verò per verba, aut alia ſigna audibilia, auditus vel auditio non minùs rationabiliter nominatur. Eiſdem quoque comparationibus ipſa virtus intellectiva viſus, & auditus, & virtus viſibilis ſpiritualis, & virtus audibilis ſpiritualis, non inconvenienter nominantur, quocunque modo intelligatur, **H** quod ſuper Evangelium Matthæi dicitur quia viſus & auditus interiores idem ſunt. Patefactum eſt tibi

Pulchra de guſtu ſpirituali. per hoc, quia igitur viſus, & guſtus ſpirituales, virtus una eſſe non poſſunt, manifeſtum eſt ex hoc, quia guſtus virtus motiva eſt ex neceſſitate, viſus autem apprehenſiva: manifeſtè autem impoſſibile eſt unam, & eandem virtutem, ſive vim apprehenſivam eſſe, atque motivam. Quòd ſi guſtus ſpiritualis eſt vis aliqua in anima humana, erit ex neceſſitate donum ſapientiæ, vel una ex perfectionibus ejus, vel unica,& tota perfectio illius: guſtus enim per ſe, & propriè non niſi ſapor eſt atque ſaporabilium. Jam enim intellexiſti, quia ſapiẽtia iſta eſt donũ vel habitus, quo res ſapiunt provt ſunt: apparet etiam ex hoc, quia hujuſmodi guſtus, ſive ſenſibile divina ſuavitas eſt in primis, & maximè, & quia illa ſola ſatietas ipſius eſt, atque repletio ſeu plenitudo. Hujuſmodi etiam ſua ſenſibilia, hoc eſt guſtabilia ſunt res aliæ, in**E**antùm ſaporabiles, hoc eſt per ſuos ſapores, & hoc nominabimus etiam tibi, atque numerabimus in ſequentibus, licet non guſtus unus eſſe videtur propter cauſam, quam diximus ſuperiùs. Non enim univocantur ſapores alij cum ſapore divinæ ſuavitatis, ſicut nec uniuntur ſpecie, nec uniuntur genere cum illa: non oportet tamen, ut guſtus divinæ ſuavitatis alius genere ſit, quàm guſtus rerum aliarum, uterque enim guſtus & donum eſt, & virtus. Quòd

Objectio. ſi dixerit quis, quòd cùm una fides ſit de Deo,& rebus multis aliis, ut de reſurrectione mortuorum, & judicio futuro, quæ ſunt res in infinitum diſtantes ab ipſo, & neque genere, neque ſpecie appropinquantes eidem, debet & eſſe unus guſtus ſaporis divinæ ſuavitatis, & aliorum ſaporum, non obſtante

Solutio. diverſitate prædicta, ſive diſtantia. In quo reſpondemus, quia fide non apprehenditur hìc Deus, niſi per ipſas res; non enim fide nuda veritas ipſius in vita iſta apprehenditur, ſed quaſi ſub operimento, & velut ſub nube univerſi, ſive univerſitatis, ſicut dicit Apoſtolus in 14. primæ ad Corinth: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Manifeſtum autem eſt, quia viſio rei ſub operimento, & viſio operimenti viſio una ſunt inquantùm viſio, ſicut viſio hominis ſub veſtimento ſuo, & viſio veſtimenti ejuſdem, & ſicut viſio coloris, & viſio colorati ſub illo, vel per illum: ſic fides de Deo per res, ſive ſub rebus, viſio una eſt. Hìc guſtus autem divinæ ſuavitatis guſtus eſt, quo ipſa veritas divinę ſuavitatis, licet ad modicum ſpiritualiter ab his, quibus datum eſt, hìc ſentitur, non per operimentum ipſius, aut ſignum, quare non eſt ſimile, quod pro ſimili inducitur de guſtu. Quòd ſi quis

Charitas. dixerit, quia charitas, qua diliguntur Deus, & proximus, una eſt, licet adeò remoti abinvicem atque diſtantes ſint Deus,& proximus; ſapientia igitur qua ſapores divinæ ſuavitatis guſtantur, & ſapor rerum aliarum una erit, non obſtante prædicta remotione, **G** ſive diſtantia. In quo ſimiliter reſpondemus, quia motus in finem,& motus in viam propter finem, ſive per viam ad finem, motus unus ſemper ſunt: ſimiliter & principium motus in finem,& motus in viam propter finem, principium unum ſunt, meritò ergò charitas habitus, qua Deus, & proximus propter illum diligitur, charitas una eſt, cùm ſit principium motus dilectionis in Deum, ut finem & principium

Nota. motus dilectionis in proximum, ut viam ad Deum finem: charitate enim proximus non niſi propter Deum diligitur. Similiter dicimus & de charitate quæ eſt actus ſeu motus diligendi, non autem ſic ſe habent ſapientia quæ eſt guſtus divinæ ſuavitatis, & ſapiẽtia quæ eſt guſtus aliorum ſaporum. Non enim ita veniunt ſaporationes aliarum rerum duabus de cauſis. Primùm, quia res malæ, ideſt vitia,& peccata, **H** viæ nullo modo ſunt ad ſaporationem divinæ ſuavitatis. Secundò, quia res bonæ ,& benè ſapientes ſecundùm hujuſmodi guſtum, non ſunt viæ ad divinæ bonitatis ſuavitatem, niſi in eo modo generali, quo omnia bona viæ quædam ſunt ad indicandam divi-

Sapientia. nam bonitatem. Si quis autem voluerit dicere, quia ſapientia una numero eſt omnium ſaporabilium, ita ut Deus de univerſitate ſaporabilium eſſe intelligatur; nos nolumus contendere de nomine, dummodò rerum veritas, quatenùs poſſimus, eluceſcat. Scimus enim unum tactum numero naturalem habitum eſſe, licet tanta ſit diverſitas, atque diſcrepantia tangibilium. Calidum enim & frigidum, aſperum & lene, molle & durum, acutum & obtuſum grave & leve, licet in generibus quinque ſint, unius tamen ſenſus numero ſenſata ſunt, videlicet tactus; cauſa autem in hoc eſt propria, quia & idem inſtrumentum & idem modus ſentiendi omnia illa. Eadẽ

enim pulpa digiti, qui vocatur index, omnia illa tactu ſenſibilia ſunt. In guſtu autem, quem ſapientiam vocamus, ſicut nec idem genere ſapor, ita nec modus, ipſo enim ſapore ſuo ſentitur divina ſuavitas. Res autem aliæ non ſic, ſed magis per apprehenſiones introducuntur apud animam, tam ipſæ, quàm ſapores earum, niſi fortè de rebus ſint, quæ apud animam, ſicut propriæ virtutes & dona unicuique animæ ſaporibus ſuis ſapiunt, eamque delectant, atque reficiunt, cùm ea ſenſerit, quod valde rarum eſt. Res verò quæ foris ſunt, hoc eſt extra animam, ſapores ſuos animabus noſtris, non niſi per apprehenſiones ſuas ingerunt, niſi fortè fuerint res abſtractæ, quales ſunt Angeli ſancti, quorum præſentia, & ſpiritualis agitatio animas humanas & interdùm licèt rariſſimè, mira ſuavitate reficit, & delectat, & hoc eſt quoniàm applicatio earum ad animas à contagiis ſenſibilium, ac vitiorum elevatas facilis eſt. Hujuſmodi animæ ſunt in orizonte regionis ipſorum, & tanta eſt conjunctio interdùm ad ipſas, ut ipſos Angelos ſanctos intra ſeipſas ſentiant eſſe, propter quod propheta Zacharias dicebat tam crebrò: & dixit Angelus qui loquebatur in me. Nec mirum ſi hæc de Angelo facta, cùm de ipſo Dei filio dixiſſe legantur, ſicut dixit David. Regum 2. penultimo. Spiritus domini locutus eſt per me. Et in pſal. Audiam quid loquatur in me dominus Deus De hujuſmodi autem conjunctione ſeu applicatione loquemur loco ſuo, videlicet in tractatu de ſubſtantiis abſtractis, ſeu ſpoliatis. Revertamur autem ad id in quo eramus, & dicamus, quia ſi non eſſet divina ſuavitas, niſi quemadmodùm ſuavitas pulchritudinis non eſſet ex eo jucundatio, aut beatificatio per ſe, aut propriè, niſi viſus ſpiritualis, hoc eſt intellectus, & hoc poſſet alicui videri ex eo quod dicit Auguſtinus. Quia nobis promittitur aſpectus ſummæ pulchritudinis, & ex eo quod alibi dicit. O purgatarum mentium ſuaviſſima lux. Sicut enim lux, & pulchritudo corporalis ſuum ſunt ſenſibile, ſuumque delectabile viſus exterioris, ſive corporalis; ſic lux, & pulchritudo ſpirituales ſuum ſunt ſenſibile ſpiritualiter, ſuumque delectabile viſus ſpiritualis, hoc eſt intellectus: quare ſecundùm hoc non eſſet Deus per ſe, & ſecundùm ſe jucundans, atque beatificans totam mentem humanam, ſed ſolam unā ex viribus ejus. Hoc autem manifeſtè impoſſibile eſt, cùm aliarum viriū nec minora ſunt merita, nec minores gratiæ apud ipſum: quare & nec erunt minores retributiones æternæ beatitudinis in aliis viribus ſuperioribus, ſcilicet ac nobilibus, quàm in virtute intellectiva. Ampliùs. Cùm in rebus creatis præter lucem veritatis, qua lucent, alia viſui corporali tantùm, alia viſui ſpirituali tantùm, ut ſunt immaterialia materia, & abſtracta, & præter pulchritudinem, qua ſimiliter delectant, utrumque inveniatur ſuavitas, ac ſaporoſitas tam multiformis, tam multa; tamque varia, meritò fortiùs in fonte omnium iſtorum Deò, videlicet in fonte lucis pulchritudinis, atque ſuavitatis invenitur ſuavitas congruens copioſitati, ac redundantiæ tanti fontis, ſi luminoſitas, ac pulchritudo in rebus ex luce primà ſunt, ac pulchritudine. Quoniàm ſuavitas tam multiplex in rebus non erit niſi ex prima ſuavitate. Ampliùs. Etſi in Deo eſſentialiter unum ſunt pulchritudo, & bonitas, ratione tamen, ac relatione adeò differre videntur, ut pulchritudo inquantùm pulchritudo per ſe, ac propriè delectabile ſit intellectus, erit ex neceſſitate bonitas in eo, quòd bonitas per ſe proprium delectabile, affectus. Ampliùs. Aut affectus noſter ſuum habet delectabile in Deo proprium, aut non: ſi non, non eſt igitur ipſe ſufficienter beatificans animam humanam per ſeipſam, ſed tantùm, ſecundùm partem, ſive ſecundùm quid: ſi ſic, non erit illud niſi vel bonitas, vel ſuavitas, vel aliud hujuſmodi. Ampliùs. Nulli dubium eſſe debet quin Deus & amabilis ſit & deſiderabilis: aut igitur eſt amabilis, & deſiderabilis tantùm, quia luminoſiſſimus, atque pulcherrimus, aut in alia aliqua nominatione ſeu comparatione; quòd ſi amabilis tantùm in eo, quòd luminoſiſſimus atque pulcherrimus; ergo tantùm ſecundùm viſum interiorem, hoc eſt ſecundùm intellectum; quare non erit amabilis toto corde, neque animæ humanæ ſecundùm ſe totam, & ideò nec quærendus, quare non erit finis ipſius totaliter, nec ipſa ad fruendum eo totaliter creata: quòd ſi eſt amabilis in alia comparatione, & nominatione, videlicet quia bonus, aut quia ſuavis, erit igitur alia ſuavitas animæ humanæ ex illo, quàm ſuavitas ſecundùm viſum interiorem, ſeu intellectum; quare ſecundùm affectum erit Deus etiam jucundans, ac beatificans animam humanam. Quòd ſi dixerit, ſuavitas inæſtimabilis erit animæ humanæ ex gloria ipſius, cùm viderit eam, quemadmodùm gaudium eſt amanti ex gloria amati, cùm eum viderit, & tantò majus quantò magis & majorem eam viderit; Verùm utique dicit indubitanter, & gaudium hujuſmodi gaudium eſt ſinceræ, veræque dilectionis, de quo non eſt dubitandum, quin eo gaudio gaudeant inæſtimabiliter Angeli ſancti, Regem Regum in decore ſuo videntes, ſicut legitur Iſaiæ 33 Et non incongruè intelligitur de iſto gaudio id quod ſupra diximus. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Verùm hæc dicere cum præcedentibus, eſt ponere animam humanam intellectum tantùm eſſe, quantùm ad id, quod eſt in ea nobile, atque præcipuum. Vis enim creata propter videndum tantùm, ſive ſpiritualiter, ſive corporaliter viſus tantùm eſt ſive corporalis, ſive ſpiritualis; quare non aliam ponunt beatitudinem animæ humanæ, hoc eſt ultimam perfectionem ejus, quàm videre Dei pulchritudinem, aut gloriam, ſive luminoſitatem, ſive tantùm viſum ſpiritualem, id eſt intellectum eam ponunt. Ampliùs Qualiter ſecundùm hoc beati ſunt Angeli ſancti? Si enim videndo tantùm, ut diximus, cùm tota ſubſtantia eorum & beata & glorioſa ſit, ipſæ ſubſtantiæ angelicæ non erunt niſi intellectus abſque ſenſu ſpirituali, & affectu, quemadmodùm diximus, affectum ſcilicet amoris, quem habent ad creatorem, per quem de gloria ejus incredibiliter gaudent, & beatificantur: ſenſum autem ſpiritualem vocamus, quemadmodùm, quo vita ſentitur, qua nos vivere ſentimus. Quòd ſi Angeli ſancti non ſentiunt ſe vivere, ſed ſciunt tantùm ſe vivere, quemadmodùm ſciunt & de aliis, niſi quòd vitam ſuam à propinquiori vident, quàm alienam, error iſte eſt, qui inducit nos in condemnationem hominum, & quantùm in eo eſt in confuſionem rerum. Senſus enim de quo loquimur, intima ſcientia eſt, nec aliud eſt ſentire, quàm ex intimo & immediato ſcire, quapropter qui ex intimo & immediato divinam bonitatem ſciunt, illam ex neceſſitate ſentiunt, ſentiunt autem illam qualis ipſa eſt, & propter hoc ſuaviſſimam illam ſentiunt; & iſte ſenſus divinæ ſuavitatis guſtus intùs eſt ſapientialis, ſive ſapientia de qua loquimur hîc. Nullatenùs enim dubitandum eſt de fonte ſuavitatis, quin & ipſe ſuaviſſimus ſit ultra omnem cogitatum, & in ultimitate ſuavitatis, & quin ipſa totaliter gloria ſit & beatitudo, atque perfectio ultima animarum humanarum glorificans eas, & beatificans, atque perficiens conjunctione ſua ad illas, conjunctione inquam illa ultima. quæ in patria expectatur Et de hac loquemur in tractatu ultimo hujus partis, videlicet in tractatu de meritis, & retributionibus. Hæc igitur

Abſtracte ſubſtantiæ. *Orizon.* *Nota.* *Vide.* *Deus amabilis.* *Gaudium veræ dilectionis.* *Senſus ſpiritualis.*

E F G H

E eſt intentio hujus nominis ſapientia, videlicet ſapida *Sapientia.* ſeu ſapora ſcientia; ſapientia etiam hæc vel generalis eſt omnium ſaporabilium, ut prædiximus, vel duplex eſt, quarum altera propria eſt divinæ ſuavitatis, ſeu ſaporoſitatis, altera verò generalis omnium aliorum ſaporum, atque ſaporabilium. Interdùm autem & apud nos, & apud philoſophos ſapientia intelligitur ſublimium atque profundorum cognitio, unde divinales ſcientiæ ſapientiales apud eos vocantur, & divina ipſa ſapientia propriè dicitur ſapientia, propter quod inſipiens propriè rerum divinalium ignarus eſt, quantumcunque peritus ſit aliarum. Juxta illud. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. *Call. ditas. Providentia.* Profundorum verò, atque latentium cognitio etiam ſapientia vocatur, propter quod etiam calliditas ſapientia accipitur, ſimiliter & providentia, ſicut Proverbiorum vigeſimo quarto. Sapientia ædificavit ſibi domum, & ejuſdem 13. Sapiens mulier ædificat domum ſuam, inſipiens extructam quoque manibus deſtruet. De calliditate quoque in eodem ejuſdem. Sapiens timet, & declinat à malo. F Propter ſublimitatem igitur, ac profunditatem rerum, dicit Auguſtinus ſuper primum Job, quia ſapientia fides eſt, vel propter hoc forſitan, quòd comparatione futuræ cognitionis, etiam ſapientialis cognitio in vita iſta fides eſt, id eſt credulitas, licet indubitata, ars quoque operandi interdùm ſapientia dicitur Exodi trigeſimo ſexto. Fecit ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens, quibus dedit Deus ſapientiam, & intellectum, ut ſcirent fabrè operari, quæ in uſus ſanctuarij neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Deus. Scito iſtas intentiones, ſive acceptiones eſſe uſitatas, & in ſcripturis creberrimas. Debes autem ſcire, quia quandoque in ea opinione fuimus, ut crederemus unamquamque virtutem, ſapientiam, & artem eſſe propriæ operationis, verbi gratia, juſtitiam, ſapientiam eſſe & artem operandi ea, quæ juſta ſunt, & juſtè agendi. Hoc autem opinabamur duabus de cauſis, videlicet, quia virtus omni arte certior eſt, & melior, G ſicut dicit Ariſtoteles; *Ariſtot.* & propter hoc meliùs operatur, ac ſapientiùs, qui ex virtute operatur, quàm qui ex arte. Deinde quia ipſa virtute cognoſcitur res interiùs, tanquàm ex odore, & ſapore, & ideò ſapientialiter, arte verò cognoſcitur res exteriùs, tanquàm ex colore, & aliis extrinſecis. Non enim juſtus ſimpliciter ſolummodò cognoſcit juſtitiam, quin etiam ſaporabiliter in ea delectari videtur, ſicut legitur Proverbiorum vigeſimo primo, ubi dicitur, quia gaudium eſt juſto facere judicium. Videbatur enim nobis, quia caſtus non ſolummodò odiret fœditatem luxuriæ, ſed etiam abominaretur: abominatio autem propria ſaporatio eſt fœditatis, & petulantiæ. Verùm non ſequitur, ſi caſtus abominatur fœditatem, vel petulantiam luxuriæ, quòd hoc ex caſtitate faciat. H Sapientia enim hæc forſitan omnium virtutum comes eſt: ex caſtitate igitur fugitur, oditur atque perſequitur contrarium: ex ſapientia verò abominatur illud, ut fœdum, ſeu ſpurcum. Virtus enim caſtitatis ſicut purificat carnem, & ſpiritum, ſic & cordis mundat palatum, & præparat ad guſtum ſpiritualem, ſeu ſapientialem; mundo verò palato cordis ſemper infundit Deus ſapientiam iſtam. De ipſa verò inimicitia juſtitiæ, quòd etiam ſaporatio quædam ejus ſit, una intentione dubitari non debet, ſimiliter & de inimicitia caſtitatis, & hoc apparebit ex ipſa nominatione, & enumeratione ſaporum. *Nota.* Unumquodque enim vitiorum etiam cùm non impugnat virtutem contrariam, ſapit tamen eidem virtuti inimicum, tentando quidem, & impugnando ſe gerit inimicum, quoniam & per omnia palato virtutis contrario ſapit inimicum, unde & odium ſui eidem ingerit, cùm in ore intellectus

E per cogitationem fuerit, quemadmodùm quodlibet ſaporum cùm in ore ſaporem ſuum palato, & faucibus ingerit. Quòd igitur palato virtutis contrarium vitium odium ſui ſemper ingerit, cùm in ore ejuſdem, ut diximus, fuerit licet in nullo hoſtem ſe gerat, hoc eſt licet nec tentando, nec impugnando virtuoſam animam contra ſe provocet, odium, & inimicitiam ſaporem ſpiritualem meritò diximus. Deinceps verò nominabimus & numerabimus, ac declarabimus tibi ſapores iſtos ſapientiales. *Sapores quid ſunt.* Dicemus igitur in primis, quia ſapores iſti ſunt diſpoſitiones rerum, quæ natæ ſunt in nobis generare affectiones, ſicut amabilitas, & odibilitas, ex quibus naturaliter in animabus noſtris generantur affectiones, quæ ſunt amor, & odium; & ad hunc modum ſe habet de aliis; quare neceſſe eſt eundem eſſe numerum hujuſmodi diſpoſitionum, qui & ſaporum, & hujuſmodi affectionum. Quia igitur bonitas prima eſt in diſpoſitionibus hujuſmodi, erunt ex neceſſitate primi ſapores in rebus ipſi modi, ſive materies bonitatis & propter hoc neceſſitas, qua res aliqua neceſſaria alicui eſt. F Deinde ſalubritas, tertiò ſanitas, quartò utilitas, quatuor hæc bonitates uſu notiſſimo vocantur. Verùm iſtæ bonitates ſunt bonitates recurvatæ, ſive reflexæ, & bonitates cui; contraria autem earum ſunt ſimiles malitiæ, id eſt malitiæ cui; & propter hoc non generantur in animabus noſtris ex eis, niſi ſimiles ac proportionales eis affectiones, videlicet odia recurvata, ſive reflexa. Hujuſmodi bonitates, ſive bona unuſquiſque amat, & quærit ſibi, vel ſuis, ſimiliter & contraria ſibi ipſi, ac ſuis odit. Bonitas verò abſoluta, hoc eſt abſolutè, ſimpliciterque conſiderata amorem rectum parit in verè conſiderante, ſive cognoſcente illam, *Bonitas.* & iſte amor eſt veri nominis amicitia, ſicut oſtendimus in præcedentibus, & hæc eſt bonitas divina, quæ non habet veri nominis contrarium: ſi enim haberet contrarium, haberet coæquale, & coæquævum, cùm omnia contraria veri nominis & coæqualia ſint, & coæquæva. G Debes autem reminiſci, quia in præcedentibus, & *Epilogat.* nominavimus & numeravimus tibi affectiones animarum humanarum in Deum, quarum primam diximus eſſe timorem, & hunc diximus eſſe triplicem. Primum atque rectiſſimum diximus reverentiæ, & hunc parit in nobis glorioſitas ipſius, & magnitudo, ſive magnificentia. Secundum diximus eſſe timorem offenſæ, *Timor primus ſapor animæ.* quem potiſſimùm parit in nobis amor noſter in ipſum, & prælarga beneficentia ejus in nos. Tertium diximus eſſe timorem pœnæ, & hunc parit in nobis ejuſdem juſtitia, quæ nos non ſinit impunè peccare. Prima igitur affectionum noſtrarum in Deum, primuſque ſapor ipſius quo nobis ſapere incipit timor eſt, propter quod & in pſal. & Eccleſiaſtico ſcriptum eſt. Initium ſapientiæ timor domini. H Hoc eſt initium ſapientiæ cœleſtis, & ſaporationis quâ Deum ſapere, & ſaporare incipimus, timor ejuſdem eſt. Forſitan & propter hoc dictum eſt illud. Primus in orbe Deos fecit timor. Secunda *Spes.* affectio in eum ſpes eſt, & hæc ſimiliter triplex prima veniæ, ſecunda gratiæ, & iſtas duas parit in nobis miſericordia ejus; per hoc enim quòd miſericordem eum novimus, & veniam delictorum quæ commiſimus, & gratiam, qua ſimilia de cætero devitemus, eique acceptabiliter vivamus, ab eodem ſperamus. Tertia eſt ſpes gloriæ, ſive retributionis æternæ, *Spes gloriæ.* quam pariunt in nobis miſericordia, & veritas ipſius, miſericordia, ſcilicet, qua promiſit, & veritas qua in promiſſis veracem ſe exhibebit. Tertia affectio in ipſum eſt pudor, *Pudor.* quo in conſpectu ſanctiſſimorum oculorum ejus aliquid indecens, vel inhoneſtum vel habere, vel facere erubeſcimus; & hanc affectionem parit in nobis jugis, & continuus om-

Digitized by Google

nium, & noſtrorum, & alienorum intuitus. Quarta eſt amor, & hanc parit in nobis pulchritudo ipſius, *Amor.* cujus aſpectus parit gaudium inexplicabile, & hic amor eſt, unde dicitur amator. Et de hoc liber Canticorum refertiſſimus eſt, propter quod & canticum amoris quadam ſui nominatione dicitur, de hoc Sapientiæ nono Amator factus ſum formæ illius. Et iterùm. Hæc enim ſpecioſior Sole. *Eſuries ſive ſitis.* Quinta eſt eſuries ſive ſitis, & hanc parit in animabus humanis ejuſdem reficientiſſima ſuavitas, de hac Eccleſiaſt. 24. Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt adhuc ſitient & ad eam pertinent omnia teſtimonia illa, quæ pro guſtu ſpirituali induximus ſuperiùs. *Amor debitus.* Sexta eſt amor neceſſarius ſeu debitus quem ſupernaturalem diximus, & hanc parit in naturalibus, & cognoſcentibus prælarga beneficentia ipſius, qua creatorem, patrem, nutritium cuſtodem, defenſorem, a protectorem, ac inceſſanter omnium bonorum largitorem ſe exhibuit, & exhibet. *Amor rectus.* Septima eſt amor rectus, qui veri nominis amicitia eſt & dilectio ſinceriſſima, & ſecundùm uſum modernorum charitatis nomine ſola digna; hanc verò parit in agnoſcentibus & conſiderantibus bonitas ipſius pura, & abſoluta per ſeipſam conſiderata parit inquam quantùm in ſe eſt: non enim idonei ſumus tam ſancta dilectione ardere in ipſum, ſicut nec idonei intueri ipſum, vel agnoſcere propter malitiam originalis corruptionis, & elongationem noſtram multiplicem ab ipſo, quàm & ſtatus præſentis miſeriæ facit, & peccata. Apparet igitur tibi, quia ſeptem ſunt affectiones bonæ animarum noſtrarum in Deo, ultima autem eſt omnium rectiſſima, puriſſima, ac nobiliſſima, & ſola ſecundùm ſe remuneratione digna. Quòd enim omnes alias remunerat Deus, ex affluentiſſima largitate ipſius eſt, & veritate, qua ſperantes nunquàm promiſſis defraudat, injuriæ verò, & peccata ſunt affectiones quas narrabo & enumerabo tibi, affectiones inquam bonæ, quarum prima timor, peccatum enim omne pœnale eſt, propter Dei juſtitiam, & etiam propter propriam malitiam, & hic eſt primus ſapor peccati quo palato cordis ſapit pœnale, & iſte ſapor ſeu ſaporatio ejuſdem timor eſt, & eſt initium ſapientiæ iſtius, qua peccata, & vitia nobis ſapiunt quod ſunt & qualia ſunt. Secunda eſt dolor, & per hunc ſapit peccatorum vulnus, aut læſio ſicut legitur Iſaïæ 1. Vulnus, & livor, & plaga tumens, non eſt circumligata medicamine. Tertia eſt pudor, & per hunc ſapit turpe, & erubeſcendum. Quarta eſt ira, & per hanc ſapit nobis injuria, & provocatio ad vindictam, & de ipſo, & de nobis. Quinta eſt indignatio, per hanc ſapit nobis indignatio, non ſolùm qua indignum eſt ut fiat à nobis, ſed etiã ut ſuſtineatur. Sexta eſt odium, & per hanc ſapit nobis inimicus noſtri, & impugnatio & ideò armamur contra ipſum, & bellum eidem indicimus. Septima eſt contemptus, ſive aſpernatio, *Nota.* & hanc parit in nobis inutilitas ipſius. Octava eſt abominatio & hanc parit in nobis ſpurcioſitas, & fœculentia ipſius & eſt nobis provocans nauſeam ſpiritualem, quia ipſum à nobis rejicimus. Nona eſt horror, quia ab ipſo reſilimus, ſicut à mortifero, & venenato, & hanc parit in nobis mortiferitas, ut ita dicamus, ipſius ſicut legitur Eccleſia. 1. Quaſi à facie colubri fuge peccatum, & alia quædam, quæ ibi leguntur. Decima, execratio & hanc parit in nobis ipſa pollutio, & propter hoc declinamus ab ipſo, quaſi à ſacrilegio ſpirituali. Undecima eſt deteſtatio, & hanc parit in nobis impietas ipſius, qua contra Deum eſt, & cultum ejus. Scito autem, quia omnes cæteræ diſpoſitiones vitiorum, & peccatorum ad has referuntur. Quòd enim peccata, & vincula, & carceres, & ſervitutes ſunt, ad mortife-

A ritatem evidenter pertinent. Hi ſunt undecim ſapores boni quibus vitia, & peccata ſapiunt palatis cordis benè diſpoſitis, hæc ſunt aromata, ex quibus *Aromata.* medicamentum contra peccata conficitur, hæ ſunt cuſpides peccatorum, quibus ſalutaris compunctio cordium noſtrorum fit, & medicina vulnerum, quę ipſa peccata intulerunt, hæ ſunt repercuſſiones haſtæ peliadis, quæ ſuorum vulnerum medicamentum præſtant, hoc eſt plumbum in ſagitta cupidinis, *Theriaca.* hæc eſt theriaca, de ipſo veneno venenatorum confecta, quæ venenum vitiorum, & peccatorum mortificat, & expurgat: *Loci.* hi ſunt loci, de quibus argumenta elicit Spiritus Sanctus, ex quibus undecim concluſiones infert, & undecies concludit cordi humano, ſicut legitur Joannis 16 Arguet mundum de peccato, hoc eſt de ipſo peccato eliciet argumenta ad repellendam, & confundendam inſaniam, atque ſtultitiam peccantium; hæ ſunt allegationes ex quibus ducatur ſententia damnationis peccati. B Juxta id quod legitur ad Romã. 8. De peccato damnavit Deus peccatum, hoc eſt de peccato ipſo allegationes ſumpſit, & quotidiè ſumit in pœnitentibus allegationes, ex quibus in ipſis damnat, & damnari facit peccatum, ſicut proprio gladio Golias occiditur, ſicut legitur 1. Reg. 17. Sicut proprio pugione Holofernes occiditur, ſicut legitur Judith 13. *Res temporales.* Res autem temporales, quæ divitiæ vocantur, ſunt animabus benè diſpoſitis etiam ſapores benè diſpoſiti, ſive affectiones. In his ergo primum eſt, ut ſapiant lutum, ſicut legitur Abacuc 2 Uſquequò aggravat contra ſe denſum lutum. Avaro enim non lutum ſapiunt aurum, & argentum, ſed divitias. Secundum eſt ut ſapiant picem. Juxta quod legitur Eccleſiaſt. 13. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. Tertium eſt, ut viſcum ſapiant glutinoſitate ſua, ſicut dicit Auguſtinus ſuper pſal. quia amor temporalium C viſcum eſt ſpiritualium pennarum. Quartum eſt ut ſapiant ſtercora. Juxta illud quod dicit Apoſtolus in 3. ad Philip. Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifacerem. Quintum eſt ut ſapiant ſpinas multipliciter pungentes, & exulcerantes cor humanum, ſicut legitur 8. Luc. & 4. Marc. in parabola de ſeminibus. Sextum eſt ut ſapiant fallaciam, ſive deceptionem, quem habent ſicut dicit veritas Math. 1 . Fallacia divitiarum ſuffocat verbum. Septimum eſt, ut ſapiant vanitatem. Quæ igitur ſunt diſpoſitiones bonorum temporalium, videlicet, quæ cum tempore veniunt, & cum tempore tranſeunt, & amittuntur, ut ſeptem ſapores in benè diſpoſitis animabus pariunt. Primum lutum, cujus viliſſima eſt abundantia, propter quod cui divitiæ lutum ſapiunt, abundantia eorum ſapit eis viliſſimam & ideò rejicibilem, D & nullatenùs congregabilem, *Dives avarus.* ideſt congregari dignam, & divitem non aliud eſſe, quàm hominem de acervo, ſeu luti congerie, magna dementiſſima cæcitate illuſum, & de eo tanquàm de acervo divitiarum nobilium gloriantem; & de aliis in ſermonibus exhortationum jam multa diximus & in ſcripturis canonicis, ſcriptiſque ſanctorum multa memoriâ digna leguntur. *Divitiæ pix.* Quomodò enim pix ſunt divitiæ inquinantes amatores ſuos inquinatione adhærenti, & glutinoſa. *Divitiæ viſcus.* Quomodò viſcus miſera corda quæ ſe eis afficiunt, retinent, & hoc vel in parte, vel in toto inſtar avicularum, quæ ſe virgis viſcatis affricant, ibique, vel ex toto captæ retinentur, vel non ſine amiſſione, ac detrimento plumarum inde evolant; unde plumas bonarum cogitationum, & bonarum affectionum avari, & cupidi, aut ex toto, aut ex parte magna amiſerunt, & in viſco divitiarum reliquerunt. Ibi enim intima ſua projecerunt, ut legitur Eccleſ. 5. *Divitiæ ſtercora.* Quomodò ſtercora ſunt, & propter quid, unde & inquinant ſemper, &

Digitized by Google

Terra fex elementorũ apud Philoſophos. Similia.

A & fœtere faciunt contrectantes. Qui enim cœlum, & cœleſtia redolere deberent, & aromatibus virtutum, cæterarumque gratiarum fragrare, terram olent, & terram ſapiunt. Manifeſtum eſt, quia terra fex eſt comparatione cœli, & fex elementorum apud Philoſophos reputatur, propter quod, & in imo ſive in infimo, hoc eſt in medio mundi reſidet. Quomodò ſpinæ ſint ipſæ divitiæ innumerabilium ſollicitudinum, timorum, dolorum, & etiam ulcera, ſeu vulnera contrectantibus inferant; quomodò fallaces, & muſcipula, quæ volentes, & putantes capere capit; quomodò mendacium, dum promittentes ſatietatem & copiam, ſolam famem, aut inopiam, aut eorum augmentum exolvunt; quomodò vanitas ſunt, dum nec conferunt plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti in eis, aut pro eis, ut in aliis locis jam multotiens, & multipliciter declaravimus, & in ſermonibus declamatoriis declarare quotidiè non ceſſamus. Sunt & aliis ſapores earum, videlicet quibus ſapiunt onera demergentia in profundum mortis, & tenebrarum, reclamatoria furum, latronum, & raptorum, & provocatoria eorum, non ſolùm ad omnem ſurreptionem, & rapinam eorum, ſed & in omne periculum, & omnem mortem poſſidentium eas. Tertiò ſapiunt litigium, unde & mulierem litigioſam plerunque affluentiam iſtam temporalium, in expoſitionibus Librorum Salomonis interpretati ſumus. Pro hac enim omnia auditoria, ſeu conſiſtoria litium tumultibus, & clamoribus perſonant: eodem modo & bellum ſapiunt divitiæ, & bellorum pericula omnium, propter quod vir dives, & opulentus omni generi inſidiarum, & oppugnationum expoſitus eſt, non alia de cauſa, quàm propter ipſas divitias; ſapiunt etiam gladium, quia vulnere amoris mali ſui transfigunt corda hominum; ſapiunt & ignem, quia ardoribus cupiditatum exurunt eadem; ſapiunt & aquam nimiam, quia fluctibus, ſeu undis noxiarum ſollicitudinum demergunt, & extinguunt corda hominum. In univerſo igitur quatuordecim ſunt ſapores divitiarum in eo, quòd divitiæ ſunt, quibus palatis ſanis, & guſtu ſaporum talium præditis ſapiunt. Spectaliter autem ciborum & potuum duodecim ſunt ſapores ſpirituales cuilibet, ſimiliter palatis ſapientialibus ſapiunt. Prima eſt defectio, ſeu conſumptio proprij corporis, & hanc ſapiunt in eo, quòd alimenta, ſeu refectiones; non enim ſunt alimenta, ſeu refectio, niſi deficientis & conſumpti reparatio. Secundus eſt medicamentum, in quo ſapiunt benè ſapientibus, ægritudines, & febres, quarum, velut acceſſiones, ſunt fames, & ſitis; propter quod dicit Auguſtinus ſuper 14. ad Rom. quia alimenta ſumenda ſunt tanquàm medicamenta; & propter hoc non ſolùm cum temperantia & menſura debita, ſed etiam cum ipſa memoria mortis, cujus pulſatio eſt, ſive impulſio impellens ad illam acceſſio tam famis, quàm ſitis. Tertius ſapor eſt, quo ſapit cibum corporalem, ſicut jumentinum, aut equinum, quoniàm corpus habendum eſt, ut jumentum & propter hoc ipſa menſa corporalis, ut præſepe, & totum habitaculum. Cùm autem iſte ſapor palatum cordis benè diſpoſiti erubeſcet, indubitanter ſpiritus ſeſſor, vel aſcenſor iſtius equi comedet ad præſepe equi, vel aſini ſui, atque comedet cum equo vel aſino ſuo, & rejiciens à ſe cibum corporalem, tanquàm fœnum, vel avenam equi, vel aſini ſui, quæret ſibi cibum congruentem, & proprium, ſcilicet ſpirituale. Ad cujus delitias pertingere non poteſt equus dictus, vel aſinus; propter hoc ergo dictum eſt. Hiere. 15. Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris, ſpiritum ſcilicet ſeſſorem à carne, equo, vel aſino, & delitias ſpirituales à fœno, & avena corporis, menſamque à præſepio, & cœleſte palatium à corporis ſtabulo. Quis enim, niſi inſenſatus, non ſolùm non erubeſcat, ſed etiam non abominetur, & perhorreſcat comedere cum aſino ſuo in præſepi, aut cum porco, vel porca ſua in vaſe fulfureo? Porcus autem ſpiritualis, aut porca veriſimiliter corpus humanum eſt, ſi quis immunditiam, & ſpurcoſitatem ejus attendit. Quartus ſapor quo ſapit nobis divinam largitatem, & hoc in eo quòd donum Quintus eſt, quo ſapit nobis divinam pietatẽ & hoc in eo, quòd beneficium eleemoſynarum, quod divina pietas diſtribuit in alimoniam omnium noſtrum, tanquàm pauperum ſuorum Sextus eſt, quo ſapit nobis noſtram paupertatem, dum propter indigentiam noſtram, ex Dei miſericordia nobis tribuitur.

Mulier litigioſa unde in ſacris eloquiis.

Divitiarum ſapores.

Duodecim ſapores ſpirituales ciborum & potuum.

Alimenta ſumenda tanquàm medicamenta,

Alius ſapor.

B Sublimiores autem ſapores ſunt, qui ſequuntur, quorum primus eſt, quo ſapit nobis Dei famulatum, ſive Dei familiaritatem, quam tanquàm filiisfamilias velut pater velut Deus famulis, nobis diſtribuit, & propter hoc, tanquàm fur, & latro ſe hujuſmodi menſæ ingerit, qui de filiis Dei patris, aut de familia ejus non eſt. Secũdus eſt, quo ſapit nobis ſpiritualis patrocinationis ſalarium. Quoniàm nobis Clericis, & Sacerdotibus datur, ut ſalarium, tanquàm advocatis animarum, tam mortuorum quàm viventium, ad allegandam ſcilicet cauſam animarum coràm patre miſericordiarũ; quapropter tanquàm fur, & latro, & ſine cauſa illud comedit, qui cauſã animarum prout diximus allegare non ſatagit, Neceſſe ergo habent, & leges, & allegationes hujuſmodi, tam ſublimis conſiſtorij, ſeu auditorij non ſolum noſſe, ſed etiam elegantia, quâ decet, atque ſollicitudine quandocunque opportunum eſt, allegare. C Heu quod habet, & tam avidos perceptores tamque flammeos concupitores hujuſmodi ſalatium, & quàm paucos, quámque imperitos, atque negligentes oratores cauſæ animarum. Tertius ſapor eſt, quo ſapit benè ſaporantibus, ut diximus militiam, & hoc in eo quòd ſtipendium? eſt enim ſtipendium militiæ clericalis, etſi non ſolum, & totum ſtipendium, ut fur ergo, & latro, qui ſine cauſa percipit hujuſmodi ſtipendium, qui animabus negligit militare, quod eſt pro animabus eorum contra hoſtes eorum, & quod plus eſt etiam contra Deum iratum eiſdem pugnare. Pugnas autem, & prælia iſta in tractatu Sacramentorum, & Sacramentalium in capitulo de Confeſſione ibi nominavimus, & numeravimus, & propter hoc iſta hîc non repetimus. Heu quot, & quantos habet ne dicam perceptores, D ſed fures & latrones hujuſmodi ſtipendium, qui non ſolùm pro animabus militare negligunt, ſed etiam totis ſtudiis, ac viribus militant contra eas, & etiam contra Deum ſtipendiorum hujuſmodi dulciſſimum largitorem, & quod deterius eſt, magiſque honorificum capitali hoſti & Dei & animarum ſuarum, ſcilicet diabolo, militant Dei ſtipendiis, ab ipſo diabolo cui militant, non aliud ſtipendium, quàm mortem perpetuam, & æterna ſupplicia percepturi, ſicut legitur ad Romanos 6. Stipendia peccati mors eſt. Propter defectum & infidelitatem eorum, qui ſpirituali hoc eſt militiæ Clericali aſcripti ſunt, datus eſt Dei populus in prædam, & in direptionem dæmonum: propter hoc enim, catervatim, centenatim, milliatim capiuntur, captivantur, & trucidantur, quia nec eſt à parte eorum, qui defendat, propter hanc cauſam Clerici attonſi ſunt in circulum, inſtar pugilum, ut ſe eſſe propugnatores animarum agnoſcant. Heu quàm turpe eſt, quámque erubeſcendum ſe pugilem, ſeu propugnatorem animarum tonſura, &

Nota.

Nota.

In malos paſtores.

Stipendia peccati.

In Paſtores.

habitu

habitu gerere, & nihil propugnatoriæ ſtrenuitatis vel pugilaris fortitudinis, vel agere, vel habere in omnibus hoſtem animarum ſe exhibere, & muliebrem fragilitatem, atque imbecillitatem vitæ mollitiæ, & infirmitate artuum profiteri. Quartus ſapor eſt, quo ſapit redemptionem animarum, ſicut legitur Proverb. 13. Redemptio animæ viri propriæ divitiæ. Et Dan. 4. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Omnia enim beneficia Eccleſiaſtica data ſunt Eccleſiis in redemptionem animarum, redemptionem inquam à captivitate peccatorum, & pœnarum. Quotquot ergo Clerici ſumus, qui hujuſmodi beneficia percipimus, redemptionem inquam, ideſt pretium redemptionis, non ſolùm ſine cauſa, ſed etiam proditioſè hujuſmodi pretium recipimus, qui pro liberatione animarum non ſatagimus, qui eam provt hujuſmodi redemptio requirit, non procuramus. Quis enim adeò proditor eſſe auderet, ut cùm redemptionem amici ſui accepiſſet, eo ſcilicet pacto, & conditione, ut ejus liberationem à carcere & vinculis procuraret, & eum ibi diu torqueri, & tandem patibulo affigi abſque ulla miſeratione ſuſtineret. Quintus ſapor eſt, quo ſapit eſcam hamatam, vel hamum ineſcatum, qui aviditate delectationis, quæ in eſca eſſe creditur faucibus & gutturi infixus comedentem capit, quemadmodùm muſcipula murem, & piſces hamus, & laqueus aviculam. De muſcipula legis expreſsè Sapientiæ decimoquarto. Quoniàm creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. De hamo verò, & laqueo legis Eccleſiaſtæ nono. Sicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo, ſic capiuntur homines tempore malo. Cibus ergo corporalis eſca eſt abſcondens hamum, hoc eſt lenocinium guloſæ voluptatis, quod dum venari, & capere credit guloſè comedens, capitur ab illo, & ut vulgò dicitur, ineſcatur. Hinc eſt quòd omnes epulones, omnes glutones, omnes ebrioſi, ſunt velut piſces ineſcati hamo ſcilicet breviſſimæ voluptatis faucibus, & gutture transfixi. De hoc hamo legitur Abacuc primo: Facies homines quaſi piſces maris, ſubaudias quantùm ad hujuſmodi captionem Deinde totum in hamo ſublevabit, traxit illud in ſagena ſua. Alibi verò diximus tibi, quia hujuſmodi homines ſunt homines morti addicti jamque infernali patibulo affigendi, atque ſuſpendendi, qui per funes collo circundatos, ſive funibus per colla, & ut vulgariter dicatur gulas ligati trahuntur ad infernale patibulum, & eodem vulgari ſermone ipſi ſunt, ſi propriè dicuntur, per gulas ſuas capti. Funis enim collo, circa collum, immò funis in gula, vulgariter hoc dicamus, amor eſt guloſæ voluptatis in gutture, ſeu collo. Heu quàm miſerabile piorum oculis ſpectaculum multitudo innumerabilis ſic ineſcatorum, per gulas horribiliter ligatorum, qui trahuntur ad infernale ſuſpendium. Sextus eſt quo ſapit ſublimiter ſapientibus divinæ ſuavitatis bonitatem, & hoc velut aſperſione ſui permodica, & odore pertenui, & quaſi per interpoſitum: illius enim ſuavitatis, ut dicit Auguſtinus, aliquid in iſtam regionem aſpergitur. Et in Libro de vera Religione, Væ inquit, illis, qui ſe avertunt à lumine tuo, & in carnali opere ſuo, velut in umbra ſua defixi delectantur, ubi tamen habent quod eos delectet de circunfulgentia lucis tuæ: ac ſi diceret de circumfuſione ſuavitatis tuæ. Omnis enim ſuavitas in creaturis non eſt, niſi velut aſperſio permodica, & odor pertenuis, quaſi veſtigium in ultimitate parvitatis divinæ ſuavitatis: ſicut ergo odor odorantem invitat ad ipſum à quo aſpergitur, & aſperſio ad plenitudinem à quâ diſtillavit, & veſtigium ad tranſeuntem, vel imprimentem illud; ſic omnis in quacunque creatura ſuavitas ad redundantiſſimam plenitudinem divinæ ſuavitatis. Sicut ergo eſuriens & ſitiens non eſt contentus aſperſione, quam litigat habere, nec odore cibi, aut potus, ſicut venator non eſt contentus veſtigio feræ, quam cupit, & quærit capere; ſic ſublimiter, & ſpiritualiter ſaporantes, & odorantes, iſtis, ut ita dicamus, aſperſionibus, odoribus, & veſtigiis divinæ ſuavitatis contenti non ſunt. Iſti enim ſunt ſublimiter ac ſpiritualiter eſurientes, ac odorantes, iſti ſunt ſublimes, ac nobiles venatores, ac nobilem prædam divinæ ſuavitatis inſectantes, & inveſtigantes, ſicut dicitur Eccleſia. 14. Vadens poſt illam quaſi inveſtigator Econtrariò autem dicitur de quibuſdam, inimici ejus terram lingent. Hi ſunt qui ſpreto divinæ ſuavitatis fonte copioſiſſimo, ac redundātiſſimo aſperſuras has, quas diximus, lingunt, & in eis immerguntur, eiſque inebriantur ebrietate, quâ inſaniunt uſque ad omnes brutales deſipientias. Mirabilis autem & miſerabilis tantæ multitudinis hominum immerſio, & captio dementiſſima in una gutta ſuavitatis, & mirabilis dementia, guttam illam præferre abyſſo fontali, vel fonti abyſſali divinæ ſuavitatis: ſicut enim gutta roris antelucani ſic ante te, ideſt comparatione tui eſt totus orbis terrarum, ſicut legitur ſapientiæ 1. Lingunt ergo amatores temporalium temporalia, non invenientes in eis unde ſatientur, lingendo tantùm impoſſibile eſt aliquem ſatiari. Hi ſunt qui appendunt argentum ſuum non in panibus, & laborem ſuum non in ſaturitate. Turpiſſimum autem, ac fœdiſſimum eſt incurvari ad lingendum tam modicas, tamque tenues aſperſiones, & dorſum vertere ad menſam paratam in cœlo, de qua legitur Lucæ 13. & omninò non curare ubertatem domus Dei, & torrentis voluptatis, quo inebriandi ſunt electi ipſius. Septimus eſt, quo ſapiunt omnia hæc officioſiſſimum ſervitium, ſua enim conſumptione omnimoda in omne ſui diſpendium nobis ſerviunt omnia hæc; in noſtrum quippe ſervitium alia affliguntur laboribus, alia depilantur, alia deplumantur, alia decoriantur, alia deviſcerantur, alia diſſecantur, alia exuruntur, alia per omnes modos mortis & deſtitutionis conſumuntur Ad hanc valet iſte ſapor, ut talibus ſervire dedignemur, quæ tam officioſa ſervitute, in tantamque ſui perniciem nobis ſervire nata ſunt, & nobis ſervire abſque ulla ceſſatione ſentimus Jam igitur in univerſo narravimus tibi duodecim ſapores ſpirituales, quibus ſapere nobis debent cibi, & potus corporales. Neſcit autem comedere, qui neſcit maſticando ſapores ex cibis elicere quare neſcit maſticare corporales cibos ſpiritualiter, qui ex cibis ſapores hujuſmodi attritione meditationis extrahere non novit, nec palatum habet, ſive fauces ad manducandum, qui ſapores hujuſmodi ſentire non prævalet. Sine his enim ſaporibus non ut homines, ſed magis, ut aſini, vel porci, cibos corporales potiùs conſumunt, quàm comedunt, & eis cibi non ſunt niſi ſecundùm quid, quia ſecundùm corpus tantùm. Cùm ex eis 12. ut diximus ſaporibus refici poſſint animæ eorum, & ſola inde corpora in defectionem animarum reficiantur. Meminimus autem nos aliquandò dixiſſe, quòd tredecimus ſapor eſt, quo ſapiunt pretium ſuum, hoc eſt Chriſti ſanguinem, ſive mortem; morte enim pretioſiſſima Redemptoris, ac ſanguine vivifico illius acquiſita, & empta ſunt quodammodò Sacerdotibus, & toti Clero: unde & patrimonium Crucifixi uſualiter nominatur; ſic & morte Martyrum, laboribuſque ſanctiſſimis Confeſſo-

Beneficia Eccleſiaſtica ad quid data. *Simile.* *Ingluvies.* *Suavitas in creaturis quid.* *Nota.* *Nota.* *Ros antelucanus.* *Septimus ſapor.* *Sapor ſpiritualis ex cibo corporalis.* *Patrimonium Crucifixi.*

Digitized by Google

rum, & Virginum, propter quod multotiens diximus in ſermonibus declamatoriis omnia hujuſmodi rubere ſanguine Chriſti, & Martyrum, diſtillare ſudorem Confeſſorum, & Virginum. Valet autem iſte ſapor ad duo. Primum ad parſimoniam; dum enim tanto pretio empta cogitantur, parciſſimè inde nobis ſumendum eſſe, non tantùm ſuaſoriè ſuggeritur, ſed etiam violenter ingerit r. Secundum eſt ad reprimendam laſciviam, & diſſolutionem voluptatis, Quis enim non horreat laſcivire in ſanguine Chriſti, & Martyrum? ac voluptate diſſolvi in tantis laboribus, ſudoribus, atque doloribus omnium Sanctorum? omnium enim hæc devotione fidelium, & à Chriſto reddita ſunt meritis Sanctorum, & à fidelibus oblata.

Nota de patrimonio Eccleſiæ.

Nunc autem revertemur, ut proprias operationes ſeptem donorum tibi narremus, & numeremus, juxta modum alium à ſupradicto.

Septē mala deturpantia vitam humanā.

F Dicimus igitur, quia ſeptem mala ſunt mirabiliter, ac miſerabiliter, ſubvertentia ac deturpantia vitam humanam. Primum eſt morum puerilitas, de qua Iſaiæ 60. Puer centum annorum morietur. Et Apoſtolus 1. ad Corin. 14. Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli. De hac Seneca, turpiſſimum eſt, quòd nomina habemus ſenum, & vitia puerorum. Et iterùm, In nobis non pueritia, ſed quod deterius eſt, puerilitas remanet. De hac Sap. 12. Infantium inſenſatorum more viventes Contra igitur hoc malum puerilitatis eſt gravitas, atque maturitas ſapientiæ quâ puerilia deſpicimus, & digna viris, id eſt magna atque ſublimia & capimus cognitione, & amplexamur dilectione, æſtimantes omnem ſuavitatem temporalem velut lac, & omnia bona temporalia velut pira, poma, nuces; horum autem oblatione declaratur, an puer ſit quis, an vir. Similiter & obla ione temporalium, ſive amiſſione. Qui enim aggaudet eùm ſibi offeruntur, aut dolet cùm ei auferuntur, puerum ſe eſſe, vel quod verius eſt, puerilem ſe eſſe hujuſmodi gaudio, & dolore proculdubiò profitetur. Qui autem vir eſt gravitate, ac maturitate ſapientiæ hujuſmodi magis irrideri ſe reputat cùm hujuſmodi dona puerilia ſibi offeruntur, ac ſibi contumeliam irrogari. Quis enim niſi irridens, & contumeliam facere volens barbaro, aut grandævo pirum, vel nucem offerat, aut papillam ei porrigat ad ſuggendum.

Puerilitas.

Gravitas.

Brutalitas

Secundum eſt brutalitas, quâ forinſeca ſenſibilium ſola capimus, & eis ſolis hæremus foris ſtantes, intima occultorum attingere non valentes, contra hoc malum eſt penetrabilitas doni intellectus, per hanc enim, & occulta rerum, & occulta ſignorum attingimus, unde & nomen intellectus ſumptum eſt videlicet ab eo, quòd intùs, quaſi interiorum, ſive interna lectio, propter hoc dixit Greg. ſuper Eze. quia intellectus iſte tollit hebetudinem. Eſt enim velut lumen acutum, & climatum penetrans omnia exteriora, tàm rerum, quàm ſignorum, & pertingens ad omnia interiora. Iſto dono legimus in exterioribus creaturarum, non ſolùm interiora earum, ſed etiam inviſibilia Dei, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. 1. Quemadmodùm per motus, & operationes corporum animalium, quæ utique omnia foris ſunt, legimus interiora ipſorum animalium, videlicet animas eorum, & vires ipſarum. Similiter in exterioribus ſignorum ſive poſitivorum, ſive naturalium, legimus interiora ſignificatorum. Per hoc donū omnia tam naturalia, quàm artificialia nobis ſigna ſunt & liber eruditione ſalutari pleniſſimus; huic dono ſerviunt ſecunda, tertia, & quarta pars ſcientiæ contemplativæ, ſcilicet meditativa, ſpeculativa, atque ſymbolica, ſive comparativa, quas cum aliis. ſi dederit Deus vitam, & ſpatium, ſcribere intendimus.

Intellectus

Intellectus unde & quid.

Effectus intellectus

E Huic dono omnis creatura alloquitur creatorem. Hoc dato interrogabat Auguſtinus creaturas, ſicut ipſemet dicit. Interrogavi Solem, & Lunam, & mare, & ſidera de Deo meo, & reſponderunt mihi, quia non ſumus ipſe; ſed ipſe fecit nos. Huic dono cœli enarrant gloriam Dei, & cætera. Propter iſtas loquelas, ſive locutiones vocavit ipſe idem Auguſtinus omnes creaturas, nutus Dei, ita dicens. Non enim ceſſas nobis innuere qualis, & quanta ſit prærogativa mentium ſuaviſſima lux, & virtus tua ſunt omne creaturarum decus Huic dono omnia ſacramenta exterioribus formis ſuis loquuntur inviſibiles virtutes ſuas, & operationes. Huic dono loquentur templa, & apparatus eorum, tum modus, & miniſtri, & apparatus eorum, & omnis cultus exterior. Huic dono loquentur cærimoniæ legis omnes & figuræ, ſimiliter parabolæ, ænigmata & viſiones Prophetarum, ut dicit Job, quia intelligentia eſt opus in viſione. Quòd ſi quis dixerit, ergo qui habet donum intellectus intelligit omnia hæc, quæ prædiximus. Reſpondemus, iſtud non eſſe conſequens, quemadmodùm licet viſus oſtendat omnia viſibilia, non tamen conſequens eſt, ut quicunque habeat viſum, videat omnia viſibilia, quemadmodùm qui viſum habet paratus eſt videre omnia viſibilia, quibus illum convenienter applicaverit; ſic & qui habet hujuſmodi donum, paratus eſt intelligere omnia intelligibilia. Similiter autem ſe habet Philoſophus per hujuſmodi donum, ut curioſus viator, qui diverſa loca, & regiones circuit, ut videat viſibilia, quæ in eis ſunt. Qui enim utitur actu hujuſmodi dono, mente circuit res, quas intelligere quærit, ambulans ſpiritualiter ad lumen ipſius, quaſi lumen lucernæ

Auguſt.

Philoſophus ut viator curioſus.

G accenſæ in nocte. Status enim vitæ iſtius velut nox eſt, in quâ multiplicibus lucernis, ſeu luminibus indigemus, quorum luminum tantùm eſt donum intellectus. Debes enim ſcire, quia iſtud donum intellectus non omnes habent æqualiter, nec æquale. Quidam enim habent ipſum promptiſſimum, quemadmodùm ad intelligenda omnia intelligibilia, quæ coram poſita eis fuerint. Alij autem habent pigrum, quemadmodùm aliqui viſum exteriorem ad intuenda omnia viſibilia, quæ coram eis poſita fuerunt. Alij autem habet ipſum pigrum, quemadmodùm habent viſum, qui dolorem, vel aliquod aliud impedimentum patiuntur in oculis, quod agilitatem oculorum, & facilitatem videndi impediat, & quidam habent hujuſmodi donum valde exercitatum, & propter hoc fortiſſimum, & etiam luminoſiſſimum; exercitatione enim confortantur, & clarificantur omnia dona, & omnes virtutes, ſicut ignavia, & deſidia obtenebrantur, & deficiunt.

Vita hæc velut nox.

Intellectus non omnibus æqualiter.

H Cujus rei manifeſtum exemplum eſt in viribus naturalibus, ut vides in virtute greſſibili, quæ convenienti exercitio gradiendi confortatur: quiete autem immoderata debilitatur interdum uſque ad defectum, quemadmodùm & viſus ex longa mora in aliquo loco aut debilitatur, aut ex toto deficit, convenienti autem exercitio clarificatur, & confortatur. Debes etiam ſcire, quia iſtud donum, ſcilicet donum intellectus, tantæ claritatis eſt, & acuminis in quibuſdam, ut valde aſſimiletur ſpiritui Prophetiæ, qualem crediderunt nonnulli fuiſſe in Abbate Joachim, & ipſemet de ſeipſo dixiſſe dicitur, quia non erat ei datus ſpiritus Prophetiæ, ſed ſpiritus intelligentiæ. Si quis autem inſpexerit Libros ejus, quos ſcripſit ſuper Apocalypſim, & ſuper concordiam duorum Teſtamentorum, mirabitur donum intellectus in eo. Quòd ſi quis quærat cujuſmodi cognitio eſt cognitio, quæ dono intellectus acquiritur, videlicet an ſit credulitas tantùm,

Exercitatio.

Abbas Joachim.

Digitized by Google

tantùm, an certitudo. Et ſi fuerit certitudo non differt à fide, niſi ſecundùm materiam tantùm, videlicet quia fides eſt circa res fundamentales, & initiales veræ Religionis: hæc autem eſt circa res occultas, atque profundas, quæ ſunt velatæ myſteriis, aut adumbratæ ſignificationibus. Et ſi fuerit certitudo, erit velut viſio, aut erit ex probatione relicta certitudo, hoc autem manifeſtè falſum eſt; in hujuſmodi enim rebus, donum intellectus non utitur demonſtrationibus; expoſitores enim Librorum Prophetarum, & Legis Hebræorum, probationibus non utuntur, ſed ſolis narrationibus declarativis. Viſio ergo eſſe non poteſt operatio hujuſmodi doni, quoniàm res in quâ eſt operatio hujuſmodi, velatæ ſunt hujuſmodi res, ut diximus, & adumbratæ, res autem, quæ per ſe videntur propriè, nudæ ſunt, & abſque interpoſito cadunt, & ut viſum, vel viſus ſuper eas. Quare intelligere, & videre contraria ſunt, quemadmodùm videre ſine operimento, & æſtimare de re operta; licet igitur operatio hujuſmodi doni credulitas ſit, tamen & materia, & forma differt à fide. In materia quidem, quemadmodùm diximus, quòd intellectus eſt circa res deſignatas, & ſignificationibus adumbratas per ſe, & inquantùm ſunt liber, & lectio interna, quarum tamen ſalutaris eſt cognitio. Fides autem eſt circa res initiales, atque fundamentales Religionis non per hunc modum, hoc eſt nullo reſpectu ad ſigna, vel ad velamina, ſed ad veritatem eorum, & ſalubritatem, atque initialitatem, & fundamentalitatem Religionis ſolùm reſpiciens, incumbens eis, & innixa tanquàm fundamento ſalutis: in forma autem, ſive materia cognitionis. Per hæc ipſa quæ diximus, apparet manifeſtè inter ea diverſitas, cognoſcere enim rem, ut rem per ſe, & rem ſignatam, ſcilicet per aliam rem, quòd diximus propter verba, & alia ſigna, quibus loco verborum utimur, qualia ſunt literæ & aliæ figuræ ſimiles literis, manifeſtè diverſi ſunt modi cognoſcendi; diverſitas enim in modis cognoſcendi diverſificat cognitiones ex neceſſitate, nec eſt intellectus iſtius operatio, ſicut operatio viſus ſub operimento, non enim utitur viſus operimento, ut ſigno ejus rei, quæ ſub operimento eſt, ſed ut alligato eidem, & comitante; unde ſi aliqua res ſub eodem operimento eſſet, æquè videret eam, & æquè poſſibile eſt quamcunque aliam rem ſub illo operimento eſſe, vel pro toto, vel pro parte, & propter hoc ſub eodem operimento videri, non autem ita eſt de ſigno; non enim ſub quolibet ſigno poteſt eſſe quæcunque res, immò determinandæ ſunt res quibuſcunque ſignis præterquàm ſignis poſitis, ſive poſitivis, qualia ſunt verba, & nomina; nominibus autem & verbis non magis utitur donum intellectus, quàm fides. Si quis autem quærat, utrùm intelligentia omnium eorum, quæ dono intellectus intelliguntur, poſſit acquiri per doctrinam, dicimus, quòd ſic. Quoniàm omnem Prophetiam, & omnia myſteria, quæ per hujuſmodi donum intelliguntur, ab intelligentibus poſſibile eſt & doceri, & ſcribi diligenter, ac dilucidè. Verùm intelligentia ſic acquiſita à rebus ipſis eſſet, & non deſuper: propter hoc differentia, & comparatio eorum eſſet adinvicem, ſicut comparatio luminis deſcendentis à lumine primo ſuper animas noſtras, & luminis reflexi, & aſcendentis à rebus ad eaſdem, & ſicut ſolaris luminis, hoc eſt à Sole deſcendentis, & luminis à Luna deſcendentis, ſecundùm opinionem eorum, qui dicunt radios Lunares radios Solares eſſe, ſed reflexos. Avennathan enim Philoſophus ſcripſit ſuper hoc tractatum

Nota.

Intellectus differt à fide.

Nota.

Quæſtio.

A ſingularem, in quo ſibi viſus eſt declaraſſe, Lunam illuminari à Sole per refractionem radiorum Solarium. Revertamur autem & dicamus, quia lumen iſtud, quod donum intellectus vocamus, contra brutalem hebetudinem, quâ naturali, id eſt innata nobis corruptione brutaliter hebemus, vel brutemus, vel gratiæ divinæ munere electis apponitur, vel per doctrinam, aut propriam exercitationem, hoc eſt librorum inſpectionem, aut diligentem meditationem acquiritur: & apparet quòd dicimus, videlicet, quia brutali hebetudini donum intellectus opponitur ex eo, quod per Prophetam dictum eſt, ſcilicet. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Certum enim eſt bruta exterioribus inhærere, & in illis ſiſtere, & ut ita dicamus, quaſi foris etiam ſtare. De intimis B verò nihil percipere, niſi quantùm vis naturalis æſtimativa eis ſuggerit. Et hoc eſt, quod dicit Boëtius in Libro ſuo de arte Muſicâ. Senſus nihil integritatis percipit, ſed ut ad proximum venit, ratio verò quiddam ſubeſſe perpendit, ratio, intellige, æſtimatio ab eo, quod eſt reor, reris, ratus ſum. Debes autem ſcire, quia vis æſtimativa in animabus animalium, ſive rationalium, ſive aliorum, multùm ſimilis eſt dono intellectus. Sed donum intellectus latiùs eſt incomparabiliter, atque ſublimius, & vis æſtimativa ſolis ſignis naturalibus utitur, non inquantùm ſigna ſunt, ſed inquantùm comitantia; donum verò intellectus & naturalibus, & poſitivis ſignis utitur, verùm inquantùm ſigna tantùm. Si quis autem quærat, utrùm ſine hoc dono ſit ſalus alicui, videtur quòd non: intelligere enim in præcepto eſſe videtur, cùm ejus contrarium in Scriptura culpetur C videlicet ibi. Ecce homo qui noluit intelligere, ut benè ageret. Et ibi. Quoniàm non intellexerunt opera Domini, & opera manuum ejus, deſtrues illos. Expreſsè etiam præceptum videtur Rectoribus intelligere, ibi. Et nunc reges intelligite. Similiter & contrarium ejus ibi eſt prohibitum. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Reſpondemus ergo tibi, quia non eſt Chriſtianus adultus, in quo non appareat donum iſtud ex ipſo uſu aliquò intelligendi, vel ex facilitate, & promptitudine, etſi enim multi magna, & ſublimia ſignificationum non capiunt, aliqua tamen pro captu ſuæ ſimplicitatis, & eruditionis capiunt; & hoc experiri potes etiam ex pueris, qui loquelas myſteriorum capere non ſufficiunt, & tamen nonnulla de eis intelligunt, ſimiliter in ſurdis, & mutis adultis, excellentiam au- D tem hujuſmodi luminis, in ſacris Doctoribus, atque Scriptoribus ex doctrina, & ſcriptis eorum meritò poteris admirari, & eadem eſt quæſtio de aliis donis, & eadem reſponſio. Tertium malum eſt diſcriminoſitas, ſive periculoſitas, & contra hanc divinæ pietatis munere electis apponitur donum conſilij, quo qui carent, ruunt in pericula, dum ea prævidere, & præcavere non prævalent. Has ergo ruinas parit ruentibus præceps temeritas, hujuſmodi autem doni duæ ſunt operationes propriæ, harum prima eſt privatio, ſeu retentio impetuoſitatis, & retardatio agendi ante completam, exactam, ac perſcrutatam deliberationem. Quidam enim adeò vehementes ſunt, ut perfectam deliberationem non expectent in ſuis agendis, quidam verò, nec etiam inchoari ſuſtinent. Secunda etiam ejuſdem doni operatio eſt periculorum prævisiò. Tertia quoque omnium præcipua, atque majoris luminis eſt effugij ſive evaſionis inventio, ſive excogitatio & hæc propriè conſilium dicitur. Reliquæ verò duæ magis propriè

Intellectus contra brutalitatem.

Ratio unde vis æſtimativa quomodò differt ab intellectu.

Intelligere neceſſariù ad ſalutem.

Periculoſitas.

Conſilium.

V

Digitized by Google

nominantur, altera conſilij expectatio, altera conſiliatio, ſive deliberatio. Licet autem viri conſilij multi nominentur, non tamen hoc dono omnes præditi ſunt; ſunt enim viri, qui peritia ſcientiæ ipſius juris in cauſis, & in aliis, quæ juris ſunt præſtò ſunt, atque parati dare recta conſilia, ſicut & alij, qui hoc habent, & ex ipſa rerum experientia, atque exercitatione. Agricolæ etiam, & Vinitores, & omnium artium opifices conſuluntur, & rectè ſanéque conſulunt de artium ſuarum operibus, ſeu artificiis; ſed donum conſilij ad ea ſolummodò, quæ divinæ honorificentiæ ſunt, & humanæ ſalutis extenditur, & iſta duo ſunt, in quibus omnia pericula homo præcavere intendit, quæ ſunt, vel circa ea verſantur. Ad iſtud donum pertinet cui, & quandò conſulendum eſt, vel morari in ſæculo, vel Religionem intrare, & iterùm privatam vitam ducere, aut publicum officium aſſumere, videlicet Epiſcopatum, Archidiaconatum, & ſimilia. Hoc dono ſemper illud conſulitur, quo major honor Deo, majorque ſalus animabus acquiritur, ſicut eſt de tranſlationibus perſonarum ab Eccleſiis ad Eccleſias, videlicet, quandò motandum, quandò tranſeundum, quandò ſtatus mutandus, & quandò non, in quibus omnibus, ſive ad conſulendum, ſive ad eligendum ſit, etſi exercitatio & eruditio aliquatenùs & conſulentes, & conſultos adjuvent donum tamen conſilij longè luminis majoris eſt, quàm ipſum in quo eſt, & eligere, & aggredi facit, quod dictat virtute, & vivacitate ſua hæc autem ſua virtute non præſtant exercitatio, & doctrina, & propter hæc in hujuſmodi conſulendi ſunt potiſſimùm, non quidem quocunque modo, ſed qui habent ipſum multi luminis. Horum enim reſponſa plerunque ibi videbuntur quaſi Prophetarum oracula, & hoc eſt propter revelationem periculorum, & utilitatum, quæ ſenſus humanus per ſe videre non ſufficeret; propter quod qui in officio conſulendi animabus conſtituti ſunt, tota inſtantia orationis, ac devotionis petere debent à datore gratiarum, ut illud lumen in eis augeat, atque multiplicet, ita ut ipſemet per eos conſulentibus reſpondeat conſilia ſalutaria, ſive reſponſa ſubminiſtrando, ac ſuggerendo, ſpiritus namque conſilij multùm aſſimilatur ſpiritui Prophetiæ, & quodammodò ſpiritus Prophetiæ eſt, ſive donum, videlicet in hoc, quòd interdùm profundiſſima, & occultiſſima revelat de tenebris. Hujus doni lumine perplexitatum omnium tenebræ diffugantur, & vita ſine hoc dono eſt navigatio, ſive gubernatio ſine cognitione omnium periculorum, quæ navigantibus imminent. Ampliùs. Vita ſine hujuſmodi dono, prælatio eſt ſine duce, & exercitus ſine rectore. Cùm diſpoſitione enim innititur bellum, & ſalus, ubi multa conſilia, ſicut legitur Proverb. 28. Quoniàm enim vita humana navigatio quædam eſt in mari mundi iſtius, & militia ſive belligeratio eſt. Navigantibus autem & belligerantibus, & plura, & majora imminent pericula, dono conſilij muniuntur electi contra illa. Si quis autem quærat, utrùm hujuſmodi dono de temporalibus & corporalibus periculis conſilium aliquandò præſtetur. Reſpondemus quòd ſic, ſicut plerunque legitur in Libris Regum de David, qui conſulebat Dominum, utrùm egrediendum eſſet ei contra hoſtes populi ſui, in quibus omnibus conſultationibus manifeſtum eſt juxta textum Litteræ, conſultum fuiſſe Dominum, & conſilium reddidiſſe ſuper temporalibus, aut corporalibus periculis: etiam generaliter, juxta teſtimonium Beati Auguſtini, ubi non habet homo de humana ratione quid faciat, divinum ſemper implorandum eſt oraculum, ſicut & ubi de propria virtute, vel poteſtate non habet homo quid faciat, divinum eſt ei poſtulandum auxilium. In geſtis etiam Sanctorum plerumque legitur eos præſtitiſſe conſilia aliquibus contra imminentia pericula corporalia. Quemadmodùm ſanctus Eligius cuidam Cornaten Epiſcopo dedit conſilium, ne ad urbem ſuam reverteretur propter periculum corporis quod ei imminere prædixit, quod & poſtmodũ eidem Epiſcopo certum eſt accidiſſe. In his autem caſibus, & ſimilibus evidenter apparet luminoſitas doni iſtius, per quam Prophetiæ ſpiritui, ut jam diximus aſſimilatur. Si quis verò quærat utrùm partes, & radij ſint huic dono, quemadmodùm diximus de dono intellectus, & utrùm poſſint in ſcriptis redigi, & in artem vel ſaltem aggregationem aliquam. Reſpondemus quòd aliquæ poſſent ſcribi, & doceri, ſed generalis aggregatio ex illis non poſſet adinveniri, & hoc eſt, quoniàm nemo eſt vel fuit unquàm in numero Sanctorum, cui omnium hominum pericula ſpiritualia, & temporalia innotuerint, ſicut nulli Prophetarum omnia myſteria adhuc revelata ſunt. Jetro enim quoddã ſalutare conſilium propter Moyſen, & populum revelatum fuiſſe legitur. 18. Exodi quod ab ipſo Moyſes humiliter acceptavit, & cùm eſſet Moyſes ſpiritu Prophetiæ tam eminenti præditus, hujuſmodi conſiliũ antequàm ab ipſo Jetro audiret, ignorabat: leguntur autem conſilia virorum eruditorum ſcripta in caſibus multis. Verùm ſicut nec omnes caſus prævidere poterant, ſic nec omnia conſilia ſalutaria ſcripſerunt; ipſi etiam vel orando, vel meditando, vel conferendo cum aliis, aut deliberando, ſuggerente Spiritu ſancto, atque revelante accipiunt conſilia, quæ aliis impendunt; quemadmodùm enim Spiritus ſanctus non ſemper tangit corda Prophetarum, hoc eſt non ſemper illuſtrat ea revelationibus ſuis; ſic neque conſultores, ſive ſacros conſiliarios, ſed quemadmodùm diximus, cùm vel ipſi hæc procurant orationibus, vel cùm eis etiam ab aliis ſacris exercitationibus, vel cùm eis etiam ab aliis procuratur. Procurant quidam ſicut Heliſeus 4. Regum 3. Qui cùm interrogatus eſſet à Rege Iſraël, juſſit adduci ſibi Pſaltem, cúmque caneret Pſaltes, factus eſt ſuper eum manus Domini, & prophetavit. Beatus verò Hilarius, cùm aliquid obſcurum in ſcriptis ſanctis per ſe videre non poterat, refugiebat ad Beatum Martinum, & dicebat, Ora Martine. Hinc inolevit laudanda conſuetudo in Eccleſia Dei, ut quotiens quid agendum nobis ſit ignoramus, ad viros ſanctos recurrimus, ut vel nobis inſpirari, vel ipſis revelari à Domino impetrent quid nobis ſit in caſu iſto faciendum. Quartum verò malum bellorum, atque certaminum ſpiritualium continua concuſſio. Contra hoc ergo malum armat Deus, ac munit electos ſuos dono fortitudinis, quo miris, & penè innumerabilibus modis vincuntur omnia adverſa. Inter alia enim quæ mundus diverſis comparationibus nominatur, & dicitur, meritò vocatur campus certaminis, immò ſpiritualium bellatorum, ex omni parte vallat eos obſidio, ſicut in tractatu ſpeciali de dono ſcientiæ latiùs, atque diffuſiùs nos dixiſſe meminimus. Quæ ergo ſit neceſſitas, quæ ſalubritas, quæ tandem utilitas, aut merces doni fortitudinis, ex his evidenter apparet, cùm per ipſum electi ſeipſos defendant, impugnantes devincant, & innumerabilium victoriarum coronas à bonorum retributione recipiant. Habet autem dubitationem, an una ſit fortitudo qua contra omnia adverſa pugnetur, an hîc aliqua ſpecialis fortitudo, donum fortitudinis ſola habenda.

Sunt

Donum conſilij, ad quid extenditur. — *Nota.* — *Virtus conſilij.* — *Quæſtio.* — *Quæſtio.* — *Beatus Hilarius.* — *Concluſio.* — *Fortitudo.*

Digitized by Google

A Sunt & aliæ quæſtiones circa hæc, quas proſequi breviter, & determinatè ſtudebimus. Et videtur in primis fortitudo non eſſe virtus aliqua, ſed magis omnium virtutum, quemadmodùm & virtus quælibet armans & muniens, ac roborans ſubjectum ſuum contra contrarium vitium, ſicut caſtitas corporalis contra luxuriam carnis, & abſtinentia contra gulam, & ſobrietas contra ebrietatem, & ita de aliis. Si igitur iſta tria operatur fortitudo, & nihil aliud, ex neceſſitate eadem eſt cum unaquaque virtutum, cùm eadem prorsùs, & ſola eadem aliis operetur. Ampliùs. Cùm iſta tria, quæ nominamus videlicet armare, munire, roborare unaquæque virtus alia contra ſuum contrarium vitium faciat, otioſum eſt ponere aliquam virtutem, vel donum inter hæc tria. Ampliùs. Dicit Tullius, quòd fortitudo eſt moleſtiarum indefeſſa perpeſſio. ſecundùm hæc ergo pati indefeſſè, ſive viriliter moleſtias, erit operatio fortitudinis. Nulli autem dubium eſt, quin hæc ſit patientiæ operatio propria. Erit igitur idem patientia, & fortitudo hæc. Ampliùs. Quæ differentia inter fortitudinem, & manſuetudinem, magnanimitatem, & virtutem illam, qua quis mitis dicitur. Quòd ſi quis dixerit, quia ubi pugnat caſtitas contra luxuriam, etiam pugnat fortitudo, dùm per eam moleſtia tentationis portatur, & vincitur, neceſſe habet concedere, quòd ubicunque moleſtia tentationis eſt, ibi pugnat ex neceſſitate fortitudo Si enim moleſtia eſt, contra quam per ſe, & propriè pugnat fortitudo, neceſſariò ubicunque moleſtia vincitur pugnabit & fortitudo. Ampliùs Ubi tentatio per blanda agitur, & delectat ipſa tentatio, ibi ipſum reſiſtere tentationi moleſtum eſt. Suſtinere autem moleſtum inquantùm moleſtum, fortitudinis eſt. Quare omne reſiſtere, quod eſt moleſtum, erit ex virtute fortitudinis. Quia igitur omne reſiſtere moleſtum eſt, ex neceſſitate erit ex virtute fortitudinis & omnis victoria: ſi enim reſiſtere tentationi ſuave tantùm eſſet, nec bellum eſſet, & ideò nec virtuoſum, nec victorioſum, licet enim ſcriptum ſit. Gaudium eſt juſto facere juſtitiam. Proverb 25. non tamen merum gaudium, neque ſemper. Ut autem appareat veritas, determinabimus tibi ſpecies infirmitatum, ſive debilitatum ſpiritualium. Harum ergo prima eſt puſillanimitas, & eſt ſpecies timiditatis, hac debilitate infirmantur corda multorum, ut ea non ſolùm magna, ſed etiam modica interdùm & nihila, ut ita dicamus, dejiciant, modica enim verba ſunt vaniloquorum hominum. Qui ergo hujuſmodi verba timent metu eorum, vel mala facientes, vel bona facere dimittentes, omnium hominum imbecilliores ſunt, hi ſunt milites, qui non vento valido, ſed levi ſibilo, tenuiſſimoque ſuſurro dejiciuntur, atque vincuntur, hi ridiculoſiores ſunt, & in numero bellatorum nullatenùs habendi, nec hominum nomine cenſendi, qui verbis, quæ nec dum dicta ſunt, quaſi vento, qui nondùm flavit, depulſi cadunt, bona facere, vel mala dimittere metu hujuſmodi non audentes, quos chimæræ, & figmenta, quæ nec unquàm fuerunt, nec erunt dejiciunt, & vincunt, ſolo enim cogitatu hoſtium, quos ipſi apud ſemetipſos ſibi confingunt. Sunt & iſti omni cachinnatione ſubſannandi, hi ſunt qui alienis tentationibus, quaſi alienis impulſibus cadunt, & alienis vulneribus moriuntur, & alienis ægritudinibus periclitantur. Hoc genus hominum inſaniſſima vanitate virtutem, & fortitudinem, immò perfectionem utriuſque de ſeipſo ſomniat, cùm enim audiunt aliquem turpi aliqua tentatione fatigari, cadunt in contemptum, & aſpernationem ipſius, & fortes ſe eſſe exiſtimant, pro eo quòd nequaquàm tentationes ſimiles patiuntur; hi cùm vulnera alienorum peccatorum, vel vident, vel audiunt, ſtupore ſimul, & arrogantia, ac deſpectione fraterna peccantes mortaliter moriuntur. Diabolico utique miraculo cùm alij vulnerentur, ipſi de eorum vulneribus moriuntur, inſtar mulierum pavidiſſimarum, quæ cùm alienum ſanguinem, aut vulnus viderint palmas complodunt, genua ſua percutiunt, & vehementia timoris incidunt in ſpaſmum: hi dum aliorum infirmitates irrident, infirmoſque deſpiciunt, in ſua infirmitate non ſolùm turpiter ac viliter, ſed etiam ridiculoſiſſima, majorique debilitate, quàm ſit illa quam irrident, periclitantur; hujuſmodi infirmitati, quam diximus, & omnibus ejuſdem ſpeciebus opponitur magnanimitas, quam Tullius excelſitatem animi vocat, vulgariter autem apud nos, cordis altitudo dicitur B & quia oppoſita, & vitia tantæ tamque ridiculoſæ debilitatis ſunt, atque imbecillitatis, meritò dicitur fortitudo, hoc eſt per quam magna, & ardua, tam viſa, quàm audita delectant illum, in quo eſt, ſicut dicit Tullius. Te inquit, animo excelſum natura creavit. Audita igitur de magnanimitate, tibi ſtatim inſedit oratio, ideſt intimè ſedit, quod & intimè placuit, nec eſt alia virtus longanimitas, quàm iſta magnanimitas. Sicut enim longitudo magnitudo eſt, ſic longitudo animi, magnitudo animi, & ideò longanimitas magnanimitas, licet alia comparatione, longanimitas enim dicitur inquantùm per eam longitudo laboris & moleſtiæ, aut etiam tædium longæ expectationis vincitur, & etiam contemnitur. Quidam enim animo breves ſunt, ut ita dicamus, ſtatim volentes fieri, vel venire deſiderant, ſimiliter & tranſire confeſtim quicquid moleſtum ſuſtinent; igitur quodammodò breviorem animum C habent rebus hujuſmodi; ſimiles autem ſunt agricolis, qui meſſem ſeminationi volunt eſſe continuam, qui jacto ſemine ſtatim metere volunt, & omne quod longas moras exigit, repentè perfici cupiunt; hac ergo virtute ſcito, & contemni quæ magna videntur, ſive magna longitudine, ſive magna amplitudine, ſive etiam altitudine. Magna altitudine ſunt honores juxta æſtimationem ſæcularium, magna amplitudine videntur divitiæ & cognationes; hæc ergo virtus eſt quâ magna, inquantùm magna vincuntur, & contemnuntur, ſicut dicit Seneca. Nihil majus animo magno, id eſt poſtquàm magnus fuerit nihil eſt magnum. Et iterùm. Nihil eſt majus, quàm animus magna deſpiciens. Quòd ſi dixerit quis, quia magnitudo moleſtiæ non vincitur hac virtute, quæ eſt magnanimitas, non vincitur inquam ea, inquantùm eſt magnitudo, ſed magis inquantùm eſt moleſtia, licet magna. D Nobis autem videtur, quia magnitudo, ſive ſit moleſtiarum, ſive eorum quæ diximus, quæ utique ſuavia videntur, ad virtutem magnificentiæ, ſive magnanimitatis pertinet, videlicet, ut hoſtis contra quem pugnat, & materia circa quam verſatur, & aliud eſt vincere moleſtiam, inquantùm moleſtia eſt, aliud magnitudinem ejus, inquantùm magnitudo eſt. Inquantùm enim magnitudo eſt, deſpiciendo vincitur, ac parvipendendo, hoc eſt parva reputando; inquantùm verò moleſtia non timendo, antequàm veniat, & cùm venerit, vincitur ſuſtinendo. Eſt & alia infirmitas humani cordis, quæ propriè teneritudo ejuſdem dicitur, & ex hac infirmitate eſt cor humanum interdùm facilè vulnerabile, ſive exulcerabile. Hujuſmodi autem infirmitatis indicium certiſſimú eſt, facilitas dolendi, & hoc ex modico, & eſt infirmitas iſta valde ſimilis debilitati corporali, quę teneritudo corporalis dicitur, quæ fraude, vulnere, vel fractura, vel alia hujuſmodi

Omnis virtus fortitudo. — *Cicero.* — *Patientia & fortitudo idem.* — *Fortitudo.* — *Spirituales infirmitates.* — *Puſillanimitas.* — *Puſillanimes.* — *Spaſmus.* — *Magnanimitas.* — *Longanimitas.* — *Similitudo.* — *Seneca.* — *Teneritudo.*

occaſione læditur, propter hujuſmodi teneritudinem cauſantur hac infirmitate laborantes alienam duritiem conquerentes, ſibi dura verba dicta eſſe, aut ſecum durè actum eſſe, & expreſsè corda ſua vulnerata eſſe, & alios corda eorum pupugiſſe, atque transfixiſſe, ac transverberaſſe interdùm etiam percuſſiſſe.

Fortitudo.

Huic ergo infirmitati, ſeu debilitati meritò contraria eſt fortitudo, quæ ſicut quædam durities eſt in mente humana. Hæc autem eſt difficultas patiendi prædictas læſiones, quemadmodùm durities in corpore, per quam læſionibus reſiſtitur, & lædentia retunduntur, vel non admittuntur, hæc eſt virtus in vi concupiſcibili noſtra ſuperiori, quia in eâdem ſunt habitus contrarij, & quæ ſecundùm illum ſunt paſſiones, videlicet teneritudo, vulnera, & dolores. Similis eſt autem hujuſmodi duritia duritiæ corporali, quæ ſenſibilitatem in corpore animalibus minuit, & propter hoc difficilè paſſibile, difficiléque læſibile, atque dolibile ipſum facit. Similis durities acquiritur in manibus hominum, & etiam in aliis membris aſſuctudine durorum operum, ac paſſionum, quemadmodùm in manibus quorundam coquorum, qui carnes ferventes, & carbones ardentes abſque læſione, uſtionibus, & dolore tractant, ſaltem ad modicum; ſimilis durities, ſeu fortitudo acquiritur in manibus Carpentariorum, Latomorum, Coriariorum, Agricolarum; proportionabilis ergo hujuſmodi duritiei corporali, durities ſpiritualis fortitudo conſuetudinalis eſt quædam.

Iraſcendi facilitas.

Tertia debilitas eſt in corde humano ſicut uſtibilitas ſpiritualis, hæc eſt iraſcibilis, hæc eſt facilitas. Huic ergo debilitati opponitur velut contraria, fortitudo, qua uſtionibus iracundiæ reſiſtitur. In lignis autem aridis, & facilè cremabilibus, ſimiliter & paleis invenitur prædictæ debilitati ſimilis urendi, vel ardendi facilitas; in ferro, & quibuſdam lignis, & in lignis humentibus invenitur contraria fortitudo. Differt autem hujuſmodi fortitudo de qua loquimur, ſpiritualis, ab illa, quam proximè nominavimus.

Dolor & ira quomodo differunt.

Primò, quia illa eſt in alia vi, videlicet in concupiſcibili, & hæc in iraſcibili. Secundò, quia illa eſt contra triſtitias & dolores iſta verò contra iras. Manifeſta autem eſt differentia inter dolorem & iram, quia dolor propriè inquiſitivus eſt mitigationis, & conſolationis; ira verò inquiſitrix victoriæ, & ultionis, & illa poteſt dici intriſtabilitas ſive indolibilitas, ideſt triſtandi ſive dolendi difficultas. Iſta autem inraſcibilitas, qua iracundiæ reſiſtitur incendiis, non immeritò pax intelligitur. Ira enim & pax contrariæ eſſe videntur, quemadmodùm & & bellū exterius, & pax exterior; ſicut enim bellum exterius ad pacem exteriorem, ita bellum interius ad pacem interiorem. Quare ſicut illa contraria, ſic & hæc.

Iraſcibilitas quid.

Iraſcibilitas autem nihil eſt aliud quàm ira habitus. Ampliùs. Sicut ira, qua victoria quæritur per bellum ad ipſum bellum, ſic pax interior ad pacem exteriorem, quoniàm ut cauſa efficiens erit, igitur & permutatim, videlicet ut ſicut hujuſmodi bellum forinſecum ad pacem exteriorem, ita ira habitus ad pacem habitum; quare ſicut illa contraria, ſic & hæc. Quia igitur unum ſolum uni contrarium, hujuſmodi autem ira, & fortitudini, de quâ loquimur, & paci contraria eſt, neceſſariò idem ſunt fortitudo hæc & pax. Quòd ſi quis dixerit, quòd per patientiam reſiſtitur hujuſmodi irarum uſtionibus. Reſpondemus, quia interdùm pax patientia nominatur, propriè autem patientia dolorum eſt, ſive moleſtiarum, inquantùm dolores ſunt moleſtiæ, & quoniàm ira non ſine moleſtia eſt, ſicut nec contumelia, quandoque patientia contumeliarum dicitur, ampliato vocabulo, & exten-

E ſa intentione ipſius, ut patientia ſit omnium paſſionum aliundè irrogatarum, quæ moleſtæ ſunt, victorioſa perpeſſio.

Patientia quid in genere.

Forſitan autem videatur & alicui quòd ira potiùs eſt actio, quàm paſſio, pro eo quòd ad agendum, hoc eſt ad vindicandum, & vincendum videtur eſſe motus, atque principium. Nos autem de hoc, & ſimilibus loquemur in ſequentibus ſcilicet in tractatu de tentationibus, & reſiſtentiis. Interim autem debes ſcire, quia ſicut prædiximus, ira iſta, & pax ſunt ſicut bellum, & pax, & ſicut in mari tempeſtas, & tranquillitas, & ſicut motus & quies in corpore, quod motu, ſeu commutatione turbatur, ſicut eſt aqua, & ſicut nubiloſitas in aëre, & ſerenitas. Debes etiam ſcire, quia ira eſt ſicut elevatio, vel erectio interior cujus umbra eſt, & indicium, elevatio ipſa cordis, atque erectio;
F hujuſmodique exemplum apparet in gallis, quorum criſtæ elevantur atque eriguntur, cùm ira eos ad mutuam pugnam accenderit.

Levitas.

Quarta debilitas in corde humano eſt levitas, ſive inſtabilitas, cui infirmitati, ſeu debilitati opponitur virtus, quæ conſtantia ſtabilitas, & etiam perſeverantia nominatur. & invenitur hæc tam in vi apprehenſiva nobili, quàm etiam in motiva propter quod legitur Eccleſiaſt. 5. Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Et ejuſdem 19. Qui credit citò, levis eſt corde, & minorabitur. Et Apoſtolus Epheſ. 4. Ne ſicut parvuli circunferamini omni vento doctrinæ.

Conſtantia. Perſeverantia.

In virtutibus autem apprehenſivis manifeſtum eſt quotidiana experientia, quia quidam facillimi ſunt ad gaudendum, & ridendum ſimiliter, & ad contrarium eodem modo, & in virtute iraſcibili, quidam enim facilè turbantur, & eadem facilitate pacantur.
G Jam ergo nominavimus, & remuneravimus tibi quatuor debilitates in corde humano, quarum quælibet virium eſt, ſimiliter & quatuor virtutes illis contrarias, quarum quælibet fortitudo meritò nominatur.

Quæſtio.

Quæ autem iſtarum quatuor donum fortitudinis accipienda ſit, meritò quæſtionem habet, & potiùs videtur virtus conſtantiæ donum iſtius, propter hoc quia conſtantia mirabiliter exaltat mentem humanam, & aſſimilat ſanctitati & perfectioni Angelicæ, ſicut dixit illa ſapiens mulier Thecuitis ad Regem David. Sicut Angelus Domini, ſic eſt Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur, ſicut legitur 2. Reg. 14. Adeò enim judicatum eſt in nobis malum inſtabilitatis ut pro extremo malorum ſeu cumulo Job illud poſuerit in 14 ſubjungens aliis malis miſeriæ humanæ, & nunquàm in eodem ſtatu permanet. Eſt enim imago quædam æternitatis,
H ſive æternę beatitudinis admodùm mirabilis, in ipſa præſentis vitæ inquietudine quietum eſſe, in tot tantiſque commotionibus & impulſionibus non mutari. Quia verò iſta ſunt mirabilia & majora etiam, idem poſſet videri de unaquaque aliarum. Sermo autem ejus qui dixit, quia donum fortitudinis eſt in aggrediendo magna, & ardua; ac ſi dixerit, quia donum fortitudinis facit viriliter aggredi, virtus verò fortitudinis viriliter, ſicut fortiter aſſequi, ſermo erroneus eſt; & hoc, quia ex neceſſitate oporteret unicuique virtuti pręeſſe donum proprium. Quæ enim poſſit eſſe ratio, ut duæ eſſent fortitudines, altera propter aggrediendum fortiora, altera propter proſequendum illa? Et non oportet ſimiliter duas eſſe juſtitias, alteram propter aggrediendum quæ juſta ſunt, alteram propter proſequendum ſimiliter & duas caſtitates, & ita de aliis.

Donum fortitudinis.

Omnium enim bonarum operationum, & virtuoſarum eodem fine, & principio indiget tam aggreſſio, quàm proſecutio: eſſet igitur præter virtutem caſtitatis etiam donū caſtitatis, & propter hæc tot dona,

Digitized by Google

A quot & virtutes. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia ipſum donum fortitudinis, virtus fortitudinis eſt, & cùm fortitudo in eo quòd fortitudo ſit, circa ardua, & difficilia; ſic in eo, quòd talia univocè, & non æquivocè dicitur de quatuor prænominatis virtutibus, dicitur & de aliis duabus, videlicet patientia, & illa, quæ prædicatur per hoc nomen mitis, quæ mititas à mittendo dicitur; mitis enim jacula tribulationum, & perſecutionum admittit, ſed ſine læſione ſui. Quemadmodùm mollia, atque cedenda magnorum tormentorum, & petrarum lapides, ſine læſione ſui excipiunt, quaſi & applaudunt illis, eos etiam amplectuntur. Patiens autem admittit jacula, ſed cum læſione atque dolore, ſed virtute patientiæ eos abſque ſui turbatione ſuſtinendo vincit, & in hoc atteſtatur nobis Ariſtot. dicens in libro topi. *Ariſtot.* quia mitis eſt, qui nec patitur, nec deducitur à ſtatu, ſubintelligitur virtutis. Patiens verò, qui utique patitur, ſed non deducitur, patitur, intellige dolorem, & læſionem. Tam mitis autem, quàm patiens, fortis dicitur, & patiens melior dicitur viro forti, B intellige bellatore, vel forti fortitudine, quam ſupra vocavimus quandam duritiam cordis, eo quòd victorioſiùs ſit vulneratum, & dolentem pugnare, & vincere, quàm ſanum penitùs, & illæſum, & propter hoc cùm Salomon dixiſſet Proverbiorum 15. Melior eſt patiens viro forti, conſequenter ſubjunxit. Et qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Licet autem non patiatur mitis à jaculis perſecutionum, vel tribulationum, non patiatur inquã læſionem, aut dolorem, non ideò tamen minus fortis eſt, aut ejus virtus minus propter hoc fortitudo, immò tantò magis, majorque virtus, vel magis, majorque fortitudo, quantò vincit faciliùs, quantóque à vulneribus, & aliis læſionibus minus paſſibilis. Dolor enim & paſſio, atque vulnus per ſe nihil addunt virtuti, ſed materiam præſtant ejus victoriæ. Quòd ſi quis dixerit, quia mitis per illam virtutem non patitur, & adjecerit, quoniàm neque agit, ergo C virtus illa otioſa eſt, immò prorsùs inutilis. Jam determinavimus hoc, videlicet in hoc, quòd ſupplevimus orationem, & expoſuimus per ſuppletionem, ubi diximus, quia mitis eſt, quia nec patitur, ſubintelligendum eſſe dolorem, & læſionem. Iterùm ubi diximus, quia mitis ſine læſione, & dolore concipit jacula perſecutionum. Ratio enim propter hæc minus agit, quia ſine labore, dolore, & difficilitate agit: tunc enim virtutes in potentia omninò otioſæ eſſent & inutiles, cùm nec labor, nec dolor, nec difficilitas ibi locum habeant, immò etiam ibi eſſent inutiles, cùm virtutum præcipua utilitas actiones earum ſint, ſeu operationes. Secundùm hæc omnium otioſiſſimus eſſet Deus, & omninò nihil agens, cùm ab eo in ultimo elongationis ſint labor, & fatigatio remotiſſima. Jam igitur declaravimus tibi, D *Fortitudo velut genus eſt ad multas ſpecies.* quòd de ſex virtutibus propriè dicitur fortitudo, & quòd eſt velut genus ad illas; & quia non eſt ratio, quare aliqua earum potiùs dicatur donum fortitudinis, quàm alia, ſed fortitudo in genere, ſive generale donum fortitudinis intelligitur, & ſpiritus fortitudinis in 11 Iſaïæ vocatur, & hoc ſecundùm intentionem, quam declaravimus, videlicet cùm fuerit donum gratuitum, non ea intentione, qua fortitudo conſuetudinalis, aut etiam naturalis virtus dicitur, ſed cùm habuerit perfectiones, quas ſupra numeravimus, & narravimus. *Fallacia.* Quintum malum eſt fallacia, & erroneitas, qua decipiuntur homines, & errãt circa bona, & mala, & hoc tã ſecũdùm qualitaté, quàm ſecundùm quãtitaté, ubi credũt bona eſſe quæ mala ſunt, aut eõverſò, ſicut legitur Iſaïæ 5. Væ qui dicitis bonũ malũ, & malũ bonũ, & cætera: ſecũdùm quantitatem verò ubi credunt magna eſſe bona, quæ parva ſunt, aut econversò, & de malis ſimiliter. Contra igitur hoc malum fallaciæ & deceptionis armantur, & muniuntur, electi dono ſcientiæ, quæ per ſe boni & mali eſt, ſicut & nominatur Geneſeos 3. ubi nominatur lignum ſcientiæ boni & mali; propter hunc errorem dicitur Sapientiæ 14. In magno viventes inſcientię bello, tot, & tam magna mala, pacem appellant. *Donum ſcientiæ.* Ex hoc enim errore bella acerrima, ac periculoſiſſima voluptatum, & etiam pacis utriuſque, ac ſi eſſent paces à vitiis, hoc dono ſcientię carentibus, amantur: ſicut enim ait Socrates. *Socrates* In bello corpora hominum in telis, in pace corpora eorundem cordis voluptatibus vulnerantur; propter hæc dixit Salomon Proverbiorum 14. Vade contra virum ſtultum, & neſciet, ſubintellige contra eum: non enim ſciunt ſtulti homines, quòd corda eorum capiant voluptates, & captiventur, ligent, in ſervitutem redigant, & occidant: & alia mala quæ bellorum ſunt, eiſdem irrogent, immò quod eſt ſuprà omnem inſaniam, tam execrandam miſeriam fœlicitatem reputant, & magna, ac gratiſſima obſequia B ſibi præſtari credunt, cùm eis tam pernitioſa mala irrogantur. De pace utraque, hoc eſt tam à tentationibus interioribus, quàm ab exterioribus, jam multotiens diximus, ejus prælia, ſive impugnationes omnium periculoſiores, ac pernitioſiores ſunt, & in vita iſta viris ſanctis nulla eſt periculoſior tentatio, quàm ipſum non tentari; nullumque bellum adversùs eos conſurgit acrius aut fortius, quàm ipſa pax, quam multi quærunt. Hujus doni, videlicet ſcientiæ lumine deteguntur viris ſanctis fallaciæ, quas diximus bonorum, atque malorum, hujuſmodi doni radij, & partes ſunt juxta bonorum, & malorum diviſiones: verbi gratia, unus ejus radius eſt, quo divitiæ temporales paupertas videntur. Iſto radio intuentur viri ſancti divitias, & vident quàm parva bona ſint in primis; deinde quòd viſcata bona, deinde quòd ſpinæ pungentes, & exulcerantes. *In divitias.* C Tertiò quòd vanitas dum nec fulciunt innitentes, nec replent continentes, hoc eſt non ſatiant habentes, nec fructum præſtant laborantibus pro illis; deinde quantis malis obnoxios efficiant amatores ſuos poſt eam fallaciam, quaſi dum ſe eas rapere credunt, cupidi capiuntur ab ipſis, quæ fallacia proculdubiò fallacia eſt laquei, atque muſtipulæ ſicut oſtendimus ex 14. Sapientiæ, ubi legitur. Quia creaturæ Dei in odium hominum factæ ſunt, in ruinam, atque muſcipulam pedibus inſipientium. Sunt & alia multa mala circa divitias, quæ doni iſtius lumine clarent eo præditis. ſimiliter & bona paupertatis. Secundus verò hujuſmodi luminis radius eſt, quo cognoſcuntur honorum, ſeu dignitatum mala, & etiam bona quæ in eis inveniuntur & ex eis ſapiunt, qui eas benè adminiſtrant. Tertius radius eſt, quo D cognoſcitur cujuſmodi bonum ſit hæc vita, hoc eſt quàm fugax, quàm debile, quantiſque malis, atque periculis immixtum, atque obſeſſum: ſimiliter & dè morte, quàm bona ſit, quotque, & quanta bona ex ea proveniant. *Mors bona.* Quartus radius eſt, quo videtur mundus iſte ex omnibus faciebus ſuis ſpiritualibus, de quibus circiter triginta meminimus nos ſcripſiſſe; à ſcribendo verò aliis negotiis cogentibus deſtitiſſe. Hujuſmodi ergo facies ſunt operationes, & ſimilitudines, quibus mala mundi ſpiritualia doni iſtius lumine cognoſcuntur; verbi gratia. *Mundi facies.* Una ſua facie mundus apparet evidenter eſſe via cum omnibus diſcriminibus, quæ viantes impedire aut lædere poſſunt. Secundò campus certaminis cum omnibus ſimilitudinibus, & comparationibus eorum, quæ in campo certaminis literali inveniuntur. Tertia obſidio ſpiritualis vallans nos ex omni parte, omni genere hoſtium, omnique belli apparatu electos impu-

Digitized by Google

grians, & ita de aliis quorum viam, & deſtructionem triginta prædictarum facierum intelligentibus aperuimus. Quintus radius eſt, quo mala animarum noſtrarum & bona quæ innata ſunt quaſi adventitia intuemur. Sextus eſt corpora noſtra, & ea quę corporum ſunt bona vel mala. Septimus eſt, quo illuminamur ad ſcienda bona & mala in virtutibus, & vitiis, atque peccatis.

Donum ſcientiæ.

Eſt ergo donum ſcientiæ, velut ſtella ſex radiorum iſtorum, quorum unuſquiſque diligenti, ac perfecta deſcriptione diviſionum ſuarum partium, librum nobilem, ac pretioſum impleret; ſufficiat autem tibi apertio viæ, & quaſi prælibatio tantarum ſcientiarum, ſive unius tantæ ſcientiæ. Apparet autem evidenter tibi utilitas doni iſtius ſimul, atque neceſſitas, in ſequentibus lucidiùs apparebit.

Prophanitas.

Sextum malum in vita humana eſt prophanitas, ſive execrabilitas, qua vita noſtra Deo, vel non honorifica eſt, vel etiam contumelioſa, quo malo nullum pernitioſius eſt.

Pietàs quid.

Contra hoc ergo malum munit Deus electos ſuos & armat dono pietatis, quæ prout hîc accipitur, propriè eſt veneratio ſanctorum, videlicet in primis ipſius Dei, deinde ipſorum quæ ſibi ſanctificavit, & quę honorificentiæ ejus appropriata ſunt, ut etiam imagines nihil ſanctificationis habentes, inter ſancta numerentur. Hoc dono præditi ſunt, qui omnia ſancta venerantur, & ſanctorum etiam ſigna, qui ante crucem etiam in publica ſtrata non exeunt abſque inclinatione capitis ad eam, ſimiliter & ſacra vaſa non contrectant niſi lotis manibus, & abſque aliis venerationibus. Qui ergo in minimis iſta faciunt, quid in magnis facere credendi ſunt? niſi fortè papulardi, id eſt pueriles & ridiculoſæ religionis homines ſunt, & eſt iſtud donum propriè in vi iraſcibili.

Securitas.

Septimum & ultimum malum eſt ſtulta ſecuritas qua nihil habere poteſt homo, tot & tantis periculis obſeſſus pericloſius; ſecuritas enim eſt quæ ſpiritales cuſtodes noſtros, aut à nobis diffugat, aut ſibi interficit. Ne ergo puerilis eſſet vita ſanctorum, gravitate, atque maturitate ſapientiæ erudivit, & inaltavit eam miſerator dominus; ne brutali & hebetudine animali tenebreſceret, dono intellectus eam ſimul illuſtravit, & acuit; ne ruinoſa periculis, dono conſilij eam ſuffulſit; ut victorioſa eſſet dono eam fortitudinis armavit; ut ab erroribus & deceptionibus libera, dono eam ſcientiæ perfudit; ut eſſet eidem honorifica, videlicet religioſa, dono eam pietatis decoravit; ut eſſet tuta à periculis & inſidiis, dono eam timoris firmavit; licet enim timor, aut inermi videri poſſit, aut infirmitas, eo tamen nihil eſt in nobis fortiùs.

Timor.

Propter quod legitur Proverbiorum 14. In timore domini fiducia fortitudinis & Eccleſiaſtici viceſimo nono. Qui timet Deum nihil trepidabit. Et hoc in ſequentibus, ubi de operibus, & mirabilibus timoris loquemur, declarabitur. Iſta ergo de ſeptem donis tibi ſufficiant, velut prægustationes atque præludia magnorum tractatuum, qui per alios Dei faciente gratia, adhuc fortè ſcribentur. Scito autem quia beatus Auguſtinus utitur largiùs nomine ſcientiæ, & nomine doni iſtius in primo libro doctrinæ Chriſtianæ. De donis autem non fuit intentio noſtra hîc, niſi aperire tibi viam, & dare occaſionem, ſaltem vel modicam, ſapientibus, & exercitatis.

CAPUT XII.

Virtutes dicit eſſe dona propter cauſas ſupradictas, dicit & ipſas eſſe beatitudines propter fructum ex eis dependentem, ſcilicet propter retributionem ex eis, & quia habens eas beatus ſit. Nam ſicut vitia miſeriæ ſunt, ita beatitudines fœlicitates ſunt, quibus maxime cæteris animantibus præſtamus, & quibus imago Dei ſumus; affert deinde cauſas quibus duodecim virtutes fructus nominantur, mox ad virtutis definitionem deſcendit.

NUnc autem revertemur ad ea quæ ſequuntur, & dicemus tibi, quia virtutes dona ſunt propter cauſas quas diximus. Beatitudines autem non ſolùm effectivè videlicet propter fructum, vel effectum beatitudinis qui ex eis à retributore bonorum inde tribuitur, ſed etiam formaliter, quoniàm in habendo eas, & participando, beati ſumus.

Nota.

Quemadmodùm enim vitia, & peccata verè miſeriæ ſunt, & verè miſeros eos faciunt, in quibus ſunt; ſic verè beatitudines, verè virtutes eſſe neceſſe eſt. Veriſſimè enim dictum eſt illud Proverbiorum 14 Juſtitia elevat egentem, miſeros facit populos peccatum.

Peccata morbi.

Declaratio autem hujuſmodi, ſcilicet quia vitia & peccata verè miſeriæ ſunt, hoc manifeſtum eſt, quia vitia & peccata veri morbi, verè vulnera, verè ſervitutes, verè inquinationes ſunt, & alia hujuſmodi de quibus dubitari non poteſt, quin ipſa ſint verè miſeriæ; quare virtutes veras beatitudines eſſe neceſſe eſt. Sicut enim beatitudo ad miſeriam, ſic & virtus ad vitium, & peccatum; quare & permutatim ſicut virtus ad beatitudinem, ſic vitium, vel peccatum ad miſeriam. Ampliùs Omnia contraria neceſſe eſt, aut ſub eodem genere eſſe proximo, aut ſub contrariis, aut eſſe generalia ſicut dicit Ariſtoteles de bono & malo, ſcilicet quòd bonum & malum non ſunt in genere, ſed ſunt genera aliorum. Virtus ergo & vitium, ſeu peccatum, aut ſunt in altero duorum generum iſtorum, quod manifeſtum eſt eſſe impoſſibile, aut ſunt ſub illis duobus ita quòd alterum ſub altero, & reliquum ſub reliquo, aut ipſa ſunt genera aliorum. Non eſt autem neceſſe, ut multùm immoremur hîc, quoniàm de octo beatitudinibus tractatum ſingularem alibi jam ſcripſimus, & in ſequentibus, ubi loquemur de meritis, & retributionibus, iſtud irrefragabiliter patefaciemus.

Virtutes ſunt fructus.

Fructus autem dicuntur virtutes, vel quia cibus, vel refectio mentis ſunt, vel quia fructus ipſius humanæ mentis ſunt. Ipſa autem mens virtutum, & ſcientiarum velut ager, & paradiſus, & propter hæc expreſsè fructus ſpiritus dicuntur, id eſt ejus, quod eſt in nobis ſpirituale. Hoc autem eſt quod præeſt, & ſupereminet ei, quod in nobis eſt animale, quo ſcilicet brutis animalibus præcellimus, quo & imago Dei ſumus. Iſte ager ſeminatur vivifico ſemine verbi Dei, ut fructus iſtos proferat. Pariens etiam virtutes eſt anima humana quas concipit, & parit ex amplexibus cœleſtis, & æterni ſponſi ſui, videlicet Dei, & domini noſtri Jeſu Chriſti. Vel propter hoc dicuntur fructus ſpiritus, hoc eſt Spiritus ſancti quaſi datoris, & actoris earum. Quòd ſi dixerit quis, quòd Spiritus ſanctus non poterit ibi nomine ſpiritus intelligi propter illud quod ſequitur in ſequenti cap. ad Galat. Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam; quomodò enim poſſibile eſſet ſeminare in Spiritu ſancto? Ad quod reſpondemus, quia ipſe Deus reſpondet de ſpiritu in 2. Hier. Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina. In quo apertè inſinuit, quòd poſſibile eſt in eo ſeminari, & non tanquàm in ſolitudine, ut fructum debitum non reddat, neque tanquàm in terra ſerotina, ut fructum

Nota. fructum debitum non reddat tempore debito. Seminare autem in Deo debiti cultus honorificentiarum dicuntur eo tropo, quo ſervi grata ſervitia in dominis ſuis ſeminare dicuntur, & fructum expectare mercedem, ſic in pſal. ſcriptum eſt. Qui ſeminant in lachrimis ſemina, ſcilicet Dei ſervitiorum, in exultatione metent retributionem æternam. Et Apoſtolus dicit, qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Si quis autem quærat, quare duodecim illas, vel virtutes, vel dona potiùs nominavit fructus. Apoſtolus, quàm alias ſeu alia. Reſpondere poſſumus, quia exempli cauſa duodecim illa expreſſit, relinquens idem intelligendum de aliis; imponere enim iſtis duodecim quòd magis ſint fructus ſpiritus, quàm aliæ virtutes, non eſt tutum probabiliter: tamen credet aliquis, illa duodecim potiùs nominaſſe Apoſtolum fructum, quia contra ipſam carnem evidentiùs militant, quàm aliæ, vel quia evidentior eſt ex eis refectio ſpiritus, ſicut apparet ſingula conſiderantibus. Prima enim quatuor ſunt charitas, gaudium, pax, patientia; quæ ſunt manifeſtè reficientes animam humanam; ſequentia verò octo ſunt, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo fides, modeſtia, continentia, & caſtitas, vel propter hoc dicuntur fructus ſpiritus, quia valdè ſpirituales ſunt, & ſpirituales efficiunt poſſeſſores ſuos, ſicut contraria eorum carnales, & animales. Vel ideò fructus ſpiritus humani intellige, quia maximè propter eas creatus eſt ſpiritus humanus, & maximè ex eo ex debito tanquàm fructus ex arbore requiruntur. His autem ita expoſitis, revertamur ad id quod eſt principale noſtræ intentionis, & loquamur de virtutibus ſermone univerſali juxta traditionem ſanctorum, & ſublimem intellectum eorum, ponentes in primis, & exponentes diffinitionem ſancti Auguſtini qui dixit. *Virtus quid ſecundùm Auguſtinum.* Quia virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur, quam Deus in homine ſine homine operatur, bona inquam qualitas dicitur non participatione, id eſt non participando, vel habendo bonitatem, ſed magis eſſentia, ſive eſſentialiter, hoc eſt in eſſendo ipſa bonitas: quemadmodùm color albus non dicitur albus in participando, vel habendo albedinem, ſed in eſſendo ipſa albedo. Idem igitur eſt dicere bona qualitas mentis, quod bonitas mentis; quemadmodùm color albus corporis, idem eſt dicere, quod albedo corporis. *Rectum quid.* Quòd autem ſequitur in eadem diffinitione ſic exponimus, quoniàm jam alibi didiciſti, quia rectum eſt cujus media non exeunt ab extremis, extrema autem vitæ noſtræ ſunt Deus, principium à quo eſt, & Deus finis ad quem, vel propter quem eſt. Quare recta vita eſt ex neceſſitate, quæ in nullo exiit ab hujuſmodi extremis, & hoc eſt quod ſupra diximus, quæ nec habet reflexionem, neque recurvationem. Quæ enim habet recurvationem exit ab altero iſtorum extremorum, videlicet à Deo, hæc eſt vita, qua multi ſibi vivunt, quæ ſua ſunt ſolummodò quærentes intentiones, & operationes ſuas in Dei honorificentiam nullatenùs extendentes, immò eas in ſe vel in ea, quæ ſunt ſua penitùs recurvantes, ac in ſeipſis eaſdem retinentes. Apparet etiam tibi ex præcedentibus detruncata, atque decurvata penè tota longitudine ſua, dum extra proprium ſubjectum non extenditur, quæ uſque ad Deum pertinere debet, ut diximus, propter hujuſmodi decurvationem, & debitam protenſionem, dictum eſt in 8. Sap. quia ſapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & hoc verum eſt de ſapientia creata, quæ nec ſe, nec operationes ſuas recludit ſive incarcerat in proprio ſubjecto, immò extendit eas, per gratitudinem, ſive devotionem in Deum principium, dum eas illi attribuit, & ex eo, ſive ab eo tan-

A quàm dona gratiæ ſuæ illas eſſe cognoſcit, uſque verò ad Deum finem eas extendendo pertingit, dum per eas gloriam Dei quærit. Sapientia verò increata attingit virtute, atque poteſtate ſua omnipotenti à primo creato uſque ad ultimum, coercens, regens, & moderans, retinens, & conſervans totum fortiter, hoc eſt abſque reſiſtentia, ac rebellione, non enim eſt aliquid quod reſiſtere poſſit benè placito voluntatis ipſius. Habet autem quæſtionem non levem iſta pars præmiſſæ diffinitionis. *Quæſtio.* Neceſſe enim eſt hanc partem unicuique virtuti convenire, unamquamque enim partium diffinitionis generis neceſſe eſt convenire cuilibet ſpeciei illius, & etiam unicuique individuorum cujuſcunque illarum. Qualibet ergo virtute rectè vivitur, quare quælibet per ſe ſufficit ad rectè vivendum, ex quo manifeſtè ſequitur omnes præter unam otioſas eſſe vel inutiles. Amplius. Caſtitas non ſufficit niſi ad agendum, quæ
B caſta ſunt in eo quòd caſta, quare non ſufficit dirigere, ſeu rectificare niſi partem vitæ, ea igitur ſimpliciter, non rectè vivitur: ſed ſecundùm quid, & ad hunc modum eſt dicere de multis aliis. Non eſt igitur diffinitio quam ponit Auguſtinus, neque enim diffinitio, nec genus, vel ſpecies ſecundùm quid dicuntur de diffinitis, aut ſubjectis, ſed ſimpliciter. Ampliùs Cùm tot ſint tortitudines vitæ, ſive diſtorſiones, quot vitia, vel peccata, & nulla virtus per ſe auferat niſi diſtorſionem contrarij ſui, non erit una virtus auferens omnes diſtorſiones à vita humana. Quòd ſi dixerit, quia una rectitudo oppoſita eſt, ſive contraria omni tortitudini, & curvitati, & unaquæque etiam omnem tollit ſufficienter, quemadmodùm una ſanitas omni ægritudini contraria eſt, & omnem illam per ſe tollit, ſimiliter ſe habet veritas una ad falſitatem omnem, ſic & perfectio una ad
C imperfectionem. Quare una vitæ rectitudo per ſe ſolam ſufficit tollere omnem ejus tortitudinem ſive curvitatem, ſive deflexionem. Reſpondemus in hoc, quia unius rami rectitudo non ſufficit tollere omnem tortitudinem arboris ſive curvitatem, ſive deflexionem arboris ſuæ, vel quia non ſufficit tollere tortitudinem ſtipitis, neque tortitudinem aliorum ramorum. Sic cùm vita noſtra tanta ramorum multitudine dividatur, non ſequitur quòd tota vitæ noſtræ ramoſitas una rectitudine dirigatur. Ampliùs. Cùm tres vires animæ humanæ ſuas habent tortitudines, & diverſas, quomodò una virtute poſſibile eſt illas tres vires dirigi, ſeu rectificari? præſertim cùm nulla virtus ſit rectitudo, niſi ejus vis in qua, vel ſecundum quam ineſt. Fides enim non eſt rectitudo, niſi virtutis noſtræ intellectivæ. Et iterùm. Illius etiam non eſt rectitudo, ſive rectificatrix, niſi
D ſecundùm quid, videlicet ſecundùm ea, quæ pertinent ad fundamenta religionis. Quòd ſi dixerit quis, quia virtus una non eſt formaliter rectitudo totius vitæ noſtræ, ſed effectivè, ut cùm ſit in una vi, in alias vires & earum operationes transfundit rectitudinem, & prohibet ab eis tortitudinem, & errorem ab ea prohibet, quemadmodùm pertinet ad ipſam, quemadmodùm cùm viſus in oculo ſolummodò ſit, non ſolùm operationem ſuam dirigit, & tortitudinem, & errorem ab ea prohibet, ſed etiam ab operationibus virtutis greſſibilis. *Nota.* Greſſus enim regit, ac dirigit, ſimiliter, & rectitudo inſtrumentorum greſſus dirigit, & veriſſimè dicitur, quia viſu rectiſſimè ambulatur, & etiam pedibus, ac tibiis bonis, ſive rectis; ſic & unaquaque virtute vivitur, & rectè ambulatur in via morum ſive mandatorum Dei, ſed aliter, & aliter. Reſpondemus, quia ſi velit inniti exemplo ſuo errat manifeſtè, quoniàm ſi ita eſſet ut ponit, neceſſe eſſet in unaquaque operatione, aut omnes virtutes aut plures ſaltem operari,

Digitized by Google

neque verum eſt, neque dici conſuetum, quòd viſu, ſeu viſione rectè ambuletur, ſed tantùm quò, vel qua ambulandum eſt, viſu videtur, ſive cognoſcitur, licet enim manuum operatio interdùm viſum adjuvet, non tamen verum eſt, neque ab aliquo dicitur, quòd manibus videtur, quamquàm multiplex ſit ſuffragatio manuum ad videndum, ſicut apertio feneſtræ, exhibitio lucernæ, oculorum ablutio, ac præparatio medicinalis. Prætereà ſecundùm hæc non univoca eſſet diffinitio, nec univocè diceretur de omni ſpecie, & individuo diffiniti.

Mẽs Auguſtini.

Reſpondemus, quia mens Auguſtini fuit in hoc diffinire virtutem charitatis, quam unam ſubjecto, & eſſentia dicit eſſe in libro Eccleſiaſticorum dogmatum,

Virtus una.

quatuor autem relatione, ſeu officiis, de quo ſupra fecimus mentionem & non eſt dubium, quin amore illo rectè vivitur, & hoc eſt propter duas cauſas. Primùm quoniàm ipſa eſt dirigens, & regulans voluntatem, & rectitudinem, velut regula divinæ voluntatis. Secundò quia hujuſmodi amori tota vita ſubjecta eſt, & totam habet in poteſtate, & propter hoc totam trahit poſt ſe, & totam ſequi facit divinam voluntatem: hoc autem facit imperio, & poteſtate, ut diximus, imperat enim vi rationabili ſtudere, cogitare miracula, revolvere libros propter pellendos errores, & dubietates, & ignorantiæ tenebras, hoc ergo modo eſt dirigens, atque rectificans ipſam vim rationabilem, cùm ipſa in concupiſcibili ſolummodò ſit, & ad hunc modum ſe habet de aliis.

Charitas.

Quemadmodùm enim & pater familias, qui benè præeſt domui ſuæ una rectitudine, ſeu una voluntate bonitatis, omnem vitiorum & peccatorum tortitudinem, omnem malitiam in tota familia ſua corrigit, & hoc ſolo imperio; ſic & virtus hæc (quam diximus) in tota familia operum, ſeu operationum noſtrarum cùm domui cordis noſtri ſeu mentis præfuerit, omnem tortitudinem vitiorum exterminat, & corrigit, ad normam rectitudinis reducit:

Similitudo.

quemadmodum etiam bonus, ac fidelis magiſter, multis ac diverſis præpoſitus operariis, carpentariis, videlicet, cæmentariis, fabris ferrariis, & aurificibus, omniũ opera ſuo imperio regit, dirigit, & ab eis omnem tortitudinem, & alia vitia prohibet, & avertit;

Charitatis laus.

ſic & charitas omnibus viribus, & membris animæ humanæ, & membris etiam noſtris imperans, velut univerſis multiplicibus operariis imperans, nihil tortitudinis aut alterius pravitatis in operibus eorum eſſe permittit, & rectitudo vitæ quam expoſuimus, indubitanter ad hoc concordat, ſic enim rectam nulla alia virtus efficit vitam, niſi charitas.

Quatuor partes converſationis humanæ.

Quoniàm autem vita hîc converſatio intelligitur, converſatio autem quatuor habet partes, videlicet cogitationes, affectiones, locutiones, operationes meritò quis intelligat virtutem eſſe, qua rectè vivitur, hoc eſt quacunque parte vitæ, hoc eſt, converſationis rectè agitur, quod eſt dicere, quia virtus eſt bona qualitas mentis, qua quacunque parte hujus vitæ rectè vivitur, videlicet qua, vel rectè cogitamus, vel rectè afficimur, ſive movemur interiùs, vel rectè agimus exteriùs, vel rectè loquimur, non quidem rectitudine grammaticæ, ſed morali, cui propriè oppoſitum eſt vitium, ſeu peccatum. Non ergo pro tota converſatione vita ibi accipienda eſt, ſed communiter, quẽadmodùm & prædicatur per hoc verbũ vivit, vivit enim & vivere communiter dicitur, qui quacunque parte temporis vivit; eodem modo rectè vivit, qui quacunque hujuſmodi quatuor partium rectè vivit, & eſt rectitudo iſta, quà à regula divinæ legis, ſeu rectitudine non diſcordatur, cui rectitudini ſecundùm eundem Auguſtinum oppoſitum eſt peccatum, ſic ab eo diffinitum.

Peccatum quid.

Peccatum, inquit eſt dictum, vel factum, vel cupitum contra legem Dei,

E

Cupitum.

hoc eſt cogitatio, vel affectio, factio, vel dictio contra legem Dei: cupitum enim pro duobus accipit, hoc eſt pro cogitatione, & affectione. Per hæc ergo quæ diximus ſolutæ ſunt præmiſſæ quæſtiones; non enim ſequitur ſi hac virtute rectè vivitur, quòd aliæ quantùm ad rectè vivendum ſuperfluæ ſint, vel inutiles, duabus de cauſis. Quoniàm unaquæque efficit ſuum rectè vivere (ut diximus) etſi non eſſet neceſſaria aliqua alia virtus propter hoc rectè vivere, quod iſta efficit, eſſet tamen neceſſaria propter ſuum rectè vivere, quod ipſa efficit, ut diximus.

Nexus virtutum.

Alia etiam de cauſa, quia multipliciter mutuò ſe invicem adjuvant virtutes in operationibus ſuis, ſicut apparet in exemplo manuum, & oculorum, quod poſuimus; oculi enim manus operantes multipliciter adjuvant, & multipliciter adjuvantur ab ipſis, ut oſtendimus.

F

Debes autem reminiſci eorum, quæ diximus tibi de rectitudine, & attendere quòd rectitudo ſecundùm unam intentionem contraria eſt errori, ſive peccato; propter quod dicit Ariſtot. quòd circà ſenſum ſunt rectitudo & peccatum, & iſta rectitudo, vel eſſentia eſt uniuſcujuſque virtutis, vel comitans illam: rectitudo verò extenſa inter duo extrema abſque exitu ab alterutro eorum, non eſt niſi virtutes, quæ vel voluntates ſunt, vel non ſine voluntate, ſive amores, aut non ſine amore. Debes etiam ſcire quia extrema hujuſmodi virtutum non ſemper ſunt Deus principium, & Deus finis, ſed interdùm ipſe operans eſt alterum extremorum: Deus verò reliquum, operatio autem recta, ſimiliter & intentio, quæ ab operante, & intendente extenditur in Deum finem ſicut prædiximus, hoc eſt propter gloriam, vel honorem ipſius, aut beneplacitum. Virtus ergo gratitudinis operationes ſuas, & intentiones in Deum extendit, velut principium, & auctorem; hujus autem virtutis quinque ſunt operationes, de quibus in ſequentibus loquemur.

G

Diſcutit diffinitionem virtutis.

Quod ſequitur in præmiſſa diffinitione beati Auguſtini, videlicet qua nemo malè utitur veriſſimum eſt ex neceſſitate. Cùm enim virtus ſit principium, & cauſa atque radix per ſe omnium bonorum uſuum, qui ex quibuſcunque rebus elici poſſunt, nullatenùs abuſionem, ſive malum uſum ſui ipſius ſuſtinet. Prætereà cùm omnis abuſio, & omnis malus uſus peccatum ſit, manifeſtum eſt impoſſibile eſſe, quemquam virtute aliqua malè uti, hoc enim eſſet virtute malè agere, ſeu peccare. Ampliùs. Cùm omnis virtus bonitas ſit (ut diximus) & rectitudo nihil aliud eſſe virtute malè uti, quàm ex bonitate malum uſum elicere, & ira ex bonitate malè agere, & ex rectitudine diſtortè: malè autem agere, & diſtortè, hoc eſt malum eſſe, ſive diſtortum; quare virtute malè uti eſſet tandem bonitate malum eſſe, & rectitudine diſtortum.

H

Timor ſervilis.

Quod verò dicit alibi Auguſtinus, quia timor ſervilis eſt bonum quo nemo benè utitur, non eſt contrarium, quia timor hujuſmodi, etſi bonum Dei datum ſit, non tamen eſt virtus, & hoc eſt, quia licet mala declinari faciat, id eſt vitia, & peccata, non tamen hoc facit benè, id eſt laudabiliter, immò ſerviliter, & brutaliter, videlicet ſolo metu ferè, ita enim occupat animum, & intentionem timentis, ut oculos cordis ad ſolam pœnæ evaſionem habeat.

Similitudo.

Quemadmodùm canis videns erectum baculum contra ſe ſolo metu illius à cibo abſterretur, & quemadmodùm fur, qui videns cuſtodes armatos, furari non audens, ab illo metu ſolo cuſtodum avertitur: ſimiliter & quemadmodùm navigantes volentes exonerare navem, ut imminentem tempeſtatem evadant, merces ſuas in mare projiciunt; ſic hujuſmodi homines ſarcinas peccatorum projiciunt videntes imminere tempeſtatem futuri judicij, ac demerſionem ſuam in profundum infernalis abyſſi, quemadmodùm igitur canis in præmiſſo exemplo

Digitized by Google

ſo exemplo non agit abſtinenter, nec fur in ſecundo innocenter, nec hujuſmodi navigantes in tertio exemplo largiter, ſic omninò ſerviliter timentes ex hujuſmodi timore nihil agunt benè, nihil laudabiliter. Quod ultimo ſequitur in eadem diffinitione, videlicet quam Deus in homine ſine homine operatur, videtur non convenire omni virtuti. Primùm quia procuratas virtutes, & impetratas orationibus, lachrimis, jejuniis, & aliis exercitationibus, non ſine homine videtur Deus in hujuſmodi operari, non ſolummodò cooperantur præparantes, & habilitantes ſe ad perceptionem earum, ſed etiam videntur eas aliquo genere meriti promereri, videlicet merito quod meritum congrui uſualiter vocatur. Alioquin quid eſſet quod dicit Gregorius. Interim fac quicquid boni potes, ut Deus illuſtret cor tuum ad pœnitentiam. Iſido. verò dicit, quia caſtitas interno gemitu impetratur. Ampliùs. Quid eſt dicere ſine homine? aut hoc eſt dicere ſine merito hominis, aut ſine comparatione ipſius, ſive adjutorio: ſine merito non, quia interdùm etiam per meritum proprium, ſed congrui (ut diximus) interdùm etiam per meritum condigni, ſicut dicit alibi Auguſtinus. Quia Stephanus protomartyr oratione ſua, qua dixit, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum converti Paulum obtinuit. Quòd ſi dixerit; quòd ſine homine, ibi intelligitur, id eſt ſine comparatione, quid erit igitur conatus, & præparatio quibus peccatores intendunt, & veniam, & gratiam impetrare? Nunquid fruſtra ad Dei dona ſe preparant? Ampliùs. Qui feneſtram aperit, immò qui obſtacula apertionis tollit, ingreſſui luminis, ſive illuminationi domus illius non cooperatur, & qui accedit ad lumen nunquid illuminationi ſuæ non cooperatur? & etiam ipſi ſoli ad illuminationē hujuſmodi perficiendā? ſimiliter & qui accedit ad ignem, nunquid ſuæ calefactioni non cooperatur? & ignis ſimiliter ad hujuſmodi operationem, & iſtæ ſimilitudines convenientiſſimæ ſunt, cùm virtutes ſint ſicut lumina, Sol, & calores: ſol verò intelligentiæ, & juſtitiæ Chriſtus dominus ex 5. Sap. & 3 Malachię. Reſpondemus in hoc, quia intelligendum eſt in homine, hoc eſt non per ipſum; quòd autem hîc dicitur de præmiſſis meritis, & operationibus, cauſæ ſunt merita hujuſmodi, & operationes, ac præparationes, & etiam merita, unde cauſæ ſunt, non per quas virtus efficiatur, aut tribuatur ſed ſine quibus non fieret, aut tribueretur. Cauſam autem per quam aliquid fit, vocamus efficientem, inſtrumentum, & medium deferens actum efficientis ad id, in quo principaliter intenditur, ſicut aer medium eſt deferens lumen ad extremũ illuminabile, & calorem nonnunquàm ad principale calefactum, & adjuvatur per medium inſtrumentum agens, ſive efficiens. In largitione autem virtutis, atque effectione homo in quo virtutem Deus operatur, Deum operantem non adjuvat, quia neque adjutorio omnipotentis creatoris virtus indiget, cùm non minùs ſine hujuſmodi præparationibus, & operationibus ſæpiſſimè tribuat virtutes & infundat, ſicut apparet in parvulis baptiſatis, qui nec ſe ad illas præparant; nec ullo modo cooperantur. Si quis autem quærat, ad quid valent hujuſmodi conatus, & præparationes facientibus? Reſpondemus, quia mora in peccato, & negligentia quærendi remiſſionem, & gratiam vel peccata ſunt, vel circunſtantiæ peccati, quæ adjuvante Dei juſtitia adventum gratiæ non patiuntur & gratiæ obſiſtunt, ſicut demerita, non tamen Deum adjuvant contraria eorum, qui adjuvari non indiget; aut ex his, aut fortior, aut copioſior eſt ad præſtandam remiſſionem, & agendam, ſed quodammodò locum, & quandam occaſionem dant miſericordiæ Dei, ut ampliora pręſter, quæ iſtas præparationes, & conatus prædonavit; & ut breviter dicamus, ſe adjuvat non Deum, qui hujuſmodi præparationes facit, nec eſt ſimile de Sole, & igne, quoniàm eorum operationes per potentias eorum non influunt, niſi in præparata, ſicut diximus. Operationes verò divinæ per ejus omnipotentiam etiam in præparatos, & in non præparatos influunt, & penetrant juxta ſolum beneplacitum ſuum. Si quis verò objicit, quia per miniſtros, atque per miniſterium ſacerdotum ſanctificat Deus ſacramentum, & virtutes in eis, ac dona gratiarum operatur. Idem reſpondemus quod priùs, quia ſine ſacerdotibus, & miniſterio eorum eadem, nec minùs liberè, aut potenter, nec minora operatur omnipotens Deus, cùm ejus beneplacitum fuerit, & hoc ſine ſacerdotibus, & miniſterio eorum. Veruntamen

Meritum congrui. — *Quæſtio bona.* — *Cauſa efficiens.* — *Quæſtio.*

A

B ſicut diximus de propriæ præparationis negligentia, & contemptu, ita dicimus hoc de negligentia ſacerdotum, & miniſterij eorum quia occaſionem dant juſtæ ſeveritati Dei qua negligentes, ſeu contemnentes ſacros miniſtros, & miniſterium eorum in peccatorum ſuorum fæcibus derelinquit; quemadmodùm contrariè ſolitudo & veneratio occaſionem dant largiſſimæ miſericordiæ Dei, ut eos in quibus ſuot, immò quibus illa prærogaverit, reſpiciat, & viſitet, doniſque gratiarum ſuarum, & virtutum illuſtret. Apparet etiam tibi ex his verbis noviſſimis diffinitionis iſtius, quia nec virtutes naturales, nec conſuetudinales hîc diffinire intendit Auguſt. naturales quidem propter hoc, quia illis plerumque malè utuntur homines, quemadmodùm viſu, auditu, intellectu, memoria, in quibus ultra quàm oporteret abundamus. Conſuetudinales verò per hoc à dicta diffinitione excluſit, quia etſi Deus illas operetur, non tamen

C ſine homine, quoniàm in multo labore, & frequentia operum hominis generantur, ſicut ſupra expoſuimus non ſubitò, & gratis, & deſuper infunduntur. Debes autem ſcire de hujuſmodi cooperationibus, quia etſi fiant alicui virtuti, vel dono, non tamen omnibus, & hoc eſt quoniàm in ipſo actu orationis, ſeu cujuſcunque alterius operationis, qua virtutes quæruntur, non movetur orans, aut operans motibus, niſi paucis. Omnes autem virtutes, ſine quibus non eſt ſalus eidem, tunc infunduntur, cùm directè, & per ſe non cooperetur, niſi illis, quarum motibus ſimiles habet, ſeu propinquos. Quemadmodùm etiam aliquod deſiderium placendi Deo, ſimile eſt alicui ex deſideriis, quæ procedunt ex charitate, & aliquod amare Deum, ſimiliter multùm ſimile eſt, atque vicinum ei amare, quo eſt ex charitate, ſimiliter, & quoddam credere eſt, ſimile ei credere quod

D eſt ex fide virtute. Cùm ergo orando, vel operando movetur hujuſmodi motibus, meritò cooperatur & præparat ſe ad hoc, ut infundantur ei virtutes illæ; ſicut enim propinquat, ſive vicinatur motibus illarum per hujuſmodi motus; ſic & ille, qui cùm in generali vel orat, vel operatur, ut Deus largiatur ei dona, quibus ei placeat ad omnes virtutes, quibus Deo placere oportet generaliter ſe præparat. Cardinales autem quaſdã virtutes nominãt ſacri doctores videlicet prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem, aliqua ex tribus cauſis, quas dicemus, ſicut nobis videtur: harum prima eſt, quia tota vita humana circa eas volvitur, & ab eis operatur, etſi ab eis exierit, vel ab una earum, neceſſe habet cadere, vel in parte, vel in toto, quemadmodùm oſtium ſe habet ad cardines ſuos, tota vita verò iſta velut oſtium eſt, quo vita beata nobis operitur cùm bona fuerit, clauditur verò cùm illa mala fuerit: bona enim vita præſens ingreſſus eſt in illã, & tota ex his cardinibus pẽdere, & portari videtur, quẽadmodùm oſtiũ à cardinib⁹ ſuis. Secũda eſt, quia cardines cœli quatuor toti

Nota. — *Conſuetudinales virtutes non ſine homine parantur.* — *Virtutes cardinales quare.* — *Cœli cardines quatuor.*

Digitized by Google

mundo inferiori ſupereminent, & ipſos cœleſtes motus determinant, & limitant; unde & plagæ ſecundùm eos in cœlo diſtinguuntur, videlicet Oriens, & Occidens, Septentrio, & Meridies: ſic iſtæ quatuor virtutes in ſublimi vitæ noſtræ in ſereno, & claro velut in quodam cœlo ſupereminent, & totam vitam bonam continent, limitant, diſtinguũt: & quemadmodùm à prænominatis cardinibus, & plagis eſt omnis motus cœleſtis, ſic & ab his virtutibus eſt omnis motus virtuoſus, & omnis operatio, ut multis videtur, qui nec alias virtutes eſſe opinantur. Tertia cauſa videtur ſumpta à ſacro cœtu cardinalium, ut quemadmodùm illi præſunt toti clero poſt ſummum Pontificem, ita & iſtæ omnibus virtutibus aliis; & quemadmodùm ſummo Pontifici prænominatus cœtus cardinalium aſſiſtit eidem ad regendam totam Eccleſiam, ita ut de magnis, & arduis nihil faciat præter eos, ſic & mens humana de magnis, & arduis operibus, videlicet in quibus ſalus conſiſtit aut perditio, nihil faciat, aut facere poſtponat, niſi per iſtas. Benè autem eſt menti humanæ, & omnibus, quæ ſub ipſa ſunt, quandocunque regitur per hujuſmodi cardinales, & regit quæ ſub ea ſunt, & regitur. Nonnulli autem quatuor paradiſi flumina interpretati ſunt, cùm ipſorum fluminum, & curſu eorum, tum ex officiis ipſarum virtutum; veritas autem in hoc eſt, ſicut magis credimus, quia ex hoc principatu, quem habere ſunt viſæ ad alias, & præcellentia nominaverunt eas cardinales; unde & apud philoſophos nominatiſſimæ ſunt, & de eis ſolis apud eos ſermo eſt, propter quod quidam eas philoſophicas tantùm nominant, ſeparantes eas à theologicis, atque evangelicis, quas dicunt eſſe fidem, ſpem, & charitatem. Quantùm autem errant in hoc, apparet evidenter quia ſcriptura ſacra quæ veri nominis theologia eſt, expreſſè quatuor iſtas virtutes, & nominat & numerat. Sap. 9. his verbis de ſapientia loquens æterna. Sapientia enim inquit, & juſtitiam, ſobrietatemque, & veritatem docet, quibus nihil eſt utilius in vita hominibus, ſapientiam apertè pro prudentia accipiens, & ſobrietatem pro temperantia. Quoniàm verò crebrò prudentia, juſtitia, fortitudo, & temperantia in utraque ſcriptura novi, & veteris teſtamenti nominantur, à ſenſu oculorum, & aurium accipere poſſunt, niſi qui illis carent; ſic igitur hæc cauſa eſt quare eas philoſophicas, & non theologicas dicunt, vel nominant: manifeſtum eſt eos errare, cùm non minùs, vel notæ, vel nominatæ ſint apud theologos, & in vera theologia, quàm apud philoſophos, & in eorum philoſophia. Sunt & alij tam re, quàm nomine circa eas errantes, qui politicas eas ſolummodò nominant, neſcientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Debes autem ſcire quòd quædam virtutes ſunt ſingulares, videlicet quarum officium ſoli proprio ſubjecto deſervit, ſcilicet decorans, competens, & perficiens vitam ipſius, & iſtæ vocantur monaſticæ à monade, quaſi unicę, ſive ſingulares. Sunt & aliæ quarum officium eſt pluribus neceſſarium & hoc ſecundùm alterutrum duorum modorum, videlicet vel ſerviendo, diſpenſando videlicet, quod eſt plurium, & iſtæ vocantur œconomicæ, id eſt diſpenſativæ, vel regendo, ſive imperando, & iſtæ vocantur politicæ, à pólis quod eſt civitas, quaſi regiæ, ſive civiles, & hoc eſt quoniàm rex eſt unius civitatis rector. Hanc autem diviſionem habes ex libro Plotini de gradibus virtutum teſte Macrobio, hujuſmodi ergo homines intelligunt virtutes politicas, quaſi ſæculares non ſacras, aut ſanctificantes poſſeſſores ſuos. Quòd autem dixerunt non eſſe virtutes, niſi iſtas quatuor inde inducti videntur, quia unde lumen eis ſufficere viſum eſt ad cognoſcendum faciẽda, & declinanda omnia,

Quatuor paradiſi flumina, quatuor virtutes ſunt.

Virtutes philoſophicæ.

Virtutes theologicæ.

Virtutes ſingulares.

Virtutes œconomicæ.

Politicæ.

E iſtud lumen vocaverunt prudẽtiam. Præterea unius artificij una ars tantùm; ſi ergo benè vivere unum artificium tantùm eſt, ſive unum opus artificioſũ, ars illius ex neceſſitate una erit. Ampliùs. Et Tullius, & Seneca artem vivendi philoſophiam vocant, quę autem eſt iſta philoſophia, niſi prudentia de qua agimus. Ampliùs. Benè, & male agere una contrarietas eſt, una tantùm igitur erit diſciplina, ſive ars benè agendi, vel malè. Ampliùs. Sunt ne plures artes vivendi? ſi ſunt, quæ ſunt ergo, & quot, ſi verò una eſt, quæ ſola, quàm prudentia? Ampliùs. Unius actus una virtus, & una ars naturaliter, ſi igitur vivere unus actus eſt, una erit ars ipſius. Reſpondemus in hoc, quia philoſophia eſt, & una ſcientia ex multis, & multæ ſimul aggregatæ, ſicut diximus, & de arte vivendi, quòd una eſt aggregata ex multis, &
F dividitur in multos ramos quemadmodùm, & ipſum vivere: aliter enim vivitur in ſæculo, & aliter vivitur in clauſtro, & iterùm in ſæculo aliter officio clericali, aliter officio militari, & iterùm aliter in urbe, aliter in rure, & ita de aliis; ſimiliter in clauſtris multiplex eſt vivendi varietas, & juxta utranque varietatem tàm ſæcularem, quàm clauſtralem eſt varietas ſcientiarum, vel prudentiarum, peritiarum, artium, ſeu quocunque alio nomine eas conveniat appellari. Quòd ergo dicit unius artificii una ars, verum eſſe concedimus, ſub hoc intellectu in diſtinctione, quàm fecimus de unitate, & multiplicitate, ut intelligatur una ars, & unum artificium conformiter, ſimiliter & multa ars, & multiplex. Apparet igitur tibi ex his quæ diximus, quia multæ ſunt prudentiæ pro multitudine, ut ita dicamus, vitarum.
G Quòd evidenter oſtendit multitudo, & varietas regularum clauſtralium; alia enim eſt regula beati Auguſtini, alia regula beati Benedicti. Regula autem beati Auguſtini non eſt, niſi doctrina, vel ars, vel prudentia, qua ſcitur, vel docetur, qualiter vivendum ſit profeſſoribus illius; eodem modo & regula Benedicti non eſt niſi quædam prudentia, vel ars, vel doctrina, qua ſcitur, vel docetur, qualiter vivendum ſit monachaliter profeſſoribus illius, & ad hunc modum ſe habet de aliis; ſimiliter & alia eſt doctrina, & ſcientia de re militari. Non igitur eſt una prudentia vivendi ſimpliciter, niſi quemadmodùm diximus unam eſſe philoſophiam; videlicet ſcientiam aggregatam ex omnibus ſcientiis, ſeu doctrinis rerum arte, vel doctrina cognoſcibilium. Reſponſum igitur eſt tibi per hæc ad omnes præmiſſas quæſtiones, & adhuc declarabimus tibi in proximo, cui propriè juxta conſuetudinem ſacrarum ſcripturarum conveniat nomẽ prudentiæ, & quia hujuſmodi homines ultra regulam ſcripturarum ipſum extendant. Quòd ſi quis dixerit, quia
H ſicut non eſt, niſi unus viſus propter videnda exteriora viſibilia, ita non debet eſſe niſi unus viſus interior propter videnda interiora viſibilia, quare prudentia non erit, niſi una ſcientia ramificata in partes, vel ſpecies, ſicut neque viſus exterior. Reſpondemus, quia viſibilia exteriora inquantùm viſibilia unica ſunt ab uno quaſi genere quod eſt coloratum, viſibilia verò interiora non habent diſpoſitionem unam ſub qua, vel per quam videantur, & in qua uniantur, ſicut oſtendimus de intelligibilibus, quia ſub alia diſpoſitione ſunt inquantùm intelligibilia dono intellectus, quàm ſcibilia inquantùm ſcibilia dono ſcientiæ, ſub alia inquam diſpoſitione non ſolùm ſpecie ſed etiam genere. Deſignatio enim alia diſpoſitio eſt genere quàm bonitas, & malitia: deſignatio autem eſt diſpoſitio propriè dono deſerviens intellectus, bonitas verò, & malitia deſerviẽtes ſunt dono ſcientiæ, ut jam diximus. Ampliùs. Sicut non eſt ſenſus unus, aut una cognitio exteriorũ ſenſibilium,

Tullius.

Nota.

Prudentia multiplex.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

ſenſibilium, aut cognoſcibilium, ita nec debet eſſe unus ſenſus, aut cognitio interior interiorum ſenſibilium, aut cognoſcibilium, præſertim cùm major ſit longè diverſitas interiorum ſenſibilium, ſeu cognoſcibilium, quàm exteriorum. In ſequentibus autem dabimus tibi cauſas in numero certo, propter quas lumina, & apprehenſivæ virtutes non ſunt, niſi quinque. Si quis autem quærat quare in vi intellectiva noſtra inveniuntur vitia, quæ non videntur eſſe oppoſita hujuſmodi virtutibus, & propter hoc ex neceſſitate requirunt, vel aliam, vel alias virtutes ſibi contrarias, verbi gratia, invenitur levitas ad credendum quæ notatur credulitas, de qua Eccleſiaſtici decimonono. Qui credit citò, levis eſt corde; ſimiliter & tarditas ad credendum, de qua Eccleſiaſtici primo. Non ſis incredibilis timoris domini. Et ipſa veritas Lucæ ultimo. O ſtulti, & tardi corde ad credendum: ſimiliter & Marci ultimo. Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; de hoc Seneca. Et omnibus, & nulli credere vitium eſt; de hac levitate Apoſtolus ad Epheſios 3. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Ampliùs. Tarditas iſta, & levitas manifeſtè vitia ſunt, ergo cùm ſint ſecundùm ſuperfluitatem, & indigentiam contraria, neceſſariò eſt inter ea virtus media. Ampliùs. Utrunque hujuſmodi extremorum declinandum eſt, & ab eo utroque recedendum; non autem receditur ab utroque, niſi ambulando inter utrunque, inter utrunque igitur ambulandum eſt, hoc autem eſt medium, ſola autem virtus via eſt, per quàm ambulandum eſt, quare inter hujuſmodi duo vitia eſt virtus media. Reſpondemus tibi in hoc, quòd reverà prudentia virtus media eſt inter hujuſmodi, & eſt velut temperantia quædam virtutis noſtræ rationalis, unde & vocatur alio nomine rationabilitas, qua tenet ſe virtus noſtra rationabilis, ut non temerè aſſentiat ſuaſionibus, ſimiliter & ne temerè diſſentiat ab eis, maximè in rebus ſalutaribus, & eorum contrariis, & hæc in rebus ad prudentiam pertinentibus; in rebus enim aliorum donorum per ipſa dona occurritur ipſis vitiis, ſicut in rebus fidei per fidem, & in rebus conſilij per conſilium, & ita de aliis, & hoc eſt quoniàm quodlibet, & quinque donorum credulitas quædam eſt, ſicut ſupra diximus, & propter hoc medicina eſt, ſive ſalus contra morbum credulitatis contrariæ. De fortitudine autem quid ipſa ſit ſecundùm omnem ſuam intentionem, necnon ramos ejus, ſeu ſpecies, aut partes, jam tibi declaravimus, & etiam numeravimus. De juſtitia verè dicimus hîc, quia ipſa eſt virtus, qua redditur unicuique quod ſuum eſt per ſe, videlicet inquantùm ſuum, ſeu debitum. Hujus autem ſex ſunt ſpecies, ſeu rami, vel partes, quarum prima eſt obedientia, & hæc debetur ſuperioribus inquantùm ſuperioribus, hoc eſt quantùm ad magiſtratum eorum imperare: quapropter in primis Deo, deinde miniſtris ipſius, tàm ſecularibus, quàm eccleſiaſticis debetur, ſicut legitur ad Romanos decimotertio. Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit &c. Petri 2. Regem honorificate, ſervi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm juſtis, domeſticis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Quòd obediendum ſit miniſtris propter Deum ipſa veritas expreſsè dicit Matthæi 10. Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, tolerabiliùs erit terræ Sodomorum, & Gomorreorum in die judicij, & iterùm. Qui recipit vos me recipit, ſimiliter & Lucæ 10. Et iterùm in eodem ejuſdem. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Secunda & quaſi correlativa pars juſtitiæ, diſciplina eſt, & hanc debemus ſubditis, ſive inferioribus, & eſt illa quæ apud philoſophos vocatur virtus regia, per hanc enim reguntur inferiores, & hoc parcendo, puniendo, terrendo à malis, & ad bona provocando. Tertia eſt æquitas, hoc eſt quæ debetur paribus, non ſupergredi quemquam illorum, aut præmere, ut parem naturæ conditionem habere. Quarta autem virtus eſt fides, ſive fidelitas, & hæc propriè eſt contra fraudes, & dolos. Quinta veracitas, hoc in dictis, & promiſſis: hæc eſt contra mendacia, perjuria, contra promiſſa, ut pacta non ſervata. Sexta eſt veritas, hæc propriè factorum, & operum, & hæc eſt propriè contra falſitatem hypochriſis, & aliarum nequam ſimulationum; & licet Tullius dicat in libro de officiis quia fides dicitur ab eo, quod fiat, tamen intentio, quam diximus de fide in ſcripturis ſacris crebrior eſt, de qua crebrò inculcat dominus in evangelio. Fidelis ſervus, & fideles dicuntur homines ab hac fide videlicet, quia de his fidendum eſt, quia eis, & nos, & noſtra ſecurè credere poſſumus, propter quod & Deus etiam fidelis dicitur 1. ad Corinthios 10. Fidelis (inquit Apoſtolus) Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. ſimiliter & in pſalmo: Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis. Et quia tàm fides, ſive fidelitas, tàm veracitas, quàm veritas juſtitia eſt, invenies in ſcriptura unum pro alio accipi, & generale nomen juſtitiæ etiam poni pro unaquaque iſtarum trium, ſicut ibi. Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, ideſt verax, ſimiliter, & juſtus dominus in omnibus viis ſuis: hoc enim eſt dicere, fidelis. Eſt ergo fidus, ſive fidelis ſecundùm hanc intentionem fidentia dignus, hoc autem manifeſtè apparet ex contrario: perfidus enim idem eſt, quod doloſus, ſive fraudulentus, ſive fallax, quare indignus fidentia, ſive in quem confidatur. Si quis verò quærat de ſeveritate, & miſericordia ſive clementia, de qua librum integrum Seneca ſcribit ad Neronem, ſub qua iſtarum ſpecierum contineantur? Reſpondemus, quia ſub diſciplina; diſciplina enim dicitur ſeveritas, inquantùm ſævit, id eſt, dans vindictam in maleficia, ſive quaſi ſequens veritatem, meritorum ſupple. Clementia verò inquantùm lenit meritas, ſeu debitas pœnas, vel penitùs indulget, propter quod alio nomine lenitas dicitur. Vocatur autem clementia à cleos, quod eſt gloria, quia nihil in principe, vel in prælato glorioſius clementia, unde & cum unctione utraque dignitas præſtatur, ut agnoſcant ſe reges, & ſacerdotes per ſacram unctionem non ad carnificinam ſubditorum ſe præfici, ſed ad piam cuſtodiam, & gubernationem; & de laudibus virtutis iſtius, clementiæ ſcilicet, totus liber prænominatus eſt. Apparet igitur ex his, propter quid, & mendacium, & ſimulatio, & dolus, ſeu fraudulentia vitia ſint, ſeu peccata, quoniàm apertè contra virtutes ſunt, quas diximus, & ideò contra juſtitias, quare injuſtitiæ ex neceſſitate ſunt. Debes autem ſcire, quia juſtitia interdùm generale nomen eſſe videtur omnium virtutum, & tunc accipitur pro tota divinæ legis obſervatia, in qua quoniàm expreſsè præcipiuntur omnium virtutum opera, neceſſariò divinæ legis obſervatio tota eſt omnium operum virtuoſorum executio, ſive effectio. Erit ergo juſtitia ſecundùm effectum omnium virtutum effectus, ſeu opera: meritò igitur juſtitiam vocaverunt quamlibet virtutem, cùm ſecundùm hanc intentionem cujuſlibet virtutis operatio juſtitiæ ſit, & non eſt dubium, quia ſi quis diligit Deum ea intentione, qua tenetur, vel ne injurietur ei, ipſum diligere reddit ei tanquàm ſuum, ideſt tanquàm ei jure debitum. Eſt igitur ibi diligere, & de juſtitia, & de virtute amoris, ſed ex altera videlicet juſtitia tanquàm imperante

Tarditas & levitas credendi vitia.

Prudentia in credendo dicitur rationabilitas.

Juſtitia quid.

Sex ſpecies juſtitiæ.

Obedientia.

Diſciplina.

Virtus regia.

Æquitas.

Fides.

Veracitas.

Veritas.

Fidus perfidus.

Clementia.

Juſtitia nomen generale.

Digitized by Google

ei, ex altera verò videlicet virtute dilectionis, tanquàm fonte, quemadmodùm ſi dicatur, quòd diſpenſator dat pecuniam de mandato domini. & dat eam de burſa, vel area, vel theſauro. Expreſſioris autem ſimilitudinis exemplum eſt, ſi dixeris, quia dat miniſter aquam de voluntate domini, & dat eam de puteo, vel de fonte: omnis autem virtus, velut fons, aut puteus eſt ad operationes ſuas medias & immediatas, & omnes virtutes, & operationes velut emanationes ſunt ex fontibus propriarum virtutum. Si quis autem quærat, quæ ſit propria emanatio ex fonte juſtitiæ per ſe, id eſt in eo quòd fonte. Reſpondemus, quoniàm reddere: & propter hoc ſive obediamus ſuperioribus noſtris, ſive imperemus ſubditis, ex juſtitia per ſe, & propriè utriſque reddimus, & reddere intendimus quod ſuum eſt eorum, hoc eſt eis jure debitum.

Reddere.

Reddere.

Quia verò reddere contingit uniuſcujuſque virtutis propriam emanationem, ſicut oſtendimus in ea operatione, quę eſt diligere; quemadmodùm enim diligere ſuum eſt Dei, & ob hoc à nobis eſt eidem jure debitum, ſic & timere, & ſperare, & credere; quodlibet enim iſtorum lege divina præcipitur, ſic & cæterorum ſimilium unumquodque jure Deo debitum eſt; quare contingit illud reddi, & fieri ex juſtitia obedientiæ, & hoc eſt propter quod dicitur juſtitia circuire omnes virtutes, videlicet, quia omnium actus proprios ſive operationes ſuas efficit, dùm eos ex ſe velut imperante elicit.

Nota de juſtitia.

Si autem aliquis ea intentione juſtè aliquid agat, videlicet ut Deum non offendat, vel quia Deo placitum eſt, iſtud erit opus & ex amore, & ex juſtitia, ſed amore imperante, juſtitia verò velut fonte, quoniàm juſtum inquantùm juſtum & redditum, inquantùm redditum, & ipſum reddere juſtitiæ ſunt propriè, ac per ſe emanationes, & iſta exempla ſufficere tibi debent.

Quæſtio.

Habet autem quæſtionem non levem, cujuſmodi actus ſit ipſum reddere, & an ſit genus ad amare, & ad omne agere virtuoſum; qui enim diligit Deum, reddere videtur ei quod ſuum eſt, id eſt ipſi jure debitum, ſimiliter & qui timet eundem, & credit, vel ſperat in ipſum. Ampliùs. Si omnes hujuſmodi actus à nobis habuit Deus, quid ampliùs exigere poterit? quare actus, quem reddere vocamus, ſupervacuus videtur, & omninò inutilis. Ampliùs. Si debeo tibi pecuniam, vel rem aliquam, nunquid ad hoc ut liberer à debito hujuſmodi neceſſe habeo aliquid facere, quàm numerare, vel appendere tibi pecuniam? nunquid potes à me exigere aliud quàm ipſam pecuniam ratione debiti talis? eodem modo videtur Deus non poſſe à nobis, niſi actus ſpirituales petere, vel exigere, quorum exempla poſuimus, quare illis obtentis omninò apud ipſum liberati ſumus, ut apud creditorem. Ampliùs. Nunquid actum reddendi ipſam pecuniam à me petere poteſt? cùm ſolam pecuniam numeraverit mihi, ut quid ergo requirit Deus à nobis ipſum actum reddendi?

Vide.

Reſponſio.

Reſpondemus tibi in hoc, quia ſi mutuata cum animo, vel intentione reddendi, non tradideris creditori tuo, non liberaberis apud ipſum. Si enim animo dandi, vel commodandi, vel diſponendi, vel tranſmittendi, alij dederis pecuniam mutuatam non es liberatus apud ipſum ab obligatione mutui, immò ipſe eſt obligatus tibi vice verſa, vel ad antidota, vel ad alia: quemadmodùm & ſi aliquis vocatus in jus ad capitolium, caſu illuc venerit, non quia vocatus, hujuſmodi adventu caſuali, non eſt abſolutus ab obedientia judicis, qua tenetur ante eum venire vocatus, non tamen dicimus quin ſic veniens poſſit ſe offerre juri, & quin admittendus ſit ſe offerens, omninò igitur de obligatione nihil cogitans, & abſolvi ab obligatione penitùs non intendens, & ſi faciat timendo vel amando Deum, quòd Deus habeat ab illo id quod ei debetur, non tamen reddit propriè, aut per ſe, nec eſt liberatus apud Deum à debito obligationis, nec cùm liberari timuerit, vel curet, tenemur enim fortiſſima obligatione credere, & ſentire nos eſſe ad omnia Dei mandata arctiſſimè obligatos; ſi enim aliquis impleret omnia hujuſmodi mandata tantùm quia bona ſunt, vel honeſta, omninò non habens in mente, quòd Dei mandata ſint, & quòd propter hæc teneatur eadem implere, eſſet quidem bonus iſte aliquo modo adimplendo ea, non autem juſtus, aut Dei ſervus, nec Deo ſerviens, nec Deum ut dominum habens, nec etiam ut Deum, de cujus legis cuſtodia, vel obedientia omninò non curat. De hoc verò quòd quæris, an neceſſe ſit in quolibet actu virtuoſo, vel ſaltem in aliquo, & etiam aliquandò intendere actum illum exercere intentione juſtitiæ, quod eſt dicere, ut debitum, ſine animo reddendi Deo quod ſuum eſt ſive abſolvendi ſe ab hujuſmodi obligatione, qua ad hujuſmodi actum tenetur.

Nota.

Reſpondemus, quia non videtur nobis neceſſe: veruntamen neceſſe eſt, ut credulitas iſta, qua obedire in omnibus, & per omnia Deo tenemur, ſit in habitu apud unumquemque; cùm enim præcepit Deus, ut timeretur, vel amaretur, aut honoraretur, aut quodcumque aliorum hujuſmodi, non præcepit ullo modo, ut intentione, vel hac, vel illa, de quibus diximus, iſta et exhiberentur, ſed nudè, ac ſimpliciter præcepit, ut timeremus, & amaremus ipſum. Quare non obligavit nos ad has intentiones, quas diximus ad actus, unde per ſolam exhibitionem hujuſmodi actuum liberamur ab obligatione qua nobis præcepta ſunt: quemadmodùm enim ſi quis vovit intrare religionem, ſi poſtmodùm intret, licet non cogitet, aut intendat per hujuſmodi ingreſſum abſolvi à voto emiſſo, nihilominus tamen abſolvitur; non enim vovit intrare nudè hujuſmodi animo, vel cum intentione, ſed intrare nudum; eodem modo ſe habet & de juramento, ſi juravit intrare, vel aliud facere, & poſtmodùm faciat illud.

Nota de intrante religionem.

Eodem modo igitur neceſſe eſt, & ſe habere & in obligatione mandatorum Dei, cùm ipſe nudè præcepta ſint; quia etiam ſi cum ipſa præceptione divina votum, vel juramentum de his ſervandis intervenerit non tamen adhuc obligatur, niſi ad ea nudè modis, & conditionibus ſupradictis. Non igitur neceſſe eſt, ut exequens divina mandata, ſive adimplens ea cogitet, vel intendat de obligatione hujuſmodi, vel abſolutione ſua, ſed habitu neceſſe eſt, ut diximus, ut ſit apud ipſum credulitas de obligatione hujuſmodi; & hoc eſt quoniàm ſi ex ſolo amore ſincero, & recto adimpleret quis omnia mandata, laudabiliter, & Deo acceptabiliter impleret ea, immò non aliter acceptabiliter apud Deum, & hæc eſt una ex cauſis, propter quas plenitudo legis dicitur dilectio in decimotertio ad Romanos. Reddere ergo quod ſuum eſt Deo, & ſine intentione reddendi contingit in hujuſmodi, videlicet in adimpletione mandatorum.

Reddere quod ſuum eſt.

Nota.

In rebus autem forinſecis non videmur liberari, niſi animo reddendi, vel reſtituendi agamus, verbi gratia: ſi aliquis abſtulerit de templo violenter aurum, vel argentum, non poteſt offerre illud in templo poſtmodùm, ut donum, vel oblationem, nec acceptari poſſe videtur à Deo, niſi ut redditum, aut reſtitutum, ſive animo reddendi; aut reſtituendi: hoc autem eſt quoniàm qui animo donandi aliquid offert, in animo gerit illud eſſe ſuum, quare ſi alienum eſt, de rapina offert ſacrificium, vel oblationem; quandiù enim dominum vel poſſeſſorem ſe gerit rei, in qua ſe jus non habere credit, tamdiù rei illius raptor eſt, & illa res apud eum rapina; quare qui ſic diſpoſitus rem hujuſmodi offerre præſumit, de rapina ſacrifi-

Digitized by Google

Sacrificium de rapina quomodo. cium, vel oblationem facit. Si quis autem dixerit, quia ſecundùm hoc Deo nihil offerre poſſumus, cùm omnia ejus ſint jure pleniſſimo, ſicut ipſe teſtatur in pſalmo. Meus eſt orbis, & plenitudo ejus, & David in ultimo primi Paralipomenon: cùm offerret Deo copias auri, & argenti, æris lapidum, & lignorum dixit. Hæc copia quam præparavimus, ut ædificetur domus nomini tuo de manu tua, & iterùm. Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: non plùs ergo ſua videntur eſſe, quæ in templo ſunt, quàm quæ in manibus noſtris. *Nota.* Reſpondemus, quia quæ in manibus noſtris ſunt ex dono ipſius, & ſua ſunt, & noſtra, alioquin, ſi noſtra omnia ſua non eſſent, non eſſemus ſervi ejus jure pleniſſimo, ac ſingulariſſimo; quæ autem in templo ſunt, ſua tantùm ſunt, ei ſcilicet appropriata, ita ut non liceat ea nobis (poſtquàm illa ei obtulerimus) ſumere, aut noſtris uſibus applicare. Summa igitur omnium iſtorum eſt in hoc ut intelligas duas eſſe intentiones juſtitiæ, *Duæ intentiones juſtitiæ.* unam videlicet largam, ſecundùm quam omne opus debitum opus juſtitiæ dicitur, ſive fiat, quia debitum, ſive alia intentione, & juxta hunc modum omnia opera mandatorum opera juſtitię ſunt, quocunque modo fiant, & hic eſt modus quo dicit Auguſtinus, duas eſſe partes juſtitiæ declinare à malo, & facere bonum. Similiter & iſtud juſtitia eſt; quæ nec miſerum facit, nec miſerum deſerit, & hæc juſtitia dividitur generaliter in innocentiam, & beneficentiam, per innocentiam enim declinamus indebita, & illicita, hoc eſt nocumenta quæcunque; per beneficentiam verò vel agimus ipſi quantùm in nobis eſt, vel procuramus debita bona, & horum duorum bonorum debitores ſumus: debemus enim declinare noxia, & facere bona, hoc eſt utilia, & ſalutaria. Juſtitia verò qua jus ſuum unicuique tribuitur, ſecundùm utramque acceptionem iſtarum intelligitur, quia quodammodò jus Dei amari, timeri, ſane juſtitia eſt, *Jure Deũ amamus & timemus.* quam diffinit Tullius in libro de officiis, in qua (ut dicit) eſt maximus ſplendor honeſtatis, & ex qua viri beati nominantur. Juſtitia eſt rectorum, ſiue præſidentium cùm habuerit ſex illas partes, quas ei ſuperiùs attribuimus. Cùm enim rectores à Deo reguntur, & præſidentibus ipſe præſidet Deus, hoc eſt cùm rectores aliorum Deo plena ſubjectione obediunt, cùm fideles, cùm veri in factis, veraces in dictis, æqui in negotiis, ſeveri ſimul, atque clementes in ſubditos ſunt, ea pollent juſtitia, in qua eſt maximus ſplendor honeſtatis: fulgent enim in genere humano hujuſmodi rectores, ſicut luminaria magna: illuminant etiam ſubditos eruditione ſua, & diſciplina ſicut dicitur alibi. Quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna. Secunda verò intentio juſtitiæ in rebus temporalibus, vel oblatis, vel accommodatis, vel aliàs debitis, ſicut cenſus, vectigalia, & ſimilia neceſſaria videtur, propter hoc, quod diximus, videlicet, quia non aliter liberari videtur debitor, niſi animo reddendi talia exhibeat. *Quæſtio.* Si quis autem quærat de aliquo, qui debet exercitum regere, & vocatus venit in exercitum magis amore rapiendi ab hoſtibus regis, quàm animo ſerviendi, ſeu ſervitium hujuſmodi reddendi, utrùm ſatisfaciat Regi ſuo ſic veniens in exercitum. Reſpondemus, quia Regi ſatisfaciat exteriùs, & cupiditas, licet iniquitas ſit, non impedit eum ibi militare ſervitium, immò promovet, & adjuvat, quantò enim majori cupiditate ardent in bona hoſtium, tantò in oppugnatione eorum ferventiores ſunt. Verùm ſi cupiditas hęc detraheret militari ſervitio, non ſatisfaceret obedientiæ debitæ, & regi; nec impoſſibile unum opus duos fines habere, & per unum opus aliquandò duos fines intendere, uno enim, & eodem ſervitio nihil pro-

A hibet ſervum intendere honorem domini ſui, & proprium commodum, vel alienum; ſic & nos Dei honorem ſimul, & noſtram ſalutem uno, & eodem opere quærere poſſibile eſt. Quòd ſi quis quærat utrùm ſervitium prænominatum videlicet exercitus, an cupiditatis, an juſtitiæ ſit, an ambotum ſimul? Reſpondemus diſtinguendum eſſe an cupiditas ſit cauſa movens, & efficiens præſtandi hujuſmodi ſervitium, an ſit ingerens ſe, & incidens, & ſimiliter de juſtitia obedientiæ: ſi enim intendit domino ſervire ad oculum tantùm, videlicet, non curans de jure domini, vel victoria, ſed volens ſolummodò conſulere cupiditati ſuæ; *Nota.* manifeſtum eſt, quia opus hujuſmodi ſolummodò cupiditatis eſt; ſimulatione enim juſtitiæ, vel obedientiæ illudit domino ſuo; pellem igitur ſolam (ut ita dicamus) ſive ſpeciem juſtitiæ habet opus illud, veritatem autem cupiditatis; ſimiliter ſe habet & in monacho, qui de virtute obedientiæ, aut meritò omninò non curans, ſed ſola cupiditate, aut ambitione illectus, & abſtractus

B prioratum recipit: ſi autem econtrariò ſe habet, ut juſtitia, & obedientia cauſa movens ſit, & efficiens prædicti operis, cupiditas autem incidens erit, opus illud eſt juſtitiæ, & hoc eſt, quoniàm ceſſante omninò cupiditate nihilominùs fieret opus illud per juſtitiam. Debes autem ſcire, quòd non omnis cupiditas, ut vulgariter loquimur, mortale peccatum eſt, *Cupiditas quando mortale peccatum, quando non.* quemadmodùm multis accidit in prædicto caſu; multi namque bona hoſtium concupiſcunt, & hoſtibus illa auferunt, quia ſciunt jure bellandi hæc ſibi licere, & juſto bello acquiſita ſua facere, aliàs ea nullatenùs vel cupere, vel invadere cupientes: hujuſmodi ergo cupiditas (ut ita loquamur) videlicet quæ juſtitiam ſic ſequitur non eſt mortale peccatum, & quandóque etiam nullum peccatum; interdùm verò & meritorium eſſe poteſt: ſi quis enim cupiat arma inimicorum fidei, vel caſtra, vel munitiones, aut equos, ſeu quæcunque alia, cupiat, inquam, hac de cauſa, ne per illa noceant religioni Chriſtianæ,

C cui hoc dubium eſſe poteſt, quin hæc meritoriè fieri poſſint? Exemplum autem evidentiſſimum præmiſſæ diſtinctionis eſt in opere conjugali, cui quandóque concupiſcentia dat cauſam, ut verbo juris utamur, & hoc ex deſiderio voluptatis exercetur, quandóque verò juſtitiæ opus eſt, videlicet cùm animo reddendi debitum agitur, tunc enim incidit voluptas carnis, ſine qua aut vix, aut nunquàm illud exerceri poſſibile eſt. *Nota pro cõjugibus.* Sunt & aliæ quæſtiones ferè innumeræ circa juſtitiam, & potiſſimùm circa obedientiam. Utrùm videlicet monachus ſciens ſe carne eſſe lubricum & aliis paſſionibus carnis infirmum, ſciens ſibi benè eſſe in clauſtro, in mundo verò præmiſſis periculis, & aliis exponi, ſi debeat exire de clauſtro ad præceptum Abbatis, & recipere prioratum foris

D in medio hujuſmodi periculorum multorum; *Virtus obedientiæ.* quibuſdam enim videtur, quòd adeò debet confidere de virtute obedientiæ, ut pericula hujuſmodi vincat, & evadat, attendens quia Petrus virtute hujuſmodi fretus, atque ſuffultus ſuper mare pedibus ambulavit, ſicut legitur Matthæi decimoquarto. Et beatus Maurus ſancti Benedicti diſcipulus longo tractu ſuper aquam ſimili virtute præditus cucurrit; *Privilegia non faciũt legem cõmunem.* verùm privilegia paucorum, ſive jubentium, ſive obedientium non faciunt legem communem, quamquàm verum ſit, quia Petrus omnipotentis domini virtute jubentis hæc fecisse meritò credendus ſit, & Maurus merito tanti patris jubentis & virtute Dei ab aquis ſuſtentatus ſit. *Conſilium auctoris.* Nobis autem videtur, quòd in hujuſmodi caſu, quem poſuimus; ſi obtinere non potuerit monachus ſupplicationis inſtantia, ut Abbas mandatum hujuſmodi revocet, ſignificare debet illud Epiſcopo loci, & de ipſo ſimiliter ſi noluerit

Digitized by Google

adhibere remedium, munire ſe appellatione, quia proculdubiò gravatur manifeſtè, nec videtur nobis quòd Abbas ex poteſtate, vel officio ſuo poſſit hujuſmodi pericula præcipere; poteſtatem enim illam dedit Deus in ædificationem, & non in deſtructionem, ſicut legitur ſecundæ ad Corinthios ultimo, & iterùm ibidem. Non poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate. Quòd ſi dixerit quis, quia illa pericula incerta ſunt quæ dicit ſe timere Monachus, periculum verò inobedientiæ certum eſt, & evidens. Reſpondemus, quia non eſt verũ, non enim eſt inobedientia ubicumque non ſit juſſum, ſicut nec injuſtitia ubicunque non ſit juſtum; quemadmodùm enim lapis non eſt injuſtus,

Nota.

quamvis non faciat juſtum, ſive juſtè, ſic nec iſte Monachus inobediens eſt. Ampliùs. Ubi non habet quis poteſtatem imperandi, ibi non habet locum inobedientia, ſi eidem non paretur, & hoc nobis hîc videtur, quòd non habet Abbas auctoritatem, vel poteſtatem tam periculoſa imperandi: & ſi quis diligentiùs conſideret, non videtur Abbas imperare,

Abbas ut pater.

ut Abbas, hoc eſt ut pater, & miniſter ſalutis, ſed magis Monachum exponere periculis, & tradere beſtiis vitiorum, & Dæmonum devorandum, ut hoſtis. Tolerabiliùs autem longè eſſet Monacho illi ſententiam excõmmunicationis incurrere uſque ad expulſionem Monaſterij, ad quam ſi veniretur, neceſſe habet tunc vel juſſum Abbatis implere, vel ad aliud Monaſterium ſe transferre, niſi per ſuperiorem contra hoc remedium obtineret. Ubi verò dubitat ſubditus an id licitum, an illicitum ſit, quod jubet Prælatus, determinatum eſt, quia parere debet juſſui Prælati; cauſa autem in hoc eſt, quoniam in hujuſmodi dubiis ad conſilium Prælatorum recurrendum eſt, & eidem ſtandum; in hoc enim ſubditis præpoſiti ſunt Prælati, ut in hujuſmodi conſulant eidem. Si tamen ea fuerit imperitia Prælati,

Nota hũc locum pro tortoribus.

ut meritò in talibus non ſit conſulendus, ad prudentiorum conſilia recurrendum erit. De miniſtro verò, qui ſcit iniquo judicio condemnatum eſſe innocentem ad mortem, & jubetur eum ſuſpendere, non credimus, quòd teneatur, immò potiùs mortem ſubire; conſilium autem in hujuſmodi caſibus eſt procurare liberationem innocentium; per retractationem ſententiarum iniquarum, ſeu per alias vias, quas hîc ſcribere non eſt præſentis propoſiti; quòd enim legitur Proverbiorum 23. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes, ad omnes pertinet, prout unicuique facultas talia faciendi à Deo conceſſa eſt. Intelligimus autem hæc de innocenter ad mortem

Nota.

tractis, juxta literam; facultates autem liberandi intelligimus hîc preces, potentiam, prudentiam, per quam interdùm cautè occurritur malitiis. Cùm autem nulli obediendum ſit, niſi propter Deum, videlicet inquantùm miniſter Dei eſt, ſicut legitur ad Rom. 13. hoc eſt dicere ratione miniſterij nulli contra Deum obediendum eſt, & ſi exceſſerit fines miniſterij ſui, ſive officij, jubendo ſcilicet, quæ ad officium ſuum non pertinent, non eſt neceſſe, ut eis obediatur, & hoc eſt, quod legitur ſuper illud Mat. 23. Quæ dicunt facite, ubi auctoritas, ſupple, & cathedra, quod eſt dicere ex officio, ſeu magiſterio. De Principe verò qui habet injuſtum bellum, ſi notoriè, aut manifeſtè injuſtum eſt, videtur nobis,

Nota etiã hoc.

quòd ſubditi non tenentur ire ad exercitum in hujuſmodi bello, neque juvare eum in hoc; ſi qui autem de ſubjectis adeò potentes fuerint, ut poſſint ei in hoc contradicere, & reſiſtere, credimus quòd tenentur ad hoc, ut per eos relevetur multitudo nimiorum ſubditorum, & à peccato injuſtè bellandi, & ab oppreſſione, quâ compellatur ad illud. Hujuſmodi enim Princeps furum eſt, atque raptorum, compellens ſubditos ad furta, rapinas, incendia, ſacrilegia, homicidia, & alia innumera maleficia; bello enim injuſto non alia fiunt, quapropter ſi eſſet, qui de eo juſtitiam faceret, non tanquàm fur, aut latro, nec tanquàm incendiarius, aut ſacrilegus, aut homicida tantùm judicandus eſſet, ſed tanquàm talis, & inſuper tanquàm ille qui oppreſſionibus ſubditos ſuos tales eſſe compellit. Quòd ſi dubium eſt de bello, an juſtum ſit, imputandum eſt proceribus, ſi Principem in parte iſta ſequuntur antequàm diſcuſſum, atque declaratum ſit juſtum eſſe bellum, & meliùs eſt eis vim iniquæ oppreſſionis ab hujuſmodi tyranno pati, quàm favere ipſius iniquitati, & iniquè agere cum ipſo. Expediret autem ut hujuſmodi homini ſuaderent, quia nec Deum haberet adjutorem, & quia meritò timendum eſſet, ne multitudo ſubditorum in ipſo diſcrimine prælij ipſum deſereret pro eo, quòd contra Deum, & juſtitiam ad bellandum eos cogeret, & quia ei aſſiſterent non ex corde, ut ſic deterritus à tàm impio auſu deſiſteret. Jam ergo diximus tibi juſtitiam, & partes ejus & operationes ejus duas, & prælibavimus tibi quæſtiones aliquas, quæ ſunt circa eas, reliqua Scholaſticis diſputationibus relinquentes.

CAPUT XIII.

De Temperantia incipit dicere poſt tractatum de Iuſtitia, & primùm de vocabulo ipſo, quia Temperantia à temperando dicta eſt, qua attemperantur, quæ nimia ſunt, & præciduntur. Deinde ad ejus ſpecies deſcendit, multas ſubtexens quæſtiones.

TEmperantia verò ipſa nominatione ſua innoteſcere poteſt tibi utcumque; nominatur verò à temperamento, quo quod nimis eſt præciditur, & hoc in his, quæ corpori noſtro ſerviunt. Hujuſmodi prima eſt in uſu mulierum, ubi virtus temperantiæ omnem uſum alienarum præcidit, ſolum uſum uxoris concedens, & in illo etiam ſuperfluitatem, & vehementiam non patitur, propter quod dicit Aug. quia vehemens amator uxoris propriæ, adulter eſt; procedit enim iſta vehementia uſque ad extorſionem voluptatis, & uſque ad violentiam naturæ, & uſque ad inquirenda incentiva luxuriæ,

Nimius amor uxoris adulterium eſt.

& uſque ad fœditates innominabiles, & uſque ad abuſiones etiam abominabiles, ita ut uxor non ut uxor, ſed tanquàm meretrix, nec ut vas in ſanctificatione, & honore poſſideatur, ſed in paſſione deſiderij, & ut vas execrandæ turpitudinis habeatur, ſicut docet Apoſtolus in quarto primæ Theſſalon. Secunda pars eſt in uſu ciborum, & potuum, circa quem duo vitia ſunt notiſſima, videlicet gula, ſive comeſſatio, quæ in uſu ciborum, & ebrietas, quæ in uſu potuum, qui uterque magis abuſio eſt.

Gula. Ebrietas.

Tertia in uſu eorum, quibus corpora noſtra proteguntur, & horum alia ſunt veſtimenta, alia habitacula: horum autem duorum dicitur uſus intemperans, & nimius luxus, & invenies in genere hominum quoſdam ita deditos apparatui veſtimentorum, & veſtimentis annexorum, qualia ſunt fibulæ, anuli, cinctoria, lacunæ, ut nullum aliud bonum vel amare, vel etiam cogitare videantur; invenies alios non minùs ſpecioſitati, & magnificentiæ domorum deditos, ſicut dicit Seneca. Ne vivas parcè, & ædifices luxurioſè. Quod quidem multi faciunt. Prima igitur ſpecies, ſeu pars temperantiæ eſt caſtitas à caſtigando rebellionem, & petulantiam carnis, quæ cùm euſque invaluerit, & etiam conjugale remedium non quærat, ſed

abdicet

abdicet, ſanctimonia vocatur: unde & ſanctimoniales vocantur mulieres ſanctæ, quæ ita omnem voluptatem libidinis à ſe abdicaverunt, ut etiam nuptias amore cœleſtis ſponſi reliquerint. Accidit ergo caſtitati ſanctimoniam eſſe quoniàm ex hac perfectione ſanctimonia & eſt, & dicitur; ſimiliter accidit ei eſſe virginitatem ex integritate carnis. ſive portæ carnalis. Sicut enim dicit Apoſtolus in 2. primæ ad Corint. Virgo ſi nubat non peccat, impoſſibile enim eſt, ait, ut aliqua virtus amittatur, niſi per peccatum. Si ergo virgo nubat, & nupta debitum conjugale marito reddat, non propter hoc amittit virtutem, quæ priùs dicebatur virginitas,

Nota benè.

quare remanet ea virtus in illa poſt contractum matrimonium, ſed reverà deſinit & vocari, & eſſe virginitas, ſicut ipſa mulier deſinit, & vocari, & eſſe virgo; virginitas enim nomen eſt, & ab accidente impoſitum virtuti caſtitatis, ut diximus, quemadmodùm & virgo; nec ſequitur, hæc mulier habebat virginitatem, & modò non habet virginitatem, ergo amittit virginitatem: quemadmodùm non ſequitur, iſte habebat ſcutum album, & modò non habet ſcutum album, ergo amiſit ſcutum album, ſi ſcutum albedinem ſolùm amiſit, & denigratum fuerit. Verùm eſt. Iſte homo habebat ſcutum album, & modò non habet ſcutum album, non tamen amiſit ſcutum album, vel nigrum, quia nullius coloris ſcutum amiſit Expreſſius autem ſimile videtur de illo; qui habebat taurum, & fecit ipſum caſtrari juxta ruſticanam intelligentiam, habebat taurum & modò non habet taurum, non tamen amiſit taurum. Similiter etiam ante non habebat bovem, & modò habet; non tamen propter hoc bovem acquiſivit. Idem enim eſt, ac ſi diceretur habebat caſtitatem cum integritate carnis, & modò non habet caſtitatem cum integritate carnis, cùm conjugale debitum reddiderit, non tamen amiſit caſtitatem cum integritate carnis, nec etiam ſine integritate.

Similitudo aperta.

Prima ergo pars vel ſpecies, vel ramus temperantiæ caſtitas nominatur, & continentia. Secunda nominatur ſobrietas, ſive abſtinentia, & opponitur iſta virtus duobus vitiis prænominatis. Nec mirum ſi una virtus opponitur duobus vitiis, aut etiam pluribus; quemadmodùm enim ſanitas mentis eſt, ut ſuprà diximus, virtus, & quemadmodùm æqualitas quædam, una autem ſanitas opponitur omnibus ægritudinibus & una æqualitas omnibus inæqualitatibus. Tertia verò quæ opponitur generaliter luxui non habet nomen determinatum apud nos; frugalitas enim, & parſimonia in victu tantùm videntur eſſe, & ad victualia ſolummodò reſpicere. Quartam non irrationabiliter addiderunt quidam, & vocant eam congruentiſſimo nomine modeſtiam. Iſta eſt quæ moderatur inceſſum, & totũ motũ corporis riſum, ſimiliter, & vocem: in hujuſmodi enim quidam immoderati ſunt, & incompoſiti, ut non moveri voluntariè tanquàm homines, ſed magis ferri inordinata exagitatione videantur, qui verò compoſitè, & decenter in his ſe habent, modeſti uſualiter vocantur. Quatuor ergò erunt, vel rami, vel partes virtutis temperantiæ, & uſus earum videtur eſſe circa ea, quæ corporis ſunt, ut diximus.

Sobrietas ſecunda pars temperantiæ.

Frugalitas & parſimonia.

Modeſtia.

Quòd ſi quis dixerit, quòd omnis virtus media inter duo vitia, quæ ſunt ſecundùm ſuperfluitatem, & indigentiam, debet eſſe temperantia, quemadmodùm diſpoſitio media inter calorem nimium, & nimium frigus, temperantia eſt duorum illorum. Reſpondemus, quia temperantia ſecundùm intentionem præſentem circuncíſiva eſt exceſſuum in quatuor rerum generibus, juxta quatuor ejuſdem partes, vel ramos, & illa ſunt propria materia ipſius operationum. Nemo autem dubitare

Temperantia largè de omni virtute dicitur.

A debet, quin nomen temperantiæ dicatur ſecundùm largam intentionem ipſius de omnibus virtutibus, quæ ſunt medietates inter ſuperfluitatem, & indigentiã, quia profectò vitia hujuſmodi diſtẽperantiæ quædam ſunt & exceſſus mali. Veruntamen virtus temperantiæ maximè videtur reſecatrix ſuperflui, inquantùm ſuperfluum; propter quod dixiſſe videtur Seneca, quia temperantiæ eſt facere, ne quid nimis, ſubaudi, ſit in ſermonibus, aut operibus noſtris in materiis prænominatis.

Seneca.

Quòd ſi dixerit quis, quia in cibis, & potibus poteſt eſſe nimis, & parùm, ſive ſuperfluitas, & indigentia, quemadmodùm enim cõtingit aliquem interdùm nimis comedere, vel bibere, ita & parùm, & minùs juſtò, vel debitò: quidam enim jejunant uſque ad evacuationem capitum, & uſque ad eam debilitationem corporis, quæ eos ad alios ſanctos labores & ſacras exercitationes impotentes efficit & ineptos, in quo poteſt dici juxta **B** verbum Senecæ, quia virtus temperantiæ, ideſt, abſtinentiæ in caſu hujuſmodi providet, & efficit, ne quid nimis ſit in comedendo, & utrumque præcidit ſuperfluum ſive nimium, & ad hoc habet oculum intentionis ſuæ per ſe, non ut quod parum eſt de cibo ſuppleat, ſed ut quod eſt nimium afflictione jejunij præcidat. Quòd ergo ſupplet tibi diminutio, ſeu parvitas uſque ad debitam menſuram conſequens eſt, & comitans abſtinentiæ intentionem; ſeu temperantiæ abſtinentialis, præciſio verò nimietatis ab afflictione, & debilitatione carnis per jejunium per ſe finis eſt proximus, & intentio immediata temperantiæ iſtius, & hoc videtur Seneca ſenſiſſe in verbis præmiſſis.

Nota.

Quòd ſi dixerit, quòd idem eſt dicere ne ſit nimis in parvitate cibi, & ne magis ſit nimis in afflictione carnis ex parvitate cib, quòd eſt, ne ſit indigentia in cibo, & ideò hoc intendit temperantia, ſicut & illud. **C** Reſpondemus, quia nec hoc per ſe intendit temperantia ſcilicet ne ſit nimis in parvitate cibi, ſed magis ne ſit nimis in afflictione carnis ex parvitate cibi; temperantiæ enim interioris intentio eſſe videtur caſtigatio carnis, atque repreſſio per moderationem cibi, & potus, ne immoderatio effrenem illam faciat, ſpirituique rebellem. Nemo dubitat, quin hoc intendat omnis vir abſtinens per abſtinentiam temperantialem, ut ita loquamur: ſunt enim & aliæ abſtinentiæ; quædam enim abſtinentia juſtitia eſt vindicans Dei injurias, & contumelias in carne noſtra. & quædam eſt ſanctitas ſanctificans corpora noſtra per jejunium, & quædam iterùm eſt obedientia, per quam non aliud intendit abſtinens, ſeu jejunans, niſi obedire ſtatutis Eccleſiæ Dei, ſint forſitan & aliæ.

Abſtinentia.

Nolumus autem immorari in hujùſmodi, quoniàm ad alia feſtinamus, **D** contenti ut aperiamus tibi vias aliquas exercitationum, & demus tibi occaſionem majora, & ſublimiora videndi in his. Jam igitur pertranſivimus de ſeptem donis, de duodecim fructibus, de octo beatitudinibus, de quatuor cardinalibus virtutibus pauca dicentes, de his pro amplitudine, ac profunditate ipſorum, multa aliis reſervantes.

Epilogus.

CAPUT XIV.

Non poteſt benè ſummari propter varietatem, & multiplicitatem rerum, de quibus diſputat.

POſt hæc tentavimus inveſtigare, & ſtabilire numerum virtutum, ſive donorum, ſive gratiarum quibus ſpiritus Dei ornat cœlos, id eſt cœlo ipſo cœleſtiores animas Sanctorum; an dona verò, an virtutes, an gratias eas vocemus, tu ne curaveris propter cauſas quas diximus. Jam igitur numeravimus tibi, & nominavimus quinque virtutes *ſive*

Quinque virtutes apprehen-

Digitized by Google

apprehenſivas, quæ ſunt ſicut quinque aſtra micantia cœlum ſereniſſimum vis, ſive virtutis noſtræ intellectivæ, ſua luminoſitate illuſtrantes Harum prima Fides eſt cujus utilitatem, & neceſſitatem in capitulo ſpeciali de illa pateſecimus, & hic etiam id ipſum licet via altera faciemus. Dicimus igitur, quia cùm ſit nobis Deo ſerviendum, ſive vivendum, neceſſe habemus, ipſum utcumque cognoſcere, & hæc ipſa quæ diximus ſimiliter videlicet quòd eidem nobis ſerviendum eſt, atque vivendum: impoſſibile enim manifeſtum eſt omninò ignoto à quoquam ſerviri, impoſſibile ſimiliter eſt aliquem ad ſervitutem alicujus ſponte accedere, ſpontéque illam ſuſcipere, niſi cui aliquo modo hujuſmodi ſervitutem noverit deberi, ſed neque noſſe cuiquam poſſibile eſt, niſi ei qui talia de ipſo noverit, propter quæ illi ſervitus hujuſmodi debeatur. Accedentibus igitur ad Dei ſervitutem, eamque ſuſcipientibus neceſſe eſt Deum noſſe & inſuper talia de illo, propter quæ meritò ſit ei in ſervitute hujuſmodi ſerviendum. Hujuſmodi autem notitiam fidem vocavimus, & vocamus, quâ ſcilicet creditur Deum eſſe, tantuſque, ac talis cui meritò hujuſmodi ſervitus debeatur, neceſſe etiam eſt, ut iſta ſic credantur, ut ipſe modus credendi ſervitus, vel ſervitium ſit, non contumelia, aut injuria illius cui ſerviendum ſit, cùm ipſa hujuſmodi fides caput ſit, & fundamentum hujuſmodi ſervitutis, hoc eſt Religioſæ, & quæ Græcè, Latria dicitur. Ex his igitur declaratum eſt tibi, quòd neceſſe eſt fidem hujuſmodi eſſe, non ſolùm in Deo ſervientibus, ſed etiam in accedentibus ad ipſum, ſicut dicit Apoſtolus in 11. ad Hebræos. Credere enim, inquit, oportet accedentem ad Dominum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Radix autem evidentiſſima per ſe, & cujus ignorantia gladio, & igne exterminanda eſt, illa eſt, quam poſuimus videlicet, quia Deo ſerviendum eſt, ac vivendum, & hoc ab unoquoque, qui ad hoc potens eſt, vel idoneus eſt per naturam, quod dicimus propter parvulos, moriones, & furioſos, vel aliter inviſibili impedimento prohibitos Ex hac radice ſequitur evidenter, ut oſtendimus fidem eſſe in Deo ſervientibus, vel ad ejus ſervitutem accedentibus. Declaratum eſt etiam per eandem radicem, eam eſſe vim de neceſſitate hujus virtutis, ita ut ea remota removeatur & ſervitus, cùm ipſa caput, & fundamentum ſit hujus ſervitutis, quæ vera Religio nominatur, Hac autem ſtabilita videlicet fide, facile eſt ſtabilire prudentiam, qua ſibi commiſſa ad honorem Domini diſpenſent, & in illis ad lucrum Domino negocientur. Si in ſervis Dominorum temporalium temporalis requiritur prudentia, ne per contrarium, id eſt imprudentiam, bona Dominorum diſſipent, & per prudentiam ea conſervent, & multiplicent, hoc vel fructu, vel eſſentia, quantò fortiùs in Dei ſervis prudentia ſpiritualis requiritur, ut bona ejuſdem, vel in ſe, vel in aliis etiam eis commiſſa conſervent honorificè, & lucroſè diſpenſent, per quam ponderare, & numerare, & menſurare noverint ſibi cōmiſſa, & acquirenda, quicquid majori honori ſit Domino, quid magis placitum, quid magis lucroſum, deinde ipſa negociatione manifeſtū eſt; quòd ipſa eſt, quem per ſe ſtabit prudentiam iſtam. Quare ſic manifeſtum eſt, quia negociatores nos eſſe oportet ſine diſpendio rerum nobis à Deo commiſſarum, noſtriſque innumerabilibus periculis neceſſaria nobis valdè prudentia, ipſa enim eſt proprium lumen, quo diſpenſationum, & negociationum, & obſequiorum officia illuſtrantur, atque reguntur, propter hoc & tam crebrò Matthæi 25. & Lucæ 9. De prudentia ſervorum in negociationibus rememoria ſit.

Fides. — *Latria.* — *Prudentia ſervientibus eſt neceſſaria.*

E — F — G — H

De dono verò ſcientiæ fallaciæ, & deceptio falſorum bonorum, & etiam verorum, prout tetigimus ſupra, fidem pleniſſimam facit, dum innumerabiles involvit. Ab hujuſmodi enim fallaciis, & deceptionibus non eſt effugium abſque lumine revelante, ac detegente illas, non eſt inquam in adulta ætate diu hic viventibus. Eſt & alia tenebroſitas non parùm pernicioſa mortalibus, quia vera, & magna bona nobis abſconduntur, falſis, & modicis bonis illudentibus nobis. Deliciæ ſi quidem, & divitiæ præſentes honores gloriæ potentiæque falſi nominis, ſe pro veris, ac magnis bonis oculis mortalium vetuſtate originali caligantium, pro veris inquam, ac magnis bonis ſe ingerunt, atque amore ſuo omnes capiunt, donec luminoſitate doni iſtius hujuſmodi caliginoſitas diffugetur. Non eſt igitur neceſſe, neceſſitatem tam ſalutaris luminis, vel alia radice, vel aliis probationibus aſtringi, cùm manifeſtum, ac patentiſſimum in tenebroſitate contraria capi totum genus humanum, captivari, & æternæ mortis perditionem trahi. Hac enim tenebroſitate, creaturæ Dei in odium hominum factæ ſunt, & in tentationem animæ, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Hujuſmodi muſcipulæ fallaciam detegit lumen iſtud, horum laqueorum, & vinculorum nexus virtus hujus luminis aſſecat, & diſrumpit, immò ubicunque illuxerit, ad ſplendorem ejus, ut ſomnium evaneſcunt. Donum verò intellectus ſtabilitur per ipſos modos loquendi, immò loquelas varias, ſeu linguas, quibus Deus & beneplacita ſua, & nobis ſalutaria quodammodò loquitur. Quid autem nobis magis neceſſarium aut ſalutare, quàm intelligere Dei beneplacita, & noſtræ ſaluti neceſſaria? propter quod legitur Proverb. 4. Acceptus eſt Regi miniſter intelligens. Qualiter enim divinæ voluntati obedire poterit, qui eam non intelligit? Præterea omnia ſigna, omnia myſteria, omnes figuræ inutiles erunt abſque hujuſmodi dono, ſicut docet Apoſt. 1. ad Corint. 14 dicens: Si venero ad vos linguis loquens, quid prodero, niſi vobis loquar aut revelatione, aut ſcientia, aut prophetia, aut doctrina? & alia hujuſmodi multa de hoc in eodem capitulo leguntur. Donum verò conſilij neceſſitas occurrendi periculis innumeris, fide indubitata neceſſarium eſſe manifeſtum facit de quibus multa ſupra diximus. Tu autem attende, quia radices, & principia probationū ſolummodò cauſa brevitatis ibi aperuimus. Si quis autē dixerit, quòd quēadmodū quinque ſunt lumina ſēſus corporalis naturalis, ita debent eſſe ſenſus ſpiritus, id eſt intellectus quinque lumina gratuita, vel quemadmodùm ſunt quinque lumina interiora naturalia in anima humana, videlicet imaginatio, virtus æſtimativa, memoria, ratio, & intellectus; ita debent eſſe intellectus quinque lumina interiora gratuita, volens per hoc ſtatuere quinque lumina ſupradicta, rhetoricam magis ſuaſionem, & conjecturam debilem allegat, non phyſicam, aut theologicam probationem adducit. Tu autem attende in his, & invenies quòd ea quæ diximus veritatem habent ſubnixam firmis radicibus, & armatam validis probationibus. Jam igitur ſtabilita ſunt quinque lumina apprehenſivarum virtutum, quæ ſunt fides, prudentia, donum intellectus, donum ſcientiæ, & donum conſilii, de quibus manifeſtum eſt, quòd ſine eis nec religioſè, nec laudabiliter vivitur: ſine fide enim, nec religioſa vita, nec Dei ſervitium inchoatur; ſine prudentia verò, nec laudabiliter ei ſerviri, vel ſine detrimento, atque diſpendio bona ejus diſpenſari, vel fructuoſè negociari manifeſtè impoſſibile eſt: ſine dono verò intellectus, quòd multa neceſſaria, atque ſalutaria ipſamque ſalutem multipliciter adjuvantia lateant.

Donum ſcientiæ neceſſarium. — *Donum conſilij.*

Digitized by Google

teant apertè patet, myſteria ſcripturarum, formas Sacramentorum, & alia ſigna intelligibilia intuentibus: dono ſcientiæ verò quibus illuſionibus, ac deceptionibus falſorum, minimorumque bonorum pateamus ſimiliter & malorum, nulli intelligenti dubium eſt: donum verò conſilij non habentes quot & quanta pericula inevaſibiliter circundent & obſideant ſoli notum, quibus eſt datum videre illa. Ex his igitur apparet neceſſitas ſimul & utilitas quinque hujuſmodi luminum, hoc eſt virtutum apprehenſivarum.

Multa pericula ex carentia conſilij.

CAPUT XV.

De affectibus, & affectivis virtutibus, ſeu motivis acutè, & ingenioſè diſputat explicans vias, per quas nobis earum ſtabilimentum poſſibile efficitur.

AFfectivarum autem, ſeu motivarum virtutum ſtabilitio quantùm nobis videre datur, non eſt nobis poſſibilis hîc, niſi per vias quas dicemus. Harum una eſt & prima per res ipſas, à quibus, & in quas ſunt motus earū, & inter illas Deus primus: & quoniàm ex neceſſitate aliquo modo naturaliter agente in animas noſtras, non eſt poſſibile eſſe motus noſtros, vel affectiones, niſi per tria genera, & uno trium modorum, aut enim in ipſum ſunt ſecundùm ipſum, hoc eſt ratione eorum, quæ ejus ſunt per ſe, & hæc tria ſunt, ſicut fas eſt tibi numerum cogitare; horum primum eſt bonitas abſoluta & pura in quam, & à quâ movetur motu, ſive affectione amoris, amoris dico gratuiti, puriſſimi, & rectiſſimi. Secundum eſt ſuavitas in ultimo delectans, atque reficiens, & cætera hujuſmodi operans in animas noſtras ad ſimilitudinem, & proportionem corporalis cibi, de quo in præcedentibus multa ſcripturæ teſtimonia poſuimus, ſicut eſt, Guſtate & videte quoniàm ſuavis eſt Dominus. Et illud Eccleſ. 23 Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & favū. Et iterū. Qui edunt me adhuc eſurient, qui bibunt me adhuc ſitient. Et iterùm in Pſalmo. Quoniàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Et iterùm: Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt. Propter hanc refectivam dilectionem, & delectabiliſſimam refectionem dictum eſt. Exodi 24. Comederunt, & biberunt, & viderunt Deum Iſraël. Quòd ſi de corporali refectione intelligeretur, ſupervacuè prorſùs dictum videretur. Tertium eſt magnificentiſſima gloria, ſeu dominantiſſima illius majeſtas, ad quam, & à quâ cùm datur nobis eam dignè cogitare, ſeu conſiderare, movemur honore, ſeu veneratione. Tres ergo ſunt affectiones noſtræ in ſpiritu ſecundùm ipſum, videlicet amor, & hoc eſt in eum inquantùm bonitas; ſive bonus. Secunda eſuries, ſeu ſitis, quas pro una reputamus cum ipſa delectatione refectionis ſuæ, & de his dicitur in Pſal. Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus. Similiter & illud. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; de refectione verò utraque dictum eſt illud. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Si quis autem dixerit, quia pulchritudo etiam ejus eſt ſecundùm ſeipſum. Reſpondemus quia delectatio in ipſum ex pulchritudine ipſius viſus ſpiritualis eſt, id eſt virtutis noſtræ intellectivæ, quemadmodùm delectatio ex pulchritudine corporali, viſus ipſius corporalis eſt, ſive ſecundùm illum. Quòd ſi adjecerit, quia amor eſt in illum ex pulchritudine, ſive ſecundùm pulchritudinem, juxta quod legitur Sapientiæ 8. Amator factus ſum formæ illius. Quemadmodùm enim pulchritudo corporalis amorem gignit intuentibus eam naturaliter, ſic & incomparabiliter fortiùs pulchritudo illa ita intuentibus illam amorem ſui generabit. Reſpondemus tibi, quia nihil prohibet amorem eſſe inquantùm eſt pulchritudo, cujus aſpectus, ut dicit Auguſtinus, nobis promittitur, unde amator, & amor maximè videtur eſſe pulchritudinis, inquantùm pulchritudo, ſicut apparet ex 8. Sapientiæ. Amator factus ſum formæ illius. Et jam diximus in præcedentibus, quia amor hujuſmodi quædam ſpecies amoris eſt, & vocavimus eum amorem venditum pretio, ſcilicet voluptatis. Nihil autem prohibet pulchritudinem bonitatem eſſe, ſed per ſolum viſum cognoſcibilem: intantùm igitur eſt bonitas inquantùm conveniens affectui noſtro, hoc eſt inquantùm movens ad conjunctionem ſui virtutem noſtram motivam. Bonum enim propriè eſt ſicut declaravimus in tractatu ſingulari de bono & malo, quod eſt per ſe motivum noſtri affectus & hoc per conjunctionem, ſive unitionem, quæ unitio non eſt niſi amor. Malum verò econtrariò, videlicet, quod eſt motivum noſtri affectus, & hoc ad diviſionem, & elongationem ab ipſo. Quare ſicut creator bonus eſt delectabiliter in ultimo ſecundùm aſpectum ſpiritualem ratione pulchritudinis ſuæ, ſic eſt ex ipſo, & in ipſum amor hujuſmodi; & ſicut eſt beneficus in ultimo largitatis, & affluentiæ, ſic ex ipſo eſt amor, & in ipſum naturaliter, quem diximus ſupra naturalem: & ſicut eſt bonus in ſemetipſo, in ultimo gratioſitatis, ſic eſt ex ipſo, & in ipſum amor gratuitus etiam naturaliter, propter hoc quod hujuſmodi amorem rectiſſimum gratis, & dono infundit juxta beneplacitum omnipotentis voluntatis ſuæ. Tres igitur ſpecies amoris, ſicut ſupra diximus, ſunt, ex ipſo, & in ipſum naturaliter; hoc eſt quantùm eſt de naturâ ſuâ; & noſtrâ, niſi noſtram naturam originalis, aut adventitia corruptio impediret. Jam igitur numeravimus tres ſpecies affectivarum virtutum, quæ ſunt in Deum ſecundùm ipſum, hoc eſt ratione eorum, quæ habet per ſe: per ſe enim eſt bonus quolibet trium prænominatorum bonorum, in ultimo per ſe ſaporus, in ultimo ſuavitatis per ſe, præcellens in ultimo eminentiæ, & altitudinis: & propter hoc ſunt in ipſum, & ex ipſo amor, ſapor, ſive ſapientia, ſive ſaporalitas, honor, ſeu veneratio. Quartam verò affectionem pariunt beneficia ipſius in nobis, & hoc nominatur propriè gratitudo, cujus operatio propria uſitatè vocatur actio gratiarum. Quintam verò & ſextam operantur ejuſdem bonitas, & mala noſtra quodammodò, videlicet timorem, & ſpem; timore enim pœnæ nobis incutiunt mala noſtra, quæ vel jam fecimus, vel credimus nos feciſſe, aut etiam antea fecerimus, dubitamus. Timorem autem offenſæ mala, quæ nobis inſidiantur, quodammodò nobis incutiunt, licet uterque iſtorum timorum Dei donum ſit, & principaliter ab ipſo tantùm; non enim tanta bona efficere ſufficiunt mala noſtra, quod inde manifeſtum eſt, quia cùm omninò mala ceſſaverint, videlicet in patria, neuter iſtorum timorum erit. Septimam affectionem ſimiliter operatur non quidem Dei bonitas, ut bonitas, ſed magis ſapientia luciditiſſimè, & jugiter intuens omnia ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræos. Non eſt ulla creatura inviſibilis conſpectui ejus, omnia enim nuda ſunt, & aperta oculis ejus. Similiter & Eccleſiaſt. 23. Omnia videt oculus ejus, & iterùm. Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper Solem, circunſpicientes omnem viam hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Et alia ſimilia de hoc multa legis in ipſo textu Scripturæ. Boëtius autem in fine libri ſui. Ma-

Nota.

Affectus noſtri in Deum.

Bonum. *Malum.* *Gratitudo.* *Timor Dei.*

Digitized by Google

gna, inquit, eſt nobis indita neceſſitas probitatis, E niſi diſſimulare velimus, cùm omnia agamus in oculis judicis cuncta cernentis. Pudorem iſtum, id eſt virtutis iſtius motum incutiunt nobis mala noſtra, ut largè accipias mala, ita quòd etiam diminutio bonorum noſtrorum malum intelligatur: neſcit enim erubeſcere, qui ſola mala ſua erubeſcit, & defectũ, diminutionẽque bonorũ nõ erubeſcit: ſicut enim turpe eſt malè agere, ita & non benè agere, & minùs benè agere, quàm deceat, vel oporteat.

Pudor.

Verecundia quid.

Quòd ſi quis dixerit, quia pudor non eſt alia affectio à timore, pro eo quod Seneca dicit quia verecundia eſt juſtæ reprehenſionis timor. Reſpondemus ad hoc duobus modis. Primùm quia verecundia cùm ab eo quod eſt vereri expreſsè dicta ſit, nõ aliud eſt verecundia quàm verentia, ſeu reverentia: reverentia autem non aliud, quàm timor reverentiæ. Verùm quia pudor fuga ſpiritualis eſt, quemadmodùm F & timor, idem videtur eſſe pudor & timor. Verùm ſciendũ eſt tibi, quia primus, ac nobiliſſimus timor fuga eſt pœnæ, & inquiſitor evaſionis ab illa. Secundus autem timor eſt offenſæ, & inquiſitor declinationis ab illa, & ut verum dicamus, timor pœnæ declinatio eſt pœnæ, declinatio inquã ſpiritualis, ſimiliter, & timor offenſæ. Finis autem utriuſque tutum eſt, ſed primi timoris tutum à pœna, ſecundi verò tutum ab offenſa. Timor autem reverentiæ ſic fuga eſt ſed magnitudinis, aut altitudinis, hoc eſt ab illa. Finis autem hujuſmodi motus propria parvitas, aut depreſſio eſt: nihil enim aliud eſt revereri magnũ, aut altum aliquem, quàm conſideratione magnitudinis, aut altitudinis ipſius inter propriæ parvitatis, ac inferioritatis limites reſilire. Ex quo accidit interdùm tanta coanguſtatio quibuſdam, atque depreſſio, ut in conſpectu ſapientum, vel parùm, aut nihil ſe ſcire ſentiant, & in conſpectu eloquentium pœnæ elingues efficiantur. Quemadmodùm accidit Moyſi. Exodi 4. ubi dixit Moyſes ad Dominum. Ex quo locutus G es ad ſervum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. Simile eſt & illud Threnorum tertio. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis tuæ. Eſt enim virga indignationis Dei, hoc eſt ex flagello altitudinem, atque magnitudinem divinæ potentiæ conſiderans, paupertatẽ ſuam, id eſt paupertatem, & inferioritatem, defectumque omnimodum clarè vidit, & ſenſit.

Erubeſcentia.

Erubeſcentia verò, ſive pudor eſt fuga aſpectus, ſive viſus, & declinatio ab illo: finis autẽ hujuſmodi fugæ abſconſio eſt, ſive latibulum, ſive non apparitio ejus, quod videri fugiebat.

Motuum diverſitas.

Quia ergo motus determinantur, diſtinguuntur, & diverſantur penès terminos, & plagas, manifeſtum eſt quatuor iſtos motus, videlicet timoris pœnæ, timoris offenſæ, timoris reverentiæ, & pudoris, ſive erubeſcentiæ, diverſos H eſſe motus diverſitate eſſentiali, atque ſpecifica. Quare & principia eorum ſimili diverſitate diverſa eſſe neceſſe eſt, ab alio enim ad aliud movet pudor, quàm timor ſecundùm unamquamque ſpecierum ſuarum prænominatarum.

Septem affectiones in Deum.

In univerſo igitur ſeptem ſunt affectiones in Deum, tres quidem in ipſum ſecundum ipſum, videlicet honor, amor, & ſapor, & ita dicamus. Quarta puræ ex beneficiis quæ ab ipſo ſunt velut redundantiæ ex ipſis in illum, & hoc nominatur uſitato vocabulo, gratitudo. Quinta in ipſum ex occaſione malorum noſtrorum videlicet timor ſecundùm duas ſpecies ſuas primas, mala enim noſtra ſunt & peccata, & offenſæ in Deum. Sexta verò pudor (ut diximus) qui movet ab aſpectu, ſive intuitu ipſius Dei, ad latibulum, ſive ad non apparitionem fœditatum noſtrarum, quod latibulum confeſſionem, ſive revelationem E ipſarum ſæpè nos meminimus nominaſſe. Septima verò ſpes eſt veniæ liberationis, & gratiæ, cujus motus non eſt ſine occaſione malorum noſtrorum, ſicut ſupra tetigimus: nemo enim ſperat à Deo veniam, niſi culpæ, quam agnoſcit, nemo liberationem, niſi à malo, vel in quo eſt, vel quod ſibi imminere cognoſcit; nemo gratiam, niſi qui defectum propriarum virium ad placendum, ac ſerviendum eidem cognoſcit. Spes autem retributionis, & gloriæ non videtur habere occaſionem à malis noſtris, cùm ex bonis meritis, magnificentiſſimaque Dei bonitate ſolummodò, & nullo modo ex malis ſperetur æternæ mercedis retributio.

Nota.

Verùm mala noſtra nonnullam dant occaſionem divinis promiſſionibus; torpor enim noſter, & puſillanimitas, remiſſioque & tepiditas excitantur, animantur, roborantur, ac tenduntur magnificentia divinarum promiſſionum, ſicut Pſal. dixiſſe videtur de ſeipſo ubi ait: Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.

Promiſſio temporaliũ quid ſignet

Quemadmodùm enim quondàm populum Hebræorum allexit, & attraxit ad cultum ſuum Deus promiſſionibus temporalium, & comminationibus contrariis convertit ab idolatria, & aliis malis; ſic & populum Evangelicum alliciendum, & attrahendum duxit promiſſionibus æternorum, ut quos Dei amor, & bonitas ſincera ad Dei cultum per ſeipſas gratis non inducerent, ſaltem magnificentia promiſſionum cœleſtium alliceret, & quodammodò mercaretur. Nec dubium eſt ſacras ſcripturas frequentantibus, & intelligentibus promiſſiones illas temporalium figuras fuiſſe promiſſionum iſtarum. Si quis verò dixerit, quia timor reverentiæ non aliud eſt, quàm honor. Reſpondemus, quia indubitanter errat cùm honor evidenter motus in Deum ſit inquantùm honor: timor verò reverentiæ ab eo eſt, non ſolùm ſicut auctore, quia de hoc non agitur, ſed etiam ſicut termino; reverentia cum eſt ſicut receſſus, immò ſeſſio ſpiritualis, & datio loci, quâ majoribus cedi, & dari locus conſuevit. Quemadmodùm enim videntes majores noſtros cedimus eis, & damus locum eis coanguſtantes nos ipſos corporaliter, ſeu literaliter: honorantes autem ad eos, quos honoramus, & in eos potiùs ſpiritualiter movemur. Nec contradicimus nobis, quòd dicimus ſeptem iſtas affectiones, id eſt virtutes affectivas in Deum eſſe intelligentes, velut terminum, cùm dicamus aliquas eſſe ab ipſo velut termino, quoniàm terminum intelligimus largè, videlicet determinativum quodcunque: cum enim, qui timetur dicimus eſſe terminum timoris, non in quem eſt finaliter, ſed in quem eſt, ut ita loquamur, materialiter, pro eo quod determinat quodammodò timorem, cùm dicit Deum; terminus enim in quem finaliter quicunque motus eſt, illud eſt, cujus acquiſitio per ſe intenditur, quapropter eo acquiſito ceſſat. Quoniàm igitur neceſſe eſt omnes affectiones, quæ in Deum ſunt, affectiones inquam rectas, aut eſſe in ipſum propter ipſum, hoc eſt ſine comparatione beneficiorum: & hoc iterùm duobus modis, videlicet aut cum occaſione malorum noſtrorum, aut ſine ea occaſione, & ſine ea occaſione propter beneficia eſt gratitudo, cum occaſione verò timor, ſpes, & pudor, ut diximus: honor verò amor, & ſapor in ipſum ſecundùm ipſum: mala verò noſtra, non niſi in tribus generibus inveniuntur, videlicet culpæ, pœnæ, defectus: manifeſtum eſt ſeptem affectiones, ſive ſeptem affectivas virtutes noſtras poſſe eſſe in Deum, cùm mala noſtra non dent occaſionem niſi tribus, beneficia verò per ſe, niſi uni: conſideratio verò ipſius Dei per ſe, non niſi tribus.

Quoniàm

Quoniàm autem res, quæ præter ipſum Deum ſunt, aut noſipſi ſumus, aut propter nos factæ ſunt, aut à nobis fiũt; neceſſe eſt omnes affectiones noſtras in iſta tria genera rerũ cadere, videlicet vel in nos, vel in ea, quæ propter nos facta ſunt, vel in opera noſtra, & in parte iſta non ſeparamus nos ab Angelis, quia virtutes eædem penè omnes ſunt nobis, & Angelis; non enim aliæ ſunt virtutes, aut naturales aut gratuitæ Angelorum, quàm noſtræ, niſi perpaucæ quales ſunt fides, ſpes, quæ apud eos locum non habent: ubi enim lucidiſſima eſt, ac præſentiſſima cognitio, non eſt locus fidei, ubi autem res ipſa præſens, non eſt locus ſpei, ſicut dicit Apoſt. Quod enim videt quis, quomodò ſperat? Similiter, & videre per ſpeculum, & in ænigmate non convenit gloriæ futuræ, ſicut dicit Apoſt. in 11. 1. ad Corint. Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et iterùm. Nunc cognoſco ex parte, tunc autẽ cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Forſitan autem ſunt, & aliæ virtutes, ſcilicet dona, quas gloria patriæ propter earũ imperfectionẽ nõ patitur, ſicut eſt timor offenſæ, qui uſitatè vocatur filialis, ſimiliter & timor initialis. Cauſa autem hujuſmodi eſt, quia in iſtis duabus virtutibus eſt immixta omninò timori ſecuritas; in tuto enim erimus & à pœna, & ab offenſa, cùm alterutram earum multitudinem ſtatus illius gloriæ attingere impoſſibile ſit. Primùm igitur nobis inquirendum erit hîc, quot affectiones in nos invicem habere debeamus. Quia igitur affectiones, quæ res ipſæ ſunt, & à rebus ipſis imprimuntur diverſitatem rerum ipſarum, & numerum, ſequuntur; neceſſe eſt numerum rerum ſecundùm ſpeciem, ſive ſtatum, ſive diſpoſitionem, ſecundùm quam gratuivæ ſunt affectionum, eundem eſſe quem & rerum, ſive diſpoſitionum hujuſmodi, & quoniàm rem unam contingit eſſe multorum ſtatuum, ſive diſpoſitionum talium, neceſſe eſt in unam eandem rem, ſive ex illa multas eſſe hujuſmodi affectiones; verbi gratiâ. Quoniàm unus, & idem homo, & homo eſt, propter quod & debetur ei ab unoquoque aliorum dilectio, & princeps aut prælatus eſt, propter quod debentur ei honor, reverentia, & obedientia, & ſubditus eſt, propter quod debetur ei eruditio, diſciplina, & defenſio, & interdùm adverſarius veritatis, propter quod, ut ita dicamus, debetur ei contradictio, & interdùm miſer, vel ſpiritualiter, vel corporaliter propter quod debetur ei miſeratio, ſi facultas adſit, etiam ſubventio, & ipſemet omnium aliorum ſocius eſt ad minus naturæ, interdùm autem & fortunæ, quandoque autem gratiæ, propter quod debentur ei fides, veritas, & æquitas: fortunæ autem ſocietatem largè intelligimus, ut etiam in bello, in negociatione, in menſa, in itinere ſocietas iſta intelligatur; interdùm ſanctus eſt non tantùm ſanctitate gratiæ gratum facientis, ſed ſanctitate ſacramentali, propter quam etiamſi ſola eſſet, debetur ei veneratio, & à prophanatione elongatio. Vides ergo quanta multitudo, & varietas bonarum affectionum oritur in eundem hominem ex multitudine, ſeu varietate ſtatuum, atque diſpoſitionum ipſius. Licet autem ita dixerimus non ignoramus quin eruditio, correctio, & defenſio poſſint eſſe ex una & eadem affectione, & etiam ex diverſis, ſicut ex charitate poſſunt eſſe per ſe, vel ex pietate ſola, vel ex zelo, vel ex juſtitia, tanquàm ex debito officij paſtoralis, ex omnibus iſtis ſimul, ex ſolo etiam honore Dei omnes poſſent eſſe. Debes etiam ſcire, quia non intelligimus per hoc quòd diverſitatem diſpoſitionum hujuſmodi ſequatur diverſitas affectionum, quemadmodùm oſtendimus de apprehenſionibus, & maximè in tractatu de fide: ſed re verà diverſitas affectionum eſt, quoniàm affectiones omnes motus ſunt ex neceſſitate ſecundùm diverſitatem terminorum qui ſunt, ut ſuprà diximus, à quo, & in quem. Quemadmodùm motus pietatis eſt in leniendam, ſive tollendam miſeriam alienam, motus juſtitiæ in reddendo quod ſuum eſt alij, motus benevolentiæ in alienum bonum, vel augendum, vel conſervandum, vel defendendum, motus zeli in tollendam, prohibendam Dei contumeliam; & ad hunc modum de aliis, motus fidelitatis, & veritatis contra fraudem, atque mendacium, quæ indubitanter ambo ſunt partes injuſtitiæ, & iniquitatis, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Quia igitur motus diverſi ſunt ex neceſſitate, quorum fines diverſi erunt ex neceſſitate principia eorum immediata, diverſa principia enim eadem remota poſſunt eſſe diverſorum motuum, eadem, & etiam contrariorum motuum, hoc eſt quandò motus licet diverſi ſint, vel etiam contrarij, in hoc ſaltem uniuntur, quòd uterque eorum, vel quilibet ſi plures ſunt, duobus via eſt ad acquirendum finem, cujus acquiſitio per eos intenditur, verbi gratia. Cùm aliquis intendit ut largus appareat, vel de largitate laudetur, manifeſtum eſt ipſum interdùm furari, rapere, vel aliàs malè acquirere, & ſic acquiſita largiri. Licet ergo contrarij motus ſint rapere, & largiri, tamen in hoc uniuntur apud hujuſmodi homines, quòd utrumque via eſt ad finem, id eſt vanitatem gloriæ quam intendit, utrunque enim propter hujuſmodi finem facit. Sed hic amor vanæ laudis principium remotum eſt ad utrumque naturaliter; principium enim propinquum, & immediatum rapiendi avaritia debet eſſe, ſive cupiditas, aut odiũ, ſive ira in eum, qui ſic damnificatur.

Fides.

Adverte.

Multitudo & varietas affectuum.

CAPUT XVI.

Eandem rem tractat, ſed ſummariè, & in argumentum contrahi ſequentia nequeunt. Quare videat ſigillatim omnia diligens lector, & notet accuratè omnia quæ ſunt ſingularia, atque ita ſuos affectus optimè regere diſcet ſi voluerit.

HIs autem ita ſe habentibus facile eſt tibi videre, & numerare rectas affectiones, quæ ſunt vel eſſe poſſunt hominum invicem vel in alterutrum: oſtendimus autem hæc etiam tibi alia via, & dicemus, quòd vis noſtra concupiſcibilis non eſt ſuſceptibilis niſi ſex affectionum, quæ ſunt amor, & odium, dolor, & gaudium, fames ſpiritualis, atque ſatietas ſive faſtidium, & hanc famem non intelligimus niſi deſiderium; contrarium autem deſiderio non invenimus niſi ſatietatem, atque faſtidium, ſive abominationem, niſi quis dicat privationem deſiderij contrariam eidem; & de amore jam expedivimus nos quia virtus eſt ſecundùm unamquamque trium ſpecierum ſuarum. Veruntamen amor qui eſt in quodcunque aliud propter Deum, ex eodem habitu amoris eſt, ex quo eſt motus amoris in Deum; generaliter enim motum in finem, & motum in viam propter finem, ex eodem primitivo motivo eſſe neceſſe eſt. Amor ergo in Deum, & in homines propter Deum idem habitus eſt, eodem modo ſe habet & de honore, quo invicem nos honoramus propter Deum, ſimiliter ſe habet & de pudore, ſi in aliquo caſu hoc reperiri poſſet, quòd erubeſceret qui intuitum hominum, propter intuitum Dei: affectio igitur amoris in nos invicem, non auget præſcriptum numerũ affectivarum virtutum, ſimiliter neque honor. De odio autem quæſtionẽ habet an virtus ſit alia, quàm amor, neque enim cõtrarietas multiplicat diſciplinam, neque ſexum; eadem quippe diſci-

Vis concupiſcibilis ſex affectionum capax.

Benè.

Quæſtio de odio.

plina qua cognoſcitur ſanum, & quæ ſani ſunt, cognoſcitur ægrum, & ea quæ ejus ſunt, quomodò ergo non eodem habitu quo amatur alterum contrariorum, odietur & reliquum? Similiter eadem virtute ſobrietatis & ſumitur cibus ad neceſſitatem, & abſtinetur à ſuperfluo, quomodò ergo non eadem virtute amabitur alterum contrariorum, & odio habebitur reliquum? Præterea cùm eodem guſtu ſapiat alterum contrariorum, & deſipiat reliquum, appetatur alterum, & ejiciatur reliquum, vel repudietur: quomodò ergo erit quòd non non eodem habitu amoris amplecteretur alterum contrariorum, & fugietur reliquum? Præterea ex eodem principio motus voluntarij exeunt motus contrarij, ſcilicet in ſursùm, & deorsùm, & in antè & retrò, dextrorsùm, & ſiniſtrorsùm. *Nota.* Ampliùs. Ponamus quòd iſte non habeat niſi habitum amoris ad aliquod bonum, & nullum habeat habitum ad contrarium, ſive ſit poſſibile, ſive impoſſibile; quærimus qualiter iſte ſe habebit ad contrarium prædicti boni, cùm ſit manifeſtum quia non amabit ipſum, ſed neque indifferenter ſe habebit ad illud, cùm amet ejus contrariũ, vel odio igitur habebit ipſum, vel amabit illud: non amabit autem illud, cùm amet ejus contrarium, odio ergo habebit illud. Cùm igitur non ſit apud eum alius habitus circa alterutrum hujuſmodi contrariorũ, quàm amor, erit ex neceſſitate iſtud odiũ, ſive odire, ex amoris habitu, quo amat ejus contrarium. Non eſt igitur neceſſarius alius habitus, quàm amor poſitus propter odium contrarij ejus, quod amatur: & hoc quidem multis viſum eſt prædictis rationibus. Veritas autem eõtrariò ſe habet, ut nobis videtur; quòd enim alterum contrariorum ex altero naturaliter ſit impoſſibile eſt, quare impoſſibile eſt ex amore eſſe odium, vel ex odio amorem, ſimiliter ex eo quod eſt amare, non erit odire, aut econverſo? Ampliùs. Si ex amore eſſet odium, oporteret ex neceſſitate ſimiliter ex odio amorem eſſe, & non eſſet dignius, ut eſſet ſolus habitus amoris propter amare, & odire quàm ut eſſet ſolus habitus odij propter eadem. Diximus igitur, quia reverà duo habitus boni ſunt, cauſa autem in hoc eſt, quia quemadmodùm in rerum univerſitate inveniuntur diligenda, vel propter ſe, vel propter aliud, ſic & odienda: & ſicut quædam diligere præcipimur lege Dei, ſic & quædam odire; vitia enim, & peccata per ſe, & propter ſe odienda ſunt, etſi nulla lege præciperetur, *Vitia odienda.* & nullus honor inde ſequeretur; & expreſsè utrũque habitum poſuit, qui dixit: iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Nec tàm de paſſione boni odij, quàm de habitu ipſius ſe laudaſſet, & quaſi jactaſſet Propheta, niſi & hanc eſſe virtuoſam, & illã eſſe virtutem agnoſceret, cùm dicebat: Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfectò (inquit) odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. Quòd ſi dixerit quis, quia ſi odium eſſet virtus, eſſet actus ejus lege præceptus. Reſpondemus quia lege præceptum eſt, ſicut teſtatur veritas Matthæi quinto. Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Expreſsè autem dicitur Eccleſiaſt. Nimis odito execrationem. Ampliùs. Cùm odire, & perſequi vitia, & peccata ſit actus per ſe laudabilis, & bonus erit ex neceſſitate per ſe alicujus virtutis, amoris autem non poteſt eſſe per ſe, quare erit virtutis, quæ odium eſt, ut diximus. Ampliùs. Cùm ad hoc teneatur unuſquiſque, videlicet odire vitia, & peccata, & hoc confitetur uniuſcujuſque intelligentis cor, tanquàm ſcriptum in ſeipſo naturaliter, hoc autem lex diviniſſima eſt, quare hujuſmodi actus lege divina eſt præceptus. Ampliùs. Amor vitiorum, & peccatorũ eſt vitiũ per ſe,

E quare ejus contrariũ eſt virtus per ſe. & hoc utique nobis ita eſſe videtur. Quod autem videtur quibuſdam, quòd ex amore alicujus boni eſt etiam odium contrarij, verum eſt eo modo quo dicemus; quia cùm aliquis amat aliquid ex ipſo amore diſpoſitus eſt, ut cùm imaginatus fuerit contrarium, imprimatur ei odium illius, & ut moveatur odio in illud; ſed hujuſmodi odium non eſt ex amore per ſe, immò per actionem contrarij, ut diximus, & verum eſt, quia adamare, & odire eſt unus habitus, ſed remotus eſt, qui nec eſt amor, nec odium immò eſt prior utroque, & vocatur ſimpliciter bonitas, de qua Pſal. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Et quæ nominatur in quinto ad Galatas inter fructus Spiritus Sancti unus. Hanc bonitatem vocat Auguſt. dulcedinem cordis, qua malitiam *Bonitas.* nõ admittit, nec ſuſtinet, immò perſequitur Quemadmodum & beatus Bernardus malitiã vocat amaritudinem cordis, quia bonum ei amaratum eſt, & inimicum; ex hac enim bonitate & ad amplectenda bona paramur, F & ad ejicienda contraria: ex hac ergo bonitate ſunt amor bonus, & odium, & hanc bonitatem doceri, non eſt niſi eam habere, vel recipere: ſimiliter & timorem Domini, & generaliter virtutes non docentur, niſi obtinendo, & operando. quemadmodùm igitur calidum eſt ex quo per ſe fluit calefieri in contingentia receptacula, & reſiſtentia, atque repugnatio in frigida, ſic bonum cor, quod ad bona, & mala ſimiliter ſe habet. Differt autem inter bonitatem, & benignitatem, quia *Bonitas & benignitas differunt.* propriè benignus eſt qui provocatus ad iram, & odium ipſum provocantem diligit, & ita ſonat vulgariter benignus, & hoc eſt, quod dicit Gregor. ſuper illud Apoſtoli in 13. primæ ad Corint. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Patiens eſt, inquit Greg. ut malos toleret, benigna eſt, ut etiã quos oportet amet; & propter hoc qui dixerunt, quia benignus, quaſi benè ignitus dicitur, dixerũt ſub hoc intellectu, ut benè ignitus, cujus ignẽ bonæ dilectionis G aqua tribulationis non extinguit nec minuit. Si quæratur quis ſit proprius motus, ſive operatio bonitatis iſtius: *Quæſtio* Dicimus, quia facilitas, ſive promptitudo ad bonũ quodcunque admittendum, ſuſtinendum, faciendum, & malum quodcunque declinandum, repellendum, perſequendum. Quòd ſi dixerit quis, quia ſufficiunt ad hoc particulares habitus, verbi gratia, caſtitas ſufficit ad bona, quæ ſunt caſtitatis, & ad mala contrarij, & ita de aliis; ſupervacuè igitur eſt iſta bonitas, quæ eſt univerſalis. Reſpondemus, quia idẽ poſſet dicere de ſcientiis univerſaliũ univerſalibus. nõ enim ſupervacua eſt ſcientia quanti geometriæ, per quam univerſaliter ſciũtur, quanta quæ in magnitudinibus univerſaliter ibi demonſtrantur, licet eam particulariter ſive ſpecialiter de H numeris in arithmetica, & de continuis quantitatibus in geometria eadem doceantur. Multum enim intereſt eſſe ſimpliciter paratum ad omne bonum, & contra omne malum, ut diximus, ex habitu uno radicali, & univerſali, & eſſe paratum ad aliquod bonum particulare ex habitu proprio particulari ad aliud hæc enim bonitas mirabiliter Deo aſſimilat poſſeſſores ſuos, immò unit, atque concordat Si vis *Epilogatio ſupradictorum.* autem noſſe bonitatem iſtam, conſidera voluntatẽ alicujus, qui non novit multa de beneplacitis Dei, ſed eſt paratus velle quicquid agnoſceret Deũ velle, & ex nũc vult, & fieri, & facere volũtatẽ Dei per omnia. Quis audeat dicere iſtam voluntatem ita bonam, ita rectam, & in nullo à regula divinæ voluntatis diſcordantem, ſupervacuam eſſe? licet enim nulla ſubſequetur particularis boni voluntas particularis, & iſta ſola eſt hujuſmodi vir bonus, & rectus: niſi quis fortè dicat, quia cùm hujuſmod *Nota.*

voluntate poſſet ipſe velle in particulari, quod A Deus nollet; verùm nec illud obſtat, quin verum ſit, quod dictum eſt, quia iſte hac voluntate ſola, abſque adjutorio cujuſcunque voluntatis particularis eſſet bonus, & rectus, Deoque acceptus, & ſi in hoc ſtatu diſcederet, ab eodem magnificè coronandus: fortaſſis autem particularis voluntas mali non poteſt eſſe aut mala moraliter cum iſta, aut etiam ex ſe, ſic enim diſpoſito, & ſibi concordes errare non ſinit miſericors Deus, unctio enim docet eos de omnibus, ſicut primæ Canonicæ Joannis 2.

CAPUT XVII.

De reliquis affectibus eodem modo diſputat, & quædam dubia nectit ſuo more, & ſolvit.

Dolor & gaudium.

B DE dolore verò, & gaudio quæſtionem habet, non facilè determinabilem, utrùm paſſiones tantùm ſint, an etiam virtutes: ſi enim paſſiones tantùm ſunt, cùm paſſionibus omninò non mereri, nec demereri poſſimus, ſicut in ſequentibus declarabimus, ſupervacuè dolent pœnitentes de peccatis ſuis, inaniter lugent ea, quòd non ſolùm contra catholicam, ac verificam doctrinam eſt, ſed etiam contra naturam, per quam innatum eſt nobis condolere dolentibus, & flere cum flentibus: ſicut docet Apoſtolus 12. ad Rom. Præterea pœnitudo interior quæ reverà aut reverſio eſt animarum ad Deum, aut pars reverſionis non modica, quid eſt niſi dolor pro peccatis commiſſis, ſed & invitationes per prophetas nobis factæ ad luctum, & ad planctum, quid erunt cùm luctus & planctus miſericordiam apud Deum non mereantur? ſi enim radix; qui utique eſt dolor, nihil habet meriti, neque ramus operis: invitat au- C tem Deus ad hæc, ſicut teſtatur Iſaias 22. In die (inquit) illa vocabit dominus Deus exercituum, ſed & ipſe Jeremias in 9. deſiderat, & quærit fontem lachrimarum his verbis. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrimarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei? Secundùm hoc quid eſt quod dicit in primo Threno. Idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas, ſed & David dixit. Exitus aquarum deduxerunt oculi, quia non cuſtodierunt legem tuam, ut quid hæc ſi dolor, & luctus meritum non habent? Præterea qualiter numeravit Apoſtolus gaudium inter alias virtutes in quinto ad Galatas, videlicet inter 12. fructus. Ampliùs Si gaudium non eſt virtus, ut quid opus cujus in præcepto eſt, & tàm crebrò præcipitur? ſicut in pſal. Exultate juſti in domino, & Apoſtolus in quarto ad Philip. Gaudete in domino ſemper, iterùm dico gaudete. Ampliùs. Gauden- D dum eſſe, & dolendum de quibuſdam ſcriptum eſt naturaliter in corde hominis; quare habitus ex quibus eſt gaudere, & dolere, ut gaudendum, & dolendum eſt, virtutes ſunt. Ampliùs. Circa gaudere, & dolere ſunt rectitudo, & peccatum, laus, & vituperium, quare virtus, & vitium ſunt ex quibus contingit illa eſſe. Ampliùs. Contingit malè gaudere, & benè, & laudabiliter, & vituperabiliter: neceſſe eſt eſſe vitium, & virtutem, quibus quandóque depravantur, quandóque rectificentur. Ampliùs. Qualiter ex frequenter benè gaudere non generabitur habitus virtus; ſimiliter & ex frequenter malè gaudere vitium, ſimiliter & ex frequenter malè dolere. Reſpondemus in hoc quia reverà virtutes ſunt dolor, & gaudium, cùm nomina habituum accipiuntur, & eſt gaudium iſtud penè continua ſerenitas cordis ex præſentia inhabitantis Dei, quam non obnubilat, ſive obſcurat etiam adverſitas, & illud eſt

Pœnitudo interior.

Nota.

propriè unus de fructibus 12. & de hoc dicit Apoſtolus in quarto ad Philippen. Gaudete in domino ſemper, &c. Et ſcitote quia gaudium ſpei, & gaudium charitatis, & gaudium patientiæ longè altera ſunt ab iſto, nec eſt virtus, quæ gaudium ſuum non habeat hîc annexum, ſicut & in futuro gaudium. Sicut enim verè ſcriptum eſt Proverbiorum 21. Gaudium eſt juſto facere judicium, ita & caſto facere quod caſtitatis eſt, & ita de aliis, & hoc etiam dicit Ariſtoteles ſicut ſupra expoſuimus; gaudium enim ſpei de futuris bonis eſt, gaudium verò charitatis de honore Dei, gaudium patientiæ de ſalute proximorum; gaudium verò de ipſa tribulatione eſt, propter quod dixit David virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, non dixit ex ipſis ſpero, vel acquiretur mihi conſolatio. Similiter & Job locutus eſt, dicens: Et hoc ſit mihi conſolatio, ut affligens me dolore non parcat. Gaudium verò Apoſtolorum, de quo legitur Actuum quinto. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu, contumeliam pati, poterat eſſe dupliciter, vel ex hoc quod ad communionem Chriſti paſſionum, quaſi ad communionem calicis, vel ſcyphi regij recepti ſunt, vel pro eo quod tàm nobili congreſſu, ſive conflictu, atque victoria digni habiti ſunt. Attende autem quòd & iſtud gaudium quod diximus fructum ſpiritus, in pleriſque viris ſanctis invenies, quorum vultus ſemper hilares, & jocundi; cui aliquid ſimile videri poteſt habuiſſe Socrates, de quo dicit Seneca quia uxorem habuit ſcortatricem & filios ſcortatores, quinquaginta paſſus tyrannides, nunquàm riſit, nunquàm fortem movit. Et ſcito quia riſus non eſt exuberantia gaudij iſtius, eſt enim gaudium iſtud res ſevera, quæ in riſum non diſſolvitur; in eo enim eſt verum quod dicit Seneca ad Lucilium. Crede inquit mihi, gaudium verum res ſevera eſt. Scito autem quia ſimiliter & dolor iſte, qui & donum luctus, & gratia lachrimarum uſitatè vocatur, quantúmque vehementia increſcat, quantumcunque amaritudine mentem affligere videatur, non ſine dulcore, aut gaudio unquàm eſt, propter quod dicit Salomon Proverbiorum 14. Cor quod cognovit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus. Et invenies generaliter in viris ſanctis vultus eorum nunquàm gratiori ſerenitate ſplendere, quandò gratia compunctionis corda eorum amaricaverit, & lachrimis ora perfuderit; de quo experientia faciet tibi plenam fidem; dolor enim ex hujuſmodi dono ſuaviſſimus eſt, ac jocundiſſimus, admirandæque ſpiritualis refectionis. Similiter & lachrymæ dulciſſimæ ſunt, quæ ex illo fonte profluxerunt, neque contraria ſunt, & hujuſmodi gaudium, & hujuſmodi dolor, gaudium dico fructus, & hoc eſt, quoniàm nunquàm jocundiores invenimus inter viros ſanctos, quàm quos lugubriores cognovimus. Abſit autem ut iſte dolor repellat hoc gaudium cùm cauſam gaudij provocet & augeat evidenter: quis enim dubitat dolorem compunctionis, Dei præſentiam per gratiam advocare ſi non adfuerit, & augere ſi affuerit? Ampliùs. Ipſam cauſam triſtitiæ videlicet peccata conſumit, & diffugat, aut conſumpta magis elongat. Si quis autem quærat cujuſmodi gaudio contrarius dolor iſte, vel cujuſmodi gaudium repellat à cordibus ſanctorum. Dicimus quòd vanum ſolùm, quale eſt omne carnale, atque mundanum gaudium, de quo veritas Lucæ 6. Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis. De hujuſmodi verò dolore Matthæi 5. Beati qui lugent. Et in hac tribulatione dilatat nobis dominus, ſicut dicit pſal & nobiſcum eſt in hac tribulatione. De illo dictum eſt Eccleſiaſt. primo, Qui addit ſcientiam, addit &

Nota de multiplici gaudio.

Riſus.

Digitized by Google

dolorem, de qua ſcientiâ ſimul, & dolore primo Auguſtinus in 1. libro de doctrina Chriſtiana. Scientia hæc facit hominem non foris jactantem, ſed interiùs lamentantem. Quantum autem bonum ſit dolor iſte, apparet ex eo, quod Seneca dicit ad Lucillium. *Seneca.* Inditium bonæ mentis eſt non gaudere vanis. Et ſtatim ſubjungit. Perfectio & culmen eſt longè magis dolere de vanis, quàm non gaudere de illis. Si quis autem quærat qualiter gaudent viri ſancti ex præſentia inhabitantis ipſos Dei, utrùm quia ſentiunt, vel ſciunt, vel pręſumunt præſentiam ejus in ſeipſis. Reſpondemus quia illud eſſet jam aliud gaudium quale eſt gaudium ſpei. ſed ſic gaudent ex pręſentia inhabitantis Dei in eis, ſicut & dolent dolore prædicto ſaluberrimo, ac jocundiſſimo abſentia & non-pręſentia ipſius; bene enim donat hujuſmodi gaudium, ſicut & gratiam compunctionis; neque eſt mirum ſi ex præſentia tanti, tamque jocundi luminis ſerenitas in cordibus ſanctorum diffunditur. Si quis autem quærat cujuſmodi triſtitiam vel dolorem repellat hujuſmodi gaudium. *Triſtitia hujus ſeculi.* Reſpondemus quia triſtitiam ſæculi, de qua Apoſtolus in 7. 2 ad Corint. Triſtitia hujus ſeculi mortem operatur. Repellit autem & gaudium vaniſſimum ſæculi Specialiter autem repellit malum acidię quam tædium interni boni nominant. *Acidia quid.* Veriſſimè autem acidia eſt faſtidium ſpiritualis boni, quod nec exuritur deſiderio nec ſapit ſuavitate vel gaudio. Nec verum eſt, quod quidam dixerunt, quòd ipſa eſt dominicæ crucis, ideſt diſciplinæ angaria, quoniàm per ſolam impatientiam, aut debilitatem carnis portatur hujuſmodi crux in angaria. Deum igitur ipſum fontem omnium ſuavitatum in primis faſtidit acidioſus, *In acidiam.* deinde apothecam ſpiritualem pſalmodiarum, hymnorum, canticorum, & quicquid eſt ſacrorum eloquiorum, tertiò ſacrarum obſervationum dulciſſimam exercitationem, nubiloſo, & caliginoſo corde, facie obſcura ſemper exiſtens inerti corpore ad ea, quæ ſunt piarum exercitationum; augetur interdùm, & juvatur iſtud vitium honore, vel fumo melancolico; hujuſmodi medicamentum primum, & maximum eſt gratia. Quod autem eſt humani miniſterij, indulgentia eſt à laboribus & aliis exercitationibus, & relaxatio à concluſione clauſtrali; credimus autem, & multùm valere etiam ad hoc muſicam, cætera autem medicis relinquimus. Poteſt autem videri vitium iſtud eis, quæ diximus, contrarium, dono ſapientiæ. Faſtidium enim circa guſtum eſſe maximè videtur, & reverâ non ſolùm dono ſapientiæ, ſed omni virtuti contrarium eſt. omne enim ſanctum deſiderium, omne gaudium ſpirituale extinguit; qua de cauſa cùm omnis virtus effectiva habeat ſua deſideria, ſuas ſuavitates, ſua gaudia in rebus, quæ ad ipſam pertinent, cùm nihil horum patiatur, omni virtuti contrarium eſt, & nullam patitur in corde humano. *Simile bonum.* Ne conturberis quia nominavimus ipſum faſtidium, inde enim nominavimus ipſum faſtidium, quoniàm quemadmodùm faſtidium rejicit omnem cibum, & medicinam à ſtomacho humano, ſic morbus iſte omne quod eſt ſalutare, vel jocundum ſpiritualiter, rejicit à corde humano totaliter, non enim eſt ſicut infectio orificij ſtomachi ſolummodò, quæ infectio propriè faſtidium eſt, ſed eſt infectio totius cordis univerſalis; eſt enim in corde univerſaliter, quemadmodùm eſſet infectio univerſalis in corpore omnem ſenſum corporis inficiens, non ſolùm guſtum faciens eum faſtidire, & rejicere guſtabilia, ſed etiam viſum faciens eum rejicere viſibilia, ſimiliter & de auditu, & in omnibus aliis. Prohibet igitur univerſalitas morbi iſtius ipſum eſſe propriè, ac directè contrarium dono ſapientiæ, cùm donum ſapientiæ propriè, ac ſpiritualis gratiæ ſit guſtus ſpiritualis, orificij ſtomachi, (ut ita dicamus) ſeu ventris cordis. *Abominatio.* Abominatio verò prout intentione hac uti conſuevimus, affectio eſt ut diſpoſitio nauſeam faciens, ſeu vomitum cordis, hæc autem nauſea, vel confeſſio eſt, qua uſitatè dicimus evomi ſpurcitias vitiorum & peccatorum, vel indignativa, vel averſiva deſertio, ſive bonorum, ſive malorum: ex mala enim diſpoſitione ſtomachi ſpiritualis contingit eam bona indignanter rejicere: quemadmodùm ex bona diſpoſitione ipſius, mala; quòd in nobis ipſis probavimus, quia qui aliquid boni, vel eſſe, vel in nobis habere putabamur, ab ipſo indignanter, & abominabiliter, non ſine execratione, & expuitione, & cum his verbis, fi, fi, papulat, rejecti ſumus, quod utique ipſi audivimus ex ore cujuſdam ipſo neſciente, nec advertente, qui erat ſentina notoria ſodomiticæ abominationis. Secundùm verò Auguſtinum abominatio abſque aſpirationis nota ſcribitur ab eo, quod eſt omnis nota vel eſt intentio ejus. *Auguſt.* Secundùm hæc infortunatio, vel infauſtitas. *Nota.* Vulgò autem mala aſtreitas, vel malè aſtrueitas, unde & malè aſtructus vulgari gallicano dicitur infauſtus, infortunatus. Quantùm autem, & qualiter mente corrupti homines abominentur utroque modo viros ſanctos, & ſancta omnia frequentia eorum, & experientia meliùs quàm ſufficiamus ſcribere, edocebunt. De prima autem intentione abominationis ſcriptum eſt expreſsè lib Proverbiorum. Abominatio hominum detractor, de ſecunda verò Proverbiorum 14. Abominatio eſt domino via impij, ideſt infortunatio & infauſtitas. Prędicta verò abominatio ſpurcitia eſt, nauſeam provocans, & hoc eſt quoniàm detractor alienorum peccatorum ſordes ſemper in ore portitat, & revolvit, & aliena ſtercora ruminat inceſſanter. De deſiderio verò, quòd habitus ſit, videtur ex eo, quod legitur Daniel 9. ubi dicitur ei à Gabriele Archangelo, quia vir deſideriorum es tu. *Deſiderium eſt habitus.* Et Proverbiorum 13. Lignum vitæ deſiderium virens. Ubi non eſt dictum flos, ſed lignum. Propter quod magis videtur ſonare in habitu, & eſt in habitu; magis autem videtur nobis, quia deſiderium actus eſt tantùm, & eſt actus interdùm actus amoris, & eſt etiam ad amorem, quaſi flamma, vel ardor ad ignem; & ſicut amoris tres ſunt ſpecies, ita & tres ſpecies deſiderij juxta illas, & generaliter non eſt virtus quæ non habeat ſuum deſiderium, ſicut ſupra diximus, quemadmodùm & ſuum gaudium: quis enim dubitat caſtitatis proprium eſſe deſiderium puritatis, & immaculationis ab illicita voluptate, ſimiliter & juſtitiæ, ut unuſquiſque jus ſuum habeat, eodem modo & diſciplinæ ut unuſquiſque ſubditorum regatur, eodē modo guſtus ſapientialis, ſive ſapientiæ deſiderium eſt, immò ſitis, fons vivus qui Deus eſt, ſicut teſtatur pſal. Sitivit anima mea ad Deū fontē vivū, quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum. Ex odio etiam videtur eſſe deſiderium, ſed alieni mali; ſimiliter & ex ira deſiderium humiliationis, ſive ſubjugationis, ſed hoc eſt per modum, quem ſupra diximus: eſt enim ex amore odium, & ex odio amor non per ſe, ſed nec propriè, ſed per accidens, quemadmodùm ſupra diximus. Nemo enim adeò odio plenus eſt, in quo non ſit amor mali, quod in iſto ſuo deſiderat, neque ſunt amor iſte, & odium hujuſmodi contraria, aut repugnantia, immò ſunt ſeſe invicem comitantia, & adjuvantia, & alter alterum cauſantia. *Epilogat.* Jam igitur diximus tibi paſſiones, & affectiones, atque virtutes, quæ natæ ſunt fieri & eſſe in concupiſcibili, & antea dixeramus apprehenſiones nobiles, & virtutes, quæ natæ erant fieri, & eſſe in vi noſtra apprehenſiva nobili, & numeravimus illas tibi, & invenimus

eas

eas quinque numero ſecundùm ſpeciem. Segnentes verò, quæ ſunt concupiſcibilis, provt proceſſimus, non ſunt inventæ niſi quatuor, provt eas nominavimus videlicet amor & odium, dolor & gaudium, niſi quis faſtidio boni, qnod ſupra diximus, ponat faſtidium mali contrarium, & eſſe virtutem quaſi regitivam univerſalem totius cordis humani, qua omne malum perverſum, quod eſt vitij, aut peccati rejicitur, & hoc ut oneroſum, ſive nocivum, ſive inſipidum, hoc eſt malè ſapidum, & ſecundùm ultimū membrum hujus diviſionis, quod ſcilicet eſt malè ſapidum non erit ut virtus, niſi donum ſapientiæ generalis, de qua ſuperiùs locuti ſumns. Suavitas verò, vel ſaporoſitas quam ſuperiùs diximns eſſe ſextam affectionem noſtram in Deum, proculdubiò virtutis noſtræ concupiſcibilis eſt. Nominavimus etiam tibi alias virtutes, ſicut temperantiam, quę cum omnibus partibus ſuis, & ramis, ſive ſpeciebus, in eadem vi ſimiliter eſt. De juſtitia verò propter generalitatem ſuam nondùm certum tibi fieri potuit, an tòtaliter ſit in una ex tribus viribus nominatis, an ſecundùm quid in unaquaque, an totaliter in duabus earum. Quia verò partes, ſeu ſpecies habet, de quibus nemo dubitat eſſe eas in virtute iraſcibili, nominabimus tibi, & numerabimus paſſiones omnes, & affectiones tam bonas, quàm malas, quæ natę ſunt fieri, & eſſe in illa. Debes igitur remniſci, quia quod propriè inquiritur, & in quo per ſe requieſcit vis noſtra apprehenſiva nobilis verum eſt, ſive veritas, & hac de cauſa ſunt comparationes ejus, non ſolùm circa verum, aut veritatem, ſed etiam circa falſum, & falſitatem, videlicet nt declinet illa ſicut circa lumen, & tenebras: ſimiliter ſe habent ad concupiſcibilem vim noſtram ſuave, ſive ſuavitas, & bonum, atque bonitas & propter hoc non ſolùm circa illa, ſed etiam circa contraria ſunt operationes ejus, non ut acquirantur, ſed potiùs ut declinentur. Intelligitur autem nomine boni, & bonitatis utile, & utilitas ſimiliter neceſſarium, & neceſſitas, atque ſalubre, & ſalnbritas. Quod verò propriè inqnitur, & in quo per ſe quieſcit vis noſtra iraſcibilis altum eſt, ſive altitudo, & magnificum, ſimiliter nobile, ſive nobilitas, & arduum, ſive arduitas, ſimiliter difficile, & difficilitas, & propter hoc paſſiones ejus, & operationes non ſolùm circa hæc ſunt, ſed & circa contraria his, ſicut de aliis viribus diximus. Inveniuntur igitur 22. contrarietates paſſionum, ſive affectionum in hac vi, videlicet iraſcibili, ſive ſecundùm ipſam, quæ omnes quoniàm ſecundùm ſuperfluitatem, & indigentiam ſunt, vitioſæ ſunt, ſive vitia. Harum primam ponamus excandeſcentiam, & extinctionem; quidam enim non iraſcuntur, ut homines, ſed excandeſcunt in furorem, & in rabiem, nt ferè non attendentes, vel quantùm ſit eis iraſcendum, vel quo ſuo, vel alieno diſcrimine iraſcantur, utentes omni eo, quod eis occurrerit, ut gladio, etiam dentibus propriis in eos quibus irati fuerint, ſæviunt. Quidam autem adeò extincti ſunt ut nullo igne injurię, ſive contumeliæ ad iram accendi, vel etiam calefieri poſſint. Medium horum eſt ira obediens, qualem ſanctum Malachiam habuiſſe ſcribit beatus Bernardus dicens, quia ira illi vocata veniebat, non ſe improbam ingerebat. Et noſipſi ex ore alicujus viri religioſi audivimus, cui & credidimus, quia non iraſcebatur, niſi quandò volebat nec niſi quantùm volebat. Secunda eſt rigor inflexibilis, & remiſſio, ſive laxitas intenſibilis, de quibus peccatis nobis multa copia ſuppetit exemplorum, & eſt iſta peſtis ſecundùm Grego. in moralibus ſuper Job ſpecies ſuperbiæ ubi dicit: Superba mens ad id quod per ſeipſam non appetit nullis exhortationibus flectitur, ad id verò quod ſpontè appetit, etiam cogi quærit. Sicut ergo iſte rigor in nullis exhortationibus flectitur, ſic contraria remiſſio, ſive laxitas nullis ſuaſionibus intenditur. Medium autem horum duorum vitiorum vocatur uſualiter tractabilitas. Apud Jacobum verò in quarto ſuadibilitas ubi deſcribit ſapientiam, quæ deſurſùm eſt dicens, quia ſuadibilis eſt, hoc eſt ſuadibiles efficiens, quod eſt dicere ſuaſionibus acquieſcentes. Tertia eſt durities indomabilis, ſeu infrangibilis, & fluxa mollities; quidā enim nec beneficiis molliuntur, ut recipiant Chriſtum ſuper corda ſua, ut ſignaculum, quo imprimantur eis pulchritudinis ſuæ ſimilitudines, nec flagellis franguntur, ſicut de Pharaone tam ſępè legitur in libro Exodi. quia induratum eſt cor Pharaonis. Et ſicut legitur in Job 41. de Behemoth. Indurabitur cor ejus quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. Iſtud eſt cor lapideum quod auferre promittit dominus à filiis Iſraël & dare eiſdem cŏr carneum. Ezechielis 36. Iſti nec franguntur timore, nec molliuntur amore, immò læduntur tam beneficiis, quàm flagellis, nec domantur; ſicut legitur Proverbiorum 4. Impius procaciter obfirmat vultum ſuum; contrarij verò his omni flagello franguntur, omni beneficio molliuntur ad quævis facienda, & patienda, hi ſervi ſunt perſonarum in acceptionibus, & munerum, ſervi minarum, & munuſculorum; pro bucella enim panis deſerunt veritatem, & perſonas accipiunt contra id quod legitur Proverb. Pro nulla re deſere veritatem. Duritia iſta magis ſenſu probabilis, quàm literis, generale enim eſt in hujuſmodi hominibus, ut quicunque ſe eis alliſerit, vel applicuerit, ſive rogando, ſive ſuadendo, ſive quodcunque negotium cum eis tractando, quaſi à lapide duriſſimo non ſine vulnere, vel livore ab eis abſcedit, juxta quod legitur Eccleſiaſtici decimotertio. Quid communicabit cacabus ad ollam, nonne ſi ſe colliſerint, confringetur? Omnium enim aliorum hominum corda, velut cacabi ſunt ad corda hujuſmodi, ipſa verò ſicut ollę æneæ confringentes fictilia. Contrarium verò vitium corda parata facit ad omnia turpia effæminans ea, & velut proſtituens, ut nulli turpitudini reſiſtant hujuſmodi, quod competit iraſcibili virtuti. Quarta verò eſt crudelitas, & muliebris miſericordia juxta intellectum Ciceronis qui miſericordiam voluit eſſe vitium; ea enim infirmitas, & miſericordia cordis invenitur in mulieribus, ut nihil flagelli, nihil diſciplinæ videre poſſint, vel audire abſque dolore intolerabili, hinc eſt, quòd cùm audiunt ſitim Rolandi, vel venditionem Joſeph dolore vehementiſſimo affliguntur, ſi viderent agnum jugulari, vel hædum penè in ſpaſmum inciderent præ dolore, nec vulnus, nec ſanguinem, nec livorem hujuſmodi homines videre poſſunt, nec verberari parvulos intueri, propter quod væ filiis eorum, ſi patres, & matres ſunt, væ ſubditis, ſi prælati. Crudeles verò econtrariò ſunt quibus carnificina hominum non ſolùm tolerabilis eſt, ſed etiam placet, propter quod & crudeles dicuntur à ferocitate eorum, propter quod & crudeles dicuntur, qui carnes crudas cum ipſo ſanguine comedere conſueverunt, vel à cruore, cujus effuſionem non abhorrent. Horum medium humanitas eſt velut inter belluinam feritatem, & muliebrem hanc & effæminatam miſericordiam, hoc eſt miſerendi infirmitatem; belluinum quippe omnimodò eſt, & inhumanum effuſionem humani ſanguinis non horrere, multò magis etiam & facere, & etiam procurare, infra humanam autem rectitudinem eſt muliebriter miſereri. Quinta verò contrarietas, inquietudo eſt atque deſidia, ſive inertia. Quidam enim adeò inquieti ſunt ut nunquàm ceſſent à ſcandalis aliorum, propriæ quietis, & alienæ prorsùs impatientes, ad lites, & contentiones, ad

Nota.

Adverte.

Viginti-dua contrarietates paſſionum in iraſcibili.

Rigor inflexibilis remiſſio intenſibilis.

Tractabilitas.

Durities. Mollities.

Nota in duros & obſtinatos.

Stulta miſericordia.

Crudeles.

Humanitas.

Inquietudo.

E F G H

Digitized by Google

jurgia paratiſſimi. Alij verò, adeò inertes, & deſides ut nec ſe, nec alios unquàm moveant ſine rebellione, & contradictione, quaſcunque Dei contumelias, quaſcunque animarum perditiones tranſire ſinentes, unde & deſides dicuntur quaſi de ſede ſuæ quietis inavellibiles, & inertes quaſi paci ſuæ, & quieti inhærentes velut eidem infixi, vel alligati. Medium hujuſmodi gnavitas, ſive ſtrenuitas. Gnavus enim, ſive ſtrenuus eſt qui nec inquietè proſequitur, ſive exequitur officium ſuum, nec inerter, ſeu deſidiosè deſiſtit. *Animoſitas.* Sexta eſt animoſitas, & puſillanimitas; horum medium æquanimitas, ſive magnanimitas. Animoſus enim eſt, qui quæ ultrà vires ſunt erectus, & fervens aggreditur; puſillanimus verò qui etiam ea quæ infra vires ſunt, hoc eſt minora viribus animo deficiens declinat, & refugit: æquanimus verò, ſive magnanimus, qui nec in altiora viribus ſuis ſe erigit, nec ad minora deficit, ſed rebus, atque negotiis vires ſuas coaptat, & commetitur. *Impudentia.* Septima impudentia, & pudoroſitas; harum media verecundia; impudens enim eſt, qui nec turpia in oculis hominum, aut etiam Dei facere vel dicere erubeſcit: ſudoroſus verò qui etiam, quæ honeſta ſunt in conſpectu alieno erubeſcit, verecundus verò, qui ſola turpia, aut turpiter agere erubeſcit. *Vehementia.* Octava eſt vehementia, & tepiditas: Horum medium opportunitas; vehemens enim eſt, qui ultrà quàm res requirit operæ, vel operis ingerit; tepidus verò qui minus; opportunus verò qui quod oportet, & quantùm oportet. Ad vehementiam pertinent improbitas, & importunitas; verùm improbus eſt qui nimis ferventer rem, aut negotium agit, vel aggreditur; importunus verò qui prolixum, & tædioſum in alterutro ſe exhibet. Interdùm autem importunus dicitur, hoc eſt opportunitatem loci, vel temporis non expectans; hic autem importunus dicitur, quaſi in porta, videlicet aſſidens, vel obſidens illum, cum quo ei agendum eſt aliquod negotium, vel egredi ab ipſo, vel ingredi ad ipſum, quantùm in eo eſt, non ſinens. *Contentioſitas.* Nona eſt contentioſitas, ſeu litigioſitas, & imbecillitas, ſive imbellitas. Medium verò quædam juſtitia; contentioſus enim, ſive litigioſus eſt, qui modis omnibus vult vincere, ſive per fraudes, ſive per clamores, & jurgia: imbecillis autem, ſive imbellis, qui nec per æquitatem, & veritatem, atque juſtitiam vult vincere, vel obtinere, cùm poſſit, ſed magis ſuſtinet, & eligit ſubjici, quàm rebellare, & etiam reſiſtere: medius autem horum eſt juſtus, qui non niſi juſtè vult, quod ad ſe pertinet obtinere, ſicut præcipit dominus Levit. 19. Juſtè quod juſtum eſt exequeris. *Superbia.* Decima eſt ſuperbia ſecundùm primam ſui partem, quæ eſt dominandi libido, & ſervilitas. Hujuſmodi enim ſuperbiæ propria operatio eſt velle ſupereſſe aliis, & dominari, ſervilitas verò propriè vitium eſt, quo ſervitus etiam turpis, ſeu vilis amatur, ac toleratur, quod vitium evidentiſſimum eſt in gente Sarracenorum nigrorum, qui ſe vendi & venales, ut animalia bruta exponunt, nec aliquid eſt, quod pro dominis ſuis eos, vel pati, vel facere non placet; vel ſaltem non recuſant: horum medium eſt æqualitas, qua qui præditus eſt non ambulat in magnis, & mirabilibus ſuper ſe; nec exaltat animam ſuam ſuper natura ſibi coæquales, & præſentis miſeriæ conſortes quoſcunque homines: & *Æqualitas.* vocatur iſta æqualitas humilitas ab humo, quam verè humilis ſemper habet præ oculis, humum ſe eſſe ſemper cogitans. Quemadmodùm Abraham in 18. Gen. dicens. Adhuc loquar ad dominum meum cùm ſim pulvis, & cinis. Iſti autem infra humum ſe deprimunt, dùm humo, ideſt hominibus tam viliter ſe ſubjiciunt. Undecima eſt ambitioſitas, & vilitas. *Ambitio.* Ambitioſitas autem eſt appetitus honorum, & divi-

E tiarum propter ipſas; contrarium ejus eſt fuga, & rejectio eorum ſimiliter propter ipſas: ſicut enim quidam eouſque occæcati ſunt, quòd honores, & dignitates videntur eis propter ipſas deſiderabiles: ſic & quidam adeò ſibipſis viluerunt, ut ipſas propter ſe repudient, ſeu recuſent non propter onus, atque periculum, quod in eis eſt annexum, ſed quia dignitates, & honores, quibus ſe adeò indignos reputant, ut eas oderint, & horreſcant; & horum duorum medium eſt ſimiliter humilitas alia qua collum oneribus eorum ſubjicitur; & nihilominùs ipſa quantùm in ſe eſt, & propter ſe recuſantur; & qui hac *Nota.* humilitate præditi ſunt honorum altitudines opprobrij ſpectacula reputant, & cùm honorantur ab hominibus non honorari ſe gaudent, ſed illudi ſibi potiùs dolent. Veriſſimum enim eſt illud beati Bernar. quia omnis purpura illuſionis eſt poſtquàm domino Jeſu in purpura illuſum eſt. Cui addimus, F quòd ſimiliter omnis corona, & omne ſceptrum regni illuſionis eſt poſtquàm regi gloriæ in illis illuſionis eſt poſtquàm regi gloriæ in illis illuſum eſt. Elationis autem pars, vel ramus eſt aſpernatio, contemptus, ſive deſpectus aliorum, & indignatio quandóque, eſt enim aſpernatio motus in vilitatem in eo quòd vilitas eſt, indignatio verò motus in indignum propter indignitatem, quandóque etiam provenit ex dignitate, quam ſe credit habere, hujuſmodi enim homines indignantur & rebus indignis ſe, & hominibus, quibus majora fieri vident quàm dignitas eorum requirit, indignantur etiam pro eo, quòd eiſdem non fit, quod dignitas, quam ſe habere credunt, requirit, ex arrogantia ſimiliter utraque iſtarum procedit interdùm. Duodecima eſt elatio, & *Elatio.* dejectio: eſt autem elatio elevatio animi in altum vanitatis, eouſque, ut alij parvi eidem videantur: quemadmodùm exiſtentibus in monte alto, vel turG re excelſa, qui ad terram ſunt, licet magni homines, & proceri ſtatura ſint, parvæ gentes, aut etiam corvi videntur: dejectio verò iſta depreſſio eſt animi infra ſe eouſque, ut longè minor, ſapientiâ, bonitate, virtutibus videatur: medium autem horum humilitas *Humilitas.* tertia eſt, quæ eſt conſiſtentia in gradu proprio, & infra limites bonorum ſuorum. Tredecima eſt *Inanis gloria.* inanis gloria, & ejus contrarium, quod eſt contumelioſitas.; quidam enim adeò erraverunt amore gloriæ, ut de veritate meritorum non curent omninò, ſola opinione hominum, & muluſculis vanæ laudis contenti, propter quod & chimeras eos irriſoriè vocare conſuevimus, quoniàm opinabilia ſunt tantùm hujuſmodi homines non in re, ſed in opinione ſolummodò conſiſtentes, & quia non refert aut vigilans quis credat mendacium, an illud ſomnier, non magni, & eſſe boni, ſed ſomniari ab hominibus tales eſſe gloriantur. Contumelioſitas verò H in id ignominiæ devenit, ut nec de probris, nec de opprobriis, nec de fama iraſcatur, aut doleat crudelis contra ſemetipſum, ſicut ait Seneca. Crudelis, *Crudelis qui famã negligit.* inquit, eſt, qui famam negligit. Et Eccleſiaſticus contra hoc. Curam habe de bono nomine, & Aug. vita neceſſaria eſt nobis propter Deum, fama propter proximum. Apoſtolus autem in 1. primæ ad Timotheum ſpecialiter dicit de Epiſcopo, quia oportet eum teſtimonium habere ab his, qui foris ſunt, medium horum præcellentia eſt, qua & chimeralis illa vanitas fugitur, & ignominioſitas declinatur, de qua Eccleſia. 33. In omnibus operibus tuis præcellens eſto. Eſt autem hæc præcellentia ſoliditas mentis, qua & res, & nomen, ſive veritas, & fama ſervatur; quidam enim adhærent rei, ſive veritati, ut de fama non curent, quidam verò adeò famæ inhiant, ut propter eam negligant veritatem. Decimaquarta *Arrogantia.* eſt arrogantia, & ejus contrarium, quod aliud nomen

Digitized by Google

Arrogantiæ finitio.

men notum non habet, ſed derogātia, vel abrogantia convenientiſſimè dici poteſt, eſt autem arrogantia de viribus, vel meritis erectio immoderata, qua ſibi quis aſcribit, quod ſuum non eſt, vel deberi meritis ſuis, quod ei non debetur: contrarium verò vitium eſt, quo de viribus ſuis, & meritis econtrariò quis afficitur, minores ſemper juſtò reputans vires ſuas, & merita. Et hujuſmodi homines ſunt ſemper ſe, & ſua ampullantes, ſive annihilantes quicquid agunt boni, quicquid ſuum eſt alienis viribus ſemper, aut meritis tribuentes. Hi in ingreſſibus rerum ſemper animo deficiunt, deficientes priùs ab onere, quàm illud ſuſceperint.

In puſillanimes.

Iſti quandóque nec Deum audent rogare, ut eos adjuvet, & m[i]ſereatur eorum, eouſque parvipendunt preces, ut Deum ad eos reſpicere non confidant: horum vitiorum medium modus eſt ſive menſura, qua ſeipſos, & ſua viri boni veraciter metiuntur, ut de ſe non ſentiant ultra, quàm ſint, nec infra quàm ſint. Nec eſt contrarium quod dicit Grego. ſuper Job, quia hoc proprium ſpeculum ſolet eſſe bonorũ, ut de ſe ſentiant infra quàm ſint, ſentiant inquam intelligentiæ, ideſt timeant, non ut certum aſſerant, juxta quod alibi dicit, quia bonarum mentium eſt ibi culpas agnoſcere, ubi culpa non eſt, agnoſcere inquam ideſt timere, dubitare non pro certo habere, quod eſt propriè ejus vitij, quod contrarium arrogantiæ diximus.

Audacia & animoſitas differunt.

Decimaquinta eſt audacia, & timiditas, quas fortè dicet aliquis animoſitatem, & puſillanimitatem, ſed reverà differunt: animoſitas enim eſt non ſolùm fervẽs, ſed & pertinax in magnis aggreſſibus, atque proceſſibus, & hoc contra rerum ipſarum magnitudinem: magnum enim propriè, ſive magnificum intendit animoſus, & ideò vincere magna, finis ejus eſt audax verò propriè contra pericula ſe erigit, & in ea ſupra ſe impingit; timiditas verò fuga eſt, & reſilitio à periculis facilè evaſibilibus, & etiam ab his, quæ pericula non ſunt, & eſt ſimilis vitio, quod umbracitas vocatur in equis, ſicut in Pſal. Trepidaverunt timore ubi non erat timor. Et Levitici 26. Terrebit eos ſonitus folij volantis.

Impatientia.

Decimaſexta impatientia, & impaſſibilitas: horum medium patientia, impatientes enim ſunt non ſolùm qui alienas injurias, vel contumelias pati nolũt, ſed nec etiam ſeipſos, vel ſua patiuntur, quapropter & ſuæ paupertati & ſuis quibuſcunque moleſtiis iraſcuntur, & quod eſt mirabilius ipſius impatientię ſuæ impatientes ſunt; propter quod dixit Plato, quia iracundus cùm aliis iraſci defierit, ſibi iraſcitur.

Impaſſibilitas.

Scito autem, quia eſt impatientia alia in vi concupiſcibili, & eſt quaſi teneritudo cordis, qua faciliter læſibile eſt à moleſtiis, videlicet à laboribus, & afflictionibus; iſta autem impatientia, de qua hîc agimus propriè provocatur injuriis, aut contumeliis in eo, quòd injuriæ, aut contumeliæ, & motus ejus non eſt dolor, qui eſt inquiſitor ſolatij, ſive mitigationis, ſed ira ad vindictam, vindicari enim quærit propriè hujuſmodi impatiens: impaſſibilitas verò hæc quaſi inſenſibilitas eſt ad injurias, & contumelias, nec eſt ſicut virtus illa, quæ prædicatur per hoc nomen mitis; mitis enim placidè excipit injurias non inſenſibiliter, & eſt virtus in iraſcibili, tamen habet ſibi reſpondentem in vi concupiſcibili, quæ moleſtias ſimiliter placidè recipit, hoc eſt molliter, & abſque læſione doloris. Scito autem, quòd impatientia hæc, de qua hic agimus, idem eſt, quod iracundia. Veruntamen nominatio impatientiæ reſpicit ad irrogatas injurias, quia patiens à patiendo dicitur: nominatio verò iracundiæ nihil innuit de paſſionibus, iracundus enim æquè iraſcitur benèfacientibus, & injuriantibus, & hujuſmodi homines multi indiſtinctè impatientes vocantur, ſicut iracundi. Septimadecima contrarietas eſt ſecundùm quoſdam præſumptio, & deſperatio; eſt autem præſumptio nimia confidentia, deſperatio verò diffidentia eſt: medium horum ſpes eſt, & fiducia moderata, nec ſpes eſt aliud, quàm innixio, ſive affectio, qua quis innititur, vel viribus ſuis, vel meritis, vel miſericordiæ Dei, vel alij cuicunque, & eſt præſumptio virium, bonum timorem evacuans: quemadmodùm deſperatio, & diffidentia bonam fiduciam, & ſpem bonam, deſperatio enim fulcimentum omne ſubtrahit, & miſericordiæ Dei, & meritorum, nec animam inniti permittit alterutri eorum, vel ambobus: quapropter evacuat Dei miſericordiam in caſu iſto, ſic & præſumptio bonum timorem evacuat, & ideò Dei juſtitiam. Manifeſtum igitur eſt, quia iſta duo vitia contra Dei bonitatem pugnant quaſi enim duæ partes divinæ bonitatis quantùm ad effectum ſunt juſtitia, & miſericordia ipſius; quia igitur altera videlicet præſumptio, alteram ideſt juſtitiam, altera videlicet deſperatio, alteram, ideſt miſericordiam evacuat, evidenter contra Dei bonitatem pugnant; & quia univerſæ viæ domini miſericordia, & veritas ſunt, vias ejus ad cor humanum, ſive cordis humani ad ipſum obſtruunt, & occludunt, quare Deum à corde humano indubitanter excludunt.

Preſumptio & deſperatio.

Nota.

Levitas Conſtãtia.

Decimaoctava levitas, ſive inconſtantia, & pertinacia: medium autem conſtantia, ſive perſeverantia; levis enim, ſive inconſtans eſt, qui facilis nimis ad aggrediendum, ſimiliter ad deſiſtendum; pertinax autem, qui ad utrunque ſurdus, atque difficilis, medius autẽ conſtans, ſive perſeverans, & iſta contrarietas invenitur in qualibet vitium noſtrarum trium prænominatarum juxta paſſiones, & diſpoſitiones earum; quidam enim nimis faciles ſunt ad credendum ſimiliter & ad diſcredendum, alij verò pertinaces in utroque: ſimiliter & quidam nimis faciles ad ineundas amicitias, eodemque modo ad eaſdem deſerendas quidam autem in utroque difficiles: eodem modo ſe habent in magnis, & arduis, quòd quidam ad aggreſſus eorum nimis faciles ſunt ſimiliter & ad deſertiones eorum, alij autem in utriſque econtrariò ſe habentes.

Amicitiæ non ſunt leviter ineunda.

Prophanitas.

Decimanona irreligioſitas, ſive prophanitas, atque ſuperſtitioſitas; prophanus enim ſive irreligioſus eſt, qui nec ſancta veneratur, ſuperſtitioſus autem qui & non ſancta veneratur, aut colit aut parum ſancta pro valde ſanctis: horum autem medium eſt religioſus, qui quæ veneranda ſunt, prout veneranda ſunt, veneratur, aut colit.

Religio.

Ferinitas.

Vigeſima eſt ferinitas, ſive canina domeſticitas; quidam enim adeò feri, ſive ferini ſunt, ut ſocietatem non patiantur, nec eos humana ſocietas delectat, ſicut dicit Seneca: Vita ſine ſocio, vita Leonis, aut Lupi eſt; quidam verò quibuslibet ſocietatibus abſque ulla diſcretione, ſive comitantia ſe immiſcent, vel adhærent, quemadmodùm canes, qui vulgariter vocantur truantini, qui non magis dominis, quàm aliis adhærent ita ut de qualibet domo eſſe videantur; medium verò ſocialitas.

Socialitas.

Adulatio.

Vicesimaprima adulatio eſt & mordacitas; quidam enim adeò mordaces ſunt ut nulli loqui velint quod ei placeat, quidam verò adeò blandi, ut unicuique loqui ſtudeant, quod ei placeat: & de his quandóque diximus, quia propriè ſacerdotes diaboli ſunt ſive infernales, commendationem, quod eſt officium mortuorum ſemper facientes, & officium mortuorum, quod à placebo incipit, ſemper agentes, ſimiliter, & mortuos infernales ſemper ſepelientes, ſicut Matthęi 9. dicit veritas. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos ubi dicit auctoritas, quia mortuus mortuum ſepelit, cùm peccator peccatori adulatur: medium horum ſecundùm Tullium veræ amicitiæ officium eſt, ſicut ipſe dicit quòd monere, & moneri officium veræ amicitiæ eſt, ita tamen ut

Digitized by Google

Aſſentatio. *Diſcolitas.* adulatione careat admonitio. Vieeſimaſecunda aſſentatio, & diſcolitas, quidam enim ab omnibus diſſentiunt, nec ad conſenſum aliquem boni induci poſſunt alij verò omnibus aſſentiunt, quæ alios ſentire vident, callidè prætentantes, quid alij ſentiant, quod eſt proprium vitium aulicorum ſive curialium, hoc enim eſt ſpeciale ſtudium quorundam, videlicet præſentire, quid domini ſentiant, & hoc ut eis aſſentiant, quod vitium adulatio eſt quodammodò; placere enim per illud dominis intendunt, quemadmodùm & per adulationem, quod vitium apud eos maximè locum habet, qui à ſecretariis ſuis, atque domeſticis non intendunt habere conſilium, ſed conſenſum. Sunt præter has aliæ affectiones duæ, quę ad utrunque ſe habent: cùm enim fuerint in materias bonas vitia ſunt, cùm verò in malas, virtutes, hæ autem duæ ſunt horror, & execratio, horror ſi quidem ſpiritualis mali, id eſt peccati vel vitij, utporè mortiferi bonus eſt, & virtuoſus; ſimiliter & execratio eorundem, utporè ſacrilegorum, & impiorum bona eſt, & virtuoſa. Cùm verò econtrariò *Procacitas eadem cum impudentia.* fuerint, proculdubiò vitia peſſima ſunt: procacitas verò & infrontitas non ſunt diverſæ à vitio impudentiæ, procacitas enim eſt inverecundia ad loquendum, infrontitas verò idem eſt, quod infrunitas, ſicut apparet ex eo quod legitur Eccl. 24. Animo irreverenti, & infrunitone tradas me. Nominatur & inter virtutes puritas, & innocentia, quæ cùm in mera privatione conſiſtunt, nec virtutes ſunt, nec vitia, cùm verò in poſitione, ſaltem ex parte, ſequentur affectiones, quas ponunt, verbi gratia, ſi puritas eſt vel fuga vel odium maculationis, aut petulantis admixtionis, ſequuntur fugam illam, & odium, hoc eſt dicere, erit fuga illa, vel odium, & erit in vi in qua eſt, & fuga illa, vel odium eodem modo, & de innocentia, ſi poſitivè intelligatur, erit quædam juſtitia, vel pars quædam juſtitiæ. Nominatur etiam, & numeratur inter virtutes ſanctitas cujus operationes duę ſunt propriæ. Prima eſt elongatio ab his, quæ carnis, & mundi ſunt, ſive licita ſint, ſive illicita. Secunda eſt occupatio in his, quæ divinę honorificentiæ, & cultus ſunt, illos enim ſolummodò ſanctos dicere conſuevimus, qui ſeorsùm ſe faciunt à ſæcularibus, & totaliter vacant divinis obſequiis, religioſitas autem idem eſt. Verùm quoniàm operationes iſtæ ex aliquibus nominatarum affectionum procedunt, ſubjecto, & eſſentia idem eſt ſemper ſanctitas, quod vel Dei timor, vel Dei amor, vel honor.

CAPUT XVIII.

Ennumerat virtutes, quæ ſunt ex vi iraſcibili.

His autem ita poſitis, & expoſitis revertemur ad declarandum numerum virtutum, quæ ſunt ſecundùm vim iraſcibilem. Quia igitur manifeſtum eſt vigintiduas eſſe contrarietates nominatas vitiorum in ea, vel ſecundùm eam; uniuſcujuſque autem contrarietatis non eſt niſi unum medium, erit neceſſariò numerus virtutum hujuſmodi vigintiduæ. Quòd ſi quis dixerit, quia inter album, & nigrum ſunt multa media rubeum, & viride, & alia multa hujuſmodi. Reſpondemus quoniàm album, & nigrum non dicuntur ſecundùm ſuperfluitatem, & indigentiam; intelligentibus autem facile eſt videre. *Nota.* Inter ſuperfluum enim, & diminutum non eſt, niſi æquale, ſive commenſuratum, ſimiliter inter parum & nimium non eſt, niſi ſat, ſive ſatis. Æquale autem, & commenſuratum, & ſat non dividuntur eſſentialiter, ſed quaſi per ac-
E cidens, videlicet pro diverſitate ſubjectorum, quia quod eſt ſatis uni ſubjecto, non eſt ſatis alij in cibo, potu, veſtitu, & aliis: medium verò albi, & nigri eſſentialiter dividitur, videlicet pro diverſitate commixtionum ipſorum, & qua media componuntur, & fiunt. *Objectio.* Quòd ſi dixerit quis, quia parcitas, & largitas duo ſunt media inter prodigalitatem, & avaritiam, ſimiliter juſtitia, & miſericordia, atque æquitas inter duas iniquitates, quarum altera ſecundùm ſuperfluitatem, altera ſecundùm indigentiam. *Solutio.* Reſpondemus quia unum ſunt ſubjecto, & eſſentia parcitas, & largitas, ſed ratione ſive relatione ſolummodò differentes, parcitas enim à parcendo, ſeu retinendo benè, largitas verò à benè largiendo, ejuſdem enim virtutis eſt benè retinere, & benè largiri, quemadmodùm ejuſdem ſobrietatis eſt benè abſtinere, & benè ſumere cibum, benè id eſt virtuoſè, ſeu laudabiliter. Sic idem ſunt juſtitia, & miſericordia, & ęquitatis in prænominato caſu.
F Sed quandò merita inquantùm merita dant cauſam operi, dicitur opus juſtum, hoc eſt ęquale meritis, vel reſpondens, cùm verò miſeria dat eidem cauſam, dicitur opus miſericordiæ, miſeria enim eſt cui opus interdùm debetur, ſicut & meritis. *Nota.* Sicut enim dandum eſt, vel benè faciendum eſt cuicunque ratione meritorum, ſic & ratione miſeriæ; & ſicut debitum eſt, vel debetur opus cuicunque ex meritis ſic ex miſeria in qua eſt: nihil enim juſtius eſt, vel magis debitum, vel diſtrictius à nobis Deus exigit, quàm miſereri, nihil ſeverius vindicat, quàm ejus contrarium, ſicut evidenter apparet ex Matthæi 18. Ubi etiam remiſſa repetit à ſervo nequam, pro eo, quòd conſervi ſui noluerat miſereri, nihil etiam juſtius eſt, quàm miſereri. *Adverte.* Et ſi quis diligenter attendat, piæ ſubventiones non tam dantur miſeris quàm etiam redduntur: unde & quidem eleemoſynarius increpabat pauperes de beneficiis eleemoſynariis eidem gratias agentes dicens, tace noli mihi regratiare, quia nihil do, ſed
G reddo tibi tantùm quod tuum erat. Hoc autem à nobis ſimiliter dictum eſt, & à multis prudentibus dicitur, quia diſpenſatio illius eſt, non juris diminutio, vel derogatio, vel in aliquo læſio, cauſa verò propter quam diſpenſatio fit facit proculdubiò & ut juſtum ſit, quod indulgetur, alioquin non diſpenſatio eſt, ſed diſſipatio. Ampliùs. Nemo dubitat quin contrariũ miſericordiæ iniquitas ſit, & injuſtitia, quare ipſa miſericordia juſtitia eſt. Ampliùs. *Ius naturale.* Jus naturale indubitanter totum eſt æquitas; miſericordia ergo naturalis æquitas eſt, quantò fortiùs ergo gratuita miſericordia æquitas erit? Ampliùs. Quid erit miſericordia niſi fiat æqualitas de qua Apoſtolus in primæ ad Corin. 7. Miſereri enim eſt hanc æqualitatem facere, eſt enim miſericordia velut fluvius inundans, & inundatione
H ſua loca vacua circumadjacentia implens, donec adæquantur altitudini ſuæ. Sic miſericordia cùm copioſa fuerit, & exuberans vacuitates, & indigentias, inundantia beneficiorum implet, & larga communione omnes indigentes proprio ſubjecto adæquat. *Virtutes xxij.* Sunt igitur in univerſo virtutes iſtę vigintiduæ, adjectis autem duabus de quibus ultimò fecimus mentionem, videlicet quarum operationes ſunt execratio, & horror malorum, erunt omnes ſimul ſumptæ vigintiquatuor: vitia verò ejuſdem vis, ſive ſecundùm eandem erunt quadraginta quatuor, & duobus illis adjectis quadragintaſex, execratio enim, & horror, licet malè non dicuntur ſecundùm ſuperfluitatem, & indigentiam, & ideò neutra earum facit contrarietatem, & hæc eſt cauſa, propter quam numerus earum idem eſt, qui & numerus virtutum oppoſitarum,

Digitized by Google

A oppoſitarum, ideſt binarius, ſive duo. Si quis autem dixerit, quia humilitas virtus eſt una ſpecie, nec dividitur, ſcito quoniam errat homo hujuſmodi, cujus declaratio eſt hęc, quia cùm humilitas & ſuperbia ſimpliciter, & totaliter contraria ſint, & dicatur ſuperbia ſecundùm ſuperfluitatem, ſitque ei contrarium, quod dicitur ſecundùm diminutionem, & dividatur utrunque in quinque ſpecies, quarum binæ, & binæ dicuntur ſecundùm ſuperfluitatem, & diminutionem, ita ut quinque faciant contrarietates, impoſſibile autem ſit unam ſpeciem numero mediam eſſe plurium hujuſmodi contrarietatum, humilitas verò evidenter media ſit in ſingulis hujuſmodi contrarietatibus, neceſſe evidenter humilitatem dividi in quinque ſpecies, alioquin una ſpecies numero (ut diximus) eſſet media multorum contrariorum; impoſſibile autem manifeſtum eſt multorum terminorum directè ſibi oppoſitorum idem eſſe medium: Si

Humilitas & ſuperbia cōtraria.

B enim fuerint, A, & B, termini duo in eadem recta linea conſtituti, C, & D, verò ejuſdem ſuppoſiti, & directè oppoſiti, impoſſibile eſt idem punctum medium eſſe inter A, & C, & inter B, & D. Similiter autem ſe habent oppoſitione, & rectitudine ſpirituali ęquè diſtantia ſuperbię ſpecies & vitia ejus oppoſita prænominatis terminis, ęquidiſtantia, & oppoſitione, & poſitione præſcripta diſpoſitis. Manifeſtum ergo eſt humilitatem dividi in quinque ſpecies juxta ſuperbiæ ſpecies, & vitia oppoſita earum: in vi verò concupiſcibili, ſive ſecundùm ipſam non inveniuntur, niſi amor, & odium, dolor, & gaudium, fames, ſive ſitis ſpiritualis, atque ſatietas, atque faſtidium (de quo ſupra locuti ſumus) contrarium, cui faſtidio contraria eſt fames, & ſitis, quæ non eſt, niſi deſiderium, prout hîc intelligimus, aliàs verò fames, & ſitis ipſum

Vide.

C donum ſapientiæ ſunt. Inveniuntur ergo in vi concupiſcibili ſive ſecundùm eam ſex numero virtutes videlicet amor, & odium, dolor, & gaudium, fames, ſive ſitis, ſive deſiderium, & ejus contrarium, quod eſt vel bona indignatio, vel bonum faſtidium, quo, vel quo mala velut immunda, vel noxia rejiciuntur. Quare virtutes duarum virium in univerſo non ſunt, niſi triginta, ſeptem enim & timorem ſimiliter, & honorem in Deum, necnon & pudorem inter virtutes, quæ ſunt virtutes iraſcibilis, jam nominavimus, & numeravimus: quia verò virtutes, ſecundùm vim rationabilem non ſunt niſi quinque (ut jam oſtendimus, erunt virtutes omnium virium in univerſo triginta quinque. Si quis autem dixerit, quia numeroſitas illa non eſt ſecundùm eſſentiam & veritatem, ſed ſecundùm rationes aut relationes, aut comparationes, non improbabiliter forſitan, ne-

Epilogat.

D que abſque ratione hæc diceret; cùm enim vera ſalutaria, ſive ad ſalutem noſtram pertinentia in hoc uniantur, & communicent, quòd ſalutaria, ſive ad ſalutem pertinentia ſint & hoc ſit potiſſimum, ac principale, propter quod cognitio eorum quæritur, laudatur, & à Deo acceptatur, meritò videri poteſt unam eſſe virtutem ſolummodò, quę de eis, aut circa ea eſt, inquantùm talia ſunt; in unum enim inquantùm unum non eſt niſi una, vel apprehenſio, vel affectio, unum verò ſine dubio eſt verum ſalutare inquantùm ſalutare, nec veritas enim, ne ſalubritas inquantùm tales dividuntur, aut dividunt ſubjecta ſua. Quare una eſt virtus cujus operatio cadet ſuper verum ſalutare, inquantùm verum ſalutare, ſive ſit ſalutare initialiter, aut radicaliter, aut fundamentaliter, aut finaliter, hoc eſt, ſive initians, ſive radicans, ſive fundans ſalutem, ſive dirigens eam & adjuvans ex medio, ſive ex fine. Quare prudentia una eſt, mentem humanam illuminans, firmans, & armans

Nota.

Adverte.

A veritate qualibet ſalutari, nec diverſificat eam diverſitas veritatū hujuſmodi, quoniam deorſùm eſt prudētia & nō ab ipſis, ſicut jā ſæpè tetigimus & etiāſi ſequeretur materiam ſuam prudentia, materia ejus non eſt veritas, inquantùm veritas, ſed inquantùm ſalutaris. Salubritas autem eam non dividit, quia nec ipſa dividitur, quoniam ſalubritas hæc efficientia eſt, vel effectivitas ſalutis ſive materialitas, quod verius eſt ſalutis, utrunque tamen verum eſt, ſed modo diverſo; veritas enim ſalutaris quodammodò materia eſt circa quam & de qua eſt credulitas fidei, & alio modo eſt cauſa efficiens motiva virtutis intellectivæ noſtræ & effectiva quodammodò meriti, meriti inquam ſalutis; motus enim ſalutares res moventes quodammodò efficiunt, videlicet occaſionaliter, licet Spiritus ſanctus eoſdem principaliter efficiat. Hęc ergo ratio nonnihil probabilitatis habet ad oſtendendum, quia unica virtus ſpecie pru-

B dentia eſt, & materia circa quam cadit omnis ejus operatio, & cujus prudentia ſcientia eſt, vivax, & viva veritas eſt ſalutaris. De credibilibus enim veris ſalutaribus, & ſalubriter credibilibus prudentia eſt ſalutaris vivax, & viva cognitio; eodem modo ſe habet de juſtitia, & temperantia, de rebus enim, quæ ad nos, & alterum, vel alios pertinent, hoc eſt in quibus contingit eſſe alienum nocumentum, ſeu detrimentum, fraus, dolus & hujuſmodi, juſtitia nos expedit, & dirigit; neceſſe enim habemus juſtè agere cum quolibet alio, hoc eſt jus ſuum unicuique reddere, & jus alienum in nullo lædere. Nemo autem dubitat multa nos debere aliis, & multa nobis agenda eſſe cum aliis, quare neceſſaria eſt nobis virtus, quæ nos in his dirigat, & à malis alienarum injuriarum nos cuſtodiat & protegat: ad hæc autem omnia ſufficit juſtitia una per ſe: cui enim dubium eſt, ut ne-

Prudentia

Nota.

C ceſſe habeamus juſtè vivere, hoc eſt ſine uſurpatione juris alieni, atque læſione, juſtè inquam ad alterum, & ad omnes alios quoſcunque. Juſtitia ergo neceſſaria eſt nobis propter rēs ad alterum pertinētes. Quia verò ſunt & aliæ res ad nos ſolummodò pertinentes, ſicut ſunt victus, veſtitus, & quæ ad illos pertinent, neceſſaria eſt nobis virtus, quæ vitam noſtram dirigat, & decoret in hujuſmodi, & hæc uſitato nomine vocatur temperantia, qua ſine exceſſu rebus hujuſmodi utimur; intemperantes enim ſunt propriè, qui in hujuſmodi excedunt, ſicut ſupra diximus in verbis Senecæ, quia temperantia eſt propriè, ne quid nimis: guloſitas enim & ebrietas, balneorum, & unguentorum, veſtimentorum, & ſtratuum necnon & habitaculorum vaniſſimæ deliciæ intemperantiæ ſunt, & vitia peſſima. Hanc virtutem ſacra ſcriptura cœleſti magiſterio edita, & conſcripta ſobrietatem

Juſtitia neceſſaria.

Guloſitas Ebrietas.

D vocat. 8. Sap & ad Titū 2. Sobrietatem (inquit) enim & prudentiam, & juſtitiam, & virtutem docet. Et iterùm ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo; vocat autem eam ſobrietatem, quaſi conſummationem. Vides ergo, quia duo vitia ſunt, intemperantia, quæ in ſeipſum, & injuria quæ eſt in alterum, nec poſſibile eſt aliquem peccare, niſi alterutro duorum modorum, & ſecundùm alterum duorum generum rerum, quæ nominavimus. Quare non contingit eſſe, vel alia, vel plura, vel alterius generis vitia, vel peccata & propter hoc nec alias nec plures poſſibiles eſt eſſe oppoſita, vel virtutes. Videtur ergo ſtabiles eſſe per hanc viam juſtitiam, & temperantiam, & hoc propter duo genera rerum bonarum, & duos uſus earum. Dona enim ſunt omnia, vel quæ debemus aliis, vel in quibus communicare debemus cum illis. Quia verò eſt, & tertium genus rerum, quæ mala uſualiter vocantur, videlicet adverſa, ut paupertas, morbi, & vulnera, vincula, & carceres, injuriæ, & contumelię, lites, & bella labores, & dolores, &

Nota.

Digitized by Google

noviſſimè ipſa mors: quia etiam ab his contingit turpiter vinci, & multipliciter propter iſta declinanda, vel effugienda, peccare, neceſſaria eſt nobis virtus, qua hæc omnia vincantur, quæ contra hæc omnia nos roboret, armet, & muniat. Et hæc in 8 ſapientiæ vocatur virtus, nunc autem communiter fortitudo: hæc autem eſt, qua omnia terribilia prænominata vincuntur. Propter bona ergo, vel quæ debemus aliis, vel quæ communicamus cum aliis, eſt neceſſaria juſtitia; propter bona, quæ noſtris neceſſitatibus applicamus temperantia; propter mala verò quæ nos frangunt, atque deterrentur fortitudo. *Virtus.* Quia ergo omnes res tribus iſtis generibus comprehenduntur. virtus autem eſt, quæ nos benè uti rebus, & benè habere ad omnes res nos facit, bonus autem omnis ex neceſſitate, qui ad omnes res benè ſe habet, & quibus utendum eſt benè utitur, ideò ſufficere videntur ex neceſſitate tres iſtæ virtutes componere, dirigere, ac decorare vitam noſtram, quantùm ad duas vires noſtras concupiſcibilem, ſcilicet, & iraſcibilem. Quòd ſi dixerit quis quia de amore, & odio, & multis aliis nihil pertinet ad iſtas tres. *Auguſt.* Recurrat, qui ita ſentire noluerit, ad verba Auguſtini, quibus expreſsè ſentire videtur, iſtas quatuor de quibus loquimur non eſſe, niſi unam, & non eſſe eas eſſentialiter, niſi amorem ordinatum, & fortem ſubjecto, ſive eſſentia, & veritate; ratione autem, ſeu relatione, ſecundùm eundem Auguſtinum, & officiis quatuor eſſe, ſimiliter & ad verba Ariſtotel. quibus dicit. Quia virtutes, aut voluntas quædã ſunt, aut non ſine voluntate. *Quæſt.* Quæſtionem autem habet non levem, utrùm omnes virtutes duplices ſint, ſicut ſupra diximus de amore, odio, dolore, & gaudio, & multis aliis: ſed & de ipſa fide ſimiliter videtur, ſicut enim tenemur credere ſalutaris veritatis articulos, ita & tenemur diſcredere contraria. Quare ſicut neceſſaria nobis pia, vivaque credibilitas eorum, ita pia, vivaque diſcredulitas hæreſum contrariarum. Juxta hunc modum ſe habet & de aliis. Sicut tenetur unuſquiſque facere, quod juſtum eſt, & amplecti, ita declinare, quod vitium eſt & rejicere, vel horrere. Si quis voluerit hoc dicere non contradicimus ei, verùm diſcuſſione, vel diſputatione hoc negotium indiget; hoc enim eſſe videtur, ac ſi diceretur, quòd neceſſaria eſt una virtus, ſeu potentia naturalis calido ad repellendum frigus, & alia ad faciendum calorem, & ſimiles geminationes, ſeu *Nota.* duplicationes eſt invenire innumeras per quas eſſet frivolum duplicare ſic virtutes. Quòd autem verius videtur in his, eſt ut ſit numerus virtutum ſicut poſuimus; nec eſt neceſſe exemplum, ut amor alicujus, aut odium contrarij duæ virtutes ſint, vel duo vitia, licet poſſibile quandóque ſit ita eſſe. Ex amore enim alicujus expellitur ejus contrarium, & hæc repulſio ſemper vocatur odium, ſicut effectus plerunque nomine cauſæ repulſio enim, & ſeparatio per ſe effectus odij ſunt, & ideò cùm ex amore ſunt, licet per accidens, adhuc odium vocantur prædicto tropo. *Nota.* Eodem modo diſcredere hæreſes ex ipſa fide poteſt eſſe, & poteſt eſſe ex alia diſpoſitione per ſe, de qua, & ſimilibus meritò dici poſſet eas non eſſe virtutes, & hoc eſt quoniàm non eſt finis eorum per ſe, niſi declinatio malorum, declinatio autem malorum non facit bonum per ſe, ſed per ſe defendit à malis, atque malitia, cor humanum, quare apparet eas propriè non eſſe bonitates, & ideò nec virtutes Si quis autem eas dicere virtutes voluerit, quia directè contrariæ ſunt vitiis, & directè contra ea pugnant, eaque rectificant, deinde roborant, armant, & muniunt mentem humanam, non contendimus de nomine, vel nominatione hujuſmodi, ſufficit enim nobis quantùm ad præſens propoſitum, ut rerum veritas cognoſcatur. *Bonus locus.* Attendendum quoque tibi eſt diligenter, quia juſtitia & omnes aliæ virtutes, quas ſupra nominavimus, & numeravimus in hoc ſemper duplicis intentionis ſuæ, quòd interdùm ſunt affectiones virtutis concupiſcibilis, & interdùm ſunt affectiones virtutis iraſcibilis; quòd enim puniuntur malefici, vel ex amore pacis, & tranquillitatis hominum poteſt eſſe, vel ex zelo rectitudinis, id eſt ira ſancta, & bona, qua judex excandeſcit in maleficia, & ſecundùm primam intentionem juſtitia eſt in vi concupiſcibili, & ſecundùm illam, in ſecunda verò in iraſcibili eſt, & ſecundùm illam, & ad hunc modum ſe habet & de multis aliarum, & forſitan de omnibus. Nos autem viginti duas prænominatas contrarietates accepimus ſecundùm intentiones, quibus congruunt virtuti iraſcibili, & hoc videre potes ex ſupradictis.

CAPUT XIX.

Proponit comparationem virtutum inter ſe, & ad vitia contraria, id quod multùm ſubtiliter, & theologicè facit.

POſt hæc loquemur de menſuris, & comparationibus virtutum tam adinvicem, quàm ad vitia, ad naturales etiam virtutes, ſiquidem præter numerum ſequuntur aliæ menſuræ, & de numero quidem multa prætermiſimus, partim imperitia deficientes, partim occupationibus impediti, partim ipſa rerum profunditate, ac multitudine onerati. In hoc tamen deſiderio & propoſito noſtro ſatisfecimus, quia philoſophari de his volentibus, atque valentibus exercendorum ingeniorum occaſionem nonnullam dedimus, & viam quærendæ, inveniendæque veritatis exercitatis, atque perfectis aliquatenùs aperuimus. Scito ergo in primis virtutes omnes gratuitas in eodem ſubjecto eſſe æquales, cujus & declaratio multiplex eſt, & prima à datore, & fonte primo virtutum procedit, quantùm enim eſt à parte ipſius non eſt inter eas majoritatis & minoritatis diverſitas, ipſe enim eſt unus per omnia in ultimo elongationis ab inæqualitate remotiſſimus, *Nota.* quare ſi eſt inæqualitas apud eas erit ex neceſſitate ex parte recipientis, & hoc quidem veriſimile eſt nobilitatem operationum creatoris non intelligentibus; quemadmodùm enim in eadem maſſa, quod aridius eſt, atque tenuius ab eodem igne majorem calorem recipit, quàm quod eſt humidius, atque durius, ignique reſiſtentius, ſic & in eodem ſubjecto mentis humanæ veriſimiliter videtur fieri, pro varietate diſpoſitionum ipſius: *Natura iracundi.* qui enim natura iracundi ſunt ad zelum rectitudinis, & ſeveritatem ſuſcipiendam magis habiles, aptique videntur, quàm ad virtutem patientiæ, & manſuetudinis, quare majores illas, quàm iſtas recipiunt, ab eodem enim influente, quod capacius eſt plus, id eſt, majorem influentiam recipit, & ab eodem agente, quod magis reſiſtens eſt, ſive minùs idoneum, minus virtutis ipſius recipit, quare in eodem ſubjecto virtutes prænominatæ inæqualeſcerent. In quo reſpondemus, quia hæc eſt nobilitas, & libertas virtutis omnipotentis Dei, ut ſit juxta beneplacitum ipſius per omnia, non juxta diſpoſitiones recipientium. Qui modus operationis naturæ eſt, quæ ſicut ſupradiximus ignobiliter, & ſerviliter operatur; ſecundùm hoc enim aut minimas, aut nullas infunderet flegmaticis Deus, cùm flegmatica complexio nullam virtutem animæ juvet, ut dicit Galenus in libro de elementis. *Nota.* Judicium autem evidens hujuſmodi eſt, quòd ſuperbiſſimis, & naturali corruptione, & adjectione conſuetudinis magnas atque mirificas vir-

Digitized by Google

tutes humilitatis obedientiæ, & ſubjectionis ſubitò videmus infundi, cùm ad illas ineptiſſimi ſint. Ampliùs. Quantò iſta natura magis iracunda eſt, tantò indigentior majori remedio virtutis contrariæ, quare tantò magis illud ei præſtat miſericordiſſimus, atque ſapientiſſimus Deus. Ampliùs Si propter hoc, quia iracundus eſt, minorem daret ei virtutem Deus patientiæ, aut manſuetudinis, propter hoc minus adjutorium contra domeſticum hoſtem præſtaret, quia magis, & majori eo indigeret, propter hoc debiliorem medicinam apponeret, quia magis eum ægrum, aut ægritudinem ejus videret fortiorem, propter hoc minorem aquam infunderet, quia majori incendio eum ardere cognoſceret: iracundia quippè naturalis & etiam conſuetudinalis, & domeſticus hoſtis, & ægritudo peſtilens, & incendium ſpirituale eſt. Ampliùs. Ex quantumcunque parva virtute gratuita poteſt quilibet reſiſtere cuicunque, & quãtæcunque tentationi, ſicut declarabimus in ſequentibus, videlicet in tractatu de tentationibus, & reſiſtentiis Non eſt ergo neceſſe propter majores & crebriores tentationes, majores, aut fortiores infundere virtutes, præſertim cùm infirmitas ipſa, ideſt obnoxitas, atque facilitas tentationum magnam occaſionem, & adjumentum præſtet perfectioni virtutum, ſicut expreſſè dicit Apoſtolus in 2. ad Corin. 12. Virtus in infirmitate perficitur, & iterùm cùm infirmor, tunc fortior. Sicut enim multis obeſt occaſionaliter ipſa virtutum firmitas, ſic & multis ad cumulum, & culmen humilitatis prodeſt ipſa infirmitas: eſt enim juſtus qui perit in juſtitia ſua, ſicut legitur Eccleſiaſtes 8. Et quemadmodùm ſcientia interdùm inflat, ſicut legitur primæ ad Corin. 12 ſic & virtutes, ſicut expreſsè oſtendit dominus in Evangelio de Phariſæo, & Publicano, quorum alter de virtutibus inflatus reprobatus fuit, & alter de peccatis humiliatus deſcendit juſtificatus in domum ſuam, quod totum expreſsè legitur Lucæ 18. Ampliùs. Virtutes naturales naturaliter æquales eſſe videntur omnes, unde enim eſſet illis inæqualitas, neque enim naturaliter viſus, vel major, vel fortior eſſe videtur ad videndum, quàm auditus ad audiendum, & ita de aliis. Similiter & memoria ad memorandum, & imaginatio ad imaginandum, inquantùm eſt dico à parte ſua. Quòd enim plura, vel majora habet adjumenta aliqua vis, ſive virtus naturalis, aliqua alia non facit eam debere eſſe majorem, non enim, quia claritas pupillæ in quodam major eſt, aut claritas ipſius aëris aliquem adjuvat, propter hoc viſus major (licet cum magis videre contingat) ex hoc, aut magis eſſe, aut melius videtur, ergo virtutes naturales naturaliter æquales eſſe videntur, quare, & gratuitæ. Si enim illæ ſequuntur unitatem, & æqualitatem datoris multò fortiùs iſtæ gratuitæ, videlicet cùm quaſi à propinquiori ab ipſo deſcendant. Ampliùs. Si adjumenta majorem non addant virtutibus, licet addant operationibus, ergo nec impedimenta detrahent illis, vel minuent ipſas, quare non adjumenta, vel impedimenta ſua ſequantur hoc modo virtutes, ſed unitatem & æqualitatem datoris Quòd ſi quis dixerit, quia exteriora adjumenta, aut impedimenta reverà non ſequuntur, ſed interiora, ex illis enim minuuntur, aut augentur eſſentiæ ipſarum propter propinquitatem, immò conjunctionem ſui ad illas. Reſpondemus, quia hujuſmodi adjumenta, vel impedimenta in nullo impediunt, vel adjuvant omnipotentiſſimam, aut libertimam voluntatem datoris earum, neque hoc attendit ipſe, ſed ſolùm quid expediat honori, & gloriæ ſuæ, atque ſaluti recipientium & magis impeditos hujuſmodi impedimentis interdùm expedit, ut minores recipiant eas, propter minorem exercitationem, ut crebriora habentes certamina crebrioribus victoriis potiantur, & ut ſemper ſciant ſe eſſe homines rememorantes infirmitatem, & timorem Dei jugiter in ſe habeant, qui penè omni hora patent naufragiis, & aguntur hoſtium jaculis. Etſi enim quibuſdam virtutibus hujuſmodi infirmitates impedimenta præſtare videantur, aliis tamen manifeſtum eſt eadem præbere non modica adjumenta, ſicut apparet evidenter de timore Dei, & humiliatione, & multis aliis. Ampliùs. Si hujuſmodi adjumenta, & impedimenta inæqualitatem virtutum efficerent per ſe, & ſola; illis ergo ceſſantibus ceſſabit inæqualitas, ceſſante enim cauſa per ſe, neceſſe eſt ceſſare ejus effectum, quemadmodùm ceſſante interpoſitione terræ, ceſſat eclipſis Lunæ naturalis. In patria ergo ceſſabit ex neceſſitate in virtutibus inæqualitas, ubi omnium impedimentorum hujuſmodi erit cauſa ſublata, purgatis, & purificatis animabus humanis, & ad puriſſimum naturæ ſuæ redactis omni labe deterſa, tam adventitia, quàm innata, omni naturali admixtione procul ab illis ſeparata. Quòd ſi in patria æquales erunt, ſequitur ex neceſſitate, & quòd in via æquales ſint, proportionabilia enim generaliter ſunt præmia, & merita, ſive gratiæ, & gloriæ. Ut quæ eſt proportio meriti ad meritum, neceſſe ſit eam eſſe præmij ad præmium, verbi gratia: ſi duplum eſt meritum ad meritum, erit & præmium duplum ad præmium, & ſi æquale æquale; cùm ergo virtutes viæ merita ſint, virtutes verò patriæ præmia, ſequitur ex neceſſitate in eodem ſubjecto, ut ſicut præmia æqualia futura ſunt, ita & merita modò æqualia ſint; virtutes autem patriæ nemo intelligens dubitat eſſe, & præmia præſentium virtutum, & glorias præſentibus gratiis ſucceſſuras. Ampliùs. Si inæquales ſunt virtutes gratuitæ in eodem ſubjecto, proportionabilia ſunt autem merita omnia operum virtutibus ex quibus ſunt iſta, ut quæ eſt proportio virtutis ad virtutem, eadem ſit ex neceſſitate meriti, quod ex hac eſt ad meritum quod ex illa, impoſſibile ergo erit remunerari aliquem, ſeu præmiari, niſi pro exigentia meritorum, quod ita declaramus. Cùm enim omni opere meritorio mereatur operans illud vitam æternam, ſive præmium æternum, inæqualibus ergo meritis merebitur inæqualia præmia æterna, ſive vitam æternam in gradibus inæqualibus. Impoſſibile eſt autem illam reddi gradibus inæqualibus, ſive illam eſſe inæqualem. Attende autem radicem probationis iſtius, & vide, quia neceſſe eſt, ut vita æterna, quæ ſanctis in præmium danda eſt, aut ſequatur in menſura, & proportione ſua, virtutes ipſas merentium, aut ipſa opera meritoria earum, quia ergo & virtutes æquales ſunt ſecundùm poſitionem præmiſſam, & ipſa opera, ſive merita inæqualia cùm improportionabilia ſint radicibus ſuis, ideſt virtutibus, ex quibus sũt, neceſſe erit ipſam vitã æternã majorem & minorẽ eidem reddi, cùm unicuique virtuti ſucceſſura ſit, & unicuique meritorio operi reddenda etiam, erit itaque aliquis beatus, & beatior, & ſedebit ſublimis, & ſublimior quaſi in diverſis ſedibus. & hoc manifeſtè impoſſibile eſt; unuſquiſque enim ſedebit in loco ſuo, & ordine Sicut enim legitur Eccleſiaſt. 16. Omnis miſericordia faciet unicuique locum ſecundùm meritum ſuum & ſecundùm intellectum peregrinationis ſuæ Sicut ergo impoſſibile eſt aliquem obtinere majorem, & minorem gloriam in patria, ſic impoſſibile eſt aliquem obtinere ſimul majorem, & minorem gratiam in via, & hoc eſt quia unicuique gratiæ reddetur tota gloria, ſimiliter & unicuique miſericordiæ ſimul, & juſtitiæ divinæ unumquodque opus meritorium, ſi in illo inveniatur finaliter operans illud ſimiliter & unaquæque virtus gratuita, atque meritoria ſufficit ad obtinendam retributio-

Iracundia naturalis. *Vide.* *Virtutes naturales.* *Nota.* *Acutè.* *Ingenioſè & ſubtiliter.* *Nota.*

nem æternam Si enim diceret aliquis quòd requiruntur duo, vel plura opera bona ad hoc, ergo ſi aliquis inveniretur bonus, & in uno ſolo bono opere meritorio, inveniretur inquam diſcedens in illo ſolo, non obtineret retributionem vitæ æternæ, quod avertat Deus. Quòd ſiquis objiciat, quia virtutes in multis creſcunt, & opera, atque merita, & nullum bonum irremuneratum relinquit Deus, bonum inquam meritorium, ergo cùm aliquis fuerit bonus ſi poſtmodùm efficiatur melior reddetur ei vita æterna inæqualis, ſive duæ gloriæ inæquales. Reſpondemus, quia una vita æterna reddetur pro omnibus, & ſufficiet pro omnibus, veruntamen menſurabitur unicuique ſecundùm optimum ejus ſtatum, vel maximum ejuſdem meritum. Hic autem eſt finalis ſtatus uniuſcujuſque electorum in vita iſta, ſicut econtrariò finalis ſtatus malorū peſſimus eſt. ſed illa meliùs determinabimus in ſequenti tractatu de meritis, & retributionibus. Ampliùs. Si per viam naturæ omnia membra naturæ creſcunt proportionabiliter, hoc eſt ſecundùm proportionem æqualiter, ut ſi pes creſcat in duplum, & manus, & ita de aliis; quare ſi æquales infunduntur omnes virtutes, cùm æqualiter ſemper creſcant, ſive proportionabiliter, ſemper manent æquales.

Æqualia bella omnia vitiorum.

Ampliùs. Æqualia bella ſunt omnium vitiorū, hoc eſt æquales tentationes, & inſultus æquales intelligimus ſecundum potentiam, quod eſt dicere, quia nullus poteſt tentari de luxuriâ conſque, quin poſſit tentari adeò de avaritiâ, & ita de aliis: æquè ergo armandæ ſunt animæ humanæ, æquè roborandæ contra omnia prælia vitiorum: ſicut autem armandæ & roborandæ ſunt, ſic armat eas, & roborat Deus, quare æqualiter contra omnia prælia vitiorum, æqualibus ergo armis virtutum poſſibile eſt eas armari, vel roborari, & æqualiter in æqualibus armis, atque virtutibus. Ampliùs. Cùm omnia vitia potentialiter æqualia ſint, hoc eſt potentia, & fortitudine, quod apparet ex æqualitate inſultuum, & præliorum, quæ diximus. Quia ergo contra vitia dantur animabus humanis arma virtutum, danda ſunt eis æqualia; æqualia autem danda ſunt, & dat eis optimus, & ſapientiſſimus Deus, quare dat eis æqualia arma virtutum.

Caſtus.

Ampliùs. Quàm caſtus eſt unuſquiſque, tam bonus eſt; quis enim audeat dicere quòd minus eſt bonus, quàm caſtus, aut econtra; quare quàm bonus eſt, tam caſtus eſt, ſimiliter & quàm juſtus eſt, tàm bonus eſt, & econversò; ergo quàm caſtus eſt, tàm juſtus eſt. Quæcunque enim æqualia eidem, & ſibi invicem æqualia eſſe neceſſe eſt, & ad hunc modum eſt oſtendere de aliis. Omnes ergo virtutes in eodem eſſe æquales neceſſe eſt. Ampliùs. Si inæquales ſint in aliquo virtutes, aut menſurabitur in eo ejus bonitas ſecundùm majores, aut ſecundùm minores, aut ſecundùm utraſque; quòd ſi ſecundùm majores; aut ergo erit æquè bonus hujuſmodi homo alteri, qui haberet omnes virtutes ſuas æquales majoribus virtutibus illius, verbi gratia. Si poſuerimus Socratem habere tres virtutes majores aliis virtutibus omnibus ſuis, Platonem verò omnes virtutes ſuas habere æquales illis tribus quas exempli gratia nominibus, A, B, C,, erunt ergo Socrates, & Plato æquè boni, ſeu virtuoſi: Socratis enim bonitas menſurabitur ſecundùm magnitudinem A, B, C, Platonis verò bonitas eſt ſecundùm magnitudinem omnium ſuarum virtutum, quæ omnes æquales ſunt, A, B, C: æquales ergo erunt bonitas Socratis, & bonitas Platonis, quod eſt impoſſibile. Ampliùs. Secundùm hoc decreſcerent omnes virtutes Platonis, exceptis tribus uſque ad æqualitatem minorum virtutum Socratis, tribus illis remanentibus

Nota.

E in æqualitate A, B, C: tunc nulla debet eſſe dubitatio, quin Socrates, & Plato ſint æquè boni, ſicut & erant priùs. Cùm ergo Platonis bonitas, nec in toto nec in parte minuta ſit, nec decreſcet bonitas Platonis tanto decremento partium ſuarum. Quòd ſiquis dixerit, quia bonitas menſuratur ſecundùm minores, eadem eſt deſtructio, vice converſa, ſcilicet poſitis tribus virtutibus minoribus in Socrate aliis majoribus, licet tamen æqualibus. Quòd ſi dixerit ſecundum utraſque, hoc non poteſt dicere, niſi ſecundùm alterum duorum modorum, videlicet per modum diviſionis, videlicet ſub hoc intellectu, quia bonitas iſtius eſt ſecundùm magnitudinem majorum virtutum finaliter, & ſimiliter ſecundùm parvitatem minorum, quod eſt dicere, quia ille eſt bonus. & melior, & non eſt præcisè in aliqua quantitate bonus, quia nec tam bonus, quantæ ſunt majores ejus virtutes, nec tàm bonus præcisè, quantæ ſunt minores ejuſdem, quod evidenter ſequitur, quia nullum erit præmium ejus in patria, & nullus locus ſeſſionis ejus certus in gloria Sanctorum, vel quòd in duobus locis ſimul ibi ſedebit, aut per modum conjunctionis, quod eſt dicere, ut neque tam bonus ſit quantæ ſunt majores ejus virtutes, neque tàm parùm bonus, quàm parvæ ſunt ejus minores virtutes, ſed in medio, ex quo multa inconvenientia ſequuntur, videlicet ut & majores ejus virtutes minùs juſtò remunerentur, & minores plus juſtò. Non enim remunerabuntur pro magnitudine ſua in eo virtutes, & hoc eſt quoniàm ſecundùm quod bonus, ſive prout bonus, ſic erit beatus, ſive glorioſus in patria; non autem bonus ſecundum magnitudinem majorum ſuarum virtutum, immò G infra ſecundùm hunc errorem quare non erit beatus, aut glorioſus ſecundùm magnitudinem earum. Sicut autem remunerabitur iſte, ſic remunerabuntur virtutes ejus, & econversò; & ſicut erit beatus, & glorioſus, ſic erit remuneratus, & virtutes ejus econversò. quare minùs juſtò remunerabuntur virtutes illæ ipſius majores. Eodem modo eſt oſtendere, quia plus juſtò remunerabuntur virtutes ejus minores, quod eſt evidenter frivolum, & contra Dei juſtitiam. Primùm, quia neminem minus juſtò remunerat, hoc enim eſſet injuria Secundū quia detrahere majoribus virtutibus de præmiis debitis, & addere minoribus ſupra debitum præmiorum, non ſolùm perverſitas eſt, & abſque ratione, immò evidenter contra rationem: quare nulla eſt remuneratio, ſeu merces inæqualium virtutum in eodem, hoc autem impoſſibile eſt manifeſtum quare id ex quo ipſum ſequitur ex neceſſitate impoſſibile eſt, hoc autem eſt inæqualitas virtutum in eodem; impoſſibile ergo eſt hujuſmodi inæqualitas. Ampliùs.

Iuſta remuneratio Dei.

H Nulla dubitatio eſt, quin Deus æquè timendus ſit timore reverentiæ, ut diligendus, ut honorandus; cujus cauſa rerum, quæ apud ipſum ſunt æqualitas, verbi gratia: Supereminentiſſima nobilitas ipſius, qua honorandus eſt, æqualis eſt bonitati ejus, qua diligendus; & ita de aliis. Ampliùs. Quid eſt diligibilitas, ſive diligenditas, hoc eſt diligendi debitum, ſeu dignitas, niſi ejuſdem ipſa bonitas & ad hunc modum de aliis, quare diligibilitas ſeu diligendi dignitas, & honorabilitas, ſive honorandi dignitas æquales ſunt. Æquè ergo honorabilis, ſive honorandus ut diligibilis, ſive diligendus, & ad hunc modum ſe habet de aliis; quia ergo in patria honorabitur ab uno quoque quantùm ibi ab eodem honorandus, ſimiliter & diligetur, & ita de aliis; erit neceſſariò in patria amor Dei, & timor, & honor, & cæteræ hujuſmodi æquales in eodem. Ampliùs. Liberum arbitrium erit ibi plenè liberatum, & plenè liberum habens in poteſtate ſuâ liberrima

Diligibilitas.

Liberum arbitrium.

omnes

Digitized by Google

omnes virtutes ſuas. Sed nec virtutibus erit impedimentum aliquod in operationibus ſuis, quare ex illis eliciet liberum arbitrium motus, & operationes, quantæcunque ex illis elici poterunt. Diliget ergo unuſquiſque in patria Deum quantùm ex charitate, quam ibi habiturus eſt, diligere poterit. Similiter & timebit, & ita de aliis, non autem tunc minus timebit, quàm diliget quis, & econversò, quoniàm ſi minùs timeret, quàm diligeret Deum, & econversò injuriã ei faceret, cùm æquè timendus ſit, & verè diligendus, & econversò, & ſimpliciter unicuique; vides ergo quoniàm omnes motus in Deum erunt æquales in patria motus autem erunt ibi æquales virtutibus ſuis, propter cauſas, quas diximus; quare omnes virtutes, quæ in Deum ſunt, erunt ibi æquales. Omnium autem virtutum motus principales in Deũ tunc erunt, omnes ergo virtutes ibi æquales. Ampliùs. Ibi & deputatæ erunt animæ noſtræ totaliter, & æqualiter ſecundùm omnes vires, & propter hoc coæqualiter receptibiles donorum gloriæ ſuæ beatitudinis, quapropter ęqualia recipiunt iſta. Iſta autem dona virtutes ſunt patriæ; quare virtutes patriæ in eodem æquales, ergo & virtutes vitæ. Ampliùs. Quid erit glorificatio animarum noſtrarum, niſi aſſimilatio earum ad ipſum? Aſſimilatio autem noſtra ad ipſum, non eſt niſi in donis patriæ ſive virtutibus gloriæ. Sicut ergo in ipſo quæcunque ipſius ſunt, naturaliter, ita per ſe æqualia ſunt. Ampliùs. Aut operabitur in nobis gloriam noſtram, hoc eſt totum decus, atque decorem beatitudinis noſtræ naturali operatione, ſicut Sol calefactionem, & illuminationem, aut gratuita tantùm, & voluntaria juxta divitias largitaris ſuæ: quòd ſi naturali operatione, ergo in æquè receptibilibus ęqualia, cùm ergo vis apprehenſiva noſtra ſuperior, ſcilicet intellectiva æquè recepribilis ſit tunc illuminationis, ut vires noſtræ motivæ nobiles ſuorum motuum, & econversò; quoniàm, æquè depuratæ ab omnibus impedimentis æqualia dona ab univerſorum datore recipient, hæc autem ſunt virtutes patriæ. Si autem gratuita tantùm, & voluntaria largitione illam operabitur in nobis, cùm ex una ſola cauſa, videlicet propter ſolam dilectionem quã dileximus ipſum, omnes retributiones erunt æquales. Si enim ſola eſt charitas, quæ meretur præmia illa, aut ſecundùm illam ſolùm eſt meritum, erunt ex neceſſitate omnia merita virtutum viæ æqualia, quare & præmia; hæc autem ſunt, virtutes patriæ, quare & virtutes patriæ in eodem æquales; ſi autem hoc, & virtutes viæ ex neceſſitate. Quòd ſi dixerit quis quia unaquæque virtus viæ per ſemetipſam meritoria eſt, & unicuique eſt meritum proprium, quanquàm de hoc latiùs diſputaturi ſumus in ſequentibus, error tamen ille videtur valdè improbabilis. Eodem modo videtur dicere poſſe de membris corporalibus, quia major fuit in eo virtus greſſibilis, quã virtus operativa manuum, & quia plus in ea, ſive per eam Deo ſervivit laborando pedibus, utpotè peregrinando, ſive aliter deambulando, quàm labore manuum, & ita glorioſiores faciet Deus pedes ejus in patria, quàm manus, ſimiliter & aures, quàm aliqua ex membris ipſius, quia ſimiliter plus in eis, & per eas Deo ſervivit quàm per alia membra: hæc autem & ſimilia valdè inconvenientia ſunt. Ampliùs. Provt cognoſcetur ibi Deus, & diligetur, provt ſuadebit ibi, vel oſtendet vis intellectus, ſic & afficiet (ut ita loquamur) affectus, quamquàm hic non eſt ſic: hoc autem propter ægritudines multiplices, & corruptiones affectus, quibus impeditur ſequi prævalentem, & præoſtendentem, quid faciendum ſit, intellectum. Ibi enim totus homo noſter interior ſequitur intellectum paſſibus affectionum, pari velocitate, qua pedes corporales fortiſſimi, atque expeditiſſimi ſequuntur ducem viſum, nec enim erit tunc voluntas affectus noſtri tardior, vel inefficacior ad ea, quæ ſua ſunt, hoc eſt ad affectiones ſuas, quàm intellectus ad illuminationes, & viſiones ſuas.

Vis apprehenſiva.

Charitas.

Homo interior.

Ampliùs. Quid eſt gloria mentis humanæ, niſi potentialitatis ipſius ultimus actus, & poſſibilitatis ſuæ cumulatiſſima plenitudo? intelligimus autem cum oculis cumulum ſecundùm ſpeciem, non ſecundùm gradum, quoniàm in ipſa ſpecie gloriæ etiam multi gradus ſunt ſecundùm magis, & minùs ſolummodò, & non ſubſtantialiter, ſive ſecundùm ſpeciem differentes. Quia ergo potentialitates omnes, & poſſibilitates trium virium ſuperiorum animarum noſtrarum æquales ſunt, erunt & actus ultimi tam naturæ, quàm gloriæ in eis æquales, naturæ dicimus propter aliquos Philoſophos. Manifeſtum autem eſt quòd actus ultimi earum virtutes gloriæ ſunt, quicquid in parte iſta ſomnient Philoſophi. Quòd autem potentialitates & poſſibilitates, quas diximus, æquales ſunt manifeſtum per ſe eſt, cùm æquè potens ſit naturaliter intellectus ad intelligendum, & cognoſcendum, ut affectus ad amandum, timendum, concupiſcendum, & ita de aliis: & hoc quoniàm non minùs neceſſariæ ſunt affectiones animabus humanis, quàm apprehenſiones, neque magnitudo affectionum eis minùs neceſſaria, aut utilis, quàm magnitudo apprehenſionum. Sicut ergo in eadem anima potentialitas, & poſſibilitas hæc ſunt æquales, ſic & ultimi actus earum, ſive completi, ſi tamen tales inveniantur, æquales ſunt, ſimiliter & actus gloriæ per eandem viam æquales eſſe neceſſe eſt. Tu autem attende in omnia hæc quæ diximus, & videbis, quia in quibuſdam ponimus radices, & capita probationum, in aliis procedimus ulteriùs, quæ etſi non ſufficiant tibi ad fidem, vel certitudinem de æqualitate virtutum gratuitatum, erunt tibi tamen viæ, & occaſiones acquirendæ certitudinis, & materia exercitationis.

Gloria mentis humana.

CAPUT XX.

Virtutes gratuitas ad naturales comparat, & ad operationes, motuſque naturales. Item ad vitia, & ad motus, paſſioneſque. Et multùm Theologicè diſputat.

POſt hæc loquemur de comparatione virtutum gratuitarum ad naturales, & operationes, atque motus naturales, necnon & ad vitia atque motus, & paſſiones earum. Dicemus ergo in primis, quòd ea, quæ gloriæ ſunt, ſcilicet virtutes, & operationes earum, in ultimo ſunt perfectionis, ſimiliter in ultimo puritatis, & bonitatis: ea verò quæ naturæ ſunt, in infimo ſunt ad illa, & ſunt ad illa ſicut ſemina ad arbores, vel fructus, & ſicut veſtigia ad tranſeuntes, & ſicut ſimilitudines pertenues, atque permodicæ ad veritatem, & ſicut umbræ ad ea à quibus jaciuntur: in his autem non dubitat, qui plenitudinem atque perfectionem gloriæ intelligit, & declarabimus iſtud primum in dilectione gratuita, & dilectione naturali. Manifeſtum eſt enim conſiderantibus, quia plùs diligit juſtitiam vir ſanctus propter Deum dilectione gratuita, quàm diligit vitam propriam dilectione naturali; & addimus, quia in infinitum plus diligit eam; hujuſmodi autem declaratio facilis eſt, & multas habet vias. Primùm, quoniàm exponit eam morti, ut retineat juſtitiam, & hoc non tantùm ſemel facere paratus eſt, neque tantùm bis, aut ter, ſed abſque numero,

Propoſitio dicendorum.

Gratuita & naturalis dilectio.

infinitiès ſcilicet, quare ipſam juſtitiam dilectione gratuita præfert infinitiès vitæ ſuæ, non obſtante dilectione naturali, qua eam diligit; in infinitum ergo plùs diligit juſtitiam dilectione gratuita, quàm diligat vitam iſtam naturali dilectione. Ampliùs. Infinitas tantas vitas in infinitum plùs diligeret dilectione naturali, quàm unam ex illis, in infinitum ergo eſſet major dilectio naturalis in infinitas tantas, quàm ſit in hanc ſolam, ſive in unam quamcunque ex illis: ſed & ad hoc major eſt dilectio gratuita ipſius in juſtitiam, quàm dilectio ejuſdem naturalis in infinitas omnes illas vitas, pro retinenda enim juſtitia omnes illas exponeret, ſive relinqueret: quare manifeſtum eſt dilectionem gratuitam, qua diligitur juſtitia propter Deum, in infinitum majorem eſſe dilectione naturali, qua quis diligit vitam propriam, cùm evidenter major ſit dilectione, qua infinitiès continet illam. Ampliùs. Nulli dubium eſt, quin plùs diligat vir F ſanctus, & juſtus dilectione gratuita juſtitiam propter Deum, quàm proprium filium dilectione naturali, ſimiliter & quàm duos filios ſuos eodem modo, & quàm mille. Intelligamus ergo, quòd habeat infinitos, & æqualiter dilectos dilectione naturali, nemo dubitare poteſt, quin dilectio in omnes illos in infinitum major ſit dilectione ejuſdem naturali in quemcunque illorum & hoc eſt, quoniàm ipſa eſt aggregata ex infinitis dilectionibus tantis, quanta eſt illa; omne enim aggregatum ex infinitis tantis ſui generis, quantumque par, a quantitate demonſtrata eſt in infinitum majus, quàm illarum, ſicut alibi declaratum eſt; quia ergo major eſt dilectio gratuita juſtitiæ iſtius, quàm ſit dilectio ejuſdem naturalis in omnes filios ſuos infinitos, illa autem major eſt in infinitum dilectione ejuſdem naturali in quemcunque ex filiis, manifeſtum eſt dilectionem gratuitam majorem eſſe in infinitum dilectione naturali alicujus in proprium filium, quod evidenter apparuit in Abraham. Ampliùs. Si ſalva poſſet eſſe alicui viro bono vita gratiæ ſine vita naturæ, nunquid non mallet talis vir vivere vita gratiæ, quàm vita naturæ? plùs ergo diligeret ſimpliciter vitam gratiæ, quàm vitam naturæ, quare & ſingula vitæ gratiæ, plùs quàm ſingula vitæ naturæ proportionabiliter conſiderata, & accepta, quod eſt dicere plùs diligeret viſum gratiæ, quàm viſum naturæ, & auditum gratiæ, quàm auditum naturæ, & ita de aliis. Ampliùs. Dilectione gratuita diliguntur ea, non ſolùm quæ gratiæ ſunt, ſed & ea, quæ gloriæ ſunt, dilectione verò naturali ea, quæ naturæ ſunt tantùm, inquantùm naturæ ſunt. Quia ergo vita gratiæ ordinata eſt, videlicet ut ea diligantur res ſecundùm ordinem ſuum, quod eſt dicere majora bona magis, & minora minùs. & æqualia etiam æqualiter, & iterùm ſecundùm quòd majora, magis, & ſecundùm quòd minora, minùs: in infinitum autè majora bona ſunt bona, quæ ſunt gratię & gloriæ, quàm ea quæ ſunt naturæ tantùm; in infinitum ergo magis diliguntur dilectione bona gratiæ, quàm bona naturæ, ſed & iterùm ipſa bona naturæ magis diliguntur dilectione gratiæ, quàm dilectione naturæ, quoniàm & ad majora bona, & ex majori dilectione, ipſum enim corpus quod diligitur ad gloriam futuram ad majus diligitur incomparabiliter ex dilectione gratiæ, quàm ſit præſens vita ad bona præſentis vitæ quæcunque naturalia, quæ ſola diliguntur dilectione naturæ. Ampliùs. Dilectio illa gratiæ, qua diligitur corpus ad gloriam futuram, & anima ſimiliter, in primis vincit dilectionem naturæ, & abſorbet, ita ut cogat bona naturæ negligi pro bonis gratiæ & gloriæ. Beatus enim Benedictus ſcientias quæ ſunt bo-

Vide comparationes.

Dilectio gratuita major naturali.

Nota.

Beatus Benedictus.

E na naturalia magna animæ humanæ pro bonis gratiæ neglexit, ſicut dicit Beatus Gregor. quia receſſit ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus, de bonis autem corporis naturalibus, & etiam de vita ejuſdem. Major ergo gratiæ dilectio eſt in ipſa bona naturæ, quàm dilectio naturæ in illa; in infinitum autem major eſt dilectio gratiæ in ea, quæ ſunt gratiæ, & gloriæ, quàm in ea, quæ ſunt naturæ. Amplius. Ipſa dilectione gratiæ diliguntur tam ea quæ ſunt gratiæ & gloriæ quàm ea quæ ſunt naturæ, aut finitè ergo magis, aut in infinitum. Si enim in infinitum, hoc eſt quod quærebamus, ſi finitè tantùm, ubi eſt ergo ordo dilectionis, cùm manifeſtum ſit bona gratiæ, & gloriæ in infinitum majora bona eſſe quàm ſint bona naturæ. Quare hujuſmodi dilectio qua non ſecundùm quod majora bona magis diliguntur, non dilectio gratiæ eſt, cùm ordinata non ſit: eodem modo eſt ratiocinati de timoribus, doloribus, & eorum contrariis. In apprehenſivis autem ſufficiet tibi declaratio, quam de fide faciemus, omnium enim luminum duorum juxta ſe poſitorum alterum eſt magis, quod alterum abſorbet. Manifeſtum autem eſt fidelibus quia lumen fidei in Sacramento Altaris ita abſorbet lumina quinque ſenſuum, ut nullum ex eis luceat contra ipſum, nullum obmurmuret, & etiamſi obmurmuret captivatur, conculcatur, ita ut ei contra illam penitùs in nullo credatur, ſimiliter & abſorbetur, & obſcuratur ſenſus, intellectus, & rationis, & omne lumen ſcientiarum naturalium, omniaque teſtimonia accidentium ſenſibilium exſufflantur teſtimonio fidei, & aſſertione. Apparet ergo tibi evidenter magnitudo luminoſitatis fidei, quæ tot & tanta lumina ſic evacuat, & abſorbet, aut ſaltem vincit, atque captivat aſſertiones eorum, & teſtimonia, vel elidit, vel exſufflat, ut illis nonobſtantibus illi ſoli credatur. Ampliùs. Nemo eſt fidelis, qui G non juraret faciliùs poſſe eſſe, quòd triangulus non haberet tres angulos æquales duobus rectis. quàm minimum ex articulis fidei falſum eſſe. Ampliùs. Omnis intellectus fidelis non minùs habet incredibile, fidem Catholicam in aliquo falſam eſſe, quàm quodcunque aliud impoſſibile, ſcilicet quod fidem non tangat. Omnis etiam intellectus fidelis plus crederet aſinum eſſe captam, quàm contrarium cuicunque ex articulis; magis ergo incredibile quodcunque contrarium alicui ex articulis, quàm quodcunque aliud impoſſibile, ſcilicet quod fidem non tangat, vel improbet; quæ autem proportio eſt incredibilitatis ad incredibilitatem in quibuſcunque duobus, eadem eſt credulitatis ad credulitatem in eorum contrariis. Magis ergo credibile eſt, magiſque probabile intellectui fideli, unumquodque eorum quæ fidei ſunt, quàm quodcunque aliud credibile, vel probabile. Quæ autem H eſt proportio credibilitatis ad credibilitatem, ſive probabilitatis ad probabilitatem, ea eſt creditionis ad creditionem; quare magis eſt apud intellectum fidelem creditum, quicquid ex fidei articulis, quàm quodcunque aliud. Ampliùs. Reſpice in plures ex articulis fidei & invenies eos improbabiles in ultimo improbabilitatis, & incredibiles in ultimo incredibilitatis quales ſunt Deum eſſe hominem, Deum eſſe mortuum, corpora extincta, & in pulverem redacta, in omneſque ventos diſperſa reſurgere, tanta quippe eſt incredibilitas, & improbabilitas iſtorum tantaque tenebroſitas, ut vincat omne lumen intellectus humani & rationis, & omnia lumina ſcientiarum, atque doctrinarum phyſicarum. Vincuntur autem à lumine fidei, lucidiſſimaque efficiuntur, hoc eſt probabiliſſima, & credibiliſſima, immò quod plùs eſt, crediti ſſima ex lumine ipſius

Luminoſitas fidei.

Mirabiles articuli fidei.

Digitized by Google

ipſius, quare majus eſt lumen fidei omnibus luminibus illis, quantuncunque enim tenebroſa ſint tria illa quæ prænominavimus, luce tamen fidei lucent intellectui fideli, & non alij. Dono verò ſcientiæ quãta ſit luminoſitas ipſius ex tenebroſitate eorum, quæ per ipſum lucēt, facile eſt ut appareat tibi. Reſpice in octo beatitudines & videbis quia tenebroſitas pœnalitatum illas inviſibiliter & incognoſcibiliter abſconderet, niſi lumine doni ſcientiæ, velut ſuperaſperſo lumine ſplenderent, pęnalitas ſiquidem paupertatis prima, & ita de aliis Deficiebant quippe ad eas oſtendēdas lumina intellectuum humanorũ, ſimiliter & lùmina ſcientiarum phiſicarum, donec per lucem veram Chriſtum dominum effuſo lumine doni ſcientiæ claruerunt. Ampliùs Cùm dilectione gratuita diligantur bona corporalia naturalia corporum, & bona naturalia ſimiliter animarum, ſed propter bona gratiæ & gloriæ, diligantur autem dilectione naturali ſimiliter, ſed ad bona naturæ tantùm, naturali quippe dilectione diliguntur anima & corpus, ad quæ ſunt naturæ tantùm, videlicet ad ſalutem robur, & decorem, & alia hujuſmodi. Cùm ergo iſtæ dilectiones ordinatæ ſint, utrâque diligitur dilectum ſuum, & quantùm, & ſicut diligendum eſt, utrâque inquiritur dilectione bonum ejus quantùm, & ſicut eidem requirendum eſt. Manifeſtum autem eſt, quia bona gratiæ & gloriæ quæ dilectione gratuitâ inquiruntur, & animæ, & corpori in infinitum ſunt majora, quàm bona naturę, quę animabus noſtris, & corporibus naturali dilectione inquiruntur quare ſi ordinata dilectione hæc, & illa quæruntur, in infinitum majori dilectione quæruntur hæc, quàm illa, & in infinitum magis diliguntur: quare in infinitum major eſt dilectio gratiæ in ſua dilecta, quàm dilectio naturæ in ſua; quare ſimpliciter major in infinitum, tanta enim eſt utrâque ſimpliciter, quanta eſt in ſua dilecta, & quantùm eâ diliguntur ſua dilecta. Debes autem reminiſci eorum, quę alibi didiciſti, videlicet, quòd non eſt neceſſe, quòd ſi aliquid eſt infinitum ad aliud, quòd ipſum ſit infinitũ ſimpliciter quemadmodùm corpus eſt infinitũ ad ſuperficiẽ, & ſuperficies ad lineã, & linea ad punctũ, cùm unumquodque eorum finitũ ſit determinatione certiſſima. Debes etiam ſcire, quia non idem eſt aliquid eſſe aggregatum ex infinitis tantis, & aliquid continere infinita tanta, vel majora, continet quippe angulus rectus infinita tanta, vel minora, quàm ſit angulus contingentiæ quia continet infinitos angulos rectilineos acutos, quorum quilibet eſt major angulo cõtingentię Impoſſibile eſt autem illum videlicet angulum rectum aggregari ex infinitis angulis contingentię, & quod eſt mirabilius, impoſſibile eſt ex infinitis angulis contingentię aggregari quantumlibet parvum acutum rectilineum, vel etiam aliud, quod ſit ei æquale. Hujuſmodi autem declaratio, ſive demonſtratio facillima eſt his, qui vel ad modicum in hujuſmodi exercitati ſunt Si quis autem dicat, quia Deus inquantùm benefactor & inquantùm pater, eſt bonum naturæ noſtræ, & diligitur dilectione naturali inquantùm talis. Reſpondemus quia verum dixit, ſupra ſicut oſtendimus. Si autem quærat utrùm in infinitum major ſit in eo dilectio gratuita, quàm dilectio naturalis. Reſponderi poteſt quòd ſic, etiam hoc eſt, [illegible] puriùs, & rectiùs abſque ulla comparatione, puri autem ad non purum nulla eſt comparatio, ſive proportio, ſicut declarabimus alibi. Ampliùs. Incomparabiliter plus diligit amicum, qui ſeipſum illi diligit, quàm qui illum ſibi: hoc ſalvo, quia diligere hujuſmodi non eſt univocum, & ideò non comparabile quia etiam gratia media eſt inter bo-

Lumen fidei maximum.

Dilectio gratiæ.

Infinitum ad aliud non eſt infinitũ ſimpliciter.

Quæſtio.

A na gloriæ, quæ ſunt maxima, & bona naturæ, quę neceſſariò ſunt minora maximis & majoribus. Quare generaliter virtutes gratiæ virtutibus naturę, & motus earum motibus iſtarum ſunt majores.

Nota.

CAPUT XXI.

Docet virtutes, & gratias multò majores eſſe vitijs, motuſque virtutum eſſe majores motibus vitiorum. Itẽ delectationes earum ac triſtitias, majores eſſe delectationibus, & doloribus vitiorum, & quòd impropriè delectationes de vitijs dicuntur. Probat autem ſupradictam propoſitionem tali exemplo, quia etſi vir carnalis plùs amat corpus ſuum, quàm omnem corporis voluptatem, tamen vir ſanctus, & bonus plùs amat corpus ſuum, vel non minùs ſaltem, quàm carnalis, oſtenditque amorem gratiæ eſſe majorem amore naturæ.

HIs autem ita poſitis facilis eſt declaratio, quia majores ſunt virtutes, & gratiæ, quàm vitia & motus earum motibus vitiorum, delectationeſque earum, atque dolores, ſive triſtitiæ delectationibus, B & doloribus vitiorum, ſi tamen veri nominis delectationes ex vitiis, vel ſecundùm vitia ſunt; de hoc quoque aliqua diximus in tractatu de matrimonio, quibus aliqua hîc ſuperaddere intendimus. Dicemus ergo in primis quia plùs diligit quantumcunque amator voluptatis corpus ſuum omni voluptate corporali; plùs autem diligit, vel ſaltem non minùs, corpus ſuum vir ſanctus, & juſtus, quàm voluptuoſus hujuſmodi, plùs inquam, vel ſaltem non minùs diligit illud naturali dilectione. Ponamus ergo æquales eſſe hujuſmodi dilectiones, quicquid ergo eſt majus altera, eſt majus reliqua, omnium enim duorum æqualium ad quodcũque tertium eandem eſſe proportionem neceſſe eſt, ſicut alibi didiciſti. Cùm ergo omnis dilectio gratiæ, miſericordiæ, & omnis virtus gratiæ major ſit dilectione naturæ, erit major illa alia eidem æquali, C videlicet dilectione naturæ, quâ voluptuoſùs diligit corpus ſuum, quare erit etiam major omni minore, quàm illa ſit, minor autem quàm illa ſit, eſt dilectio quæcunque in voluptatẽ corporalem quamcunque. Manifeſtiùs autem fiet hoc ſi nominaverimus primam dilectionem A, videlicet quâ vir ſanctus diligit bonum gratiæ, vel bonum gloriæ. Dilectionem verò ſecundam, videlicet quâ naturaliter diligit corpus ſuum vocemus B. Dilectionem verò tertiam, quâ voluptuoſus diligit corpus ſuum nominemus C. Dilectionem verò quartam quâ diligit voluptatem D. Quia ergo declaratum eſt A, eſſe majorem B B verò, & C æquales ſunt, ſequitur de neceſſitate, A, eſſe majorem C. Quare & majorem D, cùm D minor ſit quàm C, & hoc eſt quoniàm nullus eſt adeò inſanus amator voluptatis, qui non majori amore diligat corpus ſuum, quàm voluptatem quamcunque corporalem. D Eadem via eſt oſtendere de amore pecuniæ, quia minor eſt quocunque amore gratiæ, quia minor eſt amore cujuſque in corpus proprium, nullus enim eſt tantus amator pecuniæ, cujus amor non ſit minor in pecuniam, quàm in proprium corpus, nullus enim eſt, qui non malit carere omni pecuniâ quàm proprio corpore, & qui non projiciat omnem pecuniam, ut corpus proprium redimat: quare non eſt aliquis adeò inſanus, qui non præferat corpus proprium omni pecuniæ, manifeſtum ergo eſt quia major eſt amor quantumcunque avari, vel cupidi in corpus proprium, quàm in quantamcunque pecuniam. Quia ergo omnis amor gratiæ omni amori cujuſcunque in corpus proprium major eſt, ſicut jam declaravimus, major eſt omnis amor gratiæ omni

Proportiones.

Digitized by Google

Amor gratiæ, major amore naturæ.

amore naturæ, & ita major omni avaritia, vel cupiditate, cùm omnis avaritia, vel cupiditas minores ſint omni amore naturæ in vitam proprij corporis, vel in ipſum corpus; ſimiliter ſe habet de amoribus poteſtatũ, dignitatum, honorum, vanarum laudum, & inanium gloriarum. Nemo enim eſt qui non omnibus his & proprium corpus & vitam præferat: etſi enim multa patiantur homines vanitatibus hujuſmodi dediti, multos labores, & dolores in corporibus ſuis propriis, pro vanitatibus illis, tamen nullus eorum euſque deſipit, ut mori velit, vel corpus amittere pro omnibus illis, immò potius econversò. Nec obſtat quod forſitan aliquibus videri poteſt, videlicet quod aliqui plus contumelias oderunt, ut dicunt, quàm mortem, & quod dicunt ſe malle mori, quàm in confuſione vel opprobrio vivere. Non enim ſequitur, ſi magis oderunt contumeliam quàm mortem, quòd ideò magis diligant honorem, quàm vitam. Verum eſt illud Senecæ, quòd profundius injuriæ, quàm beneficia deſcendunt. Nec credimus illud eſſe verum, quantumcunque ab aliquibus affirmetur, videlicet, quòd plus oderint contumeliam, quàm mortem; ſi enim æquè pulſarent eos mors, & contumelia, ſi æquè vicinæ eſſent, & æquè imminerẽt, credimus eos protsùs & aliud dicere, & aliud ſentire, & mortẽ potiùs, quàm contumeliam, ſi libera eſſet eis optio, declinare: negligitur enim vita quandoque, & quantùm ametur non ſentitur, donec mors pulſet per ægritudinem, aut aliam læſionem, quantumcunque enim tenaciter adhæreamus non cognoſcitur, donec mors trahat per ægritudinem & quaſi ab ipſa abrumpi nos timemus. Meritò autem quærat quis de infidelitate, & veſania hæreticorum, qui tam pertinaciter, tamque indiſſolubiliter amare videtur errores ſuos, ut propriæ vitæ, atque corporibus eos præferant, & quod eſt majoris dementiæ mortem corporum ſuorum cum gaudio magno plerunque ſuſcipere videntur. Nos autem tibi jam reſpondimus in hoc tractatu de fide. Hic autem dicimus tibi quia facta hæreticorum, quæ ex hæreſi fiunt, facta dæmoniacorum, ſeu arreptitiorum habenda ſunt, & non alia, neque aliter judicanda: nullo enim peccato adeò datur aliquis in poteſtate diaboli adeò ei ſubjectus efficitur, ut peccato hæreſeos, illud enim eſt quod vitam gratiæ radicitùs extirpat, ac totaliter extinguit. Quemadmodùm enim arreptitij, & dæmoniaci nõ amore faciũt, quod faciunt, ſed impetu furoris, & exagitatione maligni ſpiritus; ſic & hæretici, & ſicut in corde arreptitij quælibet umbra, & imago, quantumcunque parva, vel pertenuis, vehementes tamen, atque fortiſſimos in corpore motus corporales exercet, & per illud, ſic fantaſia hæreticæ vanitatis in corde hæretico exiſtens, magna in corpore, & per corpus operatur, & per illud, licet ipſa modica ſit: natura verò in hujuſmodi ſubverſis, & mente captis hominibus: & nõ ſuæ naturæ, ſed alienæ poteſtatis effecta, etiam ſeipſam curare non prævalet; quemadmodũ ex virtute, vel magnificentia quod agit phreneticus non eſt, ſed ex aliena vi, & exagitatione: ſic & quod agunt hæretici. Quod autem graviter, & maturè agere videntur, de altitudine & aſtutia Satanæ eſt qui hujuſmodi exteriori gravitate interiorem inſaniá nititur operire, quod & in multis melácolicis interdùm fit, delectationes virtutum ſunt majores delectationibus vitiorum. De delectationibus autem, quæ ſecundùm virtutes, atque de doloribus, quòd majores ſunt delectationibus vitiorum, atque doloribus, facile eſt oſtendere, ſalvo eo quod diximus, quia in vitiis, vel ſecundùm ipſa, non eſt delectatio veri nominis, cujus declaratio hæc eſt; delectatio enim,

Seneca.

Hereticorum facta ſunt facta dæmoniacorum.

E juxta diffinitionem Philoſophorum convenientis conjunctio eſt cum conveniente, nihil autem naturaliter eſt magis diſconveniens, magiſque diſcrepans à natura animarũ, quàm vitia, & vitioſa, immò illa ſola ſunt, quæ lædunt, & corrũpunt animas humanas. Quare impoſſibile eſt quòd ſit veri nominis animabus noſtris delectatio in vitiis, vel ſecundùm ipſa. Alia verò diffinitio delectationis eſt hæc. Delectatio eſt apprehenſio rei naturalis virtuti apprehendenti, nulla autem intenſione poteſt convenienter accipi, naturalis, hic, niſi hoc modo, videlicet naturaliter convenientis virtuti apprehendenti. Cùm ergo omne vitium naturaliter inconveniens ſit omni virtuti noſtræ, ac diſcrepantiſſimum ab illa, manifeſtum eſt non poſſe eſſe delectationem veri nominis in illo, vel ſecundùm illud. Ampliùs. Cùm omne vitium inſania ſit, dementem mentem humanam faciens & dementium, & inſanorum non ſit veri nominis delectatio, ſed magis ſomniata, manifeſtum eſt, quòd vitioſorum non eſt veri nominis delectatio, ſicut legitur Sapientiæ 7. Sum quidem & ego mortalis, &c. Ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conveniente. Ampliùs. Sanis oculis credendum eſt de coloribus, & ſanis palatis de ſaporibus, & ſic de aliis; non eſt autem dubium alicui, quin viri ſancti meliùs videant, & ſapiant, vel ſaporent corde, quàm qui corrupti ſunt, & putruerunt delectationibus corruptibilibus, ſenſibilibus, ſive carnalibus; ſtandum enim eſt eorum judicio de hujuſmodi quia ergo ipſi judicant delectationes ſenſibiles, ſive carnales abominationes mortiferas, & non delectationes, nullatenùs habendæ ſunt delectationes, ſed magis mortiferæ abominationes. Ampliùs. Non ſunt interrogandi de naufragiis, & aliis periculis qui in eis perierunt, & ſubmerſi ſunt, atque extincti, ſed qui indè evaſerunt, neque de ſomniis interrogandi ſunt ſomniãtes aut eis credendum, ſed evigilantes; vigilantis enim eſt narrare ſomnium, ſicut dicit Seneca. Quia ergo dediti hujuſmodi deliciis velut immerſi ſunt, & periclitati concupiſcentiarum fluctibus, & velut ſoporati ſunt, & ſomniantes in illis, quamdiù ſic ſe habent, nec interrogandi ſunt, nec credendum eſt illis, pœnitentes verò de hujuſmodi ſic, velut qui evaſerunt de naufragiis: & velut qui evigilaverunt de hujuſmodi ſoporibus, & ſomniis, atque ſomnis. Hi autem omnes teſtantur in confeſſionibus ſuis ſe velut abſorptos fuiſſe à Sirenis voluptatum, & illuſos fantaſmatibus ſomniorum; quare proculdubiò ſomnia ſunt, & deluſiones ſunt, non veri nominis delectationes. Ampliùs. Pœnitenti amarè ſapiunt, & abominabiliter præteritæ delectationes, ſicut apparet ex teſtimonio ipſius, & conteſtatione gemituum, ſingultuum, rugituum, ejulatuum, ploratuum, & aliis multis hujuſmodi, atque ipſa amariſſimarum effuſione lachrimarum. Quis autem dubitat ipſum eſſe ſanioris judicij, cùm pœnitet quàm cùm pœnitenda agebat? Quare ſtandum eſt in parte iſta judicio pœnitentium, & non peccantium, quæ ergo ſunt, & quales delectationes carnales judicio pœnitentium, hæ veræ ſunt, & tales habendæ ſunt, ergo abominationes ſecundùm veritatem, & amaræ, & abominabiles habendæ. Ampliùs. Quod natura tale magis tale, quia ergo virtutes naturâ delectabiles, vitia autem ex inſania, & errore naturæ, manifeſtum eſt virtutes delectabiles magis eſſe quàm vitia, ſi tamen comparatio locum habet inter iſtas, & illa. Ampliùs. Delectabilia omnia delectabilia ſunt pro magnitudine amoris, qui eſt in illis, & pro magnitudine bonitatis ipſorum, & convenientiæ ſuæ ad eos, quos delectant? quia ergo nec eſt comparatio, nec proportio amorum

Delectatio quid.

Nota ſingulare dictum.

Seneca.

Delectationes præteritæ amaræ pœnitentibus

Digitized by Google

amorum, qui vel virtutes, vel ſecundùm virtutes ſunt gratiarum, ad amores, qui vel vitia, vel ſecundùm vitia ſunt, neque bonorum ad bona neque convenientiæ virtutum atque bonorum ſuorum, convenientium inquam ad animas noſtras, non ergo comparatio delectationum, quæ ſunt ſecundùm virtutes ad delectationes, quæ ſunt ſecundùm vitia. *Auguſt.* Et hoc eſt quod dicit Beatus Auguſtinus. Abſit quòd tanta ſit delectatio in vitiis, quanta eſt in virtutibus. Quòd autem delectationes virtutum majores ſint delectationibus naturalibus, inde manifeſtum eſt, quia propinquiores ſunt delectationibus gloriæ, quæ maximæ ſunt: quod enim propinquius maximo & ex neceſſitate majus eſt. Et hoc eſt quod legitur in Pſal. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo: & iterũ Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidẽ pretioſum multũ, & dulciora ſuper mel, & favũ. *Objectio.* Quòd ſi dixerit quis, quòd natura tale magis tale, & propter hoc naturalia magis delectabilia, & ita delectationes naturales majores delectationibus virtutum & gratiæ. Reſpondemus quia ipſæ virtutes naturâ delectabiles ſunt, naturâ inquam ſua, & noſtra, quæ ad ad illas, & propter illas nata eſt, ſeu creata, ut ſupra oſtendimus ex teſtimonio Tullij. Quòd ſi quis quæſierit qualiter delectationes naturales, id eſt naturalium bonorum temporalium, & etiam vitiorum ita rapiunt, capiunt, & captivant mentes humanas ſuavitate ſua, *Nota.* delectationes verò virtutum, & gratiarum non ſic, immò penè inſenſibiles eſſe videntur, à pauciſſimis enim, & etiam ad modicum ſentiuntur. *Simile.* Reſpondemus quia non pro magnitudine ſua, vel hæc, vel illa ſentiuntur, ſed pro diſpoſitione animarum noſtrarum, hoc eſt corruptione minori, vel majori palati cordis; quemadmodùm enim ſapores ſenſibiles quidam magis, alij minus manifeſtè ſentiunt; non eſt ergo neceſſe ut ſi majores ideò à quibuſcunque ſentiantur magis, ſicut non eſt neceſſe de majori igne, vel calore, ut à quocunque magis ſentiatur; quidam enim aliis in hujuſmodi magis ſenſibiles ſunt, & propter hoc unde ipſi uruntur, vel ardent alij ad modicum caleſiunt.

CAPUT XXII.

Incipit explicare connexionem virtutum, ac vinculum, quo inter ſe ita continentur, ut quiſquis unicam habeat, neceſſe ſit & ipſum alias habere. Hoc autem de virtutibus veri nominis eſt intelligendum.

POſt hæc loquemur de connexione, & colligatione virtutum, hoc eſt inſeparabili concomitantia earum, propter quam dicitur à Philoſophis, & à ſacris Doctoribus convenienter, quòd qui habet unam, habet & omnes. *Nota.* Scito ergo quòd declaratio hujuſmodi multiplex eſt & primam quidem declarationem efficit natura ipſa virtutum quæ univerſales ſunt in ſe, hoc eſt completæ bonitatis, non ſecundùm quid, neque particulariter; hoc enim de veri nominis virtutibus tantùm intẽdimus. Hæc ergo univerſalitas eſt, qua in totum, hoc eſt in omnibus, & per omnia mentem humanam dirigunt, perficiunt, illuminant, contrarium ſuum in nullo penitùs patientes. verbi gratia, non eſt veri nominis caſtitas, quæ non totaliter mentem humanam caſtificat, quæ contraria ſua, hoc eſt fornicationem, adulteria, & ſi qua ſunt alia non excludit. quis enim dicit caſtum ſimpliciter, ac propriè, qui cum aliqua fornicatur? hoc eſt dicere vas fractum integrum, quod habet magnam fracturam, & ſanum, quod habet unum vulnus, quod tamen eſt læthale, ſive mortiferum, ſimiliter & illum eſſe mundum,

A qui non mergit ſe, neque volutat niſi in unam cloacam, & frigidum, qui non ardet niſi uno igne, & illæſum illum, qui non eſt transfixus niſi uno gladio ſimiliter & mortuum illum, qui non eſt mortuus niſi una morte. Manifeſtum ergo eſt non eſſe caſtum illum, qui quacunque libidine coinquinatus eſt. Ampliùs. Sicut ſunt noxiæ delitiæ carnales, ſic & quædam delitiæ ſpirituales noxiæ ſunt, atque mortiferæ, ſicut delectari in filiis impiis, in multitudine ſubditorum, quemadmodùm legitur Eccleſiaſt. 16. Non jocunderis in filiis impiis ſi multiplicentur, nec oblecteris ſuper ipſis; ſimiliter delectari in divitiis, honoribus plerumque mortiferum eſt, ſimiliter & delectari alieno malo, nemo dubitat malum eſſe: manifeſtum ergo eſt delectationes tam carnales, quàm ſpirituales B mortiferas eſſe, & caſtitatem corrumpere mentis: & quia non eſt neceſſe ut ſit niſi una caſtitas contra fornicationes omnes, tam ſpirituales, quàm carnales, non enim æquivocè dicitur fornicatio, & adulterium in his & illis, non refert enim de matrimonio ſpirituali, quod inter regem regum, & unamquamque fidelem animam eſt contractum per quod adulterium violetur, non refert cujus adulteri amplexus ſponſi illius amplexibus præferantur. *Fornicatio animæ.* Simpliciter enim dicitur illud, & univocè Hier. 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; in quãcunque enim rem, amorem ſoli creatori debitum transferat, in quacunque re alia delitias ſuas, quas in ſolo creatore habere debuit, conſtituat, cum illa fornicatur, aut adulterium cõmittit, & hoc eſt ſi ſpiritualis ſit res illa, ſpiritualiter: ſi corporalis, corporaliter. Ampliùs. Si neceſſe eſt duas eſſe caſtitates, alterã ſcilicet corporalẽ, alteram ſcilicet ſpiritualem, neceſſe erit ſimiliter eſſe duas juſtitias, alteram ſcilicet ſpiritualem, alterã ſcilicet corporalẽ, ſive temporalem, quare & duas fides, alteram ſcilicet de rebus tẽporalibus, ſive corporalibus, & alterã de rebus ſpiritua-C libus, & ita ſcilicet de aliis. Ampliùs. Secundũ hoc erit juſtitia ſimpliciter, & verè, quâ nihil erit verè juſtũ. Poſſibile enim eſt, quòd aliquis ſit juſtus in tẽporalibus, ſine injuria alterius ea poſſidens, contractans, & de eis judicans; & nihilominùs iniquus, *Nota.* atque injurioſus, atque injuſtè judicans in ſpiritualibus. Habebit ergo ille juſtitiam temporalẽ, ut ita loquamur, nec tamen ea juſtus verè, ac propriè, ſive ſimpliciter, & hoc eſt quoniã iniquus, & injurioſus eſt in ſpiritualibus ille juſtus, juſtitia ergo tẽporali ſua nihil erit juſtum, quia nec ipſe, nec anima ejus, nec aliquid aliud: manifeſtum ergo eſt ex omnibus his, quia tam juſtitia, quã caſtitas univerſalis eſt una omninò tam circa temporalia, ſeu corporalia, quàm ſpiritualia: & ad hunc modũ ſe habet de aliis omnibus. Si enim materia, circa quam ſunt, diverſitate D ſua, vel multiplicitate diverſificaret, aut multiplicaret virtutes, nulla earũ eſſet una numero, vel ſpecie, cùm quælibet materia virtutum, materia inquam, circa quam ſunt præter ſolũ Deum, ſit multiplex, ſicut apparet ſingulis conſideratione facientibus. *Concomitantia virtutum.* Declarata eſt ergo tibi natura virtutum per hæc, per quã facilè declarabitur tibi concomitantia inſeparabilis earum. *Juſtus quis.* Si enim juſtus eſt, qui in nullo cuiquã eſt injurioſus, totũque jus ſuum unicuique reddens, ſive tribuens, neceſſe eſt eũ, qui juſtus eſt omnes habere virtutes, & hoc quoniã neceſſe eſt hujuſmodi hominem totam Dei legem implere, & ſingula virtutum mandata exequi quare & Deo debitam fidem, debitum timorem, debitum honorem, debitum amorem, & quicquid aliud vel ei, vel hominibus debetur, reddere, ſimiliter & debitã caſtitatem, debitam fortitudinem, & omnium aliarum virtutum opera, vel operationes agere. Ampliùs. Cùm ſit

debitor Deo puritatis, & munditiæ, & totum reddat Deo, quod ſuum eſt, neceſſe eſt, ut nec avaritia, nec luxuria, nec aliquo aliorum vitiorum ſe polluat. Quare neceſſariò ſe cuſtodit immunem, & mundum ab omni vitio, ſimiliter & ornatum omni virtute quantùm in ipſo eſt. Quare qui habet juſtitiam veri nominis, habet ex neceſſitate omnes alias. Poteſt illud etiam declarari & indirectè. Si enim cum hujuſmodi juſtitia poſſibile eſt aliquem habere quodcunque ex vitiis, ergo eo poſito non accidet impoſſibile, eſto ergo quòd habeat luxuriam, quoniam præceptum Dei eſt declinare luxuriam, Deo autem debetur in omnibus, & per omnia obedientia, cùm in hoc ergo non obediat, inobediens eſt Deo, & injuſtus in eum, quare juſtus eſt, & injuſtus ſimul, hoc autem impoſſibile, illud ergo, quo poſito accidit, eſt impoſſibile, hoc autem eſt illud, ſcilicet cum juſtitia habere aliquam luxuriam. Et eodem modo eſt ratiocinari de quocunque alio vitiorum. Eodem modo eſt oſtendere, quòd non eſt prudens ſimpliciter, qui ex aliqua parte imprudens eſt: Quis autẽ poteſt veriùs judicari imprudens ex aliqua partẽ, quàm quicunque fallacia vitiorum decipitur? Quicunque autem peccat mortaliter, turpiſſimè decipitur, & in mercimonio viliſſimo fraudem patitur infinitam, ſicut legitur Prover. 6 Pretium ſcorti vix eſt unius panis. Mulier autem pretioſam animam viri rapit. Et ad hunc modum ſe habet de aliis peccatis, & vitiis. Similiter non poteſt dici vivere, & ſimpliciter fortis, qui aliqua parte ſui, vel debilis, vel vulneratus, vel mortuus eſt; talis autem eſt, qui quocunque ex vitiis laborat; non eſt ergo ſimpliciter aut verè fortis, qui cujuſcunque vitij infirmitate debilis eſt. Ad hunc modum eſt oſtendere de charitate, ſive amicitia ad Deũ. Non enim eſt ſimpliciter amicus, & verè, qui ex aliena parte eſt inimicus; inimicus autem Dei eſt expreſsè, qui odit vel minimum ex filiis ſuis, quia homicida ejus eſt, ſicut dicit Joan in 3. primæ Canon. ſuæ. Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt Et Jacob. 4. Si quis vult amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur. Eodem modo eſt oſtendere de temperantia, quoniã impoſſibile eſt aliquem eſſe ſimpliciter temperatum, ſive temperantem, & in aliquo intemperatum, ſive diſtemperantem, quemadmodùm aliquem eſſe frigidum, aut tepidum ſimpliciter, & in aliquo ardentem, & ſimiliter ſimpliciter in aliquo circumciſum, ſive minus habentem & in aliquo excedentem. Non minus autem manifeſtũ eſt in generali, verbi gratia. Si diximus ſic, impoſſibile eſt aliquẽ ſimpliciter virtuoſum eſſe, & in aliquo vitioſum eſſe, vel ſimpliciter eſſe vitioſum, & in aliquo bonum; quemadmodùm aliquem ſimpliciter eſſe album, & in parte aliqua nigrum: cum quacunque ergo bonitate veri nominis impoſſibile eſt malitiam quamcunque eſſe, quia ergo contraria immediata ſunt bonitas, & malitia, virtus, & vitium circa quemcunque adultum, neceſſe eſt, ut quâcunque exiſtente virtute in quocunque adulto, & nullum cum eo eſſe vitium, & omnes virtutes ſimul in eodem eſſe. Secunda declaratio eſt per Dei juſtitiam, quæ omnem virtutem veri nominis remunerat fœlicitate æterna, & per quam omni virtuti, & gratiæ redditur gloria ſibi congruens, & reſpondens, ſicut docebimus in parte ultima tractatus. Quia ergo impoſſibile eſt futuram gloriam, & damnationem ſimul alicui reddi, hoc autem contingeret, ſi hujuſmodi virtus, & quodcunque vitium ſimul eſſent in codẽ, tamen impoſſibile eſſet ipſum in ambobus decedere quare illud ex quo ſequitur, neceſſe eſt impoſſibile eſſe, impoſſibile ergo eſt virtutem veri nominis, & quodcunque vitium ſimul in eodem eſſe. Ampliùs. Sicut ſe habet gratia-gratum

Iuſtitia omnes alias virtutes complectitur.

Odium fratris eſt homicidium.

Secunda declaratio.

E faciens ad remunerationem æternam, ſic & culpa mortalis ad damnationem oppoſitam, quia ut ea ſuo modo, & meritum, quare & permutatim ſimiliter habebunt. Sicut ergo æterna remuneratio ad æternã damnationem, ſic hujuſmodi gratia ad hujuſmodi culpam, quare ſicut illæ, nec ex parte, nec ex toto ſimul poſſunt eſſe in eodem, ita nec iſtæ Ampliùs. Effectus gratiarum, ſive virtutum viæ, inſeparabiles ſunt, & ſe invicem neceſſariò comitantur, ita ut ubicunque unus, & omnes, ubicunque enim una virtus gloriæ & omnes: quare virtutes viæ inſeparabiles ſimili comitantia erunt neceſſariò colligatæ; ſic ergo in quocunque una eſt, ſunt omnes ex neceſſitate. Attende autem, quia probationes, quas hîc inducimus, fundatæ ſunt ſuper hanc radicem, quam omnes Doctores ſacri recipiũt, videlicet quòd quælibet hujuſmodi virtutum dignum facit vita æterna, & cuilibet operi ex quacunque tali debetur de juſtitia Dei vita æterna, & cuilibet operari ex quacunque tali virtute procedente, opere dico voluntario, & de hoc loquemur tractatu de meritis, & retributionibus. *Nota.*

CAPUT XXIII.

Subtiliter diſputat. an virtutes intenſionem, ac remiſſionem recipiant.

POſt hæc loquemur pauca de intenſione, & remiſſione, ubi primùm inquirendum nobis erit, an intendi, & remitti poſſit, an tantùm intendi, & non remitti, an æqualiter. Et videtur primùm quòd

G intendi non poſſit ullo modo quemadmodùm nec augeri, nec minui, cùm ſint impartibiles, impartibile enim impartibile manens, manet minimum, & in ultimo parvitatis; non recedit ergo à parvitate, in qua erat, & ideò non creſcit, minui autem non poteſt, cùm poſt ultimitatis parvitatem non ſit parvitas. Amplius. In eſſentia virtutis cujuſcunque non fit additio, cùm ſit impartibilis nec fit depuratio in ipſa ab admixtione contrarij, cùm nulla fiat detractio ex ea: ſi enim fieret detractio ex ipſa eſſet invenire in ea partem, & partem quoniàm eſſet invenire in ea id quod detraheretur, & id quod relinqueretur, quare eſſet ex neceſſitate partibilis, hoc autem impoſſibile eſt, cùm ſubjectum ejus impartibile ſit. Amplius. Intẽſio ſit in qualitatibus corporalibus ſecundùm depurationẽ, & remiſſio ſecundùm admixtionẽ cõtrarij & iſtud non habet locũ in virtutibus, hic ergo eſt modus intenſionũ in eis, aut remiſſionũ, ſi remiſſiones ſunt apud illas. Ampliùs. Intenſio eſt acceſſus ad rẽ ſecundùm veri nominis impoſitionẽ, ſicut dicit Ariſtot. in lib de ſex princip. Quæ ergo

Acutè diſputat.

Intenſio quid.

H erunt virtutes veri nominis, an illæ quæ ſunt viæ, an illæ quæ ſunt patriæ? Impoſſibile videtur quod alterutræ, omnes enim albedines veri nominis æquales ſunt, quoniàm albedo veri nominis eſt albedo pura, & album hujuſmodi albedine eſt album in ultimo. Omnia autẽ alba in ultimo æqualiter alba ſũt, & albedines eorum æquales; ſive ergo virtutes viæ, ſive virtutes patriæ veri nominis virtutes ſunt, neceſſe eſt illas eſſe æquales, hoc autẽ impoſſibile eſt; ſi enim hoc eſſet, vel omnes animæ quæ hîc ſunt, eſſent æquè bonæ, vel quæ in patria ſunt eſſent æquè bonæ, cùm virtutes viæ, vel ſingulæ bonitates ſint, vel omnes ſimul ſumptæ una bonitas, qua bona eſt anima, in qua ſunt, & ſimiliter ſingulæ bonitates, vel virtutes patriæ ſingulæ beatitudines, vel omnes ſimul ſũptæ, quæ in uno ſubjecto ſunt, una beatitudo beatificans illud. In quo reſpondemus, quia intenſio in virtutibus elongatio eſt à contrario, unde & quæ ſunt in ultimo elõgationis à vitiis, in ultimitate ſunt intenſionis, hoc eſt intenſiſſimæ, vel ſecundùm in-

Intenſio in virtutibus quid.

Digitized by Google

A tenſionem maximè; ſimiliter intenſio virtutum appropinquatio eſt ad primam, & maximam virtutem, quæ Deus eſt, & intenſio juſtitię appropinquatio ad juſtitiam, quæ Deus eſt, & pietatis ad pietatem, quæ Deus eſt, & charitatis ad charitatem, quæ Deus eſt, & ita de aliis, quod inde evidenter declaratur; quæ enim magis Deo aſſimilant, illæ majores, ſive intenſiores ſunt, & quæ ęqualiter, æquales, ſive æqualiter intenſæ. Et propter hoc dicit Joannes in 3 Canonicæ ſuæ. Scimus quoniàm cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quod quidem per antonomaſiam dictum eſt. Tunc enim maximè ſimiles ei erimus, cùm virtutes noſtræ maximę erunt, hoc eſt in ultimo perfectionis ſuæ, quod erit in patria. Nihil enim aliud eſt glorificatio animarum noſtratum, ſicut docebimus in ſequentibus, quàm aſſimilatio illa ad Deum. Si quis autem quærat in quo, vel quid cognoſcetur, & menſurabitur hujuſmodi intenſio.

Glorificatio animarum noſtrarum quid.

B Reſpondemus, quia elongatio à vitiis cognoſcitur aliis circonſtantiis paribus ex hujuſmodi motibus, quales nominabimus: verbi gratia. Qui odit, magis horret, magis abominabitur corde, quominùs eas ſentit, æqualiter pulſatus à foris, & ſimiliter diſpoſitus in aliis, quod dicimus ideò, quia diſſimilitudo diſpoſitionum, atque diverſitatum, vel juvat, vel impedit motus, quos diximus, verbi gratia. Aliquis vitium non autem præcognitum, vel auditum non tam magnitudine, quàm novitate horret, ut monſtrum, & deteſtatur, ut nefarium, longè ampliùs multis eo juſtioribus, & ſanctioribus; & aliquis vir ſanctus longè magis, & majorem ſentit inſultum luxurię aliquo minus ſancto, & juſto, & hoc vel propter cibum, & potum, vel propter multiplicationem materiæ ex qua eſt luxuria, ille verò minorem propter jejunium, vel aliam afflictionem, vel occupationem, vel aliquid aliud hujuſmodi, & propter hoc

C æquales ſunt virtutes, quæ æqualiter ſubjecta per omnia diſpoſita, æqualibus motibus movent, & ad æqualia opera aggredienda æqualiter, ideſt æqualium difficultatum, ſicut ad æquales eleemoſynas, & ad æqualia jejunia, ad æquales labores minuuntur, & intenduntur & remittuntur hujuſmodi motus, adjuvantur, aut & impediuntur bonis, vel malis diſpoſitionibus ſubjectorum, ſicut motus audacię impeditur ex naturali puſillanimitate, & motus magnificentiæ, ſimiliter & aliqui alij, ſimiliter & motus zeli adjuvatur, & intenditur ex naturali iracundia, & etiam colerica complexione, & propter hoc non ſequitur, quòd ſi magis movetur quis, quòd ex majori virtute. Quemadmodùm magis ardet, aut calet, quod ex majori calore, vel minus calet, quod ex minori calore, ſicut accidit in ferro, & ligno arido,

Nota.

D unde enim arderet hujuſmodi lignum, vix caleret ferrum, & unde lapillus longè jacitur vix moveretur magnus lapis. Remitti autem, vel minui hujuſmodi virtutes impoſſibile eſt: per peccata enim mortalia extinguuntur totaliter, per peccata verò venialia ſi minuerentur, & præmia æterna; & ita aliquid de eis detraheretur. Detractio autem de præmio ęterno, pœna æterna eſt, quoniàm æterni damni, & æterni boni ablatio, videlicet partis ipſius præmij, & æterni, & ita peccatum veniale puniretur pœna æterna. Ampliùs. Secundùm hoc per ſola venialia poſſet conſumi virtus hujuſmodi. Si enim aliquo peccato veniali intantùm minuitur, ergo per duo æqualia venialia, duo tanta ei detraherentur. Cùm ergo non ſint in eo infinita merita, ſive infiniti meriti tantæ partes, per infinita ergo venialia conſumetur ex toto. Eſto ergo quòd decedat in illis venialibus abſque ullo mortali, ille non damnabitur damnatione æterna, cùm culpam mortalem non habet, nec præmiabitur vita æterna, cùm virtus in eo extin-

Peccatum mortale virtutem extinguit.

A cta ſit. Sufficiat ergo tibi in his apertam eſſe viam, ad declarandum virtutes non poſſe minui, & quia hoc non eſt de fortitudine, aut impoſſibilitate eſſentiarum, ſed de veritate, & ęquitate divinæ juſtitiæ, quę pro veniali nō patitur infligi pœnam æternam. Quemadmodùm Adam fuit immortalis ante peccatum, & ideò invulnerabilis, & illęſibilis, hoc ſcilicet modo protectione divinæ juſtitiæ, non autem naturali impaſſibilitate. Si quis enim gladio, ferro, vel igne extinguere vellet Adam ante peccatum, non permitteret hoc divina juſtitia, quæ non ſinit, ut pœna culpam præcedat, immò ordinat eam poſt culpam. Adam ergo à gladio, vel igne in eo ſtatu non teneret naturalis impaſſibilitas, quàm utique non habebat, ſed ordo divinæ juſtitiæ, ut diximus, quę ut pœna culpam præcederet non ſinebat, ſicut enim culpa cauſa mortis fuit, qua non præcedente non eſſet inflicta, ſic & totius pœnalitatis præſentis; vides

Pœna non precedit culpam.

B ergo quia non ita eſt in virtutibus, quemadmodùm in numeris. Quia enim numerus nec augeri poteſt, nec minui, determinationem facit eſſentiæ ipſius, propter quam quacunque additione vel detractione diverſificatur eſſentialiter, & eſt alius qui relinquitur poſt detractionem ab eo, qui priùs erat, ſimiliter & alius, qui conſtituitur per additionem ab eo qui priùs erat. Alius enim ſpecie numerus eſt ternarius ab eo qui poſt detractionem unitatis ab eo relinquitur, hoc eſt à binario: alius ab eo qui ex additione unitatis cum eodem adjungitur, videlicet, à quaternario; quare ſi virtus hoc modo eſſet determinatæ eſſentiæ, nec minueretur nec augeretur, nec intenderetur, nec remitteretur. Manifeſtum autem eſt, quoniàm intenditur, quòd ergo non minuitur eſt protectione divinæ juſtitiæ, non determinatione (ut diximus) eſſentiæ. Addemus autem tibi aliam declarationem ad hoc. Eſto enim quòd aliquis de-

Similitudo.

C cedat cum uno veniali tantùm, quòd aliquid ejus minuerit in centeſima parte illius, non eſt dubitandum, quin illud veniale in purgatorio expietur, & non ante, quia cum eo deceſſit, qui illud commiſit, non remittetur autem donec expietur, aut pœnitentia plena pro eo agatur, quare non remitteretur, niſi in purgatorio. Quærimus ergo utrùm gratia, quę in eo imminuta per veniale erat, revertatur ad priſtinam quantitatem, ſive intenſionem, an non? ſi ſic, ergo reſurget ille melior, quàm deceſſerit, & præſentabitur in judicio melior, quàm ex hoc vita exierit; alioquin inutiliter creſceret gratia illa, & ſecundùm magnitudinem, ſive intentionem ipſius non eſſet ille remunerandus. Ampliùs. Secundùm hoc erit locus merendi in purgatorio; cùm enim major gloria debeatur illi pro ſtatu purgatorij, quàm pro ſtatu

Moriens cum veniali.

D in quo deceſſit, ſic adductum eſt præmium quare & meritum, & ita acquirit novum meritum in purgatorio, videlicet meritam partem, quæ ei reſtituitur. Quòd ſi expiato hujuſmodi peccato veniali non reſtituatur ei gratia per ipſum ante detracta, ergo punitur bis in idipſum, quia punitur & detractione, ſive diminutione gratiæ, & pœna jam in purgatorio exſoluta. Ampliùs Qui ſecundùm hoc peccaret venialiter, magis mereretur in purgatorio, & hoc eſt quoniàm ſi centuplum magis peccaret A, quàm B, centuplum magis minueretur bonitas ejus hîc, & propter hoc centuplo ampliùs reſtitueretur ei in purgatorio. Tota autem reſtitutio non eſt ibi, niſi augmentum meriti, & etiam meritum, quare quantò ampliùs quis hîc venialiter peccaret, hic decedens in ſtatu gratiæ, tantò major gratia ei fieret in purgatorio & magis ejus meritum augeretur, & ita de malitia reportaret quis commodum, & ita de majori major. Ampliùs. Pœna illa in purgatorio inflicta, aut eſt ſufficienter expians peccatum illud veniale,

Nota.

Digitized by Google

pro quo inflicta eſt, aut non: ſi ſic, iniquè ergo agitur cum eo, dum ei pro eodem alia pœna infligitur, quare nulla alia infligitur pro illo eodem; ergo diminutio gratiæ non infligitur eidem: quòd ſi non eſt ſufficienter expians illud peccatum, non poteſt tamen inficiari, quin pro parte expiet illud; ſi enim nec pro parte, inutiliter, & in vacuum infligeretur, ſi verò pro parte, manifeſtum eſt, quoniàm pro aliquanta pœna purgatorij poteſt totaliter expiari peccatum illud, major autem eſt diminutio gratiæ, & gloriæ, quàm quantacunque pœna purgatorij, & nemo eſt in purgatorio, qui non quamlibet pœnam purgatoriam ſuſtinere mallet, quàm duas illas, nec enim æſtimationem habet gratia, vel aliqua pars ejus, & incomparabiliter multò fortiùs nec gloria, nec pars ejus aliqua. Pœna autem purgatoria modis omnibus finita eſt; majori ergo pœna in infinitum punitur ille, cùm detractione, & diminutione gratiæ, & gloriæ ſimul, punitur, quàm puniendus ſit, cùm puniendus non ſit, niſi pœna ſufficienter expiante peccatum illud, hoc autem eſt purgatoria aliqua, ut diximus. Ampliùs. Si peccatum veniale diminuit gratiam hujuſmodi, aliud peccatum æquale cùm inveniat eam & diminutam, & debilitatam, plus eam diminuet, & debilitabit, quàm illud, quare tandem adeò diminutam, & debilitatam eam inveniet aliquod æquale ex hujuſmodi venialibus, quòd eam funditùs extinguet, ſicut accidit in ægroto, cujus virtus diminuitur per acceſſiones febriles, æquales, quòd aliqua ex illis inveniet virtutem ejus ita diminutam, & debilem, quòd eam radicitùs extinguet. Simile eſt de aſperſionibus æqualibus aquæ ſuper aliquem ignem, quòd ultima aſperſio inveniens eum diminutum, & debilitatum æqualibus aſperſionibus præcedentibus, totaliter illum extinguet, quamvis non ſit major aliqua aſperſionum præcedentium. Ampliùs. Nihil natum eſt diminuere aliquod virtute ſua, quod non ſit natum & totum illud conſumere ſi invaleſcat, ſive creſcat virtus ejus contra illud; quare ſi peccatum veniale natum eſt minuere virtute ſua quantumcunque ex gratiis, ſive virtutibus, multiplicata virtute peccati paulatim poterit conſumere illam, multiplicatur autem ei virtus per additionem aliorum venialium, ac ſi creſceret in ſe; quare per venialia, ſive per unum continuè creſcens in ſe, conſumetur totaliter aliqua ex virtutibus gratiarum. Ampliùs. Aut aliqua eſt comparatio ſeu proportio mortalis ad veniale, aut mortale eſt in infinitum majus. Quòd ſi eſt aliqua comparatio, videlicet, ut mortale in centuplo, vel millecuplo majus, aliquod ergo venialia æquabuntur uni mortali; ſi enim centuplo eſt majus, æquabuntur ei centum venialia æqualia, ſi millecuplo, mille: ex quo accidunt duo inconvenientia, primum ut ſicut per mortale totaliter extinguitur quælibet ex virtutibus gratiatum ita per centum, vel mille venialia extinguuntur; & ſicut non poteſt eſſe aliqua ex hujuſmodi virtutibus cum aliquo peccato mortali, ita nec poſſit eſſe cum centum, vel mille venialibus, quæ ſimul accepta ſint æqualia uni mortali. Si enim malitia unius mortalis, vel vi ſua, vel contrarietate quacunque gratiæ virtutem vel extinguit, vel non patitur eſſe ſecum, æqualis malitia multorum venialium idem neceſſe eſt operetur. Secundum eſt, quòd quæcunque eſt proportio culpæ ad culpam, eam eſſe neceſſe ſit pœnæ ad pœnam erit ergo ex neceſſitate aliqua proportio pœnæ debitæ pro mortali ad pœnam debitam pro veniali. Quia ergo pro mortali quocunque debetur pœna gehennalis, pro veniali autem non, immò vel temporalis, vel purgatoria tantùm. Quare erit proportio aliqua pœnæ gehennalis ad aliquam aliam, hoc autem manifeſtè impoſſibile eſt,

Nota. — *Pœna purgatoria finita* — *Nota* — *Acutè diſputat.* — *Proportio culpæ, ad culpam.*

E cùm gehennalis infinita ſit duratione, quicquid ſit de acerbitate ipſius: omnis autem alia finita ſit duratione, & acerbitate ſaltem non major quàm gehennalis, & ita vel minor acerbitate, vel æqualis, quare in infinitum minor ſimpliciter. Omnes enim duæ pœnæ, quarum altera eſt infinita duratione, altera verò finita, ſi æquales ſunt acerbitate, vel ſaltem proportionales, quæ infinita eſt duratione, in infinitum major eſt reliqua: & hoc jam declaravimus in quinto tractatu, & in ea parte ejuſdem, in qua oſtendimus pro quocunque mortali peccato deberi pœnam perpetuam, ſeu infinitam, & de divina juſtitia. Jam ergo declaratum eſt tibi, quòd non eſt proportio mortalis ad veniale in culpa, ſive in malitia, quare nec effectus ad effectum, hoc eſt nocumenti, & læſionis peccati mortalis ad nocumentum, & læſionem, quam irrogat veniale, nec ergo læſionis, quam
F irrogat mortale, ad læſionem quam irrogat veniale. Incomparabiliter ergo major eſt læſio, quam irrogat peccatum mortale gratiæ, ea læſione, quam irrogat ei veniale, ergo non eſt comparatio diminutionis, ſive detractionis, quæ fit de gratia per mortale ad illam, quæ de eadem fit per veniale, fit autem detractio gratiæ totius per mortale. Nulla ergo eſt comparatio totius gratiæ, quæ totaliter per mortale detrahitur, ſive conſumitur ad id quod detrahitur per veniale de eadem, quare id quod detrahitur de gratia per veniale, non eſt gratiæ pars, cùm totius gratiæ ad quamlibet ſui partem aliqua proportio ſit; ſi autem non detrahitur pars, non diminuit totum, impoſſibile eſt ergo minui quamcunque virtutem gratiæ gratum facientis per veniale peccatum. Quòd ſi dixerit quis quòd non eſt neceſſe ſi detrahitur pars, quòd propter hoc detrahatur aliud proportio-
G nale toti, quoniàm non neceſſe eſt omnem partem eſſe proportionalem ſuo toti, ſicut evidenter apparet in angulo contingentiæ, qui utique pars eſt anguli recti, nec tamen in aliqua proportione ſe habet ad illum. Secus enim eſt in virtutibus: virtutes enim non augentur, niſi augmento comparabili & proportionali, quod ei additur, vel quod augetur, & hoc eſt quoniàm quod additur virtuti, ſemper ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt cum ipſa; etiam cum ipſo, & ſi aliud detraheretur, ſimiliter ſe haberet. Angulus autem contingentiæ non eſt ejuſdem ſpeciei cum recto, nec etiam ejuſdem generis, omnes autem magnitudines ejuſdem ſpeciei neceſſariò comparabiles ſunt ex neceſſitate, & hoc dicimus hîc: forſitan enim in patria aliter ſe habet. Charitas enim Chriſti hominis nulli alij comparabilis proculdubiò, vel fortè alterius ſpeciei eſt, de quo nihil hîc
H pro certo aſſerimus. De comparationibus autem virtutum viæ ad eas, quæ ſunt patriæ, loquemur in ultima parte tractatus iſtius. Hîc ergo finem faciemus partis primæ de virtutibus, & moribus, de quibus multa propter imperitiam, multa propter occupationes alias, multa propter ignaviam, multa metu prolixitatis, plurima peccatis facientibus, quæ maximè in talibus & nos, & alios impediunt, non ſcripſimus, morſibus tamen detractorum nos patere non dubitamus & curioſitatis, atque ſuperfluitatis nos eſſe & ab ipſis, & à quibuſdam aliis in parte iſta arguendos, qui cùm pauca vel legerint, vel audierint, vel noverint de virtutibus, & moribus, ſuſpicantur non eſſe alia de virtutibus & moribus inquirenda, vel ſicut dicit Ariſtoteles, tanquàm imperitiores tam magnas, tamque ſublimes, de longè ſpeculantur, non attendentes quàm pia ſit, quamque ſalutaris in talibus curioſitas, neque quantùm temporis ipſimet rebus inutilibus, ac à pietate aridis vaniſſima curioſitate inceſſanter impendunt. Facientes ergo, quod poſſumus, occaſionem nonnullam dedimus

Cuicunque mortali pœna infinita debetur. — *Non eſt proportio mortalis peccati ad veniale.* — *Simile.* — *Concluſio tractatus.* — *Ariſtot.* — *Pia curioſitas.*

Digitized by Google

nus ſapientibus, & ingeniorum exercitationibus non aridam arenam infructuoſarum quæſtionum, ac diſputationum propoſuimus, ſed palæſtram perutilem, ac ſalubrem ad vincendos errores & eripiendam veritatem virtutum cum triumphis nobilibus de medio eorum.

DE MORIBUS.

CAPUT I.

In hac ſecunda parte hujus pulcherrimi tractatus de virtutibus, auctor vertit quodammodò ſtylum, & virtutes ipſas de ſe loquentes inducit. Loquitur autem primò fides, & ſuos effectus, ac eximias dotes prædicat.

POſt hæc autem aggredimur cum Dei auxilio partis hujus primæ de virtutibus, & moribus, partem ſecundam, in qua non eſt nobis neceſſarium per vias probationum incedere, ſed magis per viam narrationum, quæ unicuique legenti, vel audienti per ſeipſa manifeſta ſint, ſcribere; ut autem ipſæ narrationes lucidiores, & jucundiores pariter ſint, introducemus ipſas virtutes loquentes magnificentiam, & mirificentiam operum ſuorum, prælia quoque, & victorias, & inter hæc prima fides ſic de ipſa incipit loqui. Ego ſum prima vita mentis humanæ, Deo ipſo teſte in ſecundo capitulo Abacuch. Juſta mens ex fide vivit, cùm enim Deus vita animarum ſit (ut dicit Auguſt.) & tres ſint conjunctiones ipſius ad animam humanam. Prima, ſcilicet ad ejus affectum. Secunda ad ejus intellectum, & utraque iſtarum vita ſit gratiæ. Tertia verò ad ejuſdem ſit ſenſum, ſcilicet interiorem ſpiritualem immediatum, & ſecundùm totum divinæ luminoſitatis, & hæc eſt divinæ vita gloriæ: quare ego ſum prima vita gratiæ, quia prima conjunctio vivificantis virtutis, quæ Deus eſt, ad mentem humanam. Prima enim conjunctio illius, conjunctio inquam gratiæ ad mentem humanam, conjunctio ejuſdem eſt ad intellectum ipſius, quare ego mortem mentis humanæ prima mortifico, prima de illa triumpho. Ego ſum lux, quæ prima tenebras ignorantiæ, & infidelitatis irrúpo, ego ſum lux in operibus recreationis, & reformationis humanæ. Primùm creata quemadmodùm lux cum operationibus divinis, Moyſe atteſtante. Ego ſum columna lucis de Ægypto tenebrarum, & errorum, ducatu meo intellectum humanum educens potenter, & victorioſè, ſicut legitur in Exo. 13. Ego ſum in bellis ſpiritualibus bellatrix prima, & ordine dignitatis vitæ primus debetur congreſſus, ſicut beatus Prudentius dixit. Prima ſubit campum dubia ſub ſorte duelli pugnatura fides. Ego ſum ante cujus faciem abiit mors Juxta quod legitur Abacuch. 3. Mors quidem infidelitatis detractiva, ignorantiæque & erroris. Ego ſum radix ſapientiæ, quæ nunquàm concidit, ſicut legitur Sapientię 3. Fides enim in ſæculum ſtat, ſicut legitur Eccleſiaſtici 40. Ego ſum porta vitæ, per quam ſolam vita ingreditur in mentem humanam, via qua Deus ad mentem humanam ingreditur & propter hoc ubi ego non ſum, nullus aditus patet Deo. Ego ſum porta illa, quæ porta morti, & mortis auctori clauſa eſt, ſed princeps univerſitatis Deus intrat per eam, ſicut legitur Ezechielis 46 Ego ſum via teſte Auguſtino, præter quam non niſi ad mortem curritur, immò quod plus eſt, præter quam non niſi ad mortem curritur, & ideò via ſum vitę quoniàm per me ſolam ad vitam venitur. Ego ſum via veritatis, quam elegit propheta David, quæ veritatem Dei uſque ad nubes evangeliſantium adduxi, ut infiniti errores mortiferi exinaniti per me evaneſcerent. Ego ſum argumentum, teſte Apoſtolo in 11, ad Hebræos, quæ dedignor eſſe confuſio probationum, atque quarumcunque ſuaſionum credi faciens improbabiliſſima, per me ipſam, & elevans intellectum humanum ad ea ſublimia cognoſcenda quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, teſte Apoſtolo in ſecundo ad Romanos. Ego ſum argumentum, quo morti, & omnibus erroribus impietatis concluditur. Ego ſum argumentum, quo humana ſapientia confutatur atque confunditur, & omninò ſtulta efficitur. Ego ſum ſtultitia omni ſapientia mundana ſublimior. Ego ſum ſtultum Dei ſapientibus hominibus, ſicut legitur primæ ad Corinthios primo. Ego ſum columna veritatis firmiſſima, humanum ſuſſulciens intellectum, ut non patiar eum ruere in profundum erroris mortiferi, aut ignorantiæ, nec patiens nutare dubitatione aliqua, vel hæſitatione periculoſa, hoc eſt quæ ruinæ approximet. Ego ſum virtus erigens ipſum à claudicatione naturali, qua vel evidentia veritatis ſuſtentari naturaliter, vel baculo probationis, aut cujuſcunque ſuaſionis incumbere, vel inniti poſſit ne ruat in aliqua ex nominatis profundis atque periculis. Ego ſum totius ædificij ſpiritualis fundamentum, teſte Apoſtolo in 11. ad Hebręos. Et propter hoc, qui me non pręjecerit, ruinam ſibi tantùm ędificat, propter hoc confidenter dico aliis ſororibus meis virtutibus, ut in me glorientur, quia ſine me nec ędificantur, nec ſtant, immò ruunt omnes. Porrò virtute mea ſum tanquàm fundamentum earum, ſi ergo me ſubtraxero omnes corruunt, per me intrant omnes in habitaculum ſuum, hoc eſt in cor humanum, nullus patet enim ad id aditus, vel ingreſſus niſi per me, niſi id eis pandam, nec colligentur hoſpitio, nec etiam cognoſcentur hoſpitio dignę eſſe niſi per me. Ego enim ſum per quam cognoſcuntur, per quam appretiantur, quæ quid & ad quid valuerint, propter quid quærendę, & amandę, & hoſpitandę ſint hominibus, oſtendo, & ſuadeo, viliſſimę eſſent, & ſubjectiſſimę, nemo illas requireret, nulla eſſet intentio, vel memoria tantùm, nemo de eis curaret, niſi ego procuraſſem, non ſuæ firmitati dent totum, quod ſtant, & quod vivunt, quæ ſtatum cadunt, & extinguuntur cùm eas portare deſtitero, ideò ſemper indigent mea ſuppoitatione. Ego ſum galea ſalutis caput humanæ mentis, & intellectum protegens contra jacula hęreticorum, & philoſophorum, & ea velut ſagittas parvulorum retundens, & in ipſos jaculantes decoras linguas eorum contra ipſos infirmans, & ut ſibi ſolet, mentiatur iniquitas eorum, efficiens. Ego ſum primus Dei bellator arcem humanæ mentis, ideſt virtutem intellectivam prima expugnans, & prima potenter, & victorioſè ingrediens, & ipſum primum Dei hoſtem, ideſt ſenſum humanum, & mundi ſapientiam in eadem arce occidens, aut ſaltem captivans, ſicut docet Apoſtolus in 10. 2. ad Corinthios. In captivitatem redigentes omnem intellectum extollentem ſe adverſùs ſcientiam Dei & in obſequium Chriſti Ego in iſta arce expugnatura vexillum ejus, hoc eſt regis regum, in ſignum victorię, & triumphi erigo, ideſt Dei filium in cruce pendentem, morte vincentem, & ſerę

Marginalia: *Fides.* — *Tres conjunctiones Dei ad animam.* — *Prudentius.* — *Fides porta eſt morti clauſa.* — *Fides columna veritatis.* — *Fides fulcit omnes alias virtutes.* — *Fides galea ſalutis* — *Fidei vexillum.*

corrupta, & erroribus proſtituta, & à perverſis dogmatibus velut Chaldæis fornicantibus abominabiliter inquinata. Quid eſt mens infidelis, niſi meretrix per ipſum omnis corruptionis initium, & radicem infidelitatis diabolo execrabiliter vitiata, & capitabiliter dedicata. Quid inquam eſt mens hujuſmodi aliud, niſi mens inſani capitis, id eſt furioſi intellectus, qui ſine argumento contra Dei veritatem diſputare contendit. Quid eſt mens infidelis, niſi bellator imbecillis, & omninò inutilis, qui capite, id eſt intellectu lætaliter vulnerato, vulnus mortiferum in eo geſtans, immò capite erroribus confiſcato, quo Dei veritatem impugnare præſumit. Quis enim laudes meas enumeret, aut enarret, quas tam ſtudioſè ſcribere aggreſſus ipſe eſt Apoſtolus in 11. ad Hebræos. Non complevit ſicut ipſemet teſtatur ibidem dicens. Et quid adhuc dicam, deficiet mihi tempus & cætera. Sunt indubitanter & aliæ laudes fidei multæ, & magnæ, & alia opprobria, & ſuggillationes infinitæ infidelitatis, quemadmodùm ſi diceret, quia mens infidelis eſt viator nocturnus ſine duce, & luce, & multa hujuſmodi, ſed imperfectum meum omnibus non ſufficit.

Laudes ampliſſimæ fidei.

CAPUT II.

Timorem de ſe loquentem facit, quo modo ſupra de ſe fides pulcherrimè elocuta eſt. Enumerat itaque ſuas laudes, ac dotes pulchro, & eleganti ordine modeſtè præfatus.

TImor verò laudes ſuas hujuſcemodi ſermonibus orditur, atque proſequitur. Fides magnas, & miras laudes ſuas recenſuit, nec tamen omnes, plurimas enim prætermiſit. Vera dixit per omnia, nec non in toto cœtu, ſeu choro virtutum, atque donorum jus, & honorem obtinet primogenituræ, & in multis, ſicut ipſamet teſtata eſt, primatum, atque principatum; verùm laudes ejus ita recipio, ut meis non derogem, & meas ſic prædico, ut ſuis non detraham. Et primùm quidem ab his, in quibus debilis videor, puſillanimis, & tremulus, animi deficientis, & concidentis ordiar, declarans evidenter, quòd in illis fortiſſimus ſum. Fugam me eſſe fateor ſpiritualem, non quidem fugam puſillanimitatis, aut formidoloſitatis, ſed cautæ declinationis, ſicut dicit Proverbiorum 14. Salomon. Sapiens timet, & declinat à malo, & iterùm ejuſdem 15. Per timorem Domini declinatur à malo, & iterùm ejuſdem 14. Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis. Sicut enim non eſt audacia, ſed inſania toto ſe impetu præcipitare in infernale incendium; ſic declinare ab illo non puſillanimitas eſt, ſed virtuoſiſſima fortitudo irrumpens laqueos, atque fortiſſima vincula divitiarum, & deliciarum trahentium ad illud: ſicut non fortitudo Dæmoniaci erat quòd frequenter inſiliebat in aquam, & frequenter in ignem, ſed arreptio Dæmoniaca, ſicut legitur Marci nono; ſic illa quæ videtur inſipientibus fortitudo, qua fortes ſunt ad bibendum vinum, & miſcendam ebrietatem, ſicut legitur Iſaiæ quinto; ſic non fortitudo eſt freneſis, vel inſania, ſed magis infirmitas, & ægritudo peſſima, licet freneticus, aut maniacus fortior videatur longè, quàm ſi eſſet ſanus; ſic iſtæ inſaniæ, quibus fortès judicantur carnales, & ſæculares homines, magis rabies ſunt exagitantes eos, & energiæ peſſimæ, propter quod impotes ſui, & mente capti dicuntur. Non poteſt dubitari admirandæ fortitudinis eſſe cum igne devorante habitare, de quo legitur Iſaiæ triceſimotertio, cum igne qui eſt ad conſummationem devorans, & ultima eradicans genimina, de quo legitur Job triceſimo primo. Hic eſt ignis carnalium ſæculariumque

Timor.

Fortitudo vera.

E deſideriorum. In his ardoribus ego frigus facio, caro enim peccati, & corpus mortis hujuſmodi, de quibus legitur in ſeptimo, & in octavo ad Romanos, nihil aliud eſt, quàm fornax ardoris hujuſmodi, & ſcatutigo flammarum ſæviſſimarum. In medio hujuſmodi flammarum ego tremere facio, in medio hujus ardoris frigere facio omnes illos, in quibus ſum. Ego medium fornacis Babylonicæ facio quaſi ventum roris flantem, ubicunque mittor, ſicut legitur Danielis tertio Angelus Domini feciſſe. Ego enim frigus ſum, ſive frigiditas ſpiritualis, & tremorem cordis inducens. Quemadmodùm enim tremor corporalis eſt ex vehementi frigiditate corporali, ſic tremor ſpiritualis ex vehementia frigoris ſpiritualis, ſive frigiditatis: qualiter autem dubitari poteſt, fortitudinem magis eſſe magnificam, atque mirificam quæ tantas flammas ſuperat, de tantis ardoribus tam mirabiliter triumphat. Probo autè iſtud, & per teſtimonia prophetica, ait Salomon Proverbiorum decimoquarto. In timore Domini fiducia fortitudinis, & Eccleſiaſtici triceſimoquarto Qui timet Dominum trepidabit, non pavebit, & philo-

Nota.

Tremor corporalis & ſpiritualis.

F ſophus qui timet Dominum, omnia timent eum. Denique adeò magnifica eſt fortitudo mea, ut peſſimus auctor malitiæ, ubi ego ſum appropinquare non audeat, ſicut teſtatur Salomon Proverbiorum triceſimo. Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur abſque viſitatione peſſimi. Non novit me qui turpiter me fugitivum, aut puſillanimem putat. Audiant Job loquentem de me. 28. Ecce timor Domini ipſe eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia. Non turpiter malum declinat, vel etiam fugit, qui ſapienter ab eo declinat, & intelligenter recedit. Ego ſum qui diſrumpo compedes, & vincula quemadmodùm Samſon (in nono Judicum) ſe ligatum funibus per me diſrupit, & liber de vinculis exilivit. Ego ſum qui infirmitates, & debilitationes tollo, & vires reſtituo, quemadmodùm in parvulis, & in adultis febres interdùm

G curo, & levo, quaſi adhærentes, & affixos immò alligatos mirabili agilitate, & ſubita exilire facio, per me impletur illud Iſaiæ vaticinium, tunc ſaliet ſicut cervus claudus. Ego membris contractos ſubitò currere facio, & ambulare etiam non valentes interdùm volare. juxta illud Poetæ. Pedibus timor addidit alas. Ego exanimes, & jam, jamque extremum ſpiritum exhalantes vivifico & couſque conforto juxta literam, ac ſi nihil paſſi eſſent, ad quævis agenda, & patienda expeditiſſimi, ac ſtrenuiſſimi fiunt. Ego ad portanda onera pœnitentiarum fortiſſimos, ac robuſtiſſimos facio pœnitentes. Ego ad tranſiliendos montes, & colles excelſos dignitatum, & principatuum ſæcularium agiliſſimos, immò volucres facio me habentes, vehementes accelerantes. Quis infirmum me dicet, cùm mecum nullus claudus, ac debilis eſſe poſſit? Nullus qui

Poeta.

H non irrumpat vincula, & carceres peccatorum, nullus qui non tranſiliat, ut dixi, montes, & colles altitudinum mundanarum. Nemo calumnietur fugam meam, fuga quidem mea fuga Parthorum eſt, quæ utique non eſt formidoloſitatis ignavia, ſed bellandi peritia; fugiendo namque vincunt Parthi, propter quod & fugientes ab his qui eorum prælia norunt fugiuntur, & maximè timentur fugientes, ſic ego dùm fugio fugior, quoniàm dùm timeo, timeor: quod novit philoſophus qui dixit, quicunque timet Deum omnia timent eum, qui verò non timet Deum timet omnia. Non eſt fuga puſillanimitatis excludere jacula, aut protegere ſe, vel etiã abſcondere ab eis, ſed prœliandi potiùs nobiliſſimum artificium, ac victorioſiſſimum. Non hoſtem fugio, quem præſentem ſemper habeo, ſed vires ei

Fuga Parthorum.

Fuga victorum.

Digitized by Google

ſubtraho, dùm meipſum ab his quæ vires illi præſtarent, longè facio: qui enim ab arce, & mænibus ſimulata fuga ſe abſtrahunt, hoſtes protrahunt, non puſillanimitati aſcribendum eſt, ſed magis bellandi peritiæ ſicut populus Dei nonnunquàm feciſſe legitur. Veniam ad mirifica opera mea. Dico ergo, quòd maximè mihi minetur hoſtis & inferni carcerem, mortem, & tormenta. Ego ignem, & gladium contra eum in armaturas fortiſſimæ protectionis, & tutiſſimum refugium converto, immò arcem impugnabilem ipſum infernum mihi facio,; quotiens quippè ignea tela carnalium concupiſcentiarum, aut ſæcularium deſideriorum mittit, ut me trajiciat, ipſum infernum ante oculos meos pono, & illum velut clipeum jaculis illis obtendo, eoque me tueor, & protego. Quis habens enim ante oculos infernum læditur? ab hujuſmodi jaculis in eum velut in domum refugij quotienſcunque tentor, fugiens in tutiſſum. Ex illo velut arce fortiſſima hoſtium tela deſpicio, velut armatura impenetrabili, & infallibili circundatus, & munitus omnia hoſtium tela elido, & tundo, & quod eſt mirabilius in illo igne ſempiterni ardoris, ardores concupiſcentiarum mearum extinguo. In omni æſtu tentationum mearum fornacem illam infernalem refrigerium mihi facio, & quod eſt mirabilius ab illa fugiens ad illam fugio, & quantùm ab illa fugio, tantò ipſa eſt mihi fortius refugium, atque ſecurius: quantò enim illam magis timeo, tantò ab illa magis ſecurus ſum; nullus enim in ipſam immittitur, niſi qui ad ipſam paſſibus, aut ſaltibus malorum deſideriorum, aut aliarum paſſionum malarum, aut operum malorum, aut commiſſionum currit, vel in illam ſe præcipitat, aut demergit. Ampliùs Cùm mihi formido, ſive expaventaculum in horto meo, quo aves volatilium cogitationum vanarum, immundarum, atque noxiarum deterreo, ſimiliter in beſtias vitiorum omnium: infernum enim erexi mihi viva, ac jugi recogitatione, immò terrore continuo, in omni anima, vel conſcientia, quam inhabito: ad cor enim, in quo hujuſmodi formido erecta eſt, nullus eſt acceſſus hujuſmodi feris, vel avibus. Ampliùs. Infernus eſt mihi medicina mirifica, ſolo intuitu innumeras infirmitates, & plagas per me ſanans in omni anima, quam inhabito, omnia enim vulnera carnalium ac ſecularium deſideriorum, omnes paraliſes, ſeu diſſolutiones voluptatum noxiarum, omnes ardores, & febres concupiſcentiarum per aſpectum ejus extinguo. Ego ſum janitor & cuſtos cordis humani, ipſum infernum pro clava nodorum innumerabilium, ſeu clavorum vibrans, & non unam ſolam mortem, vel ictum cordi humano, ſive ad dexteram, vel ſiniſtram declinaverit intentans, ſimiliter vitia, & peccata tam terribili clava ab ingreſſu ejuſdem terrens, & diffugans Ego ſum janitor gladium ex utraque parte acutum, ſive bipennem divinæ ſententiæ ad deterrendos fures vitiorum, & peccatorum, manu geſtans & vibrans, mortem utriuſque ſcilicet animæ, & corporis, non ſolùm hujuſmodi furibus, ſed etiam animæ, quæ aliquem ipſorum receperit, vel ad ſe intrare permiſerit, intentans. Ego ſum tortor, non ad mortificandum ſed potiùs ad vitam, quia à morte æterna fugere ad vitam, velut à tergo fuſtigans, compello. Ego ſum tempeſtas ad liberationem, & ſalutem terræ motum ſpiritualem in corde humano faciens, & omnia diabolica ædificia in eo ſubvertens, & diſcutiens ab eodem. Ego diabolum aſcenſorem cordis humani, mea compulſione & agitatione, ex illo exagito, vel dejicio, & alium in eo ſeſſorem, contra Deum non ſuſtineo, quemadmodùm equus regis Alexandri, qui dicebatur Bucefalus, omnem alium ſeſſorem ſua exagitatione dejiciebat, & ſolum regem ſuſtinebat Ego

Inferni conſideratio.

Effectus timoris.

Nota.

E ſum fortitudo, & virtus, ſicut exagitans quemcunque poſſideo, ut diabolicã loricã ſic diſrũpat, ac laceret, ut macula maculæ non adhæreat, aut ſe teneat, ſicut dicitur de Ogero doto, qui fuit unus de duodecim egregiis bellatoribus Francorum tempore Caroli regis, qui ſe de hoc jactaſſe legitur, vel dicitur, videlicet quòd adeò valida ſe exagitatione concuteret, ut quamcunque fortem loricam ferream prædicto modo laceraret, quod etſi fabuloſè, vel potiùs per hyperbolem dictum ſit de illo, de me tamen veriſſimum eſt. Diabolicæ autem loricæ ſunt, de quibus legitur Apocalypſis decimoſexto. Et habebant loricas ferreas. Ego ſum ventus Aquilo, nubes cogitationum. & affectionum carnalium, quæ diem mentis obnubilant diſſipans, juxtà quod legitur. Proverbiorum 25. Et ſerenum puritatis in eadem faciens, muſcas volatilium cogitationum frigore meo interficiens, ſimiliter & reptilia vitiorum carnalium de terra corporis humani exterminans, rivos concupiſ-
F centiarum reſtringens, & congelans, & totam vitam, immò omnes vias, ideſt ſemitas vitæ humanæ purificans Hæc enim omnia literalis. Aquilo literaliter operatur frigiditate ſua. Ego ſum ventus Aquilo, frigiditate mea mare mundi hujus congelans, & ſolidans, ità ut per ipſum, immò ſuper ipſum mare fidei, viri timorati, quaſi ſuper ſolidum pavimentum ambulent, quod in Petro ſuper mare ambulante evidenter eſt oſtenſum; per me enim in conſpectu Dei ſedet is, quem pro parte ad infernum dirigo, eſt mare mundi hujus vitreum ſimile criſtallo, ſicut legitur Apocalypſis quarto Ego aquam humani cordis in deorſùm ſemper fluentem congelo, & induro ſicut criſtallum, ſicut legitur in Eccleſiaſtici 43. Et ita de aqua viliſſima virtute mea gemmam facio. Ego ſum cuſtos, qui contra fures & latrones ſemper clamo, & etiam ubi non ſunt, clamoribus meis illos deterreo, & ubi ſunt interdùm, ſed eos eſſe ibi neſcio, inſtar cuſtodum literalium, qui
G dùm clamant contra latrones, quos tamen non vident, neque ſentiunt, clamoribus ſuis eos diffugant, unde Gregor. Bonarum mentium eſt ibi culpas agnoſcere, ubi culpæ non ſunt. Ego ſum qui à proditione vitiorum, ne ſcilicet ſub ſpecie virtutum humanam animam interficiant, utcunque eruo, ſicut faciebat Job in nono. Verebar omnia opera mea ſciens, quòd non parceres delinquenti, ubi Gregorius. Plerunque enim ſordet in conſpectu æterni judicis, quod intentione fulget operantis. Ego ſum cuſtos per cujus cuſtodiam, & ſolicitudinem etiam ab ipſis virtutibus armentur, ne vel ſe invicem, vel ipſum poſſeſſorem ſuum occidant, aut enim ſuperbiam, quæ mors eſt omnium virtutum, gignerent occaſionaliter aut ſecuritate in manus vitiorum inciderent, aut torpore jacerent, aut in pace dormirent, quæ rubigine omnes conſumeret, quemadmodùm ferrum
H & quies & pax, per rubiginem corrumpit, atque cõſumit: excito ergo eas inſtar ferri, ne in pace dormientes rubiginentur, ſtimulo eas, ne quiete torpeſcant, exterreo igitur eas, ne falſa ſecuritate ab improviſis hoſtibus occidantur, comprimo, ne in ſuperbiam intumeſcant: veriſſimum enim eſt illud quod legitur Eccleſiaſtici 27. Si non timore domini inſtanter te tenueris, citò ſubvertetur domus tua, & quàm citò dixerint virtutes, pax, & ſecuritas, repentinus eis ſuperveniet interitus. Juxtà quod dicit Apoſtolus 5. primæ ad Theſſalonicenſes. In pace enim hujuſmodi eſt amaritudo, ſcilicet virtutum, amariſſima, ut legitur Iſaïæ 38. Virtutes enim tentatione proficiunt, ſicut infra docebimus, profectu multiplici, quemadmodùm & bellatores literales, & quẽadmodùm quondàm filij Iſrael quantò ampliùs opprimebantur, tantò ampliùs multiplicabantur, ſicut legitur

Ogerus dotus.

Aquilo.

Gregorius.

Superbia.

Timor ſecuritatem otioſam expellit.

legitur Exodi primo. Virtus enim (ut ait Gregorius) A aut proficit aut deficit. Ego ſum qui cuſtodio ipſos cuſtodes ideſt cęteras virtutes, & etiam meipſam, quemadmodùm formido non ſolùm fructus, aut fruges cuſtodit, ſed etiam ſeipſam, & à ſe enim in primis, & ab illis aves, & feras deterret; ſic ego mihi, & aliis virtutibus caveo. Ego ſum cuſtos, & vigil aſſiduus, qui ęquè tempore pacis, ut tempore belli vigilo. Ipſam enim pacem propter prędicta pericula meritò timeo, & quod etiam eſt multis mirabile contra ipſam ſecuritatem vigilo; ſecuritas enim eſt omnium hoſtium earum primus, & maximus ut pote mihi contraria; nihil enim tam inimicum eſt alteri contrariorum, quàm alterum, at ſecuritas mihi contrarium, nihil aliud eſt, quàm debitæ curæ, & ſolicitudinis omiſſio, vel negligentia, undè ſecurus, quaſi ſine cura, hoc eſt quod dicit Seneca; quòd hoc habet ignavia, ut interdùm ſecura ſit, nunquàm verò tuta. B Iſta ſecuritas (ut diximus) timorem omniũ bonorum cuſtodem interficit, arma ſumere non ſinit, & quod eſt deterius ea deponere in medio hoſtium interdùm facit, hęc eſt quę gladiis, & hoſtibus, & omnibus periculis, eos qui in ea confidunt exponit. Innumera ſunt exempla in veteri ſcriptura, ſicut de Holoferne in decimotertio Judith de Amalechitis in principio primi Regum, de Philiſtęis in decimoquinto Judicum. Qui Samſone in templo Dagon corruente ſuper eos interfecti ſunt. Ecce in pręſcriptis officiis mihi ſervit infernus, ſervit & in aliis duobus, quemadmodùm pędagogus virgam, vel ferulam oſtendit parvulo, & à ſtultitia averſus, doctrinam, & diſciplinam amplectitur, licet alterutra earum non tangatur, ſic infernus mihi virga, vel ferula eſt, cujus intuitu, vel offenſione puerulos meos, velut Dei pędagogus erudio, & caſtigo. Infernus eſt mihi barbualdus, cujus oſtenſione parvulos meos, & ab omnibus ſtultitiis averto, & ad omnia bona C facienda, & ſuſtinenda compello, non derogo fidei ſorori pręnominatæ meæ, nec in derogationem laudis, aut gloriæ ejus quicquam dicam. Veriſſimè dixit quidam, quòd ipſa quodammodò Deum deificat, & ego non minùs, & hoc ipſi pagani idolatrę mihi teſtificantur, ſicut ille qui dixit. Primus in orbe Deos fecit timor, & ipſe Iſa. octavo: dominum exercituum ipſum ſanctificate, & ipſe pavor veſter & ipſe terror veſter. Attende tres filias meas, ſcilicet timorem pœnę, timorem offenſę, timorem reverentiæ, & conſidera laudes ſingularum, & mirabilia. Quis haberet Deum judicem, niſi eſſet primogenita mea, ſcilicet timor pœnę? Quis judicium ejus, aut juſtitiam formidat, niſi per eam? Quis ab eo vel ad ipſum fugeret, niſi per eam? Quòd ergo timetur, quòd ab eis, vel ad ipſum fugitur per me eſt. Deinde quis eum non offenderet, niſi eſſet ſecunda filia mea, videlicet timor offenſæ, ego averto paratos offendere D ipſum, ne offendant. Quis pacem, vel ad momentum ſervaret, ſi ego non eſſem? Quis eum vel vereretur, vel revereretur, niſi eſſet tertia filia mea, videlicet timor reverentiæ? Sed quid in his immoror? laudes meas & ipſe Spiritus Sanctus ſtudioſè deſcribere curavit, & potiſſimùm in Proverb. ſic incipiens. Timor domini gloria, & gloriatio, & lętitia, & corona exultationis, quid præclarius, aut ſublimius de quaque virtute dici potuit? Deinde timor domini delectabit cor, & dabit lętitiam, & gaudium in longitudine dierum, & conſequenter timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur; poſt hoc: Initium ſapientię timor domini, & hoc idem David in pſal. ſine me ergo ad ſapientiam ſtultè quis conatur: etiam poſt pauca: Timor domini ſcientiæ religioſitas, ego enim ſum plenitudo religionis, religionis inquam ſcientię, non ſuperſtitioſitas pueriles ſtultitiæ, quæ vulgari gallicano papilardia propriè dicitur. Ego plenitudo ſapientię, ſicut ibidè poſt pauca legitur, & plenitudo à fructibus illius, omnem domum meam implebit ſapientia à generationibus, & receptacula à theſauris ejus, quod eſt dicere. Quòd omnem domum meam in mente, quam inhabitavero, implebit generationibus ſuis ſapientia, & omnia receptacula, hoc eſt tres vires nobiles ſuperiores implebit theſauris ſuis, hoc eſt abſconditis, & pretioſioribus divitiis ſuis; & deinde: Ego corona ſapientiæ replens pacem, & ſalutis fructum replens, ideſt perficiens, & conſummans. vel replens, id eſt plenè conferens. Qualiter autem ſit gloria, & gloriatio, lætitia, & corona exultationis, & corona ſapientiæ, in ultima parte tractatus hujus declarabitur. Ego gloria ſenum, ſicut legitur ejuſdem Eccleſiaſtici 25. Ego finis modeſtiæ, ideſt conſummatio certificans ſpirituales, divitię, & gloria, & vita, ſicut legitur Proverbiorum 22. Ego Dei theſaurus, ſicut legitur Iſaiæ triceſimotertio. Timor domini ipſe theſaurus ejus. Ego ſuper ſapientiam, & ſcientiam, immò ſuper omnes virtutes, & velut opertimentum pulchritudinis, ſicut legitur Eccleſiaſtici 25. Quoniàm magnus eſt qui invenit ſapientiam, & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Deum. Timor enim domini ſe ſuper omnia ſuperpoſuit, & iterùm ejuſdem Eccleſiaſtici. Super omnem gloriam operuerunt illum, id eſt operimentum poſuerunt illum viri ſancti, ſubaudi, in eo ſuperabundantia, & plenitudo, ſicut loquitur in pſalterio. Non eſt inopia timentibus eum, & Proverbiorum 40. Timor domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur, ex me amœnitas, atque fertilitas ſpiritualis, & propter hoc legitur Eccleſiaſtici quarto. Timor domini ſicut paradiſus benedictionis. Sunt & aliæ multæ & magnificæ laudes meæ, quas per ora prophetarum Spiritus Sanctus auctor meus canere dignatus eſt, inter quas & illa eſt eximia, quòd ipſum Chriſtum dominum apothecam, immò fontem gratiarum omnium, & virtutum replere dictus ſum. Cùm enim alijs datum ſit in ipſo quieſcere ſolùm, moveri replere eum, ab ipſo Spiritu Sancto mihi attributũ eſt, ita enim ibidem dicitur. Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, & ita de alijs, deindè verò dictum eſt. Replebit eum ſpiritus timoris domini, nec mirum eſt, cùm ego plenitudo ſapientię ſim, cùm ego paradiſus ſim benedictionis, cùm ego ſim divitiæ, gloria, & vita, cùm ſim ipſe Dei theſaurus. Quid ergo decuit magis implere illum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ Dei, ſicut legitur ad Corinthios 2. Et in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, ſicut legitur ejuſdem primo. De me ſpecialiter dixit Spiritus Sanctus in primo Eccleſiaſtici. Timor domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. Apparent ergo officia mea tam ſalutaria & opera mea tam pręclara, tamque miranda. In partibus enim ſapientiæ ego ſum initium, ſive principium, hoc eſt quod vulgò dicitur introductio; quare ſine me, & non niſi per me patet ad ſapientiam ingreſſus. Sum & plenitudo ſecundùm tertiam filiam meam, vel partem, quæ eſt timor reverentiæ, in ornamentis regalibus corona, ſicut ſupra diximus. Corona exultationis, & corona ſapientiæ timor domini. In ornamentis domus, vel etiam animæ humanæ operimentum gloriæ, ex 40. Eccleſiaſtici. Super omnem gloriam operuerunt illum: in agris, vel in hortis paradiſus benedictionis, in miniſtris cuſtos arcens diabolum, & deterrens in mente quam inhabito, ex triceſimo Proverbiorum. Timor domini ad vitã, cuſtodiẽdã, ſupple, & in plenitudine cõmorabitur abſque

Timor vigil optimus.

Securitas otioſa.

Similitudo.

Statius.

Tres filiæ timoris.

Effectus timoris.

Timor eſt theſaurus.

Nota.

Timor expellit peccatum.

tatione peſſimi, & iterùm. In miniſtris janitor, ut diximus. Et tertio. In miniſtris mundator domus, ſcilicet expellens peccatum, ut dictum eſt, & quartò in miniſtris tortor, & carnifex, ſicut legitur in pſalterio. Confige timore tuo carnes meas, ut dicit Auguſtinus, quia velut quidam tortor carnales concupiſcentias timor trucidat, atque mortificat in opportunitatibus, ſeu commoditatibus foris: & in decimoquarto Proverbiorum. Timor domini fons vitæ. In partibus ligni ſapientiæ radix. Eccleſiaſtici 1. Radix ſapientiæ timere dominum. In forinſecis inſtrumentis formido, ſive expaventaculum, ut ſupra diximus: in ventis Aquilo propter cauſas quas ſupra notavimus; in elementis terra frugifera, & ager plenus cui benedixit dominus, in armis clava, innumerabilibus clavis, ſive bullis, aut nodis terribilis furibus, & hoſtibus ſpiritualibus, & hoc in ſuperioribus declaravimus.

Timor radix ſapientiæ.

CAPUT III.

Spes ſeipſam commendat, & ſuas filias enumerat: ſcilicet fiduciam, ſecuritatem non otioſam, erectionem, conſolationem, confortationem, expectationem bonorum repromiſſorum, jocunditatem, ſingulas quaſi diffiniens.

Spes.

SPes verò in primis dicit, timorem qui laudes ſuas ita proſecutus eſt nullo modo eſſe ſibi contrarium, quin etiam adjutorem fortiſſimum. Sicut enim timor fugit, hoc eſt fugere faciat, ut effugiat, ſic ego inſequor, ut aſſequar, licet contrarij fines ſint, effugatio malorum, & aſſecutio bonorum, immò ad alterum ſine altero non pervenitur. Nemo enim aſſequitur bona divinæ promiſſionis, niſi à malis effugerit, ſive evaſerit, hoc eſt liber, & immunis effectus fuerit ejuſdem comminationis. Ampliùs. Iſtæ intentiones non ſunt contrariæ, immò ſeſe ſociabiliſſimè compatiuntur, ſimul enim intendet quis & effugere à malis, & aſſequi bona repromiſſa, ſicut apparet in timore, quem ſancti vocant initialem. Ampliùs. Timor eſt mihi medicina contra timorem præſumptionis, & velut pondus me retinens, atque cuſtodiens, ne elever ad ruinam. Evidentiùs autem apparebunt laudes meę, ac præclaræ operationes, ſi filias meas, aut partes enumeravero. Harum ergo prima eſt fiducia, ſive fidentia, quæ eſt ſpiritualis innixio in illud, in quo ſperatur. Secunda eſt ſecuritas, non ſtulta, illa quam ſupra diximus incuriæ, quam habet ignavia, ſed potiùs ſenſus quidam, & roboratio vallationis, & protectionis divinæ. Tertia eſt erectio contra ea, quæ adversùs nos ſe erigunt, ſeu conſurgunt, & hujuſmodi contrarium eſt defectus, ſive diffidentia Dei. Quarta eſt conſolatio, de qua legitur in pſalterio: Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. Quinta, confortatio, quæ eſt velut reſumptio virium, & reſpiratio ex præſentia divini adjutorij. Sexta, expectatio bonorum repromiſſorum abſque hæſitatione. Septima, jocunditas, quæ ſpem hujuſmodi velut comes inſeparabilis comitatur, & fidentia quædam eſt velut columna mentem humanam, & totum ædificium virtutum ſuſtinens, & ipſa velut ſuper duas baſes divinæ miſericordię atque juſtitiæ erecta, & eiſdem ſuffulta. Qui enim confidunt in domino, non ſolùm in miſericordia confidunt, ſeu ſperant, ſed etiam in juſtitia, & veritate, qua promiſit ſe non deeſſe ſperantibus in ſe; ex hac, & propter hanc dixit David. Dominus firmamentum meum, etiam alia litera quæ habet. Dominus petra mea, propter hanc eandem dixit & illud. Statuit ſupra petram pedes meos. Et illud: ut mons Sion, qui habitat in Hieruſalem, non

Fiducia.
Securitas.
Erectio.
Conſolatio.
Confortatio.
Expectatio.
Iocunditas.

commovebitur in æternum, ſic qui confidunt in domino; non eſt ergo mihi timendum à ruina, quam tale firmamentum portat, & ſuſtinet, non eſt mihi timendum ab impulſu & mutatione, quæ immobili per omnia fulcimento totaliter innitor. Non eſt ergo mirum ſi cum labentibus labuntur, qui ſolis labilibus innituntur, ſicut dicit Beda. Qui enim cadenti mundo incumbit, vel innititur, cum ipſo inceſſanter neceſſe cadere habet. Meritò ei totaliter innitor, quem miſericordia mihi fundamentum ſuppoſuit, non enim ita crudelis eſt, ut ſe ſubtrahat & me cadere permittat, ſicut dicit Auguſtinus. Et ego ſuperaddo, quia non eſt proditor, aut illuſor, ut me ſibi inniti jubeat, & ſe mihi ad me ſupportandam offerat, & ad ruinam meã ſe mihi ſubtrahat: propter quid enim diceret: Spera in domino? propter quid F tam crebrò ad ſperandum in ſe invitaret, niſi nos ſuffulcire, & ſupportare vellet? De hoc Auguſtinus ſuper pſalterium. Ante omnia in Eccleſia Catholica didici, ut ſpes mea non eſſet in homine. Maledictus enim qui confidit in homine, ſicut legitur Hieremiæ 17. Hanc maledictionem declino, & benedictionem, quæ ibi ſubſequitur obtineo. Baculo arundineo innititur, qui ſub innitente confringitur, & ipſum vulnerat qui confidit in homine, ſicut legitur Ezechielis 29. Pro eo, quod fuiſti baculus arundineus domui Iſrael, & confractus es, & lacraſti omnem humerum eorum, aliis ergo inniti, vel incumbere non eſt, niſi cadere. Ego ſum firmamentum quod Deus ſecunda die, videlicet poſt creatam lucem fidei creat in creatione mentis humanæ, quæ eſt juſtificatio malorum. Ego ſum quæ nunquàm confundor, ſicut & ipſe David dicit. In te ſperavi non confundar in æternum, & Eccleſiaſtici 2. Scito, quia G nullus ſperavit in domino, & confuſus eſt. Confunditur (inquit Auguſtinus) qui ſperat in homine & hoc eſt quoniàm homo ſperanti in ſe, ſe ſubtrahit, aut propter propriam infirmitatem, & impotentiam ipſum minimè fulcire ſufficit, quin in ruinam potiùs ſecum illum trahit. propter hoc impulſiones adverſitatum & aliarum tentationum me minimè dejiciunt, aut concutiunt. Quoniàm domus mea fundata eſt ſupra firmam petram, ſicut legitur Matthęi ſeptimo. Deſcendit pluvia, & venerunt flumina, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fũdata enim erat ſupra firmam petram. Non ſum ſicut ille qui relicto beato Martino innixus eſt ſalici infirmæ, ac fragili. Ædificium meum fundamentum habet in ſublimi, immò in ſupremo cœlorum, & idcircò toto pondere innixionis meæ in illud feror. Meritò ergo dum inferiora mihi ſubtra- H huntur, ſi illa non ſequor ſubtractione eorum nihil mihi deperit quemadmodùm & mundanis ædificiis ſubſtractio ſuperiorum in nullo nocet, & hoc eſt quandò ſuperioribus in nullo penitùs innituntur; hujuſmodi ergo filiæ meæ propria laus eſt firmitas, & inconcuſſibilitas contra ruinam, merces autem ſalus, & liberatio ex omnibus perſequentibus quam & petebat David cùm diceret: Domine Deus meus in te ſperavi, ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me. Et quia fides fundamentum eſt in ædificio ſpirituali, ego ſum paries, ſive murus deſuper ædificatus, nihilominùs columna ex prima filia mea, quam diximus fiduciam; ex ſecunda autem, quæ eſt ſecuritas paries, ſive murus, nec ſunt contraria iſta inquantùm ſecuritas, ſic per ſecuritatem, quicquid me impellat, quicquid concutiat, fundamento meo me teneo, illi innitor & immobilis ſtatim efficior, etiam ſub adverſario dum ab ipſo conteror, & convulneror, de victoria adhuc ſpero, ſicut legitur Proverbiorum decimoquinto. Sperat autem juſtus, & in morte ſua, & ſicut dicitur, Job decimo-

Spes.
Spes non confunditur.
Nota.
Filia ſpei.

Digitized by Google

tertio. Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, ſcio quòd non eſt differentia apud eum, de quanta humiliatione, vel conculcatione eripiat, in quanta infirmitate, ſeu debilitate ſpectantibus in ſe de hoſte fortiſſimo victoriam tribuat, qui David puerum in funda, & lapide, atque baculo de Golia gigante fecit mirabiliter triumphare, ſicut legitur 1. Regum 17. Novit enim virtutem ſuorum in infirmitate perficere omnipotens, & miſericors Deus ſicut legitur in 11. Corin. 2. propter quod dicit Apoſtolus ibidem. Cùm infirmor, tunc potens ſum; tunc enim adeſt virtus omnipotentis Dei pro ipſo certantibus, cùm propria ejus defuerint, & cùm à ſemetipſis diffidunt, tunc maximè cum Deo fidendum eſt eis. Ego ſum, cui datur veritas intelligentiæ, ſicut legitur Sapientiæ primo. Qui confidunt in domino intelligunt veritatem. Ego ſum cui datur liberatio, ſicut evidenter apparuit in Suſanna, de qua legitur in decimotertio Danielis. Erat enim cor ejus fiduciam habens in domino, ſicut legitur in pſalmo Beatus vir cujus eſt nomen domini ſpes ejus, & hic beatus. (De futuro enim dicitur illud:) Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo. O deſperatio ruina horrifica ex altiſſimo divinæ virtutis fundamento, à qua nullus adjiciet, ut reſurgat! O profundum perditionis, in quo omnia bona perduntur & inutiliter habentur! O baratrum infernale, à quo nec quæritur, nec curatur exitus, ſicut legitur Proverbiorum decimooctavo! Impius cùm in profundum vitiorum venerit, contemnet, hoc eſt negliget ex toto ſe damnandum. O Dei contumelia intolerabilis! quid enim aliud eſt dicere, deſpero, quàm quòd peccata mea vincunt Dei miſericordiam? quemadmodum Caïn dixiſſe legi ur in tertio Gen. Major enim eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Quid cogitas miſer cùm dicis deſpero? Si enim cogitas Deum vel non poſſe, vel non ſcire, vel non velle miſereri, blaſphemiam cogitas vel execrabiliſſimam, & ſubita fulminatione digniſſimam. Si verò cogitas per te vel nolle vel non velle ſequi miſericordiam, & hoc ipſum deteſtabilis inſania eſt. O verbum ſempiterni opprobrij, & confuſionis, atque ignominiæ indelebilis, ſcilicet, deſpero! Hoc enim eſt quod vulgò dicitur malus motus, quo ſcilicet miſerrimus peccator victum ſe eſſe confiretur, & pugnæ totaliter cedens, ad inſtar victi pugilis, ſeu propugnabilis propugnatoris, victorem eſſe diabolum prædicat, & ſe victũ; quandiu enim ſperat peccator de miſericordia Dei, tandiu reſiſtit. & repugnat utcunque diabolo. Poſtquàm autem malum illud verbum dixerit, videlicet, deſpero, totus abiit poſt diabolum, tanquàm victus & captus ab ipſo, & ſervus ejus effectus, à quo, & quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus effectus eſt: utinàm videres diabolum coronari victorem cui tam turpiter ſuccubuiſti, utinàm videres infernale patibulum ad quod tanquàm victus pugil ignominioſiſſimè duceris. O extremi halitus efflatio turpiſſima! O ſpiritus extinctio horrifica, poſtquàm nihil vitæ (ut vulgò dicitur) nihil fumi, vel anhelitus relinquitur! Qui enim deſperat, velut mortuus quocunque voluerit à diabolo trahitur, omnibus virib. ſpiritualibus, & omni vitali calore deſtitutus, nihil defenſionis, nihil reſiſtentiæ, nihil etiam opponit diabolo O inexplicabilis gloria, & laus Dei, videlicet verbum ſpei etiam in extremo adverſitatis, in quantumcunque profundo vitiorum, & peccatorum! magis eſt enim incomparabiliter ipſa ſpe immenſitatem divinę miſericordiæ in intimo cordis ſentire, quàm quantumcunque laudibus eandem exteriùs prædicare. Quod Job ſe ſenſiſſe apertè indicat dicens, ſi occiderit me, in ipſo ſperabo, verumtamen in conſpectu

Spei datur veritas intelligentiæ.

Exclamationes admiranda.

Peccator ſperans pugnat adverſùs diabolum.

A ejus vias meas arguam, & ipſe erit ſalvator meus. Secunda filia mea ſecuritas, de qua Salomon Proverbiorum decimoquinto. Secura mens, quaſi juge convivium, ubi Gregorius. Spes æternæ ſocietatis continuatio eſt æternæ refectionis. Securitas iſta duplex eſt. Prima eſt de obtinenda æterna fœlicitate. Secunda eſt contra timores, & errores vitæ præſentis, & etiam contra timorem ſervilem. Alios autem Dei timores non excludit, & quidem tenet ſecuram ſe eſſe, & aſſecuram, & primùm per ipſum pignus Spiritus Sancti, ſicut in primo 2. ad Corinthios. Qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus noſtris, & alibi in primo ad Epheſios. Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, & nihil tantùm eſt de hæreditate æterna per ipſum Deum, ac Dei filium ſicut teſtatur Auguſtinus dicens: quòd ipſe eſt pignus noſtræ redemptionis, mihi tantùm deditum B per literas patentes evangelicas, quibus non aliud ſigillum, quàm ipſemet Deus, ac Dei filius appenſus eſt. Ipſe eſt enim imago Dei inviſibilis, in primo ad Coloſſenſes. Ipſe eſt & figura, ſive character ſubſtantiæ Dei patris, ſicut legitur in primo ad Hebræos, de quo conſtat, quia pro confirmatione, ac teſtificatione veritatis evangelicæ in ligno crucis appenſus eſt. Miniſter enim fuit circunciſionis, ideſt Judaici populi, ad confirmandam veritatem Dei, propter promiſſiones patrum Quid plura? mihi ſerviunt teſtes Apoſtoli, mihi teſtes Prophetæ, mihi ipſe ſpiritus prophetiæ. Spiritus enim prophetiæ teſtimonium eſt Ieſu, ſicut legitur Apocalypſis primo. Teſtes enim Apoſtoli, ſicut dicit veritas Actuum primo. Quòd enim ego firma eſſem, tot, & tantos teſtes, tot, & tanta teſtimonia ſcripturarum divinitùs exhibita ſunt. Et ut ad unum omnia concludam, incarnatio domini ſalvatoris, paſſio, mors & reſurrectio ſerviunt mihi, me fulcientes undique, & firmantes. Ut enim neque de venia, neque de gratia, neque de gloria, quæ ſanctis dantur, & promittuntur à Deo tanta ſigna, & mirabilia facta ſunt, ſicut C dicit Apoſtolus in octavo ad Romanos. Qui enim proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus donavit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit? nulla hęſitatio de venia relicta eſt, omnis locus dubitationis ſublatus, quandò ipſe judex vivorum, & mortuorum Chriſtus dominus peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum perferre dignatus eſt, ſicut legitur primæ Petri ſecundo, ſimiliter neque de gratia Poſtquàm enim ſemetipſum dedit pro nobis, ſicut legitur ſecundæ ad Corinthios: Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab iniquitate. De gloria verò omnem dubitationem abſtulit, cùm in ſeipſo, qui primogenitus eſt in multis fratribus gloriam reſurrectionis oſtendit. Gloria nãque illa hæreditas eſt cœleſtis, quæ etſi nõ æqualis omnibus, tamen fratribus, & hæredibus in-D dubitanter debetur, & convenienter reddenda, ſicut in tractatu de renovatione mundi in capit de reſurrectione mortuorum, declarare (Deo auctore) proponimus. In Dei logica nullum argumentum validius ad benè ſyllogiſandum, atque probandum, quàm mors unigeniti filij ipſius, nullum ad deſtruendam hæſitationem, vel objectionem mihi contrariam adeò efficax, aut validum, cùm non ſolùm inferatur, ſed etiam confirmatur ſecuritas de omnibus Dei beneficiis per hujuſmodi medium. Qui enim recipiat mortem unigeniti filij Dei, recipiat inquam fide perfecta, is verò & conſequenter ſecuritatem obtinet meritorum omnium, & ex ulla parte comparandorum beneficio mortis illius, in Dei theſauris nullum pignus pretioſius, nullum magis aſſecurans, aut certius, quàm ipſe Dei filius, & ſpiritus, q totum uterque in pignus datus eſt, ut ſupra dixi. Væ tibi,

Securitas duplex.

Nota.

Piè dicta.

Hæreditas cœleſtis.

Digitized by Google

hæſitatio mihi contraria, quæ aures miſericordiæ E Dei petentibus obſtruis, & obcludis, & eos qu. e-quam impetrare non ſinis, ſicut teſtatur Jacobus in primo dicens: Non ergo exiſtimet homo ille, quod aliquid accipiat à Deo. Væ tibi nutatio mater imperfectionis (ut ait Philoſophus) væ tibi nutatio, quæ ſpem das diabolo obtinendi omnem illum, in quo vivis, (ſicut vulgari gallicano dicitur poſtquàm jam nutat, jam habebitur. O Dei contumelia! O Dei intolerabilis injuria! O omni gladio, & igne vindicanda, & profliganda pernicies, qua tanta teſtimonia, tanti teſtes, tam valida argumenta, tam pretioſa pignora vel non admittuntur, vel etiam repelluntur væ cordi tremulo, & poſtremo inter tanta ſecuritatis præſidia hæſitanti Quis enim eſt adeò mendax, adeò fallax, adeòve perjurus, de quo non tantæ cautiones ſufficerent ad omnimodam ſecuritatem? Qui ergo per tantas cautiones de Deo ſecuri non ſunt deterioris conditionis habent Deum, quàm quemcunque mendacem, aut perjurum. A nullo enim mendaci, vel perjuro tantas cautiones ſecuritatis exigere auderent. Ex quo apparet quantam Deo contumeliam faciant, aut quantæ ſunt divinæ patientiæ longanimitatis in eos.

Nutatio.

Secunda ſecuritas.

Secunda ſecuritas eſt contra inſultus tentationum, contra inſidias dæmonum de Dei adjutorio indubitata præſumptio, qualem habebat qui dicebat: Dominus illum natio mea, & ſalus mea, quem timebo. Illuminatio quidem contra inſidias, ut eas videam, atque prævideam, ſalus contra impugnationes, ut ejus protectione vallatus invictus, & illæſus permaneam. Ex eadem ſecuritate dixit & illud, ſi exurgat adversùm me prælium, in hoc ego ſperabo: propter hoc & dictum eſt illud Proverb. 4. In malitia expellitur impius, ſperat autem juſtus in morte ſua; G propter hoc dicit veritas in Evangelio Luc. 20. His autem fieri incipientibus levate capita veſtra quoniàm appropinquat redemptio veſtra; quamquàm ergo dicat beatus Greg. Levate capita veſtra, ideſt exhilarate corda, congruenter tamen dicitur levate capita, ideſt ſecuri eſtote, quaſi dicat. Mundo pavente, tremente, præ imminente ruina ſui, vos ſecuri eſtote; levatio enim capitis ſignum eſt evidens ſecuritatis, ſicut & dejectio, ſive inclinatio ejuſdem ſignum eſt cordis decidentis, atque deficientis: propter hanc ſecuritatem dictum eſt; Dominus in circuitu populi ſui, tanquàm proſpectans, immò tanquàm cuſtos, & excubitor aſſiduus. Ne inquam devoret Leo ille infernalis, qui rugiens circuit quærens quem devoret, ſicut legitur 1. Pet. ult. Propter eandem ſecuritatem circuit unumquenque fidelium ſicut murus ad protegendum, & ſupponit ſe unicuique ſicut columna ad fulciendum, & pater unicuique ſicut civitas munita, & ut refugium tutiſſimum H ad ipſum, ſi ad eum refugere voluerit, & hoc eſt quod ad ipſum dicitur in primo Hieremiæ. Nonne ego dedi te in civitatem munitam? & columnam ferream? & in murum æneum? propter hoc clamat Pſal. Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, & omnia ea: propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum: Juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, &c. Quibus teſtificatur Spiritus ſanctus quàm præſtò eſt divinæ pietatis auxilium electis ſuis propter hoc quod in 6. 4. Reg. Viſio illa oſtenſa eſt, & deinde: Nonne plures ſunt qui nobiſcum ſunt, quàm qui contra nos? Propter hoc dicebat Apoſtolus in 8. ad Romanos. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Hujuſmodi autem teſtimonia propter hoc ſcripta ſunt ut ſciant juſti viri, nihil eſſe timendum ubi adeſt eis divinum auxilium: quemadmodùm enim dictum eſt Proverbiorum 21. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, ita veriſſimè dici poteſt. Non eſt potentia, non eſt virtus contra ipſum. Hoc ergo ſolùm agendum eſt ad hoc ut ſecuri ſimus, ut Dominum protectorem habeamus. Sicut enim nihil poteſt virga contra percutientem in ea nihil ſerra contra ſecantem in ea, nihil novacula contra radentem, nihil flagellum contra flagellantem. ſic nihil poſſunt impij contra omnipotentiam Creatoris, qui in manu, ideſt in voluntate, & beneplacito ejus ſunt, ita ut nihil facere poſſint, niſi quantùm ille vel voluerit, vel permiſerit. Et de ſecuri, virga, ſerra, legitur expreſſè Iſaïæ decimo. De novacula verò legitur ejuſdem Iſaïæ 7. Auguſtinus verò dicit. Quid gloriatur impius, quia de illo flagellum ſibi facit pater meus? Sicut enim ſæpè diximus, & ſæpiùs dicendum eſt, inſtar fabri, immò fabricatoris univerſalis, omnibus malis utitur omnipotens Deus ad electos fabricandos, ſculpendos, elimandos, ſplendidandos, omnique modo decorandos; ſicut igitur malleus fabrilis, ſeu quodcunque aliud inſtrumentum ejuſdem non eſt timendum metallo, vel ligno, vel lapidi, vel cuicunque alij materiæ, in qua ei placeat operari: ſic & impius non eſt timendus juſto, quia nec gladius timendus eſt, qui per ſe nihil poteſt, ſed ille ſolus, qui in manu tenet illum, ſic neque flagellum quo omnium magiſter, & eruditor Deus electos flagellat ad eruditionem, timendum eſt diſcipulis, ſed potiùs magiſter, neque enim parvuli virgam timent, aut ferulam ſcientes eas nihil poſſe, ſed ſolùm magiſtrum, qui eos percutit in eis, quas & ipſe in ignem projicit, cùm eruditionem eorum compleverit; ſic & unus magiſter noſter Chriſtus in ignem infernalem impios projiciet, cùm eruditionem noſtram conſummaverit. Reſumit ergo ſermonem laudum ſuarum ſecuritas, & dicit. Hæ ſunt cauſæ, & rationes evidentes, quibus nec me expugnant, nec me exturbant, nec me capiunt impij. Addam aliud fortius, quia ut dicit Apoſtolus in 8. ad Romanos. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Omnia ergo eis ſerviunt, & eos adjuvant; ubi ergo magis intrepida, magis penſata eſſe debeo, quàm inter cooperatores, & coadjutores meos? De his autem in capitulo de laudibus patientiæ pleniùs, ac latiùs dicemus. Ampliùs. Cùmque perſequi videntur, officioſiſſimè mihi ſerviunt, ſicut legitur Proverbiorum 12. Qui ſtultus eſt ſerviet ſapienti, & ut verum fatear, non minantur diligenter conſiderantibus & interiora videre valentibus, nec deterrent, ſed potiùs aſſecurant; cùm enim minantur mortem corporis magnam aſſecurationem promittunt. Nullus enim hoſtis perniocioſior, nulla domus periculoſior, nullus carcer horribilior, nulla cloaca immundior, nullus infidelis amicus magis proditor, quàm corpus noſtrum. Qui ergo mortem ejus minantur, innumerabilium & valdè formidabilium periculorum ſublationem, ſive oblationem minantur, quare potiùs ſecundùm veritatem bona magna, & multo pretio comparanda indubitanter promittunt, minari ſe mira dementia opinantes, vel potiùs ſomniantes: ſed iſta ex parte pertinere videntur ad laudes patientiæ, propter hoc quoniàm ſecuritas quædam vel comes eſt patientiæ, vel effectus. Securitas verò de qua hîc intendimus, ex præſumptione & promptitudine divinæ protectionis, & adjutorij procedit; vel eſt ipſa hujuſmodi præſumptio, ut diximus. Si autem ad pericula ſpiritualia reſpeximus ex eiſdem, hoc eſt ex eo quod præſtò eſt nobis divina protectio, ejuſque adjutorium, tantò major erit iſta ſecuritas, quantò ipſum novi magis paratum occurrere tam ſpiritualibus periculis, quàm corporalibus, & hoc quoniàm

Simile.

Similitudo.

Vide.

Securitas.

Corpus noſtrum amicus infidelis & proditor.

Securitas eſt comes patientiæ.

Digitized by Google

quoniàm quantò apud quem nihil errat ullo modo, nec fallitur, pretioſior eſt anima humana, quàm corpus, tantò ex neceſſitate ad divertenda pericula earum, quàm corporum magis præſto eſt, hoc ſalvo, quòd pericula corporum (ſicut diximus) videntibus, & volentibus, non pericula veri nominis, ſed magis ſalvationes, & ſalutis adjutoria ſunt, propter hoc teſtatur Jacob. primo. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis, ſecundùm enim quod creſcunt, & multiplicantur, creſcunt & multiplicantur etiam nobis adjutoria. Quemadmodùm ſecundùm numerum dolorum, conſolationes divinæ lætificant, ſicut dicit Pſal. Ampliùs. Job in 8 Juxta aliam tranſlationem. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, quare ſi timerem tentationem, timerem vitam. Ampliùs. Apoſtolus primæ ad Corint. Fidelis Deus qui non patiatur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Ampliùs. Quia Rex non mittet ſuccurſum cuicunque caſtro ſuo, ſi id obſideri cognoverit, quis princeps bellatoribus ſuis in conflictu conſtitutis, & pro ipſo certantibus deeſſe audeat? quis præclaram hæreditatem ſuam ab hoſtibus capi, vel velit, vel patietur? quis filios chariſſimos, & filias ab hoſtibus diripi, & captivari ſuſtineat? quis illa non ſolùm crudeliter, ſed etiam infideliter agat? quis quod incomparabili pretio emit, ita vile habeat, ut de præda illius inimicos ſuos placabiles gaudere permittat, & ſibi inſultare? Qualiter ergo in omni tentatione, in omni certamine non præſtabit Deus auxilium electis ſuis, pro quibus ſemetipſum pretium dedit? Abſit ut de rege meo Chriſto Domino aliud, vel aliter ſentiam, qualiter intolerabiliùs poſſem blaſphemare adversùs eum, quàm cogitando, vel quòd non poſſet, vel quòd non vellet, vel quòd non ſciret auxiliari mihi, pro ipſo videlicet certanti? Abſit autem ut aſcendat in cor meum, quòd tentatio, quantumcunque vigeat, fortior ſit, quàm auxilium ipſius, aut quòd hoſtes ejus aliquid poſſint adversùs eum, ſicut ſupra oſtendimus ex teſtimoniis, & exemplis Iſaïæ. Quid ergo mirum ſi ſupra ipſum tanquàm ſupra firmam petram fundata, atque ſtatuta inconcuſſa permaneo? Statuit enim ſupra petrã pedes meos. Sicut in Pſal. legitur. Ipſe etiã petra mea, & firmamentũ meum, ſicut alibi legitur. Quid mirũ ſi ego undique protecta, atque circumvallata velut muro æneo in medio hoſtiũ intrepida conſiſtam Quid mirum ſi in eo velut in domo refugij, & loco munito, immò turre excelſa, & hoſtibus inacceſſibili poſita, abſque terrore dormio ſicut dicitur in Pſalmo. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, & ipſa ad me dicit. Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Expreſſè autem dicitur in Proverb. 18 Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum confugiet juſtus, & exaltabitur, & Iſaiæ 26. Urbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. Quid mirum ſi ſecura ſum tanto advocato allegante cauſam meam coram patre miſericordiarum, tanto propugnatore pro me adversùs hoſtes meos pugnante? Unde propter hoc dicit ipſemet Iſaïæ 66. Ego qui loquor juſtitiam ut advocatus fideliſſimus, ſubaudi, & propugnator ad ſalvandum, ex cujuſcunque perditionis periculo, propter hoc confidenter peto. Apprehende arma, & exurge in adjutorium mihi, & quod majus eſt quaſi imperans dico. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & quod eſt omnibus his præſtantius à dextris tuis ne commovear. Tertia nominatarum affectionum ſpei, erectio eſt: verùm, quoniàm ſi alterum oppoſitorum multipliciter dicitur, & alterum, cùm in-

Similitudo bona.

Securitas tentationem omnẽ exuperat.

Spei erectio.

A curvatio, ſive inclinatio multiplex ſit, erit ſimiliter & erectio multiplex de neceſſitate. Eſt enim incurvatio ab onere, ſive jugo ſervitutis. Juxta quod dicit Dominus Levitici 26. Ecce Dominus Deus noſter, confregit catenas cervicum veſtrarum, ut incederetis erecti. Eſt ergo hæc erectio libertatis contra incurvationem ſervitutis, eſt & inclinatio humiliationis, & hæc vel eſt depreſſionis, de qua legitur Iſaiæ 2. Et incurvabitur omnis ſublimitas hominum, humiliabitur altitudo virorum, vel devotionis, ſive adorationis, ſicut legitur in eodem. In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum. Eſt & incurvatio turpitudinis, ſicut legitur Job 31. Et incurventur ſuper eam alieni Eſt & inclinatio dejectionis, ſicut legitur Iſaiæ 61. Incurvare ut tranſeamus. Non enim tranſeunt ſuper miſeram animam dæmones, neque vadunt, & veniunt ſuper eam horribiles, ſicut dicit Job, niſi cùm poſuerit
B viam, & terram tranſeuntibus, ſicut legitur in eodem Iſaiæ. Sunt ergo qui ſe viliſſimè dejiciunt deſperatione, & quodam defectu, atque decidentia cordis, cedentes omni tentationi, reputantes ſe viribus, & auxilio deſtitutos, & ſicut fabuloſè dicitur de arũdine, & quercu, cùm quercus confracta eſſet impetu venti, arundo verò illæſa permanſiſſet, admirata quercus confractionem ſuam, & evaſionem arundinis, interrogavit arundinem, qualiter hoc factum eſſet, & reſpondiſſe fertur arundo, quia tu (inquit) præſumens de fortitudine tua voluiſti reſiſtere vento, qui fortior erat te ſicut evidenter oſtendit confractio, ego autem ceſſi humilians me, & ita evaſi, & evado ſimiliter ab omni vento, quia unicuique vento cedo: ſic & multi deſperantes omni tentationi cedunt, & poſt omnem concupiſcentiam ſuam abeunt. Quemadmodùm exprobrat Deus unicuique tali, in tropo Hieremiæ 2. Deſperavi
C nequaquàm facio; quemadmodùm enim propugnator adverſarium proſtratum, & ſub ſe tenens crebris percuſſionibus tundit, & pro viribus urget, ut ab eo extorqueat malum verbum, de quo ſuperiùs diximus, ſic antiquus hoſtis miſeram animam frequentia pariter, & vehementia tentationum fatigare conatur, ut in deſperationem dejiciat, ac proſternat. De proſtrata enim anima, ſive dejecta facillimum reputat triumphare, eo ſcilicet triumpho ut illa reſurgere nunquàm adjiciat, & rebellare adversùs eum ulteriùs non præſumat. Quapropter tantò ſtudioſiùs, tantòque obnixiùs erigenda mens eſt, quantò crebrioribus, & fortioribus tentationum inſultibus impellitur, imò quantò profundioribus vulneribus transfigitur, quantóque gravioribus dejectionibus eliditur, atque præcipitatur, & contra hanc eliſionem eſt quinta erectio, de qua Pſalmiſta Dominus erigit eliſos. Heu quot
D invenies qui quocunque caſu eliſi, quocunque vulnere peccati transfixi, non ſolùm reſiſtere tentationibus formidant, ſed etiam nec ante Deum comparere, ut veniam precentur, ut auxilium gratiæ ejus petant, mira dementia, audent. Iſtos inceſſanter conculcat diabolus, velut omninò extinctos, & mortuos, & nihil vitalis virtutis penitùs habentes. Illis dicit Spiritus Sanctus in Pſal. Nunquid qui dormit non adjiciet, ut reſurgat? Hi ſunt quos ſemper jacentes, ſemperque proſtratos invenit tentator diabolus Talibus dicit Apoſtolus in 5 ad Epheſ. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus, hi habent debiles manus, & genua ſoluta, de quibus Apoſtolus ad Heb. 12. propter quod remiſſas manus, & genua ſoluta erigite, erectio verò hæc ab infirmitate ſpirituali. Sexta eſt incurvatio ad terrena, de quâ hîc intendimus & hæc propriè cupiditas eſt, ſive amor terre-

Invehitur in puſillanimes.

Quercus. Arundo.

Similitudo.

Eliſi, & deſperantes.

Apoſtoli dictum.

Digitized by Google

ni cujuſcunque. Erectio autem ab illa charitatis propriè eſt, ſive amoris cœleſtium, licet & multi non immeritò dicant quòd etiam ſpei eſt, eo quòd ſpes cœleſtium, contemptum inducit terrenorum, ut quibuſdam viſum eſt. Fortaſſis autem non eſt niſi conſequens. Hæc autem comitans ipſius ſpeciei, & non eſt affectus.

Erectio quid.

Hæc ergo erectio, de quâ hîc agimus, elevatio eſt ſpiritualis à proſtratione quam diximus. Sicut enim languore quidam jacent, jacent inquam corporaliter languore corporali detenti, ſic & nonnulli ſpiritualiter jacent, erigere ſe non valentes, ad hoc, ut vel veniam ſperent: Et hoc eſt quod dicitur ad Caïn Geneſ 4. Cur concidit facies tua? Quamquàm & hoc de confuſione intelligi poſſit, juxta hunc modum ſpes in dimenſionibus ſpiritualibus altitudo habetur. De hac erectione habetur Job 5. Mœrentes erigit ſoſpitas ſperata, ſubaudis non ſtatim data, propter erectionem ſunt tantæ promiſſiones. tantæque magnificationes divinæ miſericordiæ in ſcripturis, ut eas audientes ab imo deſperationis animo ſurgant, & erigantur ad pugnandum contra hoſtes inviſibiles propter hoc apponunt velut appodiacula, & velut levaria, ut vulgò dicitur, eloquia ſacra, quibus magnificatur, & extollitur miſericordia Dei, quibus elevantur, & erigantur, qui deſperatione putreſiunt in ſordibus ſuis, ſicut legitur primo Reg Suſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem. Et in Pſal Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Væ illis, qui tot, & tantis fulti levariis, fulturis, & ſuppodiaculis erigi non poſſunt, hujuſmodi homines ſunt velut elephantes, qui poſtquàm ceciderunt, ſe per ſe levare non poſſunt, & quod eſt mirabilius cùm minimus elephantorum, elephantem magnum, qui corruit, ſublevet, alij videlicet magni, qui inclinare ſe non poſſunt propter inflexibilitatem poplitum, ipſum ſublevare non valent. Quam parabolam ad Chriſtum Dominum multi referunt, qui inter homines humilitate, ut ita dicatur, minimum ſe exhibuit, velut parvus elephas inter magnos, & unicuique peccatori pro caſu ſuo clamanti, ad ipſum portandum quodammodò, & elevandum ſeipſum ſupponit, ſicut expreſsè legitur Iſaiæ 46. uſque ad canos ego portabo: & iterum Ego feci, & ego feram. Et Deuteron. 31. Portavit eos in humeris ſuis. Pondus enim peccatoris peccata ipſa ſunt, cum ſequela ipſorum, quæ eſt præſens corruptio, atque pœnalitas, quæ in Evangelio Matthæi 18. & Lucæ 15. expreſsè legitur de ove errabunda, quòd pius paſtor propriis humeris eam reportâverit ad ovile: Væ illi, qui adeò ponderoſum ſe reputat, ut humeris Chriſti paſtoris, vel portari non poſſit, vel levari, vel ſeipſum adeò vilem, ut ipſum Deus erigere dedignetur, vel Deum adeò parùm miſericordem, ut eum, vel levare non velit, vel non curet.

Miſericordia Dei.

Nota.

Peccata ſunt pondera.

Conſolatio

Quarta affectionum prænominatarum eſt conſolatio. Deſolantur enim nonnulli ex peccatoribus tribus de cauſis. Primùm magnitudine, aut multitudine peccatorum, quaſi non æquè facile ſit omnipotenti Deo de magnis, & parvis, de multis, & paucis eripere. Secundò ex vehementia, atque frequentia tentationum, quas patiuntur, opinantes ſe, vel negligi ab ipſo, vel parùm curari ab eo, dùm vel non dat eis pacem ab hujuſmodi inſultibus, vel pro voto eos concutiunt tentationes, aut non adjuvat, aut non firmat, quin potiùs eos cadere permittat. Tertiò ex paucitate cognitionis divinæ miſericordiæ: in eo enim, quòd Deum, vel durum ſibi, vel minùs miſericordem reputant, majorem eis miſericordiam impendit. Sicut in Paulo Apoſtolo evidenter apparet, cui profectò longè magis per

Nota.

E ipſam tentationem ſubvenit, quàm ſi ei pacem dediſſet, & Angelum Satanæ, qui eum colaphizabat, ab eo avertiſſet; in ſpiritu enim elationis illum ſic, ideſt per tentationem, defendit, & humilitatis in eo gratiam cuſtodivit, ſicut ipſe teſtatur in 11. 2. Corint dicens. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Impugnatio ergo caſtitatis meæ, & defenſio erat humilitatis, & impugnatio ſuperbiæ, ſive elationis, licet ipſe non adverteret, ideò iſta dicebat. Manifeſtum ergo eſt, quòd cum eo miſericordiùs agebatur per ipſam tentationem, quàm ageretur per tentationis ſublevationem. Sunt & aliæ utilitates penè innumeræ quas Dei miſericordia diligentibus Deum, & etiam ex ipſis tentationibus, quas patiuntur, & ex ipſis lapſibus peccatorum elicit, & procurat, & notitia earum unus eſt de ſeptem radiis doni ſcientiæ, quod eſt lumen præclariſſimum, ac ſalubertimum, de quo cùm in præcedentibus multa diximus, innumerabilia tamen prætermiſimus: defectus enim F hujus ſcientiæ facit multos dicere bonum malum, & malum bonum, & propter hoc vocari facit impugnationes, quæ revera ſecundùm tentatoris intentionem impugnationes ſunt, ſed ſecundùm intentionem Dei miſeratoris, defenſiones ſunt, ut diximus, & inſuper eruditiones, exercitationes, & aliarum innumerabilium utilitatum actiones, vel occaſiones, quod lumine prædicto pleniſſimè eluceſcit. Si quis autem quærat, quid ſecundùm veritatem ſit ipſa conſolatio, inveniet hoc ex ipſo contrario, videlicet deſolationis: non enim conſolatio lætificatio eſt, ut aliquibus videri poteſt, ſed magis doloris, timoris, aut triſtitiæ repreſſio, ac mitigatio, ſive lenitio; conſolatus eſt enim, qui triſtitiam depoſuit, etſi gaudium non accepit, & conſolatus utcunque, vel ex parte ejus triſtitia in parte repreſſa eſt, vel lenita: interdùm enim qui conſolantur, non ex toto à triſtitia immunes ſunt, ſed quaſi mixturam in ſe patiuntur, quod apparet G ex ipſis rebus, quibus triſtitia, & conſolatio ſunt; ſimul enim & quaſi mixtim verſantur in corde illius, qui conſolatur quaſi & operationes earum, dùm enim mala pungunt (ut vulgò dicitur) illum qui conſolatur, bona unctione ungunt, & hoc ex ipſa intentione conſolationis apparet; non enim conſolari dicitur, niſi qui triſtitiam timoris, vel aliam ex aliquo eventu patitur, & qui contrarij ſpem concipit, vel ex auditu, vel aliunde; neque enim omninò benè ſe habet qui conſolatur, nec qui omninò malè conſolari dicitur. Quod evidenter apparet in eo quod dicitur in Pſal. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, hoc eſt in depreſſione mea. Et ex eo quod legitur Iſaiæ 40. Conſolamini, conſolamini popule meus dicit Deus veſter, quo-H niàm completa eſt malitia ejus, dimiſſa eſt iniquitas illius. Ecce qualiter miſcet ibi Deus bona malis, videlicet completionem malitiæ, & dimiſſionem iniquitatis interdùm autem conſolationis verbum in aliquod gaudium extenditur; ſicut in Pſal. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati Et poſteà. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & iterùm. Facti ſumus lætantes; & alibi. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Veriſſimè ergo dicit hæc affectio, quia ei reſonant divinæ promiſſiones, quemadmodùm fieri ſolet eis, qui in amaritudine aliqua ſunt, muſicæ enim modulationes ei adhiberi ſolent, & reſonantiæ Muſicorum. Poteſt & dicere, quia mediatrix ejus eſt divina miſericordia, quæ contra puncturas malorum parat, & conficit velut

Conſolatio

Nota.

Digitized by Google

velut unguenta bonorum. Quot enim auxilia mittit, quot conſilia ſuggerit, quot utilitates tentationis revelat, tot ſunt animæ ſic afflictæ unguenta dulcedinis. Juxta quod legitur Proverbiorum 27. Unguento, & variis odoribus delectabitur cor, & bonis amici conſiliis anima dulcoratur. Fortaſſis autem non immeritò quis dicat, quia ſolamen non eſt, niſi ſollicitudinis levamen, & deſolari maximè videntur, qui ſoli relicti ſunt à conſiliariis, vel auxiliariis vel amicis, quare illis ſolis videtur præberi ſolatium, quibus iſta, vel aliquod iſtorum adhibetur. Cùm ergo miſerator Deus talibus ſe velle aſſiſtere, eoſque juvare oſtendit, quòd utique facit, ſpem de auxilio ſuo eis inſpirando, propriè, ac veriſſimè eos conſolari dicendus eſt. Et reverà per hujuſmodi ſpem offert ſe ſpiritualiter Deus auxilio ſuorum, & ſpiritualiter venit in corda eorum ad eos conſolandos, & auxiliandum illis, quare apertè gloriari poteſt gratia conſolationis, & dicere: Dominus mihi adjutor non timebo: & iterùm. Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam, &c. Deum præſtò ad auxiliandum ſibi videre videbatur, aut ſentire; quoniàm hoc dicebat ſicut in Michæ 7. dicebat Angelus in perſona Eccleſiæ. **Nota.** Cùm ſedeo in tenebris Dominus lux mea eſt. Venit ergo hujuſmodi electis ſuis in ſolatium, cùm ab aliis auxiliariis deſtituti ſunt, ſicut dicebat David ad eum. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Magna gloria Domini venire ad conſolandum deſolatos, ad adjuvandum aliis auxiliis deſtitutos, quod videre viſus eſt, qui dixit, providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, à dextris eſt mihi ne commovear. **Stephanus protomartyr.** Et Stephanus protomartyr in Actibus Apoſtolorum 7. Ecce video cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris: Subaudi, paratum adjuvare certamen pro ipſo. Similiter & ipſe Chriſtus Dominus Iſaiæ quinto. Juxta eſt qui juſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt adverſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus. Inde eſt illud, propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum. **Confortatio.** Quinta affectionum ſpei confortatio eſt, hæc autem reſumptio, ut diximus, ſeu reparatio virium; quidam enim inſtar mulierum infirmiſſimarum, cùm aliquid terribile, vel viderint, vel audierint, vel in ſpaſmum ſpiritualem incidunt, vires cordis penitùs amittentes, quemadmodùm qui in ſpaſmum corporalem incidunt, vires corporis amittunt. Contra hujuſmodi defectum ſpiritualium, propriè dat Deus iſtam gratiam confortationis, de hoc expreſsè legitur Daniel 10. Domine mi in viſione tua deſolatæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium. **Nota.** Et poſt pauca. Rursùm ergo tetigit me quaſi viſio hominis, & confortavit me, & dixit: Noli timere &c. Et poſt pauca: Loquere Domine mi, quoniàm confortaſti me, & de hoc ad Hebræos 12. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Propter hoc dicitur ad Joſue à Domino Confortare, & eſto robuſtus: de hoc legitur Eccleſ. 7. Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis. Dat autem vires, vel reparat illa gratia hominem non in ſe, videlicet non ut in ſe fortis ſit ſed in Deo, ut poſſit dicere cum Apoſtolo in 2 ad Cor. 12. Omnia poſſum in eo; qui me confortat. Inde eſt illud. In Deo meo tranſgrediar murum. Et illud circundantes circundederunt me, & in nomine Domini, quia ultus **Martinus** ſum in eos, vel vindicabor in eis. Et Beatus Martinus. Ego ſigno Crucis, non galea protectus, aut clipeo, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus; videtur autem iſta gratia ad ſpiritum fortitudinis pertinere. Deficientibus ergo viribus noſtris, vires ſuas nobis miniſtrat Deus. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus in 12. ſecundæ ad Corin. Cùm infirmor, tunc potens ſum, hoc eſt cùm in memetipſo deficio, divinæ virtutis auxilio potens, aut fortis efficior. Si quis autem quærat, cujuſmodi affectio eſt illa, quam confortationem dicimus? **Confortatio quid.** Reſpondemus, quia ipſa nominatione ſua ſatis claret; confortatio enim fortificatio eſt; ſicut enim albatio, & albificatio idem eſt, ſic fortatio, & fortificatio idem, & eſt de ſpe victoriæ procedens. Qui enim timore ſuccumbendi viribus cordis deſtituuntur, & ſeipſos dant hoſtibus, nihil eis rebellionis opponentes. Qui verò confortantur à Deo, etiam dejecti, atque proſtrati, tanquàm viribus reſumptis, acriùs, quàm priùs pugnant. Et propter hoc legitur Eccleſiaſtici 42. Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benè faciens; iniquitas enim viri, id eſt virilis animus, quia reverà vulnus ſpirituale virilem animum provocat, & concitat contra hoſtem diabolum: provocatio autem, & concitatio iracundiæ interdùm vires reddit, & auget vulnerati animum: mulier autem, id eſt muliebris animus, & vulneratus peccator, vel etiam tentatione pulſatus, ſtatim deficit viribus, & quaſi incidit in ſpaſmum præ timore, quemadmodùm mulier videns ſanguinem vulneris ſui, vel alieni, ſtatim ſtupet, & velut ſpaſmo deficiens, pavet, & trepidat complaudens manus, & allidens eas ad genua ſua, vociferatur, ut vulgò dicitur, totum eſſe perditum, totum eſſe mortuum, nullam ſupereſſe reſurgendi, vel evadendi facultatem. **Nota.** Et fit hæc paſſio plerunque in eis, qui in magnitudine, vel in multitudine peccatorum ſuorum ſtudioſiùs conſiderantes, immenſitatem divinæ miſericordiæ non attendunt, inde eſt, quòd ſtupent, atque deficiunt in ſemetipſis deſperantes & de ſpe miſericordiæ Dei, vires reſumere neſcientes. Iſta confortatio ſive fortificatio idem eſt, quod alia nominatione dicitur, animatio, & hoc ab animo, ſive animoſitate. Sicut & contrarium videlicet diffortatio exanimatio dici poteſt. **Diffortatio.** Verùm exanimatio, & ab anima, quæ eſt voluntas, & ab animo, qui eſt audentia, dicitur; **Exanimatio.** exanimare enim dicitur quis alium frequentiùs ab eo, à quo voluntatem ejus avertit. Similiter & exanimare cui animum, id eſt audentiam, vel infirmat, vel minuit. De iſta confortatione dicitur illud Si ceciderit, non collidetur, quoniàm Dominus ſupponit manum ſuam. Similiter & illud impulſus everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me. Cadit enim & collidetur, cui ipſe caſus vires reſurgendi, atque repugnandi ulteriùs ex deſperatione funditùs tollit. Cadenti miſerator Dominus manum ſuam ſupponit, cùm ſic collidi eum non patitur, & manum, id eſt virtutem, qua reſurgere, & pugnare audenter proponit, per ſpem ſubminiſtrat, ſive apponit: non vires enim ſive virtutem hujuſmodi, niſi animum, vel animoſitatem, ſive audentiam, quam diximus hîc, intelligimus. Quòd enim dicit **Poeta.** Poëta. Immerſos animos mens generoſa capit, intelligendum eſt quandò noſtra deficiunt, hoc eſt quandò ſuccumbit quis hoſti, & ſub eo proſtratus jacet, tunc enim cùm deficit, immò plerunque proſtratus fortiùs reſurgens, hoſtem fortiùs viceversà ſubjicit, & proſternit, inſtar propugnatoris, aut pugilis, qui ab adverſario dejectus, & ſub eo jacens fortiùs repugnat, & obnititur donec ipſum ſubjiciat, & ſuperior eo fiat. Nos autem de his latiùs loquemur in ſequentibus, videlicet in tractatu de tentationibus & reſiſtentiis. **Iuvenalis** Ad idem pertinet & illud. Si natura negat facit indignatio verſum; indignatur enim plerunque mens viri ſancti repulſa tentationis, ſe dejectam, & à diabolo turpiter victam,

& inde ad fortiora manum extendens ad devincendum, in diabolum vehementiùs exardeſcit, pro hac dictum eſt Iſaiæ 58. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & Job 11, Quaſi meridianus fulgor tibi conſurgens ad veſperum, & cùm conſumptum te putaveris, orietur ut lucifer. Sexta affectionum ſpei expectatio eſt, ex qua ſolet definiri ſpes, expectatio futurorum bonorum, & mentis, ex bona conſcientia, de hac dicitur Proverbiorum 17. Fœmina gemma gratiſſima expectatio præſtolantis Et quæſtionem habet, an ſit in vi apprehenſiva, an in motiva, & reverà uno modo indubitata certitudo de obtinendis futuris bonis æternis dicitur ſpes eorum, quæ in vi apprehenſiva eſt, ſicut fides Alio modo iſta expectatio contraria eſt timori deſperationis, qua quis damnationem æternam ſibi imminere timet, abſque ulla ſpe redemptionis, vel liberationis, & eſt hujuſmodi deſperatio expectatio futuræ damnationis, excluſo omni adjutorio miſericordiæ Dei. Hic ergo, qui ſic videlicet expectat damnationem futuram, jam omninò reverſus ab æternis gaudiis, & funiculis peccatorum ſuorum ligatus die, ac nocte trahi ſe videt ad infernale patibulum, ſive incendium; ſic econtrariò expectans expectatione ſpei, videt ſe continuè deduci ad æterni regni ſolum, hic dicit. Expectans expectavi Dominum & intendit mihi. &c. Hujuſmodi expectator dicit. Tenuiſti manum dexteram tuam, & in voluntate tua deduxiſti me per viam, ſive hujuſmodi. Et tandem cum gloria ſuſcepiſti me. Propter hanc dicitur Sapient 10. Juſtum deduxit ſapientia per vias rectas, & poſtmodùm oſtendit ei regnum Dei, viſione integra, & dedit illi ſcientiam ſanctorum, completæ illuminationis. Hinc præſtruit de quâ dicitur in Pſal Hæc recordatus ſum, & effudi ſupra me animã meam, quoniàm tranſibo per viam, ſcilicet veritatis in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei Ego (inquit) hujuſmodi animo expectabo Dominum, ſicut mihi in Pſalmo præceptum eſt. Expecto eum, inquam, ut ſponſum adulterorum, ſcilicet vitiorum, & dæmonum amplexus reſpuens, tanquàm inquinamenta execrationis. Expecto eum, ut dominum ſervus quandò revertatur à nuptiis, ut cùm venerit, & pulſaverit, ſive per mortem, ſive per aliam tribulationem, ſive per æternam viſitationem, confeſtim aperiam ei. Expecto eum ut liberatorem, ac ſalvatorem, nolens dare manus hoſtibus, ſive blandientibus, ſive impugnantibus ſciens eum propè eſſe, & ad liberationem meam feſtinare. Expecto eum, ut Pontificem, vel Epiſcopum meum cum proceſſionali occurſu, & apparatu; feſtino enim videre venientem recepturus cum lucernis, ſeu lampadibus, & aliis. Expecto eum, ut regem militum remuneraturum, & tanquàm fidelem, ac ſtrenuum militem ſuum coronaturum. Expecto enim regnum decoris, & diadema ſpei de manu ejus, ſicut legitur Sapient. 5. Expecto eum omnia alia contemnens, immò vilipendens, & abhorrens. Expecto inquam eum ut totum, & ſolum bonum meum, quod in futuro mihi reſervatur. Nihil enim habeo in præſenti, vel habere poſſum, quo contentus ſum, quemadmodùm dixiſſe quidam ſenex dicitur Parcivatio galenſi qui interrogatus ab eo quid expectaret in via quadam ſedens: Expecto, inquit, totum bonum quod adhuc venturum eſt: cogitavit autẽ Parcivatius intra ſe, ſi iſte ſenex, & decrepitus, & in fine dierum ſuorum adhuc expectat bonum ſuum, quod ut dicit venturum eſt, quantò magis, ego juvenculus ſperare, & expectare poſſum bonum mihi venturum? & quidem uterque de bono temporali ſolummodò intendebat. Quantò fortiùs

Expectatio.

Expectatio Dei.

Nota.

E ergo de bono futuro æterno nobis intendendum eſt, & videtur iſta expectatio eſſe ipſa virtus longanimitatis, ſed à longitudine animi, qua ſuperatur, & vincitur tædium longæ expectationis, dicitur longanimitas: quidam enim adeò breves animo ſunt, ut ſtatim ſibi fieri velint quæcũque à Deo ſperant. Expecto Dominum vindemiatorem, ut uva nondùm matura. Expecto Dominũ meſſorem, ut meſſis quæ quandò metenda ſum, ipſe novit. Expecto regem meum remuneratorem meum, qui certamen meum jugiter intuetur, & quandò plenè vicero, ſicut non latebit eum, ſic differet coronam meam. Expecto ut percurrerim finem ſtadij mihi propoſiti, quod cùm percurrero, non ignorabit Deus, quia tunc dabit mihi bravium. Nondùm curſum conſummavi, nondùm certamen bonum certavi adhuc reſtat mihi de certamine aliquid, & de curſu ſimiliter perficiendum, nondùm ad Apoſtolicam perfectionem perveni, ad quam perveniſſe ſe dicit Paulus in 4. 2. ad Timothæum. Mira & intolerabilis omninò præſumptio, ſic feſtinare ad præmium. Cùm expreſsè dictum ſit in Job: F quia ſicut mercenarij, ſic dies hominis ſuper terram. Quare ſicut mercenario expectanda eſt merces, donec opus conſummaverit, ſic & merces retributionis, donec opus vel operationem vitæ æternæ conſummaverit. Sicut expreſsè legitur in Pſalm. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam. Propter hujuſmodi feſtivos, atque propter operarios homines ſcriptum eſt Eccleſiaſt. 20, Hodie fœneratur quis, & cras expetit, & odibilis erit homo hujuſmodi. Fœneramur ſiquidem Domino quicquid boni fecerimus: quia ergo tempus ſolutionis ipſe Deus præfixit, videlicet diem mortis, & diem judicij, ſtultiſſimum eſt, & procaciſſimum ante tempus illud præmium debitum, vel mercedem expectare, vel in parte illa exemplo Apoſtolico ſtultè innitendum eſt. Et ſi enim cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Christo, G ſicut ipſemet dicit in primo ad Philippenſes, non tamen præcisè hoc volebat aut petebat à Domino. Magis ergo faciendum eſt, quod Jacobus dicit in quinto. Patientes igitur eſtote fratres uſque ad adventum Domini, ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens, donec recipiat temporaneum, & ſerotinum. Ampliùs. Cùm quid hîc agimus non ſit niſi præparatio loci noſtri in cœlo, & non ſit niſi fabricatio coronæ noſtræ, & non ſit niſi præparatio hoſpitij noſtri ibidem, ſicut legitur Eccleſiaſtici 16. Omnis miſericordia faciet locum unicuique, ſecundùm meritum ipſius, & ſecundùm intellectum peregrinationis illius. Septima affectionum ſpei jocunditas eſt, quæ uſualiter vocatur gaudium ſpei, & nondùm rei. Sicut enim ex timore futuræ damnationis, atque deſperatione futuræ glorificationis oritur triſtitia H inconſolabilis, ſic de ſpe æternorum gaudiorum oritur iſta jucunditas, & de hac dicuntur omnia illa. Exultate juſti in Domino: & quod dixit Apoſtolus in ultimo ad Philippenſ. Gaudete in Domino, & iterùm dico gaudete, & quòd de gaudio ſpei hoc intelligat apparet ex eo quod ſtatim ſubjungit. Dominus propè eſt. Differt autem illud gaudiũ ab eo gaudio, quod numeratur ſecũdo loco inter fructus ſpiritus 5. ad Galatas. Quia gaudium illud eſt ab ipſa præſentia inhabitantis Dei in corde gaudentis, iſtud autem eſt ex ipſa fruitione gloriæ ſanctis repromiſſæ. Quare manifeſtum eſt, quia illud gaudium eſt, ſicut arrha æternæ mercedis, & ſicut præodoratio futuræ ſanitatis, & poteſt intelligi propter ipſum dictum illud. Guſtate, & videte quoniàm ſuavis eſt Dominus, licet ex alio intellectu pertineat

Dies noſtri tanquã dies mercenarij.

Nota.

Diſſolvi quomodo optabat Apoſtolus.

Iocunditas

Gaudiũ.

Digitized by Google

tineat ad donum ſapientiæ, propter hanc dicit Auguſtinus, quia ſpes nos in adverſis ridere facit, & propter hoc inter miniſtros vocamus hujuſmodi gaudium ſalſarium: ipſi enim conceſſum eſt intrare hortum voluptatis, & hortum deliciarum ſcilicet Paradiſum cœleſtem, & inde afferre odores ad dulcorandam, & condiendam amaritudinem adverſorum noſtrorum. Illud eſt cujus organa, hoc eſt cujus jubilationes, & tripudia nulla interdicit, vel ſuſpendit adverſitas, propter hoc dictum eſt. In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam & nocte, adverſitatis ſcilicet cantatur, ſubaudi, canticum ejus, propter hoc & dictum eſt illud. Cantabiles erant mihi juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Inde eſt, & illud Job. Deus qui dedit in nocte carmina in nocte ſcilicet adverſitatis, hæc eſt tympaniſtria, ſive joculatrix jucunditatis, continuè deducens, & perſequens electos, velut ſponſos ad cœleſtes nuptias, & velut victores ad æternæ vitæ coronam, hujuſmodi enim non ſolent ad talia deduci abſque tympanis, & tripudijs: hic eſt Hymnus, de quo Dominus 28. Job. Nunquid circundabit collo equi hymnum, de hoc ibidem dicitur, exultat audaciter, hic eſt videlicet de quo dictum eſt ibidem Cùm audierit buccinam dicet vah, quæ eſt interjectio gaudentis; ſicut enim gaudent equi, & tripudiant, atque ſtrepunt cùm ſignum imminentis conflictus audierint, ſic & viri ſancti hujuſmodi gaudio gaudent, cùm bellum tribulationis adverſùm ſe conſurgere cognoverint, hoc eſt quod veritas dicit. Lucæ 21. His autem fieri incipientibus, levate capita veſtra: ubi Greg. exhilarate corda, quæ utique exhilaratio, ſeu gaudium eſt de appropinquatione noſtræ redemptionis, ſicut ibidem dicitur. Scientes quoniàm propè eſt regnum Dei. Alio tamen modo pertinet ad patientiam verbum illud, ſicut dicemus in ſequentibus. Patienti verò viro, ac perfecto cibus ſuaviſſimus tribulatio eſt, & licet illud gaudium non ſit niſi odor remiſſiſſimus, & umbra permodica torrentis voluptatis, quo potandi ſunt in regno cœlorum ſancti, tamen magna refectio eſt hic, & futuræ refectionis cautio fortis, atque ſecuritas. Jam ergo percurrimus affectiones ſpei ſingulas, licet breviter, & perfunctoriè.

Nota.

Simile.

Tribulatio.

CAPUT IV.

Charitati laudes exequitur, & quædam de ipſo nomine charitatis diſputat. Non poteſt autem hic locus in ſummarium argumentum contrahi, quia immenſum eſt, quod continetur hoc loco.

POſt hæc igitur exequemur laudes charitatis juxta nominationes ſuas, & partes, ſeu ramos. Dicemus ergo in primis, quia in ultimo 2. ad Corinth. nominatur tribus nominationibus: videlicet gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, deinde charitas Dei, tertiò communicatio Spiritus Sancti, & gratia quidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia & per hujuſmodi myſterium ſpecialiter profeſſus eſt in 14 Joannis dicens, hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem: & ex ea, atque per eam diſcipulos ſuos agnoſci voluit in 13. ejuſdem dicens In hoc cognoſcent homines, quia diſcipuli mei eritis, ſi dilectionem adinvicem habueritis. & illam in ſe ipſo maximam exhibuit. Sicut ipſemet dicit in Joan. 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, unde & nimiam charitatem vocam eam Apoſtolus in ſecundo ad Epheſios. Propter nimiam inquam, charitatem ſuam, qua dilexit nos, quòd propter hoc gratia dicitur Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia talis, ac tanta gratia ab eodem nobis impenſa eſt, & per illam ſemetipſum ipſe nobis, & pro nobis impendit. In nobis verò ipſa charitas qua Deum, & quæ propter ipſum diligenda ſunt, prout dignum, & juſtum eſt diligimus, tribus de cauſis gratia dicitur. Primùm, quia gratuita Dei bonitate, ut donum ejuſdem eximium nobis tribuitur. Secundùm, quòd gratos Deo efficit. Tertiùm, quia gratis, & tanquàm dono nos facit omnia facere. De primo Auguſtinus Inter dona Dei nullum eſt majus charitate, de ſecundo idem: ſola charitas diſcernit inter filios regni, & filios tenebrarum, & iterùm. Charitas eſt fons proprius bonorum, cui non communicat alienus, de tertio Apoſtolus in 9. primæ ad Corinthios. Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, & non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Certum enim eſt, quia quod non gratis fit, ex triſtitia fit, aut ex neceſſitate, quia neceſſitas intelligitur, ut jam debitum, aut cupiditas, aut timor. Ex hac ergo dicebat Apoſtolus 15 primæ ad Corint. gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Quòd enim bonus, & ſanctus erat, quòd Apoſtolus, quòd Deo placitus fuit, & acceptus: Et iterùm quòd bona, & benè operans, ſoli Dei gratiæ tribuebat, veriſimile dicit hæc gratia, per me gratus eſt, acceptus Deo, quicunque ei placet, per me grata ſunt ei, & accepta omnia opera ſanctorum, ſine me nullum eorum eidem placet, ſine me non ſervitur ipſi, quia nec ſervitium, nec obſequium Dei dicendum eſt, quod eidem non placet. Ad alias etiam virtutes omnes audenter dicit, propter me gratæ eſtis omnes, & grata omnia opera veſtra, ſine me nihil gratiæ habetis in conſpectu Dei, nec mirum cùm ego gratia ſim, ſi meum eſt gratificare & vos, & opera veſtra. Tu enim ô juſtitia reddis debitũ, quod exigeris. Tu timor reddis incommodum, quod tibi imminet, tu ſpes emis commodum, quod obtinere tendis. Tu caſtitas vereris offendere ſponſum, vel abominaris ſordes, & ſpurcitias luxuriæ, & ita de alijs. Ego liberaliter omnia facio, ego totum recipio à datore bonorum, & totum ei redono. Quicquid enim gratis impenditur donum eſt: & propter hoc ſicut dono, ſic mihi debetur redonatio, & ſicut tribuo, ſic mihi debetur retributio, correlativè enim dicuntur hæc. Quia ergo apud vos nihil donationis, vel retributionis, ſed apud me ſolam, mihi ſoli debetur donatio & retributio in primis, & per ſe. Si quid autem inde vobis provenit, vel proventurum eſt, propter me eſt. Ego labem ſimoniacæ pravitatis, à me, & meis totaliter abjicio, & excludo, ubi enim ego non ſum, aliquis aditus ei patet; ubi autem ego ſum, longè eſt ipſe. Etiam Spiritus Sanctus propter hanc puritatem donationis, & ſinceritatem liberalitatis nomen ſuum mihi communicat; ipſe enim eſt gratia in primis, & maximè, & ex illo ego gratia nominor; ego enim proprium ſignaculum ipſius ſum & propria impreſſio, & (ſi fas eſt) inter ipſum, & aliquod de donis ejus ſimilitudinem cogitare. Ego ſum quæ ei maximè aſſimilor & quæ communicatio nominationum ſuarum expreſsè judicor; ipſe enim vocatur & gratia, & donum, & amor, & charitas; ſic & ego licet incomparabiliter diſtanti ſimilitudine. Laudes verò ipſius in eo quòd charitas eſt, ex tribus cauſis ſunt, propter quas, & charitas nominatur. Primò enim, quia ea, ſive per eam Deus charus habetur, unde & vulgari gallicano (*cher*) rectiſſimè nominatur. Secũdò quia per eam noſipſos charos habemus. Tertiò quia & proximos ſimiliter per eam charos habemus

Charitas.

Charitas Dei.

Charitas qua Deũ diligimus.

Charitatis laus.

Pravitas ſimoniaca.

Laudes charitatis ex tribus cauſis.

Et primùm quidẽ dicitur charitas, quia ſine me non ſolùm vilis, ſed & viliſſimus etiam Deus eſſet. Ubi enim ego non ſum pro quantumcunque vili Deus deſeritur. *Nota.* Quid enim vilius momentaneo lenocinio carnalis voluptatis? & tamen ubi ego non ſum, pro illo Deus deſeritur; ſed & luto divitiarum temporalium quid vilius? & tamen avarus pro illo Deum deſerit. Reverà divitię omnes pedibus noſtris naturaliter calcandæ, immò conculcandæ, & ſupponendæ ſunt, conculcandæ inquam pedibus corporis, quantò ergo fortius pedibus cordis? Has enim ſi elevare ſuper pedes noſtros voluerimus, toto pondere obnituntur, & ut ſint in infimo, qua poſſunt virtute connituntur. In infimum autẽ locus eſt conculcationis. Sic & pompatici homines, atque vaniſſimi, & pro vento modico inanis gloriæ Deum deſerunt, quo vento inde nihil vilius, ſicut Deo nihil eſt pretioſius, vel æquè pretioſum. *Res chara quomodò & qua.* Attende autem quia non habet rem aliquam charam quis qui eam daret, vel dimitteret pro ęquivalenti, quia nec Deum charum habet qui eum daret, vel qui dimitteret pro æquivalenti ſi poſſet illi æquivalens inveniri. Ampliùs. Quantò minùs valet Deo id, pro quo Deus deſeritur, tantò Deus ab hujuſmodi deſertore vilior habetur: quia ergo omne aliud à Deo incomparabiliter minùs valet, incomparabiliter Deum vilem habet, qui pro quocunque alio illum dimittit: manifeſtum ergo, quia in infinitum vilis Deus ubi ego non ſum, dicit charitas. Ampliùs. Quantò minùs eo eſt id, pro quo ipſe deſeritur, tantò major ei contumelia irrogatur. Quotiens ergo pro quocunque alio deſeritur, infinita ei contumelia irrogatur. Ubi autem ego ſum, dicit charitas, in tuto eſt ab omnibus hujuſmodi contumeliis. *Charitas.* Ampliùs. Ubi ego non ſum fimus & ſtercora viliſſima per cupiditatem avidè, & ſtudioſè colliguntur, Deus autem omninò negligitur, nec curatur: ubi autem ego ſum, ipſe ſolùm eligitur, diligitur, omnibuſque præponitur, & omnia alia propter ipſum dimittuntur. Sicut expreſsè legitur Cant. 8. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam, ſcilicet ſubſtantiam. Ego ergo ſum (dicit charitas) quæ Deo ſervo valorem ſuum, ſine me enim nullius habetur pretij, vel valoris. Ego ſola novi, & notum ſolùm facio, quantùm valeat, & quantùm ſuper omnia valeat, quia abſque ulla comparatione de medicit Joannes Evangeliſta in 2. primæ. Quia ſi quis diligit mundum non eſt charitas patris in eo, & hoc quoniàm, qui diligunt mundum indubitanter magni æſtimant mundum, quare non diligunt Deum dilectione, quæ charitas eſt; ſi enim charitas Dei eſſet in eo, vilitas mundi eſſet in eodem. hoc eſt contemptus mundi; non enim ſeſe compatiuntur charitas Dei, & amor mundi, ſicut dicit Jac. 4. *Charitas & amor ſeculi non ſe compatiuntur.* Quicunque voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur. Iſti ſunt qui non ſeparant pretioſum à vili, & ideò cęci æſtimatores ſunt, ac deceptiſſimi mercatores, propter me dictum eſt, dicit charitas? Hierem. 15. Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Ego autem ſum, quæ ſeparo pretioſum Deũ à vili, hoc eſt à quocũque alio, quod nec æſtimationem habet, nec pretium ad illum; propter hoc, quicquid à me expectat inimicus, vel extorquet ipſum ut mihi pretioſiſſimum, atque chariſſimum retineo, nihil minùs me habere reputans, vel eo retento, atque ſervato me penitùs perdidiſſe. *Deus pretioſa margarita.* Ipſe eſt pretioſa margarita, qua inventa præ gaudio vendidi, id eſt contempſi omnia, ſicut ipſemet dicit Matthæi 13. Ipſe eſt mihi theſaurus abſconditus in agro ſanctę converſationis, ſicut in eodem ejuſdem legitur. Omnia mihi vilent propter ipſum, ſolus ipſe mihi pretioſus eſt. Secundùm id quod caros nobis noſipſos

E effici, laudes ejus iſtæ ſunt Prima laus ejus eſt, quam dicit, quia ſoli poſſeſſores mei pretioſi ſunt, & mundo, atque diabolo invendibiles ſunt, immò & immercabiles. De aliis enim Proverbiorum 10. Cor impiorum nihil eſt. Hoc eſt quoniàm pro nihilo ſe dant; *Avarus.* avarus enim cupiens pecuniam, & non obtinens cor ſuum dedit pro nihilo, hoc eſt quoniàm pro pecunia, quam concupivit, dùm eam non recipit. Sic & luxurioſus dùm voluptatem carnis concupiſcit, & ideò eam non aſſequitur, quia non valet, cor ſuum ſimiliter pro nihilo dat, & ad hunc modum ſe habet de aliis, vana iſta cupientibus, & non obtinentibus, quia corda eorum pro nullo habet diabolus. Non audet aliquem poſſeſſorum meorum, dicit charitas, taxare diabolus, quia non habet quod offerre audeat; quemadmodùm enim ſi pro maſſa auri, vel pro magno pręclaro, atque magnifico regno **F** feſtucam quis offerat, habenti maſſam illam auream, vel regnum cum indignatione ab eo repellitur; interdùm autem, & percutitur, qui tam villa pro tam pretioſis offert, quaſi contumeliam irrogaverit, ſic ipſi faciunt diabolo. In ipſa enim ſuggeſtione tẽtationis diabolus, dùm tentat corda eorum, offert aliquod temporale, videlicet, vel voluptatem, vel pecuniam, vel aliquid aliud, quam oblationem, ſeu ſuggeſtionem, qui ſeipſum charum habet, cum indignatione repellit, ſicut fecit Petrus oblationi Simonis magi. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, etiam ad hunc modum de aliis. Interdùm autem & iraſcuntur. & contumeliam ei reddunt pro hujuſmodi vilificatione ſua, & ſpuunt in faciem ejus, *Nota.* & ſic clamant ei, phy, de omni eo quod offers, & quod habes. Quemadmodùm ſi regina inclita ſollicitaretur de turpitudine à gartione viliſſimo, ſi ſeipſam **G** charam, ac pretioſam haberet, non ſolùm cum indignatione ipſum repelleret, ſed eum graviter torqueri faceret, ſic & diabolo faciendum eſt. Torquetur autem diabolus ira magna, & indignatione, *Diabolus victus erubeſcit.* cùm viliter repellitur erubeſcens, & dolens ſe victum eſſe, torquetur etiam ſpiritualiter, cùm videt aliquem ſe torquentem, pro eo quòd ſuggeſtionem ejus ſine taxatione in ſeipſo ſuſtinuit, & indubitanter magnam ſibi contumeliam facit, qui tam viliter taxari ſe videt, & inde vehementer non iraſcitur diabolo ſic taxanti, non longè à mercato, ut vulgò dicitur, hoc eſt multùm propinquius eſſe venditioni ſuiipſius, qui vel ad punctum ſuſtinet ſe ſic taxari. De hoc Salomon Proverb 6. Pretium ſcorti vix unius panis eſt, mulier autem pretioſam vitam viri capit: dicit unuſquiſque poſſeſſor meus, meritò mihi charus ſum, qui tanto pretio emptum ab ipſo Deo me ſcio, ſicut dicit Apoſtolus in 6. primæ ad Corin. Empti eſtis pretio magno. Et Pet. in prima pri. Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternę traditionis. Credo Auguſtino dicenti, & conſulenti mihi. Ne tibi vileſcas (inquit) appende te ex pretio, quod pro te datum eſt, ſubaudi ipſe Deus qui me creavit, ſe pretium pro me dedit. *Nota.* Si quis minùs offerat, quàm ipſum Deum, qui dignatus eſt eſſe pretium meum non ipſum audio, immò nec audire volo. Quòd ſi quis alius tantùm offerret, vel offerre poſſet, vellem ei pro tanto dari, ſi enim venalis eſſem, pro minori me habere deberet ipſe, cui totum debeo, quàm quicunque alius, de hoc Auguſtinus abſit, ut poſtquàm ſcio me emptum eſſe ſanguine Chriſti, me ulteriùs exhibeam venalem. Huic ergo charitati vilitas contraria eſt: de qua Hier. 2. Quoniàm vilis facta es nimis iterans vias tuas; ſicut enim charum, & vile contraria ſunt, ſic charitas, & vilitas. Ex his igitur laudibus charitatis apparent ſuggillationes, & vituperia vilitatis, ſicut charitas pretioſos nos efficit, & charos

Digitized by Google

nobis, ut nihil nobis, quod diabolus offerat, præferamus, aut ei nos comparemus, ſic vilitas nos nobis adeò viles efficit, ut omnia quæ diabolus per ſuggeſtiones nobis offert, magna, aut prætioſa reputemus, & quodlibet eorũ nobis præferamus, aut ſaltẽ cõferamus. Tertiò charitas nobis proximos etiã efficit charos, ut fratres, & ſocios, & hæc affectio facit eos nobis charos, & ut etiã chariores habeamus eos corporibus noſtris non ſolùm rebus, ſicut dicit Joannes in 4 primæ Canonicæ ſuæ Si Chriſtus pro nobis poſuit animam ſuam, & nos debemus pro fratribus animas ponere. De hoc Gregorius Qui non dat pro fratribus pecuniam ſuam, quomodò daturus eſt pro illis animam ſuam, id eſt vitam. De hoc Auguſtinus. Multi plus dolent de morte paſſeris unius, dummodò paſſer ille ſit pulcher, atque carnoſus, quàm de morte unius hominis. Chari autem proximi habendi ſunt ſpiritualiter, non carnaliter, qua perverſitate multi laborant, qui cùm fratres corporaliter infirmantur, vel aliud quid ſecundùm corpus incommodi patiuntur, penè inconſolabiliter dolent, & lugent ſuper eos Cùm autem ſpiritualiter affliguntur, videlicet cùm ardenti ira, vel odio, vel libidine, qui ardores ſunt omni ardore febrili pernicioſiores, nihil, vel penè nihil patiuntur ſuper hujuſmodi afflictionibus eorum, vulnera peccatorum, & ipſam mortem animatum duro, ac penè inſenſibili corde audiunt de proximis. Vulnera corporum, & mortem, aut ægritudines quaſcunque cum dolore, & luctu miſerabili audiunt, plangentes, & lachrymantes, gementes, & lugientes; ſed etſi fortè amicus aſinam perdiderit, condolent vehementer; ſi autem animam, nec curatur evidenter, ſicut dicit beatus Bernardus. Aſina perditur & tot habet perquiſitores, anima perditur, & vix eſt, qui recogitet: & ut ad unam dicamus, verè nihil vilius eſt apud aliquos animabus proximorum, licet magni, & ſpirituales habeantur, quoniàm rarus eſt, qui animam proximi ſui pretio biblię ſuæ redimeret, qui illam daret, ut illam à peccato mortali liberaret; & ſicut ſupra diximus, ipſa ſtercora literalia per plateas ſparſa tot habent ſtudioſiſſimos, atque avidiſſimos collectores, animæ verò vulneribus peccatorum proſtratæ, & penè ubique latentes pauciſſimos habent, qui curent. Si ceciderit nummus immò ſi obolus in via, ferè tot habet relevatores, quot prætereuntes, ſed ſi ceciderit anima in via morum, negligitur ut ſtercus, & quod deterius eſt, contemptu, & aſpernatione ſpiritualiter conculcatur. Sicut dicit Pſalmiſta. Pones eos ut ſtercus terræ, & Hieremiæ nono. Et cadet morticinium hominis quaſi ſtercus, & cætera. Verè autem, vel ſaltem non ſtercoribus viliores animæ habentur. Si viderimus fratrem infirmantem corporaliter & cibum corporalem ſumere non valentem, miſerabiliter dolemus ſuper eum, & dicimus. Ecce jam duo, vel tres ſunt dies, poſtquàm cibum non accepit, ecce de cibo ſpirituali, ſi per annum non acceperit, rarus eſt qui doleat. Quid eſt, ô miſer, corpus humanum, niſi equus, vel aſinus ipſius ſpiritus, & quid ſpiritus, niſi ſeſſor, & rector corporis, aſino, vel equo illi compateris, ſeſſorem, atque rectorem omninò negligis. Quid eſt (quæro) vulnus in corpore, niſi foramen in veſte? Sicut dicit Judas in epiſtola ſua. Carnis maculatam tunicam: & Apoſtolus in 6. 2. ad Corin Non enim quærimus expoliari, ſed ſupervestiri. Veſti compateris dolore penè inconſolabili, veſti inquam fraternæ, & ipſum fratrem veſtitum non curas Amplius. Quid eſt vulnus in corpore, niſi rima, vel fiſſura in tabernaculo? corpus enim non eſt niſi tabernaculum militantis in eo ſpiritus, ſicut docet Petrus in 5. 2. Scio quòd velox eſt tabernaculi mei depoſitio, & cætera. Quid eſt

Suggillationes diaboli. — *Charitas.* — *Charitas erga proximum qualis eſſe debeat.* — *Nota.* — *Perditio animæ dolenda.* — *Nota.* — *Corpus humanum quid.*

A mors corporaliter, niſi ruina tabernaculi iſtius? Quãta igitur dementia eſt tantoperè curare ruinã, vel fiſſuram in tabernaculo hujuſmodi, & inhabitatorem, atque militantem in eo non attendere. Caſum equi, & hujuſmodi ruinam tabernaculi mirabiliter expaveſcis, & ruinam equitis, atque inhabitantis penitùs negligis. Manifeſtum ergo eſt ex his, quia hujuſmodi homines, non fratres reverà diligunt, ſed fratrum equos, aut aſinos, veſtes, & tabernacula, ſicut diximus, quod inde apparet, quod per ſe eſt poſito, ponitur, & remoto, removetur. Poſitis autem his, ſcilicet equo, vel aſino, veſte, ſeu tunica, tabernaculo corporis, ponitur hujuſmodi dilectio, & remotis removetur, morte enim corporis extinguitur & his tranſeuntibus evaneſcit. Unde vulgò dicitur, quòd mortuus amicum non habet, dicit ergo fraterna charitas B non inhumana ſum, ut fratrum corpora, vel oderim, vel non curem, ſed ordinata ſum, ut in primis animas ipſorum diligam, & maximè: ſecundò corpora: tertiò corporalia quæque bona ipſorum; nullum enim in bonis fraternis inamatum prætereo, ſed quæ vilia, & vilipendenda ſunt chara nõ habeo, ſicut ſcio, quę pretioſa ſunt, & chara habenda, non vilipẽdo. Ego juſtiſſima, & veriſſima æſtimatrix rerum pretioſarum, & vilium, & maximè hominum, quæ non aliud forum, vel pretium eis impono, quàm Deus; non enim propter hoc minus deſerendi ſunt, quàm ipſi ſint; non enim deſerendus, vel dimittendus eſt proximus, niſi cùm ejus ſocietas, aut contubernium Deum nobis auferret, ſicut multis infirmis accidit, qui à malorum contubernio facilè corrumpuntur. Ibi proculdubiò recedendum infirmis ab hominibus hujuſmodi interdùm, ſcilicet charitatis officia illis ſubtrahenda. Quemadmodùm ſi ſacerdos juvenis requiratur, ut audiat confeſſionem juvenculæ, in cujus concupiſcentia ardet, poteſt ſubtrahere ſe, & relinquere eam alij confeſſori, propter periculum proprium, & hoc ne amittat Deum. Sunt C & alij caſus, in quibus etiam officia charitatis ſubtrahenda ſunt proximis, propter ſimilia pericula. Sicut Chriſtus poſuit animam ſuam pro fratribus, ut ipſemet dicit Joan. 10. ſic judico faciendum eſſe, & ſic etiam fieri facio; facit chariores enim affectio, proximos aliis, & ſibiinvicem, quàm animæ, ideſt vitæ eorum, ſicut dicit Apoſtolus de ſeipſo in 13. 2. ad Corin. Ego autem libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris. Dicitur autem charitas Dei virtus iſta, & gratia, vel quia Dei donũ eſt, vel quia ea charus habetur Deus. Tertia nominatio ejus eſt, qua communicatio ſancti Spiritus nominatur, non ſolùm, quia ea communicatur ipſe Spiritus Sanctus ab eis, qui de eo communiter vivunt, ſed quia omnia, hoc eſt bona, & mala ſpiritualia & temporalia, communia ſunt illis, de quibus eſt ſicut legitur Actuum 14. Erant illis omnia D communia. Hæc eſt communio, & ſocietas de qua Joannis primo primæ Canonicæ ſuæ. Et vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas veſtra ſit cum Patre, & filio ejus Jeſu Chriſto. Antiquum proverbium Socratis. Amicorum omnia communia. Unde cùm quidam pauper diceretur corã eo amicus cujuſdam divitis: Cur ergo iſte pauper? ille dives? amicus autem non eſt, qui particeps fortunæ non eſt. Veriſſimè ergo dicit habes iſtam gratiam communicationis. Mea omnia ſunt magna Deiformia. In omnibus Dei nundinis omnes negotiatores mihi lucrãtur, hoc eſt quoniàm particeps ſum omnium illorũ, & ſocius: ſicut dixit David de ſeipſo. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Nemo enim dubitat de ſociis negotiatoribus, quin quilibet eorum, & omnibus negotietur, & ſingulis, & econtra, & quin omnibus, & ſingulis

Mors corpora is leviter ferenda. — *Anima prius diligenda, deinde corpus.* — *Charitatis officium interdum ſubtrahendum.* — *Charitas communicatio ſancti Spiritus.* — *Socrates.* — *Nundinæ Dei.*

Digitized by Google

Vita ſanctorum quædam negotiatio.

lucretur, & perdat, hoc eſt, & lucrum commune omnibus, & ſingulis, & detrimentum, quod vulgò dicitur perditio. Tota autem vita ſanctorum quæ vita gratiæ eſt, negotiatio eſt, ſicut docet veritas in parabolis evangelicis Matthæi 13. Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, & ejuſdem 25. in parabola de talentis. Similiter & Lucæ 19. ubi expreſsè dicitur. Negotiamini dùm venio. Meritò ergo non ſolùm dives ſed ditiſſima ſum, quæ tot habeo negotiatores mihi, tot & tanta lucrantes, videlicet præclaras divitias gratiæ, & gloriæ, ſtatim ubi video bonam palmatam alicui fieri. dico partem ibi habebo (ut vulgò dicitur) & ſtatim efficior particeps lucri illius. Quot bona, vel video, vel audio fieri, tot bona mercata, ſive tot bonas palmatas audio, vel video fieri; omni enim bono opere quiſquis eſt, qui operatur, mercatur regnum cœlorum: quicunque ſunt, & quotcunque ſunt, qui bona operantur, & operarij mei ſunt, omnium enim operum illorum ego particeps ſum.

Nota.

Cùm audio pulſare ad matutinale ſervitium in una Eccleſia, gratias ago Deo, & glorior, quia illa hora ſcio ſurgere operarios meos ad operandum mihi, hoc eſt, ad arandum vomere diſciplinæ, corda, & corpora ſua ad ſeminandum & ipſas Dei laudes, & ipſas devotionis lachrymas; ſemina enim noſtra ſunt, ut dicit Auguſtinus, quicquid boni fecerimus; ſimiliter & ad ædificandum mihi cœleſte palatium ſcio eoſdẽ operarios ſurgere, omni enim bono opere ędificatur operanti, & ei pro quo ipſum opus fit, domus non manufacta in cœlis. Item cùm audio pulſari in alia Eccleſia, & ſimiliter de omnibus, in quibus pulſationes fieri audio, nec ſolummodò de his eſt gaudium meum, & gloriatio, ſed etiam de omnibus illis, quos ad bona facienda ſurgere illa hora credo.

Advocati charitatis.

Quicunque orant Deum, quique laudant, advocati mei ſunt, cauſam enim meam apud Deum agunt, orationibus enim communibus, pſalmodiis, cantionibus, lectionibus, non ſolùm cauſa totius Eccleſiæ agitur coram Deo, ſed etiam ſingulorum fidelium. Quanta ergo mihi fiducia eſſe debet, quòd fęliciter agatur cauſa mea, quam tot, & tanti advocati, tamque gratioſi allegant coram Deo? Quis ergo poteſt æqualiter, vel ſimiliter gloriari mihi? cui tot, & tanti, tamque divites, atque prudentes negotiatores mercantur, immò lucrantur, tot, & tanta operarij omni genere bonorum operum operantur, cujus cauſa tot, & tanti advocati allegant, & ut paucis magna, & mira, & de laudibus meis dicam, quot bonæ lachrymæ ex oculis ſanctorum profluunt, ſuper peccata mea defluunt, ut eorum ardores extinguant, ut ſordes eorum diluant, ſuper cor meum cadunt, ut illud compluant, irrigent, & fœcundent; quot cilitia, vel alię aſperæ, veſtes corpora ſanctorum armant, cordi meo ſe affectant, ut ejus abſtergant rubiginem, ut illud eliment, atque ſplendificent.

Charitatis effectus.

Quot vel fuſtus, vel virgæ, vel flagella corpora ſanctorum ubicunque terrarum percutiunt, peccata mea fugant, & conterunt. Quot eleemoſynæ de manibus ſanctorum exeunt, tot lapides in hoſtes meos jaciuntur ad lapidandum eos. Quot manus ſanctorum ad erogandum aliquid pauperibus extenduntur tot manibus implentur cœleſtes theſauri mei. Manus enim pauperum (ut dicit Auguſtinus) Chriſto ſunt gazophylacium: Quotque à quibuſcunque ſanctis pro ipſo dimittuntur, vel contemnuntur, in cœlo mihi reponuntur theſauri. Quòd ſi dixerit quis, quòd iſta communicatio, vel ſocietas æquè, vel plus damnoſa eſt, quàm fructuoſa, quia, etſi multi de ſociis lucrantur, aut benè operentur bona, ſunt & alij innumerabiles, qui omnia perdunt, & diſſipant: com-

E munis autem perditio eſt, & diſſipatio, ſicut & commune lucrum. Quare major perditio, & diſſipatio tua, quàm lucrum, cùm plures, & fortiores habeas perditores, & diſſipatores, quàm lucratores, & bonos operatores. In quo reſpondeo quòd pietas, vel compaſſio, quæ pars mei eſt, ſufficienter reſpondebit. Iſta enim, quæ dicit detrimenta, & perditiones, ad eam pertinent, & pars ejus ſunt, poteſt idque legitimè: bona enim mihi retinui omnia, & mea illa facio, mala autem ipſa ſibi retinuit, mihi ſpecialiter ſervit ſacramentum ſacræ communicationis, hoc eſt Euchariſtiæ, ſicut ipſum nomen ipſius indicat.

Sacra Euchariſtia.

Inter multos enim ſaluberrimos effectus ejus, & juſtitias, ego ſum una, non minor, & propter hoc communicare verè dicuntur, qui me per virtutem tanti ſacramenti in ipſo & cum ipſo recipiunt. Quia verò ego communicatio Sancti Spiritus ſum, manifeſtum eſt quòd contrarium meum excommunicatio eſt ejuſdem de neceſſitate, quare proprietas,

Proprietas excommunicatio quædam.

F ſive proprietarietas excommunicatio eſt. Sicut enim commune ſe habet ad proprium, ſic communitas ad proprietatem. Quia ergo unum uni contrarium, excommunicatio autem eſt mihi contraria, ſimiliter & proprietas ex neceſſitate, unde & idem ſunt excommunicatio, & proprietas, quare excommunicatum, & eſſe proprietarium idem; proprietarij ergo veriſſimè excommunicati ſunt, & hæc proprietas eſt amor privatus, quod dicit eſſe beatus Aug. fundamentum Babylonicæ civitatis, & vocat illum amorem ſui, & dicit quòd iſte amor creſcit uſque ad contemptum Dei.

Proprietas

Amor ſui.

Ex bonis autem meis, & laudibus manifeſta ſũt mala hujus excommunicationis, ſic enim excommunicatus, id eſt proprietarius eſt ille ſolus, de quo Salomon Eccleſiaſt. 4. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe, omnibus enim bonis prænominatis ſeipſum privat, qui ſe per hanc excommunicationem dividit ab aliis. Ego facio unumquemque poſſeſſorem meorum, civitatem firmam ſicut legitur Proverbiorum 18. Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi

G civitas firma. propter me dictum eſt Iſaiæ. Unus erit in mille, & minimus in gentem fortiſſimam. In uno enim pugnatorum meorum, immò in unoquoque pugnat totus ſanctorum exercitus per me, & propter me. Et propter hoc ſpiritualiter terribilis dicitur Eccleſia Canticorum 6 Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Simile.

Quemadmodùm uni membro benè ſe habenti congaudent omnia, & malè ſe habenti condolent, & quodammodò pro unoquoque pugnant omnia, ſic ſe habet, & de toto corpore, ſive exercitu ſanctorum. Ego ſciens deſcendere pluviam donorum, & gratiarum, expando pallium meum, immò vas meum, videlicet cor omne, quod poſſideo, adeò dilato, adeòque in omnem partem extendo, ut nec ulla ſtilla pluviæ iſtius vas meum effugiat. Siquidem omne datum optimum, & omne

H donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Super cujuſcunque cor deſcendat, ſuper cor quod poſſideo deſcendit. Quicquid enim boni cuicunque aliorum fit, unicuique poſſeſſorum meorum fit per me, ſicut jam præoſtendi. Ego cor omne, quod poſſideo, hortum delitiarum facio, & paradiſum cœleſtem: omnem enim arborem fructiferam, omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, hoc eſt unumquemque ſanctorum virtutum & gratiarum ſpecioſitate, atque varietate decoro, & fructum bonorum proferentem in cor, quod poſſideo, infigo, & planto, & in illo geſto; in corde enim habemus infixos, & adhærentes, quoſcunque præcordialiter diligimus. Idem dico de bonis gratiarum atque virtutibus quia ubicunque eas audiã, vel credam eſſe, cordi poſſeſſoris mei eas infigo, & ut meas eas diligo. Quicquid autem plantatum eſt

in terra

Digitized by Google

A in terra mea, mihi fructificat, quare omnes electi velut arbores pretioſæ ac nobiles, omnia dona gratiarum in agro cordis quod poſſideo, ſcilicet plantæ, mihi fructificant. Væ ignorantibus iſtas divitias *Pulchri.* meas: ſicut enim ſi unum ex electis, & ſanctis à corde meo divelli permitterem, quod non aliud eſt, quàm ſeparati à me, ita ut eum diligere deſinerem, unam nobilem arborem, ac pretioſam ab agro meo avelli ſuſtinerem; ſic qui nullum ſanctorum diligit, vel qui quantumcunque illorum ſic diligere deſinit, pro horro deliciarum, cor ſuum vaſtam ſolitudinem habet, & hoc eſt, quoniàm qui diligit unum dilectione hac, ex neceſſitate diligit omnes, & qui unumquemque non diligit ſic, nullum omninò diligit hac dilectione. Qua de cauſa uno amiſſo ſic à corde humano, omnes avulſi ſunt. Ex quo apparet quàm periculoſum ſit, vel uni homini cuicúque iraſci ira mortali, vel unumquemque illæſum non diligere. Sine me dicit iſta gratia, quicúque me non habet excommunicatus eſt à communione ſanctorum, & à corpore Chriſti myſtico ſeparatus: Mihi ergo omnes arbores fructificant, omnes agri pleni, quibus benedixit Dominus fruges ferunt. *Queſtio.* Si quis dicat quòd hęc juſtitia ſupernæ Hieruſalem eſt ſpiritualis, ſicut dicit Auguſtinus, ut cui communicantur aliqua bona, communicet ipſe & ſua, & ita neceſſe habeo communicare omnia mea toti eccleſiæ ſanctorum, quare quid mihi relinquitur, cùm omnia mea neceſſe dare habeam? *Reſponſio.* Reſpondeo, quòd dando, & communicando illa poſſideo, atque retineo, retinendo verò illa amitterem Hoc enim eſt privilegium, & mirificentia ſpiritualium donorum, quòd dando retinentur, & etiam multiplicantur: licet enim de ſola ſapientia hoc dixerit quidam, quòd ſapientia eſt nobiliſſimus animæ theſaurus, qui diſtributus ſuſcipit incrementum, & avarum dedignatur poſſeſſorem, ſi non publicetur theſaurus elabitur; ſic & de amore manifeſtum eſt, quia qui non dat amorem, ipſum non habet *Amor.* Amare enim nihil aliud eſt, quàm amorem dare, quia ergo qui non amat, amorem non habet: manifeſtum eſt, quòd qui amorem non dat, amorem non habet. Qui autem retinere vult ipſum, non dat ipſum, ergo neque habet. Sunt enim dona gratiarum, & virtutum velut lumina, & ſplendores, quòd ſi quis retinere conaretur extingueret; ſic ſe habet non ſolùm de donis gratiarum, atque virtutibus, ſed etiam operib. earum: Propter quod dicit Gregorius, quod virtus aut proficit aut deficit. Expreſsè autem de amore Dei dicit, quòd non eſt otioſus in Homilia de Pentecoſte. Sine me etiam mortuus eſt, quicunque me non habet, ſicut dicit Joannes in 3 primæ Canonicæ ſuæ. Qui non diligit manet in morte: qui ergo me non habet, mortuus eſt, & excommunicatus, ut dicimus. Quarta nominatio ejus eſt, qua nominatur amor, & hæc eſt eſſentialis ejus nominatio & id.ò omnibus nota *Amor quid.* Manifeſtum autem, quia amor eſt quædam unitas, ſive unio amantis ad amatum, propter quod & vinculum amor ipſe dicitur ad Epheſ. 4 Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Ecce ibi unitas ſimul, & vinculum dicitur, & iterùm ad Coloſ. 3. Super omnia autem charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Unum ergo ſunt amans. & amatum, colligata ſibi colligatione ſpirituali. Quemadmodùm dicuntur corpora corporali ligatura, ſeu vinculo colligata, ut arca, & ſcamnum, & etiam ipſum corpus animalis, propter quod dicit Aug. in ſuggillationem avaritiæ; periculoſum eſt fieri unum cum eo, à quo neceſſe habes ſeparari, uniunt enim ſe hujuſmodi ligatura, ſeu vinculo, ſe ligantes temporalibus, & propter hoc juxta paſſiones illorum patiuntur quaſi in ipſis. *Vide.* Unde dicit avarus ſe deſtructum, cùm ejus temporalia deſtruuntur, & grandinatum cùm ejus vinea degrandinata eſt, & exuſtum, cùm ejus domus exuſta eſt, propter hujuſmodi unionem, ſeu ligationem amoris. Beatus verò Dionyſius in hierarchia ſua vocat amorem, totalem declinationem amantis in amatum, hoc eſt totalem fluxum, ſive raptum, quo amans fluit, vel rapitur in amatum cum omnibus ſuis, & hoc ſi perfectus fuerit amans, ac vehemens, omnia enim quodammodò quæ amantis ſunt, trahit & impellit amor in amatum. Hujuſmodi ergo doni, ſeu gratiæ, inquantùm amor eſt, prima virtus, & laus eſt quòd delectabile, atque jocundum facit amatum, quantumcunque amatum, vel moleſtum; *Amatum delectabile.* ſic etiam ſi infernus amaretur, dulcis, & delectabilis eſſet. Secunda laus & virtus ejus eſt, quia quicquid tetigerit, ſuum facit amantis: quod multi ignorant, cùm manifeſtum ſit, quia ipſum amantem, & quæcúque ejus ſunt, facit amantis. B Perfectus amor non vidit, quandò econversò hoc faciat, cùm veriùs hoc efficiat, quod inde manifeſtum eſt, quia bona & mala eorum quos amamus, noſtra ſunt per communionem, quam ſupra proſecuti ſumus, non autem ita eſt econversò. Non enim bona, & mala noſtra ex neceſſitate, & ſemper ſunt eorum, quos diligimus, interdùm diligimus, nec diligimur, interdùm autem plus diligentes, minus diligimur. Sicut dicit Apoſtolus de ſe in 13. ij. ad Corint. Licet plus vos diligens, minùs diligar. Hoc eſt quod dicit Dominus Joſue 1. quemcunque locum calcaverit veſtigium pedum veſtrorum, veſter erit, & alia litera habet. Quemcunque locum tetigerit pes veſter, veſter erit. Pes cordis dicit Aug. amor eſt, qui ſi rectus eſt, dicitur charitas, ſi verò curvus dicitur cupiditas. Manifeſtum autem quòd quicquid tangit amor noſter, noſtrum eſt, per modum prædictum. Facillima ergo eſt nobis acquiſitio omnium C bonorum, dùm ſolum hujuſmodi tactu ea acquirimus, & noſtra facimus. *Spirituales divitiæ facillimè comparantur.* Meritò ergo pauper eſt, qui nec tangere curat ſpirituales divitias tali tactu, nonne eſt miſeranda paupertas hujuſmodi hominum, qui nec tangere volunt, nec divitias ſpirituales amare. Iſte amor eſt velut accipiter rapaciſſimus, cujus rapacitatem nullum volatile effugit; Bona enim ſpiritualia ſeu virtutis, ſive opera, ſi ſint recta, volucres ſunt ſpirituales in ſublime cœlorum volantes, & uſque ad conſpectum altiſſimi penetrantes Iſte eſt accipiter à quo ſtatim ubi viſæ, vel auditæ fuerunt capiuntur, & rapiuntur, & habentes illum, ut diximus, efficiuntur: Cor enim hujuſmodi amore prædictum omne bonum ſtatim ubi vel viderit, vel audiverit amat, & propter hoc ſuum facit illius, in quo eſt, ſive cujus eſt Hujus accipitris omnis præda non nobiliſſima eſt, niſi volet ad Dominum in primis, & deinde ad omnia ea, quæ ejus ſunt. D Hujuſmodi volatum, atque rapacitatem, ut ipſe Deus, haud fugit, aut evadit, licet enim ſcriptum ſit: Quòd omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia, & qui aſcendit ſuper cherubim, & volavit ſuper pennas ventorum. Cùm iſte accipiter eum conſequitur, & comprehendit, & ligatum tradit poſſeſſori ſuo, ſicut ipſemet teſtatur Proverbiorum 8. dicens. Ego diligentes me diligo. Qui enim diligit vinculo amoris, ligatus eſt, & traditus amato, ſic ligatus, quantumcunque enim longè ſit Deus à ſe. Juxta quod dictum. Longè à peccatoribus ſalus Tamen ſtatim cùm amaveris, imm. quàm citò ipſum amas eundem capis, & tenes. Iſte amor eſt vinculum quo ſolus Deus tenet, & poſſidet cor humanum. Per hoc vinculum ei ſe tradit, ut illud teneat, & poſſideat, alioquin id eſt ſine hoc nec tenet ipſum, nec poſſidet Deus, poſſeſſione pacifica, eique accepta. Qui ergo rumpit hoc vinculum Domini, ſe ipſum ſpoliat.

Digitized by Google

Si verò aliquid, quod contra eum ſit, amet ille, ſe per vinculum amoris poſſidendum jam tradidit, & tenendum, quemadmodùm ſolet tradi equus, vel aſinus ei, à quo poſſidendus eſt. Ex quo apparet, quanta inſania ſit aliquod amare contra Deum: ille enim & diabolo ſe ligatum tradit, qui ſic amat. Iſte amor eſt in prædicamento relationis æquiparantiæ, & propter hoc, ſi fas eſt dicere, Deo quodammodò vel æquiparat eos in quibus eſt, id eſt amatores Dei. Amici enim, inquantùm amici, pares ſunt, utpotè invicem per æquiparantiam relati, propter quod & ipſa veritas dicit Joan. 15 Jam non dicam vos ſervos, & poſt pauca: Vos autem dixi amicos. Iſte amor eſt propriè Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater, ſicut legimus ad Rom 8. Eſt enim iſte amor gratia adoptionis, hoc eſt filiatio ſpiritualis, qua naturæ filij, filij Dei per gratiam ſunt in quibus ipſe eſt, hæc eſt germanitas, ſive fraternitas ſpiritualis, ſive natio, ſive cognatio: ſicut legitur Eccleſ. 3. Filij ſapientiæ Eccleſia juſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio, per hunc amorem fratres Apoſtolos, & alios electos vocat Dei filios Joan. 20. Vade ad fratres meos, & dic eis. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Et ut verbis ipſius utamur, iſte amor dicit. Ego ſum radix vivifica, de qua quicunque non procedit, ramus aridus eſt. Sicut teſtatur Greg. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi de radice proceſſerit charitatis. Ego radix ſapientiæ, quæ nunquàm concidit ſicut legitur Sapien. 3. Et primæ ad Corin. 13 Charitas nunquàm excidit. Ego honorabilis ſapiētia ſicut legitur Eccleſia. 1. Dilectio Dei honorabilis ſapientia. Ego ſum ignis, quem Dei filius venit mittere in terram: Sicut ipſe dicit Lucæ 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? De hoc igne non inconvenienter intelligitur quod legitur Threnorum 1. Ignem miſit in oſſibus meis, & erudivit me. Ego ignis illuminans atque ſplendificans ad ſplendorem æternæ pulchritudinis, quicquid in me arſerit perducens, ſicut dicit Greg. Non fulgebit anima in ſplendore æternæ pulchritudinis, niſi in officina arſerit charitatis. Ego ignis purificans, & examinans ad perfectum, omnemque alienæ mixturæ ſpurcitiam à corde, in quo ſum expurgans, ſicut dicit pſal. Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Ego ſum vitalis calor quo extincto, vita gratiæ relinquitur, ſicut ſupra oſtendimus, ex tertio primæ Canonicæ. Joan. Qui non diligit, manet in morte. Ego calor diſgregans, & ab invicem ſeparans heterogenea; non enim corporalia patior adhærere, & miſceri ſpiritibus humanis, ex quo manifeſtum eſt, quòd amor mundi frigiditas eſt, quæ tam diverſa, ut ſunt corporalia iſta, & mentes humanas, aggregat, & adjuvat. Nulla enim magis diverſa ſunt, quàm corporales delitiæ, & divitiæ ad mentes humanas, quæ tamen ita eis conglutinat, & adhærere facit, ut membra ſua ea reputent, & etiam dicere non erubeſcant. De grangia enim, aut furno, molendino conſueverunt dicere avari hoc eſt melius membrum, quod ego habeam. Ego oleum lætitiæ quo ipſe Chriſtus dicitur unctus præ participibus ſuis, quo non ſolum agnominari, ſed etiam nominari voluit Chriſtus. Ego oleum ad medicamenta morborum ſpiritualium, ad leniendos dolores animarū, ad condiendos cibos bonorum operum; ſine me enim nec ſuavitas eſt animabus, nec ſolamen, ſeu levamen doloribus earum, nec ſapor, aut ſuavitas bonorum operum eibis; inſipidi enim ſunt ſine me, etſi enim (ut dicit Aug. bonum ſit, non tamen benè ſit, quod ſine charitate ſit Ego ſum oleum ſanctum quo inunguntur, & efficiuntur veri, ac ſancti Dei ſacerdotes; ſine me enim nec ſanctitas eſt, nec ſan-

Amor. *Charitas.* *Charitas oleum quoddam.* *Oleum ſanctum charitatis.*

E ctificatio. Ego ſū unctio ſive docens de omnibus, ſicut legitur primo Jo. 2. Sicut enim amor mūdanus, atque carnalis in omnib' excæcat eos, quos arripuerit: ita ut ipſa, quæ amāt nō cognoſcāt: ita ego, quos ungo in omnibus illumino, propter hoc dicitur vulgari Proverb Si quis amat botrathan Luna videtur ei. Adeò enim excæcat amor mundanus, atque carnalis, ut ſtercora temporalium divitias nobiles reputari faciat, & præclaras nec ſolùm intùs excæcat amor hujuſmodi, ſed & foris, verbi gratiâ. Si quis deformiſſimam mulierem amet, videtur ei ſpecioſa, & ſi nigerrima eſt, videtur ei ſaltem fuſca; hoc autem, vel excæcatio eſt, vel ſaltem cæcutiatio. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm mundana, atque carnalia, tenebræ ſunt apud id, quod eſt nobile, aut ſublime in anima humana, & quaſi pulvis, & terra injecta in ipſum, unde quantò profundiùs ſe injecerint, vel inhæſerint menti humanæ, tantò magis illam obtenebrant, vel excæcant. Spiritualia verò lux ſunt, & lumina apud illud, & quantò profundiùs, aut viciniùs in eo fuerint, tantò plùs illud illuminant, F quantóque plùs per plura illorum apud eam fuerint, tantò plus lucis, vel plura lumina erunt apud illam. Hoc autem inde manifeſtum eſt quia elongatio ab his, quę carnis, vel mundi ſunt, mentem humanam facit propinquare ad illuminationem ſuam. Quemadmodùm elongatio à tenebris, & appropinquatio ad ſpiritualia, appropinquatio eſt ad lumina, & ad primum, & ad puriſſimum lumen. Propter quod legitur in Pſalmo. Accedite ad eum, & illuminamini. Ego ſum unctio chriſmatis, reges ac ſacerdotes conſtituens; per me enim ſolam, veri reges regnant, & veri reges ac rectores ſui ſunt, ac ſuorum; ſine me enim ſervi ſunt nequiſſimi vitiorum. Ego ſum fons plenitudinis, & abundantiæ univerſalis omnium bonorum, propter quod Aug. Ubi charitas eſt, quid eſt quod non poſſit prodeſſe. ubi verò ipſa non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe? Ego fons proprius bonorum (ut dicit Auguſtinus) cui non communicat alienus. Ego ſum vita virtutum, ut dicit Proſper de vita con- G templativa; ſine me enim omnes mortuæ ſunt, & ſicut ſupra oſtenſum eſt, ego veſtis nuptialis, ſine qua à nuptiali convivio ejicitur, quicunque intrare præſumpſerit, ſicut legitur Matth. 22. Ego ſtola prima, atque præcipua, quæ filio prodigo revertenti de regione diſſimilitudinis, id eſt peccati, reddi præcipitur Lucæ 16. Ego tunica talaris, vel polimita ſuavitate fragrans, quam figuravit tunica Joſeph. Gen. 37. Et ut breviter de laudibus meis multa, ac magna, & mira, non tamen omnia dicam. Ego ſum in elementis ignis nunquàm decidens, aut deſcendens. In gemmis carbunculus ardentiſſimus, ac rutilantiſſimus. In coloribus rubor de Chriſti ſanguine, tanquàm de ſanguine muricis expreſſus. Chriſti enim paſſio, (ut ait beatus Bernar.) amorem ipſius, & im- H primit viciniùs, & exigit è nobis juſtiùs. Ego ſum præſens purpura, ac coccinum bis tinctum, propter duo mandata diligendi Deum, videlicet quia creavit, & quia recreavit, ardens velut illo ſanguine tincta. Ego ſum in liquoribus oleum. In arboribus oliva. In veſtibus ſacerdotalibus infula, vel planeta. In floribus roſa, vel lilium flammeum. In metallis aurum ignitum. In veſtibus militaribus pallium, atque cappa alata. Pallium, quia poſteriora per oblivionem operio, vel anteriora revelo, hoc eſt ſpiritualia, & ęterna: in ſupellectilibus coopertorium operiens, omnia immunda, & erubeſcenda, ſicut dicit Salomom Proverbiorum 10. Univerſa delicta operit charitas: & Jacobi 5. Charitas operit multitudinem peccatorum. Ego ſum in membris pes, quo ſola via mandatorum Dei curritur. Sine me ergo inexpeditus ambulare nititur, quicunque aliquod de Dei

Carnalia. *Spiritualia.* *Charitas unctio chriſmatis.* *Charitas fons bonorum.* *Charitas peccata operit.*

Digitized by Google

A de Dei mandatis adimplere aggreditur. Ego in menſuris ſpiritualibus latitudo, quare ſine latitudine eſt, qui me non habet. Ego in poteſtatibus ſecularibus. Rex, vel Imperator, in Eccleſiaſticis ſacerdos, Abbas, vel Epiſcopus, ad nutum enim meum, vel imperium omnia fiunt apud eos, in quibus ſum. Ego ſum in miniſtris camerarius, omnia venire faciens, omniaque ea facilitate, qua ſupra diximus, abundar faciens. Ego ſum in diſpenſatoribus bonorum diſtributor, omnia diſtribuendo retinens, ita ut ipſum, apud quem ſum poſt me in primis donem, deinde omnia, quæ ejus ſunt. Ego prima, & maxima largitas, quę nihil indatum relinquo. Cor, quod inhabitavero, inſtar domus Dei cœleſtis ordino, & diſpono, ibi enim & hanc diſpenſationem obtineo. Ipſum enim Deum, ac dominum ſæculorum ego dedi, ſicut legitur in 8. ad Rom. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed nobis omnibus tradidit illum. Ego ſum in inſtrumentis, ſeu in vehiculis currus, quo in cœlum curritur. Ego ſum currus, quo in cœlum raptus eſt Helias, ſicut legitur 4. Regum 2. Ego ſum radix, ex qua pendet tota lex, & prophetæ, ſicut legitur Matthæi 22. Ego ſum finis, ad quem tendit tota lex, ſicut legitur 1. Timoth. 1. Finis præcepti charitas. Ego ſum plenitudo legis, ſicut legitur ad Rom. 13. Plenitudo legis eſt dilectio, & ad Galatas 5. Omnis lex in uno ſermone impletur. Per me dimittuntur peccata, ſicut legitur Lucæ 7. Dimiſſa ſũt ei peccata multa quoniàm dilexit multũ. Ex his autẽ laudibus manifeſtæ ſunt ſuggillationes contrarij mei, quod eſt odium. Similiter & alterius inimici mei, qui eſt cupiditas, ſive amor temporalium. Quid plura? lege Apoſtolum in 13. primæ ad Corinth. & invenies quòd quaſi totum ſe effudit in laudes meas: lege primam Canonicam Joan. & apparet tibi, quòd de ea dicit Greg. quia omne quod loquitur charitatis igne vaporatur. Et ad ultimum lege in 14. & 15. Evangelij Joan. & legis evidenter, quia præceptorem meum ſolummodò ſe dicit ibi Deus his verbis Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem De me eſt ſchola ejus in primis & maximè, per me enim ſunt diſcipuli ejus, quicunque de ſchola ejus ſunt, ſicut ipſemet teſtatur dicens ejuſdem 13. In hoc cognoſcent homines, &c. Ego de alienis laboribus, ſive lucris mercedem, & lucrum percipio, dùm inde gaudeo ſicut dicit Aug. Vis habere mercedem de alieno opere, gaude inde, & mercedem tibi inde comparaſti Fœlix, ac nobiliſſimum commercium nihil dare & mercedem, vel lucrum percipere, immò de alieno labore duplicem mercedem accipere, gaudere enim, gaudium recipere eſt. Dùm ergo de alieno labore gaudeo, primam mercedem, videlicet gaudium hìc percipio, & ſecundam in futuro, teſte Aug. Expecto per hoc ipſum, quòd mei ſunt alieni labores, lucra aliena evidenter probans. Certũ enim eſt, quia gaudium, quibus eſt, cibus & potus eſt ſpiritualis, atque refectio cordis. Quia ergo de fructibus, ſeu operibus bonis alienis, licet mihi gaudere quantùm volo quocunque invito, vel contradicente, ideò mei ſunt omnes fructus, de quibus ſine injuria alterius poſſum comedere, quantùm, & quandò, & quotiens volo, quocunque invito, & contradicente, proculdubiò mei ſunt. Ego ſum fur fideliſſimus atque juſtiſſimus, & innocentiſſimus, qui omnia bona aliena clam capio, mea facio, ac quero: amando enim illa, atque inde gaudendo, neſcientibus illis, quorum ſunt, clam illa rapio, mea facio, & acquiro: nulli moleſta, damnoſaque ſunt furta mea, immò utilia, & jocunda, non propter hoc autem minùs habet aliquis, aut minora bona ſua, cùm ea, more, & modo meo rapuero, & furatus fuero, ſine detrimento bona poſſidentium illa capio, & de illis ditor, cum multo

Charitas dedit nobis filium Dei.

Suggillatio odij, ex laudibus charitatis.

Deus præceptor charitatis.

Charitas fur fideliſſimus.

fructu, & lucro eorum. Cùm enim illa per modum dictum poſſideo, ſi ad notitiam eorum hæc veniunt, duplicãtur eis, quia prius nõ niſi in ſeipſis illa poſſidebant, nunc autem in ſeipſis, & in me illa poſſident. Si verò boni, id eſt bonorum amatores ſint, laborant multi mendicantes oſtiatim, ſingulatim, rogantes viros ſanctos, ut eos colligant, & aſſocient ſibi in bonis ſuis, non incumbit mihi labor iſte, vel mendicatio, nec eſt mihi neceſſarius, conſortem, atque participẽ omnium bonorum, quæ viri ſancti poſſident, me facio, & hoc eſt eis neſcientibus, vel etiam prohiberi, vel etiam contradicere, non valentibus. Quare manifeſtum eſt, ubi ego non ſum paupertatem omnimodam eſſe, & laborem mendicationis neceſſariò aſſumendum, ubi ego ſum omnia affluere facio propria, & aliena. Ego ſum Dei nummus, ſive numiſma, hoc eſt iſta moneta, cujus imago ſum illius, B & per me dignoſcitur, ſicut ſupra dixit Auguſtinus, Amor enim alieni boni, quæ verè bonitas eſt ſuper omnia animas ſanctorum Deo aſſimilat, cùm ejus individuum, id eſt propriè proprium, & eſſentiale ſit bonitas pura implẽs omnia ſæcula bonitatibus, & cauſis, &c. Ego de alienis bonis tot xenia Regi regum offero, vel præſento, quot eidem laudes & gratiarum actiones, & benedictiones Deo reddo. Hoc ergo eſt jus meum. Hæc dignitas, & poteſtas, ut de omnibus bonis ubicunque ſint, & cujuſcunque ſint, xenia mea, & donationes hujuſmodi facere poſſim. Ego ſum debitum, quod ſolum ſemper detinet debitorem, ſicut dicit Auguſtinus ſuper illud Apoſtoli. Nemini quidquam debeatis, niſi ut ad invicem diligatis. Ego ſum debitum, quo reddito redduntur omnia, & debita & nihil furti, vel rapinæ remanet apud reddentem, & quo non reddito, totum furtum, aut rapina eſt quicquid eſt apud ipſum. Qui enim no reddit Deo, & proximo amorem debitum, fur eſt, & latro, etiam cordis ſui. Ego ſum cenſus & redditus, quem Deus in omni corde ſibi, & proxi- C mis reddendum conſtituit, & literas ſuas, videlicet veteris legis ex hujuſmodi redditus, vel cenſus aſſignatione dedit, ſicut legitur 18 Levitici, & ſexto Deuteronomij. Heu quot fures, & latrones habet unuſquiſque veſtrum, qui cenſum iſtum, vel redditum, nondùm nobis reddiderunt: ſi tamen, & de cætero reddere vellent, conſilium meum eſt, ut conſilium bonum habeemus de ſubtractis, id eſt de retroactis amittendis. Heu quia de furto illo penè nemo confitetur, & nemo, qui inde faciat reſtitutionem. Ego vinculum, quo ſolo alligari potuit Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio: Alligari inquam ante præſidem, & ante Pilatum ad columnam. Si totus mundus ferrum eſſet, aut acetum, non poſſent ex illo ferro, aut aceto fabricari catenæ, quibus vel ligari, vel teneri potuiſſet, ego ſola ſic eum alligare potui, & tenere. Ego vincu- D lum, quo ſolo trahi potuit ad terram, immò uſque ad inferos, & per ipſam miſeriam, & mortem noſtram per ſpinas, & clavos Dei filius per me adhuc trahitur à diligentibus ſe quicunque eo indiguerint, & in ipſum venire voluerint, per me ſolã gloriantur electi Deum ſe habere in vinculis ſuis. Ita enim ſolet dici à mulieribus de amatoribus ſuis, non habes ipſum in vinculis tuis. Gloriatio inecogitabilis eſt, audere eſtimare ſe Deum habere in vinculis, vel eum vinctum tenere. Tenebat eum Loth vinctum hoc vinculo, cùm ei diceret dominus in octavo Geneſis. Non potero ibi quidquã facere, donec inde exieris, propter quod dixit Iſaias ad eum 64. Non eſt qui eõ. ſurgat, & teneat te. Tenet autem eum vinctum, quem ipſe ſimiliter vinctum tenuerit, ſicut ipſemet teſtatur dicens. Proverbiorum octavo dicens. Ego diligentes me diligo. Ac ſi diceret, Quos hoc vinculo

Charitas numiſma Dei eſt.

Charitas eſt debitũ.

Vinculum eſt charitas.

Nota.

Digitized by Google

vinctos teneo, ſimiliter & ipſi me vinctum tenent. Ego funiculus triplex qui difficilè rumpitur, de quo legitur Eccleſiaſt. quarto. Velut enim ex tribus cordellis convertor, quorum primus procedit ex beneficio naturæ, qua bona naturæ largior. Secundus ex beneficio gratiæ, qua bona gratiæ tribuo. Tertius ex beneficio gloriæ, qua bona gloriæ præſto. Qui haber in jugi, & vivaci memoria triplicem iſtam beneficentiam creatoris, habet materias unde extrahat cordellos iſtos, & unde nectat funiculum iſtum triplicem, vel ex una ſola bonitate divina. Tres iſti cordelli, digiti ſunt mulieris fortis, qui fuſum apprehenduntur, ex Proverbiorum ultimo. Mirabili artificio extrahitur dùm divitiæ bonitatis illius in largitione bonorum naturalium erga nos, deinde bonorum gratuitorum, tertiò bonorum gloriæ provt dignum, & juſtum eſt, cogitantur. Poſſunt iſti cordelli aliis modis multipliciter inveniri, propter iſtos cordellos non ſolùm funiculus, ſed etiam funiculi, & vincula nominor Oſeæ 11 Ubi dicit Deus. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Ego ſum funiculus, & vinculum, quo ſolo extrahitur quicunque peccator de lacu miſeriæ, & de luto fœcis, quo ſolo trahitur de culpa ad gratiam, & de gratia ad gloriā, per me ſolam Dei filius traxit ad ſe omnia, & per me à terra exaltatus eſt, ſicut ipſe dicit Joannes. Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Per me enim ſolam ad altum crucis tractus eſt, & in ea levatus, neminem unquàm traxit, nec tracturus eſt, niſi per me, ſimiliter nec aliquem traxit pater, niſi per me; quare manifeſtum eſt quòd nemo venit ad Chriſtum dominum, niſi per me. Ego via excellentiſſima, ſicut teſtatur Apoſtolus in decimoquarto primæ ad Corint. dicens: Adhuc excellentiorem viā vobis demonſtro. Ego in domo Dei cœleſtis diſpenſatrix potentiſſima, omnia habens in manu ad dandum, etiam ipſum Regem, & Dominum ſæculorum. Ipſum enim dedi, & do quibuſcunque volui & volo. Hoc ipſe enim, & Pater teſtatur Joannis tertio. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium ſuum daret, & cœtera. De ipſo filio in ultimo ad Titum, qui dedit ſemetipſum pro nobis. Quicquid autem uterque dedit, ex me dedit, & per me. In quocunque enim ſum, ipſum jam dedi & omnia amato iſtius. Omnis verè amans per me amat, & per me quaſi per vinculum, vel funiculum tenetur, & poſſidetur ab amato, ut ſupra diximus. Ego ſum pleni juris & poſſeſſionis domina, à Deo habens in poteſtate omnem illum, apud quem fuero, ut illum pleno jure amati ipſius faciam, ita ut in omnem ejus uſum ipſum transferam; propter hoc ipſum Regem cœlorum, & Dominum dedi humano generi in pretium redemptionis ſicut in Pſalmo. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. In ſacrificium reconciliationis, ſicut prædictum fuerat Iſaïæ 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & ad Hebræos 9. Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, &c. In antidotum ſanationis, ſicut in eodē Iſaïę capitulo legitur. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et 1. Pet. 2. Cujus livore ſanati ſumus In ſcutum protectionis. ſicut in pſalmo legitur. Scuto circūdabit te veritas ejus. Et alibi. Improperia exprobrantiū tibi ceciderunt ſuper me. In cibū, & potum refectionis, ſicut ipſemet dicit Joan. 6 Qui manducat carnē meam, & bibit ſanguinem meum, ille in me manet, & ego in eo. Et in quarto iterùm. Qui manducat me vivet propter me. In advocatum jugis interpellationis apud patrē miſericordiarum, in propugnatorem diabolicæ debellationis, propter quod dicitur. Dominus fortis, & dominus potens in prælio. Ubi Beda. Illo nimirùm prælio, quo poteſtates aereas debella-

Charitas triplex funiculus.

Per charitatem Chriſtus crucifixus.

Charitas pleni juris domina.

Beda.

E te, & ex illarum tyrannide mundum veniebat eripere. Expreſſiùs autem Apoſtolus 2. ad Coloſſenſes. Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphās illos in ſemetipſo. De utroque autem ſimul, hoc eſt de officio advocationis, & de officio propugnationis ipſemet loquitur Iſaïæ 63. Ego ſum, qui loquor juſtitiam, ſupple, ut advocatus; & propugnator ſum ad ſalvandum. Dedi eum humano generi in Pontificem, & in ſacramentum ſanctificationis, & de Pontificio latiùs legitur 3. Lucæ, & ad Hebræ. ferè totum, de ſacramento verò notum eſt omnibus fidelibus, quòd in miniſterio altaris ipſemet ſacramentum eſt. quo ſacrantur, & ſanctificantur dignè ipſum recipientes. Dedi ipſum in fœdus ſuæ ad Deum pacificationis, ſicut legitur expreſſè Iſaïę 62. Dedi te in fœdus populi mei, propter quod percuſſus eſt, quemadmodùm percuti ſolet gladio, vel morte animalis apud barbaros, animalis inquam, cujus morte firmabatur inter eos pax, aut amicitia, propter quod Deus pater dicit ejuſdem 54. propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Sed quid in his

F immoror? non eſt genus donationis, quo ego in eo uſa non ſum, dedi enim eum in pignus humanæ aſſecurationis, propter quod dicit Auguſtinus Ipſe eſt pignus certiſſimum noſtræ redemptionis, & ſi legeris Iſaïam diligenter, invenies multos alios modos donationis, ſicut eſt ſimul ubi dicit. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Longum eſſet enumerare ſolos modos, qui apud eundem Prophetam leguntur, ſicut quòd datus eſt in lapidem angularem, ad fundamentum totius Eccleſiæ Dei; ſed iſtos modos enumeravi, ut liqueat de juris poſſeſſione, & uſu, quem habeo in eo, & habere me glorificor adeò enim ipſum poſſideo ut qui in me manet, in eo maneat, & ipſe in eo, ſicut dicit Joannes in quinto, & qui me plenus eſt, eo plenus ſit, dicit Auguſtinus. Quomodò alio, quàm Deo, plenus eſt, qui charitate plenus eſt? Ego ſum ignis, quo omne ſacrificium coquitur, quo omnis victima ſalitur,

G ſicut legitur Marci 9. Omnis victima igne ſalietur. Sine me ergo, & cruda, & inſulſa ſunt ſacrificia. Ego ignis, quem in altare Dei ſemper ardere præcepit Deus, hoc eſt in corde humano, de quo dixit Deus in Levitico. Ignis in altari meo ſemper ardebit. Ego ſum ignis, quo totum cœlum, ideſt omnium cœleſtium militiarum exercitus ardet, & hæc non conſumpta, ſive pœnaliter, ſed ultra omnem admirationem ſuaviter, ſicut ait Gregorius de Apoſtolis. Quia poſtmodùm per ejus amorem ſuaviter arſerunt, frigore mortifero mortui & extincti ſunt, ac gelidi, quos ego non calefacio. Nunc potes loqui laudes tuas ſoror mea pietas, cujus laudes etiam meæ ſunt; omnia enim, ut ſupra dixi, bona mea facio benevolentiſſima communione. Inſuper, & omnia bona in partem meam, & jus ceſſerunt, ut

H ſupra dixi.

Sacramenta à charitate praeſecta.

Charitas ignis eſt.

CAPUT V.

Pietas conſequenter, & congruo ordine ſuas laudes percenſet, ac velut declamatorio ſtilo proſequitur.

Dicit ergo pietas. Loquor laudes meas ſine invidia, & detractione ſororis meæ benevolentiæ, cui nec invidendum eſt ullatenùs, nec detrahendum, cùm ejus bona omnium ſint. & omnibus communia, quantùm in ipſa eſt. Dico ergo, quòd mala; portio mea ſunt, & in jus meum ceſſerunt, ſicut bona & in jus, & partem ſororis meæ benevolentiæ, ſeu communionis. Quòd ſi dixeris, quia ergo infernus de parte tua eſt. Reſpondeo quòd non; quoniàm infernus non eſt malus, immò valde bonus, & diligendus propter quatuor. Primùm quia

Pietas.

Infernus bonus & diligendus quatuor de cauſis.

Prima cauſa.

Digitized by Google

quia eſt pars domus regiæ, & regalis palatij ipſius regis regum, carcer enim pars eſt domus regis valdè neceſſarius, ibi enim fures, raptores, & latrones, & omnes alij malefactores vincti, & compediti detinentur, & arctiſſimè cuſtodiuntur, ne aliis ulterius noceant. *Secunda cauſa.* Secunda cauſa eſt, quia formido eſt, quæ vulgò dicitur expaventaculum, deterrens eos, qui malè agere vellent, ne illud opere impleant, timoré ſervilem eis incutiens, & cohibens manum, non auté animum ex toto; manet enim in hujuſmodi hominibus (ſicut ait Ambroſius) peccandi voluntas, & ſequeretur opus, ſi ſperaretur impunitas, hoc eſt (ut vulgò dicitur) expaventans malum, quemadmodùm ribaldi dicunt de patibulo, quod vulgò giberum dicitur; ſicut enim ipſi ribaldi, licet irriſoriè ipſum nominant, videlicet expaveſcens, eundem, quem vulgus malveſin vocavit, hic eſt Barbualdus, qui parvulis ad terrorem oſtenditur, etiam de quo matres, & nutrices parvulis minantur, quòd eos devoret, ſi fecerint hæc, vel illa; Barbualdus enim vulgari gallicano, dicitur figura, vel pictura terribilis, qua matres, & nutrices utuntur ad parvulos deterrendos. Quàm neceſſarius ergo ſit infernus communitati hominum ad deterrendum eum à malo, manifeſtum eſt per hoc, hac ergo de cauſa diligendus. *Tertia cauſa.* Tertia cauſa eſt, quia innumerabiles peccatores ad pœnitentiam terrore ſuo compellit, & ipſa peccata de cordibus eorum expellit, ſicut legitur Eccleſiaſtici primo. Timor Domini expellit peccatum. Quemadmodùm & magni in timore ſubito, & magno à febribus interdùm curantur, ſic peccatores ab ardore carnalium, & ſæcularium deſideriorum plerunque liberantur, ſicut ſupra oſtendimus in laudibus timoris. Quare manifeſtum eſt, quòd infernus diligendus eſt, ut medicina ſalutaris febres carnalium, & ſæcularium deſideriorum extinguens, & expugnans. Si quis autem dicat ex præcedenti cauſa diligendus eſt, ut medicina præſervativa, & ex hac in qua ſumus, ut medicina curativa, non inconvenienter hæc dicit. *Quarta cauſa.* Quarta autem cauſa, propter quam diligendus eſt hic, quia omnes Dei injurias, & contumelias vindicat, & Deum de omnibus inimicis ſuis. Non eſt ergo diligendus ſolummodò ex amore juſtitię, hoc eſt quia inſtrumentum eſt, & locus juſtificationis malorum, & vindictæ, ſed etiam ex amore ſinceriſſimo, quo Deus diligitur: ſi quis enim regem aliquem verè diligat ſervum illius, qui omnes injurias, & contumelias ejus vindicaret, & de omnibus inimicis eum perfectè ulciſceretur, non ſolùm diligeret, ſed chariſſimum haberet; quia ergo infernus hujuſmodi Dei ſervus eſt, meritò ab amicis Dei diligendus eſt. Apparet ergo ex iſtis quatuor non ad me, ſed magis ad ſororem meam benevolentiam infernum pertinere. *Limitata miſeratio.* Quòd ſi dixerit quis quòd & mala diabolica ad me pertinēt, & quia miſerandum eſt eis, qui in tanta miſeria poſiti ſunt. Reſpondeo quòd non; limitata enim eſt miſeratio, & forma præſcripta miſerendi in 6. Lucæ, ubi dictum eſt. Eſtote miſericordes, &c. Quibus ergo pater miſericordiarum non miſeretur, mihi non eſt miſerendum. Quod dico & de malis damnatorum, ſalva pace eorum, qui dicunt ſuffragia prodeſſe damnatis. Mala ergo hominum, mala mea ſunt, ſive ſint mala pœnarum; ſicut enim ſoror mea benevolentia communio eſt bonorum, ſic & ego communio ſum malorum, & mea ſunt reverà mala omnia hujuſmodi, & inter mirabilia mea, hoc primum mirum eſt, quod de malis aliorum ego bona ſum, & per omnem modum, verbi gratia: De aliorum ſordibus ego munda ſum, & in eis lavor, lixiviam faciens ex cinere, quòd ipſi peccatores ſunt, ſicut dicitur in Pſal. Cinerem tanquàm panem manducabam, ubi dicit Greg. Cinis ille peccatores ſunt. Cinis enim reliquię ſunt incendij ardoris alicujus ex concupiſcentiis carnis, oculorum, & mundi, quas enumerat Joannes in 2. primæ Canonicę ſuæ, & de peccatore legitur in 3. Sapientiæ. Ignis eſt cor ejus. Ipſi ergo peccatores mihi miniſtrant cineres, ego autem cor compaſſionis ſupereffundo, & admiſceo, & ſic lachrimarum lixiviam conficio, in quibus aſſiduè verſor. Non eſt ergo mirum ſi munda ſum ex ſordibus eorum, quia cineres mihi ſunt, & propter hoc acumen, falledo, & amaritudo lixiviæ de vulneribus eorum vulneribus meis ſanitas provenit, miniſtrat enim mihi quodammodò vinum compunctionis, quod eſt lachrimæ compaſſionis, quod dùm illis compaſſionem infundo, videlicet lugens ſupra ea, vulneribus meis ſanitatem, propter hoc ipſum procuro: cor enim meum hujuſmodi lachrimis in primis infunditur, & repletur, non ſolùm ipſa veritate, ſed etiam merito, quia ſic apud Deum vulnerum meorum mereor ſanitatem. *Nota.* Atteſtante mihi veritate Matthęi 5. Beati miſericordes, quoniàm ipſi miſericordiam conſequentur, ſic ſe habet, & de aliis infirmitatibus; dùm enim cum infirmis per compaſſionem infirmor, ſicut faciebat Apoſtolus in 12. ad Corin. 2. tunc fortis ſum, & potens efficior. Sicut de ſemetipſo ipſe teſtatur, & quantò magis ſic infirmor, tantò magis fortis efficior. Quod inde evidenter probatur, quia magnitudo, & vehementia operationis indubitabile teſtimonium eſt magnitudinis, & fortitudinis non ſolùm meæ, ſed etiam cujuſcunque alterius virtutis. Quæ ergo infirmatio hujuſmodi ſcilicet compaſſionis, propria operatio mea, & proprius fontis mei rivus, aut emanatio eſt, quantò major vehemētiorque fuerit, tantò majorem, ac fortiorem me indicat eſſe, & teſtatur. Eodem modo de ſuperbia eorum ego humilio, & generaliter de omni corruptione ipſorum, & vitio, puritas, & incorruptio mihi accreſcunt, & hoc eſt, quoniàm lixivia lachrymarum tantò apud me redundat, & copioſior, & acutior & amarior ad lavandum, & purificandum aptior, quantò vita fratrum, ſeu proximorum mihi, vel viſa, vel audita fuerit impurior, atque corruptior; hęc enim eſt natura mea mirabilis, hęc mirifica virtus, ut quantò in fratribus magis multiplicantur impuritas, atque corruptio, tantò aqua iſta fontis mei, videlicet aqua lachrimarum, copioſior exuberet. *Lachrimæ pietatis.* Nemo enim dubitet, quin pia corda, tantò lachrimis compaſſionis uberiùs affluant, quantò proximorum peccata magis abundare vel conſpexerint, vel etiam audierint. Ego de paupertate aliorum ditor, paupertate inquam ſpirituali maximè; inde enim creſcunt divitiæ meæ, immò inde mihi accreſcunt; divitiæ namque meæ compaſſiones ſunt fletus, & lachrimæ, divitiæ inquam præſentes, futuræ autem ſunt conſolationes & riſus, ſicut ipſa veritas teſtatur Matthæi 5. Beati qui lugent, quoniàm ipſi conſolabuntur. Et Lucæ 6. Beati qui nunc lugetis, quoniàm ridebitis; uniuſcujuſque enim virtutis propriæ divitiæ ſunt, præſentia merita, & futura præmia. Præſentia autem merita ſunt, uniuſcujuſque propriæ operationes ejus; quà manifeſtum eſt, quia de paupertate aliorum ego ditor, inde enim creſcunt divitiæ meæ, tam præſentes, quàm futuræ. Ex quo manifeſtum eſt, quia de meritis aliorum ego præmior, quia ipſa damnatio occaſionaliter auget mihi meritum, propter quod ſimiliter, & præmium; ſic de ſtultitia aliorum ego ſapientior ſum, dùm enim proximos meos ſtultè agere conſpicio proſpicio, vel audio, inde ego ſapienter, vel ſapientiùs ago; qui enim ſuſcipit animas ſapiens eſt. Sicut legitur Proverbiorum duodecimo. Ego autem cùm ſtultè eas agere video, eas in animo compaſſionis ſuſcipio. Ego de perditione aliorum lucror eo modo, quo jam dixi, quia inde creſcunt divitiæ meæ.

Digitized by Google

Divitiæ pietatis unde. Ego enim in Dei ſpiritualibus nundinis ſocia ſum, ſolummodò perdentium, & mentes ſuas malè vendentium, & perditiones eorum lucra mea ſunt, ſicut jam expoſui. Ego ſola ſolvo antiquam illam quæſtionem vulgarem, qua quæritur quis lucratur, quicquid incauti mercatores perdunt, mihi negotiantur ad lucrum quicunque ſuum negotiantur ad lucrum; non enim parvum lucrum eſt dolor compaſſionis, & luctus, quem in ſuis detrimentis, atque perditionibus ſocij mei faciunt; quantùm autem valeant cujuſque pretij ſint, novit ſapientiſſimus Deus, qui pro eis dat conſolationes æternas, & riſum interminabilem ut ſupra oſtendi. Ego ſola porto onera aliorum, & ideò ſola impleo legem Chriſti in parte iſta, quæ ſola difficultatem habere videtur. Quod enim facit ſoror mea benevolentia communicando bona ſua, & aliis largiendo, non ſolùm leve eſt, ſed etiam jocundum, atque ſuaviſſimum; nihil enim, quàm dare, jocundiùs, ſicut neque beatiùs, ſed omnium oneratorum onera portare quid habeat difficultatis, aut moleſtiæ dolor in me compaſſionis, & luctus evidenter oſtendit. *Mirum de pietate.* Hoc autem eſt unum de mitabilibus meis, quia quantò majora, & plura hujuſmodi onera porto, tantò velociùs curro; ipſa enim portatio onerum hujuſmodi non ſolùm mea vehemens ambulatio eſt, ſed etiam curſus; & in unaquaque virtutè ſimiliter ſe habet, uniuſcujuſque enim vehemens operatio curſus ejus, quantòque intenſior fuerit, tantò curſus iſtius velocior: non enim aliter virtutes ambulant, vel nos per eas, niſi operando, nec alij ſunt paſſus, vel earum, vel noſtri, niſi operationes; quare augere, vel intendere paſſus eſt augere, vel intendere operationes: quia ergo ambulatio fortiſſima curſus eſt in greſſibilibus literalibus, manifeſtum eſt, quia operatio fortiſſima, aut intenſiva cujuſcunque virtutis curſus ejuſdem eſt, ſive habẽtis illam. *Aliud mirum.* Eſt & aliud de mirabilibus meis in curſu, quia quantò plura, & graviora onera hujuſmodi porto, tantò minùs onerata ſum, quàm illi, qui nullum ex hujuſmodi oneribus portant, hoc eſt qui peccantibus in nullo compatiuntur, omnium peccatis ſe onerant, & pœnam occaſionaliter pro omnibus patientur. Non enim fruſtra dixit Spiritus Sanctus de quibuſdam per Amos in 6. Quòd nihil compatiebantur ſuper contritione Joſeph. Oblata enim materia compaſſionis, niſi compaſſio impendatur, indubitanter peccatur; quare manifeſtum eſt cùm omnibus peccãtibus compatiẽdum ſit, qui nulli compatiuntur, omnium peccatis occaſionaliter onerantur, & qui minùs compatiuntur, minùs ſe exonerant, & qui ampliùs compatiũtur, *Nota.* ampliùs ſe exonerant. Cùm ergo ipſum portare onera aliorum compati ſit, manifeſtum eſt, quod dixi, quia quantò plura, & graviora, & hujuſmodi onera porto, tanto minùs onerata ſum. Quare onerando me exonero; ex quo etiam aliud bonum mihi provenit, ut per ipſam rationem dati, & accepti, hoc eſt communionem, quæ eſt juſtitia ſpiritualis Hieruſalem, ut dicit Aug. omnia onera mea portantur ab omnibus electis. Quare manifeſtum eſt me mirabiliter exonerari per hujuſmodi portationem onerum: ſi enim unuſquiſque eorum non portaret niſi pondus unius pili de omnibus oneribus meis, mihi tantundem portandum remaneret; omnes ergo ſocios portatores onerum meorum habeo, quia omnium, & bonorum ſcilicet, & malorum onera, ſcilicet quantùm mihi datur, per compaſſionem porto. *Aliud mirabile.* Sequitur, & ex hoc aliud non minùs mirabile, quia quantò mala aliorum mihi magis aſſumo, magiſque mea facio, tantò ab eis magis munda, magis libera, magiſque immunis remaneo. Væ inſipientibus quibuſdam, qui non fratrum onera portare, ſed propria magis fratribus onera imponere ad portandum

E

dum ſtudioſiſſimè curant, ſingulatim eos rogantes ut adjuvent eos ad portandum onera ſua; hi de propriis humeris propria onera deponere, & fratrum humeris illa apponere intolerabiliter laborant, mendicantes orationes, & alia ſuffragia ab eis, qui ea quę aliis per ſemetipſos debent exſolvere, vix ſufficiunt, hujuſmodi homines fratres penè importabiliter oneratos ampliùs onerare conãtur, ut ſemetipſos exonerent, cùm officium meum ſit, immò Chriſti lex, fratrum onera de humeris aliorum aſſumere, & propriis apponere, ſicut dicit Apoſtolus in 6. ad Galatas, dicens: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Et ipſe Chriſtus dominus onera peccatorum noſtrorum in ligno Crucis portavit, ſicut dicit Petrus in 2. primæ. Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Hujuſmodi ergo non legem Chriſti juxta teſtimonium Apoſtoli,

F

ſed contrariam legem antichriſtianam ſcilicet implere videntur, & ipſi non Chriſtiani, ſed antichriſtiani eſſe. *Anticriſtiani qui.* Etſi enim orationes, & ſuffragia à ſanctis petenda ſint, utpotè neceſſaria, ac ſaluberrima, non tamen ita onerandi ſunt ſpiritualibus ſuffragiis, ut jam ſuſceptis officiorum ſuorum oneribus, & illis non ſufficiant: etenim religioſi tanta multitudine pſalmorum, & pſalmodiarum ex ipſo ſuæ profeſſionis officio onerati ſunt, ut ſpiritualia ſuffragia niſi perpauca, aut modica petentibus impendere ſine detrimento aliorum non poſſint, quapropter cum modeſtia multa, & compaſſione aliorum petenda ſunt à viris ſanctis ſuffragia ſua, videlicet ut nec ſeipſos ultra modum gravent, nec aliis, quorum debitores ſunt talium, fiat aliquod detrimentum. Dicam autem in hoc aliud mirabile, quia non petendo propter dictas cauſas à ſic oneratis hujuſmodi ſuffragia, illa

G

ego obtineo, & hoc eſt, quoniàm propter Chriſtum dominum illa dimitto, parcendo ſcilicet propter ipſum fratribus propter dictas cauſas. *Nota.* Quia ergo qui dimiſit agrum propter Chriſtum, centuplum hîc recipiet, & in futuro vitam ęternam, ſicut ipſe dicit multotiens in Evangelio: quãtò fortiùs iſta ſuffragia non amittit, qui ea propter Chriſtum, & ex compaſſione fratrum ſic dimittit. Ego, dicit pietas, non alia ſuffragia mendico, immò mea tota largitate impendo, non onera mea humeris alienis impono, immò ècontrariò aliena onera mendico, ut ea portem, peccata à fratribus peto, quæcunque bona habent, eis dimitto. Nova, & inaudita petitio mea, quæ à fratribus, ut de peccatis largam portionem, & (ſi poſſet fieri) ut tota ea mihi tribuant, peto, & cùm dare nolunt furor ea, & rapio: multis enim neſcientibus, & etiam invitis, atque renitentibus peccata eorum mihi

H

aſſumo, & humeris meis portanda impono, ſed eo modo quo Chriſtus dominus ea portare me docuit, quòd eſt dolendo, lugendo, pro eis orando, eleemoſynas faciendo, & ipſum poſſeſſorem meum diſciplinis pœnitentialibus affligendo. Hæc ſunt verè onera fraternorum peccatorum, à quibus humeri mei nunquàm vacant, in hoc evidenter veſtigio Chriſtum dominum ſequor, qui bona noſtra nobis omninò dimittens, mala noſtra ſibi aſſumpſit, quatenùs decuit, & fas fuit; & hæc eſt ſaluberrima ſocietas, quam vulgò Deus feciſſe dicitur. Quoddã autem genus hominum, qui boni habentur, & tamen quæ ſua ſunt in parte illa ſolummodò quęrere videntur, *Quærentes quæ ſua ſunt.* qui bona aliena ſibi dari, & communicari ſtudioſiſſimè petunt, & mala eorum eis omninò relinquunt: inſuper, & mala ſua, & onera peccatorum fratribus dare, & communicare paratiſſimi, bona ſua abſque ulla diminutione ſibi retinere volentes; & hæc eſt diabolica ſocietas; nullus enim adeò nequam eſt inter diabolos, qui non hoc cuivis homini faceret liberè, videlicet, qui non cuicunque homini

Digitized by Google

mala ſua libenter daret, & de bonis ejuſdem, ſi quid poſſet, libenter minueret, vel auferret? de bonis verò, quæcunque habet, nulli hominum aliquod libenter impartiretur, verbi gratia, de aſtutia ſua, de ſcientia quam habet eminentiſſimam, & aliis bonis naturalibus ſuis, quæ ſi læſa ſint, & obtenebrata in eo per malitiam, non tamen penitùs extincta. Et hujuſmodi verba cuidam viro ſancto nos meminimus reſpondiſſe, cùm de talibus nobiſcum ageret, & conferret. Ego ſum comes unica defunctorum, teſte Ambroſio. Ego ſum quæ ex uno ſemine duas meſſes colligo, ſicut teſtatur Apoſtolus in quarto primæ ad Timoth. dicens: Pietas habet promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Ego ſum quæ ad omnia valeo, ſicut ipſemet ibi conteſtatur dicens; Pietas ad omnia valet. Ego ſum quam ipſe Deus præfert, & prælegit omnibus Sacrificiis in ſexto Oſeæ dicens, miſericordiam volo, & non ſacrificium. Ego ſum, cujus unus ex fructibus, unumque ex operibus, unuſque fontis mei rivulus, eleemoſyna eſt, quæ animam à morte liberat, & non ire ſinit in tenebras, ſicut legitur Thobiæ quarto. Ipſa eſt redemptio uniuſcujuſque peccatoris, ſicut legitur Proverbiorum 13. Ipſa eſt redemptio iniquitatis, & peccatorum; ſicut legitur Danielis 4. Ipſa eſt cuſtos gratiæ in homine, ſicut legitur 29 Eccli. Ipſa eſt ſicut ſacculus pecuniæ noſtræ redemptionis, ſicut ibidem legitur his verbis. Eleemoſyna viri, quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam oculi conſervabit. Ipſa protegit ſuper omne ſcutum, & pugnat pro datore ſuo ſuper omnem lanceam, contra inimicum ſuum, ſicut ibidem legitur his verbis. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam adverſùs inimicum tuum pugnabit. Ipſa eſt diſſolvens gelicidium peccatorum, ſicut legitur Eccleſiaſtici 3 Unde cantat Eccleſiaſt. Sicut aqua extinguit ignem; ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Ipſa eſt, quæ mundat omnia, ſicut teſtatur veritas ipſa Lucæ 11. Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Si tantæ ſunt virtutes, & tanti fructus, unius ex operibus meis, quid de meipſa ſentiendum? Ego hoſpitalaria in ipſo cœleſti palatio loca diſtribuens & aſſignans unicuique, qui illic recipitur; ſicut legitur Eccleſiaſtici 17 Omnis miſericordia faciet unicuique locum ſecundùm meritum ſuum, &c. Ego volo habere omnes remiſſiones, omnes indulgentias, & mihi omnes debentur, & habeo inde literas evangelicas duo paria, immò tria. Primum Matth. 5. Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur. Secundæ ſunt in 6. Lucæ. In quibus dicitur: Dimittite, & dimittetur vobis. Tertiæ ſunt in 18. Matthæi quod totum de remiſſionibus eſt; expreſsè enim ibi legitur. Quia ubi ego non ſum, omnes remiſſiones ſuas, & abſolutiones revocat Deus; ſervo enim, qui conſervo ſuo dimittere noluit, qui in ipſum peccaverat, dicitur ibi, non exibis inde, donec reddideris noviſſimum quadrantem. Ego volo libera eſſe ab omni cruce, patibulo, & tormento in futuro, & hoc eſt quoniàm omnia hîc per compaſſionem ſuſtineo in præſenti; quis enim patitur, cui ego non compatior? Sicut dicit Apoſtolus de ſeipſo in 12. 2. ad Corin. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Ego ſola perfectè pœnitentiam ago, quæ non ſolùm de peccatis meis ſatisfacio, ſed etiam de alienis, & propter hoc plenam liberationem, ac reſtitutionem præ cæteris mereor, & mihi ſuper omnes debetur. Ego de fœtore mortifero, videlicet fœtore mortuorum, non mortem, aut ægritudinem incurro, ſed potiùs augmentum inde ſalutis acquiro. Fœtor mortuorum infamia eſt peccatorum, quia quoties detractores, vel ut nuntij ſuperni, vel ut mortis thuribularij infernales manibus meis ingerunt, non riſum mihi, ſed luctum inde potiùs mihi facio. Et hoc quidem dignum, & juſtum, & humanitatis congruentiſſimum officium, plorare ſic mortuos; ridere autem vel irridere eos, non niſi diabolorum eſt, & furiarum infernalium, à quibus riſus abeſt, niſi quem fecere dolores Ego hujuſmodi mortuis ſemper aliquid ſuffragij impendo. Viſo feretro, vel ſepulchro, non rideo, vel irrideo, quod indubitanter diabolicæ nequitiæ, atque crudelitatis eſt, ſed orationes ſtatim pro mortuis illis ad Deū fundo, & aquâ benedictâ lachrymarum mearum feretrum id ſive ſepulchrum ſpiritualiter aſpergo; ſepulchrum enim animæ mortuæ, corpus peccatoris eſt, ut dicit Auguſtinus. Non minùs autem convenienter, & feretrum accipitur, & ſicut inſania intolerabilis eſſet viſo feretro, vel ſepulchro literali, vel ipſo cadavere mortui hominis ridere, vel irridere, ſic & incomparabiliter multò fortiùs viſo mortuo ſpirituali, vel audito, aut ſepulchro, ſeu feretro hujuſmodi, non ſolùm ridere, vel irridere dementiſſima impietas eſt, ſed etiam orationem continere, inconſueta adhuc inter eruditos Chriſtianos inhumanitas judicatur. Ego ſola hujuſmodi mortuis exequias impendo. Ego ſola novi, & meum proprium eſt officium ſic hujuſmodi mortuos funerandi. Ego ad exemplum Domini Salvatoris, non ſolùm in ſanguine corporis poſſeſſoris mei, ſed etiam in ſanguine animæ ipſius lavo ſordes peccatorum fraternorum, dùm ſuper eos ploro; velut enim ſanguis animarum, lachrymæ ſunt, ut ait Hier. Ego crux in Dei moneta, ſive nummate, ſicut ſoror mea benevolentia imago regis cœlorum in eadem. Ego crux precioſa, imò aurea dùm ad omnia valeo, ut dicit Apoſtolus. Crux enim corporalis diſciplinæ, ſeu macerationis, crux lignea vel ferrea eſt, dùm ad modicum valet exercitatio corporis, ſicut dicit Apoſtolus in 4. primæ Timot. Ego crux Domini noſtri Jeſu Chriſti vera, & propria, quam nullus portat, niſi innocens, & ea, quæ non rapuerit exolvens ad exemplum ipſius. Ego crux aurea, ſeu precioſa, quæ in ſolemnibus proceſſionibus virtutum choro præcedo cum aquâ benedictâ lachrymarum mearum: juxta illud. Miſericordia, & veritas præcedunt faciem tuam. Aquâ illa benedictâ lachrymarum mearum ego aſpergo ante me, & circumquaque, oculos, ſicut de Chriſto Domino legitur Iſaiæ 53. Ipſe aſperget gentes multas. Sic & ego aſpergo illa aquâ benedictâ omnes illos, pro quibus lachrymas compaſſionis fundo. Ut breviter multa colligam. Ego in elementis aqua, non ſolùm propter aſperſionem, & ablutionem quam dixi, ſed etiam propter inundationes largiſſimarum erogationum, quas facio, inſtar enim fluminis inundantis loca humilia, & vacua circa me repleo, id eſt pauperes, ut fiat æqualitas, ut dicit Apoſtolus in 8. 2. ad Corint. ſimiliter & propter extinctionem peccatorum, quam dixi, meritò aqua ſum. In liquoribus oleum, ex quo & nomen habeo Græcum, quo vocor, eleos; Eleos enim Græcè, miſericordia Latinè. In arboribus oliva, quæ in amaritudine corticis in pabulum luminis, in medicinam vulneris, in refectionem conſurgit ſocietatis; etſi enim hæc ſorori meæ benevolentiæ competunt, videlicet eſſe oleum, & olivam ex aliis tamen cauſis hoc eſt, mihi propriè congruit amaritudo radicis, & corticis, quæ tota in amaritudine ſum, ut amaritudines alienas, vel alienam dulcorem; mihi congruit medicamentum vulnerum ſpiritualium, etiam corporalium & omnes affectiones corporales conſolationibus meis mitigo, & pleruMque ſano. Mihi congruit pabulum luminis, & lu-

Bona naturalia in diabolo non ſunt extincta. — *Nota.* — *Nota.* — *Pietatis laus ampla.* — *Vide.* — *Nota.* — *Crux aurea.* — *Nota.*

men gratiæ indigentibus mitto quod vel deſolatio, vel afflictio extingueret, vel penuria victus ſpiritualis, aut corporalis: ſic enim ipſum panem verbi Dei diſtribuo audientibus ad refectionem, & conſolationem animarum, ſicut alimenta corporalia pauperibus, mihi ſpecialiter refectio ſocietatis competit, quia & ſpirituales, & literales pauperes à me utcunque reficiuntur. Ego in coloribus minium, ſive vermiculus, in lapidibus heliotropia, color eſt quidem viridiſſimus, ſed ſtellis, & guttis ſanguineis aſperſa dicitur heliotropia, quaſi Solem convertens. Ego autem Solem juſtitiæ, quantuncunque per iram juſtiſſimam à peccatoribus averſum, ad eoſdem converto, inceſſanter dicens ei: Convertere Domine uſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos. Ego ſtellis, & guttis ſanguineis rutilo, quia ſanguine fraternorum vulnerum per compaſſionem inceſſanter me caſtigo; ſicut & Chriſtus Dominus de ſeipſo dicit Iſaiæ 63. Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea. Sanguis ergo peccatorum, qui ipſos peccatores inquinat, & deturpat, virorem meum ſtellati rutilantia decorat. F Ego in medicinalibus confectionibus unguentum ſuaviſſimum, ac precioſiſſimum, quo pedes Salvatoris Maria Magdalena unxiſſe legitur. Lucæ 7. Me enim propè ſagittavit illud unguentum, quia Chriſti pedes myſticos laborantes hîc, & afflictos intùs, & extrà, velut ungens reficio. In electuariis reſtaurativum. per me enim attenuati, & ab humore gratiæ divinæ areſacti, ad priſtinam gratiæ plenitudinem, atque pinguedinem reſtaurantur. Ego vitis vinum lachrimarum compaſſionis proferens. Ego in veſtibus lanea ſuper alias, animam humanam magis fovens, & ſuaviùs veſtiens. Ego in officialibus, ſeu miniſtris theſauraria in cœlo theſauriſans, atque reponens omnia, quæcunque vel relinquere, vel dare video pauperibus, ſicut docet veritas Matthæi. ſeptimo. Theſaurorum meorum cuſtos fideliſſimus Deus eſt, ſicut dicit Apoſtolus in quarto ſecundæ ad Timothæum: De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa juſtus Judex. Ego quicquid do pauperibus in gazophilacium Chriſti mitto. Manus pauperum gazophilacium eſt (ut dicit Auguſtinus.) Sum & eleemoſynaria, cujus largitatem nemo ſufficit admirari, & de hac loquor in capitulo mirabilium meorum in ſequentibus. Ego in agricolis ſeminatrix, cujus ager eſt omnis paupertas, omniſque inopia, ſemina verò ſunt, quæcunque potuero erogare. Omne enim id, quo fratres indigent, ſemen meum eſt, & dum illud eis erogo, ipſum in eis ſemino, meſſem inde duplicem, ut dictum eſt, collecturа. Ego in viribus ſpiritualibus ſenſus ſum mirificus, quo aliena mala ſentiuntur. & propter hoc abſque me inſenſibilia ſunt corda, & ideò mortificata, vel mortua. Ego coquinaria ſpiritualis frixuras optimas, & faucibus regis regum ſuaviſſimas, adhibens mihi ignem tribulationum ſuarum, ferens Ego verò appono oleum, & ſic frixuras de ipſo corde paſſionis meæ facio, & offero regi regum. Peccata enim malorum frixorium juſtorum, ut dicit Auguſtin. Ego ſola offero ſacrificium de ſartagine: De quo legitur Levitici ſecundo. Nunquàm enim deeſt mihi hic ignis fraternæ tribulationis, neque oleum compaſſionis

Pietas vitis eſt vinum lachrimarum producens.

Peccata malorum frixorium juſtorum.

CAPUT VI.

Pergit pietas in explicandis ſuis divitiis, ac ſuos effectus, virtuteſque pulchro ordine numerat.

VEniam autem ad mirabilia mea, & dico in primis, quia omnis paupertas, omnis fames, E omnis ſitis, omne frigus, & omnis indigentia, omnes divitiæ meæ, divitiæ inquam ut prædia, ut ager, ut vineæ, ut horti, non ut theſaurus, vina enim, ſemina, & fructus reddunt mihi uberrimos, ac precioſiſſimos. Semino lapides, & ligna, quod eſt aliud mirabile, in ſtructuris piorũ ædificiorũ, & ex eis colligo cœleſtis habitationis perpetuam, ac jocundiſſimam habitationem. Semino non ſolùm triticum, aut aliud granum, ſed etiam panem, & inde colligo panem vitæ, panem delectamentum, & omnem ſuavitatem ſaporis in ſe habentem, ſicut legitur Sapientiæ 16. Semino veſtes, ſemino ignem calefaciendo inde pauperes. Non tam planto vites, aut vineas, quàm etiam ipſum vinum. Semino, dùm Chriſti pauperes inde reficio. De hoc ſemine torrentem voluptatis colligo, & cellarium indeficientis plenitudinis inde recipio; hæc ergo mirificentia mea, quòd omnia, quæ erogare poſſum, ſemina mea facio, & mihi fructificare compello Ego fœneratrix exactiſſima, cujus uſuram, nec Deus effugit, teſte Salomone in libro Proverb. & dicente 19. Prover. Fœnerat domino, qui miſeretur pauperi, & quod ſequitur etiam quòd ſervum meum ipſum efficiam. Eodem Salomone atteſtante in 22. ejuſdem: Qui accipit mutuum, ſervus eſt fœnerantis, ſed de hac ſervitute majora locutura ſum. Ego agricolatrix mirifica, quæ de ſpinis colligo ficus, & de rubo uvam; de ſpinis enim fraternorum peccatorum, pinguiſſimos fructus occaſionaliter colligo, dum opera miſericordiæ in eos facio; ſic & uvam de rubo, vindemiando aculeatis & aculeoſis peccatoribus compaſſionem lachrimoſam, occaſionaliter capio. Opera miſericordiæ velut ficus ſunt, cæteriſque operibus pinguiora magiſque reficientia comedentes, ſicut ficus literales cæteris fructibus pinguiores ſunt, & magis reficientes comedentem, & ſicut ficus cæteris arboribus uberior eſt in fructibus; ſic operum miſericordiæ major ubertas, & copia ab electis requiritur, & evidenter oſtendit diſceptatio illa, quæ facienda eſt in judicio de operibus miſericordiæ, ſicut legitur Matthæi 25. G Aculeati verò, & aculeoſi ſive peccatores, homines ſcandali maximè accipiendi ſunt, quos nemo tangere audet, & qui retigerit non ſine vulnere ab eis recedit. Uva verò eſt, quæ cùm miſerationis ſubventio, ſive eleemoſyna ſit, ſive oratio, dummodò fuerit lachrimoſa, & propter virum lachrimatum uvam maturam dicimus. Ego, ut dixi, eleemoſynaria ſum in palatio regis cœleſtis, videlicet in domo Dei, ubi non ſecundùm cõſuetudinem aliorum eleemoſynariorum, non portionem certam, ideſt decimam, vel aliam ſolummodò habeo ad erogandum, in pios uſus, immò omnia; & quod eſt ultra omnem admirationem, & cogitatum, ipſum regem cœlorum, & dominum ſæculorum ego vendidi pro redemptione captivorum meorum. Ego H coxi eum in clibano paſſionis ejuſdem pro refectione pauperum, & famelicorum meorum. Ego aſſavi eum in veru crucis, tanquam agnum paſchalem, & immaculatum pro eadem refectione: ſicut enim dicitur ſuper Exod. Agnus aſſus Chriſtus paſſus. Quid autem iſta coctio, ſive aſſatio ſit, in tractatu de ſacramentis, in capitulo de ſacratiſſima Euchariſtia pleuè expoſuimus, & declaravimus. Iſtorum mirabilium fides ipſa pia, atque veridica teſtis eſt, de hoc Apoſtolus in 6. primæ ad Cor Empti eſtis pretio magno, & Per. in 1 Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione, ſed ſanguine quaſi agni incontaminati, & immaculati Jeſu Chriſti. Non petij à patre miſericordiarum theſauros alios, ipſum unigenitum ejus petij, & obtinui, & ipſum in eleemoſynam mundo dedi, non ſolùm, ut paucem

Pietatis divitiæ.

Pietas fœneratrix exactiſſima.

Nota.

Pietas eleemoſinaria.

Nota.

ut panem in refectionem famelicorum, ſed etiam in redemptionem captivorum, & morti æternæ addictorum. Propterquod in pſalmo dicitur: Redemptionem miſit dominus populo ſuo, & 1. ad Cor. Qui factus eſt nobis à Deo ſanctificatio, & redemptio; humanitas enim, quam pro ſalute generis humani aſſumpſit, quaſi ſaccus pecuniæ redemptionis ejuſdem fuit, ſic legitur Eccleſiaſtici 29. ſimiliter, & Proverb. 7. Sacculum pecuniæ ſecum tulit, abiit via longiſſima; humanitas enim ipſa velut ſaccus panem vitæ, ideſt Dei filium intra ſe abſconditum continebat, & velut pecuniam, & pretium redemptionis totius mũdi. Inſanus autem populus Judaïcus, velut multitudo canum rabidorum pane non cognito, ſaccum cõcidit, atque diſcerpſit, & illud comedendum gentibus reliquit, ſic & theſaurum, qui erat mundi pretium in hoc ſacco abſconditum non videns, ad ſcindendum ipſum ſaccum totum ſe contulit, & theſaurum illum inpretiabilem perdidit, qui poſtmodùm in redemptionem gentium, & partem iſtius populi ceſſit, propter quod & ipſemet dicit in pſalmo: Conciſiſti ſaccum meum, ideſt concidi permiſiſti vulneribꝰ paſſionis, & circũdediſti me lætitia, glorioſæ videlicet reſurrectionis. Hic eſt ſaccus Benjamin, in quo inventus eſt ſcyphus argenteus, ipſe ſcilicet Dei filius gratiarum, & gloriarum populis redundantiſſimus, in quo præterita omnia, præſentia, & futura nitidiſſimè conſpiciuntur. In eo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, ſicut legitur in 2. ad Coloſ. Iſte ſaccus quo Rex Ninivæ indutus fuiſſe legitur, ut humiliatione ſua civitatem ſuam liberaret ab imminenti ſubverſione, ſicut legitur Jonæ 3. Ipſe ergo Dei filius eleemoſyna mea eſt, quã in ſacculo iſto repoſui, vel potiùs eſt ſaccus, & in eo ipſe filius Dei abſconditus: eleemoſyna una mea eſt, quem cœli capere non poſſunt, quam & ego in una parva eleemoſynaria, ſed tamen pulcherrima, atque pretioſiſſima videlicet beata Virgine genitrice ipſius, ipſo die Annunciationis ipſius impoſui, & ipſo die Natalis ipſius, illam inde abſtraxi ad multiplices neceſſitates pauperum meorum; in die verò ſancto paraſceves illam in prænominatos uſus famelicorum pauperum, non tam expendi, quàm etiã ſuſpendi. Quòd ego ipſum hominem fecerim expreſſè dicit Auguſtinus ſuper illum verſum pſalmi: Miſerere mei Deus ſecundùm magnã miſericordiã tuã: ubi dicit magna Dei miſericordia, quæ Deũ cœlo depoſuit, & carne induit. Si fas eſt dicere, ego ipſum regem ſæculorum, & dominum in ſervitutẽ redegi, & hac vitâ in ipſo multipliciter uſa ſum, videlicet vẽdendo, obligando, velut pignus, & obſidem, & omnia etiam opera ſervitutis meæ illi impoſui, quia ipſũ & miniſtrare menſis, & lavare pedes ſervorũ Dei ipſum feci, ſicut ipſa evangelica teſtatur hiſtoria. Quòd obſidem, & fidejuſſorem illum pro humano genere poſuerim, apparet ex eo quod legitur Eccleſiaſtici 29. Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animã ſuã: propter hoc velut obſes, & fidejuſſor in paraſceve captus eſt, & ligatus, & in vinculis poſitus. Ibi enim fidejuſſit, ſive ſpopondit pro emenda noſtræ excõmunicationis ſolvenda. propter quod & illa die ſolẽnes ſunt in Eccleſia Dei ubique abſolutiones: fidejuſſore enim poſito, & recepto pro emenda excommunicationis, ſtatim excommunicatus abſolvendus eſt, & de conſuetudine ubique abſolvitur; ſic & Chriſto domino pro nobis obſide poſito, capto, atque ligato abſolvendi eramus ab excommunicatione illa magna, qua à Dei conſortio, & omnium ſanctorum ſeparati eramus. Memor igitur hujus magnæ abſolutionis cœleſti myſterio edocta Chriſti Eccleſia abſolutiones illas ſolemnes illa die facere conſuevit. Ego feci eum paſtorem ovium

Redemptio noſtra ex pietate.

Rex Ninivæ.

B

C

D

Deus obſes & fidejuſſor humani generis.

A

mearum, ipſo atteſtante in 10. Joan. Ego ſum paſtor bonus, iterùm: Qui intrat per oſtium, hic paſtor eſt ovium. Ego feci eum cuſtodem totius populi mei, qui nec dormiet, neque dormitat, ſicut ipſe Spiritus Sanctus in pſalmo teſtatur dicens. Ecce nõ dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Unde enim ei iſta dignatio, ut tam vigilanter, tamque ſollicitè cuſtodiat Iſrael, niſi ex me: Quid plura? Ego eum lotorem, ſive lautorem ſordium omnium ſpiritualium feci, propter quod ipſemet dicit ad Petrum, Joannis 13. Si non lavero te, non habebis partẽ mecũ. Petrus verò intelligẽs tunc ipſum hujuſmodi officium ſuſcepiſſe, videlicet lavationis, ſtatim reſpondit: Non tantùm pedes, ſed & manus, & caput. De hoc Joannes in primo Apocalipſis: Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Quid eſt à peccatis noſtris, niſi à ſordibus ſpiritualibus? Et mirabile ego feci, videlicet de ſanguine ejus lixiviam, in qua quantùm amaret Deus munditiam humani generis, quantumque odiret inquinationes ejus, ego evidenter oſtendi, dùm propter illam diluendam, & iſtam ſuperinducendam, ſanguinem unigeniti filij ſui lixiviam feci. Ego ipſum feci mundatorem cloacarum ſpiritualium. Quid enim eſt cor humanum ſpurcitiâ peccatorum plenum, niſi cloaca immunditiæ? Quod Auguſtinus dicit ſuper orationem dominicam: quod officiũ me illi impoſuiſſe agnoſcens David confidenter dixit: A peccato meo munda me. Sicut & propter aliud officiũ priùs dixerat: Ampliùs lava me ab iniquitate mea; quaſi diceret: Exequere prædictum officium, quia illius es debitor. Quid plura? Meus eſt eouſque ut tumbare faciam cùm voluero, ſicut & feci. De cœlo enim primum tumbum feci eum facere in ſacratiſſimum uterum virginalem. Secundum in crucem. Tertium in ſepulchrum. Quartum, in inferos. In poſſeſſione hujuſmodi juris ſum, ut eo ſpoliari non poſſim, cùm nec lædi, nec minui poſſim. Denique meus eſt ad pẽdendum, ſeu ſuſpendendum, & diſſaciendum ut vulgò dicitur. Hoc & jure uſa ſum in eo, & uterer adhuc ſi neceſſe eſſet. Non enim minor, aut infirmior ſum, quàm eram, cùm hoc de ipſo feci. Mea eſt domus Dei cœleſtis, & in eam introduco, quos volueto, nec mirum, quia omnis domus Dei mea eſt, & ſolæ domus pauperum domus Dei appellari conſueverunt, quæ indubitanter domus meæ ſunt, quoniàm ſunt domus pietatis. Et quod ipſemet dominus ſæculorum teſtatur Matthæi 5. & Lucæ 6. Beati pauperes ſpiritu, quoniàm ipſorum eſt regnum cœlorum. Et iterùm. Beati pauperes, quoniàm ipſorum eſt regnũ Dei. Propter quod oſtium illius domus, ideſt Chriſtum dominum, in paſſione, non ſolùm vulneribus clavorum, & ſpinarum, & lanceæ aperui, ſed etiam in morte cõfregi, & in duo fruſta volare feci (ut vulgò dicitur) quorum alterum, videlicet corpus ivit in tumulum, alterum ſcilicet anima, ad inferos ſpoliandos. Oſtium enim Chriſtus dominus eſt, ſicut ipſemet dicit Joan. 10. Et hæc vis eſt, quam regnum cœlorum patitur; ſicut legitur Matth. 11. Ut enim publicanis, & meretricibus & omni generi vilium, ac perditorum hominum ad illud pateret ingreſſus, oſtiũ ejus, ſicut ſupra dixi, confregi. Vidit Joan in 4. Apocal. oſtium apertum in cœlo, ſicut ipſe dicit ibidem. Plus autem dixiſſet, ſi illud non ſolùm apertum, ſed etiam confractum fuiſſe dixiſſet. Non enim per aliam viam patebat familiæ meæ, ideſt miſeris; ego enim mater ſum & nutrix, & protectrix, atque ſalvatrix miſerorum, illos adoptavi in filios, ut hæredes regni cœlorum ipſos conſtituam, illos nutrio, & foveo, lavo, & poto ipſo ſanguine redemptoris, & cibo carne domini redẽptoris. & hæc omnia facio in quotidiano, ac venerando altaris myſterio. Ego cùm

Deus paſtor.

Deus lautor ſordiũ.

Cloacæ ſpirituales per Chriſtum purgata.

Nota.

Domus Dei domus pietatis.

Christus oſtium.

Digitized by Google

Deus pater extendiſſet velut ſiniſtram juſtitiæ ſuæ ad percutiendos eos morte damnationis ęternæ, ipſam dexteram ejus, velut ſcutum protectionis oppoſui, & obtendi dexteram ejus, id eſt filium, ſicut legitur Sapientiæ 5. Dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos. Quod idem & in pſalmo dicitur alijs verbis. Salvabit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus. Salvabit ſibi inquam familiam, quam multitudinem miſericordiæ Dei vocat pſal. dicens: In multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam: ſimiliter & Iſa. 49. Salvavit ſibi brachium ſanctum, hoc eſt ſcutum, quo totam familiam meam circumdedit veritas Dei patris, & protexit, ſic & in pſal. prędixerat: Scuto circundabit te veritas ejus. Ipſe enim de ſe ipſo dixit. in 9. Joan. hęc: Ego ſum via, veritas, & vita. Super hoc ſcutum cecidit ictus tam dirę, duręque percuſſionis, ſicut ipſe Deus pater teſtatur Iſaiæ 4. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum: & ipſe filius in pſalmo. Improperia exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me: propter hoc & multipliciter perforatum, & ipſa morte confractum fuit in ipſius paſſione ſcutum illud, hoc eſt ſcutum, quod ad pugnandum pro nobis apprehendit patientiâ, & humilitate incogitabili armatus, ad pugnandum pro nobis, ſicut ab ipſo petebat Eccleſia in pſal. dicens: Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi. Ego feci, ut cuſtodiret familiam meam, ut pupillam oculi, ſicut ipſa petit in pſal. dicens Cuſtodi me domine, ut pupillam oculi: Pupilla oculi ſiquidẽ cuſtoditur obtentę manus protectione. Sic & feci, quòd Deus pater manũ dexteram ſuam id eſt filium imminenti eis damnationi mortis obtendit, qui illam pro illis excepit & ipſi tanquàm pupilla oculi illęſi per eam cuſtoditi ſunt. Ego feci, ut hanc promiſſionem Deus pater familiæ faceret, & impleret, qua ſcilicet dictum eſt ei: Scapulis ſuis obumbrabit tibi. Cùm enim eidem familiæ meę immineret ęſtus ęternæ conflagrationis, cùm etiam æſtuaret concupiſcentiarum, ac deſideriorum ſecularium ardoribus, ſcapulas ſuas Dei filius hujuſmodi æſtibus opponens, illos ab ipſa prohibuit, & hæc eſt cauſa, propter quam ſpiritualiter dicitur Eccleſiaſtici 24. Tegmen ardoris, & umbraculum meridianum. Ego in Deum (ſi fas eſt dicere) potentiſſima dominatrix, quæ minas ejus, & ſententias damnationis in miſeros meos latas, revocare ipſum compello. Nunquid non ego comminationem, immò ſententiam ſubverſionis in Ninivem civitatem ipſum revocare feci? Sicut apparet in ipſo Jona per totum. Ego ſententiam damnationis in Achab, & poſteritatem ejus latam, ſententiam dico duriſſimã, qua dixerat Deus demetam poſteriora Achab, & non relinquam de Achab mingentem ad parietẽ, & delebo domum tuam ſicut domum Jeroboam &c. De quo legitur: quia non fuit alter talis ſicut Achab qui venundatus eſt, ut faceret mala, & alia multa, cùm audiſſet tam duram ſententiam contra ſe, & totum genus ſuum, ſcidit veſtem, & operuit cilicio carnem ſuam jejunavitque, & dormivit in ſacco, & dominus ad Heliam: Quia humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus. Similiter cùm ipſe dominus Deus dixiſſet in 10. Judith. Non addam ultra, ut liberem vos. Ite & invocate Deos, quos elegiſtis vobis, & liberẽt vos feci, quòd doluit Deus ſuper miſerijs eorum, ſicut ibidem ſcriptum eſt. Primùm ergo dedi ut pœnitentes reverterentur ad ipſum, deinde ut ipſe ad eos. Ego arma omnia, quibus ad vindictam peccatorum ſe armat ei aufero; acuit enim diram iram in lanceã, induit pro thorace juſtitiam, & accipit pro galea judicium certum, ſumit ſcutum inexpugnabile æquitatem, ſicut legitur Sapientiæ 5. Ego exarmo eum omninò ligans fortitu-

Christus dextera patris. — *Nota.* — *Achab* — *Pietas aufert Deo arma vindictæ.* — *Nota.*

E dinem ejus, ut peccatores confodere non poſſit, qui ad me confugerint. Aufero ei lanceam, hoc eſt iram, frango eam, extinguo ignem, quem peccatoribus concremandis paraverat, aufero ei thoracem juſtitiæ, quantùm ad effectum, ut à peccatoribus contra eum pugnantibus defendere ſe non poſſit, vel ſciat, quoniàm & ipſum, & illa arma pœnitentiæ, & orationes de ipſo mirabiliter triumphantes obtineant. Aufero & ſimiliter ſcutum æquitatis, ne illud ſcilicet objicere poſſit peccatoribus, & obtendere ad defenſionem iræ ſuæ, vel ſui ipſius, vel alicujus eorum, quæ de bonis ſuis ſic pugnantibus prębuerit. De hac victoria legitur expreſſè Geneſ. 32. ubi legitur Jacob luctaſſe cum viro tota nocte, ipſe vir dixit ei ex perſona Dei, quòd ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis? & paulòante, quàm vir eum videret, quòd ſcilicet Jacob ſuperare non poſſet. Sapientiæ verò 14. legitur de Aarõ quòd reſtitit irę, & finem impoſuit neceſſitati, & iterùm: Is autem ceſſit, qui exterminabat. Diximus etiam in præcedentibus, quòd viri ſancti adjuvante ejus miſericordia tenent ipſum, ſicut dicit Iſaias 64. Non eſt
F qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. Sed & illud diximus, quia ligatum eum tenebat Loth per miſericordiam ſuam. Ipſo teſte. 19. Geneſ. & dicente. Feſtina, & ſalvare ibi, quia non potero quicquam, donec ingrediaris illuc, & quod admirabilius omnibus videtur, ego Deum facio obedire voci hominis, ſicut legitur Joſue 10. Non fuit antea, & poſtea tam longa dies, obediente domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël. Quod autem legitur Job 11. Deus, cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, non contradicit mihi, cùm ibi expreſſè dicat Grego. iræ Dei tunc reſiſtitur, quandò ipſemet, qui iraſcitur, opitulatur. Nulli autem videatur illud mirabile, quòd ego ita in poteſtate habeam regem ſeculorum, & dominum, cùm ſtilla miſericordiæ multos viros miſericordiæ compulerit ſua omnia dare pauperibus, & etiam ſeipſos, atque vendere in perpetuam ſervitutem, ſicut expreſſè narratur in vitis patrum,
G de Joanne eleemoſynario. Similiter & Paulinum Nolanæ civitatis Epiſcopum ſeipſum dare in captionem, & carcerem Attilæ regi omnium idolorum, pro filio cujuſdam viduæ liberando. Si ſtilla miſericordiæ hujuſmodi viros in tanto habuit precato, quantò fortiùs ego fons abyſſalis miſerationum ſimilia, & majora poſſum in regẽ, & domino ſeculorum? Sicut ergo preces, & lachrimæ filiorum, patrẽ iratum placant, & iram ejus vincunt, & flagellum de manibus ejus eripiunt, & ut illud dimittat faciũt, manuſque ipſius quodammodò ligant, ut eas extendere non valeat ad percutiendum illos & hoc totum faciente ſtilla permodica miſericordiæ, ſeu cõpaſſionis, quæ in corde patris eſt; quantò fortiùs ego non minor ipſo ſimilia in eo potero, & etiam majora? De magnitudine enim mea ſcriptum eſt, Eccleſia-
H ſtici 2. Secundùm magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia ipſius cum ipſo eſt. Propter hoc dictum eſt in Pſalmo. Quomodò miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe. Eccleſia tota Dei vivi, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, ſicut dicit Apoſtolus in 3. primæ ad Timothæũ cantat ipſi filio: Quæ te vicit clementia, ut ferres noſtra crimina. Victum ergo ipſum Deum, & ligatum modis quibus dixi eum trado cum omnibus ſuis ad me confugientibus meque ex intimo cordis invocantibus. Ego deleo de memoria ejus peccata, & debita meorum omnium obliviſcitur, quandocunquè ego voluero. Quod intelligens David petebat dicẽs. Omnes iniquitates meas dele; & ipſemet Ezechelis 8 Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs. Unde eſt hoc

Iacob. — *Loth.* — *Rex cælorum in poteſtate pietatis.* — *Ioannes eleemoſynarius.* — *Paulinus* — *Magnitudo pietatis.* — *Nota.*

Digitized by Google

hoc niſi per me? non quòd oblivio apud Deum locum habeat, ſed quia tanquàm oblitus eſſet, ut ea omninò ignoraret, non vindicat. Confugite ad me omnes, qui timetis juſtitiæ Dei judicium, qui timetis gravati in judicio illius, appellate ad me ab ipſo, & ab omni imminenti vobis in judicio ejus gravamine, ego enim ſuperior ſum, ſicut teſtatur Jacobus; quia miſericordia ſuperexaltat judicio, vel judicium, alia litera auditoria mea, ſeu conſiſtoria, & ut ita dicatur, ſeſſiones, ſive aſſiliæ ut vulgari gallicano dicitur. Audientiæ pœnitentiales ſunt, & forum meum forum pœnitentiale eſt. Officiales, ac judices mei prudentes auditores confeſſionum ſunt. Ibi quicunque judicari voluerit, aliud ipſum judicium timere non oportebit. In hujuſmodi judicibus, ſeu officialibus, ego ſedeo judex, & præſidens auditorio; aſſidet autem mihi juſtitia. Econverſò erit in futuro judicio; ibi enim præſidebit juſtitia, & ego aſſidebo ſicut ſcriptum eſt: Quia judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in veritate ſua. Judicium juſtitiæ ego retracto, ſicut in multis exemplis ſupra oſtendi. Præterea ipſa veritas Jo. 3. dicit: Qui non credit jam judicatus eſt. Hoc judicium ſi ad me refugerit, nunquid ego non retractabo? immo quis officialium meorum ſic judicatum judicio juſtitiæ abſolvet? ſicut expreſsè legitur Mat. 16. Quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; propter quod dicit Apoſtolus primę ad Corint. 11. Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Ego reos in auditorio meo confiſos non ſolùm abſolvo ſed etiã de via, qua ibant ad infernale patibulum, reduco, ſicut ſcriptum eſt Proverbio. 28. Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea miſericordiam conſequetur, & in pſalmo: Suſcepit eos de via iniquitatis eorum. Ego ſtylum teneo, non ad ſcribenda peccata, non ad conficienda memorialia diabolica, ſed delenda, & abolenda penitùs. In foro meo nemo damnatur, niſi qui confiteri noluerit, & tunc non per me damnatur, quæ contra morem aliorum judicum confitentes omnes abſolvo, ſed per juſtitiam. In foro enim meo experiri non vult homo hujuſmodi, in quo per confeſſionem peccatorum ſolummodò judicatur; quare juſtitiæ judicio ſe reſervat, dùm meum judicium ſic declinat. Officium meum totum eſt reos confeſſos abſolvere, præſenti gratia munerari, & futura gloria præmiare. Mira poteſtas judiciaria mea à qua ab illo tremendo, diſtrictoque Dei futuro judicio per appellationem eo fugitur, & quod abſque retractatione ſic effugitur poſt judicium abſolutionis meæ, non reſtat judicium damnationis, ſicut ipſemet Deus teſtatur, in primo Naum, ubi litera noſtra habet: Non conſurget duplex tribulatio. Alia tranſlatio habet: Non judicabit Deus bis in idipſum. Ego inundavi contra diluvium peccatorum, ut terram peccatis omnibus totam inquinatam diluvio inundationis meæ abluerem; propter quod dictum eſt: Miſericordiâ domini plena eſt terra. Cùm autem ita loquamur de miſericordia Dei, prout fas eſt: Similiter ſimilia intellige de miſericordia humana, ſciens non aliter uſquequaque benè ordinatam domum humanæ mentis, niſi eleemoſynariam ſimilis poteſtatis habuerit in ſe ipſam miſericordiam, ſimiliter & hoſpitalariam, ſimiliter & in judicio injuriarum, quę contra ipſam commiſſa ſunt; quatenùs enim poſſumus, & nobis datur deſuper, conandum eſt nobis aſſimilari patri miſericordiarum, ſicut veritas dicit Lucæ 6. Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter cœleſtis miſericors eſt, & ſicut Seneca dicit: Clementia eſt, quę maximè nos Deo aſſimilat. Ego ſeminatrix vivifica, quæ de uno grano ſeminato in terra, cui benedixit dominus, videlicet utero ſacratiſſimo intemeratæ virginis, excreſcere feci totam

Nota.

Pietas judicium Dei retractat.

Forum pietatis.

Clementia

A ſegetem Eccleſiæ. Ego negotiatrix prudentiſſima, quæ ſtercora temporalium do, & æternas divitias à Deo recipio. Ego tectum viliſſimum, ac fragiliſſimum prębeo, & cœlum pro illo recipio, ſicut dicit Auguſtinus: Præbe tectum, & accipe cœlum. Ego calicem aquæ frigidæ animæ ſitienti propter Chriſtum præbeo, & totum torrentem voluptatis ad potandum inde recipio, ſicut ſcriptum eſt: Quia torrente voluptatis tuæ potabis eos. De calice verò aquæ frigidæ legis Matthæi 6. Ego ſum maga, non malefica, ſed mirifica; ego enim de lapidibus ſuſcito filios Abrahæ. Sicut legitur Matthæi 3. & Lucæ 3. Ego de perſecutore, & hoſte Saulo feci apoſtolum. Ego de ipſo lupo rapaci, feci ovem manſuetiſſimam, & paſtorem piiſſimum, ſicut dicitur ſuper primo Geneſis ſuper verbum illud; Benjamin lupus rapax &c.

B Ego omnia reptilia, & quadrupedia immunda in homines ſanctos, deoque dilectos converto, ſicut legitur Actuum 10. Ubi oſtenſo diſco talium animalium pleno: dicitur Petro: Quod Deus ſanctificavit, tu ne commune dixeris. Ego panem eleemoſynarium in lapidem converto, & menſæ reliquias quantumcunque modicas, aut minutas in lapides magnos duros ad lapidandum, & obruendum diabolum, ſicut ſupra oſtendi ex 29. Eccleſiaſtici. Ego ſpinas, & vepres peccatorum in arbores fructiferas electorum converto. Ego paleas in grana, & zizania in triticum demuto, dum peccatores injuſtos, & malos in bonos converto. Non eſt mirum, neque admiratio mutationis, quam facio de malo in bonum, & de bono in melius. Ego terram in cœlum, & infernum in Paradiſum tranſmuto. Cur enim (inquit Origenes ſuper Geneſ.) dicatur peccatori: Terra es, & in terrá ibis in 3. Gen. & non potiùs dicatur juſto, cœlum es, & in

C cœlum ibis? Similiter ſi vir ſanctus eſt hortus voluptatis tota vernantia virtutum amœniſſimus, cur non & peccator infernus fuerit abominatione vitiorum horrendiſſimus; & hęc eſt mutatio dexteræ excelſi, qua facio de terra cœlum, de inferno Paradiſum diabolus autem, ut magus maleficus econtrariò operatur. Facile autem eſt tibi videre de omnibus laudibus pietatis divinæ, quas diximus, quatenùs, & ſi quidem pertinent ad pietatem humanam; eſt enim pietas humana nonnulla ſimilitudo, nonnullum veſtigium illius; quare pro parvitate, ac tenuitate ſua congruẽter aptari poſſunt eidem laudes divinę pietatis. & hoc quoniàm proportionabilia ſunt ſemper laudes, & laudata. Sicut enim laudes quæque ad laudatum ſuum, ſic quæcunque aliæ ad laudatum ſuum, quare permutatim, ſicut laudatum ad laudatum, ſic laudes ad laudes. Nota quòd benevolentia, & pietas

D Dei convenientiſſimè intelliguntur ibi: ſub umbra alarum tuarum ſperabo, & ibi; quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas. Sicut legitur Matthæi 23. In omnibus verò ad ſpiritualia referuntur benevolentiæ, & pietatis alæ; cùm autem ad temporalia, vel corporalia, pedes ſpirituales, quod eſt dicere, quia per benevolentiam quæruntur bona animarum ſpiritualia, & per pietatem portantur onera earum ſpiritualia, alæ ſunt ſublimiter portantes, hoc eſt in alto regionis, quæ ſpiritualiter vocatur anima, cui inſertæ, vel datæ ſunt. Cùm autem bona temporalia ſeu corporalia quæruntur fratribus per benevolentiam, vel mala eorum temporalia portantur, pedes ſunt, quibus animę noſtræ per regionem inferiorem, ſcilicet corporalitatis, quaſi per terram gradiuntur. De his pedibus dicitur lucerna pedibus meis verbũ tuum. Et iterùm: cuſtodivit oculos meos à lachrimis, pedes meos à lapſu. Nunc reſumat pietas ſermonem intermiſſum, & dicat quia quẽadmodùm ſoror mea benevolentia omnia bona aliena ſua efficit, &

Filii Abrahæ de lapidibus.

Nota.

Pietas humana veſtigium eſt dominicæ pietatis.

Charitas. ſibi acquirit, & omnes cujuſcunque generis bonos operarios, & artifices, atque negotiatores advocatos, bellatores, ſibi operari, ſibi lucrari, cauſam ſuam agere, & pro ſe pugnare compellit: ſic & ego omnia prænominata mala, omneſque malos operarios, & infortunatos negotiatores, omnes imperitos, & negligẽtes advocatos, omnes ignavos, victos, & captos bellatores, malis ſuis mihi ſervire compello. Diſtat autem inter me, & illam quantùm ad hoc. *Differentia charitatis & pietatis.* Quia ego portando mala hujuſmodi, & malos allevio, vel minuo & (ut mihi datur) proſequor quantùm ad malitiam. Illa verò magis portatur ab eis, & paſcitur, atque nutritur, & lætificatur; *Pietatis intentio.* tota enim mea intentio eſt, vel ut non ſint mala hujuſmodi, vel ut minus, vel non noceant, vel ut tolerabiliùs lædant patientes. Quapropter cùm venerimus ante fœneratorem aliquandò exactiſſimum, & ſtrictiſſimum Deum, & de ſorte nobis tradita interrogabimur, & de lucro acquiſito, ſicut legitur 19. Lucæ, & Matthæi 25. Reſpondebimus, quia omnia acquiſivimus ego, & ipſa, & lucrum noſtrum illa fecimus. Quia illa quidem omnia bona; ego autem omnia mala. Tradidiſti nobis ſacculos, quaſi vacuos, ipſos ſcilicet habitus, ſeu virtutes, quæ ipſęmet ſumus, vel ipſa corda hominum, in quibus nos poſuiſti, vacuos inquam ſacculos ab hujuſmodi lucris, vel vacuos à cogitationibus, & affectionibus: tales enim virtutes traduntur parvulis in baptiſmo. Quia ergo omnia merita noſtra ſunt, & bona, & mala, ideò & omnia pręmia à juſtitia tua nobis dari petimus.

CAPUT VII.

Zelus adjungitur charitati, ſeu benevolentiæ, & pietati: & ſingulatim earum officia diſpartita tractantur, ac myſteria.

POſt hæc loquemur de zelo, qui juxta intentionem noſtram videtur eſſe tertia ſoror, etiam hoc modo ſolemus eas diſtinguere per officia: ſuper 2. Levitici. Ita ſcilicet, ut benevolentia offerat ſacrificium de clibano, coquens ſcilicet cor, & operationes ſuas amore ſuavi & piis deſideriis, & hoc ſine ardore; pietas verò ſacrificium de ſartagine frigens oleo, *Zelus.* & igne, ut diximus; zelus autem offert ſacrificium de craticula, videlicet aſſata, quæ non aſſantur ſine ardore, & uſtione in craticulis; de qua uſtione dicit Apoſtolus, in 11. ſecundæ ad Corin. Quis ſcandalizatur, & ego non uror? *Uſtio quid apud Apoſtolum.* Habet autem quæſtionem utrùm uſtio illa ira ſit, & quidam ita ſentiunt & quidam ita ſenſerunt de ſacris doctoribus, undè & quandam diſputationem de ira per zelum faciunt. Quòd ſi ita eſt, nec ſoror, nec ramus, nec pars eſt charitatis. Ira enim, & amor non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere differunt, & in diverſis viribus omninò ſunt. Amor enim in concupiſcibili totaliter, ideſt cum tota univerſitate ſpecierum, partiũ, & ramorum ſuorum, ſicut ſupra latiùs declaravimus. Ira verò ſimiliter totaliter eſt in iraſcibili. *Zelus quid.* Viſum autem eſt nonnullis, & videtur adhuc, quòd zelus eſt vehemens amor viri in uxorem, quo alium ad ipſam accedere non patitur, quæ quidem oratio, diffinitio zeli nullo modo eſſe poteſt. Hoc eſt quoniàm quilibet caſtus amor mariti in uxorem, impatiens eſt adulterij ipſius. Præterea quærendum eſt ab hujuſmodi diffinitoribus, quæ eſt differentia inter zelum, & zelotipiam, ſive ſpiritum zelotipiæ: *Zelotypia vitium.* quòd ſi idem ſunt, certum eſt autem, quòd zelotipia vitium eſt, & habet duo vitia comitantia, videlicet ſuſpicioſitatem, & furorem concitatiſſimum: & ſuſpicioſitate omnem nutum, omnem aſpectum, omnem greſſum uxoris ſuſpectũ habet, quòd militet, vel ſerviat adul-

E terio uxoris: ſimiliter & omne alloquium alterius ad ipſam, omnem attactum, omnem frequentationem domus ſuæ; unde etiam frequenter accidit, ut vir zelotipus de domo propria exire non audeat, ac ſi captus ibi detineretur, timens uxorem, vel ad momentum dimittere, ne eo abſente pateat adulterio. *Furor zelotipiæ.* Furor vero adeò præceps eſt zelotipiæ, ut nunc in uxores quamquàm innocentes, nunc in ſic ſuſpectas, ſi tamen audeant, ſæviant. Quàm longè autem ſit hujuſmodi zelus, vel zelotipia à zelo rectitudinis cuilibet intelligenti manifeſtum eſt; nemo enim ſic Deum diligit, ut non patiatur alios diligere illum, & etiam obtinere, immò quicunque verè diligit (quantùm in eo eſt) alios ejuſdem participes efficere conatur, & ipſum Deum ſimiliter (quantùm in ipſo eſt) ad hoc ipſum inducere nititur, ut alios diligat; zelus ergo qui dicitur rectitudinis, affectio eſt, qua Dei cõtumeliam quis perſequitur, *Zelus rectitudinis.* unde zelare Deum ſoli dicuntur, qui contumeliam ejus ferre non poſſunt, F ex qua affectione tres motus procedere videntur. Primus ira, qua excandeſcunt in vindictam divinæ injuriæ, ſeu contumeliæ, & vocatur etiam zelus quęlibet iſtarum affectionum, ſicut iſta Numer. 25. Dicente domino Phinees filius Eleazari avertit iram meam à filiis Iſraël, quia zelo meo commotus eſt contra illos. Secundus eſt dolor, quem vulgari gallicano vocamus domi, & eſt dolor iſte, velut quem interdùm indicat ſciſſura veſtium, & ſimilia: ſicut fecit Machabæus, & ſocij ejus. Primi Macha. 2. Ibidẽ etiam legitur de Mathatia, qui vidit quòd quidã Judæus acceſſit ſacrificare in omnium oculis, & ſuper aram in civitate Modin, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & de præcedenti motu regis conſequenter & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens trucidavit ipſum ſuper aram, & poſt pauca; & zelatus eſt legem ſicut Phinees, & iſte dolor vocatur tabeſcentia, cùm vehementior ac diuturnior fuerit, de qua David; Super inimicos tuos tabeſcebam; ſicut & de contrario dolore alibi in Pſal. di- G citur. Peccator videbit, & tabeſcet. Tertius motus eſt odij, differt autem à primo motu, ſicut odium differt ab ira. Jam autem declaravit quidam philoſophus, *Ira.* quòd ira eſt inquiſitor victoriæ. Ariſt. autem dicere videtur. Quia ira eſt appetitus ultionis, quod utique eſſe non poteſt, cùm ira appetitus non ſit, ſed reverà motꝰ eſt cujus finis ultio, & propter hoc illa acquiſita ceſſat; ſic enim appetitus in concupiſcibili videretur eſſe. Iterùm ſic ira provocatur, vel ex injuria, vel ex eo quod videtur injuria: *Odium.* Odium autem abſque provocatione injuriæ plerumque invenitur, nec qui ex odio movetur de ultione cogitat, nec eſt de injuria, vel provocatione aliqua; ultio enim non dicitur, niſi ad injuriam, vel verã, vel apparentem. *Perſecutio.* Perſecutio verò non dicitur ad illud: ſi tamen ad aliquid dicitur, vel reſpicit contrarium ideſt odium, quia nec H propriè aliquis aliquem perſequi dicitur, niſi cùm ex odio malũ ei vel quærit, vel irrogat, & illud odiũ contrarium eſt amicitiæ, de hoc Pſalmiſta: Nonne qui oderunt te domine oderam? perfecto odio oderam illos. Perfectum odium eſt quo inimicos uſque ad deletionem perſequimur. Juxta proprietatem nominis, quæ eſt perfectio; perfectè enim odio inimicum Dei, quia inimicus Dei eſt, eum perſequitur, qui quandiu inimicus Dei eſt, cum eo quantùm ad hoc pacem non habet, etiamſi in modico, quod eſt dicere, donec funditùs inimicitias Dei vindicet, & deleverit. Dicitur tamen perfectum odium ſanctorum virorum, quo ſcilicet peccata hominum oderunt, non homines; zelus autem, quo Deus zelotẽ ſe *Deus zelotes.* dicit in 20. Exod. ſimilis eſt zelotipiæ maritorum in uxores. Iſto etiam zelo omnem occaſionem, omnem acceſſum, & omninò quicquid dare poteſt occaſionem

Digitized by Google

nem adulterandi cum idolis, vel dæmonibus, ſynagogæ per legem ſibi deſponſatæ penitùs interdixit. De hoc zelo legis Sapientiæ primo: Auris zeli audit omnia. Auris verò zeli non eſt aliud, quàm Dei ſapientia, qua omnia videt intelligenda, ſicut & oculus ipſius; idem enim prorsùs in eo eſt auditus, & viſus ſecundùm quod Deus eſt. Dicitur autem auris ejus auris zeli audiens omnia, ut animæ illæ deſponſatæ annulo fidei timeant omnia verba, ſive ſint ſpiritualia, ſive corporalia, miſcere cum adulteris. Quapropter & ab ipſis cogitationibus ſuis timere debet, ne fortè allocutiones diabolicæ ſint, ſive collocutiones cum ipſo diabolo. De hoc ipſe terribilis loquitur ſibi Prov. 6. dicens: Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſque precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Huic zelo ſimilem illi habent, qui Chriſto domino legitimant animas, ut legitimo ſponſo, quarum æqualem ſupra oſtendimus in Phinees, & Mathathia. Qui autem eas ſibimet zelat adulteri peſſimi, quales fuerunt, & adhuc ſunt hæretici, qui errorum ſuorum diſcipulos ſibi zelant, & pro eis contra catholicam Eccleſiam, & etiam contra ſe invicem inexorabili odio, & invidia inextinguibili pugnant, cui inſaniæ ſimiles utinàm non invenirentur apud ſacros magiſterij profeſſores. videlicet ut non ſibi, ſed Chriſto domino zelarent diſcipulos, & abraderent de medio ſui. Hanc intentionem peſſimam, videlicet ut vellent vocari ipſi ab hominibus Rabi, atque diſcipulos Chriſtianos agnominari ex nomine ſuo, ſicut docet Apoſtolus in 1. primæ ad Corin. dicens. Nunciatum eſt mihi, quia contentiones ſunt inter vos; hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit, ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ. Et ſtatim ſubdit. Diviſus eſt Chriſtus. Et poſt hæc. Gaudeo autem, quia neminem veſtrum baptizavi præter Criſpum, & Caïum; ne fortè aliquis veſtrum dicat quod nomine Pauli baptizati eſtis. Hanc invidiam Joannes Baptiſta damnavit, quantùm in eo fuit, in 3. Joan. Cùm veniſſent ad eum Diſcipuli ejus, & dixiſſent. Rabi qui erat tecum trans Jordanem, cui teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Quibus inter alia reſpondit: Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi; quia ſe ſponſum non eſſe ſciebat, non ſibi diſcipulos, ſed Chriſto ſponſo zelabat: & quoniàm amicus ſponſi erat, propter vocem, ideſt doctrinam ſponſi, per quam videbat ei diſcipulos multiplicari, gaudio gaudebat, licet eos videret ſibi minui. Propter quod & dixerat. Me oportet minui, illū autē creſcere, in hoc gaudium meum impletum eſt. Dolor autem hujuſmodi adulterorum eſt ſubtrahi ſibi, & minui multitudinem auditorum, licet Chriſto domino accreſcat. Non enim de profectu eorum ſpirituali curant, ſed de repletione ſcholarum ſuarum, nec minùs turpiter, quàm inverecundè ſonat crebertimè in labiis hujuſmodi magiſtrorum, hic eſt clericus meus, hic intrat ſcholas meas, hic incipit ſub me, obliti videntur verbi iſtius, quod de ſe veritas dicit in 7. Joan. Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me. Quantò fortiùs ergo doctrina hujuſmodi hominum ſua eorum non eſt; quòd ſi doctrina eorum non eſt, ergo neque diſcipuli doctrinæ illius: cujus enim eſt generaliter doctrina, ejus ſunt & diſcipuli, qui docentur. Melius autem apparet hoc ex verbis Auguſtini in libro de magiſterio per totum. Ideò & multos noſtris temporibus confutat ſponſus ſubtrahendo eis auditores, ita ut propter defectum auditorum, ab adulteriis, ne dicam magiſteriis compulſi ſint deſiſtere proh dolor, quia promiſſionibus, & muneribus, inſtar meretricū eos, vel emunt, vel conducunt, interdùm etiam precibus & terroribus extorquent ab eis, ut & ita dicamus, violentia, audientiam. Beatus autem Gregorius non tantùm adulteros vocat hujuſmodi magiſtros, ſed etiam meretrices, exponens locum illum libri Regum 3. Venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem Salomonem, &c. unde non ſcholæ, ſed proſtibula ſpiritualia, ubi ipſi tanquàm meretrices ſeipſos conſtituunt, & auditores tam turpi venalitate corrumpunt. Qui inſtar Joannis zelat, & facit Chriſti diſcipulos, verè amicus ſponſi eſt, & verè Chriſtum prædicat, & verè Chriſtus per ipſum prædicatur: verè enim prædicare eſt præcedenti Chriſto auditores dicare, ideſt copulare, vel aſſociare, quòd eſt ſequaces efficere, non autem ſibi. Beatus autem qui tanto hujuſmodi zelo ſuccenditur, ut in Chriſti ſponſis adulterij, ſeu fornicationum peccata abſque ulla præcedentium affectionum pati non poteſt. Beatior autem ſi nec ſigna, neque occaſiones neque aditum, vel acceſſum adulterorum ad illas & ſigna quædam adulterij, quod cum mundo corruptore peſſimo hujuſmodi committunt: inordinatio eſt vitæ exterioris, videlicet geſtus, ornatus, habitus, inceſſus, atque ſermonum ſimiliter, & malorum familiaritates, atque conſortia. Quemadmodùm enim in matrona ornatus meretricius, fornicationis apertum eſt indicium; ſic in religioſis ſæcularis habitus, & hoc ipſimet confitentur, ſicut nos eis ſæpè reſpondiſſe meminimus. Interrogati enim multi, & multæ ſunt propter quid ſæculariter, aut laſcivè ſe gerant in hujuſmodi exterioribus, reſponderunt nobis multotiens, quòd pro mundo, vel propter mundum, videlicet ut ei placerent, vel ſaltem ut ei non diſplicerent; quibus ſtatim dicebamus, quòd de meretricio, aut lenocinio ſuo quod cum mundo committebant cōfitebantur, & ipſum mundum leccatorem, aut corruptorem ſuum eo ipſo cognoſcebant, dùm propter eum videlicet, ut ipſi placerent, vel ſaltem ne diſplicerent ſe ornare & parare fatebantur: mos enim meretricum eſt, ut placeant amatoribus ſuis, vel corruptoribus, ſe componere, & ornare. Propter hoc viri zelatores animarum hujuſmodi compunctiones, & inordinationes ſtudioſiſſimè perſequuntur. Quis enim videat in ſanctimoniali, & virgine, Chriſtoque domino ſponſa conſecrata ornatum, vel apparatum meretricium, & adulterum, & non excandeſcat, & in illam, & in illum? Similiter & in clerico ornatum, vel habitum militarem, quis abſque dolore conſpiciat, niſi corde inſenſibilis, & totus extinctus? Quis poſteriora clericorum ſtellis ſumptuoſiſſimè pictis circundata capita, & colla, & pectora equorū ſuorum phaleris fabrefactis argentatis, & deauratis ornata intueatur, & ſanctorum corpora, vel reliquias, nec lapidea, nec lignea interdùm habere receptacula, & non animo torqueatur? Quemadmodùm enim monachus, aut alterius ordinis profeſſor, ſi habitu ſui ordinis abjecto, ſæcularem habitum deferat, monachus apoſtata judicatur; ſic & clericus clericali habitu abjecto, ſi ſæcularem aſſumpſit, clericus apoſtata judicandus eſt. Accedit autem ad cumulum doloris, quòd iſti luxus tantæ incompoſitionis, atque perverſitatis, non de patrimonialibus hujuſmodi hominum, ac mulierum bonis, aut labore ipſorum, vel artificio acquiſitis, ſed de ipſa redemptione animarum, de eleemoſynis, & legatis vivorum, atque defunctorum fiunt. Et eodem zelo viri zelatores clauſtra excogitaverunt, & inſtituerunt, ut per ea ad animas religioſorum acceſſus clauderetur prædictis adulteris. Mos enim eſt zelotiporum maritorum, uxores, ſi facultas eis ſit, in turribus, aut in aliis altiſſimis cuſtodiis, recludere; ſic etiam Chriſtus dominus per viros hujuſmodi ab adulterantis mundi, & ſæcularium ſponſas

Zelus. *Hæretici.* *Joannes Baptiſta.* *Cujus eſt doctrina ejus ſunt diſcipuli.* *In Magiſtros.* *Prædicare quid.* *In religioſos ſæculo placere ſtudentes.* *Mos meretricum.* *Apoſtata.* *In lapidatores patrimonij Chriſti.*

Digitized by Google

ſuas ſegregat, & arcet frequentia, quæ & ſæpè clau- E ſtralibus, & viris, & mulieribus meminimus nos dixiſſe: cùm enim dicerent ſe contemptibiles eſſe, & deſpectui haberi, & propter hoc in clauſtris ſuis recluſas à parentibus, & propinquis, reſpondebamus eis quòd zelus domini exercituum fecerat hoc; propter hoc enim eas in tam arcta cuſtodia, quaſi incarceraverat, ne quis ad eas pateret acceſſus mundo, vel diabolo corruptori, in quo quàm charas, quàm pretioſas eas haberet, evidenter oſtendebatur. Extenditur autem zelus iſte ſanctorum virorum, non ſolùm in Chriſti ſponſam, vel ſponſas, ut diximus, ſed etiã in ipſam legem, & in ipſa loca ſancta, & in omnia Deo ſacrata; & de lege quidem evidens teſtimonium poſuimus de Mathatia; de locis verò ſanctis, nullum majus teſtimonium, vel exemplum poni poteſt, quàm de Chriſto domino, qui hujuſmodi zelo ſucceuſus Matth. 21. facto de fune flagello, ejecit ementes, & vendentes de templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas, evertit. *Zelus domini.* Similiter & Jo. 2. ubi etiam legitur: Quia recordati ſunt diſcipuli ejus quod ſcriptum eſt in pſal. Ze- F lus domus tuæ comedit me. Similiter & in omnia sãcta extenditur cùm prophanantur, ut non ſolùm in ſacra ornamenta, vel vaſa, ſed etiam in ipſa bona tẽporalia Eccleſiarum. Illa enim pia devotione fideliũ oblata, & ſanctificata ſunt domino; propter quod & viri zelatores cùm ea in luxibus, & luxuriis clericorum, aut regularium, vel aliis quibuſcunque Dei cõtumeliis hujuſmodi, ſive vident, vel audiunt, zelo ardentiſſimo ſuccenduntur. Si enim avaritia Judæ proditoris, & furtum, immò ſacrilegium, quo ea, quę mittebantur in loculis aſportabat, cùm ea fideliter egenis diſtribuere deberet, uxorique ejus, & filiis ea dabat; quantò magis ſacrilega impietas clericorum *Nota.* ſæcularium, & regularium damnanda eſt, cùm hujuſmodi bona meretricibus, hiſtrionibus dari non verentur & in omnes execrabiles turpitudines, & in omnes Dei contumelias expendere non formidant? Præcepit ſiquidem Dominus ut ſanctificata ſibi, & oblata comederent in loco ſancto, ſicut legi- G tur Levi 10. execrabilis ergo abuſio, dona quibus Deus honoratur, & quæ ob honorem ejus Eccleſiis oblata ſunt in tantas, tamque impias ipſius contumelias detorquere. Et de clauſtralibus quidem manifeſtum, quia hujuſmodi donationibus nihil juris transferunt in ſic recipientes. De clericis autem & ſęcularibus habentibus adminiſtrationes, non levis quæſtio eſt apud doctos, ſicut alibi jam tetigimus.

CAPUT VIII.

Proſequitur laudes Zeli, & ipſum loquentem inducit.

POſt hæc autem proſequemur laudes hujus doni vel gratiæ, & dicemus in primis in perſona ipſius: Qua ego ſum cuſtos divini honoris, & gloriæ, *Zeli verba.* & tota familia mea, propter quod & ſigno Thau ſignari juſſa eſt in Ezech. Ex ſigno inquit Thau fron- H tes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus domus Iſrael, & pręceptum eſt eis, ut contaminarent domum, & implerent interfectis in vindictam, ſcilicet pollutionis ipſius templi Dei. De hoc expreſsè primo Machab. 13. ubi dicit Simon: Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecerimus pro legibus, & pro ſanctis prælia, unde & poſtea legitur. Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul, &c. Ad hoc idem pertinet quod legitur ibidem 3. ubi dicit Judas. Aſcendamus mundare caſtra, & renovare, & alia multa, ubi & demoliti ſunt altare, eo quod prophanatum eſſet à gentibus: etiam in 2. primi Machab. Percuſſerunt peccatores in ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua. Et iterùm: Circuivit Mathatias, & amici ejus. Et poſt pauca: Obtinuerunt legem de manibus gentium. Et *Zelus loquitur.* iterùm: Viriliter agite in lege. Ubi ego non ſum non eſt qui cuſtodiat aut defendat Dei honorem, & gloriam; quare patet ibi, & expoſita eſt omnimodæ conculcationi, & contumeliæ. Ego ſum qui vindico injurias, & contumelias Dei: Per me enim fecit Moyſes, & Levitæ vindictam in filios Iſrael, qui gloriam Dei tranſtulerunt in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, ubi & dixit: Si quis eſt domini jungatur mecum, congregatique ſunt omnes Levitæ, quibus & præcepit: Occidat unuſquiſque fratrem, & amicum ſuum, & proximum, feceruntque filij Levi ſic, propter quod, & dixit eis. Conſecraſtis manus veſtras hodie domino unuſquiſque in filio, & fratre ſuo, ſicut legitur 32. Exod. Ego facio Dei bellatores, & propugnatores, qui pro Dei honore, & gloria defendendâ, atque cuſtodiendâ ſtrenuiſſimè pugnant; ſi aliæ virtutes Deo dant honorem, & gloriam, ego eam tueor & defendo. Nec minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri; omnes bellatores inde ſignum Thau, quod eſt ſignum mirificæ crucis, & F regis regum invictiſſimi vexillum in frontibus ſuis, hoc eſt in evidenti, ſive manifeſta confeſſione deferunt, in quo bellatores, & propugnatores lucidiſſimè ſe oſtendunt. Ego præparo regi regum fercula delicatiſſima, ſcilicet aſſaturas, ut ſupra diximus de craticula igne precioſiſſimo, ac flagrantiſſimo aſſata. Quemadmodùm dicitur de ave phœnice quòd ex *Phœnix avis.* aromaticis lignis rogum conſtituit, in quo ſe exurit, ut de cineribus ejus naſcatur, vel generetur phœnix alius; ſic & ego non de ſpinis, ac tribulis accenſus ignis ardeo, ſed magis deſuper igne dato contra hujuſmodi ſpinas, & tribulos ſuccendor. Ipſe enim divinus honor, & gloria in cordibus ſanctorum virorum me accendit. Ego enim velut flamma ſum ferventiſſima, de ipſâ fornace Spiritus Sancti, & de camino, quod eſt in Hieruſalem cœleſti, in cordibus virorum ſanctorum ædificans, de quo camino dicitur Iſa. 31. Ego carbo quem unus de ſeraphin de al- *Zelus.* tari ſupercœleſti aſſumpſit, & tetigit cum eo labia G Iſaię, quorum pollutione priùs tenebatur, ſicut legitur Iſa. 6. Neque enim digna ſunt labia prædicare verbum Dei quę ego non tetigero, propter quod ſcriptum eſt in pſal. quia mors in labiis quorundam, ubi litera noſtra habet gladius: verba enim quę ſpiritus, & vita ſunt, verba, ſcilicet vitæ in quorundam doctorum, & prædicatorum labiis, quantùm ad virtutem, & efficaciam moriũtur. Adeò enim tepidè, adeò *In tepidos prædicatores.* remiſsè verba Dei annunciant quidam, ut extincta in labiis eorum penitùs videantur; propter quod ſicut & ipſi frigidi ſunt, & extincti, ſic frigidos, & extinctos relinquunt, & utinàm non faciant adhuc pejores Novimus enim quemdam familiarem noſtrũ, *Nota hunc locũ.* propter hoc de civitate Pariſiacâ aufugiſſe. Dicebat enim ſe lectionibus, & prædicationibus Pariſienſib' de die in diem ampliùs, & ampliùs infrigidari, & ſe H timere ſi moram diuturniorem ibi traheret, ne tandem ſpirituali gelicidio extingueretur, propter quod & tranſtulit ſe ad viros religioſos charitate ferventes, velut ad carbones vivos, ac ardentes, ut inter eos converſans ardorem, quem Pariſiis timebat amittere, inter eos nutriret, & augeret. Ego ſum ignis, quo *Zelus eſt ignis.* ignitum eſt eloquium Dei vehementer, ſicut legitur in pſal. Ego ignis, propter quem dicit dominus Hieremiæ 13. Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras? propter me enim verba Dei malleus ſunt conterens petram, ideſt duritiam auditorum, de hoc ait Seneca. Quorundam enim frangenda ſunt, quorundam autem emendanda: in cujus enim labiis non aſto, lingua ejus eſt velut colus muliebris lanâ molli, aut ſtuppâ circumvolutâ, cujus ictum non ſolùm non timet

Digitized by Google

diabolus, ſed etiam irridet. Propter hoc illæſus manet in uno auditore, per decem viginti annos Behemoth, id eſt diabolus, & non ſolùm non vulneratus, ſed etiam nec punctus perſiſtit, nec una gutta ſanguinis ejus effunditur, dum hujuſmodi auditor nec pœnitudine per hujuſmodi doctrinam, aut prædicationē compungitur, nec lachryma una ex oculis ejus propter hoc effluit. Lachrimæ enim (ut ait Hieronymus) velut quidam ſanguis ſunt animarum. Ego ignis, propter quem de Helia propheta ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 48. Surrexit Helias propheta, ſicut ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat, propter hoc non ſtabunt ante illum paleæ peccatorum. Ego ſum ignis, cujus carbones deſolatorij deſolationem palearum peccatorum, & exterminium faciunt. Ego ſum ignis, quo fulgebunt juſti, & jam fulſerunt tanquàm ſcintillæ in arundineto mundi iſtius diſcurrentes, & arundines cordium carnalium, velut incēdium depaſcentes, ſicut factum eſt tempore Apoſtolorum, & martyrum, qui velut ſcintillæ igne meo fulgentes, & etiam ardentes mundi arundinetum, non tam ſpiritualiter depaverunt, quàm etiam igne ſeculi incenderunt. Sicut enim mundus contra eos primùm exarſit zelo idolatriæ, ſic & poſtmodùm eſt contra idolatriam per eoſdē ſuccenſus, hoc eſt quod legitur Sapientiæ 3. Ego ſum ignis, per quem duces Juda erunt ſicut caminus ignis in lignis, & ſicut facies ignis in fœno; & devorabunt omnes populos ad dexteram, & ad ſiniſtram, ſicut & ubique faciunt viri zelatores in medio malorum poſiti: devorant inquam eos, & eā devoratione, quā præceptum eſt Petro in decimo Actuum: Occide Petre, & manduca; & de qua dictum eſt in pſal. Dediſti eum eſcam populis Æthiopum. Faculæ enim ſunt peccatores, & ligna arida ad æternæ combuſtionis incendium præparata. Omnis autem caro fœnum eſſe expreſſè legitur Iſaiæ quadrageſimo. Erunt inquit duodecim duces Juda, ſicut caminus ignis in lignis, & ſicut facies ignis in fœno. Quòd ſi quis dixerit, quòd viri qui creduntur zelatores homines inſenſati ſunt, hoc eſt ſine capite, & homines furibundi belluinā rabie ſævientes in peccatores faucibus, & dentibus, dū probris, contumelijs, convicijs eos immoderatè, & inſaniſſimè depravant, ac dehoneſtant, & in facie hominum confundunt confuſione, quæ ſolum adducit peccatum, de quā legitur Eccleſiaſtici quarto. Deinde velut unguibus catorum, vel pardorum graſſantur, & debacchantur in eos, ut non correctores, aut medicos ſpirituales erga eos ſe exhibeant, ſed hoſtes atrociſſimos, & perſecutores implacabiliſſimos. Hujuſmodi homines inexorabiles ſunt, & quantùm in eis eſt, judicium Dei futurum evacuant, dum omnia hîc vindicare totis viribus enituntur; ſi enim (ut ait Auguſtinus) omnia hîc vindicarentur, locum divina judicia non haberent; non haberet ergo Deus aliquid facere in futuro judicio, ſi poteſtas tanta daretur hîc hujuſmodi hominibus: ipſa etiam officia dæmonum quæ ſunt torquere, & cruciare, officioſiſſimè implent hîc hujuſmodi homines; unde & in ore eorum ſemper ſonat vox diabolica, crucifigatur, confundatur, deponatur dejiciatur, eruatur. Poteſtas in manibus hominum hujuſmodi gladius eſt proculdubiò in manu furentis, vix aut nunquàm de ore eorum auditur, emendetur, corrigatur. Hi cùm medicinam ſpiritualem, videlicet animarum profitentur, non pro varietate vulnerum aut morborum, aut vulnerum ſpiritualium varietatem, adhibent medicamentorum; urere norunt ſolummodò, & ſecare ſolummodò. Quacunque enim ægritudine ſpirituali laborat quis, ferrum, & ignem ſtatim adhibere conantur, cùm dicat eis Auguſtinus: Non ſanat oculū, quod ſanat calcaneum, vel manum, nihil de unctionibus,

Lachrimæ ſunt ſanguis animarum.

Apoſtolorum zelus

Cur omnia hæc in vita non puniuntur.

A nibus, nihil de fomentationibus, nihil de cataplaſmationibus, nihil de potionibus, niſi fortè de potione abſinthij amariſſimi aut alterius, cujus ſumptio tormentum ſit, & non medicina. Ignorant hujuſmodi inſipientes, quòd omnium medicamentorum fortiſſimum, ac ſaluberrimum eſt, ſapientia, ſicut legitur Sapientiæ nono. Etenim per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque tibi placuerūt Domine à principio. Hæc quidem ſapientia ſermo Dei eſt, de quo legitur ejuſdem decimoſexto. Neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed ſermo tuus domine, qui ſanat omnia, & in pſalmo. Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos. De hoc eodem Proverbiorum quarto. Vita ſunt invenientibus ea, & univerſæ carnis ſanitas. Peccatores enim (ut dicit Dionyſius) tanquàm cœci manu ducendi ſunt: Tullius verò dicit, quòd undique fulciendi ſunt, qui timent. Manifeſtum autem eſt, quòd

Sapientia optimum antidotū.

B erigendi ſunt, qui ceciderunt, medicandi ſunt autē, qui vulnerati ſunt, non novo vulnere transfigendi: quid autem aliud facere poteſt quàm vulnerare, qui venit ad infirmum in ſolo igne, & gladio? in igne quidem iracundiæ, in gladio acuto linguæ. Hujuſmodi homines refectoribus ſimiles ſunt veterum, ac putridarum patellarum, qui dum foramen unum nituntur obſtruere uno ictu mallei fabrilis quinque, vel ſex alia faciunt, vel illud adaugent in duplo, aut ipſam patellam totaliter diſſipant & confringunt. Hujuſmodi homines omnia vaſa ex quacunque materia ſint, malleabilia eſſe opinari videntur: omnia enim malleando reficere velle videntur, non attendentes inſaniſſimi, quòd fictilia, aut vitrea malleationibus potiùs confringuntur, & diſſipantur, quàm reficiantur. Correctio autem, quam ſolam intendere debent, non eſt niſi refectio vaſorum confractorum

Similitudo.

C ſpiritualium: hæc ſunt cordā peccatorū, ex eo quod legitur Eccleſiaſt. 21. Cor fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non tenebit. In domo autem Dei magnā, id eſt Eccleſiā, ſunt vaſa non ſolùm aurea, & argentea ſed etiam lignea, & fictilia, ſicut dicit Apoſtolus in ſecundo 2 ad Timothæum. Manifeſtum autem eſt, quòd aurea, & argentea, & ignē fortiſſimum, & malleum ſuſtinent, lignea verò ignē non ſuſtinent, fictilia quoque malleum non ſuſtinent; propter hæc intolerabilis eſt inſania hujuſmodi fabrorum, ſeu refectorum, qui nec diverſitatem vaſorum, nec fortitudinem, aut debilitatem ipſorum attendunt, uno ſolo artificio in omnium refectione utentes, vel potiùs abutentes. Hi omnium peccatorum correctionem, & ſalutem facilè deſperant, & utinàm non frequentiùs ad malè ſentiendum de hominibus facillimi, ad benè ſentiendum difficiles, &

In domo Dei multa vaſa.

D tardi. Janitorem peſſimum, ac perverſiſſimum cordibus ſuis præfecerunt, qui mala de fratribus tam facilè ingredi patitur, immò paſſim ea recipit, bona verò vix intrare. Hi ſemel conceptam de fratre malam opinionem vix, aut nunquàm deponunt, benè, niſi de ſuis, aut ſuis familiaribus, rarò, vel nunquàm ſentiunt de alijs vel ſemper, vel frequentiùs malè. Hi contra muſcas vel pulices levium peccatorū in gladio duro, & forti plerunque pugnare volentes, ipſos peccatores occidunt. Quemadmodùm quidam cùm muſculam videret ſuper caput alterius volitantem, aut inſidentem, dùm eam ſecuri tentaret percutere excerebravit illum, ſic & iſti dum levia peccata in fratribus in gladio verbi Dei intendunt percutere, tanto conatu, & impetu percutiunt ea, quòd ipſos fratres hujuſmodi percuſſione occidunt, vulnus eis iræ mortalis, vel odium infigentes. Heu quotiens dū ligna peccatorum cædere intendunt, fugit ſecuris de manibus eorum, & ferrū de manubrio lapſum vulnerat, aut interficit peccatores, ſicut legitur Deuteronomij 19. Ferrum acutum eſt verbum Dei, ſicut

Ferrum acutum verbum Dei.

dicit Greg. Manubrium intentio rectitudinis, manus, qua ſecuris iſta eſt tenenda, moderamen eſt diſcretionis in prædicando, vel docendo, quod dùm quis delet, ferrum de manubrio labitur, cum intentione rectitudinis obmiſſa, ad contumeliam, vel confuſionem faciendam proximo, divinus ſermo detorquetur: multi enim ſic adulterant verbum Dei, propter quod dictum eſt Proverbiorum decimoquarto: Jn ore ſtulti virga ſuperbiæ, & Eccleſiaſtici 19. Correptio mendax in ore contumelioſi. Non enim corrigunt, ſed correctionem contumeliâ mentiuntur; ex intentione enim opus judicandum eſt. ſicut & multi prædicare ſe ſimulant, & detrahere tantùm, vel generaliter, vel ſpecialiter quibuſdam intendunt, unde non prædicatio veri hominis eſt hujuſmodi ſermo, ſed detractio; propter hoc optimè dixit mulier illa: Nunc cognovi quia vir Dei es tu & verbum domini in ore tuo verum. 3. Regum 17. Jn quorundam enim ore, ſi fas eſt, verbum Dei falſum eſt, dùm illud adulterant, illud quantùm in ſe eſt ſuum facientes, videlicet aut in ſui ipſorum prædicationẽ, aut in aliorum detractionem; qui enim cauſa inanis gloriæ, vel quæſtus prædicant, ſeipſos, aut ſibiipſis prædicant, non Chriſtum, vel illi qui verò cauſa detractionis, ipſum vivificum verbum Dei ſemen in venenum mortiferum detractionis invertunt, impletur in eis, quod ſcriptum eſt Job. 21. Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aſpidum intrinſecùs. Dùm enim ſermo qui foris apparet prædicatio, maligniſſima detractio eſt intrinſecùs, panis ejus, id eſt ſermo Dei, qui in ejus ore perſonat, verſus eſt in utero ejus, hoc eſt in intimo perverſæ intentionis, ubi ſermonẽ Dei in hæc detorquere cogitavit, & valde ſimile eſt quod accidit cuidam mulieri, quæ cùm ſacratiſſimã Euchariſtiam in ſinu ſuo nimis irreverenter, & execrabiliter abſcondiſſet, cùm vellet eam de ſinu abſtrahere, invenit pro ea ſerpentem horrificum, atque terribilem; ſic & pro pane ſacratiſſimo verbi Dei in abſcondito cordium hujuſmodi hominum, diligenter ſcrutantibus invenitur ſerpens venenatiſſimus detractionis. Accedit, & ad cumulum perverſitatis, quia venenatum hujus detractionis ſermonem, zelũ mentiri multi non verentur, & qui eos excuſare conantur, cùm apertè detraxerint hujuſmodi homines, dicunt eos ex zelo, vel ardore nimio dixiſſe talia, quaſi zelus ſanctus, & ardor divinæ dilectionis homines faciat inſanire, & in fratres, ac proximos ore rabido, dentibuſque ſævire. Similes etiam ſunt hujuſmodi homines cuidam ſtulto, qui cùm audiviſſet Deum præcepiſſe hominibus, ut rectè ambularent, nolebat, poſtea divertere à quocũque obvio, verbi gratiâ: Si crucem excelſam inveniret in via, aut arborem proceram, non declinaret à recto, propter hoc ſi deſuper niteretur aſcendere & poſtea deſcendere, idem faciebat de muris, domibus, turribus, niſi vel apertura fieret in eis, quapropter nec civitatem ingredi poterat, nec egredi hujuſmodi homo, abſque labore importabili eorum, qui eum ducebãt, & ruinâ intolerabili, ac diſpendioſiſſimâ. Sic hujuſmodi homines, quantam ruinam faciunt in congregatione, in animabus ſuis, quæ utique ſpirituales civitates ſunt? tantam inquam ruinam ut penè quolibet paſſu eorum, hoc eſt opere, vel ſermone neceſſe ſit, vel unam, vel plures in domibus hujuſmodi civitatum, non leve detrimentum ſuſtinere, atque diſpendium. Domus hujuſmodi civitatum, ſive hujuſmodi collegiorum, quæ quot, & quanta detrimẽta, atque diſpendia bonæ converſationis ſuæ ab hujuſmodi hominibus patiantur, non eſt facile vel ſcribere, vel narrare; plerunque etiam ſcãdalizati ab eis graviſſimè corruunt. Quid plura? Jn tẽpeſtate, & turbine ſunt viæ eorum, ſicut legitur in tertio Naum. Et

Ex intentione opus iudicandum.

In pſeudo prædicatores.

Nota exemplum terrificũ.

Zelus modeſtus.

quocunque converſantur ſunt quaſi tempeſtas tranſiens. Quemadmodùm enim poſt tranſitũ tempeſtatis alius luget ſegetem ſuam degrandinatam, alius vineam alius domum ſuam concuſſam, atque dirutam alius navem confractam, alius metuum periculum; ſic vides in unoquoque collegio, vel congregatione, alium lugere detrimentum lectionis, alium orationis, alium meditationis, alium diſciplinæ, alium pſalmodiæ, & ita de alijs; propter hoc dictum eſt Proverbiorum 10. Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius. Similes ſunt quoque iſti tempeſtuoſi homines pugilibus, ſive propugnatoribus, qui mole corporis, & viribus prævalentes in medio preſſuræ aliorum hominum recti, & rigidi incedentes, alios B dejiciunt, alios impellunt, alios conculcant, alios pede calcantes graviter lædunt, alios comprimunt, alios à greſſu impediunt, clamoremque mirabilem, & maledictionem multitudinis poſt ſe relinquunt; ſic pauciſſimos videbis in quacunque congregatione, ubi tales converſati aliquandò fuerint, quin poſt receſſum ſuum ſive deceſſum querelas ſimiles, & maledictiones pro læſionibus, impedimentiſque ſpiritualibus reliquerint, & quin eis, cùm ibi converſarentur, fuerint communicatæ. Cum iſtis non eſt ambulandum inter ventres prægnantium: quis enim enarrare, vel narrare ſufficiat, quot, & quantos abortus ſanctorum conceptuum, ſive propoſitorum fieri faciant hujuſmodi homines? quot partus teneros inſipientium conculcando, vel comprimendo ſuffocent? quot adultos gladio ſuo vulnerent? quot omni generi bonorum impedimenta præſtent? etiã C quæ vidimus, & ex teſtimonio fide dignorum accepimus, quia penè innumera ſunt. Præter hæc omnia autem diximus, ut nemo ſibi ſupplaudat de zelo ſancto, cùm iſta rabies illum exagitaverit. Nemo hujuſmodi rabiem excuſet in hujuſmodi hominibus, nemo eam zelo rectitudinis mentiatur. Et quia experti ſumus ruinas, & animarum perditiones, quas operta eſt peſtis iſta diebus noſtris, neceſſarium immò ſaluberrimum eſt, ut qui miniſtros Dei ſe gerunt, & in officijs ſuis gratum officium Deo præſtare intendunt, ne per ignorantiam contrarium faciant, & propter animarum ſalutem, mortem earum procurent. Tentabimus declarare, quæ ſit iſta affectio, quis zelus ſanctus, & zelus rectitudinis ab ipſis ſanctis, & potiſſimùm à beato Gregorio nominatur. Dicimus ergo quòd illa affectio ſive ſit ira ad vindicandum Dei injuriam, ſive ſit odium, ſive inimicitia ad exterminandos Dei inimicos, ſive ſit zelotipia perſequens ſponſarum Chriſti adulteria, adulteriorumque occaſiones, & ſigna, ſive ſit amor vehemens, ipſas Chriſti ſponſas à mundo ſecludens, & arcta D cuſtodia eas quaſi incarcerans, ut ſolus cœleſtis ſpõſus earum amplexus ſpirituales, cæteraque conjugij ſpiritualis bona ab eis habeat, & hoc liberè, & abſque impedimento vel ſeculi hujus, vel ſæcularium, nunquàm tamen eſt ſine comite, ac duce miſericordia, & illa utique ſpirituali, & propter hoc dictum eſt ſuper Matth. quinto: Juſtitiæ lumen eſt miſericordia. Oportet ſic affligi, & catenùs corpora exteriùs, ut per hoc ſalus animabus interiùs procuretur, ſicut ſe feciſſe teſtatur Apoſtolus in 5. primæ ad Corinthios dicens: Tradidi hujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die domini noſtri Jeſu-Chriſti; ſic etiam moderatur ipſam afflictionem corporis, ut non ultra eam extendat, quàm requirit correctio, ſive emendatio peccatoris. Cùm enim correctio ſanatio ſit animarum, & propter eam omnia hujuſmodi facienda ſint, manifeſtum eſt, quòd miniſtranda ſunt omnia tanquàm medicinæ, vel medicamenta animarum, nihil enim aliud eſt, quàm chirurgus quidam ſpiritualis, unde omnis

In iracundos & rabidos correctores.

Mala ex rabie corrigentis.

Zelus ſanctus quid.

Correctio quid.

Digitized by Google

omne ejus urere, omne ejus ſecare non quæſtuoſum, ſed medicinale deber eſſe, vel medicamentum toti civitati, vel religioni, cui præſidet. Sicut ergo temperandæ ſunt medicinæ, vel medicamenta, & contemperandæ morbis corporalibus: ſi enim excedit medicina modum, non operabitur, ut medicina ſalutē, ſed ut toxicum ſaluti contrarium; idem enim facit plùs aut minùs. Miſericordia ergo hæc, quæ ſoli ſaluti impenditur, moderetur hujuſmodi medicamēta, ne per exceſſum vertantur in perniciem animarum, propter hoc dictum eſt in pſalmo: Corripiet me juſtus in miſericordia, quod eſt dicere provt requirit, vel tollenda, vel lenienda miſeria mea. Quòd ſi plùs, vel ultrà, non eſt hoc Dei juſtitia, ſed rabies, aut furor ſe ingerens, & opus quod debuit eſſe zeli ſancti, ſicut rapiens, & vindicans, propter quod & dicit Gregorius ſuper Ezechielem: Quia zeli ſancti diſcretio de miſericordiæ virtute neceſſe eſt ut ardeat, & clareſcat; morbi enim perſequendi ſunt, ac vulnera à medicis ſpiritualibus, non autem patiens, immò ſalus eorum totis ſtudijs, ac viribus quærenda eſt. Et eſt hujuſmodi viris, medicorum corporalium ſtudioſiſſimè imitanda benignitas, qui quantumcunque morbos corporum perſequantur, & vulnera, non tamen patientibus iraſcuntur, immò eos tota dulcedine conſolantur, tota ſuavitate blandiuntur, & quibus poſſunt non ſolùm medicamentis, ſed etiam alimentis eoſdem confortant, & adjuvant ad tolerandam amaritudinem medicinæ, & ad ſufferendum dolorem ſectionis, aut uſtionis; interdùm etiam & ipſi priores de medicinis bibunt, ut horrorem illarum tollant à patientibus. Quod & ipſe Chriſtus dominus fecit, ſicut teſtatur Auguſtinus dicens. Calicem paſſionis prior bibit Chriſtus dominus medicus, ne illum abhorreret ægrotus. Hujuſmodi autem medici, vel chirurgi potiùs, immò neutri, ſed tortores, atque lictores, immò carnifices animarum dolorem tantum atque confuſionem, cæteraque pœnalia ſola inferre velle videntur, non ſalutem conferre, nec medicinam, ſed carnificinam exercere: non enim quantùm carnificina eorum profuerit, ſed quantùm dolorem vel confuſionem patientibus injecerit, multùm curant. Quòd autem non medicinam, ſed carnificinam in tam pijs, tamque ſalutaribus officijs intendant, ipſa verba eorum indicant evidenter; minas enim ut hoſtes primùm inferunt, deinde juxta minas, & ultra minas in eos, qui laniati fuerint debacchantur, & poſt hujuſmodi debacchationem de carnificina hujuſmodi, tanquàm de victoria gloriæ, & de triumpho nobili inſolenter ſe jactant, quod noſipſi multotiens auribus noſtris audivimus. Ex quo apparet, quòd non fructum ſanitatis, aut ſalutis in primis quærunt in eis qui furori eorum traditi ſunt, & expoſiti. Comitatur autem & iſtam ſanctam affectionem propriæ infirmitatis jugis meditatio, ut in ſeipſo diſcat quid alij portare poſſint, quid eis, & quantùm imponendum; nemo enim ita effertur, & excandeſcit in alios, niſi qui propriæ infirmitatis, aut fragilitatis oblitus eſt. Propter hujuſmodi homines dictum eſt; ſciant gentes quoniàm homines ſunt; iſti enim videntur ſe ignorare homines eſſe, aut ſaltem aliquandò fuiſſe. Cum enim dixit dominus Jeſus-Chriſtus de ſe ipſo, zelus domus tuæ comedit me, tum de eo ſcripſit Jſa. 53. Deſideravimus eum noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Hi ſunt homines, qui non addidicerunt pati diſciplinam, aut correctionem propriam, & quia agendi, & patiendi tanquàm contrariorum eadem eſt diſciplina, neſciunt eam in alios exercere. Propter hoc expoſuimus verbum illud in primo Sapientiæ: Diligite ſapientiam, qui judicatis terram. Diligite inquam pati, & facere, pati priùs ut de vobis fiat, & deinde facere, ut vos illam alijs faciatis: quidam enim in alios juſtiſſimi ſunt, in ſeipſos autem miſericordiſſimi, & tamen in nullo alijs parcunt, ſibiipſis parcunt per omnia, quemadmodū faciebat Mævius, qui cùm aliorum vitia ipſe vitioſus atrociter perſequeretur, ſua diligebat, ac nutricbat, ſuper quo cùm interrogaretur, mihi ignoſco, Mævius inquit; hi enim homines impatientiſſimi ſunt objurgationum, increpationum, redargutionū, & quod eſt deterius monitionum, & exhortationū. Quantò fortiùs ergo diſciplinalium flagellorum, propter quod nec ſciunt nec ſentiunt, nec ſapiunt diſciplinam, ut omninò inexperti, ideò morbus eorum eſt omnis, noli me tangere, & ſolâ divinâ manu curabilis: cùm humanæ manus attactum omnem nō ſolùm refugiant, ſed tota repugnatione repellant. Attentaverunt autem quidam religioſi mederi morbo hujuſmodi in Abbate ſuo temporibus noſtris, quoniàm cùm eſſet in omnes illos carnifex crudeliſſimus, videntes, quòd omninò ignarus eſſet, & inexpertus diſciplinæ, quam tamen exercere putabat in eos, coegerunt eum ſedere per menſem integrum inter fratres, & gerere ſe tanquàm ſimplicem Canonicum, quem quotidie proclamantes, & egregiè verberantes, tandem reſtituerunt ſedi ſuæ dicentes: Ecce per menſem iſtum non ſolùm fuiſti in ſchola diſciplinæ, ſed etiam ſenſiſti; non eſt mirum enim, ſi exercere neſciebas in ſubditos, quia eam non addidiceras, recordare eorum, quæ didiciſti, alioquin rememorationem tibi faciemus ipſorum, & credimus nos, quia inſtructus, & eruditus didicit ex his, quæ paſſus eſt, diſciplinam; credimus etiam quòd memoriter eam retinuit, nec rememorationem ejus eidem poſtea fieri oportuit, alioquin paratiſſimi eſſent fratres ſi viderent quòd opus eſſet. Nunc revertamur, & dicamus, quòd hujuſmodi homines in Beelzebud ejiciunt dæmonia, & in ſatana ſatan expellunt, vel potiùs introducunt, vel magis impellunt. Jn ſpiritu enim furoris, ſpiritū luxuriæ interdū credētes ejicere, nō ejiciunt, ſed ipſū latitare cōpellunt. Plerúque ſpiritum iræ, ſpiritum odij, ſpiritum ſimulationis, & ſpiritum mendacij in eos, quos corripiunt, introducunt, dùm eos ad iram mortalem, & odium contra ſe concitant, & irritant ſimulatores eoſdem, & mendaces efficientes. Jnterdùm etiam perjuros dùm ſimulare eos compellunt terroribus ſuis deſeruiſſe vitia, quibus adhuc laborant, & mentiri de hoc inſuper, & pejerare, & hoc multis experimentis didicimus: unde & poſtquàm exiverit tempeſtas eorum, apparet manifeſtè non extirpata fuiſſe vitia per eorum furorem, ſed magis ad tempus latuiſſe quædā, quæ non ſolùm ut priùs erumpunt, quaſi beſtiæ de cavernis, ſed cum multitudine novorum quæ ſicut diximus, per hujuſmodi hominum inſaniam generata ſunt, & ita factus eſt error noviſſimus pejor priore, & dum adauctus eſt uterque exercitus diabolicus tam vitiorum, quàm hominum malorum, & propter hoc procurantur impedimenta, atque repagula, non quibus compeſcatur iſta inſania, ſed quibus impediatur correctio ſalutaris. Aut enim appellant ſic oppreſſi, aut congregata ſibi multitudine ſimilem debacchationem timentium reſiſtunt in facie peſtiferis hujuſmodi hominibus, obedire etiam in modico denegantes, vel procurant ſua aſtutia ſæviendi eis ſubtrahi poteſtatem. Jnterdùm etiam & in mortem ipſorum armantur, & clàm niſibus totis machinantur, vel palàm ipſimet eoſdem occidunt, qualia temporibus præteritis fuiſſe facta jam dubiū non eſt, nec mirum eſt, cùm ipſi medicinam ſalutaris correctionis vertant in gladium perſecutionis, ſed ægros interdùm non tam freneticos ſauciant, quàm etiam ſeipſos à furentium gladijs defendunt.

Miſericordia cū correctione.

Modus correctionis.

Nota.

Propria infirmitatis conſideratio.

Nota.

Mævius parcebat ſibiipſi.

Noli me tangere.

Homines in Beelzebud dæmonia ejicientes.

Digitized by Google

Iuſpicienda ergo ſummoperè ac diligentiſſimè cōſideranda corrigendorum infirmitas, & cujuſmodi medicinam vel velint, vel valeant ſuſtinere, ſed ipſa poteſtas corrigentium non minus attendenda eſt, an per eam cogi poſſint ad id quod eis imponitur; ſi enim non poſſunt, non eſt eis imponendum invitis, ſi verò poſſunt, non minùs attendendum eſt an hujuſmodi coactio multorum ſtragem, & pauciſſimorum, vel nullius ſalutem forſitan operetur: non enim negligenda eſt multitudo eouſque ut ſtrage ipſius, ſalus paucorum aut unius ematur. Reddenda eſt, & exhibenda quorundam, ut ipſi ajunt, juſtitia, qui ne quid amittant de jure ſuo, valens denario, centum marcas expendere ſunt parati. Erubeſcenda eſt medicis ſpiritualibus timoratio, & pietas medicorum corporalium, qui tantoperè cavent, ne medicinam quam exhibent alicui, mortis corporalis occaſionē præbeat; apud iſtos verò mors animarum nullius momenti eſſe videtur; cum enim ſuper hoc admonētur, ſtatim reſpondent, feci quod meum eſt, ſibi imputent mortem ſuam, qua ſi non pertineat ad eos periculis fratrum occurrere, ubi ipſi in illa voluntariè ſe immittunt, cùm nulla major ſit inſania, nulla perículoſior freneſis, quàm illa, quæ eſt cordis. Quapropter ſi tam ſtudioſè cavetur freneticis corporalibus, non ſolùm ligando, ſed omnem etiam aliam occaſionem eis ſæviendi vel in ſe, vel in alios ſubtrahendo, unde nec ferrum, nec lignum, quo ſe lædere poſſint, juxta eos dimittitur, neque aquæ, neque igni appropinquare permittuntur, ſed neque juxta feneſtram eſſe, à qua ſe præcipitare poſſunt: ex quo manifeſtum eſt, quàm difficiles occaſiones mortis eis darent, ni tanta ſollicitudine eis aſſiſtere conarentur. Quantò fortiùs ergo ſunt dandi freneticis ſpiritualibus timor, & pietas. Timendum autem valde eſt, ne inſaniam, de qua tamdiu locuti fuimus, inanis gloria concitet, & hujuſmodi homines ne quod verum, aut rectum eſt, videre poſſint obtenebret. Quemadmodùm accidit de quodam, qui ut juſtus judex, & bonus juſtitiarius reputaretur, filium proprium pro delicto leviſſimo decollavit, mercator inſaniſſimus, qui morte filij ſui falſiſſimam, vaniſſimamque laudē juſtitiæ, quam non habebat, voluit comparare: ſic & nonnullos interdùm feciſſe timendum eſt ut viri zelatores prædicarentur, multarum animarum ſtragē dediſſe per modum, quem diximus, multa monaſteria pretextu reformationis, non tam deformaſſe, quā etiam evertiſſe, dùm enim pro furore ſuo diruunt, ædificant in monaſterijs quibus correctores, aut reformatores interdùm videntur hujuſmodi homines, tantas ſciſſuras, tantaſque diſcordias, tantas ruinas ſpiritualium, tanta incendia irarum, & odiorum, tāta ſeminaria litigiorum, & jurgiorum illîc faciunt, concitant, & ſeminant, ut non domus poſt receſſum eorum videantur, aut monaſteria, ſed magis lapidū ruina; non enim fratres qui vivi, ac veri lapides ſunt ſpiritualis ædificij, velut in ſtructura ordinatos, non velut cæmento charitatis colligatos, ſed magis ſubverſos poſt ſe relinquunt, nec obliviſcuntur jactare ſe quod Abbates depoſuerunt, & obedientiarios, & quadrata rotundis ibidem mutaverunt, de fructu penitùs conticeſcentes, vel quia nullus eſt, vel quia de eo forſitan fuit in eorū pectore cura minor; nec attendunt vel ad ſumptus, quos ipſi ſic monaſteria ſubvertentes, non ſolùm inutiliter, ſed in monaſteriorum perniciem fecerunt de bonis eorundem, & quòd ipſa monaſteria prædam advocatis, & omniū munerum acceptoribus fecerunt, & judices corruptibiles venalitati proſtituerunt, & aſſeſſores forſitan eorum; non enim leve malum eſt ſacrata Deo bona monaſteriorum temporalia in fauces hujuſmodi devoratorum injicere, & ipſa monaſteria in manibus

Benè.

Medici ſpirituales ſint cauti.

Freneſis cordis.

Inſeveri nimiū reformatores.

Advocatorū præda.

E fœneratorum dare. Quia verò ex tribus antedictis cauſis, videlicet inexperientia correctionis, & diſciplinæ in ſemetipſis, & ignorantia propriæ infirmitatis, & alienæ, & amore dementiſſimo inanis gloriæ peſtilentiſſima rabies procedit, vigilantiſſimè cavendum eſt ne hujuſmodi hominibus detur poteſtas, immò ne gladius occiſionis magnæ detur hujuſmodi furioſis, inſtar enim dæmonum quocunque introeunt, ruinam, & incendium poſt ſe dimittunt, & velut incendiarij diabolici, ſeu infernales, ignē ubique mittunt, & velut procellarum ubique concitant tempeſtates. Ego autem dicit zelus ſanctus, non ſic, quocunque introeo, benedicit Deus; non enim ſævio ſequens vim, quod utique belluinum eſt; belluarum enim eſt ſævire pro viribus & viribus pugnare. Ego autem pugno, non quantùm vis, aut poteſtas mihi ſubminiſtrat ſed quantùm expedit corrigendis, unde nec ſævitia, ideſt ſequens vitium furoris, aut aliud nominari poſſum, vel debeo, ſed magis ſeveritas, ideſt ſequens veritatem; ut enim corrigantur homines verè quæro, & ut falſitas diabolica funditùs exterminetur, ut veritas virtutum, & morum in homi-F nibus ædificetur, & conſervetur totaliter; intende hæc eſt veritas, quam ſequor ut exemplar, ut ducē, & ut lucem, vel ipſe Chriſtus dominus veritas eſt, quam ſequor, cujus omnis flagellatio exterior in peccatores, eſt pietas. Non ſequor veritatem meritorum eorum, qui peccaverunt, hæc enim ſupra vires meas eſt, ſcilicet ut eos feriam quantùm requirit veritas hujuſmodi meritorum. Non ad hoc nitor, ut puniam vel vindicem, ſed ad hoc ut puniam, & emendem. Non aſſumo mihi tortoris, vel lictoris officium, ſed potiùs medicantis, diabolo, & angelis ejus illud reliqui, totamque ejus carnificinam miniſtris infernalibus reſervavi, nolens ei ſuper hoc injuriari. Quòd ſi quis dicat, quòd bonum eſt vindicare Dei injurias, & contumelias. Reſpondeo, quòd verum dicit, & quia ego ſic facio, veruntamen non in hoc quieſco, niſi ipſimet, qui eas Deo irrogaverunt, eas vindicent in ſeipſis, & humiliati per me, miſera-G tioni ejus totaliter ſe tradunt. Vindico ergo eas cùm amplius non poſſum, & ſicut dicit Ariſtot. Sufficit mihi facere pœnitere, & eſt ideò longè glorioſiùs de inimicis ſic triumphare, ut ipſimet Deo de ſeipſis faciant ultionem, quàm ſolam vindictę carnificinam in eos exercere, cùm, ſicut dicit beatus Auguſtinus. Sive parcendo, ſive puniendo, hoc ſolùm benè agatur, ut vita hominis corrigatur. Quare benè agitur, quod per me finaliter agitur, & quoniàm parcere, & punire contraria ſunt, erit eorum eadem diſciplina, & eadem virtus. Quare qui neſcit parcere, neſcit & punire, & ſi ejus non eſt parcere, ſicut & punire. Quare non miniſtri mei ſunt, qui punire ſolummodò & norunt, & volunt. Falsò ergo zelatores nominantur quidam, quorum totum ſtudium & officiū eſt punire, qui non deberent eſſe niſi in inferno, ut H eſſent adjutores miniſtris tormentorū, ut talia exercerent, ubi tanta eſt copia tormentorum, ubi nemo eſt qui de manu torquentium quemquam eripiat, aut qui eis reſiſtat. Non ſum cœcus ſagittarius, ut Lamech, qui cùm intenderet ſagittare feram, ſagittavit Caïn, & occidit eum, juxta traditionem Hebręorum, hoc faciunt cùm ſagittare beſtias vitiorum in hominibus debeant, ipſos homines ſagittantes occidunt. Non ſum incautus medicus, ut cùm febres, vel alias ægritudines in ægris occidere debeam, ipſos ægros potiùs occidam, quod homines excerebrati faciunt. Sagaciſſimus, ac prudentiſſimus percuſſor in gladio ego ſum, qui videns hominem involutum tortuoſitate ſerpentis, & dentibus ejus arreptum, non hominem pro ſerpente percutiens interficiam, quin potiùs ſerpentem percutiens occido, & de

Sævire belluarum eſt non hominum.

Punie ndi ratio.

Qui neſcit parcere, neſcit punire.

Zelus

Cœcus ſagittarius.

Digitized by Google

& de faucibus ejus,&captione hominē libero, cùm ſimiæ verorum zelatorum econtrariò faciant. Ego cautiſsimus chirurgus, qui puttida ſic ſeco, ut ſana illæſa relinquam, & ne à putridis corrumpantur præſervem.

Simia Zeli.

Harum autem ſimiarum mearum inſania plerunque putrida illæſa dimittit reſecans, quæ ſunt ſana. Sic ignem adhibeo, ut non incendium ſed purgationem, ut conſumptionem ſuperflui patiar, non univerſale incendium. Sic ferrum adhibeo, ut vulnus mortiferum non infligat patienti, ſed ut cauterium ſalubre, ac venæ apertionem ad purgationem efficiat. Ego agricola prudentiſsimus, qui ſic peſtiferas herbas evello, ut ſalutares non lædam. Sic zizaniam extirpo, ut tritico non ſolùm læſionem non inferam, ſed ut ſuffocationē, quę ei à zizaniis imminebat, avertam. Meminimus enim nos vidiſſe quoſdā furibundos prælatos hortos abbatiarum duarum nobilium ſic ſolviſſe, hoc eſt ſarculo inſaniæ ſuæ ſic purgaſſe ab arboribus fructiferis, ut nec unam ibi relinquerent, ſolas ibi ſpinas, & tribulos dimittentes. Incredibilis modus inſaniendi, ſed cum diabolicis hortulanis.

Hortulani diabolici.

Pius ignis meus nihil putum, nihil ſanum, nihil vivum, ſed ſolam mortem, ſolas ęgritudines, ſolaſque ad- terinas admixtiones depaſcit. Omnia pura, omnia .. ia, omnia viva fovet, conſervat, & nutrit (utpotè) vivificus, & vitalis. Ira mea non in homines eſt, ſed in hominum mortem. Miſericordia mea non in hominum mortem eſt, ſed in ipſos homines ſicut docet Auguſtinus. Quòd duo ſunt nomina homo, & peccator, quia peccator eſt, corripe, quia homo, miſerere: Noli eſſe (inquit Salomon in ſeptimo Eccleſiaſtici) nimis juſtus.

Summum jus ſumma injuria eſt.

Culpa enim eſt (ut ait Seneca) totam perſequi culpam. Et juriſperitus dicit, quòd ſummum jus injuria eſt. Nec ſuſpicetur aliquis, quia ita loquor, quòd minus propter hoc perſequar vitium remiſſionis; ſcio enim, quòd vitium remiſſionis, ſicut ſomnolentia eſt in agricola, ſicut inſinuatur Matthæi decimotertio. Ubi legitur, quòd cùm dormirent homines, inimicus homo ſuperſeminavit zizania, unde Iſidorus prælatum negligentem aſſimilat prælato dormienti, de cujus manu cadit baculus paſtoralis, & pictores pingunt ipſum accumbentem & ſedentem in cathedra ſuper cubitum gravatum, & cadentem de manu ejus baculum paſtoralem, per quem diſciplina, quę de zelo rectitudinis procedit, deſignatur.

In remiſſos prælatos.

Salomon autem Proverbiorum vigeſimoquarto aſſimilat eum agricolæ pigro, ſimul & ſtulto dicens. Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam ſtulti viri, & ecce totum repleverant urticæ, & vepres, aliaque frugibus, & vitibus noxia, quæ ſuffocant, aut creſcere non ſinunt. Sic zelus rectitudinis in prælato diſciplinam exercendo in ſubditos, urticas & vepres vitiorum præfocat, & præextinguit ne oriantur in commiſſa ſibi parochia ſive collegio; & ſi ſuperſeminante diabolo fortè ibi ſuccreverint, ſarculo diſciplinæ eas extirpare conatur. Nos autem ſæpè diximus in ſermonibus declamatoriis, quòd illa remiſſio eſt defectus baculi in paſtore, defectus dentium, & latratus in cane gregario, canes enim vocare ſolet ſcriptura prę- latos, ſicut dicit expreſſè Iſaïæ 56.

Prælati canes vocantur.

Speculatores ejus cœci omnes, quaſi canes muti non valentes latrare, & eſt ſicut defectus gladij in cuſtode; prælatos enim cuſtodes murorum ſimiliter vocat dominus Iſaïæ ſeptuageſimoſecundo: Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, ſimiliter Canticorum tertio: Invenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt civitatem; & ejuſdem quinto: Tulerunt pallium meum cuſtodes murorum. Et eſt ſicut defectus buccinæ in ſpeculatore, juxta quod dicit dominus in Ezechiele trieeſimotertio. Si populus terræ conſtituerit ſupra ſe ſpeculatorem, & viderit gladium ve-

A nientem, & cecinerit buccina, &c. Non dubito quin ſtultitiam colligatam in corde pueri virga diſciplinæ fuget: ſicut legitur Proverbiorum 32. Nec dubito quin virga, ac correctio tribuant diſciplinam, & alia multa, quæ de hoc leguntur Eccleſiaſtici triceſimoſecundo. Sed multùm intereſt inter virgam erudientis patris & gladium in ſubditos furentis: multùm intereſt inter atrocem carnificinam, & piam diſciplinam: multùm intereſt inter chirurgicam modeſtiam, & trucidantem inſaniam. Nec dubitamus quin torpida remiſsio ſe interdùm miſericordiam mentiatur, ſicut furor carnificinalis, & atrociſsimus zelum ſanctum; & de

Torpens remiſſio.

B his latiùs te docebit Greg. ſuper quartum Ezechiel. hac autem impiiſſima (ut ita dicam) pietate nulla major crudelitas; non enim poteſt agi crudeliùs cum parvulo, quàm ſi dimittatur voluntati ſuæ, ſicut legitur Proverbiorum viceſimonono Non poteſt immiſericordius agi cum parvulo literali, quàm ſi cuſtodiatur à ſeipſo; quicquid enim lucet, ſive ignis, ſive gladius, ſic tota aviditate ab ipſo parvulo arripitur, donec aut vulneratum ſe ſentiat, aut exuſtum, ſimiliter & in frenetico nulla major miſericordia fieri poteſt, quàm ſi ligetur arctiſſimè, & flagelletur aſſiduè. Eodem modo, & de tinoſo, ſcilicet ſi per dolorem vehementem, brevem tamen, avellatur à capite ejus tinea miſericordiſſimè agitur in eum: crudeliſsimè autē ſi tinea permittatur occupare frontem ejus, & oculos, & totum conſumere corpus: ſimiliter, & cum ſcabioſo, & lendinoſo, ſi aſ-

C perſa lixivia lavetur caput ejus, & acutiſsimo pectine pectatur, ſive pectinetur, quantumcunque ſe exagitet, quantumcunque obnitatur; nec minor eſt ſævitia dimittere eum comedendum pediculis, & lendinibus, quàm urſis, & leonibus.

Correctionis neceſſitas.

Nemo me unquàm opinatum fuiſſe ſuſpicetur non eſſe rapiendos de incendio apprehenſos, ſive per membrum aliquod, & hoc cum avulſione illorum, vel abruptione illorum, vel abruptione illi⁹, ſi integri inde eripi nequiverint, juxta quod dicit Judas in epiſtola ſua, & docet dominus Amos tertio. Quomodò ſi eruat paſtor de ore Leonis duo crura vel extremum auriculæ, ſic eruētur filij [...]ael. Prudenter autem dicit ſe feciſſe talia Job. Conterebam (ait) molas iniqui, & de faucibus ejus eripiebam prædam.

Nota.

Quòd ſi ad diabolum referatur, molæ ejus accipiuntur vitia, & peccata, ſicut dicitur Eccleſiaſtici 21. Dentes leonum dentes ejus. Quòd ſi ad quemcunque iniquum, molæ ejus accipiendæ ſunt poteſtas, & officium, his enim duobus ſubditos molūt, & atterunt: multùm enim inter

D eſt, an pręda de faucibus Lupi, & Leonis eripiatur, an occidatur. Hujuſmodi enim incanii homines animas de faucibus Luporum, aut Leonum infernalium non eripiunt, ſed profundiùs eas in fauces eorum impingunt, & novos Leones, atque Lupos advocant occaſionaliter ad devorationem earum. Nūquid aſcendit in cor quod intelligere poſſem, pietatem vel miſericordiam eſſe dimittere, vel exponere, animas hominum beſtiis infernalibus devorandas? Et tota illa ſermocinatione nihil aliud intendo, niſi declarare, quanta crudelitas ſit animas ſub prętextu ſanationis interficere, & ſub prætextu ereptionis, aut liberationis perdere, atq; ſe prætextu correctionis deteriores efficere, ſubque prætextu medicinæ ſalutaris, carnificinam animarum exercere ſęviſſimā. Et quia non minor crudelitas beſtiis infernalibus eas devorandas exponere, quàm devorari permittere incendiis carnalium, aut mundanorum, aut ſęcularīū deſideriorū, & eas dimittere in aquis divitiarum, aut delitiarū ſubmerſas negligere, denique cujuſcūque aliorū periculorū, quorū ſimilia in corporalibus nominavimus corrodendas, & conſumendas abſque

Iterùm in acerbos correctores, zelum mentientes.

ulla contradictione & rebellione exponere; ab utraque enim crudelitate longè me facio, magiſterio, & exẽplo ipſius Dei edoctus; quod enim parco, & quod non parco, utrunque ſaluti militat animarum, & utrunque ex medicina cœleſti facio, ſciens verum eſſe quod dicit Auguſt. quòd ſumma Dei miſericordia eſt, cùm non parcit hic, ad hoc enim non parcit hic, ut in æternum parcat. Scio quòd amaritudo abſinthij, etſi moleſta ſit palato ſumentis, ſalubris tamen eſt corpori ejuſdem; quemadmodùm & de diſciplina teſtatur Apoſtolus, ad Hebræos 12. Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudiũ, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Scio etiam quòd dicit Auguſtinus, quia ſumma ira Dei eſt cùm parcit hîc. Ad hoc inquit parcit hîc, ut in æternũ non parcat; flagellat enim hic omnem filium, quem recipit, ſicut dicit Apoſtolus in duodecimo ad Hebræos, & conſequenter addit. Si extra diſciplinam eſtis, adulteri, & non filij eſtis, ſimiliter & Oſeæ quarto: minatur dominus dicens: Non viſitabo ſuper filias cùm fuerint fornicatæ, & Ezechielis 16. Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, donec iraſcar amplius, propter quod dicit Auguſtinus: Qui exceptus eſt à numero flagellorum, exceptus eſt à numero filiorum. Diligo ergo tanto magiſterio erudita, tantoque exẽplo provocata diſciplinã, quæ propria operatio mea eſt, per quam mors animarum occiditur, & mortis ſpiritualis periculis obviatur, per quam ſalus animarum etiam procuratur. Diligo, & flagello, ut chirurgiæ meæ propria opera, ſed quatenùs & inquantùm ſunt animarum medicamenta, cavens ſummopere, ne efficiantur eatundem trucidamenta. Jam ergo diximus tibi quatuor intentiones hujus nominis zelus, & nominavimus tibi quatuor affectiones, quarum quælibet zelus vocatur, & qui aliqua earum præditus fuerit, vir zelator: etiam ipſe miſericordia eſt, & hoc eſt inquantùm ex ea eſt perſecutio vitiorum, aut peccatorum ex intentione enim ut diximus & opera judicantur, & nominantur: & licet zelus lumen ſit, interdùm tamen occaſionaliter oculum mentis turbat; ſicut dicit pſal. Turbatus eſt à furore oculus meus, & rectè intelligitur à furore [illegible], quia tamdiu fuerat inter inimicos ſuos; ſedet enim zelus quaſi in fornace in ipſa vi iraſcibili, cor facilè emicat, & emittit ſcintillas irarum, ex quibus turbatur oculus mentis, ſicut dicit Poëta: Impedit ira animum ne poſſit cernere verum; propter quod, & viri ſancti, cùm aliquam hujuſmodi ſcintillam in ſe ſentiunt, vel vindicta, vel eis quæ diſciplinam præcipiunt ſuperſedent, donec eis tranquillitas cordis, & pax advenerit, ut cum tranquillitate judicent ſubditos, ſicut Deus facere dicitur ſapientię 12. ubi dicitur: Tu autem dominator virtutis cũ tranquillitate judicas; & Jacobi primo: Ira viri juſtitiam Dei non operatur. Diogenes autem, cùm iratus eſſet ſervo ſuo ait. Jam te miſer niſi iratus eſſem, verberibus enecaſſem. In iracundis enim hominibus inſtar montium flammivomorum, & diluvium ignis exundantium, ut ſcintilla de fornace vis iraſcibilis exilit, ſed flamma volans totumque vaſtans erumpit. Hi ergo rapiuntur ab iracundia, ſicut à tempeſtate, & efficiuntur impotentes ſui, ſicut furioſi; unde & accidit in eis plerunque ut quod zelo ſancto cœperant, furore cõſumant, & ipſum opus diſciplinæ ſanctum, quod zelus Dei cœperat, tenebat, atque regebat, ira de manibus ejus rapiat, ſibi vendicet, & exurat, & tunc non opus zeli, ſed magis irę tempeſtas, aut furoris exagitatio eſt cenſenda; ſcintilla verò irę, de qua prædiximus, etſi aliquid turbationis oculo mentis ingerat, non tamen opus ex zelo ſancto cœptũ ſibi vendicat, aut aſſumit. Hujuſmodi autem exemplum congruen-

Summa Dei miſericordia.

Summa ira Dei quæ.

Ex intentione opera judicantur & nominantur.

Vis iraſcibilis.

Nota.

E tiſſimum eſt in viro, qui ex charitate, vel juſtitia vult reddere debitum uxori, & interdùm ingerit ſe hujuſmodi operi voluptas carnis, & hoc ſecundùm duos modos, vel ita ſcilicet ut illud opus non auferat juſtitię, & ſibi vendicet, vel ita ut totum ſibi illud rapiat, ita ut, licet ab initio ex juſtitia, vel charitate cœptum ſit, voluptatis amore ſolummodò cõſumetur: juxta illud quod dicit Apoſtolus ad Gal. 3. Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſumemini. Similiter ſe habet de illo, qui ex charitate, vel pietate volens dare eleemoſynam, cum ipſa donatione ſe ingerit inanis gloria & quandocumque ita, ut tollat ſibi eleemoſynam illam ſicut ventus; quandoque verò quaſi affectat, vel ſe applicat à foris circũvolvẽs, atque circũſtrepens, adeò infirma, & debilis, ut non poſſit auferri charitati, vel pietati opus illud, ſicut beatus Bernardus accidiſſe ſibi dicit, cùm vellet proponere verbum prædicationis, & ei obſtreperet inanis gloria, vel de elegantia eloquentiæ, vel ſententiarũ profunditate: increpavit eã ſic dicẽs, nec propter te incepi, nec propter te dimittã. Prudenter
F inſtruẽs viros ſãctos, ut in ſimilibus ſimiliter faciãt, & in præmiſſis caſibus ſimiliter locũ habet; non enim opus juſtitiæ, vel charitatis propter hujuſmodi volitationes inanis gloriæ dimittẽdum eſt, vel deſerẽdũ, ſicut neque propter eandẽ aggrediendũ, & hoc eſt, quod alibi dicitur, quia aliud eſt cùm dolus incidit contractui, aliud cùm dat cauſã eidẽ; cùm enim dat cauſam contractui, dolus eſt, & ideò non retinendus, ſic ſe habet, & in prædictis exẽplis: ſimile alicui ſuadẽtiſſimũ eſt in eo, qui aggreſſus eſt iter hieroſolimitanũ cauſâ devotionis vel ſubſidij terræ ſanctæ, & in ipſo itinere incidit cordi ejus cogitatio de exercẽda negotiatione in terra illa, & lucro magno ibidẽ faciẽdo, quia ſi invaluerit hujuſmodi cogitatio euſque, ut quod tũc reſtat de itinere, propter ſolam exercendã negotiationem peragat reſiduum itinerationis, jam non peregrinatio dicenda ſit, neque verè ſit, ſed magis iter negociationis. Si verò ita non invaleſcat, ut itinerationem illam trahat ad ſe, immò dimittat il-
G lam cauſæ ex qua fuit incepta, remanebit & re, & nomine, peregrinatio. Juxta illa exempla de operibus zeli ſancti, quibus ſcintillæ irarum inſiliunt, vel incidunt, non tamen exurunt, ne illa auferant, & ſibi rapiant, & de operibus furoris, ſive carnificinæ furialis judicandum erit, quod dicit Apoſtolus in decimo ad Romanos: Quia Judæi æmulationem quidem Dei habent ſed non ſecundùm ſcientiam, quaſi Dei honorem, & gloriam zelent: ſed inſipienter, ita intelligimus, & hoc erat ſine dubio principalis intentio eorum, atque voluntas, perſequi injurias Dei, & contumelias. Verùm quoniàm neſciebant in parte illa, quòd eſſent Dei injuriæ, atque cõtumeliæ: cùm crederẽt ipſum Evangelium, & ejus prædicationem injurias eſſe Dei, & contumelias, propter Evangelium doctores, & prædicatores ipſius fidei Chriſtianæ, ac
H religionis profeſſores, implacabili furore perſequebantur. Illud ergo quod intẽdebant principaliter, & univerſaliter, zelabant Dei honorem & gloriam, & hoc rectè, & optimè: Verùm in ſecundariis, & in particulari errabant impiiſſimè, videlicet in perſecutionibus. Quemadmodùm ſi quis zelo juſtitiæ intendat, & velit occidere impium, credat autem de aliquo innocente, & ſancto determinatè ipſum eſſe impium, & propter hoc occidit, errat in particulari circa iſtum, & impiè agit in eundem, & ita ex intentione univerſali recta, & bona eſt voluntas; & operatio ſecundaria, & particularis, iniqua, & impia. Et hoc eſt, quoniàm nõ eſt ex illa ſola, immò adjungit ſe, & immiſcet error particularis, & eſt penè ſimul error in partu ſuppoſito; mater enim rectarũ, & laudabilium operationum eſt recta voluntas, & intentio univer-

ſalis

Nota.

Dolus incidens contractui.

Nota.

Voluntas recta.

Digitized by Google

ſalis, quantùm in ea eſt, ſed falſa credulitas, & fallens ſimul, velut alienos partus voluntates faciens, operationes impias ſubintroducit, quaſi ex alieno ſemine, videlicet errore, ſuſceptas. Et quoniàm contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, de fraterno odio, quod fraternæ charitati contrarium, & inimiciſſimum eſt, aliqua in ſuggillationem ipſius dicemus. Quamquàm ſuggillatio ejus latenter patere poſſit ex laudibus fraternæ charitatis; omnia enim vituperia contraria laudibus illius ipſi competunt, & omnibus illis jaculandum, atque confodiendum eſt: propter hujuſmodi autē mala ipſius, ſūi & alia aliqua ſcripta expreſſa, & illa proſequemur tibi. Quorum primum eſt obtenebratio iſtius in quo ſiunt, ſicut teſtatur Joan. in primo primæ Canonicæ ſuæ. Qui non diligit manet in morte, & in tenebris ambulat, & neſcit quo vadat, quoniàm tenebræ obcœcaverunt oculos ejus; hæc autem obcœcatio inde manifeſta eſt, quia ſicut ipſa fraterna dilectio omnia, quæcunque ſunt fratrum, facit eſſe ſua diligentium illos, ut ſupra diximus; ſic privatio fraternæ dilectionis privat eoſdem omnibus, vel quoniàm jacturam nemo patitur, qui eā videat, & agnoſcat. Vide ergo damnationem hîc horrificam; … ramen non ſine meritis irrogatā. dùm rot, & tantis bonis privatur, qui ſeipſum bono fraternæ dilectionis privavit, & inſuper peccavit, & utrūque ſibimet miſer peccator infligit; amor enim fratrum, ſive fraterna dilectio lux magna eſt oculorum cordis, ſicut dicit Grego. ſuper 15. Joan. Quia amor notitia eſt, & utique ſecundùm eum tanta, ut in eo, quæcunque filius audiverit à patre, nota dicat Apoſtolis ſe feciſſe. Et unctio eſt, quæ docet de omnibus, ſicut dicit Joannes in 2. primæ Canonicæ ſuæ. Conſummatio ſapientiæ eſt, ſicut timor initium, ut dicit beatus Bernardus. Et honorabilis ſapientia eſt, ut ſupra oſtendimus, ex primo Eccleſiaſt. Hac ergo qui privatus eſt, non mirum ſi maneat excœcatus, atque bonis fraternis omnibus depauperatus, & eſt ipſe miſer peccator, & ultor atrociſſimus fratrum, quibus debitum amorem ſubtrahit; hæc depauperatio enim, & excœcatio pœnæ ſunt interdùm furum, atque raptorum. Diximus autem tibi ſupra, quia amor cēſus eſt, ſive reditus, quē Deus in corde uniuſcujuſque noſtrū fratribus redendum conſtituit, & aſſignavit, & beatis ſuis donavit, & hujuſmodi confirmavit. Qui ergo hujuſmodi reditum, vel cenſum furatur, vel rapit fratribus, non reddendo, per hanc tantorum bonorum ablationem, & ſuiipſius dictam excœcationem fraternam injuriam ulciſcitur in ſeipſo, nec ſolùm per hæc duo, ſed in morte propria vindicat ipſos, ſicut teſtatur idem 3. primæ Canonicæ ſuę dicens: Qui non diligit manet in morte, quam utique ipſe ſibimet irrogavit; cùm enim, ut ſupra diximus, amor vitalis calor ſit animarum humanarum, atque vivificus, quare ejus extinctio mors eſt ſpiritualis ex neceſſitate. Mortuus ergo eſt qui non diligit, & in morte manet horrifica ſcilicet ac deſertiſſima manſione, nec ſolùm mortuus, & damnatus, ut diximus, immò etiam excommunicatus, & quaſi proprio judicio ſeparatus eſt. Ita ergo damnatus, ita excœcatus, ita depauperatus eſt, qui non diligit, & hoc ſola privatione fraternæ dilectionis, ut diximus. Qui autem odit fratrem ſuum Antichriſtianus eſt, cùm ipſe Chriſtus dominus dicat Joannis 15. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem. Fraternum ergo odium huic legi, ſive præcepto cùm ſit manifeſtè contrarium, faciet obſervatores ſuos Antichriſtianos, ſicut præceptum illud, ſive lex obſervatores ſuos efficit Chriſtianos. Ampliùs. Contrariarum profeſſionum diſcipuli contrarij ſunt Chriſtiani, & Antichriſtiani; quare ſi quis diligit fratrem eo ipſo, & inquantùm talis, Chriſtianus eſt, qui odit fratrem

Fraternū odium.

Amor fraternus quis.

Amor reditus quidam fratribus reddendus.

Mortuus qui non diligit fratrem.

Oſores fratrum antichriſtiani.

A ſuum ex neceſſitate erit Antichriſtianus, & hoc eſt, quod Chriſtus dominus teſtatur ejuſdem decimotertio dicens: In hoc cognoſcent homines, quia diſcipuli mei eritis, & hæc eſt una cauſa quā dicit Beda, propter quam peccata dimiſſa tam originalia, quàm actualia redeunt, cùm enim in ſola Eccleſia ſanctorum, & in ſola communione fidelium tribuatur remiſſio; quod autem in fraterno odio eſt, hoc etiam in contrario eſt, meritò contrarium remiſſionis ei fit, id eſt exactio omnium peccatorum. Ampliùs. Veritas in ſeptimo Lucæ: Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniàm dilexit multùm. Ergo meritò ea proportione, & cauſa exiguntur ab eo, qui non ſolùm non diligit, ſed etiā addit peccata multa. Vę ergo tibi fraternum odium cujus tāta eſt malitia, ſeu nequitia, ut propter te miſericordia Dei ſententias abſolutionum, & re- B miſſionum ſuarum evacuet, & revocet, & ſecundùm Bonaventurā & multos alios penitùs irritet, & omninò habeat pro infectis. Væ tibi nequitia, quæ in proprium auctorem adeò graſſaris, ut diximus. Væ tibi mors animarum humanarū, quæ non ſola morte animarum, in quibus es, contenta es, ſed etiam fratrum homicidas illas efficis: ſicut teſtatur Joannes in quarto primæ Canonicæ ſuæ: Qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Quicquid enim vis & non potes (ut ait Ambroſius) factum tibi computat Deus, ſicut eſt. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, judicatur bonus ex voluntate, & non poteſtate, apud Deum; ſic qui vult occidere, & non poteſt, judicatur homicida, propter ſolam occidendi voluntatem, non enim indiget teſtimonio forinſecorum operum, ſcrutans corda, & renes Deus. Nequitia fraterni odij non eſt facilè explicabilis; omnia enim armorum genera, omnia venena, omnia fraternæ mortis inſtrumenta, qui fra- C trem ſuum odit, in corde ſuo collidit, configit, propinat, & in ipſum, quem odit fratrem, immittit, omnia parat, & meditatur, contra ipſum pugnat ſpiritualiter milleſies in die, transfigit ipſum gladio in corde, & hoc eſt quotiens ipſum in aliquo transfigi, vult, milleſies propinat ei venenum, & hoc eſt quotiens ei propinare vult illud, milleſies exurit eum igne in die, milleſies ſubmergit in aqua, milleſies omni genere tormentorum ipſum excruciat, & occidit, & hoc eſt quotiens talia ei fieri vult. Et quia genera tormentorum, aliorumque malorum infinita ſunt, nequitia fraterni odij inexplicabilis eſt, inde eſt, quod reges, & principes, qui ſibi invicem inimicantur, in cordibus ſuis die, ac nocte, acies præparant ſagittis, gladiis, machinis, cæteriſque inſtrumentis bellicis pugnant, & tot homines hinc inde occidunt, quot occidere volunt; nec ſolùm D ipſi reges, & principes hoc faciunt, ſed etiam, qui favent eis iniquè, & proh dolor ipſi clerici, & clauſtrales acies in cordibus ſuis præparant, prælia committunt, & ſtragem hinc inde innumerabilium hominum faciunt; qui enim vult exercitum totum alicujus cadere, & morti dari, iniquo amore, vel favore principis ſui, totius exercitus homicida eſt ſpiritualis. Et hoc eſt, quod legitur in pſalterio juxta Hebraïcam veritatem, ubi nos habemus: Diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius. Hebraïca veritas habet, unctionis butiro os ejus, pugnabit autem cor ejus. Hoc modo pugnant corda clericorum; atque clauſtralium, pro regibus ſuis, atque principibus, quos vel iniquè diligunt, vel quibus iniquè favent, vel alios iniquè oderunt. Credit ſe ſedere ſtultus clauſtralis in clauſtro ſuo, & (ut ita dicamus) pugnat in campo, in momento occidit centum millia hominum, immò totum unius regni exercitum proſternit, & hoc ſola voluntate. Quis hoc crederet tam facilè, cum centum millia hominum

Nota.

In odium fraternum

Nota.

Nequitia fraterni odij.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

oc i i ſe, & tam brevi ſpatio centum millia homicidia perpe raſſe? Hæc ſunt negotia, quæ tractant, & agunt in ſemetipſis ſtultiſſimi clerici & clauſtrales, velut depopulatores urbium, excidia caſtrorum, ſtrages hominum, immò populorum. Hæc ſunt de quibus clauſtrales viri religioſi, de quibus invicem cōpugnant, de quibus diligentiſſimè, & in primis interrogant hoſpites adventantes de quibus eos avidiſſimè audiunt. Hæc ſunt quę ſtudioſiſſimè perſcrutantur, nec obliviſcibiliter retinent, nec mirum cùm ea inceſſanter reperant. Væ tibi fera peſſima invidiæ, quæ ſimiliter fraternæ es imminentiſſima charitati, *Nota.* tu enim es omnium ferarum infernalium ferior, & à domeſticatione elongatior, quæ nec amicos agnoſcis, nec fratres, nec patrem, nec ullius generis benefactorem, nec etiam ipſum Deum, ſed in omnes demētiſſimâ, ac ſtultiſſimâ rabie debaccharis; *Cain. Abel.* per te enim Caïn occidit Abel Geneſis 4. Per te Joſeph venditus eſt à fratribus. Ipſe & Dei filius tam largus benefactor in populo Judęorum per invidiā traditus eſt: ſicut dicit Marc. 15. Sciens quòd per invidiam tradidiſſent eum, & hoc utique fecerunt credentes ipſum eſſe purum hominem. Diabolus verò eidem invidit: invidit inquam Deo (ut dicit Beatus Bernardus) & voluit ei perverſa imitatione coęquari, uti dicitur in 9. Iſaiæ. Ero ſimilis altiſſimo. &c. De amicis verò, quòd iſta fera peſſima eos non agnoſcat, & in nobis, & in multis aliis certiſſima experientia, & toti religioni Chriſtianæ certum habemus. *Fera peſſima invidia.* Peſſima verò eſt hæc fera: quemadmodùm enim albiſſimum dicitur purè album, ſic & peſſimum purè malum, quia nullum malum impugnat, ſed ſolùm, & omne bonum; cętera enim vitia contra ſe pugnāt, ut avaritia contra luxuriam, & èconverſò, & prodigalitas contra avaritiam, & èconverſò, & quod eſt mirabilius ſuperbia contra ſeipſam; omne enim aliud peccatum ſuſtinet ſuperbus in alio præter ſuperbiam, propter quod vulgariter dicitur, quòd duo ſuperbi non poſſunt æquitare ſimul, nec uno ſacco concludi, ſimiliter & ita contra ſeipſam pugnat, propter quod dicit Socrates: Iracundus cùm aliis iraſci deſierit, ſibiipſi iraſcitur. Invidia verò ſolum bonum impugnat, & nullum malum, & ideò eam diximus purum malum, univerſale verò malum ipſa eſt, quia omne bonum impugnat. Eſt igitur invidia purum, & univerſale malum, & eſt fera (ut ita dicamus) feriſſima, hæc eſt per quam mors introivit in orbem terrarum, hæc eſt cujus domum Pallas introire noluit, ſed conſtitit ante fores, nec ultra incedere fas eſt ipſa enim eſt, quæ ſapientiam excludit ab eo, in quo fuerit, ſicut legitur ejuſdem Sapientiæ primo: In malevolam animam non introibit ſapientia. Et *Invidia.* ejuſdem 6. Nec cum invidia tabeſcente iter habebis, quoniàm talis homo non poterit eſſe particeps ſapiētiæ. Hæc ideò invidia dicitur, vel invidentia, quoniàm contraria eſt viſui, ſive videntiæ; in bono enim fraterno non videt niſi malum, & in malò non videt, niſi bonum, quemadmodùm ſi in albo non videret, niſi nigrum, & in nigro non videret niſi album: & ideò invidere eſt contrario modo viſui ſe habere, ac ſi diceretur devidere, ſicut injuſtum juſto contrariū; retribuere autem invido ab omni bono juxta malignitatem ſuā: ſicut enim omne bonum impugnat, ita ab omni bono fraterno torquetur, & utitur propter quod dicit Socrates: Utinàm invidi in omni loco haberent aures, & oculos, ut omnium fœlicitate torquerentur. Hoc eſt totum venenum antiqui ſerpentis, ut ait Greg. dicens: Quòd in ea antiquus ſerpens omnia viſcera ſua concutit, quaſi ſe ipſum exterminans, ut nę vel ſtillam unam totius veneni ſui retineat, quin totum illud in cor invidum non infundat per peſtem iſtam. Sic ipſemet deſcri-

E bit, id eſt peſtis iſtius peſtilentiſſimum ſubjectum. In mente, inquit, illius rabies, in vultu macies, in dentibus ſtridor apparet. Hæc beſtia per laniam deſignari *Nota.* ſolet in ſcriptura, & hoc à laniando; cùm enim aliæ beſtiæ devorant, iſta maximè laniationem quęrit eorum, in quos deſævire permittitur, non enim commodum aliquod ſibi quærit, ſed ſolo fraterno paſcitur detrimento. Hæc eſt mercatrix infauſtiſſima, quæ omnia lucra fraterna amittit, & econtrariò pietati, & charitati omnia fratrum detrimenta reputat lucra ſua. Hæc eſt quæ nobis antiquam illam, & vulgarem quæſtionem determinat, qua quæritur, quis perdit, quæcunque omnes mercatores lucrantur; ipſa eſt enim invidia diaboli, quæ perdit quicquid electi lucrantur negotiando ſpiritualiter, ut ſupra diximus; omnium enim ſanctorum lucra ſomniat detrimenta, & veriſſimo dolore, quo inde ſcilicet dolet, ſomnium hujuſmodi verificat. Hic eſt ignis Græcus, qui ſuperfuſione aquę accenditur, & quod eſt mirabilius, quantò major fuerit aquæ ſuperfuſio, tantò magis inardeſcit; fraterna enim bonitas velut aqua eſt ad extinguendum iratum, & odiorum incen-

F dium. Hæc aqua igni invidię ſuperfunditur, cùm fraterna bonitas oſtenditur i[illegible]do, vel narratur. Et quantò major eidem oſtenſa, vel narrata fuerit, tantò cor invidum & de illa, & contra illam vehementiùs excandeſcit. Hæc eſt ignis ſingularis, & inauditæ perniciei, nec enim ſubtractione materiæ extinguetur. quamquàm enim poeta dixerit, livor poſt fata quieſcit, licet per mortem extinguatur fraterna proſperitas, & propter hoc ſubtrahatur velut materia ignis hujuſmodi, adhuc tamen ardet, & eam vaſtare conatur, ne vivat in opinione hominū. Hæc eſt fera peſſima, quam nec mors ſatiat, cui non ſatis eſt vitæ extinctio, niſi nomen extinguat, & fa- *Fera peſſima.* mam. Hic eſt ignis ſacer, immò execrabilis, & infernalis, qui in ſola bona deſævit, pacem habens cum *Sacer ignis.* omnibus malis Hæc peſtis eſt in febrib[us] hectica, incurabilis ſolidorum membrorum ſcilicet diſſolutio,

G immò conſumptio putrefaciens ea. Sicut legitur Proverbiorum decimoquarto. Putredo oſſium invidia. Hi enim qui in corpore Eccleſiæ fortiſſimi eſſe creduntur, & velut oſſa in corpore Eccleſiæ plerunque tabe hujuſmodi contabeſcunt. Sicut apparet interdùm in viris religioſis profeſſoribus, & generaliter in clauſtris, ubi Chriſtianæ religionis firmitas, & fortitudo creditur, putredo iſta multos corrumpit, atque conſumit.

CAPUT IX.

Paupertatis laudes exequitur.

ET quoniàm amorem iſtum rectiſſimū, atque ſanctiſſimum qui charitas dicitur, frequenter ſequitur contemptus temporalium, & interdùm oblivio, & negligentia eorum, & ex his etiam carentia *Paupertas charitatem ſequitur.*

H ipſorum, & etiam privatio, quod eſt dicere, paupertas ſecundùm omnem ſui intentionem; poſt laudes charitatis laudes paupertatis proſequemur, & hoc ſecundùm omnem modum, quo nomen paupertatis accipitur. Scito igitur in primis quòd pauper juxta quorundam intellectum dicitur parum habens in pera. *Pauper quis.* Magis autem videtur dictus pauper à paucitate, & parvitate ſimul, quaſi paucus, parvus, aut divitiarum multitudo, & multiplicitas interdùm ponatur in hominibus ſicut ibi. A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt. Interdùm autem ab amplitudine familiæ, id eſt cognationis hoc apparet ex contrario in pſal. ubi dicitur: Unicus, & pauper ſum ego. Veruntamen plerunque, & ſæpiùs pauper dicitur ex ſola carentia. ſeu privatione divitiarum, & hæc eſt penuria à penu,

Digitized by Google

quod eſt cellarium, vel promptuarium, quaſi ejus vacuitas, & accipitur à parte totum. Inops autem dicitur propriè, quaſi ſine ope, quod duobus modis intelligitur, videlicet ſine auxilio hominum, vel ſine divitijs; inopia enim uſualiter privatio eſt, ſive carentia quam diximus. Hæc igitur eſt prima intentionum paupertatis, videlicet carentia, ſeu privatio, quam diximus. Secunda eſt contemptus temporaliū divitiarum, & hæc eſt de virtutibus perfectioribus una. Tertia eſt amor ipſius paupertatis, hoc eſt caréntiæ, ſeu abſentiæ temporalium divitiarum, & hæc perfectiſſima propter quod & rariſſima. In primis igitur proſequemur laudes ejus, quæ notiſſima eſt omnibus, & ferè omnibus odioſa, atque terribilis, & hoc eſt, quoniàm privatio, & carentia eſt eorum bonorum, quæ non tantùm neceſſaria ſunt judicio multitudinis, ſed etiam delectabilia, & honorabilia, & multis alijs de cauſis deſiderabilia ſecundùm eos. Hanc dicit Auguſtinus elatè nihil eſſe, his verbis: Inveſtigando ſingularum rerum naturas, non invenietur quid ſit paupertas, nuditas, & foramen. Quòd ſi quis dicat, qualiter ergo aliqua ſunt bona hujuſmodi nihil, vel qualiter ex ipſo aliqua bona eſſe poſſunt, vel aliquæ laudes ipſius eſſe? Reſpondemus, quia carentia & privatio, & cauſæ ſunt directè aliarum privationum, & occaſionaliter etiam multorū bonorum, ſicut dicit Ariſtoteles. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio cauſa negationis, manifeſtum etiam eſt, quòd illud, & iſtud timetur, & oditur, & penè ab omnibus, & multos etiam incitāt timor ejus ad quærendas, & conſervandas divitias. Quidquid autem timetur, vel oditur propter ſe, cauſa eſt hujus timoris, vel odij. Et nos alibi declaravimus, quòd malum omnium malorum naturalium, quæ ſcilicet per ſe horret, & fugit, & contra quæ pugnat omnis natura, eſt ipſum non eſſe. Dicet autem fortè aliquis quòd hoc non eſt odium, vel timor non eſſendi, ſed potiùs amor eſſendi. Reſpōdemus, quòd pugna directè, & immediatè ex odio eſt, ſimiliter fuga ex timore fit, nec tanquàm ex cauſâ remotâ. Sufficit autem tibi in hoc, quòd paupertas hæc ſeu quæcunque alia privatio, occaſio etiam eſt poſitionum, & rerum veriſſimè exiſtentium: & ſi fortè non poſſit eſſe cauſa efficiens, & per ſe quemadmodùm privatio, & defectus cibi in ſtomacho occaſio eſt famis, cauſa verò efficiens eſt virtus appetitiva guſtabilis. Dicimus igitur quòd illud nihilum, & vacuum paupertatis fundamentum eſt, & firmamentum virorū perfectorum. Quemadmodùm enim avari, & cupidi firmamentum, & fundamentum ſuum habent divitias, ſic viri ſanctitate perfecti paupertatem iſtam, & hoc eſt, quod legitur Proverb. decimo. Subſtantia divitis urbs fortitudinis ejus, hoc eſt quod legitur Job 25. Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Aquilonem vocans Eccleſiam de gentibus, quoniàm ad Aquilonem maximè erant gentes eo tempore convertendæ. Eādem vocans & terram cui benedixit dominus Aquilonem. ſuper hoc fundabat vacuum, & hanc terram appendebat ſuper hoc nihilum quandò fundamentum Chriſtianæ religionis ponebat dicens in 5. Matth. Beati pauperes ſpiritu quoniàm ipſorum eſt regnum cælorum. Expreſſiùs autem in Evangelio Matthæi 7. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Et Lucæ 6. Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Similiter & ejuſdem 10. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, &c. Et Lucæ 10. Nolite portare ſacculum, & peram; non aliter in eis fundaturus Eccleſiā, hoc eſt in Apoſtolis, niſi priùs eos ad iſtud nihilum deduxiſſet, & ipſos in eo ſtabiliſſet, atque firmaſſet. Denique hoc nihilum fundamentum eſt omnis religionis, profeſſionis, & ordinis, unde & nullus religionem aliquam intrat, niſi in iſto nihilo primo fundatus fuerit, & firmatus, niſi ad illud voto ſe aſtrinxerit, & in illo ſe perpetuò permanſurum promiſerit; Divites enim in religionē intrantes, quaſi cameli gibboſi per foramen acus intrant, & ideò gibboſitatem ſacculorum, & marſupiorum temporalium bonorum priùs deponunt, alioquin non intrant. Ego ſum dicit paupertas mater religionis, & nutrix, & cuſtos, mater quidem per occaſionem ut diximus, ut cum pario, per occaſionem ego religionem in multis pario, ſicut & contrarium meum ipſam deſtruit, & extinguit, ſicut teſtatur veritas Matthæi 11. Pauperes Evangelizantur; hi enim faciliùs, & Chriſtianam religionem communem, & omnem actionem faciliùs recipiunt quos viſcus divitiarum temporalium non inviſcat, & detinet captivos. Et ubi ego ſum, dicit iſta paupertas, ſemper filiam meam religionem videbis in domibus religioſis, & domibus quibuſcunque, ubi verò contraria mea eſt videlicet opulentia temporalis, me vix, vel nunquàm invenies. Ego nutrix religionis, omnia officia nutricis eidem exhibens, & impendens. Ego eam mundam ſervo, ſicut contraria mea eam inquinat. Ego eam lacto, & impinguo ſicut contraria mea eam fame attenuat, & conſumit; meditationes enim, ſanctas lectiones, & orationes, & alia ſacrarum exercitationum ſtudia, quibus religio paſcitur, ſtabilitur, & nutritur in cōputationes, & ponderationes cuſtodiarum, acquiſitionum ſollicitudines, in lites, & jurgia, in paſcendis magnatum cupiditatibus in placanda potentium rabie, in conducendis advocatis penè totaliter transfert: perfunctoriè, & ex medullarum ſincopis, & apocopis detruncatum, inordinato ſtrepitu vertitur per eam divinum ſervitium. ita ut magis tumultus intolerabilis, quàm divinum ſervitium ſit dicendū, ſicut & dominus ipſū nominavit: Amos 5. Aufer à me tumultū carminū tuorū. Diſcuſſiones & examinationes peccatorū ceſſant in hujuſmodi capitulis, vel admodū breves, tepidè & vitijs atque peccatis parcentes, & non correctionē ſed illuſionē potiùs habentes: apud divites Abbatias ſunt calculationes, & ſupputationes redditũum expenſarum receptarum longiſſimæ, exactiſſimæ, ita ut non clauſtrales, ſed magis trapezitæ hujuſmodi homines videantur, & (ſicut dicit Aug.) Hoc tollit fiſcus, quod nō accipit Chriſtus. Requieſcunt in pace apud eos vitia, & peccata, nec eſt qui exterreat, virgulas, ſeu flagella aſpectibus introeuntium patentiſſimè offerunt, utpotè qui eas ad hanc ridiculoſiſſimam hypocriſim habent ſolummodò, cui oſtentationi quam pauci credant, utinàm ipſi ſcirent. Ego dicit paupertas occupationes iſtas peſſimas penitùs extermino, nullus locus eſt eis, ubi ego ſum, laudibus divinis, & obſequijs ſpatium ampliſſimum facio; nihil ad me de juſto, nihil ad me de cuſtodibus, nihil ad me de furibus, vel raptoribus, & quod plus eſt. nihil ad me de gelu, aut pruina, nihil ad me de tineis aut ærugine, nihil ad me de peſte, aut clade ſegetum, aut animalium, nihil ad me de bellis, aut guerris, nihil ad me de incendijs, aut everſionibus urbium, aut etiam domorum, pacatiſſima ſum, atque invictiſſima, nemo pro me, vel obtinenda, vel acquirenda, vel litem ſuſcitat, vel bellum movet, pro me convenitur, nulla emanat citatio, pro me nullum conficitur memoriale, nulla dictatur ſentētia, & omninò tribunalibus nihil inquietudinis, aut laboris ingeritur. Requieſcunt in pace auditoria quantùm ad me, nullum ibi ſtrepitum facio, nec aliquis ibi libellum format, vel edit actionem pro me, & quod ampliùs eſt, nec leges de me mentionem ullam faciunt, nec pro me, vel de me lex vel aliqua facta eſt, vel edita, ſi vellent de me judicare juriſpe-

Objectio. *Nota.* *Pauperes.* *Paupertas* *Paupertas mater religionis.* *Nota.* *Secura paupertas.*

E F G H

Digitized by Google

riti, neſcirent, neque poſſet, quia nec jure ſcripto, nec conſuetudine auditum eſt quòd unquàm vocata fuerim in jus, nec raptores inſultum in me faciunt, nec fures domum meam circundant, ut effodiant, nec latrones in via mihi parant inſidias, & hoc eſt, quod dicit poeta. Cantabit vacuus coram latrone viator. Ego in medijs litibus pacatiſſima ſum, & hoc eſt, quod dicit Seneca quòd paupertas eſt bonũ ſine calumnia. Ego tantum bonum ſum, quod nemo columniatur, nemo ſibi, vel vendicare, vel uſurpare attentat. Ego cuneos hoſtium ſecura penetro, in medijs gladijs tuta ſum, & hoc eſt, quod dicit Seneca quia pauperi in obſeſſa via pax eſt. Ad idem facit & illud. Cùm clangor inſonuit, ſcit nõ ſe peti, non enim contra eã, vel pro ea armata fortitudo colligitur. Ego nec clavibus, nec ſeris, nec gonphis, nec vectibus, nec muris, nec turribus, nec vertieulis egeo ad mei defenſionem, ſolo enim terrore mei ſcilicet qui eſſent hoſtes aterrentur, & me fugerent. Quid plura? beatum ſe reputat, qui me poteſt effugere, vel à me fugere; quis ergo me audeat impugnare, nemo eſt enim qui me audeat etiam expectare: omnes inimici mei me fugiunt. Ab amicis verò nihil eſt timendum, propter hoc ergo me inimiciſſimã quis veriſſimè dixit, & amariſſimam veriſſimè me dicere poſſum, cùm tanto timori, & tremori ſim hoſtibus meis. Ego ſum probatrix veræ amicitiæ; qui enim falſi amici ſunt, me adveniente recedunt, ſicut dicit poeta. Tempora cùm fuerint nubila ſolus eris; & Salomon Proverbiorum 19. Fratres hominis pauperis oderunt eum, inſuper & amici ejus procul receſſerunt ab eo. Propter me dictum eſt illud ſocraticum: Hæc inter alia boni habet adverſitas, quòd amicos probat. Nihilum meum omnibus divitijs prætulit ille ſanctus pater, qui diſcipulo dicenti ſe libros habere, ex quibus fratres ædificabat, & fratres inde proficiebant, & propter hoc velle eos retinere, reſpondit nequaquàm ita facies, quia majus eſt omnibus nihil habere. Alius verò diſcipulum ſuum, nec librum habere permiſit d cens eidem, idolum tuum eſſet. Sed & ſancti hodie, non ſolùm antiquis temporibus, nihilũ meum præferunt omnibus divitijs temporalibus; pingues enim temporaliter ordines, quantùmcunque in eis vigeat, aut floreat religio, qui in eis me non inveniunt, ingredi nolunt, propter me ordinem fratrum minorum omnibus alijs prætulerunt te, ſi hoc per ſe manifeſtum ſit, teſtimonijs eorum aſtruitur; quapropter nihilum meum ditavit ordines iſtos perſonis egregijs. Super omnes ego ſecuritas poſſidentium me, ſecuritas inquam à bellis, & litibus, à furtis, & rapinis, ut ſupra dixi. Ego expeditio, & exoneratio poſſidentium me, ut ipſum dominum præcurrentem greſſu, etſi non pari, tamen ſimili ſubſequantur. Sicut de Petro Apoſtolo dicit Bern. Rectè Petre reliquiſti omnia, non enim Chriſtum currentem ſequi poteras oneratus. Onera divitiarum reliqui jumentis utpote in d gna humeris hominum, ſicut dicit Didymus philoſophus ad Alexandrum. Onera inquit ſunt iſta jumẽtorum, non hominum, nolo homines ſagittarios eſſe. Væ cupidis, & avaris, qui hanc contumeliam & vilificationem ſervi non agnoſunt; quot enim loculi, vel ſacculi pecuniæ adhærent, & illigati ſunt cupiditate, vel avaritia cordi cujuſcunque, tot cophini luti Ægyptij humeris ejus ſpiritualibus impoſiti ſũt. Lutum enim Ægyptiũ terrenarum divitiarum ſubſtantia eſt. Sicut expreſsè legitur ſuper 2. Exo. & in 2. Abacuc Ut quid congregas contra te denſum lutum? Ego exterminium idolorum avaritiæ, quæ nec habent oculos, neque aures: avaritia enim eſt ſimulacrorum ſervitus, ſicut legitur ad Epheſ. 5. In adventu meo quocunque introeo, idola iſta exterminio, in quo inæſtimabilem Dei contumeliam vindico, ego enim exequor illam Dei comminationem. Oſeæ 2. Idcirco ſumam frumentum meum in tempore ſuo, &c. Ego munditia domorum, emundans eas à ſtercoribus temporaliũ. Ego ſtrepitus coquinariorum, qui ſunt velut ſonitus campanarum in templo Nabuzardan, & in coquina interdico, & penitùs ceſſare facio. Ego ſacrificia quæ in hujuſmodi templo illi offeruntur indiſſolubili anathemate elimino, & ſequeſtro. Ego ſacerdotes Nabuzardam, & coquos à ſtrage animaliũ innocentium, & cruciatibus innumeris mira poteſtate ſuſpendo, vacat eorum officium ubicunque ego ſum. Ego carnificinam illã coquinariã totam, qua in mundo nihil inferno ſimilius tollo de medio in omnibus finibus meis. Apud me eſt refectoriũ mundiſſimũ in odoribus epulariũ, & ſalſamentorum aſperſionibus, nec olens, nec abominabilis, mappæ candidiſſimæ, vaſa eſcarum munda, manuum, & oris ablutio apud me facilis, coquina quieta, nec caliginoſa vaporibus, nec terribilis variorum ignium incendijs aut animalium exquiſitis cruciaminibus necronitruoſa animalium detrũcationibus, & ſalſamentorum parationibus, & attritionibus. Apud me ciborum ſumptio, refectio eſt, non immerſio, neque ingurgitatio: miniſtratio in menſa mea non eſt lapidatio ſobrietatis, & abſtinentiæ, nec obruitio earum; quemadmodùm enim Judæi lapidantes protomartyrem Stephanum elevatis manibus lapides afferebant, quibus eum obruerent; ſic multitudo miniſtrorum, in menſis magnatum, vaſa eſcarum elevatis manibus afferentes, & alia poſt alia inferentes, lapidare videntur ſobrietatem, & abſtinentiam, & tanta varietate, & multitudine ferculorum obruere. Ego ſum mors duarum ſanguiſugarum, videlicet gulæ, & luxuriæ, quæ ſemper dicunt affer, affer, ſicut legitur Prover. 30. In omnibus finibus meis non invenies alteram illarum, & hoc eſt quoniàm fruſtra clamarent affer, affer: nihil pro eis ibi fieret, fame morerentur ibi, immò cùm ipſæmet fames inſatiabiles ſint ſublato eis, & denegato cibo, per ſemetipſas extinguerentur. Non enim habet unde ſuum paupertas paſcat amorem; ut dixit poeta, utraque iſta peſtis ignis eſt vorax, & inſatiabilis, & inſtar ignis ſulphurei fœtidus. Et ego ſum extinctio utriuſque, & hoc eſt quoniàm ego ſubtractio, & defectus lignorum, quibus utriuſque earum nutritur incendium. Ego mors prodigalitatis, quæ nec eam manum extendere, vel movere permitto. Ego mors ſuperbiæ æquè vermis divitum propriè eſt (ut ait Auguſt.) Pauper enim ubique jacet, ut ait poeta. Ego à laboribus negociantium, à fraudibus quas agunt, & patiuntur, à periculis, quæ in mari, & in terris patiuntur quieta, & ſecura ſum, mihi de temporalibus, nec Rex, nec Imperator, nec alius quicquam auferre, vel ſubripere poteſt, nec fulgur minatur domibus meis, aut turribus, neque ſuppellectili meæ, nec mare, nec venti minantur navibus, meis neque piratæ divitijs meis, neque grãdo, neque ærugo, neque alia injuria aeris mihi timenda eſt, propter agros, aut vites. Terræ motus non potuit mihi domum ſubvertere, qui tot, & tantas urbes ſubvertit. Non incumbit mihi labor ædificandi, neque conducendi operarios, neque computandi ſũptus operum. De hoc meminimus nos reſpondiſſe cuidam amico noſtro, cujus domus ſpatioſa, atque magnifica incendio perierat, qui cùm vocaſſet nos, non ad conſolationem ſuam, ut ipſe dicebat, ſed ut audiret, quid ſuper hujuſmodi incendio diceremus. Reſpondimus eidem quòd ſi domum illam non habuiſſet, nec eam amiſiſſet, nec de ejus amiſſione doleret modò, nec in ſollicitudine nec in ſũptibus reædificandi eam oporteret eum eſſe, ne ei poſt immi-

nentem

Iuvenalis in Satyra 10.

In falſos amicos.

Expedita, ſecura, levis paupertas.

Lutum Ægypti.

Nota.

Nabuzardam.

Nota.

Poeta.

Poeta.

Paupertas mundatrix. nentem reædificationem illius ſimile periculum imminere. Ego ſum munditia viarum, id eſt viarũ humanarum, & mundatrix earum: munditia quidẽ à ſtercoribus temporalium, & mundans eaſdem ab inquinamentis luxuriæ, & gulæ. Interroga presbyteros parochiarum, quæ ſunt in finibus meis, & juriſdictione mea, & audies illis atteſtantibus multitudinem in unaquaque earum abſtinentium, ſobriè viventium, virginum, & continentium, hujuſmodi parochias, velut paradiſos eſſe, & hortos deliciarum comparatione aliarum parochiarum eſſe; alia verò ad comparationem iſtarum deſerta eſſe & conculcata diabolica, atque porcorum volutabra eſſe, & nec pubertatis annos in eis expectare diabolum, immò execrabilibus inquinamentis eos prævenire, & ante juvenculos, & juvenculas luxuriæ contaminationibus polluere, quàm poſſint ætatis beneficio talia ſuſtinere. Ego vallum, ſive foſſatum fortiſſimum, ac *Paupertas vallum fortiſſimũ.* profundiſſimum circundans, ac muniens meos, & arcens hoſtes, ne acceſſum habeant ad ipſos; vallum enim literale nihil aliud eſt, quàm terræ defectus, ſive vacuitas; ſic & vallum ſpirituale defectus eſt terrenæ ſubſtantiæ. Quos hoſtes ſcilicet ego arceam ne accedant ad meos, vel caſtra eorum, apparet ex jam dictis, quòd gulam, & luxuriam, prodigalitatem, & ſuperbiam ſpiritualiter nominant, denique tanta eſt profunditas, ut ſi quis in me ceciderit hoſtium hujuſmodi ipſo caſu moriatur, & maximè ſuperbia fracto collo ſuæ cervicoſitatis expirat. Ex quo apparet contrariam meam, videlicet terrenam ſubſtantiam aggerẽ eſſe quo impletur vacuitas mea atque profũditas, per quam eſt acceſſus hoſtibus antedictis ad dementiſſimos, cupidos, & avaros, qui vallum meum captionem, & obſidionem arctiſſimam reputant, & propter hoc de me effugere quocunque diſcrimine, atque diſpendio enituntur. Gaudent miſeri cùm vident aggerem hujuſmodi comportari, & vallum impleri, & acceſſum hoſtibus ad eos capiẽdos facilem, ac liberum aditum dari. Sicut ſcriptum eſt in primo Abacuc de diabolo, ſuper omnem munitionẽ ridebit, cùm portabit aggerem, & capiet eum. Qui igitur gaudet, quòd ei præbenda, vel beneficium Eccleſiaſticum conferatur, gaudet inquam propter ipſam terrenam ſubſtantiam, unde non gaudet, niſi de impletione valli, quo defendebatur ab hoſtibus ſupradictis, & de libero acceſſu eorum ad ipſum capiendum; propter quod plerunque accidit, ut quos vallũ paupertatis priùs defendebat, & cuſtodiebat mundos & immaculatos, velut cõpoſito aggere divitiarũ, & completo vallo hujuſmodi, hoſtes ſæpè dicti facillimè capiant miſerabiliter, & captivent. Accidit etiã quod eſt majoris, & miſerabilioris inſaniæ, ut qui juxta vallum hujuſmodi à facie divitiarum, & hoſtium inviſibilium confugerunt, ut ibi ſe defenderent, & contra ipſos pugnarent, & hoc velut ex arce, & munitione tutiſſima, ipſimet vallũ hujuſmodi hoſtibus impleant, divitias undecunque ſibi conquirentes, & comportantes. Et ſi in hujuſmodi vallum terra, id eſt terrena ſubſtantia injecta fuerit, videlicet collatione, ſeu donatione cujuſcunque eam recipiunt cum applauſu, & multiplicibus actionibus gratiarum, hi ſunt clauſtrales, & omnium ordinum profeſſores, qui infra valles paupertatis ſe receptſſe videntur, ut eſſent ibi in tuto, & quaſi in arce; abdicaverunt enim à ſe expreſſo voto omnem terrenam ſubſtantiam, & propter hoc paupertatis vallo ſe undique munierunt. Quantùm autem jam impleverint vallum iſtud evidentiſſimum eſt, nec ipſum ſolummodò adæquaverunt, immò circumadjacenti ſolo ſuperexaltaverunt, & hoc eſt, quia terrena ſubſtantia apud eos copioſior eſt longè, quàm apud vicinos eorum ſæculares: hinc eſt quòd pro vallo iſto A non acervos habent divitiarum circa ſe, ſed montes excelſos de quibus ab hoſtibus inviſibilibus miſerabiliter impugnantur, inceſſanter obruuntur, quid *Nota.* plura? vallũ nunquàm reparant, quia terrenam ſubſtantiam nunquàm inde rejiciunt, immò ipſum eſt, quod maximè oderunt, & de eo ſæpiſſimè querulantur: ſi quis illud reparare voluerit, vel profundare, hoſtem illum reputant, & quo poſſunt gladio, illo ſpirituali ſcilicet, vel materiali, etiam proſequuntur. Raptores hujuſmodi valli, vel foſſati, fures ſunt, vel raptores; his enim terrenæ ſubſtantiæ defectum & vacuitatem augent, & renovant, aut profundant; cõtra iſtos adeuntur reges, & principes, invocatur per eos poteſtatis ſæcularis gladius, cùm eis non ſufficit Eccleſiaſticus, de querelis hujuſmodi, & litibus perſonant palatia regum, & principum, ſimiliter & cõ-B ſiſtoria judicum Eccleſiaſticorum; et ſi dictum fuerit eis quare conquerimini de hominibus hujuſmodi, qui tam officioſè vobis ſerviunt, reparando ſcilicet foſſatum veſtrum, de tam neceſſario ſervitio lapidatis eos? vel moleſtè ſuſtinent, vel irrident hujuſmodi ſermones, utpotè inconſuetos, & eis hactenùs inauditos: non enim capiunt alia, & cùm paupertatis profeſſores ſint, illam maximè fugiunt & oderũt; & cùm reparatores foſſati ſui, atque profundatores tantopere perſequantur, quid niſi capi volunt, atque in captione diabolica perpetuò detineri? Videant ipſi ne à promiſſa paupertate primo voto religionis apoſtatent. Sed de hoc latiùs dicemus in proximo. Ego ſum ferculum, & cibus adeò delicatus, quod me eſurit in ipſis delitijs paradiſi Chriſtus dominus rex cœlorum, ſicut dicit Bernardus: iſte enim cibus ſua- *Paupertas cibus delicatus.* viſſimus in delitijs paradiſi non inveniebatur, & propter hoc ad terras deſcendit Deus. Ego talentum C pretioſiſſimum, & lucris ſpiritualibus aptiſſimum, in *Paupertas talentũ pretioſiſſimũ.* quo prudenter negociãtes lucra magnifica inde domino reportant, & iſta lucra numeravimus, & nominavimus in tractatu de ſacramẽtis, in capitulo de confeſſione. Ego pretiũ, & forum quo appretiavit, & afforavit rex cœlorum Chriſtus dominus divitias cœleſtes; pro me enim illas dat, & commutat, & cujus ego ſum, ejus & illæ, ſicut apparet evidenter ex quinto Matthæi & 7. Lucæ & alijs pluribus locis. Ego ſum bonum de cujus poſſeſſione ſe jactat rex cœlorum Chriſtus dominus, dicens in pſalmo: Ego autẽ mendicus ſum, & pauper, & alibi: Inops & pauper ſum ego. Si aliud teſtimoniũ bonitatis meæ non eſſet, & nulla alia eſſet mihi laus, iſta ſufficere debet mihi, & meis quòd me elegit rex & dominus ſæculorum, & prætulit omnibus divitijs & eas omninò indignas ſe reputavit, me autem ſolam dignam ſe repu-D tavit. Regnum reſpuit, & fugit, ſicut legitur Joannis 6. Me autem inſeparabiliter amplexatus eſt, & in morte potiſſimùm, in qua tres partes meæ ei fideliſſimè adhæſerunt, videlicet Nuditas, qua nudus in cruce pependit: Sitis, quia in eadem ſitivit: Defectus auxiliorum & conſolationum ſine me nec in morte eſſe voluit. Ego largiſſima atque ampliſſima, quæ omnes ad me venientes ſine coangustatione mea re- *Paupertas largiſſima* cipio, ſine defectu & diminutione omnibus ſufficio quantò plures me habere voluerint, tantò abundantiùs me habebũt. Minuitur, & deficit contraria mea opulentia temporalis, ego verò de largitate communicationis meæ creſcens multiplicor, & abundo; quantò enim plures recepero, tanto magis abundo; quantò enim plures ſunt pauperes, tantò major eſt paupertas. Nemo ergo timeat anguſtari apud me propter multitudinem familiæ meæ, quantò enim major eſt familia mea, tantò amplior eſt & capacior habitatio mea; tantò enim magis abundant omnia bona mea, quę ſenatio numero, qui eſt perfectorũ, non incongruè numerantur; in univerſo enim ſex

Digitized by Google

Bona paupertatis ſex

ſunt, videlicet fames, & ſitis, & nuditas à veſtimentis, defectus tecti, ſive habitaculi, quod eſt expoſitio ad injurias aeris, alia duo ſunt defectus auxiliorum, & defectus cōſolationum; de his omnibus abundāter miniſtravi Chriſto domino, ſicut expreſſè legitur in pſal. qui de paſſione ejus latiùs loquitur. Et manifeſtum eſt quòd omnia iſta bona quantò pluribus communicantur, tantò ampliùs abundant. Nemo ergo deſperet ne fortè deficiant bona mea, & minuantur. Nemo propter hoc ad me venire formidet, aut vereatur, omnibus ſufficio ad ſatietatem, & affluentiam omnimodam. Dicam quod magis mirabile videatur, non ſolùm ex teſtimonio Philoſophi ego, ſed etiam evidentia probationum irrefragabilium. Dicit Seneca: Quòd ſummæ divitiæ ſūt lege naturæ compoſita paupertas, dicit etiam alibi: Si vis te divitem facere, non divitijs addendū, ſed cupiditatibus ſubtrahendum dicit Socrates. Quia non qui parùm habet, ſed qui plùs cupit pauper eſt. Iſta teſtimonia forſitan potervitas potervientiū perverſitas perverſorū vellet invertere, & propter hoc probationibus magis inſiſtendum, & innitēdum eſt. Vulgò dicitur, quod aurum eſt quod aurū valet, & qui numeratos F habet nummos habet, etiamſi non ſit, niſi fumus. Divitiæ igitur ſunt, quæ divitias valent, ſed paupertas valet divitias cœleſtes, quæ veræ divitiæ ſūt: Valet inquam, quia pro illa à ſapientiſſimo mercatore Chriſto domino ſcienter & prudenter dantur. Ampliùs. Quantùm valet res tantū vendi poteſt in foro publico, & regali pretio hoc autem pretium impoſuit mihi rex cœlorum, & in foro publico, immò in nundinis in quibus omnes negociatores ſunt, & negotiantur, tantum ego vendor & tantum pro me datur. Ampliùs. Quomodò poterit non reputari dives, qui de ſuo proprio poteſt emere omnes merces, omnes divitias, quæ in præfatis nundinis venales exponuntur? hoc autem poteſt quilibet meorum, & hæc de me ſola; ego enim ſum ſufficiens pretium eorum, immò regale pretiū eis ab ipſo rege cęlorum impoſitum, & per omnes regis pręcones evangelicos in- G ceſſanter, & publicè acclamatum propter hoc cātat omnis Eccleſia ſanctorum: Martinus hic pauper, & modicus, ideſt humilis cœlū dives ingreditur. Ampliùs. Quemadmodùm in nundinis literalibus unuſquiſque negociatorum, merces affert ad commutandum, propter faciendum lucrum; ſic & in nundinis ſpiritualibus nemo negociator eſt, qui mercem aliquam ibi vendendam vel commutandam non exhibeat. Quærimus ergo an pauperes hujuſmodi poſſint mercari regnum cęlorū, quod ibidem quaſi venale exponitur à Deo, & an Deus tradiderit eis aliquod talentum in quo negociētur, ſicut alijs. Quòd ſi non tradiderit unde emere poſſint divitias cœleſtes, quas eis, & alijs omnibus venales expoſuit, ubi largitas miſericordię ejus, quæ pauperes ita deſeruit, & deſpexit? Si autem aliquod talentū dedit eis ad ne- H gociandum, ſicut evangelica veritas teſtatur Matthęi 13 & 25. & Lucæ 19. quod eſt illud niſi paupertas? Quòd ſi dixerit quis, quòd non pro paupertate obtinentur divitiæ cœleſtes, ſed pro terrenis divitijs contemptis, atque relictis; non videtur hoc habere locū in pauperibus, qui nunquàm tales divitias habuerunt; non enim propriè videtur aliquis, quod nūquàm habuit, reliquiſſe. Ampliùs. Manifeſtum eſt per ſe, quòd negociari poſſibile eſt in talēto paupertatis, & antedicta lucra inde acquiſita, ergo manifeſtum eſt ipſam paupertatem in ſe talentum eſſe; qui enim ex paupertate ſua pacatus eſt, ſecurus, tranquillus, à ſolicitudinibus levis, atque exoneratus, mundus, humilis, expeditus, nunquid non iſti paupertas ad multiplex lucrum deſervit? Ampliùs. Quid aliud eſt in quocūque negociari domino, quàm quocūque

Cœleſtes divitiæ.

Talentum paupertatis.

E ſibi ab eo dato, vel commiſſo benè uti? quia igitur poſſibile eſt, & plerunque contingit paupertate bene uti, manifeſtum eſt, quòd contingit, & in paupertate negociari, omne autem in quo contingit negociari, talentum eſt paupertas igitur eſt talentum pauperū. Quidquid autem talentum eſt, de numero divitiarū ſpiritualium eſt, & hoc eſt quod declarare intendebamus, quòd ipſa paupertas pecunia ſpiritualis eſt; unde non vacuâ burſâ venit ad Dei forum, qui paupertatem illuc attulerit, propter quod dicitur Eccleſiaſt. 11. Eſt vir deficiens virtute & abundans paupertate. Qualiter ergo abundantem faceret paupertas niſi ipſa eſſet divitiæ? propter hoc dicitur Proverb. 13. Et quaſi pauper, cùm in multis divitijs ſit. Ego autem quaſi paupertas ſum interius inſpecta, at nō vera, immò veriſſimæ divitiæ. Quòd ſi dixerit quis, quòd cùm paupertas iſta nihil ſit, ſed ſola privatio, nec in Dei donis, nec in Dei talentis computanda, cōtradicit poeta. Omnia nondùm intellecta domini paupertas, anguſtique lates. Et Eccli. 11. Paupertas, & honeſtas à Deo ſunt. Ampliùs. Ego ſola divitem ſufficere facio in mundo iſto; de me enim ſola poteſt F habere unuſquiſque quantumcunque vult, & hoc abſque omni labore, abſque omni ſolicitudine, non oportet pro me quemquam fodere, vel arare, vel negociari, vel etiam mendicare. Omnibus ultrò me offero, immò improbá me ingero, non ſolùm ad indigentiam, ſed ad affluentiam. Non poteſt hoc dicere contraria mea, quæ, ſicut dicit Boetius, cum labore acquiruntur, & cū timore poſſidentur, cum dolore amittuntur, & ſicut alibi declaratum eſt, ipſa eſt quæ verè pauperes, immò pauperrimos ſola facit. Propter quod Quintus dicit, Divitiæ cogunt eſurire. Ego profuſiſſima largitas ſum in omnes, qui bona mea voluerint, nullum defectum, nullam indigentiam bonorum meorum quemquam illorum patiar ſuſtinere: iſta verò lattoniſſa contraria mea cùm promittat affluentiam, indigentiam magis auget, ſicut ipſe Salomon teſtatur ubi multę ſunt opes, & multi qui G comedunt eas. Ampliùs. Ego beatitudo ex teſtimonio veritatis Matthæi quinto, & Lucæ ſexto. Beati pauperes ſpiritu, &c. Quod tamen evidenter oſtēdo. Si enim miſeros faciant divitiæ, immò miſeriores, ſicut declaravimus ſuper Eccleſiaſt. Ubi numeravimus, & nominavimus 22. mala divitiarum quibus afficiunt, & torquent avaros, & cupidos: miſeriæ multæ, vel miſeria una ex multis ſunt, quarum ego abundo. Ampliùs. Si cōſideraveris omnia bona mea, & aggregaveris ea, ſicut tibi ſuperiùs eas ſub compendio numeravimus, invenies omnia illa partes eſſe magnæ beatitudinis, & ſimul aggregatas conſtituere illam. Ego nutrix omnium officioſiſſima, omnes enim de utero matris exeuntes excipio, & in me omnes projecti ſunt ex utero. Nuditas filia mea, vel pars, omnes excipit, vel veſtit ex tunc. Similiter & de vitâ iſtâ exeuntes, ſicut dicit Job: H Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Ego igitur ſum prima, & noviſſima, prima eis aſſiſtens, videlicet in primo egreſſu de utero matris, & noviſſima, videlicet in egreſſu de mundo. Ego nec in morte eos deſero, per me intrat in vitam iſtam, & per me eos comitor, & beneficijs meis proſequor. Iſta lattoniſſa adverſaria mea nunquàm ad aliquem mortalium, niſi coacta, vel excuſſa, venit, nunquā niſi laboribus, & doloribus pœnitentiæ cōparata. Unde igitur odioſa facta ſū eis, illa verò dilecta? niſi fortè quia gratis, & improbè beneficia mea eis ingero. Ampliùs. Quam ob cauſam iſtam injuriā irrogant mihi mortales, ut de poſſeſſione, quam in eis mihi dedit natura mea, ſine culpa mea, & ſine cauſæ cognitione tam citò, tamque violenter ejiciāt? Siquidem ipſa natura me mittit in corporalem poſſeſſionem

Paupertas.

Divitiæ cum labore acquiruntur, & cū dolore amittuntur.

Liberalitas paupertatis.

Paupertas omnium nutrix.

Digitized by Google

ſuſſionem ipſorum, & eos de manu mea excipiet, ut dixi, quare jus meum in eis naturale eſt, & ipſa in poſſeſſione eſt: utinam igitur iſti latroniſſæ, & deceptrici, immò proditrici, tam pertinaciter laborantem haberent injuriam meam, immò injuriam naturæ. Cur ſe ab ea illudi in tantam ſibi perniciem patiuntur? Quòd ſi dixerit quis, quia ego moleſta ſum, illa verò ſuavis. Reſpondeo unicuique illorum. *Paupertas pacifica.* Noli moleſtus eſſe mihi, & ego non ero moleſta tibi, pacem habe mecum, & ego ero pacifica tibi, ſed gladio, & igne me perſequeris, omni genere impugnationis contra me prælïaris; tu enim ſcis quanta multitudine ferculorum famem lapides, & obruas; diluvio poculorum ſitim extinguis & immergis, frigora igne perſequeris & exuris, contra nuditatem verò tot genera armorum, quot & veſtimentorum adinveniſti, ſed & ornamentorum varietatem ſumptuoſiſsimam: ne etiam de me cogitaretur excogitaſti, nec veſtigium aliquod mei in tectis, vel domibus apparere permittis; ſi enim ſciſſura, vel rimula, vel putriditas ligni alicujus apparuerit, ſtatim exacuentur ſecures, dolabuntur, advocantur cementarij, & carpentarij armantur ferreis malleis, & aliis ferramentis in exterminium iſtius. Deſiſte igitur à tam crudeli impugnatione, ſeu perſecutione mea, habe pacem mecum, & (ut dixi) ero pacifica tibi. Suſtine me in pace, & in nullo moleſta ero tibi. Ne oderis me in corde tuo, & invenies me tibi pacatiſſimam; iniquum enim valde eſt, ut me oderis, & tam atrociter perſequaris, & me velis ſervare tibi pacem; quamquã quidquid tibi moleſtum ingero, beneficium multiplex ſit, & obſequium officioſiſſimum, ſed illud tibi detorquet tua perverſitas in tormentum. Quòd ſi amplius proficere erga me potueris, ut etiam me diligas, dicam tibi in ſequentibus continuè quot, & quanta per me & merita, & præmia conſequaris. Ne autem erres circa eos qui paupertatem, quam *In divites paupertatem mentiente.* quidam profitentur voce, & habitu, cùm juxta litteram ditiſſimi ſint, & alia etiam quæ circa hæc dubitabilia ſint, neceſſarium eſt aliqua diſputare ſuper his; non enim pauperes ſunt hæredes alicujus regni prædivitis & inclyti, ſi pro indiviſo illud poſsideant; licet etiam prohibiti ſint aliquid inde vendere, vel abſtrahere, pro ſuæ beneplacito voluntatis; prohibitio enim diſsipationis, atque frænatio, non eſt divitiarum imminutio vel læſio etiam poſſeſsionis; alioquin periculum eſſet omniũ pauperum, qui nihil de bonis, quæ poſsident, vel diſsipare, vel malè expendere poſſunt. Sed ipſi Reges, qui inter homines ditiſsimi habentur & juramento, & interdùm vi aperta & reſiſtentia theſauros, & alia bona regni, & diſsipare, & malè expendere prohibẽtur; nunquid ideò minùs divites ſunt, aut minores eorũ divitiæ? ſic fratres unius conventus pro indiviſo poſsident bona omnia hoc modo, ut nihil inde vendere, vel alienare, vel etiam inde accipere pro voluntate ſua poſſint; hoc enim eſſet malè expendere, & diſſipare. Ipſi etiam confitentur quòd conventus poſsidet, conventus autem non eſt niſi fratres, quare fratres ipſi poſsident, ſunt ergo divites fratres, qui tantas divitias poſsident, quomodò ergo pauperes? Ampliùs. Si unuſquiſque illorum pauper eſt & conventus dives, hoc eſt dicere quod ſingulæ partes ſint albæ, & totum corpus nigrum. Ampliùs. Manifeſtum eſt quòd econtrariò eſſe non poteſt videlicet ut ſinguli ſint divites, & conventus pauper. Ampliùs. Ejuſdem ordinis, & profeſsionis penitùs eſt cõventus, & ſinguli fratrũ, ergo ad quicquid tenentur fratres ſinguli, ex ordine, vel profeſsione, tenetur & totus conventus maximè in his, quæ ſunt de ſubſtantia religionis, vel

A ordinis. Cùm ergo ſinguli fratrum teneantur ad paupertatẽ ex voto expreſſo de ea, & totus conventus teneatur ad illam, ergo vel apoſtata eſt totus cõventus, vel pauper eſt, vel nihil habens. Apoſtata inquantùm ad primũ votum, quod in ingreſſu religionis ſinguli emittunt, hoc autem eſt votum de paupertate, nihil habendo, vel poſsidendo. Ampliùs. Major debet eſſe perfectio in corpore, quàm in membro quocunque corporis illius quare in conventu, quàm in quolibet ex fratribus? Major igitur debet eſſe paupertas totius conventus, quàm paupertas alicujus ex fratribus, alioquin accidet, quòd partes perfectæ ſunt, & totum imperfectum, B Præterea non minùs promittunt omnes, & ſinguli voto expreſſo paupertatẽ, quàm caſtitatem, vel obedientiam, & vovent in ingreſſu religionis, ſicut ergo non licet vel toti conventui vel alicui ex fratribus apoſtatare, ſive recedere, ſeu quolibet modo relinquere caſtitatem, vel obedientiam, ita neque paupertatẽ, quòd eſt dicere, ſicut non licet toti cõventui, vel contrahere matrimoniũ, vel fornicari, vel rebellare contra præcepta majorum aut eſſe inobedientem majoribus ſuis; ita non licet vel conventui, vel alicui eorum, vel aliquid habere, vel poſsidere. Quòd ſi dixerit quis, quia non divitias abdicant, neque paupertatẽ promittunt, ſeu vovẽt, qui religioſi efficiuntur, ſed proprietatem tantùm abdicant, nihil propriũ habere de cætero, vel poſſidere promittant Reſpondemus, quia hoc non eſt religioſum effici quantùm ad primũ votum, neque religionem quantùm ad hoc ingrediuntur, ſed ſocietatem quandam, aut communitatem. Quemadmodùm ſi duo homines, vel tres omninò ſæculares, vel ſæculariter viventes, bona ſua ſimul conferant procuratori alicui, & permitterent, ut unicuique neceſſaria, vel per ſe cùm opus eſſet, vel inſimul miniſtraret, iſti non divitias utique depoſuiſſent, ſed onus, & ſolicitudinem earum Hoc autem expreſsè legitur feciſſe Pharao rex Ægypti. 39. Geneſis, & 41. Qui nihil noverat de omnibus, quæ erant in domo ejus, præter panem ſolùm, quem comedebat, uno tantùm videlicet regni ſolio præcedẽs Joſeph, ſicut ipſemet ibidẽ dixiſſe legitur: Joſeph ſiquidem totũ onus congregandi, & cuſtodiẽdi regales illas divitias portabat, totâque adminiſtrationis ſolicitudinẽ habebat, atque gerebat. Hæ autem duæ partes ſunt non modicæ paupertatis, quare qui iſta duo deponunt, non divitias in hoc, ſed paupertates nõ modicas reliquiſſe vidẽtur. Non ergo Rex Ægypti, qui onus iſtud, & ſolicitudinẽ depoſuit, & Joſeph utrumque impoſuit, divitiis propter hoc renunciavit, immò per hoc tantò eas dominantiùs poſſedit, quantò libetiùs, tantòque earũ poſſeſſione factus eſt ditior quantò à dictis paupertatibus immunior. Deinde quis Rex, vel princeps non habet diſpẽſatores, & miniſtros, quibus onera illa, & curas imponat? & quis ex hoc, ſe vel paupetẽ fieri, vel minùs divitem credat? immò quis ex hoc non pleniùs ſe, & magnificẽtiùs poſsidere divitias ſuas exiſtimat, ſi eas ſine onere, & ſolicitudine poſsideat? Nõ igitur viri religioſi ex hoc pauperes, vel minùs divites ſunt, quia onera, & ſolicitudines divitiarũ non habent, vel habere nolunt, cùm divitiæ penes eos remaneãt; ſi igitur ipſas divitias non reliquerũt, pauperes effecti nõ ſunt. Ampliùs. Ipſi in egreſſu religionis conſueverunt quærere panẽ domus illius, in quo intelligitur victus, & veſtitus temporalis cõmunis, conſueverunt etiam dare panem hujuſmodi ad ſe intrantibus, & religionem eorum ſuſcipientibus Qualiter autẽ dant illum, ſi non habent? & qualiter dant, ſi non faciunt illum ſuũ accipientiũ? Ampliùs. Aliqua Abbatia dat alicui victum, &

Pharao. *Religioſi pauperes.*

C D

Digitized by Google

veſtitum temporalem, vel etiam vendit, & certú eſt, E quòd hujuſmodi homo, cui vel datur, vel venditur veriſſimè dicitur ſe habere in domo illa victum, & veſtitú & veriſſimè poſſidere, cùm nó ſit monachus, aut canonicus regularis in domo illa: Quærimus ergo an plus habeat ille de temporalibus, quàm aliquis ex fratribus? Quòd ſi dixerit quis, quòd ſic: quamquàm abſurdum ab omnibus hoc habeatur, tamen duabus viis manifeſtè deſtruitur. Primùm, quia propinquiùs tranſtuliſſent in eum fratres, qui hanc collationem fecerunt, quàm ipſi haberent, cùm ipſi nihil poſſideant. Secundò quia unuſquiſque fratrum habet actionem, & jus petendi portionem hujuſmodi ſi ei denegaretur, & per Epiſcopú loci, jure compelleretur Abbas ad reſtituendum, qui portionem congruam denegaſſet, & audiretur ubique tanquàm actionem habens. Quare manifeſtum videtur, quia habet ibi hujuſmodi portionem temporalium; quomodò enim petenti adjudicaretur de jure, ſi jus in illa non haberet. Præterea ſine injuria ejus non poteſt ei auferri, vel minui jure igitur ſua eſt, quare dives eſt, quantùm ad ſufficien- F tiam, etſi non ad ſuperabundantiam. Non igitur omnes divitias relinquit, qui tantam partem inde retinuit. *Quæſtio.* Ampliùs. Si centum marcas habeam in maſſa, ubi & multi alij tantundem habeant, non minùs habeo, quàm ſi per ſe illas centum marcas haberem; tantundem enim ſunt centum marcæ in maſſa, quantùm in perſona, & econversò. Quare ſi quis habeat in maſſa omnium bonorum Abbatiæ unius prænominatam portionem, nec plùs pauper eſt, nec minùs dives, quàm ſi haberet illam per ſe. Ita auté eſt de omnibus hujuſmodi religioſis, quare inde divites ſunt, & verè divites ſub nomine illo, & habitu paupertatis. *Reſponſio.* Reſpondemus in hoc, quia res hujuſmodi Eccleſiarum, ſpeciali titulo, & jure privilegiato Dei ſunt, utpotè pia devotione fideliú eidem oblata, atque donata. Convenienter autem, & ſinguli de conventu uſum in eis habent; nec dicimus, quòd aliquis ex fratribus in portione monachali, vel canonicali, quæ illi competere videtur, G habeat jus dominij, vel proprietatem, vel etiam poſſeſſionem, ſed uſum tantùm, unde nec vendere, nec alienare eam poteſt, neque eleemoſynam inde facere, nec aliquid ex ea, ſed uti ſolo modo ex ea poteſt ad neceſſitatem victus, & veſtitus; ſic dicimus & de veſte, & de cibo, qui anteponitur in refectorio, & hæc notiſsima ſunt apud clauſtrales, præter uſum, aut miniſtrationem quam habent in rebus monaſterij, ſed illam limitatiſsimam, *Vide.* videlicet ut extra uſus, ad quos deputatæ ſunt, nihil de eis, vel in eis quis poſsit. Unde ſi extra limites hujuſmodi eas expendere, vel transferre præſumpſerit, ipſo jure nihil facit, ſi dat meretricibus, hiſtrionibus, non eas ſuas facit accipientium, ſic ſi propinquis, aut cognatis dantur de illis, niſi ut egenis. Hiſtrionibus enim, & meretricibus poſſunt dari bona Eccle- H ſiæ ditiſsimæ, ut egenis, vel alio intuitu pietatis ſcilicet, ut à ſuis turpitudinibus avertantur, & iſta eſt eleemoſyna præſtantior, & Deo acceptabilior, quàm illa, quâ ſolius corporis occurritur egeſtati. De præpoſitis autem & potentibus, & quibuſdam exactoribus dicimus, quia ſi dant eis, ut redimant ſibi pacem ab eis, vera, & recta ratione dant, ſcilicet ut redimant ſe, vel pacem ſibi, quemadmodùm ſi in os canis aliquod os, vel fruſtum carnis projiciatur, ne ab illo ipſe devoretur, in talibus enim juſtus metus extorquet hujuſmodi data, & propter hoc non ſunt ratæ donationes hujuſmodi, qui enim ſic accipiunt reſtituere tenentur. De his verò, quæ regibus, & principibus dantur, patronis Eccleſiarum, & fundatoribus, & dotatoribus,

E & ditatoribus, dicimus, quia licet, dummodò ex hujuſmodi donationibus non lædantur enormiter Eccleſiæ, hi ſunt uſus pietatis, quoniàm ex virtute gratitudinis, etiam jure naturali debentur hujuſmodi hominibus, aliàs etiã impij ſunt, quia gratia eorum, qui ex pietate talia donaverunt, quodammodò conſervatur in eis, & devotio nutritur, quæ per contrarium extingueretur. Donationes verò, quæ fiunt aliis perſonis à monaſteriis, ſi ea intentione fiant quia præſumantur utiles Eccleſiis, vel monaſteriis, magis ſeminationes ſunt, quàm donationes, ſicut & quidam de ordine Ciſterciensi nobis quandoque reſpondit. In aliis caſibus cùm ad nos veniunt, qui de hujuſmodi bonis aliqua receperút, conſilio pœnitentiali reſtitutionem eis injungimus faciendam, utpotè meretricibus, & aliis prænominatis. Revertentes ergo dicimus quòd Deus reverà poſſeſſor eſt, & dominus hujuſmodi bonorum *Nota.* ſpeciali titulo, & jure, ut ſupra dictum eſt: cuſtodia verò, & uſus, atque adminiſtratio limitata, quemadmodùm diximus conventus eſt, & fratrum F ſingulorum, & nihil ampliùs; unde non dicimus eos quicquam poſſidere ex his, nec poteſt aliquis ex fratribus portionem hujuſmodi petere ſuam, neque partem de cõmunibus bonis, ſed uſum tantùm in portione, vel in communibus bonis, ſicut neque cappam, aut tunicam aliquem petere determinatè, neque uſum in aliquo determinatè, ſed poteſt petere refici, & veſtiri, & refectionem, atque veſtitum. In hoc igitur pauperes efficiuntur viri reli- *Pro religioſis.* gioſi religionem intrantes, quòd poſſeſſioni, & dominio divitiarum, & juri earum in eis, jurique determinato, ſive particulari renunciant; etſi enim in cõmuni maſſa, ut ita loquamur, bonorum monaſteriorum, quorum religioni voto ſe obligant, & obſtringunt, uſum habeant victus, & veſtitus, ut fratres & filij, non tamen hanc partem numero, neque hunc uſum numero, ſed uſum in cõmuni, & illum uſum neceſſarium. Quòd ſi quis dixerit, quia benè provident de uſu hujuſmodi, & de maſſa cõ- G muni bonorum, videlicet ut pinguis, & opulentus ſit & uſus ſimiliter ut largus ſit, & etiam delitioſus. Dicimus, quia quod amplius eſt in talibus, à malo eſt, vel infirmitatis hujuſmodi hominum, vel voluptuoſitatis, quæ non ſolùm vana eſt, & indecens religioni, ſed etiam peſtilentiſſima, & inimica; nihil enim magis indecens crucifixis, & variis patibulis affixis, quàm delitiæ, & ornatus: religio autẽ omnis, crucifixio eſt illam ſuſcipientis, & veraciter proficientis. Innumerabiles autem religiones habitum deferunt, inſtar leccatorum clericorum, qui goliardi vocantur, tantòque major eſt turpitudo illorum quantò major eis ſuppetit facultas temporalium ad paſcendas libidines ſuas. Alij verò à parentibus & propinquis, eo modo in clauſtro projiciuntur, quemadmodùm catuli, & porculi, quos H matres non ſufficiunt enutrire, ut videlicet mundo non ſpiritualiter, ſed (ut ita dicamus) civiliter moriantur, videlicet ut portione hæreditaria priventur, & ad eos qui ſæculo remanent devolvatur, & quantùm ad hoc Simoniaca eſt hujuſmodi pro- *Optimus locus.* jectio, immerſio, vel intentio. Similiter & qui ad hoc intrant, ut ibi vivant vitâ corporeâ, non habentes aliàs unde vivant non religionem intrant, ſed comeſtionem, ut ita loquamur, & hoc eſt quoniàm illuc intrat unuſquiſque ubi pedem figit: pes autem intentio eſt, ſeu voluntas principalis. Cùm ergo intentioné & voluntaté principalem in victú, vel temporalem ſuſtentationé ponant, vel figant, in eum ſolúmodò intrant, quare non religioné. Veriſimiliter igitur dicere poſsút, quòd vulgari gallicano dicitur, ſcilicet quia nunquàm habuerunt pedes ſuos

Digitized by Google

Pedes ſũt affectu.

ſuos in religione, nec unquã in ea poitaverunt pedem ſuum, cùm pedes ſui ſpirituales affectus ſint, hoc eſt voluntates, & intentiones principales. Hujuſmodi homines boves ſunt ad præſepe alligati. Simplici enim illo voto, quod emittunt, religionem intrantes, ſe obligant, imm ò potiùs alligant ex hoc principaliter ad præſepe, quoniàm ad hoc, ut comedãt, hujuſmodi ſolemus vocare monachos coquinarios, & refectotiarios, quia ſibi coquinæ, & refectorij, atque cellarij profeſſionem faciunt corde, & intentione: quicquid extra agant, qui vel intrant, vel introducuntur ut ditentur, & ut ditare poſſint cognatos, & propinquos, quòd eſt ut adipiſcantur ibi prioratus, præpoſituras, & alias adminiſtrationes, ut fures, & latrones ingrediuntur, qui ſub habitu domeſt corum, & etiam monachorum plurimùm ſe abſcondentes intrant ut ibi furentur; latibulum etiam in ipſo habitu facientes, quoniàm ut furentur temporalia. & piis uſibus ſubtrahant, & in noxias monetas convertant. Illi inſtar vulpis mortuos ſpititualiter ſe ſimulant habitu. & tonſura, ut de hujuſmodi prædam faciant. Quòd autem alienationes, & venditiones de hujuſmodi rebus conventus faciunt, vel miniſtri eorum, non quia domini ſint hoc faciunt, ſed quia cuſtodes, & procuratores. Quid verò in iſta paupertate, quæ privatio eſt, & reverà nihil eſt, niſi quòd fictæ perfectionis, profeſſionis amatores inveniant, liquere poteſt ex prædictis. Behemoth enim qui in ſecreto thalami dormit, & in locis humentibus, ſicut legitur Job 40. in iſto arido, & inaquoſo requiem non invenit, ſicut legitur Lucæ 11. & ſicut vulgò dicitur, quid eſt, quod lupum facit exire de nemore? & reſpondetur quòd fames, id eſt defectus cibi; & propter hoc paupertas cogit lupum infernalem exire de pauperibus, unde plurimùm pauperes liberi, & immunes inveniuntur à lupis, & leonibus infernalibus, divites verò plurimum ab eiſdem obſeſſi, ſicut legitur Eccleſiaſt. 11. Si dives fueris, non eris immunis à delicto, & Seneca: O quam difficile eſt divitiarum contubernio non corrumpi. Et quemadmodùm oſſa perfectè nudata à carnibus, à feris & avibus non frequentantur immò penitùs deſeruntur, ſic pauperes à ſæcularibus hominibus non curantur, ſicut ſupra oſtendimus ex 19. Proverb. Fratres hominis pauperis oderunt eum, inſuper, & amici ejus procul receſſerunt ab eo. Dives verò, cujus divitiæ patent, & innoteſcunt, eſt ſicut cadaver aſini, vel equi decoriatum, cujus carnes patent canibus, feris, & avibus, & propter hoc frequentantur ab ipſis, non quidem ad cuſtodiam, aut honorem, aut decorem, ſed ad diſcerpendũ, demordendum & devorandũ, quicquid prætendant exterius, ſicut dicit Salomon Eccleſiaſtes: Ubi multæ opes, ibi multi ſunt, qui comedunt eas. Seneca verò dicit, quia veniunt circa potentes divites homines hujuſmodi ſicut ad hauriendum lacum. Dives verò cujus divitiæ latent ſicut cadaver non benè decoriatum, ſed cujus carnes ſub pelle ipſius abſconditæ latent, & propter hoc non habet antedictam frequentiam, nec patitur hujuſmodi morſus aut devorationem. De hoc Proverbiorum 19. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſibi dona tribuentis De hoc Seneca; Prædam ſequitur turba iſta non homines: His malis carere volentes viri ſancti fugerunt divitias, & fugiunt. & hanc paupertatem ſcientes eſſe refugium tutiſſimum à tot, & à tantis malis, atque periculis, ad ipſam confugiunt, & de ereptione, immò immunitate ab ipſis non modicum parit eis gaudium, & hoc eſt paupertas de qua ait Seneca. Paupertas ſi læta eſt, paupertas non eſt. Nec eſt prætereunda dementia Regis illius, qui dixit, quia duo ſibi ſuper omnia alia in hoc mundo placebant, videlicet pulvis magnus, ſive pulverulẽtia in itinere ſuo, & tumultus magnus in aula. Quæ licet ex inani gloria dixerit, utrunque tamen videlicet in itinere pulverem magnum, & tumultũ aulæ, temporalis opulentia cõcitat, & paſcit. Qui autẽ hujuſmodi comitatu numeroſo gaudent, ſimiles ſunt animalibus quæ de multitudine diſcerpentium, & devorantiũ carnes ſuas gaudent Eodem modo ſimiles ſunt furibus, qui magna multitudine ducentium eos ad patibulum gloriarentur. Hæc quidem de nihilo paupertatis diximus. De paupertate verò, quam ſuprà contemptum divitiarũ nominavimus, dicemus aliqua poſt. Hæc igitur eſt, qua veriſſimè dicitur; Ego iſtas divitias, quibus ſe tam miſerabiliter ſubjiciunt inſaniſſimi avari, & cupidi ſub pedibus meis, poſui, pedibus inquam ſpiritualibus, id eſt affectibus; hujuſmodi enim pedibus illas calco & conculco, corde ſcilicet, dùm eas contemno. Ego ſervo mandatum illud, quod tam crebrò inculcat Dominus; ſubjicite terram. Ego enim totam terram, id eſt terrenam ſubſtantiam iſtam, mihi ſubjeci, ut ſub pedibus meis illam habeam. Ego peſſimam illam, vel reginam vel prioriſſam, videlicet pecuniam. cui omnia obediunt, ſicut ait Salomon Eccleſiaſt. 10. Pecuniæ obediunt omnia; non ſolùm à dominatione, & imperio quantùm ad me dejicio, & repello, ſed pedibus calco. Ego non ſolùm inter undas maris rubri, id eſt inter copias labilium, terreſtriũque divitiarum ſicco pede tranſeo, ſed etiam poſt exemplum Chriſti domini cum Petro ſuper ipſas ambulo. Et undas hujuſmodi pedibus, ut ſupra dixi, calco, ſicut legitur Matth. 14. & hoc eſt quod dicit Bernardus. Quia Petro novum iter, & novus modus ſervabatur itineris, quod dixit propter antiquos patres, quibus promiſſum erat in divitiis, hoc eſt inter divitias ambulare, id eſt vivere: Apoſtolis verò, & Apoſtolicis viris præcipitur deſuper conculcãdo, & calcando eas ambulare. Ego abominor eas, ut ſtercora, & manus meas tanquàm ab immunditiis ab illis excutio, & etiam lavo, ut docet Apoſtolus in 3. ad Philip. Ego indignor eis, ut vilibus, & me protsùs indignis. Ego ſeparo pretioſum à vili in parte iſta, ſicut præcepit Dominus Hieremiæ 15. me ſiquidem pretioſam à luto viliſſimo hujuſmodi divitiarum. Si enim affluant, nolo cor apponere, non dicam ſic apponere, ut caudam illud divitiarum faciam, & poſt me quocunque ierint illuc trahant, ſed nec etiam volo quòd eas tangat, vel tangatur ab eis, ſciens quoniàm coinquinaretur ab eis, ſicut legitur Eccleſiaſt. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, ſciens eas eſſe viſcum tenaciſſimum, & adhærentiſſimum, quo capiuntur, qui ſe illis affixerint, plerumque. Quemadmodùm aviculæ virgis viſcatis, quas ſi tetigerint, vel ſe illis affixerint, vel captæ detinentur per hujuſmodi viſcum, vel de plumis aliquas ibidem dimittere coguntur. Ego ſervo ordinẽ naturæ interiùs, quem exteriorem ipſe ordinator naturæ inſtituit; per hoc enim quod ſub pedibus corporis mei terram viſibilem creator poſuit, & me eam deſuper ambulantem calcare docuit, quod terram ſpiritualem, id eſt terrenam ſubſtantiam ſub pedibus cordis habere debeam, evidenter oſtendit, ipſæmet divitiæ me contemnunt, & me totis ponderum ſuorum conatibus deſerunt, fugientes ad locum ſibi naturaliter congruentem, niſi vim, vel violentiam eis intulero, mecum nunquàm ſunt, quantò fortiùs ego eas deſerere debeo, & earum contubernium aſpernari. Dedignor de fimo ſtabuli patris mei, non ſolùm mihi theſaurum facere, ſed etiam

Monachi & religioſi fures quomodo ſint.

Similitudo.

Paupertas

Pecunia obediunt omnia.

Simile.

Similitudo.

in bonis meis illum, aut divitiis computare; alioquin non regis filium, ſed ſpurium me potiùs & degenerem comprobarem. Stabulum eſt mundus iſte inferior in terrenis, qui eſt habitatio jumentorum, id eſt corporum noſtrorum. Fimus hujus ſtabuli eſt opulẽtia iſta terrenæ ſubſtãtiæ. Qualiter poteſt regis filius magis patrem regem offendere, vel evidentiùs ſpurium ſe oſtendere, quàm ſi neglecto patris palatio, immò regno, divitiiſque ſpretis, aut theſauris regalibus, pugillum fimi de paterno ſtabulo cõcupiſcat, & ſibi dari petat, obtentumque theſaurizet, & ex illo divitem ſe eſſe reputet? Scio quid mihi eſt in cœlo præparatum à te, & ſervatum, & ideò nihil volui ſuper terram, ſicut dicit David: Nemo enim fimum ſtabuli inter divitias ſuas computat, qui veri nominis dives ſit. Dedignor inſtar parvulorum denarios plumbeos, obolos plumbeos, & inſignia Sancti Jacobi habere pro nummis aureis, & pro moneta probatiſſima, ſciens quòd adultis cordatis, & ætate ſpirituali grandævis, ac maturitate ſapientiæ gravibus divitiæ iſtæ terrenæ, & nummuli plumbei ad divitias ſpirituales, & æternas nihil ſunt, ſicut legitur Proverbiorum 29. Sapientiæ 7. & Job 28 Theſaurizare terram talpis, & bufonibus omnibus reliqui, ſimiliter & ſerpẽtibus: cùm docuerit me Dominus per Iſaiam. Quia ſerpentis pulvis panis ejus. Tertia intentio paupertatis amor eſt ipſius carentiæ temporalium divitiarum, ut diximus: & hæc inter bona ſua hoc habet primum: quia ditiſſima eſt, & abundantiſſima admirabili abundantiâ, & ſtupendâ. Et hoc dupliciter: Primùm ipſa carentia, quam diximus temporalium abundans eſt, ſicut legitur Eccleſiaſt. 11. Eſt vir deficiens virtute, & abundans paupertate. Ipſam enim paupertatem fecit amando theſaurum eſſe nobilem, & ſuperbias divitias, & ea ditiſſimum ſe fecit quaſi theſauro pretioſiſſimo, quod cœleſtes divitiæ operantur; non minùs enim hujuſmodi paupertate, quàm terrenis divitiis æterna opulentia operatur.

Contemptus divitiarum.

Secundò per hanc ipſam paupertatem ditiſſima, atque abundantiſſima mens humana etiam terrenis divitiis, & jure pleniſſimo poſſidet illas, ac pro beneplacito ſuo vendit illas ſine injuria alicujus, ſimiliter & theſaurizat; ſtatim enim ubi paupertatem quis amplectitur, terrenas divitias cœleſtibus commutat, ut pro illis dimiſſis æternas mereatur, ſicut expreſsè dicit veritas in Evangelio Matthæi 5. & Luc. 6. Inſuper & in cœlo theſaurizat eaſdem ubi nec fures effodiunt, nec tinea demolitur, ſicut expreſsè legitur Matthæi 19. Cùm dixiſſet Petrus ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? quaſi diceret pro omnibus relictis quid dabis nobis? vel ſicut dicit ibidem Gregorius: Fecimus quod juſſiſti, quid ergo dabis nobis præmij? Manifeſtũ autem eſt, quia quodammodò præmium pretium eſt meriti, unde & præmium quaſi præemptum dicitur, quaſi præcedenti merito emptum: manifeſtum eſt, quia Petrus & alij omnia pro Chriſto relinquentes, ſic relicta Chriſto Domino vendiderunt, etiam quod non habebant; hoc enim commercio, ſive venditione ſua illa omnia fecerunt de ejus miſericordia ſumma, illa Chriſto Domino, ut diximus, vendiderunt, & in cœlo ipſo teſte, ut dixit in Evangelio Matthæi, illa theſaurizaverunt. Quare manifeſtum eſt, quòd divitiarum, quas non habebant actualiter, fœlici nobilique commercio hujuſmodi veros ſe poſſeſſores ac Dominos efficerent; alioquin ſapientiſſimus Deus, quem nihil latere poteſt, ac fideliſſimus, qui nihil à furibus, vel latronibus, ſeu quibuſcunque immeritis detentoribus vel dono, vel emptione iniqua recepit, vel habere vult, qualiter ab Apoſto-

Vide bonũ verbum.

E lis relicta hujuſmodi recepiſſet vel emiſſet? manifeſtum eſt, quia nec recepiſſet ad cuſtodiendum, ut theſaurarius eorum, nec emiſſet, niſi quæ ſua ſunt illorum eſſe indubitanter feciſſet. Manifeſtum igitur eſt, quia ipſis divitiis terrenis divites efficit hæc paupertas, veroſque earum dominos ac poſſeſſores, & longè nobiliùs uti eis, ac negociari in eis ſolo corde, deſerendo ſcilicet eas aut fugiendo, quàm contractando, ponderando, & menſurando, atque numerando, jumentaque, & vehicula eiſdem onerando, ſarcinas ligando, atque ſolvendo, complicata explicando, & convoluta evolvendo, quæ omnia ſine labore, & inquinatione manuum non fiunt. Hujuſmodi divitiæ ſunt, quæ relinquendo acquiruntur, & dimittendo retinentur, & omninò fugiendo comprehenduntur, animo habendi amittitur earum poſſeſſio, animo verò non habendi retinetur. Tertium bonum eſt hujus paupertatis **F** imperioſiſſima potentia, & dominatio in omnes alienas divitias terrenas, quas ſuas omnes efficit ſtatim, ut vult, & hoc invitis earum poſſeſſoribus: in quo etiam accidunt tria mirabilia, quorum primum eſt, quia abſque omni contactu, abſque omni dono ſuas facit amator paupertatis quaſcunque vult divitias alienas, theſauros omnes regum, & principum, & hoc ſolo nutu, & beneplacito voluntatis, quàm citò enim ex corde dicit: Nolo habere theſauros regios, vel imperiales, & hoc propter Chriſtum, ſtatim eos, & in cœlo theſaurizavit, & Chriſto Domino vendidit, ut ſupra diximus, & hoc ſine injuria alterius; illos igitur pleno jure ſuos efficit. Secundum bonum mirabile eſt, quòd ſine detrimento, & ſine diminutione, & ſine damno poſſidentium divitias eorum ſuas efficit, & acquirit, hoc eſt ſalvo ejus jure proprietatis, & poſſeſſionis per omnia. Tertium mirabile eſt, quòd pleno jure ſuas efficit, & acquirit, & poſſidet, & **G** nihilominùs eas jure pleniſſimo poſſident, & totaliter, atque integrè poſſeſſores earum; iſta enim poſſeſſio atque dominium in nullo poſſeſſionem, vel dominium lædunt temporalium poſſeſſorum, nec accipiunt. Eſt quartum mirabile, quia neque ſimilem poſſeſſionem, aut dominium excludit, aut in aliquo lædit, cùm quis hoc modo poſſederit, vel diſtraxerit theſaurum regiũ, & non prohibetur, quãvis alius eundem ſimiliter diſtraheret, venderet, vel poſſideret: ſicque in uno, & eodem theſauro regio, omnibuſque terrenis divitiis divites ſpirituales effici poſſint, quotcunque paupertatis hujus amatores, & dominatio iſta, quam prædiximus, non ſolùm extenditur in divitias, quæ ſunt, vel fuerunt, vel eſſe poſſunt, ſed etiam in eas, quæ nec ſunt nec eſſe poſſunt. Hoc igitur eſt de mirabilibus paupertatis iſtius, quòd de divitiis, quæ nec ſunt, nec eſſe poſ- **H** ſunt, ditiſſimos efficit pauperes ſuos; quàm citò enim ex corde dicunt: Nolo, quòd ſitis hujuſmodi divitiæ mihi, vel meæ, etiamſi eſſent, tàm citò theſaurizavit eas in cœlo, & Chriſto Domino vendidit dicto modo, ubi accidit & aliud mirabile, quia de nihilo, & quaſi de chimæris dives eſt homo hujuſmodi. Quartum bonum hujus paupertatis eſt jocunditas, & illa magna, immò ampliſſima, & hoc eſt quoniàm omne amatum jocundum, inquantùm amatum eſt, & tantò jocundiùs quantò magis, & majus amatum. Cùm igitur conſideraveris amplitudinem hujus paupertatis, videlicet carentiæ hujuſmodi divitiarum, invenies eam incomparabiliter jocundiorem, ſeu delectabiliorem, quàm temporales divitias, & hoc eſt quoniàm ſi non eſt comparatio amoris ad amorem, cùm amata inæqualia fuerint, non erit comparatio gaudij ad gaudium. Jam autem declaravimus in prima parte hujus tra-

Qui non theſaurizat ſibi in hoc ſæculo in altero theſaurizat.

Mirabile

Virtutum ad vitia nulla proportio.

ctatus de virtutibus ſcilicet, quia non eſt comparatio virtutum ad vitia, immò virtutes incomparabiliter majores ſunt, quàm vitia; quare incomparabiliter major eſt paupertas hujuſmodi, quàm avaritia contraria. Privatio verò & habitus ſemper æquales ſunt, quoniàm non excedunt ſe. Quare jocunditas ſeu delectabilitas paupertatis hujus incomparabiliter major eſt jocunditate, ſeu delectabilitate divitiarum temporalium. Quintum bonum hujus paupertatis eſt beatitudo propter quam dicitur: Beati pauperes ſpiritu, etſi miſeri videantur carne; ſimiliter & Lucæ ſexto: Beati pauperes. Declaratio autem hujuſmodi eſt miſeria divitiarum contrariarum, cujus multas partes ſuperiùs nominavimus, & numeravimus. Si ergo amor affluentiæ temporalis, ſive avaritia miſeria eſt, erit neceſſariò contrarius amor, hoc eſt paupertas de qua hìc agimus, beatitudo. Apparet igitur ex omnibus his, quàm amica ſit paupertas amicis ſuis, & quanta beneficia præſtet benefactoribus ſuis. Meritò igitur habet unde invitet, immò provocet ad amorem ſuum, & meritò inimica eſt inimicantibus ſibi, & moleſtiſſima perſequentibus illam. Cùm ergo dicit non ore, ſed ipſa veritate paupertas, eſto mihi pacificus, & ego ero tibi pacifica, & in nullo moleſta, deſine odire me, & perſequi juxta quod diximus ſupra, & invenies me tibi pacificam, & in nullo te offendentem; quid mirum ſi te inimicum & odientem, atque perſequentem me ego moleſto, & perſequor? Quòd ſi mecum inire volueris amicitiam, & amare, invenies me amantiſſimam, & beneficiorum, quæ ſupra nominavi, collatricem officioſiſſimam, quin inſuper divitiarum temporalium omnium dominantiſſimum poſſeſſorem te efficiam, immò verè divitem, & verè abundantem ex illis, quæ avaritia, atque cupiditas fallaciſſimè, & mendaciſſimè repromittunt, liberabo te à perditione, & fallacia divitiarum, & aliis malis, quæ nec æſtimationem habent, neque verum numerum; neque ſolùm divitem, & copioſum te efficiam, ſed etiam beatum. Ad quod ſi non ſufficeret ibi teſtimonium evangelicæ veritatis, & declarationes, quas præmiſi, addā & aliam irrefragabilem. Beatus enim eſt, qui & à miſeriis, & injuriis eſt abſtractus, & habet quod amat quanta affluentia, & copioſitate vult id ipſe habere, poſſidetque illud libertimâ, quietiſſimâ, pacatiſſimâ, & ſecuriſſimâ poſſeſſione. Hæc omnia ego pleniſſimè facio, quare ego beatum facio. Quòd ſi dixerit quis, quia paupertas non poſſidetur pacificè & quietè propter bella, & inſultus cupiditatum. Reſpondeo, quia amor paupertatis poſſeſſori ſuo hujuſmodi bella conſurgere non permittit, quæ etſi fortè conſurgerent, facillimè vincit in hujuſmodi certaminibus, & ipſa deſideria divitiarum temporalium facillimè enecat, & extinguit, obruens ea hinc malis divitiarum, inde verò bonis paupertatis, & propter hoc duplici contritione conterit ipſa. Quòd ſi dixerit, quòd alia bella conſurgunt adverſùs ipſum, videlicet ſuggeſtionum, ſuaſionum, conſiliorum, precum deſiderantium divitias: quod plerunque experti ſumus de multis bonis viris, qui hæc omnia perpeſſi de eis nobiliſſimè triumphaverunt, & paupertatem de tantis contradictionibus eripientes oblatis magnis, atque præclaris divitiis prætulerunt. Reſpondemus, quia iſta facillimè vincit & ſuperat ſimiliter amor paupertatis, nec bella paupertatis beatitudinem minuunt, quæ victoriarum gloriam illi addunt; gloria enim una pars eſt beatitudinis. Quòd ſi dixerit, quia paupertas jucunditatem minuit, reſpondemus quia detrimentum illud, & imminutionem non ſolùm ſupplet victoriarum gloria, ſed etiā longè plùs addit mihi veri gaudij, quàm illa vel detrahant, vel triſtitiæ ingerant. Manifeſtum autem

Beati pauperes.

Nota.

Quæſtio.

Reſponſio.

Amor paupertatis.

A eſt, quia viro veri nominis, hoc eſt in ſpiritualibus erudito, & provecto ridiculoſa eſt valde, immò contumelioſa, temporalium quantumcunque magnorum oblatio; eſt enim quemadmodùm oblatio pomorum aut nucum, aut inſigniorum ſancti Jacobi, aut quemadmodùm porrectio mammillæ. Quis enim vir non erubeſcat, & confundatur, immò qui non reputet ſibi contumeliam irrogari, ſi ei jam barbato, & in virili ętate corporali conſtituto offeratur pomum aut pirum, aut nux, aut inſignium ſancti Jacobi pro magno munere, aut ſuggenda papilla eidem porrigatur? Quis corporaliter vir non moleſtè ferat hujuſmodi oblationes? & non irrideri ſe putet, & non cum indignatione offerentem, & oblata repellet. Quia igitur incomparabiliter magis ſunt indigna virilitate ſpirituali quantumlibet
B magna temporalia, quàm illa minuta prædicta virilitate corporali: manifeſtum eſt, quia vir ſpiritualis virilitatis perfectæ, nihil patitur tentationis ab hujuſmodi oblationibus, quantumcunque ſuggeſtionibus, ſuaſionibus, conſiliis, precibuſque vallatis, niſi irriſionem, contumeliam atque moleſtiam Propter quod diximus, quia in hujuſmodi certaminibus facillimè paratur victoria. Debes autem ſcire, quòd paupertas hæc in ipſis divitiis amplioris gloriæ eſt, atque præſtantiæ: Juxta quod legitur Proverbiorum 13. Eſt quaſi pauper cùm in multis divitiis ſit Et ex eo quod legitur 2. ad Corint. 6. Tanquàm nihil habentes, & omnia poſſidentes. Et ex eo quod dicit Seneca, quòd magnus eſt, qui utitur auro, & argento tanquàm fictilibus, nec ille minor eſt, qui utitur fictilibus tanquàm auro & argento; hujuſmodi enim vir dupliciter theſaurizat divitias, & dupliciter negociatur in eis benè enim adminiſtrando, hoc eſt in piis uſibus exponendo, eas in cœlo theſaurizat,
C & inſuper non amando pecunias, vel alias laudes & victorias; eſt enim ſicut lilium inter ſpinas divitiarum illæſum, & abſque ulcere, ſicut legitur Canticorum 2. Et in medio ſtercorum impollutus, in medio aquarum aridus. In ipſo unco & hamo omninò liber, & in nullo detentus, in medio laqueorum explicitus, & omninò inceptus. Sunt & aliæ innumeræ laudes ipſius, eſt & alia miranda prudentia paupertatis iſtius, qua ſcilicet retinentur, & ſervantur hujuſmodi arcā temporales divitiæ, & nihilominùs in theſauris cœleſtibus reponuntur; qui enim ad pios uſus divitias hìc ſervat, & piè, hìc non claudens viſcera ſua indigentibus eis, non ſinens præ inopia vel animas pauperum perire, vel corpora, & in cœlo eas hìc ſervando repoſuit, & tamen eas hìc retinuit; corde enim ad quod Deus reſpicit eas Deo obtulit, & tamen actu, & veritate penes ſe eas retinuit.
D Miſeranda cæcitas avarorum, & cupidorum, & penè non miſeranda perditio, qui ſe ſimul perdunt, dùm nec ſeipſos, nec pecuniam poſſident, ſed eam potiùs ſe ſomniant poſſidere, à qua miſerabiliter poſſidetur. Generaliter ergo ſcito, quia pecunia piè retenta, atque ſervata, jam coram Deo expenſa eſt, & eidem oblata, quod diximus propter quoſdam, qui ſub prætextu pietatis impiiſſimè ſervant pecunias, dùm eas retinendo, egenos occidunt. Juxta illud Ambroſij: Niſi paveris occidiſti, ac ſi pauperum egenorum mors ſpiritualis, vel corporalis non ſit eis imputanda occurrere valentibus, & non volentibus: Hujuſmodi enim homines expectant, ut ferè totus mundus fame pereat, & hoc, victualia retinendo, ipſi, inquantùm in eis eſt, procurant. Quare egeſtas & afflictio pauperum ſingulis eorum pro parte, & rata imputanda eſt; omnibus autem ſimul ſumptis tota, & hoc eſt, quoniàm omnes inſimul penuriam victualium, & egeſtatem pauperum faciunt, dùm victualia eis communicanda abſcondunt, nec tam

Singularia & notanda.

Seneca.

Cæcitas avaritiæ.

In avaros.

Digitized by Google

abſcondunt, quàm etiam auferunt, dùm eis in tanta neceſſitate, & indigentiâ negantur. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia qui divitias ad pios uſus ſervant, & etiam, qui ſincerè in eis propter pios uſus negociantur, jam eas ſibi ſervando, & retinendo in theſauros cœleſtes tranſtulerunt; pios autem uſus non ſolùm pauperum alimonias, & ſuſtentationes Eccleſiarum, & aliorum pias ædificationes, beneficiorum Eccleſiaſticorum fundationes intelligimus, ſed etiam uxorum, filiorum congruas proviſiones, cùm ad Dei honorem, & gloriam, & ſalutem referuntur ipſorum, ſcilicet cùm propter hoc negociatur quis, ne uxor ejus penuriam patiatur, propter quam apoſtataret, vel blaſphemet, & adultera efficiatur. Similiter & de liberis, ne aut in Dei contumeliã veniãt, aut in perditionẽ propriã, aut in perſonam propriã nemo dubitare debet, quin jam Deo pecuniã illã obtulerit, & quin Deo illam habeat, & non ſibi: quare in theſauros cœleſtes jam illam tranſtulerit cùm Deum ipſius fecerit poſſeſſorem. Si quis autem quærat de contemptu divitiarum, & fuga, atque odio in qua vi unumquodque eorum ſit, remittimus eum ad ea, quæ jam diximus, ubi affectiones animarum noſtrarum nominavimus, & numeravimus. Contemnendæ enim ſunt divitiæ, ut viles, & abominandæ, ut ſtercora, & fugiendæ ut pericula, & odiendæ, ut noxiæ, & indignandum eſt eis, ut indignis nobilitate noſtra, & projiciendæ, ut onera, & ita de aliis. De quibus omnibus affectionibus non eſt difficile videre, quæ quibus viribus conveniant, aut in qua earum unaquæque hujuſmodi affectionum ſit.

Nota.

Contemnenda divitia.

CAPUT X.

Ad humilitatis laudes tranſit, quam paupertatem ſpiritus in ſacris eloquiis Doctores interpretantur.

POſt paupertatis laudes, meritò ſequuntur laudes humilitatis, cùm paupertatem ſpiritus multi ex ſacris Doctoribus humilitatem intelligant, ſicut apparet expoſitionibus, quæ ſuper 5. Matthæi leguntur. Has autem non ex perſona humilitatis ſcribemus quia contra naturam humilitatis eſt laudes proprias prædicare. Verus humilis, & laudes ſuas audire refugit, & auditas erubeſcit. Et ſicut beatus Bernardus dicit. Verè humilis non vult videri humilis, ſed vilis. Hujus ergo primam laudem ponimus ipſas laudes fugere, quas quidem fugit, ut virus ſibi mortiferum, ut ſagittas mellitas, quæ indubitanter juxta literam venenatæ ſunt, hujuſmodi ſagittis transfigitur, & occiditur humilis, in pleriſque fugit eas, ut ſermones faſcinãtes, quibus reverà parvuli adhuc ſpiritualiter veriſſimè faſcinantur. Sicut enim vetulæ dicunt, parvulos faſcinari quorundam hominum, vel mulierum laudibus ad literam; ſic veriſſimum eſt, quòd qui adhuc nondùm viri perfecti ſunt, ſed ſpiritualibus viribus, ac ſenſibus parvuli ſunt, laudibus hominum faſcinantur, hoc eſt onerantur, & gravantur uſque ad defectum ſpiritualem. Et hoc eſt, quod legitur Sapientiæ 4. Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona. Et quemadmodùm parvuli audiunt ſe laudari, dùm dicitur eis à vetulis, ut reminiſcantur faſcini, credentes quòd hujuſmodi rememoratio defendat eos à faſcino; ſic dicendum eſt & parvulis ſpiritualibus, & incomparabiliter fortiùs quòd ſecundùm veritatem indubitatam, ut quotiens laudantur, vel laudes eorum recitantur, faſcini illius reminiſcantur; qui enim tanti morbi tantique periculi illâ horâ reminiſcuntur, humilitatem ſuam in tuto ponunt, ut etiam alias virtutes, & hoc eſt, quoniàm laudes ipſas, ut noxias, & tam periculosè faſcinantes rejiciunt. Iterùm fugit eas verè humilis: ut rete expanſum greſſibus ſuis, quod rete fruſtra jacitur ante oculos pennatorum, hoc eſt cordium virtutum levitate, atque agilitate præditorum. De hoc reti Proverbiorum viceſimo. Homo, qui blandis, fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, quaſi rete expandit greſſibus ſuis. Heu quot ſunt, qui in hujuſmodi retibus capiuntur, & quod eſt majoris dementiæ, ipſos hujuſmodi piſcatores diabolicos magnis donariis remunerant, & honorant, & hujuſmodi retia pretiis incomparabilibus emunt; nihil aliud enim ab adulatoribus, & laudatoribus ſuis tanto pretio munerum petunt, quàm ut vaniloquia laudum ſuarum inde recipiant. Infœlices ac dementiſſimi mercatores, qui mendacia immò chimæras tam vanæ confictionis tam carè emunt, hujuſmodi homines etiam chimæras, & inopinabilia vocare ſolemus, pro eo quòd in opinione hominum, & aliena confictione tantùm conſiſtunt, non re vel veritate, & hoc quantùm ad mores, & ſcientias etiam reputatione ſua; nihil enim ſe eſſe reputant, niſi quòd in opinione hominum ſunt in parte iſta, hoc eſt nihil ſe ſcire, vel valere, niſi quòd vel ipſimet de ſe ſomniant, aut quod de ſemetipſis credunt alios ſomniare; non enim veritatem de ſemetipſis, quam præſentem apud ſe habent, videre, vel etiam intueri prævalent, ſed hoc ſolùm de ſe credunt, quod eis homines, vel fallaciter ſuggerunt, vel aliter mentiuntur. Quod intellexit poeta dicens. Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli. & ex perſona hujuſmodi hominum dixit alter. Scire tuum nihil eſt niſi te ſcire hoc ſciat alter. De hoc Apoſtolus ad Galatas 5. Quicunque putat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit ille ſe ſeducit. Et iterùm primæ ad Corint. 3. Quicunque putat ſe ſcire, nondùm novit quemadmodum oporteat eum ſcire; forſitan enim hoc eſt principium veraque ſalutaris ſapientia noſſe ſe nihil ſcire. Et ad hoc principium ſe attigiſſe gloriatus eſt Plato dicens: Hoc ſolùm ſcio, quod neſcio, vel ſecundùm aliam literam: Hoc ſolùm ſcio, me nihil ſcire. Fugit laudes ſuas verè humilis ut res alienas, ne furti reus efficiatur ſi eas admiſerit, vel ad eas captandas quolibet modo cor per deſiderium extenderit, quemadmodùm Tobias cùm efferretur ei hædus, dixit. Videte ne furtivus ſit, nolens comedere de furto, vel rapinâ; ſic cùm ſoli auctori, & largitori bonorum laus & gloria de bonis debeatur, ut fur, & latro eas quicunque alius eſt ſibi vendicat, & de furto, & rapina comedit, qui laudibus paſcitur niſi in Deum illas referat, ſicut dicit in Pſal. Gloriemur in laude tua. Qui autem ſuas eas facit, hoc eſt, ſibi appropriat, furtum immò ſacrilegium committit in Deum; laudes enim omnes ſicut & alias partes divini cultus Deus ipſe ſibi ſoli conſecravit, ſicut ipſemet dicit per Iſaïam 48. Gloriam meam alteri non dabo, neque laudem meam ſculptilibus: Sed & omnem gloriam, & laudem ei confitetur omnis Eccleſia ſanctorum die ac nocte dicens. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Et iterùm. Gloria tibi Domine, & Apoſtolus ad Romanos 11. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum Amen. Et iterùm in primo 2. ad Timot. Regi ſæculorum immortali inviſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Nec conſuevit Eccleſia ſanctorum dicere benedicamus homini, vel homini gratias, ſed Benedicamus Domino: Deo gratias. Fugit igitur verè humilis ex humilitate laudes quas de ſe prædicare audit, ut furtivas, ut alienas à ſe; unde & propriùs ſermo verè humilis eſt ad omnem ſibi oblatam, vel de ſe prædicatam laudem, vade ad Deum. O tu laus non te admitto, te repello, & ad Deum cujus propria es, & jure ſingulari ſua te tranſmitto. Ita quidem faciendum eſt; ſed dicit Gregorius. Multos inveniemus inanis gloriæ

Humilitas eſt paupertas ſpiritus.

Laudes hominis faſcinatrices.

Rete blanditiarum.

In adulatores, & qui illis ſe permittunt.

Perſius.

Plato.

Humilis fugit ſuas laudes.

Nota.

Repulſa laudis.

A gloriæ non cupidos, ſed oblatam quis reſpuit? Fugit laudes hujuſmodi, ut illuſiones; quemadmodum enim dicit beatus Bernardus: Quia omnis purpura illuſionis laus eſt, poſtquàm domino in purpura illuſum eſt: ſic & omnis laus illuſio, poſtquàm domino Jeſu illuſoriè dictum eſt: Ave Rex Judæorum: hoc autem facile eſt videre in peccatoribus, cùm laudantur. Quid eſt peccator in via perditionis poſitus niſi fur, qui ducitur ad infernale patibulum ibi ſuſpendendus? in hac via ſi quis eum laudaret, vel ſi quis ei cantaret, aut cytharizaret, illudi ſibi ſolummodò reputaret. Similiter ſi quis Carolo laudes Arcturi cantaret, non ſe laudari Carolus, ſed magis irrideri cognoſceret. Sic & viri ſancti cùm laudes quorumcunque bonorum hominum non ſuas, ſed alienas eſſe pro certo ſciant quantumcunque ab eis laudantur aut prædicantur, non laudari ſe reputant,

B ſed potiùs ſibi illudi. Quemadmodùm ſi quis laudaret parietem aut feneſtram parietis pro eo, quòd ſolis radium peperiſſet, cùm via tantùm ſit, & inſtrumentum, per quam, vel per quod ſol radium ſuum transfundit in domum, & ipſe fatuus reputaretur, & paries ſeu feneſtra, ſi intellectum haberet, tantùm illuſionem laudem hujuſmodi reputaret. Sic eſt, quòd omnium bonorum operum ſolus Deus actor eſt, & effector, ſicut dicit Apoſtolus in 12. primæ ad Corin. Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus, & Iſaiæ 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis domine. Et iterùm Apoſtolus 2. ad Philip. Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Nihil agitur, vel penè nihil eſt noſtrum in bonis operibus noſtris; quare nihil omninò laudis inde nobis debetur. Meritò igitur, ſive peccatores, ſive juſti ſint, qui laudentur, illuſionem debent laudem omnem hujuſmodi reputare.

Nota.

Similitudo.

C Ampliùs. Si verè vanus, hoc eſt amator inanis gloriæ ſic ſe habet ad verè humilem, ut irriſio, ſive illuſio ad laudem, erit & permutatim, ut quemadmodùm verè vanus ad illuſionem, ſic verè humilis ad laudem, & hoc eſt, quod quærimus. Quare ſicut ille ſibi illudi reputat illuſionibus, & vituperationibus, ſic verè humilis ſe laudibus reputat irrideri: ex quo etiam manifeſtum eſt, quòd ſicut ille paſcitur mendaciis vanè laudantium, ſic iſte opprobriis vituperantium; contrariorum enim contraria eſſe alimenta neceſſe eſt, hæc humana laus ſcilicet panis eſt mendacij, de quo Proverbio. 20. Suavis eſt homini panis mendacij, & poſtea implebitur os ejus calculo. Quia verò hujuſmodi mendacia non ſunt niſi conficta, ſive ſomniata, opinata, atque figmentata & propterea chimeras dicimus, quia hujuſmodi homines miraculo quodam

Adulatores chimeras offerut.

D diabolico paſcuntur chimeris, & qui hujuſmodi laudes eis offerunt chimeras eis ad comedendum apponunt. Fugit etiam has laudes, ut ignem vehementiſſimum, & fornacem ardentiſſimam quibus in puncto temporis conſumitur, quem Deus non protexerit, ſicut legitur Proverbiorum 27. Sicut in igne probatur aurum, & in conflatorio argentum, ſic homo probatur ore laudantium. Quid ergo mirum, ſi timet humilis à facie tam terribilis ignis, multo frigore timoris Dei trementes, & congelantes oportet eſſe, quibus tanti ignes inveniuntur, vel qui inter tã ardentes ignes verſantur. Heu quot, & quantorum bona hujuſmodi ignibus conſumpta ſunt ſcientiarum, ſcilicet, & virtutum, donorum, & gratiarum, nec hoc adverterunt. Timebat Job hoc qui nec videre ignem hujuſmodi auſus erat. Sicut ipſemet dicebat 31. Si vidi lunam incedentem clarè, ideſt famã meam abſque denigratione, ſeu obſcuratione detractionis pervagari, ſive dilatari, quàm extinctus, ſive mortificatus eſt corde qui tantum ignem non ſufficit ſentire? Tanquàm incendiarij igitur, & combu-

Nota.

A ſtores bonorum noſtrorum fugiendi ſunt laudatores. Væ inſaniis, atque dementiis noſtris, qui tantopere laboramus, ut bona noſtra talibus pateant, & exponantur incendiis. Quod Ariſtoteles vidiſſe videtur dicens. Ad gloriam eſt, quod nec cum ſciente quis feſtinat adeſſe. Accedit ad cumulum excæcationis, vel execrationis iſtius. quòd incendiarij hujuſmodi magnis mercedibus conducuntur. & ipſa incendia ingentibus pretiis comparantur; væ magnatibus in parte iſta, immò in damnatione iſta, qui ſacrilega impietate in ſubditos ſuos quos fovere, & defendere ab aliis omnibus tenentur, pro hujuſmodi incendiariis ditandis, remunerandis omni crudelitate, & omni fraude & omni dolo omnique iniquitate excoriant, & membra Chriſti violenter expoliant, & nuda dimittunt, ut membra diaboli induant, & operiant, ac etiam exornent.

In prælatos qui adulatoribus ſe permittunt.

B Quòd ſi quis dixerit, quòd poſtquàm nonnullę hujuſmodi laudes illuſiones, irriſiones, ſeu contumeliæ ſunt: humilitas ergo non debet iſta fugere, immò amare, & amplecti. Reſpondemus, quia hujuſmodi illuſiones ſcilicet laudum, ſi ut illuſiones offerrentur reverà verè, ac perfectè humilis illas amplecteretur, quemadmodùm & Chriſtus dominus cùm illudebatur ei dicendo. Ave Rex Judæorum. Sed quia offeruntur ut laudes eas refugit, fugit eas, ut venenum mortiferum ſive ſagittas venenatas quibus humilitas necatur, ut veneno, & lætaliter transfigitur, ut jaculis acutiſſimis. Fugit eas, ut defraudatrices æternæ mercedis pro mercede ſe ingerentes: ſicut dicit veritas Matth 6. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et iterùm. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Fugit eas, ut ventum extinguentem lucernam ſanctitatis, & gra-

Nota.

C tiæ, quam qui hujuſmodi venti flatibus exponit, quid aliud, quàm eam extingui quærit. Fugit eas, ut ventum auferentem, & rapientem in longinquũ, de quo dicitur. Quia impij ſicut pulvis quem projicit ventus à facie terrę. Quotiens enim audit non verè humilis ſe laudari, vel Romæ, vel Coloniæ, corde illuc ſtatim rapitur, & tranſportatur, & hoc eſt, quod legitur Job 27. de hypocrita, qui totum agit cauſâ vanæ laudis; Tollet eum ventus urens & rapiet eum turbo de loco ſuo; Huic vento verus humilis dorsùm vertit, avertit enim ſe ab ipſo, & ideò ventus iſte ſequitur ipſum. Unde Greg. Hoc ſolùm habet glorioſum humana gloria, quòd amatores ſuos contemnit, & diligit contemptores, & verè umbra eſt, vel umbracilis iſta gloria, vel laus, quæ fugit inſequentes ſe, & inſequitur fugientes. Fugit hujuſmodi laudes, ut ventum turpiſſimè dejicientem ex

Gloria fugit ſe appetentes.

D equo, vel de arce virtutum, tantò quippe miles ſanctæ militiæ adſcriptus hujus venti impulſu turpiùs cadit, quantò ipſe ventus debilior; eſt enim velut mollis zephyrus, & ſibilus aurę tenuis ſuſurrium vanæ laudis; non enim eſt velut vehemens borealis flatus, aut ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, de quo legitur 19. tertij Regum. Quemadmodùm igitur miles ille quem in haſtiludio ludentem ventus irruens in ſterquilinium, de equo dejecit, perpetuò opprobrio habitus eſt, & irriſioni ſemper poſtea patuit hominum; ſic & qui ex equo ſpirituali tàm levi, ne dicam impulſu, ſed ſibilo dejicitur, meritò perpetuæ irriſionis incurrit opprobrium. Fugit eas, ut ventum elevantem ad alliſionem, ſicut legitur Job 30 Quaſi ſuper ventum ponens elevans alliſiſti me validè: Iterùm, quaſi urentem, & conſumentem omnia bona gratiarum, ſicut ſupra oſtendimus. Iterùm quaſi ventum æruginantem ſegetem virtutum. Et hoc eſt, quod legitur Amos 3. Percuſſi vos in vento urente, & in ærugine multitudinem hortorum veſtrorum percuſſi, ideſt percuti vos permiſi. Iterùm

Similitudo.

Digitized by Google

ut ventum mollem, & diſſolventem, atque enervantem vigorem virtutum. Iterùm ut ventum fœtu diabolico, qui ſuperbia eſt, animas impręgnantem: Sicut narrat Iſidorus; Quòd in inſula quadam Portugalliæ equæ auſtro, vel favonio imprægnantur, qui ventus favonius antiquitùs nominabatur quaſi flatus, vel ſatus bonus: eſt enim ſuavis vox laudantium non verè, nec perfectè humilibus. Iterùm ut ventum elevantem ad præcipitium, de quo pſal. Dejeciſti eos dùm allevarentur: Ipſa enim elevatio in ſuperbia dejectio eſt, & caſus ab alto virtutum, de hoc Proverbiorum 16. Contritionem ſuperbia præcedit, & ante ruinam exaltabitur ſpiritus. Iterùm ut ventum inflantem, & ſtrumam horrificam in animam humanam inducentem: propter quod in ſermonibus declamatoriis inflatores veſicularum diabolicarum adulatores vocare conſuevimus. Fugit eas ut cãtum ſirenarum ſomnium periculoſiſſimum inducentem. Fugit ut potionem ſomniferam & ſopotificam, quã nonnulli latrones porrigere ſolent eis, quos occidere, vel ſpoliare volunt. Unde & vulgari gallicano dicitur, cùm auditur aliquis alij adulari, modò ſoporat illum, & ita parat viam diabolo ad occidendum

Equæ vento gravidæ.

F dum illum ſpiritualiter, vel ſpoliandum, propter quod adulatores tibicinatores diabolicos, vel etiam tibias vocare ſolemus, mos enim eſt magnatibus poſt ſumptum cibum tibicinatores advocare ad provocandum ſomnum, vel ad hoc, ut magis placitum illum faciant magiſque concentu hujuſmodi tibiarum. Sic & diabolus, qui dormire, & requieſcere quærit in cordibus ſuorum, velut clavos, & ſtimulos, velut ſonitum tubarum, atque tonitruorum fugit ſacra eloquia, vanis autem laudibus, & adulationibus velut tibiarum ſuarum concentibus ſoporatur, & placidè quieſcit. Fugit eas verus humilis, ut illuſionem deceptoriam, quomodò illuditur adhuc puer à nutricibus, & matribus, qui cùm ceciderit, & ſe capite, vel alio membro graviter alliſerit, & vulneraverit, dicunt ei, quàm benè ſaltaſti fili mi, & ita dementant eum, & infatuant, ut caſus obliviſcatur, & vulneris dolorem non ſentiat, & nec cecidiſſe, nec vulnus accepiſſe ſe doleat, ſed magis gaudeat ſe benè ſaltaſſe; ſic enim cùm laudatur peccator in deſideriis animæ ſuę, & iniquus pro ipſa iniquitate benedicitur: quid aliud ei fit niſi quòd caſus in ſaltum, & vulnus peccati mortiferum in ſaltum ſublimem, & factum egregium diabolico ei præſtigio transformatur? Similiter & qui gloriatur in malitia, quid niſi caſum miſerabilem, atque turpiſſimum in ſaltum magnificum interpretatur, & hoc non pueritiæ inſipientia, ſed puerilitatis dementia mente captus. Fugit eas, ut maledictionem. Sicut dicit Salomon Proverbiorum 37. Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens maledicenti ſimilis eſt. Irriſor enim, & maledicus ſimiles ſunt. Vox autem grandis laus excedens menſuram meritorũ hic intelligitur, quæ vox non auditur, niſi nocte mentis, ideſt in tenebris, quæ veritatem videri prohibent meritorum. Unde Socrates cuidam adulatori dixiſſe fertur. Nihil proficis adulator, cùm te intelligam. De hoc dominus Malac. 2. Maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam ipſis. Et quemadmodùm Pſal dicit. Maledicent illi, & tu benedices: ſic mandavit econtrariò intelligendum, benedicent illi, & tu maledices. Item fugit eas verè humilis, & horret, ut vivus propriæ mortis exequias, & proprium funerationis officium; commendatio enim officium eſt mortuorum, & officium mortuorum incipere ſolet à placebo, quod eſt verbum proprium adulantium. Placere enim quærunt per commenta, atque figmenta vanarum laudum. Fugit eas, & horret, ut propriam ſepulturam vivus. Super

In adulatores.

Verus humilis adulationes fugit.

Socratis dictum in adulatorem.

Placebo verbum adulantiũ.

E enim verbum illud Matthæi 8. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, dicit auctoritas. Mortuos mortuus ſepelit, cùm peccator peccatori adulatur. Sepeliri igitur ſe patitur, qui ſibi ſuſtinet adulari quare mortuum eoipſo ſe confitetur, qui ſe ſic ſuſtinet ſepeliri, ſimiliter qui procurat ſibi impendi hujuſmodi exequias, propter quod ſacerdotes diabolicos, & infernales adulatores plerunque vocamus, cùm officium ſepelendi mortuos diabolicos ſibi aſſumpſerint; ſacerdotis quippe officium eſt mortuos ſepelire. Inter autem laudes humilitatis proprias illam primam ponimus videlicet ſecuritatem à caſu: De qua Auguſtinus. Humilitas in imo eſt, & ideò non habet quo cadat. Meritò ergo à caſu ſecura eſt, propter quod ipſa fundamentum viæ dicitur, quæ via mandatorum Dei eſt. Et viam veritatis eam ſæpè nominavimus; crepidines enim viarum periculoſas viantibus, & equitantibus plerunque eſſe manifeſtum eſt, & ideò dicitur eis uſualiter. Ite in profundum viæ, quaſi per profundum ſecurior ſit ambulatio, quàm per crepidines, & alta viarum periculoſa, alia enim eſt ei ſecuritas, ex hoc, videlicet quòd à

Mortuos ſepelire mortuos quid.

Securitas à caſu laus eſt prima humilitatis.

F plaga divinæ iræ, ſive vindictæ ſecura eſt, frangit enim Deus omnem ſuperbum; & iterùm in pſalmo. Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum; & Iſaïæ 51. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Iſtæ ſunt turres, de quibus legitur ejuſdem Iſaiæ 2. dies Domini ſuper omnes cedros libani ſublimes, & excelſas, & ſuper omnem turrim excelſam, & multa alia per totum reſiduum capituli de hujuſmodi legitur. Et ejuſdem 30. Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem elevatum rivi currentium aquarum in die interfectionis multorum, & cùm ceciderint turres, ceciderint inquam ictu fulguris à Deo emiſſi. Eſt & tertia ſecuritas ex infimo ſuo contra impetum venti cujuſcunque tentationis; perflant enim altiſſima ſuperborum cordium venti, ideſt impulſus ſive flatus tentationum, humilitas verò in infimo ſedens ab his im-

Securitas ex infimo eſt.

G munis eſt, quaſi ſedens in umbraculo ab æſtu ardoris, & ſęcularium deſideriorum, & in ſecuritate, & abſconſione à turbine & à pluviâ, & eſt ſicut vir, qui celat ſe à tempeſtate, ſicut legitur Iſa. 4. Eſt etiam ei quarta ſecuritas in judicio aquę, ne deſuper fluctuans velut convicta per hujuſmodi judicium damnetur; fundum enim petit, & in fundo reſidet; qui enim ambulant in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, qui fluitant ſuper aquam mundanæ labilitatis in judicio hujus aquæ convicti damnationi patent, & ſe vento tumere ſuperbiæ fluitatione hujuſmodi confitentur. Et hoc eſt, quod legitur Oſeæ 10. Tranſire fecit Samaria regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ. Spuma enim nihil aliud eſt, quàm aqua ventum, vel aëra continens, atque circumvolvens. Eſt ei etiam ex hoc quinta ſecuritas ab imminenti futuri judicij ventilatione. Cùm enim ventilabit

Spuma quid.

H Chriſtus dominus aream ſuam, in qua invenientur paleæ, invenientur & grana, paleæ rapientur in ignẽ inextinguibilem vento hujus ventilabri; grana verò humilitate cuſtodiente, & protegente ſalva recondentur in horreum cœleſte, ſicut legitur Lucæ 3. Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni: cujus vẽtilabrum in manu ejus &c. Eſt etiam & ſexta in judicio ignis, præſentis ſcilicet tribulationis; quemadmodùm enim vaſa figuli cùm ventum incluſum in ſe habuerint propter diminutionem commixtionis argillæ, & aquæ, vel crepant in ipſa fornace, vel inde exiliunt vento hujuſmodi multiplicato, & quęrente liberum exitum, & non habente; ſic qui tument vento ſuperbiæ in hujuſmodi igne, ſcilicet pręſentis tribulationis, vel crepant per iram, & impatientiam tentationis turpiter ſuccumbentes vel inde exiliunt

Sexta ſecuritas.

Digitized by Google

exiliũt eaſdem turpiſſimè fugientes;& hoc eſt, quod legitur Eccleſiaſtici 2.In igne probatur aurum,&argentum, & homines receptibiles in camino humiliationis. Eſt enim ei ſeptima ſecuritas ab igne gehennæ. Unde Auguſtinus. Qui non tumet vento ſuperbiæ, non crepabit in igne gehennę: & quia omnis tempeſtas à vento concitatur ſuperbiæ, nec abſconditum tempeſtatis,quo tota navis ſanctę converſationis confringitur, totum ædificium ſpirituale evertitur,timendum eſt ei,ſed neque tempeſtas futuri judicij: abſconditum tempeſtatis eſt ſuperbia, quam plerunque nec ipſe videt aut ſentit, qui ejus naufragio perit, de hoc in pſalmo. Liberavit te in abſcondito tempeſtatis. De futura verò tempeſtate alibi in eodem. In circuitu ejus tempeſtas valida. De utroque verò intelligi poteſt, quod dicitur in pſal. In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis. Spiritus quippe ſuperbiæ vehemens dicitur non fortitudine, ſed magnitudine, & multitudine nocumenti.

Septima ſecuritas.

Secunda laus humilitatis.

Secunda laus humilitatis eſt parvitas ipſius, & à prima parte parvitatis, quæ eſt depreſſio contraria altitudini, non timet humilitatem, ideſt baſſitatem januæ cœleſtis; ſecura enim eſt, quòd non offendet in illam; propter hoc dictum eſt, quòd nimis elatam caſtigant limina frontem. Nec eſt contenta propria depreſſione, aut brevitate humilitas, immò ſemper ſe inclinat, & deprimit etiam, cùm nõ neceſſe, ideſt, cùm non eſt timẽdum ei ab offenſione frontis ad ſuperliminare, quemadmodùm anſer, vel oca, quę portam quamtumcunque altam ingrediens, ſemper caput & collum ſuum deprimit, & dimittit, ſeu ſubmittit, ac ſi timeret offendere in altam portam. A parte verò ſecundæ dimenſionis, quę eſt latitudo, pro qua humilitas habet anguſtiam ſolam, quę eſt defectus latitudinis, eſt ei facultas intrandi per anguſtam portam regni cœleſtis abſque ullo obſtaculo. De hac porta dicitur Lucæ 13. Contendite intrare per anguſtam portam. Quòd verò ſequitur, quia multi quærent intrare & non poterunt, propter ſuperbos dictum eſt, qui eouſque ſe dilatant, atque aſcendunt, quòd capere eos non poteſt portæ illius anguſtia. A tertia verò dimenſione, quæ eſt profunditas, ſive ſpiſſitudo, eſt ei divinæ magnificentiæ, & magnitudinis capacitas; & hoc quoniàm hujuſmodi ſpiſſitudine, ſeu profunditate, quæ apud geometras craſſitudo vocatur, eſt ei vacuitas, & inanitas, verè enim humilis à ſeipſo, & ſuis omnibus vacuus eſt & inanis: unde & de Chriſto domino dicit Apoſt. in 2. ad Philip. Qui ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, hoc eſt, perinde ac inanis, & vacuus eſſet à plenitudine divinitatis, ſe geſſit, & exhibuit miniſtrum immò ſervum humillimum, non quòd divinitatem abjecerit, vel ullo modorum minuerit, ſed quòd eam non oſtenderit, & ſervum per omnia ſe exhibuerit. Sic & verè humilis bona, quæcunque habet, à ſe rejicit, & evacuat, non quidem extinguendo, aut projiciendo, ſed non ſibi tribuendo, immò Deo; & fortè propter hoc humilitas dicitur omnis juſtitia, Matth. 3. Ubi dixit dominus ad Joannem Baptiſtam. Sine modò, ſic decet nos implere omnem juſtitiam, ubi dicit auctoritas, humilitatem. Omnis enim juſtitia eſt perfectiſſima, & cumulatiſſima, quæ ſolet totum, quod eſt alienum à ſe rejicere, & totum ei, cujus eſt, dare; & hoc plenè implet humilitas, quæ omne bonum, ut alienum à ſe modo, quo diximus, removet, & rejicit, & Deo, cujus eſt, attribuendo reddit. Superbi verò adeò pleni sũt, ut Deus nec in eis, neque cum eis valeat habitare. Indicium autem immoderatæ plenitudinis triplex eſt: videlicet tumor ſeu ſtruma, qua omnes ſuperbi deturpati, ac deformati ſunt horribiliter. Alia autẽ effuſio ſuperefflues, & hæc eſt ſpiritualiter in ſuperbis jactantia, quaſi enim bona ſua jactando evomẽtes effundunt. Et hoc eſt, quod legitur Eccleſiaſtici 21. Gratiæ fatuorum effunduntur. Tertium indicium eſt crepatio, qua cor ipſum quodammodò dirũpitur ad dilaceratur; Superbus enim bonis, quæ videtur habere, ſe implet, dùm ea ſibi retinet ſua faciens, & ſibi attribuẽs, & quòd eſt de monſtris horrificis ſuperbiæ, & abuſionibus ejus incogitabilibus etiam eis, quę foris longiſſimè ſunt ab eo, ſeipſum replet uſque ad nauſeam jactantiæ, & crepationem impatientię; propter hoc ergo ab humilibus honorari dicitur De' Eccl. 3. Quia & ei advenienti, & inhabitanti omnia cedunt, & à ſeipſis ſecedunt ſpatium eidem in ſemetipſis ampliſſimum facientes, & totum ei cordis hoſpitium dimittentes; propter quod etiam dictum eſt illud Iſaïæ. Hæc dixit ſublimis, & excelſus inhabitans æternitatem, & cum contrito, & humili ſpiritu habitans, quia humilis ſpiritus dum nihil de ſeipſo occupat, in nullo ei domum cordis anguſtat, & propter hoc ſpatioſè Deus apud ipſum habitat, & cum ipſo.

Nota.

Humilitas dicitur omnis juſtitia.

Indicium immoderatæ plenitudinis triplex.

Ex tota verò parvitate, ideſt ſecundùm omnem dimenſionem eſt ei patens, & liberum omne effugium, primum à retibus, & retinaculis diabolicis; nõ enim poſſunt verè humilem retinere hujuſmodi retia, vel retinacula propter dictam parvitatem. Parvi enim piſciculi etiã per anguſtas viaculas retium liberè enatant, nec ab eis retineri poſſunt, magni verò piſces etiam retibus largiſſimarum viacularum retinentur, & propter hoc ſuperbi in omnem dimenſionem extenſi omni reti diaboli detinentur, & capiuntur. Eſt ei etiã patens effugium, & declinatio à ſagittis, & jaculis diabolicis, quantũcunque enim ingenietur diabolus, non poteſt verè humilem ſagittare propterea quòd illum humilitas extenuavit quaſi in nihilũ. Sicut ergo ſagittarius etiã expertiſſimus filum tenuiſſimum ſagittare non poteſt, ſic nec diabolus verè humilẽ. Et ut breviter dicamus nõ habet in verè humili ubi ſagittam figat. Econtra verò ſuperbus omnibus jaculis, & ſagittis patet expoſitus, & omnium beſtiarũ morſibus, ita ut nec etiam cœcos ſagittarios effugiat, & nulla ſagitta, nullũ jaculũ, nullus dens cujuſcunque beſtiæ infernalis illũ præterit, ubique detractionũ, & laudũ jaculis transfigitur, ubique maledicorũ dẽtibus devoratur; niſi enim cor ejus diſtentum eſſet in omnẽ regionẽ, & locũ, & attingeret à mari uſque ad mare, & à fine uſque ad finem ſpiritualiter, non enim dentes maledicorum ubique læderent, neque jacula detractionum eum ubique transfigerent; quemadmodùm panem totum corporaliter Pariſijs exiſtentem dẽtes, & linguæ Romæ exiſtentes in nullo læderent. Quia igitur ubique hujuſmodi jaculis, & gladiis transfigitur, ubique ſpiritualiter eſt cor miſeri ſuperbi. Eſt & humilitati ex parvitate ſua totali in omni parte mundi ſecuritas, & non ſolùm in cœlo, ſed ubicunque Deus eſt abſque repagulo, & difficultate qualibet reſpicitur, & ubique ſpatioſè habitat, neque compreſſionem, neque anguſtationem timẽs, & hoc eſt, quoniàm in ultimitate parvitatis ſpiritualis. Hæc autem ultimitas nihilum eſt, ſive nihilitas ſpiritualis. Et de hoc nihilo dicitur Job 26. Appendit terram ſuper nihilum, & quaſi ſuper fundamentum ſupportans ipſam. Quemadmodùm enim ſuperbia propter vanitatem ſuam nihil ſupportat, aut ſuſtinet, quin potiùs omne eidem innixum, & ſuperincumbens dejicit atque præcipitat, ſic humilitas propter ſui ſoliditatem non ſolùm terram uniuſcujuſque animæ fidelis, ſed totam Eccleſiæ terram ſuſtinet, & ſupportat. Iſtud nihilum nec comprimi poteſt neque anguſtari, ſicut neque minui, propter hanc cauſã diabolus, nec cum Deo, nec cum angelis in cœlo, vel ad momentum horæ potuit habitare; totum enim cœlum implebat Deus, diabolus ve-

Humilis non illaqueatur.

Similitudo bona.

Alia ſimilitudo nõ minus apta.

In ſuperbos.

-rò intumeſcens ſuperbia & magnificatus vaniſſimè ultra menſuram ſuam naturalem non potuit ibi habere locum, vel invenire: Angeli verò ſancti in parvitate humilitatis naturalis perſiſtentes locum ſuum retinuerunt, locum Deo & in ſemetipſis dantes, vel potiùs ſervantes: dignum quippe, & juſtum fuerat, ut qui locum in ſemetipſis abſtulerant, & locum proprium in cœlo abſtulerant, locum proprium in cœlo amitterent, & dùm locum alienæ gloriæ iniquiſſimè uſurpabant, in infimum ignominiæ juſtiſſimè dejecti eſſent. Eſt & vero humili ex parvitate humilitatis pax, ſic econtrariò ſuperbo ex diſtenſione, & tumore ſuperbiæ intolerabilis inquietudo, atque convulſio, quemadmodùm arboribus excelſis frondoſiſſimis, atque ramoſiſſimis eſt à quocunque vento crebra impulſio, atque convulſio, & uſque ad avulſionem, & confractionem plerunque exagitatio fit ſuperbis: parvæ verò plantulæ in mediis flatibus ventorum validiſſimorum pacem habent, atque quieſcunt. Quemadmodùm vel navium amplitudines diſtenſæ impetum ventorum abſque ſciſſura non ſuſtinent, ubi fila, vel ſtrictiſſimi panniculi illæſa ac integra ſe conſervant: concuſſiones autem & exagitationes atque ſciſſuræ in cordibus magnatum per lites, & bella rerumque temporalium ſuarum pericula, & civitatis fiunt, velut per flatus, & impetus fortium ventorum: & hoc eſt quoniàm corda eorum ad magnitudinem, & amplitudinem poteſtatis eorũ diſtenta ſunt. Magnus enim, ideſt Rex, vel princeps ſuperbus intùs, ideſt ſpiritualiter, & in corde eſt magnitudine, & amplitudine adæquatus regno ſuo, monſtrum ſcilicet horrificum caput habens in civitate, quod eſt caput regni ſui, pedes in fine. Et ad hunc modum per totum regnum cordis diſtenſus, propter hoc quod quæcunque pars regni bellis, aut aliis inquietudinibus côcutitur, neceſſe habet in ea, & ipſe ſpiritualiter, hoc eſt, corde exagitari: in cordibus verò ſuperborum, vel divitum, vel potentiũ ſimiles exagitationes faciunt laudes, & vituperia, probra, & opprobria, adulationes, & convicia, applauſus, & irriſiones, cachinnationes &c. Tertia laus humilitatis eſt inclinandi, & dimittendi ſe, atque incurvãdi promptiſſima facultas, ex qua eſt ei infrangibilitas: ſuperbis verò ex ipſa ſuperbia rigor, & inflexibilitas, ſicut dicit Greg. ſuper Job. Superba mens ad id quod ſpõtè non appetit, nullis exhortationibus flectitur, ad id verò quod per ſemetipſam appetit, etiam cogi quærit. Frangitur ergo rigor ſuperbiæ majori vi trahente, vel impellente, cedit humilitatis flexibilitas illæſa perſiſtens, & ad modicũ incurvata ad rectitudinẽ ſuã ſtatim revertitur: propter hoc fabuloſè dicitur quòd inter quercum, & arundinem orta eſt altercatio, & quercu côquerẽte de impetu ventorũ, quòd cùm fortiſſima, atque duriſſima, & in mole, ac in ſpiſſitudine ligni ſui profundèque ac latiſſimè radicata eſſet, tamen per ipſum radicitùs evulſa, & inſuper ex medio fracta, necnon & ipſam arundinem interrogãte & dicente. Tu dic ô arundo, quæ adeò debilis, & parva es, qualiter ventos tam validos illæſa & integra effugiſti: Reſpondiſſe fertur. Tu, inquit, ô quercus ſuperbas eras, & duritiã, & inflexibilitate reſiſtere volens vento fortiori te, ipſumque ſuper te tranſire non ſinens, humiliata, vel incurvata meritò fracta es; ego verò omni vento cedens ad omnem ventum me humilem, & abſque ulla rebellione, & reſiſtentia gerens, ſuper me illum tranſire ſino, & ita à nullo lædor, à nullo aliquid mali patior. Quicquid paſſa es, rigor tuus, & inflexibilitas, atque ſuperbia fecerunt tibi. Ex eadem eſt ei, & invincibilitas, quemadmodùm fuiſſe fertur Socrati. Cùm enim multas tyrannides paſſus eſſet, & minaretur ei tyrannus mortem, reſpondit, mortem volo, quo audito tyrannus dixit, & ego te

Nota. *Similitudo.* *Similitudo.* *Nota.* *Tertia laus humilitatis.* *Queſtio inter quercum & arundinem.* *Socratis invincibilitas.*

E faciam vivere invitum. Tunc Socrates: Nihil invitus patiar quicquid intuleris: hoc volam, ſive mortẽ, ſive vitam. Cedebat omninò Socrates omni furori tyranni inclinans cor ſuum, ne ſuper ipſum tranſiret abſque reſiſtentia, & repagulo quæcunque perſecutio, quam tyrannus irrogaret. Quapropter ſicut nihil paſſus eſt invitus, ſic & permanſit invictus. Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus in libro de libero arbitrio, & unde malum: Quia verè invictus eſt, qui nihil patitur invitus. Eſt ei ex eadem pars illa cultus Dei, quæ adoratio vocatur; facillimè enim ſub Deo, & ante Deum incurvatur verè humilis, immò, ut ad unum dicamus, ipſa humilitas, quantùm ad hoc continua Dei adoratio, ac veneratio eſt; adoratio enim ac veneratio, incurvatio, ſive inclinatio capitis eſt; caput enim noſtrum cor noſtrum eſt. Quare in continua Dei adoratione perſeverat, qui inceſſanter in humilitate perſiſtit. F Superbus autem econverſò per omnia ſe habet. De quo dicit Job. 15. Cucurrit adverſùs Deum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt. Et iterùm: Tetendit adverſùs Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt. Propter quam cauſam conſuevimus ipſum dicere idolatram ſimul, & idolum; venerari enim, & adorari vult ab hominib', & eos ante ſe incurvari tanquàm idolum, & ipſemet ſe colit laudibus, cantionibus, & venerationibus incredibilibus; non enim eſt finis lectionum, quas de laudibus ſuis miſer ipſe in corde cogitando legit neque reſponſoriorum quę de ſeipſo apud ſe inſaniſſimè exultando decantat; ſed inſtar antichriſti extollitur ſuper omne, quod colitur, aut dicitur Deus. Sicut dicit Apoſtolus in ſecundo 2. ad Theſſalonicenſ. Et propter hoc caſus præcipitationis ejus non ſolùm infinitus, ſed pluſquàm infinitus eſſe videtur; Bernar. dicit quòd humana ſuperbia diabolicam excedit. Cùm dixiſſet diabolus 4. Iſa. Ero ſimilis altiſſimo. Homo non eſt contentus de ſimilitudine iſta Dei. Gen. 1. Faciamus hominem. G Sed vult eſſe longè excelſior altiſſimo; contentus quippe eſt altiſſimus, ut fiat ejus voluntas bona, ſuperbus verò vult ſuam voluntatem impleri, ſive bona, ſive mala ſit. Quarta laus humilitatis eſt levitas: ſicut enim levitas in corporibus principium eſt motus in ſurſùm, hoc eſt ab infimo, quod eſt medium; ſic humilitas principium eſt in animabus motus ſpiritualis in ſurſùm, hoc eſt in ſublime beatitudinis, & gloriæ, vel in ſublime, quod Deus eſt: hoc autem manifeſtum eſt per contrarium; initium enim omnis peccati ſuperbia: peccatum autem eſt motus in deorſùm, ſive ad infimum, quod eſt æterna damnatio, aut barathrum, ſive profundum inferni. Propter hoc manifeſtum eſt, quod dicit veritas Lucæ 18. Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, H & omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Ac ſi diceret; omne leve ſpirituale aſcendet, & omne grave ſpirituale deſcendet. Si quis autem quærat quomodò ventus ſuperbiæ non movet in ſurſùm. Reſpondemus, quia reverà non movet ad Deum, ſed contra Deum, ſed neque in ſurſùm veritatis; ſed magis in ſurſùm falſitatis, aut vanitatis; quod eſt verè deorſùm: quod inde manifeſtum eſt, quia omnis elongatio ab altiſſimo deſcenſio eſt, & appropinquatio ad infimum; elongatio autem ab altiſſimo non eſt ſecundùm diſtantiam corporalem, ſed ſpiritualem, quæ non eſt, niſi diſſimilitudo quare elongatio ab altiſſimo eſt diſſimilitudo ab ipſo. Manifeſtum igitur eſt ex hoc, quia ſuperbia eſt elongans ab altiſſimo, & hoc quemadmodùm idolum à Deo vero, & vanitas, & falſitas à veritate, & innumerabilia hujuſmodi: non eſt enim elongatio à Deo è regione, quoniàm nihil eſt ei è regione, ſed totum ſubeſt ei abſolutè, hoc eſt quicquid eſt bonum,

quicquid

Adoratio quid. *Nota.* *Humana ſuperbia diabolicã exceſſit.* *Quarta laus humilitatis.* *Superbia initium omnis peccati.* *Queſtio.* *Nota.*

Quicquid eſt malum ſub eo eſt, quicquid ergo ab eo elongatur, vel recedit, ad deorſùm deſcendit. Habet hoc admirationis iſta levitas, quòd non ſolùm nullo dictorum ventorum movetur, aut rapitur, ſed etiam figitur, hinc eſt, quòd veri humiles quantò ampliùs, atque magnificentiùs laudari ſe audiunt, nō ſolùm tantò humiliora de ſe ſentiunt, ſed etiam in humilitate tantò magis fixi perſiſtunt, quantò altiùs laudibus attolluntur, tantò ad infima ſua ampliùs ſe dimittunt: *Similitudo.* quemadmodùm vento ſe cōcuti ſentientes, & rapi ab eo vel auferri timentes, quantò flatus fortiores, vehementioreſque eſſe cognoverint, tantò ad terram ampliùs ſe inclinant, eique preſſiùs adhærentes, eidem artiùs ſe affigunt. *Abraha humilitas* Sic Abraham in 18. Gen. quantò ampliorem gratiam familiaris colloquij ſe inveniſſe apud Deum videbat, tantò terrenitatem ſuam magis, magiſque recolebat, eique aſtrictiùs adhærebat, crebrò repetens & replicans dicebat. Loquar ad dominum meum cùm ſim pulvis & cinis. Econtrariò verò ſuperbi, quantò flatibus vehementioribus agitantur, tantò magis pondera terrenitatis, infirmitatis, paupertatis ſuæ ac peccatorum per oblivionem, vel negligentiam recogitationis abjiciunt: *Similitudo,* propter quod, ut naves vacuæ, aut nimis parum oneratæ in omnes colliſiones, & alia pericula rapiuntur; quemadmodùm enim periti navigiorum nautæ quantò validiorem ventum eſſe cognoverint, tantò magis navem onerant, ne venti impetus, & vehementia illam in periculum quodcunque rapiat; ſic verè humilis prænominatis ponderibus per memoriam eorundem ſe onerat, per cogitationem ponens ea, & aggregans in corde ſuo. *Saburra, id eſt arena.* Et attende, quòd licet ſaburra, & lapides inutilia ſint, tamen in hoc utilia ſunt navigantibus, quia naves contra impetum ventorum retinent, ipſoſque navigantes, & merces eorum, atque res alias à periculis maris cuſtodiunt: ſic peccata præterita, vel etiam imminentia non ſolùm inutilia ſunt, ſed inæſtimabiliter noxia, in hoc autem perutilia, quòd navem cordis modo, quo diximus, onerantia, ipſùm navigantem per mare hujus mundi cum omni theſauro virtutum cuſtodiunt. Sic & alia tria pondera utilia ſunt, videlicet terrenitas, infirmitas, & paupertas. Et hoc eſt, quod legitur Job 28. Qui fecit ventis pondus: ubi Gregorius: corpora animabus. Nos autem intelligimus, quia quotidie per prædictam humilitatis prudentiam contra flatus prænominatos inceſſanter facit pondus, ut diximus, electorum animabus. *Paulus.* Hoc eſt, quod dicit Apoſtolus de ſeipſo in 12. ſecundæ ad Corin. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ qui me colaphizet. Sed & ipſe dominus dixit ei: quia virtus in infirmitate perficitur. *Echinus piſcis.* Sic piſcis, qui dicitur Echinus, præſagiens imminere tempeſtatem, juxta narrationem Plinij, & Solini, lapidem dentibus arripit, & in ore portitat, ut ejus pondere quaſi ſaburratus, per inundationes fluctus natans, non rapiatur, aut circumferatur ab eis, vel periculosè, vel contra conſuetum natationis ſuæ modum. Hoc artificium, & induſtriam ſcripſit, pinxit, vel præfixit natura in hujuſmodi piſce humilibus; ſic onerant tecta domorum conſueverunt, lateribus, ne vento rapiantur, & diſpergantur: *Nota.* ſic & quæ in aqua ponuntur propter aliquam præparationem, vel artificium, ut pelles, ligna, linum, canabum ne impetu aquæ rapiantur; in quo apparet dementia, & dementatio ſuperborum qui econtrariò facientes omni direptioni, & diſperſioni ſe exponunt. *Lucia virgo.* Facit & ad hoc ipſum exemplum Luciæ ſacratiſſimæ virginis, quam tanto pondere fixit Spiritus Sanctus, ut multis paribus boum trahentibus moveri non potuerit à loco ſuo. Sic in imo fundamento, & firmamento humilitatis Spiritus Sanctus figit, & firmat electos ſuos, ut nec flatu ventorum, nec inundatione fluminum cadant, vel moveantur.

A Quòd ſi quis miretur, quia hæc levitas, ad imum noſtræ terrenitatis, infirmitatis, paupertatis, & peccatorum electos impellat, vel deſcendere faciat cùm principium ſit movendi in ſurſùm ſive aſcendendi; jam reſpondimus, quia hoc ipſum aſcendere eſt; non enim in imo, vel in infimo ſe videt, niſi qui in alto eſt, quia quantò minorem ſe videt, & judicat, tantò indubitanter ſupra ſe elevatior eſt; quantò enim aliquid à remotiori videtur, tantò minus videtur, & econversò; & hoc eſt, quod legitur Thren. 3 Levavit ſe ſupra ſe. Hoc etiam certum indicium, quo ſuperbi minus è vicino ſe intuentur, dùm magni ſibi videntur; *Nota.* ſi enim à longè ſeſe conſpicerent, proculdubiò

B parvos ſeipſos viderent, & econtrariò humiles, dùm ſe non ſolùm parvos, ſed etiam nullos, vel penè nullos reputant, è longinquo ſe vident. Verum igitur eſt, quòd humiliatio iſta eſt levitas, qua humilis uſque ſuper ſe elevatur, & nunc parum, nunc minimū, nunc penè nullum, interdùm etiam nullum, vel nihilum ſe reputat, & tunc quidem veriſſimè de ſe judicat, cùm nihil ſe eſſe exiſtimat; ſic econversò juxta teſtimonium Apoſtoli in 6. ad Gal. Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ille ſe ſeducit. Quemadmodùm etiam quæ eſt proportio levitatis ad levitatem in corporibus, eadem altitudinis ad altitudinem in locis & ſitibus ſuis naturalibus; ſic quæ eſt humilitatis ad humilitatem hic vel etiam in patria, ea eſt ſublimitatis ad ſublimitatem in gloria, ut quemadmodùm ignis tantò eſt in loco ſuo, & ſitu naturali aëre altior, quantò eſt eo levior; *Maria Dei genitrix.* ſic ipſa beatiſſima Dei genitrix tantò eſt cæteris electis ſede gloriæ ſublimior,

C quantò humilior eſt. Et ipſe Chriſtus dominus, ſecundùm quod homo eſt tantò omnibus cœleſtibus virtutibus, omnibuſque civibus cœleſtibus eminentioris gloriæ, quātò adhuc etiam eſt, non ſolùm fuit humilitate major prœditus: propter quod dicit beatus Gregorius: Hoc ſpeciale ſpecimen electorum eſſe ſolet, ut de ſe ſentiant infra quàm ſint, ut autem aliquid videatur minùs, quam ſit, remotio indubitāter efficit. *Verus humilis.* Manifeſtum igitur eſt, verè humilem hujuſmodi levitate ſuper ſemetipſum longè elevatum, & exaltatum; eſt autem hujuſmodi levitas meritò humilibus ex virtute humilitatis, & meritò pro eo quòd ipſum poſſeſſorem ſuum, & à ſemetipſo, & ab omnibus bonis ſuis exonerat. Quid igitur mirum ſi nihil portans verè humilis, & ipſemet extenuatus in nihilum velut leviſſimus ad locum ſibi proprium tota velocitate fertur & rapitur. econtrariò verò ſu-

D perbus ſeipſo, & ſuis oneratus, & etiam alienis, dùm illa per arrogantiam ſibi attribuit, quid mirum, ſi toto præcipitio fertur in profundum, ad quod hujuſmodi ponderoſitas movere ſolummodò nata eſt. Quòd autem ſuperbus ponderoſus ſit, & quàm ponderoſus, quaſi univerſali omnium teſtimonio comprobatur; nemo enim videt ſuperbum, qui non dicat oneroſus eſt mihi importabiliter. ſuper collum meum porto ipſum; *Superbus oneroſus.* ſimiliter & unuſquiſque dicit de ſuperbo, totum mundum onerat, & omnes portant eum ſupra colla ſua. Et iterùm: Nemo poteſt eum portare, vel ſuſtinere: videtur tibi parum oneroſus, qui tot colla, & humeros tam graviter onerat, de cujus ponderoſitate, & importabilitate omnes homines conqueruntur? Econtrariò igitur per omnia ſe habet humilitas, & econtrariò de illa omnium teſtimoniis conclamatur; nulli enim oneroſa eſt, nullus humilem pro hujuſmodi cauſa vel fugit, vel abjicit, vel declinat. *Quinta laus humilitatis.* Quinta laus humilitatis eſt ponderoſitas, quæ quidem eſt ei ex ſupradictis quatuor, vel ex uno eorum, cùm in ſe æqualiter levis

Digitized by Google

ſit ſubjectum ſuum rapiens, ut diximus, in ſublime: quemadmodùm ſuperbia ex ſeipſa ponderoſa eſt, ut diximus, & principium deceſus immò caſus, atque ruinæ. Ex oblivione verò prædictorum quatuor, atque negligentia recogitandi ea, levis eſt, atque vaniſſima. *Nota.* Habet autem humilitas ex iſta ponderoſitate laudem, & admirationem monſtrificam, quoniàm ex ea & per eam aſcendit, & hoc tantò velociùs, ac fortiùs, quantò ipſa hujuſmodi ponderoſitas, & major, & magis ei fuerit; tunc autem illam magis ineſſe dicimus, cùm artiùs, atque intimiùs cogitatur, vel potiùs ſentitur; manifeſtum eſt enim, quia tantò unuſquiſque depreſſior eſt, atque ab alto vanitatis ſuperbia remotior, quantò fuerit in utroque iſtorum abundantior, quantò aliquis ab alto vaniſſimæ ſuperbiæ remotior, tantò humilitate ſublimior. Quare manifeſtum eſt, quia hujuſmodi ponderoſitas humilem elevat ac ſublimat, quemadmodùm levitas vanitatis ſuperbum ad ima confuſionis dejicit & profundat, dùm à veræ alto beatitudinis quod eſt Deus altiſſimus, præcipitat eum & elongat. Inter monſtruoſas autem ſuperbiæ abuſiones, quæ multæ ſunt & magnæ, hæc una eſt, quòd ſuperbus de ipſa ponderoſitate ſua contendit aſcendere, quoniàm de ipſa ſuperbia & de oneribus, quæ ipſa congerit, & apportat, ſuperaſcendit dementiſſimum cor ſuperbi; quid enim movet ipſum ad hoc, ut velit ſupereſſe aliis, niſi ipſa ſuperbiæ ponderoſitas? ſic econtrariò prænominata humilitatis ponderoſitas movet verè humilem ad hoc, ut velit omnibus ſubeſſe, & inferior apparere: & hæc eſt cauſa propter quam ſpecialiter ſuperbi paleæ in ſacra ſcriptura vocantur; paleæ namque de ſuperioritate duabus de cauſis contendunt, videlicet aut levitate propria, aut venti vehementia; ſic ſuperbi interdùm levitate vanitatis ſupereſſe aliis volunt, interdùm autem vehementia venti circumferentis eos, & exagitantis, quemadmodùm palea, quæ levior eſt aliis, & hoc quia vilior, atque minor. Verè autem ſuperbus omnibus aliis ſuperior eſſe contendit; ſic qui minor, vel vilior eſt meritis, plerunque ſupereſſe vult aliis, & præeſſe, & hoc ipſa vilitate, ac minoritate ſua, quæ non eſt niſi vanitas ſuperbiæ illius. Similiter, & qui vehementiori flatu laudum extollitur, eo ipſo aliis ſupereminere ſe exiſtimat, & eis honore, ac dignitate præeſſe contendit. Quemadmodùm ſi paleæ propter hoc granis ſuis meliores ſe opinarentur, & eis propter hoc dominari vellent, quòd ſe exaltant, & ob aliquam dictarum cauſarum elevatæ eſſent ſuper grana, granis in imo reſidentibus; hoc indubitanter eſt inſania ſuperborum, qui de elevatione vaniſſima hunc errorem hauriunt, cùm eum non pretioſitas, aut meritorum eminentia faciat, ſed magis vilitas, & inutilitas, quemadmodùm in paleis; nobilitas enim, & pretioſitas granorum ea in imò retinent, ſicut & contraria paleas elevant; & ſicut vilior, ac minor palea, & inutilior vento, vel propria vanitate plùs aliis elevatur: ſic qui ſuperbia vilior, omnique altitudine indignior, plùs aliis hominibus vel electionis opinione, vel ambitione præſumptionis extollitur, atque contendit, ut dominetur. *Sexta laus humilitatis.* Sexta laus humilitatis & gracilitas, ex qua eſt poſſeſſori ſuo irrefragabile teſtimonium; & laus certiſſima ſpiritualis virginitatis. Quemadmodùm in puellis gracilitas & demiſſio ventris atteſtantur corporali virginitati: tumor verò ventris econtrariò; ſic tumor ſuperbiæ de ſpiritu maligno eam concepiſſe, immò de principe dæmoniorum, primogenitam ejuſdem filiam, ſcilicet ſuperbiam comprobat evidenter de animabus hujuſmodi, quæ nec tam deteſtabile adulterium erubeſcunt, ſicut nec monſtrum tam deformis partus, qui utique non eſt niſi

E ſtruma diabolica, perhorreſcunt. Dicitur uſualiter, & creditur à multis mulieres interdùm à dæmonibus incubis imprægnari; verumtamen non niſi ventum ex hujuſmodi impregnatione eas habere in utero, multi credunt, & ſe etiam experimento autumant comperiſſe, propter quod non aliter ab hujuſmodi imprægnatione detumeſcunt, niſi cum incredibili ventoſitatis, & tumultus emiſſione. Quæ utique parabola veriſſima eſt imprægnationis diabolicæ, quam diximus; quid enim habet in ventre cordis ſuperbus, niſi ventum fallaciſſimæ vanitatis? hoc enim ſummopere malignus ſpiritus intendit, ut vento ſuperbiæ inflet quos afflaverit, ut filiam ſuam primogenitam in eis generet, & ut eos per hujuſmodi ſuperbiam Deo diſplicentes, & abominabiles reddat; iſte ventus cum tumultu incredibili per jactantiam ſic emittitur, ut tamen inde non minuatur, ſed potiùs augeatur; per confeſſionem
F verò ſic emittitur ut evacuetur. *Confeſſio dæmonibus horrifica.* Confeſſio autem, etſi ſuaviſſima ſit auribus Dei, & omnium militiarum cœleſtium, tumultuoſa tamen eſt, & horribilis, atque terrifica dæmonibus, eos diffugat, atque profligat à verè, ac piè confitentibus. Væ his, qui tam horrificam ſtrumam ſuam oſtentant, & prædicant, dicentes ſe eſſe groſſi, magni, vel alti cordis, non attendentes inſaniſſimi, quòd dum ſe groſſos, & groſſi cordis prædicant, imprægnatos ſe eſſe à diabolo confitentur, & ſacratiſſimum matrimonium, quod cum Chriſto domino in baptiſmo contraxerunt, execrabiliter polluiſſe. *Impregnationis diabolicæ rami,* Sunt huic imprægnationi diabolicæ rami, ſeu filiæ horrificæ monſtruoſitatis, qualis eſt impregnatio à proprio patre carnali; anima enim quæ ſuperbit de nobili patre carnali, ab ipſo ſpiritualiter imprægnata eſt, & ingroſſata. Et quod deteſtabiliùs, interdùm eſt ab ipſa matre carnali, dùm de potentia & nobilitate ejus, aut divitiis ſuperbia in-
G tumeſcit, & quod eſt majoris ſtuporis, ab unoquoque cognatorum & propinquorum totius generis, ſimiliter & affinium ſimili pollutione inſaniſſimè ingroſſatur; nec accidit ſimile monſtrum in naturis, videlicet quòd una ſola mulier à toto uno populo impregnetur; *Superbia nobilitatis.* qui enim de toto genere ſuo propter ejuſdem potentiam, divitias, aut nobilitatem inflatur ſuperbia, aut de toto populo exercitus ſui: quemadmodùm Rex David quondàm cùm populum Iſrael inſtinctu diabolico numerari ſtatuiſſet, ſicut legitur 2. Reg. 24. Ultimatè à toto populo illo ſimul ſpiritualiter imprægnatur: *Xerſes.* econtrariò Xerſes Rex cùm coram ſe videret exercitum ſuum multitudinis innumerabilis, attendens, quia infra centum annos totus ille exercitus in pulverem convertendus eſſet, dixiſſe fertur; Regem tanti, tamque fortis exercitus me vocant homines, ego autem fateor, & dico, me eſſe Regem pulveris. Majoris autem horroris,
H magiſque monſtrifica abuſio eſt, quod de patre jam mortuo fœtum hujuſmodi diabolicum, vel à matre jam mortua, & totaliter incinerata concipiunt mentes de vanitate hujuſmodi ſuperbientium: de aſino ſuo concepit, & ab illo imprægnata eſt anima, quæ de corpore ſuo ſuperbit, cùm corpus velut aſinus ſit animæ, aut equus. Vidimus interdùm nonnullas animas ab ipſa virginitate ſua imprægnatas, & audivimus nonnullas earum dixiſſe, quòd de ipſa virginitate ſua groſſæ erant, hoc eſt ſuperbæ: Et iſtæ ſunt virgines fatuæ de quibus legitur Matth. 25. *Septima laus humilitatis.* Septima laus humilitatis eſt ejus profunditas, & ex hac eſt ejus ſubjectio affluentia & copioſitas gratiarum: quemadmodùm enim aquæ corporales loca profundiora priùs replent, & abundant in eis; ſic aquæ ſpirituales, ideſt fluenta gratiarum corda humilitate profunda: hoc eſt quod dicit Salomon Proverbiorum 11. Ubi humilitas, ibi eſt ſapientia.

Digitized by Google

Et in Pſalmo. Valles abundabunt frumento. Et iterùm: Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Certum autem eſt quòd inter medium montium vallis eſt, ſive convallis profunda comparatione montium. Ptolemæus autem Philoſophus in doctrinis ſuis moralibus dicit, quòd inter ſapientes ſapientior eſt, qui humilior exiſtit, propter hanc eandem profunditatem omnia flumina ad mare fluunt, & mari influunt; ſic de fluminibus gratiarum dubitandum non eſt, quin ad corda humilia fluant ex fonte paradiſi cœleſtis, ac ſpiritualis, qui eſt Spiritus ſanctus; propter contrarium verò profunditatis, quod eſt tumor, vel altitudo, tumida flumina montes deſerunt, & quaſi eos fugientes toto impetu ad valles currunt. Et hoc eſt quod dicit Aug. quòd tumor infuſa repellit. Hinc eſt quòd quia cor Beatæ Virginis, & Dei genitricis fuit cæteris humilitate profūdius, ideò fluētis gratiarū illuſtrata fuit abundantius; ſic & Chriſtus Dominus in eo quod homo, qui eſt omnibus Angelis, & hominibus incomparabiliter humilitate profundior, ideò eſt omnibus donis gratiarum repletior. Ex hoc igitur manifeſtum eſt tibi, quòd ubi cor humanum ſuperbia intumeſcere cœperit, ſtatim omnium gratiarum à ſe fluenta rejicit: quemadmodùm ſi loci, vel etiam abyſſi profunditas in montem per tumorem converſa fuerit, ſtatim ipſum omnis aquarum copia deſerit, propter quod & aridus & durus poſtmodùm efficitur. Utrunque autem proprium eſt ſuperbiæ videlicet ariditas & durities. Octava ejus laus eſt vacuitas omnia replens, ex qua largiſſimo bonorum omnium largitori gratiſſima eſt, atque chariſſima, & hoc eſt, quia Deo nihil gratius, quàm dare; propter hoc enim omnia facit, & fecit, ut ſint quæ det, & quibus det: ſuperbis autem quos plenos invenit, non dat dona gratiarum ſuarum, quoniàm non habent ubi recipiant; omnia enim receptacula eorum ſuperbia uſque ad nauſeam, & crepationem, ut ſupra diximus, replevit: humilitas verò cum ejus largitate contendit & dicit: Imple ſaccum meum ſi potes; quantò enim plura & majora bona in eum miſeris, tantò magis vacuum ipſum invenies, magiſque capacem; qui enim abundant donis gratiarū, hi ſine dubio ſunt humiliores, & magis vacuos ab eis ſe ſentire teſtantur, & clamāt inſtar profunditatis, atque voraginis avaritiæ, quæ creſcentibus divitiis creſcit, creſcit & abyſſalis iſta vacuitas humilitatis, creſcentibus donis gratiarum in ea ampliùs augentur. Et quemadmodùm mare cùm ipſum intrent omnia flumina non redundat; ſic nec ipſa, immò dilatatur, & quod eſt mirabilius, de ipſa repletione exinanitur, ſive evacuatur, & hoc teſtimonio, ſive reputatione ſua. Declaratio autem hujuſmodi eſt, quia creſcentibus aliis donis, & virtutibus, neceſſe eſt, ut creſcat humilitas, cùm omnes virtutes gratuitas æquales eſſe neceſſe ſit, ſicut in præcedentibus declaravimus. Hæc eſt terra, quæ non ſatiatur aqua, de qua legitur Proverbior. 30. Et de ipſa loquens David dicit. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi: Ex hac vacuitate pacem habet à contrario ſuo humilitas, & hoc eſt de mirabilibus ejus unum, ſicut de monſtris ſuperbiæ eſt, quòd ipſa ſecum pacem non habet; ſuperbia enim in alio ſubjecto, quodammodò ſemetipſam impugnat; ſuperbus enim ſuperbum non patitur, immò alter alterum impellit, atque repellit, ſicut tumor tumorem: Et ſicut apud geometras declaratū eſt, quòd ſphærica corpora, quæ maximè tumida ſunt in ſolo puncto ſeſe contingere poſſunt, & propter hoc pungere ſe invicem poſſunt, non autem ſibi invicem planè, & rectè applicari; ſic eſt etiam de cordibus ſuperbiâ

Paradiſus cœleſtis.

Octava laus humilitatis.

Creſcentibus aliis virtutibus creſcit humilitas.

Superbia.

A tumentibus, quòd pungere, & impugnare ſe poſſunt, non autem ſocialiter, & amicabiliter ſibi invicem conjungi; concavum autem tumidum, vel ſphæricū intra concavitatem ſuam ſine difficultate qualibet recipit, & ei convenientiſſimè applicatur: ſic cor humile ſuperbum quaſi intra ſe recipiens amplectitur, propter quod dicimus, quòd pacem habet ab illo, & etiam cum illo, & ſicut natura vacuum non patitur, quin in illud virtute vehementiſſima impingat corpus aliquod, quo repleatur; ſic vacuum humilitatis gratia vacuum eſſe à ſe non patitur, ſed fortiſſima inundatione in illud influit, quod replet. Nona laus eſt ejuſdem paupertas, ex qua eſt ei trutannica quærulolitas, atque mendicitas; quemadmodùm enim trutannus ſi quid habet pecuniæ illud abſcondit, & ubi veſtis ejus integra
B eſt non oſtendit illis, à quibus eleemoſynam petit, ſed magis lacerationem, atque decerptionem ejuſdem, ſimiliter & quod habet ſanum in corpore vel carne ſua non oſtendit, id verò, quod habet, vel corroſum, vel putridum, vel ſcabioſum, improbiſſimè ingerit oculis hominum, ut ſic eos ad miſerandum ſibi provocet, vel impartiri aliquid importunitate clamorum, & inſtantiſſima oſtentatione miſerationum ſuarum ac de eis, quaſi redemptionem audituum ſuorum aliquid extorqueat; ſic verò humilis Deo, & toti curiæ cœleſti vulnera, ulcera, miſeriaſque omnes ſpirituales ſuas inſtantiſſimè oſtentare & defectus, atque paupertates improbiſſimè clamare non ceſſat, nunc omnibus inſimul, nunc cuilibet, ſingulatim curiam cœleſtem totam circuiens inquantùm in ſe eſt tædio, & moleſtia afficiens, & reverà moleſtiſſimus eſſet toti curiæ, ſi in curia illa moleſtiæ locus eſſet. E contrariò ſuperbia cùm pauperrima ſit, ſicut apparet in illo Phari-
C ſæo ex 18. Lucæ: qui cùm in oratione deberet petere eleemoſynam, ut mendicus, & ſanitatem ut languidus & ægrotus, divitias ſuas prædicabat, & quæcunque ſana habere ſibi videbatur, dicens: Jejuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo, & iterùm. Non ſum ſicut cæteri hominum. Decima eſt vilitas, ex qua cùm perfecta fuerit, ſemper ſe deſpicit verè humilis, ſemper ſe ridet, ſubſannat, & etiam conſpuit, & alia, quæ vilificationis ſunt, ipſe ſemper irrogat, ſciens ex hoc ſibi apud Deum pretium, gloriam, & honorem, ſicut dicit Gregor. Quia tantò eſt unuſquiſque in conſpectu Dei glorioſior, quantò in oculis propriis fuerit ipſe deſpectior. Gaudet etiam perfectus humilis cùm ſibi illata ab aliis fuerit injuria, ſicut dicit Beatus Ber. Quia verus humilis non vult videri humilis, ſed vilis: Probra igitur & opprobria,
D detractiones, & convitia, irriſiones, & vituperia, conculcationes, conſpuitiones, oppreſſiones, & quæcunque ſunt ſimilia, ut gratiſſima xenia, & munera recipit pretioſa, ut divitias ſupernas, & theſauros nobiliſſimos cuſtodit: ſciens quòd quantò ſaccus ejus in Dei judicio talibus inventus fuerit repletior, tantò gloriis, & honoribus, & laudibus efficietur ei ab ipſo cumulatior. Sic faciebat quidam vir ſanctus qui ſtultū ſe ſimulabat ut irrideretur, conſpueretur, fimoque & terra obrueretur & propter hoc per ſingulos dies in civitate, qua morabatur noctibus orationi vacabat, & ſe diebus omnibus hujuſmodi ludibriis exponebat. Sic vir ille ſanctæ recordationis Joannes de Monte mirabili, cùm apud Cameracum opprobria multa, & convitia à perſonis viliſſimis ſuſtinuiſſet, tranſiens juxta eos, poſtmodùm reverſus eſt ad eoſdem, invitavitque eos precibus, & hoc, ut eum ampliùs irriderent, & ut in eum opprobria & convitia clamarent, & ut major eſſet ei ex his confuſio, capu-

Similitudo geometrica.

Nona laus humilitatis.

Decima laus humilitatis.

Ioannes de Monte mirabili.

Digitized by Google

tium ponens de capite ſuo faciemque revelans patenter ſe exposuit eorum opprobriis. Amplius. Iſta ſunt alimenta humilitatis, & cibi, propter quod dicitur Threnorum 3. Saturabitur opprobriis. Sunt & delitiæ ejuſdem, propter quod dicitur Actuum 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniàm digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Fœlix, & verè beatum palatum, quod ſaporare poteſt hujuſmodi delitias, propter quod dicit Apoſtolus in 12. ad Roman. Benedicite perſequentibus vos, hoc eſt maledicentibus, ſicut docuerat veritas Matth. 5. Beati eritis, cùm vos maledixerint homines, & Lucæ 6. Benedicite maledicentibus vos, & hoc tanquàm eſcas, & alimenta ferentibus, & offerentibus, grataque xenia, & munera pretioſa conferentibus. Nequiſſimè immò inſaniſſimè perſequuntur humilitatem, qui dapiferos, hujuſmodi fercula, & delitias deferentes, eadem & offerentes, vel malè recipiunt, vel turpiter repellunt, vel quod eſt deterius, ut hoſtes nequiſſimos perſequuntur, dapiferi propriè ſunt, qui dapes menſis inferunt; hæc autem quæ diximus, F dapes ſunt humilitatis, coqui verò ſunt qui cibos præparant. Quid igitur mirum ſi fame, & inedia vel confecta, vel debilitata eſt humilitas, vel etiam mortua apud hujuſmodi homines, qui ſuſtinere nolunt, quod in eis vel modicum cibi apponatur, in mortem ejus impiiſſimè conjuraſſe videntur, cùm nec de ſuo ei alimenta provideant, nec de alieno patiantur eidem ab aliis provideri. De ſuo eſcas humilitati providet, qui apud ſemetipſum ſive in corde ſuo ſemetipſum deſpicit, ſibi conviciatur, ſibi exprobrat, quicquid turpiter aut iniquè agit, qui ſemetipſum conſpuit, conculcat, & modis omnibus vilem habet, atque velificat non expectans, quòd ab aliis talia ei dicantur, vel fiant.

Mors humilitatis.

Heu quàm meritò nobis imputanda eſt crudelitas & mors humilitatis noſtræ, quas ex defectu alimentorum patitur, cùm tanta apud nos ſit copia eorundem; nec enim longiùs nobis quærenda ſunt, G vel pretio emenda, cùm in nobis ipſis eorum immenſam copiam habeamus. Et ut ad unum dicamus, ex uno ſolo peccato mortali tanta elici copia poteſt hujuſmodi eſcarum, tantaque varietas, ut nunquàm exhauriri poſſit; tanta quippe vilitas eſt, tantaque turpitudo, tantaque ſentina ſpurcitiæ, ac fœtoris ad unumquodque mortale peccatum, ut nulla lingua diſſerere ſufficiat ejus vituperia, prout dignum, & juſtum eſt exprobrare. Eodem modo non eſt mirum, ſi paupertima eſt humilitas, ſi ſaccus ejus vacuus, cùm miniſtri, qui utique multi ſunt deferentes immò inferentes iam grata xenia, tam pretioſa munera, tam nequiter, tamque atrociter repellantur, & in nullo ei benefacere permittantur; & quod deterius eſt, iſta ſunt jus, & portio ejus de omni contumelia, & ignominia.

Nota.

De H utroque ſupradictorum vera humilitas ſemper clamat, mecum tibi debetur, dives eſſem, ſi quæ mea ſunt mihi redderentur, & dimitterentur, aut ſaltem reddi ſinerentur, ſed ut dictum eſt neceſſaria ipſa vitæ meæ mihi tam impiè, quàm immiſericorditer mihi denegantur, & ſubtrahuntur.

Divitiæ humilitatis.

Iſtæ ſunt reverà divitiæ, quibus in præſenti dives, & abundans eſt vera humilitas, & quibus perpetui honoris divitias & gloriæ mercatur. Sicut oſtendit David 2. Reg 17. Dimittite eum, ut maledicat mihi juxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hodierna. Similiter & in Pſal. Maledicent illi, & tu benedices: propter hoc ipſe Chriſtus Dominus in Pſal. dicit. Non confundentur ſuper me, qui quærunt te Deus Iſraël, quo-

E niàm propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam, quaſi præſenti confuſione velut pretio, aut merito, hoc obtinere à te volo, ut non confundantur, hoc eſt ab æterna confuſione liberentur, qui quærunt te. Nec mirum eſt, immò juſtiſſimum, ut qui deſpiciunt, fugiunt, & oderunt propria, & ad aliena rapienda manus extollunt, utriſque privati pauperrimi, atque nudiſſimi relinquantur. Propria dimittit, immò deſpicit, fugit, & odit, atque perſequitur, qui ſic ſe habet ad ea, quæ nominavimus: Qui gloriam, honorem & laudem, vel aliquid hujuſmodi vel cupit, vel etiam oblatum recipit, utriſque privatur. Et hoc eſt, quoniàm laus, & gloria, & honor, & quicquid eſt hujuſmodi quàm citò hujuſmodi homines tetigerint, in nihilum falſitatis, & iniquitatis, & vanitatis convertitur, & penitùs evaneſcit. Et hoc eſt, quoniàm ipſe amor talium merita eorum penitùs evacuat, & annullat; quantumcunque enim præclaris meritis virtutum, & gratiarum quis excellat, ſi ſtatim inde laudari vel honorari voluerit, vel amaverit, jam amiſit; evaneſcunt enim dona gratiarum, & virtutum ſublimium exhorrentes impietatè utriuſque ſacrilegij ejus, qui ea dona, quæ mutuò ad uſuram à Deo fœneratore accipit, ſibi appropriat, gloriamque, & honorem, quæ ſolius Dei jura ſunt propria, ſibi & rapit, & vendicat.

Laus propria virtutis fugienda.

Sed & tumor ſuperbiæ illas repellit, ut diximus, & flatus infernales hujuſmodi ſacratiſſimas illas lucernas vitaliter lucere, & ardere in corde hujuſmodi non permittunt: falſa igitur, & vana eſt laus, quæ de hominibus hujuſmodi prædicatur. Dives ſupra modum, & inclitum cor, quod tantis divitiis, tamque deſiderabilibus abundat; habet enim divitias, quibus æterni ſummam honoris, & gloriæ compararet; hoc enim foro, & hoc pretio venales illas expoſuit Deus, ſolus autem habet eas, qui eas diligit, amplectitur, cuſtodit arctiſſimè, & ſi opus eſt eas comparat pretio, vel obſequiis, emercatur.

Exemplum.

Quemadmodùm quidam ex ſanctis patribus cuidam ex diſ- G cipulis ſuis in pœnitentiam injunxiſſe fertur, ut contumelias, probra, & opprobria, vituperia, & convicia, & quæ ſunt hujuſmodi, à quibus poſſet emeret, ſi ea aliter habere non valeret, qui cùm tranſiret ante ſenem, qui ſedebat in porta Athenienſium, ut probaret ingredientes, & egredientes Philoſophos, & probaret eos de conſuetudine probris, & contumeliis, atque conviciis, accidit ut iſte diſcipulus tranſiret ante dictum ſenem: dictus verò ſenex juxta conſuetudinem ſuam ei conviciatus eſt; Diſcipulus autem ſtatim procidit ad pedes ejus gratias agens, qui ſenex, pro quo inquit mihi regratiaris? Cui ille. Quia quod ab aliis pretio emere conſueveram, hodie à te gratis accepi; nec enim vel obſequium, vel aliquod pretium à me acceperas, cui tantùm bonum attribuiſti: crede mihi quia H ſputum ſpurciſſimum in faciem projecit verè, ac perfectè humilis, ſputum quidem abominabile vas illud abominationis de ſeipſo ejecit, ſed verè humilis balſamum pretioſum in eò accipit.

Conſuetudo probandi philoſophos per probra & convicia.

Sic David non terram de manibus Semei, neque lapides, ſed aurum & gemmas pretioſiſſimas recipiebat virtute humilitatis illa convertente, & hæc eſt ejuſdem alimonia æterna, & de monſtris ejus ac mirabilibus unum, quomadmodùm de illo famoſiſſimo Simeone de columna narratur, & in Eccleſia Dei legitur, quòd cùm vermem de putredine carnis ejus cadentem pro reliquiis quidam nobilis paganus exciperet, gemmam pretioſam in manibus ſuis ſe inveniſſe gavisus eſt pro verme illo, quam mutationem licet dextera excelſi fecerit, non tam merito ſanctitatis dicti Simeonis, quàm humilitate & devotione

Exemplum aliud.

Digitized by Google

& devotione dicti nobilis feciſſe credendum eſt. Contrariam verò magicam ſeu maleficam & alchimicam virtutem habet amor inanis gloriæ qui verum aurum ſapientiæ ſalutaris, puriſſimumque argentum ſacræ doctrinæ gemmaſque virtute pretioſiſſimas in plumbum, & ſcoriam, & calculos viliſſimos convertit. Et hoc eſt, quod dicit dominus Iſa. 10. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam. Sicut enim ſupra diximus apud hypocritas, falſa & vana ſunt omnia opera & operum radices: & aliud ſunt, & aliud videntur: ſic apud eos, qui verbum Dei adulterantes, ad venandas laudes vanas, & quæſtum cupiditatis illud intorquent, dùm tam malè illud recitant

Martialis.

incipit eſſe ſuum, ut ait Martialis, cocus, & per tam nefarium abuſum virtutem evacuant, ut in ore eorum non ſit in virtute, neque in magnificentia, ſicut in pſal. eſſe legitur. Neque vita, & ſpiritus ſicut legitur Joan 6. Sed magis mors eſt verbum Dei in labiis eorum, quemadmodùm in pſal. legitur, ubi nos habemus: Et gladius in labiis eorum; ibi illa tranſlatio habet: Et mors in labiis eorum. Sed ſpiritus non ſunt in ore eorum verba Dei, niſi fortè ſpiritus, id eſt ventus inflans eoſdem & tumultuosè perſonans ex eis, ſed non ſunt ſpiritus vivificàs, quod apparet ex morte ipſorum, & ex morte etiam eorum qui eos audiũr. propter hæc omnia & multa alia etiam verbum Dei in ore eorum verum non eſt, ſicut dicit mulier illa vidua Heliæ, in 17. tertij Reg. Nunc cognovi quoniàm vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum eſt. Verbum ergo tuum eſt, quod debuit eſſe verbum Dei, quod quidem ſic loquens ſuum facit, dùm ſola quæ ſunt in eo quærit, non quæ Dei ſunt, cujus indicium eſt, quia ipſi hujuſmodi homines etiam vocant hujuſmodi verbum ſuum, & ſermonem

Peſſima conſuetudo.

ſuum. Et inde inolevit abuſio apud auditores ut dicant: Iſti ſunt ſermones magiſtri illius, & nunquàm dicant iſti ſunt ſermones Dei, nec Deum auctorem eorum nominent, ſed prætitulant eos nominibus magiſtrorum, qui debuerunt eſſe miniſtri verbi Dei, ſicut docet Petrus in 4. primæ epiſtolæ ſuæ: Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei, non quaſi ſuos, aut aliorum hominum. Hoc modo igitur falſificat, & ſophiſticat verbum Dei inanis, & falſa gloria. Ampliùs. Juxta hunc modum ſicut virtus humilitatis ſputa convertit in balſama pretioſa: ſic ſagittas detractionum, & contumeliarum facit aureas, & lapides increpationum convertit in gemmas: ſic tumultum detractionum, conviciorum, probrorum, & improperiorum, & irriſionum, & totum ruinæ infernalis, ut vulgò dicitur, ſtrepitum, in ſuaviſſimum convertit concentum, & muſicales melodias; nulla enim genera muſicorum, nullæ cantationes, nulli ſoni quantumcunque modulati adeò ſuavè ſonant auribus corporalibus hominum, ut veræ ac perfectæ humilitati ſupradictæ prædictó modo quiſpiam tumultuans, atque ſtrepens, quod ex contrario evidenter apparet, nulla eſt enim muſicalis ſuavitas, cui non præferant inanis gloriæ amatores laudum ſuarum ſonos, ſeu prædicationes, & quâ eis ſuaviùs non reſonent. Quare verè ac perfectè humilibus econtrariò ſe habere neceſſe eſt, videlicet ut omni muſicali ſuavitati ſtrepitus, & latratus caninos, ſibilos ſerpentinos antedictos præferant. Hæc ergo eſt gloria humilitatis inter alias multas, quòd tot, & tantos habet cantores, & tantos cythariſtas, tot, & tantos muſicales joculatores, & tantò ſuaviùs, quàm imitantes, inſtrumentaque ſuæ artis tantò ſuaviùs reſonare facientes, quàm profundiùs ſive intimiùs alios ſe transfigere opinantur. Humilitatem

Mirabile humilitatis.

fugientem laus, & gloria, inceſſanter ſequuntur, hoc eſt unum de mirabilibus ejus, quòd eas ſtudioſiſſimè fugiens poſt ſe trahit. In quo etiam apparet

A vilitas earum, quòd contemnendo tantùm, & fugiendo obtinentur; vel ſecundùm Hieronymum potiùs apparet in hoc glorioſitas earum, quòd amatores ſuos viliſſimos fugiunt, & contemnunt. Alia gloria ejuſdem eſt, quòd tantò magis dignus eſt laude, & gloria verè ac perfectè humilis, quantò ſe indigniorem eis reputat, quantòque eas fugit ſtudioſiùs, & contemnit, tantóque de eo veriùs prædicantur. Et hoc eſt, quia ut ſupra declaravimus, in quo una virtutum, & omnes, & quia omnes in eodem æquales, in quo illa una, ac perfecta eſt humilitas in eo veræ omnes ac perfectæ. Qui autem omni virtute præditus eſt, cùm laus nulla niſi pro virtute alicui debeatur, laude omni dignus; verè igitur omnis laus de eo prædicatur. Ex quo & apparet aliud mirabile, videlicet quòd omni laude indignus eſt, & omni gloria, inanis gloriæ & vanæ laudis amator, B utpote nulla virtute præditus, virtute inquam veri nominis. Et propter hoc hæc inanis, & illa vana dicitur, quoniàm à veritate utraque vacua. Manifeſtum igitur eſt, quòd ſtudium hominum hujuſmodi eſt homines mendaces efficere, & facere de ipſis mentiri: & ideò inter viros virtutum, qui dij ut in pſal. & in Joanne 10. nominantur, non dij, ſed idola vaniſſima ſunt. Et inter homines veri nominis non homines, ſed ſimiæ hominum reputandæ, quod potiſſimùm propter hypocritas dicimus, qui ſunt ſpeciem ſanctitatis habentes, virtutem ejus negantes, ſicut legitur in 2. ad Timoth. Et ſicut idola inter homines videntur, cùm omninò vitâ careant; ſic iſti viventes videntur inter homines, cùm ſint mortui: & quemadmodùm ſi quis à longè ſpectans arundinem vento agitatam, eam propter hujuſmodi motum vivere putet, quia motus vitam atteſta- C tur; ſic iſti non ſpiritu vitæ, ſed vento inanis gloriæ agitati vivere putantur, dùm ad falſa prænominati nominis opera moventur. Eodem modo latet cauſa motus eorum ſub operimento ſpeciei atque ſimulationis, ſicut ſub remotione cauſa motus arundinis. Mira inſania hujuſmodi hominum qui ſe tam turpibus illuſionibus expoſuerunt, qui ſe & bona ſua in dentibus detractorum poſuerunt in fauces immanium belluarum, ſe & bona ſua omnia ingerunt. Quid ergo mirum ſi morſus crudeliſſimos, & devorationem patiuntur aſſiduam? Quid mirum ſi tota in dolore, & cruciatu vita eorum eſt, quæ jugiter dente hujuſmodi beſtiarum, & detractorum atteritur, & gladiis linguarum inceſſanter transfigitur. Cautiſſimè atque prudenter agit humilitas, bona ſua omnia ſeorſùm longè faciens à dentibus, & gladiis hujuſmodi dicens cum Apoſtolo in primo primæ ad Corinthios: Qui judicat me dominus eſt, coram Deo teſte, judice remuneratore omnia bona ſua reponens, neque latratus, neque morſus hujuſmodi beſtiarum timens; quapropter veriſſimè ei dicitur; D Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Quemadmodùm & de luna vulgariter dicitur, quòd quandiu adeò in alto erit, canis de ea quicunque rodere non poterit. Humilitas igitur eſt in elementis terra jugi conculcationi expoſita. In miniſtris cuſtos ſicut dicit Ambroſius ſuper Beati immaculati, quia caput cuſtoſque virtutum humilitas, & Gregor. Qui virtutes ſine humilitate congregat, quaſi qui pulverem in ventum portat. In munitionibus turris, ad cujus altitudinem nec ſagitta aſcendit, nec jaculum, ut diximus. In officinis latibulum atque theſaurus. In medicinis, atque medicaminibus, vel medicamentis remotrix faſcini. In miniſtris divini officij parvulus verſus imperfectos incipiens & cantans: Benedicamus Domino. In avibus anſer raucus ſemper, & querulus, qui ad omnem portam quantumcunque alta ſit ſe inclinat. In floribus viola, habet

Terra humilitatis elementa.

& figuram avis volitantis, & alas expanſas ad ſolem habentis, roſtroque pendentis; humilitas enim ſemper volat, licet repere videatur ut ſupra diximus roſtro pendet ad Solem, ſcilicet juſtitiæ ſuæ, & intelligentiæ, Chriſtum dominum, non ſolùm ipſum laudans, & confitens ore, bonaque ſua illi attribuens, ſed etiam totam ſe expendens ex totali beneplacito ejuſdem, atque recognoſcens. In paupertatibus truānus & aſtutiſſimus ac improbiſſimus mendicator. In bellatoribus luctator per ſupplantationem hoſtem dejiciens; omne enim bonum quod ſuperbus ſibi arrogat, vel attribuit, ſuſtentamentum, atque ſuppodiaculum diabolo facit, & propter hoc contra ſemetipſum diabolum fulcit: verus autem humilis econtratiò; dum enim omnia bona Deo attribuendo à ſe removet ſublato omni fulcimento diabolum cadere cogit. Ipſa eſt in odoramentis thus, quod quantò in fimum tenuiorem reſolutū fuerit, tantò majoris ſuavitatis odorem Deo ſpargit; ſic humilitas dùm proprium ſubjectum in nihilum extenuat, flagrantiæ ſuum odorem Deo ſpirat. In aromatibus cinnamomum, quod cinerei coloris eſt, & ſe humilis cinerem eſſe clamat, ſicut ſupra oſtendimus de Abraham; fractum enim cinnamomum pulverem emittere videtur, & ob hoc quidem cùm eſt cinerei coloris, quod eſt ſpecialiſſimum pulveris, quod humilitati congruit, ſicut in eodem exemplo Abrahæ oſtendimus. In odoramentis etiam humilitas eſt muſcus, qui odorem amiſſum juxta ſtercora, vel ad latrinam poſitus recuperat. Juxta ſtercora humilitas ponitur, vel ſtercora juxta eam, cùm ſordes peccatorum ſolicitè cogitantur. In gemmis verò multiplex. Et primùm quidem cryſtallus, qui vires in lapidibus pretioſis extinctas attactu ſuo dicitur ſuſcitare, & de virtute humilitatis hoc ſupra oſtendimus quod alias virtutes extinctas ſuſcitat, & debilitatas confortat, propter hanc virtutem cryſtallum matrem gemmarum eſſe putaverunt. Secundò amethyſtus, quæ eſt gemma violacei coloris, & ebrietatem tollit, ut dicitur: nulla autem ebrietas major eſt, magiſque dementans homines, quàm ſuperbia ſecundùm omnem ſui partem, vel ramum, & hanc virtute ſuâ funditùs tollit humilitas. Tertiò Jaſpis, qui dicitur, quòd fugat phantaſmata, & quis eſt, qui phantaſmatibus illudatur & cujus cor fantaſias patiatur, niſi qui ſomniat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit & hoc ipſum ſomniari ab aliis, totis ſtudiis, ac viribus procurat, atque requirit: hujuſmodi autem ſomniatorum phantaſmata exterminat humilitas. Quartò Saphirus, cujus virtus eſt, tumores reprimere corporales, ſic humilitas ſpirituales. In lapidibus pretioſis, qui gemmæ non ſunt, primùm eſt onychinus, ſive acamatus, cujus virtus eſſe dicitur, invictum reddere: hic autem eſt proprius humilitatis effectus in bellis ſpiritualibus, ſicut dicit beatus Auguſtinus, quòd ſolus vincitur, qui de ſe præſumit ſolus vincit, qui de ſe non præſumit. Secundò adamas, cujus virtus eſſe dicitur facere gratioſum, & iſta eſt propria virtus humilitatis: ſicut enim odibilis eſt coram Deo, & hominibus ſuperbia, ut legitur Eccleſiaſt. 10 ſic humilitas gratioſa. Hæc eſt in inſtrumentis ſpeculum, quæ nobis ſemper noſipſos oſtendit. In ornamentis faſcia pectoralis, & cingulum, ſicut illis duobus tumor mammillarum reſtringitur, ſic omnis tumor ſuperbiæ humilitate tollitur. In arboribus humilitas eſt ſicomorus, cujus virtus dicitur à captione omnium liberare, quòd etſi verum non videatur, de humilitate tamen dubium non eſt, quia poſſeſſorem ejus nulla detinere poſſunt vincula peccatorum. Ipſa eſt in liquoribus balſamum, quod omnibus liquoribus ſuperventum

Humilitas volat licet repere videatur.

Cinnamomum.

Humilitas muſcus eſt aromaticus.

Humilitas cryſtallus.

Jaſpis.

Humilitas eſt ſaphirus.

Sicomorus.

E fundum petit, & omnibus incorruptibilior eſt, & ad conſervandum à corruptione efficacior, quæ tria indubitanter humilitati congruunt. Humilitatis omnis operatio honorificatio eſt ſeu veneratio creatoris: hoc eſt, quoniàm ipſa eſt incurvatio ſive inclinatio non ſolùm capitis, ſed etiam totius corporis, & mentis; ſemper enim incurvata, ſemper inclinata coram Deo tanquàm adorans, & venerans eum incedit humilitas, non ſolùm præ magnitudine onerum, videlicet talentorum prædictorum, & rationum, quas reddere tenetur de eis, ſed etiam peccatorum aliorum & delictorum. Econtrariò verò ſuperbia de magnitudine onerum erigitur, & elevatur, & hæc eſt de abuſionibus illius monſtrificis; magnitudo enim ſcientiarum, officiorum, dignitatum, & etiam quarumcunque virtutum, & gratiarum magnitudo eſt onerum, & propter hoc humiliare, atque incurvare debet oneratos, & hoc tantò magis, quantò major ipſa eſt; propter utrunque ergo iſtorum, ſcilicet propter incurvationem ex oneribus, & Dei venerationem legitur Eccleſ. 3. Quantò major es humilia te in omnibus, & poſt
F pauca: Deus ab humilibus honoratur.

CAPUT XI.

Proſequitur opera patientiæ, multiplices ejus laudes & effectus, quæ operæpretium eſt videre.

POſt hæc proſequemur opera, & mirabilia patientiæ. Et dicemus in primis, quia & virtus fortitudinis, & virtus quæ ſignatur per hoc nomen mitis, & manſuetudo, interdùm patientia nominatur: ſimiliter & ipſa humilitas. Eſt & humilitas patientia invincibilis contumeliarum, quemadmodùm patientia dicitur, qua quis fortis eſt ad tolerandas moleſtias. De fortitudine ejus dicit Tullius, quia ipſa eſt laborum, & dolorum invicta perpeſſio. Nos autem iſta ſuperiùs lucidè diſtinximus, & cauſas nominationum earum aſſignavimus.
G Patientia prout de eâ intendimus virtus eſt, qua corda noſtra armantur ad vincendas moleſtias in eo, quod moleſtæ ſunt, ſive cum læſione aliqua ſeu vulnere, ſive ſine vulnere omni, ac læſione, ac dolore cordis; juxta id quod dicit Ariſtot. in libro Topicorum, quòd patiens eſt, qui patitur, ſubaudi læſionem, vel dolorem, ſed non deducitur, ſubintellige à rectitudine, hoc eſt non deſerit propter hoc rectitudinem, ſed vincit ipſam moleſtiam læſionis, atque doloris. Mitis verò eſt ſecundùm ipſum, qui nec læſionem utique, vel dolorem, nec deducitur; horum exempla ſunt, lapis percuſſus, etſi in aliquo lædatur, non tamen frangitur; ſimiliter, & homo vulneratus, qui de vulnere non moritur; ſimiliter & molle percuſſum, vel impulſum, quod ſine læſione omni cedit, & impellens, vel percutiens am-
H plectitur quaſi congratulans, & aggaudens impellenti vel percutienti, propter hoc, quia ſuaviter ſcilicet ictus, & impulſionem recipit illæſum omnimodò ſe cuſtodit. Durum autem econtrariò; pro eo enim quod durè & repellendo vel reſiſtendo, vel impellentem, vel percutientem recipit, læſioni ſe præparat & exponit. Aliud exemplum eſt lignum viride, quod ſine læſione ſui flecti ſe ſuſtinet, & curvari, lignum verò aridum eo ipſo, quod curvationi & flexioni reſiſtere nititur aut eliſionem, aut etiam fractionem nō effugere facit. Ad idem exemplum de arundine vento agitata, & de quercu eodem vento confracta, quod ſupra poſuimus. Eſt aliud exemplum de obice, qui dùm aquæ curſui reſiſtit, eam contra ſe retinendo fortiorem efficit, & propter hoc rupturæ diſcrimini ſe exponit; libertas

Patientia quid.

Patiens quid.

Mitis.

verò

Digitized by Google

verò, ideſt vitæ vacuitas impetum, & rapiditatem, atque fortitudinem fluminis debilitat, & evacuat, ut contra eam nihil penitùs poſſit. Eſt igitur impatientia, ſicut durities percutientem ſe adjuvans, & ſicut ligni viriditas incurvationem ejus in fracturam convertens, & ſicut obex aquam tribulationis retinens, fortitudinem ejus, ut diximus, contra ſeipſum augens. Poſt hæc autem ſcire debes, quòd patientia interdùm dicitur inſenſibilitas, de qua dicit Ariſtoteles, quòd quidam ſunt inſenſibiles, ut ruricolæ, & non videtur iſta patientia virtus, neque nomine patientiæ digna juxta teſtimonium Ariſtotelis quod poſuimus; nihil enim doloris, vel læſionis patitur, qui inſenſibiliter patitur; alio modo etiam ignorantia in quibuſdam patientia videtur, dùm neſciunt, quid eis agitur, nec vindicant, nec iraſcuntur. Tertiò etiam timoroſitas patientia

Impatientia.

Inſenſibilitas.

B

videtur; quidam enim ſolo metu iraſci deſinunt, ſicut & ſe vindicare de moleſtatoribus ſuis. Quarta patientia, quam vocare conſuevimus aſinariam, ſive aſininam, & iſta eſt conſuetudinaria quorundam patientia, de qua aliquandò irriſimus Ariſtotelem; quidam enim flagellis aſſueti ut aſini, flagella nec timent, nec eis læduntur, nec virtuosè illa ſuſtinent, ſed paſſibiliter tantùm, & ideò non virtuosè agunt, ſed ſolummodò patiuntur, ſicut aſinus; pati enim verè patiéter, & virtuosè, vel agere eſt, vel reſiſtere paſſionibus, quod iterùm agere eſt; portare enim onus non ſolùm pati eſt gravitatem, & gravamen oneris, ſed etiam agere, ac vincere. Perfecta verò patientia eſt ea quæ opus perfectum habet, ſicut dicit Petrus in primo 1. Quæ non ſolùm vincit dolores, & moleſtias paſſionum, ſed & cum gaudio eas excipit, & gratiarum actione, & compaſſione inferentis, atque orat pro eo. Et de victoria quidem primùm laudes orditur hoc modo. Ego victrix glorioſa quæ ſine ictu ſeu repercuſſione hoſtes

Patientia aſinaria.

Perfecta patientia.

C

dejicio, & proſterno; neque enim feſtucam levare dedignor ad referiendos eos, ipſis gladiis ſuis eos interficio, gladius enim eorum, quem armaturâ meâ repello atque retundo, intrat in corda eorum. Propugnatores mei non ſolùm hoſtes vincunt per me, ſed etiam ſe ipſos: ſicut legitur Proverbior. 16. Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Dominari animo ſuo hoc eſt, quod intelligimus vincere ſeipſos. Propugnatores mei dimidij tantùm pugnant, & contra ſe, & contra hoſtes ſicut ibidem dicit expoſitor, quia ibi totus impugnat, hic verò dimidius; patiuntur enim mirandam rebellionem in ſemetipſis, quam & virtute meâ nobiliſſimè triumphant. Aliæ ſorores meæ ſimiliter & invicem pugnant præter humilitatem, quæ ſoror mihi ſimilli-

Sorores patientia.

D

ma eſt, & ego illi, non ſolùm enim hoſtes forinſecos perſequentes, & dæmones in eis pugnantes vincere neceſſe habeo, ſed & propugnatores meos ſaltem dimidios; quòd enim caſtitas vitiis pugnat, & propugnator ejus contra ſemetipſum, meæ virtutis eſt & perfectionis, per quam tentationis moleſtia, & languor turpis deſiderij vincitur, per me enim triumphantur moleſtiæ inquantùm moleſtiæ, ubicunque triumphantur. Hæc igitur eſt mihi triumphandi forma vel modus ſingularis, quòd bellatores meos de ſe ipſis facio triumphare in primis, deinde de hominibus perſequentibus, tertiò de dæmonibus per eos, & in eis tanquàm in equis, & armis contra eos pugnantibus. Alia gloria mea nobilior, atque ſublimior eſt, quòd ipſi, qui contra meos pugnare videntur, reverà non pugnant, immò eis multipliciter ſerviunt, & multiplicia obſequia ac beneficia præſtant, & hoc eſt, quod legitur Proverb. 12. Qui ſtultus eſt ſerviet ſapienti. Et ite-

A

rùm ad Rom. 8 Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et beatus Vincentius ad Dacianum torquentem illum: Nunquàm aliquis adeò benè ſervivit mihi, ut tu. Primum ergo hujuſmodi ſervitiorum eſt, quo ipſam patientiam operantur, ſicut dicit Jacobus. Operantur inquam eam, ideſt excolunt, quemadmodùm arborem, vel agrum, ut creſcat, & multiplicet, & fructificet uberiùs. Primum ergo ſervitium eſt ſecundùm hoc agricolationis, ſive ruricùlationis, quare agricolæ, ſive ruricolæ mei ſunt, qui hoſtes, ac perſecutores mei videntur, vel ipſam patientiam operantur, patientiam dico virtutem veri nominis occaſionaliter, ejus autem auctor, & operator ſolus eſt Deus. Verùm patientiam conſuetudinatiam, quæ eſt ſicut durities in lateribus equorum, & in naribus aſinorum ex

B

aſſuetudine ſtimulationis, & in manibus coquorum, aliorumque duris operibus aſſuetorum, veriſſimè operantur, quemadmodùm fabri lignarij ſcutum, & ferrarij loricam. Armatura protectionis ego ſum, dicit patientia, protego quippe cor, quod me geſtat à gladiis, ac jaculis perſecutionum, atque tribulationum; quare fabri, ſive fabricatorum ſervitium mihi impendunt, qui me perſequi, & impugnare videntur, & cõtra ſeipſos poſſeſſores meos armant, & muniunt, & hoc tantò fortiùs, quantò atrociùs in eos ſævire videntur, quemadmodùm ignis teſtam armat, & laterem contra ſeipſum, quo vehementiùs ipſas exurere videtur. Tertium ſervitium eſt liberatio à vinculis, hoc eſt diruptio vinculorum & laqueorum; laqueus enim irretiens proſperitas eſt temporalis. culter verò incidens laqueum iſtum eſt adverſitas, quare qui adverſitatem nobis ingerunt, cultro tali laqueum proſperitatis, quo irretiebamur, incidunt, ſicut dicit Guido Cartuſian. de inſania impatientium, qui tam ſtudioſos, atque

Patientia armatura protectionis.

Proſperitas temporalis eſt laqueus irretiens.

C

officioſos liberatores ſuos hoſtes, ac perſecutores reputant, laqueumque proſperitatis tantis diſpendiis defendere conantur. Quid ergo mirum, ſi eo capti, & irretiti tenentur; hoc eſt, quod legitur Daniel. 3. De tribus pueris miſſis in fornacem ignis, in quos nihil aliud potuit ignis, niſi vincula quibus ligati erãt, conſumpſit: ſic eſt de igne tribulationis, qui nihil poteſt in animas patientiũ: & hoc eſt quod legitur Sap. 3. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Et hoc eſt quoniàm ſcutum, ſeu lorica patientiæ totam vim ignis extinguit, & ignem ad eas tranſire non ſinit. Et quoniàm tribulatio plerunque in ſcriptura ignis accipitur: Dico, inquit patientia, quòd tot ſervitia mihi impendit tribulatio, quot ſunt virtutes, & operationes ignis hujuſmodi, ergo prima eſt virtus illumina-

Ignis tribulationis nihil agit in animas patientiu.

D

tio; quòd ipſa illuminet teſtatur Hiere. Threnorum 3. dicens: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, hoc eſt in tribulatione, quam mihi ex indignatione, vel ira ſua infligit. De hoc Greg. Culpa oculos clauſos habet, pœna apertos; propter quod dictum eſt ad Nabuchodonoſor Danielis quarto: Septem tempora mutabuntur ſuper te &c. Donec ſcias, quòd in regno hominum dominatur excelſus, & cuicunque voluerit dabit illud: & poſt pauca. Redditus eſt mihi ſenſus meus, Per illam enim tribulationem humiliatus Nabuchodonoſor ſenſum recuperavit, & illuminatus eſt: propter hoc flagellantur adhuc parvuli, & flagellum eis quaſi lucerna adhibetur, ut per eam videant, quod aliàs non cognoſcerent. Nec mirum, cùm & ipſa bruta animalia, ut canes, equi, & aſini, & multa alia flagellis erudiantur, & illuminentur ad cognoſcendum, ut videntur, ſuper virtutẽ brutalem. Secunda operatio ignis eſt emollitio, & hoc evidens eſt in quibuſdam materiis corporalibus, ut in cera, &

Prima virtus ignis illuminare.

Secunda operatio ignis emollire.

in butyro, & in multis aliis, ſic & tribulatio emollit corda eorum, in quibus eſt inſtar ceræ, ut impreſſionem ſimilitudinis divini decoris accipiant, & ſcripturam ſacræ eruditionis, quemadmodùm legitur Cantico. 8. Pone me, ut ſignaculum ſupra cor tuum. Similiter & in tribulatione multorũ corda ſacram eruditionem, velut ſcripturam ſpiritualẽ recipiunt, & retinent tanquàm cera remollita, neutrum horum aliàs factura, & hoc eſt quod legitur Job 23. Deus mollivit cor meum, & qualiter mollíverit, ſtatim ſubjungit dicens, & omnipotens conturbavit me, ſubaudi, tribulatione.

Tertia liquefacere.

Tertia operatio ignis liquefactio etiam duriſſimorum eſt, ut vitri, cryſtalli, & metallorum, quam non facit niſi fortiſſimus ignis, & conflatu follium vehementi adjutus. Per hanc operationem præparantur duriſſima, ut fluant in omnem modulũ, & formam juxta libitũ artificis; ſic obduratiſſima corda & conſuetudine mala, & gelicidio perverſitatis, aut cupiditatis, fortiſſima tribulatio, quæ mortem, vel ingerit, vel ſaltem minatur, euſque liquefacit, ut in omnem modulum & formam vivendi fluere parata ſint; F qui enim graviſſimis ægritudinibus laborant, & jam jamque morituros ſe formidant, licet aliàs duriſſimi, & incorrigibiles fuerint, Sacerdotes advocant, conſilio eorum penitùs ſe tradentes, & inſtar metalli liquefacti in quemcunque rectè vivendi modulũ, ſeu formam fluere ſeu tranſire parati. Modulos autem, & formas rectæ vitæ intelligimus varios pœnitentiarum modos: Formas verò rectè vivendi, & modulos, multas, & varias intelligimus diverſorum ordinum profeſſiones: & hoc eſt quod legitur in Pſal. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea.

Nota.

Similiter & alibi: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea; per verbum enim ponuntur ante oculos eorum ardores ſempiterni, & ignis gehennalis eorum cordibus apponitur, & inde per timorem diſſolvuntur & liquefiunt. Ad idem pertinet quod ſequitur: Flavit ſpiritus ejus, aquilonari ſcilicet flatu tribulationis: de quo legitur Ezechiel. primo: Vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. G Ad hoc pertinet, & illud: Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: Quemadmodùm enim cera dùm liquefit fugiunt omnes impreſſiones, & imagines ibi factæ, ſic omnia vitia, & peccata velut impreſſiones, & ſignacula diabolicæ turpitudinis & omnes errores impietatis, velut ſcripturæ diabolicæ falſitatis pereunt, & hoc modo perire peccatores dicuntur, ſicut & Mycalus Muſicus corrumpi, & ſicut dicitur Proverbiorum 12. Verte impios & non erunt.

Quarta operatio ignis eſt obdurare.

Quarta operatio ignis eſt obduratio, quæ ſimiliter manifeſta eſt in quibuſdam materiis, ut in luto & lateribus, de qua jam dixi, quoniàm armat omnes in eos: adde autem, dicit patientia, quòd inciſibilem, & immaſticabilem, & immorſibilem efficit tribulatio poſſeſſorem meum; H cùm enim tres ordines dentium ſint in ore Leonis infernalis diaboli, ſicut legitur Danielis 7. videlicet præciſi, qui ſunt hæretici, & malorum omnium ſuggeſtores: Canini, qui ſunt detractores: Molares, qui ſunt perſecutores.

Dentes diaboli.

Duo genera ultima non timent poſſeſſores mei, & hoc eſt propter duritiam ſuam: quòd autem canini dentes diaboli detractores ſint, non debet eſſe quæſtio cùm tam crebrò Scriptura nominet eos canes. Quòd autem molares ſint perſecutores, expreſsè habetur Iſaiæ 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis. Quod aliter non intelliguntur facere, niſi perſequendo, & tribulando.

Detractores.

Hi dentes ſemper tunduntur à poſſeſſoribus meis interdùm autem franguntur prævalente duritia eorum contra duritiem hujuſmodi dentium;

E interdùm autem & avelluntur ex ore diaboli, cùm vincitur in bono malum: ſicut docet Apoſtolus in 12. ad Rom. Interdùm exẽplo patientiæ provocatus perſecutor frangitur ab ira ſua, & perſequi deſiſtit, & tunc frangitur dens diabolicus. Interdùm autem, & provocatur ad pœnitentiam, & tunc omninò dens ille maledictus ex ore diaboli abruptus evellitur. Illuditur autem ridiculoſiſſimè, & cum multa ignominia diabolo, quandò totiens mordens nihil prendit, atque præcidit, tamdiù maſticans, nec lædit, nec corium attenuat, tamdiù maſticans & molere conatur: dentibus autem confractis, aut avulſis recedit. Hoc modo patientia Martyrum exdentavit diabolum in multis locis, nec ullum dentem, ideſt perſecutorem ei relinquentes, in multis enim locis patientia Martyrum perſecutores ſuos omnes abſtulit diabolo, & abrupit ab eo; & propter hoc tot dentes molares è faucibus ejus avulſit, quot perſecutores Chriſtianæ Religionis eidem abſtulit: eodem modo, & tot dentes caninos ex ore ejus extraxit, quot detractores Chriſtianæ Religionis ad ſe convertit.

Zelus rectitudinis.

Alio modo zelus rectitudinis conterit molas iniqui, id eſt diaboli, videlicet per vindictam, ſicut dicit Job de ſeipſo 29. Conterebam molas iniqui, & de faucibus ejus eruebam prædam. Qui enim per vindictam conterit impios perſequentes juſtos, molas diaboli, ſive molares dentes ejus conterit; & qui quolibet modo eos convertit docendo, ſeu prædicando, non niſi malleo verbi Dei ſimiliter eos conterit. Non levis contumelia irrogatur diabolo, nec leve damnum ſibi reputat irrogatum, cùm quolibet dictorum modorum aliquis dentium ejus conteritur, vel ex ore ejus abrumpitur. Magna etiam contumelia irrogatur eidem, quandiù maſtificans, & frangere dentibus antedictis enitens electos, nihil proficit, ſed mordendo magis, & maſticando, cum confuſione jejunus ab eis abſcedit; ſic autem illudunt ei poſſeſſores mei, dicit patientia, quemadmodùm illuditur canibus, qui cùm porrigi ſibi panem putant, lapidem pro illo dentibus arripiunt, & dentes ſuos ad illum graviter allidunt, quod ubi ſentiunt parcentes dentibus ſuis, ſtatim lapidem dimittunt; ſic & diabolus duriſſimos inveniens meos omnes, dicit patientia, alliſis dentibus eos dimittit diabolus tanquàm parcere volens dentibus ſuis, victuſque & confuſus eos in pace dimittit interdùm.

Nota.

O quàm jocundum eſt, immò glorioſum ſic exdentare diabolum, vel ſaltem vincere, atque eidem illudere. Econtrariò verò adverſarij mei, idest impatientes, hoc eſt, qui iraſcuntur, vel facilè cedunt morſibus, ictibus, compreſſionibus hujuſmodi dentium, non ſolùm paſcunt ſpiritualiter, vel nutriunt & impinguant diabolum de ſeipſis, ſed etiam velut coqui ejuſdem ſe ipſos ei coquunt, & præparant. Qui iraſcuntur quidem, novum ignem, videlicet iræ ſuæ, ſibimet aſſandis, vel craticulandis, vel quod verius eſt, carbonandis apponunt, ac ſi tribulationis ignis ad eos ſic coquendos, & præparandos diabolo non ſufficeret. Hi propriè ſunt carbonatæ diabolicæ, & uſtulatrium, quod vulgariter dicitur braleim, delicatè, & lautè paſcunt diabolum, qui ſe ipſos carbonatas uſtulatrium, & aſſaturas diabolo faciunt. Qui verò facilè cedunt, quaſi emolliti moleſtia tribulationum & liquefacti ſorbitiunculas diabolo faciunt ſeipſos, quales ſolent fieri de caſeo liquefacto ad ignem, & de aliis multis. Iſti videntur miſereri diabolo extenuato, & quaſi dura maſticare non valenti, ſorbitiunculæ quippe parvulis dentes nondùm habentibus, & ſenibus, quibus ſenectus, vel alius caſus dentes excuſſit, ſolummodò præparantur,

Digitized by Google

A præparantur, & apponuntur. Propter illuſiones ſupradictas, & alias multas quæ ſuis locis ſcriptæ, & ſcribendæ ſunt, dicitur in Pſalmo: Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Quinta operatio ignis eſt diſgregatio, ſeu ſeparatio heterogeneorum, hoc eſt rerum quæ diverſarum ſunt naturarum, & per hanc virtutem eſt purgativus metallorum adulterinam commixtionem habentium, & hoc eſt, quoniàm per eam ſeparat à metallo omne quod aliunde ei admixtum, vel adhærens fuerit, ſicut ab argento plumbum, vel ſcoriam, & ab auro æs, & quodcunque aliud ei admixtum fuerit, & à ferro etiam fæces: propter hanc etiam operationem tribulatio ignis in ſcriptura dicitur creberrimè, unde in Pſalmo: Argentum igne examinatum purgatum ſeptuplum. In hoc ergo, dicit patientia, mihi, & B meis ſervit tribulatio, quia quicquid admixtū eſt de terrenæ ſubſtantiæ fæcibus animabus earum, vel etiam de vitiis, & peccatis, totum ignis tribulationis ab eis ſeparat, & expurgat. Quemadmodùm dicit beatus Auguſtinus de Cypriano martyre. Quia omnia mala reſecata ſunt falce martyrij, omnia inquam, quæ contra Sacramenta viſus aut dixiſſe fuerat, aut ſenſiſſe; ſic vides, & de his, quibus per cupiditatem, & avaritiam terrena ſubſtantia velut ſpiritualiter immixta eſt inſeparabiliter, gravi ægritudine, quaſi igne diſſolvente ab eis ſeparari, & vel eroganda, vel reddenda pauperibus in manibus Sacerdotum tradi; ſic eſt de honoribus, & dignitatibus, quæ à poſſeſſoribus ſuis in tribulatione forti poſitis deſeruntur, immò per contemptum rejiciuntur, quemadmodùm fæces à metallis in igne poſitis. C Veriſſimè ergo dicit patientia, quia tribulatio ignis purgatorius mihi eſt, & meis, & quia purgatrix eſt fæcium earum, & lotrix ſordium, & per hoc ipſi tribulatores, purgatores, & lotores mei ſunt, & meorum. Hoc igitur eſt quintum ſervitium, quod mihi & meis præſtant, & exhibent, ipſi, qui vocantur tribulatores, & ad hoc officium etiam pertinet ſervitium coquinarum; quoniàm excoctio non eſt alia operatio per ſe, quàm purgatio, unde & meritò digeſtio quædã dicitur excoctio, unde & Dominus ad Synagogam: Excoxi te in camino paupertatis. Et Iſa. 1. Excoquam ad purum ſcoriam tuam: propter hoc dictum eſt Num. 11. Quòd populus ſiccabat coturnices ad ignem: Coctio enim eſt ſiccatio crudæ & impuræ humiditatis in carnibus, unde & in aqua coctæ, & ſiccæ apparent carnes pluſquàm aſſatæ: in hoc igitur officio mihi, & meis ſerviunt D tribulationes? & propter hoc quot genera tormentorum irrogaverunt martyribus, tot de eis fercula de eſibus paraverunt, & quoniàm aliquos aſſaverunt, & alios exuſſerunt, alios frixerunt, alios in oleo ferventi, vel aqua coxerunt, alios piſtaverunt, ſeu moluerunt, ſicut beatum Victorem, tot fercula de eis regi regum obtulerunt, & menſis cœleſtibus intulerunt: mihi autem, & meis taliter in in officio coquinatio ſerviunt, quia ipſa tormenta videlicet quæ ipſi tormenta reputant, epulæ mihi ſunt tantò lautiores, tantòque guſtui meo, & meorum ſuaviores, quantò ipſi eas credunt amariores. Ego in avibus Salamandra ſum, cui ignis cibus & quot modos ignis, ſeu tribulationum mihi quiſquis adhibet, tot delitias ferculorum mihi parat, & apponit, & hoc expreſsè aſſerebat unus ex meis, videlicet inclytus martyr Vincentius dicens ad Dacianum: Has epulas ego ſemper deſideravi, evidenter intelligens de tormentis; & iterùm. Nunquàm aliquis adeò benè ſervivit mihi, ſicut tu. Quapropter coqui mei ſunt omnes tyranni, ſive Imperatores ſive Reges, ſive Principes, in quo apparet gloria mea, & magnificentia, & ſublimitas meorum,

Quinta operatio ignis.

Tribulatio ignis.

Excoctio quid.

Martyrū tormenta.

Salamandra.

A in cujus coquina ſervierunt, & ſervire non ceſſant toto ſtudio, ac viribus, qui toti mundo imperare, & dominari videntur. Et quòd eſt præcellentiùs, tantò ſtudioſiùs, tantòque officioſiùs, quãtò atrociori malitia, profundiorique aſtutia perſecutiones, & tormenta mihi, & meis exquirere, & excogitare conantur. Mihi ergo ſerviunt, ut ſervi coquinarij, qui omnibus aliis dominantur, & hæc ſingularis gloria imperij, & dominationis meæ, de qua latiùs ſum inferiùs locutura. Interim autem proſequar de aliis officiis, ſeu ſervitiis, in quibus mihi ipſa tribulatio ſervit, & miniſtri ipſius, & hoc inquantùm ignis. Hujus ergo ſexta operatio eſt probatio ſicut legitur Sapientiæ 3. Sicut aurum in fornace probavit eos: & Eccleſiaſtici 20. Vaſa figuli probat fornax, quoniã B in igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis & iterùm Proverbiorum 27 Quomodò probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, &c Probatio autem non eſt niſi veritatis, & puritatis oſtenſio; & propter hoc cùm nec in auro, nec in argento invenit ignis quod ſeparet, aut expurget; aurum, vel argentum probatum, id eſt purũ & verum oſtenſum meritò reputatur; ſic eſt de vaſis fictilibus quia in fornace probantur: ſi enim ardorem fornacis abſque crepatione ſuſtinuerint, vel ſi non inde exilierint, laudabilia eo ipſo eſſe probantur, & hoc eſt, quia quæ reproba ſunt, vel crepant in fornace, vel inde exiliunt, ardorem fornacis ſuſtinere non valentia; ſic eſt (dicit patientia) de omnibus meis, quòd igne tribulationis veri, ac puri, ipſo teſtimonio ignis indubitanter comprobantur, dum ipſum, quandiù bene- C placitum Dei eſt, ſuſtinēt. Reprobi verò in eo quod crepant iracundia, vel inde furentes exiliunt vel victi ejuſdem moleſtia cedunt, & ideò conſumuntur bona verò ſpiritualia, ſi qua habeant, velut ligna arida, vel paleæ ab igne hujuſmodi devorantur: hoc eſt, quod dictū eſt ad Tobiam per Angelū Raphaëlem 12. Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te, hoc eſt, ut evidenter oſtēderet, & tibi & aliis, quia verè bonus, ac purè eras. Quicunque ergo vel mihi, vel meis tribulationem infert, vel potiùs inferre ſe putat, & mihi, & meis affert irrefragabile teſtimonium probitatis. Septima operatio ignis eſt conſumptio, & in hoc ſervit mihi, & meis ignis, quia quicquid eſt cremabile, aut conſumptibile meis, totum cremat, atque conſumit, videlicet paleas venialium peccatorū, ut puri ſemper, & immaculati ſtent jugiter ante Deū; zelator enim D puritatis, & macularū perſecutor ferventiſſimus eſt Deus in ſuis, & propter hoc extra ignē tribulationis eos eſſe nō patitur. Octava ignis operatio eſt dealbatio ſicut evidenter apparet in caminis, & furnis, in quibus frequenter ignis accēditur. propter quod dicitur Dan. 12. Dealbabuntur quaſi ignis & probabūtur multi: Ignis verò ſæcularium deſideriorū animas humanas denigrat, ſicut legitur Threnorū 4 Denigrata eſt ſuper carbones facies eorū. Hác nigredinē ignis tribulationis abſtergit, ſicut dicit Monachus ille in vitis patrum, qui quotidie proclamabatur, & flagellabatur, ut ſic à cogitationibus, & deſideriis carnis liberaretur, cùm per annū ei eſſent continuatæ hujuſmodi proclamationes, & flagella, interrogatus qualiter eſſet ei ſuper illa tentatione, reſpondit, mihi non licet vivere, & fornicari libet? Nona ignis operatio eſt deſiccatio, per quã etiam conſervativus eſt eorum, quæ humiditas corrumpit, & putrefacit; & propter hoc, quòd corda humana corrumpuntur, & putreſiunt deliriis, igne tribulationis conſervantur. Et hoc eſt quod dicit Gregorius in Paſtorali. Salomonis idcircò funditùs domum ſapientia deſeruit, quoniàm ipſum nulla diſciplina

Sexta operatio ignis

Nota.

Septima operatio ignis.

Octava.

Nona.

Decima.

tribulationis interiùs cuſtodivit. Decima operatio ignis eſt medicatio contra peſtem corporis, & contra frigus ſæcularis, & carnalis amoris; hoc enim habet proprium proſperitas, quòd torpidos, & ſomnolentes efficit, immò etiam & ſoporat. Unde etiam & diabolus in talibus dormire dicitur, ſicut legitur in Job 40. Quia in locis dormit humentibus, hoc eſt in omnibus delitiis madentibus, propter quod & Lucæ 11, dicitur quòd immundus ſpiritus ambulat per loca arida, & inaquoſa quærens requiem, & non invenit. In hujuſmodi enim hominibus, videlicet qui proſperitate affluunt, omne genus delitiarum, & requiem omnimodam etiam uſque ad ſoporem invenit diabolus, nec enim ipſum permittunt excitari, vel evigilare in ipſis, hinc eſt, quòd ſtimulos ſacrorum eloquiorum, quibus moleſtiſſimè pungitur ab eo avertunt, ſimiliter & ſacram exhortationem, qua ad bellum contra eum quaſi voce tubæ homines invitantur, fugiunt, & à Dei comminationibus, quaſi tonitruum fragoribus ipſum abſcondunt: & ut ad unum dicamus, omnibus rebus & ſermonibus, qui aliquid moleſtiæ inferre poſſunt diabolo, omnem aditum occludunt; ſanctorum enim virorum aſpectus, occurſus, alloquia, ſanctorumque librorum inſpectiones adeò ſtudioſè declinare videntur, tanquàm jurati ſint, ne quicquam moleſtiæ apud eos diabolus patiatur, ſed & quicquid ei placere poteſt, officioſiſſimè exquirere, & procurare videntur, non ſolùm tanquàm in protectione ſua ipſum ſuſceperint, ſed perinde ac ſi ad perendinandum, & deliriandum ipſum receperint.

Nota.

Undecima operatio ignis.

Undecima operatio ignis eſt, quia terret lupos, & propter hoc à meis infernales lupi fugiunt, ignem iſtum expaveſcentes. Quia verò tribulatio etiam aqua dicitur, etiam in officiis, & in effectibus aquæ ſervit mihi tribulatio, aqua enim dicitur tribulatio in Pſalmo: Operuit eos aqua tribulationis. Ad idem pertinet quod legitur Trenorum tertio: Inebriavit me abſinthio: & Hierem. Inebriabo eos abſinthio, & potum dabo eis aquam fellis. Et ut vim inde non faciam in ordine, & operationibus aquæ, una eſt merſio, ſive ſubmerſio, ſicut ibi dicitur. Operuit eos aqua tribulationis, unus ex eis non remanſit, omnes inimicos meos mihi ſubmergit. Inimici autem mei, & capitales delitiæ ſunt carnales, & ſæculares, illos ita ſubmergit, & delet, ut memoria eorum non ſit, ſicut legitur Eccleſiaſtici undecimo. Malitia unius horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ; quantò fortiùs ergo minorum luxuriarum, nec memoriam relinquit? iſta eſt aqua ſalſa, ſcilicet maris, quæ etiam ſcabiem purgat, & & abſtergit, & removet à pedibus equorum, & corporibus hominum, & omninò etiam ſanat eandem, hæc ſcabies luxuria eſt, juxta illud quod dicit Auguſtinus in libro confeſſionum: Delectabat ſcalpi ſcabiem libidinum mearum. Hujuſmodi ſcabiei prurigo non ſolùm ſcabioſam, ſed ulceroſam, & ſanioſam, hoc eſt ſanie abominabili defluentem efficit animam humanam, & propter hoc Deo incredibiliter abominabilem. Manifeſtum igitur eſt hoc, quia qui aquam tribulationis meis immittunt, adjutores, immò propugnatores mei ſunt: quemadmodùm Exodi decimotertio: ab ipſis Ægyptiis dictum eſt: Fugite Iſraelem, quia dominus Deus Iſrael pugnat pro eo: Sed & pro me, & meis pugnant, qui contra me pugnare videntur: eodem modo & medici mei ſunt, atque meorum, dùm tam horrificam, abominabilemque ſcabiem meis purgant, & curant eos ab illa; accedit & illud ad gloriam meã, quia quantò ſtudioſiùs, quantò enixiùs ad tribulandum meos intendunt, tantò fortiùs, & officioſiùs in officio medicandi eiſdem ſerviunt, tantò fortiùs

Tribulatio aqua dicitur.

E pro eis pugnant. Hæc aqua videlicet marina, ſalſa, amara, quoniàm ad lavandum, mundandum aptiſſima eſt. Lavatorium meum eſt balneum mundationis, quare qui tribulationem meis parant, balneum eis, & lavatorium exhibent, quapropter eorum ſunt balneum, & lotrices. Attende autem quòd parvuli ſcabioſa habentes capita lavari ea vehementer formidant, & interdùm non ſuſtinent; ſic ſcabie luxuriæ ulceroſa corda habentes tribulationis lavacrum expaveſcunt, & inſtar parvulorum ſcabioſa capita habentium lotricibus obnituntur, & plerunque etiam dentibus, & unguibus repugnant: quemadmodùm etiam panni putrefacti lavari ſe non patiuntur, immò in ipſo lavacro dirũpuntur; ſic corda putredine luxuriæ detrita, tanquàm ſpirituali vetuſtate corrupta, in manibus perſequentium, ſeu tribulantium, tanquàm reverà in manibus lavantiũ lacerantur. Hæc aqua, videlicet marina nutriendis F piſcibus pinguiſſimis, atque nobiliſſimis aptiſſima eſt, & propter hoc tribulatio nutrix mea, & meorum eſt, ſicut mare piſcium; & qui aquã hujuſmodi miniſtrant meis, nutrimentum eiſdem miniſtrant: & quemadmodùm piſcibus in ſola aqua benè eſt, ſic meis in ſola tribulatione, & hoc eſt, quod legitur Iſaiæ. Cõputreſcent piſces ſine aqua, & morientur ſiti. Sed de aqua marina & de aqua ſalſa tantùm mihi eſt ſermo, quemadmodùm enim carnes in aqua dulci putreſcũt, ſic corda luxurioſorum in dulcedine carnalium voluptatum, quæ utique in aqua ſalſa, & amara tribulationum incorrupta ſervarentur, propter hoc qui delitias hujuſmodi exquirunt, nihil aliud, quàm putrefieri corda ſua quærere videntur, & hoc eſt, quod dicitur Joëlis 1. Computruerunt jumẽta in ſtercore ſuo. Ampliùs. Quem- G admodùm cete grandia, balenæ, quas quidam cetos vocant, in ſolo mari inveniuntur, & quantò majus mare fuerit, tantò majores piſces, ac pinguiores nutrit: in aliis aquis tantùm piſciculi comparatione marinorum piſcium nutriuntur. Qua de cauſa manifeſtum eſt ſolos meos de patientia magnos, & magnificos eſſe: contrarij verò, ideſt voluptuoſi adeò parvuli ſunt, & puſillanimes, ut nec ſtillam maris videre audeant, hoc eſt ſtillam tribulationis, immò à facie ejus fugiunt: mei verò à toto pondere affectionum ſuarum in illud currunt, quaſi in locum ſuæ habitationis proprium, quaſi in patriam, immò quaſi in locum delitiarum ſuarum; & quantò profundius, ac latius mare hujuſmodi fuerit, tantò in eo ſpacioſiùs delitiantur, & natant liberiùs: juxta illud: In tribulatione dilataſti mihi. Et ſicut de amaritudine maris nihil tranſit in ſaporem piſcium, ſed magis in ea, & ex ea dulciſſimi ſunt, & nutriũtur, ita ut cùm in abyſſo amaritudinum ſint, quaſi non tangat eos amaritudo, ita eſt H de poſſeſſoribus meis: propter quod ſpecialiter videtur de eis dictum Sapientiæ 3. Non tanget illos tormentum malitiæ. Sic mei in amaritudine tribulationis dulciſſimi ſunt; non enim amaricantur ira, vel impatientia, cùm circundati ſunt amaritudinibus tribulationum: ipſis aquæ maris pro muro proximæ ſunt à dextris, & à ſiniſtris, quemadmodùm caſtro, vel munitioni in mari ſitæ, & hoc ſi continua fuerit tribulatio, & propter hoc inexpugnabiles. Si verò vadens, & veniens ſit tribulatio inſtar effluxionis, & refluxionis maris, ſimiliter inexpugnabile eſt, quod nec obſidione impugnari poteſt; inundatione enim maris operiretur obſidionis exercitus, & ad hoc inducere ſolent quidam verbum illud Heliſæi ad puerum ſuum: dimitte illam quia in amaritudine eſt anima ejus; quaſi dicat. Non præſumas obſidere caſtrum illud, quia in medio mari ſitum eſt, vel ſæpè inundationibus maris circundatur, quem-

Aqua marina.

Vide laudes patientiæ.

Cete in mari.

Patientia.

Digitized by Google

Aqua dulcis tribulatio.

admodùm aliqua caſtra Indiæ, & propter hoc ipſum nullus audet obſidere exercitus. Aqua etiam dulcis tribulatio non immeritò accipitur, ſicut voluptas aqua ſalſa, juxta quod legitur Joannis tertio: Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterùm; Et exponitur de aqua ſęcularis, vel carnalis voluptatis. Et quoniam aqua ſalſa quantumlibet hauſta fuerit, vel bibita ſitim non ſedat, ſed provocat, aqua ſalſa voluptas prænominata intelligitur; voluptas enim carnalis, vel ſæcularis quantò ampliùs bibitur, tantò ardentiùs ſititur, aqua igitur tribulationis meritò dicitur aqua dulcis.

Voluptas carnalis.

Ampliùs. Quoniàm voluptas carnalis, vel ſæcularis vinum eſt inebrians uſque ad inſaniam: aqua verò tribulationis ebrietatem ſolvit hujuſmodi, ſicut legitur Eccleſiaſtici 31. Infirmitas gravis ſobriam reddit animam, intellectum voluptate inebriatum, & immerſum reſtituit, & ad claritatem priſtinam reducit: In hoc igitur ſervit meis (dicit patientia) aqua tribulationis, quia vel eos ab hujuſmodi ebrietate præſervat, atque cuſtodit, vel ſi quandò eos tetigerit, eos inde liberat; propter hoc ſemper ſobrij ſunt, qui mei ſunt, & eiſdem ab ebrietate non eſt timendum.

Aqua dulcis.

Ampliùs. Sicut aqua dulcis pulverem congregat, atque conglutinat in glebam, & agriculturæ præparat; ſic tribulatio corda quæ voluptas in iſta ſẽſibilia fruſtatim, atque minutatim uſque in pulverẽ diſpergit, tribulatio cõgregat, & cõpingit, & agriculationi ſpiritualiter apta facit. Ampliùs. Sicut aqua dulcis aſperſione glebas rigat, & ad recipiendum ſemen præparat, propter quod dixit veritas Matt. 11. Pauperes evangelizãtur; Semen enim verbi Dei in illis, & faciliùs, & velociùs capit, & capitur, quàm quos aqua tribulationis nõ aſperſerit atque rigaverit; ſicut autem aquam tribulationis dulcem dico, palato meo videlicet, & meorum, ad fœcunditatem ſpiritualis, & bonæ frugis; ſic & virtute amariſſima, atque ſalſiſſima eſt ad extinguendum fertilitatem contrariam, id eſt frugis carnalis, & materialis. Sale enim aſpergi ſolent agri ut ſteriles efficiantur, juxta illud: Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea: Omnia quippe genimina peſtiferarum herbarum aqua ſalſa exterminat; ſic aquá tribulationis omnia genimina carnalium deſideriorum, & vitiorum eliminat, & ſuccreſcere non ſinit; propter hoc pauperes, & afflicti, laborioſiſque, ac duris operibus dediti, à vitiis carnis plerunque mundi inveniuntur, ſicut econtrariò voluptatibus immerſi, ac voluntate ab eis immunes inveniuntur rariſſimè.

Nota.

Ut ergo ad unum dicam. Quicquid poteſt aqua frigida ad ſedandum ſitim corporalem, & iterùm contra ardores, contra ſiccitatem, & iterùm ad irrigationes, ad fœcundationes, ad impinguationem agrorum, atque plantarum, hoc mihi exhibet, & in hoc mihi famulatur aqua tribulationis, & qui meos illa aſpergunt, vel ductus hujus aquæ, vel copiam eiſdem præparant, gratiſſima, obſequia, ac ſaluberrima, in hoc eiſdem impendunt; & quia maxima tribulationum mors ipſa videtur, & mortis præparatoria, ut ægritudines, carceres, & vincula, & membrorum mutilationes, item ſervitutes, & oppreſſiones, horum ſingulorum fructus, obſequia, & famulatus officioſiſſimos brevitate, quâ poterimus, proſequemur.

Aqua tribulationis.

Et in primis dico (dicit patientia ex voce ſua, & ſuorum) quia caſtigatio eſt ægritudo, ſive infirmitas, juxta illud: Caſtigans caſtigavit me dominus, & morti non tradidit me: Non enim plaga inimici percutit meos, quia nec in mortem eorum intendit, ſed magis in eruditionem, & ſalutem, unde ad Hebræos 12. Flagellat pater omnem filium, quem recipit: Et in Apocalipſis tertio: Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Caſtigatio verò judicium, ac teſtimonium veriſſimum eſt, & magiſtralis ſolicitudi-

Infirmitas eſt caſtigatio.

A nis, & paternæ dilectionis; magiſtralis quidem ſolicitudinis per hoc quod legitur Iſa. 9 Secundùm aliã tranſlationem: Per omne flagellum & dolorem erudieris Iſraelem, & Oſe. Ego eruditor omnium eorum &c. Paternæ dilectionis per hoc quod ſupra diximus ex 12. ad Hebr. Et ex eo quod dicit Aug. Qui exceptus eſt de numero flagellorũ exceptus eſt à numero filiorum. Hæc igitur eſt gloria mea, & meorũ, dicit patientia, quoniàm Deum ipſũ habent magiſtrũ, & eruditorem, atque pædagogum, & caſtigatorem. Deinde ipſa ægritudo non ſolùm caſtigatio eſt, ſed etiam domatio, ſicut legitur Hieremiæ 31. Caſtigaſti me domine, & eruditus ſum, ſicut juvenculus indomitus: Nullus enim adeò petulans eſt luxuriâ, nullus adeò rebellione recalcitrans, nullus adeò efferri aſſuetus cornibus impatientiæ, ac ſuperbiæ in alios, B quem non infirmitas omninò ſubigat, & perdomet; unde in pſalmo: Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum.

Ægritudo domatio.

Quartò ipſa infirmitas, ſive ægritudo ſtimulatio eſt, ad exiliendum ſcilicet de luto fœcis, & de fœculentia ſpurcæ converſationis, quo ſtimulantur aſini, ut vulgò dicitur, infangati, hoc eſt luto tenaci infixi, ut inde exiliant; innumerabiles enim de luto luxuriæ ſtimulatio tribulationum exilire coegit; cogit jugiter meos ac ſtimulat ductor eorum Deus, non permittens eos, vel ad modicum in luto cujuſcunque peccati demorari, vel voluptuoſis, ſtimulis hujuſmodi, & ſtimulatore carentes, & propter hoc in ſtercore ſuo computreſcentes ſicut dicitur Joel. primo: Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo. Aliter etiam ſervit mihi, & meis iſta ſtimulatio, quia cogit & dirigere, & accelerare greſſus noſtros, & hoc vel ut fugiamus inſectantes nos prædones infernales, vel ut feſtinemus ingredi in illam C requiem æternæ fœlicitatis, ſicut dicit Apoſtolus in quarto ad Hebræos. Propter hujuſmodi defectũ ſtimulatoris, & ſtimulationum quidam, immò multi pigro, ac tardo curſu ambulant per viam vitæ iſtius. Quare meritò conſequitur eos, & comprehendit Angelus domini perſequens eos, ſicut legitur in pſalmo.

Ægritudo ſtimulatio.

Nota.

Quintò dico quòd infirmitas citatio eſt, etſi fuerit ad mortem, peremptoria, ſi verò non ad mortem, dilatoria. In hoc autem ſervit mihi, ſive dilatoria, ſive peremptoria ſit, quia de facienda pace, & concilianda, ſeu impetranda gratia ſeſſorum, & advocatorum, & de procurando modis omnibus, ne contra me feratur ſententia, me ſolicitat; ſi verò peremptoria eſt, multò urgentiùs ut hoc ad eandem faciam, & ut etiam ſine dilatione accelerem, hoc facere me compellit. Et ut ad unum dicam, utraque citatione mihi, & meis per inſinuationem dicitur ante judicium: D Para tibi juſtitiam. Nec eſt modicum aut parvipendendum iſtud officium citationis, qua vocor ad iſtud judicium; nihil enim periculoſius obliviſcimur, nihil damnabilius negligimus, aut prætetimus.

Infirmitas citatio eſt.

Sextò infirmitas eſt cambitrix, & commutatrix optima, quę de malo in bonum, aut de bono in melius commutat, ipſaque vitia, & peccata, quæ omnium malorum peſſima ſunt dimittentibus, illa in bona virtutum, & gratiarum commutat, & hęc quidem commutatio creberrima eſt, immò mutatio dexteræ excelſi; rariſſimum enim eſt, ut malos corporalis infirmitas non mutet in bonos, & ad pœnitendi gratiam non adducat. Specialiter autem cambitrix eſt ipſa infirmitas corporalis, quia quemadmodùm debitis obligati à chariſſimis ſuis tradi ſolent campſoribus dicentibus illis, his verbis: Ecce trado tibi hunc chariſſimum meum, cui nec vadimonium relictum eſt ad vadiandum, nec fides ad mercandum, hac conditione ut ipſum abſolutum, & quittum, & quietum ab omnibus debitis, & inſuper divitem mihi reddas; ſic omnem fidem mentitus eſt, qui nec fidem, quam promiſit in

Infirmitas commutatrix optima.

Nota.

Digitized by Google

baptiſmo, nec illam quam in ingreſſu religionis, nec illam quam quocunque voto de ſe obſtrinxit, nec illam quam uxori carnali, ſi uxoratus eſt, nec illam quam domino ſuo ſæculari obligavit, ſervavit quare verum ſicut vulgò dicitur quòd non eſt ei fides relicta ad mentiendum, qui omnem hujuſmodi fidem tranſgreſſus eſt, ſed nec vadium ad invadiandum Quare corpus, & animam, vireſque omnes animæ, & corporis, ac membra omnia apud diabolum invadiavit, ſicut legitur Sapientiæ primo: Sponſiones poſuerunt ad illam apud peſſimum, ac diſtrictiſſimum fœneratorem. Omnia prædicta poſuit, & invadiavit quicunque mortali peccato eidem, vel cuicunque vitio ſe ſubjecit, & ſicut feriſſimi fœneratores non parcunt vadiis, immò uſibus ſuis ea applicãt; ſic diabolus nec animæ peccatorum, nec corpori parcit, nec alicui ex viribus animæ, aut corporis membris, immò omnibus, & ſingulis abutitur in ſuum F ſervitiũ quod eſt ad peccandum, ſic dicit patientia:

Ratio corrigendi per tribulationem.

Unumquemque meorum infirmitati corporali cõmittit, & commendat miſericors Deus, ut ipſum de malo commutet in bonum, aut de bono efficiat meliorem, & hoc utique me adjuvante ſemper meliorẽ efficit; ſimiliter & fidem omnem quam mentitus fuerat, ac veritatem auxilio meo eidem reſtituit, dùm ad pœnitentiã ipſũ revocat, & adducit; omnia etiã debita ejus ſolvit, quia ipſius infirmitatis afflictio, quæ per me, hoc eſt patienter ſuſtinetur, pro pœnitentiali ſatisfactione à Deo proculdubiò computatur, divitem inſuper illum efficit quoniàm corporalis infirmitatis labor ad meritũ æternæ retributionis valet, & proficit, cùm per patientiam ſuſtinetur, & hoc eſt quoniàm miſericors Deus laborem, quem patientia condivit, fingit in præcepto, ſive præceptum, ut in pſal. legitur, ita ut per patientiam id valeat labor afflictionis apud ipſum, quod obſervatio præcept

Nota.

Ubi igitur impatientia adverſatrix mea nõ impediverit, ſemper eſt mihi & meis tam miranda, tamque lucroſa commutatrix, & cambitrix infirmitas, & G valet ad hoc id, quod legitur Eccleſiaſt. 31. ſicut ſupra diximus. Infirmitas gravis ſobriam reddit animam; quid enim eſt anima de ebrietate cujuſcunque virij, vel peccati per infirmitatẽ corporalẽ ſobria effecta, niſi de mala commutata in bonam, & niſi de à Deo debitis deobligata, ut nec ei vadium ad invadiandũ, nec fides ad mentiendum relicta eſſet, ab omnibus debitis abſoluta, & quieta, & inſuper dives gratiæ in re, & in ſpe gloriæ effecta. Septimò tribulatio eſt aſperitas in itinere præſentis vitæ, hoc eſt ne magis nos, ſicut dicit Gregorius, diu peregrè, quàm citò ad patriam pervenire delectet;

Tribulatio aſperitas in itinere.

aſperum enim inquit fecit Deus electis ſuis iter viæ, & vitæ iſtius, ne dùm electus, quaſi quadam viæ, ſeu vitæ iſtius amœnitate paſcitur, magis ipſum pe- H regrè, quàm citò pervenire delectet: præſentis vitæ proſperitas, ſeu fœlicitas viæ iſtius eſt detinens, aut retardans viatores amœnitas. Vides ergo, quia non vile, neque parvipendendum præſtat mihi, & meis, dicit Patientia, vitæ præſentis aſperitas, quæ non niſi tribulatio eſt, cùm & meis liberationem de præſenti ſæculo nequam, & patriæ poſſeſſionem accelerat.

Tribulatio eſt ablactatio parvulorum.

Ampliùs. Tribulatio eſt ablactatorium parvulorum Dei. Ablactatorium propriè amarum illud eſt ſeu inſipidum, quod nutrices, vel matres ablactare volentes parvulos, hoc eſt ab uberibus ſeparare, ponunt in ſummitatibus mammillarum, qualia ſunt cirus, fuligo, abſinthium, ſinapi Ubera igitur in quibus interdùm pendent hujuſmodi parvuli, fõtes ſunt præſentium delectationum; lac enim quod ſolo ſenſu parvulos delectat, præſens voluptas eſt carnalis, aut ſæcularis; ubera igitur hujuſmodi carnaliter, ſeu ſæculariter delectabilia ſunt, volens igi- E tur pater miſericordiarum parvulos ſuos ablactare, & ab uberibus hujuſmodi ſeparare, ſolidiſque cibis ſpiritualium delitiarum aſſuefacere, & ad menſam cœleſtem provocare, prædicta delectabilia præſentibus aſpergit tribulationibus. De hoc Auguſtinus. Vis eſſe mammotrectus, vis ſemper pendere ab ubere? væ illis, qui ablactari ſe non ſinunt, qui pendere ab hujuſmodi uberibus non erubeſcunt, & tam ridiculoſam iſtam puerilitatem, immò infantiam uſque in ſenectutem, & ſenium protrahere non verentur. Hi ſunt pueri centum annorum maledicti, ſicut legitur Iſaïæ 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit: Non attendentes miſeri, quòd incomparabiliter turpiùs eſt ætate grandævos ab uberibus antedictis pendere, quã ab uberibus carnalibus, nec videntes quantis irriſionibus pateant, quandò cum ejulatu, & lachrimis ab F hujuſmodi uberibus evelluntur, aut cùm eis, vel auferuntur hujuſmodi ubera, aut denegantur. Hi ſunt qui lugent, vel ablata ſibi temporalia, vel denegata, ſive non conceſſa, & hoc luctu tantò ridiculoſiori, quantò ipſa ætas corporalis magis eos ad ſublimia ſpiritualia, & æternorum debere indicat inhiare. Heu quàm turpe eſt, quàmque ridiculoſum in corpore canicies, atque grandævitas, & in mente deſipientiſſima infantia, ſicut dicit Seneca: Quia turpiſſimum eſt, quòd nomina habemus ſenum, & vitia puerorum.

Optimum dictum Senecæ.

Et id quoniàm in nobis non pueritia tẽpore ſenectutis, ſed quod deterius eſt, puerilitas in nobis remanet. Ex quibus omnibus manifeſtè colligitur, quòd iſti omnes ſenes, & cani (ut ita dicamus) pueri, dùm in ſenectute inſeparabiliter à præſentiũ delitiarum pendent uberibus, omni ſolidæ refectioni renunciaverunt, & menſam patris omninò non curantes, immò ut verum dicamus, fugientes, declinant.

Nota.

Heu quam lugendi ſunt ſenio corporali confecti, & canicie capitum nivei ubera ſibi detracta lugentes. non minùs incompatabiliter inconſolabi- G liter, quàm parvuli ablata ſibi pomula, vel pirula, vel nuciculas, ejulatu intolerabili deplorantes. Gloria igitur mea eſt, dicit patientia, quòd meorum nullus eſt parvulus, nullus infans pendens ab uberibus. Omnes facti ſunt viri, & evacuaverunt quæ parvuli ſunt, ſicut dicit Apoſtolus in 13. primæ ad Corin. Erubeſcunt ad ubera cum ejulatu videri currere, immò, & reſpicere, propter hoc promittit eis doctrinã divinæ ſcientiæ tanquàm ablactatis Iſaïæ 28. ubi dicitur. Quem docebit dominus ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus. Væ miſeriæ temporum noſtrorum,

Pendentes ab uberibus.

ubi adhuc pendentes ab uberibus hujuſmodi, non ſolùm doceri, ad quod nec dùm idonei ſunt, ſuſtinent, ſed etiam ſacrum uſurpant magiſterium, & ſa- H cris cathedris incubare, eaſque inquinare non verentur exteriùs, qui in cunabulis delitiarum carnalium adhuc jacent interiùs, qua monſtruoſitate nihil magis ſtupendum, nihil intolerabilius, videlicet mente pendere ab uberibus, & corpore diſputare de cœleſtibus, mente jacere in cunabulis, & corpore inſidere cathedris magiſtralibus. Non immeritò igitur in his, quæ Dei ſunt, balbutiunt: & docere eorum, balbutire infantium eſt.

Tribulatio ferula eſt in ſchola.

Ampliùs. Præſens tribulatio corporalis ferula, ſeu flagellum eſt in ſchola cœleſtis magiſterij, in qua dicit Patientia: Omnes mei diſcipuli ſunt doctrinæ, & diſciplinæ virtutum inſiſtentes: Quapropter qui flagellum hujuſmodi vel ferulam fugiunt, ſcholares fugitivi ſunt, ſcholã ſacri magiſterij fugientes. Omnes verò mei (utpotè) cœleſtis ſcholæ diſcipuli, & flagellis dorſum exponere, & palmas ferulis porrigere paratiſſimi ſunt, in quo evidenter apparet eos eſſe cœleſtis magiſterij diſcipulos, & doctrinam ejus omnibus flagellis, & ictibus præferentes;

Digitized by Google

præferentes: voluptuoſos verò, qui ſcholam hujuſ-
modi fugiunt, ad ſcholam diaboli pertinere, qui per-
verſitates omnimodas, & inſanias ſolas docet. Eſt
& præſens tribulatio flagellum, quo granum excuti-
tur, & ſeparatur à palea; dicit ergo patientia: Meos
triticum ſive frumentum electorum (de quo legitur
Malachiæ 9.) eſſe confiteor. Flagellum paleæ timeāt
peccantium, aut peccatorum, illis enim ſolummo-
dò minatur, & illa ſola aterit, me autem purgat, &
liberat ab illis; non hæreo amore paleis peccantium,
vel peccaminum, immò ſeparari ab eis cupio: qua-
propter in hoc flagellum mihi, & meis ſervit pro
Tribulatio virga qua veſtes purgantur.
voto. Eſt etiam flagellum, quo percuſſa veſtis excuti-
tur, cujus percuſſione cadunt pulvis & pulices, &
pediculi. Veſtis meorum omnium caro eſt, quæ vix,
aut nunquàm eſt abſque pulvere terrenæ admix-
tionis: ex ea, & in ea ſemper gignuntur primi mo-
tus, & etiam ſecundi, & tertij peccatorum, velut pu-
B
lices, atque pediculi, in flagello tribulationis cadere
coguntur, quemadmodùm in clauſtris monachorū
Ciſtercienſium ſæpè fieri vidimus. Qui ergo hujuſ-
modi flagello corpora meorum percutit, veſtes eo-
rum ab hujuſmodi pulvere, & beſtiolis excutit, &
propter hoc deſiderabile, ac ſalutare obſequium eis
præſtat; quid ergo mirum ſi pulices & pediculi vo-
luptuoſos comedunt, & corrodunt, qui veſtes ſuas
excuti nunquàm ſinunt? hoc eſt, quod legitur Iſaïæ
26. Juſtitiam non fecimus in terra, ideò non cecide-
Nota.
runt habitatores terræ. Quæ terra peccata carnis
ſunt, quæ utique in carne habitant, ut dicit Apoſto-
lus in decimotertio ad Romanos dicens, quòd habi-
tat in carne mea peccatum. Meritò igitur habitato-
res hujuſmodi non cadunt de terra carnis, ſeu corpo-
ris illius, qui meā negligit vel facere, vel ſaltem pati
juſtitiam diſciplinæ. Juſtitia diſciplinæ ipſa eſt tri-
C
bulatio, & hoc cùm in vindictam peccatorum eam
ſibi quis irrogat, vel ſuſtinet irrogari. Eſt etiam fla-
gellum tribulatio, quo canes, & cati ſpirituales ar-
centur, & abſterrentur, inſtar literalium beſtiarum:
quemadmodùm enim patres-familias ſedentes ad
menſas ſuas virgas, ſeu flagella in manu ſua tenere
conſueverunt ad abigendos canes, qui interdùm mē-
ſis improbè ſe ingerunt, & percuſſi inde aufugiunt:
ſic omnes ſtultitiæ vitiorum hujuſmodi virga, vel
flagello percutiente corpus, quaſi abſterritæ fugiunt.
Et hoc eſt, quod legitur Proverbiorum 22. Stultitia
colligata eſt in corde, ſcilicet pueri, & virga diſcipli-
Tribulatio eſt formido.
næ fugabit eam. Eſt & tribulatio formido, quæ vul-
gò dicitur expaventaculū, quod in ſcholis, atque ca-
pitulis negligentias, atque ſtultitias puerorum, atque
monachorum abſterret, unde vulgò expaventaculū
malorum dicitur; ſicut, & à latronibus inſultanti-
bus patibulo irriſoriè dicitur, quòd ipſum eſt expa-
ventaculum ignavorum, & formidoloſorum. Quid
plura ipſæ tunſiones, ipſi ictus tribulationum con-
D
vulnerationes ſunt, confuſiones, & contritiones ini-
micorum mei, & meorum; impatientiam enim, &
voluptuoſitatem, quæ mihi, & meis impacabiliter,
& implacabiliter inimicantur, omninò conterunt &
proſternunt, mortificant, & extinguunt, aſſidua
enim tribulatio, vel ſaltem crebra, impatientiam
mortificat, & etiam operatur, ſicut dicit Apoſtolus.
Similiter, & voluptuoſitatem extinguit: ſicut ſu-
pra ex 21. Eccleſiaſtici. Quia malitia unius horæ &c.
Ex perſona ergo mea, & meorum dictum eſt: Si
exurgat adverſùm me prælium, in hoc ego ſperabo;
Vide.
Prælium enim, quod adverſùm me exurgit, quantùm
eſt de intentione perſequentium pro me eſt, & meis
omnibus impugnans hoſtes, quos nominavi. Nihil
ergo ſibi vendicent impij, in nullo gaudeant, vel
glorientur, qui perſequi, & impugnare me intendūt,
& inaniter putant; ego enim ſum arbor nucis, cujus

A
Arbor nucis.
fructus tundendo colligitur, propter hoc tundor, &
verberor, ut fructus, quibus onuſta ſum, tunſioni-
bus reddam. Ego ſum arbor mirrhæ, & thuris inci-
ſionibus, & vulnerationibus, tam pretioſa aromata
proferens, impugnare me falſiſſimè autumant, ubi
fœcunditatem meam potiùs adjuvant, & ut tam de-
ſiderabiles fructus uberiores proferam neſcientes, &
inviti, efficiunt. Novit hoc pater cœleſtis meus, &
meorum ſolus agricola, qui hujuſmodi hominibus,
quibus diabolus in perniciem meam, & meorum a-
buti intendit, in tam utilem, ac ſalubrem agricola-
tionem meam utitur, ſicut dicit dominus Iſaïæ
decimo. Virga furoris Aſſur, & neſcivit, & poſt pau-
ca: Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor ejus non
ſic æſtimabit, ſed ad conterendum erit cor ejus, &
ad interitionem gentium non paucarum. Tunſioni-
bus tribulationum mei adæquantur & complanan-
tur, quemadmodum telæ, ut gratiori candore ni-
teant, ſive in toto niteant; mei enim omnes byſſinū
ſunt, & veſtis candida, ſicut nix, qua Rex regum
Chriſtus dominus quodammodò veſtitur. Item ſunt
Byſſinum.
& byſſinum, quo ſponſa ejus cooperta eſt, ſicut le-
gitur Apocal. decimonono: Datum eſt cooperire de
Nota.
byſſino candido, ac ſplendenti. Tunſionibus ego, &
mei cædimur, & quadramur, ut in ædificium ſuper-
næ Hieruſalem collocemur, quemadmodùm lapi-
des, & ligna. Qui igitur tunſionem fugiunt, aut re-
pellunt in prędicto ædificio collocari renuunt. Into-
lerabilis autem ſuperbia eſt lapidibus, & lignis fa-
bricatoris omnium Dei, qui fabricatus eſt auroram,
& ſolem, non ſolùm recuſare, & repellere, ſed etiam
perſequi artificium: Quid enim habent contradice-
re, cædere, & quadrare volenti Deo hujuſmodi li-
gna, & lapides: juxta quod legitur Iſaiæ quadrage-
ſimo. Vę qui contradicit factori ſuo, teſta de ſamiis
terræ, &c. Tunſionibus mei poliuntur in decorem
pariter, & nitorem, ſicut tibi cantat Eccleſia. Tunſio-
nibus, preſſuris expoliti lapides: Sed de preſſuris
ſcribemus capitulum ſpeciale. Tunſionibus mei fa-
bricantur in vaſa miſericordiæ, & electionis, ſicut
dicit ipſa tota ſanctorum Eccleſia: ſupra dorſum
meum fabricaverunt peccatores, ſubaudi me totam
cum univerſitate membrorum meorum in ſpeciem,
& decorem vaſorum gratiæ. Tunſionibus mihi, &
meis, qui tundunt, & malleant, fabricant coronam
ęterni regni & gloriæ, ſicut dicit beatus Bernardus,
quia perſecutores nobis æterni regni coronas fabri-
Vide pulchrum.
cant: quapropter aurifabri, ſive aurifices, operarij
quidem ſeduli, & infatigabiles, & utique quārùm
ad me, & meos gratuitè operantur. Vę illis qui hu-
juſmodi operarios operari non ſuſtinent opus hoc,
in ædificationem coronæ proprię pro viribus prohi-
bentes, & impedientes intolerabili inſania gloriæ
ſuę invidere videntur, qui operarios hujuſmodi ab
opere iſto prohibent, removent pro viribus, & repel-
lunt, non amant coronas ſuas, immò oderunt qui eas
fabricari non ſinunt, qui opus earum tantopere im-
pediunt, & operarios earundem pro viribus perſe-
quuntur. In opere iſto varij ſunt operarij, & artifi-
ces; alij enim malleando, ut diximus, fabricant, tun-
dentes, & ferientes. Alij lapides pretioſiſſimos im-
ponunt, videlicet qui duriſſimas tribulationes, &
majori prætio divitiarum cœleſtium regi regum ab
ipſis, qui ea patiuntur, comparandas immittunt, cla-
vos aureos eiſdem coronis infigunt, qui pungentes
moleſtias inferunt: quanta mercede conducendi eſ-
ſent à nobis hujuſmodi operarij, & fabricatores co-
ronarum noſtrarum, quia adeò ſtudioſè operantur
Nota.
in illis, & etiam ſumptibus ſuis, & animas ſuas, &
corpora in hujuſmodi opera expendentes, nullam
à nobis mercedem vel ab alio expectantes? quantæ
glorię quantæque pretioſitatis, & ſpecioſitatis, quātę

miſificentiæ, & decoris ſunt hujuſmodi coronæ ex multitudine, & magnitudine operariorum, & ex ſtudioſitate, & laborioſitate ſic operandi? Ego dicit patientia, & mei ſoli novimus, & propter hoc gratias *Patientia* agimus, non ſolùm largitori coronarum coronatori noſtro Deo, ſed etiam ipſis operariis, benedicentes eis duplici benedictione, ſicut docet Apoſtolus in duodecimo ad Romanos: Benedicite, inquit, perſequentibus vos, benedicite, quoniàm & bona vobis ſupradicta faciunt, & ſumptibus ſuis, vel quia benedictione noſtræ orationis indigent, ut miſeri, & quia nobis operantur tam ſtudioſè, tam laborioſè ſibi, tã fructuoſè verò nobis. Attende autem quòd inſtar ditiſſimorum artificum magnates manus proprias interdùm hujuſmodi operibus non apponunt, ſed per miniſtros ſuos, atque ſatellites coronas hujuſmodi patientibus operantur, ſicut & cuidam regi nos *In appetitores vindictæ.* dixiſſe meminimus. Quotiens igitur videmus aliquem vindicantem ſe, & repercutientem eum qui ſe percuſſit debemus increpare ipſum, ut quid facis hæc frater? ut quid percutis operarium tuum, & fabricatorem coronæ tuæ, qui tam ſtudioſè eam tibi fabricat? an forrè, quia non benè operatur in illa? F etiam teipſum fabricat in vas, ut diximus electionis, & adorarent vaſa aurea, vel argentea fabricatores ſuos ſi eos agnoſcerent, & tu perſequeris tuum? Similiter & cùm videmus amicos noſtros volẽtes vindicare injurias noſtras, vel repellere perſecutores, vel avertere tribulationes noſtras, increpare debemus eos pro eo, quòd removent operarios ab opere fabricationis coronarum noſtrarum, & non ſinunt eos operari, nec eos fabricare, & eis oſtendere, quoniàm non in hoc amorem, vel gratiam nobis exhibent, ſed ſub prætextu amoris, & gratiæ coronarum noſtrarum fabricationem impediunt, non mirum ſi tam pauci coronas obtinent, cùm perpaucillimi ſint, qui eas ſibi ſuſtineant fabricari. Evindicandi eſſent nobis hujuſmodi operarij tota importunitate exhortationum, ne deeſſent coronis noſtris operarij. Nunc autem quàm gratuitò, immò improbiſſimè, & copioſè ſe ingerunt in tam deſiderabile obſequium G noſtrum, & nos ut hoſtes atrociſſimos eos perſequimur? in quo non tam illos, quàm noſmetipſos nequiſſimè impugnamus. Hęc igitur eſt mea, atque *Gloria patientiæ.* meorum gloria ſingularis, quòd omnes qui ſe inimicari mihi, vel meis credunt, operarij mei, & meorum ſunt, coronas nobis perpetuas ſuis ſumptibus fabricantes, & incredibilibus ſtudiis, atque laboribus nobis in tam deſiderabili opere officioſiſſimè ſervientes, & quod eſt majoris gloriæ, neſcientes penitùs, & inviti: tunſiones tribulationum exicoqui mei ſolutiones ſive pagationes meæ ſunt de omni eo quod comedi, & bibi in taberna diaboli; quemadmodùm tunſiones laterum pagamenta ſunt exiquocorum ſuorum ribaldis, qui aliud non habent unde illa ſolvant. Unde & de conſuetudine, cùm ab eis requiruntur exiquoca ſua pro eis latera ſua tun- H denda exponunt tabernariis, ad placitum eorundẽ; ſic & viri patientes præſentium tribulationum tunſionibus gratanter latera ſua exponunt, ut de peccatorum Deo debitis ſic ſatisfaciant; & hoc eſt, quod legitur Michęæ ſeptimo: Iram domini portabo, quoniàm peccavi. Abacuch tertio: Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis &c. David verò nonne ex- *David patiens.* ponebat latera ſua tunſionibus, cum dicebat? Ego autem in flagella paratus ſum, ſicut pœnitentes, ſi verè pœnitentes ſunt, totos ſe ſupponunt conſilio ſanctorum confeſſorum, totoſque pœnitentialibus flagellis exponunt, ut de exiquoco, debito ex taberna diaboli, Deo ſatisfaciant, qui aliud non habent, quod pro hujuſmodi debito ſolvant. Tunſiones, ſeu

E verbera tribulationum pagamenta ſunt debitorum meorum, unde qui meos tundunt, & verberant quibuſcũque moleſtiis, pagamentum eorum ipſis pagãt, ut vulgò dicitur: & ipſimet moleſtatores inſultando dicunt, benè pagavi ei pagamentum ſuum, & interdùm etiam minendo dicentes. Ego pagabo tibi pagamentum tuum, irrideo, & irrident mei minas *Sermo ruſticorum ſeu paganorum.* iſtas, ſcientes non eſſe minas, immò promiſſionem deſiderabilem. Quid enim deſiderabilius tanto onere debitorum oppreſſis, jam jamque in carcerem formidandum, atque horrificum purgatorii pro debitis hujuſmodi detrudendum? & gratius, ac deſiderabilius offerri non poteſt, aut promitti, quàm debitorum hujuſmodi pagamentum. Pagamentum no- *Nota diligenter.* ſtrum nobis faciunt, qui moleſtias tribulationum nobis inferunt, immò ut verius loquamur, conferũt, & hoc eſt, quoniàm ut debita noſtra pœnitentialia ſolvamus, nobis proculdubiò largiuntur, & hoc evidenter habetur ex verbo illo pſal. Qui laborem fingis in præcepto, ſicut ſupra expoſuimus. Evidenter etiam habetur exemplo latronis in cruce pendentis, qui dicebat ad dominum Salvatorem: Memento F mei domine dùm veneris in regnum tuum. Cùm enim eſſet latro & homicida, & propter hoc pœnitentiæ aſperrimæ debitor, unde ſe à tanto debito abſolvit, niſi per ipſum quod patiebatur ſuſpendij ſupplicium? quod quidem patienter ſuſtinens in pagamentum debitorum pœnitentialium illud vertit, & dominum redemptorem in cruce confitens (ut dicit Hieronymus) fecit homicidij pœnam martyrium, ſimiliter & homicidij pœnam, hoc eſt homicidio, & latrocinio debitam, fecit pœnitentialis ſatisfactionis debiti pagamentum: ſic faciunt omnes mei, omnes tribulationum, ægritudinum, & ipſius mortis moleſtias convertunt in debitorum hujuſmodi pagamentum, vel dùm patienter illa ſuſtinent, vel dum orant ad Dominum, ut illas pro pœnitentiis, vel omninò non actis, vel malè actis recipiat, ut eis computet in pagamentum. Hæc eſt ſapientia meo- *Sapientia patientia.* rum, & gloria, ut ipſam iram Dei, & vindictam in G placationem ejuſdem & reconciliationem ipſorum convertant, & de ipſa Dei pacem ſibi faciant apud ipſum, gladium ejus, & ignem demutent in ſacrificium reconciliationis, & hoſtiam pacificam. Scimus quia negociatoribus, vel aliis in publicis nundinis pro mercibus, quas emerunt, vel ex aliqua alia cauſa etiam obligatis, gratiam magnam facit, & gratiſſimum facit munus, vel obſequium, qui in aliquo facit eorum pagamentum, & qui totum faceret, nihil ei gratius facere poſſet, quoniàm pro defectu hujuſmodi pagamenti capi ſolent mercatores, & arctiſſimè cuſtodiri & ſi non facto pagamento de nundinis receſſerunt, tanquàm fures, & latrones juſtitiari. Igitur cùm omnibus peccatoribus ſimilia pericula immineant, & incomparabiliter atrocior juſtificario, ſi de nundinis vitæ præſentis, non facto paga- H mento pœnitentiali pro debitis peccatorum, exierint: manifeſtum eſt, quia incomparabiliter, & gratiora præſtant eis obſequia, & munera largiuntur pretioſiora, qui tribulationes & moleſtias eiſdem inferunt. Quapropter non hoſtes, non perſe- *Tribulatores.* cutores, aut tribulatores dicendi ſunt hujuſmodi homines, ſed magis pagamentorum noſtrorum in hujuſmodi nundinis factores, alij ſcilicet pro parte, alij verò in toto. Omnibus igitur gratiarum actionibus proſequendi ſunt, omni more amplectendi (utpote) beneficiorum inæſtimabilium, & munerum largitores, & inter benefactores penè primi computãdi, & penè maximi; propter quod cùm orant mei pro benefactoribus ſuis, iſtos ſpecialiter intendunt. Iſti ſunt theſaurarij meorũ cuſtodes, ſcilicet divitiarum, quibus eos redimant à carcere pœnitentiali vel

purgatorij;

Digitized by Google

Theſauri patientia. purgatorij; debita enim, quibus obligati ſunt ad ſatisfaciendũ eis de injurijs, & moleſtijs illatis, theſauri ſunt abſconditi, & ſolùm mihi, & meis noti, quibus eos redimant hujuſmodi debitores, hoc eſt quod legitur Proverbiorum decimotertio. Redemptio animæ viri propriæ divitiæ: Temporales enim divitiæ alienæ ſunt, & mundi ſunt, & mundo remanent, cùm ex eo egredimur, ſicut dicit Apoſtolus primæ ad Timotheum quinto. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Iſtas omnes divitias dicimus proprias, quas ſine injuria alterius expendimus, & retinemus. Expendimus quidem debita ſatisfactionum, debita cũ Deo de debitis cõpenſantes, hoc eſt, hæc pro noſtris eidem offerentes, & (ut vulgò dicitur) alliguantes; neceſſe autem habet hæc debita pro ſuis recipere, quoniàm ſuper hoc dedit nobis parentes literas ſuas, videlicet evangelicas duplices, ſcilicet vel triplices, B ſicut apparet Matth. 6. In ipſa oratione dominica: Dimitte nobis debita noſtra. Et Lucæ ſexto: Dimittite & dimittemini. O quàm divites multi ſunt hujuſmodi divitijs, & tamen ignorant quot & quantos habent theſauros, & cuſtodes divitiarum ſuarum, ſed divitias ſuas ignorantes, quaſi nihil habentes ſunt, & reverà pauperrimi; ſed & illud mihi, & meis indulſit Pater miſericordiarum, ut debita hujuſmodi quantumlibet male pagabilia, & (ut vulgò dicitur) malè ſedentia, & etiam oblivioni tradita, & penitùs ignorata, vel etiam talia, de quibus hujuſmodi debitores ei nec feſtucam unam plicarẽt, ut vulgari gallicano dicitur; hoc mihi & meis indulſit pater miſericordiarum, ut hæc omnia debita pro ſuis recipiat, & ſua pro illis dimittat. O quàm ſecuri multi ad thronum gratiæ Dei accedere poſſunt, quàm confidenter dimiſſionem debitorum ſuo- C rum petere, qui hujuſmodi abundant divitijs, & theſauris (ut diximus) abſconditis, & non tam petere condonari ſibi debita, quàm etiam audenter dicere, Pater miſericordiarum vende ea mihi, eo tamen foro, quo eis in præſcriptis teſtimonijs Evangelij magiſter impoſuit veritatis. Ipſos verò dolores damnorum, & injuriarum, & moleſtiarum ad innumerabiles utilitates, quarum partem jam diximus, retinent ſibi mei nummati. Redemptores meorum ſunt hujuſmodi homines, redemptionis ſuæ pretijs eos obruentes, qui capiuntur apud Sarracenos, qui mendicare coguntur oblatum, & minutum pecuniam illam, qua de carcere illo, & vinculis redimantur: mei verò maſſis aureis, & argenteis, etiam non petentes, obruuntur; non deeſt enim niſi ſaccum parare, & obtendere. Hic ſaccus ego ſum, dicit patientia, & hunc etiam ſaccum ipſi etiam, qui tribulant, operantur, ſicut ſupra diximus, quia tribulatio operatur, & ſaccum igitur ipſi qui tribulant, *Nota.* pręſtant. Non eſt miſeranda paupertas eorum, qui D merces aureas & argenteas antedictas rejiciunt, & repellunt, & ne ad eos veniant, ſummopere declinant; proculdubiò in hoc ſicut canes ſunt, qui æquè aurum, & argentum, cum eos obruunt, fugiunt, ut lapides communes, & lapidari ſe miſeri, immò inſaniſſimi, timent, quod utique non eſt in intentione perſequentium, ſed reverà eos ditari, & theſauros eorum impleri intentio eſt miſeratoris Dei per manus eorum licet neſcientium. Quis adeò inſanus, tantuſque redemptionis ſuæ neglector, ſi auro, & argento undique obruatur, licet vulneribus afficiatur, ſi duæ de coſtis ejus frangantur, ut non colligat ſaltem aliquas de hujuſmodi maſſis, aut vaſis aureis, & argenteis, quæ jaciuntur in ipſum, præſertim ſi ſe videat tantis debitis obligatum, propter quæ & immineant ei carcer horridus, & vincula, & afflictio inæſtimabilis? Hic eſt carcer purgatorius,

A cujus ignis (teſte Auguſtino) major eſt, quàm quicquid homo pati poteſt in hac vita. Audivimus quendam ex conſcholaribus noſtris, cùm projectus eſſet in ipſum ſacculus pecuniæ, eoque percuſſus eſſet, dicentem ſe velle talibus lapidibus, uſque Aurelianis lapidari. Heu quantùm negligitur, immò etiam vilipenditur aurum, & argentum hujuſmodi, vel quia non cognoſcitur pro debitoribus hujuſmodi carcer imminens & vincula, & debita quibus onerati ſunt non penſantur. Mirabile autem videtur, quare fuit auſus dicere David: Ego ſum pauper, & dolens, cùm dolores tantæ divitiæ ſint, utinàm haberent tantam aſtutiam ſtulti noſtri temporis, ſicut canes, qui projectis oſſibus graviter læſi, vel vulnerati, apertis faucibus & paratis dentibus in ea irruunt, atque dolores quos paſſi ſunt ab eis negligentes, immò oblivioni tradentes, viſioni eorum ſoli B intendunt, magis aliquid venari ex eis, vel vi extrahere, quàm percuſſos, & læſos ſe plangere enitentes: nos autem econtrariò facimus; cum enim totum ſtudium noſtrum, & conatus eſſe deberet, ut de illatis tribulationibus fructus abſconditos, & utilitates, quas diximus eliceremus, ad planctum & luctum, maledictiones, & querelas, ad litigia, & bella nos convertimus ut reverà adhuc animales, & ſpiritum quo ſpirituales iſtas divitias cognoſcamus, & diligamus, penitùs non habentes, qui divitijs vel dignitatibus ſibi illatis conqueruntur, non homines, ſed animalia brutiſſima cenſendi ſunt; talia enim loquerentur canes, & aſini, ſi loqui poſſent; loquela enim chriſtiana, & linguagiũ mei, & meorum propriũ eſt, ut dicant econtrariò, & glorientur, non quidem ſe lapidatos lapidibus pretioſis hujuſmodi, ſed magis theſauros ſuos lapidibus hujuſmodi repletos, & non C verbera ſe ſuſtinuiſſe, vel vulnera, ſed dona pretioſa ſe accepiſſe, & inde gratulari, & exultare, ut & de pretioſis muneribus non inde dolere, vel lugere, ut de vulneribus, prædicare ſemper gemmas eſſe tribulationes, eo quod luceant, & illuminent poſſeſſores ſuos, & ſe eas ſtudioſiſſimè colligere, utpotè qui earum pretioſitatem noverunt, & virtutem. Econtrariò verò quos ego, dicit patientia, non docui, ſi per viam auro, & argento, & gemmis nobiliſſimis ſtratam, ambulaverint, omnia ut lutum, & lapides communes conculcant, nihil inde ſibi colligunt; aurum enim & gemmæ, alijque lapides pretioſi apud illos ſolos pretioſa ſunt, amantur, quæruntur, theſaurizantur, qui illa norunt; longè præſtantiora ſunt apud canes, & aſinos carduus unus, & oſſiculum, pro uno ſiquidem carduo totum mundum dimitteret aſinus, ſi totus aurum eſſet, ſimiliter & canis pro oſſiculo uno. Redemptores igitur meorum ſunt, & hoc à carcere quem diximus, vinculis & afflictione dura, ſimiliter theſaurarij & divitiarum cuſtodes, & gazophylacia magnifica ipſi, qui perſecutores eorum D ſe æſtimant, & tribulatores. Ex quo apparet quàm inclita ſim, quámque dives, dicit patientia, & quàm opulenti & abundantes divitiis omnes mei; propter hoc ſæpè diximus, quòd ditiſſimus eſt omnis chriſtianus, etſi nihil aliud haberet, quàm mortem, cùm illa ei, & ad omnia debita ſolvenda ſufficiat, & ad cœleſtes regni divitias comparandas, ſicut oſtendimus in latrone, de quo ſuperiùs mentionem fecimus: addimus autem hîc, quòd dives valde eſt, & inclitus chriſtianus, qui non habet niſi ſolam febrem tertianam trium, aut quatuor acceſſionum, aut ſolam ephimeram, dummodò in illa ſciat, & velit negociari cum Deo. Iſti ſunt liberatores meorum, & ereptores de captionibus periculoſiſſimis, & hoc multis modis. Primùm ne capiantur cùm adventum prædonum, ſive captivorum præſenſerint, flagellis, & ſtimulis urgẽt pecora ſua, & armẽta ad fugã, & fugere

Patientia.

Theſaurarij patientia.

ea cogunt ad arcem, vel mœnia, ubi ab hoſtibus ſecuta ſint, & in tuto; ſic hujuſmodi homines ſtimulando, & flagellando meos de mundo ad Deum confugere compellunt, & in cœleſtem civitatem, quæ verè refugij civitas eſt, introire; ipſum enim mundum odioſum eis reddunt, atque terribilem ita ut *Nota.* ab eo toto timore, & horrore effugiant. Secundò captos liberant à captionibus, eorum vincula diſrumpentes: quemadmodùm factum eſt cùm olim populus chriſtianus obſideret caſtrum quoddam, quod ſarraceni detinebant, captum quendam nobilem chriſtianum oppoſuerunt machinæ, quę vulgò petraria dicitur, ſperantes quòd in eam partem jacere nollent lapides per hujuſmodi machinam: illo autē clamante, ut propter eum nullo modo ab hujuſmodi oppugnatione deſiſterent, precibuſque & lachrimis; quibus poterat, hoc petente, machinâ illâ lapides jacere cœperunt, & hoc quantò rectiùs poterant in illum, factumque eſt Deo procurante, ut primi lapidis jactu, & ictu rumperetur funis, quo illigatus pendebat, & ipſe caderet in foſſatum deſubtus, unde abſtractus à chriſtianis, ſic liberatus eſt, & cum gaudio multo ab exercitu receptu. Potuit ergo ille dicere, & cantare, laqueus contritus eſt & nos liberati ſumus; & hoc modo dicebat David ad Deum: Dirupiſti *Vincula carnalium deſideriorum.* vincula mea carnaliū, & ſæcularium deſideriorū: ſic dirūpitur catena illa, quæ omnes nos ligatos tenet, ſicut dicit Seneca, id eſt auctor benè vivēdi, uno enim ictu tribulationis interdùm tædet aliquem vivere, & mortem ipſam deſiderat. Ita igitur illa catena rupta eſt, cujus ruptura in profundum cadimus humiliationis, unde excipimur à populo ſanctorum. Tertiò liberant eos ab incendiis, & ardoribus carnalium, ac ſæcularium deſideriorum, aquam tribulationis ſuper eos effundentes, & ſic in illis eadem extinguentes. *Nota.* Vę inſipientibus, qui gratiſſimi ac devotiſſimi ſunt omnibus qui aquam afferunt, & ſuperefundunt, ad extinguenda domorum ſuarum incendia, & de incendio ſpirituali non curant; ſic extinctum fuit incendium monachi, qui continuis ardoribus libidinis urebatur, quotidiana flagellatione, & proclamatione, unde evoluto anno interrogatus qualiter eſſet ei ſuper illa tentatione, reſpondit, mihi vivere non licet, & fornicari libet? Eis igitur qui ad extinguenda animarum ſuarum incendia tam pretioſum tam deſiderabile pręſtant obſequium infeſtiſſimi ſunt, & eos hoſtes ac perſecutores reputant, proculdubiò, non intelligentes, quàm officioſè in hoc eis ſerviant, quàmque utile, immò ſalutare obſequium eis præſtent. Quartò liberant eos, quemadmodùm paſtores, & canes oviculam de ore leonis, aut lupi faucibus, aut quemadmodùm cives exeuntes obviàm prædonibus, ut eripiant gladiis, jaculis, lapidibus prædam de manu hoſtium; qui enim perſequuntur, hoc eſt qui perſequi intendunt, & perſequi videntur, aut percutiendo gladio, ſeu baculo, aut jaciendo lapides, aut ipſum arripiendo aut contra feras ſeu prædatores vociferando, *Os leonis.* meos, dicit patientia, eripiunt; os enim Leonis infernalis ſpirituale mundus iſte eſt, venter ejus profunditas ipſa peccatorum. De ore iſto petebat liberari David, cùm dicebat: De ore leonis libera me domine. De hoc legitur Job 16. Salvabit te ex ore anguſto, & non habente fundamentum ſubter ſe, de hoc legitur Amos 3. Quomodò ſi eruat paſtor de ore Leonis duo crura, aut extremum auriculæ; ſic eruentur filij Iſrael, qui habitant in Samaria, quę interpretatur cuſtodia. Hunc enim modum ereptionis, & liberationis maximè eſt videre in capitulis regularium, ubi rigor diſciplinę capitularis ſervatur; ubi enim de unius fratris correctione agitur, videres alios proclamantes, ſeu accuſantes, alios ſua-

E rum objurgationum, ſeu increpationum lapides jacientes, alios in gladio, ſeu baculo percutientes, hoc eſt in virgis, ſeu flagello, quo hujuſmodi homines diſciplinari ſolent, alios eripientes ipſam prędam, videlicet fratrem rebellantem, aut fugere volentem capientes. Væ hujuſmodi hominibus inſipientibus qui non intelligunt ſe eſſe liberatos de ore leonis, & ereptos de faucibus luporum infernalium, & propter hoc ſe duriè, vel malè tractatos in capitulo dicunt, cùm deberent gaudere, & gloriari ſe eſſe ereptos, & liberatos à tantis periculis. Frater correctus, ſeu emendatus nihil aliud eſt, quàm de faucibus ferarum infernalium liberatus; fauces enim, & dentes quibus beſtiæ illæ devorant homines, non ſunt niſi vitia, & peccata, quare receptio & liberatio eſt à faucibus earum. Apparet igitur non ſolùm ingratitudo, ſed inſania inſipientium, qui redemptoribus, ereptoribus, & liberatoribus ſuis non ſolùm ingrati ſunt, ſed etiam infeſtiſſimi tanquàm hoſtibus, & quemadmodùm frenetici interdùm medicantibus, ſævientes in eos dentibus, & unguibus. Meritò igitur dicit patientia, quia meus penè eſt totus orbis terræ, *Patientia.* F & plenitudo ejus, cùm penè mundus totus bonis meis plenus ſit, penè omnes homines theſaurarij ſunt meorum; quid enim eſt in mundo, quod mihi, & meis non ſerviat? Mihi ſerviunt æſtas, & hiems, ignis, & aqua tanta varietate ſervitiorum, quantam ſupra enumeravi, mihi ſterilitas agrorum implet horrea, ſterilitas vinearum implet cellaria, fures, & latrones, eruca, & ærugo, & generaliter quicquid theſauros ſæcularium, aut evacuat, aut minuit, theſauros meos implet, atque meorum; Mihi tempeſtates, & grandines, meſſes colligunt & vineas uvas vindemiant; ſicut & uſualiter dicunt *Sermo vulgaris.* homines ſe meſſionaſſe, vel vindemiaſſe cùm grando, & uredo, vel peſtis ſegetes eorum, aut uvas vaſtaverunt; & reverà ſi de meis ſunt, veriſſimè hoc dicunt; omnia enim hujuſmodi bona per me in horrea, atque cellaria cœleſtia reponunt, & theſaurizant; ſicut enim, quæ in pauperes erogantur, in theſauros G cœleſtes mittuntur, ſic & quæ furto ſubripiuntur, & quæ violentia auferuntur, & longè ſublimiùs collocantur: Eleemoſynarum enim largitio nihil aut parum habet difficultatis, ſimiliter & victoriæ propter hoc, toleratio verò furtorum, aut rapinarum virtuoſa eſt, propter hoc victorioſa. Super igitur meritum cōmune, quod habet cum ipſa elargitione eleemoſynarum, addit meritum victoriæ; & propter hoc hujuſmodi oblationes in theſauris cœleſtibus, tanquàm pretioſiores ſublimiùs collocantur, & ab ipſo Deo ampliùs acceptantur, uterque autem theſaurizat in cœlo; hoc enim commune habet, qui bona ſua erogat pauperibus, *Nota.* & qui bonorum ſuorum furtum, vel rapinam cum gaudio ſuſcipit quòd in cœlo ea theſaurizant, & ut grata munera Deo illa offerunt: Sed ego ſuperaddo nobilem victoriam. Nihil horum prætermiſit Chriſtus dominus in ſeipſo, H qui & loculos habebat, unde provideretur egenis, & furtum Judæ patienter ſuſtinuit, & rapinam carnificum, qui auferentes ei veſtimenta ſua diviſerunt ea ſibi. Mihi & meis terræ motus domos literales ſubvertens, & ſubruens, domos non manufactas in cœlis ædificat, & ignis domos literales exurens, domos mihi, & meis non manufactas in cœlis ædificat. Ut pueri igitur inſenſati irridendi ſunt, qui viliſſimorum iſtorum ædificiorum ruinam, ſive excidium lugent, & de illa cœleſtium ædificiorum palatia magnifica ædificare ſibi neſciunt, ſed nec illa videre, vel cognoſcere prævalent. Quid plura? nemo me vel eos lædere, nemo mihi, vel illis nocere, nemo quicquam auferre poteſt; quicunque enim aliquid *Nota.* mihi auferre nititur, in theſauris cœleſtibus illud

Digitized by Google

illud mihi, & meis reponit. Nec grando, nec terræ motus, nec peſtis aliàs mihi, & meis nocere poteſt, ſed eo modo quo diximus. Ego verè domina, & mei domini exercituum, & propter hoc perſona mea, & meorum dicit: Si conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum; etſi enim adverſùm me conſiſtant, ſecundùm intentionem ſuam, pro me tamen ſtant, & mihi officioſiſſimè ſerviunt omnibus prænominatis ſervitiis. Ego confringo potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum, omnia mihi ad pacem, & in obſequium meum convertens. Ipſa mors non ſolùm pedibus meis ſubjecta eſt ad calcandum, ſed etiam officioſiſſimè mihi ſervit; ipſa enim carcerem corporis tenebroſiſſimum, & horrificum mihi effringit, & meis, ut liberemur, & liberi in libertatem gloriæ filiorum, ſcilicet Dei, inde exeamus: propter hoc eam deſiderabat Apoſtolus in 8. ad Romanos dicens: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ipſa eſt propugnatrix mea, & meorum, vindicans me de hoſte nequiſſimo, videlicet carne, vel corpore. & occidens ipſum in oculis, ut ampliùs de vindicta gaudeam. Ipſa eſt lucerna, quæ noctem mundi hujus diffugat, & illuſiones præſentium vanitatum velut ſomnia evaneſcere facit, ut revelata facie veritas videatur. Ipſa eſt lux, quæ erroribus, & falſitatibus dicit, cedat tempus, poſt ipſam enim nullus eſt ei locus. Ipſa eſt ſecuris, mihi quidem ſecuritatem præſtans, & de terra maledicta vitæ præſentis arbores erectas exſecans, ut alibi tranſplantatæ floreant, & fructificent, videlicet plantatæ in domo domini, ſicut in pſal. legitur; inutiles verò, ut in ignem mittantur, ſicut legitur Matth. 7. De hac ſecuri Lucæ 3. Jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Mors eſt clavis regia; uſualiter enim clavis regia ſecuris vocatur. Hanc clavem Rex cœlorum adhibet clauſis ſibi, & obſeratis cordibus, & eum voluntariè apud ſe intrare non ſinentibus; unde & per hanc intrat multotiens; & hoc apparet in eis, qui metu mortis tantùm convertuntur, quod obſequium meis multotiens præſtitit, & præſtabit, bonus ipſe adhuc judex, cujus bonum, ac juſtiſſimum judicium, ſicut legitur Eccleſiaſt. 42. O mors bonum eſt judicium tuum, quoniàm carnem, quæ corruptioni ſpirituali, hoc eſt vitiorum dedita fuit, corruptioni putrefactionis jus juſtiſſimè damnatam exponit; & quæ vermes vitiorum, & alia reptilia ſpiritualia nutrivit, vermibus literalibus depaſcendam tradit; & quæ in via perditionis, non ſolùm greſſibus, ſed etiam ſaltationibus, & omnibus petulantiæ geſticulationibus laſſata fuit, omni virtute movendi ſe privat illam, & carcere ſepulchri condemnat. Ipſa eſt nauta optimus, qui de procelloſo mari mundi hujus, in portum tranquillitatis meos ſaltem ſtatim educit. Ipſa eſt pacifica, & pacificatrix optima, quæ litibus omnibus, & bellis finem imponit, dùm capita litigiorum, atque bellorum, & capitaneos de medio tollit. Ipſa eſt finis malorum, ſicut dicit in Catone: Mors eſt, quæ malos ne ulteriùs malè agant, omnia compeſcit. Ipſa eſt quæ mundi gloriam, mundique ſuperbiam in momento dejicit & proſternit, de culmine regnorum, & principatuum omnium, & omnium dignitatum, quoſcunque dejiciens. Ipſa eſt quæ ſine acceptione perſonarum, & munerum Dei judicium exequitur. De quo judicio legitur Judicum 41 Hoc judicium à domino omni carni. Ipſa eſt theſaurus ampliſſimus, & ſufficiens ad ſolutionem omnium debitorum, ad comparandas cœleſtes divitias, ſicut prænotavimus. Ipſa eſt ultimum poſt Dei miſericordiam redemptionis noſtræ refugium. Propter quod legitur Proverbiorum 12. Sperat juſtus in morte ſua, ut in liberatione, ſcilicet redemptione ſua, ut in theſauro redemptionis, ut in ſacrificio reconciliationis prudenter in ea negotiari ſcientibus, atque volentibus. Nunc verò narrabimus officia patientiæ. Ego, inquit patientia, ſum in elementis terra, de attritione fructificans uberiùs. In animalibus urſus, qui de verberibus impinguor, & ſalamandra, quæ de igne tribulationis paſcor, & quantùm ad palatum, aſinus carduos, & pungitiva comedens, ſimiliter & ſtruthio quantùm ad eſum, & victum, quæ ferrum, & ferrea duriſſima quæque comedo, & quia de cibis meis mentionem feci, dico quòd myrrhata, & quamquàm amara, dulciſſimi cibi mihi ſunt, & delicatiſſimi, & ex virtute filij Dei dico, ut lapides iſti panes fiant. De quibuſcunque, & quantumcunque duris etiam fiunt mihi panes, & qui non ſunt de familia mea rebus hujuſmodi lapidantur. Quos ego non docui, neſciunt quandò porrigitur eis panis & quādò lapis; & propter hoc cùm projiciuntur eis panes hujuſmodi, fugiunt ab eis, quia putant lapides eſſe, ſicut & canis, cùm ei panis projicitur, & putat lapidem eſſe, fugit ab eo, cùm autem cognoſcit, quod ei projicitur, panem eſſe, toto hiatu faucium eidem occurrit; ſic ego, & mei ſcientes panem eſſe quæcunque mundus dura vocat, & lapides, cùm nobis projiciuntur, cum deſiderio, & gaudio occurrimus, & ea excipimus. Quid plura? De illis ſum de quibus dicitur, ut alat eos in fame; fame enim paſcor, & ſiti potor, & paupertate locupletor, & hæc eſt ſingularis gloria mea, quia ubique dives ſum, ubique inclita, ubique abundans, ubique opulenta. Quocunque eo ſequitur me affluentia omniū victualium. Omne deſertum quantumcunque aridum, & ſterile paradiſus voluptatis eſt mihi, & hortus delitiarum; ubicunque enim carduos invenio, vel miricas, vel ſaltem lapides. Quòd ſi nec iſta famem ad minùs, vel ſitim inveniam, quas dixi jam non ſolùm cibum, & potum meum, ſed etiam delitias Noli mihi minari de quacunque rei inopia, illa enim copia mihi eſt, & paupertas divitiæ. Ego in armis arma protectionis, videlicet clypeus, & lorica, & ſagittas, & gladios excipiēs, retundens, & illud implens. Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorū. In propugnaculis antemurale unitum ſpei protegens ſaxa à machinis jacta, & ignem Græcum, & cætera omnia hujuſmodi ſuaviter, & ſine læſione excipiens, ut ſupra tetigimus. In domibus hiemalis, à pluviis, grandinibus, & nivibus, & aliis injuriis ſpiritualibus eos, qui me inhabitant, protegens. In veſtibus cappa pluvialis propter eandem cauſam. In arboribus laurus propter injurias temporum, aut aeris, virorem non amittens, & etiam victoribus coronam præſtans. In floribus roſa gratiſſimo rubore proprij ſanguinis ſemper rubens. In metallis aurum omni igne tribulationis purius, ac rutilātius. In pannis purpura ſanguinea propriarum paſſionum ſanguine tincta. In joculatoribus ille, qui & ſingulis ictibus percutientium pro ſingulis denariis ſe exponit, & cujus omnis quæſtus, & omne lucrum de ſuſtinentia eſt ictuum, aut verberum. In inſtrumentis fabrilibus incus, ſupra quam præſcriptæ fabricationes fiunt. In aromatibus myrrha, omnem putredinē, & vermes vitiorum arcēs ab his, in quibus ſum. In granis ſinapi, & piper quæ detritione, & exarſione acuūtur & quibus virtus augetur ex his; ſimiliter & triticū, quod per flagella, & molarē attritionē & cribrationē à furfure, & aquæ conſperſionē, & tādē ignis excoctionē in ſalubritatem, & delitias panis perficio. In membris ſpiritualibus humerus oneribus portandis fortiſſimus. In partibus ædificiorum, fulcrum, ſeu fulcimentum In partibus lecti culcitra molliter ſuſtinens & ſuper me jacentem, & ſuperincumbentem. In ornamentis, ſeu apparamentis ſella, ſeu ſubſellium. De piſcibus jam diximus, quia

Mori.

Fame paſcitur patientia.

Nota.

Vide officia patientiæ.

ego ſum piſcis marinus, qui in abyſſo amaritudinum ſemper verſor, tamen dulciſſima ſemper ſum; & in avibus, avis aquatica, quæ in aquis ſæpiſſimè immergor, nec ſtilla una mihi adhæret, ſemper arida permaneo. Ultima autem laus mea inter ſorores meas eſt, quòd ipſis in futurum regnum cœlorum promittitur, meum, & ſororis meæ humilitatis, ex nunc ipſo teſtimonio veritatis pronunciatur eſſe, ubi dicit: Beati pauperes ſpiritu, quoniàm ipſorum eſt regnum cœlorum. Et iterùm: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniàm ipſorum eſt regnum cœlorum. Accidit & ad culmen gloriæ meæ illud, quòd bona mea nemo mihi auferre, nemo ea minuere, vel lædere vult, cùm tot, & tanti ea totis ſtudiis, & viribus conentur augere, tantæ autem pacis, ac dominationis eſt patientia, quòd in ipſa poſſidet omnes electi animas ſuas, ſicut dicit veritas Lucæ viceſimo primo: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Ubi enim ego non ſum, nihil boni pacificè poſſidetur; qualibet enim puncturâ, quolibet ictu, omnia bona ſua amittit. qui me non habet, in omnium hominum domigerio, dedignatione, & ſubjectione eſt; ſimiliter & omnium rerum, quæ vel corpus ejus, vel bona temporalia in aliquo lædere poſſint. Unde omnia timet non ſolùm fures, & latrones, ſed etiam timet rubigines, mures, catos, nubes, & ventos, imbres, & grandines, & omnia hæc illi minantur. Mihi autem applaudunt & blandiuntur obſequia ſua gratiſſima, & officioſiſſima, ſicut ſupra expoſuimus.

Humilitas ſoror patientiæ.

DE VITIIS ET PECCATIS.

CAPUT I.

Aggreditur tractatum, & pulcherrimam diſputationem de vitiis, & peccatis: & primùm vitium ipſum definit, deinde peccatum, utramque diffinitionem ſubtiliter ediſſerens, oſtenditque vitium & peccatum actuale eſſe, ſicut eſt habitus, & actus ex ipſo habitu: deinde quædam addit de peccato originali.

AGgrediemur hujus tractatus partẽ tertiã, & ipſius partis tertiæ partem primam, quę eſt de vitijs, & peccatis: ubi primùm determinandum eſt nobis quid eſt vitium, quid peccatum, & quid differat alterum ab altero. Dicimus igitur, quia vitium eſt habitus utique malus, ſicut virtus bona qualitas mentis; malus enim eſt hujuſmodi habitus non in habendo, ſeu participando malitiam, ſed in eſſendo ipſa malitia, qua quis malus eſt, quemadmodùm ſupra expoſuimus quia virtus eſt bona qualitas mentis, non in habendo, ſeu participando bonitatem, ſed in eſſendo ipſa bonitas, quemadmodùm, & color eſt albus non in habendo, ſeu participando albedinem, ſed in eſſendo ipſa albedo. Quòd ſi quis dixerit, quòd cùm vitium ſit malum eſſentialiter, ut dixiſſe videmur, non ergo erit ullo modorum bonum, hoc eſt nec ſimpliciter, nec cui, nec ſecundùm quid vitium, & hoc eſt quoniàm nihil recipit ſupra ſe contrarium eſſentiæ ſuæ ullo modorum. Jam autem declaravimus in tractatu de bono, & malo, quoniàm, quod eſt vitium in uno, eſt bonus habitus, & bonitas in alio, & pulchritudo; inſidioſitas enim in vulpe, eſt bonitas quędam naturalis in ea & pulchritudo: in homine autem eſt & malitia, & turpitudo. Sic ſe habet de iracundia, & rabie in leone, & urſo, & de aliis diſpoſitionibus ferinis & animalibus, quæ utique in ſubſtantiis ſuis naturalibus, & propriis decentiſſimæ, ac pulcherrimæ ſunt, & aptiſſimè ſedent in eiſdem: in hominibus autem indecentiſſimæ, ac turpiſſimæ, propter diſcrepantiam ſuam naturalem ad naturam humanam. Quemadmodùm viror in lapide ſmaragdo & croceus color in lapide topazio, & color cœleſtis in lapide ſaphiro, bonitates naturales, & pulchritudines ſunt: in facie autem humana deformitates eſſent, etiam viſui intolerabiles. Quare non ſic intelligimus eſſentialiter, cùm vitium habitum malum dicimus, ſic inquam, ut nec in toto, nec in parte, nec ſecundùm quid, nec alicui poſſit eſſe bonum; hæc eſt enim intentio una ejus, quod eſt eſſentialiter, hoc eſt tota ratione ſui eſſe, ſive tota ſua eſſentia malitiam eſſe habitum malum, & ex nulla parte, vel modo bonum. Alia autem intentio eſt, quam ſatis explicuimus, videlicet qua diximus, malum ibi non aliud prædicare, quàm ipſum vitium, licet aliâ ratione, ſeu comparatione. Peccatum verò actus eſt procedens ex hujuſmodi malo habitu, vel diſpoſitione malâ, & hoc apparet ex diffinitione, qua diffinit Auguſtinus peccatum dicens: Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei, ubi neceſſe eſt per factum intelligi etiam non factum, ſicut & uſualiter increpamus aliquem, pro eo, quod non facit id quod facere debuit, & dicimus malè feciſti, quia iſtud non feciſti, quia ipſum non facere bonum aliquandò, vel benè, uſualiter malè facere dicimus. Attende etiam quia in iſta diffinitione Auguſtini, concupitum, etiam ad alias paſſiones extenditur, ut ad odire, timere, ſperare hoc, & quia ipſum deſiderium radix quodámodò eſt aliarum, & ad ipſum reducuntur, alioquin valde diminuta eſſet diffinitio Auguſt. & eſſet potiùs via, & exemplum exquirendæ, & inveniendæ diffinitionis perfectæ, non diffinitio completa. Scito etiam quòd non diffinitur hìc, niſi peccatum mortale; non enim contra legem ſunt propriè venialia; non enim contra legem eſt propriè, quod non eſt legis ipſius trãſgreſſio. Attende etiam, quia non diffinitur hìc niſi peccatum, quod dicitur actuale, videlicet quod eſt actus illicitus, vel omiſſio actus lege præcepti, & hæc ſunt peccata quæ ſolemus dicere peccata acquiſitionis, & conquæſitum noſtrum peſſimum, quemadmodùm originale peccatum hæreditatem malam, & hæreditarium nobis malum dicimus, utpote à primis parentibus ad nos devolutum, hoc etiam peccatum contractum dicitur, hoc eſt cum ipſa carne à parentibus tractum & non proprio ſtudio, vel opere à nobis acquiſitum. Vitium ergo, & peccatum actuale ſunt, ſicut habitus, & actus ab ipſo procedens, & non tamen omne peccatum actuale ex malo habitu procedit, immò plerunque ex mala diſpoſitione. Peccatum autem originale juxta duos modos dicitur, & uno quidem modo peccatum primorum parentum: Peccatum inquam actuale, quo Dei mandatum transgreſſi ſunt, peccatum originale dicitur, ex eo quod origo, & cauſa fuit omnium in toto genere humano ſequentium peccatorum. Nec dubium eſt, quin huic peccato conveniat ſuprapoſita diffinitio Auguſt. Secunda intentione, vel modo dicitur vitium hęreditarium, & tractum ad omnes poſteros, devolutum, & in omnes transfuſum, qui vitioſa lege naſcendi (ut ait Auguſt.) inde nati, vel geniti ſunt; hoc ergo vitium, ſeu peccatum, quoniàm latuit philoſophos, & multos de hæreticis, ne-

Vitium quid. — *Nota.* — *Peccatum quid.* — *Diffinitio peccati ex Auguſtino.* — *Venialia propriè non ſunt contra legem.* — *Originale peccatum eſt hæreditas.* — *Peccatum originale.*

Digitized by Google

eſſe habemus ſtabilire ipſum in primis, deinde declarare qualiter vitium dicitur, & peccatum, & culpa, ubi oſtendemus evidenter, quia non per abuſionem nominationes iſtæ attributæ ſunt ei, immò propriæ juxta uſitatiſſimas ſignificationes nominum iſtorum. Tertiò diſſolvemus quæſtiones, & reſpondebimus ratiocinationibus eorum, qui contra doctrinam catholicam de peccato originali, vel ſentiunt, vel ſenſerunt. Quartò inveſtigabimus cauſam, & modum, quibus contrahitur hoc vitium, vel transfunditur in poſteros. Quintò perſcrutabimur utrùm unum, & æquale ſit in omnibus, & utrùm ex eo ſit artificiorum electio, & tota vitæ noſtræ inordinatio, & non præteribimus errores eorum, qui conſtellationibus, & horis nativitatum attribuerunt hæc. Sextò inquiremus menſuram ipſius, & pœnam propriam ejuſdem, & quo jure debeatur eidem, & dicemus comparationem ejus ad actualia peccata.

Propoſitio dicendorum.

Summarium ſequentium.

CAPUT II.

Non ſummatur hic locus à nobis, quoniàm author ipſe ſe ſummavit.

DEbes ergo hic reminiſci primùm trium viarum, quibus ejus eſſe ſtabilivimus in tractatu, quem vocamus. Cur Deus homo? Harum primam poſuimus errorem virtutis noſtræ appetitivæ interioris, atque perverſitatem, quâ bona nobis malè ſapiunt, & mala benè, quâ horrifica vitiorum, & peccatorum ſpurcitia, tam ſuavè nobis ſapit, & virtutum ſuavitas, tam amarum; quemadmodùm enim error, atque perverſitas appetitivæ noſtræ exteriorem, ſeu corporalem ægritudinem habere ſe indicat; ſic & in interiori, ſeu ſpirituali ſe habet, videlicet, ut ejus error, atque perverſitas ſpiritualem, & interiorem ægritudinem abſque ulla dubitatione indicet. Eodem modo etiam, & de intellectiva vi noſtra, ſive cogitativa ſuperiori nobili evidenter ſe habet, cùm tam multiplex ejus error, tantaque perverſitas in judiciis ejuſdem, & operationibus appareat manifeſtè: quis enim non videat quanta pertinacia bona mala judicet, & econverſò? & parva bona magna? & magna parva, vel nulla? delitias enim corporales, quæ utique mala perniciosiſſima ſunt, ſicut in tractatu de matrimonio docuimus, bona judicat, ſicut apparuit in Epicuro, & tota ejus factione; ſpirituales enim delitias, nec non & divitias parva, vel nulla bona, utpotè adeò longè ab eis, ut cùm tam magna bona ſint, vel omninò non videantur ab eis, vel parva eis videantur, quemadmodùm corpora ſtellarum, cùm incredibilis magnitudinis ſint, omnibus parviſſima videntur, à nonnullis autem nec etiam videntur, & multa etiam de eis à nullis videantur, ſicut multæ ſtellæ, quæ in galatia ſunt, à nullo videntur. Manifeſtum igitur eſt his judiciis, iſtis ægritudinem iſtam eſſe, qua utraque vis noſtra prænominata tanta turbatione, atque perverſitate laborat. Omnis autem ægritudo ſpiritualis vitium eſt, & omnis perverſitas difficilè mobilis malus habitus eſt, & ideò vitium, à diffinitione. Et quoniàm innatum eſt nobis, meritò originale vitium nativum, & radicale, atque hæreditarium nominatur. Secunda via rebellio eſt inter ſpirituale, ſive ſublime noſtrum, quo brutis præcellimus, & animale noſtrum, videlicet quo eis communicamus, quam rebellionem à ſenſu percipimus. Hæc autem rebellio evidenter oſtendit infirmitatem, & ægritudinem ejus, quod eſt in nobis ſuperius, vel nobilius: ſi enim ſanum eſſet, & firmum firmitate naturali, neceſſariò totum animale, quod in nobis eſt, ſubditū eſſet ei ſubjectione, & obediētiâ paratiſſimâ. Cauſa autē in hoc eſt quia ſublime noſtrum, ac nobile incomparabiliter fortius eſt in ſanitate ſua, & vigore naturali, & inſuper lege, ac jure naturæ eidem prælatum: ipſa ergo hujuſmodi rebellio injuria eſt naturalis in ipſum; ſive enim per rebellionem adæquari quærat animale noſtrum ſpirituali noſtro, ſive ipſum ſuperare, contra jus, & legem naturæ in hoc indubitanter facit. Quia igitur ita depreſſum eſt ſpirituale noſtrum, itaque infirmatum ut adversùs ipſum ſe erigere, ac rebellare poſſit animale noſtrum, & hoc tam injurioſè, manifeſtæ hoc infirmitatis, atque debilitatis eſt ipſius ſpiritualis noſtri. Infirmitas autem atque debilitas omnis contra naturalem vigorem, & firmitatem indubitanter, & ægritudo eſt, & vitiū, cùm evidenter contrarium virtus ſit. A ſenſu igitur ipſo manifeſtum eſt originale illud vitium, ſeu ægritudinem eſſe in omnibus nobis. Tertia via eſt rectitudinis noſtræ incurvatio ad ea, quæ infra nos ſunt, & averſio, ſeu declinatio ab his, quæ ſupra nos ſunt, & propter quæ creati ſumus; adeò enim inclinati, ſeu incurvati ſumus ad ea, quæ dicuntur bona carnis, & mundi, tam ſecundùm ſublimem vim noſtram cognoſcitivam, ſeu intellectivam, quàm ſecundùm virtutem etiam noſtram nobilem motivam, id eſt voluntatem, ut ea ſola penè cogitare, ſola penè velle meritò videamur; adeò averſi, & declinati à præſentibus & futuris animarum noſtrarum bonis, ut cogitationes, & affectiones noſtras diligenter conſiderantibus, à nobilitate ſpeciei noſtræ in brutalem inſipientiam degeneraſſe videamur: Juxta Prophetæ teſtimonium dicentis, homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus. & ſimilis factus eſt illis. Pauciſſimi etiam ſunt in hominibus, qui rationabiliter & non brutaliter vivant: qui autem aliter vivunt contra naturalem iſtam incurvationem, & averſionem velut erecti, & ad bona antedicta cōverſi vivunt, & hoc ſecundùm utramque vim noſtram ſuperiorem nobilem. Quia ergo nulli dubium eſt brutalitatem iſtam & eſſe nobis originalem, & eſſe vitium, cùm vivere ſecundùm illam vitioſè vivere ſit; manifeſtū eſt originale vitium eſſe. Ampliùs. Non aliter rectè vivimus niſi cùm ſecundùm ſuperius noſtrum, ac nobile vivimus; hoc autem non eſt, niſi cùm inferius noſtrum, videlicet quod eſt animale in nobis, ab eo victum, atque ſubactum fuerit, ejuſque dominationi obediens, immò in ſervitutem redactum, ſicut dicit Apoſtolus in 9. primæ ad Corint. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. Et hæc utique ſervitus jure, & lege naturæ debita eſt, alioquin iniquè, & contra juſtitiam imponeretur; quare iniquum, & injuſtum eſſet, & contra naturam, domare noſtrum inferius, videlicet vires inferiores motivas. Hoc autem eſt, quod virtuoſum omnes clamant, & quod omnis intellectus apud ſe conceptum habet, & naturaliter impreſſum. Ampliùs. Secundùm hoc permittere illas regnare, & dominari eſſet juſtum, & de his in tractatu de matrimonio multa diximus. Manifeſtum eſt igitur quia regnum, & dominatio ſuper vires inferiores noſtro ſuperiori jure & lege naturæ debentur; quare ſervitus & ſubjectio contrariæ iniquæ ſunt. Manifeſtum autem eſt, quoniàm exceptis pauciſſimis, ſervit, & ſubjectum eſt eis, & hoc ex originali, ut diximus perverſitate; non enim expectatur in hoc prava conſuetudo, cùm non ſolùm in adultis, verùm etiam in pueris, & parvulis, quatenùs ætas permittit: ubi autem ab hujuſmodi ſervitute, & ſubjectione vel erectum vel liberatū aliquatenùs eſt victoriâ, vel aſſuefactione, beneficio gratiæ divinæ hoc eſſe factum dubium non eſt. Omnes ergo cū originali iſto vitio naſci, & ſecūdùm illud vivere,

Error virtutis appetitivæ.

Vis intellectiva.

Ægritudo ſpiritualis.

Originale vitium.

Infirmitas noſtra.

Cum originali vitio omnes naſcuntur.

Digitized by Google

vel in toto, vel in parte, niſi econtrariò adjuventur, manifeſtum eſt. Quòd ſi dixerit quis, quoniàm ſecundùm animale noſtrum communicamus cum brutis, & ideò quemadmodùm vel operationes, vel paſſiones, quæ in brutis ſunt, ſecundùm illud nihil habent injuriæ naturalis, nihil iniquitatis, immò magis ſunt ſecundùm juſtitiam naturalem ſibi; ita operationes ſeu paſſiones, quæ ex animali noſtro in nobis ſunt, vel à nobis fiunt naturaliter, nihil habebunt injuſtitiæ, nihil iniquitatis. Reſpondemus in hoc, quoniàm etſi ſecundùm animale noſtrum communicamus cum brutis, in ſpirituali noſtro tamen præcellimus eis, & ideò ſecundùm illud, quod in nobis nobilius, atque ſublimius eſt, nos vivere atque operari oportet; omninò enim indecens, & incongruum eſt præferre, quod inferius, atque ignobilius eſt, ſuperiori, atque nobiliori, ſequique illud, & obedire illi; rebellare autem iſti noſtrum animale, quod abſurdum videtur eſſe. Ampliùs.

F

Animale brutorum. Animale brutorum per ſe regnans, atque dominans eſt, & nullo vinculo obedientiæ, vel ſervitutis in illis alicui obnoxium, aut obligatum, utpote non habens ſuperius apud illa. *Animale noſtrum.* Animale verò noſtrum ſicut ſuperiùs habet apud nos & in nobis, ſic eſt eidem debito ſubjectionis, & vinculo ſervitutis aſtrictum; quemadmodùm homo per ſè in regione aliqua degens, ubi nullus eſt alius princeps, aut Dominus, liber eſt ab omni obedientiæ debito: ſi autem fuerit in regno, vel principatu alterius, neceſſe habet eidem obedire, & eſſe ſubjectum. Verùm ſi quidem (ut ait Tullius) omne regnum animæ à natura tributum eſt, animale noſtrum in noſtro regno rationis eſt, & ideò neceſſariò legibus ejuſdem ſubjectum: in brutis verò tanquàm ſeorsùm eſt ab omni aliena ditione, & poteſtate, & ideò liberum,

G

& hoc eſt quod legitur Eccleſiaſt. 13. Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat: meritò ergo animale noſtrum pondus obedientiæ ſubjectionis, & ſervitutis ſuper ſe tollit, dùm ſuperiori noſtro, quod tam honeſtum eſt, communicat, aſſociatum ſcilicet eidem in eodem ſubjecto, anima videlicet noſtra. Similiter ſe habet de homine, qui datus eſt in ſervum alij, & de homine libero: eodem modo de equo habente ſeſſorem ſuper ſe, & de non habente. Non eſt autem deglutiendum, ideſt ſine perſcrutatione tranſeundum quod dixi, quia ex animali noſtro naturaliter ſunt hujuſmodi paſſiones & operationes, naturaliter quidem, id eſt ex natura corporali, vel dic, naturaliter, id eſt juxta primitivam noſtræ naturæ inſtitutionem, ſeu conditionem, nam ſecundùm ſtatum illum non niſi juſſæ ab ipſo ſuperiori noſtro exirent: nunc autem tanquàm liberæ exeunt, non expectato juſſu, ſeu mandato illius, quod modis omnibus eis illicitum fuit jure, ac lege primitivæ inſtitutionis noſtræ,

H

quibus jure pleniſſimo animale noſtrum ſpirituali noſtro ſubditum eſt, & eidem ad obedientiam obligatum. Quarta via eſt inſenſibilitas, ut ita dicamus, ipſius ſpiritualis, ſive ſuperioris noſtri, qua inſenſibile eſt ad bona ſua, cùm animale noſtrum ſenſibiliſſimum ſit ad ſua bona ſcilicet, & mala, quoniàm inſenſibiles ſumus interiùs ad lucem noſtram, ideſt æternam, quæ ſol intelligentiæ eſt, videlicet Chriſtus Dominus, quoniàm difficilè illam etiam tenuiſſimè, atque obſcuriſſimè videmus: *Vide.* ſimiliter & ad ſuavitatem internam noſtram, & delitias ſpirituales, quæ in ipſo, & ex ipſo ſunt, & in virtutibus, & per virtutes quis ignorare permittitur, cùm nec odor pertenuis ad nos inde perveniat. Idem dicimus & de ſaporibus. *Nota.* Quàm ſenſibiles autem ſimus econtrariò, videlicet ad ſuavitates, odoreſq;, & ſapores animales, nullus eſt qui neſciat. Similiter

E

& quàm difficilè calefactibiles ſimus calore ſpiritualis amoris, ſanctorumque deſideriorum, quàm facilè autem ardeamus, econtrariò quis non videt? Ampliùs. Cùm pro modo, ſeu magnitudine ſuavitatum, aut bonitatum calefactibiles eſſe, vel caleſieri debeamus ab illis, quorum ſunt, ſi eſſemus utcunque benè diſpoſiti, & ipſa ſuavia, ſeu bona æqualiter nobis propinqua propinquitatibus ſibi congruentibus, quæ eſſet proportio, ſeu comparatio ſuavitatum, ſeu bonitatum ad invicem, ea eſſet, & calefactionum, hoc eſt amorum, ſeu deſideriorum noſtrorum ad invicem in illas. *Nulla proportio divinæ ſuavitatis ad ſuavitatem carnis.* Quia ergo nulla eſt proportio, vel etiam comparatio divinæ ſuavitatis, ſed etiam bonitatis ad eas, quæ carnis, & mundi dicuntur ſuavitates, ſeu bonitates; ſi benè diſpoſiti eſſemus tam ad has, quàm ad illas, nulla eſſet proportio, ſeu comparatio calefactionis, amorum, ſeu deſideriorum, quibus caleſieremus à ſpi-

F

ritualibus ſuavitatibus, ſeu bonitatibus, ad calefactiones, quibus caleſimus ab eis, ſcilicet ſuavitatibus, ſeu bonitatibus; cauſæ enim ſemper proportionales ſunt effectibus ſuis, niſi diſpoſitionum inæqualitas inter effectus faciat diverſitatem. Quia ergo econtrariò prædictis cauſis ſe habent eorum effectus in nobis, manifeſtum eſt quòd non æquè benè diſpoſiti ſumus ad illas; quare vel propinquius eſt animale noſtrum ad ſuavitates, & bonitates ſuas, ut ita loquamur, vel magis benè diſpoſitum ad illas, quàm ſpirituale noſtrum ad ſuas. Manifeſtum eſt autem quòd elongatio hæc, ſeu mala diſpoſitio, quæ ita ſpirituale noſtrum impedit à ſupradictis ſuavitatibus, & bonitatibus, læſio eſt magna, & vitium, quod ita nos perversè habere compellit. *Vitium.* Perverſitas autem omnis, & omnis diſpoſitio perver-

G

tens nos, vitium eſſe dubitari non poteſt. *Objectio.* Quòd ſi dixerit quis, quia hæc eſt naturalis, & rectiſſima ordinatio noſtra, ut animale noſtrum proximum ſit ſuavitatibus ſuis, & bonitatibus: ſpirituale verò noſtrum longè ſit à ſuis, quemadmodùm & noſ ipſi terræ, & terrenis omnibus proximi ſumus, cœlo verò, & cœleſtibus remotiſſimi. *Reſponſio.* Reſpondemus, quia reverà ſecundùm corpus ita eſt, ut dicitur, de propinquitate, & remotione, quia inferior iſta regio, & mundi ſenſibilis habitatio regio noſtra, & habitatio eſt quantùm ad corpus, & etiam quantùm ad animale noſtrū in eo quòd animale eſt: ut nunc quidem ſe habet. Quantùm ad ſpirituale verò noſtrum, regio noſtra longè alia eſt, & habitatio, & æquè vicina ſeu propinqua ſpirituali noſtro, ut ſua regio, ut diximus, animali noſtro. *Nota hūc locum.* Quòd ſi dixeris, quia hoc etiam nec verum, nec debitum eſt, quia plus animales ſumus naturaliter, ut ita dicamus, quàm ſpirituales & plus corporales quàm ſpirituales.. Dicimus

H

quia ſermo hujuſmodi hominis eſt ſermo valde erroneus, & proculdubiò hominis neſcientis ſe eſſe hominem, & penè omninò ignorantis nobilitatem humanæ naturæ; generaliter enim abſque ulla dubitatione verum eſt, quòd id, quod eſt in unoquoque optimum, eſt in eo etiam nobiliſſimum, atque fortiſſimum naturaliter, & propter illud etiam alia creata ſunt in toto illius, ſicut anima in nobis nobilior, atque fortior corpore, & propter illam corpus creatum, & membra ipſius; *Animæ nobilitas.* ſimiliter ſpirituale noſtrum naturaliter, hoc eſt naturali, & primitiva ſui inſtitutione in nobis optimum eſt, nobiliſſimum, ac fortiſſimum, & propter id omnia alia in corporibus noſtris, & in animabus creata ſunt; quare multò fortiùs eſt ei proviſum de omnibus perfectionibus ſuis naturaliter, quàm animali noſtro de ſuis, & ideò æquè propinquum naturali ordinatione, vel etiam ampliùs bonis ſuis omnibus, quàm illud;

neque

Digitized by Google

neque enim divinæ bonitati, neque ſapiētiæ ejus cōgruit minùs providere magnis quàm minoribus, aut minùs curare magna, quàm parva, præſertim cùm parvum animalis noſtri non curet, niſi propter magnum ſpiritualis noſtri. Ampliùs. Inter regionem intelligibilium, ſeu mundum intelligibilem, & intellectum noſtrum, nihil eſt medium; ſi enim aliquid eſſet medium, illud eſſet intelligibile, vel ſenſibile, non ſenſibile cùm omne ſenſibile infra intellectum ſit, & in regione, quæ ſub ipſo eſt, hoc eſt mundo ſenſibili: intelligibile verò omne de mundo intelligibili eſt aut ipſe mundus intelligibilis, quare non eſt medium inter mundum intelligibilem, & intellectum; pars enim non poteſt eſſe media inter aliquid, & ſuum totum, poſſet quidem media eſſe inter aliquid, & reſiduum ſui totius inter intellectum igitur, & ſua intelligibilia, nihil eſt medium. Eodem modo eſt oſtendere, quòd inter affectum noſtrum nobilem, & ſublimem, & ſua nobilia, ſeu deſiderabilia, nihil eſt medium, quare inter ſpirituale noſtrum totum, & ſua perfectibilia (ut verbo generali utamur) nihil eſt medium. Æquè ergo propinquum eſt ſpirituali noſtro ſuum ſæculum, ut noſtro animali ſuum, quod ergo non æquè perficitur, non æquè movetur ab illo, ut animale noſtrum à ſuo, non eſt ex elongatione majori, ſeu propinquitate minori ad id, ſed nequa ex minore fortitudine, cùm dubitare non debeat ſæculum intelligibile, & ea quæ in eo ſunt fortiora eſſe, & vehementioris influentiæ, quàm ſæculum animale, & ea quæ in eo ſunt. Quare intenſibilitas iſta, ſeu tarditas ſpiritualis noſtri, cùm indubitanter perverſitas ſit, atque malitia nobis innata, originale vitium eſt quod quærimus, contrariumque ejus bonitas eſt, & rectitudo, & virtus eſt, & fortitudo illius. Ampliùs. Indecentiſſimè, ac perverſiſſimè ordinaſſet creator noſter ſpirituale, & noſtrum animale, ſi illud debile, immò quaſi emortuum, & miſerabiliter impeditum ad ſuas perfectiones creaſſet: hoc verò expeditiſſimum, & promptiſſimum ad ſuas, cùm longè major gloria ſit creatori perfectio noſtri ſpiritualis, quàm perfectio noſtri animalis; nobis etiam incomparabiliter major utilitas, ſeu ſalubritas in illa, quàm in alia. Sive ergo in gloriam ſuam, ſive in utilitatem noſtram, ſive in ambas intenderit creator in creatione noſtra, non ita illas ordinavit, ut ſunt; ordinavit autem animale noſtrum, ut eſt benè, quare non ordinavit ſpirituale noſtrum ut eſt malè. Quicquid autem ipſe non ordinavit in nobis, & in nobis eſt naturaliter, vitium eſt in nobis, ſive peccatum. Illud igitur vitium, quo tardi, ſeu difficiles, ſeu penè inſenſibiles ſumus ad bona ſublimia, videlicet ſpiritualia, & æterna, in nobis eſt naturaliter, ſive originaliter propter quod & originale vocatur, & innatum. Quinta ratio eſt, quia vitium rectiſſima diffinitione propriè eſt, quo malè nos habemus ad bona opera reddenda, hoc eſt tardè, & difficilè, ad mala verò benè, ut ita dicamus, ideſt promptè, & expeditè. Quia igitur in nobis eſt naturaliter, & originaliter iſta perverſitas, naturaliter, & originaliter eſt in nobis illud vitium. Poteris & juxta vias iſtas, multas ſimiles invenire; nos autem ſufficere arbitramur tibi ad ſtabiliendum originale peccatum, hoc eſt ad faciendā certitudinem de ejus eſſe, & declarandum, quod ipſum eſt; juxta quod promiſimus. Sexta via eſt, quia quemadmodùm anima humana in poteſtate habet movere, provt vult, membra corporis ſui; ſic & multò fortiùs in poteſtate debet habere naturaliter ipſas vires ſuas, quæ ſunt tanquàm membra ipſius. Quemadmodùm igitur, quandò poteſtatem non habet movendi corporis ſui membra, manifeſta eſt ægri-

Inter regionem intelligibilium, & intellectū noſtrū nihil eſt medium.

Tarditas noſtri ſpiritualis eſt originale vitium.

Nota.

A
tudo corporis, quæ motum hujuſmodi impedit; ſic ubi poteſtatem non habet movendi membra illa ſpiritualiter, quæ diximus, manifeſta eſt ergo ægritudo ipſius paraliſis, vel febris ſpiritualis; eodem modo, & de homine ipſo. Quemadmodùm difficultas, vel impotentia ſe movendi ſecundùm corpus oſtendit in eo ægritudinem, vel infirmitatem corporis, ſic difficultas, vel impotentia movendi ſe ſecundùm ſpiritum, oſtendit in eo infirmitatem, ſive ægritudinem ſpiritus, vel mentis, hoc autem in unoquoque noſtrum manifeſtum eſt; non enim amamus, quod volumus, vel cùm volumus, vel provt volumus. Similiter neque odimus; & ad hunc modum ſe habet de aliis motibus ſpiritualibus. Manifeſta igitur eſt in nobis iſta, quam quærimus,
B
ægritudo mentis.

CAPUT III.

Ampliùs diſputat de originali peccato, oſtendens perverſitatem illam, ſeu corruptionem, de quâ ſuprà mentionem feci, eſſe originale peccatum; oſtenditque parvulos naſcentes nullum quidem habere actuale peccatum, originale verò ſic, & ita originale peccatum non dicitur peccatum ea intentione, qua peccatum actus dicitur, ſeu actus privatio.

POſt hæc provt prædiximus, declarabimus iſtam corruptionem, ſeu perverſitatem peccatum eſſe veriſſima nominatione; quòd enim vitium ſit, evidenter apparet ex his, quæ jam diximus. Dicimus ergo in primis, quia peccatum una intentione
C
dicitur actus, vel ejus privatio; ſecundùm quem modum nemo unquàm ſani cordis poſuit originale peccatum, eſſe peccatum; cùm enim in parvulis naſcentibus eſſe ipſum credat, & doceat omnis Eccleſia Sanctorum, qui nihil egiſſe ante nativitatem, vel in ipſa nativitate, quod peccatum dici poſſit, à quocunque indubitanter creduntur, dumtaxat his exceptis, qui animas anteà in aliis corporibus fuiſſe, vel in compatibus ſtellis vaniſſimè ſomniaverunt, vel adhuc delirant: manifeſtum eſt peccatum originale, non actum ipſum, quo quis peccare, vel peccaſſe dicitur, Catholicam doctrinam accipere, ſed magis perverſitatem, de qua proximè locuti ſumus; & qui argumentantur, non peccavit ille parvulus, nec peccat, ergo non habet peccatum, manifeſtum eſt, quia erroneè arguunt, niſi de peccato actuali concluſionem intelligant; ſi quis enim argueret: Hæc avis non volat, neque volavit, ergo
D
non habet volatum, & iſte equus non cucurrit, nec currit, ergo non habet curſum, manifeſtum eſt eum valde inſipienter arguere, cùm ad remotionem actus, remotio habitus non ſequatur. Quia igitur de hoc nunquàm fuit contentio inter nos, & hæreticos, vel alios quoſcunque erroneos exceptis illis, quos ſupra diximus, pertranſibimus hoc planè dicentes, quia parvuli naſcentes nullum prorſus habent actuale peccatum, ſed originale eos habere dicimus; ſi enim peccatum eorum eſſet actuale, hoc eſt actus eorum indebitus, vel actus debiti privatio, non jam originale eſſet illud, ideſt originaliter contractum, ſeu inditum, neque hæreditarium, ſeu à parentibus traductum, ſed magis acquiſitum, & adventitium. Quoniàm ergo, ut rectè dicit Ariſtoteles, circa ſenſum ſunt rectitudo, & peccatum: manifeſtum eſt, quia rectitudo, & peccata juxta hanc unam intentionem contraria ſunt. Quia ergo propriè rectitudo eſt bona diſpoſitio noſtra primitivæ inſtitutionis cui perverſitas iſta originalis contraria eſt, & repugnans, manifeſtum eſt, quia ſecundùm hanc intentionem, originalis iſta perverſi-

Peccatum.

Nota.

Rectitudo.

Digitized by Google

ſtas, propriè peccatum dicitur; ſi enim alterum oppoſitorum duorum quorumcunque de altero aliorum duorum propriè dicitur, & reliquum de reliquo propriè dicitur; contraria enim circa idem, ſicut alibi didiciſti propriè & fieri habent, & dici. Alio modo etiã peccati nomine dicitur, videlicet indecentia in eis, quæ conjungit, gignit, aut procreat. Unde & peccaſſe naturam communiter dicunt homines, quandò gignit homines ſenos digitos habentes in manibus, aut pedibus; ſimiliter quandò gibboſos, aut aliis deformitatibus monſtruatos. Meritò ergo peccatum naturæ dicitur ſimilis indecentia, quandò videlicet gignit incurvatos, quos debuit gignere rectos, & animales quos debuit gignere ſpirituales; & ad hunc modum ſe habet de aliis perverſitatibus. Perverſitas igitur iſta originalis meritò peccatum naturale dicitur, & nativum. Tertiò ſicut virtutes nomina ſua communicant actibus ſuis, ita & vitia; ſicut enim largitas dicitur, non ſolùm ipſa virtus largiendi, ſed etiam actus ipſius, & miſericordia ſimiliter; ſic & peccatum non ſolùm, vel actus, vel vitium, ſed utrumque. Cùm igitur iſta perverſitas originalis habitus ſit; non eſt mirum, neque inſolitum, immò certiſſimum, uſu vulgariſſimo, ut actus ſui, quod eſt peccatum nomine ipſius cenſeatur. Sicut igitur luxuria dicitur; non ſolùm vitium carnis, ſed & actus ejus; ſic & peccatũ dicitur originalis perverſitas, quemadmodùm, & omnis actus illius. Quartò peccatum dicitur uſualiter contrarium ejus, quod debet eſſe in aliquo, ſicut urina dicitur peccare in ſubſtantia, vel colore, videlicet cùm habet contrarium in ſubſtantia, vel colore, contrarium inquam ejus, quod habere debuit, immò nihil poteſt dici peccatum, niſi illud, cujus contrarium deberet habere. Quia igitur contrarium originaliter habemus ejus bonæ diſpoſitionis, quam naturaliter habere debemus; manifeſtum eſt nos ſecundùm hanc acceptionem peccati peccatum originale habere. Manifeſtum etiam, quia & ſecundùm hanc intentionem veriſſimè ac propriè originale peccatum, dicitur peccatum. Quintam autem acceptionem, vel intentionem addit Auguſtinus dicens, originale peccatum dici peccatum, quoniàm eſt per peccatum, quemadmodùm loquela dicitur lingua, quoniàm ut apparet, eſt per linguam; quare non intolerabili abuſione peccatum originale nominat Catholica doctrina, quemadmodùm neque loquelam linguam; culpa verò per eundem modum dicitur per quod & vitium, aut peccatum, aut perverſitas: & inſuper quoniàm pro eo pœna debetur, qualis, & qualiter infra determinabimus,

Natura quando dicitur peccare.

Simile.

Originale peccatum.

CAPUT IV.

Confutat eorum vaniſſimas opiniones, qui originale peccatum negaverunt, modum oſtendens, quo parvuli ex parentibus mundis immundi naſcantur, & peccatum originale in carne eſſe dicatur, cùm cætera dicantur eſſe in anima.

POſt hæc verò reſpondebimus objectionibus eorum, qui originale peccatum eſſe negaverunt, & adhuc negant, & primum Juliano Apoſtatæ, qui contradicit in hunc modum. Non peccavit, qui genuit, nec peccavit, quæ peperit, nec peccat, qui naſcitur, per quas ergo rimulas, inquit inter tot præſidia innocentiæ introivit originale peccatum in parvulum. In quo reſpondemus, quia per carnem ex ſemine corrupto, & corruptione genitam, & propter hoc corruptam, & corruptivam. Qualiter autem hoc fit, infra determinabimus in capitulo 9. videlicet, ubi declarabimus, qualiter contra-

Julianus Apoſtata.

Contractio originalis peccati.

[E] hatur originale peccatum, & quomodò ex carne, & per carnem corruptam, anima humana corrumpatur hujuſmodi corruptione. Si quis autem quærat, cùm utrique parentum generantium mundi ſint ab originali peccato & hoc vel baptiſmali ſanctificatione, vel pœnitentiali, qualiter parvulus ex mundis, & ſanctis parentibus immundus, & pollutus naſcitur, immunditia ſcilicet originali? Reſpondet Auguſtinus. Quia quemadmodùm ex circumciſis parentibus naſcitur præputiatus filius, & ex hordeo decorticato, ſeu depaleato naſcitur paleatum, ſeu corticatum. Hæc autem reſponſio ad hominem eſt, & nodum difficultatis non ſolvit, propter quod adjicimus, quia parentes ſancti ſunt, ſed per ſanctitatem non generant, ſed per hoc, quòd homines, & per carnem, & à carne exit, quòd tranſ-
[F] fundunt in prolem, & propter hoc carnalē corruptionem, id eſt vim corrumpendi, quæ in carne eſt eorum, transfundunt in carnem ex eis genitam, quo nihil naturalius eſt, quàm ut caro ſibi ſimilem generet, videlicet corrupta corruptã, & corruptiva corruptã. Quòd ſi quærat quis, cùm caro parentũ mundata ſit ab hujuſmodi corruptione in hoc lavacro ſalutari, igitur non debet generare, niſi munda. Hìc reſponſio Auguſtini utraque locum habet, quoniàm etſi præputium à carne parentum actualiter ablatum ſit per circumciſionem, tamen potentialiter eſt in illa, quòd evidenter oſtendit generatio, quæ ex illa fit, & per illam, quemadmodùm & in ſemine humano potentialiter eſt totum corpus, quod ex eo eſt generatũ, ſimiliter & omnes partes illius. Sic eſt de corruptione, quam diximus, id eſt de virtute corrumpendi, quæ in carne etiam mundata per Baptiſmum remanet, licet dejecta, & ſubjecta, ut omninò non regnet, comprimente eam, & calcante gratia
[G] baptiſmali, non eam funditùs extinguere, neque radicitùs extirpante, ſed quẽadmodùm ſerpens capipite contrito, caudã, atque reſiduum corporis gerere, vel agitare non ceſſat; ſic & peſtis iſta primos motus penè inceſſanter excitat & hoc quod ibi dicitur: Tu confregiſti capita Draconis, & iterum: Tu contribulaſti capita Draconum in aquis, ſcilicet baptiſmalibus, propter quod dicit Auguſtinus ſuper 7. ad Roma. Quia jacet originale peccatum in eis, qui lavacro ſalutari renati ſunt, ut victum, atque peremptum, ne reſurgat ad priſtinas vires, videlicet, ne regnet, & dominetur, niſi quis per novum conſenſum denuò ei vires reddiderit. Propter hanc cauſam circumſpectè dicit Apoſtolus in 7. ad Romanos: Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore: ubi Auguſtinus exponens ait. Non dixit non inſit: remanet enim, ut diximus poſt ſalutaris lavacri
[H] mundationem in regeneratis: quemadmodum ignis extinctus aquæ perfuſione, in quo & aliquid caloris, & fumus continuus remanet, quod quidem facile reaccenditur, ut ardeat in combuſtionem illius in quo eſt. Eodem modo, & iſta peſtis calere, & fumare non ceſſat, veruntamen non in ardorem, & conbuſtionem poſt lavacri ſalutaris aſperſionem, niſi, ut dicit Aug. per conſenſum fuerit reaccenſus. Et attende diligenter, quia multa eſt differentia inter ablationem peccati originalis, quæ lavacro ſalutari efficitur, & ablationem præputij, quod per circunciſionem tollitur, & ablationem ſimiliter paleæ. Primùm in hoc; quia nec præputium, nec palea revertitur poſt ablationem ſed nec ullum alterutrius veſtigium relinquitur; peſtis autem hæc originalis, & facilè revertit, & magnum ejus ſeminarium etiam poſt baptiſmalem ablutionem relinquitur, quod ſcaturigo primorum motuum evidenter oſtendit, deinde quamquàm victum & couſque ſuperatum ſit per gratiam baptiſmalem, ut ipſum perem-

Nota.

ptum

ptum dicat Auguſtinus; rebellat tamen adhuc, & latrunculos primorum motuum, ut diximus, immò exercitum magnum carnalium deſideriorum, aliarumque noxiarum affectionum, & cogitationum ad militandum contra ſanctos, immittere non ceſſat, ſicut expreſsè teſtatur Petrus in 2. primæ Canonicæ ſuæ. Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam, exceptis paucis privilegiatis, in quibus funditùs extinctus fuit, aut omninò ſublatus, quemadmodùm de beata, ac glorioſa genitrice Dei ſentiendum eſt, & maximè poſtquàm concepit Salvatorem Dominum.

Virgo beata.

Si quis autē quærat cùm omne peccatum noſtrum in anima ſit, ſicut & virtus, & etiam vitium quomodò peccatum hoc in carne eſſe, vel habitare, dicitur ab Apoſtolo in 4. ad Rom. Facilè reſpōderi poteſt, quia cauſaliter in carne, quoniàm ex illa latet in anima, quamvis & caro intelligi poſſit ipſum carnale, & animale noſtrum, de quo tandem multa ſupra locuti ſumus.

Quæſtio notanda.

B Et hoc modo intelligitur ſecundùm Auguſt. in 5. ad Galat. Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem; ibi enim dicit idem vocari carnem & ſpiritum, ſed carnem ſecundùm id, quod habet à parte carnis, ideſt ſecundùm id quod habet carnale, vel animale, ſpiritum verò ſecundùm id quod habet ex ſe, hoc eſt ſecundùm id quod habet in ſe ſublimius ſcilicet, atque nobilius. Si verò quærat aliquis cùm illa immunditia, ſive corruptio, quæ in carne eſt, & ex qua peccatum originale in animabus noſtris ſit, propriè peccatum non ſit, vel vitium ſpirituale, quomodò peccatum, vel vitium ſpirituale generat in anima, & hoc naturaliter, naturaliter enim corrūpuntur animæ humanæ corruptione hujuſmodi à ſic corruptis corporibus. C Reſpondemus ad hæc, & ſimilia infra. Si verò quis dicat, quia cùm Deus pronior ſit ad benefaciendum generi humano & miſerendum eidem, cùm ergo vel permittat, vel faciat ipſe, quod transfertur peccatum parentum in filios, quantò magis pertinet ad eum facere, quòd meritum, ſeu ſanctitas parentum transferatur in ipſos? Et nos quidem jam reſpondemus ad hoc, quia non per meritum, vel ſanctitatem generant neque per ea, generatione inquam carnali, ſed per carnem, & carnalitatem, & ideò quod carnis eſt, ſeu carnalitatis transfundunt in filios. In generatione autem ſpirituali ſecùs eſt, ſive fit per doctrinam, & prædicationem, ſive per Sacramentū. Juxta quod dicit veritas Joan. 2. Quod natū eſt ex carne, caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. D In generatione namque ſpirituali meritò transfertur, quod eſt ſpiritus, ut doctrina & gratia. Per prædicationē enim doctrina; per Sacramentum gratia transfertur in ſpiritualiter genitos.

Generatio ſpiritualis

Meritò autem quæritur, utrùm peccatū originale à Deo ſit? videtur quòd non, cùm enim dicat Joan. in primo. Sine ipſo factum eſt nihil. Exponit Aug. ideſt peccatum. Omnia autem per ipſum facta ſunt, quæ utique laudant Deum, ut dicit Aug. Peccata autē non ipſum laudant, immò ipſius contumeliæ, & injuriæ ipſius ſunt, quare peccatum, neque originale, neque actuale per ipſum, vel ab ipſo factum eſt. Ampliùs. Ipſum peccatum, quod Apoſtolus dicit habitare in carne, ideſt vis illa corrumpendi animam, unde eſt niſi à Deo? & quid eſt, niſi creatura Dei? Non enim videtur humanum opus, cùm ab omninò neſcientibus, & penitùs invitis parentibus transfundatur à carne in carnē. Ampliùs. In ſanctificatis plenè quòd utique ſunt baptiſmali ſanctificatione renati, remanet, in quibus nihil remanet, quod non ſit opus Dei, & cujus non ſit Deus auctor; totum enim abluit, & abradit baptiſmalis ſanctificatio quod ex Deo non eſt, non autem tollit illā corruptionem à carne illa, A ergo ex Deo eſt? Ampliùs. Quicquid non eſt, vel culpa, ſeu culpabile, vel peccatum, aut actuale, aut originale, ex Deo eſt, corruptio igitur illa ex Deo eſt ergo quod eſt ex illa naturaliter, & per ſe ex Deo erit.

Quæſtio alia.

Nota.

In quo ſciendū eſt, multos dixiſſe, & adhuc dicere, quòd peccatum originale, & culpa eſt, & pœna eſt, & quia inquantùm culpa ex Deo non eſt, ſed inquantùm pœna; omnis enim pœna, ut eis videtur, ex Deo eſt. Iſti autem majorem difficultatē ſibi aſſumunt. Primū quia cùm peccatum originale unum numero & impartibile ſit in anima una, vel totū eſt pœna, vel totū culpa, vel totum utrūque. Non enim poteſt dici de re impartibili quòd ſit partim hoc, & partim illud: quare totū, & totaliter & pœna & culpa, & propter hoc totaliter ex Deo, & non ex Deo. B Ampliùs. Qualiter dicūt quòd omnis pœna ex Deo eſt auctore totaliter, pœna igitur invidiæ, qua torquetur invidus ex alieno bono, ex Deo erit ſimiliter, & deturpatio, qua ejus anima deformata eſt, ſimiliter damnificatio, qua ejus anima per omne peccatum depauperata eſt bonis ſpiritualibus, & læſa in naturalibus: quare nihil habebit invidia quod totum ex Deo non ſit, & ad hunc modum ſe habet de odio, & de aliis. Nos autem facilè nos expedivimus, & dicimus, quia peccatum, & vitium ſpirituale ex Deo nunquàm eſt, immò contra ipſum. Nullius enim rei eorum auctor eſt Deus ultor eſt ipſe, ſicut dicit Auguſt. in libro octoginta trium quæſtionum, nihilominus tamen verum eſt, quòd corruptio quæ in carne eſt, qua ſociatam animam ita corrumpit, atque pervertit, ex Deo eſt. Nec ſequitur ex hoc, quod corruptio, vel perverſitas iſta, videlicet C quam in anima efficit, ex Deo ſit.

Acutè de peccato originali.

Quemadmodùm vis vini, qua inebriat, & ſubvertit animam immoderatè bibentis, ex Deo eſt, & creatura ejus bona non tamen ſubverſio, aut ebrietas bibentis ex ipſo eſt, licet hoc naturale ſit alicui vino inebriare animas quaſdam; hoc enim eſt ex debilitate ipſarum; quædam enim animæ mero facilè inebriabiles ſunt. Idem dicimus, & de divitiis, quæ utique Dei creaturæ ſunt bonæ, & indubitanter ex ipſo, vel ab ipſo, & ita corrumpunt animas, atque ſubvertunt, ſicut dicit Seneca, Difficillimū eſt divitiarum contubernio non corrumpi. Et Eccl. 6. Fili mi ſi dives fueris, non eris immunis à delicto. Quòd ſi dixerit quis, quia iſtæ corruptiones ſunt ex mala applicatione vini, & delitiarum, & divitiarum ad animas, cujus applicationis malitia ex Deo non eſt, verū quidem dicit: accidit tamen interdùm, ut ex bona etiam D applicatione occaſionaliter corruptio proveniat; ſicut cùm aliquis bibit vinū causâ ſanitatis, poteſt ex hujuſmodi potatione provenire ebrietas, ſimiliter & cùm aliquis congregavit divitias, ut eas in pauperes erogaret, vel in alios pios uſus expenderet, eorum tamen contubernio interdùm corrumpitur; & hoc eſt, vel avaritia, quæ eſt immoderatus amor earum, vel ſuperbia, quæ moribus divitum ineſt, ut dicit Auguſt. Nec ſequitur ſi corruptio illa, quæ in carne eſt & conjunctio carnis ad animam ſit à Deo, ſimiliter quòd propter hoc corruptio, quæ ex hujuſmodi conjunctione in anima humana efficitur, ex Deo ſit. Sic quemadmodùm cùm vir, & uxor uterque à Deo ſint, & conjunctio matrimonialis alterius ad alterum ab eodē, quòd propter hoc quicquid mali ex conjunctione illa accidit ex Deo ſit, vel eidem attribuendum; quemadmodū enim pulchritudo hujuſmodi mulieris ex Deo eſt, & cō unctio ipſius matrimonialis ad maritū ex eodem, ſi tamē pulchritudo ejuſdē mulieris cordi mariti illabitur profundiùs, quā deceat, ipſūq; in ſervitutē amatoriæ libidinis redigat per incuriā vel infirmitatē ipſius mariti, non Deo imputandū eſt hoc, qui neq

Corruptiones.

Nota.

propter iſtã turpitudinẽ eos conjunxit, nec propter hoc pulchritudinẽ uxori dedit, ut maritũ per eã obcæcaret, atque ſubverteret, ſic carnem licet corruptã, non propter hoc Deus animæ humanæ conjunxit, ut eam in originalem corruptionẽ tranſvertat, immò potiùs, ut eidem ſerviat, neque ad hoc corruptionem, ideſt vim corrũpendi quæ in carne eſt, carni indidit, ut per eam anima humana tam pernicioſè ſubverteretur, quin potiùs propter innumerabiles utilitates, quæ occaſionaliter de corruptione hujuſmodi proveniũt, de quibus in evidenti ſunt duæ, ſcilicet humilitas, & timor; nihil enim magis humiliat animam humanam, quàm penè aſſidua vilificatio, & contumelia, quas à parte carnis patitur, rememorantes ei tam crebrò brutalitatem iſtam originalem, qua homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: nihil majorem timorem prudentibus animabus incurit, quàm crebra in eas immiſſio jaculorum mortiferorum, quæ ſi admittantur, & non repellantur, mortem peſſimam, quæ eſt ſeparatio animarum noſtrarum à Deo, non ſolùm minantur, ſed etiam inferunt. Hi motus velut ſcintillæ ſtimulantes incendium, nec ſolum ardorem libidinum in præſenti, ſed etiam ignis æterni in futuro. Sunt & alia penè innumera, quibus ex antedicta carnis corruptione ad humilitatem, & timorem, aliaſque virtutes mirabiliter proficiunt animæ in hac parte, cœleſti magiſterio eruditæ. Summa ergo eſt hujus reſponſionis, quia quod accidit ex cauſa quacunque, non propter hoc attribuendum eſt cauſæ ipſius, ſed ſolùm id, quod ex illa per ſe, & directè cauſatur; per ſe autem, & directè ex unaquaque cauſa provenit, & cauſatur id, propter quod, vel ad quod ipſa cauſa eſt; ſi enim Rex aliquis dedit poteſtatem juſtitiam faciendi præpoſito ſuo, ille autem abutens poteſtate hujuſmodi occideret aliquem innocentem, licet poteſtas ex qua illa occiſio innocentis eſt à Rege ſit, non tamen occiſio illa à Rege eſt, vel Regi ullatenùs imputanda, quoniàm non per ſe, & directè ex illa poteſtate eſt, ſed magis ex accidenti, & per abuſionem, & quaſi ex tranſverſo; non enim ad hoc, vel propter hoc data erat à Rege poteſtas illa præfecto; ſic dicimus, & de corruptione, quæ in carne eſt. Si quis autem dixerit, quòd quicquid naturaliter eſt in quacunque natura, à Deo eſt, verum utique dicit, ſed originale peccatum, ſive originalis corruptio, non naturaliter in animabus noſtris eſt, immò contra naturam animarum noſtrarum eſt, in maximamque læſionem, & perniciem earum; nec ſequitur etiam ſi naturali operatione carnis corruptæ eſt in animabus noſtris, quòd propter hoc naturaliter ſit in eiſdem. Quemadmodùm naturali operatione ignis eſt in ferro, vel excrematio in lignis, non tamen naturaliter eſt in illis, immò contra naturam illorum, niſi quis velit diſtinguere naturaliter, ut referatur ad agentem uno modo, & ad patientem alio modo. Mirabile autem, & intolerabile modis omnibus videtur dicere, quòd peccatum originale, quod eſt in animabus noſtris, à Deo ſit, cùm evidenter adeò ſit contra Deum, ut aqua baptiſmalis ſanctificationis, & igne Spiritus ſancti contra ipſum pugnet Deus, nec ſolùm ferro, & igne contra ipſum repugnet Deus, immò omnibus ſagittis, gladiis ſacrorum eloquiorum omnium præſentium flagellorum attritione; omnia enim hæc propter ipſum, vel tollendum, vel minuendum, vel ſaltem reprimendum, ſunt. Quod evidenter apparet ex effectibus ipſius; niſi enim omnia hæc hominibus adhiberentur, ſuper omnia animalia bruta bruteſcerent, & omni genere deſipientiæ, rabie luxuriæ, & cæterarum hujuſmodi peſtium degenerarent. Hoc

Vide.

Humiliatio animæ.

Originalis corruptio eſt contra naturam animæ.

Simile.

Originale peccatum à Deo non eſt.

E autem inde evidenter apparet, quia cum omnibus his vix compeſci, & aliquatenùs reprimi poſſunt, quin in omnia brutalis deſipientiæ opera proſiliant. Quòd verò quærunt aliqui, cur ſapientiſſimus, atque omnipotentiſſimus Deus, cùm animam humanam tam nobilem creaturam, tamque ei dilectam corrumpendam præſciat ex conjunctione corrupti corporis, ut quid eam illi conjungit, vel ſociat? Quis enim (ut aiunt) ſapiens liquorem pretioſum, ſibique carum in vas corruptum mitteret, ex cujus corruptione ipſum eſſe corrumpendum prænoſceret? Et nos jam reſpondebimus tibi in hoc pro parte, quia non ad hoc, ut corrumpatur ex carne, carni conjungit animam Deus, ſed magis, ut caro ei ſerviat, & miniſtret, & de ipſa corruptione carnis, ut jam diximus ad tantas, & tot utilitates ſervit be-

F nè eã utentibus animabus. Eadem autem quæſtio eſt, cur Deus creavit, quos malos futuros eſſe præſcivit? Cui reſpondit Auguſtinus dicens: Ideò creavit Deus eos, quos malos, atque damnandos eſſe præſcivit, quia ſciebat de malis eorum, quid boni eſſet ipſe facturus. Et de vino optimo ſcimus, quia in vas ubi acedine eſt corrumpendum ſcienter, & prudenter interdùm mittitur à patrefamilias, & ſapienter etiam propter hoc, ut ibi acedine corrumpatur, ſcit enim quid boni ex acedine illa eliciat; acedo enim neceſſaria eſt ad ſalſamenta, condimenta, & etiam medicamenta; ſic etiam malitia reproborum perutilis eſt ad bonorum condimenta, & medicamenta, multipliciaque eorum incrementa, ſicut in tractatu de laudibus patientiæ pleniùs oſtendimus. Malitia quippe reproborum omnes ſanctos Martyres fecit, patientiæque, & humilitatis penè omnia merita ex eadem ſunt.

Quæſtio alia.

Alia quæſtio.

Nota.

CAPUT V.

G *Inveſtigat cauſas quibus originale peccatum in poſteros transfunditur, docetque modum transfuſionis.*

POſt hæc inveſtigabimus cauſam, qua contrahitur hujuſmodi peccatum, hoc eſt in poſteros transfunditur, & modum quo hoc fiat. Ubi primùm ſcire te oportet, quia fuerunt quidem erronei dicentes animam humanam naturaliter diligere corpus, & deſiderare conjunctionem ipſius, & propterea cùm eidem conjungitur nimio gaudio amplecti corpus, arctiùſque ei conjungi, quàm deberet, & quia in origine ſua, & noſtra hoc facit, ut dicunt, humana anima, originale peccatum dicitur, quo peccat nimio iſto gaudio, & amplexu, quàm deceat, arctiori. Hic autem error duobus modis evidenter deſtruitur. Primùm quia

H ſecundùm quod ponunt originale peccatum illud actuale eſt, cùm & deſiderium illud, & gaudium, & amplexus actus ſint, quare actualiter peccant animæ noſtræ in ipſa conjunctione ad corpora noſtra. Quod quàm falſum ſit inde apparet, quia, vel ponunt eas fuiſſe ante conjunctionem corporum, ut Plato, & Pythagoras, qui error manifeſtè eſt contra Catholicam veritatem, & nos ipſum ſuo loco irrefragabiliter deſtruemus, aut non ponunt eas fuiſſe ante conjunctionem hujuſmodi, & ita in ipſo inſtanti ſuæ creationis peccant. Quòd autem peccant animæ conjunctæ corporibus, peccamus nos, quare in ipſis ventribus maternis peccamus, multò fortiùs igitur in cunabulis; quantò enim adultæ ætati propinquiores efficimur, tantò, ut nobis actus noſtri magis imputandi ſint, propinquiores ſumus. Quòd ſi dixerit, quia ſapientiores, vel capaciores boni, & mali ſumus in hora illa, immò in puncto illo, & in ventribus matrum, quàm in cunabulis, & quàm uſque

Error quorundam.

Platonis error, & Pythagoræ.

uſque ad quadriennium, in quibuſdam uſque ad ſeptennium, nihil etiam ſciunt in ſeptimo parvuli de animabus ſuis, vel de conjunctione earum ad *Platonicorum error* corpora ſua: qualiter ergo aliqui ſciunt, vel ipſi, vel animæ ipſorum in ventribus matrum, vel de corporibus ſuis, vel de contractione animarum ſuarum ad illa. Ampliùs. Aut hoc ſciunt naturali ſcientia, aut revelatione, aut doctrina. Et manifeſtum eſt quoniam non doctrina, ne recidamus in errorem Platonis, atque Pythagoræ, cùm nunquàm aliqui didicerint; ſi autem revelatione; & hoc manifeſtè falſum, cùm nulla ex hoc eis utilitas, ſed ſola illius peccati, quod iſti ponunt, occaſio. Prætereà quomodò ætas illa ſpiritum prophetiæ ſuſtineret? nullius enim generis doctrinam hujuſmodi ætas admittit: quòd ſi naturali cognitione, illa vel erit ſenſibilis, vel intelligibilis, at intellectualis eſſe non poteſt, cùm illa ætas uſum intellectus, vel rationis non habeat. Prætereà & deſiderium illud, & gaudium, & apprehenſio ſunt in illud corpus determinatè, & ſingulariter: intellectus autē, & ratio univerſales ſunt; reſtat ergo, ut ſolo ſenſu apprehendat corpus, quod ei conjungitur, & hoc iterùm manifeſtè falſum, cùm ſenſus, non niſi per corpus ſit, corpus dico medium inter ſentientem, & illud quod ſentitur, inter ipſam autem animam, & corpus ſuum non eſt corpus medium. Ampliùs. Quare imputatur ei ad peccatum, vel amplexûs corporis ſui, vel gaudium de illo? gaudendum eſt enim animæ de corpore ſibi dato, quia & de dato ſibi oculo; quis enim vir bonus non gauderet vel de dato ſibi pede, quantò fortiùs de datis ſibi membris omnibus, & de dato corpore toto? Ampliùs. Quare imputatur ei hujuſmodi gaudium, niſi quia nimium; ſed certum eſt, quia plùs gaudet in cunabulis de porrecta ſibi mammilla, vel de feſtuca ei data in manibus, quæ omninò ei inutilis eſt. Quòd ſi dixerit quia illa corruptionem ſentit in carne, & illam diligit, & amplectitur, qualiter contingit hoc in illa ætate, cùm etiam vix provectis, & ſenibus apprehenſibilis ſit, vixque ſuaſibilis? apparet ergo hic error adeò ridiculoſus eſſe, quòd contra eum nec diſputandum ſit. *Vnde contrahitur peccatum originale.* Revertamur igitur ad id, in quo eramus, & dicamus, quia peccatum originale contrahitur & à carne, & à parentibus ingeneratur, his ſolis exceptis, qui privilegio gratiæ à Deo protecti ſunt, contrahitur inquam originaliter; ſi enim à divitiis, quæ tam longè ſunt ab animabus noſtris, pervenit ad eas corruptio avaritiæ, & ſuperbiæ, ut ſupra tetigimus, quantò fortiùs ab ipſis corporibus paſſiones, quales inferre poſſunt corpora, eiſdem adhærebunt? Ampliùs. Si à vino penetrat ad ipſos ebrietas, ut eas in majorem, quàm ſit brutalis, inſaniam tranſvertat, quantò fortiùs corpus ipſum, *Freneſis.* quod eis adeò è vicino, & immediatè adhæret, eas obtenebrare poterit à lumine ſuo, & pervertere à rectitudine ſua? Ampliùs. Quid eſt freneſis? quid mania? quid melancholia? & omnis morbus alienationem inducens, niſi vel humor inordinatus, vel fumus ex illo? nullus autem dubitat quin humor omnis de corpore ſit, in quo eſt, & omnis fumus in corpore humano eſt ex humore aliquo ejuſdem. Si ergo, vel humor, vel fumus ex corpore, ita abalienare, & inficere prævalet animas humanas, ut in prænominatis ægritudinibus contingit, quantò fortiùs ipſum totum corpus corruptum, & malæ diſpoſitionis, animam ſibi conjunctam inficere po- *Eros quid.* terit, atque corrumpere? Ampliùs. Eros qui utique non eſt niſi amor dementiſſimus, & morbus ſecundùm Medicos, cerebro contiguus, & per hoc quod ei contiguus, ita dementans animas, quātò fortiùs ergo ipſum cerebrum ſi non fuerit congruen-

A tis ipſi animæ diſpoſitionis dementare, & inficere poterit animas humanas ea infectione, atque dementia, de qua loquimur? Ampliùs. Dicit Galenus in libro de elementis: quia flegmatica complexio nullam virtutem animæ juvat, immò manifeſtum eſt, quòd omnes impedit. Dicit etiam alibi, quòd complexio mala corporis ſtimulat animam, & hoc ipſum manifeſtum eſt à ſenſu, videmus enim cholericos multos iracundos, & impatientes, *Nota.* melancholicos, triſtes, & intemperatè curioſos, ſanguineos ad riſum, & gaudium vanitatis leves. Si ergo creditur Medicis, manifeſtum eſt corpora humana per malas complexiones ſuas, aliaſque diſpoſitiones innaturales animas humanas obtenebrare, & inficere. Quantò magis ergo per naturam ſuam intimiorem hoc poterunt? intimior autem eſt ipſa natura, vel ſubſtantia ſua unicuique corpori, quàm ejuſdem complexio. Ampliùs. Iſta brutalitas originalis, ſeu animalitas, de qua loquimur, aut eſt in animabus noſtris à parte ipſarum, aut à parte corporum. Quòd ſi dixerit, B quia à ſeipſis, non eſt igitur eis adventitia; prætereà ſi à ſeipſis, hoc eſt à natura ſua, & à ſubſtantia, & ineſt eis contrarium videlicet rationabilitas, & ſpiritualitas: impoſſibile autem duo contraria, vel repugnantia eidem ineſſe ſecundùm idem; quare cùm rationabilitas, vel ſpiritualitas ſint animabus humanis ſecundùm naturam, & ſubſtantiam, non inerit eis ſecundum eandem hæc brutalitas; quare & erit eis extranea, & ſecundùm accidens, & adventitia. Eſt igitur eis à parte corporum, & hoc eſt quod declarare intendebamus. Ampliùs. Manifeſtum eſt quia corpus aſininum, aut alterius bruti animalis longè magis aggravaret animam humanam, ſi ei conjungeretur; quantò enim magis contrarium ipſius nobilitati tantò magis eam impediret, juxta illud Sap. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animā, &c. Et illud Virgilij: quantùm nos noxia corpora tardant. Si ergo corpus humanum non eſt con- C gruens in illo ſtatu, in quo modo eſt, congruens inquam nobilibus viribus, ſeu operationibus animæ, humanæ, quid mirum ſi illas impedit? Ampliùs. Manifeſtum eſt à ſenſu, quia in eadem anima humana ſunt velle, & nolle ejuſdem quandóque, ſicut apparet in ægris, qui appetunt contrarium ſaluti ſuæ, & reſpuunt illud amore ſalutis, ſimiliter & in ſanis, qui interdùm aliquid volunt contrarium honeſtati, & illud idem nolunt, atque rejiciunt amore honeſtatis: ſicut ergo non dubitatur à parte corporis eſſe in ægris ſaluti contrarius appetitus, ſic dubitari non debet in eis, qui ſani ſunt, à parte corporis eſſe contrarius honeſtati appetitus, cum manifeſtum ſit à parte animi eſſe omnem honeſtatis appetitum; nihil enim ad corpus de honeſtate, quantùm ad eam appetendam. Ampliùs. Videmus aliquos naſci mo- *Moriones.* riones, ideſt perpetuò deſipientes, & ad uſum ratio- D nis proficere non valentes, nunquid non manifeſtum eſt à parte corporis eſſe animabus hujuſmodi deſipientiam? Manifeſtum igitur eſt, quòd tantum poteſt corpus humanum per ineptitudinem & inconvenientiam ad animam humanam, ut eam perpetuò bruteſcere faciat, & hoc cùm abundaverit euſque mala diſpoſitio ipſius, abundaverit inquam ultra ſolitum, ſicut in exemplo morionum. Quid ergo mirum ſi naturaliter, & generaliter inficiant aliquatenùs animas humanas ex naturali tarditate, & generali, qua omnia inepta ſunt naturali corruptione? Ampliùs. Ex ſeparatione corporū ſicut apparet in raptu, & extaſi, manifeſtū eſt illuminari, conformari, & dirigi animas humanas, & eas poſſe, quæ non poſſunt in conjunctione cōtraria. Manifeſtum eſt igitur eas obtenebrari, vel ſaltem obſcu-

Digitized by Google

vari, debilitari, & incurvari, ſeu mortificari, ut ita dicatur, ex conjunctione corporum ſuorum. Quemadmodùm dicit Mercurius in libro de Deo deorum, loquens de corpore humano: Animam (inquit) ut aiunt obtorto detinet collo. Ampliùs. Sicut apparet exemplo Jacob, qui virgas amygdalinas interpolata decorticatione variatas coram poſuit arietibus, & ovibus, ut in ipſo calore coïtus eas videntes, ſimilis coloris fœtus ideſt varij velleris generarent, atque conciperent; ſicut legitur Gen. 30. & exemplo parvuli, quem nigrum admodùm inſtar Æthiopis regina ſpecioſa de rege ſpecioſo ſuſcepit, quoniàm in aſpectu, ſeu imaginatione ſimilis picturæ hoc eſt Æthyopis, illa regina cõceperat. Manifeſtum autem eſt ſemen humanæ generationis, & aliorum animalium impreſſionem recipere, quam transfundat in prolem, & non unam ſolam, immò multas, & inde eſt, quòd filij interdùm non in una ſola diſpoſitione aſſimilantur parentibus, ſed etiã in multis, & quandoque in una ſola, & quandoque in nulla.

Nota.

Et forſitan iſta eſt cauſa; quia hora conceptionis quandoque ſeſe invicem imaginantur parentes ſolùmodò, quandoque verò alia, hoc eſt, vel alios homines, vel alias mulieres; & quia toti animales efficiuntur in opere hujuſmodi; ſive toti caro (ut dicit Aug.) non eſt mirum, ſi ſemen viri vim imprimendi animalitatem recipit ex hujuſmodi diſpoſitione. Habet autem & ex parte materiæ propriæ alias diſpoſitiones, per quas non permittitur, ut ex eo generetur aliud, quàm homo: non enim totũ habet ex imaginatione, vel ſenſu parentum generantiũ. Hoc autem quod prædiximus de trãsfuſione corruptionis, & ſimilitudinis, Aug. ſatis expreſsè dicere videtur, ubi dicit, quòd originale peccatum in omnes illos tranſit, qui vitioſa lege naſcendi naſcuntur.

Vitioſa lex naſcendi.

Et alibi dicit. In omnes concupiſcentialiter genitos. In quo videtur attribuere vitioſæ legi naſcendi, ſive concupiſcentiali generationi contractionem, ſeu traductionem originalis peccati. Verùm nos dicimus, quia ſi omne vitiũ naſcendi, & tota concupiſcentia etiam tolleretur à parentibus, corrupta tamen caro non niſi corruptam ſibi ſimilem generaret. Et propter hoc diximus, quia non totum habet, quod habet virtutis ſemen humanæ generationis ex imaginatione, vel ſenſu parentum, immò ex natura, vel ſubſtantia, qualem quidẽ nunc habet; eſt enim hoc, ut ex eo non generetur, niſi caro ſimilis illi, ex quâ trãsfunditur, niſi divinæ gratiæ privilegio ſecùs fiat, quemadmodùm in Chriſto Domino, cujus caro ſacratiſſima ex carne Beatæ Virginis, hoc eſt quæ de corpore beatæ Virginis ſumpta eſt, & operante Spiritu ſancto mundata penitùs, ac ſanctificata, ita ut nihil corruptionis haberet, quod beatiſſimam illam animam Domini Salvatoris ullatenùs inquinaret. Jam autem didiciſti, quia ſemen noſtræ generationis potentia totum corpus eſt, quod ex eo generandum eſt. Et ſecundùm Ariſt. totum corpus, ex quo deciditur, ſive transfunditur; & hoc eſt quoniàm ſecundùm ipſum ſuperfluitas eſt tertiæ digeſtionis, quæ in omnia mẽbra cum aſſimilatione aſſumitur. Quòd ſi ipſum ſemen cùm ſuperabundaverit, totum ipſum hominem, cujus ſuperfluitas eſt, animalem efficit, ut non aliquid aliud ea hora cogitare eum ſinat, & appetere, quàm coïtum, quantò fortiùs ipſum corpus in actum ſuæ perfectionis eductum, animalem ipſum hominem efficere debet, cùm ſemen non habeat niſi potentialiter, quod corpus habet in effectu? ipſum enim non eſt niſi ſemen & potentia corporis generandi.

Argumentum validum.

Si quis autẽ quærat de perverſitate, quam patitur anima humana, quantùm ad ſpiritualia, qualis eſt ambitio honorũ, & arrogantia meritorum, elatio ſimiliter, & dominãdi libido, unde ſint animæ humanæ, cùm iſta ad corpus non pertineant, nec propter corpus quærantur; non enim pertinet ad corpus avaritia, vel ambitio ſcientiæ; eſt enim avaritia, vel ambitio non tam pecuniæ, quàm etiam ſcientiæ, ut dicit Greg. Reſpondemus, quia corruptio, quæ eſt ex parte corporum, velut ebrietas quædam eſt, quâ non ſolùm errat anima humana in eis, quæ corporũ ſunt, ſed etiam in aliis, quemadmodùm ebrius non tantùm errat in vino, immò in omnibus aliis. Habet autem quæſtionẽ de iſta brutalitate, quam adventitiã in nobis dicimus: videri enim poteſt (ſicut & viſa eſt multis Philoſophis) quòd naturalis tantùm ſit, & hoc ſecundùm omnes ſui partes; omnes enim ejus partes in animalibus brutis inveniuntur naturaliter; non enim originali corruptione, vel peccato advenit corvis avaritia, canibus adulatio, vulpibus inſidioſitas, ſeu lupis Africanis proditioſitas, equis ſuperbia, in milvis rapacitas, leonibus indignatio, & ita de aliis. Quia ergo genus animalis ſumus, communicamus cum ipſis, & quicquid eſt eis ex parte generis, ex neceſſitate eſt & nobis. Si ergo iſta ſunt eis à parte generis, erunt ex neceſſitate ex eadem parte nobis, quare naturaliter, & non ex corruptione. Ampliùs. Vis generativa in eis eſt ad conſervandas ſpecies, ſicut & in nobis, & vis concupiſcibilis quantùm ad partem unam ſui in eis deſervit ad hoc, ſicut & in nobis, cùm igitur fructus generationis, & prolis incomparabiliter melior, atque nobilior ſit in nobis, quàm in ipſis, ſi natura immiſit in eis furorem, atque vehementiam, qua ita moveantur ad opus generationis; quantò hoc magis facere debuit in nobis; & ſi ardentem fecit vim concupiſcibilis in illis ad opus generationis, quantò magis hoc facere debuit in nobis, propter longè majorem, ac nobiliorem facturam? Non ergo ex perverſitate naturæ eſt iſta vehementia concupiſcentiæ, ſed magis ex ordinatione, & bona inſtitutione naturæ.

Nota.

Ampliùs. Nemo perverſitatem dicit aliquid horũ, quæ ſupra nominavimus; nemo enim culpat avaritiam in corvis, vel vitium eſſe dicit, nec aliquid aliorum ſimiliter: cùm ergo quantũ ad animale noſtrũ, ſive inferiùs eadem, & ex eiſdem cauſis in nobis fiant, non ſunt culpanda ſimiliter in nobis. Reſpondemus in hoc, quia nec mirandũ eſt, neque contra ordinationem, aut inſtitutionẽ naturæ eſt, immò ſecundùm ipſam, & ex ipſa, quòd corpora brutorum totaliter ſibi conformant, & in partẽ ſuam ea inclinant, quia nihil habent, niſi cum corporibus quales ſunt animæ brutales ſeu animales, quæ nihil habent extra corpora, ſicut declaravimus in tractatu de immortalitate animarũ humanarum.

Nota.

Quòd autem animas noſtras humanas in partem ſuam incurvant corpora, iſtud indubitanter contra bonam inſtitutionem, & ordinationem naturæ eſt, cùm illud, quod in eis eſt præcipuũ, ac præſtantiſſimum, & quo ipſæ animæ humanæ imagines Dei ſunt, & totam perfectionem ſuam, ſeorsùm habeant à corporibus, immò vitam ſuam nobiliſſimam, ac beatam. Eſt etiam lex, & jus naturæ ut quod ignobilius eſt, atque naturali lege ſubditum nobiliori ac ſuperiori ſe, ſequatur illud, eique abſque ulla rebellione, ac contradictione obediat; meritò ergo culpanda eſt etiã in animali noſtro, hoc eſt in eo quod communicamus cum brutis, brutalis iſta effrænitas, atque rebellio, licet in animabus brutorum, aut in ipſis brutis culpanda non ſit; in illis enim non habent vel animæ eorum, vel animalitas, quod ſequatur, aut cui obediat, quia neque ſuperius aliquod. In animabus verò noſtris econtrario ſe habet. Animæ igitur brutorum totum debent corporibus ſuis, quod habent, & poſſunt: animæ verò noſtræ modicum; & illud etiam non debent corporibus

niſi quatenùs expedit ei, quod eſt in eis nobilius, atque præſtantius, ut diximus, quo & ſunt imagines Dei. Meritò ergo eſt in brutalibus animalibus, & in ipſis brutis præceps effrænitas, immò neceſſitas, ut dicit Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam. Neceſſitate feruntur animalia bruta, non libera voluntate. In ipſo verò animali noſtro debet eſſe moderatio, & obedientia, quam diximus, ut nòn niſi viſu ad ea, quæ ſunt corporis, moveatur, & de hoc aliquid in præcedentibus diximus. Habet autem quæſtionem, utrùm tota illa diverſitas, quam ſupra diximus eſſe in brutis animalibus, & eorum animabus, à patre corporum ſit. Sumunt enim Manichæi non leve argumentum pro errore ſuo de animalibus, quæ nocētia, vel noxia dicuntur; quia enim multa inveniuntur, quę etiam non provocata nocent, dicunt ea à principe tenebrarum & Deo maligno creata eſſe, & mala, & ideò nocentia, & malas etiam eſſe prænominatas diſpoſitiones in illis, ut avaritiam in corvo, adulationem in cane, inſidioſitatem in vulpe, & ita de aliis. Aſtrologi verò famoſiores ab imaginibus cœleſtibus dicunt ea eſſe, & talia eſſe, & propter hoc ea & eis obedire, ut Leones à ſigno Leonis cœleſtis, & tauros à tauro, & arietes ab ariete, & ſcorpiones à ſcorpione, & ad hunc modum de aliis. Similiter & animabus tam noſtris, quàm brutorum animaliũ, nonnulli poſuerunt certa principia poſt creatorem. Hæc autem non hîc deſtruenda ſuſcipimus, ſuo loco ea infra cum aliis hujuſmodi erroribus reſervamus. In tantùm autem determinatum ſit tibi nunc, quia animale noſtrum, quod tam crebrò nominavimus nullo modo ſimile eſt ſecundùm eſſentiam, vel ſpeciem animali, quod eſt in brutis; illud enim animale, quod eſt in brutis, totaliter inclinatum eſt naturaliter, & incurvatum in corpora illa, & in illa quæ corporum illorum ſunt, ut ſæpè diximus: noſtrum verò animale, cùm alligatum ſit per naturalem obedientiam ſpirituali noſtro, manifeſtum eſt ipſum non eſſe per ſe incurvatum, aut inclinatum neceſſitate naturali in corpora noſtra, vel ea quæ illarum ſunt, ſed plaga, & caſu horrifico, quo animæ in corpora ſua cadunt, quaſi in horrendos carceres, & tenebroſos, ibique captivæ tenentur, & univerſaliter miſerabiliter affliguntur; propter quod exclamat Apoſtolus in 7. ad Romanos. Infœlix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sed nec ipſum animale noſtrum differt eſſentialiter, vel ſecundùm ſpeciem, ab ipſo ſpirituali noſtro, immò ſolò officio ſecundùm Auguſtinum ſuper quintum ad Galatas, ſicut jam diximus, & hoc ipſum in libro de Trinitate expreſsè dicit, animam non ſecundùm partes dividi, cùm in vires, vel potentias dividitur, ſed magis ſecundùm officia; & nos jam hoc alibi declaravimus, quia anima humana non poteſt eſſe ſicut acervus aggregatus ex viribus ſuis, vel potentiis; non quaſi ex fruſtulis, & minutiis: tunc enim non eſſet verè una, quoniàm ex his viribus, ac potentiis non poteſt eſſe unum aliquid, ſicut neque ex actibus earum. Idem ergo ſecundùm eſſentiam, vel ſubjectum eſt in nobis (ut dicit Auguſtinus) animale, & ſpirituale ſive caro, & ſpiritus. Spiritus eſt naturaliter & eſſentialiter, caro verò ſicut animale ex plaga originalis corruptionis, in qua caro corrupta illam detraxit, atque dejecit, ac detorſit, & brutali inſipientia inebriavit: erectio verò, atque reſtitutio ipſius in gradum ſuæ ſublimitatis, & altum ſuæ nobilitatis, non eſt ei niſi per gratiam, ſicut dicit Apoſtolus in ſeptimo ad Romanos. Cùm exclamaſſet. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ſtatim ſubjungit: Gratia Dei per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum. Dicimus etiam, quia animabus brutis ſunt illæ diſpoſitiones, quas

Anima imagines Dei.

Quæſtio.

Vide.

Animale noſtrum.

Nota.

Vide.

E partes animalitatis ſuperiùs nominavimus, ſunt inquam illis à propriis naturis, ſive eſſentiis, videlicet luxuria in porco, iracundia in leone, & ſic de aliis; propter quod, & corpora armata aliis dantur, aliis verò modus inſidiandi, & aliis aſtutia venandi, & armata quidem, aliis ad prædam apta, ut quæ dentibus, & unguibus, aut aliter his ſæviunt in ea, quibus prævaluerint; aliis autem armata data ſunt, ad protectionem quidem, ut cornua cervis, duritia, atque denſitas pellis cocodrilis, & aptis ſimiliter teſtæ turtucis; aliis etiam ſtercora propria ad protectionem data ſunt, ſicut animali, quod græcè Bomiaton dicitur, quod inſectantibus venatoribus illud ut ſagittas emittit, & eos inde exurit; leporibus verò pedum velocitas, & columbis alarum promptitas, loco armorum protectionis, datæ ſunt: arma verò impugnationis, ut ungues, & dentes, & roſtra data ſunt

F quibuſdam, ut per prædam ac rapinam, victum ſibi parent, & acquirant, quoniàm alia paſcua natura eis non providit, niſi ſolam prædam, & rapinam, quam prævalentia viribus poſſent in alia animalia exercere. Rapiunt ergo, & pręd antur, non ut noceant ſecundùm intentionem naturæ, ſed ut victum ſibi parent, atque provideant. Sic aſtutibus, ac multis aliis, aſtutia venandi divina providentia data eſt, propter ſolam victus ſui acquiſitionem. Ex quo apparet non eſſe mala, vel vitia in animalibus diſpoſitiones hujuſmodi, cùm illis nocere non intendant, ſed ſibi ſolummodò prodeſſe, quemadmodùm exuſtio, quam facit ignis nocumentum eſt per accidens tantùm, cùm nocere non intendat ignis in exurendo, ſed magis ſibi ſimilem generare, ſpeciei ſuæ individua multiplicare; accidit tamen, ut cùm alieno nocumento fiat, quemadmodùm domus non ædificatur abſque cæſione arborum, & lignorum, & multiplici detrũ-

F catione ipſorum; ſimiliter & de lapidibus ſe habet, cùm ædificator nihil horum per ſe intendat, ſed ſolam ædificationem domus. In animabus autem noſtris longè aliter ſe habet; non enim ſunt propter corpora, vel victum corporum, licet hunc providere debeant corporibus ſimiliter & veſtitũ, in quibus duobus mirabiliter, & multipliciter adjuvantur homines ab aliis animalibus, & ab ipſis elementis, quãquàm verum ſit, quòd homines utuntur ferro, & ligno pro cornibus, dentibus, & unguibus. Hæc autem omnia induximus, ut evidenter appareat animalitatem brutorum, neque malam eſſe, neque noxiam per ſe, ſed ex accidenti tantùm, ſcilicet armatam, & inſtructam multipliciter ad perquirendum victum. Animale verò noſtrum aſſimilatur ei ex dejectione, & plaga, quam diximus, & ſolicitudine

G victus corporalis: non eſt enim expreſsè, & principaliter, ſed ex accidenti, quod diximus, & ex multiplici defectu corporum. Sine iſta quippe ſolicitudine miſerrima ſufficeret & lignum vitæ, niſi tranſgrediendo in iſtam miſeriam incidiſſet. Quòd ergo natura eſt in illis, & ægritudo eſt in nobis, & miſeranda perverſitas. De hoc verò quod tetigimus, quia anima rationalis in corpore brutali vires ſuas, quas ſæpè nominavimus exercere non poteſt, non obſtat ſermo nobis editus Philoſophi, qui dicit lupum Indicum, cujus facies rubea eſt, habere humanum intellectum: nec eſt ſermo iſte authenticus, nec probatus, nec Ariſtoteles in libro de naturis animalium credendum ſimpliciter reputavit, propter quod dixit, ita eſſe, ſi credatur editio. Revertamur autem ad propoſitum, & dicamus, quia luxuria in porco nec eſt peccatum, neque culpa in eo, immò natura tantùm; & opus virtutis generativæ, quæ in eo libera eſt, & exempta ab obedientia nobilioris, aut ſuperioris, & quæ etiam non eſt niſi propter hoc in ipſo, nec alia utilitas ex illa, quantùm ad ipſum

Anima noſtra non ſunt propter corpora.

Animalitas brutorum mala non eſt.

Luxuria in porco non eſt peccatum.

quærenda eſt, aut quæritur: in nobis autem diximus duas evidentes neceſſitates, præter fructum generationis, & multas alias præterimus. Quòd ſi dixerit quis, quia animale noſtrum non peccat quemadmodùm nec animale brutorum, quoniàm nec aliud, neque aliter poteſt, ſicut nec illa. Reſpondemus juxta verbum Auguſtini, quia ipſum animale noſtrum peccat, cùm ſit ad ipſum quod ſpirituale noſtrum, & aliud, & aliter poteſt in eo, quòd animale ſit depreſſum, atque corruptum, forſitan aliud, & aliter per ſe facere non poſſit; ſive enim per ſe, ſive per aliud, & ſive in eo quod tale, ſive in eo quod alterius modi, & benè agere, vel malè, vitare poſſit, imputandum eſt ei. De hoc tamen latiùs dicemus in tractatu de tentationibus, & reſiſtentiis; valde enim abſurdum videtur dictu, hæc vis peccat; nos enim ipſi ſumus qui peccamus, licet per vires, aut ſecundùm vires, & à nobis requiretur, nobiſque imputatur, quicquid ex parte noſtra peccatur, neque adhuc auditum eſt, quòd vis concupiſcibilis vocata ſit ad judicium, vel vocanda, vel quòd cùm ea in futuro judicio, vel cùm aliqua aliarum diſceptaturus ſit Deus, vel etiam accuſaturus. Quòd ſi cui videatur originale peccatum, de quo hîc loquimur, nihil aliud eſſe, quàm privationem, vel defectum gratiæ, pro eo ſcilicet, quia gratia eſt per quam defenditur anima humana, ne abeat poſt concupiſcentias carnis, & ne involvatur tenebris, quibus videre prohibetur, quæ recta ſunt, dicimus, quia indubitanter errat, etſi enim per gratiam defenditur anima humana à prænominatis etiam aliis malis, non tamen per defectum ejus impugnatur ab eiſdem, nec ex illo proveniunt, quemadmodùm cùm per arma propria ſe quis defendat ab hoſtibus, non tamen per inermitatem ſeu defectum armorum impugnatur ab ipſis, ſed malum impugnationis eſt extra hujuſmodi defectus, ſed magis ex odio, & inimicitia hoſtium, & armis eorum, altero videlicet, ut cauſa, altero verò, ut inſtrumentis. Defectus autem defenſionis ex defectu gratiæ eſt, quemadmodùm ex defectu armaturæ; quòd ſi ita eſſet, ut erroneus iſte ponit, manifeſtè ſequerentur duo inconvenientia manifeſta. Primũ, quia in Adam ante adeptam gratiam, & in ſtatu innocentiæ eſſet originale peccatum, quare & defectus, ſeu carentia gratię, & ita eſſet creatus in originali, vel cum originali peccato, quem errorem nundùm quiſquam auditus eſt cogitaſſe. Secundum eſt, quia viri ſancti, qui gratiâ præditi ſunt, & armati, hujuſmodi impugnationes non haberent: nos autem ſcimus eos maximè impugnari, etſi minimè expugnari; cùm enim apud eos non ſit defectus gratiæ, non erit & cauſa impugnationum iſtarum, quare ceſſabunt ſupra omnes impugnationes iſtæ, quòd qui dicit ſenſu ſimul, & pœna indiget, nec minùs erroneus eſt ſermo ejus qui dicit, quia illa corruptio in nobis non eſt, niſi negligentia liberi arbitrij, & ignavia ejuſdem, ſimiliter & rationis, ſeu virtutis rationalis noſtræ, quemadmodùm ſi quis adverſario ſuo viribus fortior, & prudentia cautior, volens ei viriliter, & ſtrenuè reſiſtere, negligat tamen ictus, & jacula prævidere, & etiam declinare, non alicui ægritudini ejus, aut infirmitati deputandum eſt, quòd ab hoſte ſuo vincitur, & ab eo in ſervitutem redigitur, ſed magis ſtultitiæ, & ignaviæ: ſic de ſpiritu, & carne ſentiendum eſſe dicit, & de nobis, & de inferiori noſtro; fortior enim eſt ſpiritus, atque prudentior. quàm caro, quæ adverſùs ipſum concupiſcit, & eidem adverſatur, & nos ipſi fortiores, & cautiores inferiori noſtro; quare ſecundùm iſtum, quod corruptioni originali imputamus, ſtultitiæ & ignaviæ ſpiritus, & nobis imputandum eſt. Iſte autem ſermo declinat in errorem Pelagij, quem jam in prima parte iſtius tractatus deſtruximus, & alibi in tractatu de hoc ſingulari, & in ſequentibus in capitulo de tentationibus & reſiſtentiis, evidenter deſtruemus. Iſte quippe homo ignoravit ſe eſſe hominem. Ignoravit etiam languorem iſtum peſſimum, quo & jacula prohibere, & ab illis ſe avertere, aut illa retundere prohibemus. Eſt quam jam diximus cauſa, propter quam transfunditur in poſteros per generationem iſta corruptio, videlicet natura ipſa, quæ generata generantibus aſſimilat, præſertim in eis quæ naturalia, vel quaſi naturalia ſunt generantibus, interdùm autem & in moribus. Unde & naturam diffinierunt aliqui viri, vim rebus inſitam procreandi ſimilia ex ſimilibus, & Ariſtoteles omnẽ operationem naturæ dicit per ſimilitudinem eſſe. Dicemus & juſtitiam, per quam iſta transfuſio juſtiſſimè fit. Reſpondebimus in primis ratiocinationibus eorum, quæ nec Dei juſtitiam, nec æquitatem in hoc videre potuerunt, vel credere voluerunt, cùm inquiunt peccatum primorum parentum per gratiã, vel pœnitentiam, vel remiſſum, vel abolitum fuit, debuit ceſſare omnis pœna propter illud irrogata, quia ceſſante cauſa ceſſare debuit & effectus: debuit ergo ceſſare corruptio hæc in carne primorum parentum, & auferri penitùs ab ea. Quòd ſi ceſſavit, ergo non eſt transfuſa per generationem in poſteros; poſtquàm enim caro Adæ ab hujuſmodi corruptione mundata eſt, carnem corruptam generare non potuit, cùm ſibi ſimilem ex neceſſitate ſolummodò generaret. Ampliùs. Vel primi parentes ſatisfecerunt de hujuſmodi peccato per pœnitentiam, vel ad minùs Chriſtus dominus generaliter pro illis, & pro aliis ſatisfecit: ſaltem igitur poſt domini Salvatoris paſſionem ceſſare debuit originale peccatum; duplex enim videtur iniquitas ut aliis peccantibus alij puniantur, & ut poſt ſatisfactionem condigniſſimam exhibitam, pro eo peccato, de quo plenariè ſatisfactum eſt, pœna aliqua, vel pœnæ pars infligatur alicui. Ampliùs. Dicit Auguſtinus. Quis locus innocentiæ relinquitur, ſi alterius crimẽ maculat neſcientem? Qualiter igitur crimen primorum parentum parvulos omninò ignaros criminis illius maculat? Ampliùs. Quæ eſt juſtitia Dei, ut filius Adæ portet iniquitatem patris cùm ipſemet dicat in 31. Ezechielis: Quia pater non portabit iniquitatem filij, & filius non portabit iniquitatem patris? Debes hîc reminiſci, quia jam reſpondimus ad hoc in tractatu, qui vocatur: Cur Deus homo? Nihilominùs tamen ad eandem reſpondebimus & hîc, & hoc duobus exemplis evidentiſſimis. Primum eſt de patre, qui filium ſuum, poſtquàm conſumpſit divitias ſibi à patre traditas, & diſſipavit, revertentem ad cor & pœnitentem in gratiam priſtinam recepit, & pœnitentiam, ſive ſatisfactionem ejus acceptat, non imputans ei ullo modo præteritam diſſipationem. Verumtamen ei divitias non ſtatim reſtituit, immò in paupertate detinet ipſum, attendens quia divitię fuerũt ei occaſio diſſipationis luxurioſæ: paupertas verò erit ei ad cuſtodiam, & humiliationem: nemo autem audet dicere, quòd paupertatem iſtam, licet pœna ſit, infligat ei pater amantiſſimus, tanquàm vindictam pro præteritis delictis, quæ eidem plenè dimiſit; quin potiùs illam filio adhibet, tanquàm medicinam conſervativam; & ſi hoc faceret in filios filiorum idem pater familias uſque in milleſimam generationem ex eadem intentione, nemo diceret patrem ſeverè agere in filios, vel nepotes, aut vindictam per hoc in eos aliquam exercere, ſed magis ex paterna dilectione, & pietate; ſic & pater miſericordiarum Deus, licet per primos parentes ſatisfactum eſſet ei de peccato eorum, aut ſaltem per Chriſtum Dominum, pœnam hanc, videlicet cor-

Objectio. — *Defectus gratiæ.* — *Vide.* — *Solutiones.* — *Filij prodigi exemplum.* — *Optimè dicit.*

ruptionum

ruptionum, quæ in carne eſt, videns neceſſariam eſſe ad cuſtodiam humilitatis, & conſervationem filiorum Adæ, aliaſque innumeras, ac ſaluberrimas eorundem utilitates, ſervat eam, & continet uſque in ultimam generationem, non ut vindictam, ut diximus, ſeu plagam pro peccatis illatam, ſed ut ſaluberrimam medicinam, quantùm in ea eſt, licet multi ſibimet in toxicum illam vertant. Secundum exemplum eſt in illo qui pro delicto ſuo lepra percutitur à domino, evenit autem, vel ſaltem evenire poteſt naturaliter, ut filium leproſum generet, licet ſanctiſſimum: evidens autem eſt, quia lepra in filio non eſt plaga illata pro delicto ipſius, cùm non deliquerit, neque pro delicto alterius, quia hoc eſſet iniquitas, ſed magis eſt in eo lepra hujuſmodi naturaliter, id eſt naturalis diſpoſitio, vel infectio, contracta per generationem ab ipſo generante. In patre igitur fuit plaga illata pro delicto, in filio natura, ut diximus, contracta. In patre fuit acquiſitio, in filio hæreditas. Si quæratur quare leproſus eſt pater? dicemus quia pro proprio delicto, filius autem jure, ac lege naturæ, quæ eſt, ut caro ſib. ſimilem generet. Ita eſt & de iſta lepra originali in nobis, & in Adam. Apparet ergo Deum non injuſtè agere in filios Adæ, dum legem naturæ, & jus naturale ſervat in illos. Apparet etiam ipſum in hoc non exercere juſtitiam ultionis, ſed magis æquitatem naturalis conditionis. Apparet etiam ipſum potiùs in eos miſericorditer agere, dùm tam ſalutarem eis adhibet medicinam, non autem ſeverè, neque ex ira, dum in hoc non intendit percutere ſed ſanare. Quia igitur Adæ, & Evæ occaſio ſuperbiæ fuit fœlicitas, in qua erant, & ſublimitas, providiſſimè ſtatuit omnipotens, & miſericors Deus, ut filiis eorum eſſet medicina humilitatis, miſeriæ præſentis ærumnoſitas. Et hoc eſt quod alibi dicit Auguſt. Quia ſumma Dei ira eſt, cùm parcit hîc, ſumma verò miſericordia, cùm non parcit hîc, ut in æternum parcat. Ad hoc verò non parcit hîc, ut in æternum parcat. Quòd autem interdùm Deus dicitur viſitare peccata patrum in filios, uſque in tertiam, & quartam generationem, ſicut legitur in 20. Exodi, & ipſi ſancti dicunt, filios iniquitatem patrum portare, temporaliter, & non æternaliter intelligendum eſt, juxta quod expoſuimus; non enim portant pœnam paternorum peccatorum filij, ut vindictam pro eis illatam, ſed potiùs, ut medicinam, quo diſcant non imitari peccata parentum: interdùm autem & ſic portant, ut beneficia, quæ Deus daturus erat eis merito parentum ſi boni eſſent, peccatis eorundem non obſtantibus. Meminimus autem nos dixiſſe aliquandò, quia hæc præpoſitio, pro, non cauſam directam, ſed magis occaſionem qualemcunque deſignat in talibus, ſicut cùm dicitur pro peccato primorum parentum punitur poſteritas, occaſionaliter quidem verum eſt; dederunt enim occaſionem, quæ ſi non eſſet, vel quam ſi non dediſſent, pœnam iſtam non pateretur eorum poſteritas. Hæc ergo occaſio eſt cauſa, ſine qua non eſſet illud, quod per eam eſſe dicitur. Non eſt autem tibi prætereundum, quòd philoſophi, & poetæ aliquid de peccato originali quaſi ſomniaſſe viſi ſunt, & potiſſimùm Plato, qui corruptionem iſtam lethæum flumen infernale poſuit; Flumen quidem quia fluit per generationem, & hoc in totum genus humanum, exceptis duntaxat illis, qui privilegio gratiæ ab ipſo immunes effecti ſunt; Infernale, quia regionem iſtam mundi inferioris, ſcilicet regionum inferiorum poſuit, & infernum; Lethæum à lethos quod eſt oblivio, quia ejus hauſtu animas humanas oblviſci quæcunque ante conjunctionem ſuam ad corpora fiebant in comparibus ſtellis, opinatus eſt. Unde ſicut narrat Macrobius, & Ariſtot. Animas noſtras aliquid poſſe diſcere negavit; non enim inquit, diſcunt, quæ à natura habebant, ſed magis reminiſcuntur, ſeu recordantur eorum, quæ per lethæum potum oblivioni tradiderant. Inde eſt quòd quæ apud nos dicitur lectio, apud Græcos dicitur reperita cognitio. Mirabile autem eſt valde, quòd Plato hic hauſtum vocaverit; nihil enim à parte corporis in animam intraſſe videtur in ſua conjunctione ad corpus; neque enim aliqua ex viribus apprehenſivis ejus, neque aliqua ex motivis aliquid haurit à parte corporis; hauſtus enim hic propriè non poteſt dici in anima humana, niſi apprehenſio, vel paſſio: credentes autem Ariſtoteli in parte illa, qui dicit in libro Metaphyſicorum, eum ſecutum fuiſſe metaphoras, dicimus quia hauſtum iſtum propter inebriationem, ſeu oblivionem, quam poſuit in iſto eſſe, intellexit nimiam iſtam conjunctionem, & profundam applicationem animarum ad corpora, quæ magis caſus, & immerſiò in eadem dici deberet, vel dejectio, aut detruſio in carcerem, & captionem, ſicut ſupra oſtendimus ex teſtimonio Apoſtoli in 7. ad Romanos. Fit autem id evidentius, ſi conſiderantur comparationes animarum ad corpora ſua ex aliis ſimilitudinibus; naturaliter enim corpus ſicut domus eſt animæ, anima verò ſicut inhabitator. Quemadmodùm autem nonnunquàm evenit, ut qui debuit habitare pacificè in domo ſua, & quietè, ibidem religetur, & captivus in vinculis, tanquàm in carcere teneatur; ſic & factum eſt animabus noſtris per corruptionem originalem. Sunt etiam naturaliter anima, & corpus, ſicut Rex ad regnum, & quemadmodùm interdùm fit, ut qui Rex in regno aliquo eſſe debuit, & in eodem imperare, ſic in ipſo redigatur in ſervitutem, & per omnia in ſervum ſe habeat; ſic & miſeræ animæ noſtræ in corporibus ſuis miſerrima ſervitute premuntur, ſervientes corporibus, & corporalibus, donec libertatem filiorum Dei per baptiſmalis ſanctificationis gratiam acquirant, & per eandem imperent corporibus, & ea regulariter regant. Et attende diligenter, qua diximus caſum, ſcilicet incarcerationem, atque immerſionem; caſus enim eſt ipſe introitus animarum noſtrarum in corpora noſtra, propter ex alto ſuæ rectitudinis, & libertatis dejectionem, ſimiliter & propter vulnerationem, & inquinationem; rectè namque dixerunt antiqui theologi dicentes lapſum hominis eſſe, ſicut caſum cadentis in lutum lapidoſum, ubi immergitur pariter, & vulneratur, & etiam inquinatur. Inquinantur quidem animæ noſtræ à puritate ſua, vulnerantur multiplici infirmitate virium ſuarum, immerguntur in lacum lethæum, & niſi adjutorio gratiæ, & Dei porrigentis dexteram ſuam, extrahi non poſſunt. Hic eſt lacus miſeriæ, & lutum fœcis, de quo Pſal. Hic eſt limus profundi, in quo non eſt ſubſtantia. Hæc ſunt profunda, de quibus clamabat David, videlicet profundum tenebrarum, quantùm ad vires apprehenſivas, & profundum fœcium, ſeu fœculentiarum, quantùm ad motivas. Quòd ſi quis quæſierit, qualiter cadat anima humana in hoc profundum, ſive flumen lethæum? Reſpondemus, quia manifeſtum eſt, quia ipſa cadit in ſolicitudinē providendi corpori victum, veſtitum, & omnia alia ſcilicet, & cuſtodiendi, ac protegendi ipſum, & ideò cadit in totam miſeriam corporis, hoc eſt in omnes moleſtias, in omnes delitias contrarias, poſtquàm omnes moleſtiæ corporis ſuper ipſam devolutæ ſunt, quarum nullam omninò pateretur, ſi Adam non peccaſſet, quoniàm nulla earum eſſet, ſimiliter & in laqueos voluptatum ſenſibilium cecidit irretienda, & captivanda miſerabiliter ab eiſdem, à quibus omninò immunis, & libera eſſet, niſi

Aliud exemplum.

Lepra originalis.

Cur filij portant interdùm pœnam paternorum delictorū.

Pro.

Plato.

Scire reminiſci ſecundum Platonem.

Originalis corruptio.

Caſus animarum in corpora.

Quæſtio utilis.

peccatum primorum parentum occaſionem, qua eſſent, eiſdem dediſſet, ſuſpenſa quidem eſſet, & elevata ad ſpirituales, & internas delitias: & propter hoc iſtæ ſenſibiles non ei ſaperent, immò nullæ eſſent quantùm ad iſtam, quemadmodùm econtrariò factum manifeſtè videmus, quia cùm demerſa eſt, atque dejecta in ſenſibilia, hoc eſt moleſtias, & delitias ſenſibiles, ſpirituales & internæ delitiæ non ei ſapiunt, & nullæ ſunt, quantùm ad eam; quare ſi in ſublimi ſuæ naturalis libertatis, & rectitudinis permaneret, nec moleſtias à ſenſibilibus, nec voluptatum laqueos ſuſtineret, & hoc eſt, quoniàm ſpiritualibus, & internis delitiis occupata, illis adeò adhæreret, quòd ad ſenſibilia, niſi propter neceſſitatem corporis, aut aliam cauſam, quæ internas ejus delitias non evacuaret, ſe nullatenùs inclinaret. Et hoc apparet per hoc, quod Adam, & Eva ante peccatum ſe non cognoſcebant eſſe nudos, cùm nudi eſſent, adeò autem occupati erant internis & ſpiritualibus, ut quod in eorum corporibus eſſet, vel fieret, non ſentirent; ſicut & modò plerique adeò occupati ſunt in ſenſibilibus, & corporalibus, ut

Adam & Eva ante peccatum ſe nudos eſſe non ſentiebant.

F quod in eorum animabus ſit, vel fiat, prorſùs ignorent. Similiter & pomum quod Proſerpina rapta, apud inferos comediſſe dicitur à Poetis, miſeriam corporis multi interpretantur, quam ita comedit anima, hoc eſt ſibi aſſumit, ut ſpiritualia, & æterna ſcilicet bona atque mala, non tam reliquiſſe, quàm omninò etiam oblivioni tradidiſſe videatur; ſolam enim miſeriam corporis curare videtur, videlicet moleſtias, ut eas fugiat, & voluptates, ut eas obtineat, & hæc ſunt duæ partes miſeriæ corporalis, quę ſic comeſtæ, hoc eſt aſſumptæ, miſeram animam humanam apud inferos detinent, hoc eſt, in inferioribus ſe, & nobilitate ſua indignis, & Deo tartarorũ, id eſt principi infernali diabolo, inſeparabiliter aſſociant, & alligant, ita ut ab eo ſuis viribus ad ſuæ nobilitatis ſublimitatem reverti non poſſit. Has autem partes miſeriæ nec penitùs ſentiret, nec haberet,

G ſi peccatum non præceſſiſſet; moleſtias enim non ſentiret, vel haberet, neque pœnam aliam cùm peccatum non præceſſiſſet: delitias verò ſenſibiles quaſcunque haberet, non in eis ſiſteret, ſed ſicut per odores, aut veſtigia, ad fontem ſuavitatum Deum, quaſi illum præſentiens, tranſiret, & ſe transferret. Non illum ergo illaquearent, irretirent captivarét, inebriarent, abſorberent, ut modò faciunt, ſed magis illum, ſicut odores, ut diximus, & veſtigia, ad Deum fontem ſuum tranſmitterent.

CAPUT VI.

Quæſtionem tractat & diſcutit, an peccatum originale unum ſit, & quale in omnibus. Affert poſtea tres modos, quibus corruptio originalis adjuvatur ad producendos fœtus maledictos, & vitia. Subinde quæſtiones alias ad rem pertinentes ſolvit.

Quæſtio ſingularis.

POſt hæc conſequenter, juxta quod & promiſimus, inveſtigare tentabimus, utrùm unum & æquale ſit in omnibus iſtud peccatum, quod originale dicitur, & in primis quidem videri poteſt, quòd non; ſicut enim ex una ęgritudine paſſiones eædem (quemadmodùm ex una febre non acceſſiones, ſeu exacerbationes diverſę, & diſſimiles ſunt, ſed magis eædem, ſive ſimiles) ſic ex illa ægritudine non diſſimilia vitia, ſed eadem in hominibus eſſe debent, ſicut ex unâ febre tertianâ typi iidem, ſeu ſimiles ſunt, & loquimur hic de vitiis naturalibus, hoc eſt, quæ ab ipſa natura hominum in iſta corruptione oriri videntur. Verumtamen inveniuntur in genere humano multi, qui nolunt eſſe niſi fures, alij qui nolunt eſſe niſi raptores,

E alij qui nolunt eſſe niſi joculatores, alij aleatores, alij ribaldi, & clerici multi niſi goliardici nolunt eſſe. Et de mulieribus multas invenimus, quæ quaſi naturali inſtinctu, de omnibus vitiis eligunt meretricium, aliæ joculatoriam turpitudinem: Et ut ad unum dicamus, penè totam univerſitatem vitiorum, quaſi per electionem naturalem ſibi diſtribuunt homines. Cùm ergo ex radice una, videlicet originalis corruptionis, tota vitæ humanæ procedat inordinatio, unde ſimiliter tanta pullulat, & procedit vitiorum multitudo in hominibus? ex uno enim quòd per illud, quod unum, non debet eſſe multitudo, ſive diverſitas vitiorum, in hominibus. In quo reſpondemus, quia reverà unum eſt, & una eſt iſta brutalitas, qua homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; una quippe actu, ſed potentiâ eſt tota monſtruoſitas vitiorũ, quẽadmodùm ſemen unum quidem actu eſt in ſe, potentiâ verò tota univerſitas eorum, quorum ſemen eſt, hoc eſt quæ ex ipſo oriri poſſunt, vel generari. Et propter hoc ſæpè diximus hanc peſtem ſcaturiginem vitiorum, & ſeminarium, propter hanc unitatẽ

Nota.

Originale peccatum ſemen vitiorum omnium.

F actualem caput antiqui ſerpentis, & caput draconis dicitur, & propter pluralitatem potentialem capita, ſicut in pſal. Contribulaſti capita draconum in aquis, ſcilicet propter eandem pluralitatem Ezechielis 8. dicitur, Multitudo reptilium, & quadrupedum immundorum depicta in pariete per totum, quam abolet aquæ baptiſmalis ſuperfuſio. Similiter & Actuum 1. Multitudo reptilium, & quadrupedum immundorum in diſco Petro Apoſtolo oſtenſa eſt, propter eandem pluralitatem ſignandam. Propter idem Sapientiæ 5. Intelligentiæ impiorum multitudo nõ erit utilis. Facit ad hoc illud reſponſum dæmonis Marci 4. dicentis: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Adjuvatur autem illud perditionis ſeminarium, ut fœtus maledictos vitiorum germinet, & gignat tribus modis. Et primùm ab ipſa complexione corporis, in quo eſt, ſic ut iracundiam, vel iram gignat à colerica complexione, ut pigritiam, vel deſi-

Originale peccatum tribus modis adjuvatur.

G diam à flegmatica, ut ſolicitudinem ſuperfluam, atque triſtitiam, à melancolia, ut inanem lætitiam riſumque ſuperfluum, atque luxuriam, à ſanguinea. Secundò adjuvatur ab ipſis vitiis; iracundia enim rapacitatem, bellicoſitatem, & quæ his ſimilia ſunt, indubitanter gignit, ſimiliter avaritia luxuriam, & luxuria avaritiam; multas enim mulieres novimus luxuriaſſe per avaritiam, & cupiditatem, & econverſò. Similiter & gula gignit luxuriam, & generaliter non eſt vitium, quod ex alio oriri non inveniatur. Tertiò adjuvatur de foris, quemadmodùm à ludis, & ſpectaculis adjuvatur, ut gignat luxuriam, à cantoribus, & aliis muſicalibus tympanis, & choris, ut gignat petulantiam exultationem, geſticulationeſque inhoneſtiſſimas. Nec mirũ ſi vis una pro diverſitate adjuvantium, ſive materiarum, ſive aliorum, di-

H verſitatem & multitudinem operatur effectuum, ſicut apparet in igne, & ſole, qui alia emolliunt, alia indurant, alia inflammant; & in aqua, quę alia abluit, atque purificat, alia putrefacit, & iterùm alia extinguit, atque mortificat, alia vivificat, & germinare, atque fructificare facit. Expreſſa etiam eſt ſimilitudo in hoc de ebrietate, & inſania; ebrietas enim cùm ſit una, incredibilem multitudinem, atque diverſitatem malorum operum in uno homine gignit. Similiter & inſania: ex utraque enim ſunt rixæ, homicidia, blaſphemiæ, effictiones, effractiones, & innumeræ violentiæ: iſtam etiam peſtem mirabiliter adjuvant omnia genera malorum, ſolicitatores, ſuggeſtores, inſtigatores, & conſiliarij, interdùm autem conjuratores, & compulſores. Ex his autem omnibus manifeſtum eſt, qualiter ex una illa peſte tot,

Similitudo apta.

& tanta

Digitized by Google

& tanta genimina vitiorum, & malorum operum prodeant, quoniàm propter diverſitatem adjuvantium, tam materialium, quàm aliorum. Et debes ſcire quia conjunctio animæ ad corpus hujus corruptionis, caſus eſt in lacum miſeriæ & lutum fæcis. De iſto autem caſu, dicit Ambroſius ſuper Geneſim: Quòd homo malè rècedés à Deo cecidit in ſeipſum. Unde diligenter conſiderantibus hominem in ſtatu miſeriæ iſtius, cùm non habet adjutorium gratiæ, quod diximus, invenietur incarceratus in ſemetipſo, ita ut exire extra ſemetipſum non poſſit, vel per ſolicitudinem, ſeu cogitationem, quantùm ad vires apprehenſivas, vel per voluntatem, & deſiderium, aliaſque paſſiones, quantùm ad motivas; non enim eſt ſolicitus niſi ſibi, hoc eſt de ſe, & ſuis, ſola propria commoda, ſeu delitias quærens, aliena negligens, & interdùm etiam impediens, cathena à qua religatus tenetur in ſeipſo, amor eſt ſuiipſius, quem amorem in libro de civitate Dei Auguſtinus dicit, eſſe fundamentum civitatis Babilonicæ, ſive diaboli. Hoc eſt quod intellexit David dicens. Factus ſum ſicut uter in pruina: Obfriguit enim ab amore Dei, & proximi, uſque ad gelicidium, & ideò tractus eſt & conſtrictus in ſemetipſum, ut nec Dei honorem diligat, aut curet, nec fratrum utilitates. Apparet autem evidenter illa tractio in omnibus illis, qui quęrunt, quæ ſua ſunt tantùm. Et hoc eſt quod diximus, quia contractus quemadmodùm uter in pruina, ſic incarceratus, ut ipſe ſibi carcer ſit, & cavea, & à ſe, vel extra ſe non exit per ſolicitudinem, quam diximus, vel amorem, ſed eſt in ſeipſo, & ſuis, ſicut beſtia incaveata, quæ brevitate cathenæ retinente, in cavea ſola verſatur, extra nullatenùs egrediens; ſic miſer homo cavea ſibiipſi factus eſt, retinente cathena, hoc eſt amore ſui, extra exire non ſinitur. Unde, & inſonuit verbum illud vulgatiſſimum. Innatum eſt filiis Adæ commoda ſua diligere. Si quis autem quærat, unde ſit hoc, quòd ita rapitur, captivatur, & incaveatur anima humana à corpore ſuo, & deinde à ſeipſa? Reſpondemus quia anima humana creatur abſque apprehenſione, hoc eſt abſque uſu apprehenſivæ ſuæ nobilis, ſimiliter & abſque motu, hoc eſt uſu motivæ ſuæ nobilis, ſicut ponit Ariſtoteles, licet Plato ponat contrarium; quare quaſi in tenebris eſt, quantùm ad illa, quæ in ea pręcipua ſunt, & ideò debilis eſt, & inermis penitùs à parte illa in ipſa creatione ſua. Inferiores verò vires, non longè ab actibus ſuis creantur, & quædam in ipſis actibus ſuis ut guſtabilis, & tangibilis: cætera verò quæ à foris apprehenſivæ ſunt, ſtatim ut ad lucem venit partus, operantur, ut viſus, auditus, ſimiliter & tactus; quare ex parte eorum applicatur in illa hora corpori & corporalibus nobilibus viribus, ut diximus, nec retrahentibus, nec repugnantibus, nec illam ullatenùs defendentibus, quin nihil protſùs tunc agentibus. Quid ergo mirum, ſi ſequitur corpus, & trahitur ab eo, cùm omnia inferiora ejus eidem applicentur, & ſuperiora ejus omninò non reſiſtant, quin potiùs, inferiora ſequantur. Si cui autem videatur, quòd morio ex ſola originali corruptione perpetua deſipientia laboret, errat proculdubiò; ſi enim ex ſola illa eſſet, omnes homines in quibus illa eſt, moriones eſſent, cùm eadem cauſa in omnibus ſit. Adjuvatur ergo originalis corruptio, ſicut diximus, in morionibus ab humore aliquo, vel fumo obtenebrante partem illam capitis, in qua ratio inferior operatur; ſic & dicimus in his qui amiſerunt memoriam, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Si quis autem dicat, quia cùm originale peccatum vitium unum ſit, debet eſſe in una ſola vi, vel ſecundùm illam ſolam, quemadmodùm ſe habet, & de unaquaque virtute: Quòd ſi

Conjunctio animæ ad corpus. quid.

Amor ſui.

Verbum vulgare.

Ariſtotelis & Platonis ſententia de anima.

Anima à corpore trahitur.

Morio ſeu fatuus.

A eſt, requiritur ergo, quòd una ſola ex viribus animæ humanæ ſit corrupta, vel infecta ex illo, ſive per illud, videlicet iſta, in qua, vel ſecundùm quam eſt, quemadmodùm ſe habet & de unaquaque virtutum, quòd illa vis ſola, in qua, vel ſecundùm quā eſt, decoratur & ornatur per eam. Manifeſtum autem eſt à ſenſu, quia peſtis iſta in totam animam pervagata eſt, & diffuſa, & totam turbidam efficit ac turbatam, totamque bruteſcētem quantùm ad id, quod eſt in ea præcipuum & nobile, exceptâ, ut multi magiſtri dicunt, ſolâ ſynteresi, quæ eſt ſublimiſſima, ac nobiliſſima pars ejus, quod eſt in ea nobile ac ſublime, quam ſcilicet ſynteteſim nec in Caïn, qui tam malus, tamque perverſus fuit, fuiſſe dicunt extinctā; quamvis autem extincta non fuerit, tamen dubium eſſe non debet, jam in unoquoque habente originale peccatum, multùm eſſe turbatam à puritate ſua,
B & à ſublimitate ſua multùm eſſe depreſſam. Reſponderunt autem & adhuc reſpondent multi in hoc, dicentes reverà plurima eſſe originalia peccata, videlicet tria in unoquoque ſecundùm tres vires; unum enim peccatum contendunt eſſe uniuſcujuſque trium virium corruptionem per ſe, & tres trium vitium corruptiones originales tria originalia, opinionem ſuam confirmantes ex eo quod ſuper pſal. dicuntur tecta originalia peccata, & ſuper 16. Matthæi dicit auctoritas Bedæ, à ſervo nequam, qui dimittere noluit conſervo ſuo, repetenda eſſe non ſolùm actualia, ſed etiam originalia: nos autem jam diximus propter quid, & qualiter, & una, & multa dicantur. Alij verò dixerunt in hoc, originale peccatum corruptionem eſſe virtutis noſtræ concupiſcibilis, & eſſe principaliter in ea, verumtamen redundare in alias vires: concupiſcibi-
C lem autem vim, tanquàm principale ſubjectum peſtis iſtius corruptam pariter eſſe, & infectam ab ipſa: alias autem corruptas tantùm, intelligentes infectionem profundatam, & intimatam corruptionem; corruptionem verò ſine additione exteriorem dictam ſolummodò, & quaſi ſuperficie tenùs deteriorationem, vel obſcurationem. Alij verò dixerunt de iraſcibili id ipſum, quod iſti de concupiſcibili; iſti autem erraverunt indubitanter & adhuc errant. Fortaſſis autem in hanc opinionem inducti ſunt, quia potiſſimùm ſentiebant vexationes, & inſultus à corruptione virtutis concupiſcibilis, & ideò judicaverunt corruptionem ejus profundam & intimā. Error autem ipſorum deſtruitur evidenter à ſenſu; non enim minori difficultate reſiſtitur cogitationibus quàm primis motibus concupiſcentiarum; & de omnibus vitiis, quæ ſunt in vi rationabili ſimiliter ſe habet, qualia ſunt tarditas, obſcuritas, ſimiliter credendi levitas; eodem modo quædam ſuſpitiones, & quædam dubitationes, & ad ultimum incredulitas ſcilicet, ſive infidelitas, & vitium, quod ſpiri-
D tus blaſphemię nominatur; ſi enim difficultas ſeparationis, aut purgationis ſignum, & inditium certum eſt profunditatis, & intimiationis, cùm non minor ſit difficultas ſeparationis prænominatorum vitiorum à virtute noſtra rationali, quàm à virtute illa concupiſcibili, ſeparationis iſtorum erit non minor profunditas, ſeu intimiatio, quàm illorum. Quòd ſi dixerit, quia de vitiis adventitiis ho. verum eſt, & de originalibus non. Reſpondemus quòd ſi in ramis eſt æqualitas, naturaliter erit & in radicibus, & ſi in fructibus, erit in ſeminibus & generaliter ſi in effectibus, & in cauſis. Cùm igitur originales corruptiones in prænominatis viribus cauſæ ſint adventitiorum vitiorum in illis, & hæc æqualia erunt, & cauſæ eorum ſive radices illæ originales æquales. Ampliùs. Quis inter morbos ſpirituales difficiliꝰ curatur, quàm morbus blaſphemiæ? Quòd ſi difficultas

Synteresis non extinguitur licet turbetur originali peccato.

Tria originalia peccata in unoquoque.

Opinio alia.

Infectio & corruptio.

Alia opinio.

Confutatio.

Digitized by Google

curationis morbi profunditatem evidenter indicat. manifeſtum eſt non minus profundatam eſſe malitiam, ſive originalem, ſive adventitiam in vi rationali, quàm in aliis.

Anima humana impartibilis.

Ampliùs. Cùm anima humana impartibilis ſit, qualiter dicunt in ea aliquid corruptum tantùm, aliud infectum ſimul atque corruptũ? affirmatio enim, & negatio non dicuntur de eodem ſecundùm idem: infectio autem, & non infectio affirmatio, & negatio ſunt, quare non dicuntur in anima humana ſecundùm idem, ſed neque ſecundùm diverſa, cùm in ea non inveniantur; diverſa enim in impartibili, & æquè contraria ſuſcipi nec intellectus admittere poſſe videtur. Propter hoc diximus, quia una eſt infectio hæc turbans, atque pervertens totam animam, ac deprimens eam, ut ſæpè jam diximus: quemadmodùm una eſt ebrietas in ebrio, quæ totum illum alienat, atque ſubvertit, & omnes vires animæ in eo turbulentas efficit, & turbatas; nec adhuc cogitavit aliquis tres ebrietates in uno homine ponere, vel in anima una propter tres vires ipſius. Sicut ergo ebrius quotcunque habet officia nullum eorum compoſitè, aut laudabiliter exequitur, præ ebrietate, immò omnia turbatè, atque perversè agit; ſic anima humana originali corruptione ebrietata, nullum ex officiis virium ſuarũ, ut decet, exequitur, quin potiùs econtrariò.

Synteresis quid, & unde.

De ſynteresi verò, quòd dicunt, quia ſuperior pars rationis eſt, nec in Caïn extincta fuit, jam determinavimus, qualiter eſt pars, videlicet quia non propriè, immò ipſa anima eſt humana ſecundùm eſſentiam: ex officio autem dijudicandi ſublimia ſpiritualium, atque cœleſtium, eiſque adhærendi, atque in ſe conſervandi, ſynteresis dicitur, quaſi ſeorſùm diviſa, ac ſegregata ab inferioribus, atque carnalibus. Et licet in Caïn extincta non fuerit penitùs, in morionibus tamen, & continuè furioſis extincta eſt penitùs, aut abſorpta.

Quæſtio.

Quæreret autem aliquis, cùm peccatum primorum parentum per vim guſtabilem commiſſum ſit, & per ipſa inſtrumenta guſtabilia, non autē per vim illam concupiſcibilem, aut per inſtrumenta generativa, qua Dei juſtitia, & quo jure vis illa tanta infectione, & corruptione punita eſt, tantaque rebellione membrorum ſibi ſervientium, vel etiam anima ſecundùm illam? Et dixerunt quidam in hoc, quia vis guſtabilis, & ejus uſus ad conſervationem vitæ neceſſariò reſervata eſt, & propter hoc uſus ejus moderatus non habet culpam; uſus verò virtutis noſtræ concupiſcibilis ad generandum non habet illam neceſſitatem, & propter hoc totus ejus uſus à primo motu uſque ad ultimum culpabilis eſt, ac vitioſus, niſi ſacramento matrimonij excuſetur, & purgetur.

Iuſtitia Dei.

Juſtitia autem Dei in hoc evidens eſt, & peccato illi congruentiſſima retributio, ut per mulierem torqueatur ſecundùm vim concupiſcibilem, qui per mulierem peccavit, & ab ea patiatur ardores concupiſcentiarum acerrimos, & cruciatus acerbiſſimos, quam neglecto Dei mandato, noluit contriſtari, ſimiliter & ab ea premátur hac ſervitute turpiſſima, cui regendo, & corrigendo noluit ſanctiſſimè dominari ab initio, & ut eam ſequatur, & poſt habeat turpiſſima urgente concupiſcentia, quam poſt ſe trahere ad Deum debuit, & à ſuggeſtione retrahere ſerpentina. Et quemadmodùm dicit Aug. in ſuo inferiori, quod ſæpè diximus, animali, ſive in corpore, inobedientiam patiatur, atque rebellionem, qui ſuo ſuperiori, id eſt Deo, illa mitigaverat.

Cur rebellio maximè in membris genitalibus.

In membris autem genitalibus manifeſtiùs hanc contumeliam patiatur ut per generationem vitium illud traduxiſſe à primis parentibus reminiſcens, recognoſcat, & filium iræ ſe natum eſſe recogitans, gratiam redemptoris, & generationis Dei ſemper in corde habeat. Quicquid autem dicant

E aliqui, vis guſtabilis punita eſt, vel homo ſecundùm illam, fame & ſiti. In oculis invenitur concupiſcentia, propter quod & tam crebrò forſitan dicitur concupiſcentia oculorum. Expreſsè autem ſecũdæ Pet. 2. Oculos habentes plenos adulteriis, & inſanabilis delicti; unde & Auguſt. Non dicatis vos habere animos pudicos cùm habeatis oculos impudicos: Impudicus enim oculus impudici cordis eſt nuncius.

Prurigo.

Similiter & prurigo vitium eſt in auribus, propter quod dicit Apoſtolus in 4. 2. ad Timoth. Coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus ſuis, & omninò nihil invenietur in hominibus quod lepra originalis non maculaverit. Quoniàm autem iſtam corruptionem, & totam ſequelam ejus Ptolemæus, & Hali, aliique aſtronomi, qui de nativitatibus multa ſcribere quaſi vaticinando, atque prædi-

F cendo, præſumpſerunt, totam attribuunt conſtellationibus, & horis nativitatum, neceſſe habemus aliquid dicere contra iſtam inſaniam propter ſimplicium, & ſtultorum multitudinem, qui quæcunque famoſos homines hujuſmodi, qui philoſophi habiti ſunt, ſcripſiſſe, vel dixiſſe, audiunt, vel ex ſapientiali profunditate, vel tanquàm ex prophetica ſublimitate ſcriptum, vel dictum credunt.

Confutatio aſtrologorum, & genethliacorum.

Primùm ergo dicimus illud, quia hora per illud, quod eſt hora, nihil poteſt, ſive ſit nativitatis, ſive alterius actus univerſalis, vel quæcunque alia pars temporis, & hoc eſt quoniàm cùm tempus ſit unum continuum omni numero, & unius naturæ in omnibus partibus ſuis, nihil poteſt una pars, quod non poſſit quælibet alia, vel ipſum totum, ſicut nihil poteſt quælibet pars ignis, quod non poſſit alia quælibet, vel totus ignis. Poteſt fortè quidem minùs, aut magis, aut aliud, ſecundùm genus, vel ſpeciem: non tamen poteſt pars hujuſmodi totius quàm ipſum totum natura-

G liter. Ampliùs. Omnis partus humanus antequàm naſcatur habet omnia, quæ naturaliter habere debet, niſi vel abortivus ſit, vel aliàs occaſionatus: hora ergo nativitatis nihil addit naturalibus ipſius, & hoc apparet in membris, & in virtutibus; ſi enim monſtruoſus formatus partus eſt, monſtruoſitatem illam non afferret ei hora nativitatis, verbi gratiâ, ſi ſenos digitos habens in pedibus, vel manibus, nullum ex his detrahet ei hora nativitatis; ſimiliter ſi mancus fuerit, non addet, vel ſupplebit ei manum. Eodem modo ſe habet & in viribus; ſi enim ſcilicet cæcus erat, & in utero matris, non illuminabit eum hora nativitatis, nec econversò. Eodem modo ſe habet ſi ſtrabo, vel recti viſus fuerit: manifeſtum eſt, quia de inſtrumentalibus naturalibus partuum nihil immutat hora nativitatis, alioquin non nati-

H vitas eſſet hujuſmodi exitus, ſed generatio, vel alteratio, de qua manifeſtum eſt à ſenſu, quod omninò ibi non eſt; plenè enim formantur partus humani in ventribus matrum, niſi impediantur, ut prædiximus, ſive intrò impediantur, ſive non tales egrediantur, quales intùs erant, quantùm ad omnia naturalia, & in partubus quidem aliorum animalium, quæ perfectos partus pariunt, nec pilum unum mutatur in nativitate, unde ergo iſta diverſitas in partubus humanis? Ampliùs. Omnia naturalia habent unumquodque generabilium à generantibus, & generationem adjuvantibus, & nihil ex hora. Et primùm quidem in inanimatis hoc manifeſtum eſt; glacies enim ſi generetur ex aqua, quacunque horâ generetur, ex illa totum quod habet, habet à frigiditate, & ſiccitate, quæ ſunt cauſæ efficientes generationis ipſius, & cum his ex aqua, quæ eſt cauſa materialis ejuſdem, locus generationis adjuvat etiam generationem ipſius, & interdùm addit eidem ſiccitatem, quemadmodùm cùm fuerit petroſus, aut aliter ſiccus; idem dicendum & de igne,

Vide.

& de

& de aliis. In animalibus autem adeò apparet evidenter quòd omnes naturales diſpoſitiones à generantibus ſunt, ideſt à patre, & matre, ut homines ipſa natura docuit exquirere bonos generantes, cùm ex eis voluerint habere bonos fœtus, ſicut manifeſtum eſt in equis, & in mulis, & in canibus. *In Aſtrologos.* Horas autem nativitatum hujuſmodi fœtuum non curant, ſcientes bonitatem, & nobilitatem fœtuum ex generantibus ſolummodò eſſe, dummodò prout decet, & natura eorum exquirit, ad generandum parentes conveniant. Adeò etiam totum, quod naturale eſt volatilibus, ex ipſis horis eis non eſt, ut non propriis parentibus cubanda, vel foveuda, ſed interdùm alienis ſupponantur, ſicut apparet de ovis anſerum, & anatum, quæ gallinis cubanda, atque foveuda multotiens ſupponunt, nec tamen inde generantur niſi anſeres, anates, & hi non aliarum diſpoſitionum in aliquo, quàm ſi ova ex quibus geniti ſunt à propriis eſſent parentibus cubata. Quomodò ergo hora generantis nativitatis aliquid addet, vel minuet naturalibus hujuſmodi animalium, quandò ipſe cubator, qui quaſi pater videtur eſſe eorum, nihil addere, vel detrahere, nihil omninò mutare poteſt tam abſconſo officioſo actui, tamque vicino eidem. Ampliùs. Hora illa nativitatis neque vicinior eſt naturalibus eorũ, quàm aliæ horæ vitæ ipſorum. Unde ergo erit hoc ut plus operetur in ea, quàm aliqua aliarũ horarum? Quòd ſi dixerit, quia hoc eſt ex conſtellatione, ſive figura cœli in hora illa: Et hoc ipſum quærimus quid de hora illa ad cœlum potiùs, quàm de aliis, nec enim vicinior, aut hærentior eſt cœlo, quàm aliæ; totum enim tempus æqualiter, & uno modo per omnia menſura eſt motus cœli, & partes ejus menſura partium ejuſdem motus abſque ulla diverſitate, vel differentia, nec aliud eſt in ſe, vel comparatione cœli, ipſum tempus, vel pars ejus quæcunque, ex eo autẽ quòd mẽſura nihil ampliùs habet vel poteſtatis, vel dignitatis fortunæ, vel infortunij una hora, quàm alia; in hoc enim & æquales ſunt, & æqualiter ſe habent per omnia; quare quantùm ad hoc, non plus attendenda eſt una, quàm alia. Ampliùs. Extendetur-ne iſta virtus, & poteſtas cõſtellationum magis ad alia animalia, quàm ad homines? *Vide.* videmus enim quædam ſimilia eventibus hominum evenire, & æqualia; alia enim moriuntur gladio, quemadmodum & homines, alia deputantur bellis, & armantur, ut homines, alia habentur à regibus, & honorantur, ut non alios habeant ſeſſores, quàm reges, & quædam eorum non alios ſeſſores patiuntur, quàm reges, ſicut equus Alexãdri regis, qui vocatus fuit Bucephalus. Ampliùs. Alia deputantur vilibus officiis, ut exportandis ſtercoribus, alia lapidibus evehendis, alia curribus, alia quadrigis, alia agricolationibus, alia equitationibus, & ſimiles penè diverſitates inveniuntur in hominibus; quemadmodùm enim quidam equorum ſerviunt molendinis, ſic & quidam homines, ſive molendina aquatica fuerint, ſive alterius modi. Eſt-ne hoc ex conſtellationibus, ſub quibus nati ſunt equi, quemadmodùm ſomniant de hominibus? & quemadmodùm de Alexandro dicunt, quòd ex conſtellatione fuit, quòd Rex factus eſt, ſic etiam de equo Bucephalo? Eſt-ne factum per conſtellationem, ſub qua natus fuit, non ut haberet ſeſſorem niſi regem? Et quemadmodùm in quibuſdam hominibus per conſtellationem fatum eſt, ut ſint agricolæ, eſt-ne ſimiliter equis fatum, ut omni agricolationi deſerviant? Et ad hunc modum de molendinariis equis, erit-ne quemadmodùm de molendinariis hominibus, & an erit ſimiliter in aliis equorum diverſitatibus? Quòd ſi ita eſt, erit-ne ſimiliter de ovibus, ut ex conſtellationibus, in quibus natæ ſunt, aliæ efficiantur cibus regibus, & pellitiæ regales, vel ſacerdotales, vel religioſorum, & de lanis earum erit ex conſtellatione, ut inde fiant veſtes regiæ, aut ſacerdotales, vel ruſticanæ? Quarumdam verò carnes comedantur à lupis, vel aliis beſtiis, vel comedantur ab hominibus, vel morbo pereant, & putreſcant, ita ut non comedantur? Et procedet hoc uſque ad mures, & paſſeres, aliaque minuta animalia, ut totam vitam eorum, victum & etiam mortẽ diſponant ſub conſtellatione, ſub qua naſcuntur, & pendebit ex conſtellationibus illis, ut quædam muſcæ capiantur ab araneis, quædã ab hirũdinibus quædã aliter pereant, & ut quædã vivant tantùm in domibus regiis, & ibi moriãtur, quædã in domibus ruſticanis, tandem ad pilos ſingulos lanarum, barbarum, & ſuperciliorum, deſcendet-ne illa virtus conſtellationum, ut alij hujuſmodi pilorum tondeantur, alij radantur, alij urantur, alij perpetuò nutriantur, ſicut apud Græcos, & barbaros. *Nota.* Et iterùm de pilis lanarum, alij deputantur veſtibus regiis, aut aliorum hominum pro diverſitate conſtellationum ſuarum? Non enim ſolæ generationes hominum ex conſtellationibus pendere videantur. Quomodò ergo diſponunt totam vitam hominum, & alia negligunt; maximè cùm tanta ſit ſimilitudo eventuum humanorum, & aliorum animalium, & etiam vegetabilium? *Quæſtio.* Quòd ſi dixerit, quia cœleſtia & ſtellæ, & luminaria homines curant propter nobilitatẽ ſuam naturalẽ, alia verò tanquàm ignobilia prætereunt, duobus modis errant: *Confutatio.* magis enim natura curat alia, quàm homines; homines enim ſeipſos ſinguli regunt, & ab aliis invicem reguntur: alia verò à ſola natura regi videntur; quare ſi ipſa cœleſtia ipſam naturam regunt, ex neceſſitate quicquid regitur, regitur ab illa. Ampliùs. Magis indigent ducatu, & regimine cœleſti alia animalia, & etiam vegetabilia, quàm homines, & magis etiam apparet in eis omnis effectus illorum, qualiter ergo illa prætereit, vel negligit ducatus cœleſtis? Et manifeſtum per ſe videtur, quòd univerſaliter ad minima attingit illa virtus cœleſtis, ſed forſitan non ſingulatim, & non ſingulariter curantur, vel reguntur ab illo, ſed & hoc qualiter erit, ut in ſingulis hominum extendat ſe virtus illa ſingulatim, non in ſingula animalium, & vegetabilium, præſertim cùm tantâ prudentiâ, ſingula generari, regi, & adminiſtrari videantur? Cur enim & adminiſtratio univerſalis nullo modo ſufficere, vel efficere videatur tam officioſam (ut ita dicamus) tamque admirandã ſingulorum fabricationem, & gubernationẽ? Ampliùs. Si quis ſtatuam, vel vas quodcunque intra domum aliquam fabricaverit, nunquid hora exploranda eſt, qua illã de loco illo extrahat, vel educat? Nunquid ex exitu de loco ſuæ fabricationis pẽdet aliquid de talibus, vel etiam de fortuna, vel infortunio imaginis iſtius, vel vaſis? Et ſimiliter ſi pannũ texuerint, vel veſtẽ fecerint in aliquo loco, nunquid aliquid eorum, quæ panni illius ſunt, vel veſtis, pendet ex hora extractionis ſuæ de loco illo, vel ex ipſo exitu de eodem? quid de exitu, vel de extractione ab hujuſmodi loco ad fortunam, vel infortunium rerum illarum? *Nota.* Quid eſt autem generatio partium humanarum in ventribus matrum, quàm fabricatio quarundam imaginum Dei in locis illis? *Generatio* & quid nativitas eorum, niſi extractio, vel exitus imaginum hujuſmodi ex loco fabricationis ſuæ? nihil ergo de fortuna, vel infortunio hominũ ad horam nativitatis ipſorũ, vel ipſam nativitatẽ ipſorum? Quòd ſi dixerit quia exitus, vel extractio aliarũ rerũ à loco ſuæ factionis, vel fabricationis nihil facit, vel operatur, ad fortunã vel infortu-

Digitized by Google

Confutatio E nium earum : Econtrariò autem ſe habet in hominibus. Manifeſtum eſt hoc eſſe frivolum, & hoc apparet evidenter à ſimilitudine, & proportione. Si verò dixerit quis quòd ducatus cœleſtis, & virtus conſtellationum non naturam diſponunt hominum, ſed fortunam, & hoc magis inconveniens, & magis manifeſtum. Primùm. Quoniàm non *Abſurdũ.* judicio, vel providentia evenirent hominibus, quæ eis eveniunt, neque ſecundùm merita, vel pro meritis ipſorum. Quòd igitur alius Rex efficitur, aut in alia dignitate, vel officio conſtituitur, non divinæ providentiæ, & gubernationi, ſed conſtellationi, ſub qua natus eſt, debebitur, niſi fortè dicat divinam providentiam unicuique procurare, & *Frivolum.* ordinare, quâ horâ, & ſub quâ conſtellatione unuſquiſque naſcatur. Hoc autem manifeſtè frivolum apparet, quia non naturali ordinatione factum videtur, ut parentes eâ horâ commiſcerentur, ut tali ſequente horâ poſtea ille naſceretur, immò potiùs caſu, verbi gratiâ, illâ horâ fortè mero incaluerant, vel mutuo affectu invicem provocati ſunt, vel amor prolis, & viſu alio, & auditu incitavit eos ad opus generationis, videlicet, quia cogitaverunt de rerum ſuarum amplitudine, & affluentia, quæ ne devolverentur ad alios, commovit eos, ut darent operam liberis, vel fortè cogitatio hæredum eorum, qui ſucceſſuri erant in bonis ipſorum, induxit eos ad opus generationis, quæ omnia caſualia tantùm videntur, & non ex præordinatione naturæ : Alioquin quam fabam comedat quis, & quot etiam, erit ex præordinatione naturæ, & quælibet etiam minuta actuum noſtrorum erunt ex conſtel- *In conſtellationum aſſertores.* lationibus. Ampliùs. Non ex hoc, nec propter hoc, illâ horâ ſic ſe habuerunt ſtellæ, ut iſte naſceretur, & talia ei evenirent. Si ergo ex iſta conſtellatione iſta acciderunt, non per ſe ex illa, ſed magis caſu. Quicquid enim accidit ex cauſa quacunque, quæ non ob hoc, ſed magis ob aliud fuit, caſu accidit, quantùm ad illam, & hoc apparet evidẽter ex diffi- *Caſus quid.* nitione caſus. Caſus enim eſt (ut diffinit Boëtius) inopinatæ rei eventus ex cauſis confluentibus ob aliud, & ob aliud inceptis. Ampliùs. Si per ſe ex conſtellationibus ſunt hujuſmodi eventus, conſtellationes autem inaverſibiles, & indeclinabiles ſunt, igitur & eventus. Inter cauſam enim efficientem per ſe, & effectum comitantia eſt inſeparabilis, ergo omnia neceſſaria evenient mortalibus, contra quod diſputare nos non oportet, cùm ſit jam deſtructum per Doctores ſanctos, & orthodoxos multos. Quòd ſi dixerit, quia licet caſu, hoc eſt, præter intentionem conſtellationis, evenient iſta, nihilominùs tamen ex neceſſitate, quemadmodùm ex motu ſolis eſt dies, licet ſol non ad hoc *Nota.* aut propter hoc moveatur, ut dies ſit, quemadmodùm, & ex motu corporis tui venit diviſio aëris, per quem movetur ex neceſſitate, non tamen propter hoc movetur ex neceſſitate, ut diviſio aëris fiat, neque caſu fit diviſio aëris. Licet autem non intendatur determinatè, intenditur tamen in univerſali. Qui enim intendit motum, intendit ex neceſſitate omnia illa, quæ ſunt de neceſſitate motus, & ſine quibus eſſe non poteſt, ſed reverà non intendit illa niſi intentione univerſali. Non ſunt ergo à caſu talia, quia non ſunt omninò præter intentionem. In propoſito verò caſu, videlicet conſtellationum, aut dicet, quòd eventus hujuſmodi ſunt præter intentionem conſtellationum omninò, aut non; ſi ſic, erunt igitur à caſu, quare non erit ſcientia, vel certitudo de eis. Caſualium enim divinatio, aut prophetia eſt, non autem ars, vel ſcientia, quoniàm ars, & ſcientia non ſunt niſi de ordinatis, & ad invicem cauſalitate per ſe colliga-

E tis, quare aſtronomia quantùm ad partem hanc neque erit ars neque ſcientia. Quòd ſi ex certa intentione conſtellationum ſunt eventus hujuſmodi, ſequeretur quòd diximus, videlicet inevitabile, & neceſſarium. Ampliùs. Cùm natura hominum, & cæterorum animalium, atque vegetabilium media ſit inter fortunam ipſorum, & conſtellationem, virtus conſtellationum naturam tranſit, ſaltum faciens in fortunam ipſorum, præſertim cùm ipſa natura capacior ſit, ſive receptibilior virtutis cœleſtis, quàm fortuna. Ampliùs. Si in con- *Conſtellationes.* ſtellationibus eſt totus curſus vitæ humanæ cum omnibus eventibus ſuis, & hoc cauſaliter, & ſignificativè, ut in cauſis efficientibus, & ſufficientibus, non hominibus imputandum eſt, ſed conſtellationibus quicquid eis evenerit : quòd enim aër illuminatur, vel calefit, vel aliter diſponitur, non F aëri imputandum eſt, ſed ſtellis, & luminaribus. Similiter quòd rota molendini motu circulari revolvitur, non ipſi rotæ, ſed aquæ repellenti, aſcribendum eſt. Si ergo conſtellationes movent ho- *Nota.* mines, & inducunt in omnia, quæ eis eveniunt, non hominibus imputanda ſunt illa, ſed ſtellis moventibus. Quòd ſi dixerit, non violenter movent homines ſed per voluntatem eorum, quærimus ab eis, cùm voluntas non moveat, niſi mota, an conſtellationes ipſæ moveant voluntates hominum ad hoc, an homines ipſi? Quòd ſi conſtellationes, totũ ergo eſt ab ipſis quicquid agunt, vel patiuntur homines, quare eſt eis imputandum, & nihil hominibus. Quòd ſi dixerit, quòd hominibus imputandum eſt, quia ſuſtinent ſe, vel conſentiunt ſic moveri, quemadmodùm cùm aliquis ſuſtinet ſe, vel conſentit exuri ab igne, vel devorari à beſtia, vel præcipitari in foveam, imputandum eſt ei, qui de- F buit ſe avertere, vel reſiſtere, ſi potuit. Quærimus *Quæſtio.* ab ipſis utrùm hoc, quòd homines ſuſtinent ſic ſe moveri, vel conſentiunt, ſit ab ipſis conſtellationibus, an ab hominibus? Quòd ſi ab ipſis conſtellationibus, totum igitur eſt ab ipſis, & nihil ab hominibus, quare imputandum eſt eiſdem totum, & nihil ab hominibus; totaliter enim unumquodque illi attribuendum eſt, à quo totaliter eſt. Nullius autem rei alicui aliquid attribuendum eſt, à quo nihil habet, vel nihil ejus eſt. Si verò homines voluntates ſuas moveant ad ea quæ agunt, vel voluntariè patiuntur, tunc ex neceſſitate imputandi erunt eis omnes eventus eorum in rebus voluntariis, & hoc eſt quoniàm tunc erunt ab *Voluntas.* eis; voluntariorum enim omnium actuum cauſa eſt voluntas efficiens, & per ſe, & propter hoc ta- G lium principia in nobis ſunt, propter quod & nobis imputanda ſunt, & etiam imputantur, nihil ergo talium à ſtellis erit, vel conſtellationibus. Ampliùs. Ad naturales actus & virtutes, & organa, *Natura providentia.* providet natura mortalibus, ut viſum ad videndum, & oculos, & hæc omnia in hominibus ſunt. Ad fortunas autem, vel infortunia, vel acquirenda, vel evitanda, vel aliqua dantur hominibus, quæ in eis ſunt, vel non? Verbi gratiâ, ad acquirendum regnum, vel victoriam in bello, & alias fortunas, vel aliquæ diſpoſitiones imprimuntur à ſtellis hominibus, vel non? Quòd ſi nullæ, ergo talia eveniunt eis per ea ſola, quæ extra eos ſunt; ſimiliter & contraria eorum, quare nihil ad eos de his. Si verò aliquæ diſpoſitiones imprimuntur eis, propter hoc erit in ipſa hora nativitatis, vel generationis videlicet quòd hujuſmodi diſpoſitiones imprimãtur, quare habebit iſte in ſe diſpoſitionẽ, quo fiet Rex, vel Epiſcopus. Quemadmodùm ergo non po- *Iterùm in Aſtrologos* teſt prohiberi aliquis quin videat, vel audiat, cùm voluerit, niſi virtus videndi, aut organum eidem

auferatur, vel impediatur; ſic non poterit impediri, vel prohiberi, quin fiat Epiſcopus, cùm voluerit, niſi virtus illa ei auferatur, vel impediatur, ſed non eſt in poteſtate alicujus virtutem hujuſmodi vel auferre, vel impedire: ea enim, quæ in anima ſunt impreſſa, non eſt cujuſque vel auferre de ea, vel impedire, maximè ſi naturaliter in ea impreſſa ſunt. Ampliùs. Iſtæ diſpoſitiones fortunarum, & infortuniorum, propter quid, imprimuntur potiùs in hora nativitatis, quàm in alia, cùm in ea multæ earum nullum habere poſſint effectum? Ampliùs. Si naſcatur aliquis diſpoſitus ad ſuſpendium, qui & diſpoſitus ad furtum, vel aliud maleficium, utraque diſpoſitio ei impreſſa eſt à virtute ſuæ conſtellationis; quicquid autem ſic impreſſum eſt, naturale eſt recipienti, erit igitur utrunque naturaliter hujuſmodi nato, videlicet, & furari, & ſuſpendi; naturalia autem non imputantur ad pœnam actualem, quemadmodùm morionibus, & naturaliter mente captis, nihil imputatur, quod agant. Quæ eſt enim alia diſpoſitio ſic impreſſa ad furandum, niſi furioſa cupiditas, quæ nec ipſius vitæ proprium diſpendium furantem patitur æſtimare, & interdùm nec etiam cogitare, qua de cauſa videntur latrones naſci parvuli, & aliis vitiis jam infecti in occulto. Manifeſtant autem ſe hujuſmodi vitia, cùm opportunitas operandi ex illis, vel ſecundùm illa, data fuerit habentibus ipſa. Similiter & regias dignitates, & alias habebũt in occulto, & naſcentur reges, & principes ipſi parvuli, licet non tunc appareant dignitates eorum, qua abſurditate nihil incongruentius. Dare enim hujuſmodi dignitates parvulis, non tam ſtultum, quàm etiam dementiſſimum eſt, quare nec opus eſt cœleſtis virtutis, nec alterius cujuſquam. Manifeſtum ergo eſt ex nativitate, vel hora nativitatis, nihil imprimi, quod ad naturam, vel fortunam pertineat nativitatis, quare nihil agere in eos horam illam, cùm enim nihil imprimitur, omninò in id non agitur. Si verò dixerint, quia hora nativitatis per ſe, nec infauſta, nec fauſta eſt natis, ſed magis hora generationis, ſeu conceptionis, & propter illam, hora nativitatis obſervatur, tunc enim, ut aiunt, ſemen generationis in matricem funditur, & prout ſe habet conſtellatio, fauſtus, aut infauſtus ex ea generatur. Et non eſt dubitandum (inquiunt) quin in humores, & ſpiritus noſtros poteſtatem, & ducatum habeat virtus cœleſtis. Dicimus econtrariò, quia ſemen, cùm ſit ſuperfluum tertiæ digeſtionis ſecundùm Ariſt. tale infunditur in loco generationis, quale erat in corpore generantis, & propter hoc nihil additur ei, nihil imprimitur, niſi forſitan diſpoſitio aliqua corporalis. Cùm enim corpus merum ſit quaſi ex humore, & ſpiritu, nullam omninò impreſſionem recipit, niſi corporalem, videlicet caliditatem, aut frigiditatem, aut aliquam aliam hujuſmodi ad quas nihil omninò de fortunis, aut infortuniis eventuum. Ampliùs. Quòd dicunt, quia Saturnus agit prima hora poſt infuſionem ſeminis infrigidando, & coagulando materiam, manifeſtè impoſſibile eſt, quia ſemen humanæ generationis per calorem ſolùm coagulatur, per frigiditatem verò diſſolvitur. Saturnus verò, quem dicunt primò operari in generatione humana, generationem ipſam deſtrueret ſic, quemadmodùm ipſi dicunt. quòd operatur, cùm natura ejus frigida, & ſicca ſit, ut ipſi ponunt quæ ambæ mortificativæ ſunt, & deſtructivæ generationis, contrariæ verò virtutes generationẽ, & vitam maximè efficiunt, vel adjuvant. Unde poeta. Vapor humidus omnia gignit. Ampliùs. Dicit Ariſtoteles, quia vis, quæ eſt in ſemine ſimilis eſt artificiis: quemadmodùm ergo artifices ex artificiis ſuis, & ſecundùm illa operantur, operantur inquam,

Naturalia non imputantur ad pœnam actualem.

Nota.

Opinio aſtronomorum.

A opera artium ſuarum, videlicet domos, inſtrumenta, ſtatuas, pannos, pelles; ſic ſemina ex virtutibus, vel ſecundùm illas operantur generando ea, quæ ex ipſis fiunt. Sicut ergo artifices conſtellationes non conſulunt, vel obſervant, nec etiam obſervandas, vel conſulendas arbitrantur, ſed magis artes ſuas, & artium præcepta pro operibus ſuis, videlicet ut ea rectè, & qualia decet operantur; ſic neque ſeminum operationes ex conſtellationibus pendent ullatenùs, niſi forſitan in hoc, quòd aer ab ipſis ſtellis temperatur, ac diſponitur. Ita ſimiliter & terrâ, & diſpoſitionibus eorum operationes ſeminum adjuvantur. Quis enim dubitat de textore, quin tota vis, ſeu virtus, totaque ars texendi apud ipſum ſit, & quin ſua vi moveat inſtrumenta texendi, & arte ſua regat motum eorum, & quia propter opus texen-
B di nihil extra ſe requirat, niſi panni materiam, & inſtrumenta texendi, niſi fortè propter obſcuritatẽ aeris aliquandò lucernam; & de fabro ſimiliter ſe habet, atque de unoquoque aliorum artificum, quorum nullus ſtellas conſulit, vel conſulendas exiſtimat, immò pro omni genere artificialium operum ſe ſolos eſſe conſulendos, & requirendos planè dicunt, & aſſerunt, ipſiſque ſolis credendum eſſe de his quæ ad artes ſuas pertinent. Hoc etiam communitas omnium quaſi per ſe notum habet, & tenet, videlicet quòd unicuique artifici credendum eſt in ſua facultate, & de rebus ſuæ facultatis ut grammatico de grammaticalibus, & fabro de fabrilibus, & generaliter cuilibet artifici de artificialibus ſuis. Error autem abſurdiſſimus eſt, aſtronomos in talibus conſulere, aut de talibus eis credere ullo modo. Et quoniàm de his in tractatu de legibus multa diximus, ſufficit tibi quantùm ad præſens propoſitum
C aliquam viam apertam eſſe ad contradicendum hujuſmodi erroribus; hîc enim tanquàm ex incidenti de his locuti ſumus, radicalem eorum deſtructionem, atque completam, nec non & declarationem veritatis in judiciis aſtronomiæ ſingulari tractatu reſervantes; non enim aliter radicitus, & perfectè, vel deſtrui errores poſſunt, vel declarari veritas, niſi poſitis, & numeratis radicibus, & fundamentis, quibus ſic innituntur radices hujuſmodi, & in quibus eventus hominum, & totam inferioris mundi gubernationem, ſive adminiſtrationem fataliter aſſerunt provenisse. Quod autem tetigimus de electionibus artificiorum vel etiam vitiorum, manifeſtum eſt, quia voluntariæ ſunt, & etiam ex propria voluntate eligentium quandóque, quandóque ex aliena vel diſpoſitione, vel ſolicitatione veniente ex defectu, vel penuria temporalium, verbi gratiâ: Ab ip-
D ſo ſenſu manifeſtum eſt; aliquis enim eligit propria voluntate effici miles, alius clericus, aut alterius modi artificij: interdùm autem ex diſpoſitione paterna, ſive materna, filios enim parvulos pro voluntate ſua plerunque patres applicant artificiis, & officiis, & interdùm religioni, interdùm matrimoniis, & hæc omnia faciunt ex certis cauſis, quas enumerare longiſſimum eſſet; aliquis enim habens fratrẽ, vel cognatum Epiſcopum facit filium ſuum clericũ, plerunque in lucrum, in ſpe, quòd beneficietur ab Epiſcopo illius. Alius ex devotione facit filium ſuũ clericum ſcilicet ut habeat eum interceſſorem pro ſe apud Deum. Alius applicat ipſum religioni non ex devotione, ſed ut major ſit aliis fratribus portio hereditaria. Paupertas verò multos viros ad rapinas, & latrocinia, & alia innumera maleficia, multas mulieres, ad meretricium induxit, qui & quæ omnes ſi interrogarentur, non ſtellis, aut conſtellationibus artificia, vel officia, vel malitiam ſuam attribuerent, ſed magis ſibi, & voluptatibus ſuis, ſcientes indubitanter cauſas motivas voluntatum, & deſideriorum

Nota.

Artifici credendũ.

Error aſtronomorum.

Nota.

Digitized by Google

ſuorum, ſimiliter, & fines, ſive cauſas finales corundem: unicuique autem de ſeipſo credendum eſt, qui magis novit interiora ſua, hoc eſt cogitationes, & affectiones ſoli norunt. Manifeſtum igitur eſt aſtronomorum omnium teſtimonio hujuſmodi ſtellas innocentiſſimas eſſe in parte iſta, quare qui talia eis attribuerunt, iniquiſſimè eas culpant, immò damnabiles, & humanam naturam, ac res humanas pervertere, confundere, ac conturbare eas aſſerunt.

Stellæ innocentes.

CAPUT VII.

Comparationem facit originalis peccati ad alia peccata tam actualia, quàm venialia.

POſt hæc autem menſurare tentabimus peccatum illud, quod originale dicitur, & comparare aliis tam actualibus, quàm venialibus, & de pœna, quæ pro eo jure infligitur, quæ & quo jure pœna infligitur. Ubi oportet te primò noſſe, quia non propriè culpa dicitur, ſicut neque demeritum; qualiter enim culpa propriè dici poteſt, vel culpabile, in quo nullus peccat, vel peccare poteſt, neque malè agere, aut malè omittere, quod agendum eſſet? Ampliùs. Quomodò culpandus eſt aliquis, pro eo quod nec agit, nec egit, immò omninò neſciens, & invitus illud patitur; præſertim cùm tam ignorantia illa parvulorum, quàm violentia, quam in hoc patiuntur, videlicet in contrahendo illud, invincibilis ſit; ſi autem non eſt culpabilis, vel pro ea culpandus aliquis, ergo nec puniendus. Iniquè ergo puniuntur parvuli pro illo ſine baptiſmo decedentes. Præſertim cùm Auguſtinus pœnam parvulorum ignem æternũ vocet in libro de fide ad Petrum, alioquin qualiter dixiſſet Apoſtolus. Omnes naſcuntur filij iræ. Si enim non debetur ita pœnæ originali peccato, quomodò filios iræ facit eos, qui cum eo naſcuntur? Dicimus quia cùm originale peccatum actuale non ſit, pœna ei actualis nulla debetur, ideſt nec ignis gehennæ, nec vermis conſcientiæ, nec etiam purgatorius ignis. Quòd autem Auguſtinus pœnam ejus vocat ignem æternum, eo tropo uſus eſt, quo omnis pœna, omnis tribulatio, interdùm ignis vocatur. Quemadmodùm autem leproſi extra caſtra ſeparabantur à ſanis, & mundis hominibus, utpotè indigni cohabitatione eorum, & hæc ſeparatio, licet pœna ſit, non tamen vindicta eſt lepræ, vel pro lepra in vindictam illata, cùm lepra nullo modo culpa ſit: ſic parvuli nec loco purgatorij digni ſunt, cùm in eum non intrent, niſi gratia Dei præditi, atque ſanctificati, & gloriam æternæ beatitudinis expectantes: ſimiliter nec limbo inferni digni ſunt, ubi ſancti patres beata ſpe conſolati, ut dicit Beda, ſupernę patriæ ingreſſum expectabant. Quare manifeſtũ eſt locum parvulorum hujuſmodi, videlicet qui cum originali ſolo decedunt, qui nullum actuale ei, dùm viverent, addiderunt, medium eſſe inter gehennam, & purgatorium, ubi hujuſmodi parvuli tanquàm lepra originali immundi, ſeorſùm à locis ſanctorum ſecluſi, perpetuam manſionem ſunt habituri; neque enim in gehennam detrahendi ſunt, cùm illi peccato originali actuale, & mortale non addiderint. Quòd autem quidam carentiam viſionis Dei pœnam originalis peccati eſſe putaverunt, manifeſtum eſt eſſe falſum; cùm enim habitus gratiæ, ſive gratia ipſa cauſa ſit viſionis Dei, erit ex neceſſitate carentia gratiæ cauſa carentiæ viſionis Dei. Ampliùs. Si Adam antequàm gratiâ illuſtratus eſſet, & ante etiam quàm peccaſſet, decederet in ſtatu videlicet innocentiæ naturalis, proculdubiò viſione Dei careret; cùm enim non haberet gratiam, ex

Peccatum originale non dicitur culpa.

Nota bonum verbum.

Simile.

Locus infantium non baptizatorum.

E neceſſitate nec gloriam obtineret. Cùm ergo parvuli de quibus loquimur careant gratia Dei, hoc ipſo ex neceſſitate carent & gloria, cùm gloria non detur niſi gratiæ, ſive pro gratia; ſi enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, erit negatio cauſa negationis, & ſi habitus cauſa eſt habitus, vel habendi, erit carentia cauſa carentiæ ſive carendi. Ampliùs. Si ablata eſſet parvulis iſta lepra originalis, & non eſſet eis data gratia, certum eſt, quòd adhuc carerent viſione divina, cùm ſola introducat gratia homines ad gloriam. Manifeſtum ergo eſt, quia præter carentiam viſionis divinæ, quæ omnibus damnatis communis eſt, & omnibus non ſalvatis, habent etiam tenebras originalis iſtius infectionis, & propter illas habent elongationem à locis multis, per quæ via eſſe conſuevit ad viſionem Dei, & ſeparationem intranſibilem; quare manifeſtum eſt, quia præter carentiam viſionis Dei, quaſi duo genera tenebrarum patiuntur, videlicet ipſas tenebras immunditiæ, & corruptionis originalis, & tenebras elongationis, ac ſeparationis à claritate viſionis Dei, quas diximus.

Gloria debetur gratiæ.

F Quòd ſi dixerit quis, quia dolorem inæſtimabilem patiuntur pro eo quòd privati ſunt gloria viſionis Dei, ad quam ſe creatos, & natos eſſe cognoſcunt, errat, quoniàm dolor iſte eſſet pœna actualis, & corde ſenſibilis; quare injuſtè eis irrogaretur, cùm pœna actualis non debeatur, niſi pro peccato actuali. Si quis verò quærat, qualiter ſine dolore incredibili cogitare poſſint, vel advertere ſe non obtinuiſſe beatitudinem, cùm ad illam nati eſſent: Reſpondent magiſtri noſtri temporis, quia multi ſine dolore ſuſtinent, quòd reges non ſunt, & etiam ſine invidia vident alios eſſe reges, cùm tamen ejuſdem conditionis ſecundùm naturam ſe, & illos eſſe cognoſcãt. Sicut ergo iſti non dolent, quòd regnum temporale non ſunt adepti, ita nec iſti de regno cœlorum, nobis autem non videtur euſque clarum eſſe parvulos in eam ſcientiam proficere, ut talia ſciant de ſe, vel regno cœlorum; non enim prohibiti videntur eſſe, ſi hoc eſſet, quin poſſent inæſtimabiliter proficere in

An dolorem aliquem patiantur infantes non baptizati mortui.

Nota.

G Dei cognitione, pręſertim cùm nulla pœna eos averteret, nulla occupatio eos impediret, & ipſum peccatum originale profectum hujuſmodi pateretur, ſicut & patitur in ſarracenis, & paganis, & aliis infidelibus, & etiam mortalia actualia patiuntur eos in cognitione Dei, & eorum, quæ ejus ſunt, & hoc in tanta brevitate vitæ iſtius: quantùm ergo poſſunt proficere parvuli hujuſmodi in tota perpetuitate vitæ illius, nec occupationibus diſtracti, nec peccatis mortalibus obſcurati, ſed ſola originali corruptione, ut diximus, impediti? Cùm autem cognitio Dei non poſſit non eſſe jocunda, & quantò major, tantò jocundior: creſceret autem iſtis ſine termino; creſceret ergo jocunditas ejus eiſdem ſine termino, quamvis ad gaudium divinæ viſionis nec unquàm pertingeret, nec unquàm eidem fieret comparanda. Eſſet ergo hujuſmodi parvulorum ſtatus multę fœlicitatis, etſi non fœlicitati gloriæ comparandę; haberent enim pacem de omnibus inquietudinibus, & moleſtiis, ſecuritatem à periculis, jocunditatem ex divinæ cognitionis continuis profectibus; propter hæc omnia, & alia, quæ ſcribere ſuperſedemus, dicimus non eſſe clarum, præſertim cùm nuſquàm determinatum ſit in ſcriptura, vel ſcriptis ſanctorum, nec in traditionibus ſcolaſticis, vel dogmatibus, an parvuli ſic philoſophari poſſint, & philoſophando euſque proficere, nec Dei juſtitia prohibere videatur eos ad cognitionem ejus talem conari, vel ab eis veritatem ſuam euſque abſcondere, quã philoſophis blaſphemis, & peccatoribus revelavit. Relinquendum ergo eſt illud diſcuſſioni altiori ſive alterius, ne novitas philoſophiæ hactenùs inaudita

H

Vide hunc locum.

parvulorum

parvulorum aures offendat, ſimplicium, & bonorum. Quod autem dicit Apoſtolus, quia omnes naſcuntur filij iræ, ad fœditatem originalem convenienter referri poteſt, cui meritò iratus eſt Deus propter ipſam, & inſuper quia adverſatur gratiæ, & virtuti, & radix, ut diximus, eſt, ſcaturigo, & ſeminarium peccatorum, quibus ira Dei provocatur, vel quemadmodùm dicit veritas in Evangelio, quoſdam eſſe filios regni, qui ejiciendi ſunt foras, non quia cum regno, vel in regno naſcantur, vel nati ſint, ſed quoniàm ac ſi eſſent regni hæredes illud eis divina miſericordia præparabat; ſic & omnes, tanquàm eſſent iræ infernalis hæredes, ad eam originalis malitia pertrahit hîc, eoſque ad eam parat quantùm in ſe eſt.

Omnes naſcuntur filij iræ, quomodò.

CAPUT VIII.

Diſputat de menſura, ſeu magnitudine originalis peccati.

DE menſura autem, ſeu magnitudine originalis vitij, ſeu peccati, aliqua dicere neceſſe habemus propter quæſtiones, & difficultates, quas habet; videtur enim eſſe omnium peccatorum, & vitiorum minimum, cùm enim quæ eſt proportio, ſeu comparatio pœnæ ad pœnam, eadem ſit peccati ad peccatum: comparatio verò pœnæ cujuſcunque venialis ad pœnam originalis, nulla eſt maximè pœnæ purgatorij; cùm enim ignis purgatorius (ut dicit Auguſtinus) major ſit quàm quicquid homo in hac vita pati poteſt: omnis autem locus, ſive elongatio à viſione Dei nihil eſt in pœnalitate, comparatione ignis vitę iſtius; quare nulla erit comparatio pœnæ originalis, ad pœnam venialis, ergo nec peccati ad peccatum. Erit ergo peccatum originale minùs incomparabiliter, quàm veniale. Diximus autem elongationem à viſione Dei, quoniàm carentia viſionis Dei ex carentia gratiæ eſt, ut ſupra diximus, ſed & elongationem facit majorem, & tenebras denſat, peccatum originale, ut ſupra oſtendimus. Ampliùs. Quia melior eſt dies una in atriis Dei ſuper milia, peccatum veniale, quod per diem unam detinet animam humanam in purgatorio, aufert ei gloriam unius diei, & gaudium in cœleſti beatitudine: huic autem damno non eſt comparabilis, vel denſitas tenebrarum vel elongatio major à viſione Dei, ſicut neque oppoſita eorum comparabilia ſunt. Appropinquatio verò ad Dei viſionem oppoſita eſt elongationi, quam facit originale peccatum, & ipſa etiam munditia ab originali peccato nullam habet proportionem, vel comparationem ad beatitudinem unius diei in gloria; generaliter enim nihil quod ſit naturæ, vel gratiæ etiam, comparabile eſt alicui eorum, quæ ſunt gloriæ, & hoc declaravimus in tractatu primo de virtutibus; ſive ergo ad damnum reſpiciatur, incomparabiliter eſt major pœna damni ex veniali, quàm ex originali, ſive ad acerbitatem, ſimiliter, cùm acerbitas pœnę purgatoriæ incredibilis ſit, acerbitas autem pœnæ originalis peccati nulla. Si verò reſpiciatur ad bona contraria, eodem modo ſe habet; bonum enim quod differt, vel aufert veniale peccatum (ut diximus) incomparabiliter majus eſt, quàm quod aufert originale. Ampliùs. Nulla dubitatio eſt, quin omne peccatum mortale in infinitum majus ſit, quàm originale, & hoc eſt quoniàm pœna gehennalis quæ pro quocunque peccato mortali debetur, in infinitum major eſt quacunque aliâ: in infinitum ergo majus eſt quodcunque peccatum mortale, quàm originale; ergo originale in infinitum eſt minus quocunque mortali, ſed omne veniale ſimiliter in infinitum minus eſt quocunque mortali: originale ergo,

Ignis purgatorius quantus.

Peccatum veniale.

Nota.

Peccatum mortale.

A & veniale æquè minora ſunt quolibet mortali; quare invicem æqualia ſunt; quęcunque enim eodem æquè majora, & æquè minora ſunt, invicem æqualia ſunt, per illam propoſitionem geometriæ. Si fuerit duarum quantitatum ad quamcunque tertiam eadem proportio, illas eſſe æquales, & econverſò. In quo reſpondemus, ſicut jam alibi diximus, peccatum tres habet comparationes, ſeu facies. Juxta illas tres magnitudines, ſeu intentiones. Primò eſt ei facies eſſentialis, qua eſt id, quod eſt, ſicut aliquis actus corporalis, vel ſpiritualis. Secunda facies eſt ei ad ipſum ſubjectum in quo eſt, & ſecundùm hanc faciem eſt læſio, vel vulnus ipſius. Tertia eſt ei facies ad Deum, & ſecundùm hanc, & eſt, & dicitur injuria, vel offenſa Dei. Verbigratia. Eadem fornicatio & actus quidam eſt in ſe, & læſio, vel vul-

B nus fornicantis, & injuria, vel offenſa Dei, & contingit iſtas tres intentiones, ſeu magnitudines inæquales eſſe; quandoque enim major eſt actus, in eo quod actus, & inde major Dei offenſa, & etiam minor læſio ſubjecti. Iſte vel magis delectatur fornicando, vel diutiùs eſt in actu, & eſt ſimplex laicus, quàm iſte ſacerdos, vel literatus; major igitur eſt actus fornicandi laici, quàm iſtius ſacerdotis, tamen fornicatio ſacerdotis eſt major Dei offenſa. Ampliùs. Contingit interdùm poſt unam fornicationem faſtidire, & abominari mulierem unam, ſicut contigit, quòd Amon Thamar ſororem ſuam faſtidivit ſtatim poſtquàm cognovit eam, & ejecit eam à ſe: interdùm verò mulier adeò cordi fornicantis illabitur, ut totus amore ejus capiatur, ſicut factum eſt de Sichem, & Dinâ, quòd conglutinata eſt anima ejus cum ea,

C ſicut legitur, Geneſ. 34. Sive ęquales ergo, ſive inæquales actus fornicationum ipſorum in eo quod actus, tamen major læſio incomparabiliter ipſius Sichem; propter hoc dicit Amb. ſuper epiſtolam ad Roman. Quia graviter ô homo peccas, ſi divitias longanimitatis Dei contemnis, graviſſimè ſi ignoras. Ignorantia igitur ibi dicitur graviſſimum peccatum, & hoc propter læſionem ſubjecti; contemptus enim Dei gravior eſt, ſed in eo quòd injuria, quàm ignorantia ejuſdem, & hoc eſt quoniàm ignorantia Dei adeò lædit ſubjectum, ut nec radicem aliquam boni in eo relinquat; nec enim fidem informem in eo relinquit. Contemptus autem Dei non eſt ſine cognitione ipſius, aut fide; non enim contemnitur, quod penitùs ignoratur. Juxta hunc modum dicimus, quòd ignorantia alphabeti major, vel gravior eſt, quàm totius aſtronomiæ, quoniàm ignorãtia aſtro-

D nomiæ ſolam aſtronomiam tollit ab ignorante illâ; ignorantia verò alphabeti & illam, & omnem aliam ſcientiam naturalem. Cùm ergo quæritur de originali, utrùm ſit majus, aut minus, quàm veniale, diſtinguendum eſt qualiter majus ſumitur juxta prænominatos modos; non enim univocè dicitur hoc magnum. Quòd ſi de magnitudine læſionis intelligatur, proculdubiò incõparabiliter majus, id eſt magis lædens eſt proprium ſubjectum originale, quàm veniale; eſt enim morbus profundatus, & diffuſus in totam animam, vel totum hominem, & adhærens adhærentiâ perpetuâ, niſi divina virtus curaverit; veniale verò ſicut puſtula leviſſima, & cutis contaminatio permodica, quæ facilè curatur, & tranſit. Si de injuria Dei, vel offenſa intellexerit, utrùm majus ſit, vel major injuria Dei vel offenſa originale, quàm veniale: Reſpondemus, quia veniale nec injuria, nec Dei offenſa eſt, nec dicitur. Similiter nec originale peccatum, cùm nec actus illicitus ſit, nec omiſſio actus, qui in præcepto eſt, ſic non eſt injuria Dei, vel contumelia, ſeu offenſa; omnis enim offenſa, vel injuria actus eſt aliquis, vel privatio, ſeu omiſſio actus. Quod verò dicunt de damno, ſive pœna damni, non

Nota.

Sichem.

Originale magis lædit, quàm veniale.

Veniale nec injuria Dei eſt, nec offenſa.

Digitized by Google

eſt verum, immò incomparabiliter magis damnificat ſubjectum proprium peccatum orig.nale, quàm veniale; veniale enim ad tempus tantùm, in eo quod veniale, & quantùm in ſe, aufert, vel differt ſolam gloriæ portionem: originale verò totam aufert quantùm in ſe eſt; non enim eſt tranſiens originale peccatum quantùm in ſe eſt, immò adhærens perpetuò, & ipſam gratiam, quæ eſt via ad gloriam, immò jus, & dignitas obtinendi illam, ſecum eſſe non patitur: veniale autem nec gratiam extinguit, nec minuit, ut alibi oſtendimus, immò ſecum eam patitur. Ad id autem, quod dicit, quia quæ eſt proportio pœnæ ad pœnam, eadem eſt peccati ad peccatum, de pœna illata in vindictam eſt intelligendum ex juſtitia, ſcilicet, vel ira Dei, de hujuſmodi pœna non eſt actualis. Præterea cùm hîc dicitur, quæ eſt proportio pœnæ ad pœnam, eadem eſt proportio peccati ad peccatum, intelligitur quantùm ad culpam, quæ eſt injuria Dei, vel contumelia, ſeu offenſa: hæc autem non habent locum de originali peccato, ſed neque culpa propriè dicitur originale peccatum, cùm pro eo neque cauſandus, neque culpandus ſit aliquis, nec divinæ bonitati conveniens eſſe videtur pro eis, quæ neſcientes penitùs, & nullo modo volentes, vel conſentientes patiũtur. Ad tertium verò, quòd dicit quia quodlibet mortale in infinitum eſt majus quàm originale. Reſponſum eſt per ea quæ diximus, ideſt per diſtinctionem, quam præmiſimus; non enim eſt in infinitum majus, ideſt major injuria, vel offenſa Dei mortale, quàm originale, cùm originale, nec injuria, nec offenſa Dei ſit. Si verò intelligat in infinitum magis lædens ſubjectum, quantum ad vulnerationem, vel debilitationem, hoc non eſt verum; immò multò magis originale propter cauſas ſupradictas. Quòd autem dicit de pœnis, non dicit niſi æquivocè, ut diximus; æquivocè enim dicitur pœna mortalis, & pœna originalis; gehenna enim pœna eſt illata, & vindicta inflicta merita inſuper pro quolibet mortali ex ira, vel juſtitia Dei: non autem ſic ſe habet, nec ſic intelligitur pœna originalis; non enim merita, neque meritis reddita, ut ſupra oſtendimus; cùm originale peccatum non ſit meritum alicujus pœnæ, nec eo quiſque unquàm mereatur, ut demereatur; nec ſequitur ullo modo, ſi duorum aliquorum utrumque ſit in infinitum majus tertio, quòd ideò ſint æquè majora illo, vel illud æquè minus eiſdem, ſicut alibi didiciſti, quia ſuperficies, & linea ſint in infinitum majora puncto; non autem æquè majores illo, vel illud æquè minus illis Et quoniàm de diſſenſione inter Platonem, & Ariſtotelem ſupra mentionem fecimus, errorque Platonicus manifeſtè eſt contra Catholicam doctrinam; Ariſtotelis autem ſententia cum ipſa concordare videtur, conveniens arbitramur contra Platonem aliqua dicere, maximè cùm error ipſius originalem corruptionem evidenter tangat. Sententia autem Platonis in hoc fuit, animas à principio creatas fuiſſe in cœlo, & ſingulatim in ſtellis comparibus collocatas; creatas autem ſcientias perfectas, qualis quidem naturaliter ſuſceptibiles ſunt. Quapropter neceſſe habet conſequenter ponere eaſdem creatas fuiſſe in ſimili perfectione virtutũ, quod eſt dicere virtutum naturalium, conjunctione verò, ut ſupra diximus, corporum, velut hauſtu lethæi fluminis ebrietatas, & abſorptas, ita ut nihil de alterutris dictarum perfectionum omninò reminiſcantur. In primis autem quærimus ab eo utrùm ſimiliter ſentiat de animabus brutorum, ad quod reverà reſpondere poteſt, quia ſupervacua eſſet, & omninò inutilis creatio earum extra corpus, cùm extra illa nihil prorſùs valeant operari: vires enim ipſarum per ſo-

Veniale aufert gloriæ portionem ad tempus.

Veniale ſecum patitur gratiam.

Mortale peccatum majus quã originale.

Originale peccatum non eſt meritum alicujus pœna.

Ariſtot. ſententia cum Catholica doctrina concordat.

E la corpora, & in ſolis corporibus operantur: eſſet ergo earum eſſe ſupervacuum penitùs, & otioſum. Cùm ergo creator omnipotentiſſimus nihil velit eſſe ſupervacuum, aut inutile in operibus ſuis, manifeſtum eſt, quòd eas non creavit extra corpora ſua. Quærimus ergo à Platone, utrùm animæ ſic creatæ haberent vires, quæ non operantur, niſi in corporibus, & per corpora, videlicet quinque ſenſus particulares exteriores, & ſenſum cõmunem interiorem; eodem modo imaginationem, & memoriam. Quòd ſi illas habebant, cùm manifeſtum ſit, eas non poſſe operari niſi in corporibus, & per corpora; ſupervacuæ ergo & otioſæ tantis millibus annorum fuerunt eis vires hujuſmodi, præſertim cùm tam paucis annis in corporibus ſuis animæ iſtæ futuræ eſſent, & vires iſtæ operarentur. Quòd ſi eas non habebant, ſed additæ ſunt eis in conjunctione corporum ſuorum, cùm hujuſmodi vires ex ex neceſſitate eſſentiales ſint eis, quantùm ad illas creatæ ſunt animæ humanæ; quare partim fuerunt in comparibus ſtellis ſecundùm Platonem, partim creatæ in ipſis corporibus, dùm eis conjunguntur. Non ergo ſimpliciter fuerunt creatæ, ſicut ipſe ponit, ſed per partem, & ita invenietur in animabus humanis pars, & pars, altera vetus, & altera nova, & ita non erit ſimplex, & impartibilis anima humana; quod nec ipſe Plato etiam unquàm ſenſit, videlicet ut partibus eſſet anima humana. Quærimus etiã qualiter ipſe dicat eas eſſe creatas extra corpora. Utrũ ſcilicet in loco aliquo, vel in ipſis ſtellis fuiſſe diſperſas, in quibus eas eſſe, vel fuiſſe aſſerit collocatas; quòd ſi in loco alio, & deinde per ſtellas fuiſſe diſperſas, ab illo ergo loco ad compares ſtellas motæ ſunt, & per motum ad illas devenerunt. Jam autem declaravit Ariſtoteles in libro, quem vocavit phyſicum auditum, quoniàm impoſſibile eſt impartibile quodcunque moveri per ſe: ſi verò creatæ fuerint in comparibus ſtellis, aut erant intra ipſas ſtellas, animantes, & vivificantes eas, aut erant in eis quaſi in receptaculis, aut ſuper eas quaſi in vehiculis equitantes, ſeu ſedentes. Quòd ſi in eis erant, receſſu ergo earum à ſtellis mortuæ ſunt ſtellæ, & extinctæ. Obſervatæ autem ſunt ſtellæ, & notæ jam per multa millia annorum à curioſiſſimis inſpectatoribus, & obſervatoribus, & nihil talis immutationis in eis inventum eſt, ut apparet, immò contrarium, videlicet perpetua, & omninò illæſa ſtatus earum quantùm ad hoc ſtabilitas. Ampliùs. Quæ eſſet utilitas nobiliſſimas ſtellas extinguere, & mortificare propter vilia, caduca, humana corpora vivificanda? hoc enim eſſet cœlo decorem ſuum, & ornatum tam mirificum auferre, & illum terræ dare; ſecundùm hoc etiam jam diù eſt, quòd omnes ſtellæ de cœlo cecidiſſent, velut extinctæ, & mortuæ, vel ſaltem major pars; quorum contrarium manifeſtè apparet. Quòd ſi animæ humanæ erant in ſtellis hujuſmodi, tanquàm in vaſis, ſeu receptaculis, & hoc valde frivolum, & abſurdum; in vaſis enim, ſeu aliis, non ſolent aliqua reponi niſi vel ad conſervationem, ut vinum & oleum, & balſamum, vel ad cuſtodiam, ut theſaurus, vel ad captivitatem, ut faciunt fures, & latrones, hoſtes, aut obſides, aut aliqua hujuſmodi cauſarum, quarum nulla in animabus humanis inveniri poteſt. Ampliùs. Quid eſt anima in vaſe, niſi quemadmodùm ſcientia in cophino, vel in prixide; quemadmodùm ergo loca, vel vaſa corporalia non poſſunt capere res ſpirituales, vel eſſe receptacula earum; ſic ſtellæ quæ utique corpora ſunt, vel res corporales ſunt, non poſſunt eſſe vaſa, vel receptacula animarum. Ampliùs. Aut voluntate propria, & ſponte deſcendunt ad corpora, & appli-

catæ ſunt

Plato.

Nota.

Frivolum.

Stellæ corpora ſunt.

catæ ſunt cum illis, aut contra voluntatem, & per violentiam; ſi voluntate propria, aut præſciæ ſuæ inebriationis, & oblivionis quæ fit eis ex cõjunctione corporum ſuorum, aut non præſciæ. Si præſciæ, quare ſcientes, & prudentes in tanta mala ſe ipſas præcipitant, nec ſapientes ſcientes ſunt; hoc enim eſt quemadmodùm quis ſciens, & prudens ſemetipſum cæcum, & ſurdum efficiat ſcientes, & propria volũtate. Quòd ſi dixerit, quia tantus amor, tantumque deſiderium eſt eis conjungendi corporibus, eaque regendi, ut tanta mala propter hoc negligant, ſtultiores eſſe confitentur in comparibus ſtellis, quàm futuræ ſunt in corporibus; exiſtentes enim in corporibus nihil tale unquã attentant. Ampliùs. Non ſolùm ſtultas, ſed etiam furioſas eas eſſe in compatibus ſtellis, de neceſſitate ſequitur ex hoc; nullus enim niſi furioſus in talia diſcrimina ſe præcipitat amore cujuſquam rei, vel deſiderio ſimiliter, nec in mortem. Iſte autem caſus, quo ſic abſorbentur proculdubiò mors quædã eſt, aut non longè à morte. Si verò cõtra voluntatem propriã, ſcilicet per violentiam detrudãtur in corpora propria, iniquè agitur cum eis, ſi peccato aliquo non meruerunt; quare relinquitur eas peccaſſe antequã ad corpora deſcenderẽt, & meritò peccatorum carceribus corporum mancipatas, Qualiter autem peccare potuerunt extra corpora, & quo genere peccati, maxime cùm ſcirent ſibi tantam pœnam imminere, nec haberent infirmitatem, quæ eas traheret ad peccandũ? neque enim gula, neque luxuria apud eas locum habuit, iſta enim carnalia peccata tantùm ſunt, & per carnem ſolummodò perpetrantur, ſed neque avaritia corporalis eſſe potuit; corporales enim divitias creatura tantũ ſpiritalis, & quæ illis nullo modo uti poteſt nõ cõcupiſcit. Fuit ergo vel ſuperbia, vel avaritia ſpiritualis, vel aliquod aliud de ſpiritualibus peccatis; & ita, vel eo, vel ſimili genere peccati peccaverũt, quo Angeli mali; quare ſimilis debet eſſe pœna earum pœnæ Angelorum malorum. Ampliùs. Secundùm hoc in nullo differebãt ab Angelis quantùm ad eſſentiam, cùm eſſent creatæ perfectè in ſcientia, & virtutibus ſicut & illi; vires enim earundem ſpecierũ habebant cum ipſis, verbi gratiâ, vires intelligendi, volendi, & amandi, & ſi quæ ſunt in ſubſtantiis hujuſmodi; quare viribus non diſcrepabant eſſentialiter ab illis, ſed neque in actibus, aut perfectionibus, cùm eædem eſſent perfectiones, & in utriſque eſſent in actu, ſive in effectu. Sequitur ergo ex omnibus his animas noſtras non eſſe niſi malos Angelos. ideſt dæmones incarnatos, quã abſurditatẽ neque ipſe Plato unquã credidit, qui etſi deificari eas poſſe credidit, eas tamen deos eſſe nunquã dixit, immò inter ipſas & deos ſemper evidẽter diſtinxit, eoſque rectores animarũ, & forſitan actores aliquatenus credidit. Quòd ſi tanti mali ſui non præſciæ erant in cõparibus ſtellis, qualiter hoc eas ignorare permittunt illæ, quæ expletis numeris ſibi injunctis de corporibus ad ſtellas compares revertuntur. Ampliùs. Si in ea ſapientia creatæ ſunt, longè major eſt indubitanter ea ſapientia, quàm in corporibus habituræ ſunt: quomodò ergo per ſapientiã, quam habituræ ſunt in corporibus, hoc cognoſcũt, videlicet mala, quæ in corporibus patiuntur, & per illã majorem, quam habebant in ſtellis cõparibus, hoc non potiùs cognoverunt? Ampliùs. Secundùm Platonẽ in corpore nihil diſcunt, ſed eorum quæ priùs in comparibus ſtellis cognoverant reminiſcuntur; anima ergo Platonis, & ſectantium ſuorum hæc reminiſcendo cognoſcit, & priùs hæc noverat in comparti ſtella, qualiter ergo, & qua de cauſa in tanta mala venit; habet ergo furioſus cui præcipitationes ſuas imputat, quibus ſe in aquam, in ignem, & gladios præcipitat, habent animæ in corporibus exiſtentes infirmitatem à parte carnis, & originalem corruptionẽ, quibus aliqualiter imputari poſſunt mala, quæ eis accidunt, ſed cùm erant in comparibus ſtellis, ſapiẽtiâ, & virtutibus naturalibus ad minùs, ut ipſe ponit, præditæ, quæ cauſa eas in iſtas tenebras, & alia mala, quæ in corporibus patiuntur, detraxit. Ampliùs Cùm illa corpora adeò noxia ſibi eſſe prænoverint, qualiter tam cæco amore, tamque furioſo deſiderio eis conjungi appetierunt. Quòd ſi dixerit, quia delectabile eſt eis conjungi corporibus. Unde hoc dicit, cùm hoc ipſum, ideſt conjunctionem ſuam cum corporibus ignorent penitùs, ſimiliter & ipſa corpora, quandò eis conjungitur, cùm in ipſo puncto conjunctionis inebrientur, & omnia quæ ſciebant oblivioni tradant? Etiam dixerunt aliqui, quòd naturali deſiderio ad ea deſcendunt, quos erraſſe, facilè eſt fieri manifeſtum; naturale enim deſiderium non eſt rei, niſi convenientis, & ſalutaris ipſi deſideranti, corpora autem hujuſmodi adeò innaturalia, adeóque diſconvenientia ſunt animabus humanis, ut bona præcipua earum, videlicet ſcientias, & virtutes abſorbeant, & extinguant, & ipſas animas velut peſtifero potu inebrient, & innumerabilibus moleſtiis, atque miſeriis exponant. Ampliùs. Naturale deſiderium nunquàm eſt in perniciem deſiderantis, nunquàm rem deſiderantem naturaliter impugnantis: iſta autem corpora in tantam perniciem ſunt animabus, adeóque repugnant naturaliter eiſdem, ut potiſſima bona naturalia earum penè funditùs extinguant. Ampliùs Omnia opera naturæ naturaliter operantis omnibus operibus artificialibus & magis perfecta, & magis decora ſunt; majori enim prudentia regitur natura in operibus ſuis, quàm ſit ars cujuſcunque artificis. Deſiderium ergo iſtud, quod naturale dicunt animarum, nihil habet diſtortum, nihil præceps, nihil indecens, cùm ſit opus naturæ ſolius naturaliter operantis. De hoc verbo quod dicunt, quia inde per unam portam deſcendunt, & per aliam portam illuc aſcendunt animæ noſtræ, has duas portas dicunt eſſe ſignum cancri, & ſignum capricorni, quàm ridiculoſum ſit juxta Platonem, nulli dubium eſſe poteſt. Primùm quia aſcenſus localis, & deſcenſus in ſubſtantiis hujuſmodi impoſſibilis eſt, ſicut declaravit Ariſtot. ut ſupra diximus. Ampliùs. Cujuſmodi erit motus ille? erit-ne greſſus, vel volatus, vel raptatus, vel natatus, vel ſerptatus à ſerpendo; plures enim motus locales non inveniuntur voluntarij: nullus autem illorum motuum poſſibilis eſt ſubſtantiæ ſpirituali, cùm non habeant inſtrumenta, quibus hujuſmodi motus efficiantur, videlicet nec pedes, nec alas, nec pennas, aut brachia, neque coſtas quibus ſerpentes ſe trahunt. Quòd ſi motus fiunt earum, ſicut motus ponderoſi naturalis, aut motus levis, iſti ſunt motus naturales, & corporales, & non invenitur naturaliter, niſi unus in uno propter contrarietatem. Si dixerit motus illos, motus eſſe evectionum quemadmodùm dicuntur animæ portari ab Angelis in cœlum; ignotum per ignotius nititur declarare, & hoc eſt quoniàm de motu Angelorum non minor eſt quæſtio, & inſuper deportatio non habet minorem difficultatem; qualiter enim portant animas? certum eſt, quòd non portant in manibus. cùm manus non habeant, & eadem ratione, neque in humeris, in vaſe autem, vel linteo, qualiter portantur animæ quis videat? Nos autem aſcenſum animarum ad cœlos & deſcenſum earum ad inferos, & deportationes iſtas, quæ in picturis & ſcripturis ſanctorum leguntur, ſuo loco declarabimus ſecundùm catholicam veritatem: nec

Marginal notes (left column): *Nota.* — *Caſus animarum.* — *In Platonem.* — *Abſurda.* — *Scire reminiſciſecundùm Platonem.* — Marginal letters: A, B, C, D.

Marginal notes (right column): *Error Platonicorum.* — *Naturale deſiderium nunquàm pernitioſum.* — *Opera naturæ.* — *Ridiculũ.* — *Motus locales.*

Digitized by Google

alia de cauſa hìc induximus, niſi ut appareat imperitia hominum iſtorum, niſi fortè Plato in ſermone iſto ſuo forſan intellexit metaphoram, ſive parabolam in ore ſuo: ſi verò intellexit Plato animas eſſe, vel fuiſſe in comparibus ſtellis quaſi ſedentes, aut equitantes, hæc magis ridiculoſa abſurditas; hoc enim eſt ac ſi dixiſſet, formicam unam equitare Solem, & aliam Lunã, & ita de omnibus ſtellis. Præterea. Quid eſt animam ſedere, vel equitare? competeret hoc? Ampliùs. Ad quid eſſent ibi animæ collocatæ, hoc eſt quâ utilitate vel fructu, cùm nec omnes ſtellæ eis indigeant in aliquo, nec ipſæ ſtellis? nullum enim adjumentum præſtare poſſunt ſtellæ virtutibus, aut operationibus earum. Ampliùs. Quid eſt ſubſtantiam ſpiritualem, & abſtractam eſſe ſupra corpus aliquod, vel in quocunque etiam loco corporali? ſicut enim corpus non poteſt eſſe in loco ſpirituali, ſic neque ſpiritus in loco corporali, maximè localiter, quod Plato intellexiſſe videtur. De hoc verò quod creatas poſuit animas in ſuis perfectionibus, videlicet ſcientiæ, & virtutum benè ſe habet aliquantulùm diſputare. Et primùm quidem creatio animarum primorum parentum videtur eſſe pro eo; de illis enim quæſtio non eſt, quin creatæ fuerint in perfectionibus naturalibus iſtis, cùm in ætate juvenili creati eſſent, & animæ omninò inſciæ, ſive inſipientes, & ex toto pueriles, nullo modo cõgruerent juvenilis ætatis corporibus; ſic neque econtrariò corpora puerilia ſapientiâ, & virtutibus præditis animabus. Quia ergo ſimili modo videtur eſſe creatio omnium animarum humanarum, utpote ſpecie ſimilium videtur, quod omnes in eiſdem perfectionibus. Ampliùs. Quicquid eſt naturali uni individuorum ejuſdem ſpeciei, eſt naturale & omnibus: cùm ergo iſtæ perfectiones naturales ſint animabus primorum parentum, erunt naturales & omnibus animabus humanis, vel ſi imperfectio, vel vacuitas, quas ponit Ariſtoteles in animabus, naturalis fuit animabus primorum parentum, erit naturalis, & omnibus aliis. Quòd ſi dixerit quis, quia non fuerunt iſtæ perfectiones naturales animabus primorum parentum, immò gratis datæ, non contradicit, quia omnia naturalia etiam gratis dantur à datore univerſali bonorum. Quid autem eſt naturale alicui, ſi quod habet ab ipſa creatione, & primis generantibus, non eſt ei naturale? Reſpondemus quòd naturale propriè eſt, prout hìc intendimus, quod ab ipſa natura uniuſcujuſque naturaliter natum eſt: non autem ita eſt in illis perfectionibus, immò naturæ animarum illarũ divina largitione in ipſa creatione datæ ſunt, non ab ipſa natura naturaliter ortæ, cùm nec ex doctrina nec ex ſtudio, nec experientia proceſſerint. Quòd ſi quæratur à nobis, utrùm ſcientia illa, quæ fuit in animabus illis fuerit revelatio? Reſpõdemus quia revelatio ex lumine eſt majori, quàm ſit lumen naturæ, qualis eſt prophetia: ſcientia verò animarum illarum, de qua loquimur, non fuit niſi lumen naturæ quod vocat Auguſtinus ſuper Geneſ. ad litteram, cognitionem veſpertinam. Hoc lumine illuſtrati creati ſunt Angeli omnes. Sed ſanctis Angelis ſuperinfuſum eſt aliud lumen incomparabiliter clarius, atque nobilius, quod idem Auguſtinus vocat cognitionem matutinam, & cognitionem in verbo: perfectio autem hujuſmodi, & imperfectio oppoſita, cùm accidant tantùm, ſpeciem non diverſificant, & ſicut illuminatio gloriæ, quæ longè major perfectio eſt, non diverſificat Angelos ſãctos, etiam ab Angelis malis diverſitate eſſentiali, ſive ſpecifica, multò fortiùs lumẽ illud cognitionis, quod in ipſa creatione ſua datum eſt animabus primorum parentum, non diverſificavit animas illorum ab aliis animabus humanis, ſicut neque perfectio corporum ipſorum corpora eorum diverſificat eſſentialiter à corporibus aliorum hominum. Videatur forſitan alicui quòd animæ primorum parentum creatæ fuerunt in regione lucis, & in luce, & inde obtinuerunt ut lucidæ crearentur, ſeu luminoſæ ea luminoſitate quam diximus. Inde etiam habuerunt, ut eſſent virtutibus decoræ, quas diximus, fortaſſis autem hujuſmodi homo aliquid ſomniat contra veritatem. Verùm quid ſit regio lucis, & utrùm una, aut plures, quæ partes earum, alij tractatui ſcilicet eſt reſervandum.

Plato. — *Vide.* — *Anima primorum parentum.* — *Naturale quid.* — *Cognitio veſpertina.* — *Cognitio matutina.*

CAPUT IX.

Quæſtiones alias de vitiis, & peccatis hoc loco nectit, & ſolvit auctor, quas operæ pretium eſt ſuo ordine videre, quia ſummari nequeunt.

De aliis vitiis, & peccatis, hoc eſt de vitiis conſuetudinalibus, & peccatis actualibus conſequenter nobis aliqua dicenda ſunt. Scito ergo in primis, quia vitium, vel vilis caſus à vilitate, & caſu dicitur, quoniàm per ipſum viliter caditur, vel à vice, & caſu, quoniàm per ipſum vicibus, poſtquàm ingeminatũ fuerit, caditur, quemadmodùm debilitate, aut claudicatione, aut aliquo aliorum, quæ caſum vicibus inducunt. Vicibus autem intelligimus, quoniàm quotiens occaſio ei datur, vel adjutorium, ſicut cùm debilitati vel claudicationi additur impulſus, aut offendiculum. Licet autem conſuetudinalia vitia dixerimus, non tamen ex conſuetudine malè agendi tantùm, immò ex uno malo actu interdùm generantur, quemadmodùm ex uno ſolo aſpectu ſpecioſæ mulieris amor turpis, & difficillimè curabilis generatur in aſpiciente, ſimiliter & ex unius invidiæ paſſione, ira, vel odium difficillimè placabiles, quemadmodùm & in virtutibus. De hoc verò, utrùm omnia peccata ex vitiis oriantur, peccata inquam actualia, quem intellectum aliis verbis multi exprimere conſueverunt, videlicet iſtis. Utrùm peccata habeant qualitates ſubſtratas, ſubſtratas inquam tanquàm radices, ex quibus oriantur, & tanquàm fundamenta quibus fulciantur, atque portantur; & inde inolevit ſermo iſte, quem multi credunt eſſe verum, ſcilicet non quia malus eſt, malè agit, ſed quia malè agit, malus eſt. Quoniàm autem quædam malitia habitus eſt, & quædam diſpoſitio, manifeſtum eſt, quia ex malitia interiori, quæ ex neceſſitate, vel habitus, vel diſpoſitio eſt, procedit malus actus forinſecus; quare verum eſt, quoniàm qui malus eſt interiori habitu, vel diſpoſitione, malè agit forinſecùs, & hoc nullam dubitationem habet. Poſito autem quòd ſolùmodò interiori actu malè agat, videlicet iraſcendo, vel amando tantùm, non habens omninò malum habitum irę, vel amoris, neque malam diſpoſitionem aliam, cùm iſta ira ſit in eo mortale peccatum, hoc ut poſuimus, manifeſtum eſt, quòd iſte malus eſt, utpote dignus æterna morte, & non eſt malus niſi hac ira, quæ utique malus actus ejuſdem eſt; ergo non eſt malus niſi malo ſuo actu: ergo non niſi, quia mala agit, & hoc indubitanter verum eſt; malus enim actu ſuo formaliter, & denominatione malus eſt; ille enim actus, cùm ſit ira, malus & malitia eſt, licet diſpoſitio ſit, & non habitus. Quæſtio autem hæc non ſolvitur per hoc; nõ enim quæſtio illa antiquorum de hoc eſt: Utrùm qui malè agit actu aliquo, formaliter malus ſit ex illo, quia hoc manifeſtũ eſt exemplo, quod poſuimus, ſed reverà ſolvitur per præcedens exemplum; quia enim malus eſt unuſquiſque, & hoc ex malitia, quæ

Vilis caſus. — *Quæſtio.* — *Malitia.* — *Quæſtio alia.*

quæ in eo vel habitus eſt, vel diſpoſitio, malè agit vel efficienter forinſecùs proculdubiò. Qualiter autem Ariſtoteles paſſiones nominet, quæ nos actus noſtros interiores nominavimus, & qua de cauſa, nos jam declaravimus in primo tractatu de virtutibus, & latiùs de hoc eodē dicere oportet in ſequentibus, videlicet in tractatu de tentationibus, & reſiſtentiis. Debes autem ſcire, quia qui vitia diviſerunt in vitia, quæ ſunt in animabus noſtris motivis de Doctoribus antiquis, non diviſerunt niſi vitia, quæ ſunt in animabus noſtris motivis, ſeu affectivis. Quare apparet diviſionem eorum imperfectam eſſe; diviſerunt enim omnia vitia in ſeptem, ut eis viſum eſt: nos autem jam oſtendimus in prima parte tractatus iſtius ſeptem eſſe vitia notiſſima virtutis noſtræ rationalis, ſive ſecundùm ipſam, octo concupiſcibilis, quadraginta & ſex iraſciblis, ſive ſecundùm ipſam, & poſuimus nominationes eorum, & rationes nominationum; diximus etiam quia quadraginta iſta & ſex ſunt ſecundùm ſuperfinitatem, & indigentiam, & mediæ virtutes inter ea 23 & quia iſta nota ſunt tam nominibus, quàm operibus apud nos intelligentes, noli decipere animam tuam, & ne labores in diviſionibus, quæ parum utiles ſunt. *Diviſiones parum utiles.* Si cui autē videatur Joan. Evangeliſtam diviſiſſe vitia in tres ſpecies, vel genera in ſecundo 1. Canonicæ ſuæ, ubi dicit, omne quod in mundo eſt, cōcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, errat homo hujuſmodi, quoniàm hæc diviſio non eſt diviſio vitiorum, ſed rerum, quæ in mundo ſunt, quæ animas noſtras ad vitia carnis, ad avaritiam, atque ſuperbiam incitant, & incendunt. Similiter & in diviſionibus, quæ leguntur apud Apoſtolum, vel potiùs enumerationibus, vel in Evangelio, ne laboraveris, tanquàm omnia vitia ibi enumerentur, vel ad enumerata redigantur; neutrum enim horū neceſſe eſt; magis exēpla ſunt, quæ ibi ponuntur, quā enunciatio univerſalis; cùm enim dixiſſet veritas in 15. Matthæi: Quia de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. non omnia mala opera, vel vitia enumeratione illa comprehenſa ſunt, ſimiliter neque apud Marcum in 7. ubi alia multa enumerantur, ſicut impudicitia, oculus malus, ſuperbia, & ſtultitia. *Diviſiones in ſacris literis quomodò intelligendæ.* Et idem dicimus de aliis quæ apud Apoſtolum leguntur, ſicut in primo Rom. Repletos (inquit) omni iniquitate, malitia, & fornicatione, &c. Quare exemplaris eſt (ut diximus) hujuſmodi enumeratio, & non diviſio doctrinalis. Quod ergo nobis reſtat hîc dicendum de vitiis poſt ea quæ jam diximus, eſt artificium quo ſciatur ſuggillatio eorum: hoc autem maximè ſcietur ex ſimilitudinibus rerum, à quibus etiam ipſa ſacra ſcriptura nominat. Nominantur enim Ægyptij, quod eſt dicere gens tenebrarum, atque mœroris, quoniàm lucem gratiæ extinguunt, & mentem obtenebrant, & æternorum dolorum mœrorem inducunt. *Ægyptij.* Similiter Chaldæi, quòd interpretantur quaſi dæmones, quoniàm ſimiles dæmonum ſunt, & diabolicæ turpitudinis characteres, ſeu impreſſiones, juxta quod legitur Sap. 2. Imitantur illum, ideſt diabolum, qui ſunt ex parte ejus. *Chaldæi.* Eodem modo, & Aſſyrij, quòd interpretantur, dirigentes, vel erigentes; erigunt enim miſeros peccatores contra Deum, ſimiliter & contra ſeipſos, & alterum contra alterum, ſicut legitur Job 15. Concurrit adversùs Deum erecto collo. *Aſſyrij.* Et Moyſes ad interfectionem Choræ. Multùm erigamini filij Levi. Numerorum 16. Et generaliter per ſeptem gentes, quas ejecit Dominus de terra promiſſionis, univerſitas vitiorum hujuſmodi intelligitur. Itē terra, quia de terra corporis noſtri occaſionaliter oriuntur. Cōgruunt eis etiam

A nomina gentium illarum, ſi quis interpretationes eis adaptare voluerit, ut Chananæus, qui interpretatur commutatus infœlici commercio, dùm pro virtute in mente humana habitat, & pro eo virtus derelicta eſt, & ipſum vitium pro ea commutat, vel commutatur, quia hoc efficit in miſero peccatore vitium, commutat enim ipſum de bono in malum, & de homine in brutum, de quo ſupra multa locuti ſumus. *Chananæus.* Congruit unicuique vitiorum nomen Amorræi, quod interpretatur amaricans, quia dulcem Deum in amaritudinē nobis convertunt, dùm iratum eundem nobis efficiunt; ipſam etiam dulcedinē virtutum in nobis amaricant, & eam dulcem, vel ſuavem nobis ſæpè non ſinunt. *Amorræus.* Et ad hunc modum eſt proſequi de aliis, ſimiliter & aſperſionis vitia intelliguntur, & ex factis ipſarum ſuggillantur,

B ſicut ex Adam nimius amor in uxorem, & vitium ambitionis ſuggillantur, de qua quæ mala eidem, & poſteritati ejus provenerint expreſſione qua decet, oſtēditur. Similiter & ex Caïn avaritia pariter oſtēditur, & invidia, dùm per hæc fratricida effectus profugus factus eſt à facie Domini, factuſque eſt tremulus, & timens ne omnis qui eum inveniret occideret. Et meritò ab unoquoque mortem timuit, qui nec etiam fratri unico à morte pepercit. Ex ipſis etiam nominibus perſonarū interpretationibus diligenter conſideratis, & convenienter adaptatis vitia efficaciter ſuggillantur, ut quia Adam interpretatur terra, ſive terrenus, ſive terra rubra, quæ primum Dei mandatum avaritiâ, ſive ambitione tranſgreſſa eſt; quòd autem terra, vel terrenitas in nobis operetur, videlicet tranſgreſſionem divinorum mandatorum, hoc uno exemplo manifeſtum

C eſt. Ampliùs. Quia per gulam, avaritiam, atque ſuperbiam peccavit, & ex illo uno homine tria illa peccata ſimul exorta ſunt, inſinuavit Spiritus ſanctus in ſcriptura illa ex terra, vel ex terrenitate in nobis procedere omnia genera peccatorum: & quoniàm Caïn interpretatur poſſeſſio terrena, inſinuatum eſt nobis ibidem, quod poſſeſſio fraternitatem occidit, hoc eſt omnem in proximo fraternam dilectionem extinguit; avarus enim nullius amicus eſt, *Vide.* & quoniàm in Abel interpretatur luctus in eo facto, ſcilicet, quo Caïn interfecit Abel, indicatur quòd poſſeſſio interfecit luctū, poſſeſſio namque temporalis, ſive terrena amatores ſuos lugere paupertatem ſpiritualium bonorum, & amiſſionem cœleſtis hæreditatis non patitur. Similiter in Abel, qui quaſi nihil interpretatur hîc, quâ interpretatio- *Abel quid.*

D ne intelligitur nihilitas, ideſt vanitas, & vilitas viſibilium bonorum: per hoc, quia per pronomen demonſtrativum conſueverunt maximè deſiderari, quæ oculis ſubjecta ſunt inſinuatur, quia poſſeſſio temporalium contemptū eorum interficit juxta modos iſtos, & quia Jeroboā interpretatur temporalitas: *Jeroboam quid.* Jeroboam autem Rex fecit ſchiſma in Iſraël, & induxit idolatriam, in ipſo evidenter etiam ſignatum eſt, quia temporaliter dividit Eccleſiam Dei, & ſcindit omnimodò, diviſiones & avaritiam in eam induxit, quæ eſt idolorum ſervitus, ſicut legitur ad Epheſios ſexto. Et quoniàm duo idola inſtituit iſte Jeroboam, alterum in Dan, alterum in Bethel, *Dan. Bethel.* manifeſtè oſtenſum eſt idolatriam avaritiæ in Judicibus, & in Prælatis per temporalitatem inductum eſſe; Dan enim interpretatur judicium; Bethel autem domus Dei. Congruenter ergo figurata eſt corruptio avaritiæ per temporalitatē in tribunali judicium, & Eccleſiā, ſive templis, quæ deberent eſſe congregationes ſanctorum, ſive in regnum, & ſacerdotium, vel judiciū. Nominibus etiam animalium immundorum & monſtruoſorum nominantur vitia in ſcriptura, ſicut nomine ſanguiſuga- *Vitia mōſtra & animalia immunda.*

Digitized by Google

rum gula, & avaritia: Proverbiorum decimotertio. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer, affer: & hoc eſt ſecundùm Bedam. Convenientiùs autē avaritia, & luxuria. Eodem modo, nomine ſerpentis detractor, & per ipſam mordacitatē ſerpentis, vitium detractionis, ſicut dicit Salomon. Quomodò ſi ſerpens mordeat in occulto; ſic nihilominùs eo habet, qui occultè detrahit.

Scorpiones. Sic per ſcorpiones proditores.

Vulpes. Per vulpes fraudulenti allocutores, & inſidiatores; Per chamæleonta, qui colorem ſuum mutat in ſimilitudinem ejus in quo eſt, vel juxta quod eſt, aſſentatores, qui pertentant, quid velint, vel intentant homines, ut eis aſſentiant, ſic per equos, temerarij, atque præcipites, & etiam ſuperbi.

Leones. Per leones, crudeles, & iracundi, ſimiliter, & rapaces; Leo enim rugiens, & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem, ſicut legitur Proverbiorum 28.

Corvi. Sic per corvos qui ſemper dicunt cras, procraſtinatores bonorum, & etiam ſolutionum eorum, quæ promiſerunt. Qui autem in vitio rapacitatis majori rabie in ſubditos ſæviunt, per lupos veſpertinos, ſicut Ezechielis 22. Principes ejus in medio ejus, quaſi lupi rapientes prædam, &c. Et iterùm: Princeps cui lupi veſperè, quod eſt dicere veſpertinum; cùm enim lupi uſque ad veſperam jejunaverunt, nec hominibus parcunt, & in villas ad devorandum homines irrumpunt.

Buffones. Ranæ. Monedulæ. Similiter per buffones, maligni, per ranas, garruli, per calendrinos, loquaces, per monedulas, avari, & etiam per corvos, unde dicit Tullius: Non plus tibi aurum, quàm monedulæ credendum. Eodem modo per aves noctis, ideſt quæ de nocte ſolummodò volant, nocturni fures, & quicunque latibula tenebrarum, ut malè agant exquirunt, & lucem fugiunt, ſicut dicit veritas in Evangelio Joannis octavo. Qui malè agit odit lucem, ſic & per piſces marinos, qui in abyſſo ſalſedinis nutriuntur, hoc eſt in mari, & nunquàm ex eodem exeunt, ſemper in eo natantes, meritò intelliguntur, qui in aqua ſapientiæ ſalutaris, in ſtudio, ſeu ſcholis, ſcilicet Theologiæ ſeneſcunt, & ſemper inſulſi, & inſipidi remanent, quemadmodùm dicti piſces marini (proh dolor) ex tanta abyſſo ſalſedinis nihil ſaporis ſuavis, nihil condimenti vitalis aſſumentes, ſed neſcio, quo diabolico artificio ſalſedinē excolentes, ſolùm fœtorem, & inſipiditatem habent, undecunque illa contrahant. Juxta hunc modum, & per aves, quæ in aquis verſantur, & ſæpiſſimè merguntur, & tamen aridæ inde exeūt, nec modicam ſtillam tantarum aquarum retinent, ſic & iſtis ſtilla permodica aquarum ſapientiæ ſalutaris non adhæret.

Terra arida quid. Ad idem pertinet terra, quæ ſæpiùs & diutiùs aquâ operitur, quoniàm & citiùs areſcit, quàm aliæ, crepat, & ſcinditur, ſicut carectū ante omnes herbas areſcit, & tamen in aqua ſemper eſt, quemadmodùm legitur in Job. Ad idem induci ſolet de ranulis, quæ in medio pinguedinis nutriuntur, & tamen omninò ſine pinguedine ſunt, & alia innumera, ſicut de molendinariis, quos ſopit tumultus aquæ, & ipſius molendini ſtrepitus, qui alios excitant; ſic de pulſatoribus campanarum, quorum aures obturantur, & etiam obſurdeſcunt, ſoporem etiam eis provocant ſonitus campanarum, qui alios excitant, & dormire non ſinunt. Hi ſunt velut cancrus, qui in mediis aret aquis, hi ſunt qui calcatis torcularibus ſitiunt, ſicut legitur Job 37. Hi neſcio quo diabolico miraculo in medio ignis non æſtuāt, in fornace ſacrorum eloquiorum, quæ reverà ignis ſunt, extincti, & gelidi ſunt.

Salamandra. Sunt & inſtar Salamandræ diabolicæ, in medio igne prædicto illæ ſi vivunt. Poſſunt tamen omnia hæc competenter ad dona gratiarum, & virtutum referri. Similiter à deformitate, & monſtruoſitate animalium, ſicut à gibboſitate camelorum, qui turgent ſtrumâ ſuperbiæ,

Cameli. Simiæ. à defectu caudæ, qui manifeſtus eſt in ſimia, illi denotantur qui ſaltē finalem pœnitentiam non agūt, quâ operiant turpitudinem ſuam ſpiritualem, hoc eſt turpitudinem peccatorum, ſimiliter qui homines videntur quidem exteriùs figura corporis, interiùs autem, hoc eſt, in vita, & moribus, bruti ſunt; quemadmodùm dicit Hieronymus. Intùs Nero: foris Cato. Sic & hypocritæ ſuggillantur à ſimili duplicitate, vel ſpeciei, quam prætendunt quodammodò, falſitate; volucres enim videntur, & volare non valent ſtruthiones, ſed greſſibiles tantùm ſunt;

Struthiones. ſic & hypocritæ ſpecie, quam prætendunt volare, ideſt alta cœleſtium petere videntur, ſed pedibus, ideſt affectibus ſuis, à terra non elevantur, & terram ſolam, hoc eſt terrenam gloriam, vel opulentiam quærentes. Ad hunc modum ſe habet de animali monſtruoſo, quod vocatur piloſus, figuram humani corporis, & greſſum ſuper duos ſolummodò pedes habente. Juxta hunc modum attendenda eſt etiam monſtruoſitas membrorum in animalibus, qualis apparet in ſimiis; pedes enim earum ex pedibus, & manibus compoſiti ſunt, & interiùs evidenter apparent compoſiti ex talis, & palmis. Similiter attendenda eſt monſtruoſitas animalium in quibus multæ ſpecies continuatæ videntur, ſicut animal,

Caſtor ſeu fiber. quod caſtor, ſive fiber nuncupatur, in quo quinque ſpecies mirabiliter conveniunt. Hujuſmodi autem monſtruoſitates in ſeipſis horribiliter effigiant, qui uno officio vel dignitate non contenti, & interdùm nec uni ſufficientes, vel idonei, multa in ſe conjungunt.

Qui multa beneficia obtinent monſtra ſunt. Dùm enim aliquis decanus eſt in una Eccleſia, præpoſitus in alia, cantor in tertia, archidiaconus in quarta, quid eſt niſi monſtrum ſpirituale in corpore univerſalis Eccleſiæ? Aſſueti autem hujuſmodi monſtris, vel potiùs horrificam eorum monſtruoſitatem non videntes, ad ea expaveſcere jam neſcimus. Similiter & ab ipſis operibus animalium ſuggillari poſſunt efficaciſſimè vitia, & peccata; ſicut ex perverſa imitatione ſimiarum ſimias diabolicas dicimus omnes peccatores, maximè autem ſuperbos, & generaliter omnes illos, qui faciles ſunt ad imitandum malos; ſimiliter ex recidivo peccati canes vocantur peccatores, qui poſt pœnitentiā revertuntur ad peccandum, ex eo quod legitur Proverbiorum 26. Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam: Et ex ſecundæ Canonicæ Pet. 2.

Canis ad vomitum reverſus. Canis reverſus ad vomitū ſuū, &c. Sic & illos qui ſpurcitias ſuas ſpiritualem requiē ſibi fecerunt, & in eis tanquàm in lectis molliſſimis, & ſuaviſſimis requieſcunt, generaliter jumēta vocamus: jumenta autem non de aliis lecteria ſibi parant, quàm de propriis ſtercoribus, nec alia ſibi ſubſternunt ad jacendum, quàm illa, propter quòd dictum eſt Joëlis primo. Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo, de quo Gregorius: Jumenta in ſtercore ſuo putreſcere, eſt in ſordibus luxuriæ vitam finire. Similiter ex vocibus animalium ſuggillamus vitia, dùm contentioſitatem latratum vocamus, loquacitatem, coaxationem raninam, & minas iracundiæ rugitum leonum, & verba ſubdola garritum vulpium, & ita de aliis. Et ut generaliter dicamus, non eſt genus animalium, quod non adjuvet declamatores ideſt prædicatores, ad vitia ſuggillanda, & veritates laudibus extollendas, ſi natura omnium, & vita eidem innotuerit. Similiter & ſacros expoſitores ad exponēdas ſcripturas, maximè ubi animalia nominantur propter hoc inſpiciendi ſunt libri de naturis animalium, videlicet Ariſt. Plinij, Alani, Iſidori, &

Libri naturales legendi. quidam libelli quos aliqui antiqui fideles de naturis animalium ex diverſis ſcripturis collegerunt.

De his autem nobis ſcribere provt opus eſſet ſupra vires eſſet, & tempus pro aliis negotiis impendere nos oportet. Adjuvant etiam elementa, propter quod vires, & proprietates eorum noſſe perutile eſt prædicatoribus, & ſacris doctoribus. *Ignis eſt peccatum.* Ignis enim nominatur peccatum adulterij, ſive luxuria proſtituta Job 31. Ignis eſt inquit uſque ad perditionem devorans, &c. Et omnis amor inordinatus vocatur ignis creberrimè in ſcriptura; ſic & nominibus aliorum elementorum: *Terra non ſatiata aquâ eſt ebrietas.* Proverbiorum trigeſimo. Terra, quæ non ſatiatur aquâ, gula, vel ebrietas. Sic ab inſtrumentis bellicis, gladius evaginatus, mulier ſpecioſa apertæ turpitudinis: gladius verò qui vocatur ſica, *Sica.* mulier hujuſmodi, ſed occultæ turpitudinis; ſpecies enim muliebris gladius flammeus, vel ignitus, dicit Hieronymus, ſic & ab inſtrumentis ruſticanis, ut cœnoferium diabolicum hominem, B qui circunfert immunditias peccatorum, & rotabulum diabolicum avarum ſignificat, qui totum ſe dedit congregando, ſeu congerendo luto divitiarum; *Rotabulū.* rotabulum enim eſt inſtrumentum ruſticanum, quo lutum de plateis, vel multum cœnum cōgeritur; ſimiliter & cophinus diabolicus cor avari, unde dicimus avaros tot cophinos luti Ægyptij portare in humeris, quot loculos portant in cordibus. De hujuſmodi cophinis dicitur in pſalmo. Manus ejus in cophino ſervierunt. Similiter ex inſtrumentis venatoriis & piſcatoriis, quemadmodùm Salomon malam mulierem vocat laqueum venatorum, *Sagena cor mulieris.* & ſagenam cor ejus. Eccleſiaſt. 7. Sic laqueum & muſcipulam diabolicam eandem. Sapien. 43. Sic ab officinis immundis ſuggillantur peccatores, ſicut Auguſtinus, cloacam immunditiæ cor peccatoris vocat, ſuper orationem dominicam. Carnificina verò diaboli juxta hunc modum eſt os detractoris, ubi C innumerabiles tam boni, quàm mali gladio linguæ ipſius, armiſque, ac ſagittis dentium ejuſdem jugiter cruciantur; ſic & coquinam diabolicam in declamationibus noſtris corda ſolemus vocare, quæ vel jugiter friguntur, vel aſſantur ardore concupiſcentiarum, vel quia frixuras, & aſſaturas, aliaque fercula coquinaria jugi meditatione habent in ſe, ſicut mos eſt quibuſdam guloſis, etiam religionem profeſſis, qui non domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed ſuo ventri ſerviunt, quemadmodùm coquina. Juxta modum iſtum ad herbas immundas, peſtiferas, & venenatas: ſic & ad arbores infructuoſas, vel ignobiles fructus, vel aliis de cauſis malorum hominum ſimilitudines habentes aliquas recurrendum eſt prædicatoribus, ut ex ſimilitudinibus hujuſmodi vitia, & peccata ſuggillent, ſicut ad carduum, & rhamnum, atque papullum, aliaque hujuſmodi, D propter quod neceſſariò habent publici prædicatores naturas, proprietates, & operationes rerum hujuſmodi cognoſcere, ſimiliter aquarum, lacuum, fontium, paludum, & ipſorum, ut diximus elementorum, quæ cùm innotuerint ſummoperè ſtudendum eſt eiſdem, ut eas & decenter inducant, & convenienter adaptent. De his autem vitiis ſcribere relinquimus alijs, quibus & peritia hujuſmodi data eſt, & ſpatium conceſſum. Ad alia enim quæ magis conveniunt propoſito feſtinare nos oportet.

CAPUT X.

De peccatis iterùm dicit ſuo more multas innectens quæſtiones.

DE peccatis autem, ideſt de operibus humanis, negligentiis, & omiſſionibus provt deſuper accepimus, aliqua dicere intendimus. Jam autem diximus, quia peccatum vel pedis caſus, vel pecualis A ſit caſus, quod propter ſimilitudinem dictum eſt, quoniàm reverà cadit in mortem & culpæ hîc, & in profundum gehennæ in futuro, qui mortaliter peccat. Nos autem dicemus in ſequentibus, quid eſt mortaliter peccare, & cujuſmodi peccatum mortale intelligatur. Primùm diſcutientes quæſtionem illam antequàm utique, ſed noſtro tempore innovatam propter errorem quorundam, quæ non fuit eis ſuo tempore declarata. *Quæſtio.* Hæc autem eſt quæſtio, utrùm poſſibile ſit aliquem peccare, & qui negaverunt libertatem arbitrij in hoc errore fuerunt, & hoc eſt, quoniàm ſi non eſt nobis libertas arbitrij, erit nobis impoſita neceſſitas faciendi, quod facimus, & non faciendi, quod non facimus; quicquid enim non liberum eſt nobis facere, vel non facere, eſt nobis neceſſe facere, vel impoſſibile, ſimiliter & B non facere; quare nec culpandi ſumus, ſi facimus, nec laudandi, ſimiliter & ſi non facimus quodcunque ex operibus bonis, vel malis. Ampliùs. Quia bruta neceſſitate feruntur, non libertate moventur ad aliqua, nec peccant, nec laudabiliter agunt quicquid agant. Ampliùs. *Lex non eſt poſita brutis.* Sicut non eſt lex poſita brutis, ſic nec ponenda eſt hominibus, cùm nec de ſe, nec de operibus ſuis ullam habeant poteſtatem. Quòd ſi verum eſt, impoſſibile erit Deum aliquid laudabiliter facere; neceſſe eſt enim facere ſemper benè & bona, & impoſſibile eſt aliter, vel malè: ſi ergo neceſſitas nuda, vel impoſſibilitas prohibent vel benè agere, vel malè, omnipotentiſſimus Deus prohibitus eſſet malè agere, cùm neceſſe ſit ipſum benè agere, & impoſſibile ipſum unquàm malè agere. Similiter & de Angelis ſanctis ſe habet à tempore ſuæ confirmationis. Nos autem generaliter oſtendemus hoc de omnibus: *Nota.* C neceſſe eſt enim unumquodque agere, quod agit, dùm iſtud agit, & impoſſibile eſt ipſum aliter agere tunc, verbi gratiâ. Cùm iſte in inſtanti odio mortali habeat fratrem ſuum, impoſſibile eſt, ut in eodem inſtanti, & dùm durat illud inſtans, non odiat ipſum, & neceſſe eſt illum odire in eodem inſtanti; quare non peccat odiendo fratrem ſuum in illo inſtanti, quare impoſſibile erit aliquem peccare, vel etiam benè agere: propter hoc ſolebamus diſtinguere, quia quædam neceſſitas eſt violentiæ, & illata, & quicquid ex ea agitur, non agenti, ſed violentiam inferenti imputandum eſt, immò nec agens dicendum eſt illud, cui violentia infertur, ſed magis ipſum, quod infert violentiam, ut rota molendini nec movens ſe, neque agens dicenda eſt, dùm impetu aquæ volvitur, ſed aquæ motus ejus imputandus eſt. Eſt & neceſſitas ſtabilitatis, & immutabilitatis, qualem dici- D mus eſſe Dei neceſſitatem, qua immutabiliter bonus eſt, & quicquid eſt hac neceſſitate, neceſſe eſt ipſum benè agere ſemper, & contrarium impoſſibile, & iſta neceſſitas non aufert libertatem, ſed perficit; poſſe enim malè agere, hoc eſt poſſe cadere, & poſſe fieri ſervum peccati, ſervitus eſt; non poſſe ergò malè agere, vel fieri ſervum peccati, libertas eſt, & tantò major, quantò ab hujuſmodi ſervitute remotior. *Tertia neceſſitas.* Tertia neceſſitas eſt extranea, ſive forinſeca, quam nonnulli vocare ſolent neceſſitatem per accidens. Et eaſdem diſtinctiones facimus de impoſſibilitatibus, & hoc modo dicuntur quædam de præterito vel neceſſaria, vel impoſſibilia per accidens, ſicut te comediſſe, vel aliud quodcunque feciſſe, quod feciſti, vel non feciſſe, ſi non feciſti. *Quarta.* Sed quarta eſt neceſſitas, ſecundùm quoſdam, quam vocat Ariſto. determinatam, ut Socratem ſedere, dùm ſedet, & hoc fortè referri poteſt ad neceſſitatem, quam diximus extraneam, forinſecam, ſive per accidens; pro eo enim neceſſe eſt te comediſſe, ſi comediſti, vel impoſſibile te comediſſe, ſi non comediſti, quo-

Digitized by Google

niàm tempus non recipit mutationem reditus, ſive revocationis, ſic & Socratem ſedere dùm ſedet, quia tempore quo ſedet non ſtat, & ideò non recipit contrarium ſeſſioni ſive privationi ipſius. Quare fluxus temporis utriuſque cauſa eſt neceſſitatis, aut impoſſibilitatis. Neceſſitas prima, quam diximus violentiæ, cùm violentia contra voluntatem fuerit, inculpabilem efficit voluntatem, & hoc eſt quoniàm, ut dicit Auguſt. in Enchiridio. Tantùm voluntate peccatur. Contra voluntatem autem dicimus eſſe neceſſitatem, ſeu impoſſibilitatem, aut etiam violentiam, cùm nec affectata eſt, nec procurata, nec tolerata, aut neglecta, ſicut apparet in exemplo Tulliano de illo, qui cùm eſſet vocatus in jus, fregit pontes, per quos neceſſe habebat venire, quo vocabatur, ut poſſet allegare impoſſibilitatẽ veniendi illuc: ſic faciunt & miſeri peccatores, dùm peccant aliquâ horâ, vel puncto, impoſſibile ſibi non peccare tunc; impoſſibilitas ergo hæc non eſt contra voluntatem, cùm ſit ab ipſa voluntate procurata, nec contra ipſam obnitatur voluntas, cùm non diſpliceat ei ipſum peccare tunc, quod eſt illud impoſſibile; quemadmodùm enim ſi quis velit habere montes aureos ex ſola cupiditate, licet habere montes aureos ſit eidem impoſſibile, non excuſat ipſum à peccato cupiditatis hujuſmodi impoſſibilitas; illi enim impoſſibili adhæret voluntas ſponte, & placet ei: impoſſibile igitur volitum, & placitum non excuſat vel agentem, vel volentem, ſi malum ſit; per hoc enim mala eſt voluntas, quia cadit ſupra malum, & hoc ſufficit ad hoc ut mala ſit voluntas, licet aliis modis mala fieri poſſit; quamvis enim corruptæ, quæ vovit virginitatem, & virginitas impoſſibilis ſit, & corruptio neceſſaria (ut ita dicamus) & neceſſe ſit ipſam eſſe corruptam, quandiu tamen vel placita eſt ei, vel tolerata, vel neglecta corruptio, & nec volita eſt ei, nec placita virginitas, nec deſiderata, non excuſat eam à peccato, alioquin de malitia commodum reportaret. Et ad hunc modum ſe habet de præcedentibus exemplis, quia facta eſſet ei licita corruptio, & inculpabilis per malitiam fornicationis ſuæ: ſi autem pœniteret, & de corruptione ſua, & amiſſione virginitatis, pœniteret inquam veraciter, excuſaret eam indubitanter tam neceſſitas, quàm impoſſibilitas ſupradicta, & hoc eſt, quoniàm tunc eſſent contra voluntatem ipſius, & impedirent ipſam. Invincibile autem impedimentum ſemper excuſat agere volentem, & hoc eſt, quod nonnulli ex ſacris doctoribus dicere ſolebant, quia impoſſibilitas, & neceſſitas in invio non excuſat, ſed in via; in via utique eſt virgo, de qua loquimur, dùm pœnitet, in invio verò, quãdiu non pœnitet de corruptione ſua. Perſcrutemur autem illud aliquantulùm latiùs & dicamus, quia ſicut dicit Auguſtinus, quia, qui dixerit Chriſtum præcepiſſe impoſſibile, anathema ſit. Non præcepit ergo Chriſtus alicui peccanti nunc, non peccare nunc, cùm impoſſibile ſit omni peccanti nunc, non peccare nunc, non eſt ergo contra præceptum Dei peccare nunc. Quare eſt factum, vel dictum, vel cupitum contra legem Dei, & ita peccatum à diffinitione Auguſtini, licet ejus contrarium ſit impoſſibile, ut diximus. Ampliùs. Solet dici, quia negationes, ſive prohibitiones divinæ obligant ad ſemper: affirmationes verò, ſive præceptiones obligant pro loco, & tempore, ergo ad omne nunc obligat quæcunque divina prohibitio, ergo ad non peccare nunc mortaliter. Ampliùs. Qui dixit; Non furtum facias, aut intellexit nunquàm furtum facias generali abnegatione, aut paiticulari, quandóque non furtum facias. Ampliùs. Non ſubeſt libero arbitrio peccare modò, vel non peccare modò in quocunque, ſive peccet, ſive non, modò,

Voluntate tantùm peccatur.

Chriſtus nihil præcepit impoſſibile.

Negationes ſeu prohibitiones divinæ.

Affirmationes.

E cùm alterum ſit neceſſarium, alterum impoſſibile: unicuique ergo neutrum eſt præcipiendum, vel prohibendum: Deus ergo neutrum prohibet, vel præcipit, cùm nihil faciat, quod faciendum non ſit. Ampliùs. Si Deus præciperet peccanti modò dicens, ne pecces modò, non ſolùm inutiliter, ſed etiam ridiculosè hoc faceret, cùm hujuſmodi præcepto peccanti parere ſciat eſſe impoſſibile. Ampliùs. Quis ſapiens, aut bonus præciperet alicui, ſede dùm ſtas? aut ſta dùm ſedes? certum eſt quòd nullus, multò fortiùs ergo nec Deus. Ampliùs. Si totum tempus eſſet iſti peccanti nunc, ſicut eſt hoc ipſum nunc, in quo peccat, hoc eſt, ſi totum tempus non reciperet mutationem, ſicut neque hoc nunc, videlicet ut ſicut in ipſo nunc non poteſt non agere quod agit, in eo, vel agere in eo, quod non agit in ipſo nunc, non tangerent ipſum præcepta Dei cùm neceſſitati alli-

F gatus eſſet facere toto tempore vitæ ſuæ quicquid facit, nec eſſet ei poſſibilitas aliud, vel aliter faciendi. Stultiſſimum etiam eſſet eidem legem imponere, quem neceſſitas ſic ligatum teneret, ut aliud vel aliter facere non eſſet eidem poſſibile; quare nec ad ipſum nunc, hoc eſt reſpectu ipſius, poſtquàm ineſt, ullo præcepto, vel lege obligatus eſt, cùm in eo nec aliud, nec aliter agere, nec aliter ſe poſſit habere. Ampliùs. In præmiſſo caſu quærimus: Utrùm iſta virgo teneatur nunquàm fuiſſe corrupta, & utrùm Deus exigat ab ea hoc, videlicet ut non fuerit corrupta? Quòd ſi dixerit quia Deus hoc exigit ab ea, & quia ad hoc teneatur, intolerabiliter errat, cùm & homo etiam talia exigere non auderet, immò etiam exigere erubeſceret. Ampliùs. A debitore, qui paupertate invincibili factus eſt in non ſolvendo, nemo creditor auderet exigere debitam pecuniam, cùm ſciret ipſum ad eam paupertatem, quã diximus, deveniſſe, niſi fortè ſub ea conditione, ſi

G fortè ad pinguiorem aliquo tempore veniret fortunam, vel ſi ab amicis ei ad hoc ſubveniretur. Cùm ergo iſta corrupta non ſit in ſolvendo ſuper virginitate, vel voto ejus, vel ſuper hoc, videlicet quòd non fornicata fuerit, nec Deus, nec homo ab ea hæc petere vel exigere poteſt. Ampliùs. Cùm pater flagellat filium ad correctionem, non intendit per flagella ut non peccaverit, ſed potiùs ut non peccet ulteriùs, licet flagellet ipſum, quia peccavit: multò fortiùs ergo Deus quantumcunque puniat delinquẽtem, non exigit tamen ab eo, ut non peccaverit, nec unquàm dictũ eſt, quòd aliquis qui peccaverit, teneatur non peccaſſe. Ampliùs. Si aliquis debet mihi pecuniam ad certum diem ſolvendam, & eâ non ſolutâ dies hujuſmodi elabatur, manifeſtum eſt, quòd ab ipſo non poſſum petere, ut ſolverit mihi

H dictam pecuniam illa die, ſed reverà ab eo poſſum petere meum intereſſe; multò minus igitur Deus, cujus omnia judicia, æquitas, vel veritas. Ampliùs. In hujuſmodi præterita non cadit imperium, & propter hoc nulla locutio imperativa eſt de præterito, nec imperativus modus habet præteritum. Adeò etiam contra naturam eſt, quòd nec habet etiam natura locutionem, vel loquelam, qua talia poſſit vel imperare, vel petere, niſi valde abſurdè: quid autem eſt in cauſa, niſi impoſſibilitas revocationis tẽporis, & actionis, quæ ſimul fluxerunt? Eadem ergo impoſſibilitate, quia nec retineri tempus poteſt, nec ipſum nunc temporis, quin irrevocabiliter ambo fluant, nec in imperium, nec in legem cadunt hæc. Si autem nec in imperium, nec in legem cadunt, nec erit in eis tranſgreſſio, vel omiſsio, & ideò nec mortale peccatum; propter hæc, & hujuſmodi viſum eſt quibuſdam, quoniàm nullus peccaret in hujuſmodi, & dixerunt, quia non peccat iſte fornicando, in A, vel in aliud malè faciendo, cùm habeat neceſſitatem,

Quæſtio.

Iterum.

Quæſtio.

Quæſtio.

Digitized by Google

A neceſſitatem vel impoſſibilitatem faciendi, vel non faciendi; hoc autem dixerunt etiam, quoniàm neceſſitas, & impoſſibilitas ſemper excuſant. Non peccat ergo, ut ipſi dicunt, in hoc nunc agendo contra Dei præceptum, vel omittendo illud, cùm excuſetur per neceſſitatem, vel impoſſibilitatem, quam diximus, ſed peccavit inquiunt priùs, quandò ſcilicet negligens fuit ſibi cavere, vel declinare ab hujuſmodi facto, quia tunc ingeſſit ſe in hanc neceſſitatem, ſive impoſſibilitatem: hîc autem error deſtruitur multis viis, & modis. Primùm, quia aut in A neglexit, ſive fuit negligentia, aut nunquàm, ſi nunquàm, ergo nunquàm peccavit ante A. Sed neque peccat in A, ut ipſi dicunt, nunquàm ergo peccavit, & ita eſt oſtendere de unoquoque, quod impoſſibile eſt ipſum peccare. Si verò neglexit in aliquo inſtanti, videlicet in B, redeunt in eundem errorem, quoniàm ſub inſtanti B neceſſe fuit ipſum negligere quod tunc negligebat, & impoſſibile non negligere, quod tunc negligebat: quare eiſdem neceſſitate, & impoſſibilitate excuſatur, ut non peccet ſecundùm errorem iſtum. Eodem modo ſe habet, ſi dicatur, quòd non in inſtanti eſt hujuſmodi negligentia, vel omiſsio, ſed in tempore determinato, & limitato; eadem enim neceſsitate tenetur, & impoſsibilitate in tempore, quo occupatur totaliter, ideſt in toto, quo teneretur in inſtanti; tempore enim, quo agitur, impoſsibile eſſe videtur aliter ſe habere agentem, vel non agentem: poſſet fortè aliter ſe habere in parte ſecunda temporis, quàm ſe habuit in præcedenti, ſed manifeſtum eſt, unumquéque neceſſe habere ſedere dùm ſedet, aut ſtare dùm ſtat; ſi enim deſiſteret à parte actionis ſuæ, vel ceſſationis, non ageret niſi partem actionis, & in parte temporis. Quare ſive deſiſtet, ſive non, ſemper agit, vel ceſſat dùm ceſſat, & impoſſibile eſt aliter ſe habere; quam neceſſitatem vocat Ariſtoteles determinatam, ſive conditionalem. Ampliùs. Secundùm hoc manifeſtum eſt impoſſibile eſſe aliquem peccare; ſi enim poſſibile eſt, eſto ergo quòd aliquis peccet, aut peccat in inſtanti, aut in tempore? Quòd ſi dixerit in inſtanti, nominemus illud A; poſtquàm ergo iſte peccat in A, neceſſe eſt in A, ipſum peccare, ſimiliter impoſſibile eſt ipſum in A non peccare: A ergo habet neceſſitatem, & impoſſibilitatem, per quas excuſant hujuſmodi erronei peccantes. Quare non peccat in A, cùm non habeat in poteſtate non agendi quod agit, & ſit conſtitutus in neceſſitate agendi, quod agit. Eodem modo neceſſe eſt ſe habere, ſi A nominetur tempus in quo peccat; ſimiliter enim neceſſe eſt ipſum agere, quod agit in B, & impoſſibile non agere quod agit tunc, ut oſtendimus. Verùm cùm ſpiritualia peccata in inſtanti perficiantur, ſicut eſt gaudere de alieno malo, dolere de alieno bono, ad minùs non effugient, quin impoſſibile ſit aliquem peccare peccato ſpirituali. Quòd autem peccata ſpiritualia in inſtanti perficiãtur, etiamſi per tempus durare poſſint, & plerunque durant, manifeſtum inde eſt, quoniàm anima humana impartibilis eſt, & ideò gaudium, dolor, & omnis alia ejus diſpoſitio impartibilis eſt: diſpoſitio inquam unum eſt vera unitate, hoc eſt non adunata. Quare gaudium, & dolorem, & ſimilia non recipit anima humana per partes, ſive partem poſt partem, immò ſubitò, & totaliter ſimul quod eſt in inſtanti. Quare gaudet, & dolet prædictis modis in inſtanti, & ita peccat ſpiritualiter in inſtanti. Grammatica verò, & aliæ ſcientiæ, quæ deorſum ſunt, licet unæ ſint, adunata tamen unitate hæc ſunt; grammatica enim per partes adjicitur, & aggregatur ex regulis, & documentis aliis, donec compleatur ejus totalitas. Ampliùs. Cùm dicant iſti, qui peccat in

Confutatio erroris.

Nota.

Spiritualia peccata.

A inſtanti, non tenetur non facere quod facit in illo, dùm illud facit, neque facere quod non facit: Quærimus ab eis, utrùm ſit licitum ei facere tunc quòd facit tunc, an non? Si dixerit quòd ſic, accidunt horrifica inconvenientia. Primum, quia omne malum efficitur licitum quantumcunque horrificum, & pernitioſum ſit, quare evacuabit peccatorum unuſquiſque omnem præceptionem, & prohibitionem divinam, totamque legem Dei, cùm omne illicitum poſſit ſibi facere licitum, & hoc per culpam ſuam, immittens ſe in neceſſitatem, vel impoſſibilitatem, quas diximus, & ita eximet ſe privilegio diabolico à tota lege Dei. Facit autem pro iſto errore quod vulgariter, & uſualiter dicitur, videlicet quòd neceſſitas non habet legem. Cùm ergo procurare poſſit unuſquiſque peccator neceſſitatem, & impoſſibilitatem, quas diximus, poterit procurare, ut ſit ſine lege, vel legem non habeat quantùm ad hoc,

Quæſtio.

Neceſſitas.

B hoc autem eſt privilegium diabolicum, & ſine lege Dei. Ampliùs. Secundùm hoc licitum erit peccatoribus facere quicquid faciunt, dùm illud faciunt, quare impoſſibile erit aliquem aliquid facere illicitum, vel illicitè, & ideò impoſſibile erit aliquem facere contra legem Dei; dùm enim faciunt quicquid faciunt, jam non contra legem faciunt, cùm neceſſitas legem non habeat, & ipſi tunc in neceſſitate poſiti ſunt. Eodem modo neceſſe habent dicere & de meritis, & de bonis operibus; dùm enim benè aliquis agit, neceſſe habet agere, quod agit, & æqualiter impoſſibile eſt illum tunc vel aliud, vel aliter agere; quare ſecundùm hoc impoſſibile erit aliquem benè agere, & maximè in operibus ſpiritualibus erit iſta neceſſitas, vel impoſſibilitas, propter cauſam quam diximus. Secundùm hoc etiam non erimus

C ſubditi legi divinæ, neque peccatores erunt ſub lege, ſed magis lex erit nobis ſubdita, & peccatores erunt ſuper legem, cùm in poteſtate habeant de illicitis facere licita, & econversò. Secundùm hoc accidit etiam quòd peccando declinabitur peccatum, & per peccatum, atque culpam fiet licitum, & inculpabile, quod aliàs erit illicitum, vel culpabile; negligendo enim periculum ſuum, & per negligentiam hujuſmodi peccando, faciunt ſibi licitum, & inculpabile per neceſſitatem, & impoſſibilitatem, quas diximus, quod aliàs erat illicitum, & culpabile. Ampliùs. Secundùm hoc nihil erit omninò peccatum, quemadmodùm quod agitur non eſt peccatũ propter neceſſitatem, & impoſſibilitatem prædictas. Ampliùs. Nullus peccabit peccato, quia non peccabit eo, dùm agit illud, neque dùm non agit illud; dùm enim iſtud agit, licitum eſt ei agere iſtud, propter neceſſitatem in quam incidit. Ampliùs. Secundùm hoc ſola negligentia erit peccatum, cùm omnis actus licitus ſit dùm agitur. Ampliùs. Neceſ-

Negligentia.

D ſitas, vel impoſsibilitas nullum eſt peccatum, ſed neque ipſum neceſſarium, vel impoſsibile, quod diximus, eſt peccatum, immò licitum ſecundùm errorem iſtum; ergo neque, qui incidit in neceſsitatem hanc, vel impoſsibilitatem, vel in hujuſmodi neceſſarium, aut impoſsibile, incidit in peccatum; quare impoſsibile erit aliquem incidere in peccatũ. Ampliùs. Solum peccatum eſt declinandum; à licitis enim neque cavendum eſt nobis, neque declinandum: non eſt ergo negligentia culpanda, ſi in ea incidimus, quæ licita ſunt, & non ſunt peccata; quare neque negligentia etiam invenietur eſſe peccatum. Ampliùs. Si negligentia eſt peccatum, non eſt peccatum niſi dùm eſt, ſed tunc ex neceſsitate eſt, quare tunc non eſt peccatum; præceſsit ergo eam alia negligentia, per quam incidit peccans in ipſam, & ita in infinitum. Ampliùs. Cùm peccare in A ſit iſti neceſſarium in A, & contrarium ſit eidem im-

Solum peccatum declinandũ.

poſſibile in A, erit ergo peccare in A licitum iſti in A, & ita erit idem peccatum mortale, & licitum. Si verò dixerit quia facere in A hoc quod facit, eſt illicitum, eſt ergo peccatum non obſtante neceſsitate, vel impoſsibilitate. In hac ergo quæſtione dicendum eſt contra eos qui ſic opinantur, videlicet quòd neceſsitas, & impoſsibilitas excuſant à tentatione, & obligatione, de quibus agimus hic, quod nihilominùs peccatum eſt, & malum eſt, & illicitū in A, quod iſte facit in A, neque hoc poſſunt facere neceſsitas, aut impoſsibilitas, ut illud quod eſt malum in ſe, non ſit malum cum illa neceſsitate, vel impoſsibilitate, de quibus agitur, quemadmodùm manifeſtè ſe habet in exemplo, quod diximus, quod eſt, iſtum mortaliter peccare in A Similiter & in omnibus illis, quæ Ariſtoteles vocat nominata, mox conjuncta malo. Cauſam autem jam diximus, propter quam neceſsitas, & impoſsibilitas excuſent, & ubi, & quandò non. In nudis verò factis, vel operibus, quæ indifferentia ſunt, neceſsitas & impoſsibilitas excuſant ipſum facere, vel non facere nudum ab iſta conjunctione mali, non aliter tamen, niſi quemadmodùm diximus, videlicet cùm nec affectatæ fuerint, nec procuratæ, nec toleratæ; ſed ſi contra voluntatem fuerint, ut diximus, aliàs autem voluntariæ reputandæ ſunt. Cùm quæritur à nobis, utrùm in imperium cadant hujuſmodi impoſsibilia? Reſpondemus quia & in imperium, & in prohibitionem cadunt, cùm prohibita ſint, antequàm fiant, vel præcepta, nec Dei præceptiones, aut prohibitiones, vel etiam minimum apicem totius legis Dei malitia, vel negligentia peccantium, evacuare, vel ſolvere poſsit ullo modorum. Reverà tamen verum eſt in illa neceſsitate, vel impoſsibilitate conſtitutis non novum præceptum, ac prohibitionem contra eas eiſdem dari: liberis ergo ab iſta neceſsitate, vel impoſsibilitate data ſunt præcepta, & prohibitiones; ipſi verò per ſtultitiam, atque malitiam ſuam abſtulerunt ſibi hujuſmodi libertatem, & ſuperadduxerunt ſibi peccandi neceſsitatem, & non peccandi impoſsibilitatem, & peccant illa hora in eo quod tunc vitare non poſſunt. Si verò quæritur utrùm teneatur iſte non peccare in ea, vel non facere hoc in A, non videtur dubitandum hoc, cùm priùs teneretur lege Dei, & in nullo exemptus ſit, vel abſolutus eſt ab ea poſtmodùm. Quòd ſi quæratur utrùm Deus requirat iſtud ab eo quod ſcit eum facere non poſſe. Dicimus quia tunc non eſt neceſſe, quòd Deus requirat hoc ab eo, vel tunc, vel poſtmodùm, ſed requirit ab eo pœnam, quam meruit hoc faciendo, vel ſatisfactionem pro hoc; nullo modo enim dicendum videtur, quòd Deus velit habere ab eo, quod ſolvere, vel facere non poteſt. Quòd ſi quæritur, utrùm teneatur peccare tunc, vel non teneatur. Dicimus, quòd non tenetur; ad illud enim tenetur unuſquiſque vitandū pro quo, ſi illud fecerit, efficitur debitor mortis æternæ. Similiter & ad illud faciēdū, pro quo, ſi omiſerit, amittit vitā æternā. Intelligitur hoc ſicut expoſuim⁹, & hæc eſt intentio ejus, quòd dicitur, teneri, tenetur enim quantùm ad vitā æternā, hoc intelligitur ſicut expoſuim⁹, & hoc eſt in quo multi erraverunt, & quod multos decipit, & decepit; non enim aliud eſt dicere tenetur, quantùm ad vitam æternam, quàm hoc, niſi hoc fecerit, vel vitaverit, amittit vitam æternam. De eo verò quod quæritur utrùm iſte teneatur non peccaſſe, dicimus, quòd ſecùs eſt; peccaſſe enim omninò elapſum eſt à manibus, & à poteſtate liberi arbitrij, & nihil in illud poteſt liberum arbitrium, & ideò de illo nulla eſt obligatio: ipſum verò peccare, vel malè agere in A ſubeſt libero arbitrio, quoniàm ex illo eſt liberè, & volenter, & quandó-

Neceſſitas & impoſſibilitas à quibus excuſant.

Quæſtio.

Quæſtio.

Quæſtio.

Quæſtio.

Nota.

E que gaudenter. Quòd verò objicitur, & quæritur, quia tunc non poteſt aliud facere liberum arbitriū, nec illud vitare quod agitur: Reſpondeo quia ideò non poteſt, quia nec vult, nec poteſt etiam velle tunc contrarium, quia nec vult tunc contrarium, & ideò remanet inexcuſatum à culpa, quod facit. Jam ergo declaravimus hunc errorem, & oſtendimus cauſam erroris iſtius, videlicet neceſsitatem, & impoſsibilitatem malè, & culpabiliter, procuratam; non enim hujuſmodi erronei attenderunt cujuſmodi neceſsitas, vel impoſsibilitas, & quandò excuſet à culpa mortali, neque diſtinxerunt, qualiter requirat Deus ab homine, quod facere non poteſt, & qualiter non requirat. Nos autem jam declaravimus intentionem hujus requiſitionis, prout congruit Deo. Erraverunt etiam in hoc, quòd non rectè intellexerūt quid ſit aliquid ſubeſſe libero arbitrio; quæ-

F dam enim ſubſunt plenè arbitrio libero ad faciendum, & non faciendum, ut quæ ſunt voluntaria de futuro: quædam verò ad faciendum tantùm, vel non faciendum tantùm: quædam verò de præſenti, & voluntaria de præſenti; nihil enim magis ſubeſt libero arbitrio, quàm quod ex eo eſt libenter, atque gaudenter. Nec obſtat nobis illud, quicunque dixerit, Chriſtum præcepiſſe impoſsibile, anathema ſit; in omnibus enim ejus præceptis nec unum invenitur impoſsibile, quandò præceptum eſt, nec ipſe præcepit impoſsibile, ſed ſtultitia peccantis impoſſibile ſibi facit, quod erat ſibi poſsibile, vel intelligitur hoc de impoſsibilibus per ſe, & naturaliter, propter quod lex humana, & mundana dicit ut ſupra diximus, quia in rerum natura impoſsibilium nulla eſt obligatio, & iterùm dicitur propter hoc, quòd lex debet eſſe poſsibilis, & honeſta. De virgine verò, utrùm poſt lapſum teneatur ad virginitatem ſi eam vovit. dicimus quòd non, propter cauſam quam ſupra hìc aſsignavimus: Veruntamen tenetur ad illud quod poteſt de voto hujuſmodi, videlicet ad continentiam de cætero. Quòd ſi dixerit quis, quia ſimiliter, ſi labatur iterùm non tenebitur, niſi continere in poſterum, & ſi iterùm labatur, ſimiliter non tenebitur ſervare continentiam, niſi in tempore, quod erit poſt lapſum iſtum: & ſimiliter ſe habet de lapſu tertio, & ita in infinitum. Minuetur ergo ei obligatio quantùm ad tempus, & hoc per culpam ſuam, quia ſemper tenebitur ad minorē continentiam, id eſt minoris durationis; efficietur ergo per culpam ſuam melioris conditionis. Reſpondemus, quòd non ſequitur, quoniàm quod minus habet obligatio ejus in tempore, hoc habet plùs, & multò ampliùs in obligatione culparum, quas cō-

G trahit per frequentem relapſum. Secundùm errorem autem illorum, qui dicunt omnia ex neceſsitate evenire, non eſt neceſſe, ut propter hoc nemo peccare poſsit, aut benè agere, & hoc apparet per ea quæ diximus de neceſsitate, & impoſsibilitate, videlicet quæ & quandò excuſant à culpa, & obligatione, & quatenùs, ſicut oſtendimus, quia neceſsitas qua neceſſe eſt Deum ſemper benè agere, & impoſsibilitas, qua impoſsibile eſt ipſum malè agere, in nullo prohibent, vel impediunt, quominùs benè & laudabiliter agat utrunque, & hoc eſt quia, nec violenter ipſum impellunt ad benè agendum, nec violenter ipſum impediunt, aut avertunt tunc à malè agendo, nec ullo modorum reſiſtit illa impoſſibilitas. aut contradicit voluntati ejuſdem: ſicut neceſsitas virtutis cæleſtis, aut fati, quam ſecundùm eos impoſsibile eſt averti, vel impediri & quæ etiam movent animas humanas, ut ipſi opinantur, movent inquam ad cogitationes, & affectiones, quæ in eis ſunt, & per illas ad operationes, & operum declinationes, quoniàm non movent eas violenter, immò

Quæ ſubſunt libero arbitrio.

Quæſtio de virgine lapſa.

Error quorundā.

Digitized by Google

Nota.

immò voluntariè, non excuſat animas humanas à peccatis, & culpis; & hoc eſt quoniàm à quocunque principio ſit opus voluntarium, dummodò voluntarium ſit, ideſt volitum, quocunque trium modorum quos diximus, ideſt affectatum, vel toleratũ, vel neglectum, ſemper imputandum eſt voluntari, & agenti per voluntatem. Nec ſequitur ſi non poteſt aliud agere, vel etiam velle, quòd propter hoc excuſatus fuit, qui nec vult aliud poſſe, vel agere, nec aliud velle: propter hoc dicit Seneca: Quia omne peccatum adeò eſt voluntarium, ut ſi non ſit voluntarium, nõ ſit peccatum; quare neceſſitas, vel impoſſibilitas, quæ non aufert operi, quin ſit voluntarium, hoc eſt ex voluntate, quam impoſſibile eſt non eſſe liberam, nec culpam aufert, nec meritum eidem operi. Reverà autem ſi totum, quod movet animas noſtras, extra nos eſſet, & non haberemus principium motivum operum noſtrorum intra nos, vel in nobis, totum attribuendum videretur extrinſeco motori, vel motoribus, ſi plures eſſent. Quòd ſi quis dixerit, quia avertere poſſumus volũtates noſtras à malè volitis, licet extrinſecùs ſolummodò moveamur ad volendum. Reſpondemus quia ipſum avertere eodem modo nõ eſt in poteſtate noſtra, cùm ſit à motore extrinſeco tantùm. Quare ſicut velle noſtrum non eſt à nobis, vel ex principio, quod in nobis ſit, non erit nobis imputandum vel ad laudem, vel ad vituperium, ſimiliter neque ad meritum, neque ad culpam; non enim erit ſecundùm hoc alterutrum in poteſtate noſtra; cùm enim à ſolo motore, qui extraneus eſt, fiunt voluntates noſtræ, & volũtatum averſiones, vel repreſſiones, & motor hujuſmodi in poteſtate noſtra non ſit ullo modo, non erunt illæ in poteſtate noſtra, neque erunt in nobis, ut actiones noſtræ, & opera, ſed ut paſſiones tantùm à forinſeco agente, & erimus tantùm receptores hujuſmodi impreſſionum, & nullo modo actores: quare nec benè, nec malè agemus, ſed virtus cœleſtis, vel fati aget omnia hæc, quæ videntur eſſe actiones noſtræ, & erimus tantùm organa virtutis cœleſtis, & fati. Manifeſtum autem eſt, quia organo non eſt imputanda operatio, quæ per ipſum agitur ad laudem, vel vituperium, culpam, vel meritum, ſicut motus rotæ molendinariæ, neque quãtùm ad eſſentiam ſuam, neque quantùm ad tarditatem, vel velocitatem culpabiliter imputari poteſt ipſi rotæ, ſed aquæ ſoli impellenti, & revolventi illam. Quòd ſi talia dicantur voluntaria in nobis, æquivocè forſitan dicetur & ipſa voluntas: meliùs tamen videtur nobis, ut dicamus, ſicut priùs, quoniàm voluntaria nullomodò poſſunt eſſe iſta ex motore extrinſeco, quin ſint etiam ab ipſis volentibus, & optantibus, & hoc eſt quoniàm voluntas ſemper imperat motum, vel prohibet, propter quod apud philoſophos & virtus imperativa motus voluntas dicitur. Nos etiam declaravimus in præcedentibus, quia eſt ea, & tanta libertas ipſius ut nec cogi poſſit ad operationem ſuam propriam, quæ eſt velle, vel nolle, neque prohiberi ab ea, immò neceſſe eſt, ut ſi velit operari operationem ſuam, quòd operetur eam, quicquid ipſam ad hoc moveat, vel impellat. Et propter hoc: dicit Auguſt. Quia penès eam reſidet auctoritas ſumma movendi membra: Poteſt tamen moveri ad volendum, vel nolendum aliter, videlicet ſuggeſtione, ſive ſuaſione, ſive conſilio, non autem violentia, vel coactione, & quin ſibi retineat, ſcilicet, dominium, & auctoritatem ſuæ operationis, nõ poteſt facere ſuggeſtor, aut ſuaſor, aut cõſiliarius. Quare manifeſtum eſt, quia ſi virtus cœleſtis, vel fatum, vel quicunque alius motor extrinſecus moverit animas humanas ad volendum aut nolendum, non auferet eis dominium, & imperium, vel auctoritatem ſuarũ voluntatũ, & actionũ, cùm nec vim, nec violen-

Nota.

Organo non eſt imputanda operatio.

A tiam, nec actionem eis ad hoc inferre poſſint; & hoc eſt propter libertatem, atque imperioſitatem voluntatis, propter quas nec coactionem ſuſtinet, nec recepibilis eſt ullo modorum ipſius. Si quis verò quærat qualiter, vel quam ob cauſam circonſtantiæ licet bonæ augeant peccata, & malitiam ipſorum, & quãtò majora bona fuerint, tantò magis augeant, cùm alterum contrariorum alterum minuere & etiam deſtruere magis debeat ſecundùm naturam. Reſpondemus quia intenſio, & magnitudo peccatorum, ſeu malorum operum ſemper ſequitur intenſioné obligationum, & etiam eidem æquatur, & ſemper eſt æqualis, obligationum inquam quibus tenemur ea nõ facere, verbi gratia: Dignitas ſacerdotalis, vel pontificalis bona eſt, & bonitate ſua auget occaſionaliter peccatum ſacerdotis, aut pontificis, pro eo ſcilicet B quòd obligat ipſum ad hoc, ut magis declinet peccatum, quàm laïcus, ſimiliter & ſcientia; magis enim vir ſapiens tenetur declinare à malo, quàm ſimplex, vel ſtultus. Servus enim ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis, ſervus verò neſciens eam, & non faciens, vapulabit paucis, ſicut dicit veritas in evangelio Lucæ. Et alibi: Si cœci eſſetis peccatum non haberetis. Inde eſt illud poetæ. Omne autem vitium tantò conſpectivis in ſe crimen habet, quantò qui peccat major habetur. De cõſcientia verò erronea, qua aliquis eſſe credit peccatũ, quod non eſt, expreſsè dicitur & in textu, & à ſacris expoſitoribus, quòd hujuſmodi error peccatum eſſe facit, quod aliàs peccatum non eſſet. Et hoc dicit Apoſtolus ad Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt intelligens fidem conſciẽtiam ibi: propter quod & exponitur ibidem; ſic omne quod non eſt ex fide, ideſt omne, quod eſt contra fidem, quod eſt dicere contra conſcientiam, eſt peccatum. De hoc Aug. Qui ædificat contra conſcientiam, ædificat ad C gehennam. Habet autem quæſtionem non levé propter quam cauſam hoc ſit. Primùm, quia cùm error non ſit peccatum quandóque, error inquantùm hujuſmodi, qualiter efficiet ipſum opus eſſe peccatum unde dabit malitiam, quam non habet? verbi gratia. Aliquis credit de aliquo, quòd non indigeat eleemoſinâ, & propter hoc credit quòd dare eleemoſinam ſit peccatum, vel de aliquo, quòd ſit indignus Epiſcopatu, vel alio honore Eccleſiaſtico, quod utiquè credere non eſt peccatum mortale; dare tamẽ ei Epiſcopatum ſic credentem, erit mortale peccatũ, hoc eſt in opinione omniũ, & etiã generaliter juxta verbum Auguſt. quod diximus, quòd quilibet tenetur ſequi conſcientiam ſuam. Veniens enim contra conſcientiam quicunque credit ſe teneri ad aliquod, peccat mortaliter; Quòd ſi verum eſt, quicunque erD go ſunt hæretici, vel idolatræ vel Judæi tenentur eſſe tales, exiſtendo ergo tales, faciunt id, quod tenentur, & ita faciunt, quod debent, quare non peccant, & etiam accidit ſecundùm hoc, quod Judæi tenebãtur crucifigere Chriſtum Dominum; hoc enim dictabat eis erronea ſua conſcientia. Ampliùs. Si erronea conſcientia facit eſſe malum, & illicitum, quod aliàs erat bonum, & licitum, ergo quod aliàs eſt malum, & illicitum, faciet bonum, & licitum, quare judaïſmus, & idolatria, & hæreſis omnis erunt licita, & bona his, qui in eis ſunt. Ampliùs. Cùm nec melior, nec certior, nec majoris auctoritatis ſit conſciẽtia tua, quàm conſcientia alicujus viri ſapientioris, & melioris, quàm tu ſis, unde hoc quòd magis tenearis tuæ conſcientiæ credere, quàm cõſcientiæ illius? Ampliùs. Unde iſta auctoritas, quòd quilibet tenetur eã ſequi, præſertim, cùm nec magiſter ſit, nec liber authenticus? Ampliùs. Secundùm hoc tenebitur quis ad duo oppoſita, & ad contradictionem, ſicut diximus in exemplo idolatrarum, ex præcepto nam-

Libertas voluntatis, ac imperioſitas.

Circunſtantia bona quomodò augent peccatum.

Iuvenalis.

Quomodò peccatum fiat quod non erat peccatum.

Nota.

Acutè diſputat.

que Dei tenentur non adorare idola, & ex conſcientia tenentur iſta adorare, & ita tenentur ad impoſſibile per ſe, & naturaliter. Amplius. In legibus contrariis, ſive ſint præcepta, ſive ſtatuta, aut altera abrogat alteram, aut derogat illi. Cùm ergo iſta contraria ſint, lex Dei, & lex conſcientiæ, in iſto caſu, ut nec etiam ſecundùm quid ſimul ſtare poſſint, altera ex toto abrogat alteram. Quòd ſi lex Dei abrogat legem conſcientiæ, non obligat ergo cõſcientia

Nota.

cõtra legẽ Dei. Nuſquàm ergo obligat conſcientia, vel ad faciendum, quod malum eſt, vel ad non faciendum, quod bonum eſt, hoc eſt contra præceptionem, aut prohibitionem Dei. Si verò lex conſciẽtiæ abrogat legem Dei, quid abſurdius dici poteſt? ſequitur enim ex hoc, quòd errores noſtri evacuabunt juſtitiam, & veritatem legis Dei, & eximent nos ab illis; lex enim abrogata neminem ligat, & ita tam Judæi, quàm pagani, quàm etiam hæretici exẽpti eſſent omninò ex lege Dei. Quid ergo reſtabit niſi, ut prædicetur per totum mundum, ut faciat unuſquiſque, quod voluerit, donec totus mundus credat hoc, videlicet unicuique faciẽdum illud ſolùm, quod voluerit, & tunc non ſolùm licitè, ſed etiã meritoriè vivent omnes homines in voluntatibus, & voluptatibus ſuis, & ita ſalvarentur omnes, quorũ vix centeſima pars ſalvatur. Amplius. Cùm voluntas adeò imperioſa (ut diximus) adeòque libera, nec exempta ſit à lege Dei immò adeò ſubdita, ut etiam contra ſeipſum neceſſe habeat velle, & nolle ſępiſſimè, unde illud privilegium immò privilegium cõſcientiæ, ut contra ipſam non liceat aliquid cuiquam vel velle, vel facere? Amplius. Si conſcientia aliquid eſt, utique non eſt, niſi creatura, ſimiliter & homo habens conſcientiam erroneam non eſt, niſi creatura jure pleniſſimo, ac ſingulariſſimo creatori Deo ſubdita: quicquid ergo dictet, vel jubeat conſcientia, vel homo habens illam creatore jubente contrariũ, vel prohibente illud, negligenda eſt ipſa, & ſtandũ præceptioni, vel prohibitioni creatoris; quemadmodùm ſi proconſul aliquid pręcipiat, & conſul illud prohibeat, vel contrarium præcipiat, ſtandum eſt ſoli præcepto conſulis, & negligendum omninò proconſulis in parte illa. Similiter ſe habet de conſule, & Imperatore, ſicut dicit Auguſtinus. Amplius. Talis poteſt eſſe error cõſciẽtiæ, quòd ipſemet eſt mortale peccatũ, ſicut ſe habet in omnibꝰ erroribus impietatis, ubi talis error indubitanter deponendus eſt; ſicut ergo contractus qui in ſeipſo irritus eſt, aut irritandus, non ligat, vel ad numerandum pecuniam, ſi ſit emptionis, vel ad aliud quod ex illo ſequatur, ſi ſit alterius modi; ſic error conſcientiæ, qui in ſeipſo irritandus eſt, & omninò exterminandus non ligabit ad aliud. Amplius. Omne peccatum mortale ligabit facientem iſtud ad delendum ipſum per pœnitentiam; error ergo omnis conſcientiæ, cùm eſt mortale peccatum, obligat ſic errantem ad deponendum ipſum: quare non obligat ad ſequendum ipſum. Amplius. Quis audeat dicere homini ſic erranti, hoc eſt errore mortali, quia ſi erras, debes amplius errare, & quia ſi peccas debes amplius peccare? Amplius. Quantumcunque habeat aliquis erroneum viſum exteriorem, non propter hoc rerum viſarum aut quantitates, aut colores immutantur, alioquin ſol ex errore viſus, qui videtur eſſe cubitalis magnitudinis tantùm, eſſet illius magnitudinis tantùm, & Luna eſſet major eodem: multò fortiùs ergo nec viſus interior, ideſt judicium conſcientiæ immutabit qualitates operum noſtrorum; non faciet ergo opus malum, quod bonum eſt in ſe, vel bonũ quod eſt malum. Eodem modo argumentari poteſt quis de opinione, quia hujuſmodi conſcientia erronea, non eſt niſi erronea

Voluntas imperioſa, non exempta tamen à lege Dei.

Vide.

Conſcientia erronea

E opinio; unde enim hæc virtus, vel poteſtas opinioni noſtræ contra opera noſtra, ut ea mala faciat, cùm aliàs mala non ſint, vel etiam bona, cùm ſecùs? Hoc autem dicimus, quoniàm ſecundùm iſtos, cùm levare feſtucam de terra indifferens ſit in ſe, ideſt nec peccatum mortale, nec meritorium, tamen credendi, quòd ſit peccatum mortale, erit peccatum mortale, ſimiliter & credendi, quòd ſit bonum meritorium, erit meritorium, niſi culpa mortalis aliàs facientes impediat. Amplius. Si hujuſmodi error facit eſſe malum, quod non eſt malum, ergo facit eſſe malum, prout conſcientia dictaverit, illud eſſe malum; ſi ergo conſcientia dictet alicui, quòd levare feſtucam de terra ſit ei tantùm peccatum, quantùm fuit peccatum Adæ, vel peccatum Luciferi, vel peccatum Judæ proditoris, vel peccatum crucifigentium dominum ſalvatorem, tantùm peccabit levando feſtucam
F de terra, quantùm peccavit Adam, vel Lucifer, vel aliquis aliorum, quos diximus, maximè cùm dicat Ambr. Quantùm intendis, tantùm facis. Et Apoſt. videtur aſſentire in 14. primæ ad Cor. dicens. Quia manducare carnes malum eſt ei, qui per offendiculum manducat. Amplius. Nihil eſt magis obligatorium, cùm in ſe honeſtum, ac licitum eſt, quàm juramentum, vel votum. Cùm autem res jurata, ſive voto permiſſa, illicita eſt, aut mala per ſe, omninò in nullo ligat jurantem, ſive voventem propter malitiã hujus rei; multò fortiùs ergo error conſcientiæ, cùm in ſeipſo illicitus eſt, aut impius, non obligabit ſic errantem ad faciendum, quod dictat error hujuſmodi; neque enim Jephte voto ſuo obligatus fuit ad immolandum filium occurrentem ſibi de pręlio cum victoria revertenti. Neque David per juramentum, quod fecerat de interficiendo Nabal, peccavit parcendo ei poſtmodùm ad preces uxoris ejus: neque
G Herodes decollare debuit Joan. Bap. propter ſtultiſſimum, & impiiſſimum juſjurandum, quod fecerat de dando filiæ Herodiadis ſaltanti caput ejus: propter hoc dicit Iſid. & auctoritas canonizata. In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè feciſti, dùm voveres. Amplius. Sciendum, quòd contra legem Dei nos obligabit erronea conſcientia, ſi dictet, nobis econtrariò illi eſſe faciendum; ſi enim teneamur facere contra illam, illicita eſt nobis, ideſt contrarium non ſolùm illicitum, ſed etiam debitum debito obligatorio mortis æternæ; erit ergo fortior lege Dei, cùm eam abroget, & legem contrariam illi nobis imponat. Erit etiam ſecundùm hoc conſcientia ſua lex unicuique, & ad eam ſolùm ſervandam tenebitur, & erit unuſquiſque ſtultus, vel erroneus in
H parte illa legum conditor, & legis divinæ deſtructor, & abrogator; omnibus enim modis impoſſibile eſt aliquem teneri ſimul ad duo contraria, vel impoſſibilia, cùm ſecundùm leges humanas, in rerum natura impoſſibilium obligatio nulla ſit: facere autem duo contraria ſimul, vel impoſſibilia, natura impoſſibile eſt, quare impoſſibile eſt aliquem teneri ad illud. Amplius. Oportet Deo magis obedire, quàm homini, ut dixerunt Apoſtoli in libro actuũ. Ergo magis debet obedire unuſquiſque erroneus Deo quàm ſibi vel conſcientiæ ſuæ. Reſpondemus in his, quia erronea conſcientia non ligat ad faciendum, quod dictat inquam, ſi illud ſcit eſſe cõtra legem Dei, ſed ligat generaliter erronea conſcientia in talibus ad hoc, quòd non negligatur ipſa, immò corrigatur. Peccat tamen quicunque contra conſcientiam aliquid facit, non propter facti malitiã, ſed propter negligẽtiã conſciẽtiæ per quã committit ſe diſcrimini; dùm enim certum non habet, an ipſa res quam facit ſit contra Deum, indubitanter diſcrimini ſe committit illam faciendo, peccat ergo

Juramentum & votum maximè obligant.

Ad duo contraria nemo tenetur.

Negligentia conſcientiæ.

Digitized by Google

ergo talis; & errando primùm, & errorem negligendo ſecundò, ſicut ſcriptum eſt in Eccleſiaſtico. Non demoreris in errore impiorum. Generaliter ergo unuſquiſque tenetur in talibus, quæ in præcepto ſunt, vel in prohibitione, vel ſequi, vel corrigere conſcientiam in generali, non ſequi determinatè, neque corrigere determinatè, ſed alterum facere; utrumlibet enim faciendo ſe liberat; quòd ſi neutrum fecerit, manifeſtum eſt ipſum negligere conſcientiam, & in diſcrimen ſe mittere. In indifferentibus quoque ſimiliter ſe habet, quale eſt elevare feſtucam de terra, vel comedere carnes quandò, & cui hoc indifferens eſt; ſicut enim error impietatis deponendus eſt ab omni conſcientia, ſic & error in hujuſmodi; vergit enim in impietatem hæreticam, vel ſaltem contra catholicam doctrinam.

In Manichaeos.

Impiè namque, & damnabiliter ſentiunt Manichæi, malum eſſe comedere carnes, hoc quippe ſentiunt, quia facturam principis tenebrarum credunt omnem carnem, & ideò immundam. Eodem modo error eſt omninò intolerabilis, malitiam in rebus ponere, quæ lex divina, nec damnat, nec prohibet, & quæ Chriſtiana doctrina habet pro bonis naturali bonitate, aut pro indifferentibus quantùm ad meritum, & demeritum; ſicut enim peccant Manichæi malitiam, & immunditiam naturalem imponentes rebus à Deo creatis ad uſus hominum, & ſicut peccant aſtronomi malitiam, vel infortunium imponentes planetis, & ſtellis, cùm à talibus omninò immunes ſint, & innoxiæ; ſic peccant erronei homines imponentes rebus licitis malitiam culpabilem. ſimiliter, & indifferentibus, & quæ omninò ſeorſùm ſunt à lege Dei, hoc eſt ab omni præceptione, & prohibitione divina, qui imponunt iſtas neceſſitates obligationum ex errore conſcientiarum ſuarum, nova lege ſe onerant, & ſibi credentes.

In Aſtronomos.

Quòd ſi quis quærat à nobis, utrùm facere aliquid contra conſcientiam dictantem illud eſſe peccatum mortale, ſit peccatum mortale, vel illicitum: Nos quidem reſpondimus ad hoc tibi, ſi advertas, quæ diximus; ubi enim non errat conſcientia, manifeſtum eſt, quia peccat duobus modis, videlicet & faciendo, quod malum eſt, & malè faciendo illud; negligentia enim, ſive contemptus conſcientiæ unum malum eſt per ſe: aliud verò malum eſt ipſum factum, quod conſcientia non errans dicat eſſe peccatum mortale. Ubi autem errat conſcientia, peccat uno modo tantùm, videlicet negligentia, vel errore conſcientiæ; non enim malum eſt, quod facit, ſed malè illud facit. Nihil ergo licet contra conſcientiam agere in aliquo caſu, nec tamen tenetur quilibet ſequi conſcientiam ſuam in quolibet caſu. Ex his ergo apparet tibi, qualiter peccatum eſt, quod non eſt ex fide, quia quandóque ex ipſa malitia facti, & negligentia conſcientiæ ſimul, quandóque ex altero tantùm: non ſequitur ergo, in nullo caſu licitum eſt alicui agere contra conſcientiam, ergo in quolibet caſu tenetur facere ſecundùm conſcientiam; non enim neceſſe eſt duarũ contrariarum propoſitionũ ſemper alteram eſſe veram. Similiter in nullo caſu licet alicui facere contra Deum, ergo tenetur omnia facere propter Deum, & licet conſcientia actus noſtros voluntarios, & quantùm in ſe eſt, indifferentes poſſit malos facere, & etiam mortalia peccata, quandò dictat eos eſſe tales, tamen eos, qui in ſe mali ſunt, & de illo genere, quod Ariſtoteles nominat mox nominata conjuncta malo, non poteſt facere bonos quantumcunque diceret illos eſſe bonos, & hoc eſt, quoniàm talia per ſe, ſive eſſentialiter mala ſunt, hoc eſt ex eo ipſo quòd talia ſunt, qualia nominantur, ut adulterium inquantùm adulterium, perjurium, inquantùm perjurium, latrocinium, in quantùm latrocinium, & ita de aliis.

Quæſtio.

Contemptus conſcientiæ.

Nota.

Quædam autem bona, videlicet de genere bonorum cùm dicat conſcientia eſſe mala, mala inquam malitia contraria, hoc eſt de genere malorum, non immutat à genere ſuo conſcientia hujuſmodi, & hoc eſt quoniàm genus ſubſtantiale eſt, & non ſeparabile; quemadmodùm dicimus, quòd dare eleemoſynam, ſubvenire injuſtè oppreſſis, honorare parentes, bona ſunt in genere ſuo ideſt, in eo, quòd talia ſunt, videlicet dare eleemoſynam, in eo quòd dare eleemoſinam, & ſubvenire oppreſſis, in eo, quòd ſubvenire: & hujuſmodi bonitas vocatur naturalis, vel eſſentialis, & ideò inſeparabilis ab eis, & ipſa inſuſceptibilia contrariæ malitiæ. Verùm alia eſt malitia, quam error conſcientiæ benè poteſt ſuperinducere; ſi enim aliquis credat, quòd peccatum ſit dare eleemoſinam alicui, reverà peccatum erit ei, & malum erit ei, licet iſtud permaneat in ſua bonitate naturali, ſed malitia hæc, eſt negligentia mala, & contemptus conſcientiæ, ſi contra eam eleemoſinam illi dederit, ipſe etiam error in talibus non caret culpa multoties.

Bonitas naturalis.

Debes autem ſcire quia quędam ſunt adeò bona bonitate gratuita, atque meritoria, ut errorem conſcientiæ circa ſe non patiantur, ſi ſcilicet fiant, quale eſt diligere Deum ex charitate; nemo enim poteſt hoc facere contra conſcientiam, & hoc eſt quoniàm charitas nullum errorem mortiferum patitur in corde, in quo eſt; ipſa enim eſt unctio, quæ docet de omnibus, ſicut legitur primæ Joan. primo. Et ſi poſſibile eſſet, quòd aliquis crederet hoc, videlicet, quòd diligere Deum ſic, eſſet mortale peccatum, non poſſet illa credulitas in eo remanere, ſi actus iſte ſuperveniret.

Bona bonitate gratuita.

Advette ergo diligenter, qualiter dicimus mala eſſe facientibus, qui contra conſcientiam faciunt, quoniàm malitia illa quandóque non eſt niſi à parte erroris conſcientiæ, & eſt negligentia, vel contemptus tantùm; quandóque eſt etiam à parte actus, videlicet cùm in ſe fuerit malus, & tunc erit dupliciter malus hujuſmodi actus, videlicet propriâ malitiâ, & superveniente à parte conſcientiæ. Jam ergo declaravimus tibi ubi, & quandò erronea conſcientia immutare poſſit actus, & ubi non poſſit & quales, & quatenùs.

Epilogus.

Quòd ſi quis dixerit, quia error conſcientię Jacob, quo credebat ſe cognoſcere Rachelem, cùm cognoſceret Liam, actum fornicationis, qui utique malus erat in ſe, mutavit in concubitum matrimonialem; non enim peccavit, ut multis, & magnis videtur, cũ cognoſceret Liam, credẽs, quòd ejus uxor eſſet cùm reverà non eſſet. Nos hoc pleniùs diſcuſſimus, & determinavimus in alio tractatu, & in cap. de ignorantia, & etiam multa alia, quę ad hunc tractatum pertinere videntur. Quod autem dicit Ambr. quia quantùm intendis, tantum facies, ſermo eſt multæ ambiguitatis, & quæſtionibus plenus. Et fuit opinio multorum, quòd in malis habet locum hoc, & non in bonis. Et cùm objicitur eis igitur ſi intendit aliquis occidere hominem, licet non occidat, tantum faciat, ac ſi occideret: Reſpondent, non quantitativè intelligendum eſt, quod dicitur, ſed intenſivè, ſub hoc ſenſu, ſi multùm intendis, & multùm facis; non enim ſi quis intendat tantùm peccare faciendo aliquid, quantùm peccaverint Judęi crucifigentes filium Dei, vel lucifer apoſtatando, non propter hoc tantùm peccat, & hoc eſt quoniàm genus facti, de quo ſupra locuti ſumus, non parum aggravat ipſum factum; quoniàm autem iſta diſputantur in ſcholis latiùs, & etiam ſæpiſſimè, tranſimus ad alia.

Vide.

CAPUT XI.

Multis nominibus exprimuntur in ſacris eloquiis vitia, & peccata, quæ hic percenſentur.

VT autem adjuvemus prædicatores, & peccatorum ſuggillatores, proſequamur ſermone generali nominationes, quibus apparent noxietas, fœditas, & horribilitas, cæteraque mala peccatorum. In primis ergo ſcire debes, quia peccata nominantur caſus, ſicut Proverbior. 24. Septies in die cadit juſtus, & reſurgit; Ubi conſiderandum eſt, & unde cadit, videlicet, an ex alto gratiæ, an ex alio peccato in aliud, & in quid cadit; dùm enim cadit in peccatum, cadit in fauces, vel in ventrem diaboli, & in cloacam immunditiæ, ubi totus inquinatur, & extinguitur ſicut lampas ardens, & lucens, in latrinam demerſa, in orificium inferni, dùm non reſtat niſi alius tumbus, ſive caſus, quo cadat in gehennæ profundum. Juxta hoc eſt conſiderare alia, quæ circa, vel ex caſibus ſunt, ſicut fractura oſſis, vel membri, ex qua perpetua claudicatio, & aliæ læſiones, ex quibus innumeræ deformitates, & in corporibus, & in operibus corporalibus fiunt, ex quibus per ſimilitudines, & comparationes ad ſpiritualia veniendum eſt. Conſiderandum ſimiliter eſt quo impulſu, & an ſine impulſu; qui enim ſolo timore cadunt ſine impulſu, hi ſunt, qui cadunt turpiſſimè: qui verò ſolo verbo detractionis, vel adulationis cadunt in quodcunque peccatum, quales milites ſint, oſtendunt, dùm tam levi vento dejiciuntur. Secundò nominantur debita, & hoc non ſolùm mortis æternæ, cui auctores ſuos obligant, & aſtringunt, immò etiam uſuraria debita; pro illis enim alia peccata ſemper exactiſſimus fœnerator diabolus, alia inquam exigere, & extorquere peccata non ceſſat; peccatum enim (ut ait Gregorius) cùm non ſtatim per pœnitentiam diluitur, mox ſuo pondere trahit ad aliud. Sunt etiam debita damnorum irreparabilium, & ut videtur, neque numerum, neque menſuram habentia, maximè quidem, ut mulierum publicæ turpitudinis, quarum fornicationum incogitabilis numerus eſt, ſimiliter & animarum, quæ per eas Deo auferuntur, & diabolo acquiruntur, non ſolùm cum quibus opere peccant, ſed quos etiam ſuo aſpectu, & apparatu ad peccandum inflammant. Sic ſe habet, & de aliis, quæ palam exempla perditionis ſpectantibus, & audientibus dant; tot enim mortium unuſquiſque eſt reus, ut dicit Greg. quot exempla perditionis tranſmittit ad alios: horum autem numerum quis novit? Eodem modo ſe habet, & de his, qui malos præficiunt, vel prælatos, vel poteſtates ſæculares, vel etiam magiſtros: in immenſum extenditur corruptela, quæ ab hujuſmodi hominibus derivatur vel in Eccleſias, quas de malis hominibus ædificant, vel in ſubditos, vel in diſcipulos, quos nefando abominationis vel opere, vel verbo docent. Quis ergo damna tot millium animarum reſtituet? quandò nec animæ propriæ ſemel Deo ablatæ, & diabolo traditæ reſtitutionem, & liberationem efficere quiſquam prævalet? Tertiò nominantur inquinationes, ex quibus peccatores immundi, ſive ſordidi ſemper in ſcriptura dicuntur; hujuſmodi autem inquinationum fœtor eſt, & ſiniſtræ opinionis infamia. Quantùm ergo inquinatus eſt cujus fœtor tam longè, quàm largè ſpargitur? quanta celeritate currere deberet ad lavacrum pœnitudinis, & confeſſionis, & maximè antequàm ad ſancta appropinquare, vel antequàm Deo miniſtrare præſumat, ſed lachrimandum, qui cum aliis omnibus fœteant qui nares, vel infectas, vel corruptas

Caſus. *Debita.* *Diabolus fœnerator* *Quantùm peccant, qui malos Prælatos præficiunt.* *Inquinationes.*

E habent, ſibi fœtere non poſſunt. Hujuſmodi ergo hominibus dicitur Iſaïæ primo. Lavamini, mundi eſtote. Et has inquinationes ſentiens David clamabat. Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & Hieremiæ 2. Lava à malitia cor tuum. Quartò nominantur cruentationes, ut Iſa. 1. Manus veſtræ plenæ ſanguine ſunt. Et Iſa. 30. Qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem: & iterùm Hierem. 2. In alis ejus inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentium: Maximè autem horrifica cruentatio eſt ex peccatis malignitatis, ſicut ex nece, & proximorum odio, invidia, detractione; hujuſmodi enim peccata ſanguinolenta dicenda ſunt: qui odit ergo fratrem ſuum, quoniàm homicida eſt, ſicut dicit Joan. 1. Cano. ſuæ. 3. cruentatus eſt ſanguine fraterno intùs: ſi autem foris eum, vel facto, vel verbo, F læſerit, in veſte cruentatus eſt, & in ore, vel in manibus: his autem ſignis deprehendi conſueverunt homicidæ, videlicet cruentatione gladij, vel aliorum armorum, vel veſtis; linguam autem habet cruentatam, & dentes ſi verbo læſerit. Quia ergo filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus, gladium, & arma, atque ſagittas habet cruenta ex ſanguine fratris, qui ſic in eum operatus eſt, ſimiliter & veſtem cùm corpus humanum animæ veſtis ſit. Quia verò generaliter omne peccatum ſanguis dicitur, propter hoc dicebat David: Libera me de ſanguinibus, & Oſeæ 4. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Qui ergo operti ſunt iniquitate, & impietate ſua, ſanguine ipſo ſuo operti ſunt; à quibus verò peccata illicitorum aſpectuum per oculos, illicitorum audituum per aures, ſermonum ſimiliter per ora, & ad hunc modum de aliis partibus corporis, G ſanguine fluunt, utpotè ex omni parte corporis vulnerati; ſanguis enim fluens indicium eſt vulnerum. Vide quàm miſerabile, quámque horrificum aſpectu ſpectaculum ſeipſos præbent peccatores piis parentibus, hoc eſt prælatis, & Eccleſiaſticis, ſimiliter & fratribus, quàm gratum autem hoſtibus, ideſt dæmonibus, & eorum imitatoribus, qui de fraternis peccatis, vel viſis, vel auditis, gaudium ſibi faciunt, atque riſum. Utrùm diluvium ſanguinis ſit, & montes vel Eccleſiarum prælatorum, vel Principum operit, nec ſolùm uſque ad frænos equorum, ideſt prædicatorum ad eos frænandos, hoc eſt ad ora eorum obſtruenda, ac reſcindenda, ne prędicent, aſcenderit, jam non dubium eſt, ubi prædicationis impeditur officium, & apertè etiam inhibetur, quoniàm inſania, & etiam audacia coram Deo H apparet, ut audeant filiorum ejuſdem interfectores, & ſanguine eorum, ut diximus, cruentati, taliter manus hujuſmodi ſanguine plenas ad ipſum levare, vel ora ſic cruentata ad eum adorandum aperire non vereantur. Generaliter autem omnia immunditiæ opera, præſertim ſi conſuetudinaria fuerint, menſtruata vocantur, ſive fluxus menſtruorum: juxta illud Ezec. 16. Vidi te conculcari in ſanguine tuo: Hierem 10. Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menſtruis ſuis invenient eam. Quintò vocantur inquinationes, velut ex fluxu ſanguineo. Juxta illud: Putruerunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Et juxta illud Iſaïæ primo. Vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata medicamine, nec fota oleo. Et Job 2. Teſta ſaniem radebat. Maximè autem ad opera luxuriæ convenienter refertur hoc; eſt enim luxuria ulcus peſſimum ſanie ſputeiſſima, & abominabili ſemper defluens: & juxta hunc modum convenienter nominatur diſſenteria ſpiritualis, & fluxus ejus, ideſt, opera fluxus diſſenterici. Quemadmodùm ergo ulceroſi, & diſſen-

Cruentationes. *Nota.* *Peccatum ſanguis appellatur.* *Immunditiæ opera menſtruata.* *Inquinationes.* *Diſſenteria.*

Digitized by Google

terici ſemper ſordidi ſunt, ſemper inquinati, & fœtidi, ſic luxurioſi; ſecundùm Auguſtinum autem ſcabies luxuria propriè eſt. Delectabar (inquit in libro Confeſſionum) ſcalpere ſcabiem libidinum meatum. Opera ergo luxuriæ ſcalpiones ſunt hujuſmodi ſcabiei prurigino ſæ, & ſanioſæ ſimul, pariter & cruentæ. *Diſſenteria ſpiritualis.* Congruit autem iſta nomiuatio diſſenteriæ ſpiritualis maximè ſodomiticæ ſpurcitiæ; quemadmodùm enim diſſentericus locum non habet aptum, & deputatum aſſellationi, ſeu purgando ventri, non quærit, aut expectat, ſed omnia indifferenter inquinat, etiam loca ſancta: ſic & genus illud hominum in maſculos, etiam ſacro miniſterio conſecratos, nefariam pollutionē extendit & loca ſancta etiam inquinare hujuſmodi ſpurcitia non veretur. Ad ſuggillandum luxuriam omnia apoſtemata ſanioſa, omnia ulcera peſſima, omnis ſcabies abominabilis adducenda eſt, ſimillima enim eſt omnibus hujuſmodi peſtibus, & opera ejus inquinationibus, quæ ex illis ſunt. *Opera tenebrarum.* Sextò nominantur opera tenebrarum, hoc duabus de cauſis. Primùm, quia fiunt in tenebris, ſcilicet cordis, & à neſcientibus omninò, quid faciunt, quod apparet ex ipſa deformitate operum: opera enim dementiæ, & furioſitatis ſunt omnia peccata mortalia; nemo enim videns in corde talia faceret. Secundò dicuntur opera tenebrarum, quoniàm obtenebrant facientes, vel opera tenebrarum, ideſt. eorum, qui tenebræ ſunt. Juxta id quod dicit Apoſtolus. Fuiſtis aliquandò tenebræ, nunc autem lux eſtis in Domino, ad Epheſios quinto. Propter hoc dicit Dominus Hieremiæ 2. Vide quid feceris, quaſi diceret, cùm hoc faciebas, hoc utique non videbas; non enim tam perversè operari poteſt, qui videt. *Faſciculi deprimentes.* Septimò vocantur mala opera faſciculi deprimentes: ut Iſaïæ 49. Solve faſciculos deprimentes; adeò enim deprimunt hujuſmodi operâ factores ſuos, quia eos demergunt in interitum, & perditionem, & levare ſe ad ſublimia virtutum non ſinunt. Propter quod quantò plura, aut majora habet quis mala opera, tantò magis oneratus eſt. Hinc eſt, quòd Apoſtolus in 5. ad Timoth. vocat mulieres oneratas peccatis. Et Pſalm. Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Propter hoc dicit Seneca. Nemo cum ſarcinis denatat, ſubaudi de mari mundi hujus. Octavò poſſunt intelligi faſciculi deprimentes ſarcinulæ furtivæ, quæ vulgò fardelli latronum dicuntur. Propter quod ſatellites infernales malè operantes inſequuntur, ut eos capiant, & patibulo infernali affigant. Propter hoc ergo rectè dicit Apoſtolus in 13. ad Romanos. Abjiciamus opera tenebrarum, inſtar latronū ſubaudi qui videntes ſatellites eos inſequentes, faſciculos furtivos abjiciunt, duabus de cauſis: videlicet & ut liberiùs exonerati velociúſque fugiant, & ut cum ipſis ſarcinulis furtivis non comprehendantur; via enim hujuſmodi hominum, mala ſcilicet opera habentium, lubrica, & Angelus Domini perſequens, & coarctans eos, ut comprehendat cum ipſis ſarcinulis. De hoc Dominus Hier. 2. Quomodò confunditur fur quandò comprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël, &c. In hoc autem miſericordiſſimè agit nobiſcum clementiſſimus Deus, quia niſi comprehenſi fuerimus in morte veſtiti, & ſaxiti (ut vulgò dicitur,) hujuſmodi ſarcinulis non poterit nobis objicere coram Deo diabolus latrocinia noſtra. *Teſtes.* Nonò vocantur teſtes ipſa mala opera, Sapientiæ 5. Ipſe interrogabit opera noſtra, ſubaudi in judicio, & hoc ut teſtes incorruptibiles, & qui mentiri non poſſunt, nec norunt. Eadem etiam ratione vocantur & fructus: propter quod & dicitur Matthæi 7. A fructibus eorū cognoſcetis eos, & Lucæ 7. Unaquæque

A arbor à fructu ſuo cognoſcitur, propter quod non ſolùm falſificandi ſunt teſtes hujuſmodi, ſed etiam occidendi; non enim valet diſputatio contra eos: & hoc eſt quoniàm impoſſibile eſt eos mentiri: tacere autem non poſſunt quin contra nos loquantur, niſi per pœnitentiam occidantur. Propter hanc cauſam dicuntur, & filij in eodem cap. *Nota.* Omnes filij qui naſcuntur ex iniquis, teſtes ſunt nequitiæ adversùs parentes, & interrogatione ſua filij, qui verè teſtes nequitiæ ſunt, opera ſola intelligi poſſunt, cùm & ex bonis patribus naſcantur interdùm mali filij, & econversò. Facite etiam ad hoc illud, quod legitur Apocalypſ. 14. Opera illorum ſequuntur illos, videlicet ut teſtes incorruptiſſimi bonitatis eorum, per quos probentur digni remuneratione æterna. *Litteræ.* Decimò vocantur litteræ, vel ſcripturæ, de quibus unuſquiſque malorum B mortis ſuæ librum ſcribit diabolo, & hoc in ipſa conſcientia ſua velut pergameno. Iſtæ literæ certiſſimæ ſunt, quas contra unumquemque malorum proferet in judicio diabolus. Iſti libri in judicio aperientur, & iſtæ literæ exhibebuntur, & ſecundùm illas judicabitur, ſicut legitur Dan. 7. Judicium ſedit, & libri aperti ſunt, intelligitur conſcientiarum. Similiter & Apocalyp. 20. Judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris. Et ſtatim ſequitur expoſitio, videlicet ſecundùm opera eorum. Væ nobis, qui ſcriptores diaboli ſumus in parte iſta, ſi literas mortis noſtræ eidem ſcribimus, & hoc in tabulis cordium noſtrorum, quaſi in pergameno. *Spinæ.* Undecimò vocantur ſpinæ, & ligna, cæteraque incentiva, & nutritiva infernalis incendij. Has ſpinas, vel ligna congregare, C & humeris ſuis imponere dementiſſimi peccatores non ceſſant. His ſpinis, vel lignis onerati currunt ad infernale incendium, officioſiſſimè in hoc, & in mortem ſuam diabolo ſervientes; non enim habet diabolus, unde nutriat, vel incendat ignem infernalem, ſed miſeri peccatores ei colligunt, & congregant, & propriis humeris portant omnia genera incentivorum nutritivorum ignis, quo æternaliter comburendi ſunt, quod in Iſaac primùm figuratum eſt Geneſis 22. ubi dicitur quòd tulit Abraham ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Similiter & Joannis 29. Ubi legitur de domino Jeſu, quòd bajulans ſibi crucem exivit in eum qui dicitur calvariæ locus. Nominantur etiam peccata nominibus operationum, quæ per membra fiunt, ut paſſus, & greſſus, qui D utique per pedes fiunt, ſimiliter, & curſus. Eodem modo morſus, devoratio, & latratus, quæ utique per ora fiunt, de quibus vide copiam ſcripturarum, & ſimilitudinum, & comparationum exercitatam notitiam. Nos ergo cauſâ brevitatis plurima de his pertranſimus, & pauca proſequimur, ad alia feſtinantes.

DE TENTATIONIBUS & Reſiſtentiis.

CAPUT I.

Auctor ſeipſum ſummat, explicans quibus de rebus ſit deinceps dicturus.

POſt hæc ordine ſuo promiſſa ſuperiùs excolentes, loquimur de tentationibus, & reſiſtentiis, & generaliter de præmiis vitiorum, atque virtutum, & de omni pugna ſpirituali, quam hîc patiuntur viri ſancti, & de omni genere expugnationum, quibus

contra vitia pugnandū eſt. Aſſignabimus etiam, & enumerabimus officia, & actus proprios uniuſcujuſque virtutum in unoquoque certamine ſpirituali. Dicemuſque victorias, & modos vincendi earū, & non prætermittemus inſidias dæmonum, aſtutias eorum, quibus incautos dejiciunt, capiunt, & captivant. In primis ergo ſciendum eſt tibi, quòd tentatio una intentione ſua non eſt aliud, quàm experimentatio, & tentare non eſt aliud, niſi experimentum capere de quacunque re ad cognoſcendum ipſam, hoc eſt, ut ipſa cognoſcatur, vel innoteſcat cuicūque. Sicut legitur Gen. 22. Quia tentavit Deus Abraham, hoc eſt experimentum cepit de eo, & ipſum innoteſcere fecit, & hoc ſibiipſi, hoc eſt ipſi Abrahæ. Quanta enim eſſet virtus obedientiæ in Abraham, innotuit per ipſum mandatum, quod à Deo recepit de immolando unigenito ſuo, agnovit excellentiam obedientiæ ſuæ ad Deum: non enim opus erat Deo experimento, vel ſigno aliquo ad cognoſcēdam obedientiam Abrahæ juxta hunc modū dictū eſt illud Deut. Tentat nos dominus Deus noſter: propter hoc dictus eſt tentator, & eſt diabolus. Mat. 4. Et accedens tentator dixit ei; hoc enim ſolùm poteſt, videlicet tentare, non autem vincere, vel dejicere viribus ſuis; niſi enim ſponte nos ei crediderimus, & in manus ei dederimus. poteſtatem in nobis habere non poteſt: tētare ergo utique poteſt, hoc eſt, experimentum capere, & utcunque præpōdere, quales ſumus, videlicet fortes, an debiles, facilè ei cedentes, an viriliter reſiſtentes, quia ſi nos ab initio tentationis viriliter ſibi reſiſtentes invenerit deſperans de victoria, immò victus, atque confuſus plerunque ſtatim abſcedit, & hoc eſt proprium tentatoris, ut experimento ſumpto, cōpertoque, quod quærebat, negotium tentationis dimittat. Juxta hunc modum dicitur tentator dialecticus, & tentativa dialecticæ pars quædam, & tentativus etiam quidam ſillogiſmus: licet ergo animo expugnandi, immò occidendi tētationes inferat, tamen quia hoc ſolùm (ut diximus) videlicet ſuis viribus tentare poteſt, & non ampliùs, tentator dicitur, nihil enim contra nos poteſt, niſi quod ei poſſe dederimus, aut permiſerimus; tentatio enim omnis, ſicut infra docebimus, pro nobis eſt, multipliciter nobis utilis, ac ſalutaris, ſi eâ benè uti ſciverimus, & voluerimus, ſicut infra docebimus Secunda intentione intelligitur tentatio impugnatio, ſeu bellū, aut præliū Sicut legitur Job 7. ſecundùm aliam tranſlatio. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, ubi nos habemus. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Militia autē non intelligitur niſi bellū, & vulgò guerra, quæ cùm in actu fuerit, & exercitio dicitur pugna, & impugnatio, & præliū Juxta hanc intentionē dicit Jacobus in primo. Nemo, cùm tentatur, dicat, quia à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt; non enim impugnat Deus peccatores, neque impugnator eſt peccatorū, quin potiùs liberator, atque defenſor, ſi voluerit. Juxta hunc modū dicitur illud Apoſtoli in 10. 1. ad Cor. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. Non patietur vos tentari, ideſt impugnari, ſimiliter & illud primo Jacobi; Beatus vir qui ſuffert tentationē. Veriſſimè tamen quicquid agit cōtra nos diabolus, pugna eſt, ſi quis diligentiùs conſideret; animo enim vincendi nos totū agit; ſive enim inſidietur, ſive exploret, ſive bona prætendat ad decipiendū nos, ſive percutiat baculo quocūque vel gladio, ſive murum munitionis noſtræ ſuffodiat, ſive victū ſpiritualē ſubtrahat, hoc eſt ſubtrahi procuret, animo nocēdi omnia iſta facit. Et reverà iſta ſunt partes belli, ſive guerræ, quibus ſemper nos impugnat, quicquid iſtorū agat, licet aliud dicat Gregor. ſuper 4. Matth. Quia tribus

Tentatio quid. — *Tentare eſt experiri.* — *Tentationis utilitas.* — *Vita hominis tentatio.* — *Tentatio tribus modis perficitur.*

E modis, tentatio perficitur, videlicet cogitatione, delectatione, & cōſenſu. Quamvis cōmuniter dicatur, quia per duo genera rerum tentamur, videlicet per blanda, hoc eſt delectabilia, & per adverſa, ſeu aſpera, hoc eſt quæ contriſtant, atque conturbant; multi tamen ſunt alij modi tentationū, hoc eſt impugnationū diabolicarum. Et ut verbo uno univerſaliter omnia dicamus, unū quodque vitiū ſuas habet tentationes, & contra totā aciē mentis pugnat diabolus obſidens eam per circuitū, & ordinans acies, ac dirigens contra acies virtutū, & cōtra partes arcis ipſius mentis humanæ. Quod ut evidētiùs eluceſcat, enumerabimus ipſa vitia, quæ ſunt quaſi duces acierū, incipientes ab ipſa vi noſtra rationabili, & numerātes impugnationes proprias ejuſdem, hoc eſt quas proprie dirigit contra eam diabolus Dicemus igitur in primis, quia curioſitas eſt prima impugnatrix virtutis noſtræ rationalis, hoc eſt ſublimis, ac nobilis virtutis apprehenſivæ. Eſt autem curioſitas libido ſciendi, ſeu cognoſcendi non neceſſaria, & quorum cognitio nihil operatur, vel adjuvat ad ſalutem, F & hanc ipſam quandóque diximus proſtitutionem noſtræ virtutis rationalis, paſſim quācunque veritatem propter ſeipſam amplexantis, & cum eâ libidinantis, & propter hoc totum, ad quem ſolam primam veritatem admittere debuit, fornicatione, & adulterio cum ancilla, vel pediſſequa polluētis; ſola enim prima, ac luminoſiſſima veritas ſponſa eſt illius; cæteræ verò, ut ancillæ, & pediſſequæ habendæ ſunt, hoc eſt propter illam ſolam quærendæ, & diligendæ, & hoc quatenùs ei ſerviant, hoc eſt quatenùs illam ad vim noſtram rationalem introducant, & ipſam eidem præparent, & exornent. Quemadmodum enim quædam ignorantiæ vim noſtram rationalem deformant, atque deturpant, ſic & quædam ſcientiæ ipſam decorant pariter, & exornant; ignorantia enim non eſt niſi quædā abſentia veritatis in prædicta vi, & quædā vacuitas ab eadem. Manifeſtū igitur eſt ex his, quòd curioſus intellectus proſtitutus eſt, & pediſſequis veritatibus, G ut diximus, & etiam alijs, quæ primæ veritati nullatenùs famulantur. Et propter hoc ſcholæ curioſitatis hujuſmodi meretricij ſūt, ſeu adulterij, & lupanaria quædā ſic fornicantiū animarū. Magiſtri autē hujuſmodi ſcholarū nihil aliud ſunt, quàm principes proſtibulorum, & procuratores, atque conſiliatores hujuſmodi fornicationum. Non reputas autem leve peccatum, aut parvam turpitudinem ſacratum primæ veritati intellectum ſic proſtituere & tam venerandum matrimonium multiplicibus adulterijs violare. Etſi enim verum eſt, quod dicit Ariſtoteles in metaphiſica ſua. non tamen verum eſt, quòd omnes ſcientias homines naturā ſcire deſiderant, nec innumerabilia ſcire (ut ita dicamus) ex innato ſibi vitio curioſitatis, quemadmodùm non in omnes mulieres eſt appetitus naturalis virorum, immò nec in pleraſque libidinis, ſive H luxuriæ, & hoc eſt ex innata corruptione ſpirituali: ſic non in omnes veritates eſt appetitus vis noſtræ rationalis, appetitus inquam naturalis, ſed ex curioſitatis libidine proſtituta, quam diximus. Secundum vitium eſt tarditas ad credendum. Tertium levitas ad idem. Et de utroque Seneca. Et omnibus & nulli credere vitium eſt. Quemadmodùm quidam omnem hominem ſuſpectum habent, & nulli credunt, quidam verò paſſim omnibus credunt, nec res, nec homines attendentes, ſed ſufficit eis tantummodò audiviſſe ad hoc, ut credant. Quartum vitium dubietas, qua quidam ſemper hæſitant, quemadmodum quidam quantumcunque crebrò, quantūcunq; diligenter confeſſionē peccatorū ſuorum iterent, ſemper dubitant an benè confeſſi ſint. Quintum

Curioſitas quid ſit. — *Ignorātia quid ſit.* — *Ariſtoteles* — *Tarditas ad credendum.* — *Dubietas.*

Digitized by Google

Nota.

Quintum vitium ſuſpicioſitas eſt, quod in quibuſdã religioſis adeò invaluit, ut duos homines invicem colloquentes nunquàm videant, quin ipſos de ſe loqui mali aliquid ſuſpicentur. Similiter & quicunque eos quocunque modo aſpexerit, ſtatim opinantur, quòd aliquid in eis mali notet, vel propter malum aliquod eos intueatur; & hoc eſt vitium perniciosiſſimum litigiorum multorum, & odiorum, atque iratum ſeminarium. Adjuvatur autem hujuſmodi ab humore melancolico, & morbo, ultra quàm credi poſſit; licet autem opinio de malo fraterno in quibuſdam adeò pertinax ſit, ut bonum de proximo, de quo ſemel malè opinati ſunt, eiſdem ſuaderi non poſſit, & propter hoc vitioſa ſit, atque damnabilis, non tamen magni facimus eam.

Spiritus blaſphemiæ.

Sextum vitium eſt virtutis noſtræ rationalis, ſpiritus blaſphemiæ, quod eſt ſcaturigo abominabilium cogitationum, adeò horribilium, adeóque moleſtarum, ut ejus tentatio plerunque quaſi martyrium ſit, & quidã etiã potiùs vellent, quàm illas ſuſtinere, martyriũ. Septimũ vitiũ hujuſmodi vis, de qua agimus, immò eam cõprehendimus ſub tarditate credendi, ſcilicet ignorantiã, vitiũ hoc virtutis noſtræ rationalis dicimus, cùm ſit vacuitas ejuſdẽ, & privatio cognitionis:

Negligentia ſciendi.

negligentia verò ſciendi, vel addiſcendi magis eſt in virtute noſtra motiva, ideſt voluntate; hæc autem omnia idcircò diximus, quia jam multi ſcripſerunt diviſiones vitiorum, & diviſerunt ea nunc in tria, nunc in ſeptem. In tria propter id quod legitur Job. 1. Quia Chaldæi fecerunt tres turmas, & propter id quod legitur. 1. Jo. 2. Omne quod in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis eſt, &c. In ſeptem verò propter ſeptem gentes, quas ejecit dominus de terra promiſſionis, ut introduceret in eam filios Iſrael. Huiuſmodi ergo homines de vitijs locuti ſunt tanquàm infidelitas, & hæreſis vitia non eſſent, nec fides virtus; tu ergo non adhæreas diviſionibus eorum.

Utrùm ſit reſiſtentia contra omnes tentationes diaboli.

Revertamur ego & perſcrutemur in primis, utrùm reſiſti poſſit à ſanctis vel etiam peccatoribus omnibus tentationibus, & impugnationibus diabolicis, & videri poſſet in primis quòd non, ex eis quæ leguntur Job. 41. ubi loquens de poteſtate Behemoth, ideſt diaboli: Non eſt inquit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Et iterùm: Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ, deridebit vibrantem haſtam. Apoſtolus verò in 10. 1. ad Corint. dicit. Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ſupra id, quod poteſtis ſuſtinere. Videtur ergo, quòd niſi Deus averteret, quòd tentarentur aliqui ſupra poſſe, & vires ſuas, nec tentationi aliter poſſet aliquis reſiſtere. Auguſt. quoque in libro Confeſſionum dicit. Quibus autem tentationibus reſiſtere non valeam, neſcio, tu ſcis. Et iterùm dùm conſuetudinibus non reſiſtitur, fit neceſſitas. Beatus Bernardus atteſtatur eidem dicens. Quòd poſtquàm in cõſuetudinẽ verſum eſt aliquod peccatum, niſi ineffabili divinæ gratiæ miraculo non reſiſtitur illi. Ampliùs. Apoſtolus dicit ad Timo. 2. ſecundo. Nequandò reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo tenentur captivi ad ipſius voluntatem. Et iterùm. Sapientiæ 12. Semen erat maledictum ab initio, & non poterat mutari à malitia. Et Hieremiæ 13. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietatẽ, ſic & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malè agere. Ex his ergo omnibus teſtimonijs videtur impoſſibile eſſe quibuſdã benè agere, & neceſſe malè agere; quare neceſſe eſt eos cadere ſub tentationibus ſaltem ex aliquibus; qui enim tenentur à diabolo ligati ad ipſius voluntatem diaboli, cùm voluntas diaboli ſit ſemper, ut peccent, & tentationibus quas ipſe infert, acquieſcant, non poſſunt aliud facere, ſi ita eſt, quàm ſuccumbere tentationibus pro voluntate diaboli. Ampliùs. Dicit Auguſtinus ſuper Gen. Quia Adam habuit unde poſſet ſtare, non unde poſſet proficere, & intelligit hoc in ſtatu ante peccatum, & etiam ante gratiam, quantumcumque etiam habuit gratiam potuiſſe proficere, cùm proficere non ſit niſi mereri; quandóque enim mereri, ergo & proficere, ſed reverà ex ſolis naturalibus, vel virtutibus mereri non potuit.

Adã mereri non potuit ex ſolis naturalibus.

Cùm igitur ex illis non potuerit niſi ſtare, & hoc cùm naturalia ſana eſſent, & omninò illæſa, modò cùm corrupta ſint, & profundiſſimè vulnerata, manifeſtum eſt, quia nec poterit ex illis vel ex iſta ſtare, & longè minùs poſſit ex illis in ſtatu infirmitatis illorũ, quàm ſtatu ſanitatis eorundem. Ampliùs. Apoſtolus, in ſecundo 2. ad Corint. Non quod ſufficientes ſimus (inquit) cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis. Incomparabiliter autem minùs eſt cogitare, quàm cuicunque tentationi reſiſtere; ſi ergo illud quod tam longè minus eſt non poſſumus ex nobis, multò minus illud, quod eſt tam longè magis, præſertim cùm reſiſtere impoſſibile ſit abſque cogitare, immò pars ſit magna ejus, quod eſt reſiſtere. Reſponderunt in hoc multi & dixerunt, quia reverà non poteſt homo reſiſtere alicui tentationi ex ſe, ideſt viribus ſuis, hoc eſt ſine adjutorio: quærimus autem ab ipſis, quid intelligant illud Dei adjutorium, quod utique non poſſunt dicere aliud eſſe quàm gratiam. Iſtis autem contradicit evidenter Aug. dicens, quia multa bona faciunt homines per ſolum liberum arbitrium abſque gratia Dei, qualia ſunt agros colere, domos ædificare, & ſimilia. Ampliùs. Verum eſt, quia corpora, & gravia, & levia ex ſola natura moventur abſque ſpeciali adjutorio gratiæ Dei ſimiliter calida, & frigida operantur operationes ſuas: omni ergo creatura miſerior & miſerabilior erit homo, ſi nihil etiã naturalium operari poſſunt ex natura ſua. Dicendum igitur eſt in his (ut à noviſſimo incipiamus) quia non omne cogitare eſt ex gratia; quædam enim cogitationes vanæ ſunt, ſicut dicit pſal. & quædam ſunt ſine intellectu, immò contra intellectum, à quibus aufert ſe ſpiritus ſanctus diſciplinæ, ſicut legitur Sapientiæ primo.

Cogitationes.

Quoddam verò cogitare gratiæ eſt ſicut illud de quo loquitur Auguſtinus dicens: Quia credere eſt cum aſſenſione cogitare; Non enim dubium, quin credere fidei virtutis gratiæ ſit.

Credere.

Quod autem eſt gratiæ, non eſt ex nobis quaſi ex nobis, ſed eſt ex nobis cum adjutorio gratiæ. De cogitationibus verò ſublimibus, videlicet, quæ deſuper animas noſtras deſcendunt à patre luminum, non ſunt ex nobis quaſi ex nobis; alijs autem cogitationibus cogitare non eſt cogitare aliquid, ideſt cogitare alicujus momenti, ſeu valoris, juxta morem ſcripturæ, quæ non reputat aliquid, niſi quod valet ad ſalutem æternam. Sicut eſt illud Joan 16. Uſque modo non petiviſtis quicquam. Non reputans quicquam niſi, quod eſt gratiæ vel gloriæ. Et hoc modo intelligendum eſt quod dicit Apoſtolus: Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis. Illud verò quod alibi dicit Apoſtolus, quòd peccatores tenentur à diabolo captivi, ad ipſius voluntatem, tenentur utique vinculis amoris proprij, ac deſideriorum, ac voluptatum, quemadmodùm dicit poeta: Trahit ſua quemque voluptas; Non utique neceſſitate, ſed voluptatis amore, & delectandi voluntate.

Virgilius.

Non infert ergo eis impoſſibilitatem, aut coactionem, & hoc apparet ex ipſo teſtimonio ipſorum. Interrogatus enim etiam quantumcunque conſuetudinarius fornicator, utrùm gaudenter, libenter, ac delectabiliter fornicetur, reſpondebit, quòd ſic, qui ſe, & intima ſua meliùs novit. Et de hujuſmodi neceſſitate multa jam diximus, & idem intelligendum

Digitized by Google

eſt de neceſſitate, de qua loquitur Auguſtinus, & beatus Bernardus; nou enim eſt neceſſitas coactionis, & ideò non excuſat, ſed induratæ volunratis: *Nota.* voluntas autem, ſive indurata ſit, ſive uon, dummodò in malum ſit, aut malè etiam in bonum, ſemper culpabilis eſt, & actus ex ea peccatum. Quòd autem quæritur, utrùm poſſit reſiſti unicuique tentationi, videtur quòd ſic à juſtis, & ſanctis hominibus, licet multas habeat quæſtiones. Nos autem priùs diſputabimus de peccatoribus, & infirmis, & videtur quòd quantumcunque peccator, & quantumcunque infirmus poſſit reſiſtere cuicunque tentationi; cùm enim impoſſibile ſit aliquem ſuccumbere omninò invitum, neceſſe eſt, ut quicunque ſuccumbit, ſuccũbat volens: qui autem volens ſuccumbit, uon vult reſiſtere; non eſt igitur mirum, ſi non reſiſtit, cùm reſiſtere non velit, cùm ipſum reſiſtere omninò voluntarium ſit. Nos autem quærimus, utrùm poſſit reſiſtere, ſi velit quantæcunque tentationi, & oſtendimus quòd ſic: cùm enim non ſit dicendus velle (ut ait Aug.) qui quod potuit non fecit, non vult proculdubiò reſiſtere qui non fait quod poteſt, ut reſiſtat: certum autem eſt quòd
F non vult reſiſtere, qui vult cedere, vel ſuccumbere; contraria enim ſimul velle aliquem præciſè, & ſimpliciter impoſſibile eſt: ſi ergo ſuccumbit, vel cedit tentationi, aut hoc facit omninò invitus, aut aliquo modo volens: quòd ſi omnino invitus, manet igitur ejus voluntas invicta, & erecta, non ſolùm non cadens ſed nec inclinata etiã in aliquo in cõſenſum adverſarij, ſeu tentantis, quare non vincitur, immò vincit magnificè, nec talis ſuccumbit, niſi fortè à parte corporis. Hoc autẽ non eſt ſuccumbere propriè, ueque vinci, ſed ſic, ſi fit quod intendit tentator, & ad quod movet, & pulſat teutatum. Manifeſtum autem eſt, quia hoc non poteſt fieri omninò ab invito; omninò enim invitus non facit aliquid, ſed magis patitur, nec movet ipſe, ſed tantùm movetur; violenta enim actio non eſt violentia patientis, ſed ſolummodò inferentis, quemad-
G modùm ſi quis flectat genua alterius eo prorsùs invito ante idolum, & ponat in manibus ſimiliter omninò inviti thus, tenens manus ejus, & ponat in manib' ejus ſic patientis thus ſuper altare idoli, vel ante idolum, certum eſt, quia qui iſta omninò invitus patitur, nec adorat idolum, nec thurificat idolo. Quicunque igitur tentatione vincitur, proculdubiò voluntariè facit aliquo modo quod ſuggerit tentator, & eligit potiùs id facere, quàm tentationis moleſtiam ſuſtinere, eouſque enim vult tentationis moleſtiam declinare, nec propter hoc tentantis facit voluntatem. Verum ergo eſt, quod diximus, quia non vult ſimpliciter, & præcipuè tentationis moleſtiam ſuſtinere, immò declinare, & fortè vellet eam ſuſtinere, niſi adeò torqueret eum, & affligeret, hoc eſt, adeò modica poſſet eſſe, quòd potiùs eam ſuſtineret, quàm tentatori acquieſceret.
H Et hoc eſt quod dicit Salomon. Quia vult & non vult piger Proverb. 2. Quia utique vellet, ſed ſimpliciter, & præcipuè non vult. Manifeſtũ igitur eſt, *Lege cautè.* quia quantæcunque tentationi poteſt reſiſtere quicunque, & quantumcunque peccator, & infirmus ſi vult, vult inquam ſimpliciter, & præcipuè, ut in nullo develit, & hoc utique abſque ullo adjutorio gratiæ; tolle enim omnem gratiam, ſi præciſè, & ſimpliciter vult, hoc eſt, ſi purè vult, quod eſt abſque ulla admixtione voluntatis, nullo modo ſuccumbit. Et hoc utique verum eſt, quia quamdiu vult purè, permanet invictus. Verùm ut purè velit, hoc dicimus non eſſe ei ex ſe, immò ex gratiæ adjutorio; quòd enim aliquis velit ſuſtinere mortem, & mortis tormenta, velit inquam purè, ut di-

E ximus antequàm peccet, proculdubiò gratiæ eſt, & non naturæ, vel naturalis alicujus virtutis. Quòd ſi dixerit quis quia hujuſmodi voluntas invenitur in hæreticis: nos jam reſpoudimus in alio tractatu, & oſtendimus, quia hæretica pertinacia obduratio eſt voluntatis ipſorum, & obligatio diabolica quæ eos trahit quo vult, & ſicut vult, quemadmodùm enim furioſi multa ſuſtinent, quæ ſani nullatenùs ſuſtinerent, ſic eſt de furioſitate, ac cœcitate hæreticorũ; ea enim ſuſtinent ex inſania cordiũ, quæ vix ſanitas ſuſtineret. De hoc autẽ quod ſupra poſitum eſt ex verbis Job. Non eſt poteſtas ſub cœlo, quæ ei comparetur, dicimus, quia poteſtas gratiæ, ſive virtutis, non eſt ſub cœlo, immò ſupra cœlum, quia virtus eſt Dei omnipotentis: & ad hunc intellectum referenda ſunt omnia, videlicet illud: Deridebit vibrantem haſtam, & hoc ex propria ſuperbia. Hic enim eſt mos ſuperborum, ut jactent ſe ultrà, quàm ſint &, ut majores, & fortiores ſe derideant, vel deridebit illum, ut eſt in ſe non qualis eſt, vel prout eſt, ex gratia, & ad hunc modum intelligantur omnia hujuſmodi. Quòd autem velle ex Deo ſit, &
F non ex nobis, expreſſè legitur ad Philip. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Attende autem, quia cùm quæritur utrùm quis poſſit velle reſiſtere cuicunque tentationi, ſeu quantæcunque, duobus modis intelligi poteſt hoc; poſſe enim dicitur, & ſecundùm poſſibilitatem, quod eſt paſſivè, & receptabiliter, quemadmodùm dicimus aëra poſſe illuminari paſſivè ſcilicet, & receptabiliter, ſecundo modo dicitur ſecundùm virtutem, & efficientiam, ſive effectivè, & hoc modo dicitur Sol poſſe illuminare aëra, quia apud ipſum eſt virtus, & principium efficiendi. Hoc manifeſtum igitur eſt, quia nec cuicunque, nec quantæcunque tentationi poteſt quivis reſiſtere per modum efficientiæ, ut diximus; per modum verò poſſibilitatis, aut paſſibilitatis, poteſt utique, hoc eſt non niſi poſſe recipere, & habere virtutem, vel
G gratiam, qua reſiſtat; hoc enim eſt, ac ſi diceretur, quoniàm poſſibile eſt de unoquoque, quòd reſiſtat ipſe tantæ tentationi, quantacunque demonſtretur: cauſa autem in hoc eſt, quia nec ipſum velle reſiſtere, aut velle pati moleſtias quantaſcunque tentationum eſt exiens nec fluens ex poſſe noſtro, ſive ex viribus noſtris ſolis, ſed ex illis ſimul, & adjutorio divinæ gratiæ & virtutis. Declaratio autem manifeſta hujuſmodi eſt quia velle noſtrum, & debile eſt, & finitum: inſultus verò & moleſtiæ tentationum, & fortes ſunt, & infiniti, etſi nullus eorum quantitate, vel intenſione infinitus ſit, cùm potentiâ ſint tota vita, etiamſi infinita eſſet, continuabiles, innumerabiles etiam ſunt moleſtiæ & inſultus tentationum. Ampliùs. Nullus eſt qui infinita dilectione diligat ſalutem propriam, aut Deũ in ſtatu peccati mortalis, vel qui in infinitũ fortiter
H ſe teneat, vel adhæreat alterutri eorum; & hoc apparet ex hoc, quòd tam facilè abrumpuntur homines & à Deo, & à ſalute propria, tamque leviter trahuntur in perditionem. Et etiam cum ipſa gratia videmus lapſus tam faciles; ipſi enim qui fortiſſimi inter electos judicantur, leviſſimè ſtimulati dejiciuntur, & etiam ſpiritualiter moriuntur. Quid igitur eſt & quæ infirmitas credendi poteſt eſſe, ubi adjutorium gratiæ deeſt? Ampliùs. Si finitum eſt ipſum velle naturæ, quo quis vult & bonis adhærere, & malis reſiſtere, ponamus ipſum in certa quantitate, vel intenſione, & dicamus, quia ſicut eſt major juſti voluntas boni, ſive amor, ita eſt voluntas moleſtiarum, ſive odium, quæ vel finita, vel infinita. Si finita eſt, ergo in infinitum major, quàm voluntas boni, ſive amor; quare faciet & ipſum

ſum in infinitum magis fugere, ſive declinare moleſtias, & inſultus tentationum, quàm amor boni, ſive voluntas ipſum eaſdem faciat ſuſtinere: erit igitur in infinitum paratior cedere moleſtiis, & inſultibus tentationum, quàm ſuſtinere ipſas: quare non ſolùm aliquibus reſiſtere non poterit, immò etiam nec uni; ſi enim finita eſt hujuſmodi voluntas, & odiũ, ponamus eam in certa, & determinata quantitate, & dicamus quòd quãta eſt voluntas ſuſtinendi hanc moleſtiam, duplo major erit ſuſtinendi duplo majorem moleſtiam, & ita in infinitum: quare ad hoc deveniet tandem, ut major ſit aliqua voluntas ſuſtinendi aliquantam moleſtiam, vel inſultus tentationis, quàm voluntas, de qua loquebamur: quare paratio erit iſte ſuccumbere hujuſmodi violentiæ, vel inſultui, quàm ſuſtinere eam, & ita non poterit ei reſiſtere; ex illa enim voluntate, vel amore boni minore, non poterit vincere voluntatem majorem, vel odium. Ampliùs. Jam declaravimus in prima parte tractatus iſtius, videlicet in cap. de ſufficientia liberi arbitrij, & neceſſitate gratiæ, hoc eſt, qua gratiâ indigemus, quòd id quod eſt animale in nobis, eſt in infinitum fortius ſpirituali noſtro, antequàm gratia adjuvetur: ipſum autem animale noſtrum adjuvat moleſtias, & inſultus tentationum totaliter, & in ipſis, & cum ipſis pugnat contra nos. Ex noſtro igitur ſpirituali ſolo non poſſumus reſiſtere cuicunque, vel quantæcunque tentationi, immò videretur etiam, quòd nulli, ſi tota fortitudine ſua animale noſtrum ſcilicet pugnaret in qualibet tentatione, fortiori quippe benè reſiſtit debilior, ſi fortior modica parte fortitudinis ſuæ pugnaverit. Jam igitur declaratũ eſt tibi per hoc, quia non poſſumus ex nobis in ſtatu corruptionis iſtius reſiſtere omnibus tentationibus, & adeò magnæ poſſunt eſſe aliquæ, adeò graves inſultus, quòd eos ex nobis non poſſumus ſuſtinere, ſed nec etiam velle abſolutè & ſimpliciter eos ſuſtinere, & quod hîc objicitur nobis, quia poſſumus ſi volumus, verum utique eſt, ſed ipſum velle tale ſimpliciter, & taliter, ſicut diximus, ex nobis non poſſumus. Si quis autem quærat, utrùm Adam, vel quicunque ex Angelis ſanctis, in ſtatu ante gratiam poſſet ſuſtinere quaſcunque moleſtias, vel inſultus tentationum, ſcire debes, quia jam ad hoc reſponderunt ſacri Doctores & dixerũt, quia nec moleſtia tentationũ, nec alia pœna infligi poterat alicui ante peccatum, & hoc erat Dei juſtitia prohibente, quæ nunquàm permittit ut effectus præcedat ſuam cauſam causa autem pœnæ generaliter eſt culpa: quare antequam eſſet culpa, nullo modo potuit eſſe pœna: quare nec inſultus, aut moleſtia tentationis; omnis enim inſultus tẽtationis, & omnis moleſtia, pœna eſt. Si quis autem quærat, utrũ Adam in illo ſtatu vellet potiùs mori, vel quæcunque tormẽta pati, quàm à Deo recedere. Jã hoc diffinivimus in prima parte tractatus de moribus, & virtutibus, & diximus, quia dilectio naturalis, quâ Adã diligebat Deũ, tantæ puritatis erat, ac fortitudinis, quòd per eam præferret Adam Deum, & ſibi ipſi, & vitæ propriæ, alioquin perverſa eſſet, & iniqua, nec etiã naturalis eſſet; impoſſibile eſt enim, naturam benè inſtitutam, aut ordinatam, aliquid præferre, aut etiam æquare Deo, cùm nihil magis naturale ſit unicuique naturæ, quàm ipſum habere ante omnia, & ſuper omnia dilectum. Poſt hæc autem diſputabimus de ſanctis viris, & juſtis hominibus, utrùm quilibet eorum, hoc eſt quantumcunque ſanctitate, aut gratiâ præditus poſſit reſiſtere cuicunque, & quantæcunque tentationi, abſque novæ gratiæ auxilio, vel ejus quam habet augmento Quòd autem poſſit, videtur habere declarationẽ demonſtrativam; cùm

A enim jam declaravimus in prænominato tractatu, omnem virtutem gratuitam majorem eſſe in infinitum etiam qualibet naturali diſpoſitione, & quolibet vitio, manifeſtum eſt omnem virtutem majorem eſſe quocunque vitio, & quacunque alia diſpoſitione tentante, ſeu pulſante, quare manifeſtum eſt, omnem ſanctum, & juſtum incomparabiliter fortiorem eſſe ex gratia, quàm ſit tentator adverſarius ex illo, per quod ipſum impugnat, ſive iſtud vitium ſit, ſive fortitudo etiam naturæ. Ampliùs, Armatura virtutum qualiter daretur à Deo bellatoribus ſuis, ſi non eſſet eis ſufficiens ad omne præliũ ſpirituale, quod eis imminet, & certamen? Quòd ſi dixerit quis quia armatura Dei utique fortiſſima eſt, & ad omnem pugnam ſufficiens, verùm ipſi bellatores ſpiritus noſtri debiles ſunt ad eam portandam, & ad alios uſus ejuſdem, & ideò deficiunt in hujuſmodi certaminibus; quemadmodùm B pueri, vel ægri, aut aliter debiles, ſub quacunque armatura deficerent in certaminibus, quemadmodùm legitur de David in 17. primi Regum, quòd armis Saulis armari noluit contra Philiſtæum, & dixit ipſi Sauli: Non poſſum ſic armatus incedere, non enim habeo uſũ: Hac enim de cauſa clipeũ patientiæ ad primum ictum multi projiciunt, ut reverà ponderoſum. Et de hoc Eccleſiaſt. 3. Quaſi lapidis virtus probatio erit in eis, & non demorabuntur projicere eam: Sic & philoſophia dicit ad Boëtiũ: Arma tua tu prior abjeciſti. In hoc autem reſpondemus, quia armatura virtutum, non tam armatura eſt animarum noſtrarum, quàm etiam robur, & virtuoſitas intima ipſarum, armatura verò corporalis longè aliud eſt, quàm robur vel virtuoſitas bellatorum; etſi enim adjutorium ſit bellicæ fortitudinis, C tamen non eſt ipſa bellica fortitudo, & etiam forinſecum adjutorium eſt, non tamen intimum qualem dicimus eſſe duritiem cutis, & carnis. Armatura igitur virtutum animarum noſtrarum virtuoſitas eſt, & robur, ut diximus, non armatura tantùm earum. Quod autem dixit de ponderoſitate armorum, dicimus, quia arma ſpiritualia nihil habent ponderis in ſe, nihil gravitatis, aut difficultatis, ſed reverà tentationes eas onerant, & gravant, immò potiùs bellatores, qui eis præditi ſunt, & armati, & propter onera hujuſmodi volentes ipſa onera projicere projiciunt pariter & virtutes, ſicut apparet evidenter in impatientibus, qui dùm moleſtiam illatæ paſſionis per iram projiciunt, ipſum patientiæ ſcutum cum ipſa abjiciunt. Non ergo propriè ponderoſa ſunt arma virtutum, immò propriè pondus præliorum ſpiritualium portantia, ſed ſub eo tropo ponderoſa dici poſſunt, quia eam ſequuntur & quodammodò annexa ſunt eis pondera præliorum, ſicut & domus dicitur quandóque oneroſa D propter annexa onera reparationum, & cuſtodiarum, & hoſpitum frequentiam. Nec propter onera propria projicit unquàm aliquis hujuſmodi arma, ſed propter onera tentationum, ut diximus, à quibus nunquàm immunes ſunt virtutes in via vitæ iſtius, ſicut domos prædicto modo oneroſas, propter ponderoſitatem propriam nemo recuſat, aut reſpuit, ſed propter onera quæ eis annexa ſunt eaſq; ſequuntur. Ad literam etiam arma literalia multi abjecerunt, ne impugnarentur, & ne repugnare compellantur. Sic multi fidem ipſam, & ſacramenta, quæ indubitanter arma ſunt fidelium martyrij certamina, & coronam pariter declinantes. Quæſtionẽ tamen habet per hoc quod dicitur: Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam: Utrùm Dominus Deus aliam cuſtodiã adhibeat, quàm ipſa dona gratiarum, & virtutum, quæ ſunt in unoquoque fidelium, & poteſt reſpon-

Abjicientes arma.

Digitized by Google

deri, ſive arguitur quòd non, per illud quod ipſe-
Paulus. met dicit Paulo Apoſtolo in 11. 2. ad Corinth. Cùm
enim moleſta eſſet illa tentatio, quam ab Angelo
Satanæ patiebatur, & timeret ſibi forſitan ab illa,
reſponſum eſt ei à Domino. Sufficit tibi gratia mea.
Qualiter autem ſufficiebat ei, niſi ad cuſtodiã? quòd
ſi ita eſt, quid eſt quòd orat Pſalmiſta in oppoſitũ.
Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerũt mihi? Et quid
eſt illud: Dominus in circuitu populi ſui? Ampliùs.
Quomodò nobis eſt in columnam ferream, & in
murum æneum, & in civitatem munitam? Quis
enim dubitat quin omnia hæc alia ſint, quàm ipſa
armatura virtutum? Si verò iſta cuſtodia ipſius, &
& circunvallatio electis neceſſaria eſt præter ipſa
dona virtutum in infinitum, manifeſtũ eſt quia nec
poſſunt ſe vel cuſtodire, vel defendere ex ſolis do-
nis virtutum, & gratiarũ, alioquin quid eſſet iſtud:
Expugna impugnantes me. & exurge in adjutorium
mihi? Similiter & clamat Eccleſia tam crebrò, Deus
in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvã-
dum me feſtina. Quæ utique vox eſt pugnantis, &
deficere formidãtis, cui ſi jam datæ vires, atque vir-
tutes ſufficiunt, ad quid petit aliud adjutorium?
Dona virtutum & gratiarum facilè in nobis extinguuntur. Ampliùs. Quis non videat quia ipſa dona virtutum,
& dona gratiarum tam facilè extinguuntur, & de-
ſtruuntur, & hoc à nobis ipſis, ſive cùm deſeruntur,
ſive cùm inde ſuperbimus quacunque ex quinque
partibus ſuperbiæ, ſive cùm in eis operari negligi-
mus; quemadmodùm dicit Auguſtin. Quia virtus
aut proficit, aut deficit. Et Luc. 19. Auferte ab eo
mnam, pro eo ſcilicet, quòd in ea negociari negle-
xit. Ad hoc autem reſpondemus quia præter dona
gratiarum, & virtutum ipſa Dei cuſtodia, & prote-
ctio neceſſaria eſt, ipſiuſque multiplicia adjutoria,
quibus adjuvat pro ſe certantes electos, unde Aug.
De cœlo clamat, certate, adjuvabo, vincite, corona-
Hoſtium diffugatio. bo. Horum ergo primum eſt hoſtiũ diffugatio, quâ
vetat interdùm nec tentare vel ad modicum electos
permittuntur, ſicut ipſe diabolus confitetur Job
primo, ubi dicit ad Dominũ de Job. Ecce tu vallaſti
eum, &c. propter quod & petiit licentiam tentandi
Hoſtium refrenatio. eum. Secundum adjutorium eſt, refrenatio hoſtium
ne tentent, ſcilicet quantùm vellent, & quantùm
poſſent, ſicut legitur ejuſdem 2. Veruntamen ani-
mam illius ſerva, quaſi diceret: In illam non do tibi
poteſtatem, cùm omnia alia, quæ habet in manu
tua ſint. Tertium adjutorium eſt de ipſo tentatore,
videlicet cùm ipſa formâ ſuâ, quâ tentat ipſe tenta-
tor, præbet adjutorium, & inſtructionem, propter
quod diabolus non eſt permiſſus tentare Adam, &
Evam, niſi in forma ſerpentis, ut eo ipſo inſtruere-
tur Eva ſuſpectam deceptionem debere habere,
quæ ſerpens ſuggerebat, & ipſo horrore formæ ſer-
pentinæ refugeret, ac reſiliret à ſuggeſtione ipſius.
Eadem cauſa eſt propter quam quibuſdam hæreticis
in ſpecie ſola cati nigri apparere permittitur diabo-
lus, & immundiſſimam ſui partem ſolam eiſdem
exhibere deoſculandã: ſic & in forma ſola buffonis
quibuſdam aliis, ut ex hujuſmodi forma horreant
diabolum, quem in illa adorant, quæ utique forma
omnium reptilium, & immundorum eſt magis
Timor Domini in tentationibus. horrifica. Quartum adjutorium de ipſa tentatione
eſt, cùm vel timorem ingerit, qui eſt cuſtos opti-
mus, ſicut legitur Eccleſiaſt. 27. Si non in timore
Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur do-
mus tua: Vel cùm ad pugnandum nos provocat, &
contra hoſtem accendit, ſicut in litteralibus certa-
minibus manifeſtum eſt, quia percuſſi ad repercu-
tiendum provocantur, & in hoſtes acriùs inflam-
mantur, propter utrunque iſtorum dicitur in Pſal.
Da nobis auxilium de tribulatione, Quintum adju-
torium eſt nova gratia, vel augmentum prioris,

E juxta quod legitur primæ ad Corinth. 10. Faciat
cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere,
proventum vocans adjutorium, quod diximus Be-
nè enim negotiantibus in talentis virtutum auget
Deus eadem eis vel magnitudine, vel numero, ſicut
legitur Math. 25. & Lucæ 19. Sextum adjutoriũ eſt
ceſſatio, ſive pax à tentatione; imperat enim ventis,
ideſt dæmonibus, & efficitur trãquillitas magna, ſi-
cut legitur Math. 8. Septimum adjutorium eſt in
ipſo ardore tẽtationis refrigerium, quod eſt mitiga-
tio ipſius, ſicut cùm ipſam tribulationem vertit in
ſolatium, quemadmodùm factum eſt tribus pueris
in fornace Babylonica, ubi Angelus Domini deſcẽ-
dens fecit medium fornacis quaſi vẽtum roris flan-
tem, ubi & lætificati euſque ut in medio fornacis
pſallerent illæſi, atque ſoluti à vinculis benedicerent
Dominum, unde illud: Obumbraſti ſuper caput
meum in die belli. Ne ardoribus tribulationum
æſtuaret caput, ideſt mens, vel cor. Octavum adju-
torium confortatio eſt, vel ipſius Dei per ſe appa-
rentis, vel per Angelum, ſicut legitur Lucæ 22. Et
Confortatio Dei, vel Angeli in tentatione.
F apparuit illi Angelus Domini confortans eum, hoc
eſt adjuvans, animans, muniens ad certamen paſ-
ſionis. Quod utique non ei accidit propter ſe, qui
confortari nullatenùs indigebat, ſed propter nos
qui tam multiplici infirmitate laboramus. Idem au-
tẽ eſt confortatio quod & roboratio, & erectio cor-
dis. Hæc autem fiunt per promiſſionem virtutis, &
victoriæ, & per oſtenſionem infirmitatis hoſtium,
ac levitatis pugnæ. Nonum adjutorium conſolatio,
quæ non eſt niſi lætificatio in moleſtiis, ac dolori-
bus, atque laboribus, inde illud: In tribulatione di-
lataſti mihi. Et alibi: Secundùm numerum dolo-
rũ meorũ in corde meo conſolationes tuæ lætifica-
verunt animam meam. Similiter & illud: Virga tua,
& baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Decimum
eſt ſpei datio, & fiduciæ, atque confirmatio contra *Spes.*
nutationem timiditatis, juxta illud: Si dicebam
Domine motus eſt pes meus, miſericordia tua Do-
mine adjuvabat me. Dominus adjuvat inquam præ-
G ſtando fiduciam, & firmitatem contra nutationem
timiditatis. Inde etiam eſt illud dictum Statuit ſu-
pra petram pedes meos, & illud: Dominus firma-
mentum meum, ubi alia littera habet, Dominus pe-
tra mea. Et eſt differentia inter hoc adjutorium, &
proximè præteritum, quia alius eſt timor ex proprio
defectu, & infirmitate. alius ex viribus hoſtium, &
fortitudine certaminis. Undecimum ſuſceptio, vel
exceptio incuſſorum, videlicet ne cadant, de quo di-
ctũ eſt in Pſalmo: Impulſus everſus ſum ut caderẽ,
& Dominus ſuſcepit me. Et alibi: Juſtus ſi ceciderit
non collidetur, quia Dominus ſupponit manum
ſuam; impelli quidem electos permittit Dominus,
ſed cadentes excipit, & erigit, ac relevat, ne lædan-
tur lætaliter, ideſt ne cadant in mortem culpæ mor-
talis. Impelluntur igitur, & penè uſque ad ca-
H ſum, ut agnoſcant infirmitates ſuas, & quòd non
cadunt, non viribus ſuis, ſed miſericordiæ divinæ
attribuant. Duodecimum ſuſceptio fugientium ad
Cur tentationibus impelluntur electi.
ipſum, propter quam ſuſceptionem dicitur refugiũ
electorum. Fugiunt autem ad ipſum in tentationi-
bus, quicunque ipſum invocant, & ad ipſum cla-
mando orant, & orando clamant; unde eſt illud: In-
vocavi Dominum & exaudivit me, & ex omnibus
tribulationibus meis eripuit me. Tredecimum pro-
pugnatio Dei, ac debellatio hoſtium, quod ſigna-
tum eſt Exod. 13. ubi dixerunt Ægyptij, Fugiamus
Iſraëlem, Dominus enim Deus Iſraël pugnat pro
eo: propter quod ipſemet dicit Iſaïæ 63. Ego qui lo-
quor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum.
Et 1. Judicum legitur de cœlo dimicatum eſt contra
eos. Hoc autem facit miſericors Deus propria virtu-
te minuendo

Digitized by Google

temiouſodo, extinguendo cogitationes noxias, & ardores, ac delectationes tentationum, quæ omnia indubitanter & hoſtes ſunt interni, vel intimi noſtri, & hoſtium, ideſt dæmonum arma. Decimumquartum eſt ipſa tribulatio forinſeca, ſicut paupertas, moleſtia, & ignominia, quorum utilitates, & adjutoria diximus in ſecunda parte tractatus illius. Quintumdecimum eſt memoria noviſſimorum, hoc eſt mortis, & judicij venturi damnationis minatæ, vel fœlicitatis promiſſæ, vel noviſſimorum, ideſt extremorum, quæ ſunt initialia, & finalia noſtra: initialia quidem creatio, & recreatio noſtra, mala in quibus eramus, bona quæ recepimus, & mala quæ reddimus, finalia verò, quæ ſupra diximus. Iſta quindecim adjutoria divinâ gratiâ electis in tentationibus & præſtari, & ſervari non ambigit, niſi certaminum Chriſtianorum ignarus. Quod autem quæritur, utrùm ex donis, & virtutibus, quibus prædıti ſunt electi, poſſint ſe defendere, & invicti in omni tentatione perſiſtere abſque ullo prænominatorum adjutoriorum, non audemus dicere, quòd ſic, non propter hoc quòd dona gratiarum, & virtutes infirmiores ſint, aut minùs fortes vitiis, aut tentationibus eorum, ſed quia infirmitas carnis, ideſt, quæ eſt à parte carnis, non permittit eos pugnare adeò ſtrenuè, adeóque fortiter, ut congruit armis hujuſmodi. Fortes quidem ſunt virtutes, ſed in lubrico, & in infimo poſitæ, & fortificant ſpiritus electorum, non tamen euſque ut ab infirmitate prædicta penitùs liberent, & (ut ita dicamus) non euſque ut toti pugnent ſpiritus, ſed quaſi parte ſui, ſicut dicit Auguſtinus in libro Confeſſionum de voluntate, quia in parte proſtrata jacet, & non tota erigitur, propter quod & Apoſtolus 7 ad Hebræos. Velle adjacet mihi, quaſi diceret. Adeſt mihi, ſed jacens; Velle enim quo quis vellet, nondùm autem vult præcipuè, & ſimpliciter, velle jacens eſt, languidum, & infirmum, velle autem quo quis vult, velle erectum eſt. Quemadmodùm ergo infirmus, aut æger, quantumcunque benè ſit armatus, facilè læditur, dejicitur, aut etiam occiditur; ſic ex aliquo modorum anima humana in corruptione originali, licet pœnaliter tantùm adhuc poſita, facilè læditur, dejicitur, & etiam ſpiritualiter occiditur. Verum ergo ſimpliciter eſt, quia quantùm eſt ex fortitudine uniuſcujuſque virtutis, quilibet vir ſanctus & juſtus, poteſt reſiſtere cuicunque, aut quantæcunque tentationi, ſimpliciter tamen non poteſt, & hoc quoniàm non poteſt pugnare tota fortitudine alicujus virtutis, neque ſe toto, ſed parte ut prædiximus, partem autem ſui ſemper habet contra ſe, vel meliùs juxta expoſitionem Auguſt. ſuper verbum illud in 5. ad Galat. Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus adversùs carnem; Ibi enim dicit Aug. carnem & ſpiritum idem intelligi eſſentia, & ſubjecto, licet ratione, ſeu relatione diverſa, ſeu comparatione. Quia ergo vir ſanctus in iſta corruptione, neque totus contra quamcunque tentationem, neque ſola fortitudine pugnare poteſt contra quamcunque tentationem, immò ex parte pugnat pro illa, & contra ſe; inquantùm enim caro eſt, pugnat contra ſpiritum, ut dicit Auguſtinus, & ipſum adverſarium ſuum adjuvat, & ſibimet adverſatur, ſicut in eodem capitulo dicit Apoſtolus. Hæc enim ſibi invicem adverſantur.

Memoria noviſſimorum.

Quæſtio optima.

Infirmitas carnis.

Velle jacens & languidum.

CAPUT II.

Exemplis, & aptis ſimilitudinibus oſtendit auctor difficile eſſe vincere tentationes, & eis reſiſtere, quoniàm unuſquiſque iſta corruptione totus contra quamcunque tentationem pugnare non poteſt, immò ex parte pugnat pro illa, & ex parte contra ſeipſum præliatur.

QUoniàm autem in præcedentibus promiſimus de hac re exempla dare plura, & lucida, ab hoc promiſſo abſolvi volumus, antequàm ad alia tranſeamus. Hujuſmodi ergo primum exemplum ponimus Regem, cujus regnum diviſum eſt in ſeipſo contra ipſum, & ejus hoſtibus, licet parvis, & parvæ potentiæ fœderatum; de hujuſmodi enim rege manifeſtum eſt, quia ab exteris hoſtibus, licet minoris fortitudinis, atque potentiæ quàm ſit ipſe, vinci poterit, dùm non tota potentia ſua aut fortitudine pugnare ſinitur, immò pars ejus magna contra ipſum, cum hoſtibus ſe erigit, & inſurgit: ſic dicimus & de regno ipſius, quia facilè eſt quòd ab exteris hoſtibus acquiratur, licet paucioribus, minùſque fortibus, & hoc eſt propter partem regni, quæ illos adjuvat, & contra reliquam cum eis pugnat. Et attende diligenter, quia exemplum manifeſtè eſt conveniens, expreſſæque ſimilitudinis; unuſquiſque enim noſtrum à parte mentis, ſeu ſpiritus rex eſt, partes verò regni noſtri id quod in nobis ſpirituale eſt, & id quod animale, quæ utique partes contra ſe invicem diviſæ ſunt, & altera regi ſuo adhæret, videlicet id, quod ſpirituale eſt in nobis, altera verò velut hoſtibus fœderata, cum eis contra regem, ſcilicet mentem noſtram, vel ſpiritũ, totis viribus ſemper pugnat. Secundum exemplum eſt, eques armatus ſuper equum recalcitrantem in medio conflictus poſitus, qui dùm contra hoſtes pugnare nititur, recalcitratione, & exagitatione equi ſui non ſolùm impeditur, ſed etiam dejicitur; quantumcunque igitur fortis bellator ſit, quantumcunque benè armatus ſit, non prodeſt ei, cùm equus ſic impediat ipſum. Similiter ſe habet ſi equus fuerit umbraticus; ad primum enim ſonitum, ſeu clangorem buccinarum, ad primum ſonum colliſionis armorum, ad primum inſultum pugnæ adeò exterritus refugit, ut non ſolùm ſeſſorẽ ſuum ſtrenuè agere non permittat, ſed etiam per diſcrimina rapiens ipſum præcipitet, & interdùm occidat; quid enim aliud eſt animale noſtrum in nobis ſive caro quàm equus umbraticus, adeò reformidans aſpera, quæ pati non conſuevit, ut pro illis evadendis nulla diſcrimina expaveſcat, immò ad illa plerumque tanquàm ad tuta refugia confugiat; interdùm etiam quæ aſpera non ſunt, & quæ omninò nihil habent periculi, expaveſcit præ inſania, & nec verberibus, nec ſtimulis, ut illis appropinquet, induci poteſt. Hoc eſt quod legitur in Pſalmo; Trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quid autem ſpiritus in nobis, aut mens, niſi ſeſſor hujus equi inſidens, & plenã coërtionem ipſius omninò non habens. Tertium exemplum ponimus in equo teneri oris, qui per frænum arreptus ab hoſte, quocunque voluerit hoſtis traditur, & ſeſſorem ſuum in medios hoſtes ingerit, & impingit, & in gladios ipſorum dat ipſum interdùm; totum autem hoc eſt, quia moleſtiam hoſtis præ teneritudine, quam diximus, nec vult ad modicum ſuſtinere. Equus iſte animale noſtrũ eſt (ut diximus) os ejus tenerrimum, concupiſcentia eſt generalis, videlicet carnis, oculorum & omniũ mundanorũ. Hujus oris tanta teneritudine laborat equus hujuſmodi, ut nihil duri pati ferat, &

Primum exemplũ.

Unuſquiſque à parte mentis rex eſt.

Alia ſimilitudo.

Animale noſtrũ ſicut equus umbraticus.

Mens velut ſeſſor.

Alia ſimilitudo.

Digitized by Google

propter hoc ſeſſorem ſuum plerunque in medias acies hoſtium, immò in gladios rapiat; cui ſi frænum cujuſcunque diſciplinæ impoſitum fuerit, tanto impetu retrograditur, & reſilit, ut ſeipſum pariter præcipitet, & ſeſſorem. Multos quippe vidimus ex leviſſimæ diſciplinæ frænatione, vel ira, vel deſperatione in poſteriora præteritorum ſuorum vitiorum, ſcilicet toto præcipitio reſiliiſſe. *Alia.* Quartum exemplum eſt equus laſcivus, qui in conſpectam equam tantâ concupiſcentiâ, & inſaniâ fertur, quòd nec fræno, nec calcaribus, nec ullo genere inſtigationis averti poteſt, quin toto præcipitio ad illam currat. ſicque fit ut ſeſſori ſuo nec arma proſint, nec ſtrenuitas, quia nec pugnare contra adverſarios, nec ſe defendere ipſum ſinit. Et eſt illud exemplum apertæ ſimilitudinis, & indubitatæ congruentiæ: ſi quis petulantiam noſtræ carnis conſideret, & ejus in nobis quod dicimus animale; videbit **F** enim evidenter qualiter ſpiritus noſtros poſt concupiſcentias ſuas tota præcipitatione ſua rapit, & pertrahit, omnemque ſtrenuitatem certaminum ſpiritualium relinquere nos compellit, & diſcrimina, vel ſua, vel noſtra penitùs non attendit, propter quod dicit Salomon Proverbiorum 7. De vecordi juvene, ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimâ, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quòd ad vincula ſtultus trahitur, donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quia de periculo ejus animæ agitur; propter quod dicit Eccleſiaſt. 18. Poſt concupiſcentias tuas ne abeas, & à voluntate tua avertere. Si autem animæ tuæ dederis concupiſcentias ſuas, dabit te in gaudium inimicis tuis. *Alia.* Quintum exemplũ eſt de equo oris duri; ex hac enim perverſitate laborat animale noſtrum, ſicut & omnibus perverſitatibus vitiatorum equorum; **G** dùm enim fræno diſciplinæ averti non poteſt à concupiſcentiis, & aliis periculis, ipſum ſeſſorem ſpiritum dat in medios hoſtes. Seſſor enim inſidens equo oris duri, quaſi captus eſt ſupra: cùm enim fræno non pareat, ut avertatur à periculo, & ſeipſum, & ſeſſorem ſuum dat in hoſtium captionem; quidam enim adeò tardi ſunt declinare à periculis, ut priuſquàm velint movere pedem à loco diſcriminis, præda hoſtium fiant; propter hoc legitur Eccleſiaſtici 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Alia.* Sextum exemplum eſt debile fundamentum, & domus ex quadris, & cedris ædificata ſuper illud, ſtructuris, & ligaturis firmiſſima. De hujuſmodi quippe domo manifeſtum eſt, quia facilis eſt dejectio, ſeu caſus ipſius; ſic eſt & de domo ſanctæ conſcientiæ, quantiſcunque virtutibus ædificata ſit, & firmata, quia cùm ſuper infirmitatem carnis poſita eſt, & quodammodò fundata, & ſuper animale noſtrum, quod ſemper vacillans eſt, ſemperque à bono deficiens, facillima eſt ruina ipſius. Et **H** hoc eſt quod legitur Job 4. Ecce qui ei ſerviunt non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea? Sciens ergo diabolus hujus fundamenti infirmitatem, ac vacillationem, arcem mentis noſtræ à parte fundamenti iſtius tentationibus ſemper concutit, ut eam dejiciat, & avertat: *Nota.* dùm enim animale noſtrum corruerit, & ab ipſo ſpiritualiter totaliter receſſerit, quid reſtat eidem, niſi dejectio, & ruina tanquàm fundamento ſublato penitùs, aut everſo? *Alia ſimilitudo.* Septimum exemplum eſt bellator egregius, & prout decet, omni genere armorum armatus, ſtat autem ſupra pavimentum, aut ſubſtramentum lubricum, in quo caſus facillimus; pavimentum enim de quo dicitur in Pſalmo: Adhæſit pavimento anima mea; Ani**E**male noſtrum, ſive caro eſt, quod inſtar pavimenti quantò magis delitiis carnalibus ungitur, tantò magis ejus lubricitas augetur, & ut in eo cadat ſpiritus, quantacunque excellentiâ virtutum armatus, aptius efficitur. Propter quod omnis erit ei armatura virtutum inutilis, niſi aſperitate diſciplinæ, & tribulationum corporalium iſta lubricitas tollatur, propter quod hoc dicitur in Pſalmo: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum. Statur enim firmiùs ſupra pavimentum aſperitate rugatum, aut valliculatum. Et attende convenientiam ſimilitudinis in hoc exemplo, quia quantumcunque fortis bellator ſit aliquis, quantacunque armaturâ præditus, in lubrico tamen ſtans, aut poſitus, infirmiſſimus eſt, atque ruinæ proximus, propter quod dixiſſe videtur Apoſtolus: Qui ſtat, videat ne cadat. Octavum exemplum eſt bellator cujus pars optimè armata eſt, pars autem inermis relinquitur, & penitùs improtecta; *Aliud ſimile.* in ſpirituali quippe noſtro tota armatura virtutum eſſe videtur, in animali verò nulla penitùs. *In ſpirituali tota armatura.* Quid autem prodeſt bellatori partem habere armatam, ſi altera pateat parte jaculis hoſtium, maximè, cùm in partis illius vulneribus, pars etiam, quæ armata eſt, vulneretur? jaculis quippe tentationum maximè carnalium expoſita eſt pars illa, quam dicimus animale noſtrum, ſive carnem adversùs quam concupiſcit ſpiritus. Spiritus ergo armatus eſt per ſe, & ſecundùm ſe armaturâ virtutum: *Caro noſtra inermis.* caro verò (ut diximus) in eo quòd caro inermis eſt penitùs, & defendi quidem poteſt per armaturam ipſius, non quidem, ut non lædatur, & ut jacula non patiatur, ſed ut non lætaliter vulneretur, defendi etiam poteſt ut non capiatur, non autem ut non impugnetur; nec protegi poteſt, ut non intrent hoſtes peccatorum ad ipſam, ſed ut non regnent in ipſa, vel dominentur, propter quod circunſpectè dicit Apoſtolus in 7. ad Rom. Ne ergo regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Ubi Auguſt. non dixit ut non ſit peccatum in noſtro mortali corpore, ſed dicit ut non regnet; hoc enim noſtræ eſt poteſtatis. Nonum exemplum eſt domus, *Alia ſimilitudo.* cujus pars inferior aridiſſima eſt, & ad concremationem facillima, pars verò ſuperior etſi non arida, vel combuſtioni obnoxia, tamen vehementiâ ignis, & longa ſufflatione combuſtioni apta. Sic eſt & de animali noſtro, quod ardoribus carnalium deſideriorum adeò eſt obnoxium, adeóque facilè cremabile, ut niſi vigilantiſſima defenſione aſſiduaque eidem ſubveniatur, totum penitùs conflagretur, & domus noſtræ partem reliquam, videlicet id quod ſpirituale in nobis eſt, ejuſdem conflagratione ſuccendat: *Nota.* aqua igitur tribulationis, occupationis ſanctæ, & aqua lachrimarum jugiter occurrendum eſt hujuſmodi incendiis, quod niſi divinæ gratiæ magno adjutorio fieri nequit. Decimum exemplum eſt bellator oneratus, qui dùm ſtrenuè agere nititur, *Similitudo alia.* ſemper ipſo onere impeditur. Interdùm autem dejicitur, hoc eſt carnis ſpiritus ſarcinâ oneratus, atque depreſſus quantacunque armaturâ virtutum ſit præditus. *Alia.* De hoc Sap. 9. Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Non poteſt igitur tanta ſui virtuoſitate pugnare anima humana, quæ ſarcinâ corporis onerata eſt, in cujus ſupportatione partem ſuæ fortitudinis etiam neceſſe eſt occupatam eſſe. Undecimum eſt bellator in domo ex omni parte aperta, & hoſtibus undique patente, hoſtibus inquã ad modũ exercitus ipsũ & ipſã circumvallãtib⁹, & obſidẽtibus: eſt enim corpus humanũ domus ſpiritus tota patens, & tota patula, & delectabilibus quæ ſunt velut jacula mellita, & velut hoſtes, *Corpus noſtra domus patens.* qui ſub blandimẽto voluptatis animas interficiunt,

& triſtabilibus, hoc eſt aſperis, vel adverſis, quæ ſunt velut jacula fellita, & velut hoſtes manifeſti tormenta, & mortem animabus intentantes: adeſt cum omnibus iſta, hoc eſt cum toto, & tanto inimicorum exercitu, proditio janitorum excubantium per circuitum domus iſtius in ſingulis januis, & feneſtris, quemadmodùm concupiſcentiæ oculorum in oculis, & aurium in auribus; & generaliter eſt concupiſcentia carnis diffuſa per totum corpus, ſecundùm diverſas ſpecies, & ramos ſuos. Proditionẽ autem janitorum hujuſmodi propter hoc diximus, quoniàm hoſtes uſque ad animam jugulandam introducunt pro viribus. Quæ igitur vel virtus, vel armatura ſufficere poteſt bellatori ſpiritui tantis obſeſſo periculis, immò ipſis hoſtibus & proditoribus ex omni parte ſtipato, immò è contiguo, non ſolùm è vicino adhærentibus ſibi; neque enim vallum, aut murus, aut aliud interſtitium inter ipſum, & hoſtes dividit. Duodecimum exemplum eſt liliũ inter ſpinas; quemadmodùm enim ſpinetum denſiſſimum caro noſtra eſt, quæ ſpinis, & tribulis nunquàm caret, & quantacunque diligentiâ agricolationis diſciplinalis extirpantur, novas ſemper germinat immò profert fortiſſimas. In medio ergo hujuſmodi ſpinarum candore puritatis anima humana poſita, quid eſt, niſi lilium inter ſpinas? lilium inquam tenerrimum, & transfixioni ſpinarum teneritudine ſua obnoxium, niſi divina eam protectio tueatur; nõ enim ſua virtute, aut fortitudine lilium tenerrimum reſiſtit tantarum tentationum tam fortibus aculeis, ſed nec etiam reſiſtere poteſt. Facit autem ad hoc id quod legitur Cantic. 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Tredecimum eſt lilium vel flos quicunque alius tenerrimus, ac vernantiſſimus in medio fornacis ſemper ardentis, atque fumantis, de quo manifeſtum eſt, quòd virtute ſua non poteſt ſe cuſtodire immarceſcibilem. Quid enim aliud eſt caro noſtra, niſi fornax ſemper ardens concupiſcentiarum carnalium ac deſideriorum flammis, ſemper fumans tenebroſiſſimis delectationum, & cogitationum vaporibus? Decimumquartum exemplum eſt puella ſtimulos carnis patiens in medio corruptorũ blandientium, & etiam percutientium poſita, ſolam corruptionem ejus intentantium, & per omnia, quæ diximus, hoc eſt blandimenta, promiſſiones, terrores, & verbera in conſenſum turpitudinis eam inclinare conantium? Quid eſt enim anima humana in medio blandientium voluptatum, & terrentium, & ſervientium adverſitatum poſita, niſi puella in diſcriminibus quæ diximus? quid enim ſunt voluptates niſi per blanditias animas noſtras ſeducere intendẽtes corruptores? quid autem ſunt adverſa, vel triſtia niſi vi, hoc eſt terroribus, & verberibus eam opprimere volentes, & ſimpliciter corruptores? Ad dæmones autem optimè utraque referuntur, qui indubitanter ſunt animarum humanarum ſtudioſiſſimi, atque avidiſſimi corruptores, ipſas nunc blanditiis voluptatum, nunc adverſitatum moleſtiis corrumpere molientes, & ſacratiſſimum matrimoniũ, quod in baptiſmo cum cœleſti ſponſo contraxerunt, nefariè polluere intendentes: quis autem non videat caſtitatem ſpiritualem propriis viribus animam humanam in hoc ſtatu non poſſe defendere? Quindecimum exemplum eſt vir in medio vigilantiſſimorũ ſerpentium, & inſidiatorum ſcorpionum poſitus, qui virus eidem inſibilare, ipſumque mordere, atque percutere, niſi repreſſi, nunquàm ceſſant, hoc eſt nocte, & die, ſomno, & vigilia, ad hoc ſtudioſiſſimè intendunt; etſi enim dormiendo viri ſancti non peccent, vulnera tamen ſomniantes excipiunt, à quibus poſtmodùm vigilantes difficilè ſanantur. Jam enim dicit Auguſtinus ſuper librum Geneſis, quia

Senſuum feneſtra.

Alia ſimilitudo.

Alia.

Alia.

Anima humana velut puella blanditiis expoſita.

Dæmones corruptores animarũ.

Aliud ſimile.

A ipſa carnalis concupiſcentia ſerpens eſt, quare quot concupiſcentiis carnalibus quis circundatus eſt, inter tot ſerpentes poſitus eſt, ut unus ſerpens computetur concupiſcentia oculorum, hoc eſt, viſu delectabilium, alius concupiſcentia aurium, & ita de aliis. Ipſa autem veritas in ſecundo Ezec. dicit. Cum ſcorpionibus habitas. Quod licet de falſis fratribus, atque proditoribus intelligatur, tamen de hujuſmodi concupiſcentiis congruentiſſimè accipitur, & hoc eſt, quoniàm quantumcunque à parte capitis, hoc eſt à ſui initio blanditi videantur, à parte tamen caudæ inſtar ſcorpionum, hoc eſt in noviſſimo, ſeu fine, æterna morte percutiunt. Apparet igitur, cùm & dormire neceſſe habeat ſpiritus humanus, & innumeris occupationibus diſtrahi, quòd inter hujuſmodi ſerpentes, & ſcorpiones ſuâ tantùm ſolertiâ, & viribus non cuſtoditur. Sunt & alia exẽpla juxta hæc penè innumera, quæ ad donum ſcien- B tiæ velut quibuſdam radiis luminoſitatis ipſius pertinere noſcuntur: donum enim illud (ut ait Auguſtinus in primo libro de doctrina Chriſtiana) facit hominem interiùs lamentantem, & qui hujuſmodi addit ſcientiam, addit & dolorem, ſicut dicitur Eccleſiaſtici primo. Unde ergo nobis dolorem ingerit hujuſmodi ſcientia, & lamentum, niſi quia miſeriam & ærumnoſitatem, in qua poſiti ſumus, nobis oſtendit? ſcientia quippe propriè boni, & mali eſt. Attende autem quia licet quanta eſt albedo alicujus, tantùm & ipſe ſit albus, & non ampliùs, non tamen quanta eſt fortitudo alicujus ſpiritualis, tantùm eſt ipſe fortis, & hoc eſt, quoniàm ſola albedine albus eſt, & nullo alio, non ſola autem fortitudine ſua fortis eſt quis ad bellandum ſpiritualiter, quemadmodùm non ſola ſua infirmitate, aut de- C bilitate infirmus, aut debilis eſt quis ad bellandum, ſicut apparet in exemplo de viro forti armato ſtante ſuper lubricum, aut debile ſubſtramentum; illa enim lubricitas ipſum efficit debilem, & infirmum ad pugnandum, hoc eſt, facilem ad vincendum, cùm manifeſtum ſit ipſam non eſſe infirmitatem, aut debilitatem ipſius, ſic & imperitia bellandi, cùm infirmitas non ſit, infirmum tamen efficit, & debilem ad pugnandum, quemadmodùm econtrariò ſapientia, & doctrina fortem faciunt, & robuſtum ſicut legitur Proverb. 24. Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus. Et Sap. 7. Per ſapientiam videbor in bello fortis. Juxta hunc modum dicimus, quia murus, turris, & vallum, cæteraque omnia quę hoſtium appropinquationem, & impugnationem impediunt, cùm neque virtutes neque fortitudines animarum ſint, ipſas tamen fortes efficiunt, juxta certiſſimum uſum loquendi. Si quis enim contendere voluerit de vocabulo, & uſum certiſſimum reſtringere, abuſioneſque inſolitas ampliare, con- D tentionem iſtam ei relinquimus qui contenti ſumus ea, quam quærimus, veritate, & uſu communi loquendi. Quòd ſi pertinax quis fuerit, ſequentur eum abuſiones, & etiam inconvenientia non toleranda in caſu propoſito; accidit enim quòd minùs fortis vincet fortiorem ſe, & artis pugnæ peritiorem, verbi gratiâ. Si fortiorem poſuerimus ſuper ſubſtramentum lubricum, minùs autem fortem ſuper cõtrariũ, neceſſe enim eſt, ut iſte fortior, vel per ſe cadat in lubrico, vel levi impulſu, quare vincetur à debiliori, & imperitiori ſe. Sunt & alia exempla quæ ſi congregarentur, non parvam nobis, neque contemnendam præſtarent eruditionem, & notitiam noſtræ infirmitatis, atque ſemper impedientium ſeu imminentium nobis periculorum, quæ quidem notitia ſaluberrima eſt evidenter.

Scorpiones ſunt concupiſcentiæ.

Nota.

Vide.

CAPUT III.

Enumerantur tentationes diabolicæ, & occultæ inſidiæ, quibus viri ſapientiſſimi, ac fortiſſimi nonnunquam ſubjiciuntur.

POſt hæc autem dicemus inſidias occultiſſimas, & tentationes aſtutiſſimas diaboli, quibus etiam ſapientiſſimi, atque fortiſſimi ſæpiſſimè ſubjiciuntur: horum autem prima eſt longa fatigatio, per quam non tantùm in ipſam tentationem inducere nititur illum, quem tentat, ſed etiam in deſperationem, ut videlicet, vel credat ſe ad Deum non pertinere, vel à Deo non curari; cùm enim inſtanter, & penè aſſiduè petat hujuſmodi tentatus à tali tentatione liberari, & non obtineat, facilè deſperat de Dei adjutorio, & facilè credit Deum non curare periculum ipſius: utrunque autem iſtorum certaminũ pernicioſiſſimum eſt, quandóque in utroque totaliter ſe tradit diabolo, qui ſic credit, vel deſperat; & (ut vulgò dicitur) de ſingulariter, & de duello, certantibus pro eo uſque ſe invicem percutiunt, donec alter eorum malum verbum dicat, quod eſt, victus ſum, ſeu quodcunque aliud, per quod intelligitur nolle pugnare ulteriùs, vel nolle certare pro querela, pro qua certare incœperat; ſic in iſtis ſpiritualibus certaminibus hoc modo victus, victori diabolo ſe tradit captivum ad ipſius penitùs voluntatem. Inde autem eſt iſta ſtultitia, immò ruina peſſima, & turpiſſima, quia neſciunt hujuſmodi bellatores, quantas utilitates, quantas victorias, quantamque ſaluberrimam propriæ infirmitatis notitiam operantur longa crebraque certamina tentationum; adeò enim eſt radicata in quibuſdam ſuperbia, ut non niſi innumerabilibus tentationum tunſionibus confringatur, tantis denique tenebris quidam involuti ſunt, adeóque ſuæ infirmitatis inſenſibiles & ignari, ut niſi longa ejuſdem experientia de eadem non valent erudiri, ſed neque niſi jugi conculcatione, vel humiliari valeant, vel in humilitate ſervari, quibus ſemper ad memoriam reducenda eſt ſuperbia Apoſtoli, quã ipſemet incurriſſet in 11. ſecundæ ad Cor. dicens: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Si enim tanta ſanctitate, tantiſque bonis gratiarum, & virtutum prædito viro imminebat periculum ſuperbiæ, & contra illud divina miſeratione medela ei adhibita eſt tentatio carnis, quid aliud nobis faciendum eſt, niſi ut admiremur, & jugiter collaudemus patris miſericordiarum circa nos officioſiſſimam pietatem, quæ & tunſionibus, & plerunque vulneribus tentationum ſalutarem in nobis medicinam elicit contra ſuperbiæ morum, morbum, & virus diabolicæ vexationis in antidotum nobis ſalutis convertit? Secunda aſtutia tentatoria diaboli eſt ipſa extraneitas tentationis; plerunque enim inſuetis tentationibus quoſdam expetit electos, ut eo ipſo, quòd alios de talibus tentari non audiunt, vel tentatos fuiſſe, ſe ad Deum non pertinere, & Chriſtianos non eſſe vehementer formident: interdùm etiam, & credant, non attendentes, quòd tota profunditate malignitatis ſuæ contra electos ſuccenſus diabolus, & novis, & veteribus, & auditis, atque notis, inſolitis, & inauditis tentationibus, prout permittitur, eoſdem impugnat. Conſuluerunt nos nonnulli ſuper hujuſmodi tentationibus, hoc uno eaſdem maximè abhorrentes, quòd ſe ſolos eas pati ſuſpicabantur, & ſe quaſi derelictos, inauditæ turpitudinis tentationibus expoſitos vehementer expaveſcebant, qui profectò non viderunt oppugnari caſtra fortiſſima, contra quæ non ſolùm notæ machinæ, conſuetaque jacula parantur, ſed etiam quæcun-

Longa fatigatio.

Quomodo quis diabolo captivatur.

Cautè.

Extraneitas tentationis.

Aſtutia diaboli.

E que immunda, quæcunque fœda, & fœtida, & quæcunque venenata, & quolibet modorum noxia in ea projiciuntur, totoque ſtudio hoſtes, qui illa obſidẽt, & impugnant, totiſque conatibus excogitant quibus vel modis, vel rebus vel magis inhabitantibus, & defendentibus noceant, ut faciliùs ipſa caſtra obtineant, & an nova ſint, an vetera non curant; non enim curat hoſtis etiam literalis quo gladio, videlicet an novo, vel veteri, conſueto, vel inconſueto, hoſtem perimat, præſertim cùm non quærat, niſi mortem illius; quantò fortiùs ergo hoſtis antiquus, qui totis ſtudiis, & viribus nobis inſidiatur, tota aviditate ſanguinem noſtrum, quacunque viâ, quocunque inſtrumento permittitur, nos occidere conatur. Tertia aſtutia eſt, qua hoc ſolùm intendit, ut mutet aliquis ſtatum ſuum, cùm in eo benè ſit illi; quemadmodùm enim aviculis, & piſcibus ſtrepitus fit aut tumultus, ut exeant de receptaculis ſuis,
F in quibus in tuto ſunt à retiaculis, & aliis inſidiis venatorum, atque piſcatorum; ſic diabolus benè ſe habentibus in aliquo ſtatu, & ubi ad eos tentandi non patet acceſſus hic vel propriis ſuggeſtionibus, vel alienis, interdùm etiam terroribus molitur, & plerunque ſub prætextu boni, ut inde ſe transferant, ſciens indubitanter, quòd in alio ſtatu erunt ei ad tentandum expoſiti, vel ſaltem ab ejuſdem inſultibus minùs tuti, propter quod dicit Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici quinto: Si Spiritus habens poteſtatem aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Et Danielis duodecimo: Tu verò Daniel ſta in ſorte propoſitionis tuæ. Et Abacuc tertio: Super cuſtodiam meam ſtabo, & ſuper gradum figam munitionem. Et Abacuc tertio: Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis. Et Exodi vigeſimo. Nullus egrediatur oſtium papilionis ſui, uſque
G ad mane. Quarta aſtutia eſt, qua ad majora bona, & ſuper vires infirmitatis ipſius aliquem invitat; quemadmodùm habet ſe de inconſtantibus, & lubricis, & diſciplinalibus, ac religioſis exercitationibus omninò inconſuetis, cùm eos ad talia invitet, exempla ſanctorum prædicantium eiſdem proponens, quod indubitanter ejus malignitatis ſtudio facit, ut eos revertentes ad vomitum, vel à religione apoſtatantes, & Deo magis offenſos, & in re deteriores efficiat. Hæc autem eſt aſtutia, qua ſimiæ capiuntur; accipiunt enim venatores calceos magnos, & ponderoſos, & calceant ſe hujuſmodi calceis in loco ubi hujuſmodi ſimiæ hoc videre poſſint: alligant autem, & aſtringunt ſibi fortiter hujuſmodi calceos, ut hoc videntes ſimiæ ſimiliter faciant; propter quod ſolventes hujuſmodi calciamẽ-
H ta de pedibus ſuis, dimittunt ea ibidem, indeque recedentes præſtolantur quouſque ſimiæ calceis illis ſe calciaverunt, & eoſdem ſibi forti alligatione aſtrinxerunt. Quod cùm eas feciſſe conſpexerint, irruunt in eas, ipſaſque capiunt, non ſolùm effugere, ſed etiam nec ambulare valentes præ magnitudine, & ponderoſitate hujuſmodi calceorum. Tu autem jam pluriès audiviſti, quia calciamenta exempla ſanctorum in ſcriptura vocantur, quæ cum propoſito, & voluntate ſibi aſſumpſerunt, vinculiſque votorum ſibi alligaverunt infirmi homines, & imbecilles ambulare non valentes in illis, aut ea portare, à venatoribus infernalibus capiuntur, ab aſſumptæ religionis propoſito apoſtatantes, vel ad præteritum feritatum vomitum revertentes. Quinta aſtutia eſt, qua ſub prætextu boni ſuadet periculum, hujuſmodi ſpecies & modi innumerabiles ſunt, quemadmodùm cùm ſub prætextu pietatis, & erogandarum eleemoſinarum ſuadet divitias, ſciens illud Eccl. 5. Fili mi ſi dives fueris, non eris immunis à delicto. Et illud Senecæ; O quàm difficile eſt divitiarum

Nota.

Similitudo.

Alia aſtutia diaboli.

Calciamenta quid in ſcriptura.

Alia aſtutia.

Digitized by Google

A divitiarum contubernio non cotrumpi. Similiter etiam & cùm propter impugnandum aliquod vitium ſuadet bonum, quod ſcit eſſe occaſionem ruinæ, quemadmodùm aliquibus, quos impugnat per luxuriam, ſuadet jejunia, & abſtinentias, ſciens eos in iracundiam, aut acidiam, vel etiam in amentiam facilè poſſe labi; hoc enim frequenter expetimur.

Alia. Sexta aſtutia eſt, qua vitium ſuadet ſub prætextu virtutis, quemadmodùm ſub prætextu providentiæ avaritiam, ſub prætextu miſericordiæ remiſſionem, ſub prætextu juſtitiæ crudelitatem, ſub prætextu zeli rectitudinis immaniſſimum furorem. Iſtis igitur velut fallax, & fraudulentus negotiator, vendit vitri viliſſimi fragmentum pro gemmis pretioſiſſimis, ut vitrum viride pro ſmaragdo, & vitrum rubeum, pro carbunculo, ſimiliter cuprum pro auro, plumbum, vel ſtannum pro argento, propter quod hîc veritas virtutum, ac puritas diligenter

B investiganda eſt, & ſtudioſiſſimè addiſcenda; propter hoc dicit veritas Apocalip. 3. Suadeo tibi emere à me aurum probatum, ignitum, ut locuples fias, propter hoc vulgariter dicitur. Non quicquid lucet, vel rutilat, aurum eſt. De hoc Seneca. Non omne quod veriſimile eſt, ſtatim & verum eſt, multa enim falſa veris aſſimilantur; propter quod dicit Ariſt. in lib. elenchorum. Quoniàm aurichalca, & felletincta, videntur aurea, cùm longè aliud, quàm aurum ſint. In hujuſmodi ergo ad unctionem Spiritus Sancti, qui de omnibus docet, ſicut dicit Joan in 2.1. recurrendum eſt. Et propter hoc orat Eccleſia tam frequenter dicens: Veritas tua quæſumus domine ſemper maneat in cordibus noſtris, & omnis falſitas inimici deſtruatur.

Pax interdum periculoſa. Septima aſtutia omnium periculoſiſſima eſt ipſa pax, ideſt ceſſatio à tentationibus. quam pacem multi imperiti vehementiſſimè concupiſcunt, & inſtanter poſcunt à Deo. Hæc

C autem adeò pernitioſa eſt, ut de ea dicat omnis Eccleſia ſanctorum. Ecce in pace amatitudo mea amariſſima. Et in 12. Sap. Viventes in tanto juſtitiæ bello, tot, & tanta mala pacem appellant. Contra hoc Jacobi 1. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis. Et Job 7. Secundùm aliam literam. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram: Carentia autem vitæ ſuæ, ſive privatio, mors eſt, quare privatio, ſeu carentia tentationis mors eſt, & utique non vivit, qui non tentatur. Ut autem manifeſtum fiat hoc, narrabimus tibi vulnera, & alia mala, quę de iſtâ pace proveniunt.

Mala ex carentia tentationis provenientia. Horum primum eſt ſecuritas, qua timor Dei cuſtos electorũ vigilantiſſimus occiditur, ſicut ſupra oſtendimus ex 27. Eccleſiaſt. Niſi inſtanter tenueris te in timore Domini, citò ſubvertetur domus tua; Immò, quod

D *Securitas quid.* plus eſt, Timor domini fons vitæ, ut legitur Proverbiorum 14. Arefacit igitur iſta pax in nobis fontem vitæ, quæ arefactio quanta impugnatio ſit, quis non videat? Hæc autem ſecuritas eſt, quæ nos facit ſeorſùm à cura, & ſolicitudine cuſtodiendi nos, & propter hoc exponit nos hoſtibus; non enim eſt idem eſſe ſecurum, quod eſſe tutum, ſicut teſtatur Seneca dicens. Hoc habet ignavia, ut interdùm ſecura ſit, tuta verò nunquàm;

Tutum. Securum. tutum enim, cui nullum imminet periculum: ſecurum verò, quod non curat periculum. Secundum malum eſt deſidia, ſeu pigritia, qua etiam ad fugam non ſolùm, ſed & ad pugnam tardi ſumus; jaculis enim tentationum electi excitantur vel ad fugam, vel ad pugnam; qui verò in pace hujuſmodi ſunt, ipſa quiete, non ſolùm deſides, ſed etiam ſomnolenti efficiuntur.

Deſidia. Eſt autem deſidia dormitorium diabolicũ, & moles, qua hujuſmodi homines comprimit, ne effugiant, vel exurgant. Eſt & velut paraliſis ſpiritualis, quæ nec membra corporis, nec vires mentis

A ad actus probitatis movere ſinit. Eſt etiam velut rubigo, quæ mentium fortiſſimarum vires, ac virtutes incredibiliter conſumit. Propter quod ſicut ferro nihil magis inimicum, aut noxium quàm pax, ex qua ei rubigo congignitur, ſic mentibus humanis nihil pernitioſius, quàm pax iſta, de qua loquitur:

Similitudo pulchra. & ſicut ferro nihil utilius, quàm laboris aſperitas, & aſſiduitas, quæ ipſum elimat, & ſplendidat, & ad ſimilitudinem argentei nitoris, atque decoris producit;

Tentationis utilitas. ſic mentibus humanis aſſiduitate tentationum nihil ſalubrius, quibus velut quibuſdam defricationibus aſperis rubigo earum detergitur, & ad debitum candorem pariter, & ſplendorem perducuntur. Juxta illud quod legitur Proverbiorum 24. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum, & alibi juxta illud; Ferrum ferro acuitur, ſic & homo acuit faciem proximi ſui.

Elatio. Tertium malum eſt elatio;

B eo enim ipſo, quòd non tentantur, credunt ſe aliqui eſſe fortiſſimos, vel eâ excellentiâ ſanctitatis præditos vel forſitan Angelorum cuſtodiâ vallatos, ut eos diabolus nullatenùs audeat impugnare, qua credulitate nihil ſtultius, cùm urbes munitiſſimæ, & caſtra fortiſſima ſolummodò impugnentur, villulas verò campeſtres, utpotè penitùs indefenſas nemo impugnet, ſed magis, ut expoſitæ capiuntur, atque vaſtantur, magis igitur timere debent ſe eſſe adeò debiles, & infirmos, ut omni tentationi ſuccumberent, & propter hoc miſericors Deus eos tentari non ſinit.

Contemptus fraternus. Quartum vulnus, & malum peſſimum eſt, quod ex pace hujuſmodi provenit, contemptus fraternus; faciliſſimi enim ſunt qui pacem hujuſmodi habent eos deſpicere, qui tentantur. Unde & plerunque dicunt: hujuſmodi tentationes non habent cadere in Chriſtianum, & iterùm Chriſtianus non debet cogitare talia. Viliſſimus eſt (aiunt) qui vel etiam talia cogitat.

Duritia cordis. Quintum

C vulnus, & malum, eſt duritia cordis, & immiſericordia in fratres, qui tentationibus impugnantur; adeò enim in eos obdurantur, ut nec etiam eis miſerendum putent, decoriandus, inquiunt, eſſet, vel comburendus, qui talia vel etiam cogitat. His autem ita determinatis incipiemus inveſtigare perſcrutatiùs de ipſis tentationibus, & de ipſo tentari; videtur enim ſecundùm opiniones quorundam non eſſe poſſibile aliquem tentari, ſimiliter & de ipſo reſiſtere quid, & an ſimiliter poſſibile ſit aliquem reſiſtere, & quatenùs, & qualiter poſſibile eſt.

Non tentatur, qui non repugnat, ſed capitur. Quoniàm igitur manifeſtum eſt, eum non tentari, vel impugnari, qui nullo modorum repugnat, vel reſiſtit, ſed ſolummodò capi, nec illum, qui nihil patitur omninò, hoc eſt cui ex nulla parte diſplicent adverſa, quæ patitur, vel cui conſ-

D que diſplicent adverſa imminentia, ut nihil eorum pati, vel expectare velit. Eodem modo cadere abſque ictu, vel erectum protsùs ſtare abſque ulla concuſſione, vel impulſu, ſequitur ex neceſſitate,

Tentari quid, & quomodò. illum ſolùm tentari per blanda, qui aliquatenùs ea concupiſcit, ſed non præciſè, vel ſimpliciter ea vult; ſimiliter & per aſpera, vel adverſa illum ſolùm tentari neceſſe eſt, cui etſi quid doloris inferunt, non tamen ipſum dejiciunt, ſed quaſi aliquantulùm vulneratus adhuc ſtat nolens hoſtibus ſe tradere, hoc eſt, ut adverſa effugiat, adverſariis conſentire.

Error Manichæorum. Secundùm errorem igitur Manichæorum, qui duas naturas contrarias in nobis ponunt, alteram bonam, & ad bonum ſemper paratam: alteram verò malam & ad malum ſemper paratam, & bono adverſariam, ac ſemper repugnantem, impoſſibile videtur aliquem tentari, & hoc eſt, quoniàm voluntas mala non tentat naturâ malam, nec impugnat, cùm illa nec repugnet, nec reſiſtat illi, alterũ enim duorũ ſimilium alterum non impugnat, maximè ſecundùm eos, ſed

Digitized by Google

neque natura bona impugnatur à voluntate mala, cùm bona natura in nullo penitùs aliquid mali concupiſcat. jam enim diximus, quia qui tentatur aliquo modo concupiſcit id, de quo tentatur, & vellet illud, ſed nondùm vult illud præcipuè, aut ſimpliciter; quare ſequitur ex neceſſitate, quòd nihil tentetur in nobis, quia neque natura bona, neque natura mala, & nihil idem eſt reperire in nobis, quod impugnetur, & repugnet; tentatio enim utrunque requirit, ſicut & pugna, pugna enim omnis inter duos eſt ex neceſſitate ſibi invicem adverſantes. Ampliùs. Cùm tentati contineat impugnari, & repugnare, ſive reſiſtere, quæ utique contraria ſunt, aut ſaltem repugnantia, alioquin nec pugna, nec lucta eſſet ibi: illa verò duo ſic repugnantia invicem ſunt in anima tentationem patiente, & tentationi repugnante: aut ergo ſunt in ea ſecundùm idem, aut ſecundùm diverſa; ſi ſecundùm idem, erunt ergo contraria in eodem ſecundùm idem, quod nemo adhuc dixit; ſi verò ſecundùm diverſa, erit ergo anima humana partibilis. Ampliùs. Si aliquis eſt qui percutitur, & non repercutit, alius qui percutit, & non repercutitur, nullus ibi verè pugnat; pugna enim omnis eſt ex neceſſitate inter percutientem, & repercutientem, vel alio modo reſiſtentem; hoc autem non eſt ibi reperiri, cùm nihil repugnet, vel reſiſtat percutienti, vel repercutiat ipſum. Deſcendamus autem, & dicamus exempli gratiâ, quia aliquis concupiſcit voluptatem carnis, & repugnat hujuſmodi concupiſcentiæ, reſpuens ipſam voluptatem, cùm eam poſſit habere: ſi interrogaverimus ipſum, vel animam ipſius, & dixerimus, Nonne tu ipſe qui concupiſcis hanc voluptatem, reſpuis eam ne Deum offendas, vel propter aliam cauſam? Reſpondebit indubitanter ego ipſe ſum idem, qui concupiſco & concupiſcentiæ reſiſto, ac ſi ſecundùm expoſitionem Auguſt. de qua multotiens ſupra fecimus mentionem, diceret, ego ipſe ſum caro, & ſpiritus, ſed propter aliud caro vocor, & propter aliud ſpiritus, quoniàm propter concupiſcentias, & alias paſſiones, quę in me oriuntur à parte carnis, caro nominor, & propter illud rationale, quod ineſt, per quod concupiſcentiis hujuſmodi reſiſto atque repugno, ſpiritus vocor. *Nota.* Quòd ſi dixerit quis, quia illæ concupiſcentiæ ſunt in carne: juxta illud quod dicit Apoſt. in 7. ad Rom. Non autem ego operor id, ſed quod habitat in me peccatum. Et iterùm: Scio quòd non habitat in me, ideſt in carne mea bonum; & ita non eſt repugnantia aliqua in his, quoniàm concupiſcentia in carne eſt, reſiſtentia autem in ſpiritu; ſed ipſum reſiſtens in ſpiritu eſt, ſive ſit gratia ſive virtus naturæ, virtute namque naturę multa inhoneſta reſpuunt plerique: *Concupiſcentia in carne. Reſiſtentia in ſpiritu.* Reſpondemus, quoniàm qui talia dicunt, nec Apoſtolum, nec ſeipſos in parte ea intelligunt; ſi enim vocant carnem id, quod eſt in nobis reſiduum ab anima, intolerabiliter errant: in illo enim eſſe peccatum non poteſt, nec culpa ullo modorum. Quemadmodùm in gladio, quo quis percutiendo peccat mortaliter, nec peccatum, nec culpa eſt, ſed in percutiente: ſic nec in carne jam dicta, ſed in anima movente, cùm caro tota inſtrumentum animæ tantùm ſit, ſive organum animæ moventis, ac regentis ipſam. Ampliùs. Sicut in ea nec virtus nec meritum eſſe poteſt, ita nec vitium, nec peccatum, nec culpa, cùm contraria & circa idem, & in eodem ex neceſſitate eſſe habeant. Relinquitur ergo ut caro intelligatur ibi eo modo, quo Auguſtinus accipit eam in prædicto teſtimonio, quod legitur Gala. 5. Quia caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem; Vel hoc quod eſt eſſe in carne intelligatur non per modum, quo accidens dicitur eſſe in

E ſubjecto, ſed cauſaliter; quemadmodùm dicitur, aliquis pugnare in gladio, quod eſt cauſaliter; inſtrumentum enim cauſa quædam eſt, & ad cauſam efficientem refertur in reſolutione, vel reductione cauſarum ad quatuor nominatiſſimas. Manifeſtum eſt igitur, quòd quæſtionem iſtam relinquunt hujuſmodi homines penitùs inſolutam, & penè intactam, cùm concupiſcere, & reſiſtere concupiſcentiæ non poſſint eſſe, niſi in uno, & eodem ſubjecto: *Nota.* ipſi autem non determinant utrùm ſecundùm idem, an ſecundùm diverſa. Ampliùs. Qui ſe avertit à tentatione movet-ne ſe, an aliud movet eum? Si movet ſe, recidimus in quæſtionem Ariſtot. & quærimus ab eis, utrùm idem ſit movens, & motum ſecundùm idem, an ſecundùm diverſa. Secundùm idem eſſe non poteſt, quia movere, & moveri contraria ſunt, ſicut agere, & pati. Non poſſunt igitur eſſe in eodem ſubjecto ſecundùm idem, ſed nec ſecundùm diverſa propter impartibilitatem animæ ipſius; quæcunque autem argumenta contra Platonem in parte iſta diſputando propoſuit, locum habent hîc. Determinantes igitur prædicta, dicemus, *Nota.*

F quia reſiſtere tentationibus vel tribus modis contingit, vel ſecundùm tres intentiones dicitur; reſiſtit enim tentationi, qui non conſentit, etſi ampliùs nihil faciat, & vincitur diabolus à nobis, eo ipſo quòd nos non vincit. Reſiſtit tentationibus ſecundo modo, qui eas fugit, ſicut tentationes fornicationis, qui declinat aſpectus mulierum, atque colloquia, & omnia alia quæcunque in ſenſum, & in imaginationem earum pulchritudinem inducere poſſunt. Similiter fugit eaſdem tentationes, & à tentationibus etiam ſe avertit, qui à cogitatione fornicationis, & etiam concupiſcentia, vel quacunque alia paſſione, quæ ad ipſam faciat, ſe transfert, propter id, quia pectora noſtra duas non admittunt ſimul curas, quòd eſt, ut alia occupatione intrante, *Nota.* vel introducta tentatio hujuſmodi excludatur. Tertio modo in repercutiendo, & quot modis unaquæque virtus retundat jacula tentationum, vel reſtænat ipſa vitia, à quibus immitti tentationes videntur, in ſequentibus determinabimus. De errore verò Manichæorum, quæ inconvenientia ipſum ſequuntur, in propoſito caſu, vel alibi, non eſt nobis curandum hîc & jam errorem illum deſtruximus in primo tractatuum iſtorum, & etiam alibi deſtruendum ſed aliter reſervamus. Quod autem objicitur de repugnantia contra tentationem, &

G *Error Manichæorum.*

conatur reſpondere contraria eſſe in eodem ſolvimus duobus modis, primò dicentes quia concupiſcere, & non conſentire concupiſcentiæ non ſunt contraria, quod eſt manifeſtè videre in febricante, qui vehementer appetit aquam frigidam, vel vinū, ſed tamen appetitui non conſentit. Eodem modo dicimus, quia velle ſimpliciter, & velle optativum non ſunt contraria, hoc eſt velle, quod dicitur de aliquo, qui præciſè, & ſimpliciter vult aliquid, &

H velle, quo dicitur, quia vellet aliquid; alterum enim eſt abſolutum, reliquum conditionale vel quaſi conditionale. Præterea ipſum concupiſcere ſic eſt ad rectitudinem voluntatis, ſicut incurvatio modica ad rectitudinem arboris, vel alterius; inclinatur enim quaſi ad modicum mens humana, dùm concupiſcit, ſed niſi frangatur per conſenſum, rectitudinem non amittit. Ampliùs. Sicut levis impulſus ad ſtatum, vel ad ſtationem; quemadmodùm enim *Similitudo.* levis impulſio ſtantem non dejicit, nec ab erectione ſua illum præcipitat, aut proſternit, ſic nec ipſum concupiſcere erectam animam humanam, ſeu ſtantem proſternit, aut dejicit, ſed ad modicum eam concutit, & impellit. Eſt etiam ſicut lenis percuſſio ad ſanitatem, ſic ipſum concupiſcere tentationis ad vitam.

Digitized by Google

vitam, & ſanitatem mentis. Sicut enim levis percuſſio non aufert, vel tollit ſanitatem, & quandoque

Levis percuſſio.

etiam nec lædit, nec vulnerat patientem; ſic ipſum cōcupiſcere non ſtatim occidit animas noſtras ſemper, interdùm autem nec vulnerat, neque lædit læſione, quæ multùm curanda ſit; & ſicut motus pedis ad caſum, ſic ſe habet ipſum concupiſcere, ad conſenſum; ſimiliter & ipſa levis impulſio ad dejectionem. Sicut ergo erectio, & hujuſmodi impulſio contraria non ſunt, & eodem modo ſimul ſunt, ſic hujuſmodi concupiſcentiæ, & diſſenſus, ſeu noluntas ejus, quòd ſuggerit concupiſcentia, contraria non ſunt, & in eodem ſunt. Et quēadmodùm calefactio, & arſio, ſeu combuſtio ſe habent ad invicem, ſic hujuſmodi concupiſcere, & concupiſcentiæ conſentire. Et propter hoc quemadmodùm calefit lignum interdùm, nec tamen ab igne læditur, immò permanet adhuc ſanum, & illæſum, ſic calet utique concupiſcentiâ mens humana, interdùm tamen perſiſtit illæſa, comburitur autem, qui euſque ardet, ut conſentiat. Nec oportet, nec propter hoc cogimur dicere, quòd quidam ex paucitate intellectus dixerunt, videlicet quòd contraria ſunt hujuſmodi, & non ſunt in eadem anima eodem tempore, vel inſtanti, licet hoc videatur; ſimul enim eſſe videntur propter proximitatem, quam habent ad invicem, & in pugnis materialibus manifeſtum eſt, quia percuſſio, & repercuſſio non ſemper ſunt ſimul tempore, ſed reverà ſunt in tempore pugnæ, ſic dicere ſibi poſſe videntur, quòd ipſum concupiſcere, & cōcupiſcentiæ reſiſtere non ſunt ſimul in inſtanti, ſed ſunt in tempore pugnæ, quam dicunt non fieri in inſtanti, in quo eis conſentiunt. qui animam humanam exiſtimant non poſſe moveri ſimul diverſis motibus

Pugna literalis.

Nos videmus in pugna literali, quòd ſimul pugnator literalis clypeo ſe protegit obtendens illum ictui, qui eidem imminet ab adverſario, & gladio illum percutit, nihilominùs tamen tenet frænum, & calcaribus ſtimulat equum. Manifeſtum eſt autem, quoniàm omnes iſtæ operationes non ſunt niſi ab intentionibus, & aliis motibus ſpiritualibus, quæ in anima hujuſmodi pugnatoris ſunt. Cum igitur effectus foris ſimul ſint, neceſſe eſt, & cauſas eorum, ideſt ea quæ ſunt in anima ſimul eſſe. Idem eſt in ſcribente, qui ſimul & videt quod ſcribit, & cogitat, & etiam ſcribit, cùm ſcribere ſit operatio habens in anima ſcribentis motum ex quo eſt, vel paſſioné, ex qua eſt, tenet etiam chartā, ne nutet ſub calamo, per quod corrūperetur ſcriptura,

Nota.

cogitat etiam de forma úniuſcujuſque literæ, & de ordine ipſarum literarū, videlicet quæ quam præcedat, vel ſequatur, quamcunque autem iſtarum intentionum, vel cogitationum omittit, qui ſcribit corrumpitur, & confunditur ejus ſcriptura. Similiter ſe habet, & in citharizante, ſeu figellante, quia ſimul & movet pollicem, & digitos multos, & tangit nervos cum arcu, movens arcum multipliciter, audit etiam ſonos multos ſimul, alioquin non ſciret quam conſonantiam reſonarent, cantat etiam ore

Nota.

proprio, & geſticulatur toto corpore. Apparet igitur manifeſtè multos motus exercere ipſum exterius, qui procedunt ex motibus ſpiritualibus interioribus, quare ſi exteriores ſunt ſimul tāquàm effectus, erunt & interiores ex neceſſitate ſimul. Eodem modo ſe habet & de textoribus, qui etiam manibus, & pedibus operantur, viſum etiam intendunt in ea, quæ operātur, & tam multiplicibus cogitationibus diſcerpuntur, præſertim ubi multa eſt varietas operationum, & colorum. Nos etiam meminimus vidiſſe, & audiſſe ſocium quendam noſtrum, tribus calamis uno flatu ſimul cantum, diſcantum, & triplū modulantem, & propria voce quadruplum deſuper

A decantantem. In quibus quatuor cantibus, quanta eſſet varietas, diverſitas ſufflandi, cantandi, digitos movendi & hoc ſuper foramina trium calamorum, quis non videt? Si autem ceſſaret auditus, vel attentio, vel flatus, vel vox, vel quodcunque aliorum, ſtatim fieret diſcordia aures moleſtè percutiens, quod cùm ibi fieret, ſicut ipſo ſenſu accipiebamus, manifeſtum eſt, quia in anima ſic cantantis, & modulātis, ſimul erant ea, ex quibus exteriores motus modulationis procedebant. Ampliùs. In ſtatu gloriæ nullo modo dubitandum videtur, quin omnia flumina

Fluenta gaudiorū.

illa, ſive fluenta gaudiorum, & gloriarum ſimul influant in eam; alioquin non tota ſua gloria unquàm frueretur, ſed per partes, quare nunquàm tota eſſet beata; nos autem loquemur de hoc in capitulo ultimo tractatus iſtius, videlicet in capitulo de meritis & retributionibus.

B Manifeſtum igitur eſt ex hoc, quia eſſet contra naturam animæ humanæ moveri ſimul diverſis motibus; gloria enim ſuperveniens naturæ naturam ejus non deſtruit, ſed illuſtrat, poſſibile eſt ergo animæ humanæ moveri naturaliter ſimul diverſis motibus, Ampliùs. Non movet ſeipſam niſi mota ſuo modo, videlicet ſpiritualiter, neque movet, niſi ſicut à ſeipſa movetur; quare cùm ſimul moveat multis motibus corporalibus, neceſſe eſt ipſam moveri ſimul multis motibus ſpiritualibus prout congruit, & fas eſt motum dici in ea.

Motus naturalis.

Motus enim naturalis, qualem diffinit Ariſtoteles exitum de potentia in actum, exitum inquam incontinuum, & non ſubitum, non eſt reperire, niſi in corporibus, cùm nullū impartibile poſſit exire continuè, vel per partes de potentia quacunque in actum, immò neceſſe habet exire ſubitò, hoc eſt totaliter ſimul.

Quæſtio.

De eo verò quod quæritur, utrùm anima humana moveat ſe, diſtinguendum eſt, quia movere multipliciter

C dicitur, una quippe intentione movere dicitur conſiliarius conſulentem, & advocatus judicem ad aliud, cùm eis conſilio, vel ſuaſione inclinatur ad faciendum iſte, vel ille ad credendum illud. Alio modo ipſa cauſa efficiens motus movere dicitur, ſicut ponderoſitas lapidē in deorsùm, & levitas ignē.

Vide.

Tertia intentione finis movere dicitur ipſum inquirentem illum, ſicut Ariſtoteles dicit, quòd delectabile imaginatum movet. Quarta intentione movere dicitur, qui procurat motum, ſicut, ſi aliquis applicat ignem domui alicui, comburere dicitur illam, cùm comburere propria operatio ſit ignis, & non ignem adhibentis, tamen procurat hoc, cùm facit aliquid, ex quo ſequitur combuſtio, facit inquam ea intentione, ut inde ipſa ſequatur combuſtio, ipſam combuſtionem facere dicitur, & domum

D comburere dicitur, & ab eo combuſtio hujuſmodi tanquam ab actore requiritur. Sic dicimus animam humanam ſe movere; cùm enim, vel inſpiciendo libros, vel audiendo Doctores, aut prædicatores, hoc facit, ut timore Dei moveatur, vel ex ejuſdem amore ſuccendatur, proculdubiò per cogitationem applicat ſibi res, quæ hujuſmodi motus in ea efficiunt, ut futurum judicium, & infernus ei per cogitationem applicata efficiunt in ea timorem. Divina verò bonitas, & æterna gaudia, ſimiliter amorem, & deſiderium in eadem inflammant. Cùm ergo res propriè moveant animam humanam, & motus affectionem in ea operentur, ipſa tamen juxta prædictum modum convenientiſſimè dicitur movere ſe, procurando ſcilicet, ut moveatur, procurando inquam applicando, vel adhibendo ſibi res effectivas hujuſmodi motuum. Nec habet locum illa objectio Ariſto. in hoc caſu, quia movere ibi propriè, & efficiēter dicitur. Et ita intelligebat Pythagoras dicēs, quia anima eſt numerus ſe-

ipſum moves. Et Plato dùm dicebat, quia principiũ motus per ſe movetur. De ipſo verò velle qualiter exeat à voluntate, immò quot modis, in prima parte tractatus iſtius determinavimus. Quòd ſi quæratur quia anima, quæ procurat ſe moveri, proculdubiò vult ſe moveri: hujuſmodi velle advenit ei vel à ſe, vel aliunde, & à ſe non videtur propter cauſas ipſas, quas diximus; ſi verò aliunde, aut procuravit hoc, & ita videtur in infinitum, aut non procuravit unde igitur advenit ei hujuſmodi velle? Reſpõdemus quia ſicut non omne credere ex ſuaſione eſt, immò quoddã deſursùm eſt à patre luminum inſpirante; ſic non omne velle à nobis eſt, vel efficientibus vel procurantibus, immò quoddam ab inſpiratore bonorum omnium Spiritu ſancto, ſicut expreſsè teſtatur Apoſtolus ad Phil. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle. Si quis autem quærat de illo, qui ſe avertit à tentatione, utrùm ejus avertere ſit agere tantùm, vel pati tantùm, vel agere, & pati: Reſpondemus quia agere propriè; habet enim vel velle, vel indignari, vel aliquid tale, per quæ repellũtur tentationes, quaſi quodam impulſu ſpirituali. Verùm quoniàm receptum eſt in anima, & adventitium novum, paſſio dicitur ab Ariſtotele, ſicut & omnes affectiones. Cùm verò avertere ſe cogitatum fuerit ſeu conſideratũ nondùm per ſe ab hujuſmodi motibus, vel paſſionibus, non erit niſi ſuſceptio alterius occupationis, ſicut inſpectio librorum, ad quam interdùm ſe transferunt viri ſancti, ut liberentur à vanis, & immundis, & à noxiis cogitationibus, cùm ab ipſis fatigantur. Nec eſt alius motus tunc hujuſmodi averſio, quàm librorum inſpectio, ſicut receſſus ab aliquo loco, ſive tranſlatio, qua quis transferr ſe ab uno loco in alium, non eſt alius motus, quàm ipſa ambulatio ſua.

Nota.

CAPUT IV.

Exequitur modos reſiſtendi tentationibus ſupradictis; quatuor proponens quæ ad pugnas iſtas, & certamina nos animare debeant.

POſt hæc dicemus modos reſiſtentiarum, ſive repugnantiarum, quibus ſuperantur tentationes, ubi primùm ſciendum eſt, quòd quotieſcunque nos non ſuperant, nos eas ſuperamus, & victores efficimur indubitata ſpe pro hujuſmodi victoria à rege regum coronandi, & quòd ſtimulos tentationis quoties vincimus, totiens victores efficimur, totque coronas à retributore bonorum omnium in retributione juſtorum percipiemus. Ut autem animemur ad iſtas pugnas, & certamina gloriæ, quatuor primò nobis potiſſimùm attendenda ſunt. Primùm fidelitas, quã regi noſtro obligati ſumus, & ad hoc, ut honorem ejus, & gloriam, cum ejus auxilio pro viribus defendamus, & noſipſos, quos velut caſtra quædam nobiliſſima, & civitates præclaras in homagio legitimo ab eo tenemus, nulla impugnatione, nullo certandi diſcrimine ejuſdem hoſtibus, ideſt dæmonibus tradamus Secundùm eſt ipſa invitatio regis noſtri, qui ut ait Aug. de cœlo nos invitans ad hæc bella clamat, certate, adjuvabo, vincite, coronabo. Tertiũ eſt magnitudo ſpectaculi, cui impoſiti ſumus certantes; quemadmodùm enim de duobus ſingulariter invicem certãtibus fit, ut totũ genus alterius, tota parentela, certamen ejus aſpiciat, & victoriã præſtoletur, orans Deum ut eam eidem tribuat, econtrariò autem tota parentela alterius contra illud faciat, & pro ſui, ſive pro ſuæ partis victoria prout poteſt ſatagit: ſic pro unoquoque noſtrũ in hujuſmodi certamine conſtituto omnes militiæ cœlorum, intuentes certamen noſtrũ, pro nobis ſollicitæ ſunt, & orant omnipotentem

Quatuor attendenda.

Nota.

E Deum, ut nobis de hoſte tribuat triumphare, paratæ nos cum applauſu, & honore triumphali recipere, ſi victoriam nos viderint obtinere: econtrariò verò tota illa militia horrifica malignorum ſpirituum tentantis diaboli, qui nos impugnat, victoriã præſtolatur in odium noſtrum, & confuſionem, ut victos nos tota aviditate rapiat ad infernale patibulum, & in eo affigat, tormentiſque perpetuis, & cruciatibus nos affligat. Attẽde igitur diligenter, quàm glorioſum ſit in oculis tot. & tantorum triũphare, quàm ignominioſum ſuccumbere, quantus honor triumphalis te expectat. Ex hac parte quantum gaudium, quantuſque applauſus Angelorum ſanctorum, & beatarum animarum, quæ jam in Angelicæ fœlicitatis conſortio ſunt receptæ: ex adverſo verò quanta confuſio tua, quantum ludibrium dæmonum quantorum tormentorum, & qualium cruciatus. Quartò nobilitas, ac pretioſitas bravij, & coronæ, quam rex cœlorum pollicetur fideliter certantibus atque vincentibus, quæ utique ſi innoteſceret, non ſolùm non formidarẽtur F diſcrimina præſentiũ certaminũ, ſed etiã multo deſiderio deſiderarẽtur, ſicut Apoſt. in 4. ſecũdæ ad Cor. dicit. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Et alibi: Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Si enim tot, & tanta diſcrimina vilipendunt iſti pugnatores ſæculares pro gloria momentanea, vel mercede viliſſima temporali, quid facerent bellatores ſpirituales, ſi lucidè, atque vivaciter attenderent coronam gloriæ, quæ eis promittitur, atque porrigetur? Prima ergo atque potiſſima repugnatio noſtra contra tentationes, eſt invocatio piiſſimi, ac promptiſſimi auxiliatoris Dei, ut nos adjuvet, & in tentationem non inducat, ideſt induci non permittat; ſi enim ipſe pro nobis, quis contra nos? ſicut leg. in 8. ad Rom. de iſto remedio, & auxilio tota vetus ſcriptura refertiſſima eſt. Hujus G auxilij neceſſitatem ſciens Eccleſia omni hora dicit: Deus in adjutorium meum intende: Sciens ſe viribus ſuis tot, & tantis certaminibus non poſſe ſufficere. Et quoniàm quædam tentationes per blanda fiunt, quędam verò per adverſa. Primùm de tentationibus, quę per blanda fiunt, nos expediemus. Contra hoc igitur ſecundum remedium eſt fuga, quod docet Apoſtolus 7. primæ ad Corin. Fugite inquit fornicationem. Fugienda enim eſt, ut ſpurcitia abominabilis, & hoc averſis oculis, & obturatis naribus, quemadmodùm à ſpurcitiis corporalibus facere conſuevimus, nec ſine expuitione, ſive execratione recedere; hoc enim profuit aliquibus viris ſanctis; quotiens enim diabolus ante oculos cordium eorum ponebat ſpurcitiam fornicationis, hujuſmodi geſtus corporum exercebant, hoc eſt oculos H claudebant, nares obturabant, ore ſpuebant, in abominationem hujuſmodi ſpurcitiæ, vultus avertebant, facies rugabant; & proderat eis ad repellendum tentationem hujuſmodi. Sed reverà ſpiritualiter, ſive in corde, hæc omnia facienda ſunt, ubi cum multa ignominia ſua, & confuſione vincitur diabolus; ſolâ enim unius ſillabæ pronunciatione ejus jacula confringũtur, & ipſe proſternitur, hæc enim ſillaba, & hęc interjectio fy, quæ eſt interjectio vulgaris gallicani, ſi debita indignatione pronunciata fuerit, diabolum dejicit, & diffugat, in quo admiranda eſt nobis victoria caſtitatis, quæ ſolo ſputo ſpirituali triumphat de diabolo. In hac tentatione hoc ſputum eſt ipſa abominatio cordis, qua ſcilicet tantam ſpurcitiã abominatur. Fugienda eſt fornicatio tanquàm ignis, & quicquid ejus eſt, & tanquàm

Honor & præmium victoria.

Bravium coronæ.

Neceſſitas divini auxilij in tentatione.

Fuga optimum eſt remedium.

Una ſyllaba vincitur diabolus.

Digitized by Google

A quàm flamma, & ſcintillæ hujus ignis, ſicut legitur Job 31. Ignis eſt uſque in perniciem devorans, & ultima eradicans genimina. Ignis autem hujuſmodi duplex eſt, videlicet alter qui incendit, & hic eſt pulchritudo mulieris, de qua dicit Hieronym. quòd ipſa eſt gladius flammeus, & ignitus. Alter verò incenditur, hoc eſt concupiſcentia, quæ inſtar cremabilis ſtuppæ deſiccatæ ab illo igne ſuccenditur.

Pulchritudo mulieris ignis ardens.

Ignis fornicationis.

Primus igitur ignium fugiendus eſt per elongationem ab ipſo, quòd eſt dicere, ut declinentur aſpectus, & colloquia mulierum, & quicquid mentibus noſtris eas approximare, vel propinquare poteſt, quod eſt quicquid poteſt efficere, ut de eis cogitemus: pulchritudo enim mulieris cogitata, gladius flammeus eſt cordis gutturi applicatus. Secundus ignis fugiendus eſt, ideſt declinandus per ſubtractionem lignorũ, quæ ipſum nutriunt, & adaugent; cùm enim defecerint ligna extinguetur ignis, ſicut dicitur Proverb. 26. Hæc autem ligna ſunt nutrimenta ſuperflua ciborum, & potuum, venter enim mero æſtuans (ut dicit Hieron.) facilè deſpumat in libidines, & Judic. 12. Bibit Holofernes vinum multum nimis, quantùm una dierum nunquàm biberat in vita ſua vel inſuperfuſione aquæ, hoc eſt aqua tribulationis, quæ ſuperaſperſa ardori concupiſcentiæ noſtræ extinguit ejus incendium, ſicut legitur Eccleſiaſt. 11. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ. Eſt etiam occupatio, velut aqua extinguens eundem ardorem, ſic ait Poëta: Rex age, tutus eris. Hieronymus verò dicit; Inſtantiâ orationis, & tunſionibus pectoris pluries ſe ab hujuſmodi ardoribus liberatũ. Sed hoc eſt remediũ, quod primum poſuimus.

Ligna igni ſubtrahenda.

Occupatio, ſicut aqua ignẽ extinguens.

Tertium remediũ eſt conſideratio nobilitatis humanæ naturæ; qui enim eã diligenter conſiderat nullatenùs in tantæ immunditiæ cloacã illam facilè projicit, ac conculcat, & hoc remediũ docet Tullius in libro Tuſculanarum quæſtionum in cap. de perturbatione animi, ubi dicit. Quia omnem ſedationem animi continet in conſpectu poſita humana natura. Extendit autem hoc remedium in alias perturbationes, ſeu tentationes, ſubjungens quicquid ingruat, in eandem arcem confugiendum eſt, eadem ſunt arma ſumenda.

Quartum remedium, quod docet Greg. in moralibus, ſcilicet ut conſideretur caro, quæ viva concupiſcitur, qualis erit mortua, & laudat efficaciam remedij iſtius mirabiliter ibi. Hoc remedio uſus fuit quidam juvenis in partibus Burgundiæ temporibus noſtris; accepit enim calvariam, ideſt caput cujuſdam ſpecioſæ mulieris defunctæ, poſtquàm putrefacta fuerat, & caput illud carnibus omninò nudatum, illudque deferebat ſecum, ut quotieſcunque arriperet eum carnis tentatio, intueretur illud, & propter hoc deſpiceret pulchritudinem vivæ carnis, quam citò per mortem, & putrefactionem ſciebat ad illam deformitatem horrificam deventuram, hæc autem ſæpè faciens tantæ efficaciæ remediũ in hujuſmodi capite invenit, quod in eo per illud victus eſt penitùs ardor carnis.

Optimum remediũ.

Quintũ remedium eſt ſermonum Dei recordatio, & tunc potiſſimùm efficax, cùm fuerit per collationem ad alium, & hoc remedium docet nos liber Sapien. 16. ubi legitur, In memoria ſermonum tuorum exterminabatur. Hoc remedio uſus fuit quiſpiam tempore noſtro, qui dùm aſpectus, & colloquia cujuſdam ſpecioſæ mulieris effugere non poſſet, & de ea non mediocriter tentaretur, de ſacris eloquiis cum ea continuè colloquebatur, duoque bona ſimul facta ſunt, quia & ipſe liberatus fuit à carnis incendio, & ipſa ad compunctionis gratiam provocata.

Aliud remedium.

Sextum remedium eſt conſideratio viliſſimi certaminis, & ignominiæ ſuccumbendi, luxuria quippe non gladiis, aut jaculis, aut duris aliquibus impugnare videtur, ſed mollibus tantùm borellis, igitur & cuſſinis, atque pulvillis obruuntur, qui voluptatum mollibus impugnantur, qui autem talibus vincuntur, & occiduntur ſpiritualibus, in illud opprobriũ incidunt, quod vulgariter, & proverbiis dicitur: Ignominioſè autem mortuus eſt, quoniàm pulvillo, vel coſſino interfectus eſt. Bellatoribus ſiquidem litteralibus etiam quandò levibus, ſeu vulneribus vincuntur, illud opprobrium ſemper objicitur.

Septimum remedium eſt conſideratio ſanctitatis Chriſtianæ, qua in templum Dei vivum & verum in Baptiſmo conſecrari ſumus, cujus ſanctitas tantò major, tantóque venerabilior eſt, quàm ſanctitas templi materialis, quantò veritas eſt ipſa figura præſtantior, & res ſuo ſigno ſublimior; ſanctitas enim B quæ baſilicis præſtatur conſecratione Epiſcopali, figura eſt, & ſignum ſanctificationis baptiſmalis: illa verò veritas eſt ipſius. Cum igitur nemo ſit, qui non vereatur turpe aliquid in baſilica conſecrata committere, propter ipſam figuram, & ſignum ſanctitatis, quam diximus, quantò fortiùs propter ipſam veritatem ſanctitatis diligens ejuſdem conſiderator aliquis in ſeipſo tale committere formidabit? Facit idem conſideratio imaginis Dei in nobis; ſi enim imago lignea Crucifixi, aut ex quacunque alia materia in tanta veneratione, ac reverentia eſt apud unumquemque fidelem, ut nullus eorum inquinare, vel ſordidare, percutere, vulnerare, dejicere, aut alio modo irreverenter eã audeat contrectare, quid eſt unicuique noſtrum de imagine Dei viva, & vera, quæ humana anima indubitanter eſt, cogitandum, vel faciendum? Ad idem facit C conſideratio, quòd ipſa anima humana ſponſa regis regũ, ſoror eſt, & filia, ſicut legitur in libro Canticorum ferè per totum. Quàm ſacrilegus igitur auſus eſt, quàm impia temeritas, quàm execrabilis dementia corruptoribus infernalibus eam exponere polluendam, & vitiorum turpitudinibus eam proſtituere quocunque modo violandam? quis hoc duci ſuo, vel principi facere auderet, vel contra ipſum etiam cogitaret?

Septimũ remediũ.

Laus baptiſmi.

Octavum remedium eſt jugis intuitus cœleſtis ſponſi, ſimul & judicis, ſi enim in oculis, ſive aſpectu etiam viliſſimi gartionis non auderet, vel vir, vel mulier turpe aliquid facere, vel præ verecundia, vel præ timore, quantò magis in oculis omnia videntis Dei nihil turpe, vel quod ei diſplicet, facere debemus, vel etiam cogitare? Et illud remedium docet Boetius. Magna enim inquit, D eſt nobis indita neceſſitas probitatis, dùm omnia agimus in oculis judicis cuncta cernentis. Erubeſce anima Chriſtiana in oculis ſponſi adulterium aliquod facere, aut etiam cogitare. Time zelum ipſius, qui non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima, ſicut legitur Proverbio. 6. Et ne putes eum latere quicquam eorum, quæ in te vel fiunt, vel ſunt, cùm ſcriptum ſit in primo Sapien. Auris zeli audit omnia: Et ad Hebræos 4. Nulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo; Et in Pſal. Scrutans corda, & renes Deus. Expaveſce oculos, & intuitum judicis, qui reddet unicuique juxta opera ſua.

Octavum remediũ.

Nonum remedium eſt conſideratio infernalis patibuli, & æternorum cruciatuũ; ſic enim quidam ex Sanctis Patribus extinxit in ſe ardorem gulæ, cùm enim tranſiret juxta cucumerarium quoddam, & videret in eo cucumeres maturos, & eſui jam aptos, exarſit in eo appetitus gulæ vehementer, de quibus cùm nullum habere poſſet, niſi eos furaretur, aut raperet, conſideravit ſtatim de ſuſpendio, vel alio ſupplicio, & reverſus ad cor dixit

Nonum remediũ.

apud ſe, quia tam caro exicoro volebat comedere E de illis, in ſuſpendium enim exicorum eſt, quoſures comedunt quicquid comedunt; ſicut ergo parvulis, vel virga, vel flagellum, vel deterritorium aliquod (quod vulgò babrenaldum vocant) oſtenditur, ut à puerilitatibus ſuis, & ſtultitiis deterreantur, ſic & tibi vel virga patris miſericordiarum oſtendit, vel quod eſt efficacius infernale patibulum, ut deterreatis à puerilitatibus tuis, atque à ſtultitiis. *Decimum remedium.* Decimum eſt mortis memoria, & hoc remedium docet nos ſcriptura Eccleſiaſt. 7. Fili memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis, de hoc Hieron. Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum: de hoc Socrates: Summa philoſophia eſt cogitatio mortis aſſidua: Hoc autem dixit quoniàm ſummam philoſophiæ in hoc eſſe credidit, videlicet in cuſtodia, & in defenſione à præſentibus voluptatibus, quibus animæ inebriantur, & captivantur, illaqueantur, abſorbentur, & ab omni vigore, & virtute penitùs enerventur: memoria verò mortis appetitus hujuſmodi voluptatum vehementer extinguit Undecimum *Vndecimum remedium.* remedium eſt moleſtia vel afflictionis, vel laboris, quod remedium etiamſi non continuè ſibi quis exhibeat, horâ tamen blandientis tentationis ſaluberrimum eſt illud opponere: hoc remedio utebatur tempore noſtro quidam Epiſcopus, & iſte qui ita eum docebat, habens ferrea inſtrumenta aptata, ut abſque vulneratione caro humana vehementer pungi poſſet, & doloris vehementis moleſtiam abſque ulla ſanguinis effuſione inferret; hoc artificium ipſo ſenſu, & experientia, docebat addiſcere cupientes, pungens eos ita fortiter, ut compelleret eos ad clamorem. Nec dubitandum eſt, quin ſatis levi punctione hujuſmodi tentatio carnis extinguatur ad horam & cùm iterùm ſurrexerit, adhibeatur iterùm remedium. Nec dubitamus, quin aſſuefactione hujuſmodi ſupra modum proficere quicunque valeat in virtute caſtitatis, & carnem cousque domari, & etiam abſterreri, ut rebellare dediſcat, atque diſſueſcat; nullum eſt enim animal adeò ſævum, quod verberibus, etiam à natura ſua, & à conſuetudine non miteſcat. Sunt & alia remedia, quæ non ſolùm Spiritus Sanctus, ſed ipſa mala tentationum viros ſanctos docuerunt, quæ nec omnia novimus, nec omnia ſcribere ſufficimus, ad alia feſtinantes. Quoniàm autem cogitatio velut caput eſt antiqui ſerpentis, ut dicit Hiero. & lubricus eſt ipſe ſerpens, ita ut niſi capite teneatur, totus ſtatim illabatur, ipſumque caput ejus id eſt cogitatio nobiliſſimum eſt, & ad conterendum facillimum, capiti ejus maximè obnitendum eſt & H illi celerrimè occurrendum. *Ovidius.* Juxta conſilium poëtæ: Principiis obſta, ſerò medicina paratur, &c. De quo jam ſcripſimus triginta remedia in tractatu de hoc ſingulari, cujus copiam faciemus petentibus. De tentationibus verò, quæ ſunt veſtium, ædificiorum, potentiarum, honorum, & aliorum hujuſmodi facile eſt invenire remedia ſcientibus illuſiones, quibus talia illudunt habentibus illa, & nos in exhortatoriis declamationibus jam multa diximus, & dicere non ceſſamus. De remediis verò contra tentationes, quæ fiunt per aſpera, in tractatu de operibus, & mirabilibus virtutum, & in capitulis de operibus, & mirabilibus paupertatis, humilitatis, atque patientiæ, & parum exercitatis, & pauca intelligentibus nos credimus ſatisfeciſſe.

CAPUT V.

Non ſummatur hic locus, quia auctoris propoſitio pro ſummario eſt.

POſt hæc dicemus modos reſiſtentiarum, & repugnationum, quibus ipſæ virtutes contra vitia pugnent, & quicquid unaquæque virtus in unaquaque tentatione, ſi ad eã vocata fuerit, operetur, nulla enim tentatio eſt, vel impugnatio diabolica, contra quam quacunque virtute pugnare non poſſumus, & hoc eſt, quoniàm ſicut à quocunque vitio extingui poſſunt omnes virtutes, ſic neceſſariò & à quacunque virtute repelli quodcunque vitium. Nullus *Vitium quodcunque virtutes omnes excludit.* quippe dubitat, quin quodcunque vitium, intrans animam humanam, omnes virtutes excludat, & F expellat inde, & unum ideò quodcunque ex vitiis virtutes omnes extinguat; quoniàm qui habet unam ex neceſſitate, habet omnes. De virtutibus gratum facientibus loquimur, ſicut oſtendimus in prima parte tractatus iſtius: propter hoc dicit Jacobus 1. Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus. In unoquoque enim peccato mortali omnes in eo virtutes moriuntur. Similiter & unaquaque hujuſmodi virtutum vivificata in quocunque, omnes in eodem virtutes vivificantur Aliquo igitur modo videlicet vel directè, vel indirectè, cõtrarietas, vel repugnantia eſt inter quodcunque vitium, & quamcunque virtutem; non eſt ergo mirum, ſi pugnet unaquæque virtus contra quodcunque vitium, & hoc eſt, quod ſuadere intendebamus. De fide autem *Fidei ſcutum contra omnes tentationes.* hoc expreſſit Apoſtolus in ult. ad Epheſ. dicens: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, quod eſt dicere in omnibus tentationibus, propter quod & ſubjungit: G In quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. His ita ſe habentibus, incipiemus aſſignare modos, & artificia pugnandi, quibus utuntur virtutes contra vitia. Hæc igitur dicimus eſſe tria, quorum primum eſt jaculorum ſeu telorum, quæ à parte vitiorum mittuntur eliſio, ſive evaſio, & hoc duobus modis fit. *Fuga.* Primùm per fugam, ſicut ſupra diximus de fornicatione, qui eo modo fugiunt, quo diximus, jacula declinant, & tentationes eliduunt, ita ut in vacuum laboret hoſtis. *Indignatio.* Secundò per indignationem, ſicut evidenter apparet de charitate, quemadmodùm negociator qui chariſſimam habet mercem aliquam, longè minùs juſto pretio offerentem emptorem nec reſpicere, nec audire dignatur, plerunque autem etiam eidem indignatur; ſic qui Deum habet carum, quicquid pro eo deſerendo diabolus offerat, etiam reſpicere, vel audire dedignatur, & eidem indignatur, cùm ſuper omnem æſtimationem, & cogitationem, & cogitatum, minùs offerat, quàm decens ſit, & nihil prorsùs comparatione illius. Iſto autem artificio acquiritur nobiliſſimus, ac glorioſiſſimus triumphus, quandò & jacula ipſa vilipenduntur, ſed & ipſe diabolus ignominioſiſſimè vincitur, quandò nec habere, unde pugnare valeat, reputatur. Pertinet ad hoc artificium ſic inhærere ei quod habet unaquæque virtus cuſtodire, atque defendere, ut nec diaboli jacula ad ipſam perveniant; ſic enim qui Deũ habet chariſſimũ, aliqui Deo inhæret, ejuſque beneplacitũ adeò intẽdũt, adeòque in eo ſe occupãt, ut ad eos contrariæ offẽſionis jacula non pertingãt; *Cogitatio.* ſtãt enim immobili cogitatione in ipſo fixi, & cogitatio eorum apud altiſſimum eſt, ſicut legitur Sap. 5. Quare quoniàm per ſola corda fidelium diabolo tanquàm præcluſa ſibi via non ſolùm vincendi, ſed etiam impugnandi obſtruitur confuſus, & deſperans abſcedit, vel ſi remanet ad inſidiandum, cal-

Digitized by Google

catur pedibus eorundem, id eſt affectibus, ſicut legitur in Pſal. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Et 16. ad Rom. Deus pacis conteret velociter Satanam ſub pedibus noſtris. Hæc autem calcatio, ſeu conculcatio, ſpiritualis intelligenda eſt, quoniàm pedibus cordis fit; quicquid enim deſpicimus, vel non curamus, cordis pedibus conculcamus. Debes autem reminiſci hìc, quia illud artificium pugnandi non habet patientia & humilitas, immò contrarium, & incomparabiliter nobilius, omnia quippe jacula excipiunt, ut dona magnifica, & xenia pretioſiſſima: paupertas verò omnia damna, ut lucra inæſtimabilia, & hoc in capitulo de operibus, & mirabilibus earum latius proſecuti ſumus. Secundum artificium eſt repercutere, & hoc proprio gladio, non alieno: hoc autem facit unaquæque virtus, quotieſcunque in tentatione decor ipſius, & pretioſitas cogitatur. Hujuſmodi quippe cogitatu & ipſa peccata quæ tentant, & ipſæ cogitationes, & jacula, quæ ab ipſis emittuntur, ſemper tanquàm vulnerata debilitantur, & quandóque proſternuntur, interdùm etiam diſparent, & in nihilum evaneſcunt, quemadmodùm exhibita luce, tenebræ diffugiunt, & diſparent; pro eo enim ſolo ea, quæ vitiorum ſunt, ſive delectationes, ſive aliqua alia, alicujus momenti nobis eſſe videntur in hora tentationis, quoniàm lux virtutum vel per ignorantiam, vel per negligentiam eâ horâ nobis abſconditur, quemadmodùm pro eo ſolo putredines lignorum, & ſquammæ piſcium de nocte lucent, quia lux Solis abeſt, vel alia. Similiter ex eadem cauſa in tenebris noctis frutices videntur acies bellatorum, & quandóque magnus exercitus; per hoc etiam nos ſolùm lædunt, & vulnerant c, quæ vitiorum ſunt, quia ea aliqua eſſe nobis videntur, quemadmodùm in ſolemnitatibus, quia fantaſmata rerum, non ipſa veritas, eos movent, nec minùs delectant eos, aut contriſtant, dùm dormiunt, quàm faceret ipſa veritas, vigilantes. Et nos jam diximus, & declaravimus multoties, quia peccantes ſunt, & ſe habent, quemadmodùm & ſomniantes, unde & evigilare ſibi videntur, cùm reſipiſcunt, & per pœnitentiam revertuntur, de hoc Apoſtolus ad Epheſ. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Et ſcriptura de exemplis iſtis refertiſſima eſt. Quare manifeſtum eſt, quia ſic ſunt virtus, & vitia, ſicut veritates, & fantaſmata, & ſicut ſtatus culpæ, & gratiæ, ut ſomnus, vel ſomnium, & vigilia. Sicut ergo adveniente vigilatione recedunt fantaſmata, ſic conſtituta mente eo modo, quo diximus, in luce veritatis, tanquàm in vigilia, & veritate, recedunt, & conteruntur fantaſmata tentationum. Tertium artificium eſt, quo unaquæque virtus viam ipſis vitiis interficit, hoc autem ſic facit. Accipit jacula ad tranſverberandum unumquodque vitium ab ipſo vitio, & nos oſtendimus jam, quia decem jacula accipit unaquæque virtus à vitio ſibi contrario contra ipſum, & eadem jacula. Jacula vocamus decem argumenta Spiritus Sancti, exponentes verbum illud 16. cap. Joan. Cùm venerit ſpiritus ille veritatis, arguet mundum de peccato, eliciens ſcilicet de eodem peccato ad concludendum & peccato, & peccatori. Hæc eadem vocamus decem aromata amariſſima, ex quibus myrrha ſpiritualis conficitur, & hoc diximus in tractatu ſacramētorum in cap. de contritione, & attritione peccatorum, & de hoc legitur ad Rom. 7. De peccato damnavit peccatum: Quemadmodùm de ipſo ſcorpione medicina fit contra morſuram ipſius, & de ipſo veneno ſerpentis contra venenum ipſius, & de ipſo buffone lapis extrahitur, qui contra venenum

Conculcatio diaboli.

Repercuſſio.

Nota.

Peccantes ſicut ſomniantes.

Jacula à vitiis accepta in ipſa vitia retorquenda.

A ejus eſt ſaluberrima medicina; ſic & de u... one carbunculus nobiliſſimus, qui in fronte ejus naſcitur, & creſcit. De quo non eſt dubium, quin valeat contra venenum ipſius draconis, ſic 1. Reg. Goliath gigas proprio gladio interfectus eſt, & 13. Judith. Holofernes pugione proprio decollatus. Iſtud autem artificium eſt, quo ipſe, qui tentatur, objicit ipſi peccato turpitudinem ſuam, verbi gratiâ: Cùm diligenter conſiderat fœditatem luxuriæ, & ex illa abominatur eam, & rejicit à ſe, & ab ipſa luxuria accipit jaculum, quo ipſam proſternit. Eodem modo quot malitias ejus conſiderat, quot nocumenta, tot ab ipſa jacula accipit, & in ipſa eadem jaculatur. Ut autem pugna virtutum manifeſtior fiat, ponemus exemplum unum tentationis, in quo omnes pugnant; hoc autem illud eſt quod B familiarius & lucidius nobis occurrit. Aliquis commiſit uxorem ſuam ſpecioſam bonæ fidei alicujus in cuſtodia: ille verò exardeſcit in concupiſcentiam ipſius: primò igitur pugnat fides, & dicit: Toxicata eſt iſta voluptas, atque mortifera, ne biberis eam, deinde timor objicit tremendum Dei judicium, & gladium extremæ ſententiæ, omniaque infernalia ſupplicia. Tertiò pugnat ſpes, & dicit: Quid enim eſt mihi in cœlo, gaudiorum, ſupple, & tu caro nequiſſima quid mihi offers ſuper terram, non dimitto gaudia illa perpetua, atque puriſſima pro hac, quam offers mihi ſpurciſſima, & falſiſſima, & breviſſima voluptate: Deinde pugnat charitas, & dicit: Carum habeo Deum meum, tam vili pretio nec me, nec ipſum vendam, gratiam ejus diligo, non ipſum pro te ô nequiſſima voluptas offendam. Deinde caſtitas, ne labores in vanum, eouſque mihi placet puritas, & candor meus, & omnia inquinamenta tua, tanquàm mortem deteſtor. C Deinde caſtitas ſpiritualis: An neſcis, quia cum rege regum contraxi matrimonium in baptiſmo? nullo modo illud polluam, vel infringam. Deinde pugnat fortitudo, & dicit: Nec vires habes, nec arma contra me, ferrum, & ignem paratus ſum pati, & tu me pulvinaribus tentas obruere? Deinde magnificentia cordis, & dicit: Tu quæ es, aut quanta es, ut me audeas provocare? Poſt hoc juſtitia pugnat, & dicit: Ad furtum, & proditionem me invitas, non te audio, fidei meæ commiſſa eſt mulier iſta, cuſtos ejus eſſe debeo, non proditor. Deinde ſanctitas, iſta mulier templum Dei eſt in baptiſmo conſecratum, & imago Dei viva, & ſancta, abſit ut illud violem vel iſtam polluam. Poſtmodùm ſapientia: An neſcis, inquit, quia ego puritas palati cordis, & guſtus ſpiritualis mundiſſimus, & tu apponis fœculentiam luxuriæ comedendam? An D neſcis indignationem ſtomachi ſpiritualis, in quo ſum? qui nec modicum inquinati ſuſtinere poteſt, quin illud per confeſſionem ſtatim evomat. Ego ſum, in quam nihil inquinatum incurrit, ſicut legitur Sapientiæ 6. Cùm autem in præcedentibus proprias operationes virtutum ſcripſerimus, facile eſt tibi ex his, quæ diximu & ex illis pugnas virtutum ſingularum advertere, cùm uniuſcujuſque virtutis operationes, vitiorum ſint, ſi in tentatione habeantur, percuſſiones. Attende autem, quia non diſtinximus an virtutes loquantur, an ipſi, qui virtutes habent, ex perſona earum. Et iterùm quandóque ſpeciem virtutis, quandóque genus, prolixitatem, ut poſſimus, declinantes, & finem hîc hujus capituli facientes.

Exempla.

Fidei pugna.

Timoris.

Spei.

Charitatis.

Caſtitatis.

Cordis magnificentiæ.

Sapientiæ.

Digitized by Google

DE MERITIS.

CAPUT UNICUM.

Fruſtra ſummaretur hic locus, qui ab auctore ſummatur, eſt autem tractatus ſpecialis de meritis.

Propoſitio dicendorum. POſt hæc eo ordine, quo prædiximus procedentes, loquemur de meritis, & retributionibus. Et dicemus in primis, quid eſt meritum, & quot modi merendi. Deinde proſequemur retributiones ſanctorum & quæ illis hîc fiunt, & quæ in futuro eis faciendæ promittuntur. *Meritum quid.* Meritum ergo propriè, & rectiſſima diffinitione obſequium eſt retributionis obligatorium, hoc eſt quod recipientem, ſive illum, cui impenditur, retributionis efficit debitorem. Quoniàm autem inter emptorem, & venditorem, meritum locum non habet, manifeſtum eſt duobus modis; neque enim emptor tanquàm retributionem petit pretium venditæ mercis, aut tanquàm præmium, immò tanquàm pretium, nec ſe meruiſſe aliquid dicit alter apud alterum. *Retributio.* Deinde retributio non habet locum ubi tributio non eſt; eſt enim retributio quaſi reflexa, vel reciprocata tributio, & vulgariter vocatur redonatio, vel remuneratio, quarum neutra locum habet ubi donatio, vel muneratio non præceſſit. Ex quo etiam manifeſtum eſt, quia inter locantem operas ſuas, vel etiam conducentem, non habet ſimiliter locũ meritum; locatio enim, & conductio proculdubiò cõtrariæ ſunt donationi, & redonationi, ſimiliter tributioni & retributioni. Ampliùs. Locatio ſine dubio, & cõductio, ſicut venditio, & emptio ſunt, licet ſic vocentur, quare apud eas, vel inter eas, nullo modo meritum. Similiter nec gratia locum habet in prædictis caſibus; emere enim, vel vendere, non ſolùm non eſt gratiæ, immò etiam gratiæ contrarium, propter quod & Spiritus ſanctus, qui gratia eſt, & gratis omnia donans, pravitatem ſimoniacã adeò deteſtatur. Apparet igitur evidenter, quia mercenarius propriè nihil meretur, ſicut neque venditor in eo quod venditor, & quod dicitur, meretur mercedem ſuam, non alio intellectu dicitur, niſi quia facit opere ſuo, vel ſervitio illam ſibi deberi. Gratia igitur, & meritum ſimul currunt, ita ut mereri propriè non dicatur, niſi qui per gratiam præſtat, hoc eſt qui gratis impendit obſequium, non qui elocatum, aut certo pretio prætaxatum. Scimus autem plerunque & meritum, & mereri dici, non ſecundùm rectam intentionem, ſicut in ſervo mercenario, & ſicut de beata Dei genitrice dicitur. Portare meruit regem cœlorum, & dominũ, cùm reverà nulla merita ad hoc unquàm attingere potuerint, nec unquàm vel ipſi, vel alij hoc deberi potuerit, ut Dei mater fieret, *Nota.* ſed reverà digna, vel idonea fuit ut hoc ei inter mulieres ſingulariter gratiâ divinâ tribueretur, non ut meritis tanquàm debitum ejus hoc Dei juſtitia redderet; niſi enim gratis impenſum fuerit obſequium, recipientem retributionis nõ faciet debitorem, quoniàm nec locum habebit ibi retributio, ut jam diximus. Qui ergo Deo ſerviunt ex timore ſolo, hoc eſt propter hoc ſolum, ut æterna effugiant ſupplicia, nullam Deo præſtant gratiam, nulla ex hoc eis debetur

E retributio. Quemadmodùm neque latronibus, qui videntes theſaurorum cuſtodes plures, & fortiores ſe, & paratos in mortem, & captionem eorum, ſi theſauros invaſerint, ulla debetur gratia, ſi non furentur, nullum meritum eſt eis à furto hujuſmodi abſtinere. Similiter ſi navigantes, & naufragium ſibi imminere videntes pro eo, quòd navis eorum nimis onerata eſt, etſi navim exonerare volentes, pretioſa quæque mercimonia in mare projiciant, nemo imputat eis ad virtutem largitatis, vel aliter ad meritum. *Simile.* Eodem modo, ſi latrones inſectari ſe videntes à ſatellitibus, jam jamque ſe comprehendendos ab ipſis, ſi propter hujuſmodi metum ſolum ſarcinas furtivas abjiciunt, non ex hoc aliqua gratia eis debetur, nemo dicit eos propter hoc præmium aliquod meruiſſe. Similiter & parvulis qui propter ſolum metum flagellationis dimittunt aliqua facere mala, & bona faciunt; *Similitudo* F nemo enim eis regratiatur, ſed (ut vulgò dicitur) virgæ, vel ferulæ: ſic hujuſmodi ſervitoribus Deus regratiari non debet, ſed magis patibulo infernali, propter quod ſolum vel mala dimittunt, vel bona faciunt. Cùm igitur nec propter Deum vel hæc dimittant, vel illa faciant, in nullo ſibi ad retribuendum Deum obligant; illi enim ſervit unuſquiſque, propter quem ſervit, & illi fit unumquodque, propter quod fit; quare mercenarius, cùm propter ſemetipſum ſolummodò operas ſuas impendit domino, ideſt propter mercedem ſolam, quam ſibi ſoli amat, & quærit, manifeſtum eſt quoniàm non Domino ſervit propriè, ideſt intùs, & ad interiùs, ſed foris tantùm, ſibi autem ſoli intentione, & principali voluntate. Dixerunt autem magiſtri, & dicunt adhuc, quia meritum quod diffinivimus eſt propriè, G & rectè, atque ſtricta ratione meritum, & vocant hujuſmodi meritum condigni: *Meritũ condigni.* alia verò intentione dicitur meritũ congrui, *Meritũ congrui.* & hoc non eſt niſi dignitas, vel idoneitas, qua aliquis dignus, vel idoneus eſt, ut aliquid ei fiat. Sicut aliquis dicitur Epiſcopatum meruiſſe ideſt dignus, vel idoneus eſt Epiſcopatu. Similiter & qui orat Deum, ut remittat ſibi peccata, quod ſuum eſt, vel poteſt lugendo, dolendo, pœnitendo, lacrimando congruit divinæ bonitati, ut miſereatur ipſius, congruit etiam cordi ſic parato, ut reſpiciatur à Deo, eique gratiam ſuam infundat. Meritò ergo congrui dicitur mereri remiſſionem peccatorum, vel gratiam, qua Deo gratus, & acceptabilis fiat. *Nota.* Sic reverà dignus eſt, & idoneus ut hoc ei præſtetur. Eſt ergo ſecundùm primam intentionem, quæ utique recta, & propria eſt meritum debiti, quod ipſi vocant condigni, iſta verò ſecunda meriti, quod ipſi vocant congrui. Et juxta primam intentionem dicitur, quia nemo poteſt mereri ſibi primam gratiam, & hoc quoniàm prima gratia ex neceſſitate gratis, & non ex debito H meritorum confertur. Præterea cùm ante primam gratiam nihil habeat homo, niſi naturalia bona, *Ante gratiam nihil habet homo niſi naturalia bona.* & peccata ſua, nec ex peccatis, nec etiam ex bonis naturalibus (ut dicunt) poteſt quis aliquid boni mereri, ex peccatis quidem nihil, niſi ſupplicium: ex bonis verò naturalibus minimè, quia adeò parvæ bonitatis ſunt, ut eis videtur; quòd neque gratiam, neque gloriam poſſibile eſt quemquam mereri per illa. De hoc tamen diſputabimus in ſequentibus. *Peccator per bona naturalia nihil meretur.* Veruntamen hîc manifeſtum eſt, quia peccator per bona naturalia quocunque modo negotietur in illis, tamen nec bonum gratiæ, nec bonum gloriæ per illa poteſt mereri, cùm indignus ſit pane, quo veſcitur, ſecundùm Aug. Et nos addimus, quia indignus eſt etiam rebus animæ, & corporis, quas in contumeliam creatoris, in abuſionem peccatorum detorſit. Dicunt tamen magiſtri, quòd omnem gratiam

Quæſtio.

tiam poteſt vir bonus, & ſanctus interdùm alicui mereri. Primùm ergo diſputamus utrùm ex ſolis naturalibus poſſibile ſit quemquam vel gloriam mereri, & poteſt videri quòd ſic, primùm quoniàm gloria non minùs longè eſt à gratia, nec minùs major, quàm gratia à natura. Si ergo per gratiam poſſibile eſt quemcunque mereri gloriam, erit & poſſibile per naturam mereri gratiam. Ampliùs. Quòd per naturam quis non meretur gratiam, aut hoc eſt propter magnitudinem bonitatis ipſius gratiæ, aut propter parvitatem bonitatis naturæ, vel naturalium, quæ minùs longè eſt à magnitudine bonitatis ipſius gratiæ. Quòd ſi fuerit propter magnitudinem bonitatis ipſius gratiæ, multò fortiùs ergo impoſſibile erit mereri gloriam, cùm bonitas gloriæ incomparabiliter major ſit, quàm bonitas gratiæ. Si verò ex parvitate eſt bonitatis naturalium, per quam eouſque longè eſt à bonitate gratiæ, quòd uſque ad ipſum ejus merita non attingunt, multò ergo fortiùs non cõtinget mereri gloriam per gratiam, cùm longè ampliùs diſtet gratia à gloria. Ampliùs. Dicit Ambroſius, quia non conſiderat Deus quantùm, ſed ex quanto, neque quis, ſed ex quo. Et ipſe Dominus, in Evang. Lucæ 21. De vidua paupercula, quæ duo minuta miſit in gazophilacium, quia plùs quàm omnes miſit, quoniàm de neceſſitate ſua miſit, quæ miſit, illi autem de abundantia ſua. Qui ergo ex naturalibus ſolis ſervit Deo, tantò plùs in ejus obſequium mittit, quantò pauperior eſt, in ſolis naturalibus conſtitutus, quàm qui ex abundantia, & divitiis gratiæ ſerviunt eidem. Ampliùs. Si quod Deo præſtatur de paupertate literali, ſeu temporali, gratius eſt ei, quàm quod de abundantia, & divitiis hujuſmodi, cur non ſimiliter, & quod de paupertate ſpirituali gratius erit eidem, quàm quod ex divitiis, & abundantia ſpiritualibus? præſertim cùm ipſe non attendat quantùm, ſed ex quanto in talibus. Viſum eſt alicui ſuper hoc, quia cùm opus, vel obſequium gratiam non habeat, vel meritum, niſi gratis

Nota.

fuerit impenſum, amor verò naturalis in Deum vel intendat commodum proprium, vel intendat facere debitum quodcunque obſequium ex amore hujuſmodi impendatur Deo ei non impenditur gratis, ſed vel venaliter, cùm per ipſum quæratur commodum, vel tanquàm debitum. Solutio autem debiti in nullo obligat creditorem. Nos autem jam declaravimus in prima parte totius tractatus iſtius, quoniàm amor naturalis non eſt uſquequaque talis, immò habet aliquid gratuitatis, ut ita loquamur, quia per eum interdùm gratis aliquid diligitur, & beneficia multa gratuitò præſtantur; hoc enim in multis peccatoribus, valdeque perverſis quotidie experimur & ille modus dilectionis, vel beneficentiæ poſſet quidem obligare recipientem ad antidora. Veruntamen ſi quis hoc modo beneficus eſſet in alterũ, vel hoc modo aliquem diligeret, cùm propter Deum nihil horum faceret, in nullo eum ſibi penitùs obligaret. Si verò quæratur, an ſic diligens Deum, & ſic ſerviens eidem, aliquid mereatur apud ipſum: Reſpondemus quia Deum ſibi facit reverà debitorem, non quidem ex virtute, vel bonitate hujus amoris, vel ſervitij, ſed magis ex promiſſione divina, qua ſe obligavit Matthæi 25. & 19. Lucæ benè negociantibus in talentis ſibi commiſſis. Ampliùs. Hujuſmodi amor ſicut non ſufficit peccata tollere, immò ea ſecum patitur; ſic non ſufficit Deo gratos efficere, vel acceptos, & ideò cum hujuſmodi amore remanet quis inimicus Dei, & eidem odioſus. Quia igitur Deus non homines propter munera, ſed munera propter homines acceptat, ſicut oſtenditur Geneſ. 4. Ubi legitur; Reſpexit ad Abel Deus, & munera ejus, quaſi in primis ad Abel, & poſtea

Amor naturalis obligat recipientem.

Non homines propter munera, ſed munera propter homines,

A ad munera propter eum, manifeſtum eſt, quia inter amores ſolus amor gratuitus, qui charitas dicitur, meritoria facit opera, vel ſervitia, quæ ex ipſo fiunt. Si quis autem quærat de Angelis ſanctis, aut Adam, & Eva in ſtatu innocentiæ, utrùm cùm ex virtutibus ſuis naturalibus ſoli Deo ſervirent, aliquid apud ipſum Deum mererentur ex merito, vel condigno. Reſpondemus manifeſtum eſſe, quia Deum ſibi facerent debitorem, & hoc ex illa promiſſione, quam veriſimile eſt ſcriptam fuiſſe in cordibus eorum naturaliter; non enim dubitat naturaliter mens humana, quin Dei bonitas adeò profuſæ beneficentiæ ſit, ut qui prærogavit nondùm ſervientibus ſibi bona naturalia, addat ſervientibus ampliora. Melioris autem conditionis ex neceſſitate oportet eſſe Deo ſervientes, quàm non ſervientes. Aliàs autem nihil videtur mereri. De amore verò in Deum quem aliqui vocant amorem concupiſcen-

An naturalibus quis mereatur.

B tiæ, de quo & liber Canticorum pro majori ſui parte totus conſcriptus eſſe videtur, & de quo legitur Sap. 8. Amator factus ſum formę illius, quoniàm amans hujuſmodi, quæ ſua ſunt tantùm quærit, ex amore illo videlicet proprias delitias, & quoniàm delitiæ tantùm, licet ſpirituales ſint, ac nobiliſſimæ, meritò quis dicat quia nihil per eum quis meretur apud Deum, cùm propter ipſum nihil faciat ex parte illa, ſed propter ſe tantùm, ſicut amator qui in amaſia ſua tantùm quærit delitias, & nihil ipſi amaſiæ, nihil habet meriti, aut gratiæ apud illam. Quòd ſi quis dicat, quia hujuſmodi amator honorat Deũ, dùm ipſum prefert omnibus aliis delectabilibus, & delitias ejus omnibus aliis delitiis. Reſpondemus quia etſi facto eum foris honorare videatur, non tamen honorat intentione, cùm non in honorem ip-

C ſius intendat, immò in proprias delitias tantùm. Præterea contumeliam intolerabilem irrogat Deo, quia ipſas delitias præfert illi, dùm magis illas, quàm ipſum diligat; cùm enim non diligit ipſum, niſi propter illas, proculdubiò magis quàm ipſum diligit illas. Si verò quæritur propter quid naturalis dilectio, vel obſequium, quod ex ipſa eſt, non ſufficit ad propriè merendum gratiam, vel gloriam? Reſpondemus quia hoc efficit paucitas bonitatis ejus, & parvitas ipſius, quod eſt dicere, quia & parum bona eſt ad hoc, & parva ideſt parum intenſa; ſicut enim declaravimus in cap de ipſa, incomparabiliter minor eſt dilectione, quę eſt gratiæ gratum facientis. Similiter dicimus, quia parum bona eſt, hoc eſt parùm rapiens in Deum, & parùm faciens adhærere illi, parum etiam abſtrahens poſſeſſorem ſuum à ſe ipſo, & eis, quæ ſua ſunt: dilectio verò gratiæ econtrariò ſe habet; totum enim poſſeſſorem ſuum in Dei gratuitam, ac ſpontaneam poſſeſſionem transfert. Videtur autem, & videri poteſt

Cur amor naturalis non ſufficiat ad merend. m.

Dilectio gratuita.

D meritò multis rationibus meritum nec eſſe aliquid, nec eſſe poſſe in nobis apud Deum. Et primùm, quoniàm nihil eſt in nobis, quod non accepimus ad uſuram, ſicut expreſsè legitur Matt. 25. & Luc. 19. Nomine enim talenti (ut ait Beda) quicquid habemus ſive magnum ſit, ſive modicum accipitur. Debitores ergo etiam uſurarij ſumus omnium eorum, quæ habemus, ſimiliter & omnium bonorũ operum, quæ fecimus, maximè ſi ſint præcepti; alioquin non tam diſtricta ratione exigerentur à nobis, vel puniremur pro omiſſione eorum. De hoc David primi Paralip. ultimo. Ecce quæ tua ſunt Domine tibi obtulimus, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi ſimiliter & Lucæ 18. Servi inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus. Quia ergo ſolutio debiti non obligat creditorem, manifeſtum eſt, quia adimpletio cujuſcunque præcepti, vel etiam omnium in nullo nobis obligat Deum, cùm

Nomine talenti quid in ſacris ſcripturis ſignificetur.

Adimpletio præceptorum nostrorum nobis obliget Deum,

in hoc ei debitores ſimus. Quòd ſi dixerit quis, quia E in eis, quæ ſunt præcepti, nihil meremur propter hanc cauſam, ſed in his quæ ſunt voti, tamen accidit, quòd vovendo tantùm meremur, cùm ad id non teneamur, niſi poſt votum antequàm debitores facti ſumus, ſed facientes ea, quæ vovimus nihil prorsùs meremur. Vovere enim (ut ait Aug.) voluntatis eſt, reddere autem poſt votum neceſſitatis.

Vovere voluntatis, reddere neceſſitatis.

Ampliùs. Pro quantocunque ſervitio, etſi fortè debetur major retributio, non debetur duplo, vel triplo major, qua enim ratione hoc eſſet? Ampliùs. Mutuatio, & commodatio ſunt eſſentialiter obligationes, & non obligant recipientes eas, niſi ad tãtum, quantum eſt mutuo datum, vel commodatum. Obſequium ergo, vel donatio quæcunque non obligat ad majus, quàm ipſum, vel ipſa ſit. Ampliùs. Quis ſervus, vel famulus, quantùmque obſequiis ſuis audeat hoc ſperare, vel petere à patre familias, F ut adæquet eum filiis. Ampliùs. Si aliquis ſervit in marca una etiam de ſuo alicui, nullo jure audebit ex hujuſmodi ſervitio ſperare retributionem centum millium marcarum, vel totam hæreditatem domini cui ſervivit: quo ergo jure, vel juſtitia ſperare habet aliquis ſanctorum ex meritis obſequiorum ſuorum retributionem fœlicitatis æternæ ad quam nec comparationem habent in bonitate, vel valore, quãtæcunque excellentiæ merita, ſcilicet ad fœlicitaté æternam? Ampliùs. Quis audeat à quantumcunque largo, & magnifico Principe pro levatione unius feſtucæ de terra caſtrum unum, vel civitatem exigere? Incomparabiliter autem minùs omne obſequium, quod Deo impenditur, retributione æterna, quàm ſit levatio feſtucæ de terra, caſtro uno, vel civitate. Quòd ſi dixerit quis, quia de munificentia, vel miſericordia Dei ſperatur retributio æterna: nõ ergo ex meritis, aut juſtitia, vel in remeritorio. G Ampliùs. Aut aliquid noſtrum eſt in opere bono, videlicet à parte liberi arbitrij, quod non eſt ex gratia aut totum quicquid eſt ibi boni, eſt ex ſola gratia; quòd ſi aliquid eſt ibi noſtrum, reſiduum ab eo, quod totum eſt gratiæ, ratione illius meremur, quod ſolum eſt ibi noſtrum, illud autem eſt naturæ, cùm ſit bonum, & non ſit gratiæ.

Objectio.

Ex illo igitur nihil meremur, cùm naturæ tantùm ſit, & nec ſit ipſa operatio bona nec pars ejus, nec aliquid comparabile ipſi operationi. Cùm ergo toti operationi totum debeatur præmium, manifeſtum eſt, quia illi nihil, vel quaſi nihil de præmio debetur. Ampliùs. Illud eſt quod vocatur cooperatio liberi arbitrij: manifeſtum autem eſt, quia cooperatio non eſt ipſa operatio, neque pars ejus: cùm ergo operationi ſoli totum debeatur præmium, & ipſa operatio ex neceſſi- H tate erit ſola meritum. Cooperatio igitur noſtra, qua ex libero arbitrio noſtro cooperamur, nec meritum eſt, nec pars meriti, illud autem eſt totum, & ſolum noſtrum in bonis operibus, & meritoriis, nihil ergo eſt noſtrum meritorium in operibus meritoriis, nec alibi eſt aliquod noſtrum meritorium, quare nihil eſt meritorium.

An aliquid noſtrũ ſit meritorium.

Si verò dixerit, quia totum bonum opus eſt gratiæ, totum igitur eſt Dei opus: alieno verò opere verè, ac propriè nullus meretur; nihil ergo merentur viri ſancti.

Oppoſitio alia.

Ampliùs. Omne opus meritorium aliquo modo eſt opus operantis, vel nullo modo; ſi nullo modo eſt operantis, ergo nullo modo eſt meritorium: ſi autem aliquo modo eſt operantis, & certum eſt quòd aliquo modo eſt Dei, operantis autem non eſt, niſi inquantùm ex libero arbitrio: jam autem diximus, quoniàm de quanto eſt ex libero arbitrio, intantùm eſt naturæ, in qua parte non eſt meritorium, inquantùm autem gratiæ, non eſt noſtrum immò Dei, quare non videtur noſtrum meritum, quia neque noſtrum. Ampliùs. Hujuſmodi opus, & operantis eſt, & ipſius Dei, aut æqualiter eſt Dei, & operantis, aut alterius magis, quod æqualiter nemo unquàm auſus eſt dicere, cùm ſcriptum ſit in 26. Iſa. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine, & in 2 ad Phil. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere: ſi verò inæqualiter, quid igitur dicetur? utrùm in infinitum plùs habeat in eo Deus, quàm operans, an duplo, vel triplo. Si in infinitum, quaſi nihil igitur eſt, quod habet operans ibi, quomodò igitur meretur illo nihilo, vel quaſi nihilo. Si verò duplo, vel triplo magis eſt Dei, quàm operantis, vel plùs habet, in eo Deus, quàm operans, quæ igitur erunt partes iſtæ? medietates, ſcilicet, vel tertiæ? & qualiter partiemur opus hujuſmodi inter Deum, & operantem illud. Ampliùs. Sicut de pœnis meritis hoc eſt jure meritorum debitis, detrahit Deus, & miſericordia ſua non tantùm, ſcilicet punieus quemcunque peccatorem, quantumcunque meruit, ſicut dicit Job: Nec ulciſcitur ſcelus valde, & David: Si iniquitates obſervaveris domine, domine quis ſuſtinebit? Sic per miſericordiam eandem remunerat ſupra merita, hoc eſt addens aliquid debitis de jure meritorum præmiis: ponamus alicui deberi de juſtitia meritorum præmiis ſuorum aliquantum præmium, quod igitur Deus addit, aut eſt majus ipſo debito præmio cui addit, aut non, & videtur quidem in infinitum majus eſſe, ſicut enim in infinitum plùs addit miſericordia ſua, quàm habet virtus liberi arbitrij, ſic & præmio in infinitum plùs quàm habeat juſtitia meritorum; non enim minùs operatur Dei miſericordia in remunerando ſuper merita quàm gratia ejus, inſuper apponendo viribus naturæ vel libero arbitrio unde proveniant merita.

Vide.

Ampliùs. Quid eſt hoc dicere, quòd gloria etiam quantumcunque G parva debeatur alicui ex juſtitia meritorum? manifeſtum enim eſt, quòd illa gloria, quæ dicitur ſic deberi, eſt major in infinitum quacunque gratiâ, & quantacunque meritorum quantitate. Quibuſcunque ergo, vel quantiſcunque meritis reddatur, in infinitum major ſit eis remuneratio, quàm ipſa ſint. Quare impoſſibile eſt, aliquem remunerari quacunque gloria ex æquo, vel debito meritis, immò neceſſe eſt, ut incomparabiliter ſupra merita ſit. Quòd ſi dixerit quia munerari ſupra debita duobus modis dicitur, uno quidem modo, remunerari majori premio, quàm ſint merita: alio verò modo remunerari majori præmio, quàm requirant de jure merita, vel quàm debeatur eis de jure, verum utique dicit, nec nos intendimus hîc ambulare ſophiſticè, quoniàm ſi pro oblata ſervitute retribuuntur centum millia H marcarum; manifeſtum eſt, quòd longè ſupra merita ſit retributio ſic ſervienti.

Remunerari ſupra debita.

Quia ergo quantumcunque parva gloria reddatur quantiſcunque meritis, proculdubiò incomparabiliter longè ampliùs ſupra merita, id eſt pluſquàm requirat juſtitia meritorum, redditur ei, quàm ſit, ſi pro oblata (ut diximus) ſervitij centum millia marcarum argenti: manifeſtum eſt quod diximus, videlicet, quia nulla gloria quantumcunque parva debetur de juſtitia quantorumcunque meritorum, cùm melior ſit dies una in atriis Dei, ſuper millia; quo enim jure tantum meritum obligat Deum ad infinitum majorem retributionem? Ampliùs. Merita Chriſti hominis fuerunt in ſummo, & ultimo, & inſuper ultra omnem proportionem, & comparationem majora omnibus meritis aliorum, ei ergo non potuit major gloria reddi, quàm deberetur. Dicamus igitur, quòd remuneratus fuit ex neceſſitate ſecundùm merita, cùm merita remunerari non poſſint in ſeipſo; ſicut ergo in eo adæquata eſt gloria meritis de juſtitia Dei, ſic fieret & in quolibet alio, ſi de ſola juſtitia

fieret

fieret ei retributio. Non major igitur eſt gloria tota debita meritis cujuſcunque, quàm gratia, ex qua merita illa ſint. Reſponderunt quidam dicentes, quia meritis noſtris ſolis nihil debetur, nec noſtris meritis ſolis Deum nobis in aliquo facere poſſumus debitorem, ſed meritis noſtris, & promiſſione ſua ſimul; nulla enim bonitate, vel eminentia meritorũ eum nobis obligare poſſumus, ſed ipſemet ſe nobis obligavit promiſſionibus ſuis, pactis, & juramentis, ſicut dicit Jacobus in primo: Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cùm probatus fuerit accipiet coronam vitę, quam repromiſit Deus diligentibus ſe; Et Apoſtolus in 4. primæ ad Timot. Pietas habet promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Cauſa autem hæc eſſe videtur, quia ipſa bona merita noſtra, & opera Dei ſunt, & dona. Dona autem ejus non videntur eum obligare ad ampliora donanda, niſi talia ſint dona, quæ ipſa eſſentia, & virtute ſua obligent; quæ enim ratio eſt, ut eo ipſo quod Deus dedit alicui bona aliqua, propter hoc obligatus ſit ad danda incomparabiliter majora? Aliis autem omninò videtur meritum nihil eſſe, quantùm ad bona obtinenda. Adhærent hi verbis illis Deberti Cenom. Epiſcopi. Quicquid habes meriti præventrix gratia donat. Nil Deus in nobis præter ſua dona coronat. Videtur etiam facere pro illis quod dicit Apoſtolus in 7. ad Rom. Stipendia peccati mors, gratia Dei vita æterna. Cùm enim dixiſſet, ſtipendia peccati mors, non dixit ſtipendium meritorum vita æterna, quod utique dixiſſet (ut aiunt) ſi quemadmodùm mors æterna ex meritis jure redditur, redderetur & vita æterna. Ad idem & id quod legitur Joannis primo. Et nos de plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia, gratiam ſecundam vocans vitam æternam, quæ accipitur pro gratia, quæ datur in præſenti, ſimiliter & Zachariæ 4. Adducet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus. In pſal. etiam dicitur. Gratiam & gloriam dabit Dominus, non eſt dictum, gratiam, & gloriam reddet. Quod ergo convenientius videtur in omnibus his, hoc eſt, ut dicatur quia gratiæ debetur gloria, & hoc multis de cauſis. Primùm, quia hujuſmodi gratia ſcilicet gratum faciens, gratia eſt adoptionis, & filiatio; filiationi enim jure debetur hæreditas, ſicut legitur in octavo ad Romanos: Quòd ſi filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſimiliter & in 3. ad Galat. Quòd ſi filius, & hæres per Deum. Hæc gratia vocatur ſpiritus adoptionis, & in eodem capitulo ad Rom. Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis in quo clamamus abba pater quaſi ex duabus cauſis Deum bis patrem vocamus, quoniàm & regenerando pater eſt per gratiam adoptionis, & glorificando ſimiliter per largitionem hæreditatis. Secundò, jure, & lege amicitiæ, qua bona amicorum ex neceſſitate ſunt communia. Quia ſcilicet Deus amicus eſt amicorum ſuorum, diligit enim diligentes ſe ſicut ipſemet dicit in Proverbiorum ſeptimo. Ego (inquit) diligo diligentes me. Tertiò ex promiſſione, ſeu ex repromiſſione, neceſſe eſt, ut bona ſua, bona inquam gloriæ communicet eiſdem. Alioquin nec fidem, nec veritatem amicitiæ teneret, ſicut apparet ex antè poſitis Jacobi Apoſtoli, & Pauli teſtimoniis. Quartò ex conventione ſicut legitur Matth. 20 Cõventione autem facta cum operariis ex denario diurno. Operantibus ergo debetur ex conventione; habentibus autem gratiam adoptionis, & filiis nuptiarum Chriſti, & Eccleſiæ, debetur jure hæreditario: diligentibus autem jure, & lege amicitiæ, & etiam promiſſionis. De hoc verò quod cõmuniter dicitur, quia quædam opera meritoria ſunt vitæ æternæ, & quia omni opere facto ex charitate meretur quis vi-

Reſponſio ad præcedentia.

Gratia debetur gloria multis modis.

Ex duabus cauſis Deu bis patrem vocamus.

Ex promiſſione debetur nobis divina gloria.

A tam æternam, nullo modo videtur, quòd ex condigno cujuſcunque operis mereri poſſit quis vitam æternam; cùm enim gratiæ debeatur vita æterna, ut oſtendimus, & hoc per ſe, operi autem nihil debeatur niſi propter gratiam, ex qua eſt, quoniàm ſicut dicit C. reg. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi à radice proceſſerit charitatis, manifeſtũ eſt, quòd gratiæ debetur merces æterna in primis, & per ſe, etiam abſque omni promiſſione, operibus verò non deberi videtur niſi ratione promiſſionis, aut conventionis: quod ergo communiter dicitur, quia omni opere facto ex charitate meretur quis vitam æternam, & hoc ex debito, ita intelligendum videtur, quia debitorem facit ſibi Deum vitæ æternæ, non quidem propter ipſum opus ſolum, ſed propter promiſſionem Dei cum opere ejus Et veriſſimum eſt, quia niſi ſic operanti & à merito illo non cadenti redderetur vita æterna, injuria ei fieret propter pro-

B miſſionem, & conventionem, quibus omnibus hujuſmodi operationibus divina bonitas ſe aſtrinxit. Si verò quæratur, utrùm merito condigni mereatur quis quocunque hujuſmodi opere vitam æternam. Reſpondemus, quia uno modo condignum dicitur comparabile, quemadmodùm in 8. ad Rom. Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ideſt quòd non ſunt comparabiles præſentes moleſtiæ ad futuram gloriam, neque præſentes miſeriæ ad futuram fœlicitatem, cùm futura illa bona in infinitum, & incomparabiliter majora ſint præſentibus hujuſmodi malis. Alio modo magis ſecundùm uſus ſui impoſitionem vocant magiſtri, & ſcolares multi, quàm ſecundùm proprietatem, & primam poſitionem, condignum ſtri-

C ctum debitum, vel meritum Et tunc verum eſt, ex condigno cujuſcunque operis nullus meretur vitam æternam, quia ex ſtricto, & merito debito operis nullus meretur vitam æternam, quoniàm nulli operi per ſe, abſque Dei promiſſione, vel conventione debetur vita æterna, & hoc eſt quoniàm operi nihil debetur, ut præmiũ niſi ratione gratiæ, ex qua eſt, aut ratione divinæ promiſſionis, ſive conventionis. Quòd ſi dixerit quis, quia hujuſmodi opus in ſe continet gratiam, cui debetur vita æterna, vel ſaltem effectum gratiæ, & ideò quicquid debetur radici gratiæ, debetur ramo operis, & inſuper aliquid videtur addere operatio. Reſpondemus, quia non ſic continet gratiam, ut partem, ſed magis ſapit, vel redolet gratiam, ut fructus radicem. Si verò quis quærat quid operantur bona opera ad obtinendum vitam æternam, cùm ſoli gratiæ debeatur, & hoc de jure, dixere quidam, quia cùm per gratiam ſit dignus vita æterna, per opera ipſa facit ſe magis dignum. Cùm enim filiis ratione filiationis paterna

D debeatur hæreditas, tamen ſi faciunt, quod filiatio requirit, videlicet quòd patri ſerviant laudabiliter, & obediant, magis ei debetur propter hoc hæreditas, etſi non major. Sed qualiter hoc eſt verum, cùm jus hæreditatis illius non ſit niſi filiatio, nec alia ſit dignitas filiis, qua hæreditate paterna digni ſunt, niſi ipſa eadẽ filiatio, ſeu gratia adoptionis, de qua non eſt neceſſe, quòd creſcat ex omni opere bono, etſi fortè ex aliquo? Ampliùs. Quid accreſcit iſti ex bono opere cùm nec inde creſcat ejus gratia, nec gloria, quæ ei ex hoc utilitas in quo enim prodeſt ei, quòd magis dignus eſt eadẽ gloria, vel magis debeatur? Si enim marca una magis, aut min⁹ debeatur, dũmodò debeatur debito, propter quod ex neceſſitate reddatur, & æquè citò, & tãta, tãquã bona ei reddatur ad quid curabit de majori debito, aut dignitate? Reſpondere poteſt ex primo 2. Canon. Petri, quia ex bonis operibus certã faciũt operationẽ ſuã, quia

Num ex condigno meremur vitam æternam.

Deus debitor eſt ex promiſſione.

Condignũ.

Condignũ ſtrictè ſumptum.

Nota.

Gratia quomodo radicatur.

illa operatur, ſed hîc firmatur. Gratia enim etſi non alligetur ex omnibus operibus bonis, tamen inde radicatur, atque firmatur, & propter hoc etiam gloria. Secundum eſt, quia ipſum ſervire patri Deo, eſt debitum ei per ſe, & bonum per ſe, & ideò faciendum, etſi ex hoc nulla remuneratio ſperaretur: De hoc quod dicit, quid ei curandum, &c. Reſpondemus quia non omnia facienda ſunt propter mercedé, ſed curandum eſt ei, ut faciat voluntatem Dei patris, & luceant opera ejus coram hominibus ut glorificetur Deus ut legitur Mat. 5. Interdùm curandum eſt ei, ut firmetur, & radicetur gratia ejus. Curandum etiam eſt ei, ne tanquàm à ſervo malo, & pigro auferatur, ſicut legitur Mat. 25. & Luc. 19. Omnis enim virtus & omnis potentia, ſicut moderato, & debito in uſu, & exercitio invaleſcit, & confortatur, ita ociſitate ſua debilitatur, & tandem deficit, propter quod dicit Greg. Quia virtus aut proficit, aut deficit, propter quod multùm curandum eſt ei, qui habet gratiam adoptionis, ut operetur, & negocietur in illa, licet negociatio, & operatio ſua non obligant Deum ad retributionem, niſi quemadmodùm diximus. Si quis auté dicat, quia plùs debet mereri, qui ex modico gratiæ ſervit Deo, quàm qui ex multo, quemadmodùm vidua illa in viceſimoprimo Lucæ, plùs omnibus miſiſſe dicitur in gazophilacium, quia ipſa de paupertate ſua, illi verò de divitiis Reſpondemus quoniàm illud non eſt cauſale, ſed approbativum, quòd enim ex majori affectu miſerat, vel devotione probat aliquo modo paupertas ipſius, quandò nec illa prohibere potuit, quin daret illa duo minuta. De hoc verò quod communiter dicitur etiam ex teſtimoniis ſanctorum, quòd aliquis vir ſanctus poteſt mereri gratiam vivificationis, vel juſtificationis alicui peccatori, quæſtionem habere videtur, & propter hoc quod dicit Hieron. Fruſtra pro eo quis orat, qui non meretur obtinere, cùm certum ſit peccatorem omnem, non ſolùm non mereri, præcipuè id, quod pro eo petitur, immò etiam demereri. Hoc autem dicimus intelligendum eſſe in eo, qui non eſt deſiderans etiam, ut exaudirentur orantes pro eo. Intelligimus etiam fruſtra, non quantùm ad orantes, ſed quantùm ad ipſum. Non tamen hoc generale eſt, quoniàm pro quodá tali, qui etiam prohibebar, ne pro eo oraretur, & qui ſe dicebat nolle ullo modo obtinere gratiam pœnitentiæ, vel reverſionis, eo invito, & renuente orationem fecit pro eo ſanctus Stephanus inſtitutor Grandimontenſis ordinis cum conventu ſuo, & exauditus fuit. Cùm enim pro illo oraſſent. venit ad eos homo ille annuncians eis qualiter mutatus eſſet, & faciens confeſſionem de peccatis, cum multa devotione, & lachrimis pœnitentiam egit. Quòd autem nec merito congrui, nec merito condigni mereri quis poſſit alicui peccatori gratiam juſtificationis, inde videri poteſt, quia cùm majus ſit, ut Aug. dicit juſtificare impium, quàm creare cœlum, & terram, manifeſtum autem eſt, quòd nullius meritis congruit, ut pro eo creet Deus cœlum, & terram, nec unquàm aſcendit in cor alicujus, ut hoc ab ipſo petere præſumeret. Reſpondemus, quia juſtificatio peccatoris, non niſi ex pietate petitur quantùm ad peccatorem, aut propter Dei gloriam, videlicet, ut faciens tanta mirabilia glorificetur ab hominibus, qui hoc viderint, vel audierint, nihil ergo magis congruit Deo, quàm miſereri, & potiſſimè ad gloriam ſuam. Nihil etiam magis decet bonitatem ejus, quàm piis electorum ſuorum precibus inclinari, & non immeritò poſſunt de congruo mereri viri ſancti juſtificationem peccatorum. Alia eſt congruentia, qua nihil magis decet Deum facere, quàm preces quas ipſemet inſpigat, & fieri ſibi præcipit, exaudire. Hoc ergo modo

Virtus exercitatione invaleſcit.

Objectio.

Exemplū memorabile.

Juſtificare impium eſt majus quàm creare cœlum.

E expedivimus nos de merito congrui ex parte iſta. De merito verò condigni nullo modo videtur nobis, & primùm quia ſi meritis iſtius, quantumcunque ſancti, deberetur juſtificatio illius peccatoris, ergo eo non cadente ab illis meritis, ſed perſeverante in eis, ex neceſſitate redderetur eidem juſtificatio peccatoris iſtius, aut injuria fieret eidem. Ponamus ergo quòd decedat in meritis iſtis vir iſte ſanctus, impoſſibile ergo ipſum cadere de cætero à meritis iſtis; impoſſibile autem ſimiliter eſt Deum injuriam eidem facere, impoſſibile ergo erit Deum non reddere eidem, quicquid ei debetur: debetur autem eidem ex meritis juſtificatio peccatoris iſtius: neceſſe ergo eſt, ut reddatur ei juſtificatio iſta; quare impoſſibile eſt iſtum peccatorem decedere modò, dum eſt in peccatis. Si enim ſic decederet, nunquàm redderetur ejus juſtificatio illi viro ſancto, cui debetur ex meritis: propter hoc F ergo dicimus, quia nullatenùs ex merito condigni poſſit deberi alicui, quantumcunque ſancto, juſtificatio alicujus peccatoris, alioquin videretur auferri peccatoribus libertas liberi arbitrij, ita ut non poſſent perſeverare in peccatis, neque poſſent non juſtificari, vel non pœnitere. Certiſſimè tamen tenendum eſt, & nullatenùs dubitandum, quin & obtinere poſſint, & ſæpiſſimè obtinent, & impetrant apud Deum peccatoribus veniam, & gratiam. Hoc autem ex ineffabili largitate pietatis, & beneficentiæ divinæ, & hoc ipſimet confitentur, dùm hoc petunt ſibi donari; non enim hoc exigunt à Deo, ut ſibi debitum, ſed magis donari, ut donum gratuitum, & gratiam, neque petunt hoc ſibi reddi de juſtitia, ſed hoc ſibi magis ex gratia indulgeri. Illud autem non eſt prætereundum, quod ſupra tetigimus, quia bona opera noſtra, & Dei G dona ſunt. Opera noſtra opera etiam Dei, quæ ipſe operatur in nobis, & etiam per nos, non quidem tanquàm per organa tantùm, aut inſtrumenta. Tunc enim nec ad laudem, nec ad vituperium, nec ad culpam, nec ad meritum imputanda eſſent nobis opera bona, ſicut citharæ vel tibiæ nihil imputatur ad culpam, vel ad meritum, de tibicinantibus, & citharizantibus: in nobis igitur operatur Deus bona opera ſua, & noſtra, non tam præſtando virtutem, facultatem, & opportunitatem, quàm etiam excitando, & foris doctrinis, & prædicationibus, & beneficiorum, & conſolationum immiſſionibus, flagellorum quoque ſtimulationibus, & interdùm compulſionibus, & internis inſpirationibus, ac revelationibus, terroribus & aliis modis multiplicibus, qui ſibi ſoli noti ſunt, & quibus illos voluerit H revelare: non ſolùm igitur cooperatores ſumus, ſed etiam operatores, licet hoc dono gratiæ ipſius ſit. Nec propter hoc quoniàm gratia eſt opus bonum, vel donum Dei, minùs meritorium eſt, immò ampliùs, quoniàm propter hoc & melius eſt, & Deo magis acceptum. Quemadmodùm autem ſi pecunia data eſſet alicui, vel caſtrum, quod ipſe totum converteret in honorem, & obſequium datoris, & ad hoc ſolùm illud haberet, & habere vellet, ut inde totaliter ſeviret eidem, caſtrum utique illud, vel pecunia, & Dei eſſet datoris, & ipſius receptoris. Dei quidem dum totaliter ipſi in illo, & de illo ſervitur; poſſidentis autem tantò magis eſſet, quantò illud ad honorem Dei, atque ſervitium magis haberet. Illud quippe ſolum juſto titulo poſſidemus, quod totaliter Deus poſſidet in nobis, hoc eſt, quo totaliter eidem ſervimus, aliis autem non ſolùm uſurpatores, ſed etiam fures ſumus. In nullo enim quicquam juris habemus, niſi in eo, de quo Deo ſervimus, & inquantùm de illo ſervimus eidem, & hæc eſt ſocietas inter nos, & ipſum Deum, ut totum

Nota.

Attende propreci-bus bonorum.

Opera bona noſtra.

Nota.

totum ſit ejus, & totum noſtrum, quicquid habere videmur. Et hæc lex, atque juſtitia ſervatur ſemper inter veraciter, ac perfectè ſeſe invicem diligentes. De hac ſocietate 1. Joan. Societas noſtra ſit cum Deo patre, & cum filio ejus Jeſu Chriſto, & nos jam multotiens diximus in declamatoriis exhortationibus. quia bona Dei, ut ſervientes habemus, qui vulgò medietarij vocantur, & medietarios Dei nos multoties appellamus. Medietarius enim eſt, qui alienum prædium eo modo tenet à domino illius, eaque conditione, ut medietatem fructuum domino ſolvat, medietatem verò ſibi retineat. Fructus autem omnis, qui & ex bonis, quæ à Deo habemus, non eſt niſi gloria, & utilitas: gloriam ſibi tanquàm propriam portionem reddi vult Deus, & illam totaliter, quoniàm & pleno jure ſua eſt, & nos illâ nullatenùs indigemus: utilitatem verò totam nobis dimittit, totamque vult eſſe noſtram, quę ſola nobis neceſſaria eſt, hoc autem addimus, quia B tota utilitas noſtra Dei gloria eſt. Nihil enim eſt utilitas noſtra, niſi bonum, propter quod creati, & reparati ſumus. Et nos declarabimus in ſequentibus, quia totaliter vivere gloriæ Dei fœlicitas eſt, & ſanctis in fine promittitur. Quoniàm autem jam diximus, quia remuneratio non habet locum ubi muneratio non eſt, nec retributio, ubi tributio non præcedit, videri poterit meritò alicui nullum opus eſſe remunerabile, niſi quòd ex amore præceſſerit. Omne enim, quod ex amore gratuito, & recto procedit, proculdubiò gratis impenditur, & indubitanter donatur, quantùm eſt de intentione operantis. Facit & ad hoc prædicta auctoritas Greg. quæ dixit: Quia nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi de radice proceſſerit charitatis, qui verò timore operantur, redimere videntur incommodum & extorta videntur quæcunque metu fiunt; quare nihil videntur C habere meriti, quia nec etiam placent, non enim placent Deo coacta ſervitia. Talia dicenda ſunt juxta hunc modum & de ſpe nam etiam ſpes videtur intùs intendere emere omne ejus commodum, quod ſperat, commodum inquam emere propter id, quod facit. Jam autem diximus, quia inter negociatores nec gratia, nec meritum locum habet, nec remuneratio, ſicut nec muneratio. Ut autem paucis nos expediamus, dicimus, quia indubitanter verum eſt hoc, quòd propriè remunerabilia non ſunt, niſi opera, quæ ex charitate fiunt. Veruntamen quia pro omnibus dat Deus operatoribus ſuis mercedem, omnia dicuntur remunerabilia, non ſolùm, quæ ex charitate, ſed etiam quæ in charitate, vel cum charitate fiunt. Utinàm autem ſcirent omnes Dei operatores ornata & pretioſa facere opera ſua. Quot enim motibus virtutum moventur D in unoquoque opere tot decores, tot colores pretioſos, tot deauraturas apponunt operibus ſuis, verbi gratia, ſi dixeris, cùm eleemoſinas das pauperi: Accipe propter Dei honorem & gloriam, propter quam petiiſti illam, ſcilicet, ut Deum glorifices inde, & benedicas. Accipe ex charitate, quia frater meus es, & debes eſſe conſors, & particeps bonorum meorum. Accipe ex pietate, quia indiges, vel ex miſericordia, qua oportet tui miſereri. Accipe ex juſtitia, qua debitor ſum in iſta neceſſitate. Accipe ex ſpe retributionis æternæ. Accipe ex timore Dei, ne illum offendam. Omnibus iſtis virtutibus, quę nominatæ ſunt, decorata erit eleemoſina tua, ſi ita dixiſti in corde tuo. Debes autem ſcire, quia in triceſimoprimo ſecundi Paralipomenon tres perfectiones attribuuntur bonis operibus, ubi dicitur: Quia operatus eſt rex Ezechias rectum, & bonum, & verum coram domino. Prima autem perfectio eſt rectitudo, & hoc refertur ad intentionem, quæ A tunc quidem recta eſt, cùm eſt abſque deflexione in dextram, vel ſiniſtram, & abſque recurvatione in proprium commodum, ſicut expoſuimus in prima parte tractatus hujus. Secunda perfectio eſt bonitas, & hæc refertur ad genus operis, & utilitates ipſius. Tertia eſt veritas, & hæc excludit non ſolùm ſimulationem hypocritarum, atque mendacium, immò etiam errorem puerilem quorundam, qui vulgò papelardi vocantur, qui minuta bona opera magna exiſtimant, & vilia pretioſa valdè, quemadmodùm parvuli inſignia ſancti Jacobi, aut nummos plumbeos, & cùm debeant aureos, ideſt pretioſa, & magnifica opera, per hæc parva, & vilia ſe ſatisfacere credunt Deo, propter hoc diximus, quia opera eorum non ſunt vera ſecundùm intentionem eorum, quoniàm ea falſificant, dum pro majoribus, aut melioribus ea Deo, & hominibus, quodammodò vendere volunt.

Societas cum Deo.

Medietarius.

Nota.

Gregorij dictum eximium.

Benè nota.

Tres perfectiones bonorum operum.

DE RETRIBUTIONIBUS Sanctorum.

CAPUT UNICUM.

Seipſum ſummat.

POſt hæc autem loquemur de retributionibus ſanctorum. Retributio autem ſanctorum dicitur ſecundùm ſuum principale, immò ſecundùm ſuum totum, gloria animarum, provt ſentire videtur Aug. Gloria enim corporum non partem beatitudinis, ſed redundantiam ejuſdem vocat, his verbis: Tanti inquit fecit Deus animam rationalē, ut ex beatitudine illius non beatitudo, quę fruentis, & intelligentis eſt propria, ſed ſanitas incorruptionis in inferiorem naturam, ideſt corpus redundet. Tota ergo beatitudo, quæ ſanctis promittitur, animarum eſt ſic fruentis, & intelligentis propria. Sola autem anima fruens, & intelligens eſt, ut patet ex verbis ejus. Secunda igitur ſtola, quæ eſt gloria corporum, nec beatitudo eſt propriè, nec pars beatitudinis: eſt tamen pars totius remunerationis, ideſt totius boni, quod ſanctis in fine dabitur. Non eſt autem in hoc conſideranda vis, utrùm pars, vel qualiter pars quia nihil nobis deperit, ſive dicatur pars, ſive nō dicatur. Nominatur autem iſta beatitudo in primis beatitudo, & hoc eſt, quia ipſa eſt D deſideriorum omnium plenitudo. Juxta illam diffinitionem beati viri, qua dicitur, quia beatus eſt, cui omnia optata ſuccedunt. Dicitur & vita æterna ab ipſa veritate in Evangelio Joannis decimoſeptimo. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, & dicitur vita æterna, quia multùm contraria eſt temporali. Sicut enim temporalis tota fluit, & evaneſcit, & nihil habet ſtans, ſic illa recta tota ſtat in ſoliditate perpetuitatis ſuæ, & nihil habet fluens. Et ſicut illa totum habet cum morte commune, & vitam quaſi in puncto ſolo contingit, ita illa tota ſeorſùm eſt à morte, & ſe totâ vitam primam contingens in nullo morti approximat, ipſum enim vivere vita temporali, ſive præſenti, mori eſt, ſi quis interiùs conſideret. Cùm enim hujuſmodi vita tranſitus tantùm ſit, & fluxus, tranſitus inquam, & fluxus vitæ; tranſitus autem vitæ, & fluxus non ſit niſi mors, manifeſtum eſt, quòd tota ipſa mors eſt, juxta verbum Senecæ quod dicit, quia præteritum mors habet, futurum

Retributio ſanctorum.

Gloria animarum.

Gloria corporum redundantia eſt beatitudinis.

Beatus quis.

nondum tenemus, ipſum etiam præſens cùm morte dividimus. Tranſitus autem à præſenti in præteritum non eſt dubium, quin mors ſit. Dicitur & pax

Pax ſanctorum.

propter elongationem à bellis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, & omnimodam immixtionem ejus ad illa. Ipſa enim pax temporalis & in medio bellorum poſita eſt, & bellis immixta. Et ipſa veritas in Evangelio Joannis decimo quarto, vocat eam pacem. Pacem enim (inquit) relinquo vobis, pacem do vobis, & Apoſtolus in quarto ad Philip. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda, & intelligentias veſtras. Intelligimus autem exuperationẽ ſenſuum, videlicet incomprehenſibilitatem ſuam, ut nullus ſenſus immenſitatem ejus prout eſt, & quanta eſt, comprehendere poſſit, vel exuperat omnem ſenſum ſuavitate ſua, quemadmodùm lux ſolaris omnem ſenſum luminoſitate ſua. Quemadmodùm nullus viſus totam lumi-F noſitatem ſolis capere ſufficit, immò radiolo ejus modico impletur, ſic nullus ſenſus capere ſufficit, hoc eſt ſentire immenſitatem ſuavitatis pacis Dei.

Requies ſanctorũ.

Dicitur & requies, quoniàm finis eſt omnium laborum, commotionum noſtrarum, & concuſſionũ, & hoc eſt, quod dicit Aug. in principio libri Confeſſionum, inquietum eſt cor noſtrum ad te domine, donec quieſcat in te.

Libertas.

Dicitur & libertas, quoniàm elongatio eſt ab omni oppreſſione, & exactione, & anguſtatione: de hoc in 8. ad Rom. Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hæc autem libertas eſt habens latitudinem ſine omni anguſtia, & repagulo, & habens erectionem, ſive levationem capitis abſque ulla depreſſione, & jugo. Ibi enim ceſſat omnis principatus, & dominatio, excepta dominatione ejus, qui eſt Deus omnium ſæculorum. Et hoc eſt, quod G legitur 1. ad Cor. 15. Cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, tunc ſubjecta erunt ei omnia, propter eum, qui ſubjecit ei omnia.

Lux & claritas ſanctorũ.

Nominatur etiam iſta beatitudo lux, & claritas. Cauſa autem hujus nominationis manifeſta eſt, quia omnis ignorantia, omnis dubitatio, omnis error, omnis opinio, tunc ceſſabit, eritque viſio omnium electis, quæ videre eos decebit, & delectabit, de hoc Apoſtolus in 4. primæ ad Cor. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc facie ad faciem, & iterùm: Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum, de hoc Joan. 4. Scimus quoniàm cùm apparebit ſimiles ei erimus, quoniàm videbimus eum ſicuti eſt. Hæc autem in ſequentibus declarabimus, quoniàm declaratione, & probationibus indigent.

Gaudium & torrens voluptatis ſanctorũ.

Nominatur gaudium, & torrens voluptatis, gaudium Matth. 25. Intra in gaudium domini tui, torrens verò voluptatis in pſ. Torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Gloria ſanctorum

Nominatur, & gloria, quoniàm eſt exaltatio ultima animarũ ſãctarũ ultra quam nõ eſt eis exaltatio, de hoc 1. Regum 2. Ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat: ſimiliter & in pſal. Gratiam & gloriam dabit dominus.

Cœna magna.

Nominatur cœna magna. Lucæ 14. Homo quidam fecit cœnam magnam & ejuſdem 22. Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater regnum, ut edatis, & bibatis ſupra menſam meam in regno meo, propter hoc dicit pſal. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Tu autem debes ſcire, quòd à partibus ſuis nominatur ſic iſta fœlicitas, & beatitudo, beatitudo verò, & fœlicitas, & gloria nominatur ea totaliter, maximè ſecundùm eam intentionem gloriæ, quam hîc poſuimus. Incipientes igitur ab ipſa gloria incedemus per vias declarationum, & probationum prout conſuevimus.

Perfectio in perfectibili quid

Dicimus ergo in primis, quia perfectio in unoquoque perfectibili non eſt niſi actus potentiæ, ſeu potentialitatis ejus ultimus, & ſupremus, alioquin E non erit perfectio ſimpliciter, ſed fortè ad aliquid. Atteſtatur autem huic diffinitioni Ariſtot. in libro Ethicorum, ubi dicit quòd fœlicitas eſt actus intranſmutabilis, ſive autem atteſtetur nobis, ſive non, nihilominùs declaramus quod intendimus. Cùm enim omnis potentialitas actum habeat, & omnis exitus de potentialitate in actum habeat ultimum, & finem, ultra quem nihil intendit natura perfectibilis, ex neceſſitate erit aliquis actus ultimus animæ humanæ, ultra quem nihil intendet, vel expectabit, vel quæret naturaliter ejus natura, unicuique autem in ſuo ultimo, & ſuo fine eſt quies. Ampliùs. Aut anima humana eſt poſſibilis venire ad hunc actum, ſeu perfectionem naturaliter, aut eſt ex naturali impoſſibilitate prohibita ab eadem.

Acutè diſputat.

Quòd ſi eſt poſſibilis, ut veniat in eam, ex neceſſitate veniet in eam in omnibus individuis ſuæ ſpeciei, aut ſaltem in par-F te. Si enim nec in parte individuorum ventura eſſet ad hanc perfectionem fruſtra, & otioſè creata eſſet in iſta potentia; potentia enim quæ non exit in actum, propter quem eſt, fruſtra eſt.

Potentia non eſt niſi propter actum.

Cùm enim non ſit niſi propter actum, & actus ſit utilitas tota ipſius, cùm ceſſet iſta utilitas, manifeſtum eſt eam inutiliter eſſe creatam, hoc autem manifeſtum impoſſibile eſt. Ampliùs. Ut aliqua ſpecies univerſaliter, & perpetuò remaneat in potentialitate, ſua impoſſibile eſt, quia & otioſa eſſet in ea hujuſmodi potentia & ipſi creatori ejuſdem contumelioſa, omni enim artifici, vel opifici, qui poſſit, & ſciat ad perfectionem deducere opus ſuum, ignominioſa eſt perpetua imperfectio illius; ad quid enim creaſſet hujuſmodi ſpeciẽ, niſi ad imperfectionem, & defectum? Ampliùs. Erraſſe potiùs videtur, & fuiſſe deceptus, cùm creaſſet propter finem, quem non aſſequeretur; ſi autẽ creaſ-G ſet, & non propter finem, inſipienter creaſſet illam; neceſſariò igitur hujuſmodi ſpecies vel in totalitate individuorum ſuorum, vel in parte educeretur de hujuſmodi potentia ad hujuſmodi actum, vel finem.

Nobilior eſt operatio animæ abſtractæ à corpore.

Ampliùs. Declaravimus jam in tractatu ſingulari, quòd nobilior operatio animæ, & actus præſtantior, & omninò perfectio ejus ſublimior eſt ei non in corpore, nec per corpus, ſed potiùs abſtractæ à corpore, per raptum, vel ſeparatæ omninò ab eodem per mortem, quare conſequens eſt ex neceſſitate, ut ejus perfectio cõpleta ſit ei ſeorſùm à corpore. Corpus enim propter infirmitatem, & fragilitatem ſuam non poteſt ſuſtinere hujuſmodi perfectionem, ſicut legitur Exodi. 33 Non videbit me homo, & vivet, His ergo ita poſitis, videlicet quòd neceſſe eſt hanc ſpeciem animarum, ſcilicet animam humanam, venire per modum, quem diximus ad ſuam perfectionem ultimam: incipiemus declarare perfectionem iſtam per ſingulas vires, quibus congruit, & quæ natæ ſunt habere illam.

Beatitudo virtutis intellectivæ.

Dicamus igitur, quoniàm cùm vis intellectiva animæ humanæ ſpeculum ſit H potentialiter omnium intelligibilium, ex neceſſitate perfectio ejus ultima erit, ut hæc ſit in effectu completo, quod eſt, ut ſit ſpeculum omnium intelligibilium. Speculum inquam evidentiſſimæ expreſſionis, & clariſſimæ apparitionis, hoc autem eſt, ut in eo reluceant expreſſiſſima reſultatione omnia intelligibilia, quare erit ſpeculum univerſi, & exemplum cujus exemplar eſt tota ſeries ſæculorum, & propter hoc erit mundus intelligibilis, ſive ſæculum intelligibile, & imago perfecta ſpeculi, quod eſt ſpeculum univerſalis ſpeculationis, ſicut & verbum univerſalis dictionis, quo Deus pater dixit ſeipſum, & omnia in eo, & per ipſum, quæ dictio non fuit niſi generatio verbi illius. Nihil enim aliud eſt dictio ubicunque ſit, ſive dicatur, niſi generatio verbi. Intellexit autem hoc Joannes Evangeliſta, & expreſſit in tertio primæ Canonicæ ſuæ dicens. Filij

Digitized by Google

Dei ſumus, ſed nondùm apparuit quid erimus, cùm autem apparuerit ſimiles ei erimus, quoniàm videbimus eum ſicuti eſt. Jam autem declaratum eſt in libro de ſenſu, & ſenſato, & in aliis libris, de hoc, quod viſio non eſt, niſi aſſimilatio videntis, ſecundùm quòd videns, & viſi, verbi gratiâ: Quia ſecundùm oculum eſt videns, quicquid eſt videns, viſio omnis eſt aſſimilatio oculi, & rei viſæ; ut verbi gratiâ: Si ſit viſio albi, erit aſſimilatio albi, & oculi, & albatio oculi; ſic viſio lucidi illuminatio oculi, & ad hunc modum ſe habet etiam de aliis ſenſibus, immò generaliter de omnibus apprehenſionibus. Quare viſio, quâ videbimus Deum, quem utique in gloria deitatis non videbimus, niſi oculo intellectus, erit aſſimilatio noſtri intellectus ad ipſum, licet pro captu modico ſuo, & anguſtia receptibilitatis ſuæ. Quia ergo ipſe in ſeipſo, & per ſeipſum exemplar eſt, cujus exemplum eſt univerſum, licet incomparabilis diſtantiæ, ac ſimilitudinis ad illum, erit ex neceſſitate noſter intellectus tunc exemplum, in quo relucebit ſimilitudo exemplaris illius, prout quidem & naturalis capacitas, & meritorum dignitas ipſum adjuverit. Ampliùs. Nemo dubitet hanc eſſe nativam ſpeculorum, ut cùm ſibi invicem è directo ſint oppoſita, & impedimentum interpoſitum non fuerit, nec in altero eorum craſſitudo, vel rubigo, aut ſuperficiei inæqualitas, ſed magis terſa, raſa, ac polita ſuperficies ipſius fuerit, quicquid de formis viſibilibus in reliquo apparuerit, totum in altero, ſi æqualis terſionis, atque politionis fuerit, reſultabit, & generaliter pro modo aptitudinis receptibilitatis ſuæ formas apparentes in oppoſito ſpeculo recipiet, & repræſentabit intuentibus. Quantò fortius ergo ſpeculum noſtri intellectus illi ſpeculo univerſalis, ac lucidiſſimæ apparitionis convenientiſſima illa coaptatione applicatum, recipiet ab ipſo, ut ſit ſpeculum in effectu ſimillimum illi pro modicitate ſuæ receptibilitatis, & dignitate meritorum, ac magnificentiæ divinæ largitatis? præſertim cùm nec creatum, nec reformatum ſit, niſi ad hoc, & propter hoc: teſtificatur autem & illud Apoſtolus in 3. primæ ad Corinth. ubi dicit. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Facies enim noſtri intellectus ad faciem dicti ſpeculi, quod & Dei facies eſt, & Dei vultus, ſicut dicimus, applicata, atque coaptata, faciem illam repræſentabit expreſſa ſimilitudine, ſimiliter & in ſequentibus: Cognoſcam autem, ſicut & cognitus ſum. Quid eſt hoc dicere? niſi quemadmodùm Deus verbum in ſeipſo videt hæc omnia, tanquàm in ſpeculo expreſſiſſimæ, ac lucidiſſimæ repræſentationis, ſic & ego quantùm ad vim intellectivam factus ſpeculum perfectæ (ſicut diximus) aſſimilationis ad ipſum, cognoſcam in meipſo, quæcunque in me ipſo, quæcunque in hujuſmodi ſpeculo, per irradiationē primi ſpeculi reſultabunt. Tunc igitur vis noſtra intellectiva æterno, & cœleſti ſponſo ſuo beatiſſimis amplèxibus copulata, non tam concipiet, quàm etiam pariet filium, & verbum ad imaginem, & ſimilitudinem primogeniti filij, & verbi. Hujuſmodi enim reſultatio in vi intellectiva noſtra verbum erit ſpirituale, exemplum pulcherrimum, ac perfectiſſimum primi verbi, quo ſpirituali dictione dicet omnia dicibilia ſibi tunc dictione lucidiſſima, ac perfecta: quemadmodùm Deus pater primogenito verbo ſuo dixit omnia, ſed hoc tantò ſupereminentiori ſuper omnia dictione, quantò ejus veritas umbræ tenuiſſimæ ſuæ & veſtigio permodico antecellit. Intelligere quippe, & cogitare, ſive videre ſpiritualiter dicere eſt, ſed dictione ſpirituali. Si quis autem quærat, utrùm &

Viſio quid. — *Nota.* — *Speculum humani intellectus.* — *Nota.* — *Attende.* — *Quæſtio.*

omnia, & ſingula, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt; viſuræ ſint animæ noſtræ in illa gloria intellectus, ſeu virtutis intellectivæ noſtræ? Reſpondemus, quia quicquid decebit, & delectabit eas videre, viſuræ ſunt tunc, quod autem nec deceret eas videre, nec delectaret, non ſunt viſuræ, nec viſio talium pertinere videtur ad gloriam intellectus. Nos autem in tractatu de ſubſtantiis abſtractis perſcrutatiùs de hoc inquirere proponimus & determinare. Quòd ſi quis quærat, utrùm hîc idem modus ſit videndi Deum, an per hanc imaginationem, ſeu ſimilitudinem ſuam ſolummodò videndus ſit ab animabus humanis, an per ipſam præſentiam ſuam, & veritatem, quæ indubitanter præſentiſſimam ſe exhibebit tunc eiſdem. Reverà quæſtio ad propoſitum pertinet, cùm potiſſimùm totius gloriæ virtutis noſtræ intellectivæ viſio ipſa Dei ſit, propter quod, & dicit Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana. Quia nobis promittitur aſpectus ſummæ pulchritudinis; & alibi, quia viſio Dei eſt tota merces, quæ ſanctis promittitur. Videtur autem quòd ubi præſentiſſima eſt divina eſſentia, ſeu veritas, non eſſet neceſſaria umbra, vel imago, nec medium aliud. Quemadmodùm unaquæque animarum noſtrarum gaudium ſuum, triſtitiam ſuam, ſcientiam ſuam, vel ignorantiam per ſeipſas, hoc eſt præſentia ipſa, & veritate ipſarum, abſque ullo medio imaginis, vel alterius deſignationis cognoſcit, & propter hoc dicit Auguſtinus in libro de Trinitate: Quia quædam ſunt, quæ mens humana nullo modo ignorare poteſt. Ampliùs. Si imago eſſet neceſſaria, eſſent duæ formæ ejuſdem ſpeciei in eodem ſubjecto, quemadmodùm ſi albedo, & ejus ſimilitudo dicerentur in eodem eſſe ſubjecto. Similitudo enim gaudij, vel triſtitiæ, non videtur poſſe eſſe, niſi aliud gaudium, vel alia triſtitia. Præterea ipſa imago ſimiliter non cognoſceretur, niſi per imaginem, & ſimilitudinem, & ita in infinitum; videtur ergo ipſa divinæ veritatis præſentia ſufficere ad oſtenſionem ſuiipſius lucidiſſimam, quare ſuperfluè ponitur imago, vel ſimilitudo ipſius propter viſionem, & oſtenſionem ejuſdem. In hoc autem dicimus, quòd licet divina eſſentia eſſentialiter præſentiſſima ſit animabus noſtris, ac proxima, ſua tamen ſupereminentia, & incomprehenſibilitate remotiſſima eſt, ac diſtantiſſima ab illis, vel quod congruentius eſt, illæ ab ipſo, ſicut dicit Aug. Quia lux cæcis proxima eſt, ipſi verò ab eâ remotiſſimi, propter hoc dicit Auguſt. ad ipſum in libro Confeſſionum: O præſentiſſime, ô ſecretiſſime, præſentiſſime quippe dixit quantùm ad ipſum, quòd proculdubiò omnium ſpiritualibus oculis lucidiſſimum, ac præſentiſſimum ſe exhibet, & ingerit: Secretiſſimæ verò dixit quantùm ad nos, qui vel oculos cordium noſtrorum ad ipſum intuendum non erigimus, nec aperimus, plerunque autem & avertimus, & vel naturali infirmitate, ac debilitate intellectus, aut adventitia etiam obtenebratione, ab ejus viſione, vel cognitione, impedimur. Igitur & proximus eſt mentibus noſtris eſſentialiter, & remotiſſimus quantùm ad illam conjunctionem, ſive approximationem, quâ euſque mentibus noſtris approximat, ut eas & lumine ſuo illuſtret, & aliis bonitatis ſuæ redundantiis repleat, quod utique magis fit ex ingreſſu mentium noſtrarum in ipſum, quàm econtra, quamquàm iſti duo ingreſſus ſubjecto, & eſſentia idem ſunt, licet ratione diverſi. Hujuſmodi autem ſimilitudo, & exemplum congruum eſt Sol viſibilis, & ignis in rubo quondàm ardens, & non conſumens: ut legitur Exo. 30. Si enim Sol haberet in poteſtate ſua retinere radios lucis ſuæ cùm vellet, & diffundere ſimiliter cùm vellet, tunc indubitan-

Reſponſio. — *Quæſtio.* — *Viſio Dei.* — *Viſio Dei tota merces.* — *Deus præſentiſſimus ac ſecretiſſimus quomodò.* — *Similitudo à Sole viſibili.*

Digitized by Google

ter quantumcunque propè eſſet nobis, non videremus eum, ſi lucis ſuæ radios retineret; quare non ſola illa eſſentialis propinquitas facit eum nobis viſibilem, ſed voluntaria ejus illuxio. Sic ſe habet & de igne in rubo, qui ardorem ſuum, ne rubus exureretur, vel arderet, continuit virtute, & voluntate divina, quamquàm eidem præſentiſſimus eſſet eſſentialiter; quantò fortiùs ergo in nobis in via illa divina eſſentia beneplacito liberrimæ voluntatis ſuæ radios noſtræ illuminationis retinet, & infundit mentibus noſtris? Non ergo ſola veritatis ſuæ præſentia illam cognoſcimus, ſed ſuâ irradiatione ſuper animas noſtras, quia nec ſola præſentia hujuſmodi, vel ſe nobis infundit, vel nos in ſe rapit. Et generaliter eodem modo ſe habet de omni re, quæ extra animas noſtras eſt, & intelligimus extra animas noſtras id eſſe quod non eſt ipſa eſſentia animæ, nec pars, nec diſpoſitio, ſive accidens illius. Omne enim, quod ſic extra animas noſtras eſt, non apprehẽditur ab animabus noſtris, niſi per impreſſionem ſimilitudinis ſuæ, hinc eſt, quòd ea quæ in corporibus noſtris ſunt, videlicet oſſa, inteſtina, nervi, naturaliter ignoramus, quantumcunque proxima ſint nobis eſſentialiter, & animabus noſtris, quoniàm prædicto modo extra animas ſunt.

Extra animas quid eſſe dicatur, & quomodo.

Nota.

Hæc autem omnia induximus, ut videas, quoniàm non præſentia eſſentialis, aut propinquitas perficit cognitionem, ſed impreſſio ſimilitudinis, aut ſigillatio animarum noſtrarum, quoniàm ſi aliquis eſſet in igne ex omni parte, & etiam plenus igne, niſi in corpore ſuo, vel organo tactus ſimilitudinem ignis reciperet, licet intùs, & extra præſentiſſimum ipſum haberet, illum cum ſenſu non cognoſceret: manifeſtum igitur eſt, quia præſentia localis per ſe apprehenſionem non perficit, ſed per impreſſionem ſimilitudinis, quæ eſt aſſimilatio, ſeu ſigillatio animarum noſtrarum; præſentia autem Dei, de quâ loquimur hìc quaſi localis eſt; hoc ipſum etiam ſonat nomen apprehenſionis, vel rem enim, vel aliquid deprehendere, apprehendere eſt. Exemplum evidentiſſimum eſt de hac re in corpore ſacratiſſimo Domini Redemptoris, quod cùm tantæ claritatis tantique fulgoris ſit, & de præſentia ejus in altari fides pia nullatenùs dubitet, tamen ibi non videtur, eo quòd fulgoris hujus radios ſic retinet, ut nihil ſuæ luminoſitatis corporalibus oculis noſtris infundat, licet & cùm vult, & quibus vult ſe intendendum, & videndum exhibeat, & tunc aliquid ingerit oculis, & imprimit, quod priùs non imprimebat; ſi quis autem dicat, quia juxta hoc quod dicimus, non Deus ipſe videbitur ab anima humana in patria, ſed imago ejus, quam diximus, licet Ariſt. ad hoc reſpondiſſe videatur in libro ſuo de anima, ubi dicit: Quòd imago Leonis picta duobus modis conſiderari poteſt, videlicet, ut imago Leonis, & ut res, & cùm conſideratur, ut imago, non in eâ proculdubiò ſiſtit intuentis conſideratio, ſed magis per eam in Leonem extenditur; conſideratur autem ut res, quandò color ejus, ut lineatio, atque figuratio attenditur, & an Leoni ſit ſimilis cogitatur: nos autem planiùs reſpondebimus ad hoc & dicemus, quia impreſſio quæ fit in oculo à re viſa non videtur, ſed magis res à quâ impreſſa eſt, & ad hunc modum ſe habere de formis, & impreſſionibus imaginabilibus & intelligibilibus, quia non ipſæ imaginantur, aut intelliguntur, ſed magis res, quarum ſigillationes, & ſimilitudines ſunt, niſi fortè quis de eis conſiderationem per ſe fecerit, quemadmodùm, & nos ſic loquentes facimus: ſic ergo aſpiciens in rem aliquam non id, quod habet in oculo, ſed rem illam videt per illud, ſic ſemetipſam intuens mens humana in gloria illa, non

Nota.

E ſemetipſam propriè videt, ſed Deum cujus imago & ſimilitudo tunc eſt, & repræſentatio pro modo, qui ei congruit, perfecta. Eodem modo etiam dicimus de rebus aliis, quia ſemetipſam intuens illas videt, niſi fortè reflexionem cogitatus ſui, vel intuitus ſuper ſemetipſam fecerit, videlicet ut cogitet ad quantam perfectionem devenerit in parte iſta, ſcilicet ut cogitet, & miretur ad Dei laudem, & gloriam de tantâ pulchritudine ſuâ, & perfectione, quâ non ſolùm pulchritudinem univerſi induit, & omnium ſæculorum, immò etiam Dei pulchritudinem, quemadmodùm cera ſigilli ſeu ſignaculi decorem, & iterùm ignitum ignis ardorem pariter, & ſplendorem, & ſpeculum politiſſimum, atque mundiſſimum pulchritudinem inſpectoris Dei, verum ut tale ſpeculum, & talis inſpectoris Dei, & eidem taliter applicatum, hoc eſt nullo modorum inquinabile, à reſpione ſua nullo modo ſeparabile, ab illâ beatiſſimâ conjunctione ſuâ, atque applicatione ad Deum inſpectorem nullo modo elongabile per interpoſitum ab eodem. Hunc ergo locum habent in

Similitudo.

F mente humanâ ſic glorificata duæ illæ conſiderationes, quas Ariſtoteles propoſuit de imaginatione Leonis. Prima quidem conſideratio, quâ ſeipſam videt, & res, quia hæc viſio eſt merces, & gloria virtutis ejuſdem intellectivæ, hæc enim eſt ei viſio omnium chariſſima, ac perfecta. Secunda, quâ intuetur hanc gloriam ſuam, ac ejuſdem gloriæ datorem Deum, ut totam in ejus collaudationes, gratiarum actiones, & benedictiones, jubilationeſque incogitabilis exultationis, ſe conferat, & hoc eſt quod legitur Iſaiæ 55. Simul laudabunt, qui oculo ad oculum videbunt, & Job 38. Cùm me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei: & in Pſal. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Non negamus autem utrunque intuitum ſimul ibi poſſe fieri, ubi potentialitas plenè evacuata erit, & ſolus ibi regnabit actus atque perfectio. Omnis enim difficultas, & omne impedimentum ex malo paſſibili-

Nota.

G taſ eſt, & ſub hoc malo ingemiſcit omnis creatura, & parturit uſque adhuc, & ipſi etiam primitias ſpiritus habentes ſuſpirantes ad evaſionis libertatem, & in eandem cogitantes, ſicut legitur in 8. ad Romanos. Si quis autem quærat, utrùm viſio hujuſmodi jocunda ſit, aut delectabilis; reſpondemus, quia ſit ultra omnem æſtimationem, & admirationem noſtram. Cùm enim conjunctio convenientis cum conveniente conveniens ſit delectatio diffinitivè, ut viſum eſt Philoſophis, nihil autem conveniens adeò ſit noſtro intellectui, quàm lux illa prima, atque puriſſima, hujuſmodique conjunctio ejus ad illam conveniens ſit in ultimitate convenientiæ, manifeſtum eſt viſionem hujuſmodi delectabilem eſſe in fine delectationis. Eodem modo & per aliam diffinitionem hoc ipſum declarari facile

Quæſtio.

H eſt. Delitiæ quippe, vel delectatio perceptio eſt rei naturalis virtuti apprehendenti, juxta aliam rationem, vel diffinitionem. Adeò autem naturalis eſt, ut ita loquamur, Deus virtuti noſtræ intellectivæ, ut propter ejus perceptionem ſolùm, creatus homo ſit, & reparatus; quare manifeſtum eſt, quia ejus perceptio eidem erit jocunda, ſive ſuavis in fine jocunditatis, & ſuavitatis. Ampliùs. Omnes delectationes æquales ſunt in ſuis apprehenſionibus, ſicut & virtutes ſuis effectus, cùm ibi nec difficultas, nec impedimentum locum habeat; ſicut ergo apprehenſio, ſeu viſio, de quâ loquimur, ibi eſt in fine perſpicuitatis, ac certitudinis; ſic & gaudium, quod ex illâ eſt, aut ſecundùm illam, erit in fine ſuavitatis. Ampliùs. Cùm totus ille ſtatus patriæ totus glorioſus ſit, gloria verò nihil habeat imperfectum,

Delectatio.

aut

Gloria nihil habet imperfectum. aut diminutũ, nihil incongruens perfectioni ſuæ, A manifeſtum eſt, omnes delectationes in ultimitate ſuavitatis ibi eſſe, alioquin nec eſſet ſtatus patriæ, nec gloriæ, nec illi congruerent, utpote diminutæ, & incompletæ. De hoc autem quod in ſcripturis Sanctorum legitur, quia fidei ſuccedet viſio, ſi fides ſtrictè accipiatur, videlicet, quæ eſt caput & fundamentum religionis, dicimus, quia viſio propriè rerum fundamentalium, hoc eſt ad fundamentum religionis pertinentium, ſuccedet illi. Hæ autem res ſunt in primo prædicandæ, & introducendæ ad religionem Chriſtianam, videlicet Deum eſſe, & ipſum eſſe remuneratorem ſperantium in ſe, eique obedientium, ac ſervientium, punitoremque econtrariò ſe habentium, & alia hujuſmodi quæ ſunt rudimenta introducendorum ad Chriſtianam religionem. *Nota.* Similiter dono intellectus ſuccedet clara viſio eorum, quæ ſignis, & figuris hîc velata ſunt, & generaliter omnium myſteriorum. Dono verò conſilij ſuccedet clara viſio utilitatum, & aliorum bonorum, quæ per illud electa ſunt, ſimiliter periculorum, & aliorum malorum, quæ per illud declinata ſunt. Eodem modo dono ſcientiæ clariſſima, ac certiſſima cognitio boni, & mali, differentiarum ſpecierum, atque ramorũ ipſorum. Juxta hunc modum virtuti prudentiæ, inquantùm lumen eſt, ſuccedet clara cognitio rerum illarum, quas ad prudentiam pertinere diximus, in capitulo de ipſa. Cùm autem dicitur quia viſio tota merces eſt, dicimus, quia viſio pro cognitione accipitur, ea intentione, & modo quo ipſa veritas dixit Joan 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant [illegible]e, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. *Cognitio.* Cognitio verò non tàm ſcientialis eſt, quàm etiam ſapientialis, & ſcientialis ad intellectum pertinet, cujus ſuum proprium cognoſcibile eſt lux intellectualis, ideſt veritas, ſive verum, ſicut declaravimus in tractatu de bono, & malo. Sapientialis verò ad vires motivas nobiles, ſive affectivas pertinet, quarum proprium ſuum cognoſcibile, eſt bonitas, ſive bonum ſecundùm partes ejus, & ramos, ſive ſpecies, & eſt ſapientialis cognitio nobilior, atque intimior, quàm ſcientialis, propter quod dicit Ariſt. in libro ſuo ethicorum. Quia virtus eſt omni arte certior, & melior, hujuſmodi autem exemplum eſt in omnibus guſtabilibus. *Similitudo ex vino.* Vinum enim ex ſplendore, colore, ſubſtantia, tanquàm ex quibuſdam radiis ſuæ lucis, & veritatis ſcientialiter cognoſcitur, ipſo verò ſapore ſuo, & odore ſapientialiter, & propter hoc intimiùs cognoſcitur, & hoc tantò, quantò odor, & ſapor intimiores ſunt ipſi vino, quàm color, & ſplendor, quàm ſubſtantiæ groſſities, atque ſubtilitas. Cùm ergo altiſſimus Deus non ſolùm ſit ipſâ veritate ſuâ luminoſiſſimus, ſed etiam bonitate ſuâ ſuaviſſimus, neceſſe eſt, ut animæ glorificatæ non tam cognoſcant eum ſcientialiter ex irradiatione luminoſiſſimæ veritatis ejus ſuper ipſas, quàm ſapientialiter ex torrente voluptatis, & ex inundatione bonitatis ejus ſuper eaſdem. Ampliùs. Si hoc non eſſet, cùm hujuſmodi cognitio, videlicet ſcientialis, tota ſit virtutis intellectivæ noſtræ, & in ipſa ſola ſola illa propriè glorificaretur, cùm tota gloria animarum ſecundùm hoc in illa, & ſecundùm illam ſolã eſſet. Ampliùs. Cùm non in illa, neque ſecundùm illam ſolam ſit meritum animarum, ergo non in illa ſola, nec ſecundùm illam ſolam, præmium erit earumdem. *De plenitudine ejus omnes hauſimus.* Non erit ergo totum & ſolum præmium cognitio hujuſmodi, ſeu viſio. Ampliùs. Ex textu Joan. 1. Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus, gratiam pro gratiâ. Ubicunque ergo invenerit gratiam viæ ibi & dabit gratiam patriæ, ſeu gloriæ. Ad idem facit illud, quod legitur Zac. 4.

A Exæquabit gratiam gratiæ ejus. Qualiter exæquabit gratiam gratiæ, ſi non unicuique gratiæ viæ reddat gratiam gloriæ, de quâ legitur ad Rom. 6. Gratia autem Dei vita æterna. Ad idem facit illud Pſal. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ampliùs. 25. Matihæi & 19. Lucæ dicitur. Habenti dabitur, & ibi dicit Auguſtinus. Superhabenti meritum ſuperdabitur præmium. Cùm enim unaquæque triũ virium ſit habens meritum, dabitur ex neceſſitate unicuique congruens, ac proprium præmium. Ampliùs. Cùm charitatem tantis laudibus extollat Apoſtolus in 13. primæ ad Cor. ut ſine ea ſe nihil eſſe, ſine ea nullam aliarum quicquam prodeſſe planè aſſerat, *Nota.* qualiter remunerabitur, ſi tota merces fidei redditur, quod utique indubitanter fit, ſi viſio illa, ideſt cognitio ſcientialis, quam ſupra diximus, tota merces Sanctorum eſt; ſed & illud, quod dicit B Greg. Quia nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi de radice proceſſerit charitatis, evidenter deſtruit errorẽ iſtum. Quid enim eſt viriditas boni operis, niſi illud unde & à Deo acceptum eſt, & remunerabile, ſive meritorium? Manifeſtum eſt igitur, quia ex charitate remunerabile eſt, ſive meritorium omne opus, quare potiſſimùm remuneranda eſt charitas, cùm radix merendi ipſa ſit. Ampliùs. Proſper in libro de vitâ contemplativâ, vita virtutum omnium eſt charitas. Ampliùs autem. *Charitatis remuneratio.* Qualiter dicetur illud Eccleſiaſtici 1. Quia timor Domini delectabit cor. Et iterum: Timor Domini gloria & gloriatio, gaudium, & lætitia, & corona exultationis, ſi eſſentialiter dicuntur illa, quia hoc eſt timor Dei, videlicet gaudium, & lætitia, cùm multò fortiùs hæc omnia erunt in futuro, cùm de bonis ſuis timori Domini futura perfectio nihil ſubtrahat, quin potiùs augmentum eis incomparabile ſuperaddit; ſi verò refertur hoc ad futurum ſub hoc C intellectu, quia timor Domini in patria eſt hæc, habemus ergo propoſitum, quia timor Domini erit gloria, & gloriatio, &c. quæ omnia præmia indubitanter gloriæ ſunt. *Nota.* Quòd ſi cauſaliter intelliguntur illa ſub hoc intellectu, ſcilicet quia timor Domini eſt cauſa gloriæ, & gloriationis, & cæterorum, cùm aliter cauſa dici non poſſit illorum timor, niſi quemadmodùm meritum cauſa dicitur præmij, & timor etiam, habemus propoſitum quoniàm ſecundùm hoc timor erit cauſa, & meritum prænominatorum præmiorum, quare nec ſola fides remunerabitur, nec ſola ejus viſio ſcientialis, quam diximus cognitionem, merces ejus, nec ſola viſio intellectualis gloria erit animarum noſtrarum, &c. Addemus etiam his alias declarationes in ſequentibns. Veruntamen ſcire debes, qnia de viſio D ne Dei duplex erit gaudium, immò triplex. Primum enim gaudium erit, de quo prolocuti ſumus, quod erit, ſcilicet de ipſa illuſtratione, ac perfectione *De viſione Dei triplex gaudium.* virtutis noſtræ intellectivæ. Secundum erit de ipſa pulchritudine ſponſi, in qua tantò erit delectatio major, quàm in aſpectu cujuſcunque alterius pulchritudinis, quantò pulchritudo ſponſi illius incomparabili ſupereminentiâ omnibus aliis antecellit, & ipſa anima amore vehementiori, & amplexibus arctioribus adhærebit, de hoc legitur Iſaiæ 33. Regem in decore ſuo videbunt. Tunc amovebit pallas, & peplum deſuper faciem ſuam, ut ſponſis, ideſt animabus humanis intuendam illam ad plenam illuminationem, de quâ ſuperius locuti ſumus, & ad beatiſſimæ fruitionis delitias intuendam illam amatoribus ſuis exhibeat, juxta quod legitur Sapientiæ 8 Amator factus ſum formæ illius. *Nota.* Tertium gaudium eſt de viſione gloriæ ipſius: ibi enim manifeſtè apparebit ipſum eſſe regem, & dominum omnium ſæculorum. Ibi videbuntur omnia ſubjecta

ſub pedibus ejus, & ut apud nos fieri conſuevit, ibi portabit coronam, ideſt oſtendet evidens inſigne regni univerſalis, & dominationis omnium ſæculorum, ſicut legitur in ultimo ad Rom. Quem oſtendet beatus, ac ſolus potens, &c. legetur autem tunc in veſtimento ejus & femore, quod in eiſdem ſcriptum dicitur Apocal. 19. Veſtimentum autem illud ſupereminentiſſima ejus claritas eſt, quâ omnia illuminat, quæcunque lucent, ſicut dicit Auguſtinus in libro Soliloquiorum dicens: O lux, per quam lucent, quæcunque lucent. In Pſal. verò dicitur: Amictus lumine ſicut veſtimento hæc eſt ſupereminentia, quæ oſtendet illum evidentiſſimè regem eſſe regum, & dominum dominantium, & in ea legetur hoc ab omnibus intuentibus evidentiſſimè, & quaſi prima litera, ſeu verbum de hoc ſcriptum in ea erit primitas ejus quia ante eam non eſt alia, nec eſſe poteſt Secunda litera, ſive verbũ, de eodem eſt ultimitas ipſius, quâ ſuper eam, ideſt major eâ nec eſt, nec eſſe poteſt alia. Tertia litera, vel verbũ, de eodẽ eſt larga influẽtia ipſius, per quã eſt illuminans quæcunque lucent omnia, & in cœleſti paradiſo diẽ faciens pleni luminis, & ardoris, quam nec nox interpellat, nec nubes, nec nubilũ, nec nebula ullo modorum obſcurat Quarta litera, ſeu verbum, de hoc eſt ſuavitas vivifica ipſius, propter quod dicitur Joan. 1 Vita erat lux hominum; & Auguſtinus ad ipſum: O purgatarum mentium ſuaviſſima lux, his quatuor ſupereminentiis legitur in lumine amictus ejus, ideſt evidenter apparebit, & cognoſcetur eſſe rex regum, & dominus dominantiũ. Femur verò unde & fœcunditas dicitur, & fœtus, generatio eſt, qua ex patre natus eſt, ſive germanitas, quam habet ad patrem, quæ tunc luc idiſſimè clarebit omnibus; cognoſcetur ergo certiſſimè, ac evidentiſſimè eſſe Dei filius, & ideo hæres univerſorum, ſicut legitur ad Hebræos primo: Quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit, & ſæcula Quia enim ex femore fœcunditas, ſive generatio, ideò ſic expoſuimus femur. Veſtimentum etiam ipſius Eccleſia intelligitur, in quâ tunc legibiliter, & apertiſſimè ſcriptum erit, ipſum eſſe regem regum, & dominum dominantium, & hoc tam in ore, quàm in corde ipſius: In ore quidem jugiũ, & continuatum laudum cum clamationibus: In corde verò clariſſima notitia, quâ hoc ipſa Eccleſia lucidiſſimè agnoſcet. Veſtimentũ etiam Chriſti dicitur caro ejus, in quâ hoc ipſum ſcriptum erit quatuor dotibus gloriæ corporis ipſius, quaſi quatuor literis, aut verbis. Tanta quippe erit claritas corporis ipſius tanta ſubtilitas, tanta agilitas, tanta impaſſibilitas, ut in eis, & per eas cognoſcatur eſſe rex regum, & dominus dominantium, ſimiliter & in femore ejus, ideſt in fœcunditate, vel generatione quâ ſecundùm hominẽ de Spiritu ſancto conceptus eſt, ac genitus, hoc ipſum legitur apertè. Tanta quippe ſupereminentia chariſmatum omnium ipſâ horâ immaculatæ conceptionis ipſius, ac ſacratiſſimæ generationis repletus eſt, & fuiſſe repletus apparebit, ut non ſolùm ſanctus ſanctorum inter homines, ſed etiam rex regum, & dominus dominantium appareat evidenter. Et illâ etiam horâ non tam parvulus ſecundùm carnem, quàm etiam vir ſecundùm ſpiritum in ultimitate virilis perfectionis fuiſſe à nullo viventium dubitatur faciente hoc ſacratiſſimâ illâ generatione, ſive conceptione de Spiritu ſancto, in qua ſpiritum accepit non ad menſuram, ſicut legitur Joannis 3 Virum autem illum fuiſſe ex horâ illâ Hieremias teſtatur dicens: Novum faciet Dominus ſuper terram; mulier circundabit virum gremio uteri ſui, propter quam generationem femur illi nominatum eſt. Et ne putes parvam

Auguſtini exclamatio.

Veſtimentum Dei in gloria.

Nota.

E eſſe pulchritudinem ipſius ſecundùm quod homo, audi Petrum Apoſtolũ in primo primæ Canonicæ ſuæ dicentem: In quem deſiderant Angeli proſpicere, ubi dicit Beda: Tanta eſt ejus hominis, quem pro nobis aſſumpſit, gloria poſterior, ut in eum gaudeant Angeli proſpicere Gloria verò poſterior in ipſo non poteſt intelligi, niſi gloria reſurrectionis, ſive ejus, ſive ejuſdem ſecundum hominem Nos autem de his pleniùs loquemur in tractatu de reſurrectione. Poſt hæc loquemur de gloria virtutis noſtræ concupiſcibilis. Hæc igitur erit ex diffinitione gloriæ ultima perfectio ejus, ſecundùm omnes virtutes ſuas, hoc eſt ultima perfectio eis in amore, ſecundùm omnes ſpecies amoris, & in gaudio ſecundùm omnes ſpecies gaudij congruentis eidem, & ita de aliis Charitas igitur patriæ, quæ 36. Iſaïæ, caminus in Hieruſalem dicitur, erit pars gloriæ ipſius, maximè per hoc, quia omnis virtus patriæ præmium erit, & gloria, ſicut ſupra oſtendimus, ſic &
F torrens voluptatis gloria erit ejuſdem, ſed & voluptates erunt ibi pares. Quantùm enim diligitur ibi Deus, tantùm erit, & gaudium ibi de gloria ipſius, quæ ibi, & tam apparebit & tam clara ut ſtatus ille requirit. Ibi omnis ramus, & pars charitatis habebit congruens ſibi gaudium, alioquin Deus injuſtus eſſet, cùm aliquam relinqueret irremuneratam. Remunerari autem impoſſibile eſt aliquam virtutem, niſi præmio ſibi congruenti: erit primum ibi gaudium de ipſa gloria cõditoris, in qua videbitur: ſecundum erit de glorificatione fratrum, ideſt proximorum, quod tot habebit partes, quot erunt Angeli ibi, & homines, cujus menſuram ſi imaginari volueris, imaginare menſuram dilectionis, quæ ibi erit in ſingulos, & invenies illam majorem eſſe,
G quàm omnes amores mundanos, ſive ſæculares, ſi omnes conflarentur in unum. Quia igitur pro magnitudine amoris, atque magnitudine boni, erit ibi unicuique magnitudo gaudij, erunt de neceſſitate ibi unicuique electorum innumerabilia gaudia, quorum unumquodque majus erit omnibus gaudiis mundanis, ſive carnalibus ſimul in unum aggregatis. Et propter hoc ex parte iſta innumerabilium electorum gloriæ innumerabilium gaudiorum fercula apponentur ad refectionẽ, & ſatietatẽ uniuſcujuſque illorum. Habet autem quæſtionem de gaudio, quod eſt de gloria Dei, & gaudio iſto, quod eſt de glorificatione proximorum, utrùm æqualia ſint, & videtur quòd non. Quantò enim magis diligitur Deus, quàm proximus tantò majus eſt gaudium de gloria ejus quàm de gloria proximorum quare in infinitum majus. Econtrariò autem cùm gloria proximorum gloria Dei ſit, nec propter aliud diligẽda, nec aliud in proximo diligatur, quàm Deus (ut dicit Auguſtinus) vel idem videtur eſſe
H gaudium, vel æquale utrique. Reſpondemus autem in hoc, quia gloria Dei dicitur ſecundùm duas intentiones. Secundùm unam nihil aliud eſt gloria Dei, quàm ſupereminentiſſima ipſius magnificentia, ſive nobilitas, & hæc eſt gloria Dei in ſe, ſive apud ſe, propter quam debetur ei laus, & glorificentia, & gloria, ac cultus omnis Secundùm aliam verò intentionem gloria ejus dicitur qua glorificatur, hoc eſt honoratur, prædicatur, laudatur, colitur ab electis, vel quibuſcunque aliis, propter quod dicit Auguſt. ſuper illud verbum 11. ad Rom. Quoniàm ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria, &c. Quid eſt inquit ipſi gloria, niſi ipſi ſublimis, clara, & lata fama? & juxta hunc modum uſualiter vocatur inanis gloria, vel falſa, cui non ſubeſt veritas meritorum; Dei ergo gloria omne, quod ad honorificentiam ejus pertinet ſecundùm hanc intentionem intelligitur; ſic & Deum glorificare

Gloria virtutis concupiſcibilis.

Remuneratio apud Deum eſt juſta.

Quæſtio.

Reſponſio.

Gloria quomodo.

Digitized by Google

ficare dicitur quicunque quolibet prædictorum modorum honorificat ipſum, propter quod & ipſe de Moiſe conqueritur num. 20. Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filijs Iſraël, vocans idem ſanctificationem, & honorificationem, ſeu glorificationem, ſimiliter & Apoſtolus in duodecimo ad Romanos dicens. Qui cùm cognoviſſent Deum, non tanquàm Deum glorificaverunt, & honorificaverunt. Gaudium igitur de glorificatione ſanctorum uno modo gaudium eſt de gloria Dei, quam habet in ſeipſo, & hoc eſt, quoniam hìc non diligitur, nec de ea gaudetur, niſi propter illam Dilectionem verò dico, quæ dici debeat charitatis, utrobique igitur de eadem gaudetur per ſe, & propter ſe, ſicut utrobique eadem amatur per ſe, & propter ſe, & propter hoc fortaſſe idem eſt utriuſque gaudium, quemadmodùm delectatio in vino propter ſaporem, & delectatio in ſapore propter ſe, una delectatio tantùm ſunt, & unum gaudium, & non alia, vel aliud. Si ergo non eſt delectatio alicujus ſanctorum in gloria alterius, niſi propter Dei gloriã, non videtur alia delectatio, quàm in ipſa Dei gloria, quæ eſt ei apud ſe. Si quis autem gaudet de glorificatione fraterna ſuperna aliàs, vel aliter magis ad delectationem naturalem, vel alterius modi dilectionem pertinet, quàm ad charitatem Dei, & proximi, prout eam in primo tractatu, videlicet de virtutibus, & moribus diſtinximus, declaravimus, & ſeptem differentijs, ſive perfectionibus eandem perfectam eſſe dicimus. Quòd ſi quis dixerit, quia de fratrum, & Angelorum ſanctorum glorificatione erit ibi gaudium, & propter gloriã Dei, ſed eo gaudentes non oportebit, quòd actu extendant illud in Deum quemadmodùm & hìc multoties de bonis proximorum & cogitamus, & etiam gaudemus actu, nec cogitantes de Deo, nec propter illum gaudentes tunc in effectu, ſed habitu, vel potentia tantùm. Dicimus, quia hujuſmodi homo non ſatis cogitat, vel apprehendit ſtatum patriæ Ibi enim locũ non habet, ut oſtendimus malum potentiale, nec imperfectio aliqua, aut defectus. Tanta quippe eſt libertas & expeditio virium omnium, & etiam virtutum, ut nullus actus citra finem ſuum ſiſtat, nulla vis, vel virtus actum ſuum emittat in minus, quàm in finem. hìc autem, ideſt, in ſtatu viæ iſtius. adeò debiles ſunt vires, pariter & virtutes, ut actus ſuos uſque in finem emittere, vel extendere plerunque non prævalcant. Quapropter non videtur eſſe poſſibile, ut aliquis actus, qui in Deum extendi debebat, circa ipſam ſiſtat. Ampliùs. Si turpis amor euſque rapit & occupat hìc turpem amatorem, út omnes cogitationes, locutiones, & operationes, & affectiones, extendat neceſſariò in mulierem ſic amatam, qui utique amor quantuſcunque ſit, non eſt niſi ſcintilla permodica ad fornacem, & caminum charitatis, quę in patria eſt, & erit; quantò fortiùs fornax illa, & caminus charitatis in Deum rapiet amatores ſuos totaliter, adeò ut non propter aliud, immò non niſi propter ipſum, vel cogitare, vel loqui, vel aliud quicquam agere permittat, præſertim cùm expreſsè dicatur in libro Canticorum 8. Quia fortis ut mors dilectio, & dura ut infernus æmulatio. Sicut enim mors nihil homini ſui relinquit, immò totum rapit, & abſorbet, & totum aufert mortuum & ſibi, & alijs, & totum illum trahit ad ſe, totumque ſibi vendicat; ſic amor, cùm fortis, & vehemens fuerit, amatum totaliter ſibi rapit, & abrumpit. Et ſicut infernus in carcere, & in igne detinet illos, qui in eo ſunt; ſic æmulatio æmulatores detinet in anguſtia, & ardore, atque aſſiduo cruciatu. Quòd verò diximus, quia æmulatores omnes ibi pares ſunt intelligimus cùm in eodem, vel ex eodem fuerint, & hoc per ſe, atque

Vide.

Fornax charitatis.

A univocè. Meritò autem quæſtionem habet, cùm ibi charitas ſit in ultimitate perfectionis ſuæ, & hoc ſecundùm omnes differentias, & nominationes, quas eidem in primo tractatu de virtutibus, & moribus aſſignavimus, una autem ex nominationibus ejus ſit, qua vocatur communicatio Sancti Spiritus: Utrùm euſque perfecta ſit iſta communicatio ibi, ut ſic propriam charitatem excludat, vel ſaltem non minùs gaudeat ibi unuſquiſque de fratris gloria, quàm de propria, præſertim cùm dicat Apoſtolus in 14. primæ ad Corint. Quia charitas non quærit, quæ ſua ſunt, & alibi: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Ampliùs. Cùm in omnibus conventibus, ubi religioſè vivitur, ſi ex ea ſcintilla modica charitatis, quæ ibi eſt, euſque excluſa eſt proprietas, quid operabitur charitas in illo ſtatu, ſi vel veſtigium proprietatis ibi relinquitur? Ampliùs. Actuum 3 Multitudinis credentium erat cor unum, B & anima una, & nullus aliquid eorum, quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat, quantò fortiùs igitur ibi nihil ſuum, vel proprium aliquis, vel dicet, vel reputabit? Ampliùs. Si hæc poteſt dilectio naturalis, qua multi patres carnales filios diligunt, & multi homines fratres ſuos, ut non ſolùm plùs cupiant divitias filiis, aut fratribus, quàm ſibi, ſed & interdùm filiis, & fratribus eas cupiant, & non ſibi; quantò fortiùs caminus ille dilectionis hoc operabitur in electis, ut non ſibi quantùm fratribus fœlicitatem diligant, & de eorum fœlicitate quàm de ſua potiùs gaudeant? Ampliùs. Dicit Auguſtinus in libro de civitate Dei, quòd amor Dei fundamentum eſt civitatis Dei, ſive ſpiritualis Hieruſalem, amor verò ſui fundamentum eſt civitatis ſive diaboli ſive ſpiritualis Babylonis; quia igitur funditùs C deſtruenda eſt in electis Babylon iſta, manifeſtum eſt, quia non ſtabit fundamentum ibi hujuſmodi, totus ergo amor erit in Deum, & proximos, quare totum gaudium electorum erit de Deo, & illis, nulli igitur erit gaudium de ſe. Ampliùs. Dicit Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana: Quia nec ſeipſo quiſquam frui debet, nec etiam ipſo lumine, ſicut autem debet eſſe, vel fieri, ita erunt, & fient omnia in patria: Nullus igitur diligit ſe propter ſe in patria, quare nullus gaudebit de ſe, niſi propter Deum ibidem. Et ſimiliter neceſſe eſt ſe habere in aliis propter Deum, igitur ſolummodò, ideſt propter ejuſdem gloriam ſolam gaudebitur ibi ab unoquoque tam de ſe, quàm de aliis. Ubi ergo æqualis erit gloria Deo de ſe, & de alio, hoc eſt de gloria ſua, & gloria fratris, & ubi major erit gloria Deo de gloria fratris, quàm de propria, ibi ex neceſſitate magis gaudebit de illa quàm de propria. Si enim frater non diligitur, niſi propter utilitatem, aut honorem Regis, & alius eſt eidem Regi utilis, aut utilior, æquè honorificus, aut honorifi- D centior, ex neceſſitate æquè, vel ampliùs diligetur extraneus ex iſta cauſa. Ampliùs. Ibi erit rectitudo dilectionis in ultimo, ergo curvitas & deflexio, quæ ſunt contraria rectitudini, erunt in ultimo elongationis ab ea: Curvitas autem dilectionis eſt, quæ à diligente incipiens in eundem revertitur, non ergo erit ibi dilectio tanquàm de ſeipſo, aut gaudium. In his autem reſpondendum eſt, quia reverà dilectio naturalis, qua nos, & noſtra diligimus, erit ibi unicuique electorum; & hoc eſt quoniàm glorificatio naturæ naturam non deſtruit, nec minuit, nec aliquod eidem ingerit detrimẽtum, immò eam inaltat, illuſtrat, & perficit propter quod dilectio naturalis erit ibi, & in electis, & in ultimo ſuæ ſinceritatis, & perfectionis. Ex hac ergo dilectione erit unicuique electorum gaudium in ſemetipſum de gloria ſua, ac fœlicitate, dilectione verò gratuita, quæ uſu

Quæſtio.

Locus dialecticus à minori.

Amor Dei.

Amor ſui.

Nemo ſeipſo frui debet.

Amor ſui.

Dilectio naturalis.

ſcholaſtico charitas vocatur, cùm tamen apud philoſophos generaliter, & quandóque apud ſacros doctores, ſola naturalis dilectio charitas vocetur, ex gratuita inquam dilectione, qua Deus in primis, & maximè diligitur, & propter illum ſolum quæcunque alia, quæ hujuſmodi dilectione diliguntur: ſicut nulli eſt hujuſmodi dilectio in ſemetipſum propter ſe, ſed propter Deum ſolum; ſic neque gaudium, niſi propter illum: & iterùm, nec dilectio hujuſmodi, nec gaudium ſecundùm illam eſt alicui de ſeipſo, vel gloria ſua, niſi quantùm pertinet ad Dei gloriam, & honorem, & propter hoc dilectione hujuſmodi magis diligetur ille de electis ab unoquoque aliorum, ex quo erit Deo major gloria, & ejus præmium ſimiliter. Hujuſmodi autem exemplum eſt in uno, qui diligit regem aliquem, & non diligit aliquem de familia ejus, niſi propter utilitatē ipſius. Manifeſtum eſt enim in hoc exemplo, quia proportionabiles erunt dilectiones, quas habet homo hujuſmodi in famulos regios, & utilitates eorum, ad regem videlicet, ita ut qui æquè utiles regi fuerint, æquè diligantur ab illo, & qui inæqualiter utiles, inæqualiter diligantur ab eodem, & qui duplò magis utilis, duplò magis diligatur: ſicut autem hoc ſe habet in utilitatibus, ſic ibi in honoribus Dei, & gloriis, ut ex quibus major, aut minor, aut æqualis eſt Deo honor, & gloria, dilectione, quam diximus, ſimiliter & proportionabiliter, idest dilectionibus proportionabilibus diligantur. Nec amor naturalis ſui fundamentum eſt diabolicæ civitatis, ſed amor privatus, qui & vero nomine, ſi perſcrutatiùs conſideretur, avaritia, & cupiditas dicendus eſt, cùm & ſuperflua, noxia, & etiam cum injuria, & læſione proximi cupiantur, & inquirantur, qui juxta teſtimonium Senecæ eo ipſo apparet evidenter non eſſe naturalis, quòd infinitus eſt, ſive immenſus, & ideò ſemper creſcens, juxta illud, Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit. Naturalia autem deſideria finita ſunt, ut idem dicit, innaturalia verò infinita. Proprietatem verò, quæ in religionis profeſſoribus & furtum eſt, & proditio fratrum, & ſacrilegium, omninò non patitur gloriæ ſanctorum ſinceritas, & ſanctitas, neque naturalis dilectio communionem excludit à cordibus ſanctorum, immò in eis illam efficit, & ingignit, immò dictat, & ſuggerit omnia eſſe naturaliter communia, & communicanda inter omnes ſubſtantias rationabiles. Verumtamen non uſque ad illam perfectionem communionis ſe erigit, aut extollit, quæ communicatio ſancti Spiritus nominatur, & ſuum habet in patria complementum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm non eſt omninò immunis, & libera à curvitate, ac reflexione, ut in præcedentibus oſtendimus; quia ergo dilectio non univocè, immò dicitur æquivocè, ſecundùm tres modos, quos aſſignavimus, & gaudium non univocè dicetur, immò æquivocè, cùm unaquæque intentio diligendi gaudium habeat ſibi congruens, & appropriatum. Jam ergo diximus tibi gaudia tria virtutis noſtræ concupiſcibilis, & quia ipſa charitas erit ibi præmium ejuſdem, exaltatio verò illius, erit elongatio ejus, & libertas à paſſionibus, quibus obnoxia erat in vita iſta, à paſſionibus inquam perturbantibus, & moleſtantibus ipſam; hæ autem ſunt numero ſex, videlicet amor, & odium, dolor, & triſtitia, & gaudium, deſiderium, ſive fames ſpiritualis, atque faſtidium, quod propriè vitium acidiæ eſt. Has autem paſſiones, ſeu perturbationes diximus, cùm fuerint inordinatæ. Pietatis verò gaudium erit de ſublata miſeria, & eouſque eliminata, vel exterminata, ut nullum penitùs in electis ejus faſtidium relinquatur. Gaudium verò zeli rectitudinis, vin-

Amor ſui privatus eſt propriè avaritia.

Naturalia deſideria finita.

Libertas à paſſionibus

Paſſiones ſex.

E dicta eſt infernalis, ſicut legitur in Pſal. Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam, & Proverbiorum 11. In perditione impiorum erit laudatio: lætabitur ergo juſtus in perditione impiorum, non livore vindictæ, ſed zelo juſtitiæ. Et quia impietas ſic ligabitur, ac calcabitur, ut nihil contra bonos, nihil in Dei contumeliā ulteriùs poſſit ablata poteſtate impiis, non ſolùm ſæviendi in bonos, ſed etiam vincendi circa eos, propter quod & in pſal. legitur: Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum, & Job. Iniquitas contrahet os ſuum. Tunc ſaturabuntur, qui eſuriunt, & ſitiunt hoc modo juſtitiam, & erunt beati hac parte beatitudinis, ſicut legitur Matth. 5. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Sunt autem qui ablationem miſeriarum partem fœlicitatis iſtius reputent, & pro eis facit illud quod legitur in pſal. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt

F de laqueo venantium, & iterùm: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus; videtur autem, quòd eodem modo ponere poſſent partem albedinis carentiam nigredinis, cùm prorsùs eodem modo ſe habeat carentia nigredinis ad albedinem, ut carentia miſeriæ ad fœlicitatem. In quo reſpondemus, quia carentia miſeriæ æternæ reverà non eſt pars, nec poteſt eſſe fœlicitatis contrariæ, quæ eſt plenitudo omnium deſiderabilium. Reverà tamen gaudium eſt electis de eo, quod vident ſe, vel videbunt, evaſiſſe miſerias culparum, atque pœnarum, & iſtud gaudium pars eſt quodammodò totius fœlicitatis, ſeu jucunditatis, quam habituri ſunt electi. Et poſſibile eſt, quòd aliquis gaudeat de eo, quod eſt albus, & pulcher, & cùm hoc de hoc, quod non deformis eſt, aut niger. Quemadmodùm phariſæus ille Evangelicus gloriabatur. Luc 18. Et applaudebat ſibi de eo, quod non erat ſicut cæteri hominum, videlicet

G quòd mundus, & immunis erat à peccatis hominum, ut ſibi videbatur, & de eo quod bonus erat; propriè tamen fœlicitas in poſitione conſiſtit, hoc eſt in obtentu bonorum patriæ, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, quæ quoniàm ſequitur immunitas malorum, & de illa etiam gaudebunt; gaudium hujuſmodi non eſt pars illius, ſed ſequela communicans. Si quis tamen aggregare voluerit totum gaudium, hujuſmodi ſequela pars erit fœlicitatis illius ſed carentia miſeriæ, ſive immunitas ab illa nunquàm. Juxta tres modos iſtos erit retributio, & gloria virtutis noſtræ iraſcibilis ſuperioris, ac nobilis, juxta virtutes ſuas, ſive merita, quas nominavimus in primo tractatu de virtutibus, & moribus. Quemadmodùm humilitati, quæ in ipſa, & ſecundùm ipſam eſt, ut gratia, & meritum, retribuatur

H ſumma exaltatio, quæ eſt ultima ſub Deo ſubjectio, tantò quippe unuſquiſque ibi ſedebit ſublimior, quantò hìc fuerit Deo ſubjectior. Juxta quod legitur in eodem cap. Lucæ: Qui ſe humiliat exaltabitur: ſic tribulationibus ejuſdem, quibus excandeſcebat contra Dei contumelias tam in ſe, quàm in aliis, & generaliter contra peccata, ſuccedet pax, & tam merces, quàm præmium illarum, gaudiumque, & gloria de triumpho, quo omnia hujuſmodi triumphata & exterminata erunt; ira iræ victoria, ira enim (ut dicit philoſophus) ſit inquiſitio victoriæ. Similiter timori pœnæ, & timori offenſæ ſecuritas. Timori verò reverentiæ, qualis hìc eſt, ſuccedet timor domini, qui permaneat in ſæculum ſæculi. Iſte timor erit non ſolùm gloria futura, ſed etiàm gloriatio, ſicut legitur Eccleſiaſt. 1. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm omnes virtutes ibi erunt in actu, non erunt ibi habitus dormientes; omne enim impedimentum, omnis difficultas, omnis retardatio procul erit ab omnibus virtutibus tunc, vel timor domini eſt gloria hìc, ubi habitus eſt & ſæpè in potentia,

Carentia miſeriæ æternæ.

Vide.

Omnes virtutes erunt in actu in gloria.

Digitized by Google

in potentia: gloriatio verò in futuro, ubi erit ſolummodò in effectu. Ipſe idem timor erit gaudium, & lætitia, ex diffinitionibus, quas ſupra poſuimus voluptatis. Erit enim conjunctio virtutis noſtræ iraſcibilis ad Deum convenientiſſima, ac decentiſſima ſecundùm omnes virtutes ſuas; quemadmodùm per humilitatem erit conjunctio ejus ad Deum ultimitas ſubjectionis; ſic & per hujuſmodi timorem ultimitas reverentiæ, & per ſecuritatem ultimitas circundationis, ac protectionis, & ad hunc modum de alijs; erit idem timor corona exultationis, quoniàm ipſo coronabitur virtus noſtra iraſcibilis, & erit hujuſmodi corona inſigne regni, quo ipſa à Deo regitur hîc, & regit, quæ ſub ipſa ſunt. Erit etiam & inſigne victoriæ, qua de contrarijs paſſionibus, ac de omnibus triumphavit. Jam ergo diximus, & prout opus fuerit, numeravimus gloriam animæ humanæ ſecundùm ſe totam, hoc eſt ſecundùm tres vires ſuas, & diximus, quia omnes virtutes, quas obtinebit in patria, erunt gloriæ, & præmia erunt beatitudines. Quæſtionem autem habet, utrùm omnes virtutes ejus in patria operabuntur ſimul, & ſi omnibus nominatis gaudijs gaudebit ſimul anima humana & hoc planè nobis videtur. Primùm quia omnes virtutes erunt ibi in effectu, potentialitate, tarditate, ac difficultate operandi omninò ſublatis. Erunt ergo in continuo actualitatis ſuæ, propter quod & Ariſtoteles videtur dixiſſe, ſi tamen ſicuſque intellexit, quòd fœlicitas eſt actus. Secundò non tota ſimul beatificaretur, vel beata eſſet anima humana in actu, nec totam ſuam mercedem obtineret, aut præmium, ſi non tota, aut totaliter omnibus gaudijs ſuis gauderet. Ampliùs. Non ſecundùm totum Deo conjungeretur, vel con uncta eſſet, ſi non totaliter ipſo frueretur. Quartò ſi non gauderet niſi uno gaudio, vel duobus, vel in quocunque numero, dummodò non omnibus ſimul gauderet; aut illi, vel illis gaudijs perpetuò inhæreret, & ita non niſi partem ſuæ mercedis unquàm haberet, aut transferret ſe ab illo, vel illis in alia, & hoc inutiliter, cùm illa non eſſent majora, & ita nihil ei accreſceret ex hujuſmodi mutatione, quare hoc eſſet vel ex faſtidio, vel ex inconſtantia, quæ ibi locum non habent ullo modorum. Quintò cùm omnia ſimul cognoſcat, & ad omnia videnda ſimul illuminetur ibi virtus rationalis, quomodò & aliæ ad omnia deſiderabilia ſua ſentienda, atque ad fruendũ eis ſimul non expedientur, & illuſtrabuntur? De ſupplicijs autem infernalibus quæſtionem facit contrarietas, quæ videtur in ipſo textu ſcripturæ. Sapientiæ namque quintò dicitur: Quia flumina concurrunt duriter. Et intelligitur ſecundùm unam expoſitionem de fluminibus tormentorum infernalium. Job verò 24. dicitur: Ad calorem nimium tranſeat ab aquis nivium. Verùm naturam inferni, & ſtatum, pœnarumque ejuſdem modos & ſtabilire, & declarare, alterius eſt negotij. De eo verò quod Ariſtoteles fœlicitatem dicit actum intranſmutabilem, aliqua nobis hìc dicenda ſunt, quoniàm & catholicæ veritati concordate in hoc, & errori Origenis contradicere videtur, cùm Origenes poſuerit animas humanas ab illa fœlicitate ad iſtas miſerias non ſemel tantùm, ſed infinities reverſuras. Quòd autem illud impoſſibile ſit, inde manifeſtum eſt, quoniàm impoſſibile eſt ſubſtantiam unam duos habere naturaliter motus contrarios. Motus autem contrarij ſunt, qui ſecundùm eoſdem terminos ſunt, & deſignatur hujuſmodi contrarietas quaſi duabus præpoſitionibus, quæ ſunt à, & ad. Quæ ergo animæ humanæ moventur à præſentibus miſerijs, impoſſibile eſt, quòd naturaliter moveantur ad

Quæſtio.

Fœlicitas eſt actus.

Supplicia infernalia.

Contra Origenem.

A illas, naturaliter inquam moveantur ab illis fuga, & odio naturalibus, quas habent ad illas. Similiter cùm naturaliter moveantur ad fœlicitatem naturalibus, ſcilicet appetitu, & amore ad illam. Ipſe autem Origenes poſuit de natura animarum hoc eſſe, quòd ab illa fœlicitate ſic moveantur, licet naturam vocaverit naturalem defectibilitatem. Ampliùs. Nullum eſt vinculum adeò fortiter, & firmiter ligans, vel aſtringens, aliquid alij, ut amor fortiſſimus amantem aſtringit amato; quia ergo animæ humanæ in Deum amor ibi eſt in ultimo fortitudinis, erit & aſtrictio, atque alligatio ejuſdem ad illum in ultimo fortitudinis, quare inſeparabiliter adhærebit ibi Deo. Sextò, nihil adeò dominatur animæ humanæ, ut amor, & eouſque eidem dominatur, ut ipſa contra eum nihil poſſit, B adeò quippe ipſum transfert in amatum, ut nihil aliud ei cogitare vel libeat vel liceat, niſi vel amatum, vel propter ipſum, quod in amoribus carnalibus, ac mundanis manifeſtum eſt, de quibus jam declaravimus, quòd in infinitum minores ſunt amoribus gloriæ: quantò fortiùs ergo caminus ille Hieruſalem, id eſt charitas patriæ, non ſolùm avertet à contrarijs animam humanam, ſed ita etiam Deo agglutinatam tenebit, ut omnem mortem ſuaviſſimam, nedum tolerabilem, reputet comparatione ſuæ ſeparationis ab ipſo. Quare manifeſtum eſt, quia ſi quid eſſet eam trahens, totis conatibus, ac viribus obniteretur, ut nullo modo à Deo abrumpi ſe pateretur. Septimò. Si voluptas adeò abſorbet animam humanam, ut illa hora amplexus ſponſi carnalis, vel ſponſæ, & nihil aliud cogitare eidem liceat, quantò C fortiùs voluptas illa ſpiritualis ex amplexibus cœleſtis ſponſi procedens, & beatiſſima illa copula ita occupatam, & abſorptam omninóque averſam à contrarijs cogitationibus, & deſiderijs, tenebit animam humanam? Octavò, ſi igniculus, immò ſcintilla permodica ſanctæ dilectionis & faſtidire facit animam humanam corpus ſuum, & tanto oneri habere, ut carcerem mortis illud reputet, ſicut dicit Apoſtolus in primo ad Philip. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: Et iterùm ad Roman. 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et iterùm ad Cor. 2. 12. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis &c. Et iterùm: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum; ſi inquam hoc fecit prænominatus igniculus, atque ſcintilla tam exigua, non obſtante defectibilitate illa, de qua loquitur Origenes, quantò fortiùs hoc facit cami- D nus ille, & fornax immenſæ charitatis in patria, ut nullo modo deſideretur corpus mortis hujus. Nonò, cùm hoc anima humana non faciat niſi amore corporis, non enim inclinatur deſiderio in ipſum niſi propter amorem, quem habet in ipſum, ſi eouſque amat ipſum, quale quidem eſt in ſtatu miſeriæ iſtius, ubi corpus mortis eſt ipſi animæ, & carcer ejuſdem horrificus; quantò fortiùs eſt neceſſe, ut amet ipſum, ubi non eſt ei ſarcinæ, aut captioni, ſed gloriæ, ubi non ſolùm moleſtias illas ei non ingerit, ſed promptiſſimo obſequio eidem obedit, & ſervit. Decimò, dicimus, quia manifeſtum eſt gloriam animarum intelligentibus, quia anima humana non ſolùm gaudijs, & glorijs virtutũ, quas diximus, ibi confortabitur inæſtimabiliter, ſed etiam gloria impaſſibilitatis, alioquin non ſolùm beata non eſſet, ſi obnoxia eſſet alicui de inordinatis, aut moleſtis paſſionibus, ſed etiam miſera. Deſiderium verò incorporandi non ſolùm inordinata paſſio eſt, qua ſtatus ille fœliciſſimus pro præſenti vitæ miſeria, & ærumnoſitate, ſic ſpernitur, ut etiam deſeri quæratur, ſed etiam moleſta eſt hujuſmodi paſſio duabus de cauſis, quoniàm quantùm in eo eſt

Amoris vinculum fortiſſimu.

Voluptas abſorbet animam.

Corpus glorificatum animæ arbitrio promptiſſimè ſervit.

Digitized by Google

abrumpit,& ſeparat animam humanam ab eo,quod ineffabiliter diligit, & in quo incogitabiliter gaudet,& etiam affligit dum quod deſideratur,non ſtatim ei obtinetur. In puncto enim deſideratur corpus hujuſmodi, & non paucioribus, quàm quadraginta ſex diebus fabricatur,& ad recipiendam animam reparatur. Ex quo manifeſtè ſequitur, quòd in illa tanta fœlicitate ſit etiam talis deſiderij, videlicet inordinati,& affligentis immixta miſeria. Sunt & aliæ viæ, quibus error hujuſmodi deſtruitur,quæ ſuo loco congruentiùs aptabuntur Quoniàm autem ſcripturæ ſanctæ, & teſtimonia ſacrorum doctorum patri potentiam, filio ſapientiam, Spiritui Sancto bonitatem, ſeu benignitatem quodammodò à proportione attribuunt, decor autem, & pulchritudo divinæ ſimilitudinis,ideſt beatiſſimę trinitatis,complebitur in anima humana in ipſa glorificatione ſua, immò ipſa gloria,ipſius pulchritudo, erit divinæ ſimilitudinis, aut divina ſimilitudo. Neceſſe eſt ergo ut inquantùm ad potentiam aſſimiletur patri aſſimilatione, quæ illi fœlicitati congruit. Quare neceſſe eſt ut nec prohiberi poſſit à faciendo ibi quicquid vult, nec cogi ad faciendum aliquid quod non vult, qualem dicit philoſophus eſſe divinam potentiam. Neceſſe etiam eſt, ut ejus potentia non ſolùm difficilis ad patiendum ſit aliquid, quod eam moleſtet, ſed etiam impoſſibilis ſimiliter,nec ſolùm facilis ad agendum quicquid voluerit,ſed etiam expeditiſſima liberari, ac promptiſſima. Juxta modum iſtum neceſſe eſt, ut aſſimiletur & filio in ſapientia, couſque ut non ſolùm fatuitas ignorantiæ, erroris tenebræ, dubitationum hæſitationes, opinionum fortitudines, ac debilitates, ab ea inacceſſibiliter,& inattingibiliter eliminatæ ſint, ſed etiam in tanta irradiatione ſapientiæ illuſtretur, ut quicquid eam videre, ſive cognoſcere vel delectaverit, vel decuerit, lucidiſſima viſione cognoſcat.

Benignitas ſpiritus ſancti.

Similiter & in benignitate, ſeu bonitate neceſſe eſt, ut aſſimiletur Spiritui ſancto, ut non ſolummodò nec veſtigium invidiæ, malitiæ, apud ipſam locum habeat, ſed etiam ut amor alieni boni eam totaliter occupet, pleneque, ac pacificè poſſideat.

Benignitas Spiritus ſancti.

Eſt enim propriè benignitas amor alieni boni, & benignos homines hujuſmodi dicimus, qui alienum bonum,vel viſum, vel auditum, vel quolibet alio modo cognitum ſtatim amant. Unde & benigni, quaſi benè vel igniti, vel ignibiles igne ſpirituali. qui amor ſanctus eſt. Benè autem igniti, vel ignibiles ſunt, qui ea facilitate, quam diximus, amore alieni boni ſtatim ardent. Et quoniàm menſam fœlicem animarum ſacra ſcriptura fœlicitatem iſtam,& gloriam, de qua loquimur, nominat, congruum nobis videtur, fercula illa, quibus refertiſſima eſt, deſcribere, ut invitatos ad illam ad eorum deſideria, quantùm in nobis eſt, provocemus, quæ inter mirabilia ſua illa duo habet non modica. Primùm, quòd ejus fame, & ſiti hic non morimur: qui enim illam non eſurit,aut ſitit, indubitanter mortuus eſt morte culpæ.

David.

Hanc eſuriebat qui dicebat: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua: eandem ſitiebat,cùm dicebat: ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Et iterùm, Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. De hac menſa Prover.9. Sapientia propoſuit menſam ſuam, & invitat etiam ibidem ad ipſam; in hac ergo menſa poſita ſunt comeſtibilia, & potabilia: propter hoc igitur, quod ipſa ſapientia dicit: Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis; & Canticorum primo: Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi: Et iterùm 24. Viderunt Deum Iſraël,& comederunt, & biberunt, ac ſi diceret, quia in ipſa viſione ſua fuit refectio ejus ultra-

E que. De hoc eodem modo veritas Lucæ 22. Ego autem inquit diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater regnum,ut edatis,& bibatis ſupra menſam meam in regno meo.

Menſa cœleſtis.

Habet autem & aliud eximium, atque mirabile menſa iſta, videlicet ut cùm ſit ſatietatis pleniſſimæ, faſtidium non habeat,cujus contrarium in eſcis corporalibus evidens eſt. Nec ſolùm in illis, ſed etiam in omnibus delitiis carnalibus, ut ait Greg. habitæ enim de facili faſtidiuntur, & quantò ampliùs abundaverint, tantò magis ſui faſtidium generant. Nec eſt contrarium nobis,quod dicit Boetius in libro ſuo de Trinitate, videlicet, quia delectatio erit ibi cibus: non enim una ſola delectatio erit ibi, alioquin non eſſet ibi niſi unum ferculum, immò delectationes innumeræ, & forſitan numero infinitæ. In hac menſa celebrabitur cæna magna, de qua veritas 14. Lucæ; Homo quidam fecit cænam, & vocavit multos, quæ & cæna erit, quia & principalis refectionis, & ultimæ ſatietatis.

Magnitudo menſæ cœleſtis.

Magna verò erit primùm magnitudine cænantium, qui omnes magni erunt,non tantùm nobilitate, ac divitiis, ut-

F pote filij Dei, & hæredes regni cœlorum,immò jam ipſum actualiter poſſidentes,ſed etiam magnitudine dimenſionum ſpiritualium, quæ ex quarto ad Epheſ. ſunt longitudo, & latitudo, ſublimitas, & profundum quas dimenſiones jam alibi, videlicet in tractatu de Euchariſtia aſſignavimus. Ex his dimenſionibus conſiſtit perfecta virilitas. De qua Apoſt. in 3. ad Epheſ. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ubi jam non ſimus parvuli: parvulis enim non eſt parata menſa iſta, ſolum enim lac,ſola pira,& poma, temporalium bonorum capiunt, ſcilicet intellectu, dum majora cognoſcere non prævalent, & affectu, dum amare,& in eis delectari nequeunt. Et hoc eſt, quod legitur 28. Iſa. Quem docebit Dominus ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus. Et Apoſtolus ad Hebræ. 5. Omnis qui lactis particeps eſt, expers eſt ſermonis ſcientiæ, parvulus enim eſt. Quan-

Parvulis non eſt parata menſa illa.

G tò fortius ergo magnos oportet eſſe, quibus fercula illa apponuntur, ad quæ nec intellectus guſtus, nec palata, nec affectus ſufficiunt, ut de eis pro ſua magnitudine comedant? Magna etiam eſt menſa pro multitudine convivarum.

Multitudo cœleſtium convivarum.

In ea enim mille millia ſanctorum Angelorum, quæ & turba magna, quam nemo dinumerare poterat, continuantur, ſicut Apocalip. legitur evidenter in multis locis. Magna etiā eſt ex duratione, quoniàm perpetua, nunquàm enim deponitur menſa illa,nunquàm ceſſat beatiſſimæ illius ſatietatis epulatio. Magna iterùm eſt ſextò magnitudine ferculorum, quod ex inde evidenter apparet,ex hoc,quod perpetuæ epulationi innumerabilium convivarum, & ſi fas eſt dicere voraciſſimorum,non ſolùm ſufficit,ſed etiam ſuperabundat couſque, ut nec à tantis, & tot convivis imminui,

H aut conſumi ullo modorum poſſit.

Similitudo.

Quemadmodùm enim claritas ſolis quantacunque multitudine videntium,aut intuentium illam,non ſolùm non conſumitur,ſed nec etiam in aliquo comminuitur, ſic panis ille vivus, ac verus,qui Deus eſt, millia milliū convivantium reficit,& replet claritatis, ac bonitatis ſuæ ferculis innumeris, abſque ulla ſui diminutione: quemadmodùm ſolis claritas omnium intuentium oculos ſplendore radioſitatis ſuæ replet, & paſcit; cibus enim viſus noſtri proprius lux eſt, ſeu lumen.

Varietas ferculorum menſæ cœleſtis.

Septimò magna eſt multitudine, ac varietate ferculorum, quorum nec numerus eſſe videtur,ut in ſequentibus docebimus.

Delitiæ ejuſdem menſæ.

Octavò magna eſt delitioſitate ferculorum,ad quorum uniuſcujuſque ſuavitatem, ſeu delitias omnes carnales, & mundanæ ſuavitates, etiamſi conflarentur in unum,

Digitized by Google

A nullam habere poſſent comparationem, bona enim viæ ad ea, quæ ſunt patriæ, nihil omninò ſunt. Revertamur autem, & incipiamus declarare, & numerare fercula iſta, ſi quomodò excitare poſſumus, aut provocare appetitum eorum, qui invitati ſunt ad hanc menſam tam opimam, ad hanc cœnam lautiſſimam,

Fercula menſæ cœleſtis.

& dicamus in primis, quia tot ferculis de ſeipſo miniſtrat beatiſſimus Deus convivis iſtis, quot ſunt dona, vel virtutes animabus humanis, vel Angelis, quæ reſpiciunt, & diriguntur in ipſum, verbi gratiâ: Dono intellectus, qui eſt viſus animarum noſtrarum interior exhibet ſe luminoſiſſimam veritatem. Jam autem diximus, & in tractatu de bono, & malo, declaravimus, quia veritas,

Veritas ferculum virtutis intellectivæ.

ſive verum cibus eſt proprius virtutis noſtræ intellectivæ, & hujus ferculi tot ſunt delitiæ, quot & quanta mens benè diſpoſita deſiderare poteſt cognoſcere de ipſo, ſicut quod Deus eſt ineffabili modo, & ſupereminentiſſimo eſſendi, hoc eſt eſſentialiter, non ex accidenti, & adventitio, primitivè & non derivativè ex fonte alio, quemadmodùm omnia alia, fixè, & non dependenter, ſicut alia, quibus caſus in nihilum, & in non eſſe continuè immineret, niſi ipſe omnipotenti virtute ſuâ, & firmitate ea retineret; deinde fundamentaliter, utpote portans omnia, & cui omnia tanquàm fundamento ſuo firmiſſimo innituntur, ſicut legitur ad Hebr. 1. Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, licet de ſolo filio dicatur ibidem: Non quin ad patrem, & Spiritum ſanctum æqualiter iſta fundamentalitas, & omnium ſupportatio pertineat, & juxta hunc modum numeravimus in tractatu principali de ipſo primo principio, quod Deus eſt benedictus, decem & ſeptem quæ ſunt propria ipſius, ac ſingularia proprietate eſſentiali, quæ innoteſcunt de eo intelligentibus ex teſtimoniis creaturarum, ſicut ibidem declaravimus. Juxta igitur illa decem & ſeptem,

Decem & ſeptē ſuavitates in veritate.

ex illis ſunt decem & ſeptem ſuavitates, ſeu delitiæ in ipſa divina veritate ſimpliciter, dum ſe oſtendit unum, trinum, & æternum, continuum, omnipotentem, & alia quæ de ipſo luminoſiſſima veritas ejuſdem ingerit oculis ſpiritualibus ipſum ibi contemplantium, atque intuentium, quæ quidem numerare non eſt præſentis propoſiti, cùm ad primum, & divinale magiſterium evidenter pertineat; manifeſtum eſt ergo, quòd multa fercula exhibet de ſe ipſa Dei veritas virtuti noſtræ intellectivæ in patria; cùm autem non ſe ſolam ibidem illi exhibeat ſpecialiter (ut diximus) comedendam, hoc eſt intuendam, atque videndam viſione clariſſima, ſed etiam omnem aliam veritatem, & omne verum, cujus cognitio deſiderabilis, atque delectabilis, aut delectans; cùm hujuſmodi vera infinita ſint & veritates ſimiliter, manifeſtum eſt non eſſe numerum delitiarum, ſeu ferculorum quibus divina veritas in ſeipſa paſcit, atque delectat vim noſtram rationalem in patria, ſive intellectum. Si vis autem cognoſcere magnitudinem delitiarum hujuſmodi, attende, quàm jocunda ſit veritas mirabilium, & magnalium Dei, quorum cognitio tantò erit jocundior, quantò & clarior. Hoc autem conſiderare

Philoſophorum ſtudium.

debes ex ſtudiis philoſophantium, qui rebus omnibus poſtpoſitis in cognitionem, immò in inveſtigationem, mirabilium, atque magnalium hujuſmodi totos ſe contulerunt, amore veritatum ipſarum abſtracti, & illecti, eouſque ut alia non curarent, & hoc particulariter. Alij enim ſolis mirabilibus naturalium inveſtigandis ſe ipſos dederunt, alij inveſtigationi metaphyſicorum, alij logicorum, alij divinalium, alij præſentium, alij futurorum. Et iterùm alij corporalium & alij ſpiritualium. Et omnibus ſtudiis ſuis, atque inveſtigationibus verita-

A tem, quam ſic eſuriebant, & ſitiebant (ut diximus) vix eis conceſſum eſt deguſtare. Si ergo deguſtatio veritatis tanto amore ſui capere, & eouſque eos delectare potuit, ut omnibus aliis divitiis, delitiis,

Locus à minori.

potentiis, & honoribus hanc præferant; quid delitiarum, aut ſuavitatis habere, credenda, vel æſtimanda eſt clariſſima viſio omnium Sanctorum, qua & ipſa univerſitas, creaturarumque omnium mirificentia, & decor, ubi ordo totius, virtutes & mirabilia ſingularum integrè, & ad lucidum videbuntur? Quod enim dicit Ariſtot. 1. Metap. Omnes homines naturâ ſcire deſiderant, evidenter oſtendit famem veritatis, aut ſitim innatam eſſe naturaliter animabus humanis, quæ fames deguſtatione hujuſmodi provocatur, & accenditur potiùs quàm ſatietur, vel impleatur. Hujuſmodi exemplum fuit evidens in Platone, qui cum tot, & tanta de hujuſmodi veritate deguſtaſſet, non ſolùm ſe non ſatiatum,

B aut repletum dixit, ſed magis vacuum, & inanem. Dixit enim, hoc ſolùm ſcio, quod neſcio. De ipſo ſolo neſcire, quod quidem vacuitas, & inanitas eſt noſtræ intellectivæ, auſus eſt ſe jactare. Si quis autem addere voluerit his ferculis, vel delitiis, gaudia de ignorantiarum evaſione, errorum, dubitationum, opinionum, contradictionum, diſputationum, non videtur errare præſertim cùm Salomon in Eccleſiaſte tam crebrò laborem, & afflictionem ſpiritus, talia eſſe dicat. Avicenna verò

Ignorantia.

ignorantiam diſtinguit in duo, & alteram dicit eſſe, ſicut vacuitatem, quemadmodùm eſt tenebra quæ vacuitas eſt luminis, alteram verò dicit eſſe ſicut ægritudinem; quapropter contrarium erit, ut plenitudo, & ſanitas, de quibus duobus gaudia magna poſſeſſoribus ſuis, nemo intelligens ignorat. Hæc ergo ſicut fercula, & ferculorum delitiæ, quæ

C in menſa iſta apponuntur virtuti noſtræ intellectivæ, ad hanc perfectionem ſcientiæ, immò ad hoc culmen non inaniter philoſophando per viam philoſophorum, immò per in via, ſed rectè, & humiliter, per viam veritatis ſalutaris, & per viam mandatorum Dei, longè faciliùs pervenitur, quàm ipſi perveniunt ad vanitates ſuas, & inſanias falſas.

Fercula virtutis concupiſcibilis.

Virtuti verò noſtræ concupiſcibili tot fercula, totque delitias in ſeipſo aut de ſeipſo apponit in menſa iſta largiſſimus omnium bonorum largitor Deus, quot virtutibus gratiarum eam in præſenti vita decoravit, quæ in eum (ut diximus) reſpiciant, ſive dirigantur. Inter quas ſunt tres ſpecies, ſive intentiones amoris, ſcilicet naturalis, quo diligitur, ut benefactor per omnem modum, videlicet, ut creator, ut pater, ut conſervator, ut cuſtos, atque defenſor, ut vitæ, cæterorumque bonorum natura-

D lium dator, ſive temporalia, ſive corporalia, ſive ſpiritualia ſint. Ex hoc ergo amore tot erunt ei gaudia etiam naturalia ſecundùm naturam ſic depuratam, quot bona tanti patris tantique benefactoris Dei ibi conſpicientur ab unoquoque. Natura enim ad ſuam ſinceritatem redacta, immò ad eam puritatem, & rectitudinem exaltata non poterit pati, quin ineffabiliter gaudeant tales filij, quales ibi erunt, de ineffabilibus bonis tanti patris. non enim ſolummodò procul excluſa erit à ſtatu illo omnis ingratitudo, ſed tanta ibi etiam erit gratitudo naturalis quanta inibi virtus naturæ, ejuſdemque ſinceritas. Quia ergo & innumerabilia erunt bona Dei patris, & ineffabiliter magna, & gloria ejus ſuper omnem æſtimationem, & admirationem neceſſe eſt, ut gaudeant tantis bonis, tantæque gloriæ ejuſdem illius ſint participes, juxta naturæ ſuæ in illo ſtatu poſſibilitatem. Amor verò, qui charitas eſt, qui utique gratuitus eſt, rectiſſimus, atque puriſſimus, ſicut nullam comparationem habet in

Digitized by Google

intentione ſua ad alias, ſic & gaudium ejus ſuper omnem erit comparationem ad gaudia alia, hoc eſt aliorum amorum. Jam enim declaravimus in præcedentibus, quia amor iſte in infinitum major eſt omnibus alijs, ſive ſentiatur, ſive non ſentiatur. Hîc enim non ſentitur magnitudo ejus, in patria autem tota virtute ſua ardebit, & flamma ejus æqualis erit igni ipſius. Omnes enim virtutes æquales erunt ibi operationibus ſuis, ſicut in præcedentibus oſtendimus, maximè cùm operationes earum in ea dirigentur, ad quæ, & propter quæ ſunt. Fortaſſis enim non eſt neceſſe, ut gaudium, quod eſt de Deo ſecundùm ſe in patria, & gaudium quod eſt de alio propter ipſum, æqualia ſint, niſi ubi eſt, quemadmodùm dixi in exemplo de vino; quia ergo iſte amor totaliter declinat in vim concupiſcibilem animarum noſtrarum, & rapit in Dei gloriam, manifeſtum eſt tot ejus eſſe ibi gaudia, quot ibi conſpiciuntur eſſe ad Dei gloriam, propter quod quantùm ipſum univerſum, hoc eſt tota præterita F ſeries ſæculorum, totaque ſeries futurorum, velut carmen pulcherrimum (ut dicit Auguſtinus) Dei laudes, & gloria ſunt, tamen non ſolùm eos concentu ſuavitatis ineffabilis reſonabunt, ſed etiam tota ſeries (ut diximus) præteritorum, ac futurorum ſæculorum delitijs ſerviet charitatis, ut carmen jocundiſſimum, quod de laudibus, & gloria ejus totum contextum eſt, quod ibi tanta dilectione diligetur.

Nota. Certum enim eſt, quia pro modo dilectionis eſt & modus gaudij, de laudibus & gloria dilecti. Ex hoc ergo utcunque imaginari potes, quantum gaudium pariat charitas ex laudibus, & gloria, quas univerſus ordo, & ſeries ſæculorum canunt, & prædicant, animabus has laudes & reſonantias inibi pleniſſimè audientibus. Sed & ſi magnifica opera dilecti cujuſcunque diligentibus ipſum pro magnitudine dilectionis, & ipſorum operum, gaudium pariunt, G cùm tam mirifica, tamque magnifica ſint ipſa opera creationis mundi, gubernationis conſervationis, & propagationis, ipſa verò opera recreationis, glorificationis ſanctorum, & renovationis mundi, cùm incomparabiliter ſublimiora ſint, atque præſtantiora alijs, quantum gaudium, quantæque jocunditatis laudes ingerunt electis lucidiſſimè ea intuentibus, juxta quod legitur in pſalmo. Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt, & judicia tua exaltabunt. Et iterùm: Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Et alibi: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Hoc enim erit ibi tota ſola operatio, occupatioque ſanctorum, videlicet laus perpetua conditoris, ſicut dicit Boetius in libro ſuo de Trinitate. Sed & ipſa reſonantia laudum omniū SS. Angelorū, & ſancta- H rum animarum ineffabili conſonantia gloriam Dei die, ac nocte conclamantium, gratias agentium, benedicentium, glorificantium, & jubilantium, quid ſuavitatis, & jocunditatis habitura ſit, quis admirari ſufficiat? Et quoniàm ipſe Dei filius gloria Dei patris eſt maxima, ſicut dicit Apoſtolus in primo ad Hebræos qui cùm ſit ſplendor gratiæ, & figura ſubſtantiæ ejus. Et iterùm Salomon. Gloria patris filius ſapiens ipſi tanto patri major eſt gloria filius, quàm omnia alia, etiam in ſimul accepta, quantò ipſe filius omnibus alijs antecellit; non enim univerſitas creaturarum, aut tota ſeries ſæculorum eſt gloria Deo patri alia de cauſa, niſi quia ipſe eſt principium, & cauſa eorum, ſive quia ex ipſo ſunt, filius autem incomparabiliter, & magis, & melius eſt ex ipſo. Quare quantùm ad hoc incomparabiliter major gloria eſt ipſi, quàm alia univerſa.

E Ampliùs. Quoniàm alia omnia nec aliquid ſunt, nec alicujus momenti comparatione filij, nec etiam ſunt comparatione ipſius, manifeſtum eſt nullam eſſe gloriam creaturarum Deo patri comparatione illius quæ eſt ei ex filio. Ampliùs. Quis dubitat verbum eſſe gloriam loquentis, & ſapientiam? gloriam eſſe gignentis, & adinvenientis? Si autem ars una tanta eſt gloria inventori ſuo, quanta ergo eſt gloria patri filius, qui eſt, & ars univerſalis fabricationis, & ſapientia univerſalis gubernationis, ſicut dicit Aug. Quia filius eſt ars quædam Dei omnipotentis, plena rationum viventium, & omnes ſunt in illa. Attende autem quoniam nihil aliud eſt invenire ſapientiam, quàm gignere, vel excogitare, quorum utcunque Deo patri congruit. Ampliùs. Cùm ipſe filius non ſolùm gloria Dei patris ſit, ſed etiam pſalterium, & cithara, ſicut legitur in pſalmo: Exurge gloria mea &c. pſalterium inquam, & cithara in quibus modulatur, non ſolùm carmen pul- F cherrimum, quod ſupra diximus, videlicet univerſam ſeriem ſæculorum, cujus ſingulæ odæ, vel modulationes, ſingulæ generationes ſunt, ut ſæcula ſingula, ſingulæ verò ſillabæ, vel voces, ſive ſoni ejuſdem & carmina, ſingulæ creaturæ ſunt, non ſolùm inquam illud carmen in eo pſalterio, vel cithara, modulatur Deus pater, ſed etiam ſe ipſum; ubi duo oportet ſcire, quòd tantò jocundior eſt auribus ſanctorum Angelorum & ſanctarum animarum modulatio carminis hujus in antedicto pſalterio, vel cithara, quantò ipſa vox Dei patris ſuavior eſt vocibus creaturarum ipſum laudantium & benedicentium: ſicut enim filius verbum eſt patris, ita & vox eſt ejuſdem. Attende & aliud, quia hoc idem pſalterium, & cithara, quod utique in primis reſonat patrem, utpote ſonus ipſius, tantò majori ſuavitate, ac ſonoritate reſonat illum, quàm alia, quantò G ipſe pater, ut fons ſuavitatis redundantiſſimus ſuavitate omnibus antecellit, quæ omnia ſicut non ſunt niſi quædam pertenuia vestigia ipſius, & umbræ tenuiſſimæ veritatis ejus; ſic nec ſuavitas eorum eſt niſi umbra, aut veſtigium ſuavitatis ejuſdem. Attende etiam, quoniàm quemadmodùm filius verbum patris eſt quo ſeipſum in primis dixit, & conſequenter omnia; ſic pſalterium, & cithara ejuſdem eſt patris, quo ſe ipſum in primis modulatur, & canit. & conſequenter omnia; ſic & vox, aut ſonus ejuſdem ipſum in primis reſonans ineffabili concentu ſuavitatis, & conſequenter omnia. Si fas eſt ergo dicere, ipſe Deus pater ibi citharistam ſe exhibet, atque pſaltem, ſive pſalmiſtam, ad jocundandos electos, citharizans eis, & pſallens ultra omnem peritiam incogitabiliter, ultra omne artificium citharædorum non ſolùm carmen ſuaviſſimum, quod diximus, & illud etiam non tranſibiliter, videlicet H fugientibus, aut evaneſcentibus ſonis, ſed ſimul omnia continens, totiuſque carminis melodiam ſeu melos auribus beatiſſimis audientium ſimul ingerēs, & infundens, ſed etiam ſeipſum, Chriſtumque filiū ſuum incogitabili concentus dulcedine, ultra omnē muſicalem ſuavitatem (ut diximus) reſonans. Debes autem reminiſci hîc, quòd etiam abſurdè canentes, ipſis ſuis vociferationibus in continuum, valdéque diſcordantibus delectantur propter numeros, & proportiones, quas licet foris non reſonent, intra ſe tamen imaginantur, & intelligunt; ſic non ſola ſonoritas carminis, quod diximus, delectat audiētes, immò longè ampliùs ipſa interior numeroſitas, & conſonantia quâ divinis beneplacitis mirabiliter conſonant, & ſibi invicem miro ordine concordant, dum alia agunt, alia patiuntur, alia majora ſunt, alia minora, tam magnitudine, quàm virtutibus ineffabilibus, quæ Dei legib⁹ pulcherrima, quæ obe- *Nota.* dientiā

Vide.

Gignere ſapientiam quid ſit.

Pſalteriū.

dientia ipſorum vices ſuas agunt, atque reguntur. Juxta modos iſtos benignitatem, quæ Spiritus ſanctus eſt, ſuavitate ſua (ut dicit Aug.) perfundens omnia, quodammodò odorant, & ſentiunt in univerſo creaturarum, & in ſingulis. Ipſe enim eſt benignitas, quâ benignantur omnia, & bonificantur provt utique receptibilia ſunt. Et juxta verbum Platonis, qui dicit. Quia Deus cuncta ſui ſimilia, provt cujuſque natura capax beatitudinis eſſe poterat, effici voluit, ſimilia ſui, ideſt bona. In hoc enim Deo, licet incomparabilis diſtantiæ ſimilitudine aſſimilantur. Quia verò dicit, capax beatitudinis, intelligendum eſt beatitudinis, ideſt bonitatis. Vides ergo quanta gloria eſt Deo aſperſiſſe omnia ſæcula, immò impleviſſe bonitatibus, & gratiis, ut ait Philoſophus, pro magnitudine autem gloriæ eſt magnitudo gaudij diligentibus, ut ſæpè diximus, ipſum. Quantum ergo eſt gaudium diligentibus Deum ex tot, & tantis, tamque bonis operibus Dei, dum ea vident univerſa bona valdè. Si enim ex modico bono opere amici, cogit amicitia gaudere amicum, quantò fortiùs diligentes Deum de tantis bonis (ut diximus) operibus Dei gaudent, pro magnitudine amoris, quo ipſum diligunt? Cùm autem creatio univerſi, & conſervatio ipſius, renovatioque bonorum, quæ continua generatione fiunt in mundo, divinæ largitatis inæſtimabilia dona ſint, inter opera verò magnifica nullum majus ſit operibus largitatis, nulla etiam magis placentia diligentibus auctorem eorum, quantùm gaudium eſſe eſt credendum videntibus hanc tam magnificã Dei largitatem, cujus dona ſunt & quicquid omnia ſæcula ſunt, & quicquid habent bonum, atque laudabile; nihil enim gratius videmus in eis, quos verè diligimus, quàm præclaram, atque magnificam largitatem. Quia verò omnia dona divinæ largitatis nulla ſunt comparatione ejus boni, quod eſt Spiritus ſanctus æqualis per omnia ipſi Patri, & Filio, manifeſtum eſt nullam eſſe Dei largitatem in donando alia, comparatione largitatis, quâ Spiritus ſanctus eſt donum ipſius; hanc ergo largitatem in eo, tantumque donum ex eo, tantò magis amant, & gaudent ex eo, quàm ex aliis, quantò hæc largitas, & hoc donum aliis ejuſdem largitatibus, & donis ipſi majori gloriæ ſunt, & honori; quare tantò majus eſt eis gaudium de his, quàm de omnibus aliis, quantò Deus ſupereminet illis. Eſt enim Spiritus ſanctus indubitanter Deus unus, verus, ac ſolus, propter quod, ut & aliàs ſæpè diximus, & ſæpè dicendum eſt, nihil noverunt Philoſophi de magnificentia, & largitate Dei comparatione Chriſtianæ ſapientiæ, qui generationem filij ex ipſo, & largitatem, quia Spiritus ſanctus ex utroque procedit, donum ſcilicet æquale ambobus ignoraverunt. Nihil inquam de magnificentia ejus, & largitate noverunt, qui ipſum cauſam tantùm, & principium, atque datorem bonorum, & creatorem eſſe noverunt, comparatione fidelium. Quemadmodùm ſi quis de largitate regis alicujus largiſſimi non noſſet, niſi quòd quatuor obolos, aut nummos largitus eſſet, alius autem ſciret de eodem, quòd theſauros nobiliſſimos, & infinitos donaſſet, nihil ſciret de largitate ipſius alter, comparatione alterius. Eo modo qui non noverunt de Deo Patre, quòd auctor ſit, niſi mundi, tantò minus noverunt de magnificentia, & gloria ipſius, quàm illi qui noverunt ipſum eſſe auctorem filij, quantò ipſe filius major eſt univerſo. Tertia verò ſpecies amoris, de qua dicitur Sapient. 8. Quia amator factus ſum formæ illius, de quo liber Canticorum refertiſſimus eſt, gaudium parit de ipſa pulchritudine divina, & amplexibus ejus, pulchritudine inquam, in

Nota.

Locus à minori.

Largitas Dei.

Spiritus ſanctus.

eo quod eſt pulchritudo; hæc autem gaudia tantò majora ſunt gaudiis omnibus mundanis, atque carnalibus, quantò divina pulchritudo cæteras omnes præcellit, quantòque arctiùs illam animæ humanæ in ſtatu illo beatitudinis, quàm alias in quocunque ſtatu alio, amplectuntur. Si autem attendes, quòd & dicta, & facta ſponſæ, ipſaque familia ejus, omneſque laudatores ipſius, & admiratores, & ut ad unum dicamus, quicquid illam quocunque modo reſpicit, quemadmodùm dona ipſius ſponſæ, jocundiſſima ſunt, videbis manifeſtè, quòd hac de cauſa omnes Angeli ſancti, tanquàm divinæ pulchritudinis admiratores, & laudatores, omnes animæ ſanctæ, & beatæ, omnes omninò creaturæ jocundiſſimæ ſunt animabus humanis propter ipſum ſponſum, cujus pulchritudinem laudant, mirantur, enarrant, & prædicant, ut poſſunt. Quantò fortiùs igitur & ipſe pater auctor pulchritudinis ejus, & ipſe Spiritus ſanctus tanti amoris inſpirator, & beatiſſimorum iſtorum amplexuum copulator? Diximus aliqua de his in expoſitione libri Canticorum, quæ hîc ex induſtria pertranſimus. In his ferculis alia ſunt comeſtibilia (ut diximus) alia potabilia, non quidem aliâ eſſentiâ, aut ſubjecto, ſed ratione ſolummodò, aut relatione; comeſtibilia enim ſunt, ſive panis in eo, quod incredibili fortitudine confortant, potabilia verò ſive vinum, in eo quod incogitabili jocunditate lætificant, & ad exultationem, atque tripudia interna pulchritudine, ac decentiſſimè incitant. De hoc verò quod apud ſcholaſticos Doctores, atque ſcholares uſualiter dicitur, quòd tres ſunt dotes animarũ glorificatarũ cognitio videlicet, dilectio, fruitio; non alia de cauſa curandum eſt, niſi, quia ſic dicitur non enim multùm circumſpectè, aut perſcrutatè dictum eſt, primùm, quoniàm cognitio non determinatur ibi, utrùm ſapientialis, aut ſcientialis ſit. Et cognitio ſapientialis nobilior eſt, ac intimior. Ipſi autem intelligunt hîc cognitionem ſcientialem tantùm, quæ (ut diximus) ad ſolam vim intellectualem pertinet. Secundò, cùm omnis virtus patriæ præmium ſit (ut oſtendimus) & æquale præmium dilectioni, quoniàm omnes virtutes patriæ æquales erunt, & omnium virtutum gaudia, quæ in Deo, aut ex illo erunt, pro ſe æqualia erunt. Tertiò cùm fruitio ſit amicabilis inhæſio alicui propter ſe, ſicut & frui eſt inhærere amore alicui propter ſe, quemadmodùm dicit Aug. in libro de doctrina Chriſtiana, erit fruitio ſecundùm hoc tantùm, ſecundùm dilectionem, vel amorem. Et propter hoc ſecundùm vim concupiſcibilem tantùm, & in illa ſola; & ita iſta ſola concupiſcibilis fruetur in Deo. Nos autem jam oſtendimus gaudia aliarum virium. Manifeſtum verò eſt, quia fruitio alicujus non eſt niſi gaudium in illo, aut de illo per ſe. Quia ergo hujuſmodi gaudia omnium virium erunt in Deo, & ex Deo, erit fruitio in omnibus viribus, aut ſecundùm ipſas. Quartò impaſſibilitas animarum glorificatarum cur non erit dos animarum glorificatarum, cùm ſit pars gloriæ ipſarum, præſertim, cùm impaſſibilitas corporũ glorificatorum una ſit ex quatuor dotibus ipſorum? Quintò, quemadmodùm quatuor dotes glorificatorum corporum iſta tria, & dotes animarum nominantur, & tres numerantur, quia videlicet quemadmodùm quatuor illa ſimul accepta ſunt gloria tota hujuſmodi corporum; ſic iſtæ tres tota gloria ſunt, & fœlicitas beatarum animarum; manifeſtum autẽ eſt, hoc eſſe impoſſibile, cũ nemo dubitet omnes virtutes patriæ, omniaque gaudia, & ipſam impaſſibilitatẽ animarũ ſimul ſumptas totã eſſe gloriã, & fœlicitatem earum. Quare manifeſtũ eſt ſermonẽ hujuſmodi plus habere rhetoricæ, quã exploratæ ve-

Nota.

Dotes animarum glorificatarum non tantum tres.

Fruitio.

Frui.

Impaſſibilitas animarum, & corporum.

ritatis. Amplius. Dicit Ariſtoteles, quia inter potentiam, & actum in perpetuis, & immaterialibus nihil differt, de hujuſmodi autem eſt charitas etiam patriæ, immò omnes animæ glorificatæ, quare ibi inter actum charitatis, & charitatem nihil differt ſecundùm Ariſt. Actus autem charitatis fruitio eſt, ſeu gaudium. Quomodò ergo duæ dotes nominantur dilectio, & fruitio? Amplius. Dicit Aug. in libro de trinitate: Quia placitum eſt quieta voluntas; Voluntas verò in motu deſiderium. Nihil autem aliud eſt charitas, vel amor, niſi voluntas quædam (ſicut ait Philoſop.) quoniàm idem velle, idem nolle, demùm vera amicitia eſt. Placitum verò nihil aliud eſt, quàm gaudium; quare charitas quieta, hoc eſt in fine ſuo, quem quærit, quod eſt dicere, obtinens, ipſum gaudium eſt, ſive fruitio illius.

Charitas quid.

Certum enim eſt, quia amor non quieſcit, niſi in amato, quod eſt, cùm obtinet ipſum (ut diximus) poſſeſſione plenaria, aut pacifica.

F *Placitum quid.*

Utrùm autem ſit numerus gaudiorum in fœlicitate, forſitan quæreret aliquis, & videtur nõ eſſe numerus eorum. Primùm, quia cùm ibi (quocunque demonſtrato) ſit gaudium de fœlicitate uniuſcujuſque aliorum,

Nota.

tantumque ac tale gaudium, de quo vice verſa neceſſe ſit, ut gaudeat etiam alter pro magnitudine gaudij illius, & amoris, quem habet in proximum, erit iſta reciprocatio abſque numero, & infinita. Cùm de unoquoque gaudio proximi tanto, ac tali, neceſſe ſit unumquemque & gaudium ab altero recipere, & gaudium in ipſum refundere de gaudio accepto.

Gaudia ex damnatis.

Amplius. Quot erunt damnati in inferno, ſive Angeli mali, ſive homines, tot erunt gaudia unicuique ſanctorum à parte juſtitiæ, cujus tanta pulchritudo tantuſque amor ejuſdem ibi erit, ut nec menſurabilis ſit nobis hìc, nec plenè cogitabilis. Amplius. Non ſolùm de unoquoque damnato, ſed etiã de unoquoque ſupplicio. **G** Apparet igitur tibi ex his, quòd illa innumerabilia gaudia, & inæſtimabilis magnitudinis, tanquàm fercula lautiſſima, & delicioſiſſima apponit infernus menſæ huic à parte juſtitiæ, ſimiliter & à parte charitatis, qua gloria Dei eouſque ibi diligitur, & de qua tam incogitabiliter ibi gaudetur. Tunc enim veriſſimè dicent electi: Cantemus domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum, ideſt totum cœtum malorum, & aſcenſorem ejus, ideſt catervam totam ſuperborum, projecit in mare, ideſt in abyſſum æternarum amaritudinum. Hoc eſt quod legitur in Apocal. 19. Poſt hoc audivi quaſi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluya, laus, gloria, & virtus Deo noſtro, quia vera, & juſta judicia ejus ſunt, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit omnem terram, &c. Et iterùm 18. Exulta ſuper eam cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium noſtrum.

H *Meretrix magna quid.*

Meretrix illa magna tota eſt caterva malorum, quæ meretricium, ac turpitudinem omnimodam peccatorum, & vitiorum ſpreto ſacratiſſimo Chriſti connubio nec erubuit, nec expavit.

Quæſtio bona.

Si quis autem quærat, qualiter evacuabitur ibi eouſque miſericordia, ut non ſolùm nulla ſit ſanctis compaſſio de ſuppliciis damnatorum, quin etiam gaudium ineffabile, immò gaudia immenſa & innumerabilia: Reſpondemus, quia miſericordia totam ſe confert in gaudium, quod erit de ſublata omninò miſeria Sanctorum, & ſicut in ipſa fœlicitate nulla erit immixta miſeria, ita nec miſeria cordis, quæ compaſſio eſt.

Otioſa eſſet compaſſio in ſanctis poſt hanc vitam.

Amplius. Otioſa eſſet & omninò inutilis ibi compaſſio cùm nec prodeſſet ipſis compatientibus ad meritum, nec ipſis, quibus impenderetur, aliquod ſolatium, vel aliquod remedium apponeret, ut ad gaudium, vel ferculum infernus, ſcilicet de

E emendatione, & purgatione mundi. Omnes enim fæces, omnes maculas, omne quod in mundo decebat, omnia mala, & omnes malos in ſe colliget, ac retinebit perpetua concluſione, ut inde nihil eorum, & nullus eorum erumpere poſſit, qui hujus mundi pulchritudinem maculet, & inquinet, qui munditiam ejus quãdoque, aut decorem obſcuret. Non enim parùm indecens, leviterque offendens oculos rectos, eſt in mundo tanta fœculentia, tantaque maculoſitas vitiorum, tantaque ſcandala, quibus impediuntur greſſus ſanctorum, tantæque contumeliæ, ac diminutiones bonorum, & gloriæ Dei, propter quod dicit veritas Math. 13. Quia mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala & eos qui fecerunt iniquitatem, & mittent in caminum ignis.

Nota.

In quo evidens eſt, quòd ſi aliam renovationem, aliùque novum ornatum, vel decorem non reciperet mundus iſte inferior in futuro judicio, multò tamen ſpecioſior tunc eſſet, quàm modò ſit. Alibi autem jam diximus, videlicet in capitulo de perpetuitate pœnarum, quia infernus tunc ſuccedet paradiſo, & qualiter hoc erit, ibidem hoc declaravimus. Quòd autem perpetua ſit iſta gloria animarum, inde manifeſtum eſt, quia nec voluntariè inde abſtrahi poterunt, propter cauſas, quas jam diximus, nec violenter, cùm illuc violentia attingere non poſſit, nec ulla alia pars miſeriæ, ſed neque naturaliter cùm nihil adeò ſit naturale animabus humanis, ut adhærere perfectioni ſuæ ultimæ, & quieſcere in ſuo fine ultimo, quare abrumpi, vel abſtrahi ab illo, eſt contra naturam ipſius. Et de hoc etiam aliquid diximus ſuperiùs contra errorem, qui imponitur Origeni: ſicut autem deficimus in numeratione gloriæ iſtius, ac fœlicitatis, ſic & deficere nos fatemur in numeratione delitiarum, & gaudiorum ipſius, ac gloriationum.

Salubre conſilium auctoris.

Quòd ſi quis rationibus & probationibus, ac delectationibus hujuſmodi contentus eſſe noluerit, ſed neque credere his, quibus jam aliquatenùs prægustare hic facimus ſuavitatem fœlicitatis iſtius, & quærit in ſeipſo habere experimentum ipſius, purificet palatum cordis, abſtrahens ipſum ab eis, quæ carnis ſunt, & mundi voluptatibus, hæc proculdubiò illud inficiunt, & corrumpunt, & ſapere, quæ ſurſùm ſunt, non permittunt. Purificet & oculos cordis ab errorum tenebris, & vitiorum, & dirigat aciem eorum in lucem ſuaviſſimam, quæ Deus eſt, jugi meditatione ſcripturarum quæ mentes ad ipſũ erigunt, & elevant, jugique contemplatione magnalium ipſius, fugiat mundi ſtrepitus, & corruptionem, ſed etiam conſortia hominum, prout poterit, omninò evitet, negotiaque ſæcularia, ſobrius ſit à cibis, & potibus, quia (ut dicit Hieronymus) nihil adeò obnubilat intelligentiam ut comeſſatio, & ebrietas.

Hieronymus.

Hic ſi quietus, & mundus, ac ſobrius (ut diximus) talibus vacaverit, facilè experimentum ejus, quod diximus, aſſequetur. Iſta enim quæ ſubvertunt, inebriant, captivant, maculant, obtenebrant, deprimunt, & abſorbent mentem humanam, & palatum ejus inficiunt & tranſvertũt. Quemadmodum enim (ut dicit Aug.) guſtato ſpiritu deſipit omnis caro; ſic econtrariò verum eſt, quia guſtata carne, hoc eſt admiſſa, ſive recepta carnali voluptate, deſipit omnis ſpiritus, ideſt, omnis ſpiritualis ſuavitas.

Cicero de divinatione.

Atteſtatur nobis Tulli' in libello ſuo de natura deitatis, & divinatione, quantùm ad illud, quod diximus de ſobrietate, in quo forſitan à prophetis edoctus fuit, qui mirâ abſtinentiâ ſe purificabant, ut revelationum gratiam obtinerent, ſicut expreſsè legitur de Daniele, & de quibuſdam aliis. Et hic quidem finem faciemus capituli iſtius, quod eſt de infinibili fœlicitate beatarum animarum.

Digitized by Google

DE IMMORTALITATE animæ.

CAPUT UNICUM.

Incipit tractatus Guilielmi Pariſienſis de immortalitate animæ.

Quinque modis humanis erroribus conſulitur.

VOſſe autem debes ex aliis, quia quatuor, vel quinque modis, humanis conſulitur erroribus. Primo quidem ſenſu, per experientiam. Secundo verò pœnâ per legem punitivam, & ab erroribus B retractivam. Tertio autem philoſophiâ, hoc eſt, per probationem validam. Quarto per auctoritatem fide dignam, & ab auctore, ſive ab homine auctorizabili traditam. Quinto autem adhuc altiori modo, ſcilicet per viam divinam, utpotè per revelationem, aut prophetiam, vel doctrinam immediatè à Deo traditam. Has enim quinque vias, quaſi quinque divina medicamina, & clarificativa collitia, contra cœcitatem errorum, ac ſpiritualium, contulit nobis pietas divina. In hoc apparet quàm noxium, & quàm perniciosum divina bonitas reputaverit errorem fidei, & morum; maximè errorem illum, qui eſt de mortalitate naturali animarum rationalium, quoniàm ſcilicet error ille deſtruit fundamentum honeſtatis, & religionis totius. Quid enim reſtat animabus diffidentibus de C immortalitate ſua, cùm nulla ſit ſpes vitæ alterius, & ideò nec ſit ulla obtinendæ veræ fœlicitatis fiducia, niſi omnium proſtitutio vitiorum, & ipſa etiam honeſtas quid aliud eis, quàm dementia reputabitur? Dum enim ſe vident fraudari præſentibus delectationibus, & alias non expectant, nullo modo ſuaderi poterit eis, quòd aliud ſit honeſtatis perſuaſio, quàm Imperatorum deceptio, & ipſa profeſſio laudabilium morum erit error deceptorum, & deviamentum, ex quibus oritur rerum humanarum intolerabilis perturbatio, vitæ ac morum confuſio, & extremum malorum omnium, creatoris ſcilicet audaciſſima exhonoratio. Meritò igitur tam noxio errori tot medicamenta oppoſuit divina miſeratio, ut lex per pœnas mederetur contumacibus, & philoſophia per probationem ignorantibus, & prophetia per revelationem ſcripturam divinam venerari volentibus. Senſus quoque perſuadent ipſam animarum immortalitatem experiri volentibus, non ſolùm teſtimonio accepto à reſurgentibus, & D ab altera vita redeuntibus, ſed etiam teſtimonio accepto ab ipſis animabus ſuis, ſeipſas à corpore, & ab aliis rebus abſtrahere volentibus, & ad ſemetipſas ſe colligentibus. Hæ enim animæ ſic revertentes ab exterioribus ad ſeipſas, ſicut dicit Plato in libro de immortalitate animæ, indubitanter ſentiunt ſeorsùm ſe eſſe à regione mortis. & agnoſcunt continuitatem ſuam, & conjunctionem ad fontem vitæ, & nihil eſſe interponibile ſibi, & fonti vitæ, quod fluxum vitæ ſuper illas impediat, & avertat. Sed iſta experientia animabus, quæ in ſenſus, & in ſenſibilia effuſæ ſunt, atque diſperſæ, & in corporibus propriis ſunt incarceratæ, eſt impoſſibilis. Qualiter autem huic errori philoſophia probatione auctorrtatum, & rationum occurrat, docere in præſenti tentabimus. Nam auctoritates novi, ac veteris teſtamenti, & originalium ſancto-

Pro aſſerenda immortalitate animæ.

A rum, & experientias ſexiptas in dialogo beati Gregorij Papæ, & in aliis conſimilibus, quia de facili poterunt ab aliis inveniri, ad ponendum hîc non laboramus; quia ſcilicet per talia erroneos philoſophos, contra quos hîc diſputamus, interim efficaciùs evincemus. Ad hęc ergo ſunt auctoritates. Et primò Ariſtotelis docentis in ſecundo de anima. Revertere ad quaternum diſputatum pro auctoritatibus: Et jam noſti ex doctrina logices, quia efficax non eſt demonſtratio, niſi cùm fuerit ex propriis. Tranſcendentia enim, & extranea cùm aptata fuerint concluſioni, cujus certitudo nobis quæritur, aptata inquam complexione, & ordinatione ſillogiſtica, non faciunt nobis ſcientiam demonſtrativam. Hujuſmodi tamen ſillogiſmi imperitia, & defectus, & cognoſcendæ quoquomodò veritatis aviditas, cogit nos eſſe contentos, propter quod juſtitiam creatoris, & judicium B futurum radicem probationis immortalitatis animæ humanæ, non nos primi, ſed ante nos alij poſuerunt, ſcilicet Petrus Apoſtolus contra Simonem magum in itinerario Clementis Papæ, & martyris. Si enim anima humana poſt vitam iſtam non viveret, vanè hîc, & fruſtra Deo ſerviretur, cùm in vita iſta Dei cultus, & religio, plurimum ſibi tormentum habeāt, & afflictionem, & poſt vitam iſtam nulla ſit futura eis remuneratio, quia neque vita eſt animæ humanæ poſt vitam iſtam. Secundùm hæc ergo utilius eſſet animæ humanæ negare Deum omninò, & omni vanitati, & voluptati ſe proſternere, quàm ſanctè, ac juſtè vivere, & creatorem debita honorificentia, & devotione colere. Si enim curat Deus cultores, & veneratores ſuos, ubi ergo ejus potentia, cùm nec in vita iſta propter hoc ſit eis deterius, C qui non colunt, cùm alia vita non ſit futura poſt iſtam, ſecundùm errorem qui dicit, animam humanam cum corpore morituram? Si autem non curat, ubi ergo eſt ſapientia ejus, aut bonitas? aut enim ignorare, aut non amare videtur amatores ſuos & veneratores, quorum alterum deſtruit ejus ſapientiam, alterum verò bonitatem. Hæc igitur eſt radix ad præſens prima, per quam conati ſumus aliquam animæ humanæ vitam oſtendere eſſe poſt iſtam. Alia radix eſt ipſa Dei juſtitia, qua poſita neceſſe eſt eſſe futurum judicium. Quoniàm in hac vita nec mali recipiunt, quod merentur, nec boni, quia ſcilicet malis hîc benè eſt, & bonis malè. Ubi ergo eſt juſtitia Dei, cùm utrique ſcilicet boni, & mali contraria meritis ſuis recipiant in hac vita, ſi poſt vitam iſtam non eſt futurum generale judicium, quod utique non eſt futurum poſt iſtam? Tertia autem radice ad ipſam aliam, ſcilicet vitam, oſtendendam utimur, quæ eſt iſta, ſcilicet quia omnis juſtitia perfecta exit in judicium, D quam juſtitiam nec ignorantia meritorum, neque difficultas aliqua, aut impoſſibilitas retributionis prohibet, juſtitiam autem divinam aliquo iſtorum prohiberi, vel impediri impoſſibile eſt. In judicium igitur perfectum aliquandò illam exire neceſſe eſt, & in hac vita non exiit, exibit igitur poſt hanc. Hac etiam quarta radice uti conſuevimus ad idem oſtendendum, ſcilicet, quòd ſapientiſſimus, & benigniſſimus Deus aliud melius providit electis ſuis, quàm iſta vita habeat, cùm ipſâ divinâ ſapientiâ duce quicquid habet vita iſta, & ipſam etiam vitam, electi Dei ex conſilio ipſius Dei contemnāt, ſicut patet legentibus Evangelia, & Epiſtolas, & totum vetus, & novum teſtamentum, ubi agitur de contemptu mundialium. Quapropter ſapientes maximè invenirentur erronei, & ipſa ſapientia duce deceptiſſimi, cùm totum bonum ſuum contemnerent, & abjicerent. Soli verò mali ſapienter hîc viverent

Ariſtoteles de anima immortalitate.

Clemens in itinerario.

Secund[a] radix.

Tertia radix.

Quarta radix.

E rent, & cautè agerent, cùm ipſi ſoli bonum ſuum hîc quærerent. Reſtat ergo, ut aliud melius, quàm habeat vita iſta electis ſuis, & cultoribus, Deus providerit, & hoc non in vita iſta: Quoniàm nihil melius eſt in vita iſta, quàm habeat vita illa malorũ, in alia igitur, & ita alia eſt præter iſtam ſaltem animabus bonorum. Quare & animabus malorum, quoniàm ſi nihil deterius præparavit Deus animabus malorum, quàm habeat vita iſta, tunc non ſolùm impunè mali ſunt, ſed etiam ad commodum ſuum mali ſunt, quia ſcilicet in vita iſta multis bonis temporalibus utuntur, & à multis malis temporalibus liberantur, procurante eorum nequitiâ. Ergo ſi non eſt alia vita, melius eſt malis pro propria nequitia, quod quidem apud nullam rationalem mentem ſuſtinebit æquitas divina. Nunc autem ex propriis immortalitatem ejus aſtruere tentabimus; primùm igitur ordinabimus rationes quas à

Probatio immortalitatis animæ.

F philoſophis accepimus, quarum una hæc eſt. Omnis ſubſtantia cujus operatio non pendet ex corpore, neque ejus eſſentia pẽdet ex corpore; liberior enim debet eſſe eſſentia, quàm operatio. Cùm ergo operatio animæ humanæ, ſcilicet id, quo brutis antecellimus, ut eſt operatio intellectus, non pendeat ex corpore, neque ejus eſſentia, igitur ſeparabilis à corpore naturaliter, & vivens præter corpus. Ampliùs. Juxta eandem rationem. Omnis virtus cujus operatio non impeditur à corpore ejus, eſſentia non pẽdet ex corpore, palàm autem eſt virtutem intellectivam hujuſmodi eſſe, quia quantò magis ſe corpori miſcuerit, tantùm ejus intelligere erit obſcurius, & tardius, & erroribus admixtius; quantò autem à corpore ſe plùs elongaverit, & abſtraxerit tãtò erit acutius, clarius, velocius, & ab erroribus liberius. Elongationem autem ſpiritualem, non cor-

G poralem hîc accepimus, & approximationem ſimiliter, quæ eſt ſollicitudo & amor corporis, & eorum, quæ corporis ſunt. De quibus manifeſtum eſt, quòd immergunt, & obſcurant intellectum, contraria verò liberant, & clarificant, & iſta ſunt ſicut impedimenta corporis, & attractus ejus apud intellectum. Eſſentia igitur intellectus non dependet à corpore, cùm ejus operatio impediatur ab illo, & per illud. Ampliùs. Si eſſentia intellectus pendet ex corpore, oportet, ut confortatio ſequatur confortationem & debilitatio debilitationem; nos autem econtrariò totum videmus. Et quia debilitatio corporis eſt in ſenectute & vigor virtutis intellectivæ tunc maximus, & intellectus ex omnibus ſuis modis fortiſſimus, ex quo manifeſtè apparet virtutem intellectivam in ſenectute juveneſcere. Ampliùs.

Nota.

Omne mortale ſua ipſa duratione paulatim debilitatur, & deficit, donec veniat ad defectum ultimum, qui eſt mors; virtus autem intellectiva ſua ipſa duratione proficit, & invaleſcit, ut quantò fue-

H rit diuturnior, & antiquior, tantò fiat ex omnibus ſuis modis fortior. Virtus igitur intellectiva immortalis eſt, & ipſam non ſolùm non poſſe ſeneſcere duratione, aut deſtructioni appropinquare, immò juveneſcere, & à defectu, & morte ampliùs elongari manifeſtum eſt; in quo ſimul apparet diverſitas inter virtutem animalem, & virtutem intellectivam, quoniàm virtus animalis, tanquàm pendens ex corpore ſequitur diſpoſitiones illius, quia eo confortato, confortatur, & vigorato vigoratur, & debilitato, debilitatur, & deficiente, deficit, & ceſſant operationes animales ex toto, virtus autem intellectiva econtrariò ſe habet. Si quis autem

Objectio.

objecerit, quia virtus intellectiva impeditur, & debilitatur, cùm impeditur, & debilitatur corpus, ſicut in ægrotantibus, aut freneticis, & melancholicis, & quolibet alio modo mente alienatis: Reſpon-

Reſponſio.

E dendum, quia aliud eſt impedimentum, & læſio, aliud eſt occupatio. Non enim diximus quòd viſus, vel auditus exterior lædat, vel impediat intellectum, ſed occupat mentem humanam reverà, ut horâ illâ non vacet intellectivæ operationi, quia per viſum, & per auditum ad forinſeca pertrahitur: ſic eſt & in laborantibus hujuſmodi paſſionibus, paſſiones ſi quidem hujuſmodi ſunt ſicut ſomniis fixa & adhærentia propter infectiones inſeparabiles, aut non facilè ſeparabiles. Quemadmodùm igitur ſomnia mentem tenent, & alligant circa phantaſmata occupatam; ſic iſtæ alienationes eſſentiam virtutis intellectivæ non lædunt, ſed operationem ejus occupatione impediunt, & hoc apparet, quia liberata, & expurgata virtute animali penitùs ab hujuſmodi infectione, virtus intellectiva, tanquàm nihil paſſa hujus læſionis, ad proprias operationes revertitur. Et

F in his ipſis turbationibus, & alienationibus ad divinationes, & divinas revelationes, quodammodò velut à corpore ſoluta; & expedita erumpet. Certum autem eſt, quia divinationes fortiſſimæ, ac nobiliſſimæ operationes virtutis intellectivæ ſunt, dum eſt in corpore, & ad illa maximè invaleſcit maximis impedimentis, & læſionibus corporum, & hæc eſt cauſa, propter quam illuminatio, ſive revelatio prophetis vix advenit, niſi cum magna debilitate corporis, ſicut eſt extaſis. Et inde eſt, quòd extaſum raptum uſus nominat. Manifeſtum ex his, quòd nobiliſſima operatio, ac fortiſſima virtutis intellectivæ, quæ eſt prophetia, vel revelatio, tunc maximè viget, cùm corpus eſt infirmiſſimum, ſicut in extaſi, vel raptu palam eſt. Hæc autem eſt ejus maxima operatio, dũ eſt in corpore. In omnimoda igitur ſeparatione à corpore, quæ mors eſt, omninò viget. Ampliùs. Si in om-

Extaſis.

Nota.

G nimoda ſui conjunctione, quæ eſt omnimoda ſolicitudo, & ad ipſum, omnimodus amor, abſorbetur propria operatio virtutis intellectivæ: à contrario igitur in omnimoda ſeparatione ſui à corpore, confortabitur, & revigorabitur, & hæc ſeparatio in morte eſt, vel poſt ipſam eſt. Impoſſibile autem eſt vigorari operationem virtutis cũ læſione eſſentiæ ſuæ; nõ læditur ergo ulla eſſentia virtutis intellectivæ ex morte corporis. Hujuſmodi autem indicia manifeſta ſunt in raptu, & extaſi, & ſomno, & ægritudinibus, quæ operantur alienationes (ut diximus) & in vicinitate mortis, ubi plerũque divinationes, & viſiones, & futurorum prædictiones factas non dubitamus. Ratione autem philoſophantium, & veritatẽ ſcrutari quærentium, non ſolùm principia, & radices ponere, ſed etiam indicia, & ſigna oportet. Alia etiã radix apud philoſophos invenitur, hæc ſcilicet, omnis ſubſtantia, cujus forma non eſt corruptibilis, incorruptibilis eſt. & omnis ſubſtantia intelligens eſt hujuſmodi, quoniàm ſolæ ſubſtantiæ, in quibus ſũt formæ materiales, corruptibiles ſunt; nullam autem

Divinationes in morte.

H formarum materialium habet ut ſuam, id eſt naturalem, vel eſſentialem quæcunque ſubſtantia intelligens, & hoc eſt quoniàm hujuſmodi ſubſtantia intellectus omnium formarum ſimilitudines recipit; quemadmodùm oculus nullum habet colorem in ulla parte ſui, ubi omnium colorum ſimilitudines recipit, & guſtus nullum ſaporem, niſi quòd omniũ ſaporum ſimilitudines recipit; alioquin nec iſte, nec ille ſuorum ſenſatorum ſimilitudines recipiet, neque ab illis eſſet paſſibilis cùm album ab albo paſſibile non ſit, neque ſimilitudinem ejus ullo modo valeat recipere. Si enim illam reciperet, duæ invenirentur in eadem ſuperficie, cùm impreſſio albedinis non poſſit eſſe, niſi albedo. Quia igitur ſola forma materialis eſt corruptibilis, & illam non poteſt habere naturalem ſubſtantiam intelligens, manifeſtum eſt ſubſtantiam intelligentem incorruptibilem

Philoſophorum argumenta de anima.

eſſe,

A eſſe, cùm ejus forma ſubſtantialis incorporalis ſit, & hoc tanquàm certo, & probato utuntur, quia omnẽ generationem, & corruptionem omnemque conflictum contrariorum in materia eſſe certiſſimum eſt, quoniàm in immaterialibus non eſt contrarietas, & ideò neque conflictus, & propter hoc neque corruptio, quoniàm generatio, & corruptio ex conflictu contrariorum eſt, ubique invicem agentium, & patientium. Et quia actiones hujuſmodi omnes, & paſſiones per contactum ſunt, contactum autem in ſolis materialibus & in ſolis corruptibilibus eſſe neceſſe eſt. Quòd ſi quis quærat de anima animali vel brutali, an materialis forma, & ipſa ſit: Oportet reſpondere, quia materialiũ formarum duæ ſunt materies, una, quæ totaliter innititur, & incũbit materiæ ſuæ, & non regit, neque ſuſtinet eam ullo modo, ſed ſuſtinetur ab ea, & hæc eſt forma propriè corporalis, alia, cui potiùs innititur ſua materia, & ſuſtinetur & regitur ab ea, veruntamen non eſt operatio hujus

Formæ materiales.

B formæ niſi in materia ſua, & per eam, & ideò apparet, quòd ejus eſſentia extra materiam ſuam otioſa eſſet, & inutilis: hoc igitur modo forma materialis eſt animæ brutalis, & vegetativa, hoc eſt ex materia ſua dependens, & quantùm ad eſſe, & quantùm ad operari, & cum deſtructione ſuæ materiæ deſtructibilis, ſicut liquor, qui ſervatur in vaſe, deſtruitur deſtructione vaſis, & ignis in lignis, licet iſtæ diſſimiles ſint multùm à ſimilitudines, propter quod inducũtur. Anima etiam hujuſmodi nõ eſt receptibilis formarũ materialium omnium, quoniàm non eſt ſuſceptibilis univerſalium, & fortè propriè nec ſenſibiliũ, æſtimativa enim virtus, quæ proculdubiò in hujuſmodi anima eſt, fortè propriè nullàm niſi ſenſibilem recipit, propriè diximus, quia nullũ propriè videtur æſtimabile brutis, niſi ſenſibile nocumentũ, aut commodũ, circa quæ duo virtus æſtimativa brutorũ maximè verſatur.

Anima brutalis forma materialis.

C Sed qualiter faciũt, quòd in materialibus non ſit immaterialis corruptio? Cùm paſſiones, & dolores immateriales inveniantur apud ipſam, ſicut ira, invidia, odium, & erubeſcentia, & alia, quæ non ſolùm paſſiones, & dolores ſunt, ſed etiam tormenta graviſſima. Si autem apud illam inveniuntur dolores, & tormenta, quomodò non defectus, & mors? Qualiter autem erit defectus, & dolor, & tormentum ſine læſione? Si autem læſio ibi eſt, erit venire ad defectum, quoniàm cauſa, quæ magis dolere faciet, magis lædet. Quia igitur quantumlibet cõtingit cauſam doloris augeri, finita autem videtur ad patiendum omnis virtus, quæ eſt læſibilis, erit igitur venire ad extremum læſionis, hoc autẽ eſt defectus, & mors, in quo dicimus, quòd dolor equivocè dicitur, uno modo dolere dicitur vel vulneratus, aut a-

Dolor.

D lio modo damnificatus, & alterius modi unitas inter amatorem, & amatum, & inter partes continui. Si autem unitas equivoca ſive ligatio, & diviſio æquivoca, quotiens enim unum oppoſitorum, totiens & alterum neceſſe eſt dici. Similiter autẽ & læſio equivocè hinc, & inde dicitur, altera eſſentialis, & altera non. Alter enim in eſſentia ſua læditur, alter nõ, ſed, ut uſualiter dicatur, in re ſua forinſeca, & inde eſt, quòd quemadmodùm ipſa rei læſio, vel deſtructio, non attingit eſſentiam poſſeſſoris; ſic neque læſio hujuſmodi, & ideò neque defectum, neque læſionẽ eſſentialiter inducit. Nos autem in ſequentibus faciemus ſcire, quia affectio, ſeu paſſio hujuſmodi defectionem eſſentialem per ſe inducere poteſt. Quod ideò dicimus, quia nihil prohibet in anima animali paſſionem hujuſmodi adeò vehementer fieri, ut inde ſequatur mors corporis, & ex conſequenti defectio animæ brutalis, quod & de humana ſimiliter accideret, ſi ejus eſſentia ab eſſentia ſui corporis dependeret. Nunc ergo in tantum ſit hîc determinatum, donec ad alia quæ diximus veniamus, & hæc quidẽ ferè omnia à philoſophis accepimus, ab Ariſtotele, & ejus ſequacibus. Radices autem, & probationes Platonis præterimus, quoniàm nec fidem intelligentibus de immortalitate animarum noſtrarum faciunt, & omnibus ſpeciebus animarum ſunt communes, ita etiam ut in animam brutalem & in vegetabilem extendantur, de quibus manifeſtũ eſt, quòd earum eſſe poſt corpora, & extra corpora otioſũ, & omninò inutile: omne autẽ otioſũ & inutile, non ſolũ inutiliter quæritur, ſed etiã diſpẽdioſè, quoniàm cũ diſpẽdio, & jactura, quo res utiles quærendæ ſunt. Redeamus autẽ, & dicamus, quòd nullus motus naturæ naturaliter fruſtra, aut vanè eſt. Et quia omne quod movetur naturaliter, nõ eſt naturali impoſſibilitate prohibitum à fine, ad quẽ movetur, alioquin fruſtra, & vanè moveretur in illũ. Dicamus etiã, quòd motus alij ſũt corporales, alij ſpirituales, & quia timor, & fuga ſpiritualis, & his atteſtãtur motus cordis, qui ſũt cõtractio, & extẽſio, & motus corporis ſenſibiles qui ſũt fuga, & inſecutio corporalis. Et ſi quis dicere voluerit, quòd omnis motus corporalis eſt, quoniàm motus eſt exitus de potentia ad actum continuus, ut ait Ariſt. hæc autem diffinitio non congruit, niſi motui corporali, hic eſt erroneus, & imbecillis, impediens ſe ipſum, dum rerũ veritatem negligit, & contentione litigioſa nominũ ſe involvit. Nos autẽ non intendimus hîc per motũ niſi diſpoſitionẽ, quæ per ſe via eſt acquirendi aliud, & ideò hæc convenit eis omnibus, quæ nominavimus. Timor enim per ſe via eſt acquirendi evaſionem, & deſiderium via eſt ſecũdùm ſe acquirendi deſideratum, ſimiliter fuga, ſive ſpiritualis, ſive corporalis, via eſt per ſe acquirendi effugium, & inſecutio eſt via acquirendi inſecutum. Et quoniàm acquiruntur ſpiritualia, ut corporalia, neceſſe eſt ut ſimiliter juxta quod eis congruit, habeant vias acquirendi ea acquiſitionibus ſuis, quæ viæ ceſſant eis acquiſitis, ſicut in acquiſitione corporalium. Revertamur autem ad id, in quo eramus, & dicamus, quoniàm omnis fuga naturalis eſt ad evaſionem naturaliter poſſibilem, & omnis inſecutio ſimiliter, & omne naturaliter deſideratum, naturaliter acquiri poſſibile, alioquin natura fruſtra indidiſſet hujuſmodi deſiderium, quoniàm otioſum eſſet, & erroneum, & ita natura erraret in his, quæ ea naturaliter tamen operatur, quoniàm omnis motus, & omnis intentio ſine fine eſt error. His igitur duabus radicibus poſitis, conſideremus propria deſideria animæ humanæ ſecundùm id, quod eſt humana, & habet nobile eſſe, in quo excellit animam brutalem. Et videmus, quòd deſiderium eſt ei veræ, & integræ fœlicitatis, & fuga veræ miſeriæ. Hinc eſt timor illius, & odium, inde autem nec motus animæ animalis, & animarum, quæ ſtultitia innaturali, & adventitia jam obdurnerunt. Cogites autem quòd de ſolis naturalibus diſpoſitionibus animæ humanæ ſecundùm id, quod habet nobilius, atque ſublimius hîc intendamus, & quæramus, an ſit huic parti nobili fœlicitas propria aut non. Cùm enim pars animalis ſua gaudia, ſuas ubertates, ſuaſque ſecuritates ſuamque oppoſitam omninò miſeriam habeat, pars illa nobilis habet ſimiliter congruentem ſibi miſeriam, & fœlicitatem, aut non? Si non, ergo non erunt ſpiritualia gaudia, cæteraque bona ſublimia, & in hoc non niſi puerilis ruditas, & brutalis irrationabilitas poſſunt delirare, quoniàm in majoribus, & nobilioribus magis congruit eſſe, quàm in minoribus, & ignobilioribus, & ſpiritualibus magis, quàm corporalibus. Erit etiam ſecundùm hæc miſeria perfecta, nobilior enim nullo modo beatificabilis, quia nulla virtus eſt beatificabilis, aut perfectibilis, niſi

Motus corporales, & ſpirituales.

Timor.

Deſiderium animæ.

ex propriis: huic autem ſecundùm hæc non ſunt E bona propria, quoniàm non ſunt ſpiritualia, & nobilitati ejus decentia. Ex his autem quæ animali parti cõgruunt impoſſibile eſt aliam virtutem fœlicitari, quoniàm neque gaudium, ſive delitiæ, niſi convenientibus, neque quies niſi in fine convenientibus, neque perfectio ex alienis, cùm perfectio eorum, quo potentialiter ſunt, apud perfectibilem acquiſitio ſit. Hoc etiam contra ſenſum, & experientiam noſtram eſt, quoniàm de corporalibus & ſapientes non gaudent, neque ex eis ſe fœlicitari animo exiſtimant, immò potiùs ea declinant, contemnunt, ut vilia, & fugiunt, ut noxia, & ſuæ fœlicitatis impeditiva; verùm quoniàm de iſtis Philoſophi morales nos expediverunt, & à ſenſu accepimus illa, quæ bona vocant inſipienter ſapiẽtes amatores, & poſſeſſores ſuos, miſerrimos efficere, aut miſeriam eorum augere, nolumus immorari diutiùs in declaratione hujuſmodi, hac unâ declaratione, quantùm nunc ad inſtans propoſitum pertinet contenti, videlicet, qui poſſeſſores ſunt rerum iſtarum corporalium, aut amant eas, aut non amant? F ſi non, palàm quoniàm oneri, & afflictioni ſunt eis, nulli gaudio, & ideò non ſolùm non addunt fœlicitati eorum, ſed detrahunt: ſi verò amant eas, per amorem igitur juncti, & alligari ſunt, & propter hoc omnium paſſionum, quibus illa ſubjacent, obnoxij: Amans enim & amatum, propter iſtam amoris unionem, neceſſariò ſic eſſe habent, quoniàm amato ipſo patiente, neceſſariò compatitur amans, ſi ad ipſum paſſio per apprehenſionem pervenerit: hanc autem communionem paſſionum ſcilicet, ipſimet amatores rerum hujuſmodi uſu ſermonum ſuorum tritiſſimo confitentur, dicentes ſe deſtructos annihilatos, degrandinatos, vaſtatos, exuſtos, cùm res horum aliquid paſſæ fuerunt. Palàm igitur eſt, quoniàm res hujuſmodi tot miſeriis amatores ſuos ſubjiciunt, quot paſſionibus ipſæ obnoxiæ G ſunt; ſi autem gaudia, & alia commoda tantùm adderent fœlicitati, quantùm ad utrunque: cùm ergo plura, & majora ſint incommoda, & incommoda iſta addunt miſeriæ, & econverſò, idem ergo eſt, ac ſi non adderetur quantùm ad utrunque. Cùm igitur plura, & majora ſint incommoda, palàm eſt, quoniàm miſeriæ tantùm ſimpliciter addunt, & non fœlicitati. Manifeſtum etiam, quòd applicatio ad inferiora, & ignobilia, deſcenſio eſt, & depreſſio, non elevatio, & quoniàm per modum amoris eſt, qui eſt ſubjectio ſpontanea, & ſervitus, ut ipſa ſit deterioratio eorum, quæ ſic applicantur ignobilibus & inferioribus ſe; omnis enim admixtio elongatio eſt ab altero extremo, & ideò admixtio illa ſpiritualis, quæ non niſi amor eſt, elongatio eſt indubitanter à nobilitate, & bonitate, & appropinquatio ad ultimum vilitatis, & depreſſionis, & ita miſeriæ. Et quoniàm de his aliàs locuti ſumus, & ſæpè loquemur, ponamus ea, quæ recipit omnis ſa- H nus intellectus, & dicamus: Quoniàm ſenſus habet ſenſata ſua, quorum conjunctione illuminatur, perficitur, & delectatur, & generaliter omnis virtus animalis, ſimiliter neceſſe eſt, ut virtus iſta ſpiritualis convenientibus nobilibus, quorum apprehenſione illuminatur, delectetur. Si enim ignobilioribus naturaliter de hujuſmodi proviſum eſt, quantò magis nobiliora non negligit natura, non igitur abſque illuminativis delectativis relicta ſunt. Ampliùs. Omne nobile magis natum eſt applicari nobilioribus, quàm ignobilibus: quòd ſi hæc virtus non eſt nata applicari, niſi ignobilibus iſtis temporalibus, & caducis, omninò non erit naturalis, quoniàm nihil eſt creatum propter ignobilius, aut vilius ſe; certum autem eſt, quòd omnia hæc viliora ſunt, &

Sapientes non curant corporalia.

Nota.

Nota.

E ignobiliora: non igitur eſt propter hæc ignobiliora, ideò non erit nata perfici per ea. Ampliùs. Quod nobilius, & ejus perfectio nobilior, & quod ſublimius, & ejus perfectio ſublimior & quod ſpirituale, & ejus perfectio ſpiritualis, & quod ſeorsùm à corpore, & ejus perfectio ſeorsùm erit à corpore, ita ſcilicet ut ſi ejus operatio, neque ſit per corpus, neque pendens ex corpore, ſimiliter erit ejus perfectio neque per corpus, neque pendens ex corpore; quare ejus perfectio erit abſtracta à corpore, & non ex corpore, neque per corpus, neque pendens omninò ex corpore. Ampliùs. Ejus propria operatio in ſeparatione à corpore, & non ex corpore invaleſcit, ſicut apparet in raptu, & extaſi. Invaleſcentia autem operationis, ſi eſt ultima, eſt perfectio ipſius virtutis, ſi autem non eſt ultima eſt appropinquatio ad perfectionem. Quare manifeſtum eſt, quoniàm ſeparatio à corpore, aut approximat eam perfectioni, aut inducit in ipſam perfectionem, & ita vita eſt ei non ſolùm ſeorsùm à corpore, ſed etiam perfectio, quæ eſt gloria uniuſcujuſque virtutis ultima: F ſed ipſa perfectio ultima eſt minor, & alterius ordinis, ſi perfectio minor, quàm ultima fuerit. Quod autem ſupra incepimus, nunc proſequamur. Dicamus ergo, quòd huic virtuti nobili eſt naturale deſiderium ſibi congruens, & propriæ fœlicitatis, & naturalis fuga ſuæ infœlicitatis, & miſeriæ, hoc eſt naturale odium, & timor naturalis. Quia ergo nil fruſtra, nil otioſè de his, quæ naturaliter ſunt, fruſtra autem, & otioſè ſunt iſti motus ſi impoſſibilis eſt naturaliter iſta evaſio, & ſi impoſſibilis aſſecutio fœlicitatis ejus, neceſſe ergo eſt evaſionem à ſuâ miſeriâ, & aſſecutionem ſuæ fœlicitatis eſſe poſſibilem huic virtuti nobili; hæc autem ſi perennis non fuerit, non erit fœlicitas, neque à miſeria vera immunitas. Quicquid enim morti obnoxium, bonum non eſt eo ipſo, & miſerum, quòd extremæ G miſeriæ obnoxium. Perennitas autem non poteſt eſſe pars infœlicitatis iſtius, quoniàm impoſſibile duo contraria communicare in parte, ſed neque effectus poteſt eſſe hujuſmodi fœlicitatis veræ, ac nobilis, quoniàm ſi hoc eſſet, non eſſent ignobiliora in omni ſubjecto propter principalia, & nobiliora. Quantùm igitur ad ea, quæ vires animales habent ex corpore, radices ipſæ pendent ex eſſentia ipſius animæ velut radij protenſi ex luminoſitate ipſius: ipſa verò non debet pendere ex corpore propter ſua ſecundaria, & ignobiliora, cùm illa inquantùm pendent ex corpore, non ſint ei eſſentialia, immò tantùm ſecundùm radices judicandi. Convenientiùs autem eſt, ut ea, quæ principaliora ſunt, & nobiliora, trahant ad fortitudinem ſuam ſecundaria, & ignobiliora, quàm ut illa trahant nobiliora ſecundaria ad infirmationem ſuam. Et ideò conveniens eſt ut radij ſequantur lucem, & effectus generaliter cauſam, non ut trahant illam ad ſe; hæc H igitur omnia diximus, ut eſſet clarior intellectus noſter de hoc, quod dicimus vires animales pendere ex corpore, & eſſe corruptibiles juxta intellectum Philoſophorum. Apparet ergo animam humanam mediam eſſe inter animas animales, & ſubſtantias Angelicas, ſpoliatas, & ſpirituales, & ideò (ut diximus) neceſſariò in diſpoſitionibus mortalitatis, & immortalitatis media eſt mediatione, quam determinavimus. Ampliùs. Deſtructibile non deſtruitur niſi uno illorum modorum, videlicet aut per diviſionem formæ ſuæ à materia ſua, quod non poteſt eſſe niſi, aut formâ manente, ſicut ponimus in homine, qui in morte, quæ eſt diviſio formæ à materia, ideſt animæ à corpore ita deſtruitur, aut diviſione formæ à materia forma ipſa deſtructa, quæ deſtructio propriè vocatur corruptio, aut deſtruitur

Perfectio animæ abſtracta à corpore.

Nota.

Anima humana media inter animas animales & naturas Angelicas.

A diviſione partium ſuarum integralium, ſicut domus cùm partes ejus ab invicem ſeparantur, aut deſtruitur deſtructâ ſuſtinentis eſſentiâ, aut deſtruitur ſubtractione cauſæ ſuæ, ſicut ſi diſſipato utre vinum deficiat, & corpore deſtructo, ea quæ in eo ſunt, deſtruantur, aut Sole ſublato deſtruatur dies, & hoc duobus modis, aut erit ei cauſa, aut erit deferens, ut materia formæ, liquori vas. Quòd ſi quis dixerit, quia eſt & quintus modus deſtructionis, ſcilicet proprius defectus, ut ſenium, vel putrefactio: ſi ad nullum quatuor modorum ducerent, nullo modo deſtruerent. Salvatis enim conjunctione formæ ad materiam, & integritate & conjunctione partium, ſalva cauſæ præſentia, ſalva eſſentia etiam ſuſtinentis, neceſſariò ſalva eſt res. Certum autem eſt, quòd ſenium ducit ad diviſionem animæ, & corporis, & putrefactio diviſio eſt formæ à materia, & deſtructio ipſius formæ ſi verò dixerit, quòd quædam pereunt per defectum ſui, neceſſe habet
B determinare modum defectionis. Si verò omne quod perit, non perit, niſi ex debilitate eſſentiæ ſuæ, quia debile eſt in ſe, & infirmum ad permanendum perpetuè, palàm eſt omne cauſatum eſſe hujuſmodi infirmum, ac debile, & invalidum ad prmanendum, quantùm in eodem eſt; non igitur ſic eſt, quoniàm nihil permanebit eorum quæ ſunt, cùm illa cauſa non exiſtendi in omnibus inveniatur. Nos autem videbimus multa permanere, & quædam aliis diutiùs, quædam velociùs perire. Quæ igitur erit cauſa in hoc, niſi quia propria debilitas nihil eorum, quæ ſunt per ſe deſtruit, niſi adjuvetur aliquo modorum, quos nominavimus, aut impediatur contrariis eorum. Reſtat ergo nobis inquirendũ, an aliquis dictorum modorum congruere poſſit animæ humanæ, quòd de eâ hîc inquirimus. Et primo quidem modo manifeſtum eſt, quoniàm ipſa eſt pu-
C ta forma, materiæ immixta, & incompoſita hujuſmodi compoſitione, quæ ex materiâ, & formâ eſt. At fortè quis dicat, quòd ex materiâ, & formâ ad quod dicimus formam ejus incorruptionem, tùm quia non eſt ei contrarium, per quod corrumpatur, neque diviſivum, per quod dividatur, neque ſuſtinens cujus ſubtractione deſtruatur: forma enim virtutis intellectivæ non poteſt habere contrarium, niſi eſſet receptibilis formæ ſuæ contrariæ, vel ſimilitudinis illius, ſicut albedo non eſt receptibilis nigredinis, neque ſimilitudinis illius, neque colorum mediorum, quoniàm non poteſt intelligere aliquid, niſi quòd ipſamet ſit, ſive apud ipſam, aut ipſum, aut ejus ſimilitudo, ergo patet, quod non ſit intelligere contrarium, quare nec habere. Omne enim quod eſt ratione, ita intelligibile eſt ei naturaliter, cùm & multò majora, & ſublimiora ſint, & ei intelligibilia. Præterea iſtud ponit ipſam, quòd habeat contrarium, & ita ipſamet, & ponit
D quid non eſſe intelligibile poſitivè. Hæc declaratio non eſt, ſed deliratio, & ideò non eſt contra iſtam diſputandum. Ampliùs. Neque poni etiam poteſt quod non poteſt intelligi. Ampliùs. Sicut viſus nullam habet contrariam ex formis viſibilibus, ita intellectus nullam ex intelligibilibus, & in hoc non oportet nos aliquam probationem adducere, quoniàm eadem prorsùs ratio eſt in utriſque. Non eſt igitur deſtructibilis per diviſionem formæ à materia, cùm forma ejus contrarium habere non poſſit, ſed ſit ad omnes formas intelligibiles, quare ſicut incorruptibilis corruptione corporali, ita hîc corruptione ſpirituali, cùm ad eam propter ſui ſublimitatem corporalis corruptio non poſſit attingere. Si enim hylen corporum non attingit hujuſmodi corruptio. multò minus quod ſupra ipſam eſt; videtur autem propter hoc intellectus inintelligibilis, ſi ſe habet ad formas omnes corporales, & ſpirituales in ſuſceptibilitate, & ſeparabilitate, ſicut enim hyle ad corporales, ita intellectus ad ſpirituales; & ſicut viſus inviſibilis, ſic intellectus inintelligibilis. Quòd ſi quis quærat qualiter viſus corruptibilis eſt à viſibilibus? Reſpondemus, quoniàm viſus harmonia eſt, quantùm ad inſtrumentũ ſuum, propter quod neceſſe eſt illum deſtrui deſtructione illius, inquantùm pendet ab illo inſtrumento, aut viſus deſtruitur ab excedentibus harmoniam ſuam, hoc eſt à vehementer viſibilibus; econtrariò autem habet ſe in intellectu, quoniàm intellectus non habet partem determinatam in corpore, quæ ſit inſtrumentum ipſius, & confortatur, & invaleſcit ex vehementer intelligibilibus: forma autem intelligibilis, quæ actione ſuâ deſtrueret intellectum, qualiter ageret in ipſum, niſi ſimilitudinem ſuam eidem imprimendo, & illum ſibi aſſimilando? Hæc autem quantò ampliùs facere poteſt, tantò eſſet intelligibilior, & propter hoc tantò ipſius confortativa, & ita per viam iſtam non ſolùm non deſtruitur, ſed etiam confortatur. Ampliùs. Quantò aliquid eſt magis intelligibile, tantò magis poteſt agere in intellectum, & magis aſſimilare eum ſibi, ſive unire ſibi, & hoc eſt indicium certæ vehementiæ actionis, & fortitudinis virtutis agentis, ſcilicet vehementia, cujus perfectio eſt ultima ſimilatio ad agens, & ideò quantò major fuit ſimilatio, tantò erit vehementior actio, & fortior, & virtus agens ſuper paſſum; quare manifeſtum eſt vehementiùs intelligibilia vehemẽtioris, & fortioris eſſe actionis in intellectu; omne autẽ quod à vehementiùs agentibus lædi non non poteſt, multò fortius à minus, & debilibus agentibus. Quia ergo ab intelligibilibus, quantumcunque vehementia ſunt, confortatur virtus intellectiva à nullo eadem lædi poteſt per actionem, niſi fortè quis dicat, quòd læſione inſtrumenti ſui, ſicut viſus lædi poteſt à non viſibilibus, ſic intellectus à non intelligibilibus, quod manifeſtum eſt falſum, tùm quia intellectus inſtrumentum non habet in corpore, tùm quia quod non eſt intelligibile, non habet formam, neque eſt forma; omnis autem actio ex forma, & ideò impoſſibile ut agat id quod non eſt intelligibile. Quòd ſi dixerit, quia intellectus omninò non eſt forma, & ideò impoſſibile eſt ipſum agere. Reſpondemus quòd intellectus in ſeipſo, in eſſe ſuo, & in ſpecie ſuâ, forma eſt, ſicut humor criſtallinus, aut ſpiritus viſibilis in eſſe ſuo quid formatum eſt, & tamen ad lucem, & colorem quodammodò materiale; ſic intellectus ad omnia intelligibilia, quæ ſunt extra ſe, neque agit inquantùm eſt materiale hoc modo, ſed ex eſſentia ſua, aut per formam, cùm illam fuerit venatus, & eſt per illam ſicut artifex, ad ſigillum, quo foris ſigillat materiam artificij. Quòd autem neque diviſione partium integrabilium deſtructibilis ſit, manifeſtum erit, ex eo quòd intellectus ex neceſſitate impartibilis; hoc autem ſic certum facimus. Si enim partibilis eſſet, non pateretur totus ſimul, ſed pars poſt partem quaſi pars intellecti introiret apud intellectum poſt partem, & non totum ſimul; ex hoc ſequitur continuum, & partibile, continuè, & per partes ſolummodò intelligi poſſe, & partem in parte temporis, totum in toto, & intelligentem ſequi intelligendo tranſitus ſyllabarum, & elementorum & intelligere in tranſitu continuè, & non ſubitò, cujus contrarium unuſquiſque intelligentium ſentit in ſeipſo. Ampliùs. Intellectus ſentit ſe totum intelligere, quotieſcunque intelligit, nunquàm autem partem ſui intelligere, & partem non. Quia ergo iſtud eſt apud eum in eo ei ſoli de hoc credendum eſt, ſicut enim intelligit unus intelle-

Similitudo.

Hyle.

Viſus eſt harmonia.

Intellectus an ſit forma.

Intellectus ſentit ſe totum intelligere, non pro parte.

Digitized by Google

E ctus, ita & omnis & ideò idem apud omnes. Quod igitur novit intellectus unius apud ſe de modo intelligendi, & omnes intellectus invenire apud ſe neceſſe eſt, quare non continuè, ſed ſubitò eſt intelligere, omnes intelligentes intendentes etiam inveniunt ſe ſubitò intelligere, cùm intelligere non ſit, niſi per immutationem intellectus; ſi verò intellectus particularis eſt continuus, impoſſibile eſt continuum ſubitò immutari, & hoc alibi declaratum eſt. Reſtat igitur intellectum impartibilem particularem eſſe, & incontinuum, & ideò diviſione partium eſt indeſtructibilis, cùm partes non habeat. Manifeſtum eſt igitur intellectum omnibus modis deſtructionis eſſe indeſtructibilem, non enim poſſibile aliquod deſtrui, niſi diviſione formæ. Ampliùs. Aut diviſione partium integralium, aut deſtructione deferentis, & ſuſtentantis, quos modos jam removimus, aut ſubtractione cauſæ efficientis, quæ eſt ultimus modus, ſicut deſtruitur dies ſubtractione ſolis, & corpus ſubtractione animæ, hoc autem in anima humana contingere impoſſibile eſt. Manifeſtū enim eſt, quia naturaliter continua eſt primæ cauſæ, aut ejus continuo, quod inde apparet, quòd operationes primæ cauſæ continuè influunt ſuper naturalia, & ſuper omnia, quæ natura præparavit, & impoſſibile, quòd præparatâ materiâ à natura non influatur, aut vita, aut altera forma à prima cauſa, & quod eſt majus, nam ſemipræparatâ, anima neceſſariò infunditur: hoc eſt igitur medium continuitatis, ſive colligationis naturæ ad primam cauſam.

Intellectus impartibilis.

Colligatio autem non eſt niſi ex propinquitate, & quæ propinquiora eidem neceſſariò colligatiora. Quantò enim ipſa natura ſuperior, tantò ſupremo propinquior, quia igitur ordinatæ ſunt influxiones illius, ſecundùm ordinem propinquitatum ad ipſas, neceſſariò majores, & magis continuæ ſunt in ea, quæ propinquiora ſunt primæ cauſæ, quàm in remotiora, etſi non poſſunt quantùm ad propinquiora, multò minus quantùm ad remotiora & ideò fluxus vitæ, & aliæ naturales influxiones multò fortius in animâ rationalem inceſſabiles, & continui, quàm in naturalem vel naturam; palam igitur eſt animam rationalem iſto ultimo modo non poſſe mori. Quòd ſi quis dixerit quòd conſequens eſt ex hoc, ut anima ſenſibilis ſit ſimul immortalis, & indefectibilis. Sed nos jam reſpondimus ad hæc in his quæ præceſſerunt ubi diximus, quòd ipſa pendet ſecundùm omnes vires ſuas à corpore, & hæc eſt cauſa, propter quam moritur, morte corporis. Non moritur ergo, neque deficit ex defectu influxionis vitæ in illam à primo & univerſali fonte vitæ. Jam ergo prohibuimus ab anima rationali ſecundùm id quod habet ſublime, nobile ac divinum omnes modos corruptionis, ac defectus. Ampliùs. Vita virtutis intellectivæ, & vivere ejus in effectu, non eſt niſi intelligere ejus in effectu, & hoc non eſt ei per corpus, neque pendens ex corpore, quin potiùs ex caſu corporis erigitur, & debilitate conſortatur, & defectione ejus perficitur, ſicut apparet in extaſi, & raptu, vita igitur ſua huic virtuti nobili eſt vitæ perfectio præter corpus, & ſeorſùm à corpore. Ampliùs. Iſte raptus, & iſta applicatio ad nobiliora, & altiora intelligibilia, aut eſt violentus, aut voluntarius huic virtuti, aut naturalis, aut caſualis, quod impoſſibile, quoniàm iſtud eſt potiſſima ejus perfectio, dum eſt in corpore, & maximè per hoc illuſtratur, ac regitur genus humanum; revelationes enim divinæ, ac prophetiæ maximè ordinant vitam humanam & omnis ars, & omnis ſapientia cedit; aut naturalis eſt applicatio ad res nobiles incorruptibiles, nihil autem naturale eſt noxium, aut mortiferum ei, cui eſt naturale, ſeorſùm igitur fieri à corpore ſa-

Colligatio.

Senſibilitas pendet ex corpore.

Vita virtutis intellectiva eſt intelligere

Revelationes divinæ.

lutiferum eſt iſti virtuti. Idem accidit ſi ſit voluntarium, omne enim volitum indubitanter utile eſt volenti: Violentum autem eſſe non poteſt, quo generaliter eouſque adjuvatur virtus hæc, illuſtratur, atque perficitur, omne enim violentum impeditivum, & noxium eſt. Ampliùs. Manifeſtum eſt virtutem iſtam nobilem eſſe duarum facierum, quarum altera illuminatur à rebus ſublimibus, & altera illuminabilis eſt ab inferioribus corporalibus, & ſenſibilibus, & eadem virtus eſt, & eadem facies, ſed liberum eſt ei vertere ſe ad quam partem voluerit, & illuminari, vel depingi à quibuſlibet voluerit. Si autem ſuperior eſt nobilior, ejus perfectio, & lumen nobilius, quantò plùs ad id ſe vertit, tantò plùs copioſiùs illuminatur. Certum autem eſt quòd perfectio illuminat ipſum eſſe, & elongat à non eſſe. Converſio F igitur ad ea, quæ ſupra ipſam eſt, perficit virtutem iſtam, & illuminat: patet ergo quod ſeparatur à corpore, & à corporalibus & conjungitur ſpiritualibus. Palàm igitur debet eſſe, quod non ſolùm non dependet à corpore, ſed obſcuratur, & impeditur etiam applicatione ſui ad illud. Ampliùs. Cùm aliquid fuerit vehementer ſenſibile, certum eſt quòd poſtquàm ſentitur, relinquit ſenſum debiliorem ad illa ſentienda, & cùm aliquod fuerit valdè intelligibile, econtrariò ſe habet, quia relinquit intellectum fortiorem ad alia intelligenda. Impoſſibile eſt igitur lædi eſſentiam virtutis ipſius nobilis ex applicatione ſua ad vehementer intelligibilia, immò neceſſe eſt eam ex eorum conjunctione adjuvari, & tantò ampliùs adjuvari, quantò fuerit ejus ad alia fortior conjunctio. Certum autem eſt, quia hujus conjunctio fortiſſima ſeparat omninò, & rapità ſenſibus & à corpore. Et ideò manifeſtum eſt, quòd id quod virtutem iſtam ſalvat naturaliter, & perficit, G ſeparat à corpore. Separatio igitur à corpore ſequela eſt ſalutis, & perfectionis ipſius, non cauſa, vel occaſio deſtructionis illius, aut læſionis. Ampliùs. Manifeſtum eſt virtutem iſtam non habere inſtrumentum operationis ſuæ in corpore, licet autem ex læſione mediæ cellulæ capitis operatio virtutis iſtius impediri, aut omninò deſtrui videatur, tamen manifeſtum eſt ſolam operationem, quæ illi eſt deorſùm, impediri, hoc eſt ex parte ſenſibilium. Eſt enim velut alter liber ejus deſcriptio formarum ſenſibilium quem librum offert ei, vel exhibet imaginativa. Has igitur cùm abſtrahere, & ſpoliare à conditionibus particularibus non poterit, propter turbationem, aut læſionem mediæ cellulæ, in quam transfert à virtute imaginativa, ſcilicet ſpoliatores, & abſtractores, prohibebitur virtus iſta nobis H ab aſpectu, & lectione earum, & hoc eſt quoniàm media cellula, quæ per virtutem imaginativam debet velut quidam liber ejus fieri, per hujuſmodi quam diximus inſcriptionem, per læſionem, aut infectionis, vel vulneris, non eſt idoneus inſcribi ab imaginativa virtute. Quapropter prohibetur virtus iſta à lectione, & ſic prohibetur intelligere à ratione ſenſibilium, quæ per aliam viam non veniebant ad ipſam, ſed nunquàm prohibetur à lectione ſua, quæ deſuper eſt illi, & à lectione ſua in libro ſuo nobiliore, & abſtractione, quæ ineſt à luce prima, ſive à luminibus mediis, quæ vocantur Angeli ſancti. Certum eſt quòd non, & hoc evidenter apparet in melancholicis ægris, & freneticis, qui licet prohibiti ſint rationare de ſenſibus, tamen de ſublimibus multa vident, & prædicunt futura, quaſi divinantes. In hoc ergo apparet ablatum eis librum rationis inſcriptum à ſenſibus, librum verò ſuperiorem nobilem interdùm eis eſſe expoſitum, & apertū. Non enim continuus eſſe poteſt cū ratione, vel intelligentiâ noſtrâ, ſed quandoque applicari illum intellectivæ

Separatio à corpore.

Cella imaginativa.

intellectivæ virtuti noſtræ, quandóque verò longè fieri ab illo. Cujus rei quid cauſæ ſit diſputandum, & declarandum eſt. Ex quo manifeſtum eſt, quoniàm deſtructio illius partis non deſtruit virtutem iſtam, illius inquam partis, in qua maximè vigere videtur, ideſt mediæ cellulæ capitis, vel cerebri. Robotatur autem hoc prædicto exemplo, quia frenetici arrepti morbo tunc divinant, & alio tempore non. Ampliùs. Omnis eſſentia eò naturaliter tendens, & ibi naturaliter quieſcens, quò non attingit corruptio, vel mors, eſt naturaliter incorruptibilis & immortalis, & omne quod naturaliter petitur naturale eſt petenti, ſed iſta virtus naturali deſiderio petit locum, quem nequit attingere corruptio, ſive mors; hujus ergo locus, vel ſtatus eſt ei naturalis, & naturaliter debitus, quare eſt immunis à morte, & à corruptione, verbi gratiâ. Ignis in loco ſuo naturali, qui eſt concavitas cœli lunaris, eſt incorruptibilis, & hoc eſt de conditione loci. Omnis enim locus ſub cœlo lunari eſt locus generationis, & corruptionis, quoniàm eſt locus conflictus: quia ergo locus, vel ſtatus immaterialium ſeparatorum ſeorsùm longè eſt à motu, & mutatione, quoniàm à materia, & appenditione materiæ, palàm iſtam virtutem eſſe naturaliter immunem à corruptione, & liberam à morte, quia omne quod movetur hîc inferiùs, ſubjacet corruptioni. Quòd ſi quis dicat quòd anima humana naturaliter movetur ad corpus, æquivocè dicit hoc, non enim movetur ad aliquid, ut in eo quieſcat, vel ut ab eo perficiatur, ſed potiùs ut ipſum perficiat ipſa, eo quòd utatur ad acquirendas ſibi aliquas ex perfectionibus ſuis ſecundis, in quo adjuvatur ab inſtrumentis, & ab ipſis ſenſibus. Non ſic autem intelligimus animam humanam moveri in ſuum ſursùm, ac nobile, immò ad locum ſuæ perfectionis ultimæ, videlicet ad ſtatum ſuum nobiliſſimum. Abſit enim ab anima humana ſecundùm illam virtutem ſuam ſublimem, & nobilem, ut quieſcere quærat in ſenſibus, aut perfici ab eis; ſicut nec econversò virtus inferior, animalis ſcilicet, aut terrenalis, quæ eſt virtus ejus infima, non quærit quieſcere, aut perfici in ſublimibus. Non tamen negamus aliquatenùs adjuvari ad inquiſitionem quarundam ſcientiarum, & multorum operatorum. Ampliùs. Omnis virtus omninò ſeparata à corpore, neceſſariò incorruptibilis eſt corruptione corporis. Et econversò ſequitur, quædã igitur eſt media, & eſt mediæ diſpoſitionis inter iſta extrema. Angeli ſancti omninò ſeorsùm, & nullo modo dependentes ex corporibus: Et anima vegetativa, & ſenſitiva omninò pendentes ex corpore: Anima autem humana eſt exemplum medij, quæ partim impreſſa eſt corpori, & partim pendens ex illo, ſcilicet quantùm ad vires, quas communicat cum anima ſenſibili, & vegetabili, partim verò ſeorsùm, & abſtracta, & hoc eſt quantùm communicat cum Angelis ſanctis; à contrariis igitur, & à proportione eſſentiali quædam vires ejus immortales, & quædam mortales. Et hoc eſt quod inquiſivimus; non enim contra fidei pietatem, aut veritatem eſt viſum, aut auditum, aliquem aliorum ſenſuum eſſe mortalem, aut extinguibilem, ſed ipſam mentem humanam, ut humanam, eſſe mortalem hoc inclitæ piæque fidei cõtrariũ rationabiliter eſt. Quod igitur eſt in anima humana principale, ac nobiliſſimũ, omninò immortale eſt. Quòd ſi quis objiciat quòd mortalis, quia ſi pars mortalis, aut corruptibilis: ergo, & totum. Qualiter enim domus erit incorruptibilis, cujus partes eſt corruptibilis? Reſpondemus in hoc, quia viſus non eſt corruptibilis, niſi ſecundùm hoc, quod habet à corpore, & hoc poſſumus vocare adjutorium paſſionum, ſive ido-

Omnis locus ſublunaris locus eſt corruptionis.

Movetur anima ad corpus ut corpus perficiat.

Immortalitas animæ.

A neitatem juſtam ad recipiendas immutationes à viſibilibus, virtus verò judicandi omninò pendet ex eſſentia mentis, quæ non pendens eſt ex corpore. In anima verò animali viſus duabus de cauſis pendet ex corpore. Quoniàm & ſecundùm id, quod habet ab eſſentia animæ animalis, & ſecundùm id quod habet à corpore, & hoc eſt quoniàm ipſa pendet ex corpore, & hoc eſt quoniàm anima humana vires animales habet ſecundarias, & ideò non pendet ipſa, ſed anima, quæ habet principium ab illis, econversò, virtutes autem ſecundariæ pendent ex principalibus hoc modo, ſcilicet propter illa, quoniàm propter illa. & univerſaliter verum eſt. quia omnia ſenſibilia, ſunt ignobilia in omni ſubjecto. Tentemus autem aliâ viâ declarare immortalitatem ipſius. Dicamus ergo, quòd ſenſus non applicatur ſenſatis, B abſque aſſimilatione ſui, ut tactus calido abſque calefactione, & viſus lucido abſque illuminatione. Intellectus autem econtrariò ſe habet in hoc. Cùm enim intelligit aliquid, non denominatur ab eo, quod intelligit, nihil enim eſt de intelligibilibus apud intellectum, niſi fortè ipſa intellectio, ut in ſenſibilibus ipſa ſenſatio, & ſic manifeſtum eſt intellectũ impaſſibilem ab intelligibili, aut intelligibilibus. Ampliùs. Ad hæc alia eſt diverſitas, quam ſupra diximus, quòd quantò majora, & pluriès intelligit, virtus intellectiva, tantò eſt ad intelligendum expeditior, & capacior, & fortior. Econtrariò autem ſe habet in ſenſu, palàm ergo quòd non habet finem in operatione ſuâ; omnis autem virtus infinitæ operationis eſt infiniti temporis, omnis virtus enim quæ non habet finem in operatione, non habet finem in tempore, infinita enim operatio non poteſt perfici in tempore. Si ergo verum eſt, quòd ejus operationi non ſit finis, ultra quem non extendatur, ut eidem virtuti non eſt finis in operatione, C ſic neque in eſſentia. Et ſic apparet in virtute motiva, cui non eſt finis in movendo, ſic neque in operando, neque in durando. Quòd ſi quis dixerit, quòd quælibet ejus operatio eſt finita, dico quòd ſicut quælibet revolutio eſt finita, omnes autem infinitæ, & ſunt à virtute infinitæ potentiæ; ſic eſt in propoſito, & ſic ipſum intelligere ſimpliciter eſt infinitum. Quòd ſi quis dixerit, quòd finis ejus eſt in luce prima, quia ultra non eſt, quod intelligat non obviat ei quod intendimus, quoniàm finem iſtum adhuc manifeſtum eſt eſſe infinitum, & ex hoc neceſſe eſt ipſam eſſe immortalem. Si enim quies ejus, & operatio ultima eſt in ipſa vita, immò in ipſo fonte vitæ, ubi non appropinquat mors, neque ulla defectio, manifeſtum eſt, mentem humanam illuc naturaliter tendere, ubi eſt vitæ indefectibilis D continuitas. Ad hunc autem finem ſi ſemel pervenerit, impoſſibile illam inde de cætero ſeparari. Impoſſibile enim eſt aliquod à loco ſuo naturaliter moveri, alioquin haberet motus oppoſitos, & oppoſitas naturas. Et hoc eſt, quoniàm natura eſt principium motus, & quietis: voluntariè autem ab ipſo fonte vitæ, & gaudij, & gloriæ ſeparati, immò ab omnimoda plenitudine deſiderabilium ſuorum, quis non videat, eſſe violentei? Ideò impoſſibile eſt, quoniàm hîc violentia locum habere non poteſt. Cùm enim à ſeipſa, & ab aliis, quæ infra ipſam ſunt, tanquàm ab inferno interiori, & ab inferno inferiori, & ſuperiori erepta totaliter in fontem bonorum omnium quodammodò migraverit, hoc eſt, cùm fons totaliter illam in ſeipſam rapuerit, hoc eſt, omnes cogitationes ejus, & omnes ejus affectiones in ſe collegerit, totaliter illi vivet, & hoc exemplo naturalis amoris patet, ubi mens amantiſſimi patris totaliter unitur filio, & totaliter affectiones & cogitationes amor rapit in filium, & ex illo totaliter

Viſus.

Senſus.

Intellectus

Operatio infinita nõ perficitur in tempore.

Nota.

Digitized by Google

vivit interiùs, dùm ex illo totum habuerit, quod E cogitat, & quod gaudet, & quod timet, & generaliter omnes cogitationes, & affectiones habuerit ex illo, & finaliter refundit in illum; ſic & in vita beatitudinis, quod mens totaliter rapta, & ab omnibus aliis erepta, totum quod vivet, ex ipſo ſolo hauriet, & totum refundet in ipſum, & eructabit, quoniàm vita totaliter in apprehenſionibus, & affectionibus conſiſtit.

RHETORICA DIVINA ſive Ars oratoria eloquentiæ divinæ.

CAPUT PRIMUM.

De Oratione.

Dignitas orationis. IN ſacris, ac ſacrificativis exercitationibus, quæ & quanta ſit dignitas, & præcellentia potiùs orationis, multùm ſanè apparere poteſt volentibus videre, atque valentibus. Et primùm ex eo, quod omnis ſacrificatio, omnis benedictio, & omne ſacramentum, & omninò quicquid in cultu divino honorificè agitur, aut oratio eſt, aut oratione peragitur, ſive perficitur. Deinde, quòd omnis Eccleſia Sanctorum cœleſti, ac divino magiſterio erudita, ac inſtituta, tam multiplici celebritate frequentat orationem, ut ei die, noctuque inſiſtat, & invigilet, & eidem vitæ præſentis tempora, tanquàm illi conſecrata, & debita præcipiantur. Cujus rei nulla alia cauſa, vel ratio, exiſtimari, vel cogitari poteſt, niſi orationis tanta neceſſitas, tantaque fructuoſitas, quæ tantam frequentationis, & G inſtantiæ, continuitatem exigat, & requirat. Quòd ſi dixerit quis, auctoritas Apoſtolica præcepto ſuo quo dictum eſt: Sine intermiſſione orate, & arctat, & cogit, non ſolùm Eccleſia, ſed etiam ipſa lex Evangelica, in qua expreſsè legitur mandatum de oratione, ipſo ore veritatis editum, quo dictum eſt: Quia oportet ſemper orare, & nunquàm deficere. Reſpondeo in hoc, quia in ipſa cauſæ ſunt, & rationes rationabiliſſimæ, atque juſtiſſimæ, propter quas mandata hujuſmodi, & omnia alia quæ de oratione data ſunt, meritò data fuerunt. Tertiò, ex virtuoſitate ipſius orationis, mirificentiis, & numeroſitate mirabili, atque præſtantia utilitatum, quas te ſcire faciam in ſequentibus. Ex his ergo tribus *Rhetorica divina.* manifeſtum eſſe tibi debet, & neceſſariam eſſe; & omninò debere eſſe cœleſtem, ac divinalem rhetoricam, ſive ſpiritualem, ac ſaluberrimam oratoriam, quæ in cauſis animarum, atque negotiis allegare doceat nos, & eos, qui cauſarum hujuſmodi H patrocinium ſuſceperunt, & ſpirituales oratores conſtituti ſunt, ut in Dei altiſſimi conſiſtorio cauſas allegent hujuſmodi, propter quod ſtipendia beneficiorũ Eccleſiaſticorũ eis conſtituta ſunt ex magna parte. Hoc autem dico propter officia docendi, & prædicãdi, in quibus cõſiſtit reſiduum militiæ clericalis de quibus nullatenùs tibi dubitandũ eſt, quod nec rectè, nec laudabiter exerceri poſſunt, niſi Doctores, Prædicatores, atque Judices Eccleſiaſticos virtus orationis adjuvet, & dirigat inceſſanter. *Locus à m n. ri.* Quòd ſi tanta volumina ſtudio, & labore rhetorum de oratione rhetorica ſcripta ſunt, quantò fortius de iſta ſacra, & ſacratiſſima oratione dignum, & juſtum eſt, ſcribatur ars, & doctrina. Hæc autem ratiocinatio à proportionabilitate cauſarum, &

E orationum, virtutem habet, atque vigorem, ſi tamen non eſt comparatio orationis ad orationem in fructu, vel utilitate; non erit comparatio debiti, & & laboris pro arte, & doctrina iſtius ad debitum ſtudium, vel laborem illius. Quid dicam de oratione literaria, cui tota grammatica invigilat? Quid de oratione Logica, cui tam ſtudioſè, tamque perfectè Ariſtotelis ingenioſitas inſudavit? & de oratione, utique Logica, quæ omnis vel propoſitio, vel ſyllogiſmus eſt, omnes libros logicales titulavit? *Libri Ariſtotelis.* Ut de ſyllogiſmo librũ priorum, vel analiticorum. De demonſtratione librum poſteriorum. Et de elenchis librum elenchorum. Et de ſyllogiſmo dialectico, librum topicorum. De interpretatione verò, ſive propoſitione librum peri hermenias. Qualiter autem poſſibile erit iſtam ſacram, ac ſacrificativam, & modis omnibus omni generi aliarum orationum incomparabiliter præcellentem orationem eſſe omni arte, & doctrina, & artificio deſtitutam? Quia igitur nec immenſitati divinæ congruit hoc, neque perfectioni, quam non ſolùm decet, F ſed etiam neceſſe eſt eſſe in Eccleſia Dei altiſſimi, quæ ſchola ipſius eſt, & cujus ſola doctrina in ea dicitur, & docetur, aſſiduè eſſe artem, atque artificium orandi neceſſe eſt in ea. Ampliùs. Quod opus cujuſcunque utilitatis inveniri poteſt, quod arte, & doctrina, ac artificio careat & doctores, atque artifices ſui non habeat? Quæ ergo cauſa reddi poteſt, ut opus tam nobile, tamque præclaræ utilitatis hucuſque neglectum, atque deſertum ſit, niſi quia vel ejus utilitas ignorata eſt, vel ipſi ſacri Doctores deſides, aut aliis occupati orationem prætericrunt? Credendum eſt ergo multos de ea multa ſcripſiſſe, & cùm exemplaria orationum ſcripſerint, hoc ſufficere oratoribus reputaſſe: Vel forſitan, quia potiùs orando, quàm philoſophando, orare diſcimus, non artem, vel artificium orandi eos, ſed orationes ſcriptas authenticas oratoribus tradidiſſe credendum eſt, ſicut evidenter apparet in libro Pſalmorum, qui exquiſitiſſimis orationibus refertiſſimus eſt Si quis *Oratio.* autem dixerit quòd oratio donum Domini Dei eſt, & propter hoc non ab arte, vel doctrina, ſed magis à datore quærenda ſit, verum utique dicit. Si quis verò dixerit, quòd hujuſmodi oratio non ſolùm potiſſimum ſui, ſed etiam plurimum habet divini muneris, & gratiæ, & propter hoc nihil ad eam de arte, & doctrina hominum: Reſpondeo, quia juſtitia, quæ virtus eſt veri nominis, non ſolùm præcipuum ſui, aut plurimum, ſed etiam totum quod *Iuſtitia.* eſt, vel habet, divini muneris eſt, & gratiæ. Nihilominùs tamen peritia juris (quæ ſcientia Legum, & Canonum eſt) ſimiliter cognitione diverſarum conſuetudinum, atque exercitatione cauſarum, & negotiorum illuſtratur, atque dirigitur. Sic ſe habet, & de oratione, arte namque, & doctrina, quam hîc ſcribere intendo, plurimùm, & multipliciter adju- *Scire parũ ad virtutem facit ſecundùm Ariſtotelem.* H vatur. Nec obſiſtit mihi in hoc ſermo Ariſtotelis, quo dixit in primo Ethicorum, quia ſcire, vel parum, vel nihil operatur ad virtutem, quod non de omni ſcire, vel falsò intelligere potuit, cùm ipſemet dicat in libro eodem, quia virtus eſt omni arte certior, & melior. Tibi verò declaratum eſt per me & in tractatu de actibus humanis, & in tractatu de virtutibus, & moribus quaſdam ſcientias virtutes eſſe, ſicut prudentiam, & quaſdam alias. Inſuper & omnem virtutem ſapientiã eſſe, quod eſt dicere ſapidum, ſive ſaporans ſcientiam, & tanquàm intimam profundatam cognitionem, ſcientiam verò juxta communem intentionẽ, quaſi communem cognitionem, ſcilicet exteriorem. Res enim omnes non ſolùm lucent virtuti intellectivæ ad illuminandum eam lumine ſcientiæ, ſed etiam ſapiũt ad faciendam,

vel inſi-

Digitized by Google

vel inficiendam virtutem motivam, & quaſi imprimendam eam ſaporibus ſapientiæ, de quibus ibi ſatisfeci tibi. De ipſa ſapientia quoque tibi certiſſimum eſt, quòd ipſa eſt donum Dei altiſſimi, & ab ipſo ſtudioſiſſimè expetenda, & ſperanda, non tamen propter hoc ſcholaſticæ doctrinæ, & diſputationes, aut librorum ſacrorum expoſitiones, inutiles, vel ſupervacuæ habendæ ſunt. Et ſi de ſingulis creatoris donis, & de ſingulis virtutibus, aut gratijs conſiderationem in hoc feceris, invenies indubitanter unum quodque eorum doctrinis adjuvari multipliciter. Licet enim greſſus qui per pedes eſt, ex virtute greſſibili ſit, viſu tamen, & tactu adjuvatur, & regitur, interdùm & auditu; ſtrepitum namque pedum deprehendit gradiens, & equitans, utrùm ſuper lignum, vel lapides gradiatur, ex hoc etiam perpendit diſcrimina, vel ambulationis, vel equitationis ſuæ. His itaque determinatis, incipiam ipſo authore, duce, & luce, qui omnium ſalutarium, ſibique acceptarum orationum, & inſpirator, & exauditor eſt. Et dicam, quòd hujus ſacræ, & divinalis rhetoricæ, ſive oratoriæ ſcientiæ ſubjectum eſt oratio, quoniàm de ipſa in illa agitur, ejuſque perfectiones, differentiæ, & partes, nec non mirificæ virtutes, & inæſtimabiles fructus, ſive utilitates, adjumentaque, atque impedimenta, quibus vel adjuvatur, vel impeditur, & exauditio illius, docentur in eadem, & declarantur. Conveniens autem, & omninò neceſſarium eſt ad iſtam ſcientiam accedentibus, ut in primis eis determinetur, quid eſt, quod dicitur oratio, de qua hîc intenditur, ut prædixi: De quo certiſſimum eſt, quòd oratio non eſt, niſi petitio in genere, quod dico, quia non omnis petitio eſt oratio, ſed ea ſola quæ dirigitur ad Deum, vel ad perſonam aliquam, ſeu perſonas propter ipſum. Orare namque ipſos ſanctos, ſive Angelos, tunc dicimur, cùm preces ad eos dirigimus. Aliæ autem petitiones, quæ ad homines diriguntur, orationes minimè habendæ ſunt, nec dicendæ. Nec enim ad regem aliquem dicimus, oro te domine, ſed neque ad familiares ipſorum regum dicere conſuevimus, orate pro nobis vel Regem, vel Pontificem; quapropter manifeſtum eſt, quòd orationes propriè & habentur, & dicuntur, quæ ad Deum, vel ad ſanctos ejus propter ipſum diriguntur. Et inde eſt, quòd apud ſedem Apoſtolicam, vel curiam Romanam, non dicitur quis orationes deferre, vel offerre, ſed petitiones potiùs; nec ipſe etiam ſummus Pontifex dicere conſuevit petitionarijs, offerte orationes veſtras. Manifeſtum ergo eſt ex his, quòd oratio omnis petitio eſt, & non econverſò, & quia petitio tanquàm genus ad orationem ſe habet, oratio verò tanquàm ſpecies ad ipſam. Quòd ſi dixerit quis, quia oratio pro bonis ſolis ſpiritualibus, aut æternis obtinendis eſt & offertur Deo, non rectè dicit, quia etiam temporalia bona ab ipſo ſanctiſſimè, atque juſtiſſimè petuntur, ſimiliter & liberatio à malis temporalibus; & manifeſtum eſt multis exemplis veteris legis, ſeu teſtamenti, temporalia bona petita ſæpè fuiſſe à patribus, & orationibus obtenta, ſimiliter & liberationes à malis temporalibus, ſicut à gladio inimicorum, & peſtibus. Quis ignorat ſanctum Moiſen multoties, ut ceſſarent plagæ ab Ægypto, ſuis orationibus obtinuiſſe à Deo altiſſimo, ſimiliter & de plagis quas Deus mittebat populo hebræorum, ut eſt plaga ignis, & plaga ſerpentum ignitorum, de quibus notiſſimum eſt, quòd orationibus ejuſdem prophetæ ceſſavit utraque. Notiſſimum etiam eſt, quòd prophetæ alterius orationibus multiplicatum eſt oleum viduæ cuidam in lecyto, & farina in hydria, pluvia data ſuper terram eſt, data fertilitas ſimiliter orationi-

Sapientia. *Oratio.* *Oratio quid.*

A bus prophetæ alius, quæ omnia bona merè temporalia eſſe nemo ignorare poteſt. In novo verò teſtamento quot ſanitates corporum factæ ſunt precibus ſanctorum Apoſtolorum, & martyrum; & per unum ex Apoſtolis ex virgis aurum factum eſt, & ex lapidibus gemmæ, & ita de alijs bonis temporalibus, quæ orationibus ſanctorum impetrata ſunt, & obtenta, & jugiter impetrantur orationibus ſanctorum in novo teſtamento, quibus enarrandis, & enumerandis vix vita hominis unius ſufficeret. Quia igitur ex ipſis auditionibus, & petitorum impetrationibus, manifeſtum eſt, ſanctos talia, ſive pro talibus non inſipienter oraſſe, vel orare, non relinquitur ex illa dubitatione, quin ſancti, Deoque acceptabiliter orare poſſint homines pro bonis temporalibus obtinendis, & malis temporalibus removendis. Quòd ſi dixerit quis, quòd ratiocinatio iſta ad hoc nos inducit, ut oratio etiam ad homines dirigatur, cùm in bonis temporalibus præſtandis, malisque ſimilibus removendis, poteſtatem habeant homines, ſicut dixit Pilatus: Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Cui & reſpondit ipſa veritas, non haberes (inquiens) poteſtatem in me ullam, niſi datum eſſet tibi deſuper: Reſpondeo ergo in hoc, quia oratio addit ſuper petitionem aliquid venerationis, per quod orando petitur bonum ſive mali liberatio, ab aliquo, tanquàm ab authore, & principalitatem poteſtatis in eo, quod petitur habente, principalitas tamùm ad creatorem Deum ſolum pertinet, ſicut creatio per ſe, & proprie fieri non poteſt, niſi per ipſum. Et propter cauſam hanc Eccleſia Pariſien. orat, ut fructus terræ dare, & conſervare digneris, te rogamus audi nos. Divitibus autem miniſterium, ut inde in bonis temporalibus datum, vel potiùs commiſſum eſt, non autem principalitas poteſtatis. Igitur oratio pars eſt divini cultus, & honorificentiæ, cùm præter venerationem ad Deum rectè, ac propriè, dirigi non poſſit. Atteſtatur enim huic rei conſuetudo Eccleſiaſtica, quæ ad nullum ſanctorum dicit, roga pro nobis, ſed ora tantùm, intelligens evidenter orationes ad Deum ſolùm poſſe fieri, & debere propriè. Quod autem Eccleſia ad ipſum Deum loquens tam crebrò dicit te rogamus audi nos, convenienter, & propriè dicit hoc, quia rogatio quaſi genus eſt ad orationem, ſicut & petitio. Et eſt petitio oratio, vel locutio, non ut quibuſdam videtur, optativa, ſed alicujus inclinativa. Non enim qui optat, & deſiderat aliquid, ab ipſo petit. Illud tamen multi optant, ſive deſiderant, quod omninò habere nolunt, ſicut viri etiam ſapientes, qui multa concupiſcunt, & deſiderant, à quibus tamen ſe abſtinent viriliter, & avertunt. Qui autem petit, indubitanter oſtendit, ſe velle obtinere, quod petit; ſicut ergo hoc verbum opto, ſive optandi, ſignificat intelligentiam, ſive affectionem, quæ vocatur optativus modus, & per quam fit, & dicitur, oratio, ſive locutio optativa; ſic verbum peto, ſive petendi, inclinationem, ſive affectionem ſignificat, per quam & fit, & dicitur locutio petitio, ſive petitiva. Solerter autem conſiderandi tibi ſunt, & attendendi ſermones ſacrorum doctorum, qui non rectè intelligentibus videntur eſſe diffinitiones orationis de qua hîc agitur, ſicut eſt iſte ſermo Aug. Oratio eſt pius affectus animi ad Deum, aliquid ab eo obtinere intendentis. Cùm enim pium deſiderium pius affectus ſit animi, non tamen oratio eſt, ſimiliter & ſermo Joannis Damaſceni, quo dixit quòd oratio eſt aſcenſus intellectus ad Deum, nō diffinitio orationis eſt, ſed laus aliqua ipſiꝰ; reverà tamē qui orat intellectu, id eſt intellectualiter, ſive ſpiritualiter, aſcēdit in deū &

Orationis virtus. *Rogare.* *Optare.*

applicat ſe illi, atque conjungit applicatione familiariſſima, dum omnia infirma ſua, omnes defectus, & omnem paupertatem ſuam eidem revelat: juxta ſermonem Propheticum, qui dixit: Effunde cor tuum ſicut aquam in conſpectu domini. Et alius iterùm propheta: Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio. Eodem modo ſentiendum eſt tibi de ſermone beati Hierony. quo dixit, quia veraciter orare, eſt amaros in compunctione gemitus, non verba compoſita reſonare. Manifeſtum eſt enim orationem non eſſe gemitus, vel reſonantiam gemituum, ſed reverà adjumenta magna, & pulcherrima ornamenta ſunt orationis hujuſmodi gemitus, & amaritudo eorum. Et hoc evidenter in ſequentibus videbis. Hæc autem de ſermonibus ſanctorum, & ſapientium, quibus inſipientes, & indocti, credunt eos diffiniſſe orationem, quoniàm de his in ſcholis theologicis vaniſſimè corrixantur, vel potiùs cornicantur, tibi propoſui. Quòd ergo dixit ſanctus iſte, & ſapiens, quia veraciter orare, &c. virtutem, vel orationis intimitatem, ſeu affectuoſitatem ipſius intellexit, quapropter ejus intentio fuit, quia veraciter orare, &c quod eſt dicere, intimè, ſive affectuoſè, ſive ex cordis cõpunctione & amarè, atque gemituoſè orare eſt. Quæ ergo ad notificationem ſive cognitionẽ orationis dixerunt viri ſancti, & ſapientes, laudes orationis ſunt, & particulares quædam declarationes ipſius potiùs, quàm veri nominis diffinitiones. Obſecratio verò non eſt aliud, quàm oratio, vel petitio: ſed inde dicitur petitio iſta obſecratio, quòd adjuratio ei adjuncta eſt. Quapropter obſecratio non eſt, niſi adjurativa petitio, quemadmodùm quandò dicitur: Obſecro te per miſericordiam Dei, vel per effuſionem ſanguinis redemptoris. Inter orationem autem, & deprecationem diſtinguunt interdùm ſacri doctores, dicentes, quia oratio eſt pro obtinendis bonis, deprecatio verò pro malis removendis, ſive arcendis.

Orare.

Obſecratio.

CAPUT II.

De perfectionibus orationis divinæ.

His autem ita poſitis, aggrediar declarare, & numerare perfectiones orationis, & differentias. Deinde mirificentias virtutum ipſius. Deinde querelas, & confabulationes ſanctorum cum animabus ſuis. Conſequenter diſputationes ipſorum cum ipſo Deo altiſſimo, propter quas dictum eſt à propheta: Suavis erit ei diſputatio mea: Noviſſimè verò cum his aggregare verba potentia, ad deprecandum compoſita. De quibus ab ipſo domino Deo dictum eſt in pen. Job: Non parcam ei, ſcilicet, Behemoth verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. Scito igitur, quòd oratio, de qua hîc intendo, ſeptem habet perfectiones, ſeu differentias, & quia prima eſt velut oratio rhetorica, & intentio, habens ſimilitudinem orationis rhetoricæ ſæcularis, & ad ſimilitudinem, & proportionem illius partes, videlicet exordium, narrationem, petitionẽ, confirmationem, & infirmationem, noviſſimè verò concluſionẽ. Differt autem iſta oratio ſpiritualis ab illa, intentione. Orator enim ſæcularis intẽdit ſua oratione movere judicem, & inclinare in partem ſuam, videlicet ut pro parte ſua judicet, aut ſententiet: Orator verò ſpiritualis oratione, quam coram Deo altiſſimo fundit, non intendit ipſum movere, quem ſcit indubitanter in ultimitate ſtabilitatis immobiliſſimum, ſed potiùs ſemetipſum à malo, in quo eſt, in bonum, vel à bono in melius, quod eſt dicere, quia intendit ſemetipſum facere idoneum per orationem, ut ei con-

Septem perfectiones orationis.

Orator ſpiritualis.

E cedatur quod impetrare intendit, quia ſi oratio ejus eſt pro remedijs à malis, tunc intentio ejus neceſſe habet ſe facere, vel exhibere adeò miſerabilem, ut pater miſericordiarum, miſericordiam quam petit, ei vel non velit, vel non valeat denegare. Et intelligo hoc, ſi pro ſeipſo oret. Si autem pro alijs auferre debet in primis à ſemetipſo, quæ iram Dei juſtiſſimam provocant, nedum inimicus Dei exiſtit, & placare ſibi ipſi illum negligit, aut contemnit, magis eum ad iram provocet, quàm leniat: juxta ſignificationem beati Gregorij dicentis: Si is, qui diſplicet, ad interpellandum mittitur, irati judicis animus ad deteriora provocatur. Propter quod memoriter tenere debent, qui pro alijs impetrare divina beneficia volunt, verbum quod legitur Joan. 9. Peccatores Deus non exaudit. In quo ſubintelligendum eſt, pro alijs; pro ſe enim ipſis non eſt dubium, quin eos ſæpiſſimè exaudiat, & etiam juſtificet, ſicut evidenter apparuit in beatiſſima illa peccatrice, Marta ſcilicet Magdalena, ſicut legitur Luc. 7. ſimiliter & in publicano ejuſdem 17. Ipſa etiam tota Eccleſia clamat ad Deum: Peccatores te rogamus audi nos. Ampliùs. Qui ſunt, qui dicunt ad eum ex ipſius magiſterio, & præcepto: Et dimitte nobis debita noſtra, niſi qui debitores ſe eſſe confitentur? Qui autem ſunt debitores, niſi peccatores? Similiter Matthæi 18 Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniàm rogaſti me. Et quia non eſt neceſſe ut ſuper hoc probationes ampliores adducam pro eodem, proſequar orationem juxta præmiſſam ſimilitudinem, & ejus partes. In primis ipſum exordium tractemus.

CAPUT III.

De exordio.

Exordium ſiquidem rhetoricum ad hoc in oratione rhetorica ſemper præponitur ut per ipſum captetur benevolentia judicis & favor aſtantium, ſive audientium. Propter quod oratores illi G in exordijs ſuis præmittere ſolent famam, & juſtitiam judicis, & exempla de eodem, de quibus eos laudari aſſerunt & alia quæ authores & doctores illius ſtudioſiſſimè, ac diligentiſſimè docuerunt. Mihi autem videtur, quòd nullâ viâ favorabiliùs, aut in conſpectu Dei altiſſimi gratioſiùs ordiri poſſit orator ſpiritualis orationem ſuam, quàm ſi à ſtupore, confuſione, timore, & dolore injuſtitiæ ſuæ ſive inſipientiæ ſuæ incipiat & dicat ſic. Deus gloriæ & pater miſericordiarum, audeo-ne apparere in conſpectu ſanctæ ac venerandæ, tremendæque ſemper majeſtatis tuæ? Aut poſſunt ferre oculi ſancti tui horrificas abominationes & monſtrificas fœditates meas, abyſſos immunditiarum mearum, & quod eſt deterius immenſitatem ingratitudinum mearum damnabiliſſimam & immenſitatem iniquitatum & H injuſtitiarum mearum nequiſſimam? Speciosa namque eſt Babylon illa terrifica comparatione monſtruoſitatis meæ, pulcherrimus infernus, comparatione deformationis, perverſitatis & inordinationis meæ. Mundiſſima eſt cloaca omnis comparatione fœculentiæ meæ, ſordiumque, vitiorum ac peccatorum quibus immerſus ac ſepultus ſum. Sed ſi reſpicere dedignaris, quid faciam? quo fugiam? cùm præter te non ſit refugiũ peccatoribus? Qualiter audiat qui etiã audiri indigniſſimus ſum? Cujus aſpectum omnes ſancti, ac mundi oculi perhorreſcunt, cujus fœtorem & ſordes omnes puræ & incorruptæ nares refugiũt ſeque ab eis cũ abominatione, & indignatione avertũt. Sed & ſi dignaris qua frõte qua audaciâ

Exordium orationis ſpiritualis.

Humilitas orationis.

audacia, qua temeritate præſumam aliquid pete- A
re à te? cujus itam immenſis, & innumerabilibus
malis meis toties, & tam diù, horribiliter, tamque
multipliciter provocare non expavi? Noſti Domi-
ne (qui nihil ignoras, quem nihil latere poteſt)
quia nec cogitare, neque loqui quicquam quod ti-
bi placere debeat, coram te valeo, niſi præveneris
Vid. me in benedictionibus dulcedinis tuæ. Da Domine
miſericordiæ mihi miſerrimo peccatori viliſſimo,
mihi omni bono indigniſſimo, omni damnatione,
& morte digniſſimo, orationis tibi acceptæ exor-
dium. Da & cæteras partes, quia noſti nec orationẽ,
nec partem ipſius nobis eſſe poſſe, niſi de multitu-
dine miſericordiæ tuæ. Et ne differas dare, donec
illud dignis ſupplicationibus meruerim. Alioquin
quandò me in parte iſta reſpiceres, quandò donum
iſtud tam neceſſarium mihi donares, Deus gloriæ,
& domine miſericordiæ, qui in hoc ipſo, quod hoc
in conſpectu tuo cogito, quod donum iſtud deſide- B
ro, quod ipſum licet aridè, frigidè, tenebroſè, &
tam exiliter peto, prævenies me in benedictionibus
Iudith 9. dulcedinis tuæ? Antequàm enim rogarem te, hoc
mihi prædonaſti, artham ſcilicet exordij piæ, devo-
tæ, & tibi placitæ orationis. Cui non ſolùm manſue-
torum, & humilium ſemper placuit deprecatio, ſed
etiam peccatores pro ſeipſis ſupplicantes multitudi-
ne miſericordiæ, non ſolùm non expellis, ſed etiam
revocas, & antequàm ab ipſis invoceris, prædonas,
ut te invocent.

CAPUT QUARTUM.

Quòd exordium poteſt incipi à gratiarum actione.

QUòd ſi exordiri volueris orationem tuam à C
gratiarum actionibus, & laudibus (quod
Pſal. 16. indubitanter convenientiſſimum eſt) non
ſolùm propter quod ſcriptũ eſt: Laudans invocabo
dominum ſed etiamquia omninò indignus eſt alia
bona vel dona recipere à Deo, vel obtinere, qui de
Cenſus. collatis, atque receptis gratias agere non curat. Hoc
enim eſt tanquàm ſpeciale ſervitium, & quidam cẽ-
ſus, ſive cenſi caput, qui in cognitione dominij re-
ſervatur à dominis, & retinetur. Quemadmodùm
igitur in feudis, ſi feudararius abſcõdit, & non reve-
lat, neque recognoſcit à domino feudi totum feudũ,
jure, & cõſuetudine etiam illud amittit; ſive partem
illius, illam videlicet quam domino recognoſcere
noluit, ſed abſcondit atque cælavit; ſic Deus, & do-
minus omnium ſæculorum, in omnibus donis, ac da-
tis ſuis hanc recognitionem ſibi retinuit. alioquin D
de rectitudine juſtitiæ ſuæ meritò auferre poteſt
omnibus illis, qui ei bona ſua non confitentur Juxta
quam materiam hic non ſolùm aliqua denegare po-
teſt ſed etiam auferre jam data. Hujuſmodi ergo
Oratio. confeſſionis, ſeu recognitionis, hic erit modus, quã-
Exemplũ orationis. tùm mihi datur, & occurit ad præſens: Deus gloriæ,
& domine miſericordiæ, unus, ſolus, & verus Deus,
& dominus omnium ſæculorum, tua ſunt, & tibi ſoli
debentur omnia, honor, & gloria, omnis collauda-
tio, & magnificatio, gratiarum actio, & benedictio,
quia opus tuum donum tuum, beneficium tuum &
omne bonum, quodcunque, quantumcunque, &
qualecunque ipſum ſit. Et nos domine non ſumus
niſi fabricationis tuæ facturæ mirabiles, à te unico
creatore autore, & fabricatore, ex ſolis donis, bene-
ficijs, & operibus tuis, à te uno ſolo Deo vero, &
uno mirabiliter conditæ, & constructæ. A te accepi
Deus gloriæ, & domine miſericordiæ, quòd ſum,
quòd vivo, quòd ſentio, quòd intelligo. A te accepi
animam, & corpus, & omnia bona, quæ in anima
mea ſunt. A te accepi pietatis tuæ dona, ſingulariter
corporis mei membra, ſingulorum membrorum par-
tes, quorum tu ſolus, & numerum, & cõpoſitiones,
& colligationes, vireſque omnium noſti. Sic & vi-
res ipſius animæ meæ naturales, & nec ullus pilus eſt
in toto corpore meo, cujus tu ſolus non ſis fabrica- *Nota.*
tor, & dator, & auctor. Accepi & gratiam, qua
Chriſtianum me eſſe voluiſti, atque feciſti. Accepi
& ſanctificationem baptiſmalem cum tota numero-
ſitate virtutum, & donorum tuorum, quæ neceſſariæ
ſunt unicuique ad rectè vivendum tibique placitè
ſerviendum & ad promerendum æternæ fœlicitatis
gloriam, propter quam, & ad quam nos creaſti, &
bona hæc omnia nobis tribuiſti; ſcio te domine illu-
minante, atque revelante, quàm magna ſint bona
temporalia, quæ à te accepi, & quia non de meritis
meis, ſed de prælarga bonitate tua illa accepi. Scio
incomparabiliter præſtantiora eſſe bona gratiæ, quæ
deſuper abundantiſſima miſericordia tua mihi ſuper
hæc appoſita ſunt. Scio bona gloriæ, ad quam me *Nota.*
creaſti, & donis tuis naturalibus ſic inſtituiſti, &
deinde donis tuis gratuitis, quæ ſunt virtutes, & gra-
tiæ, quibus in ſacramento baptiſmi me informaſti, &
ad illa præparaſti, etiam incogitabiliter nobiliora,
atque ſublimiora eſſe alijs quibuſque. Pro his omni-
bus, ut poſſum, & ut permittunt tenebroſitas, aridi-
tas, & frigiditas, omnimodaque paupertas cordis
mei, quantum tu das, & quas das de multitudine
miſericordiæ tuæ, gratias ago tibi, benedico te, col-
laudo, magnifico, atque glorifico, licet longè im-
pariter ab immenſa largitate beneficiorum tuorum,
& longè incomparabiliter à debita devotione. Om-
nem enim æſtimationem meam omnem admiratio-
nem, omnemque cogitatum meum incogitabiliter
excedit immenſitas largitatis, & beneficentiæ tuæ
in me, & in alios infatigabili continuatione ſemper
profuſiſſima Confiteor, & abyſſum ingratitudinum
mearum erga te damnabiliſſimam. quibus nec debi-
tas gratiarum actiones pro tanta immenſitate bene-
ficiorum tuorum tibi unquàm retuli, ſed neque e-
tiam illa unquàm tibi non ſolùm devota recogni-
tione confeſſus ſum, immò etiam neque arida, & *Nota.*
nuda rememoratione illa recogitavi Confiteor
inſuper domine miſericordiæ tot, & tantis ingra-
titudinibus meis intorſiones nefarias, & abuſiones
execrabiles, donorum & beneficiorum tuorum,
quæ omnia cùm in honorem, & gloriam tuam,
obſequiaque tibi placita convertere debuiſſem, in
mortem meam, & injuriam, & contumeliam tuam,
& in arma etiam impugnationis tuæ convertere
non expavi, & in mortem quidem meam, dum bo-
na data tua quæ mihi vita eſſe debuerant, & cum
quibus erat vita ſpiritus mei, vitijs meis, & pecca- *Nota.*
tis in memetipſo gratuita tua extinxi. Naturalia
verò dona tua graviter læſi, & vulneravi in inju-
riam tuam, & contumeliam, dum quæcunque il-
lorum, vel tibi non attribui, vel mihimet falſiſſimè,
atque vaniſſimè arrogavi, in quo furtum, & rapi-
nam gehennali ſuſpendio digniſſimam me com-
miſiſſe confiteor. Pluriès verò donis, ac datis, in *Vide.*
ſuperbiam intumeſcens, & in elationem elevatus
odibilem, atque abominabilem, me tibi, & homi-
nibus effeci. In arma verò impugnationis tuæ mul-
ta ex donis, & datis tuis multoties intorſi. Pulchri-
tudinem namque corporalem, quam dediſti mihi,
in gladium flammeum ad exurendas animas per
amorem turpitudinis converti, & ea diabolum
armavi, dans eam in manu, ideſt in volunta- *Attende.*
te, & poteſtate illius, ut in quoſcunque
permitteretur, transfigeret, & exureret. Ad-
jeci etiam, ut gladium iſtum exquiſitis or-

Digitized by Google

natibus elimarem, & exacuerem, ut in ipſo pugnans adverſùm me diabolus, majorem tuarum ſtragem faceret animarum. Ingenium, quod dediſti mihi non ſolùm in vanis, & inutilibus, atque ſupervacuis, immò etiam in noxiis, & pernicioſis illud tota ſtudioſitate exercui. Domine miſericordiæ quantam partem ſtudiorum meorum ſibi vendicaverunt ſcientiæ vaniſſimæ curioſitatis, & ſcientiæ falſi nominis? Quantâ vigilantiâ ſtudebam interdùm vel mala mea, vel mala aliorum procurare? Quoties totum ingenium meum tantùm ſibi vendicaverunt, & occupaverunt ea, quæ tibi diſplicere, & diſplicuiſſe, nunc te illuminante cognoſco? Eloquentiam, quam dediſti mihi, quam totam expendiſſe in laudibus tuis, & magnificationibus debueram, impugnandæ veritati, & juſtitiæ, adornandæ falſitati & defendendæ iniquitati, vel potiùs armandæ totam dedi. Quis enarret, vel enunciet vitia peccati labiorum meorum? *Optimè.* Quis cogitare ſufficiat adulationes, detractiones, & mendacia, & vaniloquia, quibus labia mea tu ſolus vides eſſe polluta? Sed in ipſa ſacra prædicatione, in qua omnia hujuſmodi emendare debueram, quis novit, vel noſcere poteſt, præter te, qui omnia ad nudum, & liquidum intueris, *Nota.* quoties, & quot modis, peccaverim in ea vel irreverenter, vel negligenter, vel quocunque alio modo non rectè tractaverim verbum veritatis tuæ? Si canendi, vel cantandi gratiam aliquam mihi contuliſti, tu ſcis quandò tibi, vel mihi cantaverim, quandò ad laudem, & gloriam tuam, & quandò ad laudem, & gloriam meam, quod aliud peccatum, quàm ſcelus idolatriæ committebam, quoniàm ſacras cantiones honori, & gloriæ tuæ conſecratas, in meam gloriam intorquebam, & propter hoc cultum tuum, qui creator ſolus es, mihi creaturæ tuæ ſceleſtiſſimè impendebam. Quis ſcrutari ſufficiat abyſſos delictorum, & peccatorum meorum, præter te, qui ſolus intueris abyſſos, non ſufficeret totum tempus vitæ meæ ad confeſſionem, vel enarrationem ſingulorum malorum meorum. Nec ſuppetit mihi memoria omnium illorum, ſed nec recogitare valeo innumerabilem numeroſitatem ipſorum. *Nota.* Cum aliis autem omnibus donis, & datis tuis, quis cogitare ſufficiat divitias patientiæ, & longanimitatis tuæ quibus tam ingratum, & malum in tot, & tantis malis, tam diu, tam benignè, tam miſericorditer, tam dulciter ſuſtines, & expectas? Sed & modos, & vias miras, & ineffabiles, tibique ſoli notiſſimas, tribuis, quibus immenſitas bonitatis tuę ad miſericordiam tuā me revocare, & reducere non ceſſat. Continuis enim allocutionibus tuis exterioribus per ſcripturas tuas, vel Prædicatores, & Doctores tuos; ſimiliter & interioribus, occultis inſpirationibus, & rememorationibus tuis me revocare ad miſericordiam tuam, & gratiam non deſiſtis. Comminationibus tuis ab inviis vitiorum, & peccatorum, me inceſſanter avocas, & avertis. Magnificis promiſſionibus tuis me ad ſpem miſericordiæ tuæ continuè erigis, & confortas. Continuis beneficiis tuis ad amorem tuum me provocas, quantùm in te eſt, & inflammas. Quid enim aliud ſunt beneficia de fonte bonitatis tuæ inceſſanter in me redundantia, & de fornace ſanctiſſimi amoris tui abſque ulla interpellatione ſemper erumpentia, niſi ignes, & flammæ, quibus me obruis & ex omni parte circundas, & obſides, ad hoc, ut amore tuo ſanctiſſimo totus ardeam, *Eleganter.* & conflagrem? Quid verò aliud ſunt creaturæ tuæ nobis tam officioſè, tam ſedulè inceſſanterque nobis ex imperioſiſſimo beneplacito tuo ſervientes, quid inquam ſunt niſi innumerabilis multitudo miniſtrorum, obſequia ſua tam multa, tam magna, tam

E vera, tam ſalubria, tam neceſſaria, tam jucunda, non ſolùm ultrò nobis offerentium, ſed etiam inopportunè ingerentium, & plerunque violenter offerentium? Quid aliud ſunt creaturarum tuarum tot, & tanta obſequia, niſi ingentia pretioſiſſimaque dona, quæ de indeficientibus theſauris prælargæ bonitatis tuæ nobis offeruntur, & præſentantur ex parte tua? Et propter hoc indubitanter non ſunt niſi flammæ, & ignes quibus nos ex omni parte circundas, *Nota.* & obruis ad hoc, ut amore tuo ſanctiſſimo, atque vivifico ardeamus. Et quemadmodùm dicit ſacratiſſima ſcriptura tua, quia in his omnibus inſenſatum eſt cor meum, ita veriſſimè dici poteſt, in omnibus his flammis, & ignibus congelatum eſt miſerrimum cor meum, & hoc horrifico, diabolicoque miraculo. Et quod eſt icomparabiliter magis ſtupendum, ego ipſe non ſum niſi congeries, & acervus

F ingentium, magnificorumque beneficiorū tuorum frigidus, *Vide.* & gelidus à calore vivifico amoris tui ſanctiſſimi. Quid enim ſum ego, niſi congeries aggregata ex omnibus membris meis corporalibus, & viribus, ex animaque, & corpore, & omnibus virtutibus utriuſque, omnibuſque donis tuis, quibus utrumque perfeciſti, & ornaſti? Hinc igitur manifeſtum incomparabiliter me eſſe fornacem majorem Babilonica illa fornace, cujus flamma decem cubitis ſuper illā aſcendebat. Hāc fornacē, me ſcilicet miſerrimum, & tu conſpicis, & ego ſentio frigidiſſimam, & gelidiſſimam eſſe. *Attende.* Quis ad hoc diabolicum terrificum miraculum non obſtupeſcat? Quis vel audivit, vel cogitavit ignes, vel flammas frigidas eſſe, vel ignem gelaſſe, ac congelatum eſſe?

G Ecce domine miſericordiæ ex immenſitate beneficiorum tuorum apparet evidenter immenſitas ingratitudinum mearum damnabiliſſima. Quis etiam admirari, vel cogitare ſufficiat magnitudinem, & multitudinem donorum, & exemplorum tuorum, quæ per officioſiſſima creaturarum tuarum miniſteria nobis, tanquàm per nuncios fideliſſimos, inceſſanter tranſmittis, atque largiris? Et propter hoc continuè deberent eſſe ad te devotiſſimæ gratiarum actiones noſtræ. Tu autem vides miſerator, & miſericors domine, quàm raræ, & plerunque nullæ ſunt. Quòd ſi interdùm aliquæ ſunt adeò exiguæ, exiles, adeò aridæ, adeóque tenebroſæ ſunt, & ferè penitùs indevotæ, ut nec gratiarum actiones debeant computari. Ad ultimum autem in conſpectu dominantiſſimæ majeſtatis tuæ, tanquàm cumulum incogitabilis largitatis, & beneficentiæ tuæ, commemoro

H illud à ſæculis inauditum, omnique cogitatu majus, cariſſimi, ac benedicti unigeniti tui Dei, ac domini noſtri Jeſu Chriſti incarnationis, ac paſſionis beneficium, cujus nullę laudes, nullæ gratiarum actiones condignæ excogitari poſſunt. Addo, *Oratio pientiſſima.* quod nec minus reputo, quotidianum videlicet ac juge ſacrificium ſacratiſſimi altaris tui, omni honore, & veneratione digniſſimum myſterium. Non ſunt mihi enumerabiles, non ſunt mihi etiam cogitatu comprehenſibiles ingratitudines meæ, quibus ineffabile illud beneficium, incarnationis videlicet, & paſſionis chariſſimi, ac benedicti unigeniti tui, quo redempti, quo tibi reconciliati ſumus, & reparati, ac ad gratiam tuam reformati, ad nobilitatem gratiæ adoptionis, & filiationis tuæ in alto, & æternæ fœlicitatis regno hæreditati, tam graviter offendi. Domine miſericordiæ quis ad tanta magnalia pietatis, & dulcedinis tuæ, ne dicam condignis, ſed vel ſaltem congruentibus gratiarum actionibus reſpondere ſufficiat? *Nota.* indignabiliſſimas ingratitudines, atque indevotiones circa venerabiliſſimū altaris tui ſacratiſſimi miſterium, nec enarrare, nec enunciare, nec deflere, nec dolere, nec formidare

Digitized by Google

ſufficio, quibus me tibi abominabilem, execrabilem, & omni virtute, & gratia tam ſacrimiſterij indigniſſimum me feci? Et hoc ſive offerendo illud, ſive ſuſcipiendo, ſive contrectando, ſive celebrationi illius indevotè intereſſendo, ſive ante ſacrarium ipſius exiſtendo, vel miniſtrando, vel tranſeundo, ſive ipſum circumferri ad infimos videndo. Hæc omnia mala mea in conſpectu clementiæ tuæ commemoro, & exaggero, licet arido, frigido, tenebroſo corde, pauperrimo per omnia, ut attendere, & intendere miſeriis noſtris tibi, omnibuſque aſtantibus præclatè majeſtati tuæ militiarum exercitibus, libeat. Cujus miſericordia non ſolùm miſeriis noſtris nunquàm ſe denegat, quin potiùs in benedictionibus dulcedinis tuæ nos prævenis præilluminans nos, ut mala noſtra videamus, præinſpirans, ut nobis diſpliceant, prædonanſque, ut ad tribunal clementiæ tuæ cum fiducia veniamus, & ad immenſæ pietatis tuæ unicum, tutiſſimumque omnium noſtrorum refugium cum ſpe indubitata ſuſceptionis, (B) liberationis, & protectionis tuæ fugiamus. (*Nota.*) Non enim eſt quo fugiamus à te, niſi ad te ipſum, ab ira tua ſcilicet ad miſericordiam tuam. Unde tu domine refugium factus es nobis, qui fugientes a te ſemper ſuſcipis. Tu ſolus es domine, in quo tuti eſſe poſſumus, non ſolummodò à malis noſtris, ſed etiam ab univerſis hoſtibus noſtris, & etiam à teipſo. Quis enim alius ſalvare, vel liberare, tueri, & protegere nos poteſt ab hoſtibus noſtris, & à nobis, qui peſtilentiores ſumus hoſtes nobis omnibus aliis, & à teipſo, cujus iræ nemo poteſt reſiſtere, niſi tu ſolus, cujus miſericordiæ ſinus patentiſſimus eſt, cujus miſericordiæ ſuperabundantiſſimæ divitiæ, ſunt omnibus adeuntibus, atque petentibus, expoſitiſſimæ.

CAPUT V.

Concluſio precedentium.

EX his igitur, & ſimilibus verbis convenientiſſimum (ut mihi videtur) aſſumere potes exordium. Nulla enim ex parte reorum, & peccatorum, (*Nota.*) inveniri poteſt materia, quæ magis attentos benevolos, propitioſque, & favorabiles efficere valeat auditores, quàm miſeriarum humilis, devotaque, & accuſatrix confeſſio, & queruloſa exaggeratio. Cauſa autem in hoc eſt immenſitas miſericordiæ clementiſſimi judicis Dei, ſimiliter & pietas ſenatus illius, totiuſque curiæ cœleſtis, quam conſtat omni fideli, & erudito, in omnes miſeros, qui ad Deum converti, & reverti deſiderant, & ut eis detur, enituntur, profuſiſſimam eſſe, & effluentiſſimam. Quemadmodùm enim gaudium eſt juſto facere judicium, ſicut legitur Proverb. 10. ſic, & multò ampliùs, gaudium eſt miſericordiæ miſereri, ſeu facere miſericordiam.

CAPUT VI.

De narratione.

QUoniam verò juxta artem, & doctrinam rhethoricam, de ipſa narratione aſſumenda eſt ſemper confirmatio partis ipſius, qui narrat, & infirmatio partis adverſarij, erit de eiſdem materiis texenda narratio, ex quibus audiviſti ſumendum eſſe exordium. Ex facto namque, quod narratur oritur jus, & inde ſumendi ſunt omnes loci ſuaſionum, & argumentationum rhetoricarum. Quia igitur deprecatio eſt conſtitutio cauſæ omnis orantis, hæc autem eſt, ſicut legitur in libris artis illius, & didi- (A) ciſſe debes, in qua reus culpam ſuam agnoſcit, & confitetur, nihilque defenſionis affert, ſed ſibi ſolummodò poſtulat ignoſci. Phariſæus enim ille Evangelicus, qui juſtitias ſuas allegabat coram Deo, poſt poſitus eſt publicano, peccata ſua humiliter cōfitenti, ſicut legitur Lucæ 18. Deſcendit juſtificatus publicanus ab illo: Et Dan. 9. Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm omnis orans ritè, & rectè, & verè, donari ſibi petit, quod orat, & propter hoc confitetur ſibi non eſſe debitum illud, alioquin non orans eſt, ſed magis contendens, & allegans juſtitiā cauſæ ſuæ, & paratus vel appellare à Deo, tanquàm ab injuſto judice, ſi eſſet ei ſuperior vel prædicare ipſum injuſtum. Non longè autem eſt homo hujuſmodi ab homine, qui vult armis, & viribus, contra Deum contendere, & injuriam quibus poſſet modis omnibus propulſare. Similis eſt etiam homo hu- (*Nota.*) (B) juſmodi mendico, & eleemoſynas petenti, qui non inopiam ſuam, & paupertatem oſtendit, & prætendit, ſed potiùs divitias, ſi quas habet; quapropter non mendicum, aut egenum ſe gerit, ſed oſtentatorem divitiarum ſuarum. Quæ autem ſtultitia major, & intolerabilior cogitari poteſt, quàm mendicantem, eleemoſynaſque petentem, paupertatem & inopiam ſuam abſcondere, divitias oſtentare? Non minor autem, nec diſſimilis inſania eſt morbidum, & vulneratum, morbos ſuos, & vulnera, membraque ſua morbida, ac vulnerata medico mederi volenti abſcondere, ſanitatem prætendere, ſana membra, & loca nihil læſionis habentia oſtentare. Cujuſmodi inſania phariſæum antedictum, non eſt dubium, laboraſſe. Quapropter manifeſtum eſt, miſericordiam petentibus ſaluberrimum, ac neceſſarium eſſe, miſerias ſuas non ſolùm oſtendere, ſed etiam (C) clamare in aures miſeratoris largiſſimi Dei, & exaggerare eas, atque aggravare, quantùm veritas, & conſcientia permittunt, & patiuntur. Narranda etiā ſunt beneficia ipſius, quæ jam contulit, tanquàm arrhas quaſdam, & ſigna certiſſima, ac pignora ſecuriſſima beneficiorum majorum, quæ ſperare vult homines per ea quæ jam acceperunt. Nec prætereundum eſt quandiu, quàm benigne, quàm miſericorditer, quàm dulciter, in tot, & in tantis malis ſuſtinet peccatores, quod utique facit, ut det eis locum, & ſpatium pœnitentiæ. Et hoc ipſum eidem dicendum eſt in oratione verbis hujuſmodi. Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & judicans das locum pœnitentiæ in peccatis, ſicut legitur Sap. 12. (*Orat. 6.*) Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, & miſereris omnium, quia omnia potes, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, ſicut legitur ibidem 11. Et iterùm Ezec. 18. tu ipſe dixiſti Nunquid voluntatis (D) meæ mors eſt impij, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat? Et iterùm. Revertimini, & vivite. Non in vanum igitur nobis indulges ſpatium vitæ ad pœnitendum, & revertendum ad te. Ne ergo domine miſericordiæ vacuum mihi ſit tēpus, quod indulges ad pœnitentiam, ne careat in me fructu tam neceſſario, tamque ſalutari fructu, videlicet pœnitentiæ. Domine miſericordiæ tot, & tanti ſunt ſublati de medio, & rapti ad æterna ſupplicia, quibus pœnitendi ſpatium non dediſti. Tot ſunt morte ſubitanea præoccupati, tot ſenſibus ſuis alienati, tot acerbiſſimis ægritudinum doloribus excruciati, & euſque vexati, ut neque de pœnitentia ſua, & reverſione ad te ſaltem cogitare potuerint. Mihi autem domine contraria adjumenta tribuiſti, & impedimenta iſta à me penitùs avertiſti, dans mihi ſtatum tranquillum ſanitatis, & incolumitatis, ſenſus

ſanos, & integros, niſi quantùm vitia mea, & pec-
Vide. cata eos aut obſcuraverunt, aut turbaverunt. Dans etiam tempus pœnitentiæ ſpatioſum, atque ſufficiens, & gloria tua me ad hoc adjuvat, immò quod non minus verum eſt, ſi gratiæ tuæ miſer ipſe non defuero, non vanè hæc tanta, tam ſalubria, tamque neceſſaria beneficia tribuiſti mihi miſerator, & miſericors domine. Et ignavia igitur mea eſt, quòd tempore iſto non utor ad pœnitentiam, quòd illud totum non expendo in procuranda, & exquirenda reverſione mea ad te, & gratia reconciliationis, qua tibi reconcilier, & tu propitieris mihi domine. Domine miſericordiæ non ſolùm graviter, & multipliciter ſuper omnem æſtimationem, & admirationem meam, atque ſuper omnem cogitatum, peccavi in te, & contra te, ſed etiam contra curiam tuam cœleſtem totam, & contra omnia dona gratiarum tuarum, omneſque virtutes, & ſingulas, omniaque bona, & opera quæcunque te auctore, & inſpiratore ab hominibus fiunt: contra totam inquam curiam tuam, cujus præclaram ſocietatem, nobiliſſimumque, ac beatiſſimum conſortium, non ſolùm non amavi, non deſideravi, non exquiſivi, ſed etiam non curavi, immò potiùs contempſi. Domine miſericordiæ pro quibus, & quantis, aut qualibus, dimiſi bona illa, quibus fruuntur, quibus incogitabiliter gaudent dilecti, & electi tui tam angeli, quàm homines in civitate tua illa, de qua glorioſa dicta ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit,
Iſa. 64. quæ præparaſti, ô Deus gloriæ, diligentibus te? Quæ autem hîc amavi amore perverſiſſimo, atque inſipientiſſimo, & quod eſt verius inſaniſſimo, etiāſi
1. Cor. 2 vera bona eſſent, fugitiva tamen ſunt euſque, ut tanta velocitate fugiant, ut etiam ab his, qui ea apprehendere, retinere totis ſtudiis invigilant, & totis virium ſuarum conatibus enituntur, non tam fugiant, quàm etiam evaneſcant. Nec minùs ipſi curſu rapidiſſimo præſentis mortalitatis ab ipſis fugiūt, quorum ſi neutrum eſſet, ipſa tamen mors illa ab amatoribus ſuis violenter caperet, ſicut inceſſanter facit. Cum his autem omnibus gaudia iſta ſomniantium ſunt, & riſus iſti riſus ſunt freneticorum, & labores, atque dolores ſpecialibus laborantium morbis, ſicut veriſſimè dicit veritatis tuæ Doctor egregius Auguſtinus. Quid ampliùs de hujuſmodi loquar? phantaſmata ſunt ſomniantium, & illuſiones mente alienatorum. Vanitates ſunt, dum nec conferunt plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti in eis. Mendacium ſunt, dum quod promittunt, non ſolvunt. Promittunt enim ſatietatem & copiam, & majorem ſui eſuriem, amatoribus ſuis habita, & obtenta ingerūt, non ſicut tu veritas ore ſacratiſſimo dixiſti: Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterùm, & potuiſſes veriſſimè dixiſſe, ſitiet ampliùs, & ardentiùs. Tu ore tuo benedicto vocaſti fallaces divitias; ſciebas enim quàm miſerabiliter fallant credentes eis, & confidentes in ipſis. Sciebas quanto errore amatorum ſuorum divitiæ nominentur, cùm non ſolùm divites non faciant, quin potiùs pauperrimos, & egenos eos, qui poſſeſſores earum ſe credunt, efficiunt, ſicut ait quidam ex philoſophis latinorum, quia divitiæ cogunt eſurire. Et quidam poeta, Inopem me copia fecit, & iterùm: creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit. Quàm infœlix, quàm inſipiens, immò quàm inſanus negociator fui, qui tam pernicioſo, tamque diſpendioſo commercio vera illa ſolidiſſima, & æterna, pretioſiſſima, jucundiſſimaque, pro tam vilibus, tam falſis, tam vanis, tamque fugacibus non dicam bonis, ſed potiùs bonorum phantaſmatibus, deſerui? Quanta fuit cœcitas mea, quāta tenebroſitas oculorum cordis mei, quæ me videre

E tam execrabiles illuſiones, tam damnabiles deceptiones non ſinebat? quæ tanta, tamque dolenda, ſemperque lugenda mihi detrimenta mea abſcondebat? Quàm cœca nox, quàm opaca, quàmque denſa nubes vitiorum, & peccatorum meorum euſque o- *Nota.*
peruerat oculos cordis mei, ut nec memetipſum, nec tam vicina, immò adhærentia mihi mala aliquatenùs agnoſcerem? Domine miſericordiæ quantùm obſurduerat anima mea, quæ tonitrua ſermonum tuorum, & tubas tuas, ſanctos videlicet prædicatores, & doctores tuos audire me non ſinebat? Quàm profunda erat lethargia ſpiritualis mea, quæ me voce tua, quæ vox tubæ eſt, & vox tonitrui magni excitare me, & evigilare prohibebat? Quanta erat, & quàm dura iniquitas, & impietas mea, quæ cor meū circundederat, & operuerat, quin potiùs armaverat euſque, ut vox tua gladio ancipiti penetrabilior, *Nota.*
F penetrare non poterat? Quàm longe eram à te domine Deus meus, & quàm in profunda abyſſo malorum meorum, quàm tenebroſum chaos inter te, & me firmatum, quod lumen charitatis tuæ ſaluberrimum, & calorem vivificum bonitatis tuæ uſque ad me venire non permittebat? Verè neſciebam ubi eram, & eram mihi ipſi abſconditus, immò perditus eram? verè in regione umbræ mortis habitabam, verè ſedebam in tenebris, & in umbra mortis, in concluſione horrifica vitiorum, & peccatorum meorum vinculis, & miſerabili captivitate cōſtrictus, ſervitute noviſſima, ac turpiſſima depreſſus, & quod eſt ſumma omnium malorum meorum, placebat mihi tanta miſeria mea, immò tantarum miſeriarum mearum abyſſus horrenda, placebat mihi habitatio iſtā teterrima, & nobilitate animæ tam indigna, eſſe ſub ſentibus iſtis, delitias computabā.
G Frigebar, urebar concupiſcentiarum mearum ardoribus, perforabar undique doloribus, lacerabar, & dilaniabar ſolicitudinum, & paſſionum aliarum diſtractu, & miſerrimus, atque inſaniſſimus ego tot, & tanta tormenta animæ meæ eſſe gaudia ſomniabam, & pacem appellabam tot, & tanta mala mea in inferno iſto, eram in tenebris, & in umbra mortis ſepultus putreſcebam, immò ſordebam. Iſti vermes erant operimentum meum, & iſta tinea aſſiduarum corroſionum erat culcitra mea, ſive ſtramentū meum: juxta ſermonem tuum, quem per Iſaïam prophetam tuum locutus es. Domine Deus meus non ſufficio recogitare immenſitatem malorū meorum & quis ad hoc ſufficere poſſet? Tu enim ſcis, quòd multo numero annorum peccare non ceſſavi, vel mala committendo, vel bona omittendo, vel in utriſque ſcilicet omiſsionibus & commiſsionibus, pertinaciter, vel deſidioſè commorando, & converti, ſive reverti ad te tardando. Domine Deus meus, quod eſt malum, cujus ego reus non ſum, vel perpetrando illud opere, vel volendo illud perpe-
H trare? Et hoc in memetipſo, vel per memetipſum, vel in alio, volendo ſcilicet, & conſentiendo, ut illud ipſe committeret, vel laudando ipſum malum, vel adulando ipſi, qui illud commiſiſſet, vel non arguendo illum, cùm hoc ad me ex officio pertineret, vel non compatiendo ipſi peccanti, vel quod deterius eſt, gaudendo de peccato alterius quod erat mors ſpiritualis ipſius, vel omninò non curando, quod erat infidelitas erga te graviſsima. Non enim *Nota.*
licere mihi poterat videre unam ex ovibus tuis pereuntem, & à lupis infernalibus devorari, & non eripere eam de faucibus eorum, vel ſaltem quomodò potuiſſem devorationi hujuſmodi reſiſtere. In ſimili quoque damnatione me eſſe cognoſco de bonis omnibus. Quod enim eſt bonum quod in me non extinxi, vel in alio perſecutus non ſum, impediendo ne fieret, vel detrahendo jam facto, vel odiendo ipſum,

Digitized by Google

ipſum, vel permittendo extingui, vel gaudendo etiam, ſi periret, hoc eſt ſi extinguebatur in ipſo? Domine miſericordiæ, quot bona perierunt, vel me procurãte, ut nõ eſſẽt, vel me nõ juvãte, ut eſſẽt, vel nõ nutriente ea, aut abſtrahente eis auxilium meum? Peccavi etiam contra ea domine Deus meus, vel non congaudendo eis, vel tibi quo auctore fiebant, gratias non agendo pro eis. Et ut ad unum dicam, delicta mea quis intelligit, niſi tu cujus oculis ſolis omnia nuda, & aperta ſunt? coram quo nullus eſt infernus, & nullum eſt operimentum perditioni. Non enim ſunt tenebræ, neque umbra mortis, ubi ſe abſcondant, qui operantur iniquitatem, abſcondant inquam ab aſpectu lucidiſsimo oculorum tuorum. A me ſiquidem abſcondita ſunt mala mea propter immenſitatem, & innumeroſitatem ſuam, qua cor meum obcæcaverunt, & meipſum mihi abſconderunt, ut prædixi. Opertus enim eram impietate, & iniquitate mea, & propter hoc ignotus ſum, & abjectus mihi ipſi.

CAPUT VII.

Allegatio clementiæ Dei.

HIs ita propoſitis, & narratis, & ordinata ſic, atque completa tanquàm narratione facti: quoniàm reverà narratio eſt factorum, qualia facta peccata, & vitia velle, eſſe, vel dici poſſunt, allegabo cauſam meam ante tribunal miſericordiſsimi judicis, & qualiter alleganda eſt, & juſtificanda juxta mandatum ipſius, quod per Iſaïam edidit dicens: Narra ſi quid habes, ut juſtificeris. Quòd ſi quis dixerit, quòd reo confeſſo de maleficio, vel maleficiis, nullus eſt ultra locus eidem aliquid dicendi ad juſtificationem cauſæ ſuæ, immò ſola ſententia condemnationis ei expectanda eſt, ut jura teſtãtur: Reſpondeo in hoc, quòd etiam in judiciis ſæcularibus reis confeſsis locus eſt clementiæ, per quam leniuntur pœnæ, & etiam veniæ, ſive miſericordiæ, per quam interdùm omninò ignoſcitur. Non enim poſsibile eſt veram eſſe miſericordiam, quæ juſtitiam omnimodè evacuat, nec veram juſtitiam, quæ miſericordiam totaliter excludit. Miſericordiæ namque virtus eſt juſtitia, & juſtitiæ lumen miſericordia, ſicut dicit Aug. Quapropter infirma eſt miſericordia, quam juſtitiæ virtus non firmaverit, tenebroſa miſericordia, quam juſtitia non illuſtraverit. Propter hoc dicit propheta. Corripiet me juſtus in miſericordia, quoniàm & juſtè miſerendum eſt & miſericorditer judicandum. Sicut enim culpabile eſt injuſtè miſereri, ſic & damnabile immiſericorditer judicare, præſertim cùm ipſa veritas in Evangelio dicat: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt. *Luca 15.* Et nunquid continet in ira ſua miſericordias ſuas? ſicut in Pſ. ſcriptum eſt. Beatus autem Greg. illud lucidiùs affirmat, dicens, quòd zeli diſtrictio de miſericordiæ virtute neceſſe eſt ut ardeat, ac clareſcat, ſicut conteſtatus eſt Conſtantinus ille Romanorum Imperator inquiens: Quoniàm Romani imperij dignitas de fonte naſcitur pietatis, propter quod & Reges inunguntur, cùm in regni honorem, & officium impoſitum ex divinæ bonitatis miſeratione aſſumũtur propter defendendos injuſtè oppreſſos, miſericordiæque eſſe miniſtros, & etiam debitores. Sciendum autem tibi eſt, quòd confeſſio reatuum in ſæcularibus judiciis reis obeſſe conſuevit ad pœnam: ante tribunal verò Dei miſeratoris omnium non ſolũ non obeſt ad pœnam, immò etiam prodeſt ad veniam. Dicas igitur confidenter coram judice Deo, ſive patre miſericordiarum, ſive ipſo Deo, ac domino noſtro Jeſu, qui factus eſt nobis à Deo miſericordia, & juſtitia: Quia confeſſio omnium malorum meorum, quæ feci, & facio, facit mihi jus obtinendi miſericordiam apud te domine miſericordiæ. Hæc enim eſt lex, & ſtatutum curiæ tuæ quam promulgaſti per os Salomonis dicens. Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, qui verò reliquerit, & confeſſus ea fuerit, miſericordiam conſequetur. *Prov. 28.* Per hanc legem obtinuit in conſiſtorio tuo rex David miſericordiam, immò quod plùs eſt, & longè majus, per ſolùm confeſſionis propoſitum, ſicut ipſemet teſtatur dicens: Dixi confitebor adverſùm me injuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Pſal. 31.* Si igitur hoc potuit apud miſericordiam tuam propoſitum confeſſionis, ut remiſſionem impetraret tanto peccato, quantò fortiùs hoc efficiat mihi ipſa confeſſio, quã coram te adverſùm memetipſum facio? Ampliùs. Quid aliud confitendo, & me accuſando coram te facio, quàm jus tuum, contra me ipſum proſequor. Accuſatio enim, & teſtificatio partes judicij ſunt duæ, & tertia eſt condemnatio, quam & ego contra me ipſum non prætereo, dum memetipſum reum mortis æternæ coram te pronuncio. Et hæc omnia indubitanter juſtè facio, in hoc ergo juſtus ſum. Quapropter cùm ita confiteor, judicium juſtum facio de me ipſo, & juſtitiam tuam contra memetipſum exequor, & juſtè jus tuũ hoc modo proſequor. Juſtus igitur efficior, & propter hoc juſtificor ſic coram te. Juſto autem non condemnatio, ſed abſolutio potiùs, & remuneratio debetur in conſiſtorio tuo. Sententiam ergo abſolutionis à te juſtiſſimo, miſericordiſſimoque judice, non immeritò mihi deberi dico. Ampliùs. Nonne iſta tua eſt, quam ore Apoſtolico promulgaſti, ſententia, quia ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur? Tu autem vides, quia me ipſum dijudico, non igitur à te judicabor id eſt condẽnabor. Ampliùs. Qualiter verus erit ſermo ille propheticus? Judicium, & juſtitia correctio ſedis tuæ, *Pſal. 88.* niſi hoc intellexeris de juſtitia hac, & judicio, quod contra me exequor. & quod de me ipſo coram te facio, accuſando me ipſum, teſtificando contra me crimina mea, pronunciando contra memetipſum, capitali ſententia me eſſe digniſſimum? Ampliùs. Si aliquis alius contra me ſic procederet, & hoc intentione pia, nunquid non juſtè ageret? nunquid non illum juſtum judicares in parte iſta? Quantò igitur fortiùs me juſtum judicare debes, qui contra me ipſum tantò juſtius ago, tantóque majori zelo juſtitiæ mala mea in me ipſum perſequor, quantò & natura, & conſuetudo humanæ miſeriæ eſt, etiam in malis ſibiipſi propitiam eſſe, ſibique ignoſcere quemadmodùm dixit poëta Nævius: Mihi ignoſco. Nævius ſiquidem peccata, & vitia quibus ipſemet laborabat, in aliis perſequebatur, non autem in ſeipſo: interrogatuſque, quam ob cauſam in ſeipſo mala hujuſmodi non perſequeretur, reſpondit mihi ignoſco. Hæc eſt humanæ miſeriæ conſuetudo, quia in parte iſta non ſolùm in alios juſti, ſed etiam ſeveri ſumus; in noſipſos autem juxta modum, quem dixi, propitii, & miſericordes, cùm econtrariò nos habere debeamus. *Nota.* Propriis enim peccatis nemo parcere debet, ſed potiùs abſque ulla miſeratione illa perſequi, & exterminare à ſe, aliena verò cum miſericordia, non qua miſereatur peccatis, ſed peccantibus. Hæc autem eſt, quam requirit infirmitas, per quam & ipſa reum correctio adjuvat, non quæ peccanti ampliùs præbeat incentivum. Tantò igitur laudabilior eſt juſtitia, qua quis propria mala in ſemetipſo perſequitur ea juſtitia, qua illa in altero impugnat, quantò difficilius eſt armari, & pugnare contra ſeipſum, quàm contra alium, quantóque

Digitized by Google

virtuoſiùs eſt perſecutionem ſuſtinere in ſeipſo, E quàm alij irrogatam. Multò ergo majoris juſtitiæ habendus ſum, multóque acceptioris tibi domine miſericordiæ, me ipſum ſic juſtificans, & perſequens coram te, quàm ſi alium iſto modo perſequerer.
Pſal. 39. Ampliùs. Quid petebat ſapientiſſimus ille coram te, cùm dicebat: In tua juſtitia libera me? An non eſt juſtitia tua illa, in qua ſe petebat liberari? illa, quam ego facio in memetipſo? illa namque indubitanter donum tuum eſt, & illam tu operaris in me. Ut enim eouſque injuſtitia mihi diſpliceat, ut eam eouſque oderim, ut eam tam ſtudioſè perſequar, quis ignorat donum eſſe miſericordiæ tuæ? In hac igitur juſtitia tua libera me ab injuſtitiis meis, faciens eam invaleſcere, quouſque injuſtitiæ meæ, quas per ipſam impugno, & per quam illas perſequor, ſtare non valeant ante illam, ſed fugiant à facie ipſius. Ampliùs. Per ipſam juſtitiam tuam pugno contra omnes juſtitias meas, & per eam perſequor illas, ſicut tu ipſe conſpicis, & ego ipſe te illuminante video. Contraria eſt ergo omnibus injuſtitiis meis. Non poteſt igitur in me ſimul eſſe cum illis, præſertim ſi te confortante, & fortificante, il-
Nota. la ut debet, & decet, invaluerit. Confidenter igitur à miſericordia tua peto, ut omnes injuſtitias meas per iſtam, ſcilicet, juſtitiam, à me removeas & extermines. Ad hoc enim illam contuliſti mihi, ut per eam contra eas pugnem, & illas expugnem. Quòd ſi adhuc eouſque parvula eſt & viribus invalida, ut ad exterminium earum non ſufficiat, tuum domine eſt adaugere illam, & confortare. Non enim minus placeat tibi perficere, quod inchoaſti, quàm quod placuit inchoare, quin potiùs tantò ampliùs placeat tibi perficere, quod incepiſti, quantò melior eſt ipſa perfectio operum tuorum, quàm inchoatio eorundem. Ampliùs. Nunquid non ipſa juſtitia cõtraria eſt omnibus injuſtitiis meis, hoc eſt vitiis, & peccatis, alioquin quomodò adverſaretur illis, qualiter pugnarem per illam contra eas, niſi ipſa repugnaret eiſdem? Cùm igitur contraria ſimul in eodem eſſe non poſſint, hæc autem manifeſtè in me eſt, jam abierunt te exterminante, atque delente vitia mea, & peccata. A te jam igitur juſtificatus ſum per miſericordiam tuam dono juſtitiæ ipſius. Jure igitur & meritò petere poſſum à te, domine miſericordiæ, ſententiam abſolutionis.

CAPUT VIII.

De juſtitia perfecta, & imperfecta.

Quòd ſi dixerit quis, quia reverà bona quædam diſpoſitio eſt, ex qua temetipſum ita dijudicas, atque perſequeris, ſed non eſt juſtitia, nec juſtitiæ nomine digna: videat ipſe qualiter hoc dicat, cùm manifeſtum ſit ex ipſa diſpoſitione eſſe, vel procedere judicium illud, & judicium per modum, quo eſt judicium, nec poſſe eſſe, vel procedere, niſi à veri nominis juſtitia. Ampliùs. Cùm per ſe atque directè repugnet, & adverſetur omni injuſtitiæ, atque peccato, quomodò non erit juſtitia rationis, & nominis? Ampliùs. Odium omnis injuſtitiæ nunquid non juſtitia quædam eſt? Similiter amor virtutum omnium nunquid non virtus aliqua eſt? Verùm quoniam præter rem, atque propoſitum eſt diſputare de his, nullatenùs dubitandum eſt, hujuſmodi diſpoſitionem quandam juſtitiam eſſe; ſicut pœnitentia per modum, quo eſt pœnitentia, non eſt dubitandum eſſe quandam juſtitiam; ſimiliter &
Nota. pœnitentem omnem manifeſtum eſt eſſe juſtificantem ſemetipſum, & ipſum pœnitere nemo ignorat, quin ſit quoddam juſtificare ſe. Sed reverà differt pœnitere à pœnitere, & dicuntur ſecundùm magis, & minus, inveniturque pœnitere inchoatum, & diminutum, inveniturque perfectum pœnitere, atque completum. Tunc autem eſt perfectum, atque completũ ipſũ pœnitere, cùm ex toto avertit hominem à vitiis, & peccatis, & ex toto convertit ipſum ad correctionẽ, quod eſt dicere, ad declinandum ad ipſam, & ſatisfaciendum pro illis juxta arbitrium Eccleſiæ, cui Deus dedit libertatem, auctoritatem, & poteſtatem judicij pœnitentialis. Interdùm autem videbis aliquos aliquantulùm dolere de ſuis vitiis & peccatis, & ea interdùm ipſis diſplicent, veruntamen non quouſque, & uſquequaque, quòd illa deſerant. Alij verò intantùm dolent, quòd incitati in mortem ad exterminium eorum, & ad pugnandum contra ea, arma pœnitentiæ, & diſciplinæ, orationis, & aliorum præſidiorum, quibus contra illa pugnatur, aſſumant. De prioribus verò, & imperfectè pœnitentibus, atque ad gratiam undecunque conantibus, intelligendus videtur ſermo
F beati Gregor. qui dicit Interim fac quicquid boni potes, ut Deus illuſtret cor tuum ad pœnitentiam. Manifeſtum enim indubitanter eſt, omnem illum qui pœnitere deſiderat, & quærit hoc ipſum lachrimis, orationibus, vel alienis ſuffragiis aut quibuſcunque aliis modis, quòd aliquatenùs poſſit dici dolere, atque pœnitere de vitiis ſuis, ac peccatis; veruntamen non vera, atque perfecta pœnitẽtia eſt: quẽadmodùm, qui dicebat: Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore, proculdubiò deſiderabat juſtificationes Dei, cùm deſideraret deſiderare eas. Cur enim deſiderabat deſiderare eas, niſi propter ipſas? Et propter hoc multò magis deſiderabat ipſas, quàm deſideriũ, ſive deſiderare earum, veruntamen non erat ei deſiderium earum, quantum, & quale concupiſcebat illud habere.
G Ita eſt de quibuſdam pœnitentibus, quia pœnitentia eorum non eſt niſi conatus quidam, vel præparatio ad veram, perfectamque pœnitentiam, & eſt indubitanter inquiſitio veræ pœnitentiæ, atque completæ ſtatus ille eorum. Et propter hoc cùm perfecta pœnitentia, perfecta ſit juſtitia, ſive juſtificatio, qua verè pœnitens ſemetipſum juſtificat, ut divinæ juſtitiæ diſtrictionem, ſive diſtrictam ultionem effugiat, & evadat, ſeu quod eſt Deo acceptius, ut juſtitiæ divinæ ſatisfiat, & per hoc placeat Deo, vera, perfectaque pœnitentia, verè, perfectéque juſtificat, nihil divino judicio, vel vindictæ, in pœnitente relinquens. Non enim Deus judicat bis in id ipſum, ſicut dicit propheta, neque retractat unquàm pœnitentiale judicium, cùm verum, atque perfectum completumque fuerit. Et hoc inſinuavit Apoſtolus in ſermone ſuo, quo dicit, quòd ſi noſ- *1. Cor. 11.*
metipſos judicaremus, non utique dijudicaremur. Facit etiam ad hoc ipſum ſermo, quem audiſti in
H præcedentibus, videlicet, juſtitia, & judicium correctio ſedis tuæ: propter hoc judicium dixit ille ſanctus & ſapiens Job: Nunquid qui non amat judicium ſanari poteſt, quod abſque dubio de judicio iſto pœnitentiali rectiſſimè intelligitur. Correctus enim verè perfectéque judicatus, ab alio judicio indubitanter tutus eſt, nec aliud judicium oportet, ut timeat, præſertim, cùm divinæ miſericordiæ judicium pœnitentiale placeat, ſicut ipſemet per Ezechielem teſtificatus eſt, dicens. Nolo mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur, & vivat. Quia igitur qui benè correctus eſt, perfectè juſtificatus eſt, & propter hoc jam juſtus, & plenè liberatus ab injuſtitiis ſuis omnibus, & abſolutus à vinculis earum, & debitis pœnarum infernalium, ſi hoc ei innotuerit, non habet neceſſariò petere aliquid horum, cùm jam

Digitized by Google

ſam omnia illa receperit, ſed potiùs gratias agere
largitori iſtorum bonorum. Exemplum autem rei
iſtius eſt in eo, qui plenè dealbatus eſt, & perfectè
albus effectus eſt, non enim ſupereſt ei inquirere al-
bedinem, vel partem aliquam albedinis. Augmentū
utique, & obſervationem, atque confirmationem
inceſſanter petere debet, propter immenſitatem pe-
riculorum, quibus interiùs, & exteriùs, & (ut ad u-
num dicam) ex omni parte patet juſtitia, ſed & ne
ipſa juſtitia in ipſo vacet à profectu, & incremento,
cùm otioſitas, & infructuoſitas omni gratiæ, & vir-
tuti inimica ſit ſicut docet beat. Greg. dicens quia
dilectio vera otioſa eſſe non poteſt, & virtus ſemper
aut deficit, aut proficit. Quia igitur veritas, & perfe-
ctio juſtitiæ ſuæ vix innoteſcit alicui, nulli expedit
ceſſare ab orationibus hujuſmodi, videlicet quibus
& mundatio ab injuſtitiis, & liberatio petatur. Ve-
rùm quoniàm de imperfectione pœnitentiæ ſuæ
plenè conſtat & liquet plerunque unicuique noſtrū,
manifeſtum eſt in eo ſtatu neminem noſtrum defi-
cere debere ab orationibus antedictis. In eo enim
ſtatu indubitanter eſurimus, & ſitimus juſtitiam, li-
cet & eſurie, & ſiti debilibus, & imperfectis. Tum
quia promittitur nobis ſatietas contraria ipſo ore ſa-
cratiſſimæ veritatis, petenda eſt inceſſanter iſta ſa-
tietas inſtantiâ, ac devotione, qua poſſumus, qua vi-
delicet nobis datur, ut eam petamus. Dicendum er-
go eſt miſeratori largiſſimo: Adjuva conatus no-
ſtros, domine miſericordiæ, quibus conamur ad te,
qui ſcis eos nihil eſſe ſine te: ſicut confitebatur tibi
ſapiens, & ſanctus tuus Auguſtinus, dicens. Scio do-
mine quia ſine te nihil ſunt conatus mei, operi ma-
nuum tuarum porrige dexteram tuam, qua me tra-
has ad te, & extrahas de abyſſo miſeriarum mearum.
Converte me domine, ideſt ex toto verte ad te. Ja-
cens enim in lecto tot ægritudinum, & languo-
rum, vertere me ex toto ſine te, non poſſum ad
te. Miſerere mei domine, quoniàm infirmus
Pſal. 6. ſum; ſi miſerendi ſunt infirmi corpore, quantò
magis miſerendi ſunt infirmi mente? Domine mi-
ſericordiæ quid obſit mihi, vel adverſatur, quo-
minùs miſerearis mihi? Scio domine te illuminare,
quia non obſiſtit mihi ad hoc miſericordia tua.
Non enim obſiſtere poteſt, vel contraria eſſe ſibi
ipſi. Hoc autem indubitanter eſſet, ſi operatio-
nem ſuam, quæ eſt miſeratio tua, impediret. Ab-
ſit autem hoc à miſericordia tua, quod nec in ullo
genere rerum inveniri poteſt, videlicet, ut res ali-
qua ſibi ipſi adverſetur, & operationem ſuam
naturalem, atque debitam impediat. Aut obſi-
ſtit igitur mihi in hoc juſtitia tua, aut vitia mea,
ſive peccata, vel fortè utrunque. Quòd ſi juſtitia
tua obſiſtit & mihi, & miſericordiæ tuæ in parte
iſta, quomodò igitur non potiùs obſiſtit, quomi-
nùs dares mihi donum confeſſionis iſtius? Non
enim eſt ei adaucta virtus in parte iſta contra me
ex confeſſione iſta, quin potiùs multò minus ju-
ris habet contra me per illam. Quantò enim ma-
gis me ipſe coram te juſtifico, tantò minus juris,
& juſtæ poteſtatis relinquitur juſtitiæ ad vindi-
candum in me. Si enim ex toto, atque perfectè
me ipſe juſtificarem, nullæ eſſent partes juſtitiæ tuæ
ad juſtificandum me, vel ad obſiſtendum mihi quo-
cunque modo. Ex iſta igitur confeſſione minus po-
teſt (ut ita dicam) & contra me, & contra miſeri-
Nota. cordiam tuam juſtitia tua. Ampliùs. Qualiter obſi-
ſtit mihi juſtitia tua, cùm ego ipſam adjuvem per
iſtam confeſſionem meam, immò potiùs manife-
ſtum eſt, ut ipſa paret etiam præparatæ in me miſe-
ricordiæ tuæ viam, dum me dignum & idoneum a-
liquatenùs efficiet miſeratio miſericordiæ tuæ. Am-
pliùs. Nec decet, nec poſſibile eſt, miſericordiam

A tuam otioſam eſſe, quapropter neceſſe eſt eam ope-
rari operationes ſuas, & maximè in eos, qui ad eam
ſe præparant, qui ad eam fugiunt, & qui illam,
quaſi quod à te ipſis datum eſt, quærunt. Et non-
ne ego domine, unus ex illis ſum? Quid enim in-
tendo, vel quæro per omnes iſtas accuſationes, te-
ſtificationes, & confeſſiones contra me, niſi ut
miſerearis mihi? Quid intendo revelatione, atque
oſtenſione vulnerum, niſi ut medearis illis per mi-
ſericordiam tuam? Similiter per oſtenſionem pau-
pertatum mearum, atque defectuum, quid inten-
do, vel quæro, niſi miſerationum tuarum ſubven-
tiones, & beneficia? Ampliùs. Quid poteſt intende-
re contra me juſtitia tua, niſi vindictam juſtiſſi-
mam? Perditionem enim, & deſtructionem ope-
ris tui, quod ego ſum, nullo modorum intendit
juſtitia tua. Alioquin contra te ipſum intenderet,
& pugnaret. Non intendit igitur deſtruere in me,
B quod tu feciſti in me. Hoc enim tu adhuc diligis
in me qui nihil eorum odiſti, quæ feciſti. Quod
tu autem diligis in me, juſtitia tua odire non poteſt,
quapropter nec per ſe, nec per accidens, deſtructio-
nem illius intendere ullo modo poteſt. Odit igitur
ſolum illud in me, quod & tu odis in me, videli-
cet fœditates, deformitates, depravationes, ac tur-
pitudines, quibus ego depravavi, & deturpavi,
quod tu bonum, & pulchrum feciſti in me. Do-
mine miſericordiæ hæc ipſemet odi, & perſequor
in me, & pugno contra ea, quantùm tu das, & ad-
juvas. Nondùm ſiquidem perfecto odio odi illa,
nec ut fortis, & implacabilis inimicus totis viri- *Nota.*
bus, & ſtudiis pugno contra illa, quoniàm non eo-
uſque fortis ſum adhuc, ut poſſim hoc; & contra
ipſa pugno, licet debiliter, & adhuc infirmiter
C cum juſtitia tua, & non contra eam. Injuſtè igitur
mecum agit ſi contra me eſt, mihique obſiſtit. Im-
poſſibile eſt autem juſtitiam tuam iniquè agere, vel
injuſtè, quia impoſſibile eſt, ut in ſtatu iſto, in quo
me poſuit gratia tua, contra me ſit juſtitia tua, ne-
que igitur juſtitia tua, neque miſericordia tua con-
tra me eſt. Sola igitur vitia mea, & peccata con-
tra me ſunt. Quia igitur contra te ipſum ſunt: illa
enim inimici tui ſunt, quos implacabiliter ſem-
per odis. Adjuva ergo me contra me pugnantem,
& ante tribunal miſericordiæ tuæ contra ipſa liti-
gantem. Bellum enim iſtud, & litigium tuum,
contra inimicos tuos, & adverſarios tuos eſt. Ad-
do etiam, quia propter te eſt. Propter hoc pugno
contra ea, & litigo, quia tu odiſti ea, & quia
beneplacitum tuum eſt impugnatio. Sed & pro-
pter hoc domine miſericordiæ ea in me perſequor,
quoniàm illa ſola prohibent, & impediunt, ne tibi
placeam, & propter hoc exterminare illa à me ipſo
enitor, ut vides, quibus adhuc poſſum conatibus,
D ut exterminem à me ipſo quæcunque tibi diſpli-
cent in me, ut ipſis prorſùs abraſis, & extirpatis à
me, tibi placitus efficiar, & acceptus, & ſic me re-
cuperes, & poſſideas ſolus totaliter, cujus me eſſe
recognoſco jure pleniſſimo, jureque ſingulari. Bel-
lum ergo iſtud tuum eſt, quoniàm victoria tua eſt,
qui ſcis me non niſi virtute tua victorem eſſe
poſſe illorum. Cauſa iſta tua eſt, quoniàm de ju-
re tuo, & de illo, videlicet, ut illud obtineas, in *Vide.*
judicio iſto contenditur. Scis enim domine per
iniquiſſimam uſurpationem, & pernitioſam vo-
luntatem meam, vitia mea, & peccatum intrare poſ-
ſeſſionem meam ipſius, qui tuum jus ſum totaliter
abſque participe ullo, & conſorte. Ne ſuſtineas ul-
terius iſtos tam odibiles mihi, & tibi, inimicos poſ-
ſidere jus tuum, quod ego ipſe ſum. Scio domine,
quia juſtiſſima eſt iſta pœna mea, duræ videlicet
ſervitutis & crudeliſſimæ tyrannidis, quibus me

inceſſanter premunt, & affligunt domini, videlicet vitia mea, & peccata, quibus me turpiſſimè, & infauſtiſſimè ſubdidi. Et ſi placere tibi meritò poteſt iſta tanta pœna mea, quia juſtiſſima, diſplicere tibi tamen debet injuria, & contumelia tua, quam tibi faciunt in me, tam nequiter abutentes me domini iſti, & per iſtos etiam dæmones ipſi qui per ipſos in omnem injuriam, & contumeliam tuam abutuntur me. An tibi debet placere plùs iſta tanta pœna mea juſtiſſima, quàm tibi diſplicere injuſtiſſima dominatio dominorum utrorumque iſtorum, quia nulla injuſtior, nulla nequior, nulla bonitati tuæ intolerabilior.

CAPUT IX.

Petitio victoriæ in conflictu pœnitentiæ.

EX omnibus iſtis igitur colligo ratiocinatione, quia nec miſericordia tua contra me eſt, nec juſtitia tua, in iſto bello, vel judicio. Peccata verò mea quę proculdubiò contra me ſunt, & etiam contra te, non debent prævalere, non dicam contra te, ſed etiam nec contra me, in iſto judicio, vel prælio, de quo evidenter oſtendi poteſt, quod utrunque tuum eſt videlicet tam prælium, quàm judicium. Vince igitur in iſto judicio pariter, & prælio, qui vides victoriam hîc provenire non poſſe, niſi virtute tua. Nec patiaris me ſuccumbere, & vinci propter infirmitatem, & defectum virtutis propriæ, ſed da virtutem potiùs ad vincendos tam odibiles inimicos tuos, qui das laſſis virtutem, & his qui non habent, fortitudinem, & robur, multiplicas. An denegaſti unquàm virtutem, & fortitudinem certãtibus pro te, ſive in judiciis, ſive aliàs ubicunque? Ne incipias igitur a me, ſive in me, quod nulli unquàm hominum te feciſſe nemo fidelis ignorat. Ampliùs. Reſponde mihi, ô juſtitia creatoris, ſi euſque tibi placeat vindicta de me, adeóque avida es cruciatuum, & tormentorum meorum, dic, obſecro, propter quid placeat tibi iſta vindicta? Scio quia non poteris reſpondere, vel aſſignare, niſi alteram ex iſtis duabus cauſis, videlicet juſtitiam vindictę & gloriam creatoris. Quia igitur ubi major eminentia utriuſque iſtarum cauſarum evidenter eſt, ibi debet tibi major eſſe iſte amor, & aviditas vindictæ, & cruciatuum meorum, neceſſe eſt, ut magis ſibi placeat vindicta, quàm ego ipſe creatori facere paratus ſum. Jam autem dixi, quia juſtificatio, qua verè, ac perfectè pœnitens ſemetipſũ juſtificat, majoris eſt ei gloriæ, ea, quæ juſtificat aliũ, adjeci etiã quia laudabilior, & ipſi creatori acceptior. Magis igitur placet tibi pœnitentialis vindicta, quam de me ipſo facere cupio, quàm illa, quæ per tortores dæmones, vel per quæcunque tormenta inferri poſſet. Ad hanc igitur neceſſe habes intendere, & non aliis de tortoribus tradere. Ampliùs. Nonne major eſt gloriæ creatori, ut ipſe faciat ſibi miniſtros devotiſſimos, quos habuit hoſtes, & adverſarios? Totum autem ei hoc per pœnitentiam efficitur, qui enim per peccata, & vitia inimici Dei ſunt, converſi per pœnitentiam, ejuſdem devotiſſimi ſervi efficiuntur, & quod eſt mirabilius, ſui ipſorum hoſtes, & adverſarij, propter ipſum fiunt, ſimul etiam vindices, & tortores, dum in ſemetipſis quicquid contra creatorem egerunt, diſtrictè vindicant, & ſeverè puniunt; illos etiam diabolus ſentit converſos, hoſtes atrociſſimos, atque rebellantiſſimos, & ad omnem voluntatem Dei pro viribus promptiſſimos, quos priùs dum eſſent in vitiis, & peccatis, habuit ſubditiſſimos. Et hæc eſt

E mutatio dexteræ excelſi, quia diabolus non ſine gravi confuſione averſos à ſe ſentit, & conſpicit, & contra ſe rebellantiſſimos amore creatoris. In quo magis tantò glorificatur Deus, quantò magis, & mirabilius bonum eſt juſtificare impium, quàm torquere, & ſuſcitare mortuum in vitiis, & peccatis, ſanctumque, ac devotiſſimum Dei ſervum efficere, quantò melior eſt ipſa ſanctitatis gratia, quàm peccatorum vindicta. Nunquid non ex te dicit ſanctus, & ſapiens Aug. quia majus fuit Paulum ſuſcitare mente, quàm Lazarum corpore? Quis autem dubitat, quantùm glorificatus fuerat ex toto opere, quod Lazarum corpore ſuſcitavit, quantò igitur magis glorificatus fuerit ex ſuſcitatione Pauli, qui eum de morte vitiorum, & peccatorum ſuſcitavit. Tantò namque ex mirabilioribus operibus ſuis eſt ei major honor, & major gloria, quàm ex minoribus, quantò illa & mirificentia, & magnitudine præcellunt minoribus. Ampliùs. Nonne & illud ſimiliter dicit idem ſanctus, & ſapiens Auguſt. quia majus eſt Deo juſtificare impium, quàm creare cœlum, & terram. Major eſt enim ei gloria ex juſtificatione unius impii, quàm ex creatione cœli, & terræ. Et hoc indubitanter apud intelligentes, & F cognoſcentes, mirificentia magnalium ipſius. In juſtificatione autem unius impii eſt nobiliſſima victoria. Vincitur diabolus, vincitur & peccator, ſive impius à ſemetipſo tam bello, quàm judicio, ut prædixi. Tanta quoque, tamque magnifica largitio veniæ eſt, & gratiæ, ut humanus intellectus eas non ſufficiat admirari. Fit invocatio, reformatio imaginis, & ſimilitudinis creatoris in anima humana, nec minùs mirifica, quàm ſi de trunco arido, & putrefacto oliva ſpecioſa, & vernans ſubitò efficeretur, vel de porco ſpurciſſimo, aut buffone, ſpecioſiſſimus, aſpectuque deſiderabiliſſimus juvenis efficeretur. Vincetur ibi ira tua cui reſiſtere nemo poteſt, ab ipſa miſericordia tua. Nimirùm magnificentia miſerationum, & remiſſionum tuarum, & largitio munerum & gratiarum tuarum & ut de aliis taceam, ipſa hæreditas fœlicitatis æternæ, major eſt quàm cœlum & terra. Tot igitur & tanta tã- G quæ magnifica opera tua concurrunt ſimul in una unius concreti peccatoris juſtificatione ut minora meritò reputentur cœlum, & terra quàm illa ſint. Quis autem cogitare ſufficiat gratiarum actiones, quæ tibi pro illa reddantur, & collaudationes quæ tibi placuere, quę & ſuper omnem admirationem noſtram ſunt, pulcherrimarum ſublimiumque militiarum tuarum exercituum videlicet omnium angelicorum? Feſtinanterque tibi in cœlis inde agitur gaudium. Tu enim dixiſti & facta ſunt, cœlum, & terra tu mandaſti, & creata ſunt. Nihil verbo tuo *Pſal.* 48. omnipotenti, nihil mandato beneplaciti tui ſe oppoſuit, & contradixit, nihil ibi quicquam difficultatis adhibuit. Et ipſa etiam cœlum & terra, ſi quid difficultatis & reſiſtentiæ opponere potuiſſent creationi H & formationi ſuæ, nullatenùs hæc feciſſent, quin potiùs ſi quid juvaminis ad hoc adhibere potuiſſent, toto gaudio, & aviditate illud ad hoc adhibuiſſent. Non habes igitur ô pulcherrima, ô ſuper, & omninò laudanda Dei juſtitia, propter quod vel te mihi opponas, vel mihi aliquatenùs adverſeris, ſive in vindictam de me ſumenda, ſive in gloriã creatoris intendens. An non ego propugnator tuus ſum in prælio iſto & advocatus in judicio iſto? Quid enim aliud intendo, vel quæro, niſi ut totum me recuperes, totumque poſſideas? Non pugno, vel litigo, niſi contra capitales inimicos tuos, videlicet injuſtitias meas, & hoc non poteſt non eſſe tuum. Adjuva igitur propugnatorem tuum, & advocatum in bello tuo juſtiſſimo, atque judicio; alioquin

non

Digitized by Google

non ſolùm mihi, ſed etiam tibi ipſi deeſſe meritò re- A putandus es. Loquar ampliùs unum verbum tibi domine miſericordiæ, & dicam, quia oportet te miſereri mihi, ſalvâ per omnia juſtitiâ tuâ, ſimiliter & juſtè agere mecum, ſalvâ per omnia miſericordiâ tuâ. Non enim eſt poſſibile, ut alterum iſtorum permittat bonitas tua, videlicet vel lædi juſtitiam tuã, vel lædi miſericordiam tuam. Utraque enim bonitas eſt, neque enim contraria ſunt ullo modorum, nec altera alteri ullatenùs adverſatur, immò, ſi fas eſt dicere, mutuò ſe per omnia adjuvant. Abſit enim, ut ſic vindictam juſtitia expetat ut miſericordiam omninò evacuet. Abſit ſimiliter, ut miſericordia tua ſic ignoſcere intendat, ut juſtitiam tuam prorsùs excludat. Tu igitur prælargus miſerator es, & nihilominùs in miſerando ſervans juſtitiam. Et ſimiliter ſeverus vindicator, in vindicando tamen illæſam per omnia ſervans miſericordiam. Quia igitur ſic me per pœnitentiam juſtificas, & ſalva eſt per omnia B juſtitia tua, & ſalva per omnia miſericordia tua, confidenter dico, quòd neceſſè habes, non neceſſitate coactionis, ſed ſuperabundãtia liberrimæ bonitatis tuæ, me juſtificare. In omni enim verè, & perfectè pœnitente ſalva eſt per omnia juſtitia tua dum nihil in eo impunitum relinquitur. Omnis enim verè ac perfectè pœnitens pro omnibus cõmiſſis, & omiſſis ſe ipſum punit, pro omnibus namque dolet, & erubeſcit, & ſibi ipſi iraſcitur, & ſicut tu ipſe ad nudum conſpicis, etiam cogitationes malas in ſe ipſo punire non negligit. Quis enim verè pœnitens eſt, qui non doleat pro eo, quod quicquam, quod tibi diſpliceret, cogitavit? Et intendo domine miſericordiæ, quòd ſaltem in univerſali pro omnibus, quibus te offendit, debet ſaltem dolere univerſaliter, qui nullam ex offenſis tuis excipit, vel prætérit. De ſingulis enim ſingulariter dolere, vel pœnitere C interdùm forſan non eſt poſſibile alicui, ſicut neque ſingulariter recolere, aut memoriter tenere. Delicta enim quis intelligit? Pſal. 18.

CAPUT X.

Excuſatio pœnitentis, quòd non debet tantùm puniri, quantùm meruit.

QUòd ſi dixerit quis; quia quemadmodùm in ſingulis commiſſis, & omiſſis, ſingulariter peccat, quicunque peccat, ſic & ſingulariter emendare ſingula, & pro ſingulis ſatisfacere ſingulariter debet: Reſpondeo hujuſmodi homini, quia hoc non ſolùm juſtitiæ tuæ non eſt, ſed etiam nec humanæ. Quorcunque namque latrocinia quis commiſerit, non tot ei ſuſpendia, vel mortes aliæ irrogantur, D quin potiùs hæc uno ſuſpẽdio humana juſtitia reputat in eo omnia vindicata. Et hoc quantùm ad ipsã humanam juſtitiam pertinet, quæ poſt unam mortem corporis non habet ampliùs, quid faciat in peccantem. Similiter autem ſe habet in veriſſima, per omniaque ſemper laudanda juſtitia tua, quæ una morte veteris hominis omnia vitia, & peccata in anima humana mortificat, & extinguit, unicaque infuſione juſtitiæ, ſeu gratiæ tuæ, omnes ſordes ſpirituales emundas, & abluis. Quemadmodùm infuſione fortiſſimæ medicinæ omnem infirmitatem curas, & quemadmodùm unica infuſione theriacæ virtuoſiſſimæ venena omnium peccatorum, & vitiorum exterminas prorsùs, & diffugas.

CAPUT XI.

Objectio contra prædicta.

QUòd ſi dixeris, Domine miſericordiæ, quia, non quantùm juſtitia requirit, ſe ipſum punit, etiam pœnitens quantumcunque verè, ac perfectè, quoniàm pœnæ æternales, ſive gehennales debẽtur unicuique peccanti mortaliter, pœnæ verò pœnitentiales, quantæcunque ſint, nullæ ſunt comparatione illarum, quapropter nullus ex verè, & perfectè pœnitentibus punit ſe tantis pœnis pœnitentialiter, quantis dignus eſt de Dei judicio, & juſtitia. Reſpondeo tibi in hoc Domine miſericordiæ, quia juſtitia tua non requirit hoc à peccatoribus, videlicet, ut tantis, ac talibus pœnis ſe ipſos puniant: infernales namque pœnæ, quos tenent non emendant, aut corrigunt. Non eſt enim in inferno, qui Pſal. 6. confiteatur tibi. Ampliùs. Pœnæ illæ non ſunt contrariæ vitiis, & peccatis, cùm ea nec exterminent, nec minuant nec eis ullatenùs adverſentur, ſeu repugnẽt eiſdẽ, quin potiùs perpetuo conſortio cohærent eiſdem. Ampliùs. Pœnæ hujuſmodi nihil aliud poſſunt in eis in quibus ſunt, niſi quòd eos torquẽt & excruciant, hoc autem bonitati tuæ nunquàm per ſe placet Domine miſericordiæ. Non enim delectaris in perditione viventium, diabolicæ namque malignitatis eſt illud proprium, amare pœnas, & tormenta hominum. Scio namque te docente, quia pœnæ malorum tam Angelorum, quàm hominum, placent tibi, non quia pœnæ illorum ſunt, ſed quia juſtæ, & ideò bonæ, & quia à te ipſo ſunt Diligis igitur in hujuſmodi pœnis ordinem, & pulchritudinem juſtitiæ. Diligis in eis, & gloriam tuã, non enim parum te glorificat pœna malorum juſtiſſima, quæ eis te auctore ſimul, & judice irrogatur. C Claret etiam invictiſſima omnipotentia tua, qua punis principes tenebrarum cæteroſque reprobos, qui bonitate tua, & præclara beneficentia tua in injuriam tuam, & contumeliam abutuntur tuis ipſis beneficiis contra te ſe ſuperbè elevantes, dum per eã ſubjiciuntur, & arctantur ſuppliciis: adeò impotentes effecti, ut nihil ulteriùs poſſint, niſi dolere, qui in rebus peſſimis exultaverunt, nihil ampliùs, quam confundi opprobrio ſempiterno, & ignominia, quæ finem non habent, qui tam malè gloriabantur in ſæculo iſto, nihil aliud poſſunt, quàm egere, & premi æternaliter paupertate arctiſſima, quæ eſt bonorum irrelevabilis inopia, qua divitias ſpirituales, Nota. ſapientiæ videlicet, & virtutum, vel rejecerunt, vel contempſerunt, & fallaces corporales, ſeu temporales D divitias inordinatiſſimè eripuerunt, vel adminiſtraverunt. Dico etiam, quòd pœnæ illæ æternales perpetuò avertunt à te domine miſericordiæ, non enim traduntur in illis, niſi quos in æternum projeciſti à facie tua, & ſine ulla ſpe miſerationis, & liberationis dereliquiſti. Quapropter à pœnitentibus juſtitia tua pœnas hujuſmodi non requirit, alioquin contraria eſſet, & miſericordiæ tuæ & ſibi ipſi, miſericordiæ ſiquidem, dum non ſolùm miſeros peccatores in miſeriis vitiorum ſuorum, & peccatorum dereſeret, ſed eiſdem etiam miſerias incomparabiliter adaugeret, redireque eos ad tuam miſericordiam prohiberet. Sibi verò ipſi adverſaretur, quoniàm peccatorum juſtificationem proculdubiò impediret, conſtituens eos in eo ſtatu, in quo redire ad juſtitiam non eſt eis poſſibile ullo modo. Pœnas igitur illas ſolas juſtitia tua requirit à peccatoribus, quæ ad illam reducant eoſdem, & ab injuſtitiis vitiorum, & peccatorum illos liberent, & emundent. Hæc autem ſunt ſolæ pœnitẽtiales. Dico

Digitized by Google

igitur coram te domine miſericordiæ, quia ille dolor juſtitiæ tuæ ſufficit in peccatoribus, qui eos faciat & quærere medicinam miſericordiæ tuæ, & ſubjicere ſe curæ medicinali tuæ. Similiter, & iſte timor juſtitiæ tuæ ſufficit in eiſdem peccatoribus qui eos faciat fugere ad miſericordiam tuam, quæ ſola eſt refugium unicum miſerorum. Sic & erubeſcentia illa, & confuſio, quæ eos faciat abſcondere, & turpitudines, & fœditates, vitiorum ſuorum, & peccatorum à facie tua, & ab aſpectu ſanctorum oculorum tuorum, quæ faciat eos velare, ſive operire omnia illa pudenda. Operimentum autem iſtud, & velamen unicum eſt eorundem revelatio, & hoc non eſt niſi ſincera cõfeſſio illorũ, ſicut mos eſt cõfeſſionem fieri in Eccleſia tua, ubi confeſſionem hujuſmodi non ſolùm ſacraſti, ſed etiam ſacramentum miræ, ac virtuoſæ, ſanctificationis feciſti. Sic dico ex eruditione tua, & magiſterio, quia ſatis eſt juſtitię tuæ tanta ira contra vitia ſua, & peccata, in peccatoribus, quæ eos faciat armare, & accingere ad expugnanda ea & in mortem & exterminium eorum eos accendat quouſque vivere de cætero non patiantur, & hæc utique propoſito, & voluntate. Et eſt propria intentio ſanctæ iræ iſtius, ut in vindictam tuam, & ſuam hoc faciat, in vindictam quidem tuarum injuriarum, & contumeliarum tuarum, quas in ſe ipſis tibi Domino Deo irrogaverant, in ſuam verò vindictam, hoc eſt propriæ mortis ultionem, quam per vitia ſua, & peccata, ſibi ipſis intulerunt. Sic domine miſericordiæ dico de indignatione, quia ſufficit tuæ juſtitiæ, ut tanta ſit *Nota.* in peccatoribus, quæ eos couſque erigat, & elevet, ut eis de cætero ſubeſſe, vel ſervire dedignentur, eaque à ſe ipſis tanquàm viliſſima excutere, omninóque conculcare, deſpicereque illa proponant. Sic dico & de odio, quia ſufficit juſtitiæ tuæ, ut implacabiliter proponant peccatores præliari, ac decertare contra vitia, & peccata, ut neque fœdus, nec amicitiam, de cætero cum eis habere proponant, neque fines ſuos intrare, aut intra fines ſuos illa habitare ullo pacto permittant, ſed tanquàm gladio, & igne, illa profugare, atque exterminare, ubicunque, undecunque poterint ſtudioſè, ac viriliter, intendant. De abominatione quoque quid aliud mihi dicendum eſt coram te? niſi quia juſtitiæ tuæ ſatis eſt, ut in peccatoribus tanta ſit vitiorum, & peccatorum ſuorum abominatio, ut nauſeam eis provocet & vomitum eorum: Abominatio namque uſualiter dicitur, quaſi nauſeam vel vomitum aſpicientibus, *Nota.* aut aliter aliquid ſentientibus faciat; & intendo vomitum ſpiritualem, qui eſt ſincera, & integra confeſſio peccatorum, qua tanquàm humores noxij, & fœtulentiæ, ſeu ſpurcitiæ intolerabiles, ore per confeſſionem ejiciuntur, ſeu vomuntur. De aliis autem hujuſmodi affectionibus ad pœnitentialem juſtificationem pertinentibus mitto te ad tractatum de pœnitentia, te inquam, qui legis hæc, qui tractatus eſt pars libri de ſacramentis.

CAPUT XII.

Quòd Deo placeant opera pœnitentiæ.

NUnc autem revertar ad loquendum juxta quod inceperam, Domino Deo noſtro, qui eſt miſericordiæ, & repetam ei quoniàm acerbitas & vehementia paſſionum in pœnis pœnitentialibus, Domine Deus meus, meritò tibi placet, ex eiſdem cauſis, quibus & in pœnis infernalibus: multa autem habent alia bona, videlicet illa magnifica opera tua, quæ prædixi, videlicet reſuſcitationem à E morte ſpirituali, & reformationem à deformitate monſtrifica, qua vitia, & peccata deturpant animas humanas, deinde victoriam mirificam, & triumphum nobiliſſimum, qua poteſtates infernales vincuntur, & diffugantur à peccatoribus. Ereptio prædæ de faucibus, & dentibus leonum infernalium, mirificentia quoque reædificationis templi Dei in animabus peccatorum cujus ſpecioſitas, atque ſtructura, ex lapidibus precioſis, ſeu gemmis donorum, virtutum, & gratiarum, verbis humanis explicari non poteſt. Habent & recuperationem imaginis, & ſimilitudinis tuæ in animabus humanis, cujus pulchritudinem cogitatus humanus non attingit. Habent reſuſcitationem poſſeſſionis tuæ, qua & tu recuperas peccatores, & ipſi te, qua largitate magnificentiæ tuæ quæ poteſt eſſe præclarior, dum & F veniam immenſorum tormentorum, & dona ineſtimabilia virtutum, & gratiarum, & jus in hæreditate cœleſti, quæ eſt æterna fœlicitas, & te ipſum redonas pœnitentibus. Domine miſericordię quis admirari ſufficiat, vel etiã cogitare ſtudeat, aut valeat, illud cœleſte & ſpirituale convivium, quod inſtauras in uniuſcujuſque peccatoris pœnitentiali converſione, in quo omnis exercitus pulcherrimarum, ſublimiumque militiarum tuarum, non ſolùm ſplẽdidiſſimè ſed etiam beatiſſimè convivatur, gaudioque incogitabili jucundatur, atque reficitur, ſicut tu ipſe ore tuo ſacratiſſimo in Evangelio veritatis tuæ dixiſti: quia gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno *Lucæ 15.* peccatore pœnitentiam agente. Domine miſericordiæ illud eſt indubitanter nuptiale, ac triumphale convivium: Nuptiale quia animam peccatricem, quæ cum diabolo meretricata fuerat, virginitati ſpi- G rituali reſtituis, & reformas, & cum nuptiali benedictione, & ſanctificatione, denuò recuperas, propter quod dicitur feſtivum convivium illud nuptiale: Triumphale verò, propter victorias glorioſas, & triumphum nobilem antedictum. Quare manifeſtum eſt ex omnibus iſtis, pœnas pœnitentiales eſſe incomparabiliter meliores, & incomparabiliter magis tibi placitas, & acceptas, quàm infernales, ſive gehennales, ſed & majoris eſſe, veriorisque juſtitiæ, quàm illas, cùm iſtæ juſtificent pœnitentes, illæ verò injuſtitias nec tollant, nec minuant, nec ullo modo levent. Certum enim eſt, eas animas, quæ hinc ad infernalia ſupplicia tranſeunt, ſuppliciis illis nullatenùs meliorari, alioquin proceſſu temporis in inferno & innocentes, & bonæ fierent, ſi ſupplicia illa injuſtitias vitiorum, & peccatorum, mi- H nuerent. Nemo autem ad modicum intelligens ignorat veram juſtitiam veris injuſtitiis adeò contrariam eſſe, ac repugnantem ut eum illis in eodem ſubjecto nullatenùs eſſe poſſit. Confidenter igitur peto à te Domine miſericordiæ, quod dignum, & juſtum eſt, videlicet, ut pœnæ pœnitentiales plùs tibi placeant in me quàm infernales. Hæ enim & totũ tollent quod tibi diſplicet in me, & me tibi faciẽt placitũ, & acceptũ. Hę placabunt juſtam iram tuam, qua ſcilicet juſtiſſimè iraſceris peccatoribus, pœnitere non curantibus, & ſatisfacient juſtitiæ, & reſtituẽt tibi jus tuum integrè & plenè. Jus autem illud ego ipſe ſum, & omne ſervitium, omniſque ſervitus, quibꝰ dominationi tuæ ſervire debeo. In inferno verò, tu ſcis, quia nemo tibi ſervit. Dicã & ampliùs Domine miſericordiæ, ſi tã avida eſt juſtitia tua pœnarũ mearũ, quid igitur faciet mihi miſericordia tua? Nũquid nõ æquè potẽs eſt, & larga, atque propenſa ad miſerẽdũ, ut juſtitia tua fervens ad puniendũ? & hoc eſt dicere ad tollendã, vel ad levandam miſeriã, ut illa videlicet juſtitia ad ipſam infligendã, vel adaugẽdã. Haud ſufficiãt miſericordiæ tuæ eis, qui conãtur ad te, quique quantùm das, & adjuvas, reverti

Digitized by Google

cupiunt,& enituntur ad te, partem meritarum pæ-
narum eiſdem remittere,& tantùm de pœnis eis re-
ſervare, me perpetuò incogitabiliter crucientur.
Domine miſericordiæ hoc ipſum facis contumaci-
bus,& rebellibus, ipſamque juſtitiam tuam non ti-
mentibus, dulciſſimam miſericordiam tuam nec
quærentibus,nec etiam curantibus. An dignum, &
juſtum eſt ante te, ut non melioris conditionis ſint,
qui quantùm tu adjuvas, enituntur redire ad te, &
placere tibi, quàm illi qui omninò ſe averterunt à
te,& euſque contemnunt te, ut nec quærant, nec
curent te. Multò magis igitur, & abſque ulla com-
paratione, propenſiorem te decet eſſe,effundere po-
tiùs oportet bonitatem tuam in illos,quàm in iſtos:
in quo autem eris propenſior, niſi ipſos ex toto ſal-
vos trahas ad te,& recuperes? Ampliùs. Dulciſſime
miſerator, nunquid non infernus locus damnatio-
nis eſt, atque perditionis æternę? Manifeſtum eſt
igitur omnibus illis, quos flammis, cæteriſque tor-
B mentis infernalibus tradis, nihil eſſe ſalutis, aut li-
berationis, ſicut nec dæmonibus; niſi fortè quis di-
cat, quia meritorum, ac debitorum ſuppliciorum,
alijs plus, alij minus detrahitur, atque remittitur.
Sed hoc, quàm parum eſt ad immenſitatem miſeri-
cordiæ,& quàm longè diſtans ab illa? Hoc eſt etiam
Domine, pro quo nemo unquàm invocavit te, &
quòd nemo unquàm à prælarga miſericordia tua
petiiſſe creditur. Quis enim unquàm cogitavit orare
te,ut partem damnationis æternæ eidem remitteres,
& dimidiam ei ſalutem dares, vel partem etiam
quamcunque ſalutis? An non verum dicit ille ſan-
ctus,& ſapiens veritatis tuæ præco Ambroſius di-
cens, nefas eſſe à te qui ſummè miſericors es, dimi-
diam ſperare veniam? Multò fortius & dimidiam
petere gloriã. Quod etiam inde manifeſtum eſt,quia
omnes quicunque ab initio mundi miſericordiam
C tuam exoraverunt, tanquàm nefariam hujuſmodi
petitionem declinaverunt. Ampliùs. Domine miſe-
ricordiæ, te docente, ac revelante, jam novimus te
innumerabiles ſalvare,qui ſalvari omninò nõ volũt,
nec curant, ſicut manifeſtum eſt de parvulis, quos
ſacro,vel vivifico fonte baptiſmatis regeneras. Non-
nullos etiam incredulos,& rebelles in ipſa rebellio-
ne, & incredulitate viſitas, & ſuſcitas de tanto pro-
fundo mortis, & tenebrarum, ſicut ipſum ſanctiſſi-
mum Apoſtolum tuum Paulum, qui totis ſtudijs,&
viribus pugnavit contra te, tantaque malignitate
perſequebatur te, ſicut tu ore tuo ſacratiſſimo ad
eum locutus es dicens: O Saule Saule, quid me perſe-
queris? Quantò igitur majori largitate dignum eſt,
Act. 6. ac decentiſſimum miſericordiam tuam in eos ef-
fundi, qui pacem tuam, qui veniam, qui gratiam
tuam,ut poſſunt,& tu adjuvas, atque das à te obti-
nere nituntur? Non dico domine miſericordiæ,quia
D meritis eorum debeatur venia, & gratia tua de ſuo-
rum juſtitia, vel jure meritorum, ſed dico hoc de-
cere immenſitatem miſericordiæ tuæ, ut te invocan-
tes,qualiter poſſunt, & à præveniente eos gratiâ tuâ
recipiunt, non confundantur, ſicut docuiſti eos per
prophetam tuum loquentem ad te, & dicentem:
Non confundar, quoniàm invocavi te. Et per alium
dixiſti, quis invocavit dominum,& deſpexit eum?
Pſal. 30 Confunduntur autem proculdubiò, qui quod petũt,
Eccleſ. 2. non obtinent, & deſpiciuntur, quorum preces non
audiuntur. Domine miſericordiæ, iſti ſermones,
quos loquor coram te,non ex me, vel mei ſunt, ſed
ex te,& tui ſunt;ſi non placent tibi,quia mei ſunt, ex
bono tuo placere tibi debẽt,quia ſcilicet & dona tua
& tui ſunt. Quomodò ſermones hujuſmodi loque-
rer,niſi tu poneres in ore meo,niſi tu dares, & digito
tuo,id eſt, Spiritu ſancto ſcriberes eos in corde meo?
Propter hoc igitur debent tibi eſſe placiti, & accep-

A ti, quia ut dixi tui ſunt, ex dono tuo ſunt. Neque
enim Mercurius ille, qui non tam falſiſſimè, quàm
etiam impiiſſimè Deus eloquentiæ apud perditiſſi-
mos,& deceptiſſimos homines,& dictus,& habitus
eſt, omni artificio rhetorico hos ſermones cogitare
potuiſſet. Dico confidenter domine miſericordiæ,
ſicut dignum, & juſtum eſt,nec vacuam, nec otioſã
eſſe juſtitiam tuam, quin potiùs neceſſe eſt, ut exeat
in largiſſimas, ac profundiſſimas miſerationes. præ-
ſertim in eos, quos pervenit ipſa tam magnis, tam-
que ſalutaribus donis,ut eam cupiant,& ut poſſunt,
quærant. Neque enim, ut prædixi, poſſibile eſt, ſic
dimidiare miſerationes tuas, aut inimicari, in eos
potiſſimùm, qui non partes miſerationum quærunt,
aut petunt à te, ſed plenam, perfectamque veniam,
& gratiam tuam,ut ſæpè dixi quantùm das & adju-
vas, à te petunt. Illud autem denegare nullus poteſt,
unam ſaltem ſalva juſtitia tua per omnia, ſalvoque
jure tuo in omnibus) ut præſtes perfectam plenam-
B que gratiam,& veniam, quę ſunt in vita iſta miſera-
tionis tuæ plenitudo. Et quidem in domibus reli-
gioſis te auctore conſtitutum, & ordinatum, ut qui
inde abierunt, vel exeunt, recipiantur. vel ſaltem uſ-
que ad tempus ſalvâ tamen ordinis diſciplinâ. Quia
igitur miſericordiæ tuę nec numerus, nec menſura,
cùm ab ordine ſanctiſſimo tuo & regula ſanctiſſima
Chriſtianitatis toties aberraverim, & exiverim, non
poteſt denegari mihi, quin ad illam reverſus recipi-
ar, ſalvâ tamen ordinis Chriſtiani diſciplinâ. Hoc
autem non eſt niſi pœnitentia tua, quæ in Eccleſia
tua & injungi, & agi conſuevit. Ampliùs. Qui non
deſeruiſti me devium,& aberrantem, quomodò non
aſſumes revertentem, atque correptum? Non deſe-
ruiſti tu quemquam, nec revocare ceſſaſti, nec adhuc
ceſſas; unde enim mihi ſunt deſideria iſta quibus ti-
bi recõciliari deſidero, quibus ad pacem,& gratiam
C redire cupio? Unde iſtę accuſationes, quibus contra
memetipſum propter injuſtitias meas litigo, niſi à
te, qui donis iſtis tanquàm benedictionibus dulce-
dinis tuæ pręvenis me? nec in aliquo læſa eſt juſtitia
tua per hanc tam piam, tamque indebitam prævẽ-
tionem miſericordiæ tuę, quantò ergo fortius non
deſerar, niſi iſta dona mihi compleveris, atque perfe-
ceris. Magis enim indignus eram iſta præventione
miſericordię tuæ, antequàm eâ me prævenires quàm
nunc ſim pręventus perfectione juſtificationis, &
ſanctificationis tuę; & longè minus indignus nunc
ſum, ut iſta tua dona mihi compleas atque perficias,
quàm eram donis iſtis antequàm illis me pręveni-
res. Aliquatenùs enim me pręparant ad juſtificatio-
nis & gratiæ tuę plenitudinem. Neque dubitan-
dum eſt ullo modorum quin multò longiùs ſint à
miſericordia tua qui eam nec quęrunt. nec curant,
quàm qui eam cupiunt atque deſiderant, licet exili-
ter & minus quàm deberent hoc faciant. Ampliùs.
D Quæ ſunt opera magnificentiæ miſericordię tuæ
propria ac pretiata? Certum eſt mihi domine quia
lenire miſeriam, tollere eam ignoſcere liberare, ſal-
vare & pręvenire etiam non valentes venire ad te in
benedictionibus dulcedinis tuę, quibus aliquatenùs
cognoſcant te,& beneficia tua quę receperunt à te,
deinde mala ſua quę reddiderunt beneficentiæ tuę,
& mala, in quibus ſunt, atque ea quę meruerunt &
à quibus non eſt eis refugium & liberatio ſive ſalva-
tio, niſi per pœnitentiam ſuam;& cum his prędonãs
eis etiam ut diſpliceant ſibimet ipſis in omnibus,
ſemperque placeant tibi, cupiantque & deſiderent,
& enitantur (licet infirmiter) exire de malis ſuis &
redire ad te qui es ſalus & vita eorum Sic dico &
de timore tuo, qui eſt initium ſapientiæ & expellit
peccatum quoniàm qui ſine timore eſt non poteſt
juſtificari quoniàm eſt de pręclaris & proprijs ope-

Digitized by Google

tibus miſericordiæ, & præſertim in peccatoribus, qui illos prævenit, & fugere facit quaſi à facie colubri peccata, fugere inquam ad te, qui ſic fugientes
Eccl. 21. benigniſſimè ſemper ſuſcipis, & etiam cum gaudio, & congratulatione jucundiſſima, & applauſu. Si ergo nõ obſiſtit juſtitia tua, quin iſta operetur miſericordia tua in peccatoribus, non obſiſtit eo inquã tẽpore, quo (ut ita dicatur) fortior eſt, & etiam magis armata cõtra peccatores; quãtò min' igitur obſiſtet poſtquã arma ſua fortiora, & allegationes ſuas validiores contra eos amiſerit? Arma ſiquidem fortiſſima juſtitiæ tuæ, & allegationes validiſſimæ contra peccatores ſunt ſuperbia eorum, contumacia, duritia, injuria ſalutis eorum, & impugnatio ipſius gratiæ, qualis erat in Paulo Apoſtolo, cùm Chriſtũ dominum perſequebatur, qualis eſt & in illis, qui etiam verbum Dei repellunt à ſe, & avertunt aures ſuas, ne legem tuam audiant, propter quod eorum oratio execrabilis eſt coram te. Arma iſta omnia amiſit jam juſtitia contra me. Nihil enim horum eſt in me immò te auctore, & datore contraria, quibus ſi fas eſt dicere, fortior eſt efficacia, & tanquàm armata miſericordia tua ad pugnandum pro me, & ad reſiſtendũ iræ tuæ, cujus ſola opitulatione illi reſiſtitur ſicut dicit ſapientiſſimus, & ſanctiſſimus, & à te ipſo in hoc edoctus Greg. dicens: Iræ Dei tunc reſiſtitur, cùm ipſe, qui iraſcitur opitulatur. Te ergo per iſtam præventionem miſericordiæ tuæ, qua ſic opitulante mihi, iræ tuæ adeò fortiter reſiſto, ut ſuperabundantiam miſericordiæ tuæ vel auferre, vel minuere, vel retardare de cætero mihi non debeat. Ampliùs Quis laudat, aut ſuperabundare dicat miſericordiam tuam in eos, quos æternæ mortis, & dãnationis ſupplicijs perpetuò deputas? Ampliùs. Propheta à te ſolo edoctus, & Eccleſia tua tota magiſterio tuo ſola inſtituta, & erudita, à te petit inceſſanter: Averte iram tuam ab eis, tu ſolus es hujus pote-
Pſal. 84. ſtatis. Non eſt igitur ab eis hoc requirendum. Rerũ enim natura impoſſibilium nulla eſt obligatio apud eos, quibus impoſſibiles ſunt. Abunda igitur tu ipſe miſericordiâ euſque, quo avertas iram tuam, ſicut
Pſal. 77. te docente, & dictante, dicit Propheta tuus David, dicens. Et abundavit, ut averteret iram ſuam. Abundavit utique miſericordia tua, providit toti generi humano ſacrificium irrevocabilis placationis, ipſum videlicet Deum, ac Dominũ noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt propitiatio pro totius mundi peccatis ſufficiens. Sic & abundantia in me euſque eſt tanta largitate tuæ miſericordiæ, ut dares cor contritum mihi, quod nunquàm deſpicis, & ſpiritum contribulatum, qui eſt tibi ſacrificium ſufficientis, & gratiſſimæ placationis. Abundavit itaque miſericordiâ
Pſal. 50. pater miſericordiarum, dum ipſe ſibi providit chariſſimum, ac benedictum unigenitum ſuum victimam holocauſti, cujus obligationis placore mundo placaretur. Abundavit & ipſe unigenitus eis benedictâ miſericordiâ. qui de ipſo hoc fecit, ſcilicet victimam holocauſti, offerens ſe ipſum tanquàm agnũ immaculatum in odorem ſuavitatis in ara crucis, quo ſacrificio & placatus eſt pater miſericordiarum mundo, & mundus ei reconciliatus eſt, ſicut Apoſtolus ſcripſit: illum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, quod eſt dicere, hoſtiam pro peccatis. Et iterum: Deus erat in Chriſto mundum
2. Cor. 5. ſibi reconcilians. De utroque igitur, patre miſericordiarum videlicet & benedicto unigenito ejus, rectiſſimè intelligo, quod eſt dictum per prophetã. Abundavit ut averteret iram ſuam. Abundare igitur te decet miſericordiâ ſuper juſtitiam, quia miſericordia tua ſuperexaltat judicium. An decet prælargam bonitatem tuam, ut ira tua ſuperabundet miſericordiæ tuæ? Si enim hoc eſſet, in ira tua contine-

E res miſericordias tuas. Ampliùs. Nonne omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas? Quid autem eſt manifeſtatio omnipotentiæ, & bonitatis tuæ, niſi glorificatio tua? maximè igitur glorificaris parcendo, & miſerando Hoc autem te decet maximè miſereri, & parcere. Maximè autẽ digni ſunt, quibus parcas & miſerearis, ſcilicet qui propter te ſibi nec parcunt, nec miſerentur, ſed potiùs ſeverè ſe ipſos judicã. illis ergo nullo modo deneganda eſt miſericordia tua. Hujuſmodi homines quid aliud agunt, dum in ſemetipſos juſtitialem pænitentiam exercent, niſi quòd vices juſtitiæ tuæ agunt, & executores ejuſdem ſe gerunt, tãquàm quidam tortores, & ſatellites tui? Si igitur cum illis pacem non habet juſtitia tua, qui miniſtri ejuſdem ſunt officioſiſſimi, atque fideliſſimi, ſed in illos condemnationem, & mortem intendit juſtitia tua, quis ſibi
F ſperare poteſt pacem ab illa? Ampliùs Bellum, quod contra injuſtitias meas ſuſcepi, bellum commune eſt mihi, & juſtitiæ tuæ, & bellum utique juſtiſſimum Impoſſibile igitur eſt, ut juſtitia tua contra me ſit in bello iſto Alioquin cum inimicis meis erit, & hoc in bello injuſtiſſimo. Bello enim juſto nunquàm pugnat injuſtitia. Juſtiſſimum ſi quidem bellum meum contra injuſtitias meas. Ipſarum verò contra me non poteſt eſſe bellum, niſi injuſtũ. Quẽadmodum bellum ſpiritus adverſus carnem ipſam juſtiſſimum eſſe neceſſe eſt. Bellum verò carnis adverſùs ſpiritum nunquàm poſſibile eſt eſſe niſi injuſtiſſimum Manifeſtum autem eſt, bellum illud contra injuſtitias meas, bellum eſſe ſpiritus adverſùs carnem, & adverſùs omnes alias injuſtitias, quare juſtiſſimum eſſe illud neceſſe eſt & propter hoc juſtitiæ bellum: non potes ergo opponere te Dei juſti-
G tia mihi in hoc bello, alioquin ſtares pro injuſtitijs meis & contra te, quod manifeſtum eſt, eſſe non poſſe.

CAPUT XIII.

Quod faciat homo quod in ſe eſt, licet modicum poſſit.

QUòd ſi dixeris mihi, quia infirmiter pugnas pro me & invalidè ſimiliter allegas pro me: Reſpondeo tibi hoc, quia non eſt mirum ſi infirmus infirmiter ſervio tibi, nec ſi invalidus allego pro te invalidè. Ab infirmo autem ſerviente quis ingratum habeat, vel moleſtum, infirmum ſibi ſervitium? Similiter & ſe habet de filio ægrotante, quia patri non eſt minus gratum infirmantis filij ſervitium, & interdùm magis gratum, quantò ipſi filio propter infirmitatem magis oneroſum, & laborioſum, præſertim cùm dixerit Ambroſ veritatis tuæ doctor, & præco: Quia Deus non reſpicit, vel attendit quantùm, ſed ex quanto quid mirum ſi modicum eſt,
H quòd impendo tibi ex tam modico quod adhuc habeo? Gratum igitur tibi eſſe illud modicum infirmum, & invalidum debet, quòd ex eo modico me infirmo, & invalido tibi impendo, præſertim cùm pro qualitate, vel quantitate donorum, reddenda ſint ſervitia pro eis, & meritò proportionabilia ſunt dona, & ſervitia quæ pro eis debentur. Quis enim ex modico feudo magnum velit habere ſervitium? Non debes igitur ex iſtis modicis, quæ adhuc ſola habeo à me exigere magna quapropter contenta debes eſſe ex modicis iſtis, quæ ex modicis donis tibi offero vel impendo. Modicum enim lumen adhuc in me eſt ſalutaris ſcientiæ, modicus timor Dei modicus amor, modicus morborũ & vulnerum meorũ dolor & ita de alijs donis Dei Ex modicis autem non eſt tuum, ô juſtitia ut magna requiras à me. Contenta igitur debes eſſe de modicis iſtis. Quia ſi dixeris mihi, quia culpa mea eſt, quòd tam modica ſunt

mihi

mihi donata, & propter hoc modicitas eorum non A
debet mihi procurare nec excuſare jus, quominùs
magna debeam: Reſpondeo tibi in hoc quod ſi quis
debitor alieni cenſus ad omnimodam paupertatem
advenerit, ita videlicet ut ſolvere illum non poſſet,
nemo requirit ab eo, ut tempore tantæ paupertatis
debitũ hujuſmodi ſolvat. A nemine nãque requiritur
quod ei impoſſibile eſſe ſcitur, præſertim ſi impoſſi-
bilitas ejuſdem voluntaria non ſit, & placita. Tu
autem vides, quia mihi non placeat iſta modicitas,
vel paupertas, quæ me non ſinit tanta ac talia facere
in parte iſta quæ meritò eſſent placita tibi & accep-
ta. Ad hoc enim intendo, & ut poſſum, enitor, ut
augeat mihi miſerator largiſſimus Deus dona ſua,
quibus ad ipſum redeam, eique placeam. Si quis e-
tiam in ægritudinem, vel infirmitatem licet pro-
priâ culpâ incideret, nemo tamen ab eo requirit, ut
agat fortia, & perferat dura. Nemo requirit ab eo
Nota. actus pugilum, vel agoniſtarum. Non debes igitur
exigere à me tam magna, & fortia, tempore infirmi- B
tatis, quanta meritò, & jure poſſes tempore ſanita-
tis? & fortitudinis. Quòd ſi tanta à me judicas re-
quirenda quantorum debitor eſſem tempore ſanita-
tis Non debes igitur impedire vel obſiſtere mihi,
quominùs ſaner vel fortificer. Nemo enim qui ſo-
lutionem creditoris quærit & habere vult impedit
debitorem ſuum quominùs ſolvendo potens effi-
ciatur niſi fortè qui magis vult pœnam debitoris
quàm ſolutionẽ debitorũ ſuorũ. Hoc autẽ eſt mali-
gnitas diabolica, quæ proculdubiò non patitur pec-
catores divites fieri, ne ſolvant debita peccatorum
ſuorum quorum ſolutio pœnitentialis ſatisfactio
vel emendatio eſt. Et ſimiliter nequitia hæc eſt in
quibuſdam tabernariis vel potiùs cauponibus qui
malunt pro malignitate voluntatis ſuæ verberare ri-
baldos, quàm ſolvi ſibi computum ſuum. Non de-
bes igitur mihi obſiſtere quominùs dives efficiar C
ad ſolvenda debita in quibus teneor tibi. Hæc autẽ
ſunt pœnitentiales emendæ. Iſta tamen obſiſtentia
in præjudicium tuum eſt, & detrimentum. Ampliùs.
Per hanc viam impedis, ne ego juſtus efficiar. Juſtus
autem eſt ſolus ille quem plena poſſidet juſtitia Im-
pedis ergo temetipſum per hanc viam & obſiſtis
quominus tu me ipſe recuperes atque poſſideas Et
quod videtur deterius tueris & conſervas inimicos
tuos capitales in poſſeſſione juris tui, quod ego ipſe
ſum. Ampliùs. Reſponde mihi, obſecro ò pulcher-
rima Dei juſtitia aut placent tibi ſolæ pœnæ infer-
nales & perpetuæ aut placent tibi aliæ? Quòd ſi il-
læ ſolæ placent tibi non placet igitur tibi de pecca-
toribus niſi mors ipſorum perpetua atque damna-
tio Hoc autem eſt in quo evidenter concordas cum
dæmonibus. Hoc enim ipſi ſemper ſuper omnia vo- D
Nota. lunt de peccatoribus. Præterea placitum illud non
eſt bonitatis, ſed malignitatis. Tu autem bonitas
veriſſima, & puriſſima es. Si verò aliæ pœnæ placent
tibi cùm nullæ aliæ ſint, niſi quæ faciunt ad emen-
dationem, & correctionem peccatorum, illis enim
ſatisfit de vindicta glorioſa, de exterminio, & ex-
pugnatione inimicorum tuorum, quos maximè,
odiſti, videlicet injuſtitiarum, quæ ſunt vitia, &
peccata: eiſdem etiam ſatisfit tibi de jure tuo, quod
tibi per illas plenè & melioratur, & reſtituitur, vel
ſaltem ad reſtituendum præparatur, dum ad expul-
ſionem injuſtorum detentorum per eas litigatur pa-
riter, & pugnatur: abſit à te, ut opprimas me opus
tuum, & conſilium impiorum adjuves. Placent igi-
tur tibi non immeritò pœnæ pœnitentiales, quas &
ego mihi propter te amore tuo irrogo, & ad hoc, ut
poſſim conabor, ut tantæ, & tales ſint, per quas de
vindicta tibi pro tuo beneplacito ſatisfiat Sola ergo
peccata mea cum ipſis dæmonibus obſiſtunt, mihi-

A que adverſantur, & quoniàm excommunicata ſunt,
atque à communione creatoris & omnium ſancto-
rum anathematizata, hoc eſt ſeparata, propter hoc
ego enitor evitare ea, & fugere ab eis. Quantò igi-
tur fortius tu ô ſanctiſſima, ſemperque benedicenda
juſtitia non communicas eis, quę omnium pœnarũ,
atque tormentorum inſtrumentis impugnas ea? &
de templo ſancto tuo tanquàm excommunicata eji-
cere non ceſſas? In hoc enim dominationi tuæ om-
nium tormentorum, & pœnarum genera deſerviunt,
ut vel timore tuo, vel etiam punitione illa, vel debi-
litent, vel compeſcant, vel prorſùs expellant. Et hęc
attendens Domine miſericordiæ, memorabor juſti-
tiæ tuæ ſolius in his, quæ dicturus ſum in præſentia
tua coram te, & allegabo juſtitiam tuam ſolam pro
me, quem propriam meam juſtitiam, & debitam,
conſpicis non habere. Dicam ergo, quia jus tuum in
omnibus, & per omnia ego ſum, & hoc jure, & de-
bito creationis tuæ. Tu enim creaſti me, Domine
B Jeſu Christe, Deus meus, & Dominus meus, unus,
verus, ac ſolus. Jus tuum ego ſum hæreditarium, te
enim conſtituit Deus pater hæredem univerſorum,
per quem fecit, & ſæcula. Sicut tu ipſe per os
Apoſtoli tui teſtificatus es in epiſtola ejuſdem ad
Hebr. Tuus ſum jure amicitiæ amoris ejus, quo te
diligit Deus pater. Per hanc enim tantam tamque
ſinceram, & perfectam amicitiam, neceſſe eſt om-
nia quæ patris tui ſunt, tua eſſe. Omnium enim ami-
corum verè, perfectéque ſe amantium, neceſſe eſt,
omnia eſſe communia. Tuus etiam ſum jure, & titu-
lo emptionis, ſicut per eundem Apoſtolum teſtifica- *1. Cor. 6.*
tus es, dicentem: Empti eſtis pretio magno, & ite-
rùm: Qui dedit ſeipſum redemptionem pro nobis.
Tuus etiam ſum jure mercedis, & retributionis, pro
magnifico, acceptiſſimoque obſequio, quod Deo
patri in ſacratiſſima paſſione tua impendiſti, tibi ab
C eodem promiſſo. ſicut ipſe teſtatus eſt per Iſaiam di- *Iſa. 53.*
centem: Pro eo, quod tradidit in mortem animam *Mar. 15.*
ſuam & cum impiis deputatus eſt videbit ſemen lõ- *Luca 22.*
gævum, & fortium dividet ſpolia. Tuus etiam ſum
bello juſtiſſimo tibi acquiſitus, illo videlicet prælio,
de quo ipſe teſtatus es dicens ad Patrem, vel Eccleſia
tua loquens ad eundem: Obumbraſti ſuper caput *Pſ. 139.*
meum in die belli, & tibi nanque, & Eccleſiæ tuæ,
rectiſſimè congruit intellectus ſermonis iſtius. Su-
per caput tuum, & etiam ſuper totum corpus tuum
obumbravit Deus pater in die belli, qui fuit dies
victorioſiſſimæ paſſionis qua poteſtates aereas de-
bellaſti palam triumphans principatus, & poteſta-
tes in te ipſo. Hoc fuit prælium magnum, ergo tu
verus Michael præliatus es ibi cum dracone, ſcilicet
antiquo ſerpente, quo bello projectus eſt de cœlo
D Eccleſiæ tuæ. Tuus etiam ſum jure ſanctiſſimæ ad-
iudicationis, qua tibi adiudicatus ſũ in iudicio illo;
in quo tu ipſe ore tuo ſacratiſſimo dixiſti: Nunc iu-
dicium eſt mundi. In ipſa namque ſacratiſſima, & *Ioan. 12.*
victorioſiſſima paſſione tua cauſam tuam, immò
meam ſcilicet, & aliorum credentium allegabas, &
orando, & temetipſum offerendo pro nobis, propter
quod iudicio ſanctiſſimo Dei patris adiudicati fue-
ramus diabolo, & ideò electus eſt foras de poſſeſſio-
ne, qua nos poſſidebat, & adiudicati ſumus tibi,
quapropter intraſti poſſeſſionem noſtri, per ſacra-
mentum regenerationis plenè obtinens poſſeſſionẽ
noſtri. Jus tuum etiam ſum iure donationis, qua do-
natus dono tibi ſum ad ipſam petitionem tuam, qua *Ioan. 17.*
dixiſti ad patrem orans, non pro mundo rogo, ſed
pro iis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.
De his ego ſum per gratiam tuam unus, ego enim
credo in te, quoniàm fide tendo in te, & pervenire
enitor ut poſſim ad te, & in te, videlicet ut totus ſim
in te, ſicut palmes in vite, ſicut arbor plantata in terra

Digitized by Google

benedicta, ut totus vivam ex te, duabus ſcilicet radicibus cordis mei radicitùs infixus in te, ubi ex toto inſugam vitale nutrimentum animæ meæ, ex quo & vivam, & tibi fructificem, quod eſt dicere fructus feram tibi delectationis, & placitos, & qui non pereant, ſed maneant; quapropter quod tuum eſt, & ad te jure, & ex debito pertinet, id multiplici jure, pleniſſiméque liberare de manibus inimicorum tuorum ſalvare, atque defendere, & tueri, ab eis debes. Si enim aliena iura eis, à quibus auferuntur, iuſtiſſimè reſtituis eis, quorum iure ſunt, quantò fortius hoc tibi ipſi debes: Te namque plurimi, qui iniuriam patiuntur, confidenter requirunt, ut iuſtitiam facias eis de inimicis ſuis, iuſtè, quæcunque iniuſtè ab eis ſunt ablata, reſtituens ſpoliatis. Hoc inquam petunt à te tanquàm iuris debitum petentes. Quantò fortius igitur hoc tibi ipſi debes, videlicet eſſe tibi in ſui etuo propitius? qualiter enim alii ſperare poterunt à te, quod tibi ipſi facere nolueris.

CAPUT XIV.

Quòd Deus vult ad eum reverſionem, & pœnitentialem ſatisfactionem.

QUòd ſi dixeris mihi, quia indigniſſimum me feci dominatione tua, ac ſervitute nobiliſſima, & ipſam poſſeſſionem, quam cuſtodiendam mihi, excolendam, modiſque omnibus meliorandam commiſeras, ego diſſipavi, & eouſque deterioravi, ut penè inutilem eam tibi reddiderim, immò quod veriſſimum eſt noxiam, atque pernitioſam, cùm de illa, & per illam bellum tibi faciunt, vel fecerint tibi inimici tui, & meiuſque modo, verum utique dicis domine Deus veritatis. Ego autem reſpondeo, licet tibi non poſſim reſpondere unum pro mille, quòd nõ niſi dominationis tuæ dignatio fuerit recuperare me. Hoc enim facto, quæcunque diſſipata ſunt à me, in me ipſo reſtituentur, & integrè ſalva erunt tibi, pro beneplacito etiam tuo erit tibi ſatisfactum, & emendatum quicquid contra te peccavi. Non debes igitur cauſare diſſipationem bonorum, quæ mihi commiſiſti neque alia, quæ tendebas adverſùm me. Nihil enim à me juſtè poteris petere, niſi plenã reſtitutionem, & gratam ſatisfactionem. Hę autem duę plenè indubitanter tibi fient, ſi pœnitentialem juſtificationem mihi pręſtiteris. Hęc enim continet indubitanter pœnitentialis converſio, ſive reverſio ad te. Ampliùs. Mi domine Jeſu Chriſte, neminem poſſibile eſt venire ad te, & nemini poſſibile eſt moveri ad te niſi à te. Quicunque enim movetur ad te, neceſſe eſt ut hoc ei detur à te. Quia igitur tibi ſoli hoc poſſibile eſt, à nullo alio debetur. Si igitur ab aliquo debetur, à te ſolo debetur, & propter hoc à te ſolo requirendum eſt. Quòd ſi dixeris, quia peccatores avertunt ſe à te, rumpentes funiculos charitatis, quibus à te trahebantur, verum utique dicis, quia veritas es. Retentio tamen peccatorum in te, & revocatio eorum ad te, non eſt poſſibilis, niſi tibi. Et ſicut proprium eſt illis infirmitas & corruptio atque malignitas quibus recedunt à te ſic incogitabiliter ampliùs eſt tua fortitudo, & benignitas quibus eos retineas in te & revoces ad te. Multò igitur fortius decet fortitudinem tuam & benignitatem tuam, retentio eorum, & revocatio quàm infirmitatem & malignitatem, eorum receſſio à te. Ampliùs. Domine miſericordiæ quòd moveor licet exiliter, & infirmiter ad te, non moveor ſic niſi à te utique tractus à te. Vis ergo utcunque me redire ad te, volo & ego vel ut veriùs loquar, vellem. Infirmum enim eſt velle meum & imperfectum, & tanquàm jacens, ſed tuum velle, quo vis me venire ad te, eſt uſquequaque forte, atque completum voluntati enim tuæ quis reſiſtit? Velle meum, domine miſericordiæ, tale eſt de redeundo ad te, quale eſſet velle tuum de reverſione mea ad te. Si igitur vis perfectum eſſe velle meum, in hoc perfice & tuum in eodem. Ego namque velle meum in parte iſta nec perficere, nec adaugere poſſum. Tibi autem præſto eſt perfectum atque imperioſiſſimum velle tuum. A te igitur incipe perfectionem huiuſmodi & tunc erit mihi velle perfectum, & completa juſtificatio. Nec loquar ſic de velle tuo domine Deus veritatis tanquàm locum apud te habeat aliquid perfectionis ullo modo tum, de hoc enim per gratiam tuam plenè edoctus ſum à te. Velle namque, quod in te eſt, & quod tu es, nihil poſſibile eſt habere defectus, vel imperfectionis. Tu autem noſti, qualiter dixiſti velle, ut peccator convertatur, & vivat. Et qualiter dixit Paulus, quia tu vis omnes homines ſalvos fieri proculdubiò ad modum volentis, hoc eſt, in multis ſignis, & operationibus te habens. Domine Jeſu Chriſte nonne tu veniſti ſalvos facere peccatores. Nonne tu veniſti quærere, & ſalvum facere, quod perierat. Quæris igitur me, & ego quæro te. Vis igitur invenire me, & inveniri à me. Occurrere igitur debes mihi, qui ſcis viam qua venias ad me, & qua eundum eſt mihi ad te, ut inveniam te. Domine Jeſu Chriſte nonne tu medicus es, & ſanitatis atque ſalutis autor & largitor largiſſimus? Videant oculi ſancti tui utrùm iſtorum decentius ſit, te videlicet venire & deſcendere ad me ægrum & adeò infirmum ut nec ambulare poſſim ad te nec etiam vertere me, an me aſcendere ad te. Ineffabili largitate pietatis & dulcedinis tuæ ſuſcepiſti iſtud ſalutiferum officium, ſcilicet medicationis, quapropter debitor es evidenter ſanationis, potiſſimùm in illos, qui ſanari cupiunt, & quærunt. Nonne propter hoc confidenter petebat à te David: Miſerere mei domine quoniàm infirmus ſum, ſana me domine, & alibi: Sana animam meam, quia peccavi tibi: ſimiliter Hieremias: Sana me domine, & ſanabor: quis enim eſt à quo non iure & tanquàm ex debito peti poſſit, ut exequatur, & impleat ſuſceptum officium, quia debitor in hoc ipſo ſanctificationis, & conſecrationis effectus es omnibus, qui ſanctificari, vel conſecrari cupiunt & quęrunt.

Nota. — Luca 12. — Pſal. 6. — Pſal. 49.

CAPUT XV.

Quòd dominus perfectè ſanat ægrotum, vel miſeretur peccatori.

QUòd ſi reſponderis mihi, quia exiliter, & infirmiter, & per omnẽ modum indignè cupio, & quæro ſanctificari & ſacrari à te: Reſpondeo tibi, quòd hoc nõ eſt, niſi ex gravitate infirmitatis, quæ quantò major eſt, proculdubiò tantò major eſt indigentia, atque neceſſitas mihi medicinalis auxilij & propter hoc magis accelerandum remediũ: non igitur propter hoc eſt mihi denegandum. Ampliùs. Quis ex medicis corporalibus audeat objicere ægro petenti medicinale auxilium indigentiam, vel neceſſitatem illius? Quis denegare utique audeat propter hoc infirmanti cuicunque medicinale auxilium, quantum valet ad corporis ægritudinem? quantò igitur ampliùs debet eſſe à te, immò & eſt, ut non propter majorem neceſſitatem, vel indigentiam ſalutaris auxilij deneges mihi, vel retardes ſalutis auxilium? Quis enim ex medicis corporalibus ſimilem operam dedit humanis corporibus curandis, quam tu impendiſti curandis animabus noſtris, qui & pretioſiſſimum ſanguinẽ tuum ſirupum feciſti ad curandas febres vitiorum, & peccatorum, & ad

Nota.

ad extinguendos ardores concupiſcentiarum, & ali- A
arum peſtilentium paſſionum: Ipſam quoque carnē
vivificam tuam, theriacam nobis efficere dignatus
es ad effuganda venena mortifera vitiorum, & ut ad
unum dicam, ipſa vulnera tua medicamenta ſalu-
berrima feciſti vulnerum noſtrorum, & ipſam mor-
tem tuā curationem eſſe ſalutarem omnium ægritu-
dinum ſpiritualium noſtrarum. Manifeſtum autem
eſt quòd nullus ex medicis corporalibus adeò habet
cordis parum, ut cùm ſanitatem vel ſalutem, ſuſce-
pit curandam, cum magnitudo morbi retardet ad
impēdendo medicamentū quod requirit infirmitas
patientis. Cùm igitur apud omnipotentiſſimam
virtutem tuam non referat vel differat quàm gra-
vis, vel levis ſit morbus meus ſpiritualis, quin eadem
facilitate ſanas & maximas, mediocres & minimas,
nullo modo, vel neceſſarium vel decens eſt, te differ-
Nota. re ſanationem meam, præſertim cùm manifeſtum
ſit, te ſuſcepiſſe curam ſanationis & mei & aliorum,
qui à te cupiunt & quærunt ſanari. Tu enim es, qui
Pſal. 146. ſanas contritos corde, & alligas contritiones eorum,
& propter hoc per os Prophetæ tui Iſaiæ dixiſti:
Præcipitabit dominus in monte iſto faciem vinculi
colligati ſuper omnes populos, & telam, quam ordi-
tus es ſuper univerſas nationes, præcipitabit mortē
in ſempiternum & iterùm: In die, qua alligabit do- B
minus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus
ſanabit. Si dixeris domine Deus, quia ſi me totum
tibi traderem, & iterùm me curæ tuę committerem,
ſtatim me ſalvum faceres: Reſpondeo tibi domine
miſericordiæ, quia ſi hoc expectaveris, nunquàm me
ſanabis. Hoc enim, quandiu infirmus ſum procul-
dubiò facere non poſſum ſi tamen hoc faceres, quis
dubitet, quin ſanatus eſſem? Manifeſtum eſt igitur,
te non debere expectare hoc in me, quod mihi ſcis
non eſſe poſſibile; totum me trahe ad te, & eripe me
mihi ipſi, totum quidem ſuſcipe ſi totum me ſanare
eſt pietatis tuæ beneplacitum. Si enim me ipſum
Nota. mihi dimiſeris, cado, totuſque deficio. Ampliùs.
Nonne ſicut gaudium eſt juſto facere judicium, ſic, C
& multò ampliùs, gaudium eſt miſericordi facere
miſericordiam? Quia igitur juſtiſſimus ſimul, & mi-
ſericordiſſimus es, non minus immò multò ampliùs
placet bonitati tuæ facere miſericordiam, quàm fa-
cere judicium Sicut igitur non decet juſtum diffe-
re judicium in gravamen, aut præjudicium, petentis
illud, ſic multò minus decet te differre miſericordiā
petenti illam, maximè in detrimentum, & diſpendiū
meum. Tu autem vides qui omnia ad nudum, & li-
quidum intueris. quia ipſa dilatio, per quam vivifi-
candus & ſanandus ſum, protelatio eſt mihi, & pro-
longatio ægritudinis, & mortis meæ. Tamdiu enim D
mortuus, & ſepultus in vitijs meis, & peccatis jaceo,
Pſal. 30. quamdiu vivificationem meam differs. Domine mi-
Pſal. 69. ſericordiæ, quo jure petebat David: Accelera ut e-
Pſal. 58. ruas me? & iterùm: Ad adjuvandum me feſtina, &
Eccleſ. 4. alibi: Velociter exaudi me. Et quia tu ipſe manda-
Prov. 3. tum dediſti per Salomonem dicens: Ne protrahas
datum anguſtianti, & iterùm: Ne dicas amico tuo,
cras dabo, cùm ſtatim poſſis. Debes ſervare legem,
Pſal. 7. quam ipſe ſtatuiſti. Sicut & ipſe David petebat à te,
dicens: Exurge domine Deus meus in præcepto,
quod mandaſti, quod indubitanter eſt præceptum
de dilectione. Et propter hoc idem eſt, ac ſi diceret:
Dilectionem precor impende & oſtende, ſicut tu fe-
ciſti. Nō enim nos priores dileximus te, ſed tu prior
dilexiſti nos, qua nemo majorem habet, nobis exhi-
buiſti, & oſtendiſti, mortem crucis perferens amore
noſtri. Domine miſericordiæ magna, & multa ha-
bes contra me, & multa, & magna potes excipere
contra me, & objicere mihi, quominùs debeas ma-
gnificare, & mirificare miſericordiam tuam mecum.

A Et in primis graviſſimas, & pœnè innumerabiles
offenſas, quibus tuam majeſtatem offendi. Ego autē
replico contra offenſas peccatorum meorum ſacri-
ficium quod obtuliſti in ara crucis pro peccatis no-
ſtris, & aliorum, ubi fuiſti propitiatio ſufficiens
pro totius mundi peccatis. Quapropter ſicut propi-
pitiatio illa incogitabilis graſiotatis evacuavit pecca-
ta & offenſas meas & aliorum, ſic replicatio illius
elidit ſufficienter, ac validiſſimè exceptionem, quam
contra me proponis de ipſis. Quòd ſi excipis contra
me de graviſſimis, & innumerabilibus debitis meis:
Replico contra hoc exceptionem, & pagamentum,
quod in ipſa victorioſiſſima paſſione tua feciſti pro
me, & alijs debitoribus. De hoc pagamento tu ipſe *Pſal. 18.*
dixiſti: Quę non rapui tunc exolvebam Propter
hoc cantat de te omnis Eccleſia ſanctorum. Qui pro
nobis æterno patri Adæ debitum ſolvit, & quia non
pro Adam ſolum piiſſimæ mortis illius ſupplicium
pertuliſti, immò etiam pro omnibus, qui ſibi illud
prodeſſe voluerint, atque curaverint, nec non pro
parvulis omnibus, qui ſacramento regenerationis, &
renovationis ſufficienti, deceſſerunt vel decedent in-
poſterum in ætate illa. Tu autem domine miſericor-
diæ ſcis, quia ego unus ſum de numero illorum, qui
paſſionem tuam, & mortem tuam prodeſſe ſibi cu-
B piunt, & quærunt. Ibi igitur debita mea tu ſolviſti.
Valida igitur eſt & ſufficiens replicatio iſta ſolutio-
nis, & pagamenti, quod in cruce feciſti contra exce-
ptionem debitorum propoſitam. Quòd ſi dixeris
contra me, quia mortem merui, non ſolùm tempo-
ralem, ſed etiam æternalem & hoc modo juſtitian-
dus ſum: Replico contra hoc quia juſtificatus ſum
ſupplicio mortis quod pro me, & alijs peccatoribus
pertuliſti, mortuus morte illa, ſicut teſtatus eſt Apo- *2. Cor. 5.*
ſtolus tuus dicens: Si unus pro omnibus mortuus
eſt, ergo omnes mortui ſunt: & ſi unus juſtitiatus pro
omnibus, omnes in illo juſtitiati ſunt. Quapropter
& de juſtitiatione, & de morte, quarum debitor e-
ram, ſatis feciſti tu ipſe morte ipſa tua, & juſtitiatio-
C ne, quas dixi. Non potes igitur de cætero mihi obji-
cere illa, cùm jam mortuus, & juſtitiatus ſim in te.
Quemadmodùm in uno propugnatore vincit totus
unus exercitus, aut vincitur, cùm pro illo pugnet in
exercitu; ſic in te Chriſte domine vincente pro no-
bis, te reverà pugnatore noſtro omnes vincimus, &
triumphamus. Addo, quòd in te fidejuſſore & ſpon-
ſore pro omnibus nobis & omnibus debitis noſtris,
quantùm ad omnia, in quibus tenebamur, ultra om-
nem ſufficientiam ſatisfactum eſt, incomparabiliter
ſuper omnem æſtimationem, & cogitatum plus eſ-
tu, quàm omnia illa, quæ peti, ſeu exigi poterant à
D nobis omnibus. Tu autem dediſti temetipſum re-
demptionem pro nobis, & omnibus debitis noſtris,
& propitiationem pro omnibus peccatis noſtris.
Tradidiſti etiam temetipſum juſtificandum pro no-
bis omnibus, & injuſtitijs noſtris, atque ſuſpendendum
pro omnibus latrocinijs noſtris. Nihil igitur
reſtat de omnibus, quorum debitores eramus vel
quæ à nobis de jure peti poterant. Quòd ſi fortè di-
cere volueris, quia de his ſolis, quibus obligati era-
mus ante ſatisfactionem baptiſmalem, poſſumus hoc
dicere, quia pro his ſolis ſatisfeciſti, vel ſatisfactum
eſt per te? Reſpondeo in hoc quòd incomparabili-
ter, & incogitabiliter majora exolviſti, quàm eſſent
omnia illa, quibus ante baptiſmalem ſatisfactionem
tenebamur, & quàm omnia recidiva incomparabi-
liter, & incogitabiliter, quia etiam pro omnibus il-
lis ſatisfactum eſt per te, & à te. De illis ergo nihil
de cætero petere potes à me, neque pro illis. Sed ſi
fortè illud objicere volueris, quia adhuc reus ſum
omnium illorum, & debitor cùm ſanctitatem ba-
ptiſmalem nō habeā, nec verè ac perfectè pœnitentiā:

verum utique dicis, ſed hoc non debet mihi obeſſe, E cùm non ſit poteſtatis, ac virtutis meæ verè, atque perfectè pœnitere; manifeſtum enim eſt, quia hoc opus eſt omnipotentiſſimæ virtutis tuæ, & propter hoc à te modò mihi petendum eſt, non autem tibi à me requirendum; à me enim non eſt requirendum ullo modorum, quòd non poſſum, præſertim cùm hoc ipſum, quòd pœnitentiam veram, atque perfectam mihi ſalutarem, ac neceſſariam eſſe recognoſcam, quòd tam cupio, & tam peto à te, & quòd ad eam utcunque enitor, donum miſericordiæ tuæ magnæ ſit. Quòd ſi & illud mihi objicere volueris, videlicet, quòd ſolutiones, ſive pagamenta, & ſatisfactiones omnes, quas pro me, & alijs peccatoribus feciſti ego irritavi, & inutiles mihi penitùs, immò occaſionaliter noxias reddidi: verum utique dicis, ſed pro hac ipſa irritatione, & pro alijs omnibus, ſi longè plures eſſent, iſta pagamenta, & ſatisfactio- F nes ſufficiunt, quemadmodùm dixi, & de recidivis peccatis. Ut autem ad unum dicam, ad omnia antedicta, & alia omnia, quæ mihi objicere potes per juſtitiam, dico, quòd pro me debet reſpondere miſericordia tua voce enim miſericordiæ tuæ dixiſti: Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Et tu domine miſericordiæ ſcis indubitanter, quia ego ve-

Ioan. 6. nio ad te per ea quatuor, quæ prænominavi tibi, quoniàm ſi verè, ac perfectè pœnitens eſſem, proculdubiò jam perveniſſem ad te, & non ſolùm tecum, ſed etiam in te eſſem. Nec ſufficit hoc dicere immenſitati miſericordiæ tuæ, immò decet eam facere, atque perficere, ut ad te perveniat, & ad te intret quicunque venit ad te, & etiam trahi funiculis

Nota. Adam, & in vinculis charitatis, ſicut dixiſti, & pro-

Osea 11. miſiſti per prophetam tuum. Ampliùs. Cùm tot, & tanta proponat juſtitia tua cõtra me, & contra alios G peccatores, nunquid tacebit miſericordia tua, ut non loquatur pro peccatoribus pro me, ſcilicet, & alijs? Ipſa utique miſericordia reſpondebit pro me,

Isa. 43. & alijs, quæ hoc ſola facere ſcit, & poteſt. Voce namque illius dixiſti: Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Et alibi: Delevi ut nubem peccata tua & quaſi nebulam iniquitates tuas. Et propter hoc de te dixit alius propheta: Deponet omnes iniquitates noſtras & projiciet in profundum maris

Ibid. 44. omnia peccata noſtra. Quod igitur nec minoris ſapientiæ, nec minoris eloquentiæ, nec minus armata

Mich. 7. rationibus & allegationibus eſt miſericordia tua, quæ ſola eſt ſpes peccatorum, quàm juſtitia tua, ipſa quoque eſt ſola, quæ ſemper ſtat pro peccatoribus in illo ſublimi, divinoque conſiſtorio, non' eſt mihi dubitandum, quin ipſa illic ſtet, & alleget pro peccatoribus, & quin ſemper obtineat pro quibuſcunque allegare voluerit, præſertim cùm omnes allegationes ejus irrefragabiliter validæ ſint apud miſericordiſſimum judicem. Manifeſtum H namque eſt miſericordiſſimum judicem à miſericordia ſua nunquàm diſſidere, vel diſcordare poſſe, cùm eam adeò in poteſtate ſua ſit habere, & ſolùm pro his, pro quibus allegandum vel interveniendum duxerit, judicare. Incomparabiliter namque minus, eſt & incogitabiliter abſolutionem ab eis obtinere, quàm ut ipſe judex miſericordiſſimus non ſolùm patrocinium eorum, & judicium, pariterque ſupplicium debitum eis ſuſcipiat, & etiam abſolvat, quæ omninò eum feciſſe interpellatione miſericordiæ tuæ ſolius, nullus fidelium ignorat.

CAPUT XVI.

De forma petitionis.

POſt hæc autem conſequens eſt petitionem formare, miſericordiſſimoque judici porrigere. E Allegationes namque, quas præmiſi de forma petitionis, vel orationis, inter alia ad duo potiſſimùm perutiles ſunt, videlicet ad faciendum fidem de impetrando, quod petitur, & ad firmandam fiduciam obtinendi. Sic enim docuit nos Jacobus Apoſtolus dicens; Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Petentibus enim omnibus debet eſſe, & fides omninò non dubia de ſuperabundantiſſimis divitijs pietatis, & dulcedinis omnipotentis Dei, ſimiliter & fiducia non hæſitans, fixa, & firma impetrandi, quod ipſe piè, ac devotè petentibus eſſe ſalutare recognoverit. Quid autem petendum ſit, ipſe miſericors, & benedictus ſalvator ore ſuo ſanctiſſimo in Evangelio Joannis evidenter edocuit dicens: Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit. Similiter & ſermone illo quo dixit; Primùm *Matth. 6.*
quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus. Similiter, & F in oratione quam Apoſtolos ipſemet docuit ſeptem nobis eſſe petenda manifeſtè expreſſit, de *Luc. 18.*
quibus modò non eſt dicendum per ſingula. Ipſe enim publicanus cujus orationem ipſe laudat, non parum orare volentes inſtruxit, à longè ſtans, & percutiens pectus ſuum, caput, oculoſque non audens ad cœlum levare dicebat; Deus propitius eſto mihi peccatori. Oratio quoque illa Ariſtotelis, quam in libro de eſſentia puræ bonitatis, & in fine illius libri feciſſe, & protuliſſe dicitur, & oraſſe; Nunc inveni te ô cauſa cauſarum fac me tibi acceptabilem, ſic enim dixiſſe dicitur: proculdubiò omni fideli jugiter facienda eſt. Ipſe verò ſapiens, & ſanctiſſimus Auguſtinus ita exorabat in libro Confeſſionum ſuarum, dicens, Domine da, quod jubes, & jube quod vis. Liber verò pſalmorum orationes optimas indubitanter docet, & præ- G cipuè in tribus illis pſalmis, videlicet; Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, &c. Item, Ad te domine levavi animam meam, *Pſal. 50.*
&c. Item inclina domine aurem tuam, & exaudi *Pſal. 24.*
me. Nec dubium in ſacris eloquiis etiam ad mo- *Pſal. 85.*
dicum exercitatis, ſacris, & efficaciſſimis orationibus librum pſalmorum eſſe refertiſſimum. In alijs etiam ſacris libris inveniuntur orationes prophetarum & quorundam ſapientium, necnon & aliarum ſanctarum mulierum, de quibus evidenter eſt videre intelligentibus, quòd ſpiritu ſancto *Nota.*
dictante & editæ, & ſcriptæ ſunt. Convenientiſſimum igitur eſt cœleſtem, ac divinalem orationem, & advocatum, prænominatos pſalmos, & prædictas orationes tenere memoriter. Tullius namque latinorum orator, & rhetor egregius, non erubuit duas nobiliſſimas orationes rhetoricas Demoſthenis, & Eſchinis laudare, & transferre de græco ſermone in latinum, quam quidem rem ſibi difficilem, latinitati verò perutilem evidenter aſſeruit, hanc utilitatem indubitanter oratoribus, & H rhetoribus intendens, vel ſolis, vel maximè. Quantò igitur magis orationes ſpirituales, ac divinales, orationes virorum ſapientiſſimorum, atque ſanctiſſimorum, quas de ipſo fonte Spiritus Sancti hauſerunt, nobis exquirendæ ad imitandum ſunt? Verùm quoniàm profundiſſimæ ſunt, & interdùm difficilis intellectus, ponam tibi breves, ac lucidiſſimas, omnique oranti intelligentiſſimas, orationes, & dicam ſic; Domine miſericordiæ, fac me tibi *Oratio.*
ſervum in omnibus acceptabilem, ſervum tibi per omnia placentem. Aufer à me radicitùs, & ex toto, quæcunque bonitati tuæ diſplicent in me, & largire mihi dona gratiarum, atque virtutum, quibus tibi & totus, & tecum vivam, videlicet ad regulam rectiſſimæ, optimæque bonitatis tuæ. Averte faciem tuam, & oculos ſanctiſſimos tuos à tot. & tantis vitiis meis & peccatis. Reſpice in me ſolùm id quod tuum

Digitized by Google

tuum eſt, videlicet quòd in me tu ſolus feciſti, & ne A reſpexeris ad ea, quæ ego in me feci, quoniam quod in me tu ſolus pulchrum, & bonum feceras, deformavi horribiliter, deturpavi abominabiliter, inquinavi execrabiliter, perverti odibiliter, injurioſè, & contumelioſè, ultra quàm cogitare ſufficiam, & hoc adverſum te. Largire obſecro mihi tanto peccatori veniam omnium culparum, quas commiſi, omniumque pœnarum, quas merui. Da gratiæ tuæ eam mihi integritatem, & plenitudinem, per quam tibi per omnia acceptabiliter, & placitè vivam hîc & poſt hanc vitam ereptus per te de omnibus anguſtiis, & preſſuris, & liberatus ab omni

Nota. ſervitute corruptionis, beatus, & glorioſus tecum perenniter cum electis, & dilectis tuis regnem. Contere, & contribula in me, & prorſùs extermina à me, quicquid vel ex originali corruptione, vel abuſu donorum, & beneficiorum tuorum, mihi turpiter, & malè appoſui. Subverte fundiùs quicquid in me mali ædificatum conſpicis. Avelle à me omnem plantationem diabolicam, & omne quod ex originali corruptione, vel malitia in me ſuccrevit. Lava, & munda me totaliter ab omnibus inquinamentis carnis & ſpiritus. Reforma in me imaginem, & ſimilitudinem tuam. Reſtitue me etiam naturali pulchritudini, & rectitudini. Redde mihi etiam gratuitam ſpecioſitatem, qua me in ſanctificatione baptiſmali decoraſti. Redde mihi etiam & primam ſtolam, veſtem polimitam ſpiritualem, ex omnium videlicet virtutum, & gratiarum pulcherrima varietate contextam, qua ibidem me veſtiſti, & ornaſti inſtar ſponſæ preparatæ & ornatæ tanto, ac tali ſponſo, quantus, & qualis tu es, videlicet Rex Regum, & dominus dominantium. Ille fuit cultus, & ornatus regius, quo me præparaſti in ipſa unctione, conſecratione, & coronatione mea, quæ factæ ſunt mihi in ipſa ſanctificatione baptiſmali; ibi enim me filium adoptionis, & gratiæ tuæ feciſti, & propter hoc regem, & hæredem regni tui, ibi me in regem unxiſti, ac coronaſti. Hac præclara hæreditate ſpreta, hoc præclaro regno contempto hoc tanto, tamque deſiderabili honore abjecto, inſtar viliſſimi ribaldi, tam pretioſis, tamque ſpecioſis veſtimentis, & ornamentis nudatus, poſt diabolum nudus ad infernale patibulum currere non expavi. Ipſe ſiquidem Dux eſt, & Rex hujuſmodi ribaldorum, & propter hoc viliſſimus, & abjectiſſimus factus ſum. Reſtitue me obſecro ad hanc tam ſublimem gratiam adoptionis, & filiationis tuæ; & inſtar nobilis hæreditatis tuæ atque ad honorem iſtum regium. Reſtitue me nobiliſſimæ ſervituti tuæ, ut tota vita

Nota. mea tota converſatio mea, ſit ſolum ſervitium tuum. Totum me vendica tibi, totum me recupera, & poſſide ſolus, ſicut totus tuus ſum jure pleniſſimo, ac ſingulariſſimo omni cogitatu de te, omni memoria bonitatis tuæ, omni auditu cujuſcunque ex ſanctiſſimis nominationibus tuis, totus ſemper irradier, totus ſemper vivificer totuſque ſemper inflammer amore tuo ſanctiſſimo, atque vivifico, totus ſemper rapiar ad te, totus ſemper abſtrahar ab omnibus aliis, totus ferar in te, totus conglutiner tibi, & uniar unitione puriſſimi, rectiſſimi, tibique placidiſſimi amoris. Nomen tuum ſacratiſſimum, nomen tuum benedictum, nomen tuum glorioſum ſit ſemper oleum effuſum in corde meo, totum ſemper penetrans, ſemper perungens, totum me ſanans, totum me ſanctificans, totum me rapiens ad te, & in te. In luminoſitate vivifica ſapientiæ tuæ me totum conſtitue & inceſſanter conſerva ad cognoſcendum, & recognoſcendum te unum verum Deum, ac dominum omnium ſæculorum, unum ſolum, ac verum autorem, unum ſolum, ac verum effectorem, unum ſolum, ac verum largitorem largiſſimum, ac benigniſſimum omnium bonorum, & ad cognoſcendum, & recognoſcendum, dignis benedictionibus, dignis gratiarum actionibus dignis collaudationibus, dignis glorificationibus immenſitatem incogitabilis largitatis, & beneficentiæ tuæ infatigabili continuatione, in me licet tam ingratum, tamque malum ſemper profuſiſſimam: necnon ad cognoſcenda, atque recogitanda mala mea, quæ ſemper reddidi tot, & tantis, divitiis bonitatis tuæ, tot, & tantis, magnalibus pietatis, & dulcedinis tuæ, & quod eſt majoris inſaniæ, reddere nondùm ex toto ceſſo. Cognoſcere inquam, & recognoſcere tot, & tanta mala mea, quæ facio, quæ feci, quæ merui, & quæ me expectât, niſi me omnipotentiſſima, benigniſſima, dulciſſimaque miſericordia tua liberaverit, atque ſanaverit. Da inquam largiſſime miſerator ita cognoſcere, & recognoſcere mihi debitæ pœnitudini dolores.

B Da mihi benedicte domine gratiam veræ, ac tibi placitæ compunctionis per quam diſpliceam mihi in cunctis ingratitudinibus, abominationibus, iniquitatibus, & injuſtitiis meis, erubeſcam, atque confundar, inſpectu ſanctæ, & venerandæ majeſtatis tuæ confuſione adducente mihi gratiam tuam, & gloriam. Da mihi gratiam interne, ac veræ pœnitudinis per quam ex totis intimis me s recedam ab omnibus, quæ diſplicent bonitati tuæ, & revertar ad te dominum Deũ meum, adhæreamque tibi domino Deo meo ex totis intimis meis, cui adhærere eſt vita mea, ſalus mea, gaudiũ meum totum, & ſolum bonũ meum. Da mihi in conſpectu ſanctæ & glorioſæ majeſtatis tuæ ſemper apparere ſemper loqui & ſemper cogitare de te, in timore & tremore, in dolore, & pudore, in ira magna, & indignatione ad- *Nota.*

C verſus memetipſũ ſuper cunctis ingratitudinib⁹ & aliis vitiis meis, & peccatis. In fide tua ſaluberrima inceſſanter me illumina vivifica, ſanctifica, robora, & adauge. Timore tuo ſanctiſſimo, atque puriſſimo me inceſſanter ſanctifica, purifica cuſtodi, & conſerva, & longè fac ab omnibus inquinamentis carnis, & ſpiritus. Fac declinare per ipſam ſemper, & fugere omnia contagia diabolica, & omninò omnia, quæ diſplicent bonitati tuæ. Spe tua ſaluberrima, ac jocundiſſima me inceſſanter conforta, & conſolare me inceſſanter, erige, & ſubleva ad te, me inceſſanter lætifica de te, me inceſſanter firmari in te faciens, me inniti totaliter & ſingulariter miſericordiæ tuæ magnæ. Da mihi de te ſemper lucifluos cogitatus, ac flammeos, totum me ſemper ſplendificantes, totum in te exhilarantes, totum me in te rapientes, totum me conglutinantes, & unice tibi unione puriſſimi rectiſſimi, tibique placidiſſimi amoris. Deſiderabiliſſimũ, ac glorioſiſſimũ adventum tuum fac me expectare, in quo omnis iniqui-

D tas oppilabit os ſuum, palam ac luculentiſſimè omnium oculis apparentem, omnipotentiſſimæ dominationis tuæ gloriam magnificentiſſimam, ac ſupereminentiſſimam, juſtiſſimum, ac tremendum judicium tuum, in quo evidenter videbitur juſtitiæ tuæ admirabilis, ac jocundiſſima pulchritudo, per vindictas juſtiſſimas quas daturus es in contumaces, & rebelles, qui charitatem veritatis tuæ recipere noluerunt, necnon & in omnes veraces, & probos magnificas promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, & incogitabilis fœlicitatis tuæ gaudia, & præmia, quæ daturus es dilectis & electis tuis, hæc inquam omnia fac me expectare expectatione ſecura, firma, & jocunda, ſpem meam, totius vitæ meæ anchoram figere in miſericordia tua magna, fixione firmiſſima, ita ut nulla procella tentationis me unquàm inde amoveat, vel abrum-

Digitized by Google

pat. Me totum fac pendere ad reditum tuum, ſicut *Oſeæ 11.* dixiſti per prophetam: Quia populus meus pendebit ad reditum tuum. Omnia deſideria mea dirige, erige, & collige ad te totum. Cor meum aggrega, & conſtitue in ſanctitate juſtitiæ tuæ. Totum cor meum abſtrahe, & abrumpe ab omnibus, quæ diſplicent bonitati tuæ. Totum aggrega ad te, & à *Nota.* diſperſione ſua rape ad te, totum fige in te fixione incorruptibili. Et ut ad unum dicam, da mihi plenam veniam, & integram omnium culparum, mearum, atque pœnarum, quæ mihi pro his juſtiſſimo ſemper, & laudando judicio tuo reddi meritò poſſunt. Da mihi & gratiam tuam, & conſerva eam mihi, ut in illa me inveniat dies & hora exitus mei ex hoc mundo, per quam gratus, & acceptus tibi per omnia ante conſpectum gloriæ tuę gaudens veniam & ſecurus. Da mihi tunc ſalutem cum dilectis, & electis tuis à te ipſo promiſſam, & præparatam.

CAPUT XVII.

Confirmatio petitionis.

POſt hæc aggrediar confirmationem partis ipſius orantis, & dicam ea per quæ confirmetur vis exauditionis eidem in petitionibus, quas prædixi. Dicam igitur: Domine miſericordiæ, non eſt alicui fidelium tuorum dubium, quin placeant tibi orationes, & deprecationes humilium, & manſuetorum. Sic docuiſti ſanctam illam mulierem Judith, quæ loquens ad te dicebat: Domine tibi ſemper manſuetorum, & humilium placuit oratio, & deprecatio. Sed etiam à peccatoribus exorari voluiſti qui oblationes, & ſacrificia eiſdem pro peccatis impoſuiſti. Illa etiam oratione, in qua tu docuiſti ut dicatur tibi: Dimitte nobis debita noſtra, *Matt. 6.* &c. qui ſunt, qui petunt ſibi dimitti debita ſua, niſi *Luc. 11.* debitores? Et qui ſunt debitores, niſi peccatores? cùm peccata debita eſſe dubitari nõ poſſit. Ampliùs. Ille qui clamat ad te ſicut tu ipſe narraſti per Lucam Evangeliſtam, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, quid erat niſi peccator? Et per hanc orationem (te ipſo teſte) deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Ampliùs. In Evangelio Matthæi tu ipſe dixiſti: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniàm rogaſti me. Valent igitur orationes peccatorũ apud miſericordiam tuam, alioquin non ſolùm illuſoriè, ſed etiam perniciosè præcepiſſes eis ut orarent te. Si ſummus ille pontifex præcepiſſet alicui dicẽs: Hoc pete à me, & dictaret ei petitionem ſuam, & ipſe præciperet ei, dicens: Hanc porrige mihi, ſi porrectam exaudire nollet, nunquid non illuſor, & deceptor à petente meritò reputari poſſet? Quia autem tu veritas es, in qua in ultimitate elongationis lõgè eſt non ſolùm omnis illuſio, atque deceptio, ſed etiã quicquid falſitatis eſt, atque mendacij: Tu inquã domine ore tuo ſacratiſſimo docuiſti nos, quid peteremus in oratione illa tua benedicta, quę incipit: *Matt. 6.* Pater noſter, tu dictaſti, & formaſti nobis petitionẽ illam, ſeu orationem, tu ipſe præcepiſti, ut illam porrigamus tibi, vel patri, cujus tu unigenitus es. Non enim refert an tibi vel illi porrigatur. Neceſſe igitur habes exaudire offerentes eam tibi, alioquin nõ ſolùm illuſoriè (ut prædixi) ſed etiam perniciosè hoc præcepiſſes? Ampliùs. Nunquid hæc eſt voluntas tua de me ut convertar & vivam, & ego hoc accepto à te. Igitur peto id ipſum, quod eſt voluntas tua; *Nota.* quomodò potes mihi hoc denegare quod ipſemet vis ut fiat? Ampliùs. Totum quod hîc peto, ſanctificatio mea eſt, & hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio

E noſtra, ut tu ipſe dixiſti per Apoſtolũ tuum ad Theſſalonicenſes quarto. An potes hoc denegare mihi, videlicet, ut voluntatem Dei in me, & de me non facias? Ampliùs. Tu ipſemet dixiſti per Salomonẽ in Proverbijs: Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominũ. Et ego hoc ſolum peto à te, ut ſis mecum per ſocietatem perfectã. A te igitur peto idipſum, quod tu dicis delitias tuas eſſe. Ampliùs à te peto quod te præſtare maximè delectat. Nihil enim placet magis tibi facere in nobis, quàm ipſam ſanctificationem. Quod inde evidenter apparet, quia ipſa paſſio, & mors tua tibi placuit propter ſanctificationem noſtram, quapropter magis tibi placet ipſa ſanctificatio noſtra. Placuit autẽ tibi paſſio & mors tua euſque, ut dies paſſionis & mortis tuæ dies lętitiæ cordis tui in ipſa ſacra ſcriptura vocatus ſit: In die inquam deſponſationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus. Ampliùs. *Cant. 3.* Placuit tibi creatio, & formatio mea, & non placuit tibi niſi quia bona; quia ergo incomparabiliter melior eſt iſta reformatio mea, quæ non eſt niſi juſtificatio, & ſanctificatio mea incomparabiliter tibi magis placet reformatio iſta ſanctificationis meæ, quàm placuerit tibi ipſa formatio. Quia igitur illam non rogatus, feciſti gratuita ſola bonitate tua, fac F & iſtam reformationem tuam ſuperabũdantiſſima pietate, bonitate & dulcedine tua rogatus. Tu enim ſcis domine miſericordiæ, quia in malum meum natus ſum, & iſtam formationem non feciſti niſi propter iſtam reformationem. Iſta igitur ſunt, quæ confirmant partem meam coram te, & quæ firmant ſpẽ meam in te. Addo autem ad confirmationem cauſæ meæ, & partis, preces, & ſupplicationes omnium civium cœleſtium, & ſingulorum, de quibus certum eſt unicuique fidelium quòd nullus eorum unquàm apud te repulſam patitur, ſed & mihi certũ eſt, quia preces eorum, & ſupplicationes paratiſſimæ ſunt in adjutorium meum apud te. Quod inde mihi certiſſimum eſt, quia ego, qui vix ſtillam permodicam pietatis habeo nulli poſſum denegare preces meas apud miſericordiam tuam, cui ſcirem illas profuturas. Quantò magis igitur unuſquiſque eorum, qui tanta charitate tua ardentes, tanta pietate toti G defluunt mihi denegare preces ſuas, & ſupplicationes non poterit? qui vident tantas miſerias meas, & paupertates & qui ignorare non poſſunt quin exaudiantur & quin mihi veniam, gratiam, & gloriam etiam impetrent. Quia igitur omnes, & ſingulos invoco, omnibus, & ſingulis ſupplico, ut pro me intercedant, apud miſericordiam tuam orent pro me. Quia igitur non decet gloriam magnificentiæ tuæ tot, & tantorum preces repellere tot inquam, & tantos, tamque venerabiles, tamque tibi charos interceſſores habendo neceſſe eſt te miſerere mihi, & tribuere, quod mecum ipſi petunt pro me, alioquin quis unquàm præſumere deberet orare te? Quis ſperare deberet à te gratiam exauditionis, ſi tot, & tanti oratores apud te gratiam non invenirent? Ampliùs per ora H prophetarum tuorum multoties annunciatum eſt alijs peccatoribus: Clamaverunt juſti, & dominus exaudivit eos, & iterùm: Orationes juſtorum exaudiet dominus, & multa alia hujuſmodi; cives autem omnes civitatis tuæ cœleſtis non ſolùm juſti ſed etiam juſtiſſimi ſunt: *Prov. 15.* impoſſibile eſt igitur orationes eorum apud te non exaudiri. Quòd ſi fortaſſe mihi dicere volueris, quia pro ſe ipſis petentes ſemper exaudiuntur juſti, non autem pro alijs: Hæc veritas domine miſericordiæ non patitur, qui ad preces Moyſi dimiſiſti peccatum idolatriæ populo Iſraël. Dixiſti enim ipſi Moyſi oranti pro populo illo: Ecce dimiſi eis juxta verbum tuum. Ip-

Digitized by Google

ſos etiam ſacerdotes veteris legis ad placandum te, & orandum pro populo illo conſtituiſti. In novo etiam teſtamento, ubi te proteuſiorem, atque profuſiorem incomparabiliter tribuiſti, & oſtendiſti, tam crebrò nos orare & docuiſti, & præcepiſti, non ſolum pro amicis, & benefactoribus, ſed etiam pro inimicis, & perſequentibus. Quod nec fruſtra facere voluiſti, fruſtra namque oraremus pro illis quantùm ad ipſos, ſi nos exaudire non velles pro eiſdem. Ampliùs. Aut oratio eſt alicuius gratiæ, & meriti

Nota. apud te, aut non? Eſt utique incognabilis, & gratiæ & meriti apud te. Et quia nec meritoria, nec gratioſa unquàm eſt apud te, niſi propter gratioſitatem, & meritum radicis, ex qua eſt, videlicet charitatis, & pietatis, quia igitur ex eadem charitate, & pietate fiunt orationes ad te à quibuſcunque juſtis fiant pro ſe, & aliis, neceſſe eſt, ut ejuſdem gratiæ, & meriti ſint apud te. Æquè ergo digni ſunt viri ſancti exaudiri apud te pro aliis, ut pro ſe. Sicut igitur pro ſe preces eorum apud te impoſſibile eſt eſſe vacuas, ſic & preces eorum pro aliis, quare & pro me. Potuerunt-ne eſſe vacuæ à fructu exauditionis preces incliti martyris Stephani, quas fundebat coram te pro lapidantibus ipſum? Abſit hoc ab immenſitate miſericordiæ tuæ, ut tantæ pietatis, & charitatis preces repuleris, & vacuas eſſe permiſeris. Quod proculdubiò te revelante cognovit ſanctus confeſſor tuus, & Pontifex Auguſtinus, qui Paulum precibus illius converſum fuiſſe teſtatur, & à te tam magnificè viſitatum. Scio domine miſericordiæ multos ex peccatoribus impedire, & quantùm ad ſe orationes ſanctorum evacuare, quod eſt dicere eas impedire, quominùs eis proſint, & hoc contumacia & rebellione, qua rebelles ſunt tuo lumini. Quapropter interdùm prohibes ſanctos tuos orare pro talibus, ſicut quondàm Hieremiam prohibuiſti, dicens ad eum. Noli orare pro populo hoc, nec aſſumes pro eis laudem & orationem, quoniàm non exaudiam te. De his mihi videntur eſſe non immeritò qui ſanctos ipſos perſequuntur, aſpernantur, & orationes ipſorum deſpiciunt, auxiliumque tuum nec ſperant, nec quærunt, nec curant, nec etiam volunt nec vellent, ut pro eis præcarentur. Et iſti ſunt qui peccant in Spiritum Sanctum, & Spiritus blaſphemiæ eouſque ſubvertit eos, atque pervertit, ut etiam ipſam gratiam tuam, & omne auxilium, quod eis impetrari, vel procurari poſſet, oderint & dete-

Nota. ſtentur. Ego autem domine miſericordiæ per gratiam tuam longè factus ſum à tantis, tamque execrabilibus impietatibus, diligo enim, & veneror ſanctos tuos, & benè ſentio, atque confido de meritis, & precibus eorum apud miſericordiam tuam, deſidero enim, & peto adjuvari meritis, & precibus ipſorum apud miſericordiam tuam. Et hæc omnia magnæ benedictiones dulcedinis tuæ ſunt, in quibus prævenisti me indebita largitione dulcedinis gratiæ tuæ. Et propter hoc non immeritò ſpero de ſuffragiis. Scio enim, quòd honorari tibi placet in ipſis, & quia diligis venerationem eorum, atque remuneras. Quid enim dignius eſt remuneratione magnificentiæ tuæ, quàm veneratio ſanctorum, & electorum, & dilectorum tuorum? Quicquid enim eis obſequij, vel honoris propter te impenditur, non minus tibi impenditur, quàm ipſis; quapropter obſequium tuum & honor eſt omnis honor, & obſequium ipſorum, quapropter à te & remuneratione dignisſimum. Meritò igitur confidendum eſt, & electos, & dilectos tuos, delectari de veneratione, & remuneratione hujuſmodi. Qui ergo non parum eos honorant, qui eos invocant in auxilium ſuum apud miſericordiam tuam, neceſſe eſt, ut invocatio hujuſmodi proſit eis apud illam. Magnificè nam-

A que de gloria eorum ſentiunt, qui eos tantæ gratiæ apud te eſſe credunt, quòd ſuffragari peccatoribus poſſint. Ampliùs. Nota. Quæ vel quanta, vel qualis eſſet miſericordia tua, ſi electi, & dilecti tui, & peccatorum reconciliationem, & reorum, atque damnandorum abſolutionem apud illam impetrare non poſſent? Quis enim tyrannus in hominibus eſt adeò ſævus, ut hæc amici ejus apud ipſum non poſſint? Nondùm enim audita eſt adhuc ea ſævitia in crudeliſſimis hominibus, quam amicorum gratia, & interpellatio in aliquam partem clementiæ flectere non potuerit. Quàm magnificè igitur, quàmque ſuperabundanter ſentiendum eſt, atque ſperandum de immenſitate miſericordiæ tuæ peccatoribus, & de gratia, vel de gratioſitate dilectorum, & electorum tuorum coram te, ſive apud te, ut nihil omninò unquàm eis deneges, quod tibi dare deceat? Et ex hoc ſimiliter arguo, quòd & ipſi precibus pecca-

B torum ſupplicantium eis aures miſericordiæ ſuæ nunquàm claudunt, alioquin longè minor eſſet & charitas, & pietas eorum, in ſupereminentia illa, & gloria patriæ, quàm eſſet (ne dicam ſanctorum, & juſtorum in via præſentis miſeriæ) immò etiam quàm ſæviſſimorum tyrannorum quantumcunque modica benignitas.

CAPUT XVIII.

Petitio interceſſione beatæ Mariæ virginis.

ADibo te immò etiam conveniam, glorioſiſſima Dei genitrix quam matrem miſericordiæ, & reginam pietatis vocat, immò clamitat omnis Eccleſia ſanctorum. An poteris denegare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam apud benedi-

C ctum, ac ſemper, & ubique benedicendum Deum, ac dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum? Tu inquam, cujus gratioſitas nunquàm repulſam patitur. Cujus miſericordia nulli unquàm defuit. Cujus benigniſſima humilitas nullum unquàm deprecantem, quantumcunque peccatorem deſpexit. Veriſſimè namque de te dixit devotiſſimus ille, & laudum tuarum præco mirabilis ſanctus Bernardus Clarevallenſis, inquiens: Sileat miſericordiam tuam virgo beata, qui te invocatam ſibi unquàm in neceſsitatibus ſuis meminerit defuiſſe. Totum ſiquidem quod habes gratiæ, totum quod habes gloriæ, & etiam hoc ipſum, quod es mater Dei, ſi fas eſt dicere, peccatoribus debes. Omnia enim hæc propter peccatores tibi collata ſunt. Cui igitur dubium eſſe poteſt per hoc, quin preces tuas, quantæcunque neceſſariæ eſſe poſſunt, peccatoribus illas

D debeas. Non denegabis ergo mihi quod debes, quin potiùs ſuperaddes, majora mihi impendens, quàm debeas. Et intendo, quòd majori inſtantia, ac devotione orabis pro me, quàm ego auderem petere, & majora etiam impetrabis mihi, quàm petere præſumam. An poſſet hoc pati pietas illa, & dulcedo tua, quæ nulli unquàm defuit, ut denegares mihi in tanta neceſsitate auxilium, & tam miſerabili, tamque periclitanti cauſæ meæ miſericordiæ tuæ patrocinium? An falsò, & inaniter vocat te omnis Eccleſia ſanctorum advocatam ſuam, & miſerorum refugium? Abſit hoc à matre Dei, quæ fontem pietatis toti mundo peperit, ut cuiquam miſerorum ſuæ miſericordiæ ſubventionem unquàm deneget. Innumeris exemplis magnificorum operum miſericordiæ tuæ, quæ operata es erga peccatores miſerrimos, docuiſti nos, & perſuaſiſti de tua miſericordia confidere, de tua pietate ſperare, & in omnibus neceſsitatibus noſtris ſub alis tuæ protectionis fiducialiter confugere. An eſt miſericordiæ tuæ oneroſa multi-

Digitized by Google

tudo ad te clamantium? An eſt aliquatenùs difficilis gratioſitati tuæ impetratio vel veniæ, vel gratiæ quantæcunque? Scio domina miſericordiæ, quia nihil horum eſt apud te, quin potiùs gaudium eſt tibi ſuffragari miſeris, & revocare gratioſiſſimis, ac ſemper efficaciſsimis precibus tuis periclitantes, & etiam periclitatos à perditione, & perditionis periculis. Tu enim dulciſsima Dei mater ſuper omnes Angelos, & homines noſti quantùm placeat benedicto filio tuo ſalus noſtra, quàm prona, quámque prompta ſit miſericordia ejus ad ſalvandum nos. Noſti etiam quanta gloria ſit ei ſalvare perditos, hæc enim eſt gloria ſuper alias. Et inde eſt illi collaudatio, benedictio, & gratiarũ actio, atque collaudatio ſuper omnia alia bona, quæ facit, vel fecit, vel factus eſt, nec mirum, cùm miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus ſit. Ex his enim operibus maximè innoteſcit prælarga, ac magnificentiſsima bonitas ipſius. Quia ergo ſuper omnes homines. & Angelos diligis gloriam benedicti filij tui, quæ indubitanter maxima eſt ei ex ſalvatione perditorũ, maximè placet tibi procurare illam. Hoc autem eſt impetrare peccantibus gratiam ipſius his, qui vitiis, & peccatis ſuis offenſi ſunt illi, quare reconciliatio peccatorum eſt maximè grata, & placida. Dum ergo te exoro, ut me miſericordiſsimo filio tuo reconcilies, hoc proculdubiò à te peto, quod maximè gratum, atque placitum tibi certiſsimè ſcio. Non potes igitur mihi denegare, quod peto. Si enim mihi denegares, quod tibi placitiſsimum, atque gratiſsimum eſt, quid poſſet ſperari unquàm à te. vel ſuper quo unquàm exoranda eſſes Domina mea dulciſsima? Ampliùs Quia diſplicent tibi vitia mea, & peccata quæ ſunt offenſiones meæ graviſsimæ, quibus offendi chariſsimũ, ac benedictum filium tuum, placet igitur tibi contrarium eorum, ideſt exterminatio. Quis autem dubitet reconciliationem meam ad ipſum contrariã eſſe offenſionibus meis, quibus illum offendi, & etiã exterminationem eſſe, atque deſtructionem illarum? Placet igitur tibi reconciliatio mea ad benedictum filium tuum, procura igitur illam, & impetra. Ampliùs. Omnis Eccleſia ſanctorum vocat te mediatricem hominum ad Deum, & hoc nec falsè, nec vanè. Officium ergo tuum eſt mediam te interponere inter ipſum, & homines, non mediam quidem diviſionis, ſed potiùs reconciliationis. Quid autem à te meliùs peti poteſt, quàm ut impleas officium tuum? Quid denique matri dignius, quàm gloriam filij adaugere, & ad ipſum, propter quod mater Dei es, totis ſtudiis, ac viribus intendere? quia in hoc, & ad hoc mater Dei effecta es, in quo, & ad quod ipſe verus Deus, & homo, filius tuus effectus eſt, hoc autem non niſi propter reconciliationem mundi ad ipſum. Siquidem Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians. Et ut ad unum dicatur, venit filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat, ſicut ipſemet dixit, & item Apoſtolus: Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia venit Jeſus Chriſtus in hunc mundum ſalvos facere peccatores. Juſtiſsimum igitur, & digniſsimum eſt, ut tu dulciſſima Dei mater in hoc ipſum ſtudioſè, ac vigilanter intendas unde, & propter quod tibi tantus honor accrevit, & gloria, ut Dei mater ſis, reginaque mũdi, & domina. Hoc autem nullus fidelium ignorat eſſe reconciliationem, & ſalutem peccatorum. In hoc igitur intendat pietas, & dulcedo tua, devotiſſimis, gratiſsimis, & ſemper efficaciſsimis precibus, & ſupplicationibus tuis. Fruſtra namque clamabimus ad ipſum te tacente, quoniàm voces noſtræ nullæ erunt coram eo, vel apud ipſum, ſi tuæ nobis defuerint, immò ſi tuis adjutæ non fuerint. Moveat ergo te glorioſa Dei mater benigniſsima miſericordia tua, quæ major incogitabiliter eſt omnibus vitiis meis & peccatis. Abſit à te dulciſsima Dei mater, ut plùs poſsint apud te contra me vitia mea, & peccata, quam poſsit miſericordia tua pro me. Abſit, ut clamor eorum, quæ implacabiliter ſemper odiſti, prævaleat clamori meo & obſtruat aures miſericordiæ tuæ. Abſit, ut omnia mala mea, licet tot & tanta ſint, poſsint obſtruere os ſacratiſsimum tuum, & labia tua, in quibus tanta gratia infuſa eſt, & compeſcere, vel prohibere ne loquantur pro me. Abſit, ut poſsint ſuſpendere te à tam ſalubri officio pietatis tuæ, quo & advocata es, & mediatrix hominum, poſt filium tuum ſpes unica, & refugium tutiſsimũ miſerorum. Et ne allegaveris injuſtitiam, qua indigniſsimum me confiteor omni auxilio pietatis tuæ, & omni reſpectione miſericordiæ tuæ. Non enim fas eſt, ut alleges pro juſtitia contra me, vel contra quemcunque alium, hoc enim eſſet ſtare te pro juſtitia contra miſericordiam, cui certiſsimum eſt, & totum quo polles gratiæ, & totum quo fulges gloriæ, & illud præcellentiſsimum omnium, videlicet quod eſt mater Dei, te debere. Abſit à te igitur piiſſima Dei mater, ut vel in modico vel ſtes, vel alleges, non enim hoc debes juſtitiæ, ut ullo modo tum obſiſtas, vel miſericordiæ benedicti filij tui, ex qua ſunt tibi quibuſcunque prædita es, bona, vel miſericordiæ propriæ tuæ, videlicet quæ ſuper omnia bona tua alia glorificatur. Hęc enim eſt, per quam maximè matrem Dei te eſſe demonſtras & potiſsimùm peccatoribus, & miſeris, qui per veniam, & gloriam, quas eis impetras, inceſſanter matrem Dei te eſſe cognoſcunt evidenter. Nulla enim creatura & tot, & tanta, & talia impetrare poſſet apud benedictum filium tuum miſeris, quanta tu apud ipſum impetras eiſdem. In quo proculdubiò non tanquàm ancillam ſuam quę indubitanter es, ſed tanquàm matrem veriſſimam te honorat. Ampliùs. Aliis matribus aſſimilari debent filij, te autem glorioſa Domina decet aſſimilari benedicto filio tuo, & potiſſimùm in ea virtute, per quam ſe fecit filium tuũ, & te matrem ſuam. Hæc autem eſt miſericordia, & propter hoc in miſericordia es eidem ſimillima. Neceſſe igitur eſt, ut totam te poſſideat miſericordia, & propter hoc nihil potes contra illam etiam de juſtitia, ne ſteteris igitur pro juſtitia contra illam. Et propter hoc ne allegaveris illam contra me, qui ſoli miſericordiæ tuæ poſt filium tuum innitor, ſpemque meam poſt illum totaliter in ipſa poſui, atque fixi. Ne allegaveris dulciſſima Dei mater peccata mea contra me, qui miſericordiã tuam allego contra ea. Abſit, ut ſtent in judicio peccata mea contra miſericordiam tuam, quæ omnibus vitiis & peccatis ſuper omnem cogitatum fortior eſt, atque potentior. Abſit, ut reminiſcaris ipſorum, de qua ſervus tuus ille devotiſſimus, ſcilicet beatus Auguſtinus, de ſe loquens dixit: Quia quoties de peccatis agitur, nullam inquit prorsùs de intemerata Dei genitrice volo fieri mentionem. Abſit, ut peccata mea, vel alia, audaciam habeant apud te, quæ ad hoc, & propter hoc mater Dei effecta es, ut peccata tollerentur, & exterminarentur. Averte igitur aures miſericordiæ tuæ à clamore ipſorum, & inclina eas ad clamorem meum. Abſit à peccatis meis iſta poteſtas, videlicet, ut aures miſericordiæ tuæ avertere poſſint à clamore meo, vel obſtruere eas contra illum. Abſit ab eis, ut eouſque poſſint officium miſericordiæ tuæ, quod eſt miſereri, prohibere contra me, vel aliquatenùs retardare. Abſit, ut officium filio tuo placitum, & toti mundo tam ſalutare, tam neceſſarium ſuſpendere ullo modo poſſint.

Nota. — Lucæ 19. — 1. Tim. 1. — Nota. — Nota.

CAPUT

CAPUT XIX.

Convertat ſe iterùm peccator ad patrocinium Ieſu Chriſti ſupplicans, ut allegat pro ipſo.

NOviſſimè ad te refugio, & recurro domine mi Jeſu Chriſte, qui primus es, & præ omnibus primatum tenes in benignitate, & miſericordia, primus inquam, & maximus incomparabiliter, & incogitabiliter ſuper omnes, qui in circuitu tuo ſunt, ſuper omnes videlicet exercitus pulcherrimarum, ſublimiumque militiarum tuarum, & ſuper omnia ſanctorum millia. Quamquàm enim, & charitate inæſtimabiliter omnes ardeant, & pietate incogitabiliter defluant, nec ſcintilla tamen eſt omnium illorum charitatis ardor ad caminum, ſeu fornacem immenſæ charitatis, qua tu ardes in nos, nec ſtilla permodica ad abyſſalem illam pietatis tuæ dulcedinem, quam oſtendis, & exhibes ſe convertentibus, B & revertentibus ad te. Quis enim admirari, vel etiã cogitare ſufficiat immenſitatem miſericordiæ tuæ, qua homo pro peccatoribus factus es, morique pro eis, ac pro latrociniis eorum ſuſpendi dignatus es? & ut ad unum dicam, ſervus per omnia miſericordiæ factus es, & venale mancipium. Ut enim vulgò dicitur, cùm plenam quis dominationem in aliquo vult oſtendere, dicit indubitanter meus eſt ad ſuſpendendum, ad dilacerandum, & ad vendendum? ſic domine miſericordiæ, miſericordia tua dominatione pleniſſima te poſſedit, & adhuc poſſidet. Viſa eſt namque hac ſervitute tua nobiliſsima, & hac dominatione pleniſsima in te, & hoc in ipſa piiſsima, ſacratiſsimaque paſsione, & morte tua. Hæc enim eſt, quæ in cruce ſuſpendit te & illi patibulo te affixit. Quæ eſt poteſtas, quæ tibi mortem intulit, niſi C miſericordia tua? Si enim totus mundus ferrum eſſet, & inde catenæ, & vincula fabricatæ eſſent, minimum capillum capitis tui, vel pilum alium ligare, vel tenere non poſſet. Cui igitur tanta virtus, tantaque potentia, videlicet ligandi, tenendi, crucifigendi, occidendi attribuenda eſt, niſi benigniſsimæ miſericordiæ tuæ? per quam ſolam hæc omnia pati pro nobis dignatus es, & charitati illi, quam nimiã

Ephes. 2. vocat Apoſtolus, quæ ſic te nobis alligaverat, & aſtrinxerat, ut hæc omnia pati pro nobis potiùs velles, quàm nos infernali patibulo, & morti æternæ, gehennalibuſque tormentis juſtiſsimè cruciandos derelinquere. Per iſtos igitur uſus manifeſtum eſt miſericordiam tuam in poſſeſsione tua eſſe omnimodę ſervitutis. Et quoniàm jure ſuo quis injuſtè privari non poteſt à te, dico, quoniàm pleniſsimè poſſidet te. Et propter hoc eiſdem modis, & ad eadem D liceret eidem uti adhuc te, ſi opus eſſet. Veruntamen mors tua unica ſufficientiſſima fuit pro totius mundi peccatis propitiatio, & etiam incogitabiliter ſuperabundans, ſicut me tu ipſe docuiſti per gratiam tuam & miniſterio meo multos alios. Hoc enim de te teſtificatus eſt Apoſtolus tuus Paulus ex te, & per te, in Epiſtola ad Hebræos decimo. Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. Et quoniàm quæcunque pietas poſſidet, pauperum, ac miſerorum ſunt, neceſſe eſt etiam ex hac cauſa te eſſe noſtrum. Ampliùs Nunquid non dixit Iſaïas, ex te. & per te, de teipſo? Parvulus natus eſt nobis? Et Apoſtolus tuus Paulus ad Romanos octavo. Qui proprio filio ſuo non pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo nobis omnia donavit? Datus igitur es nobis & quoniàm dare eſt ſuum accipientis facere, noſter, ideſt, jus noſtrum, & poſſeſſio factus

Pſal. 66. es, Propter hoc per Spiritum tuum dicebat David: A Benedicat nos Deus Deus noſter. Hoc jus, & hanc poſſeſſionem inſinuando, addidit repetitionem hujus nominis Deus, per pronomen poſſeſſivum, quod eſt noſter; noſter autem factus es ad omnem uſum, & utilitatem noſtræ ſalutis. Datus enim es nobis in antidotum noſtræ ſalvationis, in ſacrificium noſtræ reconciliationis, in ſacramentum noſtræ ſanctificationis, in propugnatorem noſtræ defenſionis, in advocatum noſtræ allegationis, ſicut tu ipſe teſtatus es per Iſaiam dicens: Ego ſum qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum, loquendo juſtitiã in judicio, quod de nobis agitur, juſtitiam, inquam, non noſtram, ſed tuam. Advocatus noſter es, & propugnator es ad ſalvandum, & fuiſti nobis, ubi palàm triumphaſti in temetipſo principatus & poteſtates, in agone, videlicet, victorioſiſſimę paſſionis tuæ, ubi fortè diabolum viciſti, atque ligaſti. Datus es nobis, & in ſponſum noſtræ fœcundationis. Tuis enim mundiſſimis, ac caſtiſſimis amplexibus, tuoque B ſacratiſſimo oculo, qui ad omne bonum ſterileſceramus, ad omnem prolem gratiarum, donorum, & virtutum, atque ad omnem fructum bonorum operum, fœcundamur. Datus es nobis & in pretium noſtræ redemptionis, ſicut dixiſti per os tui Prophetæ: Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Datus es & in ſcutum noſtræ protectionis ſicut promiſiſti per os ipſius David dicens, Scuto circundabit te veritas ejus. Tu enim domine in circuitu populi tui ex hoc nunc, & uſque in ſæculum. Datus es nobis in coronam gloriæ, & ſertum exultationis populo tuę & hoc quidem finaliter, & in noviſſimo, datus es & in magiſtrum noſtræ eruditionis, ſicut tu ipſemet dixiſti in Evangelio: Unus eſt magiſter veſter Chriſtus. Datus es nobis & in ducem noſtræ remunerationis, ſicut dixit Iſaïas ex perſona patris clementiſſimi. Dedi eum ducem, ac præceptorem C gentibus. Datus es nobis & in lucem ſpiritualis, ac ſalutaris illuminationis, ſicut dictum eſt per eundẽ Iſaïam quadrageſimo quarto ab ipſo patre miſericordiarum: Dedi te in lucem gentium. Datus es nobis & in regem noſtræ gubernationis, ſicut tu ipſe dixiſti per os David de te ipſo in pſalmo. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum, prædicans præceptum ejus, Datus es nobis & in ſacerdotem, ſive in Pontificem, ſicut dictũ eſt ad te ab ipſo patre miſericordiarum? Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, ut ſis nobis omnibus, & ſingulis, in his quæ ſunt ad Deum, ut patet in omnibus ſacerdotalibus officiis, & pontificalibus. Datus es nobis & in cuſtodem contra omnes offenſiones inſidias, cæteraque univerſa pericula. Datus es nobis & in Salvatorem omnimodæ ſalvationis, ſicut promiſit Deus D pater per Prophetam: Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, &c. Recordare domine miſericordiæ, quia in tot, & tantos, tamque ſalutares uſus datus es nobis, & ad omnes illos noſter effectus; propter hoc confidenter peto in omnibus iſtis uſibus, ut utar te in ſalutem meam, & ut omnia officia iſta adimpleas & exequaris pro me. Adimple igitur officium advocati pro me allega cauſam meam. Aperi igitur os ſacratiſsimũm tuum, os benedictum, os gratiarum, & allega cum thymiamate ineffabilis ſuavitatis, ideſt gratioſiſsima interpellatione tua, totaque Sancti Spiritus apotheca ſemper fragantiſsima. Allega iſtud incogitabilis fragrantiæ incenſum, deprecare pro me. Te namque aperiente os illud benedictum tuum pro me, obmuteſcent omnes accuſatores, & adverſarij. Te præſtante patrocinium cauſæ meæ, quis conſurget ex adverſo? Te ſtante pro me, quis ſtabit adverſùm me? Te dante vocem gratiſsimam, & gratioſiſsimam in

Pſal. 110. *Pſal. 90.* *Mat. 23.* *Pſal. 2.* *Pſal. 109.* *Iſa. 19.*

conſpectu patris miſericordiarum, vocem inquam illam incomparabilem eloquiis Angelorum, an præbebit pater miſericordiarum aures ſuas accuſatoribus, & adverſariis meis, & avertet illas ab incogitabili placore, & ſuavitate vocis tuæ? Abſit hoc & ab immenſitate miſericordiæ ipſius, atque amoris inæſtimabilis, quo diligit te. Sed & qui vides juges offenſas meas, quibus jugiter offendi patrem miſericordiarum, placa eum mihi jugo illo placabiliſſimo, atque ſemper acceptiſſimo pretioſiſſimi, vivificique corporis, & ſanguinis tui ſacrificio, quo placaſti eum mundo in ara crucis, Agnus immaculatus, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, offerens temetipſum eidem in odorem ſuavitatis pro nobis, ubi pacificaſti per ſanguinem crucis tuæ ſive quę in cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Domine miſericordiæ quanta devotione, quantis gratiarum actionibus, quantis piarum lachrimarum profluviis rememoranda, ſemperque recogitanda ſunt tam ſtupenda, tamque longè à meritis noſtris beneficia? Ego autem miſerrimus, atque viliſſimus, arido, frigido, tenebroſiſſimoque corde, atque per omnia pauperrimo hæc in conſpectu miſericordię tuæ utcunque tamen recogito, dulciſsime redemptor, atque miſericordiſsime, Salvatorque benigniſſime. Domine Deus mi Jeſu Chriſte, qui non ſolùm cauſę noſtræ patrocinium, ſed etiam damnationis noſtræ judicium, pariterque ſupplicium, ſtupenda largitate pietatis, & dulcedinis tuæ, ſuſcepiſti, allega eam inceſſanter, qui vides accuſatores noſtros, & adverſarios non ceſſare ab accuſationibus noſtris die & nocte, qui vides quantam materiam accuſationũ eis dedimus; & ego in plures, atque graviores innumerabilibus aliis, in tot, & tantis vitiis, & peccatis cecidi, & quod ferè deterius eſt, hæc omnia ſtupido, & inſenſibili, ac per omnia temerato corde, & audivimus, & cogitavimus. Domine miſericordiæ pro iſtis ipſis delictis interpella, ne præſtent impedimentum miſerationi, quam peto. Domine miſericordiæ allega in cauſa mea juſtitiam & ſanctitatem tuam, qui vides meas nullas eſſe, & à parte mea nihil eſſe, quod allegari poſsit. Domine miſericordiæ hæc poteſt malignitas adverſariorum meorum, ut non ceſſent die, ac nocte ab accuſationibus meis: poſsit igitur hoc miſericordiſsima benignitas tua apud te pro me, ut non ceſſes à patrociniis & ſuffragationibus meis. Domine miſericordiſsime allega cauſam meam ſapientia tua, qui vides inſipientias, & ignorantias meas, & in orando, & in omnibus aliis quæ ago. Domine miſericordiæ allega eam gratioſitate tua, quæ per ſemetipſam ſolam ſufficit impetrare mihi, & omnibus aliis omnem veniam, omnem gratiam, omnem gloriam, & omne bonum aliud. Utraſque iſtas divitias, domine miſericordiæ fac me ſentire, ita videlicet, ut hæc omnia & tu mihi impetres, & eadem ipſe largiaris. Domine miſericordiæ non poſsint omnia mala mea, vitia, & peccata euſque contra me, ut non propter ea exequaris officium, quod incogitabili pietate ſuſcepiſti, hoc eſt autem officium patroni, & advocati. Non poſsint Domine miſericordiſsime euſque, ut vel ad punctum horæ ceſſare te faciant ab interpellando pro me, & ab allegatione cauſæ meæ, alioquin & inceſſanter, & irrevocabiliter in perditionem, & mortem æternam totus dilabor. Abſit, ut plùs poſsint contra me omnia mala mea apud te, quàm miſericordia tua pro me. Abſit, ut plùs poſsint obſtruere os benedictum, & ſanctiſsimum tuum, quominùs loquaris pro me. Abſit, ut poſsint ſuſpendere à patronali officio, quod pro peccatoribus ſuſcepiſti, ad cauſam illorum allegandam, & agendam coram patre miſeri-

E cordiarum. Abſit ut poſſint te ſuſpendere à ſacerdotali, vel pontificali officio quo & temetipſum obtuliſti hoſtiam in odorem ſuavitatis, & interpellare non ceſſes, ſicut Apoſtolus tuus de te loquens dixit: Qui paret vultui Dei pro nobis, & iterùm: Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Domine miſericordiæ tu ipſe ſcis, & teſtis es, quia ex modica illa ſcintilla dilectionis, quam habeo ad te, & ad omnes homines, & pro modica illa ſcintilla pietatis, quam dediſti in corde meo, quantacunque eſſent vitia, & peccata cujuſcunque, qui peteret à me, ut orarem pro illo, non poſſent obſtruere os meum in parte illa, nec ſuſpendere organum vocis meæ, quin orarem pro eo miſericordiam tuam: abſit igitur hoc ut poſſint peccata mea contra me apud te, cujus pietatis, & dulcedinis nec numerus eſt, nec menſura. Ampliùs. Non potuerunt omnia vitia, & peccata mea prohibere, vel avertere, quominùs in mortem te traderes pro eis omni-
F bus propitiatorem, quomodò igitur poterunt peccata mea, ut nec etiam aperias os tuum ſacratiſſimũ pro me? Domine miſericordiæ, quantùm oderis peccata noſtra, evidenter oſtendiſti fidelibus tuis in ipſo crucis tuæ victorioſiſſimo myſterio, dum ea morte tua mortificari voluiſti; ut enim morerentur, mori dignatus eſt: quantò facilius eſt tibi dicere: Pater miſericordiarum dimitte huic peccatori? Ampliùs. An ſum ego magis offenſus tibi, quàm ipſi crucifixores tui eſſent, dum te crucifigebant? Pro ipſis domine oraſti, cùm hoc ipſi non peterent à te, & dixiſti: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Quomodò igitur denegabis mihi, immò ut evidentiùs loquar, quomodò continebit ſe multitudo viſcerum tuorum ſuper me? Aut qualiter continebis os benedictum tuum, ut non aperias il-
G lud pro me, qui non te crucifigo, ſed veneror per gratiam tuam, quoniam te oro, & adoro, & à te, ut poſſum, & tu adjuvas, hoc expoſco. Domine miſericordiæ jam non opus eſt, ut moriaris iterùm pro me, & aliis peccatoribus, ſatis eſt nobis ad vivificationem noſtram piiſſima interpellatio tua, & oratio gratioſiſſima, quam expelli, & omninò non exaudiri à patre miſericordiarum, impoſſibile eſt, qui ſuſcepit diræ illius, & piiſſimæ paſſionis tuæ, & mortis gratioſiſſimam interpellationem pro me, & aliis peccatoribus te invocantibus; alioquin non ſolùm tu inutiliter, ſed etiam ſupra modum noxiè crucem, & mortem pro nobis ſuſtinuiſti, & vivifica illa, ſaluberrimaque mors tua, in perniciem mortiferam nobis vertitur. Domine miſericordiæ, non tantùm non ſit vacua à fructu noſtræ ſalutis ſacratiſſima illa mors tua, ſed etiam non permittas, ut ſit nobis in augmentum mortis, & perditionis. Domine miſericordiæ non eſt opus, ut fundas iterùm
H pretioſum, & vivificum ſanguinem tuum in abſo- Nota
lutionem, & ſanctificationem noſtram, ſufficit nobis, ut fundas preces fragrantiſsimæ ſuavitatis, & irreparabilis gratioſitatis in conſpectu patris miſericordiarum pro nobis. An denegabis nobis preces rogatus, qui ſanguinem proprium etiam non rogatus tribuiſti? Domine miſericordiæ ne patiaris fruſtra te tot, & tanta feciſſe nobis, & pertuliſſe pro nobis, & ne ſuſtineas ullo modo vacua eſſe tam magnifica opera miſericordiæ tuæ. Ne dimiſeris imperfectum ſalutis noſtræ tam gratum, tamque tibi ſumptuoſum negotium, cui hoc ſolùm deeſt ad perfectam conſummationem, ſive ad conſummatam perfectionem, ut aperias os gratiarum coram patre miſericordiarum pro me, & aliis ad te redire utcunque conantibus. Quòd ſi fortè dixeris mihi quia illa beneficia tua egomet mihi irrita feci, & vacua, & inſuper provocavi juſtiſsimam iram tuam

contra

Digitized by Google

contra me, verum indubitanter dicis. Et quia provocavi iram, miſericordiam peto, & ut tu eam avertas, qui ſolus potes, quantùm tu das, & adjuvas, exoro. Tu enim es os noſtrum, & pax noſtra, & propitiatio pro omnibus peccatis noſtris ſufficientiſſima, immò etiam, & ſuperabundantiſſima. Tu ſolus potes nobis placare patrem miſericordiarum, & te ipſum, & Spiritum Sanctum, qui ſolus per teipſum accedis ad patrem miſericordiarum, cui in te ſolo benedictio placuit, qui in omnibus ſemper exauditus ab ipſo pro tua reverentia.

CAPUT XX.

Concluſio petitionis, & confirmatio.

POſt hæc autem concludam, id eſt, concluſionem hujus orationis faciam, interrogans te, an velis miſereri, vel non. Quòd ſi non vis miſereri, cùm miſereri utique non poſſis, niſi volens, inutilis, immò (B) nulla eſt miſericordia tua, cùm miſericordia eſſe non poſſit, niſi voluntas miſerendi. Quòd ſi vis miſereri, ſicut reverà non ſolùm evidens, ſed etiam neceſſarium eſt, interrogo te domine miſericordiæ, quibus & qualibus? Si enim non vis miſereri, niſi juſtis, & intendo juſtis, ſcilicet jam juſtificatis, confidenter dico, quia illud non patitur veritas tua. Illis enim qui jam juſtificati ſunt antequàm juſti eſſent, miſertus es, faciens eis miſericordiam, videlicet, ut eos juſtificares; antequàm autem juſtificarentur, juſti non erant. Unde igitur eis juſtitia, niſi de multitudine miſericordiæ tuæ præventientis eos, & prædonantis eis juſtitiam? Manifeſtum igitur eſt, quia proculdubiò & miſereri vis non juſtis, & miſereris eis potiſſimùm in hoc, quod abſque meritis præſtas eis, ut juſti ſint, cùm hoc apud te non meruerint, (C) interdùm autem in illis ſuperabundantiſſimè miſereris, qui maximè iram tuam provocant. Quemadmodùm miſertus es Paulo Apoſtolo tuo, non ſolùm miſericordiam tuam non quærenti, vel etiam non curanti, ſed etiam iram tuam juſtiſſimam implacabiliter provocanti. *Act. 9.* Dum enim te perſequeretur totis ſtudiis, & viribus enitens extinguere nomen tuum, & fidem, dum eſſet ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos tuos, magnificentiſſimè eum vocaſti, pleniſſimè avertens eum ab injuſtitiis ſuis, perfectéque convertens eum ad te, totaliterque juſtificans. Quia igitur proculdubiò vis orari à peccatoribus poſtulantibus miſericordiam tuam, qua indigent: hoc autem maximè ex gratia juſtificationis, vis videlicet, ut peccatores à te petant iſtam miſericordiam, & hoc ipſum tu inſpiras eis & prærogas, (D) videlicet, ut petant à te miſericordiam, qua liberentur, atque mundentur à miſeriis vitiorum ſuorum, & peccatorum. Quapropter manifeſtum eſt te velle peccatoribus miſereri, & potiſſimùm illis, quibus hoc prærogas, & prælargiris, videlicet ut hoc deſiderent, quærant, & petant à te. Quia igitur de illis ego unus ſum, miſereri vis, & mihi miſereris,

CAPUT XXI.

Excuſatio propriæ infirmitatis.

QUòd ſi dixeris mihi, quia illis miſereri vis, qui toto corde hoc expoſcunt à te, mihi verò, & ſimilibus meis, quorum tam exiguæ, tam exiles, tam aridæ, tam frigidæ, tam tenebroſæ ſunt preces, non vis miſereri, hoc eſt miſericordiam impendere, *Nota.* quam ſic petimus: Reſpondeo tibi in hoc domine miſericordiæ, quia nemo orat te ex toto corde, niſi (A) cujus totum cor jam occupaſti, & replevisti, & propter hoc totum cor illius jam poſſides, totumque traxiſti ad te. Quapropter totum ipſum liberaſti à peccatis, & vitiis, quapropter totum juſtificaſti, totum tuâ juſtitiâ repleviſti. Ampliùs. Qui toto corde orat te, toto corde concupiſcit, & deſiderat te, quapropter toto corde amat, & diligit te. Qualiter enim totum cor ejus inflammares concupiſcentiis tuis, & deſideriis, niſi in illud jam miſiſſes ignem Spiritus Sancti tui quem veniſti mittere in terram, & de quo dixiſti, quid volo, niſi ut accendatur? *Luc. 12.* Ampliùs. Si propter hoc non velles miſereri, quoniàm exiguiter, & exiliter, aridéque, & frigidè exoraris, ut miſerearis, ſi hanc cauſam dignam, & juſtam judicas, prohibitionis tuæ miſericordiæ quòd juſtificas, quos vis; non igitur vis miſereri quoniàm iſta cauſa nec amovere, nec avertere poteſt ipſos peccatores: perfectio enim orationis, quod eſt dicere, per (B) quam tibi meritò placeat oratio, eouſque ut eam exaudias, donum inæſtimabile eſt miſericordiæ tuæ. Quapropter inde ſolummodò non exaudis hujuſmodi debiles, & invalidas orationes, quia deſunt eis perfectiones, quæ ſunt dona magnifica ſolius miſericordiæ tuæ. Cùm igitur non prædonas, ut ſic exoreris, proculdubiò non vis miſereri, quemadmodùm expoſceris, & intendo quòd non vis largiri, quod poſtularis, quapropter verum eſt quod prædixi, quia proculdubiò non vis miſereri precantibus quibus non das, ut toto corde te precentur, & propter hoc non vis miſereri peccatoribus, cùm nunquàm peccatoribus hoc largiaris, ut te ex toto corde orent; nam impoſſibile eſt cor peccatoris totaliter exorare te, & ſimul eſſe cor peccatoris, quemadmodùm non eſt poſſibile, ut totum ſit plenũ gratia devotionis, & orationis, & ex parte peccatis, & vitiis occupatum. Quapropter manifeſtum eſt, (C) quia vis orari à peccatoribus, & vis offerri tibi orationes eorum non autem vis offerri tibi eas fruſtra, vel in vacuum, vis eas igitur exaudire. Amplius. Qua *Pſal. 84.* conſiderantia petit omnis Eccleſia ſanctorum, & dicit: Converte nos Deus ſalutaris noſter & averte iram tuam à nobis? non enim converſus eſt, qui cõverti petit, neque ab offenſa liber eſt, qui iram ſuam à ſe averti precatur. Hæc autem eſt oratio, quam ab ipſo Spiritu Sancto tuo edocta eſt Eccleſia tua, & facere offerre tibi. Non autem orat te ſic Eccleſia tua, inſipienter, neque ita tibi diſplicet iſta ejus oratio. Orari igitur à peccatoribus, ut eos convertas & ab infenſis ut ab eis iram tuam avertas, indubitanter placet tibi. Quicquid autem placet tibi, ut petatur à te, proculdubiò placet & tibi, ut & id largiaris petenti, præſertim ſi ipſum largiri tibi ce(D)dat ad gloriam & honorem, petenti verò expediat ad ſalutem. Nihil autem, te ipſo teſte, ad majorem cedit tibi gloriam, nihil petentibus magis ad ſalutem, quàm converti ad te, expedit igitur & averti iram tuam ab eis. Hæc eſt igitur confirmatio cauſæ meæ coram te, hęc firmitas partis meæ, videlicet benignitas miſericordiæ tuæ, qua non dubito te velle miſereri peccatoribus, miſericordiam tuam petentibus, atque deſiderantibus, ut eis des, eoſque adjuves, quærentibus. Eſt & hæc alia firmitas, & confirmatio partis meæ quòd tu ipſe advocatus es, & propitiatio, qui es & judex meus, & propter hoc non eſt poſſibile ut patiaris cauſam meam periclitari in manibus tuis. Apud homines enim non eſt poſſibile, ut advocatus fidelis, & juſtus, permittat periclitari cauſam, cujus patrocinium ſuſcepit. Et eſt tertia firmitas, & confirmatio cauſæ meæ, qua ſcio te nec velle vinci, nec poſſe, nec eſt poſſibile te ſuccumbere in judicio, quapropter non eſt poſſibile, ut ego cadam à cauſa te præſtante ei patrocinium, &

Digitized by Google

allegante illam, ne & tu ipſe (quod etiam cogitatu nefas eſt) vinci videaris. Et eſt quarta firmitas, & confirmatio partis meæ, quia ipſa allegatio tua ſufficientiſſima, oratio eſt perurgentiſſima, quia omnimodè irrefragabilis perſuaſio ad obtinendam ſententiam abſolutionis, & liberationis meæ. Abſit enim ab abyſſali illa ſapientia tua, & gratioſitate incogitabili, ut allegationi tuæ reſiſtatur ab accuſatoribus, & adverſarijs meis, vel ut contra eam pronuncietur vel à te ipſo, vel alio iudice iuſtiſſimo, & intendo vel à te, vel à patre miſericordiarum. Et eſt quinta firmitas, & confirmatio partis meæ, quòd ipſa allegatio tua iuſtificatio eſt cauſæ meæ. In eo enim ipſo, quod eam allegas, iuſtificas illam, & iuſtam efficis, & hoc eſt quoniàm juſtitiæ tuæ, quicquid peccatis meis debetur, debetur ſuper ſententia, quam allegatione tua obtinere intendis. Et eſt ſexta firmitas, & confirmatio partis meæ, atque cauſę ipſa gratioſitas tua, qua cousque patri miſericordiarum in te ſolo placuit, ut in omnibus ſemper exaudiaris apud illum, ſemper pro ipſo placore tuo, atque reverentia. Quapropter quantumcunque odibilis deteſtabilis, & execrabilis ſit cauſa mea, nihilominùs in ore tuo benedicto, in ore tuo ſacratiſſimo, & in labiis tuis quibus tanta gratia diffuſa eſt, eſt favorabilis. Et eſt ſeptima firmitas, & confirmatio partis, & cauſæ meæ, ipſa veneranda, & reverenda ſanctitas tua. ad quam neceſſe habet reſpicere pater miſericordiarum propter quod ab ipſa Eccleſia tua exoratur, & dicitur eidem ab ipſa: Reſpice in faciem Chriſti tui, quam videlicet opponit ſanctiſſimis oculis tuis, & interponit horrificis atq; monſtrificis fœditatibus, & abominationibus noſtris, & vultui clementiſſimi patris, tanquã operiens eas, & abſcondens ne illas intueatur, ſicut legitur in libro ſapientiæ. Dextera tua teget eos. Non enim ſolus filius ſic nos regit, & operit, immò pater per ipſum operiens iniquitatem & abſcondens ſanctitate ſua quam reſpiciens pater miſericordiarum, neceſſe eſt, ut placatus reſpiciat. Non enim poſſibile eſt ut in eam reſpiciat, niſi vultu ſereno, propitio & iucundo. Quod & ipſe obſecro videlicet ut faciem plenam gratiarum chariſſimi, ac benedicti unigeniti tui reſpicias, & à peccatis meis illam prorſùs avertas. Mundi enim ſunt oculi tui ſancti Domine, ut non videas mala, & reſpicere ad iniquitatem niſi cum ira, & indignatione, non poteris. Non igitur reſpexeris abominationes, execrationes horrificas, & fœditates qui miſereri potiùs eligis quàm iraſci, ſicut dicit Eccleſia tua orans te. Reſpice igitur in faciem Chriſti tui, cuius placore ab ira tua mihi placeris, me videlicet, & quod in me feciſti, quódque jure tuo pleniſſimo tuum eſt placido ſereno, jucundo, ac propitio vultu intuearis atque ſuſcipias gratia, immò gratioſitate, & meritis illis, quæ non ſolùm pro reconciliatione totius mundi ſufficiunt, immò etiam in infinitum ſuperabundant, & ſuper omnem cogitatum.

Pſal. 83. *Pſal. 83.*

CAPUT XXII.

Ad quid valeant prædicta.

ANimadverte ſolerter, & ſtudiosè, quia omnia verba hæc quæ hîc aggregavi tibi. atque congeſſi, de verbis potentibus ſunt, & ad deprecandum compoſita, quæ, etſi non ſit poſſibile per ea moveri immobilem, per omniaque immutabilem Deum potentia tamen mihi videntur eſſe, & validiſſima ad movendum ipſum recitantem, vel meditantem illa, ad movendum inquam & præparandum undecunque ad gratiam devotionis, & gratitudinis, & largitatis, & beneficentiæ incogitabilis Dei, ſimiliter ad gratiam compunctionis, dum vitia, & peccata per eam ſic ſuggillantur, & aggregantur, & aggravantur, ipſaque beneficia creatoris & declarantur & magnificè extolluntur, & quatenùs poſſibile eſt nũmerantur, valida tamen mihi videtur ad gratiam æternæ, ac veræ pœnitudinis provocandam, & procurandam; dum enim virtus illius, & placor apud Deum tam evidenter per ipſa oſtenditur, non eſt poſſibile, ut ab agnoſcentibus ipſam non deſideretur vel non quæratur. Quis enim videre vel cognoſcere poſſit gratiam iſtam eſſe liberationem à carcere, & vinculis horrificis vitiorum, & peccatorum, & non concupiſcere, vel non deſiderare eam? Quis denique illam vivificationem ſuam, & reſuſcitationem à morte peſſima hujuſmodi vel leviter opinari poſſit, & non eam amare & quærere? Ampliùs. Quoniàm nihil magis ingerit dolorem, quàm ipſa mala, ipſaque detrimenta, atque diſpendia, quæ paſſi ſumus, vel patimur, & hoc quandò videntur, vel cogitantur. Tu autem vides evidenter, quòd verba iſta ante oculos cordis tui mala omnia tua tibi ponunt, & etiam in ipſos oculos tuæ mentis ingerunt, & impingunt. Inſenſatum igitur, & inſenſibile poteſt eſſe cor tuum, ſi dolorem tibi tot, & tanta mala tua non ingerunt. Ampliùs. Cùm omnia vitia, & peccata, ex altera parte vel obtuſa, vel blanda ſint, ex altera verò inſtar telorum cuſpidis acuta, duréque, ac dirè vulnerantia, atque tranſverberantia propter quod cùm trajiciuntur & infiguntur ſine dolore utique & intrant, & admittuntur cùm verò recogitantur mala eorum. quæ hîc videlicet irrogant ſicut mors ſpiritualis culpę, & mors gehennalis pœnæ, cæteraque, tormenta quæ inferunt patientibus, tunc cuſpides eorum vertuntur in animas noſtras; quapropter ſi vivax & fortis fuerit recogitatio eorum, pungunt eas profundè & cum dolore ſaluberrimo compungunt eas & inde nominata eſt compunctio, tanquàm videlicet à cuſpidibus, & aculeis vitiorum & peccatorum ex omni parte profunda punctio. Et hæ ſunt puncturæ quæ diabolum immò omnes catervas dæmonum de animabus humanis exilire, totaque velocitate diffugere compellunt. Quemadmodùm enim puncturæ iſtæ ſaluberrimæ animas reſilire faciunt, & effugere à vitijs, & peccatis; ſic & dęmones ab animabus hęc enim eſt natura & conſuetudo vitiorum, & dęmonum, ut ſemper fugiant fugientes ſe, ut dicit ſapiens in Eccleſiaſtico: Quaſi à facie colubri fuge peccata, *Eccli. 21.* & ſi acceſſeris ad illa ſuſcipient te; ſequuntur enim ſequẽtes ſe, & fugiunt ab eis qui ea fugerint, eoſque ſuſcipiunt qui ſeipſa eadẽ nõ repellunt. Vide igitur hîc mirabilia Dei, qui veneno mortifero vitiorum, & peccatorum evidenter per hanc viam ſaluberrimam nobis, & vitalem efficit medicinam. Et ut vulgò dicitur de buffone facit nobis ſalutare antidotũ, & de ſerpente ſaluberrimam theriacam. Juxta verbũ poetæ, quo dixit: Vulnus Achillæo quæ quoniàm fecerat hoſti, Vulneris auxilium Pelias haſta tulit. Apparet autẽ evidenter ex his tibi, quàm propriè eſt ſalus, & ſanitas ſpiritualis peccatoribus, cũ ipſi morti vulneribuſq; vitiorum & peccatorum, paratiſſima ſint fieri antidota contra ſemetipſa. Et hoc eis duntaxat, qui adjutorio Dei cuſpides eorum, & aculeos in ſe vertere, ſeque inde repercutere volunt, & quod eſt mirabilius, ipſique Deo Salvatori noſtro glorioſius, quia majores morbi, majoraque vulnera, in majus auxilium ſalutis potentes ſunt. Quoniàm ſicut majores habent cuſpides, & aculeos ad percutiendum animas noſtras ſic magis efficaces ſunt ad eas compungendas, & ad compunctionis gratiã procurandã. Noli igitur deſperare ô peccator præ magnitudine

tudine, & multitudine vitiorum, & peccatorum, ſed A invoca omnipotentiſſimum, miſericordiſſimum atque promptiſſimum adjutorem Deum, qui non ſolùm medicus eſt animarum noſtrarum, ſed etiam medicina, & ſalus, ut ipſe operetur, & mirificet miſericordiam ſuam in te, faciatque illa mirabilia quæ ſoli ei poſſibilia ſunt, videlicet ut de morte tua reviviſcas, & ut de ipſis morbis tuis, atque vulneribus tibi ſalutem, & ſanitatem eliciat, tantaque, & tot venena vitiorum, & peccatorum in theriacam ſaluberrimam convertat, & de tantis ſpinis, & tribulis uvas, ex quibus vinum compunctionis exprimas, tibi colligere largiatur: Et de rubis iſtis ſpinatis, & aculeoſiſſimis uvas hujuſmodi vindemiare te faciat. Quòd indubitanter faciet, ſi vitia tua, & peccata coram te ſemper fuerint, ſi ea jugiter mediteris. Non enim poterunt tibi non diſplicere, nec tu tibi ipſi in illis, ſi ea jugiter recogites. Per hoc namque B ſolum, quòd non benè, aut plenè videntur, placent deceptiſſimis amatoribus ſuis. Cùm enim non ſit turpitudo, aut deformitas, aut fœditas, aut fœculentia adeò abominabilis, adeò horrifica, ut vitium, vel peccatum, proculdubiò manifeſtum eſt non poſſo non diſplicere intuenti illud, & clarè videnti. Quapropter de illo rectiſſimè, veriſſiméque dictum
Naum 3. eſt Qui viderit te reſiliet à te. Reminiſci autem debes quicunque cupis de vulneribus, & morbis vitiorum tuorum & peccatorum haurire ſanitatem,
Rom. 8. juxta illud, quod dictum eſt per Apoſtolum, de peccato damnavit peccatum, quia de ipſis cum adjutorio divinæ gratiæ eliciuntur aromata miræ virtutis decem, vel plura, ex quibus conficitur, & conditur iſta theriaca ſalutiferæ compunctionis, quorum primum eſt timor gehennalis ſupplicij. Quemadmodùm enim fur furtum inſpiciens, & convincendum ſe de illo certiſſimè ſciens non poteſt non timere ſuſpendium, cùm de juſtitia judicis, atque potentia nulla ſit ei dubitatio, ſic & peccator omnis clarè, ac ſtudioſè peccata ſua, & vitia ſua intuens, non poteſt non timere gehennale ſupplicium, cùm certiſſimum ſit eidem ſe non poſſe latere nec abſcon-
Prover. 11. dere ab oculis judicis cuncta cernentis, & ignorare non poſſit, eam eſſe juſtitiam illius, quòd in die ultionis non acquieſcet cu uſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima, propter quod dixi, quia neceſſe habet timere in primis. Et ob hanc cauſam dicitur timor initium ſapientiæ.
Eccleſ. 1. Elicitur autem ab ipſo peccato, vel vitio, per hoc quod eſt pœnale, ſive puniendum per juſtitiam Dei, timor pœnæ imminentis; ſimiliter per hoc quod turpe, elicitur pudor, eodem modo, quòd ipſum eſt injuria nobis vel à diabolo, vel à nobis ipſis irrogata, elicitur ex hoc ira, quæ ſecundùm philoſophum, eſt inquiſitrix victoriæ ſecundùm quoſdam, inquiſitrix ultionis, propter quod & dicta eſt ira aliquandò appetitus ultionis. Hæc eſt igitur ira, per quam ſibi ipſi iraſcitur pœnitens, volens contra ſe ipſum ulciſci injuriam, ſive contumeliam creatoris, & mortem propriam In quo manifeſtum eſt, eum executorem quendam eſſe, & miniſtrum divinæ juſtitiæ contra ſemetipſum, propter quod certum eſt ex ipſius Apoſtoli teſtimonio, ipſum pœnitentem liberum, & immunem fieri ab ipſo judicio divinæ ul-
1. *Cor.* 11. tionis. Ita namque dicit Apoſtolus: Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Si enim ulciſceremur in nobis Dei injurias & contumelias, quas eidem irrogavimus, ſimiliter & mortes proprias animarum noſtrarum, nihil ſupereſſet, vel reſtaret divinæ juſtitiæ in nobis ulterius ulciſcendum. Per eandem viam, quia omne vitium & peccatum, vulnus ſpirituale eſt, ſive morbus, elicitur ex eo dolor; vel propter hoc quoniam damnificum eſt, ſeu damnoſum. eo quòd per ipſum, & propter ipſum, & gratiam, & gloriam amittimus, elicitur etiam ex eo dolor alterius generis, & modi alterius; non enim ejuſdem generis ſunt dolor ex vulnere, & dolor ex damno. Benè autem eſt pœnitenti, ſi ex utroque genere doloris doleat, ſic tamen, & quouſque & quemadmodùm prædixi, ut ſanitatem animi, dolor hujuſmodi quærere urgeat, curæque medicinali ipſum ſubjici faciat; ſic & ſe habet de dolore, qui eſſe debet ei ex amiſſione tantorum bonorum, gratiæ videlicet, & gloriæ, quem ad hoc ſufficere arbitror, ut verè pœnitentialis dicendus ſit, ſi ipſum pœnitentem ad recuperationem ipſorum tanto propoſito incitet, ut ſecundùm conſilium Eccleſiæ pro recuperatione velit, atque proponat.

CAPUT XXIII.

Quid recogitatio peccatorum poſſit.

Juxta hunc modum elicitur ex ipſo peccato horror tanquàm ex mortifero juxta teſtimoniū, quod audiviſti in præcedentibus quo dictum eſt. Quaſi à *Eccl.* 21.
facie colubri fuge peccatum Venenata enim, vel venena potiùs ſunt omnia vitia, & peccata, & propter hoc qui ea attentiùs intuetur, reſilit ab eis quaſi à mortiferis, & venenatis; ſic & odium ex ipſis vitiis, & peccatis elicitur, cùm quàm inimica ſint, quámque noxia peccantibus, ſtudioſè conſideratur. Et in aliis quidem hoſtibus ad concitandum contra eos in nobis odium, ſufficit aſpectus eorum cum credulitate, qua creduntur inimici nobis, vel hoſtes eſſe, & eſt intentio odij nocere. Odium autem iſtud non C quieſcit, vel ceſſat in qualibet læſione, vel nocumento, quod ex peccato irrogatur, ſed in ſolo exterminio, & morte ipſa. Quapropter cùm euſque invaluerit in pœnitente odium hujuſmodi, bellum ut contra peccata, & vitia ſuſcipiat, vel ſuſcipere velit, tanquàm juratus in mortem, & exterminium ipſorum, perfecto odio indubitanter odit illa, perfecto inquam, perfectione ſpiritualis ſufficientiæ. Non enim majus odium requirit Deus in pœnitente contra vitia, & peccata, neque majus bellum, quàm quòd exterminare illa, & mortificare ſufficiat.

CAPUT XXIV.

De pudore & erubeſcentia, ex peccato.

Juxta hunc modum ex aſpectu, vel in conſpectu potiùs vitiorum, & peccatorum, elicitur ex eis pudor, & verecundia, per hoc, quod turpiſſima ſunt, vel quod deterius eſt turpitudines ultra modum erubeſcendæ, propter quod increpat ipſe do- D minus Deus animam peccatricem, vel potiùs peccatorem, qui peccare diu, & multipliciter, in oculis Dei, & hominum, non erubeſcit, propter quod dicit ad eam per Hieremiam Prophetam: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, & erubeſcere neſciviſti. Hic autem eſt pudor tunc ſufficiens pœnitenti, quantùm capio, cùm ad hoc ipſum induxerit, ut vitia ſua, & omnia peccata abſcondere ab oculis Dei, & hominum, pro conſilio Eccleſię ſit paratus. Vę illis, qui peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverūt, nec abſconderunt. Ubi ſciendum eſt tibi, quòd trib⁹ modis abſconditur ignominia vitiorum, & peccatorum. Primò diſcooperiendo in confeſſione coram ſacerdote. Eſt igitur coopertorium ipſius, p̄a diſcoopertio ejuſdem per confeſſionem: Si enim nos per confeſſionem ſinceram ſacerdotibus illa detegimus, & revelamus Deum per virtutem ſacra-

Digitized by Google

menti confeſſionis abſcondit ab oculis ſuis, & quantò ſtudioſiùs illa detegimus, & diſcooperimus, Pſal. 31. tantò ſtudioſiùs ille cooperit, & abſcondit. Et de hoc dictum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata; quantò autem illa magis abſcódimus, vel negligentiùs in ſacramento confeſſionis detegimus, tantò Deus illa & manifeſtiùs, & in majorem confuſionem abſcondentium noviſſimè revelabit. Per eundem modum ex vitiis, & peccatis propter ſpurcitiam, & fœnolentiam ipſorum elicitur abominatio, quæ eſt faſtidium, ſive appetitus vomendi. Hanc autem abominationem tūc ſufficientem in pœnitentibus opinor eſſe, cùm ſpiritualem nauſeam in his euſque provocat, ut vomere ea velint, atque proponant. Hic autem vomitus ipſorum confeſſio eſt. Spiritualiter namque ea tanquàm ore vomunt, cùm per oris confeſſionem foras, & in manifeſto coram Sacerdote illa ponunt. Nec magis humores noxij, vel ſordes quæcunque ore vomentium ejiciuntur à ventre, vel ſtomacho, quàm vitia, & peccata vomitu confeſſionis ejiciuntur à corde, & hoc tunc, cùm confeſſio integra, ſinceraque fuerit, & virtute ſacerdotalium clavium conſecrata.

CAPUT XXV.

De indignatione quæ elicitur à peccatis.

JUxta hunc modum elicitur & indignatio ab ipſis peccatis, & vitiis, per ipſorum vilitatem. Nihil enim vilius cogitari poteſt, nihil omninò tam vileſcit, niſi vitium, & peccatum; quia igitur vile eſt, quod parum, vel nihil valet, immò multò fortiùs devalet, ut ita dicatur, hoc eſt dicere, quod nocet, & minuit valorem habentis manifeſtum eſt vitium, vel peccatum non ſolùm viliſſimum, ſed etiam longè deterius eſſe ipſa vilitate. Attendens igitur ipſa anima humana nobilitatem, & dignitatem ſuam, & attendenſque ipſam vilitatem vitiorum ſuorum, & peccatorum, non poteſt non indignari, & ſibi, & illis, cùm videat ea tam indigna dignitate ſua, & non ſolùm immenſurabiliter longè eſſe à nobilitate ſua, ſed etiam contraria illi, & corrumpentia illam; quapropter abjicit illa à ſe confeſtim, & fugit ab illis. Quemadmodùm & regina inclita, & magnifici cordis, fugeret à lupanari, tanquàm à loco regali dignitate indigniſſimo, fugeret inquam cum aſpernatione, & deſpectu. Et hæc eſt indignatio, quam beatus Hieronymus vocavit ſanctam ſuperbiam. Quemadmodùm ſi homo magnifici cordis projiciat à ſe vincula, vel compedes, quibus ſervi alligari ſolent, aut opera ipſa ſervilia facere dedignetur. Scire tamen debes, quòd indignatio interdùm ira quædam eſt, & poteſt procedere ex ſuperbia, & magnificentia cordis, quæ interdùm ſancta eſt, & ſancta ſuperbia non immeritò nominatur. Ex hac igitur erigit ſe, & elevat Deo adjutore, immò elevante, mens humana ſuper vitia, & peccata, conculcat ea ſpiritualiter aſpernatione forti. Illud enim corde, & quaſi pedibus cordis calcamus, ſeu conculcamus, quod deſpicimus. Et indignatio iſta ſufficiens eſt ad pœnitentialem juſtificationem, cùm de imo ſubjectionis, & ſervitutis vitiorum, & peccatorum euſque erigit, & exaltat pœnitentem, ut ſub pedibus cordis vitia habeat, & peccata, forti aſpernatione conculcans ea. Per viam eandem elicitur artificio, & virtute gratiæ Dei à vitiis, & peccatis ipſa execratio eorum, per quam tanquàm profana, vel potiùs tanquàm ſanitati contraria, omnimodoque ei adverſantia, & repugnantia longè ejiciuntur, & projiciuntur, ita quòd cor execratione

E hujuſmodi præditum omnem attactum eorum tanquàm ſacrilegium repellat à ſe. Et attactum eorum voco, non ſolum deſiderium ipſorum, vel delectationem in ipſis, ſed etiam cogitatum, vel cogitationem ipſorum. Illa namque execramur quæ tanquàm iniqua, & ideò contumelioſa à nobis repellimus. Juxta quod dictum eſt: Execratio autem peccatori cultura Dei. Eccl. 1. Tanquàm enim ſacrilegia, & tanquàm nefaria ea à ſe repellunt, & ab eis tanquàm ab impietate fugiunt. Hæc autem execratio ad pœnitentialem juſtificationem tunc ſufficiens eſt, cùm ad hoc pœnitentem induxerit, ut à vitiis, & peccatis ſe longè facere velit, & tanquàm ab his, quibus graviſſimè offenditur, etiam ab his, qui ea faciunt, largiſſimè ſeparatur, atque repellitur. Noviſſimè verò per eandem viam elicitur à vitiis, & peccatis deteſtatio eorum, per quam reſilitur ab eis, quaſi à maledicto, & anathemate, & tanquàm ab his, quibus appropinquans omnis in Dei maledictionem incidit, & anathema, & ſeparationem ab ipſo, ut quibus omni modo communicare ſeparari ſit à Deo. F Communicat autem vitiis, & peccatis, qui ea diligit, vel in ſeipſo recipit, vel ſuſtinet, vel etiam cùm in alio ſuſtinet; de omni enim templo Dei expellenda ſunt vitia, & peccata, tanquàm maledicta, & anathematizata, & propter hoc nec in ſe ea ſuſtinere debet quis, nec in alio, cùm ipſe, & quilibet Chriſtianus templum Dei factus ſit. Hæc igitur ſunt decem aromata, quæ nominavi, & numeravi tibi ex quibus theriaca ſancta, ac ſalutaris pœnitudinis conficitur, & conceditur & ab ipſis vitiis, & peccatis adjutorio divino eliciuntur, ſeu colliguntur juxta quod dicit Apoſtolus: Quòd mittens Deus filium Rom. 8. ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum. De ipſo enim peccato in verè pœnitentibus elicit damnationem peccati, elicit enim de illis unumquodque prænominatorum aromatum, per quorum unumquodque omnis verè G pœnitens damnat proprium in ſe peccatum. Propter quod & ſapientiſſimus ille, & ſanctus David dicebat: Pſal. 50. Peccatum meum contra me eſt ſemper. Facillimum enim eſt omni peccatori ſemper habenti vitia ſua, & peccata contra ſe, elicere inde iſta aromata: Omne enim vitium, & peccatum per ſemetipſum, & per ſua, videlicet, quæ ei adhærent, quæve ex eo ſequuntur, ſemetipſum damnat, & deſtruit, & per hæc omnia, ut non diligatur, & ut ab eo recedatur, magnis vocibus clamat, de ipſo peccato. teſtimonio veritatis arguit Spiritus Sanctus mundum, eliciens ex ipſo peccato decem concluſiones iſtas, quibus & peccatori ſimiliter concluditur, & peccato. Peccatum igitur eſt ipſi Spiritui Sancto locus, quaſi dialecticus: unde inferens iſtas ſcientias, ſive concluſiones, per occaſionem quandam elicit, & H peccatis ſimiliter, & peccatoribus concludit, & peccatum medium eſt Spiritui Sancto ad omnes cõcluſiones iſtas inferendas. Benè autem agitur tecum ô peccator, qui per iſtas concluſiones euſque arctaris, & euſque tibi concluditur, ut ad veritatem vitæ redire compellaris, qui reditus, ſeu reverſio non eſt niſi pœnitudo ipſa, & ſequela pœnitudinis, quæ pœnitentia nominatur. Verùm ſcire debes, quod dixi de concluſionibus iſtis, quia per ſimilitudinem hoc intelligo ad concluſiones diſputatorias. Concluſus enim dicitur quis, vel concluſum eſſe illi in diſputationibus hujuſmodi, quandò finibus veritatis (ut ait Auguſtinus) ita circumcluſus eſt, ut nullum ei pateat à veritate effugium, vel evaſio, quin potiùs quocunque ſe vertat, neceſſe habet in ipſam veritatem incidere. Quemadmodùm piſcis reti ex omni parte circundatus neceſſe habet in illud incidere, ſic ſe habet & de ipſis vitiis, & pec-

Digitized by Google

ctatis, quia ſolerter, ac diligenter intuentem ea peccatorem ex omni parte ſic arctant, atque diffugant, ut neceſſe habeat ab eis recedere, vel fugere, & in præñominatam veritatem incidere. Quapropter manifeſtum eſt, neceſſarium eſſe & ſaluberrimum, peccatoribus peccara ſua, & vitia, coram oculis cordium ſuorum habere ſemper. Inde cum adjutorio divinæ gratiæ tot medicamenta ſalutis hauriri poſſunt, tot aromara ſpiritualia, quot nominavi tibi. Et cùm unũ quodcũque horũ attenderis ſtudioſiùs, ac intimiùs, invenies nullum eſſe, quod non aliquatenùs lædat, ac vulneret vitia, & peccata, interdùm autem etiam non mortificet illa: Timot enim cùm fortis fuerit expellit peccatum; ſicut dicit Eccleſ. 1. Nec ſolùm expellit ipſam operationem peccati, prohibens eam eſſe in operatione, vel operante, ſed etiam ipſam voluntatem operandi mortificat, & extinguit; ſic ſe habet & de ira, & de pudore, & aliis prænominatis aromatibus, quia cùm invaluerint, aut ipſa vitia, & peccata debilitant, aut prorsùs extinguunt; interdùm etiam ipſas cogitationes à cordibus humanis prohibent, ita etiam ut neque cogitare, ut peccent, velint. Nec reputandum eſt tibi leve, vel modicum, ſi motus, & operationes peccatorum, & vitiorum ceſſent, propter decem prænominatas diſpoſitiones. Multum enim debilitatum eſt vitium, cùm ad hoc redactum eſt, ut movere non poſſit peccatorem, non ſolùm ad opus peccati, ſed nec etiam ad voluntatem, vel cogitationem ipſius. Manifeſtum eſt igitur tibi ex omnibus his, quoniàm decem iſtæ diſpoſitiones attritivæ ſunt, vel etiam attritiones quædam veteris hominis, ex quibus ſi euſque invaluerunt, ſequitur contritio ejuſdem, quæ eſt mortificatio, & annullatio ipſius, ſive victoria: juxta conſuetudinem ſcripturæ, quæ dixit contritos hoſtes populi Dei cùm ab ipſo victi ſunt. Quapropter ſummoperè intendendum, vigilandum, & modis omnibus providendum, & laborandum eſt, ut iſtæ diſpoſitiones, quæ proculdubiò Dei dona pretioſa, atque magnifica, ſaluberrimaque ſunt, ab ipſo impetrentur, quod indubitanter fiet per jugem inſpectionem aſſiduamque recogitationem impietatis, atque pernitioſitatis, fœditatis, & turpitudinis, cæterorumque malorum, quæ vel ipſa vitia, & peccata ſunt, vel ſecundùm juſtiſſimum Dei judicium irroganda ſunt ipſis peccatoribus ab eidem recedere negligentibus.

CAPUT XXVI.

Quædam diſpoſitiones corporis juvantes orare volentem.

QUoniàm autem multa ſunt, quæ orationi adminiculantur, & validum etiam eidem præſtant adjutorium, leviantque ipſam ſibi, conveniens eſt, ut ea tibi nominem, & numerem. Dico igitur, quòd unum ex his eſt poſitio, ſeu diſpoſitio corporis, qualis eſt proſtratio ipſius corporis, genuflexio ejuſdem, expanſio manuum, & elevatio earumdem, ſimiliter erectio oculorum ad cœlum. His enim non eſt dubium, & unoquoque eorum orationem adjuvari, ut devotior, & obnixior ſit. Propter quod & Eccleſia Dei ſtatuit, & obſervat, ut in miſſarum celebrationibus ſacerdotes expanſis manibus orent, præſertim ab ea hora qua, ſurſùm corda, canitur. Fit autem in rememorationem Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti qui expanſis manibus & ſemetipſum, & orationem ſuam in ara crucis obtulit, cujus ſacrificij, & orationis rememoratio & eſt, & fit in miſſa. Quantùm autem ego video, illa diſpoſitio corporis unicuique in oratione ſua & habenda, & conſervanda eſt, per quam adjuvari ſe maximè ſentit. Scio namque genuflexionem quibuſdam eſſe impedimentum orationi, ſimiliter & crebras genuflexiones; laborioſæ namque ſunt, & propter hoc de cogitationibus non nihil in ſe rapiunt, & ob hanc cauſam cor meum humanum ad Deum totaliter colligi non ſinunt, propter quod omnium diſpoſitionum corporis mihi convenientior videtur eſſe accubitus, quo incumbitur ſub podiaculo alicui, maximè ex parte ſiniſtra; magis enim quietat corpus, magiſque liberum permittit eſſe cor accubitus hujuſmodi, quinimò expedire mihi videtur orantibus ut quieto corpore ab omni moleſtia, & libero corde ab omni malâ diſtrictione, ſeu ſolicitudine ſint in oratione, ſicut ſcriptum eſt de Joſaphat, qui timore perterritus, totum ſe contulit ad orandum dominum. David autem prudentiſſimè intelligens, quia cogitationes cor humanum rapiunt interdùm quaſi violentiâ quâdam, interdùm autem & furantur ipſum etiam ſibi ipſi, tanquàm enim ſibi ipſi perditum; ſic cogitatione aliquâ avertitur ab ipſa intentione, & attentione orationis, & neſcit ubi ſit, aut quò devenerit, propter quod dixi furantur cogitationes hujuſmodi cor humanum; furantur inquam, & ſurripiunt ſibi ipſi, ita ut illâ horâ, & ubi ſit ignoret, & quàm malè, quámque indecenter ſe habeat, omninò non videat, & propter hoc dixit: Nunc invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te oratione hac, invenit inquam tamquàm perditum priùs. [2.Re. 7.d] Quid enim animæ rationali indecentius, quàm quod ab opere, cui ſummoperè inſiſtendum eſt morſu muſcæ, vel pulicis rapiatur, & ab ipſo Deo, cui ex totis intimis ſuis adhærendum eſt, etiam tactu pedis unius muſcæ abrumpatur? Quid enim turpius, quàm neglecto tam neceſſario, tamque ſalutari opere, videlicet orationis, tam arduo, tamque diſcriminoſo negotio, causâ videlicet, quâ de vita, & morte ejus agitur, ut de morte ſcilicet effugiat, & redeat ad vitam, ſequi muſculas cogitationum hujuſmodi? Pudeat, quòd dum comedimus, ludicra tractamus ſpectaculis & colloquiis damnoſis vacamus, eis tota mentis attentione defigimur citra moleſtiam; at in oratione, ubi de ſumma rerum periclitamur, dormimus, vel vagamur ſi de ſalute, & vitâ cogitaremus, certè ferveremus. Si ſcelerum cumulum & debiti ſupplicij infinitatem, & offenſum, ac iratum judicem cerneremus; ſupplices, humiles, pavidi, & gemebundi cum clamore veniam precaremur, ſimiles omninò latronibus, & aliis ſceleratis, qui cùm vident juxta modum delicti ſui ſibi paratum incendium vel aliud patibulum procidunt ad pedes judicis, ſeu præfecti clamantes ad ipſum præ vehementia timoris pariter, & doloris, de imminenti ſibi mortis ſupplicio, clamantes, inquã, non ſolùm obnixè, ſed etiam ſupra modum, diſertè flagitantes miſereri ſibi judicem. [Nota.] Domine miſericordiæ nullum habent ibi doctorem, qui eos ſupplicare doceat, & precari, non habent librum, quem inſpicientes accipiant inde diſertitudinem illam deprecationis: non eſt ibi fons, vel puteus, vel aliud, unde aquam hauriant lachrymarum, ſolum patibulum, quod lignum aridum eſt, aſpiciunt, ſolum incendium, vel aliud ſibi paratum attendunt ſupplicium. Inde accipiunt deſiderabiliſſimam mihi, & ſimilibus mihi peccatoribus deprecandi diſertitudinem. Inde hauriunt ubertatem largiſſimam lachrymarum. Inde placant judices ſuos. Inde datur eis plerumque venia, & ignoſcitur eis meritæ mortis ſupplicium. Fac mecum ſimilem obſecro miſericordiam, ut de infernali patibulo, & de gehennali incendio, ſimilem diſertitudinem accipiam, & ſimilem copiam lachrymarum procidens coram te,

Digitized by Google

ſupplicanſque, & ex totis præcordiis meis poſcens E à te domine Jeſu Chriſte, qui judex meus es, immò omnium virorum juſtiſſimus pariter, & clementiſſimus, poſcens, inquam ut ignoſcas mihi, & culpas, quas commiſi & pœnas omnes, quas merui. Mirifica mecum magnificam miſericordiam tuam in hoc ut de ipſo tam atido infernali patibulo colligam dignos fructus pœnitentiæ, de æternis flammis, & tenebris, aquas frigidiſſimas lachrymarum, quæ omnes ardores concupiſcentiarum mearum, irarum odiorum & aliarum peſtium, quibus tam damnabiliter arſi, totuſque vaſtatus ſum extinguere prævaleant. Da mihi de morte iſta æterna, & infernali reviviſcere per timorem ipſius & dolorem, qui mihi eſſe debent pro eo, quòd eam tam multipliciter, tamque execrabiliter merui. Da mihi igne infernali extinguere ipſius incendia. Hæc enim ſunt glorioſa miracula omnipotentiſſimæ virtutis, & miſericordiæ tuæ. quibus de tanta, tamque horrifica morte æternali vitam elicis pœnitentibus, ut de tantis, tamque formidandis incendiis ſaluberrimum refrigerium præſtent ſibi ipſis, mortem æternam convertens eis in æternæ vitæ antidotum per gratiam pœnitudinis, & ipſum ignem æternum in refrigerium, & extinctionem ejuſdem, ſalutarem inde eis efficiens medicinam. Sic domine miſericordiæ mirificas miſericordias tuas in eos, quos per gratiam pœnitudinis revocas, reducis & convertis ad te. Hæ ſunt mirificentiæ miſericordiarum tuarum, quas petebat ſapientiſſimus, & illuminatus à te ſanctus David, cũ dicebat: Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te. Quid enim mirificentius cogitari poteſt, quàm mortuorum ſeu morientium, virtus, & adjutorium, ut ipſa mors ſeipſam vincat? Non enim refert, an dicatur mors ipſa ſe vincere an pœnitentes mortem ipſam morte mederi. Igitur domine miſericordiæ tu liberas ipſa morte infernali moriturum, & ipſo igne æterno, quem extinguis pœnitentibus Iſta domine miſericordiæ tanta gloriæ tuæ, tamque ſtupenda miracula atque inganalia, placeat tibi operari in me. Aperi igitur oculos cordis mei, & illumina eos ut parata mihi juſtiſſimo, ſemperque ac per omnia laudando judicio tuo ſupplicia videam, & intuear, cum debito timore pariter, & dolore. Tunc enim vertentur mihi in medicamenta ſalutis, tunc mors illa æterna erit mihi in vitam, & incendia in refrigerium, & ignis ille inextinguibilis in aquam frigidiſſimam. Domine miſericordiæ ſatis apparere poteſt mihi, quia velatâ facie, & velatis oculis ad infernale ducor ſuſpendium, ſi tam propè poſitus illi patibulo illud videre non valeo. Si enim illud viderem, quomodò non omnia hujuſmodi bona mihi per illud occaſionaliter fierent te adjuvante, quæ latronibus, & alijs ſceleratis fiunt per inſpectionem literalis patibuli? Domine miſericordiæ revela oculos meos, ut revelata facie intueri poſſim paratum mihi æternale ſupplicium, ut inde colligam ſaluberrima illa medicamenta, quę dixi. Propter hoc enim, & tu ipſe rex ſolus, & dominus ſæculorum, tu laus, & decus omnium, velari faciem tuam, & oculos tuos inſtar latronis paſſus es, ut nos ſpiritualiter, & interiùs ſic velatos, & ad æternale patibulum ſic ductos, revelares & revelatâ facie æterna ſupplicia, ad quæ ducebamur, videremus, ut revelata facie mirabilia de lege tua conſideraremus, & gloriam tuam revelatâ facie contemplaremur. De via illa, ſcilicet, qua ducebamur ad infernale patibulum pro noſtris latrocinijs, aliiſque ſceleribus, illumina obſecro domine miſericordiæ oculos cordis mei, ut videre tot, & tanta mala culparum, ſcilicet & pœnarum mearum prævaleam. Si enim videntes tot, & tanta mala, cujuſcunque alterius non dolere, & non lugere non poſſunt, quantò fortiùs mea propria abſque dolore, & luctu acerbiſſimo videre non potero? Domine miſericordiæ tu præcepiſti per prophetam tuum, dicens unicuique peccatorum, qui reverti cupiat ad te, planctum fac unigeniti Hoc igitur quod jubes me facere, & ſcis me non poſſe facere, niſi munere magnifico miſericordiæ tuæ prælargę da ut faciam, ſicut dicebat ſanctus, & doctus à te beatiſſimus Aug. dicens: Domine da quod jubes, & jube quod vis. Tu domine miſericordiæ præcepiſti ſimiliter: Plange quaſi virgo ſponſum pubertatis tuæ. Scio domine te docente, quia & incomparabiliter longè acerbior, & planctus, & luctus congruit miſeriæ meæ; Tu enim es domine ſponſus infantiæ meæ. qui animam meam in ſacramento baptiſmi deſponſaſti, & illam regali matrimonio honoraſti, & exaltaſti illam utique pauperrimam, viliſſimam, miſerrimam, F omnique bono tunc indigniſſimam, cuius matrimonij tam incliti, tam nobilis, fidem non ſervavit anima mea omni damnatione digniſſima: Rupit tibi fœdus tam ſublimis matrimonij, amiſit te incogitabilis gloriæ ſponſum, adultera poſt diabolum, qui eſt mors, & quòd tanta ex ſacrilegi adulterij impietate meruerim, quis illam expiare ſufficiat? quæ ſupplicia excogitari poſſunt, quibus illa digna non ſit? Tu ergo domine miſericordiæ cui adeò placitæ ſunt lachrymæ pœnitentium, cui adeò acceptus eſt luctus eorum, cui dolores interni, ac veræ pœnitudinis pro peccatis & delictis eorum ſatisfaciunt, cujus iram juſtiſſimam extinguunt, & placant lachrymæ compunctionis eorundem, da mihi obſecro dolores iſtos, da luctum iſtum, & lachrymas, qui ſcis te non poſſe placari mihi, & me non poſſe placere G tibi, niſi donis gratuitis miſericordię tuæ, nec poſſe redire ad ampliſſimum, copioſiſſimũ, dulciſſimumque ſinum miſericordiæ tuæ, niſi per hęc mihi tam ſalubria, tam mihi neceſſaria, tamque placita dona pietatis, & dulcedinis tuæ. Abſit à te domine miſericordię, ut dolores iſtos mihi deneges, qui æterna gaudia mihi promitis, & offers. Abſit ut lachrymas iſtas ſaluberrimas petens repulſam patiar abs te, qui aquam vitæ, & torrentem perennis voluptatis mihi promittis, & ad illam me, & per prophetas, & per temetipſum invitare non ceſſas. Tu enim dixiſti per prophetam tuum Iſaiam: Omnes ſitientes venite ad aquas, &c. ad aquas inquam, doctrinarum, gratiarum, & lachrymarum Unde ore tuo ſacratiſſimo in Evangelio Joannis dixiſti: Qui ſitit veniat ad me, bibat aquam vitæ gratis. Domine miſericordiæ ſi dolores iſtos denegas mihi, quâ fronte, vel audaciâ ſperabo à te æternæ fœlicitatis gaudia? Si lachrymas amariſſimas mihi præſtare non dignatis, quales ſperare potero, vel audebo à te dulciſſimas aquas H torrentis voluptatis tuæ? Domine miſericordiæ iſtam ſitim pœnitentialiũ lachrymarum tu dediſti mihi in corde meo, hanc eſuriem panis ſimiliter, da igitur, & mihi ſaturari ex ipſis. Iſte namque luctus quo eſurio, & ſitio, juſtitia tua eſt, qua non ſolùm juſtitias, ſed etiam juſtificas pœnitentes. Domine miſericordię tu promiſiſti ore tuo ſacratiſſimo in Evangelio tuo eſurientibus, & ſitientibus juſtitiam, quoniàm ipſi ſaturabuntur, adimple in me promiſſionem tuam qui prædonaſti mihi iſtam eſuriem, & ſitim iſtam. Domine miſericordiæ, lachrimæ iſtę ſunt vinum compunctionis, hoc vino pota me hoc pane lachrymarum paſce me. Tu enim es qui das eſcam eſurientibus, & non minùs potum ſitientibus Tu enim pręcepiſti unicuique paſce eſurientem, pota ſitientem. Exurge domine Deus meus in hoc præcepto, quod mandaſti & adimple illud in me Fac mihi lachrymas iſtas panes die ac nocte, ſicut feciſti David propter quod ipſe dicebat: Fuerunt lachrymæ meæ panes

Nota. Pſal. 19. Nota. Hiere. 6. Ioel. 1. Nota. Juſtitia Dei.

Pſal. 41. panes die, ac nocte, quod eſt dicere refectiones Cibabis me pane lachrymarum, & potum da mihi in lachrymis, & in menſurâ, magna utique, & largâ. Magna quippe mea ariditas, & magnis ſordibus abluendis major copia lixiviæ eſt opus, & magnarũ aquarum ſuperefſuſionibus effici poteſt: Vel da domine miſericordiæ mihi potum in lachrymis, in *Nota.* menſura quacunque, ſive quantacunque beneplaciti tui. Video me graviter deliquiſſe, & peccaſſe, cùm denegas mihi potum in lachrymis in menſura. Quemadmodùm fieri mos eſt in monaſteriis, ubi graviter peccantibus monachis ſubtrahitur menſura vini, quæ vulgò dicitur juſta. Dira, & dura eſt *Vindicta dura.* iſta vindicta, qua iam graviter infirmanti, tam periculosè ægrotanti ſubtrahis, vel denegas hanc medicinam ſalutis, & panem ſuaviſſimi odoris. Domine miſericordiæ ſi placent tibi dolores iſti internæ, & veræ pœnitudinis & ſi reputas eos vindictam juſtam, da eos mihi quantùm acerbos volueris: Da eos profundiſſimos, & intimos, ita ut ſi placeat tibi, totus immoriar doloribus hujuſmodi, totus diſſolvar, & abeam totus in lachrymas, & hoc ſit mihi conſolatio de immenſitate pietatis, & dulcedinis tuæ, ut *Dolor peccati.* affligens me doloribus, iſtis non parcas mihi uſque ad mortem corporis mei. Domine miſericordiæ non fuit à ſæculis peccator adeò ſceleratus, adeò execrabilis, adeò bonitati tuæ odibilis, quin una morte corporis ſui, ſi eam cum amore, & honore tuo ſuſtineret, eamque tibi offerret, omnia ſcelera ſua, atque facinora expiaret, & iram tuam uſtiſſimam, quantacunque adverſùs eum excandeſceret, extingueret, & placaret. Domine miſericordiæ hanc mortem non audeo mihi inferre, nec manus mihi injicere; veruntamen deſiderio eſt mihi, ſi eſſet beneplacitum tuum, in gladio verbi tui totum confoſſum corde, totumque vulneratum doloribus iſtis vivificis pœnitentialibus, piâ acerbitate eorum corpore mori, & corpus meum morti tradi hujuſmodi. Accidit plerumque Domine miſericordiæ, ut moriantur homines morte corporis præ doloribus & triſtitiis ſæculi hujus, utinàm & mihi daretur te, ut immorerer doloribus iſtis pœnitentialibus tam tibi placitis, tam mihi ſalutaribus, & neceſſariis. Domine miſericordiæ mihi tam gratum fuit propter bonitatem tuam deſiderare mori etiam pro te morte corporis, quæ perſecutorem gladius infer-*Nota.*retur, quantò igitur gratior tibi eſſe debet, & eſt indubitanter mors iſta, quam deſidero mihi inferri gladio verbi tui, cruciatuſque, & dolores iſti pœnitudinales: Et ſi igitur non eſt beneplacitũ miſericordiæ tuæ, ut uſque in mortem corporis doleam doloribus iſtis, placeat obſecro pietati tuæ, ut doleam uſque ad effuſionem largiſſimam lachrymarũ uſque, ut exitus aquarum deducant oculi mei, quia non cuſtodiunt legem tuam. Domine miſericordiæ da mihi ſic cognoſcere, ſicque jugiter intueri tot, & tanta mala mea, detrimenta, ſcilicet ipſarum virium naturalium mearum, quæ abuſionibus malorum operum meorum ita ſævè ſunt vulneratæ, & detrimenta gratiarum tuarum, quæ per illa amiſi & extinxi in me, detrimenta etiam gloriæ æternæ hæreditatis ac fœlicitatis, quibus me exhæredavi, quibus me privavi, atque totaliter ſpoliavi. Et ecce nudus ligatis, velatiſque oculis inſtar ribaldi viliſſimi, & latronis ſceleratiſſimi ducor ad infernale patibulum, qui rex coronatus fueram in Sacramento Baptiſmi ad regnum tuum cœleſte. Quàm lugubre ſpectaculum facio de me ipſo omnibus viris miſericordiæ, immò etiam cunctis, in quorum cordibus vel modicam ſtillam pietatis dediſti? Quot, & quantis deriſionibus Dæmonum pateo, quantis & quàm aſperis inſultationibus eorum expoſitus

A ſum, inſultare mihi namque meritò, & veraciſſimè poſſint, mihi inquam miſerrimo, atque viliſſimo, dicêtes: Ecce iſte factus eſt ſicut unus ex nobis; in hoc utique quòd tam viliſſimus apoſtata flammis æternalibus, & tenebris cum ipſis adjudicatus ſum. Et qui damnabiliter aſſociavi me ipſis in culpa apoſtaſiæ, id eſt receſſionis à te, ordine rectiſſimo aſſociari eis debeo in pœna damnationis æternæ. Hoc autem plus habet apoſtaſia mea culpæ, quòd de ſublimitate gratiæ adoptionis, quâ filium me adoptaveras, & de altitudine regni tui cœleſtis, cujus hæredem me feceras, tam viliter tamque turpiter dejectus, immò ſponte cadens, in extremam iſtam ignominiam, & paupertatem deveni. Quis iſta mala mea tot & tanta, videre poſſet abſque dolore compaſsionis & B lachrymis, niſi ipſi quibus me aſſociavi Dæmones, vel qui ex parte eorum per ſimilem aſſociationem effecti ſunt.

CAPUT XXVII.

Requirendæ ſunt interceſſiones ſanctorum ad impetrationem lachrymarum.

Conſilium autem neceſſarium, ac ſaluberrimum eſt, ut cùm vides per temetipſum ſolum impetrare te non poſſe donum luctus, & gratiam lachrymarum, hoc impetrare ſtudeas ſanctorum ſuffragijs. Et potiſsimè ſuffragijs glorioſæ Mariæ Magdalenę, necnon & beatiſſimæ illius Mariæ Ægyptiacę, quæ iſtis donis tam magnificè, tamque largiter dotatæ C fuerunt. Hoc factum eſt tempore meo, ubi quidam magnus cùm doleret, & conquereretur de ariditate cordis ſive de eo, quòd aruiſſet in eo fons lachrymarum, incidit cordi ejus conſilium iſtud videlicet, ut iret ad ſepulchrum glorioſæ dominæ Mariæ Magdalenæ, cùmque ibi precaretur, ut fontem ei lachrymarum ſuis ſuffragiis impetraret, hoc per eam obtinuiſſe ſuis familiaribus referebat. Debes etiam reminiſci quòd donum luctus, ſive fons lachrymarum lavatorium eſt in clauſtro ſpirituali, in quo totius ſanctitatis regulæ obſervantur, intolerabilis autem eſt in omni clauſtro defectus lavatorij. Quapropter obſecrandus eſt tibi Deus, qui ſolus ædificator eſt clauſtri illius, ut ipſe in clauſtro tuo quod tu ipſe eſſe debes, vel cor tuum, non permittat, D deeſſe tam neceſſariam officinam, & quòd ipſe eam in eodem ædificet, præſertim, cùm ipſe ſit puritatis, & munditię zelantiſſimus amator, quæ niſi per lavatorium hujuſmodi conſervari in iſto clauſtro non poſſunt. Obſecrandus eſt etiam quantùm poteſt, & quantùm ipſe dignatione ſuæ pietatis, & dulcedinis adjuvare voluerit, ut ipſe tibi largiatur in eo copioſas, & indeficientes aquas. Reminiſci etiam debes de pœna regularium, cujus tibi feci in præcedentibus mentionem, quibus aufertur menſura vini, quæ dicitur juſta, non tamen aufertur aqua, quan-E tumcunque deliquerint nec datur eis panis, nec cibus ullus abſque potu ſaltem aquæ. Obſecra igitur ipſum ne in te hunc intolerabilem rigorem ſuæ ſeveritatis exerceat, qui & clauſtralem diſciplinam, & duritiam humanam excedat. Obſecrandus eſt etiam, ut in alijs pœnis, ſi vindicta ei de te placeat, vindicet in te quæcunque vindicare voluerit, præterquàm in illis, quæ longè te faciunt ab illo, & impediunt, quominùs appropinques ad ipſum, præſertim cùm ipſe jubeat dicens: Appropinquate *Ioan. 4.* Deo, & appropinquabit vobis. Hæc autem ariditas ab aquis, videlicet, lachrymarum prohibet evidenter appropinquare te ipſum, ſic aquæ lachrymarum appropinquare te faciunt ad ipſum, & ipſum ad te.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Quòd afflictio corporalis valet ad impetrationem lachrymarum.

EST aliud adjutorium orationis grande, atque fortiſſimum, ipſa afflictio, ſeu tribulatio, de qua & propter quam clamatur ad Deum, propter quod ab ipſo Spiritu Sancto edocti patres affligebant ſe, cùm orationibus ſuis impetrare vellent aliquid magnum à domino. quod adhuc ſervat omnis Eccleſia Sanctorum affligens ſe jejuniis ciliciis, laboribus, & flagellorum etiam diſciplinis, & aliis modis, quos juſtificationis gratia docere, & ſuggerere conſuevit. Et tribulatio, pro quâ, vel contra quam ſcilicet ut avertatur, clamatur ad dominum, inprimis adjuvat orationem, quia facit ut eidem clametur obnixiùs, ſicut dicit beatus Aug. videlicet, quia in tribulatione obnixiùs clamatur. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ipsâ ſuâ acerbitate incitat, & incendit deſiderium liberationis ab eâ: Et propter hoc quantò major, acerbiorve fuerit, tantò magis incendit, & incitat deſiderium hominum: Deſiderium autem impetrandi quod petitur, vox eſt orationis, & propter hoc muta eſt, & ſine voce oratio, F quæ deſiderium non habet hujuſmodi; & ideò tacet in oratione, qui loqui videtur multoties. Cùm autem vehemens fuerit hujuſmodi deſiderium erit clamor. Quapropter verus eſt ſermo beatiſſimi Auguſt. qui dixit, quia in tribulatione clamatur obnixiùs. Ob hanc cauſam dixit alibi idem beatus Auguſt. quia propter hoc immittit Deus tribulationes, ut tribulati clament ad ipſum, clamantes exaudiantur, exauditi liberentur, liberati glorificent miſericordiſſimum liberatorem Deum Quapropter dixit idem ſuper Evangelium Matt. quia tempeſtatem fecit oriri in mari ut navicula jactaretur fluctibus, ut metu tempeſtatis territi diſcipuli excitarent dominum Jeſum Chriſtum dormientem, & clama- G rent ad ipſum à facie tempeſtatis, exauditique, & liberati glorificarent ipſum, ſicut & ibi factum eſt. Secundò adjuvat orationē afflictio, quoniàm afflictio miſeria eſt Miſeria verò provocatrix eſt miſerationis apud miſericordiſſimum Deum propter quod & miſericordia dicitur quaſi miſericordia cordis de alieno malo, propter quod propriè compaſſio nominatur quaſi alienæ conſortium paſſionis, quæ quidem etſi in Deo locum non habeat quantùm ad affectum quantùm tamen ad effectum ſubventionis competit eidem, quatenùs fas eſt. Subveniens enim miſerator Deus tribulatis hoc facit ipſis, quòd ſocium ſe tribulationis faceret, ſi poſſet, eiſdem vi- H delicet liberans eos, vel tribulationem mitigans, aut leniens ipſis. Quia igitur afflictio propria in eis, qui aliàde tribulātur addit ad miſeriā ipſorū, addit & ad provocationem ut prædixi, miſerationis & propter hoc addit adjutoriū exauditionis ipſius orationis per quam miſeratio intenditur impetrari. Tertiò quoniàm ipſa afflictio propria quædam pars eſt juſtificationis neceſſe eſt, ut propter illam detrahat miſerator Deus, ſive minuat de vindictâ, quam irrogaturus erat, ſi iſta afflictio non eſſet, non quidem minuit, aut detrahit pro quantitate afflictionis hujuſmodi ſed pro largitate ſua, ſecundùm largitatem, & immenſitatem miſericordiæ ſuæ, Interdùm etiam totam detrahit in initio afflictionis hujuſmodi, & ſententiam damnationis imminentis totam revocat, totamque pœnam minatam ignoſcit, ſicut manifeſtum eſt eum feciſſe Niniviris, cum agerent pœnitentiam ad prædicationem Jonæ prophetæ. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quan-

E tùm, & qualiter afflictio propria adjuvat orationem ad impetrandum miſerationem. Juxta hoc dicit Bern Clarevallen. Primò affligere ſe debet orās corā domino, ut parcat ſaltem flagellato, qui non parcit juſtificato, ac ſi diceret, ut ipſa flagellatio miſericordiam provocet, quam juſtitia (quia nulla eſt) provocare non poteſt. Si quis autem quærat de mugitibus boum, & ejulatibus parvulorum, & de afflictionibus animaliū, quas paſſa sūt apud Ninivitas, in quo vel propter quid adjuvabant orationes Ninivitarū: Reſpondeo in hoc, quia afflictiones erant hominum, quorum erant parvuli, & quorum erant animalia; cauſa autem in hoc eſt, quoniàm & in filiis, & in animalibus ſuis, ac rebus aliis manifeſtum eſt affligi patres, & matres, & rerum hujuſmodi poſſeſſores: de jejunio verò quantùm adjuvet orationem expreſſit beatus Auguſtinus ubi dixit, quòd ſi vis orationem volare ad Deum, fac ei duas alas, jejunium, & eleemoſynam; quantùm igitur altera alarum adjuvat volucrem ad volandum, tantùm ſimili modo adjuvat jejunium orationem ad volandum ad Deum; volatus autem hujuſmodi exauditio eſt, non enim aſcendere dicuntur orationes, niſi quas & audit Deus.

CAPUT XXIX.

Quare jejunio tanta efficacia tribuatur.

HAbet autem quæſtionem, & admirationem non levem, propter quid ſapientiſſimus, & ſanctus Auguſtinus jejunio tantam efficaciam, & virtutem hic attribuit, ut eam eleemoſynæ parificare videatur. Alæ enim duæ paris virtutis ſunt, & æqualis per omnia in omnibus volatilibus, & æquale præſtant eis adjutorium ad volandum, nec potior eſt in hoc ala dextera, quàm ſiniſtra. nec econverſò, cùm econverſò ſe habeat in majori parte hominum. Non enim æqualis virtutis, aut fortitudinis ſunt dextera manus, & ſiniſtra in hominibus, immò in pluribus dextera ſiniſtram excedit. In ſolis verò illis, qui vocantur ambidextri, qualis fuit Haïoth, & Gabaonitæ, & per omnia ejuſdem fortitudinis ſunt, & ad operandum ejuſdem adjutorij. Apoſtolus autem dixit. 1. ad Timot. 4 quia pietas ad omnia valet; exercitatio autem corporis ad modicum valet. jejunium verò una eſt de exercitationibus corporalibus, quare nulla eſt comparatio jejunij ad pietatem, quemadmodùm nulla eſt ejus, quod eſt modicum, ad omnia; reſpondeo in hoc & dico, verum eſſe, hoc eſt veri nominis & rationis, jejunium, oblationem, & ſacrificium proprij corporis; ſicut evidenter teſtatur Apoſtolus ad Romanos duodecimo, dicens: Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, præſertim cùm non avaritiæ, ſed miſericordiæ eſt jejunatio. Hoc autem eſt, cùm ea quæ detrahuntur corporibus de alimentis, in Chriſti pauperum alimoniam, vel in alios uſus pios erogantur. Nec videtur eſſe veri nominis quo non & anima, & corpus affligitur. Nec modica eſt afflictio animæ humanæ fames, & ſitis: quod inde manifeſtum eſt, quia cùm vehementer invaluerint, cogunt hominem comedere manus ſuas, vel alia de carnibus ſuis quæ rapere de ipſo corpore ſuo potuerunt. Similiter, & de vehementia ſitis, quæ bibere cum proprium ſanguinem, vel urinas compellit. Afflictionem verò corporis eſſe ipſum jejunium, attenuatio ejuſdē corporis, quæ per pauca & moderata jejunia fit, evidenter oſtendit. Hoc autem non propterea dico, quia ita iejunandum ſit, ut in hujuſmodi rabiem ſitis, & eſuries invaleſcat, ſed potiùs ut

manifeſtum

A manifeſtum tibi fiat, quia veri nominis, & rationis jejunium, & ſacrificium eſt, ut dixi, & juſtificatio quędam tam animæ quàm corporis, & propter hoc efficax non mediocriter ad placandum iram juſtiſſimam Dei, & ad minuendum pœnas meritas ſeu debitas. Quantò enim quis vehementiùs ſe affligit pro ſuis vitiis, & peccatis, tantò minus in ſe ipſo relinquit divinæ juſtitiæ puniendum. Quapropter cùm ſemetipſum ſufficienter juſtitiat, non eſt à Deo ulteriùs juſtitiandus, ſicut docet Apoſtolus 1 Corint. 11. dicens quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quatenùs, & qualiter ala altera orationis eſt jejunium, videlicet ad impetrationem remiſſionis pœnæ meritæ, ſeu vindictæ. Adjuvat etiam orationem ad volandum in ſublime divinæ miſerationis quoniàm inexcuſabilem efficit jejunantem. Verùm quod dicit Apoſtolus, quia exercitatio corporis ad modicum valet intelligendum B eſt ut eſt exercitatio, hoc eſt dicere per ſe: Valet namque per ſe ad frangendum vires carnis, & ad reprimendos, & interdùm extinguendos ardores concupiſcentiarum carnalium: Et ad hoc efficax eſt valdè jejunium, quemadmodùm ſubtractio lignorum ad extinguendum incendium, ſicut dicitur: Detrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammas, & carnis motus, otia, vina, dapes. Nec intelligas hîc exercitationem corporis, niſi macerationem carnis, quæ fit non ſolùm jejuniis, ſed etiam laboribus, & omnibus ſanctis occupationibus. Per ſe igitur inquantum exercitatio corporis, & per hoc quod eſt exercitatio ad hoc valet, quod prædixi, quod reverà modicum eſt comparatione utilitatum pietatis. Pietas enim, id eſt miſericordia, & ad illud valet, & ad omnia alia, quæ ſalutis ſunt, ſive pertineant ad ſalutem: nihil enim C eſt vel veniæ, vel gratiæ, vel gloriæ, quod pietas non impetret. ſicut expreſſe legitur Tobiæ 4. Quoniàm eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras: Et iterùm: Non avertas faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies domini. Eleemoſyna namque non ſolùm poteſt, vel valet per eum in quo eſt, vel facit illam, ſed etiam per eos, quibus fit, valet etiam per ſemetipſam. Eleemoſyna enim per illud quod eleemoſyna eſt, habet fructus, & utilitates mirabiles, & mirificas, ſicut eſt evidenter colligere ex teſtimoniis ſcripturarum. Quidam verò per ſophiſticas calumnias quæ in ſcholaſticis diſputationibus non tam fructuoſè, quàm tumultuosè audiuntur, pietatem intellexerunt in ſermone præmiſſo Apoſtoli illam, quæ theoſebia nominatur, & hoc indubitanter cultus D Deo debitus, & acceptus nominatur, quæ rectiſſimè veneratio ſanctorum idest rerum ſanctarum, in quibus primatum, & principatum ſupereminentiſſimum obtinet creator benedictus, tanquàm in primis, & maximè venerandus, deinde beatiſſima, & glorioſiſſima Dei genitrix, poſt hoc unuſquiſque ſanctorum, ac ſanctarum in ordine ſuo. Nec debentur ſacramenta, ſacramentalia, ſacraque bona ſua, & ſacra vaſa, atque ornamenta, & generaliter omnia quæcunque benedictionibus pontificalibus ſacrantur, vel ſanctificantur; omnia namque hujuſmodi tamquàm ſacra veneranda ſunt.

1. Tim. 4.

CAPUT XXX.

Aſſiduitas orationum adjuvat notabiliter.

EST & aliud fortiſſimum orationis adjutorium, ſcilicet aſſiduitas, ſicut teſtatur Jacobus ultimo c. epiſtolæ ſuæ dicens: Quia multùm valet deprecatio juſti aſſidua. Et Apoſtolus primo ad Theſſal. Sine intermiſſione orate. Et ipſa veritas in Evangelio Lucæ. Quoniàm oportet ſemper orare, & non deficere. Qualiter autem orabimus ſemper? Impoſſibile enim manifeſtum eſt ſemper aliquem orare. Qualiter poſſibile eſt dormientem orare cùm dormit? Credo autem te audiviſſe verba hominum, de quibus fuerunt, qui dixerunt vitam omnem ſanctorum orationem eſſe, propter auctoritatem, quæ dicit; Juſtus non deſinit orare niſi cùm deſinit juſtus eſſe. Hoc autem non eſt dictum niſi per tropum, quo duæ res, quæ idem, vel æqualia efficiunt, ſolent dici unum eſſe, juxta ſermonem Apoſtoli primæ ad Corinthios tertio: Qui plantat, & qui rigat unum ſunt; & intelligitur unum in efficientia, ſeu effectu. Sic ſe habet de oratione juſtorum, & de vita eorum: in effectu namque impetrationis apud Deum unum, & idem ſunt. Eadem enim impetrant apud ipſum vita ſanctorum, & oratio eorundem. Utraque enim impetrat, & veniã, & gloriam, & gratiam, & omne aliud bonum, quod ipſis largitione divinâ tribuitur. Quidam quoque ex ſanctis patribus dixit ſe inceſſanter orare, pro eo quòd, vel ipſe orabat in perſona ſua, vel pauperes, quos labore manuum ſuarum ſuſtentabat. Dicit igitur ſe orare, cùm pro ipſo orabatur. Verùm non eſt opus, ut in explanationibus troporum, & figurarum hujuſmodi detineam te ulteriùs. Ad illud igitur veniendum eſt, quomodò oportet ſemper orare, & quâ de cauſâ. Dico igitur, quòd quamdiu fervet, & ardet incendium, tamdiu clamandum eſt contra ignem pro aquâ. Et hoc evidenter vides in incendiis iſtis materialibus: Quamdiu enim ardet ignis, quo domus aliqua comburitur, tamdiu continuatur clamor eorum, qui ad liberationem domus, & extinctionem incendij laborant, vel alia ſatagunt. Ubi eſt ergo in tota Eccleſia Dei domus in qua ignis vel iræ, vel luxuriæ, vel alterius peſtium hujuſmodi non inceſſanter graſſatur? Non dubites quin rariſſimæ, pauciſſimæque ſint, quibus Deus parcat ab his doloribus vel quas ab eis potiùs tueatur. Quapropter ſi vel leviter, vel ad modicum aperueris oculos, & inſpexeris in civitatem Dei videbis ferè eam ubique variis vaſtari incendiis hujuſmodi, juxta comminationem domini per Iſaiam dicentem: Relinquetur filia Sion ſicut civitas quæ vaſtatur & tot, & tantis incendiis. Denique quamdiu pugna committitur, quamdiu durat prælium, an non reſonandum eſt tubis contra hoſtes? Clangores autem tubarum nonne ſunt clamores orationum? Ampliùs. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & alia litera habet. militia, hoc autem non niſi bellum. Si igitur toto bello, idest toto tempore durationis belli, vociferandum eſt & tubis reſonandum, nulla parte vitæ hujus vel grandi, vel modica ceſſare licet nobis ab oratione. Quòd ſi quis fortaſſe dixerit, quia clerici, & ſacerdotes, & inter hos potiſſimùm clauſtrales debitores ſunt inſtantiæ iſtius, & continuationis orationum, cùm eis ab aliis operationibus adeò parcatur ut nihil aliud eis impoſitum ſit. & ipſe Hieronymus expreſsè dicat, quia monachi officium eſt ſua, & aliorum peccata deflere, & generaliter ad hoc, & propter hoc totus clerus conſtitutus ſit, ut mediator ſit inter populum & Deum, ſicut & juxta literam, inter populum, & altare loco medio ſtat in Eccleſia, ad hoc videlicet, ut divinis laudibus, orationibus & ſacrificiis, non ſolùm iram Dei placare ſtudeat erga populum. ſed etiam gratiã, & gloriam eidem impetrare: Reſpondeo in hoc quia reverà inſtandum eſt orationi, & quantùm permittit ipſa, quâ omnes premimur infirmitas,

Digitized by Google

ſimiliter, & quantùm alia officia permittunt, quæ nec minoris gloriæ ſunt creatori, nec populo minùs neceſſaria ſunt ſicut officium prędicationis, ſacramentationis, officium interdùm judicationis, & pacificationis inter diſcordes. Sunt & præter hæc officium diſputandi contra errores, officium inquirendi, & fabricandi arma ſpiritualia contra hoſtes Eccleſiæ Dei, officiumque texendi retia, hoc eſt componendi & ſcribendi ſermones ad piſcandum in mari magno, & ſpatioſo mundi hujus pro quibus vani homines, & imperiti telas aranearum texunt pro eis, non ſolùm inaniter, ſed etiam damnabiliter, ipſiſque auditoribus pernitioſè ſe ipſos eviſcerant, dum ea vel docent, vel prædicant, quibus non ſolùm non capiuntur ſed etiam inflammantur, interdúmque fatigantur. Et quod eſt ad malorum omnium cumulum, ipſa aromata ſacrorum eloquiorum faſtidiunt, & abominantur euſque, ut aures ſuas ab eis prorsùs avertant. Orat & ſine intermiſſione, qui alia ſibi officia impoſita exequitur, nec propter illa ab oratione deſiſtit. Orat igitur ſemper, & non deficit, qui juxta quod ei ab aliis officiis permittitur, orationi inſiſtit. Propter quod & circumſpectè adjecit veritas: Oportet orare ſemper, &

Lucæ 18. non deficere. Sic enim abundandum eſt nobis in oratione, ne aliis officiis deficiamus, nec cogimur per exempla illa quę de pugna, & incendiis hic adducta ſunt, in omni momento temporis inſtare orationi cùm alia non minùs neceſſaria, vel ſalutaria, vel ſalubria, cùm vacaremus orationi continuæ, non ſufficienter implerentur. Generaliter enim conſtitutus eſt clerus, ut cuſtodiat juſtificationes Dei, & mandata ejus exquirat, ſicut legitur in Pſal-
G
mo, & ſecundo Paralipo. triceſimoprimo: Præcepit Rex Ezechias populo habitanti in Hieruſalem, ut darent partes ſacerdotibus, & levitis, ut poſſent vacare legi domini, & ſubintellige, intelligendæ, meditandæ, implendæ, & docendæ, ſicut & in Pſalmo legitur: Dedit eis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes, & legem ejus exquirant. De clauſtralibus verò, ſive regularibus, quos communiter religioſos dicimus, non eſt dubitandum, quin ſumma cura debeat eis eſſe de Dei laudibus, orationibus, & ſacrificiis:

Nota. His enim tribus omnia officia religioſorum inſerviunt principaliter. Diſciplina namque clauſtralis, quę in capitulo exercetur, cuſtos quidem eſt trium iſtorum. Similiter & ſobrietas ciborum, & potuum, quæ religioſis indicta eſt, & in refectoriis eorum regulariter ſervatur, non modicum, nec leve adjumentum præſtat tribus illis antedictis. Verùm lectionem ab oratione diſtinguere non multùm curo, cùm adeò ſibi invicem connexæ ſint, ut lectio
H
orationem impinguet, & lectionem oratio illuminet. Quapropter arida, & modicæ, vel nullius refectionis eſt oratio, quam lectio non impinguat, & parum luminoſa lectio, quam oratio non illuſtrat. Cæterùm lectio pſalmorum ſacratiſſima, atque profundiſſima, penè tota oratio eſt. Unde ſicut nec veraciter pſallit, qui pſallendo non orat, & intendo, cujus pſallere non eſt orare, ſic nec veraciter legit pſalmos cujus legere orare non eſt: Longè enim differunt ab invicem pſalmorum recitatio, & ipſorum vera lectio; medulla namque debet eſſe pſalmodia. Nuda namque, & inanis à devotione pſalmorum recitatio, tumultus tantùm eſt, & ſtrepitus labiorum. Propter quod dixit dominus Amos quinto: Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non exaudiam. Et putaverunt ſe habere vaſa cantici ſicut David. Et jam dixi, quia vox orationis deſiderium in æternum eſt. Et propter

Pſal. 9. hoc dicebat David ad dominum: Deſiderium cor-

E
dis eorum audivit auris tua. Ex omnibus iſtis ergo colligitur, quòd officium orandi non ſolùm, ſed maximè impoſitum eſt clero, ſive ſæculari, ſive regulari; & propter hoc nec eſt neceſſe, ut iſti officio totaliter, & ſingulariter ſe impendant. Aſſiduitas igitur orationis inculpabiliter ſervatur, cùm tempore ſuo, & loco ſalviſque aliis officiis eidem provt decet inſiſtitur. Et intendo provt decet, ut pinguis ſit & medullata provt doceberis in ſequentibus. Semper igitur orat, & non deficit, qui ſic orat: quemadmodum ſemper dicitur jejunare, qui omni die unica refectione contentus eſt. Quòd ſi quis arguere velit, ſemper jejunat: igitur etiam cùm comedit: concedi poteſt concluſio, ſive conſequentia: quia indubitanter dum comedit, contentus eſt refectione una in die, & abſtinet à pluribus refectionibus: Sic ſemper orat iſte, & non de-
F
ficit ab oratione, qui ſtatutis horis hoc eſt ad orandum deputatis, orationem facit: Non enim deficit à quocunque bono opere, nec in defectu eſt operis illius, qui id ſuo tempore, & loco exercet.

CAPUT XXXI.

De importunitate orandi.

VErùm quoniàm laudavit veritas in Evangelio improbitatem in oratione, & importunitatem, tanquàm fortiſſima orationis adjutoria, ſciendum eſt tibi, quòd improbitas in rogando non eſt, niſi inſtantia tędioſa, ſive moleſta ei, qui rogatur, & hoc propter prolixitatem ſuam, vel vehementiam. Qui-
G
dam enim ſunt, qui preces ſuas non ſolùm offerunt eis quos precantur, ſed etiam illas ipſis ingerunt, & impingunt, quaſi pugnantes cõtra duritiem, vel difficultatem exauditionis, & tandem ipſam expugnantes, atque vincentes, & gratiam, ſeu beneficium exauditionis tædio interpellationis tanquàm ab inimicis extorquentes; ſicut in exemplo de vidua cujus petitionem exaudivit judex, non quia Deum timeret ipſe, vel homines vereretur ipſe, ſed quia moleſta eidem erat vidua, ſicut legitur Lucę 18. Importunitas verò ſimul moleſtia eſt, ſive tædioſitas in interpellando, ſive rogando. Verùm importunus dicitur, quaſi inopportunus, qui in rogando nec loci, nec temporis opportunitatem ſervat, & ubicunque poteſt, preces ingerit, & impingit ei, quem rogat, ubicunque illum inveniat, videlicet in menſa, ſive in cubili, ſive in publico, ſive in ſecreto. Vel dicitur importunus, quaſi in portu, vel in porta, ita ut arceri inde niſi valde difficilè poteſt, & à janitoribus impulſiones multas, & ver-
H
bera ſuſtinet, ut accedat, vel appropinquet ei, quem rogare intendit. Tu autem ſcis, quia omnia iſta moleſta ſunt valdè magnatibus; longè autem ſunt hæ, & omnes aliæ moleſtiæ à pacatiſſimâ, & tranquilliſſimâ gloriâ creatoris: ſed nec poſſibile eſt ab eo aliquid tanquàm eo invito extorqueri. Omnia quippe largitur præclara bonitas ejus, non ſolùm liberaliter, ſed etiam libenter. Voluit igitur in exemplo illo de vidua antedicta, & in exemplo de amico, & tribus panibus, quod legitur Lucæ 11. nos animare ad orationis inſtantiam. Nihil enim ei gratius offerri poteſt à nobis, quàm perfecta ex omnibus modis ſuis oratio. Cauſa autem in hoc eſt abundantiſſima largitas bonitatis ipſius, per quam quęrit in nobis occaſiones miſerendi ſemper nobis, ac benefaciendi. Adeò namque placet eidem dare, ut propter hoc omnia creaverit; volebat enim habere quæ, & quibus daret. Angelos autem, & homines in hoc ſpecialiter creavit, ut daret eis ſemetipſum, propter quod, & tales eos creavit, qui ipſius capaces

eſſent,

eſſent, niſi vitiis, & peccatis euſque ſeipſos miniſtraſſent, & coangustaſſent, ut divinæ immenſitatis omninò imperceptibiles, & incapabiles eſſent; ſic & offenſis contumeliarum, & injuriarum innumerabilium, & inæſtimabilium iram ejus juſtiſsimam adeò contra ſeipſos provocaverunt, ut juſtiſsimo, ſemperque ac per omnia laudando judicio ejus, reddenda ſint eis æterna ſupplicia. Prætertim, atque potiſsimùm illis, qui culpis ſuis originalibus, & actualibus contumaciam obſtinationis, & incorrigibilitatis pertinaciam addiderunt. *Nota.* Apparet igitur tibi, ſi tamen videre vis, & vales, quantus ſit placor, quantaque gratia piarum, ac devotarum orationum coram Deo, vel apud Deum, dum per eas eidē præſtatur occaſio id faciendi, propter quod placuit ei omnia facere, & hoc eſt largiri quo nihil ei gratius eſſe poteſt. Et ob hanc cauſam gratioſiſſima eſt in conſpectu ejus humilitas: ipſa enim ſemper querulosa eſt, ſemper mendica, ſemper egena dū hîc vivitur ſemper ſaccum ſuum vacuum eidem oſtendens, & porrigens, ſemperque indigentem, ac pauperrimam ſe acclamans, miſeriaſque ſuas immenſas, & innumerabiles oculis pietatis ipſius ingerens, non tam oſtentans, quàm vehementi improbitate, & importunitate impingens, juxta conſuetudines trutannorum, qui ſcabies ſuas, & ulcera, membrorumque ſuorum corroſiones, nuditatem cæteraſque miſerias ſuas tanta ſtudioſitate oculis ſpectantium ingerunt, & intueri illas eos cogunt, ut ſi nullo miſerationis affectu in eo moveantur, neceſſe tamen habeant aliquo beneficio oculos ſuos ab aſpectu tam horrificarum miſeriarum redimere. *Nota.* Habet & aliud gratię ſingularis humilitas, videlicet quòd ſaccus ejus nec hîc impleri poteſt donis largitatis, nec paupertas ejuſdem ditari. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm quantò majora, amplioraque dona recipit, tantò ampliùs ipſa creſcit; & propter hoc tantò ampliùs vacuam, & pauperem ſe proclamat. Ipſa igitur quaſi contendit cum immenſitate divitiarum, & beneficentiæ creatoris, & dicit audenter. Imple ſaccum paupertatis & vacuitatis meæ, ſi potes domine Deus meus. Propter hoc igitur ut prædixi gratioſiſſima eſt humilitas in conſpectu creatoris, quoniàm occaſiones ei ſemper miniſtrat largiēdi ſimul, & miſerendi, donandi pariter, & prædonandi. Sicut enim gaudium eſt juſto facere judiçium, ut legitur Proverbiorum vigeſimoprimo: ita gaudium eſt largiſſimo ignoſcere, & largiri. Quia igitur ſicut ſuper omnem cogitatum eſt largitas creatoris, ita ſuper omnem æſtimationem noſtram eſt bonitati ejus placitum largiri, propter hoc meritò tam placitę ſunt ei occaſiones largiendi, quas ei humilitas ſubminiſtrat.

CAPUT XXXII.

Quòd fides adjuvat orationem.

QUia verò fides fons eſt orationis, ſicut dixit ſanctus & ſapientiſſimus Auguſtinus, manifeſtum tibi eſſe facilè poteſt, rememorationem fidei non ſolùm adjumentum eſſe orationum, ſed & orationis gratiam ex ea, & per eam, mirâ affluentiâ redundare. Rememorandi igitur ſunt orare intendentibus, atque volentibus illi articuli fidei, qui maximè gratiam gratitudinis, & devotionis in nobis excitant, & incendunt. Hi autem ſunt de myſterio incarnationis, paſſionis & mortis, nec non victorioſiſſimæ reſurrectionis ejuſdem, atque in cœlos glorioſæ aſcenſionis, ſimiliter & ſacramenti altaris, in quo incogitabiliter larga, atque profuſa eſt in nos beneficentia ipſius, & inæſtimabiliter A admiranda dignatio magnificentiæ, & gloriæ ipſius qui quotidie non ſolùm multoties, ſed vicibus innumerabilibus, deſcendit de ſummo cœlorum, de altiſſimo ſolio gloriæ ſuæ, in manus ſacerdotum, myſterium illud altaris ritè celebrantium: Deſcendit inquam ad orationes Eccleſiæ ſuæ quæ per ora ſacerdotum fiunt in ſacramento illo. Rememorandæ ſunt etiam officia ineffabilis pietatis chariſſimi, & benedicti unigeniti patris Dei, propter quæ illud venerandum ſacramentum inſtituit, & quæ in eodem in omnibus miſſarum ſolemniis adimplet, & perficit. Quorum primum eſt officium medicationis quo medetur Eccleſiæ ſanctæ ſuæ theriaca vivifica ſacratiſſimæ carnis ſuæ, & ſyrupo ſaluberrimo pretioſiſſimi ſanguinis ſui. Secundum, officium eſt ſacramentationis, ſive ſanctificationis, quo officio nos emundat ab omnibus inquinamentis carnis, & ſpiritus, & replet omni ſanctitate, & B gratia. *Nota.* Tertium officium eſt reconciliationis, quo per ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui placat nobis in myſterio illo patrem miſericordiarum, & reconciliat nos eidem. Quartum officium eſt refectionis ſpiritualis quo tam nobili, tantæque ſuavitatis cibo & potu nos reficit, & ſatiat, extinguens in nobis famem, & ſitim mortiferas carnalium, & ſęcularium deſideriorum.

CAPUT XXXIII.

Cum quanta gratiarum actione eſt ſalutandus dominus Ieſus in miſſa.

HÆc quatuor in omni miſſa ab ipſo tota devotione toto fletu cordis, ab eodem expoſcenda ſunt, ita ut in ipſa hora elevationis dominici corpo-C ris procidatur coram eo cum gratiarum actione devotiſſima & laudibus, & dicatur ei benè veneris tu benedicte Salvator, & benedicat tibi quicquid tibi benedicere poteſt, pro tot, & tantis magnalibus pietatis, & dulcedinis tuæ, pro tot, & tantis dignationibus magnificentiæ gloriæ tuæ, pro tot, & tantis, tamque magnificis donis incogitabilis largitatis tuæ, & beneficentiæ. *Nota.* Ecce oculi tui ſacratiſſimi vident ariditatem, frigiditatem, tenebroſitatem, vacuitatem omnimodam, & paupertatem cordium noſtrorum. Ecce non ſufficimus ad gratiarum actiones & benedictiones, & collaudationes, & glorificationes tuas, quin potiùs per omnia deficimus à debitis devotione, & gratitudine etiam pro unico adventu tuo de cœlis, pro unicâ deſcenſione tua, ſed nec totus mundus regratiate tibi pro una ejuſmodi deſcenſione, & adventu ſufficeret: quantò minùs igitur pro quotidianis, aſſiduiſque, & indubitanter innumerabilibus, quiſquam tibi ſatis gratus, ſatiſque devotus eſſe poteſt. Tu ergo ne attenderis & ne reſpexeris ad tantos defectus noſtros tantamque pauper-D tatem, ſed reſpice potiùs ad ſuperabundantiſsimas divitias pietatis, & dulcedinis tuæ, quæ te huc adduxerunt & de ſupereminentiſsimo gloriæ tuæ ſolio huc deſcendere te fecerunt & in manibus hujus præſentis ſacerdotis, qui tam venerandum, tamque ſacrum miniſterium in nomine tuo celebrat, poſuerunt, tanquàm oblationem patri miſericordiarum gratiſsimam & acceptiſsimam, ubi offerris per manus illius pro tota tua Eccleſia & ex parte ipſius. Inde obſecro perage, & admitte officia iſta immenſæ miſericordię tuæ. Inde operare in nobis quatuor iſtas virtutes ſacratiſsimi hujus myſterij. Inde medere animarum noſtrarum vulneribus, atque languoribus. Inde fac nobis iſtam vitalem, vivificāque pretioſiſsimi corporis theriacam, vivificique ſanguinis tui medicinam in vitam & ſalutem mentis, & corporis. Placa nobis patrem miſericordiarum

Digitized by Google

hoc placabiliſſimo, eique acceptiſſimo ſacrificio, quo placaſti eum nobis in ara crucis agnus immaculatus Agnus Dei qui tollis peccata mundi, offerens temetipſum eidem hoſtiam, in odorem ſuavitatis pro nobis. Ubi pacificaſti per ſanguinē crucis tuæ, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Domine miſericordiæ quanta devotione, quantis gratiarum actionibus, quantis piarum lachrimarum profluviis, rememoranda, ac jugiter recogitanda eſſent nobis tam indebita noſtris miſeriis, tam ſtupenda, tamque excedentia omnem admirationem, & omnem cogitatum beneficia? Tu igitur qui vides quàm longè nos fecimus noſtris vitiis, & peccatis, à tam neceſſariis, tam ſalutaribus, tam deſiderabilibus nobis, tamque bonitati tuæ gratis, & acceptis donis, adjuva inſuper imperfectum noſtrum, & ſupple tam miſerabiles defectus noſtros, tamque mortiferam paupertatem, ſuperabundantiſſimis divitiis gratioſitatis tuæ videlicet gratiarum actionibus & aſſi-

Nota. duis benedictionibus tuis. Emunda nos ab omnibus inquinamentis carnis, & ſpiritus, & reple nos omni F ſanctitate, & gratia, & omnibus donis, & virtutibus, quibus tibi placetur ſervitur, & vivitur, ad placendum, ſerviendum, totaliterque vivendum majeſtati tuæ, cum patre miſericordiarum, & Spiritu Sācto: & hoc inquam per virtutem tam venerandi, tāque ineffabilis ſacramenti, quod & propter hoc tu ipſe inſtituiſti & celebrandum Eccleſiæ tuæ ſanctæ tradidiſti & præcepiſti. In quo mirificentiſſima virtus tua ſemper operatur, quod nulla virtus naturæ, nulla potentia præter ſingularem illam, & omnibus dominantiſſimam, ac ſupereminentiſſimam tuam, operari poteſt, videlicet, ut panis ille materialis, & vinum viſibile in ſacratiſſimum corpus tuum & vivificum ſanguinem tuum convertantur, quam tam mirificam operationem tuam, ſolique omnipotentiſſimæ virtuti tuæ poſſibilem, & te ductore, & auctore, te inſpirante magnifico munere gratiæ tuæ G credimus, & tenemus, quæ fides inter mirabilia, ſive miracula tua, miræ virtutis, & gratiæ tuæ donum

Ioan. 6. eſt. Refice nos, ſatia, & firma hoc pane vitæ, id eſt vivo, & vero, hoc pane vitæ, id eſt de te ipſo, qui de cœlo deſcendiſti panis vivus ac verus, qui das vitam mundo, & extingue in nobis omnem famem carnalium, ac ſæcularium deſideriorum. Pota nos, & inebria hoc potu vivifico, ac ſaluberrimo, te ipſo, & extingue in nobis omnem ebrietatem, vel potiùs inſaniam vitiorum, & peccatorum. Hoc inquam operare in nobis de te ipſo, per ipſum vivificum corpus tuum, & ſanguinem tuum pretioſiſſimum. Tu es enim domine miſericordiæ in temetipſo & per temetipſum quod eſt dicere, inquantùm Deus es inquantùm verbum ſummi, & æterni patris, cibus, & potus, & refectio ſalutaris, vitalis, ſaluberrima, ſuper omnem cogitatum ſuaviſſima animarum noſtrarum. Placeat autem tibi, ut in ſacramento iſto ineffabili ſacratiſſimi corporis, & vivifici ſanguinis tui, pro nobis inſtituti, præſtes nobis iſtam ſacratiſſimam, vivificamque refectionem, quam ſuavitate ineffabili, abſque ſigno, & figura ſacramenti, ipſa præſentia tuæ veritatis, nuda, & lucidiſſima, Angelis ſanctis, ac beatis, animabus in cœlo, in templo ſcilicet ſublimiſſimo, habitaculo gloriæ tuæ largiris; hìc autem mirabiliter, & miſericordiſſimè conſulis parvulitati, & infantiæ animarum noſtrarum per ſigna iſta ſacramentalia; non enim capaces ſunt immenſitatis veritatis tuæ, ut ipſa eſt & ſe exhibet ad plenam fruitionem civibus ſupernæ illius, ac ſupercœleſtis Hieruſalem. Adeò namque ſtrictum eſt, adeò modi-

Nota. cum & anguſtum os animæ humanæ, quod eſt intellectus ipſius in iſta morte præſentis miſeriæ, ut in illud per ſemetipſam nuda, & lucidiſſima intrare non

E poſſit: & propter hoc non eſt animæ humanæ in parvulitate (ut prædixi) per ſemetipſam guſtabilis; & ſic de palato ipſius, & ventre, quia non eſt in hac parvulitate, & anguſtia capax immenſitatis, ſuavitatis, & refectionis qua per temetipſum cives ſupernos reficis. Et propter hoc ſub ſignis iſtis ſacramentalibus, & per ipſa intrat quodammodò veritas viva, & vivificans omnia, veritas incogitabilis ſuavitatis, veritas ſuperabundantiſſimæ ſatietatis & plenitudinis in animas noſtras. Dilatabis autem & ora animarum noſtrarum, fauces, & ventres, & profundabis ad ſanctiſsimorum, & beatiſsimorum Angelorum æqualitatem. Similiter & reficies, & ſatiabis, ita ut non eſuriamus, nec ſitiamus. Ampliùs. Hoc autem erit cùm nuda ablatis omnibus ſignorum, & figurarum velamentis, incogitabili claritate manifeſtam ſe præbebit omnibus electis, & dilectis tuis gloria tua, ſicut intellexit propheta tuus David cùm *Pſal. 16.* dixit: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Tunc enim dilatato ore, plenis faucibus, & ventre comedemus te integrum, & illæſum per omnia, qui comeſtione ſpirituali totus ſemper & integer comederis. Hìc igitur domine miſericordiæ da nobis aliquatenùs, licet per ſpeculum, & in ænigmate præ- *Nota.* videre deſiderabiliſsimam virtutem tuam, & utcunque prægustare bonitatis tuæ vivificam, ac reficientiſsimam ſuavitatem, ut amore ſanctiſsimo ac vivifico, concupiſcentiaque caſtiſsimâ exardeſcamus in pulchritudine tua eſurie, & ſiti inextinguibili, totis faucibus cordis inhiemus in iſtam totius ſanctitatis, & plenitudinis dulciſsimam, vivificamque refectionem. Hæc eſt enim beatiſsima fames, & ſitis deſiderabiliſsima, quæ non ſolùm non minuit, aut ullo modorum lædit animas ſic eſurientes, & ſitientes, quin potiùs ipſas ſic ſanat, atque vivificat vitâ gratiæ tuæ, & ad vitæ æternæ gloriam eas non ſolùm comparat, ſed etiam à morbis, & vulneribus peccatorū, G & vitiorum eas liberans, ipſas ad eam incogitabili velocitate facit & currere, & volare. Domine miſericordiæ mi Jeſu Chriſte, nonne tu vita es, & fons vitæ indeficientiſſimus, atque redundantiſſimus? Nonne tu panis vitæ es, & panis vivus, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo? Non ſtet igitur ante te mors animarum noſtrarum. Fugiat quicquid mortiferum in nobis eſt de facie tua, & à præſentia gloriæ tuæ per virtutem tam venerandam myſterii tui. Intra penetralia cordium noſtrorum, & profundiſſima animarum noſtrarum ibi habitare nobiſcū, & præſta ut in te adhæreamus tibi totaliter, ſingulariter, ac inſeparabiliter in perpetuum. Ibi ſentiamus te vitam noſtram, te ſanctificationem inquam conſque, ut omnia, quæ diſplicent bonitati tuæ, nobis diſpliceant, ut ab omnibus vitiis, & peccatis noſtris totos nos abſtrahas, & abrumpas, totos noſtra has ad H te, imò totos rapias in te, conglutineſque & unias tibi unione puriſsimi, ſanctiſsimi, tibique placitiſſimi amoris. Domine miſericordiæ Jeſu Chriſte, domine miſericordiæ, nonne tu panis es omne delectamentum, & omnem ſuavitatem ſaporum in ſe habens? ſicut in libro Sapientiæ tuæ. Quanta igitur eſt corruptio palati cordis mei, quantus error virtutis meæ appetituum interiorum, quanta perverſitas guſtus mei, qui in te nihil ſuavitatis invenio, nihil hujus ſaporoſitatis ſentio ex te? Quàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ Domine, ſicut clamat cum admiratione propheta tuus David. Et addit ſapientiſsimus Auguſt. qui ei ſoli ſapit, qui palatum cordis non perdidit de febre iniquitatis. Hæc febris mi Domine Jeſu Chriſte abſtulit mihi palatum cordis, & ſenſum prædulcis ſaporis tui, quo incogitabiliter benè ſapis omnibus illis, quos ab iſta febre tam mortifera, tamque periculoſa li-

Digitized by Google

Pſal. 6. beras. Sana me domine, quoniàm infirmus ſum. Et hoc eſt mihi indicium certiſſimum infirmitatis iſtius meæ tam profundæ, quòd tu non ſapis mihi, qui non ſolùm es in ultimitate ſuavitatis ſapidus, & ſaporoſus, ſed etiam fons abyſſalis omnium delitiarum, ſeu delectamentorum ſpiritualium. Domine mi Jeſu Chriſte, cùm in extremis veſtigiorum tuorum veſtigiis, odoribus ſcilicet, & ſaporibus, pulchritudinibus, cæteriſque rerum ſenſibilium diſpoſitionibus inveniat miſera anima mea tantos ſapores, tantaſque ſuavitates, ut in unaquaque earum totaliter ſe immergat, & euſque, ut inde evacuate non valeat: in te verò abyſſali fonte ſuavitatis nec ſtillam unam ſuavis ſaporis invenio. Accidit ergo mihi infauſtitatis, & infortunij ridiculum valde & ſtupendæ perverſitatis malum, quod exprobratur interdùm aliquibus hominibus, & dicitur eis, eorum ſcilicet unicuique, adeò infauſtus, & infortunatus es, ut in toto mari ſtillam unam aquæ invenire non poſſes nec de toto mari ſtillam modicam haurire. Domine mi Jeſu Chriſte quàm pernitioſum, quàm ſtupendum, quámque profundum eſt chaos illud atque mortiferum, quod firmavi inter me, & te? Hoc eſt chaos vitiorum, & peccatorum meorum, quod dividit inter me, & te, & odorem ſuavitatis tuæ venire non ſinit ad nares ſpirituales cordis mei. Hæc eſt nubes denſiſſima, atque teterrima, quam oppoſuiſti inter me, & te, ne tranſeat à fonte pietatis, & dulcedinis tuæ oratio ad me. Et benè obſiſtit nubes iſta maledicta, juſtiſſimo judicio tuo hoc patiente me, niſi largiris gratiam orationis, per quam impetrem à te, qui es dulciſſimus & prælargus miſerator, veniam, & gratiam quam deſidero. Nota. Dele igitur tu verus ſol juſtitiæ & intelligentiæ, nubem iſtam, tam tibi odibilem tam mihi noxiam. Diſſipet illam, atque diffuget lux ſpecioſiſſima, atque dulciſſima miſerationum tuarum, quæ lumen claritatis tuæ penetrare non ſinit intima cordis mei. Aufer domine miſericordiæ mortiferam iſtam diviſionem inter me, & te, ut ſentiam odorem ſuavitatis tuæ, qui concupiſcentias in me generet æternas ſicut fecit in Joanne Evangeliſta dilecto tuo, ut curram in odorem unguentorum tuorum; curram inquam ad te, & percurram viam mandatorum tuorum quæ ducit ad te veritatem, & viam veritatis, in qua nō eſt offendiculum erroris, aut fallaciæ, in quâ nemo labitur, in quâ ſolâ tutiſſimè, & abſque omni periculo ambulatur, hanc menſam paraſti mihi ſacratiſſimam, benedictam, venerabiliſſimam, & omnibus ſanctis adorandam, hanc menſam, opulentiſſimamque refectionem, ita ut in fortitudine illius ambulem totâ quadragenâ vitæ iſtius, donec perveniam ad montem Dei, hoc eſt ad eminentiſſimam ſublimitatem beatitudinis, & gloriæ, quam præparaſti, & promiſiſti dilectis, & electis tuis. His & hujuſmodi verbis uteris de conſilio meo quoties miſſarum ſolemniis interfueris. Solerter autem attende, quòd ſub ſpecie panis, & vini, tanquàm ſub ſignis & per deſignationem, veritas veri panis, & veri potus, qui indubitanter Chriſtus eſt, ab animabus noſtris, ut prædixi tibi, pro modo parvulitatis infantiæ animarum noſtrarum, atque tenebroſitate præſentis noctis, utcunque capitur, & ad effectum ſpiritualis refectionis percipitur, quæ in nuditate ſua tanquàm immenſitate gloriæ ſuæ atque ſuavitatis ab animabus noſtris hîc capi nō poſſet, introducunt igitur ad eā ſigna illa, & ſpecies illæ viſibiles panis, & vini cōvenientiſſima deſignatione, cùm per ſeipſam, & inviſibilis & inſenſibilis ſit animabus noſtris. Nota. Nihilominùs tamen præſentiâ ſuâ, atque virtute operatur refectionem ſpiritualem animarum noſtrarum, & hoc per ipſam veritatem corporis,

A & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quibus & eſſe voluit, & dedit hanc virtutem, videlicet, ut per ipſa refectio iſta ſpiritualis perficeretur. Et quia de iſto ſacramento tam venerando, tamque ineffabili, tibi in libro de Sacramentis (provt decuit & poſſibile fuit mihi) latè, diffuſéque ſatisfactum eſt, conſulo quatenùs tractatum illum diligenter, ſolerterque inſpicias, ut plenam fidem de illo habeas, namque illic eſt fons indubitanter devotiſſimarum orationum, & obnixarum ſupplicationum.

CAPUT XXXIV.

Quædam pertinentia ad ſupradicta.

VTinàm autem & noſcas, & memoriter teneas B mirabilia, quæ placuit Deo, ac Salvatori noſtro oſtendere de iſto Sacramento. Quidam namque Converſus Ordinis Ciſtercien. in Abbatia Abienſi, ejuſdem Ordinis, quoties Sacratiſſimam Euchariſtiam accipiebat, tanto gaudio in ejus acceptione perfundebatur, quòd in aëra rapiebatur ſpatio duorum pedum à terra, ibique ſtabat ſpatio circiter dimidiæ horæ, non alio fulcimento ſuſtentatus, quàm gaudio antedicto. Quid ergo mirum ſi rapiendi ſumus obviàm Chriſto domino in aëra, revelatâ facie ejus gloriam intendentes, quandò iſte tam modico lumine præſentiæ Dei, ac Salvatoris noſtri irradiatus, utcunque rapiebatur ab ipſo in aëra, & tenebatur inibi ab eodem? Fuit & alius tempore meo ejuſdem Ordinis Monachus mihi notus, & familiariter mihi dilectus, qui tantæ ſuavitatis odorem ex pyxide, in C qua venerabiliſſima, ac Sacratiſſima Euchariſtia reponebatur, & ſervabatur, ſentiebat, ut famem adeò vehementem de ipſa pyxide comedendi in eo excitaret odor hujus, quòd ipſam pyxidem eum comedere compulit. Operabatur & idem venerabiliſſimum ſacramentum in eodem Monacho aliud memoriâ digniſſimum miraculum, quantumcunque enim ſpatioſa eſſet Eccleſia, & quantumcunque haberet abdita receptacula, non poterat tamen ei abſcondi benedictus Salvator in Sacramento iſto, quàm citò namque intrabat Eccleſiam, ſentiebat odoris illius fragrantiam, quo odore perfuſus, & attractus accurrebat illuc cum feſtinatione, ubi illum eſſe jam ſtupendo odorum indicio præſentiebat. Fiebat & D aliud eidem, ut ſi quis eum (intellige Dominum Creatorem, & Salvatorem) transferre vellet ab ipſo loco, ubi odor ſuavitatis ejus illum eſſe indicaverat ad locum alium, hoc præfatum Monachum latere non poterat. Statim enim dicebat, hinc receſſit Dominus meus, hàc tranſit, illuc ivit, tanquàm via iſta tranſitu, ſive tranſlatione ipſius aromatizans effecta eſſet, quod & reverà fiebat. Hanc tamen ſuavitatem odorum illi ſoli Monacho ſentire datum erat.

E

CAPUT XXXV.

Quare Deus laudavit importunitatem orandi in Evangelio Lucæ.

MIrabitur autem fortaſſis aliquis, quam ob cauſam ipſa veritas laudaverit importunitatem, & improbitatem orantis in Evangelio, cùm in oratione locum habere non poſſit. Eſt enim Dei tranquillitas in ultimitate quietis pacatiſſimâ, & in ultimitate immutabilitatis imperturbatiſſimâ. Quapropter ad ipſum nullo modo attingere poteſt moleſtia ulla, vel tædioſitas. Nec minus facile, nec jucundum eſt ei orari hâc nocte inceſſanter, quàm orari horâ unâ, vel vice. Similiter neque orari à multis,

quàm ab uno. Non enim laborat ullo modorum intendens orationibus noſtris, nec fatigat eum, nec ullo tædio afficit orationum quantacunque inſtanſtia, nec una hora magis oppoituna eſt ad orandum ipſi, quàm alia; ſicut accidit in Regibus & in alijs Magnatibus, qui homines tantùm ſunt, qui vel occupationibus, paſſionibus vel tribulationibus interdùm exorabiles, interdùm verò difficiles ad exaudiendum rogantibus inveniuntur. *Nota.* Propter hoc, & quædam mulier ſancta, & incluſa non audebat ſe dare in orationem, donec videretur ei, quòd Ordo Ciſtercien. exiviſſet ad laborem, qualiter (inquiebat) attenderet, vel intenderet orationi miſeræ unius mulierculæ, tanta multitudine ſanctorum, magnorumque virorum ad ipſum clamante, qualiter tot, & tantis ipſi loquentibus intenderet voci meæ? Credebat igitur mulier iſtum Ordinem Ciſtercien. vacare ab oratione, dum eſſent in labore; quandiu autem in clauſtro, vel monaſterio eſſent, orationibus & collocutionibus occupari. Erravit igitur indubitanter, & modicum valde apprehendit adhuc virtutem omnipotentiſſimam creatoris. Dico igitur quòd illis exemplis duobus prænominatis de viduâ videlicet, & amico, voluit nos inducere miſericordiſſimus Salvator ad amorem, ſtudium, & inſtantiam orationis. Et per hoc ſcilicet validiſſimum argumentum: Si enim inſtantia precum vicit duritiam judicis, ut viduam exaudiret, & ſi improbitas amici hæc potuit, ut media nocte dormientem vicinum excitaret, & ſurgere faceret, & ab eo quotquot panes habebat neceſſarios, obtineret; quantò facilius à magnificentiſſimo, & miſericordiſſimo Deo obtineri ſperanda ſunt omnia bona data, omnia ſalutaria, omnia neceſſaria, piè, obnixéque petentibus. *Nota.* In judice namque illo obſiſtebat duritia cordis ejus viduæ precibus: In amico ſomnolentia propria, & puerorum ipſius obſiſtere poterat, & ipſe ſumptus, ſive expenſa panum, præſertim ſi vel avarus erat, vel non uſquequeabundans panibus. Apud prælargum autem, & prædivitem Deum, & ſuper omnem cogitatum, nihil horum obſiſtit, vel adverſatur petentibus; ſolùm hoc ad exauditionem eorum requiritur, ut quâ poſſunt inſtantiâ, atque devotione precentur. Nec prætereunda eſt hîc aſtronomorum confutatio, atque confuſio, qui cùm eligendas horas adeundos principes, & porrigendas eis preces, vel petitiones, & docuerint, & ſcripſerint, non auſi tamen fuerunt, vel docere, vel ſcribere, quòd aliqua hora infauſta, vel infortunata eſſet ad precandum Deum, vel ad quodcunque ſervitium impendendum eidem. Et cùm de hoc cum quibuſdam modernis aſtronomis ſermonem conferrem, hoc ipſum concexuerunt, videlicet quòd omnis hora fauſta, & fortunata eſſet ad ſerviendum Deo altiſſimo, & ad exorandum & ad deprecandum illum. Et quia nec cœli, nec luminaria, nec ſtellę, de talibus intromittunt ſe; quòd ſi adjeciſſet ſermoni ſuo, quia Dei ſervitium eſt ſuper virtutem cœlorum, luminarium, & ſtellarum, veriſſimè hoc dixiſſet; quod inde apparet evidenter, quòd Dei ſervitium ipſos Dei ſervitores adeò exaltat, & potentes efficit, ut eis cœleſtia illa ſubdita ſint, & obediant. Quod evidenter oſtenſum eſt Joſue 10. c. ubi præcipiente Joſue ſervo Dei, & dicente: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Haylon, & conſequenter ſubjungit; Steteruntque Sol, & Luna, &c. Hoc autem ignorare non poterant aſtronomi, cùm duplicata ſit dies Sole ſtante ſuper terram ſpatio duorum dierum.

CAPUT XXXVI.

Quòd in Deo delectari, & ei eſſe ſubditum, adjuvat orationem.

NUnc præter hæc, alia duo adjuvamenta fortiſſima orationis ſubjungam, quæ Spiritus ſanctus in Pſal. docuit evidenter, dicens per os David: *Pſal. 36.* delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Alterum verò quod ſequitur, eſt, Subditus eſto Domino, & ora eum. Ubi ſciendum eſt tibi, quòd nullo leviori, ſive faciliori prætio obtineri poteſt exauditio petitionum cordis noſtri à miſeratore Deo, quàm per hoc, quod dicitur hîc, delectando ſcilicet in Domino. Delectari namque in Domino jam non faciliimum eſt, ſed etiam jucundiſſimum, & magis præmium, quàm meritum, nec labor eſt ullo modo, immò quies validiſſimæ ſuavitatis, & retributio ſuperabundantiſſima omnium moleſtiarum, quas hîc dilecti, & electi Dei propter Deum patiuntur. Utinàm autem & hoc docuiſſet Spiritus ſanctus vel hîc, vel alibi, delectari in Domino. Hoc autem non eſt poſſibile cuiquam, niſi qui palatum cordis ſanum, & curatum habuerit à febre iniquitatis, quę ſanitas, & puritas non eſt virtutis, & elaborationis humanę opus, ſed omnipotentis virtutis creatoris prætioſiſſimum donũ, immò ſupereminentiſſimum, & merces ſanctorum. In patria enim, ſicut dicit Boëtius in lib. de Trinitate, delectatio criticibus, operatio verò laus perpetua cõditoris. Hoc igitur mihi prętereundum eſt hîc, quia grandis ſermo ad illud explicandum requiritur. Nec aliud mihi dicendum occurrit, niſi quòd ęgritudo eſt iſta ſpiritualis interior, qua uſque palatum cordis in nobis corruptum, vel infectum eſt, & ipſum fontem ſuavitatis Deum, & nobis ſapere prohibeat, & deſipere, vel potiùs amarum ſapere compellat. Cognoſcenda, & recognoſcenda eſt etiam ſanitas contraria, & quantùm Dominus adjuvare dignabitur, obnixiùs expoſcenda. Sentiebat eam David cùm dicebat ad Dominum: *Pſal. 6.* Miſerere mei Deus, quoniàm infirmus ſum, ac ſi medico piiſſimo fateгiſſet infirmitatem pandere, eamque coram ipſo allegare. Idem dicendum eſt & in alio adjutorio, quo dicitur: Subditus eſto Domino. Nec enim noſtrę virtutis aut poſſibilitatis eſt frangere ſuperbiam cordium noſtrorum, neque abjicere jugum ſervitutis vitiorum, quo quamdiu premimur, quod eſt dicere, cui quamdiu ſubjecti ſumus, Deo ſubditi eſſe non poſſumus: Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire, ſicut dicit ipſa veritas Matthæi 6. Deprecandus igitur eſt modis omnibus, quibus poſſumus omnium miſerator Deus largiſſimus, ut ipſe à ſervitute vitiorum turpiſſimâ, viliſſimâ, nequiſſimâque nos liberet, & ſervituti nobiliſſimæ ſuæ nos totaliterque ſubjiciat, totaliterque poſſideat, ſicut ſui ſumus jure pleniſſimo, & ſingulariſſimo. Hæc autem duo adjutoria in poteſtate noſtra ſunt, ut ea nobis videlicet præſtentur, & illa habeamus, licet ex nobis illa elicere per nos ipſos non poſſimus; præſto namque eſt nobis ipſa gratia Dei, & non ſolùm offertur, immò nobis repugnantibus penè ingeritur, penéque violenter impingitur, & de hoc multa audiviſti in præcedentibus.

CAPUT XXXVII.

De alijs ſeptem adjutorijs orationis.

SUnt & alia ſeptem adjutoria orationis, quibus vox acuitur, & ipſa quodammodò conditur. Primum illorum eſt clamor. Secundum ejulatus, qui eſt

vox parvulorum ad patres, & matres, ut pote vociferantium, vel pro abſentiâ eorum, vel pro defectu alimenti. Ita & faciendum eſt nobis pro ſeparatione Dei à nobis, vel potiùs noſtri ab ipſo. Similiter & pro deffectu vitalis, ac ſpiritualis alimenti, ſeu cujuſcunque alterius, quo ſuſtentatio vitæ noſtræ ſpiritualis indigeat. A facie interdùm cujuſcunque rei terribilis, ut porci, vel canis, vel beſtiæ alterius ejulare conſueverunt parvuli. Sic & nobis faciendum eſt à facie peccati, tanquàm à facie colubri, à facie leonis, à facie romphææ bis acutæ, ſicut legitur Eccleſ. 21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum. Et iterùm: Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas. Et iterùm: Dentes ejus dentes leonis interficientes animas hominum. Tertium eſt rugitus quaſi à damno graviſſimo, ſicut legitur de Eſau, qui ſupplantatus à fratre benedictionem patris amiſit, quare irrugiit clamore magno. Et ipſe David, Rugiebam à gemitu cordis mei. Debes autem ſcire, quòd rugitus propria vox turturis eſt, & columbæ. Quapropter quia nullum damnum comparabile eſt amiſſioni vitæ gratiæ, & hæreditatis vitæ æternæ, nullus rugitus comparabilis eſt rugitui qui eſt, vel eſſe debet pœnitentium. Et hoc oſtendit Job in ſe ipſo dicens: Quaſi inundantis aquæ ſic rugitus meus, cap. Non quia temporalem euſque doleret ſe amiſiſſe ſubſtantiã, ſed de amiſſione ſpiritualium ita rugiebat. Quartum verò iſtorum adjutorum planctus eſt. Hic propriè pro morte, vel pro mortuis fieri ſolet. Peccator igitur, qui ſe mortuum in peccatis videt, habet mortuum quem plangat, ſemetipſum videlicet. Plangat inquam planctu nulli comparabili. Nihilominus & plangere debet Chriſtum Dominum ſibi mortuum, mortuum inquam à corde ſuo, in quo habitare per fidem, & vivere debuit, ipſa que præſentiâ ſuâ vitam animæ ſuæ vivificare. Inſtar igitur Mariæ Magdalenæ ſtare debet pœnitens peccator ad monumentum plorans. Monumentum autem, ſive ſepulchrum ipſa fovea, ſive profunditas vitiorum, & peccatorum eſt. Ad hanc debet ſtare, eamque attentiſſimè oculis cordis intueri, ibique plangere ſemetipſum mortuum, & Chriſtum Dominum, ut prædixi tibi, hoc eſt à corde ſuo mortuum, ſicut legitur de Maria Magdalena Joan. 20. Quintum iſtorum eſt gemitus, hoc eſt reſonantia ex intimo dolore; propter quod dicit Gregorius, quia veraciter orare eſt amaros in compunctione gemitus, non verba compoſita, reſonare. Sextum eſt ſuſpirium, atque fatigati animi ſpiratio debilis ad formationem vocis non ſufficiens. Unde ſuſpirium, dictum eſt, quaſi modica, vel diminuta ſpiratio. Et videtur eſſe ex vehementi deſiderio aliquid obtinendi, ſive quod amiſſum eſt, ſive quid aliud, propter quod uſualiter dicitur ſuſpirare quis, vel aſpirare ad aliquid. Septimum verò eſt ſingultus, qui in vehementer, diuque dolentibus, excitari ſolet. Concutitur vehementiâ dolorum, quouſque moveantur viſcera dolentium, ac ſingultus in eis, propter hoc, generetur. Invectio manuum invenitur plerunque in eis, qui cum dolore magno pœnitent. Et eſt invectio pectoris vera deſignatio quædam pœnitudinis. De hoc etiam, quod id unde dolet cogitavit, vel eo ipſo tunſionibus durorum ſuppliciorum dignum ſe confitetur. Fiunt autem iſtæ percuſſiones peccatorum, pro eo, quod cor humanum ſedem habet in pectore. Publicanus ille Evangelicus Luc. 18 percutiebat pectus ſuum orans, & dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Et de jam dictis ſeptem manifeſtũ eſt unicuique, quòd ad orationem adjuvant & per ea devotio ejus occaſionaliter augetur. Percuſſiones verò peccatorum gratiâ pœnitudinis provocant ſimiliter & augent. Imprimitur enim vehementer,

A quòd cor talia cogitavit, quòd talibus conſenſit, quòd propter alia dignum voluit ſibi eſſe duris ac diris percuſſionibus. Inſinuant etiam ipſum peccatorem jam rediiſſe ad cor ſuum, & propter hoc invenire ſe, & videre in illo quod dignum ſit percuſſionibus. Et hìc quidem finem facio partis primæ tractatus iſtius in quâ agitur de oratione, prout ipſa eſt quodammodò Oratio Rhetorica, & in partibus ſuis aſſimilatur eidem.

CAPUT XXXVIII.

Quòd Oratio ſit quaſi nuncius ad Deum miſſus.

POſt hæc igitur proſequamur alias ſimilitudines, & comparationes orationis. Dico igitur in primis, quòd ipſa oratio ad Deum, velut quidam nuncius eſt, B qui ad Deum mittitur, & ad ipſum intrat, ſicut dicit Beatus Aug. ſuper verbo iſto Pſal. Intret Oratio in conſpectu tuo Domine. Dicit inquam his verbis: Mira inquam virtus Orationis, quæ illuc intrat ad Deum, quò caro pervenire nequit. Eccleſ. 35. ſatis ipſam eſſe evidenter nuncium fidelem, ac diligentem exprimitur, ubi legis, Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, donec appropinquet, non conſolabitur, & non diſcedet, donec aſpexerit altiſſimus, vel obnubilantium cogitationum, vel nubes ipſas ſanctorum penetrabit, ad modum nuncii ingerentis ſe, ac impingentis in medio turbarum, & irrumpentis eas, ut appropinquet ei, ad quem mittitur. Et hoc ſonant illa verba: Donec appropinquet, non conſolabitur, inſtar fidelis, & ſtrenui nuncii, qui nec requiem, nec conſolationem habet, donec pervenit ad illum, ad quem mittitur. Quemadmodùm ille Eleazar diſpenſator domus Abrahæ, qui comedere noluit, C donec locutus eſſet ſermones ſuos, ſicut legitur Gen. 24. & hoc eſt quod ſequitur in ſermone prædicto. Non diſcedet donec aſpexerit altiſſimus. Hic igitur conſideranda ſunt, quæ ſint boni nuncii; Omnia enim hujuſmodi requiruntur in oratione. Et primum illorum ponam agilitatem ipſius nuncii. Nemo enim ſapiens in longinquam regionem mittit nuncium, qui non valeat ambulare. Hic autem eſt, vel qui jam infirmitate premitur, vel facilè laſſatus deficit in via; quod evidenter apparet in illo, qui difficultate magnâ & conatu magno, & multo, vix in tota una ſeptimanâ orationẽ dominicã dicere poterat, ita ut in unaquaque die ſeptimanæ partem ipſius, hoc eſt unius de petitionibus ſeptem, quæ in eâ continentur, cum magna difficultate etiam diceret. Et hoc narravit mihi Sacerdos, cujus D Parochianus erat, qui ab eo vix iſtud potuit extorquere videlicet, quòd ſaltem ſeptimam partem orationis dominicæ unaquâque die diceret, & ſic totam Orationem Dominicam in ſeptimanâ unâ compleret. Cui ſimiles multi ſunt qui vix inceptâ oratione ſtatim ab ipſâ deſiſtunt, & deficiunt ipſum orationis laborem importabilem reputantes, & velut onus graviſſimum illud ſtatim projicientes. Quibus quod ad ipſos pertinet, & quantùm in eis eſt, hoc eſt dicere, ex parte ipſorum, hoc ſolum video remedii, ut paulatim aſſueſcant ad orationes breviſſimas, & deinde ad longiores. Conantibus enim ad ſe, prout permittit eorum infirmitas, nunquàm deeſt auxiliator Deus. Quemadmodùm & in hoc, de quo proximè feci mentionem, factum eſt, qui paulatim in tantum robur ad pœnitentiam agendam convaluit, ut ab ipſo ſuo Sacerdote peteret, quòd ei pœnitentiam quantumcunque gravem, & duram vellet injungeret. Non enim ſolummodò levis ad portandum facta erat ei pœnitentia omnis, ſed etiam deſiderabilis & jucunda. Quòd ſi quis quærat unde no-

Digitized by Google

bis iſta infirmitas orandi, qui benè per diem integram fabulantes non fatigamur in ſermonibus otioſis, vel etiam noxiis; & in ſermonibus orationum, qui utique ſalutares, & jucundiſſimi ſunt, tanto labore affligimur, tamque facilè fatigamur: Reſpondeo in hoc, quia ſicut aſcenſus corporalis admodùm laborioſus eſt nobis, & tam facilè nos fatigat propter gravitatem corporum noſtrorum; ſic etiam oratio, quæ aſcenſus ſpiritualis eſt in Deum propter originalis corruptionis gravitatem nos tantùm fatigat, & dejicit in defectum. Aſſuetudine tamen & lenitur, & leviatur hujuſmodi gravitas; præſertim cùm adjutorium gratiæ Dei ſemper adſit orantibus, & orare conantibus. Et eſt nuncius hujuſmodi, qui in via ſpoliatur à latronibus; interdùm autem occiditur; Latrones intelligo, improbas cogitationes, quæ ſe orationi ingerunt, & eam lachrimis piis, & ſanctis deſideriis, etiam ipſis cogitationibus, & attentione ſpoliant, ipſamque ſuavitatem unguenti, de qua in præcedentibus audiviſti, ſurripiunt, vel etiam rapiunt violenter. Et hæc ſunt bona ipſius F orationis, quibus in cœleſti conſiſtorio procurare debet, & expedire negocium orantis. Heu quot nuncij ſic ſpoliati intrant cœleſte illud conſiſtorium, propter quod & minus benè ibi recipiuntur, & difficiliùs expediunt negocia ipſorum, à quibus mittuntur. Depauperatus enim nuncius à paupere miſſus videtur: Nec apparet etiam miſſus pro magnis, vel arduis negociis: negligit etiam negocium, vel negocia ſua, qui talem, & taliter mittit. Cui enim ſunt cordi negocia, quæ deferre debet iſte nuncius ad cœleſtem curiam, ſolemnem mitit nuncium ad illam, non pauperem, vel pannoſum, & qui nulli honori, vel gratiæ ibi habendus videatur. Hæc autem eſt ſolemnitas nuncij iſtius, apparatus ſcilicet & ornatus, quem tibi prædixi, videlicet intentionis, & attentionis, deſideriorum, & aliorum per quæ in præcedentibus audiviſti orationem adjuvari. An verò negocia G iſta, quæ per orationem gerenda, & expedienda ſunt tam ardua, tamque magna ſint, ut ſolemnitatem nuncij meritò requirant, manifeſtum eſt ex his, quæ petuntur per eam, & ex ipſo, à quo petuntur. Nulla namque negocia comparabilia ſunt negocijs veniarum, gratiarum, & gloriarum; & hæc per orationem principaliter intenduntur. Negocium verò pacis reformandæ inter Deum altiſſimum, & eos, pro quibus oratur quantùm ſit, quis ignorat? Quid dicam de negocio ſalutis, de negocio in quo tantis accuſationibus ad mortem orantis agitur? qualem, aut quantum oporteat eſſe nuncium vel procuratorem, per quem tantis accuſatoribus, & ſuper tantis accuſationibus reſponderi oportet quis ignorat? Eſt enim accuſator in negocio iſto ipſe diabolus & omnes Angeli ejus, qui non ceſſant nos accuſare die ac nocte, ſicut legitur Apocal. 12. Cujus aſtutia nulli H juris peritorum prudentiæ comparari poteſt. Quòd ſi quis dixerit, quia poſtquàm cauſa orantis criminalis eſt, quoniã in ea de multis criminibus agitur contra ipſum, non poteſt agi, ſeu expediri per nuncium, ſeu procuratorem: Dico quòd ſecundùm illam communem, ac regularem intelligentiam verum eſt quod dixit, quoniàm ſecundùm hoc nec procurator, nec vox, nec verbum, nec reſponſio ejus eſt, contra quem agitur criminaliter. Oratio autem, & vox, & verbum, & reſponſio eſt orantis; quapropter perſonaliter comparet in cœleſti ac divinali conſiſtorio cujus oratio ibi eſt, ac perſonaliter, ac per ſemetipſum ſe defendit, qui per orationem in illo cõſiſtorio accuſationibus, reſiſtit. Voce namque propriâ, verbo, & reſponſione ſuâ propriam cauſam ſuam ibi defendi, & ibi eſt perſonali præſentia, videlicet in conſpectu Dei altiſſimi, ubi & ipſi, & co-

Nota.

E ram ipſo loquitur. Si verò quæreres à me, unde, & ubi acipitur iſta ſolemnitas nuncij, & unde habebitur nuncius iſte ſolemnis? Reſpondeo tibi, quòd pater ipſe miſericordiarum, qui toti generi humano tam miſericorditer, tamque mirabiliter providit de advocato, & propugnatore, atque interpellatore ſempiterno, videlicet de chariſſimo, & benedicto unigenito ſuo, Deo videlicet ac Domino noſtro Jeſu Chriſto: providebit & tibi de nuncio iſto, & nuncij ſolemnitate, niſi ignavia, & negligentia tua hoc impediverit. De ignorantia quippe, vel imperitia circa ea, quæ orationis ſunt, non erit accuſatio, poſtquàm ea quæ præceſſerunt in hoc tractatu, vel audiveris, vel inſpexeris. Adjuvaberis quoque non parum ad impetrandum à patre miſericordiarum nuncium iſtum ſolemnem, ſi verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis, quorum multa ſupra tibi in præcedentibus aggregata, & congeſta ſunt uſus in conſpectu ejus fueris ad petendum ab eo munus, & gratiam orationis hujuſmodi, quoniàm in eo, & per ipſum omnia ſalutaria tribuuntur. Quapropter toto ſtudio invigilandum, totiſque cordis conatibus expoſcendum eſt munus gratæ Deo orationis; Ipſe enim eſt, qui & ſolus docet orare, quos vult, & dat tam precioſum munus orationis. Quapropter in ipſo principio orationis, quantùm ipſe pater miſericordiarum adjuvare dignabitur, dicendum eſt ei: Domine pater miſericordiarum qui ſcis, & mihi magno munere gratiæ tuæ ſcire dediſti, non eſſe autorem, non eſſe effectorem, non eſſe largitorem alicujus boni, niſi te; dediſti etiam mihi ſcire donum orationis tantæ virtutis, tantæque gratioſitatis eſſe apud te, ut in eo, & cum eo omnia ſalutaria dona largiaris omnibus illis, quibus donum illud præſtare fuerit pietatis, & dulcedinis tuæ dignatio: largire mihi donum iſtud, in eo placere, in ea pefectione, quibus tibi illud & ſuſcipere placeat, & omnia alia ſalutaria, quæ per ipſum petere mihi donaveris, concedas. Sic mihi tribue orare miſericordiam tuam, ut exaudire me tibi placeat, & in omnibus quæ à miſericordia tua petiero, exaudire. Scio enim te docente, quia nec ab alio, nec aliunde poteſt mihi vel eſſe vel venire tam placitum tibi, tamque efficax apud miſericordiam tuam donum. Debes etiam ſcire quia fidelis, ac per omnia laudabilis nuncij eſt non ſolùm inſtare apud judicem vel curiæ Dominum, ſed etiam ſolicitare aſſeſſores ejuſdem judicis, & aſſiſtentes omnes eidem domino pro negocio ſeu negociis pro quibus ad curiam illam miſſus eſt, maximè autem iſtos quos majoris gratiæ, majoriſque poteſtatis in curiâ illâ eſſe cognoverit. Super omnem admirationem, & mittentibus, & nuncijs & de quibus agitur, & ſalubriter, atque utiliter, & miſericorditer conſultum, & proviſum eſt in curia illa cœleſti, ubi qui maximè poſſunt neceſſitatibus miſerorum ſubvenire, & omnium negocia ibi habentium maximè prompti, atque parati ſunt, & nuncios iſtos introducere ad Regem, & Dominum curiæ illius, eoſque per omnia, & in omnibus adjuvare. Tales habet omnis orans advocatos & mediatores, quos non venalitas, ſed mera liberalitas ad intercedendum inclinet, utpote quos totaliter charitas, & pietas poſſident, & qui orantibus occaſiones invenire deſiderent adjuvandi. Accedit ad hæc & aliud collaudatione, & admiratione digniſſimum, quia nullus eſt ibi, qui contradicat, vel adverſetur negocium propriæ, vel alienæ ſalutis agentibus, vel agere volentibus. Omnes enim idipſum, & ſolùm volunt, quod ſciunt velle regem, ac Dominum omnium ſæculorum, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Hanc enim concordiam facit ſublimibus

Nota.

Digitized by Google

mibus ſuis omnipotentiſſimus ille Dominus ſæculorum, ſicut legitur Job 2. Accedit etiam & illud boni ad obtinendum fiduciam ſecuriſſimam impetrandi, quia nullus eſt ibi, qui non totus ardeat charitate, totus non diffluat pietate. Accedit & aliud, quia nullus eſt ibi, cujus interceſſionem, vel deprecationem poſſibile ſit ab altiſſimo repelli. Et propter hoc in eadem menſura neceſſe habent precibus, & ſupplicationibus noſtris ſemper annuere. Illud quoque non eſt hîc prætereundum, quia majori confidentiâ, qui majores ibi ſunt exorari poſſunt, & debent, non ſolùm quia ſublimiores, ſed etiam quia charitate, & pietate ſemper in omnes propenſiores, atque profuſiores. Quemadmodùm igitur in curijs Magnarum nuncius, qui non omnes ſollicitat, qui promovere negotium poſſunt & volunt, ac parati ſunt, pro quo nuncius eſt ibi, meritò ignarus, & negligens, aut infidelis reputandus eſt: ſic nuncius iſte de quo agitur, ſi vel unum ex tot, & tantis adjutoribus in curia Dei altiſſimi ſollicitare pro negotijs omiſerit, de negligentia, aut infidelitate meritò arguendus erit. Docet nos & ipſa Eccleſia, cœleſti, immò divino magiſterio erudita & edocta, ſic orare quod eſt dicere, talem, vel hujuſmodi nuncium ad cœleſtem curiam mittere, qui omnes Deo altiſſimo aſtantes, & ſingulos pro nobis ſollicitet. Ipſa namque in orationibus ſuis plerumque litanias adjungit, quæ ſunt ſingulorum ſanctorum invocationes, ſimiliter & omnium, propter quod & multi ex eis ſingulatim invocantur, multi verò in generali, quoniàm non eſt poſſibile Eccleſiæ Dei nominare tot ſanctorum millia ſingulatim. Solicitudo quoque, & diligentia gerendi negocium in nuncio hoc potiſſimùm requiritur quòd ipſa arduoſitas, periculoſitaſque negotij evidenter oſtendit. Quid ergo dici poteſt de nuncio, qui circumquaque vagatur, atque diſcurrit, varietate cogitationum huc, illucque diſtractus, ac ventilatus, ac de ipſo negotio, pro quo mittitur, nec curat, nec etiam cogitat, ſed nunc in Hiſpania caſtra ædificat, nunc in Britaniam rapitur nunc in Alemaniam diſſilit, & velut palea variarum cogitationum flatibus diſpergitur? Heu quot, & quanti ſunt ſic orantes. Cave igitur tibi omnis qui orare intendis à nuncio hujuſmodi, cujus negligentiæ ſimilis, aut comparabilis, vix aut nunquàm in nunciis literalibus invenitur. Eſt nuncius hujuſmodi, qui & antequàm ad cœleſte conſiſtorium perveniat immò ſtatim cæpto itinere, vel ad modicum progreſſus, in via moritur. Hic eſt oratio, cujus intentio in ipſo orandi tempore, vel momento extinguitur, & irruens alia intentio, vel affectio ad aliud agendum & intendendum cor rapit, exempli gratiâ: Accidit interdùm, ut cùm orare quis cæperit incidat cordi ejus cogitatio de pulchritudine mulieris, profunditurque in ea, quouſque ipſum in conſenſum turpitudinis incliner: Et eodem modo ſe habet de alijs concupiſcentijs. Nullum enim genus eſt concupiſcentiæ, quod per cogitationes euſque in cordibus orantium profundari non poſſit. Obſecrandus igitur eſt omnipotens, & miſericors Deus, ut dirigat nuncium iſtum ante conſpectum ſuum, atque cuſtodiat ſanum, & incolumem in ipſo itinere, & etiam coram ſe. Nuncium iſtum totis aſtutiæ ſuæ conatibus interficere intendit diabolus, utpote qui negotium noſtræ ſalutis implacabiliter ſemper odit, atque perſequitur. Nec ſolùm in via ut prædixi tibi, ſed etiam in ipſo Dei aſpectu. Plerumque enim ipſa oratio, quæ ante Dei conſpectum jam intravit modo, quo præ-

A dictum eſt, ibi extinguitur de quo memini me ipſum exclamaſſe multoties ad Dominum, ut ſaltem in conſpectu ejus, atque præſentia eſſent orationi meæ pax, atque ſecuritas, & ne permitteret ullo modorum coram ſe illam occidi præſertim cùm nuncij, qui ad illum deſtinantur, protectione ejus, atque cuſtodia gaudere debeant, non ſolùm ante illum, ſed in itinere, ſive in via. Petebat hoc ſatis evidenter Propheta, cùm diceret? Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Cùm enim petebat eam dirigi ante cõſpectum Dei, petebat etiam & in via cuſtodiri. Similiter cùm in ipſo Dei conſpectu eam oraret dirigi, orabat etiam & cùm hoc eam ſibi cuſtodiri ne intorqueretur vel diſtorqueretur à rectitudine intentionis. Debes etiam ſcire cum his omnibus quia invenitur nuncius hujuſmodi excommunicatus interdùm, & propter hoc in cœleſte B conſiſtorium nullatenùs admittitur, ſicut legitur Proverb. 18. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Quapropter nec in cœlum ſacratiſſimum admittetur, nec à ſacratiſſimis civibus cœleſtibus recipietur, quin potiùs ut execrabilis excludetur, & repelletur cum indignatione. Propter hoc autem non immeritò à verbis ejus aures Dei avertuntur. Alibi etiam ſcriptum eſt; Maledicti qui declinant à mandatis tuis, quapropter maximè maledicti, qui maximè declinant ab illis. Hi autem ſunt, qui nec etiam propinquare volunt ut illa audiant. Maximè enim ſe longè faciunt à mandatis Dei, qui nec illa audiunt, nec faciunt. Qui verò illa ſaltem audiunt, nec faciunt, non tam longè à mandatis Dei ſunt. Cùm ergo C manifeſtum ſit tibi, quia nuncius excommunicatus non impetret niſi ſuper excommunicatione. manifeſtum eſt tibi quoniàm cùm cœleſte illud conſiſtorium latere non poſſit talis excommunicatio talis nuncij, omninò iſte nuncius ibi nec aliquid impetrabit, nec audietur. Cave ergo tibi, ne Deum pro excommunicato habeas verbis ejus auditum communicare recuſans. Tunc enim eſt neceſſe, ut ipſe te excommunicatum habeat, & propter hoc auditus ſui, vel audientiæ ſuæ communionem non immeritò tibi deneget. Utinàm autem advertant, quàm formidanda ſit, quàmque horrifica excommunicatio iſta, per quam nec verbum ſuum quibuſdam communicat miſericors Deus, D cùm omni generi peccatorum verbum Dei communicandum ſit, exceptis illis dumtaxat, quos canes, & porcos vocat veritas, Matth. 7. Utinàm attendant & illi, quibus tam ſtudioſè, tamque abundanter communicatur verbum Dei, quantâ largitate gratiæ Dei hoc ipſis fiat. Non enim fecit taliter omni nationi, præſertim cùm expreſſè legatur Act. 16. quia prohibiti fuerunt Apoſtoli à Spiritu ſancto verbum Dei prædicare in Aſia. Cavendum eſt etiam orantibus à fatuitate, & ſtultitia nuncij iſtius. Fatuus enim eſt, atque ſtultus nuncius, qui petit quod non eſt petendum, ſicut dicit beatus Auguſt. de illo qui petit à Deo, ut occidat ei inimicum ſuum. Stultiſſimè enim petit, cùm velit ſe eſſe judicem inimici ſui, Deum autem ſuum tortorem. Judicem enim ſe gerit inimici ſui, dum ipſum reum mortis judicat, & proculdubiò Deum vult habere tortorem illius. Hoc autem, quàm inconveniens ſit, quis non videat dum in tam vili officio Deum ſibi ſervire vult, officio videlicet carnificis, ſeu tortoris, ſemetipſum autem in tam ſublimi, tantique honoris officio, facto ipſo collocat, videlicet judicis præſidentis. Eſt & ibi alia ſtultitia ſicut ibidem dicit idem Auguſt. quia vult homo hujuſmodi frangi pontem miſericordiæ divinæ, ne habeat inimicus ejus, per quod reverti

Pſal. 140.

Prov. 18.

Pſal. 180.

Poſſit ad Deum. Hoc enim per mortem agitur im-
paratis, & improviſis peccatoribus, ut redire non
poſſint ad Dei miſericordiam, & gratiam, quam
cùm poſſint invenire, quærere contempſerunt.
Conſidera ergo arduitatem, multitudinem, &
magnitudinem negociorum, quæ agenda habes in
illa ſublimi curia, & ne mittas verba tua per nun-
cium ſtultum. Expreſsè namque legitur Proverb.
26. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui
mittit verba per nuncium ſtultũ. Manifeſtum eſt tibi,
quia claudus pedibus, nec ad bona currere, nec
ambulare, nec à malis fugere, nec declinare po
teſt; & propter hoc neceſſe habet bibere iniquita-
tem, hoc eſt pœnam iniquitatis ſuæ. Hujuſmodi
autem nuncius, cùm ſapiens fuerit, & bona procu-
rat, atque impetrat mittenti ſe, & avertit mala
ab eodem, indulgentiam culparum, & pœnarum
nihilominùs obtinet. Invenitur & alia ſtultitia in
nuncijs hujuſmodi, qui cùm ire debeant ad illam
Romam, veri ſcilicet nominis, ſublimem, atque
dominantem, cœleſtem ſcilicet curiam, vadunt ad
alios, & alios quàm ad ipſum regem, & Domi-
num ſæculorum, & petunt ab eis, quæ ab illo ſolo
obtineri poſſunt. Propter quod dicitur Eccleſ. Noli
quærere ab homine ducatum nec à principe cathe-
dram honoris; à Deo enim iſta ſolo obtinenda ſunt.
Nemo namque aſſumit ſibi honorem, ſed qui vo-
catur à Deo, tanquàm Aaron ſicut dicit Apoſto-
lus. Nec dico iſta propter hoc, quòd à Deo petenda
Heb. 5. ſint alicui talia, viris enim bonis & petenda, & pro-
curanda ſunt honorum, & poteſtatum ſublimia,
verùm non ab ipſis, ſed ab alijs. Impudentiſſima
namque præſumptio eſſet unicuique, quantæcun-
que excellentiæ viro, atque præſumptuoſa turpitu-
do, & intolerabilis dicere Deo, fac me Regem,
fac me Epiſcoporum cùm officiorum hujuſmodi tan-
ta ſint tamque periculoſa onera, ut nemo ſapiens
ſit, qui non ea potiùs reformidet, quàm deſideret.
Viri namque ſanctiſſimi non niſi tracti, ſive coacti,
illa ſuſcipiunt. Unicuique ergo Eccleſiarum & de-
ſiderandus, ac tota devotione, & inſtantia appe-
tendus, & à Deo petendus, paſtor bonus. Et
quoniàm ab hominibus plerunque petuntur & à
ſolis hominibus, atque per eos ſolos obtinere ſpe-
rantur, fit per iram Dei maximam, quamvis ſemper
juſtiſſimam, ut Deo permittente, non approbante,
nec eo auctore, mali, & apud ipſum reprobi loca
ſublimitatum obtineant. Propter quod ipſe dicit
Oſeæ 13. Dabo eis regem in ira mea, & offeram in
indignatione mea In pœnam igitur graviſſimam,
& in vindictam juſtiſſimam præeſſe permittuntur,
qui prodeſſe nullo modo curant. Et propter hoc per
eundem Prophetam dictum eſt: Regnaverunt & non
ex me. Principes extiterunt, & non cognovi. Hu-
juſmodi ergo Dij opera manuum ſunt, & idola ſur-
da, & muta atque vaniſſima, & reputantur & vo-
cantur ſicut expreſſè legitur Zac. 2. Reperitur &
nuncius hujuſmodi, qui cùm debeat volare in cœ-
lum, currat ad terram. Et hæc eſt Oratio, quæ cùm
debeat petere cœleſtia, hoc eſt ſpiritualia bona, &
æterna, terrena ſolummodò petit Illuc autem ten-
dit omnis oratio, ubi eſt, quod per eam petitur, quod
& obtineri per eam intenditur. Propter quod dixi
nuncium hujuſmodi ad terram pergere, qui pro-
ficiſci debebat, immò volare ad cœlum. Inve-
nitur & alia ſtultitia in nuncio hujuſmodi, quia
adeò ignarus eſt & inſcius. ut cœleſtes curiæ vi-
res prorsùs ignoret, & an habeat ibi contradicto-
res & adverſarios, nec videat nec attendat, ſed & ip
ſas voces adverſantium, & contradicentium ſibi,
nec audiat, nec intelligat. Heu quot, & quanti
ſunt, qui nobis orantibus, & veniam, & gratiam,

E gloriamque petentibus adverſantur, quorum unuſ-
quiſque clamat in aures Dei omnipotentis: Con-
tradico. In his primi atque fortiſſimi contradi-
ctores atque adverſarij noſtri ſunt ipſa noſtra
vitia, ac peccata, quorum clamor uſque in ſu-
blime cœlorum extollitur, ſicut Geneſ. 18. legitur
ubi ex perſona Dei omnipotentis dicitur: Cla-
mor Sodomorum aſcendit ad me. Fortiſſimi
iſti contradictores, quoniàm primi, & radi-
cales ſunt in adverſationibus & contradictioni-
bus iſtis, & his ceſſantibus, atque tacentibus
omnes alij tacerent, ſive ceſſarent penitùs ab ad-
verſationibus, & contradictionibus contra nos.
Secundi contradictores, & adverſarij ſunt omnes
exercitus pulcherrimarum, ſublimiumque mili-
tiarum cœleſtium, ſimiliter & omnium ſanctorum,
necnon & animarum quæ occaſione vitiorum
noſtrorum, & peccatorum in ignem purgatorij,
vel in inferno etiam detinentur, totique curiæ cœle-
ſti inimici ſumus, quãdiu vitijs & peccatis, vel etiam
F mundo amici ſumus ſicut legitur Jac. 4. Quicun-
que voluerit eſſe amicus ſæculi hujus, inimicus
conſtituitur Dei. Meritò igitur tanti amici Dei ini-
mici noſtri ſunt, quandiu inimici Dei ſumus. Ami-
cus enim inimici Dei, inimicus eſt Dei. Quibus ve-
rò vel occaſionem peccandi, vel perditionis dedi-
mus, & propter hoc in purgatorij igne, vel flam-
mis gehennalibus detinentur, quis dubitat? quin
die, ac nocte clament contra nos, & dicant: Vin-
dica Domine ſanguinem noſtrum, ſicut legitur
Apoc. 6. Qui etiam ſi voce tam naturali, quàm ſpi-
rituali tacerent, ibi tamen cruciatus eorum acerbiſ-
ſimi ipsâ veritate clamant, ut prædixi Cùm enim
redemptio animæ viri propriæ divitiæ ſuæ: ſicut le-
gitur Proverb. 1. qualiter putas, vel putare potes
non clamare animas contra Clericos, & Sacerdotes,
qui redemptionem earum comedunt, & in luxurijs
G ſuis infigunt, nec pro liberatione earum à tormentis,
& cruciatibus in quibus ſunt, ſatagunt? Tertij ad-
verſarij noſtri, atque contradictores contra nos in
curia illa ſunt ipſi ſancti, quibus injuriamur vel in-
juriati ſumus, & hoc vel in perſonis eorum, blaſ-
phemantes contra eos nefarijs juramentis, quibus
nec ipſi glorioſæ Dei genitrici à multis parcitur in
aliquo, nec defertur, vel in Eccleſijs ipſorum. Et hoc
duobus modis, ſive cùm ipſi miniſtri Dei, qui
in illis deſerviunt, injurijs quibuſlibet moleſtan-
tur vel etiam ipſa loca Deo dedicata de ſanctis
ipſis violantur, vel etiam ipſa loca dedicata, &
ſanctis ipſis. violantur, vel, ipſa bona tempora-
lia ad ſuſtentationem miniſtrorum Deo, & ſan-
ctis illis oblata, & conſecrata, vel diripiuntur,
vel ab ipſis modo quolibet minuuntur. An eſt
aliquis adeò inſipiens, ut Deum, ac Dei filium
H opinari poſſit blaſphemias glorioſæ ac chariſſimæ
genitricis ſuæ negligere, ita ut eas, ut dignum, &
juſtum eſt, non vindicet? Quis hominum injurias,
& contumelias matris ſuæ æquanimiter toleret,
& ſi poſſit non ulciſcatur? Quòd ſi omnium alia-
rum matrum injuriæ, ac contumeliæ tolerari quo-
quomodò poſſint, iſtius tamen benedictæ ſem-
perque venerandæ matris blaſphemiæ omni gla-
dio, & igne, omnibus ſtudijs, & viribus exter-
minandæ. & vindicandæ ſunt. Væ illi, quicun-
que ſit, qui ignorat Dei matrem in eo amore, & ho-
nore apud benedictiſſimum filium ſuum eſſe, ut ho-
norantes eam honoret, & injuriantes dignâ animad-
verſione puniat. Non præſumat aliquis Deum, vel
Dei filium ſe poſſe habere propitium, & benevo-
lum, qui benedictam matrem ſuam offenſam,
vel adverſariam habuerit. Sic nec de Dei gratia,
vel propitiatione cujuſquam eorum, qui ejus fi-
lio

lio in cœlo vel miniſtrant, vel aſſiſtunt, aliquis præſumere debet vel ſperare. Quarti adverſarij, & contradictores noſtri in curia cœleſti Dæmones ipſi ſunt, ſicut legitur Apocal. 2. Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos die, ac nocte. Quintus, & maximus, atque fortiſſimus Deus ipſe eſt, qui ſemper accuſat eos, qui ſe ipſos negligunt accuſare & ſemper excuſat illos, qui ſe ipſos in conſpectu ipſius & ſtudioſè, & inceſſanter accuſant. Boni igitur nuncij, & fidelis, ac diligentis procuratoris eſt, adverſantes ſibi, & contradicentes in curiâ iſtâ, vel placare ſibi, & propitios efficere, vel eis ſilentium imponere, vel illos congruis reſponſionibus atque defenſionibus repellere, ne contra ipſum ullatenùs audiantur. Et primis quidem, & radicalibus adverſarijs, & contradictoribus ſilentium imponitur, cùm occiduntur, ſive mortificantur, & hoc in ſolâ Dei curia nobis non ſolùm permittitur, immò etiam conceditur, atque remunerabiliter acceptatur, in alijs verò curijs ſub conducta, & protectione judicis litigantes ſunt. Abſit autem ut vitia, & peccata ſub Dei protectione ſint, cùm per Apoſtolum omnibus dicatur ad Col 3. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Ampliùs. Per hujuſmodi nuncium, orationem videlicet hoc directè intenditur, ut per ipſum adverſarij iſti, & contradictores contra nos non ſolùm nõ audiantur, vel admittantur in iſto ſpirituali judicio, ſed etiam ut inibi moriantur, & occidantur. Ipſa enim pia oratio, cùm perfecta fuerit, mortificatrix eſt omnium vitiorum, & peccatorum ſic orantis. Mortificatio autem eorum eſt per modos, & vias, quas toties audiviſti. Ipſa namque deſertio ipſorum mors eſt eorumdem, cùm recedit ab eis anima humana, ſeque eiſdem ſubtrahit, neceſſe habent ruere, vel cadere, cum ſuſtentamentum aliud non habeant, quàm miſeram animam ipſam, quæ illa in ſemetipſa ſuſtinet, & ſupportat. Et non eſt opus, ut enarrem tibi, & enumerem hîc modos deſtructionis, & mortificationis ipſorum. Si vis igitur, ut clamores non audiantur, vel admittantur contra te, clama tu ex adverſo, & exalta in fortitudine vocem tuam contra ea. Quantò enim fortiùs, & altiùs contra te clamaveris, tantò debilior erit clamor ipſorum, & minùs exaudibilis, donec pœnitùs obmureſcant. Obmuteſcent autem prorſùs, & ſine omni voce erunt, cùm toto corde clamaveris. Magnificandi igitur, multiplicandi, exaltandique tibi ſunt clamores orationum, & confeſſionum, ſi vis adverſarijs iſtis & contradictoribus ſilentium imponere. Clamores enim ipſorum validis clamoribus hujuſmodi non ſolùm retunduntur, ut non audiantur, ſed omninò exterminantur. Quapropter manifeſtum eſt, quantùm validè, quantúmque audibiliter, immò exaudibiliter, apud Deũ clamant contra illos, qui corã eo tacent à clamoribus orationũ, & confeſſionum. Validiſſimæ namque ſunt coram Domino Deo accuſationes adverſariorum hujuſmodi contra illos, qui non ſe ipſos jugiter confeſſionibus in conſpectu ejus accuſant. Nullę autem prorſùs, id eſt nullius vigoris, & virtutis contra eos ſunt, qui ſe ſtudioſè in conſpectu Dei increpare, & accuſare non ceſſant. Quod expreſſit nobis Spiritus ſanctus per os David dicens: Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Attende anima mea, & admirare & lauda ex totis intimis tuis ſuperabundantiſſimam pietatis Dei dulcedinem, qui ſolo propoſito hujus accuſationis, videlicet quæ fit in confeſſione coram ipſo remiſit ſtatim impietatem peccati mei. Et propter hoc non ſolummodò ſilentium impoſuit vitijs, & peccatis contra ipſum David, ſed etiam remiſit ea, delevit, prorſùſque exterminavit. Quòd ſi quis dixerit, non eſt mihi poteſtas, aut virtus ad clamandum ſic, videlicet orationibus, & confeſſionibus, cùm adhuc corde mortuus ſum, & ſcriptum ſit: Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Mors autem, & infernus procuildubiò ſtatus eſt peccatoris in profundo peccatorum ſuorum ſepulti, & adhuc in eo jacentis, ac putreſcentis, ſicut evidenter legitur Eccleſ. 17. Ante mortem, inquit confitere, mortem inquam hujuſmodi, quam prædixi, propter quod & convenienter ſequitur: A mortuo enim quaſi nihil erit confeſſio. Omninò enim inſenſibilis corde peccator efficitur per mortem iſtam, & propter hoc non videt, nec ſentit illa, in quibus totus ſepultus eſt. Quid igitur facto ei opus eſt? Quod eſt illi conſilium ſalutare? Hoc indubitanter, ut procuret, qui clament pro eo. Et horum clamatorum duo ſunt genera. Primũ eſt opera ipſa miſericordiæ, ſicut expreſſè legitur Abacuc 2. quia lapis de pariete clamabat, & lignum, quod eſt inter juncturas ædificiorum reſpondebat. Quod in bono, & in malo intelligi poteſt. Proborum enim ædificiorum & ligna, & lapides clamant in aures Dei omnipotentis pro ædificatoribus ſuis. Quemadmodùm de rapinis, & malè acquiſitis clamationes ſunt contra ædificatores ſuos ad Dominum, ſicut dicit Jacobus in 5 ca. Epiſtolæ ſuæ. Aurum veſtrum, & argentum æruginavit & ærugo eorum vobis erit in teſtimonium. Quòd autem vox bonorum operum, & etiam malorum, & magna, & valida ſit, expreſſè legitur Sap. Ex iniquis omnes, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ eorum in interrogatione ſua, & alibi: Ipſe interrogabit opera noſtra. De hoc etiam aliàs audiviſti in præcedentibus. Bona igitur opera noſtra, & inter ea opera pietatis, non ſolùm clamant pro operatoribus ſuis coram Domino & ad ipſum, ſed etiam pugnant ſuper ſcutum ad protegendum ipſos. Eleemoſyna namque & exorat ab omni malo, & ſuper ſcutum potentis, ac ſuper lanceam adverſùs inimicũ tuum pugnabit, ſicut legitur Eccl. 29. Alij clamatores efficaciſſimi, atque validiſſimi ſunt ipſi interceſſores ſancti, ſive qui hîc militant, ſive qui jam cum Chriſto Domino regnant. Et qui inter eos validiores in conſpectu Dei altiſſimi, gratioſiores ſunt. Propter hoc igitur ſi commutatione bonorum temporalium virorum ſanctorum, qui adhuc in hoc mundo ſunt, preces procurandæ tibi ſunt, & etiam precibus & obſecrationibus emendicandæ, quantò fortiùs eorum, qui cum Chriſto Domino regnant, & gloriantur? An times ne tot, & tantis clamantibus pro te clamores vitiorum, & peccatorum tuorum audiat prælargus miſerator Deus? Abſit, cùm nihil odiat miſerator Deus prælargus, niſi vitia, & peccata. Abſit ut ea audiat contra te, & tam charos, tamque gratos interceſſores tuos repellat. Sancti quoque, qui contra nos clamant propter injurias, & contumelias, placandi ſunt emendatione contumeliarum, & injuriarum, quas eis irrogavimus, & nihilominùs precibus, & ſupplicationibus, qualibus, & quantis poſſumus. Hoc autem docemur in exemplo beati Geneſij, qui priuſquàm orare præſumeret pro Archidiacono, quem in vita iſta dilexerat, inclitam virginem & martyrem Agnetem, & quendam alium ſanctum placavit, quibus ablatione poſſeſſionum quarumdam injuriatus fuit Archidiaconus ille in Eccleſijs eorum. De animabus verò, quæ tam in inferno, quàm in purgatorio contra nos clamant, quid aliud nobis faciendum eſt, niſi ut per noſmetipſos, quantùm nobis datur, pro liberatione ipſarum ſatagamus, & etiam

Pſal. 36.

Pſal. 6.

per alios ad hoc ipſum laboremus, emendicantes eis aliorum ſuffragia qui noſtra illis ſubtraximus. Nec intelligas in hoc ſermone meo, quòd pro liberatione animarum, quæ in inferno detineri ſciuntur, preces faciendæ ſint, ſed dum hoc ignoratur, non eſt pigritandum, quin pro eis, & communiter pro fidelibus defunctis omnibus ſuffragia fiant. Scit enim Deus omnipotens, quibus prodeſſe, vel poſſint, vel debeant, nec patietur aliquem eorum defraudari à fructu, qui ei competere poteſt ex hujuſmodi ſuffragijs. Cave autem tibi totâ diligentiâ, ne beatam, & intemeratam Dei genitricem adverſariam habeas ullo modo, cùm impoſſibile ſit te placatum, aut propitium habere benedictum filium ejus, ipſâ tibi offenſâ, vel adverſante; ipſâ quoque tibi propitiâ, vel favente, impoſſibile ſimiliter ſit ullum ex omnibus illis militibus cœleſtibus, vel quemquam ex tota illa Eccleſia Sanctorum non eſſe propitium, & faventem. Ipſa etiam aperiente os ſacratiſſimum, os gratiarum, os benedictum ſuum ad loquendum miſericordiſſimo filio ſuo pro te, omnis iniquitas tua, & adverſariorum ſuorum oppilabit os ſuum: Omnes enim obmuteſcent, totaque illa cœleſtis curia incipiente ea loqui pro te, loquetur benigniſſimo miſeratori filio ejus. Qualiter autem placandus ſit tibi ipſe judex univerſorum & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, jam audiviſti in præcedentibus Et unus modus eum placandi eſt, ut tu ipſe placatus ſis omnibus proximis tuis Memor igitur eſto ejus, quod legitur Eccleſia. 28 Homo homini ſervat iram & à Deo quærit medelam. De hoc & in eis, quæ præceſſerunt, & in tractatu de operibus, & mirabilibus virtutum, & in capitulo de miſericordiâ multùm audiviſti. Matthæi 18. expreſſè legis verba Domini: Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniàm rogaſti me Ex quo expreſſè colligitur, quantùm poſſunt, & valent, apud miſericordiam Dei preces etiam peccatorum cùm ex toto corde ad ipſum clamaverint. Numeratur etiam, & non immeritò, inter ſtultitias, & fatuitates nuncij iſtius quòd de ipſis negotijs, licet arduiſſima ſint, nec curat nec cogitat, niſi hoc ſolùm, quòd petitionem nudam porrigit, & offert Deo, omninò ignorans, quid illa contineat, & quid per eam petatur. Et hæc manifeſta ſunt in omnibus orantibus, qui labijs ſolis ſtrepunt & tumultuanter in Eccleſijs ſola ignavia, & alia quæ ab eis ſunt proſùs aliena deſiderantes, & quæ per orationem petere deberent minimè cogitantes, & de his etiam quæ verba orationum ſignificant nihil omninò intelligentes. Quamvis autem iſtæ magnæ ſtultitiæ, & intolerabiles ſunt, non ſunt tamen orationes hujuſmodi contemnendæ, vel abjiciendæ. Iſti enim ſunt quemadmodùm Laici, literarum ſcilicet ignari, porrigentes & offerentes ſummo Pontifici petitiones ſuas in ſcriptis, cùm omninò ignorent, quid in illis contineatur, & quid in ipſis, vel per ipſas petatur. Summus verò Pontifex non ad ignorantiam ipſorum, ſed ad petitionem reſpicit & attendit. Nec parum, vel leve eſt, quod per ignorantiam iſtam interdùm, & orationi deperit, & oranti. Omni enim modo, & ſtudioſiùs & obnixiùs petitur bonum, quod cognoſcitur, quàm illud quod etiam non cogitatur. Inveniuntur autem, & cum eis, quæ audiviſti in nuncio iſto, quem orationem dixi, duplex perverſitas Prima eſt, quia ſibimet contradicit; eſt enim rectitudo orationum convenientiſſima, ut orans omnis ad eum manum porrigat ad capiendum, quod petit, ad quem dirigit ſermonem petitionis. Et ita faciunt omnes mendicantes, & eleemoſynaria beneficia petentes. Manu enim, &

E vocem in eum intendunt, à quo benefieri ſibi petunt. Tibi autem notiſſimum eſt, quia manus in eam partem extenditur, in quam tendit & operatio, quapropter qui tantùm agit opera diaboli, ad eum habet extentam proculdubiò manum ſuam. Ab eo igitur petit impleri manum ſuam, cùm illam porrigit. Nota. Quapropter contrarius eſt ſibi ipſi, qui voce à Deo petit beneficium; manu verò à diabolo, quâ perverſitate quid intolerabilius æſtimari poteſt? Secunda perverſitas eſt, qualis in ludo fieri conſueta eſt, ludo inquam, qui vulgariter vocatus, ludus aſini, ubi ad ipſum emptorem dorſo verſo ſermo dirigitur, & de pretio aſini cum eo tractatur. Dico igitur, quia ad eam partem facies mentis converſa eſt, & ad ea reſpicit, quæ cogitat, vel de quibus etiam ipſa cogitatio, ſive cogitatus mentis, intuitus eſt, ſive aſpectus. Quapropter qui ipſo momento orationis ad alia mente intuetur, vel aſpicit, quàm

F Deum, dorſo verſo ad Deum loquitur ipſ. quaſi (ut ita dicam) aſinum vendit, & ludo illo ridiculoſo Deum illudit. Oratio igitur hujuſmodi, & ridiculoſa eſt & ipſi Deo contumelioſa. Quis enim niſi fortaſſe jocosè, aut illuſoriè cuiquam homini ſic loqueretur, ut dorſum ad ipſum habeat, & faciem ad alia? Iſtæ igitur perverſitates in oratione ſunt contrariantes, ſeu contradictio ejus ad ſemetipſum, & ridiculoſitas illuſoria contra Deum, quæ ambæ in omni nuncio, & procuratore quantùm dedeceant, quantùmque ipſum impediant nemo intelligens ignorat. Defectus quoque vocis, & loquelæ quantùm noceat negotiis, quæ per nuncium gerenda ſunt, manifeſtum eſt tibi, & jam audiviſti in præcedentibus, quia vox orationis deſiderium eſt. Et quia muta eſt

G oratio, quæ voce caret hujuſmodi; debilitas verò in deſiderio, ſive cupiditas, raucedo eſt in voce orationis. Quanta ergo ſtultitia eſt, nuncium mutum, aut raucum & ſine voce audibili exiſtentem, ad tam ſublimem curiam mittere, præſertim pro tot, & tantis, tamque arduis negotijs, ut ſunt negotia animarum? Et quoniàm jam edoctus es per Dei gratiam de oratione, quia ipſa eſt pretioſiſſimum, deſiderabiliſſimum, atque magnificum Dei donum, præſertim cùm depurata eſt, & immunis ab imperfectionibus, & alijs impedimentis, quæ audiviſti; perfecta verò diſpoſitionibus, quas per me in hoc tractatu audis non relinquitur tibi ignorare, quòd à Deo ſtudioſiſſimè, devotiſſiméque, ac obnixè petenda eſt, cùm ipſe ſolus auctor, datorque ipſius, atque inſpirator ſit.

CAPUT XXXIX.

H *De cantico peccatricis animæ.*

POſt hæc proſequar tertiam perfectionem orationis, per quam eſt cantico canticum, & cantilena. Manifeſtum eſt enim, quia Pſalmi & cantica ſecundùm plurimum ſui orationes ſunt. Præterea Iſa. 23. expreſsè dicitur ad animam peccatricem Sume citharam circui civitatem, meretrix oblivioni tradita, benè cane frequenta canticum, ut memoria tui ſit. Eo namque ipſo quòd vocat eam meretricem, ipſam eſſe peccatricem clamat apertè. Quæ autem eſt cithara quam ſumere jubetur, niſi cor humilitate excavatum, ac profundatum, & bonarum cogitationum, & affectionum chordis, ſeu nervis tenſum, ac præparatum ad reſonandum concentum, quem audiet? Et dixi cogitationum, ſeu affectionum, non audens dicere virtutum, cùm illas anima peccatrix non habeat, neque in libera poteſtate ipſius ſit, ut illis tendat, & præparet os ſuum tanquàm citharam; Humilitatem verò intellexit eam, de qua dicit

Digitized by Google

Bernardus, quia eſt humilitas, quam veritas parit; & eſt alia humilitas, quam charitas format. Facilè eſt autem unicuique peccatori deprimere cor ſuum, ac profundare ſub mole vitiorum, & peccatorum ſuorum, & evacuare ipſum atque exinanire ab omni virtute, & à bonis meritis, quod non eſt aliud, quàm cognoſcere, & recognoſcere vacuitatem ſuam, & paupertatem, atque ſentire ſe vacuum à bonis, quibus deberet eſſe pleniſſimus. Proinde cogitationes bonas, quibus ſe accuſet peccator, miniſtret ei conſcientia, fideſque etiam mortua ſacratæ doctrinæ, cujus noſtris temporibus tanta copia eſt. Affectiones quoque bonas, quales ſunt timor, pudor, ita & dolor de quibus tibi in præcedentibus decem numeratæ ſunt, ipſa vitia, & peccata ea intueri volentibus copioſè miniſtrant. Et hoc declarabo tibi, licet per occaſionem hoc faciam. Sunt namque hujuſmodi cogitationes, & affectiones de benedictionibus dulcedinis, quibus Deus prævenit illos, quos ad gratiam plenitudinis illuſtrat, & præparat. Si quæratur cujuſmodi cantationem, vel canticum cantare jubetur meretrix iſta: Reſpondetur quòd cantio iſta, ut plurimùm, habet lamentationem, & væ, parum autem, & modicum carminum. Decem enim illæ affectiones, quas prænumeravi tibi, lamentatoriæ ſunt, & malorũ, quæ peccatores in ſeipſis ſpiritualiter patiuntur, expreſſoriæ. Et quoniàm peccator verè ſpiritualiter mortu' eſt, & malis ſuis obſeſs', & oppreſſus, quæ vox decet eũ niſi lamentatoria, & malorum ſuorum expreſſoria? Magnum autem initium vitæ eſt peccatori lamentari, & lugere ſe ipſum, & magna præparatio, atque appropinquatio ad reſurrectionem, & vitam, immò vitæ novitatem, quæ eſt vitæ gratię, qua ſcilicet Deo gratè, ſive gratioſè vivitur. Et debes ſcire, quia quemadmodùm in citharis, & aliis inſtrumentis, magnitudo concavitatis, atque profunditatis reſonantiam adauget atque dulcorat: ſic in cithara cordis, humilitas, quam prædixi. Quantò enim ſive cogitationibus, ſive affectionibus magis ſe humiliat, & deprimit peccator coram domino, tantò ipſi gratiùs, & acceptiùs reſonat in oratione coram ipſo. Quemadmodùm dicit Bea. Hier. Nihil adeò Deo diſplicet in peccatore ut cervix erecta poſt peccatum: Ita nihil eo gratius in eodem, quàm curvatio, ac humiliatio ejuſdem ſub mole peccatorum, ſicut legitur Baruch. 2. Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat illis dominus gloriam, & juſtitiam. Quantùm enim pro peccatis ſuis ſemetipſum quis humiliat ſub potenti manu Dei, tantùm ſuper ſeipſum, ſive in ſeipſo Deum exaltat. Quantumcunque ſemetipſum in eis, & pro eis deſpicit, atque vilificat, tantùm in ſemetipſo Deum honorat. Similiter quantùm ſemetipſum confundit in peccatis ſuis, & pro illis, tantùm Deum glorificat, tantúmque gloriam dat Deo in ſemetipſo. Dat ei, & juſtitiam, cùm ſe injuſtè contra ipſum egiſſe fatetur, & recognoſcit, dat ei & juſtitiam, cùm vitia ſua, & peccata ſibi ſoli attribuit, non fato, nec conſtellationi, nec ipſi Deo contra eos, qui naturam malam eum creaſſe blaſphemant, & quoſdam planetas malos creatos fuiſſe, infauſtoſque & infortunatos, & ad nocendum naturaliter, id eſt ipſâ naturâ ſuâ potentes, & prodeſſe non valentes, delirant, quemadmodùm de Saturno, & Martæ Aſtronomi fatidici mentiti ſunt, & ſcripſerunt. Dat Deo juſtitiam, qui ſe juſtificatione, & ultione divina dignum eſſe confitetur, ipſumque Deum juſtè acturum ſecum prædicat, ſi vitia ſua, & peccata placeat vindicare. Curva etiam incedit, & in infimis anima, quæ nec etiam audet oculos levare ad cœlum præ confuſione, quia cœlo

A ſpreto, ejuſque fœlicitate infernum, & ejus tormenta eis prætulerit. In hac enim cantione prima chorda debet reſonare fides. Et primùm quatuor ſonos, ſive voces, & immenſitates incogitabilis largitatis, & beneficentiæ Dei, ubi primus ſonus eſt recogitatio beneficiorum, ſeu donorum naturæ. Secundus recogitatio veniarum, quibus remiſſæ ſunt nobis tam culpæ, quàm pœnæ. Tertius recogitatio gratiarum, per quas ad decorem divinę ſimilitudinis reformati ſumus. Quartus recogitatio gloriarum, ſeu hæreditatis æternæ, in qua jus hæreditarium nobis in baptiſmo collatum eſt. Muta ſine voce, atque ſono eſt, vel debilis, & penè rupta chorda fidei, quæ ſonos iſtos inceſſanter non reſonat, & indubitanter in eis. & apud illos ſic reſonat chorda fidei, quibus data eſt ſcientia ſalutis. Poſſibile eſt tamen tibi, & B aliter diſtinguere, & aſſignare ſonos fidei, ut primùm ponatur recogitatio ſingularis illius, ac ſtupendi beneficij, videlicet incarnationis ac paſſionis chariſſimi, ac benedicti unigeniti filij Dei; deinde beneficiorum, quæ per ſacramenta nobis inceſſanter collata ſunt, & tribuuntur, in quibus ſuper omnẽ admirationẽ eſt ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſacramentum. Tertius recogitatio beneficij doctrinarum, & revelationum, quibus eruditi, & docti ſumus, de ſecretis ſapientialibus, de quibus non fecit Deus taliter omni nationi. Quartus ſonus eſt recogitatio divitiarum patientiæ, & longanimitatis Dei, per quas tam malignantes, & malos in tot, & in tam malis, tamdiu, tam benignè, tam miſericorditer, tam dulciter ſuſtinet, & expectat, miriſque, & ineffabilibus ſibi ſoli notiſſimis viis & modis ad C miſericordiam ſuam, & gratiam revocare, & reducere (quantùm in ipſo eſt) non ceſſat. Interdùm autem obſtinatiſſimos, & duriſſimos, & obduratiſſimos, & omninò rebelles, convertit ad ſe, id eſt juſtificat. Quid putas coram Deo cogitat, qui iſta negligit cogitare? Licet igitur chordam unam iſtius citharæ fidem dixerim, non inconvenienter tamen pſalterium decachordum dici poteſt. Decem verò illæ affectiones, quæ tibi ſuperiùs nominatæ, & numeratæ ſunt, pſalterium decachordum rectiſſimè nominantur, in quo tantò jocundiùs Deo pſallitur, quantò majori anguſtia cordis decem illi ſoni reſonant in eodem. Et ne mireris, ſi fracta cithara, & nervi debiles, & non benè tenſi, debitum, & perfe- D ctum concentum non reddunt, vel reſonant. Cor confractum, cithara fracta eſt, confractum inquam fractione, de qua legitur Eccleſiaſtici 21. Cor fatui, quaſi vas confractum & omnem ſapientiam nõ tenebit; nervi debiles, & penè rupti, gratiæ præparatoriæ, & benedictiones dulcedinis, quibus quidem prævenit, & præparat nos dominus; præparat inquam ad gratiam pœnitentialis juſtificationis & ſunt reverà initialia quædam adjutoria ad illam. Hi quatuordecim ſoni cùm de cithara cordis ſonuerint, licet debiles, licet exigui, auribus tamen miſericordiæ Dei jocundum ſonant, & apud ipſum impetrant, ut memoria ſit meretricis oblivioni traditæ. Cùm verò perfecta fuerit cithara, chordis, & nervis omnibus debitis convenienter præparatis & ordinatis, erit eos humanum pſalterium jocundum ſimul cum cithara, reſonans ab inferiori hoc eſt, pro liberatione à malis & etiam pro condemnatione impiorum, gratiarum actiones, benedictiones, collaudationes, & glorificationes; à parte verò ſuperiori, pro omni largitione beneficiorum hæc eadem etiam reſonans; à parte inferiori, Dei judicium juſtiſſimum, ac per omnia laudandum à parte verò ſuperiori, miſericordiam; miſericordia namque Dei ſuper omnia opera ejus eſt, ſicut legitur in pſal. Et miſericordia ſuperexaltat in judicio, ſicut legitur

Digitized by Google

Jacobi 2. Própter hoc dictum eſt in pſal. Miſericor-
diam, & juſtitiam cantabo tibi Domine. In pœni-
tentibus, & etiam ad pœnitentialem gratiam co-
nantibus, convenientiſſimæ ſunt, omnibuſque pijs
viris auditu jocundæ ſeptem reſonantiæ exteriores
quas præaudiviſti, ſcilicet gemitus, ſuſpiria, eju-
látus, & planctus, clamor, qualis eſt ululatus, dein-
de ſingultus, atque rugitus. An putas ſuper omnem
cogitationem, & admirationem miſeratorem, &
largitorem largiſſimum Deum continere poſſe au-
res ſuas, aut avertere ab huiuſmodi concentibus?
An putas aliquem in omnibus illis exercitibus pul-
cherrimarum, ſublimiumque militiarum cœleſtium
continere poſſe vocem orationis, & deprecationis,
quin eam emittat, ut proſit orantibus? Sciendum
autem eſt tibi, quia quemadmodum chordæ, ſeu
nervi literales in cithara literali, ſeu alio quocunque
F muſico inſtrumento, binatim ordinantur, atque ten-
duntur, & propter hoc bini, & bini reſonant; ſic &
in cithara iſta ſpirituali virtutes omnes binæ, & bi-
næ invicem connexæ ſunt, ſibique invicem adju-
vant, ſicut legitur de alis animalium ſe invicem tan-
gentibus Ezechiel. 1. Exempli gratiâ: Amor bono-
rum, & odium malorum, ſpes, & timor, continen-
tia, & abſtinentia, magnificentia & humilitas; &
ad hunc modum ſe habet de alijs. Et attende con-
cordiam ipſarum ad invicem, quia unaquæque diſ-
cordaret, & malè per ſemetipſam ſonaret, immò
diſſonaret, niſi altera alteram moderaretur, ac tem-
peraret, vel adjuvaret. Manifeſtum eſt enim tibi
qualiter abſtinentia continentiam adiuuet. Rumpi-
tur enim nervus continentiæ, aut vehementer debi-
litatur & deprimitur ſonus ejus, ſi abſtinentia illum
non adiuvet, & confortet. Notum eſt unicuique no-
ſtrum qualiter comeſſatio, & ebrietas repugnent
continentiæ, aut interdùm extinguant. Venter enim
G mero æſtuans (ut dicit Hieronymus) facilè ſpumat
in libidinem. Similiter & ſpes in præſumptionem
eleuaret ſonum ſuum, niſi eam timor reprimeret, &
moderaretur. Timor verò in deſperationem rueret,
niſi illum ſpes ab imo fulciret, & ſuſtentaret. Sic hu-
militas in vilitatem abiectionis ſemetipſam abjice-
ret, niſi eam magnificentia ſuſtentaret. Ipſa quoque
magnificentia, ne nimis in altum proſiliat & in ſu-
perbiam ſe eleuet, ab humilitate premitur, & in re-
ctitudine ſui ordinis retinetur. Sic inuenies in amo-
re, & in odio. Non enim eſt poſſibile bona lauda-
biliter per omnia facere, cuſtodire, nutrire, atque
defendere per omnia amore bonorum niſi contra
mala pugnetur aſſiduè, niſi eis reſiſtatur viriliter,
quod propriè ac per ſe odij eſt malorum. Eodem
H modo nec mala impugnabuntur fortiter, nec reſiſte-
tur eis viriliter ſi amor bonorum ad hoc non adju-
verit. Si enim bona non amentur, per quæ malis re-
ſiſtitur, & mala repelluntur, non eſt poſſibile ut con-
tra ea laudabiliter pugnetur. Quòd ſi quærat quis de
ipſa fide, quam virtutem habeat ſociam & conne-
xam, ac ſi quæreretur de neruo fidei, quis ei neruus
alius in iſta cithara aſſocietur eidem? Reſpondeo in
hoc, quia diſcredulitas erroris, & impietatis, eſt
chorda, quæ fidei conjungitur in cithara iſta, ut ex
hac tam horrificâ deteſtatione non ſolùm declinen-
tur errores huiuſmodi ſed etiam abjiciantur, & om-
nis error impietatis tanquàm venenum mortiferum
abjicitur per virtutem iſtam, atque declinatur, & fu-
gitur, & etiam abhorretur. Si quis autem objicere
voluerit, quia contrariorum eadem eſt diſciplina, &
idem ſenſus: Reſpondeo in hoc, quia alius motus eſt
perſecutio erroris, & impietatis & odium, alius in-
ſecutio ſalutarium credulitatum, & amor ipſarum.
Et poſſibile eſt, ut aliquis peritus ſit in procurandis,
& inducendis ægritudinibus, omninò inſcius ſani-
E tatis procurandæ, vel inducendæ, ſicut manifeſtum
eſt in bellatoribus multis qui vulnerare, & occidere
doctiſſimi ſunt, ſanare autem, & à morte ſuſcitare
prorſùs ignorant. Sic quoque poſſibile eſt, ut aliquis
de veneficis acquirendorum, conficiendorum,
acuendorumque venenorum habeat peritiam, eo-
rumque porrigendorum aſtutiam, ſanandi autem à
læſionibus earum non habeat licentiam. Cauſa au-
tem in hoc indubitanter eſſe poteſt, ut animo ſolo
nocendi vel uni, vel pluribus ſtuduerit, ut in tali-
bus fit, & aliud de venenis ſcire non curauerit. Poſ-
ſibile namque eſt, ut ſolo odio alicuius perſonæ, vel
aliquarum inductus fuerit ad hoc, ut talia fieri vel-
let. Cùm autem pſalmi, cantiones, vel cantica ſint,
manifeſtum eſt, quòd qui pſallunt, vel pſallantes
audiunt, ſaltare debent, quemadmodùm laſciui ho-
mines, & mulieres ad auditum cantilenarum tur-
F pium ſaltant, id eſt, geſticulationibus corporum ſuo-
rum reſpondent modulationibus, quas audiunt ſicut
dicit veritas Matthæi 2. Cecinimus vobis, & non
ſaltaſtis, lamentauimus vobis & non ploraſtis. Sal-
tationes igitur iſtæ ſunt motus ſpirituales, quibus
moueri debemus & ipſi pſallentes, & pſalmos ab alijs
audientes. Exempli gratia: Cùm pſalmi diſtrictio-
nem diuinæ juſtitiæ, & ultionis reſonant, timore
debet concuti cor, & deorſùm poni, cùm autem
miſericordiam, debet ſpe erigi ſurſùm, cùm autem
honorè, & gloriam Dei reſonant gaudio dilatari, ut
de beatitudine promiſſa dilectorum, & electorum
ipſius deſiderio & amore illius cor accendatur, &
per viam iſtam currit res in omnibus pſalmis, & pſal-
modijs. Ut quid enim in ipſo principio pſalmi no- *Pſal. 1.*
minatur tibi beatitudo, cùm dicitur: Beatus vir, niſi
ut deſiderio, & amore in illam ſaltes, vel inſilias,
Deinde propter ſimilem cauſam denominatur tibi
virilitas, ut à puerilitate animi diſſilias, & virilita-
G tem, tanquàm refectionem tibi debitam, concupiſ-
cas. Sic propter eandem cauſam ſubſequenter dici-
tur tibi: qui non abijt in conſilio impiorum. miſeria
eſt, quam beatitudo, & virilitas, à ſe procul expel-
lunt. Nominatur ergo tibi ſub negatione, ut ab ea
declines, & fugias animo, atque propoſito, qui bea-
titudinem, & virtutem tanquàm inſeparabiliter an-
nexas ſibi ipſis diligas, & teneas. Nec dubites, quin
cor per omnia, quandò diſpoſitum, & à ſervitute
corruptionis plenè, & perfectè liberum eſt ad au-
ditum pſalmodiæ congruentibus illi motibus mo-
veatur. Alioquin qui pſallunt, vel pſallentes au-
diũt, *onoi pròs lyra* ſunt, id eſt aſini ad lyram, qui con-
centui lyræ, vel citharæ nullo modo geſticulationis
reſpondere norunt. Cauſa autem in hoc eſt, quia ip-
H ſam ſuavitatem concentus huius non ſentiunt. Heu
quot *onous pròs lyra*: & aſinos inſenſibiles habet
hodie ſanctus David? immò Spiritus Sanctus ad
citharam ſuam, & pſalterium, qui nihil prorſùs ſpi-
ritualis harmoniæ ibi ſentiunt, nihil de his, quæ
per pſalmos Spiritus Sanctus omnibus loquitur, in-
telligunt vel etiam cogitant. Et quod eſt majoris
abſurditatis, ipſas voces pſalmorum ita ruditer, a-
deóque ineptè reſecant & vociferant, ut voces
eorum à rudibus aſinis differre valdè modicum
videantur. Quod eſt de his qui militiæ clericalis
ſtipendia tam avidè capiunt, quàm diſtrictè exi-
gunt, & cum tanta diligentia nummos ipſos, bla-
dum, & vinum, quæ ratione huiuſmodi militiæ ſibi
deberi, impudentiſſimè aperiſſiméque mentiuntur,
qui non ſolùm voce pſallere negligunt coram do-
mino, ſed etiam pſallentes impediunt, & pro ſacra-
tiſſimis pſalmis fabulas in choro reſonant. Utinàm
attendant, quia fures & latrones, & contra Deum,
& contra animas, quibus pſallendo ſuffragari de-
buerant, ſe exhibent, dum ſine cauſa ſtipendia per-
cipiunt,

Digitized by Google

cipiunt vel quod majus eſt, rapiunt. Propter hanc A cauſam, videlicet, quia pſalmodia theſaurus eſt, continens aurum, & gemmas divitiarum ſpiritualium, & apotheca Spiritus Sancti eſt continens aromata omnium donorum, virtutum, & gratiarum, ſtatutum eſt in Eccleſia Dei, ut ſuper omnes ſcripturas liber pſalmorum frequentetur. Nulla enim ſcriptura de veteribus eſt, quæ mentem humanam ita ditare, & replere ſufficiat: Nulla eſt medendis animarum languoribus, conſolandis, confortandis, & delectandis animabus humanis adeò potens, aut efficax. Sunt & multò ſpirituales virtutes, & propriæ, quæ alibi & docendæ, & dicendæ ſunt. Theſauri igitur tam precioſi, tamque nobiles Spiritu Sancto per pſalmos, & in pſalmis oſtenduntur, ut provocemur ad amorem, & deſiderium ipſorum. Apotheca Sancti Spiritus coram nobis in eis aperitur, & exponitur non ſolùm ad medelas (ut prædixi) ſed etiam ad delitias, quas illi ſolum norunt, B quibus datur eas ſentire.

CAPUT XL.

Quid intelligatur per vitulos labiorum.

POſt hæc proſequar de oratione, ſecundùm quod ipſa eſt vitulus labiorum. Nihil enim aliud intelligi poſſe videtur vitulus labiorum, quàm ipſa oratio. Vocatur autem vitulus labiorum in ultimo Oſeæ, ubi dicitur: Reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Cui concordat Apoſtolus in ultimo ad Hebr. dicens: Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium nomini ejus. Abuſivè namque ultra modũ intelligerentur vituli labiorum, vituli labiis promiſſi. Dico igitur, quia in vitulo intimum eſt medulla, omnibus aliis, quæ vituli ſunt, guſtu ſuavior, deinde carnes, tertiò oſſa, quartò pinguedo, quintò pellis & ſimiliter in oratione intimum, Deoque placitiſſimum, ipſa pietas orantis, intentio, ſive voluntas principalis obtinendi, quod per orationem impetrari intenditur & propter hoc qui abſque pia intentione orationem dicit, vel recitat, ipſam potiſſima ſui parte mutilat, & detruncat. Cogitare igitur debet apud ſemetipſum, atque formare quid ei per orationem quærendum, vel petendum ſit. Ad hoc enim orandus eſt Deus, ut veniam, & gratiam, & gloriam, & cætera bona data ſua, (prout ipſe novit expedire) largiatur orantibus & his pro quibus oratur. Quòd ſi quis nihil horum intendat, per vociferationem orationis ſtrepit indubitanter, & tumultuatur in Eccleſia Dei, omninò à Deo nihil petens. Quapropter neque orans eſt homo hujuſmodi, cùm omnis oratio petitio ſit, ſicut in præcedentibus audiviſti. Intende autem, quia non eſt neceſſe, ut omnis orans intendat certè, & determinatè aliquid iſtorum, quę prædixi. Multi enim univerſaliter, vel generaliter intendunt per orationes bona data Dei, non cogitantes ſingulariter de venia, aut aliquo illorum. Quantò autem ferventior fuerit intentio hujuſmodi, tantò erit medullata magis oratio, & oſſa ejus medulla pinguiori refecta. Oſſa verò in oratione fortitudines ſunt, quibus ſuſtentari, & defendi indiget oratio. Difficillimum quippe eſt muſcas irruentium cogitationum ab oratione abigere, eamque ab impedimentis omnibus depurare, & depuratam ſervare. Manifeſtum autem eſt tibi contra omnem difficultatem fortitudinem eſſe neceſſariam, ſicut dicit Ariſtoteles, quia virtus, & ars circa difficillima ſunt. Neceſſaria eſt & alia fortitudo contra tædium prolixitatis, à quo multi ex orantibus vincuntur, qui vix inceptam orationem conſummare ſufficiunt; interdùm autem, & à cœpta ſtatim deſiſtunt. Eſt & alia fortitudo neceſſaria circa dilationẽ doni quod petitur. Differt enim Deus interdùm dare, quod poſtulatur, ipſa dilatione cor pręparans, & aptans ad recipiendum, ſicut dicit Auguſtinus ſuper illud pſal. Concupivit *Pſal. 118.* anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore, dicens ibi, quòd ut tu volens implere ſaccum, vel ventrem aliquo bono precioſo, diſtendis illum, atque dilatas, ut capaciorem ipſum efficias; ſic Deus volens implere cor tuum, diſtendit illud atque dilatat longè deſiderio, ut capaciùs illud ejus, quod petitur, efficiat. Contra moram igitur, & dilationem iſtam neceſſaria eſt fortitudo quædam, quę proprio nomine longanimitas appellatur. Eſt & alia fortitudo neceſſaria contra iram quandam, & impatientiam, qua multi uſque exagitantur & deficiunt, ut vix proſtrati ad orationem ab ea ſtatim exurgant, pro eo quod gratia orationis, & devotionis eis non ſtatim tribuitur, dicentes: Quid facerem hîc aridus & frigidus corde duro, & vacuo ab omni gratia devotionis? Hi proculdubiò ignorant orationem, & devotionem dona gratuita eſſe Dei, & ut hoc ipſum addiſcant, non ſtatim eam, *Nota.* cùm volunt, obtinent. Inſinuatur igitur eis per hoc ut ea petere diſcant, & aſſueſcant. Interdùm autem & quantâ difficultate obtineantur, ipſâ experientiâ edocentur. Quaſi enim præda quædam gratia orationis, & devotionis, interdùm rapitur à Deo, & de medio irruentium cogitationum, duritiæque cordis, in quadam violentia eripitur, ſicut dicit Seneca, vix datum prædam putato. Improbitate igitur, & importunitate vult à ſe eripi gratiam orationis, & devotionis miſericors Deus, ut obtenta gratior, & charior habeatur, juxta illud: Gratior C eſt fructus, quem ſpes productior edit. Eſt & alia fortitudo orationis, & eſt quaſi gravitas quædam contra levitatem cordis, quæ tanta eſt in aliquibus ſtultis, & indoctis, ut non permittat eâ uti, niſi ad modicum, & breve, cùm illam adepti fuerint, tunc enim ab oratione ſurgunt cùm in ea potiſſimùm eſſet immorandum, & potiſſimùm inſiſtendum eidẽ. Hoc autem eſt, quia cùm datur eis gratia orationis, abundans devotione, pręp inguis, & lachrimis irrigua, cùm tantis bonis eis utendum eſſet, econtrariò cum tam bono ſic impatientes ſunt tanti boni, quod proculdubiò eſt quædam fœlicitas, tunc namque datus eſt eis advocatus gratioſiſſimus, & eloquentiſſimus, de quo non immeritò ſperare poſſunt, quod obtineat eis quicquid petunt; ipſi autem tunc ei imponunt ſilentium, & vocem ejus interrumpunt, & cùm gratioſiorem, & magis propitiam habet audiẽ- D tiam, atque cùm efficaciùs allegat cauſam ipſorum, os ejus obſtruunt, immò quod deterius eſt, ipſum mortificant, & extinguunt. Qui enim tunc orare deſinit, cùm ei benè eſt in oratione, & devotione & lachrimis, orationem indubitanter mortificat, & extinguit, etiam eo tempore quo utiliùs, & efficaciùs eidem inſiſteretur. Ille verò, qui ſentiens in ſemetipſo paupertatem omnimodam, & defectus devotionis, & lachrimarum, propter hoc orare deſinit, vel deſiſtit, inſaniſſimus pauper eſt, qui mendicare panem, cæteraque ſibi neceſſaria quærere differt, donec dives effectus ſit; dives enim indubitanter *Nota.* eſt, qui gratiâ devotionis & lachrimarum abundat. Hujuſmodi etiam homo eâ ſtultitiâ laborat, ut qui videns hauritorium ſuum vacuum, ad fontem, vel fluvium pro haurienda aqua ire contemnit paratus ire, ut dicit, & haurire, cùm hauritorium ejus plenum viderit, aut ſenſerit. Proculdubiò ſtultus hujuſmodi Spiritum Sanctum eſſe fontem orationis, atque devotionis, & omnium gratiarum neſcit,

Digitized by Google

ipſumque eſſe flumen, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Ignorat etiam inſipientiſſimus cor ſuum eſſe hautitorium, quod orando in fontem iſtum immergitur, vel mittitur, ut inde gratiarum muneribus impleatur. Non videt, quòd orando ad fontem iſtum, vel fluvium acceditur, vel venitur, vel potiùs ad cor iſte fons vel fluvius attrahitur, ſicut ipſe Spiritus Sanctus per pſalmiſtam nos docuit, dicentem: Os meum aperui & attraxi ſpiritum. [*Pſal.* 118] Eſt & tertia ſtultitia hominis hujuſmodi, qui frigiditatem cordis ſui ſentit, & ad caminum appropinquare non vult, donec illud ſentiat calefactum, ignorans proculdubiò Spiritum Sanctum fornacem eſſe, & caminum ſpiritualis ardoris, id eſt vitalis, & vivifici caloris. Ignorat etiam, quia orando ad fornacem iſtam & caminum propinquatur, & in appropinquatione, ipſius videlicet immò præſentia, **F** corda primùm tepeſcunt, deinde caleſcunt, tertiò verò flammeſcunt. Quis adeò ſtultus eſt, qui dicat, ſuſtinebo frigus iſtud mortiferum longiùs à fornace, nec appropinquabo ad illam donec plenè fuero calefactus, cùm autem perfectè calefactum me videro, appropinquabo ad illam. Et eſt quarta ſtultitia hominis hujus. Ipſe enim eſt quemadmodùm ſtultiſſimus, qui videt ſe ventre vacuum, & refectione admodùm indigentem menſamque refertiſſimâ in conſpectu ſuo poſitam, & paratam, & dicere non erubeſcit, non accedam ad menſam iſtam, donec [**Nota.*] ventre plenus fuero, & opiparè ſaturatus. Quid enim aliud eſt homo, cor habens gratiâ devotionis vacuum, niſi homo ventre ſpirituali abeſcis, & potibus ſpiritualibus vacuo? Quis autem ignorat, niſi **G** inſipientiſſimus in oratione ventrem hujuſmodi cibis, & potibus repleri ſpiritualibus, ipſumque hominem ibi ſpiritualiter ſatiari? Quapropter manifeſtum eſt, quia miſerrimus & erroneus eſt, qui propter hoc ad menſam tefectionis ſpiritualis, quæ eſt opulentia Spiritus Sancti, per orationem accedere negligit, quia ſe vacuum ab hujuſmodi alimentis ſenſerit, ſimilis ſtulto, qui fame ſe perire ſentiens, ad menſam opiparam, ut in ea comedat, & reficiatur, accedere contemnit. Eſt ergo negligentia hæc, & torpor, infirmitas hujuſmodi, quæ etiam viros religioſos interdùm revocat, & avertit, & in paupertate prænominata detinet. Irrumpenda igitur eſt aliqua fortitudine iſta infirmitas. Quia ergo iſtæ fortitudines quas nominavi tibi, orationi neceſſariæ ſunt, ut eam ſuſtentent, & fulciant, eamque fortem & robuſtam efficiant, non immeritò oſſa orationis oſſa vituli nominantur. Hæc ſunt oſſa medullam piæ intentionis, & orationis continentia, fortique protectione cuſtodientia. Carnes verò **H** iſtius vituli, intellectus ſunt & cogitationes eorum, quæ verbis orationis ſignantur. Pinguedo verò carnium hujuſmodi devotio eſt. Nec obſiſtit, quod dicit Greg. ſuper verbum illud pſal. Holocauſtum tuum pingue fiat, dicens: quia holocauſtum pingue fit cùm bonum opus, quod agitur, etiam lachrymis irrigatur. Lachrymæ namque non devotio ipſa ſunt, ſed ex devotione profluunt, & procedunt. Pellis autem vituli iſtius ipſe contextus, & ſeries verborum orationis eſt, quibus alia, quæ dicta ſunt, continentur, & tanquàm à pelle exteriori operiuntur. Pili quoque in vitulo iſto ſtrepitus eſt vocalis exterior. Tales reddere debemus vitulos labiorum noſtrorum, propter quod dictum eſt: Reddemus vitulos labiorum noſtrorum, Oſeæ ultimo, ut prædiximus. Non enim propriè redditur, niſi quod debetur. Apparet igitur de omnibus, quæ præceſſerunt de vitulo iſto, quàm injurioſi ſumus Deo, etiam in illis, quæ per injurias irrogatas eidē emendare debemus. Quis enim non videt innumerabiles in Eccleſia **E** clericorum, tam ſæcularium, quàm etiam clauſtralium, nec etiam pilos vitulorum iſtorum domino reddentes, neque enim vocali ſtrepitu in Eccleſiis reſonant, ſed tanquàm in dormitorio medias matutinas, aut etiam integras dormiunt, nunquàm eas poſtmodùm domino reddentes, aut reſtituentes. Multi pro vocibus orationis, vocibus inutilium fabulationum, aut etiam ſæcularium negociorum in eis ſtrepunt, & tumultuantur, tractantes ſibi invicem ſua ſæcularia, & interdùm negociationes, facientes proculdubiò domum orationis, domum negociationis. Execrabiliùs autem eſt, quòd pro laudibus, & hymnis Dei, turpiloquiis prophanent, & polluunt ipſum Dei ſervitium, & chorum, divinis honoribus, & laudibus conſecratum. Sunt & alij, qui ut pellem vituli iſtius Deo reddant, & offerant, totum in hoc ſtudium ſuum conferunt, nec unam ſyllabam, vel unum iota de tota integritate verborum orationis negligi permittentes, & hoc utique borum eſt, niſi Deum potioribus vituli iſtius ſedefraudarent, ſcilicet dum intellectus & ſignata verborum orationis, vel non habent vel non curant, etſi in altera, pelle videlicet, Deo ſatisfacere videantur, in reliquo tamen, id eſt in carnibus, non modicum ſacrificium laudis detrahunt & detruncant. Multi delinquunt circa adipem, ſive pinguedinem, omnimodè aridi, & indevotè orantes, cùm offerre debeant vitulum ſaginatum. Clerici quoque de medulla iſtius vituli non curant, & forſitan curare non norunt. Multi nec pellem verborum, nec pilos exterioris vociferationis offerre curant, vel dignantur. Dicit autem David ex perſona rectè offerentium: Holocauſta medullata offeram tibi. Quis ex [*Pſal.* 65.] Magnanibus hujuſmodi fraudes, vel rapinas, vel injurias ſibi fieri ſuſtineret, videlicet ut pro vitulis medullatis, & pinguibus exmedullati excarnati, macilentiſſimi, & per omnem modum pinguedine carentes, exoſſati, decoriati, & nec pilos etiam habentes offerrentur? An non vides congregationes hujuſmodi orantium, & tam apertè vitulorum hujuſmodi ſacrificia Deo ſubtrahentium, ne dicam ſpeluncas eſſe latronum, ſed magis acies, vel cuneos raptorum? Quis ignorat, quòd ſine cauſa accipiunt ſtipendia oratoriæ militiæ, immò tanquàm fures, & raptores, & propter hoc ad reſtitutionem omnium ſic perceptorum teneri,

---

CAPUT XLI.

Quare per fumum thuris ſignatur oratio, & quid per pulverem pigmentarij.

H DOcet nos Spiritus Sanctus per Joannem Evangeliſtam, Apoca. 4. ubi dicitur de viginti quatuor ſenioribus, qui habebant ſinguli citharas, & phialas aureas plenas aromatum, quæ ſunt orationes ſanctorum. Et iterùm ejuſdem 8. Stetit Angelus ante altare habens thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, & aſcendit fumus incenſorum ſanctorum de manu Angeli coram Deo. Per David quoque docemur orationem incenſum eſſe ubi dicit: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. [*Pſal.* 140] Qua directione, & aſcenſu, ipſa quoque anima orantis aſcendere dicitur in lib. Canticorum cap. 3. ubi dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii. Virgula igitur fumi oratio eſt qualem eſſe indicant aromata myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij. Veteri quoque lege Exo. 31. thymiamata fieri juſſit

ſibi dominus ex quatuor aromatibus, ſtacte, onyche, galbano boni odoris, & thure lucidiſſimo. Quia igitur hæc quatuor tantum aromata nominantur, ut ex eis conficiatur thymiama, per hoc oratio rectiſſimè intelligitur. Ibi verò nominatur myrrha & thus & deinde expreſsè dicitur univerſi pulveris pigmentarij, unde colligitur evidenter quia oratio perfecta ex omnibus modis ſuis, virgula fumi eſt qualem deſcribit lib. Cantic. Quatuor verò illa aromata, quæ Moyſes nominat quatuor virtutes, quæ in oratione neceſſariæ valde ſunt, indubitanter ſignãt, ſicut apparebit tibi ex proprietatibus aromatum illorum. Habet autem quæſtionem, quid intelligi debeat hic pulvis pigmentarius. Virtutes enim nec frangendæ, nec conterendæ ſunt, nec in pulverem redigendæ, quin potiùs in omni integritate ſuâ quærendæ. Integritas namque earum, & perfectio adeò plùs diligitur, quàm minutiæ, vel fragmenta ipſarum. pulvis autem pigmentarius unde erit, niſi ex pigmentis virtutum confractis, atque contritis? Confractio verò, & contritio virtutum quid eſt, niſi mortificatio earum? Quòd ſi fortè quis dixerit, quia contritio iſta cordis eſt, aut intelligit hoc de corde novo, quod in ſe creari petebat David, quod utique eſt bonum & ſanctum, propter hoc omni cuſtodiâ ſervandum, ſicut præcepit Salomon Prover. 4. non eſt igitur frangendum, aut conterendum: Si verò intelligit hoc de corde veteri, quod totum eſt ex membris vitiorum, & peccatorum, qualiter cor hujuſmodi contritum erit pulvis pigmentarius? quin potiùs pulvis fœtidiſſimus, & odoris peſſimi. Debes igitur ſcire in hoc, quia contritio non eſt ſicut confractio aut contritio corporalis, quæ indubitanter destructio eſt ejus quod confringitur, aut conteritur, ſed eſt ſubtilis examinatio, & per ſingula diſcuſſio eorum, quæ examinantur, qualiter ipſa eloquia ſacra, & confringi, & conteri dicuntur, cùm ſubtiliter, & per ſingula diſcutiuntur, examinantur & exponuntur, integra tamen remanent, & omninò nihil læſionis paſſa cùm ſic confracta, & contrita fuerint. Vitia verò, & peccata malleo verbi Dei ſic confringuntur, & conteruntur, ut penitùs deſtruantur, & annihilentur. Cùm enim non ſolùm voluntas peccandi, ſed ipſa cogitatio etiã peccati ſic confringitur, & conteritur, ut nihil eorum prorsùs remaneat in eis, qui verè pœnitent, cõtritio iſta, nihil læſionis infert, vel ſuffert cordi contrito, quin potiùs læſiones vitiorum, & peccatorum in eo ſanat; non frangitur igitur cor, ſed fractum integrat, & ſolidat, & fractiones ipſius, atque contritiones omninò curat. Contritio igitur iſta diligens eſt & ſubtilis examinatio, ac præparatio cordis, qua ſeipſum ſic perſcrutatur, ut quicquid Deo diſplicere in ſe invenerit, atque cognoverit, conterat atque confringat, ut prædixi, malleo verbi Dei ſemetipſum duriter in omnibus, & ſingulis malè actis percutiens quod eſt dicere, uſque ad mortificationem, omnimodamque deſtructionem eorũ, quæ in ſe punienda cognoverit. Cor igitur contritum dicitur ſecundùm duas intentiones, videlicet ſecundùm ſe vel ſecundùm ea, quæ in ipſo conterenda ſunt & mortificanda. Cor enim intelligitur ſenſus, & voluntas; & ſenſus, cùm erroneus eſt tanquàm periculoſus, conterendus eſt, & mortificandus in parte iſta, ſimiliter voluntas improba, ſive perverſa eſt conterenda, & mortificanda eſt ejus vita, ut nihil de perverſitate ſua vivere permittatur in ipſa. Non igitur eſſentialiter cor, ideſt ipſa anima conterenda eſt ſed ea, quæ in ipſa ſunt, videlicet intellectus erroneus, & perverſa voluntas. Hujuſmodi namque contritio nec frangit, nec lædit in aliquo animam humanam, quin potiùs læſionem ejus, & plagas gra-

A viſſimas, quæ ſunt vitia, & peccata, ſanat. Juxta *Pſal. 50.*
modum igitur hunc dictum eſt illud: Cor cõtritũ & humiliatum Deus non deſpicies. Vel dictum eſt propter hujuſmodi contritionem, quæ proculdubiò Deo acceptiſſima eſt. Eſt enim ſacrificium ſpiritus contribulatus, cùm non aliud ſit contribulatio ſpiritus, quàm contritio cordis & hoc eſt dicere, pro vitiis, & peccatis ipſis. Poſſibile namque eſt ex zelo rectitudinis, vel alia compaſſione dolore vehementiſſimo contribulari ſpiritum, & cor alterius. Pulvis igitur pigmentarius dictus eſt ſpiritus, quia quẽadmodùm in pulvere pigmentario ipſa pulverizatio nihil ſaporis, vel odoris permittit latere in aromatibus; ſic perſcrutatio & examinatio nihil latere ſinit, vel in ſacris eloquiis, vel in ipſis virtutibus. Tũc enim totus ſapor & totus odor, virtuſque aromatum
B iſtorum ſentitur, cùm juxta quod prædixi, eorum intimâ, & diligenti perſcrutatione, examinantur, quod in ſingulis eſt evidenter videre virtutibus, ſicut doctus es per me in tractatu de operibus, & mirabilibus virtutum. In expoſitionibus verò ſacrorum eloquiorum vides evidenter quod dicit Propheta, ut enim edita & ſcripta ſunt ſacra eloquia, ſic aromata integra ſunt, ſubtili autem, & perſcrutatâ inveſtigatione expoſita, aromata contrita ſunt, atque pulverizata. Si quis autem dixerit ipſa vitia, & peccata, contritione, & mortificatione, quam prædixi, pulverem pigmentarium fieri, lapidemque odoriferum, propter hoc videlicet, quia indubitanter placita eſt Deo mortificatio vitiorum & peccatorũ, meritò quis intentionem ejus approbet. Combuſſit *Exo. 32.*
quoque Moyſes vitulum conflatilem, contrivitque
C illum, & redegit in pulverem & ipſum pulverem ſparſit in aquam ſicut copulatio ſeu fabricatio vituli, & integritas ipſius Deo diſplicuit ſic confractio, & contritio ipſius, ut pulvis, eidem placuiſſe non immeritò dici poteſt. Pulvis autem vitiorum & peccatorum in aquam confeſſionis ſemper mergendus eſt tunc enim aqua confeſſionis vitia, & peccata lavat, & diluit, cùm juxta modum antedictum contritione fuerint contrita & in pulverem redacta. Mortificationes igitur vitiorum odorem ſuavitatis ad nares Dei dirigunt quæ vita ſua, & integritate, odorem mortis in mortem facientium, & conſentiẽtium, ſpargunt, odorem autem abominabilem & odibilem Deo altiſſimo; quapropter per viam iſtam, ſicut animalium mors in ſacrificiis erat ei in odorem ſuavitatis; ſic vitiorum & peccatorum contritio eſt pulvis. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quòd oratio odoramentum eſt ſuavitatis, non ſolùm ex parte aromatum utroque nominatorum, ſed ex parte vitiorum, & peccatorum. Experientia namque
D docet orationibus inſtantes, quòd nunquàm ſubtiliùs, nunquàm perſcrutatiùs examinantur ſacra eloquia, & virtutes, nunquàm meliùs, nunquàm intimiùs ſapores eorum, & odores ſentiuntur, quàm in oratione & etiam per illam; ſic dico de ſaporibus, qui ſunt amaritudines vitiorum, & peccatorum, & de fœtoribus, quibus omnes bonæ nares offenduntur, dico inquam, quia nuſquàm melius pigmenta iſta, vel examinantur, vel ſentiuntur, quàm in oratione, & per illam. Oſtendit autem & hoc miſerator Deus miraculo evidentiſſimo, videlicet, quòd oratio devota odoramentum ſuavitatis eſt, in quadam ſanctâ muliere, & incluſâ, quæ cùm dabat ſe in orationem, cella ejus fragrantiâ orationis tota efficiebatur aromatizans: Et hoc narravit mihi ſocius ejus, qui multotiens odoris iſtius fragrantiam ſenſit. Nec mirum ſi de contritione aromatum ſpiritualium ſpirat odor ſpiritualis ſuavitatis propter præſentiam Spiritus Sancti, qui non ſolùm apotheca eſt omnium orationum ſpiritualium,

ſed etiam eſt apothecarius omnium hujuſmodi pigmentorum, & aromatum autor unicus, & largitor benigniſſimus, atque largiſſimus. Ipſe etiam eſt pigmentarius contritor hujuſmodi aromatum, & confector hujuſmodi pulveris. Quapropter non eſt mirum ſi de præſentia illius tota domus, in qua hujuſmodi pigmenta conterit, aromatizans efficitur; quandò ex præſentia unius ſolius Angeli multoties domos aromatizaſſe leguntur in libro de miraculis ſanctorum. Quòd autem virtutes in oratione motus ſuos operantur, & aromata virtutum odores ſuos pulveri illi pigmentario ingerunt, & immiſcent, nec dubitandum tibi eſt fidem, ſive fidei virtutem odorem ſuavitatis inæſtimabilis ad nares Dei, immò ad nares omnium, & ſingulorum, qui ſunt in curia illa cœleſti, ſemper ſpargere. Scriptum eſt enim in Eccleſiaſtico, quòd beneplacitum eſt illi fides & manſuetudo. Primum quoque ſacrificium humani cordis, mactatio eſt ſenſus humani, & ſapientiæ mundanæ. Fides autem intellectum omnem extollentem ſe adverſùs ſcientiam Dei, aut mortificat penitùs, aut ſaltem in captivitatem illum redigit, ſeu captivat. Quòd ſi mors animalium innocentium, odorem ſuavitatis ſpirabat apud Deum altiſſimum de ſacrificiis hujuſmodi animalium, quomodò non potiùs de morte tam venenati animalis & de ſapientiâ humanâ non aſcendit odor ſuaviſſimus ad nares Dei altiſſimi, de corde hujuſmodi animalia immolante? Et de captivatione iſta legis expreſsè 2. Corinth. 10. In captivationem (inquit Apoſtolus) redigentes omnem intellectum, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, redigentes inquam in obſequium Chriſti. Nec eſt tibi prætereundum quantùm in ſacramento altaris maximè odorifera eſt in parte iſta fides, & maximè victorioſa. Septem enim ſacrificia offert ibi tanquàm ſeptem ibi animalia mactans, atque mortificans, ne contra ſcientiam Dei, quæ eſt ipſa fides in nobis, ibi ſe erigant, vel extollant. Et primùm ipſos quinque ſenſus corporis. Cùm enim viſus ipſe corporalis, quantùm in eo eſt, paratus eſſet contradicere, & aſſerere panem purum eſſe, putéque materialem, ſolummodò in altari, & negare ibi eſſe verum, & vivificum panem, qui de cœlo deſcendit, aut eſſe ibi verum corpus, aut verum ſanguinem Dei, ac Deum, ac Salvatorem noſtrum fides adeò mortificat, vel ſaltem captivat, vel conculcat, ut omninò ab hujuſmodi contradictione obmuteſcat, etſi forſitan obmurmurat, murmure tamen nobiliſſimo, preſſoque ſub pedibus fidei, atque fortiter calcato hæc facit. Similiter ſe habet de auditu, de guſtu, de olfactu, & tactu, quòd eadem fortitudine, atque victorioſitate mactat eos fides atque conculcat. Et propter hoc mortificatos ipſos offert te illi. In illo ſacrificio corporis, & ſanguinis Dei mactat, & immolat, calcat & captivat ſenſum humanum interiorem, qui eſt intellectus: Mactat inquam, & captivat cum omnibus contradictionibus ſuis, & rationibus, quibus contra illud murmurat ſacramentum & contra fidem ejuſdem. Secundò verò mactat errorem omnium philoſophorum, & hæreticorum cum omnibus contradictionibus, & rationibus rationabiliſſimis ipſorum. Propter quod dixi, quia multiplici fragrantia, ſcilicet ſeptem ſacrificiorum aromatizat ibi fides, & tam multiplici victoriâ coronatur, & glorificatur in ſacramento iſto. Facilis autem eſt tibi via ſimilis inveniendi, & agnoſcendi in aliis virtutibus in ipſâ oratione cùm perfecta fuerit ex omnibus modis ſuis. Cùm enim oratio pro inimicis ad Deum funditur placabiliſſimo ſacrificio fraternum in eo odium ab ipſa fraterna charitate in ipſa mactatur, atque calcatur; ſicut manſuetudo, & patientia noſtra

E ibi mortificant, cùm in oratione incurrunt injuriæ, quas paſſus eſt orans, & extinguit eas inibi manſuetudo; ſic patientia, ne iracundiæ incendium in anima orantis inflammetur ſic humilitas contra contumelias, quas ſibi irrogatas orans in ipſa oratione recogitat, pugnans ipſas uſque mortificat, ut cor vindicandi ſimul cum eis captivet, ſimul etiam mactet. Eodem modo ſe habet & de aliorum vitiorum cogitationibus, quibus antiquus hoſtis tanquàm viperinis ſeminibus ſeminare, & ingignere illa in ipſa oratione molitur. Vides igitur quòd oratio eſt multiplicis laudis ſacrificium, & multiplicium ſacrificiorum odoramentum, hoc eſt, cùm perfecta fuerit ex omnibus modis. Non autem eſt poſſibile ſubitam orationem, atque breviſſimam, hæc omnia habere. Colligis autem evidenter ex prædictis teſtimoniis lib. Apocal. quòd tantus placor eſt ſanctis omnibus, & Angelis ſcilicet, & animabus, quantus amor

F eſt eis in orationes ſanctorum, & quanta delectatio eiſdem ex ipſis cùm phialas odoramentorum iſtorũ plenas in manibus ſuis teneant. Quod utique facere videntur inter orandum, tanquàm inceſſanter, vel crebrò, nares illas puriſſimas, atque ſanctiſſimas ſuas porrigentes ad odoramenta hujuſmodi, vel ipſas phialas propter ſuavitatem odoramentorum, crebrò ſuis naribus applicantes, in quo mira virtus, magnificaque laus orationis apparet, quæ de corde orantis, tanquàm de apotheca Spiritus Sancti, tanquàm de cella pigmentaria, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij fragrantia aromatizans aſcendit in conſpectu domini, & totam illam curiam ſuavitate ſuâ replet, ut nares omnium inibi aſtantium reficiat, & delectet, quod eſt ſuper omnia hæc: Ipſis autem naribus omnipotentis, atque ſublimis Dei, de-

G lectabilem ſe ingerit, & placorem, juxta illud, quod legitur Gen. 8. de ſacrificiis Noe, quia odoratus eſt dominus odorem ſuavitatis. Debes autem ſcire, quia benedictiones, gratiarum actiones, collaudationes, glorificationes, & cætera, quæ hujuſmodi ſunt, odoris nomine in ſcripturis frequenter ſignari ſolent. Fama quoque, & opinio, cùm bona eſt, odor vitæ in vitam; cùm verò malus, odor mortis in mortem interdùm dicitur, ſicut legitur expreſſè 2. Corinth. 2. ubi legitur quia Chriſti bonus odor ſumus, odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortẽ. Attendendum autem eſt tibi ſolerter, ac ſtudioſè, quod audiviſti in præcedentibus de lib. Apocalip. videlicet, quia ſtetit Angelus juxta aram templi, habẽs thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante oculos Dei. Nec eſt tibi

H dubitandum, quin Angelus iſte ſit magni conſilij Angelus qui Chriſtus Dominus intelligitur: Et ipſe eſt habens thuribulum aureum in manu ſua, ideſt, cor omni excellentia donorum, & gratiarum pretioſiſſimum, cæteriſque omnibus ſupereminentiſſimum, ut aurum cæteris metallis ſupereminet. Hic juxta aram templi ſtetit. Cùm templum in illa cœleſti civitate non ſit, ſed potiùs dominus Deus eſt in ea templum, ſicut dicit Joannes Evangeliſta Apocal. ultimo: Et templum non vidi in ea; dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & lucerna ejus eſt Agnus; cùm inquam templum non ſit in ea, per verba iſta ſignatur nobis ſedulum, ac juge interpellandi officium, cui pro nobis inceſſanter aſſiſtit ipſe ſacerdos noſter, & pontifex Chriſtus dominus noſter. Huic data ſunt incenſa multa, ideſt, dona gratiarum multa, ideſt multitudine præeminentia, utpote illi, qui ſolus ſufficit interpellatione ſua impetrare nobis omnia. Talé enim decuit immò neceſſe erat, propter inſcrutabiles abyſſos miſeriarũ noſtrarum

Digitized by Google

A noſtratum nobis eſſe pontificem, cujus placor, & gratioſitas per ſe ſufficeret nobis impetrare omnem veniam, omnem gratiam, omnem gloriam, & omne aliud bonum, contra quem nihil poſſent offenſiones noſtræ, nihil omnes accuſationes, vel allegationes diabolicæ Propter hoc ſunt data Chriſto domino incenſa multa fragrantiſſimarum virtutum & gratiarum, ut tam ſublimi pontificio ſeu ſacerdotio idoneus eſſet, ac ſufficientiſſimus. Sacerdotium ipſius univerſale eſt, quod eſt dicere ſuper totam univerſalem Eccleſiam abſque exemptione ulla. Talem decebat etiam tanto gregi paſtorem præfici, qui cũcta præeminentiâ omnibus aliis præcelleret, ut comparatione ipſius omnes alij eſſent grex, qui adeò coruſcans, adeò aromatizans, adeò placatus per omnia, adeò gratioſus ad patrem miſericordiarum accederet, ut eo aperiente os ſuum ſacratiſſimum, os
B benedictum, os gratiarum, eoque dante vocem interpellationis pro nobis, obmuteſcerent omnes accuſatores, & adverſarij noſtri, eo præſtante patrocinium cauſæ noſtræ, nullus auderet ex adverſo cõſurgere, eoque ſtante pro nobis, nullus contra nos ſe præſumeret erigere. Quantum, & quantæ ſuavitatis odoramentum putas ex illa apothecâ Spiritus Sancti, quæ ipſemet Chriſtus dominus eſt, per os ipſius ſacratiſſimum ad nares patris miſericordiarum aſcendere, quoties pietatis ipſius dignatio eſt, illud pro nobis ad interpellandum aperire? Interpellatio namque ipſius thymiama eſt incogitabilis ſuavitatis, utpote tota apotheca Spiritus Sancti fragrantiſſima. Quid ergo nobis cogitandum eſt, cùm ipſa glorioſa Dei genitrix omni cum illo millium beatiſſimorum, ſcilicet Angelorum, & ſanctarum animarum conſortio, & fœlicitate, aperiunt ora ſua ad orandum pro nobis? Quantus eſt fumus tot, & tantorum aromatum? Quanta ſuaviſſimorum odo-
C rum fragrantia repletur tota illa aula cœleſtis? An putas patrem miſericordiarum attendere illa hora ad fœtores vitiorum, & peccatorum illorum, pro quibus oratur? An putas illum velle reſpicere ad abominationes eorundem, cùm tot, & tanti gratioſi vultus militiarum, ac ſanctarum animarum, quas prædixi, appareant ante eum? An putas ipſum avertere oculos miſericordiæ ſuæ, & vultum clementiæ ſuæ ab ipſis? Quapropter beatus indubitanter, cujus orationis odoramentum tantæ ſuavitatis eſt, ut omnes nares curiæ cœleſtis ad id ſe aperiant, & ex illo reficiantur. Beatior autem ſi virgulæ fumi ſui, de qua in præcedentibus audiviſti adduntur innumerabiles illi, & immenſi odores cœleſtium odoramentorum, quæ prædixi. Utinàm innoteſcat orantibus quantos,
D & quales adjutores, quámque promptos, & paratos, & per omnia voluntarios ad adjuvandum habent in curia illa ſummi regis, ſed & quem placorem. Sic eſt ipſius altiſſimi Dei naribus, & omnium civium cœleſtium odoramentum piæ ac devotæ orationis. Quantâ putas ſtudioſitate, quantis conatibus, etſi venalia eſſent, quanto pretio, & ſumptibus exquirerentur, & compararentur aromata, de quibus odoramentum illud conficeretur? Vides igitur quàm pernitioſa ſit ignorantia hæc, quæ tantum bonum, immò nos tanta negligere, & amittere facit. Quod autem ſequitur in textu Apocal Ut daret de orationibus ſanctorum, daret materiam ipſe Chriſtus dominus odoramentum proprium, quod eſt laudis, & gratiarum actionis de orationibus ſanctorum. Ipſe enim eſt, cujus os ſacratiſſimum, atque benedictum, ſicut non ceſſat à piiſſimis, & ſemper efficaciſſimis interpellationibus pro nobis, ſic nec à gratiarum actionibus de omnibus beneficiis, quæ præſtantur nobis à patre miſericordiarum,

CAPUT XLII.

Quid ſignatur per altare aureum.

QUod autem ſequitur ſuper altare aureum, ornatus eſt parabolæ. Vel altare aureum ipſemet eſt, quoniàm ex ipſo tanquàm ex altari placabiliſſimo, ſuſcipit pater miſericordiarum orationes, & ſacrificia ſanctorum. Aliter etiam altare aureum ipſa miſericordia patris accipitur. Altare enim propitiatorium eſt, unde accepta efficiuntur oblata. Et ipſa miſericordia ſummi patris eſt, ex qua, & per quam accepta ſunt ei, quæcunque placabiliter, & remunerabiliter, eidem offeruntur à nobis. Poteſt & illud: Data ſunt ei incenſa multa, aliter, & non inconvenienter, intelligi, videlicet ut accipiatur data, pro eo quod eſt, attributa. Namque domino, quicunque recte ſapiunt, totaliter attribuunt quæcunque habent bona, vel faciunt. Et propter hoc ipſi viri ſancti ipſas orationes ſuas Chriſto domino attribuunt, confitentes humiliter ſe & dono, & impetratione ejus accipere illas. Aliter etiam ſatis congruenter intelligitur: Data ſunt ei incenſa multa, videlicet quòd directa, & oblata ei tanquam mediatori ſcilicet ut ipſe, in quo ſolo patri, ſcilicet miſericordiarum complacitum eſt, offerat, de cujus ore, vel manibus recuſari non poſſunt. Tanta quippe eſt gratioſitas ipſius in conſpectu Dei patris, etiam ſecundùm quòd homo eſt mediator Dei, & hominum, ut quæcunque patri per ipſum offerũtur à nobis, eidem grata ſint, & accepta. Quod attendens, & cognoſcens omnis Eccleſia, in omnibus orationibus, quas ad Deum patrem dirigit, adjungit ſemper per dominum noſtrũ Jeſum Chriſtum, quaſi diceret, etſi non per merita noſtra placere tibi poteſt oratio noſtra, vel deprecatio, placeat tibi per ipſum, quem inter te, & nos mediatorem conſtituiſti, ut per ipſum placita tibi fiant, & accepta, quia per nos tibi placere non poſſunt. Eſt igitur hîc quemadmodùm in curiis Magnatum, ſicut eſt videre in curia ſummi Pontificis, quia cancellario, vel vicecancellario offeruntur, vel dantur petitiones, ut ipſe porrigat eas ſummo Pontifici, atque promoveat apud eum, vel coram ipſo, quoniàm in hoc conſtitutus eſt mediator inter petentes, & ſummum pontificem: Sic Chriſtus dominus mediator conſtitutus eſt inter totam univerſalem Eccleſiam, & patrem miſericordiarum. Et propter hoc tradit ei omnis Eccleſia ſanctorum omnes orationes, ſive petitiones ſuas offerendas Deo patri miſericordiarum, & promovendas apud ipſum. Eſt igitur dicere in orationibus Eccleſiæ, cùm dicitur: Concede nobis hoc per ipſum Jeſum Chriſtum dominum noſtrum, id eſt, eo impetrante, quoniàm iſtud impetrare merita noſtra non ſufficiunt, ſed gratioſitas ejus, in quo ſolo tibi benè complacuit, hoc impetrare poteſt, & ſufficit. Nihilominùs tamen ab ipſo Chriſto domino noſtro omnia bona petenda, & peti debent, & ſperari. Similiter à Spiritu Sancto, quoniàm Trinitas hæc unus ſolus, ac verus Deus & dominus eſt omnium ſæculorum unus, ac verus autor, unus ſolus, & verus effector, unus verus, ac ſolus largitor largiſſimus, ac benigniſſimus eſt omnium bonorum. Etſi pater honoratur in hoc, quod oratur à tota Eccleſia ſanctorum, in hoc, quod per ipſum exoratur pater ut largiatur, ita honoratur inquam filius, ut mediator, & impetrator eorum: nihilominùs tamen, & honoratur, & exoratur, ut unus autor, unus effector, unuſque largitor largiſſimus, cum ipſo patre, & Spiritu Sancto, quoniàm cum illis, & cum utroque illorum, & etiam per ſe, & in ſe eſt unus, ſolus, & verus Deus.

Quoniàm verò factus eſt homo pro nobis, factuſque nobis in eo, quod homo, mediator, pontifex, & advocatus, per ipſum tanquàm mediatorem, pontificem, & advocatum noſtrum apud patrem, & ſemetipſum in eo, quod Deus eſt, & Spiritum Sanctum, petimus nobis omnia bona præſtari per ipſum. Quapropter dantur ei incenſa multa, orationum ſcilicet omnium, quæ fiunt à tota Eccleſia ſanctorum. Dantur inquam ei, ſicut prædixi tanquàm mediatori pontifici, & advocato, ut ipſe eas porrigat, & offerat patri miſericordiarum, & promoveat apud ipſum, gratiam exauditionis impetrando. Quia verò thymiama Exodi. 31. oratio aromatizans intelligitur, expedit & conveniens eſt, ut docearis hîc, quã ob cauſam in confectione thymiamaris quatuor tantùm aromaticæ ſpecies in confectione, ſeu in cõpoſitione ipſius aſſumi jubentur. Hæ autem ſunt ſtacte, & onycha, galbanum boni odoris, atque thus lucidiſſimum. Stacte autem gutta eſt arboris myrrhæ, ſicut dicit in illo loco Expoſitor. In pſalmo
Pſal. 44. quoque dicitur: Myrrha, & gutta, & caſia, quare per expoſitionem, cùm dixit myrrha, addidit, & gutta, ne nomine myrrhæ lignum arboris myrrhæ quis intelligeret, ac ſi diceret: Myrrha non utique lignum, ſed gutta, quæ eſt gummi arboris illius. Jam autem didiciſti alibi, quia gummi iſtud, quod myrrha dicitur, conſumptivum eſt putredinis, & vermium; & propter hoc corpora mortuorum, ut à putredine, & vermibus, conſerventur illæſa, myrrhâ condiuntur. Quia igitur gratia compunctionis, & totam fœculentiam, ſive ſpurcitiam præteritæ vitæ exterminat, vermeſque vitiorum & peccatorũ mortificat, & conſumit, ipſum etiam odorem ſuavitatis ſpirat in odoramento iſto ſcilicet orationis, idcò meritò primò ponitur gratia compunctionis, quæ offenſas vitiorum, & peccatorum tollit, & iram Dei placat, qui nuſquàm exaudit orantes, donec eis placatus ſit. Et quòd myrrha literalis odorem ſuavitatis habeat expreſsè legitur Eccleſia. 24. ubi dicitur. Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris, ex perſona Sapientiæ. Onycha verò oſtreola parva eſt ad unguis humani magnitudinem, propter hoc & onycha dicitur, quaſi unguina. Onyx namque grecè unguis dicitur latinè, unde & ſardonyx de quo alibi. Sardonychem faciunt duo nomina ſardus, & onyx. Eſt enim verè loquendo onyx lapillus, qui apud ſardos reperitur, melius ergo onyx diceretur quàm onycha. Et eſt onycha vel onyx boni odoris ut dicitur, ſicut & nonnulli piſciculi. In onyche igitur intelligitur non immeritò gratia humilitatis, quę magnum locum in oratione tenet, ſicut Eccleſia. 35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, &c. Et eſt ordo cõgruentiſſimus, ut gratiam compunctionis, in qua eſt viva recognitio vitiorum, & peccatorum, comitetur humilitas, quia nihil adeò diſplicet Deo, ſicut dicit Hyeronimus, ſicut cervix erecta poſt peccatum. Galbanum verò idcircò potiſſimùm boni odoris inde dictum videtur quoniàm mirificæ virtutis eſt odor ipſius. Extinguit enim omnia venena draconum, & ſerpentes arcet, & diffugat. Ubi nihil rectius, quàm gratia benevolentiæ, ſeu benignitatis intelligitur. Venenata namque peccata, & vitia venenoſa, vel potiùs venenata vitia, & peccata, malignitatis intelliguntur. Hoc autem eſt pro animo vel ſtudio nocendi, ſine quo nũquàm ſunt, qualia ſunt odium, ira, invidia, & ſuperbia. & quæ ſine injuria, & læſione, proximorum nunquàm in aliquo eſt avaritia, quæ amore lucrorum adeò excæcat eos, quos poſſidet, ut aliena detrimenta nec conſiderent, nec reputent. Quapropter noxia animalia, ſive maximè venenata reputandi ſunt meritò, vel habendi. Cauſa autem in hoc evidentiſſima eſt, quoniàm

E tanquàm peſtilentes, ſive peſtiferi aliis hominibus ſunt; quare manifeſtum eſt benevolentiam, ſive benignitatem, non ſolùm ſtudium nocendi, ſed etiam omne alienum exterminare ab his, in quibus meritò galbanum ipſa intelligitur. Debes etiam ſcire quia peccata hujuſmodi, & vitia, cruenta ſive ſanguinolenta dicenda ſunt, & dicuntur ab eis, qui in ſacris doctrinis eruditi ſunt. Nec mirum tibi videatur, ſi gratia iſta locum habet magnum in oratione. Neceſſe eſt enim benignos benignitatem apud Deum benignum invenire, quemadmodùm & miſericordes miſericordiam. Scriptum eſt præterea Eccleſia. 1. quia quod beneplacitum eſt Deo, fides eſt, & manſuetudo. Benignitas autem non eſt niſi manſuetudo, licet ex alia cauſa benignitas, ex alia autem manſuetudo nominetur. Hæc autem novit Judith, quæ in oratione ſua
F dicebat ad dominum: Tu domine cui manſuetorum & humilium ſemper placuit deprecatio, ſicut legitur Judith nono: ſic & errorem pietatis venenum intellige, & venenata animalia hæretici conſueverunt haberi. Et intelligo hæreticos non ſimpliciter, & nec per imperitiam ſeductos, & in errores hæreticorum prolapſos, tales enim non animalia venenata dicendi ſunt, ſed magis à venenatis veneno percuſſi. Hæretici verò, qui venena errorum mortiferorum prædicando, & ſpargendo diffundunt, animalia venenata, & ſerpentes nequiſſimi cenſendi ſunt, & meritò nominandi, quapropter fides ipſa meritò galbanum ſpirituale accipiendum eſt. quæ & omnia venena hujuſmodi & ab illis, in quibus eſt, exterminat, & in aliis etiam vivere, & regnare, quantùm poteſt, pro-
G hibet, & avertit. Quantum autem locum fides in orationibus teneat, jam didiciſti in epiſtolâ Jacobi 4. & ejuſdem cap. 1. ubi dicitur: Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Pietas autem ad omnia valens bona impetranda, & mala avertenda, ſeu exterminanda, rectè intelligi poteſt galbanum ſpirituale, & orantibus pietate, ſive miſericordia præditis promittitur Matthæi 5. Non enim niſi ſtultè ſperare, vel petere miſericordiam à Deo poteſt, qui miſericors in alios non fuerit, ſicut legitur Eccleſia. 28. Homo homini ſervat iram, & à Deo petit medelam. Et Matt. 18. Non igitur oportuit te miſereri conſervi tui? Ipſa quoque veritas in Evangelio Lucæ expreſsè dicit: Quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et omnis Eccleſia ſanctorum cantat. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Et eſt galbanum iſtud ſpirituale, id eſt miſericordia valde boni odoris, non ſolùm à parte erogantis eleemoſynas, ſed etiam à
H parte recipientium, qui miro affectu, & devotione benedicunt largitoribus, & miſericorditer Deum exorant pro peccatis.

CAPUT XLIII.

De devotione, quæ requiritur in oratione.

QUarta ſpecies aromatica, quæ in compoſitionem venit thymiamatis iſtius, thus lucidiſſimum eſt, quod vocatur libanum, quod eſt dicere incenſum album. Vocatur & incenſum maſculum, quoniàm in forma, ſeu figura ſimilitudinem habet teſticuli humani, vel potiùs maſculum thus dicitur id, quod fortius eſt, & majoris virtutis, cùm in omnibus animantibus maſcula ſint potiora, & fortiora. Unde & Virgilius: Verbenas adole pingues, & maſcula thura, unde & maſculabilis apertio dicitur. Intellexit ergo Moïſes thus lucidiſſimũ, id eſt puriſſimũ, quoniàm de puritate eſt ei

Digitized by Google

luciditas. Thus iſtud nihil rectius intelligi poteſt, quàm in oratione devotio. Nec tibi dubium eſt, quantùm valeat, & quantùm condiat, quantúmque per omnia melioret orationem devotio, cùm dicat auctoritas quia qui indevotus orat, judicium contra ſe poſtulat. In ipſa verò devotione puritas, quid aliud intelligi poteſt, quàm ſicut legitur in Exod. in thure luciditas? Et jam audiviſti, quàm noxia ſit in oratione impuritas, quæ eſt admixtio volitantium cogitationum, quæ ſunt muſcæ morientes, & perdunt ſuavitatem unguenti, ſicut audiviſti in præcedentibus, ex verbis Salomonis in Eccleſiaſte: Et iſta ſuavitas jocunditas eſt, qua viri ſancti in orationibus jucundantur.

CAPUT XLIV.

De brevitate orationis.

PRopter hoc dicit Beatus Bernardus, quia oratio debet eſſe brevis, & pura, non quòd prolixitas, & longitudo orationis Deo diſpliceant, niſi ubi prolixitas alijs impedimentum etiam præſtat orandi. Sicut notum eſt tibi de quibuſdam Sacerdotibus cereorum conſumptoribus, qui miſſas adeò longas faciunt, quòd tædio prolixitatis ſuæ corda circunſtantium & à gratiâ devotionis arefaciunt, & ipſam refectionem ſpiritualem, quam in miſſis percipere debent, in moleſtiæ amaritudinem eis vertunt. De his igitur poteſt conqueri populus miſſis circunſtans, & dicere: Dederunt in eſcam meam fel. Stultitia igitur hujuſmodi hominum hæc eſt ut pro pugillo devotionis, quod eis in miſſis tribuitur, totius populi devotionem auferant, & pro tribus, vel quatuor (ut ita dicam) lachrymis compunctionis, vel devotionis vaſa magna, ideſt corda devotè, ac lachrymosè orantium effundant. Ibi igitur brevis debet eſſe oratio, ubi brevitas ejus devotioni aliorum orantium militat, & deſervit. Poſſunt etiam & aliæ cauſæ abbreviandæ orationis fieri, ſicut infirmitas corporalis: Multi enim in amentiam, & morbum melancholicum propter orationum prolongationes nimias inciderunt. Infirmitatis etiam ſpiritualis cauſa fuit apud aliquos, quia ipsâ vehementiâ devotionis adeò affliguntur, ut poſtmodùm octo, vel quindecim diebus, vel pluribus languere neceſſariò habeant: interdùm autem & adeò rapiũtur, ut mors, ideſt totalis ſeparatio animarum ſuarum à corporibus non immeritò timeatur. Abbrevianda etiam oratio eſt publicis perſonis, hoc eſt prælatis, & curam aliorum, ſive temporalem, ſeu ſpiritualem gerentibus: Plerunque enim non ſine injuria, & detrimento gravi ſubditorum prolongari non poteſt oratio prę latorum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm debitores ſunt ſubditis in multis ratione officiorum ſuorum. Interdùm enim jura ſunt reddenda ſubditis, nec poſſunt eis differri, ſine gravi diſpendio, vel ſpirituali, vel temporali. Quapropter illâ horâ temperandum eſt à prolixitate orationis, ſicut debetur ei Sacramentario, & alia innumera, quæ ſicut auferri non poſſunt eis ſine injuria eorum, ita interdùm nec differri. Vidi multos prolixitate miſſarum adeò obſtinatos, ut potiùs eligerent Miſſas hujuſmodi non audire, quàm prolixitatis tantæ moleſtiam ſuſtinere. Hic igitur videtur mihi intellectus, & iſta intentio ſermonis iſtius beati Bernardi. Quemadmodùm autem dicit Tullius, quia nunquàm nimis dicitur, quod nunquàm ſatis dicitur, mihi videtur quòd nunquàm nimis protenditur, ſeu prolongatur oratio, quia nunquàm devota, & pinguis oratio mihi videtur nimia poſſe eſſe, niſi in caſibus antedictis. Nunquàm enim

A mens humana familiariùs cum Deo eſt, nunquàm arctiùs ei conjungitur in vita iſta, nunquàm lautiùs ex eo reficitur, quàm in oratione, niſi forſitan in ſublimitate ejuſdem ſpeciei contemplationis, de qua & aliàs, ſi Deus dederit vitam, & ſpatium, & gratiam ad hoc neceſſariam, deſiderio eſt mihi, & propoſito ſcribere. Poſt hoc autem abſolvam me à promiſſo illo, quod & in præcedentibus promiſi, videlicet de merito orationis, ubi dixi, quia muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti, non autem ſubſtantiam, vel meritum principale hoc tamen præmiſſo quia oratio & unguentum eſt, & propter hoc habet virtutem ſanativam. Ad medicinam enim conficiuntur unguenta iſta hujuſmodi, & multarum infirmitatum ſanitas per ea præſtatur. Non eſt autem morbus, vel vulnus, vel læſura ulla ſpiritualis, cui per ungëntum orationis Deus non

B medeatur. Conficiuntur & unguenta ad ſanctificationem; ſicut expreſſè legitur. Exod. 31. de oleo unctionis, quod ex quatuor aromatum ſpeciebus. & oleo olivarum confici præcipit Dominus. Hæ autem ſunt ſpecies illæ videlicet myrrha prima electa, cinamomum, calamus, & caſia. Et intelligo. quia caſia iſta eſt lignea, videlicet quæ eſt rubri coloris, boni ſaporis pariter, & odoris. Hoc igitur oleo unctionis caput Aaron in conſecratione ipſius perfundebatur, ſicut chriſmate, & oleo ſancto perfunduntur manus, & capita Pontificum hodie in Eccleſia Dei. Nihil enim efficacius ad præſtandum gratiam ſanctificationis, quàm oratio. Per illam enim ſanctificantur in Eccleſia Dei, quæcunque in ea ſanctificantur. Quapropter ad ipſas animas orantium virtuoſiſſimam illam eſſe, efficaciſſimamque manifeſtum eſt. Si enim in ea, quæ foris ſunt,

C hoc eſt extra animam, miniſtri ſanctificantis couſque poteſt oratio, ut omnia ſanctificata per illam ſanctificentur, quantò fortiùs in animabus, in quibus eſt, & ex quibus exijt, & procedit ad Deum, in gratiam ſanctificationis efficax erit? Conficiuntur unguenta ad nitorem, & candorem corporum, quis autem ignorat, qui vel modicam virtuoſitatem orationis apprehenderit, quantus nitor, quantusve decor per virtutem orationis præſtetur dignè, & devotè orantibus? Quæ anima humana adeò tenebroſa, adeò deformis eſt, ut illam oratio non ſplendificet, & decoret? Fiunt & unguenta ad conſervationem à corruptione, ſicut apparet evidenter tibi in his unguentis, quibus condiuntur corpora mortuorum. Ad hoc enim unguentis hujuſmodi condiuntur ut à putredinibus & vermibus illæſa conſerventur. Manifeſtum eſt autem orationem frequentantibus, & gratiam devotionis in eadem habentibus virtutem iſtam conſervativam ſpiritualiter orationi nõ abeſſe. Non enim poſſibile eſt aſſiduè orantibus vermes vitiorum, & peccatorum, putredinemque

D corruptionis ſpiritualis nocere poſſe. Similiter non eſt dubitandum, quia nec durare in eiſdem poſſunt, & ſi quandóque in eos irruant, virtute orationis extinguuntur. Conficiuntur & unguenta ad odorem ſuavitatis, atque fragrantiam, & etiam audiſti ex teſtimonijs lib. Apocal. quantus odor ſuavitatis fragrat in aula cœleſti ex orationibus ſanctorum, etiam qui adhuc in terra peregrinantur. Quanta igitur credenda eſt fragrantia eſſe ex orationibus ſanctorum, qui jam cum Chriſto Domino regnant, quibus tanta eſt affluentia aromatum ſpiritualium, ex quibus odoramenta orationum conficiuntur? Potiſſimùm autem ex orationibus Dei, ac Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundùm quòd eſt homo, apotheca eſt omnium aromatum, omnia alia donorum videlicet, & gratiarum, atque virtutum incogitabili præcellentiâ tranſcendentium.

Digitized by Google

Qualem autem, quantamve putas eſſe fragrantiam orationis glorioſæ genitricis ejuſdem, quotiens pietatis, & dulcedinis ejus dignatio eſt, exorare chariſſimum, ac benedictum ſuum filium pro nobis? Quòd ſi per ſingulos ſanctos Angelos, & beatas animas conſiderationem hujuſmodi feceris, inæſtimabilem, & incogitabilem fragrantiam ex aggregatione omnium cœleſtium orationum ſpirare, certiſſimè cognoſces. De merito verò orationis, de quo mentionem feci tibi ſciendum eſt, quòd duplex eſt, videlicet principale, & ſecundarium. Et principale quidem eſt remunerationis, ſeu fœlicitatis æternæ. Et intendo illud principale eſſe, quia ad ipſum, & propter ipſum, omnia alia merita tribuuntur. Et ad hoc ipſa charitas, quæ radix eſt omnium meritorum, principaliter donatur. Ergo ſi oratio eſt ex hac radice, merito iſto nunquàm fraudatur, ſed ei ſemper debetur. Hujus namque radicis ratione meritoria eſt oratio principaliter, & propriæ fœlicitatis æternæ, & ratione illius debetur oranti ex charitate. Secundaria verò merita ſunt conſervatio gratiæ, augmentum ipſius, & remiſſio, vel diminutio pœnæ meritæ, omniaque alia bona data, quæ in oratione ab univerſali datore bonorum obtinentur. Et hæc ſunt, quæ principali merito fervor orationis, puritas, & devotio, lachrymarumque profluvia ſuperaddunt. Quia igitur volutantes, & irruentes muſcæ idest cogitationes pravæ in orantium cordibus cauſam & radicem, meriti principalis, quam prænominavi, non extinguunt, ſive mortificant, ideò nec principale præmium auferunt. Cauſa enim permanente illæſa, & integra hujuſmodi, neceſſe eſt, & ejus effectum permanere. Sciendum eſt etiam tibi, quia de ſecundariis meritis & effectibus orationis eſt diffugatio Dœmonum, ex diminutione poteſtatis ipſorum.

CAPUT XLV.

Quare viri ſancti difficile habent gratiam devotionis, & lachrymarum.

QUòd ſi quis interroget, quare viri ſanctiſſimi, vix & tam raro, gratiam devotionis, & piarum lachrymarum irriguum habent, peccatores verò ſpurciſſimi, & immaniſſimi facilè habent eas interdùm: Reſpondeo in hoc quoniàm admiranda eſt, mirabiliterque laudanda Dei noſtri miſericordia, quæ tam indignis, tam promptam, tamque paratam ſe exhibet, atque adjutoria, quibus tanti peccatores ad gratiam juſtificationis, ſive converſionis adjuventur, tam benignè eiſdem, tamque facilè largitur. Quòd autem ſanctis viris tam raro iſta dona, tamque difficilè tribuuntur, hanc puto eſſe cauſam, videlicet, ut chariora illa habeant, & ſoli gratiæ Dei eadem attribuant, juxta ſermonem beati Auguſtini, dicentis; *Nota.* quia Chriſtum non novit, qui alijs, quàm gratiæ Dei, aliquid attribuit. Debes tamen ſcire cum his, quia immanitas ſcelerum, & monſtruoſitas peccatorum, occaſionem non modicam dat timori Dei & erubeſcentiæ, & alijs quibuſdam donis. Puritas verò conſcientiæ, & virtutum fiducia, ſecuritatem interdùm generat in electis, & propter hoc nonnunquàm gaudium tribuit. De gaudio verò certum eſt tibi, quia mœrorem cordis, & luctum excludit. Nec prætereundum eſt tibi exemplum, quod ad hoc inducere conſuevi, videlicet de piris, & pomis, alijſque fructibus quibuſdam, venenum in ſe habentibus, quia majorem ſuavitatis odorem ſpirant, quàm fructus ſuaviſſimi, & illæſi. Vermes enim calore ſuo adjuvant calorem naturalem in eis, propter quod faciliùs matureſcunt, & E odorem debitum ſpargunt verminoſi fructus: Sic & aliquoties horrifica, atque monſtrifica, vitia & peccata, adjuvant timorem, horrorem, verecundiam, & iram ipſam ad iraſcendum contra ſemetipſum, ex quibus gratia internæ pœnitudinis, & odoramentum orationis non modicum adjuvantur.

CAPUT XLVI.

De merito illius orationis, in qua non cogitat actu quis de Deo.

SI quis autem quæſierit, qualiter ſit, vel durat meritum orationis, quæ agminibus muſcarum morientium refertiſſima eſt, & ſtrepitu earundem tumultuoſa, qualiter æternæ remunerationis præmium per hujuſmodi orationem aliquis mereri poteſt, in qua nec de Deo, nec de præmio hujuſmodi cogitavit, aut actu etiam cutat: Reſpondeo in hoc, ſicut peregrinatione, qua quis viſitans limina F ſanctorum meretur ſuffragia, de quibus in propoſito ſolo vel initio cogitavit; non enim facile eſt, nec unquàm credo eveniſſe aliquem ex hujuſmodi peregrinantibus per paſſus ſingulos de ſuffragijs ſanctorum ad quorum Eccleſias, vel memorias peregrinantur, cogitaſſe; poſſibile autem eſt, ut nec uno puncto temporis de eis cogitetur ab illis; occupantur enim & labore itinerationis, & ſolicitudine neceſſariorum ad illam, & alijs irruentibus: verùm quia voluntas, ſive intentio obtinendi ſuffragia hujuſmodi cauſa eſt, & radix totius peregrinationis illius, tota meritoria eſt illis peregrinatio ipſorum, & eſt exemplum evidentis ſimilitudinis in lapide, qui jacitur, vel ſagitta quæ trahitur arcu: Non enim cogitat jaciens de ſingulis partibus ſpatij, quod lapis ille, vel ſagitta tranſierit: ſic igitur uni impulſui debetur totius G illius ſpatij tranſitus & ſingularum partium, cùm nec de illis jactor, vel tractor, nec de aliquo eorum cogitavit: ſic uni impulſui voluntatis, ſive intentionis ejus, qui peregrinatur, debetur totus motus peregrinationis, & ſingulæ partes ipſius, licet neque de illis, neque de aliqua earum peregrinus ille cogitaverit, & propter hoc totus motus ille meritorius eſt eidem. Sic dico de oratione, & partibus ipſius, quoniàm primæ, ac principali voluntati, ex qua oratio cœpta eſt, licet mens orantis ad alia evagetur, & alia in cor ejus irruant vel immergant præter intentionem ipſius, & cogitatum, oratio tamen tota primæ voluntati, & intentioni attribuitur, & ejus eſt, & propter hoc ex illa, & per illam, meritoria judicatur. Omnis enim operatio ex radice voluntatis, ex qua eſt, vel bona, vel mala, vel meritoria, vel alterius modi judicanda eſt, juxta ſermones beati H Ambroſ. dicentis: Quia non attendit Deus quantum, ſed ex quanto; & quantùm intendis tantùm facis. Qui ſermones intelligendi ſunt in eis operibus, quæ ex radicibus intentionum, & voluntatum mutari poſſunt. Quod dico propter illas operationes, quæ in ſemetipſis malæ ſunt, ſicut eſt fornicari, furari, adulterari, quæ nulla bonitate radicis benè effici poſſunt. Facit ad hoc idem ſermo beati Gregorij, quo dixit, quia nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi proceſſerit de radice charitatis. Debes autem reminiſci eorum, quæ dixi tibi de cogitationibus, & alijs in corda orantium irruentibus, quia niſi radicem, hoc eſt principalem voluntatem (& hæc eſt intentio) mortificaverint, & ipſam orationem ſibi rapuerint, ita ut ex eis, & ab eis procedat, meritum orationis, principale ſcilicet, auferre non poſſunt. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm radix, & cauſa meriti quæ principalis voluntas

Digitized by Google

tas eſt, ſive intentio illæſa quantùm ad eſſentiam A ſuam permanet cum ipſis.

CAPUT XLVII.

De igne, & gladio, quæ debent eſſe in ſacrificio orationis.

POſt hæc quoniã oratio eſt ſacrificium, & oblatio Deo acceptiſſima, quæ Deo in omni Eccleſia ſanctorum offertur, ad ipſum placandum, & reconciliandum ei totum Dei populum, proſequar de ipſa diſpoſitione, & perfectione, quæ ſunt convenientes ei, & per hoc quòd ipſa eſt ſacrificium. Et jam quidem notum eſt tibi ex aliis, quia ſacrificium eſt oblatio Deo ſacrata, atque dicata, ſacrans, ſive ſanctificans, etiam ipſum offerentem, quæ etiam B hac intentione ſemper offertur, videlicet ut ipſe offerens per illam Deo ſacretur, ſive ſanctificetur. Quòd ſi quis quærat, quid per hujuſmodi ſacrificium Deo ſacrificetur, vel ſanctificetur? Reſpondeo quòd cor humanum, ſive mens humana in primis, & maximè, & intendo hîc de oratione, quæ ad placandum Deum offertur à quo, atque ad hoc, ut ipſe offerens reconcilietur ei per illam, juxta illud, quod Pſal. 50. dictum eſt: Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus. De orationibus verò quæ pro aliis ſanctificandis offeruntur licet decentiſſimum, atque congruentiſſimum ſit interdùm, ut cum ſacrificio contribulati ſpiritus offerantur, poſſunt tamen à viris ſanctis, qui conſcientiam non habent, quòd ſit in eis aliquid mactandum, ſive mortificandum, ſolo deſiderio, & intentione impetrandi ſanctificationem, C offerri, ſanctificationem ſcilicet earum rerum, quarum ſanctificatio per orationes illas intenditur. Et quæritur utrùm ab his, qui mactanda vident in ſe vitia quæcunque, vel peccata, num ſatis convenienter offeruntur abſque ſacrificio, quod prædixi, quo ſcilicet mactentur illa, & mortificentur, vel in ipſis orationibus, vel ante. Neque enim ad ſacra myſteria cuiquam tali accedendum eſt, abſque præparatione Pſal. 140. hujus ſacrificationis, & ſacrificij. Propter hoc dictũ eſt in Pſal. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum Ibidem. in conſpectu tuo. Similiter & illud: Elevatio manuum mearum Domine ſacrificium veſpertinum. Quæ reverà ſacrificium eſt, ſicut coram te ſacrificium veſpertinum, quod in lege veteri pinguius erat ſacrificio matutino. Et quoniã animalia in lege veteri in omnibus ſacrificiis mactabantur igne, & gladio, volens offerre ſacrificium orationis neceſſariò debet habere ignem, & gladium, ſicut legitur. Gen. 22. quòd immolaturus Abraham filium portabat ſecum ignem, & gladium. Mactaturus igitur cor tuum, quod eſt dicere mactaturus animam vitiorum, & peccatorum, & animalium brutalium in corde tuo, accinge te gladio, adhibe tibi ignem. Et intelligo ignem ſpiritualem, qui vel iræ, vel deſiderij eſt. Quòd ſi quæſieris à me unde, vel ubi accipiam ignem iſtum? Stultiſſimam dico quæſtionẽ iſtam. Hoc enim eſt ac quærere, unde, vel ob quam cauſam iraſcaris animalibus venenatiſſimis, nocentiſſimis atque peſtilentiſſimis. Quis videns colubrum, vel buffonẽ quæſivit unquàm hoc unde iraſcar iſti colubro, vel buffoni, præſertim ſi ab ipſo, vel morſu, vel veneno uſque ad mortem læſus eſt? Quis unquàm ad hanc inopiam devenit, ut ita deeſſet ei contra hæc? Miſer, atque ſtultiſſimè iraſceris unicuique pulici, vel muſcæ pro læſione permodica, atque leviſſima, quæ nec etiam læſio dici poteſt, & pro læſionibus mortiferis, & mortem æternam irrogantibus, non vides unde, vel qua de cauſa iraſcendum ſit tibi tam noxijs, tamque peſtilentibus belluis. Quis unquàm defectum iſtum paſſus eſt, non ſolùm miſerabile, ſed inauditum, & intolerabilem, ſaltem ut ira ei deeſſet in hoſtes ſuos ſæviſſimos, & implacabiliſſimos? Quis unquàm auditus eſt mendicans iram hujuſmodi, quin potiùs contraria audiantur, ut videantur inceſſanter implacabiles, & per modum omnem inexorabiles inveniuntur homines in hoſtes ſuos; & ſi quandò audiunt, importabili difficultate, & laboribus intercedentium graviſſimis, vix induci poſſunt ad pacem, quamvis illi hoſtes ſint viliſſimorum, ac vilipendendorum nocumentorum: Iſti autem hoſtes ſpirituales ſuper omnem comparationem, immò ſuper omnem cogitatum majorum læſionum, & nocumentorum ſunt contra te. De his præcepit tibi Dominus Deus per Apoſtolũ 3. Col. & ut mortifices, dicens: Mortifica te membra veſtra, quæ ſuper terram ſunt, fornicationem, immunditiam, &c. Tu autem cùm tam juſtam cauſam habeas, videlicet Dei præceptum diſtrictiſſimum, quæris unde, vel ob quam cauſam iraſcaris tam atrocibus, tamque ſævis hoſtibus tuis? Stupenda patientia tua, ſi ea videre, vel de ipſis cogitare potes, & non totus ſtatim excandeſcere in eos, tantoque furore iracundiæ tuæ irruere in ipſos. Iſta proculdubiò eſt diabolica patientia tua, & ſolus diabolus illam te docuit, ut belluas hujuſmodi ſæviſſimas, quæ die ac nocte à devoratione tua non ceſſant, abſque ulla rebellatione, & contradictione, ſuſtineas. Unde tibi iſta pax maledicta, ut continuum bellum, & capitale hujuſmodi hoſtium contra te ferre poſſis: Et quod eſt ſuper admirationem, atque ſtuporem, ut eos & hoſpitio foveas, & in penetralibus, atque intimis domus tuæ idelt conſcientiæ hoſpitio, foveas, paſcas, nutrias, protegas, & defendas, omnibus inimicis eorum factus inimicus? Iſtud namque generale eſt, ut amatores omnium vitiorum, & peccatorum impugnatores ipſorum, videlicet Doctores, prædicatores, implacabiliter odiant, & inexorabiliter perſequantur. An accepiſti hoc ex ſacratiſſimo illo mandato Evangelico, videlicet Matthæi 5. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Hoc indubitanter tu facis de inimicis, qui gladio omni, & igne perſequendi, & exterminandi ſunt. Iſta patientia, & beneficentia, alijs inimicis debetur, iſtis verò nihil niſi ignis, & gladius, & omD nimoda exterminatio. Averte pacem, patientiam & beneficentiam iſtam, per omnem modum ab omnibus hujuſmodi inimicis tuis; in eis enim nutris, conſervas, cuſtodis, & protegis mortem tuam, quemadmodùm ligna arida, quæ de ipſa ſubſtantia ſua nutriunt ignem devorantem illa. Reſpice miſerrime, & inſaniſſime ad damna inæſtimabilia, quæ jam paſſus es ab eis. Et primò ipſam exhæredationem tuam à præclaro ac inclito regno cœlorum & à deſiderabili gloria hæreditatis illius, à ſublimitate tam nobilis regni in illud exilium paupertatis, & miſeriæ, dejecerunt te, & paſtorem porcorum fecerunt te. Ipſi namque porci infernales ſunt, quos inceſſanter de ſanguine tuo paſcis & morte. Hi ſunt de quibus Job: Qui me comedunt, non dormiunt. Reſpice miſer ad contumelias, & ignominias: ſpectaculũ enim opprobrij te fecerunt omnibus inimicis tuis, & aſſiduis deriſionibus eorũ te expoſuerunt. Hi ſunt Dæmones, qui irridere te, & ſubſannare non ceſſant, quòd ab altitudine tantæ gloriæ in ignominioſiſſimam iſtam vilitatem dejecerunt te, & qui eras adunatus collaudationi, & adorationi omnium militiarum cœleſtium, nunc paſcas opprobriis, & irriſionibus viliſſimorum infernalium canum. Attende ſtultiſſime qualiter depauperaverunt te, qui etiam nudum, atque miſerrimum te fecerunt, veſtimen-

Digitized by Google

tis pretioſiſſimis, atque ſpecioſiſſimis, immò regalibus, quibus in Sacramento Baptiſmi Deus veſtierat, decoraverat, & exornaverat, ſpoliaverunt, turpitudine vitiorum, & ignominiâ abominabili, atque horrificâ totum operuerunt atque repleverunt. Recordare miſer quotiens, & in quantam iracundiam exarſiſti contra injuriatores, & damnificatores tuos, & hoc pro viliſſimis, ac vilipendiſſimis injurijs, & damnis. Nec ad modicum iraſceris his, qui tibi graviſſimas, & intolerabiles injurias has intulerunt, ubi meruerunt apud te iſtam gratiam, ut ingraſſari eis liceat in te, uſque in extremas injurias, & contumelias, & uſque in extrema damna, & ſupplicia? Unde tibi in ea ſive erga ea Deo tam odibilis, tibi damnabilis, tamque mortifera patientia? Iraſceris, inquit Auguſtinus, ſervo tuo, ne peccet ampliùs; iraſcere igitur & tibi ipſi ne pecces ampliùs? Quòd ſi injuriæ, & contumeliæ, damnaque ab amicis illata graviùs ferri conſueverunt, quantò gravius ferenda ſunt mala tot, & tanta, quæ tu ipſe tibi irrogaſti? Ampliùs. Quia nemo poteſt adeò debitor, vel obligatus eſſe tibi, ut tu ipſe es debitor, pacis inquam & honoris; nemo igitur adeò inimicoſus eſſe poteſt tibi, quæcunque & quantumcunque, mala irrogando, ut tu ipſe es tibi. Quantò namque quis major debitor eſt alicui in bonis quibuſcunque, tantò magis injurioſus eſt eidem irrogando contraria. Quaproprer verum eſt, quod dixi, quòd nemo poteſt eouſque injurioſus eſſe tibi ut tu ipſe es. Nemo igitur poteſt te magis provocare contra te, quàm tu ipſe provocaveris te contra te. Inſurge igitur inſaniſſime contra te ipſum, & iraſcere tibi ipſi, iraſcere inquam uſque ad mortem id eſt, vitæ mortificationem, & extinctionem, qui tam injurioſus, tam damnoſus, tamque peſtilens contra temetipſum fuiſti. Exurge igitur, & extermina, penitúſque conſume in te ipſo quicquid eſt vitæ iſtius tam nequam, præſertim ipſos fontes, & radices iſtius vitæ & converſationis mortiferæ. Hi fontes, & radices ſunt vitia, & peccata. Iraſcere igitur ipſis de quibus nihil cogitare potes aliud, niſi quòd ira omni, & ultione digniſſima ſunt. Ampliùs. Cùm nihil te adeò provocare poſſit, adeóque tibi nocere, ut iſta tibi nocuerunt, vel quibus, vel qualibus reſervas iram tuam, ſi iſta in pace dimittis? Aut igitur extermina ea incendio, ne aut ipſa incendia ſua æternis flammis exurant te: Ipſa enim ſunt pabulum & nutrimenta ignis æterni ſibimet. Quid loquar de Dæmonibus, qui per hujuſmodi ſatellites ſuos, te in abyſſos miſeriarum in quibus es, dejecerunt, & te in ipſis captivum detinent, & oppreſſum, atque miſerabiliter devinctum, atque concluſum tam durum tamque dirum bellum ab eis ſuſtines, tanta damna, tantas injurias, & contumelias, nec ab eis quicquam ſperare potes, niſi æterna ſupplicia. Attende, quanta dementia tam propitius es eis, tam pacificus, & patiens in eos, immò tam ſedulus, tam officioſus ſervitor eorum tam promptus obeditor omnibus mandatis ipſorum. Et ut ad unum dicam, tortor es tui ipſius, & carnifex immaniſſimus. Hoc eſt ſervitium, quod à te jugiter expetunt; hæc ſunt juſſa, quæ continuè tibi imperant, ut non ſolùm quaſcunque inimicitias ipſorum contra te ipſum exerceas, ſed etiam crudeliſſimam carnificinam tui ipſius, ut de ſanguine tuo vivo, de te ipſo membris tuis, & membrorum officijs, ipſos aſſiduè paſcas, cùm voracitas eorum inſatiabilis, & inexplicabilis ſit. Conſidera quàm palpabiles ſunt tenebræ tuæ, quanta inſania tua, qua omnem brutalem deſipientiam incomparabiliter excedis. Quod enim animal brutum inveniri poteſt morti ſuæ propitium, & devorantibus ſe ut ei poſ-E ſibile eſt, non iraſcens nec eiſdem pro viribus rebellans? Si tot, & tantæ provocationes ignem iracundiæ contra temetipſum, & contra procuratores ignem iræ in te non accendunt, & illum tibi copioſè non ſubminiſtrant, non ſolùm hominis, ſed etiam bruti animalis nominatione indignus habendus es. Neque enim iraſcibilis in te eſſe putanda eſt, niſi vel penitùs exterminata, vel adeò oppreſſa, & ſuffocata, ut de ſalute ipſius non immeritò deſperetur.

CAPUT XLVIII.

De igne ſacrificij orationis.

IGnis verò ſacrificio iſti neceſſarius, ignis eſt divini amoris, ſive cujuſcunque boni, & ſancti amoF ris, ſive ſit charitas depurata, illa videlicet vivifica, atque Dei dilectio, quæ nihil mortiferum, nihil peccati mortalis ſecum patitur in proprio ſubjecto, ſive ſit alius ſanctus ac bonus amor, quo bona diligantur & mala odiantur. Hoc autem dico quia charitas iſta, quæ eſt vitalis, atque vivificus calor, gelitudinem vitiorum & peccatorum diſſolvens penitùs, & omninò exterminans, non in omnibus, qui ſe ad gratiam juſtificationis præparant, ſtatim invenitur, quin potiùs præcedit illum amor quidam præparatorius parans ei viam & aptans cor humanum ad recipiendum ipſum; quemadmodùm quædam calefactio præcedit arſionem, nec dubium eſt, quin calefactio hujuſmodi ligna præparat exſiccando, & frigiditatem ab eis fugando, atque utcumque ea efaciendo, ſicut vides in G lignis viridibus, vel aquâ aſperſis, quæ non ſtatim ut in ſtruem componuntur, & igni adhibentur, ardent, ſed poſtquàm per hujuſmodi calefactionem, ut prædixi, præparata fuerint, & aptata, & eouſque calefacta, ut arſionem recipiant. Sic evidenter eſt videre in illis, qui conſilium beati Gregorij ſequentes, faciunt quicquid boni poſſunt, ut Deus illuſtret corda eorum ad pœnitentiam; Quapropter amor eſt eis, & deſiderium pœnitentiæ, cùm eam tam ſtudioſè quærant, & ad illam obtinendam ſe præparent, ut poſſunt, & à Dei miſericordia adjuvantur. Hujus autem dilectionis ignis, quicquid mortiferi in anima humana eſt, virtute ſua conſumit, atque mortificat & de ipſa fornace Spiritus Sancti ſolius emicat benignitatis ipſius largitione gratuita, ſaluberrima, ac per omnia liberaliſſima, quapropter ab immenſitate, & beneficentia ejus petenda eſt totis viribus, totaque devotione cùm aliunde obtineri non poſſit. Cæte-H rùm amores alij qui etſi nec vitales, nec vivifici ſint, ad vitam gratiæ tamen præparant, & aptant corda in quibus ſunt ac multipliciter adjuvant in id ipſum procurari poſſe faciliùs videri poſſunt. Et primùm quidem inſpectione, ac meditatione ſacrarum ſcripturarum. Ignitum enim eſt eloquium Dei vehementer & carbones deſolatorij ſunt ſacra eloquia, nec poteſt diu in eis verſari cor humanum, quin ab eis amore Dei, utcumque caleſiat. Et debet eſſe potiſſima intentio meditantium in lege Dei, videlicet, ut inde ſaltem præparatoriè recaleſcant, tandem verò, & finaliter, ut inde ardeant & flammeſcant. Ex quo manifeſtum eſt, multos ſcholares, & Doctores Theologos, qui tanto numero annorum jactant ſe ſacris ſtudiis inſudaſſe, & in ſcholis Theologicis commoratos, corda non in ſacris eloquiis habuiſſe, ſed auribus (ut ait Apuleius Philoſophus) & non animâ philoſophatos fuiſſe, ad ſimilitudinem ſerpentum, qui quoties in aquis natant caput extra aquam ſemper tenent, licet toto reſiduo corporis aquis immerſi

Digitized by Google

immerſi natent. Hi ſunt ſalamandræ diabolicæ, quæ tantis ſanctorum eloquiorum ignibus, nec ad modicum caleſcere poſſunt, ne dicam ardere. In hos igitur fruſtra tantis, aſſiduiſque doctrinarum ſacrarum flatibus inſufflant ſacri Doctores; quemadmodùm enim in carbones extinctos, & ligna viridia, & aquis aſperſa, fruſtra ſufflatur, cùm in eis nulla ſcintilla ſubexiſtat ſanctitatis; poſſibile tamen eſt, & plerumque fit, gratia Dei faciente, ut hujuſmodi homines, vel meditatione ſacrorum eloquiorum, vel auditu caleſcant, & inflammentur propter quod dictum eſt: Carbones ſuccenſi ſunt ab eo: *Pſal. 17.* Carbones inquam, qui priùs extincti, & gelidi erant. Inſufflavit enim Chriſtus Dominus in Apoſtolos dicens eis: Accipite Spiritum ſanctum, ſicut narrat Joan. in 20. lib. ſui. Nec dubitandum eſt illos ſufflatione hujuſmodi vel calefactos fuiſſe, vel calorem ſanctæ dilectionis in eis adauctum fuiſſe. Manifeſtum igitur eſt ex his omnibus, quia intendentibus calefieri calore iſto ſalutari ea de ſcripturis ſacris ad meditandum ipſis eligenda ſunt, quæ maximè igne Spiritus ſancti flammeſcunt. Et hoc eſt, quod docet Greg. ſuper Ezech. dicens quia cùm ad charitatem incendendam, accendendam & inflammandam aut in nobis, aut in alijs intendimus, verba in nobis ad hoc eligenda ſunt, quibus omne quod loquimur igne charitatis vaporetur.

CAPUT XLIX.

Quæ valeant ad accendendum, vel nutriendum ignem orationis prædictum.

VAlet permultùm ad hoc conſideratio jugis, atque rememoratio incogitabilis largitatis & beneficentiæ creatoris infatigabili continuatione, immò ſemper profundiſſima. Manifeſtum enim eſt id eſſe beneficia ad calefaciendum cor amore benefactoris, quod ſunt torres, & ignes, omniaque ignita ad calefaciendum corpus calore corporali. Quis enim euſque obfriguit, ut vel levi, ac modico beneficio in largitorem ipſius aliquo amore non caleſcat? Quis igitur abſcondere ſe poteſt à calore Dei id eſt amore ipſius, qui cognoſcat ſe inceſſanter obrui beneficijs ejus, præſertim intellecta immenſitate illorum? Primùm igitur recogitanda ſunt calefieri, vel alios calefacere cupientibus & intendentibus, beneficia naturæ, qualia ſunt eſſe, & vita, atque ea ex quibus vivimus, & ſumus. Quæ quantò ampliùs diliguntur, tantò amore ſui largitoris majori dilectione calefaciunt cognoſcentes. Quia igitur ſuper beneficia naturalia omnia iſta diliguntur, vel amore prægrandi amare faciunt Deum datorem omnium ipſorum, vel proculdubiò ignoratur Deus eſſe dator eorum. Ex quo manifeſtum eſt, quàm modica, vel nulla ſit fides, & ſcientia Dei in majori parte hominum. Non enim poteſt ſtare iſta fides, vel ſcientia Dei qua cognoſcitur, vel creditur auctor, & dator eſſe ipſius eſſe noſtri, & vitæ cum iſto mortifero gelicidio, quod ex minoribus beneficijs omnimodè ſolveretur. Si enim non eſt poſſibile alicui credere vel ſcire, quòd aliquis alterum oculorum ei vel dederit, vel reddiderit, quin caleat amore magno datoris, vel redditoris hujuſmodi, qualiter poſſibile erit, ut tanta perverſitas cor humanum perverterit ut tam longè majorum beneficiorum, ut ſunt eſſe, & vita, Deum autorem, & datorem eſſe cognoſcat & ipſum non diligat? Ampliùs Cùm unuſquiſque hominum non ſit niſi quaſi quædam acervus, & congeries quædam donorum, & beneficiorum Dei, pro- A culdubiò non eſt unuſquiſque noſtrum niſi acervus ignium, & rogus ardentiſſimus ex tot & tantis ignibus, quot, & quanta ſunt beneficia Dei congeſta, & aggregata in nobis, ex quibus ſunt eſſe, & vita, & membra ſingula, & vires naturales, bonaque animæ *Dan. 6.* naturalia, ſimiliter & bona corporis. Quapropter flammis, & ignibus major eſt rogus iſte in unoquoque noſtrum, quàm fuit fornax illa Babilonica, major inquam ſuper omnem proportionem, & comparationem. Invenit igitur unuſquiſque in ſe fornacem incomparabiliter majorem ignium, & flammarum. Quapropter in ſemetipſo invenit unuſquiſque, non ſolùm unde caleat amore largitatis tantorum bonorum, ſed etiam unde totus ardeat, & flammeſcat. Et intendo ardore naturalis amoris, quem recogitatio bonorum naturalium petit. Attende hìc frigiditatem diabolicam, quia rogus totus frigidus eſt & tanti ignes & flãmæ exiſtunt in unoquoque homine ab amore creatoris adhuc frigente. Quid ulteriùs dicam tibi ô homo, & inauditæ penè, & incogitabilis perverſitatis? Tu ipſe ignis es B totaliter & fornax immenſorum ignium & flammarum, & tamen frigidus. Quis uſque ad hæc tempora audivit, vel cogitavit ignem congelaſſe? Factum igitur eſt in te diabolicum iſtud miraculum. Ex quo apparet, quòd ſicut ex luce viſibili eſt, vel procedit calor ſenſibilis, ſic ex luce ſpirituali, quæ eſt fides, ſeu ſcientia Dei, qua creditur, & ſcitur auctor, & largitor unicus eſſe bonorum omnium, eſt, vel procedit calor ille ſpiritualis, videlicet amor in Deum naturalis. Quòd ſi conſideraveris ipſa beneficia Dei gratuita remiſſionem videlicet pœnarum debitarum, remiſſionem culparum commiſſarum, emundationem ab inquinamentis vitiorum & peccatorum, reformationem, & decorationem animarum humanarum per dona virtutum quæ ſunt pulchritudines, & perfectiones ani- C marum noſtrarum gratiam, qua nos de imo immò de extremo viliſſimæ, turpiſſimæque ſervitutis in ſublimitatem tantæ nobilitatis inaltavit, ut filios Dei nos efficeret, & hæredes, in ipſam quoque hæreditatem æternam quæ eſt regnum præinclitum, & præclarum invenies unum quodque iſtorum eſſe majus incomparabiliter beneficiis omnibus antedictis: quòd ſi omnibus calere amore creatoris forſitan non potuiſti, ab his tot & tantis ignibus, & incomparabiliter majoribus, quâ frigiditate, vel gelicidio te defendes vel abſcondes? Sed in hoc ipſo eandem dico cauſam eſſe hujuſmodi tam mortiferæ congelationis tuæ, videlicet extinctionem lucis fidei, & ſcientiæ Dei, ſive defectum. Non enim poſſibile eſt hanc lucem fidei, & ſapientiam Dei radiare ſuper cor humanum, & non inflammare illud ardoribus ſaluberrimis. Ad hoc igitur D totis ſtudijs invigilandum eſt nobis, totis virium animarum noſtrarum conatibus petendum, ut illa luce fidei, atque ſcientia Dei perfundamur, & irradiemur, alioquin in medijs flammis tot & tantis, frigore morimur, & quod magis eſt ſtupendum, & diabolicum, miraculum, congelamur. Quid dicam de donis & beneficijs Dei, quæ omnem æſtimationem noſtram, omnemque humanum, & etiam Angelicum exuperans cogitatum? An non eſt ipſe Dei filius donum Dei, & beneficium incogitabili largitate divinæ miſericordiæ, & gratiæ, nobis ſingulis, & omnibus datum? Quot autem modis, & quibus, & ad quos fructus, & utilitates audiviſti in præcedentibus An non ipſe Spiritus ſanctus donum eſt, & quantùm eſt in miſericordia, & largitate omnibus nobis, & ſingulis donans? Similiter & ipſe pater miſericordiarum ſemetipſum dedit nobis ad omnem uſum neceſſariũ. Semetipſum dedit

Digitized by Google

nobis in creatorem, & in conſervatorem, & protectorem, in Deum, & patrem, quæ ſunt dona excellentia omnem æſtimationem, ſimiliter in regem, & rectorem, in refugium ad omnem neceſſitatem. Dedit ſe ipſum nobis finaliter, atque noviſſimè obtinendum ad plenam gratiæ fruitionem. Non enim modica, aut levis eſt promiſſio illa, quam fecit nobis per Ezechielem Prophetam, dicentem. Ero illorum Deus. Prægrandis enim gloria eſt ipſum habere Deum, ſicut habere patrem. Habere namque ipſum Deũ eſt habere ſponſum, & ſpirituali matrimonio illi eſſe conjugatum. Unde alibi debes eſſe edoctus, quia tota illa glorioſa ſemperque adoranda, & veneranda Trinitas merces eſt atque præmium totum & ſolum bonum omnium creaturarum intelligentium, quantùm in ea eſt: quod dico, propter illas, quæ juſtiſſimè ſemper, ac per omnia laudanda juſtitia ipſius, tantum donum non adipiſcuntur. Vides igitur evidenter, quia non prunarum minutijs, neque ignium ſcintillis, ſed montibus igneis, hoc eſt ingentibus, & univerſis beneficijs te non ſolùm circumdedit divinæ largitas bonitatis, ſed etiam ex illis te condidit mirabiliter, & ſtruxit, & ut prædixi rogum, immò fornacem immenſam tam grandium flammarum, & ignium te fecit. Si tu quæris à me dicens, unde accipiam ignem vel calorem quo caleam dilectione in Deum? Ego viceverſa interrogo te, qualiter effugies ardores iſtos, & flammas tam grandes beneficiorum Dei, ubi te abſcondes à tantis iſtis ardoribus? Nec enim effugere potes temetipſum, nec elongari à temetipſo, qui ut prædixi, rogus tam grandis es, immò fornax immenſa.

CAPUT L.

De memoria beneficiorum divinorum.

ET quoniàm brevis eſt intellectus tuus eouſque, ut altitudinem, & immenſitatem tantorum beneficiorum attingere forſitan plenè non poſſit, faciam tibi rememorationem minorum beneficiorum, quæ quidem quivis intellectus facilè apprehendat. *Nota.* Reſpice igitur, & attende in obſequia creaturarum, quæ tam officioſè, tam ſedulè innumeris obſequijs tibi ſerviunt. Et primùm in obſequia ſanctorum & beatorum Angelorum, quorum officia, & obſequia, quæ nobis inceſſanter impendunt, in tractatu ſingulari de ipſis declaravi, nominavi, & numeravi tibi. Et ut de alijs taceam, quis ſatis admirari, laudareque ſufficit fortiſſimam, vigilantiſſimamque cuſtodiam, qua nos inceſſanter cuſtodiunt, malignos ſpiritus arcentes à nobis, & compeſcentes eos, ne pro voto ſuæ malignitatis in nos ſæviant, abſterrentes eos, & diffugantes à nobis, interdùm autem religantes? Deinde quis adeò obtuſus eſt, adeóque negligens ſalutis ſuæ, quis adeò ingratus, & indevotus, qui non attendat benevolentiam ipſorum erga nos, per quam & orationes noſtras offerre Deo altiſſimo, & ſuas ipſis adjicere non ceſſant? Quis inquam hoc attendens non agnoſcat incogitabilis pietatis, & dulcedinis creatoris divitias erga nos, quoniàm tam fideles, tam induſtrios, tam diligentes mediatores inter ſe, & nos, nobis dedit? Neque enim ceſſat ſolicitudo eorum apud Deum pro nobis, neque circa nos in omnibus, quæ nobis neceſſaria eſſe, vel ſalutaria conſpiciunt. Et idem de ſanctis, & beatis animabus tibi eſt ſciendum, quantùm ad officium interpellationis pro nobis. Unde quis cauſæ ſuæ periculum, & negotiorum, quæ expedire habet coram Deo, arduitatem, &

E multitudinem advertens tam neceſſariorum, tamque ſalutarium auxiliariorum datorem Deum exinde non amare poſſit? Quis denique ſanctorum labores, ſtudia, & dolores, quos pro nobis ad Dei gratiam adducendis ſubierunt & ſuſtinuerunt, Apoſtoli, ſancti Martyres, & Confeſſores, omneſque Doctores, meditando, ſcribendo, prædicando, & multi ex ipſis tormenta immania paſſi ſunt, vel leviter cogitet, & non in ipſum datorem tantorum adjutorum, & adjutoriorum ſaltem amore debitæ gratitudinis, utcumque caleſcat? Et hæc ſpiritualia beneficia ſunt. Et propterea procedam ad temporalia, quorum amor tam facilè attrahit, alligat, captivat, inebriat, & interdùm uſque ad inſaniam concitat. Attende igitur qualiter miſericordiſſimus creator, totum cœlum inclinat in obſequia tua. Et hoc
F manifeſtiſſimè conſpicitur in obſequijs Solis & Lunæ, quæ tibi die, ac nocte lumen miniſtrant, aliaque tam multa ſervitia, quę Philoſophis naturalibus ſolis nota ſunt, tibi tã inceſſanter impendũt: in ſole cerne velut ſervum ſtrenuiſſimũ, ſervum per omnia impigrum, tam manè ſurgentem ſingulis diebus ad illuminandum, & intendo manè, ſummè diluculo ad miniſtrandum lumen tibi in greſſibus, & in omnibus operationibus tuis, ſimiliter & equo tuo, & omnibus animalibus tuis. Servit igitur tibi ſol evidenter, quaſi ſervus lucernam præferens ante, oſtendens tibi diſcrimina viarum, ne in eis ceſpites, aut corruas, vel etiam offendas, ad regendas, & dirigendas vias operibus tuis, quæ nec benè, nec rectè niſi in lumine fieri poſſunt, præterea occulta beneficia,
G quæ per ſtellas, & planetas nobis inceſſanter præſtantur, quæ pauciſſimis etiam ſapientibus nota ſunt. Reſpice in aera, & cogita de ventis, qualiter interdùm ſerenant, nubes inde diffugantes, & nubila. Interdùm autem nubes aggregant, tanquàm vaſa aquatica, & ab aquis plena ad quaſi circumvertentes ea humeris ſuis miniſtrandum aquam, & ad irrigandum agros tuos, & vineas, hortos, & prata, nec non ad ipſum aerem humectandum, & temperandum, qui inde ſalubrior fit hominibus, & ad expirationes, & reſpirationes, convenientior. Ipſa etiam commotione, & exagitatione ventorum, aer ipſe depuratur, & ad vitam hominum, animaliumque ſpirantium, & reſpirantium fit aptior. Nec prætereas utilitates, quas venti præſtant navigijs tam
H marinis quam fluvialibus, ſed & molendinorum, quæ ſolo vento molunt, utilitas negligenda non eſt. Deinde reſpice in aquas, & primùm in fluctus, ubi ſunt piſces, & non ſufficies numerare, vel æſtimare commoditates, & utilitates, quæ per eas tibi præſtantur in fluctibus antedictis. Deinde reſpice utilitates evectionum navalium, & molendinorum aquaticorum, ablutionum, irrigationum, potationum, & condimentorum in pulmentis, & occurret tibi tanta magnitudo, tanta multitudo utilitatum, quibus tibi ſerviunt aquæ, ut in numeratione, & menſuratione earum deficere neceſſe habeas. Poſt hæc conſidera terram, & videbis eam tanquàm quoddam creatoris promptuarium & theſaurarium divitiarum innumerabilium, & immenſarum. Ex ea enim velut ex quodam promptuario creatoris & victus, & veſtitus, & inhabitatio, ſive tectum, nobis aſſiduè miniſtratur. Ex ea enim ſunt & fruges, & fructus, olera, herbæ, & legumina. Ex ea enim ſunt & carnes animalium, quibus veſcimur, & nutrimur. Ex ea ſunt linum, & canapium, ad nos veſtiendos. Ex ea generantur animalia, quorum lanâ, & pellibus, & plumis induimur. Ex ea ſunt lapides, & ligna & ſabulum, de quibus nobis habitacula fabricantur. Quis autẽ medicinas, quę de terra gignũtur, enumeret? quis innumeras utilitates metallorum

lorum, gemmarum lapidum precioſorum, marmorumque æſtimare ſufficiat? Quis olei liquores, balſami, lactis, & vini, & omnia genera gummi memoriter teneat? Quis multitudinem venarum terræ, varietatemque lapidum earum vel dignoſcere, vel numerare poterit? Meritò igitur terram Dei promptuarium ad eſcas, & veſtimenta, quæ nobis inde adminiſtrat, nominavi, quantùm verò ad divitias auri, & argenti gemmarum, cæterorumque omnium, quæ homines divitias vocant, non minùs rectè theſaurum divitiarum ejuſdem creatoris vocavi, cùm in ea tot, & tanti divitiarum hujuſmodi theſauri repoſiti & abſconditi ſint ab ipſo creatore. Nec tibi prætereundum eſt quot, & quantis uſibus, & utilitatibus humanis, animalia deſerviunt, & alia quidem evectionibus, alia equitationibus, alia agriculturis, & alia in omnibus, & per omnia in uſibus hominum, & utilitatibus, & vivunt, & moriuntur ita ut carnes, lanæ, & pelles, cornua, & dentes, & ipſæ etiam ſuperfluitates à varijs utilitatibus non vacent. Quis enim non videt ex dentibus elephantorum, & cornibus bubalorum, mira ornamenta, & inſtrumenta fieri? Vides de lignis, & arboribus, quàm multipliciter cæduntur, dolantur, ſculpuntur, in varias utilitates, & uſus hominum. Et alia quidem exuruntur, ne frigorum ſuperfluitas noceat hominibus, alia aptantur in ædificia ut ſint nobis in tectum habitationis & in munimen protectionis à pluvijs & ventis, nivibus, atque grandinibus. Tantis igitur tormentis ſuis, lacerationibus ſcilicet, exuſtionibus, ad omnes injurias aeris expoſitionibus, nobis ſerviunt ligna ſilvarũ ligna verò domeſtica tãta varietate fructuũ, ligna verò, & arbuſta aromatica, tanta nos reficiũt virtuoſitate medicamentorũ, condimẽtorũ ac odoramentorũ Hæc enim omnia intuenti, & diligenti perſcrutatione cõſideranti apparet evidenter prælarga beneficentia creatoris, qui tanta immenſitate, ac multitudine beneficiorum & donorum ſuorum, ex omni parte nos obruit, paſcit, veſtit circundat, munit, & protegit cõtra omnia incommoda, & nocumenta vulnerum, ægritudinũ & infirmitatũ corporaliũ, ut de ſpiritualibus commodis & incõmodis taceam. Si quis rex magnus regnum totum, & ſingulas regni partes, omneſque magnates, alioſque univerſos ſubditos ſuos tuis obſequijs oneraſſet, ita ut omnia, & ſingula, quæ in regno ipſius ſunt, omneſque & ſinguli ſubditi ſui obſequijs tuis die, ac nocte evigilarent, an poſſes te continere ab amore illius? Et ſic facit, & fecit unicuique noſtrum inceſſanter Dominus Deus noſter Nec enim cuiquam de his qui in cœlo, vel de cœlo ſunt, in parte iſta pepercit. Nihil omnium iſtorum, quæ ejus ſunt, à ſervitijs noſtris voluit eſſe immune, quia nullum ex Angelicarum militiarum exercitu, nullam ex ſanctis, & beatiſſimis animabus, nullam ex ſtellis luminaribus Et ad hunc modum curre per omnia, quicquid eſt à ſummo cœlo uſque ad deorſùm, ſervire nobis facit, ſi tamen & hoc dignamur. Ipſe etiam infernus non eſt exemptus à ſervitute noſtra, vel ſervitijs, dum & nobis ſui terrorem, & horrorem, incutiens à malis innumeris nos cuſtodit atque bona noſtra nobis conſervat, quæ ſi non eſſet timor ipſius, minimè durarent in nobis. Aliàs etiam tortor noſter eſt, & vindex omnium injuriarum, & contumeliarum nobis irrogatarum, vindictas in omnes injuriatores noſtros, tam juſtas, tantaſque exercẽs, ut nihil ſit quod ultra eas de inimicis noſtris requirat juſtitia neque etiam ira noſtra. Quęnam ſervitia nobis impendat purgatorius ignis, vel locus ipſe nomine ſuo ipſemet indicat evidenter, dum quicquid purgandum invenit in animabus

A hinc exeuntibus, & ad patriæ cœleſtis fœlicitatem pergentibus purificat, & elimat, mundans illas, & clariſſimas, lucidiſſimaſque Deo repræſentans remuneratori. De terris, ventis, & maribus & alijs, eo compendio tibi ſatisfactum eſt, ut ſuper hoc quicquã ulteriùs non requiras. Quid dicã & de ipſo creatore, qui eſt Trinitas glorioſa, unus, verus, ac ſolus Deus, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, qui nec ſibi ipſi in parte iſta vel pepercit unquã vel parcit? Quod evidenter apparet in ſpiritualibus beneficiis quæ ſunt illuminationes, juſtificationes mundationes, decorationes, cuſtoditiones protectiones, & defenſiones animarum noſtrarum, à quibus nunquàm vacat incogitabilis pietatis ſuæ dignatio. An potes aliquid cogitare, quod cor humanum in amorem benefactoris inducere poſſit, quod divina bonitas erga nos negligat, vel omittat? Addam autem

B & aliam conſiderationem quæ utinàm nunquàm recedat à memoria tua. Reſpice in univerſitatem, & apparebit quia ipſa eſt innumerabilis multitudo miniſtrorum, ſeu ſervientium varia dona, & xenia tanquàm ex promptuario quodam divinæ largitatis, & beneficentiæ tibi deferentium, & offerentium, atque præſentantium Quæ quia, ut prædixi, & oſtendi, ignes ſunt, & flammæ ad calefaciendum cor humanum amore largitoris ipſorum: ſi interrogaveris unde veniunt, vel quò vadũt, quò tendunt, vel quid intendunt: ipſa in veritate reſpondebunt tibi, quia nos ſumus innumerabilis multitudo miſerationum Dei, portantes ignem, & flammas ad calefaciendum cor humanum frigore mortifero congelatum, & penitùs extinctum nec tamen tot, & tanti ignes, & flammæ, gelicidium ejus adhuc diſſolvere ſufficiunt. Addam & aliam conſiderationem, in qua non modicum eſt admirationis, nobiſque doloris, & confuſionis. Dico ergo: Re-

C ſpice mundum univerſum & videbis ipſum totum ardentem, atque flammantem, largitate, & beneficẽtia creatoris. Ex omni parte illius micant flammę donorũ & beneficiorũ creatoris ſicut evidẽter vides ex præcedentibus. Quapropter manifeſtum eſt totũ mundum, ſive univerſum creaturarum omnium, etiam cum ipſo creatore fornacem eſſe totaliter ardentem, & undique flammantem. Quapropter de mirabilibus diabolicis prægrande miraculum, non ſolùm, quòd tanta fornax non te calefacit, ſed etiam quòd in medio ejus poſitus non totus ea conflagras. Attende igitur inſaniſſimum cor humanum, ubi te poſuit creator benedictus videlicet in medio tot, & tantorum ignium & tam immenſæ fornacis. Quapropter non ſolùm calere voluit ex tot, & tantis ignibus, & flam-

D mis, ſed etiam ardere, & eſſe ignitum. Propter quod de lucifero dictum eſt Ezech. 18. quia ipſe erat in medio lapidum ignitorum, Angelorum ſcilicet, qui prælargâ beneficentiâ creatoris igniti erant, non ſolùm calentes amore ipſius, ſed etiam ardentes, atque flammantes in illum. Dicam adhuc & vulgare proverbium, quo dici ſolet? Qui obruit me, advertat me, quod eſt dicere, capit, & ad ſe trahit. Hoc inſaniſſimum cor humanum tibi dici poteſt, quia tot muneribus, & tantis obruit te Deus ex omni parte, & tamen tu non admittis vel capis, ut te attrahat, & ad ſe trahat. Interrogo te etiam adhuc, quid peccavit Deus adverſùm te, ut eum diligere vel non velis, vel non valeas, nec in tanta fornace tot, & tantorum ignium calefieri poſſis amore ipſius? Sed ut de donis, & beneficijs iſtis taceam, qualiter defendes te ab immenſitate bonitatis & pulchritudinis ipſius? Illa velut caminus incogitabilis ardoris totam civitatem cœleſtem inflam-

Digitized by Google

mat, atque conflagrat. Inde ardent omnes exercitus militiarum cœleſtium, & omnis ſanctorum Eccleſia, ideſt beatiſſimarum animarum, quæ ibi jam receptæ, & glorificatæ ſunt. Attende quòd bonitatem, & pulchritudinem Dei tibi prædicat inceſſanter univerſitas creaturarum. Quemadmodùm & in ipſa Eccleſia canitur: Quem terra, pontus, æthera, colunt, adorant, prædicant Dic quæſo quæ mulier adeò refrigidata, vel maleficiata eſſe poteſt, ut juvenem ſponſum diligere nollet, ſi die ac nocte prædicaretur ſibi bonitas, & pulchritudo ipſius? Vide igitur quàm mortifera eſt infrigidatio tua, quàm ſtupendum gelicidium, vel ut veriùs loquar, quàm validum diabolicum iſtud maleficium, quo ita maleficiatus es, ut tot, & tantis, Dei bonitate, & ſpecioſitate, inceſſanter nullo amore in eum caleas, præſertim cùm innumerabilibus, & inæſtimabilibus beneficiis cordi tuo jugiter ſe ingerat, & impingat. F Dic interrogo te, ſi venalis eſt amor tuus, quem emptorem alium, quàm Deum expectas? Quicquid mundus dare poteſt pro amore tuo, hoc eſt dicere, ut ametur à te, comparatione eorum, quæ jam dedit Deus, & continuè dare non ceſſat, atque eorum, quæ promittit, & præparavit diligentibus ſe, nulla ſunt. Si verò liberalis, atque gratuitus eſt amor tuus, an eſt aliquid amore tuo dignum, vel bonitate, vel pulchritudine comparatione Dei? Immò (ut vulgariter loquar) in omnibus aliis perditur amor in eo ſolo dignè, & per omnia laudabiliter collocatur. Quòd ſi amor tuus non niſi per vim, & violentiam extorqueri poteſt à te, nec ſic fugere, vel abſcondere te potes à calore ipſius attende minas, conſidera terrores, vide ipſum gladio evaginato ſupereminentem capiti tuo, & mortem tibi intentantem animę, & corporis. G Vide æterna ſupplicia, & ardores ſempiternos quibus te traditurum comminatur, ſi non eum amaveris. Quæ mulier ſi talia ei fierent, vel intentarentur, cùm allegaret violentiam, per illam non ſe excuſaret, ſi quis de amore illius culparet eam? Omnibus autem hujuſmodi violentiis longè fortior eſt aſſidua prædicatio bonitatis, & pulchritudinis Dei, largitate ipſius beneficentiæ, ipſius infatigabili continuatione in unumquemque noſtrum profuſiſſima. Accedunt & ad hoc non parvæ virtutes efficaciæ, divinæ patientiæ, & longanimitatis ipſius, quibus tam malos & ingratos, in tot, & tantis malis vitiorum, & peccatorum ſuorum tã diu, tam benignè, tam miſericorditer tam dulciter ſuſtinet, & expectat, mitiſque & inexplicabilibus, ſibique ſoli notiſſimis modis, & viis ad miſericordiam, & gratiam revocare, & reducere non ceſſat. Aggrega igitur hæc omnia, & invenies per hæc, quia nullum patet tibi effugium ab amore Dei. Non etiam eſt excogitare latibulum, ubi te abſcondere poſſis à calore ejus; & quia cujuſcumque modi, vel H conditionis ſit amor tuus, neceſſe eſt ut in eum te inclines, & ei te conglutines, & unias; ſive enim liberalitas ſit, quod eſt, ad donandum, ſive venalis, quod eſt dicere ad vendendum, ſive per extorſiones, & violentiam ſuam acquiſibilis, non potes ipſum avertere à Deo, cùm omnes accuſationes & omnia provocatoria ſive incentiva amoris, incomparabiliter majora, & fortiora ſint. pro eo quod vix illa cogitari poſſunt. Non eſt igitur tibi effugium, vel evaſio, niſi effugium, vel evaſionem hujuſmodi ab amore ſcilicet ipſius extremum vocas periculum. Et eſt ſimile, ſi quis dicat illum evaſiſſe, qui extremum, atque ſupremum incurrit periculum. latronem inquam evaſiſſe cùm perferat ſuſpendium. Ad ultimum autem ponam, quod eſt omnibus provocatoriis, atque omnibus incentivis illis fortiſſimum. Et hoc indubitanter eſt amor ille nimius, & incenti-

E lis, quo ipſe prior dilexit nos. Omnium enim incentivorum, & calefactivorum maximum eſt ignis. Amor autem quo dilexit nos ignis eſt, quapropter ad calefacienda, & inflammanda corda noſtra convenientiſſimus: Ignis enim igne & longè convenientiùs & longè efficaciùs, quàm aliis accenditur. Propter hoc dicit Seneca: Ecce docebo te amatorium, ſubaudi medicamentum, ſive carmen, ſive veneficium: Si vis amari, ama. Propter hoc ipſum dicebat ad Deum David: Exurge domine in præcepto, quod mandaſti, quod eſt dicere, adimple tu illud, & hoc eſt præceptum charitatis, ſive dilectionis, & tũc ſynagoga populorum circundabit te. *Pſal. 7.* Cùm enim oſtendit, immò exhibuit evidentiſſimè in ſemetipſo, quia diligebat genus humanum, tunc factus eſt, & ille dilectus hominibus & aggregati ſunt ad eum, eique uniti unione amoris. Hic eſt ignis, à quo F neque homo, neque aliud animal ſe abſcondit. Omnes enim homines diligunt diligentes ſe, & omne animal diligit, à quo diligitur. Et hoc eſt quod ipſemet dicit in Evangelio Luc. Ignem veni mittere in terram: quid volo, niſi ut accendatur? Ignem iſtum, hoc eſt ſingulare iſtud, & ſtupendum beneficium, ne ſepares illud à corde tuo, Ipſo namque adventu ſuo ignem ſuæ dilectionis erga nos oſtendendum miſit in corda hominum: Et licet hoc omni largitate beneficentiæ ſuæ (ſicut prædixi) fecerit, & faciat inceſſanter, hoc tamen in ſingulari, & incogitabilis immenſitatis beneficio, incarnationis ſuæ videlicet paſſionis, & mortis incomparabilis, & incomparabiliter, & magnificentiùs fecit, & efficaciùs. Hunc ignem igitur applica cordi tuo jugi recogitatione ipſius, & tene inceſſanter per memoriam tenaciſſimam in corde tuo, & non effugies, non dicam calo-G rem, ſed etiam hujus ſancti amoris, & ſaluberrimi vivificum ac jucundiſſimum incendium. Ne projicias à corde tuo citò ignem, ſicut moris eſt ſtultiſſimis hominibus, ſed quemadmodùm cùm vis, vel lignum, vel candelam accendere, tamdiu conjunctum igni tenes illud, vel in ipſo igne, donec accenſum fuerit; non enim tam citò ligna tactu ignis, vel calent, vel ardent; ſic cor humanum, quàm citò cogitat flammam iſtam divinæ beneficentiæ, tam citò calere ex illa neceſſe habet, & per moram, hoc eſt per moroſam applicationem paulatim calefit, & tandem incenditur. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam neceſſe eſt profundari in intima cordis credulitatem hujus beneficij donec illud inhæreat & quaſi radicetur in ipſis. Debes etiam hîc attendere magnitudinem ignis iſtius, de quo ipſa veritas in Evangelio dixit: Majorem hac dilectionem nemo habet; quapropter iſto igne dilectionis nullus major. Igitur manifeſtum eſt quia facilè calefieret, vel etiam accenderetur cor humanum, ſi diu applicaretur, atque *Ioan. 15.* H conjungeretur. Et intendo, ſi diu per cogitatum, & memoriam in illo teneretur. Ex quo manifeſtum tibi eſſe debet, quàm ſalutaris, quàm neceſſaria eſt jugis recogitatio dominicæ incarnationis, paſſionis, & mortis, & ſimiliter ſacratiſſimæ Euchariſtię, quámque efficax rememoratio jugiſque recogitatio ipſius, & quantùm nos diligat, qui tam crebrò ſingulis diebus cum tantis muneribus nos viſitat, intelligentibus evidenter oſtendit. Et propter hoc in illo tam venerando myſterio ignem ſacratiſſimi amoris ſui mitteret in terram. Pro magnitudine namque beneficij, immò pro immenſitate, in illo tam venerando myſterio ignem immenſum ſuæ dilectionis cordibus noſtris ingerit, & immittit.

Digitized by Google

CAPUT LI.

De gladio ſpirituali, quo debet mactari anima in oratione, vel meditatione.

POſt hæc autem aggrediar etiam gladium tibi dare, vel potiùs illum, unde accipias miniſtrare. Gladius igitur iſte ſpiritus eſt, ſive ſpiritalis, videlicet verbum Dei, ſicut legitur ad Epheſ. ultimo. Gladius iſte penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, ſicut legitur ad Heb. 4. Hujus acumen, & penetrabilitas ex dolore pœnitudinis, & profundatione ipſius cognoſcitur, atque ſentitur. Quapropter de ſacris omnibus eloquiis, illa ad transfodiendum cor conſcindendum, & ad lacerandum eligenda ſunt, quæ cor maximè penetrant, & conſcindunt, & maximè dolorem intimum pœnitudinis ingerunt. Hæc autem, quantùm capio, efficaciùs hoc faciunt, quæ mala vitiorum, & peccatorum noſtrorum oſtendunt & aggregant. Et intendo mala, quæ hìc ſunt, vel imminent ex ordine divinæ juſtitiæ in futuro judicio. Inter mala igitur hoc primùm tibi nomino, mortem peſſimam peccatorum, quæ vitam iſtam extinguit gratiæ, vel potiùs ipſa eſt extinctio gratiæ ejus. Et hæc quæ animam humanam à Deo ſeparat, qui eſt vita beatiſſima animarum humanarum, quæ tantò pernitioſior eſt, quantò gratia præſtantior eſt, quàm natura, tantóque magis timenda, quantò ipſa vita gratiæ amabilior eſt, quàm vita naturæ. Sacra igitur eloquia quæ mortem iſtam tibi indicant, vel oſtendunt, proculdubiò iſtam mortem peſſimam ac pernitioſiſſimam ingerunt, ac impingunt in penetrabilibus cordis tui. Unde igitur dolor cordi tuo incuti, vel ingeri poteſt, ſi mors iſta cordi tuo dolorem non ingerit, præſertim cùm mors etiam corporalis, quæ nec vera mors eſt, nec mortis nomine etiã digna, maximum omnibus inferat dolorem? Mors inquam corporalis, vel carnalis charorum tuorum tantum dolorem tibi ingerit, ut vix inde conſolationem recipias, qua inſenſibilitate mortem iſtam ſpiritualem ac peſſimam abſque ſenſu doloris intimi ſuſtines? Dices utique mihi quia mors ſpiritualis iſta adeò mortificat cor humanum, ut ſentiri ſeipſum non ſinat & propter hoc non videtur eſſe mirum ſi mortuum cor morte iſta ſpirituali, nec ipſam mortem, nec aliud de incommodis ſpiritualibus ſentiat. Verè utique dicis, & verum dicis. ſed reminiſci debes quòd verba Dei ſpiritus & vita ſunt, ſicut dicit veritas Joan. 6. Audiviſti etiam in præcedentibus, quia illa eſt virtus mirifica verbi Dei. ut etiam mortui illud audiant. Lazarus illud audivit, qui quatriduanus putreſcebat in tumulo. (*Joan. 11.*) Ea eſt imperioſitas vocis Dei, ut mortui illi obediant, ſicut apparet de ipſo Lazaro qui vocatus voce Salvatoris, cùm eſſet mortuus, obedivit eidem. Juſſus namque venire foras de tumulo, ſtatim prodiit ex illo, quamvis ligatus pedibus, & manibus inſtitis: quandiu igitur mortuus eſt hac peſſima morte peccator, vocem Dei non audit; quandò autem audire incipit illam, tam citò, & aliquo modo vivit, non autem vitâ gratiæ, quæ mortem omninò extinguere, & exterminare ſufficiat. Et propter hoc ſemivivum hujuſmodi peccatorem vocat dominus in Evangelio Lucæ 10. Habet enim indubitanter aliquid vitæ, qui mortem ſuam in qua fuit, vel etiam eſt, adhuc utcunque videt, & conſpicit. Plùs autem habet vitæ, ſi vel modicum dolet de morte hujuſmodi, plùs habet vitæ ſi de ea etiam vel leviter erubeſcit, plùs etiam, ſi morti hujuſmodi iraſcitur. Plerumque enim priùs lumen aliquod ſalutaris cognitionis recipit viſus interior, quàm affectus recipiat aliquid

A vitę ſpiritualis. Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus ſuper Pſ. videlicet quòd prævolat intellectus, & ſequitur tardus vel nullus affectus. Et intendo quia prævolat intellectus ad videndum mortem iſtam vitiorum, & peccatorum utcunque; jacet autem adhuc mortuus affectus, & in ipſa tyro. qui renovatur & juveneſcit, & cum ipſo ſpolio pellis ſuæ vetuſtatem deponit; verùm circa oculos incipit ei fieri iſta renovatio, quoniàm pellem vetuſtam de circa oculos primùm ejicit, & deponit. Sic fit in multis peccatoribus, quia renovatio, & ſanitas ſpiritualis, vel vita potiùs incipit eis fieri in oculis cordis. Et de illa vidua quam Petrus Apoſtolus ſuſcitavit in Actibus Apoſtolorum, (*Act. 9.*) quæ dicebatur Dorcas, quòd ipſa primùm aperuit oculos, & viſo Petro reſedit. Evidens eſt autem literatis, literatis inquam in ſacris literis, ut videtur, quòd aliquid vitæ ſpiritualis habent in oculis cordis cùm vires motivas, id eſt affectus corruptiſſimos habeãt prorsùs mortificatas, neque enim ſcintilla vitalis caloris, qui eſt amor honeſtatis, & aliorum, quę propter Deum diligenda ſunt, B nec aliqua etiam minima ſcintilla calet in eis, cùm nihil omninò diligant de his, quæ ad honeſtatem pertinent. Contraria verò, id eſt, vitiorum ſuorum voluptates, & turpitudines totis deſideriis concupiſcunt & totis ſtudiis acquirunt. Adjiciunt etiam ad cumulum malorum ſuorum, ut & honeſtatem, & decorem morum laudabilium, quam in ſe extinxerunt, atque radicitùs extirpaverunt, tanto in aliis odio perſequantur, ut nec verbum de illa audire, niſi moleſtiſſimè poſſint. Quod evidens indicium eſt, extinctum in eis eſſe vitalem, atque vivificum calorem bonæ dilectionis, cùm flammæ turpium deſideriorum cor eorum totaliter occupaverint, atque repleverint. Quapropter verum eſt, quod dixi tibi, quia ſemivivi hujuſmodi ſunt homines, & unuſquiſque eorum eſt homo, qui incidit in latrones, qui ſpoliaverunt eum, C & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto, quamquàm & vita hujuſmodi rectò nomine dici non poſſit, quæ mortem animæ humanæ ſecum patitur; comparatione tamen eorum, qui obcæcati ſunt omninò vel ignorantiâ, vel incredulitate, hujuſmodi homines, quantùm eſt ex parte virtutis intellectivæ, non immeritò vivere dicendi ſunt. Cogita igitur & recogita mortem iſtam, & operare cum auxilio divinæ virtutis, & gratiæ per mortem iſtam, mortificans eam in ſemetipſa & per ſemetipſam, de morte ipſam vitã eliciẽs. Illam enim invenies non ſolùm mortem tuam, ſed etiam mortem ſui ipſius. Dic igitur in teipſo videlicet in corde tuo: Domine Deus vita mea, non ſolùm dator vitæ meæ, quis eſt reus mortis meę tam malæ tam turpis? Quis intulit mihi mortem meam, niſi ego ipſe? Quis me ſeparavit à te? Non enim tu diſceſſiſti à me prior, D ſed ego diſceſſi à te. Non enim deſeruiſti me, ſed ego deſerui te vita mea. Abiens autem poſt gratuitatem cordis mei peſſimi, verti à te dorſum, & receſſi à te abiens poſt concupiſcentias meas turpiſſimas, atque viliſſimas. Ego ipſe feci diviſionem ipſam mortis, vel potiùs mortem inter me, & te. Ego interpoſui chaos terrum, & horriferum inter me & te, & vitam, abyſſum ſcilicet vitiorum, & peccatorum meorum. Ego ſum qui me averti à lumine tuo vivo, & à luce vivificante, & immiſi me, immò me immerſi & ingeſſi potiùs in umbra mortis, & in tenebras vitiorum, & peccatorum meorum. Ego ſum, qui in me extinxi vitam gratiæ tuæ, & mortem virtute baptiſmalis ſanctificationis in me mortificatam vivificavi denuò in me ſæpiſſimè per ſenſus mortiferos, quibus conſenſi ſubjectionibus mortiferis. Ego mortem iſtam deleram de ſolio liberi arbitrij mei, & de regno, quo regnabam, me

Digitized by Google

præcipitãs, exaltavi & reſtitui, in regnũ priſtinũ. Ego ſum, qui proſtratam illam erexi, & exurgere feci in reſurrectionem diabolicam. Ego ſum, qui hauſi voluptates venenatas, quarum hauſtu vita gratiæ tuæ, non mirum, ſi extincta eſt in me non ſolùm hauriebam venena hujuſmodi, ſed etiam inebriabã me illis, & ſæpè uſque ad nauſeam replebam me illis. Nota. Ego ſum qui inſtar apri inſaniſsimi irruentis in gladium venatorum, impingebam me in gladios transfodientes animam meam. Omnia namque concupiſcibilia gladij flammei, & igniti ſunt, transfodientes animas hominum inſenſatorum. Quoties quæſivi, ut viderem concupiſcibilia, quoties exquiſivi gladios iſtos, ut in eis me impingerem, & in eos tanquàm aper inſaniſſimus toto impetu me darem, immò præcipitarem? Scio domine Deus meus, ſcio nunc te revelante, & docente, linguas hominũ eſſe plenas veneno mortifero, ſicut dicit Apoſtolus tuus Jaco. Scio eas eſſe gladios acutiſſimos jacula & ſagittas mortiferas, ſicut docuiſti me per Salomonem Prover. 26 Domine Deus meus quotiens expoſui me ſagittis iſtis, gladiis & jaculis confodiendum? Quotiens ſcire volui, & inquiſivi etiam, quid de me dicerent homines neſciebam domine, quia ſermones laudantium molliti erant ſuper oleum, nunc autem te revelante ſcio, quòd hujuſmodi ſermones jacula ſunt mellita, & transfigentia corda ſtultorum. Scio domine, & nunc te docente, quia ſermones detrahentium jacula fellita ſunt. Iſta jacula, & illa declinavi ſed etiam eis transfodiendum cor meum inſaniſsimè, & vicibus innumerabilibus, expoſui, & jacula hujuſmodi quibus anima transfigeretur, quotiens exquiſiveram, tu ſcis domine Deus meus. Scio tamen te docente, quia ſermones adulationum, & detractionum, flatus ventorum peſtilentiſsimorum ſunt validiſsimi ad extinguendum lucernam ſanctitatis, & gratiæ tuæ. Quotiens expoſui eam flatibus hujuſmodi, quid ergo mirum ſi extincta eſt? Plerunque flatus iſtos, ut cor meum flarent, procuravi, & quæſivi. Ego igitur, ego ipſe ſum reus tot, & tantarum extinctionum vitæ meæ, qua vivebam, & gratia tua. Væ mihi, qui afflatus iſtos, vel unquàm exquiſivi, vel unquàm amavi, vel ſuſtinui mihi extinctionem vivificæ lucernæ gratiæ tuæ, ideſt mortem ſpiritualem animæ meæ. Docuiſti me domine Deus meus per Salomo. Prover. 17. quia ſicut in igne probatur aurum, & in conflatorio argentum, ſic homo probatur ore laudantium. Hoc igitur docuiſti me, quòd ignis vehementiſsimi ardoris ſunt verba laudantium, hoc domine neſciebam. Propter hoc ad inſtar furioſi, vel potiùs dæmoniaci in ignem iſtum, quotiens poteram, injiciebam me. Quid igitur mirum, ſi miſerrima anima mea in tantis ardoribus ſæpè incendio perijt? Si omnia bona mea tantis ardoribus exuſta ſunt, & conſumpta, ob inardentem mihi iracundiam, quæ ut (ait Greg.) à teipſo edoctus, velut peſtis totam mẽtem degraduat, & de qua veriſsimè dici potuiſſet, quia velut incendium animam totam vaſtat, nihil ex bonis gratiæ tuæ prorsùs relinquens. Quid proſequar de ſingulis vitiis meis, & peccatis, quibus vel immaniſsimis belluis devorandum me tradidi? Quæ enim ex hujuſmodi belluis de miſerâ animâ meâ non eſt ſatiata? Ego miſerrimus, & inſaniſsimus, quaſi omnes invitaſſem omnibuſque convivium præparaſſem, & tanquàm dixiſſem verbis tuis, quæ poſuiſti in ore Iſa. prophetæ tui: Univerſæ beſtiæ ſaltus convenite ad devorandum, ſic omnibus procurationem opulentiſsimam de anima mea, & præparavi & feci. Hæc quidem dicenda ſunt ab homine habente conſcientiam, quòd omni genere vitiorum, & peccatorum ſe maculaverit. Vix autem eſt

E peccator, quantùm capio qui non multas catervas dæmonum de animâ ſuâ ſpiritualiter paverit, multaque eis convivia de illis fecerit. Dum me ipſum laudabam, quid faciebam domine Deus meus? Nunquid non flatu oris mei lucernam ſanctitatis tuæ extinguebam, & cor meum, lampadem ſcilicet quandam Spiritus ſancti, ipſemet inſufflans extinguebam? Cui morti non ſemper patuerunt feneſtræ domus meæ, ideſt oculi, ſimiliter, & aures? Quàm parata fuit lingua mea ad ſtultiloquia, & maliloquia, quibus anima extingueretur? Quàm paratæ manus meæ, cæteraque membra corporis mei, ad exhibendum ſe arma iniquitatis peccato? Quàm plenum fuit os meum ſemper amaritudine, & dolo? Quis unquàm mihi, quod diſpliceret locutus eſt, & non paratiſſimum, ac copioſiſſimum me invenit ad reſpondendum ei deteriora, ac ſi ad uſuras graviſſimas reciperem, quæcunque mihi bona, vel mala F dicebantur vel fiebant: Domine Deus meus quantò maiora, quantò pluta, quantò deteriora reddidi maledicentibus mihi, & malefacientibus, ſi reddere potui talia? Sin autem, volui ſaltem. Domine Deus meus unde mihi tanta pronitas tanta mihi promptitudo in omni genere mortis animæ meæ? Unde mihi amores, & deſideria cujuſcunque mortis animæ meæ, cui furioſa fuit tanta voluntas? Fuit inquam transfodiendi ſe in omnem ignem & aquam, & in omne mortis periculum. Domine Deus meus vita mea, & ſalus mea, quid videbam in te, vel ſentiebã ex te, ut tantis ſtudiis, tantis inſaniſſimorum deſideriorum ardoribus quærerem diſcedere à te, & in mortem meam ire? Domine Deus meus delitiæ tuæ ſunt eſſe cum filiis hominum, delitiæ tuæ erant eſſe mecum; ego verò diſcedebam, ac fugiebam ac ſi mors mea eſſet eſſe tecum, & mortifica inſequebar, G & ad ea currebam, eiſque adhuc inhęreo, ſi ipſa vel eſſent, vel ſint adhuc in vita mea. Clamabat ad te ſanctus David: Ne diſcedas à me, ne diſceſſeris à Pſal. 37. me. Proculdubiò cognoſcebat te eſſe vitam ſuam, cujus diſceſſum, & elongationem ſic ſe formidare oſtendebat ſed propter quid dicebat ne diſcedas à me, an eſt hoc poſſibile ut immedietas pietatis, & dulcedinis tuæ permittat hoc ut diſcedas à quocunque, vel deſeras ipſum? Tu enim dixiſti jam pluries: Et primus, & noviſſimus in diſceſſu. Primus es enim in diligendo & adhęrendo, atque appropinquando nobis. Non enim deſeris nos, niſi priùs deſertus es à nobis, ſcilicet ſolummodò poſtquàm nos elongaverimus à te ſicut dixiſti per os David; Ecce qui elongant ſe à te, peribunt. Quid ergo eſt, Pſal. 72. quod clamat ſanctus David: Ne diſcedas à me, ne Pſal. 37. diſceſſeris à me, & ne elongeris à me, cùm hoc nun- H quàm ſit piiſſimæ voluntatis tuæ, videlicet ut nos alij deſeras, vel relinquas? Hoc inquam clamabat, ut tu ipſum conſervares, & ut ipſum te abjicere non permitteres. Ac ſi diceret: Conſerva me mihi, & me tibi. Niſi enim cuſtodieris civitatem, fruſtra vi- Pſal. 126. gilat qui cuſtodit eam. Quid ergo domine Deus meus decepit me, quid illuſit mihi, quid ſuaſit mihi tam infœlix commercium, tam mortiferam commutationem, ut te vitam, & gloriam commutarem in mortem peſſimam iſtam, ut ſcilicet te vitam meã, & ſalutem deſererem, & mortem iſtam viliſſimam, atque turpiſſimam amplecterer? Domine Deus meus non erat voluptas illa utique veri nominis, ac veræ rationis, ſed fallax, & fallacia, & ab ebrio dormiente ſomniata. Priùs igitur inebriavit me, & ſoporavit cogitatio tentationis, inebriatum verò, & dormientem facile fuit in iſtud tam fantaſticum, tã noxiæ illuſionis illidere. Propter hoc vigilantiſſimè nobis vigilare pręcepiſti domine Deus meus. Parum namque differt dormiens à mortuo: Nihil enim

enim ſenſus habet, aut virium, ligatus eſt ſenſus interior, & omnes vires corporis. Domine Deus in A iſtam impotentiam duxi me, ut nihil poſſim horâ dormitationis,& ſomniationis iſtius contra hoſtem, vel adverſarium meum. Vires, quas ex virtutibus, & donis tuis habebam, & arma etiam projeci, nec auxilium tuum invocavi, qui promptiſſimus adjutor es omnibus invocantibus te in veritate. Hoc utique facere debuiſſem, & antequàm irrueret in me iſta tentatio, & in ipſo etiam tentationis initio. Ego verò miſerrimus, atque viliſſimus, & omni bono indigniſſimus, omni damnatione, & morte digniſſimus, omninò me averti à te, & in iſtum infernalem lethæum fluvium voluptatis mortiferæ me immerſi Domine Deus meus ac ſi vera voluptas eſſet, quæ me ad lethargiam ſpiritualem iſtam induxit, in illa comparatione ſuavitatis tuæ, & compaſſionis jucundiſſimæ, ac vivificæ ſocietatis,& habitationis B tuæ. Abſit enim (ut ait ſanctus, & ſapientiſſimus Aug.) ut tanta delectatio ſit in vitiis, quanta in virtutibus. Si placuit voluptas, ubi eam inſaniſſimus quærebam, ubi quærere illam debebam, niſi in te fonte unico ſuavitatis incogitabilis? Miſerrimus ego, & inſaniſſimus corrupi palatum cordis mei, infeci ipſum, & indui ipſum ſpurcitiâ ſomneitatis iſtius,& illuſoriæ voluptatis. Deſiit ergo mihi ſapere vera ac pura, & perpetua bonitas, deſiit mihi ſapere multitudo dulcedinis tuæ domine. Quia ſicut dicit Aug. verbum hoc exponens: Ei ſoli ſapit, qui palatum cordis non perdidit de febre iniquitatis. In hoc profundum mortis me immerſi, & non percipiebam, quæ in eis ſunt. Cùm ſpiritu præditus eram, & de illo vivebam, ſpiritualis exiſtebam, C & dijudicabam omnia; tunc non erat carni, vel diabolo locus deceptionis, vel illuſionis, tunc enim verè vigilans eram interiùs. Vigilia verò ſomnia non ſolùm non admittit, ſed etiam prorſùs exterminat, & excludit. tunc certiſſimum erat mihi, certiſſimam, puriſſimam, vivificamque. & ſuper omnem cogitatum eſſe bonitatis tuæ ſuavitatem, & omnem aliam, etiamſi vera eſſet, abominationem eſſe horrificam. Sic me inſaniſſimus ipſe in mortem dedi, extinguens in me ſpiritum vitæ, id eſt inſpirationem ſanctiſſimam, quâ ex te vivebam. Et ex hinc factum eſt mihi, ut mors ipſa delectabilis mihi ſit, & placeat mihi; & vera vita, qua tibi conjunctiſſimus adhærebam, mihi non ſolùm moleſta, ſed intolerabilis ſit, quæ perverſitas, quæ major inſania cogitari poſſit Domine Deus meus? Si ſuperbia mors mea eſt, per quemcunque ex ramis ipſius, quæ mors turpior, & vilior eſt, aut ridiculoſitate ei comparabilis? Cùm enim ſola vita humiliationis noſtræ ſub omnipotenti manu tua nos tibi ſola conjungat, & ſociet, D proculdubiò ſuperbia eſt, quæ nos à te ſeparat, qui vita vera, ac beata es animarum noſtrarum. Quid enim ſuperbire eſt niſi ſuperire? quod eſt ire de imo ſervitutis, ultimæque ſubjectionis, quâ Deo ſubeſſe debemus, in ſublime vaniſſimum, ac falſiſſimum, quo aliis hominibus ſupereſſe volumus, ac præeſſe? Quo quid ridiculoſius cogitari poteſt? Propter quod ſapienter ait ſapiens Seneca, dicens: Si videres murem unum dominari cæteris muribus, rium teneres? Quapropter cùm nihil ampliùs habet mus homo, quantùm eſt ex natura, & conditione ſuæ ſpeciei, quàm aliquis aliorum, contra jus,& legem naturæ eſt, ut velis aliis hominibus dominari. Quia ſi quid ſcientiæ, vel poteſtatis, vel alterius cujuſcunque excellentiæ, cuiquam à creatore donatum eſt ei, aliis in eo ſervire tenetur, & nullatenus appropriare ſibi illud debet. Quare manifeſtum eſt, furti illum reum effici, qui tale donum, quod indubitanter publicum eſt, ſibi ſoli appropriare præſu-

mit. Hujus autem exemplum habes evidentiſſimum in viſu, auditu, & in unoquoque officiorum aliorum, quibus membra ſingula prædita ſunt. Non enim licet, vel poſſibile eſt naturaliter, oculis appropriare viſum ſibi, qui utique datus eſt eis, vel potiùs impoſitus, tanquàm officio, non propter ſe, ſed propter totum hominem, atque totum corpus, ut dicit Greg. ſuper Ezech. Quia ſic ſe habet & de lumine ſcientiæ, quia nulli ex ſapientibus propter ſe ſolùm datum eſt, ſed propter corpus Eccleſiæ Dei. Diſpenſatio igitur ſola luminis iſtius tradita eſt unicuique ex doctoribus ſacris; quapropter manifeſtum eſt quanti furti, immò quàm exectabilis ſacrilegij rei ſunt, qui lumen ſcientiæ divinalis ſibi appropriare præſumunt. Puto autem hanc eſſe cauſam, propter quam periit plerunque ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentium, vel prudentię potiùs, abſconditus eis, quia benigniſſimus Deus in omnibus donis ſuis vult habere prudentes,& largos, atque liberos diſpēſatores, non ſacrilegos, & avaros raptores. Non igitur mirum eſt ſi furibus, & latronibus tam pretioſa dona ſua communicare, vel credere non vult Deus. Jam enim edocti ſumus ex parabolis Evangelicis, quia ſervis fidelibus multiplicat dominus talenta tradita. Manifeſtè igitur video te illuminante domine Deus meus quàm juſtè deſeris ſuperbientes in donis tuis, & utentes his táquàm ſuis. Deſereris ab eis pro eo, quod ſuperbiunt contra te, id eſt ſupereunt à diſpenſatione donorum tuorum ſibi tradita in dominium, immò in rapinam, ea uſurpantes,& appropriant ſibi, in quo non ſolùm tibi injuriantur, miniſterium tuæ diſpenſationis abjicientes, ſed etiam toti corpori Eccleſiæ, cujus bona omnia per rapinam ſacrilegam ſibi uſurpant, & appropriant. Hi in Abbatia Dei, in qua ſanctorum Chriſtus dominus Deus Abbas eſt, in qua ſanctorum communis regula eſt & communicatio Sancti Spiritus uniendi officium, proprietarij ſunt effecti, & non communicantes bona omnia, & ſic excommunicatis tam impiè communicantes, excommunicati ſunt, & à communione vivi corporis myſtici tui, quod eſt Eccleſia, ſeipſos ſuâ perverſitate reddunt alienos. Et propter hoc vitam, quam de communione ſanctiſſimi corporis hujus accipiebant, & participabant, ſibimetipſis auferentes, membra quoque à proprio corpore ſeparata ipſa ſeparatione moriuntur, & areſcunt. Et à te igitur vita vera animarum Deus meus, & à corpore ſacratiſſimæ Eccleſiæ tuæ, quam ſpiritus tuus vivificat, & regit, me ſeparavit iſta ſuperbia pariter & avaritia. Quapropter domine Deus meus, ſi feci iſtud, et ſi eſt iniquitas in manibus meis, ego ſolus ſum author mortis meæ, & verus homicida mei ipſius. Quàm juſta eſt damnatio ſuperborum & quàm rectum, & quàm æquum, quàmque per omnia laudandum judicium tuum de ipſis? quàm juſta deſertio quâ eos deſeris, & ſibimetipſis relinquis? quàm magna eſt ira tua, dum eos ſibi ipſis dimittis, neque enim ſævior poteſt eſſe furioſus inimicis, quàm ipſe ſibi ſit. Non poteſt enim eſſe furioſior inſidiator, nec vigilantior procurator mortis, quàm ipſe ſibi domine Deus meus. Non poteſt furioſus carnifici crudeliori tradi, quàm ipſe ſic ſuis manibus peſſimis, ſæviſſimiſque traditus eſt furioſus, ſibi ipſi ſic relictus. Domine Deus qui vidit, vel videre poteſt inſanias deſerentium te, & recedentium à te, niſi cui tu ipſe illuminaveris, eaſque revelaveris? Domine Deus meus, quàm amara eſt mors iſta, quâ ſe à te vita abrumpit tam obcæcatiſſima anima furioſa, cujus amaritudo ſi ſentiretur, nemo in illam ſe injiceret, nemo à te jucundiſſima vita abrumpere ſe vellet. vel etiam poſſet. Quis enim guſtare poteſt (ut ait ſanctus Job)

Digitized by Google

quòd guſtatum affectat mortem? Talia ſunt mortiferæ voluptates, taliaque venena, quæ inſipientiſſimis animabus propinat diabolus. Domine Deus meus ſi ſentiri poſſet amaritudo mortis, quis eam non horreret? Quis eam virium ſuarum conatibus non declinaret, & fugeret? Domine Deus meus ſi ſentiretur præſentiæ tuæ ſuavitas, & inhabitationis tuæ in animabus, in quibus es, vivifica jucunditas, quis ſe à te abrumperet, & ſeparari pateretur? Hæc igitur eſt mors peccatorum peſſima, quæ quaſque animas peccantium mortificat ut ſenſus in eis ſpirituales, & propter hoc ſe ipſam cùm amariſſima ſit, atque duriſſima, ſentire non ſinat. Domine Deus meus credunt ſe ſuaviter vivere, qui tam amara, acerbiſſimaque morte hujuſmodi, vel mortui ſunt, vel moriuntur. Domine Deus meus iſta morte me transfigit atque transverberat gladius vivificus verbi tui, & mentis viſceribus meis illam infigit, dum ipſam in cor meum tam patenter impingit. Domine Deus meus quàm deſiderabiliter omnipotentis virtutis, & prædulcis miſericordiæ tuæ, eſt miraculum, cùm gladio verbi tui mortem iſtam per eandem ipſam mortificas, expellis atque diffugas ab animabus, quas ſuperabundantiſſimæ pietatis tuæ dignatione placet vivificare. Sufficere deberet, & ſuperabundare etiam mors iſta ad abſterrendos, & diffugandos peccatores ab ipſa, ſufficere deberet gladius acutiſſimus ac vivificus verbi tui, ad transfigenda & digladianda corda ſic mortua. Verùm quoniàm docuit ille ſanctus, & ſapientiſſimus Greg. quia gratiam compunctionis ſuper omnia provocat, atque procurat prævisio inferni, tentabo gladium iſtum acuere morte illa, & malis illis noviſſimis pœnalitatis illius incogitabilis. Dico igitur ô inſaniſſime peccator qui nondùm diſcedis à morte iſta tua peſſimâ, nondùm reverteris ad Deum beatiſſimam vitam, jucundiſſimamque ſalutem tuam, qua dementiâ non times à facie gladij, quam vibravit ſuper te omnipotentiſſimus, qui capiti tuo impendit? A quo non eſt poſſibile protectionis armaturam eſſe, neque ullum effugium, quare te non transverberet, & in fruſta concidat cor tuum timore horribili, & terrore inaſſecurabili. An oblitus es quia ex ore ſedentis in throno vel regno omnium ſæculorum procedit gladius ab utraque parte acutus, quod eſt dicere, & animam & corpus morte perpetua transfigens? procedit inquam jam digladiaturus, ſive cæſurus. Hic eſt gladius elimatus, ut ſplendeat ad inſtar fulguris, & acutus, ut cædat victimas, juxta ſermonem Ezech. Procedit igitur incomparabiliter majore rapiditate, quàm fulgur deſcendit ſuper te vibratione omnipotentis Dei, manus Dei ferientis, & nec dum timore concideris, nec dum dolore ſcinderis, quâ audaciâ, vel ſecuritate ſpectas ſagittas arcus divini judicij
Pſalm. 7. contra te extentiſſimi, vel intentiſſimi? Si quidem arcum ſuum tetendit Dominus Deus, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis æternæ, quæ ſunt ſententiæ juſtiſſimi judicij ipſius, mortem irrogantes æternam omnibus illis, qui non fugerunt à facie arcus iſtius. Et tibi inſaniſſime dat etiam per me nunc ſignificationem, ut declines, & fugias à facie arcus iſtius. Ego enim clamo tibi quantùm poſſum, declina, fuge ſagittas iſtas contra quas nulla eſt armatura protectionis, à quibus ſolâ declinatione, & fugâ effugitur. Quis hominum, vel etiam animalium euſque deſipuit, vel inſanivit, ut, tanquàm ſignum ad ſagittam poſitum ſagittas expectare auderet? Quis gladium capiti ſuo impendentem non expavit? & præſertim gladium tam fortem ferientis Dei, tam dirè concidentem non expavit. An ignoras ô miſer omni damnatione, & morte digniſſime, quia non eſt tibi defenſio, vel evaſio, vel adjuto-

E rium contra Dei ferientis vindictam, & quia non tibi protectio, vel refugium, eſt contra iram ipſius? An ignoras, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viventis, & irati? juxta ſermonem Apoſtoli. Non times ignem illum æternum, flammas inextinguibiles, & ardores ſempiternos, de quibus dicit Dominus per Iſaïam: Quis ex vobis habitare poterit cum ardoribus ſempiternis? Terribilis namque eſt expectatio, judicium, & æmulatio ignis, quæ conſumptura eſt adverſarios, ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræos decimo. Si terribilis eſt, quæ, & unde tibi ab eâ ſecuritas? Aperi oculos cordis tui ô miſer, & vide, quia non ſolùm minatur tibi infernus intentans tibi omnia tormenta ſua, ſed etiam omnipotens Deus minatur & de ſe, & de creaturâ ſuâ, & etiã de toto mundo. Sap. 5. Ibi enim expreſsè legitur de omnipotenti Deo, quia accipiet armaturam ze-
F lus illius & armabit creaturam ad ultionem inimicorum, induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, acuet diram iram in lancea, cùm pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Et multa alia ibi de his evidenter minatur, videlicet de creaturis ad ulciſcendas injurias, & contumelias, quas inſenſati, & impij irrogaverunt creatori. Creaturæ armabuntur, & excandeſcent adverſùs eos, ſicut legitur Sap. 16. ubi dicit, quia creatura tibi factori ſerviens excandeſcit in tormentum adverſus impios. Hæc eſt pluvia belli de quâ dixit Sapiens, & Sanctus Job: Donec pluat ſuper illum Deus bellum ſuum. Times à ſcintillâ permodicâ ignis corporalis, & non times ab ardoribus immenſis, & ſempiternis. Times à morſu pulicis unius, & non times ab ira, quæ conſumptura eſt adverſa-
G rios: Nunc miſerrime, & fuge, dum & timere ſaluberrimum eſt, & fugere tibi poſſibile: Et patet tibi ille copioſiſſimus miſericordiæ Dei ſinus ad tutiſſimum refugium. Quòd ſi dixeris mihi, non poſſum timere, ubi, vel unde accipiam ſecuritatem vel inveniam: Reſpondeo tibi, & replico contra te, ubi inveniſti, vel unde accepiſti ſecuritatem quaſi liber, & immunis ſis à ventura ira: Cùm iſta maxima terribilia ſint inter mala pœnalia, quâ dementiâ dicere potes, quia non tibi timor eſt à facie illorum? An non innatum eſt hominibus, & alijs animalibus timere, & fugere à facie malorum ſibi imminentium, & præſertim mortis, & mortem inferentium? Hoc enim jus naturæ eſt, quod videlicet natura omnia animalia docuit timere, ſcilicet & fugere à noxiis atque pœnalibus, & à morte potiſſimùm. Quòd ſi adeò pœnalia, adeòque noxia mala timorem tibi incutere non ſufficiunt, incutiat tibi pudorem ſaltem opprobrium illud ſempiternum, quod nullâ oblivione delebitur. Ingerat tibi confuſionem ſpectaculum illud ignominiæ, & confuſio-
H nis univerſalis, in qua omnes fœditates tuæ, omnes turpitudines tuæ, omnia pudenda tua, quod eſt dicere omnia ea, quorum aſpectus tibi erubeſcendus eſt, patebunt omnium vivorum, & mortuorum oculis. Erubeſce ſaltem in conſpectu inimicorum tuorum apparere tam vilis, tam ignominioſus & deſpectabilis. Quid loquar de curia totius cœleſtis conſpectus, & innumerabilium exercituum, ſed & totius Eccleſiæ ſanctorum, qui cum Chriſto regnaturi ſunt? Miſer, & inſaniſſime, quâ impudentiâ ferre poteris præ confuſione tantum, & tantæ ignominiæ ſpectaculum. Ipſum verò aſpectum terrificum omnipotentis judicis, qualiter poteris ſuſtinere, qui modò vix ferre potes faciem ſacerdotis unius audientis in confeſſione peccata tua? In aſpectu nanque judicis illius evidenter videbis immenſitatem, & innumerabilitatem ingratitudinum, abominationum

Digitized by Google

minationum, iniquitatum, & injuſtitiarum tuarum monſtrificaſque, & horribiles voluptates, & fœditates tuas, quæ in nocte præſentis vitæ, etiam à diligentiſſimis perſcrutatoribus ſuis inquiſitæ ſunt. Tanta namque erit tunc claritas judicis, ut præ immenſitate claritatis ſuæ, tota monſtruoſitas noſtra, & omnia peccata noſtra, & vitia lucidiſſimè videantur. Denique attende, quantum erit tormentum intueri vultum illum terrificum irati judicis, quandò ipſe ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus Job petebat abſcondi in inferno, donec pertranſiret furor, & ira ejus. videlicet quæ apparebit in vultu illius, dum ſederit in judicio ferens ſententias æternæ damnationis in impios, & reprobos. A facie etiam ejus petebat abſcondi Job in inferno, vel ne videret adeò terrificum vultum ejus, vel ne videretur ab eo. Ejus aſpectus omni fulmine incomparabiliter terribilior eſt, ſicut dicitur per Prophetam Malach. Et quis ſtabit ad videndum eum? Ignis ſi quidem in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida rapiens in abyſſum teterrimam infernalem, & ſubmergens in mari amaritudinum æternarum omnes illos, qui in parte ſiniſtra coram judice reperientur. His, & hujuſmodi tantis malis, & jam jamque, quâ horâ nec ſcis, nec putas, tibi imminentibus, exacue verba Dei quibus omnia iſta reprobis omnibus comminatur. His jugiter contende, concide, & digladia duritiam cordis tui. Oblaturus igitur piæ, & ſanctæ orationis ſacrificium ignem, & gladium tibi aſſume ex his, & hujuſmodi, ſine quibus vix, aut nunquàm crematur, aut mactatur in oratione cor humanum Forſitan autem & alio percutiente alioque inflammante, & faciliùs, & citiùs immolabitur hujuſmodi ſacrificiū. Sunt enim ſacri doctores, qui norunt dirè, & durè percutere in gladio iſto, & iſtos ignes accendere in cordibus auditorum. Conſilio autem meo, tuipſe pertemetipſum facies in parte iſta, quod poteris, & nihilominùs auxiliis ſacrorum doctorum, & prædicatorum, juxta quod dixi, uteris.

CAPUT LII.

De lucta animæ in oratione.

POſt hæc proſequar in oratione ea, quæ ei accidunt, per hoc, quòd ipſa eſt lucta cum Deo ſeu contra Deum. Et hoc inſinuatum eſt nobis in lucta Jacob, qua luctatus eſt cum viro, ſeu Angelo, in qua ei apparebat Deus: ſicut legitur Gen. 32. qua lucta extorſit ab eo, ſi fas eſt dicere, benedictionem, propter quod dicitur ibi, quia dicit Deus ipſi Jacob: Quòd ſi adversùs Deum fortis fuiſti, quantò magis adversùs homines prævalebis? Nec prætereundum eſt tibi, quia lucta iſta de nocte facta fuiſſe ſcribitur, propter quod ceſſante aurora dicit Angelus ad Jacob. Dimitte me, quia jam aurora eſt. Cauſa autem in hoc eſt quia nox, ſive nocturnum tempus convenientius tempus eſt orationi, ſive luctæ, quâ luctandum eſt cum Deo in oratione Et hujus duæ ſunt cauſæ, ſcilicet quies & ſolitudo. Quies quidem, quia oratio cor liberum, & quietum requirit ab aliis actibus, & occupationibus, ſicut ſcriptum eſt de rege Joſaphat, qui timore perterritus totum ſe contulit ad orandum Dominum. Non enim corde dimidio, aut quolibet modo partito orandus eſt Deus, ſed exemplo Salomonis Sap. cap. 8. Ex totis præcordiis meis dixi, da mihi ſediū tuarum aſſiſtricem ſapientiam. Et David: Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Neque enim fortiſſimum
Pſal. 118. contra Deum luctari niſi totis viribus conveniens eſt. Nec tu ignoras, quia ad comparationem fortitu-

A dinis Dei altiſſimi nullæ ſunt vires humanæ: Non enim eſt fortitudo contra Deum, ſic t dicit Salom. in lib. Proverb Totæ igitur vires tuæ colligendæ tibi ſunt, ſi vis fortis eſſe in lucta hujuſmodi contra Deum: ſic & ſolitudo luctæ iſti, videlicet orationi, convenientiſſima eſt. Ipſe enim hoc docuit in Evangelio Math. 6. ubi docet nos orare in abſcondito, & clauſo cubiculo, non ſolùm propter hoc ut inanis gloria declinetur, ſed etiam ne corda noſtra rapiant ad ſe, qui circunſtant, & nos nobis excutiant, ſicut dicit Seneca de ſe ipſo. Hodie inquit miſericordiæ ſunt, nemo pulſat ad oſtium meum nemo cortinam trahit. Nihil quippe nobis faciliùs executitur, quàm noſipſi, nihil relinquit nos faciliùs, nihil contrariatur nobis faciliùs, quàm cor noſtrum. Hîc ergo reminiſcendum eſt tibi eorum, quæ audiſti de luctandi peritia, ſeu de aſtutiâ, & de ipſa fortitudine. Quidam enim in iſtâ luctâ, & vix câ cœptâ ſtatim cadunt, & dejiciuntur deficientes, nihil laborioſius & moleſtius reputantes, quàm ipſum orare. Cauſa autem in hoc eſt levitas, & lubricitas cordis eorum, ignorantiaque paupertatis, atque defectuum, necnon & bonorum, quæ per orationem obtinentur, atque malorum quæ per illam avertuntur Quibus malis accedit & illa alia ignorantia, quâ neſciunt imperiti Deum paratum eſſe ad audiendum deſideria, & voces ſupplicantium. Quis enim euſque fatuus vel indignans eſt, ut Deo præbente aures, non ei totâ aviditate loqui vellet? Saluberrimum autem conſilium eſt, orationi aſſueſcere, & cor ſuum ab hujuſmodi levitate, & lubricitate avertere atque ad ſtabilitatem reducere. Ipſa nanque luctandi aſſuetudine mirabiliter adjuvatur gratia luctationis iſtius. Præſtatur etiam robur per eam ad luctandum. In præcedentibus verò ubi de oratione inquantùm eſt vitulus labiorum, locutus ſum, expo-
C ſui tibi ſex fortitudines orationis, tanquam quædā ſex oſſa vituli hujus. De peritia quoque, & aſtutiâ luctandi tria didicimus à ſenſu, & experientiâ. Quorū primū eſt elevatio adverſarij ſuper humeros proprios. Cū enim luctator euſque potuit, ut adverſariū ſuū ſuper humeros levaverit, facile eſt ei portare ipſum atque dejicere. Hoc autē nō fit niſi per humiliationem, quâ ſemetipſum ſupponit luctator adverſario, ſive ſupponit eundē ſibi. Quo artificio ſemper utendū eſt in luctâ iſtâ adverſùs Deum. Propter hoc igitur videlicet dictum: Humiliamini ſub potenti manu Dei. Hoc artificio uſus fuit Rex Achaz, auditâ comminatione Dei per Prophetā, qui cōminatus fuit, & quod demeteret poſteriora ejus, & non relinqueret de ſtirpe ejus mingentem ad parietē. Recurrebat
D igitur ſtatim ad artificiū illud, quod humilitatis eſt proprium. Humiliavit enim ſe in conſpectu Domini Et propter hoc (ſi fas dicere) in lucta orationis vidit Dominum, propter quod dixit Dominus, quia humiliatus eſt in conſpectu meo Rex Achaz, non inducam malum hoc quod locutus ſum contra Achaz in diebus ſuis. Hanc aſtutiam inſinuavit nobis Eccleſ. in ſermone, quem in præcedentibus audiviſti, quo dictum eſt: Oratio humiliantis ſe &c. ſicut igitur noſmetipſos exaltando ruimus, ſic Deum exaltando, & noſmetipſos humiliando, quaſi ſuper ipſū in luctâ iſtâ exaltamur, & victores ejus efficimur. Nō enim alia via eſt, vel artificiū ſubjiciendi nobis Deū, quā ſubjiciendo nos eidem, quod ad ſubjectionē, & obedientiam non inconvenienter refertur Efficitur enim Deus omnipotens obediens obedientibus ſibi, ſicut ſcriptum eſt de Joſue in libro ejuſdem: Steterunt igitur Sol, & Luna Deo obediente voci hominis. Ipſa etiam veritas in Evangelio dicit: In qua mēſura menſi fueritis, metietur & vobis. Et expreſsè beatus ac ſapientiſſimus Amb. quia nullius unquàm

Digitized by Google

erit Deus poſſeſſio, niſi qui ipſius Dei fuerit poſſeſſio. Amplius Nonne expreſsè dicit Apoſtolus ad Rom. 15. Dico Chriſtum Jeſum fuiſſe miniſtrū Circumciſionis Judaïci populi, &c. Quid autem eſt dicere aliquem miniſtrum quàm ſervum, vel ſervientem, & hoc de ſervitiis ipſius, quibus & ſervivit nobis, & officioſiſſimè ſervire paratus eſt. In ſermonibus exhortationum ad populos ſæpè oſtendi ex ipſis teſtimoniis ſcripturarum, quia non eſt ſervitiū ſpirituale, quo indigere poſſumus, quod ipſe nobis impendere dedignetur, quin potiùs, & interdùm renitentibus multa jugiter, ac quaſi violenter impingit. Secunda aſtutia in opere luctationis eſt ſupplātatio, per quam vel pes elubricatur, vel ſubſtramentum, ſive ſuſtentaculum cui pede vel utroque, vel altero innitebatur, ſubtrahitur. Cùm ergo contra te vitiis tuis & peccatis ſolis innitatur contra te, & adverſetur tibi Dominus Deus, ſubtrahe illi ſuppodiacula iſta, & cadere neceſſe habebit. Quapropter manifeſtū eſt, quia quicunque in oratione ſic cum ipſo luctatur, ut vitia, & peccata inibi deſerat, ſuppodiaculū ei ſubtrahit, & propter hoc ipſū cadere cogit. F Non habet enim unde ſtet, non habet fulcimentū, quo ſuſtēterur contra nos, cùm iſta ei defuerint, quæ quidem ſtatim, ut volumus, ei deſunt. Ipſa enim vitia noſtra, & peccata, ſi eā nos ei ſubtrahimus, ſtatim non ſolùm ruunt, ſed etiā pereunt. Non habet enim fundamentum, vel ſuſtentamentum, niſi noſipſos. Accidens enim non ſtat niſi per ſubjectum, vel ſuſtinens ipſum. Tertia aſtutia in operatione luctationis eſt ipſa fatigatio adverſarij. Et aſtutiā iſtā utuntur plerunque, qui agiles, & expediti corpore contra corpulentos, & ponderoſos corpore luctatores ſunt. Et hujuſmodi aſtutia non quidem per defectum laſſitudinis valet contra fortiſſimum Deum, G ſed per quādā ſimilitudinē; tanquàm enim fatigaretur clamoribus orantium, tanquàm deficeret, quaſi non valens eis reſiſtere, cedit, & ſuccumbit eiſdem. Exi citò (inquit Dominus ad Loth) de Sodomis: non enim potero ibi quicquā facere, donec exiveris inde, tanquàm præſentiā ſuā omnipotentiſſimam virtutē creatoris ligatam teneret. Et etiam oranti Moyſi pro populo, qui peccaverat adorando vitulum, dixit Dominus; dimiſi eis juxta verbum tuum, tanquā ipſum verbū tuum eſſet mihi regula operandi, quam mihi tranſgredi non liceret, vel mandatum urgentiſſimum, quod præteriri non poſſet. Similiter autē cavendū eſt tibi in luctā iſtā, ne debili, aut fragili *Nota.* fundamēto, aut fulcimento innitaris, quod ille proculdubiò facit, qui de meritis ſuis confidit, & tan- *Pſal. 35.* quàm meritis ſuis debita petit in oratione dona Dei. Et hic eſt indubitanter pes ſuperbiæ, de quo pete- *Pſal. 12.* bat David dicens: Non veniat mihi pes ſuperbiæ: H quo pede nullus fragilior, aut infirmior inveniri poteſt. Si vis ergo firmiter ſtare, & indejicibilis in luctâ iſta, innitere Domino, confide in ipſo, quia ut mons Sion, qui habitat in Hieruſalem, non cōmovebitur in æternū. ſic qui confidit in Domino. Ampliùs. Etiam ſublevatur, ſicut dicit Salo. in Prover. Qui confidit in divitiis ſuis, corruet: nimirùm quia vanitas & mendaciū ſunt, qui autem ſperat in Domino ſublevabitur. Quis enim ſperavit in te, & confuſus eſt? ſicut dicit Eccl. Job verò admirandæ confidentiæ: ſi occiderit, inquit, me ſperabo in eo, verūtamen in conſpectu illius vias meas arguam, & ipſe *Pſal. 17.* erit Salvator meus; David verò beatæ, ac fortiſſimæ *Pſal. 26.* ſpei, dicebat, Dominus firmamentum meum. Et iterùm: Si exurgat adverſùm me prælium, in hoc ſperabo. Per modum igitur omnem ſibi cavet à ruina & lapſu, qui totum ſe in Deum projicit, & totus ex pondere confidentiæ ſuæ incumbit. Propter quod dicit Aug. Solus vincit, qui de ſeipſo non

E præſumit. Neceſſe eſt, ut de victoria nihil ſibi ipſi arroget, vel aſcribat, quin potiùs neceſſe, ut ſolum Deum creatorem, & largitorem illius conſtituat. Accidit etiam plerunque in certaminē luctatorio, ut alter luctantium alterū etiam ſuo pondere ſolo dejiciat. Fit autem & in iſta ſpirituali lucta ad ſimilitudinem & proportionē illius hoc ipſum. Quemadmodùm enim qui ſolis viribus ſuis, aut meritis innititur Dei auxilio, & viribus ſeipſū privat, atque deſtituit; ſic qui de ſeipſo totaliter diffidit, & ſoli gratię atque miſericordię Dei innititur, & incūbit, adjutorium, & virtutem in ſe advocat, & trahit, ita *Nota.* ut Deus ei deeſſe nequeat. Propter hoc dixit ſapiens, & ſanctus Aug. Securè projice te in Deum, non enim crudelis eſt, ut ſe tibi ſubtrahat & te cadere permittat: ſicut igitur non eſt poſſibile miſericordiſſimo Deo crudelem eſſe in aliquem, qui miſericordiam ipſius ſperat; ſic non eſt poſſibile, ut ſe ſubtrahat alicui, qui ſe in illum projiciat. Jacta inquit David co- *Pſal. 54.* F gitatum tuum in domino. Et iterùm 1. Pe. 5. Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum: ſcientes quoniàm ipſi cura eſt de vobis. Per hanc igitur viam erit dominus tecū in lucta iſta, impoſſibile igitur erit te cadere ſub eo. Si enim quicquam habeas viriū ex te, adjunctis tibi Dei adjutorio, & viribus, neceſſe eſt eo fortior efficiaris. Quòd ſi etiam nihil habueris virium à parte tua, non tamen eo eris infirmior. cùm eædem vires & tibi, & illi ſint. Nemo autem dubitat cuique à parte ſua aliquid viriū eſſe, hoc eſt à parte liberi arbitrij. Et propter hoc omnis Eccleſia ſanctorū cœleſti magiſterio erudita, & inſtituta dicit: Deus adjuva me, quaſi non nihil de ſe poſſit, non enim adjuvari peteret à Deo, ſed potiùs totum ab ipſo fieri, quod fieri vellet. Et hoc eſt, quod dicit Aug. ſuper lib. Pſal. Qui petit adjuvari, aliquid de ſe facit, alioquin diceret proculdubiò totū fac Deus, nihil protſùs mihi reſervans, ſive relinquens faciendum, propter quod Apoſtolus, cooperatores Dei ſumus. Valet & in iſta lucta Dei mirabiliter aſtutia, vel prudentia potiùs virtutis humilitatis quę à ſe totam victoriæ gloriam prorsùs excutit, & nihil in ea juris habere ſe ſinceriſſimè confitetur coram illo ſed Deo totum, & attribuit, & aſcribit, & propter hoc totum certamen in ipſum impingit. Eidem enim ex neceſſitate debentur labor certaminis, & honor victorię. Quapropter dum dicit: Gloria, & honor victoriæ iſtius tua eſt: dicit eidem per conſequens: Igitur & virtus certaminis tui eſt, & labor ipſius. Et hoc eſt dicere. Luctare ergo & vince ipſe, cùm tibi ſoli debeatur gloria victoriæ, & tua ſit jure pleniſſimo, & ſingulari, quapropter & ipſa lucta. Luctare igitur contra temetipſum mecum, & pro me. Quòd ſi diceres, quid ergo tu ipſe facis de te, ſive per te, ſi lucta iſta tota mea eſt? Reſpōdeo in hoc, quia ipſa cooperatio mea, quę eſt cooperatio liberi arbitrij, dicitur etiam donum tuum eſſe. Omne namque bonum, ſive gratię, ſive naturę, ſive gloriæ, ſive fortunæ, ſive corporis donū tuū eſt: hoc etiam ipſum, quod gratiæ tuæ applico meū liberū arbitriū, & quòd eo utor, & ipſa tua gratia imperat, donū ſimiliter tuū eſt, & opus, atque beneficium. Quapropter non immeritò dixi, quia lucta iſta tota tua eſt, totaque ejus victoria.

CAPUT LIII.

Quomodò Deus per luctam orationis vincitur.

POſt hæc autem procedam ad proſequendum de oratione, ſecundùm quod ipſa eſt pugna contra armatum omnipotentiſſimum, atque invictiſſimum Deum. Et faciam te ſcire, quia oratione vincitur, capitur, ligatur, armaque ſua omnia ei auferuntur,

auferuntur, & ab ipſo orante captivus inde ducitur. & quamdiu vult ipſe orans, in vinculis ab eodem tenetur ipſe fortiſſimus Deus. Quia igitur jam audiſti ex præcedentibus, in libro Sapien. quia ipſe acuet diram iram ſuam in lanceam manifeſtum eſt tibi quia una ex armaturis ejus, dira ejus ira eſt, & quia ipſa eſt lancea ipſius. In iſtâ igitur pugnâ primùm frangenda eſt lancea iſta ipſius. Quod qualiter fiat docet te Salomon in Proverb. 15. Ubi dicitur tibi: quia reſponſio mollis frangit iram. Quæ autem reſponſio mollior excogitari poſſet contra diram iram ipſius, quàm reatus confeſſio, quàm pœnæ minatæ, ſive vindictæ, laudatio, quàm miſericordiæ humilis, & devota poſtulatio? quapropter qui ſic in oratione ſe habet, ſicque loquitur ad Dominum, proculdubiò frangit iram ipſius. Ipſemet namque
B dicit Math. 18. Serve nequam, nunquid non omne debitum dimiſi tibi, quoniàm rogaſti me? Quis autem dubitat remiſſionem omnimodam, fractionem iræ eſſe judicis quantumcunque irati? Non enim poteſt ex ira, ſive per iram quicquam contra peccatores poſtquàm totum remiſerit eiſdem, ſicut neque per lanceam confractam ſive contritam. Addiſce, & pone in intimum cordis tui peritiam iſtam, & providentiam, per quam diram Dei lanceam & con-
Sap. 5. d. fringere ſcias, & poſſis. Alia armatura ejuſdem thorax eſt, & hæc eſt juſtitia, ſicut legitur in eodem capitulo, ubi dicitur: Accipiet pro thorace juſtitiam. Hanc etiam armaturam eidem auferre potes, ſi juſtitiâ te indueris vel armaveris contra eum. Jam autem edoctus es ex his, quæ præceſſerunt, quia pœ-
C nitudo, ſive pœnitentia, juſtitia eſt; & quia juſtitia quædam eſt, per quam pœnitens ſemetipſum juſtificat accuſando ſe, & allegando contra ſe, & teſtificando contra ſe, & ſententiando contra ſe, quod eſt dicere, condemnando ſe & reum æternæ damnationis pronunciando ſe, & deinde torquendo ſe cruciatibus pœnitudinis, & doloribus compunctionis. Te igitur in oratione thorace juſtitiæ iſtius armato, neceſſe eſt Deum juſtitiam ſuam deponere & inermem ab hujuſmodi juſtitiâ ſe penitùs exhibere. Nihil enim habet juſtitia ejus contra ſic juſtificatos. Et ſi quid contra eos aggrederetur, & injuſtè, & iniquè hoc faceret. Quoniàm ſecundùm hoc juſtitia ſua juſtos impugnaret, & juſtitiæ pro viribus impendentes, & operam dantes, moleſtaret. Ampliùs. Poteſt iſte, ſalvâ juſtitiâ, juſtis non favere? Ampliùs. Secundùm hoc juſtitia bellum haberet contra ſe Juſtitia namque, quam prænominavi, ſtudioſiſſimè pugnat contra injuſtitias, quoniàm, & contra omnia vitia, & prædicta, quæ ſunt inimica maximè
D juſtitiæ Dei. Quare in parte iſtâ ex parte juſtitiæ eſt iſta juſtitia, & propugnatrix illius contra capitales inimicos ejuſdem. Non poteſt igitur juſtitia Dei pugnare contra illam, neque adverſari ullo modorum eidem. Quapropter non poteſt eſſe armatura aliqua contra illam; omnis enim armatura contra illum eſt, illumque impugnat, cujus hoſtem armat. Tertia verò armatura Dei judicium rectum
Sap. 5. eſt, & galea eſt ipſius, ſicut in eodem capitulo legi-
Pſal. 96. tur, ubi dicitur: & accipiet pro galea judicium rectum. Tu ergo dijudica te ipſum judicio recto de quo dicitur in Pſal. Juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus. Et iterùm primo Corinth. undecimo: Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Aſſume tibi igitur judiciũ rectũ iſtud, & tũc otioſè, vel ſupervacuè aſſumet iſtud ſibi Dominus, quod neque decet ſapientiſſimam ejus bonitatem, neque etiam poſſibile eſt, quicquam otioſum, vel inutile eſſe apud ipſum. Ampliùs. Te aſſumente hujuſmodi judicium, nihil ei judican-
Ibidem. dum relinquitur in te, ſicut audiviſti ex teſtimonio Apoſtoli primo Cor. undecimo, dicentis: Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Quapropter te faciente de temetipſo hujuſmodi judicium, neceſſe habet ipſum deponere in parte iſta officium judicantis, ſeu judicium rectum. Quare quàm citò aſſumis tibi judicium hujuſmodi faciendum tibi de temetipſo, tam citò aufers ei galeam *Sap. 5.*
iſtam. Quarta armatura ejuſdem eſt æquitas, ſicut in eodem capitulo legitur: Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem. Si igitur vis ei auferre ſcutum iſtud, depone iniquitates tuas, quod eſt dicere, deſere eas, & abſtuliſti Deo ſcutum iſtud. Ubi enim nulla eſt iniquitas, nulla eſt Deo armatura neceſſaria contra iniquitates. Quia igitur æquitas non armat eum, niſi contra iniquitates, nec poſſibile eſt ut armetur contra eas, niſi æquitate, manifeſtum eſt depoſitis iniquitatibus tuis, Deum non poſſe habere ſcutum hujuſmodi contra te. Quapropter in iſta pugna orationis abſque ſcuto iſto eum facies, ſi ab iniquitatibus tuis averſus fueris. Verum eſt, quod dicit ſanctus Job de eo: Iniquitatem proponit contra me. De confidentia innocentiæ, & bonæ conſcientiæ ſuæ hoc dixit intelligens Deum non poſſe ſcutum æquitatis ſuæ obtendere, vel opponere, niſi contra iniquos, & iniquitates eorum, à quibus immunem penitùs & nudum ſe ſentiebat ſanctus iſte. Ac ſi ergo intenderet, quia ſcutum iſtud deerat Deo contra ipſum, dicit iniquitatem proponat
contra me, quaſi diceret, armet ſe ſcuto hujuſmo- *Pſal. 7.*
di ſi habet. Quia verò gladium, & pharetram, ex utraque parte, acutum in Pſal. legitur habere, & arcum ipſum intendiſſe, & gladium vibraſſe expreſsè legitur, non ſunt prætereundæ iſtæ duæ armaturæ. Sciendum igitur eſt tibi arcum Dei non eſſe niſi judicium ipſius, & in eo velut chordam eſſe miſericordiam, ſive pietatem ipſius, lignum verò fortiſſimum rectitudinem juſtitiæ ipſius. Quemadmodùm ergo in arcu literali ſive materiali, per chordam lignum à rectitudine ſuâ flectitur, & curvatur, ſic juſtitiæ divinæ rigor à meritis pœnis, ſive vindictis, ultra quàm cogitare ſufficiamus, temperatur, atque lenitur. Sagittæ autem, quæ ex arcu iſto emittuntur, ſive trajiciuntur, ſententiæ judiciariæ ſunt, nullâ armaturâ protectionis repellibiles, ſeu retrorsùm reverſibiles, ſicut legitur de ſagitta Jonathæ, quòd nunquàm converſa eſt retrorsùm. Et hoc intelligo de noviſſimis judicij ſententiis, contra quas, nec appellatio, nec ſupplicatio quicquam poterit. Aliæ namque per hoc plurimùm ſententiæ vel eliduntur, vel evacuantur, & de modis quibus hæc fiunt in ſermonibus, exhortationum popularium inceſſanter per me audire potes, ut de aliis taceam. Et quemadmodùm arcus quantò magis per chordam curvatur, tantò fortiùs ſagittas trajicit, & duriùs percutit; ſic in illos, quibus major miſericordia ſive tolerando, ſive aliàs benefaciendo impenſa eſt, duriores ſententiæ judicii emittuntur. Quia ergo (ut prædixi) arcus iſte eſt judicium, & jam audiviſti qualiter eidem auferas arcum ſuum, ſi ad hoc intendere ſciveris, & volueris ut arcum ſuum confringas, hoc proculdubiò facies, ſi tibi juſtitiæ rectitudinem contra te ipſum aſſumpſeris. Te enim rigorem juſtitiæ contra temetipſum exercente, nihil ei de rigore illo reliquiſti, quare vel arcum iſtum confregiſti, vel ipſum Deo abſtuliſti. Chordam ſi quidem miſericordiæ ipſius non eſt opus tibi, ut vel rumpas, vel minuas, vel aliquatenùs lædas: illa eſt enim, quæ in pugna iſta te maximè adjuvat, & per quam ſolam in ea ſtas, & pugnas. Gladius verò ex ore ſedentis in throno ex utraque parte acutus exiens ſententia ipſa quam ore ſuo ſacratiſſimo locuturus eſt in extremo judicio, rectiſſimè intelligitur. Quapropter hic gladius ex utraque parte acutus

Digitized by Google

dicitur, quoniàm, inſtar gladij acutiſſimi & animam, & corpus morte æternâ perempturus eſt. Hunc igitur gladium eidem auferes, ſi gladium pœnitudinis, aut diſciplina contra temetipſum aſſumis, & vindicare in temetipſo, quas irrogaſti, Deo injurias, & contumelias, viriliter proponis, atque diſponis: neque enim habebit, quo te percutiat, ſi te percutientem viderit ex zelo pœnitentialis juſtitiæ temetipſum. Confidenter igitur dic ei: mitte gladiū in vaginam tuam, quia ego evaginavi eum. Potes & per aliam viam auferre eidem gladium iſtum, dicens ei, quia gladius ultionis ſive damnationis gladius eſt ſolius juſtitiæ, nec in eo potes percutere, niſi ubi potes. Forum autem, ſive judicium pœnitentiale, forum eſt, & judicium, miſericordiæ. Ego autem in hoc foro, & judicio certo & expetior, quapropter nihil ad te ex vindicta, vel ultione exercenda in me, & nihil ad te de gladio adverſùm me. Meritò igitur tibi dicere poteſt miſericordia, mitte gladium tuum in vaginam, quia nullus eſt locus gladio coram me, nulla enim ex ore meo præcedit undecunque ſententia condemnationis, ſed abſolutionis, remiſſionis, & liberationis ſemper. Alia etiam via auferes tibi gladium vindictæ, & ultionis: Et hoc indubitanter, *Mat. 5.* ſi gladium tuum hujuſmodi à te ipſo abſtuleris. Et intendo ſi vindicare injurias tuas, & contumelias in alios nolueris. In ea quippe menſura quâ menſus fueris, remetietur tibi. Et iterùm: Beati miſericordes, quoniàm ipſi miſericordiam conſequentur. Qui verò vindicari vult, à Domino inveniet vindictam ſicut legitur Eccleſ. 28. Et iterùm Matth. 26. Omnes, qui gladium accipient, gladio peribunt: Quicunque enim gladium injuriarum propriarum in vindictam accipiunt, gladio divinæ ultionis peribunt. Curialiter ergo, & quantùm videtur ſatis, pacificè inducitur omnipotens Deus ad deponendum gladium ultionis, cùm ſola depoſitione gladij tui ad hoc inducitur. In quo & omnibus alijs manifeſtum eſt, quàm benignum, quàm pacificum, quàm beneficum haberemus Deum, ſi tria iſta in nobis obſervaremus. ſic enim verè dictum eſt ad ipſum. *Pſal. 17.* Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Ita cum pacifico, pacificus, cum benigno benignus, cum beneficis ſemper beneficentiſſimus eſt Deus ſicut & cum miſericordibus miſericors. Juxta modum iſtum dico tibi & de lancea ipſius, quia ſi lanceam tuam, quæ utique in ira tua eſt, in te ipſo confregeris, vel quolibet modo impotentem reddideris, iram Dei, quæ juſtiſſimè vibratur contra te, confringes, & ſi propriæ iræ incendium in te ipſo extinxeris, facies idem & per hoc de ira Dei. *Pſal. 88.* Nunquid, ait Pſal. exardeſcet velut ignis ira tua? Exardeſcit utique ſi noſtram non extinxerimus. Et reminiſcere, quia iſtis duobus modis, potiſſimùm bella aguntur circa homines, igne videlicet, & gladio. Quapropter inermes, & ad bella penitùs impotentes ſunt, quibus deſunt ignis, & gladius. Si vis igitur omnipotentiſſimum Deum inermem priùs efficere, & imbellem omninò contra te reddere, aufer ei ignem iſtum, & gladium per vias, quas oſtendi tibi. Et intendo aufer à temetipſo ignem iræ, & gladium, qui idem eſt, ut utrumque à Deo abſtuliſti, inermis apparebit & inermem ſe exhibebit in oratione adverſùm te, ſi inermis ei, hoc eſt hujuſmodi armis omninò carens occurreris. Quapropter non imminebit tibi bellum contra eum, ſed frui pace, & benevolentia ipſius tibi licebit. Debes autem reminiſci quotiens officium orationis vel aggredetis, vel aſſumis, contra Deum te intrare campū certaminis, prælium te cum eo, ſive adverſùs eum committere. Propter quod quicunque bellum ineunt, ſive præliari volunt, Dei adjutorium primò invocant, ſcientes quòd de cœlo fortitudo, & victoria eſt, & ob hanc etiam cauſam horæ divini officij, quæ & orationes ſunt indubitanter incipiunt ab invocatione divini adjutorij, quæ eſt; Deus in adjutorium meum intende. *Pſal. 69.* Ex quo evidenter apparet, quia quicunque in divinis officijs hujuſmodi, quod eſt dicere laudibus & ſacrificijs, oblationibus, & obſecrationibus conſecrati ſunt, bellatores contra Deum, & propugnatores pro toto Dei populo, ſive Eccleſia ipſius conſtituti ſunt, quod & ipſa tonſura clericalis evidenter oſtendit, cùm manifeſta tonſura pugilum ſit, & propugnatorum. Eſt etiam ſignum, & inſigne coronæ, quam per victoriam certaminum hujuſmodi pia fiducia ſemper debet præſumere, nec diffidere, nec deſperare de ea propter infirmitatem ſuam, & omnipotentiſſimam creatoris fortitudinem, cùm ipſemet ſemper vinci velit hujuſmodi certaminibus, & adjutorem fortiſſimum ſe præbeat fortiter, ac legitimè in eis agentibus. Propter quod mira fiducia petit unuſquiſque eorum, & dicit: Deus in adjutorium meum intende: ac ſi diceret: in iſta hora, vel oratione, in hoc ipſo certamine, quod contra te aggredior, vel in eo. Scio enim me in illo certamine nihil poſſe contra te facere, niſi adjutorio tuo aggrediar pugnam contra iram juſtiſſimam tuam pro populo tuo, vel unoquoque ex illo. Scio ſcriptum eſſe veraciſſimè de te per ſanctum, & ſapientiſſimum Job dicentem: Deus cujus iræ nemo reſiſtere poterit. Scio me non poſſe in certamine iſto victoriam adipiſci viribus meis, ſed conſolatur me ſanctus & ſapiens Gregorius dicens quòd iræ Dei tunc reſiſtitur, cùm ipſe, qui iraſcitur, opitulatur. Quapropter vacuæ eſſent, & prorsùs inutiles omnes orationes omnis Eccleſiæ ſanctorum, quæ pro placanda ira Dei juſtiſſima fiunt, niſi ipſemet auxilietur. Quòd ſi quis quæſierit, cujuſmodi adjutorium à Deo petitur cùm ei dicitur: Deus in adjutorium meum intende: Reſpondeo in hoc, quia gratiâ devotionis, & orationis. Hoc enim eſt adjutorium, quo Deus contra ſemetipſum maximè adjuvat orantes. Et hoc eſt ſcutum inexpugnabile, quo devotè orantes, & ſe, & illos, pro quibus orant, ab ira Dei protegunt, & defendunt. Propter quod oratio dicitur ſcutum in lib. Sap. 18. ubi legitur quòd properans homo ſine querela proferens ſervitutis ſuæ ſcutum orationum, &c. providè igitur, & circunſpectè incipit Eccleſia orationes hujuſmodi petens in primis gratiam ſic orandi, ut Deus neceſſe habeat exaudire. Hæc autem neceſſitas non eſt violentiæ, non impulſionis, aut coactionis, ſed inundantis gratuita largitate beneficētiæ. Apparet autē tibi ex his, quanta ſit ſtultitia, quanta ignavia, quanta negligentia clericorum. qui cùm officio orandi conſecrati ſint, & addicti, orare, addiſcere, & ſcire non curant. Similis quoque ignavia, vel negligentia in nullo genere hominum invenitur. Nemo enim profitetur aliquod officium, cujus non velit & ſtudeat habere peritiam, præter clericos ſolos, qui clericalis officii tam pii, tam ſalutaris, tamque honorabilis ignorantiam nec verentur, nec metuunt, nec erubeſcunt. Quia verò clerici regulariter horatum orationibus præmittunt orationem Dominicam, cauſa in hoc eſt, ut formam orandi in Evangelio traditam ſervent, ſicut reverà dignum, & juſtum eſt, ut aliis orationibus ea ſe petere oſtendant, quia ipſa oratione Dominica petere divino magiſterio edocti ſunt. Admonendi igitur ſunt, & modis omnibus exhortandi, atque docendi, qui clerici ſunt, vel fieri volunt, ut ſuæ profeſſionis officium diſcant agere, & per omnia laudabiliter adimplere. Quis enim pugil, ſive propugnator pugillatoriam artem ignorare non erubeſcat, & addiſcere non ſtudeat? unde Horat. Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis. Quis

Digitized by Google

etiam vellet eſſe patronus, & advocatus in cauſis viliſſimis temporalium, & rhetoricam illam ſæcularem, per quam ſciat cauſas hujuſmodi allegare, ſe ignorare non doleat? Leges quoque, quas ad defenſionem, & juſtificationem cauſarum hujuſmodi, quarum patrocinium ſuſcipit, adducat, non ſtudioſiſſimè exquirat? Et quidem leges hujuſmodi arma ſua vocant advocati ſæculares, & inermes etiam ſe fatentur ſi legibus iſtis armati non fuerint, ſic legibus, & allegationibus præſcriptis armatus, pugnam iſtam aggredere contra Deum, quem tam fortiter armatum eſſe contra te audis. Et ſicut prædixi depone tu arma iræ, atque vindictæ contra injuriatores tuos. Depone ignem, & gladium antedictos, & invenies inermem Deum, & ad pugnandum contra te imparatum, ac prorsùs imbellem. Quid igitur reſtat tibi de Deo faciendum, niſi ut ipſum inermem jam, & victum, capias, vincias ſive liges, & in vinculis teneas, arctiſſiméque inevaſibilem apud te cuſtodias? Pone igitur temetipſum in vinculis illius, in quibus eſt alligatura ſalutaris, ſicut dicitur Oſeæ 11. Liga te funiculis Adam, & vinculis charitatis illius, quibus te trahat ad ſe, & poſt ſe. Et ecce jam ipſum ligaſti, & poſuiſti in vinculis tuis. Uſualiter enim, & vulgariter dicitur mulier habere virum in vinculis ſuis, qui eam fortiter amat, cùm amor ſolus vinculum ſit, quo cor humanum ligari & teneri poteſt; ſic eſt vinculum quo ſolus Deus ligari poteſt, atque teneri. Propter hoc dicit lex mihi Deut. Dominus Deus tuus conglutinatus eſt patribus tuis, & adamavit eos. Quòd ſi vis ſcire, cùm te Deus habuerit in vinculis ſuis, habebis eum & tu in vinculis tuis. Teſtificatur tibi ipſemet Proverb. 8. Ego diligentes me diligo. Quid autem aliud eſt hoc, niſi quòd in vinculis tuis ligatum me tenet, quem ego in vinculis meis habuero? Quòd ſi quæris à me, qualiter hoc efficere vel procurare potero. Jam ſatisfeci in eis quæ præceſſerunt, ubi docui te de igne ſacrificij orationis, unde illum conquireres, & acciperes, quodque non ſolùm ſtulta, ſed etiam inſaniſſima meritò videri debet quæſtio iſta, ſicut & ibidem dixi tibi. Incomparabiliter enim magis difficile videri debet unicuique, qualiter ſe tenere poterit ab amore Creatoris, videlicet quin minus eum diligat, quàm unde, vel qualiter ipſum amet. Nec enim timendum eſt (ut dicit Aug. in lib. de doctrina Chriſtiana) ut Deus agnitus non diligatur. Si enim iſta minuta, immò etiam extrema atque viliſſima bonorum Dei quæ utique temporalia ſunt, ſua illa minuta bonitate, atque pulchritudine ita inflāmant amore ſuo eos, qui ea vel ad modicum cognoſcunt, & rapiunt ea totaliter in ſe, quid putandus eſt facere Creator optimus & pulcherrimus de cognitionibus & inſpectionibus ſuis? Poſtquā autem ad hanc tam nobilis triumphi gloriam, tam inclytæ prædæ captionem, te divina gratia extulerit, adhibe omnē cuſtodiam, ne evadat & effugiat præda iſta manus tuas. Qui ſervat ejus, & qui comedet fructus ficum cuſtos domini ſui glorificabitur. Tene igitur eum, nec dimittas, ſicut dicit ſponſa in Canticis. Tenui eum, nec dimittam. In eo quippe effugiet à te omne bonum. Quemadmodū enim ſole recedente ab hemiſphærio noſtro, cum eo recedit & tota radioſitas, & totus calor ipſius, totaque pulchritudo diei; ſic recedente Deo à corde tuo, tota ſerenitas cordis tui, totaque pulchritudo gratiarum, & virtutum quibus mens tua illuſtrabatur, evaneſcit, & nox ſola tenebroſa, atque obſcura in mente tua relinquitur. Quòd ſi dixeris: non poſſum tenere fortiſſimum & omnipotentiſſimum etiam per ictum oculi, invitū; verum utique dicis, ſed ipſe, qui capi voluit à te, etiam teneri vult à te, nec reputat captionem carcerariam contubernium tuum, & cohabitationem, immò delitias ſuas, ſicut ipſemet teſtatur Proverb. 8. dicens: Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum. Non arctat eum, vel moleſtat ligatura hujuſmodi, cui nihil adeò placet in nobis, ut vinculum amoris, quo ei aſtringimur. Omnia quippe alia bona noſtra ei placent, & omnia amat, cuſtodit, conſervat, adauget, atque remunerat propter iſtud. Omnia enim bona, quæ fecit nobis, omnia mala, quæ pro nobis ſuſtinere dignatus eſt, fecit, & ſuſtinuit propter iſtud. Quapropter manifeſtum ſit, quòd quantò fortior fuerit ligatura hujuſmodi, quantóque ſtrictior, tantò erit ei acceptior. Cave igitur totis ſtudiis & viribus, ne rumpas vinculum iſtud, quoniàm fracturâ iſta non ipſum ligaret, ſed potiùs fugaret à te, & auferret illum tibi cum tota ſequela bonorum, quæ debetur in habitatione, & reſidentia ipſius. Fortifica igitur inceſſanter vinculum iſtud, & conſtringe illud arctiùs, hoc autem facies ampliùs, & ampliùs, meditando in mirabilibus ejus, quæ fecit, & facere non deſiſtit. Per illa enim innoteſcunt potētia, ſapientia, bonitas, pulchritudo, & prælarga beneficentia ipſius, quibus omnibus amabilem ſe exhibet, & calorem vitalem dilectionis ſuæ diffundit in omnes intelligibiliter cognoſcentes ipſum, ampliùs autem, & propenſiùs in eos, qui ſtudioſiores ſunt in inveſtigatione magnaliū, & meditatione mirabiliū ipſius. Nō enim ſine cauſa dicebat Propheta de ſe: Meditabar in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis *Pſal. 77.*
exercitabar. Et alibi. Delectaſti me Domine in factura tua. *Pſal. 91.* Etenim ſi pulchritudo & mirificentia plurimum habet in ipſo admirationis, & delectationis, in hoc tamen maximè delectabilis eſt, quòd ineffabilis eſt ſuavitatis concentus, velut carmen quoddā pulcherrimorum geſtorum divinorum & tota reſonat creatorem. Similiter in hoc maximè ſpecioſa & interiùs aſpectibus jucūda, quæ pulchritudinem utcunque creatoris, & incogitabiliter ſimilitudinem repræſentat. Domine Deus & Salvator meus, quem non reputares dirum, aut crudeliſſimum, in quem ſi quis quantumcunque graviter peccaſſet, ſi offerret ſe captioni, & vinculis ipſius, ut in captivitate hujuſmodi torqueret ipſum, quantùm, & qualiter vellet, ſi inquam hoc recuſaret. Hoc igitur Domine miſericordiæ cogita de temetipſo. Scio ſiquidem me graviſſimè peccaſſe contra te, tamen offero me captivitati tuæ, & vinculis, ut ibi me ponas, ibi me detineas atque cuſtodias, nec ſolùm offero, ſed hortor, & peto. Abſit à te miſerator, & Domine miſericors, quòd multi duri, & crudeles homines ſe mihi placatos exhiberent, ſi in eos peccaſſem, & hujuſmodi eis ſatisfactionem offerrem, nec objicias mihi de captione iſta, & vinculis iſtis quicquam. Scio namque ego, quòd captio iſta, & vinculatio ſunt tibi omnibus aliis gratiores. Non igitur debet obeſſe mihi ad inveniendum miſericordiam tuam, quòd talem captionem eligo, ſed nec ipſa propter hoc repelli, nec recuſari debet à te, quoniàm tibi placitiſſima eſt. In hac igitur captione, & in hujuſmodi vinculis me pone, & retine, ibique tracta, quàm dirè, vel durè volueris, ibi me torque pro omni beneplacito voluntatis tuæ. Quòd ſi dixeris mihi, quia in aſtutia loquor hoc, videlicet, quia ſcio mihi non poſſe eſſe benè, niſi in captionibus, & vinculis tuis ſum, & quoniàm ſcio, ſi hoc mihi faceres, quòd ego captum te haberem, & tenerem ſimiliter in vinculis meis: Reſpondeo Domine miſericordiæ, verum eſt quod dicis, quamquàm magis prudentia, quàm aſtutia vocanda ſit ſcientia, quâ ſic loquor præſertim cùm utrumque iſtorum placeat bonitati tuæ. Accedit autem tertium gloria tua, ſive honor, quòd tantâ mirificentiâ tuæ miſericordiæ me revocas ad te, & libe-

Digitized by Google

ras peccatores. Et tu ipſe teſtis es, qui omnia intuetis ad nudum, & luci diſſimum, quia gloria tua, & honor in intentione mea eſt in parte iſta. Et ego jam in proximo dixi tibi quòd delitiæ tuæ ſunt captio iſta, & alligatio tua.

CAPUT LIV.

De mirificentia, & virtutibus orationis.

POſt hæc juxta præmiſſa, & ordinem præmiſſum loquar aliqua de mirificentiis, & virtutibus orationis, ut per hæc ad morem, & ſtudium orationis & accendaris arctiùs, & provoceris efficaciùs. Debes igitur reminiſci illorum, quæ in ipſo tractatus illius initio audiſti, videlicet, quòd omnis ſanctificatio omnis benedictio, quæ per viros ſanctos fit, per orationem fit. Ipſa etiam mirifica tranſmutatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem domini, ac redemptoris noſtri, per orationem fit, quod omnis Eccleſia ſanctorum petit, dicens: ut nobis corpus, & ſanguis fiat domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pridie quàm pateretur, &c. Sanctificatio quoque baptiſmatis, quæ eſt regeneratio, & renovatio animarum, qua nihil in mundo mirabilius, vel ſalubrius, vel magnificentius animæ, vel glorioſius in tota rerum univerſitate fieri poteſt per orationem fit indubitanter. Hæc enim forma verborum, qua dicit baptizator: baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: oratio eſt habẽs intẽtũ, vel intẽtionem: Baptizo te, nominatim invocatis Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ad te regenerandum, renovandum, & ſanctificandum. Illorum quippe ſolum eſt iſta virtus, & poteſtas. Quòd ſi volueris intelligere, in nomine illorum ideſt virtute, rectus eſt & Chriſtianiſſimus intellectus, & erit ſenſus hic, Baptizo te, A in nomine ideſt in virtute ipſius Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Neque enim in alia, vel per aliam virtutem fieri poteſt tam mirifica mutatio. Sive intelligas in virtute invocata, ſive invocatorum, Patris & Filij, & Spiritus Sancti, rectiſſimè intelliges. Et in utroque ſenſu forma illorum verborum oratio eſt, vel invocatio, vel ipſius trinitatis, vel virtutis ejuſdem. Juxta modum illum conſidera dona ſingula ſacramentorum & quid mirificentiæ, & virtutis habeat benedictio, & abſolutio ſacramentalis in ipſo ſacramento confeſſionis, quæ utique oratio eſt, & ſentiunt confitentes, & ſignis evidentibus hoc ſæpiùs experiuntur ſacerdotes. Et hæc eſt virtus Chriſti clavium, & manuum ſacerdotalium poteſtas mirifica, quam in ipſa conſecratione ſua per ipſam ſacram unctionem olei ſancti recipiunt per ipſam orationem pontificalem, quæ eſt hæc? Conſecrentur quæſumus domine manus iſtæ, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque rectè benedixerint benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint ſanctificentur. Amen. Eſt & alia mirificentia virtutis orationis, quâ iræ Dei reſiſtitur, cui nemo reſiſtere poteſt, ſicut audiviſti in præcedentibus ex ſermonibus ſancti Job. De qua dicit & pſ. Quis cognovit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Cui etiam accedit, & aliud mirificum, quia non ſolùm virtute orationis placatur ira illa omnipotentiſſimi Dei, ſed etiam impetratur ab ipſo, & gratia, quam nobis concedat Deus trinus, & unus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Nota. *Pſal.* 89.

Primæ Partis Operum Guilielmi Pariſienſis Finis.

GVILIELMI ALVERNI,

EPISCOPI PARISIENSIS,

DOCTORIS EXIMII,

OPERA QVÆ EXTANT.

PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTO in generali.

CAPUT I.

Hîc auctor explicat ordinem, & connexionem operum ſuorum.

CUM inter ſapientiales, ſpiritaleſque ſcientias quæ divinæ, ſeu divinales vocantur: ſcientia de vera religione, & fide, quæ fundamentum illius eſt, & de ſinceritate cultus, qui ſolus Deo altiſſimo acceptus eſt, ac de legibus, ac ritibus, & factis quintum locũ obtineat, & quinto loco ſit tractanda, docenda, atque diſcenda: facile eſt manifeſtum tibi fieri ſcientiam de ſacramentalibus, atque juſtificationibus, inter ſublimes iſtas, nobileſque ſcientias, conſequentem locum, id eſt, ſextum ordine rectiſſimo obtinere. Cùm enim iſta tria, quæ nominavimus, non ſint niſi propter cultum, & religionem divinam, manifeſtum eſt ipſa poſteriora illis eſſe quaſi, & conſequentia. Sacramentis enim ſanantur, & ſanctificantur homines ad Dei religionem, & cultum. Sacramentalibus verò partim adjuvantur, atque perficiuntur, & partim ſacrantur, & ſanctificantur res neceſſariæ miniſterio divini cultus. Juſtificationes verò ſunt, unde per ſe ipſam manifeſta, ſive nota eſt bonitas juſtitiæ, quædam operationes, quibus juſtè vivitur, quibus per ſe juſtitia acquiritur, conſervatur, roboratur, nutritur, & augetur. Ampliùs. Quia idem eſt ordo ſcientiarum, qui & rerum, neceſſariò qui eſt ordo ſanctitatis, & ſacramenti, idem erit ſcientiæ de ſanctitate, & ſcientiæ de ſacramentis. Quare poſt ſcientiam de ipſa ſanctitate eſt ea, quam dicimus de ſacramentis. Sanctitas enim principium eſt totius veræ religionis, ac ſacri cultus. Ampliùs. Quoniàm prior eſt domus, quàm porta ejuſdem, cùm propter domum ſit porta, ſacramenta verò ſunt portæ ſanctitatis, ac religionis: per illam enim in eas intratur, quare poſt illam neceſſariò eſt iſta ſcientia, quam hic tractare, & tradere intendimus. Apparet etiam convenientia ordinis iſtius evidenter, cùm alteram poſt alteram inſpexeris. Quid enim reſtat, quidve conſequens eſt poſt ſtabilitam religionis veritatem, poſt declaratam divini cultus ſinceritatem, poſt perſcrutatam legis veri nominis puritatem, poſt demonſtratam Deo gratiſſimam ſinceritatem, harumque omnium inæſtimabilem fructuoſitatem, niſi vias patefacere, & portas aperire, quibus ad eas veniatur, & in eas intretur? Hæ autem viæ, & hæ portæ illa tria ſunt, de quibus hîc intendimus. Quare poſt ſcientiam de his ordine rectiſſimo ſequitur ſcientia de ſacramentis, & ſacramentalibus, atque juſtificationibus.

Scientia de ſacramentis.

Sacramenta ſunt portæ ſanctitatis.

CAPUT II.

Eleganter docet, quibus rationibus ſacramentorum virtus, & utilitas cognoſcitur. Rationes deinde quaſdam ſubnectit, quare quidam homines ſacramentorum ejuſmodi efficaciam in ſe non ſentiant.

DIcemus igitur, quia ſacramentorum virtus, & utilitas, tribus viis præter illam quam hîc intendimus, ſtabilitur. Primò atteſtatione divinorum miraculorum. Secundò experientiâ, velut ſenſu ſpirituali virtutis divinæ, & operationis in eis. Tertiò atteſtatione ſacrorum eloquiorum. Quartò viâ probationum. De primo exemplum eſt illa famoſa curatio à morbo elephantiæ Imperatoris Conſtantini, nec non & apparitio Salvatoris, quam ipſemet Imperator ſibi factam in ipſo ſalutari, ac vivifico lavacro teſtatus eſt. Ipſe etiam motus aquæ, qui ibidem viſus eſt, ac ſi aqua ipſa virtute benedictionis, & ſanctificationis vivificata eſſet, & vitalem motum exinde ſuſcepiſſet. Sed & illud de virtute, & efficacia ſacri baptiſmatis fidem facit, quod accidit cuidam, qui vocatus eſt Barbas, volenti mutare formam ſacramenti illius & dicenti: Baptizo te Barbas in nomine Patris, & Filij, & Spiritu ſancto: aqua ſtatim diſparuit, quaſi blaſphemiam præſumptuoſæ mutationis, & injuriam divinæ auctoritatis, & inſtitutionis, quæ formam aliam

Virtus & utilitas ſacramentorum.

Conſtantinus.

Barbas.

Digitized by Google

dicto ſacramento præſcripſerat, ferre non ſuſtinens. Sunt & alia multa hujuſmodi, quibus virtus divina in illo ſacramento, & per illud evidenter ſe operari oſtendit. Item quia illa tria, quæ in baptiſmo domini ſalvatoris facta leguntur, non modicam efficaciam baptiſmi ſuadent piè intelligentibus, videlicet cœlorum apertio deſcenſus Spiritus ſancti in columbæ ſpecie, & vox omnipotentis patris, ibi audita dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui ſicut legitur Matth. 3. & Lucæ 4. & Marci primo Quæ enim erat neceſſitas, ut ſuper ipſum baptizatum cœli aperirentur, Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie deſcenderet, & vox patris audiretur, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, &c. cùm ſemper eidem cœli aperti eſſent, nunquàm clauſi, Spiritus ſanctus ſemper in eo fuerit plenitudine chariſmatum, ex quo pro nobis factus eſt homo, & Filius Deo Patri ſemper dilectus ſimiliter fuerit, niſi quia ipſe eſt liber ſcriptus intùs, & foris, in quo quicquid factum eſt vita erat, ideſt liber vitæ noſtræ? In quo non ſolùm omnis regula noſtræ informationis legitur, ſed vel etiam quid in nobis virtus divina operaretur, conſpectum intelligitur.

Sacramenta porta ſanctitatis.

Quia ergo baptizatis per gratiam baptiſmalis ſanctificationis cœli aperiantur, & liber eis in cœlum ingreſſus pateat, quòd Spiritus ſanctus in eos ibi deſcendat, quòd filii Dei, & hæredes per gratiam adoptionis efficiantur tribus his ſignis demonſtratum eſt. Cur enim in baptiſmo ſalvatoris hæc tria ſigna potiùs, quàm alibi oſtenſa ſunt, cùm ex baptiſmo nihil ei prorsùs accreverit ſanctitatis, aut gratiæ, niſi ut triplex iſta virtus baptiſmi oſtenderetur?

Baptiſmus Chriſti quid nobis ſignificet.

In ſacramento verò confeſſionis, & in ſacramento Euchariſtiæ ſacrique ordinis, quis enarret ſigna, & mirabilia, quę ut virtus eorum & efficacia innoteſceret, omnipotentia divina oſtendit, de quibus & nos aliqua narrare ſuperſedemus, prolixitatem timentes, non ſolùm de his, quæ in ſcriptis eorum, qui nos præceſſerunt, legimus, ſed de his etiam, quę temporibus noſtris acciderunt, & teſtimonio fide dignorum accepimus. De experientia verò, & ſenſu fructus, & utilitatis eorum, teſtes ſunt omnes, qui debita & reverentia, & devotione, ac fide qua decet, illa percipiunt.

Nota.

qualiter enim plenè mundari, & renovari, qui in adulta ætate ad baptiſmum ſunt venientes, qualiter liberari, ac priſtinæ gratiæ reſtitui ad benedictionem, & abſolutionem ſacerdotalem, devotè confitentes, qualiter impleri gratiâ ſanctificationis ſacros ordines dignè ſuſcipientes, qualiter refici, ſatiari & impinguari ſpiritualiter, ſe ſentiant ſacratiſſimæ Euchariſtiæ communicantes dignè, ipſimet teſtes ſunt. Ita etiam de aliis ſacramentis & nos de his multa ſcribere poſſemus. Sed hoc eſſet præter præſentis propoſiti intentionem.

Quæſtio notabilis.

Si quis autem dixerit quare non omnibus datum eſt, iſta ſentire? Reſpondeo, quia alii prohibentur corruptione palati cordis, ut eis multitudo dulcedinis doni Dei non ſapiat. Alii incredulitate ſua adeò longè ſe fecerunt, ut ad eos virtutes iſtæ nequaquàm pertingant, ſive perveniant. Alii vitio ingratitudinis indignos ſe facientes, manum ſibi divinæ largitatis occludunt. Aliis autem tota iſta ſuavitas ſimul percipienda, ac ſentienda, reſervatur in poſterum. Aliis autem eam ſentire nunc non conceditur, ut inde humilitate proficiant, & hujuſmodi ſenſum non ſuis meritis, ſed divinæ gratiæ tribuant. Sufficit autem credere volentibus & contra Dei gratiam rebellare timentibus, in paucis fieri miracula. Manifeſtè autem incredibiles ſunt & errorum ſuorum dementiſſimi amatores, qui ab omnibus, & in omnibus miracula fieri requirunt, quaſi vellent omnes mortuos ſuſcitari, ut acquieſcant veritati fidei, aliter acquieſcere nolentes Tertia via eſt atteſtatio ſacrorum eloquiorum quorum teſtimoniis ſacramenta confirmantur, fructuſque eorum, & utilitas approbatur. Sed per hanc viam duci non poſſunt qui ſacris eloquiis contradicunt, in qua jam ante nos, & noſtris temporibus multos, certum eſt laboraſſe.

Teſtimonia ſacrorum eloquiorum.

Via probationum.

Quarta via eſt probationum per quam incredulos, & rebelles, ſacris eloquiis, atque miraculis adduci ad veritatem ſalutarem, neceſſe eſt, cui inſiſtere, Deo ducente, intendimus. Dicamus igitur. quòd per ſe debitum eſt, cultum unius, veri, ac ſummi, ſoliuſque Dei eſſe. deinde vitam humanam totam eſſe ſui auctoris obſequium, viventis officium, aliorum ſubſidium, quod eſt, ut ſit devota, ſive honorifica in Deum, decora, compoſita, & ordinata in ſe, profuſa utilitate, & beneficentia in alios, & in his tribus perfectionem humanæ vitæ conſiſtere nemo eſt, qui dubitet? niſi qui ejus perfectionem aut non curat, aut non intelligit. Quis enim non videat quin & Deo honorificè, ſive ad gloriam, & in nobiſipſis compoſitè, ſive decenter, & in alios utiliter, ſive beneficenter vivere debeamus? Et de primo quidem rebellibus fides facienda eſt ſupplicüs. Aliis autem ipſa auctoris & largitoris omnium bonorum notitia fidem indubitatam ingerit, ut ultimæ honorificentiæ cultus, & jugis gratiarum actio & indeficiens collaudatio eidem debeatur à nobis. Supereminentia quidem altitudinis ſuæ ipſam ſui cultus honorificentiam, largiſſima verò ejuſdem beneficentia gratitudinem vehementer ſuadent intelligentibus. Quis enim dominantiſſimam majeſtatem & univerſitatis ſupereminentiſſimum auctorē, abſque ulla ſuipſius depreſſione, & quadam infra limites ſuæ parvitatis eliſione, quæ verè humiliatio eſt, & abſque magnificentiæ ejus admiratione, quæ verè honoratio, & reverentia ipſius eſt, cogitet? Deinde quis continuam, & indeficientem largitatis ejuſdem beneficentiam attendat & non in gratiarum actiones & laudes ejus erumpat? De ſecundo verò certitudinem evidenter facit diligenter conſiderata, & in conſpectu noſtro poſita, ipſa naturæ noſtræ nobilitas, ipſaque adeò indecens, & diſſonans à decore nobis debito vitiorum deformitas, & vilitas. Non enim poſſibile eſt naturæ noſtræ nobilitatem cognoſcentes, & intuentes, ignorare illam ad decorem, & perfectionem honeſtatis, & morum laudabilium natam eſſe, vitiorumque turpitudinem non ſine intolerabili ſui injuria, & contumelia unquàm pati, & eidem omninò nihil præter ſola vitia inimicum.

Naturæ noſtræ nobilitas.

Eam igitur obniti, & repugnare vitiis totiſque ſtudiis, & viribus, ad honeſtatem, quæ decor vitæ eſt, & compoſitio, quia ejuſdem eſt & honoratio, conari per ſe debitum eſt. De tertio verò innata nobis erga homines alios ſociabilitas, atque dilectio nullum veri nominis hominem dubitare ſinit. quia ergo operatione iſtius perfectionis cæteræ diſpoſitiones in hominibus aut materiales, aut quaſi materiales ſiunt ad iſtam perfectionem. cura autem eſt Deo rectori univerſitatis, ut iſta materialia ſint, ſecundùm quòd materialia ſunt, hoc eſt in diſpoſitionibus ſuis, quæ ſunt circa iſtam perfectionem: materialia autem, ſecundum quòd materialia, non curantur, neque curanda ſunt, niſi propter perfectionem, ad quam ſunt; multò fortiùs ergo cura eſt curatori univerſitatis Deo, ut iſta perfectio ſit in genere humano.

Materialia non curantur, niſi propter perfectionem.

Ampliùs. Imaginabimur civitatem aggregatam ex hominibus, ſic perfectis, ut tota vita eorum ſit Dei honorificentia & obſequium, tota debitum honeſtatis officium, tota aliorum ſubſidium. Manifeſtum eſt, quòd comparatione iſtius civitatis præclaræ totum reſiduum hominum, quaſi ſilva eſt, & ſinguli reſidui homines,

nes quaſi ligna ſilvatica. Iterùm reſiduum hominum quaſi lapidicina & ſinguli reſiduorum quaſi lapides rudes. Civitas autem iſta, ſicut ædificium nobile, ac magnificum ex lignis cæſis, artificioſiſſiméque ſculptis, atque politis, & omni decore architecturæ decoratis: ſinguli verò cives quaſi lapides & ligna omni architectonica diligentia decorata. Quòd enim ſunt tumor, & tortitudo, ſive curvitas, & putriditas in lignis, hoc ſuperbia, avaritia, & luxuria in animabus, & quòd rectitudo, & planities, & firmitas in lignis, ſeu lapidibus, hoc juſtitia, æquitas, & fortitudo in animabus. Et quòd cæmētum, & clavi, cæteræque ligaturæ inter lapides, & ligna, hoc mutua dilectio, & ſpirituales neceſſitudines inter animas hominum, ſeu inter homines. Quia ergo jam declaravimus in tractatu de virtutibus, quòd virtutes nobiles, quibus ſolis rectè, & ut vivendum eſt, vivitur, deſurſùm tantùm ſunt ab auctore, & largitore omnium bonorum, velut data optima, & dona perfecta, manifeſtum & hujus præclaræ civitatis ſolum eſſe ædificatorem Deum, & quia tantopere curat ædificator Deus ſilvam, & lapidicinā, quas diximus, & lapides rudes: multò fortiùs ipſum curare neceſſe eſt iſtud nobile, ac magnificum ædificium. & quia cura ac providentia ipſius ſunt forinſecæ iſtæ ſocietates, & aggregationes hominū, ſeu civitates, quātò magis cura ejus, & providentia erit civitas iſta præclara ac permagnifica, quam diximus ad quam cæteræ veluti ſilvæ & lapidicinæ ſunt. Sive in gloriam ſuam, ſive in utilitatem hominum intendat divinæ ſapientiæ, & bonitatis proviſio, & beneficentia, multò ampliùs ipſum curare neceſſe eſt, ut iſta civitas ſit. Ampliùs. Ponamus civitatem hujuſmodi non eſſe, & ponamus univerſitatem tamen hominum eſſe, hoc eſt ponere ſolam ſilvam, & nullum ædificium & ponere mineras, id eſt, argentifodinas, & aurifodinas eſſe, cùm nec aurum, nec argentum ſit. Cur ſi Deus hujuſmodi mineras eſſe voluit, inutiliter omninò dedit vires, & artem, & artificium, quibus aurum, & argentū ex eis extraherentur; quantò fortiùs genus humanū, quod tanquàm minera eſt hujus perfecti, quam diximus, ædificij, non relinquit in iſta materialitate ſeu potentialitate, quin addat virtutem & ſcientiam, & cætera quibus de minera generis humani pretioſa iſta metalla, immò vaſa perfectionis, & lapides pretioſi, & viri ſancti extrahantur, qui, quemadmodùm gemmæ vernantes, atque coruſcantes ſunt ad lapides communes, ſic ipſi cæteris hominibus præſtantiores ſunt, & abſque ulla comparatione præcellentiores. Ampliùs. Cives civitatis proculdubiò ſunt veri nominis homines, adeò ut comparatione eorū cæteri non homines, ſed potiùs animalia ſint habendi. Ponere igitur hujuſmodi homines non eſſe; eſt quaſi auferre ſpeciem humanam de medio, & ponere ſola bruta animalia eſſe, & juxta hunc modum ipſi ſoli ſunt, qui ratione, & intellectu uti videntur & regi. Ponere ergo genus humanū abſque his eſt tanquàm ponere hominem ſine intellectu. Sicut enim intellectus unus in uno homine particulari, ſic cœtus hominum hujuſmodi, ſive civitas in genere humano. Qui intellectus quemadmodùm totum regit in homine, quod regibile eſt, ac gubernabile intellectu totoque reſiduo utitur ad bonum, quod intēdit; ſic cœtus iſte perfectorū totū regit, quod genus humanum regi ſe ſinit, & toto reſiduo utitur ad finem, quem intendit, hoc eſt ad Dei gloriam, & ſuam, atque aliorum perfectionem. Hic cœtus, vel civitas & templum dicitur propter Dei cultum, ſeu honorificentiam cui principaliter ſe impendit, atque finaliter, & civitas propter ſaluberrimam pacem, & jucundiſſimam ſocietatem, quibus ſub Deo rege ſecundùm ſacratiſſimam legem

Virtutes nobiles.

Genus humanum velut minera.

Civitas templum domus Dei.

A ejuſdem vivunt mutuò ſe invicē adjuvantes, ſibique invicem ſubſervientes humiliter, & hilariter & domus domini dicitur habens Deum, aliàs verum patremfamilias, in qua ſingulis victus, & veſtitus ſpirituales ab eodē providentur; & ager, & vinea, & hortus, cujus ipſe plātator, & excultor eſt, incrementorumque, & fructificationum ſpiritualium largitor ſolus eſt. Dicitur & exercitus propter bellicū apparatum, & aſſidua certamina contra errores, & vitia; igitur qui templū iſtud ingrediuntur ita, ut de ipſo templo efficiantur, ſanctificari neceſſe habent ad Dei cultum, & quodammodò fieri ſacerdotes; ſic & qui civitatem iſtā ingrediuntur ita, ut cives ejus efficiantur, neceſſe habent civilitatem ejus ſuſcipere, hoc eſt leges, & ſtatuta, moreſque ſubire. Sed & qui hāc intrat domū patris familias, neceſſe eſt ut debito famulatu, ſeu familiaritate ſe ſubdat: ſicut igitur qui agrū iſtū, ſeu vineā, ſeu hortum intrat, neceſſe eſt, ut in eo B plantetur & radicetur, omnibuſque ſpiritualibus agricolationibus ſe humilis, ac devotus exponat; ſic & qui exercitui iſti ſe aggregat, neceſſe eſt, ut propoſitum bellandi contra memoratos hoſtes, armaturamque ſibi congruentem ſuſcipiat. Quicunque igitur ad hanc perfectionem nobilem, quam diximus, Deo auctore adducti ſunt, hujuſmodi templi ſunt ſacerdotes ſanctificati ad Dei cultum, hujuſmodi civitatis cives ſunt aſſociati ad judicium, & ad juſtitiā, ad vivendū ſecundùm leges, & ſtatuta Dei regis. Hujus domus domeſtici, & familiares ſunt, ſervique vernaculi, ac filij patris familias Dei, hujuſmodi vineę & horti, vites, & arbores ſunt ſub cultura agricolātis Dei, hujuſmodi exercitus milites, ſeu bellatores ſunt cōtra errores, & vitia dimicātes ſub duce. Jā igitur manifeſtū eſt, quia ſanctificatio neceſſaria eſt, ut C tēplum iſtud Deo ædificetur, primū quia impoſſibile eſt aliquem intrare, niſi ſanctificatum, intrare inquam eo modo quo diximus. Deinde quia ipſa ſanctificatio in templū iſtud ingreſſus eſt, nihil enim eſt aliud ſanctificatio, quàm contaminationū, id eſt, errorum, & vitiorum, quibus à Deo elongamur, ablatio, donorumque & gratiarum, quibus ei appropinquamus ad colendum ipſum, eique ſerviendum, ſuſceptio. Et quia ædificatio iſta eſt aggregatio, & aſſociatio hominū ad Dei cultū atque ſervitium, aggregatio autē & aſſociatio non poteſt fieri niſi communione viſibilium: manifeſtum eſt, quòd ędificatio hujuſmodi templi, quæ non eſt, niſi aggregatio, & aſſociatio ſanctificativa ad Dei cultum, atque ſervitium, non poteſt aliter fieri, niſi ſanctificatione viſibili, ſive ſigno viſibili ſanctificationis. Ampliùs. Nec aggregatio, neque aſſociatio ſpiritua- D lis ſeu colligatio ad invicem poteſt eſſe hominum, ſive communio illa quam diximus abſque communione viſibili. Qualiter enim ſe invicem ſocios habebunt, ſi ſe non noverint eſſe ſocios, qualiter hoc autem cognoſcent, niſi communione viſibili à ſigno aliquo, quod non poteſt eſſe, niſi viſibile. Neceſſe ergo eſt ſanctificatione viſibili ædificationem iſtam fieri. Ampliùs. Ut oves ejuſdem gregis ſigno aliquo viſibili dignoſcuntur, & ab alijs diſcernuntur; ſic & contubernia militum ſignis, & ſacras ædes, id eſt, templa, à prophanis, ſeu communibus domibus ſeu aggregationibus hominum, certo ſigno diſtingui neceſſe eſt, & ſingulos ſacerdotes hujuſmodi templi ab alijs hominibus. Nuſquàm autem convenientiùs hujuſmodi ſignum imprimitur, quo ab alijs quis diſcernatur, ſeu dignoſcatur, quàm in ipſa ſeparatione ab alijs & aggregatione ad ſuos. Ibi ergo imprimendum hujuſmodi ſignum, ſeu faciendum. Viſibili ergo ſigno, ſive cognoſcibili ſigno, transferendi ſunt, & introducendi homines in templum iſtud. Ampliùs,

Exercitus.

Sanctificatio neceſſaria.

Sanctificatio quid.

Nota.

Omnis civilitas nobilis viſibili aliquo ſigno dari conſuevit, & dignoſci, ſicut civilitas Romana penula. Omnis militia, id eſt dignitas militaris ſimiliter aliquo ſigno viſibili, ſicut accinctione gladii. Item omnis adminiſtratio, & omne officium, ſicut theſaurorum cuſtodia traditione clavium. Item omnis honor, omnis dignitas, ſicut honor regius, aut impoſitione coronæ viſibili, aut collocatione in throno viſibili. Item omnis hæreditas, omne donum immobile, non conſuevit conferri, niſi ſub ſigno viſibili, ſicut traditione anuli, aut alterius rei viſibilis, licet hæc omnia fieri poſſint aliter. Quia igitur ut militaris dignitas immò ſacerdotalis honor eſſet regius, regni ſcilicet ſpiritualis, & æterni in ipſa ſanctificatione tribuitur conveniens fuit, & hominibus perutile, ſub ſignis viſibilibus, ut omnia hæc, quæ nominavimus, hoc eſt, dignitas ſacerdotalis, etiam nobilis civilitas,& militare officium, & cœleſtis regni hæreditas conferrentur. Et hoc primùm propter eruditionem ſuſcipientium videlicet,ut & ſignis viſibilibus iſta ſpiritualia tam neceſſaria, tamque ſalubria cognoſcerentur, & quæ aliàs cognoſci non poterant communiter, ab eruditis cognoſcerentur, & cognita amarentur, amata quærerentur,quæſita ab omnium bonorum largitore benigniſſimo obtinerentur, obtentis Deo ad gloriam ſerviretur, & ſervitio æternæ retributionis merces acquireretur. Secundò ad gratitudinem, ſeu devotionem. Quis enim ad tam ſublimia, & à meritis ſuis tam remota tanta indebitæ gratiæ largitate vocari, & aſſumi ſe videat, & non in divinæ bonitatis admirationem, & laudem erumpat? Sublimitas autem hujuſmodi donorum, ac nobilitas ſignis viſibilibus communitati hominum in commune innoteſcit. Tertiò ad humiliationem. Quis enim altitudinem donorum iſtorum attendat, & quàm longè ſunt à meritis ſuis conſideret, & non ſtatim infra limites ſuæ parvitatis reſiliens ſe colligat,& divinæ largitatis beneficentiam admirans erga ſe non obſtupeſcat, dum merita ſua nulla, aut fortè contraria intuetur,beneficia verò ſe nec poſſe æſtimare, nec cogitare? Et hæc eſt vera humiliatio, meritorum evacuatio, & attenuatio, & indignitatis recognitio. Utilia etiam ſunt ad roborationem ſeu confirmationem ſuſcipientium. Quis enim ſacratum ſe, ſeu ſanctificatum animo teneat, & non ex hoc contra immunditiam, aliàs execrationem, excandeſcat? quis inunctum in regem ſe recolat, & non contra viliſſimam, nequiſſimamque vitiorum ſervitutem totis viribus ſe accingat? Quis militari officio præditum ſe ſciat, & arma ignorare imbellemque ſe eſſe, infideliter, ac ignaviter in bello agere non erubeſcat? Quis tam præclara civilitate honoratum ſe gaudeat, & everſioni civitatis ſuæ, ſeu cuicunque alij calamitati ſe opponere negligat, legeſque ejus, ac jura pro viribus non defendat? Quia ergo ſigna viſibilia iſta, quæ numeravimus, maximè memorijs hominum infigunt, aut imprimunt, & fortes imaginationes inducunt,in quibus quatuor affectiones memoratæ & excitantur & adjuvantur, manifeſta eſt neceſſitas,& utilitas hujuſmodi ſignorum. Apparet etiam ex his, quæ diximus, quia ingreſſus in hanc civitatem ſanctificatio eſt, ingreſſus, qualem deſcripſimus, qua ſanctificatione omnis execratio exuitur, & deponitur, quemadmodùm in ingreſſu in ſtructuram omnis timoroſitas, & omnis inæqualitas lapidum deponitur, alioquin in illam non admittuntur. Quemadmodùm frondoſitas lignorum ac fortitudo ac tortuoſitas, aliaque omnia, quæ ligna ædificijs inepta faciunt, niſi omninò eſſent amota, in ipſo ingreſſu in ædificium neceſſariò deponuntur; ſic &

Similitudo.

E ipſo ingreſſu iſtius ædificij ad ſimilitudinem,& proportionem, quas ſupra expreſſimus, fieri neceſſe eſt, poſſibile quidem eſt auctori omnium bonorum abſque ſignis viſibilibus ſanctificare quos voluerit, & hoc jam aliquoties feciſſe dignoſcitur Quòd ſi in omnibus faceret, ita quòd nullus de ſanctificatione alterius quicquam ſciret, eſſent omnes ſanctificati, quemadmodùm ſi eſſent omnes ab eodem patre geniti, & ignorarent ſe fratres, periret tamen inter ipſos fraternitas, amor fortiſſimus, & naturalis ſocietas, quæ vinculo fraternitatis conſtringit omnes naturaliter: ſic & in ſic ſanctificatis periret amor gratiæ fortiſſimus, quo viget, & vivit ſpiritualis ſocietas, quæ velut cæmentum, & ligatura fortiſſima ſpiritualis ædificij eſt. Quemadmodùm enim ſic generati homines, ut diximus, nihil potiùs ad invicem hærerent, quàm ad alios homines, nec in unum genus, aut domum convenirent, ſive familiam, aut tribum; ſic eo modo ſanctificati, quo diximus, eſſent velut lapides diſperſi nullâ ligaturâ ſocietatis invicẽ ſe tenentes Ampliùs.

F Quia cultus divinus palàm debet eſſe, publicuſque & manifeſtus, ſiquidem regibus, qui utique non niſi miniſtri ſunt regni ipſius, palàm & publicè impendendus eſt. Ampliùs. Templa & palatia publicæ ædes ſunt, & manifeſtæ palam,quare & publicè ædificandæ, impoſſibile eſt autem in abſcondito ædificata eſſe, quia neceſſe habent in palàm eſſe. Neceſſe ergo eſt templum Dei, & ſummi regis palatium palàm ædificari viſibilibus operibus. Non autem ædificatur niſi ſanctificatione, nec ejus ædificatio eſt niſi ſanctificatio. Viſibilibus ergo ſanctificationibus neceſſe eſt ipſũ ædificari. Viſibiles ergo ſanctificationes ſacramenta vocamus, hoc eſt ſacrativa ſeu ſacrantia ſigna, neceſſe inquam neceſſitate indigentiæ noſtræ, non neceſſitate inevitabilitatis, aut neceſſitate coactionis.

Templum Dei, & palatium.

Sacramẽta ſunt viſibiles ſanctificationes.

G Ampliùs. De rure & vita ruſticana ad civitatem tranſeuntibus, & cives effici volentibus, neceſſe eſt, mores agreſtes, & habitationem deſerere, civitatemque inhabitare, civileſque mores, & urbanitatem civilem, atque ſocialiſſimam aſſumere. Quia igitur rus eſt, & vita agreſtis, ac ruſticana, ſtatus ac vita infidelium, quantumcunque laudabilitate morum polleat comparatione perfectionis nobilis eminentis civium civitatis ſanctificatæ, de qua loquimur, & barbariſſimus eſt quicquid decoris videtur habere vita humana ad decus, & excellentiam iſtam, manifeſtum eſt, quantam mutationem fieri oporteat in tranſitu, quo deforis, ſive aliunde in civitatem iſtam intratur,juxta hunc modum, & civitatem iſtam, velut membra gratuita ſocietate ſibi invicem colligata eſſe, ſive compacta, voluntariaque ſubſervitione ſibi invicem

H ſubminiſtrantia, manifeſtum eſt intueri volentibus. Quia ergo hujuſmodi corpus corpore humano,ſeu quocunque alio abſque ulla comparatione,& in ſe nobilius eſt, ideò honorificentius, & invicem hominibus utilius atque ſalubrius. Cura autem Deo eſt auctori omnium corpus culicis, aut muſcæ, ſive formicæ unius, ſive etiam ſucceſſionis, tantoperè ædificare, & in membris congruentibus compingere? quantò ergo fortiùs cura erit eidem corpus, quod diximus ædificare atque perficere, ex quo oportet, ut non minori mutatione trãſeat in corpus iſtud,ſeu id quod nutriri,& augeri habet, transformetur in membrum ipſius, quàm cibus naturæ in nutrimentum corporis animalis, ſeu etiam membrorum ejuſdem. Ampliùs. Regnum ipſius regis regum evidenter remaneret incompletum notabili, atque magna ſui parte mutilatum, ſi civitas iſta deeſſet, cùm in altera parte hominum

non

Digitized by Google

non regnet, aut imperet, niſi forſitan ad modicum, dum magis vitiis ſuis, & concupiſcentiis obediunt, quàm eidem & ſecundùm voluntates ſuas ac traditiones potiùs quàm ſecundùm leges ipſius vivunt. Ampliùs. Templo, quale diximus, non exiſtente nullus relinquitur cultus ejus, nulla honorificentia ſeu glorificatio ab hominibus, nulla aut permodica regratiatio beneficiorum ipſius, hoc autem eſt quod habet genus humanum præcipuum & ſaluberrimũ, & velut totius ſuæ perfectionis cumulum, ſcilicet Dei cultum, & honorificentiam, & rectitudinem, atque decore legis directam, & compoſitam vitam. Deinde nulla relinquitur via reconciliationis ad ipſum, ſeu reverſionis, cùm non ſit poſſibile reverti ad ipſum, niſi per gratiam & acceptum ei cultum. Sequitur tandem humanarum rerum confuſio extrema, ut honeſtas virtutum omninò deleatur & ſolis vitiis ſerviatur, eaque ſola fiant, & curentur ab hominibus, quibus offendatur Deus, & ſublatâ viâ reconciliationis atque repropitiationis ut diximus, genus humanum in æternũ abſque ulla ſpe miſerationis ſubvertatur ex quo relinquitur, ut non ſolùm vanè conſtituerit filios hominum, ſed in ſui ipſius contumeliam, & in eorum damnationem, & mortem. Cùm enim vita vitioſa tota ſit in Dei contumeliam, tota in viventium perditionem & mortem, manifeſtum eſt, quia ſublato Dei cultu, quo ſolo utique occurritur, non reſtant de vita humana niſi Deo contumelia, & hominibus mors, & perditio æterna. Redeamus ad id in quo eramus, & dicamus quia ſacratio ſeu ſanctificatio ingreſſus eſt in templum, ſeu in civitatem, & in corpus, quod diximus, & niſi deſignatione viſibili fierent, perirent utilitates quatuor, quas ſupra nominavimus. Signum autem viſibile, quo maximè ſpiritualia & inviſibilia oſtenduntur communitati hominum, illud eſt quod maximam ſimilitudinem habet cum illis, quæ ſimilitudo etiam uſque ad communicationem nominum interdùm venit ſicut lux viſibilis cum luce ſapientiæ, propter quam ſimilitudinem etiam nomen lucis communicat. Sicut & calor exterior ignis, & ardor ad amorem ſe habent juxta hunc modum ablutio, unctio, & afflatio, ſeu aſpiratio exterior, atque viſibilis, ad ablutionem interiorem, & aſpirationem, ſpirituales & inviſibiles ſe habere manifeſtum eſt. Quare ſanctificationibus internis ac ſpiritualibus iſta exteriora adhiberi ſigna, vel ſimilitudines, decens, & utile eſſe dubitari non poteſt. Ampliùs. Cùm iſta civitas in ſpiritualibus, & in inviſibilibus materiali, ſeu literali civitati in ſuis viſibilibus corporalibus ac temporalibus adeò ſimilis ſit, ut iſta iſtius exemplum imago, & liber quodammodò dici poſſit, manifeſtum eſt, ut quemadmodùm in illa fuerint donationes, juſtificationes, & honorationes, ſeu promotiones, ſic & in iſta Certum autem eſt, quòd illa ibi fiunt ſignis quibus diximus, ergo & adhuc hîc eo modo fieri oportet, quemadmodùm & ibi, cùm & eædem rationes & hinc & inde ſubſint, judices ergo & rectores ſpirituales, omnis etiam generis magiſtratus in iſta civitate eſſe oportet, quemadmodùm & ibi. Ampliùs. Camerarios, & diſtributores, ſeu diſpenſatores divitiarum ſeu donorum ſpiritualium, quemadmodùm & ibi Et ſicut reges, ſeu rectores civitatum miniſtros habent atque diſpenſatores, qui omnia bona eorum habent in manibus qui rationem reddunt regibus de omnibus, & illis omnes inferiores, atque minores diſpenſatores; ſic & civitatem iſtam maximum unum diſpenſatorem ſeu maximos multos habere neceſſe eſt, quibus omnia dona ſpiritualia, & divitiæ commiſſæ ſint, hoc eſt, quorum miniſterio diſtribuantur, qui & regi univerſalem de omnibus illis rationem reddant, quibus & inferiores omnes diſpenſatores ſuarum adminiſtrationum rationem reddant. Propter hoc neceſſe eſt civitatem iſtam habere & clavigeros, & janitores. præcones, duces, judices, & magiſtratus, & alia hujuſmodi. Ampliùs. Sicut veſtimenta ad veſtitiones, & ornamenta ad ornationes, & munimenta ad munitiones, ſic ſacramenta ad ſacrationes, & generaliter omne id, quod non ſine alicujus adhibitione, ſive applicatione perfici habet, aliqua actio ad ipſam actionem ſimiliter ſe habet. Quemadmodùm ergo cuicunque & quandòcunque & ubicunque neceſſaria eſt veſtitio, illi, & tunc, & ibi neceſſarium eſt veſtimentum, ſic cuicunque, quandòcunque, & ubicunque neceſſaria eſt ſacramentatio, & ſacramentum, non à ſimili, & à proportione tantùm, ſed ex illa radice, quam diximus, quæ eſt propoſitio per ſe nota, & radix per ſe ipſam ſtans, & fixa. Cur autem ſacramenta, aut ſigna viſibilia ſint adjuncta, aut illa habere debeant, jam diximus, veruntamen ſacramenta ſigna viſibilia diximus intra proprietatem locutionis, ita ut viſibilia intelligatur, quemadmodùm monachus niger, & albus plerunque Interdùm enim ipſum ſacramentum viſibile eſt ſicut ipſa forma ſacratiſſimæ Euchariſtiæ viſibilis eſt, & neque ordo neque matrimonium, neque baptiſmus in ſeipſis viſibiles ſunt, & propter hoc cautè intelligendum eſt, quòd ſacramentum dici conſuevit viſibilis forma, vel viſibile ſignum. Ampliùs. Quia non meliùs erudiri potueramus ad ignota, quàm per nobis notiſſima, & uſitatiſſima. Ad cognoſcenda ergo ſpiritualia lavacra, & lavationes, ſpiritualia unguenta & unctiones, ſpiritualia illuminamenta, & illuminationes, ſpiritualia indumenta, & induitiones, & cætera hujuſmodi non meliùs erudiri poteramus, quàm per viſibiles horum ſimilitudines & deſignationes. Res autem ſuis deſignationibus conjungi conſueverunt in donis immobilium, & donationibus, in honoribus, & honorationibus, in magiſteriis, & magiſtrificationibus, ut ita loquamur. Simul enim conſueverunt datio anuli, & rei per anulum ſignatæ, datio coronæ, & regis, datio magiſterij, & libri, datio præbendæ, librique, & panis, datio clavis, & ad hunc modum de aliis; conveniens eſt ergo, ut cum unctione viſibili inviſibilis, & ita de aliis. Ampliùs. Quia ſanctificatio opus immediatum eſt divinæ omnipotentiæ, & virtutis, neglecta & inhonorata divinitate. meritò avertitur, ne adſit negligentibus, & non honorantibus, ſimiliter ingratis, & non cognoſcentibus, ſic & præſto eſt, & adeſt invocantibus, honorantibus, atque adorantibus, & gratias agentibus. Negligit autem, & omninò non honorat, qui nec invocat, maximè ad illud, quod ſolius ipſius opus eſt clementiæ ac magnificentiæ ipſius donum. Quia ergo ſanctificatio eſt opus ſolius divinæ virtutis, ac miſericordiæ, ad illud maximè invocanda eſt ne non invocata meritò dedignetur adeſſe. Manifeſtum eſt ergo ad omnem ſanctificationem quæ miniſterio hominum fit, invocandam eſſe divinam virtutẽ, atque clementiam. Et ſi temporalia etiã iſta non rogatus tam multis, & tam multotiens largitur, & his, qui non ſolùm gratias non agunt, ſed inde armantur in ejus contumeliam, deſtruentes primùm in ſemetipſis virtutem, honeſtatem, atque decorẽ, deinde in aliis pro viribus impugnantes Dei cultum, & honorificentiã, quantò magis amatoribus ac ſervitoribus ſuis invocatus, atque rogatus, ſpiritualia dona præſtabit, quæ omninò ſunt ad honorẽ & gloriam ejus, percipientibus autem ad ſalutem, & vitam? Ampliùs Manifeſtum eſt ſolos cives hujuſmodi civitatis ſanctitate, quam diximus, Deo eſſe placitos ſeu acceptos, ſoli enim iſti gloriæ ipſius inſerviunt, & juxta benepla-

Dei cultus

Vita vitioſa in Dei cõtumeliam.

Nominũ communicatio.

Sacramentum quid.

Sanctificatio opus divinæ virtutis.

E citum ejus omnia facere, ſoli ſtudent atque conantur. Soli ergo digni ſunt, ut precibus, & invocationi eorum adſit exauditor Deus Cæteri autem hominum, non ut veri homines vivunt, immò penè tota vita eorum, aut Dei contumelia eſt, aut aliorum hominum injuria . aut dehoneſtatio, ſeu inquinatio propria. Ampliùs. Vota, & deſideria hujuſmodi hominum, preceſque & petitiones raro, vel nunquàm ſunt de his quæ Deo beneplacita ſunt, ſibique & aliis ſalubria. Cùm ergo nec ipſi digni ſint exaudiri, nec ea quæ petunt digna fieri, manifeſtum eſt precibus eorum, & votis, Deum adeſſe non debere; neceſſe eſt ergo hanc ſolam Deo eſſe dilectam civitatem, ejuſque votis & precibus ſemper adeſſe divinam virtutem, atque clementiam. Et quia vota ejus & preces per Dei gloriam, & honorificentiam maximè ſunt ſanctificata, ad obtinendam eam non habentibus, aut conſervandam, & augendam jam illam habentibus, neceſſe eſt, precibus & invocationibus hujuſmodi civitatis, eos ſanctificari, pro quibus ea funduntur niſi rebellione, & pertinaciâ malitiæ ſuæ aut deſidiâ, & negligentiâ ſuâ hoc ipſi impedierint. Preces autem & invocationes ipſius diximus, ſive quas ipſa totas per ſemetipſam facit, ſive quæ ex parte ejus, & nomine fiunt. Poſtquàm autem jam declaravimus civitatem hujuſmodi debere eſſe quæ meritò & Deo dilecta, & ſanctificata dicenda eſt, & dedimus cauſas in hoc, videlicet Dei gloriam, ſive honorificentiam, & hominum perfectionem, qua impoſſibile eſt univerſaliter eos privari, & quia non decet divinæ ſapientiæ providentiam negligere, aut ſpernere maxima. & nobiliſſima, & tam ſtudioſè curare minima, atque viliſſima, atque nulla ex parte illis comparanda, & quia non eſt poſſibile naturam cujuſcunque generis in ſua materialitate, & potentialitate remanere univerſaliter, ita ut ex nulla parte ſui perficiatur quod utique eſſet in genere humano, ſi iſta perfectio non inveniretur in eo, adjecimus, & quia regnum ejus pro magna, & nobili ſua parte detruncatum eſſet, ac mutilatum, ſi iſta civitas ab eo deeſſet, deinde quia genus humanum magis in ſui contumeliam, & in proprium interitum creaſſet univerſaliter . ſi iſtam perfectionem ei non appoſuiſſet. Poſt hæc quanta confuſio res humanas ſequeretur etiam inſinuavimus. Dicimus etiam quia per ſe debitum eſt, ut ei, quia Deus eſt, ſit templum; & quia Rex eſt, regnum; & quia Dominus, domus; & quia in templo ejus debet eſſe cultus ejus, & ſacerdotium, & alia cultus ejuſdem debet eſſe lex ipſius, & magiſtratus, & judices, & præcones, varijque divitiarum ſpiritualium diſpenſatores inſtar civitatis forinſecæ in ſuis forinſecis, id eſt temporalibus benè diſpoſitæ. Et juxta hoc conſequens eſt ut in hac ipſa domo ſit familia tam ordinata, & varia famulantium officia, ita ut ibi ſint, & panifices, & pincernæ, & dapiferi hujuſmodi cæteri. Fecimus etiam inſinuationem de exercitu, de bellico apparatu ipſius. Oſtendimus etiam quia acquiſitio hujuſmodi civitatis, acquiſitio eſt perfectæ juſtitiæ, ſublimis, ac præclaræ urbanitatis, morumque nobilium, quibus ſub Deo rege, & rectore militatur, eique vivitur, & quòd in adeptione civitatis neceſſariò deponitur omnis morum ruſticitas, & vitiorum impoſitio Diximus etiam quia in ingreſſu templi iſtius induitur ſanctitas, & deponitur omnis prophanatio, & omne quod à famulatu, & à familiaritate Dei nos vel avertit, vel elongat, & quia in ingreſſu hujus domus, tam Dei famulatus, quàm ejus familiaritas, ſive domeſticitas ſuſcipitur, & in ingreſſu iſtius exercitus vires, & arma contra hoſtes ſpirituales, & vitia dantur ingredientibus. Adjecimus etiam quia hujuſmodi tem-

Nota.

Epilogus ſuperiorũ.

Nota.

Familia benè ordinata.

Epilogat.

E pli conſecrator & ædificator, hujuſmodi civitatis aggregator, & adunator eſt ſolus Deus, ſic hujuſmodi exercitus aggregator, & præparator, & dux eſt ipſe ſolus. Adjecimus etiam, quia adunatio, & aſſociatio, hominum in communitate ipſorum non poteſt fieri, niſi in communione viſibili, & propter hoc communione viſibilium ſignorum adunando, eos eſſe intrantes in civitatem iſtam. Impoſſibile eſt enim quamdiu denegatus eſt nobis aſpectus inviſibilium noſtrorũ, id eſt interiorum, nos adunari in ſocietatem quancunque, ita ut ex nobis fiat, vel exercitus, vel familia, vel civitas una, vel Eccleſia una, niſi communione aliqua vel ſigno viſibili, ubi etiam exempla poſuimus de lapidibus diſperſis, & de fratribus fraternitatem ſuam ignorantibus. Dedimus etiam cauſas & utilitates quatuor ſignorum viſibilium & diximus quia illa convenientiora ſunt noſtræ eruditioni in parte iſta, quæ majorem habent ſimilitudinem cum inviſibilibus, ſeu ſpiritualibus, ad quorum cognitionem communitas hominum non niſi per viſibilia poteſt contingere in ſtatu vitæ præſentis. Et diximus quia uſitatis, & certis apud nos, nobiſque notiſſimis ſimilitudinibus, maximè erudiendi ſumus, eo quod per maximè nota ad ignotorum notitiam maximè convenientiùs pervenitur. Et quia intentio Sacramentorum duo continet, videlicet ſacrationem, & deſignationem, ita ut ſacramentum ſacrativa deſignatio ſit, aut deſignativa ſacratio, per ſe autem nota ſit neceſſitas, & utilitas ſacrationis; ſtabilitæ autem ſunt deſignationes utilitatibus, & rationibus, quas jam diximus. Stabilita etiam eſt conjunctio deſignationum in his quæ jam diximus. Stabilita ergo eſt tota ratio ſacramenti in eo quod ſacramentum. Quòd ſi quis dixerit, quia hujuſmodi civitatem impoſſible eſt eſſe ſecundùm naturam per modum affectionis, verum dicit, quia reverà impoſſibile eſt naturam humanam hanc perfectionem attingere humano affectu; nihil enim poteſt naturaliter ultra ſe, ſeu ſupra ſe perfectio autem iſta ſupra naturam & ultra naturam eſt, & ſuper eam deſurſùm deſcendens à primo fonte, univerſalique bonorum. Quamquàm magis naturale eſt omnibus hominibus, hoc eſt naturæ eorum magis congruens, ut ipſum fontem bonorum in primis, & maximè diligar, conſequenter autem alia propter ipſum, cùm manifeſtum ſit unumquodque diligendorum ad id, & propter id diligendum eſſe, ad quod & propter quod ipſum eſt. Omnia autem ad ipſum ſunt, & propter ipſum, & hoc eſt ad gloriam, & propter gloriam ipſius Dubium eſſe non debet omnia illa diligenda eſſe hominibus ad ipſum & propter ipſum, & propter hoc in primis ſeipſos, & ſua omnia conſequenter convertere debeant in ejus obſequium, & honorem. Quantâ autem benevolentiâ ſe ipſos ad invicem adjuvare, & amplexari debeant, tria indicant evidenter. Primùm indigentia, qua ſe naturaliter mutuò indigent. Potentiſſimus enim, ac ditiſſimus inter homines, extremo artifice, ac viliſſimo opus habet, ſcilicet fabricatore acuum, & cæſore [illegible]orum. Et generaliter nullum eſt reperire, qui multis operibus, & operibus aliorum non egeat, & ideò non minùs pauperes divitibus indigere, quàm econversò, dubitare non poteſt, niſi cæcutiens mente, ſive cœcus. Secundùm verò eſt, innata nobis ſemina bonarum affectionum uniuſcujuſque in alios. Hæ ſunt alieni boni gaudium & compaſſio alieni mali, gaudium de alieno bono & affectiones ſemina vocamus, & compaſſiones perfectionis, quæ eſt in civitate, quam diximus. In viris enim perfectis ad illum animum pervenit compaſſio, ut ipſam mortis paſſionem ſuperet; ſic quandóque ex compaſſione aliorum, etiam in mortem ſe tradunt, ut aliis parcatur.

Inviſibilia non niſi per viſibilia cognoſcuntur.

Intentio ſacramentorum duo continet.

Vide.

Tria notanda.

Affectiones.

Digitized by Google

A Semina autem ſunt iſtæ affectiones, prout innata ſunt nobis, velut arbores nobilium fructuum, hoc eſt ſublimium operum feraces, cùm ad ſummum ſuæ perfectionis eductæ fuerint divinę gratiæ largitate. Tertiùm ipſa eſſentialis ſocietas qua in ſpecie unum ſunt. Si enim ſocietas membrorum, atque compago, quæ illis à foris eſt, & ab accidente, ea adinvicem ſic aſtringit ut tanta ſibi promptitudine ſubveniant, ſeſe invicem defendant, alterum pro alterius periculo clipeum opponat, ut pro oculo manus, cùm inter ea tanta ſit naturæ diverſitas, & etiam contrarietas, quantò fortiùs ipſa eſſentialis hominum ſocietas, quam diximus vincet contrarietatem ac diverſitatem, quæ illis à foris eſt, & ab accidentibus, & aſtringet eos atque colligabit benevolentiâ completâ in ædificationem præclari, ac nobiliſſimi corporis, quod diximus civitatem, cui corpori propter nobilitatem, & excellentiam ſuam non B aliud decet eſſe caput, quàm Deum, non alium ſpiritum vivificantem ipſum hac vita, quam diximus, & in tres ramos extendimus, quàm ſpiritum Dei; hæc eſt vita quam vocamus gratiæ, vita naturæ ſupra omnem comparationem præſtantior, hujuſmodi vitæ donum, ſi non largitor bonorum iſti corpori daret, corpus ſibi congruum ab ipſo non procederet, & ſeipſum majori gloriæ ſuæ parte deſtaudaret, & officium largitatis, prout ſibi congruit non impleret Majoris namque gloriæ eſt Deo in tanta infirmitate, in tanta rebellione vitiorum, & dæmonum in tanta contradictione, & repugnantia, hominum vita ſancta, & juſta Angelorum. Hîc enim & victoria eſt, & admiratio virtutis ſuæ propter ſuæ beneficentiam largitatis. quid enim victoriæ poteſt eſſe, ubi nullum bellum, nulla omninò repugnantia? C Et ſicut comedere, & bibere guſtu ſuaviſſima nihil admirationis habent in ſanis, & ſanum palatum habentibus; ſic multò incomparabiliter comedere panem vitæ omne delectamentum, & omnem ſuavitatem ſaporis in ſe habentem, & bibere torrentem inæſtimabilis, & incogitabilis voluptatis omninò nihil habet virtuoſæ admirationis. Mirabilia autem hujus civitatis nos cauſâ brevitatis tranſimus. quia autem ſupra diximus totam vitam civium civitatis hujus Dei honorificentiam eſſe, ſive obſequium, totum propriæ congruentiæ officium, totum aliorum hominum ſubſidium, ita intelligi volumus, ut iſta tria in ea prævaleant, & prædominentur, fortaſſis enim non contingit in vita iſta omnem cogitationem, omnem affectionem, omnem locutionem, & operationem in tribus iſtis expendi, quamquàm divinæ omnipotentiæ hoc facere nec impoſſibile, nec difficile ſit. Et quia ingreſſu civitatis iſtius omne, quod ejus civilitati contrarium eſt, deponitur & omne quod foras ejicit, aut foris detinere poteſt, exuitur, & libertas ejuſdem civitatis ſuſcipitur, D hoc autem eſt plena juſtificatio, manifeſtum eſt quia introductio in iſtam civitatem plena juſtificatio eſt, & introductio in iſtud templum plena ſanctificatio, ſive ſacratio, & introductio in iſtud corpus plena vivificatio. Ab ingredientibus ergo diſcedat omnis execratio, omnis injuſtitia, omnis mors vitiorum, & peccatorum. Participes ergo efficiuntur ſanctitatis templi hujus participes juſtitiæ, & libertatis civitatis iſtius, participes vitæ corporis hujus efficiuntur ingredientes ſic, participes familiaritatis, & famulatus Dei patris familias, qui introducuntur in domum iſtam, participes armaturæ, & totius bellici apparatus, qui aſſumuntur ad hæc, ut ſint de exercitu iſto. Si quis autem dixerit, quid erit, ſi fortè Deus per ſemetipſum ſua benignitate alicui infuderit omnia dona gratiarum iſtarum, in quibus conſiſtit iſta civitas præclara, & hoc nullo homine adhibente foris aliquid miniſterii, nunquid iſte non vivit de ſpiritu corporis hujus, ut alia membra? Eſt ergo de corpore eodem modo, & de domeſticis Dei, & civitatis iſtius civis, & hoc utique verum eſt, licet non habeatur, aut reputetur civis. Dicimus enim de illo quia ſi ſcit, vel credit civitatem iſtam eſſe, & non prohibeatur impoſſibilitate aliqua aggregare ſe civitati iſti expreſſa profeſſione, & evidenti ſuſceptione legis, & judiciorum civitatis ipſius, ſe aggregabit eidem omnis generis enim homines ſimilitudo morum ſociat & adunat, quemadmodùm ſimilitudo naturarum alia animalia. Quòd ſi neglexerit, aut contempſerit, videlicet ſe aggregare, atque adunare huic ſanctæ ſocietati, manifeſtum eſt illum jam non pertinere ad illam Si enim pertineret ad ipſam, pertineret ad ipſam ex ſimilitudine, cùm pertinentia ad illam non ſit, niſi ſimilitudo, & conformitas in ſanctitate, & juſtitia, & certa morum laudabilium honeſtate. Similitudo autem, & conformitas morum neceſſariò prohibet ipſum à ſegregatione à ſuis ſimilibus. Præterea ſi nec vult iſte haberi, nec reputari ut civis civitatis iſtius, aut hoc eſt ex ſuperbia, aut indignatione per quæ jam foris eſt, & prohibetur omninò eſſe civis, aut ex metu aliquo alio, & ipſe metus ſimiliter ipſum eſſe civem non patitur. Jam enim corde negavit Dominum, qui metuit haberi, vel videri, vel profiteri, vel confiteri non audet cultum ejus, quem ſola civitas iſta eidem exhibet, vel impendit. Si quis autem dixerit, quid prodeſt videri, vel haberi civem civitatis illius? Dicimus quòd multùm per omnem modum. Primùm, quia hoc eſt Deo ad gloriam, ſcilicet inter Dei hoſtes, inter cultus ejus, ac religionis ejus perſecutores, Deum confiteri, & illum profiteri. Secundò eſt ei ſpecialis & expreſſa amicitia, & bonorum communicatio ab illis, qui hæc vel noverint, vel crediderint: non enim communicabuntur bona, quæ ſolis amicis communicanda ſunt, nec exhibebitur amicitia, quæ ſolis amicis exhibenda eſt ei qui nec ſcitur, nec creditur amicus eſſe. quemadmodùm ad communicationem hæreditatis tuæ, vel participationem, nullatenùs admittes eum, quem nec ſciveris, nec crediderís fratrem tuum eſſe. Vides ergo quantùm cedet Deo ad gloriam, quantùm hominibus ad conciliandum inter eos factam amicitiam, ad communicandam invicem mutuam beneficentiam, haberi manifeſtè civem civitatis iſtius, & apertè profiteri ſanctam civitatem. quia autem omnes, qui foris ſunt, inimici ſunt civitatis iſtius utpote amici, vel ſervi potiùs vitiorum, & hæc, ſi quidem adulti ſunt, bonique & mali capaces, & eo ipſo inimici Dei, quo cultum & religionem ipſius in ſemetipſis deſtruunt & eo ipſo neceſſariò illum in aliis perſequuntur, manifeſtum eſt eos, qui in civitatem iſtam, & ad ejus civitatem aſſumuntur quaſi ab hoſtibus, ad pacem, & amicitiam Dei redire, ideòque eos expreſsè ab hoſtibus recedere, atque cum Deo, & ejus civitate pactum inire, fœduſque, & amicitiam firmare per verba iſta: Abrenuncias Sathanæ, & omnibus pompis ejus? quid enim aliud ſonant, quàm recedis-ne ab hoſtibus Dei, & omnibus actionibus eorum, & operibus quibus ipſum impugnant? Deinde cùm interrogatur vis Chriſtianus eſſe? quid aliud ei dicitur, niſi vis ſubire, & tenere legem, & ſervare mores civitatis iſtius, quæ Chriſtianitas vocatur? Quæ omnia cùm promiſerit, & firmaverit, quid reſtat, niſi ut admittatur ad Dei pacem, & amicitiam, & ad civitatem iſtam nobilem, & conſortium ſanctorum? Ei autem qui ad pacem, & amicitiam verè recipitur, nihil eidem nec vindictæ à parte recipientis reſervatur, plenam ergo remiſſio-

Mirabilis Deus in gratia largitione.

Objectio.

Civitas bonorum.

Quid ſit in civitatem Dei aſcribi.

Digitized by Google

nem conſequitur. Ampliùs. Si ille totaliter recedit à culpa, ita ut nihil ejuſdem retineat, vel reſervet, neceſſe eſt, juſtum judicem Deum totaliter recedere ab ejus pœna, & nihil ejuſdem eidem in poſterùm reſervare. Hîc autem intelligimus pœnam ut pœnam, & vindictam, quam impoſſibile eſt Deum amico jam facto recogitare. Aliud enim eſt dicere, quia pater flagellat filium, aliud eſt dicere percutit inimicum. Scimus enim amicos Dei ab amantiſſimo, ac miſericordiſſimo patre Deo mala iſta pœnalia recipere, & hæc non ut pœnam, ſeu vindictam iracundiæ, ſed magis ut correctiones, & medicamenta ſtultitiæ, & adjumenta virtutis, ut malleationes ſive fabricationes, & tunſiones, ſive ablutiones, & candidationes. Hæc autem quis, niſi delirus, atque inſani capitis, unquàm dicet perſecutiones, ſeu vindictas? Quis enim dicet fabricationes vaſorum, & malleationes metallorum vindictas eſſe, aut perſecutiones eorum? Si quis autem dixerit, quia in neutrum poſſunt, qui ſic veniunt, dicendo ſe recedere à vitiis, & dæmonibus, cùm non recedant, & ſe velle inire fœdus, & amicitiam cum Deo, & civitate ejus, cùm adhuc corde inimici perſeverent: dicimus planè, quòd iſti à ſancta civitate longiùs ſe faciunt, quàm eſſent ante. Priſtinæ enim elongationi, quæ non erat niſi peccata, & vitia eorum, addunt elongationem aliam, videlicet ſimulationem, & mendacium. Quantò enim ampliùs peccant, tantò longiùs ab ea fiunt & hoc eſt quia quantò magis peccatores, tantò eidem diſſimiliores. Ipſa autem diſſimilitudo morum, ipſa eſt elongatio ab ipſa civitate. Et quia cives civitatis iſtius non ſolùm ſervi Dei ſunt, ſed etiam filij gratiæ, & adoptionis jure & meritò expectantes regni cœleſtis hæreditatem, cujus immobiliſſimam poſſeſſionem poſt hanc vitam perpetuò habebunt, manifeſtum eſt, quia iſta reconciliatio, quam diximus ad Deum, & civitatem ſuam venientium, nihil aliud eſt, quàm ſuſceptio eorum in filios, amicos, famulos, & domeſticos. Manifeſtum eſt ergo nihil iræ, aut damnationis eiſdem eſſe. Ampliùs. Si quid iræ reſervatur, vel odii, eſſet dimidiata pax, & amicitia, præterea proditioſè, & fraudulenter ageretur cum eis, ſi utraque rependeretur. Ampliùs. Nec inter homines reperitur iſta varietas, & ſi inveniretur deteſtabilis eſſet, atque damnabilis, ut amicus integer ad amicitiam dimidiam reconcilietur, quantùm ergo fortiùs divinæ bonitatis perfectionem non deceret iſta dimidiatio? Ampliùs. Ipſa eſt forma, quâ non veniunt ſic, niſi qui credunt ſe longè à Deo fuiſſe, quæ elongatio, ut diximus, non eſt niſi ipſa diſſimilitudo, quæ vel eſt ipſum peccatum, vel ex peccatis. De regione illa diſſimilitudinis non veniunt, niſi qui illam deſerunt, nec Deo reconciliantur, niſi quibus indulget Non enim indulget niſi recognoſcentibus, & veniam petentibus. Non petit autem veniam, niſi qui ſe deliquiſſe cognoſcit. Qualiter autem obtinebit, qui eam petere negligit, aut dedignatur? Venientibus ergo iſta duo neceſſaria ſunt, videlicet recognitio peccatorum & veniæ poſtulatio, quia nec illa deſerit quis, in quibus ſe non cognoſcit peccaſſe, nec ſibi illa ignoſci poſtulat, nec iſta ſentit exteriùs ſibi viſibiliter, ſeu ſenſibiliter neceſſaria ſentit: non enim admitterentur à civibus in civitatem iſtam introducentibus, niſi qui cives effici vellent, & cum Deo, & ejus civitate pacem eos facere velle, atque ab inimicis ejus velle recedere in eis apparuerit, & hoc firmiſſima promiſſione. Declaratum eſt ergo, & ſtabilitum, quòd venientibus ad Deum, & ejus populum effici volentibus, neceſſaria eſt exterior recognitio peccatorum non ſolùm interior, & expreſſa nomine poſtulatio, exte-

Pater quomodò flagellat filium.

Cives Dei.

Exterior cognitio peccatorum neceſſaria.

E riorque negatio hoſtium, ſive receſſio ab ipſis, necnon promiſſio, & profeſſio legis, & morum civitatis, ſive populi ipſius, quibus ſi adeſt ſubſtantiæ veritas interiùs, verè intrant, alioquin longiùs ſe faciunt. Manifeſtum eſt etiam ex his quòd primo ſacramento efficitur ingreſſus primus, & quòd eo paratur plena ſanctitas templi Dei, & plena juſtitia civitatis ipſius, &c. quę nominavimus Et quoniàm qui veniunt, nec dum intùs ſunt, nondùm digni ſunt, ut quod petunt obtineant, & dignum & juſtum eſt, ut in hoc à toto Dei populo adjuventur, ut ad id quod orationibus ſuis obtinere non ſufficiunt eiſdem amicorum Dei orationibus impetretur, vel ſi fortè per Dei gratiam antequàm intrent viſibiliter civitatem iſtam veniam delictorum obtinuerint, alia dona ſpiritualia orationibus, & divini nominis invocationibus ſuper ipſos factis, augmententur, & conſervatio ipſorum eiſdem obtineatur: modis ergo omnibus neceſſe eſt, ut qui admittuntur, aut aſſu- F muntur ad ſanctorum conſortium, cum orationibus, & divini nominis invocationibus fiant. Quia enim ſolus Deus eſt, qui introducit in hujuſmodi conſortium ſolus ſpiritus eſt, qui vitam gratiæ in quos venit, extendit, ſolus dona ſua communicat quibus vult, decens eſt, ut glorificetur ex tam mirabili opere, & gratiæ agantur eidem ex tam pretioſo dono, & ut ab eo poſtuletur tantum beneficium, quantum eſt juſtificatio peccatoris, ut appareat quantùm amicis ſuis faveat & quantùm poſſint apud ipſum preces eorum, ut ex hoc ad ejus amicitiam inimicis ejus etiam provocentur, quæ omnia orationibus, & ſui nominis invocationibus fiunt manifeſtè, & hoc in ipſis orationibus ſanctis, & divini nominis invocationibus expreſſè continetur. Non enim ritè oratur, aut invocatur clementiſſi- G mus Deus, niſi præmiſſis laudibus & gratiarum actionibus, aut ſaltem immixtis, ſive annexis orationibus, & invocationibus pro beneficiis jam ſuſceptis.

Orandus Deus quomodò.

CAPUT III.

Oſtendit reliquorum ſacramentorum neceſſitatem.

ET quoniàm plenè, ac perfectè pacificatis, ac reconciliatis Deo perfectione ſanctitatis, & in amicos Dei, atque domeſticos, ac familiares aſſumptis, atque ſuſceptis, quatuor reſtant perneceſſaria, videlicet, ut propter inſidias dæmonum, tentationes & inſultus ipſorum, vitiorumque in ipſa gratia ſanctificationis roborentur, & confirmentur, deinde ut hæc ipſa nutriantur in eis, & augeantur, tertiò H ut ſi fortè ab illa exciderint, eis poſtmodùm reparetur, quartò neceſſarium miniſterium, quo illa, quæ diximus, fiant, apparet evidenter neceſſitas ſacramentorum quatuor ſequentium. Primum, quod plenæ ſanctificationis diximus, videlicet ſacramentum confirmationis propter robur, & deinde ſacramentum ſacræ communionis, ſeu refectionis propter nutrimentum, & augmentum ipſius gratiæ, & ſacramentum pœnitentiæ propter reparationem ejuſdem poſt lapſum, ſive ruinam ab ipſa, & ſacramentum ordinis, quo præparantur & idonei fiunt miniſtri, per quos iſta electis beneficia diſpenſentur. Si enim in domo magna, & regno ampliſſimo temporali, neceſſe eſt miniſtros eſſe, per quos temporalia diſpenſentur, multò fortiùs in domo incomparabiliter magnificentiùs ordinata, domo, & regno ſpiritualibus, multò fortiùs inquam debent eſſe congruentia, & neceſſaria miniſteria, & miniſtri idonei per quos fiat diſpenſatio ſpiritualium donorum. Et quemadmodùm vis generativa noſtra non

Similitudo.

ſum

Digitized by Google

cum modo & modeſtia, nec lege auttemperamento rationis, communitatem hominum movet, aut incitat, ſed impetu, aut petulantia brutali, rapit atque præcipitat, & in flagitia non nominanda, in paſſiones ignominiæ, velut quædam vis & violenta tempeſtas impellit, quàm dignum, & juſtum ſit illam ad legem, & modeſtiam rationis reduci, & ab iſto tam turpi, tamque indecenti exceſſu circuncidi, nemo dubitat, vel ignorat, niſi quem voluptatis hujus vorago abſorbuerit, & ſpurcitia immerſerit, niſi qui ab humani generis generoſitate in brutalem deſipientiam degeneraverit.

Brutalis concupiſcentia.

Deinde quàm inordinatus motus ſit ipſe concupiſcentiæ, & etiam membrorum generationi deſervire natorum, qui nec juſſum rationis expectat, nec lege ejus cohibetur, aut comprimitur, aut moderatur, quis ignorat, quis qui hominis nomine dignus ſit? ignorantia enim hujuſmodi non hominum, ſed pecudum eſt.

Matrimonii neceſſitas.

Apparet ergo ex his neceſſitas ſacramenti matrimonii, quo ab iſta inordinatione, ſeu fœditate, ſanctificantur conjuges, & à tam incitanti, & turpi exceſſu circunciduntur. Sed de his latiùs in tractatu de matrimonio loqui proponimus. Et quoniàm egredientes de hoc mundo, qui jam ſunt Deo præſentandi dubitare non decet eos eſſe ſanctificandos ab his, quæ fortè ipſis in hoc mundo adhæſerunt, velut pulvis itinerantium pedibus, & à minimis, atque quotidianis inquinamentis, ſine quibus vita iſta non agitur, & hæc ſunt, quæ uſualiter venialia peccata vocantur: nec enim ſponſa ad ſponſum abſque ablutione aliqua & apparatu unquàm ingreditur, neque vas menſæ abſque reſinceratione ab urbanè agentibus unquàm infertur, nec ad ſolemnitatem, aut convivium regium abſque innovatione aliqua, atque decoratione quiſquam accedere præſumit.

Nota.

Quia ergo, ut ſponſa ad ſponſi thalamum ingreſſura, ut ad æternæ refectionis, & ſocietatis convivium, ut vas menſis cœleſtibus inferendum, & in theſauris incorruptibilibus reponendum eſt anima in extremis agentis jamjamque morituri, quàm neceſſarium ſit, & quantùm decens extremæ ſanctificationis ſacramentum, apparet intelligentibus. Ampliùs. Quia ſanctificatis utpote ad ſanctam, & ſpiritualem militiam aſcriptis, reſtant certamina, & bella acerrima contra dæmonem, & vitia, poſt ſuſcepta primæ ſanctificationis ſacramenta, & virtutum ornamenta, vel veſtimenta, militantibus, ſive pugnantibus, quis dubitat quin neceſſaria ſint robur, & refectio? Robur inquam, quo hoſtes viriliter perforté : graviter, fortiterque refellant. Deinde cibus, & refectio quo non ſolùm vitâ non deficiantur, ſed etiam in pinguedine ſpirituali, augmentoque proficiant. Per hanc viam ſtabiliuntur duo ſacramenta, ſcilicet ſacramentum confirmationis, & ſacramentum ſacræ refectionis.

Sacramentum confirmationis, & ſacra refectionis.

Quòd ſi dixerit quis, & in ipſa prima ſanctificatione præſtatur omne robur, & omnis fortitudo ſpiritualis, & omnis decor virtutum, & propter hoc patientia, fortitudo, & humilitas, cujus modi eſt ergo robur, quod præſtatur ſacramento confirmationis? cùm illud robur non poſſit eſſe nova virtus aut nova fortitudo, eo quòd omnes virtutes in primo ſacramento jam collatæ ſint: reſpondeo quia alia eſt fortitudo membrorum, ſcilicet lacertorum, humerorum, thoracis, & iterùm nervorum, oſſium, & cutis, & alia armorum, & cùm omnia arma virtutum, quas plenitudo ſanctificationis requirit, quis jam receperit, remanet in eo adhuc debilitas membrorum, propter quam ipſa arma eidem interdùm oneri ſunt, ſicut naturaliter iracundis ipſe clipeus patientiæ magni oneris eſt, propter quod & facilè illum projiciunt. Econtrariò autem ſe habet in eis, qui naturaliter mites

A ſunt, ſive manſueti. Quaſi enim ſub magnis ictibus, & tunſionibus perſecutionum, clipeum patientiæ adeò fortiter tenent, ut ex eis, nec excuti, nec eripi facilè poſſit. Poteſt igitur dici, quòd robur ſacramenti confirmationis, eſt ſicut robur membrorum, quo illo ſacramento roborantur ad portandum pôdus armorum, & ea quæ imminent. Sed de hoc in tractatu confirmationis meliùs loquemur. Ampliùs. Quia ſanctificatis vivendum eſt inter malos & cum bonis quidem non ſolùm amicabiliter, ſed etiam communiter: inter malos autem, qui communionem ſanctitatis, & aliorum bonorum ſpiritualium non ſolùm in ſe extendi, & uſque pertingere non patiuntur, ſed mala ſua in alios jaculari, & immittere multipliciter ſtudent atque conantur, neceſſe eſt electos amicitiâ, atque communione omnium bonorum, atque malorum pœnalium invicem eſſe

Nota.

B complexos, largos, atque perfuſos: ad malos autem, hoc eſt, ſanctitatis, & religionis inimicos, ac perſecutores, fortes, & patientes: ex gratia igitur primæ ſanctificationis in ſe ipſis electi, & ſancti, & juſti, Deoque per omnia placentes: duobus verò ſacramentis ſequentibus efficiuntur, ut ad alterum, quod debent, ad ſuos quidem, communicantes, ad adverſarios verò fortes. Hæc igitur differentia eſt inter primæ ſanctificationis gratiam, & iſtas duas, quòd illa eſt, qua ſanctè in ſe vivitur & Deo acceptabiliter: iſtis verò duobus quaſi ad alterum, & hoc ipſum nominibus ſacramentorum inſinuatur: firmitas enim neceſſaria eſt contra impellentes, & concutientes, communio verò in conſortes ſocios, & fratres. Hoc igitur duobus iſtis ſacramentis præſtatur dignè ſuſcipientibus, ſcilicet ut benè vivamus, & ut decet nos habeamus ad alios, vel ſaltem, ut hoc meliùs faciamus, quàm aliàs faceremus. Primo ergo ſacramento, ut benè vivamus in nobis, & Deo

Vide.

Cõmunio.

C acceptabiliter, ut diximus, ergo ſacramentum ordinis ſacramentum eſt ad alterum. Et quoniàm ſacramenta, ſpiritualia ſunt medicamenta, vel ſanitas ſpiritualis, per illa efficitur, & præſtatur. Ut autem medicamenta neceſſaria ſunt, ita & medici. Medici verò miniſtri ſunt, ſive miniſtratores medicamentorum ſpiritualium, qui ordinati ſunt, & ſanctificati ad ea miniſtranda. Apparet igitur neceſſitas, & utilitas quinti ſacramenti, quod ordinem diximus. Ampliùs. Quia virtuti iraſcibili duo imminent certamina, opprobriorum, ſcilicet & injuriarum ab aliis, quid mirum ſi adjuvanda, & roboranda ſit cõtra illa? Et hæc dicimus per ſacramentum confirmationis ei fieri; adjumentum verò ejus & robur, & ſancta impudentia eſt, & ſancta procacitas, quarum altera confirmatus non reputat opprobrium ſe

Sacramenta ſpiritualia medicamenta.

D Dei cultorem, conſortemque ſanctorum habere, vel dici: altera verò ipſum confiteri quocunque diſcrimine paratus eſt. Et propter hoc in ipſa fronte, quaſi quadam ſede pudoris, fit ſacri iſtius inſignitio, ſive impreſſio. Deinde quia virtus concupiſcibilis à duobus ſimiliter impugnabatur hoſtibus ſcilicet cupiditatibus, & concupiſcentiis, & ab his duobus polluebatur, neceſſariò & armanda, & ſanctificanda fuit contra illa. Manifeſtum autem, quia eſt ſacramentum matrimonii, & armatur, & ſanctificatur contra concupiſcentias. Sacramentum verò communionis ſacræ eſt contra cupiditates. Ubi enim omnia communia, ceſſat cupiditas divitiarum, bonorum, & hujuſmodi. Ampliùs. Ubi ſacra communio non ſolùm ſacramento tenùs eſt, ſed virtute interiori, & efficacia, certum eſt excommunicationem ſive appropriationem nihil ſibi vendicare, immò procul eſſe tanquàm anathema: ubi autem, nec excommunicatio, nec appropriatio, ſive proprietas, nec cupiditas, nec ambitio, manifeſtum

Digitized by Google

Effectus ſacramenti altaris.

eſt ergo, quia ſacta communio mundat & liberat à cupiditatibus, & hunc dicimus ſpecialem, & proprium effectum in ſacramento altaris, licet multa alia operetur; ſic & ſacramenti matrimonii proprium, & ſpecialem effectum dicimus mundationem, & liberationem à ſpurcitiis, ac mortiferis concupiſcentiis. Si quis autem quæſierit, quare contra inquinamenta gulæ non eſt inſtitutum proprium ſacramentum, cùm tot & tanta ſint? Reſpondeo, quia vitium gulæ magis eſt conſuetudine contractum, quàm innatum, & appetitui omni cibi ſive potus natura terminum poſuit ſatietatem, quæ utique parvo conſtat naturaliter: vitiis autem, & peccatis acquiſitis ſacramentum primæ ſanctificationis, & ſacramentum pœnitentiæ ſufficienter medentur. Ampliùs. Certum eſt quia nobis innata eſt puſillanimitas contra opprobria, & injurias, cujus pars quædam eſt ſtulta pudoroſitas. Similiter innata eſt nobis proprietas, ex qua dicimus meum, tuum, verba ſcilicet excommunicata & excommunicatione digniſſima. Innata eſt etiam nobis concupiſcibilitas, quia etiam ſanati ſpiritualiter facilè patimur recidivum. Meritò ergo contra puſillanimitatem firmitas, contra proprietatem communitas, contra concupiſcibilitatem caſtitas, contra recidivitatem, reſurgendi facultas divina nobis miſeratione præſtatur. Sacramento quidem confirmationis firmitas, ſacramento quidem ſacræ communionis communitas, ſacramento quidem matrimonii caſtitas, ſacramento pœnitentiæ reſurgendi poſt lapſum facultas, & hæc quidem de ſacramentis communiter diximus: nunc de numero & ordine illorum.

Nota.

DE SACRAMENTIS in ſpeciali, ac primùm. De ſacramento baptiſmi.

CAPUT I.

Non eget ſummario, quia auctor ſeipſum ſummat, quamquàm nec propriè ſummari poteſt.

DEinceps verò dicemus de nominationibus appropriatis ſacramento, conſiderationes proprias de ſingulis facientes. Et jam noſti, quia ad ſpiritualia intelligibilia non eſt via cognitionis, & doctrinæ, niſi per ſimilitudines ſenſibilium, niſi fortè perpaucis ſapientibus: divina autem ſapientia non intendit conſulere ſolis ſapientibus, ſed intentio ejus larga eſt in omnes, qui ſe ad illam erexerint. Et quoniàm ſapientiſſimi eſt per eam viam ducere inſipientes, qua convenientiùs, & faciliùs ad lucem veritatis venire poſſunt, decuit magiſtrum, eruditoremque omnium, rectè, & ſanè ſapientium, Deum, etiam viam eligere, quam ſcilicet utiliorem faciliorémque prævidit communitati hominum, ad cognitionem ſalutaris neceſſariæque veritatis. Ne ergo abhorreas, quòd ipſum Deum jam ſcis eligere debuiſſe communitati hominum erudiendæ expedientiùs, & aptiùs. Scito ergo, quia veriſſimè, rectiſſiméque dixerunt à Deo docti homines, vitium ægritudinem eſſe; vetuſtatem, & corruptionem, & putredinem, & vermem, & beſtiam malam; & vulnus, & mortem, & cathenam, & compedem, & carcerem, &

Similitudines & tropi, quibus vitium dicitur.

E tenebram, deinde & ſpecialiter lepram, paraliſim, febrem, inſaniam, ſeu furorem, & virtutem contrariis nominibus appellaverunt. Eodem modo ubi turpitudo, aut deformitas, aut mutilatio, vitium nominatum ab eiſdem ſapientibus audieris; attende ſimilitudines incommodorum ſpiritualium, & non abhorrebis loquelam eorum, immò quieſcet intellectus tuus in eis & laudabit rectitudinem illius, & diſeretudinem & prudentiam illorum. His itaque poſitis, faciemus, quod in omni doctrina, & diſciplina licitum eſt, ſcilicet accipiemus à ſenſu ea, quæ ſenſu ipſo nota ſunt omnibus ſcilicet perverſitatem virtutis noſtræ appetitivæ interioris, qua ea, quæ ſunt inhoneſta, ſicut venter appetimus, & nobis eadem benè ſapiunt. Contraria verò, econtrariò. Quemadmodùm ergo perverſitas, & corruptio virtutis noſtræ appetitivæ exterioris ægritudinem F exteriorem indicat, hoc eſt, corporis; ſic neceſſe eſt iſtum errorem, & perverſitatem appetitivæ interioris interiorem ægritudinem indicare hoc eſt ægritudinem mentis. quis enim dubitat errorem exterioris appetitivæ, quo appetuntur carbones, & cineres pro vero, & naturali cibo corporis, ægritudinem indicare corporis? Sic nulli dubium eſſe debet, errorem appetitivæ interioris, quo appetuntur omninò inconvenientia, & contraria, pro vero, & naturali cibo mentis, qui non poteſt eſſe alius, quàm veritas, & honeſtas, ægritudinem indicare mentis; ſic & de errore palati, ſive guſtu corporali. Quomodò aliàs? quandò enim quod amarum eſt, dulce ſapit, & econverſò, intelligitur ex hoc ægritudo, & mala diſpoſitio corporis. ſic cùm bona ſpiritualia, & ſancta, & honeſta nobis malè ſapiunt, contraria verò benè & delectabiliter, quomodò non ju- G dicabitur ex hoc errore, & perverſitate ægritudo, & mala diſpoſitio noſtræ mentis? Et hæc ægritudo nobis innata eſt, & originalis juxta hunc modum, & ipſo ſenſu notum eſt, quia animales, ſive brutales naſcimur; ita & ipſa rationalitas in nobis ſopita, & ſepulta manifeſtum ſimul. Si enim amoverimus ab hominibus doctrinam, & diſciplinam, flagella, & correctiones, atque juſtitias, & vindictas, quæ irrogantur per principes, & potentes, & eos abſque jugo, & repreſſione vivere ſuſtinuerimus, non homines vitâ, & moribus, ſed ſilveſtres belluæ apparebunt. Apparet ergo quomodò innata ſit animalitas hominibus, quæ ubi repreſſum non habet à Deo, creſcit, & tot repreſſivis non ſolùm non deponitur, ſed etiam vix, aut modicum ad modicum compeſcitur. Ampliùs. Cùm vires ſuperiores animarum noſtrarum, & præeſſe debeant, & imperare inferioribus, & propter hoc eſſe neceſſariò fortiores, econtrariò naſcimur diſpoſiti, ut non id, quo homines ſumus, & animalibus præeſſe, ac præeminere H debemus, quod utique in nobis nobiliſſimum, ac præſtantiſſimum eſt, quo & imago Dei ſumus: non inquam illud præſit in nobis, atque dominetur, ſed magis turpiter ſubſit, & ſerviat, & in multis hominum nullum ſui indicium exhibeat, ut in vita, & moribus eorum ſola brutalitas appareat. quid aliud iſtam perverſitatem vocare poſſumus, niſi vitium originale, & innatam nobis brutalitatem, ſive animalitatem, ſimiliter ægritudinem, qua omnes naſcimur laborantes? Congruunt ei, & alia nomina ſimilitudinum ſupradictorum; & quia contrarium eſt virtuti omni, atque repugnans meritò vitium, & quia honeſtati meritò inhoneſtas, & quia immixtio eſt, ſive adhæſio alienorum & ad animas noſtras omninò non pertinentium, inquinatio, ſeu ſordidatio meritò nominatur, ſiquidem brutales affectiones in anima humana, vel hominibus inquinamenta ſunt, & quia contraria ſanctitati, meritò execrabilitas,

Simile.

Ratio in nobis ſepulta.

Nota.

Perverſitas originalis.

★

execrabilitas, & quia vicinitas ad mortem æternæ damnationis, meritò vetuſtas, & propter alia incommoda ſenectutis, videlicet tenebrationem viſus interioris ac ſpiritualis, propter incurvationem ad infima temporalium, propter tremorem puſillanimitatis, propter rugoſitatem duplicitatis & mendacitatis, propter ineptitudinem generationis, & ſi quæ ſunt alia, ſimiliter & deformitas, & decoloratio, ex quibus omnibus manifeſtum eſt primum ſacramentum eſſe renovationis, quo iſta vetuſtas cum tota ſequela incommodorum ſuorum tollitur. Et ſacramentum baptiſmi, ideſt tinctionis; quo iſta tollitur decoloritas, nativitas quoque, & color ſpiritualis appellatur. Ampliùs. Quia nativitas ingreſſus eſt, & initium vitæ, mors verò finis eſt, & deſitio ipſius, neceſſe autem eſt vitam animalem deſinere, & finire in nobis. & ſpiritualem incipere, ut vitemus damnationem mortis æternæ, ac acquiramus retributionem vitæ æternæ; neceſſe ergo habemus mori, quantùm ad vitam animalem, & renaſci quantùm ad vitam ſpiritualem. Ex quo jam duo declarata ſunt, videlicet, quod veritas ait Jo. 4 Niſi quis natus fuerit denuò, non intrabit in regnum cœlorum, & propter quid ſacramentum primum dicatur ſacramentum regenerationis Quoniàm autem ad ea, quæ ſursùm ſunt, videlicet, ſpiritualia, & æterna bona naſcimur frigidi, & gelidi; ad alia verò, quæ deorsùm ſunt corporalia, hoc eſt carnalia. & mundana, fervidi, & ardentes, quorum utrunque vitium eſt, atque perverſitas, & propter hoc econtrariò nos habere oportet; manifeſtum eſt, quia ad ea, quæ ſursùm ſunt, caleſieri, & ſuccendi ad ea, quæ deorsùm ſunt, extingui, & infrigidari, atque congelari neceſſe habemus. Naſcentibus ergo filiis Adæ neceſſe eſt apponi aquam, & ignem, & in utrunque eos immergi. In aquam quidem, ut extinguatur illud perverſiſſimi ardoris incendium; in ignem, ut ſolvatur iſtud mortiferæ frigiditatis gelicidium & accendatur vivifici, & ſalutiferi ardoris incendium. Ardentes ſiquidem naſcuntur filii Adæ igne amoris perverſi, & illo quaſi operto & clauſo, flammis nequiſſimorum deſideriorum, & adhuc erumpere non valentibus, tempore ſcilicet infantiæ, eodem tamen igne cùm ad ætatem pubertatis veniunt, velut ingenti fornace, & camino conflagranti ardemus; aquam & ignem Spiritus ſancti gratiam eandem intelligimus, qua ad ea, quæ deſursùm ſunt, amore, & deſiderio ardemus; & ab his, quæ deorsùm frigemus, ſicut econtrariò uno, & eodem amore perverſo ad ea quæ deorsùm ſunt, ardemus. Et quemadmodùm eadem animalitate ad ea, quæ deorsùm ſunt, ardemus, à ſpiritualibus verò frigemus; ſic & eadem ſpiritualitate ad ſpiritualia ardemus, & ad ea, quæ animalitatis ſunt, frigemus. In aquam ergo videlicet gratiam, quam diximus, immergi neceſſe habent, & extingui filii Adæ, quam immerſionem non ſolùm fieri, ſed etiam viſibiliter deſignari neceſſe eſt ex cauſis, quas diximus. Neceſſe ergo eſt, & aquam viſibilem adhiberi naſcentibus filiis Adæ, & immerſionem viſibilem eorum in eam fieri. Quòd ſi dicat quis eadem ratione, & ignem viſibilem, & immerſionem in eo fieri, quia gratia, de qua loquimur, non magis aqua eſt ad extinguendum, & lavandum, quàm ignis ad accendendum, atque purgandum, nec minùs oleum ad ſanandum, ad regiam, & ſacerdotalem dignitatem præſtandam, & ad alia quæ olei ſunt; ſic & non minus ſal ad condiendum, conſervandum, vermeſque vitiorum, & putredines corruptionis conſumendum, propter hoc ſunt adhuc qui baptizant in igne. Nos autē dabimus cauſas, quare potiùs in aqua; licet enim ſal, oleum, ignis lucernæ & veſtis candida eandem gratiam ſignificent, quàm & aqua, tamen aqua expreſſioris eſt ſignificationis in hoc, & evidentioris ſimilitudinis, & facilioris præparationis, quàm alia. Adhibentur autem, & ſufflatio, & ſputi linitio, quæ ejuſdem gratiæ habent ſignificationem, licet ad aliud, & alia comparatione. Alioquin ſacramentum non haberet plenè ſolemnitatem ſuam. Ut ergo ipſa gratia Spiritus ſancti ſciatur ibi operari non ſolùm, ut aqua proportionaliter, & ſimiliter interiùs, ut aqua exteriùs, adhibentur & alia, ut eo ipſo cognoſcatur ibi operari, ut ſal, & oleum, lucerna. & veſtis. Ipſa enim gratia ungimur ad ſanctitatē, ad decorem, ad ſacerdotalem, & ad regiam dignitatem. Ipſa accendimur ad ea, quæ ſursùm ſunt, & illuminamur ad ſalutarem cognitionem. Ipſa condimur, conſervamur, & à vermibus, & à putredine ſpiritualibus, purgamur. Ipſa veſtimur, & ea hīc protegimur, & ornamur. Ipſa inſpiramur ut ſanctè, & juſtè vivamus. Ipſa aperimur ad percipienda, quæ Dei ſunt. Aquæ verò ſeptem, notæ ſunt communitati hominum operationes, quibus aquæ vivæ, ideſt gratia Spiritus Sancti comparatur: ſimilia enim operatur aqua viva naturalis, quarū operationum. Prima eſt ablutio ſordium. Secunda extinctio ardorum eſt. Tertia immerſio, qua necantur, ſeu ſuffocantur ea, quæ non habent vivere, niſi in ſicco, ſicut homines, & terreſtria omnia animalia. Juxta hunc modum in aqua viva contribulantur capita Draconum juxta quod ſcriptum eſt: Contribulaſti capita Draconum in aquis, vivis intellige, quæ capita, vel capitalia vitia intelliguntur, quæ capita Draconum infernalium vocantur, eo quòd tota poteſtas Dœmonum in homines ex ipſis vitiis eſt, vel ipſa originalis corruptio. Animalitas ſcilicet, & brutalitas. cum qua naſcimur, quæ habet multa capita potentialiter juxta illud quod Dœmon in Evangelio Marci dixiſſe legitur Mihi legio nomen eſt, quia multi ſumus, ſic & animalitas iſta tota multitudo vitiorum eſt, & tota illa multitudo quadrupedum, & reptilium, jumentorum, & animalium immundorum, quæ aperuiſſe legitur perfoſſum parietem, depicta in pariete per totum Ezechic. 3. Hęc eadem oſtenſa eſt Petro in 10 Actuum ubi dictum eſt ei: Occide & manduca. Unde & vetus homo, qualis ex Adam naſcitur, monſtrum eſt ex omni iſta monſtruoſitate compactum. Inde in 4. Sapi. dicitur Multigena impiorum multitudo non erit utilis in ſe. Ergo habet potentialiter ſimilitudines omnium animalium. Utitur latratu canino, ſcilicet dum litigat: rugitu leonino dum minatur, aut convitiat; garritu vulpino, vel lupino, dum ſimulatoriè, ſeu deceptoriè applaudit: ſibilatu ſerpentino, dum mala ſuggerit, & ad hunc modum de aliis Et eſt monſtruoſitas nondùm explicita, & convoluta potentialiter. Poſtmodùm autem explicatur, & evolvitur per longum, ſeu per longitudinem vitæ, & aptari poteſt veteri homini, juxta illud 14. Job: Nunquàm in eodem ſtatu permanet. Quo teneam nodo mutantem Protea vultus; quia juxta illud 14. Job, nunquàm in eodem ſtatu permanet, ſed nunc ſe canem perhibet latratu litigioſo, & aliis, quæ naturaliter in canibus inveniuntur, nunc vulpem fraudulentia, nunc aſinum ſtoliditate, nunc equum præcipiti impetuoſitate, nunc buffonem malignitate, nunc ſerpentem venenoſā mordacitate, nunc leonem iracundiæ animoſitate, nunc avem inquietā inſtabilitate, nunc lupum inſidioſā rapacitate, nunc aprum indomabili ferocitate; & ad hunc modum de aliis tota iſta monſtruoſitatis capita, quæ vetus homo eſt, & tota in eo eſt potentialiter, in aquis vivis contribulatur. Iſtæ imagines in

Vide. — *Sacramentum regenerationis.* — *Nota.* — *Sal in baptiſmo.* — *Aqua in baptiſmo.* — *Vetus homo monſtrum.* — *Homo Proteus.* — *Homo degenerat cor in bruta.*

Digitized by Google

civitate Dei, in ipſo ſcilicet ingreſſu civitatis ad nihilum redigentur. Quemadmodùm picturæ ſuperfuſione aquæ delentur. Hic eſt Pharao, & ejus exercitus, qui in aqua viva gratiæ velut in mari rubro immergitur: propter hæc tertia ſua operatione, & virtute, aqua viſibilis aquæ inviſibili comparatur. Quarta operatio regeneratio eſt, & toti communitati hominum notum eſt, quòd generatio ex aquis fiat, unde & pluvias expectant, & inundationes fluminum: & ubi iſta duo defuerint, vel exitus aquarum ad hortos, & lacus deducunt, vel aquas hauſtas ipſis hortis ſatis ſuperinfundunt quaſi ex aquis quærentes generationem fructuum, & ſegetum: & ſola aqua in generatione omnium terræ naſcentium tranſire videtur, cùm ſola in hujuſmodi generationibus non ſolùm non conſumitur, ſed nec etiã minuitur, immò accreſcit immò generationes iſtæ ex ſola aqua fieri nonnullis videntur. Quinta operatio aquæ renovatio eſt, ſicut legitur Job: Si ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere mortuus fuerit truncus ejus, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cùm primùm plantatum eſſet. Iſta renovatio evidens eſt in ſalicibus, quæ poſtquàm aruerunt juxta aquas plantatæ, & etiam ſub pluviis aliàs pluturis renovantur, & totum hoc continet promiſſio illa Iſaïæ Prophetæ 14. Effundam aquas ſuper ſitientes, & fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, germinabunt inter herbas, quaſi ſalices juxta præterfluentes aquas. Meritò ergo ſacramentum regenerationis, & renovationis, in aqua, & per aquam fit. Sexta operatio aquæ conglutinatio eſt, & congregatio eſt in diſperſione, & unitio à diviſione, ſicut apparet in pulvere, cùm aquâ aſperſus fuerit; ſic & à diſperſione cogitationum, & affectionum cor humanum aqua gratiæ colligit, & conglutinat, & velut pulverem in gleba compingit, ut fiat quaſi terra fertilis frugum, & fructuum bonorum operum. Non enim fruſtra dictum eſt impiis? Sicut pulvis, quem projicit ventus ante eum ſuper effuſionem aquæ vivæ; ſicut pulvis eſt cor humanum ad omnem frugem ſpiritualem ſterile. Septima operatio eſt mollitio; quemadmodùm enim terra ſiccitate indurata ſuperinfuſione aquæ vivæ mollitur, ſic cor & apertum efficitur, ut ſcripturam ſalutaris veritatis facilè recipiat, & impreſſionem divinæ ſimilitudinis, & imaginem bonitatis ejus facilè induat. Veritas quidem ſcribitur digito Dei, hoc eſt Spiritu ſancto in intellectu, & hoc velut quinque libris diſtincta. Primus liber fides. Secundus donum intellectus. Tertius donum ſcientiæ. Quartus donum conſilii. Quintus ipſa ſcientia, aliàs prudentia ſpiritualis, quæ deſurſum eſt, imago veræ divinæ bonitatis imprimitur affectui, ſive voluntati; hic eſt decor, quo mens humana in baptiſmo induitur, dum in ſalutari veritate ei inſcribitur intellectus: ſicut cum cæco viſus divina virtute attribuitur, non eo ipſo omnium viſibilium notitia eidem, ſed potiùs per quod illam acquirit, præſtatur; ſic ſe habet in quinque luminum hîc nominatorum menti infuſione, ſive quinque librorum inſcriptione; ſic divinæ bonitatis ſimilitudine ejus inſignitur, & ſigillatur affectus; juxta quod legitur in 8 Canticorum: Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum. Jam ergo manifeſtum eſt tibi, quia aqua expreſſioris eſt deſignationis & evidentioris ſimilitudinis ad aquam ſalutarem, atque vivificam, quàm ignis. Evidentioris inquam, & magis notæ communitati hominum, cui exteriora ſigna maximè deſerviunt. Eſt etiam facilioris præparationis. Et quia jam manifeſtum eſt, quia tingi in quocunque nihil aliud eſt

Pharao. *Generatio ex aquis.* *Aquæ effectus.* *Nota.* *Aquæ ſimilitudo.* *Tingi.*

E quàm ei aſſimilari, ſeu ſimile ei fieri; manifeſtum etiam eſt conſequenter tibi, quia neceſſe habemus tingi in igne ſpirituali, & inviſibili, hoc eſt igniri, vel ignes fieri ſimiliter in ſpiritu, id eſt ſpirituales fieri: ſic & in Deo, id eſt, dii, vel divini fieri; ſic & in Chriſto, id eſt, Chriſtiani fieri. Si quis autem quæſierit utrùm ſanctificatio ex aqua ſit; ſciendum eſt quòd non, ſed ex ſolo Deo datore, qui invocatus ad hoc adeſt & aſſiſtit & operatur intùs ad ſimilitudinem, & proportionem ejus, quod aqua habet operari exteriùs. Et verba iſta: Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, invocatio ſunt beatæ & glorioſæ Trinitatis, & hoc per inſinuationem, ac ſi diceret: Baptizo te, in nomine, id eſt, nominatim invocatis Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ſcilicet ad ſanctificandum te. Alii intellexerũt, nomine id eſt, in virtute Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Qui omnes intellectus boni ſunt, & catholici, ut ille intelligatur facere, cujus nomine, vel auctoritate fit, vel ex cujus parte fit, ac ſi diceret; non mea auctoritate ſed virtute Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Etſi ego miniſterium adhibeam, illud eſt quod ſolùm facio. Attende autem quòd tutius & ſalubrius eſt in generali hoc intendere per verba illa, & in generali intelligere in verbis illis, quòd veritas in Evangelio intelligi voluit & intendit, quàm ad in expreſſum, & in determinatum aliquem intellectum deſcendere. Verbis autem nec addendum, nec diminuendum eſt, nec tranſpoſitio facienda eſt aliorum, ſi tamen per errorem, vel per negligentiam aliquid tale factum fuit, dum tamen ſana ſit, & pura intentio baptizandi, dũmodò levè ſit, & modicum, & ſententia ſalva de ſenſu noſtro, non auderemus dicere aliquid deeſſe de plenitudine ſãctificationis ſic baptizato, quoniàm de hoc, & multa dicta, & ſcripta ſunt & ſtatuta, & hoc præter intẽtionem propoſiti noſtri, qui hîc ſtabilire tantùm ſacramenta intendimus, ac virtutem eorum, & efficaciam errorеſque impiorum, & incredulorum circa ipſa deſtruere tranſeuntes ad alia, formam baptizandi ab ipſis ſacerdotibus, & à ſummo ſacerdote maximè dicimus aſſumendam, & addiſcendam: inter nos enim, & incredulos non de forma baptiſmi, ſed de virtute, veritate & efficacia diſſenſio eſt. Redeamus ergo ad id, in quo eramus, & dicamus, quia virtute benedictionis, ſive invocationis divinæ, ſanctificatio fit: ut enim iſte qui baptizatur in aqua viſibili, ſive mergitur, baptizetur aquâ ſalutari inviſibili, virtus facit benedictionis, ſive divinæ invocationis, & hoc ſolo beneplacito, & abundantia divinæ pietatis, qua electis ſuis invocantibus ſe præſto eſt Deus, & in iſto miniſterio tanto promptius eſt, atque paratius, quantò iſtud eſt ad majorem ſalutem ſuſcipientis. Idem dicimus in ſacramento confirmationis, quòd invocatio divini nominis, ſeu benedictio operatur ipſum robur, & confirmationem in ſuſcipiente, & hoc ex eodem beneplacito, & abundantia divinæ bonitatis; ſic in ſacramento altaris, ut verus, ac vivificus panis, qui de cœlo deſcendit, adveniat, eadem benedictio, & ex eodem facit; ſic & in confitente, ut vincula peccatorum diſrumpantur, & dona gratiarum ei reſtituantur, benedictio ſacerdotalis & abſolutio facit; ſic & in ordinatis, ut gratia ſanctificationis & ſacri miniſterii ordo in eos veniat, Epiſcopalis manus impoſitio, & benedictio operatur; ſic & in conjugatis, ut gratia, & ſanctificatio, quæ eis poſtulatur, eiſdem donetur ipſa benedictio nuptialis impetrat; ſic & extremam unctionem recipientibus, oratio ſacerdotalis, & benedictio remiſſionem impetrat peccatorum, & corporum ſanitatem. Et hoc ipſum orationes Epiſcopales, & ſacerdotales expreſsè

Quæſtio. *Nota.* *Invocatio divini nominis.* *Nota.*

F G H

Digitized by Google

expreſsè continent. Sed & ipſe Dominus hoc ipſum teſtatur. Num. 6. Et benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Et poſt pauca. Invocabunt nomen meum ſuper filium Iſrael, & ego benedicam eis.

CAPUT II.

Hic docet malitiam miniſtrantium ſacramenta, non impedire effectum ipſorum ſacramentorum, idque oſtendit aptis ſimilitudinibus.

Similitudo apta.

INvocationes autem iſtæ, & benedictiones, nomine Eccleſiæ, & ex parte totius populi ſanctorum fiunt, & propter hoc audit eos clementiſſimus Deus, licet per malos eidem miniſtros offerantur. Quemadmodùm enim princeps non vilitatem curſoris, qui ex parte amicorum ſuorum literas petitorias ei porrigit, ſed petitionem ipſam, & petentes, meritaque petentium, quidque eum facere deceat, potiùs attendit: ſic clementiſſimus Deus non vilitatem, aut indignitatem miniſtrorum Eccleſiæ ſuæ petitiones, & vota offerentium, & velut ore ei porrigentium, ſed potiùs ipſam Eccleſiam ſuam, & ejus merita, quidque magnificentiam miſericordiæ ſuæ facere deceat, attendit. Et ſicut ſolem viſibilem quantumcunque malitia aperientis feneſtram etiamſi ad furandum, vel occidendum hominem eam aperiat, non prohibet ab infuſione luminis & immiſſione radiorum, nec ipſum lumen prohibet malitia ejuſdem, quominùs ingrediatur, & domui ſe infundat; ſic ſolem intelligentiæ malitia quantumcunque miniſtri miniſterio ſuo viam præparantis lumine gratiæ ſuæ, & quaſi aperientis eam feneſtram cordis ejus, quem baptizat, non prohibet, nec lumen gratiæ quominùs mittet, avertit.

Adverte.

Attende autem quia ſolam feneſtram cordis Deus aperit, & gratiæ ſuæ ſolus ad cor hominum aditum pandit. Item ſicut agricolæ cupiditas, & malitia quantacunque, ſurculum oleaſtri incertum olivæ à communione vegetationis nutrimenti, & pinguedinis non prohibet, etiamſi ipſa inſertio ipſius mortale peccatum fuerit; ſic plantatum ramuſculum malitia plantantis, quominùs terræ hæreat, & eidem vitam, & incrementum Deus tribuat; ſic & malitia miniſtrorum nec divinæ bonitatis divitias, nec Eccleſiæ communionem ab eis, quos olivæ Eccleſiæ de oleaſtro agreſtis, & incultæ vitæ deciſos inſerunt, nec ab eis quos in terra Eccleſiæ plantant, avertet. Olivam vocat Eccleſiam ipſe Deus Hiere. 11. Olivam uberem, fructiferam, ſpecioſam vocavit dominus nomen tuum, & terram vocavit eandem in pſal. Benedixiſti domine terram tuam.

Eccleſia oliva vocatur.

Quemadmodùm de peccatis, vel malitia inſerentis, vel plantantis nihil ad olivam, vel terram; non enim agunt, nec agere nata ſunt in alterutrum eorum, & ideò non impediunt illas, neque quod Deus operatur per eas naturaliter; ſic peccata miniſtrorum in ipſis incluſa remanent, & non poſſunt impedire preces Eccleſiæ, quominùs Deus eas exaudiat, neque quod Deus operetur per ea, ſive per eam, maximè quandò nec ipſa peccata in hoc tendunt vel diriguntur, ut ipſam ſanctificationem impediant; & quemadmodùm natura olivæ non requirit, ut bonus & ſanctus ſit inſerior oleaſtri, ſed ſolùm opus inſertionis, & bonitatem, quam debet habere in eo quòd inſertio, videlicet proportionatam infixione, & firmam colligationem, & fortem compactionem, ne illabatur pluvia in ipſam fiſſuram inſertionis, & nullatenùs requirit, ut iſta ſint ſanctificata, vel ex charitate facta; ſic neque oliva Eccleſiæ requirit bonitatem ſanctitatis in miniſtris, vel cooperationibus eorum, ſed illam bonitatem inſertionis, quæ eſt obſervatio Eccleſiaſticæ formæ; bona eſt inſertio oleaſtri ſpiritualis in olivam Eccleſiæ ſi formam habuerit, quam obſervare decet Eccleſiam; & benè inſeri olivæ, ut in illa & per illam vivat ab ipſo fonte vivo Deo, qui ſecundùm formam Eccleſiæ inſeritur.

Similitudo.

Expreſſa autem eſt ſimilitudo de hoc in ædificiis, & ſtructuris. Qui enim cædit, ſculpit, & polit lapidem, vel lignum ſola cupiditate vel avaritia locans operationes ſuas, & qui ibidem operatur in alio lapide ſola devotione, ut ponatur in ſtructuram alicujus ſacri ædificij, vides apertè quia quantùm ad lapides nulla eſt diverſitas.

Simile aliud.

Similiter cùm poſiti fuerint eiſdem intentionibus, licet ipſę intentiones à Deo ſint diverſę, ut altera bona ſit, altera mala, tamen ſtructuram in nullo diverſificant, idem erit templum, quod per avaritiam artificum, & cupiditatem ædificantium, & ejuſdem pulchritudinis, ac ſi ex devotione ſola eorundem eſſet ædificatum. Idem dicimus de agricultura, ſi plantetur hortus ex ſola cupiditate, idem proveniet, & ejuſdem fœcunditatis, ſeu feracitatis, ac ſi plantaretur ex pietate, videlicet ut fructus ejus in pauperes erogarentur. Et opus generationis cùm ex libidine ſola fuerit vel ex lenocinitate, eundem habet fructum prolis, quem habiturum eſt, ſi ex juſtitia fuerit reddendi debitum, vel ex charitate.

Eccleſia ager domini.

Eccleſia autem tota Dei ędificatio eſt, & Dei agricultura eſt; ſicut dicit Apoſtolus 1 Corin. 3. Quemadmodùm non eſt curandum horto vel agriculturæ, quales ſint plantatores, niſi in plantando, vel rigando utrùm periti, vel utrùm ſolerti, ſimiliter nec lapidibus vel lignis, vel toti ædificationi curandum eſt, quales ſint ædificantes, niſi in hoc quod ædificant, hoc eſt utrùm periti, utrùm ſoliciti, ſed utrùm ſancti ſint, non refert, quoniam non ex ſanctitate plantant, vel rigant, cædunt, vel ædificant, ſed ex officio, peritia & ſolicitudine: propter quod quemadmodùm eodem ejuſdem dicit Apoſtolus: quia neque qui plantat, neque qui rigat aliquid eſt in operando, ſcilicet intùs, ſed ſolus Deus, qui vitam, & incremētum dat, & qui lapides vivos intus cædit ſculpit, & polit, & cœmento charitatis, ut invicem teneant alligat, & aſtringit.

Virtus orationis, & benedictionis mirabilis.

Quanta autem ſit virtus orationis, & benedictionis, omnia mirabilia ab initio mūdi uſque ad finē teſtantur. Ad orationes, & invocationes ſanctorū, omnia mirabilia facta ſunt: manifeſtum eſt ergo orationes, & benedictiones ſanctorū imperare naturæ, & ipſum curſum ejus, & vim pro velle, & potuiſſe & adhuc poſſe mutare. quorū omnium teſtimonia ſunt flagellationes Ægypti, diviſio, & recluſio maris rubri, manna deſerti, abſorptio Dathan, & Abiron, & exuſtio ducentorum quinquaginta virorum incenſum offerentium. Deinde ſtatio Solis & Lunæ ſub Joſue, & ſtatio aquarum Jordanis, & innumerabilia alia quæ in novo, & veteri teſtamento leguntur.

Natura ſubjecta orationibus ſanctorum.

Naturam ergo ſubjectam eſſe orationibus ſanctorum manifeſtum eſt ex his, & Deum adeò promptum adeſſe votis eorum, ut de natura, & naturalibus faciat juxta voluntatem ipſorum: ſi autem in his miraculis exauditæ ſunt preces ſingulorum, ubi Dei minor gloria, & minor ſalus hominum, quantò fortiùs neceſſe eſt exaudiri preces omnium? benedictiones ergo, quæ fiunt pro ſanctificandis tam eis qui convertuntur denuò, quàm eis qui revertuntur denuò, ſive pro conſervādis ipſis, qui jam converſi, vel reverſi ſunt, neceſſe eſt exaudiri cùm illæ ex parte, & nomine totius Eccleſiæ fiant, & incomparabiliter major ſit ei glori-

Iuſtificatio peccatoris. juſtificatio peccatorum, quàm ſuſcitatio mortuorum, quæ inter viſibilia miracula maximum reputatur. Attende autem, quia ſacerdotales orationes, & benedictiones ex parte Eccleſiæ, & nomine fiunt. Unde non dicit orem, ſed oremus, nec exaudi me, ſed exaudi nos. In omni ergo ſacramento & ſanctificatione neceſſe eſt fieri, quod petit Eccleſia per procuratorem, vel advocatum ſacerdotem, in cujus ore ipſæ orationes, tanquàm verba Eccleſiæ, poſitæ ſunt. Intellige autem quod diximus neceſſe eſt fieri, quod petit Eccleſia, niſi per ipſos ſteterit, pro quibus petitur, qui interdùm indignitate ſua, & rebellione, non Eccleſiæ preces, quæ nunquàm vacuæ eſſe poſſunt à præmio, & mercede, ſed ſeipſos impediunt, dum eas ſibi prodeſſe non ſinunt. *Nota.* Et hæ ſunt tenebræ hæreticorum & aliorum infidelium, qui vilitatem & indignitatem porrigentis preces conſiderat; dignitatem autem, & merita ipſius Eccleſiæ gratiáque ſuam, quam habet in oculis miſericordiſſimi benigniſſimique ſponſi ſui, non attendunt. Quæ igitur eſt Regina quæ per viliſſimum curſorem, & literas in pelle viliſſima ſcriptas à Rege ſponſo ſuo, quæcunque voluerit ſibi neceſſaria, regalemque magnificentiam decentia, non impetret? Ampliùs quis ex viſis literis reginæ ſponſæ vilitatem pellis, in qua ſcriptæ ſunt, aut portantur, & non potiùs dignitatem, & merita ejus, quæ in literis loquitur, attendat? Et quidem miniſter, qui totum habet foris, ut pellis, hoc eſt habens ſolum forinſecum miniſterium ſanctitatis, nihil reputatur, quàm pellis morticina, habens in ore ſcriptas preces reginæ cœlorum, id eſt Eccleſiæ, quam Deus, & Dei filius ſibi deſponſavit, & regno cœlorum dotavit, non curſor in literis loquitur, ubi Rex literas inſpicit, non faciem curſoris, ſed ſponſæ ejus quodammodò intuetur, nec vocem ipſius, ſed ſponſæ vocem in eis audit, & in manibus carnificum, ac crucifixorum placabiliſſimam hoſtiam unigeniti ſui reſpicit & in ligno arido crucis propitio, ac ſereno vultu illam intuitur, & ad odorem ſuavitatis, qui ex ea inæſtimabilis, & immenſus, ad nares modo ejus aſcendebat, odoratus eſt, non attendens cruentas manus carnificum, non ariditatem ligni conſiderans, nec fœtorem malignitatis qua illum occidebant, reſpiciens. * Sic malorum ſacerdotum manus ſanguine plenas, & ariditatem eorum à devotione, & lachrymis, & fœtorem ſpurciſſimæ converſationis eorum, quaſi non attendens pater miſericordiarum, hoſtiam unigeniti ſui, quam indignè contractant, & offerunt, merito placatoris ſui, ac placabilitatis, tota vultus ſui ſerenitate recipit, & ſuſcipit; ſic martyres ſanctos non de manibus ſanctorum & innocentium, ſed de manibus nefandorum carnificum, velut holocauſta medullata in odorem ſuavitatis ſuſcipit. *Holocauſta martyrum.* Si maculati ipſi carnifices, & maculata eorum intentio, & ſanguine plenæ manus eorum, neque ipſos ſanctos martyres, nec oblationem quam de ſeipſis Deo faciebant, polluere, vel impedire potuerunt, quantò fortiùs ſacratiſſimam Euchariſtiam maculari ſacerdotes, & pollutas manus habentes, nec polluere poterunt, nec impedire, quin per ipſam obtineat Eccleſia, quod intendit? Sed quemadmodùm ipſo ſanguine, quo ſancti martyres rutilabant, carnifices eorum cruentabantur, & polluebantur; ſic ipſa ſanctitate Euchariſtiæ indigni, & indevoti contractores occaſionaliter polluti, & execrabiles efficiuntur. *In malos ſacerdotes.* Si verò miniſtri dominicæ paſſionis, ſive immolationis, licet contraria intentione agerent, eam tamen à ſuo effectu, & virtute non prohibuerunt; ſic multò fortiùs mali miniſtri Eccleſiæ ſanctificationes, quibus indigni ſe immiſcent, cum eis non contradicunt, neque adversùs eas contraria intentione nituntur, non impedient, nec dignè ſuſcipientes debito fructu, aut effectu fraudabunt. Sunt enim in Eccleſia Dei miniſtri, qui etſi peccatores ſint, cupiunt tamen ſacramenta prodeſſe ſuſcipientibus. Illi verò Dominicam paſſionem nulli volebant prodeſſe, quin potiùs quominùs prodeſſet, conabantur impedire. Quòd ſi hoſtes Eccleſiæ prohibere poſſent, quominùs Deus exaudiret Eccleſiam, in nullo unquàm Eccleſia exaudita fuiſſet. Ampliùs. Nulla major iniquitas, vel injuſtitia, quàm ut pro delicto alterius, alter vel malum ſuſtineat, vel bonum amittat, & omninò ut peccatum alterius, alterum impediat, nec juſtitia humana patitur: quantò fortius juſtitia divina iſtud pati non poterit? Nec ſuſcipientem ergo ſacramenta nec Eccleſiam Dei in aliquo impedire poſſunt peccata malorum miniſtrorum. *Nota.* Ampliùs. Impoſſibile eſt obice curſum fluminis impedire niſi qui flumini oppoſitus, & in alveo ejus poſitus fuerit. Quia ergo fluvius gratiæ quæ danda eſt, neque habet alveum niſi ipſum cor iſtius, & non habet alium curſum niſi ad cor iſtius, manifeſtum eſt, quòd obex peccati ubicunque alibi poſitus quàm in corde iſtius, fluxum gratiæ ad cor iſtius non poterit prohibere per obicem, niſi qui fuerit inter ipſum vas, & fontem. * *Similitudo* Quia ergo ſola propria inter fontem gratiæ donum & corda hominum obices ſunt, nullatenùs autem aliena, impoſſibile eſt peccata iſtorum prohibere impetum fluminis, qui lætificat civitatem Dei à cordibus aliorum. Quoniàm non per corda miniſtrorum tranſiens influit in corda ſacramentandorum, ſed immediatè ex ipſo fonte gratiarum deſcendit in corda quorum voluerit. Idem eſt de nube, & de tenebra, quæ lumen ſolare, & radios prohibere non poſſunt, niſi ab eis, quos operiunt. Sed certum eſt, quòd nubes, & tenebræ peccatorum non operiunt, niſi corda eorum, quorum, vel in quibus ſunt. Non poſſunt ergo prohibere lumen gratiæ & donorum ab aliis peccata miniſtrorum. Erraverunt ergo, & de Deo non ſenſerunt in bonitate qui peccata miniſtrorum malorum imputare voluerunt Eccleſiæ Dei, ita ut preces ejus propter eorum peccata non exaudiantur, & facies ipſius non ſuſcipiatur, & ut à benefaciendo ſanctis, & innocentibus propter peccata aliorum malorum, divina largitas retrahat manum ſuam. *Peccata malorum miniſtrorũ Eccleſiæ nõ imputāda.* Si enim aliquis ſanctus, & innocens, in ſacramento baptiſmi, vel alio quocunque ſacramento propter peccatum miniſtri non percipit de divinæ gratiæ largitate, quod perciperet bono miniſtro ſacramentum eidem miniſtrante, profectò verum eſt, quod diximus. * Sed nos de hoc alibi alia dicemus. Hic autem dixiſſe ſufficiat, quòd benedictionibus, & invocationibus Eccleſiæ operatur divina virtus, & miſericordia in ſacramentis, & ipſa ſolemnitas ſignorum viſibilium liber quodammodò eſt, in quo legitur virtus, & gratia, quæ in ſacramento præſtantur, ſicut oſtendimus in ſeptem illis, quæ in ſacramento baptiſmi adhibentur videlicet aquâ, & oleo, igne, & ſale, veſte, ſufflatione, & inſpiratione, ſimiliter in ſeptem operationibus aquæ ſalutaris inviſibilis oſtendimus. *Benedictiones in ſacramentis.* Verùm utrùm unius gratiæ merito ſint ſeptem iſtæ operationes omnes, quas hic nominavimus, & numeravimus, an multarum, nunc diſcurrere non curamus. Jam ergo declaratum eſt ex his, quæ diximus, quia neceſſe eſt regenerari, & renaſci, & renovari filios Adæ, & baptizari, ſeu tingi & in igne, & ſpiritu. *Epilogus.* Et quia neceſſe eſt eis apponi aquam viſibilem, & eos in eâ immergi ſub invocatione divini nominis,

Digitized by Google

& virtutis. Et quia benedictio, & orationes ſanctorum imperioſa eſt ſuper omnem naturam corporalem ex beneplacito, & virtute omnipotentis Dei. Et quia ſanctificatio, ſive eorum, qui ſe convertunt, ſive qui revertuntur ad civitatem Dei, & populum ſanctorum virtute fit & orationum, & precum occaſione ſanctatum. & non impeditur gratia ſanctificationis malitiâ ipſorum miniſtrorum, & dedimus aliquas rationes & exempla in hoc, & ſuo loco dabimus alias, & alia. Nunc reſtat nobis declarare, quid ipſa ſanctificatione baptiſmali imprimatur animabus ſanctificandis: utrùm ſola gratia, qua Deo accepti, & placentes efficiuntur an etiam character, & ſignaculum, quod poſt amiſſionem gratiæ illius remanet; & quid ſit ipſum hujuſmodi ſignaculum, & quis fructus, vel effectus ipſius, & utrùm iterari oporteat baptiſmum an nullo modo ſit iterandum.

Propoſitio dicendorum.

CAPUT III.

Oſtendit characterem imprimi ex baptiſmo; deque ipſo charactere baptiſmali multa diſputat, opinionem quorundam de eo primum refellens: deinde ſuam interponens ſententiam.

PRimùm ergo dicemus, quia neceſſe eſt, aut aliquid relinqui, ſeu remanere poſt amiſſionem gratiæ gratum Deo facientis in eis, qui baptiſmo ſanctificati ſunt, aut non, quia ſi nihil remanet, perinde videtur, ac ſi non eſſent baptizati; ſi enim totum, quod ſacramento baptiſmi collatum eſt, ita deletur per mortale quodcunque peccatum, ut omninò inde nullum veſtigium remaneat, quantùm ad baptiſmum omninò ſe videtur habere, ac ſi nunquàm quis eſſet baptizatus, & propter hoc quidem expedientius & ſalubrius hoc ſacramentum incompatabiliter videtur, quàm pœnitentiam agere poſt lapſum. cùm baptiſmus plenam remiſſionem conferat culparum omnium, atque pœnarum, pœnitentia verò non. Sed jam conſenſerunt ſacri doctores in hoc, quòd præter gratiam, præter totum decorum, virtutem, & honorem, ſine quibus Deo non placetur, imprimatur character, licet non declaraverint, nec fecerint ſcire quid ipſe character ſit ſpecie, etſi tamen dicant ipſum eſſe in genere qualitatum, non tamen determinant nobis qualem efficiat animam baptizantis, vel ipſum baptizatum. Quòd ſi dixerint, quòd non efficit eum, niſi baptizatum, idem eſt ac ſi diceretur, percuſſione imprimitur character, qui facit percuſſum. Et diſtinguit ſimiliter percuſſio percuſſum à non percuſſis, ſicut baptiſmus baptizatum à non baptizatis, cujus duæ ſunt deſtructiones Prima, quia non poteſt dici proprius effectus alicujus, quod æqualiter eſt omnium qualitatum, actionum, & paſſionum, & etiam omnium rerum. Nihil enim eſt in tota univerſitate, quod habentem illud non diſtinguat à non habente, etiam pes diſtinguit habentem pedem & oculos, & quicquid dici, vel cogitari poteſt. Diſtinguit ergo ſic ex neceſſitate ſequitur unamquamque rem per ſeipſam. Non oportet ergo ut character ponatur propter hoc ſolùm, ſcilicet, ut diſtinguat, cùm nullus rei effectus novus, vel operatio inducatur per hoc. Si enim poſuerimus characteri alium effectum proprium principalem immediatum, nihilominùs ſequitur & iſte. Quemadmodùm albedo, etſi proprium habeat effectum, album facere, ſeu diſgregare viſum, nihilominùs ſequitur etiam iſtè effectus eam diſtinguere à nigro diſtinctione completa, & differentia maxima, quæ eſt contrariorum ab invicem: manifeſtum eſt ergo

Ex baptiſmo plena remiſſio.

Characteris ex baptiſmo impreſſio.

Nota.

eos in hoc dupliciter errare. Primùm, quia ponunt effectum, qui conſequens eſt ex neceſſitate. Deinde quia primum, & principalem effectum deglutiunt, & abſorbent. Impoſſibile enim eſt qualitatem eſſe, & quòd non ſit in aliqua ſpecie generis qualitatis, & quæ non habeat denominationem ſpecialem, diſtinguere verò, diſſimilare aliquid eſt, & diſtinctio relativa denominatio eſt; quemadmodùm ergo ſi poneret, quod hoc qualitati accidat, & eam ſequatur, quaſi ex caſu, ita errant, qui characterem iſtum ponunt propter id quod accidit. Secunda deſtructio eſt, quia ſi nullus eſſet non baptizatus, fruſtra eſſet hujuſmodi character, immò non eſſet. Non enim diſtingueret, cùm non diſtinguat baptizatos ab invicem, ſed ipſos à non baptizatis tantùm: poſſibile autem fuit, ut omnes homines baptizarentur; non imprimeretur autem character ei, qui ultimo baptizaretur, & ſi hoc eſſet & delerentur omnes characteres qui impreſſi eſſent baptizatis, vel inutiles eſſent, cùm totus, & ſolus eorum fructus, vel utilitas, eſſet diſtinguere. Præterea hujuſmodi diſtinctio, quibus ſit? cùm character hujuſmodi non appareat etiam his, qui illo inſigniti ſunt, & illum in ſe habent, & alijs multò minùs. Cùm ergo nullus hominum per hujuſmodi characterem diſtinguat ſe, vel alium à quocunque, non poteſt dici quòd iſte ſit uſus, vel effectus hujuſmodi characteris, ut per hoc invicem ſe homines diſtinguant, atque dignoſcant. Quòd ſi dixerit, quia ad hoc eſt, & per hoc, ut baptizati à non baptizatis ſint diſtincti, & differentes ab invicem, interrogamus eum, quid intelligit quòd baptizati ſint diſtincti. & differentes ab invicem. Interrogamus eum, quid intelligit, quòd iſti non ſint illi, vel non ſint tales, quales illi tales inquantùm ad baptiſmum. In alijs enim non prohibet eos eſſe ſimiles character, & hoc ſupervacuè, & eroneè ponitur Idem enim eſt, ac ſi diceretur, quòd character iſte appoſitus eſt huic parvulo ne fortè iſti eſſent illi, aut tales quales illi quantùm ad baptiſmum. Præterea nonne bonum eſſet, quòd ſimiles eſſent in baptiſmo? ſi dicit quod ſic, ergo malum eſt diſſimilare eos, vel diſtinguere, in hoc ergo propter malum ponitur iſte character. Si verò dicit quòd malum eſſet ipſos eſſe ſimiles in baptiſmo, qua ratione malum, potiùs quàm bonum hoc dicit? Ampliùs. Aequè diſtinguit privatio inter eos, privatio inquam charitatis, ut ipſe character; ſi ergo non alius uſus, vel fructus eſt hujus characteris, quàm diſtinctio. æquè neceſſaria, & utilis eſt privatio hujuſmodi characteris & totius ſacramenti: æquè enim diſtinguuntur, & differunt non baptizati à baptizatis, & per hoc ipſum quod non ſunt baptizati, ut baptizati ab illis per hujuſmodi characterem differunt. Quòd ſi dixerit. in patria erit neceſſarius character ubi omnia interiora videbuntur & hoc magis erroneum videtur. Quia enim ibi erunt non baptizati, qui ab invicem dignoſcentur, & diſtinguentur, & à ſe, & ab illis abſque hujuſmodi charactere, & non minùs, quàm baptizati, ſuperfluet ergo charactere quantùm ad hoc. Præterea ubi omnia clariſſimè videbuntur, quæ neceſſitas erit adjuvari ad meliùs dignoſcendum ab hujuſmodi charactere? Ampliùs. Sacramenta in via neceſſaria tantùm in patria ceſſabunt, ipſi autem characterem hujuſmodi baptiſmi vocant ſacramentum baptiſmi. Cùm autem dicant, quòd hujuſmodi character cauſa eſt gratiæ gratum Deo facientis, duobus modis errare videntur. Primùm, quia non poteſt poni in alio genere cauſarum, quàm efficientium. Efficiens autem non videtur poſſe eſſe. Si enim efficit, ut operetur ipſam gratiam, cùm omne quod

Nota.

Nota.

Objectio.

Vide.

Alius error.

Sacramenta in via tantùm neceſſaria.

Digitized by Google

cumque virtus operetur, operetur in ipſum ſubjectum, in quo eſt virtus hujuſmodi, ſicut omne quod calor operatur, operatur in ipſum calidum & ita ipſa anima humana operabitur gratiam, & juſtitiam in ſe ipſa, & ita juſtificabit & ſanctificabit ſe: omne enim quod operatur juſtitiam in aliquo, vel ſanctitatem, ſanctificat illud, ſicut quod operatur calorem in aliquo calefacit iſtud. Ampliùs. Cùm anima impartibilis ſit, accidet ut ſecundùm idem ſit agens, & patiens, & influens, & recipiens. Cùm enim operetur gratiam in ſe ipſa, certum eſt, quòd illam & dat, & recipit, & ſimul eſt juſtificans, & juſtificata. Et quia contraria ſunt dare, & recipere, ergo erunt in ipſa anima ſecundùm diverſa, & hoc eſt impoſſibile, cùm impartibilis ſit: ſi autem ſecundum idem erunt contraria in eodem ſimul ſecundùm idem, & hoc iterùm impoſſibile. Ampliùs. Omnis operatio per ſe, & ſecundùm ſe cujuſcunque virtutis eſt ſecundùm ſimilitudinem, ut calor ſi operetur per hoc, quod calor, calorem operabitur; ſic ergo character iſte ſi per ſe operatur non operabitur, niſi ſuæ ſpeciei qualitatem, & ita non operabitur niſi alium characterem. Erunt ergo duæ qualitates ejuſdem ſpeciei ſimul in eodem ſubjecto, ſecundùm quod nunquàm pervenitur ad operationem gratiæ. Ampliùs Quòd virtus aliqua agat in proprium ſubjectum, vel in ſubjectum ſimile per illam, ut quod album agat in ſe per albedinem vel in aliud æquè albũ per albedinem, impoſſibile eſt Nos autem dicimus quòd illud quod imprimitur in baptiſmo præter gratiam gratum Deo facientem, & quod remanet poſt remiſſionem ipſius, ſanctitas quædam eſt, cujus exemplum, & figura eſt ſanctitas baſilicarum conſecratarum, & vaſorum. Baſilica enim conſecrata, quantuncunque poſt conſecrationem polluatur, aut prophanetur, ſancta remanet, alioquin non eſſent ſacrilegi violatores, invaſores, & pollutores ipſius Manifeſtum eſt autem, quia conſecratio baſilicarum exemplum eſt, & figura conſecrationis, ſeu ſanctificationis baptiſmalis, quare ſanctitas ſanctitatis; ſicut enim ſanctitas ad ſanctificationem, ſic ſanctitas ex ipſa relicta ad ſanctitatem relictam ex illa à proportione & à ſimili, ſicut enim ſanctificatio baſilicalis ad ſuam ſanctitatem, ſic ſanctificatio ad ſanctificationem, ſic ſanctitas ad ſanctitatem. Et propter hoc, ſicut ſanctificatio figura eſt ſanctificationis ſic ſanctitas ſanctitatis. Et propter hoc cùm veritas immobilior ſit quàm figura, ſicut poſt figuralem ſanctificationem, & ex illa remanet in baſilicis ſua ſanctitas figuralis; ſic poſt veritatem ſanctificationis in baptiſmate, & ex illa, veritatem remanere neceſſe eſt ſanctitatis, & hoc eſt quod dicit Apoſtolus 1. ad Corint. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Ubi dicit Auguſtinus: Opere ſancti ſpiritus in baptiſmo dicatum. Unde ſicut pollutio & abominatio quantumcunque execrabilis non aufert à ſanctificata baſilica ſanctitatis figuram ſic quantacunque ſceleroſitas aut flagitioſitas auferre non poterit à ſanctificatis baptiſmo veritatem ſanctitatis. Remanet ergo ſanctus hujuſmodi ſanctitate quantiſcunque peccatorum abominationibus ſe polluat Chriſtianus Et propter hoc, ſpirituale ſacrilegium in ſeipſo committet, & templũ Dei violat, quandocunque mortali peccato ſe polluit Chriſtianus. Et huic atteſtatur Apoſtolus in 6. primæ Corinth. dicens: An neſcitis quoniàm corpora veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti qui habitat in vobis, & non eſtis veſtri? Et iterùm ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Dominus. Cujuſmodi autem ſanctitas iſta ſit, & quis ejus effectus ex ejus figura & ſigno, ſcilicet ſanctitate ba-

Anima impartibilis.

Opinio authoris.

Sanctitas remanet in baptizatis etiam poſt gratiæ amiſſionem. Spirituale ſacrilegiũ.

E

ſilicæ apparet: quemadmodùm enim ex illa ſanctitate hoc habet, ut arceantur ab ea dæmones, ut minùs poſſint contra frequentantes ipſam, ſcilicet orantes pſallentes, & ſacrificantes in ipſa, & hac etiam virtute prædita eſt, ut orantes in ea faciliùs exaudiantur, & gratiâ etiam devotionis faciliùs viſitentur, & illuſtrentur, ſic ex iſta ſanctitate baptiſmali, de qua loquimur, debilitatur poteſtas dæmonum adversùs ipſos baptizatos. Incomparabiliter enim minùs poteſt contra ipſos quàm contra alios. Et deinde faciliùs gratiâ devotionis illuſtrantur ad orandum, & alia bona facienda, faciliùs etiam gratiâ compunctionis viſitantur, & revertuntur, ſi lapſi fuerint, ipſis etiam dæmonibus magis verendi, & formidabiles ſunt, graviúſque torquentur dæmones, ſi eos tentationibus invaſerint, aut ſi fortè peccatis polluerint, Quemadmodùm de locis ſacris, & Deo dicatis, & propter hoc privilegijs immunitatis gaudentibus obſervatur, ut graviùs in eorum invaſores, & violatores judicetur, ſic ſanctitas iſta contra poteſtatem dæmonũ. Ex hac

Notabiliter.

F

ergo ſanctitate iſta proveniunt, & ex ea baptizati de ſorte ſunt, & de parte Dei, appropriati, & per ſanctitatem ipſam. Et hoc eſt ſanctificare Domino, vel dicare, vel appropriare eidem, & in uſus, & in proprietatem ſpecialem ejuſdem aliquid transferre, & per hoc ſtatim ut ſuum ipſum baptizatum mundat, ædificat, & exornat, repletque donis virtutum, & gratiarum, niſi per ipſum ſteterit, & ſanctitas hæc eſt ſignum gratiæ gratum Deo facientis. Quemadmodùm annulus regius ſignum eſt doni, quo quis per eum inveſtitur, aut crux poſita ſuper faſtigium domus, quod religioſa, vel religioſorum ſit: & quemadmodùm ad ſigillum regium theſaurizarius, ſeu diſpenſator ejuſdem regis, dat dona regalia illud portanti, ubi verum, & non furtivum illud eſſe cognoverit: ſic diſpenſator chariſmatum, ideſt donorum & gratiarum Spiritus ſanctus, qui diſtribuit

Similitudo

G

ſingulis, prout vult, ſicut legitur in 12. 1 Corin. & ſpirat ubi vult, ſicut legitur Joan. 3 eiſdem, quos verum. & non furtivum ſigillum, vel characterem baptiſmalis ſanctificationis portantes viderit dona regis regum, ſcilicet plenam remiſſionem peccatorum, culparum, atque pœnarum & data optima, donaque perfecta, omnium virtutum, ſine quibus non eſt ſalus largitur. Furtivum autem ſigillum, vel characterem hujuſmodi habent, vel deferunt qui ſpreta Chriſti Eccleſia, ſcilicet catholica, ab hæreticis ſe baptizari faciunt. Furtivum autem ſigillum meritò dicimus, quod contra voluntatem ejus, cujus eſt impreſſum eſt. Contra voluntatem autem intelligimus ſive eo non ſciente, ſive prohibente.

Furtivum ſigillum Portantes.

H

Prohibiti autem ſunt hæretici ſacramenta dominica tractare, vel miniſtrare, quia ab Eccleſia Catholica Dei auctoritate & excommunicati ſunt, & prohibiti ab his. Non autem habent verum characterem hunc, vel deferunt, qui non juxta formam in Evangelio præſcriptam, & auctore Deo ſtatutam, atque firmatam, baptizantur, quod quidem eſt tantùm defectio, & ideò baptizandi ſunt, tanquàm non verè baptizati. Cauſa autem efficiens gratiæ hujuſmodi ſanctitatis nullo modo eſt aliquid aliud niſi Deus, ſed eſt habilitans, & adjuvans ad gratiam obtinendam, & conſervandam ex cauſis, quas diximus. Et hæc eſt cauſa, propter quam non debet, nec etiam poteſt iterari baptiſmus. Si enim iteraretur imprimeretur denuò character ejuſdem ſpeciei, aut nõ imprimeretur Si nõ imprimeretur, nõ relinqueretur ergo hujuſmodi ſanctitas in ipſo. Quemadmodùm enim non eſt ſanctificatio baſilicæ, quæ baſilicarem ſanctitatem non relinquit, ſic non eſt ſanctificatio baptiſmalis, quæ congruentem ſibi ſanctitatem

Cur non iteretur baptiſmus.

Digitized by Google

ſanctitatem non relinquit. Si imprimeretur, accideret duas ejuſdem ſpeciei formas eſſe in eodem ſecundùm idem. Semel ergo baptiſmo ſanctificato, impoſſibile eſt, denuò ſanctificari ſanctificatione Baptiſmali. Non enim poteſt imprimi character baptiſmalis ſanctificatis hujuſmodi iteratione. Si autem non imprimitur, non eſt ſanctificatio baptiſmalis. Ampliùs autem contumelia fieret non tam ſacramento, quàm ei cujus eſt ipſe baptiſmi ſacramentum. Ipſa enim unitate propter quam dicitur unum baptiſma in 4. ad Epheſ. figurat ipſam unitatem mortis Chriſti, quæ redemptioni totius mundi ſufficit, quam mortem nullo modo iterari opus eſt, quantumcunque increſcant, & multiplicentur peccata mundi. Et propter hoc, quia figura, & veritas concordare debent, ſicut una mors Domini Salvatoris, ita ſit unum baptiſma. Nec eſt objectio de ſacramento altaris, quia ipſum non eſt illo modo ſacramentum dominicæ paſſionis, & figura, ſed rememoratio. Si quis autem quærat cum virtus iraſcibilis firmetur, & muniatur ſacramento proprio, & ſpeciali, videlicet ſacramento confirmationis, virtus concupiſcibilis duobus ſacramentis, videlicet ſacramento altaris, & ſacramento matrimonij ut ſupra diximus; cur non ſimiliter, & virtuti rationabili proviſum eſt, quo armetur & muniatur. Reſponſio, quia ſufficere debent ei, & poſſunt, doctrina & miracula, quibus etſi aliæ vires adjuventur, non permodicùm, pro illa tamen erudienda, & in fide roboranda, ſpecialiter fiunt. Signa enim data ſunt infidelibus, ut nova prædicantibus crederent, quos nova facere viderent. Quòd ſi quis quærat, poſtquàm tanta erat utilitas, & neceſſitas hujus ſacramenti, videlicet baptiſmi, cur tam diu dilatum, videlicet uſque ad fines ſæculorum ad ſextam mundi ætatem? Neque enim veriſimile eſt Deum omninò neglexiſſe ſalutem generis humani tot millibus annorum, neglexit autem, ſi aliàs generi humano non providit. In quo licet ſufficienter reſponderi poſſit, divinæ voluntatis nullam penitùs eſſe cauſam, cùm ipſa cauſa ſit omnium conſiliorum atque judiciorum Dei, & non eſſe inveſtigationem, neque alligatam eſſe omninò omnipotentiam virtutis ſuæ ſacramentis, cùm liberè & pro beneplacito voluntatis ſanctificet, & juſtificet ſimpliciter ſemper quos vult, & quomodò vult, nec unquàm defuiſſe gratiam ſanctificationis antiquis temporibus, ſicut evidenter apparet ex probatiſſimæ fidei hiſtoria, ſcripturarumque teſtimonijs, in quibus ſacrificia & juſtificationes multiplices ipſorum leguntur, ſicut legitur de Abel, Melchiſedech, & Job, qui ſanctificavit filios ſuos ne fortè in convivijs (de quibus ibidem agitur) aliquo modo ſe maculaſſent ex quibus & aliæ juſtificationes fuiſſe meritò intelliguntur. Reſponſio tamen, quia quemadmodùm in uno ſingulari homine multum temporis ætatis ſuæ debetur & multo labore & induſtria indiget præparari ad ſublimia ſapientiæ, & ad perfectionem virtutum ſuſcipiendam; ſic & communitas hominum multa eruditione præparari opus habuit, multiſque generibus operum exerceri, antequàm profunda fidei, & ſacramentorum, antequàm perfectionem Evangelicæ ſanctitatis eſſet apta ſuſcipere, & non ſolùm in tota communitate humani generis, ſed in qualibet congregatione, & civitate, ſi eam aggreſſi fuerimus, ſalutaribus eruditionibus & ſacris exercitationibus ad perfectionem ſanctitatis perducere, eoſdem labores & difficultates, expectationeſque operum temporis, proventuſque, & incrementa in eis experietur, quaſi in unius parvuli eruditione, atque provectione, donec ad virile robur, & ſenilem maturitatem pertingat, & non aliter conſulendum eſſe toti communitati de profectu ſuo, & perfectione, quàm uni parvulo, & in una communitate hominum ad ſimilitudinem, & proportionem uniuſcujuſque, quaſi ſex ætates proventuum, & incrementorum, atque defectuum eſt evidenter reperire, quemadmodùm Titus Livius populo Romano hujuſmodi ætates non ſolùm congruenter, ſed eleganter aſſignat. Quod ergo quæritur, cur ad ſacramentum baptiſmi finis ſæculorum, & ſenectus mundi expectata eſt, idem eſt ac ſi quæreretur, cur ſublimibus, ſapientiæ, & perfectioni virtutum, expectatur matura ætas, videlicet juventus, aut ſenectus, & non potiùs in infantia, aut pueritia tradantur. Manifeſtum eſt igitur quòd noviſſima mundi ætas, ſive ſenectus, ſola apta fuit, & congruens Evangelicis ſacramentis. Alia enim ætas mundi ea ſuſcipere omninò apta non fuit, cùm ſuſceptio eorum, de qua hîc agimus, fides eorum ſit, atque credulitas. Non enim negamus, quin omni tempore viri ſapientes, & ſancti fuerint ſacramentorum iſtorum altitudinem idonei ſuſcipere, vel etiam capere, ſed communitas hominum non ante maturitatem ſuam, & ſenectutem ad hæc idonea fuit, quæ etiam cùm ei tradita ſunt & indicta, tantâ magnificentiâ, & mirificentiâ miraculorum adjuta eſt, qua totus mundus ubique terrarum velut fulgurans coruſcat; totaliter tamen illa, hoc eſt, ſecundùm ſe totam ſuſcipere, vel capere non potuit, licet pro majori ſui parte ea ſuſceperit. In quo evidenter apparet, quanta ſit virtus fidei, qua per aquam, ſive in aqua, ſub invocatione beatæ & glorioſæ Trinitatis, quis ſanctificari ſe credit. Apparet inquam ex hoc quod tanta difficultate, tam longa expectatione, tam multiplicibus operum exercitationibus, tantis miraculorum adjumentis, tantis ſanctorum documentis & exemplis, vix tandem ad eam pertingere communitas hominum potuit. Deinde quanta pugna, & virtuoſitate teneamur contra ſuggeſtiones ſpiritus blaſphemiæ, contra obmurmurationes proprij ſenſus, contra diſputationes philoſophorum, contra jacula hæreticorum, contra opiniones & irriſiones vulgarium hominum, contra blaſphemias Judæorum, ſoli penè noverunt, qui hoc vel in ſeipſis paſſi ſunt, vel à patientibus didicerunt. Et cùm fides pia veridica, & ſalutaris in omnibus intellectũ excedat, in ſacramentis tamen illũ nimia ſua oppreſſione captivat, & in quibuſdam eorum penè abſorbet & etiam ſenſus exteriores evacuat, ſicut in ſacramento altaris. Apparet ergo evidenter, quòd illa ſola ætas mundi, ſive generis humani, ſola congrua, & apta fuit huic tantæ perfectionis, & ſublimitatis virtuti, quæ plurimùm eruditionibus, & aliis exercitationibus adjuta & perfecta, ſe præparaverat, & hoc indubitanter erat ſenectus, & facillimum fuit ab initio, & deinceps hominibus credere ſe muneribus, & hoſtiis juſtificari, & ſanctificari, iramque Dei placari, & hoc per ſimilitudinem, quia ſcilicet talia videre conſueverat, & experiri apud homines. Reges enim, & principes, & omninò majores ſuos, conſueverant placare muneribus, & propter hoc facilè inducti ſunt, ut talia regi regum Deo exhiberent, & per hoc eum placari ſibi ſperarent. Nec erat virtuoſum nec magna laude dignum, ſic credere ut ipſa conſuetudinis experientia ſuadebat, immò puerilis infirmitatis erat. Nullus enim erat adeò eruditus, cui non eſſet facile ſic ſentire, longè autem eſt ab iſta puerili parvitate ſublimitas fidei ſacramentorum. Si quis autem quærat, cur ergo baptizantur parvuli, qui omninò incapaces ſunt hujuſmodi fidei, & quare de fide interrogantur, quos certum eſt in illa ætate

Unum baptiſma.

Sacramẽtum altaris, eſt rememoratio paſſionis.

Nota

Noviſſima ætas apta evangelio.

Fides ſacramentorum intellectum captivat.

Senectus mundi apta Evangelio.

Quæſtio.

A B C D

omninò credere non poſſe? Deinde quare reſpondet patrinus: credo? Si enim nomine ſuo dicit hoc, dicit ſiquidem, ſed non reſpondet cùm de credulitate ejus non fiat interrogatio. Si autem nomine parvuli mentiri videtur, cùm parvulus non credat, & ſupervacuum eſt dicere hoc pro illo, cùm ille ratum hoc non habeat. In quo dicimus quòd quemadmodùm parvulo non credenti, & omninò neſcienti præſtantur multa beneficia miniſterio parentum, ſicut cibus & potus, & veſtitus, & cætera quæ educationis ſunt, aut nutrituræ, nec impedit in aliquo, aut repellit iſta beneficia, illius ignorantia vel incredulitas: non enim propter hoc minùs involvitur pannis, aut lavatur, aut ſoporatur, quia ignorat iſta ſibi fieri: ſimiliter medicamenta nihilominùs ei adhibentur, & ſanitas acquiritur, licet ſibi neſciat illa adhiberi; ſic & ſi oratione parentum abſque medicamentis divinitùs ei ſanitas tribuatur, ſi unquàm ignorantia ejus, aut devotionem parentum impedit, aut bonitatem divinam, manifeſtum eſt quòd non. Quia ergo parentes ſpirituales ſunt, ipſi ſancti, & & verè mater ſpiritualis, eſt ipſa Eccleſia ſanctorum omnium illorum, qui miniſterio illorum, ſive ipſius Eccleſiæ ſpiritualiter generantur, ſive regenerantur, non obſtat ullo modo, nec impedire poterit ignorantia parvulorum, quominùs orationibus hujuſmodi parentum. & matris Dei bonitas largitur eiſdem ſpiritualis ſanitatis gratiam, & alia dona, quibus ipſos ad vitam ſpiritualem obtinendam indigere cognoſcit. Si enim miniſterio parentum carnalium, & interdùm meritis, & precibus largitur Dei bonitas filijs carnalibus vitam, & ſanitatem corporalem, & alia temporalia bona, quibus interdùm ipſam impugnant: quantò magis meritis, & precibus parentum ſpiritualium, dabit filijs ſpiritualibus dona, quibus ipſi dignè, & laudabiliter, ſerviatur & hoc hactenùs dicimus, ut appareat ignorantiam parvulorum merito, & oratione ſanctæ matris Eccleſiæ, quominùs impetrent divinæ bonitatis largitatem, quominùs ſanctitatem baptiſmalem tribuat, impedire nullatenùs poſſe. De hoc autem quod quærit, cur interrogetur parvulus de fide, cùm ſciatur omninò non credere, & reſpondere non poſſe: idem eſt, ac ſi quæreretur de pupillo, cur convenitur in judicio, cùm non intelligat quid ab eo petatur, nec ſciat petitioni ullatenùs reſpondere. In quo manifeſtum eſt, quòd tutor debet eum defendere, & pro ipſo reſpondere, ac totam cauſam nomine illius agere. Sicut ergo negat, aut concedit nomine pupilli ipſo penitùs, aut non intelligente, aut ignorante, & prodeſt pupillo, quod utiliter pro eo tutor egerit & eo penitùs ignorante, aut etiam contradicente, & rebellante faciet conditionem ejus meliorem in cauſa, quam pro ipſo agit: ſic & multò incomparabiliter fortiùs in cauſa

Quæſtio. animarum, quod fiet per tutorem ſpiritualem, ſive confitendo, ſive negando, prodeſſe debebit ad lucrum ſpirituale eidem. Ampliùs. Si leges humanæ, & inſtitutio humana providit pupillis carnalibus tutores, & alios adjutores ad acquiſitionem, conſervationem, multitudinem, & multiplicationem temporalium & caducorum, quantò fortiùs juſtitia, & lex divina pupillos ſpirituales abſque hujuſmodi adjutorum ſpiritualium proviſione non relinquet propter bonorum ſpiritualium, & æternorum acquiſitionem, conſervationem, & multiplicationem? Quod ergo patrinus reſpondet,

Obligatio credendi. credo, confeſſio ſive profeſſio fidei eſt, quæ fit nomine parvuli, & obligat eum ad obſervationem fidei quæ obligatio non eſt, niſi melioratio ſuæ conditionis. Et dicimus quòd parvulus credit per patrinum, & patrinus credit ei, id eſt ad opus, & commo-

E dum ejus, quemadmodùm pupillus reſpondet per tutorem. Sicut autem in judicio poſt confeſſionem tutoris fertur ſententia pro pupillo, ita poſt profeſſionem fidei per immerſionem baptiſmalem confertur gratia baptiſmalis parvulo. Et quemadmodùm ſupra diximus, non aliter in civitatem ut civis ejus efficiatur, aliquis admittetur, niſi civem ſe velle fieri profiteatur; ſic in civitatem ſanctorum, & in gratiam baptiſmalem non aliter quis admittitur, niſi fidem, quæ civitas ſanctorum eſt, ore ſuo, vel alieno fuerit ante confeſſus ſive profeſſus. Si quis autem parvulos ſanctificatione baptiſmali nullo modo indigere dixerit, hic non ſolùm de multitudine erroneorum eſt, qui intelligibilia non intelligunt ſed etiam de multitudine inſenſatorum, & inſenſibiliũ, qui ſenſibilia non ſentiunt, dum innatum ſibi ardorem amoris ad vilia & infima carnalium, & caducorum convertit. Innatum ergo ſibi gelicidium ab *Error quorumdam.*

F amore nobilium ſcilicet ſublimium, ſpiritualium, & æternorum non ſentit. Deinde ſuppreſſionem, & immerſionem, & captivationem nobilium virium ſuarum, id eſt intellectivæ, & voluntatis in corpore, & corporalibus difficultatem erectionis & liberationis earundem, ipſo earum ſtupore, vel potiùs mortificatione ſentire non prævalet. Deinde errorem virtutis appetitivæ, atque perverſitatem, ipſamque brutalitatem, ſecundùm quam totum vivit, nec videt, nec advertit, nec etiam attendit. Non enim aſinina ſolummodò vivit ſtoliditate, ſed equina impetuoſitate, & lupina rapacitate, & ita de aliis, ex quo apparet denſitas tenebrarum originalis corruptionis, quæ cùm reverà brutalitas ſit, & animalitas, & ex omnium immundorum vitiis animalium quodammodò compoſita, & compacta horrifica monſtruoſitas, nec intùs vitiis innumerabilibus mordens, rodens pungens, & diſcerpens. ſe ſentire ſi- *Originalis corruptionis denſitas.*

G nit, nec exteriùs innumerabiles facies animalium coram ponens, & oſtendens, videri ſe permittit, nec tot vocibus, ſibilis, & ſonis circunquaque ſtrepens, atque tumultuans audiri ſe patitur ab aliis, qui adhuc ea involuti ſunt circundati, & immerſi. Mens enim humana gratiam ſanctificationis nondùm adepta, nihil aliud eſt, niſi cadaver, ſive morticinium, monſtruoſitatem, quam diximus, ebulliens, ejuſque monſtruoſitatis morſus, corroſiones punctiones, & dilacerationes in ſeipſa intùs patiens, & foris in alios ſimilia, cùm pulſatur, & provocatur, agens. Similiter, & vocibus omnium hujuſmodi animalium horribiliter ſtrepens. Parvuli ergo propter originalẽ corruptionẽ indigent ſanctificatione baptiſmali, licet erronei cauſam non intelligant. & inſenſati non ſentiant: & quoniàm baptiſmali ſan-

H ctificatione electi expugnato Diabolo, ab eiſque ejecto, & detracto, Deo acquiruntur, dignum & juſtum eſt ut quemadmodùm arci, & munitioni captæ ſignum, ſive inſignium regis capientis ſuperimponatur, ſic ſignum regis regum, quod eſt ſalutiferæ, ac vivificæ crucis inſignium, eis imponatur. Hinc eſt quod baptizandis primùm in fronte ſignũ Salvatoris, hoc eſt ſignum crucis imprimitur, ſignum ſcilicet captionis, atque expugnationis, & victoriæ. Quod manifeſtum eſt fieri ſimiliter in expugnationibus urbium, caſtrorum, & munitionum. Et qui hoſpitantur in domibus, in quibus hoſpitaturi ſunt, ſuperimponunt inſignia ſua, ut hi qui de comitatu eorum ſunt, agnoſcant, quò eis declinandum ſit, & alii illuc intrare non præſumant; ſic Rex cœlorum in eo qui baptizandus eſt, hoſpitaturus, inſignio armorum ſuorum, & vexillo glorioſi ſui triumphi, ſuper quo Diabolum, & ejus exercitum debellavit, deſignari vult id ad quod declaraturus eſt hoſpitium. Quòd autem in ſanctificatis habitet, *Signum in fronte baptizandorum.*

manifeſtum

manifeſtum eſt ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis. In æternum (dicit Pſalmiſta) exuliabunt & habitabis in eis. Et Apoſtolus in 3. 1. ad Corinth. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Et in 6. ejuſdem. Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt? Et iterùm: Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Et quia templum Dei ipſa baptiſmali ſanctificatione unuſquiſque electus efficitur, meritò idem ſignum in ipſa ſanctificatione eidem ſuperimponitur.

Vnuſquiſque efficitur templum Dei per bapt ſmum.

Et quia hortus domini hortus voluptatis, & paradiſus delitiarum eadem ſignificatione, qui priùs erat deſertum, & ſolitudo infernalis, efficitur, meritò in eo ſignum crucis quod eſt velut formido, & expaventaculum voluctum, & beſtiarum infernalium, in eo erigitur: & quia fit per eandem ſanctificationem civitas juſtitiæ, & regnum dilectionis, meritò patibulum, quod eſt crux, ad deterrendos latrones & raptores, cæteroſque malefactores, in ea elevatur. Et quia iter ſanctæ peregrinationis, qua mare hujus mundi tranſitur, & templum Dei viſitatur & in ſupernam Hieruſalem iter aggreditur, meritò primùm cruce ſignatur deinde omnis domus Dei cruce ſuperimpoſita domus Dei eſſe, vel religioſa deſignatur, meritò baptizandus, ſigno crucis ſuperimpoſito, primùm domus Dei, & domus religionis eſſe oſtenditur. cui propter hoc ſolùm, ſcilicet ut domus Dei, & domus religionis ſit, baptiſmalis ſanctificatio adhibetur Et quoniàm nihil ſalubrius in memoria poteſt habere electus quilibet, quàm quid ex ſe ipſo meruerit, & quid ei miſericordia redemptoris retribuerit, ſcilicet cùm patibulo infernali adjudicatus eſſet, & quanti apud Deum fuerit quæ omnia uno ſigno crucis apertè ſignantur.

Nota.

Veniens enim ad gratiam baptiſmalis ſanctificationis, quid afferat, & quid propriè ſuum ſit, ipſo ſigno crucis, quod ei primò imprimitur, ſi capax eſt, agnoſcat, videlicet quòd ſolum meritum patibulum ſecum affert. Et quia amore vitæ ejus, & pretio, Rex cœlorum illud pertulit, iſtorum omnium velut memoriale ſignum crucis fronti ejus primùm imponitur, fortis ſiquidem impreſſionis eſt, & magnæ præparationis ad gratiam baptiſmalem. Noviſſimè verò, ut agnoverit eſſe profeſſionem ſuam, ſcilicet crucifixum, & crucifixi fidem, ac legem, & ne hanc profeſſionem tanquàm opprobriũ, aut contumeliam in infimo abſcondat, ſed eam in manifeſto velut honorem ſummum & gloriam habeat. Et iſta in fronte notantur, quam ſedem eſſe pudoris multi dixerunt, quæ de partibus nudis. & apparentibus prima eſt:

Frons ſedes pudoris.

Sic & quod de electis primùm apparere, ſeu revelari debet ſive oris confeſſione, ſive operum profeſſione, hoc eſt, quòd Chriſtiani ſunt. Primùm enim, & maximè in operibus electorum apparere, & revelari debet, quòd Chriſtiani ſunt De his qui ſignum iſtud, immò tot Chriſtianitatis inſignia, aut omninò dejicientes conculcaverint in Dei contumeliam, ita ut jam in eis nec ab ipſis, nec ab aliis videri valeat in ſublimi eorum aut aboleverunt penitùs, nullum ejus in ſe veſtigium relinquentes, ij ſunt, qui in nullo Chriſtianos ſe exhibent. De his, qui falsò & mendaciter iſta ſigna deferunt, qui enim in modico, & in infimo ſui Chriſtiani ſunt, hoc eſt ſola oris confeſſione, vel ipſius crucis ſola ſignatione, quam viam pingere conſueverint, vel quacunque ex minimis obſervatione, ſicut eſt aſperſio aquæ benedictæ, vel aliquid hujuſmodi leve, & in infimo, & non in alto. ſignum crucis deferunt, & eam velut fimbris appenſam habent, non in ſublimi erectam; aboleverunt eam penitùs, nullum ejus veſtigium relinquentes, qui nec in minimis eam habent, qua nec etiam ſigno ejus

Nota.

A ſe muniunt, vel circa ſe pingunt, tam mendaciter eam deferunt, quibus nullum eſt propoſitum peragendæ peregrinationis, quam diximus, quibus nullam memoriam eorum, quæ diximus, ingerit, ſcilicet quibus nec infernale patibulum, ad quod velatis oculis ducuntur, nec dominicæ paſſionis beneficium rememorant. Similiter & qui nullam juſtitiam de maleficis, qui in terra eorum habitant, faciunt, qui latrones vitiorum, & peccatorum, in ſeipſis non juſtificant, & generaliter quicunque proſtibulum corruptorum infernalium, & volutabrum porcorum ſpiritualium, id eſt, dæmonum, & profana diabolica, & delubra per quamcunque vitiorum, aut peccatorum immunditiam ſe ſentiunt, aut aliàs fecerunt Non ſolùm autem ridiculoſum eſt in arce diabolica Dei ſuperere ctum vexillum & in proſtibulo diabolico, immò in cloaca immunditiæ, ſuperimpoſitum crucis vexillum. ſed etiam Deo contumelioſum. Quid aliud eſt ſignum crucis in

Nota.

B hominibus peccatis expoſitis, & deditis, quàm in proſtibulis ſpiritualibus, & cloacis? Attende autem, quòd ſignum crucis primùm in fronte, & deinde in pectore ponitur baptizando, ut oſtendat ſe, quòd in fronte prætendit foris, in pectore habere, ſive in corde, vel ut iſta duo ſimul inſinuentur eidem, hoc eſt Chriſti fidem, & legem, non ſolùm exteriore profeſſione ſervare debere, ſed etiam corde, vel quia crux Chriſti, & Judæis ſcandalum erat & gentibus ſtultitia, immò in fronte ut gloria, & in pectore, ut ſapientia vera pingitur Chriſtianis. Siquidem pectus ſapientiæ ſedes dicitur, & frons gloriæ dicitur quemadmodùm pudoris, & ignominiæ. Quia autem tertiò in fronte ponitur baptizandis, hoc fit ad ſignaeulnm, & cuſtodiam, ſicut expreſsè docent orationes catechiſmi, quemadmo-

Adverte.

C dùm ſignati ſolent ad cuſtodiam literæ, & theſauri, ne quis audeat violare. Et iſta eſt una ex cauſis, propter quas imponitur ſignum crucis baptizandis ante unctionem. Quia autem ſignum crucis de oleo unctionis ad cathecumenos in pectore ante, & inter ſcapulas retrò, baptizando pingitur, multiplicis ſignificationis cauſâ efficitur. Primùm ut per gratiam baptiſmalem & ab anterioribus culparum, & à poſterioribus pœnarum ſanandum ſe agnoſcat baptizandus. Culpæ enim ante ſunt, ſive anteriores, & pœnæ poſt, ſive poſteriores ordine juſtitiæ divinæ, & etiam naturæ, quia culpæ cauſæ ſunt pœnarum. Secundò quia & in anterioribus gratuitorum, & in poſterioribus naturalium læſi, per gratiam baptiſmalem in utriſque ſanantur. Naturalia enim priora ſunt gratuitis, ut fundamentum ſuſceptibile illorum. Tertiò quia catechiſmus inſtructio eſt, & præparatio ad baptiſmum: meritò

Frons gloriæ.

Catechiſmus.

D iſta duplex unctio, duplicem gratiam prævenientem, & præparatoriam, ſignificat ad baptiſmum: ſic impium eſt nullatenùs, immò pium, & chriſtianiſſimum eſt, credere, quòd ſub iſta duplici unctione viſibili, iſtius inviſibilis gratiæ unctio conferatur. Gratia autem præparans, ſive præveniens eſt, quæ euſque adjuvat hominem, ut ad gratiam baptiſmalem conetur, ex qua gratia, & peccata confitentur adulti baptizandi & doctrinam fidei ſanctorumque morum, non ſolùm audiunt exteriùs, ſed etiam aſſenſum cordis, & acquieſcentiam ſuſcipiunt interiùs. Hac ergo gratia pectus ſanatur intùs, & adjuvatur, & ut fidem ſuſcipiat, & ut ſpem de gratia baptiſmali obtinenda, & de venia peccatorum per idem ſacramentum percipienda, concipiat. Fides enim, & ſpes tam gratiæ, quàm veniæ per ſacramentum baptiſmi obtinendarum, præparatoriæ ſunt ad ſanctificationem baptiſmalem, & totum hoc ſignificat unctio

Fides.

Digitized by Google

Unctio. de pectore. Unctio verò inter ſcapulas ſignificat ſanationem virtutis corporalis, & per illam efficitur quòd ipſum corpus ad portandum jugum Domini & obediendum ſpiritui in his, quæ Dei ſunt, expeditius ſit, atque liberius. Et hoc ex ipſis orationibus quibus oleum hujuſmodi ſanctificatur, aut benedicitur, expreſſè haberi poteſt. Utriuſque unctio in modum, & formam crucis fit, ut per crucem redemptoris, ſive per crucifixum, hęc omnia bona obtineri cognoſcantur: poſt immerſionem autem in aqua, & elevationem ex aqua, de chriſmate in vertice ejus, ſignum infixæ crucis pingitur, qua unctione regem, & ſacerdotem ſe eſſe factum agnoſcat, regem ſcilicet non ſolùm regni æterni hęredem, ſed regem virtute præditum, ut ſe regaliter regat, & gerat, & in ſe ipſo, & de ſeipſo judicium, & juſtitiam faciat, vitia atque peccata tanquàm latrones, & raptores, cæteroſque maleficos ſpirituales vivere non ſinat: ſacerdotem autem, qui pro ſe, & alijs non ſolùm laudes, & orationes Deo jugiter offerat, ſed etiam proprij corporis hoſtiam viventem ſacris exercitationibus immolet, & immaculatorum operum ſacrificia in altari fidei vivificæ charitatis igne ſemper incendat. *Unctio in vertice fit.* Fit autem unctio iſta in vertice propter eminentiam utriuſque honoris iſtius. Quia autem tres cruces aridæ primùm, & deinde tres cum unctione fiunt, vel propter præteritas in Chriſto paſſiones, & poſteriores glorias, ſicut legitur, 1. Pet. 1. Cruces enim ſunt ſigna paſſionum, & inſtrumenta, unctiones verò gloriarum: quia omnis gloria regni, & ſacerdotij unctione pręſtabatur antiquitùs, & adhuc præſtatur, vel quia omnes cruces hoc eſt omnes paſſiones aridæ erant à fructu, & conſolatione, antequàm Chriſti gratia eis admiſceretur; vel quia crucifixus, velut alabaſtrum omnium unguentorũ ſpiritualiũ ipſo tẽpore ſuæ paſſionis, & mortis, quaſi quadã ſui fractione cruce perfudit, & omnium genera tormentorum, etiam electis ſuis, velut oleo conſolationis, & exultationis condidit. Conficitur autem ex oleo olivarum, & balſamo, chriſma propter duplicem honorem, quem diximus, regium videlicet, & ſacerdotalem, nam in oleo regia dignitas quam maximè decorat, & ornat clementia, ſeu pietas, à qua, & oleum nomen habet: oleos ramque græcè, miſericordia latinè interpretatur; in balſamo verò propter præeminentiam ad alios liquores, propter odoris fragrantiam, ſacerdotalis dignitas figuratur. Siquidem odor ſanctæ devotionis, & bonæ opinionis ſuper omnia illuſtrant ſacerdotalem dignitatem.

DE SACRAMENTO Confirmationis.

CAPUT UNICUM.

Tranſit ad Sacramentum Confirmationis.

POſt hæc loquemur de Sacramento Confirmationis, de quo jam patefecimus in eis, quæ præceſſerunt, quod ipſum ordine ſequitur ſacramentum baptiſmi, ubi etiam declaravimus pro parte neceſſitatem, qua ſtabilitur ejus eſſe, & de utilitate ejus, & efficacia aliqua adjecimus. Nunc autem dicemus in primis, quòd intentio confirmationis dicitur comparatione juris. Quemadmodùm dicitur confirmare hereditas, vel jus aliud quodcunque, & ſolet hujuſmodi confirmatio literis, vel verbis principis fieri, ſicut dicit Papa; vel alius prælatus, electionem de tali factam, auctoritate tali confirmamus. Et ſecundùm hunc modum congruit intelligi confirmationem, prout hîc intendimus. Jus enim cœleſtis hæreditatis, ad quod divina vocatione & baptiſmali ſanctificatione aſſumptus eſt baptizatus, ei ſacramento confirmationis confirmatur, & roboratur, ita ut illud firmiùs, & immobiliùs poſſideat. Tu autem noſti, quòd nulla eſt ipſo jure confirmatio juris, quod non habetur, & propter hoc, qui juri iſti renunciaverunt videlicet qui arrham gratiæ baptiſmalis ſanctificatione perceptæ à ſeipſis rejecere, qui unctionem, qua in reges, & ſacerdotes conſecrati ſunt à ſeipſis abſolverunt, & abraſerunt, qui ſignaculum ſanctitatis, quod eſt propriè impreſſio ſpiritus ſancti, ſicut legitur ad Epheſ. 2. Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum, quo ſignati eſtis in die redemptionis, qui inquam hoc ſignaculum projiciunt, quod eſt ſignum ſpiritus ſancti, ſicut legitur 2. Cor. 2. & 5. Eo ipſo cœleſti hæreditati renunciaverunt. Ampliùs Qui ſigillum, ſive characterem baptiſmalem falſificant, cujus veritate tenetur jus hæreditatis æternæ, proculdubiò nolle ſe oſtendunt, & ipſo facto nullum ſe jus habere in hæreditate cœleſti; *Sigillum.* quemadmodùm ſiquis ſigillum regium ſuper donatione caſtri, vel rei alterius ſibi facta falſificaret, & eo ipſo donationi per illud ſibi factæ renunciaret, illam inutilem, & irritam ſibi redderet: ſic & iſti donationem cœleſtis hæreditatis in baptiſmo ſibi factam omninò evacuant, dum ſigillum baptiſmale, ſive characterem falſificant, quod eſt dum veritatem ſanctitatis quam ipſum deſignat, & quæ ipſi ſubeſſe debet, cujuſcunque peccati mortalis exſecratione ſubtrahunt, & diluunt. Hujuſmodi ergo hominibus nec cœleſtis hæreditas, nec jus in illa confirmari poteſt, ſicut jam diximus, & propter hoc primùm exhortandi ſunt recuperare jus iſtud, & procurare, ut eis reſtituatur. Quod totum facit interna pœnitudo, & fervens, ac firmum propoſitum emendationis ad conſilium Eccleſiæ. Juxta ergo intentionem illam, ſi temporalium hæreditatum & donorum tantoperè petitur, quæritur, & procuratur confirmatio, quantò fortiùs quærenda, & petenda eſt cœleſtis, æternæque hæreditatis, donorumque ſpiritualium roboratio. Juxta hunc modum videtur illud dictum in libro Regum: Confirmatus eſt in regno Salomon, ut ſcilicet illud firmiter poſſideret, & hoc vel diminutis, vel debilitatis hoſtibus, vel conſenſione populi in hoc ipſum magis pacata, magiſque confirmata; ſic & iſto ſacramento debilitantur, & diminuuntur hoſtes, ut in ſequentibus oſtendemus, & iſta cœleſtis hæreditas nobis adhæret inſeparabilis. *Epiſcopus confirmatus.* Sic & confirmato Epiſcopo, quaſi diminutis, & debilitatis hoſtibus, id eſt contradicentibus Epiſcopatui, adhæret inſeparabile jus. Certum enim eſt, quòd contradictio ſe opponentium poſt confirmationem debilior eſt, & ut frequentiùs numero minor. Dicitur & confirmatio ſanctitatis juxta aliam intentionem, qualis eſt ararum, murorum, & propugnaculorum. Tu autem noſti, quòd tempore belli Eccleſia conſueverat incaſtellari, & ſuper ædificatis turribus, aut propugnaculis, infortiari. Si bellum temporale, ſeu materiale pro tuendis, ſeu defendendis temporalibus ad hoc nos inducit, ut templa materialia caſtra faciamus, & arces, quantò fortiùs bellum ſpirituale incomparabiliter periculoſiùs Eccleſias ſpirituales incaſtellari coget, & templa exaltari, & muniri in arces. Non enim aliud eſt ritè baptizatus niſi templum ſive Eccleſia Dei eidem baptiſmali ſanctificatione conſecrata. Ritè autem confirmatus, non aliud

non aliud eſt rectè intuentibus, ac verè judicantibus, niſi Eccleſia incaſtellata, & templum in arcem exaltatum, & murus cui ſuperædificata ſunt propugnacula, ſicut legitur Canticorum ult. Si murus eſt ædificemus ſuper eum propugnacula argentea. Adjuvatur autem in iſta comparatione, ſeu ſimilitudine, non tantùm ex ſimilitudine, & proportione, ſed etiam à majori. Incaſtellatio enim iſta ſpiritualis, non ſolùm non detrahit ſanctitati, ſeu diminuit eam, ſed auget, & roborat. Si autem quæris à nobis, quæ ſit exaltatio iſta in arcẽ. Reſpondemus, quia iſta magnificentia, & altitudo cordis, quibus Chriſtiani nominis, & profeſſionis opprobria, ac inimicitias velut ex alto, deſpiciens confirmatus ſanctis indignationibus, & inſpirationibus, proſternit, & abruit quaſi ab arce. Tertio modo dicitur robur armorum, quemadmodùm in ſacramento confirmationis ad robur ſpiritus ſanctus, ſive gratia ejus dari non inconvenienter accipitur. Quia ſi tempore ſuæ conſecrationis coronatur Rex, quis dubitat, quin & galeandus ſit tempore belli? Sicut enim regem decet in ipſa conſecratione, & tempore pacis ſuſcipere, vel geſtare coronam ad gloriam, & decorem, ſic neceſſe habet tempore pugnationis, & belli ſuſcipere, ſeu geſtare galeam ad victoriam, & defenſionem: & quidem videre valentibus nihil aliud eſt ritè baptizatus, quàm rex in unctione, ſive conſecratione coronatus, nihil aliud ritè confirmatus, quàm rex ad prælium galeatus. Et propter hoc utriuſque ſacramenti ſignaculum imprimitur in capite. Sed ſacramentum regij, ac ſacerdotalis honoris propter eminentiæ ſuæ altitudinem in vertice. Sacramentum verò confirmationis propter bellicæ ſtrenuitatis audaciam, ſignatur in fronte. Prima enim, & maxima pericula bellantibus imminent in fronte: ſicut enim legitur Exod. 32. Moyſi facies cornuta apparuiſſe ex conſortio ſermonis Dei; ſic ex virtute ſacramenti iſtius novæ virtutis cornua fronti interiori confirmatis inſeruntur, quibus erumpant, & ventilent inimicitias, & opprobria Chriſtianæ profeſſionis. De quibus iſtud videtur dictum Pſal. Exaltabuntur cornua juſti. Nec multùm curamus, an cornu dicamus in iſta parte. Non enim ſolummodò pulchrè, ſed etiam eleganter dicitur unicornis effectus, qui ſacramentum confirmationis ſuſcepit, cujus ſignaculum in fronte exteriori de chriſmate pingitur tanquàm cornu ſpirituale rhinocerotis fronti ejus, interiori inſeratur, ſiquidem animali illi, quod grecè rhinoceros, latinè unicornis dicitur, cornu fortiſſimum de fronte prominet. Et quoniàm contra cornua, melius cornu, vel cornibus pugnatur, meritò contra cornua peccatoris, quibus in electos efferantur, cornua ſpiritualia electis in confirmatione adduntur. Hæc ergo eſt differentia inter ſolummodò baptizatos, & poſt baptiſmum ritè confirmatos, quæ eſt inter animalia non cornuta, & cornuta. Tanquàm ergo inermes à cornibus hujuſmodi veniunt ad manus Pontificis confirmandi, conſignandique fideles. Sed de ſub manibus ejus confirmati, redeunt cornibus armati tanquàm unicornes. Cujuſmodi autem virtutes hæ ſint, quas cornua ſpiritualia nominamus, in ſequentibus dicemus. Quarto modo robur, & fortitudo, intelligitur membrorum, quæ difficilè læſibilia ſunt, laboribuſque, & oneribus ſuſtinendis, atque portandis, apta; & quoniàm manifeſtum eſt tenera, ac delicata membra, & generaliter duris operibus omninò inſueta fortitudine, & robore veſtiri, antequàm mittantur ad fortia, quis dubitet ſanctitate baptiſmali regenerationis, quaſi modò genitos non ſtatim mittendos ad fortia certamina laborum, antequàm induantur vir-

Vnicornis.

Vide.

A tute ex alto, quod facere eis conſuevit divina clementia in ſacramento confirmationis, propter quod à Paſcha, ubi baptiſmus quondàm generaliter celebrari ſolebat in Eccleſia Dei, nec jejunia indicuntur, nec alia laborioſa uſque ad Pentecoſtem. Ipſarum etiam pſalmodiarum, & totius divini ſervitij prolixitas breviatur, liber bellorum, & certaminum ſcilicet regum, & Paralipomenon eodem tempore in Eccleſia Dei minimè leguntur, & hæc omnia poſt Pentecoſtem facienda reſervantur. Die autem Pentecoſtes induti ſunt Apoſtoli virtute ex alto, & ſpiritum ſanctum acceperunt ad robur, licet alia etiam dona quàm plurima & magnifica. Illi ſiquidem adeò firmati ſunt, ut nec mare mundi contra ſe fremens, nec immaniſſimas belluas perſecutorum contra ipſos frendere ullatenùs formidarent. Non enim ſemel tantùm datus eſt ſpiritus ſanctus,
B qui fuit ad plenam ſanctificationem in baptiſmo, ſed etiam ſecundò ad robur, in die videlicet Pentecoſt. Debes autem ſcire, quia nonnullis viſum eſt in ſacramento iſto ſeptem dona ſpiritus ſancti dati, quæ in 11. Iſaiæ expreſsè nominantur, & numerantur videlicet ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, ſpiritum conſilij, & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, & ſpiritum timoris Domini. Propter hoc autem hæc opinati ſunt, quia oratione Epiſcopali quæ ſuper confirmandos fit, expreſsè, & nominatim dari petuntur, ut videtur. Secundùm iſtos ergo ſine ſeptem iſtis donis eſt ſalus, cùm in baptiſmo certum ſit, data eis omnia eſſe dona, & virtutes, ſine quibus non eſt ſalus; levi autem ratione inducti ſunt ad idem aliàs ita ſentiendum, cùm idem ſpiritus ſanctus ſapientiæ ſit, & ſpiritus intellectus, ſicut dicit Apoſtolus primo ad Corin. 12. Diviſiones opera-
C tionũ ſunt, idem autẽ Spiritus ſanctus. Quare ſeptẽ illa dona ibi nominantur ad laudem, & gloriam ſpiritus ſancti, cujus dona, & operationes ſunt, non ad hoc, ut petantur, nec in oratione ulla dicitur: Emitte in eos ſeptem illa dona, ſed emitte in eos ſpiritum ſanctum tuum paracletum. Quia autem ſequitur ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, &c. laus eſt, & gloria omnis ſpiritus ſancti, ut diximus. Interdùm tamen ſpiritus ſapientiæ ipſum donum ſapientiæ cujus ſedes eſt in pectore ſignificat. Contradicit autem eis ipſa forma ſacramenti, quæ in fronte ſola pingitur. In pectore enim pingenda eſſet propter donum ſapientiæ, cujus ſedes in pectore eſt. Contradicit etiam eis & ipſum nomen ſacramenti, nomen ſcilicet confirmationis, quo ſcilicet non deſignatur, niſi donum, vel virtus fortitudinis. Non enim magis ſacramentum confirmationis, quàm timorationis dicendum eſſet. Si quis autem quærat, qui ſunt nervi, & oſſa ad ſimilitudinem & proportionem nervorum, & oſſium in anima hu-
D mana, & qualiter roboratur vis rationalis ſacramento confirmationis, ne vita circunferatur omni vento doctrinę, ne facilè lædatur argumentis hæreticorum, & philoſophorum, quaſi quibuſdam jaculis ſeu ſagittis; ſic virtus iraſcibilis, ne facilè vulneraretur injuriis, vel etiam opprobrijs, ſic & virtus concupiſcibilis, ne facilè lædatur concupiſcibilibus. Læſiones autem virtutis rationalis ſunt dubitatio falſa, opinio, incredulitas, & ignorantia in eis, quæ credenda, vel ſcienda ſunt ſecundùm Chriſtianam Religionem. Læſiones autem virtutis iraſcibilis ſunt iræ, rixæ, & cæteræ hujuſmodi noxiæ paſſiones: læſiones verò concupiſcibilis, mali amores, mala odia, mala deſideria, & mala faſtidia. Quia ſi quis dixerit, quòd ſufficit fortitudo fidei ad protegendum ab his, quæ contra fidem jaciuntur jacula, & ſagittæ: ſic fortitudo caſtitatis ad protegendum ab

Opinio quorundam.

his. quæ caſtitatem impugnant, & ad hunc modum de aliis: quemadmodùm vitia non indigent robore, & adjumento novo ſibi ſuperaddito, ut reſiſtant virtutibus, ſed hæc ſua eſſentia per ſe ipſa facere ſufficiunt. Reſpondere poſſumus in hoc quod ſupra reſponſum eſt, alia eſt enim fortitudo clipei, alia fortitudo manus, & brachij, qua fortiter teneatur, nec idem eſt intenſio virtutis, & fortitudo ipſius. Interdùm enim paſſio ruboris intenſior reperitur aliquo nativo rubore, non tamen fortior, nec propter hoc eſt difficiliùs à ſubjecto mobilis, & hîc vocatur fortitudo quædam in virtutibus, ſcilicet difficultas ſeparationis, quæ neceſſariò aliud eſt ab unaquaque virtutum. Veriſimiliùs autem eſt, & ipſi ſacramento confirmationis magis congruens, ut ſpiritualis virtus, & dona per ipſum præſtentur cõfirmatis contra injurias, & opprobria ab inimicis irrogatas, vel irrogandas eo quòd iſto ſacramento ſpecialiter adjuvamur, & muniamur ad vivendum illæſi; hoc eſt religioſè in medio ipſam religionem *Adverte.* impugnantium & ſicut ſupra diximus, propter vivere ad alterum, inſtitutum eſt divinitùs hujuſmodi ſacramentum. Hanc ergo virtutem, ſeu hujuſmodi virtutis alteram partem, vel ramũ, & rectiſſimè nominare poſſumus ſanctam inverecundiam, ſive impudentiam, quæ frontem mentis invulnerabilem, & illæſibilem reddit à jaculis opprobriorum, faciens frontem, ut ſilicem, & faciem, ut adamantem; ſicut legitur in Ezechi. Et eadem virtus ad laudes humanas verecundum efficit, ut eas tanquàm opprobria reputari faciat, & illuſiones, ſicut & reverà ſunt, rectè judicantibus & verè intelligentibus. Secunda pars hujus virtutis, & quaſi ſecundum cornu fortitudo, qua domus ſtat contra proprium pondus, videlicet ne corruat per ſeipſam, hoc partium ligatura facit, & ordinata factura. Sed ut ſtet contra impetum fluminis, aut flatum venti, novis fulturis, & *Nota.* ligaturis, ſeu aliis adminiculis adjuvanda erit: Sed electus iſte, qui domus Dei ſanctificatione baptiſmali effectus eſt, ſtare quidem poterit fortitudine baptiſmali contra ponderoſitatem propriæ corruptionis, de qua dicitur in 9. Sap. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem: ſed contra impetum, & inundationem perſecutionum, & inflatus inſultationum, & opprobrium, abſque novæ fortitudinis firmitate non ſtabit. Poterit quidem ſtare ex fortitudine baptiſmali in loco quieto, atque pacato, non autem in medio fluminum, & ventorum: & quemadmodùm veſtimentis à frigore & pluvia, cæteriſque injuriis aëris protegi quis poterit, non autem à ſagittis, & jaculis; ſic ex virtutibus baptiſmalibus ab hujuſmodi tentationibus, quæ velut injuriæ aëris, & carne, & mundo, quodammodò pluuntur, protegi poſſumus, nequaquàm autem ab hoſtibus, ſed armatura neceſſaria eſt; quemadmodùm enim veſtimentum, & arma neceſſaria ſunt nobis, propter corpus; ſic veſtimenta, & arma propter animam. Et quemadmodùm veſtimenta ſola non ſufficiunt corpori ad ſui tuitionem, ſed requiruntur arma; ſic virtutes baptiſmales non ſufficiunt animabus noſtris; propter veſtiendam ergo ani- *Nota.* mam humanam, meritò eſt ſacramentum baptiſmi, & propter eandem armandam, ſacramentum confirmationis. Si quis autem robur confirmationis intellexerit, amorem ipſum virtutum, quo nobis ipſæ tenacibus adhærent, & nos ipſis, non improbabiliter intelliget. Tam fortis enim, tamque robuſtus eſt unuſquiſque in virtutibus, quantùm eas diligit. Attende autem, quia fruſtra ſacramento iſto roborari, ſeu confirmari quærunt, qui debilitates ſuas amant, & dimittere nolunt: debilitates autem ſunt ægritudines, & vulnera peccatorum, ſimiliter vincula, & onera eorum. Iſta enim ſunt quatuor, quæ roborationem, ſive confirmationem ſecum non patiuntur. Præterea ſolicitè, & ſolerter exhortandi ſunt ad ſacramentum iſtud accedere volentes, ut omnia iſta deſerant. Per hoc enim infirmiores ſunt hoſtibus ſuis, & inferiores. *Vide.* Per hoc conculcantur ab hoſtibus, per hoc calcant hoſtes ſuper colla eorum. Qualiter autem ſperare ſe audeant robuſtos fieri contra hoſtes, & tamen remanere ægros, vulneratos, vinculatos, & oneratos, quaſi qui calefieri volens & frigus continere conetur? Deinde admonendi ſunt, ne hoſtes contra quos armari, & roborari volunt, ipſi contra ſeipſos arment, & roborent; quod utique faciunt, ſi membra ſua arma iniquitatis peccato adhibeant. Addiſcant etiam exemplo Antæi gigantes inniti, & adhærere ei, à quo eſt eis totum robur, & tota fortitudo id eſt Deo. *Nota.* Unde nec ille dejici potuit ab Hercule, donec à terra omninò ſeparatus, & elevatus eſt. Nec ipſi unquàm poterunt Deo adhærere, niſi à diabolo ſeparati. Super omnia autem addiſcant confirmari à Deo quærentes, in ſe ipſis infirmari cum Apoſtolo 2. ad Cor. 11. Inniti enim ſibi, hoc eſt, inniti cadenti, & ſtare non valenti huic, hoc indubitanter cadere eſt; inniti autem Deo, qui eſt fortitudo, & firmamentum, & petra, ſicut legitur in Pſal. hoc utique ſtare eſt, & ſublevari ad fortitudinem. Erubeſcant autem ſignum fortitudinis & ſtrenuitatis in eminentia frontis deferre, & in certaminibus ignaviter agere & vento tentationis ſub pedibus hoſtium cadere. Reminiſcantur ſe ſigniferos regis cœlorum eſſe, & vexillum ejus in alto frontis deferre, & quòd *Signiferi regis.* perditionis reus eſt, qui vexillum depreſſerit, deinde quantam contumeliam regi ſuo irrogat ſignifer, qui cum ipſo vexillo in partem contrariam ſe vertit? Nullus enim cogitur in partem malorum tranſire, & à rege regum recedere, immò quicunque hoc facit, ſola voluntate ſua hoc facit. Voluntate enim peccatur, & voluntate rectè vivitur, ſicut dicit Aug. *Voluntate ſolùm peccatur.* unde quanta contumelia homini regi regum irrogatur à Chriſtianis? cùm enim omnes Chriſtiani ſigniferi ejus ſint, ut diximus, major tamen pars eorum contra ipſum pugnat. Qui enim cum eo non eſt, contra ipſum eſt, ut ipſe dicit 11. Lucæ. Clamat contra te ſignum crucis; clamat te proditorem, & reum læſæ majeſtatis. Primum vexillum, quod primò in fronte portas clamat, clamat inquam clamore, qui pertingit uſque ad cœlos. nulla vox clamoſior, immò nulla vox clamori illi comparabilis; clamat enim te ſigniferum, opera autem te clamant hoſtem, & propter ambo pariter proditorẽ, immò nequiſſimum proditorem. Magna enim confidentia, magna ſpe fidelitatis, & ſtrenuitatis conſueverunt committi vexilla ad portandum in præliis. Oblitus es, proditor Dei, quod dictum eſt tibi, & aliis. In hoc ſigno vince. Veriſſimè enim in hoc ſigno præſtatur robur ad vincendũ. Et attende quòd fides, & reverentia hujus ſacramenti jam pro parte apud Chriſtianos periiſſe videtur, & propter hoc virtus, & efficacia ipſius. *Sacramentum confirmationis jam ferè periit.* Nihil enim ampliùs honoris, & reverentiæ ei relictum videtur, niſi hoc ſolùm, quod non ab aliis, quàm à ſummis Sacerdotibus, id eſt Epiſcopis dari, ſeu miniſtrari permittitur. Cæterùm, quàm imperiti, quàm indevoti illud hodiè ſuſcipiãt, quàm turbulenter, irreverenter ad illud hodiè accedatur, ipſi oculi noſtri faciũt nobis fidem; propter quid nec mirum eſt, ſi virtus ejus, & efficacia apud hujuſmodi homines, aut parva ſit, aut nulla, id eſt quòd ſpeciem Chriſtianæ religionis, & ſigna omnia ſanctitatis, & ipſum nomen, non ſolùm erubeſcant, ſed etiã formident. Rariſſimi enim ſunt, qui non erubeſcant, atque

Digitized by Google

formident facere bona aut loqui vera in conſpectu hominum etiam Chriſtianorum. Sicut ergo dicit Apoſtolus in 11. 1. ad Cor. quòd multi imbecilles, & dormiunt multi, eo quòd non dijudicant corpus domini ſic virtus, & efficacia hujus ſacraméti penè annullata eſt inter nos, pro eo quod non dijudicatur, ideſt, debito honore, & reverentia jam non tractatur, & hoc Doctoribus, & prælatis maximè credimus imputandum, quorum maximè eſt de his docere populos, & commonere. Pingitur in iſto ſacramento ſignum crucis in fronte confirmandi de chriſmate, propter cauſas quas diximus; ſignum crucis, ut in crucifixo, & per crucifixum ſit tota ſpes, & fiducia victoriæ confirmatis, & ut in tentationibus ſuis recogitet eum, qui talem ſuſtinuit contra ſe ipſum contradictionem, ſicut legitur in 11. ad Heb. ut eo in carne paſſo, eadem cogitatione armetur, ſicut legitur in 3. 1. cap. Pet. & ut ſciat ſe ad tormenta & ludibria miſſum. Siquidem Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus ut legitur 2. cap. Pet. 2. Ideò memoriale exempli hujus in ejus fronte pingitur. De chriſmate verò, ut utriuſque honoris memor, regii ſcilicet & ſacerdotalis adeò ſtrenuè agat, ne regium honorem deturpet, & dehoneſtet, in lite ſuccumbendo, & ne ſacerdotalem ſanctitatem inquinet, aut prophanet, ſe execrabiliter polluendo. vel ut memor ſit patris ſui, regis ſcilicet univerſalis & ſacerdotalis qui in cruce tam magnificè. tamque ſtrenuè egit Rememoratio namque probitatis paternæ, interdum eſt excitativa imitationis in filiis, vel ut regaliter ſe gerat in omnibus per juſtitiam, & rectitudinem ſacerdotaliter autem ſe gerat. quæcunque bona facturus, & quæcunque mala paſſurus, vel ut ſciat ſe non ſolùm coronandum, ut regem, ſed etiam immolandum ut ſacerdotalem hoſtiam Deo. cujus prima hoſtia ipſemet eſſe debet. Non enim rectè alia oblaturus ad Deum accedit, qui ſeipſum primò immolare neglexerit, quod oſtenſum eſt in Caïn, & Abel Gen. 4. Attende autem, quòd modus, & forma conveniens huic ſacramento eſt, ut præmiſſa exhortatione, de virtute, & efficacia ſacramenti iſtius, de fide, puritate, ac devotione, qua ad ipſum accedendum eſt; præmiſſa etiam oratione ſuper confirmandos, pingatur ſignum crucis de chriſmate in frontibus eorum, & impoſitis manibus ſuper capita eorum, dicitur eis: Pax tecum. Siquidem ad impoſitionem manuum Apoſtolorum ſolebat dari Spiritus ſanctus & datur modò ad impoſitionem manuum Epiſcoporum. Quod autem Pontifex dicit pingendo characterem. Conſigno te, & cruce confirmo te; intelligenda eſt conſignatio. ut metum incutiat Dœmonibus, ne præſumant ingredi frontem ſignatam. & hortum concluſum, ne audeant diſperdere, & diſſipare theſaurum conſignatum, nec introire domum contra ipſos clauſam, atque ſignatam, ne aliquid ibi vendicare audeant in eo, quem vident in Dei ſervum, immò filium conſignatum.

Signum crucis cur pingitur in confirmatione de chriſmate.

Nota.

Pax tecũ ab Epiſcopo dicitur in confirmatione.

DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.

CAPUT I.

Sacramentum Euchariſtiæ demonſtraturus, primùm ejus ſummas, atque eximias laudes proſequitur. Utitur autem parùm aptis ſimilitudinibus, quia (quemadmodùm ipſe auctor multis locis ſcripſit) non eſt ad ſpiritualia cognoſcenda via commodior, quàm ea quæ eſt ſimilitudinum.

POſt hæc relinquitur nobis, ut enitamur loqui (freti auxilio Dei) de ſacratiſſima Euchariſtia, cujus ineffabilitati in nullo derogare intendimus, ſcientes, & plane confitentes illam eſſe longè incomparabiliter ſuper omnem ſenſum, ac humanum intellectum, & non poſſe ad eam ullatenùs attingere cognitionem noſtram. vel loquelam, veruntamen tentare debere & ſcribere aliquid de tanto ſacramento, quo virtus ejus, & efficacia eluceſcat, quo errores tam ſacrilegi, tamque impii retundantur, quibus contra illud non ſolùm blaſphemare, ſed etiam ipſum de medio tollere nephario auſu hæreticæ pravitatis inſania attentare præſumpſit, non ſolùm pium eſt, ſed etiam ſacri magiſterii debitum. Dicemus ergo in primis, quia ſi cura eſt Deo corporis cujuſcunque animalis, etiam pulicis, & muſcæ unius, providere ei nutrimentum, & ſuſtentationem, quod eſt dicere cibum & potum, quòd multo fortiùs, & incomparabiliter cura erit eidem de nutrimento nobiliſſimi corporis, de quo præloquuti ſumus, & diximus, quia non decet ipſum aliud habere caput, quàm ipſum Deum, nec alio ſpiritu vivere, quàm ipſo ſpiritu Dei. vivere inquam vitâ quam dicimus, gratiæ, vel vitâ gloriæ. Ex quibus conſequenter relinquitur, cibum ejus eſſe debere ipſum Deum. Si enim quod nutrit, & ſuſtentat vitalem calorem in corpore animalis, verè cibus eſt ipſius animalis; ergo cùm divina bonitas vivificum calorem, quo prænominatum nobiliſſimum corpus vivit, ſola nutriat, ipſam eſſe cibum ejuſdem veriſſimum, neceſſe eſt. Quid autem eſt vitalis calor in hujuſmodi corpore, niſi ſanctus, & ſincerus amor, & ſancta amicitia, qua Deo hærent & ſibi invicem cohærent, propter ipſum ſibi invicem conſulentes, totaque promptitudine ſibi invicem ſubſervientes, tota ſtudioſitate totiſque viribus ſe invicem adjuvantes, & defendentes? Divina ſiquidem bonitas veros amatores ſuos adeò ſibi aſtringit, & alligat, ut propter ipſam & ipſi invicem inſeparabiliter ſibi cohæreant, & ſincera ſe invicem dilectione amplectantur. Quòd ſi bonitas creaturæ cujuſcunque dilectionem ſui in cognitore ſuo excitat, nutrit, & auget, quid divina bonitas in cognitoribus ſuis operabitur? Ampliùs. Cùm bonitas in creatura quacunque non ſit, niſi veſtigium perrenue, atque permodicum fontalis atque redundantis in anima bonitatis, & umbra umbræ ipſius, ſi extrema veſtigiorum ipſius veſtigia, hoc eſt ſenſibilium, & corruptibilium creaturarum

Providentia Dei, etiam in minimis.

Amor Dei.

voluptates, in hominibus tantos ſui amores nunc excitant, nutriunt, augent, & inflammant, ut in eis ardere, & conflagrari perſpicuum ſit, atque manifeſtum: quantò fortiùs divina bonitas in eis, in quibus illuxerit, amores ſanctiſſimos, & concupiſcentias immaculatiſſimas excitabit, nutriet, augebit, & inflammabit? Meritò ergo ipſam divinam bonitatem, cibum, & nutrimentum vitalis caloris, ac ſpiritualis diximus. Quemadmodùm enim ſpecioſitas mulieris quodammodò nutrimentum eſt, & cibus turpis amoris, unde cùm ſubtrahitur à corde hujuſmodi amatoris, ſive per oblivionem ſive per occupationem alterius cogitationis, ceſſat turpis amoris incendium; cùm autem adhibetur eidem per aſpectum vel cogitationem reviviſcit, & renovatur; ſic multò fortiùs divina pulchritudo cibus erit, & nutrimentum amoris digni & congruentis ſibi in amatoribus ſuis. Sicut bonitas, aut vita cujuſcunque boni viri in corde benigni auditoris ſanctam amicitiam excitat, quantóque major, & magis innoteſcit in eandem, magis nutrit, & auget; ſic incomparabiliter ampliùs divina bonitas in cordibus contrario amore, aut perverſitate non corruptis, neceſſariò ſanctum amorem ſuum excitabit, nutriet, & augebit. Idem eſt de ſuavitate voluptatis. Et quemadmodùm virtus appetitiva noſtra guſtabilis in ſingulis cibotũ, & potuũ ferculis ſeu varietatibus venit, quod appetitum ejus excitet, nutriat, & augeat; ſic cor in omnibus verbis, & operibus & tota converſatione viri boni inveniet, quod amorem ejus excitet, nutriat, & augeat; ſic & corda electorum in verbis, & operibus Dei, tanquàm in ferculis quibuſdam ſpiritualibus inveniunt, quod in eis vivificum ſancti amoris calorem excitet, nutriat, & augeat, & quod ea ſpiritualiter immaculata dilectione paſcat. Propter quod verba Dei cibus animarum humanarum veriſſimè dicta ſunt in veteri ſacra ſcriptura, & nova. Jam ergo declaratum eſt tibi, quòd divina pulchritudo cibus eſt, & pabulum, ac nutrimentum ſancti amoris in ipſum Deum. Juxta hunc modum divina ſuavitas, & dulcedo, ſancti appetitus, quaſi cujuſdam guſtus ſpiritualis cibus eſt, & pabulum excitationis, & delectationis ipſius. Et ad hunc modum referuntur quæcunque in ſcriptura leguntur in hac materia, ſicut illud in pſ. Satiabor cùm apparuerit gloria tua, & illud; torrente voluptatis tuæ potabis eos Et illud; quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine. Et iterùm; quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Similiter, & illud Proverb. 17: Favus mellis verba compoſita. & illud Matth. 2. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Propter hoc in figura cœleſtis ac vivifici panis, qui Deus eſt, dictum eſt Sap. 16. Paratum panem de cœlis præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamẽtũ in ſe habẽtẽ & omnis ſaporis ſuavitatem. Juxta hunc modum ipſius divinæ bonitatis ſanctæ, & gratuitæ dilectionis exemplum dilectionem boni viri in alium bonum virum ſupra poſuimus. Si enim cognita bonitas viri boni in corde non corrupto cognoſcentis excitat, nutrit, & auget gratuitam, ac ſinceram dilectionem, quæ bonis ejuſdem congaudet, & congratulatur: quantò fortiùs fontalis, abiſſiliſque bonitas Dei permodica aſperſione, vel potiùs odore pertenuiſſimo ſolummodò, ut ita dicamus, à qua bona ſunt omnia incorruptis, ſcilicet cognitorum cordibus, prout eis innoteſcere, & illuceſcere fuerit datum, pietatis ſuæ dignatio, cibus erit, & pabulum, & fomes incentivus ſanctæ, ac gratuitæ, vivificæque dilectionis, quam ſolam dignam nomine charitatis meritò reputamus? Eſt & quartum genus amoris, vel forſan quarta potiùs intentio hujus nominis amor, ad

Simile. *Aliud ſimile.* *Verba Dei.* *Nota.* *Charitas.*

E quam ſimiliter ſe habet beneficentia, ut cibus, & pabulum, & hoc eſt amor, quem ſolemus vocare neceſſarium à neceſſitudine. quæ dici ſolet vinculum amoris, quæ indiſſolubilem hunc amorem, ut ita dicamus ligna beneficiorum nutriunt, & propter hoc cùm illa ceſſaverint, extinguitur. Iſto modo amamus nos patres, & matres alioſque benefactores. Et quia beneficia parentum in filios perpetua ſunt, ſicut vita, & alia, quæ ex educatione, & diſciplina eorum acquiruntur, perpetua ſunt, aut difficilè ſeparabilia, idcirco perpetuus eſt amor in parentes, ſive autem æquivocè, ſive univocè, amor in iſtis omnibus dicatur amor bonitatis, & amor beneficentiæ. Certum eſt, quòd vera ſunt, quæ diximus: nobis autem intentio eſt hîc de amore ſancto, gratuito, & recto, quem non incurvat voluptas, aut utilitas in proprium ſubjectum quem charitatis nomine ſolùm dignum ſupra diximus, quæ nihil

F habet venalitatis, vel negociationis, per quam amator non ſibi quicquam acquirere nec amatum ſuum efficere quærit ſed potiùs ſe, & ſua intendit exhibere., & quicquid poteſt commodi vel honoris, & hunc dicimus vitalem calorem, quem Dei ſpiritus in totum corpus, quod diximus, diffundit. Palam ergo eſt ex his divinam bonitatem cibum eſſe, & nutrimentum hujus ſancti, & nobilis corporis, cujus ſingula ſancta membra ſinguli ſunt ſancti viri. Declarabimus autem iſtud alia via, & dicemus, quòd ſicut non eſt vita corpori animalis, ſeu vitæ ſuſtentatio, abſque incorporatione cibi convenientis; ſic non eſt vita gratiæ cordi humano abſque incorporatione, & inviſceratione ſpiritualis cibi illi vitæ convenientis. Incorporatio autem non aliud eſt, quàm ſpiritualis, ſive cordialis unitio. Et hoc non eſt, niſi amor quantùm ad virtutem motivam ſuperiorem. Illud enim cordialiter, ſive ſpiritualiter

G nobis unitum eſt, quod jure amamus. Juxta quem modum Actuum 4. dictum eſt. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Et Joan. 17. Rogo pater, ut iſti ſint unum, ſicut ego, & tu unum ſumus. Et quia incorporatio cibi verè comeſtio eſt, cætera autem, quæ ipſum præcedunt, præparationes ſunt ad comeſtionem, ſic incordatio cibi ſpiritualis verè comeſtio eſt ſpiritualis. Quia ergo manifeſtum eſt ſine incordiatione, ideſt, cordiali unitione, quam amorem vocavimus, & eſt, nec vitam gratiæ, nec vitam gloriæ cuiquam eſſe, aut eſſe poſſe, manifeſtum eſt ſine comeſtione ipſius Dei neutram vitam poſſe eſſe. Ex quo manifeſtum eſt illud eſſe, quod ait veritas Joan. 6. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Et iterùm, qui manducat hunc

H panem, vivet in æternum: Et iterùm panis verus eſt qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Et iterùm: Ego ſum panis vitæ. Nulli enim dubium eſt, quòd abſque cordiali unitione Dei, quæ verus, ac ſanctus amor eſt, nulli unquàm fuit, vel eſt, vel erit vitæ æterna. Panis autem, & nutrimentum vitæ eſt unum inquantùm vivificat, vel vivificum calorem, aut inducit, aut nutrit, inquantùmque amore ſancto calefacit, aut ipſum calorem nutrit. Et propter hoc inquantùm amorem, vel amantes facit, intantùm vivificat, aut neceſſariò nutrit. Intantùm ergo eſt panis vitæ, & illis ſolùm eſt panis vitæ, inquantùm, quos amatores ſui efficit, vel in eis amorem nutrit. Intellige autem diligenter, hoc eſt firmiter tene, quia hæc eſt radix probationis vivifici, & ineffabilis ſacramenti, quam effugere non poteſt intellectus capax veritatis, & cui non contradicitur interiùs, cùm completa fuerit, & elucidata, atque depurata. Primùm autem declarabimus tibi duas cauſas erroris hæreticorum, quibus veritatem ſacramenti iſtius videre, & credere prohibiti ſunt. Harum

Amor venerus. *Simile.* *Incorporatio.* *Panis vitæ.* *Duo errores hæreticorum circa hoc ſacramentũ.*

Digitized by Google

A Harum prima eſt errantium circa veritatem comeſtionis; vocaverunt enim pueriſi inſipientia comeſtionem ipſam cibi præparationem, dicentes ipſam maſticationem cibi comeſtionem, dicentes cibum comedi, cùm in ore teritur dentibus, aut molitur, aut cùm in ventrem trajicitur, ignorantes quia corpus animalis eſt velut domus ſufficientia officinarū, & vaſorum ornata atque munita, ſeu præparata, & quia os eſt ſicut molendinum, aut ſicut mortariū cum inſtrumentis, quæ neceſſaria ſunt ad terendum, ſive piſtandum. Sicut ergo quandò cibus adhuc in molendino eſt, vel in mortario nondùm comeditur ſed ad comeſtionem præparatur; ſic cùm in ore eſt, nondùm comeditur. Juxta hunc modum ipſe ſtomachus, velut coquina eſt, aut lebes ſive colla coquinaria in eadem domo ubi primùm coquitur cibus, atque digeritur, & depuratur. De quo B quod impurum eſt, aut inconveniens nutrimento corporis, in ſeceſſum emittitur. Reliquum autem ad hepar quaſi ad nobiliorem coquinam ſive lebetem coquendum, depurandumque, tranſmittitur. Unde impurum, & inconveniens nutrimentum in ſeceſſum urinalem emittitur reliquum verò ad mēbra transfunditur. In quibus etiam tertia decoctione digeſtum depuratur. Inde à membris ſingulis aſſumitur & in nutrimentum proportionatur, hoc eſt, pro rata uniuſcujuſque, & tunc eis incorporatur, atque eis verè comeditur: manifeſtum eſt ergo tibi, quàm longè à veritate aberraverint hæretici circa corporalem comeſtionem, & ſpiritualem. Quod enim corporali comeſtione comeditur, & nutriendo corpori incorporatur, neceſſe eſt, ut à C propria ſua forma denudetur per corruptionem hylæ ſuæ, & ut forma nutriendi corporis veſtiatur, ſive per generationem, ut quibuſdam viſum eſt, ſive per extenſionem formæ ipſius nutriri, occupantis materiam ipſius nutrimenti. In comeſtione autem ſpirituali econtrariò ſe habet, quia cibus ſpiritualis quantò magis incorruptus, magis integer magiſque illæſus, formiſque ſuis veſtitus venit ad cor, tantò ei veriùs, & profundiùs unitur. Oportet te etiam hoc prænoſſe, quòd veritas cibus eſt virtutis noſtræ intellectivæ, & bonitas cibus eſt virtutis noſtræ motivæ ſuperioris, ac nobilis, & aliis verbis idem dicitur: verbi gratia, ſi dicatur, quòd veritas cibus eſt noſtri intellectus, & bonitas eſt cibus noſtri affectus, videlicet ſuperioris, atque ſublimis: non enim hoc intendimus de affectu, quem communicamus cum brutis animalibus. Idem enim eſt veritas ad intellectum, quod lux exterior eſt ad viſum. Inde eſt quod ſolum verum eſt ſcibile, & ſolum lucidum viſibile: & quemadmodùm cibus corporalis corpus firmat robore, cùm incorporatus ei fuerit; D ſic veritas intellectum certitudine, cùm ei unita fuerit unitione completa: tunc enim verè, & propriè ipſa veritas intellecta, aut ſcita dicitur. Et quemadmodùm cibus corpus auget, & diſtendit trina dimenſione, videlicet longitudine, latitudine, profunditate, ſeu ſpiſſitudine, aut altitudine; ſic veritas intellectum extendit in longum conſequentium, in latum convertentium, ut contrariorum ſeu repugnantium, in altum, ſeu profundum eſſentialium. Quòd ſi hoc referre volueris ad intellectum practicum, erit evidentius; hæc ejus enim longitudo veriſſimè ac propriiſſimè eſt ejus extenſio in præterita, & futura quaſi duorum ſtadiorum ſcilicet memoriæ, & providentiæ eius. Latitudo, circumſpectio eſt ejus: profunditas, ſeu altitudo, ſublimium, & intimorum apprehenſio, ſeu perceptio. Juxta hunc modum ſicut plenitudo, atque pinguedo in corpore, ſic luminoſitas, ſeu claritas cognitionum, & abundantia multitudoque cognito-

Corpus animalis. — *Os ſicut molendinum.* — *Stomachus ſicut lebes.* — *Veritas cibus intellectus.* — *Bonitas cibus noſtri affectus.* — *Solum verum eſt ſcibile.* — *Nota.*

rum in intellectu, ſeu mente. Juxta hunc modum ſe habet & in virtute noſtra motiva nobili, ſive affectu noſtro ſuperiori. Hujus enim latitudo, amor eſt; longitudo, ſpes; altitudo, magnificentia. Alta tamen comparatione humilitas altitudo eſt, ſive profunditas ipſius. Cùm autem iſta diligenter conſideraveris, invenies certiſſimè ex diffinitione, ſeu ratione ejus, quod eſt cibus, ſolam primam, ac luminoſiſſimam veritatem, cibum eſſe noſtri intellectus ſolamque primam mundantiſſimamque bonitatem, cibum eſſe noſtri nobilis, ac ſublimis affectus. Si enim cibus eſt per rationem rectiſſimam, diffinitionemque rectiſſimam, cujus ſumptione naturaliter ſedatur fames, delectatur comedens, reficitur, & repletur. non dico impinguatur (pinguedo enim eſt exceſſus, & ſuperfluitas convenientis, ac debitæ plenitudinis) manifeſtum eſt quia non ceſſat fames intellectus noſtri nec fames affectus, donec pleno ore ille primam veritatem, iſte primam bonitatem comedat, nec ante alterutrum eorum impleri poſſibile eſt: manifeſtum ergo eſt. non aliud eſſe proprium verum, ac naturalem cibum eorum. Si enim ſola prima veritas ſedat univerſaliter famem ſciendi, quæ in intellectu noſtro eſt, qua dicitur, quia omnes homines naturaliter ſcire deſiderant, ſi ipſa ſola per ſeipſam implere ſufficit totum ventrem, id eſt totam capacitatem noſtri intellectus, ſi ipſa ſola ipſum reficere abſque ullo veſtigio defectionis ſufficit, ſimiliter & delectare, delectatione completa, cui nihil deſiit deinde augere & diſtendere ſecundùm omnē dimenſionem uſque ad perfectum congruentis, ac perfectè debitæ ſibi magnitudinis, cibum illum ejuſdem proprium, atque veriſſimum eſſe, neceſſe eſt; & primam bonitatem ad affectum noſtrum ſublimē ſimiliter ſe habere dubitari non poteſt ab intelligētibus. Si enim poſuerimus intellectum in quo omnes veritates præter primam luciddiſſima deſcriptione inſcriptæ ſint, firmiſſimaque conjunctione unitæ; dico quia hujuſmodi intellectus vacuum ſe reputabit & inſcium. Cujus exemplum eſt in Platone, qui veritates alias tot annis comedere nō ceſſans, tādem non ſe refectum, aut impletum, ſed magis inanem, & vacuum ſentiens, dixit: hoc ſolùm ſcio, quod neſcio, quaſi dicat: ſolam neſcientiam meam ſcio. Idem autem eſt neſcientia, & vacuitas in intellectu: idem ergo eſt, ac ſi dixiſſet, ſolam vacuitatem in ventre intellectus mei ſentio. Ampliùs Intellectum humanū ad cognitionem primæ veritatis, & affectum ad fruitionem primæ bonitatis natos eſſe, manifeſtum eſt intelligibilia intelligentibus, cognitio autem, & fruitio comeſtiones ſunt ſpirituales; ad comedendum ergo eaſdem natæ ſunt neceſſariæ iſtæ duæ vires. Quare primam veritatem ſuum eſſe comeſtibile intellectus humani, primamque bonitatem ſimiliter affectus humani ſuum comeſtibile eſſe neceſſe eſt: ſuum autem comeſtibile uniuſcujuſque virtutis, ſuus panis, & cibus indubitanter eſt. Prima autem bonitas, ac prima veritas ſunt unus, verus, ac ſolus Deus, ac dominus omnium ſanctorum. Duæ autem iſtæ vires apprehenſiva, & motiva nobilis, ſunt totum id quo cæteris animalibus excellimus, quo mens humana & imago Dei in humana anima propriè, veriſſimèque deducitur. Jam ergo deduxi te ad hoc via facili, & probatione evidenti, ut cognoſcas Deum eſſe, & quia unumquodque ſic ſe habet ad eſſe, ſicut ad veritatem. Quia igitur cæteræ veritates ad primum cibum, & panem animæ humanæ, ſecundùm ſuum principiū ac nobile eſſe ſe habēt; ſicut umbræ vaniſſimæ, & picturæ exiliſſimæ apparitionis ad veritatē, erit neceſſariò philoſophatio de aliis veritatibus. & cognitio quamtumlibet citra ultimā primæ verita-

Cibus quid. — *Nota.* — *Cognitio & fruitio ſūt comeſtiones ſpirituales* — *Prima veritas, & prima bonitas.*

Digitized by Google

tis cognitionem: ſicut ſomnium comeſtionis ad veritatem ejuſdem; quapropter declaratum videtur quod legitur Iſaiæ 28 *Similitudo* Sicut ſomniat eſuriens, & comedit: cùm autem expergefactus fuerit, anima ejus vacua erit, & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquàm fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus arida, & vacua eſt; ſic erit multitudo omnium gentium, quę dimicaverunt contra montem Sion. Somniaſſe ergo apparet Platonem in philoſophando, & expergefactum dixiſſe, hoc ſolùm ſcio, quod neſcio: Nunc verò reſtat nobis oſtendere panem iſtum quotidianum eſſe ſicut legitur in 11. Lucæ, & ſuperſubſtantialem, ſicut Matthæ. 6. Dico ergo quòd ſicut neceſſe eſt deficere vitam naturæ in animalibus ex defectu ſuſtentationis, ſive nutrimenti convenientis, quod non eſt, niſi cibus & potus, ſic neceſſe eſt vitam gratiæ in corpore nobili ac ſanctificato, de quo hic loquimur: & eſt probatio iſta, à cauſa, à ſimili, & à proportione. *Probatio à cauſa, à ſimili, à proportione.* Ampliùs. Subtrahe divinam veritatem ab humano intellectu, & divinam bonitatem ab humano effectu, & videbis utrunque mortuum quantùm ad vitam gratiæ. *Nota.* Intellectus enim Deum ignorans, & affectus Deum non amans, iniquè vivunt, dum ſe, & ſua in ejus honoré, & obſequium non convertunt; cùm enim à Deo ſolo ſeipſos, & omnia bona ſua habeant, in ejuſdem honorem & obſequium tenentur illa convertere. Non vivunt ergo ad honorificentiam Dei, ſed nec ad proximi utilitatem, cùm Deum, ſine quo alia inutilia ſunt, & ſine quo non ſolùm inutiliter, ſed etiam pernitioſè habentur, non honorant, nec proximis quærant juvare non intelligentes quàm indecenter in ſeipſis vivunt, qui nec quo nati ſunt ire intendũt, hoc eſt ad æternam fœlicitatem, ad Deum ipſum, qui finis eſt omnium laborum, & quies omnium deſideriorum. Ampliùs. *Intellectus humanus ſponſus primæ veritatis.* Cùm intellectus humanus verus ſponſus ſit primæ veritatis, & ad illam ſolam debeat eſſe converſio ejus, cæteris autem, ut ancillis ſive pediſſequis uti debeat ſponſus, hujuſmodi intellectus, videlicet ignorans Deum, primæ veritati uxori ſuæ non adhærens, cùm cæteris paſſim neceſſariò fornicatur curioſè ſe illis proſtituens, & quæ illi, ut ancillæ, atque pediſſequæ famulari debent ad quærendã, obtinendam & honorandam, ac ſingulariter amplexandam primam veritatem, fornicaria, & adulterina turpitudine ad amplexus eas admittit, ac thorum, dum eas propter ſemetipſas diligit, & delectatur; *Fornicatio intellectus, & affectus.* ſic de affectu manifeſtum eſt ſe habere de bonitatibus à prima bonitate in creaturas aſperſis. Manifeſtum ergo eſt, quòd panis iſte, non ſolùm quotidiè, ſed jugiter, aſſiduèque comedendus eſt, & abſque ulla ceſſatione in mente habendus, atque tenendus. *Panis quotidianus.* Et propter hoc non ſolùm quotidianus ſed ſuperſubſtantialis dictus eſt. Cæteri ſiquidem cibi ſubtrahi poſſunt ad modicum ſalva vita, quam ſuperſuſtentant, & reparant, ſed iſte nec ad modicum. Ejus enim ſubtractio, extinctio vitæ eſt. Et propter hoc vita animarum dicitur, ſicut ipſæ animæ, vitæ naturales ſuorum corporum. Quapropter ſicut ſeparatio animæ à corpore, & ad momentum, mors eſt corporis, ita ſeparatio Dei à mente humana ad quantumlibet modicum; ſeparatio inquam, qualem diximus, extinctio eſt ipſarum animarum, quantùm ad vitam gratiæ. *Similia.* Ampliùs. Sicut naturalis conjunctio animæ ad corpus, vel ipſius Dei ad animam, vita eſt naturalis, ſive cauſa vivendi naturaliter; ſic gratuita cõjunctio ejuſdem, ſcilicet Dei ad ea, quibus ſic conjungibilis eſt, vita eſt gratiæ, ſeu cauſa vivendi ſecundùm gratiã Quapropter ſicut cõtraria ſeparatio mors eſt, aut cauſa mortis, quæ oppoſita eſt naturali vitæ; ſic contraria ſeparatio gratuitæ cõjunctionis, aut mors

E eſt, aut cauſa mortis, quæ contraria eſt vitæ gratuitę. Nec mireris ſi diximus Deum vitam eſſe etiam naturalem animæ humanæ, cùm ſit ei cauſa manifeſtiſſima vivendi naturaliter, & ipſa ſcriptura Danielis 12. vocet eum ſecundùm unam literam vitam ſæculi, & vitam ſæculorũ: ubi ergo nos habemus 12 Danielis. Juravit per viventem in æternum: Hebræus habet: Juravit per vitam ſæculi. Propter hoc Sol etiam intelligentiæ in 5. Sap. & Sol juſtitiæ in 3 Malachiæ nominatur. Quemadmodùm enim ſubtracto ſole tota radioſitas ejus ſimul ſubtrahitur, ſic Deo ſublato de mẽte humana eo modo, quo diximus tota radioſitas donorum, & gratiarum, ſine quibus Deo non placetur, ſubtrahitur. *Nota.* Et debes ſcire, quòd non intelligimus panem vitæ à mẽte humana recedere vel eidem ſubtrahi ſi fortè aliqua hora non cogitetur, aut motus ſancti amoris in ipſum non dirigatur, ſicut nec animam à corpore, ſi quandóque ab operatione viſus aut alterius ſenſus ceſſat. Et quia jam declaratum eſt Dominum eſſe panem animæ humanæ F ſecundùm ſuum totum nobile, atque præcipuum ipſamque animam natam eſſe comedere panem hunc, & creatam eſſe ad comedendum illum: manifeſtum autem eſt creatorem nihil fruſtra, vel otioſè feciſſe, nec in poſterum facturum eſſe, fruſtra autem dediſſet animæ humanæ vires ad comedendum hunc ſuaviſſimum, ac precioſiſſimum panem, niſi comeſtibilem ei ſeu manducabilem exhiberet, neceſſe eſt, ut ſe ei manducabilem exhibeat Ampliùs. *Simile.* Si materfamilias filiis pro captu eorum, ſeu congruentia cibũ miniſtrat naturali pietate quæ etiam quodammodò juſtitia eſt, ita ut aliis cibum in ſpecie lactis, aliis in ſpecie panis, aut ſorbicularum miniſtret; quantò magis fontalis ac inæſtimabilis pietatis Deus, & ſuper omnem comparationem plùs diligens filios gratiæ ſuæ, & adoptionis, qua poſſit mater quæcunque diligere filios uteri ſui, miniſtrabit eiſdem panem vitæ pro captu, & congruentia ſingulorum? G Habet enim adultos, ac perfectæ ætatis atque virtutis filios, ſcilicet Angelos ſanctos, & animas ſanctas, quæ miſeratione ejus ad eorum conſortium jam aſſumptę ſunt: *Filii adulti.* hi capaces ſunt & potentes comedere panem vitæ tam virtute, quàm amplitudine oris, & ventris ſpiritualium in ipſa formæ ſuæ ſoliditate, in qua ipſe in ipſa æternæ refectionis, ac ſatietatis mẽſa, cœleſtibus conviviis pleno ore comedendus apponitur. Hæc eſt menſa, quam æterna ſapientia propoſuiſſe, & paraſſe legitur Prover 9. De hac menſa ipſa veritas dicit Lucæ 22. Ego autem diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater ſcilicet, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. *Filii parvuli.* Habet Deus pater, & filios parvulos quibus impoſſibile eſt H panem vitę in ſuæ formæ ſoliditate comedere. Quapropter in alia forma neceſſe eſt Deum miſericordiſſimum patrem, in qua eis eſibilis ſit, apponere. Nulla autem forma eſt ad hoc illi pani conveniens, quæ non oſtendat illum eſſe panem. Omnis enim alia forma abſconderet, & comedere volentes ab eo averteret. Si enim non appareret panis in menſa, hoc eſt cibus, generaliter id quod in ea appoſitum eſſet, quis ad illam cauſã comeſtionis accederet? Præterea ipſe appoſitor, ſi non vellet convivas reficere, nec eos cibum appoſitum comedere, ſed potiùs cibum illum vellet abſcondere, ſe abſconderet. Hanc ergo benigniſſimam Dei voluntatem, quam habet, de reficiendis convivis ſuis, ac de nutriendis filiis adhuc parvulis, innoteſcere modis omnibus neceſſarium ac ſalutare eſt filiis; divinæ autem magnificentiæ decens, & honorificum fuit, panem hunc filiis apponi, filiis inquam adhuc parvulis, ſub forma, quæ panis eſſe oſtenditur; *Nota.* omnium autem formarum ad hoc convenientiſſimam formã

panis

Digitized by Google

corporalis viſibilem eſſe, manifeſtum eſt, propter vehementem ſimilitudinem panis ad panem, id eſt refectionis ad refectionem, propter quod etiam in nomine communicant, ut uterque panis, & utraque refectio nominetur. Jam autem diximus, quòd ad intelligibilia ſpiritualia cognoſcenda non eſt via cõmunitati hominum, niſi per ſimilitudines; & quia inter ſimilitudines convenientiores, & efficaciores ſunt adhuc, quę majores ſunt, ac vehementiores, quales ſunt, quæ communionem nominum inter viſibilia, & ſpiritualia fecerunt, ſicut lux, oleum, & unctio. Hanc autem communionem vides inter panem corporalem, & ſpiritualem, ſimiliter inter refectionem corporalem, & ſpiritualem. Jam ergo declaratum eſt tibi, quia panem vitæ apponit ſummus pater familias filiis ſuis adhuc parvulis ſub forma panis materialis, atque viſibilis, & quare ſub alia forma nullatenùs aut decet, aut expedit illum apponi.

Doctrina per ſimilitudines.

Quemadmodùm autem idem nutrimentum, ſive cibus de ipſa ſpecie panis, & de ſpecie lactis ab adultis, & parvulis ſumitur, (idem dico ſecundùm ſpeciem) ſic idem verus, ac vivificus panis ſub ipſa forma ſuæ veritatis, tanquàm ab adultis, & perfectione virili præditis in æternæ refectionis menſa & à parvulis, hoc eſt nobis in menſa altaris ſumitur. Parvulos nos dicimus pro ſtatu vitæ iſtius comparatione perfectionis, de qua dicitur ad Ephe 4 Donec occurramus in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Jam enim ſumus parvuli, parvuli inquam tam parvitate intellectus. quàm parvitate affectus. Cujus parvulitatis exemplum evidens eſt in parvulo literali, cujus intellectus adeò parvus eſt, & anguſtus, ut majus bonum pro pomo uno, aut nuce, aut pugillo lactis, aut aliquo alio hujuſmodi capere cognitionem non valeat. Similiter & affectus ejuſdem adeò parvus eſt, & anguſtus, ut nihil majus his, quæ nominavimus amore ſeu concupiſcentia capiat; ſic ſe habet intellectus noſter in iſta parvulitate, de qua ad illam, quam diximus perfectionem divinæ gratiæ beneficio provehendi ſumus, ut panem vitæ pro immenſitate ſua cognitione capere non poſſimus; ſic & affectus noſter hic adeò modicus eſt, & anguſtus ut eum dilectione plenè non capiat. Et ut ita dicamus, ipſa brachia charitatis huic brevia ſunt, ut immenſitatem ejus complecti non ſufficiant. Et fortè ſicut parvulos occideret cibus ſolidiſſimus, atque fortiſſimus in ultimo ſoliditatis, & fortitudinis; ſic mentem humanam ex utraque parte extingueret, quantùm ad vitam naturæ panis vitæ, ſi nec dum glorificatæ menti pro immenſitate, qua glorificatis apponitur, ſe infunderet, quemadmodùm cibus incomparabiliter malus fauces, & ventrem diſtumperet. Et hoc eſt, quod legitur Exodi. 33. Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & vivet, cujus exemplum eſt in viſu corporali, cui cùm lux ſuper capacitatem ejus vehementior ſe infundit, illum extinguit, atque mortificat. Similiter calor vehemẽs, tactũ, & ſonus vehemẽs auditũ, & ita de aliis: manifeſtũ enim eſt intellectũ non glorificatũ inacceſſibilis veræ lucis fulgorẽ ferre nõ poſſe, ſimiliter, & affectũ torrẽt voluptatis ſuſtinere non poſſe. Quod autem ultra vires, aut capacitatem aut imponitur, aut infunditur vires cogit deficere, & hoc eſt mors. Hoc eſt quod legitur Job 26. Cùm vix parvam ſtillam ſermonis ejus audierimus, tonitruum magnitudinis ejus quis poterit ſuſtinere, vel intueri? ſicut autem videmus, quòd in viſionibus, & raptibus prophetantium, & contemplantium vita corporalis deficit, lucem viſionis aut gaudium, aut nitorem ferre non ſuſtinens. qualiter ſuſtinere poſſet mens humana non glorificata tantum

Parvuli intellectu & affectu.

Nota diligenter.

A fulgorem, & tantum gaudium? Omnis enim viſio prophetica quantæcunque claritatis eſſe videatur, ad fulgorem, in quo Angeli ſancti, & animæ glorificatæ ſunt, nec comparationẽ habet tenebroſiſſimæ noctis ad ſereniſſimum hunc diem Iſta tamen non diffinientes, ſed magis diſputãtes diximus, de morte ſcilicet animæ non glorificatæ, ex nimietate, & vehementia fulgoris divinæ lucis. Ampliùs. Sub ea forma, qua magis eſibilis eſt panis vitæ parvulis, illis eis apponendum eſſe, immò apponi à ſapientiſſimo, amantiſſimoque patre Deo nulli debet eſſe dubium. Magis autem eum eſſe eſibilem in ea forma; ſeu ſub ea forma, qua faciliùs in os intellectus, & ventrem affectus intrat manifeſtum eſt; in os autẽ intellectus humani pro ſtatu hujus viæ nõ intrat, niſi per formam, ſimilitudinem aut figurã, in nuditate enim formæ ſuæ prout eſt apud ſemetipſum, in os intellectus humani, maximè adhuc parvuli, illum intrare totaliter impoſſibile eſt Quòd ergo ſub ea forma in os intellectus humani intrare maximè facilis, ſeu eſibilis eſt panis vitæ, quæ maximæ ſimilitudinis,

Advertè.

B expreſſimæque figuræ eſt ad formam ejus propriam, ſecundùm quam apud ſemetipſum eſt panis vitę. Ac maximè eſibilem illum eſſe ſub forma panis materialis, atque viſibilis, quantùm ad os intellectus, manifeſtum eſt. Et quoniàm apprehenſiones, affectiones generant ſui gradus, & ſuæ comparationis, ſuæque proportionis ſub ea forma, ſcilicet panis materialis atque viſibilis, faucibus, ſeu palato affectus. affectus inquam adhuc parvuli neceſſariò eſt idem panis appetibilior, atque ſapidior, ventriſque ejuſdem magis refectivus, atque repletivus, ſapiditate inquam, ſeu ſapore ſpirituali, & hoc habet interpoſitam nubem figurę, & reſpondentem maſticationi, ſeu apprehenſioni intellectus, quæ in iſta parvulitate non pervenit ad nudum propriæ formæ vivifici panis ſed per interpoſitam figuram ut ubicunque, &

C & quotieſcunque, & ut poteſt de illo cogitare, & æſtimare conetur. Certum autem eſt nobis, multos fideles verum ac vivificum panem in illo ſacramento in forma humana vidiſſe, & ſaporem inæſtimabilis ſuavitatis ex eodem ſenſiſſe. Nos autem, ut ab initio diximus, non privilegia paucorum hîc proſequi intendimus ſed magis legem communem fidei, & catholicæ doctrinæ ſtabilire. Si quis autem dixerit, quòd quemadmodùm in ſacramento baptiſmi non eſt neceſſe, ut ſub aqua viſibili ſit aqua vivifica inviſibilis, quæ eſt Spiritus ſanctus, & quòd non ibi ſit veritas aquæ inviſibilis poſt ſanctificationem ipſius, ſed ſola forma: ſimiliter neque ſub forma ſalis ſapientiam æternam eſſe, & ſub ſpecie ipſius ſalis trãſſubſtantiationem fieri nullatenùs, vel neceſſarium eſſe vel etiam verum, & ad hunc modum ſub forma olei, oleum lætitiæ eſſe, quod eſt Spiritus ſanctus, ſubſtantiæque olei tranſſubſtantiationem fieri nullatenùs, vel neceſſarium eſſe, vel etiam verum ſed ſicut Deus præſtat per aquam ritè baptizatis munditiam, & gratiam regenerationis, per puram inquam, & veram aquam materialem, licet non ex virtute ejuſdem aquæ; ſic in ſacramento altaris per purum, & materialem panem, atque viſibilem, nulla ipſius tranſſubſtantiatione facta præſtat vitæ ſpiritualis ſuſtentationem, & robur ritè ſumentibus? Reſpondemus in hunc errorem jam nonnullos lapſos fuiſſe, fortè iſta ratione, quam diximus, & alia, quia non intellexerunt; neque advertunt, quòd in ſacramento altaris ipſe panis vitæ per ſe & propter ſe principaliter petitur; quare ipſe ſecundùm ſe & per ſe appetitur. & non tamen quæritur alia gratia vel munus ab ipſo, quàm ipſe met. & ejus unio ſpiritualis ad nos idest ipſius nobis unitio ſpirituali ſacramẽto iſtiuſmodi quæritur. in baptiſmo

Mirum.

★

Nota.

autem Spiritus ſanctus non ut ipſi, neque propter ipſum, ſcilicet munus ab ipſo, licet propter ipſum, ideſt ad gloriam ipſius, ideſt propter beneplacitum ejus, cujus exemplum eſt in aqua, quæ quæritur ad lavacrum, & quæ quæritur ad potum; ſimiliter in ſale, & oleo, cùm quæruntur ad cibum, & cùm quæruntur ad medicinam. Sciens enim ipſam aquæ ſubſtantiam, quærit, ut ipſam intra ſe recipiat, & ſibi incorporet & nutriat: volens autem lavari non aquam ipſam, ſed magis, quod ex ipſa eſt, munditiam quærit. Et licet verum ſit, quòd baptiſmali ſanctificatione præſtetur fidelibus, ut unitate, ſive unione gratiæ cùm ipſo Deo unum efficiantur; & tota etiã Trinitas beata & benedicta ſe infundat, vel uniat dicta unione cum illo ſacramento, propriè, & per ſe, mundatio, & renovatio, ac regeneratio, in eo, quòd tales quæruntur, & nullo modo refectio, vel ſatietas, in eo quòd refectio, vel ſatietas. Non enim interrogatur baptizandus, utrùm velit ſacramento refici, vel ſatiari, immò magis, utrùm velit baptizari. In hoc ergo ſacramento altaris, ipſe vitæ panis à fidelibus, quæritur, quaſi eos, ut ipſemet ſeipſo reficiat, & repleat, eiſque ipſe in viſceribus cordium ipſorum inhæreat, & univocè inſeparabilis amoris eiſdem ipſe uniatur, & ipſi illi. Apparet autem ex hoc ſubſtantiam panis materialis, atque viſibilis in illo ſacramento poſt advẽtũ cœleſtis, ac vivifici panis nullatenùs remanere.

Transſubſtantiatio panis.

Nulli enim uſui, ſeu fructui neceſſaria eſt ibi, niſi propter ſuſtentationem accidentium ipſius. Quare accidentia ſimul accepta putamus formam panis viſibilem. Non indiget autem omnipotens virtus vivifici panis illo fulcimento: cùm ipſe ſit portans omnia verbo virtutis ſuæ; ſicut legitur in 1. ad Hebræ. Ampliùs. Conveniendus eſt, ut ipſe portet, & ſuſtentet virtute propria formam ſibi ſervientem, & præſentiam ipſius quatenùs valet, oſtendentem, quàm alia ſubſtantia maximè, cùm ex tunc aliam ſubſtantiam non indicent, neque oſtendant.

Accidentia.

G

Piè autem ſi intelligatur. Veraciter diximus, portet, vel ſuſtentet, non ex modo, quo ſubſtantia panis materialis ea portabat priùs, etenim portabat, ut ſua ſcilicet candorem, ut quo erat candida, ſaporem, ut quo erat ſapida; & rotunditatem, ut quo rotunda. Panis autem vitæ non ut in ſe habẽs ea, ſed ad indicium præſentiæ ſuæ & ſacramenti miſterium ſalvat ea, & conſervat in eſſe ſuo.

Nota.

Ampliùs Dignum, & juſtum eſt, ut adveniente vero, ac vivifico pane, cedat ei materialis, ac viſibilis panis ſubſtantia & recedat ab accidentibus, & forma ſua viſibilis, relinquens eam miniſterio tanti ſacramenti, cui ipſa forma neceſſaria eſt. Subſtantia autem ſupervacua omninò ibi eſſet, & omninò inutilis. Sive enim ſumeretur, & comederetur illa ſubſtantia, ſive non,

H

omninò inutiliter ibi eſſet. Inutiliter enim comederetur, cùm nec opus hoc ibi ſit, nec hujuſmodi comeſtio ibi quæratur. In tanto autem ſacramento, in tanto Dei opere aliquid eſſe ſupervacuum, vel inutiliter, impoſſibile eſt. Quod autem ibi ſit, & non comedatur, faciente eo, qui ſumit, quæ ad comeſtionem pertinent, videlicet maſticante, ſaporante, & transglutiente, ſecundùm naturam impoſſibile eſt. Nec eſt contra naturam ullo modo, immò ſecundùm naturam eſt, eique convenientiſſimum, nec injuria ejus eſt, immò juſtitia, & jus creatoris, ut ei advenienti honorem deferat, relinquens ei penitùs locum ſuum, & alia ſua, quæ ab eo habebat ſervitio ipſius. Et hæc eſt, quod pia, ac veridica fides in iſto ſacramento tenet, & prædicat, videlicet quòd panis materialis, atque viſibilis advenienti pani vivifico, velut creatori honorem deferens, locum ſuum relinquit, & formam viſibilem ſacramentali ſervitio, & miſterio ipſius;

E

& hæc eſt intentio verbi transſubſtantiationis, transitus ſcilicet ſubſtantiæ panis materialis, atque viſibilis, ad adventum vivifici panis, ſalvata forma, ideſt varietate accidentium ad miniſterium ſacramenti.

Transſubſtantiatio quid.

Non enim poteſt dici generatio vivifici panis ibi fieri, cùm ejus forma ſubſtantialis ibi non maneat, immò eſſe deſinat, neque corruptio panis materialis, cùm prius eſſet illæſus, & integer. Et materia ipſius formam panis vitæ non inducat, neque materia ipſius panis vitæ addatur ullatenùs, vel accreſcat. Si enim alterutrum horum eſſet, non effugeremus ullatenùs, quin generatio ejus fieret, quæ eſt acquiſitio formæ ſubſtantialis in priori materia, aut incrementum ejuſdem, quod non eſt niſi acquiſitio materiæ in priori forma. Cùm autem in verbis ſanctorum legitur, quòd iſte panis fit corpus Chriſti, vel convertitur in ipſum, ad intellectum, & intentionem quam diximus transſubſtantiationis, referendum eſt. Transſubſtantiatio verò verè contraria eſt corruptioni, ſecundùm quod de

F

ea intendit philoſophus naturalis. In corruptione enim omnia penitùs deſtruuntur, præter primum quod eſt materia. In transſubſtantiatione autem nihil omninò remanet de pane, præter noviſſimum, vel ultimum, quod eſt accidentium ſenſibilium varietas, ſive ſenſibilis forma.

In corruptione omnia deſtruuntur propter materiam.

De his autem perſcrutari diligentiùs, atque diffuſiùs, prolixitatem nobis induceret, & præter propoſitum eſſet. Sufficit enim ad pietatem fidei, quam hîc intendimus ſtabilire, credere, & tenere, quod ſub forma panis materialis atque viſibilis, in altari poſt benedictionem ſacerdotalem ritè factam apponitur panis vitæ, & ſub forma vini viſibilis, potus vitæ. Et intelligimus non ſolùm ipſum Chriſtum ſecundùm formam divinitatis panem eſſe vitæ, & potum vitæ, ſed etiam corpus ejus quod pro nobis in cruce pependit & ſanguinẽ, & hoc declarabimus in ſequentibus ipſo illuminante & adjuvante.

Fides noſtra.

Verùm revertimur primùm ad id, in quo eramus, & dicemus quia menſa altaris, menſa animarum eſt non corporum, & quod ſi pater miſericordiarum providit menſam alendis, & reficiendis corporibus humanis, quæ omninò nec utilia ſunt, nec curanda, niſi propter animas: multò fortiùs providit animabus noſtris menſam congruentem earundem refectioni, & alimentis eiſdem.

Menſa altaris eſt menſa animarum.

Quia ergo manifeſtum eſt corporalem cibum refectioni animarum omninò non eſſe utilem, quemadmodùm cibũ ſpiritualem, palam eſt omninò inutilem eſſe corporibus: manifeſtum eſt menſam altaris, poſtquàm menſa animarum effecta eſt nihil habere corporalis cibi vel potus; alioquin non ſolùm ſupervacuè illud haberet, ſed etiam ad illuſionem & ridiculum. Quẽadmodùm enim ſi corporibus reficiendis apponeretur cibus ſpiritualis, illuderetur eis: ſic in menſa animarum, cibus corporalis ad illuſionem animarum tantùm eſſet, & ridiculum. Manifeſtum eſt ergo poſt benedictionem ſacerdotalem ritè factam in altaris menſa, nec panem eſſe corporis hoc eſt materialem, nec vinum. Ex tunc enim menſa eſt animarũ: Totum autem quod ante in ea eſt, vel fit, eſt præparatio, ſive præparatio, ſive præparatoriũ ad ſpiritualẽ refectionem, & menſam animarum. Placuit autem clementiſſimo miſeratori omnium Deo declarare iſtud cõgruẽti, & decẽti miraculo. Cùm enim quidã formis illis panis, & vini ſubeſſe crederet veras panis materialis, & vini ſubſtantias, aliis cibis uti nolebat, & propter hoc in multa quantitate conficiebat, juxta quod ad ſuſtentationem corporis ſibi ſufficere æſtimabat. Hinc eſt quod infra paucos dies deficiens abſque alterius morbi occaſione, ipſo experimento doctus dicere potuit non ſubeſſe formis illis, quod corpus ejus nutrire, vel ſuſtentare valeret cùm

Miraculum.

ſubſtantiam

ſubſtantiam impoſſibile ſit nutriri accidentibus. Poſſunt quidem accidentia ſitim extinguere, & famem ſedare. Cùm enim ſitis calore vigeat, & ſiccitate, frigiditas, & humiditas ratione cõtrarietatis, illas indubitanter extinguere poſſunt virtute ſua naturali, ſive eſſentiali. Similiter cùm fames vacuitate vigeat, ut naturalis fames nihil aliud eſſe videatur quàm ſenſus vacuitatis, vel evacuatio ſtomachi, vel in ipſo ſtomacho, quantitas autem corporalis per ſe, & ſubſtantialiter repletiva ſit loci, ſive vacui, manifeſtum eſt quòd ipſa quantitas ratione contrarietatis naturalis quam habet ad vacuum, ſicut poteſt tollere vacuitatem, ſic & ſenſum ipſius quare & famem, cùm fames ſit ſenſus ipſius. quòd autem ſubſtantia nutriri non poſſit accidentibus inde manifeſtum eſt, quia ſi poſſet eis nutriri, poſſet etiam augeri, cùm augmentum ſit ex ſuperabundantia nutrimenti. Præterea ſubtracta occaſione accidentium, poſſet diminui ſubſtantia, ſi hoc eſt. & ita de ſubtractione lucis minueretur aer de nocte, & eadem ratione, additione ejuſdem creſceret de die. Accideret etiam ex hoc accidentia poſſe comedi, & bibi. Non negamus autem odore quodam poſſe nutriri corpus, ſed odor iſte eſt vaporoſa ſubſtantia non accidens, odore autem, qui accidens ſit, impoſſibile eſt.

Fames quid.

Subſtantia non poteſt nutriri accidentibus.

CAPUT II.

Oſtendit deinceps Chriſtum in forma humana neceſſariò adeſſe huic ſacramento. ſcilicet ex triplici officio pro nobis ab ipſo Deo ſuſcepto, ſcilicet, ſacerdotis, advocati, & medici.

POſt hæc tentabimus etiam aſtruere, quia panis vitæ in forma humanitatis ex neceſſitate eſt in menſa altaris, poſtquàm eff ecta eſt, ut diximus, per ſacerdotalem benedictionem menſa animarum, & declaravimus etiam cum hoc, quod caro ſive corpus ipſius, cibus eſt animarum, & ſanguis ejus ſimiliter potus animarum, & faciemus ſcire, qualiter hoc ſit. Quia ergo jam declaravimus ſupra in tractatu, quẽ vocavimus cur Deus homo, ipſum Deum, ac Dei filium, tria pro nobis ſpiritualiter officia ſuſcepiſſe, videlicet ſacerdotale, eo quod minor ſacramentando generi humano, & curæ totius Eccleſiæ generis humani ſufficere non poterat: deinde advocati, eo quod per minorem advocatum totius generis humani cauſa agi non poterat: tertiò medici, eo quod per minorem totius generis humani læſiones, vulnera, & morbos curari non erat poſſibile, cùm in officio miſſæ tria iſta agantur, immò ipſum officium quodammodò iſta tria eſt officia, neceſſe eſt in officio miſſæ tria hæc illum agere, immò in ipſa miſſa tria hæc illum officia exequi, vel implere. Officium enim miſſæ ſacramentationem, & ſanctificationem totius populi Dei eſſe, nullum dubium eſt. Quia ergo fideliſsimum ſacerdotem ad ſacramentandum populum, ſive quemvis de populo, ſive ad ſanctificandum, ritè vocatum, ſi commodè poſsit advenire neceſſe eſt, & etiam non vocatum per nuncium, ſacerdotem inquam ritè in miſſa, & altari, quæ miſſæ ſunt, agentem, vocatur iſte ſummus ſacerdos per inſinuationem ad munus, & neceſsitatem executionis, licet vocatio adeò fidelis ſacerdotis, & neceſsitatem executionis officii ſui pleniſsimè videntis, neceſſaria non ſit ad miſſam; ergo ut ſanctificationis & ſacramentationis impleat in ea officium ipſum venire neceſſe eſt, venire autem in eo quod ſacerdos; non autem eſt ſacerdos, niſi in eo homo, & in humana forma. Neceſſe eſt ergo ipſum intereſſe miſſæ in eo, quod homo eſt, & in forma

Deus Chriſtus tria pro nobis officia ſuſcepit.

Miſſa.

A humana. Ampliùs. Quia ſacerdotale officium quod eſt ſanctificationis non expletur, niſi per hoſtiam, qua gratia ſanctificationis populo impetretur Nulla autem hoſtia impetrare potuit, niſi ea quam ipſe in ara crucis obtulit, & hoc eſt ipſemet ſecundùm quod homo, ſicut dicit Apoſtolus in 9. ad Hebræ. quia ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Similiter in 10. ad Hebr. Sanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti Jeſu ſemel. Et alia de eodem expreſsè leguntur ibidem. Neceſſe eſt ergo hunc advenire ex officio ſacerdotali ſuſcepto ad ſanctificandũ, ſeu ſacramentandum populum per hoſtiam ſuam. Juxta hunc modum, quia fidelis advocatus neceſſe habet intereſſe cauſæ, quam coram agendam ſuſcepit, ſi poſſit, quoties cauſa agitur ipſa, vel præſentiam ejus deſiderat. Cauſa autem totius Eccleſiæ in miſſa agitur, ſcilicet coram Deo patre tanquàm per procuratorem ſacerdotem. Neceſſe ergo habet intereſſe,
B & cauſam agere hujus advocatus. Non autem eſt advocatus, neque cauſam agit, niſi inquantùm homo eſt. Neceſſe ergo habet ibi eſſe, & aſsiſtere procuratori, ſacerdoti maximè quia ſacerdoti cauſa iſta non agitur, niſi per interpellationem, & non niſi ex ore ejus digna eſt ſuſcipi, & per munus, quod ipſemet eſt, quod & niſi ipſemet obrulit Deo patri, acceptum eſſe non poteſt, munus autem iſtud ipſemet eſt. Tertiò quia oportet fidelem medicum ægrum, quem curandum ſuſcepit viſitare quoties infirmitas requirit, & hoc eſt unguentis, & medicinis, quæ curationi ejuſdem neceſſaria ſunt, ſi poſſibile eſt medico, poſſibile eſt autem hujuſmodi medico quicquid vult & quicquid poſsibile eſt; quia ergo tota Eccleſia ſua, immò unuſquiſque de Eccleſia ſua
C æger eſt, hoc eſt medicatione indiget, ſive ad curationem, ſive ad conſervationem, ſive ad præſervationem, ſive ad conſervationem, quem ad curandum mirabili miſeratione ſuſcepit, neceſſe habet ad curandum ipſum, quoties opus eſt venire; opus eſt autem quoties de medicatione ejus agitur, & ſanationi ejus intenditur. Quia ergo ad hoc miſſa agitur, & quicquid in ea fit, ut hujuſmodi medicationis impendatur officium, & ſanitatis beneficium, neceſſe habet miſſæ officio intereſſe, & hoc in eo, quod medicus hoc eſt forma humana, & cum alabaſtro omnium unguentorum ſpiritualium, quod in cruce factum eſt, hoc eſt humanitas ipſius, ſicut legitur 14. Marci, vel cum ipſa carne, quæ eſt cataplaſma contra omnes dolores, & læſiones ſpirituales, ſicut antidotum ſolidiſsimum, atque firmiſsimum contra omnes humores noxios vitiorum, & cum ſanguine
D ſuo qui eſt velut ſiropus mulcebris, atque dulciſsimus, atque tanquàm medicina liquida valens contra omnes animarum languores, & vulnera. Quorum duorum virtutes, in ipſa dominica paſsione potiſsimùm claruerunt. Sicut etiam jam in prænominato tractatu declaravimus. Ampliùs. Poſtulatus patet familias à filiis naturalibus ſive carnalibus patrem naturalem neceſſarium, ex ipſa naturali pietate, atque juſtitia denegare non poteſt: quantò ergo fortiùs pater ſpirituum Deus in quem omnium oculi ſperant, panẽ ſpiritualem filiis ſpiritualibus porriget, & hoc pro congruentia parvulitatis, ſive vitilitatis, ac perfectionis eorum. In forma enim humana panis eſt parvulorum Chriſtus Dominus; in forma autem divina non eſt eſibilis, ut ſupra oſtendimus. Attende autem, quòd quatuor iſta quæ nominavimus, & numeravimus, officia Chriſti hominis ſunt, ideſt ſecundùm quòd homo, & omnes poſtcommuniones miſſarum ad iſta quatuor referuntur. Qualibet enim poſtcommunione aliquod illorum petitur. Sanctificare enim, ut ſacerdos, & hoſtia,

Chriſtus ſacerdos.

Chriſtus advocatus.

Chriſtus medicus.

Chriſtus in forma humana panis eſt parvulorũ.

Digitized by Google

& interpellare ut advocatus, & juſtitia; & mederi, ut medicus, & medicina, & paſcere ut dapifer, & eſca, non niſi mediatoris eſt inquantùm mediator. Et propter hoc tota miſſa principaliter eſt Chriſti officium, licet ſacerdos, & alii nonnulli adhibeant miniſterium. Quapropter evidens eſt miſſarum ſolemniis ipſum neceſſariò intereſſe, & quatuor iſta officia in eiſdem adimplere. Attende etiam quia miſſæ celebratio diligenter intuentibus, non eſt niſi populi ſanctificatio per invocationem divini nominis, & ſacrificium, & actio, ſeu ventilatio cauſæ ejuſdem populi coram Deo per preces, & munera, & medicatio ejuſdem populi, ſive potionatio ſpiritualis, tanquàm per antidotum, & ſitopum, & refectio, ſivecibatio ejuſdem ſpiritualis, tanquàm per panem, & vinum. & iſta quatuor evidentes in poſtcommunionis petitionibus continentur. Ampliùs. Quia naturâ inditum eſt cordibus humanis & conſuetudine uſque firmatum, ut communio ciborum corporalium communionem dilectionis in eis pariat, & nutriat, maximè autem erudibiles, ſive docibiles ſumus eis viis, per quas faciliùs, & magis docibiles ſumus: illæ autem ſunt ut diximus, quas ipſa conſuetudine, & uſu jam notas habuimus: quare communionem ſacram cibi ſpiritualis, & ſanctæ dilectionis habere docendi eramus. Et ſi communio cibi corporalis eo uſque ad communionem dilectionis ſibi congruentis adeò valet & proficit: quantò fortiùs communicatio ſacræ refectionis ad obtinendam, vel nutriendam ſanctæ & ſinceræ dilectionis communionem valebit? Et ſi propter illam menſa corporalis refectionis paranda eſt; quantò fortiùs propter hanc vivificæ dilectionis communionem menſa ſpiritualis refectionis à ſapientiſſimo, amantiſſimoque patrefamilias in domo ſua filiis ſuis ac famulis parabitur. Ampliùs. Quia amor iſte panis vitæ vera ac ſpiritualis comeſtio ipſius eſt, neceſſariò eſſe amabilem erit eſſe comeſtibilem & eſſe magis amabilem & per conſequens magis amabilis eſt, & magis comeſtibilis: quia ergo per hoc, quod homo pro nobis eſt paſſus, magis amabilis, dico propter hoc in via iſta neceſſariò per hoc, & magis comeſtibilis nobis ut nunc. Quare per hoc, & in quantùm talis, nobis apponendus hîc neceſſariò. In forma ergo humana quam pro nobis ſuſcepit, & in qua pro nobis pati dignatus eſt, neceſſariò eſt in menſa ſpiritualis refectionis apponendus. Ampliùs. Quod maximè ſuadet, & ingerit amorem, ſignum eſt ipſius amoris, quo amare ſe oſtendit, qui amari quærit. Omnium autem ſignorum amoris certiſſimum eſt mors pro amato ſuſcepta; omnis enim certitudo in omni corde humano, quaſi una prima ex primis impreſſionibus. Hinc eſt, quod unuſquiſque dicit ad probationem amoris, quo amari ſe credit ab alio, adeò me diligit ille, quòd pro me ſi opus eſſet, moreretur. Manifeſtum eſt ergo, quia quod maximè cordibus noſtris unit unione amoris panem vitæ, mors eſt, quam pro nobis pertulit; quare inquantùm pro nobis mortuus, intantùm maximè amabilis in cordibus noſtris, & maximè unibilis, quare ſpiritualiter maximè manducabilis; & propter hoc maximè in forma illa apponendus. Ampliùs. Quia tota vita gratiæ ſimilitudo quædam eſt licet permodica, longiſſiméque diſtans ab illa vita gloriæ, neceſſe eſt, ut quicquid eſt iſtius vitæ ſcilicet gloriæ, & umbram, & ſimilitudinem ſibi reſpondentem habeat in vita gratiæ, quare refectio gloriæ habet ſimilitudinem, & umbram ſibi reſpondentem in vita gratiæ, ut quemadmodùm dies pleni luminis gloriæ habet hîc velut diluculū, & tanquàm tenebrarum crepuſculum, ſcilicet fidei, & ſcientiæ, vel alterius, quales conveniunt vitæ; ſic plena refectio gloriæ habeat prægustationem per-

Miſſæ celebratio quid.

Mors certiſſimum ſignum amoris.

E tenuem hujus vitæ, ſimiliter menſa menſam, & appoſitio appoſitionem. Menſam ergo, & appoſitionem panis vitæ, & prægustationem ejus, de comparatione futuræ ſatietatis pertenuiſſimam in via iſta, & in domo Dei eſſe neceſſe eſt. Et quia jam diximus, quòd in gloria formæ ſuæ non eſt hîc eſibilis panis vitæ, nec prægustationi ullo modo congruit forma illa, neceſſe eſt, ut ſub alia forma præſentes convivas invitet, & attrahat, & ipſum panem vitæ pro captu parvitatis eorum oſtendat, & apponi neceſſe eſt. Ampliùs. Quia non eſt minor virtus quærere, quàm parta tueri, ſed pro uno lapſu Adæ ſemel offerendus fuit filius Dei in ara crucis, ut alibi oſtēdimus: ergo & pro quotidianis quotidiè, & pro aſſiduis aſſiduè prout eis congruit, & pro conſervatione acquiſitorum quamdiu in periculis ſunt, neceſſariò offerendus, propter quod primùm per mortem

Ovidius.

F offerendus fuit, ut redimeret omnes ex eo regeneratos quemadmodùm Adam perdiderat omnes uno peccato ex ſe generatos & nos jam declaravimus. Hic autem dicimus, quia redemptorum conſervatio, & quotidiana peccata venialia juge & quotidianum requirunt ſacrificium, & aſſiduum ſacerdotis officium. Omnium autem ſacrificiorum, quæ per ſacerdotem offerri poſſunt, ipſe ſacerdos Chriſtus acceptabiliſſimum eſt, & placabiliſſimum, quippe tota fornace charitatis ſucenſus, hoc eſt ardens, & flammans tota eminentiſſimarum virtutum ſuavitate odoris, immò fragrantiſſimus, ac pro ipſa ſāctitatis excellentia Deo patri gratioſiſſimus. Hujuſmodi ergo ſacrificium juge, & quotidianum eſſe quotidiana peccata requirunt, quia niſi in Eccleſia ſua quotidiè, & ab eadem offerretur, non impleret ipſe in ea officium ſacerdotis, nec ipſa ejus Eccleſiæ veræ

G religionis Deo impenderet cultum. Ampliùs. Cùm ſacerdotis ſit, preces & vota populi offerre, quæ nunquàm ea puritate qua decet, offeruntur nunquàmque acceptabiliter, niſi ſacerdos ſeipſum primùm offerat; in miſſa autem preces, & vota totius populi Eccleſiæ Dei, quæ tot, & tanta ſunt, offeruntur, præſentem oportet eſſe ſacerdotem, qui hæc offerat Deo patri. Amplius. Ovium, & boum, & cæterorum animalium quorundam gratæ erant Deo aliquandò oblationes propter devotionem, & obedientiam offerentium, cùm animalia illa nihil habeant omninò in ſe, quod Deo debeat eſſe acceptū pro aliis: quantò fortiùs ergo hoſtia hæc, de qua loquimur, videlicet homo Dei filius, omni placatione, gratioſitate, omnique virtute refertiſſima, Deo patri gratiſſima erit, & acceptabiliſſima pro quibuſcunque offerri voluerit. Quapropter de tali, ac tanta hoſtia providēdū fuit Eccleſiæ Dei, cùm de ſuo invenire non poſſit, quod pro peccatis quotidianis offerret: ſic enim morbis ejus, & ægritudinibus per medicinam proviſum fuit à Deo; ſic & paupertati, quæ

H quotidianis offenſis ſufficientem oblationem non habebat, ſuæ largitatis divinæ beneficentia conſulendum ſtatuit. Nos autem capitulum declarabimus in ſequentibus, quod ſine hoc jugi ſacrificio nō impleretur, nec perficeretur pro ſtatu hujus vitæ Dei cultus. Cùm enim juges, immò continuæ offenſiones, quarū nec numerus eſt, nec menſura, jugem, & continuam interpellationem requirant, ſeu Dei propitiationem, continuæ accuſationes jugem, ac continuam defenſionem, ſeu advocatum, evidens eſt neceſſitas ſacerdotis ſemper viventis & interpellantis pro nobis, ad Hebr. 7. ſimiliter & advocati, qui etiam propitiatio eſt, ſicut legitur 1. Joan 1. Continuas autem ideò diximus offenſiones, quia nec hora, nec momentum reperiri poteſt, in quo non inveniatur offenſio aliqua, vel peccatum alicujus ex tanto populo. Accuſationes etiam diximus juges, &

Multitudo offenſionum.

Digitized by Google

continuas propter malignitatem diaboli. De qua ſcriptum eſt Apoc. 12. Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos die ac nocte ante conſpectum Domini. Quia ſi quis dixerit, quòd ad repropitiandas tot, & tantas offenſiones, & ad elidendas, ſeu retundendas tot & tantas accuſationes, ſufficiebat tanta numeroſitas ſacerdotum, & clericorum officia ſunt interpellatio, repropitiatio, & advocatio, ſeu patrocinatio animarum apud Dominum Deum, præſertim cùm in hoc habeant auxiliatores tot millia millium ſanctorum Angelorum, & totam illam præclaram cœleſtem curiam: Reſpondemus quòd tanta numeroſitas ſacerdotum, & cleri nec etiam proprijs offenſionibus repropitiandis ſufficit, nec in proprijs cauſis ſatis eſt coram Deo propriæ patrocinationis defenſio, præſertim, cùm offenſiones, & peccata ſacerdotum, & cleri ſcelera ſint, & monſtra, comparatione offenſionum, & peccatorum populi.

Peccata ſacerdotũ monſtra.

Quod autem de ſanctis Angelis dicitur, dicimus quòd inter cœleſtes virtutes quæcunque ibi reperiri poteſt præſtantior, Deoque acceptior, vix ſufficit onus ſuum portare, & ut de alijs officiis, vel oneribus eorum (ſi qua ſunt) taceamus, vix ſufficit gratiarum actionibus referendis pro donis, quæ jam accepit, & adhuc continuè recipit. Siquidem continua irradiatione primæ, & inacceſſibilis lucis illuſtrantur, & continua inundatione torrentis voluptatis inebriantur. Iſta autem duo officia, quæ diximus, non ſunt ſanctorum Angelorum propria officia nec propter illa vel creati, vel conſtituti, licet ea interdùm pro electis aſſumunt, ſicut legitur in 2. ad Hebr. Quia ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.

Angeli ſpiritus adminiſtratorij.

Tot ergo, & tam arduæ cauſæ, immò tam miſerabiles, & deſperatæ proprium meritò requirunt advocatum, cui patrocinium earum propriè incumberet ex officio. Si enim princeps reipublicæ mundanæ pro ſupplendo defectu imperitorum, ne jus eorum temporale deperiret, publicos advocatos conſtituit, in ſuccurſum imperitè litigantium: quantò fortiùs univerſitatis Deus, univerſorum & ſingulorum inſufficientiæ conſulens, & periculis æternæ damnationis occurrens, publicum advocatum toti generi humano conſtituit, qui cauſis univerſorum, & ſingulorum agendis, & etiam relevandis, ſufficeret? qui in conſiſtorio ejus, & ante tribunal ipſius, pro omnibus pro quibus juſtitia permitteret, ſtaret.

Chriſtus omnium patronus.

Alioquin curiæ ejus, & conſiſtorio, non parum perfectionis deeſſet, ſi miſeris, & imperitis, ſibique non ſufficientibus, ſufficiens advocati deeſſet patrocinium; nullatenus enim in ultimæ perfectionis, & ſufficientiæ curia, ſeu conſiſtorio deeſſe decet, qualem requirunt, excellentem advocatum, hoc eſt, qui meritò ſit omnium refugium miſerorum. Juxta hunc modum etiam diximus, quia dum tempus eſt tantarum offenſionum, atque peccaminum, non eſſet completus Dei cultus, ac uſquequaque perfectus, ſi de propitiatione non eſſet proviſum. Cùm enim tres ſint intentiones divini cultus, veræque religionis, videlicet, Dei honorificentia, in quam primùm, & maximè intendit: Deinde impetratio veniarum: Tertiò acquiſitio gratiarum: manifeſtum eſt, multùm deeſſe divino cultui pro tempore, quod diximus tantarum offenſionum, atque peccaminum ſi deſit impetratio veniarum; quòd ſi defuerit & acquiſitio gratiarum, penè vacuus, & nullus erit quantùm ad Dei honorificentiam, cùm nec honorificentia Deo impenſa, nec obſequia dicenda ſint, niſi eidem grata & accepta ſint; ut autem talia ſint, gratia ſola facit. Quia cultus ſine ſacerdote, nullus eſt: ergo ſine ſacerdote,

Tres intentiones divini cultus.

A omnibus culpis repropitiandis, omnibus venijs impetrandis, & omnibus gratijs obtinendis ſufficiat, diminutus eſt, & incompletus Dei cultus. In nullo autem operum ſuorum adeò honorifica eſt Deo, adeò utilis & ſalubris hominibus perfectio, ſicut in ejuſdem cultu ac religione. Cùm ergo in alijs imperfectionem non ſuſtineat; neque enim in corpore unius pulicis, aut muſcæ, unius membri defectum ſuſtinet, & ſupercilio tuo pilum unum deeſſe noluit, multò minùs in hoc. Quapropter tali ſacerdote, & ſacerdotio generi humano proviſum eſt. Quia ſi quis dixerit, ergo uſque ad Chriſti ſacerdotium Dei cultus incompletus, & diminutus fuit, verùm planè dicit, ſicut expreſſè dicitur in 7 ad Hebræ. Quia reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: Et iterùm: ad Rom. 7. Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur ipſa lex, ſupple: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut legis juſtificatio impleretur in nobis.

Uſque ad ſacerdotium Chriſti cultus Dei diminutus fuit.

B Et ſi quæratur quare tot millibus annorum ſuſtinuit Deus imperfectionem iſtam, & diminutionem in cultu ſuo, quare non priùs gloriæ ſuæ, & ſaluti noſtræ conſuluit? Jam pro parte reſpondimus in iſto. Si enim elementa, ſeu rudimenta, & quaſi alphabetum perfectionis divini cultus vix pauciſſimi in mundo id eſt ſola gens hebræorum miraculis inducta, totque & tantis flagellis quodammodò compulſa, recipere potuit, cùm etiam eſſet in hac quaſi hæreditaria patrum eruditione adjuta; quantò fortius mundus totus, & communitas hominum, ad tantam perfectionem ineptus fuit.

Objectio cum reſponſione.

Suſtinuit ergo Deus iſtam imperfectionem in cultu ſuo donec venit plenitudo temporis, ſicut le-C gitur in 4. ad Galat. Quemadmodùm ſuſtinet imperitiam in pueris, parvitatem in ſeminibus vegetabilibus, & in omnibus animalibus donec per incrementa magnitudo ſuę perfectionis eis adveniat. Et ut quęſtionem iſtam ampliùs enucleamus, non alia eſt, quàm ſi quęratur, quare naſcuntur homines parvuli, & non potiùs viri perfecti, atque barbati? & quare ponuntur ova ab animalibus ovantibus, & non potiùs animalia perfecta ex eis naſcuntur? Natus enim eſt Dei cultus, & vera religio in mundo, quodammodò ut ſemen, & quodammodò ut parvulus propter imperfectionem, & ineptitudinem communitatis hominum. Quòd ſi quis dicat, quia multò meliùs per multos ſacerdotes adminiſtraretur Dei cultus, & per multos advocatos ſimiliter meliùs expediretur cauſa animarum, quàm per unum. Reſpondemus, quia ſi multi eſſent, vel hi, vel illi, D & unus eorum ſufficeret, alij eſſent ſuperflui, & inutiles, quantùm ad hoc. Si autem nullus ſufficeret, quocunque modo intelligatur, impoſſibile eſſet omnes ſufficere ſimul; omnes enim ſimul ſumptos, neceſſe eſt indigere alio mediatore apud Deum, maximè cùm omnes peccaverint, & egeant gratiâ Dei ſicut legitur in 4. ad Rom. Cauſati enim ſumus Judæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe; Et iterùm ibidem & in Pſal. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt? Et iterùm, omnes peccaverunt, & egent gratiâ Dei. Ampliùs Sicut una Eccleſia ex omni congregatione, & coaptatione electorum clericorum, ita & unũ oportet eſſe ſacerdotem verum, ac ſummum in ea. Et de hac inſufficientia diximus dictiones ſufficientes in eo tractatu, quem nominavimus, Cur Deus homo. Nunc autem revertamur ad id, in quo eramus, & dicamus quòd Eccleſia Dei, & domus eſt & templum ipſius, & quia templo neceſſarius eſt cultus ipſius cum ipſis tribus effectibus ſuis, quos ſupra nominavimus, & propter hoc altare,

Nota.

& ſactificium. Et quia domus multæ familiæ indi- **E** get menſa refectionis, qualis domui, & familiæ congruit, non oportet nos probationibus aſtruere, vel declarare, quòd res una fuit ſubjecto altare, & menſa, ſicut idem ſunt templum & domus. Sed altare dicitur comparatione, & reſpectu oblationis, & ſanctificationis, & omninò ad Deum cujus honori, & cultui deputatum eſt; menſa verò comparatione, & reſpectu refectionis ſpiritualis, & omninò ad familiam, cui reficiendæ poſita eſt, & parata, quemadmodùm res una ſubjecto ſacrificium inquantùm Deo oblata, & nihilominùs cibus ſanctificans comparatione ſumentium. Attende ergo quòd nihil ita congregat familiam literalem congregatione exteriori, & literali, ut menſæ literalis communio: Unde & generaliter familia paſcentis dicitur familia. Nihil etiam magis aſtringit fidem, & amicitiam exteriores inter homines, quàm eadem communio; inde **F** eſt quod maximè execrabilem habent homines proditionem convivarum invicem, ſeu commenſalium, ſicut in Pſal. legitur. Tu verò homo unanimis dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. Inde tanquàm generale proverbium ſonat ſingulorum, ſimul comederamus, & biberamus eo die qualiter me obſervaſſem ab eo, qualiter mihi timerem ab illo. In nonnullis autem regionibus ipſa denegatio communionis, aut convivationis inexecrabiles inimicitias parit, ut qui comedere, & bibere cum aliquo renuerit, ſtatim capitalis inimicus reputetur, & gladio peritur ab ipſo. Inter paſcentem etiam, & convivas, ſeu commenſales, multò fortiores fides, & amicitias aſtringit menſæ communio literalis, & propter hoc illos maximè ad ſecreta conſiliorum adjungunt homines, iſtis maximè ſe, & ſua credunt: de illis ſpecialiter ſive confidunt, propter quod proditio ſive infidelitas, & inimicitiæ hujuſmodi hominum, maximè **G** deteſtabiles habentur apud homines, & ſic in Pſalmo legitur: Homo qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem. Quia ergo certis nobis, & uſitatis vijs, maximè ducibiles ſumus; ſigniſque & ſimilitudinibus vehementioribus, quæ etiam communionem nominum faciunt inter viſibilia & inviſibilia, ſive corporalia & ſpiritualia maximè ad ſpiritualia erudibiles ſumus; neceſſe autem fuit ſapientiſſimum, ac miſericordiſſimum Deum maximè convenientia ad eruditionem noſtram eligere; neceſſe fuit ſimilitudinem menſæ corporalis, ſive formã ſive ſpeciem dicas, non referr cum familiæ ſuæ in domo ſua ponere, ſimiliter ſimilitudinem ſeu ſpeciem refectionis corporalis in eadem eidem adhibere. De veritate enim menſæ **H** animarum refectionis ſpiritualis homini intelligenti liquidiſſimum eſt, quia ſine ea, nec vitæ ſpiritualis ſuſtentatio nec roboratio, nec augmentum ſicut de vita corporali, & menſa, ac refectione cibi congruenti evidentiſſimum eſt. Quia ergo menſa ſpiritualis, & refectio animarum, paniſque vivificus in domo Dei ſpiritualiter, & inviſibiliter poſita ſemper eſt, & parata, & ille ſemper appoſitus, & ſecundùm ſui veritatem inceſſanter ſpirituali comeſtione ſumitur ab his, qui ad hoc idonei ſunt, & parati Ab alijs autem, qui menſam iſtam nec vident nec refectionem in ea poſitam cognoſcere prævalent, ſicut nec videtur ita nec ſumitur Fruſtra autem quantùm ad hujuſmodi homines ipſa veritas menſæ ſpiritualis, vivificæque refectionis in ipſa nuditate ſuæ veritatis, vel potiùs abſconſione, poſita eſt. Deinde verò patriſfamilias æquè curare parvulos, & magnos, æquè velle paſcere, nemo ſani capitis dubitat. Nihil enim fruſtra, vel otioſè ipſum facere, cui non manifeſtum ſit, Relinquitur ergo ex

Menſa conciliat.

Menſa ſpiritualis.

omnibus his, neceſſariam eſſe communionem ſpiritualem in domo ſpirituali Dei; & quia neceſſarium eſt ſpeciem, ſeu ſimilitudinem menſæ, atque refectionis corporalis in ea poni; nam ad ipſam veritatẽ menſæ ſpiritualis, & refectioné omninò incognitã, & panem vitæ omninò inviſibilem nemo accederet; nemine autẽ ad illã accedente, fruſtra propter homines poſita eſſet; & quia multò utilior, multóque ſalubrior multóque Deo acceptior, quia ſuper omnem comparationem inter Dei filios, & familiares, ſpiritualis fides, & amicitia, quas neceſſe eſt ſpiritualis menſæ communionem reficere, & ſimilitudo menſæ, & refectio corporalium ad ſpirituales de maximis ſimilitudinibus eſt, ad cognitionem ſpiritualium maximè ducentibus? omnibus inquam his neceſſe eſt ſpiritualis menſæ ſimilitudinem, ſeu ſpeciem in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, poni. quærimus ergo utrùm huic ſimilitudini, vel ſpeciei, ſubſit, hoc eſt, qui ad menſam illam diſcumbit ſpecie tenùs reficitur, ſeu comedit, utrùm reficiatur ſpiritualiter, & comedat panem vitæ, aut non, ſi ad hoc idoneus eſt? Quia ſi dicat, veritatem non ſubeſſe hujuſmodi ſpeciebus, & ſignis, totum ergo eſt falſitas, & mendacium, quod viſibiliter ibi agitur, & illud paterfamilias ſpiritualibus convivis ſignis mendacibus tranſigit, dum ad refectionem ſpiritualem nos invitat, & illam non exhibet, dum fauces cordium aperiuntur, & nihil in eas mittitur. Illa enim viſibilia corda ſpiritualia nullatenùs intrant, ut cibus, neque ad illa fauces cordium aperiuntur. Si autem dicat ſubeſſe veritatem, declaratum ergo eſt propoſitum, videlicet ſub ſpecie menſæ viſibilis eſſe menſam inviſibilem & ſub ſpecie panis viſibilis, panem vivificum eſſe. Ampliùs. Tria eſſe, quæ in animabus noſtris affectiones, ſeu paſſiones generant, manifeſtum eſt intendentibus, hoc primum, & notiſſimum eſt, apprehenſio, ſive apprehenſum in eo, quod apprehenſum, ſicut apprehenſio amoris amorem apprehendentem generat, juxta quod dicitur illud, ut ameris amabilis eſto. & illud Senecæ: Si vis amari, ama, qualiter & Baſilius ipſe dicit de Sacramento altaris: Puto, inquit, aliquem tali cogitatione ad devotionem, & amorem poſſe provocari. Intelligens de cogitatione amoris, quem nobis Dominus Chriſtus in paſſione exhibuit, ad reamandum ipſum poſſe provocari. Secundum eſt exemplum. Manifeſtum eſt enim fortium exemplis nos animari, & interdùm exemplis deterreri infirmorum. Unde & illud dictum eſt, plus movent exempla, quàm verba. Tertium eſt virtus rerum, qualiter dicitur de lapidibus, ſicut de lapide ſmaragdi, quòd operatur lætitiam in animabus geſtantium ipſum, & de lapide buffonis, qui triſtitiam, & de lapide topazio crocei coloris, qui temperantiam ab ardoribus libidinum, & de lapide adamante, qui gratioſitatem. de herba, quæ dicitur agnus caſtus, quæ poſita in lecto quieſcentis, in eo extinguit libidinem, & alia innumerabilia dicuntur, & leguntur. De hujuſmodi genere eſt illa operatio, qua nonnulli horrores, & horripilationes patiuntur latrone exiſtente in domo ſunt, licet omninò ignorent illum ibi eſſe. Quia ergo communio amoris ad Deum, & homines maximè bonum eſt hominum, & privatio appoſita, ſive excommunicatio, vel proprietas contraria, quæ idem eſt, quod excommunicatio, eo quod uni unum contrarium, aut maximum, aut penè maximum malum eſt eorundem meritò miſericordiſſimus, ac ſapientiſſimus Deus omnia, quæ operari poterant ad communionem iſtam amoris imprimendam hominibus, congerere, & colligere debuit, & ad oppoſitum malum expugnandum omnia, quæ illi maximè adverſa-

Similitudo menſæ ſpiritualis ad corporalem.

Quæſtio.

Exempla plus movent quã verba.

tus

Digitized by Google

tur congregare in unum, ut denſa acie contra tam odibilem Deo tamque hominibus inimicam peſtem pugnetur. Deſignandum ergo fuit bonum iſtius communionis, ut per apprehenſionem amorem ſui apprehendentibus ingereret, & exemplum exhibendum, ut cognoſcentes faciliùs induceret virtus ad ea habenda, quæ illam in eiſdem operari poſſit, & hæc tria in ipſo ſacramento altaris ſimul apparent. Granorum enim unio, & ab invicem inſeparabilitas, atque indiſtinctio, in ipſa forma viſibili panis apparet. Adhibetur & exemplum communionis, quia ipſe Chriſtus Dominus corpus, & ſanguinem ſuum ibidem communicat ſumentibus, qua communione nulla largior, nulla majoris beneficentiæ, nulla communio magis ſuavis, nulla magis contra proprietatem, & avaritiam, ex tunc, magiſque confundens proprietatem, & avaritiam exhiberi poteſt communitati hominum. Nullius enim comparationis eſt largitio, ſeu communicatio ciborum exteriorum ad hanc, ſed neque communicatio lactis de uberibus matrum expreſſi in ora filiorum, quia illa de exterioribus: iſta verò videlicet lactis, eſt de his, quæ ſunt extra ſubſtantiam matris: communicatio verè corporis ſanguinis Chriſti, de ipſa ſubſtantia eſt ex partibus ipſius Chriſti. Quòd autem virtus adhibeatur, quæ communionem iſtam ſacratiſſimam amoris operari poſſit, non eſt dubium cùm ipſe Chriſtus ſeipſum ibi exhibeat. Quare via ex his tribus congregata, omnium convenientiſſima, ac efficaciſſima eſt, videlicet ad inductionem ſanctæ communionis, & exterminationem excommunicationis; quare niſi optimus, ac ſapientiſſimus Deus hanc ad hoc elegiſſet, proculdubiò non juxta bonitatem, & ſapientiam ſuam in parte iſta egiſſet, cùm viam optimam ad intentionem ſuam, & efficaciſſimam, omiſiſſet. Et ad hoc iſtam rationem inducimus, ut eum hac via uſum fuiſſe, & uti, quamdiu opus eſt aſtruamus.

Communio.

Effici quomodo quid dicatur.

Qualiter autem Chriſti ſacratiſſimum corpus, ac pretioſiſſimus ſanguis reficiat dignè ſumentes, docebimus in ſequentibus. Sciendum ergo, quòd tribus modis aliquid ab aliquo effici dicitur. Primùm quidem natura, ſive naturali operatione, ut eſt calefieri ab igne. Secundò merito; meritum enim neque congrui, neque condigni, propriè dicitur efficere, ut veri nominis cauſa efficiens id quod propter meritum efficitur à remuneratore ipſius, & tamen uſitatè dicitur peccata tua fecerunt tibi hoc, vel bona merita fecerunt tibi illud bonum. Tertiò virtute occulta, ſeu divina, quomodò ſacramenta operari dicuntur. Quia autem quis pane refici dicitur, non tamen pane materialiter dicitur: quia vera Chriſti caro, quam pro nobis aſſumpſit, & pro nobis crucis patibulo affigi voluit, cibus mentis humanæ per ſeipſam eſſe non poteſt; non enim ipſa propter ſe, & ſecundùm ſe unibilis eſt nobis unione corporali, vel ſpirituali; quemadmodùm nec propter ſe diligibilis, aut diligenda, ſed propter illum cujus caro eſt: eodem modo de ſanguine ejus literali ſeu materiali; reſtat ergo, ut alio modo, quàm ipſa ſua eſſentia reficiat mentes ſumentium, & propter hoc reſtat, ut vel merito, vel virtute: & merito quidem ſuo, impoſſibile eſt, cùm nullum ſit: impoſſibile eſt meritum eſſe, niſi in ſubſtantia intelligentiæ. Ampliùs. Si merito offerentis, aut ſumentium, ergo non jam ſacramentum, ut pote quod de ſe nihil præſtaret inde ſumentibus, ut ſacramentalis, ſed potiùs ex meritis eorundem haberet, unde eos reficeret, & ſanctificaret. Si enim ſanctificatio baptiſmalis ex meritis eſſet, aut baptizantium, ſanctificarentur ab illo, ſive per illum, cùm hoc ipſum baptiſmo præſtarent meritis ſuis, ut ſanctificaret eoſdem. Reſtat ergo, ut virtute, non

Meritum non niſi in ſubſtantia intellect.

natura ſuæ eſſentiæ, ut ſupra oſtendimus: quemadmodùm cibus corporalis ipſe natura ſuæ eſſentiæ, ſeu virtute reficit comedentes, quare relinquitur, ut virtute divina, quæ ex ſolo beneplacito Dei operatur in omnibus ſacramentis. Sicut ergo ſuperfuſione aquæ, ſive ablutione exteriori, quæ per aquam fit, adeſt virtus omnipotentis, ac miſericordis Dei, ad efficiendam interiorem, & ſpiritualem ablutionem; ſic refectione corporali exteriori, quæ utique forma, ſeu figura eſt, aut exemplum internæ ac ſpiritualis refectionis, adeſt virtus divina ad perficiendam deſignatam, ut diximus refectionem.

Similit.

Quòd ſi quis quærat, qualiter verum eſt, quod dicit veritas in 6. Joan. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: Reſpondemus, quia verè aſſertivè accipi poteſt, ac ſi diceret: Caro mea verè, ideſt indubitanter eſt cibus, hoc eſt reficiens, ſive refectiva, & ſanguis meus verè eſt potus, hoc eſt indubitanter potans, ſive inebrians, licet non ſua natura, ſed virtute divina. Quemadmodùm aqua baptiſmalis verè eſt aqua regenerans, unda purificans, non natura ſua, ſed virtute divina, quæ per verbum invocationis accedit ad elementum, ideſt ſacrationis, ſive ſanctificationis inſtrumentum; ſic verè, & literalis Chriſti acceſſu virtutis divinæ, quæ ab ea nunquàm recedit, ſacramentum eſt, id eſt ſacrationis ſacratiſſimum inſtrumentum, & ſacræ refectionis adjumentum dignè ſumentibus. Quia ſi quis eam virtuoſiſſimam aut dixerit, aut crediderit propter Dei ſapientiſſimam ſapientiam, Dei virtute, cujus ipſa veſtimentum non recedet à puritate fidei.

Quæſtio.

Sacramentum.

Si enim veſtis Joannis Evangeliſtæ ex tactu ſacrati corporis ipſius Joannis id virtutis obtinuit, ut per manum Ariſtodemi increduli tactu ſuo fratres mortuos ſuſcitaret, quid de hoc veſtimento virtutis omnipotentis pia fide ſuggerit ſentiendum? Si Petri Apoſtoli baculus ex tactu Petri conſequi potuit, ut tactu ſuo mortuum ſocium, videlicet beati Martialis Lemovicen. Epiſcopi ſuſcitaret, & uſque in præſens retinet, ut dæmones de obſeſſis corporibus ejiciat, ut etiam ad loquendum compellat, quid de ſacratiſſimo Chriſti corpore ſentiendum? Si Chriſtus Dominus tantas virtutes corporibus ſanctorum ſuorum largitus eſt, immò oſſibus eorum aridis, & capillis, vel quod plus eſt, pulveri eorum, & ſepulchri, quomodò non incomparabiliter multò majores ipſi carni ſuæ, jam vitam gloriæ viventi, virtutes tribuit? Quid enim mirabile cogitari poteſt, quod non ad ſanctorum ſuorum reliquias, vel etiam memorias operatus ſit, & uſque hodie operetur Chriſtus Dominus? Ampliùs. Si fimbriæ veſtimenti ſui hoc præſtitit, ut ejus tactu hemoroiſſa ſanaretur à fluxu ſanguinis, ſicut legitur 9. Matthæi, & Marci 2. & Lucæ 8. putaſne, quòd fimbriam veſtimenti ſui pluris habeat, quàm ipſam carnem, quam pro ſalute humani generis induit? Si carnibus animalium, & piſcium nutriendi, ac reficiendi, augendi & impinguandi corpora noſtra virtutem dedit naturalem & inditam, & vino virtutem reficiendi, lætificandi, & inebriandi, quantò fortiùs carni ſuæ virtutem dediſſe credendum eſt nutriendi, reficiendi, augendi, & impinguandi animas noſtras, & pretioſo ſanguini ſuo virtutem reficiendi, lætificandi, & inebriandi ſalubriter, & ſobriè animas noſtras? Tantò enim magis veriſimile eſt, magiſque credendum hoc feciſſe pro animabus, quàm illud pro corporibus: quantò certum eſt, ipſum animas magis curare, quàm corpora, & bona animarum, quàm bona corporum: Item ſi carni vel pinguedini ſerpentinæ, de qua theriaca conficitur virtutem dedit, qua venenum, quod ſolam vitam corporis extinguit, eji-

Veſtis Joannis Evangeliſtæ.

Baculus Petri.

Miracula ex reliquijs ſanctorum.

Theriaca ex carne viperina.

ciat, & effugiet; quantò fortiùs ſacratiſſimæ carni ſuæ hoc præſtitiſſe credendum eſt, ut venenum peccati, quod animarum vitam extinguit, omni modo curet? Ampliùs. Si lapides pretioſi, & virtuoſi virtutes innumeras, & admirandas habent, ut multis videtur, ex modico, quod in unoquoque eorum eſt, quintæ eſſentiæ; quantò fortiùs pretioſa, ac jam glorioſa Chriſti caro quæ pro nobis quodammodò de cœlo miſſa, multas, ac præſtantiſſimas virtutes habere credenda eſt, ex ipſa præſentia totius divinæ, ac omnibus ſupereminentis eſſentiæ? Ampliùs. Si ſanguinem hircorum, & ſanguinem draconis, ac etiam ſanguinem menſtruum, miris ac monſtrificis, donavit virtutibus, ſi Plinio creditur, quomodò non multò fortiùs pretioſum ſanguinem ſuum. Ampliùs. Si lignum vitæ in medio paradiſi poſitum hac virtute præditum eſſe voluit, ut vitam corporalem perpetuaret utentium fructu illius, quomodò non potiùs carni vel ſanguini ſuo hoc tribuit, ut perpetuare poſſint vitam animarum? qui utique quodammodò fructus illius ſunt, ipſe verò veriſſimæ vitæ veriſſimum lignum. Ampliùs. Si hanc virtutem dedit herbæ pæoniæ, & lapidi jaſpidi, ut phantaſmata fugarent, & dæmonia, ſi hanc virtutem dedit verbis quorundam exorciſmatum, ut eis arceantur, & ligentur dæmones, & alia fiant miranda, quæ in libris magicis continentur, quomodò verbum, per quod omnia facta ſunt, carnem ſuam, quam pro ſalute animarum aſſumpſit, non omnibus virtutibus gloriæ ſuæ congruentibus in parte illa, & animarum ſaluti expedientibus, illuſtravit? propter hæc omnia, & alia innumerabilia mirabilium ipſius, quorum nos aliqua metu prolixitatis tranſimus, alia verò nec noſſe, nec numerare ſufficimus; meritò dicimus ſentiendum eſſe ampliſſimè, & magnificentiſſimè, de virtuoſitate tanti, tamque venerandi ſacramenti beatos reputantes omnes, qui illud tota devotione, totaque veneratione amplectuntur, & qui gratiam iſtam inæſtimabilem, quæ tanta promptitudine ſtatim adeſt, panem vitæ vocantibus, atque petentibus, non abhorrens cruentas manus ſpurciſſimorum ſacerdotum ſacramentum iſtud conficientium & contrectantium, nec ora Dei maledictione, aut amaritudine plena, indevotè, indignéque accedentium, jugi gratiarum actione, nunquámque ceſſanti collaudatione, ac benedictione proſequuntur.

In gemmis aliquid cæleſte.

Lignum vitæ in paradiſo vitam perpetuat.

CAPUT III.

Exponuntur verba illa ex Ioannis 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.

REvertamur ergo ad id, in quo eramus, & dicamus, quòd iſtud, Caro mea verè eſt cibus, poteſt etiam intelligi ſub hoc ſenſu: Caro mea verè eſt cibus, id eſt veritate, quam continet, eſt cibus, non quòd per ſeipſam paſcat, ſed per me, qui ſum veritas, quam continet: quemadmodùm aliquid dicitur non verè argentum, quod intùs non eſt argentũ, ſed verè eſt argentum, quandò intùs eſt argẽtum; ſic caro Chriſti verè cibus dicitur, hoc eſt per id quod intùs habet, quod inquam eſt veritas, & vita, & verbum vitæ, & panis. Ac ſi ergo diceret, non quod foris exhibet caro, non quod in ea, vel de ea apparet, cibus eſt animarum per ſe, & ſecundùm ſe, ſed magis illud quod in ea latet, quod intelligi voluit in eo, quod dixit verè. Veritas enim eſt intùs, & intimum in omni re, & hæc inſinuant verba Auguſt. qui dicit, Dominum dixiſſe, quæ tamen litera noſtra non habet. Hæc autem ſunt ver-

Veritas eſt intus.

E ba illa, non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec hunc ſanguinem bibituri, ſed myſterium aliquod commendavi vobis. Hoc ipſa veritas expreſſiùs teſtari videtur Joannis 6. Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam, ac ſi diceret: Spiritus eſt qui vivificam refectionem infundit dignè ſumentibus ipſam carnem & ſanguinem: caro autem non prodeſt quicquam, propria ſcilicet natura atque virtute, vel poteſt intelligi verè cibus, ideſt veræ cibationis, ſive refectionis. Illam enim dignè ſumens verè reficitur, ideſt ipſa veritate, quæ eſt Chriſtus, quam ſpiritualiter ſumit, & ſibi incorporat, hoc eſt incordat, & ſpiritualiter inviſcerat, quemadmodùm expoſuimus ſupra: & iterùm, verè cibus, hoc eſt, ſecundùm veritatem. Alio enim cibo non cibatur homo, neque reficitur, ſed cibari ſe ſomniat, & mentitur, attribuens ſibi cibationem equi ſui, vel aſini, ideſt corporis. Corporalis ergo cibus falsò cibus eſt, & fallax, quantùm ad ipſum
F verum hominem: ille enim verus homo, id eſt interior, nunquàm verè cibatur, ſed ſolus equus ejus, vel aſinus, ut ita loquamur. Verè autem cibatur per ipſam carnem Chriſti ex operatione divinæ virtutis, ut jam multotiens diximus. Poſt hæc autem debes ſcire quòd caro Chriſti ſecundùm unum modum, vel intentionem dicitur ipſum ſignum, vel deſignatio ipſius ideſt forma viſibilis panis: quomodò imago Petri dicitur Petrus, & Petrus dicitur eſſe, ubi nomen ejus ſcriptum eſt & alia deſignatio ipſius. Secundò ipſa caro de beata Virgine ſumpta, ideſt pro nobis patibulo crucis affixa: Tertiò tota ſocietas ſanctorum, ſive totus cœtus fidelium, quomodo in Pſal. dicitur: Corpus autem perfeciſti mihi. & in 11. ad Corinth. unum corpus multi ſumus, & in 2. ejuſdem. Quartò verò carnes agni dicun-
G tur ipſa chariſmata, quibus Chriſtus Dominus omnibus hominibus incomparabiliter ſupereminet. ſecundùm quod homo. Qualiter autem comedenda ſit ipſa caro Chriſti myſtica, jam ex præcedentibus innoteſcere debet tibi. Totus enim cœtus electorum ſpiritualiter comedit, cùm in hoc ipſum cor comedentis aſſumitur, eique ſpirituali unctione, quæ amor ſanctiſſimus eſt, unitur. Illum enim verè Chriſtianum, veréque carne Chriſti myſtica refectum eſſe nullatenùs dubites, qui totam Chriſti Eccleſiam in viſceribus benevolentiæ, ac pietatis geſtat, adeóque illi unitus eſt, ut omnium, ſingulorum bonis cognitis congaudeat, & in malis compatiatur. Hæc enim eſt ſanctæ dilectionis communio, hæc ſancta unitas, de qua Actuũ 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una Hæc ſancta ſocietas, de qua prima Joan. 1 Communionem ergo
H neceſſariò efficit bonorum, & malorum quam & qualem diximus Hujus cibi unum ſaporem delectabilem ſentit comedens, cùm de bonis aliorum lætatur; amarum verò ſaporem & palato cordis moleſtum cùm de malis eorum iraſcitur, qui ſapor non eſt proprius ipſius. Hunc cibum verò, hoc eſt carnem Chriſti myſticam revomit, qui eos amare deſinit. Illos enim de ventre cordis, & de intimis benevolentiæ, & pietatis viſceribus rejicit Juxta hunc modum & de ipſo pane vitæ Chriſto Domino intelligendum eſt, quia ſuavis, delectabiliſque ſapor ſentitur, cùm vel interna ſuavitate quis reficitur, quod quidem perpaucorum eſt, vel cùm ejus gloriæ aggaudet. Amarus verò ſapor ex eo percipitur, cùm ejus contumelia quis utitur, & contra eam excandeſcit: Saginatur autem quis, & impinguatur, quandò de bonis aliorum augetur ejus dilectio in Deum, & in ipſos. Qui enim propter bona, quæ aliis facit Deus, ampliùs ipſum diligit, de bonis eorum impingueſcit. Adeps enim, & pinguedo ani-

Corporalis cibus fallax.

Nota.

Internâ ſuavitate pauci reficiuntur.

Charitas adeps animarum.

marum humanarum charitas eſt: Eodem modo qui Dei gloriam ampliùs, vel ampliorem agnoſcit, & inde eam ampliùs diligit, ac ferventiùs quærit, de eadem pingueſcit. Inde eſt, quòd de majoribus bonis fraternis opulentiùs reficimur, ampliùs impinguamur: propter hoc, & Chriſtus ſecundùm quod homo in excellentia chariſmatum omnibus electis incomparabiliter, & ſuper omnem menſuram, pinguior, magis incomparabiliter, & amatores ſuos reficit, impinguat. Iſta autem refectio, quam diximus, penè naturalis operationis eſt, & virtutis. Natura enim boni eſt, ut cognoſcentem reficiat, & delectet. Bonum enim eſt naturaliter cibus virtutis, & appetitivæ interioris nobilis. Et quod eſt dulcedo ad palatum corporis, hoc eſt bonitas, ut ſupra diximus, ad palatum mentis. Quare manifeſtum eſt, quòd refectio eſt, qua quis recogitans Dei filium hominem factum, paſſum, & mortuum pro nobis, ampliori ejus amore pingueſcit & velut quodam ſapore ſuavitatis ejus gaudio reficitur, pro eo quod tanti apud ipſum fuimus & tam chari; quæ refectio ſacramentalis non eſt, ſed ut diximus, naturalis. Non enim virtute ſacramenti ſic reficitur, ſed bonitate ipſius beneficij, quæ naturaliter cognoſcentem amore benefactoris inflammat, & gaudio, quod diximus, jocundat, ſi tamen cognoſcens idoneus eſt, ut tantum beneficium iſta in eo operetur. Quemadmodùm enim ſol per lumen calefacit calefactione corporali corpora calefactibilia, ſic ſol intelligentiæ, & juſtitiæ Chriſtus Dominus, ex quarto ſcilicet capitulo ſapientiæ, per lumen ſuæ cognitionis, amore ſuo calefacit corda calefactibilia, & gaudio ſuo recreat, & refovet eos, qui palatum cordis non perdiderunt de febre iniquitatis. Jam ergo declaratum eſt per ea, quæ diximus, quia pietas, & magnificentia divina neceſſariò faciunt debere eſſe menſam paratam in domo ipſius & appoſitam in panem vitæ, & potum, & hoc cognoſcibiliter, & viſibiliter convivis, alioquin inutiliter ibi eſſent; & quia forma panis, & vini materialis propter expreſſam ſimilitudinem ſola eſt, quæ menſam ſacram, & appoſita in eadem maximè facit cognoſcibilia communitati hominum, quantùm in ſe eſt, & ſi ad eam intenderint; & quia denſa acie pugnat Dei bonitas in hoc ſacramento contra peſtem, immò beſtiam

Nota.

Beſtia proprietatis.

proprietatis, videlicet ſignificatione beneficentiæ ſuæ, & communionis: deinde exemplo, dum eam tantam exhibet comedentibus, ut ipſum corpus, & ſanguinem ſuum communicet eiſdem, qua largitate, & beneficentia, ſi quotidianitas ejus, immò aſſiduitas, & generalitas, qua omnibus illam offert attendatur, major, magiſque conculcans, atque peſſundans excommunicationem avaritiæ, & proprietatis inveniri non poteſt. Tertiò virtute, quam ſacratiſſimæ illi carni, & precioſiſſimo ſanguini adeſſe oſtendimus, qua via ſeu modo expugnationis melior, & efficacior excogitari non potuit. Et propter hoc ſapientiſſimum, ac miſericordiſſimum Deum, illam eligere tanquàm optimam decens fuit. Fecimus etiam ſciri qualiter comedatur Chriſti caro, & bibatur ejus ſanguis & qualiter iſta refectio, refectio mentis ſit. Refectio enim exterior, quæ ſpecie tenùs ibi eſt, refectionem interiorem, ac ſpiritualem operatur in mente dignè accedentis. Ex quibus evidens eſt, quia in illo ſacramento Chriſtus Dominus, & magiſtrum veritatis doctrina, & exemplo ſe oſtendit, & verum Deum virtute mirifica ſe eſſe declarat ibidem. In ipſa enim forma panis, & vini viſibili, quid ipſe nobis ſit, & quid nos nobis

Refectio exterior interiorem operatur.

invicem debeamus eſſe, palàm docet, & lucidè. Quòd enim ipſe ſit ſola quotidiana, & ſuperſubſtantialis, deinde ſolida, jocunda, & inſaſtidibilis animarum noſtrarum refectio forma panis, & vini apertè deſignat. Panis enim materialis, & vinum talis ſunt refectio corporum noſtrorum, qualem refectionem Chriſtum Dominum eſſe dicimus animarum. Oſtendit etiam eadem forma panis, & vini ſanctæ dilectionis communionem, & indiſtinctionem ſocietatemque ſanctorum inſeparabilem, de qua dicitur ad Gal. Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Iſtæ enim conditiones, & diſtinctiones foris ſunt, & à foris ſunt, & nihil pertinent ad intimum ſanctæ ſocietatis, & communionis ſanctorum. Manifeſtè etiam præceptionem charitatis, ſive ſanctæ communionis admirabili exemplo communicationis proprij corporis, & ſanguinis confirmat. Hæc autem duo, ſcilicet doctrina, & exemplum, verum comprobant eſſe magiſtrum. Virtute verò qua immaculata ſacerdotali benedictione panem, & vinum, in corpus ſuum, & ſanguinem transformat, Dominum ſe eſſe oſtendit. Quapropter in illo ſacramento, & magiſterium ejus, & dominatio apparet intelligentibus. Et quia jam diximus ſacramentum illud etiam eſſe ſacrificium, apparet duplex efficacia ipſius. Prima efficacia reconciliationis ad Deum. Secunda, ſanctificationis, ac reconciliationis, in eo quòd ſacrificium efficacia verò, in eo quod ſacramentum. In eo enim quòd ſacrificium, eſt Dei placativum, & iracundiæ ejus in eo averſativum. In eo verò, quod ſacramentum, eſt ſumentium ſanctificativum. In eo autem, quod menſa refectionis, & eorum, quæ refectionis ſunt, effectivum. Sanctificativum autem propriè, & directè, ab execratione excommunicationis, ſive proprietatis, propter quod, & ſacta communio nominatur.

Doctrina & exemplum probant magiſtrum.

Duplex efficacia hujus ſacramenti.

CAPUT IV.

Subtiliter docet eos, qui Corpus Chriſti comedunt, verè inquam ac ſpiritualiter eoſdem etiam comedi. Quod rationibus, & exemplo aſtruit. Quæſtionem poſtmodùm affert quomodo Corpus Chriſti in tam parvo loco, & ſub tantula forma eſſe poſſit, acutè per ſimilitudines ejus quæſtionis veritatem elucidans.

Diligenter autem attendentibus in iſtam ſacratiſſimam refectionem, manifeſtum fiet, verè ac ſpiritualiter comedentes, veraciſſimè ibidem comedi, juxta ſimilitudinem corporis comeſtionis. quod licet beato Auguſtino divina voce oſtenſum fuerit, nos tamen iſtud exemplo, & rationibus aſtruemus. Veraciter enim illud comeditur juxta ſimilitudinem comeſtionis corporalis quod mutatione ſui in aliud aſſumitur, & in ſimilitudinem aſſumentis tranſmutatur. Non enim ligna ignem comedunt, ſed ignis ligna. Sic eſt, qui totum corpus Eccleſiæ ſpiritualiter in iſta ſacra menſa veraciter comedit, quia illum in ſui ſimilitudinem convertens, in ſe, & ſui nutrimentum aſſumit, vel augmentum. Nutritur, reficitur, & augetur corpus, id eſt, univerſitatem reproborum, avertendo à malo, & convertendo ad Deum; propter quod dictum eſt illud: Dediſti eum eſcam populis Æthiopum. Et in Act. 10. dictum eſt Petro: Occide, & manduca. Et Job 14. Dividunt illum negociatores. Si quis verò quærat in quam ſui ſimilitudinem corpus Eccleſiæ convertat, reſpondeo;

Comedi.

Digitized by Google

Quia in ſanctitatem, & bonitatem, & propter hoc Chriſtus Dominus comedere dicitur illos, quos in nutrimentum corporis ſui myſtici, & augmentum convertendo aſſumit. Si quis autem quærat qualiter comedantur in iſto Sacramẽto illi, qui jam converſi ſunt, & electi? Cibus enim corporalis jam ſumptus & in nutrimentũ corporis jam converſus, non videtur poſſe iterùm comedi. Dicimus qui jam uniti ſunt corpori Eccleſiæ poſſunt magis uniri. & qui jam ſunt illi, quaſi membra, poſſunt fieri alterius modi, & nobiliora & intimiora etiam; & ita verum eſt, quòd comeſti ab ipſo corpore Eccleſiæ poſſunt iterùm comedi. Vides ergo quàm rationabiliter cœleſti magiſterio inſtitutum fuerit, ut participes eſſent tanti ſacrificii electi, tanquàm ſanctitati, & quàm ſublimis, ac venerandæ menſæ tanquàm filij ſiquidem de Sacrificiis veſci non licet, niſi ſanctis, & menſa patris non paratur niſi filiis. Quia ſi fortè alii temerè, præſumptuoſéque ſe ingeſſerint judicium ſibi comedunt, & bibunt, ſicut legitur in 11. 1. ad Cor. Jam ergo apparet evidenter, qualiter intelligendum ſit, quòd ipſe Salvator B. Auguſt. dixiſſe legitur. Nec ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me. Hoc enim eſt dicere, in mei ſimilitudinem. Quemadmodùm ignis ferrum in ſe, hoc eſt, in ſui ſimilitũdinem convertit. Si quis autem quærat, quomodò in tam parvo loco, & ſub tam parva forma, illud glorioſum corpus, quod utique longè majoris eſt quantitatis, eſſe poſſit? Dicimus quòd idem eſt, ac ſi quæreretur, quare in tam obſcuro loco corpus tantæ claritatis eſſe poſſit loco remanente obſcuro. Sicut enim in poteſtate habet claritatem ſuam non oſtendere, & quominùs locum, in quo eſt, lumine repleat, retinere; ſic non incredibile eſt magnitudinẽ ſuam, ne locum illum repleat, aut occupet, ita ut aliud corpus ſecum non patiatur retinere. Et ſicut claritates corporis, ſive fulgorem in libera poteſtate habet, ut parum, vel multùm illius, in loco vel circa locum, in quo eſt, diffundat; ſic magnitudinem ſuam omninò habet in ſuæ beneplacito voluntatis. Et ſicut ſalva, & illæſa per omnia claritate ſui corporis locum, in quo eſt, vel circumjacentem parum, vel modicum vel omninò in nullo illuminat prout vult, ſic ſalva per omnia magnitudine ſui corporis occupat de loco, quod vult, & quantùm vult, ita quòd liberum eſt ei abſque diminutione illius in quamlibet parvo eſſe loco. quæ enim eſt ratio, ut claritatem ſui corporis in poteſtate omnimoda habeat, & non magnitudinem? nec loquimur hîc de omnipotentiâ virtutis, quam habet ſecundùm quòd Deus eſt, de quâ certum eſt, quòd nihil eſt impoſſibile, vel etiam difficile. Sed dicimus, & piè credimus hanc eſſe gloriam omnium electorum, ut omninò liberæ voluntati eorũ ſubjecta ſint omni modo, non ſolùm corpora ipſorum, ſed etiam quicunque ſunt corporum. Si enim verum eſt, quod dicit Dæmon Berith de Beato Bartholomæo, quòd oſtenderet ſe, ſi vellet; ſi autem nollet videri, non poſſet, quid credendum eſt de eo pro ſtatu gloriæ? Si enim ex umbra tenuiſſima gloriæ hanc poteſtatem habuit in corpore ſuo; quomodò dubitari poteſt incomparabiliter majorem illum habiturum eſſe poteſtatem in patriâ. ex ipſa perfectione, & veritate gloriæ? Si quis autem quærat, qualiter vivificus panis inter manus Sacerdotis veniat, ſcilicet utrùm per motum, aut ſubitò, cùm ipſum ante præſentiam ejus in altari, conſtet fuiſſe in cœlo, aut in alio loco eadem eſt quæſtio quomodò in uno altari modò exiſtens, jam erit in alio, utrùm per motum, aut ſubitò In quo reſpondeo quòd nõ per motum, qualis corporum, id eſt. tranſitum continuum, tunc enim in omni loco intermedio neceſſe haberet eſſe,

Nota.

Menſa patris filiis tantũ paratur.

Corpora ſubjecta ſanctorum voluntati.

Quæſtio.

E & ideò dicimus, quia ſubitò. Et hic effectus unus eſt dotis corporum glorificatorum, quæ nominatur agilitas, ex quâ neceſſe eſt reſpondere agilitatẽ ipſius voluntati animæ glorificatæ; ita ut ſicut anima imperat ei modò moveri in ſtatu miſeriæ iſtius, ad locũ quem voluerit; ita in ſtatu gloriæ imperet ei eſſe, ubi voluerit. Alioquin non ſibi invicem congruerent imperium voluntatis ipſius animæ, & obedientia agilitatis ipſius corporis. Quoniàm autẽ difficiliùs ſuadetur imperitis, & difficiliùs ab eis capitur Chriſti corpus ſimul eſſe poſſe in cœlo, & in altari: & inſuper in tot altarium millibus evitemus hoc, ne adjuvemus incredulitatẽ, vel potiùs imperitiam ipſorum. Attendent ergo in primis, quòd corpori humano dantur motus innaturales, imò & contra naturam ipſius in loca innaturalia ex virtute animæ, cui conjunctum eſt, præſtantur, & acquiruntur, videlicet motus in ante, & retrò, motus in dextrum, & in ſiniſtrum, motus in ſurſùm, & deorſùm, non quidem eo modo in deorſùm, quo per F ſeipſũ naturaliter movetur, ſed longè aliter, & modo contrario moveretur. Moveretur enim in deorſùm naturaliter motu recto, atque cõtinuo, ſed virtute animæ imperantis movetur in deorſùm motu flexuoſo, multiſque quietibus, ſeu pauſationibus interruptis. Deinceps movetur per ea, & per eam in circulũ, & trigonum & quadrum, & per omnem figuram, non ſolùm pro neceſſitate, vel utilitate quacunque, ſed pro volũtate penitùs animæ imperantis. Similiter eſt videre de locis: cùm enim non habeat corpus humanum naturaliter, niſi unum locum ſibi propriũ, & naturæ ſuæ congruũ, videlicet, naturæ infimum, quod eſt totius mundi medium, ſive centrum, præſtantur tamen eidẽ corpori, & acquiruntur per animam, cui conjunctum eſt, & tot loca ipſi tam innaturalia, & à loco naturali ejuſdem adeò diſtantia. Si ergo nunc tantum poteſt humana naturaliter G in corpus ſibi conjunctum contra naturam ejuſdem & hoc pro ſola voluntate, abſque omni neceſſitate, vel utilitate, quantò fortiùs anima Chriſti pro ſumma neceſſitate, & utilitate poterit in corpus ſuũ contra naturam ipſius, quicquid eadem neceſſitas, vel utilitas requiſierit? Si non poteſt obſiſtere, vel reſiſtere natura corporis humani voluntati animæ imperãtis (licet otioſè, & pernitioſè) quin feratur, aut moveatur in locũ ſibi incongruũ, & hoc motu naturæ ſuæ iã cõtrario; quantò fortiùs nõ obſiſtet, neque reſiſtet voluntati animæ ipſius Salvatoris, & hæc neceſſariiſſimè ac utiliſſimè natura corporis ſui, quin ſe exhibeat ad omne beneplacitum ejus in omni loco, in quo præſentiam ejus requirit, tantaque utilitas? præſertim cùm incomparabili H ter plus poſſit in corpus ſuum anima illa, quàm anima tua naturaliter poſſit in tuum, & cùm omnium creaturarum potentiſſima ſit ipſa anima Redemptoris, & corpus ſuum jam non ſolùm non ſit ei ſarcinæ ullo modo, ſed ſoli gloriæ: poſt quam vel ſupra quã non ſit gloria corporalis? Quòd ſi quis quærat quæ ſit neceſſitas, vel utilitas quæ requirat præſẽtiam hujus corporis in tot altarium millibus. Reſpondeo quia neceſſitas, vel utilitas hæc ſunt, Eccleſiæ univerſalis medicatio, ſive ſanatio. Secundò ejuſdem reconciliatio ad patrem miſericordiarum, ſive ejuſdem patris miſericordiarum ad Eccleſiam ſuam placatio. Tertiò ipſius Eccleſiæ ſacratio, ſive ſanctificatio. Quartò ejuſdem Eccleſiæ ſpiritualis refectio. Quia illud venerandum corpus, & medicina ſaluberrima eſt, & ſacrificium placabiliſſimum, & ſacramentum noſtræ ſanctificationis, & cibus ſpiritualis refectionis, ſicut ſupra oſtendimus Et quia miniſteria miſſarum non ſunt niſi quatuor hæc, quæ diximus: neceſſe eſt ubicunque

Reſponſio.

Agilitas dos corporum glorificatorum.

Loca innaturalia corpori per animam acquiruntur.

Anima Chriſti potentiſſima omnium creaturarum.

Digitized by Google

ubicunque miſſarum aguntur ſolemnia, corporis A hujus ſacratiſſimi veriſſimam adeſſe præſentiam. Non enim quemadmodùm delirant quidam hæretici, ſufficit deſignatio ſive ſignũ, ſive figuratio corporis iſtius vivifici, & ſanguinis precioſi ad iſta quatuor peragenda, immò neceſſariò requirunt vivifici panis, & vini præſentiſſimam veritatem; neque enim figura, neque alia deſignatio medicinæ pręſtare poteſt ullo modo ſalutem, ſed ſola ipſius præſens veritas medicinæ. Similiter impoſſibile eſt per ſolam, & inanem deſignationem ſacrificij placari iratum, aut reconciliari offenſum abſque ſacrificij veritate. Similiter neque ſacrari, aut ſanctificari poſſibile eſt quemquam abſque ſacramenti veritate, cùm virtutem ſanctificationis ſola veritas habeat ſacramenti. Eodem modo impoſſibile eſt aliquem refici, paſci, atque potari ſola deſignatione, ſeu B figuratione panis, & vini: alioquin non indigeremus niſi figuris, vel picturis, ad iſta quatuor, & pro nihilo laboraretur in miſſarum ſolemnijs, cùm ſufficerent picturæ altarium, & ſacrarum oblationum ad iſtas quatuor nominatas utilitates. Hæc autem inſania ad hoc eos irrefragabiliter deducit, ut pictura diluvij ſola ſine veritate mundum ſubmergat, & pictura ignis quo mundus inferior conflagrandus eſt, jam mundum exurat, & pictura ſola panis paſcat & reficiat; ſic & pictura vini potet, & inebriet. Sic igitur dementia eorum eſt aperta, ut omninò non diſtinguant qualiter virtutem & efficaciam ſignis attribuant, & veritati. Ampliùs. Sicut locus proprius naturalis eſt eidem, ſic ejuſdem loci unitas; quare ſicut locus innaturalis contra naturam C ejuſdem ineſt; ſic locorum multitudo. Et ſicut ſurſùm, & deorsùm in locis contraria ſunt ſic unum & multa in eiſdem, & æquè contraria; quare ſicut poteſt anima Chriſti contra naturam corporis ſui, ut exhibeat ipſum quandocunque voluerit in ſurſum, & quandocunque voluerit in deorsùm; ſic ex eadem potentia non obſtante ullo motu, vel reſiſtente natura corporis contraria, poteſt illud exhibere in quotcunque locis voluerit, cùm non magis ſit naturalis eidem loci unitas, quàm locus ipſe, neque magis contra naturam ipſius locorum multitudo, quàm locus innaturalis ipſius. Hoc ergo in anima Domini Salvatoris potiſſimùm locum habet, tum quia corpori ſuo imperat, & eo utitur poteſtate liberrima, tum quia omnium creaturæ ſupereminet potentia fortiſſima. In noſtris enim animabus longè ſecùs eſt, quorum & libertas multa ſervitute depreſſa, & potentia innumeris debilitatibus infirmata. Ampliùs. Quid mirum ſi ubi totum ibi, & partes? Quin potiùs econtrariò mirabile eſt quòd in mul- D tis locis ſit totum, ubi non partes. Cùm ergo certum jam ſit, quòd anima rationalis, & caro partes ſunt filij Dei, ex quibus compoſitus eſt, ſecundùm quòd homo, non eſt mirabile, ſi ubi ipſe eſt, & ibi partes ipſæ. Sed hoc potiùs admiratione dignum, quia cùm ipſe ubique ſit, non ubique tamen ſunt ejuſdem dictæ partes. Hoc autem eſt, quoniàm ad certas utilitates, & myſteria aſſumptæ ſunt; & propter hoc ubi locus eſt hujuſmodi utilitatibus, & miniſterijs ibi eas eſſe ipſo ſuo toto, & cum ipſo eſt neceſſe. Ubi autem non eſt locus hujuſmodi miniſterijs, aut utilitatibus ibi eas nullatenùs eſſe neceſſe eſt; excepto loco ubi præmium, & remunerationem iſtorum meritorum obtinent, qui eſt locus gloriæ ipſarum, & hic eſt cœlum cœlorum, ſive cœlum empireum. Quia ergo in omni altari ubi miſſa agitur, locus eſt prædictis utilitatibus, & miniſterijs, neceſſe eſt, prænominatas partes in ipſo ſuo toto, & cum ipſo adeſſe præſentiſſima, ut diximus, veritate. Sed quemadmodùm, ut ſupra tetigimus, ubi medicatio exhibenda, ibi oportet medicum eſſe cum alabaſtro unguentorum; & ubi reconciliatio, ibi mediatorem cum ſacrificio; & ubi ſacramentatio, ibi ſacerdotem, ſeu Pontificem cum ſacramentis; & ubi refectio, ibi dapiferum cum cibo, & potu; alibi autem non eſt neceſſe, ut iſta exhibeat. Licet igitur neque anima, neque carne careat Dei filius, tamen illas non exhibet in mundo iſto inferiori, niſi ubi locus eſt utilitatibus, & miniſterijs, propter quas aſſumere dignatus eſt. Ampliùs. Quoniàm humanitas ipſius eſt velut veſtis ſacerdotalis ipſius, in qua pro nobis fungitur officio ſacerdotis, quid mirum ſi illam exhibet, vel in cœlo, ubi appareat vultui Dei ad interpellandum pro nobis, vel in altari ubi ſacerdotale miniſterium pro nobis exequitur? alibi verò cur illam exhiberet? Ampliùs. Quid mirum ſi de conſortio deitatis huic ſacratiſſimo corpori collatum eſt, ut ſimul poſſit eſſe in multis locis, licet contra naturam ſuam, quemadmodùm ipſa divinitas ubique per naturam ſuam eſt, cùm eidem ex eodem conſortio impaſſibilitas, & penè ſpiritualis agilitas, atque ſubtilitas collata ſint contra naturam ipſius corporis? Non enim veriùs contra naturam ipſius corporis eſt perpetua illa, ſive perennis impaſſibilitas, & inviſibilitas omni modo, quo inſenſibilis eſt ſenſibus noſtris in via iſta, hoc eſt vita hominum, quàm corporum caducorum tam mirificè penetrativa ſubtilitas, nec illa penè ſpiritualis agilitas, quibus remuneratum eſt, & glorificatum eſt illud corpus, quàm locorum pluralitas. Si ergo non obſiſtit non obſiſtere potuit naturæ corporis illius contrarietas, quin de conſortio animæ glorificatæ, atque ipſius deitatis reciperet prænominatas dotes, & glorias: non poterit ulteriùs reſiſtere, vel impedire, quin recipiat ex eodem conſortio locorum pluralitatem, ſeu multitudinem. Ampliùs. Cùm prænominatas dotes & glorias receperit corpus illud ad præmium, nec contrarietas naturæ ſuæ obſiſtere poterit, quominùs multitudinem locorum. & receperit ad meritum, & ad exequendum ſuſceptum miniſterium. Ad meritum quidem in ipſa ſacratiſſima cœna, ubi in ipſa ſede ſua recumbebat inter duodecim, & in manibus proprijs, quibus porrigebatur Apoſtolis ad ſumendum; & in ore, ac faucibus accipientium, & manducantium ipſum; ad miniſterium verò, quòd quadrupliciter ſupra diximus. Alioquin fruſtra, & vanè quatuor miniſteria, ſeu officia pro nobis agenda ſuſcepiſſet Dei Filius, cujus nullam eorum peragi poſſit, niſi per veriſſimam præſentiam corporis illius. Ampliùs. Cùm quicquid gloriæ habet corpus illud, totum habet in præmium miniſteriorum, ſeu officiorum, quæ in ipſo & per ipſum ſaluti humani generis ſunt impenſa, multò fortiùs nihil deerit eidem de his quàm requirit executio ipſorum miniſteriorum. Manifeſtum autem jam fecimus quòd executio illorum quatuor officiorum requirit ex neceſſitate præſentiam ejuſdem corporis, ſcilicet in multis altarium, ſacrariorumque, ſive ſacrorum repoſitoriorum millibus. Ampliùs. Si glorificatione ſuâ venerandum illud corpus adeò approximatum, adeò aſſimilatum ſpiritualibus, nobilibuſque ſubſtantiis, ut non ſolùm illud, ſed etiam omne aliud corpus glorificandum, ſpirituale nominare auſus fuit Apoſtolus dicens in 15. 1. ad Corinthios Seminatur animale ſurgit ſpirituale, aſſimilatum, inquam, impaſſibilitate, ſubtilitate, agilitate, quas diximus: aſſimilatum autem in remunerationem & gloriam ſuam propriam: multò ergo fortiùs aſſimilari

Nota.

In hæreticos.

Anima Chriſti, corpus ejus exhibet quocumque vult loco.

Nota.

Divinitas ubique per naturam.

Nota.

Dotes corporis Chriſti.

debuit eiſdem ſpiritualibus ſubſtantiis in hoc uno, videlicet, ut ſimul poſſit eſſe in multis locorum millibus. Multò inquam fortiùs aſſimilari debuit eiſdem, propter ipſam cauſam remunerationis ſuæ & aliorum. Hæc autem cauſa quadruplex eſt officium, ſive miniſterium, quod diximus; hoc igitur ex neceſſitate datum eſt corpori illi, ut poſſit eſſe in multis locis, ſcilicet millibus ad exequenda officia, ſeu miniſteria propter quæ agenda creatum, & aſſumptum eſt. Ampliùs. Quid mirum ſi de conſortio divinitatis, cui unitum eſt corpus iſtud hoc contra naturam habet, quandiu beneplacitum eſt ipſius divinitatis, ut ſit in multis locorum millibus ſimul, & ſemel quemadmodùm ipſa divinitas eſt in omnibus. Ubicunque enim natura paſſibilis eſt unita alij naturæ agenti, & fortiori, neceſſe eſt, ut ab ea patiatur, atque recipiat, pro modo ſuæ receptabilitatis, atque paſſibilitatis ab illa. Quid ergo mirum ſi corpus unitum divinitati, cujus virtus & actio ſunt in ultimo, & maximo per omnem modum ex virtute divinitatis, hoc recipit, & hoc ei aſſimilatum eſt juxta capacitatem ſuam, ut poſſit eſſe in multis locorum millibus ad obſequium divinitatis & gloriam? cùm nulla natura ſit fortis & agens, quæ ſibi conjunctam, & obedientem naturam aliam in ſimilitudinem ſuam, prout illa capax eſt, non trahat? Ignis enim ferrum duriſſimum, ac frigidiſſimum in ſui ſimilitudinem convertit pro capacitate ipſius ferri, videlicet quantùm ad calorem, atque ſplendorem, non autem quantùm ad motum, neque quantùm ad ſubſtantiæ ſubtilitatem. Et hoc quoniàm ſalva natura ferreitatis, non poteſt habere ſubtilitatē igneam, neque motum ignis. Quòd ſi quis dixerit, quia corpus humanum non eſt capax multitudinis locorum ſimul, ſed tantùm unius poſt alium, verum utique dicit, ſi ita intelligat, quòd non eſt capax, niſi unius loci poſt alium per naturam ſuam. Et hoc eſt quoniàm virtute ſua corpus non acquirit locum, niſi per motum. Motus autem localis non eſt, niſi fuga naturalis, atque deſertio unius loci, & inſertio ſive acquiſitio alterius. Motus ergo cogit corpus omne naturaliter mobile in uno ſuo loco eſſe in quolibet inſtanti, & hoc eſt quoniàm cogit ipſum deſerere locum, in quo eſt dum tendit ad alium, & egredi de priori dum ingreditur ad ſequentem. Et propter hoc natura, quæ eſt in corpore principium motus, & quietis, non permittit corpus ſimul eſſe in multis locis, quia dū impellit ad unum locum, expellit ipſum ab alio, in quo erat. Quòd ſi per aliam virtutem imperantem tantùm, & non moventem acquirendus ſit locus corpori, ſive loca multa, nullo modo neceſſe eſt ut acquiſitio unius ſit cum deſertione alterius. Hoc enim eſſet jam verè motus, ſi deſertio eſſet continua, hoc eſt habens ſucceſſionem in tempore. Si autem eſſet ſubita eſſet neceſſariò ſimul in loco, quem deſerit, & in loco, quem acquirit. In eo enim inſtanti in quo acquirit locum quemcunque, ex neceſſitate in eo eſt. Similiter & in eodem inſtanti in loco eſt, quem deſerit, quia ſimul & ſubitò deſerit hunc locum, & acquirit illum, ſimul eſt in ambobus, & hoc eſt, quod intendimus. Quia ergo non per medium quaſi tranſiliens, aut tranſvolans ab hoc altari in omnia altaria, vel in quodcūque aliud, aut à ſolio gloriæ ſuæ diſſiliens in omnia altaria, atque ſacraria præſentiam ſuæ humanitatis exhibet, ſed ſolo imperio, ac beneplacito ſuæ voluntatis, cui ſumma ſubjectione obedit corpus ſuum, ſubitò & in ipſo nunc eſt, ubi vult corpus ejus, non ſequens omninò naturam propriam, ſed ſolùm beneplacitum imperantis. Exhibet ergo illud in manibus ſacerdotum abſque ſucceſſione motiva, & inde aſſu-

Nota.

Corpus Christi locorum multitudinem recipit.

Motus localis.

Natura principium motus.

Corpus Christi ſequitur voluntatem animæ imperantis.

E mit illud in cœlum abſque receſſione motiva, ſicut voluntas ejus ſubita eſt, & tota ſimul utraque per ſe. Quia ergo ex ſola voluntate, vel animæ ipſius imperantis, vel verbi, ſecundùm quod verbum, vel ipſius divinitatis, nullatenùs autem ex natura corporis acquirenda ſunt loca hæc corpori illi: manifeſtum eſt quia ſequitur voluntatem impetantis corpus illud, non naturam ſuam. Et propter hoc exhibet præſentiam; nam ubicunque jubetur, & quandocunque, non per motum illuc ſe transferens, ſed per obedientiam, inter quam & juſſum nihil ſit medium, ibidem ſubitò ſe præſentans. Cùm autem non mireris in te, quòd ubicunque es, habes ibi corpus tuum, cujus conditionis arbitraris eſſe omnipotentiſſimum Dei filium? quare credere non vis (non dico ubicunque eſt, ſed ubicunque vult) ipſum habere præſentialiter corpus

F ſuum ſecum, & potiſſimùm ubi hoc requirit dignationis ſuæ pro nobis ſuſceptum officium? Declarabimus etiam declaratione evidenti probabiliùs, quòd impoſſibile eſt per motum ipſius filij Dei, vel corporis ſui iſtam tam crebram, tamque multiplicem ejuſdem corporis præſentationem, ſeu exhibitionem fieri. Primùm quoniàm accideret ipſum filium Dei ſecundùm hoc, ſive ſacratiſſimum corpus ejuſdem moveri motibus contrarijs, & illis innumeris: movebitur enim ſecundùm hoc ab altari, in quo primò fit, ſive celebratur miſſa in omnia altaria alia, in quibus ſubſequenter celebrantur. Quia ergo quædam altarium aliquorum ſunt illi altari à dextris, quædam à ſiniſtris, quædam ſub, & quædam ſupra; movebitur neceſſariò filius Dei cùm in omnia altaria ſe transferat, & ſimul miſſæ celebrantur ſecundùm omnium iſtorum ſitum, ſive diſpoſitionem altarium: movebitur inquam motu in ante, & motu in retrò, motu in dextrum, & motu in ſi-

G niſtrum, motu in ſurſum, & motu in deorſum. Et quia innumera eſt multitudo altarium, in quibus miſſas eadem hora contingit celebrari, movebitur neceſſariò innumeris motibus contrarijs. Quòd ſi dixerit quis, nōne ab uno altari movetur ad aliud, ſi de cœlo empireo deſcendit ſuper unumquodque altarium ipſa hora, qua in eo ſacrum myſterium agitur, & eo peracto illuc revertitur? nihilominùs accidit idem inconveniens. Cùm enim contingat eadem hora in alijs altaribus ſacrum miſterium agi, in alijs autem finiri continget ex neceſſitate eundem Dei filium ſecundùm humanitatem ſui, corpus ejus in innumera altaria de cœlo ferri, & ſimul ab innumeris aliis in cœlum rapi. Qua de cauſa ſimul aſcenderet, & deſcenderet. Et quia in omni

H hora tam diei, quàm noctis contingit miſſas celebrari, & finiri pro diverſitate climatum, quæ diverſificant diem, & noctem, & horas, non habebit Dei filius ſecundùm humanitatem, neque corpus ejus requiem à tam contrariis tamque pugnantibus motibus, nec ceſſabit volare de cœlo, & revolare ad illud, ſive tranſvolare ab altari in altare, & tranſportari ante, & retrò in dextrum, & ſiniſtrum, ſurſùm & deorſùm. Hanc autem inquietudinem, immò contrariorum motuum turbinem ac tempeſtatem, nec imaginatio humana recipit, nec intellectus. Ampliùs, Omne quod movetur à loco quocunque exijt locum illum, & omne quod exijt locum ſuum, deſerit illum, & omne quod deſerit locum, in quo eſt, non remanet in ipſo. Quare ſi filius Dei ſecundùm humanitatem, ſive corpus ejus movetur è cœlo empireo in altare quodcumque, ſive ab altari in altare aliud, neceſſariò non remanebit in cœlo empireo, & in altari, à quo movetur, & ita nō erit ſimul in multis altaribus, neq; ſimul in cœlo empireo, & in altari cùm exjit inde. Si enim remanet

Non per motu fieri multiplicem corporis Christi præſentiā.

Nota.

Abſurdū.

Nota.

Digitized by Google

in cœlo, non exit inde. Dicimus ergo quia quemadmodùm filius Dei ubique eſt ſecundùm deitatem ſuam, attingens à fine uſque ad finem fortiter, & exhibet præſentiam ſuam divinam, apparens ubi vult,

Nota.

& quomodò vult; ſic partium ſuarum, videlicet animæ, & corporis præſentiam exhibet ubi vult, & quomodò vult abſque ullo motu earum. Sicut ipſe apud ſe, & ſecundùm ſe, hoc eſt ſecundùm naturam ſuam immobilis, & immutabilis & illocalis eſt per omnem modum, factus eſt mobilis, mutabilis, localis, ex aſſumptione humanæ animæ, & corporis, & attingens à fine uſque ad finem fortiter, factus eſt loco modico circumſcriptibilis, & per motum de loco in locum præſentiam ſuam exhibēs. Quantò fortiùs ipſæ partes diſcretæ, videlicet anima, & corpus ex ineffabili unione, quâ eidem & in eo unitæ ſunt, hoc habent, ut iſtam attingentiam, & amplitudinem ſpiritualem, qua attingit à fine uſque ad finem fortiter, in hoc ſaltem imitentur? & B licet ſint mobiles, & mutabiles; corpus quippe propriè, anima verò non propriè, in hoc inquam, ut abſque motu præſentiam ſuam exhibeant, ubi ejuſdem filii Dei hoc requirit officium, noſtræ ſalutis neceſſitas patitur, & utilitas; cùm enim ſola omnipotenti virtute ibi ſunt, ibique teneantur, atque ſerventur, qualiter motu indigere credendus eſt, ut eas alibi eſſe, facere non poſſit, niſi per motum; ſi enim in manu tua corpus quodcunque teneres, manu tua id poneres ubi velles. Cùm ergo in manu filii Dei, hoc eſt in virtute & beneplacito per omnia

Vide.

ſit corpus ipſius ponit id, ubi vult manu ſua, hoc eſt virtute, & beneplacito, non motu ipſius. Sicut tu faceres de pomo ſi manus tua abſque motu ſuo, ſola virtute ſua & beneplacito, totum quod vellet, poſſet in pomum. Dabimus ergo exemplum de his in rebus ſenſibilibus.

Exemplū ſenſibile.

C Sicut enim qui cantor eſt in aliqua Eccleſia, aliquandò exhibet officium cantoris, aliquandò non exhibet, licet iſtud non deponat; ſic Dei filius humanitatem, quam pro nobis aſſumpſit, aliquandò præſentem exhibet, & aliquandò non, licet illam nunquàm deponat; ſicut anima tua aliquandò exhibet videndi officium præſentialiter, & apparibiliter, & aliquandò non exhibet illud, nec tamen illud deponit, ſine motu ſuo omni ad exequendum hujuſmodi officium ingreditur, & ab executione illius abſque motu egreditur; ſic Dei filius abſque motu ſuo, vel corporis ſui proprio ingreditur ad exequendum pro nobis ſacerdotale officium in altari. Motu proprio diximus, quia movetur per accidens, quemadmodùm & forma ſacramentalis, ſub qua ipſe eſt, & ſive cùm elevatur à nobis, ſive cùm deponitur, ſive cùm in ſacra pixide deportatur. D Et eſt ſimilitudo conveniens rei ſpiritualis ad corpora glorificata, & potiſſimùm ad corpus Domini Salvatoris, quod eſt incomparabiliter ſublimioris gloriæ, quàm alia. Multam enim habent ſimilitudinem ſpiritualitatis.

Similitudo apta.

Sicut enim anima totùm corpus animatum penetrat abſque ulla reſiſtentia & læſione tam ſua quàm ipſius; ſic corpora glorificata omnia alia (Et hæc eſt etiam alia declaratio, quæ cogit corpus Salvatoris adeſſe in altari, non per motum) Sic enim non reſiſtunt glorificatis corporibus, & alia cedunt eis omnimoda ceſſione obedientiæ;

Corpora alia cedunt glorificatis.

non refert ergo qualia, & quanta ſint per quæ tranſire habet, de cœlo veniens in altare, vel de altari in aliud, cùm æqua facilitate tranſeat dura, ut mollia, atque magna, ut parva. Perinde ergo eſt ac ſi moveretur per inane, & vacuum, nihil ipſum retardat, aut detineat; quare æquè citò venit de cœlo in altare æquè citò tranſiens totum ſpacium, quod eſt à cœlo empireo uſque ad altare, & quantamlibet

A particulam ipſius. Non enim ſucceſſivè tranſit totum ſpacium; ſubitò ergo ſe exhibet in altari, & ideò non per motum. Si enim durities mediorum corporum ita eſt ut mollities apud corpus glorificatum, multò fortius ita erit magnitudo eorum, ut parvitas apud ipſum. Et ſi durities eorum non poteſt eum deſinere, vel retardare ullatenùs, multò fortiùs, neque magnitudo ipſorum. Ex quo etiam manifeſtum eſt, quemadmodùm nullum aliud corpus in ſe detinere poteſt corpus glorificatum, ſic nec prohibere, quin ſit in alio. Adjuvabit autem intellectum parvulum ad hoc intelligendum exemplum animæ humanæ, quæ præſentiam ſui exhibet in omnibus partibus corporis, cui conjuncta eſt.

Exemplū familiare.

Exhibet inquam in omnibus operibus ſenſuum, & abſque motu ſuo locali. Non enim ſi ab operatione viſus veniat ad operationem auditus, neceſſe habet moveri localiter ab oculis ad aures, & ita ſe habet de aliis ſenſibus, & operationibus eorum. B Hoc autem facit ex natura ſpiritualitatis, ſub qua ſimul attingit membra adeò invicem diſtantia. Sic glorioſum Domini Salvatoris corpus, non quidem ex natura corporalitatis ſuæ ſed ex ſimilitudine ſpiritualitatis, quæ eſt gloria ipſius, attingit ſimul loca innumera, & obtinet, cùm utilitates, & officia pro quibus aſſumptum, & glorificatum eſt, hoc requirunt. Similitudinem autem iſtam ſpiritualitatis ſuprà expoſuimus in hoc eodem capitulo. Quoniàm autem natura uniuſcujuſque corporis non intendit ei locum, niſi propter ipſum ſolum, quicquid intendit unaquæque natura acquirere, non intendit acquirere, niſi proprio ſubjecto, & propter illud ſolum.

Nota.

Quoniàm inquam ita eſt, quòd unicuique corpori naturali non ſit neceſſarius, niſi unus locus ad quieſcendum in eo: ideò C non intendit natura acquirere ſubjecto ſuo, niſi locum unum, & propter hoc expellit ipſum ab unoquoque aliorum locorum, donec acquiſierit illi proprium, cui alligatum eſt naturali congruentia. Propter quod cùm acquiſierit locum hujuſmodi corpori ſua natura, illud in eo quietat, & quaſi affigit quiete perpetua. Hæc eſt ergo cauſa, propter quam nullum corpus naturaliter poteſt in pluribus locis eſſe ſimul, quia videlicet unus ſolus locus eſt unicuique corpori, & ideò non permittit ipſum quieſcere in alio.

Corpus nō poteſt pluribus locis eſſe, niſi ſucceſſivè.

Voluntas verò divina non intendit corpori filii Dei locum acquirere, vel attribuere propter illud, ſed propter totam Eccleſiam Sanctorum. Quia ergo multitudo locorum corporis illius neceſſaria eſt, ac ſaluberrima toti Eccleſiæ Sanctorum; ideò neceſſe eſt, ut voluntas divina intendat, D non quemadmodùm natura corporis illius, aut alterius, ſed quemadmodùm requirit neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, propter quam ſolam illud corpus & creatum, & aſſumptum eſt, quâ de causâ nihil ad naturam corporis illius de iſta multitudine locorum. Cauſa enim attribuens ei loca, auctor ipſe naturæ eſt, ut utilitas propter quam attribuuntur ei loca, non in ipſo corpore anguſtiata, aut concluſa, immò per omnia loca Eccleſiæ Sanctorum ſit diffuſa. Ampliùs. Si natura corporis uniuſcujuſque acquirit ei loca multa ſucceſſivè, & tandem locum naturalem propter ſolam utilitatem illius corporis, quantò fortiùs virtus divina acquiret, ſeu præſtabit multa loca ſimul propter tantas, & tam multorum utilitates? Quòd ſi dixerit quis, non eſt poſſibile hoc, vel corpori recipere multa loca ſimul, vel virtutem divinam præſtare, quia neque multa tempora ſunt ſimul; cùm enim multa tempora ſimul non ſint, neque loca multa ſimul ſunt: multò impoſſibilius eſt corpori recipere multa tempora, ſive multa quandò ſimul, & virtuti divinæ præſtare multa

Abſurdū.

Digitized by Google

loca, ſive multa ubi, quæ ſimul præſto eidem ſunt. Impoſſibile ergo erit divinæ virtuti, & omnipotentiæ præſtare corpori æternitatem, cùm æternitate ſimul omnia tempora obtineantur. Omne enim, quod in æternitate eſt, omne tempus habet; cùm æternitas ſit interminabilis vitæ, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Manifeſtum eſt autem omnipotentiſſimæ virtuti divinæ poſſibile eſſe, præſtare tam loca, quàm tempora ad omne beneplacitum voluntatis ſuæ, natura non valente reſiſtere, quæ nihil unquàm poteſt ſupra ipſum, neque unquàm volens cùm hoc maximè naturæ omnium naturale ſit obedire ubique beneplacito creatoris; quæ totum quod naturaliter eſt, totumque quod naturaliter habet, ex illo eſt, & ex illo ſolo habet, quicquid autem ſit futurum de animabus noſtris tunc, atque corporibus in parte iſta, dubitari tamen non poteſt, quin filio Dei obediat corpus ejus per omnia, & quin præſentiam ejus ubicunque beneplacitum ſuæ voluntatis fuerit, exhibeat. Si enim corpus, quod omninò non eſt, poteſt in quocunque loco voluerit, facere eſſe abſque adjutorio motus; quantò fortiùs illud, quod jam eſt; in quo admiranda non tam virtus ejus, quàm miſericordia evidenter apparet, quia ita præſto eſt omnibus panis vitæ, & in ſacrariis, ſacriſque repoſitoriis tamdiu unumquemque ſumere volentem expectet; tam crebrò de cœlo venit, ut adhuc loquentibus ipſis ſacerdotibus, & ipſum advenire petentibus in altari, ipſo facto, reſpondeat adſum. Vide ergo quia ſemel venit Dei filius pro ſalute mundi carnem ſuam crucifixioni, & ſanguinem ſuum effuſioni expoſiturus. Innumerabilibus enim vicibus quotidiè venit, carnem ſuam comeſtioni, & ſanguinem potationi fidelium appoſiturus. Si quis autem quærat qualiter reficit hujuſmodi panis? Refectio enim corporalis non unum membrum reficit ſolummodò, ſed totum corpus & ipſius corporis membra ſingula. Cùm ergo menſa ſacræ communionis non ſolùm ſacerdoti ponatur, ſive paretur, non ſolus ſacerdos debet ibi refici. Qui ergo ſunt, qui reficiuntur, & qualiter? Ampliùs Si ſola charitas ibi nutritur, & augetur, non omnes virtutes eſſent æquales. Si verò omnes reficiuntur ibi, & augentur, mirabile eſt valde, quomodò fides illo ſacramento ſuſtentetur; & reficiatur. Certùm enim eſt, quia ſacramentum iſtud, ideſt forma, idem in multis ſubvertit. Secundùm hoc etiam corda quotidie communicantium, & magnitudine ſpirituali maxima, & pinguedine gratiæ ſaginatiſſima eſſe deberent. Juxta enim 30. Hieremiæ: Inebriabo animas ſacerdotum pinguedine, & populus adimplebitur bonis, & Iſa. 55. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Reſpondemus, quia ſublimis ac cœleſtis ſapientiæ eſt, ſcire diſcumbere ad hanc menſam, & refici ex ea, & ſcire intereſſe tanto ſacrificio, & reconciliari per ipſum, quemadmodùm Apuleïus philoſophus dixit, quoſdam tantùm auribus, & non animo philoſophari: ſic multi, & innumerabiles, qui Chriſtiani reputantur in ſacratiſſimis ſolemniis miſſarum, ſolis auribus Chriſtiani ſunt miſſam tantùm audire quærentes, & de auditione miſſæ quæſtionem ſolummodò facientes. Propter quod vehementer ſoliciti ſunt, ut introitum, & Epiſtolam audiant, & Evangelium, ipſam miſſæ veritatem, & ſubſtantiam ad modicum, vel nihil curantes. Multi etiam his decantatis, ab Eccleſia recedunt, intolerabilem, ac omnibus modis deteſtandam Deo contumeliam irrogantes, dum ab ejus præſentia fugiunt, & ejus adventum, quem totis deſideriis, totaque devotione præſtolari debuerant, non expectant. Quia ergo miſſa eſt ejus fragrantiſſimi ſacrificij oblatio, cujus ſuavitatis odore mundus Deo reconciliatus eſt, & totus ejuſdem fœtor abſterſus, & eſt ſacramenti illius celebratio, quo totus mundus ſanctificatus eſt, atque ſacratus; quãtùm eſt in ſufficientia, & virtute illius, quòd in multis peccatum incredulitatis impedit: in aliis autem occultum eſt Dei judicium, & eſt opulentiſſimi, lautiſſimique, ac delitioſiſſimi convivii inſtauratio, quo Angeli ſplendidiſſimè reficiuntur, & homines, & inſuper eſt ipſa miſſa cauſæ noſtræ ventilatio, licet per deprecationem, & oblationem. Quintò eſt medicatio totius corporis Eccleſiæ, hoc eſt medicinæ exhibitio. Medicinæ inquàm, quæ ſanat omnia. Sicut legitur Sapientiæ 9. Per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque placuerunt tibi domine ab initio. Et iterùm ejuſdem 16. Neque herba, neque mala granata ſanavit eos, ſed tuus ſermo domine, qui ſanat omnia. Chriſtus autem dominus eſt Dei verbum, & Dei ſapientia. Sic ergo intereſſe oportet miſſarum ſolemniis, ſic tanti ſacrificii oblationi ſicut negocio reconciliationis tuæ, & aliorum. Attende autem quantam iram Dei adversùs te ſuccenderas, quantus gladius vindictę ipſius capiti tuo impendebat, & videbis quanto timore, quanto luctu, quanta intentione, & ſolicitudine, quanto deſiderio evadendi imminens tibi ſupplicium, redeundi ad gratiam patris provocari ad tantum, ut te non ut filium reputet, quod eſſe debuerat, ſed morte digniſſimum hoſtem, negotio tuæ pacis, & reconciliationis intereſſe debeas. Apparebit etiam tibi ſimul, in quanta gratiarum actione, & devotione eſſe debeas, dum ipſum judicem tuum euſque non continentem in iraſua miſericordias ſuas, vides quòd etiã pro te ibidem in ſacrificium Deo patri ſe offert. Quòd ſi charitatem, qua pro te apud patris miſericordiam interpellat conſideres, ſi fornacem charitatis, qua ſacrificium illud pro te, & aliis ardet (niſi fortè reprobus ſis) diligenter advertas, quid agendum tibi ſit, dum tantum negocium tuum agitur, non ſolùm tuum apertè cognoſces, ſed etiam ipſa magnitudine negocii tui ad id agendum provocaberis, & uſtificaberis. Similiter, ſi horribilitatem execrationum tuarum, & abominationes ſpurcitiarum tuarum recogitaveris, & quantæ curæ Deo ſit de ſanctificatione, & mundatione tua, ut pro eis ſacratiſſimam carnem ſuam offerre velit, ſcilicet in ſanctificationem tuam, & ſanguinem ejuſdem fundi non ſolùm in paſſione ad literam, ſed etiam in ipſo ſacramento, & hoc in miniſterio: quid tibi faciendum ſit, qua ſolicitudine vigilandum, quantis viribus enitendum, ne quod pro te tam mirabiliter, tamque miſericorditer agitur, non ſolùm non amittas ſed etiam ne tibi veniat in contrarium, evidenter cognoſces. Deinde quis convivii illius magnificentiam, ubi ipſe donum, & dapifer eſt, & cibus, diligenter conſideret, & ingratus præparanti, & invitanti eſſe poſſit? Quis etiam illotus ad tam reverendam, venerandamque menſam accedere præſumat? Si enim aſinum tuum, ideſt corpus ad præſepe ſuum, ideſt menſam corporis illorum non ſinis accedere, ſed manus ejus, & os præabluis, quantò fortiùs ad iſtam ſacratiſſimam menſam animarum acceſſurus, lachrimis te præablues? ſi non abſque oratione, & divinæ benedictionis poſtulatione aſinum, quem diximus, ad præſepe ſuum permittis accedere, quantùm tibi, & qualiter orandum ſit, divinaque benedictio expoſcenda ad iſtam menſam ſanctiſſimam, & Angelis adorandam, atque venerandam epulaturo? Intellige autem quia intendimus hic de ſpiritus epulatione, vel comeſtione, non de ſacramentali, quæ eorum ſolùm eſt, qui ſpeciem ipſam viſibilem ſacramenti ſumunt. Sed reminiſcaris, quod dicit

Apoſtolus

Digitized by Google

Apoſtolus in undecimo cap. primæ ad Corinthios. A Quia multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, videlicet quia non debito honore , & reverentia habeant corpus domini. *In indignè ſumentes.* Et iterùm : Qui manducat, & bibit indignè (hoc eſt illotus , vel irreverenter) judicium ſibi manducat , & bibit. Pro hac irreverentia percuſſa fuit civitas Romana plaga inguinaria. Proh dolor, quia eadem turbulentia, imperuoſitate , & irreverentia ad iſtam ſacratiſſimam menſam accedunt, quaſi porci , vas furfuris , ſive volutabrum, non attendentes, quòd eam reverenter venerentur, & adorent Angeli, & ad eam incurvetur, ſeu inclinetur omnis militia cœlorum , totaque curia Paradiſi. *Dignitas hujus ſacramenti.* Deinde ſi ipſius ſacramenti ſanctitatem, atque virtutem attenderes , & quia pro parte ſanctificando , hoc eſt ſanctitate & gratia replendo, celebratur , viva fide credere, cooperari eis , totis ſtudiis , & viribus conareris. Non enim cognoſci poteſt gratia ſanctificationis , quin deſideretur , & quæratur , & cùm ultrò ſe offert, quin tota devotione recipiatur. B Ultrò autem offertur in iſto ſacramento, ſive per ipſum , nec ſunt niſi perpauci , qui recipiant, qui vaſa cordium ad eam recipiendum præparent , & porrigant , hoc autem indubitanter illi faciunt , qui reverenter , & attentè ſacramento intendunt , ac præſtari ſibi devotè poſtulant gratiam ſanctificationis, quam divinæ bonitatis munificentia in ſacramento illo præſtare conſuevit. Quòd ſi cauſam tuam non uno etiam crimine , ſed innumerabilibus forſitan criminabilem agi ibidem attenderes , ſi accuſationes quas adverſùm te Diabolus proponit, audires, ſi inſcriptionem legeres, ſi clamores peccatorum tuorum , & conſcientiæ tuæ teſtificantis audires, non abſque timore & tremore, non abſque pudore, & dolore, non abſque ejulatu, ſuſpiriis, & rugitu, non abſque lachrimis, & luctu, tam C diſcriminoſo negocio tuo intenderes. Et econtrariò, ſi Chriſtum Dominum advocatum, ſolam divinæ pietatis abundantiam , ſolam oblationis corporis, & ſanguinis ſui flagrantiam, ac placationem, ſive placabilitatem pro te allegantem, veræ fidei oculis cerneres, non te phantaſmata vanarum cogitationum , non te mixtio inutilium fabularum à diſcriminoſæ cauſæ tuæ attentione abrumperent. *Eleganter.* Deinde ſi morbos tuos , & vulnera, ſi mortem æternam, quæ ex illis tibi imminet, ſi medicinam eorum ſalutarem in illa apotheca Spiritus ſancti, in illo alabaſtro omnium unguentorum ſpiritualium eſſe viva fide teneres, & quod omnis medicina abſque præparatione recepta, in interitum vertitur, ac venenum, toto deſiderio, totaque aviditate te præparares ad illam, cor tuum mollificans , & fluxum , ſive fluxibile faciens illud ; alioquin dubitandum non eſt. medicinam D iſtam à te non quæri. Quia eouſque morbus mentis invaluit , ut ſentiri ſeu agnoſci non patiatur , niſi mortificato corde penitùs & ſenſu ipſo , quo vulnera ſentire debuerat , extincto. Revertamur autem ad illud in quo eramus , & dicamus quòd ſi omni carni viventi cujuſcunque animalis ineſt virtus, ut ſuperextendat , & communicet vitam ſuam naturalem omni enti, quod applicatum ipſi fuerit applicatione convenienti, neceſſe Chriſti carnem tam myſticam , quàm literalem hanc virtutem habere, ut omni ei quod applicatum ipſi fuerit applicatione ad hoc convenienti ſuperextendat, & communicet vitam ſuam gratiæ. *Spiritualis applicatio.* Applicatio autem ad hoc conveniens ſpiritualis eſt , & ſacramentalis (ut diximus) ſpecie tenùs, & ſpiritualis applicatio non eſt, niſi fides & devotio in ſacramentum, & hoc in adultis. Si quis autem quærat utrùm Chriſti corpus per ſe , & ſanguis per ſe ibi ſint, corpus ſcilicet ex ſanguine, & ſanguis per ſe in calice. Diximus quòd non , immò utrunque, & ſub utraque ſpecie totus Chriſtus , verùm ſpecies panis ſacramentum , id eſt ſacrum ſignum, & proprium eſt ſolius corporis, ſpecies vini , ſimiliter ſanguinis , & ſub utraque ſpecie utrunque ſumitur , & totus Chriſtus , nec ſanguis ejus ibi effunditur, nec corpus ex ſanguine relinquitur. Quod autem in ſcriptis ſanctorum legitur interdùm, quòd ſanguis ille ſacratiſſimus in ora fidelium funditur, intelligendum eſt , non effunditur , ſed mittitur ex hoc ipſo, & cum ipſo ſanctiſſimo corpore cujus eſt, non extra.

CAPUT V.

Quæſtionem diſcutit , cur Chriſtus in altare deſcendat , & in manus ſacerdotis, cùm ipſe poſſit in illo cœleſti habitaculo ſacerdotale officium adimplere.

POteſt autem habere dubitationem , cur ſummus ille ſacerdos , & hoſtia Chriſtus Dominus deſcendat in altare, & inter manus ſacerdotis, cùm totum illud ſacerdotale officium in ipſo ſublimi habitaculo cœleſti coram Deo patre laudabiliter , & ſufficienter explere poſſet in quo dicimus quia manus ſacerdotum noſtrorum vacuæ eſſent, ſi non illas veneranda illa, & ſancta oblatio vivifici corporis, & ſanguinis impleret ; periret etiam ſpes , & devotio populi in ipſum redemptorem , quæ eſt eidem populo maxima, atque fortiſſima, quòd tam inæſtimabili benignitatis dulcedine, tam mirifica promptitudine, ſe miſericors redemptor exhibet per manus ſacerdotum toti Eccleſiæ ſuæ , & electorum ſuorum ſingulis. Deinde ipſo bono ſacræ communionis ſpiritualis : quia refectionis defraudaretur populus, maximoque ſui ornatu , maximaque opulentiæ ſuæ parte, & domus , & templum Dei privaretur, ſi illud tantæ flagrantiæ ſacrificium , & tam neceſſariæ opulentiæ refectionis menſa careret. Si quis autem quærat de ipſo tantę gratiæ , & tantæ ſanctificationis ſacramento , propter quid tam crebrò offertur & celebratur , cùm una ſui oblatione, qua in ara crucis facta eſt , mundum reconciliaverit, atque ſanctificaverit, ſicut legitur ad Hebr. 10. Quia una oblatione conſūmavit in æternum ſanctificatos, cùm Chriſti meritum in nullo imminutum ſit, cùm gratioſitas ejus apud patrem nō minor ſit in altari quàm eſſet tunc, cùm in cruce pendebat; quomodò ergo non una ejus oblatione omnia dimittuntur ? quare non & omnes animæ de ſuppliciis & carcere purgatorii per unam ejus oblationem liberantur? cùm longè majus fuerit reconciliatio totius mundi , hoc eſt omnium delictorum de mundo, quàm paucarum animarum de purgatorio liberatio. Ampliùs. Quantùm, & quatenùs prodeſt ipſi , qui offert, & illi pro quo offertur ? In quo certiſſimè reſponderi poteſt, quia paſſio Domini ſalvatoris , non tam ſacrificii fuit oblatio , quàm mundi , preciique ipſius ſolutio. *Paſſio Chriſti.* Quod nos evidenter oſtendimus in libro : Cur Deus homo Ibi enim debitum Adę, & totius poſteritatis ſuæ ſolutum eſt, & ad hoc ſpecialiter ipſa paſſio dominica relata fuit, & ſuſcepta. Quotidianæ verò oblationes ejuſdem ſacratiſſimæ hoſtiæ ad aliud referuntur, & pro aliis fiunt , & ut breviter dicamus illis ſolis prodeſt, quibus vult, & quatenùs vult ipſe . qui ſimul eſt ſummus ſacerdos, & hoſtia. Quatenùs autem vult prodeſſe ipſe ſolus novit. De hoc autem quod dicitur, quòd omnia opera ex eadem charitate ab eodem facta æquè meritoria ſunt, & ejuſdem præmii ; & ita oblatio , quæ facta eſt in ara crucis, & illa quæ quotidie fit in altari, ejuſdem meriti ſunt : dicimus quòd intelligendum eſt ex eadem charitate facta , & ad idem , vel

Digitized by Google

æquale præmium relata. Non enim dubitamus Chriſtum Dominum ſecundùm quod homo eſt, ſecundùm quod Sacerdos ſimul, & hoſtia, ab amantiſſimo, & miſericordiſſimo Deo quæcunque petere voluerit, obtinere, ſicut ipſemet teſtatur Joan. 11. Pater ſciebam, quia ſemper me audis. Et ad Hebr. 5. Exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ. Quantùm autem ipſe velit prodeſſe, vel offerentibus, vel pro quibus offertur, ſcimus certiſſimè quia quantùm decet eum velle & quatenùs dignos idoneoſque, atque capaces viderit eoſdem. Invenitur autem hujus rei nonnulla ſimilitudo in operationibus naturæ. Sol enim quæcunque illuminat, non juxta vigorem ſuæ luminoſitatis illuminat, ſed juxta idoneitatem, & habilitatem illuminabilium; ſic & ignis non ſecundùm virtutem ardoris ſui, quæcunque calefacit, ſed juxta poſſibilitatem & paſſibilitatem calefactibilium; alioquin omnia illuminabilia æquè fulgerent à ſole, & omnia calefactibilia æquè arderent ab igne. Juxta hunc modum & animalis anima in oſſibus ſolam vitam, in nervis vitam, & ſenſum, tactum & motum operatur, & in diverſis organis, & membris varia diverſa, cùm ipſa una ſit indiviſa, & impartibilis. Sic Chriſtus Dominus non juxta gratioſitatem, & excellentiam meritorum ſuorum operatur in Sacramento altaris, ſed interdùm juxta quod exigunt merita eorum, qui offerunt, & pro quibus offertur, vel ſecundùm quod ipſos decere, & expedire cognoſcit. Quemadmodùm enim interceſſores, & rogatores apud nos, non toto pondere precum poſſunt, quæcunque poſſunt, ſed inſtant interdùm tepidiùs, interdùm vehementiùs apud eos à quibus aliud obtinere intendunt, ſic Chriſtus Dominus, non tota gratioſitate meritorum ſuorum, neque toto pondere gratiæ, quam habet apud amantiſſimum patrem, pro omnibus æqualiter interpellat aut omnia æquè nititur impetrare, ſed ſecundùm ſapientiam ſuam, quâ omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, moderatur impetrationem petitorum, ut quatenùs, & quantùm decet & expedit, impetret his, & aliis.

Abſurdu.

CAPUT VI.

Explicat quibus de rebus ſit dicturus.

POſt hæc declarabimus, qualiter communionem ſanctæ dilectionis efficiat iſta ſacra altaris communio declaratione ampliori, & dicemus quòd communionem & naturalem, & poſitivam, ſive ſæcularem, atque ſocietatem facit neceſſariò unitas, quemadmodùm naturalem ſocietatem, & amorem inter fratres facit communio cauſæ eſſendi. Communicant enim in patre, & ſi addita fuerit communicatio in matre, erit fortior. Naturaliter enim plus invicem ſe diligunt, qui ſimul communicant unum patrem, & unam matrem, quàm qui alterum eorum ſolùm, quibus ſi addideris communionem in victu, erit fortior communionis amor inter eoſdem. & ſi addideris ut communicent in gratia, erit adhuc, vel iterùm fortior: & ſi addideris communionem in lege, addes fortitudinem eidem amori, vel confirmationem: & ſi addideris iterùm communionem in profeſſione, vel ordine, vel in principe, & prælato, addes aliam cauſam fortitudinis, & confirmationis, & ſi addideris communionem domus, erit adhuc ei ſecundùm hoc augmentum fortitudinis. Radix autem in omnibus his, eſt unitas, & communio ejuſdem amati, vel ſecundùm quoſdam, ipſa ſimilitudo vel aſſimilitudo. Juxta hunc modum communicatio in duce, unit milites cōmunicationi ſigno bel-

Communicantes plus ſe diligunt.

E latoris, & communicatio in domino ſervos, ſeu famulos & communicatio mercede, vel opere, operarios, & communicatio in paſtore vel grege, vel paſcua, oves & communicatio commercionum negociatores. Vides ergo, quòd quantò in pluribus, & majoribus, magiſque amandis, eſt hominibus naturaliter ſocietas, & comparticipatio tantò eſt in eis invicem major, & fortior amoris participatio, majorque invicem familiaritas, niſi aut invidia, aut alterius peſtis corruptio hoc impedierit. Licet autem diverſa numero ſint, quæ communicant homines in multis iſtorum exemplorum unit tamen eos, & conſociat, ſive naturaliter, ſive ſæculariter ipſa ſimilitudo participatorum; maximè autem naturaliter coſunit amore id, quod maximè ab eis diligitur, ſicut cauſa eſſendi, ut pater & mater, & cauſa converſationis, & conſervationis ipſius, ut victus,

F veſtitus & domus. Quæ ergo grata ſunt, & proportionalia iſtis naturalibus, maximè effectiva ſunt ad eos uniendos unione gratiæ. Communio ergo in patre ſpirituali, qui eſt Chriſtus Dominus omnium regeneratorum, & communio victus ſpiritualis, quæ eſt cauſa maximè conſervans eſſe ſpirituale, id eſt vitam gratiarum communicatio domus ſpiritualis, id eſt Eccleſiæ, & communio victus ſpiritualis id eſt converſationis exterioris Chriſtianæ, maximè habent unire invicem unione gratiæ ipſos homines: adjuvamur autem in hoc per hoc ipſum, quod victus ipſe ſpiritualis, id eſt cibus, & potus omnibus per omnia, unus eſt numero; omnia autem quorum exempla connumeravimus proportionaliter eſt Chriſtus Dominus electis. Illum enim communicant ut Deum veriſſima religione, cultuque ſanctiſſimo, & Dominum in devoto obſequio, & obedientia promptiſſima, ut patrem regeneratione ſanctificativa, ut nutricium ſpiritualis victus admi-

Nota.

G niſtratione aſſidua. Deinde ut breviter omnia percurramus ut cibum & potum, vel ut medicum, & medicinam, ut advocatum, ut propugnatorem, ut belli ducem, ut retributorem, atque mercedem, ut domum, & refugium & ut generaliter dicamus, omne bonum amabile commune omnibus ſe exhibet, ut omnes in ſe, hoc eſt ſibi invicem ſanctæ dilectionis communione, & participatione uniret. Quapropter ſi tot enumeratis unum vel duo communionem naturalem, vel ſæcularem poteſt in participibus ſuis efficere; quantò fortiùs in ipſo omnia iſta proportionaliter aggregata, atque congeſta proportionabilem id eſt ſpiritualem communionem in ſuis participibus efficient? Et quia cōmunicatio cibi & potus viventibus magis neceſſaria, & magis

H intima, magiſque jocunda eſt, cæteris magis eligenda fiunt ad indicandam, & efficiendam ſpiritualem communionem, ut per neceſſitatem ejuſdem, viciniratem, atque jocunditatem oſtenderetur illa, & efficeretur affectior, vicinior, atque jocundior; quòd enim habet victus communio ad naturalis dilectionis communionem, hoc habet neceſſariò ſpiritualis victus communio ad ſpiritualis dilectionis communionem. Sicut ergo ad communionem intendentibus, & quærentibus naturalis victus communicatio in domibus ſuis, maximè inſtituenda eſt, & celebranda, utpote maxima, & evidentiſſima illius cauſa; ſic ex neceſſitate ſapientiſſima Deo electis ſuis ſpiritualem dilectionem intendenti, & quærenti per ſui victum communicatio quærenda fuit, utpote per cauſam maximè effectivam illius, ut viam electis maximè ambulabilem, utpote ſimilitudine ſua, & exemplo cognitiſſimam atque certiſſimam. Ampliùs Si ſentiretur ſpiritualis victus ſuavitas, ſi nuda videretur ejuſdem veritas, quis dubitat quin inter convivas ſuos fidem, & amicitiam indiſſolubilitet

Communicatio cibi & potus.

Spiritualis ſuavitas.

Digitized by Google

lubiliter aſtringeret. & hoc ipſo ſenſu communicationis ſuæ? Quemadmodùm ſenſus naturalis proportionabiliter operatur in communicatoribus ſuis; cùm ergo ſenſus iſte ſit communis, neceſſe eſt, ut quod tunc naturali operatione faceret, hoc efficiat nunc virtute, & hoc eſt quod diximus, & fides habet. Quia virtute divina convivas ſuos reficit ſacramentum illud, licet piè recolentes & vivaciter recogitantes, id eſt naturali operatione ſua paſcantur. Verumtamen non ſic, nec euſque, ut ipſam ſuavitatem ſaporis ipſius, & odoris flagrantiam ſentientes.

CAPUT VII.

Pulchrè explicatur virtus hujus ſacramenti.

PIè autem creditur, ut hi qui ea fide, qua decet, reverentiaque, & devotione, ac deſiderio obtinendi veniam, ac liberationem à peccatis, quorum ſe reos cognoſcunt, quæque deſerere nituntur, & ad iſtud ſacramentum accedunt, non fraudati ſpe ſua, & deſiderio, ut à fonte ſanctificationis omnium gratiarum vacui recedant, & à medicina tantæ ſalutis cum ſuis morbis, & vulneribus revertantur. Non enim panis vitæ tantùm eſca eſurientibus, ſed etiam ſalus eſt ægrotantibus & ſacrificium reconciliationis iram Dei timentibus. Eſt etiam interpellator pro omnibus ad ſe fugientibus. Eſt etiam miſerator, veniæque largitor humiliter peccata confitentibus, & veniam ex corde poſcentibus. Non enim tantùm ibi ſacrificium eſt, aut ſacramentum, ſed etiam ibi Deus eſt, cui offertur, & qui ſacrat, atque ſanctificat pia fide, humili ſpe, & timorata reverentia accedentes, qui ad hoc ibi ſe exhibet, ut invitet ad veniam, & gratiam generaliter omnes: propter hoc euſque acceſſit ut ad ipſum confidenter accederent, qui longè erant & penè improbum ſe nobis ingerit, dum tamdiu penè in omni Eccleſia convivas exſpectat: adjicit etiam vim, & violentiam ſumendi dum præcipiendo dicit Cantic. 1. Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi. Sed & gladio excommunicationis feriri vult eos, qui tam magnificum, tam ſalutare, tam ſanctificativum ejuſdem convivium dixerunt recuſandum, adjecturus tandè æternæ gladium damnationis. Nullatenùs enim ſtillam gratiæ denegare credendus eſt, qui totum ipſum fōtem gratiarum tam improbè offert & tam patenter exponit. Qualiter autem præparare ſe debeant, qui ad tam ſanctam tamque venerandam menſam accedunt ſermonibus publicæ exhortationis atque declamationis, à quibus diebus dominicæ cœnæ, & ſanctæ paſchæ nullatenùs vacare debent, quibus vacat, duximus relinquendum. Quoniàm autem mirantur nonnulli, quòd tanto, & delitioſo convivio in pane, omne delectamentum, & omnem ſuavitatem ſaporis habente, ſicut legitur Sap 16 nihil ſpiritualis ſaporis, aut ſuavitatis plerique ſentiant, non attendentes quomodò longè ſint palata cordium illorum à ſenſu ſublimi & nobili ſpiritualium ſaporum atque ſuavitatum. Quemadmodùm enim intellectus in fide illuminatus, multaque ſciētia ſacra præditus, longè eſt ab eo, qui prophetico ſplendore clareſcit; ſic affectus licet ſanctus ſit, & ab omni labe mortalis peccati purificatus, & palatum cordis ſanum, licet & mundum, & nulla febre iniquitatis corruptum ſit; adhuc tamen valde longè eſt ab illa excellentia guſtus ſpiritualis, & virtutis ſaporandi, quæ donum etiam ſapientiæ propriè dicitur, de quo Job 34. Guttur eſcas guſtu dijudicat. Et iterùm ejuſdem 12 Auris verba probat, & fauces comedentis ſaporem; quæ ambo teſtimonia de ſpiritualibus ſaporibus, & de faucibus & gutture ea ſublimitate, & nobilitate ſa-

Sapor ſpiritualis.

A porandi, & ſentiendi, quam diximus prædictis ſpiritualiter, proculdubiò intelliguntur. Propter hoc & Exodi 16. Māna vocatum eſt manhu, quod interpretatur: Quid eſt hoc? & 5 Apocal. vocatur manna abſconditum, & quòd ejus delitioſitas, atque ſuavitas hîc eo modo pleriſque abſcondita ſit: in futuro autem revelanda, quod ille videbatur intelligere qui dicebat: Satiabor cùm apparuerit gloria tua, Tunc enim verè ſuavitatis odoris ſaporis ſui ſatiabit, & replebit electos, cùm ſe eiſdem panem vitæ eſſe, plena manifeſtatione revelaverit, plenoque ore comedendum eiſdem dederit, novoque ſenſu, novaque virtute ſaporandi palata eorum, ſeu guſtus glorificaverit. Nec mirum hoc, cùm ipſe fons omnium aromatum, atque ſuavitatum ſpiritualium Deus in multis per eſſentiam, præſentiam, & per gratiam facientem gratiam ſic inhabitet, nec tantum ſaporem ſuavitatis ejus ſentiunt, propter elongationem, quam diximus, licet ipſe Deus proximus. & præſen-

Manna.

B tiſſimus ſit eiſdem. Quemadmodùm enim lux cæco præſentiſſima eſt, ipſe autem ab ea remotiſſimus; ſic fontalis Chriſti Dei, & abiſſalis ſuavitas palato cordis nondùm illa virtute ſaporandi ſive ſublimitate guſtus prædicti proxima eſt, ac præſentiſſima, ipſum autem ab ea remotiſſimum. Quòd enim defectus eſt viſus, ſive ſenſus lucis in cæco, hoc eſt defectus hujus guſtus. ſive ſenſus, ſaporum ſpiritualium in cordis palato. Tu etiam jam noſti, quia non omnia palata, ſed nec omnes guſtus corporales, poſſunt in omnes ſapores ſenſibiles. Palatum enim porcinum, & guſtus aſininus non poſſunt in ſapores aromatum. Non ergo miteris ſi palata multorum etiam munda. & ſana, nondùm attingunt ad ſenſum ſaporum ſpiritualium. Hoc enim prohibet ſublimi-

Simile.

C tas & nobilitas ipſorum ſaporum, atque groſſities, atque obtuſio palatorum. In nonnullis autem defectus maſticationis, & expreſſionis ſaporum. ſenſum impedit eorundem. Quidam enim panem vitæ deglutiunt, & ea velocitate, ac feſtinatione illum tranſire, & abire faciunt, ut non ſolùm nullum ex eo ſaporem ſuavitatis maſticando exprimant, ſed nec etiam ſaltem illum odoris ejus. & tenue veſtigium retineant. Alii verò nec faucibus cordis illum tangunt, ſed ſpecie tenùs tantùm, & ore corporis eiſdem ſolummodò appropinquant: in utriſque ergo eorum cauſa evidens eſt, quare nihil ſpiritualis ſuavitatis, ac ſaporis ex eo participant. Et quia virtus ſaporandi ſcilicet, atque ſentiendi, ita ſublimiter donum eſt ſolius Dei, cujus aliquid permodicum, & tanquàm arrha nonnullis hîc electorum prærogatur; plenitudo autem eiſdem in poſterùm reſer-

Virtus ſaporandi.

D vatur: non autem eſt noſtræ poteſtatis adjuvare viros ſanctos ad obtinendum illud: virtutem autem maſticativam hujus ſanctiſſimi & delitioſiſſimi cibi, quæ eſt intellectus fide & aliis luminibus virtuoſis illuminatos ad modicum ſaltem poſſumus confortare: dentes ſiquidem intellectus in ipſum, quantò profundiùs poſſunt figendi ſunt, ut inde ſaporum exprimatur ſuavitas. Horū autem dentium fixiones non ſunt, niſi profundæ, atque acutæ de illo cogitationes. Inter has ergo prima eſt omnipotentis virtutis divinæ admiratio, non dubitationis. ſed laudis, & magnificationis, quæ tam mirifica tranſubſtantiatione panem cœleſtem, atque vivificum, potumque ſalutarem ſub forma panis, & vini exhibet viſibili. Secunda eſt divinæ ſapientiæ, & providentiæ qua adeò ſalubriter, adeòque convenienter noſtræ eruditioni, noſtræque refectioni pro ſtatu parvulitatis. & imperfectionis viæ conſultum eſt, ut ipſa forma viſibilis, ipſam refectionem, quatenùs nobis nunc eam videre poſſibile eſt, ad eam nos invitet, ſanctæque dilectionis communionem nos

Digitized by Google

invicem habere ſuadeat. Tertia eſt divinæ bonitatis abundantia, atque divitiæ, quæ nobis ibi ſpiritualem ſatietatem, atque refectionem tanta promptitudine offert, & tanta hilaritate, ac feſtivitate, niſi per ſe ſteterit, exhibet. Quis enim dignè exiſtimet, vel admiretur celebritatem, feſtivitatemque convivii, ubi in medio Angelorũ panis vitæ comeditur? Non enim credendum eſt regem Angelorum Dominum abſque multa frequentia aſtantium Angelorũ ſacerdotale, vel pontificale ibi officium exercere. Quis enim Epiſcopus abſque miniſtrorum frequentia, & ornatu ſacra miſſarum ſolemnia celebrat? Quid ergo ſentiendum eſt de pontifice univerſali Chriſto Domino, ubi ſacrum tam ſolemne agit officium putas ne ſolùm eſſe in altari, & non habentem ſanctorum Angelorum, qualem requirat ejus gloria, comitatum? Quarta eſt miſericordiæ divinæ recogitatio in hoc, quod patet filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ſicut legitur ad Rom. 8. Hoc eſt commemoratio dominicæ paſſionis, quam ipſe panis vitæ in iſto ſacramento faciendam docuit. Matth. 26 Marc. 14 Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. His quatuor (ut ita dicam) maſticationibus, velut quatuor nobis ſapores exprimuntur, quibus omnibus ſpes in Deum, & amor reficitur. Dum enim omnipotentem virtutem ad tranſubſtantiandas, mutandaſque ſubſtantias, ac naturas, propter ſalutem noſtram à Deo paratam, promptamque cernimus, dum ejus ſapientiam adeò ſtudioſam circa ſalutem noſtram, ipſa eadem illuminante, cognoſcimus, dum ejus bonitatem adeò largam, atque redundantem erga nos conſpicimus, dum miſericordiæ ejus ſuperabundantiſſimam multitudinem miſeriis noſtris tot tantiſque præſidiis occurrentem experimur, ſicut illo ſacramento nobis oſtenditur, & nos etiam pro parte proſecuti ſumus. In his quatuor, quis locus nobis diffidentiæ, aut deſperationis relinquitur? Quis locus abſceſſionis à calore ejus nobis invenitur? Quis adeò ruinoſus, aut hæſitans eſt, ut his ſuppediculis non fulciatur? Quis adeò frigidus, aut amore terrenorum gelidus, ut tantorum beneficiorum tantis facibus non inflammetur? Et cùm iſta quatuor perſcrutatiùs conſideraveris non aliud ea ſapere invenies, quàm ipſam divinam bonitatem. Sed quidem promptitudo omnipotentiſſimæ virtutis, ſtudioſitatis, ſapientiæ univerſalis, inundatio bonitatis primitivæ, atque fontalis ſuperabundantia immenſę pietatis erga nos, ſolùm ad nos tranſmittunt divinæ pietatis odorem, ſive saporem, quo ſapore ſpes noſtra ad robur reficitur, ad crementum. Dilectio autem inde roboratur, & augetur ut ex injecto oleo flamma, & ex immiſſis lignis aridis incendium, & ſi vis apertiùs ſapores iſtos nominari, hæ erunt nominationes ipſius, ut miſericordiæ ſapor, unctio ſubſiſtat olei, atque pinguedinis literalis, ſeu materialis, bonitatis verò dulcis ſapientiæ, actus virtutis & potentiæ ſolidus. Saporis autem ipſius panis vitæ in eo quidem, quod ſacrificium, quia ex zelo, pietate ſimiliter, ac benevolentia oblatum, tres ſunt ejus ſapores: quantùm ad ardorem zeli ſapor ejus eſt, ut aſſaturæ, vel uſtulaturæ quod vulgò dicitur brulex. Ex pietate verò ſapor ejus eſt ſicut frixuræ. Igne namque tribulationis frixus eſt in oleo miſericordiæ, & pietatis. Oleos verò grecè, miſericordia latinè interpretatur. Inquantùm verò ex benevolentia, qua bonum gratiæ, & gloriæ nobis eouſque voluit, ut pretio ipſo ſui, & morte nobis illud emeret, ſive compararet, ſapor ejus eſt ſicut cocturæ ex clibano. Tres ergo iſtæ coctiones, tres nominatos præcogitantibus ingerunt ſapores. Prima videlicet zeli ipſius, quo

Panis vitæ, panis angelorũ.

Odor divinæ pietatis.

Oleum miſericordia.

E eouſque exarſit, quo à Deo gloriam patris zelatus eſt, quo contumeliam ejus adeò ferre non ſuſtinuit, ut pro illa reſtauranda, atque magnificanda, pro hac verò exterminanda, mori non dubitaverit. Secunda miſericordiæ, atque compaſſionis ipſius qua miſeriam noſtram aſſumere, & portare, nec non & pro latrociniis noſtris in ligno crucis pendere dignatus eſt. Tertia benevolentia, qua adeò nobis bonum voluit ut tanto prætio illud nobis emeret, ut diximus: & iſti tres ſapores, quemadmodùm quatuor ſupradicti ſapores, ſunt ſolius bonitatis ipſius & charitatis, quam erga nos oſtendit. Zelus enim, & pietas, & benevolentia tres ſunt, vel rami, vel partes, vel officia charitatis. Jam autem didiciſti in naturalibus quòd ſimile ex ſimili generatur & ſimile ex ſimili nutritur, & qualiter hoc, & in moralibus etiam notiſſimum eſt, & uſu, & conſuetudine certum,
F quòd ſicut ignis, igne convenientiùs accenditur, & fortiùs atque faciliùs, ita amor amore, charitas charitate. Quia ergo iſtud ſacrificium totis, ut diximus, flammis charitatis flagrat, & ardet, tota Spiritus ſancti fornace ſuccenſum flammeſcit, quid convenientius, aut efficacius incendendo igni ſanctæ dilectionis nutriendæ, augendæ, roborandæque charitati, vel adhiberi potuit, vel excogitari? Quia in naturalibus audiſti, quod meliùs ſapit, meliùs & nutrit. Nihil autem meliùs poteſt ſapere ſacrificium illud, quàm charitatem, quia in donis Dei nullum majus, ut dicit Auguſtinus Nec aliquid magis eam ſapere, quàm ipſum, eùm eam ſecundùm omnem ſui partem ſeu tamum ſeu officium ſapiat in ultimo, ſeu ſummo ſaporis quantùm in eo eſt. Non enim aliam charitatem, quàm eam, qua majorem nemo habet, ut legitur Joannis 15. Sapit charitatem namque, qua ipſe Chriſtus ardet, cui nulla comparabilis maximo, certiſſimoque ſui ſigno, ſeu teſtimonio oſtendit, ma-
G ximum ſiquidem fuit maximæ dilectionis ſignum dominicæ dilectionis, vel paſſionis beneficium. Nihil autem illo ſigno verius habet, tam frequens ejus oblatio ad patrem, communicatio in nos, tantaque promptitudo, atque ſedulitas offerendi ſe nobis, & exhibendi quotiens voluerimus, & ultra etiam, quàm velimus. Interdùm ſiquidem vocatus venit pro voluntate noſtra. Detentus nobiſcum manet & in ſacris ſcriniis, ſeu ſacratiis impoſitus pro noſtro beneplacito voluntatis expectat, expleto miniſterio dimiſſus ad cœlos redit. Inde & miſſa rectè nominata videtur, eo quod expleto ejus miniſterio vera hoſtia dimiſſa, vel trãſmiſſa fit ad cœlos Quia ergo magis, majoremque charitatem, ſeu dilectionem ſapere, ingerere, ac imprimere poteſt palato cordis ad
H hoc idoneo, tantæ beneficentiæ promptitudo, tantaque ſedulitas, tamque infatigabilis etiam in ingratos, & malos dominantiſſimæ majeſtatis penè importuna offeroſitas Octava cogitatione cogitandum eſt Chriſti ſacerdotium, quod vas omnium aromatum, immò & Spiritus ſancti apothecam totam habet in ore, ſeu faucibus. Siquidem Chriſtus Dominus Spiritu ſancto ſecundùm quod homo pleniſſimus, omniumque donorum, & gratiarum tanquàm ſpiritualium aromatum excellentia refertiſſimus eſt. Væ faucibus cordis, & ori, quibus de tanta apotheca tam nobilium, ac precioſorum aromatum nihil ſaporis, aut ſuavitatis influit aut diſtillat ad hunc modum, quia ipſe eſt alabaſtrum omnium unguentorũ ſpiritualium, in cujus odore omnes ſancti curreruñt, ſicut legitur Cantico. 1. Cujus odor in Joanne Evangeliſta concupiſcentias generavit æternas: quia ipſe eſt ſicut cynamomum & balſamum aromatizans, ſicut mirrha electa dans ſuavitatẽ odoris. Ubi pariter cogitandum eſt, quàm longè ab ipſo ſimus, ſeu quantùm chaos inter nos, & ipſum firmaverimus.

Sacrificiũ charitatis.

Miſſa unde.

Digitized by Google

A mus. Luc. 16. ad quos tanti ſaporis ſuavitas non pervenit, tanti odoris flagrantia non pertingit, tantæ fornacis ardor non penetrat. Proh dolor, ubi ſe abſcondit miſer ſacerdos à calore ejus, quibus extremis, quarum molium interpoſitione, tanti camini flammas à ſe prohibuit. Juxta hunc modum de corruptione palati cordis, & narium recogitandum eſt, quanta ipſa ſit, quæ tantam ſaporis ſuavitatem, tantam odoris flagrantiam ſentire non ſinit: & iſtas cogitationes in duas dividimus, vel ut una cogitatio ſit de apotheca aromatum & alabaſtro unguentorum, alia ſunt de corruptione, & elongatione, & gelicidio, ut diximus. Decimò cogitandum eſt de ſacramento ipſo in eo, quod ſacramentum, cujus ſapor in eo, quod ſacramentum, ſanctitas eſt. Quantæ enim ſanctitatis ſit ſanctus ſanctorum, immò fons, auctor, atque largitor omnium ſanctificationum, quantæ etiam ſanctitatis ſit ipſum ſanctificationis inſtrumentum, vas & liber, ut aliàs diximus, liber in quo legitur, vas unde hauritur, inſtrumentum quo efficitur tota attentione cogitandum eſt, & ex hac cogitatione ingeritur nobis illud velut ſapor ipſa ſanctitas, quæ non eſt niſi reverentia, aut veneratio ſanctorum, qua reſilimus metu quodam, & formidine ab eis metuentes illa contingere, vel tractare, & indignitatem noſtram dignitati eorundem applicare: ſanctitatem ergo ſapit ſacramentum iſtud illi cui ſaporem, quem diximus, imprimit. Qui autem ſaporem iſtum ex eo non ſentit, ut canis, aut porcus ad illud accedit; propter quod dictum eſt, Math. 7. Nolite ſanctum dare canibus. Non abſque timore, & reverentia, non abſque veneratione ad illud propinquat, qui ſanctitatem ejus veraciter cogitat. Undecimò cogitandum eſt de eo inquantùm panis vitæ, vitaliſque refectio, ubi tria maximè cogitanda ſunt. Primùm quantùm eſuriendus ſit tam ſalutaris cibus, & quantùm ſitiendus potus. Deinde quanto lachrimarum diluvio, & inundatione lotus eſſe
C debeat, qui ad tam venerandam menſam accedit. Tertiò quanti ſit apud patrem miſericordiarum, qui ab ipſo ad panem angelorum manducandum invitatur, cui & apponitur. Quid autem aliud cogitare debet, qui refectionem iſtam non eſurit, & ſitit niſi mortificatam ſe habere virtutem appetitivam interiorem, aut plenum habere cordis ſtomachum ſpurcitiis vitiorum, ebriumque ſe eſſe voluptate carnis, aut vanitate mundi. Qui verò abſque flumine lachrimarum ad illud accedere præſumit, non ſolummodò ſe non invitatum eſſe meritò debet agnoſcere, eò quod convivis ad diſcubitum ori & manibus abluendis aqua ubique datur, ſed etiam ne in eum divinitùs animadvertatur, & puniatur, graviſſimè formidare, ſicut oſtendit dominus Levit. 10. in
D Dathan & Abiron, quos ignis devoravit, ubi & dixit. Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, & Apoſtolus in 10. ad Hebræos: Irritam enim quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui conculcaverit ſanguinē teſtamēti, & ſpiritui gratiæ, (in quo ſanctificatus eſt) contumeliam fecerit? Tertiò verò quis angelica dignitate honoratum ſe cogitat, & non inde velut quendam ſaporem devotionem in ſuū honoratorem quodammodò exprimat, & in gratiarum actiones, non tantùm reſolvatur, aut liquefiat? Duodecimò cogitandum de ipſo in eo, quod communio eſt corporis, & ſanguinis Chriſti, qua cogitatione quantùm ad imitandum patrem, & ſequendum magiſtrum Chriſtum Dominum communione, & beneficentia invicem, & omnes, quis non videt? quo enim exemplo ingeri, magiſque imprimi potuit cordibus noſtris paternæ dilectionis, & beneficentiæ communio, quàm exemplo communionis corporis, & ſanguinis Domini? quo magis conculcari, ac proſterni exterminarique potuit contracta illa nudata deterrimæ avaritiæ & infauſtæ, ac maledictæ proprietatis excommunicatio? Tu autem noſti ex aliis, quòd ſaporatio, ſuſceptio ſimilitudinis eſt, ſaporato inſtrumento guſtabili. Quapropter verè comedit, ſaporat, & guſtat ſacramentum iſtud, qui ſimilitudines ejuſdem, quas expreſſimus in palato cordis recipit. Has ergo duodecim meditationes, ſeu cogitationes, ſeu maſticationes ſpirituales, idcirco nominavimus: quia non minimam occaſionem, & non modicum præſtant adjumentum ad percipiendos ſapores ſuavitatis, atque vivificos ex pane vitæ, & potu. Verùm quia non tam, ut comedemus, quàm etiam ut comedamur, ad menſam iſtā accedimus ut lautè, & ſplendidè Chriſtum dominum ex nobis reficiamus, totis ſtudiis, ac viribus eniti debemus: quod utique facimus, ſi aſſatos zelo gloriæ Dei, ſi frixos fraterna compaſſione, ſi co-
B ctos piæ, ac ſanctæ benevolentiæ deſideriis, nos eidem exhibeamus. Demùm ſi vas aromatum ſpiritualium interiora virtutum plenitudine, ſi alabaſtra unguentorum exteriorum exemplorum redolentia bonæ famæ teſtimonio; deinde ſi ſanctos, hoc eſt puros ab omni execratione peccati, & ſeorsùm à mundana converſatione, Deique ſervitio totaliter addictos noſipſos ei obtulerimus: ſi panem abſque fermento malitiæ, & nequitiæ, & abſque muſtiditate, ſi azimos puritate, recentes novitate, calidos charitate, teneros obedientia, & pietate ſi communes, ſi ſic communicantes nosipſos & bona noſtra aliis, ad menſam iſtam venerimus; alioquin excommunicati ad menſam accedimus: juxta mandatum ejuſdem Prover. 24. Sedentes ad menſam Dei divitis, qualia nobis appoſita ſunt, grata viciſſitudine, apponimus & nos illi.

In ſacerdotes malos. — *Sacramentum.* — *Sanctum non eſt dandum canibus.* — *Flumen lachrimarum.* — *Nota.* — *Nota.*

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Poſt tractatum Sacramenti Euchariſtiæ, aggreditur Sacramentum Pœnitentiæ, plurimas ejus laudes, ac virtutes præponens.

POſt hæc loquemur de Pœnitentia, & partibus ejus, ac fructibus. Hanc autē ex effectibus ſuis & utilitatibus laudantes, nominare conſuevimus in publicis exhortationibus reſuſcitatricem, ſuccurritricem in prælio occiſorum, ſanatricem infirmorum, rectificatricem rimarum, renovatricem inveteratorum, reſtitutricem deperditorum, reconciliatricem offenſorum, recuperatricem defunctorum, relevatricem lapſorum, reductricē aberrātiū, emēdatricē forefactorū, juſtificatricem maleficiorum, lotricē ſordidatorum, ſolutricē malè concreditorum, liberatricem captivorū, & fœlicis cōvivii communicatricem, ſcilicet in bonos, communicatricem dico malorum, ſimiliter reſolidatricē fractorum. Has omnes utilitates fructus ejus eſſe, ſola dubitat vel ignorat impietas infidelitatis, quæ omnes utilitates ei denegat: eouſque

Laudes pœnitentiæ.

Digitized by Google

enim erraverunt quidam hæretici, ut omninò aſſererent, quòd non eſt peccantibus animabus reverſio, & quòd nulla ſit ſpes, aut veniæ locus poſt lapſum, ſumentes occaſionem erroris à verbo Apoſtoli, quod legitur ab Hebræos 6. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti. Guſtaverũt nihilominùs bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi & prolapſi ſunt, rurſùs renovari ad pœnitentiam. Quæ locutio, ſi juxta perverſitatem eorum intelligenda eſſet, non verbum apoſtolicum fuiſſet, ſed apoſtaticum, & ab eis, vel eorum ſimilibus ſcilicet ſacrarum ſcripturarum adulteratoribus, & corruptoribus verbis Apoſtolicis inſertum, qui tantæ impietatis ſacrilegio, auctoritatem apoſtolicam erroribus ſuis imponere non verentur, & impingere non formidant. Intelligitur enim de renovatione baptiſmali, de qua quod rurſùs fieri, aut iterari non poſſit, jam evidenti, & irrefragabili oſtenſione docuimus. Vel renovatione in futura vita, ſub hoc ſenſu, impoſſibile eſt eos renovari, hoc eſt in altera vita, quæ eſt poſt hanc, quaſi diceret, eos qui novitatem ſanctificationis hîc, id eſt, in hac vita, dono ſancti Spiritus ſuſceperint, amittunt, vel potiùs dimittunt hîc, hoc eſt in iſta vita, eos rurſùs, hoc eſt, poſt hanc vitam renovari ad pœnitentiam: hoc eſt impoſſibile, ut amiſſa hac finaliter, novitas iterùm reſtauretur, vel ſecundùm morem ſcripturæ ex hoc verbo ſemel poteſt colligi idẽ ſenſus: ſicut legitur Proverb 28. Qui perverſis graditur viis, concidet ſemel, hoc eſt abſque reparatione. Juxta hunc modum legitur Job 28. Semel loquetur Deus hoc eſt abſque iteratione. Et propter hoc ſtatim ſequitur: Et idipſum non repetit. Juxta ergo hunc modum, ſemel prolapſum, ſic hîc intelligitur, hoc eſt abſque reparatione, vel iteratione pœnitentiali. Manifeſtum enim eſt eos, qui amiſſam baptiſmalis ſanctificationis novitatem per pœnitentiam hîc non recuperant rurſùs ſeu poſtea renovari ad pœnitentiam, eo quod poſt vitam iſtam pœnitentiæ non ſit locus: Hujuſmodi autem intelliguntur ſemel prolapſi, videlicet qui non adjiciunt hîc per pœnitentiam, ut reſurgant. Poſſet tamen intelligi illud impoſſibile impoſſibile naturæ. Naturæ enim impoſſibile eſt quoſcunque à ſtatu gratiæ prolapſos reſtaurare, ſeu reſtituere ad eadem, licet ſit omnipotentiæ divinæ poſſibile. Quòd enim peccatores ad pœnitentiam reſurgunt, non eſt naturæ efficientis, ſed grande, ſtupendumque miraculum. Hoc autem dixit Apoſtolus ut deterreret à lapſu, per difficilitatem, & impoſſibilitatem naturalem reſurgendi. Hunc ergo errorem tam impium, tanquàm nefarium primùm aggredimur deſtruere. Deinde errorem Hebræorũm, qui confeſſionem ſoli Deo faciendam eſſe, nullatenùs autem ſacerdotibus pertinaci cæcitate contendunt. In primis ergo accidit iſtis erroneis, ut non ſolùm nulla ſit ſanctificatio pœnitentialis, ſed etiam ut penè nulla, & etiam noxia ſit in adultis ſanctificatio baptiſmalis. Adeò enim perpauci perſiſtunt abſque lapſu in ſanctitate baptiſmali, ut penè nulli cenſendi ſint comparatione multitudinis eorum, qui prolapſi ſunt ex iſta. His autem omnibus non ſolùm irrita, & nulla facta eſt ſanctificatio baptiſmalis, ſed etiam ingratitudinis, & apoſtaſiæ facta eſt occaſio, ita ut meliùs eſſet eis, nunquàm fuiſſe renatos, quàm poſt gratiam regenerationis, in ingratitudinem, & apoſtaſiam factos cecidiſſe. Meliuſque ei eſſet ad Deum nunquàm acceſſiſſe, quàm cum accumulatione ingratitudinis, quam de facto vocavimus, ab ipſo receſſiſſe, juxta illud Matthæi 26. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet, & Marci 14. & 2. Pet. 2. Meliùs erat eis

Nota.

Semel quomodò.

Reſurgere ex peccato.

In eos qui confeſſionem ſoli Deo contendunt.

E non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. Inde dictum eſt, & illud. Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes. Deinde manifeſtum eſt per ſe rerum natura impoſſibilium, nullam eſſe omninò obligationem. Quærimus ergo ab illis de iſto, qui prolapſus eſt, & pœnitet & paratus eſt emendare pro viribus, quod deliquit. Quærimus inquam, quid ab eo requiratur ampliùs. Cùm enim ultra vires & poſſe, aliquid facere natura impoſſibile ſit unicuique, ergo nulla ejus eſt obligatio. Similiter ipſum non peccaſſe, vel non eſſe prolapſum modò, eſt natura impoſſibile, & omninò non cadens ſub poteſtate liberi arbitrii. Non tenetur ergo nec peccaſſe, nec ab eo requirit Deus, ut non peccaverit: quia ergo totum facit, quod ab eo requirit Deus, & exigit juſtitia etiam de præterito lapſu: facit ergo quicquid juſtum eſt eum facere, ergo juſtus eſt. Præterea aut requirit Deus ab eo emendationem
F præteriti lapſus, aut non: ſi requirit, & non requirit quod ei eſt impoſſibile ut jam diximus, requirit ergo ab eo ſolùm quod ei poſſibile eſt, ut nos poſuimus. Totum ergo facit, quod ab eo requirit Deus. Nihil autem ab eo requirit Deus, quod non requirit juſtitia, vel econverſò. Totum ergo facit, quod juſtum eſt eũ facere, & emendat quicquid juſtum eſt eum emendare. Quia ergo facit quicquid ab eo requiritur, neceſſariò & eo ſatisfacit, atque juſtitiæ: ergo nihil ampliùs petit ab eo Deus pro eo, quod peccavit. Quantùm ergo ad Deum perinde eſt, ac ſi non peccaſſet. Valet ergo pœnitentia in hoc, quod in ſtatum priſtinum reſtituit pœnitentem. Si autem non requirit ab eo emendationem, certum eſt quòd requirit ab illo, quicquid facere tenetur, & debet. Sequitur ergo ut iſte non teneatur emenda-
G tionem facere. Si autem non tenetur emendationem facere, ergo nec ad pœnam, nec ad aliud pro eo tenetur, quod eſt manifeſtè inconveniens. Ampliùs. Quòd Deus non reſtituit ſic pœnitenti gratiam ſuã, aut eſt prætextu præteriti lapſus, aut alia de cauſa: quòd ſi dixerit quòd prætextu præteriti lapſus, ſequitur manifeſtè, quòd iniquè punitur. Neceſſaria enim, & impoſſibilia, ſicut non habent legem, ita nec peccatum, nec prævaricationem nec pœnam, nec remunerationem: quia ergo iſtum peccaſſe neceſſarium eſt, & ipſum non peccaſſe impoſſibile, et à nullo modo voluntarium, hoc eſt voluntati vel libero arbitrio ſubjectum, & quod ampliùs eſt, voluntati iſtius contrarium, vellet enim quantùm poteſt ſe non peccaſſe. Iniquè ergo cum eo agitur quacunque pœna pro hoc puniatur. Punitur autem pœna damni pro hoc. Ampliùs. Nec Deus, nec juſtitia ab eo requirit, ut non peccaverit, ut diximus.
H Quomodò autem magis requiri vel exigi poteſt aliquid ab aliquo, quàm tormentis? Si pro hoc pœna tanta ei irrogatur ab eo, ergo requiritur, non emendatio peccati, quod fecit, ſed magis tormentis extorqueri ab eo intenditur, quod non peccaverit quia pœna tanti damni ei irrogatur, pro eo, quod peccaverit, & pro ipſo peccaſſe, quod utique jam neceſſarium eſt ei, & inevitabile, puniendus ſiquidem eſt pro eo quod peccaverit, & pro ipſo peccaſſe, quod jam non cadit in poteſtate liberi arbitrii, ſicut nec ipſum non peccaſſe. Ampliùs. Ipſum pœnitere, ſive pœnitudo, motus naturalis eſt in hominibus, quo recedere nitimur à peccatis, & reverti ad priſtinam innocentiã. Judicat autẽ illum eſſe naturalem hoc ipſũ, quod in omni individuo ipſius ſpeciei, humanæ, ſcilicet invenitur, dummodò capax, & ſuſceptibile ſit illius, quod dicimus propter parvulos. Certũ autem eſt, quia nullus motus naturæ, ſive conatus, fruſtra eſt naturaliter, neque unquàm natura ad aliquid

Impoſſibilium nulla obligatio.

Nota.

Neceſſaria & impoſſibilia legem nõ habent.

Nota.

Pœnitentia motus naturalis.

Digitized by Google

conatur à quo ſit naturali impoſſibilitate prohibita. Priſtina ergo innocentia impoſſibile eſt naturam humanam naturali impoſſibilitate eſſe prohibitam, cùm ad illam motu penitùs obtinendam naturali enitatur. Ampliùs. Lapſus animarum aut eſt irreparabilis à parte divinæ miſericordiæ, quæ poſt lapſum inexorabilem, & omninò inflexibilem eiſdem ſe reddit, aut à parte ipſarum animarum, quæ adeò hujuſmodi lapſibus vulnerantur, ut medicina ulteriùs locum in eis non habeat, vel eouſque inquinantur, ut ablutio, atque deletio macularum eis impoſſibilis de cætero ſit. Quòd ſi à parte divinæ miſericordiæ, ſequerentur manifeſtè duo inconvenientia, quæ non tam falsò, quàm etiam impiè de Deo ſentiuntur. Primum eſt, quia tunc vel parva, vel nulla inveniretur Dei miſericordia, quandò illam decet abundantiſſimam eſſe. Quis enim dubitat tunc maximè decere ſuperabundantem eſſe miſericordiam Dei, quandò maximè abundat miſericordia, & non obſiſtit juſtitia? In eis autem qui pœnitent, ut diximus, non ſolùm nō obſiſtit juſtitia, ſed etiam adjuvat: dum enim ſe ipſum juſtitiat, & torquet, qui pœnitet, & divinæ juſtitiæ ſe pro beneplacito ſuo torquendum exponit, & tradit dum miſericordiam toto deſiderio, totoque ejulatu, & toto luctu cordis expoſcit. Ubi quæſo decet. Dei miſericordiam inveniri, ſi in caſu iſto miſerationes ejus defecerunt. Quòd ſi dixerit quis, quoniam obſiſtit juſtitia quominùs pœnitenti, & eam poſcenti, impendatur miſericordia, & in ipſa ira Dei, quæ non poteſt eſſe, niſi juſtiſſima continet miſericordiā ejuſdem, atque prohibet omninò à pœnitente: verum eſt quod dicimus, quia ibi parva, vel nulla invenitur miſericordia Dei, ubi eam deceret maximā, atque abundantiſſimam inveniri. Non enim eſt invenire peccatorem, qui non ſit pœnitens, aut contumax, aut neuter. Quemadmodùm parvulus, aut juſtus, & ignorans ignorantia ſimplici. Qui etiam negligentia & ignorantia, aut illa quæ ſolùm dicitur craſſa, & ſupina ignorans eſt, non ſolùm ignorans dicendus eſt, ſed contumax eo quod noluit intelligere, ut benè ageret. Quia ergo contumax, & pœnitens contrarij ſunt, & maximè à ſe diſtantes in genere peccatorum: contumax autem per ipſam contumaciam remotiſſimus, pœnitentes miſericordiæ Dei, & gratiæ juſtificationis ſunt propinquiores medijs & extremis. Contumaces enim omninò ſe elongant, & recedunt à miſericordia Dei. Medij autem in nullo appropinquant, & approximant, quia in nullo conantur, nec etiam intendunt. Manifeſtum ergo eſt, quia pœnitentes propinquiores ſunt Dei miſericordiæ, & gratiæ juſtificationis, quàm alij peccatores. Et hoc eſt, quia ipſi tota ſtudioſitate, atque conatu ad illam tendunt, & approximant ut medij. Si ergo in eis non invenitur miſericordia Dei abundantiſſima, verum eſt, quod diximus, quòd in proximos, miſericordiam Dei neceſſe eſt abundantiùs operari, quemadmodùm in naturalibus fieri videmus. Ignis enim viciniora, ſeu propinquiora ſibi vehementiùs calefacit, & lux eadem magis illuminat, & ita de alijs. Quòd ſi juſtitia Dei adeò arctat ejus miſericordiam ut pœnitentes ad priſtinam gratiam non admittat, aut aliquid in eo facit Dei miſericordia, aut nihil. Si nihil, eodem modo ſe habet erga pœnitentes, ut erga contumaces, & hoc eſt evidens iniquitas, ſcilicet ut non magis reſpiciat pœnitentes Dei miſericordia, quàm contumaces, & omninò nolentes reverti. Si autem aliquid operatur in eos Dei miſericordia, aliquid inquam ſuę miſerationis, neceſſe eſt ut illud ſit, vel reſtitutio gratiæ, licet minoris, quàm priſtina fuerit, & ita declaratum eſt, quod intendebamus, videlicet quod eſt reverſio animabus, & reditus ad Dei gratiam, & amorem, licet non ad tantam, à quanta prolapſæ ſunt: & nos hoc diſcutiemus infra: vel erit diminutio pœnæ infernalis, & hæc diminutio vel erit partis totam ipſam pœnam numerantis, quæ dicitur quota, vel aliquota totius, vel non. Si autem fuerit partis: neceſſe eſt per pœnitudinem tandem totam pœnam infernalem evacuari. Omnis enim hujus pars aliquotiens præcisè eſt in ſuo toto. Quapropter ſi hac pœnitudine, & tanta; tāta pars infernalis pœnæ tollitur, tanta iterùm pœnitudine, tanta alia tolletur & ita donec conſumatur. Si ita eſt de miſericordia Dei, vel juſtitia, ut tanta pœnitudo tantùm de pœna prædicta diminuat, fiet tandem, ut replicatis, & iteratis pœnitudinibus tanta pœna infernalis abſumatur: quapropter tota damnatio æterna. Eſt ergo effugium, & evaſio ab æterna damnatione per pœnitudinem, ſeu pœnitentiam. Si verò non fuerit pars, aut erit majus parte, aut non. Quòd ſi fuerit majus parte, citiùs ergo venietur ad conſumptionem totius pœnæ per viam, quam diximus: ſi autem nec fuerit pars, nec majus parte erit: ergo qualibet parte minus; quare erit ſicut punctus ad totam pœnam. Quare detractio illius à toto erit ſicut detractio puncti à linea, vel corpore non eſt diminutio illius in aliquo. Relinquitur ergo ex omnibus, miſericordiam Dei in eos, qui pœnitent, nihil miſerationis operari. Quod nec reſtitutionem gratiæ, nec diminutionem pœnæ, & ita omninò nullam eſſe miſericordiam Dei in eoſdem. Quòd ſi dixerit, quòd operatur diminutionem pœnæ temporalis vel dilationem pœnæ gehennalis, dilationem verò unius diei, vel multorum, etiam manifeſtum eſt non plus dixiſſe, quàm ſi detractionem puncti dixiſſet ex linea, vel corpore; ad æternitatem enim nec millia annorum pluſquàm punctus ſunt. Quantùm autem indecens ſit hoc miſericordiæ Dei, apparet ex illo exemplo. Quemadmodùm ſi quis deberet alicui regi inclito valdè, ac permagnifico innumerabiles theſauros, nullo modo deceret regis illius magnificentiam obolum unum remittere ſolummodò, vel minutum, ſed potiùs contumelia eſſet ei adeò vilem facere remiſſionem, & adeò paucum utilem recipienti; tantò fortiùs Dei magnificentiam, & gloriam decere non poteſt iſta punctalis, & ridiculoſa remiſſio. Ampliùs. Si ſtilla miſericordiæ permodica in nobis erga peccātes in nos, & veniam poſtulantes, ita nos habere cogit, ut non ſolùm veniam nos præſtare, ſed etiam adjicere beneficia nos faciat: quid fons ille abyſſalis miſericordiæ Dei in peccatores pœnitentes faciet? Stilla autem permodica eſt omnis humana miſericordia quantacunque eſſe videatur, ad fontem illum indeficientem, & redundantiſſimum miſericordiæ Dei. Ampliùs. Qualiter veriſimile eſt, juſtitiam Dei eouſque arctare miſericordiam ipſius, ut non recipiat pœnitentes, & non potiùs miſericordiam ejus rigorem juſtitiæ flectere, & ſeveritatem, cùm non minùs illa ſit potens quàm econversò. Ampliùs. Quam juſtitiam requirere poteſt à peccatore, niſi quam poteſt ſatisfactionem? ergo obtenta ſatisfactione, quam poteſt, nullæ ſunt ulteriùs partes juſtitiæ. Quare deinceps totum relinquitur ipſi miſerationi divinæ. Quia ergo quominùs recipiat Dei miſericordia ſola obſiſtit juſtitia, manifeſtum eſt, quòd ſatisfacientem aliàs ſatisfactionem recipit miſeratione divina. Ampliùs. Ipſe, qui pœnitet, adjuvat quantùm in ſe eſt Dei juſtitiam toto ſtudio, & viribus. Iniquitas autem eſt malum pro bono retribuere; juſtitia ergo divina non impedit ipſum, quòd miſericordiam conſequatur, & certum eſt, quòd alius ipſum non impedit, neque obſiſtit. Ampliùs.

Lapſus animarū.

Juſtitia miſericordia.

Contumaces.

Ignis.

Nota. *Nota.* *Nota.* *Nota.* *Nota.*

Ipſa juſtitia Dei via eſt ad miſericordiam obtinendã: quia enim flagellat ex juſtitia aut hoc eſt propter correctionem, & emendationem flagellati, & aliorum & tunc manifeſtum eſt, quòd ipſa juſtitia flagellorum via eſt, & adjumentum ad miſericordiam ejus, qui ſic flagellatur. *Nota.* Multùm enim miſeretur Deus, quorum correctionem per flagella procurat. Et ampliùs eorum miſereri intendit propter ipſam correctionem, poſtquàm correcti fuerint. Si autem per flagella non intendit niſi vindictam, & pœnam in eo quòd pœna, non videtur iſta intentio eſſe juſtitiæ, ſed potiùs malignitatis, & iræ. Diabolus enim adverſùs electos non intendit, niſi tormentum, & pœna. Ampliùs. Præfecti, & præcones Reipublicæ ſæcularis per pœnas, quas maleficis infligunt, intendunt correctionem hominum, nec ſiſtit intentio eorum in pœnis, & tormentis, & in eo quòd talia ſunt; ſed utitur eis, ut vijs ad correctionem, & tranquillitatem vitæ hominum; quantò ergo fortiùs divina juſtitia longè erit ab ira, & malignitate diabolica, ut non ſiſtat in eis? ſed magis utitur eis ut vijs, & adminiculis ad bona, quæ decet intendere magnificentiam bonitatis ſuæ. Manifeſtum ergo ex his juſtitiam Dei viam præparare, & aditum pandere miſericordiæ ipſius, præſentium flagellorum inflictionibus & nullatenus obſiſtere miſericordiæ, quominùs largiſit in peccatores, qui per pœnitentiã juſtitiæ Dei ſe ſubmittunt, & ſeipſos quaſi de injuria, & contumelia in ſeipſis vindicantes torquent, velut quidam divinæ juſtitiæ executores, & præfecturæ ipſius atrociſſimi lictores. Ampliùs. Neceſſe eſt concordare divinam juſtitiam, & miſericordiam, nullamque eſſe repugnantiam inter eas. *Nota.* Sicut autem ſe habet ad contumaces juſtitia, ſic ad pœnitentes miſericordia; quapropter erit permutatum, ut quemadmodùm ad contumaces miſericordia ſic ad pœnitentes juſtitia: quare ſicut contumaces æternaliter non liberat miſericordia (licet quantùm eam decet & de eorum minuat pœna) ſic pœnitentes non damnabit æternaliter juſtitia quamvis in eo, quod juſtum eſt, adjiciat pœnam. *Contumacia pœnitentia.* Ampliùs. Sicut ſe habent ad invicem contumacia & pœnitentia, ſic liberatio, & damnatio æterna: & iterùm, ſicut juſtitia ad damnationem eorum, ſic miſericordia ad liberationem eorumdem, quia utraque ſe habet, ut cauſa efficiens propriè, & per ſe, ergo & permutatim, ut quemadmodùm contumacia ad æternam damnationem ſic pœnitentia ad oppoſitam liberationem. quare quicquid aut quantùm poteſt contumacia ad æternam damnationem; totum idem tantùm ex neceſſitate valebit pœnitentia ad oppoſitam liberationem Et iterùm ſi juſtitia per contumaciam meritò infligit æternam damnationem, erit, ut & miſericordia per pœnitentiam operetur oppoſitam liberationem. Modis enim omnibus Eccleſiæ eſt, ut quomodò contumacia cauſa eſt æternæ damnationis; ſic pœnitentia cauſa ſit oppoſitæ liberationis. Ampliùs. Cùm fuerint A, & B, termini ad invicem diſtantes, & è regione atque ex directo oppoſiti. *Nota.* Deinde E, & F, ſimiliter invicem ſe habentes, & ejuſdem diſtantiæ ab invicem, ut illi, ita quantùm diſtant ab invicem A, & B diſtant tantùm ab invicem E, & F, ſi utique fuerit perpendiculariter, & æquè diſtantes E, ſub A, & F, ſub B, dico, quia neceſſe eſt, ut cùm C, & D, eodem modo ab invicem habeant ſe, tam oppoſitione, quàm diſtantia, ut A, B, & E, F, ſi fuerit C, perpendiculariter ſub A, hoc eſt inter, A, & E, erit neceſſariò D, in eadem æquè diſtantia inter B, & F, & nullo modo propinquiùs E, & F, diſtantia enim D, ad E eſt ſicut diagonalis recti anguli, quadranguli, ſive ſicut latus

E oppoſitum recto angulo interangulo ortogonio, diſtantia verò D ad F, eſt ſicut latus ejuſdem quadranguli, vel ſicut latus prænominati trianguli, quod cum alio continet rectum angulum: quare ſi debet eſſe motus, qui utique non poteſt eſſe niſi rectus, & ſecundùm rectum, erit ex A, per C, M . & ex B, per D, in F. Et impoſſibilis eſt motus A, B, per D, in F. neceſſariò erit impoſſibilis motus à termino B, per C, in E, verbi gratia, ſicut ſi A, & B, ſint ira, & miſericordia. C, & D, ut contumacia, & pœnitentia, E, verò, & F, ſint æterna damnatio, & ejus oppoſitum. *Damnatio.* Quia ergo ex ira Dei, & contumacia peccantium eſt æterna damnatio quaſi motus ex A, per C, M, E, erit ſimiliter ex Dei miſericordia per pœnitentiam æterna liberatio, ſeu ſalus quaſi motus ex B, per D M, F. *Nota.* Et ſicut impoſſibilis eſt motus à contumelia in æternam ſalutem, ſeu liberationem, F quòd eſt à termino C, in terminum F, propter obliquitatem, atque diſtantiam; ita ex neceſſitate impoſſibilis eſt motus ab ipſa pœnitentia in æternam damnationem, quòd eſt à termino D, ad terminum E, propter eandem obliquitatem, & diſtantiam: motus enim, ſive operatio tam ex ira Dei, quàm ex miſericordia ejus, impoſſibile eſt, quòd ſit ſecundùm obliquum per ſe, ſed magis ſecundùm rectum, & quaſi perpendiculariter. Sunt enim contumacia, & pœnitentia generaliter merita ex modo aliquo; ſicut diſpoſitiones naturales in natura, ſive naturaliter paſſibilitates. *Nota.* Unde quemadmodùm ex virtute naturaliter agente neceſſe eſt paſſibilia ab illa virtute recipere, prout congruit diſpoſitionibus paſſibilitatis ſuæ; ſicut apparet de calore, qui lutum indurat, & ceram emollit: ſic ex eadem Dei optima voluntate contumax, & pœnitens pro meritis ſuis G ad ſimilitudinem materialium diſpoſitionum contraria recipiunt, ſcilicet contumax condemnationem, & pœnitens remiſſionem. Et ſicut impoſſibile eſt, ut ſuper contumacem, & non revertentem omninò non cadat operatio iræ: ita impoſſibile eſt, ut ſuper pœnitentem non deſcendat operatio miſericordiæ Dei quæ eſt remiſſio, & gratia: interdùm tamen etiam in contumaces deſcendit miſericordia Dei, ut deſerant contumaciam ſuam, & emolliantur ad obediendum creatori. Hoc autem non eſt per ipſam contumaciam, neque cauſaliter, neque occaſionaliter. Contumacia enim per ſe è directo opponit ſe miſericordiæ Dei, ſicut legitur Job 15. Tetendit adverſùs Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt, currit adverſùs Deum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt. Quia ergo operatio Dei ad contumaces interdùm H deſcendit, de abundantia, & inundatione ejus eſt, quæ tantùm obicem, immò murum montem contumaciæ ſuæ impetu, & fortitudine irrumpit. Et propter hoc peccatum in ſpiritum ſanctum irremiſſibile dixit veritas: Matthæi 12. & Marci 3. & Lucæ 12. Ampliùs. Quærimus ab hujus blaſphemis, qualiter intelligant Deum non miſereri pœnitentibus *Quæſtio.* eouſque, ut in priſtinam gratiam eos recipiat, ſive reſtituat? Neceſſe habent dicere Deum non poſſe, vel Deum neſcire reparare lapſum, qui cuncta de nihilo creavit. Nemo audet dicere ipſum non poſſe, ſimiliter ipſum neſcire lapſum reparare non minus nefarium eſt, nec minus manifeſtum inconveniens. Reſtat ergo, ut dicant, Deum nolle miſereri pœnitentibus, eouſque quo diximus. *Abſurdũ.* Non poſſunt autem effugere, quemadmodùm dicunt potentiam Dei ſuper omne poſſibile, & ſcientiam, vel ſapientiam ejus ſuper omne ſcibile; ſic neceſſariò bonitas ejus ſit ſuper omne ſibi congruens; & ſimiliter reſpondens, ut juſtitia ejus ſit ſuper omne judicabile, & miſericordia ejus ſuper omne miſerabile. Sicut ergo

Digitized by Google

ergo nullum poſſibile effugit potentiam ejus, nullum ſcibile ſcientiam ejus, ita nullum juſtitiabile juſtitiam ejus, nullum miſerabile miſericordiam ejus, nullum judiciabile (ut ita dicamus) judicium ejus, & nullum damnabile damnationem ejus, nullumque ira dignum, iram ejus. Quid autem eſt juſtitiabile, judiciabile, atque damnabile, iraque dignum, niſi peccator rebellis, & contumax contra Dei optimam voluntatem? Quid ergo miſerabile, ac miſericordia dignum, niſi peccator pœnitens ac reverſus, toto ſtudio, ac viribus nitens ad emendandum Deo, quod deliquit, & obediendum de cætero ſuæ beneplacito voluntatis? Manifeſtum ergo eſt, quòd non continet ſe miſericordia Dei ſuper pœnitentes, qui & hoc ipſum quod pœnitent, de divitijs bonitatis ejus recipiunt. quòd ſi fortè quis dixerit, quòd quemadmodùm non defectus eſt, vel impotentia ſapientiæ Dei, quòd ipſa non ſcit hominem eſſe aſinum, ſed defectus iſte à parte ipſius, quòd eſt hominem eſſe aſinum, videlicet quia ipſum in natura ſua non eſt ſcibile: eodem modo non ex defectu miſericordiæ Dei eſt, quòd peccator licet pœnitens non reparatur, ſive reſtituitur ad priſtinam gratiam, ſed potiùs defectus eſt à parte ipſius, qui in ſeipſo reparabilis, ſive reſtituibilis non eſt. Quemadmodùm vulnus in nervo per tranſverſum non eſt ſanabile, neque nervus per tranſverſum ruptus, aut ſectus, iterùm rejungibilis, & vulnus in carne, etſi ſanabile ſit, non tamen eouſque, ut carni maculam cicatricis non relinquat. In primis dicimus, quòd ſenſus contradicit huic errori: quis enim non videat correctionem hominibus poſt delicta, & meliorationem multam eouſque ad ſubliniora bona pervenire poſt peccata, & majora, quàm eſſent illa, à quibus peccando prolapſi ſunt? nec ſolùm in hominibus iſtud eſt, ſed etiam in brutis animalibus, quæ videmus domari à ferocitate ſua, corrigi à brutalitate ſua, ſicut apparet in canibus, quorum vehementia, & aviditas voracitatis temperatur, & corrigitur minis, atque verberibus adeò, ut menſis dominorum ſuorum appropinquare non audeant, nec quicquam ex eis capere, immò cum multa manſuetudine expectant, quòd eis, vel detur, vel projiciatur. Deinde etiam erudiri, quòd apparet in ipſis canibus, qui erudiuntur etiam uſque ad inveſtigationem latronum ut de alijs taceamus & de avibus, quæ erudiuntur etiam uſque ad loquelam, & ſalutationem magnatum. Ad hoc ergo inconveniens devenerunt, ut ſolum hominem ponant incorrigibilem, & inemendabilem, & indiſciplinabilem, cùm iſta incomparabiliter magis eis congruant, quàm alijs animalibus. Ampliùs. Nulli dubium eſt, quin tota voluntas mala, quia iſte eſt avarus, ſeu cupidus, ſeu luxurioſ[illegible]ingui poſſit in iſto, & contraria voluntas in[illegible]; videmus enim aliquos primò avaros, & [illegible]largos. Eodem modo videmus quoſdam primùm luxurioſos, & poſtea caſtos: certum autem eſt, quòd contrarium ſuperveniens deſtruit contrarium ſuum funditùs. Quare caſtitas ſuperveniens, deſtruit funditùs luxuriam. Et ad hunc modum eſt videre de omni vitio. Ampliùs. De virtute apprehenſiva manifeſtum eſt quòd ab errore, quantocunque eſt ei reverſio ad ſcientiam, & ab oblivione ad memoriam: Et inſuper proficere contingit eam in multo nobiliorem, & certiorem ſcientiam, quàm ſit illa, à qua per oblivionem decidit: ergo & de vi motiva ſimiliter evenire neceſſe eſt. Quis enim dubitat, quin ab ira ſcit redire ad pacem, & ab odio ad amicitiam majorem, quàm ante fuerit? Quapropter omne vitium delebile eſt naturaliter ab anima humana, & omnis virtus in ea naturaliter plantabilis, omniſque mala voluntas ejuſdem naturaliter in contrariam mutabilis. Omnis ergo humana anima naturaliter eſt ad ſtatum priſtinæ innocentiæ reverti poſſibilis, & in ſtatum priſtinum reparabilis. Ampliùs. Si natura arborum, & plantarum potens eſt in reparationem, & reſtitutionem omnium eorum, quæ vis, & contrarietas hiemalis ei abſtulit; ſicut videmus in verno tempore omnia vegetabilia, hoc eſt herbas, & plantas recuperare quæcunque aſperitas hiemalis eiſdem abſtulerat, ſcilicet flores & folia & etiam frondes ut in ſalicibus, & vitibus apparet, ac denuò reveſtire ſe, ac exornare his omnibus; quantò fortiùs natura humana eouſque deſeri non debuit, ut abſque ſpe ulla ſurgendi caderet per peccata? Ampliùs. Si ſerpenti, qui tyrus dicitur, & multis avibus, ut aquilis, & accipitribus, & cervis, virtutem ipſorum renovativam, vetuſtatiſque, ac deformitatis exterminandam, divinæ ſapientiæ bonitas dedit, quomodò incomparabiliter magiſque hujuſmodi virtutem hominum indigenti de illa non providit? Ampliùs. Si corpori humano vires dedit, quibus à caſu ſuo corporali videlicet, reſurgere poſſit, qualiter miſericordiſſimus Deus animam humanam à tam neceſſaria, tamque ſalubri virtute, nudam, ac pauperem dereliquit. Ampliùs. Si recidivo corporis Dei miſericordia medicinam providit, quomodò non multò fortiùs recidivis animarum? Si enim corpora non ſunt curanda, niſi propter animas, quia nec utilia niſi propter eas, adeò autem curæ ſit curatori omnium Deo, ut morbis eorum, ſive primitivis, ſive recidivis medicina providet; quantò fortiùs animarum morbis utriuſque medicinas neceſſarias, & ſalubres providit? Ampliùs. Hominem libertate arbitrij præditum naturaliter eſſe, ac proprij judicij propriæque poteſtatis illam facultatem naturaliter habere per ſeipſum manifeſtum eſt. Et ſi quis ab exterius ratione, hoc eſt lingua, in hoc contradicere voluerit, corde tamen iſtud concedit. Inde eſt, quòd coactio, & violentia, tanquàm naturæ humanæ contraria ab omni homine naturaliter fugiuntur, ac pro viribus repelluntur. Inde eſt etiam quòd cùm aliquis in nos peccaverit, ipſum reum erga nos naturali judicio judicamus. Similiter & noſipſos, ſi in alios deliquerimus. Hoc autem nullo modo faceremus, ſi nec illos noſtri judicij eſſe, aut poteſtatis crederemus. In eos enim qui meritò ignorant, & in eos qui aliena vi, & violentia feruntur, non ſolummodò faciles ſumus ad veniam, ſed nec in aliquo eos reos eſſe, vel deliquiſſe reputamus. Tertium judicium eſt, quia ipſos delinquentes naturæ inſtinctu, tanquàm ſui ipſorum judices adimus, ut nobis, quòd deliquerunt, emendent, tanquàm de ſe nobis juſtitiam facientes & tanquàm debitoribus juſtitiæ hujuſmodi, & emendationis expetimus. Quarta probatio eſt, & hoc ipſum eſt ipſa naturæ interna confeſſio, ac recognitio, qua unuſquiſque interrogatus, an libenter, & gaudenter non ſolùm volenter fornicetur, vel aliud faciat, quod eſt peccatum, intùs id eſt corde confitebitur, & recognoſcet, quòd ſic. Quanquàm enim in multis verum ſit, quòd non purè volunt, quod faciunt immò ex parte, & ſecundùm quid volunt; ſicut legitur Proverb. 12. Vult & non vult piger: tamen verum eſt, quòd ſola voluntate faciunt, & inſuper majori voluntate videntur hoc facere, quàm ſi purè illud vellent; major enim aqua videtur, quæ obices irrumpit, & reſiſtentiam propellit, atque repellit, quàm quæ ſine obice, ac reſiſtentia fluit, major inquam in eo, quòd talis. Ampliùs. Si libertate arbitrij non eſſet homo præditus, ſed neceſſitate ſola, atque violentia vel naturæ, vel fati, vel aſtrorum,

Nota. *Nota diligenter.* *Nota.* *Nota.* *Natura arborum.* *Hominis libertas.* *Nota.* *Nota.* *Arbitrij libertas.*

vel Dæmonum, ſive alterius cujuſcunque ferretur, ſive impelleretur ad volita, & cupita, ac prohiberetur à volitis, à cupitis, omninò nemo peccaret, nemo laude, vel vituperio dignus eſſet; diſciplina, atque correctio, & eruditio omninò nihil eſſent, nec agendum eſſet hominibus de moribus, neque de virtutibus, aut vitijs, ſicut nec cum lapidibus: contrarium enim naturæ & neceſſitati nihil recipit ſicut neque lapis recipere quicquam poteſt diſciplina vel eruditione contra motum, quem naturæ neceſſitas, aut violentia ipſi, vel dederit, vel intulerit. Palàm ergo eſt ex his hominem ſui judicij, ſuæque eſſe poteſtatis ſuique eſſe judicem, & arbitrum; & propter hoc omni alij de ſe meritò conquerenti vel etiam non conquerenti, teneri de ſeipſo judicium, & juſtitiam exhibere. Si ergo in Deum peccaverit, tenetur ei judicium, & juſtitiam facere de ſeipſo: tenetur ergo condemnare ſe reum, quod eſt ſententiare contra ſeipſum, & torquere ſe, vel punire aliàs ſecundùm exigentiam delicti. Cùm autem hoc fecerit, Deo ſatisfactum erit, & ab eo in parte iſta nihil ampliùs de jure exigere poterit Deus. Hoc autem veraciter pœnitere, videlicet hoc judicium, & hanc juſtitiam de ſe ipſo facere. Et hoc eſt, quod legitur in Pſal. Judicium, & juſtitia correctio ſedis tuæ. Et Job. 34 Nunquid, qui non amat judicium, ſanari poteſt. Et iterùm in Pſal. Feci judicium, & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me; quod de alio judicio, atque juſtitia intelligi non poteſt. Et iterùm 1. Cor. 13. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Jam ergo fecimus manifeſtum, quòd omnis peccator tenetur pœnitere, ſeu pœnitentiam agere, hoc eſt judicium, & juſtitiam de ſeipſo facere, & hoc lege ac poteſtate, ſeu auctoritate naturæ, lege inquam quam in ſeipſo naturaliter unuſquiſque legit naturæ inditam & inſcriptam, auctoritateque, & poteſtate, qua ſe naturaliter unuſquiſque præditum evidenter cognoſcit, & interna confeſſione recognoſcit. Quia ergo hujus legis ſolus Deus eſt auctor, latorque & inſcriptor, hujus poteſtatis, ſive auctoritatis inſtitutor, & dator, neceſſe eſt ipſum ratum, & gratum habere judicium ab hujuſmodi poteſtate factum. Neceſſe enim eſt, jus eſſe judicium, cujus lege, & auctoritate fit. Impoſſibile eſt ergo hujus judicium ab ipſo retractari, ſeu revocari. Ratam ergo habet ſententiam, quam hujuſmodi judex hac lege, ſive ſecundùm hanc legem pro ſe, ſive contra ſeipſum tulerit: ergo & abſolutum habet ſic abſolutum, & condemnatum, ſic condemnatum. Abſoluti ſunt ergo apud Deum veraciter pœnitentes. Cùm enim id totum ſolvant, quod lege illa ſolvere debere juſtiſſimè judicatur, neceſſariò abſoluti ſunt. Jam ergo declaratum eſt tibi, pœnitentiæ judicium revocari non poſſe, ac per illud abſolutos, in nullo ulteriùs remanere ligatos. Et quia neceſſariò à Deo abſoluti habentur tanquàm ejus lege, & auctoritate abſoluti. Et quia impoſſibile eſt iterùm damnari eos, qui pœnitentialis judicii damnationem in ſe rectè tulerunt, ritéque ſuſceperunt, & portaverunt. Ex quo relinquitur, ut nihil omninò damnationis reſtet veraciter, ac dignè pœnitentibus poſt peractam dignè pœnitentiam. Verùm quoniàm ipſa lex, quam diximus, regulas honeſtatis naturalis, ac juſtitiæ continens originali corruptione penè tota ſepulta eſt, & conſuetudinali penè tota cumulata, tanquàm aggere malarum conſuetudinum ſuperimpoſito; quia etiam lux ipſa interioris viſus multiplicibus tenebris, quas numerare ſuperſedemus, involuta, & obſcurata; ſicut dicit Job. 37. Nos quippe involvimur tenebris. Et iterùm ejuſdem. 3. Circumdedit eum Deus

Nota.

Pœnitere quilibet peccator tenetur.

Abſoluti.

Soluti.

E tenebris; propter inquam iſtas duas cauſas, nec liber mentis inſcriptas regulas honeſtatis plenè, aut planè exhibet legibiles, nec intellectus noſter in eodem legere poteſt diſtinctè, & apertè. Hinc eſt, quòd tria nobis adminicula divinæ providentiæ miſeratio nobis adhibuit, videlicet lucernam ſcripturæ, adjutorium doctrinæ, ſpiraculum gratiæ; de quo Proverb. 20. Lucerna hominis ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris. Quantùm enim offendat ipſe qui peccat, à quantis bonis cadat & in quanta mala ſe injiciat; deinde quantis auxiliis gratiæ divinæ, ut reſurgat, & relevetur, indigeat, noſſe, atque videre non eſt naturæ tot & tantis malis immixtæ, immerſæ, atque involutæ virtus, aut officium, ſed divinæ gratiæ inæſtimabile, atque irrecuperabile beneficium: præter hoc, & eo ſenſu doloris, & compunctionis affligi, illoque flumine lachrimarum profluere, illo pudore confundi, illoque timore terreri, illo tremore F concuti, quod unius etiam ſolius peccati mortalis vulnus, imminenſque ſupplicium æternæ damnationis, fœditaſque, ac turpitudo, nuditaſque ejuſdem peccati coram oculis Dei meritò exigunt, non eſt mortuarum ſpiritualiter animarum poſſibilitas, ſed gratiæ vivificantis, ſenſificantis, ac illuminantis interiores oculos, incomparabiliter donúſque perſedemus metu prolixitatis enumerare, & enarrare quàm impoſſibile ſit peccatori divino auxilio, atque præſidio deſtituto, victo, & in victoris diaboli poteſtatem dato, & in ejus ſervitutem redacto ex 8. Joan. & 2. Can Petri: Deinde lætabiliter vulnerato funibuſque peccatorum conſtricto. Exod. 5. Proverbio. Quàm inquam impoſſibile eſt ei tot, & tantis incommodis proſtrato, obruto, & obſeſſo eripi de poteſtate tenebrarum, de faucibus leonum infernalium, de manibus Behemoth, de quo legitur Job. G 41. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparatur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. Per ſe ergo hoc eſt, quod ſolus viribus ſuis reſurgere non poteſt miſerrimus, infideliſſimus, infœliciſſimuſque peccator, qui per ſe ſolùm cadere potuit. Quemadmodùm alibi idem aliis verbis dicitur, ſcilicet homo eſt ſpiritus vadens, & non rediens. Vadens ſcilicet per ſe; non rediens autem per ſe. De alto namque gratiæ, de arce virtutum, quaſi de turre excelſa, atque ſublimi præcipitare ſe poteſt in cloacam immunditiæ, quantùm ad luxuriam ſecundùm Auguſt. in fornacem vitiorum, & profunditatis abyſſum, ſed ut confractis, vel potiùs amiſſis alis, illuc revolet & non ſolùm confractis, ſed potiùs contritis illuc redeat, eſt impoſſibile. Manifeſtum eſt de hac contritione. Job 16. de contritione, & confractione ſimul Matth. 21. qui ceciderit ſuper lapidem iſtum con-H fringetur ſuper quem autem ceciderit, conteret eum. Et iterùm Luc. 20. Omnis qui ceciderit ſuper iſtum lapidem conquaſſabitur, ſuper quem autem ceciderit comminuet eum. Jam ergo patefecimus reverſionem eſſe animabus humanis, ac reparationem, ſeu reſtitutionem poſt lapſum in peccata; & qualiter etiam eſt hoc, videlicet quia partim ex conatu ipſarum animarum, licet ad modicum, partim autem ad plurimum, immò penè ad totum, ex ſuperabundanti gratia, ubi prius abundavit delictum: & declaravimus etiam cum hoc, & etiam ſtabilivimus libertatem arbitrij, ſive liberum arbitriũ, licet multùm depreſſum, atque detritum in nobis; & quia largitas miſericordiæ Dei nullo modo ſe denegat ad illam redire conantibus, qui conatus abſque ejus adjutorio reverà nihil eſt; ſicut dicit Aug. in libro cõfeſſionum. Scio, inquit quia ſine te nihil ſunt omnes conatus mei. Et ipſa veritas. Joan. 15 Sine me nihil poteſtis facere. Qui etiam conatus gratiæ Dei

Nota. Liber mentis.

Nota.

Reſurgimus ex peccato divinâ gratiâ tantùm.

Spiritus vadens, & non rediens.

Epilogus ſupradictorum.

Conatur fruſtra quis reſurgere ſine Dei auxilio.

Digitized by Google

Dei prævenientis dona ſunt, quandò & ipſum deſiderare gratiam, gratis eſt; ſicut dicit Auguſt. in libro de correctione, & gratia: deſiderare autem gratiam munus eſt & ante ordine naturali, quàm ipſum conari ad gratiam. Quapropter ſi ipſum eſt gratiæ, cùm ſit cauſa efficiens ejus. quod eſt conari ad gratiam, multò fortius ipſum conari ad gratiam, gratia erit: quod utique verum eſt ſecundùm rectam intentionem ejus, quòd eſt conari: interdùm tamen conari ad gratiam intelligitur abuſivè, qui facit aliquid, quo facto ad gratiam recipiendam eſt habilior, licet non intendat ad gratiam. Intendere enim ad gratiam etiam gratiæ eſt, quia ipſum noſſe gratiam, non poteſt eſſe, niſi ex gratia. Aliud autem eſt longè conari redire ad innocentiam, atque juſtitiam, qualem natura ſuggerit, & oſtendit; aliud conari ad ſublimitatem gratiæ, quàm ſimiliter gratia ſola oſtendit; fortaſſis enim poſſibile fuit naturæ humanæ in ſtatu naturalis innocentiæ, ſi ab illo per peccatum non cecidiſſet, ſi alia læſio, vel vis quàm ipſum peccatum ſecuta eſſet, ad illam redire, & omnem maculam ex illo inhærentem, vel relictam, naturali pœnitudine abradere, atque abolere; ab altitudine autem gratiæ cadentes ad illam revolare naturæ viribus, per ſe impoſſibile eſt indubitanter, & ſecundùm hunc ſtatum naturæ rationes, quas ſupra poſuimus, ad hoc facientes intelligimus.

Deſiderare gratiã gratis eſt.

Intendere ad gratiã gratia eſt.

CAPUT II.

Argutè confutat eorum erroneam opinionem, qui ſacerdotibus confeſſionem eſſe faciendam negant.

Nota. NUnc verò juxta promiſſum errorem ſecundum, qui proprius Hebræorum eſt, qui negant confeſſionem faciendam eſſe ſacerdotibus, deſtruere aggrediemur; dicentes imprimis, quòd ſi Deus peccatorem meritò ut ſuſpectum, & ut paulò ante inimicum recuſare voluerit & judicem eum habere in cauſa, quam adverſùs ipſum habet, voluerit, quis dubitat, quin de jure facere poſſit? Si ergo judicium & juſtitiam de ſeipſo peccator per pœnitentiam Deo facere noluerit, meritò, & jure in eadem cauſa alius, quàm ipſemet judex, erit. Alius ergo audiet delicta, quàm ipſe, qui deliquit, alius cognoſcet, atque pronunciabit. Non autem audiet alius omnia, & perfectè, niſi ipſo qui deliquit, confitente, & enarrante, quia ipſe ſolus, & maximè omnia illa novit; confeſſio ergo alij facienda eſt, quàm Deo. Amplius. Deo facta confeſſione quid ipſe inde judicet, vel pronunciet, utrùm abſolvat, aut condemnet, penitùs ignoratur, nec pro abſoluto nec pro condemnato ſeſe habere debebit, ſed pendebit pavidus, & dubius pendente ſententia, & hoc tota vita iſta. Sententia ergo hujuſmodi judicij reſervatur ad alteram vitam, & confeſſio iſta in nullo illam accelerat, quo perveniat ad confitentem. Qualiter autem iſtud reputabitur judicium, vel juſtitia, de quo nulla apparet ſententia, quo nullus apparet abſolutus, vel condemnatus? Quòd ſi dixerit, quia hujuſmodi confeſſio mitigat iram judicis, & hoc quidem verum eſſe concedimus, ſi ex devotione fuerit. Amplius. Hæc eſt figura, ſeu forma judicij, ut primus judex ſedeat in medio actor, & reus ſtent ante judicem, alter alteri ex adverſo deinde advocati, & teſtes. Advocati, ut de jure cauſam inſtruant: teſtes ut de facto: cautum autem eſt in jure iſto ſæculari, & politico, ut nemo jure ſuo jus ſibi dicat, & eo ipſo, quòd iſtud præſumpſerit, re ipſa careat. Quia ergo pœnitens in eo judicio. quo cum Deo judicandus eſt, reus eſt, & à Deo impetitur, meritò in eodem judicio judex eſſe non poteſt; ſub alio ergo, & per alium judicandus eſt: Et quia ipſe Deus ibidem actor eſt, noſtris legibus, & conſuetudinibus congruentiſſimum eſt, immò eiſdem firmatum, & obſervatum, ut tertius in medio ſedeat, qui jus reddat potiſſimùm illa de cauſa, quia noſtris legibus, & conſuetudinibus, tanquàm viis notiſſimis atque certiſſimis maximè reducendi, & reducibiles ſumus ad lucem veritatis, & viam ſalutis, propter quod hoc idem ipſe elegit Iſaiæ 43. Reduc in memoriam, ut judicemur ſimul Narra ſi quid habes, ut judiceris, & Matth. 6. Judicium domini cum populo ſuo. & cum Iſraël judicatur. De hoc Job 31. Si contempſi judicium ſubire cum ſervo meo, & ancilla mea cùm diſceptarent adverſùm me. quoniàm autem peccatum non ſolùm eſt iniquitas; ſicut legitur Joan. 3. ſed etiam vulnus eſt, ſive morbus, ſive ægritudo & eſt ſicut dilapidatio, ſive diſſipatio, & ſicut furtum, vel rapina, quæ committitur in Deum; neceſſariò ex his tribus rationes oriuntur, quibus evidenter oſtenditur confeſſionem coram alio, quàm Deo eſſe faciendam. Si enim iniquitates, & injuriæ temporales, ſive corporales judices habent, ac magiſtratus proprios, qui eis judicent, pronuncient & miniſtros, qui judicum ſententias exequantur; quantò fortius ſpiritualis injuriæ judices habebunt & magiſtratus, & alia, quæ judicij ſunt? Quapropter erit de his neceſſariò judicium, & ideò judex, ſeu judices. Certum autem eſt, quia de his judicare nequeunt abſque cognitione: hæc autem non poteſt, niſi per confeſſionem; confeſſio ergo facienda eſt de rebus iſtis hujuſmodi judicibus. Amplius. Et advocatus qui occultat jus, & teſtis qui abſcondit veritatem facti uterque peccant in judicem, ſi utriuſque revelatio prodeſſe debeat, & nulli obeſſe. Revelatio autem confeſſionis evidenter prodeſt confitentibus, & nulli obeſt Et ſi forſitan in aliquo caſu contrarium inveniretur, forſitan ibi non eſſet confeſſio facienda Quemadmodùm ſi confeſſionis auditor proditor eſſet, & publicator confeſſionum. Alij etiam caſus ſunt, in quibus non audemus dicere, quòd teneantur homines facere confeſſionem. Quemadmodùm ſi quis cogitavit, vel conjuravit in mortem ſacerdotis ſui & videat eum ad iram & odium, facilem, non audemus dicere, quòd teneatur hoc eidem confiteri Eodem modo ſi mulier ſpecioſa ſacerdotis ſui laſciviam, ac petulantiam noverit, & quòd mulieres ſibi confitentes nota earum infirmitate, & auditis tentationibus ſollicitare de turpitudine conſueverit; modis omnibus conſulimus, ut de licentia ipſius, vel Epiſcopi ſui, Sacerdoti alteri confiteatur Eodem modo ſi in concupiſcentiam ſacerdotis ſui aliqua exarſerit, quod utique grande, horrendumque peccatum eſt, ſi ſacerdotem ſuum infirmum carne noverit, non audemus conſulere, quòd hæc eidem confiteatur Juxta iſtos modos facile eſt excogitare caſus quibus licitũ eſt alij, quàm proprio confeſſione & facere ſacerdoti, ſicut in his quæ tangunt ipſum ſacerdotem, ex quorum ſcilicet notitia ſpirituale periculum imminet ſacerdoti vel quandò ſpirituale, vel etiam corporale periculum magnum ex ipſa confeſſione immineret confitenti. Salus enim per confeſſionem quærenda eſt, & ſaluti non periculo debet confeſſio deſervire Amplius. Si curæ medici commiſſus eſt æger, & hoc jure vel lege, non dico propria voluntate ſed officio, & dignitate ipſius medici, neceſſe habet æger, & debitor eſt facere quod ſuum eſt, quominùs impediatur medicantis officium; quapropter & detegere ei, ac revelare morbos ſuos,

Nota.

Nemo ſibi jus dicit.

Nota.

Caſus quibus non tenetur confiteri proprio ſacerdoti.

Medicus.

Digitized by Google

Sacerdotes medici ſunt. & vulnera. Quia ergo manifeſtum eſt ſacerdotes & curatos, qui medici ſunt ſpirituales, omnium eorum habere debere notitiam, qui eis commiſſi ſunt, & hoc non ex voluntate eorum, ſed ipſorum medicorum officio, & dignitate palàm æquè eſt abſque injuria ſacerdotum morbos ſuos, & vulnera non poſſe ab eis abſcondere parrochianos eorum, niſi ex cauſis, quarum ſupra fecimus mentionem. Ampliùs. Si fraternos morbos, & vulnera ſpiritualia tenetur unuſquiſque revelare ei, qui poteſt prodeſſe, & non obeſſe tenetur inquam ex debito, & officio fraternæ charitatis. Non minus autem tenetur ſibi ipſi, immò longè ampliùs ex eodem debito, & officio ſibi ipſi tenetur conſulere, quàm cuivis alij. Multò ergo fortiùs tenetur morborum ſuorum ſpiritualium ac vulnerum confeſſionem, ſeu revelationem facere ſacerdoti, qui prodeſſe debeat, non ſcilicet obeſſe: juxta quod tetigimus. Ampliùs. Si de omni temporali commiſſo neceſſe habet commiſſarius, ſeu diſpenſator rationem reddere ſuperiori ſuo in officio diſpenſationis, incomparabiliter autem cautio eſt major habenda, & ſervanda, & incomparabiliter circumſpectus diſpenſator eſſe debet, ſi ratio ſit ab eo incomparabiliter diſtrictiùs exigenda, tanquàm incomparabiliter majoris periculi. Incomparabiliter ergo fortiùs reddenda eſt ratio ſpiritualium commiſſorum, ſpiritualiſque villicationis ab unoquoque noſtrum majoribus noſtris in hoc ſcilicet ſpiritualibus. Certum autem eſt, quia ſacerdotes curam animarum noſtrarum habentes, ut majores noſtri ſunt in hoc, & velut ſuperiores diſpenſatores, ſeu camerarij rationem de nobis, & noſtris, hoc eſt de tota vita noſtra Deo reddituri; ſicut legitur ad Hebræos. 13. Obedire præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant, quaſi reddituri rationem pro animabus veſtris. Ampliùs Si ſubditus ſæcularis vel ſervus damnificationem ſui domini viderit, & procuratori ejuſdem per quam damnum illius, vel averti vel reſtitui poteſt, non denunciaverit, cùm ſine periculo, aut damnificantis incommodo hoc facere poſſit, indubitanter peccat in dominum, & in ipſum diſpenſatorem, quia & illi debitā fidem non ſervat, & iſti debitum auxilium ad cuſtodiam rerum domini non impendit. Cùm ergo quilibet peccator videat ſemetipſum damnificantem Deum in ſeipſo, auferendo ſcilicet ei ſeipſum, & totius vitæ ſuæ ſervitium, ex neceſſitate tenetur hoc denunciare ſacerdoti, tanquàm cuſtodi, aut diſpenſatori domini, præſertim cùm hoc ſine omni periculo, & incommodo facere poſſit ipſius, quē denunciat. Non enim in majori fide tenetur domino de alterius damnificatione, quàm de illa quam ipſemet facit eidem. Ampliùs. Si furem, vel latronem aliquis in domo ſua abſconderit, & per ejus proditionem, ſeu traditionem furtivè ſublata, & omnia malè ablata reſtitui poſſint, ſine incommodo damnificantis, & in ipſum judicem, ſeu magiſtratum peccat, & in ipſos, qui damna, vel injurias paſſi ſunt, & judicandus eſt, ut furti particeps, & ſocius furti. Quare peccator, qui ſeipſum abſcondit, & ſacerdoti, qui judex eſt, vel magiſtratus ſpiritualis, ipſum non detegit, exponit, & puniendum tradit, cùm per hoc damna reſtaurentur, & paſſis injuriæ dentur, quibus irrogata ſunt, eo ipſo puniendus eſt ipſemet, ut furis ſocius, & furti particeps, eo inquam ipſo, quod ipſum furem non indicat, exponit, ac tradit. Non enim magis, majoremve fidem Deo, & ſacerdoti ſervare tenetur unuſquiſque in alio, quàm in ſemetipſo, & hoc eſt quod dictū eſt regi Iſraël per Prophetam 3. Reg. 20. Quia dimiſiſti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima illius. Ampliùs. Quia peccator à baptiſmali ſanctitate lapſus eſt ſicut civis ab ipſa civitate

Sacerdotes diſpenſatores ſunt. (margin)

Nota. (margin)

F

G

H

ſanctificata, & delicta quæ toties ſupra in tractatu de baptiſmo nominavimus recedens, & adverſus in adverſarium ejus conſurgens, & in hoſtem converſus: cùm autem pœnitet, eſt ſicut ab hoſtibus revertens ad ſanctam civitatem, civitati ſanctificatæ reſtitui volens offerens, & petens ſatiſfactionem de eo, quod aberravit. Nunquid per magiſtratus ipſius civitatis non eſt recipiendus, atque reſtituendus, qui nō obtulerit ſatiſfactionem ſuper eo quod tam proditiosè ad hoſtes ſe tranſtulit, & civitatem ſuam deſeruit, etiam impugnavit? nec recipiendus eſt à ſapientia magiſtratu, ſatiſfactionem autem non facit, nec etiam offert, niſi qui culpam ſuam recognoverit, & deliquiſſe confeſſus fuerit. Manifeſtum ergo eſt de omni aberrante, hoc eſt peccatore, ipſum non eſſe recipiendum in conſortium ſanctorum, nec reſtituendum eſſe civitati quam adeò turpiter deſeruit, niſi culpabilem ſe per confeſſionem reddiderit & ſatiſfactionem obtulerit. Manifeſtum ergo eſt omnem peccatorem adultæ ætatis, debitorem eſſe confeſſionis & ſatiſfactionis pro arbitrio ſacerdotis, quem diximus magiſtratum eſſe. Ampliùs. Peccator qui nec culpabilem ſe recognoſcit, nec de erratis ſatiſfacere curat neceſſariò contumax eſt. Contumacia autem majorem Dei contra peccatorem iram provocat ſicut legitur Job. 3. Ne deſinas ab homine iniquitatis, qui addit ſuper peccata ſua ſuperbiam. Quòd ſi dixerit quis, non oportet, ut alii culpabilem ſe recognoſcat, vel confiteatur, quàm Deo, neque ut alii ſatisfaciat, neceſſariò redditur ad illud inconveniens, quod ſupra in tractatu de baptiſmo oſtendimus, videlicet ut pereant inter fratres ſpirituales, neceſſitudines ſpirituales. Quare peribunt mutua invicem ſuffragia mutuæ dilectionis, mutuæ inter eos beneficentiæ non modicum minuentur. Si enim reverſio ejus qui aberravit, non apparuit, quæ utique niſi per confeſſionem delicti, ſeu delictorum ad emendationem ipſorum apparere non poteſt; non apparebit ſpiritualis germanitas, ſive fraternitas, ſive ſancta civilitas, & propter hoc non habebitur iſte, ut frater, ſive ut confinis: quapropter peribit, vel minuetur in multo beneficentia fraterna. Ampliùs. Quæ ſocietas eſt, & quodnam collegium, à quo ſi quis turpiter, & cum ſcandalo receſſerit, denuò recipiatur, niſi cum recognitione, & ſatiſfactione, ſeu emendatione. Ampliùs Quiſquis in collegio aliquo, vel civitate quacunque videat domum unam comburi, vel quamcunque ejuſdem particulam ex qua toti domui, vel civitati imminere videatur incendium, & non clamore, & alijs modis, quibus valuerit, ignis periculum indicet, ut ei abundéque concurrentibus occurratur? quantòque incendium illud ei vicinius fuerit, tantò illud majori clamore, & altiori vociferatione alijs indicabit, & ad ejus extinctionem quoſcunque, & undecunque poterit advocabit? Idem eſt ſi direptionem in parte aliqua civitatis, cuicunque ex civibus fieri viderit, ſtatim illam clamore, & provocatione ad arma quibuſcunque qui adjuvare poterunt, indicabit; eo autem inſtantiùs, ac vehementiùs, quo incommodum incendij, vel depredationis ad ſe magis pertinere videbit. Quòd ſi pro temporali incendio ſibi, & depredatione rerū temporaliū, quæ adeò viles ſunt, & cōparatione ſpiritualium omninò nullæ, quid pro ſpirituali incendio, ac depredatione animarum humanarum, quæ adeò nobiles ſunt adeóque pretioſè faciendum eſt? Quantò ergo fortiùs indicandæ, & revelandæ ſunt depredationes, & incendia animarum? revelandæ inquam his, qui adjuvare poſſunt atque prodeſſe ad ereptionem, ſeu liberationem ipſarum, & extinctionem? Quia ergo peccata mortalia nihil aliud ſunt, quàm incendia & vaſtationes

Peccator lapſus ſicut civis deſertor, & transfuga. (margin)

Contumacia iram Dei provocat. (margin)

Nota. (margin)

Digitized by Google

peccata mortalia nihil alind ſunt, quàm incendia & vaſtariones, ſeu deptedationes animarum, manifeſtum eſt, ea eſſe revelanda his, qui ex officio prodeſſe debent, & poſſunt. Ampliùs. Deo conquerente de quocunque homine. juſtitiamque, & judicium de eo exigente, manifeſtum eſt unumquodque debete Deo aſſiſtere, ac ſtare pro eo, & contra ſeipſum. Juſtam enim eſſe Dei cauſam ubique. & in omnibus neceſſe eſt Semper autem pro juſtitia ſtandum, & contra iniquitatem: nulli ergo licet Deo in cauſa ſua contra quamcunque cauſam habeat, denegare vel procurationis effectum, vel patrocinium, vel teſtimonium, vel ſententiæ pronunciationem, vel ejuſdem executionem: ergo etiam contra teipſum teneris procurator pro Deo, & teſtis, & advocatus, & judex, & ſententiæ executor eſſe. Teneris ergo teſtificari, & allegare contra teipſum in cauſa Dei, & alia quæ judicii ſunt facere; teſtificari autem contra te, hoc eſt confiteri, & ampliùs; teneris ergo ex neceſſitate confiteri coram judice, qui inter te, & Deum ſedet medius: hic autem eſt ſacerdos. Si enim cauſæ civiles, & ſæculares agendæ, & examinandæ ſunt coram rectotibus, ſive judicibus; ergo & cauſæ animarum ſive ſpirituales, ventilandæ erût coram rectotibus animarum, vel judicibus Rectores enim, & judices noſtri in corporalibus, ſeu temporalibus illi ſunt, quibus leges temporales datæ ſuut in manibus, qui ſcilicet latores, & expoſitores earum ſunt ad populum; ſic rectores, & judices animarum noſtratum ſunt, in quorum manibus ad implendum, & docendum, ſive ferendum ad populos lex data eſt Hi autem ſunt proculdubiò ſacerdotes. Quòd enim alii ſunt Doctores, quàm ſacerdotes, ſupplementum eſt ſacetdotalis officii. Idem dicimus de Doctoribus legum ſæculatium; in adjurorium enim & ſuccurſum judicum recepti ſunt. Unde ab initio non fuerunt hujuſmodi Doctores, ſed ipſi legumlatores ſæcularium eas fetebant, & exponebant ad populum. Poſtmodùm autem tum propter imperitiam audientium, tum propter occupationes judicum, tum propter emerſionem quæſtionum, tum propter perverſitatem malè interpretantium, & ſemitas judiciorum pervertere conantium aſſumpti ſunt, & conſtituti Doctores. Idem factum eſt, & eiſdem de cauſis, in doctrina, & legibus animarum. Ampliùs. Si emendanda ſunt delicta animatum, emendandaque eſſe, nemo ſani capitis dubitare poteſt; non ſunt emendanda, niſi per legem Dei, ſive legem animatum: de lege autem cui credendum, niſi eis, qui ex officio habent eam, & docete, & diſcerei Hi autem proculdubiò ſunt ſacerdotes Quapropter conſilio eorum emendanda ſunt animarum delicta, quemadmodùm & conſilio rectorum ſæcularium delicta ſecularia, nec hæc, nec illa emendari poſſunt, niſi venerint in notitiam eorum, per quos emendanda ſunt: & hæc ergo in notitiam rectorum ſæcularium, & illa in notiriam rectorum ſpiritualium venire oportet. Quapropter delicta animarum, quæ omnia integrè ſciri non poſſunt niſi per confeſſioné, quin & occulta ſunt pro majori parte etiam radices, & circunſtantiæ ipſorum occultæ ſunt, oportet venire in notitiam rectorum ſpiritualium. Quoniàm ſi manifeſta fuerint, oportet ut ſæculariter judicentur, ſi judicem habuerit ipſe, qui delinquit; & nihilominùs oportet, ut ſpiritualiter de eis judicetur. Omne namque delictum manifeſtum duo habet judicia & duos judices. Sicut enim duplex eſt pax, duplexque vitæ humanæ tranquillitas, videlicet exterior, propter quam & leges ſæculares, & poteſtates inſtitutæ ſunt, per quas turbationibus exterioribus hujus vitæ occurritur, hoc eſt rapinis, furtis rixis, & aliis exterioribus injuriis. Et interior pax, videlicet ad Deum, & invicem ad homines, cujus turbationis cauſa ſunt ipſa peccata, ſive occulta ſive manifeſta peccaris enim in eo quod peccata ſunt, Deus offenditur. Offenſio autem turbatio eſt pacis Sic odia & iræ licet occultæ ſint, & omnes aliæ peſtes hujuſmodi pacem, quæ invicem inter homines eſſe debet perturbant, & ſocietatem eorum ſanctam deſtruunt, & civitatem ſanctificatam eximunt, diſſipant, evertunt, captivoſque faciunt homines, vinculis diabolicis & carceribus eos mancipantes. & utraque morte ſcilicet prima & ſecunda eos interficientes. Et ut ad unum dicamus, non eſt clades, non eſt calamitas, non eſt tormentum, vel mors quidem proportionaliter ac ſpiritualiter, quam peccata non infligant hominibus. Quare incomparabiliter magis occurrendum fuit per pacem contrariam, paciſque illius cuſtodes, & conſervatores. Quapropter manifeſtum & leges ſpirituales ſive animarum & judices ſeu rectores debuiſſe, & debere eſſe; alioquin utique reipublicæ ſuæ omnipotentiſſimus ac ſapientiſſimus Deus inſufficienter, & imperfectè providiſſet. Jam autem removimus ab ipſo inſufficientiam, & imperfectionem quantùm ad res magnas. per hoc quod nec in minimis operibus ſuis, videlicet ſuccurſione, & publicè illas ſuſtinet. Quia ergo exteriora delicta utramque pacem perturbant, neceſſariò ſubſunt utrorùmque rectorum, hoc eſt ſpiritualium & ſæculatium judicio. Et propter hoc furta, & rapinæ, & alia hujuſmodi, non ſolummodò judicanda ſunt judicio ſæculari propter exteriorem hujus vitæ tranquillitatem, ſed etiam in foro ſpirituali propter interiorem & ſpiritualem, quæ ad Deum & homines eſt, pacem, ſive tranquillitatem. Et propter hoc neceſſe habent de his ſpiritualiter cognoſcere Doctores ſeu judices animarum. In notitiam ergo eo neceſſe habent venire. Quocunque autem modo in cognitionem judicum ſpiritualium veniant quàm per confeſſionem ſpontaneam ipſorum delinquentium, fruſtra & inutiliter veniunt quantùm ad finem, & fructum ſpiritualis judicii, qui finis & fructus eſt pacis internæ reformatio. Qui enim confiteri contemnit, injurioſus Deo exiſtit, quia jus ejus non recognoſcit & judicium ejus impedit. Ampliùs. Sicut tenetur non exprimere falſitatem in quocunque judicio, ita & non ſupprimere veritatem interrogatus. Quia ergo tam multipliciter delinquit abſcondens peccata ſua, & in judicio illa confiteri nolens, non ſolùm pacem ad Deum non conſequitur ſed etiam majus bellum contra ſe concitat. Certum autem eſt quicquid ſit de aliis judiciis, & cauſis, in Dei tamen judicio & cauſa neceſſe habet unuſquiſque teſtimonium perhibere, maximè interrogatus à judice ſimiliter & patere ſententiæ judicis.

Peccata mortalia ſunt incendia.

Nota.

Doctores non fuerût ab initio.

Tranquillitas duplex.

Leges ſpirituales neceſſariæ.

Nota.

CAPUT III.

Epilogus eſt ſupradictorum, nec rectè ſummari poteſt.

JAm ergo declaratum eſt, judicium pœnitentiale debere eſſe: & quia in eo tenemur etiam contra nos ipſos & pro Deo & procurarores eſſe & teſtes & advocati. Similiter & executores ſententiæ, etiam propriæ condemnationis, & propter hoc lictores, & tortores noſtri ipſorum, Et quia ſi in aliis judiciis tenentur homines & eos prodere, ac etiam exhibere judicibus ad ſupplicia, & hoc pro pace & tranquillitate temporali, ac pro conſervatione ſeu defenſione rerum temporalium quæ nullius momenti omninò ſunt comparatione ſpiritualium, multò fortiùs nos ipſos

Bonus epilogus ſupradictorum.

quotiens rei ſumus prodere & accuſare tenemur, & exhibere judicibus ſeu rectoribus animarum, non dico ad ſupplicia, ſed medicamenta, & ſalutem ab utraque morte & perditione. Et quoniam omne peccatum injuria in Deum eſt, meritò occurrendum eſt ei per jus, judicium, atque juſtitiam. Judicium autem & juſtitia debent habere tribunal, forum auditorium, ſeu conſiſtorium, & judices atque præcones ſive præfectos prætorio. Et propter hoc, ſicut ſunt exteriores pœnæ, ſive ſupplicia, quibus conſulitur temporali tranquillitati, & eſt quædam carnificina & chirurgica exterior diſciplina & gladius poteſtatum temporalium, ita neceſſe eſt præfecturam eſſe ſpiritualem & prætorium ſpirituale, ubi fiant mutilationes, flagellationes, & exerceatur velut quædam carnificina ſpiritualis, quam ſponte & ſubeant & ſuſtineant, qui Deo de ſeipſis judicium ac juſtitiam facere voluerint. Ampliùs. Volentibus ſatisfacere Deo per judicium ac juſtitiam de ſemetipſis quærentibus, volentibuſque facere ultionem Deo de ſeipſis, vel eſt eis poſſibile in hac, vel non: quòd ſi dixerit quis non eſſe poſſibile, ergo nec naturali inſtinctu ac deſiderio ad iſta naturaliter movebuntur, cùm naturalis motus nunquàm ſit ad ea quæ ſunt naturali impoſſibilitate prohibita. Si autem eſt poſſibile & certum eſt quod non aliter fieri poteſt niſi per judices alios à ſe, maximè cùm communitas hominum ignoret judicium iſtud, & juſtitiam, manifeſtum ergo eſt, quòd communitati hominum conſulendum fuit de judicibus ſpiritualibus, quorum judicio Deo ſatisfieret de eis. Ampliùs. Offerente ſe peccatore juri coram Deo, neceſſe habet Deus illum recipere, alioquin injuſtus eſſet, ſi paratum ſtare juri, ultra quàm judicium & juſtitia, quibus ſe offert, exigunt, illum gravaret. Omnes autem veraciter pœnitentes offerunt ſe juri in curia ſeu conſiſtorio ipſius Dei, & hoc eſt in hac vita: qui ſi non habet hîc curiam ſive conſiſtorium, ubi tanta eſt multitudo eorum juri ſe offerentium, quis non videat, quanto detrimento gloriæ ſuæ ſit iſte defectus, dum nec ſibi ipſi facit de hujuſmodi, & eis tam glorioſam juſtitiam. Modicæ ſiquidem gloriæ eſt in eos qui in vita patiuntur, exercere juſtitiam, comparatione eorum qui ſe non ſolùm ſponte exponunt patibulis, ſed etiam velut Dei miniſtri & lictores atque tortores atrociſſimi in ſemetipſos, Dei injurias, & contumelias ulciſcuntur. Deinde quantùm deſit gubernationi hominum, & ſi fas eſt dicere regiæ dignitatis officio, ſi in tanta parte regni ſui non provideat, qui jura reddant petentibus. Ampliùs. Manifeſtum, quòd in peccatore pœnitente duo ſunt, videlicet natura, quam Deus condidit & quæ eſt opus ejus, & culpa, ſeu vitium ſeu peccatum, quam miſer peccator de ſuo adinvenit, & infœlici infauſtaque conjunctione bono Dei operi admiſcuit vel adjunxit; veraciter autem pœnitens totum quod ſuum eſt, proprio judicio damnat, mortique & perditioni adjudicat, gladioque pœnitudinis ferit, & ut ita dicamus de tota regione ſeu provincia ſua, hoc eſt de tota poteſtate ſeu ditione liberi arbitrij ſui velut maleficos quoſdam exterminat & profligat; hoc autem dicimus quantùm in eo eſt, aut pro viribus. Iſti autem malefici quatuor ſunt primi & minimi malæ cogitationes. Deinde malæ affectiones. Tertiò malæ locutiones. Quartò malæ operationes. Iſtos tanquàm Dei hoſtes de terra ſuæ ditionis ac poteſtatis ut diximus veraciter pœnitens pro viribus expellere conatur. Naturam verò, quæ Dei opus eſt, ab his latronibus ac deprædatoribus liberare, & à læſionibus, quas intulerunt, ſanare, nec non ſpolia, quæ abſtulerunt eidem, ab eis eripere, ipſique reſtituere ſatagit,

Omne peccatum eſt injuria in Deum.

Motus naturalis ad poſſibilia.

E pro ut poteſt, atque contendit. In hoc ergo duo quærimus ab adverſariis, primum an propugnatorem iſtum ſuum Deus in iſto bello adjuvet, an deſerat. Quia ſi dixerit, quia deſerit & non adjuvat ipſum, in hoc duo ſequuntur eum inconvenientia. Primum eſt Deum negligere opus ſuum, id eſt naturam quam in homine condidit, contra cujus hoſtes nullum præſtat eidem auxilium. Secundum eſt, Deum omnium dominorum infideliſſimum ac crudeliſſimum, qui athletas ſuos & bellatores pro eo decertantes adjuvare non curat, in nullo enim hominum quantumcunque infideli ac ſævo iſta infidelitas atque crudelitas invenitur. Quòd ſi fortè dixerit, quia propriæ vires pœnitenti in hoc ſufficiunt, & ideò neque infidelitas eſt, neque crudelitas, ſi novum ei ad hoc non præſtatur auxilium. Ponamus ergo quòd pœnitens per ſeipſum perficiat id, quod

F intendit, & ad id ad quod conatur, ſicut dicit adverſarius. Ad hunc ergo ſtatum reſtitutus eſt pœnitens, ut nihil inveniatur in eo, niſi opus Dei, & illud reſtauratum eſt atque reſtitutū ut diximus: quapropter non inveniet in eo juſtiſſimus judex Deus, vel quod damnet, vel pro quo damnet: nihil in eo inveniet quod oderit, aut reprobet. De judicio ergo Dei non reportabit iſte, niſi ſententiam abſolutionis: confidenter ergo ac ſecurè viri ſe offerunt in Dei curia, ſive in conſiſtorio veraciter pœnitentes, & confidenter: ergo petunt ſibi reddi jus, cùm eis debeatur ſententia abſolutionis à præteritis peccatis. Quòd ſi dixerit, quia judicat eos Deus, non quales ſunt, ſed quales fuerunt, manifeſtum eſt, quia evidens eſt in hoc & iniquitas, & perverſitas. Quemadmodùm in viſu diceretur eſſe perverſitas ſi in eo judicaretur eſſe albū quod nigrū eſt: iniquitas, in eo

G quod malus judicatur qui bonus eſt, & in hoc quod deterioris conditionis & minus potens apud Deum præſens bonitas, quæ utique extat, quàm præterita malitia, quæ omninò abraſa & abolita eſt, ac penitùs annihilata. Quid autem iſto iniquius cogitari poteſt, quàm ut bonitas, non tantùm valeat ad placandum miſericordiſſimum Deum: bonitas inquam, quæ eſt quantùm malitia quæ omninò deleta & annihilata eſt ad ipſum offendendum, ſeu provocandum. Quid verò perverſius inveniri poteſt quàm ut malum judicetur, quod malum non eſt, & bonum non judicetur quod bonum eſt. Si autem præſtat auxilium Deus pœnitentibus ad perficiendum quod intendunt, vult ergo eos perficere quod intendunt; totum autem quod intendunt, eſt recuperare priſtinam innocentiam & gratiam, ergo ad hoc perducit eos: manifeſtum ergo eſt, pœni-

H tentes veraciter ad priſtinam innocentiam & gratiam reſtaurari. Redeamus ergo & dicamus aggregata ratiocinatione, quia pœnitentes ſunt, qui & ultrò ſe offerunt in Dei curia vel conſiſtorio, non tam ad ſuſtinendum jus, hoc eſt juſtificationem qualem exigit Dei curia, vel conſiſtorium, quàm ad proſequendum jus abſolutionis & reſtitutionis gratiæ Dei, quam in auditorio illo reddi ſibi petunt: quòd ſi non fuerit qui reddat, quis major defectus, magiſque Dei gloriæ derogans quàm iſte, ſcilicet ut deſit, qui juſtitiam & judicium faciat poſcentibus? quid autem aliud quàm judicem petere, qui dicebat, judica me Deus, & diſcerne cauſam meam. Similiter & qui dicebat, judica me Domine quoniàm in innocentia mea ingreſſus ſum. Et iterùm, de vultu tuo judicium meum prodeat. Neceſſe eſt ergo Deum habere & judices & curiam, ſive auditorium, ubi & juſtitientur juſtificandi, & reſtituentur reſtituendi. Auditorium autem ſeu conſiſtorium judicium non poſſunt eſſe qualia decet, niſi habeant accuſationem & teſtificationem.

Deus non negligit opus ſuū.

Nota.

Deus habet curiam & auditorium.

Digitized by Google

A Hæc autem non poſſunt integrè fieri, niſi per ipſos qui peccaverunt, tum quia multa ſunt occulta, tum quia etiam ſpontanea debet eſſe accuſatio. Ampliùs. *Spontanea accuſatio.* Verò juſtitia ab ipſo incipit, in quo eſt, & in illo maximè in primis operatur, ſicut calor id, in quo eſt, maximè & in primis calefacit, & lux id, in quo eſt, maximè & in primis illuminat; & ad hunc modum de omnibus aliis. Quare juſtitia veri nominis, ſeu vera illum in quo eſt, in primis & maximè juſtitiat. *Juſtitia.* Quare in primis & maximè contra ipſum accuſationes inſtruit, inſtruit teſtes, ſententiam condemnationis dictat, tormenta parat, tortores inſtigat, ſicut legitur in Proverbiis 18. *Juſtus accuſator ſui.* Juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Quoniàm autem iſta, ſcilicet accuſatio, teſtificatio, & cæteræ partes juſtificationis ſeveriùs, rectiùs & per omnē modū juſtiùs corā alio & per aliū fiūt, quàm corā ipſo, & per ipſū B qui deliquit, ſicut manifeſtum eſt, quis dubitat, minùs longè juſtitiari, minùs per omnem modum puniri, minùſque juſtè ſub ſe, corā ſe, & à ſe, quàm coram alio, & ſub alio? ut enim de aliis taceamus, ſola accuſatio ſive revelatio delictorum coram alio plùs habet juſtitiationis & tormēti interdùm, quàm magna jejunia & magnæ flagellationes. Ampliùs. Quid juſtius ſive juſtitiæ congruentius, quàm ut qui peccando ſe ſuper ſe extulit, emendando ſe infra ſe deprimat, aliique ſe judicandum torquendumque ſupponat? Soli enim ſibi velle eſſe ſubjectum, non tam ſuperbiæ eſt, quàm iniquitatis & injuſtitiæ. Vendicare enim ſibi præpoſituram, aut juriſdictionem, jure proprio, aliena caſtra videlicet, vel civitatem abſque ſuperioris licentia vel auctoritate, non C ſolùm injuſtiſſimum eſt, ſed etiam iniquiſſimum. Quapropter nullus in ſemetipſo ſibi juriſdictionem ſive judicandi auctoritatem vendicare debet abſque voluntate dominatoris univerſorum Dei. Qui ſi in temporalibus quæ adeò vilia ſunt, noluit aliquem ſibi judicem eſſe vel jus ſibi dicere, immò coram alio & per alium jus audire; quantò fortiùs in arduis & periculoſis, videlicet ſpiritualibus, noluit aliquem in ſenſu ſuo ambulare nec voluntate propria duci, nec auctoritate inniti. Neceſſe ergo habemus in his aliorum ſubire judicium, quia omninò vel nullum erit vel iniquum niſi de veritate delictorum judicii perfectè conſtiterit, quod eſſe non poteſt, niſi per confeſſionem & teſtificationem peccantis. Ampliùs. Quoniàm omne peccatum offenſa eſt, neceſſariò requirit repropitiationem, ſeu reconciliationem. *Sacrificium ſpiritus contribulati.* Et hoc impoſſibile eſt, ut ſit, niſi per ſacrificium ſpiritus contribulati, ſive cordis contriti in prolapſis. Et quia injuſtitia eſt, neceſſariò D exigit juſtitiationem & tormentum ipſius peccantis: & quia execratio eſt, neceſſariò exigit ſanctificationem ſive ſacramentum. quia ſicut ſæpè diximus & oſtendimus, neceſſe eſt habere ſimilitudinem forinſecam atque viſibilem cum ipſa ſanctificatione interiori. Sanctificatio autem interior non eſt, niſi per orationem aut benedictionem, ſeu divini nominis invocationem. Et quia vinculum eſt, neceſſariò requirit abſolutionem. Ex quibus omnibus manifeſtum apparet, quare pœnitentiæ aſſignari ſolent tria, videlicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Quia enim peccatum ut diximus offenſa eſt Dei, & non *Tres comites pœnitentia.* eſt in prolapſis repropitiatio, ſeu reconciliatio ejus atque ſatisfactio ejus abſque ſacrificio contriti cordis ac contribulati ſpiritus; & quia injuria eſt, non eſt pacificatio de ipſa abſque judicio: judicium autem non eſt abſque accuſatione & teſtificatione contra delinquentem, & hoc eſt confeſſio; neque eſt judicium abſque juſtitiatione delinquentis & emenda facienda injuriam paſſo, & hoc eſt ſatisfactio. Ideò apparet etiam tibi cum his, propter quid ipſa pœnitentia ſit, & dicatur ſacramentum, videlicet, quia ſacrat atque ſanctificat à recidivis, & iteratis execrationibus. & quia habet ſignum ſacrans atque ſanctificans. Signum dico, ſimilitudinem habens cum ipſa ſanctificatione interiori. Manus enim ſacerdotis ſuper caput pœnitentis, manum divinam, ſive virtutem adeſſe ſignificat, ad ſanctificandum vel ſignificandum pœnitentem. *Abſolutio.* Abſolutio autem ſacerdotalis aut benedictio ſicut abſolutionem interiorem ac ſpiritualem, quam omnipotens virtus Dei atque clementia in pœnitente operantur, expreſſa ſimilitudine ſignat in hoc, quod lucernis accenſis, qui per totam quadrageſimam extra Eccleſiam fuerant publicos ſcilicet pœnitentes introducant in eam, per Epiſcopum in die ſancto Jovis, ita expreſsè apertéque figuratur, quòd per peccata & à B domo Dei excluſi & a conſortio, atque communione ſanctorum ſeparati per pœnitentiam recipiuntur, & reſtituuntur ad utramque illarum. Et quia lucernæ eorum, quæ per peccata extinctę fuerant, per pœnitentiam reviviſcunt, in igne Spiritus ſancti ardeant & luceant, ſicut priùs.

CAPUT IV.

Pergit piè, & eleganter de pœnitentiæ ſacramento, ejuſque effectu ac poteſtate diſſerere.

Nota. QUoniàm autem recidivis ſordibus corporum, nec deſunt lotores ſeu lotrices nec lavacrum, & recidivis vulneribus eorundem ac morbis nec C medicatores, nec medicamentum, ſimiliter recidivis detritionibus eorum atque ruinis, nec reparatores, & reparamentum, & hoc omnipotentis Dei miſericordia & providentia, & bonitate faciente, quæ malis aut leniendis, aut tollendis remedia bonorum oppoſitorum redundantiſſima beneficentiæ ſuæ largitate oppoſuit; quantò fortiùs recidivis ſordibus animarum lotores ſpirituales, & lavacrum, recidivis vulneribus, & morbis earundem medicatores & medicamentum, recidivis ruinis ac detritionibus earum reparatores, ſeu reſartores ad reparamentum, recidivis execrationibus earum ſacramētum, & ſacratores deeſſe noluit. *Bonum pœnitentia.* Et quid aliud bonum contra recidiva mala animarum provideri potuit, quàm per pœnitentiæ ſacramentum? & quoniàm jam patefactum eſt quia pœnitentia, & ſacrificium eſt & judicium, & ſacramentum, & medicamentum. Cùm hoc etiam ſcire debes, quòd eſt etiam pacis inter pœnitentem & Deum reformidatio, ſeu reformamentum. Debes etiam ſcire, quia D tres ſunt modi ſanctificationis ipſius. *Sanctificationis tres modi.* Sanctificat enim meritò reconciliationem ad Deum impetrans placatore ſuo; & acceptibilitate tanquàm ſacrificiū, ſanctificat etiam naturali operatione, videlicet contrarietatem quam habet ad execrationem, qua illam quantùm ad affectiones, locutiones, & opera deſtruit, exterminat & diffugat. *Pudor.* Pudor enim propriæ accuſationis & confeſſionis impudentiam, qua Dei præſentiam & Angelorum non erubuit, nec coram eis peccare, veritus eſt ipſa naturali repugnantia, & contrarietatem, quam habet ad ipſam, deſtruit, & extinguit; ſic dolor pœnitudinis delectationem, quam habuit in peccato, & timor audaciam, qua aliud contra Deum præſumere auſus eſt; ſic ira pœnitudinis, qua contra peccatum, & contra ſeipſum propter peccatum animoſus excandeſcit, laxitatem & remiſſionem animi qua tentatione tam levi tamque turpiter ſuccubuit, & tam leviter hoſti diabolo manum dedit, perpetuæque ſervituti ipſius ſe quantùm in eo eſt, ſubjecit. Et quatuor iſta, quæ diximus, quatuor brachia ſunt primæ crucis pœnitentialis

Digitized by Google

primi patibuli ſpiritualis, cui vetus homo juſtiſſimo Dei judicio affigitur. Tertiò ſanctificat virtute divina, & hoc ut ſacramentum, videlicet per abſolutionem & benedictionem ritè factam neceſſe eſt virtutem divinam adeſſe, & quod poſtulatur tribuere, niſi ſteterit per pœnitentem, neceſſe inquam eſt non coactionis impulſione, nec alligationis violenta aſtrictione, ſed liberrimè ac liberaliſſimè ſuæ benignitatis ac beneficentiæ largitate: ad abſolutionem ſiquidem, & benedictionem ſacerdotalem ritè factam, dirumpi vincula peccatorum, effugari maledicta ipſorum, advenire Spiritus ſancti gratiam ad ſanctificandum & implendum pœnitentem, niſi hoc ipſe impedierit, nullatenùs dubitamus. Fruſtra enim tantæ pietatis officium omnipotentiſſimus ac clementiſſimus Deus in Eccleſia ſua inſtituiſſet, proditioſéque pœnitentibus illuderet, ſi ſacerdotum miniſterio in eorum benedictionibus, & abſolutionibus adeſſe nollet pœnitentibus: ergo, qui jam ſanctificati, jam à vinculis peccatorum abſoluti, jam gratiæ priſtinæ reſtituti, ſacerdotalem benedictionem & abſolutionem peccata ſua confeſſi recipiunt, piè credimus ac ſentimus, ipſam gratiam, quam afferunt ſacramento pœnitentiæ, & ſacerdotali miniſterio adaugeri. Nunc enim ſanctificatis ac gratiæ priſtinæ reſtitutis, ad gratiam tamen pœnitentialis ſanctificationis, ſicut decet, appropinquantibus & paratis, & peccata ſua prout recolunt, plenè confeſſis, credimus, & dicimus ſacerdotali abſolutione & benedictione remiſſionem peccatorum omnium & gratiam qua de cætero grati Deo & acceptibiles vivant præſtari. Si quis autem quærat, quæ debeat eſſe præparatio, & quæ & quot requirantur ad hoc, ut idonei ſint pœnitentes, ſicut decet parari confitentes ad recipiendum gratiam ſanctificationis pœnitentialis? Dicimus, quia quatuor ſunt, quorum primum eſt deſiderium ſive voluntas acquirendæ ipſius ſanctificationis. Secundum eſt fides ſive credulitas obtinendi ipſam per illud ſacramentum, videlicet pœnitentiale. Tertium eſt propoſitum non relabendi ſive abſtinendi de cætero à peccatis mortalibus. Quartum eſt propoſitum ſive voluntas emendandi ſive ſatisfaciendi vitamque ſuam componendi & ordinandi ad arbitrium ſeu conſilium eorum, quibus eſt iſtud & videre datum & creditum providere. Ex quo conſequens eſt, ut ſeipſum tradat juſtitiandum atque regendum eiſdem; & propter hoc ut ipſe per confeſſionem ſe coram ipſis accuſet, & alias judicii partes contra ſe ipſum, hoc eſt in ſui tormentum & contumeliam pro Deo, hoc eſt pro honore ejus & gloria, proſequatur: verùm quantum deſiderium, hoc eſt quàm fervens aſſequendi gratiam ſanctificationis pœnitentialis, quanta fides ipſius ſacramenti, quàm vivax ſeu vehemens propoſitum præteritos lapſus emendandi, & iterùm non relabendi ſolius Dei eſt, & noſſe & metiri. Ampliſſimè tamen atque magnificè de clavibus Eccleſiæ & poteſtate, & ſacerdotali miniſterio ſentiendum eſſe non dubitamus; claves enim aliàs Eccleſiæ datæ ſunt, officiaque & poteſtas ſacerdotibus propter diſpenſandas divitias miſericordiæ Dei, ut eſſent qui aperirent pulſantibus, & introducerent intrare volentes, & tanquàm officiales miſericordiæ ipſius fugientes ad ipſam tota aggratulatione & applauſu reciperent reos, abſolverent peccata, remitterent omnibus bonis gratiæ & gloriæ, ſpoliatos à latronibus infernalibus reſtituerent, vulneratos ſpiritualiter & morbidos cœleſti medicina ac virtute divina ſacramentorum medicamentis ſanarent. Piè etiam credimus & ſentimus, eos, qui cum fide hujus ſacramenti & vehementi deſiderio redeundi in Dei pacem & gratiam, licet ti-

Nota. *Vide hunc locum.* *Quatuor requiſita ad gratiam ſuſcipiendam.* *Claves Eccleſiæ.* *Miniſterium clavium.* *Nota.*

E more infirmitatis ſuæ & oppreſſione malæ conſuetudinis propoſitum abſtinendi conſueris & eadem emendandi non habeat, interdùm de divinæ pietatis abundantia virtute clavium & ſacramenti iſtius præſtari, & hujuſmodi propoſitum & infundi: conantibus enim ad Deum reverti, dexteram auxilii ſui porrigere patrem miſericordiarum dubitandum non eſt. Quemadmodùm ille qui lunaticum filium attulit ad dominum Jeſum in 9 Mar. Credere quidem nitebatur, ſed nondùm fidem, ad quam conabatur, habebat: propter quod & dicebat: Credo domine, adjuva incredulitatem meam. Merito tamen ſui conatus & filio ſanitatem, & ipſemet fidei donum obtinuit: ſic de ſimiliter conantibus quod præſtò ſit eis divinæ beneficentiæ auxilium, pia fides non dubitat. Quemadmodùm in primitiva Eccleſia ſimpliciter interrogabantur baptizandi, F utrùm crederent, utrùm diabolo & pompis ejus renunciarent, utrùm baptizari vellent, nec interrogabantur, utrùm eſſent mundi à peccatis an non, & utrùm in charitate eſſent, utrùm omnium virtutum varietate decori ac divites, ſed magis virtute baptiſmi hoc eis præſtandum præparabatur: ſic & in ſacramento pœnitentiali dignè & devotè accedentibus præſtari credimus quod intendunt, eo quod veniam nondùm habent, propter quod & per ſacramentum illud quærunt.

CAPUT V.

Tractat partes pœnitentiæ: & primùm de contritione.

POſt hæc autem loquemur de partibus pœnitentiæ, ſigillatim proſequentes comparationes earum atque virtutes. Dicemus ergo, quia contri- G tio eſt confractio & comminutio, & quaſi in pulverem redactio veteris hominis. Juxta illud quod legitur Iſa. 30. Et comminuetur quemadmodùm conteritur lagena figuli contritione pervalidâ, & non invenietur de fractutis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut haurietur parum aquæ de fovea: talis eſt contritio veteris cordis, ita ut non inveniat diabolus de eo ubi ponat igniculum pravi deſiderii, aut modicum aquæ, hoc eſt noxiæ voluptatis: ſimile eſt illud 19. Hieremiæ: Sic conteram populum iſtum & civitatem iſtam, ſicut conterit vas figuli, quod non poteſt ultra reſtaurari. Ex quo veriſimile eſt, cor non eſſe contritum contritione pervalida, neque illa qua conterendum dixit dominus Judæorum populum, quod ſtatim reſtauratur ad relapſum peccati, ad recidivum: nec H nominatur contritio, quia ab ipſis peccantibus peccata linguntur, ſive lambuntur exteriùs. Juxta illud: Inimici ejus terram lingent. Inde & Amalech, lingens terram vel ſanguinem interpretatur, tanquàm ſuperficie tenùs mollita falſaque dulcedine delinita. Pœnitentes autem ea conterunt ſicut lactucas agreſtes, & jus ſive ſuccum amariſſimum qui in eis latebat, ipſa contritione & ruminatione recognitionum ſolicitiſſimarum aut profundiſſimarum inde exprimunt: propter quod cùm primùm eis dulce ſaperent, dum ea faciebant, nunc amarum eiſdem ſapiunt. Hæc eadem contritio vocatur Joelis 2. Scindite corda veſtra. Scindenda ergo ſunt corda peccatorum velut virus diaboli, ut tota fœculentia, totumque virus peccatorum inde effluat, nec ulla in eis ſtilla remaneat. Effluxio autem peccatorum ex corde, deſertio eſt ipſorum perfecta. Nominatur etiam compunctio ſive propter illud, quia tunc primò ſentiuntur ſpinæ & aculei peccatorum, cùm Spiritus ſanctus cor peccatoris infuſione gratiæ

Contritio. *Contritio.* *Compunctio.*

gratiæ ſuæ vivificaverit ac ſanctificaverit, ſive quia tunc in imo cordis & in intimum cordis infiguntur. Juxta illud quod legitur in pſal. Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Aliquandò enim ante adventum ejus & vivificam ejuſdem viſitationē corde ſtupido, vel potiùs mortificato, & mortuo, nec vulnus peccati, nec ferrum in vulnere ſentiebatur, nec aculei peccatorum, nec punctiones ipſorum. Nominatur autem compunctio in pſal. Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Et Actuum ſecundo. His autem auditis compuncti ſunt corde. Vel pro eo compunctio nominatur. Quia omne peccatum eſt gladius biceps, ſicut legitur Eccleſ. 3. Quaſi rōphea bis acuta omnis iniquitas. Alterum acumen habet quaſi amoroſum atque mellitum fallaciſſima ſuavitate ac proditioſa, & (ut veriùs loquar) phantaſmatica & ſomniali, transfigitque per hujus acumē atque tranſverberat eò pernitioſiùs atque lethaliùs, quò ſuaviùs, & propter hoc non punitio, non transfixio, nec tranſverberatio nominatur à ſtultis & corde inſenſibilibus, ſed delectatio atque ſuavitas & gaudium; neque dicit ſe infœliciſſimè mortuus peccatuor vulneratum mortifera delectatione, ſed potiùs delectatum Job 30. Eſſe ſub ſenſibus, delitias computabant. Aliud verò acumen peccata ſenſibiliter lædit, & vulnerat, & propter hoc ſalubriter. Totum enim virus mortiferæ delectationis acumen iſtud expellit. Duo autem acumina iſta in omni peccato ſunt. Placor ejus quo ſeducit & inebriat fatuos, & nocumentum quod irrogat, quo nocumento & vulneratos alio ſuo acumine ſanat, & ſanos contra ſe ipſum excitat, protegit, & armat: quòd ſomniaſſe viſus eſt Poëta. Vulnus achilleo quod quondàm fecerat hoſti, vulneris auxilium Pelias haſta tulit. Verùm Poëta dicit, obtuſum, propter inſenſibilitatem vulneratorum. Nos autem vocamus illud, acumen, eo quod profundiſſimum vulnus ac lethabiliſſimum interdùm fortiſſimè atque ſtudioſiſſimè armatis infligit, & de profundo cordis non niſi divinæ ſapientiæ artificio ac divinæ manus virtute nunquàm hujuſmodi cuſpis extrahitur, Pœnitentis ergo non acumine uno peccati tantùm, id eſt nocumento, quia non uno tantùm nocumento ejuſdem, ſed multis ſe transfigunt, atque tranſverberant, tot dolores ſunt, quot ſunt peccata, ſeu peccatores cuſpides ſentientes. Inde ergo dicitur compunctio quaſi per circuitum hujuſmodi cuſpidibus transfixio. Juxta quod legitur Job 16. Circundedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos ſuos. Undique enim transfigendum eſt cor ferro medicinali, ut undique mors ſpiritualis in eo moriatur, & undique virus ac ſanies effluat peccatorū, vel propter hoc compunctio vel Leviathan, qui dormire vult & quieſcere in peccatoribus, hujuſmodi cuſpidibus aculeatis exire & inde fugere cōpellatur. Quemadmodùm hiſtriones interdùm punguntur, vel qui aliàs volunt, vel ſic ſaltem de domibus eorum, quibus oneri ſunt exilientes, exeant. Vel propter hoc compunctio, quia peccator eſt, ſicut bos & aſinus in lutum merſus, vel ſicut equus qui vulgò dicitur infugatus, Quemadmodùm ergo bovi vel equo infugato aculei vel calcaria adhibentur, ut de luto exiliat; ſic clementiſſimus Deus peccatores de lacu miſeriæ, & de luto fæcis educere volens, compungit ut ſupra petram, Chriſtum dominum vel ſanctæ converſionis ſoliditatem ſeu firmitatem exiliant. Vel quia hoc eſt natura cordis humani, maximè ſecundùm ſtatum miſeriæ præſentis, ut delitum delitiis & nutritum proferat ſtultitiam, punctum verò proferat ſenſum; ſicut legitur Eccleſia 22. Qui pungit cor confert ſenſum pro-

Peccatum eſt gladius biceps.

Nota.

Ovidius.

Nota.

Peccator ſicut bos & aſinus.

Compunctio pœnitudo interior.

A pter hoc inquam compunctio nominatur ipſa pœnitudo interior, quæ de ſtulto corde ſenſum producit emendationis: vel ideò dicitur compunctio, quia quemadmodùm arbores thuris & mirrhæ ſudibus ferreis vulnerantur, & ipſa vulneratione velut lachrimatæ, aromata mirrhæ & thuris proferunt: thus enim & mirrha lachrimæ ſunt hujuſmodi arborum, ſed coagulatæ; ſic compuncta corda pœnitentium thus devotæ orationis, & mirrham internæ amaricationis emittunt. Nominatur & reverſio quaſi de hoſtibus ad pacem, ſive de regione longinqua, de regione diſſimilitudinis, quaſi Ægypto ignorantiæ, de Babylone luxuriæ, de Chaldæa ſuperbiæ, ad Hieruſalem eccleſiæ ad terram promiſſionis & patriam, Ægyptus namque tenebræ interpretatur, propter quod diximus ignorantiæ. Babilon confuſio, propter quod diximus luxuriæ, quæ eſt omnium vitiorum viliſſimum ac confuſione digniſſimum. Chaldæa verò dæmonium, propter

B quod diximus ſuperbiæ quod eſt diabolicæ turpitudinis ſimilitudo veriſſima, propriuſque character, Qui ergo de omnibus his exiit, & ab his omnibus ſpiritualiter corde redit, qui de omnibus pœnitudine interna convertitur & de omnibus his offenſis atque injuriis pacem cum Deo facit, ut vulgariter dicatur, metuò reverſio ad pacem ab inimicis, & reverſio ad patriam à prænominatis regionibus, contritio nominatur, ſicut legitur Iſaïæ 30. Si revertamini & quieſcatis, ſalvi eritis. Similiter & Hiere. 8. Apprehenderunt mendacium & noluerunt reverti. Nominatur etiam converſio, quemadmodùm & converti dicitur, qui ad religionem ſe transfert. Certum enim eſt Chriſtianam veriſſimam religionem eſſe à prophanitate & execratione peccati, vel quia ad Deum & veram religionem con-

C vertitur, qui de peccatis conteritur. vel quia peccator ante contritionem dorſum habet ad Deum, & non faciem. Sicut legitur Hieremiæ 2. Verterunt ad me tergum & non faciem. Cùm autem cōteritur de peccatis, vertit ad Deum faciem & tergum ad peccata: vel propter hoc nominatur converſio, quia peccator dum in peccatis eſt, ſubverſus eſt, habens ſub, quod deberet habere ſupra, & econverſò videlicet ſpiritum habet ſub & carnem ſupra, cùm eſſe debeat econverſò. & everſus eſt habens ante ſe quod deberet habere retrò & econverſò; habet enim faciem ad poſteriora, hoc eſt temporalia ſeu terrena, Siquidem oculos habet ad illa, ut alia non videat, unde Proverbio. 17. Oculi ſtultorum in finibus terræ. Similiter & aures habet ad illa, ut alia audire non poſſit, ſicut legitur Proverb. 18. Non recipit ſtultus verba prudentiæ. Eodem modo & nares ad

D eadem habet, ut nihil ei redoleat ſuave, niſi ſtercora temporalium, ſicut legitur Iſai. 3 Et erit pro ſuavi odore fœtor. Sic fauces & palatum non habet, niſi illa, & propter hoc non comedit & ſaporat, niſi illa. Similiter & everſus eſt habens in dextera quod debet habere in ſiniſtra, & econverſò, ſicut legitur Eccleſia. 10. Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra ejus Et ejuſdem 6. Cor ſapientium ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum ubi lætitia. Et eſt everſus habens extra quod debet habere intra & econverſò. Eſt enim extra plenus & intùs vacuus; extra dives, intùs pauper; extra veſtitus, intra nudus; extra nitidus, intùs ſordidus; extra dominus, intùs ſervus; extra eques, intùs jumentum diaboli; & iterùm extra homo, intùs brutum; & interdùm extra ſanctus, intùs execrabilis, extra monachus, ſive clauſtralis intùs autem omni laſcivia & inordinatione ſæcularis; & iterùm, extra Rex coronatus, intùs autem latro ſpirituali ſuſpendio damnatus; & extra Epiſcopus pontificalibus ornamentis decora-

Reverti, Converti

Converſio.

Nota

Peccatores quales intus & extra,

Digitized by Google

tùs, intus autem diabolicæ turpitudinis inſigniis deturpatus; extra Sacerdos infulatus, intùs autem monſtri ſcelerum contaminatus; & iterùm, extra clericus tonſuratus, intùs laicus capillatus; & iterùm, extra vir barbatus, intùs verò puer imberbis, vel quod deterius eſt, mulier imbecillis & omninò imbellis. Meritò ergo converſio dicitur ab iſta perverſitate, atque inordinatione ad debitum ordinem & convenientem compoſitionem; reverſio verò, quâ efficitur ut ſit ſub, quod debet ſupra eſſe, & ſit ſupra quod debet ſub eſſe, & ad hunc modum de aliis. Sunt & aliæ nominationes ipſius contritionis, quibus non ſolùm elegantiùs, ſed etiam evidentiùs virtutes ejus & fructus declarantur. *Baptiſmus flaminis.* Prima eſt, quâ dicitur Baptiſmus in Spiritu ſancto, ſive in igne, qui baptiſmus, ſive intelligitur tinctio, ſive inundatio, rectè intelligitur, quia omni decore ac varietate virtutum mens pœnitentis ſpiritualiter in ea coloratur: ibi enim & candor puritatis & rubor charitatis & lividus color humilitatis, cæterarumque virtutum omnium illi tribuitur, ibi ab omni labe & ſorde peccatorum mortalium emundatur. Propter hoc autem Baptiſmus flaminis dicitur, ut à Baptiſmo fluminis, ſeu aquæ, diſcernatur. Sic & Baptiſmus ignis propter Spiritum ſanctum, qui quemadmodùm ignis ligna incinerat & metalla purificat, ſic vitia & peccata in ſic pœnitente conſumit, ipſumque purificat. Dicitur & victoria gratiæ, ſcilicet contra culpam dimicantis, & naturam ab oppreſſione vitiorum & tyrannide liberantis, ipſaque catervatim trucidantis. Juxta hunc modum & terminatio ægritudinis ad ſalutem gratiarum tanquàm medicina ſpirituali morbum peccatoris vincente, & per ſudorem lachrymarum diſcretionis fluxum & abominationis vomitum, noxios humores cogitationum, affectionum, & operationum expellente. *Peccator per pœnitentiā renaſcitur.* Nominatur etiam nominibus quatuor feſtivitatum. Dicitur enim natale, quia ea naſcitur pœnitens, ac filius Dei per gratiam adoptionis efficitur. Dicitur & Paſcha propter tranſitum Domini, quia reverà pœnitentem tranſit Dominus inæſtimabiliter parcens ipſi, & Ægyptios peccatorum & vitiorum occidens in eo, vel Paſcha propter reſurrectionem primam quæ eſt à morte vitiorum ad vitam gratiæ. Dies enim Paſchæ dies eſt Reſurrectionis. Dicitur Pentecoſte propter deſcenſum & receptionem Spiritus ſancti, ex qua eſt ipſa contritio. Dicitur & Aſcenſio, quia ea aſcendit pœnitens de profundo vitiorum in ſublime gratiæ, & quaſi de inferis in ipſum cœlum Eccleſiæ, hoc eſt in luminoſitatem & puritatem converſationis ſanctæ. Hæc ſunt quatuor præclaræ feſtivitates quarum gaudio velut epulis totum cœlum reficitur, & quarum jubilatione totum cœlum reſonat, ſicut legitur Lucæ 15. *Filius prodigus.* De filio prodigo revertente, pro cujus reverſione pater inſtauravit convivium, reſonare fecit ſymphoniam, & chorum, & in eo ejuſdem gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Si quis autem quærat de ipſo pœnitente, quandò conteritur, utrùm habeat illa peccata, de quibus conteritur, aut non habeat, eadem eſt quæſtio & de illo, cui remittuntur peccata, utrùm habeat illa, aut non habeat illa. Si non habeat illa, ergo eſt ſanctus, & innocens & ſine peccato: nihil ergo ei remittitur: eadem eſt quæſtio & de omni debito, utrùm relaxetur debenti, vel non debenti. Si enim non debet, nunc cùm priùs deberet, ergo jam remiſſum eſt ei debitum, & ita non remittitur ei nunc, ſed jam remiſſum eſt. Si autem adhuc debet, ſimul ergo ſunt remiſſio debiti & debitum, & ſimul remiſſio peccatorum & peccatum, quod eſſe non poteſt, cùm con-

E trariа ſint, quod apparet ex eo quod alterum, alterum deſtruit, & expellit. In quo dicimus quòd remiſſio peccatorum dupliciter intelligitur, primò non imputatio ſive non exactio ipſorum quantùm ad pœnam. Secundò ablutio macularum & ſordium, quæ interdùm culpæ nominantur. Unde peccata dicuntur remitti dupliciter, quantùm ad pœnam ſcilicet, & quantùm ad culpam. *Peccata dupliciter dicuntur remitti.* Et verum eſt quod neutra iſtarum remiſſionum eſt, vel eſſe poteſt cum eo, cujus eſt remiſſio, hoc eſt neque remiſſio culpæ cum ipſa culpa, neque remiſſio pœnæ cum ipſo debito pœnæ, propter contrarietatem quam habent ad illum. Quòd ergo quærit, remittuntur ſancto & innocenti peccata omninò non habenti: Reſpondemus, quia meritò omninò non imputantur peccata jam ſancto, & ea non habenti, quæ tamen priùs habebat. Remittere enim eſt non ultra F exigere ad pœnam, quæ aliàs & ante exigēdæ erant, & abſolvi hujuſmodi debitis, eſt nunc poſt illa non habere. Sic & ablui ab hujus ſordibus, eſt illis nunc primò carere. Aliquid enim fieri in ſpiritualibus & impartibilibus eſt illud ſubitò eſſe: & nunc fieri aliquid in illis, eſt nunc primò illud eſſe: quia ergo ablui vel mundari, eſt munditiam fieri, ſicut albari eſt albedinem fieri, erit ex neceſſitate in mente humana, verè mundari & ablui, nunc primò mundam vel lotam eſſe: non enim quemadmodùm in corporalibus mens humana per partes ac continuè exiit de ſordibus ſuis, nec per partes ac continuè mundatur, aut munditiam recipit, ſed tota ſimul & ſubitò. Si enim aliquid ejus priùs mundaretur, & aliud ſui poſteà neceſſariò inveniretur aliquid ejus & aliud ſive pars & pars. *Acute.* Manifeſtum autem eſt & declaratum, ipſam eſſe impartibilem partitione conG tinuitatis. In corporibus autem & corporalibus, & omni modo in continuis generale eſt, quod ſi fit, non eſt, ſed reverà ſi fit, partim eſt, & pars ejus non eſt, & propter hoc verum eſt, quia ſi abluitur pannus, nondùm lotus eſt. Si quis autem dixerit, quia poſtquàm aliquid nunc fieri, in ſpiritualibus & impartibilibus eſt, iſtud nunc primò eſſe, quia conſequens eſt quòd aliquid nunc deſtrui in eiſdē, erit illud nunc ultimò eſſe, dicimus quia non eſt verum. Ex hoc enim accideret virtutes & vitia eſſe ſimul in eodem. Quandò enim quis juſtificatur, fit juſtitia in ipſo, & creatur à Deo in ipſo. Similiter & tunc injuſtitia deſtruitur in eo, quare ſecundùm hoc tunc ultimò erit injuſtitia in ipſo, & tunc primò ſimiliter juſtitia. Quare ſimul erunt juſtitia & injuſtitia in eodem & ad hunc modū habet de aliis vitiis & virtutibus. Omnes enim virtutes, ſine quiH bus non eſt ſalus in ipſo inſtanti juſtificationis, fiunt in ipſo qui juſtificatur, ergo primò tunc in illo ſunt ſecundùm hoc. Quoniàm autem omnia vitia ejus in eodem deſtruuntur in illo, erunt neceſſariò tunc ultimò in ipſo, & ita erunt omnia vitia & omnes virtutes ſine quibus non eſt ſalus ſimilis in ipſo. Et ita erit ſimul Deo odibilis & amabilis, ſimul bonus & malus, ſimul damnandus & glorificandus. Error autem iſte inde accidit, quia deſtruere in hujuſmodi, eſt facere non eſſe, & expellere eſt facere ibi non eſſe; quapropter deſtruere peccatum non eſt facere illud ultimò eſſe, ſed potiùs facere primò non eſſe. *Deſtruere.* Similiter & deſtruere gratiam nunc, non eſt facere eam nunc ultimò eſſe, ſed magis nunc primò non eſſe. Non ergo ſequitur, ſi fieri nunc, eſt nunc primò eſſe, quod deſtrui nunc, ſic nunc ultimò eſſe, ſed magis nunc primò non eſſe: ex deſtructione enim non debet ſequi eſſe neque cum ultimatione, videlicet cum primò eſſe, ſed magis non eſſe. *Gad quomodo dicit pugnare contra peccatum.* Juxta hunc modum attende, quòd pugnare dicitur gratia contra peccatum, quandò jam ipſum peccatum mor-

tuum

runm eſt, & non eſt gratia de qua hîc loquimur vi- A vente peccato in aliquo peccatore dico mortali, intelligimus ergo pugnare iſtud, ipſum intendere ad non eſſe ipſius peccati, ſive ad majorem elongationem ipſius abeſſe, ſive ad deſtructionem aut attenuationem eorum, quibus adjuvari poteſt peccatum ad hoc ut ſit, vel ut facilius ſit. Ille enim qui luxuriæ motus in ſe extinguit, contra luxuriam dimicat, & in virtute caſtitatis aut alia. Et ille qui nihil hujuſmodi motuum patitur, ſatagit & cavet, ut nec etiam cogitet de his, quæ ad luxuriam pertinent. Sicut Job. 31. Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: oratione autem pugnant interdùm ſancti & alijs ſacris exercitiis cõtra peccata, quæ non ſunt, nec fuerunt, nec erunt. His enim armis quæ nominavimus, compellunt ea, & prohibent ea à finibus ſuis, hoc eſt propellere ſive B repellere illa & prohibere ſcilicet ne ſint. Alij hoſtes vinci & vivere ſimul poſſunt, niſi occidantur. Idem dicitur & de virtutibus. Si enim vivant vitia, eo ipſo quod vivunt & vincunt, ſimiliter & virtutes: vivere ergo utriſque vincere eſt. Manifeſtum etiam eſt ex his, quia ſi gratia habet primum ſui eſſe, vitium vel peccatum non habet ultimum ſui eſſe, & cũ peccatũ mortale ſeu vitiũ habeat ultimum in uno homine ſcilicet & eodem, neceſſe eſt ut primũ iſtud & ultimum ſint idem inſtans aut diverſum. *Nota.* Si id nominemus, ergo illud A cùm ſecundùm hoc eſt primum inſtans exiſtentia ipſius gratiæ, id eſt in quo primò eſt ipſa gratia in homine iſto, & eſt ultimùm exiſtentiæ ipſius mortalis peccati in homine eodem, quare gratia & peccatum mortale ſunt in A, in homine iſto ſed alterum primò & C alterum ultimò & ita contraria erunt ſimul in eodem, & erit ſimul iſte bonus & malus. Si fuerint diverſa primùm gratiæ & ultimùm peccati, nominemus illa A, & B: quia ergo jam oſtenſum eſt demonſtratione in naturalibus, quòd inter quælibet duo inſtantia eſt totum tempus continuum, neceſſe eſt illo tempore intermedio, quod eſt inter A, & B. iſtum nec eſſe bonum: cùm enim in A, ſit ultimò malus, manifeſtum eſt, quia poſt A, continuè eſt, non eſt malus. Similiter & cùm in B, ſit primò bonus, continuè ante B, non eſt bonus: & ita eſt homo adultus capax diſcretionis & boni & mali toto tempore, quod eſt inter A & B, nec bonus nec malus, nec damnandus, nec glorificandus, quod ſimiliter eſt inconveniens manifeſtum & nec divinæ bonitati cõgruens aut ſapiẽtiæ. *Gratia.* Quòd enim expectaret poſt quã vas cordis iſtius evacuaſſet atque mundaſſet à fæcibus vitiorum atque peccatorum ut non ſtatim illud gratia ſanctitatis re- D pleretur, manifeſtum eſt, quòd ſi gratia habet primùm exiſtentiæ ſuæ, peccatum non habet ultimùm, & econverſò.

CAPUT VI.

Peccatum epilogat: deinde de contritione iterùm amplius diſſerit.

Contritio. Poſtquàm autem declaravimus rationem contritionis, & poſuimus nominationes multas ipſius, & comparationes, quibus eluceſcunt utilitas, & fructus ipſius: dicemus conſequenter, eſſentiam ejus dictione eſſentiali, & propria. Dicimus ergo, ★ quia contritio eſt motus virtutis confringentis veterem hominem, ac funditùs, ac radicitùs mortificantis, & dicimus, quòd iſte motus poteſt eſſe cujuſlibet ex virtutibus affectivis, ſive motivis: poteſt ſiquidem iſte motus timor eſſe, ſive timoris. *Timor.* Juxta quod legitur Eccleſ. 1. Timor Domini expellit A peccatum. Si enim adeò fortis fuerit ipſe timor, ut ipſum timentem fugere faciat ad pœnitentialis ſacramenti refugium, & intra illud recipi, manifeſtum eſt hujuſmodi timore mortificatum eſſe radicitùs veterem hominem & affixum jam patibulo pœnitentiali. Non enim intrat pœnitentialis ſacramenti refugium, niſi qui præconi ſpirituali, id eſt, confeſſori ſe tradidit crucifigendum, hoc eſt, cruci pœnitentiæ affigendum. *Pudor.* Idem dicimus de motu pudoris, ſi adeò fortis fuerit, ut erubeſcentem de peccatis ſuis abſcondi faciat operimento confeſſionis, atque latibulo. *Dolor.* Similiter de motu doloris, ſi tantus fuerit ut ipſum inducat ad percipiendum ſacramenti pœnitentialis medicamentum. *Ira.* Sic de motu iræ, ſi adeò ſuccenderit ut juxta conſilium Eccleſiæ vendicare aggrediatur in ſemetipſo Dei contumeliam, B & proprias injurias, quas ipſemet ſibi peccando irrogavit. Juxta hunc modum dictum eſt: Iraſcimini, imperativè, & nolite peccare. *Indignatio.* Sic de motu indignationis, cùm euſque pœnitentem erexerit, ut ſordes peccatorum, tanquàm nobilitate ſua indigniſſimas, & jugum diabolicæ ſervitutis vehementi excuſſione abjiciat, auxilium quoque, ut ad dignitatem ſuam redeat per ſacramentum pœnitentiale quærat. Juxta quod legitur. Iſa. 3. Indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et juxta quod Poëta. *Iuvenalis.* Si natura negat, facit indignatio verſum. *Abominatio.* Sic de motu abominationis ſi nauſeam, vel vomitum puræ, integræque confeſſionis, induxerit: latebra enim & non venter humanus, judicanda eſt conſcientia, quæ abominabiliſſimam peccatorum fœculentiam potiùs retinere, ac cuſtodire, quàm vo- C mitu confeſſionis ejicere eligit. *Horror.* Sic de vomitu horroris, ſi adeò fortis fuerit, ut à peccatis, tanquàm à mortiferis, & venenatis, tanquàm ab ipſa morte toto conatu, & viribus reſilire longéque ſe facere & velut ſerpentes, atque buffones à ſe projicere, atque propellere, & tanquàm parvulum ad matrem Eccleſiam, & patrem confeſſorem, & in ſinum eorum ſe recipere faciet pœnitentem. *Nota.* *Odium.* Sic de motu odij, ſi adeò in eo increverit, ut ex animo bellũ vitijs, & peccatis indicat, & arma pœnitentiæ ipſum ſumere faciat. *Execratio.* Sic de motu execrationis, ſi tantus in eo fuerit, ut vitia & peccata, tanquàm ſacrilegia, & profanationes divino cultui, & venerationi inimicas, & corde à ſe avertat, & per ſanctificationem pœnitentialem in minimis etiam longè omninò ab eis fieri, quærat. *Deteſtatio.* Sic de motu deteſtationis ut vitia, & peccata, tanquàm maledicta, & maledictionis cauſas tota in patientia cordis declinare atque ab eis illum avertere, & per benedictionem ſacerdotalem ea à ſe exterminari quærat. D Hi ergo decem motus, quos nominavimus, directè ſunt ad deſtruendum, & mortificandum veterem hominem. Et propter mortem, & extinctionem veteris hominis nominantur mortificatio ipſius, & contritio, quemadmodùm exuſtio, ſubmerſio, lapidatio diſſecatio nominantur occiſio, propter effectum mortis, qui ſequitur ex eis. Timor ergo nominat ipſum timorem nominatione eſſentiali, & propriâ; contritio verò agnominat, ut ita loquamur, ipſum timorem ex effectu, quem diximus. Idem igitur ſunt timor, & contritio ſubjecto, quemadmodùm homo, & album, quemadmodùm potatio & inebriatio ſed addit contritio affectum mortis, ut diximus, ſicut & inebriatio ſuper potationem addit. Idem eſt de pudore, & dolore, & alijs, quæ nominavimus. Et ſcito, quòd contritio non ſecundùm propriam nominationem accipitur hîc. *Contritio quid.* Secundùm propriam enim intentionem, contritio eſt violenta diviſio, partium alliſione, & colliſione, & percuſſione facta.

Digitized by Google

E

Hic autem contritionem intelligimus ſimpliciter deſtructionem, ſeu annullationem veteris hominis, hoc eſt motum, vel paſſionem, quo efficitur in pœnitente, ut vetus homo non ſit: deſtruere enim in ſpiritualibus, & impartibilibus non eſt niſi facere non eſſe. Jam ergo ex his evidenter apparet tibi, quandò quæritur, quis motus contritio ſit, & in quo trium vitium animæ humanæ fiat quia reſpondere debes, quòd quædam contritio eſt timor, & quædam pudor, & ita de aliis Quemadmodùm ſi quæratur cujuſmodi actio ſit occiſio:

Contritio.

Reſpondebis quòd quædam occiſio eſt lapidatio, quædam exuſtio, quædam diſſecatio, quædam transfixio, & quædam præcipitatio. Debes etiam reſpondere, quòd occiſio non nominat actionem, ſed potiùs agnominat. Et non oportet, ut laboremus in adinveniendo probationes ad declarandum, quòd quemadmodùm timor veterem hominem mortificat, & expellit peccatum: ſic pudor, ſic dolor, & quælibet aliarum, quas nominavimus, paſſionum.

F

Hoc enim proximum, & penè inditum, & impreſſum eſt uniuſcujuſque intelligentis intellectui; ejuſdẽ enim fortitudinis ſunt, cùm fuerint ejuſdem intenſionis, & cùm alia fuerint in reis paria: ſenſu etiam, & experientia manifeſtum eſt hoc. Non enim minus, neque pauciores avertuntur, & compeſcuntur à vitiis, & peccatis, timore, quàm pudore, ſi æquè videant ignominiam, & turpitudinem peccatorum, ut credunt imminens eis tormentum: nec minus torquebuntur dolore tormentorum mali inferno, quàm pudore patentium omni oculo turpitudinum: vides etiam quàm multi ſolo pudore à multis illicitis avertuntur, qui pudorem tormento magno, ſi poſſet, redimerent In aliis eſt econverſò.

G

Audies etiam multos malos dixiſſe, & etiam dicentes, quòd mallent flagellati in bſcondito, quàm argui in publico. Et quemadmodùm omnium virium animæ humanæ ſcilicet præmia erunt æqualia in electis, & glorificatis;

Virium animæ præmia.

ſic veriſimile eſt, licet nondùm fide, aut ſacrorum eloquiorum teſtimonio diffinitum ſit, ſeu declaratum, in malis, & damnatis tormenta trium prædictarum virium æqualia fore; licet enim non omnia peccata æqualia ſint, tamen in unoquoque opere peccatrices vires nominatæ æqualiter peccare, vel delinquere videntur; verbi gratia, oſtendamus hoc in exemplo virtutis concupiſcibilis, & ſit opus peccati fornicatio. Dico ergo, ubi æquales ſunt obligationes, æquales ſunt & tranſgreſſiones: quia ergo æquè tenebatur virtus rationalis diſſuadere, ut bonus ac fidelis conſiliatius, opus illud & ponere ante oculos tentati omnia mala, atque pericula, quibus averti poſſit ab opere fornicationis, & iterùm clamare in aures cordis ejus, ut bonus, ac fidelis ſpeculator, deinde ſuadere ei bonum caſtitatis, ſeu continentiæ, & allegare pro ea ſtudioſiſſimè, ne deſeratur, ac diligentiſſimè contra ſpurcitiam fornicationis, ne admitteretur, allegare, ut bonus, ac fidelis advocatus;

H

quia inquam iſta tria officia æquè exequi tenetur vis rationalis contra tentationem fornicationis, ut vis concupiſcibilis ſua officia: ſimiliter vis iraſcibilis æquè tenetur facere, quod ſuum eſt contra eandem tentationem; eadem lege præceptum eſt omnibus eadem auctoritate, ſcilicet divina, cui æqualiter ſubditæ ſunt, ut æqualiter obedire teneantur:

Ex æquali obligatione æqualis tranſgreſſio.

quia ergo æquales ſunt obligationes, earum in hoc æquales ſunt tranſgreſſiones; æqualiter enim peccant negligendo, ſeu tranſgrediendo, hoc eſt, quod ſuum eſt non faciendo, & econtrariò ei quod ſuum eſt faciendo, quacunque enim earum faciente, quod ſuum eſt, non caderet qui tentatur, immò vinceret. Et attende, quòd quælibet illarum peccat non tantùm in non faciendo, quod ſuum eſt, ſed etiam in faciendo contrarium ei quod facere deberet. Vis etiam rationalis figit oculos, ſeu aſpectum cogitationis in ipſam pulchritudinem concupitæ mulieris, & in ſuavitatem ſpurcitiæ voluptatis, cùm deberet ſe ab eis avertere, & non avertit ſe à turpitudine, & ſpurcitia ipſius peccati, malitiaque illius, atque à malis, & periculis, quæ ex ea proveniunt, & quæ proventura ſunt, in quibus defigere debuiſſet cogitationis aſpectum. Sic vis iraſcibilis, qui arma pudoris, & iræ, atque timoris, & cætera hujuſmodi arripere negligit, non ſolùm emoliri fallaciſſimo blandimento hujus voluptatis ſed etiam viliſicari, conculcarique ſe permittit, & hoſtem atrociſſimum intra arcem mentis, quam cuſtodire debuerat, abſque reſiſtentia, aut ictu, turpiſſimè admittit. Hæc autem non ad certum diffiniendo, ſed magis diſputando diximus, ut inquirendæ veritatis in his ſtudioſis occaſionem aliquam demus, nec refert quantùm ad id, quod intendimus, an tres vires peccare, an homo per illas peccare dicatur. Sicut ergo cuſtos, qui æqua facilitate hoſtem arcere poteſt gladio, & baculo, æquè peccat, non arcendo illum gladio, ut non arcendo baculo, & econverſò: ſic videtur de peccante, quòd æqualiter peccet non utendo armis, ſeu defenſionibus unius vis, ſeu virtutis, ut alterius.

Nota

Et quemadmodùm cuſtos cùm æqua facilitate poſſit hoſtem prohibere, vel latronem, à quolibet trium oſtiorum, & æqualiter teneatur illa cuſtodire; æqualiter peccat admittendo hoſtem ſive non prohibendo per quodcunque illorum, & à quocunque illorum;

Simile

ſic ſi per quamcunque trium virium admittatur hoſtis diabolus, ſeu peccatum non prohibeatur, ſive per propria arma, & defenſiones, ſive per alterius aliatũ æqualiter videtur peccare; æquè enim tenetur unuſquiſque prohibere hujuſmodi hoſtes per arma unius virium ab altera, ut non admitteret hoſtem per illam. Quapropter æquè peccat non prohibendo à quacunque hoſtem hujuſmodi, non prohibendo inquam armis alterius vis, ut admittendo in illam, ſive per illam cùm enim æquè teneatur prohibere, ut non admitteret hoſtem, æqualiter ex neceſſitate peccat non prohibendo, aut admittendo, nec econverſò. In perſcrutanda autem ad certum veritate, in his nos immorari nolumus, ad alia feſtinantes. Tu autem recordare, quòd alibi didiciſti, qualiter peccata intendantur ex tribus partibus, ſeu comparationibus.

Intenſio peccatorũ.

Etenim peccatum omne mortale unâ comparatione eſt Dei injuria; alia peccantis ipſius vulnus, aut morbus; tertia in ſemetipſo eſt motus, aut operatio aliqua, vel privatio; & propter hoc ſecundùm quamlibet iſtarum comparationum recipit magis, & minus, diciturque majus, & minus peccatum. Scire etiam debes, quia nulla eſt ratio, quare potiùs timor introducit charitatem, quàm pudor, ac dolor, aut quævis alia ex diſpoſitionibus prænominatis. Si quis quærat, quæ ſit differentia inter attritionem, & contritionem, & inter motus prævenientes gratiam gratum facientem, & motus ipſius gratiæ; qui enim pijs lachrimis, & eleemoſinis, & ſacris exercitationibus jejuniorum, diſciplinarum, orationum, & oblationum, gratiam quærunt, quam nondùm acceperunt, nullatenùs dubitandum eſt, quin gratiam quandam prævenientem habeant, & præparantem eos ad gratiam gratum facientem.

Attritio quomodo differt à contritione.

Dico ergo quòd attritio ad contritionem ſic eſt, ſicut vulneratio non lætalis ad occiſionem, & gratia præveniens, ac præparans ad gratiam gratum facientem, ſicut calefactio ad arſionẽ. & ſicut illuminatio, quę eſt umbra ad irradiationem, hoc eſt, ſicut lumen crepuſculi ad

Digitized by Google

ad radium: & motus hujus gratiæ ad motus illius ſunt. ſicut aratio, rigatio, & ſeminatio, ad vivificationẽ ſeminis, & exortum; & ſicut mollificatio ceræ ad ejuſdem ſigillationem; & ſicut calefactio, ac reſolutio metalli ad ejuſdem formã imaginis ſeu modulum, & infuſionem: & ſicut terſio, & ablutio, & oppoſitio ſpeculi ad formæ in eo apparitionem; omnibus enim præcedentibus, aut præparatoriis quaſi mollificatur cor humanũ, ut ei cõjungatur, & imprimatur Chriſtus Dominus qui eſt imago Dei inviſibilis ſicut legitur 1. ad Col. Et qui eſt figura ſeu character ſubſtantiæ Dei patris, ſicut legitur in 1. ad Hebr. & qui eſt ſignaculũ, ſeu ſigillum, ad imprimendum decoris ſui ſimilitudinẽ in corde humano; ſicut legitur in 8. Cant. Pone me inquit ſicut ſignaculũ ſuper cor tuũ. Et iterùm: quaſi excolitur cor humanũ, & aratur timore, teritur dolore, compluitur lachrymis, ſeminatur verbo Dei, cogitando, ſeu meditando ante ſuſceptionẽ gratiæ gratum facientis.

Nota. In ipſa verò ſuſceptione gratiæ vivificum ſemen ſanctũ propoſitum in eo exoritur. Similiter tanquàm ſpeculum abſtergitur deſertione peccatorũ, abluitur lachrymis, admovetur, & aptatur è directò ad ſuſceptionẽ gratiæ gratum facientis, quæ non eſt, niſi ſuſceptio ſimilitudinis divinæ pulchritudinis. Inter contritionem verò perfectam & operationes gratiæ

Nota hæc theologica. prævenientis, & conſummatas, non eſt mediũ, immò ipſa gratia gratum faciens terminus eſt totius hujus præparationis, & finis, qui per illam intenditur, nec differunt tantùm ſecundùm magis, & minus, immò differunt ſecundùm ſpeciem forſitan, gratia præveniens, ſeu præparans, & gratia gratũ faciens, ſive juſtificans quemadmodùm lumen, quod eſt in umbra, & ſolis radius, aut quemadmodùm ſplendor Lunæ, & fulgor Solis forſitan æquivocè dicitur in his, ſicut calor in vegetabilibus, qui eſt in eis etiam cum frigiditate actuali, & calor actualis, atque ſenſibilis æquivocè calor dicuntur, alter enim eſt inſenſibilis & mulcebris & non lædens ullatenùs id, in quo eſt, immò adjuvat adeò ut calor vitalis propter hoc non

Nota. nominetur; alter verò cùm invaluerit, ſenſibiliter lædit, & proprium ſubjectum deſtruit, aut extinguit; ſic charitas mulcebris eſt, & calor vivificus, & ſenſibilis adeò ut pœnæ nulli illum in ſe ſentiant. Quòd ſi quis dixerit, quòd differant ſecundùm magis & minùs tantùm, amor Dei, quo fervet ille, qui ad gratiam gratum facientem ſe præparat, & amor ille Dei, quem ſuſcipit præparatus: qui enim dicebat: Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas, & quòd deſiderat deſiderare Deum, utique habet, vel habebat unum deſiderium, per quod quærebat aliud deſiderium, quod nondùm habebat: ſimiliter qui quærit amare Deum, utique jam amat Deum, licet nondùm eo amore, quem quærit: cùm enim quærat amare Deum, utique deſiderat amare Deum: qui autem deſiderat, amat; amat ergo amare Deum, & non amat illud, niſi propter Deum: multò ergo fortiùs amat Deum, quia propter quod unumquodque aliquid, illud magis: amor ergo, quo iſte amat Deum, & amor quem quærit, & quo nondùm amat Deum ſunt unius, & ejuſdem videlicet Dei, & ſecundùm idem, & propter idem: ſunt ergo unius, & ejuſdem ſpeciei, & ita non differunt, niſi ſecundùm magis, & minus. In apprehenſivis quidem affectionibus generaliter verum videtur, quòd cùm fuerint quæcunque duæ unius, & ejuſdem numero, & ſecundùm idem ſunt ſpecie eædem; ſicut ſcientiæ quæ fuerunt unius, & ejuſdem numero, & ſecundùm idem, ſeu propter

Scientia. idem, erunt eædem ſpecie: ſcientia enim, quia & ſcientia propter quid, non ſunt unius, & ejuſdem ſecundùm idem, & propter idem, immò propter

A diverſa, ſeu per diverſa: amore autem præparatorio amatur Deus ſecundùm quod Deus, & propter id quod Deus, quemadmodùm amore, qui charitas dicitur: quare erunt ejuſdem ſpeciei amor præparatorius, & amor, qui charitas dicitur. Verùm de his uſque ad certum perſcrutari non eſt propoſiti præſentis. Diligenter autem attende, quòd pœnitentiam ſupra nominavimus refugium, & confeſſionem operimentum, atque latibulum, & ita de unaquaque aliarum nominationum: inde enim nominavimus eam refugium, quia in ea tuti ſumus ab ira, & gladio divinæ animadverſionis: propter hoc nominavimus confeſſionem operimentum, quia ipſa revelatio piæ, ac devotæ confeſſionis velamen quodammodò eſt, & operimentum, quo peccata noſtra quodammodò teguntur & abſcunduntur ab oculis Dei, ne ea videat ad vindictam. Et ad hunc modum conſidera diligenter de cæteris. Si quis autem quærat, quo motore motus iſti fiant in corde pœnitentis & ſe ad gratiam præ-

Pœnitentia refugium.

Confeſſio operimentum.

Quæſtio.

B parantis? Dicimus quòd Spiritu ſancto motore, immò tota Trinitate movente: ipſe enim eſt cujus miſericordia prævenit præparando juſtificandos, & ſubſequitur juſtificando præparatos. Si quis autem quærat, cur potiùs unâ horâ quàm aliâ? Reſpondeo: Quia ipſe ſolus hoc novit, qui quemadmodùm miſeretur cujus vult, & clemens eſt in quem placuerit: ſicut legitur Exodi 23. & quemadmodùm ubi vult ſpirat: ſicut legitur Joannis 3. ſic quandò vult, & quomodò vult: interdùm tamen occaſionem tangendi corda noſtra, reſpiciendi ac viſitandi nos quodammodò ſumit ex aliquibus operibus liberi arbitrii, ſola naturali bonitate bonis: ſicut pius in pauperes ſola pietate naturali reſpicit, & viſitat, ſuperaddens dona gratuita: ſic & aliis bonis naturalibus benè utentes ſuperadditione gratuitorum illuſtrat: ſicut legitur Matthæi 25. &

Alia quæſtio.

C Lucæ 23. in parabolis talentorum, & vinearum. Interdùm autem ſuffragiis Eccleſiæ, & orationibus ſanctorum multi viſitantur, Interdùm ſola abundantia divinæ pietatis. Interdùm occaſionaliter ipſâ magnitudine, & horribilitate peccatorum: plerunque enim qui minora non ſentiunt nec eis terrentur, in monſtrifica ſcelera, & ignominioſas abominationes prolabi permittuntur, quorum magnitudine, & horribilitate exterriti, non ſolùm illa, ſed etiam minora, quæ nec videbant, nec ſentiebant, ſtudioſiſſimè corrigunt, & emendant. Quemadmodùm modicas labes in populo ſuo mulier interdùm lavare negligens, aliqua magna ſorde ſuperinjecta, non ſolùm illam, ſed etiam minores, quas priùs negligebat ſtudioſè diluit, & ab-

Nota.

D ſtergit. Sic pro modica ſciſſura veſtis non ſtatim reficitur, ſed poſtquàm increverit, ejus reparatio feſtinatur. Sic propter dolorẽ capitis non ſtatim medicus aditur, ſed juxta illud, Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt, ad medicum, ſubaudi, & medicinam. Si verò quæratur qualiter ab invicem differant motus gratiæ, & motus liberi arbitrij: Reſpondeo, quòd ſecundùm duas intentiones dicitur motus liberi arbitrij; ſecundùm primam purè, & ſolius liberi arbitrii, & hujuſmodi motum vocamus naturalem, & quem ſcilicet nulla gratia operatur, ſicut eſt ambulare, agros colere, comedere, & bibere, cùm relata non fuerint ad Dei honorificentiam, vel gloriam, nec ad ſalutem. ſecundùm alteram verò intentionem dicitur motus liberi arbitrii velut in modico ipſius, & quaſi pro parte, cùm ſit gratiæ imperantis, & illum emanantis: liberi verò arbitrii, ut ſequentis, ſuſtinentis illum, atque portantis, & iterùm gratiæ, ut dominantis illius, & miniſtrantis: & iterũ gratia

Alia quæſtio.

Nota.

Digitized by Google

ut fontis; liberi verò arbitrii, ut alvei, atque rivalis. Gratia ut Rex eſt, ſeu Imperator in mente humana & ut fons ſcaturiens, ac redundans in terra liberi arbitrii, ſeu cordis humani, emanans velut rivos varios, ac rectas & lucidas cogitationes, ſanctas affectiones, quibus membra corporis, tanquàm machinæ variorum organorum, & inſtrumentorum, tanquàm ductibus aquarum moventur exteriùs ad opera rectitudinis, & verba. Quod autem quæritur de dolore contritionis, & aliis motibus, quos nominavimus, quia in paucis pœnitentibus videntur eſſe fortes, validique, & potentes ad conterendum veterem hominem; in multis verò adeò debiles, ut penè inſenſibiles videantur, videntur etiam perverſi, & ridiculoſi; tantus enim dolor eſt de amiſſione modicæ rei temporalis, adeòque ſenſibilis, ut ſit penè inconſolabilis; de amiſſione verò Dei, & æternæ hæreditatis præterquàm in pauciſſimis, rariſque pœnitentibus penè inſenſibilis eſt dolor. Ampliùs. Pro amiſſione patris carnalis, aut fratris, quis non videat dolores inconſolabiles, & ejulatus, & planctus intolerabiles hominum? pro amiſſione patris ſpiritualis Dei, & fratris ſpiritualis, videlicet ipſius, quàm levis ſit dolor. quàm raræ lachrymæ. quàm facilè areſcentes? Proh dolor, abſque ullo penè ſenſu compaſſibilis, & in aliis jugiter conſpicimus, & in nobis inceſſanter ſentimus. Ampliùs. Incomparabiliter plus dolendum, atque lugendum eſt pro damno, atque amiſſione hujuſmodi ſpiritualium, quæ nominavimus, quàm pro damno, & amiſſione quorumcunque temporalium: major tamen pars pœnitentium, immò penè omnes econtrariò facere videtur, quia major pars pœnitentium incomparabiliter longè eſſe videntur à condigno, & congruo dolore pœnitudinis, & propter hoc à remiſſione peccatorũ, atque à virtute & effectu Sacramenti pœnitentialis, & propter hoc pro remiſſione, & abſolutione, ac benedictione ſacerdotali reportare illuſionem. Ampliùs, Si plus dolendum eſt iſti de amiſſione capitis corporalis quàm alterius membri, & de morte ſpirituali, quàm de morte corporali, & non ita dolet: non dolet ergo quantùm dolendum eſt ei, præſertim cùm ſcriptum ſit in 6. Hier. Luctum unigeniti fac tibi amarum, & Joël 1. Plange quaſi virgo, & accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ. Quaſi ergo amiſſi unigeniti luctus, & quaſi amiſſi ſponſi pubertatis planctus, debent eſſe luctus, & planctus pœnitentis, & quaſi exitus aquarum debent eſſe fluxus lachrymarum pœnitentibus, ſicut legitur in Pſal. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam, & Job 3. Quaſi inundantis aquæ ſic rugitus meus. Juxta hunc modum eſt diſputare de timore, pudore, & aliis nominatis. Jam autem diximus in præcedentibus, quia ſufficit, ut dolor vulnerum peccatorũ tantus ſit, qui faciet ægrum quærere pœnitentialis Sacramenti medicinam, tradereque ſe regendum, ac medicandum ſpirituali medico, videlicet confeſſori. Diximus etiam plerumque, quòd minus habet artificii, & quòd minus habent motus ejuſdem de mortificatione veteris hominis, ſupplet, & ſuperaddit virtus, & efficacia Sacramenti pœnitentialis. Hîc autem addimus, quòd errant homines imperiti, & debilis intellectus in hoc, quia nec ea quæ coram oculis habent videre prævalent: non enim, qui magis ſentitur ignis major eſt, nec qui major eſt, magis ſentitur ex neceſſitate, & hoc eſt, quia minuitur ſenſus ignis à parte ignis quandóque, & quandóque à parte ſenſus. A parte ignis interdùm minoratione ignis, vel incendii remotione interdùm interpoſito prohibente, & impediente calorem ipſius quominùs aut minor proveniat ad ſentientem; à parte verò ſenſus eſt im-

Gratia ut Rex.

Loci.

E pedimentum ſentiendi, cùm inſtrumentum ſenſus, minus paſſibile fuerit à calore, & hoc eſt duobus modis: videlicet duritia ſui, aut ſpiſſitudine, quibus reſiſtit calori, vel ſtupiditate ſuâ, qualis accidit ex frigore nimio: paſſi enim frigus nimium in manibus aut pedibus, manus aut pedes in medias flammas immittunt, nec ſtatim ſentiunt, & hic eſt modus, quo animæ noſtræ ſe habent in iſta corruptione, in qua ſumus, ad ignem ſpiritualem, qui eſt charitas Domini; in ipſo enim manentes illum plerumque ſentiunt; interdùm autem ad modicum illum ſentiunt. Unde vix eſt, qui dicere audeat ſe ſentire charitatem, vel ſe eſſe, aut manere in illa. Juxta hunc modum dicẽdum eſt de dolore; non enim ideò minor in quibuſdam, quia minus ſentitur, quemadmodùm neque amor; quidam enim ſunt duri, & ut ita dicam, ſpiſſi cordis, ut magno vulnere doloris

F percuſſi ad modicum illud ſentiunt: ſicut & de timore verum eſſe apparuit in Abraham Geneſ. 22. Ubi dixit Dominus: Nunc cognovi idest, cognoſcere te feci: Non ſciebat Abraham, vel ſentiebat in ſe tantum donum timoris Dei, quantum experimento obediens ſe habere cognovit. Et attende, quòd ſicut timor, & donum eſt, ſeu virtus una intentione, alia verò motus ex illo dono proveniens, ita & dolor: & ſicut gaudium unum eſt de fructibus Spiritus ſancti ſicut legitur in 5. ad Galat. ita & dolor. Unde & donum luctus nominatur uſitatè, & fons lachrimarum in 8. Hier. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum? Quod autem quæritur, incomparabiliter minus dolet, quàm dolendum ſit, diſtinguere debes, quòd dolendum ſit, dicitur, ſecundùm debitum una intentione, alio modo ſecundùm dignitatem. Si ſecundùm debitum interrogat, falſum eſt quòd dicitur incomparabiliter minus dolet, quàm dolendum ſit ei: is

G enim eſt ſenſus, quàm dolendum ſit ei ex debito: non enim tenetur dolere quis neque debito plus ei dolendum eſt, quàm requirat mortificatio peccatorum, ſive conveniens præparatio ad mortificationem. Diſtinguendum etiam eſt dolere actu, & habitu: interdùm enim qui plus dolet actu, minus dolet habitu, & econverſò. Si verò ſecundùm dignitatem intelligat dolendum, verum eſt, quod dicitur, quia minus dolet unuſquiſque peccator de peccatis ſuis mortalibus incomparabiliter, quàm dignum ſit eum dolere, nec virtus humana ſufficeret portare dolorem, & fundere lachrimas in iſta mortalitate, quibus digna ſunt ejus peccata mortalia. Quemadmodùm ergo, cùm Deus in infinitum ſit dignus diligi, & etiam dignus, ut dili-

H gatur in infinitum, hoc eſt dilectione infinita: nullus tamen peccat, eo quod non diligit eum in infinitum; ſic licet longè majori dolore & luctu digna ſint peccata mortalia, quàm doleantur, & lugeantur etiam à dignè pœnitentibus non tamen peccant, qui ea dolent, & lugent, quantùm debent, atque tenentur quantumcunque ſufficit ad ablutionem eorum & quantumcunque Deo ſatis eſt. Hujus rei aliud exemplum eſt vir eminentis bonitatis, quem ſi honorares eouſque, ut dignus eſt, totum, quicquid haberes expenderes, & adhuc dignitatem ejus honore non æquares. Nunquid propter hoc, quia totum iſtud non facis, peccas in eum minùs honorando eũ, quàm debeas? abſit: immò dico planè quòd abſolvis te, ſi honoras quantùm debes, & quãtùm teneris, alioquin nulli magno viro paucula pocula vini præſentanda eſſent; ſed magna pocula balſami, & vaſa aurea facultates hominum excedentia perquirenda eſſent. Ne dubites autem multùm dolere habitu, etſi non actu, ſeu ſenſu doloris, hominem illum, qui quæcunque contra Deum ama-

Nota.

Dolet.

Nota.

Digitized by Google

verat, vel habuerat. propter ipſum relinquit, atque deponit, & omnia contraria ad conſilium Eccleſiæ, & mandatum aggreditur, & ſuſcipit facienda pariter, ac toleranda; nec incredibile eſt omnipotentiſſimum, ac miſericordiſſimum Deum, quos voluerit, ſive ferro, & igne, ſive tormento & dolore, ſanare poſſe, aut minori tormento, aut dolore majori prout fuerit beneplacitum miſericordiæ ſuæ. Petrum enim lachrimis, & amaritudine pœnitudinis ſalvavit, ſicut legitur Matthæi 27. Paulum verò, proſtratione, & excæcatione, ſicut legitur Act. 9. Veriſimile enim eſt aliquem tanto amore Dei illuſtrari poſſe, tantaque ſpe lætificari, ut gaudium ſit ei deſerere omnia peccata ſua, & facere quicquid ei faciendum ab Eccleſia conſulitur, tantaque perfundi hilaritate ſpei, ut nullus ſit ei timor de præteritis malis, quare & tanto gaudio, ut nullus ſit ei dolor de eiſdẽ. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quòd abſque motu pudoris poteſt eſſe contritio; ſi poteſt eſſe, cur non, & abſq; motu doloris. Eoque enim abominãda eſt ſpurcitia peccatorum, ut timenda pœnalitas ipſorum, ut erubeſcẽda turpitudo ut indignanda vilitas, ut horrenda venenoſitas, ſeu mortiferitas, & converſò. Quia ergo motiva principia motuum iſtorum æqualia ſunt, & æquè mota ſunt, & æquè dignum & juſtum eſt iſtis motibus perſequi, impugnare, arcere, & conterere veterem hominem, quæ æqualiter in attritione, & contritione veteris hominis requiruntur: quare ſi unus eorum ex neceſſitate requiritur, & omnes, & ſi nec unus, nullus. Motiva vocamus pœnalitatem peccatorum, ſpurcitiam, turpitudinem, damnoſitatem, mortiferitatem, & vilitatem, & cætera hujuſmodi. quæ omnia videntur æqualia & propter hoc tormenta in inferno illis reſpondentia; videntur æqualiter peccatis reddenda fore æqualia, verbi gratia: at quantus erit dolor ex vulneribus peccatorum in inferno, tantus ſit fætor ex ſpurcitia ipſorum, tantus pudor ex turpitudine ipſorum, tanta contumelia, & exhonoratio ex vilitate ipſorum.

Contritio poteſt eſſe abſque motu pudoris.

CAPUT VII.

Proſequitur inſtitutam diſpoſitionem de attritione & contritione.

REvertamur ad id, in quo eramus, & dicamus, quòd ſi omnes iſti motus requiruntur in attritione, vel contritione veteris hominis, accidet contritionem, & juſtificationem peccatoris non poſſe fieri in inſtanti, vel ſubitò, vel uno. & eodem inſtanti moveri animam humanam omnibus motibus iſtis, & aliis etiam, quos non nominavimus hîc, adhuc; neceſſe eſt enim ut moveatur, qui atteritur, vel conteritur de peccatis motu fidei, ſeu alia apprehenſione, & iterùm motu ſpei; non enim veniret ad ſacramentum pœnitentiale, niſi ſperaret de venia obtinenda, & gratia amiſſa recuperanda. Neceſſe etiam eſt, ut moveatur motu dilectionis alicujus, ſive ſit illa charitas, ſive non; non enim quæreret per pœnitentiale ſacramentum veniam, & gratiam, niſi diligeret, & deſideraret illas. Alterum autem iſtorum ex neceſſitate dubium eſt, utrùm per unum iſtorum motuum, decem ſcilicet quos ſæpè nominavimus, fieri poſſit contritio, & mortificatio veteris hominis; aut ſi per unum fieri non poteſt, neceſſe eſt eam non poſſe fieri in inſtanti omninò, aut ex neceſſitate movebitur anima humana multis motibus uno, & eodem inſtanti, & hoc in via, ideſt, in ſtatu vitæ iſtius. Manifeſtũ autem eſt, quia qui videt mulierem; & concupiſcit eã, ſimul movetur motu viſionis, & motu deſiderij in eandem. Poteſt autem fieri ut dùm intuetur eam & concupiſcit, tunc erubeſcat intueri eam propter ſpectantes, & timeat etiam intueri eam propter maritum præſentem. Ecce iſti tres motus, videlicet deſiderij erubeſcentiæ, & timoris videntur ſimul eſſe in anima iſtius: quòd ſi forte caſtus fuerit, movebitur contrario motu illi deſiderio; qui enim concupiſcit, & reprimit concupiſcentiam, ſimul videtur habere duos motus, videlicet motum ipſum concupiſcentiæ, & motum repreſſivum illius; ſi enim quandò movetur motu repreſſivo, non movetur motu concupiſcentiæ, qualiter ergo reprimitur, cùm non ſit; ſi verò ſimul ſunt contrarij motus in eodem: motus enim illi indubitanter ſcilicet concupiſcentiæ, & caſtitatis, alter illorum pugnat contra alterum. Quod inquit Apoſtolus in 7 ad Rom. Hoc ago ideſt concupiſco invitus ſcilicet ipſam concupiſcentiam reprimens. Idem eſt in ægrotante, qui vehementer ſitit poculum ſibi nocivum, & tamen ſibi non acquieſcit ſiri, ſed magis reprimit; quapropter videtur ſimul moveri contrariis motibus Jam autem hoc determinavimus in præcedentibus; reprimere enim motum, non eſt niſi facere ut non ſit; vel facere ut debilior ſit quàm eſt. Non cogimur ergo dicere, ſi motus iſte reprimitur, ergo eſt, ſed ſequitur, vel ut non ſit. vel ut debilior ſit, quàm eſſet ſi tamen erit. Et intelligimus debiliorem comparatione fortitudinis, quàm haberet, ſi motus repreſſivus non eſſet; procederet enim ut creſceret uſque in conſenſum. Intelligimus etiam debiliorem, licet interdùm poſt motum repreſſivum ſurgat fortior, & invaleſcat multùm, quia licet ei fortitudo multò accreſcat, poſt motum repreſſionis major accreſceret, niſi illum motus repreſſivus compeſceret. Et poſſibile eſt, quòd anima humana moveatur motibus multis uno, & eodem inſtanti, ubi alter ex altero eſt, ſicut motu apprehenſionis, & motu, qui eſt ex ipſa apprehenſione: quemadmodùm in propoſito exemplo apparet; viſu enim mulieris, & motu concupiſcentiæ ſimul movetur intuens illam: eodem modo ſi alter motus adjuvet alterum; quemadmodùm ſi aliquis intueatur Doctorem, ut attentiùs audiat ſimul movetur viſu, & auditu, & inſuper intellectu, & cogitatione ejus, quod audit ab ipſo: ubi autem motus ſe invicem non adjuvant, vel ubi alter ex altero non eſt. veriſimile eſt animam humanam moveri non poſſe in ſtatu hujus viæ hujuſmodi diverſis motibus ſimul. quid verò de hoc veritas habeat, in patria, non hîc diffinimus.

Attritio.

Contritio.

Nota.

Nota.

CAPUT VIII.

Comparat juſtificationem à vitiis, quam reſurrectionem ſpiritualem nominat ſuſcitationi pueri, quem ſuſcitavit Eliſæus & ſanationi pueri quem (ut legitur in Evangelio) curavit Dominus Ieſus. Motus verò preparatorios attritionis, & gratiæ preparantis, æquiparat oſcitationibus pueri Eliſæi, & 7. horis, de quibus legitur in Evangelio Ioannis.

POſt hæc debes ſcire quòd ipſa contritio ſeu juſtificatio vitiorum, quam reſurrectionem à morte ſpirituali, & terminationem ægritudinis ſpiritualis ſupra nominavimus, ſuſcitatione pueri, quem ſuſcitavit Eliſæus 4. Reg. 4. & ſanatione pueri quem ſalvator in Evangelio Joan. 4. ſanaſſe legitur figuratur. Motus verò præparatorij, ſcilicet attritionis & gratiæ præparantis ſeptem oſcitationibus pueri Eliſæi, & ſeptem horis de quibus in 4. Joannis legitur: quòd hora ſeptima reliquit eum febris, congruenter intelliguntur: per ſeptem enim,

Nota.

Digitized by Google

univerſitas gratiæ prævenientis, ac præparantis rectè intelligitur, tùm propter ſeptenarium, qui eſt numerus univerſitatis, tùm propter ſeptiformem ſpiritum, tùm propter univerſitatem vitiorum, ac peccatorum, quæ univerſa ad ſeptem principalia reducuntur, tùm propter ſeptem operationes ſpiritusſancti, quas in cordibus pœnitentium præparans, atque purificans plerumque & frequentiùs operatur, tres ſcilicet in virtute apprehenſiva, ſive rationali, quarũ prima eſt recordatio, ſeu recogitatio bonorum à Deo auctore, & largitore receptorum, & malorum eidem redditorum. Secunda eſt recogitatio bonorum promiſſorum, ac præparatorum domini diligentibus, atque quærentibus, & malorum minatorum, ac præparatorum contumacibus, & ad Deum redire nolentibus. Tertia verò eſt ipſa viæ recogitatio, viæ inquiſitio, atque prævisio ipſius viæ ſcilicet, qua ab his malis effugiat, & ad Deum redeat, & bona ejus recuperet. His tribus recogitationibus quaſi tribus oſcitationibus, velut os cordis aperit ſpiritualiter reſuſcitandus, ut ſpiritum ſanctum attrahat: quatuor verò ſequentes oſcitationes ſunt timor, & dolor, ira, & pudor; & iſtæ ſeptem oſcitationes ſunt ſicut ſeptem horæ in quarum ſeptima febris ſpiritualis, pœnitentem relinquit. Quatuor verò ultimarum quælibet poteſt eſſe ultima, & à qualibet illarum poteſt incipere Spiritus ſanctus ſanationem virtutum motivarum. In quibuſdam enim incipit ab ira ſancta, in quibuſdam à timore, in quibuſdam à pudore, in quibuſdam à dolore. Totum autem ordinatum eſt, quicquid beneplacitum Spiritus ſancti eſt. Et attende, quòd in operationibus Spiritus ſancti non humanum artificium, neque ordo artificialis quæritur, ſicut evidenter vides in dictaminibus ipſius, ubi nec ordo naturæ inveniri poteſt, quemadmodũ nec in viſionibus; ſpiritus enim Prophetarum, nunc huc, nunc illuc ferebatur: Et propter hoc Can. 3. dicitur: ſponſus ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Sic & in orationibus experieris Spiritum ſanctum incipientem tangere cor orãtis interdùm à gratiarum actione, interdùm à ſuiipſius accuſatione, quandóque à dolore, quandóque à timore, & plerique aliter & econverſò, & plerique aliter. Quemadmodùm citharista non ab una chorda incipit omnem cantilenam, nec ab unius chordæ eodem gradu, ſed diverſis ordinibus, & gradibus tangens chordas varias format ex eiſdem vocibus cantilenas; ſic Spiritus ſanctus cor formavit ex cavatione humilitatis citharam, & nervis virtutum aptavit ad ſpirituales reſonantias, & variis ordinibus, tangens hujuſmodi nervos varias modulationes, attritionem, & orationem conficit, & componit ex earundem virtutum, atque donorum ſonis, hoc eſt motibus, & operationibus internis. Poſtquàm autem manifeſtum eſt, contritionem mortificationem eſſe veteris hominis, & extinctionem vitæ culpabilis, ac peccatricis; manifeſtum eſt, ipſam juſtificationem, ſeu ſanctificationem, reſurrectionem eſſe novi hominis in vitam gratiæ, ſive in juſtificationem ipſius, & novæ, hoc eſt laudabilis, & ſpiritualis vitæ inſpirationem, ſeu infuſionem; & propter hoc eas ad invicem ſe habere ſicut corruptionem, & generationem, & ſicut egreſſum de uno loco, & egreſſum in alium; qui enim conteritur ſeu juſtificatur ſic, exit de profundo vitiorum, & peccatorum, ſicut de cloaca ſtercorum & immunditiæ, ſicut de lacu miſeriæ & de luto fœcis, ſicut de ſepulchro ſpurcitiâ pleniſſimo & vermibus ſcatente, ſicut de carcere horrido, & vinculis duriſſimis, ſicut de limo profundi, ubi non eſt ſubſtantia, ſicut de ore leonis; ſicut Jonas de ventre cæti Jonæ 2. ſicut de altitudine ventris inferi, Eccleſ. ultimò, ſicut de inferno inferiori: quemadmodùm legitur in Pſal. Siquidẽ infirmis ſuperior pœna eſt, inferior verò infirmis culpa, & iterum egreditur peccator Deo educẽte, & extrahente ſicut damula de manu diaboli, intellige ex 7 Prov. Et ſicut avis de laqueo, & piſcis de hamo ex 9 Eccl. Ingreditur autem ſicut apothecam Spiritus ſancti, & cellam omnium aromatum ſpiritualium, & ſicut hortum voluptatum ſpiritualium & paradiſum ſanctarum deliciarum, & ſicut vitam, aut regionem vivorum, ſicut in altitudinem, & locum ſpacioſum, quaſi equus in deſerto, & non impingens, & quaſi animal in campo laſciviens. Ex 6 Iſa. & ideò congruenter ſequitur, ſpiritus domini ductor ejus fuit: ſicut vineam ſine impedimento, & campum germinantem ex profundo nimio & ultimo Sap. ſicut in manus clementiſſimi patris, & ſicut in gremium tota aggratulatione blandientis matris: & ſicut litus tranquillitatis, & ſecuritatis: & ſicut in domum refugij; ſicut in cœlum inferius, quod eſt ſtatus puriſſimus gratiæ, cœlum enim ſuperius ſtatus eſt gloriæ: & ſicut in libertatem ſecuri diſcurſus, atque natatus: generaliter autem egreditur de perditione in ſalutem, & ſalvatur ex ore anguſto, & lacu non habente fundamentum ſubter ſe: ſicut legitur Job 26 Et ſicut præda de dentibus iniqui contritis molis, ſive molaribus ipſius. Quemadmodùm David 17 primi Reg Quòd veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis & perſequebatur eos, eruebamque prædam de ore eorum, & illi conſurgebant adverſùm me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos: ſic verus, ac ſpiritualis David Chriſtus Dominus contritis dentibus diaboli id eſt aculeis tentationum, quibus ſolùm animas peccantium devorat, velut arietem, aut ovem eripit, quos juſtificat. Mirabile autem eſt valde, quod dicit Amos 3. Quomodò ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: ſic eruentur filij Iſraël. Quod quamvis juxta literam intelligebatur de paucitate, & reliquiis eorum de filiis Iſraël, qui non erant dandi in captivitatem, & gladium inimicorum Deo eruente, ſive liberante, tamen ſpiritualiter velut uſque ad extremum auriculæ à diabolo devorari intelliguntur, in quibus omnia bona gratiæ dentibus diabolicis id eſt tentationibus & peccatis conſumpta ſunt, hoc ſolo excepto, quod aliquid licet ad modicum de Dei verbis, & ſacris exhortationibus libenter audiunt Qui auditus, ſive audiendi voluntas per extremum auriculæ deſignatur. Sic & illos uſque ad duo crura devoraſſe intelligitur diabolus, videlicet in quibus abſtulit omnia alia bona gratiæ, præterquàm ſolam caſtitatẽ corporis, quæ in duobus cruribus intelligitur, vel præterquàm ſpem, & timorem, quibus velut cruribus nonnulli peccatores adhuc ſuſtentantur, qui quamvis aſſiduè peccent, non tamen abſque timore Dei ſunt peccantes ſub Deo, ut dicitur uſitatè, nec abſque ſpe ſunt, dùm de multitudine miſericordiæ ſperant ſe viſitandos aliquandò, ac de peccatorum captivitate, ac vinculis eripiendos, & eruendos.

Oſcitationes.

Operationes Spiritus Sancti.

Similitudo.

Contritio mortificatio veteris eſt hominis.

Nota

Simile.

Nota.

CAPUT IX.

Elegantiſſimam facit comparationem futuræ reſurrectionis corporalis ad hanc reſurrectionem ſpiritualem.

VT autem de ipſa contritione ſit tibi verborum copia exhortationis abundantior, conſidera diligenter formam futuræ reſurrectionis corporum,

Reſurrectio corporalis. rum, & verba quæ de hac leguntur Ezech. 37. Quia indubitanter illa reſurrectio, videlicet corporalis, quædam ſimilitudo eſt reſurrectionis, de qua loquimur ſpiritualis: ſicut expreſſè reſtatur veritas Joan. 7. Quia venit hora, & nunc eſt, quandò mortui audient vocem filij Dei: ſicut enim tunc concurret pulvis à quatuor ventis incineratorum corporum juſſu & virtute Dei omnipotentis, ad reformationem ipſorũ: ſic nunc ad interiorẽ auditum vocis filij Dei, hoc eſt ſacræ exhortationis, concurrit, *Nota.* velut pulvis diſperſatum cogitationum, & Deo compingente colligitur, & conglutinatur in unum, ut efficiatur unum cor novum unitis cogitationibus ad unum inquirendum, & inveſtigandum, & unitis affectionibus ad uni adhærendum, quod unum Deus eſt. Exeunt ergo velut de tumulis ipſa corda de rebus malè amatis: omne enim amatum mortuum, & omne amatum illicitè tumulus eſt, & ſepultura amantis, ſicut legitur Prov. 12 Deſiderium impij monumentum eſt peſſimorum, ſecundùm unam literam, deſiderium ideſt res deſiderata, hæc autem eſt res amata ideò dictum, & ſepulcra eorum, domus illorum, malè ſcilicet amantium domus ſuas. Circa hoc ergo attende, qualiter terræ motus fiat per timorem in iſta reſurrectione, qualiter in adventu filij Dei ad illuſtrandum cor pœnitentis, illuminantur abſcondita tenebrarum, hoc eſt omnes fœditates, & deformitates peccantis, ſeu pœnitentis, quas priùs non videbat, & manifeſtantur conſilia cordium per revelationem confeſſionis, ſicut legitur in 4 primæ ad Cor. Attende etiam qualiter iſta reſurrectio fiat ad pœnitentiale judicium, qualiter omnes ſic reſurgentes oportet manifeſtari. Ex 5. ſecundæ ad Cor. ante tribunal Chriſti, quod eſt forum pœnitentiale, ubi velut officialis Chriſti, velut præco ſpiritualis, velut judex animarum, ſedet confeſſor, & in eo, ac per eum, ſic rectè, ac laudabiliter officium confeſſoris exequitur judex Chriſtus Dominus: propter quod dicimus ante tribunal Chriſti. Et quemadmodùm damnandi tunc timentes, dolentes, erubeſcentes, veniunt ante tribunal Chriſti judicantis: ſic & pœnitentes venire convenit ad ſedem confeſſoris, & ſicut ibi damnandi damnabuntur in mortem æternam, & abyſſum amaritudinum: ita hæc omnia vitia, & peccata ideſt membra veteris hominis, tanquàm quidam impiorum cœtus, poteſtate judiciaria, & virtute clavium in mortem æternam abſque reſurgendi ſpe danda ſunt: quod utrique tunc fit, ſecundùm quod hîc intendimus, cùm propoſitum nunquàm de cætero relabendi, virtute clavium, & miniſterio ſacerdotali, pœnitenti infunditur: & quemadmodùm in *Damnatio peccatorum, & vitiorum.* futuro judicio juſti aſſumentur in vitam æternam, ſic in iſta reſurrectione prima ſpirituali quæcunque virtutes, aut dona, novi hominis membra, tanquàm electorum cœtus, nutrienda, augenda, roboranda ſeorſùm, tanquàm agni ab hædis ſeparata, & aſſumenda ſunt in vitam gratiæ perpetuam. perpetuam dico propoſito perſeverantis indefectibilis, *Similia.* & perennis; ſic velut infernus damnationis perpetuæ veteris hominis eſt pœnalitas ipſa contritionis, ubi ab aquis nivium transferendus eſt jugiter ad calorem nimium ſicut legitur Job 24. videlicet congelicidio, & tremore timoris, ad iræ, indignationis, & odij, quas ſupra nominavimus paſſiones, hîc velut ſtagnum ſulphuris, & ignis ſunt abominatio, quam diximus, & ita, propter fœtorem ſulphuris, abominatio, propter ardorem iræ, hîc velut mare gelidiſſimum, & amariſſimum, in quod frequenter immergendus eſt vetus homo, donum luctus eſt affluentia lacrimarum, dico timoris atque doloris. Et juxta has ſimilitudines, cætera tor-

A menta infernalia proſequi facile eſt exercitato in his, & intelligenti. Scire etiam debes, quòd iſta mirifica operatio divinæ virtutis, & bonitatis creatio novi cordis nominatur Pſal. ſcilicet; Cor mundum crea in me Deus, non ſolùm propter hoc, quia *Creatio novi cordis.* tanquàm de nihilo humilitatis quodammodò per contritionem cor novum à Deo efficitur, ſed propter animandos & ſoli omnipotenti Deo poſſibiles conformationes; eſt enim creatio novi cordis, ſive juſtificatio, ſive generatio viri mundiſſimi ex cinere vehementia caloris liquefacto, & reſoluto ſcilicet: cinis enim eſt, cor peccatoris: ſicut legitur Eccleſ. 10. Quid ſuperbis terra, & cinis? Hunc cinerem vehementia caloris Spiritus ſancti reſolvit, & liquefacit, & in vitrum mundiſſimum, atque lucidiſſimum *Hieruſalem.* transformat, de quo ipſa civitas Hieruſalem, & platea ejuſdem ædificanda eſt pro magna parte: ſicut legitur Apoc 21 Ipſa civitas aurum mundum ſimile vitro mundo: & iterùm; Platea civitatis aurum mundum, tanquàm vitrum perlucidum: Et iterùm,

B Ipſa eſt ſicut generatio æris ex lapide vehementia *Cor obduratum eſt.* caloris diſſoluto, ac liquefacto. Sicut legitur Job 28. Lapis calore ſolutus in æs vertitur Cor enim quocunque vitio obduratum, lapis eſt, ſicut in eodem ejuſdem legitur Lapidem quoque caliginis, & umbra mortis dividit torrens à populo peregrinante: Et ejuſdem 41. Cor ejus indurabitur quaſi lapis. Et iterùm Ezech 11 Auferam cor lapideum de carne eorum. Hujuſmodi ergo lapis calore divinæ dilectionis reſolutus, ac liquefactus in æs ſuaviſſimæ ſeveritatis, & indeficientis ſoliditatis vertitur, ut confeſſionem peccatorum, & laudum divinarum ſalubriter, ac delectabiliter reſonet. Et eſt ita divinæ virtutis operatio, ſicut deſtructio unius imaginis per reſolutionem metalli ipſius, & generatio contra-

C rij, ex eodem metallo in contrarium modulum tranſfuſo: cor enim peccatoris imago Diaboli eſt, Dia- *Cor peccatoris imago diaboli.* bolicæ turpitudinis ſimilitudine ſigillata: hæc enim ſimilitudo deletur, hæc diabolicæ deformitatis impreſſio à corde peccatoris igne divini amoris reſolvitur, & contraria in eodem corde, ideſt, Dei imago, generatur & decor divinæ ſimilitudinis eidem imprimitur, ipſa in formam, ſeu modulum divinæ legis transfuſa. Et hoc eſt, quod legitur in Pſal. Imaginem eorum, hoc eſt diabolicæ ſimilitudinis turpitudinem in civitate ſua ad nihilum rediges: in ipſo enim ingreſſu civitatis, qui eſt baptiſmus fluminis aut flaminis, in adultis, tota illa diabolicæ deformitatis monſtruoſitas penitùs aboletur: ſi qua enim in Chriſto nova creatura eſt, vetera tranſierunt, & ecce nova facta ſunt omnia. Sicut legitur in 2. Corinthiorum quinto, & in Pſal Sicut

D fluit cera à facie ignis, ſic peccator à facie Dei. Quemadmodùm enim in cera liquefacta, nec ſcriptura, nec ſigillatura remanet: ſic à corde igne Sancti Spiritus liquefacto, omnis ſcriptura mortiferi *Similitudo.* erroris, omnis diabolicæ ſimilitudinis deformitas evaneſcit. Eſt etiam hæc operatio divina videlicet, veteris hominis contritio, ſicut hominis nivei, ſeu glacialis, quem pueri ex nive congeſta in plateis ef- *Similitudo apta.* figiare ſolent, deſtructio, atque adnihilatio per calorem diſſolventem ipſum: membra enim veteris hominis vitia ſunt, ſicut legitur ad Coll. 3 Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem &c. Quemadmodùm enim de homine hujuſmodi, quandò totus niveus eſt, nullum relinquit calor diſſolvens veſtigium, nullum exiſtentiæ præcedentis indicium, immò remanet terra nuda, quæ illum portabat: ſic congerie illa, ſeu corpore vitiorum, atque peccatorum ſuperradiante ſole intelligentiæ, atque juſtitiæ diſſoluto, remanet velut terra nuda, natura corporis

Digitized by Google

humani, quæ monſtrum illud infernale portabat. A
De hoc legitur Eccleſ. 3. Solventur quaſi glacies in inferno peccata tua. Si autem quæratur à nobis qualiter obtinebitur iſtud tam ſalubre, tamque mirificum Dei donum, videlicet gratia contritionis, atque juſtificationis? Reſpondeo quòd tribus modis obtinetur. Primus modus gratuitè tantùm, hoc eſt nulla cooperatione, nullo merito, nec proprio, ſcilicet, nec alieno, ſed ſola Dei juſtificantis, vel vivificantis miſeratione. Secundò, meritis intercedentium, ſive eorum, qui in cœlis ſunt, ſive eorum qui in terris ſunt, & hoc eſt dicere, ſuffragijs ſanctorum. Tertiò cooperatione, & adniſu, ſive conatu eorum, quibus tribuitur iſtud Dei donum. Hujuſmodi autem cooperatio multiplex eſt: quia enim iſta cooperatio quantùm ad recipientes ſeptem habet cooperationes notiſſimas, & alias quamplures. Ipſis cooperationibus liquidò edocemur, qualiter cooperari, & qualiter, quod in nobis eſt, facere debeamus, ut receptioni tantæ gratiæ idonei ſimus; quia enim illuminatio eſt, prima ſui cooperatione, docet nos unum ex quatuor facere, ſi quærimus illuminari. Primùm eſt, ad lumen accedere. Accedite inquit, ad eum, & illuminamini, quod eſt, ad lumen doctrinæ, & exemplorum rectitudinis, hoc eſt ſanctorum operum, appropinquate, & hoc eſt à rectè & gratiosè docentibus verba ſalutis audire, atque ſanctorum virorum converſationem, & opera videre; doctrina enim, & exemplum velut duæ feneſtræ ſunt, per quas lux veritatis ad audientium, atque ſpectantium corda transfunditur. Secundò aperiendæ ſunt feneſtræ, ſeu oſtia domus noſtræ, ut lux divinæ gratiæ ad intrandum paratiſſimam viam, qua iter habeat: feneſtræ & oſtia oculi ſunt, & aures ſunt, tàm interiores, quàm exteriores: apertio autem interiorum oculorum, & aurium, attentio ſcilicet intellectus & deſiderium affectus ad id enim, quod attendimus, aperimus intellectum, ut intret per cognitionem, ad id, quod deſideramus, aperimus affectum, ut intret ad fruitionem; quæ enim nota ſunt, jam intraverunt intellectum, & quæ animata, per fruitionem, ſeu gaudium obtenta, jam intraverunt affectum. Tertiò intueri debet, & in id, quod cognoſcere, & à quo illuminari deſiderat, vertere faciem, & dirigere aciem oculorum, ne de illis ſit, qui ſtatuerunt oculos ſuos declinare in terram; & qui vertunt ad Deum tergum, & non faciem: Iſa. 34. Quartùm eſt, ut avertat ſe à tenebris, & ne quærat in eis lucem veritatis; quod propter illos dicimus, qui proprio ſenſui adeò adhærent, ut ab illo averti non poſſunt: nonnulli verò alieno ſenſui, humano tamen, conſque addicti ſunt, ut non niſi doctrinis, & traditionibus hominum credere poſſint. Cùm ergo ſenſus humanus quantùm in ſe eſt, & in eo, quod humanus tenebræ ſit atque ſtultitia, ſicut docet Apoſtolus in 2 & 3 primæ ad Cor. ab eis avertere ſe neceſſe habet qui divinæ veritatis luce illuſtrari deſiderat. Ex quo apparet inſaniſſima cœcitas hæreticorum, & omnium in rebus divinis in ſenſu ſuo ambulare volentium. Secunda cooperatio ſua calefactio eſt, & quis non videat, quia calefieri volentes, igni appropinquant, & algentes manus interdùm in medias flammas immittunt externa, & alia interpoſita quibus calor ab eis prohibetur, vel impeditur tollunt, nec ſtatim ſe ab igne avertunt, quin potiùs tam diu juxta ignem ſunt, donec ſe ſentiant calefactos? Et ſi aliquid diſſolvi, vel liquefieri voluerint, etiam follibus & flatu, ac vento, vim caloris in intima illius quodammodò impingunt: ſic & tibi faciendum eſt ad Deum, qui ignis conſumens eſt, ſicut legitur Deut.

Gratia contritionis tribus modis obtinetur.

Cooperatio noſtra ad gratiam multiplex eſt.

Primùm.

Secundū.

Doctrina, & exemplum feneſtra duæ ſunt.

Nota.

Tertiū.

Quartū.

B C D

4. In medium verborum ejus tranſi, quæ ignis ſunt, ſicut legitur Hier. 24. Cujus eloquium ignitum vehementer, ſicut legitur in Pſal. Et tam diu tenere debes in iſto igne cor tuum, donec illud ſentias calefactum, nec debes ipſum projicere, vel mergere in aquam gelidiſſimam mundanæ ſolicitudinis, ac voluptatis; ibi enim non ſolùm infrigidatur, ſed etiam congelatur, & aura gratiæ penitùs mortificatur. Tolle externa, quæ te abſcondunt à calore ejus hæc autem ſunt omnia alia cogitata. omne enim aliud cogitatum Deum abſcondit cogitatione, ſaltem hora cogitationis. Quòd ſi fuerit amore, & ſolicitudine fixum in corde, erit ſicut paries inter cor tuum, & ipſum prohibens calorem ejus à te. De hoc pariete dicitur Can 2. En ipſe ſtat poſt parietem. Et dicitur Ezech. 13. Complebo indignationem meam in pariete. Tolle ergo parietem de medio qui abſcōdit à te fornacē immenſam, & caminū infinitum divinæ bonitatis: deinde adhibe flatum propriæ exhortationis, & recogitationis terribilis judicij Dei, & iræ quæ cōſumptura eſt adverſarios: ſicut legitur in 10. ad Hebr. deinde cogita divitias bonitatis ejus in creando, & formando te, & naturalibus donis ac temporalibus ditando, deinde divitias miſericordiæ ejus in reparando te: tertiò divitias patientiæ, longanimitatis ejus in ſuſtentando, & expectando te: quartò ſuperabundantiam pietatis atque dilectionis ejus in revocando te, invitando, gratiam offerendo. Iſtæ conſiderationes & recogitationes ſunt ſicut flatus impingentes divinam bonitatem in intima cordis humani Divina autem bonitas fornax immenſa eſt, & caminus infinitus emicans, & emittens flammas ſuæ dilectionis in eos, qui illius capaces ſunt. Et propter hoc charitate ardet totum cœlum, id eſt millia millium ſanctorum angelorum, & beatarum animarum. Tertia cooperatione ſua contritio eſt percuſſio. Si ergo vis conteri cor tuum aut tu ipſe percute illud malleo verbi Dei, qui eſt malleus conterens petram, ſicut legitur Hier. 23. Aut expone illud malleantibus, hoc eſt hujuſmodi malleo percutientibus, hoc eſt objurgantibus, & increpantibus, ponens ipſum ſub malleo verbi Dei jugi, ac ſtudioſo auditu ſacræ doctrinæ, & prædicationis & ſimiliter ſub virga ferrea divinæ flagellationis; ſi enim ſubterfugis flagella divinæ juſtitiæ, ſi avertas cor tuum ab illis, non quæris contritionem ipſius, ſed potiùs integritatem, ut ita loquar, fractiſſimam, & ſanitatem mortiferam illius. Quarta cooperatione eſt mundatio. Ipſa autem mundatio unumquodque docet exire de ſordibus, & quærere lavacrum & ab attactu ſpurcitiarum ſe avertere: qualiter enim illum qui aſſiduè volutat in ſordibus, & aquæ mundificantis ductus à ſe avertit, & aditus, quominùs ad eum veniant obſtruit mundari velle dicemus; hoc eſt, qui quotidie reperit, & iterat ſpurcitias ſuas, quemadmodùm lutoſus in volutabro luti ſicut legitur Can. Petri 3. Omni ſiquidem opere malo ampliùs ſordet, qui in ſordibus eſt, & ampliùs elongat, & avertit à ſe fluenta gratiarum, & ampliùs obſtruit, & occludit cordis aditus intellectum ſuum ſcilicet, & affectum. Quinta cooperatione eſt doni iſtius inæſtimabilis receptio, quæ evidenter docet manum extendere, & ſaccum cordis aperire ad recipiendum, manum extendere ad recipiendum Dei donum, quod nondùm habet, qui eandem extendit ad operandum ex bono, quod jam habet. Quemadmodùm ſi quis bonum caſtitatis nondùm habet, ſed tamen bonum pietatis in pauperes habet: quoties manum ad dandum pauperibus porrigit, toties illam ad recipiendum à Deo bonum, quod non habet, extendit. Sexta vivificatio

Nota.

Nota.

Nota.

Similitudo.

non habet, extendit. Sexta vivificatio eſt, ſive reſurrectio ut diximus. Manifeſtum autem eſt tibi, quòd vivificabile, & nondùm vivens in effectu, non accipit vitam, niſi à vivo, & habente vitam, vel ab ipſo fonte vitæ, & propter hoc non ſolùm neceſſe habet alterutri eorum conjungi abſque medio, ſed etiam adhærere; impoſſibile eſt enim membrum quod non adhæret corpori viventi, aut alicui ex membris ejus, vitam accipere, & corpus quod non adhæret animæ, neceſſe eſt mortuum eſſe. Propter hoc vivere quærentibus vitæ gratiæ, adhærendum eſt corpori ipſius Eccleſiæ, cohabitatione ſcilicet & comitatu ſanctorum, adhærendum ſimiliter Deo multa, immò jugi, & aſſidua frequentatione ipſius, aſſiduè audiendo eum in ſuis eloquiis, loquendo ei confeſſione, oratione & laudibus, famulando ei ſaltem in ſuis hoc eſt conſulendo, adjuvando, fovendo, benefaciendo ſuis. Qui autem ſic Deo, & Eccleſiæ fonti diu adhæſerit, citò vitæ gratiæ particeps erit. Septima cooperatione reconciliatio eſt, ſive pacificatio ad Deum, ubi quis dubitat ſacrificium offerendum eſſe, & preces fundendas ad ipſum. & propter hoc precibus obnixis ferventibus, lachrymoſis, eundem exorandum eſſe, quis neſciat? Deinde cujuſmodi animal occidendum eſt Deo in ſacrificium niſi quod peccaverit, hoc eſt, miſeris cor peccatoris; quid enim meruere boves, animal ſine fraude, doloque? ſunt aliæ plures nominationes, ſeu operationes, quas nos cauſa brevitatis prætermimus ſicut eſt directio à fortitudine, & refactio, ſeu reparatio à detritione, & reædificatio à deſtructione, & reveſtitio à ſpoliatione, & ſanatio à vulneratione, & contractio à dominatione, & reſipientia, ſeu mentis reverſio ab ebrietate, & alienatione. & multa hujuſmodi quorum unumquodque conſiderantem evidenter docet qualiter ipſum quærendum ac procurandum ſit.

Vita gratiæ.

Reconciliatio ad Deum.

Nota.

CAPUT X.

Quæſtionem Thelogicam format, diſcutit, & ſolvit, videlicet utrum gratia præcedat remiſſionem peccatorum, an econverſò.

NUnc verò declarare tentabimus, utrùm remiſſionem peccatorum præcedat gratia ordine naturali, quod multis videtur, an econverſò res ſe habeat ut multi ſentiunt. In quo rememorandum eſt, quod ſupra diximus de remiſſione peccatorum, videlicet, quia duabus intentionibus dicitur. Primùm, non imputatio de cætero. Secundò, ablutio, ſive abolitio ipſarum macularum peccatoris, quibus inquinata, & deformata erat anima peccatoris. Quòd autem prima remiſſio, quæ eſt non imputatio de cætero præcedat, ex hoc manifeſtum eſt; priùs enim dicit uno modo ſecundùm eſſendi conſequentiam, videlicet, quòd ſequitur aliud, non converſim. Quia ergo gratiam ſequitur non imputatio, & non econverſò; ſi enim gratiam habet quis, ex neceſſitate non imputantur ei peccata, non autem econverſò; non enim ſi non imputantur ei peccata, ideò ex neceſſitate gratiam habet. Quemadmodùm non ideò, quia aliquis ſuſpendendus non eſt, ſeu aliter puniendus, propter hoc ex neceſſitate regio honore donandus eſt aut aliter remunerandus, ſed econtrariò benè ſequitur. Gratia autem ſicut honor regius eſt, & ſicut jus, & dignitas regni cœlorum, ac remunerationis æternæ. Error autem hujuſmodi hominum ex hoc provenit, quia ea eſt largitas pietatis, ac dulcedinis divinæ, ut nulli remittat peccata, ſive non imputet, quantùm ad pœnam, cui non ulteriùs, & ampliùs, bonum fa-

Nota.

A ciat, hoc eſt, gratiam infundat, eamque cuſtodienti regni cœlorum gloriam tandem apponat. Quoniàm autem non eſt neceſſe naturalis ordinis conſequentia, quòd ſi Deus non vult aliquem punire, quòd velit ideò ipſum remunerare, ſi non vult ipſum habere hoſtem, quòd ideò velit ipſum habere filiū, manifeſtū eſt etiā parva intelligentibus; omniū enim donorum quorum alterum naturaliter alterum ſequitur, impoſſibile eſt antecedens inveniri ſine conſequenti. Quòd ſi antecedens aliquandò, vel alicui invenire poſſibilem eſt ſine conſequente, manifeſtum eſt conſequens ex illo antecedenti non ſequi nullo modo conſequentia naturali. Invenitur autem apud nos remiſſio iſta abſque gratia remittentis; plerumque enim apud nos offenſi, & irati aliis offenſas ſuas eis remittunt, ita ut pœnas, vel ſatisfactiones ab eis nec exigant, nec requirant,
B non tamen eis priſtinam gratiam reſtituunt, nec ſpem ullam remunerationis, aut beneficij eis tribunt, ſed de non vindicando tantùm, & de non inferendo malum promiſſionem eis faciunt. Manifeſtum ergo, quia iſta remiſſio peccatorum ſequitur ad gratiam, non converſim. Quare prior eſt ſecundùm eſſendi conſequentiam. Hic eſt autem unus modus dicendi priùs, ſicut alibi didiciſti. Ampliùs. Ante multa neceſſariò eſt unum. Quia ergo non iratum eſſe in aliquem, eſt ſicut unum; & benevolum, ſeu beneficum eſſe, eſt ſicut duo; igitur ſicut multa neceſſariò ſunt poſt unum; ſic non iratum eſſe aliquem in alium priùs eſſet, quàm eſſe benevolum, vel beneficum: namque benevolum, ſeu beneficum eſſe in alium, eſt ſicut duo videlicet potentia, & conſequentia, videlicet non quærere, ſeu inferre malum, & quærere illi, ſeu facere bonum. Non iratum autem eſſe aliquem alij, eſt non quærere, vel non velle facere ei malum. Ampliùs.
C Qui eſt ordo cauſarum ſimilium, idem eſt & effectuum ipſarum proportionalium. Quia ergo placatio prior eſt naturaliter, quàm benevolentia, ſeu beneficentia in iratis, ſive in irato, neceſſariò effectus placationis, id eſt remiſſio, ſive non imputatio ad pœnam, prior erit quàm effectus benevolentiæ, & beneficentiæ. Effectus autem benevolentiæ, ſeu beneficentiæ, donum eſt quodcunque; quare prior eſt neceſſario remiſſio quantùm ad pœnam, quàm gratia. Idem autem eſt ordo affectionum apud Deum qui eſt affectionum apud nos: Unde etiam nominibus affectionum noſtrarum, nominantur affectiones divinæ; ira enim apud Deum non eſt niſi vindicta, & placatio non eſt niſi non exactio vindictæ apud Deum. Similiter benevolentia,
D ſeu beneficentia contraria iræ apud Deum non eſt, niſi donum bonitatis ipſius, ſive illud dicatur gratia, ſive aliud. Ampliùs. Idem eſt ordo petitionum, qui eſt, & petendorum generaliter, omnium enim donorum quorum alterum priùs petendum eſt altero, & petitio ejus prior petitione illius. Quia ergo ab irato priùs eſt petenda venia, quàm aliud quodcunque bonum; neceſſariò prior eſt petitio veniæ, quàm alterius doni ab eodem; quare venia neceſſariò priùs datur ab irato, & priùs eſt ex illo, quàm quodcunque aliud donum. Et iſte ordo eſt quaſi de primis impreſſionibus; omne enim cor humanum in ſeipſo legit hoc quaſi naturaliter inditum, & inſcriptum, ut priùs petat ab irato veniam, vel aliquid ad veniam pertinens, quàm aliquod aliud donum, & priùs placere ac mitiget iratum erga ſe; juxta iſtud Poetæ: Sed motos præſtat componere fluctus. Quis enim poſt reſtitutam gratiam, poſt recuperatam amicitiam, petit veniam? ſicut enim poſt reſtitutam gratiam, poſt redditam amicitiam nemo adverſùs ſic reſtitutum naturaliter retinet iram; ſic & nemo

Nota.

Ordo cauſarum.

Ira apud Deum.

Digitized by Google

niſi fortè velit eam denuò amittere. Hæc autem omnia facit Deus in uno, eodemque peccatore pœnitente ſi ad minorem gratiam eum reſtituit, quàm eſſet illa, à qua cecidit; ipſa enim gratia, & ſanctitas ſpiritualis eſt animarum & forma, ſive decor imaginis Dei, quæ anima humana eſt; & ſpecioſitas eſt, ac magnificentia domus Dei, qui eſt murus: humana ſimiliter munitio, ac fortitudo eſt eadem gratia urbis, ſeu caſtri, in quo, & de quo contra hoſtes inviſibiles, id eſt dæmones, & vitia pugnat Deus. Ampliùs. Si verum eſt quòd pœnitentes ad minorem gratiam repararentur quàm fuit illa, à qua ceciderunt, tria ſequerentur manifeſta inconvenientia. Primum eſt quòd iteratione peccatorum, qualis accidit in conſuetudinarijs peccatoribus, neceſſe eſt evacuari omninò paulatim gratiam, ita ut remiſſio peccatorum abſque infuſione gratiæ tandem fiat in ſic peccantibus exempli gratia: ponamus aliquem à ſtatu gratiæ cecidiſſe in peccatum fornicationis, & per pœnitentiam reſurgere. Quòd ergo iſte reſurgit ad minorem gratiam, & finito minorem; in vita enim iſta in eodem homine impoſſibile eſt duo dona eſſe, vel fore, quorum alterum altero in infinitum majus ſit, cùm omnia dona iſta in vita neceſſe ſit eſſe finita. Excedit ergo gratia, à qua cecidit iſte peccator gratiam, ad quam reparatur, certo, & determinato exceſſu; eſto ergo, quòd excedat tertia vel quarta: ſi ergo iſte denuò, hoc eſt, poſt reparationem ſuam labatur, & poſt lapſum iterùm reſtauretur, cùm ſecunda fornicatio propter circumſtantiam iterationis, & ingratitudinis major ſit, hoc eſt, majus peccatum, & magis culpabilis, quàm priſtina, neceſſariò magis minuet gratiam pœnitentialis reparationis quàm prima; de juſtitia enim divina pro majori peccato neceſſariò major infligitur pœna, quare major diminutio, ſeu detractio. Eodem modo ſi tertiò labatur, iterúmque reſtauretur, ſive reſurgat in gratiam quia majus peccatum eſt propter dictas cauſa tertia fornicatio, quàm ſecunda, major propter illam de juſtitia Dei irrogabitur diminutio, ſeu detractio gratiæ, & ita augebitur ſemper diminutio gratiæ & propter hoc neceſſariò venietur ad conſumptionem certo, & determinato numero fornicationis; ſi enim æqualis fieret detractio ſemper, verbi gratia, ut ſi milleſima totius gratiæ per unamquamque fornicationem tolleretur, neceſſariò mille fornicationibus tota gratia conſumeretur. Cùm ergo ſemper augeatur & culpa ut poſuimus, neceſſariò priùs venietur ad conſumptionem ipſius gratiæ, & ita manifeſtum eſt quod diximus, ſcilicet tandem venietur per iterationes fornicationum, ſeu aliorum peccatorum, ut pœnitenti ſolùm præſtetur remiſſio peccatorum, ut nihil gratiæ infundatur; ſi enim eo modo detractiones iſtæ & diminutiones fierent, ut occaſione primæ fornicationis detrahatur tertia totius gratiæ, & occaſione ſecundæ, tertia reſidui & ita deinceps, non poſſet finito, & certo numero fornicationum tota gratia tolli, & hoc eſt, quia diviſio continui per diminutionem non habet finem. Si tamen augendo, ut diximus, procedat diminutio tanquàm vindicta, ſeu pœna de divina juſtitia inflicta, neceſſe eſt, ut citiùs veniatur ad conſumptionem totius gratiæ, quàm veniretur per æquales detractiones. Secundum inconveniens eſt quod ſequitur hunc errorem ſcilicet, quòd tantò in pœnitentes minor invenietur Dei miſericordia quantò majore indigent, & tantò minorem virtutem præſtabit pœnitentibus, quantò eis majora incumbit onera portare, certum enim eſt, quòd iſte peccator de quo locuti ſumus, & ipſa aſſuetudine labendi milleſima

Nota tria inconvenientia.

Exemplũ.

Nota.

A ſua fornicatione erit factus infirmior, atque debilior, & majora ei pœnitentiæ augendæ onera incumbent, quàm in prima fornicatione: igitur miſericordia indigebit, & major ei virtus præſtanda eſt. Fit autem econtrariò ſecundùm iſtum errorem, ergo miſeriæ majori miſericordia majori ſuccurrendum eſt, & major infirmitas, atque debilitas majori virtute, ac fortitudine fulcienda, atque roboranda. Ampliùs. Magis fugitiva beſtia vel fera, majoribus, ac fortioribus vinculis religanda eſt. Et iterùm, quantò magis ponderoſus eſt, qui cecidit in puteum, vel foveam, tantò fortiori fune erit exinde extrahendus. Secundùm iſtos autem Deus econtrariò facit, quia quantò magis conſuetudinarius peccator hoc eſt crebrior, & impudẽtior, ſtultitiarũ iterator, ſeu repetitor, tantò magis fugitiva fera eſt; ergo fortioris gratiæ vinculo religandus, atque tenendus. Similiter quia ipſa conſuetudine velut majori pondere preſſus, difficiliùs elevatur atque de profundo peccatorum difficiliùs extrahitur, fortior B ergo divinæ gratiæ funis extrahendo adhibendus eſt. Ampliùs. Quia longè major miſeria eſt peccatorum defectus gratiæ, quàm afflictio pœnę, magiſque Deo contumelioſa; miſericordiæ autem divinę eſt miſerias tollere, vel ſaltem lenire, atque minuere; operatur enim iſta divina miſericordia ſimpliciter, ſicut decet, & expeditè, ut magis expedit majores miſerias tollere vel minuere, quàm minores: ſemper ergo intendit divina miſericordia in hoc, ut magis tollatur defectus, & diminutio gratiæ, quã afflictio pœnę. Quod ergo in verè pœnitẽtib⁹ totã pœnã ſemper tollit miſericordia gehennalẽ, multò fortiùs totum tollit gratiæ defectum, & diminutionem. Ampliùs. Si plenè reſtituit divina miſericordia pœnitentem ad ſtatum priſtinæ innocentiæ cur non C & ad ſtatum priſtinę gratiæ? Si enim ex miſericordia eſt utraque reſtitutio, qualiter alteram minuit juſtitia, videlicet reſtitutionem gratiæ; alteram verò minuere non poteſt? Si autem remiſſio peccatorum, ſeu reſtitutio innocẽtię ex miſericordia eſt, reſtitutio gratiæ aut erit ex juſtitia Dei in eo, quòd juſtitia, aut non: ſi ex juſtitia, ergo non minuet, nec impediet ipſam remiſſionem peccatorum, nec minuit nec impedit, ſed potiùs auget, ut opus ſuum, quod efficit; ſic ſi ipſa reſtitutio gratiæ opus divinæ juſtitiæ eſt, juſtitia illam, nec impedit, nec minuit. Non ergo de juſtitia Dei minor eſt gratia reſtituta, quàm erat gratia, quæ eſt per peccatum amiſſa. Quòd ſi dixeris, quòd reſtitutio gratiæ eſt ex benignitate, aut largitate, ſeu beneficẽtia divina: certũ eſt unamquamque iſtarum non minorẽ eſſe, quàm ſit miſericordia Dei, quare nec effectus minor effectu. Sicut ergo D plenus eſt effectus remiſſionis in pœnitente ex Dei miſericordia, ſic plenus eſt effectus reſtitutionis in eodem ex Dei benignitate, vel benevolentia. Ampliùs. Aut determinatum eſt apud Dei juſtitiam, quantò minor gratia reſtituatur unicuique eorum, qui per pœnitentiam revertuntur, ea gratia, à qua prolapſi ſunt, aut non; ſi ſic, cùm hìc determinatum ſit per juſtitiam, & veritatem, & diminutio gratiæ unicuique eorum inflicta ſit per juſtitiam pro modo culparum ipſorum; quæ ergo proportio, ſive comparatio peccati, ſive culpæ ad culpam, ſive peccatum, ea erit diminutionis gratiæ reſtitutæ ad diminutionem. Quia ergo peccati Adæ ad peccatum per ſimplicem fornicationem à gratia cadentis ſecundum quoſdam nulla eſt cõparatio propter remotiſſimam ſtatus ad ſtatum diſſimilitudinem. & forſitan quia gratia Adæ ad gratiam iſtius in multis quaſi nulla & nimiæ diſtantiæ erat comparatio, ſicut in cognitione Dei, & cognitionis certitudine; diminutio ergo ipſius gratiæ Adæ reſtitutæ ad diminu-

Simile.

Acutè diſputat.

Nota.

tionem gratiæ iſti (de qua loquimur) reſtitutæ, E nulla, vel quaſi nulla eſt comparatio. Gratia ergo, quæ ipſi Adæ reſtituta eſt, incomparabiliter, aut quaſi incomparabiliter plus minor eſt gratia, à qua cecidit, & quàm gratia reſtituta iſti alii ſit, à qua ſimiliter iſte alius cecidit. Ampliùs. Quia vel majori gratia præditus erat Adam ſecundùm hoc, aut magis peccavit; ſecundùm hoc autem, quòd magis peccavit, ad minorem eſt gratiam reſtitutus, ergo quantò in majori gratia erat Adam ante peccatum, tantò in minori poſtea reſurrexit, & ita penè minimus omnium hominum in gratia reſurrexit ipſe *Adam.* Adam. Declaremus autem illud exemplo, & ponamus, exempli gratia, quòd propter eminentiam ſtatus, & millecuplo majus fuerit peccatum Adæ, quàm peccatum iſtius ſimplicis fornicationis: millecuplo ergo minor gratia erit Adæ reſtituta, quàm fuerit ejuſdem gratia prima, vel priſtina, & ita reſurget æqualis in gratia iſti, in gratia inquam, quam habebat ante fornicationem: nec F multùm curamus an Adam redigatur ad æqualitatem iſtius ante fornicationem vel poſt fornicationem, & reſurrectionem: quia non multùm diſtat gratia ante fornicationem ab ea, ad quam poſtea reſtituturus eſt. Item non multùm refert, utrùm comparatio ſit, vel fuerit, inter priſtinam gratiam Adæ, & priſtinam gratiam iſtius, dummodò conſtet, quòd millies, vel longè ampliùs major ea fuerit, quia ſufficit ad oſtendendum inconveniens, quod diximus videlicet quia Adam reſurrexit in gratia æquali gratiæ, quantumcunque parum ſancti, vel juſti, quia procertò comparatio eſt certi exceſſus, atque finiti, licet magni, & multi interſit inter gratiam illam primitivam Adæ, & gratiam quantumcunque parum juſti, videlicet centupla, vel millecupla: proportionales autem ſunt culpæ, & gratiarum diminutiones; erit ergo neceſſariò G ſicut culpæ ad culpam, ita diminutio gratiæ ad diminutionem, & detractionem: quare de gratia Adæ tantùm diminutum eſt per Dei juſtitiam merito peccati ipſius, quantùm excedebat gratiam iſtius parvi juſti; & ita redacta eſt ad æqualitatem juſtitiæ ſeu gratiæ ipſius modicum juſti, vel ſancti, & hoc non ſe ipſum improbabile ſed impoſſibile eſt. Et hujus impoſſibilitatem ita declaramus; ſint enim A, & B, duo juſti, & ſit A, ſanctitate, vel gratia duplus ad B: quoniàm quemadmodùm oſtenſum eſt Adam reſurgere æqualem A, eadem via eſt oſtendere ipſum reſurgere B, ſi B peccaverit peccato mortali, *Subtiliter diſputat.* duplo minore quàm A, quare ſequitur Adam reſurgere æqualem ambobus duobus ſcilicet A & B, quæ quidem ſunt eidem æqualia ſibi invicem, quare A, & B erunt æquales invicem in ſanctitate vel gratia, H & hoc eſt impoſſibile, cùm poſitum ſit A, eſſe duplum in ſanctitate, vel gratia ad B, eadem via erit oſtendere, quòd Adam reſurrexerit æqualis in ſanctitate, vel gratia utrique eorum, qui ſunt, vel fuerunt, vel erunt, eo minùs juſti pro ſtatu ante peccatum, ex eo quod ſequitur per viam, quam oſtendimus, eos omne fuiſſe, & eſſe, & fore æqualiter juſtos, ſive æquales, in gratia, vel ſanctitate. Quòd ſi dixerit quis, quia ita determinatum eſt per divinam juſtitiam, ut magis juſtus cùm peccat, majori parte juſtitiæ vel gratiæ careat, etiam per pœnitentiam reſurgens, quàm minus juſtus: hoc ſcilicet modo, verbi gratia, quinta parte careat, quæ quinta major eſt in magis juſto, quàm in minùs juſto: licet ergo uterque privetur quinta parte gratiæ ſuæ, tamen major eſt privatio, vel detractio tantæ partis à majori toto, & propterea magis punitur detractione ſeu diminutione gratiæ magis juſtus, quàm minùs juſtus, quemadmodùm & magis peccabit:

E hoc autem manifeſtè falſum. æqualiter enim puniuntur, & nulla lex judicat pœnas iſtas inæquales, immò pro uno, & eodem peccato, tanquàm una & eadem infliguntur, verbi gratia, ubi in lege dictum eſt Exo. 22. Si quis furatus fuerit rem alienam reddet duplum. Non enim quia pretioſius aliquis alio furatus eſt, & quia duplum illius majus eſt duplo alterius furti, ideò magis punitur, qui furatur pretioſius, quàm qui furatur vilius; non enim eſt niſi una pœna duplum furti reſtituere: quemadmodùm quadraginta plagarum pœna una, quia erat in lege: qui autem erat tenerioris carnis ampliùs lædebatur ſine dubio quadraginta plagis, quàm qui erat cute durior, & minùs ſenſibilis. Non ergo eſt de intenſione pœnæ legalis, ſive legis illa diverſitas teneritudinum, & læſionum; ſed accidit quemadmodùm, ſi dicatur; quicunque tale quid commiſerit tertia parte bonorum ſuorum privetur, ſicut unum eſt delictum, pro quo ita unam pœnam ſtatuit. F Quòd autem tertia bonorum alicujus major eſt tertia bonorum alterius, de his eſt, quæ accidunt; quemadmodùm enim delictum unum eſt, contra quod pœnam lex ſtatuit, licet illud idem in uno *Nota.* minùs, in alio magis pro diverſitate circunſtantiarum inveniatur, ſic pœna una, licet ea interdùm aliquis alia magis affligatur. Ampliùs. Si æqualiter amant iſte multùm dives, & iſte parùm dives bona ſua, æqualiter affliguntur ambo amiſſione tertiæ partis: quare verum eſt ſecundùm hoc quòd quantumcunque juſtus amiſſione quintæ partis gratiæ ſuæ, & quantumcunque minùs juſtus, vel ſanctus, amiſſione ſimul partis una pœna puniuntur, nec eſt unum delictum relabentium in peccatum ut contra illud à juſtitia Dei pœna una aliqua ſtatuatur; non enim in unum ſolùm relabuntur (unum intellige genus, vel ſpeciem peccati) ſed in multa tam G genere, quàm ſpecie diverſa; ergo impoſſibile eſt determinatum eſſe per divinam juſtitiam omnibus relabentibus, & per pœnitentiam reſtituendis, quanta eis divinæ gratiæ detractio irrogetur, alioquin ei, qui labitur in ſimplicem fornicationem, & ei qui labitur in homicidium, vel hæreſim, æqualis detractio gratiæ infligeretur. Quòd ſi dixerit, quòd in idem peccatum labentibus, ſimilis, & æqualis irrogatur detractio gratiæ, & iterùm hoc iniquum eſt, videlicet quòd laicus ſimplex in ſimplicem relabens fornicationem, æquè puniatur detractione gratiæ, ut pontifex, & ſacerdos vel prædicator, & una eademque pœna ſtatuatur. Hìc tamen poteſt dici, quòd non eſt ſimplex fornicatio ſacerdotis, & ſacri doctoris: declarabimus autem illud declaratione evidentiori Dicemus ergo, quòd inter peccata quædam veriſimile eſt, & forſitan verum nullam eſſe H comparationem, & videtur quaſi una de primis impreſſionibus illud eſſe; non enim eſt aliquis, qui non mallet quantaslibet fornicationes perpetraſſe, quàm filium Dei ſcienter crucifixiſſe, & propter hoc judicat unuſquiſque alterum altero in infinitum majus eſſe. Quia ergo ſecundùm errorem iſtum occaſione prioris peccati relapſis in ſimplicem fornicationem, detrahitur pars aliqua determinata gratiæ reſtituendæ. Exempli gratia, determinemus eam, & *Quæſtio.* ſit quinta, vel ſeptima ſi poſtmodùm per pœnitentiã reſtauratus relapſus fuerit in illud, vel aliud in infinitum majus, & ab illo iterùm per pœnitentiam reſtauratus: quærimus cujuſmodi per divinam juſtitiam fiat ei gratiæ divinæ detractio? aut enim tota gratia eidem detracta eſt, aut minùs tota Si tota, ecce inconveniens, quod propoſueramus: ſi minus tota, videlicet medietas, vel duæ, tertiæ, ecce apertè iniquitas, cùm occaſione prioris peccati, ſcilicet fornicationis detracta eſſet tantùm

Digitized by Google

ſeptima, id eſt occaſione iſtius, quod eſt in infinitum majus tantùm duæ partes. His omnibus aggregatis, ex neceſſitate colligitur, nullam eſſe determinatam diminutionem gratiæ reſurgentibus per pœnitentiam, hoc eſt, non eſt determinatum ut quinta, vel ſeptima, vel alia proportione priſtinæ gratiæ priventur; hoc enim ſtare non poteſt, ut oſtendimus, ubi relapſus eſt, ſive relapſio in peccatum in infinitum majus, quàm ſit illud, à quo alia reſtauratio, vel reſurrectio per pœnitentiam facta eſt. Quòd autem aliquod peccatum alio ſit in infinitum majus, exinde evidenter apparet, quia ſicut obligatio ad obligationem, ita tranſgreſſio ad tranſgreſſionem generaliter ſe habet. Quoniàm ergo in infinitum major eſt obligatio nobis in Deum, quàm in proximum, neceſſariò majus eſt peccatum, quod directè committitur in Deum: Verbi gratia, convitioſa blaſphemia in Deum, quàm convitium ſimplex in proximum. Quare ſi ab his duobus reſtaurentur duo peccantes per pœnitentiam, in infinitum minori gratia reſtaurabitur alter, quàm reliquus. Et ita gratia alterius eorum in infinitum erit minor gratia alterius. Hoc autem impoſſibile eſt eſſe in via, videlicet quòd aliquis ſit in infinitum juſtior, vel ſanctior alio. Nec de Chriſto Domino hoc intendimus, de quo certiſſimum eſt quòd ei datus eſt ſpiritus non ad menſuram, ſicut legitur Joannis 3. Nec ipſe tanquàm in via, vel tanquàm viator judicandus eſt, cùm eſſet etiam in via; qui cùm eſſet etiam in via, erat & comprehenſor in ultimo comprehenſionis. Eodem modo nec in patria, excepta gloria Domini Salvatoris in quem gaudent, vel deſiderant Angeli proſpicere, ſicut dicitur 1. Cano. Pet. Nulla eſt gloria creata in quocunque Sanctorum Angelorum, vel Sanctarum animarum ad alterius gloriam quantumcunque parvam in infinitum. Si autem non fuerit determinatum apud juſtitiam divinam, quanta irrogetur, ſeu reſervetur reſurgentibus per pœnitentiam diminutio, vel ſubtractio gratiæ. manifeſtum eſt, quòd neque per juſtitiam erit hujuſmodi ſubtractio; omnis enim pœna, quæ per juſtitiam infligitur, determinata eſt, & proportionata culpæ pro qua infligitur, certaque comparatione ſe oſtendens, & occurrens eidem, ſicut legitur Iſa. 27 In menſura contra menſuram, cùm abjecta fuerit, judicabit eam. Et quia omnia iſta inconvenientia, & impoſſibilia ex una illa radice ſequentur, quâ ponitur, pœnitentes reſurgere in minori gratia, quàm eſſet illa à qua ceciderunt, neceſſe eſt radicem iſtam eſſe falſam, & impoſſibilem, & propter hoc contrarium neceſſe eſt eſſe verum: neceſſe ergo eſt, pœnitentes reſurgere non in minori gratiâ, quàm priùs eſſent, & propter hoc in tanta reſurgent neceſſariò, vel majori; ubi autem inveniuntur, vel ſacræ ſcripturæ teſtimonia, vel Sanctorum dicta, quæ aliud, vel contrarium ſonare videntur, non diminutio gratiæ gratum facientis in eis intelligenda eſt, ſed potiùs diminutio gloriæ illius, quæ eſt continuitas integritatis, & illæſæ perſeverantiæ decus; etſi enim ſatisfaciant Deo ſufficienter, & pro beneplacito voluntatis ſuæ, qui ab eo per peccata quandóque deviant & recedunt, tamen non poſſunt ſimiliter gloriari his, qui inſeparabiliter adhærent, quos ab eo nullus impulſus tribulationis abrupit, nullus illectus blandientis tentationis ab ipſo abduxit, vel abſtraxit; non enim ulla e[illegible] pulchritudo veſtis quæ non eſt continua & ejuſdem integritas ſit, quæ nec refectuiam habeat, nec reſarcituram: ſic & in vaſe, non modica gloria eſt integritas à fractura, cùm ſimilis nunquàm erit refectionis gloria, licet filo aureo, vel argenteo reſarciatur, aut reparetur, licet etiam ipſa fractura reſolidata auro, & gemmis pretioſis deſuper adornetur. Reſpice totum tenorem vitæ eorum, qui baptiſmalis ſanctitatis puritatem, & integritatem illæſa perſeverantia ab omni inquinamento mortalis peccati uſque ad finem vitæ cuſtodiunt, & videbis eam, tanquàm veſtem unicolorem abſque detritione, & ſciſſura. Reſpice ex altera parte totum tenorem vitæ eorum, qui per pœnitentiam reſtaurati ſunt, & videbis eam velut veſtem multarum detritionum, ac ſciſſurarum, ſed multipliciter reſarcitam, atque refectam, & interdùm ipſas detritiones, ſive ſciſſuras, nobili & pretioſa refectione non ſolùm redundantes, ſed etiam ſuperantes. Quod in eis accidit, qui non ſolùm errata ſua corrigunt, & emendant per pœnitentiam, ſed ipſam correctionem, & emendationem pœnitentialem multarum ſublimium, ac pretioſorum operum magnificentia, atque mirificentia ſupertumulant. Quemadmodùm Petrus & Paulus, Maria Magdalena & Maria Ægyptiaca feciſſe noſcuntur. Sic eorumdem vitæ tenorem videbis, ut vas multarum fracturarum, ac perforatarum, ſed econtrariò multarum reparaturarum, & exornationum. Licet ergo vas, ſeu veſtis interdùm longè pretioſior ſit per hujuſmodi refectionem, & exornationem, tamen ad eam gloriam continuæ, ac illæſæ integritatis perduci non poteſt, licet ad majorem interdùm longè permirificam, ac pretioſam refectionem, & exornationem indubitanter pertingat. Sic mulier corrupta licet per pœnitentiam & vitæ ſequentis excellentiam ad longè majorem gloriam interdùm ſublimetur quàm ea, quæ virginitatis integritatem ſervavit perpetuam, ad gloriam tamen virginitatis eâ reparari impoſſibile eſt. Multis enim millibus ſacratiſſimarum virginum ſublimior in cœlo ſedet Maria Magdalena, longéque glorioſior atque beatior: illa tamen gloriam virginitatis licet multò & incomparabiliter minorem habere non poteſt. Redeamus autem ad ipſam contritionem, & in hoc uno finem faciamus tractatus ipſius, & dicamus, quòd ipſa contritio per ſe debitum eſt, & tale debitum, quod omnis ejus debitor ſponte, & propria voluntate confitetur, unde & debitum ejus quaſi de primis impreſſionibus eſt: nullus enim eſt, qui non recognoſcat in ſe ipſo, & confiteatur, nullus eſt, qui non videat, & corde dicat, de vitiis eſſe & peccatis exeundum, vitia, & peccata eſſe deſerenda, ac fugienda, ſimiliter ad Deum redeundum eſſe, eique totis viribus, ac ſtudiis adhærendum. Eodem modo dicimus, & ſingulas nominationes contritionis, ſeu juſtificationis per ſe notas eſſe, & ſtabilitione, aut probatione nullatenùs indigere: nulli enim dubium eſt, quin timenda ſit peccatorum imminens pœnalitas, & erubeſcenda turpitudo, ſeu fœditas, & vaſtanda, hoc eſt, toto impetu animi referienda injurioſitas, & delenda damnoſitas, & abominanda ſpurcoſitas, & indignanda vilitas, & odienda inimicabilitas, & exhorrenda mortiferitas, & execranda prophanitas, & deteſtanda maledictio, & incommunicabilitas. Quòd ſi fortè quis quærat. Unde accipiam timorem & ita de aliis affectionibus: poſſem tibi reſpondere: Unde habes ſecuritatem à peccatis tuis? Veruntamen ex pœnalitate imminentium ſuppliciorum timor quodammodò hauriendus eſt. Maximè autem ex eo ipſo, quod non times, tibi timendum eſt, & ex eo, quod non doles, dolendum, & ad hunc modum de aliis. Ex eo maximè tremendum, quòd nullum tibi adjutorium ad conterendum veterem hominem. Ex eo etiam maximè timendum, quòd vitæ gratiæ eſt nullum tibi relictum veſtigium, nullum præſtitum initium, quandò nulla iſtarum affectionum tibi tribuitur. Et ut ad unum dicamus, nihil te magis mo-

Obligatio ad obligationem.

Pœnitentia.

Simile.

Maria Magdalena ſublimior cunctis virginibus in cœlo.

Contritio

Digitized by Google

vere debet, vel poteſt, ſi ea uti volueris, quàm ipſa E privatio motuum iſtorum, ſive immobilitas: nihil

Nota. enim magis timendum eſt, quàm defectus timoris, ſive intimorabilitas, & nihil magis erubeſcendum, quàm impudentia, quia nihil ea turpius. Sic nihil magis dolendum, quàm ipſe ſtupor mentis, membrorumque ſpiritualium inſenſibilitas, eo quòd nihil ea mortalius, nihil reſtaurationi, ſeu reparationi amiſſorum bonorum ſpiritualium repugnantius. Sic nihil magis iraſcendum, quã ipſa inirascibilitas, qua nihil eſt in homine, ut ita loquar, interius, nihil vicinius ſive jacentius, nihil ictibus ferientium expoſitius, nihil pedibus conculcantium ſubjectius, atque paratius. Et juxta hos modos, & vias facile eſt proſequi de aliis. F

CAPUT XII.

Poſt tractatum de contritione, aggreditur materiam confeſſionis, cujus multa nomina ſubdit.

POſtquàm autem expedivimus nos de contritione, & nominavimus, atque numeravimus cauſas ipſius, & utilitates, & fructus, & ſignavimus comparationes ejus multas & nominationes, & nominationum rationes, conveniens eſt conſequenter, ut aggrediamur loquendo de ſecunda parte pœnitentiæ quam ſupra confeſſionem nominavimus. Hujus ergo octo ſunt nominationes, propter totidem earum rationes, ſeu comparationes, videlicet accuſatio ſui ipſius: Deinde teſtificatio. Tertiò allegatio: Quartò confeſſio, hoc eſt divini juris recognitio: Quintò revelatio: Sextò ſui ipſius condemnatio: G

Accuſatio. Septimò vomitus ſpiritualis: Octavò computatio, hoc eſt, rationis redditio. Nominatur autem accuſatio, inquantùm eſt ad obtinendam condemnationem, & pœnam accuſationis adversùs accuſatum, hoc eſt ſemetipſum, vel quod magis conveniens eſt, atque proprium foro pœnitentiali, quod eſt auditorium, ſeu conſiſtorium divinæ miſericordiæ ubi in corde confeſſoris ritè, ac rectè judicantis, pro tribunali ſedet reorum confeſſorum non ſolùm abſolutrix, ſed etiam ſalvatrix, atque revivatrix Dei miſericordia, cujus officialis ſacerdos confeſſor, cujus officialitas confeſſoris officium: quid inquam potiùs conveniens, atque proprium eſt tam mirifico ſalutari conſiſtorio, vel auditorio, quàm ſententia abſolutionis à vinculis peccatorum, & liberationis à meritis ſupplicijs, & reſtitutionis priſtinæ gratiæ, quantùm ad jus, & poſſeſſionem, & priùs debitæ gloriæ, quantùm ad jus? ejus enim poſſeſſio in patria H tantùm promittitur nec alibi poteſt obtineri. Hanc & horum, quæ diximus ſententiam per ſui ipſius accuſationem intendit pœnitens per os ſacerdotis promulgatam à divina miſericordia ibi præſidente, ac judice obtinere. In alijs autem conſiſtorijs, & ab alijs tribunalibus per accuſationem intenditur in condemnationem, & pœnam accuſatorum reorum, qui accuſantur. Hîc autem in abſolutionem & reſtitutionem, & quod eſt admirabilius, atque magnificentius in remunerationem reorum intenditur, & etiam pervenitur, ut qui æternis erant meritò deputandi ſupplicijs, ad æternæ felicitatis gloriam virtute confeſſionis, & meritò ſuperabundantiſſima, ac ſtupenda largitate divinæ miſericordiæ ſublimentur, & de carcere, ac catenis vitiorum & peccatorum ad regnum egrediantur cœlorum, ſicut legitur Eccleſia 4. In hoc ergo tribunali, ut

Juſtitia. diximus ſedet miſericordia, aſſidet autem juſtitia, ubi quicquid contra pœnitentem inſcribit juſtitia, totum delet miſericordia, acumen ſtyli velut figens in corde pœnitentis per compunctionem, Scribit, E & inſcribit juſtitia, obtuſum ipſius ad tabulas cordis obvertens, totam inſcriptionem juſtitiæ, complanando delet miſericordia. Sedet miſericordia jurata omnes tabulas ſcriptionis diabolicæ complanare, omne memoriale aboli in aquam lachrimarum, aut in ignem pœnitudinis projicere, omnes os accuſatoris obſtruere. De hac projectione legitur Micheæ ult. Projiciet in profundum maris, hoc eſt, in profundæ, intimæque amaritudinis lachrimas omnia peccata noſtra. Hæc ſunt aquæ amariſſimæ, quibus ſacerdos juſſus eſt delere maledicta mulieris Zelotypiæ. Numeri 5. *Nota.*

Sedet in hoc conſiſtorio Dei miſericordia jurata delere mortis noſtræ chirographum, de quo legitur ad Col. 2. & affigere illud cruci pœnitentiali, ſicut F ibidem legitur. Hic eſt liber mortis, & carta debitoria, quam de ſanguine animarum ſuarum, velut incauſto in ipſis cordium ſuorum tabulis diabolicis ſcribunt inſaniſſimi peccatores. Hunc librum, ſeu literas, ad ipſos determinandos & obtinendos, in judicio proferet accuſator, id eſt, diabolus, quas ſi hîc ſacramento pœnitentiæ deleverit Dei miſericordia, non habebit in futuro judicio, quod contra nos dicat vel proferat Diabolus, accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſat eos die ac nocte, ſicut legitur Apocal 12. Ad hoc tribunal miſericordiæ (ut diximus) appella confidenter ô peccator à gravamine, quod meritò times, & quod tibi imminet juſtitiæ, & præeminet hîc, aut in futuro judicio, in quo præſidebit juſtitia, & miſericordia ſilebit, & attende quòd alibi non valet appellatio à juſtitia, vel contra juſtitiam. Hic autem ab ipſa juſtitia, in qua G judicaturus eſt orbem terrarum Dei filius, cui omne judicium dedit pater, ſicut legitur Joan. 5. appellare licet ad miſericordiam, & ad tribunal ipſius, ad forum pœnitentiale, quod eſt conſiſtorium miſericordiæ, tanquàm ad majus auditorium, cui appellationi neceſſe habet juſtitia deferre tanquàm inferior. Retractat autem immò revocat, & irritat miſericordia omnem ſententiam, quam contra appellatores ſuos, & in foro ſuo experiri, atque judicari volentes dictaverit, vel tulerit juſtitia. qui enim non credit, jam judicatus eſt ſicut legitur Joan. 3. *Miſericordia.*

hîc ita judicatus, ſi ad forum miſericordiæ ab iſto judicio, quod utique juſtitiæ eſt, non appellaverit, ibique judicari noluerit, quis dubitat quin iſtud judicium retractetur ibidem, atque irritetur, & damnatus priùs per juſtitiam, ab ipſa miſericordia poſtmodùm abſolvatur: ita factum eſt Judic. 10. Cùm per juſtitiam dixiſſet Dominus filiis Iſraël non H addam, ut ultra vos liberem, ad miſericordiam confugientes, ſententiam illam juſtitiæ per miſericordiam revocari, ac retractari obtinuerunt. Sed & Ninivitæ ſententiam ſuæ ſubverſionis, quam ex Dei juſtitia per os Jonæ Prophetę audierant, per appellationem ad miſericordiam Dei confugientes, evacuari impetraverunt, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam quam locutus eſt, ut faceret eis, & non fecit, ſicut legitur Jonæ 3. Sic rex Ezechias audita ſententia juſtitiæ de morte ſua ex ore Iſaiæ, ad hujus appellationis confugium convolans, mortis ſententiam non ſolùm revocari obtinuit, ſed etiam augmentum vitæ annorum ſcilicet quindecim reportavit, ſicut ait ſcriptura Iſai. 38. Sic & Achab rex impiiſſimus non unam tantùm ſententiam contra ſe, ſed poſteros ſuos de animadverſione divinæ juſtitiæ per os Heliæ Prophetæ audiens, talis appellationis confugio effugit, ſicut legitur 3. Reg 26. Hoc eſt quod legitur Ezech. 18 Si egerit iniquus pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus ſuis, &c. omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs. Ex quibus verbis evidenter apparet, quanta ſit evacuatio, atque

deletio

Digitized by Google

deletio hujus ſententiæ, cujus mens, & memoria apud Deum dicitur non remanere. Nec inde mireris ſi retractat juſtitiæ divinæ ſententiam ejus miſericordia, cùm ſcriptum ſit in Pſal. Miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus. Et Jacobi 3. Miſericordia ſuperexaltat judicium, vel in judicio. Evidens autem juſtitia eſt, ut Deus cum eo ſit, qui cum Deo eſt, & pro eo qui pro Deo eſt. Et propter hoc, quia nunquàm virtuoſius cum Deo quis eſſe poteſt, quàm recedendo à ſe, & deſerendo ſeipſum, nuſquàm fidelius, ac magnificentius, pro Deo ſtare, quàm ſtando adversùs ſemetipſum, quis poteſt? nunquàm ei tantam fidem ſervare, nunquàm adeò magnificum quid pro ipſo facere quis poteſt, quàm avertere ſe à ſemetipſo propter illum, & agere quicquid eſt litis, & quicquid eſt belli, pro illo contra ſemetipſum; neceſſe eſt [B] nullo opere vel caſu dominum magis eſſe cum homine, & pro ipſo, quàm in pœnitentiæ ſacramento, & propter hoc, qui ad accuſandum pro Deo ſtat accuſator contra ſeipſum averſus omninò à ſe, & ſibi ipſi adverſa, & jus conſtituens; neceſſe eſt ut Deum habeat aſſiſtentem ſibi contra mala ſua, & accuſatorem ab illis: impoſſibile enim, & manifeſtum eſt, Deum habere adverſarium, vel etiam non adjutorem eum, qui ſibi ipſi pro eo eſt adverſarius, eique aſſiſtit contra ſeipſum.

Miſericordia.

Sed de hoc poſt declarationem aliarum nominationum confeſſionis, aliquid inferiùs loquemur. Secunda nominationum, quas poſuimus teſtificatio eſt, & præmittitur ante juſtificationem eo quòd per ipſam intenditur de veritate totius facti, & totius cauſæ pœnitentis inſtrui judex confeſſor, [C] proprium enim officium teſtis eſt judicem de facti inſtruere veritate, & propter hoc multa præmeditatio, diligenſque, ac circumſpecta totius vitæ ſuæ rememoratio præcedere debet confeſſionem; ſicut ille, ſcilicet Ezechiel dicebat. Iſa. 8. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et Job. 7. Cõfabulabor cũ amaritudine animæ meæ.

Confeſſio quæ, & teſtificatio.

Quemadmodùm autem teſtis in cauſis ſecularibus non aliter teſtis eſt, niſi juratus, juratus, inquam, de non tacenda veritate quæ ad judicis inſtructionem expediat, & de non inſinuanda falſitate, & ut ad unum dicamus, quòd bona fide de tota veritate facti judicem inſtruet, ſic & in iſta cauſa animæ tuæ ô pœnitens, ac ſi præſente Deo, & audiente, totam veritatem pro eo ipſo, tanquàm teſtis ab eo productus, de omnibus peccatis tuis ſacerdoti confeſſori ſincerè, & bona fide dices, præ oculis habens illud quod legitur Proverb. 14. Teſtis fidelis non mentietur, profert mendacium doloſus teſtis. Et iterùm ejuſdem 3. Falſus teſtis non erit impunitus, [D] & qui loquitur mendacia peribit, ſcienter, vel contra conſcientiam, intellige.

Teſtis non eſt niſi juratus.

Teſtis.

Si enim crediderit aliquis feciſſe peccatum aliquod, quod tamen non fecerit, tenetur ad alterum duorum ſub disjunctione, videlicet, aut errorem iſtum deponere, ſeu corrigere, aut illud confiteri, ubi non eſt mentiri judicandus, aut falſus teſtis reputandus, cùm bona fide illud ſolùm dicat, quod ſentit verum. Cùm certitudinem de his, quæ conſcientiam ejus remordent non habet pœnitens, tutius eſt ei, ut dicat ſe credere peccata illa commiſiſſe, quàm ut illa ſimpliciter aſſerat ſe feciſſe. Attendendum etiam eſt, quanto diſcrimine ab hujuſmodi teſtibus veritas ſupprimatur. Quemadmodùm enim in ſecularibus cauſis ſi periclitata fuerit cauſa alterius, pro eo quòd in atteſtatione tua, vel veritatem ſuppreſſeris, vel expreſſeris falſitatem ad reſtituendum teneris eidem id quod dolo tuo in cauſa illa amiſerit: ſic & hîc, cùm per dolum tuæ ſuppreſſionis cauſam ſuam [A] Deus amittat, id eſt, animam tuam, quæ pœnitentiali judicio, & adjudicanda, & reſtituenda erat; illi ipſi meritò hujus doloſæ ſuppreſſionis reſtituere teneris. Et ſi eidem teneris, & in judiciis ſecularibus falſi teſtes judicum manus interdùm effugiunt, Dei manum effugere impoſſibile eſt.

Nota.

Similes

Quemadmodùm etiam in ſæcularibus cauſis teſtis interrogatus à judice reſpondere tenetur, & quod noverit, & quod credit de facto, ſuper quo teſtis producitur, dicere: ſic & hîc, ad interrogationes confeſſoris ad cauſam animæ tuæ pertinentes, reſpondere teneris veritatem. Et in illis quidem cauſis interrogãtur teſtes ut plurimùm de facto alieno; hîc autem ô pœnitens de facto proprio tuo interrogaris.

Aliud ſimile.

Tria ergo tibi potiſſimùm cavenda ſunt, qui teſtis à Deo contra te ipſum produceris. Primùm ne Deus à te requirat propter falſitatem, quam diximus, cauſæ ſuæ periculum, ac detrimentum. Secundò ne contra te ipſum adverſarium tuum moveas, ac adjuves in mortem tuam, atque perniciem, adverſarium, inquam veterem hominem vel diabolum. Tertiò ne præcedentibus vitiis, ac peccatis novum addas falſitatis, atque doloſitatis, peccatum.

Nota.

Tertiò poſuimus allegationem, quæ eſt advocati proprium officium, quod eſt judicem inſtruere de jure, quemadmodum & teſtis officium eſt eundem inſtruere de facto. Confeſſionem allegationem dicimus in circunſtantiarum expreſſionibus, & omnium eorum, quæ peccata confitentis, vel aggravant, vel attenuant in diſtinctionibus; cùm enim dicit pœnitens poſt puram, & ſimplicem fornicationis confeſſionem: Sacerdos etiam ſacris miniſteriis conſecratus: deinde adjicit, quia ſacris etiã eram literis eruditus: & poſtmodùm ſcandalum, & ſpurcitiam, ſicut fornicationis ſe feciſſe in populo cui eſſe debuerat odor vitæ in vitam, ſicut legitur 2. ad Cor. 3. Tanquàm cœleſtis orator tanquàm fidelis Dei advocatus contra ſe ipſum laudabiliter allegat.

Confeſſio quæ allegatio dicitur.

Eodem modo ſi debilitatem tentationis, ſi frigiditatem complexionis, ſi deformitatem mulieris, in cujus turpitudinem turpiſſimè incidit, ex corde contra ſe exaggeraverit. Si juſtitiam Dei contra ſe ipſum laudaverit, ſi divitias longanimitatis, & patientiæ Dei erga ſe cum vehementi admiratione, & ſtupore narraverit, ſi ſe eſſe ſuppliciis æternis deputandum juſtiſſimo, ac laudando Dei judicio humiliter aſſeruerit, & alia hujuſmodi quibus pars, & cauſa ſua infirmetur, pars verò Dei, & cauſa ſemper cõfirmetur, & potior ſemper appareat, ipſeque judex pœnitentialis contra veterẽ hominẽ ipſius magis commoveri ad ipſum condemnandum, atque torquendum, debeat, congeſſerat: partes & officium diligenter exequitur prudentis, bonique atque fidelis, cœleſtiſque digni ſalario advocati.

Nota.

De ipſo autem jure divino huic advocato allegationes accipiendæ ſunt, videlicet ex obligationibus & debitis quibus Deo ex toto tenetur obedire, hoc eſt, & ea, quæ jubet facere, & ea quæ prohibet declinare. Jus iſtud eſt, quod habet in nobis ratione creationis, ratione conſervationis, ratione reparationis, ratione redemptionis, ratione promiſſæ & præparatæ glorificationis, & iterùm ratione ductivæ ſuſtentationis, ratione ad pœnitentiam expectationis, & iterùm ratione revocationis, & ad gratiam Dei diligentis, & importunæ invitationis, & ejuſdem gratiæ indefeſſæ oblationis, iterùm ratione naturalium bonorum, ratione temporalium, ratione gratuitorum, iterùm ratione obſequiorum, & famulationum, quibus non ſolùm omnis creatura jugi, & officioſiſſimo, non ſolumque opportuno, ſed etiam importuno famulatu nobis obſequitur; unde etiam ipſe rex cœlorum

E Chriſtus Dominus formam ſervi pro nobis accipiens; ſicut legitutin 2. ad Philip. & miniſter circunciſionis effectus; ſicut legitur in 15. ad Rom. inæſtimabilibus, & penè innumerabilibus officijs atque ſervitijs nobis inceſſanter, miniſtrare dignatnr. Quæ omnia obſequia, nec præſentis propoſiti eſt enarrare, licet perutiliſſimum, ac ſaluberrimum nec credimus ad enarrationem eorum ſufficere quanquàm poſſe ex obſequiorum largitione continua. Quanta autem ſit iniquitas noſtra in tam largum largitorem ipſorum, quanta ingratitudinis perverſitas, quanta offenſarum noſtrarum erga eum immenſitas, & pœnæ innumerabilitas, quis non videt? Nec ſolùm auget, vel aggravat iniquitates noſtras & peccata tam inæſtimabilis, tam mirabilium beneficiotnm continna largitio, quàm etiam tam impudens ingratitudinum noſtrarum pertinacitas, quæ tantis aggeribus beneficiorum obruta, & obſeſſa, & quaſi diluvio divinæ largitatis, ac beneficentiæ immerſa innumerabili rebellione adverſùs Dei bonitatem erecta perſiſtit. F Ipſa etiam defenſio animalis non parùm addit nequitiis, quin etiam multam ſaluberrimam allegationum copiam Dei advocato miniſtrat. quòd etiam aſtutiſſimum, & fortiſſimum hoſtem diabolum ligatum tenet cum toto exercitu ſuo, ne tenter nos ſupra id, quod poſſumus; ſicut legitur. 1. ad Cor. 10. quòd tenet leones infernales, & catulos eorum rugientes, ne rapiant, ut non aliter quid devorent de animabus noſtris habeant, niſi quærant à Deo eſcam ſibi petendo ſcilicet tentandi licentiam, ſicut petierunt à Chriſto in Evangelio intrandi in porcos. Matth. 8. Et iterùm. Job. 1. vallatum dicit Job diabolum, & dominium ejus univerſamque ſubſtantiam ejus per circuitum, inſinuans nihil omninò ſe poſſe tangere de tota ſubſtantia ejns Deo per omnia, quæ ejus erant, per circuitum protegente, donec dictum eſt ei ibidem: Ecce nniverſa, qnæ habet, in manu tua ſunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam. Nec mirum ſi Deo protegente nocere non poteſt diabolus, quandò Bartholomæo Apoſtolo præſente, nec etiam loqni poterat Aſtaroth Quis autem ſtaret contra eum, cui in ſtipulam verſi ſunt lapides fundæ, qui æſtimat quaſi ſtipulam malleum, qui deridet vibrantem haſtam, qui reputat quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs, cui nulla poteſtas ſuper terram comparatur; ſicnt legitur Job. 4. Hic eſt leo rugiens, qni circuit quærens, quem devoret; ſicut legitur prima Canon. Petri ulti. Quis etiam æſtimet, aut etiam cogitet mala, quæ nobis irrogaret, & in quæ nos præcipitaret, vel traheret, niſi hunc omnipotens Dei miſericordia ligatum teneret, non vinculis ferreis, ſed intranſgreſſibilibus limitibus ſuæ voluntatis, cui nihil reſiſtit, ſicut legitur ad Romanos 9. Iſta ſunt pericula, quæ rariſſimi vident, & propter hoc liberatori Deo raro, & à pauciſſimis, inde gratiæ referuntur. Quid verò in divitijs patientiæ Dei, & longanimitatis ejuſdem allegare poſſit Dei advocatus, facillimum eſt videre, ipſas videntibns, vel ſaltem credentibus; non enim ſolummodò erubeſcendum. ſed exhorrendum eſt cogitare injurias, & contumelias, quas inſaniſſimi peccatores Deo irrogare nõ verentur; de quibus etiam admirari non ſufficimus, quòd in cor humanum aſcendere potuerunt, quæ ne ipſum aera polluant, & ne pias aures offendant, & ne unquàm in cogitationem humanam redeant, nec loquendæ unquàm ſunt, niſi ubi ipſa locutio mors ipſis eſt, id eſt, in confeſſione, nec ſcribendæ uſquàm ſunt, ne aliqua remaneat earum memoria, ſed pereat potiùs cum ſonitu confeſſionis. Divitiæ ergo patientiæ Dei ſunt in eos, qui iſta monſtra ſcelerum. & mirabilia diabolica perpetrare non horrent, quòd vel ad momentum ſuſtinentur, ut non ſtatim ad æterna ſupplicia rapiantur, quòd ipſis ſceleribus non continuantur tormenta: divitiæ verò longanimitatis ejuſdem ſunt in hoc, quòd penè uſque ad finem vitæ multos ex peccatoribus, & alios uſque ad extremam ætatem ad pœnitentiam expectat Hinc elice allegationes ad magnificandas, & exaggerandas injurias tuas ô pœnitens, ſimiliter ad eliciendam, confirmandam, & magnificandam Dei juſtitiam contra te. Ecce aperuimus tibi phaterras, unde accipias ſagittas ad ſagittandum vitæ hoſtem antiquum, & veterem hominem aperuimus tibi libros magnos, & ſpacioſos divini juris, unde tibi ſuppetant allegationes, quibus evidenter, & liquidò de jure Dei, & tuis injuriis doceas, & ipſum judicem inter te, & Deum ſcilicet, & confeſſorem, ſi inſtructione indiguerit, ſufficienter inſtruas, iſtos libros aperuimus tibi, non evolvimus. quia eos evolvere, nec poſſibile eſt Et multa etiam de ijs præſenti tractatui insererem, niſi prolixitatem intolerabilem generarent. Studioſis tamen licet parum exercitatis atque profectis iſta poſſe ſufficere non dubitamus. Quartam nominationem confeſſionis poſuimus divini juris recognitionem. Iſta fieri ſolet in cauſis ſecularibus duabus de cauſis. Potiſſimùm primùm, ut citiùs perveniatur ad finem litis, hoc eſt judicium, ſive diffinitivam ſententiam. Secundò, ut relevetur ab onere probationum adverſarius, & judex à tædio, & labore. Tertiò (quæ proculdubiò cauſa præcipua eſt) ne liberet animam ſuam qui recognoſcit veritatem, & veritas eum liberet; ſicut ſcribitur Joannis 8. ne dùm per mendacium jus alienum acquirere, vel retinere nititur, perdat animam ſuam, & infœlici commercio viliſſimæ poſſeſſionis acqniſitione, vel retentione animæ ſuæ faciat detrimentum. G In foro autem pœnitentiali, in quo adeò multiplex eſt cauſa, multiplex fructus ſinceræ, ac puræ divini juris, & noſtrarum injuriarnm recognitionis. In foro ſecnlari, ut diximus, condemnatur, qni vel jus aliennm, vel propriam injuriam recognoſcit, hîc autem abſolvitur; ſicut legitur Proverb. 28 Qui abſcondit ſcelera ſua. non dirigetnr; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Et in Pſal. 31. Dixi confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Hujus fidem probationis inferiùs faciemus. Secunda utilitas eſt ex hoc, quia pars juſtitiæ nna de ſex, veritas, in tantùm injuſtitiam ſuam minuit, & tantùm juſtitiæ ſuæ addit, & propter hoc in tantùm cauſam ſuam, & conditionem meliorem facit. Tertia utilitas in hoc, quòd ipſa veritas confeſsionis H etiam meritum habet contra pœnam. quæ debetur injnſtitiæ, ſcilicet meritum remiſsionis, quapropter neceſſariò aut tollit, aut ſaltem mitigat judicis iram. Inter utilitates iſtas intelligimus etiam evitationes incommodornm. ubi evidens una eſt evitatatio, ſcilicet novæ mortis; novo enim mendacio, vel nova ſuppreſſione veritatis, novum peccatum mortale, & nova mors culpę incurritur in foro pœnitentiali. Secundum incommodum, quod per recognitionem effugitur, eſt amiſſio juris, quod per hujuſmodi mendacium, vel veritatis ſnppreſsionem amitteretur. Quemadmodùm enim feudum, qui domino ſuo cælat, amittit ſecundùm leges, & conſuetndines ſeculares; ita hic, qui jus divinum in foro pœnitentiali cælaverit. Quemadmodùm etiam, qui, fore factum dico, qnod in præfectura ejus, acciderit quia emenda illius fore facti præfectum defraudat, ipſius emendæ debitorem ſe conſtituit: ſic hic miſer peccator, quantùm in ſe eſt, totius pœnitentialis

Diabolus hoſtis aſtutiſſimus.

Aſtaroth Bartholomæo præſente loqui non poterat.

Pericula.

Injuria in Deum.

Nota.

Ius divinum.

Nota.

Feudum.

tentialis emendæ, ſeu ſatisfactionis, quam per iſtam cœlationem effugere intendebat, per ipſam ſuppreſſionem, vel cœlationem debitorem ſe facit; recognoſcens autem veritatem, ab iſto incommodo ſe liberat. Et ſicut tacens veritatem, vel exprimens falſitatem, judicis impedit officium, & adverſarij ſui jus vel detinet vel nititur detinere, quorum utrumque non leve peccatum eſt; ſic grande declinat incommodum, qui in foro pœnitentiali puram, & integram de his, quæ animæ ſuæ cauſa deſiderat, loquitur veritatem. Sufficit ergo tibi ô miſer peccator, tot incommoda præteritæ vitæ incurriſſe. Stude potiùs illa pœnitentiæ commodis redimere, atque emendare, recognoſce Deo jus ſuum, & tuam injuriam: ſi enim non licet tibi, cuiquam alij jus ſuum abſcondere, vel negare: quantò fortiùs Deo non licet hoc tibi facere? Præſertim cùm iſta negatio, vel abſconſio tibi nocere ſoli valeat, & non illi; neque enim per mendacium tuum differri ullo modo poteſt damnationis tuæ ſententia, damnationis dico, quæ tibi imminet in futuro judicio, nec ullatenùs declinari, vel ad modicum mitigari, &c. Quintam poſuimus revelationem, & hoc eſt, duorum, ſcilicet occultorum, & erubeſcendorum. Debes ergo velum ignorantiæ ſacerdoti de facie cordis tui tollere, & deſuper totam vitam tuam penitùs amovere, ut totum tenorem vitæ tuæ, totumque intùs, & extra, videat, indubitanter confidens, quòd ſi per hujuſmodi revelationem te viderit, omnis turpitudo, quam erubeſcis abſcondetur, & ipſo ejus aſpectu, latrones fugient infernales. Licet de altero iſtorum miracula multa fidem jam fecerint, nos tamen probationem in hoc dabimus; noſtris namque temporibus, & ante, ſcriptura peccatorum ipſa revelatione eorum deleta eſt virtute divina, & peccata diabolo abſcondita, cùm ea ante confeſſionem de eis factam liquidò noſſet, atque videret, poſt revelationem confeſſionis illa omnia videre nequivit: propter quod & ſupra, confeſſionem vocavimus latibulum, & hîc vocamus illam coopertorium, ſive operimentum. Nudus enim eſt peccator, & patentis turpitudinis, atque diſcooperiæ ſemper, antequàm turpitudinem ſuam diſcoperiat revelatione confeſſionis; ſicut legitur Job viceſimo ſexto: Nudus eſt infernus coram eo, & nullum eſt operimentum perditioni. Ampliùs. In palam eſt, & in manifeſto omnis turpitudo peccatoris, & in luce, non in tenebris, neque in abſcondito, ſicut legitur Job triceſimoquarto. Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem; neque enim ultra in hominis poteſtatem eſt, ut veniat ad Deum in judicium. Et propter hoc errant poſt Adam hoc exemplo ipſius, qui ad umbram malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ad folia verborum mendacium, quaſi ad folia ficus, ut inde pudenda ſua operiant, confugiunt; ſicut de Adam dicitur Geneſis 3. Hi dum turpitudines ſuas velare, & operire ſe exiſtimant, majores turpitudines prioribus adjiciunt. Major autem turpitudo eſt excuſatio aut defenſio turpitudinis, quàm ſit ipſa, quæ excuſatur, aut defenditur turpitudo propter hoc enim ſcutum gladijs, & jaculis poſſe reſiſti ſperatur. His ergo peccatis, tanquàm fortioribus, cætera proteguntur, & armantur, ſicut legitur Job. 40. Protegunt umbræ umbram ejus. Probatio autem qua evidenter oſtenditur, quòd ipſa revelatio, peccatoris, quæ fit in confeſſione, velatio ſit, & coopertio eorum, hæc eſt: cùm enim veritas magna pars ſit juſtitiæ, maximè ſi veritas hæc eſt contra ſe in proprium tormentum, & contumeliam, pulcherrimum operimentum, ac nobiliſſimum, peccatis ſuis ſuperponit, qui veritatem hanc, hoc eſt, recognitionem piam, & juſtam, eiſdem ſupponit. Et quoniàm non eſt dubium totam bonam vitam ſequentem, hoc eſt, decoram, dedecus converſationis exterioris ab oculis hominum abſcondere; ſic neceſſe eſt dedecoris vitæ interioris præteritam deformitatem interiorem abſcondere ab oculis Dei: propter quod dictum eſt Proverb. Univerſa delicta operit charitas. Et in Pſal. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, per Dei miſericordiam, ſubaudi, & gratiam: Et quorum tecta ſunt peccata: ſequentis vitæ, ſive interioris, ſive exterioris decore. Et Jac. ult. Qui converti fecerit peccatorē ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum. Licet autem evidens ſit, ita eſſe, ut diximus, & ut ipſa ſcriptura habet, & uſus loquendi, tamen cauſaliter evidentius eſt; cùm enim pœnitentiale judicium, & pœnitentialis juſtitiatio totaliter intellecta futuram juſtitiationem totaliter evacuet, neceſſe eſt, ut pars partem hoc eſt, accuſatio accuſationem, & teſtificatio teſtificationem, & condemnationem condemnatio, punctio punctionem, & confeſſio confeſſionem. Hæc autem eſt differentiæ, quòd ſi quis in foro pœnitentiali, ut dignum, & juſtum eſt, ſe accuſaverit, & bona fide contra ſeipſum teſtis fuerit, contra ſe veritatem de vitiis ſuis, ac peccatis recognoverit, ſimiliter & ut fidelis Dei advocatus contra ſe allegaverit, & ut judex veritatis contra ſe pronunciaverit, ſive ſententiaverit, & pœnam quæ ſibi à præcone ſpirituali, id eſt, confeſſore injuncta eſt, non ſolùm ſuſtinuerit, ſed velut divinæ juſtitiæ executor, & carnifex, ſeu lictor, ac tortor, contra ſacerdotalem injunctionem ſibi non pepercerit, ſed totum, ut diximus, judicij pœnitentialis juſtitiationem fideliter in ſe, ac diligenter contra ſeipſum pro Deo, & propter Deum, expleverit futuri judicij juſtitiationem, quæ æternæ damnationis, & ſine fine cruciatus eſt, indubitanter evadit, ſicut legitur. 1 ad Cor. 11. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, hoc eſt ſi contra noſmetipſos partes judicij pœnitentialis, ut diximus, ageremus, non utique judicaremur. Et quia cū eis eſt clementiſſimus Deus, ac Dei filius, qui cum eo ſunt, & pro eis, qui pro eo, & in talibus erit neceſſariò procurator teſtis, advocatus, & judex in futuro judicio pro eis, qui in hoc judicio pœnitentiali, vel in aliis judiciis, ubi iſta pro eo locum habent fideliter, ac ſtudioſè ſteterint, pro eis in judicio, & ipſe ſtabit: ſicut legitur Lucæ 9. Qui erubuerit ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua. Et Mathæi 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo. Et iterùm generaliter Lucæ 6. Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur & vobis. Propter hoc neceſſe eſt ut fideles, ac diligentes ſui ipſorum in foro iſto accuſatores & contra ſe ipſos teſtificatores, allegatores veritatis, recogitatores, ſuique ipſorum damnatores juſtiſſimi, implacabileſque tortores, quantùm exigit juſtitia fori pœnitentialis, neceſſe eſt, ut Deum habeant excuſatorem, teſtem, & advocatum, juſtitiæque ipſorum coram patre recognitorem, & abſolutorem, & pro tormentis pœnitentialibus regni cœlorum, & æternæ beatitudinis largitorem; ſicut legitur Iſa. 61. Dabit coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro

Nota. *Revelatio occultorũ, & erubeſcendorũ.* *Nota.* *Nota.* *Simile.* *Nota.*

ſpiritu mœtoris. Cinis autem & luctus, & ſpiritus mœtoris indubitanter pœnitentialem afflictionem ſignificant. Ampliùs. Quia diſceptationum duo ſunt genera, alterum ſcilicet ratione, & alterum viribus; ſolis autem viribus diſceptare belluinum, & contra belluas, quibus ratione nihil veri, vel recti ſuaderi poteſt. Hoc ipſo genere diſceptationis hoc eſt viribus ſolis proculdubiò utendum, quoniàm & ipſe ſolis viribus rebellavit. Sic contra contumaces, qui ei, quod verum, & rectum eſt, acquieſcere nolunt, indurata pertinacia reſiſtentes, viribus utendum eſt videlicet ad eos corrigendos, ac perdomandos, aut ſaltem compeſcendos, & reprimendos: ipſa enim inflexibilis contumacia eorum, atque protervitas pœnè belluis coæquat, & aſſimilat; ſicut legitur in Pſal. Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quia ergo pœnitentes, & belluinam pertinaciam, & diabolicam contumaciam omninò depoſuerunt, omninóque immunes ab illis ſunt, non viribus, aut violentia cum illis agendum eſt, ſed potiùs judicio diſceptandum. Et quoniàm in judicijs veritas ſervanda eſt, neceſſe eſt, pœnitentem audire, & videre judicem ſuum, & videre, quæ contra ipſum vel pro ipſo in judicio ſuo fient. Impoſſibile autem hoc eſt, niſi hominem habeat judicem. Neceſſe ergo eſt neceſſitate æquitatis, & juſtitiæ iſtud exigentium inter Deum & peccatores homines judicare: quia ſi quæcunque poteſtas inviſibilis inter Deum, & pœnitentem judicaret, ſolus Deus illam videret, & audiret, non pœnitens, & ita non ſervaretur paritas in judicio illo. Ampliùs. Sicut contra falſitatem diſceptandum eſt probationum artificio; ſic contra injuſtitiam agendum eſt judicio; & hoc quidem primùm, donec in negante veritatem, aut ſuſtinente falſitatem appareat inſuaſibilis protervitas. Sic & cùm injuſtitiæ ſuæ adhærente, & ab iniquitate ſua diſcedere nolente, donec inveniatur in eo inflexibilis pertinacia; poſtquàm enim in alterutro eorum, alterū eorum quæ diximus inventum fuerit, viribus, & violentia ſuppliciorum contra utrumque utendum eſt, erroribus enim & vitiis, quibus probationibus, & diſſuaſionibus conſuli non poteſt, neceſſe eſt, ut ſenſu ipſius veritatis, aut ſenſu ſuppliciorum occurratur, aut reſiſtatur. Et hic ordo doctrinæ quantùm ad veritatem, & ſcientiam, & correctionis, quantùm ad vitia, & injuſtitiam, quæ unà de primis impreſſionibus eſt in intellectu humano: Et inde eſt, quòd hic ordo ſervatur apud omnes, qui nomine hominum digni ſunt; belluina enim natio eſt, & nec dùm hominum nomine digna, quæ priùs bello, & armis adverſarios impetit, quàm ratione, ſeu judicio ipſos conveniat. Et quoniàm ordo naturæ ordo eſt, quem omnipotens Deus inſtituit, & ideò ordo rectiſſimus, neceſſe eſt neceſſitate, dico non violentiæ, ſed juſtitiæ divinæ, quæ non poteſt non amare ordinem æquitatis, cujus ipſa, & auctrix, & inſtitutrix eſt, non ſolùm nolle perturbare, ſed etiam obſervare. Et hoc eſt, quod legitur Job 31. Si contempſi judicium ſubire cum ſervo, vel ancilla mea, cùm diſceptarent adversùm me. De hoc ſimpliciter Deuter. 20. Si quandò acceſſeris ad expugnandum civitatem, offeres ei primùm pacem. Et hoc eſt, quod legitur Michæ. 2. Surge contende judicio adversùm montes. Similiter Oſeæ 4. Judicium Domino cum habitatoribus terræ. Judicio ergo neceſſe eſt juſtiſſimum Deum agere cum peccatoribus primùm, qui ſi juri ſtare noluerint, & judicium pertinaciter ſubire recuſaverint, ordo æquitatis, & juſtitiæ eſt, potentia, & juribus merita eis irrogare ſupplicia. Quia ergo naturalis juris

Diſceptationis duo genera. — *Nota.* — *Nota.* — *Natio belluina.* — *Nota.*

E obligatione, atque divinæ legis diſtrictiſſima juſſione, adverſarij & hoſtes omni modo tenentur eſſe juſtitiatij, adverſarij, ſcilicet in lite, & hoſtes in bello, neceſſariò tenemur ſecundùm juſtitiam agere quicquid litis eſt, & quicquid belli, & per accuſationem, teſtificationem, & cæteras partes litis, atque judicij, quas ſupra numeravimus. Et hoc modo ipſi noſtræ injuſtitiæ maximè tenemur eſſe adverſarij, & maximè hoſtes, utporè maximè nobis inimicanti, atque nocenti, & de qua tantò diſtrictiùs à nobis requiritur, tam à jure naturali, quàm à divino, ut eam tam lite, quàm bello, omnique modo alio proſequamur: quantò contra ipſam plus poſſumus, quàm contra alienam. Quemadmodùm & de nobiſmetipſis diſtrictior ratio à nobis exigitur, & exigenda eſt, quàm de alijs, eo quòd poteſtate liberi arbitrij naturali, & propter hoc majori nobiſipſis præfecti ſeu præpoſiti ſumus. Ampliùs. Si proximo fratri, hoc eſt F cuivis hominum, quandocunque ſine incommodo ſuo & alterius cujuſcunque facere poteſt, quis aliquid eorum, quæ ſunt judicij, vel omnia quæ ſupra enumeravimus, videlicet eſſe accuſator, aut procurator, aut teſtis in cauſa ſua, ſeu judicio; quantò fortiùs unuſquiſque hominum hoc facere tenetur Deo, ſive pro eo? Et quia incomparabiliter plus tenetur adhęrere Deo, quàm ſibi ipſi, Deo habente cauſam adversùs ipſum; neceſſariò tenetur Deo aſſiſtere in omnibus quæ diximus etiam contra ſeipſum, ergo & accuſare & teſtificari, &c. & interrogatus à judice, qui ſedet medius inter ipſum & Deum, reſpondere veritatem de omnibus, quæ ad cauſæ illius faciunt expeditionem: & quoniàm manifeſtum eſt, quòd qui omnia iſta, quæ ſupra enumeravimus, videlicet, partes judicij pœnitentialis, & ipſius juſtificationem, exe- G quitur: hic eſt, qui judicium facit, & juſtificationem ex integro de omnibus injuſtitiis ſuis ultrà judicium, aut perfectum, & juſtitiam completam, de omnibus querelis, quas Deus habebat adversùs eum, nihil omninò ab eo ultrà de jure quærere poteſt Deus, nec alius pro eo. In nullo ergo remanet injurioſus Deo, & propter hoc in nullo injurioſus, vel injuſtus; quapropter abolita, & abraſa eſt ab eo omnis injuria, vel injuſtitia. Et quia plenè, & univerſaliter facere judicium, & juſtitiam de ſemetipſo, non poteſt eſſe ſine juſtitia, immò non niſi ex juſtitia, & illa univerſali, & plena, neceſſe eſt iſtum perfectè juſtificatum eſſe, ac plenè juſtum. Et propter hoc plenè remiſſas eſſe iniquitates ejus præteritas, & plenè recta eſſe peccata, quæ ante pœnitentiale judicium ab eo fuerant commiſſa. Ex quo etiam manifeſtum eſt ven- H turum judicem vivorum, & mortuorum Chriſtum Dominum in eo, ſi in iſta juſtitia perſeveraverit, non ſolùm inventurum, quod meritò damnet, ſed etiam quod acceptet, & remuneret juxta magnificentiæ ſuæ largitatem, & repromiſſionum ſuarum infallibilem veritatem. Conſidera diligenter iſtas noviſſimas declarationes, & probationes, quibus jam patefactum eſt intelligentibus, quia neceſſe eſt inter Deum, & peccatores judices eſſe homines, non cœleſtes virtutes, aut inviſibiles poteſtates, & coram hujuſmodi hominibus cauſam Dei peccatores agere contra ſemetipſos, accuſando ſcilicet ſe, teſtificādo contra ſe, allegando contra ſe, recognoſcendo contra ſe, revelando, & delegando occulta cordis ſui, turpitudines abſconditas contra ſe in ſui ignominiam & pudorem, deinde condemnando ſe, quod eſt, proclamando ſe reū mortis, quæ eſt ſexta nominatio, ſive facies, ſive comparatio confeſſionis, quam tibi condemnationē nominavimus, quia nō eſt ipſa declaratio criminis, ſed ſupplicij & pœnæ

Nota. — *Nota.* — *Nota.* — *Homines inter Deū, & peccatores judices.*

Digitized by Google

pœnæ per ſententiam, ſeu judiciũ reo irrogandæ. Et A hunc morem habet ſacra ſcriptura, ut judices appellet eos etiam, qui non ex officio, vel poteſtate, vel bona, vel mala de aliis aſſerunt ſicut legitur. 1. ad Cor. 4. Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Similiter Jacobi. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem: & multa hujuſmodi. Propter hoc ergo condemnationem nominavimus, quia ſententia eſt ut diximus, declarans pœnam, & dignum eſſe pœna illum contra quem eſt, licet in parte iſta à judice lata ſit, ſive prolata. Hoc modo verbo uſus eſt ſalvator in Evangelio Lucæ 6. Nolite condemnare, & non condemnabimini. condemnare ſubaudis alios. In nos enim iſtud poſſumus ex poteſtate liberi arbitrij, qua naturaliter præditi ſumus, & in aliquo judices noſtri ipſorum. Poſt hæc proſequemur ſequentes duas nominationes, ſeu comparationes confeſſionis, quarum alteram diximus vomitum, alteram computationem. B Quoniàm ergo vomitus eſt juxta literam evacuatio ventris corporalis, aut in parte, aut in toto per os, ſive miniſterio oris; evacuatio inquam ventris corporalis in parte, vel in toto, quam inducere ſolet, vel indignatio ſtomachi, vel ventris, vel abominabilitas alicujus, quod in ventre eſt: ſic per os, ſive miniſterio oris evacuatur, ſive exoneratur venter cordis, ſive conſcientia à vitiis, & peccatis, ea ſcilicet dicendo, ac manifeſtando ſacerdoti. Quemadmodùm ergo indignatio ventris intendens expellere, ſive quod nocet ipſi, ſive quod non convenit, diſtendit ventrem, & os aperit, atque dilatat ad exitum illius; ſic nobilis, ac ſanctæ indignationis conſcientia ventrem cordis extendit, & concutit ad excutiendum, & expellendum abominationes, & ſpurcitias vitiorum, atque peccatorum, aperiens os, àtque dilatans ad exitum earum per verba confeſſionis. Cùm ergo ex hac indignatione, & concuſſione ventris ſpiritualis, ſive conſcientiæ noxius humor vitiorum, & peccatorum abominabilis ad os impellitur, & inde per confeſſionem exit, confeſſionem ipſam vomitum ſpirituale meritò dicimus ex ſimilitudine vomitus corporalis. Tu autem jam noſti, quòd vomitus eſt interdùm una ex purgationibus corporalibus, & fit in ventre, cùm fuerit materia febrilis in orificio ſtomachi, vel propè orificium; tunc enim pervenit abominatio illius ad virtutem guſtabilem, & propter hoc diſtenditur os ſtomachi cum faucibus diſtenſione forti ad expulſionem illius: cùm autem profundata fuerit in ſtomacho, vel inteſtinis, fit vomitus hujuſmodi aut rarus, aut nullus. Juxta hunc modum manifeſtum eſt intelligere valentibus, quòd cùm fœces vitiorum, & peccatorum profundatæ fuerint per conſuetudinem, aut ignorantiam, aut longitudinem temporis, vomitus confeſſionis aut rarus, aut nullus eſt. Similiter cùm mortificata fuerit, ſeu debilitata virtus guſtabilis, & virtus ventris, ita ut illa, ſapores abominabiles, & inſipiditates humorum, iſta verò noxietates eorundem ſentire non prævaleat, minuetur vomitus, aut annullabitur prorsùs; & cùm virtus ſpiritualis guſtabilis, aut mortificata fuerit, aut debilis ad ſenſum & ſaporationem, amaritudinem, & abominabilitatem ſpiritualium, minuetur vomitus iſte ſpiritualis, aut annullabitur omninò. Cùm autem invaluerit, atque multiplicaverit virtus iſta, invaleſcet, atque multiplicabitur vomitus iſte, ſicut legitur Eccleſiaſt. primo. In multa ſapientia ideſt in multa virtute ſpirituali ſaporandi, multa indignatio nauſeantis ſtomachi ſpiritualis, ad abominationes, & ſpurcitias vitiorum, eas pœnitùs non ferentis, totaque executione ſui, ac diſtenſione oris illas à ſe expellentis, ac rejicientis. Et quemadmodùm, cùm corrupta fuerit, atque perverſa, & errans, vis appetitiva. ſive guſtabilis, corporalis fit in ea appetitus contra legem, & ordinationem naturæ, & contra ſalutem ipſius corporis, faſtidiumque, & abominatio ſalubrium, ac delectabilium ciborum, appetunturque cineres, carbones, vel ſpurcitiæ non nominandæ; ſic & corruptâ virtute ſpirituali appetitiva, ſive guſtabili, fit vomitus, & abominatio, atque faſtidium ſalubrium, ac delectabilium ſpiritualium ciborum, appetunturque cineres, carbones, vel ſpurcitiæ non nominandæ. Et hoc eſt, quod legitur Nume. 21. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo, cùm tamen eſſet panis omne delectamentum, & omnem ſuavitatem saporis in ſe habens, ſicut legitur Sap. 16 & in Pſal. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. Et Proverb. 17. Anima ſaturata calcabit favum. Fit etiam appetitus contra legem, & ordinationem gratiæ contra ſalutem animarum ex iſta perverſitate, errore, atque corruptione, ſicut legitur Iſa. 2. Erit pro ſuavi odore fœtor. Et Job 6. Quæ priùs tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtiâ, cibi mei ſunt. Et Proverbiorum 17. Anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Et iterùm Job 30. Mandebant herbas & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum. Et ut clarè, & non in parabolis de his loquamur: Quid eſt appetitus carnalis delectationis niſi appetitus ſpurcitiæ ſpiritualibus, & ſanis naribus intolerabilis fœtoris? Quid autem appetitus divitiarum, niſi appetitus ſtercorum, niſi fortè deceptus fuerit Apoſtolus in 4. ad Philip. qui omnia lucra C arbitrabatur, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Quid eſt avaritia niſi inordinatus, ac perverſus dementiſſimuſque appetitus terræ, hoc eſt terrenæ ſubſtantiæ, & ideò terræ, fimi, & fœni, & palearum, & lignorum, & lapidum, & cinerum, & carbonum, & corticum, & radicum, & foliorum, & iterùm calcis, & arenæ, & cæmenti, & atramenti? omnia enim iſta vendibilia ſunt, & alicujus pretij ſunt, & propter hoc non effugiunt appetitum, aut fauces aut ventres ſpirituales avarorum. Quid autem eſt appetitus ſuperborum, niſi appetitus mendaciorum? Hi ſunt omnium perditorum deceptiſſimi. Hi paſcuntur chimeris, & figmentis, quæ de liberatiſſimis cogitationibus de ſe ipſis apud ſemetipſos ſibi fingunt, vel ludibrioſiſſima illuſione adulantium ipſis finguntur. Omnium autem figmentorum prodigioſiſſimum, eſt D ipſe ſuperbus omnium ſpectaculorum ridiculoſiſſimum, omnium monſtrorum horrendiſſimum. Manifeſtum ergo eſt ex his, quòd ipſa confeſſio non immeritò nominata, & vomitus ſpiritualis, & propter quam cauſam ſic nominata eſt & quid eam adjuvet, aut impediat, aut omninò prohibeat. Ex quibus etiam conſequenter declaratum eſt non jam ventrem neque os, aut orificium ſtomachi nominandum eſſe, ſed potiùs laternam, & cloacam immunditiæ ſpiritualem, & orificium latrinæ, cor & conſcientiam, quæ tantam fætulentiam, tantaſque ſordes vitiorum, & peccatorum abſque vomitu, & indignatione ulla continent, & quod eſt mirabilius, atque intolerabilius, quia nec latrinis comparanda ſunt; latrinæ enim omnes habent, qui eas curent, atque mundificent, ſi curabiles, ac mundificabiles ſunt: iſta verò corda non habent, qui eis curam hujuſmodi curationis exhibeant. Et attende, quia vomitus

Judicare alios non debemus. *Vomitus ſpiritualis.* *Similitudo.* *Vomitus.* *Simile.* *Nauſea animæ.* *Nota.* *Nota.* *Latrina.*

iſte, ſicut verba Eccleſiaſtes continent, ex multitudine gratiæ eſt interdùm irruenre in fauces cordis modica ſpurcitia quæ ab eo ſtatim repulſa expellitur per vomitum confeſſionis, quemadmodùm muſca interdùm in os alicujus involans, ſtatim vomitu impetuoſo rejicitur. *Simile.* Cujus crebra exempla, & ſimilitudines invenies in multis vitis ſanctis, ac mulieribus, qui nec muſculam unam ſordidæ aut noxiæ, aut etiam vanæ cogitationis in ore intellectus ſui patiuntur, ſed ſtatim ubi involaverit, celerſimæ confeſſionis vomitu illam expurgant Alios verò invenies Beelzebub, id eſt, viros muſcarum, qui agmina muſcarum hoc eſt volabilium ſordidarum, atque pungentium cogitationum in ore intellectus portitant inceſſanter atque circumferunt abſque ulla cogitatione, & abominatione, F & quod eſt abominabilius, muſcis paſcuntur hujuſmodi, & ab ipſis depaſcuntur. Interdùm autem fit vomitus iſte ſpiritualis, & ſaluberrimus, Deo mediante, & medicinâ gratiæ ſuæ, cordi hujuſmodi noxiis, & abominationibus humorum, infirmaure ſeu laborante in ipſam naturam cordis humani, iſta medicinâ confortante, & (non obſtante erubeſcentiæ fræno) os cordis ad iſtum vomitum dilatante. Ne dubites autem pleriſque vomitus iſtius purgati nem imperfectam eſſe tunc; deinde verò completam eſſe, cùm ventrem cordis ab iſtis humoribus evacuaverit, & ut ita loquamur, cùm ipſum à virulentia iſta omninò, exguſtaverit Reminiſci etiam debes in loco iſto *Nota.* qualiter in aquis immerſi totam aquam, quæ corpora eorum intravit, evomere compelluntur; ſuſpenduntur enim pedibus capite obverſo ad terram, & G aperto ore, aliquoque duro, ne claudere valeant, immiſſo, aqua ex ore eorum ſponte defluit. Sic pedibus affectuum ad cœlum obverſus, inde pendere debet pœnitens, & ore aperto diſtincta, & lucida enarratione vitiorum & peccatorum ſuorum aquas maris mundi hujus, quibus immerſus ſe repleverat, evomere, vim faciens ori ſuo, ne claudatur, ſicut legitur Job 7. Non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei. Et ſicut hujuſmodi ſuſpēſus literalis, ſcilicet de quo loquebamur, non habet poteſtatem oris ſui; ſic Deo & ſacerdoti tradere debet in poteſtate os ſuum pœnitens, ut loquatur, quod juſſerit, aut interrogaverit in confeſſione. Ipſi os ejus aperiant, & apertum teneant, donec *Vomenda cordis ſpurcitia.* aquæ iſtæ maledictionis & amaritudinis ex toto exiverint, quoniàm nulli dubium eſſe poteſt, cor eſſe purgandum à noxiis humoribus, & evomendas eſſe tantæ abominationis ſpurcitias, evacuandas eſſe H etiam tantæ maledictionis, & amaritudinis aquas, & hoc per hæc, quandò alias exire non poſſunt. Declaratum eſt etiam, confeſſionem faciendam, eſſe ex neceſſitate: declaratum inquam per hoc quòd ipſa eſt vomitus neceſſariæ ac ſalutaris purgationis, & evacuationis ſpiritualis. *Nota.* Si autem quæſieris, unde iſte vomitus eſſe debeat. Reſpondeo quia ex ſordibus in quibus volutatis, niſi forſitan porcus es, cui ſpurciſſima volutabra velut apothecæ ſunt, & cellæ arromatum, etiam ingentia ſterquilinia cumuli cinamomi, & gazophilorum: quoſdam autem diabolicæ transformationis miraculo, adeò degeneraſſe videmus à nobilitate ſpeciei humanæ, ut jam non ſint habendi homines, ſi ſpurciſſima vita eorum, & converſatio attendatur, ſed potiùs mutati videantur in porcos. Porcum ergo reputa non hominem, in quo tanta abominationum volutabra, tanti cumuli ſpurcitiatum vomitum iſtum ſpiritualem, ac ſaluberrimum provocare non poſſunt. Reſpondeo igitur, quia vomitus eſſe debet tibi nauſea inreſtringibilis ex la-

E trina, quam intra te geſtas, hoc eſt ex ipſo corde, quod eſt omni latrina ſpurcitiis innominabilibus plenius, atque fœtidius: jactatoribus autem, qui de propriis immunditiis ſe jactant, quia proprias ſpurcitias non ſolùm in ore portitant, ſed etiam eas aliis narrant, & detractoribus. quia aliena ſtercora velut aromata ſemper ruminant, & in ore ſemper revolvere, nec abominantur, nec erubeſcunt: propter quod dictum eſt, Proverbiorum 14. Abominatio hominum detractor. Spiritualiter enim hoc videntes, vomitum continere non poſſunt, ſicut nec porci, qui aliena ſtercora maſticare, cibum & delitias habent: his inquam duobus generibus hominum, ſcilicet propriarum immunditiarum, & alienarum enarratoribus in ore eſt, modò vomitus eſſe eis deberet, & eſſet indubitanter, niſi fauces eorum, & guttura, ſeu palata, porcinę immunditiæ corruptio pervertiſſet & ſtercora pro aromatibus eos habere feciſſent quas velut aromata precioſiſſima maſticare, & ruminare aſſiduè delectantur. Eſt etiam vomitus beſtiolarum venenoſarum, & vermium juxta literam, interdùm enim *Simile.* bibuntur ſerpentes dùm adhuc parvuli ſunt; intrant interdùm per ora incautè dormientium, quorum vomitus, & dejectio medicinali artificio procuratur. Sic in aquis doctrinarum perverſarum ſerpentini bibuntur errores, & in aquis voluptatum ſerpentes infernales, hoc eſt vitia carnis, vel ipſi Dœmones ſic & in multorum ſuggeſtionibus bibuntur, velut ſerpentes igniti, ira, invidia, & odium; cum adulatione enim, ſeu bona laude bibitur venenum velut regulus, hoc eſt ſerpentum ſpiritualium ſuperbia, aut inanis gloriæ In detractionibus, ſive cum detractionibus, cùm audiuntur, bibitur odium fraternum, tanquàm alius ſerpens infernalis, & ignitus. In delitiis ciborum, & potuum bibuntur velut duæ ſanguiſugæ gula, & luxuria; & ad hunc modum de aliis. Iſtas beſtias vomitu confeſſionis ejicere cœleſtis, ac divinæ artis medicinalis, & virtus, & opus eſt. Iſta ſunt reptilia, quadrupedia immunda, quæ Ezechiel vidit ingreſſus templum, ſicut legitur ejuſdem 8. Hæc etiam ſunt, quæ juſſus eſt Petrus occidere, & manducare, Actuum 5. Heu quot ſunt peccatores, *Nota.* qui hujuſmodi reptilibus venenoſis, & quadrupedibus immundis, plenos habent ventres cordium, & nec pavent. nec formidant ne dicam à facie, & præſentia eorum, ſed quod eſt admirabilius intra ſe ea habentes, & reportantes, ea per corda ſua ſentientes, ſibilos eorum, & voces audientes, quin etiam morſus, & punctiones ipſorum ſentientes, nec quærunt ab eis effugium, immò quod magis ſtupendum eſt, cibum eorum, & pabulum eſſe ſe gaudent, & ſæpiùs gloriantur. Manifeſtum eſt eos *Serpentes & lumbrici.* non habere oculos ſpirituales, & omninò cæcos eſſe interiùs; non enim ſine abominatione, & horrore, nec ſine tremore, atque timore, tam immunda monſtratamque mortifera videri poſſent Hæc nunquàm perfectè de ventre cordis exeunt, niſi præmortua, nunquàm evomi poſſunt, quamdiu vivunt; & propter hoc, ut evomantur, primùm mors eorum procuranda eſt. Jam autem didiciſti aliàs, quòd potionibus, & medicinis occiduntur lumbrici in ventribus puerorum parvulorum; ſic & ſerpentes, & buffones cùm in eis inventi fuerint. Sicut ergo datur abſinthium, & acetum, & alia quædam *Simile.* contra lumbricos: ſic interdùm amaritudinibus tribulationum, & maximè amaritudine compunctionis & lachrimarum interficiuntur iſtæ beſtiæ infernales. Et attende, quòd ipſis compunctionibus irrogant, & ipſo dolore quem inferunt, extinguuntur; compunctio enim ab acu-

leis ipſorum eſt, & dolor de ipſis ab eis materia- A liter, & occaſionaliter. Quemadmodùm ſcorpius, & ſerpens medicinæ ſunt contra ſe; ex eis enim accipitur unde nocumentum eorum ſanatur. Sic & hic ab ipſis hujuſmodi beſtiis venenoſis accipiuntur arma, & remedia contra ipſas de his, quæ in poteſtate noſtra eſſe videntur, læſiones eorum maximè ſanat, & maximè interficit ſermo Dei, ſicut legitur Sap. 15. Non herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus ſermo domine, qui ſanat omnia. Et in eodem ejuſdem, in memoria ſermonum tuorum exterminabantur. Sermo namque Dei eſt theriaca omne venenum ſpirituale, & gladius acutiſſimus contra omnem beſtiam, ſicut legitur ad Hebræ. 4. Vivus eſt ſermo Domini, & penetrab lior omni gladio ancipiti, &c. Noſti etiam quòd ſonitu vocis humanæ reptilia abſterrentur, atque fugantur. B Et propter hoc conſilium ſaluberrimum eſt, ſermonem Dei aſſiduè audire; hoc eſt enim ſtrepitum, quem ſuſtinere non poſſunt eis facere, & velut venenum eis mortiferum inceſſanter perfundere, gladioque acutiſſimo ea transfigere.

Malagma

Sermo Dei theriaca eſt.

CAPUT XIII.

Pulchrè docet auctor erubeſcentiam, & pudorem eſſe pœnitentiæ, & converſionis ad Deum hoſtem atrociſſimum. Rationemque ſubjungit, qua vinci, & expugnari tetra illa peſtis poſſit.

ET quoniàm confeſſionem maximè impedire ſolet erubeſcentia, in eis videlicet quibus eſt deſiderium reverti ad Deum, & à malis ſuis recedere, qualiter expugnanda, & vincenda ſit propter inſtruendos confeſſores, & adjuvandos pœnitentes, ea brevitate qua permittitur, docere tentabimus. Primum ergo auxilium contra eam eſt, ut cognoſcatur eſſe ipſa hoſtis atrociſſimus; illam enim velut fortiſſimam in acie extrema, quæ retrogardia vulgò dicitur, ponit diabolus in iſto campo qui dicitur certaminis, totoque exercitu ejus cruciato atque proſtrato in contritione illa, vel vulnerato ſaltem in contritione iſta, ſola ſtat, & campum tenet eidem; ſi quidem mortificatis interdùm omnibus vitiis, & peccatis, & renovato exercitu virtutum in corde pœnitentis, armatoque firmitate propoſiti, & ad recuperandum, atque occupandum quicquid amiſſum fuerat armato, atque parato ſola reſiſtit, & obſiſtit erubeſcentia, quæ ſacramentum confeſſionis, & gratiam ſacerdotalis benedictionis, & abſolutionis recuperare non ſinit. Similiter & fructus pœnitentiæ impedit arare, & ſeminare, & quæ agricolationis ſpiritualis ſunt, facere, & tam in terra cordis, quàm in terra corporis prohibet, & avertit; opera ſiquidem pœnitentialia, opera ſpiritualis agriculturæ ſunt, ſicut doceberis in ſequentibus. Iſta eſt erubeſcentia, quæ novi hominis tenerrimum adhuc partum naſci, & in lucem exire non ſinit, ſicut legitur Iſa. 37. Venerunt multitudinis filij ad partum, & non eſt virtus pariendi: propoſito enim, naſcitur novus homo in corde pœnitentis, quaſi nativitate in utero, quæ frequentiùs conceptio dicitur. Confeſſione verò, & opere foriniſeco, velut ex utero naſcitur, quia in lucem apparitionis, & manifeſtationis egreditur. Omnium ergo hoſtium ſæviſſimus videtur erubeſcentia, cùm magis proſequitur, qui nec naſci ſinit, quàm qui jam natum nutrivit. Iſta eſt adeò pertinax, & invincibilis bellatrix, ut nec hoſtes jam mortuos de campo certaminis exire ſinat, ac ſi ſciret eos in proximo, & facilè ſubſiſtendos, & adverſùm te

Pudor eſt hoſtis atrociſſimus.

Diſpendia ex pudore.

Homo novus naſcitur per confeſſionem.

C D

ò pœnitens conſurrecturos; quod utique fiet ſi diutiùs eos ibi diverſeris; habitat enim in terra humani cordis corpus, & maledictione Adæ, ideſt propter Adam eidem inflicta eſt diabolicæ mitificentiæ virtus, qua & hujuſmodi mortuos, ideſt vitia, & peccata facillimè reſuſcitat, & novos mortifera fœcunditate continuè germinat; iſta enim eſt ſcutum ſuperbiæ, & inanis gloriæ, maximè & exercitus Diabolici protectrix, & abſconditrix. Interroga teipſum quid te facit erubeſcere, & invenies, quia ſuperbia, vel inanis gloria tanquàm oculos baſiliſci aſpectus hominum expaveſcit; ſic vitia & peccata alia ſub operimento, & protectione erubeſcentiæ tantùm vivunt, in aſpectu hominum non ſolùm moritura, ſed etiam nec unquàm naſcitura. Iſta eſt quæ inſtar latronum, clamorem eorum, quorum domos ſpoliant timentium; & propter hoc ora eorum obſtruentium, ita ut clamare non poſſint, os tuum obſtruit, ne vocem confeſſionis emittas, tanquàm ſi ſciret, ad hujuſmodi vocem adeſſe tibi ſtatim Dei liberatoris auxilium; nulla enim voce efficaciùs invocatur cœleſtis curſus auxilium, in nulla etiam voce faciliùs impetratur, quàm voce piæ ac ſinceræ confeſſionis. Et attende tria exempla quæ poſuimus, attende, quæ atrocitas inimicitiæ major eſſe poteſt, quàm obſtruere os virus evomere parato, atque volenti: ne virus exeat, aquis immerſo, atque impleto, ne effluant, & pleno ſerpentibus, & alijs reptilibus venenoſis, ne de eo exeant. Iſta obſtructio ore clauſo tenet erubeſcentiam; ipſa enim eſt villa diabolica, hoc eſt oris obſtructorium, ipſa eſt frenum diabolicum, quod tenet os tuum infrenatum, ne loquaris contra eum. Si quidem dejectus eſt deſuper te, qui tibi priùs velut equo ſuo, vel aſino inſedebat. Per ſolum frenum iſtud te tenet, cùm jam alia peccata dimiſeris, & alia vincula ejus dirupeteris. Ecce quàm atrox hoſtis eſt tibi erubeſcentia, quantùm nocens tibi, ac peſtilens, & tu adhuc hæres ei, & non abjicis potiùs illam à te, totoque ſtudio, & viribus perſequeris? Ipſa tamen multipliciter te perſequitur, & hoc ad mortem perpetuam. An credis illâ operire & abſcondere turpitudines tuas? certum eſt, quòd ab oculis Dei, & oculis omnium qui eas lucidiſſimè viſuri ſunt in futuro judicio non abſcondit eas iſta erubeſcentia. Sed credis forſitan, quòd eas abſcondit ab oculis confeſſoris; ludibrioſiſſimè tibi, ac pernitioſiſſimè illudit erubeſcentia tua, quæ ab hujus hominis aſpectu, videlicet confeſſoris, turpitudines tuas abſcondit, ut in extremo judicio omnium viſibus eas exponat, atque divides, & faciat univerſale ſpectaculum.

Superbia cauſa pudoris.

Nota.

CAPUT XIV.

Proſequitur auctor erubeſcentiæ, & pudoris grave & pernitioſum damnum explicare, docetque, quàm turpe ſit hoſti tam infirmo ſuccumbere.

VIde quàm turpe, & quàm ignominioſum eſt, tot & tantis hoſtibus victis iſti extremo ſuccumbere, & tantam victoriæ gloriam, ſolo timore aſpectus unius hominis, videlicet confeſſoris, amittere; ſi enim debilis eſt hoſtis, videlicet erubeſcentia, erubeſcendum tibi eſt ab illo ſuperari illique te occidendum tradere: ipſâ ergo erubeſcentiâ tam grandi, & forti, vincere illam parvam & debilem, grandis enim & fortis debet eſſe erubeſcentia poſt tantorum hoſtium, tanquàm fortium ſtragem, contra debilem deficere, & metu ipſius tantę victoriæ, & glorię coronâ amittere, metu dico,

Erubeſcentia.

quia nondùm te percutit erubeſcentia, nondùm te E impugnat, quamdiu taces & non revelas turpitudines tuas. Experimenta quæſo vires ejus, & arma quæ times, & videbis hoſtem quem times omninò inermem, atque invalidum, teque ab eo omninò illæſum. Incipe obſecro à turpiſſimo & ignominioſiſſimo, ſpurciſſimoque omnium vitiorum & peccatorum tuorum, & ego aſſecuro ex parte Dei omnipotentis os tuum, fauces, labia, & dentes tuos, quòd nihil eorum lædere poterit. Tenta hoc, & experire: non credas mihi ſi hoſtis iſte, quem ita times in aliquo te læſerit, qui cùm viceris, interroga eum jocosè tu confeſſor, ubi eſt vulnus, ubi eſt læſio, quam tu timebas frater mi? Si autem fortis & vehemens erubeſcentia, attende ergo quanta vis ſit eam vincere, & quanta gloria de tanta hoſtis victoria tibi promittitur; ſi enim revelare vitiorum, & peccatorum turpitudines contra erubeſcentiam, vincere eſt erubeſcentiam, ergo victorioſum, quare & glorioſum, quare laude dignum: tu ergo erubeſcis confiteri? erubeſcis vincere, erubeſcis facere quod eſt glorioſũ, ac F laude dignũ? Ampliùs Vide quàm turpiter erras, qui credis turpe, ignominioſum, quod pulcherrimũ eſt, & glorioſum, videlicet ipſam vincere erubeſcentiam, quam tantam támque fortem, tu ipſe teſtaris. Ampliùs. Quid turpius? quid abjectius? quid ignominioſius? quid omnium vituperio, & irriſione dignius, quàm adeò timere hoſtem, qui nondùm eſt, & ſi erit, erit debilis, penè inermis ut mutire non audeat, nec os aperire ad loquendum? Erubeſcentia enim, quàm times, nondùm eſt, ſicut diximus, nec erit, niſi cùm revelabis turpitudines tuas ſpirituales, & tunc quàm inermis ſit, & debilis ſi hoc ſcire vis, ipſa experientia, ut diximus, te docebit. Vide qualiter prælatum tuum feciſti erubeſcentiam, & quàm te ei turpiter ſubdidiſti? Si quidem jam ſuſ- G pendit te, & impoſuit tibi ſilentium, cùm nec dùm natus ſit, & ita chimæram quandam feciſti prælatum tuum, quam finxiſti in corde tuo, & dediſti te cuidam, nihil juriſdictionis ſuper te, contra Deum habenti. Miranda eſt autem iſta erubeſcentia; nemo enim erubeſcit ſordes de domo ſua, vel vaſe quocunque ſuo ejicere, ſive pretioſum illud ſit, ſive vile, ſed ſordes in domo ſua, vel vaſe habere, vel retinere unuſquiſque turpe judicat. Erubeſcendum magis eſt de vaſe cordis, cujus ſordes amantur & emundatio erubeſcitur. Ampliùs. Attende quòd ſi non erubeſceres unum hoſtem, unum bellum, & ideò unam victoriam, & propter hoc unam coronam: propter hoc minus haberes. Ad hoc ergo datur tibi erubeſcentia, ut poſt victoriam de aliis hoſtibus glorioſiſſimè atque victorioſiſſimè triumphes, ut qui H altàs in contritione viceras, ipſam erubeſcentiam in confeſſione vincas. Quòd ſi diligenter advertas, confiteri vitia & peccata quodammodò eſt numerare victorias; dùm enim piè, ac ſincerè fornicationem confiteris, ipſam te viciſſe facto ipſo loqueris, quam mortuam de ipſo campo certaminis ejicis; quemadmodùm enim evomens virtute medicinæ ſerpentes, & alias venenatas beſtiolas ipſam victoriam naturæ per medicinam adjutæ, ipſo hujuſmodi vomitu indicat: ſic vomens ſpiritualiter beſtias ſpirituales, ipſo vomitu confeſſionis victorias gratiæ indubitanter indicat. Et propter hoc confiteri rectè, ac intimè intelligentibus, quodammodò eſt loqui & mirari victorias ſuas; & ſi verecunda fuerit confeſſio, erit facere victorias. Confiteri ergo piè, atque ſincerè vitia ſua, ac peccata, pœnitenti eſt loqui, & enarrare, ac mirari in contritione factas victorias, & in attritione pœnas factas, etſi nondùm completas; quantùm enim ad multa, in attritione moriuntur vitia & peccata; quantùm verò ad erubeſcentiam, eſt facere victorias. Cùm ergo dicis ô pœnitens piâ, ac ſincerâ confeſſione, hæc & illa peccata feci, per inſinuationem dicis, hos, & illos hoſtes interfeci, & illam erubeſcentiam interficio. Ampliùs. Quid oſtendis confeſſori, ô pœnitens, cùm ei oſtendis vitia tua, & peccata, quàm cadavera hoſtium, quæ adjutorio divinæ gratiæ contriviſti? vel ſaltem attriviſti, quæ quantò plura, ac majora fuerint, tantò plures, atque majores virtutis, ac victoriæ tuæ teſtes erunt. Quod deinde glorioſius victori ſpectaculum, quod gratioſius Deo ſacrificium eſſe poteſt quàm ſtrages tam odibilium inimicorum Deo & ipſi victori pœnitenti; quid eſt viſu, vel appetitu jocundius, quàm cumuli hoſtium, aut occiſorum, aut ſaltem vulneratorum? hoc enim eſt unum novum, gaudiorum inſuſpicabilium. Eccl 25. Beatus homo, qui videt ſubverſionem inimicorum. Adverte ergo quantùm erras ô pœnitens, qui ignominioſum tibi putas ſtragem hoſtium tuorum occiſorum, aut vulneratorum oſtendere, teſteſque virtutis & victoriæ tuæ producere, & hoc quantò majores, & validiores fuerint. Siquidem quantò majora, & horribiliora fuerint vitia, & peccata, tantò mors eorum, & vulneratio, quæ in ſinceriâ, ac piâ confeſſione apparet, validiores & efficaciores teſtes erunt, majoriſque virtutis tuæ, atque victoriæ. Quemadmodùm ſi in campo certaminis circa aliquem bellatorem major multitudo interfectorum, atque vulneratorum hoſtium proſtrata jacuerit, majus ei teſtimonium virtutis, ac victoriæ dabit; & propter hoc pœnitens, piéque ac ſincerè confitens, non tanquàm pœnitens tantùm, ſed tanquàm victorioſus bellator cum applauſu maximè triumphali à confeſſore excipiendus eſt qui autem minima & levia peccata confitentur quaſi pulices mortuos, & muſculas in teſtimonium virtutis ſuæ, & victoriæ afferunt. Romæ totius Senatus conſilio decretum eſt, ut eis ſolis triumphus celebretur, qui tantâ victoriâ potiti eſſent, in quâ ſeptem millia hoſtium cæſa fuiſſent. Minor autem victoria triumphali honore indigna judicata eſt, ſicut narrat Valerius maximus de memoriali uno. Et qui magna monſtra, videlicet, elephantes ſuperbiæ, balenas ideſt, cetos avaritiæ, leones iracundiæ, lupos rapacitatis, tauros indomabilitatis in confeſſione afferunt, præclaræ virtutis, ac victoriæ ſuæ non ſigna tantùm afferunt, ſed etiam teſtes, ut diximus, proferunt, vel producunt: propter quod ſcriptum eſt Lucæ 5. Fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua, de magnis ſcilicet feris vitiorum & peccatorum, quæ occidit unuſquiſque magnus peccator in ſe: propter hoc dictum eſt Lucæ 15. Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiã agente, quàm ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ, & Matthæi 18. Gaudebit ſuper eum magis quàm ſupra 99. qui non erraverunt. Et propter hoc væ ſacerdotibus, qui tantam ſtragem, tam odibilium Deo inimicorum audire non poſſunt. Hi ſunt, qui multitudinem, & magnitudinem vitiorum, & peccatorum in confeſſione à pœnitentibus audire non poſſunt, exhorrentes, & abominantes eos, & interdùm in eorum facies expuentes: & unde cœlum repletur laudibus, unde triumphalis ſolemnitas in cœlis agitur, unde præclarum, ac præmagnificum in curiâ cœleſti inſtauratur convivium, unde reſonat ibidem ineffabili ſuavitate ſymphonia, & chorus, ſicut legitur Lucæ 15. Submurmurant, & ſubſannant, & probris, atque conviciis laceratos à ſe repellunt, atque rejiciunt pœnitentes. Nos autem in ſequentibus propter hoc, & alia inconvenientia, quæ de ineruditione confeſſorum proveniunt, de eorum officiis aliqua

Vincere [pud]ore m.

Erubeſcentia.

Nota.

Confiteri.

Similitudo.

Valerius Maximus.

In ſacerdotes.

Gaudium in cœlis pro peccatore pœnitentiam agente.

aliqua loqui propoſuimus. Tu ergo ô pœnitens noli timere à facie pulicis unius, & ſecurus expectare leonem, quod utique facis, ſi ab iſtâ erubeſcentiâ ita times, ut nec loqui propter ipſam audeas, & ab univerſali, & ſempiterno opprobrio, quo omnium oculis turpitudines tuæ omnes palam fient in extremo judicio, non times. Es ergo ſicut ille, qui pulicem timet, & contra leonem ſecurus eſt, & magis ab aſpectu unius hominis abſcondis turpitudines tuas, quàm ab univerſorum aſpectibus. Utinàm ſcires quantum gaudium eſt omnibus angelis Dei, & ſingulis, de ſinceтâ confeſſione tuâ. *Nota.* Utinàm audires gratiarum actiones, quas ad ſingulorum peccatorum tuorum confeſſiones patri miſericordiarum pro te referunt. Utinàm videres, ac ſentires gaudium, quo ad ſingularum beſtiarum infernalium vomitum omnes exercitus militiarum cœleſtium epulantur. Utinàm audires, & videres applauſum, & aggratulationem, quibus tibi pater miſericordiarum amantiſſimus, atque dulciſſimus *Gaudium cœleſte.* aggaudet, atque blanditur. Utinàm ſentires amplexus ejus, & oſcula, quibus ſuper collum tuum cadens irruit ſicut legitur Lucæ 15. Proculdubiò aquas maledictionis, & amaritudinis, quas diximus, ore patulo & inclauſibili, à te evacuares, ut Dei patris gratia replearis; ſpurcitias abominabiles vitiorum, & peccatorum totis viribus, & feſtinatione à te rejiceres, ut aromatibus donorum atque virtutum ſpiritualium repletus, Dominum habitatorem, cuſtodemque tuum perpetuæque fœlicitatis largitorem, totâ virtute intra te avidéque reciperes, non oſtium oris tui clauderes, Deum à te excludens, nec diabolũ hoſpitum tuorũ pernicioſiſſimum jugulatorem intra te adtuã mortẽ, atque perniciem retineres, os tuum ad confeſſionem aperires, ut ſpiritum ſanctum per illud in te attraheres, illud dilatares ut Deus ipſum impleret, ſicut legitur in Pſal. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum Et dilata os tuum, & implebo illud. Aditum Deo advenienti panderes, ut ſuperveniens diabolum à te deturbans, & dejiciens, te à ſervitute turpiſſimâ, & à ſervitute tyrannidis ejus nequiſſima liberaret, & in libertatem gloriæ filiorum Dei liberatum transferret.

CAPUT XV.

Explicat cauſas alterius nominis ad confeſſionem pertinentis: cur ſcilicet computatio dicatur.

Pura & integra confeſſio quid. POſt hæc ſequitur, ut loquamur de octava nominatione, ſeu computatione confeſſionis, quam ſupra computationem diximus: pura enim, integraque confeſſio, fidelis compũtatio eſt, & redditio rationis, quæ nobis liberi arbitrij poteſtate, ſeu facultate cõmiſſa eſt. Hujus ergo debitores nos eſſe, manifeſtum eſt. Primùm ratione villicationis, quam, ut jam tetigimus, in ipſa poteſtate liberi arbitrij à Deo accepimus. De hoc Lucæ 18. Redde rationem villicationis tuæ. Secundò ratione terræ, ſive prædij, quod ab eo excolendum ſuſcepimus. Tertiò ratione talentorum, quæ ab ipſo ad lucrandum nobis tradita ſunt: de qua legitur Lucæ 18. in parabola vinearum, & Matthæi 25 in parabola talentorum. *Dei villici ſumus.* Quartò ratione officiorum in quibus conſtituti ſumus. Quintò ratione ſtipendiorum, quæ ad militandum percepimus. Sextò ratione dimiſſorum, hoc eſt indulgentiarum, & remiſſionum, quæ nobis à patre miſericordiarum factæ ſunt. Quia igitur Dei villicus es, & quaſi ſubregulus in terra cordis tui, & corporis per poteſtatem liberi

A arbitrij conſtitutus, requiritur à te, ut judicium, & juſtitiam facias in terra prædicta, ut maleficos ab ea extermines hoc eſt vitia, & peccata, & dæmones Et ſi fortè incurſaverint, quoties incurſaverint, eos ex officio villicationis, & cuſtodiæ villæ, quæ tu ipſe es, arceas, captives, juſtities, & torqueas; bona verò ipſius villæ, hoc eſt inhabitatores & bona eorum cuſtodias, & nutrias, & defendas. Primùm ergo ſi fideliter examinare coram Dei diſpenſatore, confeſſore videlicet, & computationem facere volueris, recordari debes, qualem villam tibi dederit, de qua manifeſtum eſt, quia pulchrè, magnificéque ædificavit eam Architecto ejus, atque opifice ipſo Deo, deinde duplici muro munitam, videlicet Angelorum cuſtodia, & Dei protectione. Etenim Dominus in circuitu populi, tanquàm murus. Et iterùm Iſa. 26. Salvator ponetur in ea murus & antemurale Et iterùm pater ad filium in typo Hier. primo Dedi te in murum æneum ſuper omnem terram. *Angelorum cuſtodia, & Dei protectio.* Tradidit etiam tibi nobilibus divitibus, ac magnis habitatoribus populoſam qui ſunt B donorum, atque virtutum populus. Iſte populus, & hæc villa tibi cuſtodienda, conſervanda, nutrienda, tradita eſt, tanquàm villico. Hanc ampliare, & magnificare debuiſti divitijs, & gloria, hanc armis & bello tueri: redde ergo rationẽ hujus villicationis. Qualiter cuſtodita eſt villa iſta? Eſt ne magnificatus, & ditatus populus iſte? hoc eſt, ſunt adauctæ virtutes & dona vel numero, vel magnitudine, vel utroque beatus es, laudeque & remuneratione domini tui dignus ô villice, ſi crevit iſte populus tam numero, quàm magnitudine; donis enim, & virtutibus, ſine quibus non eſt ſalus, adduntur divinæ gratiæ largitate, interdùm alia, ſicut donum Prophetiæ, & donum interpretationis linguarum, & alia hujuſmodi; ſimiliter & multorum ſcientiæ, & induſtriæ, ſine quibus non eſt ſalus. Ditatur autem iſte populus donorum, atque virtuC tum tam interioribus, quàm exterioribus operibus ſuis. *Fides.* Verbi gratia: Ditatur fides cognitione miraculorum, illuminatione revelationum, ſcientiâ teſtimoniorum ſcripturæ ſolertiâ probationum, quibus ipſa aſtruitur & quibus errores contra ij deſtruuntur. *Charitas.* Sic ditatur charitas ardore deſideriorum de Dei gloriâ, de ſalute, & ædificatione proximorum, de affluentia gaudiorum, de his duobus ſcilicet gloriâ, & ſalute proximorum, de uſtionibus zeli, cùm ſcilicet Dei gloria vel contumelia, vel conſpicitur, vel auditur, de frixionibus compaſſionis, cùm proximorum mala ſpiritualia, vel temporalia conſpiciuntur, vel innoteſcunt. Et ad hunc modum de alijs, ut divina intelligantur opera ipſarum ut diximus tam interiora quàm exD teriora Quòd ſi de his aliam rationem reddere non potes ô pœnitens, niſi quòd everſa eſt illa villa per incuriam, immò per perditionem, & exuſta eſt cum toto populo ſuo alio igne infernali. videlicet igne ſulphureo luxuriæ, aut igne teterrimo avaritiæ, aut igne græco invidiæ, & ita de alijs, & diſſipata omnia bona populi, hoc eſt omnia opera bona tam exteriora, quàm interiora, hoc ipſum dic. & confitere; cùm enim hoc non dicere coram dominis ſecularibus ſit in commutatione, ſeu reddenda ratione deficere, coram domino ſæculorum ſic dicere, eſt bonam rationem reddere ſuæ villicationis, & benè, ac legaliter computare. *Reddere rationem villicationis.* Et cùm illi malos villicos de mala villicatione confeſſos, aut convictos à villicatione amoventes damnent, & puniant, & ulteriùs bona ſua, quæ eiſdem commiſerant, ampliùs non committant; Deus econtrariò facit malam villicationem confeſſo honorem officij ſui ſervat, & diſſipata bona

Digitized by Google

eidem denuò tradit, tantamque virtutem, ac meritum ſinceræ confeſſioni diſſipationis, ſive malæ villicationis largitur, ut nec ſibi, nec villico quidquam diſſipatum pereat, omnia de indeficientiſſimis divitijs ſuæ bonitatis reparans, ac reſtaurans; ad quid enim miſericordiſſimus judex confeſſionem malæ adminiſtrationis audire vellet, ſi confitentem ex ore ſuo judicans damnare intenderet? præſertim cùm hujuſmodi confeſſio, nuſquàm ſine poſtulatione veniæ fiat. Fruſtra ergo confeſſione delictorum & poſtulatione veniæ rei fugerent, ſi ab ea damnationem meritam reportarent. Primùm autem impoſſibile manifeſtum, videlicet quòd fruſtra ad Dei miſericordiam fugiatur: ſi enim non eſſet conſultum diſſipatoribus ſi villam eis providiſſet ſine reſtaurationis miſericordia, manifeſtè diminuta
F eſſet ejus miſericordia, quantùm ad ipſos. Ampliùs. Nabuchodonoſor tam malè adminiſtrantem regnū ſibi commiſſū à Deo de illa dejectū, malâque adminiſtrationem ſuā, ac diſſipationē confeſſum, ac recognoſcentē, denuò reſtituit, majorique magnificētia & gloria, quàm priùs haberet donavit, quomodò non ſubregulos iſtos, hoc eſt unumquemque peccatorem malam villicationem recognoſcentem, non denuò reſtituet, ac reſtaurabit? cùm ille divinæ religionis perſecutor eſſet atrociſſimus, & idolatra impiiſſimus, Deoque omni peccatore Chriſtiano odibilior? Juxta hunc modum de judicio, & juſtitia interrogandus eſt villicus videlicet ſi fecit judicium: primùm de ſeipſo, & hoc Deo; deinde de virtutibus, quas de propriâ habitatione, & hæreditate ipſarum, hoc eſt, de ſeipſo turpiter ejecit, & inimicos earum capitales, hoc eſt vitia, & peccata illis exhæreditatis in Dei contumeliam, & præjudicium ipſarum ſuſcepit, ſi latrunculos primorum, ſecundorum, & tertiorum motuum, hoc eſt cogitationum, deſideriorum, & delectationum, quæ ſunt citra conſenſum, gladio diſciplinæ perſecutus eſt, ſi judicium & juſtitiam Deo, & virtutibus, de ipſis fecit Deo, cujus templum polluunt, cujus villam vaſtant, exurunt, evertunt, cujus civium bona diripiunt, & furantur. Si iſti latrones in villa iſta multiplicantur, vel vivere ſinuntur, quæ utique vis eſt eis, & hæreditas propria virtutum, apparet iniquum eſſe villicum, ſicut legitur Iſa. 26. Juſtitiam non fecimus in terra ideò ceciderunt habitatores terræ. Juſtum etiam eſt, ut ipſa luat ſupplicia, quæ latronibus iſtis irroganda erant pro eo ſolo, quòd ipſis pepercit, ſicut legitur 3. Reg. 20. Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus. Quid ergo ſi eos nutriat, & defendat? Si villam Dei totam immò templum Dei, hoc eſt ſe ipſum, fecit ſpeluncam latronum; qui enim participat cum fure, fur eſt, ſicut legitur Proverb. Et tu jam noſti, quia juſtitia ſæcularis receptatores furum, & ipſos fures pari damnatione, ac pœna involvit, &c.

Nabuchodonoſor.

Idolatra.

CAPUT XVI.

Exponit quomodò villici Dei, & coloni dicimur, & quid ſit vinea Domini, & vitis Iſrael frondoſa.

ET quia, ut diximus, velut Dei coloni, ſive agricolatores ſumus, de prædio, quod nobis excolendum tradidit, rationem reddere tenemur, & de ipſa agricolatione, & de fructibus. Prædiū iſtud nosipſi ſumus in vinea, & ager ſicut legitur Iſa. 5. Vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt, & vir Juda delectabile nomen ejus, & in Pſal. Vineā de Ægypto trāſtuliſti. Et Oſeæ 10. Vitis frōdoſa Iſraël. Et Hiere. 2. Ego plantavi vineam meam electam, omne ſe-

Coloni Dei ſumus.

Vinea domini.

E men verum. Et Deuteronomii 32. De vinea ſodomorum vinum eorum. Similiter Matthæi 20. Simile eſt regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primò manè conducere operarios in vineam ſuam. Ager verò ſumus, & hortus, ſicut legitur Cant. 4. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa hortus concluſus. Ager verò ſumus, ſicut legitur Matthæi 13. Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Et iterùm: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. De hoc eodem prima ad Corinth. 3. Dei agricultura eſtis. De utroque verò ſimul legitur Proverbiorum 33 Per agrum hominis pigri tranſivi, per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant, &c. De iſtâ agricolatione ſpirituali, qualis eſſe debeat, quâ fide, & diligentiâ, & laborioſitate exercenda, ipſa literalis agricolatio, velut liber ſufficienter per ſimilitudinem, evidenter atque perfectè docet; neque neceſſarium eſt, ut hîc urticas, ſpinas, & vepres, herbas noxias, atque peſtiferas ſpirituales enarremus, quia declamationes Eccleſiaſticæ, & populares ſermones de his ſufficiunt, cuilibet talia cognoſcere cupienti. Fructus autem agricolationis noſtræ reverà quinque ſunt. Primus eſt gloria Dei, ſeu glorificatio, cui fructui educendo de agro, vel vinea noſtra, in primis, & maximè invigilandum, & inſudandum eſt, ſicut docet veritas Mat. 5. Luceant opera veſtra coram hominibus, ut videntes opera veſtra bona glorificent patrē veſtrum, qui in cœlis eſt. In his fructibus gloria, hæc eſt Dei portio propria, in qua noluit habere participem, vel conſortem, ſicut ipſemet di-
G cit Iſaiæ 42 Gloriam meam alteri non dabo. Hanc ſuam eſſe totaliter toties confitemur, hanc illi toties recognoſcimus, quoties gloria tibi domine, vel gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, cantamus. Hac portione ſua, & jure ſuo Deum defraudant, qui quæ recta ſunt, facere non niſi in abſcondito volunt, volentes occultè, & quaſi in confeſſione tantùm eſſe Chriſtiani, & furari, hoc eſt, clam ſubripere regnum cœlorum, cùm tamen non ſit dictum, regnum cœlorum furtum patitur, quin potiùs ſcriptum eſt. Matt. 11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et Lucæ 16. Omnis, qui in illud vim facit. Iſti verò tanquàm fures, & latrones intrare nolunt regnum cœlorum, cùm non furtim, ſed manifeſtæ rapinæ, & deprædationi publicè expoſitum ſit regnum cœlorum. Iſti autem abſconditi volunt eſſe chriſtiani, & in manifeſto eſſe antichriſti, & proditores Diaboli, dùm facie exte-
H rioris converſationis ſe ſervos ejus eſſe prætendunt, & habitu exteriori velut de Abbatia ipſius, in qua nullus ordo, ſed ſola perverſitas eſt, ſe eſſe oſtendunt, vel potiùs ſimulant, dùm intùs, id eſt corde ad Deum pertinere volunt, ſponſum ſuum Chriſtum Dominum erubeſcentes, adulterum mundum, vel diabolum, palàm & publicè, non ſolùm abſque erubeſcentiâ recipientes, ſed etiam hoc, id eſt tam execrabilem adulterij ignominiam, honorem, & gloriam reputantes, ſacratiſſimumque, quod cum Chriſto in baptiſmo contraxerunt matrimonium, velut ignominioſam turpitudinem abſcondentes, & à diabolico, ut diximus, adulterio tanquàm ſpecioſo operimento, id operientes, non attendentes, quod dictum eſt Eccleſiaſtici 2. Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus vijs, & Matt. 7. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Et Lucæ 6. ſimiliter, & prima ad Corinth. 6. Quæ eſt participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras; quæ autem conventio Chriſti ad Belial, &c. Hi ſunt qui erubeſcunt filium Dei coràm hominibus, & facto negant ipſum

Regnum cœlorum.

Agricolatio ſpiritualis.

Digitized by Google

ſum coram eiſdem, & propter hoc negabuntur, & erubeſcentur: ſicut legitur Mat. 10. & Lucæ 9. Hi ſunt, qui contra mandatum Evangelicum lucernam accenſam ponunt ſub modio, ut nemo eam videat, contra illud quod legitur Mat. 7. Qui autem gloriam operum ſuorum ſibi vendicant, aut inanis gloriæ amatores, & bonorum, quæ reverà non habent, oſtentatores, & jactatores, fures Dei indubitanter ſunt, quia gloriam, quæ ſoli Deo competit, & jure ſingulari, atque pleniſſimo ad ipſum ſolùm pertinet, & ſurripiunt, & furantur. Qui verò evidenti, & manifeſta vitæ ſuæ turpitudine, aliiſque notabiles, & contemptibiles efficiuntur, nomen Dei proculdubiò polluunt, ſicut legitur Ezech. 36. Et de horto converſationis ſuæ, unde laudem, & gloriam metere Deus debuit, blaſphemiarum jaculis ſpiritualiter configitur. Hi quoque ſunt, qui bona opera proximorum, quæ proculdubiò opera Dei ſunt, & quæ ipſe operatur, & ſuis & in ſuis ore maledico lacerant, vituperant, blaſphemant. Et propter hoc Diabolo illa attribuunt, & aſcribunt gloriam ſuam, de hujuſmodi operibus Deo auferunt, & illam diabolo conferunt, eamque in ipſum transferunt; veriſſima enim confeſſione dicunt ſancti Iſa. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis domine. Veriſſimè etiam dicit Apoſtolus 3. ad Philipp. Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

Fures Dei qui.

CAPUT XVII.

Fructus multiplices ex agro, vel vinea Domini colligendos pulcherrimè explanat.

SEcundus fructus ex agro, vel vinea, qui nobis retinendus eſt, & noſter proprius eſt, primùm in redemptionem noſtram à carcere ignis purgatorij, & à carcere pœnitentialis afflictionis. Et eſt iſte fructus de quo legitur Matt. 3. Facite fructum dignum pœnitentiæ, ſimiliter Lucæ 3. fructus dignos pœnitentiæ. Certum enim eſt, quia opera pœnitentiæ, velut pretium ſunt cujuſdam redemptionis, quibus carcerem purgatorium effugimus, ſi ea ſpontè, atque gaudenter ſolverimus; ipſum enim carcerẽ infernalẽ, quaſi pretio eorundẽ operũ juxta multorum opinionem commutamus; pœna namque gehennalis & æternæ damnationis ſupplicium, in pœnitentialem afflictionem commutatur pœnitentibus divinæ miſericordiæ largitate: juxta iſtorum opinionem: deinde fructus iſte, fructus ſcilicet terræ noſtræ eſt, de quo impletur cœleſte promptuarium, cœleſte horreum atque cœleſte cellarium, ſicut legitur Proverb. 24. In doctrina implebuntur cellaria univerſa, pretioſa, atque pulcherrima. De hoc expreſsè Eccleſ. 15. Jocunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper eum; quemadmodùm enim pertinaces in malitiis ſuis, & pœnitere nolentes, theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicij Dei, ſicut legitur in 2. ad Rom. ſic pœnitentes, & quæ recta ſunt agentes, theſaurizant ſibi jocunditatem, & exultationem in cœlis: licet enim de eleemoſinâ expreſſè, & de abdicatione temporalium dictum ſit in Evangelio, quòd ipſis theſaurizatur in cœlis; Matth. 7. & ejuſdem 19. & Marci 10. & Luc. 16. Tamen nullo modo dubitandum eſt, quin omni opere bono theſaurizetur in cœlis. Tertius fructus agri noſtri, vel vineæ exemplum eſt, ſeu ædificatio proximorum; in ipſa enim vita noſtra, tanquàm in exemplari vitæ, & veritatis, legere debent proximi exempla rectitu-

Opera pœnitentiæ.

Aedificatio proximorum.

A dinis. Quemadmodùm ergo ſi quis publicum exemplar publici armarij transcribere inde volentibus, & indigentibus abſconderet omnibus illis injurioſus eſſet, & boni publici impeditor; ſic qui decus Chriſtianæ ſanctitatis, tanquàm ſi eſſet latrocinium, aut aliud nephartum, ne ab hominibus videatur, abſcondunt, publici boni ſpiritualis, quod tam utile, tamque ſalubre eſt, impeditores ſunt. Accidit eis inſuper, ut qui duces debuerunt eſſe cœcorum, & luminaria videntium præeundo, & oſtendendo viam veritatis, ſeu mandatorum Dei, duces efficientur erroris, & ut ita dicamus luminaria tenebrarum, incidentes in illam Dei maledictionem: Deuteron. 27. Maledictus qui errare facit cœcum in itinere. Tranſgrediuntur etiam illud Dei mandatum, quod legitur Levitici 19. Coram cœco non

B pones offendiculum; offendiculum nanque coram cœco ponit, qui exemplo perverſitatis occaſionem ſcandali attribuit, in itinere cæcum errare facit, qui exemplo mali ſui operis, ipſum à via veritatis abducit; ſiquidem ut dicit Greg. tot mortibus unuſquiſque reus eſt, quot exempla perditionis ad alios tranſmittit. Quartus fructus eſt proximorum ſubſidium; adjuvantur enim proximi ad ea facienda bona, quæ ab his fieri conſpiciunt, & animantur, atque confortantur in idipſum; leviùs enim portant, quæ à multis fieri conſpiciunt. Inſuper & bonorum, quæ fieri vident, amando, & aggaudendo, participes fiunt. Qui ergo vel mala apertè faciunt, vel bona in abſcondito tantùm, tribus ſubſidiis proximos defraudant, videlicet ſocietatis ſolatio,

Offendiculum coram cœco ponere.

Proximorum ſubſidium.

C quod eis eſſet ad alleviationem laboris, quem in faciendo bona ſuſtinent: & confortationis fulcimento, quod ex multitudine ſociorum haberent, ſi eos evidenti, & aperto bonorum operum teſtimonio cognoſcerent: tertio verò, quod trium iſtorum maximum eſt, ſcilicet bonorum operum participio, quod amando, & aggaudendo, acquirerent, ſi ipſa bona opera, quæ abſconduntur, viderent. Quintus verò fructus eſt diaboli terror, & metus: ut enim de alijs bonis taceamus, ſolus habitus religioſus, aut ſaltem compoſitus, & Chriſtianæ profeſſioni congruens, adeò deterret, & diffugat interdùm diabolum, & eos qui ex parte ejus ſunt, ut armatura fortiſſima. Mulierem namque religioſè, aut compoſitè ſe gerentem, & ipſo habitu, ac veſtitu ſanctitatem (licet eam non habeat) præferentem, nec etiam procaciſſimus corruptor, ac impudentiſſimus ſolicitare audebit. Ipſum etiam religioſum habitum terrori eſſe ipſi, qui illum defert, ita ut propter ipſum magis horreantur ipſa peccata, nemo

Terror diaboli.

Nota bene.

D dubitat, niſi homo infrontis, & effrenis animi, atque irreverentis. Quemadmodùm olim quidam mortuos bellatores erexit, & armatos caſtri ſui propugnaculis alligavit, quos cùm exercitus caſtrum obſidens conſpiceret, vivos credidit, & captionem caſtri propter hoc deſperans, ſoluta obſidione receſſit; credebant nanque priùs exercitus bellatores, ac defenſatores, in caſtro partim fame, partim gladio interfectos eſſe. Et propter hoc ſubita apparitione mortuorum, qui propter arma, quibus circumtecti erant, vivi videbantur, de captione caſtri deſperavit fugiens à facie mortuorum: ſic multi ſpiritualiter, & intùs mortui exteriori habitu, & converſatione vivi videntur, & exteriùs armati; decor enim chriſtianæ religionis exteriùs, quaſi armatura eſt ad terrendum diabolum, & ſuos & ad protegendum etiam deferentes. De his ergo quinque fructibus rationem Deo ſæpe in confeſſione, & oratione ſolitaria, ac familiari, temporeque, & loco coram camerario ejus, ac diſpenſatore confeſſore, red-

Digitized by Google

dere tenemur. Et quoniàm quemadmodùm ſe habet ad juſtitiam Dei prudentis, fidelis, ac bonæ agricolationis exhibitio, ſeu oſtenſio; ſic ad ejuſdem miſericordiam imprudentis, infidelis, ac malæ, hoc eſt, inutilis, & pernitioſæ agricolationis accuſatoria, deprecatoriaque confeſſio, neceſſe eſt, ut quemadmodùm illam abſolutionem, & retributionem obtinet à juſtitiâ Dei, ſic iſta ab ejuſdem miſericordiâ; ſicut enim juſtitiæ eſt, judicio ſuo inventa bona merita laudare, atque remunerare, ſic miſericordiæ eſt in confitentibus deprecantibus defectum eorum ſupplere.

CAPUT XVIII.

Scribit paupertatem eſſe maximum quoddam talentum, ex quo octo maxima lucra benè in ea negotiantibus proveniunt, quæ ordine elegantiſſimo explicantur.

TErtia, ut ſupra diximus, obligatio noſtra ad Deum eſt ratione talentorum nobis ad lucrandum ab ipſo traditorum. Et ne in enumeratione eorum diutiùs immoremur, generaliter dicimus, talentum intelligi omne id, ex quo lucrum ſpirituale provenire debet prudenter negotiantibus. Et ut de aliis taceamus, ipſa paupertas magnum talentum eſt, & octo magna lucra ſervis prudenter, benéque in ea negotiantibus ex ea proveniunt. Horum primum eſt humilitas, quemadmodùm enim vermis divitum ſuperbia eſt, ſicut dicit Auguſtinus, & propter hoc Apoſtolus in ultimo ad Timoth. dicit: Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere: ſic humilitas proprium jus eſt pauperum, ut ita loquamur, & paupertatis quodammodò filia. Inde eſt quòd ſuperbiam in paupere vehementer execratur, ac deteſtatur ſcriptura ſicut legitur Eccleſiaſt. 25. Tres ſpecies odivit anima mea, ſecundum pauperem ſuperbum, &c. Secundum lucrum eſt munditia; non enim mirum eſt, cùm divitiæ ſtercora ſint, Exo. 30. & ad Philip. Et ex Tob. 2. ubi ſtercora hirundinum callida excæcaſſe leguntur oculos Tobiæ, & 22. Eccleſiaſt. De ſtercore boum lapidatus eſt piger. Non mirum inquam, ſi inquinantur multiplicium ſordibus peccatorum, dùm ſtercora divitiarum inceſſanter contrectant, & in illis aſſiduè volutantur. Et hoc eſt quod legitur Eccleſ. 11. Si dives fueris, non eris immunis à peccato. Dùm ergo pauperem te fecit Dominus, ſtercora divitiarum elongavit à te Meritò ergo ex ipſa paupertate tanquàm ex elongatione à ſtercoribus lucrum puritatis, ſive munditiæ à te requirit Deus. Tertium lucrum eſt expeditio, ſive levitas, aut agilitas; divitiæ enim temporales onera graviſſima ſunt, & ſicut ad literam corpora onerant, & de naufragio enatare, aut ab inſequentibus effugere literalibus, ſeu materialibus non ſinunt ſic & corda, quibus catena amoris, & funiculus deſideriorum alligata fuerint, neque enatare de mari mundi hujus, nec evolare in ſublime ſpiritualium, & æternorum permittunt. Et hoc eſt, quod dicit veritas Matth. 18. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum cœlorum: & Marci 10. & Lucæ 18. Cùm ergo divina clementia pauperem te eſſe voluit, liberum te ab oneribus fecit. Meritò ergo à te levitatem, ſeu agilitatem, & expeditionem ad enatandum præſentibus de periculis, ad evolandum de mundi confuſionibus, & obſidionibus, ad currendum viam mandatorum, à te exigit. Quartum lucrum de talento paupertatis requirit à te Dominus, quietem cordis, ſive tranquillitatem; alligati enim mobilibus, & inquietis neceſſarium eſt, ut cum eis omni inquietudine moveantur, quod ex ipſa eorum confeſſione, &

Talentũ.

Superbia in paupere.

Divitiæ onera ſunt graviſſima

E loquendi triſtiſſima conſuetudine manifeſtum eſt; dicunt enim ſe comburi, cùm domus eorum comburitur, & degrandinari, cùm vineæ eorum degrandinantur; deſtrui cùm deſtruuntur; devorari cùm devorantur; ſimiliter augeri, & minui; & couſque proceſſit iſta dementia, ut prædia ſua, membra ſua audeant nominare, nec erubeſcunt dicere, iſtud prædiũ eſt dextra manus mea, iſtud aliud eſt cor meum: nihil omninò ſe eſſe, niſi acervum ſuorum temporalium reputantes; ſi enim decreviſti, ut dicis, ô inſaniſſime delirator, & nihil decrevit in te, niſi acervus divitiarum tuarum, & reverà tu ſic te habes, & ſic te reputas. Cùm ergo pauperem te fecit Dominus ab omnium inquietudinum iſtarum tormentis, quæ ſola mortem non ſentiunt, te miſericordiſſimè eripuit. Meritò ergo de talento paupertatis lucrum à te internæ quietis, & tranquillitatis exigit. Quintum lucrum eſt pax à litibus, & bellis; nullus enim lite, vel bello paupertatis impugnatur, aut impetitur; F nullus pro ea coram quocunque judice convenitur; non pro ea defendenda in judicio neceſſe eſt advocatos adiri, vel eorum patrocinia ſalariis, vel modicis, vel magnis, emi; non oportet pro ejus defenſione tribunalia frequentari, judicibus ſupplicari, nec juriſperitos conſuli, nec libros legum, aut decretorum, aut decretalium evolvi: ſimiliter nec contra fures, & latrones cuſtodum excubias adhiberi, nec contra inſidiatores illius ducatus ſecuritatis inquiri, nec pro ejus tutamine mœnia, vel arces ædificari, vel machinas erigi, non arma fabricari. In ipſo bello eſt ei pax, in mediis gladiis tuta eſt, in ipſo conflictu quantumcunque ingenti, & acerrimo non ſolùm illæſa, ſed etiam intacta perſiſtit. De talento ergo paupertatis meritò pax, tanquàm nobile lucrum, ac pretioſum ipſius, Deus ejuſdem dator G meritò requirit: ſicut legitur Eccle. 11. Paupertas, & honeſtas à Deo ſunt. De hac Seneca: Pauperi etiam in obſeſſa via pax eſt. Et iterùm. Cùm claſſicum inſonuit, ſcit ſe non peti paupertas. Illud lucrũ, videlicet pacis, à litibus, & bellis, ſoli amittunt inimici paupertatis, & qui ei bellum indixerunt, qui ſcilicet eam de ſe citra ſeipſos gladio, & igne, totiſque ſtudiis, ac viribus diffugare, & exterminare contendunt. Nec mirũ ſi bono pacis ſeipſos defraudãt, qui matrẽ pacis effectricem, ſcilicet paupertatem, odio implacabili & bello implacabili proſequuntur. Hi ſunt amatores divitiarũ, quos rectè intelligentibus manifeſtum eſt matrem inquietudinum eſſe, ac ſcaturiginem ſolicitudinum, jurgiorum fomitem, & bellorum. Propter hoc dictum eſt: Projice pecuniam, & redime tibi pacem. Quemadmodùm animal, quod dicitur caſtor, propriis dentibus teſticu- H los abſcindens, & in ſequentibus ſe venatoribus illos projiciens, pacem ſibi redimit: ſic & Joſeph pallium relinquens Ægyptiacæ, pacem ſibi ab improbitate procacitatis dominæ ſuæ acquiſivit, ſicut legitur Geneſ. 39. ſicut oſſa nudata carnibus, pacem habent à canibus, feris, & avibus: ſicut locus exhauſtus ab haurire volentibus: ſicut domus exterminata, à furibus, & raptoribus: ſic pauperes pacem habent. Et quemadmodùm cadavera carnoſa frequentantur à canibus, feris, & avibus, & hoc ad diripiendum & devorandum, & quemadmodùm lacus exhaurire volentibus, & hoc ad exhauriendum: quemadmodùm etiam mollita, & deſuper uncta à muſcis, & hoc ad exugendum: ſic divites, & magnates frequentantur à cupidis; prædam enim ſequitur turba illa cupidorum, non hominem. Sextum lucrum de talento paupertatis, eſt ſecuritas ab omnibus malis, & periculis, quæ divitiis accidunt; eadem enim divitiis, & his qui divitiis per amorem cupiditatis uniti ſunt, ſive unum cum illis effecti, ut ſupra

Amatores divitiarum.

Caſtor animal à caſtrando.

Digitized by Google

ut ſupra oſtendimus, accidere neceſſe eſt. Et propter hoc tot faucibus devorantur avarorum corda, quot eorum cibi & potus, tot dentibus confringuntur, & conteruntur, quot eorum panes, & quod ipſimet confitentur, dicentes ſe comedi & devorari ab eis, qui bona ſua comedunt, vel devorant; eodem modo devorantur corda eorum à lupis, qui oves eorum devoraverunt. Indicium autem devorationis hujus ſpiritualis dolor eſt cordiũ ipſorum; non enim dolent à morſibus ciborum, vel ovium ſuarum, niſi dentes comedentium, ac devorantium corda eorum frangerent, atque transfigerent. Ideò autem dentes devorãtium divitias avarorum, corda eorum transfigunt, & conterunt quia illa in ipſis divitiis unita, & immixta per inſaniſſimum amorem inveniuntur. Et propter hoc nulla dementia inſaniæ avarorum comparabilis eſt, qui tot dentibus corda ſua transfigenda, & conterenda exponunt; nec ſolùm dentibus, ſed etiam omni igni, & aquæ, omni grandini & fulguri, omni tineæ, & rubigini, & generaliter omni nocumento divitiæ eorum obnoxiæ ſunt; omnia enim incommoda, quæ ipſæ divitiæ patiuntur & ipſa corda per inſaniã cupiditatis eis unita, & immixta cum ipſis divitiis pati neceſſe eſt. Et ſi ergo non aliud lucrum de talento paupertatis provenire poſſet, quàm ſecuritas à tot, tantiſque tormentis, atque periculis, propter iſtud ſolum amandum eſſet, ac pretioſum reputandum. Septimum lucrum de talento paupertatis proveniens prudenter negociantibus, eſt ipſa divitiarum poſſeſſio, & imperioſa ſuper eas dominatio; hi enim in talento paupertatis ſoli prudenter negotiantur, qui eam ſortem ſuam reputant, & talentum ſibi commiſſum ad lucrum, & propter hoc illam diligunt. De his ergo manifeſtum eſt, quia divitias ſub pedibus ſpiritualibus ſuis, hoc eſt affectibus, habent, & eas ſpiritualiter, id eſt, contemptu, & aſpernatione conculcant. Hi eas in tantam ſervitutem redegerunt, ut nunquàm de ſub pedibus eorum levare ſe poſſunt, & ſolo nutu ad omnem uſum illis ſerviant pro omni ſuo beneplacito voluntatis; ſive enim Deo illas offerri velint, ſive pauperibus erogari ſtatim oblatæ, ſtatimque erogatæ ſunt Dei judicio, qui falli non poteſt, ſtatim coram Deo ſunt, miſericordia. & incogitabili obedientia ante conſpectum Dei volatu penè incogitabili juſſæ ſtatim veniunt ipſo facto clamantes adſumus; nulla enim mora eſt inter voluntatem imperantem divitiis in hac parte, & obedientiam earum. Habent avari fures, & latrones, multiplicesque direptores, ac conſumptores divitiarũ ſuarum, ut diximus: amatores verò paupertatis illos eoſdem divitiarum habent cuſtodes, ac in cœleſtes theſauros deportatores; non enim fures, aut raptores, quicquam amatoribus paupertatis de divitiis ſuis ſubripiunt, aut auferunt, quin potiùs, quod furari, vel tollere videntur velut eorum ſervi, ſive ſaginarii, in cœleſtes theſauros deportant; ſtatim enim, ubi gratias agit Deo paupertatis amator, pro furto, vel rapinâ, quæ ei irrogari intenditur, velut gratiſſimæ Deo oblationes, & fragrantiſſima ſacrificia; inſuper cœleſti altari ante oculos divinæ majeſtatis res illæ ſpiritualiter impoſitæ ſunt, ſtatim ut pretioſiſſima munera, in theſauros cœleſtes recepta. Nec parum reputes pecuniam in ſervitutem obedientiæ redegiſſe, cui obediunt omnia, ſicut legitur Eccleſiaſt. 10. Octavum lucrum paupertatis eſt ipſæ cœleſtes divitiæ, quæ ſunt ejus pretium ſicut legitur Matth 5 & Lucæ 6 Beati pauperes ſpiritu, quoniàm ipſorum eſt regnum cœlorum. Et iterùm Beati pauperes, quoniàm veſtrum eſt regnum cœlorum. Expreſſiùs autem ſequitur de hoc Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende univerſa quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Similiter & Lucæ 18. Attende autem, quòd ſoli amatores paupertatis, ut diximus, in ea negociantur, & non quemadmodùm in talentis ſæcularibus negociari conſueverunt homines; videlicet dando, quod habent ut accipiant quod non habent; non enim in iſta negociatione paupertas dimittitur, aut amittitur ſed potiùs amore victorioſiſſimo retinetur, ſi enim dimitteretur, hoc eſt, ſi amoris vinculo non teneretur, eo tempore, & ipſa, & ejus pretium, hoc eſt, cœleſtium divitiarum opulentia, amitteretur. Et meritò non habere paupertatem dicuntur, qui eam non ſolùm à corde ſuo abjecerunt, ſed etiã quicquid ad eam pertinet, de finibus ſuis exterminarunt, & nihil eorum apud ſe. vel circa ſe morari patiuntur, ferro, & igne ea implacabiliter perſequentes; frigus enim, quod eſt una ex particularibus paupertatibus, igne profligant. Fracturas verò, & rimulas in ædificiis ferro diffugant. Propter quod non eſt mirum, ſi tam atrocibus inimicis ſuis paupertas inimica eſt, & moleſta & ſi omninò ſibi adverſantibus, ipſa omninò adverſatur: amatoribus autem ſuis non ſolùm pacata eſt, & tranquilla, ſed etiam profuſæ, abundantiſſimæque beneficentiæ amica; non enim ſolummodò utilis eſt in avertendo mala, ſed etiam beneficia in præſtando bona, quæ, ut de aliis taceamus, ipſas temporales divitias ſola largitur; & ut ad unum dicamus non niſi cum ea, & per eam, haberi veraciter, aut poſſideri unquàm poſſunt; ſoli enim veri domini divitiarum ſunt, qui paupertatem diligunt, & ſoli earundem ſervi, qui eam oderunt. Juxta hunc modum quærenda ſunt lucra ſingulorum talentorum, quæ nos paupertati ſtudioſiori diligentia aſſignavimus, quia ipſam eſſe talentum, de cujus facta negociatione, tot & tanta lucra provenire debeant, minus veriſimile videbatur. Lucra verò talenti poteſtatis duo ſunt, videlicet Dei honorificentia, ſeu gloria, & animarum ſalus Secundaria verò multa ſunt, ſicut eſt repreſſio malorum, aut ne fiant omninò, aut ne tanta, vel tot, vel toties, vel tam facile. Secundum eſt libertas bonorum quâ aufertur impedimentum, & difficultas ea faciendi: & iſta duo lucra de talento poteſtatis requirit Dominus: ad hoc enim poteſtas cujuſcunque dominationis à Deo data eſt unicuique, ut per eam mala reprimantur, & cõpeſcatur audacia eorũ, qui timorẽ, & amorem Dei abjecerunt, & ut liberũ ſit bona facere Deum timentibus & amantibus; eſt enim poteſtas, ſicut baculus in manu janitoris viam Domino ſuo facientis, & turbas hinc inde propellentis, & ſcandala, ſeu offendicula de ipſa via Et hoc eſt quod legitur Iſaiæ 62. Viam facite, præbete iter, declinare de ſemitâ auferte offendicula de viâ populi mei, quæ vox indubitanter ad publicas poteſtates dirigitur, ut tanquàm baculo poteſtatis impedientes eos, qui rectè ambulare volunt, coërceant, ut liberè & abſque impedimento malignari volentium Dei populus, cujus ſervi atque miniſtri potentes ſunt, per viam mandatorum Dei, per viam veritatis gradiatur. Eſt ſimiliter eadem poteſtas ſicut gladius ignitus, & acutus ad deterrendos malos, ne graſſentur in bonos, & ad præſcindenda noxia, & urenda putrida de corpore populi Dei: juſtitia enim ſeu diſciplina ſecularis exterior, velut chirurgia quædam eſt, quâ per hujuſmodi potentes medetur clementiſſimus Deus populo ſuo, ut membra quæ nec unguentis Sacramentorum, aut beneficiorum, nec potionibus exhortationum ſanari poſſunt, tanquàm ferro, & igne exteriorum pœnarum urantur, & præcidantur. Alia verò lucra ſunt de talento ſcientiæ proventus, ſive profectus in ſe, & multiplicatio in aliis; & de omni dono gratiæ divinæ

Incommoda ex divitiis.

Nota.

Octavum lucrum.

Paupertatem habentes qui.

Nota.

eodem modo ſe habet; requirit enim Deus ab uno-
quoque noſtrum, ut dona quæ acceperit, bono uſu
adaugeat, & in eis inceſſanter proficiat; ſimiliter
ut illa eadem in aliis aut doctrinâ, aut exemplo
multiplicet; cui enim talentum ſcientiæ creditum
eſt, illam per doctrinam in aliis multiplicare tene-
tur: cui verò vitæ ſanctitas, & laudabilium morum
honeſtas, ipſa velut ſigillum, & velut forma viven-
di alios per exemplorum rectitudinis evidentiam,
quodammodò ſigillare, & informare debet. Juxta
quod legitur ad Phil. 3. Obſervate eos, qui ita am-
bulant, ſicut habetis formam noſtram. Et prima
Canonica Petri ult. Forma facti gregis ex animo.
Horum autem exemplũ evidens in naturis inveni-
tur; unaquæque enim arbor fructifera in ſeipsâ pro-
ficiens, in ſemetipſam dilatat, & provehit, & per
ſemen quod ex ea oritur, in aliis naturam ſuam
multiplicat, & in omnibus generantibus vis gene-
rativa eſt ad multiplicandum individua ſpeciei ſuæ,
quaſi quoddam artificium negociationis ad lucrum,
F & in nobis etiam ipſa talenta, tanquàm ſemina ſunt
ſpiritualia, & nos bono uſu eorum patres, & ma-
tres nominamur ipſorum, in quibus illa multiplica-
mus. Unde Apoſtolus 1. ad Cor. 4. In Chriſto
Jeſu per Evangelium ego vos genui. Scientia ergo
Scientia sine vita. abſque vita, ſicut lux eſt, alienas formas oſtendens,
& ſicut ſignum poſitum non ex ſimilitudine natura-
li, ſed tanquàm ad placitum, ſignificat. Vita verò
abſque ſcientia ipſa veritas eſt, per oculos ſpectan-
tium eorundem cordibus ſe infundens, & ipſe decor
eſt divinæ ſimilitudinis, ſpeculis cordium ſe inge-
rens, ſicut clara & terſa, ſive forma, ſive ſigillum ſi-
militudinem ſuam illis imprimens ſi mollita fuerit:
ſicut dicit Job 23. Deus mollivit cor meum. Gene-
raliter ergo ex omni talento, quod nec poteſtas eſt,
nec privatio, ſed eſt Dei donum intrinſecum, ut
G virtus, aut ſcientia, duo lucra principalia, quæ di-
ximus, requiruntur, & duo ſecundaria, quæ in pro-
ximo enumeravimus. Hoc autem neceſſarium eſt
ſcire Confeſſoribus, alioquin, quomodò cognoſcent
utrùm fideliter computent, & ſufficientem rationem
reddant confitentes? qui enim non novit quinque
talenta Epiſcopis tradita, propter quæ in feſtivita-
tibus Epiſcoporum legitur Evangelium de parabola
talentorum, qui nunquàm talenta iſta cognoverit,
qualiter Epiſcoporum aliquis confeſſiones audire
præſumet? Primum ſiquidem eorum eſt auctoritas
docendi, quæ altera clavium eſt. Secundum pote-
ſtas judiciaria, quæ duo vocat Aug. inſtructionem,
& correctionem. Tertium eſt auctoritas ſacramen-
tandi plena & integra, hoc eſt tradendi, ſeu mini-
ſtrandi omnia ſacramenta. Quartum eſt officium
interpellandi pro populo ad Deum. Quintum eſt
H poteſtas inſtituendi perſonas in Eccleſiis, quam
mercenarii, & horreales, ſive cellariales, & coqui-
narii clerici vocant poteſtatem beneficia conferen-
di. De his quinque interrogandi ſunt in confeſſio-
Episcopi. nibus ſuis Epiſcopi, videlicet qualiter doceant po-
pulum, qualiter judicent, qualiter Sacramentent,
qualiter interpellent pro populo ad Deum, qualiter
Eccleſias ædificent, hoc eſt, ex quibus perſonis, vel
potius utrùm Eccleſias ædificent; quidam enim non
niſi Sodomã & Ægyptum ſpiritales non niſi Babi-
lonem ædificant; quid enim ex Sodomitis, niſi So-
doma, & ex Ægyptiis, niſi Ægyptus, & ex Babilo-
niis, niſi Babilon ædificari poteſt. Licet autem mul-
ta de talentis propter eruditionem ſimplicium, &
commotionem provectorum hîc & dicenda, & ſcri-
benda eſſent, ab illis tamen ex ipſa temporis prolixi-
tate prohibemur. Quartam obligationem ad red-
dendam rationem poſuimus ſuſceptionem officio-
rum, quemadmodùm Prædicatoris officium dici-

E mus piſcari, venari, ſicut legitur Hier. 15. Mittam
piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur
eos. Et poſt mittam eis venatores multos, & vena-
buntur eos. Similiter Gen. 17. Sume arma tua, pha-
retram, & arcum, & egredere foras, cùmque vena-
tu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum
ſicut me velle noſti. Ex hoc jam eris homines capiẽs.
Matthæi 4. Faciam vos piſcatores hominum. Prædi-
catores ergo in confeſſione interrogandi ſunt, pri-
mùm an exerceant iſta officia venandi, ſcilicet at-
que piſcandi; non enim venatur, aut piſcatur, qui
non vult capere aliquid, ſed potiùs arma, & retia
oſtentare intendit. Et mirum eſt, quòd retibus ſer-
monum, tot vigiliis, & meditationibus contexto-
rum, non magnos piſces piſcari, ſed vanarum lau-
dum muſculas tantopere venari non ſolùm ſtudent,
ſed ardent. Quàm abuſivum autem, quàmque inde-
cens eſt, feras, id eſt, ferinorum morum homines
omninò dimittere, captionemque eorum penitùs
non curare, & arcu eloquentiæ ſagittiſque verbo-
rum hujuſmodi muſculas inſequi, & fame inſatia-
bili eſurire? Væ illis, quia arcus eorum convertitur
in arcum pravum, & ſagittæ eorum reverſæ retror-
ſùm ipſos miſerabiliter transfigunt, ipſiſque ſuis re-
tibus ipſimet damnabiliter capiuntur, & dùm ſibi
vaniſſimas adulationum muſculas capiunt, ſemetip-
ſos diabolo venantur, atque piſcantur; contingit
enim illud eis veriſſimè; Gladius eorum intret in
corda ipſorum, & arcus eorum confringatur; gla-
dius enim exacutus, non ut cædat victimas, & eli-
matus, non ut ſplendeat ad illuminationem audien-
tium, ſicut legitur Eze. 21. ſed potiùs exacutus, ut
prædicet peritiam fabricantis, & oſtendat, id eſt ap-
parere faciat eloquentiam prædicantis. Ille inquam *Nota.*
gladius intrat corda hujuſmodi prædicatorum inſa-
niſſimo amore, & fallaciſſimâ voluptate vanæ lau-
dis, ſicut legitur Proverb. 15. Lætatur homo in ſen-
tentia oris ſui. Arcus verò eorum confringitur: quare
de hujuſmodi hominũ eloquentia, ſicut de arcu cõ-
fracto, nihil validum, nihil vivax, nihil efficax ad
vulnerandas hujuſmodi feras emittitur; unde non
emittuntur ſagittæ ex ore eorum, ſed cadunt potiùs,
& ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, &
confirmantur contra eos linguæ eorum; ſicut legi-
tur in Pſal. Sic de unoquoque officiorum interro-
gandus eſt confitens utrùm illud agat: non enim
agitur officium, niſi intendatur finis illius. Et atten-
de, quòd in ſacris officiis, ac miniſteriis diligenter
interrogandi ſunt confitentes. Maledictus enim eſt
qui agit opus Dei fraudulenter; ſicut Hiere. legitur
18. Interrogandum etiam eſt, quo animo, quâ in-
tentione ſuſcepta ſunt hujuſmodi officia: verbi gra-
tiâ: quo animo factus eſt Clericus, aut Sacerdos,
aut Epiſcopus: ſi enim alio animo, quàm ut Deo ſer-
viret ad honorificentiam, & gloriam, & animarum
ſalutem, manifeſtum eſt, quia non ingreſſus eſt ſine
macula, non intrat per oſtium, cùm ſcriptum ſit
Joan. 10. Oſtium Chriſtus eſt. Et quia triginta, vel
plura ſunt officia Clericorum, & Sacerdotum, ſcien-
tibus ea Confeſſoribus multa ſuppetit copia inter-
rogationum circa hæc. Quintam diximus obliga-
tionem ſtipendiorum, quæ dantur ad militandum *Nota.*
Deo, & animabus, & ut alia tranſeamus, ſtipendia
beneficiorum temporalium, id eſt Eccleſiaſticorum
reddituum propter ſpiritualem militiam conſtituta,
& data ſunt; ſicut legitur 2. Paralipo. Præcepit Rex
populo habitantium Hieruſalem, ut darent partes
Sacerdotibus, & Levitis, ut poſſint vacare legi Do-
mini. Et Pſal. Dedit illis regiones gentium, & la-
bores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſti-
ficationem ejus, & legem ejus exquirant. Interro-
gandi ergo ſunt Clerici in Eccleſiis titulati, utrùm

Digitized by Google

militent Deo & animabus; qualiter militent, utrùm A ſecundùm quòd requirunt ſtipendia, utrùm laborent ſecundùm quòd comedunt, cùm dicat Apoſtolus ſecunda ad Theſſal. 3. Si quis non vult operari, non manducet: ergo qui non vult operari dupliciter, vel tripliciter, non manducet dupliciter, vel tripliciter. Manducant tripliciter, qui tres Præbendas habent; debent ergo laborare tripliciter, videlicet tria paria horarum dicendo, & alia omnia bona triplicando, hoc eſt vigiliam dicendo tripliciter, jejunando tripliciter, & ita de aliis. Væ infœlicitati temporum noſtrorum in qua ad militiam iſtam ſumuntur parvuli, & omninò imbelles, & rei iſtius militaris penitùs ignari; accidit enim, ut pro robuſto exercitu ſit Eccleſiæ Dei grex parvulorum, arma omninò ignorantium; & pondus eorum ferre non valentium. Dicit aliquis ſe militare clericaliter Deo & animabus, ſi dicit horas ſuas dictione qualicunque. Tu autẽ attende militias, ideſt militiæ iſtius partes, quæ indubitanter iſtæ ſunt, pugnare contra vitia, contra Dæmones, contra malignos homines, B & contra iram Dei, contra quam pugnatur oratione, & afflictione, & à malis receſſione. Contra Dæmones & vitia verò pugnatur diſciplina, oratione, eleemoſynarum largitione, & peccantium in ſe remiſſione. Contra malignos verò homines, hoc eſt, ad vincendum eorum malignitatem, interdùm viribus & poteſtate, interdùm ſupplicatione, & obſecratione interdùm beneficentiâ; ſicut legitur 12. ad Roma. Si eſurit inimicus tuus, ciba illum, &c interdùm judicio, & juſtitia, ſicut injuſtè oppreſſorum coram judicibus defenſione, quandoque ratione, ſeu diſputatione, ſicut contra incredulos, plurimùm verò patientiâ & toleratione. Qui nullo iſtorum modorum militat tanquàm fur, & latro ſtipendia militiæ iſtius percipit, aut ad minus ſine cauſa & propter hoc ad reſtitutionem meritò teneri videtur. Partes etiam militiæ iſtius ſunt ſigna, ſeu C vexilla proferre in iſto Dei exercitu, quod eſt magnificentia & mirificentia exemplorũ aliquo modo præire, ſimiliter tubis clangere, quod eſt vocibus prædicationis ad bellum auditores invitare, & advocare: eodem modo arma fabricare, quod eſt ſacram ſcripturam docere, & ex ea argumentorum, & exhortationum tela, ſagittas, & ſcuta prudentium rationũ eligere: ſimiliter in caſtris, aut arce excubare, quod eſt contra inſidias hæreticorum, & inſultus Dæmonum vigilare. Pars etiam militiæ iſtius eſt hoſtes explorare, quod eſt conſilia, & viam, quibus capiantur ſalubriter, aut repellantur, ne noceant, excogitare; arces, & mænia ſuffodere non nulla pars militiæ ſalutaris eſt, hoc eſt, machinamenta hæreticorum, & omnium incredulorum ſubtilitates prudentiæ ſpiritualis eſt deſtruere: ſicut dicit Apoſtolus D in 10. 2. ad Cor. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia à Deo ad deſtructionem munitionum, &c. Væ illi qui nullo iſtorum modorum militat, & contra animam ſuam, & alios ipſa ſtipendia temporalium in arma iniquitatis convertit, ut de ipſa pecunia ſtipendiorum paſcat luxuriã, nutriat miniſtros iniquitatis, & ut uno verbo dicamus, ſi ſolo peccato pecunia illa ſerviat, & in ſolis vitiis inſumatur. Væ ducibus, væ nequiſſimis Dei proditoribus, qui tales ad Dei aſcribunt militiam. væ diſpenſatoribus, qui Dei ſtipendia talibus diſtribuunt. Sextam poſuimus obligationem ratione cõmiſſorum, ideſt collatorum nobis, & dimiſſorum, de quibus interrogandus eſt confitens, quas gratiarum actiones, quantas Deo de his agat, & ſi continuè hoc faciat, an fortè memoria ejus exciderit, an quod deterius eſt, ſibi Dei beneficia & dona, & non Deo attribuat, vel meritis ſuis illa adſcribat, &

Tubis clangere.

Militia ſpiritualis.

Dei beneficia erga nos.

A utrùm rectè de eis ſentiat, videlicet quàm magna, quàmque meritis ſuis indebita ſint. Deinde de ipſa dimiſſione peccatorum ſolicitè interrogandus erit, ſi eam fortè vilipendat, aut non ſatis eam apprecietur, ſi non intelligat eam eſſe ereptionem de ore Leonis infernalis, & extractionem de ventre ceti, & liberationem à carcere, & vinculis, à quibus egrediendum erat ei ad infernale patibulum: & de his multa jam diximus, & quòd ſi eam tale, & tantum bonum eſſe adverrat interrogandus erit, quem ſpiritum devotionis pro eâ in Deum habeat, quid novi ſervitii pro ipſâ Deo faciat: hoc enim moris eſt his, qui de magnis periculis Dei miſeratione eripiuntur, ut novo ſe aliquo voto obligent, vel aſtringant, & ſpeciale aliquod ſervitium pro ſuâ liberatione Deo promittant. Et quoniàm in præcedentibus oſtendimus quia cùm ira, & miſericordia contraria ſint, ſimiliter contumacia, & pœnitentia, & iterùm remiſſio, & vindicatio, ſeu pœnæ irrogatio, ſintque iſta duo, quæ ultimò poſuimus effectus duorum primorum B videlicet iræ, & miſericordiæ; effectus inquam deſcendentes ſuper illa duo extrema, & hoc deſcenſu rectiſſimo, rectitudine ſcilicet divini judicii, ita quòd ab irâ viâ rectiſſimâ deſcẽdat vindicta, ſeu pœna ſuper contumaciam, & à miſericordia remiſſio ſuper pœnitentiam, conſequenter manifeſtum eſt ex his, ſuper quamcunque faciem, ſeu comparationem pœnitentiæ congruentem, ſeu proportionalem, ſibi deſcendere faciem, ſeu comparationem remiſſionis: verbi gratiâ, ſuper iram pœnitudinis pax, ſive placatio, & ſuper vomitum confeſſionis purgatio, & ſuper obligationem computationis abſolutio. Non conſtituimus vim utrùm dicatur ſuper irarum pœnitudinis, an ſuper iram, ſimiliter an ſuper vomentem confeſſionem, an ſuper vomitum confeſſionis. De his autem multa diximus ſupra in deſtructione erroris eorum, qui dicunt nullam C eſſe animabus à peccatis reverſionem, nullam eis eſſe poſt lapſum reparationem. Ultimam ejus nominationem ponimus crepationem, quam ſequitur viſcerum effuſio, & hanc ſignificavit funis Judæ: ſuſpenſus, crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera ejus: Judas namque confitens, ſive confeſſio interpretatur: mors ergo confitentis, quantùm ad veterem hominem, debet eſſe crepatio ex vehementia contenti ſpiritus, ſalutis irrumpentis, & dirumpentis ipſum cor, & omnia viſcera ejus, ideſt, cogitationes, & affectiones, & operationes, atque locutiones per confeſſionem ejicientis. Quædã autem hîc peccata per confeſſionem emittuntur, quemadmodùm vinum de dolio per extractionem ductile cum ad modum dirupto corde, tota virulentia, ſeu fœculentia peccatorum effundenda eſt; ſicut legitur D Job 28. En venter meus, quaſi muſtum ſine ſpiraculo. Et Joëlis 3. Scindite corda veſtra. Et in Pſalmo in perſona veteris hominis; Sicut aqua effuſus ſum.

Dimiſſio peccatorũ.

Vindicta ab ira.

Remiſſio à miſericordia.

Funis quo ſuſpenſus eſt Judas.

Similitudo bona.

CAPUT XIX.

Eleganti, & acuto ſtylo ſolvit quatuor quæſtiones, quæ multorum animos exagitarunt. Prima, Utrùm homo teneatur ſtatim confiteri. Secunda, Utrùm liceat dimidiare confeſſionem. Tertia, Utrùm Confeſſio ſit reiteranda propter recidivum, vel propter mutationem Confeſſoris. Quarta, Utrùm peccata redeant ob recidivum.

POſt hoc quatuor quæſtiones, quæ multos turbant, & exagitant determinare tentabimus. Quarum prima eſt de tempore ipſo confeſſionis, videlicet utrùm omni hora, qua nobis poſſibile eſt confiteri, confeſſionem facere teneamur, an liceat differ-

Prima.

Digitized by Google

Secunda. re, & quotiens differre liceat. Secunda eſt an liceat eam dividere, videlicet ut peccatorum pars uni Sacerdoti, & pars alteri in confeſſione reveletur, vel ut unus Sacerdos confeſſionem audiat, alter verò abſolutionis beneficium impendat pœnitenti. *Tertia.* Tertia eſt, utrùm eam iterari neceſſe ſit ex integro poſt quemcunque relapſum, vel quotieſcunque Confeſſor mutatur. *Quarta.* Quarta eſt, utrùm peccata redeant quocunque recidivo, ſive relapſi peccati mortalis, vel quocunque novo lapſu. Et quoniàm teſtimonia ſacræ ſcripturæ, ſacrorumque doctorum dicta, ſuper his uſu, & frequentia diſputationum, multitudineque Scriptorum certiſſima ſunt ea adducere ſuperſedemus, probationibus, & exemplis ſuper hoc ſolummodò inſiſtentes. *Periculoſa dilatio confeſſionis.* Quia ergo nec ad modicum, vel momentum differre confeſſionem liceat unicuique propter multa pericula videri poteſt. Primùm, ne propter negligentiam faciendi confeſſionem, dùm quis poteſt, dùm non vult, juſto Dei judicio *Nota.* infligatur ei non poſſe cùm velit; hoc enim modo conſuevit juſtiſſimus Deus negligentias noſtras punire. Secundùm, propter periculum oblivionis peccatorum; quæ enim ipſa ſua recentia memoriter tenentur, ipſa vetuſtate interdùm abeunt in oblivione. Tertiò, propter ipſum periculum moræ, quæ non mediocriter aggravat peccatum. Quartò, propter periculum ruendi in aliud: peccatum enim quod ſtatim per pœnitentiam non diluitur, ſuo pondere trahit ad aliud, ſicut dicit Greg. & piloſus clamat alter ad alterum: ſicut legitur Iſa 34. *Peccatum unum ex alio.* Neſcio enim qua execranda liberalitate peccata ſe invicem advocant, & invitant, ita ut non ſolùm ſui generis ſibi ſimilia attrahant, ſed etiam contraria, & inimica, ut prodigalitas avaritia, ut verè in illis impleatur, juxta congruentiam ſuam illud Pſal. Abyſſus abyſſum invocat. Ampliùs. Quia peccatum debitum *Nota.* eſt, & injuria irrogata Deo, manifeſtum eſt, quòd non niſi de aſſenſu, & voluntate ejus cui irrogata eſt, poteſt differri emendatio. Et quia non eſt dubium, quàm citò irrogata eſt injuria, tam citò ſatisfactionem deberi pro illa, manifeſtum eſt non eſſe peccantium, nec ſuæ voluntati ullo modo eſſe commiſſum, ut hujuſmodi ſatisfactionem pro beneplacito ſuo differant. Ampliùs. Quis hoc veſtimento ſuo, vel calceamento faciat, ut non quàm citò inquinatum fuerit illud ablui, vel abſtergi curet? Quis in luto illud uſque ad putrefactionem dimittat? Si verò diſſolutum, vel detritum fuerit, quis non ſtatim illud ſutori, vel refectori tradat, ut reſuatur, vel reficiatur? Denique quis equum ſuum vel aſinum ſtatim ut vulneratus fuerit, aut alterius læſionis quippiam paſſus, non ſtatim illum Mareſcallo curandum mittat? Et attende ſimilitudines iſtas, quia propriæ & rectæ ſunt: peccata enim inquinamenta, & detritiones ſunt veſtis ſpiritualis, quæ eſt decor vitæ, & vulnera animarum ſunt. Si autem tantopere inquinamenta, & detritiones veſtimentorum, & calceamentorũ corporaliũ curantur à nobis, quâ ſtudioſitate & vigilantia curandæ ſunt detritiones, & inquinamenta veſtimentorum ſpiritualiũ, ſi tanta ſollicitudine occurrere feſtinamus vulneribus & læſionibus equorum noſtrorum, & aſinorum, ne creſcant, aut invaleſcant; quantò fortiùs accelerandum eſt nobis, ne morbi, aut læſiones animarum noſtrarum creſcant, & medicamentum confeſſionis ſtatim adhibere, atque apponere? Ampliùs. Si ſerpentes, ac colubres ab aſino noſtro, ſi venenum de corpore expellere, ſi hoſtem, vel latronem de domo noſtra tantis ſtudiis, atque conatibus ejicere properamus, & moram illud faciendi tam acriter & in nobis, & in aliis culpamus, & petere inducias, aut dilationes, quominùs hæc ſtatim fiant tanta diſtrictione damnamus: quid nobis de ſpiritualibus ſerpentibus colubris, & veneno de diabolo hoſte, & latrone faciendum putamus. *Similia aptiſſima.* Ampliùs. Si ignis incendio domum cujuſquam vaſtare cœperit, quis ſuper extinctione illius inducias ei etiam unius momenti ſuggerere audeat, vel ſuadeat? Quis etiã adeò cæcus, aut demens eſſe poteſt, ut hic ſuadentem, vel ſuggerentem audiat? de peccato ſcriptum eſt Job 31. quia ignis eſt uſque ad conſumptionem devorans, de omnibus verò generaliter in Pſal. illud dictũ eſt: Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. Et iterùm. Incenſa igni & ſuffoſſa. Quia enim voluntate tantùm peccatur, ut dicit Aug. peccatur inquam agendo, alioquin paſſio tantùm eſſet, quod nõ poteſt eſſe peccatum, aut omiſſio quâ peccari non poteſt agendo; pura namque & ſola paſſio non poteſt eſſe peccatum, ideircò propter voluntatem peccatum omne actuale hoc eſt, quo peccatur agendo, ſive intra, ſive extra, ignem diximus. Ampliùs. Si confeſſio, *Similitudo* ut ſupra diximus, debita eſt, quemadmodùm computatio ſuperiori diſpenſatori ab inferiore debetur; & ſi eſt debita, velut accuſatio, ac detectio, ſeu revelatio reorum à ſubditis domino debetur, aut judici: & iterùm ſi eſt debita, quemadmodùm detectio, ſeu oſtenſio vulnerum eorum qui infirmantur, debetur Medico, qui utique Medicus eſt, non voluntate infirmantium, ſed publico officio, & ſtatuto, manifeſtum eſt, quòd differri non poteſt abſque aſſenſu ejus & voluntate, cui debetur, ut diximus: non licet ergo differre confeſſionem auctoritate ſua, ſeu pro beneplacito ſuo, niſi quatenùs viſum fuerit ei, qui præeſt, viſum inquam examinatâ conſideratione, non autem præcipiti, & temerariâ voluntate. Ampliùs. Qui furem, vel hoſtem tenuerit præter conſcientiam judicis, & aſſenſum, quomodò abſque injuria ejus facit? uſualiter namque dicitur, quòd fures & latrones judicis ſunt ac præfecti prætorio; in his enim omnibus, & ſimilibus illud diligenter attende, quia pœnitudo interior, quam ſupra contritionem nominavimus, & eſt ſacrificium *Pœnitudo interior.* Deo acceptiſſimum, ac placabiliſſimum contra ejuſdem iram, & juſtificatio rectiſſima delinquentis, & emendatio præcipua injuriæ Deo irrogatæ, & abſolutio fortiſſima inquinamentorum ſpiritualium, & refectio optima detritionum veſtis nuptialis, & calceamentorum, & medicatio ſaluberrima vulnerum, ac morborum ſpiritualium, & extinctio validiſſima incendiorum, de quibus agitur. & propter hoc non eſt in mora, nec in dilationibus noxiis, ac pernitioſis, qui corde pœnitet, ac convertitur; non ſerpentes aut colubres in ſinu ſuo morari patitur, nec ſolùm eos à ſe abjicit, aut excutit, ſed etiam occidit intra ſemetipſum & projicit, nec furem detinet, aut latronem, ſed eos in ſe juſtitiat, & occidit. Licet autem periculoſa ſit interdùm confeſſionis dilatio, non tamen uſque ad damnationẽ culpabilis; *Dilatio confeſſionis quatenus periculoſa.* multis enim modis militat Sacramẽto Confeſſionis ipſius dilatio. Primò recogitatione ad rememorandum ipſa peccata. Secundò examinatione ipſorum, videlicet ad ea exaggreganda & ſemetipſum fortiùs accuſandum. Tertiò inveſtigatione ipſorum ad plenam cogitationem propter Confeſſorem judicem meliùs inſtruendum. Quartò inquiſitione, vel electione Confeſſoris, cui cor ſuum ſentit faciliùs, ac meliùs effundendum. Quintò ipſius Sacramenti reverentiâ, & honoratione, propter quas cùm ipſi pœnitentes excommunicati ſunt, antequàm ad illud Sacramentum accedant, abſolutionis remedium eſt obtinendum. Sextò devotionis procuratione, hoc eſt, ut devota ſit ipſa confeſſio, propter quod aut pia oratione nonnulli hoc priùs impetrare ſtudeant, aut ſacra lectione, aut interna

meditatione

meditatione, aut ſacrę exhortationis auditione procurare conatur. Nec ullo modo ſequitur de quacunque re ſi periculoſa ſit ejus dilatio, quòd ideò ſit, vel culpanda, vel damnabilis; nullũ enim eſt opus bonũ adeò examinatæ, ac depuratæ perfectionis, quod non periculosè agatur in iſta vita, quæ tota non ſolùm circundata eſt, & obſeſſa, ſed etiam, ut ita dicatur, immerſa, & immixta periculis.

Dilatio confeſſionis ſine fructu periculoſa.

Si verò dilatio confeſſionis nullum hujuſmodi fructum habuerit, non ſolùm nobis videtur inutilis, ſed etiam pernitioſa, nec eſt in poteſtate confeſſoris, aut de jure officii ſui nullatenùs ei competit confeſſionem exigere in præjudicium confiteri volentium, atque in præjudicium officii ſui. Et propter hoc, quoniàm omnia hæc confeſſionem, aut adjuvant, aut meliorant, ideircò confeſſoris expediens officium, non eſt indebita confeſſio (niſi ſalvis his) pœnitenti. Qui ſi fortè per negligentiam ſuam tempus, quo iſta procurare debuit, penitùs imparatus labi permiſerit, dilationem ulteriùs habere non debet. immò ad confeſſionem faciendam diſtrictione eccleſiaſtica cogendus erit: verbi gratiâ: Cùm generali ſtatuto Eccleſiæ omnes fideles tempore Quadrageſimali ad minus juſſi ſint annis ſingulis confiteri, ſi toto tempore Quadrageſimali, & præcedenti præparare ſe ad confeſſionem dignam, atque decentem quis neglexerit, proculdubiò ſi illo tempore non confiteatur, etiam non, ut diximus, præparatus, delinquit. Delinquit autem priùs, præparationem negligens; tandem verò graviùs peccat confeſſionem omittens. Pœnitudinem verò internam, attritionem, aut contritionem nulla ex cauſa debet negligere, & differre: ſicut legitur Eccleſ 5. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Et ejuſdem 17 Ne demoreris in errore impiorum. Quæcunque autem ſuperiùs objecta ſunt contra eum locum habent ſolummodò ſicut & multa ſimilia Et quia etiam attritio donum Dei eſt, ſicut omnis præparatio ad gratiam, ſuffragiis Sanctorum, eleemoſynis, ſacris lectionibus, ſacris meditationibus, auditu verbi Dei, piis excitationibus, ac ſanctis exercitationibus aliis procuranda erit, & à Deo impetranda. Et plus eiſdem adminiculis poſtulanda à Patre miſericordiarum, & obtinenda erit.

Attritio donũ Dei, & quomodo comparanda.

Conſequenter quæſtionem ſecundam determinare aggredimur, & quia in præcedentibus jam diximus multis de cauſis propriis Sacerdotibus occultanda eſſe, ſive occultari debere interdùm quædam peccata ſubditorum ſuorum, & rationes propter quas ita fieri oporteret, expoſuimus; quarum ſumma hæc eſt; videlicet ne per viam ſalutis, hoc eſt confeſſionem, utraque perditio, hoc eſt tam animæ quàm corporis eveniat; quia ergo in his caſibus non fructus confeſſionis, immò fructui contrarium ex confeſſione proveniret, cũ ſaluti ſoli ſervire, & militare debeat confeſſio, alij quàm proprio Sacerdoti, de his caſibus ſeu peccatis erit confeſſio facienda, & hoc eſt de licentia ipſius Sacerdotis, vel Epiſcopi loci.

Occultanda quædam peccata proprio Sacerdoti.

Si quis autem objecerit, quia gratia ſanctificationis indiviſibilis eſt, & impartibilis; non enim poteſt eſſe in parte ſanctus, & in parte peccator, quemadmodùm non poteſt eſſe partim in inferno, & partim in paradiſo. Et quia impoſſibile eſt conjungi in uno, & eodem ſubjecto æternam damnationem, & æternam gloriam, conjungi inquam, neque ſecundùm idem, propter repugnantiam contrarietatis, quæ in nullo genere contrariorum iſtam conjunctioné patitur in eodem, & ſecundùm idem, ſed neque ſecundùm diverſa propter remotiſſimam diſtantiam, qua ab invicem diſtant ſupremum gloriæ, & infimum damnationis æternæ, & propter impartibilitaté animæ humanæ, propter quá in ipſa humana anima impoſſibile eſt reperire diverſa illa, in quorũ uno ſunt pœna gehennalis, in altero verò gloria beatitudinis illius: quare in eadé anima humana impoſſibile eſt conjungi retributionem beatitudinis, & pœnam æternæ damnationis. Proportionalia autem ſunt merita & præmia; merita ergo inconjungibilia ſunt, & eadem etiam ratio eſt inconjungibilitatis ipſorum meritorum; cùm enim contraria ſint ad invicem, & repugnantiſſima ſanctitas, ſeu gratia gratum faciens, & mortalis culpa, ipſa repugnantia contrarietatis non patitur ambas ſimul eſſe in anima humana ſecundùm idem, & ipſa impartibilitas animæ humanæ non patitur eaſdem eidem ineſſe ſecundùm diverſa, hoc eſt diverſas partes, cùm diverſitas partium in ea eſſe non poſſit Ad cujus ergo Sacerdotis benedictionem, & abſolutionem gratiam ſanctificationis recipiet pœnitens? cùm enim partem peccatorum ſuorum confiteatur uni, & partem alii, & gratiam ſanctificationis per partes recipere non poſſit, ab utroque illam recipiet, vel à neutro; & ſi à neutro, cùm per ſeipſum non ſtet, manifeſtum eſt, quòd ſola diviſio confeſſionis gratiam ſanctificationis impedivit; quare cõfeſſionem omninò dividere non licebit: ſi verò per utrunque Sacerdotem gratiam ſanctificationis, & abſolutionis recipit, iſtud videtur non ſolùm inconveniens, ſed etiam iniquum, videlicet ut judex pronunciet de his, de quibus non cognoverit, & abſolvat à criminibus de quibus coram eo actum non eſt: cùm enim uterque ipſorum Sacerdotum pœnitentem plenè abſolvat; non enim ſicut plenè oſtendimus, poteſt in parte abſolvi à vinculis peccatorum, & in parte remanere ligatus; uterque enim Sacerdotum abſolvit ipſum ab omnibus, & ita, cùm neuter omnia audivit, uterque pronunciat de his, de quibus non cognovit.

Nota.

Elegantèr.

Solutio.

In quo dubitandum nullatenùs eſt, quia per utrunque Sacerdotem plenam gratiam ſanctificationis, & abſolutionis recipit, niſi per ipſum ſteterit, neque more judicum forinſecorum pronunciat confeſſor, abſolvimus te, non condemnamus, ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat; & nemo dubitat, quin poſſit, & debeat confeſſor orare patrem miſericordiarum, & etiam remittat peccanti peccata, quæ nec ipſe pœnitens in ſe cognoſcit, & eidem confeſſori recognoſcit. Unde in abſolutione confitentium non conſueverunt dicere Sacerdotes: dimittat tibi Deus peccata quæ confeſſus es mihi, ſed potiùs omnia. Quòd ſi per alium Sacerdotem gratiam ſanctificationis, & plenæ abſolutionis recipit ſic confitens, per alterum accipiet augmentũ gratiæ. Si verò quærat, cùm plenè abſolutus ſit iſte coram primo Sacerdote, ad quid adit ſecundum, ad quid etiam facit confeſſionem de peccato? jam reſponſum eſt in hoc, cùm enim per gratiam contritionis remittuntur peccata, nihilominùs tamen poſt acceptam gratiam contritionis, de eis confeſſio facienda eſt, & cauſas in hoc ſuperiùs aſſignavimus.

Confeſſio an dividatur.

Dicimus etiam quia poteſt dividi confeſſio, ita ut alius audiat ad conſilium, & injungendam pœnitentiam ſalutarem; alius autem benedictionem ſacerdotalem, & abſolutionem faciat ſuper pœnitentem. Hoc autem ibi licitum eſt, ubi ſacerdos ſimplex, & ſacrarum litterarum ignarus; poteſt enim advocare ſocium, tanquàm conſiliarium, & acceſſorem ſibi in judicio pœnitentiali; ſi enim in judicio forenſi, & ſeculari hoc licet, ne erretur in illo; quantò fortiùs in iſto judicio ubi error incomparabiliter periculoſior? cùm enim diaconus claves non habeat, interdùm autem ſcientiam medicinæ cœleſtis habeat, non eſt dubitandũ, defectum ſacerdotis in hoc

Cautè hæc omnia.

Digitized by Google

ipſum poſſe, & debere ſupplere. Et ut veriùs loquamur in hujuſmodi caſu non pœnitentiam ipſe injungit, ſed magis ſacerdos, cujus auctoritate ipſe facit hoc. Quemadmodùm aſſeſſor, licet ſententiam dicat judici, non tamen ipſe judicat, nec etiã cùm de mandato judicis ſententiam profert, ipſe ſententiat, ſed magis judex per ipſum. Idẽ dicimus, ſi fortè barbarus fuerit confitens, quia ſacerdos poteſt advocare qui barbari confeſſionẽ audiat, & ipſi interpretetur. Quòd ſi fortè illiteratus ille ſacerdos fuerit, etiam totum interpreti poteſt committere, ſi ſaltem ſit diaconus, reſervatâ tamen ſibi benedictione & abſolutione, quæ ſine poteſtate clavium in peccatis mortalibus locum non habent; in venialibus autem peccatis ſecundùm quoſdã abſolvere poſſunt etiam laici in neceſſitate. Utrùm autem iteranda hoc eſt, ex integro iterùm facienda ſit confeſſio poſt quemcunque in mortale peccatum relapſum, ſeu recidivum? quam quæſtionem tertio loco poſuimus: planè dicimus quòd non ex debito, ita ut qui non iteraverit, ex eo reum mortis æternæ ſe faciat: abſit hoc à nobis, ut ex hoc morti æternæ adjudicemus, ex hoc videlicet, quòd poſt recidivum hujuſmodi, confeſſionem ex integro non iterat, & ſingula peccata ſua cum ipſo, in quod lapſus eſt, denuò non confitetur. Quòd ſi quis dixerit quia judex pœnitentiarius id eſt, confeſſor, non aliter plenè inſtruetur ad judicandum de peccato recidivi, niſi omnia alia, quæ præceſſerunt, audiat, quemadmodùm ſi quis aliquem injuſtè percuſſiſſet, cui ille injuriam percuſſionis benignè gratiſque remiſiſſet; at verò percuſſor ingratus denuò illum percuterer, de ſecunda percuſſione judex rectè judicare non poſſet, ſi de priore percuſſione ejuſdem gratuita remiſſione non conſtaret; longè enim major injuria eſt ſecunda percuſſio, quàm prima; non conſtabit ergo ei de magnitudine ſecundæ injuriæ, ſi ei taceatur prima, & indulgentia ipſius, & ita nec æſtimare, nec judicare poterit illam, quanta eſt, & qualiter emendanda. Cùm ergo ſacerdos judex pœnitentialis ſit, non poterit judicare, vel æſtimare poſteriùs irrogatas injurias, & contumelias, niſi conſtiterit de primo irrogatis, & etiam de remiſſione ipſarum, ſi facta eſt, quoniàm ingratitudo, nec leve peccatum eſt, nec levis circunſtantia peccatorum, ſed valde gravis & aggravans: non poteſt autem conſtare de prioribus injuriis, & peccatis, niſi per confeſſionem, nec plenè conſtare, niſi per plenam confeſſionem: plenè ergo ex integro iteranda erit confeſſio per recidivum, maximè novo ſacerdoti. In hoc autem dicimus, quia ſi judicium pœnitentiale, merum judicium eſſet, ita eſſet reverà in ea, ſicut in judiciis forenſibus faciendum. Verùm quia non tam judicium eſt, quàm etiam ſacramentum, & plus in virtute ſacramentali agitur, quàm judicio, immò minori diſcretione judiciaria agendum eſt, quàm in eis, quæ ſunt mera judicia; propter hoc non eſt neceſſe, ut tam diligens examinatio fiat de peccatis in parte iſta: piè ergo credimus miſericordiæ divinæ ſufficere, ut in generali iſta dicat confitens, quia cùm Deo multas, & magnas injurias irrogaſſem peccando, & de quibus recolo, & de quibus per negligentiam meam, & incuriam memoriã non habeo, omniaque illa mihi indebita largitate miſericordiæ ſuæ remiſiſſet, meque indignum, in gratiam ſuam per pœnitentiam revocaſſet, omnium iſtorum tantorum, & tam inæſtimabilium beneficiorum ingratus, denuò ipſum offendere ſic non veritus ſum; & hoc cum multa exaggeratione dicendum, & multis lachrymis, ſi datum fuerit deſuper pœnitenti; de ingratitudine enim, ut alia taceantur, eam cognoſcentibus modis omnibus facienda eſt confeſſio; illa

Laici in venialibus abſolvunt in neceſſitate.

Sacerdos judex pœnitentialis.

Nota.

Ingratitudo confitenda.

E enim eſt, quæ id quod ſolummodò ſibi Deus in omnibus donis ſuis ſibi ſoli retinuit, totum ſurripit, & furatur, videlicet gratiarum actiones, gloriam, laudem, & benedictionem; nihil enim iſtorum Deo reddi patitur iniquiſſima ingratitudo: propter quod ipſum fontem bonorum redundantiſſimum, atque largiſſimum penè plus omnibus vitiis nobis occludit, & fluenta beneficiorum ejus, velut obex infernalis duriſſimus, & impenetrabilis à nobis avertit: nec ſolùm obſiſtit largitati divinæ, quominùs nova munera largiatur, ſed etiam, ut prædonata tanquàm injuſtis detentoribus auferat; meritò enim, & jure evidentiſſimo feudum vel prædium amittit, qui domino, à quo habet illud jus, quod in eo ſolùm retinuit, reddere contradicit. Licet autem iterationem confeſſionis ſaluberrimam, & incredibilis virtutis eſſe noverimus, & eam prout nobis datum eſt, prædicare, ſuadere, & conſulere non ceſſemus, nec unquàm ceſſare proponamus, illud tamen & hic, & F ubique, ſalva fidei pietate, & catholicæ doctrinæ veritate, poſſumus declarare, intendimus, & volumus, ne laqueos mortis nobis, aut aliis injiciamus, ne nos aut alios æternæ damnationi obligemus, aut obligatos dicamus. Si verò novus ſacerdos fuerit, cui confeſſio facienda eſt, quòd alia peccata, etiam id in quod relapſus eſt pœnitens, ei confiteri teneatur, tentione utique, vel debito quæ morti & damnationi æternæ illum obliget, & adducat, dicere non audemus, nec iſtam negligentiam judicare mortalem; non enim inconfeſſa relinquit præterita peccata, qui de ingratitudine; ut diximus, de eis in generali ſe accuſat, & culpabilem reddit: ingratitudinem autem non agnoſcere, & non confiteri, non modica pars eſt ingratitudinis, nec culpæ levis. Relinquitur nobis quartam inveſtigare quæ- G ſtionem atque determinare, videlicet, utrùm peccata redeant per relapſum, ſeu recidivum, quæ fuerant ante dimiſſa. In quo illud primò manifeſtum eſt, & omninò declaratione probationum non indigens, ſcilicet quòd neque malæ cogitationes redeunt, atque reſurgunt, neque malæ affectiones, neque malæ locutiones, & hoc ſenſu manifeſtum eſt, neque aliquem euſque delirare, aut inſanire poſſe credimus, ut ei videatur. Reſtat ergo, vel ut maculæ, ſeu inquinamenta ipſorum redeant, vel debita pœnarum quæ pro ipſis ante acceptã remiſſionis gratiam debebantur, & quia maculas redire impoſſibile ſit, declarabimus declaratione irrefragabili, & manifeſta. Primùm quoniàm avaritiam maculam aliquam imprimere, dicimus eſſe impoſſibile; ſicut enim virtus non aliam pulchritudinem imprimit, quàm ipſa ſit, nec pulchram, aut ſpecioſam facit animam humanam alia ſpecioſitate, H & pulchritudine, quàm ſeipſa: ſi enim aliam pulchritudinem imprimeret, illa vel eſſet virtus vel non eſſet virtus: quòd ſi non eſſet virtus, impoſſibile eſſet eam eſſe pulchram animam humanam: ſi enim alio quàm virtute pulchra eſſet, & hoc formaliter accideret, ſublatâ omni virtute per intellectum abſtrahentem, intelligatur remanere pulchra: cauſam enim efficientem abſtrahere, aut ſeparare ab effectu ſuo, poſſibile eſt intellectui modo, ſicut frigiditatem abſtrahere, vel ſeparare ab albedine. Hanc ergo poſitionem recipit intellectus noſter, videlicet, ut remaneat corpus aliquod album ſublata frigiditate, à qua erat ei albedo: non autem recipit hanc poſitionem, ut remaneat anima humana pulchra, vel ſpecioſa omni virtute ſublata: non ſunt ergo ſeparabiles intellectu ab invicem pulchritudo animæ humanæ, & virtus. Si autem haberent ſe ad invicem ut cauſa efficiens, & ejus effectus, proculdubiò ſeparare poſſet eas ab invicem intel-

Ingratitudo.

Nota.

Quæſtio.

A lectus noſter. Ampliùs. Sublata illa pulchritudine, quam ibi ſomnias, nihil deperiret de meritis animæ humanæ, cùm omnia merita ex ſolis virtutibus ſint. Quare nihil deperiret eidem de præmiis; & ita quantùm ad merita, & præmia ſupervacua eſt hujuſmodi pulchritudo, & quantùm ad naturam ſimiliter, quoniàm & poſt illam eſt, & poſt gratiam, ſicut tu ponis: omninò igitur otioſa, & ſupervacua eſt. Ampliùs. Si virtus imprimit hujuſmodi pulchritudinem, & eſt ſuæ ſpeciei, erunt duæ formæ ejuſdem ſpeciei in eodem, & ſecundùm idem, videlicet virtus, & pulchritudo, quam imprimit: ſi verò fuerit alterius ſpeciei, & hoc contra naturam eſt, ut virtus per ſe, & ſecundùm ſe agens generet non virtutem, aut homo non hominem. Ampliùs. Hujuſmodi pulchritudo eadem ratione imprimet aliã, & ita in infinitum. Ampliùs. Quoniàm agere, & pati contraria ſunt, ſicut dare, & accipere, manifeſtum eſt quoniàm impoſſibile eſt ipſa eſſe in eodem ſecundùm idem: agit autem unumquodque ſubjectum per formam ſuam omne id quod forma ejus agere dicitur: ergo pulchritudinem, quam virtus imprimit, ſeu efficit, in anima humana, efficit in ſeipsâ, & imprimit ſibiipſi per virtutem, quâ de causâ erit imprimens, & impreſſa, agens, & patiens, dans & recipiens ſibiipſi pulchritudinem hujuſmodi, non ſecundùm diverſa, quia impartibilis, ergo ſecundùm idem, & hoc impoſſibile, quare & illud, ex quo ſequitur, erit impoſſibile. Impoſſibile ergo eſt virtutem aliam pulchritudinem imprimere, & eiſdem viis, & probationibus eſt oſtendere; quòd impoſſibile eſt vitium maculam aliam, ſeu deformitatem, ſeu turpitudinem aliam imprimere. Jam ergo declaratum eſt maculas peccatorum, non aliud, quàm ipſa peccata eſſe, & pulchritudines virtutum, nihil niſi ipſas virtutes eſſe. Ampliùs. Manifeſtum eſt intelligibilia intelligentibus, avaritiam non debere generare naturaliter, vel prodigalitatem, vel defectum ipſius, vel quod debet eſſe oppoſitum ex oppoſito, ſeu contrario naturaliter, impoſſibile eſt. Licet ergo iſte relabatur in peccatum avaritiæ, non ideò vel prodigalitatem, vel effectum prodigalitatis ex hujuſmodi peccato generari neceſſe eſt, immò nec per naturam etiam eſt poſſibile. Ampliùs. Unde iſta fœcunditas tam monſtruoſa, tamque naturæ contraria ut ex uno generentur tanta monſtra aliarum ſpecierum, videlicet, ex peccato avaritiæ omnium aliorum peccatorum monſtra? neque enim hoc naturaliter eſſe poteſt, neque voluntariè hoc fit, cùm hoc nec intendat, nec velit ipſe, qui peccat nec violentè, cùm violenta non imputentur ei qui peccat; violenta enim nunquàm imputanda ſunt illi, cui inferuntur, ſed potius inferenti. Reſtat ergo peccata redire ſolummodò quantùm ad pœnam, hoc eſt, relapſum denuò imputari ad pœnam: non ergo alio intellectu, vel ſenſu dicunt peccata redire qui hoc ſentiunt, quàm quantùm ad pœnam. Utrùm autem propter hoc quemcunque relapſum, apud eos diſſenſio eſt; quædam enim in eis ſolis caſibus, in quibus expreſſum eſt, ea redire concedunt; in aliis autem negant, verbi gratiâ, quia ipſa veritas in Evangelio Matth. cap. 18. hoc exprimit de impenſo fraterno odio, ſive de miſericordia non impenſa proximo, & Jacob. 3. videtur hoc idem expreſſum, ubi dicitur: Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam. Juxta hunc modum in crimine apoſtaſiæ, & in hæreſi dicunt omnia redire peccata; apoſtaſia enim, & hæreſis omninò avertunt à Deo, & hoſtem, vel inimicum Dei faciunt, & propter hoc omnem gratiam Dei extinguunt, ac omnem remiſſionem evacuant. Eodem modo dicũt de pœnitentia pœnitentiæ, hoc eſt, ſi pœnitet, aliquam pœnitentiam egiſſe de peccatis ſuis; ſicut enim pœnitentia de peccatis ipſa peccata & debita pœnarum evacuat: ſic iſta execrabilis, & diabolica pœnitentia debita pœnarum, quæ per pœnitentiam relaxata erant, reducit, & revocat. Et quia teſtimoniis ſcripturæ, ac ſanctorum, aut cogentibus & validis reſponſionibus urgentur ad ita ſentiendum in his caſibus; idcircò, ita ſentiunt, in aliis omninò negantes redire peccata, ſicut expoſuimus: aliqui verò in omni recidivo mortali, dicunt omnia redire peccata, ſicut expoſuimus: alii verò interpretantur reditum eorum in ingratitudinem, dicentes omnia peccata redire, propter ingratitudinem; ingratus enim eſt de remiſſione omnium, & ſingulorum, & propter hoc pro omnibus & ſingulis puniendus. Quæſtionem autem habet etiam, ſi in aliquo caſu juſtum eſt omnia redire peccata; ſi enim apud homines iniquiſſimum judicatur, ita ut juſtitia humana iſtud pati nequeat, quantò fortiùs juſtitia divina iſtud pati non poterit; cùm enim iſte de præteritis B peccatis condignè Deo ſatisfecerit, & plenam eorum remiſſionem ab eo obtinuerit in quodcunque peccatum relabatur, nihil pœnæ, vel ſatisfactionis ulteriùs pro illis ab eo exigi poteſt de jure. Ampliùs. Cùm per pœnitentiæ ſacramentum adeò reſtitutus ſit in integrum, ut omnia ejus peccata pro non factis habeantur, cùm non labatur, niſi in unum peccatum, non poteſt exigi ab eo niſi pœna illa debita; alia enim non habet, cùm per pœnitentiam omnia deleta ſunt, & reſurgere omninò non potuerunt ut oſtendimus. Ampliùs. Peccatis illis, quæ dimiſſa erant non debetur niſi pœna hæc, quã modò exigit Deus, qui totam debitam pro illis exigit propter relapſum, ut ipſi ponunt: injuſtè ergo exigit Deus pœnam pœnitentialem pro illis. Ampliùs. Non erit ſecundùm hoc ratum pœnitentiale judicium; cùm enim per relapſum, ſeu recidivum revocetur pœni- C tentialis abſolutionis ſententia, & irritetur, pœnitentiale judicium, nec ratum eſt, nec ſtabile. Propter hoc in errorem imperatis inducti ſunt quidã, ut dicerent pœnitentialem abſolutionem conditionalem tantùm eſſe, & peccata per pœnitentiam remitti ſub conditione tantùm, videlicet ſi non relapſus fuerit, vel non recidivaverit. Hic autem error primùm facit Deum iniquum eſſe, & impium, & hoc tribus de cauſis quarum prima eſt in hoc, quòd plùs puniant apud Deum ad damnandum pœnitentis peccata quæ nondùm habent eſſe nec dùm fecit, quàm bonum pœnitentiæ, quod habet ad ſolvendum ipſum. Secunda in hoc, quòd judicatur pœnitens, non qualis eſt, ſed qualis futurus eſt: quã perverſitate, quæ major eſſe poteſt? ut non judicetur bonus qui bonus, nec pœnitens, qui vera- D citer pœnitens eſt, ſed magis judicetur contumax, qualis nondùm eſt, quia contumax forſitan futurus eſt? Tertia cauſa eſt in hoc, quòd juſtum punit Deus pro peccatis futuris, antequàm ipſa faciat; dùm enim gratiam remiſſionis, & abſolutionis ei ſubtrahit pro peccato, quod nondùm fecit, ſed facturus eſt, indubitanter punit eum Deus, antequàm peccaverit. Quòd autem error iſte impoſſibilis ſit, non ſolùm impius, evidenter docemus hac una probatione; poſſibile enim eſt duo pœnitentes, quorum alter paſſurus eſt recidivum, alter verò perſeveraturus in bono, æqualiter omnia facere, quæ pertinent ad pœnitentiæ ſacramentum. Cùm ergo iſti duo æquè atterantur, æquè conterantur, æqualiter omninò pœniteant; omnia autem æqualia merita, æquales remunerationes, ſeu præmia requirant apud Dei juſtitiam: ſi alter ex merito obtinet à Dei juſtitia plenam remiſſionem peccatorum neceſſariò obtinebit, & reliquus; hoc autem non eſt verum

Agere & pati. — *Concluſio:* — *Apoſtaſia.* — *Aliorum opinio.* — *Improbatio opinionis.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Probatio.*

ſecundùm ipſum, quia ille qui perſeveraturus non eſt, remiſſionem non obtinebit. In hoc ergo caſu accidit evidenter Deum injuſtum eſſe, cùm æqualium meritorum alterum reſpiciat, & alterum non. Ampliùs Secundùm hoc quid reportant fideles ex ſacramento confeſſionis? cùm enim incerti ſint de futura perſeverantia, incerti ſunt & de abſolutione ſua, incerti de remiſſione, & venia. Et propter hoc, quâ temeritate accedant ad percipiendum ſacratiſſimam Euchariſtiam, cùm meritò dubitent, an ſint ſacramento pœnitentiæ mundari, & loti, & à peccatorum vinculis abſoluti, &c. Revertamur ergo ad inquirendum, quæ ſit cauſa reditus peccatorum, ſive in caſibus nominatis, ſive alibi.

Cauſa reditus peccatorum.

Si fraterno odio redeunt dimiſſa peccata, aut hoc eſt propter magnitudinem peccati iſtius, aut hoc eſt quia alia eouſque pendent ex eo, ut ſine ipſis eſſe non poſſit, aut ex alia cauſa; quòd autem magnitudo ejus cauſa hujuſmodi reditus non ſit, inde manifeſtum eſt, quia multa alia majora ſunt fraterno odio, ſicut blaſphemia, aut ipſum peccatum homicidij, aut idolatria; ſi ergo magnitudo hujus peccati cogeret debita eſſe aliorum peccatorum, & obligaret ad pœnas aliorum, omnia majora multò fortiùs hoc ipſum efficerent & hoc ſive eſſent dimiſſa, ſive non;

Remiſſio.

remiſſio enim præcedens non potiùs videtur facere ad deſtructionem, & mortificationem peccatorum, quàm ad reſſuſcitationem ipſorum. Si verò hoc eſt ex neceſſariâ colligatione, & comitantia aliorum peccatorum ad ipſum, tunc nec ante remiſſionem, nec poſt, poteſt eſſe fraternum odium abſque debitis aliorum. Ampliùs. Iſte non peccat niſi fraterno odio, & fortè peccato ingratitudinis; ergo non eſt puniendus pro his duobus: non ergo erit puniendus pro jam dimiſſis. Ut ergo iſta expediamus, dicamus quia lex juſta eſt, & rectitudo, ut in ea puniatur quis in quo deliquit, & per quæ peccat quis, per hoc torqueatur, ſicut legitur Sap. 11. Eorum enim bonorum maximè debitores ſumus in alios, quæ maximè recepimus; quod omnes in ſe creaturæ oſtendunt; quæ enim maximè lucem receperunt, maximè lucis largæ ſunt, & maximè eam transfundunt; ſic & de odore, ſic & de ſapore evidens eſt in omnibus aliis, ita ut nulla creatura ſibi donum aliquod, ſeu bonum recepiſſe videatur, ſed potiùs omnibus, quibus illud communicare poteſt. Sic & de donis gratiarum in toto corpore Eccleſiæ ſciendum eſt; quemadmodùm enim in corpore humano, quod eſt exemplum, & figura corporis Eccleſiæ, ſicut oſtendit Apoſtolus in 12. ad Rom. & 12. primæ ad Corint. Nullum membrum ſibi, vel ſeipſum, vel officium, quo indutum eſt, appropriare poteſt, ſed toti corpori, & ſingulis membrorum ſervit, & vivit ſe toto, atque officio ſuo, tanquàm hoc ſit notum. Sic & in membris Eccleſiæ Dei ex lege ſpiritus, quo vivunt, neceſſe eſt, ut dona gratiarum nullum ſibi appropriet, aut communicet, ſed magis alia aliis in eis, adminiſtrent, ſicut dicit ibidem Apoſt. in eiſdem cap. Et Petrus in 4. primæ. Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei: Et propter hoc furti reus eſt in alios, & amittit merita, & juſtè, quæ ſibi injuſtè appropriare volebat, & ſibi retinere, propter hoc qui miſericordiam in alios facere recuſat, ipſum fontem miſericordiæ ſibi obſtruit, & hoc quacunque hora, & quandocunque fratri in ſe peccanti non remittit, nec à Deo remiſſionem accipit. Non ergo pro magnitudine peccati tantùm hoc eſt, ſed propter naturam peccati, quæ peccatorem ſuum inimicum Dei efficit; inimicus enim cujuſcunque hominis, inimicus Dei eſt, eo enim ipſo quòd Deum

Corpus humanum figura Eccleſiæ.

E in eſſentia ſua impugnare non poteſt impugnat in homine ſuo; reges enim & principes, etſi in perſonis ſuis impugnationes hoſtium ſuorum non ſuſtineant, in hominibus tamen ſuis ſuſtinent, & in aliis rebus ſuis. Non eſt autem mirum ſi is qui ſe inimicum Dei conſtituit, quantumcunque placatus ei fuerit, iratum illum ſibi reddit. Sed dices fortaſſe, quia reverà meritò iratum illum ſibi reddit, quantùm ad peccatum illud, videlicet odij fraterni, ſed quantùm ad alia, quæ ex miſericordia ſua remiſerat, non, niſi immeritò, & injuſtè iraſci de cætero poteſt. Propter hoc adjecimus de lege juſtitiæ, de quâ dictum eſt Lucæ 6. & in caſu iſto, eâ menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis; lex enim juſtitiæ eſt, ut quod quis in alios ſtatuit, eodem ipſe utatur, ut qui iram ſervat in alios, ſervetur & ipſi, ſicut legitur Eccl. 28 Homo homini ſervat iram, & à F domino quærit medelā. Et alia multa ſimilia leguntur ibidē. Hæc ergo eſt juſtitia, propter quā dimiſſa debita repetimus, quia dimittenda non dimittuntur. Accedit ad hoc ingratitudo, cujus pœna juſtiſſima eſt, ut beneficium, pro quo gratia condigna non redditur, ingrato penitùs auferatur; ſicut & alibi de ſervo manumiſſo dicitur, ut in ſervitutem priſtinam propter vitium ingratitudinis redigatur. Videntur autem æquales eſſe ſecundùm hoc unumquodque peccatum, & ingratitudo de remiſſione ipſius; ſi enim propter ingratitudinem de remiſſione, auferenda eſt de jure ipſa remiſſio, & juſtè, propter ingratitudinem de remiſſione facta, denuò efficitur pœnæ priùs dimiſſæ debitor; ejuſdem ergo pœnæ efficitur debitor per ingratitudinem remiſſionis, & per peccatum ante dimiſſum: quæcunque autem ejuſdem pœnæ debitorem efficiunt, ſive ad eandem pœnam obligant, æqualia peccata ſunt in unoquoque. Ex quo manifeſtè conſequens eſt per G ingratitudinem, ſeu ingratitudines, tantas pœnas redire ſuper relabentes, quantæ priùs eis debebantur pro omnibus peccatis ſuis; cùm enim de unoquoque peccatorum ſit facta remiſſio, erit & de unaquaque remiſſione recidivante, ſeu relabente una ingratitudo, & propter hoc numero erunt æquales peccatis priùs dimiſſis, & ſubſequentes per recidivum ingratitudines: æquales autem erant magnitudine, ſive intenſione, ut oſtendimus, quare & pœnæ eis debitæ erunt æquales. Æqualis ergo pœnæ debitor efficitur recidivans per ingratitudinem illi, cujus priùs erat debitor, antequàm per pœnitentiam conſequeretur remiſſionem: nec refert dicere pœnam unam, an multas, & unam ingratitudinem, an multas, ſive ſit una remiſſio aggregata ex omnibus remiſſionibus ſingulorum peccatorum, ſive ſint H multæ per ſe, & de ingratitudinibus ſimiliter idem ſequitur: ſi enim partes ſingulæ cujuſque totius æquales ſunt ſimilibus partibus ſingulis, cujuſcunque alterius totius, erit totum æquale toti, immò generaliter, ſicut pars ad partem ſimilem, hoc eſt ejuſdem denominationis, ita totum ad totum ſe habere neceſſe eſt; & etiamſi non ſit ibi aggregatio totalis: ſi tamen eſt ingratitudo una de tota remiſſione peccatorum facta, vel de omnibus peccatis ante dimiſſis ſimul acceptis, cùm ſit ejuſdem obligatoria vel earundem ſicut oſtendimus, idem eſt: ſive ergo propter legem juſtitiæ, quam diximus, ſive propter ingratitudinem, rectè dicuntur redire peccata, id eſt debita pœnarum, quia tantæ debentur ingratitudini, quantæ dimiſſæ fuerant. Propter legem autem juſtitiæ dicimus quantùm ad caſus expreſſos, in quibus ſolùm volunt quidam locum habere reditum peccatorum. Tentabimus autem declarare iſtud aliter, & dicemus, quia quocunque peccato mortali, qui poſt receptam remiſſionem

Attende.

Digitized by Google

ſionem relabitur, indubitanter extinguit in ſe gratiam, quâ Deo gratus erat, & propter hoc ſequelam ipſius, aut effectum, ac ſaltem communicantem inſeparabiliter remiſſionem; ſicut enim non poteſt præſtari remiſſio peccatorum, quin præſtetur & gratia, ſic nec eſſe. Ampliùs. Sicut dividi non poteſt gratia, ita ut in parte ſit aliquis ſanctus, & in parte peccator; ſic nec remiſſio peccatorum dividi poteſt, videlicet ut in parte teneantur, & in parte dimittantur. Hoc autem accidit hîc ſi ita eſt, ut maneat facta priùs remiſſio, cùm præterita dimiſſa ſunt, & recidivum teneatur. In parte ergo dimittuntur, & in parte retinentur peccata iſtius. Ampliùs. Si reverſus fuerit, & receptus in gratiam principis ſui, vel domini, aliquis ex hoſtibus ejuſdem, ſi dederit ei caſtrum, vel prædium quodcunque, nunquid ſi receſſerit ab eo poſtmodùm, & ad hoſtes ejus ſe tranſtulerit, aliquid ex donatiis ſibi à principe datis, ei ſervabitur? certum eſt, quòd non. Quòd ſi donata ei jure auferantur, & meritò, cur non & condonata? verbi gratiâ, ſi debita ei multa condonata fuerint, cur non & ipſa condonatio per datorem jure, & meritò revocabitur? Ampliùs. Si vita ipſa indignum ſe efficit, & membris quibus contra Deum peccavit; quantò fortiùs ipſa remiſſione peccatorum: ſi enim bonis naturalibus indignum ſe reddit, ita ut meritò ei auferri poſſint, quantò fortiùs gratuitis. Ampliùs. Locus gratiæ, & remiſſionis peccatorum Eccleſia Dei eſt: certum enim eſt, quia extra illam, nec gratia, nec remiſſio peccatorum; cùm enim per peccatum mortale recidivum quodcunque extra Eccleſiam recidivans ſe faciat, extra gratiam & remiſſionem omninò ſe facit. Quemadmodùm ſi quis orbem luminis ſolaris exit, extra calorem, & lumen Solis ſe faciens utroque ſe privat: eſt enim Eccleſia velut orbis veri Solis intelligentiæ, atque juſtitiæ, quam & luce & cognitione ſalutaris veritatis illuminat, & calore vivificæ charitatis inflammat. Ampliùs. In ſola Eccleſia, & ipſi ſoli eſt gratia & pax; extra verò ira, & perditio univerſaliter, & facies arcus extenti, & imminentis gladii: qui verò in Eccleſia ſunt, ſicut in refugio ſunt, & ſicut ſub ſcuto divinæ protectionis; qui ergo à foris ab Eccleſia veniunt, tanquàm à facie arcus, & imminentis gladii fugiunt. Cùm ergo exeunt inermes arcui eidem extento, divini ſcilicet judicii & gladio imminenti, hoc eſt vindictæ ipſius, inermes ſe ipſos exponunt. Ex hoc ergo exemplo manifeſtum eſt, quòd recidivantes peccatores in ipſam iram, quam per pœnitentiam effugerant, incidunt, & gladio, quem evaſerant, ſe exponunt, ad infernale patibulum, à cujus via reducti erant, deviantes à via veritatis & rectitudinis, recurrunt. Intellige ergo ſanè, & circumſpectè remiſſionem pœnarum, quia magis propriè evaſio eſt, ſive effugium ab eis; quemadmodùm enim qui videt caſum fulminis, & declinat ictum ipſius, vel trahitur ab aliquo à patre ſcilicet, vel amico ſeorſum à via fulguris, ne cadat ſuper ipſum, ſic largiſſimus miſerator Deus fulgurantiſſimam iram æternæ damnationis videns caſuram ſuper peccatorem, trahit ipſum ſeorsùm in partem ſortis ſanctorum, quæ pars ſua eſt; trahit inquam ipſum per pœnitentiam, & declinat à via per quam venit horrenda illa damnatio. Et quia hoc facit gratis, cùm ipſe peccator contrarium meruerit, dicitur remittere pœnam, ſive damnationem æternam, & ipſa peccata remittere quantùm ad pœnam, dùm propter illa non dimittit, quin avertat ipſum, atque declinet à via, quâ currebat ad æternam damnationem. Sicut ergo eadem eſt gehenna, nec mutatur ſive ut curras ad illam, ſive divertas ab illa, & manet ſemper in eadem, ſed di-

Gratia non dividitur.

Eccleſia.

Similitudo.

A citur remitti tibi, cùm declinaveris, & abſtraheris à via, quâ itur ad illam; ſic ad iram, & incendium unum, & idem, redit peccator recidivans, à quo priùs perfugerat. Per pœnitentiam ergo peccata remittit Deus peccatoribus quantùm ad pœnam, id eſt non imputat, quandò non ſinit illos ire ad illam. Quia ergo dicuntur redire peccata quantùm ad pœnam, magis propriè diceretur, redeunt peccatores per recidivum ad pœnam, & ad illam eandem, ad quam ante pœnitentiam recurrebant, ſed tamen per recidivum majorem effectum. Quod autem objicit de divino judicio, quia non videtur eſſe ratum, & ſententia abſolutionis irrita, poſtquàm omnia revocantur per recidivum evidenti exemplo ſolvimus; ſi enim duceretur latro ad patibulum, & judex miſericordia motus in eum, eriperet eum de manibus tortorum, & in domum ſuam adduceret, & inter filios collocaret, atque cohæredem illis conſtitueret; ille verò ſpreta illa hæreditate præclara, ac ſocietate filiorum, gratiaque adoptionis illius contempta, domum exiret, & ſe tortoribus tradens, eadem via, vel alia denuò ad patibulum ſpontè iret, omnia data ſibi & promiſſa ab ipſo rege facta irrita faceret, & inutilia ſibi redderet; ſic & miſer peccator quæcunque per pœnitentiam à rege regum vel data, vel promiſſa fuerant evacuat, & ſententiam abſolutionis pro ſe (ut ita dicamus) latam, inutilem ſibi reddit, & pœnitentiale judicium irritat, nec ratum eſt quantùm ad ipſum, dùm ipſum ſervare non vult; talia enim judicia in poteſtate ſunt judicantium, & aliorum judiciorum ſententia, ita ut eos, contra quos latæ fuerint, eas ſervare compellant; hîc autem non ſic. Quod verò adjicit ad pœnam ſatisfactionis, multùm abutitur nomine ſatisfactionis, & multùm nomine pœnæ; magis enim ſacramentum eſt, & medicina ipſa pœnitentia, quàm ſatisfactio, vel pœna; inſuper pœnitentia tota donum Dei eſt, & propter hoc nihil dictum eſt, quod Deus injuſtè pœnam illam ſatisfactoriam exegerit, cùm potiùs dicendum eſſet, quòd donum illud medicinale ac virtuoſum peccatori Deus miſericordiſſimè dederit. Sed de his meliùs loquemur in ſequentibus. Et attende quòd rectiùs dicitur peccatorem recidivantem pœnas ſibi dimiſſas repetere, quàm Deum. Quemadmodùm qui de aquis extractus eſt, & denuò ſe immergens aquas repetit, & de incendio raptus, iterùm ſe præcipitans in illud proprium incendium repetit: non autem utriuſque extractor, aut liberator, qui ſi fortè in aqua vel in igne illum propter incorrigibilitatem ſuam, & contumaciam dimiſerit, non pœnarum illarum extractor, ſed potiùs permiſſor hac de cauſa dicendus eſt, quamquàm placeat ei, & meritò contumacium atque rebellium juſtiſſima pœna, atque damnatio. Si quis autem quæreret utrùm ſit magis malus recidivans peccator, quàm ante fuerit, ſcilicet quàm pœniteret, licet dici poſſet, quòd ſic, & à multis, & magnis jam dictum ſit, quia majoris pœnæ debitor, cùm ſit debitor pœnarum per pœnitentiam anteà dimiſſarum, & pœnitentiæ, quæ pro recidivo peccato debetur eidem; hoc enim quaſi pro regula habent, ut magis malus ſit, qui majoris pœnæ debitor eſt gehennalis: poteſt tamen dici juxta ea, quæ ante diximus, quòd magis malus eſt tantò, quantò addit peccatum recidivum ex ingratitudine, tam malus; videlicet quantùm ante, ut ſupra oſtendimus: ſuper ingratitudines autem habent malitiam peccata recidivi. Si quis autem objiciat, ergo major pœnitentia injungenda eſt ei, quàm priùs, ſi intelligat magis pœnalis, malè eſſet ſecundùm hoc peccatoribus conſuetudinariis, & corpore delicatis. Prætereà ubi ſequitur, homo eſt magis infirmus,

B

C

Peccata quemodo redire dicantur.

Pœnitentia donum Dei.

Simile.

Quæſtio.

Objectio.

quàm ante, ergo major ei potio, ſeu medicina danda. Manifeſtum eſt, quòd non ſequitur. Si autem ita intelligat, quia magis malns, immò magis puniendus gehennaliter, ergo & pœnitentialiter, hoc utique ſequeretur, ſi pœnitentia, vel pœna directè intenderet, vel virtus ejus, & efficacia conſiſteret in pœna: nos autem in ſeqnentibus fructus pœnitentiæ nominatæ, & nnmeratæ intendimus declarare. Summa autem omnium iſtorum eſt pœnas peccatorum jam dimiſſorum redire ex integro de jnre, & juſtitia, vel potiùs recidivantes peccatores redire, & recidere in ipſas, quantùm eſt de jure, & juſtitia meritum ipſorum; fines autem miſericordiæ Dei, vel limites, non hîc, nec alibi præſcribimns, ſed immenſitatem ejus ſemper & veneramnr, & prædicamus. Poſt hoc ergo de ipſa ſatisfactione, quæ, & qualis eſſe debeat, provt nobis donabitur deſuper, dicemus, in quo adjuvamur ab ipſo nomine ſatisfactionis ratione ipſius. Satisfactio eſt, quâ Deo ſatisfit, hoc eſt Deo ſatis eſt, vel Deo ſufficit de vita, vel de converſatione pœnitentis pro injuriis, & contumeliis, quæ ei peccando irrogavit. Et propter hoc ipſa contritio interdùm ipſa ſatisfactio eſt, ultrà quam nihil requirit Deus à pœnitente pro omnibus peccatis, atqne delictis ſuis; tantum enim eſt nonnunquàm deſiderium revertendi ad Deum in pœnitente, & reſtituendi, atque augendi Deo quicquid ſubtraxit ei honoris aut gloriæ, tantns zelus ulciſcendi in ſemetipſum irrogatas Deo injurias, vel contumelias, tanta ira, & odium in omnia ea quæ Deo diſplicent, vitia, & peccata, tantus ardor dilectionis in ea, quæ Deo placent, & ad virtutes, & opera earum, tantus dolor de offenſa Dei, & receſſione ab ipſo, tam magnificum, tamque fervens propoſitum omnia aggrediendi, audendi, & ſuſtinendi quæcunque beneplacitum Dei fuerit ipſum agere, & ſuſtinere, tanta humilitas abjiciendi ſe, & ſubjiciendi conſilio Eccleſiæ, tanta deprecationis & orationis devotio, ut meritò baptiſmus flaminis vocanda ſit; baptiſmus inquam plenæ emendationis à culpis, & plenæ liberationis à pœnis, ut evolare abſque ſenſu, & purgatorii experientiâ faciat pœnitentes, ſi ipsâ horâ ex corporibus exceſſerint, & meritò quidem tanta gratia contritionis aliqui illuſtrantur. Quia verò peccatum omne contumelia eſt in Denm, & vulneratio ipſins peccatoris, & damnificatio proximorum, neceſſariò emendatio ejus, vel expiatio debet continere tria iſtis cõtraria, videlicet ut ſit honoratoria Dei, medicatoria pœnitentis, & reſtitutoria proximorum. Et quia injuria, ſen injuſtitia, ſeu iniquitas eſt omne peccatum, ſicut dicit Joan. in 3 primæ canonicæ; Neceſſariò ſatisfactio debet eſſe juſtitiatoria ipſius. Quia verò medicatoria eſt, debet eſſe conſumptoria, ſeu expulſoria morbi, atque reliquiarum ipſius, confortatoria caloris vitalis, ſive vivifici, quam uſitato nomine dicimus charitatem. Tertiò debet eſſe conſervatoria ſanitatis, ſive ſalutis. Hi ſunt ſeptem fructus pœnitentiæ, videlicet, Dei honoratio contra irrogantem ei contumeliam peccati, peccantis ipſius juſtitiatio contra iniquitatem, & injuſtitiam peccati, damnorum illatorum reſtitutio contra damnificationem, & nocumentum ipſius: quartò ſanatio contra læſionem, ſeu vulnerationem peccantis, cujus tres fructus nominavimus; videlicet conſumptionem morbi, ſeu reliquiarum ipſius confortationem vitalis, ac vivifici caloris, conſervationem ſalutis, ſeu ſanitatis. Septimus verò fructus eſt ſanctificatio pœnitentis, quæ eſt elongatio non ſolùm ab execrationibus peccatorum, ſed etiam à prophanationibus communis, ac ſæcularis vitæ, atque applicatio, & adhæſio ſanctorum, tam ſcilicet hominum ſanctorum, quàm rerum: & hoc quoniàm omne peccatum execratio eſt, hoc eſt ſanctitati contrarium. Confeſſor ergo in injungendo ſatisfactionem, ſolerter penſet Dei contumeliam in peccato pœnitentis, ut honore contrario expietur. Verbi gratia: Si peccavit pœnitens in loco Dei honori, & gloriæ deputato, puta in Eccleſiâ, injungendum eſt ei, ut in ipsâ Eccleſiâ ſpecialem honorem pro expiatione illius contumeliæ, vel ad tempns, vel perpetuè Deo repẽdat: qnemadmodùm, ut flexis genibus, atque nudatis ſit in Eccleſiâ tẽpore aliquo vel horâ. Similiter ſi contra locum ſanctum peccaverit effingendo, ſeu aliquid auferendo ex ipſo, ut illnm eundem, vel alium honoret, vel vitæ conſtructione, vel ornamenti alicujus oblatione. Quòd ſi contra ſacratiſſimam Euchariſtiam aliquid execrabile commiſerit, verbi gratiâ blaſphemiam, aut maleficium, quod vulgò ſortiariam dicunt, injungendus erit ei ſpecialis honor, ac veneratio ipſius, ut ab ipsâ horâ quâ Sacerdotis manibus elevatur in Miſsâ ſalutanda à populis, & adoranda, flexis, ac nudatis genibus, caput ad terram ponat, & quâ devotione ei datum fuerit, tanti ſceleris venia precetur à miſericordiſſimo redemptore; idem faciat ubicunque eandem ſacratiſſimam, & venerandiſſimam Euchariſtiam, vel repoſitam, vel tranſeuntem cognoverit. Quòd ſi dives hoc temporalibus abundans fecerit, ut vas pretioſum, atqne ſpecioſnm, in quo reponatnr ipſa veneranda Euchariſtia redemptoris, offerat, injungatur, vel cereos qui ante ipſam die ac nocte ardeant & luceant, vel incenſum, quod cremetur in hora incenſus ſui inter manus ſacerdotis, juxta morem laudabilem quarundam Eccleſiarum cum idoneis thuribulis. Juxta hnnc modum ſi contra ſanctum Chriſma aliquid nefarium facit, ut in aliquâ afflictione corporis ſui interſit conſecrationi ipſius, vel alio aliquo opere honorem ipſum, aut oblationem, vaſis ſpecioſi ad reponendum, ſeu deportandum ipſum. Radix autem probationis in his, & in aliis, de quibus hîc agitur, contrarietas eſt, quâ efficitur, ut contraria contrariis convenientiùs, & efficaciùs expientur. Eodem modo pro blaſphemiis laudes, & benedictiones, &c. oris obſequia injungenda erunt; juxta hunc modum injungenda erit ſatisfactio pro exhonorationibus, ſeu contumeliis ſanctorum, ut ſi glorioſam Dei matrem blaſphemaverit, ad impendendum ei ſpecialem honorem vel obſequii, vel oblatiônis inducatur. Hinc eſt quòd injungendum eſt eis, qui metu ſuppliciorum Chriſtum dominum negaverunt coram infidelibus, ut illum ibidem conſtanter confiteantur, contumeliam abnegationis honorificentiâ confeſſionis emendantes; propter hoc etiam & his, qui turpitudine converſationis Eccleſiam Dei ſcandalizaverunt, & exempla perniciei ſuæ tranſmiſerunt ad alios, conſultè ac ſalubriter injungitur, ut manifeſto ſuæ correctionis exemplo, ſcandali ſui correctionem aboleant, & bonum nomen Chriſti quod fecerant fœtidum apud maledicos, ſanctum & venerabile efficiant facti bonus odor ipſius bonæ operationis fragrantiâ, & reſonantiâ bonæ famæ; ſicut legitur ad Corint. 2. De his ſpecialiter intelligitur illud Eccleſiaſtici 20. Quàm bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam, quàm glorioſum ſcilicet Deo propter devotionem inde ipſum laudantium, quàm utile propter ædificationem invitari volentium, quàm ſalubre propter reparationem revertentium, quàm ſuave propter flagrantiam opinantium, atque narrantium. Deinde qnia peccatum omne iniquitas eſt, & injuſtitia, ipſa ſatisfactio pro illo debet eſſe juſtificatio pœnitentis, & eſſe juſtificatio, quæ mortem ipſius ſpiritualem, aut vitæ culpabilis extinctioné efficiat,

Baptiſmus flaminis.

Nota.

Nota.

Nota.

Nota.

juxta illud Exodi 22. Maleficos non patiens vivere. A Jejunium enim, quod gulæ voracitatem non extinguit, jejunium non eſt, ſed dilatio comeſtionis propter meliùs, aut avidiùs comedendum, aut commutatio comeſtionum duarum in unam, quæ & lautior eſt, & ſervientibus laborioſior: gulæ verò, & ventri ſuavior, Diabolo gratioſior, & pretio ſumptuoſior, quàm duæ. Jejunium ergo quod quinque fructus iſtos, & ſextum qui eſt eleemoſyna, afferre debuit ad minùs, quandóque iſta detrimenta, ſeu nocumenta Deo, & animabus infert. Sic & de omni afflictione attendendum eſt, ut mortiferam voluptatem abradat penitùs, & extinguat; non enim quemadmodùm de materialibus latronibus macerationibus ſolâ ſimilitudine interdùm juſtitia fit, eo quòd correctio & emendatio eorum ſperatur, ita & B de ſpiritualibus maleficiis faciendum eſt in his, ubi nulla ſpes eſt emendationis; nihil enim recipit contrarium eſſentiæ ſuæ naturaliter. Sicut albedo non poteſt fieri nigra, nec nigredo alba; ſic vitia, peccata nunquàm fieri poſſunt bona. Nulla ergo ſpes emendationis de ipſis habenda eſt, & ideò de terrâ cordis, & corporis per mortem ipſorum penitùs auferenda, ſicut legitur ad Col. 3 Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Væ illis qui latrones penitùs occidendos, ſolummodò mutilant, quales ſunt qui multo numero ferculorum unum tantùm abſtinentiæ detrahunt, cùm ingluvialis illa multitudo, atque varietas, non ſolùm per parſimoniam neceſſitatis præcidenda eſt, ſed etiã ulteriùs detruncanda; moderatione enim neceſſitatis ſoli præſenti guloſitati occurritur, & obſiſtitur, ſed præterita per illam nequaquàm juſtitiatur, niſi & ab ipsâ C
Nota. neceſſitate, hoc eſt pretioſâ, & neceſſariâ refectionis ſufficientiâ aliquid detrahatur. Nonnulli verè in illud inciderunt ridiculum, ut latrones quos crucifigere, & occidere debuerunt, honeſtent potiùs, & decorent, quaſi indecentem ſuperfluitatem capillorum, & barbæ eiſdem reſcindentes, ut honeſtiùs ſcilicet incedant, & ab irriſione, & opprobrio hominum parcatur eiſdem. Hi ſunt qui à vitiis comeſſationis, & ebrietatis, frequentationes tabernarum, & induitiones ſaccorum, cæteraſque ribaldicæ vilitatis ignominias abſciderunt, claris ac fulgidis veſtibus, magnificæque ſtructuræ domibus præfata duo officia exornantes, ac decorantes. Vides ergo quòd frequentatio tabernarum, ac denudatio corporum à veſtibus ſuis, induitioque ſaccorum, non de ſubſtantiâ ſunt comeſſationis, aut ebrietatis, ſed ſicut ſuperfluitates ſunt capillorum, aut barbæ deturpantes ea, & propter hoc, qui talia ab iſtis ſuis D vitiis auferunt, ſunt quemadmodùm iniquiſſimi præfecti, & ridiculoſi juſtitiatii, qui latronibus crucifigendis non ſolùm parcunt, ſed eos exornant, atque decorant, ut ſine opprobrio, & ignominiâ inter juſtos, & ſanctos vivant. Ampliùs. Ea debet eſſe cibi, potuſque parcitas, quæ virtutem continentiæ adjuvet, eaque ſancti laboris exercitatio ſuperfluum tertiæ digeſtionis conſumat; ex illo enim ſunt ebullitiones, & inundationes tentationum luxuriæ. Juxta hunc modum ea debet eſſe ſanctarum exercitationum occupatio, quæ nullum locum ocioſitati
Attende. patere ſinat; eſt enim occupatio ſicut murus altus, & fortis, omninóque diabolo inconcuſſus, & impenetrabilis, omnem viam ei removens, & omnem aditum ad cor noſtrum eidem occludens; ocioſitas, verò ſicut muri defectus, atque clauſuræ, & via patens hoſtibus infernalibus abſque repagulo: propter quod dicitur Eccleſiaſtici 24. Multam malitiam docuit ocioſitas. Et juxta exempla iſta de aliis juſtitiationibus ſentiendum eſt.

CAPUT XX.

De reſtitutione agitur hoc articulo.

Reſtitutio verò, quam tertium fructum ſatisfactionis ſupra poſuimus, ſpiritualis intelligenda eſt, & non temporalis; temporalis enim reſtitutio, non eſt pars ſatisfactionis ullo modo, ſicut reſtitutio uſurarum, & rapinarum: reſtitutio verò ſpiritualis eſt primùm animarum, quas miſer peccator Deo abſtulit, quam dicimus pœnitenti, ſi eidem poſſibilis eſt, primitùs, & maximè injungendam eſſe; ſive enim perverſitate dignitatis aliquas animas ſubvertit, vel Deo abſtulit, ſive prece, vel pretio, ſive vi, ſive fraude, ſive etiam exemplo aliquas B animas corrupit, & in peccatorum mortem induxit, ad earum reparationem, ſive recuperationem, Deoque faciendam refectionem in primis, & maximè, laborare debet. Si puellas aliquas corrupit, *Nota.* aut proſtituit, ut eas vel nuptui tradat, ſi facultates eidem in hoc ſuppetunt, vel alio modo ad viam vitæ reducat; ſi enim non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum temporale, & hoc vel effectu, vel ſaltem affectu; quantò fortiùs non dimittitur, ſi pretioſiſſimum ablatum ſpirituale, cui Deus aliud pretium imponere noluit, quàm unigenitum ſuum, pro quo & ipſum dedit niſi reſtituatur, quatenùs poſſibile eſt ablatori? Secundò ſi impedivit animarum ſalutem, ut bonum paſtorem haberet, aut faciens, aut procurans, ut malum haberent, qui animas non quæreret. Quæ damnatio, quia penè perpetua eſt, & in menſuram, aut æſtimationem noſtram C non cadit, ejuſque reſtitutio impoſſibilis, vix habet conſilium; quot enim millia animarum pereant per unius prælati negligentiam, aut malitiam, quis æſtimet? Deindè hujuſmodi perditio hæreditaria eſt; multiplicatis enim nepotibus, & malitiæ ſuæ miniſtris, atque fautoribus accidit, ut hæreditate ſanctuarium Dei poſſideat, in poſteris; quicunque enim ex carne ſuâ ibidem canonici conſtituti ſunt, caro ſunt; & propter hoc, quicunque in eadem in poſterum naſcetur, prælatus ex ipſis, aut per ipſos, caro erit; quod enim naſcitur ex carne caro eſt, ſicut legitur Joan. 3. Huic ergo quid aliud injungendum videtur, niſi ut laboret ad liberationem Eccleſiæ illius, & animarum totius epiſcopatus per amotionem ſcilicet ipſius prælati, qui tantæ ſtragis animarum, & caput eſt, & auctor, & ad ſubſtitutionem paſtoris, qui animas & quærere velit, & ſufficiat? Quàm difficile autem, & plerumque impoſſibile ſit D conſilium iſtud adimplere, videlicet malorum prælatorum amotionem, & bonorum ſubſtitutionem procurare, aut facere, omninò cæcus eſt, qui non videt. Tertiò ſi ipſemet locum regiminis exigat, vel occupet in Dei contumeliam, & perniciem animarum, Eccleſiæque propriæ ſubverſionem, cui ſimiliter ipſa reſtitutio damnorum irrogatorum Deo, & animabus ad integrum impoſſibile eſt. Injungendum eſt autem ei, ut reſignationem ſuam procuret, & per collaterales, atque miniſtros (qui animas quærant) periculis earum occurrat, jamque perditas recuperare totis ſtudiis, ac viribus enitatur. Propter hoc quantùm capio, duo genera malorum hominum perditiſſima ſunt, & à perditione penè irrevocabilia, & quibus via ſalutis etiam à doctiſſimis vix inveniri poſſit, videlicet Eccleſiarum conventualium canonici, vel monachi minores, majoreſque prælati; unius enim electionis peccato, videlicet quod in ea canonicus, aut monachus committit, difficilis eſt inveniri conveniens, & condigna ſatisfactio, & penè impoſſibilis effectu, etiamſi aliud in ea non requiratur, quàm reſtitutio damni;

ficationis, quam diximus animarum. Quæ autem ſatisfactio injungenda ſit prælato majori, qui talem minorem, non dico, in Eccleſiâ inſtituit, ſed tali lupo, atque carnifici animas cruciandas tradit tam flagitioſo corruptori Chriſti ſponſam proſtituit niſi ut illo amoto, idoneum præficiat, qui pro ipſo ſanctæ converſationis meritis, ac diligentiſſimâ paſtoralis officii executione ſatisfaciat: Quartò ſi defraudavit Deum debitis officiis, & animas debitis ſuffragiis, atque ſervitiis. *Nota.* Officia intelligimus hîc eccleſiaſtica, videlicet orandi, pſallendi, & diligendi, ſi horas, ſcilicet canonicas omninò non dixit, aut non, ut debuit, & decuit, ſi Miſſas non celebravit, aut Miſſis non interfuerit aut ſi utrunque fecit, non tamen provt debuit, & decuit, ſi non ſuffragia debita animabus impendit, videlicet bonis, ut perſeverent, atque proficiant, malis ut revertantur, & reſipiſcant eis qui ſunt in purgatorio, ut citò liberentur, & promiſſam gloriam obtineant: *Conſilium ſalutare.* injungendum ergo erit ei, ut iſta aut minoris aut majoris devotionis pinguedine in poſterum reſtituat, aut reſtitui à viris ſanctis, & collegiis ſanctorum emendicando procuret, vel quod extremum eſt, ſuppleri hoc, quibus ſuffragiorum debitor eſt, de magnitudine miſericordiæ Dei omnibus diebus, quanta devotione ei datum fuerit, precetur, & oret. Servitia verò animarum vocamus docere, judicare, prædicare, pacificare; horum omnium reſtitutio facienda eſt, & diſtrictiùs injungenda: circumſpectè verò judicantibus, nec pars ſatisfactionis, nec fructus judicandus eſſet, cùm omnia hæc aliàs debita ſint, hoc eſt per ſemetipſa, licet peccatum nullum præceſſiſſet. Quintò ſi famâ damnificavit aliquem, quod furtum graviſſimum judicat, Ambroſ. dicens, quòd tolerabiliores ſunt fures, qui veſtes & alia bona noſtra diripiunt, quàm detractores, qui famam noſtram lacerant, &c. *In detractores.* Famæ ergo, & opinionis læſæ facienda eſt reſtitutio, quæ quidem perdifficilis eſt, & à nullo eam adhuc factam audivimus, & propter hoc apparet magnitudo periculi, & pœnæ inevaſibilitas in iſtis dãnificationibus, quas nominavimus. Quid ergo injungendum erit detractoribus, niſi ubicunque mala ſeminaverunt, ibi prædicent, & ſuadeant, ne de malis proximorũ, vel dictis vel dicendis, eis credatur, & ad hoc judicant eos, qui ipſis in parte iſtâ crediderant, provt commodè poſſunt. Medicatoria verò debet eſſe ſatisfactio; primùm ſcilicet conſumptoria morbi, aut reliquiarum ipſius: verbi gratiâ Si luxuria extinguenda eſt, declinandus eſt aſpectus mulierum, declinanda earum colloquia, avertere aures à cantilenis amatoriis & à flatibus venenatiſſimis, hoc eſt ſuggeſtionibus, precibus, tractatibus venereæ turpitudinis, declinando etiam ciborum, & potuum luxuriam carnis inflammantium, horum vitetur vel uſus, vel ſaltem ſuperfluitas; ſicut enim iſta, quæ enumeravimus luxuriam carnis incendunt, augent, & nutriunt ſic ſubtractio eorum neceſſariò illam extinguit, penitúſque conſumit: & in hoc eſt probatio à contrariis; & generaliter medicina efficaciſſima ad extinguendum omnem morbum vitiorum, & peccatorum, conficitur ex omnibus conſiderationibus, quas tibi in tractatu de attritione, & contritione nominavimus, & numeravimus, & colliguntur omnia hæc, atque aſſumuntur ex ipſis vitiis, & peccatis, quemadmodùm ex ſerpentibus, & ſcorpionibus medicina efficitur contra nocumenta ipſorum, ſicut ibidem oſtendimus. Valent & ad idem ſacræ objurgationes, & propter hoc injungendum eſt hujuſmodi pœnitentibus, ut mordaces prædicatores aſperrimè, acerriméque vitia ſuggillantes frequenter audiant. Canes etiam detractores linguas

E habent medicinales in parte iſtâ & propter hoc expedit hujuſmodi pœnitentibus, ut infamia ſua, morſuſque detractorum ad eos perveniat. *Medicina conſumptiva.* Medicina autem vehementer, efficaciterque conſumptiſſima rememoratio eſt, recogitatio mortis aſſidua; mortis dico tàm temporalis, quàm æternæ. Cæterùm ægritudines, vulnera, carceres, vincula, omneque genus tribulationum medicamenta validiſſima, ac ſaluberrima ſunt; ſed illa miſericordiſſimus Deus interdùm per ſemetipſum ſolùm, interdùm per alios adhibet pœnitentibus, & propter hoc illa non ſunt à confeſſoribus injungenda. Sanctis verò labor & voluntaria afflictio multùm conferunt ad conſumptionem, & extinctionem vitiorum, & peccatorum: generaliter autem ſeorsùm fieri à peccatoribus, & peccata conciliantibus, ſeu procurantibus, & declinare opportunitates, & incentiva vitiorum & peccatorum, & cohabitare cum ſanctis, ac juſtis, ac vacare bonis exercitationibus, quæ peccatis contrariæ ſunt, F ac repugnantes medicina conſumptiva, ac extinctiva vitiorum ac peccatorum. Hîc autem medicamenta tantùm loquimur, quæ in nobis, id eſt in poteſtate noſtra poſita eſſe videntur; ſcimus enim ſcriptum eſſe in 4. Deuter. quòd Deus noſter ignis conſumens eſt; nec dubitamus ipſam gratiam Dei ſuper omnia mortificativam eſſe, ac extinctivam vitiorum, & peccatorum. *Nota.* Debet etiam eſſe confortatoria, ſive confortativa, ita ut non ſolùm vitam ſpiritualem deficere non deſinat, ſed etiam ut roboret, & augeat: & quia vita ſpiritualis, vita omnium virtutum eſt, omnium inquam, ſine quibus nec Deo placetur, nec æternæ fœlicitatis merces acquiritur, ea debet eſſe ſatisfactionis exercitatio, quæ omnes virtutes augeat, & roboret, quemadmodùm fidem miraculorum, auditus, & lectio ipſorum, aut inſpectio, ſi ea videre datum fuerit; G ſimiliter charitatem divinæ bonitatis contemplatio, & beneficiorum ejuſdem crebra rememoratio; ſic ſpem divinarum promiſſionum exhibitio & electorum in tribulatione poſitorum liberatio, & conſolatio, inimicorumque humiliatio, ſi tantâ cogitatione, & mente, & præ oculis cordis fuerint, eodem modo & timorem divinæ diſtrictionis, & judiciorum meditatio, ac tormentorum infernalium præcogitatio: & juxta has vias ea pœnitenti injungenda ſunt, quæ vitam ſpiritualem nutriunt, & confortant, inter quæ lectio, & oratio, divinorumque officiorum frequentatio, ſanctorumque virorum convictus, & cohabitatio, vel ſaltem frequens viſitatio, dummodò declinentur contraria præcipuum locum obtinere videntur. Virtutem autem humilitatis mirabiliter excitat, & roborat ipſum exemplum Domini Salvatoris de ablutione pedum ſervorum, ſicut H dicit Auguſt. ſuper 13. cap. Joan. Prudentia autem magna eſt, & ſaluberrimum artificium exercitare ſe in modicis, ac levibus; verbi gratiâ: ſi à toto ferculo abſtinere non potes, aggrediaris gulam vincere in uno ſaltem morſello, & poſteà experiaris & in alio, & videbis, atque gaudebis inſperatum, & incredibilem abſtinentiæ profectum divino adjutorio, ac juvamine inde tibi ſuccurrere: ſicut & experimento didicimus de illo qui multâ vi, ac difficultate vix ab initio portare poterat, ut ſeptimam partem dominicæ orationis unâ die totâ dicere ſufficeret, deinde paulatim adjutus, atque confortatus divinitùs, ut eam totam unâ die diceret, poſtmodùm ut una die ſepties diceret, quod cùm aliquantis diebus obſervaſſet, conſque favente divinâ gratiâ provectus eſt, ut omne onus injunctæ ſibi ſatisfactionis, non ſolùm leviter, ſed etiam gaudenter portaret. Sic de illo, quem tantâ ſervitute avaritiæ vitium oppreſſerat, ut omninò nihil dare poſſet,

omnipotentiæ

omnipotentis Dei miſericordia operata eſt. Primùm ſiquidem præcepit diſpenſatori ſuo aliquid de bonis ſuis pauperibus erogare, verùm adeò modicum, adeóque occultè, ut nullo modo ad notitiam ejus perveniret, minatus diſpenſatori, quia ſi hoc quocunque modo deprehendere poſſet, ipſum tanquàm diſſipatorem, atque furem puniret. Deinde cùm in fine anni rationem reddente diſpenſatore bona ſua duplicata eſſe cognoviſſet, interrogavit illum, ſi quid illo anno pauperibus erogaſſet, quo reſpondente quia erogaſſet, & etiam quantùm præcepit ei, ut duplò tantùm in anno ſequenti eidem erogaret: veruntamen hoc eo inſcio faceret, ſimiles ei minas prioribus intentans; quod & ipſe fecit. Elapſo verò anno factâ computatione invenit bona quadruplicata, & interrogavit à diſpenſatore ſicut priùs, auditóque ab eo, quibus & quantùm, præcepit ei dicens, furare mihi & iſto anno quadruplum ejus, quod præterito anno furatus es mihi, & da pauperibus: veruntamen modis omnibus cave, ne iſtud ſciam, nullo enim modo videre poſſum, quòd aliquid de bonis meis detur pauperibus. Quod cùm ita per multos annos factum eſſet, videlicet, quòd dominus pium furtum diſpenſatori multiplicare præciperet, diſpenſator verò fideliſſimam fraudem domino ſuo faceret, & miſericordiſſimus Deus multiplicationes bonorum ſuorum adaugeret, atque magnificaret, tam magnifico cœleſtis virtutis adjutorio, victa eſt avaritia, adeóque dejecta, ut diſpenſatori præciperet dicens, cave de cætero, ne parcas bonis meis, furare inde quidquid poteris, & rape vi de manibus meis, & da pauperibus etiam juſſus, & prohibitus à me. In quo vide, à quantâ infirmitate, & debilitate ad quantam fortitudinem, à quantâ parvitate ad quantam magnitudinem virtus largitatis in eo projecta fuerit, quæ furtum, & rapinã non ſolùm vicit, ſed etiam ſibi ſervire voluit, & coëgit.

Pium furtum.

Sic & ſimile miraculum virtutis ſuæ operari dignata eſt divina clementia temporibus noſtris in quodam nobili, & divite qui cùm terræ ſanctæ peregrinationem aggreſſus eſſet, & ad mare uſque perveniſſet, videns mare extimuit ingreſſum navis & expavit, & in littore remanſit. Luctabatur de die in diẽ virtus fortitudinis in eo licet modica, & debilis contra timiditatem, & horrorem maris; quod cùm vincere non poſſet per ſemetipſam, incidit cordi ejus divinâ inſpiratione conſilium magnificum, videlicet ut præciperet ſervis ſuis, ut ejus pedibus, & manibus, fortiter ligatis, quantumcunque invitum, ac renitentem, illum in navem mitterent, nullâ iracundiâ ejus nullis minis, aut terroribus ipſius ipſum de navi emitterent, donec ad terram ſanctam applicuiſſent, & ut etiam juramento exactiſſimo firmarent. Quæ omnia ſic facta ſunt, tranſvectus eſt in terram iratus, & renitens, ac repugnans pro viribus, ſervis minas tormentorum, & mortis omnibus diebus, & noctibus tranſjectationis ingeminans; in quo facto vide, quàm modica fuerit ab initio virtus fortitudinis, & quàm debilis, quæ maris aſpectum ferre non poterat, deinde ad illud culmen perfectionis provecta eſt, ut eum adeò invincibilem redderet, ut ipſemet victus, & ſponte manus dans puſillanimitati, etiam de ea invitus, voluntate, & propoſito triumpharet.

Attende.

Propter quod modis omnibus ſuademus, ut teneris adhuc, & infirmis pœnitentibus, & tanquàm de gravibus morbis, & ægritudinibus convaleſcere incipientibus, non ſolùm leves, ac ſalubres exercitationes, ſed etiam jocundæ ſi fieri poteſt, injungantur. Jocundum autem eſt, ſanctoque riſu pleniſſimum illudere diabolo, & eum velut jocando confundere, verbi gratiâ, dùm tenes morſellum ſuavem in manu, parat os earo tua, & aperit ad recipiendum illum, parat ſe, & extendit manum gulæ ad recipiendum momentaneum, quod lenocinium ideò pedagiũ dicimus, quia à palato, & gutture per tranſitum, & ratione tranſitus percipitur, parat fauces. & ventrem diabolus, ut te per illum morſellũ devoret, aut ſaltẽ aliquid de ſanguine tuo ſugat, devorat te per morſellum, cùm gulæ lenocinium mortale peccatum tibi eſt, ſugit aliquid de ſanguine tuo infixo vulnere non læthali, ſed tamen nonnullo: illud ergo vitio gulæ ſimul, atque diabolo, ut morſellum, ad quem toto hiatu fauces porrigunt non ſolùm non percipiant, ſed pro eo plagam; quemadmodùm dùm ſolet illudi canibus; ipſe enim eſt draco formatus ad illudendum ei; dùm enim projicis hujuſmodi morſellum inter reliquias menſæ tuæ, eo percutitur diabolus, & gula ſimul; eo velut ſuaviſſimi odoris ſacrificio delectatur clementiſſimus Deus, eo velut lanceâ transfiguntur hoſtes tui diabolus & gula, ſicut legitur Eccleſ. 29. Super lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit eleemoſyna. Debet eſſe & conſervatoria, ut non ſolùm conferat vitam ſpiritualem, ſed etiam præſervet à futuris, & imminentibus nocumentis; in quo quatuor remedia validiſſima ſunt, quorum primum eſt oratio, quâ ſervatio, atque cuſtodia totâ devotione, atque obſecratione à miſericordiſſimo omnium bonorum largitore Deo expetendæ ſunt, ſicut legitur in Pſal. Conſerva me Domine Et iterùm; Cuſtodi me, ut pupillam oculi.

Nota.

Secundum, eſt occupatio ſancta, atque continua, eſt enim interpolatio ſanctæ occupationis velut apertio januæ adultero, & velut ruptio muri hoſtibus, & velut foramen in navi navigantibus, & velut foramen in vaſe liquorem pretioſiſſimum in eo portantibus. Quantâ ergo ſolicitudine obſtruenda ſunt foramina, & rivulæ in navi, ne aquæ intrent, obſtruendum foramen vaſis, ne liquor effluat, continuanda eſt occupatio ſancta, ne aquæ amariſſimæ, ac fœtidiſſimæ peccatorũ navem cordis intrent, ne balſamum pretioſiſſimũ divinæ gratiæ effluens effundatur Tertium eſt noviſſimorũ memoratio, videlicet mortis corporalis mortis æternæ, & vitæ æternæ, de hoc Eccl. 7. In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Quartum eſt ipſa viſitatio ſpeciei noſtræ, ſicut legitur Job 5. Viſitans ſpeciem tuam non peccabis, quod eſt dicere, ideſt ſolerter conſiderans nobilitatem ſpeciei tuæ, quia homo es, ad imaginem ſcilicet Dei conditus, & formatus. Et hoc eſt, quod dicit Tullius in libro Tuſculanarum quæſtionum. Sedationem animi continet in conſpectu poſita humana natura, quicquid ingruat, in eandem arcem confugiendum eſt eadem ſunt arma ſumenda. Alij intelligunt vitæ ſpeciem viſitationem fratrum in tribulatione poſitorum, hoc eſt viſitare infirmos, incarceratos, & pauperes, hoc eſt conſolari eos, & alere, & rectè, quantùm capimus, intelligunt; in hujuſmodi enim operibus humilitas, & pietas conjunctæ ſunt. Humilitas autem conſervat à caſu, quoniàm ſuum in imo detinet poſſeſſorem. Unde Aug. Humilitas in imo eſt, & ideò non habet, quo cadat. Pietas verò quicquid ſubſidij, vel ſolatij nos facit impẽdere corporalibus infirmitatibus fratrum, hoc impetrat à Deo rependi ſpiritualibus noſtris. Audivimus etiam quendam dicentem ex hoc multùm ſe, & frequentatione pauperum, & infirmorum, in parte iſtâ profeciſſe, & robur multum contra peccatorum inſultus accepiſſe. Eccleſ. Ne pigriteris viſitare infirmum, ex hoc enim in charitate firmaberis. Septimũ fructum ſatisfactionis poſuimus ſupra,

ſatisfactionem eſſe dicentes contra execrabilitatem, peccatorum: hæc autem eſt, quæ pœnitentem à mundo, & eis quæ mundi ſunt, ſeorſum facit, & ad Deum ipſum colligit, & in Deum ipſum confert, ita ut ipſi ſoli vivat, ſicut legitur in pſal. Et anima mea illi vivet. Et hoc eſt quod dicit Apoſto. in 2. ad Corint. 20 Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negocijs, hoc eſt, non ſolùm illicita, & prohibita, id eſt vitia, & peccata declinantur, ſed etiam licita, & conceſſa. Propter hoc injungenda eſt interdùm pœnitentibus abſtinentia ab amplexibus propriarum uxorum: ſicut dicit Apoſtolus in 7. primæ ad Corint. Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi. Similiter & declinare conſortia hominum, & conſpectus publicos fugere, atque ſpectacula, à negociationibus deſiſtere, ab armorum exercitijs ceſſare, licet iſta licita, & conceſſa ſint, nonnunquàm tamen pœnitentibus injungendum, ſe recedere ab hujuſmodi, maximè ab his qui in hujuſmodi periclitati ſunt. Duabus autem de cauſis ab his ſecedendum eſt pœnitentibus, & hoc vel ex toto, vel ad tempus, videlicet propter periculum, ut diximus, quia vix, & rarò ſine peccato exercentur, & quia vacare Deo, aut omninò non ſinunt, aut ſaltem vacationem ipſius non parùm retrahunt: propter hunc fructum, injungendæ ſunt divinorum beneficiorum conſiderationes, orationes gratiarum actiones benedictiones, & ſanctorum venerationes, non ſolùm ſanctorum angelorum & hominum, ſed etiam ſanctorum locorum, vaſorum, & ornamentorum, atque ſacrorum dierum: propter quod vigiliæ, & cęteræ obſervantiæ ſolemnitatum de conſuetudine Eccleſiæ, injunguntur pœnitentibus; tunc enim erit omni laude cumulata ſatisfactio, tunc erunt digni fructus pœnitentiæ. Poſt hoc ſequitur determinare, utrùm iterari neceſſe ſit ſatisfactionem, ſi in mortali peccato facta ſit. In quo viſum eſt quibuſdam, quòd pro infecta habenda ſit, ſicut dies ritus Nazarenorum, qui pro infectis habebantur, ſi vel uno die ante expletum numerum ſatisfactionis ſuæ quocunque modo ſe polluerent. Nos autem dicimus diſtinguendum eſſe; ſunt enim quædam opera, quorum nec augetur gratia, nec minuitur peccatum; verbi gratiâ; Baſilica, pons, domus, cùm ſint bona quædam opera, nec meliora ſunt, ſi conſtructa, vel ædificata fuerint ex charitate, nec mala, aut minus bona, ſi ædificata fuerint in peccato, vel etiam ex peccato; & propter hoc quantùm eſt in ſe ipſis, Deo minùs accepta. & ideò ſi facta fuerint in mortali peccato, ex injunctione ſatisfactoriâ, non ſunt pro infectis habenda; nec ergo ex neceſſitate iteranda hujuſmodi opera operata. Sunt & alia quorum bonitas, & acceptabilitas, aut charitas eſt, aut ex charitate; & propter hoc ad placandum Deum non ſufficiunt, niſi cùm facta fuerint ex charitate: ſi enim per charitatem & placent Deo, & placant ipſum, ſine charitate non placent ei, nec placant ipſum, & ideò nec ei ſatisfaciunt: manifeſtum eſt, quòd quantùm ad placationem, ſeu ſatisfactionem irrita ſunt, & ideò vel iteranda, vel loco rum eorum, quæ Deo placeant, injungenda. Et hæc ſunt opera, quæ conſueverunt vocari opera operantia. Et hoc eſt, quod dominus dicit Iſa. 58 Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis: nunquid tale eſt jejunium quod elegi? nunquid iſtud vocavi jejunium? Opera ergo iſta operantia vocamus ipſum operari noſtrum, ut jejunare, orare, pſallere ędificare ergo eſt opus operans, ipſum verò ędificium eſt opus operatum. Si quis quęrat, ad quid ergo valebunt opera hujuſmodi, ſcilicet de genere bonorum facta in peccato mortali: Reſpondeo quoniàm ad multa: primùm enim ſunt acceſſus, & appropinquatio ad viâ vitæ, & quaſi reverſio ad ipſam. Quemadmodùm ſi quis quærat de iterante, qui aberravit à viâ ſuâ, & revertitur ad ipſam; reſpondeo, quòd ipſa reverſione reverà non agit iter cœptum ſic & hujuſmodi pœnitens per hujuſmodi opera in mortali facta reverà non vadit ad vitam, ſed ad viam vitę, ſi perſeveret in eis, revertitur: ergo unus fructus hujuſmodi operum eſt reverſio ad viam vitę. Secundus eſt diminutio tentationum; nemo enim dubitat, quin jejunia, & aliæ afflictiones, omneſque bonæ exercitationes licet in peccato mortali fiant, quòd tentationes diminuunt, & virtute, & numero, ita ut etiam pauciores ſint, & debiliores, & hoc eſt eis ex ipſâ naturâ ſuâ, hoc eſt ex naturali contrarietate, quam habent ad tentationes, atque ad vitia & peccata. Tertius fructus eſt reſtrictio poteſtatis diabolicę; minus enim ex neceſſitate poteſt in eos, qui utcunque rebellant contra eum atque repugnant, quàm in eos qui omninò cedentes, eum ſuper ſe pacificè regnare permittunt; conantibus contra Diabolum, & vitia, atque peccata neceſſe eſt adjutorem adeſſe miſericordiſſimum Deum. Quartus eſt confortatio noſtrarum virium naturalium, ſeu invaleſcentia ipſarum: omnis enim virtus ipſo uſu ſui, & exercitatione moderatâ, ac debita confortatur, & invaleſcit: abuſione verò ſui, & otio immoderato debilitatur, & tandem deficit; eo enim uſque poteſt quis quieſcere, ut omninò deficiat in eo virtus greſſibilis, & eo uſque ceſſare à viſu, quòd omninò efficiatur cęcus. Quintus fructus eſt præparatio ad gratiam, quemadmodùm aratio, & irrigatio præparatio ſunt ad ſeminis exortivum, & remollitio ceræ ad ſcripturam, & ſigillationem, ſicut ſupra diximus in capite de attritione. Sextus fructus eſt impetratio gratiæ gratum facientis; hujuſmodi enim opera, cùm manſerint deſiderio revertendi ad Deum, & invaluerint conſuetudine, atque pinguerunt devotione, meritoria efficiuntur ipſius gratiæ gratum facientis, meritoria inquam ex congruo divinæ largitatis, & clementiæ, non autem ex condigno noſtræ juſtitiæ: congruit ſiquidem divitijs, & largitati divinæ pietatis ſic pulſantibus aperire, ſic petentibus dare, ſic quęrentibus ſe oſtendere. Poſt hęc relinquitur nobis inquirere, utrùm ſatisfactiones iſtæ arbitrariæ ſint, aut determinatæ, & limitatę, ita ut nihil de eis minuere, vel detrahere confeſſoribus conceſſum ſit, nihil adjicere. Quòd ſi quis dixerit eas eſſe limitatas hoc modo, neceſſe eſt, ut ea limitatione, quam ſacri canones præſcribere videntur aut alia limitatione, quæ nondùm eſt Eccleſię revelata: quòd ſi limitatione canonica, manifeſtum eſt hoc falſum eſſe, & iniquum, falſum quidem, quia ipſi ſacri canones eas dicunt eſſe arbitrarias: iniquum verò, quia in eodem genere peccati contigit unum plus peccare, alium minus: canonica enim pœnitentia, ſeu ſatisfactio, hoc eſt in canonibus ſtatuta, una eſt pro genere peccati. In uno autem genere peccati incidunt, majus, & minus peccatum, ut diximus: quare majus, & minus peccatum ſecundùm limitationem canonum una & eadem pœnitentia punirentur, & una atque æqualis pro inæqualibus peccatis ſatisfactio injungeretur. Et hæc eſt iniquitas, videlicet ut inæqualiter peccantes, æqualiter judicentur; uno enim adulterio contingit duos ſacerdotes inæqualiter peccare, & etiam unum & eundem adulterantem interdùm graviùs, interdùm minus graviter peccare. Non oportet immorari in his, cùm ipſi canones hoc determinant, ut dicimus, & ipſa auctoritas eccleſiæ, id eſt, ſedes apoſtolica hoc fatetur in ipſis canonibus. Quare canonicæ injunctiones magis pœnæ ad correctionem peccantium ſtatutæ,

Nota.

Attende.

Vide.

Diminutio tentationum.

Sacri canones.

Nota.

ſtatutæ, quàm ſacramẽtales ſatisfactiones nonnullis eſſe videntur. Nonnullis autem videntur eſſe exemplaria ſatisfactionum pœnitentialium, ut juxta illas, vel cùm viſum fuerit aliqua de his, aut etiam ipſæmet pœnitentiæ canonicæ pœnitentibus injungantur; in quo non ſpatùm videtur conſultum eſſe confeſſoribus, dùm eiſdem viæ pœnitentialium injunctionum per ipſas pœnitentias canonicas ex parte aliqua ſunt apertæ. Nec dubitandum eſt confeſſores ſequi debere canones pœnitentiales, quatenùs fragilitati noſtrorum temporum & qualitati pœnitentium congruit, quatenùs etiam tam multiplex ruptura, vel laceratio retis Petri patitur, quæ præ magnitudine, & multitudine concluſionum piſcium, valde modicum habet hodie integrum, vel illæſum. Scire etiam debes errorem multorum, qui pœnam correctoriam, & vindicatoriam delictorum, pœnitentialem ſatisfactionem reputant; propter quod & debita, quæ in eis ſint punita, vel vindicata fuerint, confiteri ampliùs omninò non curant. Verbi gratiâ, ſtatuitur in omnibus abbatiis, ut qui tale quid fecerit detrudatur ad carcerem gravis culpæ uno anno. Æſtimant ergo, quòd poſtquàm ſic delinquens pœnam hujuſmodi carceris per annum ſuſtinuit, quòd nec confeſſione, nec pœnitentiâ ampliùs indigeat pro illo delicto; & generaliter de quibuſcunque delictis in capitulis ſuis per ipſam diſciplinam capitularem, ſive regularem vindicatum fuerit, ſe reputant apud Deum penitùs abſolutos: ex quo errore de neceſſitate accideret, quòd in in ipſo prætorio à peccatis ſuis, & delictis abſolvantur per ipſas prætorianas pœnas ibidem damnati, mutilati, ſuſpenſi, dummodò pœnas illas eo animo, & intentione exciperent à carnificibus quibus illas capitulares diſciplinas à prioribus, & aliis majoribus ſuis. Hi profectò neſciunt forum capitulare judiciale tantùm eſſe, quaſi quoddam (ut ita loquamur) prætorium; ignorant etiam intentionem eſſe etiam præſidentis capitulo, non ad remiſſionem peccatorum, ſed magis ad vindictam eorum, & ad repreſſionem, atque correctionem ipſorum per pœnas, & diſciplinam regularem: forum verò pœnitentiale magis eſſe ſacramentale, quàm judiciale, intentionemque confeſſoris in eo, quòd confeſſor, ad ſalvationem animarum, & remiſſionem peccatorum quam etiam omnipotentis Dei miſericordiâ, confeſſoris miniſterio, virtute clavium inviſibiliter operatur: manifeſtum autem eſt, quòd non attendunt, quòd nec abſolutio ſic punitis ac diſciplinatis unquàm præſtatur in capitulis, ſicut nec in prætorio ſeculari prætoriali ſeveritate damnatis, ac punitis, nec ideò minus judiciale eſt, ſive prætorianum, capitulare forum, quàm ſeculare prætorium, quia minores in eo pœnæ, quàm in ſæculari prætorio affliguntur; ſi enim minoritas pœnarum, ſive differentia pœnarum in majoritate, & minoritate, euſque fora diverſificaret, neceſſariò diverſificaret idem forum clauſtrale in ſeipſo; & ipſa fora prætoria ſecularia euſque diverſificaret, ut etiam minoritate pœnarum cogeret interdùm ea eſſe regularia, ſive clauſtralia. Cùm enim Apoſtolus à Judæis quinquies quadragenas una minus acciperet, ſicut teſtatur in 11. ſecundæ ad Cor. & utique in foro ſeculari, ac prætoriano; à judicibus enim propter iſta pœna infligenda erat ſicut & ipſe Dominus in lege ſtatuerat; ſicut legitur Deuter. 25. in capitulis autem regularibus interdùm major flagellatio omnibus his quandocunque irrogatur delinquentibus: unde quandocunque accideret de neceſſitate regulare forum magis eſſe prætorianum, quàm ipſum ſæculare prætorianum. Docendi ergo ſunt hujuſmodi erronei non debere eſſe contenti diſciplinâ regulari; ſed poſt vel ante illã debere adire forũ pœnitentiale propter ſanctificationem, & ad Dei reconciliationẽ, quæ etiam divinâ largitione præſtatur. Quoniàm verò quibuſdam omnis ſatisfactio pœnitẽtialis videtur determinata eſſe apud Deum, ac limitata, ita ut omnis minor neceſſariâ ſuppletione indigeat; cui ſi hîc quod deeſt, additum non fuerit, in purgatorio ſupplebitur: ſi quid autem ſupra quàm limitatum eſt apud Deum, habuit de in unctione ſacerdotali, illud eſſe ſuperfluum, vel iniquum. Quid veritas de hoc habeat evidenti declaratione oſtendimus; ſi enim ita eſt, duo inconvenientia evidẽter ſequuntur. Primum, ut nulla ſit poteſtas Eccleſiæ nulla virtus clavium; ſi enim ſit determinatum judicio, vel ſtatuto regio, quæ & quanta pœna fieri irroganda ſit & profectò nulla ſit poteſtas carnificis: manifeſtum eſt, nullam eſſe poteſtatem prætorii, vel carnificis augendi, vel minuendi vel mutandi illam. Confeſſor autem non eſt, niſi ſicut præco, vel carnifex in hoc: quare nulla eſt poteſtas ipſius in foro pœnitentiali. *Nota.* Ampliùs. Sicut irritum eſt quicquid agit mandatarius mandatum habens limitatum, ſi mandati fines exceſſerit, ita & irritum erit plerunque, quicquid confeſſor, qui utique mandatum de injungenda ſatisfactione, & de abſolvendo pœnitente mandatum habet, abſolvendo & pœnitentiam injungendo, egit. Ampliùs, Quis audebit eſſe confeſſor & quid ſtultius, ac dementius quàm confeſſoris officium ſuſcipere, cùm hoc officium ſit injungendi, & abſolvendi pœnitentes, ſi nemo ſcire poſſet quas, quantas, quales pœnitentias injungere debeat? Secundum inconveniens eſt, quòd cùm Deus nemini revelet quantitatem, & limitationem pœnitentialium ſatisfactionum, quid aliud velle videtur, quàm errare miniſtros ſuos in injungendis pœnitentiis, cùm nec eis revelare curet quid in parte iſta facere debeant, nec ipſi hoc per ſemetipſos cognoſcere valeant. Ampliùs Omni rege, omni præſidente erit Deus ſecundùm errorem iſtum negligentior; nemo enim regum, vel præſidentium vult habere miniſtros, quibus non injungat, atque declaret, quid facere debeant; confeſſoribus autem non determinat, nec declarat Deus beneplacitum voluntatis ſuæ in parte illa. Ampliùs Quis adeò inſipiens eſt ex præſidentibus, ut in aliquo officio velit inſtitui inſcios, & ignorantes, quid agere ex illo officio debeant: idem enim eſſet, ac ſi cæcos miniſtros institueret, & idem eſt Deo in officio pœnitentiario tales miniſtros inſtituere, & cæcos duces in via reconciliationis ad ipſam pœnitentiã præbere & hoc eſſet, vel velle eos errare, vel nolle pœnitentes reverti ad ipſum, & velle illud pœnitentibus, cùm non reportent beneficium abſolutionis à confeſſoribus, plerunque cùm vel poteſtatem non habeant, vel ipſius officii ſui ignorantes, & ignari ſint, ut diximus. *Vide.* Secundùm hoc ergo nihil ſunt remiſſiones, ſive indulgentiæ quas facit Eccleſia, & mutationes pœnitentiarum. *Remiſſiones & indulgentiæ* Apparet ergo hunc errorem claves Eccleſiæ deſtruere, & poteſtatem ſacerdotum annullare, & judicium pœnitentiale quod in præcedentibus tam multipliciter ſtabilivimus, penitùs evacuare. Et quoniàm nec falſum nec impoſſibile, nec inconveniens ſequi poteſt, niſi ex falſo, aut impoſſibili, aut inconvenienti; manifeſtum eſt hunc errorem falſum eſſe, & impoſſibilem, catholicæque doctrinæ, ac veritati omninò inſonum, & inconvenientem. Dicimus ergo determinatum eſſe apud Deum certitudine infallibilis ſcientiæ ſuæ, quæ, quanta, qualiſve injungenda ſit ſatisfactio pœnitentialis pœnitenti cuique: non autem determinatum præciſa quantitatis limitatione; & hoc eſt, quia unus, & idem pœnitens liberari poteſt, & ab-

ſolvi diverſarum pœnitentiarum injunctione, & E
æqualiter peccantibus, atque pœnitentibus injungi
ſalubriter poſſunt inæquales pœnitentiæ, ſeu ſatiſ-
Nota. factiones; cùm enim in arbitrio confeſſoris & vo-
luntate pœnitentialem ſatisfactionem poſitam eſſe
dicamus; dicimus conſequenter, quòd in bona fide
ipſius hoc poſitum eſt: hoc autem exigit bona fide,
ut conſulantur periti juris cœleſtis, atque divini, vel
ſcripta ſanctorum, atque prudentium de pœniten-
tia, atque injunctione, ubi confeſſori propria peritia
non ſufficit, & quod debita deliberatione, atque
conſilio pœnitenti injunxit, hoc miſericors Deus
tanquàm gratam ſatisfactionem & ſacrificium re-
conciliationis, ſeu propitiationis à pœnitente ſuſci-
pit, ſic enim, ne erretur in judicio, quo de agro, vel
fundo, vel de alia re temporali agitur, tantopere
conſuluntur libri legum, ac judiciorum ſecularium,
atque ſolicitè examinatur factum, de quo, vel per F
quod judicandum eſt, tantâ circumſpectione co-
gitatur, deputatur, circumſpicitur, atque pronun-
ciatur etiam in ſcriptis ſententia; quantò magis ſi-
milia omnia facienda ſunt in hoc judicio ſpirituali?
Et qui minori diligentia uteretur in iſto judicio,
quàm in judicio ſeculari, manifeſtè negligens eſſet,
& iniquus atque infidelis judex, cùm eſſe debeat
diligens inveſtigator juris utriuſque partis, quæ co-
ram ipſo contendunt, & fidelis proſpector ambo-
bus, ac debitor conſervationis juris ſui, nec poſſu-
mus non malæ fidei judicem reputare. qui pericu-
loſiſſimam, arduiſſimamque cauſam animarum
imperitiæ ſuæ committit. Interdùm tamen miſeri-
cordiſſimus, ac ſapientiſſimus Deus humilitatem,
ac devotionem confitentium reſpiciens; imperitis
confeſſoribus, etiam ignorantibus, inſpirat ſalu- G
berrima conſilia ſatisfactionum. Quia ergo contin-
gere poteſt, ut in eodem genere peccati diverſis
confeſſoribus ſolerter, ac ſtudioſè agentibus, di-
verſæ & inæquales videantur injungendæ ſatisfa-
ctiones, & hoc de conſilio prudentiũ, vel de propriâ
circumſpectione, atque prudentiâ; piè credimus, &
Nota. ſentimus, quia utraque ſatisfactio grata eſt Deo, &
accepta, & utraque ſufficit, licet inæquales ſint ipſæ,
& æqualia peccata pro quibus injunguntur; illam
enim reputamus ſatisfactionem ſufficientem, quæ
de conſilio Eccleſiæ injungitur, conſilium Eccleſiæ
in qua neceſſe eſt dico, Deo providente, & facien-
te, copiam eſſe conſiliorum ſalutarium, quæ pru-
dentium circumſpectio, vel ſcripta ſanctorum di-
ctaverint. Et hanc dicimus eſſe poteſtatem Eccleſiæ,
Attende. & hoc ei in parte iſtâ commiſſum, ut ſatisfactiones,
quas ea fide, eoque conſilio, quibus diximus, confi-
tentibus injunxerit, ratas, gratas, & acceptas ha-
beat miſericors Deus, nullique peccato præcidit,
aut limitavit Deus ſatisfactionem, quin & majori & H
minori ſatisfiat, prout juris divini conſultus vide-
licet valeat experire; ſicut enim non arctavit totam
Eccleſiam ſuam, & omnes divini juris conſultus, ad
dandum unum, ac ſingulare in unoquoque peccato
conſilium: ſic neque omnes æqualiter peccantes ad
Nota. unam numero, & ſingularem ſatisfactionem. Et
propter hoc licet Eccleſiæ Dei (cui tradidit claves
regni cœlorum) aliis aliter aperire, & cui commiſſa
eſt apotheca medicamẽtorum ſpiritualium, aliis ſic,
aliis aliter conſulere, & mederi, & augere, & mi-
nuere, pœnitentiales ſatisfactiones, & mutare prout
hoc pertinere videbit ad Dei gloriam, & honorem,
& ſaluti pœnitentium expedire.

CAPUT XXI.

*Enumerat officia Confeſſoris eleganti, & pulchro ordi-
ne: ſed vocabulis, & nominibus honeſtioribus,
& elegantioribus.*

POſt hæc nominabimus, & numerabimus officia
Confeſſoris. Horum ergo omnium primum,
atque præcipuum eſt officium ſanctificationis. Ex
quo officio quo ad abſolutionem, & benedictio-
nem ipſius, divinique nominis invocationem vin-
cula peccatorum diſrumpuntur in cordibus pœni-
tentium, maculæ abſterguntur, gratiæ infundun-
tur, veniæ, & remiſſiones pœnarum gehennalium, *Nota.*
& etiam pœnitentialium de divinæ largitatis mu-
nificentiâ tribuuntur. Propter hoc maximè con-
gruit eidem, ut ſanctus ipſe, & immaculatus ſit,
cujus miniſterio, & per quem pœnitentes, & con-
fitentes ſanctificari & ſperant, & quærunt. Con-
gruit etiam, ut in loco ſacro, ſi fieri poteſt, & ſa-
cra ſtolâ ornatus confeſſiones audiat, propter reve-
rentiam, & ſanctitatem ſancti miniſterij, ut de-
votionem aut augeat, aut excitet confitentibus.
Ex iſto officio incumbit eidem longè facere pœni-
tentes non ſolùm, ab execrationibus peccatorum;
ſed etiam à mundo, & de his, quæ mundi ſunt,
Deoque illos proximos facere, & inſeparabiliter
adhærentes & quoties poteſt, quæ illorum ſunt,
in honorem, & obſequium ejus convertere. Se-
cundum officium eſt officium judicandi, ex quo
incumbit ei, ut ſciat ſingulorum, terminũque: juſti-
tiationes, & ipſa crimina ab invicem dignoſcere,
atque diſtinguere; videlicet, ut ſciat exurendum
eſſe apoſtatam ſpiritualem, mactandum eſſe Do-
mino ſacrilegum, exhæredandum eſſe cum tota
poſteritate reum majeſtatis, lapidandum eſſe adul-
terum, & ſuſpendendum, ſeu crucifigendum la-
tronem, ſubmergendum eſſe piratam, vexandum
illuſionibus, ac contumeliis alieni honoris rapto-
rem, religandum eſſe ſervum fugitivum, & ſepe-
liendum eſſe vivum proditorem; apoſtatam autem
ſpiritualem intelligimus omnem peccatorem Chri-
ſtianum, eo quòd poſt ſuſceptum ritum Chriſtia-
num, & participationem ſacramentorum, à Deo
recedens per mortale peccatum, Diabolo adhæret, *Nota.*
factus ſervus ipſius; hunc exurendum diximus
igne iræ ſanctæ, quâ adversùs ſemetipſum excan-
deſcere debet, totuſque conflagrari, donec apo-
ſtaſia hujuſmodi in eo penitùs conſumatur, vel
igne tribulationis pœnitentialis, vel igne Spiritus
ſancti, qui propriè charitas nuncupatur. Juxta
hunc modum, & ſacrilegum omnem Chriſtianum
peccatorem dicimus, qui templum Dei, quod
ipſemet eſt, in ſe ipſo violavit, occidens in ipſo
hominem, ſcilicet ſpiritualiter, contaminatione
peccati evertit ædificium virtutum, & bonorum
operum, ſubvertens excuſſit incendio, ſcilicet iræ,
& invidiæ, aut odij, aut cujuſcunque alterius hu-
jus peſtis, & hoc eſt quod legitur prima ad Corin-
thios tertio. Si quis templum Dei violaverit, diſ-
perdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum
eſt, quod eſtis vos. Et iterùm. Neſcitis, quia tem-
plum Dei eſtis, & ſpiritus Domini habitat in
vobis? Templum inquam ſunt omnes Chriſtia-
ni opere Spiritus ſancti dicatum, & conſecra- *Templum Dei omnes Chriſtiani.*
tum, ut dicit Auguſtinus. Meritò ergo tam nefarius
ſacrilegus diſperdendus, atque mactandus Domi-
no, hoc eſt, in ejus ſervitio totus conſumendus,
ita ut nihil ſacrilego iſtius execrationis in eo rema-
neat inconſumptum, Sic & reum majeſtatis dicimus

eſſe

eſſe exhæredandum, & exterminandum eſſe cum tota progenie ſua. Verbi gratiâ: Fornicator, hoc eſt, reus majeſtatis divinæ, contra cujus honorem, & dominationem, inimicum etiam capitalem, ideſt Diabolum, in caſtrum, ſeu civitatem quam ab ipſo Deo ſingulari homagio, ac ligio tenebat, ideſt, ſemetipſum, introduxit, dominumque ejuſdem feudi mortalis peccati ſervitio, atque ſervituti illum conſtituit, ipſaque civitate, vel caſtro Deum, quantùm in ipſo eſt, exhæredauit, ſeque à Deo recedens, Diaboloque adhærens, hoſtem Dei effecit: fornicator ergo reus eſt majeſtatis. Hujus genus, ſeu progenies ſunt fornicationis cogitator, fornicationis concupitor, fornicationis delectator, in fornicationem conſentitor, fornicationis perpetrator, fornicationis iterator, fornicationis aſſuefactor; deinde excuſator, defenſor, gloriator. Cognati verò ejus, atque propinqui ſunt prolocutor, procurator, receptator, ſimiliter inventor, ſeu infamator. In quibus volumus, ut intelligantur exornator, turpiumque cantilenar decantatorũ, & omni modo quiſquis eſt hujus turpitudinis adjutor. Tota ergo iſta maledicta progenies exterminanda eſt cum ipſo capite ſuo, ſcilicet fornicatore. Adultera verò lapidanda erit, quæ ſpreto honorabili connubio quod cum rege regum Chriſto domino contraxerat in baptiſmo, ſpetoque regis cœleſtis dotalitio, omnium corruptionum, atque lenonum, viliſſimum, æternaque damnatione à cœleſti regno, & foro bannitum Diabolum, patibuloque infernali abſque ulla ſpe redemptionis adjudicatum, abjectâ veſte pretioſiſſimâ, ac ſpecioſſimâ, omnium virtutum decore, ac varietate contextâ, nuda, & ignominiâ plena peccando ſequi, nec erubuit, nec verita eſt. Meritò ergo lapidanda eſt duriſſimis objurgationibus ſacrorum eloquiorum, quæ ſunt lapides limpidiſſimi de torrente, quibus quondàm percuſſus eſt Golias à David, ſicut legitur 1. Reg. 17. Pœna ſiquidem adulterarum lapidatio erat in lege, ſicut legitur Levit. 20. & Joan. 8. Lapidatio autem hìc duobus modis facienda eſt vel ut audiat pœnitens frequenter mordaciſſimos Doctores, & prædicatores, qui ſcilicet duriùs peccata reprehendendo percutiunt, vel ſi ipſe pœnitens ſacris literis fuerit eruditus, hoc ipſe faciat, ſemetipſum duriter, ac ſæpiùs objurgando donec omninò confracta, comminuta, atque contrita ſit adultera anima ejus. Quia verò etiam fuſtigatio pœna literalis id eſt, flagellatio privata injungenda eſt ei, ut adulter peccati ſui recolat ad confuſionem adducentem gratiam, & gloriam; ſicut legitur Eccleſ. 4. & ipſum adulterum pœna conſueta vindicet. Juxta hos modos proſequendum eſt de aliis, ut ſpiritalis pirata immergatur in mari lachrymarum, & alieni honoris raptor, hoc eſt ambitioſus, & inanis gloriator, propriis irriſionibus, atque contumeliis, aut alienis afficiatur, non declinans alienas irriſiones, vel probra, niſi propter Dei honorem, & eccleſiæ ſcandalum, irriſores etiam, & ſubſannatores ſuos habeat, ut juſtificationis ſuæ miniſtros, & executores, & tantò ampliùs eos diligat, quantò ipſi magis gratis, hoc eſt, ſine ſumptu curiæ ſuæ juſtitiam exequantur; alii enim prætores non abſque ſumptu, & mercede tortores habent, atque carnifices, pœnitens verò tales habet, quales diximus: quoniam non ſolùm ultrò, ſed etiam improbè ſe ingerunt, ut curiæ ipſius pœnitentis juſtitiam, ſive juſtitiationem abſque diminutione, & fictione dulciter exerceant. Sepeliri verò virium intelligimus includi pœnitentem in recluſorio, & intrudi in monaſterio vel à publicis conſpectibus, atque ſpectaculis, quolibet modo ſecludi, vel occultare præteritæ vitæ turpitudi-

Nota.

Nota.

Nota.

A nem, novæ ac ſanctæ converſationis decore. Solemus autem vivos ſepultos propriè intelligere eos, in quibus adhuc vivit quidem peccandi voluntas, ſed timore, ac pudore non manifeſtatur operibus, immò clauſa tenetur, non audens exire in lucem manifeſtationis. Similiter & regularis profeſſionis, omnes in quibus vetus homò vivit voluntate peccandi, carnalibus cogitationibus, ac deſideriis nondùm extinctis, ſub habitu, velut ſudario, & ſub aggere clauſtralium obſervantiarum, velut tumulo vivunt ſepulti, & vivunt inquinati. Hæc autem pœna videlicet ſepultura viventis magnorum ſcelerum pœna eſt apud judices ſeculares: verùm, provt hìc intendimus, niſi de tumulis iſtis prorumpentes exeant in teſtimonium infernalis, ac diabolicæ reſurrectionis, facilè in ipſis tumulis extinguuntur: propter quod periculoſiſſimum eſt B pœnitentibus & horrendum ſpiritualibus oculis, ſepultos hujus exire de tumulis: & vulgò mortui equitantes, & armis dimicantes, & in haſtis ludentes, & familia exercitus herlekhini dicuntur apud gallicos, apud hiſpanos verò exercitus antiquus: de his verò & de hujuſmodi in tractatu, quem de Angelis, & dæmonibus, cæteriſque ſpiritualibus, ac nobilibus ſubſtantiis, Deo favente, & Deo comite, ſcribere proponimus, provt nobis cœliùs donabitur, dicemus. Tertium officium confeſſoris, officium eſt pacifici inter Deum, & pœnitentem mediatoris. Ex hoc autem officio incumbit ipſi primùm noſſe modos, & vias, quibus pax reformari ſolet etiam apud homines inter ſe diſcordes, qui ſunt ſeptem in univerſo. Primùm eſt judicio, ſicut legitur Proverb. 16. Judicium determinat cauſas. Si quidem ſi pœnitens pareat in foro pœnitentiali, & judicio illius ſtet ſecundùm omnes partes illius judicij, quas in præcedentibus C nominavimus, & numeravimus, pacem habebit cum Deo; nihil enim ultrà id, quod jure Deo adjudicandum eſt, à pœnitente requirere poteſt. In quibus omnibus primum eſt, ut Deo poſſeſſionem fundi, quo ipſum pœnitens iniquiſſimè ſpoliavit, reſtituat: fundus autem iſte ipſemet pœnitens eſt. Secundò, ut de fructibus in medio, hoc eſt, toto peccati tempore, amiſſis, ante ingreſſum litis, Deo per cautionem ſive ſatisfactionem, cùm aliàs non poſſit, ſatisfiat. Hæc autem cautio intelligenda eſt firmitas boni propoſiti, non votum, non juramentum, nec etiam promiſſio ſimplex; nullum enim horum trium exigendum eſt à pœnitente, ne fiant laqueus majoris ruinæ. De his autem in alio tractatu de pœnitentiâ, nos latiùs dixi- D mus. Pœnas verò ſpirituales, & nonnullas corporales, quas Dei injuriator, atque malefactor pœnitentiali judicio ſuſtinere debet, pro parte numeravimus. Genera verò patibulorum, ſive tormentorum, in tractatu quem de paſſione dominicâ ſcripſimus, diligenter, & nominata, & elucidata ſunt. Secundus modus reformationis pacis, dicitur vulgariter legitima inquiſitio, per quam de jure utriuſque partis litigantium conſiſtit, ubi utramque partem eo contentam eſſe oportet, quòd per inquiſitionem ad eam pertinere inventum fuerit: ſic inter Deum, & pœnitentem, inquiſitione de utriuſque jure per fidelem, ac veridicam atteſtationem ipſius pœnitentis diligentiſſimè factâ, nihil ampliùs ſibi vendicet pœnitens, quàm quod eidem inquiſitio donaverit, hoc eſt ſolam confuſionem in facie, ſolamque culpam, atque pœnam culpæ debitam, & generaliter omnia bona Deo tribuat, ſibi mala: ſicut legitur Daniel. 9. Nobis confuſio faciei, tibi autem domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio. Nihil enim ampliùs ad ſe

Nota.

Nota.

Nota.

pertinere miſer peccator inveniet, per arctiſſimam, E examinantiſſimamque inquiſitionem, quàm culpam, & pœnam meritam, quibus ſi contentus eſſe voluerit, & in omnibus Dei bonis nihil ſe prorsùs *Nota.* juris habere recognoſcẽs, ea Deo dimiſerit, nullum de cætero, niſi de mandato ejus, aut beneplacito uſurpaturus, pacem habet cum Deo, vel jure ſuo contentus, & jus divinum, quantùm eſt de propoſito ejus, & voluntate, non invaſurus. Tertius modus reformandæ pacis dicitur per conſenſum, ſive corde ad cor: fit autẽ pax per hanc viam inter pœnitentem, & Deum, cùm pœnitens ad conſentiendum divinę voluntati inducitur, videlicet ut facere velit, ſive conſentiat pro recuperanda Dei pace, & amore, quod cum facere ſciverit divinæ beneplacitum voluntatis. Confeſſoris autem eſt noſſe in parte F voluntatem divinam, hoc eſt, quam ſatisfactionem ab unoquoque pœnitente pro peccatis Deus gratam habeat, & acceptam. Quartus modus eſt arbitrio complacito per quem pax inter pœnitentem, & Deum reformatur, quotiens pœnitens arbitrio, hoc eſt, beneplacito confeſſoris omninò ſe ſubdit, com- *Nota.* mittit, & tradit: prudentis enim ac fidelis confeſſoris voluntati & beneplacito cauſas, quas adversùs habet, Deus ſimiliter commiſit, & ut ita dicamus, in ejus beneplacitum irritabiliter, ac irrevocabiliter compromiſit, ſigillique proprij appenſione, hoc eſt filij proprij ſuſpenſione, qui eſt figura, & character ſubſtantiæ ſuæ ex primo ad Hebræos, ac literis evangelicis compromiſſionem formavit, Math. 16. Quodcumque ligaveris, quodcunque ſolveris. Quintus modus eſt tradere, ſive reddere miſerationem ejus, contra quem peccatum eſt, ſeu de- G lictum. Sic pœnitens Deo pacificatur, cùm beneplacito *Nota.* divinæ miſerationis omninò ſe tradit. Sextus modus dono, vel pretio, interdùm enim projicit quis pecuniam, ut redimat ſibi pacem, quoniàm pax fit inter Deum, & pœnitentem, & cùm ipſe pœnitens de conſilio confeſſoris, aliquid eorum, quæ voti ſunt, domino Deo offert, dat ſicut eſt ingreſſus religionis, aſſumptio hieroſolimitanæ peregrinationis, & hujuſmodi alia, quæ dona ideò vocamus, quia gratuitò, & non ex debito offeruntur. Quæ verò mandatorum ſunt, ſive in præcepto non dona, ſed debita non donata, ſed reddita ſunt dicenda. Septimus modus eſt victoria, quæ interdùm bellis finem pacis imponit, & inimicos in ſubditos & ſervos convertit. Sic interdùm vincit Deus pœnitentes, aut beneficijs, aut flagellis, aut ſimul utriſque, ita ut rebellare adversùs eum de cætero non velint, quin potiùs Deo ſerviant ſubjugati. Ad pa- H cem verò pœnitentes inducere urgentiſſimum, ac *Nota.* efficaciſſimum eſt eiſdem oſtendere quantâ inſtantiâ per legatos ſuos, doctores ſcilicet, & prædicatores rogare non ceſſat ea, quæ pacis ſunt, ac ſi rebellione noſtrâ vinci formidaret, ac ſi de nobis vindicare non poſſet, nec rogare ſolùm contentus eſt, ſed etiam redimere, & emere toto pretio divitiarum cœleſtium, & regni ſui. In tantam autem inſolentiam, immò dementiam nonnulli peccatorum abalienati ſunt, ut nec verbum de pace iſtâ, hoc eſt ſacras exhortationes audire dignentur. Et attende quòd omnes iſti modi pacificationum re unum ſunt, faciebus, atque reſpectibus diverſi. Quartum officium confeſſoris eſt officium medici, ſive medicantis, ex quo etiam convenit ei noſſe diſtinctionem, & diverſitatem pulſuum, id eſt motuum cordis, qui *Nota.* ſunt deſideria; ejus enim eſt noſſe, ſi deſiderium revertendi ad Deum in pœnitente forte eſt, ac validum, ſi vitalis calor, hoc eſt, vivificatio, & dilectio, quę Deus eſt, fortis eſt in eo, aut debilis, ſi ſudor lachrimarum multus, an paucus, ſi univerſalis, hoc eſt, omnia membra lavans, omnibuſque ſuperfluens, ac ſuperinundans ut pro omnium membrorum malè adminiſtratis officijs fluat, quod eſt, cùm ipſe pœnitens luget ſigillatim peccata, quæ oculis perpetravit, & quæ auribus, & ita de aliis membris. Ampliùs. Si ipſe ſudor fortis fuerit, ut cauſam, & radicem morbi ſpiritualis expulerit, ita ut nullum ejus veſtigium in corde pœnitentis remanſerit. Poſtmodùm incumbit ei ſcire de ipſa ſatisfactione, quæ diæta debet eſſe, & medicina pariter pœnitentis, de *Nota.* quo aliquid ſupra diximus. Quintum officium confeſſoris eſt officium obſtetricis, de quo Job 16. Obſtricante manu Dei eductus eſt coluber tortuoſus. Hebreæ ſi quidem mulieres obſtetricandi habent ſcientiam: ſicut legitur. Exo. 10. Hæ mulieres intelliguntur confeſſores propter familiaritatem, per quam ſecretiſſima abſconditiſſimorum peccatorum eiſdem creduntur, ac revelantur, ſicut obſtetricibus parientes mulieres ea, quæ maximò erubeſcunt, maximéque abſcondita eſſe volunt, detegunt, & committunt. Secundò propter ſuavitatem contrectandi, & educendi partum tenellum. Tertiò propter muliebris benignitatis, & compaſſionis dulcedinem. Hîc ergo totâ vigilantiâ ſtudendum eſt confeſſoribus, ut cautiſſima ſit eorum ſuavitas, ſuaviſſimaque cautela in educendis horrendiſſimorum peccatorum monſtris in lucem confeſſionis, & pręcipuè ignominiæ paſſionibus, ideſt extraordinarijs peccatis carnis & generaliter omnibus illis, quæ maximè erubeſcentiâ, & confuſione ora pœnitentium obſtruunt, & per confeſſionem ea egredi non ſinunt. Sextum officium eſt amantiſſimi patris: ſic enim excipiendus eſt pœnitens à confeſſore, ut ab amantiſſimo pater filius recidivus, hoc eſt, toto gaudio, & aggratulatione, toto applauſu, atque feſtivitate: ſic enim illum recipit pater miſericordiarum, quemadmodùm legitur Lucæ 15. de filio prodigo revertente. Septimum officium eſt matris dilectæ, & munuſculis parvulo blandientis, & ad bona quælibet invitantis. De hoc Oſeæ. Lactabo eum, & adducam in ſolitudinem. Et iterùm Iſa. 63. Ad ubera portabimini, & ſuperblandietur vobis, quomodò ſicut mater blandiatur filio, ita ego conſolabor vos. Et hîc quidem de pœnitentiâ finem faciemus, prętermittentes multa perneceſſaria, atque ſalubria, quæ nos alibi dixiſſe meminimus, & in aliorum ſcriptis legiſſe. Multa autem hæc diximus ad elucidationem ipſius ſacramenti. Multa etiam, ut viam ſacrarum exhortationum prædicãtibus aperiremus, ubi probationes inducere ſuperſedimus, eo quòd narratio per ſeipſam illa ſufficienter declarat.

DE SACRAMENTO Matrimonii.

CAPUT I.

De Matrimonio diſputaturus ab ipſius Matrimonii definitione diſputationem orditur.

QUinto loco in ordine ſacramentorum ponemus matrimonium. Incipiemus *Matrimonium quid.* ergo auxiliante Deo, & dicemus quòd matrimonium eſt ſancta, ſanctificativa, & perfecta ſocietas maris, & fœminę in gene-

re humano, ſive vinculum, ſive neceſſitudo quæ eos A hujuſmodi ſocietatis facit invicem ſui in alterutrum debitores. Siquidem natura humana, velut arbor nobiliſſima, & Dei agricolantis plantatio precioſiſſima, velut ex duobus ramis eſt maſculus, ſcilicet, & fœmina, cujus judicium eſt vis generativa, quę ambobus iſtis ramis inſimul indita eſt; in neutro verò eorum completa, ſed partem ſui habens in altero, & partem in altero. Quemadmodùm & ſemen humanæ generationis ex neutro eorum totaliter eſt, immò partim ex altero, & partim ex altero; non enim ſolum ſemen maſculinum generationi humanæ ſufficit, aut ſolum fœmineum; ſicut nec ſolum coagulum, aut ſolum lac ad generationem caſei: ſic neque ſola maſculinitas, quæ eſt virtus abſcindendi de ſe, ſive à ſe, ſemen activum ad generationem, quod eſt ſicut coagulum, neque ſola fœminitas, quę eſt virtus abſcindendi de ſe, ſive à ſe, ſemen paſſivum ad generationem, quod eſt ſicut lac ad generationem caſei: non inquam altera iſtarum ſola virtus B coaguli, neque virtus lactis, per ſe virtus generativa eſt caſei. Quòd autem ſemen maſculi, & ſemen fœminę, ſicut coagulum ſit, & ſicut lac legitur in Job. 10. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Neque figura membrorum genitalium tantùm judicium eſt, ſeu teſtimonium maſculinitatis, aut fœminitatis, cùm in quodam genere animalium mas ſemen recipiat, aut membrum genitale fœmininum tantùm habeat, ideſt portam, & matricem; fœmina verò econtrariò maſculina membra habeat. Judicium hujuſmodi certiſſimum eſt ipſe fructus, ideſt proles, quę non poteſt eſſe niſi duorum, fructus autem, & arbor; quaſi correlativè ad invicem dicuntur, nec accidit unquàm, nec dicitur, ut fructus unus numero multarum arborum fuerit. quare manifeſtum eſt, maſculum, & fœminam arborem, ſeu ſemen eſſe in ſpecie humanâ ex duobus ramis, & vim generativam integram, atque completam in totâ arbore, & in utroque ramorum hujus partem ſui habere, ut diximus. Amplius. Natura non adjuvat maſculum, & fœminam, unum & unam, in opere generationis; impoſſibile enim eſt, ut adjuvet unum, & duas, aut duos, & unam. Quare manifeſtum eſt totalitatem & integritatem hujus arboris in duobus jam dictis ramis conſiſtere, cùm nec opus generationis perfici, niſi à duobus dictis ſimul adunatis, nec fructus eſſe poſſit, niſi ex duobus naturaliter; nullus enim naturaliter vel eſt, vel eſſe poteſt, niſi duorum. Et propter hoc quicunque naturaliter hac operatione naturali ſola naſcuntur in ſpecie hominum, filij hominum in ſcriptura crebrò nominantur.

Natura humana velut arbor pretioſiſſima.

Semen viri coaguli vicem habet in generatione.

Fœmina ſemen lactis vice,

Filij hominum.

CAPUT II.

Invehitur in ſodomitas, & prolis fructum enecantes: vide autem quantâ vehementiâ id faciat.

His autem ita poſitis dicimus, quòd neceſſe eſt adunationem maris, & fœminæ ſocialem eſſe, & ſanctam hoc eſt vinculo ſocietatis, quod ſupra nominavimus aſtrictam, & ſervandus eſt pretioſiſſimus fructus ſuus arbori tam nobili, & ſervanda ipſa fructificatio. Perit autem fructificatio per ſodomiam, & publicam, ac proſtitutam fornicationem, Perit fructificatio, id eſt, opus generationis, ſive ſanctificationis, quia inutiliter agitur, quantùm ad fructum. Præter vinculum autem ſanctę ſocietatis maris & fœminæ, etſi fructus interdùm ex opere generationis exoritur, aut ex parte, aut ex toto perit, cùm non ſit, qui cuſtodiat, nutriat educet, erudiat & alia neceſſaria, ac ſalubria proli provideat, & innumera, & intolerabilia naturæ pariter & gratiæ patitur detrimēta; quis enim enixę in tanta miſeriâ cōſtitu'ę provideat, & in tanta indigentia poſitæ, cùm ignoretur de quo prolem ſuſceperit; quis autem imprægnando eam, occaſiones tantæ miſeriæ, & indigentiæ dederit, cùm paſſim, & indifferenter fuerit omnibus libidinantibus proſtituta. Apparet ergo immanitas atque pernicies odibiliſſimarum, & execrabiliſſimarum beſtiarum, ſodomiticæ ſcilicet, & proſtitutæ, ac meretriciæ fornicationis; ſiquidem beſtiæ, quaſi vaſtiæ dictæ ſunt à vaſtando, ſecundùm Iſidorum. Hæ autem infandiſſimæ belluæ, non ſola mobilia, ac patrimonia vaſtant eorum qui ſpurciſſimam turpitudinem earum profeſſi ſunt, ſed etiam corpora, velut infernales, ac diabolicæ ſanguiſugæ, & immundiſſimarum differentiarum, & abominabilium fluxus diſſipant, & conſummant. Et hæ quidem vaſtationes, [illegible] nullæ ſunt comparatione, duarum, quas faciunt; velut enim peſtes ſæviſſimæ ipſa ſemina humanę generationis non expectantes, exortum, ſive partum præfocant, & præextinguunt; nobiliſſimam ergo univerſæ naturæ arborem, ſeu plantam, ſcilicet humanam naturam fructu ſuo precioſiſſimo innumeræ prolis orbant. Quapropter & cœlum ipſum conſurgere contra peſtes iſtas, cui innumeros cives præripiunt, & terra armari, cujus plenitudinem, & habitationis decorem, tantâ ſui parte præcidunt, ac mutilant, ipſaque natura humana toto furore excandeſcere debet, cui fructum, & munera prolis in ipſo ſemine generis abſorbent, & devorant; ſi enim inimicas humanæ naturæ beſtias, lupos, atque ſerpentes, quarum ſævitia, tam paucos homines devorat, & conſumit, reliqui hominum tantâ irâ, & odio meritò impugnant, & perſequuntur: quantò fortiùs contra beſtias iſtas infernales C gladio, & igne, totiſque ſtudijs, ac viribus pugnandum eſt uſque ad ipſum exterminium? Si eruca, & & erugo cæteræque hujuſmodi peſtes, quæ non niſi detrimentum olerum, aut aliarum modicarum & vilium herbarum faciunt, tantopere evitantur: quid contra iſtas faciendum eſt humanæ naturæ? Si propter ſemina cuſtodienda in agris armantur agricolæ fundis, & lapidibus, arcubus, ſagittis, ut corvos, & cornices à devoratione ipſorum arceant, & diffugent, quantò fortiùs à belluis iſtis immaniſſimis, ac crudeliſſimis, humano ſemini, ac generi providendum eſt? Et ſi ergo non aliâ de cauſâ contra beſtias iſtas ſæviſſimas, ac peſtes infandiſſimas, quàm amore ipſius naturæ, quam nequiter inquinant, & atrociter impugnant, omni gladio, & igne pugnandum eſt, multò fortiùs amore gratiæ: dùm enim naturam, aut extinguunt penitùs, aut exe- D crabiliter inquinant, nec gratiæ, nec gloriæ in parte illa quicquam relinquunt. Meritò autem clamor ſodomorum multiplicatus ad Deum aſcendiſſe dicitur Gen. 18. Clamor inquam naturæ vim, ſeu violentiam in tam nefariâ ſui abuſione patientis, & contumeliam in tantæ abominationis inquinatione, detrimentum, & jacturam, in tantâ ſui fructus damnificatione: propter has injurias, quas à ſodomiris natura patiebatur, quaſi clamore multiplicato, clamavit ad Deum. Et eſt advertendum quòd iſtius ſpurciſſimæ libidinis væſania uſque ad polluendos angelos auſum ſuæ præſumptionis erexit, eo quòd aliquos angelicæ pulchritudinis, & puritatis priùs nefariæ iſtius libidinis rabies fœdat, & & quòd etiam angelicis officiis, ideſt, divinis laudibus, & ſacrificijs, cæteriſque ſacris miſterijs conſecratos, tam clericos, & ſeculares, quàm ſacerdotes inquinare non veretur. Et cùm hujuſmodi ſpurcitiæ clamor ſolus à quorundam aſcendere potuerit noſtrorum temporum fæcibus, ne dicam finibus, in

Beſtia quaſi vaſtia.

Nota.

Acriter invehitur

Nota.

In impuros ſacerdotes.

Digitized by Google

ipſos cœlos cœlorum, ideſt, cætus clauſtralium nefandâ execratione debacchatur: cujus ignominioſiſſimæ, ac perſordidæ paſſionis turpitudo, tãquàm execrabilis, quòd ea homines ſe polluerunt, quaſi hoc non ſciverit Deus: multiplicatus inde clamor, ſicut diximus ad eum aſcendit, ſed tanquàm aſpectu hoc probare volens deſcendit. In quo facto, quàm ſit ei odibilis nefanda iſta flagitioſitas, duabus rebus oſtẽdit. Primùm in hoc, quòd ipſemet ad judicandum, damnandum & ulciſcendum ſcelus iſtud tam deteſtabile, per ſemetipſum, licet in angelis, deſcendit. Secundò quia ipſa quatuor elementa contra peſtem iſtam commovit, & excandeſcere fecit, & ignis adurens cum ſulphure, & aer concutiens, & ſubvertens, tanquàm tempeſtas, & terra abſorbens atque degluriens. & aqua ſubmergens, contra tam execrandum nefas divino nutu, & imperio, velut denſatâ acie pugnaverunt. Quoniàm autem ignominia ſodomitica, & proſtitutæ, ac publicæ libidinis fornicatio, ipſam naturę humanę fœcunditatem ac ſterilitatem redigunt, hujuſque divinæ plantationis nobiliſſimum fructum in ipſis ſeminibus ſuffocant, & præextinguunt: & hoc tam evidenter, tamque indubitanter ſuper vacuum eſſe judicamus contra iſtas immaniſſimas belluas diſceptare rationibus; ſed hoc ſolùm prædicandum eſt, publicéque clamandum, ut tanta ſeveritate divinæ juſtitiæ, ſemel damnatæ beſtiæ, ferro & igne exterminentur; deſtructio enim, & vaſtitas, quam faciunt, ſufficere debet ad deſtructionem, & exterminium ipſarum.

Elementorum ira in ſodomitas.

Nota.

CAPUT III.

Oſtendit concubitus omnes, præter conjugalem eſſe illicitos, & damnatos: & primò contra concubinatum.

NUnc autem deſcendamus ad deſtruendum quoſcunque concubitus, præter matrimoniales, & oſtendamus quòd concubinatus omnis illicitus eſt. Incipientes ergo ab altiori dicimus, quòd voluptas luxuriæ non debet cauſa eſſe cujuſquam operis; ſicut neque cupiditas, aut ſuperbia, aut aliqua alia hujuſmodi peſtium; omne enim opus quod dat ad vitium, ſeu peccatum, vitium eſt, & peccatum; & ſi enim arbor creatura Dei eſt, & bona ſit, tamen malè amans illam, & malè plantans, & malè agricolans, eandem, malè agit, & culpabiliter. Sive enim plantetur ad luxuriam, ſive ad avaritiam, ſive ad ſuperbiam exercendam, certum eſt, quòd malè plantatur, licet bona ipſa ſit, & bonum. Idem eſt de ſeminatione triticea, & cujuſlibet alterius grani, quantumcumque donum ſalubre, utile, ac neceſſarium ſit, tamen ſi ſeminetur propter malum indè faciendum, ipſe qui ſeminat peccat; & non ſolùm in ſeminibus corporalibus ita ſe habet, ſed etiam in ſpiritualibus: qui enim ſeminat quantumcunque ſalubrem, ac neceſſariam doctrinam ex mala intentione, quemadmodùm hæretici, qui interdùm, vera, ac ſalubria ſeminant, ut falſa doloſè admiſceant, & ut eiſdem in falſis credatur, manifeſtum eſt, eos peccare, & malè agere, & ſeminationem eorum, licet ſit verorum, ac ſalubrium, malam eſſe, eo quòd ſeductoria & fallax. Manifeſtum ergo eſt, bonitatem fructus, aut etiam ſeminis, quantacunque ſi· aut etiam qualiſcunque ſit, hoc eſt, corporalis, ſive ſpiritualis, non prohibere, ſeminationem. aut plantationem, eſſe malam; ſeminatio enim, & plantatio, cæteræque operationes ex cauſis ſuis, aliiſque circunſtantiis bonæ, aut malæ ſunt, nec ſufficit bonitas ejus, quòd ex quacunque operatione provenit, bonam efficere operationem, alioquin proditio Judæ, & accuſatio Judæorum

Similitudo.

Nota.

E contra Chriſtum dominum, non ſolùm bonæ, ſed etiam optimæ, ex neceſſitate fuiſſent, cùm ex eis mundi ſalus, & redemptio quodammodò provenerunt. Quia ergo commixtioni maris, & fœminæ in natura humana re ipſa ſubjecto ſit ſeminatio prolis; quæ utique proles magnum naturæ eſt & magnum Dei opus, atque mirabile, neceſſe eſt ſi ex malâ cauſâ, vel intentione facta fuerit, quòd nec prohibebit hæc bonitas prolis, neque obſtabit, quin mala ſit mala: eſt autẽ õnis operatio privata debito fine. Quia ergo commixtionis, ſeu ſeminationis finis debitus, & proximus eſt fructus prolis, manifeſtum eſt, ſi iſto fine privata fuerit, ipſam eſſe malam. Ampliùs. Si propter voluptatem tantùm ſit commixtio maris, & fœminæ, cùm debeat eſſe finis fructus prolis, manifeſtum eſt, ipſam commixtionem eſſe abuſivam; abuſio enim eſt detorſio à debito fine in alium, & hæc abuſio contra naturam eſt, ut ei inimica ſodomia. Ampliùs. Qui jactat ſemen

Operatio debito fine privata mala eſt.

F tritici, vel alterius grani in agro, non intentione, ut fructus inde ſubcreſcat, ſed aliqua alia quacunque ex cauſâ, quantùm in eo eſt, non ſolùm non ſeminat, ſed ſemen diſpergit, atque diſperdit, & agro pariter, & ſemine abutens, cùm alios uſus ſparſionis ſeminis in agro, inquantùm ager eſt. non poſſit eſſe, quàm ſeminatio. Ampliùs Manifeſtum eſt vim generativam, tam in mari, quàm in fœmina ad opus generationis, & fructum eſſe, qui proles eſt, & non ad voluptatem, licet voluptas hujus operis incidat vel accidat. Quapropter uti inſtrumentis genitalibus, ſeu genitivis, ad voluptatem tantùm, eſt abuti eiſdem, & propter hoc peccare; peccatum enim eſt declinatio à rectitudine; quare declinare à rectitudine uſus debiti, ſive à recto uſu, peccare eſt. Ampliùs. Cùm pedes creati ſunt ad greſſum, ſi quis uti velit ad aliud, quod greſſum prohibeat, & commoditatem ullam auferat, manifeſtum eſt eum pec-

Eleganter dicit.

G care abuſione. Hoc autem dicimus, quia pedibus ad calcandas uvas, ut vinum inde exprimatur & alias multas commoditates uti poſſumus. Voluptas autem carnalis non ſolùm nullam commoditatem affert, ſed etiam commoditates ſpirituales aufert, & prohibet, & ipſa pernitioſa eſt; eſt enim in ſeipſa velut vinum inebrians mentem humanam, & velut declinatio, rigorem ejus, & virtutem ejus emolliens, & enervans, & omninò virilitatem ejus effœminans, & eſt velut caligo oculos mentis obtenebrans, & velut aqua profunda mentem immergens, & velut laqueus, & vinculum ipſam captivans, & velut toxicum ipſum. Et quoniàm contraria eſt ſpiritualibus, & ſublimibus gaudiis, & ab illis animam humanam omninò avertit, palatum cordis adeò inficiens, ut nullum bonum ſublime, ac nobile eidem ſapere permittat ſicut & econtrariò eſt, ut quibus

Voluptas carnalis.

H ſpiritualia, & æterna ſapiunt, quique palatum cordis ſpiritualium delitiarum habent ſenſitivum, eis neceſſariò deſipiant; & abominabiles ſunt delitiæ corporales, propter quod qui eas guſtaverint, ab his, ideſt à corporalibus, tanquàm à ſpurcitiis, & abominationibus fugientes, longè ſe faciunt. Undè Auguſt. Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro. Et unus ex ſanctis patribus in vitis patrum. Abominatio eſt Deo omnis voluptas carnalis. Quare manifeſtum eſt, voluptatem carnis, tanquàm peſtem bonorum ſpiritualium vaſtatricem, exterminandam eſſe, quatenùs natura patitur, & fugiendam, & eam maximè, quæ in opere generationis carnalis, quemadmodùm dicit Auguſtinus in libro ſoliloquiorum: Nihil adeò animos viriles effœminat, nihil adeò animum ex arce virtutis dejicit, ut muliebria blandimenta, opus quidem illud, ſine quo uxor haberi non poteſt illa enim maximè eſt & captivans & ine-

Guſtato ſpiritu omnis caro deſipit.

Digitized by Google

brians, & effœminans, atque immergens, & obtenebrans mentem humanam, magiſque abſorbens. Quòd ſi ipſa non tam fugienda eſt, quàm etiã exterminanda, quatenùs humanæ corruptionis infirmitas patitur, & naturæ fœcunditas permittit: manifeſtum eſt propter ipſam obtinendam, nihil eſſe omninò faciendum. Temperanda ergo, & frenanda eſt ibi, ubi effugi, aut exterminari penitùs non poteſt. Et quia multiplicatio concubinarum, & etiam uxorum effrenatio ejus eſt & exceſſus, ejuſque major inflammatio: manifeſtum eſt nec concubinas, neque uxores eſſe multiplicandas: cùm enim moribus, & ſublimibus bonis, hoc eſt, ſpiritualibus, & æternis totaliter intendere debeat mens humana, utpotè ad illa obtinenda creata, & condita, & amore illorum, ac deſideriis ardere illam deceat, immò quatenùs poteſt oporteat: contrarii amoris, contrariorumque deſideriorum flammas neceſſe habet aut extinguere, ſi prevalet, aut aliter pro poſſe reprimere. Quare neceſſe eſt vim hujuſmodi flammarum aut omninò, ſi poteſt, à ſe avertere, aut ſaltem minuere, hoc eſt quatenùs poteſt: poteſt autem uſque ad unam, una enim ſufficit indubitanter, non dico effrenatæ luxuriæ, ſed repreſſæ concupiſcentiæ, & ad humanæ verecundiæ modeſtiam temperatæ. Ex quo etiam manifeſtum eſt quàm ſalubre, quàmque utile ſit bonum virginitatis, & continentiæ dùm quicquid diſtrahitur à concupiſcentiis carnalibus, ſpiritualibus deſideriis additur, & diminutio corporalium deſideriorum, ac delectationum, augmentatio ſit ſpiritualium. Quapropter *Bonum verbum.* conſumptio, & exterminatio iſtorum plenitudo erit, & conſumptio illorum, ipſa enim experientiâ certiſſimum eſt quòd quibus iſta minuuntur, augentur illa, & econverſò. Quod verè intelligebat, qui dixit: Renuit conſolari anima mea; volens uti fœlici commercio, amiſſione, ſcilicet, conſolationis delectationum temporalium, ſeu corporalium conſolationum, delitiarum ſpiritualium, & æternarum ſaluberrimo conſilio commutare. Ampliùs. Quoniàm inter unius maris, & fœminæ commixtionem *Proles eſt fructus virtutis generativæ.* opus generationis perficitur, & fructus prolis conſequitur, qui finis eſt, & fructus virtutis generativæ, propter quem ſolum, & creata eſt, & mari & fœminæ indicta, ſicut jam in præcedentibus diximus: neceſſe eſt ut ad invicem pactione conjugali ſe obligent, ſanctæque ſocietatis vinculo ſe obſtringant, ita ut non ſit alteri liberum arbitrium alterum relinquere, ut quemadmodùm aſſociat eos natura ad opus generationis, ſic & eos aſſociet conjugale vinculum ad vitæ communionem, ad prolis educationem, eruditionem, totamque conſequentem ejuſdem proviſionem; hoc enim natura in omni genere ad jus, & tanquàm legem, ac ſtatutum Dei omnipotentis oſtendit. Si enim obligati viri conjugalium pactionum vinculis uxores tam leviter, tantoque periculo tam ipſarum, quàm prolis, ſæpe dimittunt, ac derelinquunt, quid fieret, ubi tãta eſt ineruditio ſenſuum humanorum, tantaque lubricitas, & inconſtantia, atque perverſitas humanæ voluntatis? Si enim mala quæ proveniunt ex hujuſmodi diſſidiis & diſſeſſionibus quibus mares à fœminis abhorrent vinculo matrimoniali, cùm alter alterum pro ſtultitiâ ſuæ voluntatis dimittit, nec numerum habent, nec æſtimationem etiam, cùm magna multitudo virorum, & mulierum vinculis matrimonialibus aſtricti ſibi invicem adhæreant abſque ſeparatione, quanta eſſet abyſſus, & immenſitas hujuſmodi malorum, ſi nullum & nullam matrimonialium vinculorum obligatio retineret. Quia ergo per leges atque ſtatuta contra mala voluntaria humano generi conſulitur, neceſſariò

A per legem atque ſtatutum occurrendum fuit. Quare *Lex ſtatuenda.* lex ſtatuenda fuit de neceſſitate, de matrimoniis contrahendis, atque ſervandis, de fornicationibus & ſodomiis exterminandis; & ſicut coercendi fuerunt homines per legem poſitam à ſpurcitiis ſodomorum, & fornicationum, ita & compellendi fuerunt matrimonialis ſocietatis, & fœderis inire conſortia, vel quod eſt perfectio, immò angelicę puritatis, ſervare ſcilicet corporis caſtitatem. Ampliùs. Aut frenanda eſt iſta beſtia, beſtia ſcilicet concupiſcentię carnalis, *Beſtia concupiſcentia.* tantæ indomabilitatis, tamque infrenatæ impetuoſitatis, aut non. Quòd ſi in nullo frenanda, vel reſtringenda eſt, quid reſtat, niſi ut abeat natura humana in omnia flagitia, non ſolùm ſodomitica, ſed in alias etiam nefandas abominationes, ac deteſtabiles ſpurcitias, ita ut nec etiam à communione brutorum animalium contineat? Si verò reſtringendam eam dixerit, ſed uſu mulierum
B limitandam, quemadmodùm perfidus Machometus in lege ſua dixit, ut caſti eſſent omnes, præterquàm in mulieres, qui etiam voluit, ut unuſquiſque virorum quatuor haberet uxores legitimas, emptitias verò, & captivas, quot vellet, & exhibere poſſet. Et hic quidem error multas habet deſtructiones. Primùm quia virorum, & mulierum ſimilis eſt in parte iſta conditio, niſi quòd concupiſcentia muliebris vehementior eſt: & propter hoc magis fuit ei conſulendum de multitudine virorum quàm viris de multitudine uxorum; quare ſtatuendum fuit juxta perfidiam ipſius, ut unaquæque mulier juxta vehementiam libidinis ſuæ, & poſſibilitatem divitiarum ſuarum, ſeu facultatum haberet multitudinem virorum: quod neque natura patitur, ſicut oſtendimus neque unquàm aliqua ex mu-
C lieribus hoc attentare pręſumpſit. Secundò ipſa natura contradicit, cùm naturaliter non ſit tantò major multitudo fœminarum, quàm virorum, ut unuſquiſque virorum poſſet habere multitudinem mulierum. Natura ergo ipſa manifeſtè contradicit *Natura lex contraria vago concubitui.* huic errori, quę mares, & fœminas in ſpecie humanâ numero pęne pariſicet abſque exceſſu ſenſibili, ſeu perceptibili, ubi nec proculdubiò exceſſum à parte maſculorum numeri eſſe veriſimile eſt ſpeciei humanæ, quę providentia divina regitur, & adminiſtratur; & ſicut adjuvat maſculum, & fœminam ad opus generationis, ita etiam procreat unum, & unam, non unum, & multas, neque unam & multos. Cùm enim ipſa natura, vel ſpecies humana velut ager divina virtute fœcundatus, & largitate redundans mares, & fœmi-
D nas, velut arbores, ut diximus, inditâ virtute generativâ, fructiferas in ſe producat; nec ſint fructiferę arbores iſtę, nec conſiſtere poſſint, niſi ex vivis ramis, maris, ſcilicet & fœminæ, ſicut nullus ex ramis iſtis abſque paratione ſibi congruenti virtutis generativę naturaliter naſcitur, ita nullus ſine congruo adjutorio, & conſortio ſui corporis naturaliter naſcitur. Quare veriſimile eſt ad perfectionem naturę neceſſarium, divinæque providentię illam *Nota.* regentis, & adminiſtrantis convenientiſſimum, ut naturaliter numero pares naſcantur mares, & fœminę in univerſitate generis humani. Ampliùs. Ipſa natura contrarietatis hoc ipſum requirit: contraria verò veri nominis in omnibus ęqualia ſunt naturaliter: mas autem & fœmina, maſculinitaſque, & fœminitas veri nominis contraria ſunt; quare & virtutes numero natura habet ęquales, ſicut legitur Geneſ. 3. Maſculum, & fœminam creavit eos: Non eſt dictum maſculum, & non fœminam, *Vis generativa, activa, & paſſiva.* nec eſt audiendus Ariſtot. qui dicit in libro ſuo de naturis animalium, quòd fœmina eſt mas imperfectus; eodem enim modo neceſſe habet dicere,

Digitized by Google

quòd mas eſt fœmina perfecta, quę ſententia ſapit hæreſim ſodomicam. Nos autem dicimus quòd maſculinitas vis generativa eſt activa, ut ſupra diximus, & fœmininitas vis generativa paſſiva, & utraque eſt bona, & laudanda diſpoſitio, atque perfectio in ſuo ſubjecto, & fœmininitas eſt adjutrix, ſive adjutorium maſculinitatis. Quare ergo ex mare & fœminâ, quaſi ex duobus ramis conſiſtit arbor iſta pretioſiſſima, & vis generativa, ſeu fructificativa hujus arboris erit, & conſiſtet ex duabus viribus dictis. Natura autem nihil gignit naturaliter incompletum, neque activum ſine paſſivo, neque adjutorium ſine adjuvabili, neque id, quod natum eſt eſſe conſors, vel habere conſortem ſine conſorte, neque unquàm ramum ſola natura producit. ſed arbores integras. Manifeſtum ergo eſt unicuique mari fœminam naturaliter ipſam naturam producere. Quòd autem pereunt, vel peſte, vel gladio interdùm mares, interdùm fœminę prętet intentionem naturę, & actionis eſt quantùm ad ipſam. Quòd autem perit de univerſitate individuorum humanę ſpeciei naturali defectu, per virtutem generativam eidem reparatur inſtanter uſque ad terminum à creatore generationi, & corruptioni prę̨finitum, quem uſualiter vocamus finem vitæ præſentis, & ſęculi hujus. Tertiò verò contradicit naturalis ęquitas, atque juſtitia; potentes enim & divites ſecundùm perfidiam Machometi abſque injuriâ pauperum, & impotentum faciunt eos ſine uxoribus, aut ſaltem magnam partem eorum. Quapropter deſtruetur ager iſte divinę plantationis pro parte magnâ ramis innumerabilibus, ad ufruĉtum neceſſario privatis, & conſortio aliorum ramorum iniquiſſimè deſtitutis. Si quidem ſi liceat decem potentibus in una regione habere viginti millia fœminarum, neceſſariò multos viros ibi facient eſſe ſine uxoribus, cùm numerus mulierum aliis viris ſufficere non poſſit: hoc autem eſt contra naturalem æquitatem evidentiſſimè, ſcilicet ut cogantur arbores iſtæ contra naturalem fœcunditatem ſteriles eſſe per potentiam, & divitias ſuperiorum.

CAPUT IV.

Oſtendit leges conjugales neceſſe fuiſſe condendas.

REvertamur ergo, & dicamus quòd cùm per leges, & ſtatuta occurrendum ſit malis, quę diximus, per matrimonium autem occurritur illis malis maximè, per virginitatem enim & continentiam in paucis obviaretur malis eiſdem: neceſſariò condendę fuerunt leges & ſtatuta de contrahendis matrimoniis, & ſervandis, cum eorum ſequelis, ac acceſſoriis. Quia verò omnis poſitio, & lex concors eſſe debet, & conſona naturę, & non contraria: maximè ſecundùm naturam ipſam, neceſſe eſt leges & ſtatuta de matrimoniis concordare naturæ. Sicut ergo unum ad unam adunat, binoſque tantùm conjungit ad perficiendum opus generationis: ſic & lex binos & binas conjungere debet matrimonio, ſeu matrimonialiter. Ampliùs. Si extrema conſiſtunt in duobus, neceſſariò, & media. Quia ergo extrema conſiſtunt in duobus, ſcilicet vis generativa, & proles: proles enim non eſt niſi duorum filius, aut filia: & vis generativa duorum, & duarum eſt ut diximus. Ipſum opus etiam generationis, quod eſt unum mediorum in duobus conſiſtit, ſcilicet uno mare, & una fœmina; quare & reliquum medium ſcilicet matrimonium, quod eſt quaſi generandi officium. Ampliùs. Cùm vir, & fœmina conjunguntur matrimonialiter, aut dant ſibi invicem jus plenum

Lex conſona naturæ.

Nota.

E utendi corpore alterius, pro opere generationis: aut alter dat, alter non; aut in parte, ſive pro parte ſibi invicem hoc concedunt. Si totaliter, & integrè, manifeſtum eſt, quòd non poteſt eſſe matrimonium, niſi inter unum, & unam; impoſſibile enim eſt duos pleno jure aliquid poſſidere diviſim, ita videlicet, quòd uterque illud pleno jure poſſideat. Quemadmodùm impoſſibile eſt agrum aliquem, vel fundum duorum eſſe, ita quòd utriuſque ſit pleno jure, & de ſervo ſimiliter; ſi enim pleno jure eſſet vir iſtius mulieris, quantùm ad uſû corporis ſui conjugalem, non niſi de licentiâ ipſius poſſet alia mulier eodem jure uti: hoc autem falſum eſt, cùm pleno jure eſſet alterius ſecundùm hoc; poſtquàm enim pleno jure eſſet illius alterius, indubitanter abſque licentiâ, & aſſenſu prioris, immò ea contradicente, liceret eidem eo uti. Quòd ſi dixerit, quòd alter dat jus plenum corporis ſui alteri, F quantùm ad uſum corporalem, alter verò non: ecce manifeſtum eſt quòd ex altera parte non eſt matrimonium, ſed ſicut ſolet dici, claudicatio eſt ex alterâ parte, propter requiſitionem conſenſus, & quia non dat jus utendi corpore ſuo illi alij, ſed ad tempus, ut meretrix, aut concubina, aut amator turpis, aut fornicator. Inter amaſium autem & amaſiam, etſi ſit turpis conſuetudo, nemo tamen vocat vinculum turpis ſocietatis, quæ eſt inter eos matrimonium; conſentire enim ad tempus, vel dare uſum corporis ad tempus, non eſt contractus ullo modo matrimonialis: ſi autem dicat vir, volo ita uti corpore tuo, cùm voluero, & volo ſimiliter te uti corpore meo, quandò ſimiliter volueto, & quamdiu; manifeſtum eſt, quoniàm iſte remotior eſt à matrimoniali conſenſu, quàm meretrix, vel amaſia; meretrix enim, & amaſia non ſibi totum retinent jus corporis ſui; ad tempus enim corpus ſuum utraque ponit in voluntate, vel poteſtate amantis, G vel fornicantis: iſte autem totum ſibi retinet, & totum ponit in ſolâ voluntate ſuâ. Quâ de cauſâ proculdubiò non contrahit matrimonium, nec conſenſus matrimonialis eſt ullo modo, ſed fornicatoria tantùm uxor, ſi neuter alteri plenum jus in corpore ſuo dederit; ſi enim altero ſolo non dante, neceſſe eſt inter eos non eſſe matrimonium propter inſeparabilem cohærentiam, & connexionem correlativorum: multò fortiùs neutro dante alteri jus hujuſmodi. Quapropter hujuſmodi mas, & fœmina habebunt ſe invicem, ſicut amator turpis, & ejus amaſia, & ſicut fornicator, & meretrix turpitudinem invicem voluntariè operantes. Manifeſtum ergo eſt, & clarum, jam non aliter eſſe, matrimonium inquam veri nominis, niſi plenum jus conjugalis uſus uterque alteri in corpore ſuo dederit. Ex quo declaratum eſt conſequenter neceſſe, nec po- H tuiſſe unquàm eſſe matrimonium, niſi inter unum, & unam, nec aliquem virum unquàm potuiſſe ſcilicet habere plures mulieres veri nominis. Quare quicunque plures ſcilicet habuiſſe leguntur neceſſariò aut omnes ejus fuerunt concubinę, aut omnes prętet unam. Et quoniàm matrimonia ſola domos ædificant, cognationes propagant, familias multiplicant, civitates ſeu populos congregant, ſeu coadjuvant, & per illa ſola fornicationum turpitudinibus, & ignominiarum flagitiis, cęteriſque malis, quæ numeravimus occurritur, quæ adeò inimica, ac peſtifera ſunt naturæ humanæ, apparet evidenter, quàm utile, quàm honeſtum, quàmque fœcunditati naturæ humanæ neceſſarium, & fœlicitatis futuræ acquirendæ expediens ſit, matrimonia inire, juraque eorum ſervare. Ampliùs. Si non eſt ſic firma adhærentia, ſocietaſque maris & fœminæ, ſed liberum ſit eis, atque licitum adinvicem conjungi,

Vide.

Matrimonium.

Matrimonii fructus

Digitized by Google

jungi, & ab invicem voluntate ſuâ diſcedere, cùm rariſſima inveniatur inter mares & fœminas diutina, perſeveranſque concordia, ſeque ex multis invicem, aut odiant, aut faſtidiant, aut alias conjunctiones affectent, ſeu commixtiones: manifeſtum eſt, quia peribit in maximo generis humani eſſe, non ſolùm ædificatio domorum, ſed tandem congregatio populorum, & civitatum: peribit etiam, pietas parentum in filios, & filiorum in parentes, peribunt innumeræ neceſſitudines, hoc eſt, amoris indiſſolubilia vincula, cùm ſe invicem non agnoſcant, videlicet nec parentes filios, nec filii parentes, nec fratres ſe invicem, nec cognati; cùm enim graviora inſtabunt eis onera à parte fœminarum, hoc eſt, gravidas eas deprehendent vel ſuſpicabuntur, eas dimittent; propter quod peribit bonum educationis parvulorum in maximo generis humani, peribit etiam innumera multitudo parvulorum propter defectum educationis, peribit & bonum educationis ipſorum, cæteræque proviſiones, ut diximus. Manifeſtum ergo eſt neceſſe fuiſſe & eſſe, ut firmetur conjunctio, ſive ſocietas maris & fœminæ in genere humano. Non poteſt autem fieri firma, niſi efficiatur juris perpetui. Conjunctio autem, ſive ſocietas, veriſſimâ diffinitione eſt matrimonium. Jus autem iſtud idcircò perpetuum dicimus, quia marem & fœminam obligat, & aſtringit ad ſervandam invicem ſocietatem iſtam; jus verò propter hoc dicimus, quia ſine injuriâ, & iniquitate neutri licet cõtra facere. Et quoniàm jura ſola non ſufficiunt cõponere mores hominum, nec eos inſtruere, & informare, ut decet nobilitaté naturę, & ſpeciei humanę, propter innatam eis, aut conſuetam vilitatem, hoc eſt, deſideriorum, aut aliarum paſſionum efficacitatem, ex quibus impelluntur honeſtiſſimorum præceptorum, & tranſgredi limites, & irrumpere vincula, neceſſarius fuit timor, quo inſaniſſima iſta compeſceretur audacia & jus, ſeu poteſtas, qua iniqua comprimeretur violentia. Quapropter neceſſaria fuit lex, quæ terrorem comminatione incuteret & magiſtratus, qui gladio publicæ poteſtatis trangreſſores reprimeret. Ex quibus jam declaratum tibi eſt, unde ortum habuit lex de fuſtigandis, ſeu aliter puniendis adulteris, & lex de lenonibus ejiciendis de civitatibus. Et quoniàm lex non eſt, niſi honeſtas per hos magiſtratus, aut ſcripturas revelata ante, promulgata, impoſita, ſeu indicta populis: magiſtratus autem non eſt, niſi miniſter ipſius legis; manifeſtum eſt, quòd honeſtas eſt divinæ auctoritatis ſtatutum; manifeſtum eſt & clarum, quòd omnis miniſter hujus legis, miniſter Dei eſt, & populi magiſtratus, ſicut dicit Apoſtolus 13. ad Roma. Et quoniàm de his, quæ pertinent ad magiſtratum, nihil faciendum eſt inconſulto magiſtratu, & niſi ſecundùm quod dictaverit magiſtratus: manifeſtum eſt matrimonia non eſſe contrahenda, niſi per magiſtratum, cui commiſſum eſt matrimonia judicare. Hic autem eſt magiſtratus eccleſiaſticus, ſive clerus. Quare per eccleſiam contrahenda ſunt matrimonia, & ideò per prælatum eccleſiæ, qui totius eccleſiæ vices, & auctoritatem gerit, vel per ejus vicarium ad hoc ab eo deputatum. Si autem dixerit, quia liberum eſt ſibi dare poteſtatem, & jus corporis ſui, cui voluerit, & quoties, ſive quandiu voluerit, maximè de aſſenſu recipientis, cui licitum eſt renunciare juri ſuo, prout voluerit: dicimus quòd errat perniciosiſſimè. Primùm quia ſi non licet filio familias ante emancipationem ſuam quidquam de ſe, vel de ſuis diſponere, ſed totaliter eſt in conſilio, & diſpoſitione patrisfamilias, & ſi quid ſecùs egerit, ipſo jure irritum eſt, & à patrefamilias revocatur; omnes autem viri, & fœminę filijfamilias

Nota.

Nota.

A ſunt patris cœleſtis, Dei ſcilicet omnipotentis, nullo tempore emancipabiles, ergo multò fortiùs non licet eis quicquam de ſe, vel ſuis contra præceptum ejus aut voluntatem facere; ſi enim hoc debetur patribusfamilias carnalibus, quantò fortiùs patri illi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur? Sicut legitur ad Ephe. 3. Ampliùs Si non licet pupillo, quandiu ſub tutela patris eſt, quicquam de ſe, vel ſuis facere abſque voluntate tutoris; ex neceſſitate autem ſemper ſub tutela Dei ſumus, quare nunquàm licet nobis quicquam de nobis, vel noſtris facere præter ejus voluntatem, & aſſenſum. Validiſſimum autem eſt argumentum de ſervo, qui de corpore ſuo, nec de aliis quicquam facere poteſt, niſi de voluntate domini ſui. Incomparabiliter autem pinguiori, ac pleniori jure ſervi- B tutis Deo ſubditi ſumus, quàm ſervi dominis ſuis corporalibus: quare nihil nobis multò fortiùs de nobis, aut noſtris facere licet, niſi de aſſenſu, & voluntate ipſius. Si autem quæras, unde addiſcam voluntatem Dei in parte iſta? Reſpondeo quòd omnis honeſtas eſt Dei voluntas; lex autem honeſtatis eſt Dei voluntas per ſcripturam revelata. Quare manifeſtum eſt, firmitatem, dico matrimonialem, & honeſtatem, eſſe Dei voluntatem. Ampliùs. Quia manifeſtum eſt Dei voluntatem eſſe, ut multiplicentur individua ſpeciei humanæ in mundo & ut multiplicentur, ſicut maximè decet, & maximè expedit pro ſtatu corruptionis iſtius: maximè autem decet, ſicut maximè honeſtum eſt; maximè autem honeſtum eſt, ſicut maximè eſt longè ab inhoneſtate, & turpitudine, & hoc eſt per matrimonium; maximè autem expedit, ſicut C maximè eſt longè à nocumentis & periculis; & hoc iterùm eſt per matrimonium; ſicut oſtendimus. Quoniàm ſcilicet aliæ viæ habent nocumenta, & pericula abſque numero, & æſtimatione. Manifeſtum ergo, quòd non eſt voluntas beneplaciti Dei, ut multiplicentur individua ſpeciei humanæ per aliam viam in mundo iſto, quàm per matrimonium: multiplicentur intelligimus, hoc eſt, ut fiat opus multiplicationis, ſive generationis, aliter, quàm per matrimonium: intelligatur activè quod dictum eſt, ſub hoc ſenſu; non eſt voluntas Dei, ut multiplicentur individua hujuſmodi, id eſt, ut ſe invicem multiplicent. Quòd ſi dixerit quis, multiplicatio generis humani bonum eſt, & propter illam eſt vis generativa mihi à Deo data, & mulieri illi ſimiliter data fœcunditas, velut agro no- D biliſſimo, volo in agro illo ſeminare nobiliſſimum fructum prolis: & de iſto reſpondemus quòd ſimiliter errat; non enim licet tibi ſeminare in agro non tuo: non autem poteſt fieri ager tuus, niſi per matrimonium, quare non licet tibi ſeminare in agro illo, donec tibi per matrimonium tuus effectus fuerit: certum enim eſt, quòd in alieno agro nulli ſeminare licet pręter voluntatem domini, cujus eſt ager. Quòd ſi dixerit, cujus eſt ager ille? ipſius mulieris eſt; nos jam removimus hoc, nec ſequitur, ſi poteſt tibi dare corpus ſuum mulier illa ad tempus, quòd ideò poſſit hoc facere ad horam. Quemadmodùm epiſcopus poteſt dare præbendam alicui jure perpetuo, non tamen ad diem vel horam: ſic & hic manifeſtum eſt limitatum eſſe & pręſcriptum auctoritate divinâ, ut non poſſint dare in corporibus ſuis, quantùm ad opus generationis, niſi jus perpetuum: & hoc propter bona, quæ ex perpetuitate, & firmitate juris iſtius proveniunt, & mala, quæ ex contrariis provenirent. Bona autem quæ enumeravimus videlicet ędificationes domorum, propagationes cognationum, multiplicationes familiarum, congregationes urbium, ſeu po-

Vide.

Attende.

pulorum: & iterùm proviſio, ſeu procuratio enixarum, educatio liberorum, cuſtodia, & eruditio eorum, totaque conſequens proviſio illorum: hæc inquam omnia bona intelligimus provenire ex matrimoniis, ſecundùm quòd talia & in pluribus individuis humanæ ſpeciei: licet autem in aliquibus eorum bona iſta ex matrimonio non proveniunt, quia in pauciſſimis hoc accidit propter multiplices caſus, & cauſas: non ideò tamen ceſſare debuit lex generalis de matrimonio; nulla enim lex eſt lata contra maleficia, quę malefactores omnes compeſcat, & à maleficiis abſterreat; lex enim lata de latronibus ſuſpendendis, non omnes latrones à latrociniis retrahit, & ad hunc modum ſe habet de aliis ut in pluribus autem, & ut maximo hujuſmodi leges faciunt, quod per eas intenditur, in paucis autem & rarò ſecùs accidit, & contrarium fit. Quemadmodũ ergo natura humana intendit cõplere per matrimonium, decorē membrorum in omni individuo ſuo; econtrariò tamen multis caſibus, & cauſis interdùm accidit, videlicet ut aliqui excedenter generentur, numero membrorum excedentes, ut qui naſcuntur, ſenos digitos habentes in manibus; a ii diminuti, ut qui naſcuntur, ternos, vel quaternos digitos habentes tantùm: ſic lex omnis, quæ veri nominis lex eſt, & omnis magiſtratus ſuum implens officium, decorem honeſtatis, & compoſitionem morum intendit in ſubditos, qui licet non in omnes proveniant per ſolicitudinem magiſtratus propter paucorum malitiam, ac rebellionem, publicum bonum, quod in plures provenit, nec ceſſare, nec omitti debet; non enim propter paucorum transgreſſionem lex evacuenda eſt, nec propter paucorum rebellionem magiſtratus deſiſtere debet à ſuæ injunctionis officio. Si quis autem dixerit, uxorem habeo ſterilem, cùm poſſem in alia formâ fœmineâ generare, ejus ſterilitas impedit fœcunditatem meam, non ſum compellendus in agro ſterili ſeminare; ceſſat hæc cauſa matrimonii, ſcilicet fructus prolis, qui nullus omninò poteſt ex ea ſuccreſcere. Abſolvendus ergo ſum à vinculo matrimoniali, quo ei me aſtrinxi: Reſpondemus: quia non ſolus fructus prolis cauſa eſt matrimonii, neque totum bonum iſtius prolis: fortaſſis autem locum habuiſſet ab initio ipſa ſterilitas, ut matrimonium contrahendum impediret, & omninò cujus ſterilitas certa eſſet, tibi ducenda non eſſet. Poſtquàm autem jus ei perpetuum acquiſitum eſt in re, & corpore tuo, ſine culpâ ſuâ, quin meritò hoc requirat, non privabitur illo.

Simile.

Nota.

CAPUT V.

Non indiget ſummario, quia author ipſe ſe ſummat, Epilogus.

ET quia jam declaravimus neceſſitatem, & utilitatem matrimonii, & cauſas dedimus, atque probationes, propter quas firma debet eſſe, atque perpetua conjunctio, ſive ſocietas maris, & fœminæ, & quia omnis alia eorum conjunctio ad opus generationis turpis, & omninò illicita: enumeravimus etiam, & nominavimus bona pro parte, quæ ex matrimoniis proveniunt. Revertamur nunc ad oſtendendam, & declarandam honeſtatem, ac ſanctitatem matrimonii, aliaque bona propter quæ etiam ſacramenti nomine dignum eſt, & inter ſacramenta numeratum, & quæ ſit perfectio ſocietatis ipſius, quæque debita, quæ ſibi invicem debent conjuges, ſeu conjugati. Deinde reſpondentes contradictionibus ſarracenorum, & aliorum qui de matrimonio malè ſenſerant, erroreſque eorum palam facientes, finem faciemus tractatus iſtius. Di-

Honeſtas matrimonii.

E camus ergo, quia honeſtatis matrimonii decor, licet ex turpitudine inhoneſtatis contrarii ſui ſatis eluceat, in proximo tamen ſit manifeſta; quicquid enim naturale eſt, honeſtum eſt: manifeſtum autem eſt, quia matrimonium adeò naturale eſt, ut etiam in nonnullis brutis animalibus ipſa natura illud inſtituiſſe videatur, ſicut apparet in volatilibus, ſcilicet, colõbis, turturibus & ciconiis, & pœnè in omnibus aliis: de greſſibilibus autem, maximè in urſis, qui & in opere generationis, velut fidem conjugii, ſibi invicem inviolabiliter ſervant, adulterium non ferentes. Ampliùs. Quia honeſtas eſt, quæ inhoneſtari maximè repugnant, illam quoque maximè ſecundùm ſe deſtruit, matrimonium autem ſecundùm ſe turpitudinem fornicationis, ac meretricii, cæteraque hujus flagitia deſtruit, & impugnat, videlicet ipſa contrarietate quam habet ad illa; adhærere enim
F uni, contrarium eſt illi, quod eſt, conjungi multis. Et iterùm adherere perpetuò, contrarium eſt ei, quod eſt adhærere ad tempus, ſive ad horam. Similiter conjungi liberè, ſive voluntariè ei, quod eſt coactè. Sic & conjungi inſeparabiliter uni maſculo, contrarium eſt ei, quod eſt conjungi multis, juxta complexiones contrariorum ei, quod multis. Quia ergo iſta matrimonii ſunt per ſe, & in ſe honeſta; illa autem contraria matrimonio, & in ſeipſis inhoneſta, ac turpia, manifeſta eſt honeſtas matrimonii, quòd ſua contrarietate tantam inhoneſtatem deſtruit, & repellit. Ampliùs. Quoniàm decor eſt, quod decet, nulla autem conjunctio decentior eſt, quàm activi, & paſſivi inquantùm talia ſunt, adjuvabilis, & adjutorii agricolantis, & agri, partiumque in ſuo toto conveniens conjunctio, & ramorum in arbore ſua:
F hæc autem omnia matrimonium eſt. Apparet ergo decor ipſius ex ipſa decentiâ, quâ marem decet fœmina, & econverſò. Quòd ſi quis dixerit, quòd juvenem maſculum non decet fœmina vetula, nec fœcundum ſterilis, & propter hoc matrimonium inter hujuſmodi non eſt decoris: dicimus quòd eodem modo dicere poſſet, quòd ſtrabonem non decet rectè aſpiciens, aut econverſò, & videntem non decet cæca, & ſapientem non decet ſtulta, & ęgrum non decet ſana, & econverſò, aut rectè ambulantem clauda: iſta enim per accidens ſunt, tanquàm caſu, alia ſeorsùm longè ab intentione, & ratione matrimonii. Accidunt autem longè à matrimonio propter perſonas, in quibus ſunt, quibus & accidit, ut ſit inter eas matrimonium. Nullatenùs autem in matrimonio, vel de matrimonio eſt hujuſmodi indecentia, nec tangit ipſum. Si quis autem decorem naturalem generis humani diligenter conſideret,
G inveniet ipſum per matrimonium, velut arborem ſpecioſam fructiferam. Sicut legit. Hie. 11. Et ſicut agrum plenum, cui benedixit dominus. Gen. 27. Domus verò conjugatorum invenies, ſicut arbores frondoſas, ac fructibus onuſtas, quas meretricium aut ſodomia non excuſſerit, aut fornicatio non diruperit aut ſterilitas, ſeu aliud incommodum non occaſionaverit. quæ verò contra decorem generis humani occupat ſodomia, ſicut exuſta ſunt. Quę verò occupat fornicatio, & meretriciũ, ſicut conculcata. Quę verò ſterilitas, ſicut arida ſeu areſacta, quantùm ad fructum generationis carnalis: ſicut legitur Iſa. 56. Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum.

Naturale eſt matrimonium.

Nota.

Decor.

Attende.

CAPUT VI.

De ſanctitate matrimonii diſputat.

SAnctitas autem matrimonii, primum eſt elongatio à turpitudine & execratione prohibitarum turpitudinum, & immunditiarum illa enim debet eſſe intentio nubentium, ut ab his per matrimonium

Nota.

Digitized by Google

nium longè ſe faciant. Secundò ex cuſtodia, & retractione conſortii ab hujuſmodi. Tertiò ex jugo perpetuæ ſervitutis, quo ſe ſubjicit alter alteri abſque participe. Quartò ſuſceptione onerum, videlicet proviſionis, educationis, & cæterorum, quæ numeravimus. Quintò ex ſuſceptione regiminis ipſius uxoris, quod dicimus quantùm ad virum, in regimine totius domus pars ſolicitudinis incumbit uxori; non enim uxorem recipit ſolummodò exhibendam in neceſſariis victus & veſtitus; ſed etiam regendam compoſitione morum ipſius, eruditioneque & correctione, quatenùs ſuum eſt, perficiendam. Nec reputes levem curam, & onus modicum regimen mulieris unius. Sextò ex fructu prolis qui per ſe ſolum licet magnum bonum ſit, conjunctionem tamen maris, & fœminæ ſanctificare non ſufficeret. Septimò verò ex ipſo ſacramento quo ipſum matrimonium ſacrum ſignum eſt matrimonii ſpiritualis, quod eſſe debet inter Deum, & animam humanam. ut quemadmodùm vir conjunctione, & amplexu carnali de uxore quærit, & intendit in ea generare filios literales, ſive carnales, ſic ſciat, recolat, & legat in ipſo ſuo matrimonio, velut exemplo, & conjunctione charitatis, & amplexu ex animâ ipſa ſuâ filios ſpirituales generare, hoc eſt bonorum operum ſobolem, & prolem. Et ſicut niſi ex ipſo viro ſemen transfundatur carnalis generationis in ipſam uxorem, ut concipiat, & pariat alios nec conceptura eſt, & nec paritura prolem carnalem, ſic ſciat ab omni fructu bonorum operum animam ſuam remanere ſterilem, niſi à Deo ſpirituali viro illi vivificum ſemen verbi Dei, & divinæ gratiæ infundatur. Legat etiam in libro ſacramenti, ejuſdem, ut quemadmodùm jure matrimonii carnalis iſtius ſubjecta eſt regimini ejus uxor, ita animam ſuam ſubjectam Deo exhibeat, legibus ejus & juſſis in nullo contradicentem. Legat & quartò, ut quemadmodùm uxorem ſuam vult eſſe ſpecioſam, & ornatam ſcilicet, ſibique per omnia placentem; ſic animam ſuam docere virtutum ſpecioſam, per omniaque placentem Deo exhibere ſtudeat, tanquàm ejuſdem ſpiritualem ſponſam. Legat quintò, ut ſicut caſtitatem corporalem zelat in uxore, ſic & Deum ſciat, immò ampliùs incomparabiliter Deum zelare caſtitatem ſpiritualem in anima illius. Legat & ſextò, ut ſicut ipſam uxorem decet habere curam domus, videlicet ut munda ſit, cuſtodiamque & educationem filiorum, ſic Deus, animam ejuſdem vult curam, & ſolicitudinem gerere domus conſcientiæ ſuæ, ſcilicet ut munda ſit ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, & ut educet, & nutriat pinguedine devotionis, & lachrimarum continuitate, & aſſuefactione filios bonorum operum; iſta enim tria ſunt quæ maximè nutriunt eos, & augmentant. Deinde cuſtodiat eos per timorem, humilitatem, ac diſciplinam, quæ ſunt cuſtodes fideliſſimi omnium bonorum, propter hoc bonum ſcilicet ſacramenti, quod eſt radix, & cauſa optima, ac præcipua conjunctionis maris, & fœminæ. Ubi autem alter conjugum bonum iſtud impugnat in altero pertinaciter ſeparandi ſunt ab invicem, ne bonũ cui militare potiſſimùm debet ipſa conjunctio, econtrariò impugnet, & deſtruat. Et attende quòd ipſum ſacramentũ matrimonii, fortiſſimam habet impreſſionem ſpiritualis matrimonii, propter vehemẽtiam rememorationis ipſius, aſſiduè enim illud conjugibus, quantùm in ipſo eſt, rememorat, & imprimit, & propter hoc fortiſſimum eſt adjutorium à parte iſtâ, vehementerque impreſſivum ſanctitatis: ſanctitas enim non eſt, niſi elongatio ab execrationibus, & contaminationibus vitiorum, & peccatorum, & adhærentia totalis ad Deum. In parte verò aliorum bonorum ſex, quæ jam nominavimus, & numeravimus. Jam tibi clarum eſt. quòd efficax ſit adjutorium & velut inſtrumentum ſanctificationis, cùm per ipſum omnes luxuriæ turpitudines, & abominationes propellantur. Quid autem pietatis habeat, & beneficentiæ tam ſpiritualis, quàm corporalis ipſum regimen uxoris, eruditioque liberorum, cæteraque in parte iſtâ à nobis jam dicta evidenter oſtendunt.

Conſcientia domus animæ.

Sanctitas quid.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt conjuges, qui hæc omnia bona, & ſingula in ſua matrimonia conjunctione intenderunt & propter ſola ſibi invicem matrimonialiter conjuncti ſunt, non ſolùm prudentiſſimè, ſed etiam ſanctiſſimè eſſe conjunctos. Et iſte modus conjunctionis eſt, quem laudavit Raphaël Archangelus Tobiæ. 6. Qui verò ſaltem in generali bona matrimonii per matrimonium intendunt & quærunt, licet ſigillatim illa, ac diſtinctè non noverint, piâ intentione, ac laudandâ conjunguntur. Qui verò matrimonio contrarium intendunt, verbi gratiâ qui amore explendæ libidinis ſuæ tantùm forinſecùs matrimonia ineunt, poteſt eis dici, ſicut idem Archangelus, in eoſdem dicit prævalere dæmonium; & an veri nominis matrimonium contrahant, quæſtio eſt apud nonnullos; non enim videtur matrimonialis eſſe conſenſus inter hujuſmodi, ſed amatorius tantùm, præſertim cùm dicit Aug. Quòd vehemens amator uxoris adulter eſt. Et alibi: Adulter eſt qui in uxore propriâ quærit tranſitoriam voluptatem. Ampliùs. Cùm omnia bona matrimonii excludat ab intentione ſuâ & conſenſu, qualiter judicabitur conſenſus hujuſmodi matrimonialis? Ampliùs. Cùm conjunctio iſtorum fornicatoria ſit, vel amatoria tantùm, qualiter erit ſacramentum ſpiritualis conjunctionis, ſive matrimonii inter animam humanam, & Deum? Reſpondemus. Quòd etſi amor explendæ libidinis ſuæ ſolus illos moveat, vel eorum alterum, ad omnia tamen onera matrimonii uterque ſe obligat pactione conjugali, hoc eſt ad uxorem regendam, & exhibendam & ſervandam fidem thori, & omnia alia onera quæ nominavimus. Quemadmodùm autem ſi quis baptizaretur cauſa luxuriæ tantùm, concupiſcens, ſcilicet ſpeciem alicujus chriſtianæ mulieris, quam aliter habere non poſſet, niſi baptizaretur. verè baptizaretur, & unius ſacramentum baptiſmi reciperet: ſic iſte unius ſacramentum matrimonii percipit, etſi non rectâ intentione. Conſenſus etiam iſte, etſi amore libidinis ſit, tamen matrimonialis eſt, non fornicarius, aut amatorius; non enim in ſolam libidinem conſentit, ſed etiam in omnia onera matrimonii, & ad omnia illa portanda ſe obligat, ſicut ille, qui cauſâ luxuriæ ſuæ explendæ tantùm baptizatur, non in ſolam luxuriam conſentit, ſed etiam in hoc, ut baptizetur, & chriſtianus fiat, & ad omnia agenda, & ſuſtinenda, quæ Chriſtianiſmi ſunt, ſe obligat ipſa ſuſceptione baptiſmi, ſic & ille ipſâ ſuſceptione matrimonii; & quemadmodùm multi Chriſtiani ſaracenicè vivunt, aut judaïcè, ſive ſaracenizant, aut judaïzant in multis, juxtà præfatum verbum, inquinantes, & polluentes, quantùm in ipſis eſt, ſicut illi ſacramentum baptiſmi. Utrùm autem peccet mortaliter, qui cauſâ voluptatis carnalis tantùm uxorem ſuam cognoſcit, ſi quis quærat: Reſpondemus quòd non; licet enim voluptatem intendat, & non alium finem, non tamen excludit alium finem, ſive aliud bonum; & ideò non peccat mortaliter ſanctitate matrimonii excuſante. Sed ſi matrimonium propter ſolam voluptatem carnis, aut ſolam avaritiam, aut ſuperbiam ab initio iniit, & contraxit, bonis excluſis, ac neglectis, hoc eſt, non curatis; ibi veriſimile eſt

In eos qui explendæ libidinis e inſ ama trimonia ineunt.

Adulter eſt vehemens amator uxoris.

Chriſtianiſmus.

Bona quæſtio & perpetuò notanda.

Ttt ij

Digitized by Google

cere. Quarta communio eſt corporum propriorum, quæ eſt cuſtodiendi ſe invicem, ac ſerviendi, providendique ſibi invicem tam in ſanitate, quàm in infirmitate. Quinta eſt communio hominum liberorum, totiuſque familiæ, quæ ſunt educatio, eruditio, regnum, & in poſterum proviſio. Eſt ergo perfecta ſocietas ex his quinque communionibus, & in his integrè, totaliterque conſiſtit. & ad iſtam ſocietatem ſe obligant, ad omneſque partes ipſius quicunque matrimoniali vinculo ſibi invicem aſtringuntur. Jam ergo declaratum eſt tibi, quid eſt matrimonium, quoniàm ipſum eſt ſancta, ac ſanctificativa, ac perfecta ſocietas maris & fœminæ in genere humano, & quoniàm ſanctitas ejus partim ex ſeptem bonis, quæ ex eo proveniunt: partim ex benedictione nuptiali, & ſanctificatione ſacerdotali, & quoniàm ipſum eſt perfecta ſocietas, ſive perfectæ ſocietatis vinculum: nominavimuſque tibi & numeravimus partes ſocietatis iſtius, videlicet quinque communiones, quas non eſt neceſſe, ut repetamus. Conſequenter verò deſtruemus voluptatem ipſam carnalem omnis concubitus. Poteſt enim voluptatem habere ſpiritualem concubitus, licet carnalis ſit: omne enim opus virtutis, aut habet delectationem, aut habere poteſt; juxta illud, quod dictum eſt in Pſal. In cuſtodiendis illis retributio multa. Hoc eſt ſuavitas, & hilaritas in ipſis operibus, & executione mandatorum Dei. Quapropter ſi fuerit opus conjugale ex juſtitia reddendi debitum, vel ex charitate cuſtodiendi ſe, vel uxorem à macula, vel contaminatione fornicationis, nemo dubitare debet, quin ex opere iſto poſſit eſſe in corde operantis aliquandò delectatio ſpiritualis.

Epilogus.

Delectatio ſpiritualis ex conjugalis debiti redditione.

CAPUT VII.

Incipit autor in ſequentibus confutare voluptatem carnalem cujuſcunque concubitus: quemadmodum ſupra propoſuerat.

Incipiamus ergo adjuvante Deo perſequi beſtiam iſtam, quæ majorem partem generis humani ab initio uſque ad finem devorare, & abſorbere non ceſſat; percutientes ipſam in ipſa radice ſua. Primùm enim eſt concupiſcentia, quam ſi præcidere acumine diſputationis cœleſti virtute prævaluerimus, exterminabitur ipſa, & deſtruetur radicitùs. Dicamus ergo, quòd membra genitalia nullum habent privilegium exemptionis, quo libera ſint & exempta à ſubjectione, & obedientia rationis, ſeu liberi arbitrii, ſeu liberæ voluntati ſubjecta. Ergo ſunt naturali lege, & jure, rationi ſubjecta, ſicut & cætera membra exteriora: ergo non licet eis moveri contra prohibitionem, & voluntatem rationis: quòd ſi moventur, injuſtè moventur, quia contra jus ipſius rationis, & contra juſtitiam obedientiæ quam naturali lege debent ipſi rationi. Ampliùs. Omnis voluntas rationis ſanæ, & nulla ex parte errantis bona, & juſta eſt, & ab his, quibus de jure imperat, facienda: jure autem naturæ ratio imperat omnibus viribus inferioribus, omnibus carnis membris; ſaniſſimè autem, & abſque omni errore vult ratio quietem membrorum genitalium, & pacem omnimodam virtutis caſtimoniæ, quæ motu membrorum hujuſmodi nequiſſimè impugnatur, quare membra genitalia lege naturæ quieſcere debent, ac ceſſare ab hujuſmodi motibus ad juſſum, vel imperium rationis. Ampliùs. Concupiſcit caro adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem, ut dicit Apoſtolus in 5. ad Galatas. Et nos omnes, & ſinguli, hoc ipſum ipſa experientia ſenſus, ultra

Vide.

A quàm opus eſt, cognoſcimus. Aut ergo juſtum habet bellum adversùs ſpiritum caro, aut non. Si juſtum: ergo ſpiritus habet bellum injuſtum, ſive iniquum eſt, vel injuſtum ſpiritum vincere carnem. Non eſt ergo adjuvandus ſpiritus contra carnem. Iniquè ergo laboraverunt tot millia ſanctorum dimicantium tam ſtrenuiter cum ſpiritu contra carnem. Ampliùs. Si juſtum eſt bellum carnis contra ſpiritum; ergo juſtum eſt eam vincere Quare adjuvanda erit in iſto bello contra ſpiritum, & ſequitur ex hoc, quòd ſpiritus teneatur deſiſtere à rebellione, & repugnantia contra carnem, & ita tenebitur cedere, & ſuccumbere carni, & ſubire ſervitutem ejus turpiſſimam, atque nequiſſimam, & ideò proſtituere ſe omni vitio. & deſiderio carnis, & abire poſt omnia flagitia, & paſſiones ignominiæ. Quod non eſt favendum. Reſtat ergo iniquum eſſe, & injuſtum bellum carnis contra ſpiritum. Compeſcenda eſt autem caro ab omni eo, quòd iniquum, & injuſtum eſt. Compeſcenda ergo eſt ab omni rebellione contra ſpiritum. Quare ab omni concupiſcentia, ſive concupiſcere contra ſpiritum. Nullus ergo motus concupiſcentiæ contra ſpiritum ſuſtinendus: ergo occidendus, vel extinguendus. Ampliùs. Si totum bellum carnis contra ſpiritum eſt iniquum: ergo omnes bellatores carnis contra ſpiritum iniqui. Quare totus exercitus carnis, qui militat adversùs ſpiritum iniquus. Quare & omnes acies exercitus ipſius. Ergo & prima, quæ eſt primorum motuum: & ſecunda, quæ eſt delectationum citra conſenſum: & tertia, quæ eſt conſenſus: & quarta, quæ eſt operum: & quinta quæ eſt conſuetudinum: & ſexta, quæ eſt executionum: & ſeptima, quæ eſt defenſionum: & octava, quæ eſt gloriationum de hujuſmodi: & nona, quæ eſt dogmatizationum, & prædicationum, quibus dogmatizantur, & prædicantur opera carnis: & decima, quæ eſt impugnationum puritatis, ac munditiæ carnalis, qua ſive apertè, ſive occultè caſtitas carnis. & munditia, impugnātur; ſive detrahendo ſive diſputando; ſive inſidiando, ſive vim aut violētiam inferendo. Et quia pugnandū eſt contra exercitium carnis uſque ad internitionem, & generaliter contra omnia vitia, & peccata, non enim eſt victoria de his, niſi per mortificationem, & extinctionem; cùm enim hoſtes viſibiles vinci ſcilicet poſſint, & vivere, eſſeque victi ſimul, & vivi; vitia tamen, & peccata ſola ſua mortificatione vincantur, nec unquàm victa eſſe poſſint, niſi mortua fuerit vita ſolaque vitia ſua de nobis triumphant; hoc eſt, eo ſolo quòd in nobis vivunt, & quatenùs vivunt, nos vincunt, manifeſtum eſt, quoniàm primi motus concupiſcentiæ carnis occidendi ſunt, & non ſunt occidendi, niſi propter iniquitatem rebellionis adversùs ſpiritum & ſuam culpabilitatem Manifeſtum ergo eſt, quòd omnes ſequentes acies multò fortiùs occidendos. Prima enim acies minimum habet culpæ Secunda plus, & ſic deinceps. Quoniàm autem omnium iſtarum acierum, velut Dux, & Regina eſt ipſa voluptas carnalis, cui, & ſub qua militant, multò fortius ipſa occidenda eſt. Ampliùs. Si omnis motus ad eam, vel in eam, occidendus eſt, & hoc utique, non niſi propter eam, multò fortius eſt ipſa occidenda. Ampliùs. Si omnis via ejus, ſive qua ipſa veniat, ſive qua veniatur in ipſam, præcidenda eſt, ac prærumpenda, manifeſtum eſt, quòd ipſa exterminanda eſt à nobis, & nos longè faciendi ab ea Ampliùs. Cùm ipſa ſit per quam, & propter quā caro pugnat contra ſpiritū, & per quē maximè fortis eſt, & prævalet contra ſpiritum, ipſeque ſpiritus maximè debilis contra ipſam: adjuvandus autem ſit ſpiritus contra carnem, maximè occidenda eſt evidenter. Atteſtatur autem

Bellum carnis adverſus ſpiritum.

B

Nota.

C

Victoria vitiorum per mortificationē.

Motus primi compeſcendi.

D

Digitized by Google

Membra genitalia occulta à natura.

huic veritati ipſa natura humana, quæ motus iſtos univerſaliter erubeſcit, & membra genitalia pluſquàm alia occultat & abſcondit, erubeſcens apparitionem ipſorum, & aſpectum. Cùm enim erubeſcentia ſit juſtæ reprehenſionis timor; ſit autem iſta erubeſcentia in quolibet individuorum ſpeciei humanæ naturaliter, manifeſtum eſt, timorem iſtum eſſe naturæ. Timor autem naturę univerſaliter non poteſt eſſe injuſtus, aut indebitus, meritò ergo juſtè timet natura humana reprehenſionem in hujuſmodi motibus. Jure ergo reprehendendi ſunt motus iſti.

Erubeſcentia naturalis.

Ampliùs. Quoniàm ipſa erubeſcentia eſt confeſſio quodam modo culpæ, erubeſcit autem univerſaliter natura humana hujuſmodi motus, ergo conſtat eſſe culpabiles. Confeſſio autem naturę univerſalis mendax eſſe non poteſt, nec ejus teſtimonium. Ipſa ergo atteſtatione naturæ manifeſtum eſt, ipſos eſſe culpabiles. Et hęc eſt indubitanter cauſa, propter quam membra genitalia abſcōduntur, & erubeſcitur aſpectus eorum, quia radix erubeſcendæ concupiſcentiæ ſedē habet in ipſis à qua & pudenda nominata ſunt.

Pudenda.

Judicium autem hujuſmodi eſt, quòd ante erubeſcunt pueri aſpectus hujuſmodi membrorum, vel abſcondunt ea ab oculis hominum, quàm hujuſmodi motus incipiant fieri in eis. Qui motus, quantò magis invaluerint, & increbuerint, tantò ampliùs invaleſcit erubeſcentia illorum, & ſolicitudo abſcondendi ea.

Voluptas carnalis perniciſſima.

Ampliùs. Et ſi aliud non haberet perniciei voluptas carnalis, quàm ea, quæ diximus; videlicet quod inebriat mentem humanam, & tranſvertit ſenſum ipſius, atque corrumpit palatum ſpirituale ipſius, faciens ei deſipere omne ſpirituale bonum, ac nobile: tandem verò ex toto avertit à Deo, & à vera religione, quę eſt digna honorificentia, & cultus ei ſolus debitus eique acceptus,

Natura humana, ad quid nata.

rectè attendentibus manifeſtum eſt naturam humanam ad veram honeſtatem, quę vera religio eſt: & ad cultum ipſius Dei, qui verè ſanctificatio eſt eum ritè colentium, creatam, ac conditam eſſe. Quare manifeſtum eſt naturæ humanæ inimiciſſimam eſſe hanc, de qua agimus, carnis voluptatem Quòd ſi quis dixerit, quia immoderata voluptas eſt, quæ avertit à Deo, & ſuperinducit oblivionem ipſius: quærendum eſt ab eo, cujuſmodi ſit illa, quam intelligit moderatam? ſi intelligit moderatam lege matrimonii; quam legem ſupra tetigimus, neceſſe habet confiteri omnem aliam inimicam eſſe naturæ humanæ, & propter hoc implacabiliter perſequendam; & hoc eſt, quod intendebamus: ſi verò intelligat moderatam congruentiam, & poſſibilitatem ipſius corporis humani, invenitur hęc diverſitas in hominibus ex diverſitate complexionum, ut alii magis potentes ſint in uſu mulierum, alii minus, alii penitùs impotentes. Intelligit ergo moderatam eſſe voluptatem complexioni corporis adæquatam ac proportionatam: immoderatam verò complexionem, & poſſibilitatem corporis excedentem. Quia verò ſic immoderata voluptas minor eſt, & & ſic moderata major, quę autem minor eſt, minus inebriat, & captivat mentem humanam, minuſque avertit à Deo, quare moderata voluptas carnis juxta intentionem ſuam, magis inimica eſt naturę humanæ. Voluptas enim in deſiderio eſt, ut ait Tullius non in ſatietate. Et propter hoc qui maximè eam ſequuntur, ipſam minimè aſſequuntur.

Carnales voluptates quibus deſipiunt.

Ampliùs. Sicut maximè amantibus voluptatem iſtam, maximè ſapit ipſa, & maximè deſipit voluptas ſpiritualis; ſic & econversò; maximè amantibus delitias ſpirituales, maximè ſapiunt ipſæ, & maximè deſipiunt eis carnales. Quid ergo reſpondebit adverſarius? aut uterque iſtorum habet palatum cordis ſanum, & bene diſpoſitum, aut non. Impoſſibile autem evidenter eſt, quòd uterque. Cùm enim contraria judicent de ſaporibus his: neceſſariò errat alter eorum, ſive palatum cordis alterutrorum. Palatum enim cui deſipit, quod ei ſapere debet, aut econtrariò, neceſſariò errat, ſicut viſus, qui judicat album, nigrum, & econversò. Alterutrum verò eorum errare neceſſe eſt: ergo vel neceſſe errare ſapientes in eo, & ex eo maximè ſapientes ſunt, quòd in eis ſapiunt bona ſpiritualia, & deſipiunt delitiæ carnales, vel errare luxurioſos, qui ex hoc maximè inſipientes, & habendi ſunt, & habentur, quòd in eis ſapiunt viles, ac ſordidę delitiæ, & deſipiunt nobiles, & mundæ.

CAPUT VIII.

Diſquirit, & diſcutit voluptatis vocabulum.

Delectatio.

PRocedamus autem ulteriùs, & inquiramus. Utrùm veri nominis voluptas ſit iſta, de qua hîc agimus. Videtur enim veri nominis voluptas, quæ tantopere quæritur, tantiſque diſpendiis comparatur: à qua nec etiam viri ſanctiſſimi, niſi divini muneris admirando adjutorio, ſe continent, aut compeſcunt. Deinde ex diffinitionibus delectationis quę ſunt, conjunctio convenientis cum convenienti, & perceptio rei, quæ naturalis eſt, virtuti apprehendenti. Convenientis autem cum conveniente, conjunctio eſt maris, & fœminæ commixtio: veri nominis ergo voluptas eſt, ſive delectatio, cùm ei conveniat ipſa nominis ratio. Ad hunc modum ſe habet, & de alia ratione. Virtuti enim tangibili, quæ eſt in membris, generationis naturalis eſt, hoc eſt naturaliter conveniens, cor relativa, & coadjutiva generationi, pars adjuvantis corporis. Ampliùs. Cùm in brutis animalibus inveniatur concupiſcentia, & deſiderium hujus voluptatis, & hoc de natura tantùm: nullatenùs autem ex parte damnationum, vel originali corruptione, & nullo modo ex peccato, ut propter peccatum, atque ut pœna, ſed natura tantùm, & velut lex quędam divinæ inſtitutionis: ergo in ſpecie humana quantùm ad id, quod cum brutis animalibus habet commune, neceſſariò erit hujuſmodi concupiſcentia, ſeu deſiderium non ut plaga, neque ut corruptio, ſed ut natura, & lex divinæ inſtitutionis; propter quod etiam brutis animalibus vocatur jus naturale.

Jus naturale brutis.

Hujus autem indicium videtur, quòd in omni individuo ſpeciei humanæ invenitur iſta diſpoſitio, & concupiſcentia, & deſiderium hujuſmodi voluptatis. Quæ enim accidunt præter naturam, & à foris adveniunt ſubſtantiis, in paucis reperiuntur individuis, & raró: meritò ergo videtur eſſe naturalis hujuſmodi concupiſcentia, ſeu deſiderium: nihil autem naturale inhoneſtum, vel illicitum eſt, ſeu peccatum.

Nihil naturale inhoneſtum.

Quare videtur amor hujuſmodi voluptatis licitus eſſe: amor autem illiciti, aut mali neceſſariò illicitus, & malus eſt: voluptas ergo iſta nec mala eſt, nec illicita. Reſpondemus autem in hoc, quia nec vera, nec veri nominis voluptas eſt iſta, ſed ſomniata tantùm, propter quod & delectamentum ſomnii vocata eſt: Sap. 7.

Similitudo à mulieribus gravidis.

Quemadmodùm autem mulieribus gravidis carbones, & cineres ſuaviter ſapiunt interdùm, & propterea eos naturalibus cibis, naturaliterque ſapidis, & delectabilibus præferunt, avidiſſimèque appetunt, & ipſe error virtutis appetitivę, ſive corruptio palati corporis mentitur eis delectationem guſtabilem, & quodammodò eas ſomniare facit illam; ſic corruptio palati interioris, ac ſpiritualis, hoc eſt palati cordis mentitur nobis ſuavitatem eſſe, ſeu voluptatem, quod reverà non eſt ſuavitas, vel volup-

Digitized by Google

tas: ſic & ſcabioſo ipſa ſcabies, & prurigo ſcabiei mentitur ſuavitatem eſſe in ſcalptione, & in cutis ſuæ laceratione, cùm reverà non ſit veri hominis ibi voluptas; ſicut apparet econtrariò: amaritudo enim ſalivæ, & fumus choleræ mentitur febricitanti amaritudinem amigdalorum, cùm reverà in eis amaritudo non ſit, immò dulcedo ſit, & vehementia famis mentitur ſuavitatem interdùm ſaporis in eo, in quo non eſt, ſicut legitur Proverb. 27. Anima eſuriens amarum pro dulci ſumit. Similiter Job 19. Cùm ſingula repeiſſent, ad ea cum clamore currebant. Et ejuſdem ſexto. Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Sic vehementia, & prurigo concupiſcentiæ mentitur convenientem conjunctionem, quæ non eſt, & voluptatem ubi non eſt. Et hoc apparet in abominatione ſodomitica, ubi manifeſta eſt diſconvenientis cum diſconveniente conjunctio. Jam autem declaravimus, quòd originalis corruptio, & brutalitas in nobis plaga eſt, & quòd univerſalitas ipſius, & perpetuitas indicium ſunt, non quòd à natura ſint, ſed potiùs quòd non à caſu, immò ex providentia, & juſtitia illata. Sed neque hoc, quod in quolibet individuorum ſpeciei humanæ invenitur iſta diſpoſitio ſcilicet concupiſcentia, & deſiderium voluptatis hujuſmodi, indicium eſt, quòd naturalia ſint hoc eſt ab ipſa natura, ſed potiùs quòd ipſi naturæ illata. Quòd ſi quis dixerit, quòd virtus animalis, & virtus ſpiritualis duæ ſunt virtutes, & quemadmodùm tam virtus viſibilis, quàm virtus audibilis ſuam habent propriam delectationem, & ſuum proprium, & ſimiliter eas ſuam propriam habere delectationem, & ſuum proprium delectabile, vel ſua propria delectabilia: & ſicut vires ipſæ non ſunt cõtrariæ ad invicem; ſic nec delectationes. Sed quomadmodùm delectatio, quæ eſt ſecundùm viſum, impedit ne illa hora ſit delectatio ſecundùm auditum; & illud impedimentum non eſt ex contrarietate, quæ ſit inter viſum, & auditum, aut inter delitias eorum, cùm proculdubiò contraria ipſa non ſint, ſed potiùs ex impartibilitate mentis humanæ, & aggravatione, quam patitur, hoc eſt ex corruptione corporis; propter quam partiri ſe non poteſt ſimul pluribus delitijs mens humana, nec vacare, dum eſt in corpore, quaſi toto pondere incumbens uni ſoli, donec abſtrahatur ab illa: Reſpondemus, quòd in ipſo ſenſu, & experientia manifeſtum eſt illud quod eſt animale in nobis, rebellare adverſus id quod eſt ſpirituale in nobis, cùm debeat jure naturæ omninò eſſe ſubditum, & ex toto obediens, & hanc dominationẽ amiſiſſe ſpirituale noſtrum, non caſu, ſed providentiâ, neque immeritò, & abſque culpâ, ſed juſtitiâ irreprehenſibili, atque judicio cuncta regentis, atque adminiſtrantis Dei: quod enim jure ad noſtrum ſpirituale pertinet, abſque injuriâ eidem auferri non potuit, niſi ablationem iſtam meruerit alicujus culpa. Alterutrum ergo duorum, vel utrumque forſitan neceſſe eſt factum fuiſſe in naturâ humanâ, videlicet, vel ut ſpirituale noſtrũ debilitatum ſit à fortitudine ſuâ naturali, ei depreſſum ab altitudine dominationis iſtius, quibus præeſſe, & ſupereſſe jure, & lege naturæ debebat ei quod eſt animale in nobis à debita ſubjectione ejectum uſque in rebellionem, & à ſuâ debilitate in iſtam inſolentiam confirmatum, ut jam non libertate, & imperio ſuperioris ſui, hoc eſt pejus, quod eſt in nobis ſpirituale moveatur, ſed quemadmodùm in brutis neceſſitatis violentia feratur: & ſicut furioſus ruptis vinculis, & cathenis, in ſeipſum, deinde in alios ſævire contendit, jugo legitimæ, & naturalis ſervitutis abjecto: cujus figura eſt dæmoniacus ille Evangelicus, qui frequenter in aquam, & in ignem ſe præcipitabat, ſicut legitur Marci 9. Nec aliter audiendi ſunt, quàm pecudes, gens Epicureorum, qui poſuerunt vires animales in nobis ad annales, ſeu carnales delitias, creatas, & conditas eſſe tanquàm ad ſummum bonum, & ſummum finem: tunc enim in contumeliam ſuam vires huiuſmodi creaſſet Deus, ſi propter huiuſmodi delitias ipſas creaſſet, & propter hoc non ad delitias naturales, ſed ad exquiſita flagitia, execrandas que libidines potiſſimũ creatæ eſſent, cùm paſſiones ignominiæ majores videantur habere delitias, quàm uſus naturales, alioquin nec tanto ardore nec vehementiâ ad eas trahi, nec tantâ difficultate ab eis revocari poſſe viderentur flagitioſi Idem dicimus de alijs tantâ ſtudioſitate coquorum, & hiſtrionum excogitatis delitijs. quæ omnes, ſicut diximus, maximæ eſſe videntur; quod probat ſtudioſitas, ac labor eas quærentium, & ſtudioſitas ipſa quia maximè Deo contumelioſæ ſunt utpotè religionem ac cultum eius maximè deſtruentes, eiusque oblivionem maximè inducentes, in ſui ipſius iniuriam & contumeliam vires animales proculdubiò creaſſet Deus ſi huiuſmodi delitias nobis dediſſet. Non eſt ergo ſimile de viſu, & auditu, cùm neuter alteri iniurietur dum juſſum, ſeu iniunctum ſibi ab imperante virtute, peragit officium. Manifeſtum ergo eſt de omnibus, quæ diximus, fugiendam eſſe omnem corporis voluptatem, hoc tamen, ſecundùm magis & minus fugiendam, ipſamque eſſe ut laqueum irretionis, ut picem inquinationis, ut vinculum captivationis, ut ignem ſpiritualis exuſtionis hoc eſt, quo ſpirituale noſtrum exuritur, omniaque bona noſtra ſpiritualia, ideſt virtutes, earum opera, tam exteriora, quàm interiora, penitùs concremantur fugiendam etiam ut aquam extinctionis, quæ ſpirituale noſtrum, quo ad omnem vivificum calorem extinguit. Similiter etiam, ut aquam immerſionis, ubi totus chorus virtutum, & gratiarum ſubmergitur, ut vinum inſaniſſimæ ebriationis, ut toxicum peſſimæ, ac turpiſſimæ enecationis, ut adulteria fallaciſſimæ blanditionis, & ut ſpurcitiam execrandæ abominationis. Verùm quoniàm nec effugere, neque etiam fugare poſſibile eſt communitati hominum in ſtatu præſentis corruptionis abſque detrimento fructus nobiliſſimi, quem prolem diximus, & abſque damno naturæ noſtræ multiplicationis, neceſſariò conſulendum fuit generi humano, & excogitanda, ac providenda via media, adhibendumque remedium, quo nec ipſa fugeretur in damnum fructificationis, neque poſt eam abiretur in tam multiplicem perniciem euntium. Jam autem declaravimus nullum eſſe remedium, nullamque viam mediam, quâ occurratur utrique iſtorum periculorum, præter matrimonium. Quòd ſi quis dixerit, quòd in operibus naturæ opus generationis eximium eſt, propter precioſitatem fructus, & ideò creator, & inſtitutor naturæ inſtituit ipſum inter omnia corpora delectabiliùs, ut ei operi propenſiùs, & inſtantiùs intenderetur. ſi enim tantâ diligentiâ, & labore, inſtatur ab ipſis hominibus multiplicationi cæterorum animalium, immò etiam multò fortiùs inſtandum eſt multiplicationi hominum Reſpondemus, quia & iſte fructus eſt, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus ſicut enim delectationem in potu, aut cibo magis facit, & auget vehementia, & ardor ſitis, & famis, quàm ipſa potatio & comeſtio: ſic delectationem in uſu mulierum magis facit vehementia, & ardor concupiſcentiæ: & ſicut comeſtio, & potatio per ſeipſas non ſunt delectabiles, ſed per eſuriem, & ſitim: ſic nec commixtio maris, & feminæ, per ſe ipſam delectabilis eſt delectatione carnali; habet enim delectationem ſpiritualem, hujuſmodi com-

Pruritus

Animale adverſus ſpirituale.

Epicurei.

In voluptates corporis.

Matrimonium optimum remedium.

Nota.

mixtio duplicem; primam ſcilicet naturalem, quam faciunt ſpes, & amor proli, ſi cujus ſimilis invenitur in omni aratore, & ſeminatore, & omnis generis agricolatore, quibus ſpes, & amor fructus etiam acerbiſſimos labores agricolantium delectabiles faciunt. Quia verò ea quę à creatore sũt, ordinata sũt; contra ordinem verò eſt, ut id quod melius eſt, ſit proter minus bonum, aut id, quod nobilius eſt ſit propter vilius: vilior autem eſt voluptas ex opere generationis, quàm ipſum, & minus bona: quare nunquàm ex ordinatione creatoris eſt opus generationis propter voluptatem, quæ eſt ex illo. Ampliùs Cùm vis generativa non ſit, niſi propter fructum prolis ex inſtitutione creatoris, nec opus generationis, quod non eſt, niſi via ad fructum, debet eſſe niſi propter ipſum. Intorquere ergo ipſum in alium finem abuſio eſt cõtra ordinationem creatoris. Ampliùs. Si ſufficit in alijs operibus agricolationis, ſpes & amor fructus, movere agricolas ad opera ſua, & ſufficit etiam agricolis ad eos movẽdos in parte iſtâ: quantò fortiùs ſufficere debuit, & iſti, & illis in illo opere tam nobilis agricolationis, hoc eſt, in commixtione maris, & fœminę, ut ſola ſpes & amor prolis eos naturaliter ad opus generationis moverent? Quantò etiam magis decuit creatorem hanc ſpem, & amorem augere, qui recti ſunt, dùm in finem debitum ſolummodò intendunt, atque reſpiciunt, quàm iſtum curvum amorem ſcilicet voluptatis? maximè cùm iſte amor, iſtum finẽ, & fructus prolis impediat, & opus generationis, quod in finem fructus, & prolis dirigendum, & exercendum erat ad ſe rapiat, & in ſeipſo ſtare cogat; ita ut non ſolùm fructus prolis non curetur à cõmiſcentibus, ſed ut etiam non proveniat, procuretur, ne voluptatem ipſam aut minuat aut ex toto etiam tollat? Ampliùs. Ipſa voluptas ſuo augmento, & vehementia impedit fructum generationis: qui enim maximè ardent hujuſmodi concupiſcentia, paucæ generationis ſunt, & pauci fructus, aut nullius, & citò ſteriles efficiuntur, & ad generationem inepti, ſive propter hoc, quia ex hujuſmodi ardore ſemen generationum conſumitur, ſive quia frequentatio ipſius commixtionis, ne in vitam coaleſcat hujuſmodi ſemen impedit: quod apparet in mulieribus proſtitutis, quę rarò, vel nunquàm concipiunt, vel nimio ardore exhauſtę, vel nimiâ frequentiâ turpitudinis ſemen in ſe vitam habere, & coaleſcere prohibente. Manifeſtum eſt autem indicium; multiplicatio concubinarum, quas falſo nomine uxores nuncupant, & contra naturæ legem eſſe, & Deo penitùs non placere, & quod multiplicationem gentis ſuę, quam per hoc intendunt ſarraceni non aſſequantur: in quocunque enim regno alterius gentis ejuſdem amplitudinis, & fertilitatis terrę invenitur tanta numeroſitas populorum indigenarum, quanta in quocunque regno gentis ſarracenorum, niſi forte peſte, aut gladio, aut alio incommodo ſecus contingat. Quare manifeſtum eſt, quòd multiplicatio uxorum & opera quam dant generationi, non efficiunt gentis ſuę multiplicationem, quam intendunt, neque caſtitas conjugalis, & ſingularitas matrimoniorum diminutionem, aut detrimentum parit gentis noſtræ, quam diminutionem in ſuâ gente tantopere formidant. Diligenter autem attendentibus in hoc manifeſtum, ſatis ornatum eſſe virum, cujuſcumque conditionis, & etiam quantęcunque potentiæ, aut opulentię ſit proviſione, & exhibitione domus unius, etiam mediocris numeri, quę eſt 12. continens ſibi liberos cum familia neceſſaria, & decenti, etiamſi Rex ſit præpotens, atque ditiſſimus pro congruentiâ gloriæ ſuæ, ac magnificentię vix poterit duodecim filijs decenter, atque competenter

Vis generativa ad quid.

Qui ardent cõcupiſcentiâ parum generant.

Vide.

E providere. Poterit utique eis tanquàm ſervis veſtitum, & cibaria providere, & hoc abſque onere, & difficultate: non autem ut regis filijs, nec ut decet celſitudinem regiam. Et quia proportionalia ſunt onera hujuſmodi divitiarum, ſeu potentiarum ipſis divitijs, & potentijs, manifeſtum eſt hujus numeri domum omnis generis divites onerare, pauperes verò importabiliter. Vix autem invenitur vir, & uxor qui educando, & erudiendo, omnique modo providendo, duodecim liberos ad virilem perducant ętatem: & quia quod eſt nidus avibus, aut nido ſimile, hoc eſt domus hominibus, unus autem, & una tantùm in uno nido pullificant; ſic unus & una tantùm in una domo generant, & hoc eſt per ſe proprium matrimonij, domum ſcilicet unam ædificare, propter quod mas, & fœmina patrem, & matrem relinquunt, ſibiq; ad invicem adhærent, ut ſibi aliam domum ędificent. Sarraceni verò non domos ædificare, ſed civitates ſingulas intendunt, & infra domorum ſingularum anguſtias concludere civitates, miſerâ cæcitate domum, & civitatem pa-

F riter confundentes, dùm domum non priùs ædificare contendunt, quàm civitatem immò civitatem, ut diximus, intra domum; civitas enim omnis quædam multitudo domorum eſt. Manifeſtum ergo eſt, matrimonia ſingularia, ſcilicet inter unum, & unam, ipſos limites, & anguſtias facultatum, ac divitiarũ requirere, & quantumcunque ampla, ipſarum opulentiam ſatis onerare, & extenſionem ſeu multiplicationem ipſorum, aut non ſatis eſſe portabilem facultatibus, aut nullatenùs decere humanam naturã. Ex quo & aliud inconveniens ſequitur manifeſtum videlicet tanta inhumanitas, tantuſque filiorum cõtemptus, ut ipſi parentes non pluris habeant proprios filios, quàm porcos ſuos: dum ſimul ad forum rerum non aliàs, filios adducunt ad vendendum, nec aliter uxores ſuas habeant, quàm porcos, æqualiter enim de fœcunditate propriarum uxorum, quęſtum faciunt, ut porcorum ſuorum. Jam ergo manifeſtum ex his, quia matrimonium eſt remedium infirmitatis, & ſalus, & conſervatio fœcunditatis,

G propter quam dictum eſt, quòd nuptiæ implent terram & quia infirmitas eſt ardor, & febris virtutis generativæ: ardor, quia exceſſus caloris, febris, quia eſt ſupergrediens curſum naturę, naturę dico ſui primitivâ inſtitutione: & intellige admirandam divinæ bonitatis ſapientiã, quæ malo iſtius infirmitatis tam benè utitur. Tantus quippe eſt dolor partus, tanta ærumnoſitas prægnantium, tantus labor, & miſeria nutrientium, ut ad opus generationis, aut nulla aut pœnè nulla, ſemel ab his liberata reverteretur mulier, niſi eam illecebra voluptatis hujus traheret, & concupiſcentiæ ardor urgeret. Idem dicimus, & de viris; non enim eſt leve onus providere prægnantibus, enixis, & nutrientib. Similiter cuſtodire parvulos, nutrire, & erudire. Quapropter ab opere generationis omninò deſiſterent, niſi eos ad illud concupiſcentiæ carnalis infirmitas impelleret,

H niſi ipſos intentio ſublimior charitatis, & juſtitiæ aut boni alterius, de quibus ſupra mentionem fecimus, ad hujuſmodi opus induceret.

Matrimonia ſingularia.

Nuptiæ.

CAPUT IX.

Quæſtiones quatuor ſingulares author eleganter pertractat, & explicat.

POſt hoc relinquitur nobis determinare quæſtiones circa hoc: hæ autem ſunt numero quatuor. Prima eſt, quæ ſit virtus ſacramentalis matrimonij, ſcilicet quam gratiam præſtet, & quod remedium

Prima quæſtio.

contra

contra peccatum, & hoc ſacramentaliter; manifeſtum enim eſt quòd ipſa contrarietate, quam habet ad proſtitutionem fornicariam, & abominationem ſodomiticam, adjuvat conjuges contra illas: nec minùs manifeſtum eſt intelligentibus inquam ſui merito apud Deum, contra carnalium inquinationum execrationem, apud largiſſimum retributorem omnium bonorum Deum remedium obtinere conjugibus: qui enim ea piâ intentione vinculis matrimonialibus ſe aſtringunt, & onera matrimonii, quæ tam gravia ſunt, ſubeunt, ut Deo ſe immaculatoſâ prohibitis cõtaminationibus carnis cuſtodiant, & ut eidem filios generent & nutriant, & ne per infirmitatem carnis ipſum offendant, dubitandum non eſt eos apud ejuſdem miſericordiam promereri, quod intendunt; præſtò enim eſt Deus adjuvare conantes ad ipſum, & manum ſuam porrigere venire cupientibus ad ipſum: neuter autem eorum modorum ſacramentalis eſt; quod enim facit matrimonium virtute ſuâ eſſentiali, hoc eſt, contrarietate, aut quod facit merito ſuo, non facit virtute ſacramentali, ſive virtute benedictionis, & orationis, quę conſuevit fieri ſuper nubentes. Ad hoc autem reſpondemus, quòd dignè piéque ſuſcipientibus ſacramentum iſtud, reverenterque ſervare volentibus, ipſa virtute ſacramenti præſtatur multum refrigerium contra ardorem concupiſcentię carnalis, ita ut interdùm etiam ad proprias uxores juvenes, & corpulenti ciborumque, & potuum opulentia, & delitiis inceſſanter utentes, frigidi ſint, licet ipſæ ſpecioſę ſint: ad alias autem mulieres pœnè gelidi, etiamſi ſpecioſæ ſint. Idem & de mulieribus didicimus, non ex rumuſculis hominum, aut opinione, ſed de ipſa experientiâ, & certitudine, loquentes ex ipſo eorum teſtimonio, quibus hoc divinitùs datum eſt, in ipſâ ſuâ confeſſione hoc cognoſcentes. Non invenimus autem, cui attribuere poſſimus donum iſtud tam magnum, tamque mirabile, niſi virtuti ſacramentali ipſius matrimonii: quod autem ſeceùs accidit in pleriſque conjugatorum, peccatis eorum imputandum eſt, qui non vel piâ intentione matrimonium contraxerant, vel non eâ reverentiâ, & honore, quo decet, illud habent. Utrùm autem ſacramentum veri nominis, & ſacramentalis virtutis ſit, ſi præter nuptialem benedictionem, & orationem, quam habere poteſt, contrahatur. Verùm certum eſt, quia & ſacrum ſignum eſt, & ſacrans, ſive ſanctificans virtute eſſentiali, ſeu contrarietatis, ut diximus, & forſitan merito, dummodò nuptialis benedictio non contemnatur; ſed virtutem ſacramentalem omninò non habet, nec veri nominis eſt ſacramentum, niſi ſicut diximus. Unde & matrimonium apud fideles, & & apud infideles, ęquivocè dicitur: apud infideles enim non eſt, niſi ſicut diximus: apud fideles autem & illo modo, & inſuper ſacrans benedictionis virtute, quod eſt proprium verorum plenæ virtutis ſacramentorum. Secunda quæſtio eſt circa virtutem virginitatis & continentiæ, contra quas multi nequiſſimè ſenſerunt; ſi enim proſtituta fornicatio, & ſodomia belluæ naturę humanæ inimiciſſimæ, & fructus ejus vaſtatricis, ſæviſſimè de medio exterminandę ſint, eo quòd fructificare nobiliſſimam arborem humanę naturæ non ſinunt: idem autem faciunt virginitas, & continentia: ergo inimicæ humanæ naturæ ſunt, & de medio tollendę. In quo reſpondemus, quia virginitas & continentia, non impedimentum, aut deſtructionem hujus fructus quærunt, ſed immaniſſimam belluam, immò horrendiſſimã voraginem carnalis voluptatis formidantes, quam operi generationis inſidiari non dubitant, ſemen retinent, & ab opere iſto ſe continent. Quemadmodùm ſi agricola ſciret Lupum, aut Leonem inſidiari ſibi, & propter hoc agrum intrare non auderet, & ſemen in eo ſpargere, inimicus non eſſet habendus fœcunditati ipſius agri; ſic virgines, & caſti non inimici habendi ſunt fœcunditatis humanæ, ſed magis ſibi proſpicientes, & cauti: ſimiliter qui hujuſmodi agricolam, ne in agro tali ſeminaret averteret, inimicus fœcunditatis agri nullatenùs habendus eſſet, ſed potiùs amicus agricolæ reputandus. Cùm ergo fœmina ſit ſicut ager humanę ſeminationis, & maſculus ſicut agricola inſidiatur autem in hujuſmodi agro beſtia fallaciſſima voluptatis ipſi agricolæ; virginitas & continentia, quæ hujuſmodi agrum non colunt, non ab agro, vel ejus ſeminatione, ſed à bellùę inſidiantis faucibus avertunt, & amicæ agricolæ talis manifeſtæ ſunt: nullatenùs autem agri, vel agricolę inimicæ. Quamquàm & ſublimior, plerunque, eſſe debeat virginitatis, & caſtitatis intentio; qui enim amore, & honore cœleſtis ſponſi, & ipſam voluptatem, & omnem fructum prolis deſpicit, ne eidem impedimento eſſent, quo ſinceriùs, atque liberiùs amori & honori ejuſdem vacaret, declinat, & fugit: omnia hæc quodammodò ipſi immolat. Quemadmodùm David quondàm aquam ciſternæ, quam vehementer concupiverat, volens bibere libavit domino, ſicut legitur 2. Reg. 23. Proſtitutæ libidinis, & ſodomiticæ abominationis homines in ipſas fauces hujus beſtię irruunt, & in volutabrum ſpurcæ voluptatis toto præcipitio ſe demergunt, non ſolùm de induſtriâ fructuum declinantes, ſed etiam ipſum opus, quod debuit eſſe generationis in turpitudinem detorquentes, & ad fructum penitùs inutile efficientes. Reſponſum etiam eſt per hanc vitam & per exemplum præmiſſum ad illud aliud, quod nonnullos ſarracenorum in errorem induxit; viſum enim eſt eis de maſculo ad generationem ex complexione apto, quòd ſeminare debeat in omni agro, hoc eſt, in omni muliere fœcundâ, dummodò hoc poſſit ſine invidia alterius, quod dicunt propter mulieres, quæ maritos habent; idem enim exemplum belluæ reſponderi poteſt de omni agro, quod de uno reſpondimus. Reſpondemus autem & aliud. Si alicui talentum traditum eſſet ea conditione, quòd ſive in eo negociaretur, ſive non, illud tamen integrum & illæſum ſervare, & reddere teneretur domino ſuo: cùm terra autem negociationis eſſet plena latronibus, atque raptoribus, aliiſque periculis innumeris, dubium etiam eſſet eidem, & omninò incertum, an lucrum de negociatione proventurum eſſet, an non. Manifeſtum eſt, quia in hoc caſu tutiùs eſſet ei ſuperſedere negociatione, & duo ſimul pericula declinare, videlicet ne ſimul operam laboris ſui perderet nihil lucrans, & inſuper creditam ſibi ſortem. Iſte caſus, in quo ſunt virgines omnes, & iſti; unicuique enim velut talentum ſibi creditum, & commiſſum à Deo eſt ipſemet, vel anima ejus, quam ſervare, & reddere integram, & illæſam tenetur Deo creditori. Terra negociationis ipſa fœmina eſt, ut ſtatus utendi fœmina pleniùs ipſa illecebris voluptatum, velut latronibus, qui corda furantur, & aliis difficultatibus, à quibus niſi fiat violentia, velut à violentiſſimis raptoribus nemo eripitur atque evadit. Lucrum verò hujus negociationis fructus eſt prolis, negociatio ipſum opus generationis: de iſto lucro dubium, aut omninò incertum eſt, an proventurum ſit ex opere, vel opera generationis. Quia ergo quod tutius magis eligendum, manifeſtum eſt, quòd magis eligenda eſt virginalis ſecuritas, quàm conjugalis diſcriminoſitas, & hoc eis potiſſimùm, quos infirmitas carnis ad id, quod minus bonum eſt, non impellit. Hoc autem eſt quod innuit Apoſtolus

Virtus ſacramenti matrimonialis.

Nuptialis benedictio.

Secunda quæſtio.

Pro virginitate.

Fœmina ager humanæ ſeminationis.

Pro virginitate.

Nota.

Pro virginitate.

1. ad Cor. 7. Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori, & diviſus eſt. Qui autem ſine uxore ſolicitus, quæ domini ſunt. Et iterùm in eodem. Melius eſt nubere, quàm uri. Qui enim ardent concupiſcentiarum deſideriis, ne urantur, neceſſe habent repetere refrigerium, ac remedium nuptiarum. Reſpondemus autem ad aliud, quia non licet cuiquam ſeminare ſic, niſi in agro proprio; non poteſt autem fieri muliebris ager cujuſquam viri proprius, niſi per matrimoniū. Amplius Furtū eſt contrectatio rei alienę invito domino: manifeſtum autem eſt, quia omnis mulier, & omnis vir, res Dei eſt jure pleniſſimo, ac ſingulariſſimo. Non licet ergo illis ſe invicem contrectare, niſi quomodò vult, & quandò dominus; non autem, ut contrectent ſe, vel utantur ſe invicem, niſi matrimonialiter; omnis enim alia contrectatio Deo diſplicet propter ſui turpitudinem, & nocumentum, quod inſtat humanæ naturæ; omnis enim alius uſus eorum invicem, omnis alia commixtio maris & fœminæ, aut amatoria eſt, aut meretricia, aut extraordinaria, quam à ſodomia non multùm diſtinguimus. Jam autem declaravimus turpitudines iſtas commixtionum, & nocumenta, quæ naturæ humanę irrogant: propter quas cauſas eas Deo diſplicere jam dubium non eſt. *Vide.* Declaratum eſt ſimul non aliam conjunctionem maris, & fœminæ Deo placere, quàm eam, quæ ſacramento matrimonii, & excuſatur, & quantùm in eo eſt, ſanctificatur. Ampliùs. Intuere diligenter ipſam honeſtatem matrimonii, decoremque ejus, & utilitates, & videbis hæc omnia apertiſſimè indicare, quòd ſola conjunctio maris, & fœminæ, quæ ſecundùm ipſum eſt, Deo placita eſt, & accepta, non impoſita præcepto, vel debito neceſſitatis, ſed magis indulta defectu humanę infirmitatis, & colorata conſervatione fœcunditatis.

Tertia quæſtio. Tertia quæſtio, quæ non mediocriter movit, & movet adhuc ſapientes ſarracenorum, & nonnullos Judæorum, hæc eſt, cùm toto tempore graviditatis propter inutilitatem ſeminationis abſtinendum ſit viris ab uxoribus; illo enim tempore inutiliter ſeminaretur proles; ſimiliter tempore enixionis, ſeu purgationis ex partu, eo quòd periculosè ſeminaretur ſimiliter tunc proles, propter periculum lepræ, & aliarum occaſionum, quæ ſeminatis eodem tempore partubus, aut innaſcuntur, aut poſt nativitatem accidunt: manifeſtum eſt ad modicum tempus conceſſum eſſe uxorum propriarum uſum. Toto ergo reſiduo temporis neceſſe eſt ocioſam eſſe vim generativam in eis, & incontinentię patere periculis ſine multitudine uxorum, quemadmodùm etiam ſine multitudine agrorum, ut quemadmodùm ſeminato uno agro ſeminatur alius, & non eſt otioſus agricola; ſic & una imprægnatâ, impregnetur, & alia, ne ſit otioſus vir, qui eſt in parte iſtâ, velut naturæ agricola. *An plures uxores ſint licitæ.* Similiter & dum unus ager ad ſuſcipiendum ſemen pręparatur, & ad ſeminandum nondùm aptus eſt, ſeminetur, qui ad ſeminandum pręparatus eſt: præparatur autem mulier ad ſuſcipiendum ſemen, & fovendum, atque concipiendum purgatione menſtruali. In quo reſpondemus eis, quia frænanda eſt concupiſcentia carnis, & moderanda propter pericula ſpiritualia, quæ ſupra tetigimus, & propter ſpirituale bonum continentiæ ſimiliter, quod expreſſimus. Moderanda eſt etiam propter prolem, quæ propter hoc naſcitur uberior, robuſtior, & modis omnibus laudabilior; ipſa enim frequentia hujuſmodi ſeminationis, ſemen humanę generationis diminuit, tam ſubſtantiâ, quàm virtute. Non eſt ergo otioſus agricola, qui de otio ſuo tot fructus ſpirituales, & ipſum corporalem laudabiliorem, colligit, & reportat fructum. *Nota.* Nec negamus incontinentiæ ſemper imminere pericula maribus, & fœminis, quandiu fervet concupiſcentia, ſed ea habere ſcimus matrimonii fortiſſima præſidia, quæ matrimonio debitam reverentiam ſervaverunt, & honorem. Nec dubitamus ullatenùs illis adeſſe, & præſto eſſe, divinę gratiæ, & virtutis auxilia, qui propter Dei honorem, & gloriam contra carnis illecebras, & deſideria ſtaterint, & ſtuduerint pugnare. Has autem cauſæ multò fortiùs cogerent ſupplendum eſſe mulieribus virorum defectum, cum ipſæ magis pateant incontinentiæ periculis utpotè infirmiores hac parte, & concupiſcentiæ vehementioris; viro enim ægritudine detento, aut in negociatione in remotis partibus occupato, aut aliis de cauſis, ad tempus à cohabitatione corporis uxoris prohibito, providendus erit vir alius uxori, ne ager illo tempore ſit ocioſus, & ne ipſa uxor incontinentiæ pateat periculis, quod eſt manifeſtum inconveniens. *Inconveniens.*

Quarta quæſtio de multitudine. Quartam quæſtionem nobis pariunt multa exempla patriarcharum, & regum ſanctorum, ſicut Abrahæ, Jacob, & David, qui omnes multitudinem uxorum leguntur habuiſſe, & inſuper etiam Jacob, & David concubinas, nec propter hoc nomen ſanctitatis amiſerunt: multitudinem enim uxorum approbare videtur vetus lex expreſsè, ſicut in libello repudii. In quo reſpondendum eſt, viros ſpiritu Dei præditos, nihil temerè, nihil abſque Dei conſilio, & revelatione in rebus tam diſcriminoſis egiſſe, & Deum ex certâ cauſâ aliquid ultra communem legem indulſiſſe; ſciebat enim eos velle portare onera multitudinis matrimoniorum, ut largè utamur vocabulo matrimonii. Sciebat eos ſervare fidem multis uxoribus, magis quàm unum ex hominibus noſtris temporis, uni ſoli uxori. Sciebat & eos ſpecioſitate uxorum, & multitudine, eâ temperantiâ uti velle quâ propagandæ proli, & non carnis voluptati inſervirent. *Nota.* Quemadmodùm ergo indulſit eis divitias, & gloriam, quibus uterentur cum modeſtiâ, & humilitate, ſic multitudinem uxorum, ac ſpecioſitatem, quibus uti noverunt, cum temperantiâ, & caſtitate. Abſque iniquitate tamen, & injuriâ alterius, potuit omnipotens Deus ſtatutor legis matrimonialis contra legem illam diſpenſare, cum quibus voluit, & illi derogare, qualiter voluit, & privilegiare in parte iſtâ, & eximere ab hujus ſervitute, quos voluit, maximè cum, qui humilis, & ſanctus privilegio libertatis iſtius meliùs uti noſſet, quàm nos ſciamus vinculo ſervitutis. Rectiùs autem dicitur ſanctos patres uxorum multitudinem ſuſcepiſſe, quàm duxiſſe, ut potiùs hoc factum ſit de eis divino conſilio, vel mandato, quàm ipſos illud feciſſe; *Nota.* cui enim videri poteſt viros ſanctitate, & gratiâ eminentiſſimos, timore Dei pleniſſimos, nuptiarum multitudine non tam laſcivire voluiſſe, quàm etiam ſeipſos libidini proſtituiſſe. Veriſimile etiam, & modis omnibus fide dignum, eos veri ac vivi Dei cultum religioſum ampliare, ac dilatare voluiſſe, ac pro viribus ſtuduiſſe. Quod cùm doctrinâ, & exemplis, pertinaci rebellione idolatrarum, & perverſitate corruptionis, facere impedirentur, & prohiberentur, prudenti conſilio genus ſuum multiplicare elegerunt, ut ſaltem in ſuis verę religionis invenirent ſuſceptionem facilem, quam alieni contumacia invincibili reſpuebant; non enim ignorabant ſpiritu Dei docti homines filios ad imitationem patrum naturaliter pronos eſſe, ad eorundem doctrinam capiendam, atque tenendam, faciliores, & difficiliùs averſibiles ab eiſdem.

Noverant

Noverant quid virtutis habeat, & efficaciæ generis, ſeu cognationis amor, quàm fortiter natura impreſſerit univerſorum, & ſingulorum cordibus, credendum eſſe patribus, & parendum. Quare manifeſtum eſt intelligentibus, eo profundiſſimo ſapientiæ conſilio hos uſos fuiſſe in parte ipſa, quo ipſius natutæ conſilium contra tenebras errotum impietatis, contra veſaniam idolatriæ, contraque totius humanæ corruptionis perverſitatem, & nequitiam advocarent, & vis generativa corporis, virtutem generativam ſpiritualem, ſicut reverà dignum & juſtum eſt, adjuvaret, gratiæque natura ſerviret, & vinculis neceſſitudinum, hoc eſt cognationum, & affinitatum retraherentur ab utraque morte ſanctorum filij, & retraherentur ad vitam, ſecuréque & abſque periculo, & generarentur, & naſcerentur, quos parentum religio naſcentes acciperet, ſalutariſque doctrinæ vivificorum exemplorum præſidiis ab utraque, hoc eſt, nativâ, & acquiſitâ, cottuptione ſervaret. Tales ergo meritò decuit, & etiam oportuit, filios non ſolùm generare, ſed etiam generationem eorum multitudine uxorum multiplicare, qui eos non morti gignerent, nec mortis pabulum efficerent, ſed vitæ natos ſtatim traderent, vitæque erudiendo, & inſtituendo ſervarent. Cæteri hominum quemadmodùm quercus ſilvarum porcis infernalibus fructificabant, & de ipſis ventribus matrum ipſi fructus liberorum nullo pietatis præſidio excepti, ſive protecti infantes, porcorum infernalium pabulum, quemadmodùm poma putrida, cadebant. Potuit autem eſſe in aliquo tempore major multitudo mulierum in populo Dei, quàm virorum, & ideò neceſſe fuit unum virum multas ducere, ne cùm ipſe mulieres continere, vel non poſſent victæ concupiſcentiâ, vel non vellent amore poſteritatis, aut forſitan voluptatis, iſta occaſione viris ſe idolatris copularent, ſicque factæ ſub poteſtate eorum à Deo averſæ ad idolatriam ſe transferrent. Potuit etiam eſſe illa infirmitas virorum tunc temporis, cùm nec erant eruditi, nec in verâ religione firmati, ut multitudinem uxorum æmulantes, idolatris adhærerént; ſicut & multitudine divitiarum eos ex hoc bonos, & ſe miſeros reputarent; non enim minor fuit uxorum concupiſcentia ab initio, quàm divitiarum cupiditas, nec minus habuit æmulationis, maximè viris, aut in luxuriâ, aut inter luxurioſos enutritis. Adeò etiam exarſit ſemper in hominibus illis, hoc eſt tranſmarinis, concupiſcentiæ incendium, ut magna multitudo eorum nec etiam uxórum multitudine voluerit eſſe contenta, quantacunque ſpecioſitate pollerent; quin etiam in mares, & bruta animalia, cæca libidine inſanirent. Quid ergo facerent tam flagirioſi viri, ſi ad ſingularia, hoc eſt ad ſingularium uxorum matrimonia arctarentur? Quòd autem peſtis iſta in iſto populo Judæorum invaluerit, expreſsè apparet 19. Judicum: ubi vix filii Benjamin parentes levitæ uxorem ejus nepharia abuſione ſuffocaverunt. Ut ergo & periculo idolatriæ, & flagitioſitati ſodomiticæ, & æmulationi inſipientiæ occurreretur: ut cultus Dei qui in alienigenas non poterat, in filiis ſaltem ſanctorum propagaretur; multitudo uxorum, aut tolerata eſt, ne deteriora, ut diximus fierent, aut ſuſcepta divino conſilio, ut gens ſanctorum multiplicaretur, & divini cultus religio dilatáretur. Quantus enim honor ſanctæ poſteritatis ſanctis mulieribus antiquitùs fuerit, evidenter oſtendit Sarra, quæ virum ſanctum, & ſanctorum patrem Abraham ingredi ſuaſit, vel potiùs coegit, ad ancillam ſuam Agar, ſicut legitur Geneſ. 16. Eodem modo & filiæ Loth, quæ patri ſuo dormienti commixtæ ſunt, ut vel ſic generis ſui ſemen, & quodammodò totius humani generis, quod ſubverſione ſodomorum timebant deperdi, quantùm in eis erat, ſervarent, atque ſalvarent. Viris ergo perfectis alia fuit cauſa, ut diximus multitudinis uxorum, alia laſcivientibus, alia deteriora timentibus; & hoc præcipuè in Dei mundo adhuc notitiâ, & culturâ novitio & rudi. Verùm perfectionis evangelicæ ſidere latiùs, & copioſiùs radiante, omnia hæc abrogata ſunt, & auctoritate divina interdicta: ſicut legitur Mat 19. Lucæ 16. Ubi ipſa veritas ore ſuo ſacratiſſimo uxorum multitudinem, immò etiam dualitatem, prohibuit, & ſeparationem exceptâ ſolâ causâ fornicationis, interdixit.

Nota. *Nota.* *Nota.*

CAPUT X.

De ritu divortiorum veteris teſtamenti, & ejus cauſis agitur in hac parte.

DE divortiis autem & repudiis, quòd iniquè, atque immiſericorditer, Judæi, & Saraceni, & ſentiant, & agant, facilè eſt fieri manifeſtum. Lex enim de repudiis, quæ legitur Deuter 24. permiſſio fuit, non præceptio, ob duritiam cordis Judæorum utcunque tolerata, hoc eſt lege non vindicata, quod ipſa veritas teſtata eſt Matthæi 19. Non enim in uxores quotieſcunque eis diſplicerent, graſſarentur ad mortem, ſuſtinendum repudium, ideſt ultione prætereundum, & non tanquàm adulterium vindicandum, duxit dominus. Jam autem declaravimus matrimonium jus eſſe perpetuum, & vinculum indiſſolubile, ubi ex eis cauſis, quas ſupra nominavimus, videre licet, ſi forſitan ea bona, vel bonum iſtud potiſſimum, propter quod maximè inſtitutum eſt, ideſt, matrimonium ſpirituale, impugnaverit. Cauſam verò fornicationis non ſolùm prudenter, ſed etiam juſtè ipſa Dei ſapientia, quæ Chriſtus dominus eſt, in 19. Matthæi, adjecit duabus de cauſis. Qui enim fidem non ſervavit thori maritalis, ut ei ſervetur, indignum ſe meritò reddit, & jus thori quod polluit, juſtiſſimè amiſit. Deinde ne viri ipſius hæreditas, quæ jure ſucceſſionis ad cognatos ejus, atque propinquos pertinet, tranſeat ad adulteros, hoc eſt ad filios ex uxoris adulterio genitos. Tertia etiam cauſa eſſe potuit, zelus virorum, qui maximè excandeſcere conſuevit in uxores propter adulterium. Ut ergo, & viris à morte ſpirituali, quam incurrerent uxores occidendo, & uxoribus à morte corporali per timorem divortii, & à morte ſpirituali quam fornicantes inciderent, provideretur, adjecit Dominus cauſam fornicationis. Sunt forſitan & aliæ literales, & ſpirituales, quas nos induſtriâ pertranſimus. Si ergo fornicata fuerit uxor alicujus, vel innupta maneat, vel viro ſuo reconciliari procuret. Sciendum tamen, quòd ex hac cauſa non conſuevit divortium celebrari propter fragilitatem temporum noſtrorum, videlicet, ne cum mulieribus ſe polluant, & mulieres ampliùs fornicentur. Et quia cauſæ, quæ ad fortiùs aſtringenda matrimonia introductæ ſunt, in ea intolerabiliter diſſolverentur ad omnem pene diſcordiam, quæ inter viros & uxores ſuboriretur, & quotieſcunque vel viro uxor, vel uxori vir alius plùs placeret, non ſolùm fornicaretur uxor, ſed etiam vir fornicationem procuraret uxoris: & ſic major pars matrimoniorum proculdubiò ſolveretur. Salubriùs ergo procurat reconciliationem eccleſia, & ſuſtinet, quòd adultera ad tempus ſuſpendatur à thoro maritali, ut iſtâ ultione, & ipſa erubeſcens humilietur, atque pœniteat, & ira mariti quieſcat, niſi forſitan

Lex de divortiis permiſſio non præceptio.

ſimili culpa fornicationis ſe maritus involvat, tunc enim ei non licet in uxore punire, quod ipſe noſcitur commiſiſſe, Sed de hoc jam jura edita ſunt, & eccleſiaſtica ſtatuta. Si quis autem quærat, cur viro ſolo fornicante, diſcedere uxori ab ipſo non liceat, in promptu reſponſio eſt, quia nec illa pericula literalia, neque ſpiritualia ſunt, quæ hæc cogant, & muliebris levitas ſub poteſtate viri potiùs coercenda eſt ac frenanda, quàm paritatis in virum audacia indulgenda. Quòd autem ex eis cauſis, quas ipſi ſufficientes ad hoc reputant, divortia eſſe non debeant, manifeſtum facimus his rationibus Prima enim eorum eſt odium, vel ira, ex quibus timetur mors uxoris. Secunda fœditas, qualis eſt lepra, vel jugis menſtruoſitas, hoc eſt, menſtruorum fluxus irrefragabilis. Tertia deformitas. Quarta ſterilitas quamque iſtarum dicunt ſaraceni ſufficere ad matrimonium diſſolvendum, & ex unaquaque licere viro ad alia vota ſe transferre. Quòd ſi verum eſt, licebit idipſum, & mulieribus ex neceſſitate, cùm non minus conſulendum ſit eis, quàm viris, & longè magis indigeant hujuſmodi ſubſidijs. Ampliùs. Si poſtquàm aliquot annis eam habuerit vir, leproſa efficiatur mulier, aut deformis, licebit ſecundùm hoc viro eam derelinquere. Certum autem eſt, quòd cùm leproſa, vel deformis effecta eſt, magis eget ſolatio mariti proprij, ut pote cui propter deformitatem, aut lepram præciſa eſt omnis ſpes aliarum nuptiarum. Ampliùs. Conſenſus, quo invicem conſentiunt mas, & fœmina, quamdiù durabit mulieris ſpecioſitas, ſanitas, atque fœcunditas, conſenſus amatorius eſt tantùm, ſive concubinatius, aut fornicarius, ſicut oſtendimus, quare qui ſic conveniunt, concubinariè tantùm, ſeu amatoriè conveniunt. Non eſt ergo inter eos niſi concubinatus, aut amatoria turpitudo, non ſolùm diſſolvendi, ſed nec ad horam etiam ſuſtinendi. Nihil ergo ad matrimonium de his: non enim refert quantùm ad matrimonium quid inter concubinarios, aut amatores agatur, neque nos de his hîc intendimus; conſenſus autem in perpetuam, & indiſſolubilem ſocietatem maris & fœminæ, ſolus matrimonialis eſt, hujuſmodi autem conſenſus manifeſtè prohibet divortia facienda eſſe, hujuſmodi enim conſenſu jus perpetuum alteri alter in ſe ipſo dedit & ad ſervandam invicem ſocietatem indiſſolubilem, ſeu individuam, ſe mutuò cõjunges obſtrinxerunt. Manifeſtum ergo, alterum alterius illum auferre non poſſe ſocietatem, quæ auctoritate divina firmata eſt, & diſſolvi per hominem non licet. Ampliùs. Manifeſtum eſt quia hunc amorem ſola peperit laſcivia, & non juſtitia; juſtitiæ ſiquidem pars eſt altera pietas: contra pietatem autem evidenter eſt, ut propter miſeriam mulier deſeratur, cùm propter ipſam miſeriam miſerendum ſit ipſius & intentio pietatis propria, finisque ipſius ſit miſeriam tollere, & lenire. Ampliùs. Quis per ſeptimanam unam habebit uxorem? perpauci quidem, atque rariſſimi, cùm tam facilis ſit uxorum deſertio, & hujuſmodi cauſæ divortiorum in majori parte maritarum inveniantur. Pauciſſimæ nanque ſunt, quæ non ſunt menſtruoſæ, atque leproſæ, aut deformes, aut odioſæ ſint maritis ſuis. Ampliùs. Quid reſtabit ſecundùm hoc viris iracundis & ad odij paſſionem animalibus, niſi multitudinem mulierum, unam poſt aliam polluere, & nuptias ſeptimanis ſingulis innovare, cùm nulla inveniri poſſit, cum qua valeant in pace, & concordiâ diebus pauciſſimis habitare? Ampliùs. Secundùm hoc non erit matrimonium, niſi præſentatio, & quaſi probatio fœminarum. Ampliùs. Quàm iniquè, quàm impiè agatur per iſta divortia contra mulieres, quis non videat; poteſt enim odio haberi mulier ſine culpâ ſuâ, & ita poſtquàm deflorata fuerit à viro, & etiam gravidata, dimitteretur à viro vilificata ſimul & onerata, cæterisque viris deſpicabilis effecta, & hoc totum ſine culpa ſua Quare iniquè hujuſmodi deſertor non aufert ei ſe ipſum ſolùm, ſed etiam omnes alios viros, quantùm in eo eſt, dum talem eam efficit, talemque dimittit, ut inde poſſit omnibus viris alijs diſplicere. Jam ergo apparet ex his, quæ diximus, neceſſitas matrimonij, quam coegit infirmitas, & utilitas ipſius naturæ humanæ, & qua ſervatur fœcunditas, apparet & eminentia virginitatis, & caſtitatis, qua non tam vincitur infirmitas, quàm etiam fragrantiſſimæ ſuavitatis ſacrificio & immolatur Deo carnis voluptas, & offertur quodammodò ipſa, quæ naſci videbatur poſteritas, & obtinetur ab immaniſſimæ belluæ voracitate ſecuritas. Eluceſcit etiam ex his ſtatutorum eccleſiaſticorum circa matrimonium rationabilitas; ut enim matrimonio ſpirituali liberiùs vacetur, ut ſpirituali copulæ arctiùs inſerviatur, ut ſpiritualis fœcunditas uberiùs propagetur, matrimonio carnali, quod non eſt niſi propter ſpirituale, quantùm ad uſum corporalis commixtionis vel ad tempus, vel perpetuò, ex conſenſu tamen mutuo conjugum derogandum eſt, ſicut docet Apoſtolus in 8. primæ ad Corinth. dicens: Iterùm autem ex conſenſu, cauſa orationis. Propter hoc fideles conjuges ſacræ obſervationis diebus cauſâ devotionis, & orationis, at amplexibus carnalib. abſtinent ex conſenſu: aut ſi non timent carnalis infirmitatis periculum, etiam continentiæ voto perpetuo ſe aſtringunt, etiam tantò veriùs, tantóque perfectiùs, matrimonij carnalis fidem mutuô ſibi ſervantes, quantùm ad obſervanda matrimonij ſpiritualis jura, cui carnalia militare totaliter debent, fortiùs ſe aſtringunt: non enim de ſubſtantia matrimonij eſt, nec de neceſſitate matrimonialis ſocietatis, commixtio corporalis, ſed potiùs medicamentum infirmitatis, & exceptorium humanæ ruinoſitatis, & adminiculum conſervatorium ipſius, quam diximus, ſocietatis, atque naturalis fœcunditatis, & hîc quidem finem tractatus iſtius faciemus.

Inconveniens. *Neceſſitas matrimonij.* *Conſilium.* *Cõmixtio corporalis.*

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Sacramento Ordinis incipit diſputare, proponens quid, & quomodo ſit dicturus.

POST hæc autem de Sacramento Ordinis, quod ſexto loco ſuperiùs ordinavimus, eo quod poſuimus inſtituto, hoc eſt per viam probationum, & declarationum tractare tentabimus. Primùm ſtabiliêtes ipſius eſſentiam ſtabilitatione appropriatâ, & ſpeciali. Deinde numerum ordinum. Tertiò operationes, & virtutes, quibus ab hæreticis inſaniſſimâ cæcitate ac pertinaciâ contradicitur. Dicamus ergo inprimis, quòd ſanctificatio eſt inter opera quæ miniſterio hominum exercentur, nobiliſſima, atque præcipua, neceſſariò ergo ſpecialem, ac proprium oportet ejus miniſtrum, appropriatosque habere miniſtros: ſi enim miniſtratio panis, & vini, cæterorumque carnalium, & temporalium in omni domo perfectæ diſpoſitionis per deputatos ſibi miniſtros adminiſtratur: quantò fortiùs in rebus ſpiritualibus ſolicitudo iſta, & diligentia adhibenda

Ordo.

Digitized by Google

eſt, ne confuſio ſcilicet, aut indecentia miniſtrorum, non ſolùm defectum, & imperfectionem, ſed etiam periculum pariat ſpirituale? Ampliùs. Cùm gratia ſanctificationis miniſtretur per homines hominibus, non autem proprio miniſterio, diſcretio certa fit inter miniſtros, quibus miniſtratur, immò velut oppoſitio quædam eſt inter ipſos: miniſtrare enim & miniſtrari oppoſita ſunt: ſic inter miniſtros & miniſtratos: quare alios oportet eſſe miniſtrantes & alios miniſtratos in miniſterio ſāctificationis; neceſſariò ergo inſtituendi ſunt in domo Dei magna, quæ reſidentia, & templum ejus eſt, qui miniſterio ſanctificationis ſpecialiter, & appropriatè deſerviant. Ampliùs. Ipſum miniſterium ſanctificationis ſanctum eſt, immò ſanctiſſimum; ad ſancta verò, vel ſanctiſſima neminem fas eſt unquàm ingredi, niſi aliquâ præſignificatione præparatum: *Ordo.* neceſſe ergo eſt ad miniſterium ſanctificationis ingredientes præſanctificari, & præſacrari: ſi autem ſacratio neceſſaria eſt, & ſacramentum: præter communem ergo gratiam ſanctificationis qua omnes fideles ſancti ſunt, neceſſaria eſt ſpecialis gratia, & ſanctitas, qua communiter gratia, & ſanctitas miniſtretur. Ampliùs. Quia domus Dei reverà domus eſt, *Oſtiarij.* neceſſariò habet oſtiarios, & cuſtodes & ſacrum auditorium ideſt ubi Dei mandata, atque judicia, cæteraque vitæ verba jugiter recitanda, & audienda ſunt ad Dei laudem, & gloriam, & hujuſmodi auditorium *Lectores.* neceſſariò habet libros ſcripturarum, & lectores, & recitatores ſanctiſſimorum verborum. Et quia templum Dei eſt, ubi ſacra luminaria accendenda ſunt, ac præferenda ſacris miniſteriis, neceſſariò habet *Acolyti.* acolytos, ſeu ceroferarios, qui ſacris luminaribus accendendis, & præferendis officio appropriatos diſcernant. Et quia peccatis exigentibus maligni ſpiritus interdùm corpora hominum obſident, & multiplici vexatione infeſtant, neceſſariò habet Eccleſia Dei ſpiritualis gratiæ ſervos, atque miniſtros, qui officii ſui poteſtate dæmones ab hujuſmodi invaſione coërceant, & à corporibus obſeſſis abjiciant; & hi ſunt, quos gratia nominationis dicimus exor- *Exorciſtæ.* ciſtas. Ampliùs. Quia neceſſariò habet Deus ſacrificium, ſive ſanctuarium viſibile, hoc eſt templum cultui ejus, & honori dedicatum, & conſecratum, habet neceſſariò, & vaſa cultus ejus miniſterio ſanctificata. Quapropter neceſſe eſt, ut habeat miniſtros templi iſtius cultui & miniſterio deputatos, & conſecratos. Generali ſiquidem cultui divino, qui non eſt, niſi religioſa, ac ſancta vita, vacare poteſt communitas hominum, & ſolicitudinem gerere ſuorum exteriorum, ſeu temporalium: cultui autem iſti ſpeciali, qui Deo in templo ſuo viſibili inviſibiliter impenditur, qui aſſiduitatem diei, & noctis requirit, intendere non potuit, nec poteſt communitas *Miniſtri cultus Dei* hominum. Quare neceſſe eſt ipſum cultum miniſtros habere determinatos, & proprios qui ejus ſolam gerant ſolicitudinem, & ab aliis ſeorſùm ſe faciant. Hi ergo qui in ſacris, ſive ſanctis, die noctúque verſari habent, neceſſe eſt, ut præter communis neceſſitatis gratiam, quam cum omnibus electis communem habere debent, ſanctificatione congruenti, ſive officiis conſecrentur: ſi enim templum, & vaſa, propter Dei honorem & cultum dedicanda, & ſanctificanda ſunt, ut in eis ipſi reverentiùs, honorificentiùs, & ſanctiùs ſerviatur; quantò fortiùs ipſi miniſtri ad hoc deputati ſanctificatione appropriatâ conſecrandi erunt? incomparabiliter enim *Nota.* plus pertinet ad miniſtros miniſterii ſanctitas, quàm ad templum, & vaſa ipſius. Ampliùs. Ipſe cultus templi, atque ſervitium, medius eſt, immò mediatorius inter ipſum Deum, cui impenditur, & communem religioſæ, ac ſanctæ converſationis cultum; ſic & miniſtri ipſius ex neceſſitate medii ſunt, & mediatores inter Deum, & alios ipſius cultores: quare gradu officii, & ſerviendi miniſterio propinquiores (ut ita dicamus) cæterorum hominum non ſolùm internuncij ad Deum, ſed etiam introductores. Sicut ergo in eo quod homines & communis religionis ad honorificentiam Dei cultores neceſſariam habent communem gratiam ſanctitatis: ſic in eo, quod miniſtri ſpeciales ipſius divini cultus ſpecialis, hoc eſt, qui ſpecialiter eidem & viſibiliter in hujuſmodi templo viſibili impenditur, neceſſariam habent ſpecialem gratiam ſanctitatis, qua huic cultui, & miniſterio ſpecialiter dedicentur, & approprientur: quare dedicandi, & conſecrandi ſunt dedicatione, & conſecratione, ſeu ſanctificatione ſpeciali, & ſuis officiis appropriatâ, & omni conſecratione, ſeu ſanctificatione ſpeciali, aut ſanctitas una aut duæ imprimuntur, ſicut ſupra in tractatu Baptiſmi oſtendimus. Neceſſe ergo eſt divinorum officiorum, ſacrique cultus miniſtros ſanctitate unâ congruenti ſuis officiis eſſe ſanctos, alioquin ad exercenda ipſa officia nullatenùs admittendos. Congruit autem ut dignè & laudabiliter miniſtrent in eiſdem ſanctè ſanctitatis gratiâ, quæ Deo gratum, ideſt placitum facit. Aliud autem eſt indignè miniſtrare, indignéque exequi ſuſceptum officium, vel miniſterium; aliud alienum penitùs uſurpare; qui enim aſſumpti *Attende.* non ſunt, ac deputati, conſecratique, & appropriati ſacris officiis, & ea exequi attentant vel aggrediuntur, alienum officium ſibi uſurpare præſumunt. Qui verò congruenti conſecratione ad hoc dedicati ſunt, & aſſumpti, licet peccatis, & vitiis polluti, miniſtrent in ſuis officiis: quod ſuum eſt, utique faciunt, licet irreverenter, & interdùm damnabiliter.

CAPUT II.

Definit auctor ordinem, ſecundum quòd Ordo eſt Sacramentum, & ſuam definitionem explicat, & exponit, quid ſit ordinari, ut in hoc propoſito accipiendum eſt.

DEclarabimus autem iſtud declaratione evidentiori, ac certiori per diffinitionem ejus. Quòd ordo eſt, ſecundùm quod hîc de eo intendimus, & *Ordo quid?* dicemus, ſanctitas prima, ſive ſanctificativa, quâ divino cultui exercendo, quis ſanctificatur, adſcribitur, & quodammodò intitulatur, ut in numero miniſtrorum ejuſdem deinceps habeatur. Intelligimus ſanctitatem primam, ſive ſanctificativam, quæ tam in hominibus ſanctificatis, quàm vaſis, quàm etiam templis nulla pollutione peccati, nulla inquinatione corporali, nulla prophanatione tollitur; alioquin, ut ſupra diximus in tractatu de Baptiſmo, ſolâ primâ pollutione vel ſublatâ Eccleſiæ conſecratione, in ſecundâ non committeretur ſacrilegium, cùm ſacrilegium committi non poſſit, niſi in re ſacrâ: non autem remaneret ſacra poſt primam pollutionem. ſed per pollutionem ſanctitas per conſecrationem acquiſita, tolleretur: quare nec in ejus contaminatione ſecundâ committeretur ſacrilegium. Quia ergo qualibet contaminatione ſemel ſacratæ rei committitur ſacrilegium, quod non niſi *Sacrilegiū quomodo committitur.* in re ſacra committi poteſt, neceſſariò in qualibet contaminatione remanet ſacra res, quæcunque Deo ſemel ſacrata fuerit. Hanc ergo ſanctitatem inſeparabilem primam vocamus, quia prima per conſecrationem infunditur, & præſtatur: ſanctificativam eandem ideircò diximus, quia per ipſam & cum ipſa, quemadmodùm per ſigillum & cum ſigillo regio, vel pontificali, temporale, & ſpirituale beneficium præſtatur. Unde & ipſa non tam ſanctitas

Digitized by Google

eſt, quàm etiam ſignum, & character ſanctitatis ſecundæ, quæ gratia eſt gratum Deo faciens, & acceptum, ſubjectum, & ab eis, quæ contra Deum ſunt, poſſeſſorem ſuum ſeorsùm faciens, & avertens, Deo ipſum mancipans, & adjiciens, ipſique illum adhærere faciens, & vacare. Qualiter autem ſignaculum, & character prima ſit ſecundæ, in tractatu præcedenti de Baptiſmo jam diximus. Quia ergo quædam vaſa, & loca, dicanda ex neceſſitate ſunt Deo, & appropriandæ cultui ejuſdem, & honorificentiæ & ad alios uſus nullatenùs transferenda; neceſſariò autem ſancta oportet eſſe, & Deo ſanctificata, quæcunque cultui ejus, & honorificentiæ appropriata ſunt, & addicta, prophana arcenda ſunt à ſanctis, ac ſanctificatis, eiſque nullatenùs admiſcenda; ipſaque ſancta ſupereminere debent, longéque præſtare communibus, & prophanis reverentia, & honore: quapropter vaſa, & loca Deo ſanctificata, diſtincta debent eſſe, atque diſcreta ab aliis, & hoc non niſi propter Dei cultum, & honorificentiam. Cùm ergo magis, majorque conſiſtat Dei cultus, & honorificentia miniſtris; multò fortiùs neceſſe eſt eos eſſe ſanctificatos Domino, diſtinctoſque eſſe, atque diſcretos ab aliis & hæc differentia vocabuli eſt aperta, cùm magis ſe ſanctis immiſceant, qui ipſa ſancta contrectant, circumferunt, cuſtodiunt, & totaliter adminiſtrant, quàm ipſa vaſa, vel loca ſancta: quare in pollutione, ſeu contaminatione ipſorum, vel alia qualibet injuria, majus, Deoque odibilius, ſacrilegium committitur, quàm in injuriatione locorum, ſive vaſorum, & hoc quidem per ſe manifeſtum eſt; magis enim injuriatur divino cultui, majoremque contumeliam Deo in ſuo cultu irrogat, qui miniſtrum ejus interficit, quàm qui vas miniſterii confringit. Quemadmodùm contra Deum magis præliatur, qui bellatorem ejus vulnerat, aut occidit, quàm qui vas belli, hoc eſt, ſcutum vel gladium lædit, aut deſtruit: ſi autem majus ſacrilegium, magis ſanctum eſt ſanctitate prima: quare neceſſe eſt miniſtros divini cultus magis ſanctos eſſe, & neceſſarium eos hoc modo ſanctificari. Ampliùs. Jam manifeſtum per ſe eſt ordinari nihil aliud eſſe, quàm ad divini cultus miniſterium pontificali benedictione, & manuum impoſitione ſanctificari: ergo ordinem neceſſe eſt nihil aliud eſſe, quàm ſanctificationem, ſeu ſanctitatem hujuſmodi pontificali miniſterio impreſſam. Quòd ſi quis dixerit, quia nec miniſtris, neque vaſis, neque locis, quidquam hujuſmodi benedictione imprimitur: ſequitur ergo, ut vaſa hæc in nullo à vaſis communibus, ſive ratione formæ, ſive materiæ differant, & quòd ſanctitas, de qua loquimur, nihil ſit: quare ſacrilegium ſecundùm hoc nihil erit, quia hoc modo nihil ſanctificari poterit, nihil eſſe ſanctum, cùm ſanctitas nihil ſit. Accidit ex hoc ex neceſſitate nullum honorem vel reverentiam impendendum eſſe vaſis locis, vel etiam miniſtris divino cultui deputatis, & adſcriptis, quàm aliis: hic autem eſt error, cui conſulendum eſt, & occurrendum magis pœnis, atque ſuppliciis, quàm probationibus; reverentia enim, & veneratio ſanctorum, non tam ſuadenda eſt, & declaranda rationibus, quàm motu, & ſenſu ſuppliciorum ingerenda contumacibus. Jam ergo clarum eſt ex his, quæ præceſſerunt, quia neceſſe eſt & ordines eſſe, & ordinatos propter divini cultus exhibitionem viſibilem, & quia neceſſe fuit vaſa, & loca ſanctificari Domino, & etiam miniſtros qui in locis hujuſmodi, ſeu templis divino cultui deſervirent. ſacra verò, ſive ſancta, nec cuſtodire fas eſt, niſi ſacratis, & ſanctificatis miniſtris.

Similitudo. — *Ordinari quid.* — *Neceſſitas Ordinis.*

CAPUT III.

Poſt Ordinis definitionem, explicat quorundam opiniones circa Ordinum numerum, nonnulla ex ritu Eccleſiæ primitivæ afferens.

POſt hæc loquemur de numero Ordinum, & dicemus, quòd nonnulli poſuerunt novenarium, ponentes Clericatum, qui in primâ Tonſurâ confertur, & ſummum Sacerdotium ſive Epiſcopatum extremò. Alii verò Clericatum dixerunt non eſſe Ordinem, ſed tantùm velut militiæ ſimplicem titulum, ut quemadmodùm cùm miles efficitur præcisè & ſimpliciter, nullum ei ſingulare, vel ſpeciale officium committitur, ſed in generali ad hoc, ut militet, aſſumitur, nec decurio, nec centurio, nec chiliarchus, nec dux cohortis, aut legionis, aut exercitus conſtituitur; ſic per primam tonſuram militiæ clericali ſimpliciter adſcriptus, non ex hoc alicujus clericalis officii ſpecialem dignitatem adipiſcitur. Qui verò clericatum ordinem ponunt primum, dicunt hujuſmodi ordinatis incumbere pſallendi officium. Et propter hoc pſalmiſtarum primum ordinem poſuerunt, ſecundum oſtiariorum. Qui verò ſeptem ordines tantùm ponunt, Epiſcopatum dicunt non eſſe ordinem, ſed honorem, ponentes Sacerdotium ordinem eſſe, ſed duos habentem gradus dignitatis. Et propter hoc ſecundi ordinis ſacerdotes, id eſt ſecundæ dignitatis in ordine ſacerdotii, ſacerdotes inferiores vocati ſunt, & in præfatione ipſâ conſecrationis ipſorum ſacerdotum ita legitur, ut cùm ſacerdotes ſummos regendis populis præfeciſſes, ſequenti ordinis viros ſecundæ dignitatis eligeres, & eſt ſequens expoſitio præcedentis, ita ut ſecundus ordo dignitatis, intelligatur ſecunda dignitas in ordine ſacerdotali. Verùm ratio ſeptenarii in ordinibus ſtatus Eccleſiæ primitivæ fuit, rerumque ſacrarum reverentia, & veneratio, quæ in primitiva Eccleſia calente adhuc ſanguine Redemptoris, & martyrum, & abundaſſe & floruiſſe noſcuntur. Quapropter nullos ad cuſtodiam ipſius loci ſacri, & vaſorum ſacrorum, niſi piè ſanctificatos ad hoc ſpecialiter, & conſecratos eccleſiæ primitivæ rectores & inſtitutores, Apoſtoli ſcilicet, & ſancti Martyres, duxerunt admittendos. Et hi ſunt, quos vocamus oſtiarios, ſeu janitores, quorum eſt primus ordo, primaque dignitas, hoc eſt minima, ſeu infima circa ſacras res, quibus divini cultus honorificentia exterior exercetur in templis. Quia verò verba vitæ inter ſancta meritò reputata ſunt, quæ etiam ſanctiſſima in ipſâ ſcripturâ vocantur, ſcilicet Eccleſ. 44. ad recitationem eorum ſimiliter ſanctificari ſpecialiter miniſtros proprios voluerunt, & hi ſunt quos vocaverunt lectores. Nullatenùs autem permittebatur aliis recitare, ſeu pronunciare in Eccleſiâ verba vitæ, ſive eloquia ſacra. Duo autem dederunt cauſam huic ordini, videlicet ſanctitas ipſa verborum, & ædificatio populi, ſeu eruditio; cùm enim non ſit populo ædificatio, ſeu eruditio ſalutaris, niſi per verba vitæ: hæc autem recitare, ſeu annunciare propter eorum venerandam ſanctitatem, non decet niſi ſanctos, ſicut legitur in Pſal. Peccatori autem dixit Deus, &c. coëgit ipſa religioſitas Eccleſiæ, ut ſanctificaretur ad hoc miniſter: deinde verò, ut gratia ipſius Eccleſiæ & poteſtas quam à Deo acceperat, videlicet ambulandi ſuper aſpidem, & baſiliſcum, & conculcandi leones infernales, ut virtus fidei, & imperioſitas ſuper poteſtates contrarias ad Dei gloriam, & ipſius ædificationem, & infidelitatis confutationem, clariùs, atque ſublimiùs elucerent, voluit miſericors Deus aliquos in eccleſia

Clericatus & Epiſcopatus à quibuſdã inter ordines ponuntur.

eccleſiâ ſuâ eâ gratiâ præditos eſſe, ut inſtar patriarcharum ſanctorum, atque cęleſtium, dæmones coercerent, & de corporibus obſeſſis, projicerent, iſtāque gratiam voluit hujuſmodi miniſtris pontificali benedictione, & oratione præſtari. Claruit autem iſte ordo, & ordinis gratia, videlicet coercendi, & abjiciendi dæmones, ſicut & aliorum miraculorum corruſcantia in eccleſiâ primitivâ. quod & imitari voluerunt auſu temerario ſeptem filij Scevæ principis judæorum, ſed temeritas eorum ab ipſo dœmone, quem ejicere tentabant, duriter repreſſa, & atrociter vindicata eſt, ſicut legitur Act. 19 Sic ne aliquis ſimili temeritate ſacris exorciſmatibus dœmones ejicere tentaret, ſtatuit eccleſia primitiva, ut niſi ad hoc inſtituti, & ordinati, talia nullatenùs præſumerent.

Exorciſta.

Quia verò ſacratiſſimum venerandæ euchariſtiæ ſacramentum non decebat abſque ornatu, & ſolennitate luminarium celebrari, quæ etiam non parùm decoris addunt cultui, & miniſterio tēpli; decuit, & oportuit, ut deputarentur ſancti miniſtri ad ea accendenda, & præparanda; non enim fas erat appropinquare ſacris altaribus, maximè tēpore, quo tantum ſacramentū celebrabatur, niſi pręſanctificatis: inter ōnia enim quæ de ſubſtantiâ ſunt templi viſibilis, altare ſanctiſſimum eſt, & longè ſolenniori ſanctificatione, quàm cætera conſecratur. Miniſterium ergo accendendi, thurificandi, ſeu præferendi luminaria in ſacro altari vel circa, vel ante ſacratiſſimam euchariſtiam, tantùm decuit ordini miniſtrorum, qui græcè acolyti, latinè ceroferatij vocantur, quibus etiam commiſſum eſt, ut ampullas vini & aquæ diaconis, ſive miniſtris porrigant ad ſuggerendum vinum, & aquam in ſacrum calicem. Ad horum ergo miniſterium pertinet pelves, & mappulas pręparare, atque tenere, ad abluendas manus ſacerdotis, qui preſtò eſt altari. Meritò ergo iſta miniſteria quibus tanto ſacramento inſervitur, ſanctitatem requirunt miniſtrorum.

Acolyti, ſeu ceroferarij.

Si quis autem quærat, ſi eſt unus ordo lectorum, cur non & alius pſallentium. & tertius cantorum & quartus prædicatorum? Reſpondemus quòd eccleſia primitiva cantus non habuit, neque pſalmodiam ſed ſimplicem, ſolam proſaicæ pronunciationis, electionem. Pſalmodia, & cantus, poſtmodùm cauſa ſolennitatis & excitandæ devotionis, ampliato decore divini cultus ſuperaddita ſunt. Et quia eadem erant, quæ in primitiva eccleſia legebantur & ejuſdem penitùs ſanctitatis cum his, quæ modò pſalluntur, & decantantur, idem ordo, eademque ſanctitas neceſſariò permanſit in miniſtris; cùm enim pſallentium cantus nec rerum ſanctitatem mutaverint, ordinem mutare nullatenùs debuerunt.

Primitiva eccleſia pſalmodiā non habuit

De prędicatione verò reſpondemus, quia illa ſemper pertinuit ad ſacerdotale officium; ſicut legitur Malachię 2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ejus requirunt, angelus eſt enim domini exercituum.

Prædicatio officij ſacerdotalis eſt.

Sequentes verò tres ordines, qui ſoli antonomaſticè ſacri vocantur, ſcilicet ſubdiaconatus, diaconatus & presbyterium. jam non ex toto ad ſacri altaris miniſterium pertinent: pertinet enim ad ſacerdotale miniſterium recitatio apoſtolicarum lectionum, & totius veteris teſtamenti: ad diaconale verò recitatio evangelicarum, propter quod nonnulli opinantur, quòd ad ipſum pertineat docere, & prædicare evangelium populo, ſed ipſa forma ordinationis contradicit; cùm enim accipiunt textum evangelij de manu epiſcopi, nòn dicit ei, accipe poteſtatem docendi, & prædicandi evangelium, ſed accipe poteſtatē legendi evangeliū in eccleſia Dei tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine domini Ex quo magis inſinuatur eos tunc recipere orandi officium,

Sacri ordines qui.

A quàm prędicandi, vel docendi: & quia ipſa recitatio evangelicæ lectionis magis ſit oratio ad impetrandum aliquid pro vivis, & pro mortuis, quàm populi ædificatio. abſurdum enim eſt intellectu, & dictu ut docens aut prædicans evangeliū, docere intelligatur, aut prædicare pro vivis, ac pro mortuis. Inde autem evangelij recitationem in miſſa, orationē dicimus, quia propter impetrandum maximè fit Verùm quia diaconi, ſi ejs ſacra ſcientia ſuffragetur de conſuetudine docent, aut prędicant, de inſtitutione eſt beati Petri Apoſtoli, ſicut legitur in Epiſtola ejuſdem ad Clementem, ubi expreſsè id dicit.

Nonnullis autem viſum ab initio diaconale fuiſſe officium pauperum miniſtrare menſis; cùm enim Apoſtoli neceſſe haberent derelinquere pro parte verbum Dei, eo quòd nimis occupabant ſe quotidianarum menſarum hujuſmodi miniſterijs; volentes verbo Dei, & orationi liberè, & quaſi ſo- B litariè vacare, elegerunt ſeptem illos, quorum primas, & princeps fuit Stephanus protomartyr; ſicut legitur Act. 6.

Diaconi.

Miniſteria.

Manifeſtum autem eſt ex ipſâ conſuetudine evidentiſſimâ eccleſiæ diaconale officium totum circa miſſarum ſolemnia conſiſtere. Præcipuè autem tria ſunt diaconalis officij ordinis miniſteria. Primum eſt evangelicę lectionis recitatio, ut diximus. Secundum eſt panis & vini ad conficiendum euchariſtiæ myſterium oblatio, ſeu miniſtratio, illa enim recipit in ſacro calice, & patenâ ſacerdos de manu diaconi. Tertium cuſtodia, & repoſitio ipſius euchariſtiæ, & vaſorum ſacrorum, videlicet calicis, & patenæ corporalium, ac pallarum.

Tria officia diaconorum.

Manifeſtum autem eſt, quòd ipſa eminentiſſima ſanctitas ſacratiſſimæ euchariſtiæ, cujus cuſtodia diacono creditur, cauſam dedit ordini diaconali; ſanctorum C enim cuſtodia, & econtrariò, ut ſupra oſtendimus, ſanctificatos ex neceſſariò requirebat miniſtros: ſi enim ipſa luminaria, & vaſa ipſorum ſanctitatem requirebant in ceroferarijs, ſeu acolytis quæ utique nihil ſanctitatis habent, niſi hoc, quòd ſacris miniſterijs ad ea ſolennizanda, & decoranda adhibentur: quantò fortiùs pallæ altaris, & corporalia, ſacer calix, & patena; & deinde ipſa ſacratiſſima euchariſtia ſanctitatem in ſuis cuſtodibus, & contrectatoribus requirunt.

Ceroferarij

Subdiaconale verò officium eſt panem, vinum, & aquam ad conficiendum ineffabile miſterium diacono porrigere, ut illa porrigat ſacerdoti, miniſtrateque vinum, & aquam poſt miſſarum celebrationem, ad expalmationem manuum ſacerdotalium, & ſacri calicis porrigere, ipſumque ſacrum calicem exterſum, & ſubſtantiatum, corporaliaque plicata, & pallas de manu diaconi recipere, & in ſacrarium reverenter reportare Apparet ergo manifeſtè ex his, & alijs quæ præceſſerunt, miſſarum ſolemnia, & altaris ſacrificium tribus D his ordinibus cauſam ſuæ inſtitutionis dediſſe, licet ſacerdotalis, & diaconalis ordinis multa officia omittantur, Sacerdotalem verò ordinem, ut diximus, alij in gradus, alij in ſpecies diviſerunt; ſi enim acolytis, ampliato, & decorato cultu divino, præter officium attendendi, & preferendi luminaria, commiſſum eſt ferre thuribulum, ſimiliter collectarium hoc eſt, librum orationum; nec non ſanctam crucē, aquamque benedictā in proceſſionibus præferre: nec oportuit, licet iſta omnia ſacra ſint, propter eorum contrectationē, ſive miniſterium novos miniſtros ordinare, ſive ſanctificare: ſic & diaconis, & ſubdiaconis poſitum eſt onus cantandi, & pſallendi: ſacraſque reliquias in proceſſionibus deferendi, eaſque deoſculandas interdùm fidelibus exhibendi, poſtquàm enim diaconis contrectatio, repoſitio, & cuſtodia ſacratiſſimæ euchariſtiæ traditæ ſunt, & conceſſæ, omnium aliorum, quæ lon-

Officium ſubdiaconi

Attende.

Digitized by Google

gè minoris ſanctitatis ſunt cótrectatio, exhibitio, pomeritò intelligitur non eſſe prohibita : quin potiùs cùm decor, ac neceſſitas divini cultus hoc exigit, neceſſe eſt eis intelligantur eſſe non tam conceſſæ, quàm etiam impoſitæ, & injunctæ. Sic cùm ſanctorum luminarium accenſio, totumque eorundem miniſterium ad acolytos pertineat, eo ipſo ſimilia, ac minora ſacri miniſterij cauſâ contrectare, portare, & exhibere meritò ad eoſdem ſpectat: noſtris autem temporibus etiam primam ſolam tonſuram habentibus talia facere injungitur, ſed hoc diſpenſativè tantùm, & non ſecundùm inſtitutionem, ac regulam eccleſiæ primitivæ, in qua tantò faciliùs ſtatuta patrum ſervari poterant, quantò minor erat in eo fidelium multitudo, ubi propter miraculorum corruſcantiam, & ſanctitatis exemplorum evidentiam, devotio ſubditorum erat ferventior & obedientia promptior.

CAPUT IV.

Collecturus in hac parte virtutes ſummas, ſummasque utilitates ſacerdotalis ordinis, primò ipſum ab hæreticorum calumnijs defendit.

Ordo & dignitas ſacerdotalis

QUoniàm autem ſacerdotali ordini maximè contradictum eſt, & adhuc contradicitur ab hæreticis, maximéque virtutem ejus, ac poteſtatem evacuare penitùs, & de medio auferre contendunt, ipſum latiùs proſequi nos oportet, calumniaſque eorum refellere, virtuteſque, & utilitates tam ſacri ordinis, tamque venerandi miniſterij, prout deſurſùm nobis donabitur, ſtabilire. Et quoniàm jam clarum eſt, neceſſariò debere eſſe cultum divinum, & honorificentiam, ut potè humanæ vitæ perfectionem unicam, ac decus ſingulare exactiſſimum ac diſtrictiſſimæ obligationis debitumque auctori ut ſuo obnoxium totum genus humanum, & tota hominum univerſitas confitetur; nulla enim eſt natio adeò barbara, adeò indocta, adeóque indomita, quæ cultum divinum juxta intentionem ſuam non exerceat, & quæ aut Deum verum ab ipſo in hoc illuminata, aut aliquid aliud pro ipſo, hoc eſt vice, & loco ipſius ſeducta, & execrabiliter errans, non colat. Divini cultus contradictio non tam probationibus retundenda eſt quàm etiam exterminanda ſupplicijs: quod omnis natio juxta intentionem ſuam vel rectam, vel erroneam, ut diximus, facit; nulla enim eſt natio, quæ ritus ſui, ac religionis contradictores, & rebelles gladio, & igne non perſequatur. Propter inquam hanc cauſam, non oportet nos laborare in ſtabiliendo divino cultu, quem omnis natio univerſaliter confitetur, & juxta intentionem ſuam, vel opinionem, ut diximus velut diſtrictiſſimum debitum ab iniquis debitoribus pro viribus exigit, & extorquet. Verum autem Dei cultum, ipſ que ſolum acceptum, ac remunerabilem ipſo auctore alibi ſtatuere in alio tractatu diſponimus. Hic verò partes divini cultus narrabimus tantùm, & enumerabimus narratione, & numeratione adeò evidenti, ut probatione non egeant. Hujus ergo prima pars eſt adoratio. Secũda collaudatio cum partibus ſuis, quæ ſunt gratiarum actio, benedictio, & glorificatio. Tertia eſt interpellatio, quę propriè eſt interceſſio pro alijs. Quarta eſt ſacrificatio. Quinta ſacramentatio, hoc eſt ſacrificatio, ſive initiatio aliorum. Sexta eſt purificatio propria. Septima eſt ſolennizatio, ſeu feſtivatio. hujus tres ſunt partes propriæ, videlicet apparatus miniſtrorum, ornatus templi, ſive in parte, ſive in toto, ſacrarum cantionũ, & laudum celebritas. Quia verò ſupra oſtendimus, neceſſarium fuiſſe

Cultus Dei eſt omnium gentium.

Religio aliqua apud omnes.

Nota.

E miniſtros eſſe, qui ſacro cultui inſervirent, & hujuſmodi miniſtros ſpeciali, ac propriâ ſanctificatione propter ipſum cultum debere eſſe præditos: manifeſtum eſt conſequens, ut ſanctiori parti divini cultus addicti, & appropriati miniſtri, majori ſanctitate præditi ſint. Evidens autem eſt per ſe, interpellationem, ſacrificationem, & ſacramentationẽ, longè ſanctiores eſſe ſublimiorisque miniſterij cæteris quatuor partibus, omnibusque inferiorum ordinum miniſterijs, quare neceſſe eſt tantò fortiùs miniſtros eſſe ſpirituales, & appropriatos his miniſterijs, tantoque majori ſanctitate præditos, quantò iſta officia cæteris antecellunt. Ampliùs. Si neceſſe fuit, cauſis temporalibus oppreſſos, ac reos, advocatos habere, juriſque ſecularis peritos, qui eas agerent: quantò fortiùs pro cauſis ſpiritualibus neceſſe eſt, oppreſſos advocatos habere cœleſtis juris peritos, qui eas agant coram judice vivorum, & mortuorum Deo? Ampliùs. Conſulendum fuit imperitiæ, & ſimplicitati communitatis hominum in F cauſis animarum ſuarum, cùm ipſi eas agere, aut neſcirent, aut nequirent, officiorum ſuorum, & artificiorũ occupationibus præpediri. Ventilationi autem cauſarum non poteſt conſuli, niſi per advocatos, nec etiam in genere ſpiritualium: neceſſe ergo fuit provideri, & inſtitui hujuſmodi advocatos. Ampliùs. Si princeps reipublicæ temporalis providit reipublicę ſuæ, & auditorio, ſeu conſiſtorio, ne deeſſent ei, qui pro reis, & oppreſſis, omnibusque indigentibus interpellarent: quantò fortiùs princeps univerſitatis, atque principum Deus noluit ſpirituales advocatos deeſſe curiæ ſuæ & conſiſtorio? quicquid enim perfectionis, laudandæque ordinationis eſt in republicâ temporali, in regno quoque temporalia apparet, aut invenitur, aſpectioque permodica eſt, ac ſimilitudo pertenuis, ac penè umbratilis perfectionis & ordinationis reipublicæ ſpiritualis, cui immediatè, ac per ſemetipſum præeſt diſpoſitor, ac gubernator Deus. Jam ergo clarum eſt ex his, G cauſas animarum humanarum advocatos, ac interpellatores habere debere, quorum officium publicum eſt interpellandi pro animabus, & in cauſis earum conveniens, ac neceſſarium præſtare patrocinium. Si quis autem dixerit quòd ipſa gratia ſanctitatis meliùs, & efficaciùs interpellatur pro animabus, quàm hujuſmodi publicæ functionis officio. Reſpondemus, quòd in ſpirituali republicâ neutrum deeſſe debuit, hoc eſt, nec interpellandi officiũ, quod debito neceſſitatis impenderetur, nec benevolentiæ, & miſerationis gratia, quæ viros ſanctos ac Dei amicos pro fratribus orare faceret; hoc enim & in magnatum curijs invenitur, inveniuntur enim & viri miſericordes, qui pro miſeris ſupplicẽt magnatibus affectu cõpaſſionis; inveniuntur & advocati, qui cauſas eorum agant officio publicæ functionis. Ampliùs. Aliud eſt interpellare, H ut amicum, ſive benevolum, & in vitâ gratiæ, & propriæ ſanctitatis, aliud eſt interpellare, ut nuncium, & preces interpellationis offerre alienæ, (ut ita dicamus) charitatis, illud enim primum omniũ eſt, & ſingulorum ſanctorum: iſtud autem proprium eſt ſacerdotum ex officio quippe ſacerdotali ſacerdos non preces ſuas, ſed ſuplicationes eccleſiæ, ut ejus ad Deum internuncius, & mediator: & ſicut advocatus non jura ſua, vel ſtatuta allegat, ſed aliena verba ejus, ſcilicet cui patrocinium præſtat, in ore geſtat; ſic ſacerdos ex officio publicæ interpellationis verba eccleſiæ, & orationes in ore geſtat, & eas quodãmodò ore ſuo patri miſericordiarum offert, vel porrigit audiendas ex parte eccleſiæ ſuę. Et attende diligẽter, quòd iſtud eſt, quod fecit errare hæreticos circa iſtud ſacerdotale officiũ,

Advocati cœleſtis juris periti.

Interpellare.

Sacerdos mediator & advocatus.

ſcilicet

ſcilicet interpellandi; non enim attendebant, quòd ſacerdos ex officio ſacerdotali preces eccleſiæ, non ſuas offert; & propter hoc interpellationem malorum ſacerdotum irritam, & nullam dicebant, & orationes ex ore eorum nullatenùs exaudiri, ſumentes occaſionem ex verbo illo, quod legitur Joan. 9. Peccatores Deus non audit, quo magna cæcitate abutuntur. Ille enim propriè auditur, cujus deſiderium impletur, & exauditur oratio. Oratio verò, quam geſtat ore ſacerdos, & Deo offert, ac porrigit audiendam, non ſua eſt, ſed eccleſiæ, & propter hoc non dicit, orem, ex perſonâ ſua, ſed oremus, ex perſonâ eccleſiæ. Quemadmodùm ergo petitio aliena in ſcriptis oblata principi, recipitur ob gratiā ejus, cujus eſt, & ex cujus nomine offertur, qui & in eâ loquitur, petens, ac ſupplicans, & ipſe propriè exauditur, cujus deſiderium adimpletur & pro quo ipſa petitio admittitur: non autem ille per quem ſcriptura petitionis porrigitur; illi enim nihil gratiæ fit. Sic dicimus de petitione eccleſiæ, quæ per ſacerdotem, licet malum, principi Deo porrigitur; non enim refert quantùm ad hoc, an voce an ſcriptura, petitio offeratur, nec aliquid. Ampliùs. Vendicare debet in gratiâ exauditionis procurator, qui per vocem petitionem porrigit, quàm ille qui per

Nota. ſcripturam, nec vox ampliùs. Aliquid habet, vel operatur in eadem gratiâ, quàm ſcriptura: vox dico exterior, ideſt aurium ſtrepitus. Ampliùs. Vox interior, ideſt intellectus, & ſignificatio hujuſmodi orationum, vox eccleſiæ eſt, & nullatenùs vox ſacerdotis, & illa quam audit pater miſericordiarum; exteriorem enim ſtrepitum per ſe non curat, immò tacitam tantùm vocem, illam reputat, & clamorem tacitum; ſicut legitur in pſal. Tacui, dum clamarem tota die; qui enim ſtrepitu exteriori tantùm clamat, tacere illum apud ſe reputat Deus. Manifeſtum ergo eſt, quòd ſolam vocem eccleſiæ, ſolaque vota, quæ ejuſdem orationes continent, & exprimunt, exaudivit Deus; & quod eſt ſolùm magis ſacerdotis, quàm eccleſiæ, ideſt, ſtrepitum exteriorem vocalem per ſe, nec curat, nec exaudivit Deus, nec poteſt dici propriè, quòd malum ſacerdotem exaudiat Deus in hoc caſu; ille enim propriè exauditur, cujus precibus fit, quod fieri debet, & petit, ſi enim duo, quorum alteri princeps iratus ſit, alteri verò propitius, & amicus, idem petant ab ipſo principe: concedat autem princeps illud fieri propter illum, cui, ut diximus eſt propitius, & amicus: manifeſtum eſt illum exauditum eſſe à principe, alterum autem non, cui iratus eſt ipſe princeps, & propter quem de petitione præfatâ nihil omninò factum eſt, licet factum ſit, quod petebat cum amico principis, nemo tamen illū audet dicere exauditum. Veruntamen audit Deus peccatores peccata ſua confitentes, lugentes, & pro eis veniam ex corde deprecantes, ſed pro aliis verum eſt, quòd eos non audit; & hoc modo intelligitur teſtimonium illud Joannis. Quoniàm autem manifeſtum eſt ſacerdotes in officio interpellandi, internuncios eſſe eccleſiæ ad Deum: in officio autem utendi, ſeu prædicandi, internuncii ſunt Dei ad eccleſiam; velut literas deprecatorias, ac ſupplicatorias ex parte eccleſiæ, orationes ejuſdem ad Deum deferunt, & eccleſię offerunt; & velut literas monitorias, exhortatorias, comminatorias, objurgatorias, ſermonibus declamatoriis; & velut epiſtolas doctrinales, ac decretales in ipſâ doctrinâ ex parte Dei ad ipſam eccleſiam deferunt. Sunt ergo velut petitionarii portitores, hoc eſt petitionum portatores, & procuratores ad impetrandum apud illum ſummum pontificem Chriſtum dominum; & velut nuncii literales, quales diximus, deferentes ex parte chariſſimę ſponſæ ſuæ ad ipſum regē regum. Quem-

Exaudiri quis dicatur.

A admodùm procurator falſus eſt qui nec eſt miſſus, nec mandatum habet, & non ſolummodò eſt repellendus ab auditorio, ſed etiam pro falſitatis crimine puniendus; ſic qui non miſſus ab eccleſiâ, nec procurator ab ea conſtitutus, procurationis iſtius uſurpat officium; non ſolùm non impetrat ex parte eccleſię, nec ſolùm repellitur à Dei auditorio, ſed etiam flammis à Deo judice, & vindice punitur. Ampliùs. Sicut non eſt procurator, niſi conſtitutus ab ipſo domino litis ſeu cauſæ, ita non eſt ſacerdos procurator eccleſiæ, quantùm ad interpellandi officium, niſi ab eccleſiâ conſtitutus. Iterùm ſicut procuratorem non facit gratia ipſius, quam habet apud principem, ſed conſtitutio, & mandatum ejus, qui cauſam agit coram ipſo principe; eſſe autem ſacerdotē eſt eſſe procuratorem, quantùm ad officium interpellandi, ut diximus. Manifeſtum ergo eſt, quòd ſacerdotem non facit gratia, ſeu ſanctitas, quantacunque illa ſit, cuicunque perſonę apud Deum, ſed conſtitutio, & mandatum eccleſiæ, quod ei datur ad interpellandū ſacerdotem inquā, inquantùm ad iſtud, de quo nunc agimus, officium. Juxta hunc modum nuncium non

Procurator.

Optima ſimilia.

B facit deportatio literarum, ſed miſſio: idem autem eſt conſtitutio ſacerdotum, & ordinatio, ſive miſſio interpellantium, quantùm ad idem officium. Ampliùs. Si virtus, & fortitudo bellica non faciunt militem, ſed adſcriptio ducis, & inſtitutio, nec poteſtas ſuper decem milites decutionem, ſed ipſa principis electio, & conſtitutio: ita gratia, & poteſtas impetrandi non faciunt procuratorem, ſed ut diximus, conſtitutio. Ampliùs. Sicut advocatum publicū non ſcientia juris, aut eloquentia, nec etiam ipſa juſtitia facit: eſſe autem ſacerdotem eſt eſſe publicū advocatum in cauſis animarum: ergo nec ſcientia juris cœleſtis, nec ſacra eloquentia, nec ipſa ſpiritualis juſtitia facient ſacerdotem: ſed quemadmodùm ibi conſtitutio principalis, ita & hæc conſtitutio, ſeu ordinatio pōtificis, ideſt eccleſię miniſterio illius. Et quemadmodùm non licebat cuiquam uſurpare publici advocati officium, & ſi uſurparet, repellebatur, niſi

Ex mandato, & conſtitutione fit procurator.

C electus eſſet ad hoc, & inſtitutus: ſic nulli licet uſurpare publicæ interpellationis officium, hoc eſt, ſacerdotale, quantùm ad hoc: manifeſtum ergo eſt, quòd nec ſanctitas, quantæcunque gratiæ ſit apud Deum, facit ſacerdotem, quantùm ad prędictum officium: neque iniquitas quantacunque ſit, aufert officii ſacerdotalis ordinem; quemadmodùm nec juſtitia, quantacunque ſit, nuncium, aut procuratorem, aut advocatum efficere ſufficit, ſed miſſio ut diximus, & conſtitutio, neque iniquitas quantacunque ſit in nuncio poteſt eum revocare. vel advocare, ſed mandati revocatio, ſic ſola miſſio, aut conſtitutio, ut ita loquamur deſtruunt, hoc eſt, ne ſit faciunt. Non negamus autem, quin omnis vir ſanctus, & in conſpectu Dei gratioſus orare pro omnibus teneatur, & quin apud Deum propter

D divinæ miſericordię divitias audiatur, ſed auditur, ut amicus, & filius, & orat ſimiliter, atque interpellat: non autem, ut procurator, ut nuncius univerſalis eccleſiæ, neque ut ab eâ miſſus ad hoc, quod eſt proprium ſacerdotalis ordinis officium; quis enim dubitat juxta reges, & principes eſſe pauperum, & oppreſſorum interpellatores, & hoc non per officium publicè ad hoc conſtitutos, ſed magis benevolentiâ, & miſeratione ad hoc promptos, nec cum eo rogatu ipſi rogant principes propter hoc nuncii aut procuratores, ſunt miſerorum. Ampliùs In rege temporali inveniuntur interdùm duo, ſcilicet regale officium, atque juſtitia, & ſicut regale officium ſe habet ad juſtitiam, ſic ſacerdotale officium ad ſanctitatem: ſicut enim non eſt eligendus rex, niſi juſtus, ſic nec ſacerdos, niſi ſanctus: & ſicut

Sacerdos ut procurator ab eccleſia conſtitutus.

Simile.

Digitized by Google

rex miniſter debet eſſe juſtitiæ, ſic ſacerdos ſanctitatis. Sicut ergo juſtitia per ſe regem non facit, niſi ſui pſius; non enim eo ipſo, quòd juſtus, & rex eſt ſuper alios, etſi ſit rector juſtus, & juſtitiator ſui ipſius ſic neque ſanctitas per ſe faciet ſacerdotem, nec eo ipſo, quòd ſanctus, & ſacerdos erit aliorum, etſi fortè ſit ſanctus cuſtos, ſanctuſque inviolator ſuiipſius, & ſanctus orator pro ſe, & aliis, & hæc quidem charitas, & pietas, ſed non publicæ functionis, ut diximus officium Et attende, quòd congruis ſimilitudinibus utimur inter ordines eccleſiaſticos & ſæculares; ſunt enim varii ordines Reipublicæ temporalis: quaterniones. decuriones, centuriones, chiliarchi, reges & principes. & iterùm, nuncij, procuratores, advocati, conſiliarii, interceſſores, & judices, & iterum coqui, pincernę, panifices, cuſtodes, & diſpenſatores: ſic & in domo Dei magnâ, jureque publica ſpirituali, ejuſmodi ſunt ordines miniſtrorum, quos nominavimus, & alii, quos nondùm curavimus. Attende autem diligenter, quòd ordinatio, ſanctificatio. & conſtitutio ad ſacerdotale, ſeu quodcunque aliud ſacrum miniſterium, ſubjecto, & eſſentia unum ſunt; ordinare enim & ſanctificare, & conſtituere hujuſmodi miniſtros evidenter unum ſunt ſubſtantiâ; ſimiliter eſſe nuncium, eſſe procuratorem, eſſe advocatum hujuſmodi ſcilicet apud Deum, vel coram Deo pro ejus eccleſia, unum ſunt ſimiliter ſubjecto, ſive re; ſed nuncius dicitur inquantùm defert literas, quales dicimus, & ex parte eccleſiæ, advocatus, inquantùm proponit allegationes pro cauſa eccleſiæ coram Deo, procurator inquantùm petitiones ejus offert Deo, aut porrigit. Evidenter autem idem eſt deferre, ibi offerre, & proponere; ſicut eędem ſunt literæ, petitiones, & allegationes, quod eſt apertè videre in orationibus ſcriptis, quę uſualiter collectæ nominantur. Apparet etiam evidenter ex his, qualiter meritò ſacerdotem hæreticum, & hæreticorum, antiſtitem Diaboli beatus Cyprianus martyr dixerit, & ſacrificia hæreticorum inania, & fatua; cùm enim eccleſia hæreticorum eccleſia malignantium, & Deo odibilis ſit, utpotè adultera, & apoſtatrix, ſive apoſtatica, manifeſtum eſt, quòd nec per ſe nuncios audit Deus, & propter hoc cùm ſacerdos ejus ſe gerit determinatè, aut expreſsè, nihil impetrat ex parte ejus, neque in aliquo ullatenùs exauditur. Et dicimus, quòd hujuſmodi ſacerdos mutat formam eccleſiæ catholicæ, & mutat etiam rem, & petitionem ipſius; cùm enim dicit in arcano miſſæ, ut nobis fiat corpus, & ſanguis dilectiſſimi filij tui, determinatè intelligens, & intendens nobis Manichæis, aut alterius hęreticæ, & damnatæ factionis, aliter prorsùs petit, quàm petat, vel intendat eccleſia catholica, & alii petit, & ex parte alterius, quod ex parte eccleſiæ petit enim eccleſiæ Manichæorum, neque advocatum, neque procuratorem ſe gerit, quare & meritò, neque ſacerdotem, niſi maledictæ illius factionis, ſacerdotem inquam quantùm ad hanc petitionem & ideò meritò gerit ſe antiſtitem Diaboli; nullatenùs autem ſacerdotem Chriſti, & eccleſiæ ſuæ; quare nullatenùs ſe gerit ſe medium inter eccleſiam Chriſti, & ipſum. Si autem vel determinatè intendit pro eccleſiâ catholicâ, vel ſaltem in generali, & implicitè, ſeu involutè pro eccleſiâ Dei id facere, vel petere, quod faciunt miniſtri eccleſiæ Dei, proculdubiò nec formam mutat, nec petitionis ſubſtantiam, & ex parte in veritate eccleſiæ loquitur eique petit, ejuſque petitionem ore porrigit: econtrariò verò non eccleſiæ ſanctæ petitionem, ſed eccleſiæ, ut diximus, malignantium apoſtaticę factionis more, geſtat ſacerdos Manichæorum, ſic intendens, ut dixi-

Rex miniſter juſtitiæ, ſacerdos ſanctitatis.

Ordinare, ſanctificare, conſtituere idem.

Eccleſia hæreticorum adultera.

Nota.

E mus, & vox ipſa exterior, quæ intellectus eſt ſignificatio, vox eſt diabolicæ illius factionis: hic autem vox eſt ſanctæ. ac Deo dilectę, congregationis. Quid ergo mirum ſi hanc exaudit miſericors Deus, & filius, procurator cœleſtis, advocator, qui eſt ejuſdem ſponſus eccleſiæ? & quid mirum ſi illam repellit, ut vocem partis inimicæ? Hic ergo indubitanter fuit intellectus beati Cypriani, quantùm nobis modò videri poteſt, & hoc modo intellexit ſacramenta eorum irrita, & inania, quæ tunc eorum eſſe intelligenda ſunt, quandò totum, & tota petitio, ut diximus, eorum eſt, hoc eſt pro parte eorum, & nomine. & etiam ſi pro eis determinatè ſit; hoc enim eſt indubitanter contra formam eccleſiæ catholicæ, & etiam extra illam, cùm omninò excludantur. Quòd vero dicit beatus Aug. erraſſe præfatum martyrem, & reſecatum fuiſſe errorem illum F in eo falce martyrii, proculdubiò ſētiebat beat⁹ Aug. pręfatum martyrem tanto zelo fidei exharſiſſe contra hæreticos, & euſque eſſe odibiles Deo crediſſe, ut etiam in formâ eccleſiæ veritatem non traderent ſacramentorum. Dicit autem idem Aug. hæreticis: ſacramenta, quæ non mutaſtis, provt ſunt, ſic fuerunt apud nos. Cauſa autem, quare tantam mutationem faciant, dum in perſona petentis, & ea cui petitur, alias omninò faciunt, quàm eccleſiæ catholicæ ſacerdotes, evidens eſt, & quàm longè diverſum ſit ex parte canum, & canibus, panem petere filiorum, & à patre miſericordiarum ex parte filiorum panem petere filiorum, quàmque longè ſint perſonę caninæ, à perſonis filiorum, & perſona adulteræ, & apoſtatrices à perſonâ ſponſæ incorruptibilis caſtitatis, & inſeparabilis charitatis: deinde vox corvina, & columbina, latratuſque caninus à voce filiorum, quis non videat? Ampliùs. Ponamus pontificem hęreticorum, ordines celebrare: cùm ergo dicit in oratione, ut eccleſiæ tuę miniſtri puri accreſcant, hoc ſi intelligit, atque intendit, determinare eccleſiæ hæreticorum: petit ergo ex parte eccleſię hæreticorum à Deo, ut illi eccleſiæ accreſcant ipſi, quos ordinavit, miniſtri, quare aggregatis hominibus, & penſatis, & ex parte hęreticorum petit, & ipſi eccleſiæ petit augmentum miniſtrorum, & pro ipſis miniſteria petit, ut accreſcant hęreſi, & ſacrilego miniſterio: quare ex parte inimicorum Dei petit, & inimicis ipſis petit, & ad Dei contumeliam, & perditionem ipſorum miniſtrorum. Omnia ergo ibi obſiſtunt, ne impetret, & hæc intentio ſic determinata, & limitata (ut diximus) forma eſt, quâ ordinare, & ſanctifi- H care miniſtros eccleſiarum ſuarum credunt hæretici: ſi autem intentio eorum eſſet qualis eſt pontificum noſtrorum, licet malorum, deceptorum, & interdùm ſceleratorum, qui intendunt in generali & groſsè facere, quod facit eccleſia; meritò impetrarent gratiam ſanctificationis miniſtris, quos ordinant; non quidem meritis ſuis, ſed meritis eccleſiæ, ex cujus perſonâ, & nomine petunt ſibi puritatem, & augmentum poſtulant miniſtrorum: & ſicut in propoſito caſu omnia obſiſtunt, ne pontifices hæreticorum impetrent; ſic omnia hîc adjuvant; ſcelera enim miniſtrorum, nec merita eccleſiæ minuunt, nec ejus gratiam, ſeu gratioſitatem impediunt apud ſponſum. Quòd autem diximus, quòd miniſtri impetrant in hoc caſu, ſic intelligimus in hoc caſu, ſicut & de procuratore, pro quo, vel propter quem, nec exauditur, nec admittitur, nec magis, aut citiùs, ſed ſolummodò propter gratiam ejus, cujus eſt, & ex cujus parte, vel nomine porrigitur, vel offertur; adhibet tamē ſolum mi-

Nota.

Scelera ſacerdotū non minuunt merita eccleſia.

niſterium porrectionis, vel oblationis; ſicut & miniſtri hujuſmodi ſolùm miniſterium adhibent petitionibus eccleſiæ, porrigendo eas, ſeu offerendo, nec pro eis, nec propter eos exaudiuntur & omninò; cùm nihil propter eos addatur, quia nec faciliùs, nec magis, nec meliùs pro eis, vel propter eos exaudiantur. Debes autem ſcire quòd nihil magis eſt de formâ ſacramentorum, quàm ipſa intentio, & propter hoc manifeſtum eſt, hæreticos, ubi adeò contrariâ intentione agunt, formam eccleſiæ mutare in contrarium, quantùm ad ipſam intentionem: ipſam autem formam verborum, etſi exteriùs non mutetur, mutant tamen interiùs, dum intellectum ipſorum ad ſemetipſos, ſive eccleſiam ſuam invertunt interiùs, & intorquent. Manifeſtum ergo eſt ex his omnibus, quoniàm quantùm ad interpellandi officium, non poteſt ſacerdos, niſi ut diximus miſſus, conſtitutus, & inſtitutus atque ſanctificatus, miſſus ſcilicet ut nuncius, conſtitutus, ut procurator, inſtitutus ut advocatus publicus, ſanctificatus ut ſacrorum miniſter, hoc eſt, ſacrarum precum, & ſacrorum eloquiorum, quantùm ad iſtud officiũ. Apparet ergo falſos eſſe ſacerdotes, quicunque uſurpant ſibi hujuſmodi ſacerdotale officium, nec eſſe aut haberi ratum aliquid, quod in his attentare præſumant. Quòd verò dicunt hæretici, quòd omnis ſanctus ſacerdos eſt, apparet eſſe manifeſtè falſum, niſi nomine ſacerdotis equivocè utantur.

Intentio in ſacramentis res præcipua.

Nota.

CAPUT V.

Proponit author quibus de rebus ſit dicturus.

DEſtruamus autem & hunc errorem, aliter proſequentes, ſecundùm ſacerdotalis officij miniſterium, quod ſuperiùs vocavimus ſanctificationem, hoc eſt ſacri miſterij, id eſt ſacratiſſimæ euchariſtiæ confectionem. Dicemus ergo in primis, quòd cùm non poſſit eſſe certum ullo modo, niſi per revelationem, an ſanctus ſit, qui ſacerdotale foris exequitur miniſterium, non erit ullatenùs certum, an ſit ſacerdos, an non, ſecundùm hujuſmodi opinionis errorem: & propter hoc erit incertum ex neceſſitate, an conficiat ſacrum iſtud myſterium, an non, & propter hoc illudetur ſæpiſſimè fidelibus populis, dum pro ſacratiſſimâ euchariſtiâ dabitur eis plerunque purus panis materialis, illudetur etiam Deo, dum pro vero illo, & immaculato ſacrificio offertur ei panis purus, & materialis. Ampliùs. Ipſe quandò ſacerdos foris agit myſterium in altari, ubi dicit in arcano miſſæ; Nobis fiat corpus, & ſanguis dilectiſſimi filij tui, &c. hoc petit fieri ex parte eccleſię, vel nomine ipſius, & vox eccleſiæ intus eſt, ut ſupra diximus, & vox eſt ipſius eccleſiæ, quam ore geſtat, & petitio ſimiliter ipſius eccleſiæ eſt, quam patri miſericordiarũ, ut diximus, offert & porrigit. Quòd ergo dicunt de ſanctitate ſacerdotis illius aut ſufficiunt merita eccleſiæ ad impetrandum, quod petitur ex parte ipſius, aut non ſufficiunt. Quòd ſi ſufficiunt; non eſt ergo neceſſaria ſanctitas ipſius: ergo abſque ſanctitate ſacerdotis exauditur hujus petitio: quare conficitur ſacratiſſima euchariſtia abſque ſanctitate ſacerdotis. Quòd ſi dixerit, quia & merita eccleſiæ non ſufficiunt, niſi adjuventur ab ipſâ ſanctitate ſacerdotis, hoc evidẽter ridiculoſum eſt; hoc enim eſt, ac ſi diceretur magnus exercitus innumerabilium fortium millia continens non ſufficit ad portandum pondus unum, niſi adjuvetur à publico uno, & quòd millia millium ſanctorum amicorum Dei non ſufficiunt impetrare hoc apud miſericordiâ ejus, niſi adjuventur ab illo. Ampliùs. Cùm oratio ſit ſicut arbor ſuavitatis ex aromatibus virtutum aſcendens ad nares miſericordiæ Dei, cùm ipſa eccleſia tota ſit velut apotheca aromatum ſpiritualium: totum verò quod habet ſacerdos gratiæ, & ſanctitatis, quantumcunque eminens ſit, & excellens, non ſit milleſima unius gariophili ad totam apothecam, erit dicere non ſufficiunt merita eccleſiæ ſine ſanctitate ſacerdotis; ac ſi diceretur, non ſufficit tota apotheca, niſi adjuvetur milleſimâ unius gariophili. Ampliùs. Aut id, quod continet petitio ſupradicta, eccleſiæ debetur meritis, aut non: ſi ſic, non ergo ſine iniuriâ eccleſiæ poteſt ei denegari, impoſſibile autem eſt patrem miſericordiarum irrogare injuriam eccleſiæ ſuæ, impoſſibile ergo eſt ipſum non exaudire petitionem illam. Si verò non debetur meritis eccleſiæ, aut ea tamen eſt gratioſitas ejus piiſſimi patris, ut hæc ſemper obtineat quoties opus ei eſt, aut non; ſi ſic, ergo cùm non minus opus ſit ei obtinere petitum cùm per malum ſacerdotem offertur ejus petitio, quàm cùm per bonum porrigatur, non minùs obtinebit illud malo ſacerdote miniſtrante, quàm bono. Non obſiſtit ergo malitia ſacerdotis, quominùs conficiatur ſacrum illud euchariſtiæ myſterium. Si verò dixerit, quòd non eſt ea gratioſitas eccleſiæ in conſpectu Dei patris, ut obtineat id, quod illa petitione continetur; nihil autem aliud continet illa petitio, niſi ut panis, ut potus vitæ, hoc eſt, corpus & ſanguis redemptoris miniſtretur, & detur ei ſub forma panis, & vini, quàm evidenter falſum ſit, hoc in promptu eſt videre: ſi enim nulla eſt familia literalis, ſeu corporalis, quæ in conſpectu ſui patrisfamilias gratiam iſtam non habet, videlicet ut det ei victum corporalem, quotiens opus eſt, & ſicut opus eſt ei; incompatabiliter autem majoris gratiæ eſt, ſeu gratioſitatis in conſpectu Dei patrisfamilias familia ſpiritualis ipſius, id eſt, eccleſia; incomparabiliter ergo magis datur ei, quotiens opus eſt, & petit. Jam autem declaravimus in tractatu de euchariſtiâ, quòd opus neceſſarium eſt, ut detur ei ſub formâ panis, & vini viſibili. Manifeſtum ergo eſt, non obſiſtere malitiam ſacerdotis, quominùs miniſtretur, & detur à Deo patre eccleſiæ ſuæ cibus, & potus vitæ. Idem eſt argumentari ex parte patrisfamilias; ſi enim paterfamilias literalis ex ſtillâ, ſeu ſcintillâ permodica dilectionis, & pietatis, in familiam literalem, non obſiſtente quacunque, ſeu quantacunque alienâ malitiâ, providet illi victum literalem neceſſarium, quoties petit, & opus eſt; quantò fortiùs paterfamilias eccleſiæ Deus, ex tota fornace dilectionis, totoque fonte pietatis, non obſiſtente quacunque miniſtrantis malitiâ, prout dictum eſt, eidem dabit? Ampliùs. Quæ eſt cauſa, quare malitiam miniſtri meritò reprobat, & repellit, & eam contumeliam tanto ſacramento non ſuſtinet irrogari, videlicet ut polluto ore conſecretur, & immundis manibus contrectetur? hoc enim indignum eſt in ſacramento Aperi ergo oculos, & vide impiiſſimum errorem latitare ſub prætextu, & velamine juſtitiæ, & pietatis Primùm, quia ſecundùm hoc plùs poterit unius iniquitas ad Dei juſtitiam & pietatem impediendam, quominùs exaudiatur eccleſiæ petitio, quàm innumerabilium ſanctorum millium gratioſitas ad promovendam eandem, & quod iniquius eſt manifeſtè, quia in parte iſta poterit magis obeſſe ipſi eccleſiæ aliena malitia apud Dei juſtitiam, & etiam miſericordiam, quàm propria ſanctitas, & gratia prodeſſe, dum quod tota ipſa eccleſia per oblatam petitionem ob-

Nota.

Oratio ſicut arbor ſuavitatis.

Malitia ſacerdotis non impendit confectionem euchariſtiæ.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

tinere nititur, malitia ſola miniſtrantis, ut obtineat impedit, & avertit. Ampliùs. Si propter hoc ne tã venerando ſacramento fiat hìc contumelia; videlicet ut in mundis manibus contrectetur, retrahit pater miſericordiarum largiſſimæ manum pietatis ſuæ, immò claudit, ne aperiat ad porrigendum panem vitæ ſub formâ, & modo, quo id facere poſtulatur: incomparabiliter autem fuit major contumelia conſpui, flagellari, crucifigi, & occidi, quare ſi adeò parcere vult contumeliis, & injuriis cariſſimi unigeniti, incomparabiliter fortiùs providit, ne traderetur conſpuentibus, & flagellantibus, & crucifigentibus, & occidentibus. Hæc ergo impietas ad hoſce ducit errores, ut ipſam filii Dei paſſionem evacuent, & mundi redemptionem, atque ſalutem irritent. Quòd ſi dixerit, quòd tantum bonum fuit redemptio, & ſalus mundi, ut pro eo meritò decuerit Dei filium tam indigna perpeti. Et nos ex adverſo replicamus, quòd tantum bonum eſt ſubſtentatio, & cõſervatio ipſius mundi, hoc eſt, ejus totius, quod paſſione redemptoris acquiſitum, atque ſalvatum eſt, ut pro eo meritò deceat ipſum ſalvatorem, his de quibus agitur, tam longè minùs indigna ſuſtinere; indigna enim paſſionis non minùs excedunt indigna, ut ita loquamur, ſacramentalis confeſſionis: immò incomparabiliter longè plùs, quàm bonum redemptionis, bonum ſubſtentationis, ſeu conſervationis; tantæ enim fuerunt illæ injuriæ, & contumeliæ, ut majores fortè eſſe non poſſint. & non majus eſt, aut non multò majus bonum redemptionis, quàm conſervationis, cùm ſine illo & inutile ſit conſervari indigentibus, & occaſionaliter noxium non perſeverantibus in gratia redemptionis, & propter ingratitudinem major erit ipſa damnatio, ſicut legitur 2. Canoni. Petri 2. Melius erat illis viam veritatis non agnoſcere. Revertamur autem, & dicamus, quòd contumeliæ, & injuriæ, quæ in ſacramento altari redemptori fit per quantamcunque malitiam miniſtri, ſeu miniſtrorum malorum, ad contumeliam, vel injuriam paſſionis, nulla eſt comparatio: eſt autem boni conſervationis ad bonum redemptionis comparatio, non enim in infinitum melius eſt ad gratiam redimi, ſeu reparari, quàm in eadem nutriri, conſervari, confirmari, & augeri, quę omnia ſacramento altaris præſtantur: decuit autem pro illo bono redemptionis illam tantam contumeliam, & injuriam redemptorem pati; multò fortiùs ergo pro nominatis bonis in ſacramento altaris decuit, & etiam, oportuit malorum miniſtrorum injurias, & contumelias pati ſalvatorem. Intelligamus ergo tantam injuriam, contumeliamque eâ proportione, vel comparatione ſe habere ad injuriam, & contumeliam paſſionis, quâ ſe habet bonum, quod præſtatur ſacramento altaris, ad bonum redemptionis. Dico ergo ſi pro bono redemptionis tanta fuit ſuſtinenda injuria, vel contumelia redemptori; ergo pro duplo minore duplo minor, & pro triplo minore triplo minor, ita de aliis. Quare pro bono, quod nobis præſtatur ſacramento altaris, ſuſtinenda fuit injuria, quam poſuimus. Evidentiùs autem erit in pretiis, & emptionibus. Vocemus ergo bonum redemptionis A, & injuriam paſſionis B, bonum verò ſacramento altaris C, & poſitam injuriam D, quia ergo ſicut ſe habet bonum A, ad bonum, C, ita ſe habet pretium, quod eſt B, ad pretium quod eſt D, fuit autem emendum bonum A, pretio B, erit ergo emendum C, bonum pretio D. Omnis autem injuria, vel contumelia, quæ per malos miniſtros fit ſacramento altaris, & in miniſtrando, minor eſt incomparabiliter, omni modo comparabili, ſeu proportionabili ipſi B; D, autem ut poſuimus comparabile eſt certæ proportionis ad

Ab immundo ſacerdote, Deus ſe tractari ſinit.

Quæ præſtantur ſacramento altaris.

Nota.

E ipſum B, poſitis enim quibuſcunque duobus, quorum alterius ad alterum ſit certa proportio: neceſſe eſt, ut omne quod eſt certæ proportionis, ſeu comparationis ad alterum, ſit ſimiliter, & ad reliquum. Quare manifeſtum eſt, emenda ſeu redimenda eſſe pretio D, quæ ſacramento altaris eccleſiæ Dei præſtantur; D enim eſt incomparabiliter major injuria, vel contumelia omnibus illis, quæ irroganıur ſacramento altaris per indignitatem, ſeu malitiam miniſtrantium. Cùm D, ergo divinæ bonitati in parte iſtâ non obſiſteret illa, quominùs exaudiatur precatio eccleſiæ. Ampliùs. Si na refugit ſacratiſſima euchariſtia indignitatem, atque malitiam: quid fiet ſi ritè conſecrata ſit, & confecta per ſacerdotem ſcilicet juſtum, & ſanctum: poſtmodùm autem attentet eam contrectare, ac fidelibus diſtribuere miniſter indignus, & malus, aut fugiet, aut evaneſcet F panis vitæ de ſub formâ illâ viſibili panis vitæ. aut non: ſi non palam ergo eſt, quòd ſuſtinet ſe contrectari manibus pollutis panis vitæ, nec refugit eas. Multò fortiùs ergo non refugiet verba, ſive vocem eccleſię ſuæ, licet ex ore polluto. & multò fortiùs non prohibebit eum advenire ſub formam illam viſibilem, cùm attrectatio manuum pollutarum multò majus malum ſit; immò incomparabiliter, quàm oratio ſive ſanctorum verborum præſumptio ex ore polluto. Ampliùs. Si diſtribui ſe ſuſtinet per manus pollutas, quantò fortiùs porrigi ſe ſuſtinebit, ſive dari ad petitionem eccleſiæ ſuę, licet per vocem pollutam? Quòd ſi fugit, & evaneſcit, accidunt multa inconvenientia. Primum ſcilicet illuſio eccleſiæ, quæ credit ſe recipere panem vitæ etiam G de manu miniſtri mali ad minùs occulti, & non recipit, niſi panem materialem ſecundùm eos. Deinde plùs poterit malitia ad ipſum effugandum, quàm devotio, & ſanctitas totius eccleſiæ ad ipſum retinendum. Tertiò accidit, hanc medicinam omnium medicinarum infirmiſſimam eſſe, nulla enim eſt medicina corporalis adeò debilis, & parùm efficax, ut ejus virtutem infirmitas medicantis, ſive porrigentis evacuet: infirmitas autem ſpiritualis ſacerdotis porrigentis hanc medicinam, eſt ejus indignitas, ſive malitia. Ampliùs. Quia ſacramentum hoc evidenter eſt medicamentum ſaluberrimum humanarum animarum, & hoc virtute propriâ ac divinâ: manifeſtum eſt nihil pertinere ad ipſum, vel virtutem ejus ſanitatem, vel infirmitatem porrigentis, ſeu medicantis: pertinere inquam quantùm ad hoc, ut ex illâ augeatur, vel minuatur virtus ejus; in nullo enim medicamentorum corporalium hoc inveniri H poteſt, ut ſanitas, vel infirmitas miniſtrantis ipſum pro ſe addat aliquid, vel minuat virtuti ipſius: quantò fortiùs ergo medicina ipſa diviniſſima, hoc eſt divinâ virtute pleniſſima, non pendebit, in aliquo ex ſanitate, vel infirmitate ſpirituali miniſtrantis illam. Ampliùs. Quid ad panem, vel virtutem ipſius, ſi ſatur eſt, aut jejunus, qui miniſtrat ipſum? & quid ad ignem de calore, aut frigiditate miniſtrãtis ipſum? Ampliùs. Quòd malitia, vel indignitas, miniſtrorum impediat ſacramentum iſtud, hoc autẽ naturaliter fit, id eſt naturali actione, aut merito, ſive judicio. Naturali actione eſſe non poteſt, quia malitia iſta non agit, niſi in proprium ſubjectum, ſed neque in ſanctitatem eccleſiæ, aut in ipſam eccleſiam, nec in Deum, aut ejus bonitatem: hoc enim impoſſibile eſt: reſtat ergo, ut hoc merito ipſius, divinoque judicio. Divino ergo judicio fit ut propter malitiam miniſtri hujus ſubtrahatur panis vitę filiis, & ita innocentes filii judicio divino tam atrociter punientur propter malitiam alienam. Ampliùs. Ipſe malus miniſter, qui præſumit indignè pangere tam venerandum miniſterium, neceſſariò punitur, aut

Nota inconvenientia hìc enumerata.

Sacramentum ſaluberrimũ.

Digitized by Google

Pœna non debet excedere peccatum. puniendus eſt divino judicio : ſicut autem peccat in A hoc, ſic dignum, & juſtum eſt, eum ſolum puniri; pœna enim non debet excedere peccatum, nec extendi in innocentes, gratiſſima autem pœna eſt ſubtractio panis vitæ, quare nullomodò propter indignitatem, vel malitiam miniſtri, punienda, eſt Dei familia ſubtractione tali. Ampliùs. Aut adeò magnum eſt peccatum hujus miniſtri, quòd non poteſt puniri, ſeu vindicari in eo ſolo ſufficienter, aut non. Quòd ſi adeò grande eſt, magis extendenda eſt vindicta illius etiam in complices, & fautores peccati ſui, quàm in omninò inſcios, & innocentes. Si verò non eſt adeò grande, nulla ergo neceſſitas, ut pœna illius extendatur in alios. Ampliùs. Antequàm iſte præſumeret ſacrum iſtud miniſterium, certa erat pœna, & determinata, quæ reddenda erat peccatis ſuis in gehennâ; peccatis autem illis addit præſumptionem ſacri miniſterii: hæc autem præſumptio non minuit præcedentia peccata : hæc autem præſump- B tio, aut eſt mortale peccatum puniendum morte æternâ cum aliis, aut veniale tantùm : ſi mortale, aut merito iſtius impeditur ſacramentum, aut merito iſtius, & aliorum : aut ergo detrahit aliquid de pœnâ debita aliis peccatis, aut non detrahit; pœna dico gehennali : ſi detrahit aliquid, hoc non niſi occaſione hujus novæ pœnæ, videlicet quam infligit ratione ipſorum pro parte, & pro parte ratione hujuſmodi præſumptionis : commutat ergo id quod detrahit de pœnâ illâ gehennali, quæ tota æterna eſt in eam temporalem pœnam, quam infligit in iſto miniſterio, ſive miniſtratione ſacramenti : hoc autem eſt evacuatio virtutis ſacramenti pro parte majori; commutatio autem pœnæ gehennalis in temporalem quantumcunque magnam, gratia eſt, & beneficium. Accidit ergo, ut indebitâ præſumptione tanti miniſterii, beneficium reportetur, & eccleſia in parte illa omninò indecens damnum, & pœnam non levem reportet videlicet ſubtractionem vivifici panis, quorum utrumque apud Dei juſti- C tiam manifeſtè eſt inconveniens. Si verò nihil detrahit de pœna gehennali debitâ præcedentibus peccatis, reſervat ergo ſufficienter punienda in gehenna, & ultra ſufficientem, aut debitam pœnam nullam pœnam infligit juſtiſſimus Deus, ergo nec miniſtrum, nec alium punit pro hujuſmodi peccatis ulteriùs, nec in parte, nec in toto : nulli ergo infert occaſione illorum pœnam quamcunque; quare occaſione illorum non infert pœnam tanti damni, quanta eſt amiſſio virtutis, & fructus tanti ſacramenti, nec in parte, ſcilicet infert eam, nec in toto maximè eccleſiæ ſuæ infert eam, quæ omninò immunis, & innocens eſt ab hujuſmodi peccato. Si autem præſumptio miniſterii hujus eſt veniale peccatum; manifeſtum eſt, quòd occaſione illius non infert Deus tantam pœnam, ut pro illâ ſubtrahat panem vivificum, & ſalutarem filiis. Ampliùs. At- D tende dominicam paſſionem, quę fuit holocauſtum, tota apotheca Spiritusſancti refertum, totaque ſuavitate omnium aromatum ſpiritualium fragrantiſſimum, & vide quia tantum, tamque venerandum, ſacrificium ſolùm procuravit, & ut ita dicamus, miniſtravit peccatum; totum enim, quod circa illud, ſive propter illud operatus eſt diabolus, peccatum fuit iræ, invidiæ, odii, atque ſuperbiæ, totumque, quod Judas, cupiditas, & detractio : totum quod ſcribæ, & Phariſæi, invidia, cupiditas, & ambitio, quâ honoribus ſuis, & dignitatibus per ejus mortem conſulere ſe credebant, & iterùm totum, quod Pilatus fecit, malo timore fecit : ſimiliter & populus peccavit clamando crucifigatur : carnifices verò quid fecerunt, niſi peccatum? ſimiliter teſtes, & accuſatores. Vide ergo tam ſanctum, venerandumque ſacrificium in ara crucis undique vallatum, & obſeſſum peccatis procurantium, petentium, totum, ſeu gratum habentium, contrectantium & ſi fas eſt dicere, immolantium illæsâ per omnem modum ſuavitate fragrantiſſimâ, & indiminuto penitùs placore patri miſericordiarum acceptiſſimum, atque gratiſſimum. Vides ergo manifeſtè, quòd tota miniſtratio tanti ſacrificii peccatum fuit, & tantum peccatum cui ſimile, atque comparabile, ne cogitari quidem poteſt. Deinde eum verum, ac Dei filium extremis injuriis, & contumeliis afficere, mortéque turpiſſimâ occidere ſuper omnia alia peccata eſt, quæ in eum committi poſſunt. Manifeſtum ergo eſt quantùm errent in parte iſtâ hæretici hujuſmodi; qui enim manibus impiorum flagellari, crucifigi, & occidi, pro ſalute ſuorum, tam piâ dignatione ſuſtinuit, & in pollutis eorum manibus ſacrificium noſtræ reconciliationis eſſe voluit : quomodò non læve, ut ita dicamus, & momentaneum ad actum pollutarum manuum in ſacramento altaris, quoties opus eſt, ſuſtinebit? Ampliùs. Cùm à manibus quantumcunque pollutis nihil inquinamenti ad mundiſſimum vitæ panem, nihil læſionis à quantumcunque malis miniſtris ad eum omninò pervenire poſſit : quâ de causâ refugiet hujuſmodi, cùm ſordes manuum illarum, nec ipſi, nec alii noceant, niſi ſolis his, qui eas polluerunt? Ampliùs. Quòd paterfamilias etiam per canes, aut porcos panem filiis mitteret ſi per illos in nullo inquinari, in nullo lædi panis poſſet: quemadmodùm Deus ipſe per corvos panes, & carnes mittebat Heliæ, ſicut legitur 3. Regum 17. Ita autem eſt de mundiſſimo, ſacratiſſimoque pane vitæ, qui per caninos, & porcinos homines nullatenùs inquinari, vel lędi poteſt. Idem dicimus de immundis pincernis, atque dapiferis, ſi eorum immunditia nec eſcas, nec pocula, inquinari poteſt, quis paterfamilias abhorrebit miniſterium eorum? Ampliùs. Si longiùs ſunt ab ipſo pane vitæ ſordes ſpirituales miniſtrorum, id eſt, peccata, quàm cœlum, aer, terra, qualiter propter illas dimitteret panis vitæ, venire ad eccleſiam ſuam, licet per manus impiorum? Manifeſtum autem eſt, quòd peccata miniſtrorum in animabus eorum ſunt. Major autem eſt diſtantia animarum à quocunque corpore quàm diſtantia corporalis cœli, & terræ, & de hoc, quòd ſit major diſtantia indubitanter quorumcunque peccatorum à pane vitæ, qui eſt Chriſtus dominus, quàm inter cœlum, & terram, legitur Iſaiæ quinquageſimo ſexto : quia ſicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris &c. Ampliùs, Petitio eccleſiæ non innititur, niſi Dei miſericordiæ, & meritis eccleſiæ. Sed nihil ad hanc, vel illam de peccatis miniſtrorum, nec in hanc, nec in illam aliquid poſſunt : quare nihil poſſunt, contra ea, quibus ſolis innititur totaliter eccleſiæ petitio : nihil ergo poſſunt contra petitionem ipſius, ergo non poſſunt eam impedire, quominùs exaudiantur. Ampliùs. Si omnes mali, qui ſub cœlo ſunt, eo tempore quo eſt offerenda hoſtia agni immaculati in ara crucis, peterent à patre miſericordiarum eam offerri ex parte ipſius eccleſiæ Dei & nomine, nunquid malitia petentium impediret, quominùs eccleſiæ petitio fieret? certum eſt, quòd non : ſic ergo cùm Dei voluntas bona ſit pane vitæ nutrire filios, non propter malitiam eorum, qui hoc petunt ex parte eccleſiæ, & nomine, dimittet Deus, quin erga filios ſuam bonam impleat voluntatem. Ampliùs. Quis paterfamilias propter fracturam, vel immunditiam cophini, qui cibos nullatenùs lædat aut inquinet, dimittet in illo, & per illum filiis miniſtrare cibum? Ampliùs. Aut aliqua eſt virtus ſacra-

Nota.

Paſſio domini holocauſtũ.

Similitudo.

Argut diſputat

Peccata ſacerdotũ non impediunt eccleſiæ merita.

Virtus ſacramentorū ex miniſtris non pendet.

mentorum in ſe ipſis omninò non pendens ex miniſtris, aut nulla. ſi aliqua, ſive boni, ſive mali ſint miniſtri, virtus illa manet ſalva per omnia, & illæſa: ergo nihil ad virtutem ſacramentorum de bonitate, vel malitiâ miniſtrorum; ſi verò nulla eſt, quæ non pendeat ex ipſis, non eſt ergo virtus divina, virtus ſacramentorum, nulla enim virtus divina pendet ex hominibus. Ampliùs. Si ſacramenta ſunt ſicut medicamenta, virtus autem medicamentorum nullo modô pendet ex medicantibus, quin ſalva ſit eis, & integra, ſive illi ſani ſint, ſive ægri: ergo virtus ſacramentorum non pendet ex miniſtrantibus. Ampliùs. Virtus divina eſt quæ tranſubſtantiat mirabiliter, & inæſtimabiliter panem materialem in dominicum corpus, huic autem virtuti nihil obſiſtere, vel reſiſtere poteſt, quin hoc faciat quandocunque voluerit, & ubicunque, ſive in manibus impij miniſtri, vel aliter. Reſtat ergo, ut ſi hoc facere voluerit in manibus impiorum miniſtrorum, quòd hæc peccata miniſtrorum nullatenùs avertere poſſint; vult autem proculdubiò hoc facere ibi, ſi decet, & expedit: decet autem divitias bonitatis ejus, ut plùs favoris, & gratiæ inveniant apud eum millia millium ſanctorum, qui in eccleſiâ ſunt, quàm unus malus miniſter iræ, & indignationis & ut plùs trahatur tot, tantisque ſibi gratis innumerabilium ſanctorum meritis ad præſtandum eis panem vitæ, quàm retrahatur unius mali demeritis à tanti beneficij largitione. Expedit autem evidenter, ac ſaluberrimum eſt toti familiæ ſuæ hoc fieri ſcilicet, præſtari eis ſic panem vitæ: nulla ergo malitia miniſtri poteſt obſiſtere, quominùs hoc faciat etiam, & in manibus impiorum. Ampliùs. Sacerdos in altari ſe gerit, ut miniſtrum, & geſtorem alieni negotij, videlicet negotij ipſius eccleſiæ; perſonam etiam, & vocem, ſeu verba gerit eccleſiæ: ille autem agit negotium, cujus nomine agitur, & illi fit. totum quod fit, propter quem, vel cujus nomine fit. Cùm ergo in iſto miniſterio nihil ſuum gerat, nihil ex perſonâ, vel nomine ſuo; ſicut eum admittere in hoc, vel exaudire, ſic ipſum repellere in eo, quòd talem, & ſic agentem extra eccleſiam expellere, ſive non exaudire, non erit propter perſonam. Impoſſibile autem eſt Deum repellere, vel non exaudire eccleſiam ſuam, impoſſibile ergo eſt irritum, vel vacuum eſſe miniſterium ſacerdotis in altari, licet ejus perſona ſecundùm ſe accepta non ſit; nec ullo modo neceſſarium eſt, propter hoc, quòd dicit, Oremus aut, Da nobis quæſumus domine, ut ipſe unus eorum ſit, vel qui petunt, vel quibus hoc petitur; ſicut non eſt neceſſarium, ut advocatus, qui proponit pro univerſitate quacunque, vel collegio, ſit de illâ, vel illo; ſi enim interpellando judicem diceret, adjudica nobis hoc, connumerans ſe univerſitati, cùm de ea non eſſet, non audiretur pro univerſitate, non enim pro univerſitate peteret, ſed pro ipſo, & univerſitate: ſic oportet, quòd ſacerdos ritè orans pro eccleſiâ perſonam eccleſiæ induat, & vocem eccleſiæ aſſumat. Non prohibemus tamen, quin & ſuam, & eccleſiæ petitionem Deo offerat: licet autem ſua non admittatur, eccleſiæ tamen petitio rit: propoſita, ut diximus, ſemper proculdubiò exauditur in talibus. Ampliùs. Miniſtri ſanctitas, & juſtitia proculdubiò neceſſaria eſt ſacro miniſterio ad honorem, & reverentiam, certum autem eſt, quòd nec virtutem, nec efficaciam præſtat eidem, virtus enim & efficacia ſacramenti deſurſum tunc eſt. Item gratiam, & favorem apud Deum non præſtat eccleſiæ, neque aliter augeat gratiam, & favorem ipſius, niſi merito: hoc autem facit quilibet ſanctorum æquali ſanctitate prædi-

Sacramenta, ſicut medicamina.

Merita plurium.

Ille agit negotium cujus nomine agitur.

Impoſſibile eſt Deum non exaudire eccleſiam.

Sacerdos orans perſonam eccleſiæ debet induere.

totum: iſtud autem augmentum non ita eſt neceſſarium eccleſiæ, ut per abſentiam, ſive defectum ipſius, neceſſe ſit petitiones ejuſdem repelli: cùm enim quotidie cadunt multi de eccleſiâ in peccata mortalia, niſi totidem, aut tantæ ſanctitatis reſurgerent in eadem, ſi diminutio iſta univerſalis favorem ſuum auferret eccleſiæ, quotidie impedirentur orationes eccleſiæ, & prohiberetur earum exauditio apud Deum, eſſetque in poteſtate miniſtrorum aures miſericordiæ Dei claudere, vel aperire petitionibus eccleſiæ ſuæ.

Nota.

CAPUT VI.

Poſtquàm docuit immunditiam ſacerdotum, & ſordes miniſtrorum nihil pertinere ad virtutem, & efficaciam ſacramentorum, oſtendit & circumſtantium malitiam nihil ſacramenti effectui obſtare.

IAm ergo declaratum eſt, bona, vel mala merita miniſtrorum nullatenùs pertinere ad virtutem, vel efficaciam ſacramentorum, etſi ad honorificentiam, vel contumeliam pertinent, eo quòd ſolâ omnipotentiæ divinæ virtute, & miſericordiâ fiat, ſolisque meritis, & gratioſitati eccleſiæ præſtentur, ſicut medicamentorum corporalium virtus ex ſanitate, vel infirmitate medicorum nullatenùs pendet, ſicut nec virtus panis ex ſaturitate, vel eſurie contrectantis, nec virtus cujuſcunque lapidis ex fortitudine, vel infirmitate geſtantis ipſum. Ut autem clariùs faciamus iſtud, dicimus, quòd ſi adeò refugeret peccatorum immunditias panis vitæ, non ſolùm manus miniſtrorum malorum, ſed etiam omnium aſtantium altari, atque circunſtantium ſacrificio præſentiam propter unius ſolius malitiam declinaret: ſic & omnem locum quocunque mortali peccato pollutum, tanquàm præſentia gloriæ ſuæ indignum declinabit, & avertet ſe ab illo, loca enim peccatorum ſordibus polluta, indigna ſunt, ut ea inhabitet, vel etiam intret. Vides ergo qualiter proſcripſerunt ipſum iſti hæretici, & tam pauca loca reliquerunt ei in mundo iſto inferiori. Accidit & ſecundùm hoc ipſam divinam eſſentiam, quam jam declaravimus eſſe ubique, in nulla ſubſtantia, quæ mortale peccatum habeat eſſe poſſe; cùm enim ſupra omnem operationem, & cogitatum majoris ſanctitatis ſit ipſa divina eſſentia, quàm corpus, & ſanguis, immò quàm tota humanitas redemptoris: corpus autem & ſanguis propter ſui ſanctitatem contrectari non poſſint, nec patiantur; incomparabiliter fortiùs non patietur fons omnium ſanctificationum divina eſſentia ſe eſſe in ipſo peccatore, longè enim majus eſt eſſe in illo in quo peccata ſunt, quàm contrectari ſe, & geſtari ab illo, quare ſequeretur ex neceſſitate, ut fugiat divina eſſentia à facie hujuſmodi inquinamentorum ſpiritualium ſcilicet quemadmodùm caro, & ſanguis domini Salvatoris, & propter hoc mori, & deſtrui eſſentialiter omnes peccantes; fugiente enim eſſentiâ, quæ unumquodque portat, & ſuſtinet in eſſe, neceſſe eſt recidere in non eſſe, unde per ipſum erat adductum ad eſſe, & hoc quidem alibi declaravimus. Accidit etiam & aliud ridiculum, apertæque falſitatis blaſphemia, ut ſacratiſſima euchariſtia, quam ipſi hæretici ſaluberrimam eſſe confitentur, non poſſit conferri, niſi ſanis, & ita non erit ſalus ægris, nec vita mortuis: hoc autem eſt evidentis abſurditatis: hoc enim eſt dicere, ut de ipſo fonte ſanctificationis minùs incompatabiliter hauriant accendentes, quàm ex uno rivorum ipſius; ſacramentum enim euchariſtiæ fontem totum continet ſanctificationum, & authorem ſalutis Chriſtum dominum,

Nota.

Sacramentum euchariſtiæ.

& hoc

[A] & hoc ſecundùm utramque ſui naturam, divinam ſcilicet & humanam, & hoc præſentialiter, atque veriſſimè, ſicut jam in tractatu de eodem ſacramento patefecimus Sacramentum verò baptiſmi, & ſacramentum confeſſionis, licet plenę ac perfectæ ſanctificationis ſint, fluenta tamen, vel rivulos ſolos continent gratiarum; ipſa enim ſubſtantiâ panis vitæ reficimur abſque medio, quod ſit inter ipſum, & refectionem, ſed rivis gratiarum ſanctificamur tam ipſius etiam quàm baptiſmi ſacramento Quod autem nobis objiciunt, quia ſi is, qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus judicis ad deteriora provocatur, verum eſt, ſed contra ipſum, qui temerè intercedere præſumit, & majeſtatem judicis non veretur, & ſpurcitias vitiorum, & peccatorum ſuorum irreverenter, & impudenter oculis ejuſdem ingerere: ſimiliter & contra illum, qui talem ſcienter ad intercedendum mittit: nullatenùs autem contra eccleſiam [B] ſanctorum, quæ in parte iſta omninò innocens eſt, & immunis, alioquin ex alieno delicto ipſa eccleſia incurreret offenſam Dei, quod iniquiſſimum eſt. Sibi ergo hujuſmodi præſumptor judicium manducat, & bibit, ſicut legitur 1. Cor. 12. Eccleſia verò de fonte illo ſalutari haurit aquas ſalutares indulgentiarum, doctrinarum, ſicut legitur Prover. 12. Qui bonus eſt, haurit ſibi gratiam à domino.

CAPUT VII.

Per ſimilitudinem procuratoris ſuſpenſi oſtendit ſuſpenſos, & excommunicatos miniſtros ſacramentum conficere.

HAbet autem quæſtionem de ſuſpenſis, & excommunicatis, utrùm ipſi conficiunt ſacramentum [C] altaris, & miniſterium tempore excommunicationis, vel ſuſpenſionis? & viſum eſt aliquibus, quòd non. Procurator enim, cui interdicitur procuratio, vel qui ſuſpenditur à procuratione, ſi ſe ingerat tempore ſuſpenſionis hujuſmodi, ſeu interdicti, falſus procurator dicitur, per falſum autem procuratorem, quidquid agitur, irritum eſt; quâ de cauſâ irritum eſſe ſacerdotale officium tempore ſuſpenſionis, & excommunicationis, & ita nihil agi per hujuſmodi ſacerdotes. Sed ſciendum, quòd aliud eſt ſuſpendere procurationis officium ad tempus, aliud revocare; ſi revocatum ex toto ſit procuratoris officium, manifeſtum eſt, quòd ea quæ in jure conſiſtunt tantùm, ſi per ipſum procurata fuerint, ipſo jure nulla ſunt; propter hoc judicium, quod per hujuſmodi procuratum eſſet, ipſo jure nullum eſſet, & ſententiæ ſic latæ, ipſo jure nullæ, ſed ſi ſuſpenſus eſſet procurator, ne peteret aliquid ex parte domini ſui, vel ne impetraret uſque ad tempus; ſi peteret medio tempore, [D] petitum eſſet, & ſi impetraret, impetratum eſſet. maximè ſi impetratum eſſet aliquid, quod in facto uno conſiſteret; ſi enim impetraſſet aurum, vel argentum medio tempore non minus eſſet bonum aurum, vel argentum, quàm ſi illa jubente domino impetraſſet. Nec poteſt dici propter ſolam prohibitionem falſus procurator, donec dixerit ipſe, qui conſtituit, amoveo te ab iſto officio penitùs, nec ratum habeo quicquam quod per te procuretur. Quia ergo ſuſpenſio, vel excommunicatio non aufert officium, nec ab illo amovet, ſed ejus executionem inhibet ad tempus, nec tollit ratihabitionem poſtea ipſius eccleſiæ, ideò nec falſos efficit procuratores hujuſmodi, nec evacuat miniſterium ipſorum. Exauctoratio autem, & depoſitio, ſicut ſacerdotes à clero omninò removet, & abjicit, privilegioque clericali omninò privat, & exuit, ita ab officio

Suſpendere & revocare mandatum.

Similia.

[A] ſacerdotali omninò amovet, & deponit, & propter hoc ſacerdotali officio de cętero, niſi falsò, atque fallaciter ſe ingerere non poſſunt: ut enim verus procurator ſit, duo ex neceſſitate requiruntur, videlicet, ut dominus cauſæ illum procuratorem habeat, & reputet, deinde, ipſemet procuratorem ſe gerat videlicet illud ſolum, quod ei injunctum eſt petens, aut proſequens Cùm ergo eccleſia exauctoratos, atque depoſitos, licet ſacerdotes ſuos eos conſtituerit, ſacerdotes tamen ipſos poſt exauctorationem, & depoſitionem non habeat, nec reputet, immò à ſacerdotio pęnitùs ſubtractos, & ideò nec ratum habeat quicquid de ſacerdotali miniſterio attentare præſumpſerint, neceſſe eſt præſumptionem eorum, & attentationem, quantùm ad ſacerdotale officium, vacuam, & irritam eſſe: & hoc ipſum forma exauctorationis, & exordinationis indicat evidenter. qua veſtimentis ſacerdotalibus ſigillatim [B] & illis inverſatis exuuntur, per quod judicare intendit eccleſia manifeſtè, nihil eis dignitatis, poteſtatis, officijque, ſacerdotalis relinqui, ſicut de veſtimentis ſacerdotalibus nec unum eis relinquitur. Apoſtatæ verò, & hæretici, publicè & manifeſtè ab eccleſia recedentes, & ad ſynagogam ſatanę, hoc eſt, ad quamcunque ſectam perfidiæ tranſeuntes, nec ſacerdotes eccleſiæ catholicæ, ſed potiùs ſynagogæ ſatanæ ſe gerentes. & execrandas ejus petitiones, & ſacrilegio miniſterio ſuo, ut ſupra diximus, & ore geſtantes, nihil agunt ex parte eccleſię catholicæ cujus neque nuntios, neque miniſtros ſe gerunt, ſed nec ex parte perfidæ factionis, ex cujus parte loquuntur, cujus vocem Deus omninò non audit, ſed tanquàm corvinam, tanquàm ſibilum ſerpentum exhorret, & execratur. Et [C] ita manifeſtum eſt, quòd duobus concurrentibus perficitur ſacerdotale officium, vel miniſterium, videlicet ratihabitione eccleſię, & procuratoris officij limitatâ executione, & ſimiliter duabus de cauſis irritatur, & evacuatur. hoc eſt à parte eccleſiæ, & à parte ipſorum miniſteriorum. Hinc eſt, quòd rationabiliſſimè dixiſſe videtur, exauctoratos, atque depoſitos, reordinandos eſſe, cùm redierint, & eccleſia eos reſtituere voluerit: cęteros autem ab eccleſia apoſtatantes, reconciliandos tantùm, non autem iterùm ordinandos; ſi enim eccleſiæ intentio exauctorando, & deponendo, ſive degradando ordinatos, ipſos characteres ordinum delere, ſive abolere in illis intendit, non ſolùm veriſimile, ſed etiam neceſſe eſt, eccleſiæ intentionem omnipotentiæ divinæ virtute, quæ miniſterio eccleſię ſemper aſſiſtit, & per ipſum operatur, impleri: ſicut enim miniſterio eccleſiæ adeſt omnipotens virtus ad imprimenda ſanctitatis ſignacula, ſive characteres, quos ordines vocamus, & ad infundendam gratiam [D] ipſius ordinibus congruentem; ſic & ad abolendum ipſa ſingula dubitandum non eſt, ejuſdem eccleſiæ miniſtris eandem eſſe, & operari virtutem, & perficere intùs, quod foris facit eccleſia. Ampliùs. Si divinæ virtutis tantùm eſt, & eccleſiæ ipſius miniſterij ordines imprimere, & fundare, ſic ejuſdem virtutis eſt per contrarium miniſterium eoſdem delere, & auferre. Ampliùs. Quomodò deeſſet divina virtus eccleſiæ in iſto miniſterio auferendi ordines, quod tam ſalubre, tamque neceſſarium eſt ad juſtitiam exercendam contra execrabiles eorumdem præſumptores, & contaminatores: Quòd ſi eccleſiæ intentio non fuerit ipſos ordines auferre miniſterio exauctorationis, & depoſitionis, ſed ſolam eorum executionem, manifeſtum eſt, quòd ordines in exauctoratis, & depoſitis, remanere neceſſe eſſet, eoſque ab ipſa executione ſolummodò de perpetuo eſſe ſuſpenſos: & propter hoc

Exauctorati & ordinati ſacerdotes.

Nota.

Digitized by Google

ſi poſtea à ſuffragantibus reſtituantur, ordinari iterùm eos nullo modo eſt poſſibile; & tamen in tractatu baptiſmi de hoc diximus, & docuimus: qui enim ſacerdos eſt, ordinari ſacerdos iterùm non poteſt, & generaliter impoſſibile eſt, ut ordinem, quem habet quis recipiat, ſicut album albedinem recipere non poteſt, eo quòd duas formas ejuſdem ſpeciei ſimul in eodem eſſe impoſſibile eſt, quoniàm carentia omnis motus, & mutationis, principium eſt, ſine qua non poteſt. Manifeſtum ergo eſt ex his, quòd ſi fuerit intentio eccleſiæ auferre, ſeu abolere characteres ordinum exauctoratis, & depoſitis, ſi poſtmodùm reſtitui obtinuerint, iterùm ordinandi, & ordinum ſignaculis imprimendi, ſeu ſignandi ſunt, utpote in quibus miniſterio eccleſiæ foris agente, & virtute divina intùs operante, characteres ordinum aboliti fuerant pęnitùs, & abraſi, alioquin exauctoratio, & depoſitio nihil aliud eſſe viderentur, quàm ab ipſa executione perpetua ſuſpenſio; nec timendum ullatenùs injuriam fieri ſacramento ordinis, ſi hoc modo, ut diximus, iteretur: ſi enim non reputatur iterandum, quod neſcitur eſſe factum: multò fortiùs non eſt reputandum iteratum, quod ſcitur abolitum eſſe pœnitùs, & deſtructum. Similiter ſi debaptizaretur quis juxta hunc modum, ut ei pœnitùs auferretur ſanctitas baptiſmalis, & character, ſicut perfidia Judæorum ſomniat poſſe fieri quibuſdam execrandis abraſionibus, & nefandis, ac immundis ablutionibus, & poſtmodùm revocante eum divina gratia, ad eccleſiam reverteretur, denuò baptizandus eſt, utpotè cui nullum baptiſmi refugium remanſiſſet. Verùm eccleſia iſtud non fecit unquàm, nec faciet, nec credimus eam, quacunque ſuggeſtione, vel ſuaſione ad hoc poſſe induci, ut aliquem debaptizare intendat, vel exchriſtianare, licet in baptiſmo longè aliter ſentiendum ſit, quàm in alijs ſacramentis de injuria iterationis: in alijs autem nulla videtur injuria ſecundùm ea, quæ diximus, ſi iterentur, cùm omnia iterentur evidenter abſque ullâ ſui injuriâ excepto ſolo ordinis ſacramento, cui etiam nulla omninò fieret injuria, in caſu quem poſuimus exauctoratorum, atque depoſitorum, ſi eccleſia exauctoratione, & depoſitione characteres ordinum ab eo abradere pœnitùs intenderet, & auferret. Sacramentum verò baptiſmi, quia ſacramentum, & figura eſt mortis Chriſti, quam propter largiſſimam ſufficientiam ſuam, unicam, & ſolam eſſe neceſſe eſt, iterari nón ſolùm non decet, ſed etiam impoſſibile eſt, ut jam diximus, & oſtendimus: in ordine verò, nec prohibet figura, nec deſignatio aliqua, ſi abradi, ut diximus, & aboleti omninò contingeret. Quæ autem ſit intentio eccleſiæ in opere exauctorationis, & depoſitionis, ab eccleſia Romana diſcendum eſt, penes quam reſidet auctoritas univerſalis eccleſiæ, cujus auctoritate de exauctorationibus, & depoſitionibus omnia ſtatuta edita ſunt: adjiciendum eſt tamen ejus eſſe legem interpretari, qui condidit: intentio autem eccleſiæ ſemper, aut ſacrâ eruditione, aut divinâ inſpiratione, in his quæ generaliter ſtatuit, & formavit, procul dubiò firmatur propoſitum verò noſtrum non eſt hîc vel canones ſacros exponere vel contrarias opiniones doctorum ipſorum in his ad concordiam reducere, ſed veritatem, ſanctitatem ordinum, virtutemque eorum, necnon & poteſtatem eccleſiæ, præſtandis & afferendis ipſis rationibus, ac declarationibus, quantùm poſſumus, aſtruere.

Nota. — *Iteratio ſacramentorum.* — *Baptiſmū non iterari*

E F G H

CAPUT VIII.

De poteſtate ligandi, & ſolvendi, ſubtiliter diſputat, errores deſtruens eorum, qui contra talem juriſdictionem & auctoritatem quædam perverſe ſenſerunt, & ſcripſerunt.

QUia verò ſacerdotalis ordinis unum officium eſt ſolvere, & ligare, cui hæretica perfidia conſuetâ inſaniâ contradicit, conſequenter & illud officium aſtruere tentemus. Et quia jam oſtendimus duos modos ſolvendi, atque ligandi, alterum videlicet in foro pœnitentiali, quod jam in tractatu de pęnitentia, & ſtabilivimus, & declaravimus, cum omni virtute ſua, & efficacia, atque fructu, relinquitur nobis alterum proſequi conſequenter, quod eſt in foro judiciali, hoc eſt poteſtas, quâ pontifices excommunicant, & interdicunt, & vocatur poteſtas ligandi, atque ſolvendi, & juriſdictio eccleſiaſtica. Scito ergo, quòd duo ſunt errores hæreticorum circa officium iſtud. Horum primus eſt quo dicunt, non niſi bonos ſacerdotes, & ſanctos habere poteſtatem hujuſmodi. Secundus eſt, quo dicunt, bonos, & ſanctos ſacerdotes hanc poteſtatem non habere, niſi in malos & peccatores ſubditos: nihil autem poſſe eos in parte iſta contra bonos ſubditos; peccatum enim inquiunt excommunicat hominem, non ſententia. Nunc ergo in primis aggrediamur primum errorem deſtruere, & dicamus, quòd ſicut regum ſæcularium poteſtas eſt, excommunicare corporaliter, hoc eſt communionem auferre corporalium, ita eſt regum ſpiritualium excommunicare ſpiritualiter, hoc eſt auferre communionem ſpiritualium, hoc autem ſuper ſacramenta, & ſacramentalia. Ampliùs. Sicut de civitate corporali ejiciendi ſunt, qui leges ejus atque ſtatuta, quæ ſuſceperunt, ſervare contradicunt, nec quamdiu hoc faciunt in numero civium ſunt habendi: ſic de civitate ſpirituali, quæ eccleſia eſt, qui profeſſi ſunt cum Chriſtianis, ſi leges eccleſiæ ſervare contradicunt, ejiciendi ſunt: & ſicut inde, per judicem ſæcularem, ac ſæculare judicium, ſic hinc per judicem, eccleſiaſticumque judicium. Ampliùs. Quia manifeſtum eſt eſſe duas reſpublicas, neceſſe eſt & duo eſſe genera adminiſtratorum, quoniàm reſpublica abſque miniſtratoribus, rectoribus, ſeu procuratoribus eſſe non poſſit. Quia ergo proportionales ſunt adminiſtrator reipublicæ ſæcularis, & reſpublica ſecularis, ejuſque ſubditi, ſeu cives, atque leges, ſtatuta, & judicia ejuſdem reipublicæ, & adminiſtrationes, ad rempublicam ſpiritualem, ejuſque ſubditos, ſtatuta, atque judicia; manifeſtum eſt, quòd quicquid licet magiſtratui reipublicæ ſecularis ſtatuere in ſubditos ſuos, licitum eſt magiſtratui reipublicæ ſpiritualis. Primum autem horum, & maximum eſt Dei glorificatio, & honoratio. Deinde animarum ſalus. Tertiò emendatio delictorum. Quartò declinatio ab ipſis. Quintò bonorum ſpiritualium, & ſalutarium conſervatio. Sextò ampliatio, ſeu propagatio ipſorum; quicquid ad iſta ſex bona pertinet, hoc eſt, ad ea efficienda, conſervanda, ſive augenda, aut amplianda, pertinet, & cooperantur, licet ſtatuere magiſtratui ſpirituali in ſubditos ſuos. Quia ergo ad Dei gloriam pertinet, ut ejus contumelia tollatur de medio, & ut contumelioſi eidem ejiciantur de medio ſanctorum, & hoc magiſtratui reipublicæ ſoli commiſſum eſt, eique ſoli incumbit ex officio; manifeſtum eſt hujuſmodi magiſtratui licere tales ejicere de conſortio ſanctorum. Ampliùs Quantò magis è vicino ſunt hoſtes civitatis ſanctificatæ, Deoque

Sacerdotalis ordinis officiū Duo modi ſolvendi, & ligandi. — *Duo errores circa poteſtatem ordinis.* — *Nota.*

Digitized by Google

A que dilectæ, eidem, tantò graviùs ipſam impugnant
atque pernitioſiùs; maximè autem è vicino ſunt illi,
quandò populi permixti, & immixti ſunt, à maximo
autem nocumento, & maximâ impugnatione, ma-
ximè cavendum eſt eidem civitati, quare à permix-
tione, ſeu immixtione malorum maximè caven-
dum eidem. Iſta autem cautela manifeſtè incumbit
rectoribus, & magiſtratui ejuſdem civitatis: in alio
tamen genere malorum incumbit magiſtratui ſæ-
culari purgare provincias, ſive civitates à ma-
lis hominibus, in quo adjutores, ſunt poteſtates
ſæculares magiſtratui ſpirituali, & debitores adju-
torii, propter quod invocandi à magiſtratu ſpi-
rituali, cùm pœna ſpiritualis non timetur. Am-
Nota. pliùs. Nulla eſt congregatio, nullum collegium,
nulla civitas, ſi idoneos habet rectores, quæ mi-
niſterio eorum rebelles, & contumaces profeſſio-
nibus, & obſervantiis ſuis, & inobedientes legibus,
atque ſtatutis ſuis, à ſe non ejiciat, & communione
ſuâ non privet & hoc non tam juſtè, & legitimè,
quàm etiam utiliter, & ſalubriter, ne fermentum
malitiæ, etiam paucorum, ſi non expurgetur, to-
tam maſſam corrumpat: magis autem cavendum
B eſt incomparabiliter à fermento malitiæ civitati
ſanctæ quam diximus, propter ſalutem ſpiritualem,
& alia bona ſpiritualia, quàm civitati ſeculari prop-
ter bona corporalia, vel temporalia. Quare incom-
parabiliter magis incumbit rectoribus ſpiritualibus,
quàm rectoribus ſæcularibus expurgare ſuo modo
malum fermentum: multò ergo fortiùs, evidens
eſſe debet expurgationem hujuſmodi fermenti in-
cumbere ex officio regiminis ſpiritualis rectoribus
ſpiritualibus. Hæc autem expurgatio, excommu-
nicatio eſt, ſive de tota eccleſiâ ejectio. Ampliùs.
Quis paſtor ovem morbidam, hoc eſt morbo con-
tagioſo laborantem, à grege ſuo ſeparare non
debet: & propter hoc ſalutem ovium corporalium
corporalem procurare? quantò ergo fortiùs paſtor
ſpiritualis contagioſam ovem ſpiritualem, ne per
unam ovem aliam inficiat, ne dicam totum gre-
C gem, ſeparare debet à grege? Et ſi illud incum-
bit paſtoribus literalibus ex officio paſtorali litera-
li; quantò fortiùs incumbere debet ſeparatio, ſive
excommunicatio ovium ſpiritualium paſtoribus
ſpiritualibus ex officio paſtoralitatis? Ampliùs. Si
hæc in membris literalibus faciendum eſt medicis
corporalibus, videlicet ut putrida præſcindant,
ſeu reſecent, ne putredo eorum ſerpens ſe transfun-
dat in alia: quantò fortiùs medicis ſpiritualibus cu-
ram ſalutis hujuſmodi ſacratiſſimi corporis haben-
tibus, quod ex omni coarctatione ſanctorum ip-
ſo Deo operante compactum eſt, providendum
eſt à membris putridis, ne putredo eorum ſerpat
in alia? Quòd ſi medicinam non receperint, nul-
lâ aliâ viâ ſanis membris caveri poteſt ab infectio-
ne ipſorum, niſi per ſeparationem iſtorum; & hoc
eſt ſeparatio prima; deinde etiam alia ſeparatio,
ſcilicet carceris, aut mortis ex neceſſitate adhiben-
D da erit. Ampliùs. Cùm innumerabiles ſanentur, hoc
eſt, reſipiſcant, & revertantur à delictis ſuis per ip-
ſam excommunicationem: manifeſtum eſt, ex-
communicationem medicinam eſſe delictorum ſa-
lutarem: omni autem ſalutari medicinâ utendum
eſt medicis ſpiritualibus, contra morbos vitiorum,
& peccatorum: quare & hac. Ampliùs. Si non ha-
Nota. berent medici eccleſiaſtici poteſtatem utendi iſtâ
medicinâ nec eſſet iſta medicina in eccleſia Dei,
cùm evidenter & neceſſaria ſit in viris ægris ſpiritua-
lib. & manifeſtè ſalutaris, ut diximus, nec ægris ſuis
de medicamentis ſalutaribus, nec medicis de his,
quæ ad officium medicandi pertinent, ſufficienter
providiſſet Deus: quare nec ſaluti generis humani,

A quam ſummopere curat, ut deceret, providit. Cùm
autem de propria carne fecit antidotum, & de
proprio ſanguine fecit ſiropum, nullum voluit de-
eſſe medicamentum ſaluti. Ampliùs. Si medici ec-
cleſiæ non habent poteſtatem niſi monendi, ex-
hortandi arguendi, interpretandi, & ſimilia fa-
ciendi, & iſta multorum morbis curandis non ſuffi-
ciant: quid fiet eis, cùm ampliùs ſecundùm hunc
errorem, eccleſia non habeat quid faciat? Neglexit
ergo Deus ſalutem eorum, quibus non providit re-
medium, & minùs ſufficienter inſtruxit, armavit,
atque præparavit eccleſiam ſuam, cùm in ea ſuffi-
cientia remediorum contra omnem morbum ſpiri-
tualem non inveniatur, & præpoſterè egit, cùm
corpora magis curaverit in parte iſta, quàm animas:
corporibus enim ſufficientiam remediorum contra
omnem morbum eorum curabilem providit, ſi &
animabus congruentem ſibi remediorum ſufficien-
tiam providere neglexit, quoniàm ſacramenta ſan-
ctiſſima ſunt manifeſtum eſt execratis, & omninò
indignis communione eorum, illa nullatenùs eſſe
communicanda. Pertinaces autem in quocunque
peccato mortali, & hoc manifeſtè, & publicè, ma-
B ximè execrabiles ſunt, & maximè indigni ſanctita-
te ſacramentorum, & hoc eſt quoniàm longiſſimi
ſunt, ſive remotiſſimi à gratia ſanctitatis, ut potè
contrarii, & repugnantes eidem, & adverſùs ipſam
armati atque currentes; ſicut legitur Job 15. Teten-
dit adverſùm Deum manum ſuam, & contra omni-
potentem roboratus eſt; ſcuto ſcilicet pertinaciæ,
ſeu contumaciæ & gladiis defenſionum. Mani-
feſtum ergo quòd talibus ſacramentorum commu-
nio deneganda eſt ac penitùs interdicenda. Ejuſ-
dem autem poteſtatis eſt ſacramenta impendere,
ac denegare, ejuſdemque officii: quare ſacerdotum
erit utraque poteſtas, ſive officium, videlicet ſacra-
menta impendendi, & eadem denegandi, ſeu in-
terdicendi. Et hæc eſt poteſtas ligandi, atque ſol-
vendi. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia ſacramenta Nota.
medicamenta ſunt ſpiritualia, medicis ſpiritualibus
C propter curam, & curationem animarum tradita:
certum autem eſt, quòd medicamenta, & medici-
næ malè præparatis noxia ſunt, atque mortifera:
medicorum autem ſpiritualium officium, & po-
teſtas eſt, medicandis vel quorum curationem
ſuſceperunt, injungere ſalubria, & interdicere no-
xia atque mortifera: malè igitur paratis ad medica-
menta ſacrorum, interdicere, ſeu prohibere commu-
nionem eorum, poteſtas, & officium eſt medicorum
ſpiritualium. Jam autem declaravimus in tractatu
de pœnitentia, quòd judicibus ſpiritualibus, ſive
rectoribus, & medicis omninò parendum ſive obe-
diendum eſt à ſubditis, & curæ ipſorum commiſſis:
quare parendum eſt ſententiis excõmunicationum,
& interdictionum, ſeu prohibitionum, quas dixi-
mus. Ampliùs. Omni diſpenſatori victualium in
quacunque domo, cùm ipſo officio diſpenſationis,
commiſſum eſt, quibus diſpenſet, & quibus dene-
D get? quare diſpenſatori victus ſpiritualis, & vivifi-
ci panis & vini, commiſſum eſt in domo Dei ma-
gna & quibus illa diſpenſet, & quibus illa deneget.
Ampliùs. Quis dubitat idolatras, & menſis dæ-
moniorum communicantes prohibendos eſſe, &
omninò arcendos à menſâ Chriſti? per quos autem
fiet iſtud, niſi per ipſius menſæ miniſtros ſacros, ſci-
licet panifices, ſacroſque pincernas, hoc eſt, ſacer-
dotes? Cùm ergo peccatum contumaciæ, ac perti-
naciæ ex ipſâ naturâ ſui evidenter ſit peccatum ido-
latriæ ſpiritualis: & ſicut legitur 1. Reg. 15. pecca-
tum ariolandi, ſit repugnare, & quaſi ſcelus idola-
triæ nolle acquieſcere: manifeſtum eſt, contuma-
cibus interdicendam eſſe menſam ſacræ commu-

Digitized by Google

Sacramenta medicamina ſunt animarum.

nionis. Ampliùs. Cùm ſacramenta medicamenta ſint animarum, & utique illarum ſolummodò, quæ ſub curâ medicorum ſunt ſpiritualium, quia propter illas ſolummodò medicis tradita ſunt, quia & illis ſolùm ſalutaria, &c. quia ergo à cura hujuſmodi medicorum diabolico privilegio, quod eſt ſuperbiæ, pertinaciæ ſe eximunt, nihil juris habent in ſacramentis: arcendi ergo ſunt ab eis, ſicut à jure alieno; & ſi ſe ingerant, reputandi invaſores, & per vim armatam etiam repellendi. Ampliùs. Nulla eſt domus adeò malè diſpoſita, in qua proviſores ejuſdem non habeant poteſtatem, ut ab ea hoſtes ejiciant, & etiam alienos: multò ergo fortiùs immunda, ac venenata animalia, porcos ſcilicet, & canes, ſerpentes, & ſcorpiones, & alia hujuſmodi. Quia ergo peccatores à peccatis ſuis reſipiſcere, ac reverti nolentes, immò penitùs reverti contradicentes, non ſolùm alieni à domo Dei, ſed etiam hoſtes ejuſdem ſunt, & inſuper porci, ac canes ſpirituales, immundaque animalia & venenata in domo Dei ſpirituali reputantur: manifeſtum eſt miniſtris, & proviſoribus ejuſdem domus, non ſolùm commiſſum eſſe, ſed diſtrictiùs præceptum, ut tales projiciant, & arceant ab eodem. Ampliùs. Quis miniſter ſanctorum non habet poteſtatem, non dare illa canibus, ſicut legitur Math. 7. Nolite dare ſanctum canibus. Et quis miniſter filiorum ſeu dapifer menſæ filiorum, non habet poteſtatem prohibendi inde canes, & arcendi? ſicut legitur Math. 7. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Quòd ſi verbo prohibitionis aſtricti à menſa ſe non averterint, baculo ſunt, ſeu gladio poteſtatis exterioris arcendi, ac repellendi. Si per magiſtratum ſæcularem leproſi corporales à civitatibus ſæcularibus, propter contagii periculum ſunt corporaliter expellendi, quantò fortiùs per magiſtratum ſpiritualem, leproſi ſpirituales propter incomparabiliter magis ſpiritualis contaminationis periculum, erunt à civitatibus ſpiritualibus, ideſt eccleſiis ejiciendi? Et inſuper ſicut certi ſunt judices, ac probatores lepræ corporalis in civitatibus corporalibus, quorum judicio, ſi qui leproſi declarati fuerint, ad ſententiam eorum neceſſe habent ſecedere à communi habitatione ſanorum: multò fortiùs neceſſe eſt eſſe certos judices, ac probatores lepræ ſpiritualis, ad quorum judicium, atque ſententiam hujuſmodi leproſi ſeparentur, & ſeorſùm fiant à ſanctis, & juſtis. Ampliùs Quia manifeſtum eſt cuſtodiam ſanctuarii, atque ſanctorum commiſſam eſſe, ac creditam ſacerdotibus, potiſſimè autem ne prophanentur, ad officium pertinet cuſtodum, inquinantur autem, & profanantur maximè per communicationem inquinatorum, & prophanorum, ad eorum ergo officium pertinet, ne talibus communicent: quare eos arcere ab his, & excludere, ex neceſſitate eſt ſacerdotis officium. Quòd ſi magiſtratus ſæcularis abſque judicio non ejicit de civitate ſua, niſi manifeſtè reum, multò fortiùs magiſtratus ſpiritualis à temeritate, & præcipitatione ſervare ſe debet, ut nullum feriat ſententiâ excommunicationis abſque judicio. Ampliùs. Quia per ſe manifeſtum eſt, non paſſim exponenda eſſe ſancta dignis, & indignis, & ad ſæcularem magiſtratum non pertinet omninò judicare inter ſancta, & prophana: neceſſarium autem eſt, ne judicium omninò ſit in voluntate magiſtratuum, reputare quos voluerint prophanos: ſequitur ergo judicio declarandum magiſtratus ſpiritualis, qui habendi ſunt ſancti, & qui prophani, judicium enim non judicis, ideſt non habentis juriſdictionem, nullum & nullius momenti eſt: quare neceſſe eſt eos judicare de ſanctis, atque profanis poteſtatem habere judiciariam in hoc, ſive juriſdictionem, quare & cognitionem. Quoniàm autem juriſdictio, & ſubjectio oppoſita ſunt, & hæc ut relativa, quorum alterum ſine altero eſſe non poteſt, manifeſtum eſt & ſanctos & profanos ſubditos eſſe magiſtratui ſpirituali, ſive judicibus eccleſiaſticis: quare ex neceſſitate & parere debere eorum in parte iſta ſententiis. Ampliùs. Quia eiuſdem judicis eſt cognoſcere, & pronunciare de quibus cognoverit: cognitio autem de hoc, ſcilicet utrùm aliquis ſit arcendus à ſanctis, an non, non eſt niſi magiſtratus eccleſiaſtici, quare & pronũciare de hoc, ſive ſententiare, non erit niſi eiuſdem: nihil autem proderit aliquem pronunciaſſe eſſe indignum ſanctis abſque coertione, quare neceſſariò habent coertionem à ſanctis, qui habent huiuſmodi cognitionem. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quòd excommunicatio pœna eſt, qua innumerabiles digni ſunt: eſt ergo iuſta eorum pœna, & ideò infligenda; non enim infligenda eſt quæcunque pœna, niſi per judicem, atque judicium: eſt ergo ex neceſſitate judex, ſive magiſtratus, qui per judicium habet infligere huiuſmodi pœnam: certum autem eſt, quòd magiſtratus ſæcularis non habet infligere, quare hæc erit ex neceſſitate magiſtratus eccleſiaſtici, ſive ſpiritualis, poteſtas, atque officium. Ampliùs. Paterfamilias filium protervum, & contumacem à domo ejicit, & quem aliàs corrigere non poteſt, privat eum juſtè ipſi communione victus corporalis, atque veſtitus: multò ergo fortiùs paterfamilias ſpiritualis, id eſt prælatus ſimili pœnâ animadvertere & poteſt, & debet in filios rebelles, & contumaces, ſimilem enim per omnia poteſtatem habet paterfamilias ſpiritualis in domo ſpirituali, & in familiam ſpiritualem, poteſtati patri familias literali, ideſt in domo literali, & familiam literalem. Jam ergo declaratum eſt in civitate ſpirituali, de quâ loquimur, ideſt eccleſiâ habere magiſtratum ſpiritualem, & juriſdictionem, & judicia, & pœnas, & negocia ad ejus cognitionem ſolam pertinentia; & quia parendum eſt ex neceſſitate ſententiæ ipſius, & ipſi ſententiæ excommunicationis ad minùs, cùm juſta fuerit quandò verò injuſta fuerit, in ſequentibus determinabimus.

Leproſi ex urbibus ejiciendi.

Parendum judicibus ſpiritualibus.

Excommunicatio.

Paterfamilias ſpiritualis.

CAPUT IX.

Docet quatuor eſſe neceſſaria ad hoc, ut valeat ſententia excommunicationis in quempiam lata.

DEbes autem ſcire, quòd quatuor debent concurrere in intentione pronunciationis, ſive ferentis hujuſmodi ſententiam. Primum eſt Dei honor, pro cujus contumeliâ tollendâ, gladius excommunicationis exerceтur. Secundum debet eſſe honor ſanctorum, hoc eſt ſacramentorum, & aliorum, quapropter ferenda eſt hujuſmodi ſententia, ne ſancta ſcilicet profanentur, & contaminentur. Tertium eſt eccleſiæ ipſius ſalus ſpiritualis, propter quam conſervandam membrum putridum, ſeu morbidum gladio excommunicationis præſcinditur. Quartum eſt correctio ipſius, qui excommunicatur, & aliorum. Noſtris verò temporibus iſte gladius dilatatus eſt, & extentus adeò, ut etiam temporalia eo maximè defendantur. Attende autem, quòd excommunicatio duplex, ut ita loquamur, vinculum eſt videlicet quo ipſe excommunicatus ligatus eſt, ne ſe ſanctis immiſceat, & ne communioni fidelium ſe ingerat, exceptis vitę neceſſariis, quæ licet ei à quocunque petere tempore neceſſitatis Alterum verò vinculum, quo ligati ſunt ipſi fideles, ne ipſi excommunicato

municato communicent in vitæ communionibus, A niſi neceſſitas conceſſa in ſacris canonibus expreſſa ſit: in neceſſitate verò idcirco diximus, quia nec fame, nec ſiti, nec alio periculo perire ſinendus eſt excommunicatus. Debes autem ſcire, quòd ſecundum vinculum ſequitur ex primo; quem enim paterfamilias ob ſui protervitatem, & contumaciam abjecit, nec familia, nec aliquis de familia debet admittere; & quem rex foro bannivit ſive ſecularis, ſive ſpiritualis, nullus debet ſubditorum receptare; cui enim interdicta eſt civitas, interdicta eſt & omnis domus civitatis; alioquin familia evacuaret ſententiam patrisfamilias & irritaret ejus judicium, & ſubditi deſtruerent, quod ageretur per regem, & pugnaret civitas contra proprium magiſtratum.

Nota.

CAPUT X.

Impugnat eorum errorem, qui dicunt ligandi, & ſolvendi poteſtatem non niſi bonis, & ſanctis ſacerdotibus datam eſſe.

ET quoniàm jam patefactum eſt, magiſtratum eccleſiæ, hoc eſt ſacerdotes, poteſtatem habere ligandi, atque ſolvendi in foro judiciali, conſequenter deſtruendus erit nobis ſecundus error hæreticorum, quo erraverunt circa poteſtatem iſtam, dicentes ſolos ſanctos, & juſtos ſacerdotes habere illam: hujuſmodi ergo erroris deſtructio facilis eſt cognoſcentibus poteſtatem magiſtratus, ſive ſecularis, ſive ſpiritualis, eſſe poteſtatem civitatis ipſius, cujus eſt ipſe magiſtratus; magiſtratus enim omnis civitati ſuæ ſervit, etiam imperando; ſolam enim C habet executionem, ſive exercitium juriſdictionis, quæ ipſius civitatis eſt pleno jure: hoc autem evidens per ſe eſt in civitatibus, quæ ſibi præficiunt & conſtituunt magiſtratus, nec rex ipſe in regno ſuo aliquid ampliùs eſt, quàm miniſter ipſius regni, ſicut dicit ad illos Sap. 6. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, qui cùm eſſetis miniſtri regni mei, &c. Si enim aliquid ampliùs ſibi vendicat, quàm miniſterium, diabolicæ præſumptionis, & ſuperbiæ uſurpatio, & invitatio ſimul eſt. Ad hoc enim primùm conſtituti ſunt reges, ut in officio regiminis ſervirent populis, videlicet in regendo eos, & defendendo, unde & reges Romanorum primùm reipublicæ procuratores ſe nominabant: & hoc tandiù ſervatum eſt, quandiù duravit fidelitas in eis adminiſtrationis, ſeu procurationis: poſtquàm autem libido dominationis, & faſtus, & inſolentia ſe immiſcuit, Imperatores ſe nominare auſi ſunt, qui debent eſſe ſervorum omnium ſubjectiſſimi, atque promptiſſimi ſervitores. Princeps verò reipu- D blicæ ſpiritualis Romanus pontifex agnoſcens ſibi non aliud eſſe commiſſum, quàm ſervitutis officium, ſervum ſervorum Dei ſe nominat, hunc morem ab Apoſtolis accipiens, qui ſervos Chriſti Jeſu ſe nominabant, & maximè à Paulo, qui ſe ſervum Chriſti Jeſu, & ſervorum ejus fatebatur: ſicut legitur in 3. primæ ad Corint. Non noſmet ipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum dominum noſtrum, nos autem ſervos veſtros per Jeſum. Ad hoc enim publica poteſtas conſtituta eſt, ut reipublicæ ſerviat. Hoc ergo conſtante præfixaque radice, patet quòd poteſtas ligandi, atque ſolvendi judiciaria ipſius eccleſiæ eſt, manifeſtè conſequens eſt, merita miniſtrorum, ſive per quos pronunciat, ſive per quos examinat cauſas ligandorum, atque ſolvendorum, nihil addere, nihil detrahere hujuſmodi poteſtati. Nulli autem judici denegatum eſt etiam per iniquiſſimum aſſeſſorem juſtam proferre ſententiam; ſententia enim per aſſeſſorem ſive juſtum, ſive iniquum, de mandato judicis lata eſt & auctoritate ipſius judicis. Ampliùs. Cùm exequi ſententiam non minùs ſit in ſe, quàm proferre illam, immò magis tantò, quantò eſt facere, quàm dicere majus; ſi ergo per carnifices impiiſſimos juſtiſſimarum ſententiarum poteſt executio juſtiſſimè fieri, multò fortiùs per iniquos, & juſtè & efficaciter poteſt fieri juſtarum ſententiarum pronunciatio. Ampliùs. Edicta juſtiſſima, & ſaluberrima per præcones viliſſimos, vitaque turpiſſimos acclamata, ac publicata, & valent. & tenent, non obſtante turpitudine, aut infamiâ eorum, valent, & tenent, propter auctoritatem conſtituentium; quantò ergo fortiùs quotidianæ ſententiæ ligationum, & ſolutionum valebunt, & tenebunt prop- B ter auctoritatem eccleſiæ, & poteſtatem, cùm ejus auctoritate ferentur? Ampliùs, ſedet concilium, & viliſſimus, atque nequiſſimus pronunciat ſtatuta ipſius, nunquid ideò minùs valent, aut vigent ſtatuta hujuſmodi. quia per talem pronunciata, & publicata ſunt? Abſit: & nemo unquàm ad illam inſaniam devenit, quòd iniquitates, & peccata pronunciantium, & publicantium, illa crederet poſſe ullatenùs infirmare. Sic ſedet etiam in ſolio regis ſpiritualis domina gentium, provinciarum princeps, ſtatuta ſua, edicta, ſententias viliſſimis, atque nequiſſimis interdùm ad pronunciandum, & publicandum, interdùm ad exequendum demandans, & nec pronunciantium, nec exequentium peccata, quæ fiunt auctoritate ipſius, aut etiam Dei, irritare unquàm poſſunt, aut infirmare, aut quominùs valeant, ullatenùs efficere. Quod ergo judex eccleſiaſticus eorum auctoritate ipſius eccleſiæ facit in hujuſmodi, ritè facit, & ut ipſius eccleſiæ organum, & miniſter, quia manifeſtum eſt, quia vitia ejus, & peccata in nullo infirmant, vel ſtatuta, vel edicta, vel ſententias ipſius eccleſiæ. Ratæ ergo, & validæ ſunt ſententiæ eccleſiæ quæcunque, etiam per ſceleratiſſimos latæ. Ampliùs. Si non poteſt eccleſia demandare, ſeu committere peccatoribus judicia hujuſmodi & cauſas, ſequitur ex hoc, ut nec conſilium requirere à juriſperitis injuſtè viventibus: & cùm majus ſit, dare conſilium, ſententiamque dictare, quàm ipſam pronunciare, conſequenter ſequitur, ut neque examinationem teſtium, neque ſcripturam depoſitionum ipſorum, aut ipſius ſententiæ poſſit committere, niſi ſanctis: ſi enim peccata judicis ſententiam irritam faciunt, cur non & peccata examinatoris teſtium examinationem, ut jure non valeat, ut per peccatorem, & iniquum facta? Eodem modo & ſcriptura teſtium, ſive ipſius ſententiæ nulla erit per peccatorem facta. Si enim pronunciatio iniqui pronunciantis irritat ſententiam, cur non & ſcriptura iniqui ſcribentis evacuabit eam, cùm pronunciandum ſit in ſcriptis? & immò ſcribenda ſententia, antequàm ferenda? ſimiliter cur non peccata, & iniquitates examinantis teſtes, eos irritet, ut teſtimonium eorum non valeat? Ad hoc ergo ex neceſſitate deducunt eccleſiam Dei hæretici iſti, primùm ut omninò judicare non poſſit alios, cùm ſecundùm eos non niſi ſancti, & juſti judicare poſſunt alios: nemo autem inveniatur qui hoc de ſe præſumat, aut vix inveniatur, qui hoc de ſe præſumere audeat, erit ergo ex neceſſitate aut univerſalis defectus juſtitiæ, & judicii iſtius in eccleſiâ Dei, aut penè univerſalis: & hoc quantùm inconveniens ſit apparet evidenter ex his, quę præceſſerūt: tanta enim erit bonorū, ac malorū permixtio, tanta ſanctorum prophanatio, tanta innocentiæ oppreſſio, ut vix. aut nuſquàm inveniatur judex qui malos à bonis ſegreget, & prophanos, atque immū-

Nota. (left margin, beside "illam: hujuſmodi ergo erroris")

Reges ad quid conſtituti.

Executio ſententiarum per malos fieri poteſt.

Nota. (right margin, beside "que nequiſſimis interdùm")

Nota. (right margin, beside "Ad hoc ergo ex neceſſitate")

Digitized by Google

ctos à ſanctis arceat, qui injuſtos aliorum oppreſſores comprimat, & compeſcat. Accidit & aliud inconveniens, ut gladium iſtum, & poteſtatem penè inutiliter habeat eccleſia ſanctis, & juſtis prudenti humilitate poteſtatem iſtam recipere refugientibus, malis autem, & iniquis non ſolùm imprudenter, & improbè, ſed etiam violenter in illam ſe ingerentibus, & impingentibus. Tertium inconveniens eſt quòd neceſſe habebit judex eccleſiaſticus primùm ſemetipſum diſcutere, atque corrigere, antequàm judicare præſumat, deinde ſanctos, ac juſtos aſſeſſores teſtium examinatores, & ſcriptores ſanctos perquirere; ſimiliter & ſententiarum pronunciatores omninò abſque macula peccati, ne iniquitas alicujus iſtorum ſententiam irritet, aut proceſſum. Quartum inconveniens eſt malorum impunitas, atque defenſio: tot enim habebunt mali refugia, tot defenſionum ſcuta, quot inveniri poterunt in prænominatis perſonis peccata. Hi ergo ſunt, qui volunt, niſi furcis, & palis aureis ejici non poſſe lutum, & immunditias de domo Dei, cùm non niſi per ſanctos, & juſtos volunt poſſe *Nota.* mundari eccleſiam Dei ab immundis. Hi nolunt lapidari poſſe ſpirituales adulteros, niſi lapidibus pretioſis, nec ligari poſſe niſi vinculis aureis, aut argenteis. Deinde verò ipſam poteſtatem eccleſiæ, & auctoritatem adeò minuunt, ut malis ſubditis eam uti non poſſe dicant in his, in quibus unus eorum maximè utilis, maximéque ſalubris eſt: ſanctificatio enim & correctio omnium operum, quæ per homines fieri poſſunt, optima, ac ſalubertima ſunt, in quibus dicunt eccleſiam Dei malis uti non poſſe, cùm dicunt ad ſanctificandos alios eccleſiam per malos miniſtros nihil facere, veritatem, & virtutem ſacramentorum eorum miniſterio ſubeſſe negantes, ſimiliter & ad correctionem malorum quæ utique per juſtitiam Dei, & judicium facienda eſt, per malos miniſtros eam nihil poſſe facere, penitùs affirmantes, cùm poteſtatem ligandi, atque ſolvendi malos miniſtros omninò aſſerunt habere non poſſe.

CAPUT XI.

Aliis rationibus, ſed non minus ingenioſis, præcedentem errorem confutat.

DEſtruamus autem & aliis viis errorem iſtum & dicamus, quòd cùm de nullo conſtet, vel conſtare poſſit in via iſtâ, ipſum eſſe mundum, & immunem omninò à mortali peccato, ſicut dicit Salomon Proverbiorum 20. Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, & purum ſine peccato? & iterùm Eccleſiaſtici 9. Neſcit homo, utrùm amore, vel odio dignus ſit: cùm autem non poſſit ſecundùm errorem iſtum ſolvere, vel ligare, niſi ſanctus & juſtus, non poterit certum eſſe cuiquam an ſolvat, neque an liget, ſimiliter nec ſcire poterit aliquis an ligatus ſit, neque an abſolutus, & ita committet ſe diſcrimini communicando ſacramentis, & ingerendo *Vide.* ſe ſanctis, ſimiliter & ipſi, qui præſumunt officium ligandi, atque ſolvendi, committunt ſe diſcrimini, cùm non ſciant ſe habere poteſtatem, quam præſumunt, & illudent ſæpè ſubditis valde diſcriminoſè, cùm eos compellant ſervare ſententias, quæ fortè nullæ ſunt ſive ſint abſolutionis, ſive ligationis: nulla autem periculoſior fraus fieri poteſt hominibus, quàm ſi pro abſolutione eis impendatur, quod non eſt abſolutio. Ampliùs. Poteſt eſſe, quòd ipſe prælatus toto tempore examinationis *Nota.* cauſæ ſit in charitate, & ipſâ horâ qua pronunciaturus eſt, cadit per conſenſum in peccatum morta-

E le. Quid ergo faciendum erit tunc? ex neceſſitate erit differenda ſententia abſolutionis, vel ligationis, cùm cadens à charitate prælatus ille, ceciderit pariter & ab hujuſmodi poteſtate, & ita expectandum erit donec reſurgat per pœnitentiam, vel alius ſanctus, & bonus eidem ſubrogetur, de quo poterit ſimiliter accidere, & ita fiet ridicula poteſtas ligandi, ac ſolvendi. Ampliùs. Poteſtas ligandi, atque ſolvendi aut eſt ipſa ſanctitas, aut inſeparabiliter concomitans ſanctitatem, aut neutrum. Quòd ſi eſt ſanctitas, quicunque ergo habet hanc, habet illam: quare omnis ſanctus habebit poteſtatem iſtam ligandi, atque ſolvendi, & pares in ſanctitate, pares erunt neceſſariò in hujuſmodi poteſtate; & eminentiſſimus ſimiliter ſanctitate, erit maximus in hac poteſtate: poteſt autem eſſe, quòd laicus, vel mulier aliqua ſupereminear omnibus aliis ſanctitate: quare præerit in tota eccleſia Dei ſuper terram, & ita habebit juriſdictionem ſuper totam eccleſiam. Qualiter autem erit hoc, cùm occulta ſit pro certo hujuſmodi ſanctitas? talis enim ſecundùm eos indubitanter ſanctus, erit ſive papa, ſive forſitan papiſſa: *Nota.* quid ergo erit, cùm omnium ſanctorum, qui F in præſentiâ Dei ſunt, meriti ignorentur, & præſumantur potiùs quàm ſciantur & diverſorum judicio idem bonus, & malus ſit? Ad hoc tandem deducet eccleſiam error iſte, ut neceſſe ſit ipſam ſcindi ſchiſmatibus innumerabilibus: quem enim judicabit multitudo unaquæque ſanctiſſimum, illum habebit Papam ſive pontificem ſummum: quare erunt innumerabiles Papæ, ſive pontifices ſummi in eccleſia, imò nec eccleſia, quia non erit una ſed lacerata per partes, & fruſtra. Ampliùs. Aliud eſt ex meritis cum hominibus agere, aliud ex poteſtate, & auctoritate; ex meritis enim, vel gratiâ, quibus aliquis apud Deum præditus eſt, aliquid hominibus facere, non aliud eſt, quàm id eis fieri à Deo, ſuis meritis obtinere, nam ipſe Deus indubitanter operator eſt, & effector: ipſe verò, qui impetrat & cujus meritis agitur, cauſa eſt, propter *Aliud agere ex meritis & aliud ex poteſtate.* G quam fit, & alterius poteſtate agitur id, quod fit, non ſua; ubi verò quis ex poteſtate ſua, ſeu virtute agit, ipſe eſt qui agit, non propter quem agitur, & intelligimus largè poteſtatem ſuam, ſive ſit ordinata, ſive delegata, ſive indita, ſive innata, ſeu quolibet modo acquiſita, ſimiliter & agentem dicimus eadem amplitudine tam auctorem, quàm miniſtrum, tam moventem, quàm organum, ſeu inſtrumentum: manifeſtum ergo ex his, quòd aliud eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, aliud ſanctitas, ſeu juſtitia. Ampliùs. Cujus actus, ejuſdem & potentia, & ſi diverſi actus eſt per ſe ſolvere, & ligare, quàm mereri, ſive impetrare aliquid à Deo, neceſſariò alia eſt potentia merendi, alia abſolvendi, & ligandi: ipſa autem ſanctitas, ſeu juſtitia potentia eſt, & principium, ex quo eſt ipſe actus merendi: manifeſtum ergo eſt, quoniàm ipſa ſanctitas non eſt ipſa poteſtas ligandi, atque ſolvendi, ſed H concomitans ipſam inſeparabiliter; accidunt ergo eadem inconvenientia, quæ priùs diximus, videlicet, quòd inutiliter, & vanè largiatur eam Deus, maximè pro parte ſanctorum cùm ea nec utantur, nec uti velint, deinde, cùm nec credant, nec confiteantur ſe habere illam, in maximum vitium incidunt ingratitudinis. Ampliùs. Sicut ſe habet poteſtas regia ad juſtitiam, ſic poteſtas iſta ſacerdotalis vel pontificalis ad ſanctitatem: quemadmodùm enim poteſtas regia propter hoc, ut ſerviatur juſtitiæ, ſic poteſtas iſta ſacerdotalis, vel pontificalis, ut ſerviat ſanctitati: ſicut ergo poteſtas regia non ex neceſſitate ſui eſſe, ſed ex voluntate habentis ſervit juſtitiæ, & propter hoc ab illa ſeparabilis, ſic

Digitized by Google

poteſtas iſta ſacerdotalis, non ex neceſſitate eſſentiæ ſuæ ſervit ſanctitati, ſed ex voluntate habentis, & propter hoc ab ipſa ſanctitate ſeparabilis. Amplius. Poteſtas & dignitas habendi illam, ubique ſeparabiles ſunt ab invicem, non enim omnis, qui dignus eſt illa, habet illam, & ita de aliis, ſicut non omnis, qui dignus eſt caſtro, habet illud, nec omnis, qui dignus eſt honore magiſterij, illum habet, & ita de aliis, Deo ſolo excepto, & gratia ejus, quem habet omnis, qui dignus eſt eo. & quicunque habet illam. dignus eſt eâ, & generaliter ita invenies in omni alio bono, & dignitate ipſius. Ampliùs. Poteſtas ligandi, atque ſolvendi, nec virtus, nec gratia eſt ſecundùm hoc: omni autem bono, quod nec virtus, nec gratia eſt, contingit, vel poſſibile eſt abuti habenti illud, hoc eſt male, & injuſtè uti, ſicut viſu, auditu, & poteſtate regiâ, vel epiſcopali: poſſibile ergo eſt habentem poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, ea injuſtè uti: neceſſe autem eſt injuſtè utentem, injuſtum eſſe: quare poſſibile eſt injuſtum habere poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, cùm impoſſibile ſit non habentem hujuſmodi poteſtatem ea uti vel benè, vel malè.

Poteſtas ligandi non eſt virtus neque gratia.

B Ampliùs. Solvere, & ligare ſunt forinſeci actus liberi arbitrij, omnes autem forinſeci actus ſunt receptibiles bonitatis, atque malitiæ, ſive iniquitatis & juſtitiæ, quod apparet in ipſis egregijs ejuſdem actibus, qui ſunt docere, prædicare, eleemoſynas dare: ipſi enim actus & boni, & mali eſſe poſſunt, & iniqui, & juſti: quare multò fortiùs ſolvere, & ligare: non poſſunt autem eſſe injuſti actus, quin & facientes: poſſibile ergo eſt iniquos habere poteſtatem ligandi, ac ſolvendi. Ampliùs Quid eſt excommunicatio (quantùm ad excommunicantem pertinet) niſi prohibitio utriuſque communionis, quam diximus? & quantùm ad excommunicatum, niſi vinculum, quo ipſe prohibitus eſt, & ligatus, ne aliorum communioni ſe miſceat? & quantùm ad alios niſi vinculum quo, & ipſi prohibiti ſunt communicare illi? non eſt autem dubium, quin naturaliter, & in ſe indifferens ſit prohiberi à communione forinſecâ ſanctorum, & ſacrorum, & quin poſſit eſſe injuſtum, & iniquum, ſimiliter, & ipſum prohibere: quare tam excommunicare, quàm excommunicari naturaliter poteſt eſſe bonum & malum, juſtum & iniquum: non poteſt autem eſſe iniquus actus, niſi in iniquo ſubjecto: juſtus autem omnis actus ſaltem poteſt eſſe in ſubjecto ſuo: quare excommunicare quantùm eſt de naturâ ſuâ, naturaliter poteſt eſſe in ſubjecto tam juſto, quàm iniquo: ubicunque autem poteſt eſſe actus, & potentia, quare poteſtas excommunicandi, quantùm eſt de natura ſua, eſſe poteſt in bonis & in malis: quod ſi poteſtas ligandi, atque ſolvendi, nec eſt ipſa ſanctitas, nec juſtitia, nec concomitans eam inſeparabiliter: manifeſtum eſt evidenter eam eſſe poſſe ſine illa, & ita poſſe eſſe in ſubjecto, in quo nec ſanctitas eſt, nec juſtitia. Manifeſtum ergo eſt poteſtatem ligandi, atque ſolvendi eſſe in malis, & iniquis hominibus. Ampliùs. Si demandatio ſententiæ excommunicationis fieri poteſt per injuſtum, & peccatorem, cur non & pronunciatio. Ampliùs. Eſto quòd judex ſanctus, & bonus præcipiat ſubdito malo, & peccatori, ut excommunicet aliquem, & ille excommunicet de facto. de mandato tamen juſti & ſancti judicis nunquid non erit excommunicatus talis? ſi enim ille excommunicet, cujus auctoritate excommunicatur, manifeſtum eſt, quòd ipſe mandator excommunicat, non obſtante iniquitate mandatarij. Sic cùm eccleſia per jus canonicum ſcriptum præcipiat & mandet excommunicari, tanquàm per literas ſuas excommunicat; prælati verò velut mandatarij pronunciant, nunciant & exequuntur eccleſiæ ſententias.

Excommunicatio quid.

Nota.

Prælati.

A Et attende, quòd non refert, an dicas prælatos poteſtate uti eccleſię an poteſtate Chriſti in parte iſtâ; omnes enim rationes, quas adduximus, æquè valent, utrumlibet illorum duorum dicas, eccleſia enim auctoritate utitur divinâ in his, quod ipſa forma excommunicationis exprimit dicens: Et auctoritate Dei omnipotentis, &c. Scito etiam, quòd omnes rationes iſtæ æque probant poteſtatem ligandi, atque ſolvendi in foro pœnitentiali: cauſa autem erroris illius eſt ignorantia erroneorum, qui non vident poteſtatem, ſive officium, ſive miniſterium ligandi, atque ſolvendi, non requirere in miniſtro fundamentum juſtitiæ, & ſanctitatis, ſed ſolummodò canonicę, ſeu legitimæ inſtitutionis; canonica enim ſeu legitima inſtitutio in epiſcopo, ſeu ſacerdote, requiritur præeſſe, ſive ſubeſſe poteſtati ligandi, atque ſolvendi in totâ diœceſi: ſicut & in rege non juſtitia præſtat poteſtatem regiam nec præjacere de neceſſitate exigitur, ut illa ſuperveniat, ſed canonica, ſeu legitima ejuſdem electio, vel inſtitutio. Si quis autem dixerit, quòd prælatus malus, utpote ligatus vinculis diabolicis, hoc eſt vitiorum, & peccatorum, non poteſt alium ligare, cùm ipſe extra communionem ſanctorum ſit, & extra corpus Chriſti myſticum, quod eſt eccleſia, & neminem poteſt extra communionem facere; ſimiliter cùm ipſe ſit ligatus, neminem poſſe ſolvere, errat manifeſtè, quia ipſe aliter eſt ligatus, & aliter ligat, & abſolvit non eſt ligatum in eo videlicet officium, vel poteſtas: quemadmodùm ſi Rex ferro ligatus ſit, ut obſes, vel ob aliam cauſam, dummodò adminiſtrationem regni liberam habeat, ligat, & ſolvit, captivat, & liberat in regno ſuo, quomodò vult, non ex libero, vel ſoluto corpore, ſed ex libera, & ſoluta poteſtate: ſic malus prælatus non ex ſolutâ, & liberâ mente ligat, vel ſolvit, ſed ex ſola, & liberâ poteſtate. Excommunicatus autem, vel ſuſpenſus prælatus notoriè, ideò non poteſt ſolvere, vel ligare, quia id in eo ligatum eſt per quod ſolum poteſt ſolvere, vel ligare, ſcilicet ipſum pontificale, vel ſacerdotale officium. Ab ipſo verò corpore Chriſti quod totum vivit de ſpiritu ejus vita gratiæ præcedenti poteſtatem (ſi tamen poteſtas dicenda eſt, & non potiùs defectus, ruinoſitas dolenda, ac lugenda ſemper) debilitatam ſolus habet miſer homo; & ſi Deus non poteſt inde quenquam præſcindere, vel abrumpere, non quidem ex potentiæ penuriâ, ſed ex abundantiſſimæ bonitatis ſuæ juſtitiâ, quæ nec in injuriam, nec contumeliam ſui, nec in noſtrum tantum detrimentum, illum quicquam facere permittit: injuria enim ejus ac contumelia ſolum peccatum eſt, & noſtrum totum, & maximum detrimentum: inde eſt quòd neminem in mortem peccati præcipitare poteſt, cùm omnia poſſit omnipotens, neminem deſerere, qui ei adhæreat, ſolùm ergo exteriorem communionem ſacramentorum, & ſanctorum auferre poſſunt de officio ſuo, ſive poteſtate, prælati. Quòd ſi quis dixerit, quòd jus meum eſt communio ſanctorum, ac fidelium, injuſtè me prohibet, & arcet inde prælatus meus, nolo ejus parere iniquę ſententiæ, jus, quod mihi injuſtè auferre nititur, vi defendam, & violenter me ſanctis ingeram, repellentibus, & arcentibus me viribus reſiſtam: multis de cauſis malè cogitat, & malè agit. Primùm contra patientiam, quâ tanta metuenda patienter ſuſtinenda ſunt. Deinde contra juſtitiam, poteſtati, & ordinationi Dei reſiſtens; ubi & recogitare debet, quia etſi fortè ex cauſa illa, quæ prætenditur pœnam excommunicationis non meruit, aliquo tamen alio peccato quod ignorat, vel emen-

Eccleſia myſticum corpus Chriſti.

C

D

Nota.

dare contempſit, divinâ providentiâ procurante ei infligitur: quòd ſi alia cauſa eidem non occurrat, iſtam ſaltem cogitet, quæ omnes involvit videlicet, quòd ſancta irreverenter frequentamus: hac ergo de cauſa, etſi nulla alia ſubeſſet, meritò ab illis interdùm arcemur. Propter hæc, & alia multa, dictum eſt, quòd ſententia paſtoris, etiam injuſta timenda, vel tenenda eſt, non nocumenta malitiæ ſuæ, quæ medicinalis, & ſalubris eſt benè utentibus & corrigi volentibus. Sed ſi fortè in eo, in quem lata eſt, aliqua non ſit ex cauſis, quas diximus, timenda etiam eſt ſententia paſtoris, non ſolùm quia pœna ruboris eſt, vel confuſionis magnæ extra caſtrum fidelium, quaſi Infidelem prohiberi, ſed quia pœna damni inæſtimabilis eſt: quis enim non æſtimet beneficia remiſſionum, & gratiarum, quæ dantur virtute ſacramenti, & orationis eſſentiæ ſpecialis, quæ ad Deum pro circunſtantibus in miſſâ funditur, ubi eſt tota gratia devotionis, cùm populis ipſe aſpectus redemptoris eſt, manibus ſacerdotis elevatus, qui ſalutandus, & adorandus ipſis in formâ illa ſacramenti oſtenditur? Quæ omnia bona proculdubiò amittunt excommunicati. Eſt etiam non mediocris pœnæ, nec levis doloris, & luctus, multis fidelibus ſingulis diebus inter manus ſacerdotis non videre, ſicut ibi fas eſt, & eis conceditur, redemptorem videlicet in formâ, ſive ſub formâ ſacramenti. Manifeſtum autem damnum eſt, & evidens unicuique, non admitti ad ſacramentum confeſſionis, vel euchariſtiæ, vel ordinis, vel matrimonii, ubi amittunt excommunicati indubitanter quicquid boni proventurum erat eis ex officio ſepulturæ, & exequiarum ſuffragiis, illa enim excommunicatis non impenduntur, nec fiunt pro eis. Si quis autem objecerit de occultè excommunicatis, qui etiam ad ſacramenta admittuntur, quibus etiam jura exequiarum in morte impenduntur: Reſpondemus quòd occultè excommunicati duobus modis intelligi poſſunt, videlicet quantùm ad ipſos, quantùm ignorant, vel quantùm ad eccleſiam, quòd eſt dicere, quòd vel ipſis excommunicatis occulta eſt excommunicatio ſua, vel ipſi eccleſiæ: quòd ſi occulta fuerit eis, & non per culpam ſuam dummodò alias piè vivant, in nullo quantùm ad remiſſionem peccatorum, vel gratiam obtinendam nocet eis, etſi quantùm ad alia nocere eis poſſit, verbi gratia, ad incurrendam neceſſitatem. Si verò in tali ſtatu ſuſceperint ordines, vel in ſuſceptis adminiſtraverint, piè credimus, & ſentimus, quòd miſericors Deus ignorantiam hujuſmodi in ſuis non ſuſtinet, quin potiùs illuminat, reducens eis ad memoriam hujuſmodi errata, ſive aliter procurans ipſis, ut abſolutiones ſuas procurent, & provideant beneficentiâ abſolutionis; & ideò pium eſt, miſericordiæque & juſtitiæ Dei magis conveniens, ita credere, & ſentire, quòd piè viventes Deus in his errare non ſinat, cùm ſcriptum ſit in 2. primæ Canon. Joannis. Unctio docet nos de omnibus. Et iterùm: Joan. 14. Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: Nullo enim modo veriſimile eſt in mente, quam ſol juſtitiæ habitat, tam pernitioſæ ignorantiæ tenebras remanere. Quòd ſi fortè remanerent, & pietati fidei conſonum, & divinæ bonitatis divitiis congruentiſſimum, ut epiſcopus, vel paſtor animarum Chriſtus dominus, ſicut vincula peccatorum occultâ virtute ſuâ, ac miſericordiâ dimittit, atque diſrumpit, ſic auctoritate ſuâ, & poteſtate occultæ excommunicationis vinculum per ſemetipſum ſolvat. Primam verò abſolutionem Greg. confirmat, dicens: Pius Deus, piè pœnitentibus non intellecta condonat. Et ita non eſt poſſibile aliquem ſanctum, & juſtum occultè eſſe excommunicatum, quia vel docente unctione innoteſcit, & revelatur excommunicatio, & ita non eſt occulta, vel abſolvente Chriſto pontifice diſſolvitur, & ita nulla. Si verò per culpam ſuam, & negligentiam, qua ignorat ſcilicet ſe eſſe excommunicatum, neceſſe eſt hujuſmodi culpam ſuam, & negligentiam eſſe mortalem, cùm culpa venialis nec unctionem ſpiritus ſancti abolere nec abradere valeat, nec claritatem Solis euſque obnubat, ut tam damnoſum, tamque periculoſum vinculum electo, ac dilecto ſuo non oſtendat. Ampliùs Cùm vinculo excommunicationis nemo ligetur, niſi ratione peccati mortalis (excommunicationis dico majoris): in iſto autem, de quo agitur, ſi nulla eſt culpa mortalis, nullum omninò tale peccatum: manifeſtum eſt, quòd non permitit Deus ipſum eſſe in tam pernitioſo errore, tamque periculoſo, quin oſtendat ei ſtatum ſuum, alioquin multò graviùs ipſum puniret, quàm ipſe delinqueret, cùm negligentia vel culpa venialis tantùm ſit & tenebræ hujus ignorantiæ tam pernitioſæ: nemo enim auderet ei injungere pro quantocunque peccato veniali, quadraginta dierum jejunium in pane, & aqua: cui autem non tolerabiliùs eſt, non ſolùm quadraginta dierum, ſed quadraginta menſium aſperrima pœnitentia, quàm iſta tam noxia ignorantia, tamque diſcriminoſa, quâ ignorat, an liceat ei intrare eccleſiam, communicare ſacramentis, & ſacramentalibus immiſcere ſe communioni fidelium, an teneatur ab his omnibus abſtinere. Ampliùs. Cùm culpa venialis in nullo diminuat gratiam, ut alibi oſtendimus: qualiter fiet, ut nec dono intellectus, nec dono ſcientiæ, nec dono conſilii, nec luce fidei, nec virtute prudentiæ videre poſſit in domo conſcientiæ ſuæ, in viâ morum ſuorum tantum vinculum, tantumque laqueum? & ſi fortè ipſe non videret, qualiter miſericors Deus ipſum tam pernitioſè ligatum non ſolveret? quandò ipſum ingerit orantem, atque petentem; Da mihi intellectum. Illumina oculos meos, ne unquàm obdormiam? & hujuſmodi cùm ſanctus, & juſtus ſit, non exaudire. Ampliùs. Cùm peccatum illud mortale, propter quod vinculo excommunicationis ligatus eſt, miſericors Deus dimiſerit, & indiminuta gratia ſua non obeſt venialis illa negligentia, qualiter eum in vinculo excommunicationis dimiſit? qualiter eum in parte abſolvit, & in parte ligatum reliquit, immò dereliquit, atque deſeruit euſque, quòd nec ipſe abſolvit à vinculo excommunicationis, nec ut ipſemet abſolutionem ſuam procuret, adjuvit. Quòd ſi dixerit, quòd tunc cùm dimiſſum fuerit ei mortale peccatum, benè oſtenſum fuit ei vel internâ inſpiratione, vel externâ communicatione ipſum vinculum excommunicationis, qua tenebatur, ſed poſtmodùm per negligentiam venialem oblitus eſt ipſius, hoc impoſſibile manifeſtè videtur ex multis cauſis. Primùm à parte miſericordiæ Dei, quæ illum, quem gratiæ reſtituit, cui & ipſam gratiam adhuc conſervat, tantum ſui periculum ignorare patiatur, jugiterque orantem, & deprecantem, ut ab omnibus periculis ipſum eripiat, & quod majus eſt ipſam eccleſiam ſanctorum pro eo cum aliis inceſſanter ſupplicantem non exaudiat. Ampliùs. Quis in bove ſuo, vel aſino tantum periculum ſuſtineat? quantò fortiùs pater miſericordiarum in filio ſuo electo, atque dilecto non ſuſtinebit? A parte verò ipſius excommunicati ſimiliter impoſſibile eſſe videtur. Cùm enim pro illo peccato, pro quo excommunicatus erat, & contritus fuerit, & confeſſus, & pœnitentiam ageret, ſi pro illo ſciret ſe eſſe excommunicatum, quomodò credibile eſt, vel poſſibile, quòd abſolutionem procurare neglexerit

maximè

Timenda ſententia paſtoris.

Excommunicati quibus privantur.

Qui ligentur vinculo excommunicationis.

Nota.

Nota.

Vide.

maximè cùm ſanctis, & electis excommunicatio adeò terribilis ſit, adeòque odioſa, ut nihil magis fugere videantur. Si verò neſciebat tunc ſe eſſe excõmunicatum pro illo; qualiter miſericors Deus illum in aliis ad ſalutem pertinentibus illuminavit, & in hoc quod ad ſalutem adeò pertinet, illuminare non curavit? Ampliùs. Quid magis exquirendum eſt fidelib. quàm ne indignè ſanctis appropinquent, & ne indignè communicent ſacramentis? quid eſt, ad quod tanta ſolicitudine, tantaque diligentia ſe præparent? Quare manifeſtum eſt viros ſanctos totis ſtudiis in ſemet ipſis perſcrutari, atque perquirere, ne quid habeant, & ne quid lateat in eis, quod eos indignos ſanctis, & ſacramentis efficiat: quia ergo peccata, & excommunicationes eos maximè indignos ſanctis, & ſacramentis efficiunt, certum eſt conſequens eſſe, eos illa ſtudioſiùs in ſe perquirere, & inventa à ſe projicere, nec ullatenùs à ſe viros ſanctos per negligentiam poſſe latere. Ampliùs. Etiamſi lateant in viris ſanctis excommunicationum vincula, in eis nullatenùs remanent, cùm ipſi in confeſſionibus ſuis ſemper petant generalem abſolutionem, non ſolùm à peccatis, de quibus non recolunt, ſed & à ſententiis, ſi quæ ſunt, quibus teneantur.

Quæſtio. Quòd ſi quis dixerit, quòd multis ſententiis teneri poſſunt etiam viri ſancti, in quibus confeſſores eorum nullam penitùs habent poteſtatem:

Reſponſio. Reſpondemus, quòd ſi invincibilis ignorantia eorum in parte iſtâ, quaſi in eo ſtatu ſunt, quantùm ad procurandum abſolutionem ſuam, in quo illi excommunicati à domino Papa, qui laborant in extremis; ſicut enim iſti non poſſunt adire ſedem apoſtolicam, & ibi procurare abſolutionem, neceſſitate ægritudinis corporalis detenti; ſic illi ægritudinis neceſſitate ſpiritualis, ſcilicet ignorantiæ, & in vinculis prohibiti, nequeunt procurare, & petere abſolutionem ſuam, cùm ipſam excommunicationem ſuam invincibiliter ignorent, & ideò ſubvenit eis Dei miſericordia in parte iſtâ, ſupplens per ſemetipſam, quod minus habet poteſtas confeſſorum, aut eorum in parte iſtâ. Si autem vincibilis eſt ignorantia, vincitur proculdubiò virtute gratiæ compunctionis, atque virtute ſacramenti.

Nota. Mirum videtur autem teneri aliquem ſententia excommunicationis ignoranter, hoc eſt, cùm ad ipſum omninò nunquàm pervenerit: quemadmodùm accidit in quibuſdam tam clericis, quàm laicis, qui adhuc ignorant canonem, qui contra eos conſtitutus fuit, qui manus violentas mitterent in clericos, & religioſas perſonas, & eſſe canonem iſtum, & eſſe latæ ſententiæ multi adhuc ignorant, & ut videntur, ſine culpa, cùm nihil adhuc de eo audierint, vel ſcriptum legerint: non enim videntur teneri ad obſervandum ſtatuta eccleſiaſtica, cùm per prælatos ſuos eis publicãda non ſint.

Nota. Præterea, eſto quòd publicandus ſit iſte canon in regione aliquâ, poteſt eſſe, quòd ſine culpa eorum, qui de novo naſcuntur, ceſſet publicatio iſta, & per neminem veniat ad illos, cùm ad annos majores venerint: erunt ergo tales ſecundùm hoc excõmunicati. Eadem ratione quàm citò promulgatus fuit ille canon, vel Romæ, vel alibi, ſi qui ſcilicet diſtantes longè à loco promulgationis, ſeu conſtitutionis iſtius canonis, mitterent manus violentas in clericos, ſtatim eſſent excommunicati; & ita ſi Papa Romę excommunicat aliquem qui eo tempore ſit in Angliâ ipſa horâ, qua pronunciatur Romæ iſta ſententia, erit excommunicatus in Angliâ, & ita ſi exequatur officium ordinis efficitur irregularis. In magno ergo periculo ſunt, qui Romæ cauſas habent, à Roma tam longè remoti.

Nota. Quòd ſi quis dixerit, quòd tales non ſunt excommunicati, qualiter effugient, cùm excommunicare,

A & excommunicari correlativa ſint, & alterum ſine altero eſſe non poſſit? Si enim Papa excommunicat iſtũ, iſte excõmunicatur à Papâ. dicitur quòd aliud eſt ſententia excommunicationis, aliud vinculum, quod interdùm adhęret denunciationi, ſive perventioni ſententiæ ad illum, contra quem lata eſt. Et propter hoc dictum eſt, quòd ſententia excommunicationis neminem ligat vinculo excommunicationis, antequàm ad ipſum pervenerit, ſive denuntiatione, ſive perventione. Hujus autem manifeſtum eſt exemplum ſtatutum regium, ſive lex quæcunque à principe ſuo condita, quæ proculdubiò neminem ligat ad obſervationem ſui, nec vinculo tranſgreſſionis quemquam obligat, niſi publicata eidem aliquo modo hoc ſive per præconem, ſive per ſcripturam, & inde eſt, quòd priùs ligat cives unius civitatis, quàm cives alterius, ſi priùs eis publicetur, quàm aliis. B Cùm verò facto adhęret excommunicatio, cum ipſo facto pariter incurritur, ſicut cum ipſo facto injectionis ſcilicet manuum in clericos vel religioſas perſonas. Et idem eſt ſimiliter de factis damnatis, ſicut de hæreſi damnata, de incendio, de falſificatione apoſtolicæ bullæ. Cujus evidens exemplum eſt in ſtatuto regio, ſi ita ſtatuerit rex aliquis, vel princeps: quicunque tale quid fecerit, ſolvat tantùm pecuniæ, obligatio ſolutionis talis ſummæ non adhæret, niſi ſtatuto, quo hujuſmodi factum damnatum eſt, ſi adhæret ipſi facto damnato ita ut quicunque in factum incidit, incidat in obligationem ſolvendi hujuſmodi ſummã. De hoc, quod quæris, quòd Papa excommunicat iſtum, ergo iſte excommunicatur à Papa: ſcire debes quòd excommunicatus, ſive excommunicati, dupliciter dicitur; eſt enim excommunicare, C excommunicationis ſententiam in aliquem pronunciare, & eſt excommunicare, vinculo excommunicationis ligare. Et propter hoc excommunicatus dupliciter dicitur, videlicet excommunicationis ſententiâ damnatus, & excommunicationis vinculo innodatus, & duplicatio iſta provenit inde, quia excommunicatio dicitur tam ipſa ſententia excommunicationis, quàm ipſum vinculum. Unde & abſens longè, contra quem lata eſt excommunicationis ſententia, & ad quem nondùm pervenit, excommunicatus per ſententiam quidem eſt, non autem per hujuſmodi vinculum aſtrictus; & uſualiter ita dicitur, cùm quærunt homines, quid factum eſt in curiâ illâ, ſeu conſiſtorio contra illum, qui præſens non erat, ſed procuratorem ibi habebat: excommunicatus eſt, quòd aliter, niſi ſicut diximus fieri non poteſt intelligi. Hinc eſt, quòd medio tempore, hoc eſt, inter ſententię pronunciationem, & ad ſic excommunicatum perventionem, non peccat ullo modo ſi ſe immiſceat ſacramentis, videlicet, ut D ipſi propter hoc irregularitatis periculo ſit metuendum. *Nota.* Siquis autem quærat ſi fortè per negligentiam prælatorum, canones hujuſmodi, ſcilicet latę ſententiæ non promulgentur, aut publicentur, quid erit de incidentibus? Dicimus quòd excommunicati ſunt, & ignorantiam iſtam, ſi aliis peccatis imputare neſciant, imputent eam ſaltem ipſis factis damnatis, propter quæ in excommunicationem incidunt; omne enim peccatum tenebra eſt, & ſe ipſum, & ſequelam ſuam abſcondens à perpetratore ſuo. Revertentes autem ad illud in quo eramus, dicamus declaratum eſſe ex dictis omnibus, non eſſe poſſibile electos, & dilectos Dei teneri vinculo occultæ excommunicationis, occultæ inquam, quantùm ad ipſos, quam ipſi ignorent, quoniàm in hujuſmodi ignorantiam non poſſunt incidere per culpam venialem, ut diximus, ſed nec per culpam mortalem, cùm deſinerent eſſe electi,

Digitized by Google

atque dilecti. Si verò occulta excommunicatio quantùm ad eccleſiam, nota autem ipſis excommunicatis: manifeſtum eſt non ſolùm non prodeſſe eis ſacramenta, & ſacra, quibus ſe indignè, & irreverenter ingerunt, ſed etiam obeſſe; ſicut dicit apoſtolus in 11. primę ad Cor. Si quis manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, &c. Jam ergo declaratum eſt de utriſque excommunicatis idest de occultè excommunicatis quantùm ad ſe qui non poſſunt eſſe niſi mali; & de excommunicatis occultè quantùm ad eccleſiam, qui ſimiliter non poſſunt eſſe, niſi mali, quia non prodeſt eis, immò obeſt communicatio ſacrorum, & ſacramentorum. De malis autem, & manifeſtè excommunicatis, manifeſtum eſt, quòd illis obeſt communicatio ſacramentorum, cùm ipſis irreverenter ſe immiſceant.

CAPUT XII.

Deſtruit alium errorem, ſicut ipſe ſtatim proponit.

POſt hæc autem proſequimur, vel potiùs perſequimur errorem tertium, qui eſt, bonos non poſſe excommunicari, nullaque ſententiâ judicis eccleſiaſtici poſſe eos vinculo excommunicationis aſtringi, ſed ſolùm, ut aiunt, peccatum excommunicat hominem. In quo primùm ab eis quærendum eſt quid intelligant per ipſam excõmunicationem, videlicet aut ſeparationem à communione exteriori ſacramentorum, atque fidelium, aut ſeparationem ab interiori communione ipſorum. Quòd ſi dixerint intentione excommunicationis eos ſeparari ab interiori communione ſacramentorum, & fidelium; adhuc quærimus ab eis quid intelligunt communionem interiorem? quia ipſa indubitanter eſt communio, & ſocietas ſanctorum, atque juſtorum. De hac nemo dubitat, quin ſolum peccatum ab eâ ſeparet & eâ privet, nec unquàm cogitatum fuit ab eccleſia Dei, quòd magiſtratus eccleſiaſticus poteſtatem illam in hac haberet; iſta enim poteſtas eſſet in deſtructionem, excommunicare enim ſecundùm hanc intentionem eſſet corpus Chriſti miſticum, quod ex ſanctis, atque juſtis fidelibus conſtructum eſt, atque compactum, trucidare, atque membratim lacerare. Hoc eſſet & vitam gratiæ, quam de communione, & ſocietate membrorum de ſpiritu ſancto viventium vita gratiæ communicant, vel contrahunt, extinguere, vel auferre; hoc eſſet prælatos, vel judices eccleſiaſticos qui præfati corporis membra eſſe debent, gladio in ipſum corpus prænominatum & in ipſam matrem ſanctiſſimam eccleſiam inauditâ crudelitate ſævire; poteſtas enim ſic excommunicandi in manu prælati eſſet in manu filii ad jugulandum ſpiritualiter patrem ſpiritualem Chriſtum dominum, & trucidandam matrem eccleſiam, & gladius eſſet datus uni membro ad concidendum corpus. Hæc autem inſania ſicut diximus, nunquàm aſcendit in cor hominis ſani capitis, ut ſupra diximus, nec ipſe omnipotens ſic excommunicare poteſt, non ex defectu potentiæ, ſeu penuriâ, ſed ex abundantiſſimæ bonitatis juſtitia. Solus miſer homo poteſtatem iſtam habet quæ nunquàm poteſtas nominanda eſt, ſed magis impotentia, & miſeria prorſùs, & infirmitas; poſſe enim peccare, non poſſe eſt; ſicut neque poſſe vulnerari, neque poſſe lædi, aut poſſe mori, immò potiùs eſt ea potentia, ſeu poteſtate deficere; & propter hoc poſſe ligari vinculis peccatorum, eſt poſſe mori morte culpę poſſe præſcindi à vivo corpore, poſſe ſeparari ab his quorum ſocietate, & communione vivitur & ſtatur. Si intelligant excommunicationem, ab illa exteriori iſtius, quis dubitat ſanctiſſimos ejici poſſe de eccleſiis viſibilibus, & arceri poſſe à ſanctis, & ſacramentis etiam invitos? Quis dubitat fideles poſſe abſtinere à communione eorum in jure communium? Quis dubitat ſacerdotes poſſe denegare eis & ſacramentum confeſſionis, & alia ſacramenta? Manifeſtum eſt ergo eos poſſe prohiberi, & arceri ſacris, & ſacramentis, & utraque communione privari. Quòd ſi dixerint, quòd non poteſt hoc fieri per ſententiam, ſed per vim tantùm, neceſſe eſt, ut dicant alterum duorum, videlicet eos non privari communione, de quâ loquimur etſi ejiciantur de eccleſiis, vel dicant privari eos per vim violentiæ. Utrumque iſtorum poſſunt tam mali, quàm boni: utrique enim poſſunt ſe ingerere ſacris, & ſacramentis, & contra prohibitionem prælatorum, & per violentiam, ſi viribus eis prævaluerint: quare quantùm ad hoc, in nullo potiores ſunt boni, quàm mali, niſi forte dicant, quòd bonis proſunt ſacramenta, etiam cùm prohibiti fuerint, ſive excommunicati; malis verò ſemper obſunt, quia indignè, & irreverenter illis ſe ingerunt. Ad hoc ergo tandem devenit iſte error, ut neceſſe habeat confiteri alterum duorum, videlicet vel quòd boni juſtè excommunicari non poſſunt, vel quòd quantumcunque juſta ſit ſententia excommunicationis, ei parere non teneantur: utriuſque autem iſtorum facilis eſt deſtructio. Primùm, quia iſte vir ſanctus, & juſtus poteſt credere in ſe eſſe peccatum mortale, quod reverà non eſt, in hac conſcientia tenetur ipſemet arcere ſe à ſacramentis, & nullo modo immiſcere ſe illis, licet ſanctus, & bonus ſit: ſi ergo ex propriæ conſcientiæ ſententia tenetur abſtinere à ſacramentis; multò fortiùs ex ſententia ſuperioris ſui, & judicis. Ampliùs. Ex ſolâ humilitate, & reverentiâ ſacrorum, & ſacramentorum, poteſt vir juſtus, & ſanctus abſtinere ſe à ſacramentis, ſive communione eorum, ſicut legitur Prover. 28 Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. Et Petrus Lucæ 6. procidit ad genua Jeſu Chriſti, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator ſum. Et ejuſdem 7. Centurio ad ipſum: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te. Manifeſtum ergo eſt, quòd vir ſanctus poteſt à ſacris, & ſacramentis ſecedere, & hoc proprio judicio, & multò fortiùs judicio ſuperioris. Ampliùs. Eſto quòd obmittatur vel objiciatur contra virum juſtum, & ſanctum, aliquod crimen, vel debitum, à quo ſe immunem ipſemet benè ſcit, ſed probatur contra eum per falſos teſtes, aut inſtrumenta, contra quæ ipſe nihil objicit, judicabitur reus criminis illius, vel debiti, tanquàm convictus; non vult ſatisfacere, quia ſcit ſe non teneri, poſtmodùm procedit judex contra eum, tanquàm contra contumacem, excommunicans eum, manifeſtum eſt ſententiam excommunicationis juſtiſſimè latam in eum, licet ſanctus, & juſtus ſit; juſtæ autem ſententiæ neceſſe habet ſuſtinere excommunicationem, & gerere ſe excommunicatum. Ampliùs. Eſto quòd ſanctus, & juſtus intret regionem alienam, ubi neſcitur de eo, quòd Chriſtianus ſit, & apparet ex facie Judæus eſſe, vel ſarracenus & propter hoc exploratur, certum eſt quòd non admittetur ad ſancta, vel ſacramenta, licet ſit vir ſanctus, & juſtus, & juſtiſſimè repellitur à ſanctis, & ſacramentis evidentiùs: autem eſt, ſi conſtat ipſum fuiſſe Judæum, vel Sarracenum, & non poteſt docere ſe fuiſſe baptizatum quis dubitat quin juſtè repellatur à communione ſacrorum, & ſacramentorum, atque fidelium? Nulli autem licet repugnare juſtitiæ, quare non licet ei repugnare prohibitioni

prohibitioni, ſeu excommunicationi, cùm juſtè, A ſive per juſtitiam ei fiat. neceſſe ergo habet ei parere. Manifeſtum ergo eſt viros ſanctos & juſtos, juſtè poſſe excommunicari, & prohiberi à ſanctis, & ſacramentis; juſtè quantùm ad judicem, atque ſententiam, non quantùm ad merita ipſorum. Quòd ſi dixerit, quòd juſtæ ſententiæ, juſtæ quidem ex ordine; non debet parere vir ſanctus in caſibus propoſitis: Reſpondetur, quòd cùm & benefaciat judex excommunicando, & benefaciat etiam vim contumaciæ inſerendo, cumque ad parendum ſententiæ compellendo; malè ergo faciet ipſe reſiſtendo, nam merita & bona, & ſancta ſubditorum in nullo minuunt, vel infirmant juriſdictionem, vel poteſtatem prælatorum; in nullo ergo eximunt, vel privilegiant ſubditos ſuos, quominùs debeant parere ſententiis ſuperiorum. Ampliùs. Cùm excommunicatio pœna ſit juſte illata in propoſito caſu, licet non ex meritis, cùm merita defendere non ſufficiant ipſum, cui pœna iſta intenditur, & aliam defenſionem non habeat, neceſſe habet illam ſuſtinere patienter; merita enim neminem excuſant: alioquin & ſanctus Job, & multi innocentes qui tam dura paſſi ſunt, contradicere, & reſiſtere divinis judiciis meritò potuiſſent. B Judicium autem omne domini Dei eſt, ſicut legitur Deut. 1. Ampliùs. Leges & judicia, & omnia jura omnibus edita ſunt, qui condentibus illa, ſive edentibus, ſubditi ſunt; omnes ergo tenent, & ligant: nullus ergo eorum exemptus eſt quantocunque privilegio ſeu merito. Et ſi fortè dicerent, quòd vir ſanctus, & juſtus ejectus foris ab Eccleſia, à ſacris, & ſacramentis, ejectus inquam ejectione exteriori, & literali, adhuc communicat ſanctis, & ſacramentis: ergo neceſſariò intùs eſt; idem enim eſt communicare ſanctis, & ſacramentis, quòd intus eſſe, ſive intra Eccleſiam eſſe. Ecce non videt erroneus quid loquimur; cùm enim intus, & extra contraria ſint, impoſſibile eſt ea dici ſimul de eodem ſecundùm idem: eodem modo ſe habent communicatio, & excommunicatio. Cùm ergo certum ſit ipſum eſſe communione exteriori C privatum; privatio verò, & habitus de eodem ſimul dici non poſſunt, manifeſtum eſt ipſum communionem exteriorem ſecundùm ſe non habere. Reſtat ergo, ut dicat, ipſam ſolam communionem interiorem habere per ſe, & hoc eſt indubitanter fructus, & utilitas exterioris communionis, & res illius: illa verò ſignum iſtius. Quare ad hoc deveniet, ut veritatem neceſſariò confiteatur, quia ſolum fructum, ſive rem exterioris communionis habet, non autem ipſã ſecundùm ſe. Jam ergo clarũ eſt quid ſit excommunicatio, & quid excommunicari ſecundùm utrumque modum, & quotiens erraverunt iſti noviſſimi, qui dixerunt bonos non poſſe excommunicari; manifeſtum enim eſt eos poſſe excommunicari, ſicut eos excommunicare intendit Eccleſia; non enim intendit Eccleſia quemquam privare, niſi communione exteriori; & propter hoc privat communione exteriori, ut reducat ad communionem interiorem. D Propter hoc ſolùm percutit gladio excommunicationis exteriùs, ut ſanet medicina ſpiritualis communionis interiùs: & aliàs intelligere non poſſunt erronei, quòd peccatum ſolum excõmunicet hominem quantùm ad communionem interiorem, quæ eſt communio vitæ ſpiritualis, & victus. Sciendum tamen eſt, quòd ipſe contemptus excõmunicationis, & rebellio etiam, unum de peccatis eſt, quæ maximè ſpiritualem communionem auferunt; ſicut 1. Reg. 15. quia quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Illud enim peccatum ſcindit, & lacerat ipſam Eccleſiam ſciſſuris, & ſchiſmata introducit; dum enim ſubeſſe nolunt humiliter, atque pacificè, neceſſe eſt, ut rebellent, & propter hoc oportet non ſolùm, ut dividantur ab invicem, ſed etiam ut contra ſe invicem pugnent. Poſſibile tamen eſt, ut qui privatus eſt exteriori communione, per virtutem patientiæ, & humilitatis interdùm plus proficiat, magiſque meritoriè ſuſtineat excommunicationem, quàm utendo ante ea ipſa communione exteriori. Sicut, verbi gratiâ, aliquis contraxit de facto cum ſorore ſua, non poteſt probare eam eſſe ſororẽ ſuam, ſeparat ſe à toro, excommunicatur, quia non vult ei reddere debitum conjugale: certum eſt, quòd tenetur potiùs ſuſtinere excõmunicationem quàm inceſtum cõmittere cum ſorore. Multis autem ipſam excommunicationem exteriorem ſuſtinere non minùs moleſtum eſt, & horrendum, quàm martyrium, propter quod diximus, poſſibile eſſe aliquandò plus proficere quantùm ad internam communionem viros ſanctos, & juſtos, ex ſuſtinenda tam diræ, tamque horrendæ pœnæ inflictione, quàm proficerent in ipſâ pace exterioris communionis ſancti viri; quoniã juſti ex adverſitate maximè proficiunt. ſicut legitur Exod. 1. Quantò opprimebant eos, tantò multiplicabantur, & creſcebant; facit enim Deus cum ipſa tentatione proventum; ſicut legitur 9. 1. ad Cor. Et dat eis auxilium de tribulatione; virgaque ipſa, & baculus divinæ conſolationis, eos conſolatur, atque in tribulatione dilatat eos dominus; ſicut legitur in Pſ. Manifeſtũ ergo eſt, quòd error iſte tertius, quo dicunt nullum ſanctum, & juſtum poſſe excommunicari vinculo excommunicationis exterioris, ſit dãnabilis. Et fortè illud dedit cauſam erroris iſtius, quòd non fraudantur toto fructu internæ communionis; interdùm enim proficiunt, ut diximus, in illa. Quàm ſalutaris autem medicina ſit excõmunicatio exterior cum his, quæ diximus, apparet evidenter ex publicè ſive ſolemniter pœnitentibus quibus non tanquàm pœna infligitur, immò tanquàm pœnitentia ſatisfactoria injungitur, & tanquàm medicina ſalutaris morbi, & vulneribus vitiorũ, & peccatorũ ipſorum apponitur; in capite enim jejunii ab Epiſcopis de eccleſiis ejiciũtur, & uſque ad quartam, vel quintam feriam pœnalis hebdomadæ extra eccleſiã poſiti, tanquàm excommunicatos à ſacris, & ſacramentis ſe gerunt, donec prænominati per Epiſcopũ in eam reducantur. Quod autem dicit veritas in Evangelio Mat. 16. Quodcunque ligaveris ſuper terrã erit ligatũ &c. Ita intelligendũ eſt. Omnis ſentẽtia tam ligationis, quàm abſolutionis, quam ritè tuleris ſuper terrã, rata habebitur in cœlis: & propter hoc dicit ibi auctoritas, clave non errante; non enim voluntati prælatorum cõmiſſum eſt ſolvere, vel ligare, ſed prudenti eorum diſpenſationi; & propter hoc condita ſunt jura, quibus declaratur, quoniã ſententiæ eorũ nullæ ſunt quantùm ad eccleſiam triũphantem, ideſt ligationem ejus ratã habet eccleſia triumphans, quam fecit hæc eccleſia militans, licet ſi vir ſanctus, & juſtus ſit ligatus, hoc eſt quantùm ad utrãque, foris tantùm. Si quis autem quærit de occultè excõmunicato, vel ſuſpẽſo prælato, utrùm ipſe liget, vel abſolvat; Reſpondemus quòd licet ejus ſentẽtia nulla ſit in ſe, tamen quia foris, habetur aliqua; ſi tamen ipſe non apparet excõmunicatus, vel ſuſpenſus, neceſſe habet illã obſervare ille, contra quem fertur; dùm tamen non poſſit probare excõmunicationẽ, vel ſuſpenſionẽ: ſi autẽ probare poſſet, liceret ei non ſervare, & minuere appellatione. Quẽadmodũ ſi fuerit venalis ſententia contra quẽ lata eſt, licet ipſo jure nulla ſit tamẽ ſi ille contra quẽ lata eſt nõ poteſt probare, vel nõ vult, quòd venalis ſit, neceſſe habet ei parere. Si quis quærat, utrũ omnes ſacerdotes habeant poteſtatẽ ligãdi, atque ſolvẽdi; dicemus quòd habẽt

Sanctos poſſe excommunicari.

Nota. *Nota.* *Nota.* *Vide.* *Nota.* *Nota.* *Nota.* *Nota.*

Zz 2

claves tam poteſtatis, quàm ſcientiæ: clavis autem ſcientiæ auctoritas eſt docendi, & Doctores inſtituendi; & non eſt iſta clavis ſcientia, ſicut quidam opinantur, nec habent claves ligatas ullo modo, immò ſolutas, & liberas: quemadmodùm electus, ſive licentiatus, ad magiſterium ſtatim habet auctoritatem docendi liberam, & ſolutam, licet non habeat diſcipulos, vel auditores, quos doceat, ſic & clavem habet qui poteſtatem habet ligandi, & ſolvendi liberam, & ſolutam, ritè ordinatus in ſacerdotem, licet non habeat domum, id eſt, eccleſiam, vel parochiam, quam claudat, vel aperiat: quemadmodùm & liberam habet poteſtatem equitandi, & navigandi, qui ſanus eſt corpore, licet non habeat equum, vel navem, quam aſcendat.

CAPUT XIII.

Contra infirmantes remiſſiones, atque indulgentias ſubtiliter diſputat.

QUia verò circa ſacerdotalem ordinem errant adhuc hoſtes veritatis, contradicentes indulgentiis, & remiſſionibus, quæ per eos ex officio ſacerdotali fiunt; neceſſe habemus errorem iſtum deſtruere, ipſaſque remiſſiones & indulgentias ſtabilire. *Nota.* Cauſa ergo erroris prima, atque potiſſima eſt ſtultitia opinionis, qua credunt venales eſſe hujuſmodi indulgentias, ea venalitate qua Deus defraudaretur, non ſolùm ultra dimidium juſti pretii, ſed etiam ultra æſtimationem: cùm enim benefactoribus alicujus loci tertia pars injunctarum pœnitentiarum remittitur; benefactores autem ſunt qui nummos ſingulos, vel obolos, vel etiam ova tribuunt, pro quo tertia pars pœnitentiarum injunctarum, ut dicunt remittitur; videtur eis defraudari Deus, cùm duorum annorum pœnitentialium ſacrificium cum unius ovi, vel oboli oblatione commutatur. Secunda cauſa eſt alia ſtultitia opinionis, qua iniquum credunt, ut longæ, & graves pœnitentiæ pretio brevi, & levi redimantur; ſi enim cui longa, & aſpera pœnitentia injuncta eſt, nummum unum, vel obolum offerat tali loco, æquè reportat tertiam partem remiſſionis pœnitentiæ ſuæ, ut ille cui injuncta eſt brevis, & levis, tantundem offerens, eodem pretio redimuntur maximæ, & minimæ pœnitentiæ. Tertiò viſum eſt eis, quòd hoc eſt facere ſpiritum ſanctum, ſcilicet gratiam, venalem. Quartò inquiunt, quid reſtat, niſi ut ipſi magis peccent homines, ſi tam levis, *Nota.* immò ridiculoſa eſt peccatorum redemptio; pro tribus enim nummis per tres tales indulgentias abſolvitur iſte à totâ pœnitentiâ ſuâ, & ita æquabuntur trium oblationes nummorum peregrinationi Hieroſolimitanæ, vel cuicunque alii contra inimicos fidei: inſaniſſimi ergo ſunt, qui cauſâ agendi pœnitentiam longas iſtas, & laborioſas peregrinationes ſuſcipiunt, & qui carceri, & religioni, & macerationi, ſe ſubjiciunt, & addicunt, cùm tria ova, vel tres oboli tantùm pro eis prodeſſent. Contra primum errorem dicimus, quòd non eſt ibi venalitas, cùm pro pecunia nil ibi fiat; prælatus enim, qui hujuſmodi indulgentiam dat, non pecuniam, ſed Dei honorem intendit, & animarum utilitatem; non enim intendit coacervare pecuniam, ſed ampliare Dei honorificentiam, & cultum. *Nota.* Ad hoc enim ædificatur eccleſia, ut Dei cultus, & honorificentia amplietur, ut in ea ſancti dignâ veneratione celebrentur, & ad hoc inſuper, ut divinum officium, ſervitium, remiſſiones, & gratiæ, cæteraque Dei beneficia animabus impetrentur. Sicut ergo non propter pecuniam, licet per pecuniam,

E ædificatur eccleſia; ſic non pro pecuniâ fit ipſa indulgentia, ſed pro Dei ſolâ honorificentiâ, licet non ſine pecuniâ, quoniàm locus hujuſmodi non poteſt ædificari ſine pecuniâ. Contra defraudationem verò hujuſmodi, quia ipſe dator eſt & honor cultus ipſius, atque ſervitium, non ſolùm ſupplet, quod de pœnitentiis per indulgentias detrahitur, ſed etiam ſuperabundat in multò, maximè cùm ſacrificium laudis, orationum incenſa, & laudum thymiamata plùs Deus diligat, quàm tormentorum pœnitentialium carnificinam, ſicut ipſemet teſtatur Iſaiæ 58. Nunquid tale eſt jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid ſaccum, & cinerem ſternere? &c. Et ſicut non pro aqua, ſed tamen per aquam, & non ſine aquâ in baptiſmo datur remiſſio peccatorum; ſic non pro pecuniâ, ſed tamen per pecuniam, & non ſine pecuniâ fiunt hujuſmodi indulgentiæ. *Indulgentia non pro pecunia.*

F Ad illud autem quod delirant de iniquitate, videlicet quòd de eodem pretio majores, & minores pœnitentiæ redimi videntur, quod eſt iniquitas, ut ipſi putant, evidenter ſe oſtendunt neſcire virtutem Dei, & clavium poteſtatem; ſicut enim non majorem remiſſionem obtinet peccatorū, qui in majori aqua baptizatur, quàm qui in minori; ſic qui majorem pecuniam offert, non majorem remiſſionem habent, quàm qui minorem; & hoc eſt, quoniàm ſicut non ex aquâ eſt remiſſio in baptiſmo, ſed ex virtute divinâ, quæ adeſt ſacramento: ſic ibi non ex oblatione, ſive ex oblatis, ſed ex clavibus, & miniſterio prælatorum. *Nota* Ad tertium verò jam ex his reſponſum eſt, cùm nihil ibi venalitatis eſſe dicamus, & inſuper cùm in veritate magis commutatio ſit, quàm remiſſio. Sed quia longè leviùs eſt offerre habentibus, & abundantibus, quàm pœnitentiales labores, atque moleſtias ferre: remiſſio reputatur commutatio pœnitentialis afflictionis, & munus oblationis. *Nihil venalitatis in indulgentiis.*

G Quòd autem quartò objiciunt, videlicet de pœnitentiâ peccantium, ſic ſolvimus; quoniàm cùm certum ſit eos, ſolas indulgentias hujuſmodi percipere, qui mundi ſunt, & immunes à mortalibus peccatis: nulli autem eſt certum, quòd immunis ſit, & mundus ab illis; nulli ergo certum eſt, quòd indulgentias hujuſmodi percipiat; certum eſt autem unicuique ſe eſſe debitorem injunctæ ſibi pœnitentiæ, vel injungendæ: quare certum eſt, neminem debere propter hujuſmodi indulgentias ceſſare ab agendâ pœnitentiâ, ne committat ſe periculo, & inæſtimabilem acerbitatem ignis purgatorii incurrat, negligentiâ agendi pœnitentiam ſuam, quæ quantumcunque aſpera ſit, leviſſima tamen eſt, comparatione acerbitatis illius ignis. *Nota.* Et propter hoc nulli pro certo, atque præciſè promittimus indulgentias iſtas, ſed ſub conditione illa, ſi immunes ſint, & mundi à mortalibus.

H Quia ergo viri ſancti, & juſti ſemper timorati ſunt & cum apoſtolo ſemper dicunt: nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc juſtificatus ſum, quia eſſe poteſt quod ignoro: manifeſtum eſt nullum virum ſanctum, & juſtū ex hujuſmodi indulgentiis impœnitentialitatem præſumere, maximè cùm timor domini timere faciat culpas, etiam ubi non ſunt: hoc enim bonarum mentium eſt, ut dicit Greg. Qui autē ultra adjiciunt, quòd non plus proſūt religiones, carceres, atque macerationes viris religioſis, & non plus longæ, laborioſæque peregrinationes peregrinantibus, quàm tria ova, vel tres oboli indulgentias iſtas frequentantibus, habent jam ſolutum per ea quæ diximus; ſcilicet per hoc, quòd non virtute oblationis, nec pro ea hujuſmodi indulgentiæ obtinentur, licet non ſine eis. Dicimus tamen unum exemplum *Exemplū familiare.*

ad

ad elidendam ipſam, quam ipſi obſtinant, objectionem; & dicimus, quòd quemadmodùm plùs prodeſt trina immerſio in aquam ſanctificatam ad remiſſionem peccatorum, & propter virtutem ſacramenti quam quæcunque quantumcunque aſperæ ablutiones, ſeu balneationes in aquâ frigidâ licet fiant pœnaliter, plùs inquam valet pelvis hujus aquæ ea baptiſmaliter utentibus; ſic modica oblatio, aut levis labor in operibus, ſeu fabricis, propter quas indulgentię fiunt, longe plus proſunt ad obtinendam remiſſionem quàm magnæ oblationes, graveſque labores aliàs facti, aliáſque ſuſcepti: & hoc quidem propter virtutem clavium non propter ſe: ſicut inde propter virtutem ſacramenti baptiſmalis ablutiones tam mirificè, tamque magnificè proſunt, non propter ſe. Pręter virtutem autem clavium, confidendum eſt de ſanctorum ſuffragiis ſpecialiter, quorum in locis hujuſmodi memoria, & veneratio habetur. Secundò ex ipſis meritis eccleſiæ totius, cujus vox in locis hujuſmodi de cæterò non ſilebit: quicquid enim & pſallendo, & legendo, vel etiam cantando, vel aliàs quocunque modo orando in Dei ſervitio ibi de cæterò dicetur, vox eccleſiæ eſt, cùm ex ejus perſona dicatur. Tertiò conſiderandum eſt de meritis, atque ſuffragiis omnium ſanctorum, quorum aut generalis, aut ſpecialis veneratio, & memoria ibi facienda, & habenda eſt. Quartò de ipſa gratioſitate, & virtute cultus, qui non poteſt eſſe niſi gratioſus apud Deum cujus honor ipſe & gloria eſt; neque enim virtuoſus eſt, niſi ab ipſo ad abſterrendos Dęmones, ad repellendos inſultus ipſorum, & tentationes, ad debilitandas vires eorum, deinde ad advocandum gratiam compunctionis, gratiamque devotionis, gratioſus autem eſt apud miſericordiſſimum Deum ad impetrandas venias, ad obtinendas gratias, ad eas roborandas, tuendas, & augendas. Poſtquàm autem reſpõdimus contradictionibus errorum iſtorum, & diſſolvimus objectiones eorum, & declaravimus cauſas errorum iſtorum, modò relinquitur nobis ſtabilire ipſas indulgentias probationibus, ac declarationibus. Dicemus ergo in primis, quòd cujus poteſtas eſt pœnitentiales ſatisfactiones injungere, ejuſdem eſt eas augere, minuere, & mutare, provt ad Dei honorificentiam, & animarum ſalutem, & ad publicam, & ſpecialem utilitatem viderit expedire. Quare & pœnitentialem afflictionem in eleemoſynas, oblationes, & orationes, & in omne quod Deo magis acceptum viderit eſſe, licitum eſt prælato, ſuæque poteſtatis eſt, & officii, mutare, provt ipſi pœnitenti, aut eccleſiæ de quâ eſt aut civitati, aut patriæ, aut toti eccleſiæ viderit expedire: propter hoc tanquàm pœnitentialem ſatisfactionem injungimus interdùm regularibus, ut ſuſcipiant adminiſtrationes, quæ eis imponuntur, ut priotatum propter reformationem, aut conſervationem religionis, aut camerariam, ne alius propter ſecularem frequentiam periclitetur, ac ut fideliter, & prudenter, & ſine fratrum ſcandalo adminiſtret temporalia. Similiter verò prudenti, & juſto, ac potenti & incorruptibili acceptione perſonarum, vel munerum, conſulimus in foro confeſſionis, ut conſulatum, vel pręfecturam ad hoc electus recipiat, & tanquàm pœnitentialem ſatisfactionem hæc ei imponimus, & ſic de aliis majoribus, & minoribus adminiſtrantibus manifeſtum eſt, eſſe & ſentiendum & faciendum. Hæc autem exempla propter hoc poſuimus, quia omnia in eccleſia Dei debent eſſe communia? proprietatem enim, & excommunicationem omninò deteſtatur, & rejicit cõmunio ſanctorum. Manifeſtum ergo eſt, quòd & major honor Deo ſit, majorque utilitas animabus propter cauſas

Nota.

Nota.

Nota.

A quas divino ſervitio, ſeu cultui ſuperiùs aſſignavimus, ædificari baſilicam unam, in quâ Deo jugiter ſerviatur. animabus ſacrificiis, & orationibus aſſiduè ſuccurratur, ſanctorum ſuffragia, qui quæcunque voluerint apud dominum poſſunt, die, ac nocte ab eis impetrentur, in qua inceſſanter hoſtes inviſibiles impugnentur, cæteraque bona quæ numeravimus, & nominavimus ibi ſine intermiſſione animabus impendantur, major inquam eſt honor Deo, majorque animabus utilitas, quàm quantacunque afflictionum pœnitentialium carnificina. Epiſcopalis ergo poteſtatis, & officii eſt carnificialem illam afflictionem quantamcunque, ſive pro parte, ſive pro toto; ſicut expedire viderit, in hujuſmodi bonum, vel ſimile. vel etiam alterius modi, quod publica requirit utilitas, commutare. Ampliùs. Quia omnis ſervus bona domini ſui in honorem ipſius, & gloriam, & regni, vel domus

Vid.

B ſuæ utilitatem tenetur expendere, & ubi majorem vel honorem vel utilitatem, vel ambos videt, ibi largiùs, cùm ejus fidei commiſſa ſit eorum diſpenſatio, additiones, aut diminutiones, commutationes, & relaxationes pœnitentialium ſatisfactionum prælatis indubitanter commiſſę ſunt: manifeſtum ergo eſt ad eos pertinere, ut bona iſta, quæ nominavimus, expendant largiùs, aut parciùs, provt negotia, vel opera ex parvitate, vel magnitudine divini honoris, ſpiritualiſque utilitatis plùs aut minùs requiſierint. Et propter hoc, quia maximus Dei honor eſt in terra Chriſtiana religio, maximaque animarum utilitas & privata, & publica: certum eſt quòd pro eâ plantandâ, conſervandâ, ampliandâ, & defendendâ, neceſſe habent hujuſmodi expendere pręfati ſervi Dei de prænominatis bonis quicquid

C pręd ictæ neceſſitates requirunt: neceſſe ergo habent relaxationes, diminutiones, cõmutationes pœnitentiarum facere, quantumcunque requirit plantatio, conſervatio, amplificatio, defenſioque Chriſtianæ religionis, ſive ultra mare, ſive in provincia, ſive alibi ubicunque: & hęc eſt cauſa propter quam largiſſimæ indulgentiæ fiunt ab eccleſiâ pro ſubſidio terræ ſanctæ, & generaliter contra Inimicos fidei, & Chriſtianæ religionis. Ampliùs. Si rex, vel princeps bellum habeat, dat poteſtatem ducibus ſuis perquirendi, & conducendi bellatores dignisque ſtipendiis remunerãdi. Quia ergo rex regum, & dominus dominantium Chriſtus bellum habuit à tempore, quo cæpit eccleſia bellum inquam non ſolùm ſpirituale, ſed etiam literale, ſeu corporale, ſive materiale contra hæreticos, & alios Chriſtianæ religionis inimicos, videlicet paganos, & à tempore Machometi, ſarracenos, neceſſariò dedit poteſtatem ducibus ſuis, id eſt, prælatis, perquirendi bellatores materiales, & conducendi eos, & con-

Nota.

D gruis ſtipendiis remunerandi. Quid autem eſt prædicare indulgentias, & promittere hujuſmodi bellatoribus, niſi eos perquirere, & conducere regi regum Chriſto domino? & quid eſt pœnitentias eis injunctas remittere, niſi partem aliquam ſtipendiorum eis dare? quemadmodùm enim ſtipendia peccati mors: ſicut legitur 6. ad Rom. ſic ſtipendia hujuſmodi bellatorũ pro maximâ ac nobiliſſimâ ſui parte remuneratio æterna erit. Ampliùs. Quis rex pugnaturus non aperit ærarium ſuum ad largiendũ bellatorib⁹, & alia facienda, quæ bellum requirit: rex regum Chriſtus dominus ergo aperit ærarium ſuum & elargitur bellatoribus ſuis: ærarium autem ejus theſauros continet indulgentiarum, gratiarum, & gloriarum. Ampliùs. Quis habens bellatores, ſi eos viderit debitis obligatos, quæ eos prohibeant ire ad bellum ſuum, non eos priùs liberet ab

Nota.

Digitized by Google

hujuſmodi, quàm mittat ad bellum? quia ergo debita pœnitentialia hujuſmodi bellatores bellum hujuſmodi agere non ſinunt, ſicut jejunia, ligaturæ ferreæ, aliæque hujuſmodi afflictiones, longæque orationes, & aliæ peregrinationes; neceſſe eſt ut Deus bellatores tales liberet debitis, antequàm eos mittat ad bellum: liberatio autem non eſt hìc, niſi per remiſſionem. Ampliùs. Cùm iſta ſtipendia, remiſſiones, ſcilicet, & indulgentias hujuſmodi, toto opere deſiderent, & requirant bellatores, ut nihil adeò inducere videatur ad hujuſmodi bellum ſuſcipiendum; *Nota.* maximè illa facienda ſunt bellatoribus, ſi commodè fieri poſſunt, per quæ maximè inducuntur ad fideliter, acriterque pugnandum. Indulgentiæ ergo iſtæ, & remiſſiones faciendæ ſunt hujuſmodi bellatoribus, & non ſunt faciendæ, niſi per miniſtros, nec aliter commodè fieri poſſunt. Ampliùs. Nullus eſt princeps militiæ materialis, ſive corporalis, qui non habeat poteſtatem conducendi bellatores, & conveniendi ſtipendiis cum ipſis, prout bello, ſive gregi Domini ſui videntur expedire: multò fortiùs ergo principibus militiæ ſpiritualis ex ipſo principatu hujuſmodi eſt poteſtas conducendi bellatores, & conveniendi cum eis de ſtipendiis, *Nota.* prout bello Dei viderint expedire. Quia ergo manifeſtum eſt, quòd ſtipendia remiſſionum, & indulgentiarum, maximè colligunt Deo exercitum, maximéque augent illum, & maximè vocant ad bellandum, maximè hujuſmodi ſtipendia promittenda, & danda ſunt bellatoribus Dei. Si quis autem dixerit, quòd ſufficit hujuſmodi bellatoribus merces regni cœlorum: dicimus quòd ipſo ſenſu manifeſtum eſt pauciſſimos intuitu ſolo mercedis illius poſſe colligi bellatores. Quia ergo quærenda eſt ſufficientia bellatorum per viam, per quam fieri commodiùs poteſt, eſt hæc via omnibus commodior, quoniàm & Deo honorificentior, & regno ſuo, ſive civitati, quæ eſt Eccleſia ejus, utilior, atque ſalubrior; nihil enim eſt adeò glorioſũ Deo, ut miſereri & pœnas meritas relaxare pœnitentibus, nullum ei honorificentius, quàm dare ſe in mortem, aut mortis diſcrimen pro ejus honorificentiâ, & cultu, vel plantandis, vel conſervãdis, vel ampliandis, vel defendendis: ſervis autem reis nullum obſequium præſtare Deo poſſibile eſt ſibi utilius, ſive ſalubrius. Ampliùs. Si toto ſanguine, totaque ſtrage ſanctorum martyrum redimi voluit Chriſtianam religionem, ne periret per idolatriam, aut aliam ſuperſtitionem, ſive per Judaiſmum litteralem; quantò fortiùs vult eam redimi leviſſimo, ut dicamus ita, pretio, cùm eam ſic poſſe redimi videat, & defendi? Si enim tantos labores, & dolores, tantaque ſupplicia, etiam mortis, ſuſtinere voluit ſanctos Apoſtolos, & Martyres, ſanctoſque Confeſſores pro defenſione Chriſtianæ Religionis: quantò fortiùs relaxabit longè minorem pro defenſione ejuſdem, cùm incomparabiliter magis pronus ſit ad relaxanda ſuorum ſupplicia, quàm ad ea irroganda, *Nota.* aut irrogari ſuſtinenda? Incomparabiliter etiam majus diſpendium eſt (ſi fas eſt dicere) Deo ſuſtinere tantam afflictionem amicorum ſuorum, quàm relaxare incomparabiliter minorem in hujuſmodi bellatoribus; quare ſi idem eſt fructus illius afflictionis, & iſtius remiſſionis, quod apparet ex conſenſu: multò fortiùs facit indulgentias, & relaxationes iſtas. Indulgentiæ autem quæ fiunt pro baſilicis vel ampliandis, vel quolibet alio modo meliorandis, etiam propriã probationem habent; cũ enim quilibet ſanctorũ majoris incomparabilis gratiæ ſit apud Deum, quàm quilibet ſervus malus apud dominum ſuum, vel etiam amicus apud amicum: manifeſtum autem eſt impetrare unumquemque ſervum gratioſum à domino ſuo, vel amicum ab amico; innumeras ergo remiſſiones peccatorum, & pœnitentiarum inæſtimabiliter veneratoribus, ac cultoribus ſuis à largiſſimo bonorum omnium largitore Deo ſanctos impetrare veriſimile eſt. *Nota.* Et ſi iſti ex igniculo dilectionis, & ſtilla benevolentiæ ita ſoliciti ſunt pro neceſſitatibus charorũ ſuorum, quantò fortiùs ſancti ex camino charitatis, quo toti ardent, & diluvio redundantiſſimo benevolentiæ, quo toti defluunt, ſoliciti erunt pro neceſſitatibus ſibi devotorum, ſeque venerantium, atque colentium? Manifeſtum ergo eſt, quòd ſancti, quorum memoria, & veneratio habetur, ex profundiſſimâ benevolentiâ ſoliciti intercedunt pro veneratoribus ſuis, & ex gratia inæſtimabili, quam habent apud Deum ſunt potentes impetrare: quia ergo & volunt ex benevolentia, & poſſunt ex gratia, neceſſariò impetrant. *Nota.* Benefactores autem eccleſiarum, in quibus memoria, & veneratio cujuſcunque habetur, veneratores ſpirituales ipſius ſunt, quare illas impetrant; qui enim poſtulant, dummodò & Deum deceat, & illis expediat, accipiunt, quod intendunt; certum eſt autem, quòd decet Deum honorare ſanctos ſuos in hoc, videlicet, ut eos exaudiat pro veneratoribus eorum, non ſolùm in remiſſione culparum, ſed etiam pœnarum, ſive ſint pœnitentiales, ſive aliæ, quarum etſi nulla cauſa ſubeſſet, ſuffragia ſola ſanctorum ſufficerent iſtas indulgentias impetrare. Indulgentiæ verò, quæ fiunt pro pontibus ędificandis, pro viis ſternendis, ſive pro pavimentis, ſive faciendis, aut meliorandis, illam habent rationem per ſe propriam. Quia ergo licet unicuique diſpenſatori conducere operarios ad agenda opera domini ſui; diſpenſatores autem in domo Dei magnâ, quæ eſt eccleſia, prælati ſunt; licet ergo prę́latis conducere operarios ad præfata opera quocunque pretio, quo cum eis convenerint, ſive indulgentiarum, & remiſſionum, ſive alterius cujuſcunque rei: laborantibus autem in hujuſmodi operibus poſſunt prę́lati eccleſiarum dare indulgentias, quas viderint expedire. Communis autem ratio, ſeu probatio de indulgentiis iſtis, & eis, quæ fiunt benefactoribus religioſorum, eſt ipſa communicatio; ſerviunt enim hujuſmodi peregrinantibus, & aliis propter pias cauſas iter agentibus, & ſi alia cauſa non eſſet, tamen juſtitia communis ſanctorum ex neceſſitate requirit, ut hujuſmodi operum factores ſpiritualium bonorum, & cunctorum participes ſint omnium ſanctorum, quibus opera illa ſerviunt, quorum laborum, & afflictionum, quas illi iter agendo, & aliquandò laborando, iſti clauſtrorum carceres ſuſtinendo, habent, quia participes fiunt, meritò eis parcitur à pœnitentialibus laboribus, & afflictionibus, qui meliores pro ſe reſponſales conſtituerunt, videlicet viros ſanctos, quibus opera illa ſerviunt, vel beneficia, & Deo magis acceptos labores, quàm proprii pœnitentiales eſſent, per alios reddunt; *Nota.* non enim dubitandum eſt, quin labores ſanctorum clauſtralium, & afflictiones Deo magis acceptę ſint, quã iſti forinſeci, ut potè puriſſima ſacrificia: quare non tam remiſſio eſt, quàm in melius commutatio indulgentia in hujuſmodi caſibus facta. Juxta hunc modum etiam faciendum eſt de indulgentiis, quæ fiunt benefactoribus pauperum; quemadmodùm enim propter Dei amorem, & honorem, & labores, & afflictiones pauperum relevant apud Dei miſericordiam, ita meritò relevationem laborum, & afflictionum pœnitentialium promerentur; & propter hoc meritò ad animandos eos, & provocandos magis, & magis ad opera pietatis,

Digitized by Google

non ſolùm conſuetudine largitatis beneficia promittenda eis ſunt, ſed etiam propter urgentiſſimam Chriſti pauperum neceſſitatem, novæ indulgentiæ faciendæ. Nec dubitandum eſt merita devotionis offerentium & eorum beneficia locis, indulgentiarum, præter remiſſiones à miſericordiæ Deo, provt dignum, & juſtum eſt, debita dona obtinere, & pauperes qui non habent, quid offerant, merito bonæ voluntatis, divinæ largitatis beneficio, ab indulgentiis hujuſmodi penitùs non fraudari, nec omninò eſſe expertes credendum eſt, non autem de virtute, vel poteſtate clavium, ſed de multitudine miſericordiæ Dei, quæ pia vota, & ſancta deſideria ſuorum nunquàm irremunerata dimittit. Hoc autem eſt, quandò hujuſmodi indulgentiæ offerentibus, ſeu benefactoribus locorum, atque laborantibus in hujuſmodi operibus ſolummodò fieri conſueverint; & quia nullus prælatus habet poteſtatem ligandi atque ſolvendi, niſi in ſubditos ſuos, manifeſtum debet eſſe tibi, quia indulgentiæ iſtæ, ſive remiſſiones à quocunque prçlato fiunt, ad alienos parochianos nullatenùs extenduntur. *Nota.* Jam patefecimus tibi quinque poteſtates, ſeu officia ordinis ſacerdotalis, videlicet officium interpellandi, officium ſacratiſſimæ euchariſtiæ, ſeu ſacrificium offerendi, officium ſacramentandi, deinde officium docendi, doctoreſque inſtituendi, quod eſt prima clavis, noviſſimè ligandi, atque ſolvendi in utroque foro officium, quod eſt ſecunda clavis. Et quia in ſolis epiſcopis plenitudo poteſtatis, & iſtorum officiorum perfectio eſt, manifeſtum eſt epiſcoparum plenum, & perfectum eſſe ſacerdotium. officium enim ſacramentandi plenum, atque perfectum minores ſacerdotes non habent, quia nec ſacramentum confirmationis, nec ſacros ordines, nec majora ſacramentalia impendere poſſunt: ſimiliter auctoritatem docendi, ſeu doctores inſtituendi modicam habent: cùm ſola enim cura animarum datur eis, tanquàm curæ annexum, poteſtas docendi populum ſibi commiſſum, & prædicandi ei ea, quç ſalutis ſunt, nunquàm tamen dicitur eis in ordinatione ſua: Ite, docete, & prædicate: docere enim & prædicare ſpeciale officium eſt epiſcopi: propter quod in conſecrationibus ſuis dicitur Ite, prædicate populis. *Nota.* Epiſcoporum etiam eſt doctores in diœceſibus ſuis inſtituere; nulli licet enim prædicare, vel docere in quacunque diœceſi niſi de mandato epiſcopi. Poteſtatem autem ligandi, vel ſolvendi in utroque foro plenam, ac largiſſimam epiſcopi habent, & accipiunt hanc plenitudinem in traditione baculi paſtoralis, ſicut & clavem ſcientiæ in traditione codicis evangelii, & hîc expreſſè cùm ipſi præfatum codicem, & baculum de manu metropolitani accipiunt. *Officium epiſcoporum.* Officium autem interpellandi maximè incumbit epiſcopis, quia ipſi ſunt mediatores inter omnes alios, & Deum: propter hæc omnia epiſcopi ſummi ſacerdotes vocantur: & in evangelio Mat. 26. Quærebant ſummi ſacerdotes quomodò Jeſum perderent, & occiderent: *Nota.* Et in ipſa præfatione conſecrationis epiſcoporum: quem ad ſummi ſacerdotii miniſterium elegiſti. Idem etiam eſt Apoſtolicum officium, ſive apoſtolatus: quicquid enim apoſtolis commiſſum fuit, totum commiſſum eſt & epiſcopis. Unde & in ſedibus, in quibus ſederunt apoſtoli, ſedent tanquàm pleni juris ſucceſſores, tanquàm loco apoſtolicæ poteſtatis eorum, licet meritis longiſſimè diſtantes. *Epiſcopatus ordo non eſt.* Si quis autem dixerit cùm epiſcopatus ordo non ſit, ad quid ergo conſecrantur epiſcopi? Reſpondemus ad complendum & perficiendum, atque ad ſummum perducendum ipſos non ſolùm officii plenitudine, & amplitudine poteſtatis, ſed etiam ad cumulandum gratia, & pinguedine ſanctitatis. Quemadmodùm & virgines ſanctæ non novum matrimonium cum cœleſti ſponſo in conſecratione ſua contrahunt, ſed in baptiſmo dudùm contractum firmant potiùs & aſtringunt; non novi ſacramento matrimonii Chriſto domino ſe obligant, vel aſtringunt, ſed arctiùs illud faciunt, renunciantes nuptiis carnalibus, majorique gratiâ ſanctitatis impinguant religionis votis quibuſdam, ac vinculis ſe eidem quodammodò alligantes, & ſacrarum obſervationum famulatu aſſiduo perpetuò devoventes: ſic ſummi ſacerdotes, ſive epiſcopi in conſecratione ſua non novum ordinem, ſed ipſius ordinis ſacerdotalis, ſcilicet quem priùs habebant perfectionem, & plenitudinem recipiunt, quantùm ad poteſtatem, & officia quæ ſupra diximus. Si quis autem dicere voluerit epiſcopatum eſſe ordinem aliud à ſacerdotio minori: non opponimus nos, nec contradicimus; verùm non effugiet facilè, quin oporteat eum dicere, archiepiſcopatum ordinem eſſe, & deinde primatum, poſtea patriarchatum, & noviſſimè papatum. Manifeſtum autem eſt quòd ipſe non eſt major, quàm Petrus: non eſt enim niſi ſucceſſor ipſius, quantùm ad poteſtatem, & dignitatem, nec ipſe vocat ſe, niſi epiſcopum, in literis ſuis ſcribit ſe epiſcopum, & in privilegiis nominat ſe epiſcopum catholicæ eccleſiæ. *Nota.* In hiſtoriis legitur ubique: Silveſter epiſcopus urbis Romæ: Bonifacius epiſcopus urbis Romæ. Ampliùs. Metropolitanus, ſive archiepiſcopus cùm ſacratus eſt in archiepiſcopum, nihil ampliùs expectat faciendũ, niſi ſolam pallii traditionem, quod etiam ſine oratione quacunque, & benedictione fit cum ſolâ debiti juramenti præſtatione. Ampliùs. Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus non plùs, quàm epiſcopus eſt in dignitatibus eccleſiaſticis[1], ſecundùm quod homo, in cujus nec gratiam archiepiſcopus, nec primas, nec patriarcha nominari voluit, ſed epiſcopus, & ſacerdos tantùm, & pontifex. Manifeſtum ergo eſt ultra epiſcopatum, nullum eſſe ordinem. Scire etiam debes ad epiſcopos, tanquàm apoſtolorum ſucceſſores, & tanquàm ad apoſtolicç dignitatis pertinere miniſtros, ex ipſo epiſcopali officio inſtitutiones clericorum in eccleſiis præbendariis, & ſacerdotum in cappellis, & parochiis, inſtitutionem inquam plenam, quantùm eſt de jure communi, licet ex ſpirituali collatione epiſcoporum, nonnullis jura patronum conceſſa ſint.

DE SACRAMENTO Extremæ-Unctionis, & de Sacramentalibus.

CAPUT UNICUM.

Non indiget ſummario, quia auctor ſatis ſe ipſum ſummat.

POſtquàm expedivimus nos de ordine ſacerdotali, ſtabilivimus eſſentiam ejus, & officia omnia, & numeravimus ea; reſtat nobis loqui de ſacramentalibus: de extrema enim unctione non oportet nos ampliùs dicere, quàm diximus in præcedentibus, præſertim cùm ab initio inſtitu-

tionis ſuæ magis fuerit medicamentum ſanitatis, E ſicut legitur in Act. Apoſtolorum Ungebant apoſtoli infirmos, & ſanabantur. Et hoc etiam atteſtatur Jacob. ult. Infirmatur quis in vobis, vocet presbyteros eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes oleo in nomine domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum. Incipiamus ergo, & dicamus, quòd ſacramentis utuntur homines, at ut ſint ſancti epiſcopi, vel ad hoc, ut miniſtri ſint alii ſanctificationis. ſacramentalia ſunt ut adjumenta ſacramentorum, & liber, & augmenta, quoniàm eis augetur, & perficitur ſanctitas, quæ ſacramentis præſtatur: & hoc apparet evidenter in eis ſacramentalibus, quæ impenduntur hominibus, ſicut evidenter oſtendimus in conſecratione epiſcopali, quæ ſanctitatem ſacerdotalem evidenter auget, atque magnificat, niſi per indignitatem ſteterit recipientis: poteſtatem autem & miniſterium ſacerdotalis ordinis extendit, & ampliat ad perfectum: ſimiliter & in conſecratione ſacrarum virginum manifeſtum eſt, quia ipſa conſecratio ſpirituale matrimonium auget, & *Nota.* perficit ſicut Regum benedictio, & etiam Abbatum. F Hujus autem probatio eſt, & aliorum ſacramentalium, quia orationes eccleſiæ exaudiri pro his, pro quibus fiunt, niſi ipſi forſitan reprobi ſint à miſericordia Dei, neceſſe eſt: quia in conſecrationibus, & benedictionibus iſtis ex parte eccleſiæ hæc adjumenta ponuntur conſecrandis, & benedicendis: neceſſariò etiam præſtantur eis à parte miſericordiarum, niſi ut diximus per ipſos ſteterit, quibus iſta poſtulantur: ſemper enim habet patulas aures miſericordiſſimus Deus ad preces, & vota eccleſiæ ſuæ, ſemper habet extentas, & promptiſſimas manus benedictionis ſuæ, non ſolùm ad neceſſitates, & indigentias ſuorum, ſed etiam ad beneplacita largienda, dummodò ad ejus gloriam, & ipſorum utilitatem pertineant. Hæc ergo eſt radix probationis in omnibus ſacramentalibus, videlicet gratioſitas eccleſiæ adeò placens Deo, adeòque dilecta, ut nunquàm apud eum patiatur repulſam. Inde eſt quòd pro indignis multoties exauditur, impetrans eis & gratiam, & veniam, beneficia, & miſericordias. Quòd ſi aliquandò aliqui adeò indigni ſunt, ut eis eccleſia non obtineat, quod pro eis petit, non ipſa repellitur, ſed ipſi, quemadmodùm ſi ſponſa chariſſima ab amiciſſimo ſponſo liquore pretioſiſſimo petat vas fœtens impleri, ac ſordidum, ſpurcitiaque pleniſſimum, quia utique hoc ſponſum facere non decet, hujuſmodi vas liquorem pretioſum non admittit, ſed repellit, non ipſa ſponſa in hujuſmodi caſu ſed vas ipſum, & ſemper citiùs à ſe ipſo, *Nota.* dum liquori pretioſo repugnat non ſolùm contrarietate, ſed etiam plenitudine adjectionum, ne recipiat plenitudinem. Eodem modo ſi petat ſanari ægrum, qui ſanitatem totis ſtudiis, & viribus perſequatur, qui ægritudinem ſuam, & H vulnera totis dilectionis brachiis amplectatur, totoque conatu ſtudeat retinere: nunquid preces ipſius minùs habent gratiæ apud ſponſum? certum eſt quòd preces ejus non repelluntur, & quòd oratio ejus in ſinum ipſius revertatur, ſed infœlix æger manus retrahit, & claudit, ne porrecta ſibi, & oblatam ſanitatem recipiat: non enim manus largitatis ſuæ Deus retrahit, aut claudit, ſed miſer iſte non ſolùm eas non extendit, ſed etiam eas retrahit, claudit, & aſtringit, ne habeat dona Dei, quibus manus ejus pleniſſimæ ſunt, ſinum claudit, obſtruit, & obſtringit, ne largiſſima Dei manus aliquid in illum mittat. Liber verò ſacramentorum ſunt ſacramentalia ipſa propter expreſſam, & evidentem deſignationem ipſorum, quemadmodùm in conſecratione pontificum ſacerdotalis perfectio, & plenitudo legitur, ſicut in unctionibus capitis, & manuum, & pollicis pinguedo internæ unctionis, in traditione codicis evangelici auctoritatis ſacri magiſterii, quâ & docere, & doctores inſtituere habet ex officio in diœceſi ſua: in traditione verò baculi poteſtas coercendi rebelles, quæ eſt poteſtas judiciaria, poteſtaſque ligandi, atque ſolvendi in foro judiciali. Sic in conſecratione monialium ſanctitas & perfectio matrimonii ſpiritualis in ſignis, & in verbis expreſſè legitur. Idem eſt videre in regum, & reginarū unctionibus, & benedictionibus abbatis: ſic & in benedictione clericorum, hoc eſt, clericatione, ſeu primæ tonſuræ datione & hæc ſunt quinque ſacramentalia, quæ impenduntur in eccleſiâ Dei hominibus in adjumentum ſacramentorum, & perfectionem gratiæ, & ſanctitatis. Præter hæc autem conſueverunt dari benedictiones peregrinantibus, & fieri item benedictiones epiſcopales ſuper populos, quas utraſque nihil prohibet annumerari ſacramentalibus, quantùm ad adjumentum gratiæ, & ſanctitatis, nam quantùm ad ſacramentorum ſimilitudinem, & ſanctitatis, atque gratiæ augmentum, atque perfectionem dignè ſuſcipientibus præſtantur: propter quod & ſacramentalia nominata ſunt, quaſi ſacramentis in effectu ſanctificationis, & deſignatione ſimilia. Sacramentalia verò in aliis rebus, videlicet quæ hominis non ſunt, impenduntur, & ad miniſterium ſanctificationis, & ad divini cultus honorificentiam, & ad ſanctificationis miniſterium, ut oleum, aqua, vinum, cinis & ſal; baculus pontificalis, & annulus ſic vela, & annuli ſacrarum virginum. Ad honorificentiam verò divini cultus impenduntur ſacramentalia vaſis, & calicibus, patenis, & crucibus; hæc enim tria conſecrantur propter honorificentiam divini cultus, ſimiliter impenduntur ornamentis altaris, videlicet chrimalibus, regalibus pannis, & corporalibus, G propter hanc eandem cauſam calici, & ſabulo, lapidique quo reconduntur ſanctæ reliquiæ, & ipſi loculo, in quo reconduntur, vel reponuntur, impenduntur ſacramentalia, quibuſdam benedictionibus tantummodò, aliis benedictionibus, & inunctionibus: prænominatis enim vaſis, calicibus, & patenis, prænominatoque lapidi, benedictiones & inunctiones, impenduntur. Baſilicis, autem & altaribus, impenditur conſecratio in augmentum gratiæ, & ſanctificationis, ſicut expreſſe continent benedictiones eorum; in ipſis enim ordinibus expreſſè petuntur ea, quæ ſunt gratiæ, & ſanctificationis: ſicut autem ad divinum cultum pertinet veneratio ſacrarum reliquiarum, propter quod & loculus repoſitionis ipſarum, & patibulum reconcluſionis cum benedictione injungitur; ſic ad honorem divini cultus pertinent ipſi, cultuſque Dei, & ſervitium locum habent Deo appropriatum, atque ſāctificatum. Apparet autem evidenter intelligentibus, quòd conſecratio baſilicarum, liber quodammodò eſt, & figura, & ſacramentum, id eſt ſacrum ſignum ſanctificationis baptiſmalis, ſicut reconciliatio earum ſanctificationis pœnitentialis: ſic & reconciliatio eccleſiarum duabus de cauſis, videlicet in expiationem contumeliæ, quæ facta eſt loco ſancto, & Deo in ipſo, & in horrorem facinoris in eo perpetrati. Scire autem debes, quòd nuſquàm additur honorificentiæ divini cultus, vel decori domus Dei, quin addatur adjumentum ad fidelium ſanctificationem. *Nota.* Poſt hæc loquemur de juſtificationibus, ubi nec probationes inducere neceſſarium eſt propter lucidiſſimam, evidentiſſimamque ipſarum claritatem, & propter conſenſum omnium legum in ipſis; nullam enim habent contradictionem apud homines veri nominis; non enim homines

nominandi

nominandi ſunt, qui vel cum Epicuro obtuti errant, A vel qui ſolam barbatiei ſuæ firmitatem ſapiunt, qui pretioſiſſima, ac nobiliſſima dona intellectus, ſive rationis, vel liberæ voluntatis, animali virtute non ſolùm oppreſſerunt, ſed ſenſibili immerſerunt, & ut ita dicamus à regionibus ſuis, hoc eſt, à ſublimibus gratiæ, & gloriæ, eas adeò longè exulaverunt, ut jam inde nihil vel videre valeant, vel audire; ſed quemadmodùm dicit Apoſtolus in ulri ad Galat Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo: ſic illæ mortuæ ſunt ſpiritualibus, & æternis, & illa ipſis Juſtificationes ergo dicamus ea opera, quæ ſuâ ſolâ bonitate injuſtitias vitiorum, & peccatorum per contrarietatem, quam habent ad illas, aut deſtruunt, aut minuunt. aut quolibet modo aliter impediunt, aut impugnant: quarum prima eſt oratio, quæ eſt velut advocatus noſter apud Deum gratioſiſſimus, & ad placandum ipſum, atque impe- B trandum ab ipſo potiſſimus, maximè ſi cœleſti rhetorica prædìtus fuerit, ſi in auribus laudum, & gratiarum actionum, benedictionum, & glorificationum, onuſtus fuerit, ſi virtutum aromatibus fragrantiſſimus, & prætextu humilitatis miſerabiliſſimus, ſi aſſiduus, & improbus, ſi importunus extiterit, ſi deſiderio fervidus, ſi ſpe miſericordiæ & largitatis divinæ fidus: nihilominùs tamen pro peccatis ſuis timidus. Cœleſtis autem rhetorica in duobus maximè conſiſtit; in noſtri ſcilicet accuſationibus, & Dei collaudationibus, & hanc ſuo tempore ſcribendam ſi Dei beneplacitum fuerit, reſervamus. Secunda eſt jejunium, & per hoc intelligimus omnem cauſam abſtinentiæ ſive corporalis, ſive ſpiritualis Anima autem, quæ non jejunat, niſi à cibo corporali, aſinum ſuum, ideſt corpus ſuum, procuratorem ſuum conſtituit ad jejunandum pro ſe, & multò fortiùs eſt abſtinendum à devotatione proximorum, quàm à comeſtione ciborum, quos C Deus ad hunc uſum creavit. Et propter hoc jejunandum eſt à detractionibus proximorum, à Dei blaſphemiis, & ab omnibus illicitis loquelis, & otioſis: ſic & jejunandum eſt ab illicitis aſpectibus, ab illicitis auditibus, greſſibus, cogitationibus, & generaliter ab omni eo, quod noxium eſt, & periculoſum animabus humanis. Tertia eſt eleemoſyna, hanc autem intelligimus ex ipſo nomine, omnem miſericordiæ ſubventionem, ſeu corporalis ſit, ſeu ſpiritualis; eleemoſyna enim ab ele, quod eſt miſereri, dicitur; & propter hoc omne bonum, quod intuitu pietatis alii feceris. eleemoſyna intelligitur, ut ſi (exempli cauſa) conſilium, ſive auxilium, & hoc ſive temporale, ſive ſpirituale, ex miſericordiâ proximo impendis, eleemoſynam ei largiruses. Quarta eſt remiſſio in fratres ſive ſit moleſtiarum, ſive contumeliarum, ſive damnorum; certum eſt enim, D quòd remittentibus omnia ſibi debita, ab aliis remittuntur, & debita eorum. Quinta eſt diſciplinatus, cujus ſunt tres partes Prima eſt afflictio doloris, ut verberum, ciliciorum, loricarum, ligutinarum ferrearum æſtus, & frigoris, cæterarumque paſſionum, quæ dolorem inferunt corporalem Secunda eſt afflictio laborum. Tertia eſt occupationum afflictio: hæ ergo afflictiones cùm ad impetrandam, vel conſervandam, ſeu augendam, ſive defendendam juſtitiam aſſumuntur, tunc juſtificationes vocantur. Conſidera ergo diligenter ſeptem iſta, & videbis, quòd juſtificationes noſtræ ſunt juſtitiæ impetrationes, incrementa, defenſiones, & ſacrificia Deo gratiſſima placatæque oblationes. Et hic finem faciamus tractatus iſtius de ſacramentis, quæ virtute divina ſibi aſſiſtente potiſſimùm ſanctificavit, & de juſtificationibus, quæ ipſâ naturâ ſuâ, & merito, juſtificant majora, & altiora de his,

Rhetorica cœleſtis in quo conſiſtat.

Eleemoſyna unde dicta.

A quæ nobis nec eſt videre datum, nec ſcribere permiſſum, ſtudioſis, & magis vacare valentibus, atque apud Deum majori gratiâ pollentibus reſervantes. Et ſi enim ad perfectum de rebus tam ſublimibus, tam magnis, tamque ab humani ſenſus parvitate diſtantibus, provt oporteret diſſerere, plenéque ac perfecte, ſcribere, peccatis noſtris facientibus non valemus: gratias tamen largitori omnium bonorum Deo agimus, ſi vel modicam occaſionem, ut ſapientiores fiant, ſapientibus damus, &c.

TRACTATUS DE CAUSIS, cur Deus homo.

CAPUT I.

B *De corruptione virtutis noſtræ appetitivæ interioris eleganter diſputat, ejuſque perverſitatem, ac errorem evidenter, & aperiè demonſtrat.*

PONAM ad hoc quatuor radices. Primò virtutis noſtræ appetitivæ interioris errorem, corruptionem, atque perverſitatem. Secundò animalitatis noſtræ rebellionem. Tertiò noſtræ mortis, cui omnes addicti ſumus, damnationem. Quartò totius noſtræ rectitudinis incurvationem, & has quidem radices à ſenſibus omnium, & experientiâ accipi, quod quidem facere in omni facultate licitum eſt. Primùm patet, quia ipſa vitiorum opera, quàm ſuave nobis ſapiant, & ea, quæ virtutum ſunt, quàm aſperum, ipſa experientia nos edocet Deinde, minora bona, quæ bona corporis nominantur, ut ſpecioſitas, agilitas, ut robur, & ſanitas, quantò ſtu- C dioſiùs & ardentiùs amentur, atque quærantur à nobis, quàm proportionalia his animarum noſtrarum bona, quis ignorat? Bona proportionalia his vocamus ſpecioſitatem animarum, agilitatem, robur, & ſanitatem, quæ aut virtutes ſunt, aut ex virtutibus. Tertiò ipſarum minima bona corporalia, quorum omnis uſus eſt aut ſuſtentatio corporum, ut eſcę, aut protectio, ut veſtis, & lectus, aut exornatio, ut monilium, & anulorum, tantâ perverſitate concutiunt, ut in eorum omnium inquiſitione nec ordo ſervetur, nec modus, dum minima ipſa in primis quæruntur, maximè per omnem modum, quoniàm primis ſtudiis, & maximis amoribus, ſimiliter & laboribus, & ſi quid aliud vix eſt ad inquiſitionem illorum, in maximis autem, quæ nemo dubitat animarum eſſe propria, niſi qui eas aut ignorat penitùs, aut æquat, aut poſtponit corporalibus, nulli ſunt nobis amores, nulla ſtudia, nulli labores, nullę delitiæ, D & hoc dicimus quantùm eſt de curſu innatæ nobis corruptionis & naturalis conſuetudinis; quòd enim nonnulli ad amorem, ſectationemque virtutum ſe transferunt, & conferunt, divinæ bonitatis eſt beneficium, non humanæ virtutis officium. Et hoc in deſtructione pelagianæ hæreſeos palàm Deo adjutore faciemus Nobis ad præſens ſufficit, quòd in ſectatione virtutum ſunt nobis labores, & dolores, & difficultates oneroſæ; in ſectatione verò vitiorum delitiæ: & iſtud invenitur non ſine divino numine. Quia ergo ſic ſe habent bonum, & malum ad appetitivam noſtram interiorem, ut amarum, & dulce ad appetitivam noſtram exteriorem: non poteſt autē eſſe ut appetitivæ noſtræ exteriori amarum dulce ſapiat, nec econverſò, nec ut majus amarū, minus amarū, aut majus dulce, minus dulce, niſi perverſitate ipſius: neceſſe eſt & in appetitiva noſtra interiori ſimiliter ſe habere, videlicet ut bonum malè ei ſapiat,

Quatuor radices.

Bonum verbum.

Perverſitas virtutis appetitivæ.

aut econverſò, atque minus bonum, magis benè, idest majus malum minus malè, non niſi de perverſitate, errore, & corruptione ipſius. Et quemadmodùm perverſitas, error, & corruptio in exteriori appetitiva exteriorem indicant ægritudinem; ſic interior neceſſe eſt ut indicet interiorem, ſive ſpiritualem ægritudinem. Manifeſtum eſt ergo omnes filios Adæ interiori ægritudine, & vitio nativo laborare, ex quo eſt illis iſte virtutis appetitivæ interioris error, atque perverſitas.

Filij Adæ omnes ægri.

CAPUT II.

De rebellione conſequenter diſputat, rebellione inquam animalitatis noſtræ, quam ipſe dicit eſſe adventitiam, & illatam naturæ humanæ, non propriam, aut naturalem.

REbellio verò animalitatis noſtræ ad id, quod in nobis ſpirituale, atque nobilius, neceſſariò adventitia eſt, & illata naturæ humanę: primùm quoniàm ipſi philoſophi ponunt proprium animæ ad corpus hoc quidem imperativum, illud autem miniſtrativum, omne autem proprium naturale eſt. A parte ergo corporis non eſt rebellio naturalis ad animam, ſed totum quod facit animalitas adversùs animam, eſt à parte corporis. Animalitas ergo naturaliter non rebellat adversùs ſpiritum, ſive adversùs id, quod eſt in anima nobilius, atque ſublimius. Ampliùs. Si tanta eſt pax vitium inferiorum, atque membrorum, ut ſibi invicem infatigabili neceſſitudine obſequantur, ſive ſubſerviant, cùm tamen nullum alteri natura ſuppoſuerit, ſive prætulerit: quantò magis animalitas noſtra, quam naturalis ordo inſtitutionis ſpiritui, ideſt animæ noſtræ parti nobiliori regendam ipſa naturali lege, & inſtitutione ſubdidit ſervit quierè: ergo contra naturæ legem eſt alterius ad alterum rebellio. Ampliùs. Si naturalis eſt iſta rebellio, cùm naturæ ordo, & inſtitutio nihil habeat inhoneſti, nihil turpitudinis; non habet ergo iſta rebellio aliquid inhoneſti; cur igitur rebellionem errorum, concupiſcentiarum, cæterarum paſſionum, quibus virtus bellum induxit, & contra quæ omnes acies virtutum præparantur, omnia earum certamina ſuſcipiuntur, perdomare, atque triumphare, & pro viribus exterminare jubemur? Ampliùs. Ipſa natura non ſolùm docet de animalitate noſtrâ per certamina virtutum inquirere victoriam, ſed etiam inſtigat nos, & commovet ad id ipſum: nullus autem motus naturæ fruſtra eſt naturaliter, aut vanè: fruſtra autem, & vanè eſſet, ſi eſſet ad finem impoſſibilem: igitur poſſibilis eſt parti animæ noſtræ nobiliori victoria de animalitate noſtrâ. Ampliùs. Nullus motus naturæ eſt contra ipſam naturam; igitur unius, & ejuſdem naturæ motus non ſunt invicem contra ſe. Ergo cùm indubitanter alii ſunt naturales, videlicet illi, qui ſunt ad perdomandum, & triumphandum animalitatem à parte animæ noſtræ nobiliore, quàm more ſcripturæ vocamus hîc ſpiritum: neceſſariò motus rebellantes, ſcilicet qui ſunt à parte animalitatis, contra naturam ſunt. Rebellio igitur iſta, quam fecit in nobis animalitas noſtra contra naturæ primitivam inſtitutionem eſt, ſeu ordinationem. Ampliùs. Si rebellio iſta eſt naturalis, igitur contraria obedientia, & pax, erit inimica naturæ. Sed hic eſt ſtatus qui per certamina virtutum quæritur, & ad quem per illa venitur, ergo per virtutes venitur ad ſtatum inimicum naturæ: & hoc eſt manifeſtè falſum, quia per virtutes non venitur, niſi ad meliorationem, & illuſtrationem naturę. Ampliùs. Impoſſibile eſt unam naturam principium eſſe contrariorum mo-

Rebellio.

Nullus motus naturæ fruſtra eſt.

Spiritus animæ pars nobilior.

E tuum & eam naturaliter, vel movere, vel moveri ad contrarios fines, ſed contrarii fines ſunt ſublime honeſtatis, & deorſum, ſive infimum, vitioſarum paſſionum; ergo cùm una ſit natura humana, impoſſibile eſt ipſam moveri naturaliter in utrunque iſtorum finium. Nefas autem eſt dicere, quòd motus ad honeſtatem ſit humanæ naturæ contrarius: reſtat ergo, ut motus animalitatis, ubi honeſtati rebellent, ſint naturæ contrarii. & principium hujuſmodi motuum eſt vitium, quia honeſtati contrarium, & plaga eſt, quia naturæ inimica paſſio, & læſio. Confitentur autem nobiſcum ipſi philoſophi gentilium, ut Tullius; ut enim inquit ſæpè diximus, & ſępiùs dicendum eſt, naturâ ſumus avidiſſimi, & appetentiſſimi honeſtatis; contra naturam factum eſt, quòd avidiſſimi, appetentiſſimique ſumus inhoneſtatis. Hæc eſt plaga, quam quærimus, naturæ humanæ illata. Hæc eſt rebellio de qua dixit Apoſtolus Rom 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę, & captivantem me in lege peccati: condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem, quem nos ſpiritum vocamus, ut dictum eſt. Et iterùm: Ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem legi peccati. Et iterùm in 8. Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt. Item in 7. Cùm eſſemus in carne, paſsiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ut ſerviamus in novitate ſpiritus. Item in 5. ad Galat. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis: caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem, ut non quæcunque vultis, illa faciatis: deinde manifeſta ſunt opera carnis: & enumerat vitia, carnem vocans ipſam animalitatem noſtram, hinc id totum in nobis, quod eſt nobis commune cum animalibus cæteris, hoc ipſum veterem hominem vocat. Et 3 Coloſ. Expoliantes vos, inquit, veterem hominē cum actibus ſuis, & induentes novum hominem, qui renovatur in agnitionē Dei ſecūdùm imaginem ejus, qui creavit eum novum hominem vocans ipſum ſpiritum cum decore, & venuſtate honeſtatis ſuæ, quæ eſt integra virtutum ſuarum ſpecioſitas. Hæc autem teſtimonia non ideò adduximus, ut velimus eis inniti, aut eis tanquàm radicibus pro bono uti: quoniàm non cum eis agimus, qui credunt teſtimoniis ſcripturarum, ſed ut ipſam veritatem fidei, quam quærimus, ſcriptam monſtremus.

F

Nota.

G

Vetus homo.

CAPUT III.

H

Acutiſſimè diſputat, oſtendens corpus humanum, quod organum eſt animæ, conditione ſuâ primitiva non eſſe caducum, & deficiens: ſed adventitiè & illativè, & velut ex accidenti.

NUnç autem circa tertiam radicem negociabimur. hæc eſt mortis damnatio, ut diximus, cui omnes addicti ſumus. Intendentibus ergo animæ humanæ nobilitatem & inquirentibus eam inquiſitione perſcrutata, invenitur indubitanter ejus eſſentia perennis, & indeficientis operationis: quapropter non congruit ei, niſi organum perennis, & indeficientis obedientiæ: carpentarium enim indeficientis operationis in arte ſua non decet dolabra deficiens, niſi renovatione, & multitudine dolabrarum compenſaretur ei unius dolabræ defectus, atque caducitas. Hoc autem in anima humana eſſe non poteſt: una enim anima humana non niſi organum

Nota.

unum,

A unum, id eſt corpus habere poteſt, licet Pythagoras, & diſcipuli ejus, aliter ſenſerunt; quem errorem hic deſtruendum non ſuſcepimus: Ariſtoteles tamen, & ejus ſequaces philoſophicis rationibus, quæ adhuc extant in libris eorum deſtruxerunt. Organum igitur caducum, & deficiens, & cujus defectus renovatione, atque ſucceſſione organorum non impletur, incongruens eſt, & inſufficiens perennitati, & indeficientiæ animæ humanæ: ergo naturaliter non ei datum tale organum, aut aptatum, cùm natura in omnibus naturaliter faciat quod decet, & congruit, & ſufficit, & ut aiunt ipſi philoſophi, quantò melius poteſt, atque perfectiùs. Hujuſmodi ergo organum non eſt naturaliter, id eſt, inſtitutione, & conditione ſuâ primitivâ, corpus humanum tam caducum, & deficiens: caducitas ergo, & deficientia non veniunt corpori humano naturaliter, ſed adventitiè, & illatè. Ampliùs. Sive equum, ſive domum, animæ corpus humanum nomines; animam verò ſeſſorem, aut habitatorem, nullo modo decuit ſeſſorem eſſe perpetuæ ſeſſionis & equum correlationem habere caducam: oppoſitorum enim eadem oportet eſſe ea, quæ à parte generis habent. Si ergo ad invicem ſunt

B anima humana, & corpus ipſius, ut ſeſſor, & equus, cui inſidet, ut inhabitator, & habitaculum, tamen relativa naturaliter neceſſe ſit eſſe coæqualia. Si autem perpetua naturaliter, & indeficiens ipſa ſeſſio à parte animæ, ſimiliter & inhabitatio à parte ejuſdem: ergo & correlationes à parte corporis neceſſe eſt eſſe perpetuas. Faciamus autè & iſtud planiùs, ut ipſi philoſophi benè dicunt proprium eſt animæ ad corpus, hoc quidem imperativum, & illud miniſtrativum; & hæc relativa dicuntur ad invicem, ſicut & actus eorum, ſicut & imperium, & miniſtratio: naturaliter ergo coæqualia ſunt. Quia ergo imperativum indeficiens & perpetuum in imperando, neceſſe eſt, ut ejus oppoſitum in oppoſito, id eſt miniſtrando, ſit perpetuum & indeficiens: ſimiliter autem ſicut ſe habet imperativum ad imperationem, ſic prorſùs miniſtrativum ad miniſtrationem: naturaliter igitur

Philoſophi gentium.

C permutat imperativum ad miniſtrativum, ut imperatio ad miniſtrationem. Quia ergo miniſtrativum deficiens eſt à ſua miniſtratione ſeu morte, ſeu ſenio, ſeu paſſione alia, contra naturalem ejus, & primitivam inſtitutionem hoc eſſe palàm eſt, cùm primitiva inſtitutio ejus requirat illud eſſe perpetuum, ſicut imperativum ſit; eodem modo ſit in ſeſſivo, & ſeſſibili, in habitante, & habitabili; ſimiliter enim ſe habent per modum relativorum, & propter hoc neceſſe eſt, ut naturalis ſit eis coævitas. Non poteſt ergo eſſe ut alterum ſit naturaliter perennis eſſentiæ, alterum autem deficiens in tempore. Ampliùs. Sicut vita & mors ad invicem, ſic mortalitas & immortalitas, naturaliter, quia ſunt contraria: ſicut ergo naturalis mors, & vita, nunquàm communicant in ſubjecto, & illud ſibi patiuntur, aut dividunt, quod eſt dicere, quia non accidit, nec poteſt accidere per naturam alicujus ſubjecti, ut ſimul ſit vivum, & mortuum, aut partem habeat ſimul vi-

Nota.

D vam, & mortuam; ſic mortalitas, & immortalitas, naturaliter non communicant ſubjectum aliquod, nec illud dividunt ſibi. Naturaliter autem partem habet ſui immortalem homò, animam videlicet; ergo reliqua pars, ejus caro, non eſt mortalis naturaliter; quòd ergo eſt mortalis, factum eſt ei ex accidenti. Ampliùs. Si natura nunquàm conjungit vitam, & mortem in uno ſubjecto, ergo neque principia eorum; quod enim facit natura in actibus, hoc in principiis eorum, & econverſò. Cùm ergo immortalitas ſit naturaliter in eſſentia humana, & hoc pro parte nobiliori quæ eſt anima, mortalitas non erit in eadem naturaliter: cùm igitur in ea ſic erit, hoc neceſſariò ab accidenti. Nec eſt objectio, ſi quis dicat quòd in paralitico, & habente membrum aliquod aridum, conjuncta ſit ſanitas, & ægritudo, mors, & vita, quia hoc non eſt per naturam, immò per naturæ læſionem; natura autem per ſe non operatur læſiones ſuas. Ampliùs. Mortalitas & immortalitas oppoſita ſũt: neceſſariò ergo erunt circa idem ſuſceptibile. & hoc eſt vivens, neque enim mortale, neque immortale poteſt eſſe, niſi vivens, ſimiliter & perennitas vitæ & deficientia illius non niſi circa vitã: abſciſſio autem vitæ mors eſt: continuatio autem perpetuatio. Sed nec habitus per privationem, nec alterum contrariorum per alterum fieri habet naturaliter; ergo continuatio vitæ humanæ non habet fieri per mortem naturaliter, quia natura humana perpetuanda erat, & transferendus erat homo ad immortalitatem, quantùm erat de conditione ſuæ creationis; ad hoc enim creatus erat: non fuit ergo transferendus per mortem, quia privatio non debuit eſſe ad habitum. Quòd igitur mors intervenit inter vitam naturæ, & vitam gloriæ, non eſt naturalis ordinationis; naturaliter enim plus diſtant mors, & vita, quàm vita & vita, utpotè nobilior, ſive fælicior: ergo cùm à vita inceditur per mortem ad vitam nobiliorem, inceditur per id, quod eſt remotius, ad id, quod eſt propinquius. Inceſſus ergo ad mortem declinatio eſt à rectitudine naturalis inceſſus: omnis autem naturalis inceſſus rectus eſt: omnis ergo declinatio à rectitudine eſt contra naturam, & mortem, igitur & mors contra naturam humanam: cujus enim finis contra naturam, & motus, & vita contra eam eſt. Quòd ergo morimur, non naturæ eſt proprium, immò extraneum, & illatum. Ampliùs. Quicquid natura intendit, non eſt ei impoſſibile: nihil enim intendit fruſtra, vel vanè: fruſtra autem, & vanè intenderet quod ei eſſet impoſſibile acquirere. Item quicquid anima naturaliter invita, repugnanſque, patitur, contra illam eſt: quia generaliter continuationem vitæ ſuæ naturaliter intendit, & quærit natura humana, & mortem repugnans, invitaque patitur. Manifeſtum eſt ergo, & mortem eſſe illatam, & vitæ continuationem naturaliter non ſolùm poſſibilem, ſed debitam: nihil enim quærit natura naturaliter, niſi quod eſt ſibi debitum: manifeſtum eſt ergo vitæ continuationem humanæ naturæ eſſe ablatam, & mortem non eſſe vitæ humanæ confirmationem, ſed potiùs abſciſſionem. Nec eſt ſimile de vita brutorum animalium, quia natura corporalis tantùm eſt, & nihil portat nobilitatis extra, vel ultra corpus, & ideò conditiones corporis ſequitur. Neque veriſimile eſt naturam brutalem invitam, atque repugnantem mortem accipere, niſi fortè violenta ſit & illata: ſed ſi ſenio, & naturali reſolutione adveniat, omninò eam nihil moleſti habere veriſimile eſt: naturales enim motus omninò immunes ſunt à labore, fatigatione, & moleſtiâ. Adjuvamur etiam ad hoc per naturalem luctũ chororum & planctum, qui in funeribus fieri conſuevit: iſte enim luctus, quia omnium eſt, & apud omnes neceſſariò naturalis eſt: & propter hoc tanquàm vox naturæ habendus: vocem autem naturæ impoſſibile eſt eſſe mendacem: quia ergo hac voce clamat natura humana ubique, mortem extremum malum ſuum eſſe: neceſſe eſt eſſe mortem extremum malum, intelligo corporale. Si autem eſſet mors vitæ conſummatio & naturalis curſus expletio, eſſet bonum naturæ, & finis intentus. De fine autem, quem intendit natura, non ſolùm non eſt ei dolor, ſive moleſtia, cùm illum adepta fuerit, ſed delectatio, & gaudium; igitur neceſſariò mors eſt, plaga, ſive damnatio, il-

Mori non proprium naturæ.

Naturales motus immunes à labore.

Digitized by Google

Mors plaga adventitia. lata humano generi, & adventitia, non primitiva, indita à Deo, vel innata.

CAPUT IV.

Agit de quarta radice, quam curvitatem ſpiritualem vocat, quam etiam illatam dicit, & adventitiam: deinde ad originale peccatum deſcendit.

Rectitudinis ſpiritualis incurvatio. Quarta verò radix, quam præmiſimus, eſt naturalis noſtræ rectitudinis incurvatio, rectitudinis dico ſpiritualis, cui atteſtatur ipſa rectitudo humani corporis; cætera enim animalia, ut ait Tullius; natura dejecit ad paſtum: ſolum hominem erexit ad ſidera. Simile eſt illud. Os homini ſublime dedit, cælumque videre, & generaliter in omni ſpecie, alia figura corporis, & ſingulorum membrorum, atque compoſitio, naturæ interiori atteſtatur, ſicut ungues fortes, magni, acuti, aduncati, & dentes, & oris fixio, magnam atteſtantur rabiem, ſicut apparet in leonibus. Contrarium verò atteſtatur manſuetudo, ſicut apparet in hominibus. Ipſa ergo rectitudo humani corporis indicium eſt internæ naturalis rectitudinis: curvitas ergo, quam econtrariò videmus in hominibus, eſt humanæ naturæ illata. *Curvitas interior.* Curvitas autem eſt, qua interiùs declinatus eſt à ſublimibus, ideſt ſpiritualibus bonis, & malis agnoſcendis, atque videndis, & ſentiendis: incurvatus autem ad minima bona, quæ ſunt terrena, atque carnalia, illudendusque ab eis erroribus, & phantaſiis, & onerandus ſolicitudinibus: ſimiliter & affectus in ſpiritualibus, & æternis bonis, à malis penè funditùs eſt abalienatus. Quia ergo incurvatio, & rectitudo contraria ſunt: rectitudo autem naturalis, erit neceſſariò incurvatio contra naturam, cùm ſit naturalis ęgritudinis læſio, atque plaga. Ampliùs. Iſta curvitas eſt ſimilitudo quędam brutorum animalium, & æquatio quædam, naturaliter autem eſt homo ſublimior, quàm bruta, & vita ejus nobilior; igitur adæquatio ad illa in natura, & aſſimilatio in vita, (cùm iſta duo patiatur, & contrahat ipſa ſua origine) pœnæ ſunt adventitię, & illatæ. Id quoque, quod eſt brutum animal lege primitivæ conditionis, hoc videmus naſci hominem per vitium originalis: animal enim animal naſcitur primitiva lege, & conditione naturæ: homo autem naſcitur animal ea animalitate, de quâ ſuperiùs locuti ſumus: naſcitur ergo ejus *Homo quomodo naſcitur, ſicut brutum.* conditionis & ſtatus, cujus ſunt ipſa bruta animalia per naturâ: non ergo naſcitur in ſublimitate naturali natura humana, ſed depreſſa ab altitudine, qua debuit eſſe brutis ſuperior, & degenerata à nobilitate, qua debuit eſſe longè brutis præſtantior, Deoque quadâ aſſimilatione vicinior. Transformatio igitur iſta monſtruoſa pœnæ eſſe, dubitari non poteſt, quia homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Ampliùs. Si conſideravimus aliquos homines in ſtatu rectitudinis naturalis: cæteros autem homines, quales naſcuntur, videbimus manifeſtè illos homines, cæteros autem quaſi jumenta. Iſtam autem miſeriam, ut eſſent quaſi jumenta, nec antequàm naſcerentur, meruerunt, cùm non eſſent, neque poſtquàm nati ſunt, quia ſecundùm hoc eſſet inflicta eis pœna iſta, antequàm illam meruiſſent. Cùm autem tales nati ſint, ſine merito ergo nati ſunt tales. Quia ergo naturalis rectitudinis nobilitas jure erat eis debita, & cùm eſſet ablata, neceſſe eſt, ut aliquo judicante ſit hoc factum; duriſſima enim pœna eſt hominem quaſi jumentum fieri; & contra naturam humanam indubitanter eſt, tanquàm magna ejus depreſſio, & vi-

E lificatio: eſt ergo adventitium, & illatum. Ampliùs. Si conſideremus amorem corporalis voluptatis, & vincula deſideriorum hujuſmodi, & locum *Nota.* miſeriæ iſtius, inveniemus locum iſtum carcerem, amorem cathenam, deſideria vincula; ergo inveniemus miſerum hominem in carcere, cathena & vinculis, quæ omnia indicia ſunt præcedentis peccati, pro quo iſta inflicta ſunt. Ampliùs. Sicut incurvatio corporalis non poteſt eſſe niſi plaga, & læſio, illata in corpore humano; ſic curvatio ſpiritualis in ipſa anima: ſed neque errore naturæ facta eſſe poteſt iſta curvatio; naturâ enim univerſaliter, & continuè, errare impoſſibile eſt: hæc autem incurvatio ei in omnibus eſt, & ipſa non interrumpitur: reſtat ergo, ut plaga ſit iſta incurvatio, plaga inquam, illata humanæ naturæ univerſaliter. Ampliùs. Si naturalis eſſet iſta incurvatio quemadmodùm in brutis, nihil haberet turpitudinis vituperandæ in nobis, ſicut nec in ipſis, & ſequi illam F eſſet ad naturam vivere in nobis, ſicut & in illis, & propter hoc doctrinæ & diſciplinæ morum, & leges, quibus paſſiones iſtę aut compeſcuntur, aut extinguuntur, iniquæ eſſent: quoniàm naturæ & Dei ordinationi contrariæ, qui naturam ſic inſtituit, & non potiùs agendum eſſet nobiſcum de moribus, quàm cum brutis: morum etiam, & virtutum ſtudia abjicienda eſſent nobis, tanquàm inimica naturę. De hoc Salomon Eccleſ. 7. Creavit Deus hominem ſimplicem, & rectum; ille verò ſe miſcuit infinitis quæſtionibus. Aggregantes autem ex his quatuor radicibus ſermonem, dicimus quia omnia iſta mala, quæ enumeravimus, non ſunt caſualia generi humano, cùm univerſalia ſint, atque communia: caſus enim ratus, & particularis eſt, quia ergo nec naturalia ſunt, G nec caſualia, providentia regentis aut immiſſa ſunt, *Caſus.* aut immitti permiſſa: ſed nec immitti potuerunt à regente, nec permitti, nec immitterentur, niſi juſto judicio: tam nobilem enim creaturam ſuam Deus, & morti addicet, & tot, & tantis afflictionibus affligi innocenter, qualiter permitteret? ergo juſto judicio patitur genus humanum omnia mala iſta. Injuſte autem iſta patitur, ſi iſta non meruit; non autê meruit iſta mala in naſcendo, ut jam oſtendimus: naſcentes enim iſta mala ſecum contrahunt, & cum iſtis neceſſariò naſcuntur: ergo ea meruit in aliquibus, qui vel nati non ſunt, vel non tales nati: ſi enim tales nati eſſent, neceſſariò peccatum eos præcederet, propter quod in iſta damnatione naſcerentur. Manifeſtum ergo aliquos vel aliquam præceſſiſſe, & hoc effeciſſe, ut talis, ideſt, animalis, atque mortalis ex eo poſteritas naſce- H retur. Jam ergo ſtabilivimus originale peccatum utroque modo ſuæ acceptionis, quia ori- *Originale peccatum.* ginale peccatum dicitur, & eſt iſtud peccatum, quod fuit meritum, & origo totius damnationis iſtius, & ipſa originalis damnatio, cum qua omnes naſcuntur; & certum etiam fecimus in aliquo, vel in aliquibus parentum naturam humanam & peccato originali, & vitio, atque damnatione olim fuiſſe immunê, qui ſi Adam, & Eva vocati fuerunt, aut aliis nominibus, non refert, quantùm ad finem quem intendimus: & magnum eſt ſi nihil in hoc infidelitas ſcripturæ crediderit. Manifeſtum eſt & illud Apoſtoli Rom. 8. Per ea, quæ diximus, & corpus quidem mortuum eſt propter peccatû; jam enim invectum eſt peccatû, propter quod damnatio mortis inflicta eſt, & originale vitium contractum, iis exceptis quos privilegio gratiæ divina bonitas exemit. Si quis autem quærat, quâ juſtitiâ Dei uno peccante, aut duobus, tota poſteritas in dânatione mortis derelicta eſt? Reſpondimus in tractatu de originali

Digitized by Google

originali peccato. Et ad hoc ipſum reſpondemus, A quòd juſto Dei judicio peccantes ipſi in naturâ ſuâ corrupti ſunt pœnaliter, quam ipſi culpabiliter per peccatum corruperant. Corruptio autem illa naturali lege generationis transfundi debuit in filios, ut quod fuerat pœna merita, & inflicta parentibus, eſſet in filiis per legem generationis transfuſa corruptio: quemadmodùm ſi merito peccati alicujus lepra inflicta eſſet eidem, & transfunderetur per legem generationis in filios, in patre quidem eſſet pœna merita, & inflicta lepra hujuſmodi: in filiis autem eſſet quaſi natura, non autem peccati pœna; non enim eſt in filiis pro peccato inflicta.

Solutio.

CAPUT V.

Quomodò curandum fuit vulnus originalis peccati, pulcherrimè hic docet.

B

Originale peccatum quid.

POſt hæc, quâ medicinâ curandum fuit originale peccatum, quia & vulnus fuit in perpetrantibus, & ægritudo in poſteris contrahentibus; quâ ſatisfactione emendandum, quia reverâ tranſgreſſio fuit legis poſitæ, & alieni juris invaſio; quo ſacrificio expiandum, ſeu repropitiandum, quia reverà peccatum fuit, & offenſa in Deum, quo lavacro diluendum, quia & contaminatio fuit parentum perpetrantium, & poſterorum naſcentium; quo pretio redimendum, quia proculdubiò venundatio fuit tam committentium illud parentum, quàm contrahentium poſterorum, inquirere tentabimus. Et primùm dicamus illud, quòd contraria contrariis curantur tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, ut vitia virtutibus, & effectus vitiorum, & opera, effectibus virtutum, & operibus: deinde quia par, aut major debet eſſe ſatisfactio tranſgreſſione, & debet eidem eſſe contraria. Procedamus ergo ex his C tribus radicibus, & dicamus; quia primum peccatum neceſſariò inobedientia fuit, & avaritia, atque ſuperbia; qualiter enim verum ſit illud, quod in decimo Eccleſ. dicitur. Initium omnis peccati ſuperbia; & illud in 6. primæ ad Tim. Radix omnium malorum cupiditas; & illud: peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei; non nunc probandum ſuſcepimus, licet probatio expedita ſit; peccatum enim nihil aliud eſt, quàm diſtortio à rectitudine: circa idem autem (inquit Ariſtoteles) ſunt rectitudo, & peccatum, volens indubitanter rectitudinem, & peccatum eſſe contraria. Rectitudo autem eſt, quæ debet regula eſſe totius noſtræ voluntatis, quam lex Dei exprimit. Propter hoc idem eſt declinare à lege, quod declinare à rectitudine divinæ voluntatis, & ideò declinare à lege, veriſſimâ ratione peccare eſt. Superbia verò juxta rationem verbi ipſius ſuper ire eſt, D hoc eſt ſuper ſtatum ſibi competentem & congruum ire, & hoc tunc fit, cùm à commiſsâ ſibi adminiſtratione, ſeu in ſeipſo, ſive in aliis, in eorum dominationem quis proſilit, & in quibus debuit eſſe ſervus, diſpenſator, atque miniſter, agit dominum propriâ voluntate adminiſtrare volens, quod aliena tantùm fuerat diſpenſandum. Cupiditas autem eſt velle ſuum facere, vel ſuum habere, quod habendum fuerat alienum. Avaritia verò appropriare ſibi, quod commiſſum fuerat ad diſpenſandum: & propter hoc cupiditas omnis, & avaritia, furtum eſt ſpirituale, dum res aliena ſpiritualiter per cupiditatem rapitur, aut commiſſa, quæ pro beneplacito committentis diſpenſanda erat, appropriatur. Quia ergo in omni peccato iſta tria concurrunt, in omni peccato diſcrepatur à rectitudine divinæ voluntatis, & alienum concupiſcitur, aut ut proprium uſurpatur. Et intelligimus rem alienam etiam noſipſos, vires noſtras, membra, & corpus, & omnia alia; hæc enim omnia nobis commiſſa ſunt ad utendum pro divino beneplacito voluntatis. Et propter hoc in quocunque eorum uſum propriæ voluntatis nobis vendicamus, & ab adminiſtratione in dominationem cadimus, & quod nobis commiſſum eſt, avarè, furtivéque nobis appropriamus. Non poteſt autem dubitari, quin in omni opere malo aliquo eorum, quæ enumeravimus, pro noſtra voluntate, & contra Dei voluntatem utamur, manifeſtum eſt ergo id, in quo eramus, & dicamus, quia manifeſtum eſt ex his, quæ diximus, quoniam peccatum primorum hominum, qui peccaverunt, neceſſariò fuit ſuperbia, avaritia, & inobedientia. Ex radicibus autem poſitis ſuperbia curanda fuit per humilitatem, avaritia per largitatem, & inobedientia per obedientiam.

Contraria contrariis curantur.

Peccatum quid.

In omni peccato tria concurrunt.

CAPUT VI.

De medicina contra lapſum.

INcipiamus ergo, & proſequamur unumquodque iſtorum per ſe, & dicamus: quia ſuperbia illa fuit ab omnimodâ ſervitute in omnimodam dominationem; qui enim omnimodè ſervus erat, ſe geſſit dominum, vel ſui, vel aliquo eorum, quæ ſibi commiſſa erant adminiſtranda pro divinæ beneplacito voluntatis, utendo ejus beneplacito propriè. Certum autem eſt quòd iſta ſuperbitio habet humilitatem æqualem, atque contrariam, quæ eſt deſcenſio ab dominatione omnimoda in illam omnimodam ſervitutem. Omnimodè reverà ſe geſſit dominum primus ille peccator, dum in nullo mandato Dei dominantis obedivit, dum propriam voluntatem tunc in omnibus adimplevit. Ergo ſuperbitio iſta, quæ fuit omnimodæ dominationis uſurpatio, ab omnimoda ſervitute emendanda fuit per humilitatem, quæ eſſet ab omnimodâ dominatione omnimodæ ſervitutis aſſumptio. Hoc autem fuit in Deo noſtræ humanitatis aſſumptio: ſolus autem Deus in alto eſt omnimodæ dominationis, & nos in infimo omnimodæ ſervitutis: deſcenſio ergo à ſuo alto ad noſtrum infimum, deſcenſio fuit, & humiliatio, quam requirebat primæ humanæ ſuperbitionis emendatio, eſt enim ei æqualis, quia ſecundùm eoſdem terminos. aſcenſus enim & deſcenſus ſecundùm eoſdem terminos neceſſariò ſunt æquales: ſunt & contraria, quia generaliter motus ad contraria, contrarii ſunt. Ampliùs. Omnimodæ ſervitutis abjectio, & omnimodæ ſervitutis aſſumptio, ſeu ſuſceptio, contrariæ ſunt, & æquales: ergo cùm altera fuit peccatum primi peccantis hominis, neceſſariò fuit emendanda per alteram: ergo neceſſe fuit aliquem aſſumere omnimodam ſervitutem, ut peccatum illud emendaretur: non potuit autè illam aſſumere, niſi qui expers ejus erat penitùs. Solus autem Deus immunis erat ab omnimodâ ſervitute; omnis namque creatura omnimodæ ſervituti ejus erat obnoxia, & ſubjecta. Ampliùs. Omnimodæ dominationis uſurpatio contrariam habebat, & æqualem omnimodæ dominationis ſpontaneam exinanitionem, ſeu depoſitionem, nec aliud poteſt ei inveniri æquale, atque contrarium: ergo neceſſariò emendanda fuit illa uſurpatio per illam, & hoc nihil aliud fuit, quàm quod legitur ad Phil. 2. & ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens: & id quod legitur Lucæ 22. Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Et Matthæi 22. Filius hominis

Superbia Adæ.

Humilitas Chriſti.

non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Si quis autem dixerit, quia uſurpatæ dominationis depoſitio, & reditus ad infimum ſuæ ſervitutis debeat eſſe emendatio hujuſmodi uſurpationis, errat indubitanter, quia hoc non eſt niſi reſtitutio ipſius ablati, dum ſe ipſum quem malè uſurpaverat ſibi, Deo reſtituit, ſed uſurpationis adhuc injuriam, & contumeliam non emendat: manifeſtum enim eſt quia aliud eſt injuria, quæ domino irrogatur in uſurpatione rei ſuæ, aliud res ipſa, quæ aufertur, & damnum, quod irrogatur. Peccator ergo quicunq; in redeundo ad ſtatum priſtinum, ſe ipſum utique Deo reſtituit, ſed apoſtaſiæ injuriam, quam à Deo recedendo intulit, ſervitutiſque ſuę jacturam, quam Deo tempore peccati fecit, eo ipſo quòd redit, nullatenùs emendavit, & hoc inde palam eſt, quia ſe totum debebat Deo, debebat inſuper & emendam injuriæ: duorum ergo factus eſt debitor, & propter hoc ſoluto altero tantummodò pro reliquo manet obligatus. Manifeſtum eſt ergo, quia primi parentes per reſtitutionem ſuæ priſtinæ ſervitutis, & adminiſtrationis, injuriam apoſtaſiæ nullatenùs Deo poterant emendare, ſed neque etiam ſi magis ſervi, ut ita loquar, magiſque ſubditi redirent quia impoſſibile erat, ut tantùm per humilitatem deſcenderent infra ſe, quantùm per ſuperbiam aſcendebant ſupra ſe: hæc autem erat ſola, & condigna ſatisfactio, ut quantùm illi aſcenderant ſupra ſe, tantùm aliquis deſcenderet infra ſe: hoc autem ſolus Deus poterat, ut diximus, & propter hoc ſolus Deus in perſona propria primorum parentum ſuperbiam humiliatione ſua potuit emendare: nihil enim erat tantùm infra primos parentes aut eis inferiùs quantùm Deus erat illis ſuperior. Solus ergo potuit tantùm deſcendere infra humiliando ſe, quantùm Adam aſcendit ſupra ſe, ſuperbiâ elevando ſe. Ampliùs. Si conceſſerit nobis infidelis quòd ſcriptura dicit Gen. 4 quia ex illa ſuggeſtione, & promiſſione ſerpentinâ, eritis ſicut dii ſcientes bonum, & malum, peccaverunt, deitatis altitudinem ambientes: erit probatio lucidior: quia enim in altitudinem deitatis ſe extulerunt per ſuperbiam, rectè fuit, ut emendatio hujuſmodi elevationis, eſſet depreſſio ab alto deitatis, ut ita ſibi invicem operarentur transgreſſio & ſatisfactio, ut quia illi ab humilitate hůmanitatis in altitudinem deitatis ſuperbiendo ſe extulerant, emendatione ab illa altitudine deitatis ad humilitatem humanitatis deſcenderent.

Nota.

Solus Deus potuit emendare peccatum Adæ.

CAPUT VII.

De avaritia.

NUnc verò circa avaritiam, & largitatem, divitias, & paupertates negociamur, oſtendentes peccatum primorum parentum, non niſi ſatisfactione, quam expreſſimus quantùm erat de ejus qualitate, & magnitudine, emendari potuiſſe. Hoc autem dicimus, quia novimus, Deo de ſuæ poteſtatis immenſitate alium modum fuiſſe poſſibilem, ſed peccati modum, & magnitudinem, hunc modum requirere ſatisfactionis, dicimus. Si ergo peccatum illud fuit avaritia, neceſſarium fuit ex poſitis radicibus, ut largit te contrariâ curaretur: contraria enim ſunt avaritia, & largitas: reſtat ergo inter eas, ut quæratur ęqualitas: neceſſe ergo fuit, ut quanta erat avaritiæ rapina, tanta eſſet largitio largitatis. Quia ergo rapina fuit deitatis: hanc enim primi homines ambierunt, ut ponitur. neceſſe fuit, ut fieret & largitio illius è contrario, ut quàm avari fuerant in rapiendo ſpiritualiter, ſeu cupiendo

Avaritia Adæ.

E alienum perditores primi, tam largus eſſet in largiendo proprium reparator: & ideò quantùm fuit quod rapuerunt, tantùm oportuit eſſe, quòd ipſe donaret, & hoc erat deitas, ſecundùm quod habemus ex ſcriptura. Ampliùs. Omnimodè pauper fieri dives illo peccato concupivit; ergo econtrariò, ut medicina reſponderet ex æquo, & contrario, neceſſe fuit, ut omnimodè dives, omnimodè pauper efficeretur. Omninò autem pauper primus homo erat, qui omninò nihil habebat ſuum: omnimodè dives Deus: qui totum habebat ſuum: in omnimodè autem paupere uſurpatio omnimodam divitiarum largitatem contrarium habuit, & æquale, in omnimodo divite, & appetitum omnimodæ paupertatis. Ampliùs. Cùm eſſet primus homo omni modo pauper, id eſt, omninò nihil habens, per avaritiam factus eſt omnimodè dives, & omnimodè habens, in hoc quidem facto non jure, ſed injuriâ: ergo oportuit, ut omnia jure habens, omnimodè pauper, & non habens efficeretur, & ut planiùs faciamus, quòd diximus omnimoda avaritia ſuorum omnimodâ largitione emendanda fuit. Nulla autem creatura habuit aliquid omnimodè ſuum, præter peccatum: & propter hoc omnimodam omninò ſuorum largitionem ſolus creator efficere potuit: ſicut ergo Adam per furtum, & rapinam factus eſt, quaſi dives, cùm nihil haberet; ſic oportuit, ut Deus fieret quaſi pauper, cùm omnia haberet. Et hoc videtur prædixiſſe Salomon Proverb. 13. Eſt quaſi dives, cùm nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cùm ſit in multis divitiis. Sicut Apoſtolus in 8. ſecundæ Corin. expreſſè dicit: ſcitis, inquit, gratiam domini noſtri Jeſu Chriſti, quia propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives. Non poteſt autem dubitari, quo in rapina divitiarum aſſumptione paupertatis, & largitione earum emendanda ſit: habet enim utrumque contrarium in Deo ut oſtendimus. Item omnimoda ſui, & ſuorum uſurpatio fuit peccatum primi parentis peccantis, qui ſe toto & ſuis propriâ voluntate uſus eſt contra imperium Dei, illum jure pleniſſimo poſſidentis, & uſurpatio non habuit contrarium adæquatum, niſi omnimodam ſui ipſius largitionem: omnimodè enim, & jure pleniſſimo poſſeſſus factus eſt omnimodè poſſeſſor, legitimo poſſeſſori ablatus; ergo oportuit, ut dominantiſſimus poſſeſſor fieret omnimodè poſſeſſus, & jus omninò non habenti collatus. Et hoc eſt quod dicit Iſa. 9. Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et illud: Redemptionem miſit populo ſuo. Attende contrarietates eorum, poſſidere, & poſſidendi auferre jus, omnimodam ſolutionem, & omnimodam injuriam, avaritiam, & largitatem, & videbis perſpicuè, quòd alterum fuit ſicut transgreſſio, & alterum ſicut emenda paria, atque contraria, nec alibi potuit illa tranſgreſſio contrarietatem adæquatam invenire & propter hoc neque medicinam, neque emendationem potuit aliunde habere. Nunc autem proſequendum erit nobis tertium, ſcilicet inobedientia, quæ neceſſariò primum peccatum fuit. Dicimus ergo, quia inobedientia fuit ejus, qui omni modo tenebatur obedire, quæ non habuit contrarium ſibi adæquatum, niſi obedientiam ejus, qui nullo modo tenebatur obedire: eſſe enim non habet contrarium niſi unum, & obedientia non habet contrarium, niſi inobedientiam: nec illa habet, niſi iſtam complexionem, quę contrarietatem efficiat; ſicut in libro Topicorum apud Ariſtotelem didiciſti. Non potuit ergo inobedientia ejus, qui omninò tenebatur obedire, per aliam emendari, quàm per obedientiam ejus, qui nullo modo tenebatur obedire: hic autem erat ſolus Deus.

F G H

Nota.

Salomon.

Nota.

Inobedientia Adæ.

Inobedientia per obedientiam

A Ampliùs. Inobedientia illa fuit per obedientiam emendanda, ſicut apparet ex radicibus, quas ab initio poſuimus. Quia ergo nulla obedientia inveniri po erat, niſi in aliquâ creaturarum, aut in ipſo creatore neceſſariò per obedientiam alicujus ex creaturis, aut per obedientiam ipſius creatoris: non autem per obedientiam alicujus ex creaturis, quod inde eſt, manifeſtum, quòd unaquæque creatura ex toto poſſe ſuo, & viribus, per ſe ipſam, & pro ſe ipſa obedire tenebatur auctori ſuo jure creationis, & conſervationis ſuæ: ergo quantumcunque obediret, etiamſi totum poſſe in obediendo creatori ſuo expenderet, non exolveret, niſi proprium debitum, debitum inquam quo tenebatur ratione propriæ creationis: non ſolveret ergo debitum primæ inobedientiæ, ſive transgreſſionis. Sed neque primus transgreſſor per obedientiam ſuam quantumcunque poterat inobedientiæ ſuę debitum exolvere; B quamcunque enim obedientiam Deo impenderet, ad illam etiam ſine inobedientiæ ſuæ debito tenebatur, ergo alio debito tenebatur ad illam illud ergo debitum in ejus exhibitione, non aliud ſolveretur. Quòd autem quælibet creatura ad omnimodam obedientiam teneatur, & per ſeipſam debito innatam abſque ulla contracti debiti ſuperadditione, inde manifeſtum eſt, quia nulli ex creaturis licet naturaliter divinis legibus, aut regulis, in aliquo contraire. Ad hoc igitur tendit ratiocinatio noſtra, quòd per nullam creaturę obedientiam emendari potuit illa prima peccantium hominum inobedientia, quæ per obedientiam neceſſariò emendanda fuit, & per obedientiam creatoris ex neceſſitate emendanda. Neceſſe ergo fuit creatorem fieri obedientem, non ſolùm obedientia, quæ illam inobedientiam, etiam tanquàm ſatisfactio condigna æquaret, ſed etiam quę illam tanquàm morbum medicina ſanaret; niſi enim medicina morbum interimat, ſanitas non poterit provenire, & ideò C neceſſe fuit, ut major eſſet obedientia redemptoris, quàm præceſſerit inobedientia perditoris: quod non ſolùm debebat eſſe emenda illius, & ſatisfactio, ſed etiam medicina. Hæc autem omnia, quæ ad hoc præmiſſis rationibus conſtruximus, paucis verbis comprehendit Apoſtolus 2. ad Philip. Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Ampliùs. Eſſe ſub lege, & eſſe liberum à lege ſunt contraria: eum quoque, qui ſub lege eſt, fieri extra legem, hoc eſt, liberum ſe gerere à lege, & liberum fieri ſub lege, ſubditumque legi ſe gerere, ſunt contraria adæquata, quod eſt (ut ita dicamus) huic quod eſt omninò ſubditum legi omninò ſe liberum gerere, non erit aliud contrarium adæquatum, niſi omninò liberum lege omninò ſe ei ſubdere: ergo aliud non poteſt eſſe ſatisfactio, aut medicina illius. Quia ergo peccatum, de quo intendimus, D tale fuit quòd omninò ſubditus omninò liberum ſe geſſit, neceſſe fuit, ut ſatisfactio ejus, & medicina talis eſſet, quòd omninò liber à lege, ſubditum omninò ſe gereret. Nullus autem talis erat excepto creatore: creatorem ergo oportuit fieri omninò ſubditum: omnis enim creatura ſub legibus eſt creatoris. Factus eſt igitur creator ſub lege ſicut dicit Apoſtolus in 4. Gal. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Ampliùs. Nulla creatura potuit de proprio ſolvere debitum peccati illius, quia ſi etiam concedamus aliquam creaturam habere proprium, tamen non habet illud, niſi commiſſum, ut potiùs alienum ſit quicquid habet, & totum habet ab alio, & ideò in totum, & pro toto tenetur. Omne autem alienum debetur ei, à quo habetur: ergo omnis creatura & ſe debet, & omne, quod

Inobedientia Adæ ſola obedientia Dei emendari potuit

Nota.

Creator factus eſt ſub lege.

A habet. Sed nullius rei ſolutione potuit ſolvi, niſi debitum, quo illa debetur, verbi gratiâ, cujuſcunque pecuniæ ſolutione non ſolvitur, niſi debitum, quo illa debetur, ſi tamen ipſa debetur. Si ergo ſe ipſam, ſive aliud quodcunque ex eis, quæ habebat quæcunque creatura ſolveret, non ſolveret niſi debitum, quo ſe ipſam debebat. Nulla cr ·o creatura ſolvere potuit debitum primæ transgreſſionis, ſive ſe ipſam ſolveret, ſive aliud ex eis, quę habebat; & hoc eſt, quia ex unius rei ſolutione non potuit ſolvi, niſi debitum, quo illa debebatur, ut diximus. Ampliùs. Neceſſe fuit Deum miſereri generi humano ſalvâ juſtitiâ, & juſtè agere cum eodem ſalvâ miſericordiâ: nihil enim obſiſtere potuit juſtitiæ divinæ, quominùs meritam pœnam infligeret generi humano, aut juſtâ damnatione relinqueret, niſi miſericordia. Similiter & nihil obſiſtere potuit divinę miſericordiæ, quominùs aut miſeriæ B humani generis occurreret aut eam relevaret, atque leniret, niſi juſtitia; quia ergo in hoc uno, & ex toto ſalva erat utraque, ut generi humano non habenti unde ſatisfaceret, non dico pro illo peccato tantùm, ſed etiam pro quocunque, ſicut oſtendimus daretur unde ſatisfaceret condignè, & ſufficienter; per viam enim iſtam obtinebat jus ſuum juſtitia pleniſſimè, quod pro quocunque peccato, vel ampliùs, petere poterat, ſimiliter miſericordia abſque ulla diminutione ſuum explebat officium, ſi per beneficium ſuum genus humanum liberaretur à miſeria; hæc eſt enim intentio miſericordię liberare ab inflicta miſeria, & hoc erat intentio juſtitiæ ſatisfactionem condignam expetere de culpâ: dandum ergo fuit humàno generi per Dei miſericordiam tantum, ac tale beneficium, quo juſtitiæ C divinæ ſatisfaceret de culpa condignè: ſic enim & obtinebat juſtitia Dei ſatisfactionem cōdignam. Hoc autem beneficium, ut oſtendimus non potuit eſſe à pura creatura, quia nulla pura creatura potuit exolvere debitum, niſi quo ipſa debebatur, id eſt, ut diximus Illud ergo beneficium neceſſariò fuit ipſe creator, & in eo; ſicut dicit pſal. Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia, & pax oſculatę ſunt. Illud beneficium via fuit, in qua neceſſariò convenerunt, & quod eas velut ad pacis oſculum ſociavit; dum enim altera per viam exigentiæ condignæ ſatisfactionis: altera autem per viam omnimodæ remiſſionis incederet, obviàm altera alteri nunquàm veniſſet, niſi altitudo divini conſilii ambas in uno illo beneficio, velut pacis oſculo, quod eas in ſe jungeret, ſociaſſet. Itaque beneficium illud in ſe ipſo ita eas conjunxit, dum utrique, quod requirebat, exhibuit. Et beneficium illud, ut diximus non potuit eſſe pura creatura, ſed ipſe Deus mediatorem ſe interpoſuit, non ſolùm D inter ſe, & homines, ſed inter ſuam miſericordiam & veritatem: per ipſum enim utrique ſatis factum eſt, & in eo utraque obtinuit, quod volebat Ampliùs. Genus humanum de lacu miſeriæ, & de luto fœcis, transferendum erat in regionem beatitudinis; ſed non erat via, qua illuc transferri poſſet, niſi ſpes illuc daretur perveniendi: ſpes autem perveniendi non niſi divino adjutorio, & gratia fuit: ergo in eo erat, & deſiderium inflammandum hujuſmodi, & ſpes ita fulcienda. Quia ergo amor amore convenientiùs accenditur, ſicut ignis igne: decuit autem ſapientiſſimum unumquodque, quod faciebat, modo convenientiori facere: decuit ergo illum amorem noſtrum amore ſuo accendere. Nullo autem modo convenientiùs ignis, quàm igne, accenditur, nec corporalis, nec ſpiritualis, ut eſt amor. Ampliùs. Non eſſet dignus amari, ſi ipſe non amaret, & proditio quodammodò eſt non amare aman-

Nota.

Nota.

Nota.

Vide.

Digitized by Google

teris ſe: ſed amore prævenire, liberalitatis eſt: non enim patitur liberalitas ſubjectum ſuum priùs amari ab aliquo, aliquo inquam noto, quàm ipſa amet eundem. Quia ergo ad Deum nullo modo erat via, niſi per dilectionem ipſius: ad dilectionem autem ipſius non via ulla recta, atque convenientior, niſi correlativa dilectio ejus ad nos: ſed neque illa via erat ad noſtram dilectionem in ipſum, niſi per

Dilectio. ſui probationem; dilectio enim non aliter dilectionem excitat quàm per ſui oſtenſionem, ſeu probationem: neceſſe ergo fuit, ut dilectionem ſuam in nobis oſtenderet. Non decuit autem illum uti, niſi infallibili, & uſquequaque indubitata, probatione: oportuit ergo, ut & ſignum ſuæ dilectionis ad nos eſſet infallibile, & argumentum irrefragabile. Non eſt autem reperire, niſi unum tale ſignum amoris, & hoc eſt amici perfecta conjunctio: per hanc ergo oportuit Deum probare ad nos ſuam dilectionem. Quia ergo nō erat via noſtræ reductionis ad Deum, niſi per noſtrum amorem in ipſum, nec ad noſtrum amorem via recta, niſi per probationem ſui amoris ad nos: nec erat irrefellibilis probatio dilectionis, niſi perfecta malorum noſtrorum conjunctio: neceſſe ergo fuit Deum genus humanum ad ſe reducere volentem, dilectionem ſuam in genus humanum per factum malorum ejus aſſumptionem

Nota. oſtendere. Amplius. Nihil adeò innatum eſt ſuadere alienum amorem, ut mori pro alio; hæc enim eſt radix indubitata, qua omnes homines naturaliter vocentur ad probationem dilectionis. Unde & unuſquiſque volens probare dilectionem alterius in ſe dicit, pro me moreretur ille, ſi oporteret. Iſta igitur radice probationis fuit neceſſe uti ſapientiſſimum Deum. Item, minus diligere & plus diligi, majorem dilectionem exigere, & minorem impendere, iniquitatis eſt ſicut in aliis donis & beneficiis ſe habet: majora enim ab amico requirere, quàm is velit, vel poſſit impendere, iniquitatis eſt & veræ amicitiæ læſio. Quia ergo diligi vult Deus uſque ad mortem à nobis, debuit prior tantam dilectionem oſtendere: non ſolùm ergo uſque ad extremi mali, quod eſt mors, communionem divina dilectio extenditur in amicos, verùm etiam uſque ad inimicos.

Amicitia. Amplius. Amicitia æquiparantia eſt in prædicamento relationis: æquiparat enim, & adæquat amicos: eodem ergo jure, eadem lege, uti debet alter in alterum: igitur quicquid debet alteri alter ratione amicitiæ, debent & reliqui illi. Si igitur ratione amicitię debet genus humanum Deo, ut moriatur pro illo, debet eodem jure hoc ipſum Deus eidem. Amplius. Aut potuit diligere Deus genus humanum uſque ad mortem ſuſcipiendam

Dilectio Dei erga genus humanum. pro eo: aut non potuit. Si potuit, ergo tantùm dilexit ab æterno, quoniàm dilectio non recipit in ſe aut magis, aut minùs: ab æterno ergo dilexit Deus genus humanum uſque ad ſuſcipiendam mortem pro eo. Si autem non potuit, eſt ergo minus amicus generis humani, quàm genus humanum ipſius, quæ illiberalitas, & etiam iniquitas longè eſt ab eo. Si autem voluerit tergiverſari quis per hoc, quòd amare æquivocè dicitur de Deo, & de nobis, de illo enim dicitur eſſentialiter: de nobis autem ſecundùm accidens & participativè, nec ſic effugiet: quòd enim habet in affectu Deus erga amicos ſuos, neceſſe eſt, ut habeat in effectu, & quòd eſſentialiter amare dicitur, non prohibet à Deo, vel minuit dilectionis effectum, ſed potiùs adauget incomparabiliter: ſicut enim ex bonitate ejus eſſentiali major beneficiorum profluit multitudo, & copioſior in omnes creaturas, eo ipſo, quòd eſt eſſentialis; ſic ex amore ejus eſſentiali, eo ipſo, quòd eſſentialis eſt, major neceſſe eſt quòd redundet

E multitudo donorum in amicos. Eſſentialis enim amor copioſitatem auget in fonte, & adeò neceſſe eſt, ut ſi augeatur amor, augeatur & fluxus. Quod enim eſſentialiter calidum eſt, majores habet fluxus caloris in alia: ergo quod eſſentialiter amās eſt, copioſiores habet redundantias amoris, id eſt, beneficia, & dona in amicos: ſi enim eſſentialiter amat, neceſſariò, & fontaliter: & propter hoc & *Nota.* in ſe copioſiſſimus hujuſmodi amor, & in amicos redundantiſſimus. Sicut ergo in extremo, & ſupremo eſt copioſitas in ſe; ſic & in fluxu neceſſe eſt, ut perveniat ad maximum: maximus autem fluxus amoris eſt, id eſt, maximum opus ejus, maximum videlicet beneficium, ſuſceptio mortis pro amico; ſicut legitur primæ Petri 2. Majorem hac dilectionem, &c. Sic ab eſſentialiter amante, neceſſe eſt, ut ſit maximus fluxus amoris & operatio, & hoc eſt mortis pro amico ſuſceptio. Ipſa verò eſſentialitas amoris divini, per quam effugere ſe credebat adverſarius, illum maximè comprehendit, & quod intendebamus, efficaciùs concludit. Intendentibus

F autem, perſcrutatiùſque ſtatum humani generis conſiderantibus, triplex indigentia in eo invenitur. Primò, quia populus multus eſt, & innume- *Status humani generis.* rabilis, & peccatorum pollutionibus à nativitate ſua obnoxius, pontificali indiguit, & ſacerdotali, quo ſanctificaretur, officio, propter delictorum multitudinem innumerabilem, & magnitudinem immenſurabilem. Secundò, interpellatore indiguit & advocato, qui cauſam ejus tantam coram Deo per interpellationem ageret, & ei apud eum veniam & gratiā impetraret. Tertiò, qui tot, & tantis offendens per ſe ipſum pacifacere Deum non poterat; mediatore ergo opus habuit, qui partes ad pacem reduceret mediatione ſua, & interventu; nec enim non modicam eccleſiam eſſe decebat abſque ſacerdote, qui ei ſufficeret, & competeret ſicut enim uniuſcujuſque particularis eccleſiæ eſt indigentia

G ad ſui ſacerdotis officium, ſic totius generis humani ad illius ſummi ſacerdotis officium, ex quo per locum à proportione ſequitur, ut ſicut quaſi nihil eſt alicujus eccleſię particularis ſeu conventus, ad totam totius humani generis eccleſiam, aut indigentię ad indigentiam illius; ſic cæterorum ſacerdotum ſanctitas nihil ſit in comparatione ſanctitatis, aut officii illius, ut ſit ſanctus ſanctorum abſque ulla comparatione ſanctiſſimus. Eodem modo & cauſa totius generis humani apud Deum, & coram Deo, agenda advocatum requirebat ſibi pro magnitudine ſuâ, ſic & compoſitio, & pacificatio tantarum, & tot offenſarum mediatorem competentem. Dico ergo, quòd ejus ſanctitatem neceſſe fuit eſſe ſummam totius generis humani ſacerdotū, ut ejus ſanctitati, & meritis totius generis humani ſanctificatio deberetur; ſi enim non deberetur ei ex

H meritis, proculdubiò non ſufficeret humano generi impetrare ſatisfactionem: ſufficiens enim ſacerdos eſt, qui eſt ſufficiens ex meritis. Impoſſibile autem fuit, ut puta creatura eam haberet meritorum ſufficientiam, ut ei deberetur ex Dei juſtitia totius generis humani ſanctificatio: & hoc eſt, quia *Nota* quæcunque eſſet ſanctitas, ſive virtutum, ſeu operum, aliena erat ab illa, & ei, à quo accepta erat totaliter debebatur. Ratione verò alienorum nihil ei de juſtitia deberi poterat: neque enim laus alicui pro factis alienis, aut operibus deberi poteſt: ergo multò fortiùs neque remuneratio: non enim in vanum dictum eſt: Laudate dominum in ſanctis ejus. Amplius. Quæcunque eſſent hujuſmodi ſacerdotis obſequia, vel opera ſanctitatis: poſtquàm omnia illa non eſſent, niſi dona gratuita; ſicut dicit David in ultimo primi Paralipo. Ecce, inquit, domine

Digitized by Google

domine, quæ tua ſunt tibi obtulimus, & quæ de manu tua recepimus, dedimus tibi: Et Iſa. 26. opera noſtra omnia operatus es in nobis domine, & ad Phil. 2. Deus, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, quid aliud in ſerviendo vel in offerendo Deo faceret, niſi quæ erant debita eidem, facere? redditio autem ſuorum apud eum cujus ſunt, non dicam tanti meriti, ſed nullius etiam meriti de juſtitia eſſe debuit, ſicut ſupra nominavimus. Ampliùs. Omnium obſequiorum ſuorum, quantacunque eſſent, debitor eſſet ſacerdos hujuſmodi; ex commiſſo ergo impendendo illa, ſe tantùm abſolveret: nihil autem novum apud Deum alicui alii impetraret. Ampliùs. Curramus per ſingulas virtutes: certum eſt, quòd obſequium, quod deberet ſacerdos hujuſmodi Deo toto poſſe, & viribus, & dilectione, utraque, per ſe etiam, & pro ſe, lege exigebatur, & utraque ab eo requirebatur, B & ad hunc modum ſe habet de aliis virtutibus. Cùm ergo ad omnium virtutum officia, & obſequia per ſemetipſum ſacerdos hujuſmodi teneretur, manifeſtum eſt, quòd non ſufficerent ejus opera, qualiacunque eſſent niſi propriis debitis exolvendis remanerent; ergo adhuc omnes alii obligati. Eodem modo manifeſtum, quia ſacrificio, quod erat aliàs debitum generis humani, ſatisfactionem impetrare non poterat de jure, & merito, ſicut per pecuniam aliàs debitam non poteſt ſecundum debitum ſolvi. Cùm ergo omnis pura creatura & ſe totam, & ſua omnia deberet, tanquàm aliena & ſibi commiſſa; nullâ ſui, vel ſuorum oblatione aliquid impetrare debebat ex merito apud Deum, niſi fortè aut Deus ſe obligaſſet ex pacto & ſe remuneraret debitorum ſibi ſolutione, aut Deus munificentiâ ſuâ remunerare vellet ſupra debitum hujuſmodi: non autem miſericordia non juſtitia, quæ non eſt, niſi quædam ſolutio debitorum. Ex ſacrificio ergo C non debito aliàs, & ſanctitate aliàs non debita, ſed ad hoc ſpecialiter aſſumptum, & acceptum, impetrare oportuit apud Deum generi humano gratiam ſanctificationis. Nulla autem creatura pura habere potuit aliàs non debitam, quantùm ad ſatisfactionem humani generis, ſanctitatem, quoniàm omnis puræ creaturæ ſanctitas per ſemetipſam debita erat Deo, omneque puræ creaturæ ſacrificium. Neceſſe ergo fuit, ut & iſta ſanctitas, & illud ſacrificium à non pura creatura ſuſciperetur, ſeu aſſumeretur. Neceſſe ergo fuit ſummum ſacerdotem humani generis non puram creaturam eſſe: & propter hoc creatorem, qui ſuſcepta ſanctitate ſanctificationem humano generi impetraret. Ampliùs. Si unaquæque creatura adeò onerata erat

Nota.

propriis debitis, & totius etiam ſuæ poſteritatis obſequiis, non ſufficiebat aliorum portandis oneribus. Et ſi diligenter attenderimus, nihil poteſt D aliqua creatura portare, præter ipſa onera mandatoris, quæ Deus illi impoſuit: nulla enim eſt creatura, quæ non legibus, & creatoris regulis ſubjecta ſit, & adeò occupata, ut nihil habeat ſpatii ad aliud faciendum, cùm ipſam otioſitatem puniat dominus. Nulli ergo puræ creaturæ totius humani generis onus, niſi ſtultè, & inutiliter imponi potuit: quoniàm ſi conſideremus abyſſos peccatorum totius humani generis, non unam abyſſum, ſed omnes ferre neceſſe fuit abyſſos, ut ſacrificium, quo iſte immenſurabiles abyſſi expiandæ erant, tantùm eſſet Deo placitum, & acceptum, quantùm tota illa peccatorum immenſitas diſplicebat. Iterùm ſanctitas, cui totius humani generis ſanctificatio ex merito debebatur, aut major eſſe debuit, aut ſaltem æqualis omnium peccatorum immenſitati, & totius humani generis in unum collectæ ſanctitati;

A de jure enim non debetur pro quantocunque obſequio niſi æquale, vel minus. Majorem ergo oportuit eſſe ſanctitatem ſacerdotis hujuſmodi, quàm eſſet totius humani generis ſanctitas, & quàm eſſet omnium peccatorum ejuſdem immenſitas. Ex quo apparet, quòd oporteret ſacrificium illud majus bonum eſſe, quàm eſſet malum totius generis humani perditio: & inſuper majus bonum eſſe, vel æquale ei bono, quàm totius humani generis ſanctificatio. Apparet ergo non potuiſſe puram creaturam eſſe, vel ipſum offerentem, vel ſacerdotem. Ampliùs. *Nota.* Summum ſacerdotem totius humani generis, ſi purus homo fuit, oportuit, ut non ſolùm ſibi ad placendum Deo propria bona ſufficerent, ſed etiam, ut de ſuperabundantia ſua toti humano generi remiſſionem omnium peccatorum, & gratiam ſanctificationis impetrare ſufficeret. Apparet ergo quanta eſſe debebat in eo propria ſufficientia, de qua tam B ampla ſupereſſet largitio, quæ toti generi humano ad remiſſionem omnium peccatorum, & ſanctificationem impetrandum ſufficeret. Eodem modo de advocato in cauſa totius humani generis inquirendum erit: quia enim per interpellationem agenda erat cauſa hujuſmodi, neceſſe fuit, ut advocatus, quo interpellante cauſa iſta totius humani generis agenda erat, tanta gratia apud Deum tantaque juſtitia in ſe præditus eſſet, ut ejus interpellatione, & precibus, cauſæ iſtius expeditio fieret, tantaque juſtitia, tamque Deo accepta, ut merito illius ſuper tot, & tantis offenſis Deum placaret, & inſuper ſanctitatis gratiam toti generi humano, deinde futuram gloriam, deberet tribuere. Et quia continua erat offenſarum incurſio, perpetua peccatorum pollutio; neceſſe erat, ut perennis eſſet advocati hujuſmodi advocatio, & ſacerdotis ſanctificatio; perennis enim cauſæ ventilatio perpetuum requirit advocati patrocinium, & continua pollutio continuum ſacerdotalis ſanctitatis officium: perpetuò C ergo neceſſe fuit advocatum iſtum & ſacerdotem coram Deo aſſiſtere. Sic unus ergo ſacerdos totius humani generis, & advocatus factus eſt ſacerdos in æternum, & advocatus perennis, & hoc eſt dicere ſicut legitur 6. ad Heb. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Sacerdotale ergo officium ſacerdotum mortalium & propter ſanctitatis inſufficiẽtiam, & propter vitæ ipſius inconſtantiam, corruptionem, & interruptionem, toti generi humano ſufficere non poterat: eodem modo nec interpellatio ad tantum patrocinium. Ut ergo colligamus hæc omnia, dicimus, quia culparum immenſitas, & innumerabilitas immenſitatem exigit in advocato juſtitiæ, & gratiæ: & immenſitas pollutionum immenſitatem ſanctitatis in pontifice: & infinitas in utroque malo infinitatem requirebat D in utroque bono ſibi oppoſito: ſimiliter perennitas, & continuitas utriuſque mali perennitatem, & continuitatem exigebat remediantis boni. Advocatum igitur debuit habere genus humanum apud Deum *Nota.* & perennis, & continui patrocinii, & pontificem ſempiterni ſacerdotii, & qui eſſet in utroque officio infiniti meriti apud Deum erat enim malorum, pro quibus remediandis inſpiciendus erat, infinitas. Sufficere enim illum oportuit non ſolùm malis, quæ vel fuerunt, vel ſunt, vel erunt remediandis, vel abolendis, ſed etiam omnibus, quæ eſſe poterant. Illa autem ſunt infinita tam multitudine, quàm magnitudine: oportuit ergo, ut ejus gratia, & ſanctitas eſſet infinita, aliter delere non ſufficerent. Oportuit etiam, ut ejus ſanctitas, & gratia à propriis oneribus, & debitis eſſet omnimodè libera aliàs, quæ per ſe nullius debiti oneribus aliorum pro tantis debitis ſolvendis, negotiis præcave-

diendis apud Deum eſſet poſita, & ad iſtud miniſterium totaliter aſſumpta; quæ omnia in creatura pura eſſe non potuiſſe, intelligentibus ex dictis claruiſſe ſatis debet; quia verò pacificatio generis humani ad Deũ, quę per ſeipsũ accedere non valebat mediatorẽ requirebat mediator verè cõmunicare debuit cum utroq extremorum, ſi verè medius intervenire debuit ſi enim ab altera parte eſſet ſolummodò, alteri meritò ſuſpectus eſſe potuiſſet, & cauſam ſuæ partis agere viſus eſſet ergo ut eſſet omninò verus medius, & mediator inſuſpectus, & utrique parti indubitatæ fidei, atque fiduciæ, ſicut dicit Deus pater: fiducialiter agam cum eo: oportuit, ut utramque naturam in ſe conjungeret, quod in domino reperitur. Et hæc quidem ratio moralis eſt, cujus rememorationem inferiùs faciemus. Ampliùs. Hæreditas onerata non devolvitur ad hæredem, niſi cum onere ſuo. Sed dictum erat filio. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et Iſa. 49 Dedi te in fœdus populi mei, ut poſſideres hæreditates diſſipatas: Et ad Hebræ. 1. Quem conſtituit hæredem univerſorum. Ergo ad unigenitum Dei patris ad quem pertinebat hæreditas totius humani generis, ad eundem pertinebat onus, & debitum, quo ſe ad totam poſteritatem obligaverat Adam. Et hoc erat debitum obedientiæ, quo pro commiſſo malo, & aliàs obedire tenebatur: ergo illud debitum incumbebat hæredi generis humani, ſcilicet filio Dei. Ampliùs. Ad ipſum unigenitum Dei patris pertinebat recuperare malè diſtracta, & alienata de hæreditate ſua, & redimere etiam obligata, quaſi non eſſet, qui redimeret alius. Quia ergo meritò volebat hæreditare, meritò voluit, & velle debuit, redimere Adam, qui pretio peccati ſeipſum vendidit, & omnem poſteritatem ſuam, & hoc dico, quia cujus eſt arbor, ejus eſt & fructus.

Nota.

Cùm ergo tota poſteritas Adæ fructus ejus eſſet, velut arboris eo vendito tota poſteritas ejus vendita eſt, & propter hoc ab ipſo hærede tota poſteritas competenti pretio erat redimenda; ſed nulla creatura pura potuit eſſe pretium totius humani generis: pretium enim oportet æquare rem, quæ eo emitur, ſi juſtum pretium eſt: ergo neceſſe fuit ut ſe ipſum daret. Ampliùs. Quia ſuſpendium pœna latronum eſt, fures autem & latrones fuerunt primi peccatores, ut jam oſtendimus, reos ergo ſuſpendio ſe fecerunt, quę pœna etſi juſtè eis infligeretur, tamen non abſque prejudicio, & detrimento domini ſui. Detrimentum autem domini eſt ſervorum domini amiſſio. Amittebat autem hujuſmodi ſervos Dei filius per ſuſpendium eorum & ſine culpa ſua: ergo etſi ſuſpendendi erant ſuo merito proprio, tamen non erat Dei filius afficiendus damno. Ut ſalva ergo eſſet, & omninò illæſa juſtitia, neceſſariò per alium, vel ab alio, quàm ab eo ſolvenda fuit hujuſmodi pœna. Nos autem intelligimus hoc ſuſpendium infernale, vel æternale: de temporali enim certum eſt, quòd non eſſet pœna condigna peccato; & nos illud certum alibi faciemus in capitulo, ſcilicet, de ęternitate pœnarum futurarum.

Proportio bona.

Et videtur juſta compenſatio per adæquationem contrariorum complexorum, ut mors æterna ejus, qui temporalis erat morte temporali ejus, qui æternus erat, redimeretur. Summa ergo hujus rationis eſt, quia non ſine injuria hæredis filii Dei de primis peccantibus juſtitia fieret; neceſſariò intervenit redemptio, quæ illos à morte redimeret æterna. Sed mors æterna mortem æternam in redemptionem habere non potuit, quia mors illa æterna, quę eſſet alterius redemptio, ſi par eſſet, eſſet inutilis cùm par damnum afferret domino, ſi minor, eſſet inſufficiens; E ſi major eſſet damnoſior: non potuit ergo mors æterna redemptio eſſe mortis æternæ priorum parentum peccantium: neceſſe ergo eſt, ut ſit æternæ perſonæ mors temporalis, ut mors æterna perſonæ temporalis, ut æternitate, dignitateque perſonæ mors temporalis compenſaretur.

Congruũ.

Et ſi quis dixerit, quia primi peccantes non potuerunt ſe vendere, cùm non eſſent ſui juris, nec mandatum haberent ad hoc, immò prohibitionem, ne iſtud facerent, acceperant, & maximè in præjudicium domini ſui de ſe nihil facere poterant, quod ratum eſſe deberet: rectè dicit: & nos nihil aliud quærimus niſi, ut ſalvum eſſet jus domini. Non autem poterat eſſe ſalvum jus ejus, niſi per redemptionem, quia niſi à morte eriperentur æterna, ęternam poſſeſſionis jacturam, ac ſervitutis eorum, incurrebat dominus. Si autem fures non ſuſpenderet, F jacturam propriæ juſtitiæ incurreret: ergo ut utrumque ſervaret, ſcilicet & jus ſuum in ſervis, & juſtitiam in ſe, neceſſe fuit, ut redemptionem pro eis daret.

Nota.

Mors verò redemptionem non habet niſi mortem, ac certum eſt, quia nullum pretium eſt comparabile vitæ: ſicut dicit veritas in evangelio Mathæi 16. & Marci 8. Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Et hoc eſt, quod quærimus, qualiter neceſſe fuit, ut furis temporalis æternum ſuſpendium innocentis æterni redimeret temporale ſuſpendium. Ampliùs Juſtitiam, & miſericordiam, & omnes virtutes neceſſe eſt eſſe in ultimo, & ſupremo, ultra quod non ſit cogitare miſericordiam, ſed ſecundùm magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt; ſicut legitur Eccleſiaſtici 2. quia proportionalia ſunt habitus, & opera eorum, ubi circunſtantiæ opera non impediunt: neceſſe ergo eſt opera miſericordię, ut ſuo fonti reſpondeant, pervenire ad ſupremum & ultimum, ultra quod non ſit cogitare opus G miſericordiæ, ſimiliter & de juſtitia neceſſe eſt.

Nota.

Extremum autem, & ſupremum opus miſericordiæ eſt, extremam inimicorum miſeriam in ſe ipſo ſuſcipere; neque enim habet miſericordia ultra inimicos, neque opus ultra extremam miſeriam eorum, quo ſe poſſit extendere: ſic enim ultra extremum juſtitiæ & ſupremum ſupplicii, quod alii de juſtitia infligendum eſſet, à ſe ipſo ſolo juſtitia exigeret, & iſta duo in iſto fecit: quod toties replicatum eſt, evidenter apparere; ut enim fieret de primo peccato juſtitia, à ſe ipſo exigit primorum peccatorum ſupplicium, & hoc ut juſtitia fieret abſque omni injuria aliena. Eodem modo apparet, & de opere miſericordię. Ampliùs Dominus & ſubditus eadem fide ſibi tenentur, quia ergo nullus fidelior dominus excogitari poteſt quàm Deus, neceſſariò fidem, quam requirit à ſubditis in neceſſitate, debet & ipſe impendere illis.

Dominus & ſubditus eadem fide ſibi tenentur.

H Si ergo requiritur ab illis, ut in neceſſitate pro dominis ſuis mortem oppetant, debet hoc ipſum eis impendere: ergo ſi mortem ejus temporalem tantùm requirebat repetitio eorum à morte æterna, in tanta neceſſitate non potuit eis denegare mortem ſuam temporalem. Ampliùs. Si ſine detrimento ſuo potuit eis præſtare redemptionis illius beneficium, fidem eis jure dominationis debitam non ſervabit, & inſuper immiſericordem ſe eis exhibebit, ſi beneficium hujuſmodi non præſtabit. Quis enim dominus, ſi ſine detrimento poſſit, ſubditorum ſuorum liberationem non quærat? Quis enim adeò immiſericors eſt, ut viſcera ſua claudat miſero, ſi abſque detrimento ſuo quocunque poſſit ejus miſeriam relevare: ergo quia ſine omni detrimento ſuo generis humani miſerię occurreret Deus; ſi ita occurriſſet, ut fides prædicat, neceſſe eſt illũ ita occurriſſe. Etenim illa noſtræ humanitatis ſuſceptione

tionę

tione nihil ei de his, quæ ad deitatem pertinebant, deperiit, nihil à parte humanitatis ei acceſſit, quod detrimentum dici poſſit, vel debeat, niſi mors ipſa, & vitæ, quam hîc egit, miſeria. Sed cum iſta miſeria, quam habebat ipſe in humanitate, continuavit divinæ viſionis gaudium, quod animam ſuam nec in ipſa morte deſeruit, ita enim fides prædicat, & ita eſſe neceſſe eſt. Quia ergo nulla comparatio in multitudine totius illius miſeriæ paupertatis, & mortis, eſt ad illud gaudium domini, cæteraſque donorum, & chariſſimarum divitias, quibus ipſe præditus erat interiùs, manifeſtum eſt, quòd non ſolùm per illa compenſabatur detrimentum hujus miſeriæ, ſed etiam incomparabiliter magis fœlix, atque beatus erat interiùs, quàm eſſe poſſet miſer exteriùs. Et mors non interioris vitæ in anima ejus interrupit beatitudinem, ſed exterioris vitæ miſeriam. Dimittamus autem hoc, & comparemus ad invicem præteritas in eo paſſiones, & poſteriores glorias, ſicut dicit Petrus in primo canonicæ ſuæ, & videbimus, quia non ſunt condignæ ad illas; illæ enim perpetuæ ſunt, iſtæ fuerunt temporales; ſi enim ad æternas miſerias non habent comparationẽ æterna gaudia, multò minus nec ad præſentes. Deinde contumeliæ, & illuſiones Judæorum, quid habent comparationis ad venerationes totius populi? Manifeſtum eſt ergo, quòd Dei filius plus bonorum abſque ulla comparatione habuit, & habet, in humanitate, quàm paſſus fuit malorum. Abſque ergo detrimento ſuo omninò erit iſte modus redemptionis generis humani. Non enim patitur detrimentum, qui dat nummum, & accipit centum marcas. Quia ergo miſeria humana hoc requirebat, ut diximus & nullum ei ex hoc detrimentum imminebat: neceſſe fuit, ut hoc modo redemptionem faceret. Ampliùs. Primi homines hæreditatem æternæ beatitudinis ex peccato illo primo amiſerunt, & ſuis poſteris abſtulerunt; quia enim ſe Deo abſtulerant, meritò ſe illis abſtulit Deus; & quia ſe morti, id eſt, Diabolo ad perpetuam ſervitutem obligaverant cum jactura ipſius, & ſuæ ſervitutis perpetuæ; meritò Deus quaſi obligatam detinebat, quantùm ad eos, cœleſtem hæreditatem, donec ſe, & ſervitia ſua Deo reſtituerent, & de condigno placerent. Duo ergo neceſſaria fuerunt ad hoc, ut cœleſtis eis reſtitueretur hęreditas, ſed ſe Deo reſtituere non poterant per ſe, quia peccando continuè infirmiores, Diaboloque ſubjectiores fiebant, ſed nec in eis, aut in tota poſteritate, in quantùm erat poſteritas, inveniri poterat placator Dei, cùm omnes & naſcerentur peccatores, & propria voluntate efficerentur magis prævaricatores. Ereptio autem de poteſtate Diaboli non potuit fieri, niſi per gratiam, ſicut & adeptio poteſtatis ejus in eos, non eſt facta niſi per culpam: neceſſe ergo fuit, ut per gratiam juſtificarentur, quia re, & ſubjecto nihil aliud eſt juſtificatio, niſi quædam in jus Dei, & ſervitutem, de ſervitute peccati tranſlatio: non poterãt ergo redire ad Deum, niſi per gratiam qua juſtificarentur. Sanctificati autem, & juſtificati adhuc obligatæ hæreditatis rei erant, cùm nihil adhuc ſolviſſent de ſuo; in eo enim quòd erepti ſunt gratuito Dei dono, non ſe abſolverent, ſed majora munera recipiendo, ſe potiùs obligaverant. Adhuc ergo quantùm ad eos remanſit obligata hæreditas: remanſit autem obligata pro ipſis, & pro jactura ſuę ſervitutis perpetua, quam Deo, quantùm in eis erat, fecerant, quia quòd ipſe gratiâ ſuâ eos recuperaverat, non eis, erat computatum ad abſolutionem ſuam, ſed Deo ad abundantem miſericordiam. Adhuc ergo reſtat quantùm ad eos ſolvendum debitum obligatæ hæreditatis, aut pretium abalienatæ. Adhuc reſtat offerendum obſequium placationis. Adhuc deerat placator, ut diximus, qui aliunde quærendus erat, quàm ex genere humano, cùm genus humanum nec pro jam acceptis beneficiis ad gratam ſolam ſufficeret actionem, & ad obſequiorum jam debitorum continuam exhibitionem. Oportuit ergo Deum ſibi providere victimam holocauſti, ſicut dicit Abraham Geneſ. 22. & novam victimam, aliàs non debitam, novumque pretium ad redemptionem cœleſtis hæreditatis, & quod non aliàs deberetur, ut ſæpe jam diximus. Hæc autem omnia ita diximus, ut pœnitentes primi ad Dei gratiam redeuntes, non ideò credant, quòd ex neceſſitate, & tanquàm ex illo debito reddatur eis alienata, vel obligata hæreditas: quemadmodùm ſi quis juſtè pro delicto ſuo amiſit caſtrum, ipſa inquam gratia domini, ad quam reſtituitur, tanta eſſe poſſit, quę caſtrum reſtitui faciat. Sicut ergo inter gratiam reſtituram, & caſtri reſtitutionem neceſſe eſt aut gratię magnitudinem, aut nova obſequia ſuperaddi, ſic & ex hac parte verum eſt, quòd pœnitentibus cœleſtis hæreditas redditur divinę gratiæ magnitudine; nonnunquàm tamen longis, & laborioſis obſequiis illa redditur poſt gratiam ante adeptam. Nos autem hîc non attendimus, niſi inquirere, quid juris ſit de exigentia meritorum humani generis, ut ad Deum redeat & cœleſtem hęreditatem merito peccatorum amiſſam recipiat. Ampliùs. Qualiter melius per juſtitiam, & miſericordiam ſuam providere potuit Deus generi humano de eis, quæ pertinent ad ſanctificationem, & ſalutem, niſi dando eis ſacerdotem, cujus eſſet perennis, & aſſidua interpellatio, & neceſſaria ex meritis exauditio? non potuit eſſe neceſſaria pro toto genere humano ex meritis exauditio, niſi merita interpellantis ſufficerent, cùm neceſſe haberent, ut ad opus aliorum ultra ſufficientiam propriam abundarent. Ampliùs. Fulcienda fuit humana diffidentia, ne infirmitate propriâ in deſperationem rueret, & erigenda fuit ſpe fortiſſimâ, ut omnia Dei amore & bonitate præſumeret, ſeque obtenturam confideret, quæ neceſſaria eſſent ad obtinendam æternam fœlicitatem. Tale quid ergo faciendum ei fuit, poſtquàm nulla ei reſtaret dubitatio de faciendis. Hoc autem ſolùm erat mortis pro nobis ſusceptio; hac enim exhibita, de cæteris beneficiis non poterat genus humanum ullâ diffidentiâ hæſitare, ſicut dicit Apoſtolus in 4 ad Rom. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam nobis cum illo omnia donavit? Ideò autem diximus, quia erigi oportuit genus humanum ſpe fortiſſima in Deum, ne pro magnitudine negocii, & multitudine infirmitatis ſuæ, & hæſitans diffidentiâ, & gravitate, & multitudine peccatorum, territum relinqueretur, & deſperatum. Contra terrores ergo moleſtiarum, & difficultatum erigendus fuit ſpe, & cordis magnificentia, & contra illecebras retrahentium concupiſcentiarum trahendus fuit homo ſurſum, in amore fortiſſimo alligatus Deo; propter quod & ſe illi Deus primum amore nimio colligavit; & hoc eſt, quod legitur Oſeæ 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: certum eſt autem, quòd nec fortius vinculum cogitare potuit ad trahendum hominem ad ipſum, & contra minam diffidentiæ, & hæſitationis, ſupportandum. His ergo duobus indigebat humana miſeria, quod inde apparet, quia etiam his duobus ei adhibitis, vix

Bbbb

Digitized by Google

ſurſum trahitur amore, & deſiderio, propter retrahentes concupiſcentias, vixque quominùs ruat in barathrum diſſidentiæ, dum difficultates, & obſtacula, dum infirmitatem ſuam portat, per tantum fulcimentum ſuſtinetur. Ampliùs. Si omnium rectè philoſophantium una eſt indubitata ſententia, hominem eſſe deificandum, & hanc eſſe gloriam, ad quam rectitudine vitæ venitur; quid mirum eſt Deum factum eſſe hominem participatione humanæ naturæ, ut homo etiam fieret Deus congruenti ſibi participatione deitatis? Sicut enim longè eſt humana natura à ſublimitate deitatis, ita deitas ab humilitate humanitatis nec difficilior putari debet deſcenſio illius ad illam. Si quis dixerit, quia non potuit fieri tam longè ab invicem diſtantium naturarum tanta approximatio. jam de divinæ potentiæ limitibus, & de ea menſuranda, quam conſtat eſſe immenſam, ad diſputandum nos protrahit: in quo non eſt dubium, quia tutiùs eſt amplè, magnificéque ſentire de divina potentia, quàm eam limitare noſtri intellectus anguſtiis; ita enim anguſtè ſentire de illa non facit quicquam, niſi proprii intellectus anguſtia. Suaſum autem debet eſſe omnium intelligentium intellectui, quia divina potentia menſuram ei capacitatis præſcripſit, & limites, ut de Dei operibus non capiat, niſi quantùm dat ei capere. Sibi autem non hoc Deus impoſuit, ut non operetur ipſe, niſi quod intellectus noſter capiat; ſicut dicit Salomon in 8. Ecclеſ. Intellexi, quòd operum Dei nullam poſſet homo invenire rationem. Si verò dixerit, quòd non decuit majeſtatis illius celſitudinem ad infima noſtra deſcendere, tamque indigna ſuſcipere; profectò non videt quantùm bonitatem blaſphemat: nihil enim adeò decet divinam bonitatẽ ut amor, & miſericordia, amare & miſereri, cùm iſti ſint primi, & maximi bonitatis fluxus ubique; amor enim nihil aliud eſt, quàm amantis, & amati unio quædam; potiſſimùm autem in bonis. Miſericordia autem unio eſt miſerentis, & miſerati; & hoc in malis illius, ſicut ſonat ipſum nomen miſericordiæ; eſt enim miſericordia miſeria cordis de alieno malo. Sic & benevolentia, ſive amor, eſt quædam alieni boni ſibi vendicatio. Ipſa ergo Dei bonitas ad iſtud coegit, ut & ſe, & ſua omnia nobis per amorem largiretur, & ut mala noſtra ſibi aſſumeret per miſericordiam; neceſſariò fecit. Hoc enim eſt proprium bonitatis, ut ad ſui fruitionem alios aſſociet, & ſe malis eorum portandis, atque delendis omninò exponat. Manifeſtũ ergo eſt ex his, qui hãc ſocietatem Dei, & hominum negant, eos non ſolùm id, quod potiſſimùm habet bonitas, ſed etiam quæcunque de illa negare. Veriſſima enim ratio bonitatis eſt, quòd ipſa eſt virtus aſſociativa aliorum ad percipiendum bona ſua, ſui autem ad percipienda aliorum mala. Qui ergo negant rationem divinæ bonitatis de Deo, negant neceſſariò, & bonitatem de illo. Aggregantes ergo ex omnibus antedictis & colligentes unam rationem, dicimus. Quòd primum peccatum, quia in omnibus, tantam medicinam, quia injuria, tantam ſatisfactionem, quia tanta ſuperbia, tantã humiliationem, & quia tanta inobedientia, tantam obeditionem requiſivit, & quia tanta totius humani generis cauſa, tantum patronum, tanta & multiplex peccatorum univerſitas tanti ſacrificii expiationem, tanta totius humani generis iniquitas, tantam in patrono ſuo juſtitiam cui & ejus meritò deberetur remiſſio, & inſuper omnium, pro quibus ſtaret, glorificatio, tanta totius generis humani pollutio, tantam in ſacerdote ſuo ſanctitatem, deinde tantum latrocinium, tantum ſuſpendium requirebat, & tantam requirebat ſocietas communionem, ut de bonis ſuis nullum incommunicatum retineret, & malorum ſuorum nullum inſuſceptum relinqueret: ipſa etiam divinæ bonitatis immenſitas, pro ipſa fontis abyſſali copioſitate fluxus habere debuit uſque ad ultimum, & ſupremum, ut ea eſſent opera miſericordiæ ab ipſa, ultra quæ, & ſupra quæ, quo ſe extenderet, non haberet. Et hoc indubitanter fuit ſui ipſius largitio, qua nihil habet melius in bonis, ut conferat, & mortis pro inimico ſuſceptio, qua nihil inimici majus habent in malis, quodque fides, & etiam amicitia, quas ſibi exhiberi jubet à ſuis, primò, & maximè eis exhibendæ fuerunt ab illo. Et quia jus hęreditate poſſidendi genus humanũ requirebat, ut unus hæres ipſe portaret, & debitum, quo obligatũ erat, ipſe exolveret, huic oneri portando nulla creaturarum potuit ſufficere, neque pretium totius humani generis ulla creaturarũ potuit ſufficienter exolvere. Hęc eſt ſũma rationum, quas jam præmiſimus. Nunc verò moraliter, id eſt per ipſos hominum mores, & etiam ad morum informationem, hanc fidem noſtræ redemptionis munire tentabimus. Primum igitur, illud dicimus, quia neceſſarium fuit cultum divinum & eſſe, & inſtitui, in quo & eſſet Deo digna veneratio, & cultorum ſanctificatio; vera enim religió eſt, qua & Deo digna veneratio impenditur, & cultoribus congrua ſanctificatio. Et propter hoc neceſſe fuit legem eſſe, & ſacerdotium, & legiſlatorem, & ſacerdotem: ſacerdotium enim utrique deſervit, ſcilicet divinæ venerationi & humanæ ſanctificationi: lex verò utrunque docet, & præcipit: manifeſtum eſt ſtudioſè intendentibus, quòd nulla pura creatura tanto ſacrificio digna eſſe potuit, nulla creatura tot millia animarum expiare ſufficit: unaquæque enim ſatis occupata erat in propriis, ut ſupra diximus. Curam igitur totius univerſalis eccleſiæ, totius humanæ ſanctificationis ſacerdotium puram creaturã habere non decuit: quis enim tantã curã non expaveſceret? Sed neque pura creatura, quod offerret pro tot millibus reconciliandis, ſanctificandis, glorificandis habere potuit, quod offerret inquam & ſua ipſa acceptabilitate ſpem daret ſalutis. Tantum igitur eſſe oportuit in ſeipſo ſacrificium, quod pro omnibus offerendum erat, ut ſpem obtinendi tria, quæ diximus daret, eis pro quibus offerretur: & propter hoc neceſſe fuit, ut eſſet omninò & aliàs indebitum, & in ſeipſo tantum, & Deo tam acceptum, ut ex ejus oblatione tria iſta meritò ſperarentur. Quòd ſi pura creatura eſſet, non ſolùm eſſet debitum, ſed etiam in infinitum minus eo, cujus impetratio quærebatur per illud, & propter hoc ſpem abrogaret omnibus, & diffidentiam incuteret ſui. Quemadmodùm ſi bos, aut hircus pro toto humano genere offerretur, ridenda eſſet ſpes humani generis in hoc ſacrificio. Manifeſtum igitur, quòd Deus ſolus potuit tantam eccleſiam regere: & quia non decuit, ut in ea ſacerdos inſtitueretur, niſi homo: non enim potuit habere quod offerret in ſe ipſo Deus, nec offerre ſufficiebat homo. Ampliùs. Duo neceſſaria erant in mediatore, ſcilicet, ut Deo eſſet miniſter fideliſſimus, & miſeriæ generis humani compatientiſſimus. Sed nec Deo fidelior ipſo ejus filio excogitari potuit, nec hominibus compatientior. Et hoc eſt quod dicitur Job 33. Si fuerit pro eo angelus loquens, unum de ſimilibus inveni, in quo ei propitier. Et apoſtolus ad Hebræ. 4. Non habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. Ampliùs. Si inter Deum, & hominem ſuper pace reformanda oportuit inveniri mediatorem, oportuit ut æqualiter pertineret ad utramque partem. Hæc autem erat æqualitas, filiatio ſcilicet ad Deum, & ad hominem fraternitas

Homo deificandus.

Solutio.

Salomon.

Miſericordia quid.

Nota.

Vide.

Propoſitio ſequentiũ.

Vera religio quæ.

Pura creatura non poterat redemptionis myſterium implere.

Digitized by Google

fraternitas, qui primus eſt gradus conſanguinitatis: utrumque propter officium mediationis, ut eſſet partibus inſuſpectus, & propter hoc arbitrandi officium neceſſe fuit, ut arbiter poteſtatem haberet in ambobus. Et hoc eſt de quo conquerebatur Job 9. Non eſt, qui utrunque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus. Iſtud autem eſſe non potuit, niſi mediator, & arbiter, Deus eſſet & homo: in Deum enim purus homo poteſtatem habere non potuit. Amplius Mulier fornicaria propter ſolam fornicationem omninò perdita ad caſtitatem nulla via meliùs reduci poterat, quàm per matrimonium. Eſt enim matrimonium remedium fornicationis: & ſicut carnale matrimonium eſt remedium contra fornicationem carnalem: ita ſpirituale contra ſpiritualem: nec dubitatur Dei filius ſponſus eſſe uniuſcujuſque animæ humanę, cui ſoli adhærere debet, & præter patrem, & matrem, ad illum naturaliter eſt converſio ejus. Sicut autem matrimonium carnale conſummatur in copula carnis ad carnem: ſic matrimonium naturale per copulam naturarum fuit conſummandum, per unionem dico naturæ ad naturam, ſicut illud per unionem carnis ad carnem. Alioquin relinqueretur naturale matrimonium inconſummatum quantùm ad corpus, quantumcumque Deus, & anima ſpiritualiter conſiderarentur. Quòd autem anima humana Deum ſponſum habeat, inde manifeſtum eſt, quòd vis animæ rationalis apprehenſiva ſponſam habet naturaliter veritatem, & ad illam eſt naturaliter converſio ejus. Unde naturaliter ejus amplexus, & copulam quærit, ut inde generet ſobolem cognitionum & ſcientiarum, quod eſt optimum viſionum, aut viſionis unius, quæ ſit lucidiſſima omnium. Eodem modo ſe habet de bonitate, ſeu ſuavitate ad vim concupiſcibilem, & gloria, ſeu magnificentia ad vim iraſcibilem. Hæc igitur veritas, quæ ſponſa eſt humani intellectus, aut eſt Deus, aut non; ſi non eſt Deus, igitur manifeſtum eſt quòd Deus non eſt vir ejus, nec intellectui humano licet ſoli divinæ veritati adhęrere, & eam ſolam amplecti; quia eſſet ei dimittere ſponſum proprium, & adhærere adultero, hoc autem manifeſtum falſum. Reſtat igitur, ut Deus ſit ſponſus naturalis animæ humanæ ſecundùm ſe totam, & propter hoc totius humanæ naturæ, totiuſque humani generis ſecundùm potiſſimam ejus partem, & per conſequens etiam ſecundùm hoc, quod eſt forma corporis, & corpus aliquid ipſius eſt. Neceſſe igitur fuit matrimonium hujuſmodi naturali copula conſummari. Et hoc eſt matrimonium, de quo ſonant omnia verba, ſicut Oſeæ primo & 2. Quia verò inter virum, & uxorem communia ſunt omnia, neceſſe fuit cœleſtem ſponſum communicare debitis totius humani generis. Quia ergo oneratum debitis mortis æternæ, & obligatum, genus humanum in uxorem accepit, onus ipſum, & debitum mortis æternæ, pro parte ejus perſonæ ſolvendum incubuit, ipſi verò humano generi, quaſi hujuſmodi debiti ſupplementum. Et hoc eſt quod legitur 1. ad Coloſſ. Adimpleo, inquit, apoſtolus ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt eccleſia. Et ad hanc rationem pertinet, quòd & lis, & bellum, uxoris viro incumbere debet. Virorum enim eſt lites, & bella agere: mulieres verò nec ad litigandum admittuntur, cùm viros habeant, & ad bella ſunt ineptæ. Cauſam igitur humani generis & bellum, agere, ratione matrimonii Deo incumbit. Etſi genus humanum diceretur viduatum, quid de Dei miſericordia dignius cogitari poteſt, quàm cauſas viduarum, & pupillorum defendere? propter quod

Matrimonium remedium fornicationis.

Nota.

David patrem orphanorum illum vocat, & ipſemet de ſe dicit Iſaiæ 45. Ego ſum, qui loquor juſtitiam, tanquàm advocatus ſi baudi, & propugnator ſum ad ſalvandum; ecce bellandi officium. Sive ergo uxorem dicamus univerſalem eccleſiam, de juſtitia pertinuit ad eum cauſa ejus, ſive bella, ſive lites agendæ eſſent, ſive viduam dicamus, de miſericordia ad ipſum pertinuit, quia & in hominibus ſimilis miſericordia nonnunquàm inventa dicitur, ſicut in milite, qui vocatur ab hoc miles agneus, qui pro nobili vidua & exhæredata ſingulare certamen contra gigantem quendam dicitur ſubiiſſe: quod quidem ſive ſit hiſtoria, ſeu fabula, mirabiliter congruit huic facto. Quis enim dignius miles, innocentiâ ſcilicet & puritate, candidiſſimus, & congruentiùs, quàm Dei filius, miles ad dimicandum in humanitate pro nobis factus, accipi poteſt, quæ vidua nobilis, & exhęredata elegantiùs accipi poteſt, quàm univerſalis eccleſia, velut à gigante diabolo furtivè ex hæreditate cœleſti ejecta? Ampliùs. Deducatur cauſa humani generis in judicium coram Deo patre omnium, an non in expenſis ejus debet ei providere Deus judex propugnatorem, ſi opus fuerit & advocatum? Hoc enim etiam legum humanarum ſtatuit æquitas, ut indigentibus patrocinio expenſis ſuis provideatur de patrono, & reverà de expenſis humani generis datus eſt advocatus, & propugnator: de ipſa etiam humana natura datum eſt domino ſcutum carnis, & animæ velut framea, & hoc eſt, quod ipſe quondàm clamabat ad ipſum; apprehende arma, & ſcutum, in quibus pro me dimices, & decertes. De ſuo etiam ipſius humanæ naturæ proviſum eſt eidem interpellationis ſacrificium, quod offerret, ſeipſum enim, inquantùm homo erat obtulit: de eadem etiam ſalarium, ſi dicere fas eſt, ſuæ patrocinationis eidem, & quotidie, ſolvitur in eis, quos quotidie dat ei Deus pater. Ipſum enim regnum eccleſiæ merces eſt: ſicut legitur Iſa. 53. Pro eo, inquit Deus, quod tradidit in mortem animam ſuam, diſpertiam ei plurimos, & juſtitia ſua juſtificabit multos. Hoc igitur modo & advocatus in expenſis ſuis humano generi proviſus eſt Dei filius, & hoc eſt beneficium juris, quod nulli reo negari poteſt. Ampliùs Lites & bella magnatum per matrimonium firmiùs pacificari conſueverunt. Nullumque fœdus firmiùs cogitari poteſt, quàm matrimonium. Nulla etiam via pacis ad pacificandum ęquè conveniens, & efficax. Ipſa enim facit utriuſque partis utranque eſſe, & utranque obtinere, quod millies deducitur. Et hoc eſt, quia communes ſunt partium hæredes per matrimonium, & unum ſunt ipſi, quos unit matrimonium: unde quod habet uxor, habet & vir, & econverſò, quod autem habet vir, habet genus ejus in eo; ſic eſt & in uxore, quod ipſa habet, habet & genus ejus. Rectè igitur diximus, quia partes diſcordantes per matrimonium invicem contractum, obtinent integrè, quod inter eas millies deducitur. Per ipſum ergo utrique partium ad votum ſatisfit, ipſum igitur matrimonium via eſt convenientiſſima ad pacificandum diſcordes. Ampliùs. Firmiſſimum fœdus ipſum eligere oportuit, ne ruptura non ſatis firmi fœderis, non dicam unam renovationem, ſed infinitas forſan induceret: per matrimonium ergo decuit ſapientiſſimum Deum pacem inter ſe, & hominem reformare. Ampliùs. Magnates, dum fœdus ad invicem ineunt, conſueverunt armorum ſuorum inſignia communicare, & veſtium formis, & coloribus ſe invicem conformare. Ipſum ergo fœdus initum requirebat, ut Deus & veſtem ſibi noſtræ mortalitatis aſſumeret, & nos immortalitate ſua, &

Miles optimus Chriſtus.

Chriſtus advocatus humani generis.

Bella per matrimoniū pacātur.

Magnatū mos.

gloria veſtiremur. Ampliùs. Et pax, & matrimonium conſuevit oſculo confirmari. Si igitur pax reformanda erat inter Deum, & hominem, decens erat ut oſculo patrium firmaretur. Neceſſe igitur erat ut os ſuum Deus pater homini porrigeret, atque conjungeret, quę porrectio non fuit, niſi filii ejus in carnem miſſio. Os enim Dei patris, filius eſt, & ſi quis benè conſideret oris ad humanam naturam conjunctio, non fuit niſi ejuſdem humanę naturæ oſculatio: quapropter filii incarnatio nihil fuit, niſi humanæ naturæ oſculatio: & hoc eſt, quod ipſa petebat in principio Canti. dicens. Oſculetur me oſculo oris ſui. Confirmationem igitur pacis, & matrimonii petebat ſub nomine oſculi. Aegrum etiam erat genus humanum, quod ad medicum etiam accedere non valebat. Decuit igitur, ut ipſe medicus viſitaret. Sine medicina autem, & cataplaſmate ad ægrum accederet, ſi ſine humanitate veniret: quia nec frigus ab amore debito, nec diffidentia à debita ſpe alio medicamento adeò convenienter ſanari poterat. Ampliùs. Inclinare debuit ſe, quia jacentem volebat erigere. Deum igitur volentem genus humanum quod infirmitate preſſum jacebat, erigere, oportuit ab alto deitatis, uſque ad infimum humanitatis deſcendere. Ampliùs Decebat miſericordiſſimum Deum hominem de lacu miſeriæ, & de luto fæcis extrahere. Decebat eum igitur dexteram ei porrigere: ſicut dicit Job 14 Operi manuum tuarum porriges dexteram. Supervacua autem eſſet dexteræ porrectio, niſi tanta fieret ejus ad eum, qui extrahendus erat, alligatio, ut pondere ejus rumpi, aut ſolvi non poſſet. Pondus autem generis humani non erat, niſi pœna, & culpa; adeò igitur tenere ſe oportuit dexteram Dei patris generi humano, ut adhærentia ejus ad id, atque ligatio, nec pœna, nec culpa, rumpi, aut ſolvi poſſet. Quia igitur ligationem gratiæ jam priùs ſolverat culpa, neceſſe fuit majorem eſſe ligationem, quàm gratiæ; ergo plus facere, quàm faceret ligatio gratiæ in ligando. Sed gratia facit ea, quæ ligat, unum gratiæ: ligatio ergo iſta, de qua loquimur, plus unum fecit quàm unum gratiæ; igitur fecit ligatio illa dexteram Dei patris & humanum genus unum naturæ. Ampliùs. Non potuit dextera Dei patris hominem de lacu miſeriæ extrahere, niſi ipſum apprehenderet apprehenſione fortiori, quàm eſſet apprehenſio gratiæ. Illa enim jam rupta erat, cùm eſſet homo ingentis ponderis tam pœnæ, quàm culpæ. Oportuit igitur, ut eſſet fortior apprehenſio ſecunda, vel unio, quàm eſſet unio gratiæ. Neceſſe igitur erat, ut eſſet unio naturæ. De hac apprehenſione ad Hebræos primo: nuſquàm angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahę apprehendit. Ad hoc facit & illud, quod tam crebrum eſt in prophetis: Apprehendit manum eorum, ut educeret eos de terra Aegypti. Et reverà fortis fuit iſta apprehenſio, quæ brachio Dei trahentis præ magnitudine ponderis generis humani, quo trahebatur, rupto, firma permanſit. Ruptum fuit brachium illud in die ſancto paraſceves, & ut vulgò dicitur, in duo fruſta volavit, alterum ſcilicet animæ, alterum corporis, quæ ab invicem in illa pretioſa morte ſeparata ſunt, unione duarum naturarum, divinæ ſcilicet & humanæ, ad invicem illęſa manente. Ex quo apparet, quantam oportuit eſſe unionem duarum naturarum ad invicem quam nec mors, quæ unionem corporis, & animæ ſeparavit, rumpere nequiret. Fortior igitur fuit illa ligatione, quæ morti ceſſit, quàm illa non ſolùm invicta, ſed etiam illæſa ſeparaverit. Apparet etiam hoc ex hoc, quantùm eſſet pondus humani generis pro quo trahendo Dei brachium rumpi oportuit. Hic eſt funiculus ille triplex, qui

Nota. *Apprehē-ſio.* *Vnio duarum naturarum.*

E difficilè rumpitur, de quo in 3. Eccleſiaſt. Funiculum illum triplicem brachium ſuum fecit Deus pater; tres in eo naturas, unam deitatis, alteram animæ, tertiam corporis, quaſi tres chordellas in eo colligans, ut eo genus humanum ad ſe traheret, qui licet difficilè, tamen ruptus eſt, hanc rupturam fecit noſtræ extractionis difficultas: difficultatem verò pœnę ſimul, & culpæ ponderoſitas. Ampliùs Chaos magnum peccati inter Deum, & hominem firmatum erat. Pontem igitur, & viam neceſſe fuit interponi, per quem homo à ſe ipſo tranſire poſſet ad Deum, qui pondus tantæ multitudinis tranſituræ portare ſufficeret, & adeò longum qui utramque ripam contingeret, & utrique firmiter ſe teneret. Altera ripa erat humanitas, altera deitas. Pontem igitur inter iſtas duas ripas medium oportuit utrique ripæ unitum eſſe, atque continuum, quod F eſt Deum, & hominem dicere: & hoc videtur ſonare illud Sap. 8. Attingit ſapientia à fine uſque ad finem fortiter. quaſi ripa ad ripam, & iſte pons ſub pondere tantæ multitudinis fractus eſt, & fractus manſit per triduum, per quam ejus fracturam in chaos infidelitatis multi prolapſi ſunt. Ampliùs. Per Dei ſapientiam diabolo, qui concluſerat omnia ſub peccato, concludendum fuit concluſione confuſionis perpetuæ, & fuit ſyllogizanda major extremitas, ſcilicet deitas, de minore, ſcilicet de homine, & non tam inferenda vita argumento hujuſmodi, quàm etiam conferenda. Non enim ſolummodò inferenda erat neganti, vel dubitanti, homini deitas, ſed etiam conferenda eodem modo, quo illum eam recipere fas fuit. Medium ergo terminum hujus ſyllogiſmi ſic oportuit inter duas extremitates eſſe, ut major de illo prædicaretur, & ipſe de minore, quod eſt dicere, quòd Chriſtus eſt G Deus, & quidam homo eſt Chriſtus. Per hoc medium deitas hujuſmodi, non tam illata eſt, quàm etiam collata, & concluſum eſt morti, atque diabolo. Ampliùs. Decor divinæ ſimilitudinis in ipſa Dei imagine, quæ eſt homo, læſus, atque deformatus per peccatum, ejuſdem ſigilli impreſſione reformandus fuit, quemadmodùm videmus; ſed compreſſiori impreſſione reformandus fuit, quemadmodùm videmus in imagine ceræ, cujus ſi decor, & figura lęſa fuerit, fortiorem quàm priùs fuerit, impreſſionem ſigilli requirit. Fortiùs igitur imprimenda erat Dei imago. quæ utique filius eſt, quàm fuerit impreſſio naturalis, aut gratiæ Hoc autem non poteſt cogitari, niſi imago unienda: igitur fuit unienda, & decoranda homini. Et hæc cauſa, quare potiùs unitus eſt naturæ filius, qui eſt imago Dei inviſibilis, ſicut legitur ad Coloſ. 1. Splendor & figura ſubſtantiæ ejus. Heb. 1. Ampliùs. Librum novum teſtamentum non alio incauſto ſcribi oportuit, quàm unigeniti ſanguine. Scriptura H enim, & liber, nihil aliud eſt, quàm deſignatio certa. Sed ut jam ſæpè diximus, & manifeſtum eſt in ſe, nullo alio ſigno ſufficienter ſignari potuit Dei dilectio in nos, quanta & qualis eſſet, niſi morte, ſeu effuſione ſanguinis pro nobis. Manifeſtum eſt igitur, quòd nec aliter, nec alio modo ſcribi potuit liber gratiæ. Igitur ipſa mors unigeniti, & ipſe calix dominicę paſſionis novum teſtamentum eſt, ſicut ſcriptura dicit. Quia igitur teſtamentum erat ſcribendum, quo hæredes fierent, & fœdus ſimiliter amoris, & pacis inter nos, & Deum iniri, nec alio incauſto ſcribi, hoc eſt ad certum & liquidum deſignari oportuit, niſi iſto, ut diximus, ergo non aliter ſcribi potuit. Scribendum autem fuit de neceſſitate, quia omne teſtamentum, & fœdus ſcribitur; effundendus igitur fuit ſanguis ille pretioſiſſimus, & mors ſubeunda. Ampliùs. Si vitæ

Chaos peccati. *Homo imago Dei.* *Teſtamentum ſcribendū pro inſtitutione haredū.*

Digitized by Google

corporali Dei bonitas omnium viventium adeò largè providit de eſca, & nutrimento: igitur multò ampliùs vitæ ſpirituali; vita autem ſpiritualis amor eſt, aut ſecundùm totum, aut ſecundùm ſui potiſſimùm. Providere igitur debuit divina bonitas nutrimentum amoris quo diligi volebat à nobis. Nutrimentum autem amoris non eſt, niſi beneficium, & amor correlativus. Igitur de his duobus oportuit divinam bonitatem providere amori noſtro. Sed ut ſæpè diximus, nec alio beneficio ſuſtentari potuit, & nutriri, nec alio amore accendi, prout noſtra requirebat infirmitas. Hæc autem ratio meliùs aptatur euchariſtiæ ſacramento, quod eſt ſpirituale nutrimentum charitatis, quàm quare filius incarnatus eſt, & non pater.

Nutrimentum amoris beneficium.

CAPUT VIII.

Quæſtionem ſorbonicam ingenioſè, & Theologicè pertractat.

NUnc autem quare, & qualiter ad hoc venit filius, & potiùs, quàm pater, aut ſpiritus ſanctus, oſtendamus. Dicimus igitur, quia indubitanter pro ipſo patre ſufficiebat verbum ejus, & ut ita dicamus imago ipſius, & quia de hæreditate ipſius filii agebatur, ad illam enim vocabamur vocatione facta per ipſum, ipſo jure magis rata effecta. Ampliùs. Ipſum verbum & loquentis ſenſum, ſive loquentem, id eſt patrem, & loquentis affectum, ſeu gratiam, ſeu amorem, qui intelligitur ſpiritus ſanctus, clariſſimè deſignat. Verbum igitur, & ſeipſum ſua præſentia, & patrem ſua ſignificatione, & ſpiritum ſanctum ſimul tanquàm deſignator manifeſtus, & nuncius oſtendit, & indicat. Meritò igitur pro tribus venit ipſum verbum, ſeu filius. Ampliùs. Si ſpiritus ſanctus veniſſet, qui utique Deus eſt, & non hæres, duabus de cauſis minùs, quàm filius, ad hoc conveniens eſſet. Primùm, quia ſpiritus ſanctus in ſeipſo eſt donum. Amor enim donum & donabilis neceſſariò eſt, nec eſt evidentis neceſſitudinis, ſive pertinens ad ipſum donantem. Donum enim, & donans nihil cognationis, nihil alterius attinentiæ evidentis habere videntur ad invicem. Sed neque amor evidenter videtur eſſe inter donū, & donantem. Inter patrem autem & filium evidens amor eſt, & unicuique indubitatus; qui enim audit patrem nominari, vel filium, ſtatim amorem alterius in alterum intelligit ex conſequenti. Non autem qui audit nominari donantem, & donum. Minùs igitur feciſſe pro genere humano videri poſſet Deus pater, ſi ſpiritum ſanctum miſiſſet, & in mortem tradidiſſet, quàm fecerit filium mittendo, & in mortem tradendo, non quòd minus diligat ſpiritum ſanctum quàm filium, ſed quòd non ita evidens, & ſuaſa ſit generi humano dilectio ejus in donum ſuum, ut in filium unigenitum. Secundò, quia reverà etſi ſpiritus ſanctus eſt auctor, & dominus omnium, tamen hæres non eſt omnium ſicut filius. De hæreditate autem filii communicanda aliis non fuit agendum, niſi eo præſente; ita etiam ut evidens eſſet, & certa ratihabitio. Ratihabitio autem non fit, niſi per verbum, quo conſenſus exprimitur. Igitur vel ipsū verbū principaliter adeſſe oportebat, vel aliud verbum, quo conſenſus exprimeretur, & ratihabitio. Spiritus igitur ſanctus ſine verbo, aut verbo verbi, non ex omnibus modis ſufficienter negocium noſtræ redemptionis perageret, via igitur compendii fuit adventus filii. Ipſe enim ſolus ſufficiebat pro tribus: ſufficiebat enim pro ſe ejus præſentia, ſufficiebat pro patre, quia ejus verbum, ſigillum, & imago erat, ſufficiebat

Verbum patris pro patre ſufficiebat.

Spiritus ſanctus cur non debuerit incarnari.

Dilectus filius unigenitus.

A pro ſpiritu ſancto, cujus auctor, & largitor erat, à quo miſſus eſſe non dubitari poterat. Non enim poterat dubitari de conſenſu ſpiritus ſancti, cùm ex amore nimio, & ſolo mortem noſtram ſuſciperet Dei filius. Amor autem, quo & ſe invicem tres illi diligunt, & nos, ſpiritus ſanctus eſt. Dari autem nobis, & pro nobis in mortem, niſi ex amore non poterat. Omne autem datum, aut amoris erit, aut ex amore eſt.

CAPUT IX.

Hæreticis & Saracenis reſpondet.

SEd quærunt hæretici, ſaraceni, & judæi. Ecce mortuus eſt Dei filius, ut dicitis vos Chriſtiani: condigne igitur ſatisfactum eſt pro peccato totius mundi, & pro peccato originali. Ipſe enim propitiatio eſt pro totius mundi peccatis, ut dicit
B Hiere. Debet igitur ceſſare tanta ſatisfactione præſcitâ & originalis damnatio, & tota præſentis vitæ miſeria. Ita enim ſcripſit Apoſtolus in primo Epheſ. quia in ea habemus redemptionem peccatorum. Et quia in ea propoſuit omnia inſtaurare, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt. Et ſecundò iterùm ad Epheſ. Convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia ſalvati eſtis, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus: ubi iſta ſalus? iſta peccatorum remiſſio? iſte conſeſſus in cœleſtibus? iſta expoliatio principatuum, & poteſtatum? deletio chirographi noſtrę damnationis? Si enim ceſſat culpa ipſius, cur non & pœna? quia ceſſante cauſa, ceſſare effectus debet. Si autem non ceſſat culpa, nec pœna, quæ igitur utilitas mortis ejus? In quo ſciendum, quia quemadmodùm non tranſit Adæ damnatio niſi per generationem in carnaliter ex eo generatos; ſic non tranſit Chriſti gratia, & peccatorum remiſſio, niſi in per regenerationem ſpiritualiter per ipſum regeneratos. Sicut ergo delictum Adæ non nocet, niſi ſuis, in eo quòd ſui ſunt: ſic nec gratia Chriſti prodeſt, niſi ſuis, in eo quòd ſui ſunt.
C Sui autem ſcilicet Adæ, ejus poſteri ſunt, inquantùm ab eo carnem contrahunt; ſic ſui ſunt Chriſti ipſi fideles, inquantùm ab eo ſpiritum accipiunt; & ſicut ante carnalem generationem nocere non potuit damnatio originalis, nec etiam eſſe; ſic nec ante ſpiritualem regenerationem locum habet Chriſti redemptio, eo quod effectus cauſam ſuam præcedere non debet. Nec debet ergo ceſſare originalis damnatio in eis, qui naſcuntur ex Adam, donec in Chriſto renati ſint. Sed in regeneratis, cur remanet iſta pœnalitas (quærunt) mortiſque damnatio? Reſpondemus, quia non remanet in eis ut pœna, & retributio, ſed magis ut cuſtodia. Si enim tanta amaritudinum reſperſio non arcet nôs nec abrumpit ab amore vitæ iſtius: quid eſſet ſi nihil haberet vita iſta niſi ſuavitatem? ſi modicum quod habet, ſuavitatis adeò abſorbet nos, & adeò nos avertit, ac ſeparat à veris bonis; quantò ampliùs pernitioſa eſſet nobis ipſa ſuavitatis plenitudo? remanſit ergo in cuſtodiam, in rememoriale
D divinæ vindictæ ad incutiendum nobis timorem divinæ juſtitiæ. Quemadmodùm pater offenſus filio etiam poſt reconciliationem, partem pœnæ ei reſervat ad cuſtodiam, & metum vindictæ ut quem luxuriare fecit affluentia, paupertas cuſtodiat, & metus de præteritæ vindictæ memoria. Non igitur detinet ipſum in paupertate, ut affligat, & pro meritis delictorum ei retribuat, ſed potiùs ut illum conſervet. Sic facit pater miſericordiarum electis ſuis. Quòd ſi cui videatur, quòd ad ſtatum Adæ reducendum fuit genus humanum poſt exhibitam

Nota.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

ſatisfactionem: attendat, quòd Adam cecidit etiam in illa fœlicitate, & quemadmodùm in aqua dulci caro recens poſita, computruit: ſic & primus Angelus. Quia ergo non erant meliores futuri homines in iſto ſtatu, quàm fuit ipſe Adam: nec meliùs uſuri erant ſtatu, fœlicitatis illius, nec veriſimile eſt illos melius fuiſſe uſuros: proculdubiò cecidiſſent quemadmodùm Adam. Quapropter incumbere per hanc viam poterat Deo iterùm aliud onus redēptionis noſtræ, & ita currerent res fortaſſe in infinitum; quoniàm eadem ratione poſt ſingulas redemptiones oporteret nos in illum ſtatum reduci, & poſt ſingulas ſimiliter reductiones imminere et forſitan idem caſus. Elegit igitur dominus viam noſtræ redemptioni ſufficientem, quam nullo caſu oporteret denuò iterari. Quia autem quærunt, ubi eſt conſeſſus iſte in cœleſtibus? Reſpondemus, quia jam magna pars eccleſiæ gaudet in cœleſtibus, & quotidie per partes non ceſſat illuc aſcendere. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus 5. ad Hebræ. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Suorum enim tantùm exolvit votum, & tantùm onera ſuper ſe aſſumpſit, & debita, & expenſas, ut expenſis ſuis, non illorum, illi militent & ſerviant. Nunc verò exponamus illud, quod ipſe dicit Jo 12. Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Inquiramus, quo judicio obtinuit contra diabolum. Dicimus ergo, quia juſtitia Dei hoc efficere debuit, ut ab eo pateretur diabolus quod illi iniquè intulerat, ſcilicet ut ab eo ligaretur, quem injuſtè ligaverat, ſeu ligari procuraverat, ab eo ejiceretur de mundo, quem ipſe & ſpiritualiter, & corporaliter, injuſtè ejecerat. De cordibus enim judæorum & ſpiritualiter, & per infidelitatem illum ejecerat, & de mundo tandem per mortem illum ejecit. Quia igitur nihil æquius Dei judicio fieri potuit, quàm ut quod diabolus Dei filio iniquiſſimè intulerat, hoc ab eodem juſtiſſimè pateretur, convitium, injuria, contumelia, damnumque, quod iniquiſſimè illatum eſt Dei filio, emendanda fuerunt illi, & etiam compenſanda. Si autem metiamur pretioſitatem vitæ, quæ ei ablata eſt, non æquabunt eam omnes vitæ hominum, quantumcunque boni ſint, & hoc eſt, quia ipſe habuit ſpiritum non ad menſuram, ſicut legitur Jo. 3. Cæteræ autem omnes menſuratæ ſunt, & finitæ bonitatis, finitæ etiam numero ſunt, quoniàm finitus eſt numerus bonorum & malorum; finita autem numero, & menſura, impoſſibile eſt, ut ſimul accepta æqualia ſint ei, quod eſt infinitum menſura. Et hoc voluit fortè dicere pſalmiſta: Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Igitur damnum illius nec ſufficienter etiam compenſatum eſt per omnes vitas electorum. Igitur ablatio ſuæ vitæ, quæ utique mors fuit, nec per omnes vitas ſanctorum ſufficienter potuit compenſari. Omnis igitur bona vita ſanctorum debetur Chriſto domino ex merito paſſionis, & incomparabiliter. Ampliùs. Nec ſolùm vita gratiæ, ſed eſſe gloriæ, quod nihil eſt, niſi glorificatio ſanctorum. Si enim glorias ſanctorum, illi vitæ comparaverimus, eadem proportione invenimus eas longè minores eſſe. Certum enim eſt virtutes ſanctorum etiam pondere, numero, & menſura, eſſe finitas, virtutes verò Chriſti immenſas aut ſaltem qualibet illarum incomparabiliter meliores. Juſto igitur Dei judicio, & vitæ gratiæ ſanctorum, & vitæ gloriæ pro vita, quæ ei in paſſione ablata eſt, recompenſandæ fuerunt. Ampliùs. Si metiamur injuriam, & contumeliam, quam paſſus eſt, invenimus, quòd quodammodò infinita ſit. Si enim quantò major eſt perſona, tantò major eſt injuria, & contumelia, quæ ei irrogatur, injuria agitur, & contumelia ſuæ paſſionis cum ſuis ludibriis neceſſariò ſine menſura fuit, & hoc cogebat immenſitas perſonæ ipſius patientis, nec excuſat ignorantes ignota perſona iſta, qui ſcire noluerunt, vel ſi excuſat non obeſt nobis: non enim actiones eorum hîc metiri volumus, ſed ea, quæ paſſus eſt Dei filius. Manifeſtum igitur, quòd contumeliæ iſtæ non habent menſuram, ſimiliter & injuriæ, hæ ſcilicet injuriæ, & contumeliæ, quas in propria perſona Deus ſuſtinuit: incomparabiliter enim majores ſunt omnibus injuriis, & contumeliis quæ ei aliàs irrogari potuerunt, & hoc potuit unuſquiſque videre in ſe ipſo. Neque enim eſt homo, qui potiùs non eligeret omnes alias injurias, & contumelias, quæ ei inferri poſſent ab homine, vel à diabolo, quàm iſtas perſonales, & quæ manuum injectione irrogantur. Igitur omnia mundi peccata minora ſunt manuum injectione in filium Dei, & omnes aliæ minores irrogata Deo injuria. Sed ſicut injuria ad injuriam; ſic remiſſio ad remiſſionem. Si igitur jure emendanda fuit neceſſariò iſta injuria Dei filio irrogata; neceſſariò remittendæ fuerunt omnes aliæ Deo irrogatæ injuriæ. Igitur pro dimiſſione iſtius appendit Chriſti paſſio omnia delicta, & inſuper ampliùs, & incomparabiliter. Omnia igitur delicta mundi condonanda fuerunt in ſatisfactionem, & emendam injuriæ, quam in propria perſona pertulit crucifixus, & moriens. Nec poteſt quis dicere, quòd ei retributa eſt pro omnibus his glorificatio ſuæ perſonæ, quia illa glorificatio, quantumcunque cogitari poterat aliàs ei abſque paſſionis merito propter ſanctitatem incomparabilem debebatur. Juſto igitur judicio ejicere mundi principem, & relegare, & electis ſuis delictorum remiſſionem coram Deo patre debuit obtinere, ſimiliter poteſtatem qua tam nequiter in Dei filium abuſus eſt diabolus, etiam in ſuos amittere debuit. Nec ſufficienter remuneratus eſſet Chriſtus Dominus, niſi ille in propria perſona puniatur, qui poteſtate deliquerat, illam iniquè extendendo, & qui tam nequiter abutebatur hominibus, ut armaret eos in Dei filium, & ad injiciendas in eum manus concitaret, niſi eos poſtmodùm ſentiret adverſarios. Similiter & Dei filius extenſione & amplitudine poteſtatis remunerandus fuit, ut quantò humiliùs indignis ſe ſubdidit, tantò illis poſtmodùm dominaretur ſublimiùs, & quos habuit adverſarios ad ludibrium & tormentum, poſtmodùm ſervos obtineret devotiſſimos ad gloriam ſuam, & gaudium, & acceptiſſimum famulatum.

Diaboli victoria quomodo.

Nota.

TRACTATUS NOVUS de Pœnitentia.

CAPUT I.

De efficacia, & etymologia pœnitentiæ.

SEcunda tabula poſt naufragium (qua poſt reparationem & liberationem rurſùs merſi eripimur) pœnitentia eſt adeò ſalubris, & neceſſaria, ut ſine ea baptiſmus adultos, qui naufragium mortale, præter originale, paſſi ſunt, liberare non ſufficiat. Hæc autem ſine baptiſmo, cùm tamen contemptus ejus non defuerit, nullum timet

met naufragium. Videtur pœnitentia, quaſi penè tentio dicta amiſſæ innocentiæ. Pœnitens quippe penè amiſſam innocentiam tenet, dum voluntate, & propoſito eam tenet, dum eam toto deſiderio inſequitur, toto dolore revocat, toto ſtudio, & totis viribus eam recuperare conatur. Eſt igitur voluntate, & propoſito, in ſtatu amiſſæ innocentiæ; actu verò ſolo non eſt in illo, impoſſibilitate ſolâ prohibitus. Vides igitur, quòd in ipſa innocentia eſt, & eam tenet, reputatione, & divinæ miſericordiæ magnitudine, & inde penè tenet eam, quam perdidit innocentiam: quia modicum eſt, quod ei deeſt, quominùs eam, quam perdidit, innocentiam teneat, adeſt autem ei id, quod maximum eſt ad tenendam eam. Maximum omnium, quibus innocentia tenetur, voluntas. Minimum verò opus eſt quod Deus non reputat, aut computat, ubi perfecta voluntas defuerit, hoc autem penè tenere indubitanter dicimus, ſcilicet habere maximum eorum quibus tenetur. Minimum verò, vel modicum, eo carere. Pœnitens quippe nec peccaſſe impotentia prohibetur velle, nec tenere innocentiam, quam perdidit, poteſt, totus dolet de amiſſione, totus ardet in recuperatione, totum, quod poteſt paratus eſt facere, ut eam habeat. Meritò ergo eam penè tenet, penè quippe tenet ſe, & penè hæret ipſi navi, à qua periclitatus eſt, & penè hæret litori, à quo eum procella abripuit, ſicut docere intendimus. Pœnitens omnis qui nomine, & re pœnitens eſt, tantam ſortem gratiæ jam accipit, ut ab omni debito, quo præcedenti lapſu ſe obligavit, abſolvere ſe meritò ſufficiat. Verè igitur æſtimationem omnium amiſſorum in ipſa gratia compunctionis recipit. Sortem quippe amiſſam, & uſuras in medio tempore fraudatas, poteſt ex his, quæ jam recepit reſtituere, & hæc ſequentia docebunt: & hæc eſt alia cauſa, propter quam ſtatum amiſſæ innocentiæ pœnitens penè tenens ſit dicendus, & meritò penè tenere. Non improbabiliter autem pœnitentiam pœnalem tentionem, & vel carcerem, aut mortem veteris hominis, etymologizantes, pœnitentiam dicimus. Eſt enim pœnitentia veteris hominis crux, atque patibulum, aut mors, aut carcer, aut ſepultura, qua vivus quandóque ſepelitur, quæ peccatorum genera, & pœnitentiarum modi aperiunt. Non autem dicitur pœnitens, quia ipſum ſola pœna doloris iterùm teneat, ſed quia dolor cum compunctionis urget interiùs, & labor ſatisfactionis premit exteriùs: pœnitentiam verò, & judicium propriæ condemnationis dicimus, & terminationem ægritudinis, & redditionem rationis, ſive computum, & reconciliationem ab offenſis, & neceſſitatem ſpiritualis parturitionis, & reſurrectionem ex mortuis, & ortum ſurgentis auroræ de tenebris, & Aegyptiæ ſervitutis abjectionem computreſcente jugo à facie olei, ut legitur Sap. 10. Item veteris hominis contritionem, & annihilationem, & in pulverem redactionem, velut ferientem deſuper pilo doloris, & malleo indignationis. Item de concluſione, & carcere eductionem in regnum, & ſedis ſuæ reſtitutionem, & gratiæ: per attritionis contra culpam dimicantis victoriam, & triumphum & ſi qua alia ſunt, in quibus laus pœnitentiæ, & fructuoſitas prædicetur. & ſacræ ſcripturæ nominet auctoritas, & ſanctorum doctorum eloquia conteſtentur. Ex iis autem quatuor prima diligenter proſequemur; accommodatiora enim ſunt quatuor generibus, & copioſiorem habent exhortationem. Primùm quippe, qua auctoritate judicare ſe ipſum habeat quis, vel debeat; quis eum judicem ſuper ſe conſtituerit, quibus legibus ſe ipſum judicare habeat, unde indultum ſit ei, ut in cauſa ſua

A judex eſſe debeat, & quo ad quid judicare ſe ipſum, & qua auctoritate rata ſit, quam de ſe tulit ſententiam, & utrùm ex delegatione, an ordinarius ſit judex ſui ipſius, & ſi neceſſe eſt retractari judicium, quod de ſe ſibi fecerit, & ſi auctoritate fretus, vel delegatione ſe ipſum judicat, utrùm habeat inſtrumentum authenticum ſuæ delegationis, quo clarere debet, quòd facta ſit ei ſuæ cauſæ commiſſio, an ſit aliquid aliud, quo judicem ſui quivis ſe poſſit oſtendere: ſententiam enim à non judice ſuo latam, nullam eſſe ipſo jure, nec remedio appellationis egere, reverà ipſa jura docuerunt.

CAPUT II.

Tractatus primus de pœnitentia, prout eſt judicium propriæ condemnationis, & de conditionibus judicij.

B HOminem igitur libertate arbitrii ſibi ipſi præditum eſſe: omnium ratiocinatio ſanctior, & major piæ, ac veridicæ fidei auctoritas conteſtatur. Hoc ex ethnicorum, & mundanorum philoſophorum, qui de moribus ſcribere attentaverunt, teſtimoniis eluceſcit. Si enim vel naturæ intentio, vel vis invincibilis libertatem voluntatis hominum abſtuliſſet, vana eſſet omnium legum inſtitutio: nihil imputandum eſſet homini, cùm vel neceſſitate naturæ prohiberetur, quominùs faceret, aut in vinculum conjecta ratione invitus ad faciendum traheretur. Quare nec benè, nec malè quicquam fieri poſſet ab homine, ſupervacui etiam eſſent magiſtratus, & magiſteria morum. Non enim agendum eſſet cum hominibus de morum ſuorum emendatione, ſicut cum brutis animalibus, aut lapidibus, cùm eos aut impoſſibilitas naturæ premeret, aut violentia raperet ad agendum. Inquirens autem anima rationalis inquiſitione perſcrutata, & interrogans ſe ipſam, utrùm liberum ſit ei facere benè, vel malè, vel utrùm voluntariè operetur, & voluntariè declinet opera; reſpondebit, etiam, non quidem per ſigna, quæ plerunque fallere ſolent, ſed ipſa præſentia veritatis, quam intra ſe pœnitens conſpicit, ſe nullatenùs trahi ad operandum, niſi voluntate, & ſe non deſiſtere ab operibus, niſi voluntate. Num igitur extra te ipſum, an tui juris, & tuæ voluntatis ſis, an tibi ſubditus ſit tuæ voluntatis conſenſus, ut illud, quod te ſtimulat, ipſe declinare poſſis, ſi velis, aut ab eodem te avertere, ſi volueris. Quòd ſi quis victus eſt ex conſuetudine, & ea tanquàm altera natura trahi conſuevit, licet conſuetudini reluctetur, & obvier, interroget ſe, utrùm delectet eum facere, quod de conſuetudinis neceſſitate facere ſe dicit, an non delectet: quòd ſi delectat, igitur libenter facit, quod delectabiliter facit; ſi verò non delectat, non ergo eſt amore, vel deſiderio, obligatus hujuſmodi operi. Quare non trahitur amore, vel deſiderio, ad illud. Non eſt ergo ei conſuetudinarium opus illud. Conſueta enim omnia neceſſariò amantur. Liquet ergo hominem ſcilicet ipſa libertate voluntatis præditum, eſſe rectorem, aut ducem, ſui ipſius. Unde rectè animam humanam corporis reginam philoſophi dixerunt. Tullius verò rectiſſimè dixit rationem eſſe regnum animæ à natura divina tributum. Hoc etiam ipſa natura nos docet. Primùm quidem nos docet ipſe ordo naturalis juſtitiæ, monere eos, qui nos læſerunt, ut læſionem emendent, quod eſt primum petere ab eis, ut de ſe ipſis juſtitiam exhibeant, quaſi judices ſui eos eſſe, & ſibi ipſis præeſſe nos ipſa natura docuerit. Cùm autem nobis de ſe ipſis negant juſtitiam, ad ſuperiores eorum cauſam deferi-

De libero arbitrio.

C

D

re nos ipſa juſtitia docet. Juſtitia autem & omnis virtus etiam teſte Ariſtotele, eſt omni arte certior, & melior. Hunc ordinem juſtitiæ docet ipſa veritas Matth. 18. Leges autem, & ſtatuta, quibus ſe regere, & judicare debet homo in corde ejus ſuperior exaravit diſpoſitio, ut ait quidam, lex naturalis, ipſi homini innata naturaliter impreſſa, & inſcripta. Eſt autem lex iſta velut literæ ſuæ delegationis ſuper ſe ipſum, quod ex continentia, & tenore ipſarum clariùs poterit elucere, his literis appenſum eſt ſigillum, & imago cœleſtis imperatoris; eſt enim ipſa ſui ſyntereſis, ſuperior ſcilicet animæ noſtræ pars, & dignior, imago beatæ, & glorioſæ Trinitatis, quod hic diſſerendum non eſt. Hoc igitur divinæ impreſſiones ſigillo, ſive ſignaculo, ſeu charactere literæ legis naturalis appenduntur. Judex ſui ipſius ex divinæ auctoritatis delegatione cognoſcitur homo. Hujuſmodi igitur auctoritate mandati de conſequentibus injunctum eſt juſtitiæ plenitudinem exhibere. Si igitur Deus ipſe de homine conqueratur, & cum ipſo judicari velit, tantò magis ei de ſe juſtitiam exhibere, quantò magis, & non injurioſus eſſe tenetur. Dominum autem velle cum homine judicari, & paratum eſſe ſtare judicio ejus, multis ejuſdem teſtimoniis in ſacra ſcriptura clariſſimum eſt. Hierem. 47 Judicemur ſimul una. Narra ſi quid habes, ut juſtificeris, pſal. David: Ut vincas cùm judicaris. Michææ 6 O homo indicabo tibi, quid ſit bonum & quid dominus requirat à te, utique facere judicium, & diligere miſericordiam: & alius: judicium Deo cum hominibus. & multa hujuſmodi. Job autem in perſona Chriſti Si recuſavi cum ſervo meo, vel ancilla mea judicium ſubire. Tanta eſt Dei omnipotentis juſtitia, ut noſtris legibus, & conſuetudinibus

Nota. nobiſcum judicari non dedignetur, ſicut in conſequentibus docebimus Mirare, & lauda Dei juſtitiam, quæ noſtræ conſuetudinis juſtitiam non recuſat Redeamus autem & oſtendamus illud lucidiùs ex ipſius legis naturalis mandato. Si verum eſt, quòd homo quemcunque alium auctoritate legis naturalis lædere prohibetur: ſi verò læſerit, læſionem emendare eadem legis auctoritate jubetur, & omnia damna irrogata reſtituere. Sicut autem lege illa, quam utique ſibi innatam, & inſcriptam gerit; jubetur nullum lædere ſic etiam à læſione ſui ipſius deſiſtere, & quantùm poſſibile fuerit, ad innocentiam redire Innocentia quippe eſt in præcepto legis naturalis, à qua ſi cadere contingit, per ſatisfactionem ſolam, cùm ſatisfaciendi aderit facultas, ad eam redire licebit. Vides igitur quaſi legens in temetipſo velut quibuſdam divinę ſcripturæ literis, innocentiam ſervandam, amiſſam revocandam, quo ad poſſibile eſt. adeò quippe re vocandam, ut nihil nocumenti inemendatum relinquatur, ſi facultas emendationis affuerit; ſin autem quomodò poſſibile eſt, innocentia, voluntate & propoſito revocetur Sed & illud dubium non eſt legem naturalem, & innocentiam, voluntati imperare, & prohibere nocendi voluntatem. Quis enim putet eſſe licitum, & conceſſum jure naturali velle cuiquam injuriari? Ampliùs. Lex naturalis de benè actis gaudendum docet indubitanter, & de malè actis dolendum, quos manifeſtè indicant dolores pœnitentiales, quos etiam naturaliter pro noſtris malefactis patimur. Juſtitiæ enim naturalis illud ſeminarium, nec in ipſo Cain ſuffocatum eſt; doluit enim quòd commiſiſſet fratricidium, & faciem domini erubuit, & quantus eſſet dolor verbis deſperationis expreſſit, dicens Geneſ. 4. Major eſt iniquitas

E mea quàm ut veniam merear. Nobis autem adhuc ſermo eſt de pœnitentia, quam natura ipſa poſt malefacta ſuggerit, & de flagello conſcientię quod eſt ſumma pœnarum, & de ſyntereſi animi, & de occurſu ſcelerũ, quę undique, ut dicit Tullius, ad tanta crimina occurrunt etiam, ſicut furiæ. Quoniàm igitur maximam oportet eſſet injuriam, ubi maxima debetur juſtitia. & minorem, ubi minor eſt ad juſtitiam obligatio, omnium peccatorum, & injuriarum perniti oſiſſimas, & iniquiſſimas eas, quæ in Deum ſunt eſſe neceſſe eſt: quæ verò in proximos committuntur, minores ſunt iniquitates abſque dubio. Jam ergo claruit tibi ex his, quæ diximus, hominem judicem eſſe conſtitutum ſuiipſius ex delegationis auctoritate. Scito tamen limitatam eum habere ſupra ſe juriſdictionem, & certam formam mandati ſibi per-

F ſcriptam Non enim commiſſum eſt illi, niſi quod facit ad condemnationem ipſius, hoc autem eſt, quoniàm cauſam domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper juſtam eſſe, neceſſe eſt. In judicio igitur, quo clementiſſimus, ac juſtiſſimus, Deus contra hominem agit, ſi juſtè quidem judicetur, Deum obtinere, & hominem propriæ condemnationis neceſſe eſt portare ſententiam Quia inſtantia autem & importunitate Deus ab ipſo petat homine de ſe ipſo cauſam, & juſtitiam ſuam examinari, deducique in judicium læſiones, & injurias, quas ab homine ſibi dicit irrogatas, ſingulis ferè propheticorum eloquiorum teſtimoniis eluceſcit. Clamat autem fortiùs illa lex naturalis, quam toties commemoravimus, quæ injurias Deo irrogatas inſtinctu vehementiſſimo ſuggerit emendandas, & ab irrogandis cavere de cætero, jugi objurgatione perſuadere conatur. Vides igitur hominem intra ſe exercere omnes partes judicii de cogitatione

G malorum, ſe ipſum. velut ſi contra ſe ſit conſtitutus procurator, accuſat, dum conſcientia recognoſcente, quæ contra ſe ipſum ſunt, proponit. Cogitatio contra ſe de illis dicit teſtimonium, dum mala ipſa exaggerando ex circunſtantiis, contra ſe velut ferens ſententiam, proprio ſe condemnat judicio & Deum juſtificat, cauſam ei totam adjudicans, dum velut gladio doloris, & clava indignationis ſeipſum ferit interiùs, tortorem ſe ſui ipſius exhibens, & ſententiam, quam in ſe ipſum tulerat, executioni quodammodò mandat, fitque executor propriæ contra ſe ipſum ſententiæ. Et hæc quidem ſibi injuncta omnia in litteris commiſſoriis ſuæ delegationis legit. & commiſſum agnoſcit ſibi ſuę damnationis judicium Nihil autem ſuper ſua abſolutione ei: commiſſum eſt, eo quòd Deo adverſùs ipſum nihil proponente, quaſi accuſatore, nihil omninò poſſet ex illius delegationis officio, in favorem quippe actoris totum

H vergit delegationis authenticum. Quia igitur fruſtra cauſã ſuã homini cõmiſiſſet clementiſſimus, ac juſtiſſimus Deus niſi ratũ haberet jus juſtũ judiciũ potiſſimùm cùm cauſam illam divinis legibus & examinaret, & terminaret, nulla ratione poteſt revocare judicium hujuſmodi, cùm juſtum fuerit. Qualiter enim recuſatio locum habebit in judice ab initio electo, cùm poſtea nulla nova cauſa ſuſpitionis emerſerit? Deinde ſciens. & prudens talem elegit dominus, de jure ergo ipſum revocare non poteſt. Qualiter verum eſt, quòd non judicabit dominus bis in idipſum, ſi quod auctoritate ſua, & legibus judicatum eſt, ipſe retracturus ſit poſtmodùm? Ampliùs. Si juſtè judicatum eſt in foro illo, utique jus ſuum totum Deo adjudicatum eſt; ultra jus verò ſuum nec Deus. nec homo juſtè quicquam petere poteſt. Quare cùm rei judi-

cata

catæ homo parere paratus ſit, quid deus ulteriùs exi-
gere poterit? Sed quomodò verum eſſet quod Da-
vid dicit: juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus.
Quæ utique ſedes anima humana intelligitur, ni-
ſi de juſtitia hac, & judicio intelligeretur? Sola
quippe juſtitia, & judicium quod interiùs, & ex-
teriùs, nobis facimus, correctio vera eſt, interiùs
nos judicantes, ut diximus, & pœnitentes exte-
riùs ſibi per confeſſionem quidem accuſantes nos,
& per ſatisfactionem punientes; propter hanc ju-
ſtitiam, & hoc judicium pœnitentiale ſecurè pe-
tebat David: Feci judicium, & juſtitiam de me
ipſo ſcilicet tibi: quod eſt correctio vera: Nec er-
go tradas calumniantibus me; & Job 34. Nunquid
qui non amat judicium, ſanari poteſt? Lege au-
tem 43. Ezec. quod totum de pœnitentiali judi-
cio, & juſtitia loquitur, & videbis, quia totam
juſtificationem peccatoris vocat dominus judicium
& juſtitiam quæ duo nullo modo aliter correctio
B ſedis Dei intelligi poſſunt quàm ſicut diximus. So-
la quippe pœnitentialis juſtitia, & judicium cor-
rectio noſtra ſunt, & peccatoris adulti juſtificatio.
His ſolùm Deo de nobis conquerenti ſatis fit, & jus
ſuum ex toto reſtituitur, & hic eſt ordo juſtitiæ,
ut Deo de nobis conquerenti primùm juſtitiam
exhibeamus, & judicium faciamus, deinde aliis
de nobis ipſis primùm judicare, & juſtitiam exhi-
bere, deinde aliis nos oportet, & Deo primùm,
& deinde aliis. Ecce jam oſtenſum eſt tibi de jure
naturæ pœnitentiam interiorem eſſe, & naturæ in-
ſtinctu eam agi, velut quendam inter Deum, &
hominem judicem. Veruntamen noſtram naturam
ad hoc ſufficere, ut vera, & perfecta ſit pœniten-
tia interior, impoſſibile eſt, an putas de manibus
diaboli quemquam viribus ſuis eripi poſſe? cùm
de eo dominus dicat Job 41. Factus eſt, ut nullum
timeat, & non eſt poteſtas ſub cœlo, quæ ei valeat
comparari. Putas-ne naturam pondere mortalitatis
obrutam, concupiſcentiarum irretitam, & onuſtam
conſuetudine ſua, velut quodam aggere operum
ſuorum, ſepultam, difficultatibus inextricabilibus
C undique occluſam, & tanquàm immutatam, tene-
bris circundatam, poſſe ex ſe illuminari? quæ qui-
dem dorſum habens ad lucem veram, à poſteriori
nequit illuſtrari, ab interiori verò ſuo pecato ipſa
occluſos, & obſcuratos habet oculos, dum in
oculo intellectus eſt ejus peccatū per meditationem
& in oculo affectus per amorem; peccatum igitur
meditatione ſua obſcurat oculum intellectus, aliud
cogitari non ſinens, an videtur tibi mediocriter
vulneratus, qui de manu Dei cecidit in aculeos, &
gladios, & in manus duriſſimas diaboli? Conſide-
ra caſus peccati altitudinem. Juſtus quippe cùm
eſſet, anima ejus erat in manu Dei: peccatum ve-
rò, in quod cecidit, & aculeus mortis, & gladius
ſæpiſſimè vocatur. In manus verò diaboli pecca-
torem cecidiſſe non eſt dubium. An poterit lampas
extincta per ſe ipſam iterùm reaccendi, & cereus
ſimiliter? Juſtus verò lampas eſt, ut legitur Jo. 12.
& de Joanne Baptiſta dicit veritas: Erat Joannes
lucerna ardens, & lucens. In corde enim juſti ſunt
D lux veræ cogitationis, & ardor ſanctæ dilectionis,
& ita lucerna, & cereus nominatur. Putaſ-ne chaos
peccati parvum eſſe, quod inter Deum, & hominem
dividit? legitur Iſ. 9 Peccata diviſerunt inter Deum
& nos: & ejuſdem. Quia ſicut exaltantur cœli à ter-
ra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, &c. At-
tende quid dicat David, qui ſuper ſenes ſe intelle-
xiſſe gloriatur: ſecundùm altitudinem cœli à terra:
corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes
ſe Educit quidem dominus peccatorem de lacu
miſeriæ, & de luto fœcis, convertit ex baſam pro-
A fundum maris Erigit de ſtercore pauperem, ut
collocet eum cum principibus populi ſui. Et 30.
Reg. 2. De ſtercore utique, ſuæ converſationis,
in quo ſepultus erat, elevans pauperem, dicit do-
minus. Attende, quàm in altum elevet eum, ut
ſedeat cum principibus, cum ſanctis ſuis & ſo-
lium gloriæ teneat Solium gloriç teneat in ſe ip-
ſo, cùm ſibi legitimè imperat, & ſibi ſubditas
vires, & membra glorioſè regit, & moderatur.
Qui priùs cum filio prodigo paſcebat ignominioſè
porcos infernales, & cupiebat impleri ventrem de
ſiliquis, nunc panem Angelorum manducat, &
pro eo illud ſolemne totius curiæ cœleſtis celebra-
tur convivium, & in medio applauſu, & gratula-
tione innumerabilium cœleſtium militiarum, mi-
ſericordiæ ſuavitate reſonat concentus ſymphoniæ
& chori. Commetire altitudinem cœli à terra; hæc
enim eſt altitudo miſericordiæ Dei, ut de paſtore
quidem porcorum infernalium in filium adoptionis
B & hæredem regni cçlorum, de fame filiorum ad
Angelorum convivium te elevet. An putas alium
picturatorem, & decoratorem divinæ imaginis in
nobis, quàm ipſum imaginis creatorem, & quo-
dammodò artificem Deum? an videntur tibi colo-
res illi virtutum adeò nobiles, & pretioſi quibus
illuſtranda, & venuſtanda eſt Dei imago, terreni
eſſe? Abſit. Nullatenùs poteſt dubitari, nullam
naturam ſupra ſe poſſe. Ad ea igitur ſpe gratiæ ele-
vati ſunt, cùm infra gloriam, & ſupra naturam,
ſit gratia media; nihil poteſt ſupra ſe creatura,
per modum quidem receptionis recipere gratiam
& gloriam, nata eſt anima mea, ſed efficere, &
largiri ſibi nullo modo, ſed & vires ſuas ſibi repara-
re & comparare, cùm læſæ, aut debilitatç fue-
rint, aut mundare, cùm in volutabrum porcorum
infernalium immerſæ fuerint non eſt ſuæ poſſibi-
litatis. Qui autem in his adhuc dubitat, aut caſum
mortis illum nondùm ſe expertum glorietur, &
gaudeat in dño, aut difficultatē reſurrectionis igno-
rat, aut eam nondùm viriliter attentavit, adhuc
in ſterquilinio peccatorum ſuorum ſepultus, &
C putreſcens, aut adhuc divinæ gratiæ ſe timeat de-
tractorem, dum vel naturæ, quod gratiæ erat tri-
buit, aut magnitudinem gratiæ non agnoſcit. In-
de autem morbum, & vulnera peccatorum agnoſ-
ces, & difficultatem tuç curationis, ſi de ſolo pa-
latu cordis tui conſiderationem diligenter feceris,
attendens quàm difficile ſit tibi, ut bona omnia
tibi benè ſapiant, & mala omnia tibi deſipiant.
Qui credis vi naturæ fieri poſſe, ut moleſta ſit tibi
ſuavitas præſentium voluptatum, & moleſtia ipſa
ſuavis, & divitiæ tibi ſint paupertas, & pauper-
tas divitiç, ut gloria mundi tibi ſit ignominia &
contumelia; & ipſa mundi ignominia ſit tibi ho-
nor, & ſapientia, mundi ſit tibi ſtultitia, & econ-
verſò. Attende quàm longè tibi ſit corruptio pa-
lati cordis tui ab hac ſapientia: an non vides de-
ſursùm ſapientiam eſſe, qua omnia illa tibi ſapiunt,
& contraria deſipiunt. An videtur tibi noſtræ poſ-
ſibilitatis eſſe converti toto corde ad dominum,
& eccleſiam cœleſti magiſterio eruditam ſtultè Nota.
D clamare inceſſanter: Converte nos Deus ſaluta-
ris noſter? Qua cæcitate putas eam à Deo petere,
quod ipſa in poteſtate, & libertate habet ſua, ſibi
dari? Sed reverà conari poteſt utique ad converſio-
nem ſuam unuſquiſque, quemadmodùm ægrotus
qui infirmitate preſſus, vertere ſe non poteſt, co-
natur tamen utique & petit ab aſtantibus adjuvari,
& etiam rogat, ut vertant eum: Vertite me dicit.
Propter hoc autem, quod noſtrum eſt in conver-
ſione noſtra hoc eſt, propter conatum noſtrum,
tota die clamat dominus: convertimini ad me,

Digitized by Google

Propter illud verò, quod Deus addit auxilium ſuum ad adjuvandam infirmitatem noſtram, & ſupplendum defectus noſtros, clamat eccleſia: Cõverte nos. Utrunque autem jungit dominus Hiere. 15. Si converteris, convertam te Eccl. 21. Utrunque ſimiliter jungit clamans ad dominum dicens: Converte me domine, & convertar; quia tu dominus Deus meus; poſtquàm convertiſti, egi pœnitentiam, & poſtquàm oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Cùm igitur enitimur ut poſſimus quod noſtrum eſt, facientes, operi manuum ſuarum porrigit dextram dominus, & facit quod ſuum eſt. Tenet utique manum dexteram dominus, deducit nos in voluntate ſua de virtute in virtutem, & laudem, in gloria ſuſcipiet nos, cùm videbitur Deus deorum in Sion. Cui videbitur viribus ſuis poſſe volare in cœlum? non poteſt mentiri veritas, quæ clamat Jo. 6. Nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me traxerit. Non utique violentia, aut neceſſitate, ſed amore, aut deſiderio ſui, ſicut dicit Poeta. Trahit ſua quemque voluptas. Noli ſuſpicari quemquam placere Deo, niſi donum ejus fuerit. Quid credis in te poſſe eſſe quod omnipotenti Deo placere debeat, niſi quod ab ipſo datum fuerit? an ex nobis quicquam ſine ipſo, Dei aſpectui placiturum naſci poteſt? Sed hæc omnia magiſterio experientiæ meliùs, & certiùs edoceberis, cùm ſtudueris & conaberis totis viribus in captivitatem redigere intellectum tuum; in obſequium Jeſu Chriſti ſicut leg. ad Cor. 2. cùm concupiſcentias tuas, velut quoddam mortis incendium curaveris, & virium tuarum imbecillitas, & divinæ gratiæ magnitudo tibi clareſcet

CAPUT III.

De accuſatione Dei contra peccatores.

Nunc ergo cauſam, quam habet adverſùs peccantem hominem clementiſſimus, ac juſtiſſimus Deus examinare perſcrutabimur, & terminare tentabimus. Sex igitur cauſis totum hominem ſe ipſum Deo debere, intuentibus facilè palam fiet. Primùm, quia totum ſe ipſum à Deo per creationem recepit, hoc eſt totum, quod vivit, & movetur, corpus, & animam, vires naturales, & membra: omniũ ergo iſtorum debitor eſt ei, à quo hæc omnia indubitanter accepit, ſive mutuo, ſive dono accepit, magis quippe obligat doni liberalitas, quàm juſtitia in mutuo, & magis delinquit ingratus erga beneficum quã fraudator contra commodatorem. Jure igitur creationis ſe totum cum omnibus ſuis debet homo creatori ſuo. Similiter & jure cõſervationis. Si enim alius eſſet iſtorum cuſtos, quàm Deus, illa omnia eidem deberet, cùm per ipſum omnia habeat. Non enim minus eſt meritũ quàm quærere parta tueri. Quia igitur hęc omnia, quę data ſunt, amiſiſſet, niſi eadem largitoris bonitas conſervaſſet, indubitanter merito, & jure conſervationis eidem debitor eſt ac ſi ab eo de novo, ſive iterata donatione omnia illa recepiſſet. Tertiò jure, & merito redemptionis, quippe cùm hæc omnia amiſiſſet jure, & ſe morti æternæ obligaſſet, dignus quippe erat hæc amittere qui eis tam indignè abuſus erat, & ex divinæ juſtitiæ decreto æternis erat plectendus ſuppliciis; meritò ergo ei, qui hęc omnia ei reſtituit, & eum de æterna morte eripuit, ſeipſum in pretiũ redẽptionis impendens, totum ſe debet cum õnibus his, quę eidem ſunt redemptionis iſtius beneficio reſtituta. Quartò jure reformationis, quam intelligimus omnium virtutum decorem de qua dubitari non debet, quin major ſit, & melior ſuper omnem com-**E**parationem, quàm ſit ipſa forma, & pulchritudo noſtra, quam ex creatione ſuſcepimus. Si igitur illa ſe totum hominem Deo jure, & merito obligabat, cùm minor eſſet, manifeſtum eſſe debet illam majorem ad majus, ſi fieri poſſet, obligare. Totum igitur ſe debet homo Deo propter reformationem ideſt ſervi ſui poſt creationem ex virtutibus quodammodò recreationẽ. Quintò propter ipſius reformationis conſervationem, quæ reformatio quia major eſt formatione, neceſſariò & ejus conſervatio major erit illius formationis conſervatione. Sextò jure, & merito glorificationis quæ homini promiſſa eſt. Quid enim dignum promiſſa glorificatione poterit retribuere homo Deo? Etiamſi centum vitas, immò innumerabiles, immò ſi omnia quæ habet ipſe homo, infinities multiplicarentur, nullius momenti, nullius comparationis, eſſent ad eam, quæ promiſſa eſt homini glorificationem. Si **F** venalis expoſita eſſet fœlicitas illa quæ ſanctis in fine promittitur, ſi tua eſſent, quæ tibi conceſſa ſunt, non reputares ea comparatione illius, niſi fortaſſe cœcus eſſes æſtimator ad modum canis, de quo vulgariter, & ridiculosè dicitur, cùm tenet os & avidè rodit quòd non acciperet pro eo centum marcas. Hoc modo comparatus eſt cœcatus jumentis inſipientibus peccator, qui appretiatur temporalia viliſſima quæ amat pro quibus recuſat fœlicitatem æternã à Deo recipere. Verum eſt igitur, quòd te totum, totamque vitam tuam cum omnibus aliis quæ habes, debes creatori, totum conſervatori, totum redemptori, totum reformatori, qui te formâ illâ gratuitę novitatis illuſtravit, quæ eſt (ut aliàs diximus) veſtis omnium virtutum ſpecioſa varietate opere plumario, atque polymita contexta: tantò **G** quidem nativo illo decore, quem ex creatione ſortitus es, nobilior, prętioſior, & ſpecioſior, quantò eſt ipſi pulchritudini juſtitiæ vicinior: totum ergo iterùm, te debes tantæ illuſtrationis tuæ conſervatori, deinde te debes glorificatori. Non igitur quicquam uti, aut eorum, quæ tua ſunt, tibi uſurpare debes, niſi quod ipſe, cui omnia debes, indulſerit. Omnium ergo eorum raptor es, & furti crimini te obligas pro omnibus, quæ contradicente, & quaſi invito domino eorum omnium, quæ ad te pertinere videntur, aut contrectaſti, aut expendiſti, aut quolibet alio modo in uſus tuæ proprię voluntatis uſurpare tibi jure alieno præſumpſiſti. Deum igitur habere furti actionem adverſùm te manifeſtũ eſt: quòd ſi quicquam, quod eſſet divinis uſibus conſecratum rapere, ſi templum, quod in honorem ejus conſecratum ſciebas, polluere, aut violare veritus non es, ſacrilegii actione tecum poſſe agere Deum non dubites. Memento igitur Baptiſmalis conſecrationis, qua templum Dei ſanctum factus es, & in honorem **H** divini nominis conſecratus. Si templum illud porcorum infernalium volutabulum feciſti per luxuriam, ſi fanum idolorum, & ut vulgò dicitur ſcholam per avaritiam, quæ idolatria eſt, ut dicit Apoſtolus ad Ephe. 2. ſi & arcem, & munitionem diaboli per ſuperbiam, ſi cavernam reguli per invidiam, ſi vulpiũ infernaliũ latibulũ per doloſitatẽ, ſi cubile leonis, qui circuit quærens, quem devoret, ut dicit Petrus in 4. per iracundiam, & ad hunc modum de aliis vitiorum peſtibus, ſacrilegæ executionis reatu polluiſſe te ipſum manifeſtum eſt. Quid de crimine apoſtaſię loquar, cujus tam eſt manifeſta perpetratio quã manifeſta in baptiſmo fidei confeſſio, & divini cultus promiſſio, & diaboli negatio, & omniũ pomparũ ejus abrenũciatio, dũ ab eo averſus diaboli ſervitio te mancipaſti, & ſervituti diabolicę ſubdidiſti? Quid de adulterio ideſt de violatione matrimonii, quod cum Deo in baptiſmo contraxiſti, cujus irri-

tam

tam fidem feciſti? quoties vitiorum te fornicationibus polluiſti? Fides quippe ſpiritualis hujus conjugii vitiorum abdicatio eſt. Qui igitur ad torum conſcientiæ tuæ quodcunque ex vitiis admiſiſti, torum maculaſti maritalem proculdubiò, & crimen adulterii incurriſti. Cùm autem non dubites te regem eſſe, quod te docet unctio baptiſmalis (non enim unguntur ſacra unctione, niſi reges, & ſacerdotes) & tua omnia velut regnum eſſe, quod fidei tuæ, & ſolicitudini divina tribuit auctoritas ſub certi tamen onere tribuiſti, ſi contra Imperatorem illum univerſalem, in cujus manu ſunt omnium regiminum jura, rebellaſti, & alium regni tui dominum conſtituere, & eidem tributum ſolvere, quod Deo debebas, præſumpſiſti; ejecto verò domino, cui omnem fidem te debere, dubitari non poteſt, te crimen proditionis, & læſę majeſtatis. incurriſſe palam eſt, ſi cum eius capitalibus inimicis fœdus, & amicitiam, inire non timuiſti, immò eſſe te reum læſæ divinæ majeſtatis ab initio, & pro crimine illo condemnatum, manifeſtum eſt; fœdus dico, & amicitiam contra Deum iniiſti, nunquã te in eodem reatu majeſtatis non involviſti, diabolum verò ab initio reum fuiſſe læſæ divinæ majeſtatis, inde manifeſtum eſt, quòd regnum in cœlo ſibi voluit uſurpare, unde eſt irrevocabili exilio relegatus. Eodem modo cogitare debes te à Deo conſtitutum cuſtodem eius, quòd tu ipſe es caſtri, & defenſor es contra hoſtes ſuos. Quòd ergo ſic non implorato auxilio, non expectato ſuccurſu ab ipſo Deo prima obſidionis caſtrametatione caſtrum tradis hoſtibus, aut prævenis hoſtes ipſos, & hoc ipſum crimen eſſe proditionis certum eſſe tibi manifeſtum eſt. Quid dicere poſſum de traditione clavium ipſius caſtri, antequàm obſidearis, vel etiam impugneris? Clavis hujus caſtri eſt cogitatio; hæc enim caſtrum aperit, hæc introducit diabolum ad cor, ſi clavem iſtam diabolo tradis ſponte, cùm nondùm impugnaris, cùm nondùm te urget ad traditionem aut inſultus, aut obſidio, nunquàm reatum proditionis effugies. Clavem iſtam diabolo tradis, quoties cogitatio tua in manu ejus eſt ſive apud ipſum; toties autem fit hoc, ſcilicet, quòd cogitatio tua in manu ejus eſt quoties ad voluntatem ejus cogitas. Facis ergo diabolum clavigerum cordis tui, & caſtri, quod Deus fidelitati tuæ commiſerat. Quantò ergo cuſtos tu infidelis es, qui hoſtis facis clavigerum, aut oſtiarium? Diſce autem in tuto ponere clavem cordis tui. Sap. 5. Cogitatio eorum apud altiſſimum. In tuto eſt cogitatio juſtorum. Illuc enim non eſt diabolo accedere. Ampliùs Cogitationem volvere eſt clavem cordis ad apertionem ipſius torquere. Noli ergo pati à diabolo, ut torqueat huc, & illuc iſtam clavem, torquendo eam cor reſerabit diabolus, ſed omni cuſtodia ſerva, ipſam ergo clavem in tuto, & occulto repone, ut diximus ſed & omnia ad uſuram te accepiſſe, quæcunque à Deo accepiſti, te veritas evangelica docet. De ſorte igitur, & uſuris rationē reddere debere certum eſt. Quid ergo ſi ſortem ipſam amiſiſti. Item omnia tibi ad diſpenſandum tradita, & te debere fungi officio villicationis, eadem auctoritate doceris; te igitur debere rationem reddere villicationis non dubites. De fraudatis igitur, & malè diſpenſatis domino teneris, quæ, quot, & quanta ſunt, loco ſuo docere attentabimus. Vineam domini te eſſe divinæ providentiæ diligentia excultam, & ornatam Iſa. 1 docet, fructus igitur te debere agnoſcito; quòd ſi pro uvis labruſcas attuleris, te illi ſententiæ, quam Iſa. 8. dicit, ſubiacere debere adverte. Quid ſi arma, & ſtipendia tibi ad militandum contra hoſtes ſuos, & etiam tuos, tibi dedit dominus: tu verò contra Deum divinis ſtipendiis diabolo militaſti? Hoc autem ſpecialiùs clericos tangit, qui propugnatores aliorum conſtituti ſunt. Unde & in coma more propugnatorum attonſi ſunt hi redditus eccleſiaſticos velut quædam ſtipendia militiæ ſuę percipiunt per ſe, & aliis militaturi. Quid ſi diabolo membra tua dediſti, quibus contra Deum pugnaret ut legitur ad Ro. 6. Si te ipſum diabolo gladium feciſti? Hi ſunt perſecutores bonorum; ſicut enim Nabucodonoſor virgam furoris domini, & ſecurim ſuam dicit dominus Iſa. 10. & baculum ſuum, ſimiliter perſecutores ſanctorum gladios aut baculos diabolicos ſe agnoſcant. Proverb. 2. Gladius, & jaculum, & ſagitta homo qui loquitur contra proximum falſum teſtimonium, & filii hominum dentes eorum arma, & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus. Quod utique & ad pugnandum contra Deum, & pro ipſo ratione intelligi poteſt. Hieronymus enim rectè dicit, quòd ſpecies muliebris gladius flammans eſt, ſive ignitus. Eccl. 7. ubi dicitur quòd mulier ſagena cor ejus, & ipſa eſt laqueus venatorum infernalium, intellige, & quòd manus ejus vincula ſunt. *Nota.* Sap. verò 14. dicitur: creaturæ Dei factæ ſunt in odium, & in tentationem animæ hominum, & muſcipulam pedibus inſipientium. Quid ſi laqueum venatoribus infernalibus, ſi muſcipulam, ſi ſagenam infernalib. piſcatoribus te exhibuiſti? ſi te toto dominum impugnaſti? cujus te totum debebas ſervitio: multa hujuſmodi facile eſt enumerare. Poſt hæc omnia ad denariũ redeamus: primùm quidem igitur, quoniã Deus veritas eſt, fides ei debetur. Quis enim dubitet veritati credendum eſſe? Qm̃ judex juſtitiæ eſt, debetur & timor. Quis enim dubitet juſtitiæ judicem timendum eſſe? Unde Job 9. Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. Qm̃ pater miſericordiarum eſt, debetur ei ſpes. Quis enim dubitet in patrē miſericordiarum ſperandũ eſſe? Quoniàm altiſſimus eſt, debetur ei honor. Quis enim dubitat regem omniũ ſæculorum, & dñm, honorandum eſſe? Quoniàm agimus in oculis ejus, cogitamus, & loquimur quoniàm occulta dedecoris noſtri, omnes turpitudines noſtræ nudæ, & apertę ſunt oculis ejus, debetur ei pudor. An dubites non erubeſcendum nobis in conſpectu ejus qui adeò ſordidati, atque carbonati, & maculati, atque in tot latrociniis deprehenſi apparemus jugiter in conſpectu ejus? *Nota.* Quoniàm dulciſſimus ac ſuaviſſimus eſt, debetur ei amor. Quis enim dubitet bonitatem illam amandam eſſe? Quia dominus, debetur ei obedientia. quia pecuniam ejus velut ſortem capitalem ab eo ad negociandũ accepimus, debemus ei rationem villicationis noſtræ, ſive computum negociationis noſtræ. Et hæc eſt una ex cauſis quare confiteri debemus, cùm non ſit aliud confiteri, quàm totius vitæ ſuę rationem, ſive computum reddere. Quis enim eſt alicuius diſpenſator qui non ei cujus pecuniam diſpenſandam accepit, computum, & rationem reddat, quoties juſtum eſt? Quoniàm beneficus gratitudinem ei debemus. An videtur tibi quòd licere poſſit cuiquam, ut Deo tot, & tantorũ beneficiorum largitori, ſe ingratũ exhibeat? Quòd medicus eſt, errorũ, & vitiorum patientia ei debetur. impatientem enim & inobedientem impoſſibile eſt curari. Nullo enim magiſterio curabuntur errores inobedientis, & impatientis, nec morbi eius, aut vulnera, qui medicamen reſpuit, & repellit, materia medicinali, nunquàm ſanabuntur. Si ergo unum illorum Deo negaſti, actionem ſaltem injuriarum habet Deus adverſùs te. Hæ igitur ſunt actiones, quas habet Deus adverſùs peccatores.

CAPUT IV.

De utilitate & neceſſitate confeſſionis.

CUm igitur in judicio, quod inter te, & Deum te præſidente, agitur, advocatus, & judex procurator, & teſtis es Dei: omnia hæc fideliter proponere, & magnificare, ſeu aggravare, deinde teſtificari, & ſecundùm hoc teipſum condemnare, ſeu judicare, teneris. Ne autem ignorantiam juris, aut facti fortaſſe cauſeris, datus eſt tibi velut aſſeſſor hujus judicii, & adjutor ſacerdos, qui te plenè in jure illo inſtruat, qui te examinare cauſam doceat, hoc eſt jus, & factum, qui te leges, & divina ſtatuta doceat; hoc enim ſacerdotibus incumbit, noſſe leges, & judicia Dei: hujus judicio commiſſum eſt examinandum judicium tuum, ne vel ignorantia juris, aut facti ſemitas judicii perverteres, aut fortè tibi parcens Deo injurioſus exiſteres, *Nota.* & ideò à Deo tibi parcendum non eſſet, ne declinans incidere in manus proprias, in Dei manus miſerabiliter incideres, in quas incidere eſt horrendum. Unde legitur ad Heb 10. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Non autem ut judicium tuum retractet, ſacerdos examinare jubetur; ſed ut te in judicio illo adjuvet, ut te in his, quæ ad judicium ſpectant, inſtruat, & adjuvet, an non recolis Lazarum reſſuſcitatum in 11. Joannis, adhuc ligata facie ſudario, in quo etiam difficultas videndi, quæ recta ſunt, intelligitur. Quid ſi te ſuſpectiſſimum habet clementiſſimus, & juſtiſſimus in cauſa tua? Hoc quidem meritò, & ideò judicium tuum deſerit, & vult deferri ad cognitionem ſacerdotis, aut quod veriùs videtur impotentem novit quemcúque peccatorē ad agendum hujuſmodi judiciū Idcóque conſimiles infirmitati peccatorum voluit nobis aſſiſtere coadjutores ſacerdotes, de quorum adjutorio in ſententię executione aliquid loquemur. Quòd ſi dixerimus, cauſam tuam non illi, ſed tibi commiſſam & judicio tuo, judicium verò ipſius judicii tui commiſſum ſacerdotibus rectè dicemus. In quo quantùm adjuveris ô peccator, experientiæ ipſius magiſterio meliùs edoceris. Si quid igitur judicio tuo defuerit, ſi quid viribus tuis minus rectè judicare & ſententiam exequi valeas, hoc inſtructione & adjutorio ſacerdotis, & ſcire debes, & poſſe. Hæc autem eſt una cauſa ſacerdotalis juriſdictionis, & prælationis inter multas. Quid enim ſalubrius, aut ſecurius in parte iſta peccatoribus provideri potuit, quàm malefactorem alio conſcio, & teſte, & judice emendare? In noſtris quippe, & in noſtrorum *Nota.* negotiis minus rectè judicamus. Liberati igitur ſumus ab his periculis, & exonerati ab his oneribus, dum nos alieno judicio, & poteſtati committimus; non enim timendum eſt, ne aut erremus in judicio minus videntes, quod rectum eſt, circumſpecto, & provido ſacerdote, & in lege Dei edocto, nobis, & pro nobis, vidente, aut ne iniquè agamus nobis parcentes, illo in judicando nos vicem Dei gerente. Quid autem juſtius, quàm propriæ poteſtatis abuſorem alienæ ſubdere? Quidve decentius pœnitenti, quàm quod poteſtate, qua tam indignè adversùs ejuſdem poteſtatis datorem Deum, tam injuſtè uſus eſt, privetur? Tenetur utique illi poteſtati cedere ſponte, & eam Deo per manum ſacerdotis reddere. Quare tenetur confiteri, & recognoſcere, & judicare ſe indignum poteſtate ſui ipſius, & ſuorum Tenetur igitur ſe privare ſui poteſtate, & ſuorum. Alioquin non exequetur propriam contra ſe ſententiam, & hoc eſt, quod dicimus, quòd poteſtatem illam tenetur Deo per ma-

E num ſacerdotis reddere. Totum igitur te, & tua Dei voluntati committe, & redde, dicens, domine non ſum dignus de cætero judicare. Recipe voluntatem tuam, poteſtatem ſcilicet mei, & meorum omnium, & utere pro beneplacito tuo. Occurrunt mihi modò cauſę illę, quibus urgemur ad confeſſionem. Prima eſt ſuſceptio dominicæ pecuniæ, hoc eſt talentorum, quorum diſpenſatio nobis credita, & multiplicatio eſt injuncta. Tenetur igitur rationem reddere majoribus diſpenſatoribus & camerariis Minores quippe, & inferiores ſuperioribus diſpenſatoribus rationem reddere tenentur. Illi verò domino, quemadmodúm fieri conſuevit in domibus regum, & principum; ſic ſacerdotes qui ſuperiores camerarii ſunt, & quibus theſauri omnes cœleſtes ſunt commiſſi, in die judicii, in illius feriæ magnæ univerſali pagamento, & computo, F computabunt, id eſt computum reddent, etiam de animabus ſibi commiſſis etiam de villicationibus tenentur reddere familiaribus, ut nos de noſtris, qui ſubditi ſumus Secunda verò cauſa eſt cura medicinalis, quæ ſacerdotibus injuncta eſt, & omnes eis *Nota.* peccatores, velut ægri medicinis curandi traditi, & commiſſi: quare incumbit eis morbos omnes, & vulnera peccatorum & totam conſcientiam hujuſmodi ægrotantium cognoſcere. Neceſſe igitur habent ægrotantes hujuſmodi morbos ſuos, & vulnera ſua, & totam conſcientiam ſacerdotibus detegere. Tertia verò, quia cum Deo in curia noſtra, & foro juſtitiam de nobis ipſis facere tenemur: interim, ne per errorem noſtrum, aut incuriam cauſa ſua, quam adversùs nos habet, periclitetur, ideò providit tam ſibi quā nobis certè de aſſeſſore ſacerdote divini juris perito, qui cauſæ ſuæ examina- G tioni interſit, & cum cujus conſilio cum illa examinetur, & terminetur. Hoc enim facere ſolent in curiis alienis litigaturi, videlicet mittere pro ſe, qui videat, & dignoſcat, ne fortè in judicio injuſtè graventur: ſic mittit ad curiam pœnitentis dominus ſacerdotem, ne fortè in foro tuo, & curia tua graves eum injuſtè. Quarta cauſa eſt ſecuritas illa noſtra, quam tetigimus, & exhortatio noſtra. Quinta poterit ſatis rectè aſſignari, ſuſpitio judicis ideſt pœnitentis, à quo appellare licet domino ad ſuperiorem ſcilicet ſacerdotem, & hanc cauſam jam aſſignavimus. Quis enim Deo negare audeat appellationis refugium? Sexta cauſa eſt, ut ſicut per alienam accuſationem coram publicis poteſtatibus emendantur manifeſta peccata; ſic per propriam accuſationem ad confeſſionem emendentur occulta; non enim fas eſt, ut inemendata remaneant occulta. Quare neceſſe eſt, ut ſuum habeant & judiciū & forum, & judicem. Quis autem non videat, quòd unuſquiſque accuſare, aut denunciare teneatur reum ad correctionem, ſervato tamen ordine denuncia- H tionis; cùm igitur ſe ipſum reum cognoverit, quo jure, vel lege fretus ſibi ipſi tam pernitioſè parcere præſumat, ut non propriam correctionem ſibi quærere liceat? an fortaſſe magis tenetur quærere correctionem fraternam quàm propriam? Quòd ſi fortè dixeris, quòd ipſe per ſemetipſum ſe corriget: jam oſtendimus, quia hujuſmodi correctio, nec Deo, nec ipſi ſufficere debet, & cauſas in hoc aſſignavimus. Ampliùs. Si latronem, vel malefactorem *Nota.* alium habes penes te, nunquid prætori non exhibere teneris? Quòd ſi ei latibulum apud te præbueris, nunquid non latrocinii reus eris, qui domum tuam ſpeluncam latronū, & latibulum feciſti? Prætor autem ſacerdos eſt: quare latronem, qui apud te latitat, eidem exhibere, & tradere teneris te ipſum Quòd ſi dixeris, quòd tu ipſe per temetipſum punies ipſum in curia tua, aut foro tuo: noli

Digitized by Google

igitur fugere lucem, qui benè agis aut benè agere vis. Noli declinare teſtem, & adjutorem pariter tuę bonæ actionis ſacerdotem, ne & tibi ſimul, & latroni videaris habere latibulum. An non vis ægrum medico oſtendere, & curæ ejuſdem tradere: medicus ſacerdos eſt, peccator verò æger, qui infirmatur apud te. Quòd ſi ægritudo mortem afferat, mors ægri tibi imputanda eſt, qui curam ei medicinalem adhibere noluiſti. Quòd ſi fortaſſis artis medicinę peritum te eſſe confidis, attende inſaniſſime, quòd nullus medicorum in ægritudine ſua propria arte aut ſenſu contentus eſt, nec proprio conſilio regitur; medicus enim æger ſe ipſum curare non habet. ex templo ergo negligentiam deponere proprii ſenſus, & artis præſumptionem, & temeratiam confidentiam, trade ægrum tuum medico, quem curationi tuæ præfecit miſericordiſſimus Deus qui magis eſt de ſalute tua ſolicitus, quàm tu ipſe, non immeritò ſuſpectum habet judicem, qui in cauſa B propria te ipſum jam ſenſit hoſtem. An tu fortaſſe ei potes dicere, pœnitebo, qui te hoſtem Dei adhuc geris, dum te accuſas, & confiteris hoſtem? Quid tu vis in cauſa illa, in qua reum te fateris, judex eſſe, & cognitor, an non te ipſum ſuſpectum reddis? Sic dicendo, an non das adverſario juſtam cauſam appellandi, cùm reum te fateris in illa cauſa, in qua te judicem debere eſſe contendis etiam ſi tua eſſet jure illa juriſdictio, expedit tibi cedere illi propter cauſas dictas, & ut ipſe mitiorem, & ad pacem proniorem adverſarium tuum invenias. Quis autem rogare audeat Deum, ut advocatum vel procuratorem audeat, vel debeat, conſtituere in cauſa ſua, quam quodammodò agit in foro pœnitentis, & coràm ipſo procurator, vel advocatus Dei ſacerdos. Quare neceſſe eſt ipſum inſtrui de facto primùm, deinde proponere pro parte, cui patrocinium præſtat. Hæc autem pars Dei eſt, quam defendendam ſuſcepit ſacerdos. Non poteſt autem C inſtrui niſi per te, quia tibi incumbit inſtruere eum de facto, & hoc eſt revelare, & confiteri factum eidem: quæ ſit autem tibi ferenda ſententia pro his omnibus criminibus & injuriis, lex divina, & mundana, declarant, quas in judicio illo approbat clementiſſimus Deus.

Nota.

CAPUT V.

De cauſa examinatione, & excitatione ſuper teſtificatione.

SAcerdos igitur judicium tuum examinaturus primùm interrogare te debet, utrùm judicium illud, & juſtitiam de te ipſo apud temetipſum, ſive in temetipſo feceris, & de ſingulis partibus judicii, ſi ritè, aut rectè omnia ſunt acta in te, ut primùm de ipſa accuſatione, quam adverſùm te propońis, D ſi continet omnes actiones, quas habet Deus adverſùm te; alioquin enim procuratoris, & advocati officium non rectè pro Deo exequeris. Deinde ſi teſtis officium non rectè, & plenè imples, an quòd abſit, falſum contra te perhibes teſtimonium? officium autem teſtis eſt bona fide de veritate facti judicem inſtruere, in nullo veritatem ſupprimere, in nullo falſitatem inſinuare. Deinde ſi fungeris advocati officio quod eſt, ejus injuriam declarare ſive per leges, ſive per conſuetudines, ſive per rationes, optimum te oratorem puta, ſicut rectum eſt, tibi ſuadere ut dicit Sene. Hoc ergo pro certo ſcias quantò fidelior aut procurator, aut teſtis, aut advocatus contra te in judicio illo ſteteris pro Deo, tantò illa tria officia Dei filius Chriſtus dominus in judicio tuo pro te exequetur fideliùs. Quantò ſeve- A riùs (juſtè tamen contra te judicabis, ſed pro Deo, tantò elementiùs, & favorabiliùs judex tuus pro te, immò ſi rectum fuerit de te ipſo judicium tuum, non inveniet, quod in te judicet judex vivorum, & mortuorum Chriſtus dominus, quantò magis hic audebis revelare, tantò ampliùs velabit ea dominus coram Deo patre, & Angelis ejus. Quantò ampliùs dico, aperies turpitudines tuas? tantò ipſe ampliùs operire ſtudebit. Quantò ampliùs teipſum accuſabis, tantò ipſe ampliùs excuſabit. Noli ergo eſſe theſaurarius, aut arcarius diaboli, qui debes eſſe ſacrarium ſpiritusſancti, arca verò, & theſaurus diaboli ſterquilinium eſt peccatorum. Vis ergo non eſſe ſacculus diaboli, vel vas ſtercorarium ejus? evome fœtulentiam iſtam tam venenatam, & memento diabolum habere in ſcriptis omnia peccata tua, & velut patentes literas habere omnium peccatorum tuorum, quas in illo tremendo judicio contrà te exhibebit, niſi eas hic delere ſtudueris. Scito autem quo ampliùs in memoria, ſeu notitia ſacerdotis ea ſcribere ſtudueris, eo ampliùs de libro diaboli, & memoria ejus delebis. Memento literas omnium debitorum tuorum te dediſſe diabolo. Has tu propriis manibus conſcripſiſti. ſingulis quippe mortalibus peccatis ſingulas, & horrendas, literas ſcripſiſti. Quòd ſi jam dejeciſti diabolum, qui tibi priùs velut inimico ſuo inſidiabatur, & ſtimulis perverſi timoris à tergo, & calcaribus turpis amoris in lateribus te urgebat, quid delectioni ejus prodeſſe putas? ſi adhuc frenetici pudoris nexu os tuum infrænatum terretur? an neſcis, quòd fræno omne corpus equorum totum regitur, ut dicitur Jacob. 4. Facile eſt te iterùm diabolo inſcendere niſi frænum ejuſdem maxillis tuis excuſſeris. Excute igitur frænum dementiſſimi pudoris de ore tuo, & maxillis, & ſcito te nulla turpitudine pollutum, qua non multa hominū millia ante ſorduerint. Eſto ergo tibi teſtis fidelis contra te, ut tibi ſit teſtis fidelis in cœlo pro te, confitere adverſùs te eum David, & ut Deus remittat impietatem peccatorum tuorum. Vide ne parcas ori tuo ſicut dicit Job 7. & certum habe, quòd Deus parcet tibi; ſcito te coram Deo in conſpectu curiæ cœleſtis, quantùm eſt in te, omnia egiſſe, dele turpitudines tuas, & abſconde à conſpectu tot millium, cōmuta tuum ſpectaculū cum modico confeſſionis latibulo. Latibulū eſt confeſſio peccatorum corā uno ſacerdote facta comparatione univerſalis ſpectaculi & univerſalis illius propalationis, quæ in judicio illo terribili eſt futura. Ut enim ſacerdos ea viderit per cōfeſſionē, ab oculis Dei, & omnium militiarū cœleſtium abſconduntur, Si verecundus es, cur non erubeſcis tantum turpitudinum tuarum ſpectaculum, an fortè & oculos fidei clauſerunt tibi peccata tua, ut nec te ipſum videas, & angelorum ſanctorum mirabile ſpectaculum, & omnium dæmoniorum ludibrium? aperi quæſo fidei oculos, & intuere catervas dæmonum undique illudentium tibi, & de morte tua ſibi applaudentium. Vide quæſo qua ſolicitudine te circumeant, & te ad devorandum quærant. Attende quo ardore, & aviditate ſanguinem tuum ſitiant, undique circa te rugiunt, dentes ad devorandum te parant, gladium tenet hoſtis, ut te jugulet. Tu verò de erubeſcentia cogitas. Vide quorſùm te trahat diabolus fræno erubeſcentiæ illius, ad mortem utique te ducit, ad illud univerſalis contumeliæ infernale patibulum, & opprobrii ſpectaculum, ut ſias omnium oculorum cœleſtium, terreſtrium, infernalium, miſerabile & ignominioſum ſpectaculum. Ibi apparebunt omnium oculis verecundiora tua, abjice faſciculum latrocinii, ne cum eo deprehenſus excuſationem, aut redemptionem, habere non poſſis. Excute jugum diabolicum,

Nota.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

E diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, ut dicitur Iſa. 58 diſrumpe vincula diabolica, quibus te tenet vinculatum, erue te tanquàm damula de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis, ut dicitur tibi Prover 6. Tenta, & experire quanta ſit alleviatio hujus ſarcinæ diabolicæ depoſitio, vel abjectio. Experire, quod ſit gaudium liberationis de manu diaboli, quod ſit gaudium libertatis à jugo ſervitutis ejus, à facie olei divinæ miſericordiæ putrefactio, & lege Iſa 10. quæ ſit pacis tranquillitas, evidentiſſimę dominationis, & tyrannidis ejus oppreſſione ceſſante. Confuta, & confunde diabolum, qui te longa detentione præſcripſiſſe fortè putabat, & ſe in poſſeſſione tui ipſius præſcriptione tutum putabat, interrumpe poſſeſſionem illam diabolicæ præſcriptionis, ne te præſcriptione diſtantiore valeat in judicio opprimere. Illude diabolo, vince ipſum, & occide, fræno erubeſcentiæ, quo te tenet, & trahit. Utere hac erubeſcentia, quæ quidem eſt ſalutaris medicina peccatorum, tu verò facis eam tibi mortiferam, te ipſum ipſa ſuffocas, erubeſcentia, dum eam facis F obicem gratiæ, & ſpiritui vitali obſtructoriam, quominùs cor tuum poſſit ingredi. Vides quoniàm obſtruis meatum cordis tui ſpiritui vitæ, ipſum eſſe facis frænum diabolo, quo te tenet, & in mortem trahit. Niſi eſſet erubeſcentia, quo te teneret diabolus, & occideret, non haberet. Occide ergo proprio gladio Goliam cum David, vince ipſa erubeſcentia diabolum, converte eam in medicinam peccatorum tuorum, ſiquidem confeſſionem ei adjunxeris, ex *Nota.* his duobus ſaluberrimum antidotum contra eos morbos, & vulnera peccatorum, conficies: fœlix commutatio ſi frænum quo tenebat, & trahebat te hoſtis, in gladium ad ſuperandum ipſum converteris ſi venenum, immò ſi ægritudinem ipſam, in antidotum, & medicinam converteris. Attende quòd momentanea eſt erubeſcentia iſta, cum ipſa prolatione, cum ipſo ſonitu verborum confeſſionis G fugit. Denique putas te habere peccata, quæ confiteris? abſit, quo ad culpam. Times erubeſcentiam, quæ tanta velocitate fugit? Erubeſcis? igitur non habes peccata, & hoc utique volo, rogo, moneo, laudo, obſecro, quantùm poſſum, erubeſcas: ſalutaris enim, laudanda, Deo gratiſſima, & acceptiſſima eſt peccatorum erubeſcentia. Sed ne impugnetur ea Deus, caveto, & ne tu ipſe ea ſtranguleris, aut ſuffoceris, ne habeat eam frænum, aut gladium contra te diabolus, ne habeat eam obicem, & obſtructorium cordis tui ſpiritus ſancti gratia. Leva oculos fidei tuæ, & vide, quid tibi eſt in cœlo, & quid quæritur hìc à te ſimiliter in terra, momentanea erubeſcentia à te exigitur, & tibi cœleſtis regni honor offertur, quo gaudio & aggratulatione tibi redeunti dulciſſimus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis occurrat, ipſa veritas in H 15. Luc. clamat. Attende convivium ſolenne, quod præ gaudio tuę reverſionis ad patrem, in illo cœleſti palatio celebratur. Mirare clementiſſimi patris prædulces amplexus, & oſcula ſuaviſſima, & vide quæſo nullam ſtultitiarum tuarum apud benigniſſimum patrem relictam memoriam ſecundùm omnes inundationes paternæ miſericordiæ, & torrentes gaudii, & hilaritatis, qua totam cœleſtem curiã tua perfudit reverſio irrecordabiliter delectans. Erige obſecro aures fidei tuæ & audi ſymphoniã & quotũ concentus ſuavitatem, tuæ reverſionis convivium, audi laudes, & præconia cœleſtium militiarum, quas pro reverſione tua offerunt millia millium. Audi interpellatorem, qui & miſerator tuus eſt, Chriſtum dominum qui jugiter paret vultui Dei ad interpellandum pro nobis, quo omnia nobis

E in eo, quòd homo eſt, impetret, & in eo quòd Deus omnia largiatur, audi mellifluum clamorem promiſſionum, audi terrificum fragorem, & timendum tonitruum comminationum ejus, animadverte totius cœleſtis curiæ expectationem & deſiderium, preces & vota ſua pro te clementiſſimo patri offerentis. Vide vota, & deſideria omnium cœleſtium militiarum te in certamine contra mundum, carnem, & dæmonia ſpectantium, & victoriam tuam ſolicitè expectantium. & pro victoria tua jugiter, & inſtanter omnipotenti patri ſupplicantium. Solicita eſt pro te tota illa cœleſtis curia, & militia *Nota.* præclara tu verò dormis in ſtercore expectat te applauſus, & aggratulatio, & totus ille cœlorum conventus, tu ad infernale patibulum præparas te, tu ipſe gaudere non curas, imple ſaltẽ vota, & deſideria militiarum cœleſtium, fac in cœlo de te gaudium, fac aggaudere tibi, & applaudere millia millium. Fac totum cœlum reſonare laudes, & præconia divinæ bonitatis, quæ largitur tibi de tanto hoſte pręclatum triumphum, fac obſecro totum F cœlum, totumque paradiſum ridere, fac quòd invitet dominus omnes cognatos, & vicinos ad novæ tuæ liberationis gaudia; ſicut legitur Lucæ 15. An non curas etiam piiſſimum paſtorem de perditæ ovis inventione lætificari, qui proprios humeros tam gaudenter inclinat, ut in ovile revehat ovem errabundam, & perditam, & præ gaudio invitet, amicos, & vicinos ad congaudendum, & congratulandum ſibi, quaſi non ſit contentus propria congratulatione, & quaſi parum ſit, quòd propriis humeris revehit, gaudium, & aggratulatio paſtoris, revectionem & inventionem ejus, omnium amicorum & vicinorum aggratulatione, vult feſtivari, & hoc in eodem Luc 15 ca. & Oſeę 11 Ego nutritius effraim: Iſa 46 Uſque ad canos ego ipſe portabo. Ego feci, & ego feram, ego portabo & ſalvabo. Moveat igitur te tam præclara illa celebritas, quæ G reditum expectat. Moveat te tantum paſtoris tui *Nota.* gaudium. Moveat te paſtoris te per devia quærentis circuitus, & labor, & occurſus ejus feſtinus, atque dulciſſimus. De quo beatus Dionyſius dicit, quòd benigniſſimus Jeſus venientibus ad ſe totus præcurrit, & præobviat eis, deoſculatur & amplexatur. Ecce paſtor tuus non improperat tibi laborem, quem te quærendo perpeſſus eſt, non improperat tibi, quod peccaſti. Vide quantùm parcat verecundiæ tuæ. Senti cor tuum emortuum, qui tot, & tantis moveri non potes, quem nec divinarum comminationum terrent tonitrua, nec divinarum promiſſionum tot, & tanta demulcent blandimenta. Dic quæſo, quid adeò formidas erubeſcẽtiam iſtam permodicam & momentaneam? Cur non magis times æternam? Et hoc eſt quidem coram uno, & in oculis unius videlicet ſacerdotis, illa in conſpectu, & oculis, vivorum, & mortuorum. Dic quæſo *Nota.* H quid iſtam momentaneam, & coram uno ſuſtinere non potes, qualiter confidis te poſſe pati æternæ illius, & univerſalis confuſionis opprobrium? Aperi obſecro oculos fidei, & vide, quàm ſtultus, immò cœcus mercator es, qui æternæ fœlicitatis honorem tam vili vendis prætio, & æternæ calamitatis ſimul, & cõfuſionis, leviſſimæ ſimul & momentaneę erubeſcentiæ declinatione, ſeu evaſione opprobrium mercaris. Quid quæſo reſpondere poteris Deo in extremæ illius diſcuſſionis examine interroganti; Fili, ut quid dereliquiſti me? Reſpondebis ne, domine, oportebat me, ſi venirem ad te, verecundari, & erubeſcere per momentum coram ſacerdote? Erit-ne hæc excuſatio? Reſponde igitur & modò; an vis propter illud à Deo recedere? an magis amas peccatorum

catorum latebras, quàm Deum, & magis amas eſſe ſentina diabolica, quàm ſacrarium ſpiritus ſancti? Miſer, ad quid credis datam tibi à Deo erubeſcentiam ipſam? ad hoc datam eſſe tibi ſcito, ut ſit tibi ad auxilium emendationis peccatorum, ut ſit tibi in medicinam. *Nota.* Tu verò convertis eam in toxicum, & Deo medicanti acquieſcere non vis, malens mori propria voluntate, quàm vivere conſilio, & auxilio Dei medicantis. Hic eſt mos equi, qui vulgò dicitur umbraticus, qui cùm umbram fugit, mortis audacter incurrit præcipitium. Tu iſtam umbratilem, & fugitivam times umbram, & mortis æternæ præcipitium non times? Non advertis dic quæſo propter quid times illam erubeſcentiam? an, ne fortè ſacerdos, qui bonum te credebat, vilipendat te? O periculum, ô damnum irreparabile. Ille homo vilipendit te, quid boni amiſiſti? Erat ne opinio ſacerdotis tantum bonum, ut minor eſſet eo æterna fœlicitas, & ut pro eo incurrendum eſſet æternæ mortis ſupplicium pariter, & opprobrium? An in opinione ſacerdotis iſtius fœlicitatem tuam conſtitueras, reputans te fœlicem, & beatum, ſi de te ille ſacerdos benè opinaretur? Ecce adſunt circunſtantes, & tortores parati rapere te ad æternæ mortis ſupplicium tu verò de opinione cogitas ſacerdotis, tuæ ſalutis oblitus, & impendentis tibi ſententiæ capitalis diſcrimen non formidas? Credis vitam tuam opinioni ſacerdotis, quaſi ex opinione ſacerdotis judicandus ſis. Quòd ſi diſcretus, prudens, & circunſpectus fuerit ſacerdos ipſa flagitiorum tuorum confeſſio ipſum ad benè ſentiendum, & opinandum de te inducet, ſciet quippe te jam ab inquinamentis omnibus emendatum. Non enim dubitat hujuſmodi ſacerdos peccata deleri veridica & integra confeſſione. Si verò indiſcretus eſt ſacerdos, elige circunſpectum, & providum, ſi potes. *Nota.* Scito ad ſingula verba confeſſionis tuæ, militiarum reſpondere concentum. Quantum credis eſſe gaudium ſanctorum pro tua ereptione, quorum eſt in confratres, & in conſervos tanta dilectio? & illa quidem dilectio incomparabilis eſt, qua diligimur à ſanctis angelis; quare nullum gaudium eſt quod in mundo de mundanis haberi poſſit, comparabile gaudio ſanctorum, & beatarum animarum, cum ſanctis angelis de noſtra liberatione lætãtium. Quod credis gaudium eorum, dum vident paulatim vincula mortis in peccatoribus diſrumpi, & eos de manibus diaboli liberari, & ad conſortium ſuum aſſumi? Quis enim non compatiatur captivis tyrannide diabolica diu afflictis, & jugo duriſſimæ ſervitutis ejus oppreſſis, in carcere peccatorũ occluſis, & immoratis diu? quibus nihil aliud imminebat, niſi æternæ damnationis, & mortis irremediabilis & irrevocabilis ſententia, quos infernales illi tortores in *Nota.* carceribus peccatorum ad æternæ mortis ſervabant ſupplicium. Quis adeò ferreus eſt, qui de liberatione hujuſmodi captivorum non gaudeat? Quid ergo mirum, ſi ſancti Angeli, & animæ, quæ eorum fœliciſſimo jam gaudent, & gloriantur, conſortio, de talium ereptione lætentur? Hoc eſt quod dicit veritas Luc. 15. Quod gaudium eſt Angelis Dei. Quoniàm pœnitentia eſt ereptio, & liberatio hujuſmodi captivorum, & diruptio vinculorum mortis. Inde ergo eſt gaudium ſanctorum angelorum de pœnitentia peccatorum. Ipſi quidem vident pœnitentes eripi de laqueis, & vinculis diabolicis, & educi de concluſione, & incarceratione: vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant Deum peccatorum jactantia, & gloriatione, & approbatione, qui habitant in ſepulchris corporum ſuorum, ubi computreſcunt, & vermes vitiorum paſcunt. His, & ſimilibus, ad vincendam erubeſcentiam; quæ viam

A confeſſionis obſtruit, adjuvandus eſt, cujus labia vehementia pudoris compreſſit. Hæc, & ſimilia, proponenda ſunt pœnitenti ad perficiendam accuſationem, quam adverſùm ſe Dei procurator conſtitutus proponit, hæc eadem valent ad perficiendum teſtificationem, quia eadem eſt coram ſacerdote accuſatio. Poſt hæc autem de ſententia inquirendum eſt, & erit utrumque ſcilicet ſi ſe furem, & reum majeſtatis, & ſacrilegum, & apoſtatam, & adulterum, & proditorem, & ſi quid ſupra commemoravimus, ſe ipſum judicio interiori pronunciaverit, & hoc interiori confeſſione confirmaverit. *Nota.*

CAPUT VI.

De restitutione honoris.

B HIs autem ritè actis, de ſententiæ executione agendum erit, hoc tamen obſervato, ut ante litis hujus, aut judicii ingreſſum, Deo reſtituatur, qui ſe ſpoliatum conquerebatur. Interrogandus igitur erit pœnitens, utrùm ſe ipſum, & ſua, quibus Deum ſpoliaverat, vel ſibi uſurpando contra Dei voluntatem, vel diabolo ſerviendo in vitiis, reſtituerit. Interrogetur, utrùm Deum in poſſeſſionem ipſius jam miſerit, & ſi eſt tenens ejus, ut vulgò dicitur. Si tenet ipſum, & poſſidet integrè, quod utique facit vinculo caſtæ, & ſanctæ dilectionis. Amor igitur vinculum eſt, quo ſolo verè, & integrè tenet, & poſſidet nos Deus. Timor quidem non integrè, & verè, poſſidere facit quoniàm timore non tenet, aut poſſidet cor noſtrum Deus. Hoc igitur interrogetur, utrùm amore jam Deo cohæreat; & ſi amor Dei amorem in ipſo jam abſorbuerit, ut major ignis minorem, vel ſaltem vicerit, ſi Deum omnibus vitiis ſuis, quæ contra *Nota.* C ipſum amaverat, præferat. Si pro amore ejus ſua vitia deſerat. Si malit carere omnibus his, quæ contra Deum amaverat, quàm ipſo. Si placere Deo, & amicus ejus familiaritatis eſſe de cętero amet, atque deſideret nec non totius curiæ cœleſtis, cujus inimicum ſe conſtituerat, inimicis ejus idest dęmonis adhærendo, & vitiis. Sed & hoc interrogandus erit, quanti pendat, vel æſtimet Dei amicitiam, quid, & quantùm pro ea adipiſcenda, aut conſervanda facere paratus eſſet, ſi venalis eſſet Dei amicitia, vel gratia, quid pro ea daturus, vel facturus eſſet. Si etiam gratus eſt Deo quòd tandiu pertulit hoſtem eum Deus, tot injurias ab eo paſſus, ipſum tamen nunc revertentem in amplexus recipit & oſcula, & totius curiæ cœleſtis aggratulationem, & applauſum, qui eum priùs hoſtem jam adoptat in filium. An hæc tam miranda, tam ſtupenda beneficia, vel modicum amoris igniculum in corde *Nota.* D ejus accenderunt? an ob ingratitudinem, in ſervitutem vitiorum, & dęmonum, à qua ereptus erat divinæ gratiæ ineſtabili largitate, redigi meruerit. Interrogandus erit, quæ ſit ei de reconciliatione ſua ad Deum, de recuperata gratia, & amore Dei lætitia, de totius curiæ cœleſtis amicitia, de ſpe hæreditatis æternæ, ad quam per gratiam compunctionis reſpiravit. Quæ ſit concupiſcentia fœlicitatis æternæ, utrùm paratus ſit hæreditatem ſuam cœleſtem viribus, & armis defendere, de gratia, & amore clementiſſimi patris, quæ gratis tam indigno reddita eſt, ſi in propoſito, & voluntate habet ea ſtudioſiſſimè, & ſolicitè ſervare, ſi de cætero eorũ ſuũ ſtudio ſervare proponat, ut nihil in eo inveniatur oculos Dei offenſurum. *Nota.* Si ſe tradere diabolo polluendum, & diſtrahendum per ſterquilinia, & ſpinas vitiorum vehementer aſpernetur, & odiat: ſi Deo velut portui, & litori ſecuriſſimo adherere de

cætero diſponat, vitiorum conſenſus, velut tempeſtatem, & vitia ipſa, ut profunda abyſſorum pavens, & abhorrens. Utrùm ipſi reginæ cœlorum, quæ prima eſt poſt Deum ſalvatorem ad interpellandum pro peccatoribus, gratus ſit, & toti curiæ cœleſti, cujus præcibus ſe adjutum eſſe ignorare non debet & de feſtivo illo gaudio, quo tota illa cœleſtis curia perfuſa eſt, utrùm ſe ſentiat, & agnoſcat, toti cœleſti curiæ debere eſſe de cætero obnoxium, & debitorem. Utrùm reginæ cœlorum, quæ prima poſt unigenitum redemptorem eſt ſe obnoxium reputet ad gratiarum actiones ſovendas, *Nota.* quoties de vinculis mortis, & carceribus diabolicis ipſum eripuit divinæ gratiæ magnitudo, pro tam indebita ſolicitudine ſuæ ſalutis, ſi de hoc quod civis ſanctorum factus eſt, & domeſticus Dei lætetur, qui civis babilonicus, & diaboli priùs fuerat Si de hoc ipſe gaudeat, quòd tota cœleſtis curia priùs ab aſpectu, & à facie ejus avertebat nares, & oculos, fœtorem ſterquilinii diabolici, quo plenus erat, ferre non ſuſtinens, & horrendas turpitudines diabolicæ ſuggillationis, quas machinatus & quibus deturpatus erat, cernere, & videre abhorrens? nunc autem toto applauſu, tota aggratulatione eum intuetur, & miratur. Et cùm veneris ante conſpectum Dei, ut preces tuas ei offeras, occurrunt ſeduli, omnes ſe offerunt auxilio tuo. Negocia, quæ gerere, ſeu expedite habes in illa cœleſti curia, omnes pro viribus expediendo gaudenter, & feſtinè ſuſcipiunt, petitiones tuas clementiſſimo patri porrigunt precum ſuarum mira ſedulitate & inſtantia omnipotenti patri gratiſſimas preces promovent. An non lætaris de tot, & tantorum amicorum acquiſitione? Suſpice cœlum, ſi potes, & intuere quid tibi jam eſt in cœlo, & cui gloriæ ibi adſcriptus es. quæ, & quàm feſtiva te expectat jam cœleſtium militiarum ſocietas. Eructa, ſi potes, memoriam ſuavitatis Dei, quãtam indigno priùs, tam ingrato priùs, tanta, tam indebitaque beneficia donata ſunt Conſidera, ſi potes, quid eras, antequàm pater ille miſericordiarum per gratiam compunctionis te traheret. Cereus, an carbo extinctus eras, nil habens niſi fimum, & fœtorem, & tenebras? Nunc verò cereus es luminoſus, aut lampas Dei in conſpectu Dei, aut lucerna lucens lumine veræ cogni- *Nota.* tionis, & ardens ardore ſanctæ dilectionis. Sepulchrum eras priùs, ubi mortuam animam tuam ex ſeparatione beatæ vitæ animarum, quæ Deus eſt, vermes vitiorum comedebant. Ibi ſanguiſugæ gulæ, luxuriæ, exugebant eam toto hauſtu, tota impreſſione iræ in torculari preſſurantes eam. ibi gurgulіones avaritiæ, & tineæ invidiæ, eam jugiter rodebant. quid de leonib. ſuperbiæ, de ſerpentibus fraudulentiæ, de ranis garrulitatis de ſcorpionibus iræ, ſive ſerpentibus ignitis quid de cimicibus impatientiæ, & de muſca graviſſima diverſi generis quæ in cogitationibus tuis volantes, affectum tuum tanta importunitate pungentes ſtimulabant, & viſcerabant? quid quòd canes illi infernales te undique detrahentes, & demordentes dilacerabant? Hæc omnia vulnera anima tua mortua ſentire non poterat. Nunc verò quæ canes illi, & corvi infernales conſumpſerant, reparavit tibi gratis ad integrum, & contra merita, divinæ gratia largitatis. De ſepulchro, quod plenum erat omni ſpurcitiâ, jam fecit ſuæ inhabitationis, & divitiarum ſpiritualium gazophylacium. De ſterquilinio, & volutabro porcorum infernalium, te jam hortum voluptatis reformavit, graminib. ſanctarum cogitationum virentem, ſanctorum deſideriorum velut floribus ſuavitatis odore fragrantem, virtutum arboribus plantatum, & ut ad unum dicam, inſtar

E paradiſi cœleſtis omni ſpecioſa novitatis amœnitate vernantem. quid veſtimenta gloriæ, & ornamenta decoris referamus, quibus animam exornavit, & illuſtravit omnipotens Deus? quorum tanta eſt mirificatio, tanta venuſtas, ut ipſam Deo gratam, Dei amplexibus dignam? Dei aſpectibus placitam efficiant, toti curiæ cœleſti admirabilem, amabilem, glorioſam, gratioſam, exhibeant, ac Dei ſponſam, ac filiam indubitata probatione oſtendant. *Nota.* Si deſcribere velim tibi illam coronam fidei radioſam, atque coruſcam, ſi anulum illum gemmatum puriſſimo, nitidiſſimoque ſaphiro ſpei, ſi monile, in quo radiat ille rutilans, & flammabundus charitatis carbunculus, ſi armillas longanimitatis, & patientię, ſi brachialia juſtitię, ſi calciamenta, in quibus pulchri ſunt greſſus principis, ut legitur, ſi cycladem illam auro textam qua ſe indutam F gloriabatur beata Agnes, ſi byſſum, & purpuram, quæ indumentum ejus leguntur fuiſſe Proverb ult. ſi veſtem polimitam ex omnium virtutum varietate contextam, ultra ſtylum, & eloquentiam tenderetur oratio. Aperi igitur oculos fidei, ut intuearis divinę ſuavitatis abundantiam, ut admireris quàm pretioſis te circumveſtivit varietatibus, quo honore & gloria illuſtravit quàm gratum te fecit toti curiæ cœleſti ſpectaculum, ut totam pulchritudinem tuam miretur, & ei congaudeat. qualis autem priùs eſſes agnoſcito, tunicatus eras, pannoſus, carbonatus, & maceratus totus, ipſorum dæmonum ludibrium. qualem te credis tunc fuiſſe, cùm tot vitiis ſordebas, tot imagines animalium, & reptilium, & omnium immundorum, & abominabilium indueras, cùm non ſolùm una turpitudine deformatus, ſed velut babylonem, omnigenum multitudine monſtrorum circumferebas ſpectaculum opprobrii, & irriſionis ejus omnibus videntibus? G non enim quo te cooperires, habebas. Apparebant utique tot, & tantæ deformitates, & turpitudines tuæ Advertis-ne, quòd totam prænumeratam gloriam veſtium & ornamentorum projeceras? Agnoſcis quæ, & quanta fecerat tibi Deus? quid tibi videtur: eſt ne animę, quæ in tanta gloria, & decore eſt, declinandum in volutabrum peccatorum, & ſentinam immunditiæ? An proponis te de cætero immergere in hujuſmodi ſterquilinium? An præeligis ſervare tota ſolicitudine ſpecioſitatem, quæ Deo gratum te reddit; O anima, an poteſt de cætero in mentem venire, ut tantam gloriam commutes in ſterquilinium? an poteris cogitare de cætero quicquam, quod gloriam illam tibi auferat? An poteris illam dimittere facilè? an poterit inclinari cor tuum ad hoc, ut ignominioſitas contraria H tibi placeat? Amabis-ne de cætero dæmoniorum eſſe ludibrium? Recole ſtatum tuum, in quo eras, quandò in via tua erant tenebræ, & lubricum, & Angelus malus perſequebatur te, coarctans, & ſtimulans te, coarctans ad modum venatorum, & piſcatorum, feras & piſces coarctantium, & retia intrare cogentium, quemadmodùm jumentũ diaboli tibi inſidẽtis, & te fræno mali timoris, & mali amoris, quo volebat, circumducentis, & diſtorquentis, & ſtimulis velut calcaribus concupiſcentiarum urgentis. Recole urticas pungentes, & urentes ſimul libidinis urticas, ſeu lectum uſtivum, aut carcerem verius libidinis, quo die, noctuque volutabaris. Ibi velut in ſartagine ferrea frigebatur cor tuum, urentium pruritum undique confodiebatur aculeis, quandò gaudium tuum erat ſpurciſſimo volutabro libidinis immergi, & in eodem volutabro more ſuis immundiſſimi revolvi: nunc autem cum *Nota.* ſponſo cœleſti paſceris inter lilia, id eſt, flores caſtiſſimorum, ſanctorumque deſideriorum. Nunc

in

& depuratæ conſcientiæ quiete ſuaviſſima, & jocundiſſima frueris, qui lectus totus floridus, totus floribus ſanctorum reſperſus, & ſtratus eſt, totus fragrans aromatibus, habens cœleſtem ſuavitatem ſpirantium odorum, pro tot, & tantis malis, tot & tanta bona tibi retribuit dulciſſimus pater, atque piiſſimus. Reſpice ſpinetum quæſo avaritiæ, ut ſub ſentibus eſſe delitias computabas, ut legitur Job 30. ubi ſpinarum ſarcina te comprimens ulcerabat & cruentabat, ubi inſtar talparum terram comedebas in pondere arctiſſimo & lucem ſemper fugiens latitabas velut immundum, & abominabile reptile in cavernula ſua, ſuper te aggerem terræ cumulabas ad modum talpæ, inſtar aranearum teipſum eviſcerando, telam inanem ad capiendas muſcas texebas, id eſt, ſolicitudinem acquirendorum volatilium, & ſordidarum divitiarum, velut filum cum filo adjiciens, curam curæ addebas, nunc ad cœleſtes totus divitias inhias ſpe certa, & deſiderio ſuavi, & mulcebri. Quid dicā de procella ſuperbiæ, quæ tot flatibus adulantium, & detrahentium, te circumagitans, tot ſcandalis allidebat, qua quandóque uſque ad cœlos aſcendebas apud temetipſum elatus, ut major & gravior tibi ruina immineret? Deinde corruebas in abyſſum malæ humiliationis, vaneſcente gloria illa quam in te, & apud te ſomniabas, dum te inde ſibilari à populo audiebas, unde vanæ laudis gloriam expectabas. *Nota.* Reſpice, quæſo, quæ ſit facta in te commutatio dexteræ, id eſt propitiationis excelſi, qui poſt tantas, & tot tempeſtates, pacatiſſimo & ſecuriſſimo litore pœnitentiæ gaudes ſolido, & lapideo, ubi lapidi illi angulari, & ſummo patri Chriſto totis deſideriis adhæſiſti. An de tot & tantis malis liberatio, tot & tantorum bonorum tam indebita largitio divinæ vitæ, & dilectionis ignem adhuc accendere potuerunt? An (quod abſit) carbo penitùs es, & nulla ſufflatione accendi potes? fruſtra quidem tam diu ſufflatur in carbonem penitùs extinctum, fruſtra tot crimina, tot incentiva beneficiorum Dei cognoſcimus, ſi nec dum ſaltem una divina amoris ſcintilla in te accenſa eſt. Inutiliter quippe ſtrues hujuſmodi lignorum ſuper altare cordis ponitur, ſi adhuc divini amoris igne omninò frigeſcit. Tu verò te ipſum habens, hujuſmodi incitamentis te commove, & cor lapideum tuum ad lapidem illum angularem allide crebra & jugi conſideratione bonitatis ejus, vitæ & malitiæ, & tuæ ingratitudinis in eum. Si enim vehemens fuerit illa colliſio, neceſſe eſt, ut inde ſancti amoris ſcintilla diſſiliat. De his igitur, & hujuſmodi velut flabellum tibi compinge, qui ignem divinum te adjuvante ſuccendat, & peſtiferum, atque pernicioſum concupiſcentiarum incendium extinguas. *Nota.* Quòd ſi necdum lignum fumigans es, ſed adhuc humorem humanæ viriditatis retines, & putredinis; hoc ipſum conſidera, quòd te tam ingratum, tam malum, & Deum jugiter relinquentem, & adverſantem, ut vulgariter dicitur, adhuc ad miſericordiam piiſſimus & dulciſſimus pater expectat. Adhuc miſericordiæ tibi tantam offert largitatem tantis bonitatis ſuæ delitiis. Adhuc offert coronam illam æternæ gloriæ, & te velut amator ab amaſia ſua contemptus conſervat. Audi quid poſt te clamat Ezec. 18. Quare moriemini domus Iſraël, nolo mortem peccatoris, vel morientis. Revertimini, vivite. Vide unde te revocet, à morte ſcilicet, unde tu cucurriſti, offenſas tuas, & crimina, quibus te involveras, condonare paratus eſt, gratuitam omnium offert indulgentiam, tot injuriis, & contumeliis laceſſitus omnium illorum oblivisci paratus eſt. De ſola vita tua ſolicitus, tua omnia negligit, ſolam vitam, & ſalutem tuam quæ- A ſiit. Quare clamat ad te, revertere. Cant 6. Revertere ad patrem dulciſſimum, & amantiſſimum, ô fili chariſſime; revertere ad ſponſum tuum, à quo fornicando cum viris, turpiter receſſeras, ô ſponſa; revertere, ô ſerve fugitive, ad dominum tuum, cui te ipſum, & opera omnia debes: ad fratrem, cui cohæres regni cœleſtis effectus es per gratiam: ipſe quippe Chriſtus dominus hæres eſt univerſorum per naturam qua eſt Dei patris unigenitus, nos autem cohæredes ejus facti ſumus, & hoc per gratiam, ſicut & filii. Attende ad quid te vocat, & unde te revocat, à morte tam ingratum, & malum, tam indebita pietate revocat, ad vitam beatiſſimam, & jocundiſſimam vocat. Oſtende mihi faciem tuam. Cant. 2. Tu verò dorſum oſtendis ei, aut faciem, quæ tua non eſt. Induiſti quippe faciem diabolicam, & turpitudines abominabiles, de quibus in tractatu Baptiſmi latiùs locuti ſumus: fortè facies iſtas abominabiles audes oſtendere Deo, hoſtium ſuorum B inſignia ſive ſigna, quæ in te ipſo, qui domus Dei eſſe debueras, & caſtrum, in ſignum ſuæ victoriæ dæmones poſuerunt Audes illi ſponſo cœleſti gaudiola, id eſt amoris munuſcula oſtendere, quæ ab adultero accepiſti? Audes in cōſpectu ejus adulteriorū tuorum inſignia circunferre? ſed hoc hactenùs.

CAPUT VII.

De principali reſtitutione eorum, quibus ipſum ſpoliaſti.

Redeamus ad ipſam reſtitutionem, ſecurè offer Deo reſtitutionem eorum, quibus ipſum ſpoliaſti: an times ne reſtitui velit, qui de ſpoliatione ſua conqueritur, qui in judicio eam petit? Vide ſi poteſt eā accuſare, poteſt-ne dicere, nolo te eſſe meū, cùm tu velis eſſe ſuus? nolo te placere mihi, cùm tu velis ei placere? hoc eſt dicere nolo te eſſe bonum, nolo te eſſe juſtum, an poteſt Deo diſplicere bonitas, aut juſtitia tua? Malus neceſſariò eſt cui bonitas diſplicet. Nunquid neceſſe non habet ex æquitate ſua C ſtare judicio tuo, cùm te judicem inter te & ipſum, conſtituerit? Neceſſe habet igitur parere rei judicatæ, quare ſi adjudicetur ei poſſeſſio, neceſſariò recipiet illam. Item nunquid non ipſe rapiat à diabolo pœnitentes, & eripiat de manibus ejus? Nunquid non ipſe eſt, qui alligat fortem diabolum, capiens atrium ſuum, id eſt peccatorem, quem ipſe cuſtodivit, ut atrium ſuum? Ampliùs dico, eo ipſe te jam poſſidet, quòd vis ab ipſo poſſideri: hoc vinculo bonitatis, & amoris poſſidet te, & tenet. Vide ergo utrùm vis ab eo poſſideri. Si enim vis poſſideri, vide utrùm velis eum reſtituere tibi ipſi, hoc eſt te ipſum ei. Si enim vis, jam ergo te ei reſtituiſti. Si vis eſſe ſuus de cætero, amicus, intellige, immò ſi vis eum habere fideliſſimum, & veriſſimum amicum, ſi hoc vis. & eſt. Si vis, ut amet te, jam amicus tuus eſt. Si enim vis amorem ejus, aut amas amorem ejus; multò fortiùs ipſum, cùm amorem ejus, non niſi propter eum ames, aut velis, quare jam amas. *Nota.* Putas autem ipſum non amare amantem ſe? putas D quòd amor ſe poſſit defendere? putas, quòd amor ſe negare poſſit amori, aut repellere amorem? abſit. Alia recuſare poteſt fortaſſis, & aliis negare ſe, ſed ſibi non poteſt negare ſe. Super hoc experientiam conſule, an putare potes adeò illiberalem Deum, ut præveniri ſe in amando pateretur, & non magis præveniret omnem amatorem ſuum, cùm ipſe de ſe dicat, Ego primus, & noviſſimus; primus quidem in acceſſu amoris, & ultimus in diſceſſu, benè arbitraris amorem illum adveniſſe tibi, & voluntatem, qua Dei amicus de cætero eſſe &

Digitized by Google

CAPUT IX.

Sequitur de quietatione interiori reſtitutæ poſſeſſionis.

POſtquàm autem reſtitutionem peregerit, ut prædiximus, de damnis irrogatis, & de perditis, firmo propoſito & voluntate ſatiſdationem, & cautionem, ſive ſecuritatem, fecerit; quid reſtat, niſi, ut Deum pacifica, & quieta poſſeſſione teneat? Hoc enim eſt officium judicis delegati, & omnium judicum, ut eum quieta, & pacifica poſſeſſione gaudere faciant, cui poſſeſſionem adjudicaverunt. Veruntamen delegatus non poteſt eum tueri in poſſeſſione, niſi per annum & hoc eſt, quia temporalem, & non perpetuam habet juriſdictionem. Pœnitens autem, ſive ordinarius, ſive delegatus judex, perpetuam habet ſui ipſius juriſdictionem. Quare perpetuò Deum tueri debet in quieta, & pacifica ſui ipſius poſſeſſione. Primùm igitur oportet inquietationem in ſe ipſo ſedare, ut Deus in eo quieſcat. Eſt autem prima inquietudo, parvulorum babiloniorum vagitus, & ululatus, qui Deum in homine non ſinunt. Hi autem ſunt motus primi concupiſcentiarum noſtrarum, & odiorum. Hi ſtatim allidendi ſunt ad petram: & primùm tenendi ſunt, ne procedant ulteriùs, deinde allidendi ſunt ad petram Chriſtum dominum per invocationem ipſius, vel per memoriam paſſionis, vel timore, vel amore ipſius. Unde David: Beatus qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram. Deinde abjiciendæ ſunt ciniphes Ægyptię, & muſcæ diverſi generis, quæ circunvolitantes, & circunſtrepentes in corde pœnitentis, Deum in ipſo quieſcere non ſinunt. Hæ ſunt immundarum cogitationum fantaſiæ, & turpium, de quibus quodam incurſu tot phantaſmatum turbatur cordis ſabbatum: hæ ſunt muſcæ morientes, quæ perdunt ſuavitatem unguenti, ideſt devotionem orationis Eccleſiaſt. 9. qua velut mulcebri, & ſalubri unctione reficimur. Putas ubi eſt muſcarum curſitatio, & importunitas, quemquam quieſcere poſſe? Hæ ſunt aves, quas Abraham à ſacrificio abigebat. Gen. 15. Hæ nonnunquàm improbæ, & importunæ in unguentum orationis ſe mergunt, & ſacrificium ſpiritus contribulati nonnunquàm inquinare conantur, & odorem inde ſuavitatis extrahere, & devotionem. Harum itaque improbitatem plerunque inviti, & renitentes patimur; & tunc non obſunt omninò, ſed patientiam, & fortitudinem noſtram exercent. Hæc eſt plaga ciniphum quæ non legitur curata. Exo. 8 Et hoc eſt planum, quòd etiam viri ſancti ab hujuſmodi ciniphibus moleſtantur. Plaga verò graviſſimarum muſcarum diverſi generis curata legitur. Ex quo datur intelligi, quòd muſca graviſſima non ſine aculeo punctionis, & inquinamento delectationis eſt: unde neceſſe habuit curari. Curata autem legitur virtute orationis Moyſi in eodem capitulo. Docemur igitur inquinantes, & aculeantes cogitationes abigere. Reliquæ verò, quas omninò inviti patimur, non obſunt. Hoc tamen in corde ſemper habeatur, & dicatur eis, nec vocavi vos, nec admitto, nec per me veniſtis huc, nec per me remanebitis. ſi ulteriùs remanſeritis mecum, licet ad nocendum veneritis, in commodum tamen meum vos convertam, & ſervire vos mihi cogam. Si veniſtis ad impediendum orationem meam, melior eſt mihi oratione debellatio veſtra. Orabo igitur; ſi remanſeritis, debellabo vos. Orabo, ſi receſſeritis, utrunque oro, & certando contra vos, & orando, nec minus Deo meo grata erit debellatio veſtra, quàm ipſa oratio. Stultus eſt qui miſit vos ad impediendū me, quia ſalvum mihi erit orationis præmium, & fructus, dum me impoſſibilitas ab oratione prohibet, & inſuper certaminis, quo contra vos dimico, triumphus, & præmium mihi veſtro miniſterio adaugetur. Audi igitur, qui formatus es ad illudendum mihi. Vide qualiter illuderis Vide qualiter tibi à divina gratia & ſapientia illuditur, dum omnes fraudis tuę conatus in illuſionem tuam, in opprobrium, & detrimentum, & ſanctorum gloriam, & perfectionem cedunt. Sciendum tamen peſtem iſtam muſcarum oratione curari, ſicut & omnes peſtes mentis, quod exemplo Moyſi manifeſtum eſt: & hoc ipſū dixit Auguſtinus ſuper 18. Mat. ſuper illo verbo: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio. Quoniàm autem tria ſunt, quæ hominem expellunt à domo, ſcilicet fumus, ſtillicidium, & uxor, domum cordis tui operire, & circumclaudere diligenter oportebit, ne velut pluvia, vento, & grandine tentationum extrinſecarum, quæ à mundo, vel à malis hominibus, vel à dæmonibus veniunt, inquietetur habitans. Deinde cave à fumo, hoc eſt ab eis, quę interiùs ab ipſo igne concupiſcentiæ oriuntur, quæ concupiſcentia fumare non ceſſat, niſi eam aqua gratiæ, vel lachrymarum, aut confeſſionis, ſemper extinguere ſtuducris, aut in majori igne divini amoris exiccatam adurere. Mala verò uxor, quæ etiam de paradiſo hominem ejecit, eſt conſuetudo, quæ inceſſanter rixatur, & à conſuetis recedere non permittit, niſi cum ira, vel triſtitia; vel etiam eſt rixa, vel adminiſtratio, vel prælatio quæcumque, quæ velut ſolicitudinis ſuæ rixam quandā, aut ſtrepitum indeficientem concitat. Hoc autem experientiâ manifeſtum eſt. Qui enim Epiſcopus eſt tantum prælium temporalium in ſe, rixam & ſtrepitum tumultuantium in ſe ipſo cogitationum patitur, ut tanquàm ſui oblitus, aliis vivere meritò ſe videat: cùm advertit hoc, quòd & ei quodammodò ſe ipſum temporalia furantur. Illiberalis eſt hujuſmodi hoſpes Deo, quem cùm in hoſpitio receperit, cum eo tamen nunquàm eſt, nec mirum, quoniàm nec ſecum. quid ergo mirum, ſi Deus hujuſmodi hoſpitium fugit pariter, & hoſpitem, à quo nil, niſi tumultum temporalium audit, aut videt. Qualiter autem hujuſmodi hoſpes feſtinandus ſit inferiùs in loco ſuo dicemus.

CAPUT X.

De quietatione exteriori ejuſdem poſſeſſionis.

DE pacificanda autem exteriùs poſſeſſione, ab incurſu ſcilicet hoſtium, hîc dicemus: ut primùm oportunitates ipſæ velut poſitiones, & plantæ, quibus ad caſtrum illud eſt acceſſus, hoſtibus amoveantur funditùs, ut ibi viam habeant publicam, & planam, velut vallum difficultatis inveniant. Hoc autem impleatur aquâ lachrymarum, quoties oportunitates recolimus, quibus Deum à nobis ejecimus; de muris, & turri, & de antemurali, & de cuſtodibus hîc pertrāſimus: ſed hoc ad cuſtodiā teneatur, ut quoties hoſtes incurſāt, nova in eos pœna animadvertatur: ut quoties noxia cogitatio, aut affectio in mentem tuam irruerit, novam aliquā pœnam tibi pro illa imponas; & hoc toties, donec in uſum verſum fuerit, ſtatim in te hujuſmodi cogitationes, & affectiones vindicabuntur. Impone tibi aut alicujus pſalmi decātationem, aut hymni. Saluberrima eſt autem invocatio ſpiritusſancti. cujus præſentiæ luminoſitatem fœtidi, & abominabiles ſpi-

Digitized by Google

ritus tenebrarum ſuſtinere non poſſunt. Hæc igitur pœna ſalutaris eſt medicina. A flatu enim ſpiritusſancti hujuſmodi muſcæ fugantur. Eſt & alia pœna, dicere orationem dominicam. Cùm autem illa ſolicitudo in uſum venerit, ex frequentia ſua à noxiis cogitationibus liberari te non dubites. Videns enim diabolus ſe non poſſe proficere, & te ſemper gladium evaginatum tenere, ut trucides latrunculos primorum motuum, & cogitationum, & quaſi jam te erexiſſe patibulum, ut latrocinantem carnem affligas fugiet exterritus, ſicut dixit Jacob. 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Quòd ſi memoriale aliquod dominicæ paſſionis tecum portaveris, aut ipſa hujuſmodi cogitatione tibi ipſi memoriale ejus impreſſeris, confide hoſtem ſtatim fugare. Recordatione quippe victoriæ, qua victus fuit, confunditur, & vexillum militiæ Chriſtianæ, quod eſt dominus Jeſus Chriſtus in cruce, conſpicere præ confuſione non poteſt Eſt enim memoriale doloris, & ignominiæ ſuæ. Erige ipſum in arce mentis tuæ per meditationem, confidens, quia virtutem habet confortandi te, & ſternendi hoſtem. Memoriale autem eſt, ut corrigia nodoſa circa carnem tuam aliquantulùm preſſiùs aſtricta ſit carni tuæ in ſignũ, & memoriale vinculorum, & flagellorum, quibus rex cœlorum, & dominus ſæculorum pro redemptione tua alligari, & flagellari dignatus eſt. Quòd ſi ipsâ horâ, quâ te muſcæ mordentes urgent, palmas tuas unguibus tuis, aut aliquo alio punxeris vel leviter in memoriam clavorum, quibus illæ ſanctæ, & venerabiles manus domini Salvatoris confixæ ſunt, & affixæ præclaræ & ſalutiferæ crucis ligno, & facere frequenter in uſum tibi venerit, quòd fructum ex his aliquem collecturus ſis, cùm leviſſima videantur, & reverà ſint, ipſa experientia te docebit. Hæc autem ne inventitia credas, audi Orige. ſuper epiſtolam ad Romanos dicentem: Tantæ virtutis, & efficaciæ, eſt dominicę paſſionis meditationis ſedulitas, ut & noxias cogitationes, & affectiones penitùs abſtergat à mente. Quòd ſi te eſſe ſpectaculum in agone cogitare aſſueveris, & undique obſeſſum, & hoſtem tenere gladium, ut te perimat, & rugire circa te, & quærere te ad devorandum, & te etiam eſſe in carcere ærumnarum, & pœnalitatum præſentis vitæ, ignorareque qualis futura ſit, & quæ immineat tibi ſententia, adinſtar furis, qui ſervatus eſt in carcere, ſolum ſuum attendentis, & expectantis judicium, de aliis cogitare non valentis: ſi te citatum peremptoriè, ut compareas ante tribunal Chriſti, reſponſurus ſuper omnibus cogitationibus, ſermonibus, & operationibus tuis, & inſcripſiſſe diabolum contra te accuſationem, ſcilicet in ſcriptis habere omnia peccata tua, & reſcriptum illud pro poſſe augere, & ſervare, ne quid ejus deleas, ut in illo contra te judicio tremendo illud exhibeat, inevitabiliter per illud, & ſecundùm illud judicandum, ſi te in agone ſemper, & in certamine contra aſtutiſſimum, atque fortiſſimum, & fraudulentiſſimum conſtitutum: ſi non pecuniam, ſed vitam propriam in ludum, & certamen deductam, cogitare aſſueveris, à turpibus cogitationibus, & noxiis liberaberis. Super omnia igitur clavem cordis tui, ideſt, cogitationem cuſtodire ſatage, & diabolo per viam, quam oſtendi tibi, aut per ſimilem, eripere ſolicitus eſto. Si enim hoc benè cuſtodiatur, in tuto ſunt omnia tua, & te ipſum in pace poſſidet Deus. Hæc igitur etiam eſt porta cordis tui, & feneſtra Hanc igitur obſervare totis viribus, toto conamine ſtudeto: ne feceris oſtiarium tuum peccatum, ſicut Cain, cui dixit dominus 4. Geneſ. Peccatum tuum in foribus aderit. Et Petrus ſecundo ſecundæ ſuæ epiſtolæ Oculos habentes plenos adulteriis. Oculi autem fores animæ ſunt. Scito quia oſtiarius hujuſmodi nullum bonum in te intrare permittet nullum malum introire vetabit. Fac bonum aliquem tibi oſtiarium, ſi Dei timorem, & amorem oſtiarium facere poteris, timor omnes proditores tuos, omnes hoſtes repellat Amor verò omnes bonos, omnia bona ſalutaria introire compellit, & intrantia gratulabundus ſuſcipiet. Obſtrue partem illam aliquo bono, ſemper pone aliquid in cogitatione, quo eam obſtruas, quo eam claudas. Alliga illud cogitationi tuæ neceſſitate aliqua, quæ ſit vectis, & ſera, non permittens illud evelli à cogitatione, qualis neceſſitas eſt, aſſumptio alicujus ſancti, & honeſti officii, & ſanctæ, & honeſtæ occupationis, quæ cùm aſſumpta fuerit, ipſa aſſumptio velut neceſſitatem inducet & executionis, & ſolicitudinis ſuę. Hæc neceſſitas vectis, & ſera, & gomphus, & verticulum non ſinent aperire diabolo cogitationis noſtræ portam. Hæc eſt, quæ cuſtodit clavem, ut diximus cordis. His igitur, & hujuſmodi adjuvari poterit pœnitens, qui de ſcientia juris vel modicum apprehendit.

Nota.

CAPUT XI.

De ſententiæ executione.

NUnc ad executionem ſententiæ procedamus. Vide igitur ſi furem occidiſti, an adhuc ipſum vivere pateris. Si ipſum totum interfeciſti. Vivit-ne adhuc in te voluntas furandi quicquam de his omnibus, quæ ſua eſſe cognoſcis? Si utique voluntas ſervandi, & reddendi Deo, quæ ſua ſunt, integrè & fideliter in te vivit, mortua eſt voluntas furandi aliquid Deo ex his omnibus, quæ ſua ſunt; ſi in te vivit voluntas reſtituendi ablata Deo, mortua eſt ex toto voluntas, qua quandóque aliquid Deo furatus es. Eſtne mortuum ex toto conſilium, quo hoc feciſti? mortuum dico, quo ad te, ut ipſum modò abomineris, & mortiferum ſentias: ad hunc modum de his, quę quædam aut partes, aut membra furis hujuſmodi ſunt, quemadmodùm cogitationes, locutiones quorundam, quæ in furto ſuffragantur, velut ſeminaria, aut partium ſuarum colligationes. Verbi gratia, amabas amore fœdo, & turpi mulierculam aliquam, & eras fur corporis, & animæ abutendo eis, & contrectando contra Dei voluntatem; fur igitur affigendus patibulo ille amator libidinoſus eſt. Primùm ergo amor ipſe, qui vita principalis ejus eſt; amore quippe vivit amator hujuſmodi, inquantùm amator, eſt extinguendus, ut ignis. Et hoc aut velut gelicidio divini timoris, aut majori igne divini amoris, abſorbendus, aut nutrimenti ſubtractione, quod quandóque eſt ciborum, & potuum nimia abundantia, nec eſt inconſuetum furem fame occidere. Hæc autem fames, etſi ſit fames veteris hominis, & ingluviei, abſtinentia tamen ſalutaris eſt novi & diæta moderata. Poſt hæc reſtat, ut moriatur voluntas prę̨terita, quę mortua eſt, cùm prę̨teritarum turpitudinum dolor adeſt, & voluntas emendandi illas. Non enim mortua eſt in aliquo rapiendi voluntas, niſi cùm viva eſt in eo ablata, & rapta, reſtituendi voluntas. Omninò inde mortificandę ſunt locutiones, & cogitationes turpitudinis hujuſmodi, tandem ipſorum libidini ſuffragantium voluntas, qualis eſt voluntas videndi mulierem amatam, vel audiendi aliquid de ea, vel ab ea, ſed & voluntas colloquendi cum eo, vel cum ea, per quem, aut quam turpitudo ipſa conciliata eſt, & cujus procuratione, & interventu patrata, voluntas etiam frequentandi locum hujuſmodi turpitudinis. Iſta enim omnia velut carbones ſunt, &

ſcintillę remanentes de exteriori libidinis incendio, ſolent & plerunque extinctum turpitudinis amoris reinflammare incendium. Hæ igitur ſunt partes, & membra veteris hominis, quem amatorem hujuſmodi diximus, & furantem. Patibulum autem, quo furem iſtum affigas, adinſtar dominicæ crucis, ex quatuor brachiis fabricabo, aut compingam tibi. Primum erit dolor compunctionis, ubi configendum eſt furis caput. Caput autem, ex quo totus fur, aut fornicator, pœnitet, amor fuit, aut voluntas. Quid autem rectiùs mortificat voluntatem, quàm dolor? Secundum brachium eſt timor, quo autem rectiùs mortificatur ſtultia, & prǽſumptuoſa audacia ſua, & ſeipſum domino rapiendi quàm timore ejus? Unde pſal. Confige timore tuo carnes meas. Tertium brachium pudor erit confeſſionis, & hoc congruit, ut impudentiam, qua ante Dei oculos, quæ ſua erant rapere non erubuiſti, nec veritus es, pudor confeſſionis terminet, & mortificet. Quartum, & infimum brachium totum portans patibulum, & ipſum furem, ſive pedes crucis illius, eſt labor ſatisfactionis, labor ſcilicet operum contrariorum, qui furem hujuſmodi reminiſci non ſinit veſtigia, ſi qua erant, veteris vitæ eam mortificat, & novam nutrit, atque confortat; hoc uno velut clavo duo illi pedes, qui ſunt mala abſtinentia, & malorum operum perpetratio, uno hoc inquam laboris ſancti clavo configuntur, & mortificantur. Huic ergo cruci omnis fur generaliter affigendus eſt, omnis vetus homo cum omnibus partibus ſuis mortificandus, ac membris. Circa caput verò ejus ponam coronam ſpineam, quæ erit circa cor ejus multiplex, & aculeoſa peccatorum ſuorum, ſollicita, jugiſque memoria in conſpectu Dei, dum orat. Qui enim vult peccata ſua non venire ad memoriam Dei, faciat ea venire jugiter in memoriam ſuam; ſicut dicitur Eccleſ. 2. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. Ex David: Miſerere mei Deus, &c. Quoniàm (inquit) iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Averte faciem tuam à peccatis meis, quia ego non averto faciem meam ab eis, ſed peccata mea contra me ſunt ſemper, ut dudùm jugi aſpectu, & memoria eorum, jugem timorem, & jugem pudorem, & jugem dolorem mihi incutiam. De his igitur corona pœnitentis plectenda eſt, qua cogatur caput pœnitentis pœnitentiæ crucis patibulo affigi; ut memoria à poſteriori, timor ab anteriori parte, pudor, & dolor à dextris, & à ſiniſtris, qui ex hac ſollicitudine jugi concipiuntur, ſtimulent eum. Poſt hæc reſtat, ut myrrha abſtinentiæ, & felle iræ, & indignationis contra ſeipſum, & aceto triſtitiæ potet crucifixum, quæ tria nobis in ſalutari paſſione domini commendantur; his autem tribus tres Evangeliſtæ potatum ſcribunt, id eſt, tria hæc oblata ei ad potandum, & de his tribus eum guſtaſſe. Hoc autem eſt, quoniàm quidem de his tribus à pœnitentibus guſtatio, pars ejus eſt permodica ad comparationem ſplendidiſſimæ, & opulentiſſimæ illius potationis, quæ ſanctis, & electis ſuis ab ipſa parata eſt. Lancea autem verbi Dei jugiter latus noſtrum dextrum in quo vis amoris eſſe dignoſcitur, confodiendum eſt, ut vulnus amoris ſancti nobis inferat, ſed hoc tunc potiſſimùm congruit, dum vetus in nobis homo mortuus eſt, licet ſemper congruat hoc fieri; tunc enim lancea latus domini Jeſu Chriſti noſtri Salvatoris apertum legitur, cùm mortuus eſt. De vinculis autem, & flagellis, quibus religandus, & flagellandus, & de columna, ad quam religandus, de ſpinis & colaphis, & illuſionibus, quibus ſibiipſi illudere, & ſeipſum indignabundus irridere, & de toto ordine Dominicæ paſſionis, in

A qua nobis ſacramentum pœnitentiæ commendatur, ut docet Auguſt. ſuper epiſtolam ad Rom. præterea; ex his enim faciliùs clareſcunt. Captio autem veteris hominis, eſt conſideratio vitæ ſuæ, hoc eſt unde receſſit, unde elongatur jugiter, & quo vadit. Retentio ejus eſt lucidior, & latior mediatio eorum bonorum, quæ à Deo recepit, & malorum, quæ reddidit eidem; ligatio autem deſiderium, vel amor boni, id eſt, ſuæ emendationis, poſt tergum manus ligantur cùm amore emendationis abjicit præteritam converſationem. Ad prætorem ducitur, cùm accedit ad ſacerdotem, cum conſideratione ſua ante ipſum tribunal Chriſti ſeipſum ſtatuit, & hoc in ipſa oratione vel conſcientia. Cauſam verò ſuæ examinationis proſecuti ſumus, faciem ſuam velat, cùm cęcitatis præteritæ recordatur, & illudentes ſibi dæmones, & colaphizantes ipſum, cùm hoc non adverteret, intelligit, omnia peccata ſicut vulnera eſſe, non dubitantur. Sic & colaphi rectè intelliguntur. Hic enim eſt ſtatus peccatorum,

B ut velata facie amore aliquo, aut pudore, aut timore malo, aut alia qualibet ex paſſionibus malis, colaphos, & vulnera patiantur peccatorum à diabolo, & illuſiones ignominioſas, cùm nihil horum advertant. Ad columnam religatur, cùm vel invincibili conſuetudini, aut alicui ex his quæ mundi, vel carnis ſunt, amore nimio alligatur, ibi cæditur à diabolo flagellis peccatorum, & ſtimulis, vel punctionibus innumerabilibus, & acerrimis. Cùm autem penitùs contraria omnia vetus homo patitur, firmo quippe propoſito, & amore fortiſſimo, alligatur, propriis increpationibus, velut aſperrimis flagellis, ſeipſum cædit, dum ea ad pœnam ſuam, & dolorem, ut diximus, recordatur velata facie circunducitur, dum opprobria & irriſiones mundi, tanquàm non videns, audit, illuſiones pariter, dum omnem adulationem, omnem mundi gloriam, non honorem, ſed illuſionem eſſe intelligit, & velut illuſionem, & opprobrium, deſpicit. Hæc omnia, ut viam mortificandi veterem hominem aperirem

C tibi, utcumque tetigi. Non autem erit perfecta illa veteris hominis mortificatio, niſi fidei titulus, & confeſſio in ipſo vertice ſynteteſis, hoc eſt, ſuperioris mentis noſtræ mortificationis hujus cauſa per memoriam, velut ſcriptura firmiſſima teneatur. Crede mihi, nihil magis veterem mortificat hominem & vivificat novum quàm fidei crebra recordatio. Unde & Joan. primo Canon. 2. Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Et quis eſt, qui mundum vincit, niſi qui credit, quoniàm Jeſus eſt filius Dei. Quis enim eſt, ſi lucidè videt, & firmiter ſe credit ire in infernum, qui velit ultra procedere, ſi firmiter credit ſe recedere à Deo, & amittere tot, & tanta bona? qui credit omnia deducenda in judicium, ut dicitur Eccl. ult. omnes ſcilicet cogitationes, omnes affectiones, omnes ſermones, & opera: quis inquam eſt, ſi illa oculis intuetetur, qui non totus tremeret? totus horreſceret?

D ſed reverà quidam eo modo credunt, quo dicitur de dormiente, quòd videt, vel de illo, qui clauſos habet oculos, & non intueri eum ſcio. Hic igitur eſt admonendus, qui veterem hominem vult mortificare, ut aperiat oculos fidei, & intueatur, ſi poteſt, crebrò tremendum Dei judicium, & alia, quæ ſupra memoravi tibi. Vis autem ſcire, quod dico? ſi diceretur tibi ab aliquo, qui tamen fide dignus apud te reputaretur, quòd aliquis quæreret te ad mortem in aliquo loco, ſimulque leviter opinareris ipſum verum dicere, vel ad hoc deduxiſſet te verbis illis, ut dubitares de illo, qui dixit de inſidiis, non eſt alicui dubium, quin locum illum declinares. Si ergo levis opinio, vel dubitatio, ita avertit cor

Digitized by Google

tuum, & voluntatem ab illo loco, quid facturam putares fidem firmiſſimam, ſi in omni tempore malo certum eſt mortem eſſe, & diabolum quærere te ad mortem? Item ſi crederes, vel opinareris leviter ſaltem, aut dubitares, cibum, qui tibi apponitur ad comedendum, toxicatum eſſe, aut talem, ex cujus ſumptione leviſſimam febrem incurreres? quantumcumque delicatus eſſet, aut guſtu ſuavis abſtinere te non dubitas: ſi ergo rem omnem à Deo tibi prohibitam toxicatam eſſe veneno peccati, & mortiferam utraque morte credis, putas de illa, vel modicum guſtandum? certè non: ſi toxicum ejus intueris, & vides, hoc dico quoniã omnes nos dicimus credere, & hoc utique verè dicimus. Sed hoc ita verum, ut dicimus, clauſis quidẽ oculis nos videre, quod quidem verè, & rectè dicimus, & dormientes ſimiliter. Sed hoc ſecundũ habitũ non ſecundùm uſũ. Ad hũc modum configes totum crimen læſæ majeſtatis, & totum genus ejus perpetuo damnabis exilio, ut in toto tuæ dominationis imperio nihil obtinere quẽquam de ſtirpe ejus patiaris. Regnum autem tuum, & imperium tu ipſe es cum omnibus naturalibus, gratuitis, & temporalibus bonis tuis. Genus verò intelligimus ea, quæ in fute partes, & membra ſuffragantia, ſuperiùs vocamus. Apoſtatam verò, & ſacrilegum flammis exures juxta leges ſæculares, & conſuetudines eccleſiaſticas, parandum eſt tibi incendium divini amoris, ſi potes, ex lignis beneficiorum, & carbonibus deſolatoriis eloquiorum ſacrorũ. Sin autem, flammis iræ, & indignationis cõtra peccatũ, exure illũ, & igne tribulationis, & doloris pœnitentialis. Videat igitur pœnitens, ut nihil, niſi cinis memoriæ relinquatur ad conficiendam inde lixiviam cum aqua lachrymarum, aut confeſſionis, aut doctrinæ aut devotionis. Tunc autem lixivia melior eſt, & ablutio eſt efficacior, ſi cinis benè excoctus fuerit, quod vehementiâ ignis efficietur. Ad ultimum autem lapidabis grandine diverſiſſimarum increpationum, & comminationum ſuppliciorum æternorum, & objurgationum: ad hunc modum de aliis maleficiis faciendum erit. Sed in hoc ſit ſtudium ſacerdotis, ut adjuvet pœnitentem, & objurgationum flagellis ipſum cædat. Ita tamen, quòd objurgatio careat contumeliâ, & ſupercilio arrogantię, & indignationis. Sic enim feriendus eſt vetus homo, ut non lædatur novus. Sic enim ſe habet vetus homo, & novus, ut homo, & ſerpens hominem ipſum arreptum circumvolvens; dum enim lapides in ſerpentem jaciuntur, ab homine ipſo averruntur, ne ſerpens de læſione ipſius hominis adjuvetur, & gladio verbi Dei ſic ſerpens feriatur, ne homo cujus liberatio quæritur, vulneretur. Ad hæc igitur mortificanda, quæcunque timore configunt, vel amore vivificant, vel pudore confundunt, vel ſancta indignatione inflammant, vel triſtitia ſalutari exaſperant, vel ſancto deſiderio ſtimulant, vel ſuavitate medicinali reficiunt, vel efficatia ſua confortant, vel favorabilitate ſua, vel placore contrahunt ad Deum, inducenda toto ſtudio erunt, & diligentia. Hæc enim omnia aut veterem hominem torquent, aut mortificant, aut novum vivificant, aut aliter adjuvant.

CAPUT XII.

Tractatus pœnitentiæ, prout medicatio eſt infirmorum.

DEinde de pœnitentia, ſecundùm quòd ipſa eſt terminatio ægritudinis, & convaleſcentia ex illa, proſequamur breviter. Hîc igitur ſacerdotem curam medicantis, & officium agere, non dubitandum erit. Primùm ergo ſudor ipſe lachrymarum notandus erit; ſimiliter & univerſalis, ita ut extremitates occupet, quod eſt, cùm ſingulæ vires aliquid amando ſudant, & pro cogitationibus noxiis, quæ extremitatum loca tenent in peccatis, ſudor lachrymarum exhalatur. Unde Joel 2. Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu. Et illa tria ad totum cor referuntur ſub hoc ſenſu, convertimini ad me in toto corde, in jejunio, ut totum cor jejunet, totus ſcilicet ſenſus à doloſitate, totum deſiderium à noxia voluntate, tota vis iraſcibilis, quæ velut tertia pars cordis eſt, à vana gloriatione. Ad hunc modum in toto corde, in fletu, ut fleat ſenſus cordis fraudulẽtias, & doloſitates ſuas, deſiderium, ſpurcitias, & fœdas voluptates ſuas, vis iraſcibilis ſtultas, & vanas gloriationes ſuas. Hæc igitur duo cùm erunt, ſudor cordis univerſalis erit. Deinde pulſus ſpiritualis motus quodammodò tangatur, hoc eſt motus ſpiritualis cordis, hoc eſt deſiderium ſalutis, ſive ſanitatis ſpiritualis. De hoc ergo, utrùm fortis ſit pulſus ille conſiderandus erit. Et hoc cognoſcetur vehementiâ, & fortitudine clamoris, quo clamat ad dominum coram ipſo ſacerdote, vel quo clamat ad ipſum ſacerdotem, ut ipſum adjuvet, & verbis etiam eum inducit ad viam paratum, quibus ad ſalutem adjuvari poteſt. Si interrogat ſacerdotem, quomodò convertatur, & ignoſcat Deus. Si quomodò poterit veniam impetrare. Si eſt aliqua via, qua liceat ei ad miſericordiã venire, & hæc omnia cum expreſſione anguſtiæ, & doloris. His ergo fortitudo pulſus dignoſcitur. De fortitudine etiam vitalis caloris eadem erit conſideratio: calorem autem vitalem amorem Dei intelligimus, qui charitas Dei, & ordinata dilectio vocatur. Attendendum autem erit & de ſudore, ſi cum alleviatione eſt, quod ex reſponſione pœnitentis ſcietur. Interrogandus igitur erit, ſi alleviatum ſe ſentiat, ſi vincula ſua diſrupta, hoc eſt deſideria, & & affectiones, quibus illaqueatus, & irretitus, tenebatur, ſi ardorem, & fervorem, & affectionem ægritudinum ſuarum extinctam ſentit, ſi exoneratam naturam ſuam, velut à noxio, & perniciosiſſimo facinore peccatorum percipit. Interrogandus etiam erit, qualiter ſe ſentiat, utrùm ſentiat ſe evaſiſſe, utrùm videatur ſibi de naufragio ereptus, portui, & litori ſalutis tenaciter hærere, ita ut inde de cætero, ſe non patiatur abrumpi, utrùm ſentiat vulnera ſua, utrùm doleat. Eſt enim dolor judicium certiſſimum vitę redditæ, & ſenſus redditi. Mortui quippe membra mortem ſuam, & vulnera ſentire non poſſunt. Si itaque vehementer dolet, tactum ei reſtitutum certum erit. Poſt hæc intelligetur de viſu ſpirituali, utrùm ei reſtitutus ſit, aut ſanatus. Interrogetur autem utrùm videat mundum, & quid videat ipſum: & ſi reſpondeat quòd videat ipſum umbram fugitivam, & quæ fugit in mortem & omnes inſequentes eum in mortem, & ruinam ire, ſi videt omnes amatores ejus conſopitos, & ſomniantes illuſiones perpeti, & vanitates, quas in mundo ſomniant, aſſequi; ſicut dicitur Iſa. 29. de illo eſuriente, qui ſomniat comedere, & de ſitiente, qui ſomniat ſe bibere, quòd anima ejus vacua eſt, & in proverb. de ſopito gubernatore, qui poſtquàm evigilaverit, dicit percuſſerunt me, & non dolui: verberaverunt me, & non ſenſi, ſi lucidè videat omnem mundi gloriam illuſionem, & contumeliam eſſe: ſi ſolum id, quod intùs eſt, decorem, & gloriam eſſe videat, hoc eſt, decorem ſpiritualem, ſcilicet virtutum, ex quo cognoſcitur bonus viſus, ſi decorum judicat, quod verè decorum eſt, ſi videt turpitudines ſuas, & offenditur ejus aſpectus interior ex viſu earum. Hoc eſt ſimiliter indicium ſanati viſus, abominari ſcilicet

fœda

fœditatem ſuam, & deformitatem, ſi intuetur obſidionem exercitus dæmonum fallentis undique eum, & ad devorandum quærentis, ſi videt erectum ſibi infernale patibulum, ſi videt, quòd facie velata illudebatur, ſcilicet à dæmonibus, quòd facie velata percutiebatur, & colaphizabatur jaculis peccatorum, & non advertebat, ſi videt ſe ad modum furis in laqueos, & gladios ruiſſe, præcipitia non vidiſſe, ſi in volutabro porcorum infernalium, & libidinis ſterquilinio jacuiſſe ſe videt, ſi luxuriam, & volutabrum, & ſentinam immunditiæ, ſi avaritiam ſpinetum, & lectum ſpineum, ſi ſuperbiam mare turgidum, & procelloſum cognoſcit, ſi ſolam pulchritudinem rimatur, & concupiſcit, quæ Deo ſpectabilis, & toti curiæ cœleſti admirabilis, & grata. Deinde ſi cæcos omnes amatores mundi, reputet, ſi ſupplicia æterna cum horrore intuetur, & gaudia æterna cum deſiderio, ſi videat vitam ſuam totam certamen eſſe, & bellum, & ſe duorum regnorum eſſe ſpectaculum, ut ſupra diximus, ſi videt ſe in campo certaminis contra diabolum, ſi videt imminere ſibi undique mortem à mundo, ſcilicet, & à carne, & à dæmonibus, à Deo verò ſolo offerri ſibi ſalutem, & gloriam; ſi videt viam, per quam ambulabat, & quorsùm ducebat eum, quia ad mortem æternam; ſi videt erectam ſibi ſcalam, & viam, qua ſit ei aſcenſus in cœlum; ſi videt ſe omni morte, omni ſupplicio, & confuſione eſſe dignum; ſi cognoſcit cauſas, quas Deus habet contra eum; ſi miſericordiam, qua tam diu ſuſtentatus eſt, & qua deinde liberatus eſt, cum eis, quæ ſupra enumeravimus; hæc omnia erunt tibi reſtituti, & ſanati viſus inditia certiſſima. Deinde ad auditum tranſeundum erit, & ſimilis de ipſo facienda eſt inquiſitio. Primùm igitur interrogetur de verbo Dei, utrùm libenter audiat ipſum, quod eſt, quid ſentiat, cùm audit comminationes æternorum ſuppliciorum, cùm audit diſtrictionem judicis cœleſtis, cùm audit propriè eſſe illud judicium timendum, & univerſale, & horrificâ illâ ſententiâ dânationis æternæ; Ite maledicti in ignem æternum, quæ nec appellatione ſuſpendi poterit, nec ullo remedio, aut revocari aut retractari. Quid ſentit in ſe, cùm audit enumerare tormenta infernalia, cùm audit narrari jugem fletum, ululatum, jugem ſtridorem dentium, ignem, & ardorem inæſtimabilem, algorem, & fœtorem intolerabilem, tenebras nullo unquàm lucis beneficio conſolabiles, & ad unum dicam, omnium amaritudinum, & dolorum abyſſum, omnium deſiderabilium, & omnium conſolaminum omnimodam abſentiam. Si hæc cor ejus horrore, & terrore concutiunt, auditum in parte reparabunt. Deinde cùm audit verba ſacræ exhortationis, ſi alliciunt, & attrahunt cor ejus, ſi ſuavia ſunt ei ſacræ eruditionis eloquia. Si ad verba promiſſionis æternæ fœlicitatis reſipiſcit. Et in ſpecie. Si mentem ejus, & ad auditum ſui, & ad hujuſmodi promiſſiones attentiorem, & avidiorem reddunt. Si ipſam jam ad ponderandam æternam dulcedinis ſuavitatem ſublevant. Si ipſam ſibi rapiunt, & furantur, quodammodò, ſi aliis ſolicitudinibus abſtrahunt eum, & aliorum oblivioſum reddunt. Si ad auditum miſericordiæ Dei velut interno quodam jubilo tripudiat, & conandi ad promiſſionem ejus propoſitum concipit. Si adulationes, & detractiones, jacula mellita, an fellita reputat. Si auditum ſuum velut jacula confodiunt. Si cantilenas, turpitudines, & vaniloquia ſcurrarum, diabolicam pſalmodiam, & cantica dæmoniaca, turpes ſonitus, velut detumeſcentium veſicarum reputat. His enim indubitanter ſervitur dæmonibus; ſicut ſacris hymnis, & canticis Deo. His fugatur ſpiritus ſanctus, ſicut divinis hymnis,

A & canticis dæmones fugantur. Si citharæ ſonitum, & aliorum muſicalium inſtrumentorum potiùs intolerabilem ſtrepitum reputet, & tumultum, quàm ſuavem concentum laudationum divinarum, ſi decantatio, & ſacra pſalmodia devotionis ei pariunt jocunditatem, id eſt faciunt jocunditatem, & cœleſtem ei repreſentant quodammodò melodiam. Hæc & ſimilia reſtituti, & ſanati auditus ſpiritualis erunt ſigna. Ad hunc modum de ipſo guſtu ſpirituali attendendum erit; ſi omnis voluptas carnis ſapiat & ſordes, & putredinem; ſi palatum, aut guſtum porcinum ſe habuiſſe cognoverit, dum ei fœculentia, & abominantia carnalis voluptatis ſapiebat; ſi palatum ſuum ſibi mentitum eſſe de voluptatibus advertit, cùm eas dulces eſſe, & ſaporoſas, corruptione & infectione ſua, nunciabat, & ſuggerebat. Si intellexit de febre peccati infectionem B illam procedere, ut ei amariſſima dulcia ſaperent. Amariſſimum quippe morſellum illum eſſe neceſſe eſt, cum quo mors ipſa tranſglutitur. Quare voluptas noxiæ amaræ reverâ ſunt, ſed etiam eas eſſe dulces mentitur infectio palati cordis noſtri; quæ cùm purgata fuerit, peccati, febrem indicat curatam. Si ei ſapit ſordes luxuriæ. Si carbones avaritiæ. Palatum quippe aſininum habet avarus, dum ſpinoſas, & aculeoſas divitias eſurit corde: ſi ſapit ei ventum ſuperbiæ, ſeu gloriæ mundanę. Ventum dico urentem & turbidum. Poſtmodùm de contrariis interrogetur. Primùm de ipſa ſanctimonia, ſi ſapit ei ſuavitatem aromaticam. Si tota converſatio ſanctimoniæ videtur ei eſſe cella aromatum; ſicut tota converſatio luxuriæ voluntario in ſterquilinio. Si verè paſci liliis videantur ei amatores ſanctimoniæ, luxurioſi verò abominatione. Si videtur ſibi C fuiſſe ſterquilinium, aut ſentina immunditiæ, quandiu putruit luxuriâ. Si videtur ſibi ſterquilinium commutaſſe in lilia, & vas ſtercorum in ſcrinium aromaticum, & pigmentarium: ſi velut nauſeam ſpiritualem patiatur ad recordationem luxuriæ. Ad auditum verò operum ſanctimoniæ appetitu, & deſiderio eorum ardeſcat. De olfactu eadem erit via. Si fœtet ei omne, quod contra Deum priùs amplectebatur. Si fœtet luxuria, fragrat ſanctimonia. Si abhorret fumum teterrimum avaritiæ. Si amplectitur largitatis odorem. Si abominatur ſuperbiæ vilitatem. Si odorat pulverem humilitatis pigmentariũ timorem Dei, ut myrrham; charitatem, ut balſamum; miſericordiam, ut unguentum ex cujus odore domus repleta legitur; ſpem, ut nardum; fidem, ut hyſopũ; devotionem, ut thus, & omninò totum chorum virtutum & faſcem aromatum omnium, ut ex aromatibus myrrhę, & univerſi pulveris pigmentarii. Cùm igitur per omnes ſenſus ſpirituales ita percurreris, & inveneris, de curatione, & ſani- D tate certus eris. Non reſtat igitur niſi diæta inducenda ei, atque cuſtodia ſui ipſius; hæc autem erit, quæ maximè calorem Dei nutriat, & confortet, & conſervet, ſubtilis, & levis, propter teneritatem ejus, qui nunc primò ſudavit, & vix convolavit plenè adhuc. Non enim oneranda eſt adhuc tenera, & quę nec dum longè eſt ab ægritudine, ſed levibus, & confortativis, & nutritivis adjuvanda; ne ſub onere diætæ deficiat, & fit ei diæta ipſa in onus, & gravamen, quæ debuit eſſe in ſublevamen, & adjuvamen. Conſerva medice ſpiritualis, & nutri, & robora calorem vitalem divinæ dilectionis, quia cùm robuſta, & adaucta fuerit, ipſe etiam te invito onerabit ſe eis, quę credit placere amato ſuo. An oportet quicquam amatoribus ſuis injungere de his, quæ ad aſſequendum amoris ſui finem faciunt? Nunquid non amor ipſe ſufficienter eos ſolicitat de his? Hoc autem dico, ut de diæta ipſa ſuavitatem habeat, quæ

Digitized by Google

confortet, & nutriat, & paſcat. Alioquin dum eam abhorret infirmus, aut parum, aut nihil inde ſumet. Et ita nil proderit. Sit ergo diæta iſtius auditus verbi Dei maximè ab his, in quorum labiis gratia eſt diffuſa ad exhortandum: deinde auditio, & frequentatio virorum ſanctorum, qui & collocutione ſua amorem Dei aut inflammant, aut nutriunt, & aſpectu ſuo gratioſo confortant. De inhabitatione quippe Dei in cordibus ſanctorum eſt in ipſa facie eorum redundantia. Nec mirum ſi de fonte gratiæ, quæ in corde ſcaturit, exuberet in facie, in qua ferè quicquid eſt in mente relucet, ipſius autem experientiæ magiſterio in parte iſta certiùs credetur. Oratio autem pſalmodia, ſcripturarum meditatio, eleemoſynarum largitio, pro inimicis exoratio, quid habeant efficaciæ ad nutriendam, augendam, conſervandam gratiam, & ſcripturarum innumerabilia teſtimonia, & eccleſiaſtica obſervatio ſaluberrima plenè docent. Confeſſionis autem frequentia valdè ſalutaris eſt, & ſemper ſic diſcedat pœnitens à ſacerdote, ut certa dies ei aſſignetur ad redeundum, & ſolicitudo ſacerdotis plurimùm adjuvet ipſum, cùm ipſe ſacerdos non expectat, ut veniat ad ipſum pœnitens, ſed accedat ad ipſum, & quoties obviat ei, interroget ipſum de ſtatu ſuo, ſemperque conſoletur eum. Ingerere quippe ſe debet ſacerdos affabilitate, & familiaritate.

CAPUT XIII.

Tractatus de pœnitentia, prout eſt ratiocinium villicationis.

NUnc verò proſequamur, ſecundùm quod diximus, villicationis ratiocinium, ſeu computum, & erit modus ille, & via utilior pœnitentibus qui rerum alienarum habent adminiſtrationem. Primùm ergo admonendum erit, ut fideliter cum Deo computet, & certum habeat, quòd fraus nulla Deum latere poteſt, & ipſe Deus omnium, quæ ſibi credidit, ſcriptum habet penes ſe, qui eſt liber vitæ, in quo omnia lucidiſſimè ſunt notata. Diabolus etiam in ſcriptum habet totum, quem etſi fallere velit, non poteſt tamen. Hic ergo ſciat maximè ſibi inſidiari diabolum, & hoc, ut vel in falſitate computi ipſum deprehendat, vel ne manus ejus evadat, & ne ſcripturam, quam diabolus habet, & per quam vult ipſum dirationare in tremendo Dei judicio, deleat. Scit enim diabolus, quòd ſi fidelis erit hæc cōputatio, delebitur liber ejus, & pœnitentem non habebit quo teneat, deleta chartula debitoria. Nō enim poteſt quicquā ab eo petere niſi literas exhibuerit debitoriā; non enim creditur in judicio Dei diabolo niſi literis tuis cōtra te, ô pœnitēs, quas ipſe propriis ſcribis manibus, id eſt, operibus. Has ergo delere ſummoperè ſatage, lege eas coram ſacerdote, & deletæ ſunt. Quòd ſi eas legere fideliter corā ſacerdote neglexeris, diabolus eas contra te in judicio coram omnibus pœnitentibus præteritis, & futuris, leget. Cave autem totā diligentiā, ne dum per computum abſolvi apud Deum, & à Deo quæris, majoris vinculo reatus te alliges, hoc autem facies, ſi non fideliter computaveris. Primùm igitur, ſi placet receptam eorum, quæ à Deo recepiſti, computemus, deinde expenſam. Quæ igitur à Deo recepiſti, ſunt in parte naturalia, ſcilicet anima, & corpus, aures, & membra, ſenſuum organa, oculi, & aures, os, nares, manus, & pedes. ampliùs, vita ipſa, tota dies & horæ, anni & momenta ſingula. Deinde ingenium, ratio, ars, ſcientia, quam addidiciſti: deinde temporalia, divitiæ, redditus, honor, & fa-

E miliaritas multorum, & magnorum amicitia, & gratia, quâ hominibus amabilem te exhibes. Deinde gratuita bona, ſcilicet gratiæ, quæ in baptiſmo accepiſti, ut eſſent tibi arma contra hoſtes tuos, ut eſſent tibi talenta, quæ cum uſuris modò reportares domino, & etiam in futuro. Ad hunc modum enumerentur omnia alia, quæ occurrerint. Hæc igitur ſunt, quæ tradita ſunt tibi, hæc ſunt recepta, ut arbitror. An aliquid aliud recepiſti? Nunc ergo computemus expenſas, an hæc omnia in obſequium, & voluntatem domini tui expendiſti, an quòd abſit, in uſum voluntatum tuarum, & diaboli obſequium conſumpſiſti, ſi vel centeſimam in divino ſervitio, aut diaboli expendiſti, ſi membra tua, & vires, ſenſuum organa ita expendiſti, ut Deus, nec centeſimam habuerit aſpectuum tuorum, nec centeſimam auditiuum, & ita de aliis, ut abſolvaris. An habuerit luxuria oculos tanto tempore, & corpus, & animam,
F & ſic de aliis. An non interrupiſti ſaltem reſcriptionem diabolicam, ut vel modico tempore te haberet dominus tuus? quâ viâ igitur, quo caſu, quo conſilio quâ inſtigatione paſſus es, ut amitteret te tamdiu? An te traxit propria iniquitas, an aliena inſtantia? Ad hunc modum innuetur per interrogationes, ne doceatur peccata enormia, quorum tentationem, & deſiderium affert ipſa eorum notitia, qualia ſunt quædam peccata carnis, quæ nec in tanto corpore ſacræ ſcripturæ leguntur inhibita expreſſè, cujus hanc puto cauſam eſſe, quia Deus nunquàm voluit ea aſcendere in cogitationem hominum, propter abominabilem fœditatem ſuam. Noluit ergo divina providentia ſua prohibitione vel levem dare occaſionem infirmitati humanæ talia cogitandi ipſa quippe nefandarum rerum cogitatio, & pollutio, pericula ſunt, & interrogationes in confeſſione circa peccata carnis generales debent
G eſſe, ut nullam dent occaſionem ignorantibus, vel cogitandi innominabilia. Admoneatur autem ſuper omnia pœnitens de fidelitate computationis, & ſtatuatur ante oculos ejus divinæ bonitatis largitas, quæ de tot, & tantis latrociniis, & pro tot, & tantis bonorum ſuorum damnis, ſolam exigit computationem. Computa fideliter, ô pœnitens, in quibus, & qualibus, & qualiter tot, & tanta domini tui bona expendiſti, & ecce ab omnium bonorum ſuorum diſſipatione abſolvit te. An non vides quàm facilè illarum tot, & tantarum laſciviarum evadis ſupplicia? Dic, & computa, & ecce remittuntur tibi omnia. Elige ô pœnitens computare coram Sacerdote uno, qui tibi compatiatur, & te adjuvet, & ipſa computatio eſt abſolutio tua. An vis computare in oculis omnium vivorum, & mortuo-
H rum in die judicii, ubi ipſa computatio erit exprobratio tua acerrima, & ignominioſa? Feſtina miſer ſolo verbo abſolvere te. Feſtina inquam, accipe miſericordiam, quæ tibi offertur, & forum redemptionis, & liberationis tuæ, dum pro redemptione tua ſolum verbum confeſſionis exigitur. Quid verò vis, quæſo, faciat tibi Deus, nonne omnium, quæ à te pro tua redemptione exigi poſſunt, viliſſimum, atque leviſſimum eſt verbum? ſed qua fronte audes negare Deo rationem reddere tuæ villicationis? An alicui ex hominibus auderes hoc facere? an ſuſtineres hoc cuiquam ex ſervis tuis, ut rationem ſuæ adminiſtrationis non redderet? tu verò adeò difficilem te exhibes ad reddendum Deo rationem, cùm tamen hæc ipſa rationis redditio, ſive computatio, abſolutio tua ſit? An non putas te debere loquelam tuam Deo? dimitte igitur, ut utatur ea, vel ad modicum, qui loquelam contra Dei voluntatem toties tibi, & tamdiu uſurpaſti, vel ad horam non impendes eam Deo? An es adhuc in pertinacia illa, ut nec debere

Digitized by Google

debere velis vel ad momentum Dei volnntatem & tuam liberationē? Aut ignoras Deum intueri omnia illa, quorum confeſſionem à te exigit? Hoc jubet Deus, ut illa avertas ab ocnlis ejns quæ ei diſplicent in te, quæ puro verbo confeſſionis exſufflantur, & evaneſcunt. Noli quæſo, noli plus vereri faciem Sacerdotis, quàm Dei conſpectum. Difficile autem eſt nobis omnia enumerare, quorum ratio eſt reddenda. Sed de viribus, & de membris, de corpore ipſo, & de ipſa ſapientia, vel arte, vel officio, de tempore, de diebus, de annis, de amicitia, & de familiaritate magnorum, de ſtipendiis, & de redditibus eccleſiaſticis, in quos uſus, vel abuſiones hæc omnia converterit, de ſpecioſitate, aut elegantia corporis & aliis donis. Utrùm illis impugnaverit Deum, ut ſupra meminimus, perſcrutatiùs inquirendum erit, ſed cum omni modeſtia, & dulcedine. Cùm autem ut enumeravimus totam vitæ rationem reddiderit, quod quidem interrogatus, ut diximus, faciet, tunc ſi quid habet, ut ſatisfaciat, interrogādus erit. Hæc autem, quibus ſatisfit veraciter à pœnitente, ſupra enumeravimus. Hîc autem unum adjiciemus, cùm ſe diſſipatorem bonorum Dei confeſſus fuerit, interrogabimus eum, utrùm habeat aliquid, unde ſe redimere poſſit, in tot latrociniis deprehenſus; ſi quid habet, quod pro redemptione ſua dare poſſit domino: quòd ſi nec divitias temporales, nec ſpirituales apud ſe invenerit: interrogabimus eum an ullos debitores habeat, hoc eſt, ſi quis ei aliquid debet, quod eſt dicere, ſi quis eum læſit vel in ſe, vel in ſuis, vel injuriâ, vel contumeliâ, ſive quovis alio modo illum enim voco debitorem ejus: ſi reſponderit ſic, multos habeo debitores tales: fœlix, dicat ei Sacerdos, qui habes unde te redimas. Noli mihi dicere de cætero, quòd pauper ſis, cùm tibi tot, & tanta debentur. Aſſigna ergo debita iſta pro debitis tuis, & offer debita ei, dicens: Domine Deus meus non habeo alia, quæ tibi offeram ego tot, & tantorum, debitor tuus, ſed iſta offero tibi, iſta dono tibi gratis, & gratanter. Tu ergo dona mihi debita mea, ſicut promiſiſti. Hanc ſatisfactionem docet Deus in Evangelio. Mirabiliter enim pauper eſt, qni nullum habet hujuſmodi debitorem. Gaude ô pœnitens, cui ignoranti, & invito, injuriatores tui pretium tuæ redemptionis theſaurizaverunt, & ad tam opportunum tempus ſervaverunt. Si verò temporales, aut ſpirituales habet divitias, utatur conſilio Danielis, Salomonis, & domini dicentium: Peccata tua eleemoſynis redime. Dan. 4. Redemptio animæ viri divitiæ propriæ. Prov. 13. Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis, Luc. 11. Divitias ſpirituales voco verbū prædicationis, cujus erogatio tantò Deo gratior eſt erogatione bonorum temporalium quantò vita animarum vitâ corpornm melior eſt. Item potiùs, quæ ſunt artis, quàm quæ ſunt officii, ut judicum, advocatorum, medicornm, doctorum cōſilia, patrocinia, eruditiones, quæ cùm pietas imperaverit, eleemoſynæ Deo gratiſſimæ ſunt, & erogantibus ſalutares. Omnibus autem eleemoſynis præferendæ ſunt ſpirituales, quales ſunt remiſſiones injuriarum, & orationes qnæ fiunt pro inimicis, pro perſequentibus juxta præceptum domini: de his ſpecialiter dictum videtur eſſe ſupra. Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Similiter & miſericordiæ, & compaſſiones, quibus compatimur peccatoribus, & ægrotantibus, freneticis, illaqueatis, vinculatis, incarceratis. Beatus, cui datum eſt hujus pietatis, & compaſſionis ſuper peccatores geſtare viſcera: de his ſpecialiter dicitur Mat. 5. Beati miſericordes, quoniàm ipſi miſericordiam conſequentur. Saluberrimum autē hujuſmodi pœnitentibus, ideſt, qui per viam illam ad pœnitentiam deducti ſunt duce Deo, & generaliter

A omnibus, quotidie coràm Deo, & tota curia cœleſti latrociniorū ſuorum exhibere faſciculum, & exhortari, & exorare obnixiùs remiſſionem, & interpellare ipſam reginam cœlorum, totumque ſenatum curiæ illius, & totam militiam, ut ipſi preces ſuas offerant pro pœnitente, quæ Deo non poſſunt, non eſſe acceptabiles, ut judicem placatiſſimum & clementiſſimum placent, & leviant, ſed & alios viros ſanctos, qui ſunt in terra, interceſſores ſuos facere, non negligendum eſt. Quòd ſi reſponderit pœnitens nec has, nec illas ſe habere divitias, ſed nec ullum habere debitorem, dico ei, ſaltem ipſum habes diſſipatorem, ipſum malefactorem, ipſum potes utique tradere clementiſſimo judici, qui pro eo dignatus eſt crucis ſubire patibulum, ut ei ipſemet parceret. Trade igitur malefactorem illi judici, qni ut malefactoribus parceret, omnium malefactorum exolvit ſupplicium. Quòd ſi de indulgentia vis eſſe ſecurus, &
B non vis te judici tuo tradere, niſi ſub pignore, dic, quæſo, qnid ampliùs à te divina bonitas exigere poteſt? Si te totum beneplacito ejus cōmiſeris, totum, ut dicitur vnlgariter, miſerationi ejus reddideris, vitam unicam, quam habes, & corpus, & animam in manu ejus, & beneplacito ſno poſueris, an poteſt exigere juſtitia, niſi ut ſatisfacias, quantū potes? nec humana juſtitia, aut pietas ampliùs exigit, vel exigere poteſt. Quid igitur divina juſtitia, aut clementia faciet? an non es liberatus, & abſolutus omninò apud regem, & apud prætorem, etiam ſi furem ei, & captum, & vinctum tradidiſti temetipſum? Trade te beneplacito ejus per manum ſacerdotis, & dic: Ecce Nota. latronem trado, quem tuo adjutorio cœpi, & ligavi. Fac ergo ei quod tibi videbitur & quod tuum ſcis eſſe beneplacitum. Quòd ſi clementiſſimus, ac juſtiſſimus voluerit ampliùs exigere, dic ei ore jocundo: Domine non intromitto me de cætero de latrone iſto, fac ei quod beneplacitū eſt in oculis tnis. Quòd
C ſi dixeris mihi Dominus Deus vult, quòd ego reſpondeam pro latrone iſto ſuper malefactis cito domine, quoad damna, & deperdita; ſed ipſe pro ſceleribus ſuis occidetur, nolo eum vivere. Verumtamen ego de damnis quæ jam recepi per quæ, & unde eſt cautio agendi, ſemper cogitabo. Hæc igitur adeò vulgariter ſcribo, ut penè ludicra videantur, quia per viam iſtam profundiùs animo auditoris illabuntur, & vivaciùs penetrant.

CAPUT XIV.

De pœnitentia, provt eſt reconciliatio diſcordantium.

DEinde verò de pœnitentia, ſecundùm quod eā ſuperiùs reconciliationem diſcordantium, ſeu concordationem vocavimus, aliquid loquamur & eſt via iſta, & modus aliis generalior. Igitur inter
D Deum, & pœnitentem mediator eſt Sacerdos. Eſt enim officium hujus pacem inter eos quærere & eos ad concordantiā, provt poterit, inducere. Primùm igitur interrogare debet ipſum pœnitentem, ſi velit cum Deo pacem habere. Ad hoc quippe venitur noviſſimè. Quòd ſi reſponderit: volo, & conabor, ut potero, nec ſtabit per me, quin pacem ejus, & gratiā habeam: tunc ipſe ſacerdos proponat ei, quòd clementiſſimus, ac juſtiſſimus Deus nō inconſueta, non gravia, non viribus ſuis impatia exigit ab eo, ſed contentus eſt, ut aliqua ex uſitatis apud nos compoſitionibus interveniat inter ipſum, & pœnitentem ſi vellet utique pœnitens id cum Deo facere, quod cōſuevit cum vicino ſuo facere, ſi vellet eo modo componere cum eo, quo ſolet cōponere cum vicino ſuo, aut quomodò ſolet videre vicinos ſuos invicem cōponentes. Quo quidē reſpondente gratiarum actio-

nes Deo, proponendus eſt ei aliquis ex modis, quos hîc enumerabimus. Primus ergo modus pacificandi diſcordes eſt judicium, de quo ſupra Secundus eſt arbitrium. Tertius legitima inquiſitio. Quartus cõmunis partium aſſenſus, & hic vulgò dicitur parur; quoniàm partis utriuſque voluntas tam diu a pacis mediatore taxatur donec ad concordiam reducantur Quintus bellum, ſub actis quippe, & occiſis hoſtibus pax eſt victori Sextus deditio, qua quis adverſarii ſui beneplacito ſe cõmittit. Septimus merces, cùm projicit quis pecuniam, dans adverſario, ut redimat ſibi pacem. Matrimonio reverà regum & principum bella pacificari ſolent. Sed hoc ad cõmunem aſſenſum pertinet manifeſtè. Si igitur ô pœnitens ſtare velis arbitrio ſcilicet ſacerdotis compromitte in ipsũ ſuper omnibus querelis & cauſis, quas habet adverſùm te Deus, nihil ampliùs poteſt Deus à te exigere, qui in illum jam cõpromiſit, nec poteſt appellare ab eo Quoniã ab arbitro non eſt appellandũ, nec recuſare eum poteſt, quem ſciens, & prudens elegit. Vide autẽ quem elegerit dominus. Hic autem dubitare nõ poteſt fidelis, quin ſi arbitrio ſacerdotis ſui providi tamen, & circumſpecti ſteterit, Deus ab ipſo ampliùs non requirat, ſed hunc neceſſariò docere habet ſacerdotẽ, ut bona fide teſtis, ſi per inquiſitionẽ legitimam vis cõponere cum Deo. Fiet igitur inquiſitio per teipsũ interrogante ſacerdore, ubi neceſſe eſt, ut tu teſtẽ Dei te geras, & jus ejus ſacerdotẽ bona fide doceas. Quod autem per inquiſitionem contigerit, hoc da tibi. Similiter da Deo hoc, quod inquiſitione jus ſuũ eſſe innotuerit. Deo igitur juſtitiam & miſericordiã, tibi patibulũ infernale dabis, ſecundùm judicium meritorum tuorum & hoc eſt quod David dicit: Quoniàm iniquitatẽ meam ego cognoſco, quaſi legitima inquiſitione me reum deprehendens, me reum cognoſco, & iniquitatẽ meam mihi tribuo: illa enim ſola cum pœna ſua jus meum eſt, tibi verò juſtitiã, & miſericordiam. Quòd ſi tibi placuerit vindicare in me: hoc juſtè facies, quia merui, ſin autem ſit beneplacitum tuum ignoſcere, hoc ſoli miſericordiæ tuæ debetur. Hic eſt modus, quo recõciliari volebat Daniel ejuſdem 9. populũ Iſraël, & ſe ipſum Deo, qui peracta inquiſitione, & enumeratis omnibus, dedit unicuique parti jus ſuum, dicẽs: Et nunc tibi domine juſtitia, & miſericordia, & propitiatio, nobis autem confuſio faciei. Per cõmunem verò aſſenſum erit pacis reformatio, quandò utriuſque partis jure inſpecto volũtas inquiritur pœnitẽtis, ſcilicet quid vellet facere, quid pro redẽptione daret, quid abſtinentiæ quid emendationis vitæ præter ſoluã vitam, quibus vellet jacturã præteritæ vitæ & converſationis redimere, & de conſenſu ejus cum taxatione modeſta injungenda eſt ei pœnitentia. Nulli ergo injungenda eſt pœnitentia, niſi quam ſpontè ſuſceperit: ad hoc debet ſacerdos Dei voluntatẽ eſſe, ſcire hujuſmodi compoſitionem legis: Mat. 6. ſecundùm primũ modum reverà, ſcilicet judicium legis in principio capituli, ſed poſtmodum Dei voluntatem modo mediatoris populo denunciat dicens: Nunquid placari poteſt Deus in millibus arietum, & hircorum pinguium? Iſta pro ſceleribus noſtris non acceptat, ſed hoc utique acceptabit pro ſceleribus noſtris, habere conſiliũ noſtrũ; an velit is hoc facere ei. O homo, inquit, indicabo tibi, quid ſit bonum, & quid Deus requirat à te, quaſi dicat: Si vis cum eo pacem habere facere judiciũ, & diligere miſericordiam, & ſolicitè ambulare debes de cætero cum Deo tuo; ſolicitus ad bona opera nova, quæ bonis priſtinis addis pro reconciliatione tua. Soliciũ de cuſtodiendo te reddant, ne ipſum amittas Hoc igitur judiciũ eſt, ut quotidie te judices coram eo, ut ſupra diximus, & dignum morte, quo ad merita tua priora te confitearis, & in alios abundantioris, & longioris miſericordiæ ſis, qui tantam miſericordiæ largitatẽ tam indignus ſuſcepiſti. Tantóque magis ſoliciũ in ambulando cum Deo tuo de cætero te exhibeas, ut vere te timere naufragiũ quod paſſus es, & amiſſionẽ gratiæ, quam aſſecutus es, innoteſcat Appareat etiam te ex caſu tuo cautiorem effectũ, & de largitate receptæ miſericordiæ gratiorẽ. Quintus modus eſt bellum; hoc ergo modo non Deus nobiſcum pacem habet, quin nos velut expugnans ſibi ſubigit Hoc autem in ſex gratiarum aciebus contra peccata noſtra, & contra exercitũ culparum, attritione noſtra dimicantibus, clarũ eſt: in hora enim contritionis, velut bellũ geritur inter liberũ arbitrium cum gratia ex una parte, & vitia, & peccata, & propriã infirmitatem ex altera. In hujuſmodi belli victoria conteritur vetus homo, multis quidem actionibus ante percuſſus Hæ ſunt ſeptem viriles oſcitationes, quibus puer ille, quem ſuſcitavit Heliſæus, oſcitaſſe dicitur, ut legitur 4 Reg. Hæ ſunt illæ ſeptẽ gentes, quas delevit Dominus ante faciem Iſraëlis Hæ ſunt illæ ſeptẽ horæ febris, quam curaſſe legitur dominus in Evangelio, ubi dicitur, quòd horâ ſeptimâ reliquit eum febris. Acies prima eſt recordatio beneficiorũ Dei, quæ jam recepit peccator, beneficia dico tam naturæ quàm gratiæ, & temporis. Secunda eſt recordatio malorũ, & ingratitudinũ, quæ Deo reddidit & hæ duæ ſunt in noſtra rationali, ſive apprehenſiva. Tertia eſt pudor Quarta timor. Quinta dolor. Sexta ira, qua quis ſibi iraſcitur, & expendit ultionem de ſe ipſo, & vitiis, & peccatis. Septima ſpes veniæ. Recordatione beneficiorum Dei percutitur caput veteris hominis, ſicut ignorantia, vel error & tenebræ oculorum. Similiter & recordatione malorum. Pudore verò velut brachiũ ejus ſiniſtrum percutitur, ſcilicet impudentia. Dolore verò dextrũ brachium, ſcilicet voluptas, Timore verò quaſi in collo percutitur Cervicoſitas enim audaciæ eo percutitur. Ira verò remiſſio, & laxitas ejus, id eſt tenerior pars. Vel poſſumus dicere, quia pudore, quaſi in facie, percutitur, dolore quaſi in latere dextro, ubi viget vis cõcupiſcibilis, timore quaſi in latere ſiniſtro, ubi viget animoſitas, & audacia ita verò, quaſi in ventre, propter dictam cauſã: ſæpè verò diffidentia, & timiditas, quæ ſunt in alia parte veteris hominis, nec dum tamen moritur, donec charitas advenerit. Charitate enim Deo totaliter adhæret, & à malis ſuis avertitur. Quæ averſio caſus eſt, & proſtratio veteris hominis, adhærentia verò Deo eſt ſuſtentatio novi. Hoc etiam bellum tota ſcripturæ ſacræ ſeries ſonat, & docet. In matutino, inquit David, interficiebam omnes peccatores terræ. In matutino enim, id eſt, in ortu veræ lucis, ſcilicet gratiæ cujus matutinũ eſt hora contritionis, quæ eſt quaſi crepuſculũ matutinũ, quod plurimum habet tenebrarum & modicum luminis ante ſolis ortum. In hoc matutino dominus interficit omnes peccatores in homine cujuſmodi peccatores ſunt raptor, fornicator, & ita de aliis, quæ ſupra tetigimus; dum malleo indignationis, & pilo doloris & lapidibus objurgationum, & grandine cõminationum, & gladio verbi tui intùs agens, hæc omnia in nobis per gratiam ſuam, in qua prævenit nos, velut debellans, ſubigit nos dominus ſibi. Ut diſperderem inquit, de civitate domini, id eſt, de te ipſo, ô penitens, qui es civitas domini, operantes iniquitatem. Si igitur viriliter pugnaverit Deus in te. contra te, & tu cum eo addens gratiæ, quæ pro te certat, auxilium libero arbitrio, neceſſariò habebit pacem tecum: quòd ſi ipſe tecum. & tu cum illo. Idem enim eſt bellũ, & eadem pax voluntária Sextus modus eſt voluntaria deditio, ſi vis te dare Deo,

Compromittere.

Acies gratiarum

Septem gentes, & horæ.

Nota.

Digitized by Google

hoc eſt, miſerationi ejus te reddere, ut de te pro beneplacito ſuo faciat; ſi totum te ei tradideris, & totum ad beneplacitū ejus commiſeris, ut ſupra diximus, pacem habes cum eo. Quod ergo beneplacitū dicitur? ſalus tua: quid eſt, delitiæ ejus, eſſe cum filiis hominum? Prover. hoc legitur, fac ut non ejicias eum à te, ne polluas te ipſum, ne facias te ſterquilinū, aut volutabrum porcorum infernalū, ne recipias in te peccatū: illo enim ſolo excluditur. Illud enim ſecum pati non poteſt Deus. Hæc eſt voluntas Dei, ut dicit Apoſt. ad Theſ. 4 Sanctificatio veſtra, ut vos ſanctos ſerveris: & hoc quidē uſibus, ſcilicet Dei, & operibus. Illa enim ſancta diximus, quæ Dei uſibus deputata ſunt, ut ſacramenta, & ſacramētalia. Septimus modus eſt per mercedem. Mercedē autem, & munus intelligo id eſſe, quod non debetur ex debito, ut eſt omne, quod eſt voti, ut eſt ingreſſus in religionem, crucis aſſumptio, & ſimilia, ad quæ non tenemur. His itaque muneribus Dei pax, & gratia acquiritur. Interrogandus igitur eſt pœnitens, ſi vellet aliquod munus dare Deo pro pace ſua, ac ſi ſacerdos acceptor ſit munerum, & cupidum noverit Deum. Et ſi hoc facit, nihil aliud ab eo exigendum eſt, quia totum Deo dedit, qui nihil ſibi retinuit, & quia quibuſdam ſceleribus ſufficit tanta apud clementiſſimum Deum redemptio.

CAPUT XVI.

Qualiter Confeſſor debet alloqui confitentem.

NUnc autem quid facere deceat ſacerdotem, & qualiter alloqui pœnitentem breviter perſcrutemur. Primum igitur toto gaudio accipiendus, toto ſinu dulcedinis amplectendus, totis viſceribus pietatis refovendus, & conſolandus, tota hilaritate, & affabilitate alloquendus, tota familiaritate interrogādus erit pœnitens. Patrem te ſcito eſſe ſpiritualem, ô ſacerdos, & exemplū tibi miſericordiæ præſcriptū, ut ipſum imiteris Lucæ 15 ubi filius ille prodigus, & patre occurrente toto gaudio in amplexus, & oſcula receptus legitur, ubi nulla prioris vitæ mentio facta legitur, ſed totum ſibi gaudiū reverſionis ejus, atque feſtivitas vendicavit, unicam eſſe ſolicitudinē patris de inventione ipſius perditi, & ſuſcitatione mortui, nihil objurgationis, nihil omninò increpationis, aut improperii ibi fuiſſe recolitur. Recole ô ſacerdos, quid ſub typo paſtoris centeſimā ovem propriis humeris portātis, quid ſub typo mulieris dragmā perditam quærentis, de ſe ipſo intelligi velit, qui ovi inventæ proprios inclinat humeros, & ideò gratulabundus eam ad ovile Eccleſiæ, vel cœleſte deportat, & omnes vicinos, & amicos ſuos ad hoc ut ſibi congaudeant & inventionē ovis perditæ cum ipſo feſtivent, invitat. Recole mulierē, quæ præ deſiderio dragmæ perditæ ſurgens de nocte, noctis celeritatē moras reputans, diemque expectare non valens, accendit lucernā, & evertit domum, & diligenter quærit, donec inveniat, & cùm invenerit convocat vicinas, & amicas, dicens. Congratulamini mihi, quia inveni dragmā quam perdiderā. Quo exemplo Chriſtus dominus deſideriū, & amorem ſalutis noſtræ inſinuat, diligentiamque, & laborē, quibus nos quaſivit, cùm errabamus ut oves non habentes paſtorē, & gaudium, & feſtivitatē de inventione noſtra, quæ propriè in pœnitentia, & in cœlo fiunt. Tu ergo ô ſacerdos, qui paſtoris hujus, & mulieris vices agere & officiū implere juberis ſine gaudio, & applauſu ac feſtivitate, aut ovem illam, aut dragmā, hoc eſt pœnitentem, invenies? Si amicus es, aut vicinus hujus paſtoris, congratulari paſtori juberis. Si amica, aut vicina hujus mulieris, ad congratulandū cum ea invitaris. Omnia denique facere juberis, quæ ipſe paſtor Chriſtus dominus paſtorem feciſſe dicit ibi, omnia, quæ mulierem feciſſe: & ego non dubito, quin de ovibus, & aſinabus materialibus, aut de dragma hoc faceres, ſi fidei tuæ cōmendatæ eſſent. Quid ergo de animabus te decet facere? An ipſo rege cœlorū feſtivum gaudium, & grandem celebritatē imperante, & tota cœleſti curia congaudente, & laudes Deo inenarrabili concentu, reſonante, te tantum miraculum divinæ voluntatis non movet? quod majus eſt Deo, quàm creare cœlū & terram, ut dicit B. Auguſt. Hoc miraculū, ſuſcitatio, ſcilicet pœnitentis, & ereptio ejus de profundo mortis, & tenebrarum, admiratione tantæ bonitatis divinæ, tanti conſpectus miraculi non reſolvit labia tua in vocem laudis, & gratiarum actionem? nulla hilaritate perfundit cor tuū ſalus pœnitentis? non erubeſcis mutus eſſe ſolus inter eos, qui liberationē ejus in tota curia, in tota domo regis cœlorum læti decantant? non erubeſcis eſſe triſtis omnibus aliis lætantibus? non vereris triſtem te exhibere pœnitenti, cui tota cœleſtis aggaudet, & arridet militia? Si judicem te geris ſcito judicium illud pœnitentiale judicium ejus judicis eſſe, qui ut reis parceret, quæ eis debebantur, ſubiit mortem atque patibulum. Noli claudere triſtitiā tuâ, & vultus auſteritate oſtium ſalutis pœnitenti quem Chriſtus dominus jubet intrare, cui pulſanti promittit apertionē. Si medicum te geris, ubi eſt conſolatio, & familiaritas, quæ debent eſſe, & reſultare in labiis, & facie medicantis? Si inflammabundus, & ſagittis increpationū, & lapidibus objurgationū armatus, ſi dentes tui, arma, & ſagittæ, & lingua tua gladius eſt acutus, ad trucidandum, & occidendum veniſſe te cognoſcito, non ad medicandum. Si dicis te ignem, & ferrum adhibere, ut uſtiones & inciſiones, & cauteria facias huic ægrotanti, priùs agnoſce ægritudinem, febris quippe ferro, & igne non curatur, ſicut nec oculus; an vis oculū incidere, & urere, febricitantē cauteriare, & nondùm an illa ſint neceſſaria, noſti? an carnificem, vel tortorē te adhuc exhibes, & gladiatorē, & qui ſanguinem quæris ægrotantis, cùm ipſe per te (licet à Deo) ſalutem, & vitam quærat? Quòd ſi te chirurgum vis exhibere, non expedit ægrotanti donec aperta ſint tibi vulnera. Noli fugare obſecro à te ægrotantem, talem te exhibe ei, ut vitam per te quærat, non ut mortem à te fugiat. Negas planè ei medicamina tua, quem à te fugas. Quòd ſi veteri homini iraſceris, hoc ipſe pœnitens tecum: ſed tu applaude fœtui novo, te obſtetricatorem parturienti exhibere curato, & partum novum tenerrimum educere, ne dura obſtetricatione ſuffoces ipſum. Pannis molliſſimis, ac ſuaviſſimis involvere ſtudeto, & calore ſuavi, & mulcebri confovere. A timore tuo domine (inquit Iſa 28) concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Pharaonis eſt illud, gladium parare parientibus, ut interficiatur partus eorum, maſculi ſcilicet. Draco in Apoc. 12. adſtat mulieri parturiēti veneno triſtitiæ, & dentibus mordacis nimiùm increpationis, & duræ objurgationis armatus. Diabolicum eſt omninò non lætari, cùm vides hujuſmodi mortuos ſuſcitari. Solus enim diabolus, & qui ſunt ex parte ejus, lætantur. Pannis veteribus, & mollibus confovendi ſunt cubiti Hieremiæ: & funiculis pœnitētiæ, & cōfeſſionis extrahēdus eſt Hieremias de lacu, & hæc ſubmittēda ſunt Hieremiæ, in quibus cōſolationes, & divinæ miſericordiæ promiſſiones, quibus ante cōfeſſionē præveniendus eſt, & exhortandus pœnitens, intelligimus.

Nota. (margin, beside "ſcrutemur. Primum igitur…")

Nota. (margin, beside "pectare non valens…")

Conſolatio in ore medici. (margin)

Nota. (margin, beside "Quòd ſi veteri homini…")

CAPUT XVII.

De ſintagmatibus reſiſtunt ſanitatis.

REceptus igitur à ſacerdote pœnitens, ut à patre dulciſſimo filius redivivus, ut à paſtore aman-

Digitized by Google

tiſſimo ovis errabũda, ut à medico ſalutis ſtudioſiſſimo ægrotus, ut ab amico familiariſſimus & ut ſic ad unũ dicã, eo gaudio, & feſtivitate, qua excipit illũ præclara illa curia cœleſtis: interrogãdus eſt, ſi liberationem ſuam agnoſcit, ſi videt ſe ereptum à poteſtate tenebrarũ, & manibus, & laqueis diaboli. Quòd ſi ſe non videre hoc, ad hoc reſponderit, docẽdus eſt, quia ſi in hoc propoſito venit, & in eodẽ propoſito eſt, ut committat, & tradat ſe voluntati Dei, & beneplacito ejus, & hoc ex amore ejus, ſi ſe totum paratus eſt dare, & reddere miſerationi Dei, & hoc hac de cauſa, ne ejus offenſam incurrat, ut in amorem ejus, & gratiam redeat, mortis in ſe vincula dirupta eſſe cognoſcat; ſi enim tantum ſui amorẽ largitus eſt ei clementiſſimus Deus, ut de ſe toto beneplacitum ejus paratus ſit facere pro cõſilio ſacerdotis, cui omnia curandi, & regendi à Deo cõmiſſa eſt cura, nullatenùs de ſalute ejus dubitet quis enim dubitet Deum hujuſmodi pœnitentes pleniſſimè poſſidere. Hoc igitur ipſo recognoſcente interrogandus eſt, unde credit hanc ſanctã voluntatẽ & venuſtã ſe accepiſſe. Unde inquã credis ô pœnitens adveniſſe? à patre utique luminũ, à quo eſt omne datũ optimũ, & omne donum perfectũ, deſcendens deſurſum. Quanti æſtimas illã bonã voluntatẽ? ô pœnitens agnoſce, quòd hęc eſt quæ te Deo reſtituit & Deum tibi, & hæc eſt, quæ Dei filium, & hæredem per gratiam efficit, hæc te amicum jam gratum & amabilem omnibus militibus cœleſtibus reddidit. Hæc eſt cautio, & pignus ſecuriſſimum regni cœlorum. Conſidera ô pœnitens, quàm indebita erat tibi, quòd indigno data ſit tibi illa artha fœlicitatis æternæ. Conſidera quod, & quantũ eſt in cœlo de reverſione tua gaudium. quas laudes, & gratiarum actiones, pro te clementiſſimo miſeratori, & liberatori tuo millia millium ſanctorũ, ac animatũ beatarum, exolvant. An tu adhuc ingratus fuiſti, & nondùm gratias pro tanto, & tam indebito tibi beneficio reddidiſti? An decet te mutum eſſe angelis ſanctis, & beatis animabus, pro te canentibus, & de liberatione tua exultantibus? Cùm ipſa regina cœlorum de illo tuo tanto bono exultat, & gratias agit filio ſuo, qui preces ejus exaudivit; conveniensne eſt te ingratum exhibere, vel ipſi reginæ cęlorum, vel ipſi regi miſeratori, & liberatori tuo, vel ipſi curiæ ejus, à qua favorem, & gratiam tantam adeptus es? Sed ipſos hoſtes tuos ampliùs dignum, & juſtum eſt, te confundere, qui perditionem tuam ſuum fecerunt gaudium, & ſanguinem tuum tanta aviditate ſitiebant. Me etiam decet, qui hujus liberationis tuæ conſcius ſum, gaudii tui eſſe participem, & congratulari tibi, & de ruina inimicorum tuorum, & de triumpho tuo tam præclaro tecum exultare Cãtemus igitur ambo domino; glorioſè enim honorificatus eſt, in liberatione tua, dum equum ideſt veterem hominem tuum, & aſcenſorem ideſt diabolum projecit in mare amariſſimarum lachrymarum tuarum, & contritionis tuæ, in amaritudine compunctionis & indignationis ſanctæ, quo immerſit te inſequentes, & in ſervitutem ſuam retrudere & retinere volentes. Non eſt ergo tuæ virtutis hęc, ut ſupra diximus, ſed fortitudo tua qua victi ſunt hoſtes tui, Deus eſt, qui factus eſt tibi in ſalutem, cùm tu propria voluntate tua factus eſſes tibi in peremptionem. Dic ergo tota devotione: Iſte, qui me fecit victorem, & inimicos meos ſubmerſit, eſt Deus meus cui totum, quod ſum, quod vivo, quod morior, debeo, & glorificabo eum in me ipſo confuſione mea, & accuſatione mea. Iſte eſt Deus patris mei, & exaltabo ipſum humiliatione mea, humilians me, & cõfundẽs ſuper omnibus, quę contra beneplacitum ejus attentare auſu cęco, & ſuperbo, præſumpſi.

Nota.

Vide.

Exo. 15.

E Oſtendo in me ipſo ipſum eſſe Deum meum, cujus amore & beneplacito õnia facere paratus ſum, quęcunque ipſum jubere me docueris. Totam turpitudinem meam denudabo, ut eum placem, ut ipſum non offendam, & ampliora ejus auxilio facturum me ſpero ſi beneplacitum ejus hoc eſſe cognovero. Nunc igitur ô frater non vereatis faciem meam, excute frænum diabolicum de labiis, & ore tuo, & evome ſpurcitias tuas audacter, & ſecurè; ego enim ipſe ſum homo, non angelus, fortaſſe fragilior, & turpior, quàm tu fueris, non dico quòd modò ſis, quia gratia compunctionis ex toto te lavat. Noli timere Ægyptios mortuos, ideſt, peccata, quæ gratia contritionis ſubmerſit, noli timere eos euſque, ut labia comprimant, & te de ſe loqui non ſinant. Diſperde quæſo, & diſperge theſaurum diaboli, noli eſſe de cætero arca ejus, ut ſcilicet dixi ſed emunda potiùs cor tuum, & corpus, ut Deo in te gratum F præpares hoſpitium. Evome quæſo primùm ſpurcitias luxuriæ, ſi earum habes memoriam, ut audias ad ſingula verba confeſſionis, gratias Deo noſtro cum illis agamus, ut videas confuſionem hoſtium tuorum ex verbis ſingulis. Ecce verbum iſtud dixiſti, ecce hanc ſpurcitiam evomuiſti, totum cœlum lætificaſti, te expediſti, & exoneraſti. diabolum duriter percuſſiſti, te ipſum lætificaſti. An grave eſt tibi dixiſſe hoc? Eadem facilitate dic aliud, & idem fiet gaudium in cœlo, & emundatio, & liberatio vitæ à contumelia diaboli. Sic ergo per ſingula verba cõfeſſionis gratiarum actione mixta, & gaudio ſacerdotis adjuncto, facilè extorquebitur confeſſio omnium. Ad ſingula ergo peccata dicatur ei: num es multùm gravatus dicendo hoc frater? ſic non gravabunt te alia; dic ergo & aliud, ſic & illud non gravabit te. Benedictus Dominus, qui reddidit tibi loquelam, & frænum diabolicum excuſſit de maxillis G tuis. Sicut iſtud benè, & laudabiliter confeſſus es, confitere & alia. Quare alacer, expeditus, & exoneratus redibis modò in domum tuam, cùm omnia evomueris. Si ergo his adjuvetur pœnitens, non dubito cum Dei gratia, & auxilio confeſſionem etiam veram, puram, & integram, poſſe extorqueri facilè. Facta autem confeſſione ad integrum pœnitentiæ arbitrariæ erunt. Confeſſionis autem modus coram domino hic, & ex his erit.

Nota.

CAPUT XVIII.

Sequitur exemplum confeſſionis ſecretæ ad Deum.

AA, a, Domine pater miſericordiarum, audeo-ne venire, & apparere in conſpectu ſanctorum angelorum tuorum infœliciſſimus, & miſerrimus! Ego tot, & tantorũ tuorum ingratus ſuſceptor donorum, tam impudens, & tam execrabilis abuſor? qui toties, & tam diu ipſis beneficiis tuis diabolo militare H contra te toties, & tam diu non erubui? qui ipſa dona tua in arma diabolica convertere non timui? qui me ipſo tam abominabiliter abuti præſumpſi, ut me ipſum ſervum auſus eſſem exhibere diabolo, & membra mea arma eidem facere, quibus te creatorem meum, & membrorum meorum largitorem impugnaret. Nunquid non ego ſum domine Deus meus, qui me ipſum toties exhibui gladium acutum, flammeum, & ignitum diabolo ad vulnerandas animas, quoties armari contra te in alienam mortem voluit. Linguam meam arcum mendacii toties exhibui, quoties ſagittas detractionis, aut adulationis in alios miſi. Non ſufficio miſericordiſſime, & dulciſſime pater enumerare, vel exprimere mẽbrorum meorũ nefarias abuſiones, quibus & diabolũ armavi, & te clementiſſimũ, ac benigniſſimum impugnavi. Ego ſum ille, quem de nihilo creaveras, & de maſſa peccati, & perditionis, in filium gratiæ elegeras, & in confratrem, & cohæredem unigenito tuo Deo, & domino noſtro Ieſu Chriſto, adoptaveras, ad honorẽ, & gloriã regni tui tanta, & tam indebita gratiæ largitate vocaveras, qui & abundantiã hujus tantæ ſuavitatis oblitus, & tanta bona mea projiciens, ſpreto honore regni cœleſtis in ſpurium filium, & degenerem me converti, & diabolo diſtrahendum per ſterquilinia luxuriæ, & ſpineta avaritiæ, & allidendum ſcandalis, & fluctibus, & procelloſitati ſuperbiæ, me tradidi, &c.

Nota.

FINIS.

Digitized by Google

GVILIELMI PARISIENSIS DE VNIVERSO

OPVS CELEBERRIMVM ET SINGVLARE,

In duas partes principales diviſum.

INCIPIT PRIMA PARS primæ partis principalis Guilielmi Pariſienſis de Univerſo.

PROOEMIUM.

SCIENTIA de univerſo dicitur ſecundùm duas intentiones, quarum altera eſt philoſophia completa ex aggregatione omnium ſcientiarum philoſophicarum; quemadmodùm univerſum eſt aggregatum ex omnibus, quę ſunt, & ejus totalitas non eſt, niſi collectio omnium eorum. Hoc autem manifeſtum eſt ex proportione, quoniàm, quemadmodùm ſe habet unūquodque ſcibilium ad totum aggregatum ex omnibus ſcibilibus; ſic ſcientiarum unaquæque ad ſcientiam aggregatam ex omnibus. Hoc autem eſt, ut jam diximus, philoſophia completa in totalitate ſua. *Philoſophia.* Hujus verò exemplum eſt ſcientia de triangulo, & ſcientia de circulo, quæ partes ſunt indubitanter geometriæ completæ: quemadmodùm triangulus, & circulus partes ſunt univerſi per geometriam menſurabilis, ſeu cognoſcibilis; ſic numerus, & magnitudo cōtinua, ad aggregatum ex ambabus, & eodem modo ſcientiæ de his ad ſcientiam aggregatam ex ambabus ſe habent. Altera verò intentione, ſcientia de univerſo eſt ſcientia de ipſo per modū, quo eſt universū, hoc eſt de his, quæ ſunt, & per modū iſtū, videlicet inquantū eſt universū; & hoc nominabo, & numerabo, & proſequar inquiſitione perſcrutata per vias probationum, & declarationum, per quas acquiretur tibi certitudo eorum, ſi Deus voluerit.

CAPUT I.

Quòd iſta ſcientia ſit pars ſecunda primi ſapientialis, ac divinalis magiſterii, propter duas cauſas, & de intentione authoris.

SCito igitur in primis, quia univerſum non intelligo hîc, niſi univerſitatem creaturarum, & ſive dicam univerſum, ſive omne, ſive mundum ſimpliciter hoc eſt, abſque determinationis adjectione, una eſt intentio apud me trium iſtorum. *Univerſum.* Quare ſcientia de univerſo per modum iſtum, & ſcientia de omni, ſcientiaque de mundo ſimpliciter, una ſcientia eſt, & eſt pars ſecunda primi ſapientialis, ac divinalis magiſterii. Hoc autem eſt propter duas cauſas, quarū altera eſt honor, & gloria creatoris, qui eſt finis præcipuus, & ultimus totius ſapientialis, divinaliſque magiſterii; propter hunc finem enim philoſophantes in rebus hujuſmodi ſoli rectè, veréque, philoſophantur in illis. Non enim hac de cauſa ſola inveſtiganda ſunt magnalia, ac mirabilia creatoris, ut cognoſcantur, quin potiùs, ut ipſe magnificetur, & agnoſcatur eſſe Deus ac dominus ſæculorum, & ſuadeatur per hoc, vel potiùs ingeratur, animabus humanis honorificentia cultus ipſius. Cognitio quippe ſola, & enarratio laudum, atque magnalium ipſius non ei debetur, nec ſola perficit animas noſtras, ſed veritas atque ſinceritas ultimæ venerationis eſt ei debita propter ſupereminentiam gloriæ ſuæ, & altitudinis, & animabus etiam noſtris debita eſt ſicut nobilis perfectio earum, & ipſa etiam eſt humanæ vitæ decor unicus & decus eximium. Aliàs quoque jam didiciſti, quia philoſophantium quo: un-

dam errores ſic non philoſophantur, & animas ſuas miſerabiliter decipiunt, & contra ipſam veram philoſophiam quinque modis peccant Primùm, quia vacuam eam faciunt, & inanem, ab eo quod potiſſimùm continere debet, videlicet gloriam, ſeu glorificationem creatoris. Secundò quia ſterilem eam faciunt à fructu ſuo, qui eſt remuneratio fœlicitatis æternæ, quæ in noviſſimo expectatur. Tertiò quia deformem eam faciunt, ac detruncatam, finem ab ea hujuſmodi detruncantes, cùm præcipua ejus pulchritudo, ac ſpecioſitas in hoc fine conſiſtat, quemadmodùm ſi pavo decaudetur, cujus pulchritudinis pars maxima in cauda conſiſtit. Quartò ſtultam eam faciunt, quantùm ad ſeipſos, dum magis ex ea ſtulti, quàm verè ſapientes, efficiuntur. Ex ea quippe ſtultè, non ſapienter, & vivunt, & operantur. Quintò injurioſam, & contumelioſam illam Deo efficiunt, dum illam gloriæ ſuæ inaniſſimè applicant glorificari ex illa inaniter, & non creatorem glorificare veneratione congrua, cupientes. Hujuſmodi ergo homines non philoſophos veri nominis, ſed philoſophorum ſimias ridiculoſiſſimas, quod utique verè ſunt repudiabo. *Veri philoſophi.* Secunda cauſa eſt deſtructio errorum qui ſunt circa univerſum, ſive de univerſo errorum, quibus declinatur à viis veritatis, & ſemitis rectitudinis, per quas ad hunc finem, ſcilicet, veræ philoſophationis, venitur. Sunt etiam iſti errores tales quibus eouſque gloriæ Dei contradicitur, ut vel dimidius Deus, & non in ultimitate perfectionis perfectus putetur, vel indignus omni gratiarum actione, omnique honorificentia, utpote qui nec aliud, nec aliter poſſit, vel unquàm potuerit facere, quàm faciat, vel qui omninò non curet, quid agatur in rebus humanis aliqualiter, & iſto errore involvunt ſe, qui ejus curam & providentiam in rebus humanis vel circa eas eſſe penitùs negaverunt. Sunt & alii errores, quibus & omnis lex contradicit, & eiſdem ab omni lege contradicitur, nec contenti fuerunt, hujuſmodi erronei ſic imminuere gloriam Dei, & evacuare ſpem cultorum ipſius, qui & univerſo æternitatem attribuere auſi ſunt, & probationibus ſe hoc poſſe aſtruere attentaverunt. Manifeſtum igitur eſt, quia errores iſtos deſtruere, & contradictionibus hujuſmodi erroneorum reſpondere, quæſtionesque eorum diſſolvere, veritatemque contrariam aſtruere, præſentis propoſiti eſt, intentionis meæ, ac deſiderii, in hoc tractatu, ſi Deus voluerit.

CAPUT II.

Quòd auctor univerſi eſt unus, rationibus ſtabiliter, & error Manichæorum ſimul deſtruitur rationibus metaphyſicis.

Dico igitur quia univerſo eſt unitas, qua & eſt & dicitur univerſum, & auctori ejus, qui eſt benedictus Deus, & ſublimis, quoniàm ipſe eſt unus, & quoniàm non eſt ei alter contrarius: & hic declarabo tibi per vias probationum, non quemadmodùm in primæ philoſophiæ prima parte declaratur, ſed probationibus facillimis, & penè vulgaribus; quoniàm hujus erroris auctores & inventores vulgares, hoc eſt, brevis intellectus, & paucæ exercitationis homines ſeduxerunt; & hic eſt error primus, cujus deſtructionẽ intendo in hoc primo capitulo. Hic igitur error ortum habuit à regione Perſidis, & auctor ejus dictus eſt Manes; unde & ſequaces ejus manichæos nominat gens Chriſtianorum, & cæpit error iſte ferè cum ipſa lege Chriſtianorum, fuitque, & eſt adhuc non ſo- E lùm pernicioſiſſimus, ſed etiam peſtilentiſſimus: quapropter ipſum etiam gladio, & igne perſequi, & exterminare, uſque hodie non deſiſtit. Hoc etiam non minùs gens Hebræorum, aut Sarracenorum faceret, ſi apud eos inveniretur. Hic ergo ſeductor, & falſiloquens poſuit duo eſſe principia, duos eſſe Deos, & nominavit alterum Deum lucis, & Deum benignum, alterum verò Deum tenebrarum, & Deum malignum. Sic poſuit duo univerſa, duoque regna, duas etiam gentes, & vocavit eas juxta prædictas nominationes gentem lucis, & gentem tenebrarum, regnum lucis, & regnum tenebrarum. Subſtantias etiam diviſit juxta modum iſtum, & quos græci vocant eudæmones, latini verò Angelos bonos, dicit à Deo bono, & principe lucis creatos, ejuſque miniſtros eſſe: quos autem vocant cacodæmones, latini verò Angelos malos, vel diabolos, poſuit à principe tenebrarum & Deo maligno creatos eſſe, ejuſque eſſe miniſtros ad omnia mala paratiſſimos, atque promptiſſimos, poſuitque contrarietatem inter principes iſtos, & bellum, non ſolùm F perpetuum, ſed etiam æternum, & inter regna, & gentes eorum. Sunt & alia deliramenta, & mirabilia eorum, etiam rami multi erroris iſtius, quos perſequi non eſt intentionis meæ hic.

CAPUT III.

Radices erroris manichæorum extirpantur per rationes methaphyſicas.

IN primis igitur contra ipſam radicem, ac radicale fundamentum erroris iſtius, diſputandum erit. Dico ergo, quia cùm erronei iſti ponunt duo principia coæva, & æterna, neceſſe habent conſequenter ponere, utrumque eſſe neceſſe eſſe per ſe, & propter hoc ſimplex in ultimitate ſimplicitatis. G Si enim aliquo modorum alterutrum eorum eſſet compoſitum, eſſet ex neceſſitate partibile, & propter hoc haberet aliquo modo partes, quare neutrum eorum eſſet principium ſimpliciter, cùm utrunque haberet multa priora ſe, videlicet partes ſuas, ſive componentia ſua; omnes enim partes, & omnia componentia ſunt priora ſuo toto, quod componunt. *Nota.* Ampliùs. Neutrum eorum erit neceſſe eſſe per ſe ſecundùm hoc, immò utrumque erit poſſibile eſſe per ſe, cùm utrumque ſit cauſatum ab ipſis partibus componentibus totalitatem ipſius; omninò enim compoſitum quolibet modorum cauſatum eſt ex partibus, ex quibus conſiſtit totalitas ipſius, & eſt compoſitoris adunantis, ſeu agregantis, partes illius, & adducentis, in totalitatem ipſius. Jam ante declaratum eſt in prima parte primæ philoſophiæ, quia omne hujuſmodi cauſatum eſt poſſibile eſſe per ſe, & eſt recipiens eſſe ſupra ſe, quod eſt H aliud ab ipſo, & propter hoc eſt in eo potentialiter ſive poſſibiliter, quoniàm eſt ei accidens, hoc eſt, adveniens ei, & receptum ab ipſo ſupra totam completam eſſentiam ſuam. Eſſe enim omne, quod datur à cauſa hujuſmodi ſuo cauſato, ſeparabile eſt ab illa ſaltem intellectu, & omne receptum à ſuo recipiente, & generaliter omne eſſe, cùm fuerit aliud à ſuo ente, ſeparabile eſt ab ipſo modo, quo diximus. *Nota.* Omne autem à quo ejus eſſe ſeparabile eſt, non habet illud, niſi poſſibiliter, ſive potentialiter, & ita non habet illud ea neceſſitate, qua aliquid dicitur neceſſariò eſſe per ſe. Manifeſtum igitur eſt, quia neutrum duorum iſtorum principiorum eſt neceſſe eſſe per ſe. Ampliùs. Si utrunque neceſſe eſt eſſe per ſe, utrumque erit ſimplex in ultimitate ſimplicitatis; in neutro igitur aliquid erit eſſentialiter,

Digitized by Google

[A] eſſentialiter, quod non ſit ipſum. Cùm igitur bonitas, & malitia ſint in eis eſſentialiter, ex neceſſitate alterum erit ſua ipſa malitia. Neceſſe ergo per ſe, aut dicetur univocè de ambobus, aut æquivocè: quòd ſi univocè, quicquid igitur erit alteri per hoc quod eſt neceſſe eſſe per ſe, ſive per ſuam eſſentiam erit & alteri; quare ſi alteri eſt bonitas per hoc, quod eſt neceſſe eſſe per ſe, erit ſimiliter & alteri & de malitia eodem modo ſe habere neceſſe eſt, quare vel utrunque erit bonum eſſentialiter, vel utrunque malum, vel utrunque bonum, & malum ſimul. Ampliùs. Si univocè dicitur de eis neceſſe eſſe per ſe, declaratum ante eſt alibi, quòd neceſſe eſſe per ſe nullo modorum poteſt eſſe commune, immò neceſſe eſt ipſum eſſe unum in fine unitatis, & in ultimitate individuitatis, quod non poteſt eſſe, niſi unum numero. Nullo modo igitur erunt duo illa contraria, vel convenientia in illo. Quòd ſi quis dixerit, quia æquivocè dicitur de illis, manifeſtus eſt error ejus, cùm non dicatur neceſſe, niſi [B] à non ceſſando. Neceſſe enim eſſe per ſe veriſſima declaratione eſt, quod non ceſſat eſſe, & hoc eſt ei per ſe, hoc eſt non aliunde: hoc autem eſt dicere cujus eſſe continuum eſt, non habens abſciſſionem, vel interruptionem in ſuo eſſe, & hoc eſt ei per ſe non aliunde, videlicet ipſa continuitas eſſendi, ſeu permanendi, quantùm ad neceſſitatem; igitur non dicitur neceſſe per ſe de eis æquivocè, ſed neque quantùm ad id, quod eſt per ſe. Si enim per ſe ſonat negationem ſolam, ut ejus intentio ſit hæc, ſcilicet non aliunde: manifeſtum eſt, quia negatio iſta una intentione dicitur de ambobus. Si verò intentio ejus eſt firmitas eſſendi, quemadmodùm cadere videtur in ratione ſubſtantiæ, vel juxta modum illum: dico, quia nec ſic dicitur de eis, niſi univocè. Utrunque enim eſt una intentione firmum in ſuo eſſe, cùm neutrum ſit pendens ab alio, neque dilabens, neque diffluens in corruptionem, ſive in non eſſe; ipſum verò eſſe cùm de utroque dicatur eſſentialiter tantùm, non recipit intellectus, quòd de eo dicatur æquivocè, nec eſt poſſibile intellectui humano quantumcunque protervo, & diſcolo, confingere, vel ſomniare ibi æquivocationem, niſi fortaſſis hæc delirare voluerit, quod de altero ſic dicitur, ut ſignificet bonitatem & de altero ſimiliter, ut ſignificet malitiam, quaſi ens, & bonum primum convertantur uno modo: ſimiliter ens, & malum primum convertantur altero modo. Patefaciam autem tibi præcedentes probationes, antequàm incipiam deſtruere hoc. Manifeſtum, enim per ſe, quia quicquid ineſt Socrati per hoc, quod eſt homo, ineſt & cuilibet alii individuorum ejuſdem ſpeciei, quare quicquid ineſt principio malo per hoc quod eſt neceſſe eſſe per ſe, ineſt & principio bono per hoc ipſum. ſi neceſſe eſſe per ſe communiter, & univocè dicitur de ambobus, ut homo de Socrate, & aliis individuis ejuſdem ſpeciei; quare ſi alterum eſt malum per hoc, quod eſt neceſſe eſſe per ſe, erit & reliquum malum per eandem cauſam: ſimiliter & bonum, quare utrunque erit bonum, & malum. Quòd ſi neceſſe eſſe per ſe ſingulare eſt, ſeu proprium, & individuale accidit idem & per eandem viam: quemadmodùm ſi dicatur quia album per hoc, quod eſt Socrates, eſt homo, erit & medicus per eandem cauſam homo. Jam ergo patefeci tibi certitudinem probationum iſtarum.

Nota.

CAPUT IV.

Error manichæorum aliâ viâ deſtruitur: ſi ens de duobus principiis, quæ ponunt, dicatur æquivocè

Revertar igitur nunc juxta promiſſum ad deſtruendam iſtam vaniſſimam falſitatem, qua erroneus iſte delirat. Ens de utroque dictorũ principiorum dici æquivocè, & altera intentione ipſam entitatem nihil aliud eſſe, quàm ipſam bonitatem, altera verò ipſam entitatem, nihil aliud eſſe, niſi ipſam malitiam. Dico igitur, quia cùm ipſe ponat bonitatem, & malitiam contrarias verâ contrarietate; neceſſe eſt ut ponat eis genus commune. Quòd ſi ipſum ens non eſt eis commune, quod indubitanter eſt omnium cõmuniſſimum, multò fortiùs nihil aliud erit eis commune. Ampliùs Cùm contraria circa idem habeant naturaliter & eſſe, & [B] fieri: ſi veri nominis contraria ſunt bonitas, & malitia; & eunt & fiunt ex neceſſitate circa idem ſubjectum, idem inquam vel genere, ut album, & nigrum circa ſuperficiem, & ſanum & ægrum circa corpus animalis vel circa idem ſpecie, ut ſanum, & ægrum circa eundem hominem, vel circa idem numero: ex neceſſitate ergo communicant genus aliquod bonitas, & malitia. Ampliùs Manifeſtum per ſe eſt, quòd utrumque communicat ratione ſubſtantiæ, prout ſubſtantia generali intentione accipitur, ut dicatur de omni eo, quod propria firmitate ſic ſtat, ut non indigeat fulcimento, aut ſubſtentatore ſubjecto, per modũ quo accidẽs dicitur indigere ſubjecto. Quòd ſi rationem ſubſtantię communicant, ergo & ipſam ſubſtantiam, & nomen ejus. Ampliùs Secundùm hoc nullus ſermo erit aliis hominibus, cum hujuſmodi erroneis, cùm ipſi aliis rationibus, & intentionibus omnes ſermones accipiant*, quàm alii homines. Si enim æquivocè utuntur, vel potiùs abutuntur hoc nomine ens, æquivocabunt eodem errore & alia, quare imponent eis ſignifica- [C] tiones, & intentiones, quas nec recipit, nec capit intellectus hominum aliorum. Ampliùs. Non effugient, quin contrarium, & contrarietas communiter dicantur de utroque eorũ, ſed nec declinare poſſunt, quin ſit contrarium ſub ente, cùm entiũ quoddam alii ſit contrarium, & quoddam nulli. Contrariorum verò nullum eſt non ens, & nullum non enti contrarium. Cùm igitur communiter dicatur de his contrarium: ens verò ſuperiùs ſit ad id, quod eſt contrarium; manifeſtum eſt, quòd ens communiter dicetur de illis. Ampliùs Unum ex neceſſitate communiter dicitur de illis, alioquin non verè dicerentur duo nec eſſent, niſi utrunque eſſet unũ. Ampliùs. Quæ eſt ratio vel intentio unius, niſi in ſe indiviſum, & ab aliis diviſum diviſione, quæ ei congruit? Nemo autem dubitat, quin hæc ratio utrique conveniat. Ampliùs Nec duo principia, nec duo dii, vel eſſent, vel dici poſſent, niſi principium, & Deus univocè de his diceretur, quemadmodùm nec duo canes verè dicuntur ani- [D] mal greſſibile terreſtre, & piſcis. Nomine enim ſemel poſito, hoc eſt, una poſitione, non poteſt uti humanus intellectus æquivocè, eo quòd non contingat actu ſimul intelligere diverſa: falsò autem dicitur iſta duo animalia ſunt duo canes. Sic & falſiſſimè aſſerunt, vel duo eſſe principia, vel duos Deos: ſi Deus, & principium æquivocè dicuntur de ipſis. Ampliùs. Quomodò omnia alia univocè dicerentur de eis: ſi ens, & neceſſe eſſe per ſe, æquivocè ſolùmodò dicerentur de eis? Rex enim univocè dicitur de ãbobus, ſimiliter princeps, ſimiliter & reg-

Error manichæorum.

Nota.

Ffff ij

Digitized by Google

nū, & principatus de regnis eorū, & prīcipatibus; ſimiliter & gēs de gēte luminis, & de gēte tenebrarū: ſimiliter & angelus de angelis bonis & angelis malis. Eodem modo & ſubſtantia de ſubſtantiis bonis, & ſubſtantiis malis. Neceſſe igitur eſt, ut & illa ſuprema omnia, videlicet Deus, & dominus, & neceſſe eſſe per ſe, dicantur de eis univocè: quòd ſi eſt, manifeſtum eſt tibi, quia impoſſibile eſt, quicquid eos poſuiſſe ſuperiùs diximus; cùm neceſſe eſſe per ſe non dividatur ullo modorum, nec ſit commune aliquo genere cōmunitatis multitudini, quæ ſit multa eſſētialiter, id eſt, quæ ſit hoc, & hoc. Ampliùs. Eſſe per ſe aut eſt purè bonū, aut purè malū aut neutrum: ita ut omninò ſit immune à bonitate, & malitia; cùm enim ſit impartibile per omnem modum, & ſimplex in ultimitate ſimplicitatis; non poteſt eſſe mixtum ex bono, & malo, cùm omne mixtum potentialiter ſit compoſitum ex eis, ex quibus mixtum eſt; quemadmodùm oxymel ex melle, & aceto, cùm etiam omne mixtum poſteriùs ſit naturaliter utroque eorum, ex quibus mixtum eſt. Reſtat igitur, ut neceſſe eſſe per ſe ſit per unum trium modorum, quos dixi tibi, videlicet ut ſit vel purè bonum, vel purè malum, vel ſeorſùm omninò à bonitate, & malitia. Quòd ſi fuerit purè bonum; neutrum igitur duorum principiorum dictorum erit purè malum, vel eſſentialiter etiam malum, cùm utriuſque eſſe ſit purè bonum. Per eandem viam manifeſtum eſt, quia ſi fuerit purè malum, neceſſe eſt neutrum dictorum duorum principiorum eſſe purè bonum: cùm enim utrunque eorum ſit in ſeipſo & eſſentialiter neceſſe eſſe per ſe, erit utrumque ex neceſſitate purè malum, cùm ipſum neceſſe eſſe in ipſo ſit purè malum. Si verò neceſſe eſſe per ſe, eſt ſeorſùm in ſeipſo à bonitate, & malitia; erit ex neceſſitate utrunque toto ſuo eſſe ſeorſùm, à bonitate, & malitia; cùm neceſſe eſſe per ſe ſit totum eſſe utriuſque ipſorum. Ampliùs. Cùm utrumque ipſorum ſimpliciter ſit in ultimitate ſimplicitatis, & non habens ullo modorum partem, & partem: manifeſtum eſt, quia neutrum ipſorum habet aliquid eſſentiale, præter ipſum eſſe, & quod eſt, & quo eſt, quare cùm communicent univocè ipſum neceſſe eſſe per ſe, nihil habet alterum eſſentiale, quod non habeat & reliquum. Si ergo bonitas eſt eſſentialis alteri, erit eſſentialis ex neceſſitate ambobus: & de malitia ſimiliter ſe habet: erunt igitur ambo ex neceſſitate eſſentialiter bona, & eſſentialiter mala. Impoſſibile igitur eſt, ut alterum ſit eſſentialiter bonum, alterum eſſentialiter malum. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quòd eſſe non habet contrarium, aut oppoſitum, niſi non eſſe, vel aliquid eorum, quæ ad non eſſe ducant, quod potiùs eſt medium inter eſſe, & non eſſe, quàm ipſi eſſe contrarium, qualia ſunt mori, deficere, corrumpi, & ſimilia, quorum unumquodque via eſt ad non eſſe, & medium per quod venitur ad illud. Jam autem didiciſti, quia dignius eſt nomine contrarii extremum, quàm aliquod ex mediis; & quia vera contrarietas non eſt niſi inter extrema, cùm contrarietas veriſſima ratione, & depurata diffinitione, ſit differentia completa, & propter hoc maxima. Manifeſtum ergo eſt tibi per hoc, quia eſſe plenum, atque perfectum non habet contrarium veri nominis, ac rationis, niſi non eſſe completum; hoc eſt, cum quo nihil omninò eſt de ipſo eſſe. Sequitur ergo iſta, ut principium bonorum, cùm ſit ens perfectum in ultimitate perfectionis in ſe, & ſecundùm ſe, non habeat contrarium niſi non ens privatum in ultimitate privationis ab ipſo eſſe. *Nota.* Intelligo autem ſic privatum, cui omninò nihil relictum ſit de ipſo eſſe. Media autem, quæ poſuimus, non ſic privata ſunt, completa ſcilicet privatione ipſius eſſe, neque diminuta completa diminutione ejuſdem: completa enim diminutio conſummata conſumptio eſt. Manifeſtum igitur eſt quòd princeps tenebrarum ſecundùm deliramentum erroneorum iſtorum eſt verè, & omninò non ens, hoc eſt nihil prorſùs habens ipſius eſſe, cùm ipſi ponant ipſum contrarium ei, qui eſt, & ſecundùm eos ſit in complemento, & ultimitate differentiæ ad ipſum eſſe, ſive ad ipſum ens. Quòd ſi dixerit, quia non euſque diſtat ab ipſo eſſe, videlicet completa differentia, ſeu maxima, ſed appropinquat ei: erit ergo ſicut medium ad illud quare erit vel deficiens, vel demoriens, vel corruptionem ſuſtinens, vel aliquid hujuſmodi, ex quorum unoquoque manifeſtum eſt, quia nec Deus, nec principium, nec princeps ullo modorum nominandus eſt, cùm ejus eſſe adeò debile, & infirmum ſit, ut ad omninò non eſſe feſtinet, ut pote in ejuſdem via poſitum.

Nota.

CAPUT V:

Deſtructio erroris Manichæorum, ſi malitia principij tenebrarum ponatur accidere.

IAm patefactum eſt tibi, quòd malitia non poteſt eſſentialis eſſe ei, quod eſt neceſſe eſſe per ſe, & quia qui ponunt principium malorum è regione, & contrarium principio bonorum, neceſſe habent ponere ipſum neceſſe eſſe per ſe. *Nota.* Nunc verò declarabo tibi, quia malitia non poteſt ei eſſe adventitia, vel accidentalis. Dico igitur, quia ſi malitia adventitia eſt ei, erit ei vel à ſe, vel ab alio. Quòd ſi fuerit à ſe, videlicet acquiſita ei per ſe, erit hoc ex neceſſitate uno modorum, quos dicam, videlicet vel naturaliter erit nata in eo, quemadmodùm putredo, & aliæ quædam paſſiones in quibuſdam naturaliter naſcuntur, aut erit ei ex operatione ſua, qua fuit agens in ſeipſum, vel in aliud, vel erit ei impreſſa ab alio agente in ipſum. Quòd ſi fuerit in eo nata naturaliter, cùm in ſuo eſſe non ſit ipſum, niſi bonum, & ejus entitas non ſit, niſi bonitas, erit ex neceſſitate ex bono in eo malum, & ex bonitate malitia, & hoc naturaliter, ac per ſe, cùm non aliunde, videlicet per aliud, malitia ei advenerit. Ampliùs. Secundùm hoc ipſum genuit malitiam in ſeipſo, quare de bono, & de bonitate ſua genuit in ſe malitiam, & hoc per ſe. Manifeſtum autem, quia ex neutro contrariorum naturaliter, ac per ſe procedit reliquum. Ampliùs. Malitia aut eſt contraria bonitati ejus eſſentiali, & naturali, aut non. Si eſt contraria, ergo non eſt in eodem cum ipſa, nec patitur eam ſecum. Non eſt igitur in eo malitia, nec eſſe poteſt, cùm bonitas ſit eidem eſſentialis, & inſeparabilis. Quòd ſi dixerit, quia non eſt contraria, non eſt igitur veri nominis malitia, quare non erit verè malum ex ipſa, vel per ipſam. Ampliùs. Secundùm hoc non erit contraria bonitati alterius principii, videlicet quod eſt principium bonorum; communicant enim ex neceſſitate bonitatem eſſentialem: ſicut & ipſum eſſe, ex quo eſt utrique bonitas eſſentialis. Ampliùs. Hujuſmodi malitia aut eſt in aliquo modo repugnans bonitati ejus eſſentiali, aut nullo modo: ſi dixerit: quia eſt ei repugnans aliquo modo, quæro iterùm; aut repugnat eſſentiæ ejus, aut non: quòd ſi repugnat eſſentiæ ejus; non patitur igitur illam eſſentiam ejus; ſi fortior eſt ea, jamdudùm ergo deſtruxit eam. *Vide.* Si autem minus fortis eſt eſſentia ejus quàm ipſa malitia: jamdudùm igitur deſtructa eſt ab ipſa

malitia. Quòd ſi fuerint æquè fortes; altera igitur impedit alterã, & non ſinit aliquid ex ea eſſe, quare non proveniet aliquod malũ ex ea. Si aliquid igitur non provenit ex ea, erit vel bonum, vel medium inter bonum & malum. Si verò non fuerit repugnans eſſentiæ ejus, ſecundùm ſe, ſed repugnat ei in actibus, vel operibus ſuis: hoc non poteſt eſſe niſi altero duorum modorum, quos narrabo: quorum primus eſt, ut impediat ne operetur omninò, & tunc principium malorum nihil operabitur, vel poterit operari per eſſentiam ſuam: & ita erit impotentiſſimum ſecundùm eſſentiam ſuam. Secundus modus, ut impediat eam, ne operetur, prout vult aut ſicut vult, prout deberet, aut ſicut deberet, ex quo apparet alia impotentia, & miſeria ipſius: videlicet quia non poteſt operari prout vult, aut ſicut vult: neque prout debet, aut ſicut debet. Ampliùs Iſtam malitiam aut ſuſtinet voluntariè, aut invitum: quòd ſi voluntariè, non repugnat igitur eſſentiæ ipſius naturaliter, cùm hoc clariſſimè videat, & nihil tenebrarum, quantum ad ignorantiam, patiatur. Nihil enim omninò eſt, quod læſionem eſſentiæ ſuæ afferat: ſi ſciat, aut videat, & voluntariè patiatur. Si verò non voluntariè, ſed invitum patitur, vel ſuſtinet ſuã malitiã, apparet impotẽtia miſeriç ipſius, cùm velit repellere malitiã propriam, & excludere à ſe non poſſit, ex quo etiam apparet ipſum ſervum eſſe malitiæ ſuæ, & ea cogente operari mala, velut preſſum ſervitute malitiæ propriæ, & non poſſe abjicere, vel excutere à ſe jugum hujus ſervitutis. Ampliùs. Hæc malitia aut eſt ei coæterna aut advenit ei ex tempore; quòd ſi eſt ei coæterna, cùm ſit aliud ab ipſo, erit creata, vel facta ab ipſo, & creatura, vel factura ejus: quare erit voluntati ejus omninò ſubdita, & nihil contra ipſum omninò potens: quare non erit, niſi quandiu vult, & quomodò vult. Non eſt igitur in ipſo niſi per voluntatem ipſius & ſolus poteſt eam deſtruere, ſicut & omnes alias facturas ſuas. Cùm ergo malitia ei noceat, faciens eum deteriùs, quàm eſſet ſine illa, non ſuſtinebit eam per punctum temporis in ſeipſo: Ampliùs. Si cogitavit creando malitiam in ſeipſo; aut intendit in hoc prodeſſe ſibi, aut lædere ſe, & nocere ſibi. Si intendit prodeſſe ſibi, apparet ejus error, immò cœcitas manifeſtè, cùm dubitari non poſſit malitiam nocere ei, in quo eſt; error autem nullo modo cadit in Deum, ſimiliter nec ignorantia: iſti autem erronei ponunt ipsũ eſſe Deũ. Si verò intendit ſibi nocere, & lædere ſe, & hoc ſciens, & prudens, cùm error, ut dixi, & ignorantia apud ipſum locum non habeant, apparet evidenter ejus dementia; nihil enim eſt, quod ſibi nocere, aut ſe lędere ſcienter intendat, niſi aut turbatio iræ, aut alterius paſſionis ipſum ſubverterit, ſicut accidit in eis, qui ſeipſos jugulant interdùm aut aliter occidunt, de quibus dubium non eſt, quin ex dementia hoc faciunt. Si verò ex tempore malitia ei advenit, manifeſtum eſt ipſum fuiſſe corruptum, atque perverſum, & etiam ſeductum Quòd enim aliquid efficitur malum, cùm priùs non eſſet; non eſt niſi uno trium modorum, quos narravi, videlicet corruptione, ut equus corruptione humoris, aut membri alicujus efficitur malus, cùm priùs non eſſet, aut ex perverſitate; ſicut accidit in hominibus, qui de bonis mali efficiuntur, cùm eorum voluntates pervertuntur, ut mala, vel malè velint aut ſeductione, quemadmodùm contingit in his qui per errorem, vel ignorantiam mali fiunt aliena ſuggeſtione decepti. Qualiter ergo iſte ſomniatus Deus malus effectus eſt? quicquid enim horum trium paſſus fuerit, manifeſtum eſt ipſum nomine Dei indigniſſimum, nihil enim horum cadere poteſt in veri nominis Deum. Ampliùs. Mutatio non fit niſi in

Adverte.

Nota.

A ſubſtantia, quę ſuſtinet prædicamenta; accidens etiam omne in ea eſt, quare neque accidens, neque mutatio, attingunt ad id, quod eſt neceſſe per ſe eſſe, neceſſe enim per ſe eſt ſupra eſſe, & ſeorsũ lõgè à ſubſtantia, & accidenti. Ampliùs. Quomodò eſſet mutatus, an à ſe, an ab alio? ex quo patent tibi multæ viæ ad deſtructionem errorum iſtorum. Quòd ſi ab alio agente in ipſum, neceſſe eſt ipſum eſſe paſſibilem, & hoc paſſione viliſſima, atque turpiſſima. Nihil enim vilius, aut turpius eſt, quàm malitia; quàm longè autem hæc ſit à natura, immò à nobilitate, & ſupereminentia deitatis, ſeu divinitatis, nihil videt, qui hoc non videt.

CAPUT VI.

Adhuc deſtruitur error Manichæorum ex hoc per rationes communes, & intellectu faciles.

QUoniàm autem rationes, quas uſque huc tibi adduxi, metaphyſicæ ſunt, atque ſapientiales: ſatisfaciam tibi conſequenter de promiſſo, & adducam tibi rationes vulgares, & intellectu faciliimas, per quas declarabitur tibi erroris iſtius non tam impoſſibilitas, quàm etiam ridiculoſitas. Dicam igitur in primis, quia malum propriè, vel nocivum eſt, ſicut herba mala, & morbus malus vel nocumentum ipſum, juxta quam intentionem uſualiter dicitur, multa mala fecit mihi homo ille. Tertio modo inordinatum: quemadmodum quædam malè ſedere dicuntur, quæ non ſedent in loco ſuo, vel ordine, ut viror in facie humana. Quarto modo dicitur malum imperfectum, ideſt, privatum quacunque perfectione ſua, unde malè operari dicitur quis, cùm operatur opera privata convenientibus perfectionibus, & has perfectiones latini vocant circonſtantias operum, quales ſunt finis, cauſa, modus, locus, tempus, & per modum iſtum malè operari dicitur, qui vel non eo modo, vel non eo fine operatur, quo modo, vel quibus, operandum eſſet, & ad hunc modum ſe habet de aliis perfectionibus, vel circunſtantiis, & ad hanc intentionem reduci poteſt privatio debitæ menſuræ vel quantitatis, per quem modum ſuperfluum, vel diminutum, mala dicuntur; ſuperfluitas verò, atque indigentia, malitiæ, forſitan autem hoc inſinuare voluit Ariſtoteles in libro Topicorum, ubi dicit, quia bonum quantum dicitur, ut in mediocri, hoc eſt in medio, quod eſt inter extrema ſuperfluitatis, & indigentiæ, & benè feciſſe aliquis dicitur ſecundùm hoc, cùm ejus opus nec ſuperfluitatem habet, nec diminutionem; omnium autem iſtarum intentionum, quæ magis conveniens videtur principio malorum, prima eſt, ſecundùm quam malum dicitur nocivum. Incipiam igitur auxiliante Deo deſtruere hanc intentionem in eo, quod ponunt, & ſomniant principium malorum. Dico ergo, quòd ſi principium malorum non eſt nocivum, non eſt malum per modum iſtum; ſi verò eſt nocivum, erit nocivum ſimpliciter, & univerſaliter, aut erit nocivum particulariter alicui. Quòd ſi fuerit nocivum ſimpliciter, & univerſaliter, ergo nulli erit proficuum, nulli igitur proderit. Qualiter igitur erit dator eſſe, & vitæ toti genti tenebrarum, immò toti univerſitati malorum; ſecundùm errorem enim iſtum ipſe eſt creator univerſitatis, & dator ſapientiæ, & virtutis, atque poteſtatis omnis, quas habent maligni ſpiritus, aliæque malæ ſubſtantiæ. Ampliùs. Cùm dat eis omnia hæc, aut animo, & intentione, nocendi dat eis, aut dat animo, & intentione illa, quia ſcit ea eis vel bona eſſe, vel utilia, vel neceſſaria, aut animo nocendi aliis per hoc. Quòd ſi animo no-

cendi eis, manifeſtum eſt ipſum errare, cùm cre- E dat ſe eis nocere, quibus tantas virtutes, ſeu poteſtates, tantam ſapientiam, tantas artes, & ipſum eſſe, quod inter omnia eſt maximè neceſſarium, largitur. Si verò animo proficiendi, ſive prodeſſendi eis hæc omnia dat illis, manifeſtum eſt ipſum, & *Nota.* proficuum eſſe, & perutilem, toti regno ſuo, tam intentione, quàm facto. Non igitur eſt nocivus ſimpliciter, & univerſaliter. Quòd ſi animo nocendi alii, vel aliis, dat omnia hæc ſuis, illis igitur eſt nocivus, quantùm in eo eſt. & ſolis, cùm omnibus ſuis manifeſtè ſit proficuus; quare illis ſolis eſt malus ſecundùm hanc intentionem, quare non aliter, nec magis malus eſt ſecundùm intentionem iſtã quàm principium bonorum, cùm ipſum principium bonorum malis nocivum ſit, & inimicum, ac deſtructivum ipſorum. Ampliùs. Aut ejus intentio eſt ad deſtruendum, vel occupandum regnum bonorum, F aut ad defendendum ſuum tantùm; quòd ſi ejus intentio eſt ad deſtruendum, & occupandum regnum illud, cùm hoc non poſſit: quoniàm rex bonorum non eſt minùs potens ipſo, nec regnum ejus debilius regno illius, manifeſtum eſt ipſum eſſe in ultimitate miſeriæ miſerum, primùm quidem, quia ardore inſatiabili avaritiæ laborat, dum regnum ambit alienum, quod adipiſci non poteſt, deinde odio vel invidiâ ardet inextinguibiliter, ſimiliter irâ, dum non pro voto inimiciſſimum ſibi principem bonorum fecit, quem non impugnare, vel expugnare prævalet. Ita autem, & invidia, & odium, & avaritia ejus ſunt ei in ultimo, & generaliter quæcunque de eo dicuntur per ſe ſunt apud ipſum prima, & maxima. Quia igitur iſta miſeriæ ſunt, & moleſtiæ, immò tormenta ſpiritualia; neceſſe eſt G ipſum & miſerum eſſe in ultimitate miſeriarum & *Nota.* torqueri in ultimitate tormentorum. Quòd ſi dixerit, quia iſta non dicuntur de eo, niſi ſecundùm effectum, quemadmodùm & principem bonorum Chriſtiani dicunt irarum, non ſecundũ turbationis affectũ ſed, ſecũdùm ultionis effectum; ſequitur ergo ex neceſſitate ipſum eſſe omninò liberum, & immunem ab ira, & odio, ab invidia, & omni mala voluntate, & apud ſe quietiſſimum, pacatiſſimum ac beatiſſimum, & nihil habere omninò malitiæ in ſe, vel apud ſe, ſed effectivè tantũ ipsũ vocati malum. Hoc autem multis viis facilè deſtruitur, & *Nota.* primùm quidem quoniàm ſi non eſt malus, niſi effectivè, non erit contrarius principi bonorum, cùm princeps bonorum bonus ſit, non ſolùm effectivè per modum effectionis, immò etiam eſſentialiter. Secundò, quia quemadmodùm princeps bonorum ſimpliciter optimus eſt, & eſſentialiter, & per modum effectionis: ſic principem malorum H utroque modo peſſimum eſſe neceſſe eſt, quare non ſolùm malus erit per modum effectionis, immò etiam eſſentialiter, ita ut ejus entitas ipſa ejus malitia ſit: quemadmodùm, in principe bonorum ſe habet ſcilicet quòd ejus entitas ipſa bonitas eſt. Ampliùs. Bellum, quod ponunt inter ipſum, & principem bonorum, & regnum ejus, atque regnum bonorum, aut eſt juſtum, aut non; quòd ſi eſt juſtum à parte ipſius, juſtè igitur impugnat principem bonorum & regnum ipſius, quare, & benè, ipſe etiam princeps bonorum debet ei cedere, & non repugnare, quare iniquus eſt in reſiſtendo, & repugnando ei princeps bonorum. Si verò injuſtum eſt bellum, eſt igitur ex injuſta cauſa: hæc autem cauſa aut eſt ſola contrarietas, aut eſt aliqua ex cauſis nominatis, ſcilicet ambitio, ſive avaritia, ſive odium ſive invidia, ſive ira: quòd ſi ſola contrarietas cauſa eſt belli, hujuſmodi contrarietas non poteſt eſſe injuſtitia per ſe, in eo quòd contrarietas: tunc

E enim ex utraque parte eſſet injuſtitia, & iniquitas æqualiter, cùm æqualiter ſit contrarietas à parte principis bonorum ad ipſum, & econtrariò. Prætereà, malum invenitur ſæpiſſimè malo contrarium, *Nota.* & etiam in rebus ſenſibilibus, quas ipſi ponunt creaturas eſſe, ſeu facturas principis malorum, ut caliditas, & frigiditas ſe habent. & multa hujuſmodi; quare eſſet injuſtum bellum inter hujuſmodi & etiam ex utraque parte. cùm enim contraria omnia veri nominis æqualia ſint jure, & lege naturæ, injuſtum, & iniquum eſt ut alterum alteri dominetur, aut ſuperſit. Ampliùs. Si quemadmodùm ſe habet princeps bonorum ad omnia, quæ bonitatis ſunt, ſive bona; ſic princeps malorum ad ea, quæ malitiæ ſunt, ſive mala, erit ex neceſſitate, ut quemadmodùm de principe bonorum juſtitia, pietas, & benevolentia, atque beneficentia, aliaque omnia hujuſmodi in primis dicuntur, & maximè, ut F de principe malorum contraria prædictis dicantur in primis, & maximè; quare quemadmodùm princeps bonorum in primis eſt juſtus, & maximè, & ad hunc modum de aliis; ſic princeps malorum in primis ſit injuſtus maximè, & in primis impius, & maximè, & in primis malevolus, & maximè, & in primis maleficus. hoc eſt maleficentiſſimus. Faciliſſimum autem eſt deſtruere unumquodque iſtorum de eo, ſicut evidenter eſt videre de ipſa injuſtitia. Leges enim, quibus regnum ſuum regit, aut ſunt quales eſſe debent in regno illo. aut non. Si ſunt quales eſſe debent in regno illo: non dedit igitur leges ſubditis ſuis niſi quales dare debuit & ita non *Nota.* præcepit, aut ſtatuit in regno ſuo, niſi quod debuit; quod autem debuit ſtatuere, debuit ſervari à ſub- G ditis ejus; quod autem debet ſervari, juſtum eſt ſervari, & omne quod juſtum eſt ſervari, juſtum eſt: quare non ſtatuit, aut præcipit, aut præcepit, iniqua, niſi quod juſtũ eſt eum præcipere, vel ſtatuere, & ſubditos ejus ſervare; à parte igitur iſta nullo modo injuſtus eſt. Ampliùs. Aut ipſe debet facere *Nota.* ſolùm, quod malum eſt, aut non. Si ſic faciendo, igitur malum, non facit, niſi quod debet; faciendo autem quod debet, non eſt injuſtus, immò juſtus & bonus. Eodem modo eſt declarare de judiciis, quia ſi non debet judicare, niſi injuſtè, erit & judicando injuſtè juſtus; quare nullo modorum erit injuſtus, hoc eſt, nec operando injuſtè, nec judicando injuſtè, nec ſtatuendo, vel præcipiendo quod injuſtum eſt. Quòd ſi dixerit, quia debet facere bonum, deſtruitur hoc multis modis: primùm quia naturali poſſibilitate prohibitus eſt facere bonum, ſicut confitetur adverſarius. Nihil autem eorum quæ per ſe impoſſibilia ſunt alicui, debitum eſt apud ip- H ſum. Non enim quia bonum eſt eſſe hominem, debet aſinus eſſe homo, cùm hoc impoſſibile ſit apud ipſum. Ampliùs. Cùm principium, ſeu princeps bonorum ad bona proportionabiliter ſe habeat, hoc eſt. ſimiliter, ut iſte ad mala, erit & permutatim, ut quemadmodùm ille ſe habet ad mala, ſic iſte ad bona. quare ſicut ille nec debet facere mala, nec decet eum, nec decere poteſt facere illa; ſic nec iſte unquàm debet facere bona; & ſicut ille facit, quod eum decet, & ad eum pertinet, faciendo bona; ſic iſte faciendo mala; quare ſi verum eſt, quòd benè facere ſit facere, quod ad aliquem pertinet, & quod eum decet; hoc autem modo ſemper benè facit princeps bonorum. ſemper igitur benè facit, mala faciendo, princeps malorum. Ampliùs. Sicut leges omnes, & ſtatuta principis bonorum ſunt *Nota.* de bonis faciendis, & de malis fugiendis; ſic leges & ſtatuta principis malorum erunt econtrariò de malis faciendis, & de bonis fugiendis; & ſicut ille auctoritatem habet ſtatuendi illa in regno ſuo; ſic

iſte

Digitized by Google

iſte habet jus, & poteſtatem ſtatuendi contraria in A regno ſuo: & ſicut illi obediendum eſt à ſubditis ſuis in regno ſuo; ſic & iſti in regno ſuo; quare manifeſtum eſt, quòd jura hujuſmodi duorum regnorum contraria ſunt, & cùm aliquid eſt jus in altero eorum contrarium eſt jus in reliquo. Quare manifeſtum eſt utrunque regnum juſtis legibus, ac ſtatutis regi, & ideò benè, ac decenter adminiſtrari à principe ſuo, quare uterque eſt bonus adminiſtrator regni ſui, quantùm ad hoc, & uterque bonus eſt in benè faciendo omnibus his, qui ſunt de regno ſuo, dando ſcilicet eis eſſe, & alia, quæ ſunt eis bona, hoc eſt, neceſſaria, & utilia: quare æqualiter boni ſunt iſti duo principes, tam in bona faciendo ſuis, quàm in adminiſtrando, & regendo ea, quæ ſibi ſubdita ſunt, & inſuper eodem modo, & æqualiter mali, id eſt, nocivi, cùm neuter eorum nocivus ſit, niſi vel contrario ſuo, vel ei quod eſt ex parte contrarii ſui. Et de regnis eorum eodem modo B ſe habet. Ampliùs. Cùm iſti erronei ponant virtutes, & vitia contraria, & ab hujuſmodi principibus contrariis, & eodem modo ſe habere principẽ malorum ad vitia, ſicut principem bonorum ad virtutes, erit igitur ut quemadmodùm virtutes omnes de principe bonorum dicuntur in primis, & maximè per modum, quo ei congruit, ſic & omnia vitia de principe malorum per modum eundem: quare quemadmodùm ille eſt virtuoſus in ultimo virtuoſitatis; ſic iſte vitioſus eſt in ultimo vitioſitatis, quare laborans eſt omni peſte vitiorum in ultimo, quare falſitate, & infidelitate; ergo nulli ſuorum fidem, aut veritatem ſervat, ſimiliter videlicet amicitiam, quare omnes ſuos odit, atque perſequitur, & cum nullo eorum pacem habet: omnes ergo ſuos implacabiliter perſequitur. Cùm igitur omnimodam habeat poteſtatem in eos, omnes deſtruit, quare nihil ſuorum eſſe patitur aut vivere: quemadmodùm & princeps bonorum, ſi odio haberet aliquem eorum, quæ facit, ſtatim illud deſtrueret. Quòd ſi dixerit, quia fidem, amicitiam, & veritatem ſervat ſuis, & toti regno ſuo; inimicis autem, & contrariis nihil horum ſervat, manifeſtum eſt, quia hoc nec falſitas eſt, nec infidelitas, nec vitioſa odioſitas, cùm hæc omnia per modum ſuum inveniantur in principe bonorum: amicitias enim, vel fidem non habet ad mala, immò ea implacabiliter perſequitur, veritatem quidem juſtitiæ habet ad ea qua eam punit, & vindicat; non autẽ eam veritatẽ quam fœdus, aut amicitia requirit, ſive ſocietas. Ampliùs. Neceſſe eſt principem malorum eſſe ſapientiſſimum, ſcit igitur & quid facit, & qualiter in omnibus, & per omnia, quare ſcit ſe malè agere cùm malè agit, ſi unquàm malè agit. Sciens igitur & prudens malè agit, quotieſcunque malè agit, aut poteſt igitur ſe continere ne malè agat, aut non D poteſt; ſi non poteſt, non eſt igitur et voluntarium malè agere, ſed neceſſarium, maximè cùm impotentia illa naturalis ei ſit; nullum autem eſt peccatum, niſi voluntarium, peccatum dico operis, quare non peccat in eo, quòd ſic agit, nunquàm igitur malè agit, cùm nunquàm peccet. Si verò poteſt continere ſe, ne malè agat, & malè agit quomodò igitur ſapiens eſt? Ampliùs, Sicut ſapientia, & virtus neceſſaria combinatione ſe comitantur; ſic inſipientia, ſeu ſtultitia, & vitium. Cùm igitur vitioſus ſit in ultimo vitioſitatis, erit igitur ſtultus, & inſipiens in ultimo ſtultitiæ & inſipientiæ. Ampliùs. Si verum eſt, quia vitia obtenebrant eos, in quibus ſunt, & ſtultos eos faciunt, ac inſipientes, ſicut virtutes econtrariò eos illuminant, in quibus ſunt eoſque prudentes faciunt, atque ſapientes, cùm princeps malorum in ultimo, & maximè illa habeat,

Nota.

Adverte.

Adverte.

Nota.

Nota.

erit ex neceſſitate in ultimo obtenebrationis obtenebratus, & in ultimo ſtultitiæ, atque inſipientiæ ſtultus, & inſipiens. Ampliùs. Sicut princeps lucis in ultimo luminoſitatis luminoſ⁹, ſic princeps tenebroſus in ultimo tenebroſitatis tenebroſ⁹ ſicut enim ille ad lucẽ ſe habet; ſic iſte ad tenebras per omnẽ modũ, quemadmodùm igitur ille in ultimo luminoſitatis ſpiritualis luminoſus eſt; ſic iſte in ultimo tenebroſitatis ſpiritualis tenebroſus. Sicut enim luminoſitas temporalis apud principem lucis locum non habet, cùm ſit incorporalis in ultimo incorporalitatis; ſic & tenebroſitas corporalis apud principem tenebrarum locum non habet, neque neceſſe eſt tibi, ut removeam corporeitatem ab utroque, cùm jam dubitari non poſſit, neceſſe eſſe per ſe, ſeorſùm eſſe longè à corporeitate, utpote ſimplex in ultimitate ſimplicitatis, cùm omne corporeum partibile ſit in infinitũ, & aggregatum ex parte, & parte, immò ex partibus quibus non eſt numerus, atque compoſitum ex materia, & forma. Obtenebratus igitur eſt princeps tenebrarum obtenebratione ſpirituali, ultra quam non eſt obtenebratio hæc autem eſt ignorantia, ſicut ſcientia lux, quare omnia ignorans eſt, & nihil ſciens omninò. Ampliùs. Manifeſtum eſt de vitiis, quòd cùm vehementer invaluerint, non vitia tantùm ſunt, ſed inſaniæ, ſicut ira per vehementiam furor efficitur. Eodem modo ſe habet & de amore. Quare cùm omnia vitia in principe tenebrarum ſint in ultimo vehementiæ, & intenſionis, neceſſe eſt ipſum in ultimo furioſitatis, & inſaniæ furioſum & inſanum eſſe, hoc autem eſt dicere furioſiſſimum, atque inſaniſſimum: quare nec ſuis, nec aliis parcere, ſed paſſim occidere, paſſim deſtruere, paſſimque in omnes, & in ſeipſum ſævire eſt neceſſe. Sic autem C neceſſe eſt & de gente ejus; quare in gente ejus eſt bellum univerſale, tam civile, quàm inteſtinum; quare regnum ejus deſtruit ſeipſum, immò jam dudùm deſtruxit, quemadmodùm multitudo inſanorum, & in ſemetipſos ſævientium, nec ad modicum ſtare poteſt. Quomodò igitur ſtetit regnum hujus per infinita millia annorum? non enim principium habet ſecundùm ipſos, vel ſi habet, jam ab ejus conditione annorum multa millia tranſierunt.

Nota.

CAPUT VII.

Deſtructio erroris Manichæorum: ſi ponant principem malorum eſſe corporeum, & regna ejus tenebroſa obſcuritate corporali.

QUia verò eouſque decipiuntur erronei hujuſmodi, ut principem iſtum corporeum eſſe ſentiant, & regnum ejus totum eſſe tenebroſum etiam tenebroſitate corporali, benè ſe habet, etiam de hoc contra eos juxta eorum inſipientiam diſputare. Quæro igitur ab eis utrùm tenebræ hujuſmodi viſum impediant; quòd ſi viſum impediunt univerſaliter, cæcus igitur eſt ipſe, & nihil videns, & tota gens ejus in regno ſuo, niſi forrè dixerit. quòd gens ejus eſt, & ipſemet, quemadmodùm apud nos bubones, noctuæ, veſpertiliones, & ſimilia, quæ in tenebris vident, in luce verò excæcantur. Ponunt igitur iſti totam gentem ejus eſſe corpoream; ſpirituales enim ſubſtantias, nec lux nec tenebra corporalis ad viſum ſpiritualem, id eſt, intellectum juvat, aut impedit. Secundùm hoc igitur ipſe de die nihil videbit, nec gens ejus, & propter hoc reſiſtere non poterit principi lucis, & genti ejus de die omni igitur die vincetur à principe lucis, ſi princeps lucis, & exercitus ejus, poſſunt intrare regnum ipſius. Quòd ſi dixerit quia rex lucis, ſi intraret regnum te-

Digitized by Google

nebrarum, obtenebraretur ibi, manifeſtus eſt in hoc error eorum. Lux enim tenebras intrans, ipſas expellit, & locum quantumcunque tenebroſum illuminat, nec tenebris lucem poſſibile eſt repellere, quia etiam modica lucerna tenebras magnas vincit, domum magnam illuminans; quare tenebræ regni iſtius non poſſunt prohibere, nec etiam reſiſtere, quominùs princeps lucis, & gens ejus regionem intrent, & illuminent tenebras? quapropter excæcabitur ſic princeps tenebrarum, & tota gens ipſius, & ita patebit gladio & direptioni, atque deſtructioni principis lucis, & gentis ejus. Ampliùs. Secundùm hoc regio noſtra nec lucis erit, nec tenebrarum; cùm enim de die ſit lucis ſcilicet, & de nocte tenebrarum; ad quem iſtorum principum, vel cujus regnum pertinebit? Quòd ſi dixerit, quia tenebræ adeò denſæ ſunt in regno illo, ut nullo modo luci perviæ, vel penetrabiles ſint, manifeſtum eſt hujuſmodi hominem non intelligere, quid tenebra ſit. Tenebra enim non dicitur, niſi ſecundùm tres intentiones, quas narrabo. Prima eſt privatio lucis, ſicuti apparet in nocte, & die. Nox enim non poteſt intelligi, niſi privatio luminis ſolaris, quam efficit interpoſitio terræ. Non enim novam diſpoſitionem induit aer ex receſſu ſolis, quæ tenebra poſſit dici, cujus declaratio hæc eſt, quia ſi intellexerimus ſplendorem ſolis ab aere recedere, & nullam ei novam diſpoſitionem advenire; erit nihilominùs tenebra, & nox, & nihil videbitur in regione, à qua terra prohibet, & abſcondit ſplendorem ſolis. Si enim tenebra diſpoſitio eſſet contraria ſplendori, vel lumini in aere, cùm contraria ex neceſſitate æquali ſint virtute, reſiſteret ei ex neceſſitate, & fieret mixtum, ſeu medium ex luce, & tenebra in aere, & ita dies non eſſet dies, immò mixtum ex die, & nocte, & eodem modo contingeret, quòd nulla nox eſſet, neque dies veri nominis. Secunda intentio, quia tenebra dicitur corpus denſum, & denſitate ſua reſiſtens lumini, ſicut terra, nubes, & caligo. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm quoties dicitur alterum oppoſitorum, toties & reliquum dici neceſſe eſt: quare ſi lux corpus dicitur, quemadmodùm ſol, aut flamma; dicetur & corpus ei oppoſitum tenebra. Si ergo dixerit regnum tenebrarum regionem eſſe caliginis teterrimæ, vel terræ nubiloſitatis, neceſſe habet concedere, quæ ſupra dixi, hoc eſt nihil ibi videre, vel videri, niſi quemadmodùm narravi ſupra, videlicet quòd animalia regni illius animalia noctis ſunt, ut bubones, & noctuæ, & veſpertiliones. Sed nec ſic effugiet adverſarius, quoniàm hujuſmodi tenebra id eſt, corpus hujuſmodi tenebroſitatis, aut eſt impaſſibile à cõtrario quocunque, vel non: quòd ſi fuerit impaſſibile, non poteſt igitur in eo fieri motus, ſicut nec diviſio. Accidunt etiam ex hoc innumeræ perverſitates, & inconvenientia. Primùm quia cùm ſit corpus, erit vel ſimplex, vel mixtum; & ſi fuerit ſimplex, non habet hujuſmodi denſitatem, quia neque flamma, neque caligo, neque nubes, neque fumus corpus ſimplex eſt; aer verò, depurationem recepit ab hujuſmodi caliginoſitate, & denſitate, ſicut à nubibus, & nebulis, quare contingit ibi fieri depurationem, vel poſſibilem eſſe ſaltem fieri ibi depurationem, & ita fieri regionem illam receptivam luminis, & illuminabilem. quare non eſt regio tenebrarum, niſi propter abſentiam lucis ſecundùm hoc, & ita non erit regio tenebrarum, niſi quemadmodùm habitatio noſtra de nocte. Ampliùs. Cùm regio illa ignem habeat, ignis autem diſſolutivus ſit hujuſmodi denſitatis, & groſſitiei, erit quemadmodùm & apud nos, ut cùm invaluerit apud eos in regione illa calor, ſubtilietur hujuſmodi tenebra, & deponat il-

E lam groſſitiem fiatque apta receptioni luminis. Ampliùs. Secundùm hoc aperte, hoc eſt arguere; quòd circa ſedem principis tenebrarum ſit tantò major tenebroſitas, quanto major eſt dignitas, atque nobilitas loci illius, quàm inferioris, & à ſede principis remotiorum. quare ibi major denſitas, & caligo erit; ergo locus vilior, atque deformior; groſſities enim, & denſitas, ignobilitates ſunt, & deformitates in corporibus. Ampliùs. In medio terræ (ſi locus ibi eſt) eſt ultimitas elongationis à luce ſimiliter denſitatis, & groſſitiei, nec eſt ſomniare corpus groſſius terrâ, vel magis reſiſtens lumini; quare, ſi ſedes principis tenebrarum in mundo iſto eſt, ibi eam eſſe, neceſſe eſt, quare, quemadmodùm terra eſt fœx omnium corporum, & locus ille fæculentior ac vilior; ita & habitatores loci illius, quaſi fœx ſunt F omnium ſubſtantiarum ſpiritualium, ſi locus eorum ibi eſt, & ipſe etiam fœx viliſſima in imo loci illius reſideat. Ampliùs. Ab iſto principe malorum, neceſſe eſt, ut ſint omnia vitia, quemadmodùm à principe bonorum omnes virtutes. Sicut igitur quantò aliquis virtuoſior, tantò principi bonorum acceptior, ſic quantò aliquis vitioſior, tantò principi malorum gratior. Ampliùs. Secundùm hæc, quæ ſunt vitia in regno principis bonorum, erunt virtutes in regno contrario, & econverſò: quare nihil erit ſimpliciter virtus, aut vitium, ſed in quodam, vel alicubi, & ſimiliter nihil erit ſimpliciter bonum, vel malum. Ampliùs. Sicut princeps bonorum colitur virtutibus, ita princeps malorum colitur vitiis, & colendus eſt. Quæ igitur erit remuneratio vitiorum apud ipſum hujuſmodi cultus? Cùm enim remuneratio virtutum, quæ in vita iſta ſunt, ſit decor virtutum, quæ in altera vita ſunt, erit-ne ſimiliter, & remuneratio vitiorum, quæ hîc ſunt, deformitas, atque perverſitas vitiorum, quæ in altera vita erunt? G quæ tantò major erit, quàm hîc, quantò gloria animarum futura major eſt, quàm decor earum hîc. Hæc autem non eſt remuneratio, neque fœlicitas, ſed damnatio, & infœlicitas, qua major cogitari non poteſt. Ampliùs. Declaratum eſt jam tibi, quia vitia, & virtutes circa idem ſubjectum habent fieri naturaliter, & omnia contraria. Secundùm hunc errorem autem vitia non habent fieri, niſi in gente tenebrarum, quæ tota creata eſt à principe malorum: quare apparet ea non eſſe contraria ſecundùm eos: quis enim eſt, qui non videat homines ex vitioſis virtuoſos fieri, & ex bonis malos, & converſò? Ampliùs. Remuneratio, qua cultores ſuos remunerat princeps malorum, aut eſt fœlicitas, aut miſeria; quòd ſi miſeria, non eſt ergo remuneratio, ſed vindicta. Si verò fœlicitas, manifeſtũ eſt, quia neque fœlicitas poteſt eſſe ex vitiis, neq; cũ vitiis, cùm unũquodque eorũ miſeria ſit, & tantò major miſeria, quãtò H majus. Quis enim dubitet avaritiam famem eſſe, ſive ſitim pecuniarum, & poſſeſſionum, famem autem, ſive corporalis ſit, ſive ſpiritualis, nemo dubitat eſſe miſeriam, ſimiliter & luxuriam famem eſſe & ſitim corporalis voluptatis. Iram verò, & invidiam, & odium, quis non videat tormenta eſſe animarum humanarum, & ſpiritualia earum incendia? Manifeſtum igitur eſt, quia cum vitiis, vel cum vitio etiam earum non poteſt eſſe vera fœlicitas. Si igitur verâ fœlicitate remunerat cultores ſuos princeps malorum, neceſſe eſt, ut à vitiis eos exuat, atque purificet; quare neceſſe habet eis deſtruere merita magis, quàm ut mercedem retribuat. Manifeſtum etiam eſt ex hoc conſequenter, quia quantò vitioſiores ſunt hujuſmodi cultores, tantò longiùs ſunt ab hujuſmodi remuneratione. Si autem reminiſceris de gloria animarum, veraque fœlicitate earum, certum eſt tibi, quia ſtatus, cui debetur hujuſmodi

hujuſmodi fœlicitas, ſimilitudo quædam eſt pertenuis, & quaſi umbra illius. Status verò vitioſus non ſolùm diſſimilis eſt ſtatui fœlicitatis, ſed etiam contrarius; manifeſtum eſt igitur, quòd apud principem malorum non eſt remuneratio fœlicitatis pro cultu ſibi exhibito, ſed magis damnatio, & miſeria, cùm apud ipſum impoſſibile ſit ceſſare vitia, immò neceſſe ſit tantò eſſe majora, quantò viciniora: & propter hoc tantò majorem eſſe miſeriam, gravioraque tormenta. Ampliùs. Quis erit cultus ejus? quę ſacra? quæ ſacrificia, quæ laudes, & orationes? Sicut enim princeps bonorum colitur largiendo aliis & ſubveniendo, ita coletur iſte fraudando, rapiendo, furando. Retribuet igitur iſta facientibus, vel mercedem, vel pœnam; & de mercede jam diximus, quia fœlicitatem præſtare non poteſt, nec apud eum poteſt eſſe ullo modorum fœlicitas. Si verò pœnam retribuit, erit ergo bonus, & juſtus, dum mala perſequitur bonus, & dum, quod juſtum eſt, retribuit mala facientibus juſtus. Sacra verò, & ſacrificia cujuſmodi exhibentur ei, niſi execrationes omnium modorum peccatorum, & vitiorum? quæ omnia non ſacra, & ſacrificia cùm nec ſacrent, nec ſanctificent, ſed magis execrationes ſunt, & inquinationes facientium. quare non cultus divinus, ſed magis contrarium erunt omnia hæc. Ampliùs. Quæ laudes ei exolventur à ſubditis ſuis, & quid in eo, vel propter quid laudabitur? Non enim laudari poteſt pro eo, quòd bonus, vel quia boni aliquid faciat: quid ergo de eo prædicabunt laudatores ejus? Si enim prædicant de eo quòd malus eſt, & quia male facit omnia, quæcunque facit, non eſt hoc laus, ſed vituperium, & mala diffamatio. Si verò prædicāt, quia bonus eſt, & quia benè facit omnia, quæcūque facit, hæc non tam falſiſſima adulatio eſt, quàm etiam irriſio, ſive deriſio, quemadmodùm, ſi quis corvum laudare volens, prædicet album, & de cygno, ſimiliter, ſi eum nigrum quis dicat, nemo dubitabit quin utrumque irrideat. Quas autem orationes, ſeu petitiones dirigent ad eum? ab eo enim peti non poſſunt bona cùm ea præſtare non poſſit: ergo non poteſt ab eo peti, niſi ut mala faciat petentibus, vel bona ab eis avertat. Hæ autem ſunt petitiones inſaniſſimorum; qui enim talia petunt, non mercedem petunt & præmium, ſed damnationem, atque tormentum. Præterea ſi interrogentur cultores ejus, videlicet propter quid colant eum; aliud reſpondere non poterunt, niſi propter id ipſum colimus, ut omnia mala nobis faciat, & omnia bona à nobis avertat. Ampliùs. Secundùm iſtos erroneos, quid dicetur de omnibus mala facientibus niſi quòd ea faciendo colunt principem malorum, ſicut bona facientes colunt principem bonorum? dicetur igitur ſecundùm hoc, quòd omnes fornicatores, omnes fures, omnes raptores, cultores ſunt principis hujuſmodi, ex quo ſequitur omnia lupanaria, & omnes ſpeluncas latronum, templa ejus eſſe, cùm in eis locis cultus hujuſmodi exerceatur. Quòd ſi dixerint, quia non colunt eum hoc faciendo, cùm propter amorem, aut honorem ejus iſta non faciant: ſed ſi quis propter honorem, vel amorē ejus talia faceret, ille ipſum in hoc honoraret, & coleret, dico, quia ſi hoc eſſet videlicet, quia talia placerent ei, inimiciſſimus eſſet cultorum ſuorum, cùm exhonoratio animarum ſuarum ei placeret, illamque ab ipſis requireret. Sequitur etiam ex hoc, quòd non ſolùm fugiendus ſit à cultoribus ſuis, ſed etiam totis ſtudiis, ac viribus impugnandus, eo quòd maxima mala eorum ei placeant, & ad ea illos præceptis, ac legibus inducat, & ab ipſis ea requirat. Maxima enim mala animarum ſunt vitia, & peccata, ut potè morbi, & vulnera earum, & tanquàm quædam

A mortes ipſarum quod qui non videt, omninò obruduit, & nec hominis nomine dignus eſt omninò judicandus. Jam igitur ſatisfeci tibi in hoc, quòd vulgaribus, & intellectu facillimis declarationibus atque probationibus, deſtruxi vanitatem de duobus principiis, qui eſt error notiſſimus Manichæorum, quem omnis lex impugnat; & ſicut jam manifeſtum factum eſt tibi, primæ philoſophiæ pars illum aliis viis deſtruit, & juxta illas multas hîc tibi poſui, poſſent & alia ad deſtructionem hujus erroris adduci, quibus ſuperſedeo metu prolixitatis. Adducam autem pro errore iſto rationes, quæ ipſos in hoc induxiſſe videntur, & reſpondebo eis, ubi dignum aliquid reſponſione invenero.

Concluſio præmiſſorum.

CAPUT VIII.

B *Rationes adducuntur, ſive radices, quæ Manichæos in errorem induxiſſe videntur.*

HOrum igitur primum eſt quia ex altero contrariorum non poteſt eſſe alterum; malum igitur ex bono eſſe non poteſt: erit igitur ex malo. Et quia res non currit in infinitum, videlicet, ut hoc malum ſit de illo malo, & illud ex tertio, & ita in infinitum: erit igitur venire ad malum, quod non eſt ex alio, ſed neque eſt ex bono, quare malum illud ex nullo eſt & ita eſt principium in ſe, & etiam principium malorum, cùm alia ſint ex ipſo. Ampliùs. Aut aliquod eſt primum malum, videlicet antè quod non eſt aliud, aut nullum? quòd ſi nullum, aſcendit igitur res in infinitum. Jam autem deſtructa eſt infinitas cauſarum, & declaratus eſt ſtatus earum tibi per me in tractatu de primo principio, & de probationibus, ac declarationibus, quibus ſtabilitur eſſe illius, & de viis, quibus venitur ad C ipſum. Si verò aliquod eſt primum malum, cùm illud non poſſit eſſe ex bono, erit ex neceſſitate principium in ſe, ut dixi, & cauſa illorum malorum. Ampliùs. Omne quod eſt malum, aut eſt malum ex ſe, aut ex alio: quòd ſi nihil eſt malum ex ſe, erit igitur omne quod eſt malum, malum ex alio, & ita vel ex alio, quod eſt malum, vel ex alio quod eſt bonum: non autem ex alio, quod eſt bonum, ex prima radice, quam primò poſui; quare unū quodque quod eſt malum, erit malum ex alio, quod eſt malum, & ita redibit ad infinitatem prædictam vel fiet circulus aut reflexio cauſarum, videlicet, ut A, ſit malum ex B, & B. ſit malum ex A. Jam autem deſtruxi tibi circulationem, & reflexionem in eodem tractatu deſtructione, poſt quam non relinquitur dubitatio. quòd ſi aliquid eſt malum eſſentialiter, aut erit illi principium aliud, ex quo ſit, D aut non. Si ſic, erit igitur illud principium malum ex poſita radice & non erit minus malum; quare erit malum eſſentialiter, & ita reditur ad id, quod antè dixeram, videlicet quòd aliquid erit malum eſſentialiter, & principium malorum. Eadem penè via eſt, qua quæritur, utrùm omne, quod eſt malum, ſit malum ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm participationem: quòd ſi omne, quod eſt malum, eſt malum ſecundùm participationem: quēadmodùm ſi diceretur quoniàm A, eſt malum in habendo, ſeu participando B, & rurſùm B. eſt malum in habendo, vel participando C, & ita in infinitum, jam errorem iſtum meminiſti eſſe deſtructum, ubi deſtructa eſt infinitas cauſarum. Similiter ſe habet, & de circulatione, vel reflexione. Aliâ autem viâ declarabitur hoc eſſe impoſſibile: malum enim ſecundùm hanc intentionem erit habens malum, & iterùm malum illud erit eiuſdem intentionis. videlicet habens malum aliud, & ſic in infinitum.

Digitized by Google

quare malum non erit, niſi habens in ipſo infinities E implicatum. Cùm enim de malo habens totum, & ſolum extraxeris, nihil erit reſiduũ. Si enim aliquid erit reſiduũ, illud erit indubitanter malum aliquod, ſed in omni malo intelligitur habens, & aliud, quare habens non eſt totaliter extractum à malo, cùm adhuc ſit in illo quod erat reſiduum. Faciam autem hoc elarius, & dicam, quia ſi malum eſt habens malitiam, ſive participans, erit malitia per explicationem habitus malitiæ, & malitia habita eodem modo erit habitus alterius malitiæ, quæ ſimiliter erit habitus tertiæ malitiæ, & ita in infinitum; quare cùm aggregaveris omnes iſtas explicationes, invenietur ex neceſſitate malitia habitus habitus habitus, & ita in infinitum, ita ut non occurrat cujus ſit habitus, niſi alterius habitus, & quoties ibi ponitur habitus, intelligatur genitivi caſus. Quare ſecundùm hoc malum erit infinitum, & inexplicabile, & ideò inintelligibile, & propter hoc nõ ponit hoc, niſi homo, quia non intelligit ſe ipſum. Tu autem ſcis ex aliis, quia hoc eſt unum ex principiis primæ philoſophiæ primæ partis videlicet, quòd omne, F quod eſt, eſt intelligibile eſſe. Scis etiam quia philoſophia non conſulit erroribus hominum qui ſe ipſos non intelligunt, vel qui ponunt inintelligibilia. Revertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quia impoſſibile eſt omne, quod eſt malum, malum eſſe ſecundùm participationem: ex quo erronei iſti videntur ſibi probaſſe, quòd aliquid ſit malum eſſentialiter, ſive ſecundùm ſubſtantiam.

CAPUT IX.

Deſtructio primæ radicis, cui rationes Manichæorum maximè innituntur.

HÆc igitur omnia, quæ propoſita ſunt, facile eſt ſolvere, vel potiùs diſſolvere. Incipiam igitur à radice, cui rationes eorum maximè innituntur. Hæc autem eſt, quam dixi, videlicet, alterum contrariorum eſſe non poſſe ex altero. Dico igitur hanc radicem eſſe falſam, niſi hoc modo eam intelligant, videlicet, quòd ex altero contrariorum non poteſt eſſe per ſe alterum. Manifeſtum enim eſt, quòd ex calore interdùm eſt frigus per accidens, & corpora animalium per calorem infrigidantur ſecundùm accidens; calor enim aperit poros in corporibus animalium, & amplificat eos, & propter hoc vaporat calor ex illis, & frigeſcunt poſtea. Similiter econtrariò per frigiditatem conſtringuntur pori eorundem, & ideò multiplicatus calor intùs retinetur. Ampliùs. Ex vino eſt ebrietas. Ibi ergo manifeſtum eſt, quia ex bono eſt malum, niſi fortè dicat, quia vinum non eſt bonum: eodem modo ex medicina quantumcunque bona & ſalutari, provenit interdùm ægritudo, cùm quis eam aut non debitè menſura aut non debito modo, aut non tẽpore accipit opportuno. Quòd ſi dixerit nec medicinam eſſe bonã, nec ipſam ſanitatem, procedam ad alia. Scientiã enim non negabit eſſe bonũ, vel bonam. Quid enim eſt bonum, ſi ſcientia non eſt bonum? ex illa tamen manifeſtè plerunque oritur malum ſuperbiæ, & jactantiæ: quòd ſi nec ipſam ſcientiam bonum eſſe confiteri voluerit, de virtute hoc negare non poterit, ex qua etiam ſimilia mala plerunque proveniunt: multi enim de ſanctitate ſua in mala ſuperbiæ, jactantiæ, & inanis gloriæ deciderunt. Ampliùs. Malum invidiæ nunquàm non eſt ex alieno bono, & inceſſante ceſſat. Ampliùs. De viſibilibus ſi quid concedunt eſſe bonum, de luce hoc indubitanter concedent. Non eſt autẽ dubium, quin ex ea proveniat obtenebratio viſus, & tandem cæcitas, videlicet cùm nimia fuerit aut tẽpore, aut vehementiâ. Quòd ſi de viſibilibus nihil bonum eſſe dixerit, & de aliis ſenſibilibus ſimiliter, jam in hoc devenit, ut ſenſu indigeat non quidẽ ad experientiam tantùm, ſed quemadmodùm inſenſatus; quis enim non ſentiat utilitates eſcarum, veſtimentorum, & aliorum hujuſmodi? & ipſemet etiam, qui hoc delirat, quicquid ad exteriorem rationem dicat, intùs tamen, & ad rationem iſta ſentit eſſe utilia, propter quod & & quærit illa: quemadmodùm cùm propter frigus ſuperfluũ, cujus nocumentum ſentit, & magis timet, quærit calorem, tanquàm utilem, & nocumentum frigoris prohibentem. Iſti igitur erronei, dum iſta quærunt, non tam ſalubriter, quàm etiam licitè, & honeſtè, teſtes ſunt contra ſe ipſos: frigus enim ſuperfluum patienti calorem quærere ſalubrem, non tam licitum eſt, quàm etiam debitum, euſque, ne reus mortis ſuæ ſit, & homicida ſuiipſius, qui in eo ſtatu calefieri neglexerit: quia igitur nemo tenetur quærere, niſi quod bonum eſt, manifeſtum eſt calorem hujuſmodi bonũ eſſe, & de frigore ſimiliter verum eſt. Ampliùs. Nemo dubitat, quin ex vino ſit ebrietas, & quantò meliùs, tantò major ex illo ebrietas, tantòque faciliùs; quare manifeſtum eſt, quòd ex bono malum, & econtrariò ex malo bonũ; quemadmodũ, ex ægritudine, & flagellatione, correctionem, & eruditionẽ, & hoc ipſum teſtatur natura in unoquoque, quod nobis ſuggerit, & unumquẽque noſtrũ docet parvulos, & ſtultos, flagellare, ſimiliter maleficos punire, ut vel ipſi corrigantur, vel alii, & de canibus & equis ſimiliter ſe habet. Quia igitur hoc naturæ teſtimonium apud omnes eſt, & ſuper univerſale eſt: teſtimoniũ autem univerſale naturæ falſum eſſe impoſſibile eſt, ex hujuſmodi malis, bonũ correctionis, & eruditionis provenire manifeſtũ eſt. Quis autẽ, qui mentem habeat, dubitare poteſt, quin ex bono ſanctitatis, aliarumque virtutum interdùm ſuperbia oriatur, & contemptus aliorũ? ſimiliter & ex bono fortitudinis præceps audacia, & G iracundia? Juxta hæc aquam, & ignem, aut dicent eſſe bona, aut mala. Si bona, cùm igitur manifeſtum ſit mala plerunque ex illis provenire, videlicet exuſtiones hominum, & immerſiones, aliaſque multiplices deſtructiones, manifeſtum eſt ex bonis mala provenire vel oriri. Quòd ſi dixerit, quia mala ſunt; manifeſtum eſt ſimiliter ex his multa bona provenire, ſicut ſunt temperatæ calefactiones, purgationes, decoctiones, illuminationes, & ex aqua ſimiliter ablutiones, piſcium etiam omnigenæ nutritiones, agrorum fœcundationes, molendinorum aquaticorũ multiplices utilitates. Eodem modo ſe habet & de corporibus cœleſtibus, quia & bona, & mala rebus inferioribus ex ipſis proveniunt. Ampliùs quis ignorat, quin ex eodem homine, & bona opera ſunt quæcunque, & mala? alioquin neceſſe habent dicere, quòd qui bonus eſt, non H poteſt mali aliquid facere, aut qui malus eſt, nihil boni facere poteſt. Hoc autem eſt cujus contrarium quilibet ſentit in ſemetipſo, & propter quod & pœnitet multa egiſſe, & erubeſcunt etiã, cùm videntur mala facientes, & nemo eſt, qui corde, vel ore, non arguat malefacientem, & non judicet eum pœnã dignum. Quare unuſquiſque credit male agentem, quemcunque credit aliter agere debere, & etiam poſſe: alioquin nec culpandum, nec puniendum ipſum judicaret, quemadmodùm neque lapidem pro eo, quòd movetur deorsùm. Ampliùs. Secundùm eos correctio locum non haberet apud aliquem, nec etiam poſſibilis eſſet. Ampliùs. Ipſa juſtitia, qua puniuntur malefici per publicas poteſtates, & magiſtratus, iniquiſſima, & injuſtiſſima, eſſet. Si enim mali naturali impoſſibilitate prohibiti eſſent

Digitized by Google

eſſent ſecùs agere, non eſſet ab eis requirendum, neque propter hoc quod malè agunt, ullatenùs puniendi. Tu enim ſcis quoniàm à corporibus gravibus non requirimus, ut moveantur in ſurſum, neque quiſquam audet eis iraſci, pro eo, quòd moventur deorſùm. Quare ſi ſui neceſſitate mali aſtricti, vel alligati ſunt ad malè agendum, nec iraſcendum eſt eis pro eo, quòd malè agunt, nec requirendum ab ipſis, quandò taliter agant. Ampliùs. Laus, & vituperium falſiſſima erunt, cùm boni, & mali naturaliter tantùm agant, naturæ verò nec laus, nec vituperium debeatur in ſe pro operibus ſuis eo quòd neceſſitate operetur, non libertate, ad modum ſervientis, qui non poteſt aliud facere, quàm quod jubetur, ſicut alibi didiciſti. Relinquitur ergo hujuſmodi erroneis, ut neceſſariò concedant ex bono malum, & econverſò, licet per accidens, aut ut confiteantur nihil de ſenſibilibus bonum eſſe, cùm ex unoquoque eorum malum proveniat. Ampliùs. Cùm bellū æternum inter principem lucis, & principem tenebrarum ſit ſecundùm eos, aut nocet ei princeps lucis in aliquo, aut non nocet: ſi nocet, aliquid igitur mali ei facit, & illud malum eſt evidenter ex ipſo principe lucis, cùm illud faciat. Quare non ſolùm ex bono malum, ſed etiam ex optimo. Si verò nihil mali ei facit eadem ratione neque facere poteſt, & hæc ſcit ipſe, cùm tu ſcias hæc ſtultiſſime, igitur pugnat contra ipſum, cùm ſciat ſe nihil ei poſſe facere mali, & propter hoc ſe non poſſe nocere eidem. Jam igitur deſtruxi tibi primam radicem per quam videri poterat in iſtum errorem erroneos iſtos fuiſſe inductos.

CAPUT X.

Deſtructio ſecunda radicis ejuſdem erroris.

SEcunda verò radix, qua quærunt, utrùm aliquid ſit primum malum, aut nullum, & hanc determino tibi, & diſſolvo per diſtinctionem ejus, quod eſt malum. Si enim malum intelligant nocivum, jam dixi tibi, quia nihil eſt tale ſimpliciter, & ſi aliquid ſit nocivum tibi, vel malum, quemadmodùm ſi aliquid eſt ſanum alicui, ut uſtio, vel inciſio, aut membri alicujus detruncatio: non ideò eſt ſanū ſimpliciter. Præterea licet ſit verum, quòd aliquid nocet alicui; non propter hoc conſequens eſt, ut etiam ſit nocivum illi: quemadmodùm non ſequitur, ut ſi aliquid mortificat aliquid, quòd propter hoc ſit mortificativum, vel ſi albat, quòd propter hoc ſit albativum, vel albificativum, & hoc eſt quoniàm denominationes hujuſmodi ſecundùm virtutem, & aptitudinem naturalē dicuntur. Non enim propriè percuſſivum dicitur, niſi quòd habet virtutem, vel aptitudinem ordinatam ad hoc, & intendentē, ſicut inciſivum non dicitur, niſi ex virtute, quam habet ad incidendum, neque penetrativum, aut digeſtivum, niſi quòd habet virtutem intendentem in hoc: nihil autem eſt tale in tota univerſitate rerum: quamquàm enim & venenata animalia, & rapacia noceāt aliis, ſive occidendo, ſive devorando illa, non tamen ad hoc eſt intendens virtus eorum, ut noceat illis, ſed magis ut proſit proprio ſubjecto & hoc vel paſcendo ipſum, & nutriendo, vel defendendo, & nocumentum, quod ei ab alio imminet repellendo. Leo quippe, cùm venatur onagrum, & devorat, non intendit ei nocere, licet plurimùm noceat, ſed ſibi prodeſſe, nutriendo ſcilicet ſeipſum carnibus illius Eodem modo ſe habet & de aliis. Neque intentio ignis eſt deſtruere, quod comburit, ſed magis multiplicare ſpeciem ſuā in materia, quam ſuperat,

A Quòd ſi dixerit quis, quia ira eſt ad nocendum alij, non rectè dicit, quin potiùs eſt ad ultionem, vel ad victoriam, & utrunque iſtorum bona reputat natura animalium. Ultionem quidem tanquàm juſtum reputat; victoriam autem tanquàm aliquid magnificum, ſicut apparet in elephantibus, qui ſubditos habent, quos vicerint, & quaſi jura ſervitutis in eos exercent. Si verò malum accipiat nocumentum ipſū. Reſpondeo, quia primum malū eſt privatio, ſive carentia primi boni naturalis, quod eſt eſſe. Primum verò malum gratuitum, ideſt, gratiæ oppoſitum, primæ gratiæ carentia eſt Quæ autem ſit prima gratia, non aliter tibi determino hîc, niſi quòd juxta ordines receptibilium ſunt & ordines gratiarum, & juxta materies eorum; quemadmodùm in hominibus prima gratia eſt fides gratuita, quoniàm primò &
B docenda eſt, & tenenda hominibus tanquàm fundamentum, & caput veræ religionis, ac divini cultus. In angelicis verò ſubſtantiis, & aliis nobilibus abſtractis, prima gratia eſt nobilis illa Dei cognitio, quæ naturali earum cognitioni, & ſapientiæ incomparabilis eſt per modum omnem, & juxta hunc modum primum malum, ideſt nocumentum in ſubſtantiis intelligentibus, eſt averſio cogitatus, ſive cognitionis à creatore: ex hoc enim malo ſequitur defectio ipſius, ſive derelictio, quæ eſt proculdubiò receſſio à fonte bonorum, ex qua ſequitur depauperatio recedentium, & arefactio, atque mortificatio ipſorum Qui enim cogitatu fixi ſunt in ipſum creatorem, neceſſe eſt, ut ei congruentibus virtutibus omnibus adhæreant. Cogitatus cauſa eſt quo in primis creator tenetur in intellectu, & per hunc conſequenter in viribus motivis, quare ipſo ſublato fons bonorum quodammodò aret, & quantùm ad bona, ſeu data ſua nobilia, quæ longè præſtantiora ſunt naturalibus ceſſat influentia largitatis ſuæ in
C eos, qui cogitatum ſuum ab eo averterint, vel in alia converterint, converterint inquam converſione fixa, & adhærenti, vel averterint ſimul, hoc eſt illo modo. Non enim ſi ad momentum, vel horam, vel aliud, vel de alio cogitet, propter hoc cogitatum ſuum ab eo avertit. De hoc autem perſcrutatiùs, atque diffuſiùs inveſtigabo, ubi de malitia malorum angelorum, quos homines diabolos vulgò vocant, tractabo. De hoc autem malo quod diximus puram privationem eſſe, non eſt neceſſe, quòd ipſum ſit ab alio vel bono, vel malo cùm omninò non ſit; quòd enim omninò non eſt, impoſſibile eſt ab aliquo eſſe; non tamen negandum eſt negationem negationis interdùm cauſam eſſe. Quòd ſi quis quærat, unde hoc, vel quid eſt cauſa propter quam iſte modò non cogitat de creatore? Reſpondeo, quia privatio alicujus eorum, quæ faciunt cogitare de
D ipſo. Si verò intellexerit malum tertio modo, videlicet vitium, vel peccatum, licet hoc ad alium tractatum pertineat, rectè reſponderi poteſt, quia vel ſuperbia, vel invidia, quorum utrique occaſio eſſendi eſt bonum, vel proprium, vel alienum, & ſicut jam dixi tibi, ad alium tractatū hoc pertinet, & vides in omnibus his imbecillitatē intellectus hominū hujuſmodi; omninò enim manifeſtum eſt eos ignorare, quid eſt quod dicitur malum, & confusè eos uti intentionibus prædictis. Sed nec etiam aliqua intentionū trium prædictarum poteſt eſſe principiū, quod debeat dici, vel Deus, vel princeps, vel rex, quod dicitur malū primū. Malum enim, ideſt nocivū, non poteſt eſſe princeps malorū ſicut jam declaravi tibi, cùm tot, & tanta, bona largiatur ſuis, ideſt, omnibus, qui in regno ſunt Sed neque primum malum, ideſt primum nocumentum dignum eſt, ut debeat dici principium, vel princeps, vel rex, vel Deus, vel auctor alicujus, cùm omnia nocumenta vel

Digitized by Google

privationes omninò ſint, vel ferè privationes. Nocumentum enim non eſt, niſi ablatio alicujus boni, vel utilis, aut aplicatio alicujus, quod hujuſmodi ablationem inducit. Nihil autem tale dignum eſt nomine principis, vel principii. Similiter nec vitium, aut peccatum. Quis enim audeat hoc cogitare, quòd vitium, aut peccatum ſit principium, aut princeps, nec Deus, aut dominus, maximè tanti regni, quantùm ipſi dicunt eſſe regnum tenebrarum? Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc, in quantis tenebris ignorantiæ ſint, qui nec intelligunt intentiones ejus, quod malum eſt. Ampliùs. Interrogabo eos, de qua gente ipſi ſint, & ad cujus regnum pertineant, videlicet, an ſint de gente tenebrarum, an de gente lucis; quòd ſi fuerint de gente tenebrarum quod utique ex tenebris ignorantiæ ſuæ appareat forſitan alicui, non immeritò impugnant principem lucis, cùm hoſtes ejus ſint; quare non eſt conveniés teſtimonium eorum contra illum. Secundò, quoniàm gens tenebrarum aut omninò cæca eſt, & ita nihil prorsùs videt de luce, vel regno ejus, aut non aliter videt, quàm animalia, quæ dicuntur lucifuga, ut noctuæ, veſpertiliones, & ſimilia. Utroque igitur modo indigni ſunt, quibus credatur de luce, vel regno ejus. Si enim omninò nihil ſciunt de ea, non eſt eis credendum, cùm de ea loquantur, ut ſomniantes, & nihil de ea videre valentes. Si autem non plus ſciunt de luce, quàm animalia lucifuga, ut

Nota. dixi, manifeſtum eſt quoniàm non ſolùm falſum, ſed etiam perverſum eſt judicium eorum de luce; hujuſmodi quippe animalia noctem reputant eſſe lucem, & econverſò, & ſolem non lucem, ſed tenebras: quare totum regnum lucis eſt eis regnum tenebrarum, & econverſò. Cùm ergo credunt ſe loqui de Deo tenebrarum, loquuntur de Deo lucis, & econverſò, ſicut animalia, de quibus diximus: quare neſciunt pro certo de quo loquuntur, & men-

Adverte. tiuntur ex omni parte, quoniàm lucem dicunt tenebras, & econverſò. Si verò dixerint ſe eſſe de gente lucis, & pertinere ad principem lucis, intolerabiliter injurioſi, & contumelioſi ſunt eidem; primùm quoniàm concedunt ipſum eſſe, non niſi dimidium Deum: potentia enim ſuper utrunque contrariorum hoc eſt, ſuper bonum, & malum, eſt potentia perfecta: ſuper alterum verò eorum tantùm eſt potentia dimidiata; quemadmodùm potentia ſuper homines albos, & nigros, eſt potentia integra: potentia verò ſuper albos eſt medietas potentiæ illius. Similiter & cùm dicunt, quia non eſt adorandus, vel colendus, niſi ſolùmodò à gente lucis, & à bonis ſolummodò, dimidiam ei deitatem attribuunt, & dimidiam ei auferunt. Manifeſtum enim eſt, quia

Vide. qui dicunt eum eſſe ab omnibus colendum, & adorandum, plenam & integram confitentur de eo deitatem: qui verò à parte tantùm, partem ei deitatis attribuunt, ſimiliter & partem dominationis, cùm non ipſum ubique, & in omnibus dominari concedere velint: quemadmodùm enim non ſimpliciter album eſt, quod ex aliqua parte non eſt album; ſic non ſimpliciter dominus eſt, qui ex aliqua parte non eſt dominus. Non enim ſimpliciter dominum dicimus, qui alicui domui, vel civitati ſolummodò dominatur. Ampliùs. Non verè poſſidet, & plenè, qui in litigio, & bello poſſidet; quare nec verè, aut plenè dominatur. Ampliùs. Neque omnipotens eſt, aut perfectè potens, cujus potentiæ in toto reſiſtitur, ut bellum de pari ex adverſo ei fiat. Ampliùs. Cùm non poſſit quicquid vult ſe vel facere, vel poſſe, ipſemet confitetur de impotentia ſua, cùm minùs poſſit, quàm velit. Ampliùs. Sicut non eſt albiſſimum, cui aliquid eſt æquè album, aut optimum, cui aliquid eſt æquè bonum: ſic videlicet nec pri-

E mum, cui aliud eſt coæquævum; iſti autem ponunt duo prima, ſicut & duo principia. Debes etiam attendere hîc, quòd quia malum, ſicut ipſi ſomniant, idem eſt dicere, quod peſtilens. & cùm ponant ipſum in primis & univerſaliter malum, quemadmodùm principium, & principem bonorum in primis, & univerſaliter bonum; neceſſe habent ponere ipſum in primis, & univerſaliter peſtilens; quapropter graſſans, & ſæviens in omne, in quod poteſt, & propter hoc in totum regnum ſuum, cùm præter illud nihil poſſit de jure ſuæ poteſtatis, limitatione, & finibꝰ regni ſui naturaliter prohibitũ. quare ſævit & graſſatur in õnia ſua, tanquã peſtis tanquã corruptio, & mors. Nihil autẽ tale poteſt veri nominis eſſe principium, aut cauſa, aut auctor, aut princeps, aut Deus, aut dominus, cùm unumquodque horum nominatorum non ſolùm non ſit peſtilens in aliquod eorum, quæ ex ipſo ſunt, vel ſub ipſo, immò propenſæ, atque largifluæ bonitatis, & utilitatis in unumquodque eorum, quæ ex illo ſunt. Qua-

F propter non aliter principium, aut auctor dici poteſt, niſi quemadmodùm deſtructio aut mors, aut deſtructivum, ſive mortificativum per intentionem aut voluntatem. Quòd ſi non eſt peſtilens, aut deſtructivum, niſi aliorum, & ſibi contrariorum, videlicet, quæ ſunt de contrario regno; tunc manifeſtum eſt ipſum non eſſe malum, niſi per accidens, videlicet per contrarietatem, quam habet ad illa, & quemadmodùm calor in ſe pacatus eſt, ſed cùm obviaverit ei frigidum, quaſi pugnat contra ipſum, & econverſò, cùm non ſit naturalis intentionis ſuæ pugnare contra frigiditatem: non enim eſt ad hoc, neque per hoc, calor: quare manifeſtum eſt principium malorum non eſſe malum, niſi per accidens, vel alicui & hæc intentio non minùs congruit principio bonorum.

G

CAPUT XI.

Secundus tractatus, quòd univerſa eſt unitas, & univerſum unum ſolùm, & quòd mundus eſt unus, & qualiter unus oſtenditur.

POſtquã autem jam expedivi me de unitate primi principii, prout convenit præſenti tractatui, & ſatisfeci tibi ſuper illa per aggregationem probationum, ac declarationum intellectu facillimarum, atque vulgarium, quæ ſunt poſt probationes, & declarationes ſublimes, quas didiciſti in primo tractatu primi ſapientialis, ac divinalis magiſterii: conſequens eſt ſicut & promiſi tibi, inveſtigare de unitate univerſi, & declarare ipſum eſſe unum, &

H mundum unum, & qualiter unum. Dico ergo, quia omne totum unum eſt, & hoc apparet ex nominatione, & intentione ipſius; totum enim, & pars relativè ad invicem dicuntur, & totum eſt veriſſima diffinitione, ſeu explicatione, adunatum, ſeu aggregatum ex partibus. Aggregatio autem, & adunatio, non eſt niſi unitio, & conjunctio partis, & partis, ſive partium ad invicem, quæ iterùm unitio ſeu conjunctio, non eſt niſi unitas totius. Ex illa enim totum eſt, & dicitur totum, etiam valde ampla cõtinuitate, & generalitate, intentio totius. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm adunatio, & aggregatio dicuntur & in eis, quæ continuabilia ſunt, & in eis, quæ non. Unde & totum dicitur eſſe continuũ, & mũdus etiam dicitur totus, ſive ſit corporalium, ſive incorporalium: omne verò non dicitur propriè ſecundùm uſum communem, niſi in diſgregatis, cùm collecta fuerint, & qui dicit omne, non dicit hoc de uno aliquo continuo uſualiter, atque communiter, ut nemo dicit omne hoc lignum eſt

Digitized by Google

album, vel omnis hæc maſſa auri, vel argenti, ſed magis totum, vel tota. Quare manifeſtum eſt, quòd omne ſecundùm collectionem dicitur; & quandóque cum diviſione, & quandóque ſine diviſione: Verbi gratiâ, quandóque jungitut nominibus aliis, ut õne album, aut omnis homo. Non enim dicitur omnis homo eſt animal, quẽadmodùm dicitur, omnes iſti homines ſunt decem. Ita enim dicitut omnis homo eſt animal, ut etiam unuſquiſque diviſim, aut per ſe intelligatur eſſe animal. Cùm autem dicitur omnes iſtos eſſe decem, econtrariò dicitur. De nullo enim iſtotum intelligitur, quòd ipſe ſit decem: eſt ergo intentiò ejus, quod eſt omne, ut per ipſum agatur de collecto, ſive dę omnibus collectis in ſumma. Interdùm etiam eadem eſt intentio totius, & hoc modo uſus eſt Plato vocans mundum omne; ſimilitet multi ex philoſophis vocantes mundum totum Quemadmodùm ergo cùm dicitur in unoquoque totum, nihil relinquitur extra, quod poſſit dici pars illius. ſimiliter & cùm dicitur omne ſimplicitet. Jam autem declaratum eſt tibi, quia totum, ubicunque dicatur, unum eſt: quare & omne unum cùm eadem ſit prorsùs intentio omnis, & totius. Ampliùs. Si quis dixerit univerſitatem animalium, manifeſtum eſt, ipſum colligere unumquodque animalium nullo relicto. Similiter & qui dicit univerſitatem ſubſtantialem, nullam relinquit ſubſtantiam. Eodem modo & qui dicit univerſitatem entium; quare cùm univerſitas animalium, univerſitas ſit, ſimiliter & ſubſtantiarum, erit ex neceſſitate & univerſitas entium univerſitas ſimpliciter: quare contrarietas non prohibet unam eſſe univerſitate amborum, quemadmodùm univerſitas colorum

Nota. licet album, & nigrum contraria ſint: & etiam medium utrique eorum quodammodò univerſitas tamen eſt, quare univerſitas bonorum, & malorum ſimul collectorum, univerſitas erit una, non obſtante contrarietate, quæ eſt inter bona, & mala. Ampliùs. Quæcunque communicant intentionem unam, vel rationem, in eo uniuntur, & ſunt quodãmodò unũ, & quia etiã contraria omnia intentione & ratione, contrarietatis communicant, uniuntur in illa, & colliguntur ad illam, ut ſit univerſitas aliqua: propter quod & dicitur univerſitas contrariorum; quare cùm omnia entia communicent ipſum eſſe, in eo quodammodò uniuntur, & colliguntur ad unum, ita ut & ſit, & dicatur univerſitas entium. Ampliùs. Univerſitas, ſicut apparet etiam ex ipſa nominatione, non eſt niſi in unum verſa multitudo, verſa autem non intelligitur, niſi collectione, vel adunatione in aliquod, vel ſub aliquo, quod tota illa multitudo communicat; quemadmodùm dicitur univerſitas colorum, quæ colligitur ad genus, & ſub genere quod omnes colores communicant. Smiliter & univerſitas alborum colligitur ad albedinem, & ſub albedine, quam omnia alba communicant. Sic autem fit, cùm dicitur univerſitas entium, quoniàm univerſa, ſive tota, multitudo entium colligitut ad eſſe, vel ſub eſſe, quod omnia entia communicant: quare tota multitudo entium univerſitas eſt: quicquid autem eſt univer-

Nota. ſitas, eſt ex neceſſitate & univerſum, & totum, & omne. Omnis enim multitudo adunata, ſive in unũ verſa totum aliquod eſt, ſimiliter univerſum; quare & omne non eſt niſi collectio, & univerſitas omnium; quia igitur univerſitas ſemper eſt unum, in eo quod univerſitas, ſimiliter & totum ex neceſſitate unum, in quantùm, totum, & omne ſimilitet, in quantùm omne, extra omne autem nihil eſt de univerſitate, quemadmodùm nec extra omnia; quare unum eſt omne ex neceſſitate, prætet quod nihil & una univerſitas cõgregans omnia, extra quã

A nihil, & unum totum adunans, & nihil extra relinquens. Ampliùs. Sicut non capit intellectus duo omnia; ita nec duo omne; nec duas univerſitates, nec duo tota, quæ ſint univerſitates ſimpliciter aut tota ſimpliciter, quare impoſſibile eſt duos mundos eſſe. Aliud enim eſt dicere omne ſimpliciter, vel totum ſimpliciter, aliud dicere totum aliquid, ut totum lignum. Similiter aliud eſt dicere univerſitatem quorundam, ut colorum; & animalium, aliud univerſitatem ſimpliciter. Ampliùs. Contrarietas, ut dixi, non dividit univerſitates, ſicut apparet in coloribus. Contrarietas enim unit contraria, neceſſe enim eſt contraria circa idem eſſe, vel fieri, & ſub uno genere eſſe. Nec cogeris propter verba Ariſtotelis; quibus dicere videtur in libro Topicorum quia bonum, & malum non ſunt in genere, ſed ſunt genera aliorum; ex neceſſitate enim provt contraria ſunt in genere uno ſunt; provt enim bonum de ſubſtantia dicitur, bonum non habet contrarium, etiam

B ſecundùm ipſum, cùm apertè dicat in libro prædicamentorum proprium eſſe ſubſtantiæ, nihil habere contrarium. quare non ſunt contraria ſecundùm ipſum, niſi provt cadunt ſub genere accidentis; quare ſecundùm omnes intentiones ſuas juxta viam iſtam erunt contraria. Verbi gratiâ, ſi dixeris bonum naturæ, & malum naturæ contraria ſunt, ut generatio, & corruptiò; vita, & mors, ſanitas, & ægritudo. Si verò intellexeris bonum moris, ſive morale ſimiliter contraria ſunt, ut virtus, & vitium, & ſimiliter ſub genere uno Eodem modo ſi intellexeris bonum ſuave, & malum moleſtum, contraria ſunt, & ſub uno genere ſimpliciter: utile quoque, & noxium eodem modo contraria ſunt, & ſub genere uno. Quare manifeſtum eſt, quia bonum, & malum ad genus unum reducuntur, ſecundùm omnes intentiones ipſorum Quis enim dubitat univerſitatem accidentium univerſitatem unam eſſe, & ſub genere, & in genere accidentis unam, non obſtante contrarietate, quæ tam multiplex inter accidentia invenitur? Ampliùs. Uniuntur aquæ unitate fontis, unde, & aqua una dicuntur omnes aquæ *Nota.*

C ex eodem fonte manantes, & aquæ omnes, quæ per alveum Eufratis, vel Nili ab eodem fonte defluunt idem Nilus vel Eufrates dicuntur. Similiter & opera ejuſdem artificis colliguntur ad unum propter unitatem ipſius, & propter hæc rectè dicitur univerſitas operum talis. Cùm ergo declarata ſit tibi unitas primi principii, ſive fontem univerſalis emanationis ipſum nomines, ſive artificem univerſalis operationis propter unitatem ipſius, neceſſariò in unum vertitur tota multitudo influentiarum ipſius, & operum. Neque enim aliud eſt mundus, vel creaturæ univerſitas, quàm redundantia quædam primi, & univerſalis fontis bonitatis, qui eſt creator benedictus, & ſublimis. Similiter & fabrica quædam operum, & artificiorum ipſius, præſertim, cùm opus artis, & ſapientiæ artificium, propriè ſit. Quapropter rectè nominaverunt mundum, ſive omne quidam ex philoſophis Dei opificium, fabricam, & opus; attendentes ipſum totum eſſe fabricam, & fabrefactum ſapientiæ divinæ arte, & magiſterio, *Nota.*

D quod evidenter oſtendit decor, & mirificentia, & non ſolùm univerſitas totius, ſed etiam operum ſingulorum: quorum inveſtigationi & admirationi; nec etiam eruditiſſimorum inveſtigatorum ſufficit intellectus Mundus igitur, ſive totum. ſive omne, ſive univerſitas, unum eſt opus quodammodò, unum artificium, una fabrica, atque unum opus creatoris: & ſi ad cauſas creationis erexeris intellectum tuum, & reminiſci volueris eorum, quæ declarata ſunt tibi in tractatu qui præcedit iſtum, invenies univerſum redundantiam quandam eſſe, ut dixi,

Digitized by Google

fontis, qui eſt ipſe creator, & artificium pulcherrimum, atque mirificum, artis, & ſapientiæ ſuæ, & verbum ſcriptum, ſive ſcripturam, qua ſeipſum loquitur *Nota.* non quidem perfecta locutione; hoc enim impoſſibile eſt creaturis, videlicet deſignare creatorem, prout eſt, hoc eſt, pro immenſitate magnificentiæ, & gloriæ ſuæ; ſed reverà inſinuant magnalia potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis ipſius, vel ut veriùs loquar, innuunt eam utcunque intelligentibus. In his igitur quæ dixi, & in multis aliis, videlicet in hoc, quod opera creatoris verba ſunt quædam, vel magis innuitio, & ſigna exiguæ deſignationis, uniuntur, & ad unum reducuntur per unitatem ipſius; quemadmodùm prædixi, ut unum artificium, vel fabrica, una locutio, vel innuitio, unum ſignum, vel deſignatio ipſius, unus liber, vel ſcriptura coram poſita humano intellectui, ut erudiatur legens in ea, & addiſcat, prout poſſibile eſt, ipſum creatorem. Jam igitur oſtendi tibi vias multas unitionis, & adunationis creaturarum, per quas ſimul collectæ ſunt, & dicuntur unum omne, unus mundus, unum totum, & una univerſitas: adunſtur enim & communicant eſſe, ſive entitatem in creatione, & cauſatione, in deſignatione ipſius creatoris, in fabricatione, & fabrefactione, qua artificioſiſſimè, ac pulcherrimè conditæ ſunt; & ſic adunavit eas creator, & univit.

CAPUT XII.

Opinio quorundam philoſophorum inducitur de unitate mundi.

QUi autem de philoſophis dixerunt, quòd mundus eſt vel domus, vel civitas, ideſt, habitatio Deorum, & hominum, non improbabiliter dixerunt, *Nota.* niſi quòd nomine deitatis abuſi ſunt, ſicut declaravi tibi in tractatu præcedenti; venerandum enim nomen deitatis non convenit verè, ac propriè, niſi uni primo, verò; propter quod & declaravi tibi ibidem, quia non habet plurale, niſi per abuſionem inventum, & extentum fuerit. Quia verò, qui ſic dixerunt, nullam fecerunt mentionem de habitatione animalium, duabus de cauſis, ut arbitror, hoc fecerunt. Prima eſt, quia diis, & hominibus datum mundum intellexerunt in poſſeſſionem, & ad habitandum, & ad utendum bonis, quibus ipſum replevit Deus: animalibus verò nihil juris, aut poſſeſſionis dedit in mundo, immò potius ipſa dedit hominibus, ut eis utantur ad omnem utilitatem. Secunda cauſa eſt, quia animalia propter homines creata ſunt, cujus indicium eſt ipſe uſus. Homines enim animalibus utuntur, tanquàm propter ipſos creata ſint, ſicut dicit ipſe Ariſtoteles: omnibus utimur tanquàm propter nos: nec dicitur uſualiter, iſte ædificavit domum ad inhabitationem ſuam, & animalium ſuorum, vel pecudum, & hoc eſt, quoniàm non aſſociantur animalia domino domus, quia neque ſocia ſunt, ſed magis ſubſequuntur, & ſubſunt. *Nota.* Eſt igitur hæc alia adunatio creaturarum in omni, vel mundo, vel univerſo, per quam dicitur una domus, una civitas. Noſti quoniàm inhabitantes civitatem, ſive cives unius civitatis, unus populus dicuntur propter unitatem loci, quem inhabitant: quòd ſi diviſiones in populo illo fuerint utpote alii maſculi ſint, alii fœminæ, alii ſervi, alii domini, alii liberi, & iterùm alii philoſophantes, alii negociantes, alii ruricolæ & aliorum artificiorum, quantumcunque ſit multiplex varietas, non propter hoc dividitur civitas, vel populus, ut ipſa ſit multæ civitates, vel illi ſint multi populi. Sic & in mundo Deorum, & hominum, licet multa ſit in

E conditionibus, & officiis inter eos diverſitas, unus eſt populus civitatis, qui mundus eſt; locus verò unus eſt mundus, ut locum intelligas generaliter, ſicut & habitationem. De ſubſtantiis enim ſpiritualibus, cujuſmodi locum ſuæ habitationis habeant, in tractatu ſingulari de ipſis intendo declarare, ſi Deus voluerit. Attende autem cum his, quia nec ſi bella civilia fuerint, vel etiam inteſtina, cogunt civitatem, quæ una erat, multas eſſe, alioquin non eſſet bellum civile, nec poſſet eſſe unquàm. Bellum enim civile non eſt, niſi inter cives unius, ejuſdemque civitatis. Quòd ſi dixerit quis, quia tanta eſt diſtantia, ac diſcrepantia inter Deos illos, & homines, *Nota.* ut non patiatur unum eſſe populum ex illis, cùm illi ſpiritualiſſimi ſint, iſti verò corporales, atque corporei: Reſpondeo, quia mirum valdè eſt, ſi homo hujuſmodi audet concedere hominem unū aliquid eſſe ex anima, & corpore, cùm anima ſpiritualis ſubſtantia ſit; F corpus verò corporea, ſive corporalis, & major unitas, ſive unio ſit, qua homo dicitur unum ex tam diverſis, atque diſcrepantibus, animâ ſcilicet, & corpore, quàm ſit unitas illa vel unio, vel potiùs communio, ſive communitas, quâm dii hujuſmodi, & homines, dicuntur populus unus, & illa magis diſtantia ab invicem, videlicet anima, & corpus, quàm Dii, & homines, cùm iſti in genere conveniant, quo ſunt ſubſtantiæ viventes, & intelligentes, illa autem non conveniant in genere tam propinquo. Gubernatio autem, ſive regimen eſt alia cauſa unitatis, per quam univerſitas eſt regnum unū. Regnum enim unum eſt tota ditio regis unius, quātumcunque ampla, aut lata ſit, quod evidenter apparet ex eo, quòd cùm regnum Medorum per Na- G buchodonoſor ſubjectum eſſet, victo Arphaxat rege eorum, & adjunctum regno Babyloniorum, regnum unum nihilominùs fuit regnum ſcilicet Babyloniorum. Similiter & cùm poſteà obtinuit regnum Perſarum. Similiter & cùm regnum Macedonum, ſive Græcorum, regna omnia illa obtinuit, nihilominùs regnum Græcorum, licet euſque ampliatum, & dilatatum, regnum unum permanſit: *Nota.* ſic & regnum Romanorum, cùm omnia regna mundi regno Romanorum, vel Imperatori ſervirent, principatus unus regnum Romanorum & habitus eſt, & vocatus, & monarchia, ideſt unus principatus totius orbis regnum Romanorum fuit. Quia igitur ſub uno rege Deo, & de ditione ejus tota univerſitas eſt creatorum, & ab eo regitur ex neceſſitate tota univerſitas, ſive totum univerſum, regnum unum eſt, & dominatio una ipſius: propter quod ipſe vocatur rex, & dominus ſæculorum. Alia unitio eſt hæreditaria poſſeſſio, vel dominatio, per H quam quātumcunque diſtantes ſint ab invicem partes, hæreditatis etiam una hæreditas ſunt, ſimiliter & una acquiſitio, & una poſſeſſio acquirentis, & poſſidentis, quæcunque ſit diviſio vel diſtantia partium. Manifeſtum igitur eſt tibi, quia una creatoris poſſeſſio, una ditio, una dominatio ipſius, & totum quod eſt ideſt omne, ſive mundus ſit, ſive univerſum, *Nota.* eſt unum regnum ipſius, præſertim cùm una lege ſapientiæ ſuæ, uno imperio rectiſſimæ, ac dominantiſſimæ voluntatis ſuæ totum regat, & moderetur. Indicium autem unitatis iſtius, & continuatæ gubernationis à ſummo uſque deorſùm eſt colligatio, ſive connexio, qua infima & colligata, & ſubjecta ſunt mediis, media verò ſuperioribus, illa ſupremis, ſuprema autem ipſi uni primo vero, quod eſt facile videre conſiderantibus ſenſibilia inferiora, ſive viventia, ſive non viventia. Non viventia enim à mediis generationem, augmentum, conſervationem, ſtatum, declinationem, & corruptionem habent qualia ſunt lapides, metalla, & mineralia

Digitized by Google

neralia omnia: ſimiliter aquæ in fontibus, & fluminibus, lacubus, & paludibus, quarũ omnium generatio, & augmentum à mediis eſſe apparet. *Nota.* Eodem modo ſe habet de his, quæ fiunt in mari, & aere, ſicut ſunt fluxiones, & refluxiones, & diluvia particularia, ſimiliter & occupationes locorum, in quibus non erant maria, & tranſlationes ipſorum marium ad illa, quæ ſtellis fixis multi attribuunt, & planetis, & cœlis, licet non eodem modo, neque eadem omnibus. Eodem modo & terræ motus, & tranſlationes partium terræ, ut montium, & minorum partium, quæ tranſlationes nonnunquàm fiunt. Similiter & eorum, quæ fiunt in aere, videlicet ventorum, pluviarum, grandinum, nubium, fulgurum, tonitruorum, & ſcintillationum, & aliorum quæ in libris meteororum didiciſti. Media autem hæc quantùm ad ea, quæ nominavi, cœlos & *Nota.* cœleſtia corpora intelligo. Similiter, & quantùm ad ea, quæ fiunt in animalibus naturaliter & univerſaliter, & in vegetabilibus ſimiliter, & quolibet modo viventibus, in quibus omnibus virtus, & potentia ſolis neminem latet, qui hæc conſideret. Eodem modo dico & de ſpiritualibus, quia virtus, quæ eſt creatoris, eſt ordinans totum à ſummo uſque deorſùm per media ſpiritualia, quæ alii angelos, alii dæmones, alii intelligentias vocaverunt; & de his, & de eorum officiis, atque operationibus in invicem, & in ea, quæ poſt illa ſunt, hoc eſt in homines, hîc ampliùs, me dicere non oportet. Hæc enim omnia tractatum ſingularem, profundamque & diligentem perſcrutationem deſiderant. Similiter & illa quæ de cœlis, & cœleſtibus tetigi, necnon & cura, & providentia, qua totum dixi adminiſtrari, & regi à ſummo uſque deorſùm, & hoc eſt propter errores hominum, qui eo uſque deralibus male ſenſerunt, ut in injuriã, & contumeliam creatoris, & in ſubverſioñe humanæ vitæ lapſi ſint.

CAPUT XIII.

Aliæ opiniones ponuntur, & deſtruuntur de pluralitate mundorum, & de vacuo.

QUia verò etiam apud vulgares homines de pluralitate, ac diverſitate mundorum, ſive ſæculorum invaluit opinio, & apud nonnullos ex Philoſophis nominatur interdùm ſæculum aliud, & uſualiter homines creberrimè mentionem faciũt de præſenti ſæculo, & de ſæculo altero, ad quod per mortem corporum animæ humanæ transferuntur, & opinantur ſæculum illud habere regionem amœniſſimam graminibus, & floribus, arborumque nobiliſſimarum umbraculis vernantiſſimam, ubi, & elyſios campos juxta deſcriptionem poëtarum ſomniant: Sarraceni verò non ſolùm ſimilia his, ſed etiam omnium carnalium voluptatum turpitudines ex ipſa lege ſua ibi eſſe delirant, & ſe obtenturos ſperant: prædicti verò erronei circa quos multa dixi propter ſtabiliendam unitatem primi principii, mundum corporeum, contrarium iſti per omnia eſſe ponunt conveniens eſt poſt ea, quæ preceſſerunt, ut errores iſtos perſequar, & deſtruam. Et primùm quidem extra mũdum iſtum eſſe mundum alium deſtruere aggrediar. Si enim extra ambitum ultimæ ſphæræ, hoc eſt, ultimi cœlorum, eſſet ſphæra alia inſtar iſtius, vel cujuſcunque alterius formæ corpus, aut eſſet contingens hanc ſphæram quam dixi, mundi iſtius ultimam, aut non: ſi non, eſſet igitur corpus aliquod medium inter duas illas ſphæras quare eſſet extra utrumque mundorum iſtorum: eſſet igitur vel ambiens utramque ſphærarum totaliter, & ita neutra illarum ſphærarum eſſet ultima in mundo ſuo. Hoc autem erat poſitum Si verò non eſſet ambiens, niſi in parte, eſſet illud corpus extra utrumque mũdum, & hoc non poteſt dici, niſi vanè, cùm hujuſmodi corporis nulla poſſit cogitari utilitas. *Nota.* Præterea poſtquàm ponunt mundos, vel duos, vel tres, vel quot voluerunt, extra illos neque corpus, neque aliud eſſe concedere neceſſe habent: quemadmodùm qui unum ſolum ponunt mundum, nullum corpus extra illum eſſe ponunt. Alioquin non ponerent verè, ac intelligenter eſſe mundum. Sic & qui multos ponunt, ſive finitos, ſive infinitos, extra eos nihil ponere ex neceſſitate coguntur Mundus enim eſt ex neceſſitate continens aut totam univerſitatem ſimpliciter, aut univerſitatem ſibi congruentem. Impoſſibile autem eſt imaginari corpus, quod nec huic mundo, nec alii congruat: reſtat igitur ut nullum corpus ſit inter mundos iſtos, quare contingunt ſe ſphæræ hujuſmodi non ſolùm in puncto, ſicut declaratum eſt apud geometras, immò etiam totis arcubus exterioribus, & etiam tota medietate ſuperficiei ſuæ exterioris. Neceſſe enim eſt omnia *Nota.* duo corpora totis ſuis terminis ſimul eſſe ex ea parte, qua ſe contingunt, niſi ex ea parte corpus aliquod ea ſeparaverit, ſolum enim corpus diſtantiam facere poteſt inter corpora.

CAPUT XIV.

Vacuum, vel inane, impoſſibile eſſe inter duos mundos, quos ponunt, oſtenditur.

QUòd ſi dixerit, quia inane, ſive vacuum, inter illa eſt, tu jam alibi didiciſti, vacuum, vel inane eſſe non poſſe. Quòd ſi fortè non reminiſceris vel non ſufficit tibi declaratio illa, quam didiciſti, intende in has declarationes, quas ego propono hîc. Dico igitur, quia inane vel poteſt ſecari, aut dividi, vel non poteſt. Si non poteſt, impoſſibile igitur eſt motum fieri in illo, vel per illud, quemadmodùm ſi aer, & aqua omninò indiviſibilis, & inſecabilis eſſet, impoſſibile eſſet motum fieri per alterum eorum, cùm omne corpus, quod movetur per aliud, viam ſibi faciat per diviſionem hujuſmodi in illo, ſive per illud. Qui autem ponunt vacuum vel inane, dicunt omnem motum in illo fieri, aut per illud. Ampliùs. Secundùm hoc omnium corporum ſolidiſſimum, atque fortiſſimum erit inane, vel vacuum, cùm nec penetrabile, aut diviſibile, ſive ſecabile, ſit ullo modorum, nec cedere poſſit alicui ex aliis corporibus, qualiter igitur erit inane, vel vacuum? *Nota.* quòd ſi dixerit ipſum diviſibile, aut ſecabile, neceſſe habet ponere aliud inane, & hoc eſt, quoniàm cùm corpus quod movetur per inane, ſcindat ipſum, expellit partes ejus à locis ſuis, & intrat loca earum, quare remanent vacuæ ab inani: & ita inane habet locũ, in quo eſt, utiq; magis vacuum, & ita ibit res in infinitũ: quoniàm hoc inane erit in alio quod remanet vacuum ipſo exiſtente, & illud ſimiliter erit in alio, & hoc non habebit finem Ampliùs. Si inane corpus eſt, erunt igitur duo corpora in eodem loco, videlicet ipſum inane, & corpus quod in eo eſt. Si verò non eſt corpus: qualiter igitur habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ſeu ſpiſſitudinem. Ampliùs. Inane, quod eſt juxta domum iſtam, vel vas, aut poteſt expelli inde, aut non poteſt. Si poteſt: ergo ſi aer, qui in eo eſt, ſimul expelleretur, remaneret vas hujuſmodi totum vacuum & ab aere, & ab inani; quare magis vacuum, quàm ſi aer ſolus exiviſſet ex illo, hoc autem nec cogitatione ſaltem recipit intellectus. Quòd ſi dixerit, quia non poteſt inde expelli, quæ *Nota*

Digitized by Google

igitur eſt cauſa, quæ ipſũ ita alligatũ tenet vaſi iſti, E ut ab eo ſeparari nõ poſſit. Natura enim hæc nec in vaſe, nec in ipſo inani eſſe poteſt quin potiùs cùm naturæ inanis, & pleni contrariæ ſint, alterum debet fugere ab altero, & alterum diffugare à ſe alterum, quemadmodùm corpora gravia à levibus fugiunt deſuper, & ad ea, quæ deorſùm ſunt, gravia ſibi ſimilia deſcendunt. Jam ergo declaravi tibi inane nihil eſſe; quod etiam ſi eſſet, non prohiberet, quin contingerent ſe ſphæræ duorum iſtorum mũdorum eo modo, quo dixi tibi; quicquid enim non eſt corpus, impoſſibile eſt ipſum prohibere motum corporis ad corpus, vel appropinquationem alterius ad alterum, vel attactum ſeu contactum Accidit ergo ſecundùm hunc errorem, ut duæ convexæ ſuperficies à parte convexitatis ſuæ contingant ſe totaliter, ac ſi eſſent planæ, & ſimilia inconvenientia F accident, ſi alterius formæ, quàm ſphæricæ ponantur mundi alii ab iſto, dummodò ponantur diviſi, *Nota.* ut nullus intra alium ſit. Neque enim plana ſuperficies poteſt contingere ſphæricam, niſi in puncto, nec angulosa poteſt eam contingere, niſi in puncto aut in punctis. Quare nulla parte ſui totaliter poſſet contingere mundus ille alius mundum iſtum. Exempli autèm gratiâ, imaginabor ſphæram mundi hujus noſtri, in quo ſumus, & ponam capita diametri ejus A, D Similiter imaginabor è regione ſphæram mundi, quem ſomniant, & ponam diametrum ejus æquidiſtantem diametro mundi noſtri, & capita ejus puncta F, G, Deinde protraham à centro mundi noſtri ad centrum illius lineam C, E, ita ut C, & E, intelligas centra illarum duarum ſphærarum, medium verò punctum lineæ C, E, in quo ſe contingere ponuntur duæ illæ ſphæræ, ponam B. Dico igitur quòd quemadmodùm contingunt ſe in puncto G B, ita neceſſe eſt ut contingant ſe in punctis A, F, & in punctis D, G, hoc eſt, in utriſque capitibus diametrorum poſitorum, & hoc eſt, quoniàm inter A, & F, nihil eſt medium, nihil quod diſtantiam faciat, cùm inane nec aliquid ſit, nec diſtantiam facere poſſi: quare puncta A, F, ſimul ſunt, cùm nihil inter ea ſit medium. Similiter D, & G, puncta ſe habere neceſſe eſt & ad hunc modum ſe habet de omnibus punctis hemiſphæriorum ſe in D, puncto contingentium, quare medietates illæ ſuperficierum curvarum contingent ſe totaliter, ac ſi eſſent planæ, cùm nihil ſit penitùs inter eas medium. Ampliùs. Secundùm hoc in nullo poteſt eſſe altera dictarum ſphærarum longè ab altera, cùm nihil poſſit eſſe me- *Nota.* dium inter eas, ut jam dixi. Jam igitur eſt declarata tibi impoſſibilitas erroris iſtius in hoc, cùm declaratum ſit per demonſtrationes apud geometras, neque circulum poſſe contingere circulum, neque ſphæram, niſi in puncto: apud eoſdem etiam decla- H ratum eſt planum neque circulum, neque ſphæram poſſe contingere, niſi in puncto. Declaratio autem hujus eſt per primã propoſitionẽ undecimi libri Euclidis, quæ eſt hæc, lineæ rectæ partem eſſe in plano, & partem in ſublimi, eſt impoſſibile: poſſunt etiam adhuc adhiberi aliæ declarationes per ſcientiam geometriæ, quibus non indiges hìc. Per eandem viam facile eſt tibi deſtruere errorem aliorum, qui poſuerunt mundum altiorem contingentem iſtũ ſenſibilem, & ſphæram ejus ſublimiorem ſpherâ iſtâ longè, immò immenſurabiliter, circundantem mundi hujus ſphæram ultimam; & error iſte concordare videtur uni ex reſponſionibus, quæ factæ dicuntur à Macometo ad centum quæſtiones ei propoſitas ex parte hebræorum, ubi tot inopinabilia leguntur, videlicet de ſeptem interſtitiis, & de aliis *Nota.* quibuſdam incredibilibus, & de ſolio, quod dicit eſſe ſuper omnia, & de domino univerſitatis, quem

ſedere dicit in ſolio illo, ut magis aliena loquentium ægrorum ſermones illi videantur, quàm veritatis quicquam habere. Verùm quidam ex erroneis, quorum errorem adhuc proſequor, ita poſuiſſe, vel potiùs ſomniaſſe dicuntur, mundum alium longè ſupereminentem iſti ſenſibili, quem totum creatum dicunt à principe tenebratum. De hoc ergo, qualiter ipſum ponant, inquirendum eſt: aut enim ponunt illum circundantem iſtum, aut omninò extra: quòd ſi omninò extra, jam ſatisfeci tibi in hoc. Quia ſi circa iſtum ponunt ipſum, nec dividi poſſit, aut diſtare ab iſto per inane, ut jam tibi declaratum eſt: neceſſe igitur, dividatur per aliud, vel per alia. Inconveniens autem eſt, & contra ordinem naturæ, ut aliquid ignobilius cœlis ſit ſupra eos; quare cœli alii erunt ſupra iſtos, vel cœlum aliud, ſed nobilius, aut nobiliores: pertinebunt igitur vel ad mundum iſtum, vel ad illum, aut habebunt per ſe mundum ſuum. Manifeſtum autem eſt, quoniàm mundus nihil habet extra ſe, quicunque ille ſit? quare erit mundus medius inter hunc, & illum. Am- *Nota.* pliùs. Cùm ille ſit ambiens, & continens illos cœlos, & etiam cœlos mundi hujus, qui manifeſti ſunt, manifeſtum eſt, quòd ipſe cum omnibus inferioribus mundus unus eſt, continens ſcilicet intra ſe omnia: licet enim tanta ſit, tamque multiplex diverſitas inter ea, quæ ſunt intra cœlum mundi hujus, nullus tamen dicit propter hoc mundum iſtum non eſſe unum. Non obſtante igitur diverſitate contentorum, quæ ſub cœlo mundi illius ſunt, erit ex neceſſitate mundus unus ex continente illo cœlo ultimis & omnibus quæ intra illud ſunt. Ampliùs quæcunque ſit diverſitas contentorum in domo una, dummodò extrema domus, videlicet parietes, te- G ctum, & fundamentum continua ſint, nihilominùs una eſt domus. Jam autem didiciſti, & prædixi tibi hæc, quia habitatores ex unitate loci unum dicuntur, ut unus populus, una familia, & interdùm nomine domus etiam familia, & tota multitudo inhabitantium nominatur. Mundus verò abſolutè, & ſine determinatione, non vocatur, niſi rarò, continens: uſualiter autem continens cum tota univerſitate contentorum, erit igitur ex neceſſitate mundus unus ex continente omnia, illo videlicet ſupereminenti cœlo, quod ſomniant, & tota univerſitate cõtentorum infra ipſum, alioquin nec mundus iſte tam notæ nominationis mundus unus erit. Ampliùs. Cujuſmodi cœlum, vel cœlos ſomniant mundum illum habere? ſi enim ſimiles cœlis *Nota.* mundi iſtius, manifeſtum eſt, quòd mundum alium ſimiles cœli conſtituere non poſſunt, quemadmodùm decem homines, aut viginti, non poſſunt conſtituere univerſitatem aliquam ſeorſùm ab uni- H verſitate hominum reliquorum, nec diviſi eſſe ab aliis naturaliter, cùm eos ſimilitudo naturalis uniat & conjungat; ſi verò diſſimiles cœlos ponunt mundo illi cœlis mundi iſtius, aut ſunt diſſimiles ſolâ præſtantiâ nobilitatis, & hoc ſimiliter non dividit eos à cœlis noſtris, ita ut transferat eos in alium mundum, & prohibeat eos eſſe de mundo cœlorum noſtrorum, quoniàm tunc ipſi cœli noſtri non poſſent eſſe de mundo uno, cùm differentia hujuſmodi valeat in nobilitate, quæ invenitur apud eos: ſi verò poſuerint eos contrarios, jam dixi tibi, & hoc vides ex multis exemplis, quia contrarietas non prohibet ea, quæ contraria ſunt, eſſe, de mundo uno. Sicut apparet in albo, & nigro, & calido, & frigido, alioquin eſſet numerus mundorum duplus ad numerum contrarietatum, & haberet unaquæque contrarietas duos modos. Didiciſti etiam alibi, quia *Nota.* naturæ cœleſti corporali non invenitur contrarium, ſufficiant tibi in hoc rationes Ariſtotelis, & ſequentium

Digitized by Google

tium ejus, & ſi firmatus eſt intellectus tuus certitudine ſuper his. quòd ſi diſſimiles longè, & nullo modo cõgruentes naturę cœlorũ noſtrorũ poſuerit eos; quemadmodùm qualitas, & quãtitas diſſimiles ſunt, manifeſtũ eos ponere, quod refugit imaginatio, & quod non recipit intellectus, cùm ipſi per ea, quæ nota ſunt in mũdo iſto, declarare non poſſint quærentibus naturam cœlorũ illorum. Cum his autem, qui non ſciunt, aut nõ poſsũt ſcire, quid eſt, quod dicitur, præcluſa eſt omninò via philoſophandi, & etiam diſputandi, cùm ſcientia ejus, quod eſt, quid eſt, quod dicitur, unum ſit de principiis inveſtigãdi, & philoſophãdi, ſicut alibi didiciſti. Reminiſci etiã debes, quia error illius, qui vel confitetur ſe nõ intelligere quod loquitur vel de quo, non intelligere ſe ipſum, abſque cõfeſſione ejus. manifeſtũ eſt quia nõ intelligit, quod ponit & per philoſophiã conſuli non poteſt, cùm omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtenti fiat cognitione, & ad cognitionẽ ignotorum impoſſibile ſit per inveſtigationem philoſophicam, hoc eſt, per viam probationis, niſi per nota venire, quemadmodùm ad videnda ea, quæ per ſe ipſa videri non poſſunt, non eſt venire niſi per viſionem eorum, quæ per ſe videntur, quẽadmodũ per lucida ad tenebroſa: per tenebroſa enim ad vidẽda alia tenebroſa nemo venit & nemo etiam hoc facere attentat. Et quoniàm iſti iidem erronei poſuerunt terram tenebrarum, & regionem infinitam tenebrarum, & caliginis, & eam eſſe habitationem gentis tenebrarum, quas vulgò Diabolos vocant, græci verò cacodæmones, conveniens eſt, ut & id ipſum non prætermittam tibi. Credo autem te reminiſci probationum, & declarationum naturalium, per quas facta eſt certitudo tam ab Ariſtotele, quàm ab aliis de corpore cœli, qualiter ſcilicet in libro cœli, & mundi ſcire fecit ipſum eſſe finitum In ſequentibus autem contra quendam errorem ipſius adducam probationes meas in hoc. videlicet, quibus acquiretur tibi certitudo, quia impoſſibile eſt aliquid eſſe infinitum in magnitudinibus continuis, ſive ſint corpora, ſive alia. Interim ergo vide in primis. quia error iſte deſtruitur ubicunque corporis infinitas impoſſibilis eſſe oſtenditur De gente verò tenebrarum, & de ipſa regione, quam dicunt eſſe tenebroſam, vel tenebrarum, quæro ab eis, utrùm tenebras iſtas intelligant eſſe ſenſibiles, aut intelligibiles, hoc eſt, quæ impediant penetrationem viſus corporalis, aut quæ impediant operationem intellectus? Quòd ſi tenebræ illæ ſint prohibentes operationem viſus, neceſſe eſt in tota regione illa, nihil videri; animalia enim quæcunque, quorum origo, & habitatio naturalis regio tenebrarum, cæca ſunt naturaliter, & impoſſibilia videre, alioquin viſus eſſet eis fortior, atque nobilior. quàm animalibus lucis. Ampliùs. Si animalia lucis nihil vident in hujuſmodi tenebris, erit ex proportione, & à contrariis, ut animalia tenebrarũ nihil videant in luce: ubi autem nihil vident, quomodò pugnabunt, cùm nihil magis neceſſarium ſit in agendis, quàm viſus? Ampliùs. Si genus tenebrarum videt in tenebris illis; tenebræ igitur illæ ſunt eis lux; quare regio illa non eſt tenebrarum, immò eſt cujuſdam lucis; quare cõtraria eſt noſtræ, & propter hoc tenebræ vocantur, & ita lux habet cõtrarium: contrariorum autem idem eſt ſenſus, ſicut albi, nigri. quare idem viſus erit noſtræ lucis, & tenebrarum illarum; ergo viſus gentis tenebrarum, qui poteſt in tenebras illas, poterit & in lucem noſtram. Similiter, & viſus gentis lucis. Quare æquè erit gens lucis gens tenebrarum, ut gens illa, quam dicunt tenebrarum, & econverſò, cùm æqualiter poſſint in viſum, &

Nota.

A in tenebras, lux igitur, & tenebræ, non diverſificabunt gentes hujuſmodi. Ampliùs. Si tenebræ ſunt naturales hujuſmodi genti, ergo lux erit eis contra naturam; quare non poterunt vivere in luce, niſi ad modicum, quemadmodùm animalia aquatica non poſſunt vivere in arido, nec econverſò, niſi ad modicum. Quare ſicut piſces in arido moriuntur abſque gladio, ſolo defectu aquæ, & animalia, quæ nata ſunt vivere in arido tantùm, citò moriuntur in aquis: ſic genus tenebrarum in regione lucis, & gens lucis in regione tenebrarum per ſe, ſolà contrarietate regionum moriuntur. Quòd ſi dixerit tenebras intelligibiles eſſe; tenebræ autem intelligibiles non ſunt niſi ignorantia: erit igitur tota gens illa obtenebrata intellectu, & hoc eſt, dicere nihil ſciens. Tu autem debes noſſe, quia hujuſmodi tenebroſitas impoſſibilis eſt in ſubſtantia

Nota.

B intelligenti naturaliter, ex accidenti ſiquidem poteſt obtenebrari ſubſtantia intelligens, ſicut accidit in animabus humanis, quæ etiam paſſionibus ægritudinum corporalium, & aliorum, quæ ſunt à parte corporum, obtenebrantur ignorantià perpetuâ, vel ad tempus, perpetuâ quidem ignorantiâ, ſicut accidit in morientibus: ad tempus verò, ſicut contingit in febricitantibus, & alienationes patientibus, ſimiliter in quibuſdam aliis videlicet freneticis, maniacis, melancholicis. Verùm, quod hujuſmodi obtenebratio ſit naturalis intellectui, æquè contra naturam eſt, ut quòd cæcitas ſit naturalis viſui: ipſi autem ponunt iſtas naturales illi regioni, & propter hoc toti genti tenebrarum, alioquin nec gens tenebrarũ diceretur, non enim propterea, quòd ad tempus, & ad modicum accidunt fiunt denominationes hujuſmodi, ſed propterea, quòd naturaliter inſunt, atque perpetuò: & hoc idem ipſi confitentur, quoniàm non propter hoc dicitur homo

C febris, vel alterius ægritudinis, quia ad modicum febrem patitur. Ampliùs. Huic nominationi; Regio tenebrarum, nec ſubeſt quidem intellectus; nihil enim ad regionem corporalem de tenebris intelligibilibus. Idem enim eſt ac ſi diceretur lapis inſipiens vel lapis inſipientiæ Manifeſta igitur eſt tibi non tam impoſſibilitas, quàm etiam ridiculoſitas erroris iſtius. Sed quid eſt dicere Deus tenebrarum ſecundùm hoc, niſi Deus inſipientiarum. & ignorantiarum? Iſta autem eſt tam ridiculoſa oppoſitio in adjecto, ut nec etiam auditu digna ſit, nedùm contradictione, vel diſputatione. Sunt & alia deliramenta hujuſmodi erroneorum circa ipſam gentem tenebrarum. Ponunt ſiquidem eam habitare in caligine, & igne teterrimo atque caliginoſo', concordantes penè in hoc errori, qui eſt in lege Sar-

Nota.

D racenorum, quo dicitur, quòd Deus creavit angelos de luce, ſcilicet bonos: diabolos verò de flamma Habitant igitur in flamma caliginoſa, tanquàm in materia ſuæ originis, quemadmodùm piſces in aqua. Quòd ſi verum eſſet, aut flamma eſſet corrupta in generatione eorũ, aut remaneret. Eſſent igitur eadem facilitate mortales, quia flamma illa extinguibilis; quare multò faciliùs mortales quàm homines, vel alia animalia: aſperſione enim modica aquæ flamma illa extingui poſſet: extinctâ autem flammâ, neceſſe eſt, quòd moriatur quicquid ex illa eſt: quemadmodùm extincto corpore animalis moritur animal. Ampliùs. Sicut didiciſti ex ſcientia meteororum flamma non eſt, niſi fumus incenſus: tu autem ſcis quia incenſio conſumit materiam, in qua eſt, tanquàm proprium pabulum, aut nutrimentum; quare eo deficiente deficit, finita autem flamma in unoquoque ex eis, finito tempore etiam, per ſe extinguerentur non eſt autem adhuc auditum, quòd diaboli moriantur. Ampliùs,

Nota. Quoniàm flamma non eſt, niſi fumus incenſus; cõtinuè autẽ ubi hujuſmodi incenſio eſt, eſt generatio fumi, qui incenditur, quare continua generatio flammæ, & propter hoc generatio continua dæmonum. Similiter & continua corruptio propter continuum defectum fumi, atque continuam conſumptionem ipſius; generatio enim uniuſcujuſque animalis generatio eſt corporis ſui. Ampliùs. Secundùm hoc dæmones non haberent figuram ſtabilem, nec decentem; fumus enim tantò ampliùs intumeſcit, quantò ampliùs aſcendit. Ampliùs. Flamma non poteſt ſeparari à materia, in qua generatur, ſive reſolvitur, ſicut vides in igne lignorum, vel in cereo accenſo, ſive candela: quare dæmones, ſeu diaboli non erunt ſeparabiles à materia, ex qua generatur, vel reſolvitur flamma corporis eorundem, alioqui nec pugnare, nec deſtruere poterunt. F Ampliùs. Pugna eorum erit in armis, vel in equis, an erit omninò ſine bellicis inſtrumentis? Si verò dixeris, quòd flamma corrupta eſt in generatione eorum, cùm omne, quod corrumpitur, corrumpatur in aliud, quod ex illo generatur; quid igitur erit illud, niſi fumus, vel aer, vel aliquid hujuſmodi, Nota. & hic error videtur concordare cum opinione Apulei, & quorundam aliorum, qui dixerunt dæmones eſſe animalia corporea, aerea. Alibi autem tentabo tibi declarare hæc videlicet in tractatu de hujuſmodi ſubſtantiis abſtractis. Ampliùs. Cùm iſti erronei ponant terram, & ignem, quærendum eſt ab eis ſimiliter, utrùm ponant aquam, & aeri ſimiliter cœlos, & luminaria, & ſtellas, & mundum illum, quantùm ad talia ſimilem huic, hoc excepto, quòd ille eſt totus tenebrarum, & nihil habens luminis: ſi enim haberet ſolem, & lunam G & ſtellas lucentes, ſicut & iſte, eſſet ex neceſſitate mundus lucis, ſicut & iſte; ſi verò nihil habens luminis, Sol, & Luna, & Stellæ, quæ ibi ſunt, aut potuit ea facere luminoſa Deus ille tenebrarum, aut non potuit: ſi potuit, habet igitur poteſtatem in creando lucem, & etiam luminoſa, qualia feciſſet, ſi voluiſſet corpora illa prænominata; non minùs igitur erit Deus lucis, quàm ejus adverſarius, & regnum ejus lucis, cùm voluerit. Si verò non potuit illa luminoſa efficere, apparet ejus defectus, & impotentia, cùm tam facilis ſit generatio lucis; ſola enim Nota. accenſione ignis generatur lux apud nos, quæ quàm levis ſit ad faciendum, tu non dubitas. Si verò ponunt aquam, & aera in regione tenebrarum, & nihil ultra; tu jam didiciſti alibi, quia omne humidum eſt malè terminabile proprio termino; quare neceſſe eſt, ut aera circundet aliud corpus, quod ipſum terminet. Et quoniàm circa hoc, facile eſt invenire vias multas ad deſtructionem erroris iſtorum H eis, qui in naturalibus ſunt exercitati; quoniàm etiam gentem tenebrarum ponere videntur diabolos ſolos, de quorum ſubſtantiis, & aliis, quæ circa eas ſunt, diſputare, magis pertinet ad tractatum, quem prænominavi tibi reſervabo illi tractatui ea, quæ reſtant de illis quantùm pertinet ad deſtructionem erroris iſtius; tuum autem erit, quæ præſcripta ſunt circa iſtos duos errores, diligenter intueri, atque conſiderare.

CAPUT XV.

Diſſolvuntur quæſtiones hujuſmodi erroneorum.

VErùm neceſſe habeo reſpondere priùs quibuſdam quæſtionibus, quæ aliquos moverunt, & declarare tibi, quantùm abutantur nomine univerſi convenienter nominatur univerſum, quod non continet univerſitatem ſpecierum, & individuorum. E Ampliùs. Neque totum, neque omne dici poteſt, Nota. cui tam nobilis pars deeſt, videlicet ſpecies hominum: iſti autem in mundo, quem ponunt, non ponunt eſſe homines; quare non ponunt mundum alterum, ſed partem ipſius: quemadmodùm, ſi ponerent mundum iſtum, in quo ſumus, ſine hominibus eſſe, aut ſine angelis. Et quoniàm quicquid natum eſt eſſe pars, nunquàm eſt perpetuò extra totum, neceſſe eſt mundum, quem ponunt, quandoque perficiendum eſſe, atque complendum, ita ut habeat partes omnes, quas debet habere mundus ex eo, quòd mũdus quare neceſſe eſt ipſum quandóque habiturum eſſe omnia nata partes eſſe & mundi, & omnis, & univerſi. Quòd ſi dixerit, quia mundus ille homines habet, vel habiturus eſt, & cæteras ſpecies animalium, ſimiliter & omnes ſpecies plantarũ, F & aliorum, quæro ab eis, an ſpecies ſimiles mundo iſti habeat, vel habiturus ſit? quòd ſi dixerint quia ſimiles, & de aliis animalibus ſimiliter, atque de plantis: manifeſtum eſt tibi, quia hujuſmodi diverſitas, quæ ſecundùm numerum tantùm eſt, non faciet diverſitatem inter mundum, & mundũ alioquin pars mundi orientalis ad alias partes mundi, eſſet mũdus unus, & illæ eſſent ſimiliter mundi, cùm diverſitas hujuſmodi inveniatur inter homines & cætera animalia, quæ ſunt apud partes illas. Præterea, diverſitas hæc non requiret hoc; non enim oportet, ut hominibus propter diverſitatem illam tam remotæ ab invicẽ conſtituantur habitationes: duabus enim Nota. de cauſis neceſſe eſt, ut diverſificentur habitationes hominibus, maximè ſimilibus, prima eſt cùm una habitatio eis non ſufficit vel ad habitacula, vel ad alimenta; tunc enim neceſſe eſt ut parti provideatur de habitatione alia. Secunda cauſa eſt, diſſimilitudo, atque contrarietas in moribus, & modo vivẽdi, G quemadmodùm ſenes & bellui ni homines cum mitibus, & mãſuetis in eadẽ regione habitare non poſſunt ſicut neq, cum leonibus, aut draconibus, iſti autem ponũt homines mũdi hujus ſimiles eſſe hominibus mũdi illius. Quòd ſi etiã contrarii eſſent, non propter hoc neceſſe erat aliũ mundũ eſſe, cùm tam multiplicib⁹ diverſitatibus hominũ, & aliorũ animaliũ providerit Deus de habitationibus in mundo iſto; diſſimiles verò mũdi quantũ ad elementa, vel generata ex illis, nullo modo eſſe poſſunt, cùm declaratũ ſit quatuor elemẽta tãtùm eſſe, ſicut & quatuor primas, atque radicales naturas, videlicet caliditatẽ, humiditatẽ, frigiditatẽ, & ſiccitatẽ. Cõmixtiones verò eſſe elementorum præter eas, quæ in hoc mundo ſunt, vel fieri poſſunt, nec imaginatio recipit nec intellectus quare mundus inferior eſſe non poteſt extra iſtum diſſimilis ei. De cœlo verò, & cœleſtibus, nihil habent quod dicant, niſi ſomnia H quæ nec ipſi intelligunt, ſicut prædixi tibi. Quòd ſi dixerit tibi, quia tanta eſt ſævitia, vel ferocitas hominum illorum, ut homines mundi iſtius eorum cohabitationem pati non poſſent, dico, quia nihilominùs in mundo iſto eſſe debuerunt: ſpeciem Nota. enim unam in diverſos mundos dividi manifeſtum inconveniens eſt, cùm tantam diverſitatem, atque contrarietatem ſpecierum mundus iſte noſter admittat. Ampliùs Si creditur hiſtoriographis, gentes immaniſſimas reclusit Deus ad aquilonem in terra Sarphaica, reclusit inquam montibus intranſmeabilibus, & has gentes vocant nonnulli caſpios, propter montes, qui conveniſſe dicuntur terræ motu magno ad recluſionem eorum: alii vocant eos gog, & magog. Similiter igitur poterat Deus & aliis hominibus de illorum ſævitia providere, alioquin nec dracones, nec ſerpentes nec alia animalia, quæ infeſta ſunt hominibus, poſuiſſet in hoc mundo; quare fures, latrones, & homi-

Digitized by Google

& homicidas, qui adeò infeſti ſunt manſuetis hominibus, debuiſſet in mundo alio collocaſſe. *Nota.* Ampliùs. Si homines illi ſunt differentes numero ſolo, & non ſpecie ab hominibus mundi hujus: manifeſtum eſt non ampliùs differre eos ab ipſis, quàm prænominatos malos à manſuetis; non fuit igitur eis propter iſtam differentiam danda habitatio propria per ſe aut ſingularis. Quòd ſi dixerit, eos eſſe alterius ſpeciei, quàm ſint homines mundi hujus: manifeſtum eſt ipſum errare, cùm animæ humanæ omnes numero ſolo differant, & non ſpecie, quod apparet per vires ſingulas earum, & operationes virium. Corpora verò hominum non poſſunt differre ſpecie, ſed ſola complexione, & aliis accidentibus, videlicet quantitatis, & qualitatis. Ampliùs. Secundùm hoc æquivocè dicentur homines iſti, qui in hoc mundo ſunt, & illi alii. Quòd ſi fortè dixerint, quia homines illi non ſunt, niſi dæmones incarnati, quod & iſti erronei pro parte ſentiunt etiam de aliis hominibus, difficiliorē facient queſtionem. Verùm error iſte deſtruitur in primis per hæc, quoniàm evidenter deſtruit animas humanas Quid enim differant animæ humanæ à dæmonibus, ſive boni, ſive mali ſint, & ab omnibus ſubſtantiis ſeparatis, apparet per diffinitionem Ariſtotelis, quam ponit in libro de anima. Manifeſtum quippe eſt intelligētibus animas ipſas natas eſſe perfectiones corporum humanorum, & ipſa corpora hujuſmodi nata eſſe organa ipſarum, quantùm ad multas operationum ſuarum, *Nota.* quales ſunt operationes ſenſuum omnium, & quædam aliæ. dæmones vero, qui omninò incorporales ſunt manifeſtum eſt in nullo indigere corporibus, cùm nulla operatio eorum ex corpore pendeat, & hoc manifeſtum eſt ex ipſo modo creationis ipſorum; creati namque ſunt ſeorſùm à corporibus & hoc in perfectione, & complemento ſui eſſe, & hoc ipſimet etiam confitentur, alioquin non ſeorſùm à corporibus crearentur. Ampliùs Manifeſtum eſt ipſas animas humanas natas eſſe perfici in corporib' perfectionibus multis, & hoc tanquàm à parte inferiori: nobilior enim earum perfectio ad ſublime reſpicit creatoris, & inde advenit eiſdem. ſicut doceberis in tractatu ſingulari de hoc: dæmones autem non ſic: quare manifeſtum eſſe debet tibi, quàm imbecillis intellectus fuerint, qui talia ſomniant. Non enim intelligunt proculdubiò de quibus loquuntur, & hoc faciam te ſcire in tractatu de hujuſmodi ſubſtantiis. Quòd ſi dixerit, quia tanta eſt numeroſitas, & multitudo rerum, ut unus mundus ei non ſufficiat, & propter hoc neceſſe habuit creator multos facere: dico tibi, quia iſte ſermo vanus eſt: aut enim ponit mundos infinitos Deum creaſſe propter hoc, aut finitos tantùm. Quòd ſi finitos tantùm, debes reminiſci, quia unus magnus mundus capacior eſt multis parvis. Verbi gratiâ. Unus mundus, cujus diameter decuplus ſit ad diametrum alterius, milleſies tantùm capit, quantùm ille: quæ enim eſt proportio diametri ad diametrum, eadem ſphæræ ad ſphæram triplicata; ſimiliter & quæ eſt proportio lateris cubi unius *Nota.* ad latus alterius, eadem eſt cubi ad cubum triplicata ſicut alibi didiciſti. Magis igitur decuit creatorem, unum mundum creare, qui ſimul omnia contineret quàm multos parvos, qui per partes eadem contineret. Sed & hoc etiam expedivit univerſitati propter colligationes partium ſuarum ad invicem, indigentias etiam, & utilitates earundem. Vides etiam quia unuſquiſque divitum, & potentium, ſibi, & ſuis magis eligit ædificare unam habitationem, quæ omnibus ſuis ſufficiat, quā multas parvas. Ampliùs. Magis eſt gloria creatori, ut regnum ejus ſit totum ſimul, & continuum, quàm diſperſum, & major

A apparet magnificentia gloriæ ſuæ, quandò apparet totum regnum ejus ſimul, quàm ſi non appareret niſi pars, ſed neque habitatoribus mundi iſtius apparet, niſi pars regni ejus, quæ eſt mundus iſte, & ita ſe habet de unoquoque aliorum mundorum; quare nuſquàm laudatur, & magnificatur, niſi de parte dominationis, & potentiæ ſuæ: abſcondunt igitur gloriam creatoris, & ſupprimunt, qui multitudinem mundorum ponunt, quare manifeſtam injuriam, & contumeliam irrogant eidem.

CAPUT XVI.

Reſpondet cuidam quæſtioni alij de hoc, quod ſuprà.

NUnc verò reſpondebo quæſtioni, qua urgere poſſe videntur ſimiles ſibi erronei, & imbecilles, dicunt ergo ſic, ſi tamen eouſque ſciunt, & intelligunt. *Nota.* Cùm Deus mundum iſtum creaverit ſolâ gratuitâ bonitate ſuâ, eadem facilitate potuiſſet creaſſe multos. B Creavit igitur, cùm eadem cauſa ſit apud ipſum creationis multorum, quæ & creationis iſtius. videlicet bonitas ſua. Ampliùs. Nec imminuta bonitas ejus, nec imminuta largitas ejus, nec imminutæ, divitiæ; nunquid igitur non creavit multos alios mundos? Ampliùs. Cùm nec largitatis ejus, nec divitiarum ſit finis, quomodò & ipſius effectus erit, videlicet datorum, & donationum: mundus enim iſte finitus eſt; quare finita ſunt data, & dona ipſius, quare anguſtata, & reſtricta largitas ipſius in parte iſta. Ampliùs. Quid non juxta largitatem ſuam largitur quis, cùm dignos inveniat receptores? Unde eſt hoc, niſi ex defectu, vel diminutione divitiarum? hic autem non habet locum apud ipſum, nec juxta bonitatem, *Nota.* aut largitatem ſuam largitus videtur, cùm utraque ſit infinita, & quod largitus eſt, ſit finitum tantùm. Vides igitur, quia hujuſmodi ratiocinatio, C non ſolùm adduci videtur contra creationem unius mundi, ſed etiam contra creationem infinitorum, qui etiamſi creati eſſent, non reſponderent ex æquo divinæ bonitati, & largitati, cùm extra ipſum neque finitum aliquid ſit, comparatione ipſius, nedum æquale ipſi. Dico igitur, quia nec plures, ſive finiti, ſive infiniti, eſſent mundi, creare potuit, nec adhuc poteſt, & hoc non ex defectu, qui ſit apud ipſum, vel ex parte ipſius, ſed magis ex parte mundorum. qui plures eſſe non poſſunt, ſicut patefeci tibi in præcedentibus, quêadmodùm, quòd quis non poteſt majorem ſe invitare ad cœnam, vel majorem ſe procurare in cœna, non eſt ex avaritia ejus, vel ex penuria victualium, quam patitur, ſed magis ex eo defectu, ſcilicet quo talis inveniri non poteſt, ſcilicet conviva, qui major ſit eo. Sic, quòd ipſe non ſcit diametrum eſſe coſtæ ſymmetrum non ex defectu ſcientiæ eſt, qui apud eum ſit, ſed ex defectu rei ipſius, quæ ſcibilis non eſt.

CAPUT XVII.

D *Tractatus tertius, qualiter univerſum exivit à primo: & quales etiam res creantur ab ipſo, aut alio modo efficiuntur, & quomodò aliqui erraverunt circa hoc.*

POſtquàm autem declaravi tibi unitatem primi principii, & unitatem univerſi, & deſtruxi tibi errores eorum, qui de his ſenſerunt contraria veritati, prout congruebat præſenti tractatui: *Nota.* conſequenter incipiam declarare tibi, qualiter univerſum exivit à primo, & qualiter etiam exeant ab eodem quotidie, quæ creantur, & generantur,

Digitized by Google

aut per modum alium efficiuntur ab eodem, & ponam tibi opiniones eorum in primis, qui non ſatis circumſpectè de hoc locuti ſunt, & eorum qui erraverunt in hoc, quoniàm errores hujuſmodi non carent invidiâ creatoris, ut etiam deviatione animarum noſtrarum à fine ſuo, propter quem ſcilicet ſunt. Scito igitur, quia fuerunt, qui dicerent, cætera creata omnia exire à creatore per modum emanationis ex fonte, ponentes creatorem fontem, creata verò pro magnitudine, aut parvitate ſua eſſe vel rivos, vel rivulos, vel diſtillationes defluentes ex ipſo. Error autem ipſorum per hoc manifeſtè deſtruitur, quoniàm id, quod emanat ex fonte per modum iſtum, antequàm emanaret, erat in fonte pars ejus quod in ipſo erat. Cùm igitur in fonte, qui creator eſt, nihil ſit præter ipſum, ſequetur ex neceſſitate omnia creata fuiſſe vel totum creatorem, vel partes ipſius. *Nota.* Utriuſque autem iſtorum impoſſibilitas manifeſta eſt, cùm declaratum ſit creatorem in ultimo impartibilitatis impartibilem eſſe. Manifeſtum igitur eſt tibi, quòd creator non poteſt dici fons univerſi propriè per modum, quem diximus, quare per diſſimilitudinem, licet longè diſtantem, dicitur fons univerſi. Alii verò dixerunt, quia univerſum exit à creatore, quemadmodùm forma inſpectoris in ſpeculo exit ab inſpectore, & iſti ſimiliter, licet veritas fuerit in intentione eorum, tamen non dixerunt eam ſermone claro, & proprio, cùm univerſum non ſit in alio, tanquàm ſpeculo ſuſcipiente ipſum, niſi fortè quis dicat, quia poſſibilitas, qua univerſum eſt poſſibile, in ſe eſt ſuſcipiens formam, vel formoſitatem totius univerſi. Sed hoc habet dubitationes, & quæſtiones, videlicet, quid eſt oppoſitio creatoris ipſius ad illam poſſibilitatem, ſeu inſpectio ejus ad illã. Nõ enim poteſt intelligi inter creatorem, & illam, fuiſſe corporalis oppoſitio, cùm creator incorporalis ſit in ultimo incorporalitatis: illa verò nihil erat, antequàm crearet univerſum. *Nota.* Ampliùs. Cùm creator per omnem modum ſe habuerit ab æterno apud ſe, & illa ſimiliter per omnem modum fuerit in ſe, ſicut in creatione univerſi, & poſteà: qualiter intelligitur facta creatio univerſi? Videri enim poteſt modis omnibus ſecundùm hoc ab æterno fuiſſe, & nullatenùs incepiſſe. Alii verò dixerunt univerſum exiiſſe, à creatore ad modum umbræ ex corpore. Sed iſti non declarant modum exitus, & inſuper minùs circunſpectè loquuntur, cùm umbra non ſit aliquid exiens à corpore umbroſo, licet lumen ſit aliquid exiens à corpore luminoſo, nec aliud eſt obumbratio, vel quod dicunt jactum umbræ, niſi prohibitio luminis, quam facit corpus umbroſum ſua interpoſitione inter corpus luminoſum, & id quod obumbrat, & hanc prohibitionem facit unumquodque corpus umbroſum juxta formam, ſeu figuram ſuam, & formam, vel figuram corporis luminoſi, cui oppoſitum eſt: ſimiliter & juxta magnitudines eorum, ſicut declaratum eſt in libro de umbris. Umbroſum igitur corpus non eſt jaciens aliquid ex ſe, ſed magis prohibens, ne luminoſum oppoſitum jaciat lumen in id quod eſt poſt ipſum umbroſum. Alii dixerunt, quia univerſum eſt exiens à creatore per modum veſtigii ab impreſſore, ſeu gradiente; & iſtos ſequuntur eædem quæſtiones. *Nota.* Qualiter enim intelligunt gradientem creatorem, & ſuper quid? ſimiliter qualiter intelligunt ipſum imprimentem veſtigium iſtud, & cui cùm præter univerſum nihil ſit? Alii etiam dixerunt, quia univerſum exiit à creatore per modum odoris ex odoramento, ita ut univerſum non ſit ſecundùm eos, niſi odor perennis bonitatis creatoris. Fuit & ſextum genus hominum, & adhuc eſt, dicentium univerſum exiviſſe à creatore, ſicut exiit artificium ab artifice, & fabrica quæcunque à fabricatore, & iſti videntur appropinquare veritati, licet eam non dicant lucidè, & explicatè. Sermo enim eorum obſtructus eſt, & incompletus, cùm divinæ fabricationis, vel operationis modum non explicent.

CAPUT XVIII.

Quòd comparationes præmiſſæ non ſolvunt quæſtionem præmiſſam.

Nota. SErmones verò præcedentium quæſtionem propoſitam in nullo diſſolvunt, ſed reverà dicunt comparationes utiles ad imaginandum ſupereminentiam creatoris ſuper univerſum, & ſuper ſingula, quæ de ipſo ſunt, & ad erigendum intellectum humanum, & ad contemplandam utcunque magnificentiam gloriæ creatoris. Cùm enim univerſum dicitur, velut umbra quædam creatoris, intelligunt, qui aliquid intelligere poſſunt, eam eſſe ſupereminentiam creatoris ad univerſum, quæ eſt corporis ad umbram ſuam, de qua conſtat, quia eſt deſignatio corporis vaniſſima, & nulla ex parte comparabilis corpori virtute, aut bonitate, & ad hunc modum ſe habet univerſum ad creatorem. Erit autem hoc evidentius, ſi ſingula univerſi, videlicet quæ in eo magnifica, aut mirifica videntur, comparaveris creatori. Verbi gratiâ, ſi dixeris quia omnis potentia, vel poteſtas univerſi, vel cujuſcunque partis ſuæ, umbra permodica eſt potentiæ creatoris, & de ſapientia ſimiliter, atque de bonitate, de pulchritudine, de vita & ſuavitate, de magnitudine: verùm manifeſtum dices & erigent te, & adjuvabunt non parum hujuſmodi comparationes ad imaginandum quoquo modo majeſtatem ſupereminentiſſimam creatoris. *Nota.* Sic ſe habet de imagine inſpectoris, & inſpectore ſimilitudo. Verùm in hoc differunt, quòd interdùm imago reſultans in ſpeculo penè ejuſdem pulchritudinis apparet, ut ipſe inſpector, vel facies ejus. Univerſum verò incomparabilis diſtantiæ diſſimilitudine longè eſt à creatore, & pulchritudine ipſius. Sed quemadmodùm vides pro diverſitate ſpeculorum magis, ac minus, relucere pulchritudinem inſpectoris in illis; ſic in diverſitate creaturarum, quòd in quibuſdam magis, in quibuſdam minus, relucet ſimilitudo pulchritudinis creatoris, & hoc eſt pro modo ſuæ receptibilitatis, atque ſuæ appropinquationis ad illa. In hoc enim verum dixit Plato, quia optimus erat, ab optimo porrò invidia relegata eſt: itaque cuncta ſui ſimilia, provt cujuſque natura capax beatitudinis ideſt bonitatis eſſe poterat, effici voluit. Nec dubitari poteſt ab intelligentibus in ſubſtantiis ſeparatis majores, ac nobiliores ſimilitudines divinæ pulchritudinis relucere naturaliter quàm in animabus humanis, & in animabus humanis quàm in animabus brutalibus, & ita per ordinem de aliis. Eodem modo ſe habet & de aliis diſpoſitionibus, videlicet de potentia, ſapientia, vita, & bonitate: quicquid enim invenitur in univerſo, umbra permodica eſt ad vitam primam, potentiam primam, ſapientiam primam, bonitatem primam pulchritudinem primam, quæ eſt creatoris, & hoc videtur intellexiſſe Avicembrom in ſermone ſuo, quo dixit. quia creaturæ erexerunt ſe ad creatorem, & fecerunt ei umbram. Erectio autem iſta, non eſt niſi receptio qualiſcunque ſimilitudinis ipſius. Forſitan autem clariùs dixiſſet, & fecit eas ſibi umbram, & forſitan alius intellectus eſt ſermonis iſtius, ſed ego illum hîc prætereo. Qui verò veſtigium creatoris dixerunt

Digitized by Google

Nota. univerſũ, feceiũt nos intelligere remotiſſimã diſtãtiã ſimiliter illius ab univerſo, & dederũt nobis occaſionẽ imaginãdi utcũque magnitudinem ejus ſuper magnitudinẽ univerſi incõparabiliter ſupereminẽtem & parvitatẽ ipſius univerſi ad immenſitatẽ illius. Fecerunt etiam nos ſcire, quia univerſum, & ſingula univerſi, ſigna quædam ſunt, & viæ ducentes nos ad ipſum creatorem: quemadmodùm veſtigia ferarum venatores ducunt ad latibula earum, & generaliter, omnium animalium veſtigia inveſtigatores ſuos dirigunt, & adjuvant ad inventionem ſui; fecerunt ergo nos intelligere in hoc ſermone, quantùm voluit Deus inveniri, & quantis voluit adjuvari inveſtigatores ſuos, qui tot, & tanta ſui veſtigia, & ſigna dedit, quibus poſſet aliquatenùs inveniri. *Nota.* De odore, & odoramento negociandum eſt tibi, & intelligendum diligenter, qualiter omnis ſuavitas, omnis utilitas univerſi, odor eſt divinæ bonitatis, ac ſuavitatis, ex qua etiam comparatione erigitur intellectus tuus ad contemplandam immenſitatem divinæ ſuavitatis, & ex hac eadem comparatione manifeſta eſt parvitas cordium, quæ odore iſto tam modico non ſolùm implentur, aut inebriantur, ſed etiam immerguntur, & abſorbentur. Cùm enim ad ipſum fontem ſuavitatis creatum ſit cor humanum, manifeſtum eſt ipſum à ſua debita magnitudine incomparabiliter minoratum. Facit nos etiam ſcire iſta comparatio, quàm turpe & quàm longè à nobilitate animarum humanarum ſit odoribus iſtis tam modicis inhærere, tantiſque ſtudiis illos exquirere, & tantis deſideriorum ardoribus ad illos inhiare, ipſa fontali, & abyſſali ſuavitate, vel neglecta, vel penitùs non curata.

CAPUT XIX.

Utrùm univerſum exivit à primo: ſicut artificium ab artifice, & quomodò per verbum.

QUoniàm autem manifeſtum eſt univerſum eſſe velut Dei ædificium, vel artificium, & fabricam quandam, & opus nobiliſſimum, atque pulcherrimum: manifeſtum eſt illorum ſermonem verum eſſe, qui univerſum ſic à creatore exire, ſicut artificium ex artifice, dixerunt. Verùm ea pars univerſi, quæ primò creata eſt, non videtur exiviſſe per modum artificii ab artifice, quantùm ad hoc, quòd non per inſtrumenta videtur fuiſſe fabricata; *Nota.* & de parte ſpirituali univerſi manifeſtum eſt, quòd nihil exteriùs adhibuit, quoniàm nec materiam nec inſtrumentum ad ejus formationem neceſſarium habuit; quare per ſemetipſum abſque ullo forinſeco adhibito, illam creavit. Neceſſe enim eſt de omni quod ab ipſo creatum eſt, aut cõditum, ſeu quolibet modo factũ, altero duorũ modorũ ab ipſo creatore exiviſſe. Videlicet aut per mediũ aliquod aut abſque medio: ſi enim nihil creaſſet abſque medio, intervenirẽt ex neceſſitate inter ipsũ, & omne creatũ, infinita media. Cùm enim quicquid eſt præter creatorẽ, creatũ ſit, ſicut alibi didiciſti: ergo omne mediũ, per quod aliud creatũ eſt ab ipſo, cũ ſit aliud ab ipſo, erit creatum ab eodem, & non niſi per medium aliud; omne autem medium creationis cujuſcunque eſt cauſa illius, quod per ipſum creatum eſt. Præcedent igitur unumquodque creatorum cauſæ infinitæ ejuſdem. Jam autem facta eſt tibi certitudo de ſtatu cauſarum, & de impoſſibilitate earum, quare relinquitur ex neceſſitate aliquid eſſe creatum à creatore abſque medio. Sed an unum ſolum, an plura, quæſtionem habet apud philoſophos quoſdam. De illo ergo creato, vel de illis creatis, ſi plura ſunt, eſt inquirendum in hoc capitulo, qualiter abſque medio

A exierunt à creatore, medio inquam forinſeco. *Nota.* Et quia gens Hebræorum meritò credit prophetiæ ſuæ & ſcripturæ illius, in qua dicit Deus: fiat lux, & facta eſt lux, & multa hujuſmodi: conveniens eſt perſcrutari de hoc, cùm gens Hebræorum hujuſmodi teſtimonio inducta credat creatorem creata prima creaſſe dicendo, ſive per verbum. Alius etiam eorundem propheta expreſsè dixit, loquens de creatore: dixit & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Et iterùm; verbo Dei cœli firmati ſunt. Quia igitur nec forinſecum verbum, ſcilicet audibile, putandus eſt, aut cogitandus dixiſſe creator cum neque aer eſſet, qui in vocem formari poſſet, & ſic loqui nullo modorum poſſibile eſſet, niſi animal; neque erat etiam, cui Deus creator hoc modo loqueretur, cùm nullus adhuc eſſet auditor ſenſibi-B lis, hoc eſt, qui poſſet audire vocem ſenſibilem, modo ſpirituali dixit, & imperio ſpirituali mandavit. Ampliùs. Verbum hujuſmodi, hoc eſt ſenſibile auditu, impoſſibile eſt, ut juvet operantem per ſeipſum ſolum artificem, artificem ſiquidem per alios miniſtros, & operarios operantem, adjuvare poteſt, verbum hujuſmodi, vel ad eos inſtruendos, vel ad excitandos; quare modis omnibus inutile eſſet hujuſmodi verbum, quantùm ad operationem, qua creator illa creata creavit, cùm per ſe ſolum, & non per medios miniſtros illa creavit. *Nota.*

CAPUT XX.

Quòd tribus intentionibus dicitur verbum.

DEbes igitur hæc reminiſci, quomodò verbum juxta tres intentiones dicitur, & juxta primam quidem verbum intellectuale, quod uſualiter vocatur verbum in mente, & hoc non eſt niſi imago, C vel ſimilitudo rei intellectæ, & cogitatæ, reſultans in effectu in ſpeculo mentis, & hoc eſt cogitatio in effectu. Secunda intentio dicitur ipſa deſignatio, ſcripta, ſive deſcriptio facta figura, vel figuris viſibilibus, & vocatur uſualiter verbum in ſcripto. Tertia intentione ipſa vox audibilis, quæ uſualiter vocatur verbum in ore, & manifeſtum eſt tibi, quia neutra duarum intentionum ſecundarum juvat operantem artificem, neque per alterutram earum aliquid operatur, niſi per modum, quem diximus. Artificem verò per ſemetipſum ſolum operantem, impoſſibile eſt operari per aliquod, quod extra ipſum ſit, & ut paucis compleam declarationem iſtam, dico, quia neceſſe eſt, omnem artificem operantem ex arte, ſive per artem, operari per verbum. *Nota* Hujuſmodi autem prima declaratio eſt, quia verbum, quod hîc intendo, ſcilicet ſpirituale, vel intellectua-D le, non eſt niſi ars ipſa in effectu, hoc eſt in actu cogitandi. Quare ars, per quam creator omnium artifex, prima creata operatus eſt, non eſt niſi verbum ejus intellectuale, hoc autem eſt apud Deum (apud quem nihil eſt in potentia de his, quæ ejus ſunt & in eo, cùm ipſum ſit neceſſe eſſe ex omnibus modis ſuis) actus in ultimitate actualitatis propter quod nec admittit, nec patitur in ſe defectum potentialitatis, quare ars ejus non eſt ſicut dormientis, & quieſcentis habitus, ſed ſicut vigilantis, & in actu ſemper exiſtentis intuitus ſeu cogitatus. Intuitus autem, ſeu cogitatus verbum eſt intellectuale, ſeu ſpirituale, & verbum in mente ipſius. Jam igitur manifeſtum feci tibi per hoc, quia hujuſmodi creata creavit creator benedictus per verbũ ſuum intimum; quoniàm per artem ſuam, quam neceſſe eſt eſſe verbũ ſuum. *Nota.* Ampliùs. Reſpice in omnes artifices operãtes per artes ſuas, & videbis manifeſtè, quia nullus eorum operatur aliquid, niſi dicendo ſpiritualiter,

Digitized by Google

hoc eſt cogitando illud, & per cogitationem ſuam, hoc eſt per verbum ſuum ſpirituale, & intimum, & cùm ſcribis etiam tu ipſe, vel loqueris, neutrum horum facis, niſi loquendo in corde tuo locutione intellectuali, quæ non aliud eſt, quàm cogitatio tua, qua cogitas, quod ſcribis, & qualiter ſcribendum ſit, & ipſum ſcribere; propter quod ſi minùs rectum ſcriptura habuerit. ſtatim illam corrigis, vel correctioni reſervas. Cùm igitur artes, quæ apud nos ſunt, & opera, quæ per ipſas fiunt, & ipſi artifices ſimilitudines quædam ſint primi, & univerſalis artificis, primæ, & univerſalis artis, & operum, quæ per ipſum facta ſunt, neceſſe eſt, ut ſicut ſe habet hîc, hoc eſt apud nos, ſic ſe habeat & ibi, prout in rebus adeò diſtantibus poſſibile eſt ſimilitudinem, licet diſſimillimam, invenire. Debes autem attendere, quia ſicut artes in artificibus, qui apud nos ſunt, compoſitæ ſunt ex multis partibus & concluſionibus; ſic & particulatim, hoc eſt per partes exeunt de potentia in actum. Non enim poſſibile eſt animæ humanæ in depreſſione, quam patitur in corpore, actu cogitare omnia particularia artificia, vel opera, quæ fiunt per unam artem, actu inquam cogitare ſimul, ſed ſicut operatur partem poſt partem & opus poſt opus ita cogitat in effectu, vel potiùs econverſò; ſequuntur enim operationes cogitationes & non econverſò, cùm ex cogitationibus ſint. *Nota.* In creatore autem econtrariò ſe habet, quoniàm ars ejus ſimplex eſt in ultimitate ſimplicitatis, & in actu, ut jàm dixi tibi & in fine actualitatis. Ampliùs. Omnium operationum prima eſt indubitanter cogitatio, & hæc eſt locutio intellectualis, & hoc eſt primum in omni artifice, qui eſt apud nos Quicunque enim artifex, qui aliquid operatur per artem exteriùs apud nos, primùm operatur apud ſeipſum, & in ſeipſo ejuſdem operis imaginem, ſeu exemplar præcogitans ac præordinans apud ſemetipſum opus quod fabricaturus eſt, & propter hoc pingens, in ſemetipſo exemplar alicujus. ne oblivione à corde ejus effugiat, deſcriptionem ejus interdùm facit exteriùs deſignationibus, & figurationibus, ad quam recurrit quoties alicujus eorum, quæ præcogitaverat, oblitum ſe videt. Quia igitur manifeſtum eſt opera exteriora ab ipſo artifice non exire, niſi priùs exiverint ab eo exemplaria eorum in ipſo progenita, per modum quem dixi, manifeſtum tibi eſſe debet, *Nota.* generationem exemplaris, quæ eſt ab artifice in ſemetipſo, præcedere omne opus exteriùs, & generatio hæc non eſt, niſi generatio verbi, & generatio artis eſt generatio verbi, quod dixi tibi, & hæc eſt locutio, & prælocutio operis, & cogitatio ejus, & ars in effectu Jam igitur declaravi tibi, quia dicendo dictione ſibi congruenti, hoc eſt perfectiſſima ex omnibus modis, ac nobiliſſima, & per verbum ſuum, creavit creator excelſus quæcunque creavit abſque medio forinſeco, & oſtendi tibi exempla, & ſimilitudines, quæ erigant te ad intelligendum hoc, & adjuvent, donec quieſcat intellectus tuus in his, & feci etiam te ſcire profunditatem ſermonis, quo dictum eſt, dixit Deus; fiat lux, & facta eſt lux, quamquàm, vulgaris valdè, & intellectu facilis videatur. Ex quo conſequenter patefactum eſt tibi, quia omniũ cauſabiliũ principiũ eſt verbũ, & ſi fas eſſet apud creatorẽ dici operationẽ, nomen operationis, & intentionẽ ejus, extendiſſent euſque ſancti, & ſapientes, qui de creatore ſecundùm veritatem locuti, alios de eodem loqui docuerunt, & proculdubiò veriſſimum, ac certiſſimum eſſet, primam operationem creatoris eſſe locutionem, hoc eſt verbi ſui prolationem, ſeu generationem. Verùm ſermones eorum omnibus debent eſſe exempla, immò limites, & regula loquendi de creatore; E neque enim intentione, neque ſermone ab illis recedendum eſt, quibus ſe primùm creator manifeſtavit, quouſque de ſe ipſo ipſemet docuit Et ſicut vides in iſto ſermone profunditatem philoſophicam, ita intendo, & tibi oſtendere in quibuſdam aliis ſermonibus prophetarum, ubi faciam te ſcire de multis narrationibus eorum, quòd ipſæ ſunt concluſiones quarundam ſcientiarum, ſicut vides de hac eadem, quòd concluſio eſt primæ partis primæ philoſophiæ.

CAPUT XXI.

Utrùm per verbum æternum res factæ ſunt liberè, & ab æterno.

NEc te conturbet verbi primogeniti æternitas, aut æterna actualitas quaſi per hoc concedere F cogaris prima creata ab æterno creata eſſe, ac ſi quis argumentaretur: dixit Deus & facta ſunt: quia igitur ab æterno dixit: ab æterno & facta ſunt. *Nota.* His etenim & ſimilibus reſpondebo tibi in ſequẽtibus videlicet in deſtructione antiquitatis, ſive æternitatis mundi & ſtabilitione novitatis ipſius, & etiam in hoc capitulo aliqua tibi oſtendam ſuper his, quorum primum, & radicale eſt voluntas liberrima, ac potentiſſima creatoris, quam libertatem multi non intelligentes erraverunt, & non ſolùm neceſſitatem, immò naturalem ſervitutem impoſuerunt creatori, exiſtimantes ipſum operari ad modum naturæ, qui modus eſt, ut jam ſæpè prædixi tibi, modus ſervientis, & modus ſervilis: ſic enim arbitrati ſunt univerſum exire à creatore, ſicut ſplendorem à ſole, vel G calorem ab igne: ſic ex bonitate ejus bonitatem univerſi, & ex vita ejus vitam, quæ eſt in univerſo, & ad hunc modum de aliis, & propter hoc ex neceſſitate inducti fuerunt in illud inconveniens, ut opinari cogerentur creatorem neque aliud, nec aliter facere potuiſſe, quemadmodùm ſe habet in præſcriptis exemplis de ſole, & igne. *Nota.* Neque enim ſol habet in poteſtate lucem ſuam, neque ignis calorem ſuum, ut pro voluntate ſua exeat inde operatio, vel non exeat. Creator autem ſic habet bonitatem ſuam, ſic potentiam, ſic ſapientiam, ut ex ea non exeat, niſi quod voluerit, & cùm voluerit, & quomodò voluerit, & hæc eſt nobilitas, atque ſublimitas potentiæ ipſius, ac libertatis. Ampliùs. Hæc eſt copioſitas, ac fortitudo ſapientiæ creatoris, ut quicquid poteſt, poſſit de ſe ſolo, & per ſe ſolum, nihil autem ab alio, vel per aliud, alia verò totum quod poſſunt, ab ipſo, & per ipſum. Cùm autem operatur quædam per alia, non ipſe adjuvatur, vel H ejus potentia per illa media, ſed magis illa quæ per media illa creantur. Quòd quædam non poſſunt fieri à creatore immediatè, ſicut animalia, quæ ex ſe invicem generantur, non hoc eſt ex defectu, vel diminutione potentiæ creatoris, ſed magis ex elongatione ipſorum ab illa. Propter hoc enim non poſſunt recipere à creatore eſſe abſque medio, & hac eadem de cauſa & minus eſt, & debilius eſſe quod recipiunt ab ipſo ſimiliter & omnia alia, quæ ſuper ea deſcendunt de fontali bonitate creatoris. *Nota.* Quia igitur, ut dixi, totum poteſt & à ſe, & de ſe creator in creatione priorum creatorum, quæ indubitanter creat abſque medio, manifeſtum eſt, quòd ea non creat, niſi dicendo, & volendo, dicendo inquam, ut dixi ſupra Et ſi creare aliquid in eo eſt, non eſt niſi vel ſuum dicere dictione hujuſmodi, vel ſuum velle. Non enim movet aliquid exteriùs in hujuſmodi creatione, quemadmodùm artifices homines movent membra ſua, dum operantur, & motu membrorum movent inſtrumenta;

Digitized by Google

ta, utpote ſecurim, dolabram, & motu iterum inſtrumentorum movent materias, in quibus, vel de quibus operantur, movent inquam eas ad formas, & actus, quas eiſdem imprimere intendunt: propter hoc ergo dixi, quia ſi creare eſt aliquid in creatore, non eſt niſi ſuum cogitare, vel ſuum velle in creatione hujuſmodi Hujuſmodi autem exemplum eſt in anima humana, vel in alia ſubſtantia nobili, quæ ſi aliquid per ſe ſolam operaretur, ſuum operari apud ipſam, & in ipſa, non eſſet, niſi ſuum cogitare, & ſuum velle, per quæ operaretur illud; & de unaquaque ſubſtantia nobili ſic ſe habet, & hoc eſt, quoniam in operationibus quas per ſe ſolas agunt, nihil habent apud ſe, per quod operentur, niſi ipſum cogitare, & velle Utrùm autem aliquid operari poſſint in alia, quæ ſibi conjuncta non ſunt, quæſtionem habet difficilè diſſolubilem, ſicut poſuerunt Ariſtoteles, & ſequaces ejus de creatione, vel generatione intelligentiarum decem & quidem etiam de creatione animarum noſtrarum id ipſum ſenſerunt, ponentes primam intelligentiam; quam dicunt motorem primi cœli creare ſecundam, & ſecundam tertiam, donec veniatur ad decimam, & has creationes poſuerunt fieri modis, quos dicam in ſequentibus. *Nota.* De animabus verò noſtris, quæ conjunctæ ſunt corporibus. manifeſtum eſt, quòd per ſuum cogitare, & ſuum velle, quæ ſunt primæ earum operationes, habent impreſſiones in corporibus ſuis, ſicut motus localis, & aliarum multarum paſſionum, & per hæc etiam in alia corpora, ſicut apparet tibi in exemplo artificiorum, quod proximè poſui. In corpora etiam alia, videlicet non conjuncta eis, apparet eis eſſe multæ impreſſiones, ſicut eſt operatio faſcini, quo gravantur pueri, & operatio baſiliſci qui ſolo viſu interficit homines & multæ hujuſmodi, quæ ſunt de occultis ſcientiæ naturalis, de quibus propono multas enarrare tibi, & cauſas earum patefacere loco ſuo. Intantùm igitur ad præſens determinatum ſit tibi, unamquamque ſubſtantiarum nobilium, quæcunque ſapienter, aut ſcienter operantur, non operari illa, niſi per ſuum cogitare, & ſuum velle, & ad hæc ad ſimilitudinem operationum creatoris, quatenùs poſſibile eſt eas aſſimilari illi. Quicquid autem fit de eis, ſcire debes, quia verbum creatoris, de quo locuti ſumus, verbum unum eſt per ſemetipſum influens de ſe ipſo & eſſe, & vitam ſuper omni, quod loquutioni ejus, vel ipſi placuerit. Eodem modo ſe habet de voluntate, ſeu velle creatoris *Nota.* Cùm autem volueris ad lucidum hoc intelligere cogita fortitudinem imaginativæ virtutis, ex cujus operatione ſequatur ex neceſſitate forinſeca operatio, quemadmodùm dixit quidam philoſophus de quodam, qui imaginabatur caſum cameli, & ſtatim cecidit camelus. Sic intellige eam fortitudinem virtutis imaginativæ in aliquo, ut quicquid imaginabitur, ſtatim fiat. Si imaginatur ædificari domum, eo ipſo ſtatim ædificetur, & ſi cadere. ſtatim cadat. Sic & fortitudo, & virtus verbi primi ac primogeniti. Unde non tam ars, vel ſapientia, quàm etiam virtus, & vita eſt, atque fructus influentiſſimus in omne receptabile verumtamen per ultimitatem libertatis, ut ſupra dixi, propter quod ipſum eſt ars vivida, & virtuoſa in fine virtuoſitatis, & redundantiſſima in ultimo redundationis, & de voluntate creatoris ſimiliter ſe habet. In animabus autem noſtris debiles ſunt artes, & parvæ influentiæ, ita ut penè aridæ ſint, propter quod niſi multo operatu, & multiplicibus auxiliis non influunt ſuper materias artificiorum, quæ apud nos ſunt, & ſic voluntates noſtræ *Nota.* ſunt debiles, & infirmæ: æqualis autē influentiæ, & virtutis ſunt ars prima, & voluntas prima ſuper ea,

A quæ ſunt, & ſuper ea, quæ non ſunt, hoc eſt, æquè per omnia poſſibile, & ejuſdem omninò facilitatis eſt eis influere ſuper ea, quæ non ſunt, ut ſuper ea, quæ ſunt, & hoc eſt, quod dixit ſanctus, & ſapiens in ſermone ſuo; qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt, hoc eſt adducit ad eſſe; & iſta vocatio, vel adductio, non eſt niſi ſuum cogitare, & ſuum velle, quæ ſupra diximus. Habet autem quæſtionem, utrùm alia, vel aliter creare potuerit, & dat cauſam huic quæſtioni, & difficultati, id, quod dixi ſupra, quia per verbum, vel artem ſuam exeunt à creatore univerſa. Cùm enim ars ejus & verbum, in nullo per aliquem modorum mutari poſſint, ſecundùm illam autem ex neceſſitate operatur: omnis igitur operatio ejus neceſſe habet ſequi verbū, & artē ipſius: quare nec aliud, nec aliter, quàm in ejus arte ſit, vel quàm dicat, aut dixerit, poteſt, vel unquàm, poterit, operari. Sic autem ſolummodò eſt in arte ejus, & verbo, ſicut operatus eſt, vel operaturus ſit, & illa ſola in arte, & verbo ejus
B ſunt, quæ operatus eſt, vel operaturus eſt, & illo ſolo modo, quo ea operatus eſt, vel operaturus ſit: *Nota.* quare nec alia, nec alio modo operari potuit, vel poterit unquàm, quàm operatus ſit. Nihil igitur poteſt mutare de curſu, aut ordine ſæculorum, aut de rebus, & artibus. Hujus autem exemplum evidentiſſimum eſſe videtur, quòd tu dum ſcribis, ſi nec aliud, nec aliter cogitare poſſes, quàm quod ſcribis, & ut ſcribis, ex neceſſitate ſcriptura tua, & modus ſcribendi ſequentur cogitationem tuam, & modum cogitationis ex neceſſitate, neque aliud, neque aliter poſſes, quàm quod ſcribis, & ut ſcribis. Ampliùs. Si in arte artificis architecti non eſſet niſi domus una, manifeſtum eſt quia ex arte illa non poſſet ædificare, niſi domum illam, & ſi non eſſet niſi unus modus ædificandi in ipſo exemplari
C apud ipſum architectum, non eſſet poſſibile, ut exiret alius modus operationis; quare ſi ſola ea, quæ creata ſunt, vel creanda, in verbo, vel arte creatoris erant, non alia potuit creare, ſimiliter neque alio modo, niſi quis dicat artem eſſe univerſalem, & exemplar ſimiliter: manifeſtum eſt ergo, quia ſicut multæ ſigillationes in eadem cera, vel in pluribus fiunt ſic ex una arte ædificandi innumerabilia ædificia. & ex una arte ſcribendi innumerabiles ſcripturæ. Verùm iſta reſponſio ad id inconveniens venit, ut artem divinam concedat arctatam eſſe & *Nota.* limitatam circa ea, quæ creata ſunt, & quæ creanda, & horum ſimilia. Hæc eſt igitur hujus finis reſponſionis, & hæc eſt intentio, quòd creator potuit, & poteſt, & poterit per artem ſuam, & verbum multò plura, & alia. quàm creaverit, vel creaturus ſit, non autem diſſimilia, neque alias ſpecies,
D aut alia genera rerum Iſti ergo videntur ponere finitam eſſe artem, vel ſapientiam creatoris, quam limitant circa genera, & ſpecies, quæ nunc ſunt, quæ indubitanter finita ſunt numero, ſicut & forſit in individua; infinitam verò eam ponunt quantū ad individua, quæ indubitanter potentiâ infinita ſunt. Nec limitatum eſt ut dicunt, creatori, ut non poſſit creare de illis, niſi certum numerum. Jam autem dixi tibi aliàs, quia creator ex omnibus modis ſuis eſt ſupra finitum, & ſupra infinitum, & ſupra completum, & ſupra diminutum. Ampliùs Declaravi tibi aliàs quia potentia creatoris eſt ſuper poſſibile ſimpliciter, non ſuper quoddam poſſibile preciſè, neque ſuper quandam partem poſſibilium. Quia igitur poſſibile ſimpliciter eſt aliquid, immò *Nota.* infinita, quæ nec ſunt, nec erunt, nec eorum ſimilia, manifeſtum eſt, quia potentia creatoris eſt comprehendens, & ſub ſe continens omnia illa. Quis enim dubitat poſſibile fuiſſe, & eſſe creatori

Digitized by Google

luminoſitatem continuam dare vel Lunæ, quam creavit, vel Lunæ alii, quam non creavit, & creare cœlos, quos vellet multarum ſtellarum, de quibus indubitanter non creavit niſi unum? Solum enim cœlum octavum, quod vocant aſtrologi cœlum ſtellarum fixarum multitudine ſtellarum ornavit. Nulli autem inferiorum cœlorum dedit, niſi unam ſolam ſtellam. Ampliùs, quis dubitat creatorem potuiſſe creaſſe cœlum, cujus motus eſſet contrarius motui prænominati cœli, videlicet ab occidente in orientem, & cœlum etiam, cujus motus eſſet ab auſtro in aquilonem, & aliud, cujus motus eſſet ab aquilone in auſtrum? Iſti autem cœli longè diſſimiles eſſent proculdubiò cœlis jam creatis: fiet autem *Nota.* manifeſtum hoc, cùm imaginaveris cœlos jam creatos in poſſibilitate ſua & extra actum eſſendi: tunc enim videbis eos tales per omnia cœlos, quos dixi tibi, videlicet motuum contrariorum motibus cœlorum, qui ſunt, videbis inquam eos, ita ſe habere potentiâ, & non invenies alteros digniores aliis, ut potiùs detur eis eſſe, quàm illis, quantùm in ipſis eſt; hoc autem eſt, quoniàm nihil, quod extra creatorem eſſet, induxit eum ad hoc, ut potiùs daret eſſe iſtis, quàm illis; tunc enim illud eſſet prior cauſa eſſendi cœlis, quàm ipſe creator, & etiam magis cauſa, cùm ipſum creatorem cauſam efficeret in effectu, quemadmodùm didiciſti apud auditum Ariſtotelis, quòd finis eſt magis cauſa, quàm efficiens, quia ipſe efficit, ut efficiens ſit efficiens in effectu. Quare manifeſtum eſt, quia ſi ita eſſet prima cauſa, quæ eſt creator benedictus, & ſublimis, nec prima cauſa eſſet, nec maxima cauſa: quòd igitur iſtis potiùs datũ eſt eſſe, quàm illis fuit per electionem liberrimam, & bonitatem ſolam creatoris non ſuaſam, non inductam à foris, hoc eſt, per aliud *Nota.* extra ſe ullo modorum. Vides igitur, quia multa ſunt poſſibilia in ſe, hoc eſt, non prohibita impoſſibilitate eſſendi naturali, quæ ipſe creator non vult eſſe, neque educere de potentialitate eſſendi in actum, vel propter hoc, quoniàm ea, quæ jam creata ſunt illa ſecum eſſe non patiuntur, ſicut præoſtendi tibi, ubi locutus ſum de unitate univerſi, & declaravi tibi, quia mundus unus non patitur alium eſſe, alia verò moderavit creator, vel parvitate, vel paucitate propter alia, quemadmodùm de ſerpentibus, & draconibus, & aliis, quæ nocentia vocantur: hujuſmodi enim animalia magnitudine ſua, & multitudine vel deſtruerent alia, vel turbarent, & læderent ea intolerabiliter. Si quis autem quærat, quoniàm in materialibus quemadmodùm dicit Ariſtoteles, nihil diſtat inter potentiam, & actum, & iterùm idem eſt potentia & actus, vel quod eſt verius apud creatorem nihil eorum quæ ejus ſunt per ſe, eſt ut potentia, immò in ultimo actualitatis eſt unũquodque eorum: ergo quicquid poteſt loqui, vel dicere ſublimi illa dictione, vel locutione, dicit ſemper, & cogitat in effectu. Similiter & quicquid poteſt velle, & vult. Si ergo nihil aliud eſt apud ipſum, & in ipſo, ſuum creare, vel facere, quicquid poteſt facere, vel creare, creat & facit, immò ab æter- *Nota.* no creavit, & fecit. Attende diligenter in his, quæ dicam tibi ſuper quæſtione hac in hoc loco, licet magis pertineat ad tractatum primum hujus magiſterii. Dico igitur, quia ſermones noſtri audibiles facti ſunt nobis multi ex neceſſitate, & hoc eſt, quoniàm ſermones intelligibiles noſtri, qui à rebus virtuti noſtræ intellectivæ adveniunt, multi ſunt ſimiliter ex neceſſitate; cauſa autem in hoc eſt, quoniàm hujuſmodi ſermones res ſequuntur, à quibus ſunt, ſicut imagines, & umbræ in multitudine ſua, & paucitate, & unitate ſua, atque diverſitate: ſermo verò creatoris non ſic, ſimiliter neque cogitatio ejus

E neque ſapientia, vel ars: hoc autem eſt, quoniàm non ipſe à rebus, ſed res ab ipſo, propter quod res ſequuntur ipſum, prout eſt eis poſſibile; ipſe autem eas præcedit ſecundùm excellentiam nobilitatis ſuæ. Aliud etiam attende in hoc, quia ſermo creatoris, cùm ſit unus in ultimitate unitatis, tam multiplex, tamque innumera rerum diverſitas per ipſum dicitur à creatore, & hoc abſque permixtione, & confuſione per omnem modum, adeò quippe ſingula, & quæ ſunt, & quæ eſſe poſſunt lucidiſſima; diſtinctiſſimaque expreſſione per ipſum dicuntur, licet ſimul, ac unumquodque eorum ſolum diceretur; apud nos verò econtrariò ſe habet, quia uno ſermone unum ſolum dicimus, nec eſt nobis poſſibile multa ſingulariter, & expreſſè, atque diſtinctè uno ſermone dicere. Ampliùs. Illo eodem ſermone, quo dicit creator aliquid eſſe futurum, cùm eſt futurum diceret illud idem non eſſe futurum, ſi non eſſet futurum, & de ejuſdem cogitatione eodem modo ſe habet: apud nos autem econtrariò ſe habet, quoniàm non niſi contrariis ſermonibus contraria dicimus; artes igitur noſtræ, & artificia determinata ſunt ad certas materies operum, & ultra nihil poſſunt, ſicut ars ædificandi ad ædes, & in nullum aliud genus F operis quidquam poteſt; ars verò divina econtrariò *Nota.* ſe habet, quoniàm non plus ordinata eſt ad unum genus operis, quàm ad alia, ſive ſint contraria, ſive omninò diſſimilia, & incontingentia. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm artes noſtræ, & ſcientiæ, quæ ſeorſùm ſunt in animabus noſtris, à rebus ipſis ſunt, tanquàm umbræ quædam, & apparitiones reſultantes in ſpeculis intelligentiarum noſtrarum ab ipſis, & propter hoc ſequuntur eas, & terminantur, ac limitantur ab ipſis. Ars autem divina non à rebus eſt, ſed res ab illa, & ideò res ſequuntur illam, non econverſò, nec ab ipſa ſunt per naturalem operationem, immò per electionem liberrimam, & voluntatem imperioſiſſimam: ſi enim per naturalem operationem eſſent ab illa, quemadmodùm ſigillationes G ex ſignaculis, & impreſſionibus, ordinata eſſet ex neceſſitate ad res ſigillatas, & impreſſas per ipſam, & non poſſet in alia operum genera: quemadmodùm ſigillum, & ſignaculum non poteſt in alterius modi imagines, quàm ſit ea, qua ipſum inſculptum eſt, vel impreſſum, & hoc eſt quoniàm non imprimit, ut vult, nec imperat materiæ recipere ſimilitudinem ſuam, ſed imprimit, ut habet, & qualem habet imaginem. Quòd ſi dixerit quis, quoniàm ars *Nota.* divina ſimiliter imprimit, vel dat rebus formas quales habet, & qualiter, dico quia hoc non eſt verum ſimpliciter, immò imprimit, & dat, ut vult, & quales vult. Secundùm quid tamen verum eſt, quòd imprimit quales habet, licet per ſimilitudinem remotiſſimam, & incomparabiliter ſupereminentem H diſtantiam; ex eadem enim forma, ſeu ſigillo imprimit uni materiæ unam formam, & alteri contrariam vel alterius generis, & hoc eſt propter altiſſimam amplitudinem ſuam, quæ ei non ſolùm poſſibile, ſed æquè facile eſt unam formam, aut quamcunque aliam dare cuicunque receptibili: quemadmodùm potentiæ, quæ eſt ſuper utrunque oppoſitum, id eſt ſuper facere, & non facere, liberum eſt utrumlibet quod eſt, utrumque oppoſitorum, cùm ſit una, nec arctatur ad alterum, ſed per electionem ad quod voluerit, ſe inclinat. Sic eſt de arte divina quantùm ad libertatem, & amplitudinem ſuam. Diligenter *Nota.* autem conſidera ſimilitudinem, quam poſui tibi de verbo: cùm enim verbum Dei, quod eſt ars ipſius, unum ſit per omnem modum, & impartibile in ultimitate impartibilitatis, illo tamen, ſive per illud, & ipſe Deus ſeipſum dixit, & omnia, dictione ſpirituali perfecta ex omnibus modis. Quanta autem multitudine

Digitized by Google

multitudine ſermonum indigeamus propter multitudinem rerum nobis dicibilium, manifeſtum eſt tibi. quæ autem comparatio illius verbi primi ad ſermones noſtros, eadem eſt artis illius ad artes noſtras. Vides autem de noſtris ſermonibus, quia nullo eorũ perfectè dicitur apud nos niſi unum, & hoc eſt propter anguſtias cogitationum noſtrarum, quas ſermones noſtri ſequuntur: & ſi aggregaverimus multitudinem ſub nomine uno, dicemus per illud multitudinem illam, ſed aggregatè ſolummodò, & non diviſim; verbo autem primo etiam aggregatim, & ſigillatim, & ex omnibus modis in ultimitate luciditatis, & expreſſionis, omnia dixit ab æterno primus locutor, ſicut declaratũ eſt tibi in prima parte hujus magiſterii: & ſi aliæ fuiſſent res futuræ, quàm fuerint, & aliorum generum, ſi poſſibile eſſet, eodem verbo per omnia æqualiter, atque ſimiliter dictæ fuiſſent. Jam ergo declaratũ eſt per hoc, quoniàm ſicut eodem verbo alia dicta fuiſſent, ſi alia facere voluiſſet, ſic & eadem arte alia facta fuiſſent, nec verbo ullo modorum in aliquo immutato, & hoc eſt, quod declarandum erat tibi ſuper quæſtione præmiſſa. Si enim ars illa eſſet, ſicut artes, quæ apud nos ſunt, aut cogitatus creatoris, ſeu cogitatio, eſſent ſicut noſtræ, reverà non poſſet ex illa arte, vel cogitatione, aliorum generum opera feciſſe, nec poſſet facere in futurum. Et exemplum evidens eſt in potentia libera ſuper utrunque oppoſitorum, vel ſuper multa genera operum, de qua nulli dubium eſt, quin eadem ſit per omnem modum, quodcunque opus ex ea proceſſerit. Sic ſe habet de arte, de verbo, atque cogitatione creatoris. Exemplum autem quantùm mihi videtur ſatis conveniens eſt in quantolibet magno exercitu clangor buccinæ, ex quo clangore, licet uno vel unico, tot, tam multiplices, & varii ordines procedunt ex clangore ipſo in exercitu ipſo. Ad ipſum enim unicum clangorem buccinæ alii ad machinas erigendas alii ad arma protectionis, alii ad arma impugnationis currunt, alii ad ſuffodiendos muros, alii ad implenda foſſata, alii ad alia pugnandi officia, vel artificia feſtinant, vel ſe præparant: ſic dato ſigno militibus à duce, ſimul diverſitas in militibus, & aliis bellatoribus invenitur. Eodem modo creatore ſemel tantùm loquente, & velut unicum ſermonis ſui ineffabilem ſonum ſpiritualem emittente, univerſitas operum naturalium in mundo procedit, ac ſi univerſitas creaturarum verbum ejus audiat. Si enim ex una voluntate, vel intentione regis, aut principis unius, qui intendit capere, vel expugnare caſtrum aliquod, vel urbem, tanta procedit multitudo operum, & inſtrumentorum in exercitu, vel obſidione illius, vel ex eo verbo, quo præcipit exercitui ſuo, ut expugnent caſtrum illud, quid mirum, ſi ex omnipotentis creatoris verbo, licet uno per omnem modum, procedit innumerabilis varietas operum in mundo,

Nota.

Nota

CAPUT XXII.

Vtrùm omnia per verbum ſimul creata ſunt.

SI quis autem quærat, quomodò non cum ipſa prolatione hujuſmodi verbi, omnia ſimul facta ſunt, cùm ex verbo, & per verbũ, tanquàm cauſa efficiẽte & ſufficiẽte omnia facta ſint? Reſpõdeo, quia nõ omnia ſimul effici potuerunt, immò cùm reverà dicta fuerint, ſimul tamen omnia fieri non potuerunt. Tu enim & pater tuus, atque mater, ſimul fieri non potuiſtis, ſimiliter neque pullus. & ovum, ex quo generandus erat ipſe, eodem modo neque ſemen, & id, quod generandum erat ex ſemine,

& in exemplis etiam, quæ præmiſi, manifeſtum eſt. Etſi enim uno verbo impetretur expugnatio urbis, & propter hoc omnia, quæ ad ejuſdem expugnationem faciunt, non tamen omnia illa ſimul fieri poſſunt. Scire etiam debes, quia creator benedictus non aliter dixit res fieri, quàm factæ ſint, immò dixit unumquodque fieri ſuo tempore, ordine, & loco, ſicut & tu non cogitas omnia ſcribi ſimul, quæ ſcribis, ſed unumquodque ſuo ordine ſcribis, & etiã cogitas in univerſali ſcribere librum, non cogitas ipſum ſcribere totum ſimul, ſed particulatim, & ordinatè, & de unoquoque per artificium ſic ſe habet quantò fortiùs igitur creator ſapientiſſimus, nec dixit omnipotentiſſimo verbo, nec cogitavit ineffabili cogitatu ſuo, omnia fieri ſimul, ſed magis ordine, quo congruebat eis eſſe, & fieri ſimiliter & tempore.

Nota.

CAPUT XXIII.

Vtrùm creator meliores creare potuerit res, quàm creaverit.

QUæreret autem aliquis utrùm meliores potuit res facere, vel creare, quàm fecerit, vel creaverit? quòd ſi potuit, quæ igitur cauſa reſtrinxit largitatem bonitatis ejus, & arctavit ad hanc menſuram bonitatis, in qua res creatæ ſunt? Si verò non potuit, hoc eſt longè majus inconveniens; hoc enim eſt ponere finitam tam ejus bonitatem, quàm potentiam: donum enim quod maximum ex largitate alicujus procedere poteſt, ſi finitum eſt, finitam eſſe videtur indicare largitatem, ſimiliter & opus ſe habet ad potentiam. Hoc igitur eſt dicere, quia totam ſe effuderit divina largitas in dando, quę dedit rebus creatis, cùm nihil majus, aut melius eis dare potuit. Debes igitur hoc ſcire, quia quaſdam res, quantùm erat de amplitudine, ac copioſitate potentiæ ſuæ majores, & meliores, quàm creavit, creare potuit, ſed illæ non erant receptibiles majoris bonitatis, aut meliores creabiles. Sicut fortè lunam non potuit creare luminoſam, quemadmodùm neque terram. Non enim terra eſſet, ſi luminoſa eſſet, neque luna, luna eſſet, ſi luminoſa creata eſſet, neque aſinus eſſet, ſi Deus ipſum animal rationale effeciſſet, neque pulex pulex eſſet, ſi magnitudinem ceti, vel elephantis, creator ei dediſſet. Ampliùs, Ipſæ res invicem tales immutationes, & augmentationes, ſuſtinere non poſſunt: ſi enim feciſſet hominem ad magnitudinem ſolis, tota terra non ſuffeciſſet illi ad habitationem, neque omnes fruges, & fructus illius ad alimenta, neque omnes lanæ, & lina ad veſtimenta ejuſdem; & ita hoc facile eſt tibi videre in aliis animalibus, quia nullo modo ſe invicem pati poſſent. Si enim feciſſet ſerpentes ad inſtar elephantorum, & cete, alia eos animalia non ſuſtinerent. Similiter ſi muſcas in magnitudine aquilarum, tota habitatio aeris. quæ volucribus deputata eſt, muſcis ſolis occupata eſſet, & repleta. Manifeſtum igitur eſt tibi ex his, quia creator ſapientiſſimus, & optimus, ſic temperavit omne, ideſt, mundum, ſeu univerſum, & ſic moderatus eſt ſingulis generibus, & ſpeciebus, ut quantitates, & parvitates earum, ſe invicem non ſolùm paterentur, ſed adjuvarent, & ſalva eſſe poſſent, atque ſalvari inſimul, ideſt, in ipſo omni ſive mundo. Quòd ſi dixerit quis quia non decuit infinitam potentiam creatoris, infinitamque bonitatem ipſius immenſaſque divitias bonitatis ejuſdem, tam modica creaſſe omnia, quæ creavit, neque cœlos, neque mundum ipſum, quin potiùs decens fuit incomparabiliter majorem mundum, cœloſque ſimiliter

Nota.

Digitized by Google

creaſſe, & pro magnitudine illa homines. & cætera animalia in mundo magnos creaſſe. Hic ergo reminiſci debes, quia corpora, & animalia, nec creati poterant infinita, neque eſſe; alibi enim didiciſti omne corpus, & corporeum ex neceſſitate eſſe finitum. *Nota.* Quia igitur ex neceſſitate finita creari, & eſſe ea oportuit: iſta quæſtio eadem eſſet, ſi longè majora, quàm ſint, creaſſet omnia creator; quantumcunque enim majora ea creaſſet, finita tamen eſſent. & propter hoc ſemper quæri poſſet, cur non majora ea creaſſet Non fuit igitur iſta menſura magnitudinis, & aliorum in rebus creatis ex defectu vel potentiæ, vel bonitatis, quæ eſſet apud creatorem, ſed res ipſæ ſicut paucis exemplis oſtendi tibi, hanc menſuram potiùs requirebant, quamquàm veraciſſimè dici poſſet quia per electionem, & providentiam, ſapientiſſimi datoris in his menſuris & diſpoſitionibus, creatæ ſunt res. Cœlum verò tantùm creatum eſt, & cœli alii, quantùm decuit, & requiſivit utilitas creationis ipſius quæ reverà multiplex eſt, ut etiam ſapientiſſimis inexplicabilis. De Sole verò illud ad præſens ſcito, quia fortè cœlo ſuo nec debuit, nec potuit eſſe, neque ſol major, neque alius: *Nota.* quemadmodùm vides in corpore unius animalis, quia non poteſt abſque perturbatione ipſius, vel fortè ſubverſione cor majus eſſe, aut aliud: duo enim corda fortè eſſe non poſſunt in corpore unius animalis. Quòd ſi fortè duo poſſunt eſſe, ſicut quidam opinantur de leporibus cujuſdam regionis, tamen neque viginti, neque centum corda poſſunt eſſe in aliquo animali. Eodem modo ſe habet de hepate, & ſplene, & multis aliis membris. Hæc autem non propter hoc dico, ut quaſi certum teneas, atque probatum, quòd Sol ſit in cœlo ſuo, vel in mundo ſuperlunari, vel etiam in toto mundo, ſicut cor ipſius, ſed causâ exempli de mēbris animalium locutus ſum. Hæc autem forſitan in ſequenti declarabitur tibi ſuper hæc veritas, ſi Deus voluerit. Similiter autem loquor tibi hîc & de ſtellis fixis, & cœlo earum: forſitan enim, ſicut corpus humanum ex neceſſitate naturę ſuę non uno ſolo eſſe contentum eſſe potuit, aut uno ſolo membro alio, ſic cœlum ſtellarum non una ſola ſtella, *Cœlum ſtellarum.* nec intelligas me hîc determinare tibi, quòd ſtellæ ſint in eo, ſicut oſſa in corpore ſuo. Habet enim hoc quæſtionem admodùm difficilem, ſed ejus determinatio non hîc tibi expectanda eſt, vel quærenda. Forſitan autem alicui videri poſſit eadem quęſtio hæc eſſe, ac ſi quis quæreret de cauda pavonis: propter quid tanto decore, ac varietate colorum ornata ſit, & de toto corpore ejus, cur tanta venuſtate plumarum, atque ſpecioſitate veſtitum ſit: cygnus autem ſolo colore albo contentus fuerit, & corvus ſolo nigro. Ubi evidens eſt etiam pauca intelligentibus, quia iſta colorum varietas, ac ſpecioſitas naturalis eſt pavoni cuidam quod dicimus *Nota.* propter albos, cygno quoque, & corvo, unitas coloris eſt eis de natura ſua. Quid ergo mirum ſi cœlo, quod opinione philoſophorum eſt omnium corporum naturalium nobiliſſimum, eſt varietas ſtellarum, & multitudo de ipſa natura ſua? Ad decorem & ornatum quæſtionis porrò hæc ita dicta ſint, ut excitetur intellectus tuus ad cogitandum aliquid de corporibus cœleſtibus & de cœlis ipſis. Debes etiam ſcire cum præcedentibus, quòd ſicut non fuit dictio creatoris, vel verbum, quo dixit ſemetipſum, & omnia, ut eſſent, vel fierent ſimul omnia: ſic nec fuit voluntas ipſius, aut velle, ut eſſent, vel fierent ſimul omnia. & licet mirabile videatur, poteſt velle aliquid, quod non vult Verùm ſi vellet illud, nullo modorum eſſet immutata voluntas ipſius, & eſſet verum, quod illud voluerat ab æterno, & eodem

E velle, quo vult aliquid, poteſt velle ejus contrarium, vel non velle id ipſum, abſque ullo modorum mutationis quæ fiat apud ipſum, vel voluntatem ſuam. De his autem expedivi me in parte hujus magiſterii, quæ præcedit hanc, & declaravi tibi rationes ejus quod eſt ſcire; & ejus, quod eſt velle apud creatorem: & licet unum ſint ſubjecto, & eſſentia, quia tamen differunt ratione, ſeu relatione, ſeu reſpectu, non de quocunque prædicatur alterum, & alterum; ſicut vides, quia ſcire, & ſciri, rem unam ſolummodò dicunt, hoc eſt ſcientiam, ſed diverſo reſpectu, & propter hoc non de quocunque dicitur ſciri, dicitur & ſcire, per modum cum ſe habent amari, & amare, & univerſaliter omnia, quæ apud nos dicunt apprehenſiones, aut animarum paſſiones, aut actiones forinſecas, quæ ſunt ex his ſicut ſunt dicere, & dici, & ſignificare, & ſignificari. De ipſo verò errore ibidem patefactum eſt F tibi in capitulo de prædicamentis, & prædicationibus, quæ fiunt in rebus divinalibus, quia creare non dicit aliquid in creatore, ſed ab ipſo, neque illuminare dicit aliquid in ſole, ſed ab ipſo, & propter hoc creare non eſt aliquid in ipſo creatore, vel apud ipſum, ſed magis ab ipſo Creatio enim non eſt niſi novitas exiſtendi, vel eſſendi ex voluntate creatoris abſque medio. Illud quippe ſolum & propriè creatur, quod eſt ab iſto creatore abſque medio, generante ſcilicet, aut efficiente, aut etiam inſtrumento. *Creatio quid.*

CAPUT XXIV.

Error Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum, qui ſequuntur eum, de creatione intelligentiæ primæ, & corporum cœleſtium, atque elementorum. G

QUoniàm igitur jam patefactum eſt tibi ſermone univerſali, qualiter exiverunt à creatore prima creata ipſius, ſi multa fuerunt, vel primum creatum, ſi unum ſolum fuit, & oſtenſum eſt tibi quoniàm per verbum ſuum, quod eſt dicere, quia dicendo dictione ſua unica ſpirituali, & ex omnibus modis ſuis perfectiſſima, & dedi tibi exempla, & ſimilitudines ad hæc. *In peripateticos.* quia verò poſuerunt Philoſophi maximè peripatetici, id eſt, ſequaces Ariſtotelis, & qui famoſiores fuerunt de gente Arabum in diſciplinis Ariſtotelis, primum creatum ex neceſſitate fuiſſe unicum, & dixerunt illud eſſe intelligentiam primam nobiliſſimam, & ex ea eſſe per modum, quem dicam, primum cœlum, & motum ejuſdem, conveniens eſt, ut de his faciam hîc aliquam conſiderationem. Radix igitur opinionis eorum hæc fuit. H Viſum quippe eſt eis ex uno, ſecundùm quod unum, non poſſe eſſe ullo modorum, niſi unum. Multitudo enim in cauſato, vel in cauſatis, ut ipſi æſtimaverunt, non haberet cauſam, ſi ex uno per modum, quo eſt unum, eſſent multa. & hoc eſt, quoniàm unitas non poteſt eſſe cauſa multitudinis propter contrarietatē quæ eſt inter ea, ex neutro enim contrariorum per ſe poteſt eſſe reliquum; unde igitur erit multitudo in cauſato, vel cauſatis, cùm cauſa ſit unum, & cauſans per modum, quo eſt unum tantùm? per illum enim modum nec cauſa multi, nec cauſa multorum, aut multitudinis eſſe poſſe videtur eis: *Nota.* quare cùm creator ſit unus, & unum per omnem modum, & non cauſaverit primum cauſatum ſuum niſi per ſe, non cauſavit illud, niſi per modum, quo eſt unum. Quare ex eo uno non niſi unum, & ex eo unico, non niſi unicum. Deinde proceſſerunt ulteriùs, & putaverunt ſe declarare modum cauſationis iſtius. & dixerunt, quia creator creatum ſuum primum non cauſavit per medium forinſecum, & hoc

Digitized by Google

hoc declaratum eſt tibi per me in præcedentibus, alioquin enim non eſſet primum creatum, cùm medium creationis illius neceſſe ſit priùs eſſe creatum. Nullus autem modus videbatur eis conveniens cauſationi huic, niſi intelligendo, & volendo Cùm enim non uteretur creator, ut ita dicatur, niſi ſeipſo in cauſando illud, nec aliud adhiberet extra ſe, adhuc non eſt viſum eis quòd alio modo ſe adhiberet creator in cauſando illud, quàm intelligendo ſe; cùm enim extra ſe nihil ageret, quia nec motum inſtrumenti, nec motum materiæ, totum in ſe agebat, quo cauſaretur illud. Intra ſe autem quid agere poterat, niſi intelligendo ſeipſum cauſaret illud? Quòd ſi dixerit quis, quia convenientiùs eſt, ut intelligendo illud, cauſaverit illud, quàm intelligendo ſeipſum? Reſpondebant quia non intelligebat illud, vel aliud extra ſe niſi intelligendo ſe. tanquàm exemplar, & ſpeculum lucidiſſimum, & expreſſiſſimum univerſorum, & ſingulorum & propter hoc in primis, & maximè ſe intelligit & intelligebat æternaliter, & per hoc omnia alia. Magis igitur conveniens fuit, ut intelligendo ſeipſum crearet illud, quàm intelligendo alia. Exivit ergo prima intelligentia à creatore per intellectum ipſius, quo ſcilicet intellexit ſeipſum, & quoniàm creator non potuit intelligere in ſe niſi ſe, & hoc unicè, hoc eſt abſque ullo modorum diverſitatis, non exivit ab eo ſic, niſi unum creatorum omnium primum, ac nobiliſſimum. Hoc autem eſt, ut ipſi æſtimaverunt, intelligentia prima.

Nota.

Deus exemplar univerſorum.

CAPUT XXV.

Quomodò à prima intelligentia ſecundùm philoſophos multa exiverunt.

QUoniàm autem intelligentia prima in ſeipſa, & in ſuo intelligere, & in ſuis intellectis habuit multitudinem, & diverſitatem multiplicem, & operari non potuit, niſi ſpiritualiter, & intelligibiliter, hoc eſt ad ſimilitudinem creatoris, & hoc quantùm ei aſſimilari poſſibile fuit, neceſſariò quatuor ex ea per intelligere, & ſuum intellectum exiverunt. Intelligens enim primùm creatorem in magnificentiâ ſuâ, & gloriâ, velut tanto lumine irradiata atque repleta, emiſit tanquàm ſplendorem quendam de ſeipſa ſecundam intelligentiam. Intelligens autem potentialitatem ſuam ejecit tanquàm umbram à ſe materiam primi cœli. Intelligens autem ſemetipſam in perfectione ſua, emiſit de ſe ſplendorem ſecundum, & exivit ab ea, tanquàm radius minoris, ac ſecundi luminis, forma primi cœli: & ſic completum eſt primum cœlum per ejus intellectum, & per intelligere ipſius, & noluerunt quidem formam iſtam cœli intelligere formam corporalem ejuſdem. Quartò verò intelligens hæc intelligentia ſuum eſſe ſpirituale, quo eſt intelligentia, emicuit de ſe tertium radium, id eſt, animam primi cœli quæ eſt virtus movens ipſum cœlum localiter tantùm, & hanc intellexerunt eſſe propriè formam, & perfectionem cœli. Poſuerunt quippe cœlum animal eſſe compoſitum ex ipſo corpore moto, tanquàm materia, & anima hujuſmodi, ſic movente, tanquàm forma, & per viam iſtam dixerunt intelligentias inferiores, materias cœlorum inferiorum, & formas eorum corporales & animas, exiviſſe ab intelligentiis ſuperioribus, donec ventum eſt ad decimam intelligentiam, quam poſuerunt ſolem eſſe intelligibilem animarum noſtrarum, & ab ea incipere cauſationem rerum multarum, & multiplicabilium & ex ea etiam eſſe animas noſtras, & nihil nobilius poſſe eſſe ab eis,

Nota.

A quàm ſint animæ humanæ, tanquàm eo uſque attenuato lumine, & debilitatâ virtute, per elongationem à primo, & univerſali fonte.

Nota.

CAPUT XXVI.

Deſtructio præmiſſi erroris Ariſtotelis, & aliorum.

HIs igitur ita poſitis ſecundùm opinionem ipſorum, incipiam diſputare, an ita ſe habeat veritas. Multùm enim videntur, qui ſic ponunt, detrahere gloriæ & magnificentiæ creatoris, & ultra, quàm deceat, virtutis & potentiæ, attribuere ſubſtantiis antedictis In primis igitur errare videntur circa intelligentiam decimam, quam vocant intelligentiam agentem; aut enim poſſibile eſt ei uti ſuo intellectu, & ſuo intelligere, quemadmodùm ſuperiores utuntur, aut non eſt ei poſſibile. Quòd ſi dixerint, quia non eſt ei poſſibile, non eſt igitur poſſibile intelligere ſe; quare nec
B intelligere aliud. Si enim propriæ eſſentiæ ſuæ veritatem quam præſentiſſimam habet, non poteſt per ipſam ejuſdem præſentiam intelligere: quantò minùs ea, quæ extra ipſam ſunt? fruſtrà igitur, & vanè nomen ei intelligentiæ tribuerunt. Quòd ſi poteſt per modum illum uti ſuo intellectu, & ſuo intelligere, debet igitur ex illa eſſe per modum illum alia intelligentia, & aliud cœlum, & per viam iſtam non erit finis cœlorum, & intelligentiarum. Ampliùs. Decima iſta intelligentia intelligendo ſe ſolummodò, videlicet intelligendo potentialitatem ſuam, materias generabilium, & corruptibilium cauſat, intelligendo verò actualitatem ſuam hoc eſt, perfectionem potentialitati ſuæ contrariam, formas corporales eorundem; intelligendo verò ſe in ſpiritualitate ſua qua eſt intelligentia talis, cauſat animas humanas, vel intelligendo aliud quodcunq; Intelligendo autem ſe ſic, non eſt niſi unum, neque
C operatur, niſi inquantùm unũ, quare non erit ex ea, niſi unum per modum iſtum: omnes igitur animæ humanæ nõ erunt, niſi anima una ſecundùm eſſentiã & veritatem. Tu autem debes ſcire, quia in hunc etiam errorem deducti ſunt, ut omnes animas humanas exutas à corporibus non differre ullo modorum, niſi differentiis corporum ſuorum, veritate autem & eſſentia unam eſſe omnes. Quem errorem hîc deſtruendum non ſuſcepi: deſtruetur autem irrefragabiliter tibi in tractatu de ſubſtantiis ſpoliatis ſpiritualibus. Ampliùs Intellectus, ſive intelligere, quo creator intelligit ſe in ſe, & per ſe ſolum, non magis reſpicit unum creatum, quàm aliud, & generaliter quicquid eſt creator in ſe, hoc eſt ſine comparatione ulla, & reſpectu ad aliud, vel alia, æqualiter eſt omnibus. Verbi gratiâ: quod eſt,
D vel quod eſt ſapiens in ſeipſo, hoc non magis eſt ad unum, quàm ad aliud. Non enim eſt magis ſapiens unius, quàm alterius, nec magis videns, aut cognoſcens unum, quàm aliud: quoniàm videns, aut cognoſcens hoc eſt, in ſe, & à ſe. Quod ergo eſt intelligens ſe, & per ſe, per hoc non magis pertinet ad unum, quàm ad aliud: quare non per hoc magis eſt ex eo unum, quàm aliud, quemadmodùm eſt Socrates per hoc, quòd eſt Socrates, æqualiter eſt ad omnia artificia Similiter ex hoc, quòd quis eſt architectus, vel ædificator, non magis exibit ex eo domus hæc quàm alia, nec ex eo, quòd artifex, magis ex eo exibit unum artificium, quàm aliud, ex eo tamen quòd ædificator, magis exibit ex eo ædes, vel ædificium, quàm aliud artificium. Quare manifeſtum eſt quia ex creatore, inquantùm eſt intelligens ſe non magis exibit prima intelligentia quàm aliud In hac enim conſideratione, nec propinquitatem,

Error peripateticorum.

Nota:

Digitized by Google

neque ordinem, neque comparationem ullam habet ad creatorem potiùs, quàm aliqua ex rebus aliis; quare non eſt dignior, ut potiùs exeat ab illo, vel ut prior, quàm aliud ex cauſatis. Ampliùs. Creator per ſemetipſum intelligens omnia, æqualiter intelligit illa. *Nota.* Si enim magis intelligeret unum, quàm aliud, hoc eſſet ei vel à parte rerum, vel à ſe, à ſe quidem eſſe non poteſt, cùm omnia quæ habet à ſe, æqualiter habeat, & per modum unum abſque ullo modorum diverſitatis; quemadmodùm, quoniam à ſe ſapiens eſt, & bonus, æqualiter ſapiens eſt, & bonus; quare quoniàm à ſeipſo ſolo habet, quod ſcit omnia æqualiter, ex neceſſitate ſcit omnia. A rebus autem non poteſt eſſe iſta inæqualitas, per quam ſciat magis unum, quàm aliud, cùm impoſſibile manifeſtum ſit, res quicquam poſſe addere, vel minuere ſcientiæ ipſius. Æqualiter igitur per omnem modum, intelligendo ſeipſum, intellexit omnia; quare nec per hoc, quòd intellexit ſe, nec per hoc, quòd intelligat omnia, dignior fuit prima intelligentia, ut magis exiret ab illo, vel prior, quàm aliquid aliorum. Relinquitur ergo creatori omnipotenti libertas ſua, & electio, qua ab eo exivit primum, vel unum, vel multa, quæ voluit, & prout voluit. Ampliùs. Si non eſſet operatus in creatione per electionem ſuam, & libertatem ſupereminentiſſimam, ſed per ordinem, quem iſti hîc opinantur eſſet operatus procul dubiò per modum naturæ. *Natura ordinate operatur.* Hic autem modus, prout didiciſti, modus eſt ſervientis, & non libertate ultima & modum operandi, & operationem ſuam eligentis. Ampliùs. Si in prima intelligentia deſtitiſſet, vel ceſſaſſet à ſuo illo intellectu, & intelligere, nihil aliorum eſſet creatum, hoc eſt, nec cœli, nec ea, quæ cœlorum ſunt. Quæ igitur fuit ſapientia creatoris in parte iſta, ut in poteſtate unius ſubſtantiæ poneret totum eſſe, & totum non eſſe univerſi? Ampliùs. Aut potuit ceſſare ab hujuſmodi intellectu, & intelligere prima intelligentia, aut non potuit. Si potuit, per voluntatem igitur, & electionem inclinavit ſe ad iſta intellecta, & ad hujuſmodi intellectum, & intelligere; quare & ad totum, quod ex illis effectivè ſubſecutum eſt. Per libertatem igitur ſuam & electionem cauſavit omnia cauſata ſua, quantò fortiùs ergo creatori conveniens eſt ſic cauſare? Ampliùs. Ordine naturæ prior erat ei potentialitas ſua, quàm actualitas ſua, ipſa autem intellexit res ordinatè in ordine, quo erant; priùs ergo intellexit potentialitatem ſuam, quàm actum, ſeu perfectionem illi contrariam; idem autem eſt ordo cauſatum, & effectuū, quare fuit priùs materia cœli ſecundùm hoc, quàm forma ejuſdem, & hoc eſt falſum, *Nota.* quoniàm nec priùs tempore; tunc enim eſſet materia actu ſpoliata à forma ſua, nec priùs ordine naturæ, cùm actus cauſa ſit, propter quam eſt potentialitas & materia propter formam ſit, non eſt econverſò. Corpus enim propter animam eſt, non anima propter corpus. Si verò non potuit ceſſare ab intellectu illo, & hujuſmodi intelligere, ſed fuit ei neceſſitas intelligendi illa, & eo modo, & ordine, aut iſta neceſſitas fuit ei violentiæ urgentis deſuper ipſam, fortioris, aut fuit ei de perfectione bonitatis ſuæ, quomodò creator dicitur ex neceſſitate benefacere, & non poſſe aliter, vel malefacere. Quòd ſi fuit ei neceſſitas illa violentiæ, tunc nihil ei attribuendum eſt de eſſe cauſatorum aliorum: magis enim paſſa eſt violentiam ab ipſo cogente, hoc eſt, inferente illam, quàm egerit aliquid: *Nota.* gladius enim, qui violenter vibratur in aliquem, propriè nihil agit ſed magis alienam patitur actionem. Si verò ex perfectione ſuæ bonitatis fuit ei ſic intelligere, ut dixi, profectò intellexit ita, quia voluit cauſare cauſata prædicta, quæ ſciebat eſſe debere per ſuum in-

E tellectum, vel ſuum intelligere, & ita reditur jam ad libertatem, quam dixi tibi, & electionem. Ampliùs. Secundùm hoc magis videtur voluntas ejuſdem cauſa fuiſſe, quàm intellectus, vel intelligere ipſius. Cùm enim vellet eſſe cauſata ſua, & ſciret ea non aliter eſſe poſſe, niſi per ſuū intellectum, & ſuum intelligere, voluit propter hoc, ut illa eſſent, ſic intelligere: quare voluntas fuit ibi, quaſi primum movens, & primum agens. *Voluntas creatoris.* Qualiter igitur ponunt nudum, & ſolum intellectum, ſeu intelligere primæ intelligentiæ cauſam eſſe quatuor illorum, quæ dixi; & de voluntate ejuſdem omninò tacent? Ampliùs. Utrùm iſtorum duorum concedent, vel eam voluiſſe eſſe cauſata ejus, quia ſic intellexit, ut dictum eſt, vel eam ſic intellexiſſe, quia voluit illa eſſe? ſi enim, quia voluit illa eſſe ideò ſic intellexit, tunc indubitanter prima, & potiſſima cauſa eſſendi ſequentia fuit voluntas ipſius. Si verò,
F quia intellexit illa per ſuum intelligere debere eſſe, ideò voluit ſic intelligere, propter hoc ſcilicet, ut illa eſſent, quaſi ſuum intelligere ſuaſerit ei, ut vellet illa eſſe, eo quòd per ipſum cognoſcebat bonum eſſe, quòd illa eſſe deberent, & hoc longè aliter invenitur alibi: licet enim viſus oſtendat à longè animali, in quo eſt periculum viæ, aut ſecuritatem, *Nota.* aut aliam commoditatem, non propter hoc tamen motus dicitur viſualis, aut ex viſu eſſe, immò magis voluntarius ex voluntate. Quia igitur intellectus erat apud eum, ſicut viſus interior, aut ſpiritualis, non ei attribuendum eſt aliquod ex cauſatis, quæ per voluntatem ab eodem facta ſunt. Ut quid ergo nudo intellectui, & ſoli ejuſdem illa attribuunt, mentionem de voluntate ipſius nullam penitùs facientes? Ampliùs. In cœlo ſtellato quod ſecundùm *Cœlum ſtellatum.*
G quoſdam primum eſt, & ſecundùm iſtos ad minùs ſecundum, invenitur tanta multitudo & ſtellarum, & naturalium ipſarum, & virtutum, & figurarum earundem, cui nec comparabilis eſt diverſitas, aut multitudo cujuſcunque cœlorum inferiorum. Cùm igitur intelligentiæ, quantò ſuperiores ſunt, tantò *Nota.* unitiores ſint, & à multitudine elongatiores: neceſſe eſt ſecundùm poſitionem eorum, cauſata earum eſſe unitiora, & à multitudine remotiora; quare primum cœlum erit remotius à multitudine, quàm alij inferiores. Nos autem contrarium manifeſtum videmus. Ampliùs. Si intellectus, vel intelligere creatoris, quo intellexit ſeipſum, & ſic intelligendo cauſavit primam intelligentiam, non exiviſſet in ipſam intelligentiam, hoc eſt, ſi eo, vel per ipſum non intellexiſſet primam intelligentiam, non cauſaſſet eam per illud; & ad hunc modum ſe habet de omni artifice per artem, ſive per intellectum cauſantem. Si enim architectus non intelligeret, aut *Architecti imaginatio.* imaginaretur domum, quam ædificat, vel ædificare
H diſponit, nullo modo per intellectum, vel imaginationem ædificaret illam: hoc enim eſt, quemadmodùm ſi ſcriptor intueatur aliud, quàm ipſam ſcripturam, quam ſcribit, aut pictor aliud, quàm picturam, quam figurat; neque enim ſcriptor, vel pictor, ſeipſum tantùm aſpiciendo ſcribet, vel pinget aliquid foris artificiosè, ſive decenter. Similiter neque cogitando ſeipſum ſolum, aut imaginando. Eodem modo ſe habet, ſi aliud aliquid, quàm ſe, vel picturam, vel ſcripturam, ſolummodò cogitet, aut imaginetur. Qualiter enim aliquis artifex aliud ſolummodò, quàm artificium ſuum cogitans, aut imaginans: nullo autem modo ipſum artificium operabitur illud? Hoc enim non poſſet eſſe niſi à caſu, quoniàm, ut aliquis cogitans ædificare ſolummodò, illa hora ſcribat, vel pingat, non eſſet poſſibile, niſi à caſu: omne autem, quod eſt ex caſu, non eſt per artem, vel intellectum, ſive imaginatio-

Digitized by Google

nem. Aggregata igitur ex omnibus his ratiocinatione, manifeſtū eſt, quoniàm creator per intellectum in ſemetipſum ſolummodò reflexum, & in res nullo modo exeuntem, vel extenſum, nihil creavit, vel aliter cauſavit, hoc eſt per intellectum, vel intelligere, quo ſe ſolum intellexit, nihil omninò creavit, vel aliter cauſavit: quare neque primam intelligentiam, aut aliquid aliorum. Neceſſe igitur fuit intellectum creatoris, exiviſſe, & extenſum fuiſſe extra ipſum, hoc eſt, intellexiſſe eum omne id quod

Nota.

creavit; quare intellexit ex neceſſitate primam intelligentiam, ſi eam creavit per ſuum intellectum, & ſuum intelligere. Aut igitur intellexit illam, cùm ipſam cauſabat, aut illam potiùs, quàm aliquid aliorum: quòd ſi illam ſolā, apparet tibi imbecillitas hujuſmodi hominum, & impoſſibilitas ſermonis iſtius. Primùm, quoniàm limites ponunt intellectui creatoris, arctantes ipſum ad unum ſolum intelligendum, ſaltem unica hora. Deinde inſinuant in ſermone iſto ſuo, creatoris intellectum adeò occupatum fuiſſe illâ horâ, ut alia tunc intelligere prohiberetur: proculdubiò non intelligentes amplitudinem, ac libertatem intellectus ac ſapientiæ ipſius, eſſe in ultimitate amplitudinis, ac libertatis: ſicut & omnia alia, quæ ſunt ei per ſe, ac ſecundùm ſe; omnia enim hujuſmodi ſunt prima, & maxima, & inſunt ei in primis, & maximè: hujuſmodi autem amplitudinem, ac libertatem non eſt poſſibile reſtringi, aut prohiberi ullo modorum, alioquin non eſſent in ultimitate perfectionis conſummatæ, cùm

Nota.

non eſſent in ultimitate elongationis à contrariis ſuis. Non enim eſt in ultimitate iſta aliquid, ad quod vel potentiâ, vel actu acceſſus poſſit eſſe contrario ſuo. Addam autē iſtis declarationē demonſtrativā, & dicam, quoniàm apud creatorem, qui eſt primus actus nominatione rectiſſima, non habet locum potentialitatis ullo modorum, hoc eſt dicere, quoniàm quicquid ejus eſt, totum eſt actus, ſive actu, & in ultimitate actualitatis: ſi autem aliqua hora intellexiſſet intelligentiam primam ſolam, tunc actu illam ſolam intelligeret: aut ergo potentia intelligeret aliquid aliud, aut non? Si ſic, habet igitur apud ipſum locum potentialitas, quare non eſt perfectus ex omnibus modis ſuis, cùm perfectibilis ſit per acquiſitionem intellectus ejus, vel eorum, quæ tunc non intelligebat, niſi potentia, reducibilis de hujuſmodi potentia ad actum illius. Si verò non intelligebat potentia aliud neque actu illâ horâ, intellectus igitur ejus eſt omnium anguſtiſſimus, atque miſerrimus, cùm omnis alius intellectus ad nihil unum arctatus ſit, & plurima ſaltem potentia intelligat. Erit etiam creator benedictus ignorans omnium aliorum: nihil enim ſcit, niſi quod intelligit: nihil autem intelligit, vel intelligere poteſt ſecundùm errorem iſtum, niſi ſolam intelligentiam

Nota.

primam. Tu autem vides per temetipſum, quæ inconvenientia ſequantur errorem iſtum. In primis enim ſequitur ipſum creatorem eſſe inſipientiſſimum: deinde ipſum ignorare cultores ſuos; omnia, quæ in mundo ſunt, & alia innumerabilia, in quibus non eſt neceſſe, ut occupem vel me, vel te. Ampliùs. Quæcunque ſunt creatori ex ſemetipſo, ſunt ei & æqualia, & æqualiter: quare intelligere hoc, & intelligere illud, quibuſcunque duobus demonſtratis, ſunt ei æqualia, & æqualiter, cùm intelligere vel hoc, vel illud non ſit ei niſi à ſe; Non magis igitur intellexit primam intelligentiam, quàm aliquid aliorum quacunque hora, vel momento. Eodem modo, & eadem ratione neque melius intellexit, quoniàm nec à ſe ipſo magis, aut melius intellexit eam aliquâ horâ, vel momento, quàm aliquid aliorum, & hoc eſt, quoniàm nec à ſeipſo

A potuit ei eſſe propter illud, quod jam dixit, nec à parte intelligentiæ, cùm à parte rerum, ſicut noſti, nihil habeat creatoris intellectus aut ejus intelligere. Quia igitur per ſuum intellectum & ſuum intelligere præciſè & cauſavit, & cauſat omnia cauſata ſua, ad omnia autem æqualiter ſe habet per omnem modum ſuus intellectus, & ſuum intelligere; æqualiter igitur, ſimpliciter, ac præciſè cauſat, & cauſavit omnia. Non igitur ſolam primā intelligentiam cauſavit, ut ipſi ponunt, & hoc utique veriſſimū eſt. Verùm ſcito, quia iſte intellectus eſt intellectus ab ipſo genitus, ſicut aliàs tibi declaratum eſt, & hujuſmodi generationis revelatione, atque norma ſola gens Chriſtianorum gloriatur: & vocat hunc intellectum genitum ſecundùm leges ſuas, & alias ſcripturas ſuas, ſapientiam genitam, & artem, ac verbum Dei. & hæc eſt altiſſima profunditas, ad quam nec gens Hebræorum attigit, niſi fortè in paucis ſanctis, ac ſapientibus ſuis, videlicet Prophetis

Sapientia genita.

B eorum, & ſi qui alij hoc à Prophetis acceperunt. Gens verò Arabum ſecundùm communitatem ſuam iſtum nondùm novit, immò juxta errorem, quo ſeducta eſt, hoc eſſe poſſibile contradicit. Avicembron autem Theologus nomine, & ſtylo, ut videtur, Arabs, iſtud evidenter apprehendit, cùm & de hoc in libro, quem vocat fontem ſapientiæ, mentionem expreſſam faciat & librum ſingularem de verbo Dei agente omnia ſcribat. Ego autem propter hoc puto ipſum fuiſſe Chriſtianum, cùm totum regnum Arabum Chriſtianæ religioni ſubditum fuiſſe ante tempus non multum narrationibus hiſtoriarum manifeſtum ſit. Nonnulli verò ex antiquis Philoſophis, ſicut Plato, & Mercurius hæc vidiſſe videntur; præſertim autem Mercurius, qui de verbo perfecto librum integrum ſcripſit, quem & logon telion propter hoc nominavit. Debes autem ſcire, quòd intellectus, & intelligere, ſicut docui te in tractatu de prædicationibus, quæ fiunt in rebus divinalibus, ſecundùm duos modos, & inten-

Avicembron qui fuerit.

C tiones accipiuntur, & unus quidem modus eſt quo intelligere nil addit ſupra eſſe, niſi ſecundùm reſpectum, aut relationem aliquam. Et ſecundùm hoc intelligere creatoris eſt eſſe ejus, & ejuſdem intellectus non eſt niſi ipſius eſſentia, ita ut, cùm agitur de intellectu ipſius, hoc eſt cùm ſit ſermo de intellectu ipſius, aut de ſuo intelligere, fiat ſermo de ipſius eſſentia, vel de ſuo eſſe. Secunda intentione, & modo, ejus intellectus eſt ejus ſermo ſpiritualis, ſive intelligibilis, & ejus intelligere, ejus loqui ſpiritualiter, ſive intelligibiliter. Quemadmodùm autem ſermo audibilis, ſermo genitus eſt, aut prolatus; ſic ſermo ſpiritualis, aut intelligibilis intellectus eſt genitus, ſive ſpiritualiter prolatus: & ad diſtinctiones iſtas coëgerunt ſanctos viros, & ſapientes, qui profundaverunt in rebus divinalibus, erronei, & contradictores veritatis, ſicut & ad alias multas. Neceſſe enim erat, ut docerentur homines ſermonibus, quibus doceri poterant, de rebus à vulgari intelligentia tam remotis. Tu ergo intellige magnificentiam verbi Dei, prout fuerit ejus dignatio. Verbum enim Dei, ſicut aliàs te docui, nec mi-

D nus eſt ullo modorum, inquantùm eſt verbum Dei, nec aliud quàm ipſe, cujus verbum eſt quapropter ex neceſſitate Deus eſt, Deus inquam unus cum ipſo, à quo eſt. Et ex hoc ſequitur ex neceſſitate, ut ſit ſermo vivus in ultimitate vitæ & vivacitatis, & ſit influens, ac redundans in ultimitate influentiæ, ac redundantiæ & ut ſit ars efficax, & operatrix omnium operum creatoris, & ut non ſit ad modum artium noſtrarum, atque ſermonum ſpiritualium noſtrorum, velut lucerna ſolummodò oſtendens quid, & qualiter agendum ſit, immò neceſſe eſt, ut ſit

Verbum Dei.

Digitized by Google

virtus potentiſſima, omnia efficiens & non ſit ſolummodo velut ſigillum, aut ſignaculum, immò ſigillatrix, & ſigillans impreſſione ſuæ ſimilitudinis, atque decorans omnia, & hoc ſua electione liberrima, & ſua voluntate imperioſiſſima. Quare non ſolùm eſt ars omnium notifica, ſed etiam virtus omnifica: alterius modi enim ſermo non potuit eſſe ſermo primus, hoc eſt, primi locutoris. Neceſſe enim eſt ſermonem primum æqualem eſſe per omnia ſuo locutori, ſeu generatori: ſicut declaratum eſt tibi per meipſum in tractatu primo. Eſt igitur iſtud verbum Dei, ſive ſermo, velut ſplendor à genitore ſuo procedens, omnia pro captu, ſeu receptibilitate eorum illuminans, & pulchritudinis ſuæ ſimilitudinibus omnia, prout decet, decorans: quemadmodùm & ſplendor Solis viſibilis: & eſt quemadmodùm facies ultimæ pulchritudinis ejuſdem genitoris ſui, in univerſum, velut in ſpeculum innumerabilium ſuperficierum ſpecioſitatis ſuæ ſimilitudines diffundens ita, ut pulchritudines creaturarum non ſint, niſi reſultationes quædam ipſius: propter quod faciem Dei ipſum crebrò prophetæ ſancti, immò ipſemet in eis, & per eos loquens ſe nominat. Attende autem diligenter, quod dico tibi de ſpeculis, ut conſideres diligenter diverſitatem, ac varietatem ipſorum, propter quam alia plus, alia minus ſimilitudines hujuſmodi pulchritudinis, & faciei recipiunt. Et hæc ipſa varietas atque diverſitas, pulchritudo eſt maxima univerſi: quæcunque enim ex ſpeciebus deeſſet, minor eſſet ex illo defectu pulchritudo totius. Saluti etiam, & conſervationi univerſi nō parùm addit iſta varietas ſicut præoſtendi tibi. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc, quia omnium æqualiter cauſa eſt creator, & intellectus ab ipſo genitus. Æqualiter inquam, quantùm ad ſe, res verò quædam aliis indigent mediis, quemadmodùm homo animâ, & corpore, ſimiliter & quod fabricatur indiget materia fabricabili, inſtrumentis fabricabilibus, igneque & fabro; omnium autem illorum cauſator eſt Deus, & ſine illis mediis poſſet facere id quod fabricatur, hominem tamen facere non poſſet ſine anima, & corpore, quia nec homo eſſet, ſi illa non haberet, nec homo eſt aliud, quàm illa duo ſimul ſumpta, vel alterum eorum in altero quadam comparatione, vel modo. Jam igitur intelligis ex his, quæ dixi, creatorem omnia quantùm ad ipſum æqualiter cauſare. Quædam autem per media, quæ tamē media & ipſe cauſat, cùm vult, per media, & cùm vult, ſine mediis, quemadmodùm primum hominem ſine patre, & matre, eorumque commixtione cauſavit, cæteros autem per medios parentes, vel ambos, vel alterum eorum, nec propter hoc minus æqualiter cauſat, ſi per unum medium, aut plura media cauſat eos, quemadmodùm ſi quis per unum operarium, aut per multos domum ædificet, non magis cauſat eam, ſi per multos, aut econverſò; eodem modo, ſi per nullum, aut per aliquid medium, non magis, aut minus, cùm per nullum medium, quàm cùm per aliquod. Quare ſimpliciter verum eſt, quòd creator æqualiter cauſat omnia, quantùm eſt de ſe, & etiam ſimpliciter, quia medium, vel media nihil addunt, vel minuunt cauſationi. Jam enim declaravi tibi in primo tractatu, quoniàm creator ſolus propriè, ac verè nomine cauſæ dignus eſt: alia verò, quæ velut media cauſationi ejuſdem deſerviunt, non ſunt niſi nuncij, & deferentes, ultima recepta, tanquàm miſſa à creatore. Hujuſmodi autem exemplum manifeſtum tibi eſt in aere, qui eſt medium illuminationum, quæ fiunt in terra, & aqua, & oculis animalium, aliiſque illuminabilibus à Sole; de quo manifeſtum eſt, quia ſicut deferens,

Verbum Dei

Pulchritudo creaturarum unde.

Nota.

Homo quid.

Deus cauſa prima.

E vel nuntius illuminationum hujuſmodi eſt, & nemo dicit ipſum eſſe cauſam earum propriè ac verè, licet multum præſtet adminiculum ad hæc ut perficiantur iſtæ illuminationes. Solem autem communiter nominant cauſam veram, ac propriam earundem. Eodem modo ſe habet de igne, & calefactionibus mediatis. Similiter de facie quacunque, & reſultationibus ejuſdem in ſpeculis. Verùm ſi diligenter conſideretur, quòd & ipſe Sol, & ignis, & quicquid eſt eis in parte iſta ſimile, nihil habent, quod non à creatore receperint; & quod vaſa ſunt influentiæ, ſeu redundantiæ primi fontis, & hoc tanquàm hoc pacto, atque conditione; ut primùm impleta quòd ſuperabundat, in alia receptabilia refluant, ac redundent, quemadmodùm alvei fluviorum, aliæque profunditates, cùm impletæ fuerint inundationibus fontium, aut aliis, in alia loca receptabilia, quod ſupereſt, tranſmittunt: ſic omnia iſta, quæ cauſæ nominantur, inundatione primi, univerſaliſque fontis impleta, quod ſupereſt, ad alia vel deferunt, vel tranſmittunt. Et hoc eſt quod dicit Avicembron in libro ſuo de fonte ſapientiæ; hoc eſt, inquit, indicium largitatis datoris, & bonitatis & obedientiæ univerſorum ad ipſum; F quòd unaquæque res compellitur dare ſeipſam, & intellexit in hoc dare ſimilitudinem ſuam. & manifeſtum eſt hoc in influentiis naturalibus: adeò enim excluſit creator avaritiam à creaturis, quantùm eſt de lege naturæ, ut nulla earum poſſit ſibi, vel appropriare, vel retinere aliquam ex bonitatibus ſuis naturalibus, ut non eam, prout poſſibile ei eſt, aliis communicet, & elargiatur. An putas Solem, vel minimum radiorum ſuorum poſſe retinere ſibi? & ſi retineret illum, quid putas creatorem facturum? Meritò enim & illum, & alios omnes eidem auferret. Aggrega igitur exempla iſta omnia, & ſimilitudines, & apparebit tibi evidenter, quia creator cauſa eſt ſimpliciter, & æqualiter omnium, ſicut eſt ſciens, & intelligens æqualiter omnia. Ampliùs. Si verum eſſet, quod ponunt, & ſicut ponunt, creare, ideſt, de nihilo facere, non eſſet opus proprium, ac ſingulare creatoris, immò commune G omnium intelligentiarum; quare ipſe non eſſet propriè ac ſingulariter creator. De nihilo enim faceret unaquæque earum intelligentiam immediatè ſequentem, & ipſam animam cœli ſui, & inſuper ipſum cœlum ſuum, cùm & materiam ejus, & formam de nihilo faceret. Ampliùs. Cùm major ſit potentialitas intelligentiæ novæ, quàm potentialitas primæ; apparet ex contrariis, quoniàm actualitas, & perfectio primæ major eſt longè, quàm actualitas & perfectio novæ: quod apparet ex propinquitate ad perfectiſſimum, ideſt creatorem, & ex nobilitate ipſius, quà longè nobilior eſt, quàm nova: H quia igitur ſecundùm eos per potentialitatem ſuam, intelligendo ſcilicet eam, cauſat unaquæque earum materiam ſui cœli; major debet ex neceſſitate eſſe materia cœli lunæ, quàm materia cœli primi, quapropter, & ipſum cœlum lunæ majus debet eſſe ex neceſſitate, quàm cœlum primum, quantitas enim ex materia eſt. Ampliùs. Secundùm hunc errorem, non erunt niſi decem ſubſtantiæ ſpirituales obſervatæ naturaliter: & ideò inanis erit credulitas de Angelis, & de omnibus militiis cœleſtibus, quæ tamen eſt omni lege, & jam omni opinione penè omnium hominum firmata. Stabilietur autem tibi ſtabilitione demonſtrativa multiplici, loco ſuo. Ampliùs. Minorem honorem ponunt creatori quàm cuivis ex regibus, vel principibus, cùm juxta eum non ponant multitudinē aſſiſtentium, & miniſtrantium eidem; propriè enim non aſſiſtunt ei, vel ſunt coram eo, niſi qui eum (ut ita loquamur,) facie ad faciem,

Sol & ignis.

Concluſio ſupradictorum.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

ad faciem intuentur, & hoc ſecundùm ipſos non eſt poſſibile, niſi decem intelligentiis, vel aliquibus earum; quare ſolitarium valde & abſque honore regio illum ponunt; denarius enim non eſt multitudo magnificentia regia ſola digna, neque ſola apparere debet in regali palatio. Ampliùs Videmus Solem & magnitudine, & ſplendore, cæteris omnibus planetis, atque ſtellis majorem propter quod & cœlum ejus cæterorum planetarum cœlis videtur eſſe nobilius, cùm ſit luce, ſeu ſplendore ornatius, & ejus ſplendore tota ſublunaris regio illuſtretur, ſoluſque ſufficit diem efficere, noctemque fugare. Quia igitur idem eſt ordo cauſarum, qui eſt & cauſatorum, & proportionalia ſunt ſemper cauſæ, & cauſata, neceſſe eſt intelligentiam cœli ſolaris nobiliorem eſſe, non ſolùm intelligentiis inferioribus, ſed etiam intelligentiis ſuperioribus id eſt, ſuperiorum cœlorum, qui ſunt cœli planetarum aliorum. Vides igitur manifeſtè, quia non eſt idem ordo in nobilitate cœlorum, qui eſt & intelligentiarum. Eodem modo & contra hanc ordinationem facit ſtella Jovis, quæ tantò major eſt ſtella ſaturni. ſimiliter & ſtella Mercurii, quæ omnium planetarum minima eſt, cùm ejus cœlum non ſit omnium cœlorum planetarum infimum, immò ſecundùm omnes aut tertium, aut quartum. Ampliùs Si intelligendo, vel ſe, vel alia ita cauſaverunt cœlos ſuos intelligentiæ novem, cauſaverunt ex neceſſitate omnes perfectiones eorum, quare & planetas ipſos, qui quædam perfectiones eorum ſunt, vel ſaltem partes perfectionum Multo enim decori, & ornatui cœlorum ſuorum ſunt planetæ naturaliter; quare aut perfectiones eorum ſunt, aut partes perfectionum ipſorum, & propter hoc cauſata ipſarum intelligentiarum. Idem igitur debet eſſe ordo eorum in nobilitate, & aliis perfectionibus, qui eſt & ipſarum intelligentiarum; quare Saturnus ſecundùm hoc erit maximus, luminoſiſſimus, ac potentiſſimus planetarum, & ita unuſquiſque aliorum habebit perfectiones iſtas juxta ordinem ſuum & juxta quãtitatem elongationis ſuæ, vel à Saturno, vel à cœlo ejus, & juxta comparationes intelligentiarum eos cauſantium. Tibi autem manifeſtum eſt, & omnibus videntibus, parùmque circa hæc exercitatis ſenſu ipſo contrarium. Ampliùs. Si intelligentiæ cauſaverunt ipſos planetas, cauſaverunt eos utique per viam cauſationis, per quam & cœlos ſuos; quare intelligendo poſſibilitates ſuas cauſaverunt materias eorum, & intelligendo perfectiones ſuas, ſeu actualitates, cauſaverunt formas eorum. Dico igitur, quia ex neceſſitate ſecundùm hoc, planetæ non ſolùm æquales facti ſunt cœlis ſuis, immò idem, cùm cauſæ per omnia eædem. Verbi gratiâ: Intellectus quo intelligentia cœli Saturni intellexit potentialitatẽ ſuã, cauſando materiã cęli ſui, & materiã ſtellæ Saturni, aut eſt unus, & idẽ numero non repetitus, aut non: ſi eſt unus, & idem numero, ergo & cauſatũ unũ & idem, non ſolùm æquale, quare materia ſtellæ Saturni, & materia cœli ſui erit una, & eadem numero. Per eandem viam eſt oſtendere, quòd & forma eorum eadem numero: quare cœlum ipſum Saturni cum ipſa ſtella ejuſdem erit idem numero, non ſolùm æquale alterum alteri; ſi verò non eſt unus, & idem numero, ſed fuit repetitus, tamen ex neceſſitate æqualis fuit intellectus, quo intellexit primo potentialitatem ſuam, cùm cauſaret materiam cœli ſui, intellectui, quo intellexit, vel eadem hora, vel alia, potentialitatem eandem, cùm cauſaret materiam ſtellæ illius. Neque enim laſſitudo, neque obſcuratio aliqua, aut cauſa minorationis facta eſt circa eum, cùm hujuſmodi mutationes ad intelligentias non attingant. Quia igitur ex æqualibus

Cauſa, & cauſata proportionalia.

Planetæ.

Nota.

cauſis æqualiter per omnem modum ſe habentibus æqualia eſſe cauſata, neceſſe eſt, manifeſtum eſt ex neceſſitate ęquales eſſe materias illas per omnem modum, & eàdem viâ eſt oſtendere æqualitatem formarum: neceſſe igitur erit cœlum Saturni æquale eſſe ſtellæ ſuæ, ſive planetæ, & ad hunc modum de aliis cœlis ſcilicet, & planetis ſe habere neceſſe eſt, circa quod non oportet, vel me, vel alium diſputare. Ampliùs Ubi erat illa innumerabilis multitudo intellectorum, quam intellexit intelligentia cœli ſtellati, dum cauſaret ejus formam? Manifeſtum enim eſt, quia in ſe ipſa non invenit tantam multitudinem, extra ſe igitur intellexit multitudinem quam intelligendo cauſavit iam multiformem varietatem in forma cœli illius; hoc autem non potuit eſſe, niſi vel ipſa multitudo, quę invenitur adhuc in forma cœli, vel alia poſt ipſam; alia verò quæ eſſet poſt illam, non potuit cauſa eſſe illius, cùm cauſa non poſſit eſſe poſterior cauſato ſi verò ipſa multitudo ſic intellecta cauſa fuit multitudinis poſtmodùm actu exiſtentis in forma cœli, hoc eſt, ſi intelligendo eam cauſavit eam, qualiter hoc denegabitur creatori, videlicet ut intelligendo per modum iſtum multitudinem univerſitatis, ſeu quamcunque ei placuerit, non cauſet eam? Quin etiam tantò ampliùs, ac fortiùs iſtud congruit creatori, quantò ſuus intellectus, & ſuum intelligere, ſuper omnem comparationem, immò cogitatum ſupereminet intellectibus omnium aliorum Manifeſtum igitur tibi eſſe debet ex his, quia iſta, quæ poſuerunt de generationibus intelligentiarum, atque cœlorum, magis dicta ſunt ſubtiliter, & ingenioſe, quàm verè.

Nota.

CAPUT XXVII.

De tribus cauſis, quæ videntur in errorem præmiſſum Ariſtotelem, & alios induxiſſe.

CAuſæ autem erroris iſtius videntur potiſſimùm fuiſſe tres. Harum prima fuit ignorantia eorum, qua non intellexerunt verbum creatoris, neque virtutem ipſius verbi. Eſt enim non ſolùm enunciativum, ut ita loquamur, ſed etiam imperativum imperioſitate forti in ultimitate fortitudinis propter quod ejus imperio obediunt non ſolùm ea quæ ſunt, ſed etiam ea, quæ non ſunt, & non ſolùm in faciendo, & non faciẽdo, quæ mandaverit, aut prohibuerit, ſed etiam in eſſendo, & non eſſendo, in fiendo, & non fiendo; propter quod quidam ex prophetis Hebræorum dicit. Qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea, quæ ſunt. Hujuſmodi autem exemplum eſt, quia ſi fuerit dignatio creatoris ut dicat mortuo per verbum illud ſuum, vel præcipiat, ſurge: eadem facilitate per omnia obediet ei mortuus, & ſurget ſive reſurget, qua obediret ei vivens, & ſanus: jacens, aut ſedens, ſi eum ſurgere juberet. Cùm enim de ſe ſolo, & per ſe ſolum poteſtatem imperioſiſſimam habeat, & in mortem & in vitam, ex neceſſitate pati facilitate eidem obediunt. Attende etiam, quia nos ipſi non ſolùm verbis noſtris annunciamus affirmantes, & negantes, ſed etiam imperamus quicquid fieri volumus: ſic & creator illo unico verbo ſuo, non ſolùm dixit omnia fieri, quæ fieri voluit, ſed etiam fieri mandavit, ſive præcepit, & hæc fuit una ex ignorantia eorum, quoniàm ſi fortè aliquid, vel noverunt, vel cogitaverunt, ignoraverunt, quod eſſet imperativum imperioſitate, quam dixi, & hæc eſt virtus ejus omnipotentiſſima Secunda cauſa fuit ignorantia libertatis ipſius creatoris, qua operatur abſque eo, quod prohiberi poſſit ullo modorum ab eo, quod

Verbum Dei.

Vide.

Digitized by Google

vult, aut cogi ad id, quod non vult: ipſi autem opinati nixi ſunt, ſicut prædixi tibi, quòd operaretur per modum naturæ, & juxta ordinem ipſius, cùm ipſe operetur per electionem, & voluntatem liberrimam. Quod ergo dicunt, quia ex uno ſecundùm quod eſt unum, & per id, quod eſt unum omni modo, &c. non pertinet ad creatorem in cauſationibus, & creationibus iſtis. Non enim operatur creator hæc cauſata, vel cauſat per id, quod unum, aut inquantùm unum ſed per voluntatem ſuam, & provt vult: ſicut figulus non per unitatem ſuam format vaſa fictilia, ſed per voluntatem ſuam, & propter hoc facit ea provt vult, & qualia vult; ſic & Deus per verbum ſuum quod non eſt verbum ſolummodò enuncians, ſed imperans imperio fortiſſimo, & ejus imperium, atque voluntas, non eſt aliud ab ipſo, & de iſto verbo ſimilitudines, & exempla dedi tibi aliqua hic. Verbum enim iſtud non eſt tantùm imago, ſeu expreſſio creatoris, immò eſt etiam expreſſio voluntatis creatoris lucidiſſima, ac perſpicua, quibus datum eſt ipſum audire, & intueri. Tertia cauſa fuit opinio eorum erronea, qua putaverunt elongationem poſſe aliquid apud creatorem, & æſtimaverunt creatorem longè eſſe à quibuſdam, & propè quibuſdam, & propter hoc ipſum non operari per ſe, aut minùs operari. Non intellexerunt igitur ſupereminentiam creatoris, & amplitudinem, ac fortitudinem virtutis ejus, qua attingit à ſummo univerſi uſque deorſum, & à primo creatorum uſque ad noviſſimum, omnia continens, tenens, & retinens, provt vult, & quamdiu vult, alioquin reciderent in non eſſe, unde educta ſunt ab ipſo, & per ipſum. Eſt igitur infra omnia, & ſub omnibus ut fundamentum, & fulcimentum ſuſtinens ea, & ſupportans, & eſt ſupra omnia non ſolùm ut Rex, & imperator omnium dominantiſſimus, immò & ut fons influentiſſimus, à quo inceſſanter deſcendunt rivi, ſeu fluenta bonitatum ipſius ſuper creaturas ejuſdem, hoc eſt ſuper omnia ſæcula, & ſæculorum ſingula, & intra omnia, & in omnibus, omnia nutriens propagans, moderans & regens, & propter hoc operatur omnia in omnibus, juxta quod exponam. Quemadmodùm enim prædixi tibi, quæcunque bona, quæcunque quolibet modo ſalubria à rebus exeunt, de præſentia ipſius hoc habent, quemadmodùm quòd ab anima exit vita, & hoc eſt quoniàm in ipſa anima præſentialiter eſt fons vitæ; ſic ſe habet, & in unoquoque aliorum, ſicut quòd à ſole exit lux, de præſentia eſt univerſalis, ac redundantiſſimi fontis, & ad hunc modum ſe habet de omnibus aliis operationibus naturalibus ſeu potiùs effluentiis, propter quod ſancti, & ſapientes in lege Hebræorum, & in lege Chriſtianorum, creatorem operari omnia in omnibus dixerunt, intendentes, & intelligentes omnia, quæ ſunt naturæ, vel gratiæ.

Nota.

CAPUT XXVIII.

De origine cœlorum.

QUòd autem verbum creatoris non tantùm ſit ars, & ſapientia ex ipſo, æternaliter, & apud ipſum genita, atque verbum, quo non ſolùm dixit omnia, vel fieri, vel fienda eſſe, ſed etiam imperavit, ſive mandavit, propter quod & illud dixi imperium ipſius, oſtendi tibi per ſimilitudinem verborum noſtrorum, quæ non ſolùm dictiones noſtræ, ſunt, id eſt, affirmationes, & negationes, ſed etiam imperia, id eſt, præcepta, & prohibitiones, & hoc evidenter atteſtatur ſanctus, & ſapiens in ſermone ſuo dicens: dixit Deus, fiat lux, & conſequenter

E multa ſimilia, ſicut illud, fiat firmamentum, quæ omnia ſonant imperium. Verbum enim, fiat, imperium eſt, ſeu mandatum utcumque inſinuans intelligentibus creatoris verbum eſſe etiam mandatum ejuſdem, ſive imperium, quo præcepit luci, ut fieret, & ſubjunxit. Et facta eſt lux, quaſi diceret, obedivit lux, quæ non erat, omnipotenti mandato creatoris, & de non eſſe, tanquàm vocata ab eodem verbo venit ad eſſe, quemadmodùm, ſi vocetur mortuus ad vitam. Eodem ergo verbo, & illo unico, quo dixit omnia, vel facienda, vel fienda eſſe, mandavit, vel præcepit, ut fierent, in nobis autem non eſt poſſibile ita eſſe, propter imperfectionem verborum noſtrorum; alio enim verbo, & alia locutione enunciamus, id eſt, vel affirmamus, vel negamus aliquid, alio præcipimus ſeu
F mandamus. Cùm autem attenderis diverſitatem multiplicem, quæ eſt in cœlis à parte motuum ſuorum polorum, & plagarum, & quia motus eorum eſt declinans, & obliquus à motu primi cœli, qui ſolus eſt rectus inter eos, & poli eorum diverſi à polo ejus: poli enim ejus poli mundi ſunt, propter quod ipſum philoſophi apla non vocaverunt id eſt, ſine errore, quoniàm motus ejus eſt ſemper unus, æqualis, non diverſus, neque obliquatus ſuper polos æquatoris diei, ſive æquinoctialis circuli: cùm inquam hæc omnia conſideraveris, erunt tibi hæc omnia indicium, per quod apparebit tibi non eſſe de intelligentiis, & animabus cœlorum, atque cœlis ipſis, ſicut ponunt, & hoc eſt, quoniàm & intelligentiæ, & animæ cœlorum, atque ipſi cœli ſimiles eſſent ex neceſſitate per omnia, exceptis comparationibus quæ ſunt ſecundùm prius, & poſterius, & magis, & minus in virtute, atque nobilitate, & cæteris
G hujuſmodi, aliàs autem unde eſſet iſta tanta diverſitas ſimiles enim cauſæ per modum, quo ſimiles ſunt, impoſſibile eſt, diſſimiles habere effectus. Jam igitur declaratum eſt tibi, quia univerſitas exivit à creatore, per verbum, & imperium ſuum ſeu mandatum, hoc eſt, provt dixit dictione ſua æternali, & verbo, & provt mandavit eodem verbo ſuo omnipotentiſſimo, atque imperioſiſſimo.

CAPUT XXIX.

De generatione cœlorum, & elementorum, utrùm ſimul, & ſubitò, an per ſucceſſionem, & generationem in eſſe exiverunt.

H IAm verò reſtant adhuc aliæ quæſtiones determinandæ, quarum prima eſt, utrùm omnia ſimul ab ipſo exiverint, omnia inquam, quæ non per generationem, & corruptionem fiunt; quæ enim generantur per corruptionem aliorum, ex neceſſitate poſteriora ſunt illis, ex quibus per ipſorum corruptionem generantur, cùm impoſſibile ſit aliquid *Nota.* generatum corrumpi, niſi poſtquàm generatum eſt, de his igitur manifeſtum eſt tibi, quo ordine à creatore exiverint, vel exeant. De ſubſtantiis autem nobilibus, abſtractis, atque ſpoliatis à materia non eſt conveniens, ut conſiderationem hîc faciam, quoniàm nondùm ſtabilitus eſt earum exitus à creatore, nec declaratum earum eſſe, quorum utrunque fieri neceſſe eſt, antequàm convenienter inquiri poſſit, qualiter exiverunt à creatore; de cœlis igitur, & terra cæteriſque elementis, de ſtellis, & luminaribus, *Nota.* & fortè de animalibus, atque vegetabilibus, ſi fortè fuerunt aliqua hujuſmodi prima, quod dico propter eos, qui mundi antiquitatem, vel æternitatem poſuerunt; hujuſmodi enim homines ponere neceſſe habent abſque principio ſemper fuiſſe generationem animalium, & vegetabilium,

&

Digitized by Google

A & generaliter generationem, & corruptionem æternã. Primùm igitur inveſtigandum eſt de cœlis, atque elemẽtis, utrùm ſimul exiverint, & utrùm ſubitò, an per generationem continuam. Et inter hæc ſi quid horum primum exivit, vel ſi qua exiverint prima. Ubi etiam conabor ſtabilire, quod dixit ſanctus, & ſapiens Hebræorum propheta in ſermone ſuo primo, cui etiam gens Chriſtianorum conſentit, dixit enim: In principio creavit Deus cœlum, & terram. Ubi præmittam hanc radicem: ordo naturæ ordo eſt creationis, cujus hæc eſt intentio, ut quæ priora ſunt naturâ, intelligantur eſſe priora creatione, ſive priùs creata. Quoniàm igitur extrema in omni contrarietate priora ſunt aliis, cœlum autem ultimum, & terra extrema ſunt inter corpora, atque contraria ſicut loco ſuo declarabo, ex neceſſitate ergo primò creata ſunt. Idem autem eſt B dicere primò creata, & in principio creata. *Nota.* Manifeſtum igitur eſt, quia in principio creavit Deus cœlum & terram; hoc enim eſt ante corporalia Apparet igitur tibi jam ex his, quia quædam narrationes propheticæ etiam concluſiones philoſophicæ ſunt, hoc eſt. in philoſophia declaratæ, ac demonſtratæ, ſicut eſt hæc: dixit & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt, ſimiliter & hæc: dixit Deus, fiat lux: & facta eſt lux: & ſimiles narrationes, quæ ibi ſequuntur. *Nota.* Hæc autem narratio qua dicitur: In principio creavit Deus cœlum, & terram, ex multis concluſionibus aggregata eſt, quarum prima eſt, Deum eſſe; & hujuſmodi declaratio pertinet ad primã primæ philoſophiæ partem. Alia concluſio eſt, cœlum & terram creata eſſe, & de potentialitate eſſendi educta eſſe in actum eſſendi, & generaliter omne materiarum, atque formarum, & hanc declarat ſcientia naturalis. Tertia eſt hæc, ſcilicet cœlum & terram inter corporalia primò creata eſſe, & hujuſmodi demonſtratio fundata eſt ſuper radicem, quam præmiC ſi tibi, quę eſt hæc, quia idem eſt ordo creationis, ſeu generationis quorumcunque, qui eſt eſſe, ſive eſſentiæ ipſorum, & declaratio radicis iſtius eſt per hanc aliam radicem, quia finium, & viarum ducentium ad illos, idem eſt ordo in prioritate, & poſterioritate. Eſſe autem, vel eſſentia, ſic ſe habet ad creationem, ſeu generationem, ſicut finis ad viam ſuam. Declaratur etiam idem ordo, id eſt, primitas creationis cœli, & terræ, per hoc, quia idem eſt ordo actuum, & potentiarum, ſive actualitatum, & potentialitatum; qui autem eſt ordo potentialitatum, idem eſt ordo exituum de illis & qui exituum, idem eſt & actuum, ſive effectuum. Quia igitur creatio, & generatio exitus ſunt de potentia in actum. & potentialitate in effectum eſſendi, manifeſtum eſt, quòd quorum primi ſunt actus, ſeu actualitates, eorum exitus de potentialitate primi ſunt. D Cùm igitur cœlum, & terra, ex neceſſitate prima ſint ut potè extrema inter corporalia, erunt ex neceſſitate eorum exitus de potentialitate eſſendi in actũ, vel effectum, primi. Exitus verò iſti non ſunt niſi generationes, aut creationes eorum. Quare mani- *Nota.* feſtè declaratum eſt tibi per hæc conſequenter ipſa eſſe prima creata, & hoc eſt dicere: In principio. Quarta verò concluſio eſt cœlum & terram à nullo alio creata eſſe, quàm ab ipſo Deo, ſeu creatore. Et ſuper hæc jam poſui tibi in eis, quę præceſſerunt, probationes, per quas deſtruitur ſermo eorum, qui poſuerunt cœlos creatos eſſe ab intelligentiis. Quia verò eſſe non poteſt dari niſi à creatore, manifeſtum eſt, nec intelligentiam, nec aliam ullam ſubſtantiam dediſſe eſſe cœlis, vel aliis quibuſcunque exiſtentibus.

CAPUT XXX.

Quòd ſolus creator dat eſſe rebus creatis, ex quo confirmatur quarta concluſio.

LIcet autem hoc declaratum ſit tibi in prima parte hujus magiſterii, faciam tamen tibi hîc rememorationem declarationis iſtius. Dico igitur, ſi non eſſet lux, niſi lux ſolaris, non eſſet lucere, vel relucere in alio niſi ab illa, vel per illam. Sic cùm non ſit eſſe eſſentiale, aut primitivũ, niſi creator, non erit receptum, vel datum, niſi ab illo, & per illum; & attende diligenter cõparationem iſtam: quoniàm eſſe eſt primum, & maximum id eſt ampliſſimũ omnium eorum, quæ procedunt à creatore, & quod recipit B unumquodque ab ipſo. Impoſſibile enim eſt manifeſtum, aliquid recipi, vel fluere, ſuper rem quãcunque, ante eſſe. Non enim receptibile eſt alicujus influẽtiæ, niſi quod jam recepit, & habet eſſe Eſt igitur eſſe ſicut lumẽ ſparsũ à luce creatoris ſuper amplitudinẽ & latitudinẽ univerſi, & ſicut influẽtia implens profunditatem, & receptibilitatem, ſive capacitatem ejuſdem Sic igitur imaginare creatorem univerſi, *Nota.* ſicut lumen radiantiſſimum, & ſimiliter imaginare eſſe univerſi, ſicut circumfulgentiam ipſius, & radioſitatem, & luminoſitatem quandam ipſius expanſam *Nota* in omnibus, & per omnia: ſicut igitur ea quæ lucerent, ſi ſola lux ſolis eſſet, ſuum lucere non deberent niſi illi; ſic quæcunque ſunt, non debent ſuum eſſe, niſi creatori, & hoc incomparabiliter ampliùs, quàm lucentia debere poſſẽt ſuum lucere luci ſolari. Cauſa autem una eſt in hoc, quoniã lux ſolaris elongationẽ habet ex neceſſitate, & propinquitatẽ ad illuminabilia ſua corporalẽ, ſeu localẽ. Creator verò unicuiq; creatorũ proximus eſt, ac præſentiſſimus, immò etiã C intimus, & hoc apparere tibi poteſt per abſtractionẽ ſive ſpoliationem conditionũ omniũ atq formarum accidentaliũ, & ſubſtantialiũ. Cùm enim ab unoquoq. creatorũ omnia hæc abſtraxeris, ultimũ omniũ invenietur eſſe, vel entitas, & propter hoc dator ipſius: verbi gratiâ, cùm Socratẽ ſpoliaveris formâ ſuâ ſingulari, qua eſt Socrates, & à ſpecifica, qua eſt homo & à generalib' quibus eſt animal, corpus ſubſtantia, adhuc remanebit ens, quapropter remanebit ei eſſe ſuũ, & entitas, quaſi intimũ indumentũ ipſius, & velut interula, qua primò induit ipsũ creator, & cùm ipsũ eſſe, & entitatẽ ei detraxeris, erunt ei detractæ omnes cauſæ eſſendi, & adminicula excepto ſolo creatore. Quare manifeſtũ eſt quòd omnium adminiculorũ, & adjumentorũ eſſẽdi, primum eſt creator & intimũ. Hæc autem omnia idcireò ſcripſi tibi hîc, ut erigãt te quoquomodò ad imaginandũ D ſublimitatẽ creatoris, cujus cõpleta cognitio beatitudo eſt, & gloria virtutis intellectivæ noſtræ. Jam igitur ad hoc deduxi te per vias probationum, & declarationũ, ut certũ ſit tibi inter corpora & corporalia, primò creata eſſe cœlum, & terram. Et quia narratio prophetica, qua dixit ſanctus, & ſapiens in ſermone ſuo: In principio creavit Deus cœlum, & terram: concluſio eſt aggregata ex tribus concluſionibus, vel quatuor, in ſcientiis divinalibus, & naturalibus declaratis, ac demonſtratis, & feci tibi rememorationem quorundam ex declarationibus hujuſmodi, qualem opus fuit, & decuit hîc fieri.

CAPUT XXXI.

Utrùm primum cœlum creatum ſit empyreum, an aliud.

REſtant adhuc quæſtiones, de cœlo in principio creato, quid, vel quod illud ſit, videlicet, an

totum, quod eſt à Luna ſupra, ideſt inter intimam cœli lunaris ſuperficiem, & extremam, ſivè extimam ſuperficiem cœli, quod Græci aplanon nominant, an ſit aliud cœlum ſupereminens huic toti, de quo ſoli ſapientes Chriſtianorum loquuntur, & Græco nomine vocant illum empyreum, hoc eſt, valdè igneum, non à vehementia ardoris, ut ipſimet dicunt, ſed à ſupereminentia ſplendoris. Stabilire autem eſſe iſtius cœli non eſt locus hic, quin potiùs in ſequentibus, ubi numerabo tibi partes, & declarabo, univerſi corporei, ſeu corporalis, Hoc igitur ſuppoſito interim, videlicet, quòd ſit cælum præter cœlos nominatos à philoſophis, longè ſupereminens illis, non tam altitudine locali, quàm etiam nobilitate, relinquitur perſcrutandum, utrùm ſubitò, an per partes cœlum illud, & terra creata ſint, & utrùm aliqua alia ſint ſimul creata cum eis, hoc eſt, eodem die, vel hora, vel puncto temporis, & quæ, & quot ſint illa, quæ ſimul cum ipſis creata ſint Dico igitur, ſi non eſſent inter cœlum, & terram creata aliqua corpora, vel aliquod unum, cùm ſolum corpus locum implere poſſibile ſit, ex neceſſitate inter cœlum, & terram eſſet vacuum Jam autem didiciſti alibi, & etiam in præcedentibus, & etiam declaratum eſt tibi per me, vacuum eſſe non poſſe, & facile eſt tibi ex illis, quæ præmiſi tibi in hoc tractatu circa vacuum, oſtendere, quia ſi vacuum eſſet inter prædictum cœlum, & terram, illâ horâ ex neceſſitate cęlum terræ contiguum eſſet ex omni parte, cùm vacuum diſtantiam facere non poſſit, ſicut jam didiciſti. Sequeretur etiam ex hoc, quòd intima ſuperficies cœli, quæ eſt concavitas ejus eſſet, æqualis extimæ, ſeu extremæ ſuperficiei terræ, quæ eſt per modum quendam convexitas ipſius. Ampliùs. Elongatio, quæ modò eſt inter cœlum & terram, eſſet facta aut per motum localem cœli, aut per inſpiſſationem, aut denſationem ejus. Utrunque autem eſt impoſſibile manifeſtè; ſi enim fuiſſet cœlum ſic motum localiter in omnem partem motu ſurſum, videlicet ut ſuperius hemiſphærium motum fuiſſet in ſuum ſurſum, & inferius ſimiliter in ſuum ſurſum, quod eſt inferius ad nos ſecundùm ſitum, facta eſſet ex neceſſitate ſciſſura inter duo illa hemiſphæria, & abruptum eſſet alterum ab altero Eodem autem modo neceſſe eſſet de aliis partibus, quare totum cœlum ſciſſum eſſet in duas partes, & totaliter laceratum. Quòd ſi ſuperius hemiſphærium motum fuiſſet in ſurſum, & per hanc viam elongatum à terra, inferius autem hemiſphærium quaſi tractum ab ipſo, ex neceſſitate appropinquaſſet terræ, & fuiſſet motum motu in deorſum, videlicet ad terram, & ita duæ partes cœli fuiſſent motæ contrariis motibus: hoc autem impoſſibile eſt, cùm natura una ſit duorum hemiſphæriorum: motus enim contrarii manifeſtè ſunt motus à terra, & motus ad terram. Neceſſe igitur erit ſecundùm hanc poſitionem per inſpiſſitatem corporeitatis cœli factam fuiſſe iſtam elongationem. Quare ſubſtantia cœli erit rarefactibilis, & denſabilis. Non eſt autem opus, ut contra quamlibet opinionem diſputetur, præſertim cùm adeò manifeſtæ falſitatis ſit, ut inconvenientia, quæ ex ea ſequuntur, quilibet etiam parvi intellectus facilè videat. Inutiliter quippe data fuiſſet cœlo ab initio ſubtilitas, & raritas ſubſtantiæ, ſive corporeitatis ſuæ, ſi tam citò oportebat ipſum mutari in contrariam diſpoſitionem. Sequitur etiam ex hoc, ipſum creatorem ignoraſſe menſuram operis ſui, vel de induſtria erraſſe; ſi enim præſcivit magnitudinem, in qua debebat eſſe, & remanere cœlum, cur ab initio illam eidem nòn

Nota.

E dedit? Nullus enim artificum apud nos adeò imperitus eſt, adeòve parùm ſolicitus operis ſui, ut ſcienter in eo faciat aliquid, quod ſtatim oporteat eum deſtruere, vel corruere: ſi verò non præſcivit menſuram operis ſui, neceſſariò fuit vel erroneus, vel ignorans in eodem: hic autem tantus defectus nec in mediocriter peritis apud nos artificibus invenitur. Sermo igitur iſte manifeſtè erroneus eſt. Patefactum igitur eſt tibi, qua de cauſa inter cœlum primò creatum, & terram, neceſſariò fuit creatum cum illis vel unum, vel plura. Qui autem dicunt ultra cœlum, quod nominant aplanon, nihil eſſe corporeum, vel corporale & ponunt illud cœlum primum, qui & novem cœlos, hoc eſt totum, quod eſt inter cœlum lunare, & aplanon, vocant quandóque cœlum, & Ariſtoteles interdùm dicit totum illud eſſe unum continuum; iſti ergo ponunt inter illud cœlum, & terram, F quatuor elementa modò eſſe, & quidam ex eis materiam quatuor elementorum creatam fuiſſe ab initio, velut maſſam quandam confuſam: revolutione autem cœli calefactam, & exſiccatam & ſubtiliatatam ſuperiorem partem ipſius, & ſic generatum ignem elementum, & eſſe contiguum cœlo lunari: ſecundam verò ejuſdem materiæ partem dicunt eodem motu cœli ſubtiliatatam quidem, & calefactam eodem motu cœleſti, non autem exſiccatam, & ideò remanſiſſe humidam, & ſic ex illa generatum eſſe aera: tertiam verò propter majorem elongationem à motu, minus quidem ſubtiliatatam, & omninò non calefactam, & propter hoc generatam eſſe ex ea aquam elementum, terram autem vel creatam eſſe ab initio in ea groſſitie ſubſtantiæ, in qua eſt, quod G inſinuat narratio illa prophetica, quam præmiſi tibi, vel reſediſſe in fundo mundi iſtius ſublunaris, tanquàm fœcem omnium elementorum, & ſic generatam eſſe per ſeparationem partium ſubtiliorum, atque nobiliorum à communi maſſa. Iſti igitur, ſi volunt intelligere ſermonem propheticum antedictum, neceſſe habent ponere, quòd in principio creavit Deus cœlum, & terram, id eſt, maſſam illam, materiam quatuor elementorum & omnium aliorum generabilium, in mundo iſto naturæ, præſertim cùm ipſi ponant generationes omnes, quæ hîc fiunt, fieri per motum cœlorum, quemadmodùm formationem vaſorum fictilium per revolutionem rotæ figuli. Cùm igitur Deum ponant omnium formabilium iſtorum factorem, & velut figulum, rotam verò cœli ponant eſſe inſtrumentum, per quod omnia iſta format, aut generat, neceſſe habent intelligere, ut dixi, quod dicitur: In principio creavit Deus cœlum, & terram, tanquàm univerſorum figulus rotam & li- H mum. Manifeſtum enim eſt, de figulo quia in primis habet providere ſibi de rota, & limo, antequàm procedere poſſit ad formationem cujuſcunque vaſorum, quæ per rotam de limo formaturus eſt. Eſt igitur rota cęli ſub pedibus creatoris hoc eſt, ſub beneplacito ejus, ut volvat eam, prout requirit formatio vaſorum, quemadmodùm rota figuli ſub pedibus ejuſdem, & materia illa, atque ipſa elementa ex illa generata in voluntate ejus, quemadmodùm lutum obedientiſſimum in manibus figuli, & huic ſermoni concordare videntur aliqui ſermones prophetarum. Verùm difficile eſt eis, ſermones prophetarum qui ſequũtur, iſti intellectui ſuo convenienter aptare, pro eo, quòd omnia elementa ſub cœlo eſſe ponunt, & per cœlum, ut prædixi generata fuiſſe, & ita nihil aquæ eſſe ultra lunam, quoniàm nec ultra aera. Sermo verò propheticus videtur ponere totum cœlum antedictum, id eſt, novem cœlos creatos

Nota.

creatos fuiſſe in medio aquarum, & medietatem aquarum ſuper cœlos eſſe, ac remanſiſſe. Cœlum verò quaſi natare ſub aquis illis & ſuper aquas inferiores. Cauſa autem, quæ eos ad hoc induxit, una videtur eſſe contrarietas, quam opinati ſunt eſſe inter cœlum iſtud, & terram. Terra enim omnium corporũ, immobiliſſima eſt ſecundùm totum, partes enim ejus multæ ſecundùm totum moventur, ſicut una gleba, vel unus mons, quemadmodùm apparet in terræ motu. Cœlum verò nobiliſſimum omnium corporum, quæ nota ſunt nobis. Quare ſicut illa infima, ita illud ſupremum. Alia autem cauſa, quoniàm quies, & motus contraria ſunt, locus verò medius in ſphæra mundi, qui & infimus eſt locus eſt quietis proprius, & propter hanc cauſam datus eſt terræ naturaliter ſicut & quies data eſt ei ſolùm ſecundùm totum Quare motus locus proprius erit extremus, ſive ſupremus. Hoc igitur cœlum, quod eſt nobiliſſimum omnium, ſupremum naturaliter obtinet locum. Modis enim omnibus eis viſum eſt, ut ſicut infima mundi pars, id eſt, terra, ſecundùm totum perpetuò tota quieſcit, ita ultima pars mundi, ſive extrema, tota perpetuò moveatur. In ſequentibus autem ſatisfaciam tibi de hoc, & declarabo cœlum aliud eſſe, quod eſt omnium cœlorum ultimum, ac ſupremum, cui nec eſt motus, nec inquietudo aliqua, immò eſt perpetua ſtabilitate quietũ, atque firmatum. Quòd ſi qui ſic ponunt, cœlos non alia de cauſa moveri niſi propter generationem, ſeu formationem generabilium, ſicut dicunt de rota figuli, non erit naturæ motus hujuſmodi, ſed obedientiæ Dei altiſſimi, ceſſaturus ex neceſſitate, cùm ceſſabunt generatio, & corruptio, quas eſſe ceſſaturas ſuo loco patefaciam tibi per vias probationum, ſi Deus voluerit, & etiam ipſos motus cœlorum ceſſaturos.

Nota. Nota.

CAPUT XXXII.

Stabilitio decimi cœli, quod empyreum vocatur, & ſtabilitatis, atque quietis ipſius.

Nota.

ET quoniàm prophetæ tantò credidit primùm gens Hebræorum inducta ſignis & mirabilibus, in quibus miſſus eſt, ut ei crederetur ab ipſis, & per quæ etiam humiliato rege Ægyptiorum, & flagellata Ægypto flagellis, quibus nec dii Ægyptiorum reſiſtere potuerunt, populum Hebræorum à ſervitute Ægyptia liberaret, gens etiam Chriſtianorum non minus eidem prophetæ credit, qui etiam magnificentiùs, atque ſublimiùs de eo ſentit, & ſermones ejus, ſicut & verè ſunt, ſermones reputat Dei, & nefas eſſe contradicere eis, proſequar tibi narrationes ejuſdem prophetæ, & declarabo veritatem, in quam lex utraque conſentit. Dico igitur, quòd cœlum ultimum, ut prædixi, eſt ultra novem notos, ac nominatos cœlos, ſupereminens eis diſtantia multa, & eſt iſtud cœlum habitatio ſubſtantiarum, quæ vocantur angeli ſancti, & terra non eſt ejus contrarium ſecundùm totum, ſed ſecundùm medium ſui, quod nominant infernum. Quemadmodùm enim infernus locus eſt puræ, & maximę, & ſolius miſeriæ; ſic cœlum illud locus eſt puræ, ac maximæ, ſoliuſque fœlicitatis. Manifeſtum eſt autem tibi per ſe, quia indigentia eſt pars miſeriæ, quare manifeſtum eſt in loco illo, nihil eſſe indigentiæ, ſicut nihil miſeriæ. Motus autem omnis propter indigentiam eſt, & ſi fuerit localis, erit propter indigentiam loci aut ſitus, qui per motum quæritur, quare apud cœlum illud omninò impoſſibile eſt eſſe motum Quòd ſi dixerit quis, quoniàm

Nota.

A habitatores cœli illius ſeorſùm ſunt ab omni indigentia, non autem ipſum cœlum, & propter hoc movetur, quia ipſum indiget renovatione ſituum in partibus ſuis, non in ſe toto, vel quia motus ipſe perfectio ejus eſt, dico quòd ipſe erroneus eſt, primùm, quia motu iſto & ſi acquiruntur novi ſitus partibus cœli continuè, ſic etiam auferuntur, & continuè, per eundem motum eiſdem; pars enim quæ motu venit ad hunc ſitum, videlicet, ut ſuperemineret verticibus noſtris, eodem motu rapitur, & depellitur ab eodem ſitu, & ad hunc modum ſe habet de ſingulis partibus illius cœli. quare quicquid acquiritur de ſitu partibus cœli per motum illum circularem, totum aufertur eidem per ipſum. Quicquid igitur confert eis in parte iſta, aufert eiſdem. Idem eſt igitur, ac ſi nihil per ſe hujuſmodi motu eis acquireretur. Quare omninò eſt eis ſuperfluus & inutilis hujuſmodi motus. Ampliùs Si virtus illa, ſive anima, ſive ſit aliud, propter hoc quærit, vel amat motum ejuſdem, ut partes ejus ſitus B illos acquirant; ergo propter contrarium debet & quærere & efficere motum contrarium Quia igitur per hujuſmodi motum amittunt ſic acquiſitos ſitus, debet virtus illa prohibere motum auferentem eoſdem ſitus; quare non magis movebit virtus illa cœlum, quàm quietabit. Ampliùs. Aut appetit cœlum cunctos ſitus illos propter ſe, aut propter aliud; ſi propter ſe, quieſcet igitur illis acquiſitis, quoniàm completum erit deſiderium ejus in parte iſta; quare ſicut ſemper movetur, ita ſemper quieſcet ex neceſſitate cùm ſemper obtineat ſitus quos per motum acquirit; hoc autem eſt dicere, quia in omni hora, & omni puncto, obtinet ſitus in partibus ſuis, ad quos per motum venit quòd ſi dixerit, quia propter aliud quærit ſitus hujuſmodi partibus ſuis cœlum quàm propter ſe, dico, quoniàm aut acquiſitis illis acquirit illud, aut non ſi ſic, ceſſat igitur motus acquiſitis ſitibus illis; omnis enim motus ceſſat acquiſito fine C qui per ipſum intendebatur ſi autem non acquirit illud, vel obtinet, acquiſitis ſitibus hujuſmodi, fruſtra igitur intendit ſitus illos propter illud. Inſuper & erronea eſt ejus intentio, quæ intendit per ſitus hujuſmodi acquirere, quod non obtinet eis obtentis Si verò dixerit, quia motus eſt perfectio, quam intendit ipſum cœlum, ſequitur hunc ſermonem, quòd omnium perfectibilium ipſum vilius ſit, & hoc multis viis. Primùm quoniã perfectibilibus inferioribus ideſt quæ ſunt in mundo naturæ, motus via eſt ad perfectionem Nulli autẽ eſt perfectio vilior, quàm via ſine fine, inquantùm via eſt Quare perfectio cœli ſecundùm hoc erit vilior omni perfectione cujuſcunq; alterius perfectibilis. Secũdò, quia cùm interrogati fuerint, propter quid moveatur cœlum, non habent quid reſpondeant; aut enim D movetur propter motum & ita movetur, ut moveatur, & ita erit motus cauſa ſui ipſius, quod eſt manifeſtũ impoſſibile, aut reſpondebunt, quia movetur propter aliud, & tunc non eſt motus perfectio illa, quã quærit, ſed illud aliud, quod per motum quærit, & propter quod movetur. Non poteſt igitur reſponderi ad hanc quæſtionem propter quid moveatur cœlum. Ampliùs. Aut movetur propter aliquid, aut nõ; quòd ſi movetur propter aliquid; ergo propter motum, vel propter aliud Jam autẽ deſtruxi tibi & oſtẽdi, quia nec propter motũ, vel propter aliud; relinquitur igitur, ipſũ moveri propter nihil ideſt nullo fine: quare nullo fructu, vel utilitate; fruſtrà igitur, & vanè movetur. Ampliùs Si motus eſt totus finis, quẽ intendit, aut intendit hujuſmodi finem per viam aliquã, aut non. Si intendit eum per viam aliquã: via autẽ per quam venitur ad quemcunque finem, non eſt niſi motus, aut mutatio aliqua; quare

Nota. Nota. Vide.

Digitized by Google

per motum intendit motum, & per motum non poteſt intendere eundem motum: tunc enim idem eſſet finis ſibi ipſi, & via ad ſeipſum, quare prius, & poſterius, majuſque, & minus ſeipſo, cùm omnis finis & major, & melior, & prior ſit viâ ſuâ, hoc eſt, quæ ducit ad illum. Si verò intendit motum iſtum propter alium, erit eadem quæſtio de illo alio, & ibit res in infinitum. Ampliùs. Si motus iſte eſt finis, vel perfectio, quam intendit cœlum ultimum; ergo eo acquiſito debet quieſcere. Quia igitur ſemper habet hunc finem, ſemper debet quieſcere. Ampliùs. Motus eſt diſpoſitio non permanens in partibus ſuis, immò eſt jugiter fluens, & nihil ejus totum ſimul eſt, nec poſſibile eſt aliquid illius ſtare, vel retineri. Quare ſi motus eſt perfectio cœli illius, vel finis, perfectionem intendit, & quærit, quam retinere non poteſt & quæ ex neceſſitate tota labitur, ita ut nihil ejus retineri poſſibile ſit. Quis autem error intolerabilior inveniri poteſt, quàm perfectionem quærere, quæ ſemper ſit in defectu, & finem, in quo quieſcere impoſſibile eſt? Ampliùs. Aut cœlum iſtud intendit omnes revolutiones ſuas, quæ futuræ ſunt ei, aut intendit unam earum, aut quaſdam: ſi omnes, impoſſibile igitur eſt deſiderium ejus adimpleri, cùm impoſſibile ſit omnes revolutiones conſummari; ſecundùm enim poſitionem eorum nec numerus eſt, nec finis revolutionum cœleſtium, quare nec conſummatio. Ampliùs. Secundùm hoc finis deſiderij iſtius, quo movetur cœlum, infinitus eſt, & infinibilis, & propter hoc deſiderium ejus eſt inadimplebile, quemadmodùm ſi aliquis intenderet cogitare pecuniam infinitam, ſtulto deſiderio duceretur, & erronea intentione, ſi pecuniam infinitam ipſum habere impoſſibile eſſet. Si verò intendit vel unam aliquam, vel aliquas determinatè, illis igitur expletis, quieſcet. Ampliùs. Totus motus præteritus jam diſperiit, & abſceſſit in nihilum, ergo quaſi medietatem ſuæ perfectionis amiſit. Quare remanet imperfectum cœlum iſtud quantùm ad hoc, quod enim omninò *Nota.* non eſt, perfectio alterius eſſe non poteſt. Si igitur eſt perfectum cœlum hujuſmodi perfectione, videlicet, quæ eſt motus, ſolo motu futuro perfectum eſt, ſed ille etiam ſimiliter omninò non eſt, quare non eſt perfectum cœlum hujuſmodi perfectione, niſi per id, quod non eſt. Ampliùs. Nihil eſt motu deficientius, cùm ejus eſſe non ſit, niſi deficere, quare nihil eſt perfectioni ineptius. Qualiter igitur perficit cœlum, quod manifeſtum eſt inter corpora eſſe perfectiſſimum, ſecundùm eos? Ampliùs. Anima illa, quæ movet cœlum ſecundùm iſtos, intendit ei acquirere in partibus ſuis quoſdam ſitus poſt alios, ut quid ergo non retinet illos, cùm acquiſierit illos? Ampliùs. Non minùs intendit hujuſmodi anima transferre partes cœli à ſitibus, quos ei acquirit, quàm adducere illas ad ipſos. Non minùs igitur intendit auferre illi ſitus illos, quàm conferre, quare non minùs intendit perficere cœlum quantùm ad hoc, quàm perfectiones eidem auferre. Ampliùs. Sicut idem motus rectus eſt acceſſus ad unum locum, & receſſus ab alio; ſic motus iſte circularis partium cœli ſimul eſt acquiſitio novorum ſituum, & amiſſio quorundam aliorum æquivalentium, videlicet eorum, quos obtinent nunc partes illæ; quare non plus eſt perfectio, quàm defectio. Ampliùs. Quæ utilitas eſt partibus cœli in acquiſitione novorum ſituum, quos obtinebunt poſt præſens nunc? Cùm enim non meliores ſint, quàm hi, quos nunc obtinent, nullo modo eorum eſt eis utilis acquiſitio eorum; quare inutilis eſt, vel cœlo, vel partibus ejus motus hujuſmodi. Ampliùs. Aut meliores ſunt quidam de hujuſmodi ſitibus partibus cœli, quàm alij aliquo modo, aut non. Si meliores, debent igitur partes cœli diutiùs in illis eſſe, quàm in aliis: hoc autem non eſt verum, cùm motus cœli continuus ſit, & æqualis. Quòd ſi nullò modo meliores ſunt quidam eorum aliquibus ex aliis: in nullo igitur prodeſt eis mutare eos, quod autem nullo modo eorum prodeſt omninò, vel noxium eſt, vel vanum. Quare mutatio ſituum, ſive motus eſt omninò, vel noxia cœlo, vel partibus ſuis, vel inutilis, & fruſtra. Ampliùs. Si omnes ſitus ſunt æquè boni cœlo, & partibus ejus, ergo cùm deſerit quoſdam, & acquirit alios, æquè bonos amittit, ut ſunt illi quos acquirit: perinde igitur eſt, ac ſi non acquireret: quare fruſtra laborat in acquirendo. Ampliùs. Si perficitur in acquirendo, neceſſe eſt, ut deperficiatur amittendo æquè bonos. Si enim acquiſitio novorum eſt perfectio ejuſdem, neceſſe eſt ut amiſſio eorum ſit amiſſio perfectionis.

CAPUT XXXIII.

Quòd cœlum extremum, ſive ſupremum, neceſſè eſt eſſe quietiſſimum.

HÆc igitur omnia aggregavi hîc, ut patefacerem tibi, quia motus non poteſt eſſe perfectio: & quoniàm quies, atque ſtabilitas dignior eſt eſſe perfectio ejuſdem, vel comes perfectionis, quia perfectio hæc finis eſt, in quo quieſcit unumquodque; motus enim fruſtra eſſet, ubi nec indigentia, nec imperfectio eſt. Manifeſtum etiam eſt, quia natura non movet, niſi ad id, in quo quietibile intendit ſubjectum, quod movet, & propter hoc diffinitur ab Ariſtotele, principium motus, & quietis per ſe mobilis, & cætera: quin etiam ſi vera eſſet poſitio eorum, motus cœli non eſſet per ſe cœli, ſed partium ejuſdem, & hoc eſt, quoniàm cujus eſt finis, ejuſdem eſt & motus: quia igitur finis, & perfectio hujuſmodi motus eſt videlicet renovatio ſituum partium ipſius cœli per ſe, erit & motus cœli earum per ſe, cùm renovatio ſituum ſit finis, & perfectio; contrarium autem didiciſti, & dici conſuevit à philoſophis. Cœlum igitur extremum, ſeu ſupremum neceſſe eſt eſſe quietiſſimum propter ultimitatem elongationis ſuæ ab imperfectione, & indigentia. Ampliùs. Qualiter creator providiſſet terræ de loco quietis, perpetuæque ſtabilitatis, & non potiùs cœlo, maximè ultimo, ſed reliquiſſet ipſum in inquietudine, & in inſtabilitate? Præſertim cùm poſt reſurrectionem univerſalem futuram, quam omnis lex promittit, ibi collocandi ſint omnes, quibus bonitas creatoris præparavit fœlicitatem æternam, & quos elegit ad illam. Non enim poſſet ibi eſſe eis fœlicitas, ſi eorum habitatio tam inquieta vertigine continuè volveretur. Motus quippe ultimi cœli eſſet omni tempeſtate rapidior, quia & de quolibet aliorum cœlorum hoc manifeſtum eſt. De reſurrectione verò mortuorum, licet omnis lex eam ſupponat, certitudinem tibi faciam loco ſuo, videlicet in capitulo de renovatione univerſi.

CAPUT XXXIV.

De ordine, ſive poſitione empyrei cœli ad alia corpora:

HIs igitur ita determinatis, & poſitis, videlicet, quòd cœlum primum creatum ſit quietiſſimum in extremo, & ſupremo univerſi corporei, ſeu corporalis, terra verò ex oppoſito, dico quòd *Nota.* conſequens eſt, ut cœlum, quod eſt in ultimitate mobilitatis, ſit in æquali diſtantia ab illis duobus,

Digitized by Google

hoc eſt dicere in medio eorum, ſicut narrat ſermo propheticus. Fiat firmamentum in medio aquarum, aquam quippe totam maſſam, ſeu molem, quæ inter terram, & cœlum illud quietiſſimum, creata eſt, & Hebræi ſapientes, & Chriſtiani in rebus divinalibus philoſophantes, nominatam dixerunt terram: quidam autem etiam & aquam, & abyſſum ipſam vocatam arbitrati ſunt, terram & aquam, quia potentialiter utrumque eorum erat; utrunque enim ex ea erat generandum, & generatum eſt omnipotenti virtute creatoris; abyſſum autem quidam eam dixerunt propter profunditatem, & confuſionem. Narratio autem prophetica totum inſinuat fuiſſe aquam à terra uſque ad cœlum empyreum, & totum vocat abyſſum, quæ eſt propria nominatio aquarum multarum, & in medio hoc aquæ, quam præ multitudine ſua vocavit abyſſum, dicit factum fuiſſe cœlum, quod & vocat firmamentum. De igne verò, & aëre, ac generationibus eorum nullam videtur penitùs facere mentionem, B licet quidam ex philoſophis Hebræorum ſomniaverint, per ſpiritum domini prophetam aëra intellexiſſe, eo quòd apud eos, hoc eſt, in litera hebraica legis, pro ſpiritu habetur ventus tanquàm ventum opinaretur eſſe aëra motum, quod & quidam æſtimaverunt, & error eorum deſtruitur in ſcientia meteororum. Per tenebras verò, ubi dicitur, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, voluit intelligere ignem elementum, eo quòd tenebroſus ſit ignis hujuſmodi; ſi enim luminoſus eſſet, videretur, vel de *Nota.* nocte, vel de die, cùm totaliter circundet aera, & natet ſuper ipſum, & ita totum cœlum videretur nobis ardere, qui ſumus in terra; hujuſmodi autem error eſt ex ipſo ſermone prophetico manifeſtus, quoniàm ſecundùm hoc dixiſſet propheta, quia tenebræ erant ſuper ſpiritum domini, id eſt, ignis ſuper aera. Ampliùs. Firmamentum non eſſet factum in medio aquarum. Si enim eſſet factum in medio earum, ſicut & ipſe textus prophetiæ dicit, C pars aquarum eſſet ſub eo, & pars ſupra; aer verò, & ignis ex neceſſitate ſunt ſuper omnes aquas, & erant ſecundùm ipſum; tunc ergo neque aer, neque ignis *Nota.* eſſent ſub firmamento, neque iſte aer eſſet veri nominis, ſed potiùs aqua calefacta. Ampliùs. Inordinatiſſimè locaſſet Deus cœlum in medio aquarum, cùm naturali nobilitate ſupereſſe debeat omnibus elementis, & hoc requirit etiam motus ejuſdem circularis, qui recto motu ex neceſſitate prior eſt, atque perfectior. Motus autem elementorum omnium rectus eſt. Propter hanc difficultatem dixit nomine aquarum prophetam uſum fuiſſe æquivocè, & nomine aquarum intellectum fuiſſe totam materiam illam, ex qua facta eſt generatio cœlorum & elementorum. Et in hac æquivocatione multi etiam ſapientum Chriſtianorum eidem concordant, dicentes: cùm eſſet dictum ab eodem propheta, Congregentur aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt in locum unum; intellexiſſe eum notas nobis aquas, quas maria continent: cùm verò dixit: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, intellexiſſe eum prædictam materiam. & ex media D parte ejus factos fuiſſe novem cœlos, tanquàm ſi diceretur. Fiat firmamentum in medio aquarum, id eſt firmitas, quod eſt dicere, firmentur media earum firmitate, ſcilicet, ac ſtabilitate cœleſtis formæ, ut non ſubjaceant mutabilitati, & corruptioni, cui ipſa aqua, & inferiora corpora ſubjacent; & intellexerunt aliqui firmationem iſtam congelationem, & obdurationem inſtar cryſtalli: alij verò coagulationem ſimpliciter eam nominaverunt; ſicut quidam *Nota.* ex philoſophis Hebræorum dixit, coagulatam eſſe guttam mediam, hoc eſt, medium aquarum, ſive

A mediam partem. Qualiter autem hoc factum ſit, in ſequentibus determinare tentabo. Iterùm autem revertatur ad ſtabiliendum probationibus, & declarationibus aliis primum cœlum, quod empyreum vocant qui de illo loquuntur. Dico igitur, quia medius locus, qui in mundo eſt, ſive omnium infimus, debetur terræ tanquàm ei proprius, & naturalis, & propter hoc quieſcit in eo quiete perpetua, quare ſupremus locus in mundo debetur alicui corpori, tanquàm ejus proprius, & naturalis, & propter hoc quieſcit in eo quiete perpetua; eſt igitur ultra novem cœlos mobiles cœlum aliud quietiſſimum. Quòd ſi dixerit quis, quia totum cœlum nonum quieſcit ſecundùm ſitum, & hoc ſecundùm ſe totum: ſed partes ejus moventur propter acquiſitionem, & renovationem ſituum, quos partes inquirunt naturaliter: hujuſmodi ſermonis error facilè deſtruitur, ſcilicet per hoc, quòd natura partium eadem eſt, quæ & totius; quodlibet enim cœlo- B rum, excepto forſitan ſtellato, ſimplex eſt, hoc eſt homogeneum, hoc eſt unius naturæ in omnibus partibus ſuis. Manifeſtum igitur eſt, quoniàm naturaliter partes cœlorum, nec novos ſitus nec nova loca inquirunt, ſicut neque ipſi cœli. Ampliùs. Iſti *Nota.* ſitus non ſunt, niſi ſupereminentia directæ oppoſitionis ſuper inferiora corpora, quare pars cujuſcunque ex cœlis, quæ non excedit latitudinem terræ non habet iſtos ſitus ad terram. Cæteræ enim partes omnes declinant, ſive exeunt à directa ſuperpoſitione ipſius. Eodem modo ſe habet & de aliis elementis, ideſt, de igne, aere, & aqua. Si hoc igitur quæritur ad perfectionem ſui naturaliter: partes autem ſeptemtrionales, & auſtrales eædem naturaliter ſunt omnes cum ſuis cœlis; inquirent igitur *Nota.* naturaliter ſimiles ſuperpoſitiones orbi terræ, & ita mutabunt loca ſua, ut appropinquent ad media cœlorum ſuorum, & ita partes primi cœli, ſcilicet noni, auſtrales, & ſeptemtrionales ſcilicet, appropinquabunt ad partem æquinoctialis circuli, ſive C æquatoris diei. Quare diſſipabuntur omnes cœli per eandem viam, per quam & nonum. Ampliùs. Ma- *Nota.* nifeſtum eſt habitationem beatificandorum hominum eſſe ſeorsùm à turbine, & tempeſtate tantæ rapiditatis: neceſſe enim illam eſſe pacatiſſimam; ſi igitur in aliquo cœlo collocandi ſunt homines beatificandi, ſeu glorificandi, in cœlo quietiſſimo, ac placatiſſimo collocabuntur. Manifeſtum igitur eſt tibi, ſi tamen noſti adhuc gloriam ſtatus illius, quia nulla habitatio digna eſt ejus, aut conveniens illi fœlicitati, niſi cœleſtis. Corpora enim illorum, ſicut doceberis in ſequentibus, incomparabiliter majoris erunt gloriæ, quàm aliquod ex novem cœlis nominatis, & quàm aliqua ex ſtellis, vel luminaribus. Quòd ſi collocarentur in cœlo tam rapidæ volubilitatis, aut revolverentur cum eo, tunc inquietiſſima eſſet vita eorum, aut turbulentiſſima, ſed & revolutionis ipſorum impoſſibile eſſet fructum aliquem, aut utilitatem inveniri, aut ſtarent cœlo illo revoluto & tunc ex neceſſitate tot ſciſſuræ fierent in corpore cœli illius, quot eſſent ibi corpora glorificandorum hominum: ipſi autem ponunt omne cœlum D inſecabile, & impaſſibile. Ampliùs. Cùm terra immobilis ſit, & extrema pars mundi, ideſt, cœlum mobile, ipſique ponant mundum animal eſſe, quemadmodùm & Plato ponit ipſum eſſe animal, cujus pes, ideſt, infimum, immobiliſſimum eſt, caput autem mobiliſſimum, hoc videtur perverſitas. Ampliùs. In unoquoque genere perfectum eſt melius, & priùs imperfecto, & non indigens indigente, inquantùm talia ſunt. Corpus igitur, quod non indiget motu, neque ut perfectione, neque ut via ad perfectionem, melius eſt, atque prius, indigente

Digitized by Google

alterutro dictorum modorum. Quæ autem meliora, ac perfectiora ſunt, prioraque aliis, magis ſunt, & digniora ſunt, ut ſint, quàm illa. Quare ſi ſunt corpora imperfecta indigentia, & poſteriora, erit ex neceſſitate multò fortiùs cœlum, quale prædixi tibi, videlicet perfectum & non indigens motu. Ampliùs. Si Deus creaſſet hujuſmodi cœlum, quale diximus, non eſt dubium, quin multùm addidiſſet perfectioni univerſi corporei, ſeu corporalis, & tunc eſſet completum in genere ſuo, & nullum ei genus operum deeſſet. Quare manifeſtum eſt, ſi deeſt ei iſtud, incompletum ipſum eſſe in genere ſuo. Omnium enim corporum nobiliſſimum, ac perfectiſſimum eidem deeſſet. Quemadmodùm etiam mundus elementaris incompletus, & imperfectus eſſet, ſi ei vel ignis, vel aliud ex elementis quatuor deeſſet Quia igitur complevit Deus, & perfectum fecit omne ſuum univerſum corporeum, neceſſariò dedit ei hanc partem nobiliſſimam, quæ eſt tanquàm caput ipſius, & propter hoc quaſi ſine capite ipſum feciſſet, niſi caput iſtud, ideſt, membrum *Nota.* ejuſdem nobiliſſimum, in ſupremo, & quaſi in ejuſdem vertice collocaſſet. Quod ſi dixerit quis, quia otioſum eſſet illud cœlum, jam dixi tibi ſuper hoc unam utilitatem ipſius, videlicet habitationem jocundiſſimam hominum, quibus danda eſt æterna illa fœlicitas, aliam verò complementum, ſive perfectionem univerſi corporei. Tertiam adducunt aliqui ex theologis, ſanctiſque doctoribus, videlicet habitationem angelorum, dicentes cœlum illud, quàm citò creatum eſt, ſanctis angelis eſſe repletum. Et hoc reverà quæſtionem habet difficilè determinabilem. Si enim cœlum illud locus corporalis eſt, repleri non poteſt, niſi corporeis ſubſtantiis. Spirituales enim ſubſtantiæ, ſicut & magnitudinem corporalem non habent, ſic nec locum replere poſſunt. Ampliùs. Quid ad hujuſmodi ſubſtantias de habitatione corporali? Sicut enim nihil ad corpora de habitatione ſpirituali, ſic nihil ad ſpiritus, vel ſpirituales ſubſtantias, de habitatione corporali Propter hujuſmodi ratiocinationes irrident imperiti ſermones ſanctos, authenticos, & divinis revelationibus editos, & ſcriptos. Ego verò in tractatu de hujuſmodi ſubſtantiis, videlicet abſtractis, & inviſibilibus, patefaciam tibi veritatem, ſi Deus voluerit. Quarta verò utilitas cœli Empyrei eſt manifeſtatio gloriæ, ac magnificentiæ creatoris: quemadmodùm enim in palatio regali ex aſſiſtentibus ipſi regi, ex multitudine, ac varietate miniſtrorum, ex ornatu, & apparatu ipſorum, nec non ex ipſis obſequiis eorundem, ex ipſa etiam mirificentia, & decore palatij, apparet magnificentia, & gloria regis; ſic in iſto cœlo, tanquàm regis ſæculorum præclaro nobiliſſimoque palatio Dei, gloria incogitabiliter conſpicitur, ubi millia millium miniſtrant ei, & decies millies centena millium aſſiſtunt eidem. Ubi innumerabiles millium cœleſtium chori laudes ejus ineffabilis concentus ſuavitate reſonant inceſſanter. Ubi tantus eſt decor, tanta claritas, & pulchritudo, tam ſpecioſus ornatus omnium, & ſingulorum, ut terreni regni gloria, quantumlibet incliti, atque magnifici, modiciſſima, ac ſervilis adminiſtratio, ad illius comparationem certiſſimè appareat.

CAPUT XXXV.

Nota ſolutionem quæſtionis ſuperius dictæ.

Nota. QUòd autem quærunt, quid ad ſanctos Angelos de habitatione loci corporalis pertineat, quamquàm in ſeipſis aliquid ſentire poſſunt, illud videlicet, quantùm pertineat ad animas humanas, quæ indubitanter incorporeæ ſunt, quantùm, in- E quam, pertineat ad ipſas de habitatione ſua in corporibus, quæ utique habitacula earum ſunt, quantùm diligant ſpecioſitatem eorum, ſanitatem, & alias bonas diſpoſitiones ipſorum, & quod eſt ab eis remotius, quantùm diligant domorum etiam corporalium pulchritudinem, & quod ultra eſt, atriorum, & hortorum amænitatem, & quod magis adhuc longè, civitatum etiam ſuarum magnificentiam, & amplitudinem & quod eſt poſt omnia hæc, totius regionis, & regni, in quibus corpora earum ſunt, ſimiles diſpoſitiones, licet nihil ſalubritatis afferant corporibus earum; ſi hæc omnia attenderent, ex hac comparatione ad Angelos ſanctos aliquid de nobilitate, atque ſpecioſitate cœli Empyrei conſpicerent pertinere, nec irriderent, nec forſitan mirarentur Cùm autem diligentiùs univerſum corporeum cogitaveris, & homini comparaveris, invenies *Nota.* ipſum oſtenſum in conſideratione illius, videlicet, quia quemadmodùm homo, quod ſpiritualius eſt in ipſo, hoc habet intimum, hoc eſt intùs, quod autem eſt corporeum, hoc habet extra; ſic videbis mundum, ſive omne econtrariò ſe habentem; habet enim corpulentiorem ſui partem, ac viliorem intimam, & hæc eſt terra, ſubtiliorem, & F à corporali groſſitie remotiorem, habet extimam, ſive forinſecam, ac ſi diceretur, quia mundus habet corpus ſuum intra, & cor extra, circundans ipſum corpus, & circunvolvens ex omni parte. Homo verò corpus habet extra, & cor intra minus ſuo corpore penè incomparabiliter, corpus autem majus ipſo corde; econtrariò autem ſe habet omne, ſive mundus, cor enim habet maximam partem in totalitate ſua. Jam autem didiciſti, quia cor vas eſt, & receptativum proprium, vitæ, & vitalium, & etiam ſedes eſt ſeu ſolium ipſius animæ, totum reſiduum regentis, & miniſtrantis. Sic cœlum ultimum ea, quæ maxima vitalia ſunt mundo, ſeu univerſo, continere neceſſe eſt, & eſſe creatoris ſedem, ac ſolium, univerſum regentis, & adminiſtrantis, & hic eſt ſermo, qui ſæpè apud prophetas legitur, ex perſona ejuſdem. Cœlum ſedes mea. & in cœlo ſedes ejus. Et quicunque de gloria ejus ad dignum locuti ſunt, G cœlum ſedem ejus eſſe dixerunt, ſicut narrat Ariſtoteles in libro cœli, & mundi. Sedem autem indubitanter neceſſe eſt eſſe quietam, ac ſtabiliſſimam. Eſt igitur cœlum empyreum velut amictus ſplendoris *Nota.* totius mundi, & velut tectum pulchritudinis præclari palatij Dei, ac dominatoris omnium ſæculorum, & velut operimentum ſpecioſiſſimum templi ipſius, quod utique totus mundus eſt, & eſt habitaculum gloriæ ipſius penetrale, ac intimum, juxta quod prædixi tibi, quia quod extimum eſt in mundo, hoc eſt intimum, ac nobiliſſimum in eodem, & alia comparatione, velut ſacrarium eſt in eodem H templo, quod eſt mundus, ſacrarium, inquam, continens, & recipiens quæcunque in toto univerſo ſancta, vel ſacta ſunt, & dignitate tam nobilis habitaculi digna; & ipſum eſt cœlum, quod cælat, & continet omnia tam viſibilia, quàm inviſibilia, & propter hoc potiſſimùm cœli nomine digniſſimum. Quod ſenſiſſe videtur, qui dicit, quia cœlum eſt continentia viſibilium, & inviſibilium, iſtud cœlum eſt domus Dei ubertima, à cujus ubertate inebriantur omnes, qui in ea ſunt, & de cujus plenitudine inſtar tenuiſſimæ, atque rariſſimæ irrigationis in iſtam regionem inferiorem aſpergitur. Ipſum eſt civitas, quam fluminis impetus lætificat, quam torrens voluptatis ſpiritualis ineffabilis replet, juxta ſermones prophetarum, à quorum fide, & veritate, ſuadeo tibi, quantùm poſſum, in nullo recedere. Quoniàm autem eſt primarum, ac nobiliſſimarum ſubſtantiarum habitatio, idem autem eſt ordo ſubſtantiarum,

Digitized by Google

ſtantiarum, qui & locorum, ſeu habitationum eorum, conſequens eſt, ut quemadmodùm illæ primæ ſunt inter ſubſtantias, ſic habitatio earum prima inter habitationes ordine naturæ; quare ſicut illæ primò creandæ fuerunt inter ſubſtantias; ſic & habitatio earum inter habitationes. Quare cœlum illud primò creandum fuit inter cœlos, & locus ille primò creandus inter loca. Ampliùs. Si mundus eſt velut domus regia habens omnes ſibi congruentes officinas; in domo autem regia principalis portio aula eſt ſeu palatium, & propter hoc primò ædificanda, deinde aliæ officinæ, tanquàm appendentes ei, & non exiſtentes, niſi propter illam. manifeſtum autem eſt, quia cœlum iſtud omnium partium mundi amplius eſt, atque capacius, & propter hoc aulæ, vel palatii nomine inter partes mundi ſolum dignum; primò igitur ædificandum fuit ab ipſo rege, cujus aula, vel palatium eſt, deinde aliæ partes mundi, tanquàm domus iſtius regiæ variæ officinæ, eo autem ordine quo palatia regibus aliis ædificantur. Primò igitur creatum fuit quantùm fuit de ordine naturæ. Sed ut jam dixi, ſolum creari non potuit, quia intra ipſum fuiſſet vacuum, ſi ſolum creatum eſſet quare creata fuit cum eo terra tamquàm ei contraria, ut in ſequentibus dicam. Qualiter autem creatum fuerit iſtud cœlum, uno verbo expedio, quia non per corruptionem alterius, alioquin iret res in infinitum, juxta errorem Ariſtotelis, qui per hoc probare intendit generationem & corruptionem æternas eſſe, hoc eſt non habuiſſe initium. Quare creatum ſimul fuit in ſua materia, & forma, ideſt materia ejus, & forma ſimul creatæ ſunt altera in altera vel ſub altera. Poſt ipſum verò, & ſub ipſo ſitu, & loco, creata eſt materia aliorum generandorum, hoc eſt cœlorum & duorum elementorum, quæ ſunt ignis, & aer, vegetabilium omnium, & animalium, & aliorum generabilium; hæc ergo materia fuit aqua juxta nominationem propheticam, & reverà aqua eſt omnium elementorum generationi aptiſſima, ita quòd ex ea ſola videntur fieri generationes vegetabilium; ſola enim corrumpitur, & conſumitur in generatione vegetabilium: quotcunque enim, & quantæcunque fruges ex agro aliquo generentur, terra agri in nullo minuitur quantitate. Ad hunc modum invenies, & de magnis vegetabilibus ſe habere; quantæcunque enim ſilvæ ex montibus oriantur, montes in nullo per hujuſmodi generationem minuuntur, quod evidentiſſimum eſt in ſilvis cæſis, & etiam extirpatis. Redeuntibus enim illis per generationem, vel excreſcentibus, non invenies imminutam quantitatem terræ. invenies autem ipſam manifeſtè creſcere, quemadmodùm, ſi vas certæ quantitatis terrâ repleveris, & in eo aliquid plantaveris, vel ſeminaveris, aquam irrigantem, ſive ſit pluvialis, ſive alia, manifeſtè videbis ſemper corrumpi, atque conſumi, terram autem creſcere ultra quantitatem, quam habebat, quandò primùm ex ea vas repletum eſt. Quare generationes vegetabilium, & animalium, quę ex terra fiunt aquæ maximè dentur. Ex aere verò, vel igne, ſi quæ fiunt generationes, paucæ, atque rariſſimè fiunt. Apparet igitur tibi ex his aquam eſſe omnium elementorum generationibus aptiſſimum, propter hanc cauſam generationes cœlorum, animaliumque, ac vegetabilium expoſiturus propheta, aquam vocavit communem illam materiam, ex qua hæc omnia generanda erant, vel quia reverà aqua erat. De qua veriſimile eſt, quòd partes ejus non eſſent ejuſdem puritatis omnes. Cùm enim profunditas earum eſſet à terra uſque ad cœlum empyreum, non eſt mirum, ſi partes illæ, quæ viciniores erant loco

A puritatis, & remotiores erant à loco fœculentiæ & admixtionis, puriores erant, eiſque contrariè ſe habebant. Sicut & in omni profunditate aquarum contingit, & in aere ipſo, qui indubitanter purior Nota. atque ſubtilior eſt cum partibus ſuis à terra, & aquis remotioribus. Debuit etiam idem ordo partium eſſe materiæ illius in ſublimitate atque puritate, qui erat in altitudine, & depreſſione, & propter hoc fęcem, & ſedimen, ſeu reſidentiam aliorum elementorum terram quidam philoſophi vocaverūt. Ampliùs. Quia cœlum ultimum puriſſimum eſt, & ab omni fęculentia remotiſſimum: terra verò econtrariò fęculentiſſima, & à prima ſinceritate remotiſſima cùm omnia corpora in mundo ordinatiſſimè poſita ſint. conſequens eſt, ut quæ comparatio mediorum corporeorum in elongatione, & propinquitate, ad illa extrema, eadem ſit eorum adinvicem in fęculentia, & puritate, in groſſitie, & ſubtilitate, & eadem ratio eſt in uno illo medio propter partes ſuas, & in pluribus Intelligo autem hoc

B ſic, quia eadem debet eſſe comparatio partium materiæ illius, ſive fuerit aqua, ſive aquæ ſimilis, quæ & corporum eodem ordine in loco partium illarum poſitorum. Si quis autem dixerit, quia cœli non potuerunt fieri de aqua, tanquàm materia aquæ non fuerit potens ſive aqua recipere formam cœleſtem, ſermo ejus erroneus eſt; materia namque corporalis prima, poſtquàm nudata fuerit à forma ſua corporali, potentialitas eſt indeterminatè, & communis ad omnes formas corporales, nec magis appetens unam, quàm aliam: quòd autem in Nota. generationibus, quæ fiunt in mundo naturæ, magis recipit quandòque unam, quàm aliam, ex virtute agentis eſt & victoria, qua expellit formam ſibi contrariam à materia & ſuperinducit ſuam tanquàm potens factus ſuper hujuſmodi materiam.

C Ubi verò non eſt agens, niſi creator multò incomparabiliùs ſic inducet materiæ denudatæ formam, quam voluerit, vel elegerit. Nihil enim eſt potentialitas materiæ, ut obſiſtat beneplacito creatoris, & idem ſentiendum eſt in omni alia natura. Nihil enim adeò naturale eſt unicuique naturæ, ut eſt obedire voluntati creatoris, cùm nihil habeat unaquæque natura, niſi quod de voluntate ipſius datum eſt ab eo Non enim contra ſe, ſed ſibi, & ad ſe, fecit omnia creator, & propter hoc nihil contra ſe, hoc eſt unde rebellet, vel rebellare velit aut poſſit, naturaliter dedit alicui eorum.

CAPUT XXXVI.

De materia empyrei cœli, utrùm ſit ſimilis materiis aliorum corporum.

DE materia hujuſmodi cœli primi, ac nobiliſ-
D ſimi, an communis ſit, id eſt ſimilis materiis aliorum corporum, meritò dubitabit aliquis: & fuit quidam, quem Hebræi reputant philoſophum qui dixit, quòd Deus de ſplendore pallii ſui fecit cœlum: terram verò de nive, quæ erat ſub throno ejus. Et quia ſapiens apud Hebræos reputatus eſt, cùm juxta planum ſuū ſermo iſte manifeſtè erroneus ſit, quidam ex aliis eorum philoſophus non aliud eum intellexiſſe in ſermone iſto expoſuit, niſi quod per eum aliam fuiſſe materiam cœli, aliam verò terræ inſinuare voluit per ſermonem illum. Mirabile autē Nota. valdè eſt, quod cùm ponat materiam primitivam uniuſcujuſque corporis ab omni forma corporea, ſeu corporali in ſeipſa nudiſſimam, cùm groſſities & ſubtilitas, & quæcunque alia hujuſmodi ſunt, formæ corporales ſint; quare manifeſtum eſt quia de materia non poſſunt dici, niſi per modum potentiæ

Digitized by Google

aut potentialitatis, ad uttunque contrariorum, E cùm contraria circa idem ſecundùm materiam ſolummodò fieri habeant. Ut ex materia igitur fiat, vel ſit, corpus ſubtile, vel mobile, cœleſte, an terrenum, ſive alterius modi, formæ ſoli debetur vel maximè. Quia igitur placuit creatori cœlum primum non ſolùm ordine, & poſitione, ſive ſitu, primum facere, ſed etiam nobilitate, & aliis perfectionibus ipſum perficere, decorare, & ornare, ita ut præeminentia perfectionum, & ornatus, omnibus intueri valentibus appareat decus omnium corporum mundanorum, & mundi ipſius caput, ſplendore mirabili redimitum, atque coruſcum, ut ſupra dixi tibi, vel cor ejuſdem, vel tectum: hæc omnia potiùs per ipſam nobilitatem formæ cœlo vel fecit, vel dedit creator, quàm per materiam ipſius formæ ejuſdem. Materiæ igitur ejuſdem non F debetur omnis ejus perfectio, atque nobilitas. Hoc autem non ex propoſito, ſed tanquàm ex incidenti dixi in hoc loco: quoniàm de naturis cœlorum non eſt intentionis meæ diſputare in hoc capitulo. Verùm propter vaniſſimas opiniones hujuſmodi, quibus ſomniant de materia prima corporum feci rememorationem hanc de materia primi cœli, & ut appareat tibi, quoniàm non levitate intellectus ita locutus ſum de primo cœlo, ſed ex alibi perſcrutatè inveſtigatis, ac declaratis, quæ oſtendentur tibi loco ſuo.

Nota.

CAPUT XXXVII.

Quòd firmamentum factum fuit in medio aquæ.

ET quoniàm incæpi ex incidenti exponere narrationem propheticam, in exitu univerſi corporei, ſive corporalis à creatore, proſequar, & declarabo tibi firmamentum, ſive cœlum continens novem cœlos factum eſſe in medio aquarum, & dividere aquas ab aquis, hoc eſt, abyſſum implentem totam concavitatem cœli empyrei uſque ad terram. Dico igitur in primis, quia cœlum hujuſmodi ibi factum eſt, ubi & eſt. Non enim fieri potuit alibi: ſi enim alibi factum eſſet, non eſſet tranſlatum ad locum, in quo eſt, niſi per motum localem: hujuſmodi autem motus eſſet ex neceſſitate vel circularis, vel rectus. Tu autem jam noviſti, quia motu circulari non receſſiſſet à loco ſuo; ſi enim receſſiſſet, mutaſſet centrum, circa quod priùs movebatur, & ita non eſſet ei naturale medium centrum illud, & habuiſſet ſecundùm hoc infinita media motus ejus, cùm inter quælibet duo puncta in linea ſint infinita. Quare inter centrum, quod eſt modò medium motus ipſius, & primum centrum ejus, eſſent infinita puncta, quorum quodlibet fuiſſet medium motus circularis, per quæ veniſſet ad locum in quo modò eſt, & motus ille eſſet, ſicut motus rotarum, curruum, aut quadrigarum, qui motus longè eſt à natura cœlorum. Ampliùs. Si non fuit factum in aquis illis, ſive in abyſſo illa, ſed extra, eſſet ergo factum, vel in cœlo empyreo, vel in vacuo extra ipſum. Jam autem declaravi tibi in eis, quæ præceſſerunt, quia non eſt poſſibile, nec unquàm fuit, corpus aliquod eſſe extra ſphæram ultimam mundi in vacuo. In empyreo verò cœlo, manifeſtum eſt, ipſum non fuiſſe creatum, quia reliquiſſet vacuum in illo cùm inde motum eſt motu, quo pervenit ad locum ubi eſt, & feciſſet ſciſſuram exiens de cœlo empyreo, & diſſipationem ejus incredibilem, cùm ſit groſſioris ſubſtantiæ. Manifeſtum igitur eſt ipſum non fuiſſe creatum intra empyreum, & propter hæc meritò intra aquas, ſive in aquis.

Nota.

Non inconvenienter autem, neque mul-E tùm abuſivè dicitur creatum in medio aquarum, quod in ipſis aquis, vel intra aquas creatum eſt, licet non in loco æqualiter diſtante ab extremitatibus aquarum. Ampliùs. Cùm inter duo extrema quietiſſima medium ſit, ut potè corpus extremæ mobilitatis, & iterùm medium inter extrema, quorum alterum eſt in ultimitate puritatis corporalis ſecundùm naturam, alterum in ultimitate fæculentiæ, alterum in ultimitate ſubtilitatis, alterum in ultimitate groſſitiei corporalis, & inſuper alterum in ultimitate inferioritatis, alterum in ultimitate ſublimitatis localis; creator autem & natura, quæ tota ejus magiſterio, imperioque regitur, ordinat loca corporibus ad proportionem, & ſimilitudinem naturalem; ordinatum igitur eſt firmamentum in medio corporum extremorum in F mundo; quare in medio mundi, hoc eſt, in medio ſpatio, quod eſt inter cœlum empyreum, & terram. Quia igitur hoc medium erat medium aquarum, ſicut ſupra patefeci tibi, in eodem autem loco eſt, ubi & factum fuit: factum igitur fuit in medio aquarum.

Nota.

CAPUT XXXVIII.

Quæ ſit utilitas aquarum, quæ ſunt ſuper firmamentum.

SI quis autem quærat de aquis, quæ ſuper iſtos novem cœlos remanſerunt, quas firmamentum diviſit ab eis, quæ ſub cœlis erant; & dicat, quia non videntur ibi eſſe, ſupervacuè enim ibi eſſent: ego in primis reſpondebo tibi, quia cùm G tanta multitudo piſcium generata ſit ex aquis, ipſi non dicunt aquas reſiduas otioſas eſſe. Manifeſtum enim eſt, quia non omnes aquæ corruptæ ſunt, vel conſumptæ in generationibus piſcium, immò major pars earum reſtat, nec tamen inutiles dicit eas aliquis, aut ſupervacuas. Quòd ſi dixerit quis, ſi totæ aquæ conſumerentur in generationibus piſcium, fruſtra generarentur ex eis piſces, quia piſces ſine aqua eſſe, vel vivere non poſſunt, rectè utique dicit: ſed cur non eſt veriſimile ipſum eſſe cœlorum conſervari in aquis, cùm ſimiliter ex aquis generati ſint. Apparet igitur una utilitas aquarum, quæ reſervatæ ſunt, & ambiunt cœlum continens novem cœlos à parte ſuperiori, videlicet quod in eis, & per eas ſalvatur, ſeu conſervatur eſſe cœlorum, qui ex eis generati ſunt, quemadmodùm in H aquis, & per aquas conſervatur eſſe piſcium, qui ex eis generati ſunt. Et concordat iſta ratio opinioni eorum, qui dixerunt cœlos eſſe ex aquis illis per congelationem earum vehementiſſimam, & obdurationem fortiſſimam inſtar cryſtalli, unde & cryſtallinæ ſubſtantiæ eos eſſe opinati ſunt, verùm longè nobilioris, atque ſubtilioris, quàm ſit cryſtallus terreſtris, quæ apud nos invenitur. Hujuſmodi enim homines attendentes groſſa corpora motu calefieri apud nos, ſicut & ſubtilia videbant per eundem frigidari, putaverunt tanta vehementia, atque continuitate motus corpora cœlorum eouſque calefieri, ut neceſſe haberent, vel nimia deſiccatione frangi, vel vehementia calorum diſſolvi, niſi per contrarium hujuſmodi calefactioni occurreretur, quare ad hoc viſæ ſunt eis utiles aquæ illæ ſuperiores, ut ardorem hujuſmodi temperarent. Hic autem ſermo vanus eſt, quoniàm per hujuſmodi temperamentum aquarum non occurreretur periculis inferiorum cœlorum, præſertim cùm tanta ſit profunditas, id eſt, ſpiſſitudo cœli noni; quòd infrigidatio illa, vel temperatio aquarum non poſſet penetrare uſque ad medium illius. Propter hoc reſpondebo tibi alia via

Nota.

Digitized by Google

via ſuper hujuſmodi quæſtione, & dicam, quia ſermo hujuſmodi, quo cœlorum aliquod, vel omnes dicti ſunt cryſtallinæ ſubſtantiæ: propterea dictus eſt, quia color hujuſmodi videlicet cryſtallinus, ſecundùm opinionem vulgarem, apparere videtur in eis. Similiter & ſæpè apparere videtur color ſapphireus in eiſdem, vel hyacinthinus ſicut dixit Nota. prophetarum primus in ſecundo libro legis hebræorum; quia videlicet ſubter Deum Iſraël erat quaſi opus lapidis ſapphiri, quaſi cœlum, cùm ſerenum eſt. Impoſſibile autem videtur, ut verè criſtallinæ ſubſtantiæ ſit aliquod cœlorum, & per congelationem ex medio aquarum generatio. Congelati enim non videtur aqua, niſi ex vehementia frigiditatis, neque congelatio aliud eſt, quàm exceſſus frigiditatis; ſicut didiciſti in ſcientia meteororum. Qualiter autem congelatum fuit medium aquarum extremitatibus remanentibus in naturæ ſuæ temperantia? præſertim cùm ſuperiores partes omnium aquarum priùs congelentur; quare ſuperior pars aquarum priùs congelari debuit. Ampliùs Criſtallina ſubſtantia plus eſt terreſtris, quàm aquea: ſubſtantia enim criſtalli, & omnium gemmarum, non eſt niſi cinis vehementiâ caloris reſolutus, ſeu liquefactus, & poſtmodùm congelatus. Quòd autem cinis ſit ſubſtantia hujuſmodi corporum, apparet ex confractione, & contritione ipſorum. Confractio enim in quaſcunque, & quotcunque minutias fiat, non mutat ſubſtantiam. Eadem quippe eſt ſubſtantia totius, & duarum medietatum ipſarum, totius inquam, quod eſt homogeneum, id eſt, unius naturæ per totum: quemadmodùm eadem eſt ſubſtantia alicujus maſſæ aureæ, & duarum medietatum ejus; ſimiliter & quatuor quartarum ipſius, & ita in infinitum. Cùm autem multis contriveris criſtallum, vel ex gemmis quamcunque aliam, apparebit tibi manifeſtè totus acervus minutiarum cinis eſſe. Quare manifeſtum eſt ſubſtantiam criſtalli velut cinerem eſſe. Hujuſmodi autem exemplum manifeſtum eſt in vitro, & experientia aſſidua de eodem. Ampliùs. Si ſubſtantia cœlorum eſſet hujuſmodi, in infinitum eſſet ponderoſior, quàm tota terra, quare nec ſuper ignem, nec ſuper aera ſtare poſſet. Ampliùs. Ipſa aqua non poſſet ibi ſtare, ſuper ignem ſcilicet, & aera; quantò minùs criſtallus? Ampliùs. Cùm ignis impleat totam concavitatem cœli lunaris uſque ad aera, quomodò ſtabit contiguum tanto igni cœlum lunæ, ſi criſtallina eſt ejus ſubſtantia? licet autem non ſit præſentis intentionis, ut prædixi, de naturis cœlorum agere, hoc tamen ad præſens hîc dico, quia propter ſimilitudinem apparitionis dictum eſt, & propter parvitatem viſus, & propter ſtabilitatem, & ſoliditatem ipſius ſubſtantiæ cœlorum; eſt enim fortiſſimæ ſubſtantiæ criſtallus, ac difficillimus ad terendum, nec non ad liquefaciendum, ſicut diſcere potes ab his qui operantur in gemmis. Senſu etiam hæc experiri quotidiè licet, ſicut & hujuſmodi ſtabilitionem, ſeu ſolidationem, ſeu congelationem vocari intelligo à præcedentibus, qui hoc dixerunt. Manifeſtum eſt igitur formam cœlorum, quam medium aquarum in materia ſua ſuſcepit à creatore formam eſſe præter formas quatuor elementorum, & omnium elementatorum, & propter hoc non eſt paſſibilis à calore, vel frigiditate, & ideò non eſt timendum cœlis de periculo confractionis, ac diſſolutionis. Revertar autem ad reſpondendum ad eam quæſtionem, quam proponunt de aquis, quæ dicuntur ſuper cœlos remanſiſſe, & repetam quod dixi, quia non eſt neceſſe, quòd in generatione quorumcumque corporum tota conſumatur materia, ex qua generantur, ſicut oſtendi tibi de piſcibus, ſupra A quos, & ſub quibus multa copia aquarum remanet poſt generationem ipſorum, nec tamen inutiliter, vel otioſè. Ampliùs. Nullus hujuſmodi hominum miratur, vel abhorret ignem eſſe ſub aquis, & etiam ſub terra, ſicut apparet ex locis balneorum naturalium, & etiam ex inundationibus, & quaſi diluviis ignis, quæ erumpunt ex tribus montibus, videlicet vulcano, ætna atque chimæra. Cur igitur adeò mirantur aquas eſſe ſuper cœlos? non enim magis eſt hoc circa naturam, quàm ignem eſſe ſub aquis, aut terris?

CAPUT XXXIX.

Deſtructio eorum quorundam.

B QUod autem aliquibus viſum eſt aquas illas ſupercœleſtes ibi reſervatas eſſe propter diluvium, quod tunc erat futurum, & propter irrorationes pluviarum, quæ inde deſcendunt, Nota. nullo modo poſſibile videtur. Primùm quia propter ſoliditatem cœlorum nullo modo poſſent adhuc deſcendere, niſi vel novæ viæ, & aperturæ eis in cœlis fierent, vel veteres aperirentur, & hoc etiam quibuſdam viſum eſt, quòd aperturæ, & viæ in cœlis ſunt ad deſcenſum aquarum, & vocaverunt eas cataractas cœli, de quibus dicit propheta hebræorum, quia in inundatione diluvij cataractæ cœli apertæ ſunt, propter quod & pluit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ſuper univerſam faciem terræ. Quòd ſi verum eſſet juxta ſermonem iſtum, cùm ex omni parte cœli deſcenderet pluvia ſuper terram, ex omni parte ex neceſſitate apertum C fuiſſet cœlum. Venti enim contrarij non poſſent tot, & tanti ita perflare aera, ut aquas per ipſum deſcendentes, ſic diſpergerent, atque dividerent ſuper terram. Ampliùs. Generatio pluviarum notiſſima eſt, quia ex nubibus fit per frigiditatem coagulantem eas in aquam, quemadmodùm etiam in nivem. Mirabile autem, quòd non eodem errore dixerunt nives, & grandines ex illis aquis deſcendere, ſicut & pluvias, cùm tantam videamus copiam nivium fieri. Ampliùs. In quibus partibus cœli dicent eſſe cataractas hujuſmodi, & qualia oſtia, qualeſve ſeras dicent habere cataractas hujuſmodi, quibus quandóque occludantur, quandóque aperiantur? Ampliùs. In mille annorum ſpatio, Nota. & etiam in ampliori, non poſſent aquæ iſtæ deſcendere deſuper novem cœlos, ſicut declaratum eſt D in libro de profunditatibus cœlorum Multùm igitur à longè oporteret creatorem aperire cataractas cœli, antequàm plueret ſuper terram. Ampliùs. In quibuſdam regionibus nunquàm pluit, & in quibuſdam ſæpiſſimè pluit. Propter hoc, & alia multa, quæ adducere poſſem, hîc, nondùm intelligo prophetam hebræorum cataractas cœli vocaſſe, niſi partes illas cœli, quæ generativæ ſunt pluviarum, & inundationum aquarum, quales ſunt ſigna aquatica, ut cancer, & piſces ſimiliter pleïades, & Orion; & de ſtellis mars, venus, & luna, quod & aſtrologi in libris ſuis ſcripſerunt, & experimentatores aſtronomiæ, ſe dicunt experientia comperiſſe. Cataractæ ergo hujuſmodi tunc apertæ intelliguntur, cùm cauſæ hujuſmodi ad iſtas operationes pluviarum ſcilicet, & inundationem aquarum nutu creatoris laxatæ ſunt, & etiam confractæ. Si quis autem eouſque deſipiat, ut ex verbis prophetarum hoc aſtruere velit, videlicet quòd aquæ hujuſmodi ſuper dictos cœlos repoſitæ ſint, quaſi in theſauris, ut cùm fuerit beneplacitum creatoris utatur eis ad pluvias, & diluviorum inundationes, pro eo, quod dictum eſt à quodam ex prophetis de eo: Ponam in theſauris

Digitized by Google

abyſſos: non effugiet, quin idem oporteat eum dicere de nivibus, & grandinibus, & hoc quoniàm in ſermonibus ſanctis ex perſona ipſius creatoris legitur: Nunquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparavi mihi in digne pugnæ, & belli? Eodem etiam errore videtur debere dici creator fructus, & grana non per generationem, ſed magis de theſauris educere, vel emittere; & devenit error iſte uſque ad ventos, quoniàm quidam ex prophetis dixit: Qui educit ventos de theſauris ſuis: cùm manifeſtum ſit, ventum non eſſe omnino, niſi cùm fluit. Revertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quoniàm aquæ, quæ ſuper cœlos novem ſunt, non ſunt ibi in forma aquarum, quæ apud nos ſunt, ſed ex eis regio illa, quæ cœlo Empyreo circumtegitur, ſic facta eſt, ut ſit amæna, & ſalubris, & per omnem modum apta habitatio glorificandis hominibus, convenienſque vitæ, immortalitati, & impaſſibilitati eorundem, ſic quibuſdam fortè videatur. Tu enim non ignoras, quòd piſces in aquis vivunt, & in aere vivere non poſſunt, ſed in aqua eſt vita eorum, atque ſalvatio. Econtrariò autem ſe habet in hominibus, qui non poſſunt vivere in aquis, ſed in aere ſolummodò. Sic neceſſe eſt regionem ſuperiorum aquarum ſic præparatam eſſe, & aptatam, prout requirit ſalubritas immortalitatis, & incorruptionis futuræ poſt reſurrectionem mortuorum. Convenientiùs enim videtur, ut ſit regio illa, ſive habitatio hominum beatitudine illa futura glorificandorum, quàm ipſa ſubſtantia cœli Empyrei, ut quidam forſitan opinantur: ejus enim ſoliditatis eſt cœlum Empyreum, ut ſpirationi, & reſpirationi deſervire non poſſit. Quare ſi ſpirabitur, & reſpirabitur in illa vita beatitudinis ab hominibus, habitatio illa inter cœlum nonum, & Empyreum, ſola conveniens videtur ſtatui beatitudinis illius. *Nota.* Ampliùs. Pulchritudo illa, & ſplendor Empyrei cœli magis digna eſt conſpici, quàm calcari. Super Empyreum autem cœlum non eſt locus, & propter hoc, neque habitatio. Ampliùs. Cùm cœlum illud rectum ſit totius mundi, non convenit, ut ſubſit pedibus habitantium, immò potiùs debet patere aſpectibus eorum, & ſupereminere capitibus. Quare manifeſtum eſt aquas illas vel jam verſas eſſe in corpus, quale dixi, vel ſaltem eo tempore vertendas, quo homines beatificandi in ſublime beatitudinis transferendi ſunt. Tantò autem majoris puritatis corpus eſt, quod ex illis factum eſt, vel prædicto tempore faciendum, quàm alia elementa, quantò aquæ illæ puriores fuiſſe aliis aquis æſtimandæ ſunt, quapropter longè puriùs iſto aere quem inhabitamus, & inſuper quantò corpora noſtra in ſtatu gloriæ illius nobiliori habitatione digna erunt, quàm ſunt in ſtatu mortalitatis, & miſeriæ præſentis. Si quis autem quærat propter quid tacuit de utilitate aquarum illarum, vel de generatione, quæ de eis vel facta eſt jam, vel facienda? Reſpondeo tibi, quia genti hebræorum ſic loqui debuit lex & legiſlator, ut & intelligere poſſent, & crederent narrationibus illius. Non enim ſolummodò brevis erant intelligentiæ, immò innutriti idolatriis, & imbuti erroribus: propter quod nec de creatione angelorum, nec de reſurrectione mortuorum, nec de multis aliis ſecretis mentionem eis expreſſam facere voluit: facillimi enim erant ea repellere, quæ non intelligerent, aut caperent: propter quod inſonuit illud antiquum proverbium apud eos; locuta eſt lex lingua hominum. Utrùm autem vaporabiliter ſint ſuſpenſæ aquæ illæ tanquàm in nubibus, aut aliis vaporibus, quæſtionem quidam faciunt. Tu verò ſcito, quia iſti coguntur ponere idem eſſe aquam, & nubem reſolutam ex illa, & tandem idem eſſe aquam, &

E aera. quemadmodùm cera indurata, & emollita ſunt idem & tandem liquefacta in quantumlibet cerarum liquore, idem erit ex neceſſitate, quod indurata ſecundùm eos. Similiter glacies, & aqua ex ea reſoluta. Quapropter non erunt ſecundùm veritatem duo elementa aer, & aqua, immò erunt unum ſubjecto, ſed differunt, ſicut exemplificavi tibi de cera liquefacta, & indurata. Ampliùs. Secundùm eos eſſet calor vel in cœlo nono, vel ſupra ipſum. *Nota.* Reſolutio enim, & evaporatio aquarum non fit, niſi operatione calorum. Hanc autem opinionem videntur ſequi duo inconvenientia. Primum, quia neceſſe eſſet moveri illis alios cœlos in deorſum, quoniàm aquæ vaporabiliter rarefactæ majorem locum ex neceſſitate requirunt, quàm in liquiditate ſua naturali. Quare neceſſe eſſet, ut propter hujuſmodi rarefactionem ampliaretur locus earum, & hoc non poſſet eſſe, niſi per motum cœlorum, quem dixi. Aliud autem inconveniens eſt, quòd poſtquàm generatio nubium fit ibi per calorem reſolventem aquas, neceſſe eſt ut F per elongationem ab hujuſmodi calore fiat coagulatio nubium, & ita pluvia, vel nix, vel grando. Ampliùs. Unde & in quo corpore eſſet calor hujuſmodi, nec fingere poteſt, quantumcumque vanus ſomniator. Ex his igitur omnibus quæ præmiſi tibi, collige declarationes ſingularum partium propheticæ iſtius narrationis, & ego abbreviabo tibi expoſitionem ſuper eandem. Dico igitur, quòd in principio creavit Deus cœlum, & terram, & intelligo tribus modis, quod dixi, in principio. Horum primus eſt, ut referatur ad creationem, quod dixit: In principio, quaſi dictum eſſet, primùm creavit, quod eſt dicere, antequàm faceret, antequàm ornaret, creavit inquam in ſubſtantia cœlum, & terram, facturus poſtmodùm eadem, id eſt, faciem perfectionis, & decoris eiſdem daturus; facere enim eſt faciem dare, & hoc G manifeſtum eſt ex ipſo plano literæ. Sequetur enim in ſermone ejuſdem prophetæ, quia benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit eum, quia in eo ceſſaverat ab omni opere, quod creavit, ut faceret, ac ſi diceret, quod creavit in ſubſtantia, ut poſtmodùm faceret illud, id eſt, faciem ei perfectionis, & decoris, dando compleret. In ſumma autem hic eſt intellectus. In principio creavit Deus, & cætera, id eſt, in operibus ejus primò eſt creatio, ſecundò factio, tertiò ornatus, quartò propagatio. Secundus modus eſt, in principio, id eſt, antequàm currerent iſtæ, quas quotidiè videmus, generationes, & propagationes creaturarum. & hoc idem dignum, & juſtum fuit, ut priùs crearentur illa, ex quibus, & per quæ alia poſtmodùm generarentur. Tacet autem de creatione aquæ, quoniàm non erat permanſura in ſtatu ſuæ creationis neque quantùm ad ſubſtantiam, *Nota.* H nec etiam pro majori ſui parte ad minùs, cùm ex ea generandi eſſent cœli novem, & piſces, omniaque reptilia aquatica, ſimiliter & volatilia, & fortè aer, & ignis elementa. Jam etiam dixi tibi de partibus ſuperioribus aquæ, vel aquarum, quòd nec in illo ſtatu ſuo remanſerunt. Cœlum verò Empyreum, & terra, in ſtatu creationis remanſerunt quantùm ad ſubſtantiam, licet multiplex perfectio decoris, & ornatus eis poſtmodùm ſuperaddita ſit. Vel propter hoc tacuit de creatione aquarum, quia ex creatione extremorum neceſſariò oportebat eam intelligi propter impoſſibilitatem vacui, ſicut prædixi tibi. Tertius modus eſt, ut intelligatur, in principio creationis, & formationis univerſi. Intelligat autem forſitan aliquis, in principio, ut referat illud ad narrationem propheticam ſub hoc intellectu, ac ſi propheta cogitaret ita narraturus, vel expoſiturus creationem, & formationem univerſi. In primis hoc dico, in principio ſcilicet ſermonis mei, creavit Deus cœlum, & terram.

Digitized by Google

terram. Cur autem non ſit dictum, dixit Deus: fiant, vel creentur cœlum, & terra, jam expediverunt me, & te, ſancti, & ſapientes in hoc, dicentes, quoniàm verbum, quod eſt ars ipſius omnifica, non fuit nominandum cum creatione, quoniàm creatio non fiebat, niſi ſecundùm ſubſtantiam, & nondùm in complemento perfectionis, artis autem eſt propriè formam perfectionis dare. Cùm igitur in creatione forma perfectionis neque data eſſet ei, neque danda, non fuit mentio facienda de arte, vel verbo Dei. Ego autem manifeſtiùs te expedio per ipſum planum literæ. *Nota.* Creavit enim Deus cœlum & terram, ut ea faceret, id eſt ut eis faciem perfectionis, & decoris daret, ſicut in ipſo plano literæ eſt. Quòd ſi quis dixerit, quia per verbum Dei creata ſunt cœlum, & terra, quemadmodùm & lux facta, & firmamentum, & ideò dicere debuit propheta, dixit Deus, creentur cœlum & terra, reſpondeo tibi in hoc, quia de acceſſoriis, & ſecundariis operum nec ſermo ſolet fieri apud artificem. Qui enim præcepit artifici fac mihi domum, vel ædifica, ſupervacuè diceret ei fodi fundamenta, extrahe lapides de lapidicina, congrega alias materias. Vides ergo, quòd præceptum eſt de forma principali; ſic non debuit eſſe Dei præceptum, neque oportuit, quòd exprimeretur, ſuper creatiòne, quoniàm acceſſoria, & præparatoria erat creatio ad factionem quam dixi tibi. Ampliùs. Ars eſt tanquàm ſigillum principalis formæ, hoc autem in primis, & maximè per artem quæritur, ſcilicet, ut forma principalis per eã materiæ, de qua agitur, imprimatur, & propter hoc non conveniẽter in ipſa creatione fieret mentio de verbo, ſeu arte creatoris. Ampliùs. Quia non erant remanſura cœlum, & terra, in illa perfectione creationis, non fuit conveniens, ut diceretur; Creentur cœlum, & terra. Sicut & oſtendi tibi de domo ædificanda, quia non eſt conveniens, ut dicatur à præceptore, qui imperat artifici, ad ſingulos ordines lapidum, vel ſtructuras; ordinentur iſti lapides hic, vel fiat hæc ſtructura, alioquin non eſſet finis, vel numerus ſermonum præceptoris ad artificem. Et iſta quæſtio non eſt longè ab ea quæſtione qua quis quæreret, propter quid non eſt dictum de qualibet parte cœli, aut terræ; Creetur hæc pars cœli, vel terræ? Quæſtio manifeſtè nihil habet dubitationis. Manifeſtum enim eſt, quia nec numerus, nec finis eſſet ſermonum hujuſmodi. Quia ergo creatio in nulla parte cœli, vel terræ ſiſtebat, ideò non fuit dicendum; Creetur hæc pars, vel illa: ſimiliter, quia non conſummabatur opus creatoris in creatione cœli, & terræ, ſed per creationem deducebantur ad perfectionem ſuam, ideò non fuit dicendum; Creetur cœlum, & terra, ſicut neque de partibus cœli, & terræ.

CAPUT XL.

Declaratio ſermonis ſequentis, quo dixit, terram inanem, & vacuam, ſecundùm duas intentiones.

Quod autem ſequitur in ſermone prophetæ; Terra autem erat inanis, & vacua. Dico, quòd narratio hæc eſt concluſio ſcientiæ naturalis; non enim ſupervacuè dictum eſt inanis & vacua. Duo enim ſunt genera plenitudinis, aut plenitudo ſecundùm duas intentiones dicitur. Primò quidem plenitudo quædam interna eſt, ſive intima, & ex illa fiunt exuberantiæ generationum, ſicut vides terram, quaſi ex interna plenitudine, & ubertate eructare generationes vegetabilium, & etiam multorum animalium. Secunda plenitudo eſt exterior, & habitationis, ſecundùm quem modum dicitur terra repleta

A adulteris, vel latronibus, vel aliis hominibus. Utroq; autẽ iſtorum modorũ terra ſe habebat, quia nec fœcunda erat, nec habitata. hujuſmodi autem declaratio eſt. Manifeſtum enim per ſe eſt, quia terra veri nominis frigida, & ſicca eſt; ex neutro autem iſtorum, vel ambobus ſimul poteſt eſſe generatio vegetabilium, aut animalium naturaliter. *Terra frigida, & ſicca.* Quare manifeſtum eſt, quia terra ex ſe naturaliter inanis eſt ab interna hujuſmodi plenitudine. Ampliùs. Omne vegetabile, & omne animal, elementatum eſt ex quatuor elementis. De vegetabilibus, & animalibus, hoc intelligo, quæ ex terra generantur; quare manifeſtum eſt, quia ex terra ſola non poteſt fieri generatio hujuſmodi. Nihil autem habet terra ex creatione ſua, niſi ſubſtantiam, & naturalia ſua alia; quare quantùm in ea eſt, & ad naturam ejus pertinet, inanis eſt. Eodem modo & vacua ab exteriori plenitudine inhabitantium. Certum eſt, quia iſta plenitudo adventitia eſt terræ, & advenit ei poſt completam ejus ſubſtantiam. Quare cùm vacuitas ſit ei natura-

B lis, plenitudo verò iſta adventitia, ordine naturæ, & in ipſa creatione ſua, erat terra inanis, & vacua. Poſt hoc ſubjunxit; Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Jam autem declaravi tibi in eis, quæ præceſſerunt, quia tenebra non eſt aliquid contrarium luci, ſed privatio lucis tantùm. Quare tenebras fuiſſe ſuper faciem abyſſi, non eſt aliquid fuiſſe ſuper faciem abyſſi, ſed magis aliquid abfuiſſe à facie abyſſi, ſcilicet lucem: vel dixit hæc propheta propter Empyreum cœlum, cui ab initio ſuæ creationis non fuit lux illa, qua poſteà ſplendidatum fuit; ſicut vides & de aliis cœlis, quòd nullum eorum in ſe luminoſum eſt. Unde nec videtur aliquod eorum. Quod autem apparet luminis in eis, à parte luminarium eſt, & ſtellarum. Non eſt igitur mirum, ſi de Empyreo cœlo hoc idem dicatur, cùm Empyreum naturaliter diverſatum ab aliis cœlis non videatur, niſi ſola nobilitate ſubſtantiæ, ac ſubtilitate ejuſdem, ordinem *Nota.*

C verò locorum, ſive poſitionem in altitudine, & depreſſione, dedit ordo nobilitatis ipſorum, quemadmodùm, & aliis mundi corporibus primis, id eſt, quatuor elementis.

CAPUT XLI.

Exponit, de qua luce intelligi debet hoc, quod dicitur, fiat lux.

Poſt hæc autem ſubjunxit, dixit verò Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Hujuſmodi autem ſermonis intellectus eſt, quia omnipotenti verbo ſuo mandavit, & imperavit, ut fieret lux, & poteſt intelligi vel ſpiritualis, vel corporalis. Spiritualem verò lucem fieri, quoniàm fieri non poteſt, niſi in ſubſtantiis intelligentibus, non fuit, niſi Solem intelligentiæ, & juſtitiæ oriri ſubſtantiæ hujuſmodi, neque dies

D ex hujuſmodi luxione, niſi præclara illuminatio earum eſt. Scire namque debes ex præcedentibus, quia cùm verbum ſpirituale creatoris non ſit, niſi ſplendor micans ex luminoſitate ipſius, & dictio ejus non ſit niſi generatio ejuſdem verbi, & propter hoc ortus ejuſdem, tanquàm micantis, ac ſpiritualis Solis, erit ex neceſſitate dictio ejus foris inſonans, ipſa ejuſdem ſolis illuxio, & propter hoc illuminatio audientium ſonum illum ineffabilem, & videntium lucem illam jucundiſſimam, ac præclaram, & hæc eadem illuminatio fuit ex neceſſitate dies in tota regione intellectuum angelicorum. Attende ergo conjuncta: Dixit Deus, & fiat lux: quemadmodùm ortus ſolis, & dies. Attende autem, quia ſicut ſubſtantiæ ſpirituales abſtractæ priores ſunt ordine naturæ, & etiam nobilitate, quàm aliæ ſubſtantiæ, utpote propinquiores primo, ac nobiliſ-

Digitized by Google

ſimo, videlicet creatori: ſic earum perfectio, decoratio, & ornatus, ex neceſſitate priores ſunt perfectionibus, decorationibus, & ornatibus aliarum. *Nota.* Illuminatio verò, quam dixi tibi, videlicet illuxio, ſive inſonatio ſpiritualis verbi ipſius, præclara, ac jucundiſſima, perfectio eſt ſubſtantiarum intelligentium conſummatè, & decor ulterius, ornatuſque ſpecioſiſſimus earundem, & meritò in operibus factionis, non dico creationis, prima fuit perfectio hujuſmodi ſubſtantiarum. Verùm utrùm ex tanta illuminatione earum ſplendeat cœlum Empyreum, quæſtionem habet non hîc plenè diſcutiendam. Multis enim impoſſibile videtur ex diſpoſitionibus, quæ ſunt in ſubſtantiis abſtractis fieri impreſſiones aliquas in corporibus. In animabus enim humanis ſecùs eſt: adeò quippe conjunctæ, & colligatæ ſunt corporibus ſuis, ut meritò ex eis, quæ in ipſis, aut apud ipſas ſunt, vel fiunt, fiant impreſſiones corporibus earundem. F Faciam autem te ſcire in ſequentibus, videlicet in capitulo de renovatione mundi, quòd ex ſubſtantiis abſtractis ſequuntur multiplices impreſſiones in corporibus, & quòd ex beatitudine animarum bonarum erit multiplex perfectio in corporibus ipſarum & in reſurrectione, & perpetuò poſt illam. Si ergo ex tanta beatificatione cœleſtium illarum militiarum ſplenduit, & ſplendet perpetuò tota habitatio illorum, non tibi debet videri mirabile. *Nota.* Quòd ſi de luce corporali dixit Deus, ut fieret, convenientiùs intelligitur hoc de ſplendore Empyrei cœli, quàm de alia luce corporali, licet quibuſdam viſum ſit, quia de luce quadam intelligitur hoc: quoniàm dicunt fuiſſe quaſi nubem lucidam, & ejus revolutionem vel in aquis, vel ſuper aquas factam eſſe, ac deſignatam primam G diem Hic autem ſermo valde incredibilis eſt, cùm omninò nulla utilitas appareat lucis illius, neque revolutionis ſuæ, non enim erant animalia, vel homines, quibus luceret, aut horas. & cæteras partes deſignaret. Ampliùs. Quid factum eſt poſtmodùm de luce illa? Si enim expleta prima die, ſtatim deſtructa eſt, tanquàm otioſa fuit, ſi poſtmodùm, ut nonnulli dixerunt, corpus ſolis ex illa factum eſt, ſequuntur multa, quæ videntur abſurdiſſima. Ubi enim eſſet fabricatum corpus Solis ex illa? Si enim ubi ipſa creata eſt, qualiter transferri potuit per cœlos medios ad cœlum Solis quarta die? Non enim modicum fuit corpus lucis illius, cùm ex ea formandum eſſet corpus Solis, quod conſtat eſſe tantæ magnitudinis; ſed de motu illius, num eſſet naturalis, vel violentus, vel voluntarius, quæſtionem habet. Tu autem quicquid horum ponatur, vides, quæ inde ſequantur. Ampliùs. Propter quid laudata eſt bonitas lucis illius, ſi non euſque bona fuit, ut H placeret creatori permanentia ipſius? Non enim euſque attollenda erat bonitas cujus permanentiam creator non approbavit. Convenientiùs igitur intelligitur lux illa fuiſſe, vel ſpiritualis illa illuxio Solis intelligentiæ, quam dixi, vel ſplendor, quo illuſtratum eſt cœlum Empyreum, ex utralibet cauſarum antedictarum noveris. Neque enim ſubſtantiæ angelicæ in nocte ſuæ imperfectionis diu relinquendæ fuerunt: neque cœlum Empyreum abſque luce eſſe debuit, cùm ejus habitatores ad lucem creati eſſent. Non enim decet lucidos habitatores tenebroſa habitatio, ſicut neque econversò tenebroſos inhabitatores lucidæ manſiones. Apparet etiam ita eſſe ex contrariis ex proportione. Sicut enim habitatio obtenebratorum, ſcilicet infernus, tenebroſa eſt, & fuit, ex quo factus fuit infernus, quemadmodùm doceberis in ſequentibus: ſic habitatio contraria in luce illa, ſcilicet quam prædixi, jucundiſſima non debuit eſſe tenebroſa. Ampliùs.

E Quis eſt qui habitationem ædificet vel hominibus, vel etiam animalibus, & non eam ornet, atque decoret, omnique modo paret pro congruentia illorum? *Nota.* Decorandum igitur fuit ſplendore Empyreum cœlum, & etiam tanto ſplendore, ut tota ſubjacens ei habitatio uſque ad nonum cœlum inde clareſceret. De hoc, quod ſequitur in ſermone ejuſdem prophetiæ, ſcilicet, quia vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, tuum eſt ex aliis tropis, & figuris propheticorum ſermonum iſtud intelligere Non enim eſt poſſibile, ut tunc primùm lucem videret, cùm ab ipſo facta eſt. Nihil enim addit ſubſtantia rerum viſioni, vel cognitioni creatoris. Nihil detrahit eis non exiſtentia ipſarum, ſicut alibi tibi declaratum eſt in hoc eodem magiſterio. Quare intelligendum, vidit, id eſt, videre fecit, vel vidit, id eſt approbavit, ac ſi dictum eſſet, de qua placuit ei antequàm eſſet, ut fieret, placuit ei ut poſtquàm facta eſſet, F maneret. quod autem ſequitur Et factum eſt veſpere, & manè dies unus, multas habet quæſtiones. Primùm, quia creatio cœli Empyrei ſubitò facta eſt, & in inſtanti. *Cœlum empyreum in inſtanti creatum.* Impoſſibile eſt enim creationem corporis ſphærici initium habere in tempore, & perfici in illo. Unde enim inciperet creatio illius, cùm nulla pars dignior ſit priùs creari, quàm alia? Ampliùs. Quid primum crearetur in ipſo, an ejus ſuperficies exterior, vel interior: an velut ejus quidam angulus, ſive arcus, an hemiſphærium, ſive pars hemiſphærij. Et de ſuperficie quidem manifeſtum eſt, eam non poſſe creari, niſi in corpore, vel cum ipſo. Quocunque autem dictorum modorum dicatur cæpiſſe creatio cœli illius, redit tibi quæſtio de inani, & ſequeretur inter duo capita arcus hujuſ- G modi eſſe inane. Inane autem non facit ſubſtantiam, ut ſupra oſtendi tibi; quare duo capita arcus hujuſmodi ſimul ſunt, non erit ergo arcus hujuſmodi figura, ſed circulus. Eadem inconvenientia invenies in aliis modis. quòd ſi fortè dixerit, ſuperiorem partem aquarum congelatam fuiſſe, vel aliàs ſtabilitam, atque firmatam, aut tota igitur coagulatio illa facta eſt ſimul, aut pars poſt partem coagulata eſt. ſicut fit in aquis, quæ apud nos ſunt. Quòd ſi tota ſimul ſic coagulata eſt, verum igitur eſt, quod dixi, quia ſubitò, & in inſtanti creatum eſt illud cœlum. Si verò per partes, & ſucceſſivè facta eſt hujuſmodi coagulatio, non eſt virtus creatoris procul dubiò immediata quæ ſic operatur, immò virtus corporalis. *Nota.* Operationes enim in tempore non congruunt omnipotenti virtuti creatoris. Cauſa autem eſt in hoc, quoniàm operatio omnis hujuſmodi per conflictum eſt, & victoriam agentis ſuper patiens, & paulatim ejicientis virtutis contrarium H ſuum à corpore contingentre. Creatori autem ſicut non eſt reſiſtentia in operibus ſuis immediatis, ſic neque in mora. Quare quicquid operatur per ſemetipſum, ſubitò illud operatur, vel in inſtanti. Ampliùs. Si non creatum, ſed generatum eſſet per corruptionem primum cœlum, & hoc ex illa materia, ſive aquea, ſive alia. de ipſa materia relinqueretur eadem quæſtio. Quare abiret generatio, & corruptio in infinitum, vel occurreret corpus ſubitò creatum in ſua materia, vel forma, quod & erit immediatum opus creatoris. quia igitur nullum ex corporibus adeò decet opus eſſe ſolius creatoris, ut cœlum primum; conſequens eſt ipſum creatum fuiſſe ſubitò Similiter, & lucem factam ſubitò ſecundùm veram intentionem, quam dixi. quomodò igitur dies una fuit ſpatium illud, ſive inſtantia illa, quibus creatum eſt cœlum primum, terra, & aqua media inter illos, & lux facta? Ampliùs, quid erit ibi manè, & quid veſperè? Ampliùs Inſtantia illa non potuerunt eſſe vel contigua,

Digitized by Google

vel continua. Jam enim declaratum eſt tibi per Ari-
ſtotelem in libro phyſicorum, quòd inter quælibet
duo eſt tempus. Quid ergo factum eſt medio illo
tempore, aut quæ utilitas temporis iſtius? Dico,
quia ſicut quibuſdam ex ſapientibus, & ſanctis, vi-
ſum eſt, medio illo tempore diſtulit creator illumi-
nationem, quam prædixi tibi, ut angeli ſancti ex-
perimento cognoſcerent, quid eſſent ex creatione
ſua, ut poſtmodùm tanta gloria illuminationis il-
luſtrati, & humiliores, & in Deum magis grati, at-
que devoti poſtmodùm exiſterent. Nihilominùs
tamen ab eiſdem meritò quæritur, quia totum hoc
incomparabiliter meliùs noſſe poterant ex illumina-
tione illa glorificati, quam ex luce ſcientiæ ſuæ na-
turalis, ſibi innatæ, atque concreatæ. Ego verò iſtam
quæſtionem diſſolvi tibi per hoc, quod adjeci ver-
bis eorum, experimento. Experimento ſiquidem
ob imperfectionem ſuam cognoſcere expediebat
angelis ſanctis valde ea, quæ prædixi. Plus enim
humiliat ſenſus, & experientia imperfectionis,
quàm alia ejuſdem cognitio. Fortaſſis autem nec
poſſibile erat naturam angelicam in gloria hujuſmo-
di creari. Verùm hîc iſtud determinare, ac perſcru-
tari, longum eſſet, & magis reſervandum eſt loco
ſuo, ſed non effugitur propter hoc quæſtio, cùm in-
tellectualis operatio tempore non indigeat. Omnis
enim cogitatio, & omne intelligere, atque cognoſ-
cere in inſtanti eſt, & ſubitò, & generaliter omnis
paſſio, quæ fit in ſubſtantia impartibili. Si enim
fieret in tempore aliqua paſſio ſubſtantiæ imparti-
bilis, fieret in ea pars poſt partem, ex quo ſequen-
tur duo inconvenientia. Primum; quia paſſio il-
la eſſet ex impartibilibus. Partes enim omnes, quæ
in impartibili ſubjecto vel eſſent, vel fierent, im-
partibiles eſſent ex neceſſitate, alioquin non poſ-
ſent eſſe in ſubjecto impartibili. Secundum incon-
veniens eſt, quia ſi intelligere unius non fuerit
in inſtanti, non poſſet hoc eſſe, niſi altero duo-
rum modorum, quos dicam tibi, videlicet, ut
divideretur ipſum intelligere, vel à parte intellecti,
vel à parte intellectus: à parte autem ipſius intel-
lectus non dividitur, niſi hoc modo, ut aliquid ip-
ſius intellecti priùs intelligatur, & deinde aliud, &
ita conſequenter ſingula, quæ ejus ſunt, donec
intelligatur totum. Nihil autem unum intelligitur
per modum iſtum, quemadmodùm cùm intelligi-
tur cœlum, non intelligitur particularim, videli-
cet, ut priùs intelligatur una ejus pars, & deinde
alia; ſed ipſum cœlum totum ſimul intelligitur,
etiam partibus non intellectis: ſicut & homo, non
intellecto pede, vel manu, aut oculo. In quibuſ-
dam autem quorum unitas adunata eſt ex multi-
tudine, reverà contingit intelligere totius dividi
juxta multitudinem, & diviſionem ipſius totius:
quemadmodùm intelligere propoſitionis unius di-
viditur per intelligere ſubjecti, & prædicati ejuſ-
dem, quoniàm aggregatum eſt ex eis: in eis autem,
de quibus mentionem facio, manifeſtè vides, quia
intelligere totius non eſt aggregatum ex intelli-
gere partium ejuſdem; quare manifeſtum eſt ti-
bi jam, quia intelligere non dividitur à parte in-
tellectus, cùm intellectum fuerit unum, & non ſit
adunatum ex multitudine, ut intelligere ipſius opor-
teat eſſe aggregatum ſimiliter ex intelligere partium
ipſius. Ubi etiam manifeſtum eſt tibi, quia intel-
ligere uniuſcujuſque partis, quæ non dividitur in
toto illo, ſimiliter nec ipſum dividitur. Quemad-
modùm ſi dixeris cœlum eſt volubile: intellige-
re ipſius cœli non dividitur per intelligere partium
ejuſdē, nec dividitur tempore. Non enim in intelle-
ctu tuo priùs fit quædam pars ipſius intelligere quo
intelligis cœlum, & deinde alia: pars enim illa

A vel eſſet intelligere, vel aliud, & ſi eſſet intelligere,
eſſet vel illud intelligere, quo intelligis totum cœ-
lum, vel quo intelligeres partem ipſius. Quòd ſi
eſſet ipſum intelligere, quo intelligis cœlum: ergo
priùs fieret in te illud intelligere, quo intelligis
cœlum, quàm intelligere cœlum. Si verò eſſet in-
telligere illud intelligere, quo intelligeres partem
cœli, hoc jam deſtruxi tibi. Si verò eſſet intellige-
re, quo aliud intelligeretur, quod neque eſſet cœ-
lum, neque pars cœli, tunc eſſet inutile, & imper-
tinens ad intelligere, quo intelligis cœlum, & ita
vanè de illo fit mentio aliqua. Manifeſtum igitur
tibi per hoc, quia intelligere non dividitur à parte
intellecti, niſi per modum, quem dixi tibi. A par-
te verò intelligentis, impoſſibile eſt ipſum ſimili-
ter dividi, cùm intelligens omne per modum, quo
eſt intelligens, ſubſtantia impartibilis ſit. In ſub-
ſtantia verò impartibili, non eſt poſſibile, ut pars
poſt partem patiatur, nec ut pars poſt partem agat,
B cùm non ſit ibi pars, & pars. Sive igitur intelligere
ſit agere, ſive pati, impoſſibile eſt, quòd dividatur
à parte intelligentis. Ad hunc modum ſe habet de
actionibus aliis, & de paſſionibus, & generaliter
de omnibus diſpoſitionibus ſpiritualibus. quare
lux illa prima, ſive dies, ſive fuerit illuminatio ſo-
lis modo intellectivo, ſive fuerit beatificatio com-
pleta hujuſmodi ſubſtantiarum, videlicet abſtracta-
rum, nullo modo fuit diviſibilis ſecundùm tempus.
Quomodò ergo aſſignat ei propheta veſperè, & ma-
ne, præſertim cùm illuminatio illa nec vergere ad
occaſum, nec appropinquationē ullam ad tenebras
habere potuerit? Qualiter autem veſperè & manè
ex duobus punctis temporis intelligatur eſſe, non
eſt facile videre, niſi quis dicat ſubſtantias illas præ-
claras in conſideratione propriæ defectibilitatis,
atque potentialitatis, eas aliqua parte temporis in
ſe immoratas, & hoc vocaſſe prophetam veſperè,
quo occaſum ſuum agnoſcebant ſibi eſſe ex ſe, &
paratas eſſe ad hoc, ut recciderent in non eſſe, unde
C dicente Deo & mandante, ad eſſe eductę ſunt, &
creatæ. Idem eſt intellectus penè, ſi ad imperfectio-
nem earum hoc referas; factum eſt igitur veſperè
in eis per hujuſmodi contemplationem ſui occaſus
vel occiduitatis, & ideò priùs nominatur veſperè,
quia priùs ineſt eis ſua ipſa defectibilitas, & occi-
duitas, ut pote naturalis, & à ſeipſis, quàm earum
beatificativa perfectio, quæ intelligitur per manè.
Manè enim remotiſſimum eſt à veſperè & initium
eſt profectus, hoc eſt, proficiendi, & operandi in
ipſa perfectione, vel ſecundùm ipſam; Factum igi-
tur eſt veſperè, ut dixi, in conſideratione ſuæ occi-
duitatis, & luce illa. Et factum eſt manè in conſi-
deratione novitatis illius lucis, & initio proficiendi
ſive operandi ſecundùm illam. Opus autem perfe-
ctionis iſtius eſt potiſſimum, atque præcipuum ad-
miratio, magnificatio, & collaudatio creatoris.
Dicitur autem illuminatio illa manè, & propter
hoc quia prima fuit illuxio creatoris, & primus or-
tus veri ſolis, quo ortus eſt creaturis & quia etiam
in eo ſtat, & permanet immutabiliter, in quo cæ-
pit. Non enim augetur velut ab ortu Solis in meri-
D diem, cùm neque claritati ejus, neque fervori, ſeu
ardori ſinceriſſimæ dilectionis, qua creatori inſe- *Nota*
parabiliter adhærent, aliquid additur, vel accreſcit.
Quanto autem ſpatio duraverit, vel veſperè illud,
vel manè & utrùm diem integrum compleverit,
id eſt viginti quatuor horarum æqualium ſpatia,
quæ eſt menſura uniuſcujuſque revolutionis inte-
græ firmamenti ſermo propheticus non determi-
navit. Veruntamen non eſt inconſuetum apud nos
diem ſex horarum, & pauciorum inveniri, & no-
ctem ſimiliter, & etiam diem dimidii anni integri,

& noctem ſimiliter, ſicut declaratum eſt tibi in tractatibus multis de his. Non abuſivè igitur ſapiens, & ſanctus ille propheta vocavit diem ſpatium non minùs ſpatio vigintiquatuor horarum. Quapropter ſi ſpatium illud temporis, quo hæc omnia facta ſunt, videlicet cœlum primum, terra, & aqua media, attingens à terra ad cœlum illud, & lux facta cum ſequela ſua, quam dixi tibi, videlicet de conſideratione propriæ occiduitatis in ſubſtantiis illis, & de conſideratione ſuæ imperfectionis, & potentialitatis, ſimiliter & de ipſo manè vocare voluit propheta veſperè, & manè, & diem, abſque injuria loquelæ, & abuſione, hoc fecit. De nocte verò ideò nullam mentionem fecit, quia nullus locus eſt nocti, vel tenebris in regione illa, vel propter hoc, quia inter veſperè illud, & manè reverà nihil eſt medium. Si quis autem dixerit beatiſſimas illas ſubſtantias in conſideratione, & admiratione creaturarum, videlicet cœli, & terræ aquarum, & etiam ſuiipſarum moram aliquam traxiſſe, ut exinde magnificarent abundantiùs, atque ſublimiùs creatorē, & exinde erexiſſe ſe ad ipſum, & moram aliquam in hoc traxiſſe, cùm collaudatio, & glorificatio creatoris nec brevis, nec perfunctoria ſit, ſicut nec eſſe debet, moramque hujuſmodi dicat veſperè illud, ſive finem illius moræ, quod eſt congruentius, non improbabiliter dicet, nec ſermo ejus, tanquàm erroneus rejiciendus eſt. Elucidabo autem iſtud ampliùs, & dicam quia in principio, hoc eſt, in prima parte diei illius primi, quam propheta veſperam vocaſſe videtur, multa facta ſunt, quæ omnia ſubitò, & in non tempore, hoc eſt, in puncto temporis fieri poſſibile non fuit. Horum unum eſt, creatio primi cœli, & terræ, & aquarum. Secundum eſt creatio angelorum. Tertium ordinatio angelorum in officiis, dignitatibus, & ordinibus ſuis. Quartum conſpiratio angelorum malorum, & apoſtatatio eorum. Quintò caſus, atque dejectio illórum. Hæc autem quinque cùm perſcrutatiùs conſideraveris, invenies abſque ulla dubitatione facta fuiſſe in tempore aliquo, cujus finem veſperam vocavit ſermo propheticus, vel poſſet intelligi veſpera caſus malorum angelorum, qui & fuit eis occaſus, & obtenebratio à luce prima, ac præclara, quæ Deus eſt, quantùm ad naturalem illuminationem. Etſi enim multa luce ſcientiæ, ſive ſapientiæ naturalis adhuc clareant, in multis tamen obtenebrati ſunt, ſicut doceberis in tractatu de eis ſingulari; nec propter ſolam iſtam obtenebrationem dicta eſt veſpera finis moræ, ſeu temporis illius, immò etiam propter infrigidationem, qua ab amore naturali creatoris penitùs friguerunt. Jam enim nec ſcintilla hujuſmodi amoris apud eos vivit, aut ardet, immò totaliter in iram, & odium ipſius converſi, immò potiùs ſubverſi ſunt. Addo inſuper quia poſtquàm cœlum primum creatum eſt, & ejus eſſe ſtabilitum atque firmatum virtute permanentiæ, & durationis, quæ habuerunt initium, & inceptionem, ſive terminationem à parte principii, factum eſt ejus eſſe etiam menſuratum menſura temporis, & quies ejus non minùs digna, ut menſuraretur tempore, quàm motus aliorum cœlorum. Finis ergo menſuræ hujuſmodi quietis, & durationis, vocata eſt veſperè propter conſummationem, vel ipſius, vel eorum, quæ in ea facta ſunt, quoniàm ſubſecutum eſt manè, id eſt initium partis alterius diei, in qua facta ſunt, quæ narrabo. Utrùm autem iſta duo, veſperè ſcilicet, & manè, eſſent verè, aut perfectè medietates diei, qui viginti quatuor horarum æqualium continet ſpatium, licet ſermo ſanctus non determinet; non eſt tamen contra veritatem, aut rationem, quòd quantitate à ſequentibus diebus non diſcrepet, præſertim cùm conſpiratio malorum ſpirituum, quam prædixi, moram temporis, & prolixitatem requirat. Cùm enim numerus eorum ſit innumerabilium millium, & primus, ac nobiliſſimus eorum contra creatorem primus ſe erexerit, qualiter hoc venit ad tot millia aliorum? Qualiter in hoc ipſum inducti ſunt, niſi tractatus aliquis, & ſuaſiones interveniſſent? In tanta autem multitudine, quomodò potuit eſſe tractatus brevis, & ſuaſio, atque inductio non prolixa, cùm ſapientiſſimi creati eſſent, & in tantum auſum ſtultitiæ deducti ſint? Si enim homo, qui non eſt ſapiens, niſi ad modicum, ſapientia naturali, averti non poteſt à ſenſu ſuo, ut à veritate, ac rectitudine declinet, niſi magnis, & multis, validiſque ſuggeſtionibus, ac ſuaſionibus, quomodò illi tanta ſapientia præditi in tantam veſaniam tempore breviſſimo induci potuerunt? ipſe etiam tanti mali inventor tantò difficiliùs induci debuit, quàm aliquis aliorum, quantò eum conſtat majori luce, & ſapientia, quàm omnes alios claruiſſe, potiſſimùm cùm nullus eorum exteriorem haberet inſtigatorem, ac ſuggeſtorem tanti mali, & haberet unuſquiſque ſplendorem ſapientiæ, qua præditi erant, fortiſſimum mali illius diſſuaſorem, & etiam repreſſorem? Hæc autem omnia idcirco dico, ut appareat tibi veſperam primæ diei, hoc eſt, primam partem multarum horarum ſpatium habere potuiſſe, propter ea, quæ facta ſunt in ipſa, cùm evidenter requirant tempus, & ſubitò omnia fieri nullatenùs potuerunt. Ipſum vero manè ſi ſecunda pars diei primi accipiatur, non minorem temporis menſuram requirere, evidenter eluceſceret tibi, cùm diligentem conſiderationem feceris de his, quæ in eodem manè fieri oportuit, & quæ in eodem facta ſunt. Horum primum eſt creatio lucis juxta modos, & intentiones, quas dixi. Secundum eſt collaudatio, & magnificatio creatoris de ipſa illuſtratione, & glorificatione ſanctorum angelorum & de ipſa juſta damnatione, ac dejectione malorum, ſed & de aliis bonis, doniſque, atque beneficiis creatoris erga ſeipſos. Tertium, quod veriori ordine primum eſt, admiratio creatoris in ſeipſo. Sunt & alia, quæ ſanctis angelis patefacta ſunt ipſa claritate ſuæ glorificationis, quorum revelationem ineffabilibus gaudiis, & jubilationibus proſecuti fuiſſe nullatenùs dubitandi ſunt, ſicut de creatione generis humani, & reſtauratione angelicæ ruinæ ex hominibus, & de reparatione civitatis ſupernæ, ac integratione ipſius, quæ quaſi detruncata, ac mutilata erat per caſum malorum angelorum. Sunt & alia multa ſecretiora, atque profundiora, in quorum conſideratione, & contemplatione, delectabiliter eos occupari voluit creator, & ipſa luminoſitas intelligentiarum ſuarum, amorque bonorum omnium propter gloriam creatoris, eos figebat, ac detinebat in eis. Nec eſt inconveniens, ſi menſuram primæ diei habeant ſequentes, & ſi prima ubique exemplaria ſunt ſequentium. Poſſet autem quis intelligere unamquamque dierum iſtarum veſperè, & propter occiduitatem temporis, quantùm ad conſummationem ſui ipſius, quæ conſummatio ſui eſſe toto fluxu inceſſanter feſtinat. Manè verò ejuſdem temporis finis; non autem inquantùm eſt finis præcedentis temporis, manè vocatum eſt, ſed inquantùm initium menſuræ ſequentis operis. Quòd autem magis congruit plano literæ eſt, ut intelligatur dictum, tanquàm in conſummatione uniuſcujuſque operis ſex dierum, & in fine uniuſcujuſque illorum. Quod verò ſequitur in ſermone eodem, quia vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, tu jam ſcis figuras, & modos varios propheticorum ſermonũ, juxta quorum unum intelligitur, vidit, id eſt, videri fecit. Quem-

Quemadmodùm & per eundem prophetam alibi dicitur. Nunc cognovi, quòd rimeas Deum, id eſt cognitum feci tibi ipſi & aliis. Vel vidit, quòd eſſet bona id eſt approbavit bonitatem lucis, quam prænoverat antequàm eam faceret, approbavit inquam, formando ipſam in ſuo eſſe, & conſervando. Et dixit poſt hoc ſermo ſanctus: diviſit lucem à tenebris, Habet autem quæſtionem quomodò diviſit lucem à tenebris, cùm neque conjuncta eſſet priùs tenebris, nec etiam eſſet conjungibilis: intelligo igitur in hoc verbo, quia hanc lucem, de qua agitur, diviſit à tenebris, hoc eſt, adeò ſeorſùm, & longè fecit eam à tenebris, ut eam attingere nullo modo tum poſſint, quemadmodùm vides lunæ lucem terræ tenebris occupari, & hoc in eclipſi ejuſdem; ſic & lucem aeris iſtius in quo ſumus, noctis tenebris obſcurari, & hic eſt dies cœli, ſicut mihi videtur, de quo dicit alius propheta: Et thronus ejus, ſicut dies cœli, quaſi perſeverans abſque ulla læſione, vel diminutione.

Nota.

Uocavitque lucem diem, ac tenebras noctem de quibus jam declaratum eſt tibi in præcedentibus, quia non ſunt aliquid contrarium luci, ſed abſentia illius. Et manifeſtum eſt tibi, quia lux & tenebræ ſive dies, & nox, non pro ipſis temporibus hîc accipiuntur: ſed quemadmodùm uſualiter dicitur dies aer noſtræ inhabitationis illuminatus à Sole, & nox eadem habitatio per privationem hujus luminis obſcurata. Nec debet eſſe improbabile tibi, dies iſtos ſex æquales fuiſſe, cùm primus dies ſit, quaſi menſura quietis, vel permanentiæ primi cœli; dies verò, quibus utimur, menſuræ ſunt motus ſecundi cœli cõtinentis novem cœlos inferiores. Quies enim, & motus eandem debent habere menſuram oppoſitionis. Decuit etiam uniformitatem eſſe menſuris hujuſmodi, & ut nulla eſſet in eis confuſio ex difformitate, & ut creator non videretur diverſatus in operibus ſuis, tanquàm in majoribus major menſura temporis eidem neceſſaria eſſet, & in minoribus minor, quemadmodùm contingit in nobis, & in operibus noſtris, & etiam in operibus naturæ, cùm omnipotenti virtuti ejus non ſit contradictio, aut rebellio, aut reſiſtentia in quibuſcunque operari

Nota.

voluerit, ſed per omnem modum, non ſolùm eadem facilitate majora, & minora operatur, immò ea imperioſitate, cui æquè obediunt ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt: hoc autem non propter hoc dico, quòd creator operari non poſſit, & celeriùs, & tardiùs, quædam quibuſdam aliis, ſicut primum hominem, & tempore breviſſimò, & perfectum fecit, alios verò per multos dies. & menſes, multaſque corruptiones, & generationes, atque alterationes ad complementum ſui eſſe, & perfectionem adducit.

CAPUT XLII.

Nota de generatione cœlorum.

Generatio cœlorum ex aquis.

ET quoniàm generatiò cœlorum novem ex aquis facta eſt id eſt ex materia, quæ erat inter primum cœlum, & terram, alioquin quid factum eſſet de materia illa? non enim per motum localem tranſlata eſt ad alium locum, cùm alius locus nec tunc fuerit, nec eſſe potuerit, ut declaratum eſt tibi: quia igitur non eſt poſſibile eam remanſiſſe in loco, in quo ſunt cœli iſti novem, cùm locum illum novem cœli totum impleant, manifeſtum eſt, ipſam per corruptionem tranſiſſe in generationem cœlorum. Corruptio autem hæc, & generatio non potuerunt fieri ſimul, & ſubitò quoniàm ſi ſubitò factæ fuiſſent hoc eſt in puncto temporis, eſſet eadem materia ſimul veſtita formis cœlorum & formis ſuis.

Nota.

Si enim in puncto eſſet corruptiò materiæ illius, hoc eſt denudatio ejuſdem à formis ſuis, & veſtitio ipſius à formis cœleſtibus erit materia in puncto veſtita utriſque, vel nuda utriſque. Utrunque autem manifeſtè impoſſibile eſt, quoniàm ſecundùm hoc, eſſent formæ tam diverſæ ſimul in eadem materia, & eſſent cœli, & aquæ ſimul in eodem loco factæ; igitur ex neceſſitate generatio cœlorum illorum, ſive cœli continentis novem, erit in tempore. Cauſa autem in hoc eſt quia materia illa, qua generabatur, non potuit corrumpi, ſive denudari à formis ſuis ſubitò, & in non tempore. Si enim in puncto denudaretur à formis ſuis, eſſet in illo puncto nuda ab eis; jam autem didiciſti alibi, materiam hujuſmodi non eſſe poſſibile inveniri nudam à formis. Prætereà, ſecundùm hoc in alio nunc ab ea veſtita fuiſſet à creatore formis cœlorum, qui ex ea generati eſſent, & ita in medio inter illa duo inſtantia eſſet illa corrupta, & cœli generati non eſſent, ſi utrumque eorum factum eſſet in duobus punctis temporis. Quòd ſi dixerit quis, quia creator potuit creare eam nudam, & detinere nudam pro beneplacito ſuo, & hoc oportuit ibi fieri, licet alibi non fiat, quia operatio creatoris non potuit, nec debuit habere moram, vel remoratione mali quantam, ſed ſola virtute ſua operaretur cui neque reſiſtentia eſt, neque

Nota.

rebellio, ut jam dixi, & ſicut potuit veſtire materiã primi cœli, hoc eſt, Empyrei ſubitò formâ ſuâ, & reverà veſtivit; ſic & multò fortiùs potuit veſtire ſubitò cœlum continens novem cœlos formis ſuis, cùm manifeſtum ſit cœlum primum longè majus eſſe cœlo illo In hoc autem jam dixi tibi, quia etſi non eſſet impotentia, vel defectus aliquis ex parte creatoris, quominùs hoc poſſet, defectus tamen erat ex parte materiæ, quę nõ poterat ſubitò denudari à formis ſuis, & ſubitò veſtiri, propter cauſas, quas dixi. Si quis autem dixerit quia eo modo potuit creare, vel generare cœlos iſtos, quemadmodùm creavit, aut generavit Empyreum, aut etiam ipſam terram, jam reſpondi tibi in hoc, & adduxi etiam probationem, per quam feci te ſcire, quia generatio cœli Empyrei & terræ, ſubitò factæ ſunt, & in non tempore, & quia non præceſſit eas alia generatio, vel corruptio corporalis, alioquin deduceret nos via hæc in errorem Ariſtotelis de infinitate generationis, & corruptionis, & motus, & de antiquitate, ſive æternitate mundi. Quia igitur materia media inter illa duo creata eſt cum eis, cujus pars corrumpenda erat in generatione cœlorum, ut jam oſtendi tibi, manifeſtum eſt diſſimiles ex neceſſitate fuiſſe generationes primi cœli, & novem ſequentium, & tu ſcis intentionem meam in capitulo iſto: quia ego non intendo hîc, niſi utcunque dirigere te, & erigere ad intelligendum ſermonem prophetæ de generationibus iſtis, & defendere planum ſermonis ipſius. Ipſum etiam planum ſermonis iſtius hoc inſinuat. Si enim Deus in principio creavit cœlum, & terram, cùm principium illud convenientiùs intelligatur aut principium temporis, aut

Cœlum, & terra. quomodò creata.

principium operum ipſius creatoris ſive operũ Dei, neceſſe eſt ſubitò creata fuiſſe cœlum, & terram, quia ſi in puncto temporis creata ſunt, hoc manifeſtum eſt: ſi verò ante ea nihil creatum eſt, ſimiliter neceſſe eſt ipſa ſubitò creata fuiſſe. Quemadmodùm enim prædixi tibi, quomodò crearetur primum cœlum per partes? & à qua parte ejus incœpiſſet creator ejus creationem? & propter quam cauſam creatio ejus eſſet in tempore? ita ut pars poſt partem crearetur, cùm ſola virtus divina ibi operaretur, & nihil eſſet ei reſiſtens, aut retardans, neque per corruptionem alterius corporis, aut denudationem materiæ ipſius cœli ab alia forma neceſſe eſſet venire ad

Ariſtoteles

veſtitionem ejus . qua veſtienda erat forma cœleſti. Quare ſubitò in materia ſua , & forma creatum eſt: generatio verò cæterorum cœlorum , quia per corruptionem aquatuni ex ipſis facienda erat: corruptio autem corporalis omnis ex neceſſitate fit in tempore , ſicut & omnis alius motus corporalis , ſicut declaravit Ariſtoteles in auditu ſuo, hoc eſt , in libro , quem vocat auditum , ex neceſſitate facienda fuit in tempore eodem , quo facta eſt aquarum corruptio in generatione ipſorum. Habet autem quæſtionem , à qua parte cœpit generatio cœlorum , & veriſimile quidem eſt , ut primum cœlum , quod aplanon vocant , primum creatum fuerit , hoc eſt , in prima parte diei : ſic & deinde cœlum ſtellarum fixarum, quaſi in ſecunda parte. Tertiò cœlum Saturni , & ita donec veniatur ad cœlum lunæ , quod eſt ultimum novem cœlorum iſtorum. Hoc etiam requirere videtur ipſe ordo dignitatis, & nobilitatis eorundem. Certum enim eſt , quia comparatio cœlorum iſtorum eſt in nobilitate , virtute , & dignitate ad invicem , quæ eſt in altitudine, & poſitione ipſorum , & ſecundùm Alpetrangi , in velocitate, & tarditate motus. Nonnullis etiam videtur operationes cœlorum, & virtutes , influentes eſſe , ac deſcendentes à primo ſuper ſecundum, & etiam ſuper omnes inferiores , & ad hunc modum ſe habet de aliis. Quia verò ipſius eſſe ad eſſe , generari , & generare , ea videtur eſſe comparatio , quæ eſt virtutis ad virtutem in omnibus, quæ ordinem habent ad invicem , idem videtur eſſe ordo creationis, ſive generationis cœlorum, qui eſt & virtutum eorum. Quare unumquodque eo ordine , quo recipit virtutem à primo , & univerſali fonte , recipit & eſſe. Verum igitur eſt , quod dixi , quia inter iſtos novem cœlos , primum , id eſt , in prima parte diei ſecundæ , creatum eſt aplanon : deinde cœlum ſtellarum fixarum , & ita de aliis.

Aplanon.

Cæleſtes ſphara.

Alia opinio:

Econtrariò verò fortaſſis alicui videtur , quoniàm cœli iſti novem ſimul omnes creati ſunt. Cùm enim propinquitas , & elongatio, nihil ſit ad creatorem , cùm attingat à ſummo uſque deorſum , & à primo creato uſque ad ultimum æqualiter , hoc eſt , cùm non magis præſens ſit ei primum, quàm ultimū aut aliquod mediorum : manifeſtum eſt non adjuvari operationem creatoris , vel virtutem ipſius, aut impediri , ſive retardari hujuſmodi propinquitate , vel elongatione. Quare non eſt prohibitus creator aut adjutus, ſive impeditus ullo modorum , æquè citò operari generationem , ſive creationem cœli lunaris , & cujuſcunque aliorum , cùm ei ex omnibus modis ſuis, nihil ſit potiùs, quantùm ad virtutem ſuam in cœlo aplano, vel cœlo ſtellarum fixarum , quàm in cœlo lunæ , aut in quocunque aliorum : hujuſmodi autem exemplum eſt de artifice , & operatore , qui per ſolam virtutem ſuam , ſive per ſeipſum ſolum operatur , & qui nihil habet adjumenti ad operandum plus in uno loco , vel materia , quàm in alio , vel alia. Talis enim non operabitur priùs in loco uno , & poſteà in alio . preſertim cùm ejus virtus , aut ars non ſit alligata uni operi , aut uni loco , aut uni materiæ ſed ſit potens, atque liberrima, & ubicunque & in quibuſcunque voluerit operari, qualem manifeſtum eſt virtutem eſſe creatoris , qui in uno loco operatur folia , in alio flores, in alio fructus, in alio ſemina , in alio lapides pretioſos , in in alio metalla , in alio plantas, & in alio animalia , & operatur ita unumquodque iſtorum , ac ſi unum ſolum operaretur. Non enim ex hoc , quòd tam magna, tamque multa operatur, aliquid eorum aut minùs bonum , aut minùs benè operatur, quàm ſi illi ſoli intenderet; quare, ſi per ſe ſolum , aut virtutem ſuam ſolam , hoc eſt abſque adminiculo , & media-

Virtus creatoris non loco alligata

E tione virtutis alterius, creavit cœlos iſtos novem, ſimul eos creavit. Hoc autem dico , quia cùm creator per aliam virtutem operatur , quàm per ſuam ; tunc indubitanter operatur juxta modum virtutis illius, quemadmodùm cùm per frigiditatem coagulat aquas, aut congelat eas ſucceſſivè & per partes , ex ea velocitate , qua poteſt frigiditas , & qua patitur fieri materia , in quam operatur. Si ergo per ſolam virtutem ſuam creavit cœlos , hoc eſt , nulla virtute alia agente ad hoc , vel cooperante , nulla ſubeſt cauſa , vel ratio , quæ prohibuerit eum creaſſe omnes illos ſimul : ſed neque virtus aliqua cooperata videtur ad creationem cœlorum , niſi fortè quis dicat virtutem aplani, hoc eſt, primi novem cœlorum cooperatam fuiſſe , atque egiſſe in partem aquæ ſibi proximam , eique ſimilitudinem, id eſt cœleſtem formam ſibi ſimilem impreſſiſſe, & ita ſecundum cœlum generaſſe, quemadmodùm ignis , cùm generatus eſt juxta materiam receptibilem ſuæ actionis , & virtutis , indubitanter agit in illam, & generat ex ea ignem alium.

Cœli novem ſimul creati.

F Cùm ergo partes illæ aquarum, ex quibus inferiores cœli generati ſunt, receptibiles eſſent formarum cęleſtium : ſicut apparet per hoc , quòd ipſas jam receperunt ; videntur & receptibiles fuiſſe virtutum , & actionū ipſarum. Omnis enim materia, ex qua aliquid generabile eſt , ex neceſſitate receptibilis eſt virtutis , & actionis illius, quod ex ea generabile eſt, & cujuſcunque ſimilis illi , hoc eſt , ſimilis illi in forma, virtute, & actione. Quia igitur omnes iſti novem cœli ſimiles ſunt, licet nobilitate, & aliis conditionibus differant , manifeſtum eſt materiam , ex qua generati ſunt , receptibilem eſſe virtutis , & actionis uniuſcujuſque eorum. Secundùm hoc ergo primum cœlum generavit ſecundum, & ita de aliis; & quoniàm nihil generat antequàm ipſum ſit generatum , quemadmodùm neque agit antequàm ſit,

Aqua cæleſtes.

Cœli novem nobilitate differunt.

G conſequens eſſe videtur , cœlos generatos eſſe unum poſt aliud , & non ſimul. Quòd ſi verum eſſet, forſitan unumquodque magis conveniret dici generatum à ſeipſo, & hoc eſt , quia pars uniuſcujuſque generari priùs generata gignit ſibi proximam , & illa generata gignit aliam, & ita , donec compleatur generatio totius. Hujuſmodi autem exemplum de igne eſt magnæ efficaciæ, ſicut tibi dixi , & in omni corpore continuo & per partes generato. Multùm etiā contra hoc videtur eſſe diſſimilitudo cœlorum ad invicem. Generatio quippe aſſimilat ubique genitum genitori. Unde & generatio dicitur , quaſi generis ſui natio , ſive generis ſui in alium transfuſio. Unde igitur tanta diſſimilitudo inter aplanon , & cœlum ſtellarum? ſimiliter & inter cęlum ſtellarum , & inter cœlum Saturni ? & generaliter inter omnes in virtutibus, operationibus, magnitudinibus, & etiam motibus? ſicut apparet ex tractatibus Ptolemæi , & aliorum, qui de his ſcripſerū t. Forſitan dicat aliquis,

Generationis etimologia.

H quia ſermones prophetarum ita crebrò clamāt, quoniàm Deus cœlos fecit , & quoniàm opera manuum ejus ſunt cœli, & adeò vehementer execrantur alium fuiſſe vel factorem, vel cooperatorem cœlorum, quia ipſe ſolus creavit novem iſtos cęlos, & creavit eos ſimul. Unde in ſermone iſto non eſt dictum; fiant cęli, vel firmamentum in medio aquarum : ſed fiat firmamentum : ac ſi omnes illi cœli , unum cœlum ſimul ſumpti acciperentur , & factio eorum factio unius, & una. Et licet materiæ eorum receptibiles ſint formarum cęleſtium , ſicut prædixi tibi , tamen ipſi non ſunt poſſibiles imprimere eas; quemadmodùm neque cùm materia hominis , hoc eſt , corpus humanum receptibile ſit formæ humanæ, non tamen homo poteſt imprimere illam, vel dare : ſive enim anima humana forma illa ſit , ſive pars illius formæ, manifeſtum eſt hominem non eſſe datorem hujuſ-

modi

Digitized by Google

Nota. modi formæ, nec poſſe imprimere illam Sic primum A novē cęlorū, licet materia cęli ſtellati receptibilis eſſet formæ cœleſtis, non tamē ipsū potuit eſſe dator hujuſmodi formæ, nec adhuc cogitatum eſt, quòd cœli ſint generatores cœlorū. Alioquin etiā regio elementorū, quæ eſt à luna uſq; ad terrā cœlis plena eſſet, aliis enim cœlis fœcundis, atq; generantib⁹ cęlū lunæ ſterile non mãſiſſet. Generaſſet igitur cœlum aliud, & filius ejus aliud & ita donec veniret ad terrā. A qua parte autē incœperit creator fabricationē cœlorum, ſeu generationē, utrū à parte latitudinis ſeu profūditatis, aut ſpiſſitudinis, aut quæ partes in eis primùm generatæ ſint, utrū interiores, ſcilicet cõcavitatib⁹ eorū propinquiores, an illæ quæ ſunt ex parte cõvexitatis, meritò quis quærat, licet non referat quæ. Si quis tamen conſideraverit generationem cepę, & ovi, & aliorum ſimiliū, quæ ex partib⁹ ſeſe invicē cõtingentibus cõpoſita ſunt, videbit generationē hujuſmodi partiū ſimul incipere, & uniuſcujuſq; partis partiū ſimiliter. Quòd ſi quis dixerit, quia inter formas aquarū, & formas cœlorū, ex quibus B aquis cœli generati ſunt, nō eſt cõtingētia, ergo non eſt motus ab his in illas. Motus enim omnis generationis, & corruptionis, eſt ab altero oppoſitorū in alterum, & hoc per mediū, alioquin ſaltus eſſet ſubitò generatio à non eſſe in eſſe. In hoc autē dico, quia mediū eſt inter has formas, etſi non verū, aut mediū propriū Manifeſtū enim eſt, quia aqua quantūcunque ſubtilis, aut pura ampliùs ſubtiliari poteſt, *Nota.* & propinquior fieri naturæ ac ſubſtantiæ aeris. Sic & aquæ, de quibus cœlos fuiſſe dicunt, ſubtiliatione, ac depuratione ãplio ri præparatæ ſūt, ut formas cœlorū reciperēt, & hæc ſunt media, per quæ tranſierunt ad formas cœleſtes. Magis autē ſubtilis, & magis depurata aqua eſt mediū inter ipsā ſecundùm naturalē puritatē ſuam, & nobilitatem formarum cœleſtiū, & generaliter omne propinquius alterutri C extremorū, via quædā eſt, & mediū tranſeundi ab altero in alterū. Nec debes opinari, quòd alia virtus fuerit præparans, aut præaptās aquas illas ad hoc, ut formas cœlorum reciperent, quàm creator. Solus enim abſque participe, & adjutore cęlos fecit, & omnia illa primordialia opera, id eſt mundi totius partes. *Aquæ cœleſtes.* Quandò autem iſta præparatio aquarum facta fuerit, nec iſte propheta determinat neque alius, quia nec de præparatione quicquam expreſſè loquitur; quare ſalva veritate ſermonis ipſius intelligi poteſt; quia prima die quandò fiebant ea, quæ facta priùs narravit, potuit fieri iſta præparatio; illis autem expletis, & conſummatis, creatæ ſunt formæ novem cœlorum, ſecunda die, & materiis ſuis impreſſæ vel totum quod pertinebat ad generationem iſtorum cœlorum, videlicet, & præparatio materiarum ipſarum, & formarum earundem impreſſio ſecunda die facta eſt. Si quis autem dixerit, D quia non indiget creator omnipotentiſſimus præparatione hujuſmodi, vel præparatore, verum quidem dicit, quoniàm virtus creatoris in ultimitate eſt ſufficientiæ & copioſitatis. Materiæ tamen cœlorum denudari à formis aqueis neceſſariò indigebant ad hoc, ut formas cœlorum tam longè ab illis diſtantes reciperent; hujuſmodi verò denudatio non potuit eſſe, quin fieret aut in puncto temporis, aut in tempore, & quid ex utroque accidat, jam prędixi. Nec debet tibi mirum videri, ſi formarum cœlorum non fuit alius dator quàm creator, cùm de omni forma ſubſtantiali hoc multi ſentiant; præparare quidem poſſunt virtutes naturales materiam, ex qua facienda eſt generatio naturalis, & fugare ab ea diſpoſitiones contrarias, ſive repugnantes formis, quibus ſuperveſtiēda eſt, verùm formarū illarum quarum impreſſio generatio eſt, hoc eſt, ſub-

A ſtantialium, non alius dator, quàm creator illarum Deus, cùm omnis forma ſubſtantialis, etiam ſubſtantia ſit. Quia verò conſequenter dictum eſt: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, manifeſtum eſt hoc factum eſſe poſt creationem aquarum ſolo verbo, & imperio creatoris. Naturalis enim ordinatio aquarum, ſive poſitio, aut ſitus earum, circa terram eſt, & ipſæ aquæ velut amictus circundans illam, ſicut dicit alius propheta. Abyſſus *Situs aquarum.* ſicut veſtimentum amictus ejus, & alius ſapiens. Quis poſuit aquas quaſi in veſtimento? Quia autem in partē ſeceſſerunt, & ſuper montes aquæ etiam ſtant: ſicut dicit alius propheta, quia ſuper montes ſtabunt aquæ, & quòd in loco non naturali ſibi ſunt contra naturam ponderoſitatis, & fluiditatis ſuæ: factum eſt, non naturali aliqua virtute, ſed ſolo verbo, & imperio, ut diximus, creatoris, & iſta congregatio non novę creationis opus fuit, ſed jam creati operis, videlicet aquarum in locum alium tranſlatio, & collocatio. Unde non dicitur in ſermone *Nota.* prophetico propter illud, factum eſt veſperè, & ma- B nè dies unus: immò conjungitur operi ſequentis diei & hoc eſt, quoniàm congregatio aquarum, & denudatio faciei terræ propter ſequentis diei opus facta ſunt, videlicet propter fęcundationem terræ. Non enim poterat germinare herbas virentes, aut producere vegetabilia aquis operientibus eam. Congregatio igitur aquarum in loco in quo ſunt, concluſio eſt partim ſcientiæ naturalis, partim ſcientiæ divinalis: ſicut apparet ex mediis, quæ præmiſi. Quęrat autem meritò quis, quomodò aquæ dicantur congregatæ in locum unum, cùm tam multa ſint maria, & non ſit unum mare, quod omnes aquas contineat. In quo dixerunt quidam, quia maria omnia unum mare ſunt propter continuationes ipſorum, quæ in quibuſdam maribus manifeſtæ ſunt; *Nota.* C & hoc experimento ſciunt multi eorum, qui converſantur in maribus, & vacant navigiis. In aliis verò maribus occultæ ſūnt continuationes iſtæ, vel propter diſtantias ſuas à nobis, vel propter ſuperpoſitionem partium terræ operientium maria, vel propter partes eorum. Sic famoſum eſt de Sicilia, quoniàm, ſuper mare ſita eſt, & quatuor, vel quinque montibus, quaſi columnis totidem ſuſtentatur. Aliquis verò intelligit locum unum, magis dictum diviſivè, ſive ſeparativè, quàm conjunctè, & hoc eſt, quoniàm creator magis intendere videbatur ſeparationem earum à ſuperficie terræ, quàm congregationem earum in locum unum. Tu verò ſecundùm intentionem meam, & opinionem in hoc reminiſcere eorum, quæ didiciſti in libro Meteororum Ariſtotelis in capitulo de mari & golfis ejus, & de abyſſo magna, quam dicit Ariſtoteles matricē aqua- *Ariſtoteles.* rum, & ex illa maria, tanquàm golfos varis, & redundantias exire, & non recedes ab intellectu pro- D phetæ iſtius, qui dicit ruptos fuiſſe fontes abyſſi magnæ, & ex illis inundaſſe diluvium. Attende autem, quia ex eodem verbo, & imperio creatoris, videtur fluviorum omnium decurſus ad mare eſſe, ſive ad maria. Si enim ſtarent ſuper terram abſque fluxu, ex neceſſitate operirent eam, & prohiberent *Fluviorū decurſus.* fertilitatem, & fœcunditatem ipſius. Ad hoc idem ſpectat quod dictū eſt. Statuit aquas, quaſi in utre, hoc eſt, ipſas inſtabiles, & fluidas ſtare fecit in loco non ſuo, prohibendo fluxum earum, quaſi in utre. Et quia, ut dixi, operatio iſta, videlicet congregatio aquarū, præparatio erat ad opus ſequentis diei, ſubjunxit Deus, & dixit: germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, &c. & in fine ſubjunxit & factum eſt veſperè, & manè dies tertius. Et quia opus iſtud, videlicet hujuſmodi, fœcundationis terræ non habet cauſam naturalem, hoc eſt, non eſt

ipſi terræ de natura corporeitatis ſuæ: manifeſtum eſt quoniàm non eſt, niſi ex verbo, & imperio creatoris. Terra enim per ſe, hoc eſt, per modum, quo eſt terra non eſt generativa niſi terræ. Supra naturam igitur ſuam ſuperaddita eſt ei virtus germinandi, & fructificandi talia. Quare manifeſtum eſt tibi iſtam fertilitatem terræ concluſionem eſſe partim ſcientiæ naturalis, partim ſcientiæ divinalis, & juxta hunc modum currit res in fœcundatione aquarum ad producendos piſces, & alia aquatica animalia. *Objectio.* Habet autem quæſtionem de duplici fœcunditate terræ, quibus producit vegetabilia, & animalia, propter quid non priùs de fertilitate, ſeu profunditate aquarũ, quàm de fœcũditate terræ locutus eſt ſermo propheticus; cùm enim aqua prior ſit in ordine elementorum, quàm terra, prior eſt & ejus fęcunditas, & prior data eſt ei, quàm terræ, prior igitur ordinanda fuit. In quo reſpondeo, quia fœcunditas terræ, qua gignit vegetabilia prior eſt ea fœcunditate *Reſponſio.* ejuſdem, qua gignit animalia, ſicut vegetabilia priora ſunt ipſis animalibus, & propter hoc generatio eorum, & vis generativa qua ſcilicet generantur, priùs ordinata eſt in ſermone prophetico, deinde poſt fęcũditatem aquarum, & generationem animalium aquaticorum, fœcunditas ſecunda ipſius terræ qua gignit animalia, ordine eſt rectiſſimo narrata, & ipſa eſt pars operationis diei quintæ. Operatio *Operatio diei quartæ.* verò diei quartæ fuit creatio ſtellarum, & luminum, & ordinatur prior operationibus vegetabilium, & animalium, & creatione ipſius hominis, propter hoc ut quidã putant, quia ſtellæ, & lumina ſunt ipſorum cauſæ non ſolùm generativè, ſed etiam regitivè, de quibus tam multa ſcripſerũt, ut vix etiã legi poſ- *Stellæ.* ſint. Cõcedendũ autẽ eſt eis quòd Stellę multa adjutoria præſtãt, & generationi, & cõſervationi rerum generabiliũ. Verum nõ eſt uſq; ut homines hujuſmodi putaverunt, & de hoc jam multa ſcripta ſunt tibi. Sive ergo hac de cauſa præordinatæ ſũt eis Stellæ, & lumina, ſive propter hoc, quia ornatus ſũt corporis prioris, ac nobilioris quã ſit aqua, & terra, ſive propter hoc, quia nobiliora videntur ex incorruptibilitate, & perpetuitate ſua rectè præpoſita ſunt illis in ſermone prophetico. Habet tamen quæſtionem, quare morata, ſeu retardata ſit creatio ſtellarũ *Quæſtio.* & luminum uſque in quartam diem, & determinatio hujuſmodi quæſtionis pendet ex certitudine eſſentiarum, & comparatione earum ad cœlos ſuos, hoc eſt, in quibus ſunt, videlicet utrùm ſint inſtrumenta cœlorum, per quæ operantur in mundum iſtum inferiorem, an ſint partes an ornatus eorum, an ſint aggregationes luminum in partibus ipſius cœli, ſicut apparet apud nos in quibuſdam gemmis. *Smaragdus mirabilis.* Memini enim me vidiſſe ſmaragdum, in cujus ſplendore apparebant tres ſtellulæ lucidiſſimæ. Et certum eſt de lapide, qui dicitur heliotropius, quia ipſe eſt lapis viridis, ſtellis rubeis ſtellatus. Et quidem jaſpis invenitur viridis coloris, & guttis ſanguineis guttatus, & quidem alius invenitur omnium aliorum lapidum coloribus picturatus. Quòd ſi ſtellæ, & luminaria inſtrumenta ſunt cœlorum, congruum fuit, ut tunc hujuſmodi inſtrumenta cœlis darentur, cùm eis operari poſſent, & non antè. Quia igitur terra aptata eſt tertia die, ſimiliter & aqua ut in eas poſſent operari cœli vegetabilia, & animalia, & alia omnia generabilia, provt viſum eſt aſtronomis & multis aliis ex philoſophis meritò quarta die fabricata ſunt, & aptata hujuſmodi inſtrumenta. Verùm de hoc alibi altiùs, & latiùs, perſcrutandum erit, & à propoſito, atque intentione præſentis tractatus longè eſt exponere capitulum illud primi libri legis Hebræorum, & tractatum deſiderat grandem per ſe, & inveſtigationem diligen-

E tiſſimam, quoniàm habet quæſtiones plurimas, & ad determinandũ difficillimas. Quantùm verò pertinet ad præſentem tractatum, ſufficiat tibi cognoſcere ſaltem ex parte, quia ſermo ſapientis, & ſancti viri, prophetæ ſcilicet Hebræorum ſermo veritatis eſt. Jam enim patefeci tibi in his, quæ præceſſerunt quæ neceſſitas coegit corpora prima creata eſſe, & non generata. Si enim generata eſſent, non eſſent prima; cùm generata eſſent ex neceſſitate ex corporibus aliis, generationem quippe corporum, non niſi ex corporibus fieri poſſibile eſt. Patefactum etiam eſt tibi, quòd corpora prima, videlicet creata, non fuit poſſibile eſſe cœlum ultimum, & terram ſolummodò, alioquin inter cœlum, & terram fuiſſet vacuum, immò cœlum ex neceſſitate fuiſſet terræ contiguum, ut præoſtendi tibi. Quare inter cœlum, & terram, creatum eſſet corpus unum vel multa, ex quibus facta eſſet generatio corporum mediorum primorum, videlicet trium elementorum, & novem cœlorum nobilium. Et non nominavit illud medium, vel illa media ſapiens iſte, nominatione appropriata, quin potiùs nominatione mutuata. Non enim veræ, ac propriæ nomina-

F tionis, aquæ eſſe potuerunt corpora illa media. Dixi etiam tibi propter quid cœlum ultimum, & terram primò creari oportuerit in ordine creationis corporum. De aquis verò, quas circa cœlos eſſe ſapiens iſte, vel ſanctus, dicit, ſcire debes quia cùm hominibus duplex vita à creatore danda eſſet, *Duplex vita.* videlicet, hæc præſens temporalis, miſeriis, & ærumnis pleniſſima, & alia perennis poſt hanc glorioſa, debuit hominibus duplex habitatio pro vitarum iſtarum duplicitate provideri. Quare, ſicut ſub cœlis providit creator hominibus habitationem ſive regionem vitæ, qua ſub cœlis eis vivendum erat, congruentem; ita & vitæ, qua ſuper cœlos eis poſt hanc vitam perenniter, & glorioſè vivendum

G eſt, providit regionem idoneam, & hoc intelligitur æther, quemadmodùm & iſta inferior regio, quam homines inhabitant, noſcitur eſſe aer. Scito tamen, quia & cœlum empyreum, & regio illa, quæ dicitur aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, interdùm æther nominatur. Et ſicut mortali vitæ nullo modo ætherea regio congruit, ita iſta aerea regio immortali vitæ, & glorioſæ, omninò incongruens eſt, & inepta. Hæc igitur eſt ratio, quæ movere potuit ut homines gloriæ futuræ vitæ in æthærea iſta regione, quæ ex aquis, quæ ſuper cœlos mobiles erant, facta eſſe videtur, collocandi à quibuſdam putarentur. Tu autem animadverte, quòd opinio hujuſmodi hominum erronea eſt, maximè eorum, qui veri nominis aquas hoc eſt, aquas in veritate, & forma aquatica ibi eſſe uſque hodie ſuſpicantur, & etiam poſt glorificationem futuram hominum ibidem eſſe futuras autumant, de nobilitate, & magnificentia hujuſmodi gloriæ non tam erroneè, quàm ignobiliter ſentientes, ſi quidem aqua habi-

H tatio piſcium eſt, non hominum, etiam in ſtatu hujuſmodi miſeriæ poſitorum; quantò fortiùs igitur non eſt, nec erit hominum in ſtatu gloriæ illius conſtituendorum. Quòd ſi dixerit quis, quòd aquæ non ſunt ibi in ſubſtantia labilitatis, aut fluiditatis, in qua videntur apud nos, ſed vaporabiliter ſuſpenſæ, ut ſermone utar hujuſmodi hominum, & iſte ſermo erroneus eſt, cujus erroris declaratio hæc eſt. Ignobilior enim eſt habitatio hujuſmodi, quàm ſit habitatio aeris, quam nunc homines inhabitant. Habitatio quippe illa, hoc eſt, aqua- *Habitatio aeris.* rum hujuſmodi, aut nubiloſa, aut nebuloſa eſt, aut nubeoſa, vel quod eſt verius ſecundùm errorem iſtũ tota eſt aliquod iſtorũ triũ. Quare manifeſtũ eſt, quòd aer, qui eſt apud nos, nobilior eſt habitatione hujuſmodi.

Digitized by Google

juſmodi. Ampliùs. Tria iſta, quæ nominavi tibi, videlicet nebula, nubes, & nubilum media ſunt inter aquas, & aera, cujus indicium eſt generatio eorum; ex aqua quippe generantur per rarefactionem & ſubtiliationem illius, & propter hoc ſubſtantia eorum nobilior eſt, quàm aquæ. Manifeſtum autem eſt, quòd eorum ſubſtantia groſſior eſt, quàm ſubſtantia aeris. Manifeſtum igitur eſt, nobiliorem eſſe præſentem habitationem hominum, quæ aer eſt indubitanter, & habitatio utique eſt miſeriæ, id eſt, hominum adhuc miſerè, & ærumnosè viventium, quàm illa, quam ponunt eſſe gloriæ, quæ vel nebula eſt, vel aliquid aliorum, quæ nominavi tibi ſuperiùs. Ampliùs. Quandò eſt facta hujuſmodi ſubtiliatio aquarum in vapores, ſive ſuſpenſio earum vaporalis? manifeſtum, quia in ipſa creatione earum nec facta eſt, nec locum habuit. Evaporatio enim non fit abſque motu locali. Non erat autem quo moverentur, cùm non eſſet locus inter aquas, & cœlum ultimum, quod empyreum dicitur, quia nec vacuum ibi erat, nec corpus aliud, quod per evaporationem aquis tunc aſcendentibus locum ſuum cederet. Quare manifeſtum eſt aquas hujuſmodi creatas non fuiſſe in iſta vaporabili ſubſtantia, in qua dicunt eas eſſe, ſi modò in ea ſunt. Reminiſcere autem ejus, quod dixi tibi in præcedentibus, quia qui ponunt aquam, & vaporem ex ea reſolutum idem eſſe, non poſſunt effugere, quin ponant conſequenter vaporem, & aera, in quem per ſubtiliationem tranſit idem eſſe. Quare neceſſitate coguntur aquam ponere aera, cùm neceſſe ſit, quæcunque in ſubſtantia ſua eadem ſunt eidem, & ſibi invicem in ſubſtantia eadem eſſe. Si verò dixerit aquas hujuſmodi in ſubſtantia ſua aquea, & primitiva adhuc permanere, & ita etiam ibi eſſe, tu jam noſti non ſolùm contradictiones philoſophorum naturalium, ſed etiam irriſiones eorum circa hoc. Ego verò jam dixi tibi in præcedentibus opinionem ſapientium Hebræorum, videlicet, quia aquarum nomine æquivocè uſus eſt ſanctus iſte, & ſapiens propheta, & dixi tibi, quia ſecundùm opinionem meã de aquis illis ſuperioribus, id eſt, de ſuperiori parte aquarum facta eſt regio ætherea, ſive æther qui eſt regio ſereniſſima, puritate ſubtiliſſim, admodùque perſpicua viſu, interſtitiis dividens mundum mobilem, continentem novem cœlos mobiles, & quatuor elementa à mundo immobili, & ſæculo altiori, & hic mundus eſt cœlum empyreum, & regio lucis, & habitatio gloriæ militiarum cœleſtium, hoc eſt, ſanctorum angelorum, & glorificandorum hominum, & hic eſt domus Dei in qua ſunt multæ manſiones, quæ partim jam repleta eſt habitatoribus ſuis, partim reſtat impleda. Quid autẽ ſit plenitudo ejus, quid inhabitatio, & modus inhabitationis, quid mãſiones, & manſionũ multitudo in eo, tibi declarabitur in ſequẽtibus, ſi Deus voluerit. Si quis autem quærat, quæ natura ſit hujus corporis dividentis, ſcilicet mundos duos, hoc eſt, an habeat motum, aut non? reſpondendum eſt ei, quia non habet motum, ſicut neque cœlum empyreum. Cauſa autem hoc eſt, quoniàm nulla deeſt ei ex perfectionibus ſibi congruentibus, & debitis, quam neceſſe habeat per motum inquirere vel acquirere. Si verò quærat, quæ ſit utilitas hujuſmodi corporis, vel uſus, & an ſerviat habitationi aliquorũ, ſcilicet vel angelorũ, vel hominũ, vel animaliũ vel in futurũ ſit habitationi alicui ſerviturũ; dico, quia fortè non erant immediatè conjungibiles duo mundi, quos dixi tibi, cùm propter diſtantiſſimas ad invicem nobilitatem electorum, & ignobilitatem inferiorum, tum propter contrarietates multiplices, quas habent ad invicem in diſpoſitionibus ſuis prædicti mundi, de quibus loquar in ſequentibus videlicet in capitulo de partibus univerſi corporei. Utrùm autem habitatores habeat, dubitationem non videtur habere rationabilem. Non enim eſt rationabilis dubitatio, quæ non habet rationes ex utraque parte contradictionis. Cùm enim videant ignem elementum non habere habitatores, ſimiliter & aera, unde ſuborta eſt in cordibus eorum iſta dubitatio. Quòd ſi dixerint, quia aer habitatio eſt hirundinum, & aliorum multorum volatilium: reſpondeo eis, quia omnibus animalibus eſt alius locus paſcuus, alius habitationis. Locus enim habitationis eſt omnibus animalibus, ubi generant, & fœtus ſuos nutriunt, non ubi paſcuntur, aut aliter paſcuum quærunt. Hirundines enim muſcas venantur, & eis paſcuntur in aere, & hæc eſt cauſa volatus earum penè continui per aera. Nec eſt verum ullo modorum, quòd quorundam vanitas ſomniavit, videlicet, quòd hirundines de aere vivunt elemento, de aere ſiquidem roſcido, & humecto, & ut veriùs dicam, craſſo eſt eis forſitan nonnullum adminiculum ad nutriendũ interdùm, indicium autem hujus, eſt, quòd ſuper aquas, & loca aquoſa, paludoſa humecta, eſt earum volatus frequentior, & hoc eſt, quoniàm muſcarum inibi eſt abundantia major, propter abundantiam majorem materiæ generationis illarum, ſimiliter & nutrimenti. Nutriuntur enim de hujuſmodi craſſitudine aeris. De ſalamandra verò, quam putaverunt in igne habitare, quia & de igne nutritur, manifeſtum eſt, quia non hoc de igne elemento intelligere potuerunt. Ignis enim elementum implet concavitatem cœli lunaris, & aera circundat, & ei ſupernatat, quemadmodùm oleum aquæ. Ignis verò, quo cibatur ſalamandra, proculdubiò ignis eſt qui eſt apud nos, qui nullatenùs elementum eſt, immò elementatum, ut flamma, quæ non eſt niſi fumus incenſus, ut alibi didiciſti, & carbo lignum incenſum; ſic ſe habet & de aliis cremabilibus, & ignibilibus. De talpa jam innumerabilibus experimentis compertum eſt, quòd vermibus paſcitur, & eos fodiendo ſequitur, & venatur. Hoc autem propter hoc dixi tibi de iſtis tribus generibus animalium, ut agnoſceres errorem erroneorum, qui poſuerunt unicuique elementorum habitatores proprios. Revertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quia non eſt neceſſe, ut philoſophia comprehendat omnes utilitates, & uſus ſingularium rerum creatarum, propter quas creatæ ſunt. Non enim eſt perfecta illuminatio animarum humanarum philoſophia, quæ infinitas ignorantiarum tenebras relinquit, etiam in eis, qui maximè in ea ſe profundaſſe, & profeciſſe reputati ſunt. Eſt enim philoſophia velut lucerna modici, ac tenebroſi luminis in tenebris multis, atque denſiſſimis, & nocte opaca lucens, ſicut dicit ſanctus, & ſapiens de antiquis, & ſapientibus. Noctis quippe involvimur tenebris. Habet inſuper quæſtionem de hujuſmodi corpore, an quemadmodùm novem cœlis mobilibus eſt ſitu, & poſitione ſuperius; ſic etiam & nobilitate ſublimius: hic enim ordo in elementis ita ſe habet. Ignis enim ſicut eſt aere ſuperior, ita & nobilior, & etiam ſubtilior & in novem cœlis forſitan aliquid ſimiliter ſe habere dicat. In quo reſpondeo tibi, quia aer, & ignis, licet ſuperpoſita ſint loco, & ſitu animalibus tam rationalibus, quàm irrationabilibus, non propter hoc nobiliora, aut digniora ſunt his, neque tectum in omni domo parietibus, aut etiam pavimento, aut etiam area nuda, quam tegit, nobilius, ac dignius eſſe neceſſe eſt, neque oportet, ut iſtarum rerum exemplis te detineam, vel oneriẽ: corpus enim hujuſmodi, velut tectum videtur eſſe mũ-

Evaporatio non fit abſque motu.

Ætherea regio ex aquis ſuperioribus.

Quæſtio.

Nota.

Nota.

Nota.

Ignis.

Ignis, qui eſt apud nos, non eſt elementu.

Nota. Philoſophiæ imperfectio.

Similitudo.

di mobilis, cùm mundus mobilis domus eſſe non dubitetur, & velut pellis ejuſdem eſt ſi mundus ille animal eſt, ut Platoni, & multis aliis viſum fuit. De habitatoribus autem, an eos habeant cœli novem mobiles, ut magici & necromantici poſuerunt, propono tibi ſatisfacere nutu Dei, in tractatu de parte univerſi ſpiritualis, hoc eſt, de nobilibus, & abſtractis ſubſtantiis. Debes etiam reminiſci ejus, quod prætetigi tibi, quia piſces, & animalia alia aquatica ſalvantur in aquis, tanquàm in materia, & loco ſuæ generationis Sed forſitan dicat aliquis de cœlis novem, quòd ſalvantur his aquis, quæ ſuper eos dicuntur eſſe, quicquid nomine aquarum intelligatur: quemadmodùm ſi dicat aliquis, quòd ignis elementum, hoc eſt, ſphæra totius ignis ſalvatur in cœlo lunæ circumvolvente ipſum, & tota quatuor elementa, hoc eſt, ignis, aer, aqua & terra, ſalvantur in ſphæra cœli continentis novem cœlos mobiles, cujus motum, & revolutione, quidam poſuerunt ea eſſe generata, ſimiliter & ſalvari, tanquàm eadem ſit cauſa ſalvationis, quæ fuit & generationis. Quòd autem regio illa aquarum ſuperiorum, ſive quæ ex aquis à quibuſdam facta eſſe putatur, nullo modo conveniat habitationi glorificatorum hominum, duabus viis tibi patefaciam. Prima via eſt nobilitas corporis hujuſmodi hominum & gloria eorundem. Dico igitur, quia quemadmodùm nobilitate, & gloriâ præcedunt omnia alia corpora; ſic habitatio eorum, ſive locus, ſive ubi ipſorū debet eſſe cæteris locis, & habitationibus omnibus præſtantior. Secunda via eſt gloria animarum quæ indubitanter æqualis futura eſt gloriæ ſanctorum angelorum; quorum autem æqualis gloria, ſedes, & loca honoris, & gloriæ ex neceſſitate æquè ſublimes erunt. & dignitatis ejuſdem. Nec enim fas eſt, ut inæquales honores ſedes æqualis altitudinis habeant, maximè in illo præclaro creatoris palatio, in quo omnia ordinata ſunt in ultimitate convenientiæ, & decoris. Quare manifeſtum eſt, quòd ſedes ſanctorum Angelorum, & animarum beatitudine, & gloriâ illis æqualium, ejuſdem erunt gradus in altitudine. Si igitur ſanctorum Angelorum ſedes in empyreo tunc erunt, vel etiam modò ſunt, erunt ibidem, & etiam modò ſunt, ſedes beatarum animarum. Quare, quoniàm glorificatorum hominum animæ tunc erunt cum corporibus ſuis, & corpora cum ipſis, alioquin non in vita, ſed in morte eſſent neceſſariò glorificati homines, & in animabus, & in corporibus in cœlo empyreo collocandi ſunt. Quòd verò gloria animarum humanarum tota futura ſit manifeſtum eſt ex diffinitione gloriæ hujuſmodi; ſicut declaravi tibi in tractatu de meritis, & retributionibus animarum noſtratum. Et iterùm faciam te ſcire hæc via alia in tractatu, qui ſequetur iſtum, quem jam nominavi tibi, de parte ſcilicet ſpirituali univerſi. Addam & & aliam manifeſtationem tibi de hoc, quòd aquæ à nonnullis creduntur eſſe ſuper cœlos novem mobiles. Dico igitur, quia vel ſunt ibi per naturam, hoc eſt, tanquàm in naturali loco ſuo, & ubi naturaliter, aut ſunt ibi per violentiam: manifeſtum autem eſt, quia non ſunt ibi per naturam, cùm naturalis locus ignis tam longè inferior ſit: multò igitur fortiùs locus omnium aquarum debet eſſe non ſolùm infra cęlum, ſed etiam infra ignem, & etiam ſub aere. Quòd ſi dixerit, quia ſubtiliatio illa, quam fecit aquis illa vaporatio hujuſmodi, fecit etiam, ut locus tam altus eis congrueret: Dico, quòd ſermo iſte erroneus eſt, & impoſſibilis multipliciter Primùm, quia aquæ non ſunt per hujuſmodi evapotationem ſaltem ſubtiliores, quàm aer ſit: alioquin non eſſet ſalvata in eis natura, ſive ſpecies aquietatis. Si enim

Nota. *Nota.* *Nota.* *Aqua quomodo ſuper cœlos ſunt.* *Nota.*

E ſubtiliatæ ſolummodò eſſent, uſque ad æqualitatem ſubtilitatis aeris, in aera per corruptionē tranſiiſſēt; quantò fortiùs igitur ſi ſupra aera ſubtiliatæ ſunt, non eſt ſalvata in eis natura, ſive ſpecies aqueitatis? Quare neceſſe eſt eas tranſiviſſe, vel in ignem, vel in corpus ſubtilius atque nobilius. Ampliùs. Si locus ille eſt eis naturalis, quamquàm eas aquas non nomines, nobiliores ex neceſſitate ſunt, quàm novem cęli mobiles, cùm eis naturaliter locus nobilior, & altior, quàm ipſis cœlis debeatur. Ampliùs Certum eſt, quòd inter magna mundi corpora, cœlum ultimum, quod empyreum vocant, nobilius eſt, atque præſtantius, & ideò ſitu, & poſitione ſublimius. Si igitur quemadmodùm ſe habent in ſitu, & poſitione, ſic & in nobilitate ad invicem, hoc eſt, *Nota.* ut qui eſt ordo inter ipſa ſituum, & poſitionum, idem ſit, & nobilitatum ipſorum, erit ex neceſſitate, ut corpus hujuſmodi, quod aquas, quæ ſuper cœlos ſunt vocant, ſicut eſt poſt empyreum cœlum
F ordine poſitionis ſecundum, & cœlis novem altius; ſic ſit & ordine dignitatis, atque nobilitatis eiſdem cœlis præſtantius. Manifeſtum eſt igitur, quia nomine aquarum uſus eſt legis Hebręorum lator ęquivocè, cùm evidens ſit aquas, quarum congregationes vocantur maria, & aquas, quæ ſuper cœlos eſſe dicuntur, non ejuſdem poſſe eſſe rationis. Ampliùs. Hujuſmodi aquæ, ſi veri nominis aquæ ſunt, cùm natura aquarum ſit infrigidari per quietem, & per infrigidationem coagulari à vaporabilitate ſua, & ſic reverti ad naturam veræ aqueitatis, neceſſe eſt, aquas hujuſmodi jam dudùm reverſas fuiſſe in multitudinem aquarum, quæ ſub cœlis ſunt, & propter hoc factas eſſe labiles, ſicut manifeſtum eſt in vaporibus ex aquis reſolutis, & per frigiditatem in pluvias coagulatis. Quare & ab eis diluvium univerſale inundaſſet, & mundum iſtum inferiorem totum deleviſſet. Cùm enim aer groſſioris ſubſtantiæ, & corpulentioris, quàm cœlum,
G aquas in nubibus coagulatas retinere non poſſit, quin deſcendant in terram, & terram compluant: multò fortiùs cœli non poterunt aquas illas prohibere ſupercœleſtes, quin deſcendant, & inundationem diluvialem faciant; & hoc quidem multi crediderunt inde pluvias omnes deſcendere, qui error adeò manifeſtus eſt, ut non ſit neceſſe probationibus ipſū deſtruere. Si enim gutta una inde abſcinderetur, quæ tanta eſſet, quanta tota moles terræ, milleſies conſumeretur, antequàm perveniret ad terram. Quare aquæ omnes jam diu conſumptæ eſſent in pluvias, & locus earum remanſiſſet vacuus. Quòd autem gutta tantæ magnitudinis, quanta eſt terra, tam longo deſcenſu conſumeretur, antequàm perveniret ad terram: manifeſtum eſt ex lōgitudine diſtantiæ, quæ eſt inter cœlum nonum, & terram, quæ proculdubiò eſt itineris ſeptem millium annorum, & multò ampliùs. Si verò hujuſmodi aquæ per violentiam ſunt ſuper cęlos novem: manifeſtum eſt, non eſſe naturalem ordinationem dictorum maximorum corporum mundi, immò contra naturam verè per omnia. Novem enim cœli mobiles, & etiam ignis, & aer elementa deberent ſupereſſe hujuſmodi aquis, & ſuperſunt ordine naturæ;
H cùm ergo ſubſint, non hic eſt ordo naturæ, ſed inordinatio.

Nota. *Diſtantia terræ à nono cœlo.*

CAPUT XLIII.

Stabilitio cœli empyrei, & aliarum partium univerſi corporei.

POſt hoc inveſtigabo partes univerſi corporei, quas videntur philoſophi penitùs ignoraſſe, & tentabo ſtabilire eſſe earum. Hæc igitur

Digitized by Google

ſunt cœlum empyreum, de quo nihil locuti ſunt philoſophi. Deinde infernus, de quo & aliqua fabulati ſunt poëtæ, philoſophi tamen illum prætereierunt ferè omnes. *Nota.* Tertiò paradiſus terreſtris, de quo gens Hebræorum multa vaniſſimè ſomniavit. De cœlo verò nono, quod aplanon vocant, non eſt declaratum adhuc, an ſit, & propter hoc tentabo ſtabilire eſſe ipſius. *Mundus corporeus.* Incipiam igitur cum Dei auxilio ab eſſe cœli ultimi, quod empyreum nominant, & dicam, quia totus mundus corporeus una domus eſt creatoris. Quare manifeſtum eſt, ipſam & officinis, & manſionibus pro magnificentia dominantis, & pro exigentia, ac congruentia inhabitantium ſuæ familiæ eſſe ordinatiſſimam, ac aptiſſimam; ſic igitur, nec una manſio, nec una officina deeſt ei; multò fortiùs non deeſt ei, quod in omni domo ſufficienter aptata, ac decenter ordinata, principale eſt, hoc autem eſt cœnaculum. Cùm igitur familiam è proximo ſibi aſſiſtentem paſcere ſpiritualibus epulis neceſſe habeat creator, tanquàm prælargus paterfamilias habet ex neceſſitate cœnaculum congruens, ſive conveniens talibus epulis talibuſque convivis, & hoc eſt cœlum empyreum videlicet creatoris commenſalium, & convivarum præclarum, ac prægnificum cœnaculum, in quo ſpirituales epulæ ſolummodò miniſtrantur, ſicut alibi declaravi tibi, *Cœlū empyreum.* ubi & carnalem paradiſum, hoc eſt, carnalium delitiarum, evidenter deſtruxi, & ſpirituales delitias, quales creator daturus eſt diligentibus ſe, nullo *Nota.* modorum cum carnalibus delitiis poſſe eſſe, ſicut genus ſarracenorum ſtultiſſimè opinatur, evidenter oſtendi. Ampliùs. Glorificandis hominibus ex neceſſitate danda eſt habitatio, quæ congruat gloriæ illorum. Quia igitur gloria illorum, quantùm ad animas ſimul erit, & æqualis gloriæ ſanctorum, ac beatorum Angelorum, ex neceſſitate eadem dabitur habitatio eis, quam nunc non obtinent ſancti angeli, ac beati. Si igitur verum eſt, quòd habitatio hujuſmodi Angelorum empyreum cœlum ſit, erit ſimiliter habitatio hominum glorificatorum. Ampliùs. Pro nobilitate, & gloria hujuſmodi hominum glorificatorum neceſſe eſt, ut ſit eis habitatio, & locus nobilis, & glorioſus; ſicut igitur hujuſmodi corpora erunt in ultimitate gloriæ, & nobilitatis corporalis; ſic & locus eorum, & habitatio erunt in ultimitate nobilitatis localis. *Nota.* Cū igitur nō ſit nobilitas, aut gloria localis, quæ non ſit minor nobilitate cœli empyrei; ſi ipſum eſt, manifeſtum eſt, quia corporibus hujuſmodi debetur habitatio empyrei cœli: aut igitur jam eſt empyreum cœlum, & hoc eſt, quod quærebam, aut non eſt; quòd ſi non eſt, deeſt igitur domui Dei potiſſima manſio ejuſdem, videlicet cœnaculum, & univerſo corporeo nobiliſſima, ac maxima pars ejuſdem. Cœlum enim altiſſimum omnibus aliis majus eſt, atque capacius, & etiam nobilius. Quare univerſum corporeum nec eſſet mundus corporeus, neque omne, neque totum, neque univerſum, cùm eſſet adeò incompletum, ac tam nobilis partis patiens defectus. Ampliùs. Hominibus glorificatis omninò indigna, & inconveniens eſt habitatio terrena, ſi nec cœlo congruit, nec eo digna eſt, multò minùs corporibus hominum glorificatorum digna erit, cùm hujuſmodi corpora gloria, & nobilitate omnium cœlorū præſtantiora futura ſint, ſed neque habitatio cœlorum mobiliū eis congruit. Tanta enim rapiditas motus quieti, & paci beatitudinis valdè repugnans eſt. Supra cœlos igitur mobiles transferendi ſunt homines glorificandi. *Nota.* Quare ad cœlum ultimum, quod empyreum vocant. Quòd ſi dixerit quis, quia regio aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt, ſufficiens, & conveniens eſt habitationi glorificandorum hominum, & quia ultra non eſt aliquod cœlum, reminiſci debes eorum, quæ paulò antè audiſti, quia aquæ ſive labiles ſint, ſive vaporabiles, nullo modo ſunt habitatio gloriæ. Si verò ſunt, ſicut prædixi tibi, videlicet quòd ex eis factum ſit corpus nobilius corporibus cœlorum mobilium, dico, quia nec ſic etiam convenientes ſunt gloriæ corporum hujuſmodi. Sunt enim futura hujuſmodi corpora incomparabiliter nobiliora, atque ſubtiliora, quàm ſit corpus illud. Dico etiam, quia inordinatum valdè eſſet, ut ſupra hujuſmodi corpora eſſet aliquod ignobilius. *Nota.* Quare non ſuper ea cœlum empyreum, ſed magis ipſa in illo, & cum illo. De eo verò, quòd dicit, quia ſuper aquas non eſſet corpus aliud, attende quod alibi didiciſti, ſcilicet, quia humidum eſt malè terminabile proprio termino; benè verò terminabile alieno. Sive igitur aquæ hujuſmodi labiles ſint, ſive vaporabiles, non poſſunt eſſe terminus mundi, quia nec ultimum corpus mūdi corporei. Super aquas igitur eſt aliud corpus ambiens eas, & omnia quæ ſub eis ſunt. Hoc igitur eſt corporum omnium univerſi corporei, & cœlorum omnium maximum, utpote continens omnes cœlos, & quæcunque ab eiſdem continentur. *Objectio.* Quòd ſi quæſierit aliquis, propter quid corpus illud, quod ex aquis ſupercœleſtibus factum dicitur non ſit, aut nominetur cœlum? Reſpondeo tibi, quia aliqui jam nominaverunt cœlum illud aqueum, cœlorum naturam non ſatis attendentes. Cœlorum enim natura, non ſolùm contentativa eſt, ſed etiam multiplicis virtutis influxiva ſuper contenta, & omne cœlum corpus organicum eſt, & operationes, atque virtutes numerabiles, & penè innumerabiles attribuerunt eis aſtronomi. Unde & corpora organica evidēter ſunt, & nobiliores ex philoſophis ea eſſe animalia poſuerunt. De corpore verò illo aqueo nec virtus, nec operatio aliqua (operatio dico cœleſtis virtutis) adhuc audita eſt, vel poſita ab aliquo. Caſus enim ſive deſcenſus pluviarum cujuſmodi operatio ſit, ſatis noſti. De cœlo verò empyreo non videtur ſimiliter ſe habere, ut de aliis cœlis, cùm ſit quietum, & perpetuæ ſtabilitatis. Illi verò manifeſtè mobiles ſunt. Corpus igitur illud, quod cœlum aqueum quidam vocant, neceſſariò fuit medium inter duos mundos, ut prædixi tibi, & eſt interſtitium, & copula illorum. Non enim continguabiles, vel continuabiles eſſe potuerunt propter longiſſimam ab invicem diſtantiam. Qui verò mundum animal dicunt, vel rectum, vel inverſum, neceſſe videntur habere ponere cœlum illud, cùm nec ſine capite, nec ſine corde, illud ponere opinandi ſint. *Nota.* Qui enim dicunt ipſum eſſe animal inverſum, dicunt habere ipſum ſuum vilius intimum, quod eſt terra, ſuum nobilius extimum, & hoc eſt cœlum ultimum ſecundùm eoſdem, & eſt cor ipſius mundi. Quare ſicut cordis eſt ſedem eſſe, & habitaculum proprium vitæ, & animæ, ſive ſpiritus ipſius animalis; ſic cœlum ultimum, quod empyreum nominant, habitatio eſt, & receptaculum vitæ nobiliſſimæ, & ſpirituum, atque animarum ſublimium, hoc eſt celſitudine fœlicitatis angelicæ jam beatorum, aut in futuro beatificandorum. *Cœlum ultimum receptaculum beatorum.* Qui autem animal rectum ponunt, non quidem figurâ, cùm ipſum conſtet eſſe figurâ ſphæricum, ſed rectitudine diſpoſitionis prædictæ inverſioni oppoſitæ; ſimiliter neceſſe videntur habere ponere caput illi cœlum cæteris omnibus altius, atque præſtantius, & capitalium ſubſtantiarum, id eſt, ſpiritualium, propter quas omnes aliæ creatæ ſunt, habitationem præclaram, ac precioſiſſimam, & tantæ civium ſuorum gloriæ congruentem. Debes autem ſcire, quia philoſophos latuit eſſe cœli iſtius tam nobilis multis de cauſis. Harum prima

fuit defectus apparitionis tam ipſius hujuſmodi cœli, quàm omnium eorum, per quæ innoteſcere conſueverunt inapparentes, & ignotæ ſubſtantiæ, qualis eſt apparitio ſtellarum tam fixarum, quàm errantium, quàm etiam luminarium. *Nota.* Cùm enim nullum omninò octo cœlorum videatur, appareant autem ſtellæ, & luminaria, & motus, ſive revolutiones eorum, indicant ex neceſſitate cœlos eſſe revolventes ea, indicant etiam & motus cœlorum, ſicut te ſcire faciam in ſequentibus. Propter hanc eandem cauſam nondùm declaratum eſt apud eos, immò penè ignoratum uſque hodie remanſit apud eos eſſe cœli, quod aplanon nominatur ab a, quod eſt ſine, & planos, quod eſt error, quaſi ſine errore, propter unitatem, & invariabilitatem motus ſui. Non enim apparet, aut ſtella ex eo, aut motus aliquis ejus, vel ab eo. *Cœlum aplanon an ſit nondum philoſophis decretum.* Quia igitur defuit eis via ad hoc, defuit eis & perventio ad ipſum. Secunda cauſa fuit ignorantia, & inconſideratio gloriæ, & magnificentiæ creatoris, de quo etſi ſublimiùs, aut magnificentiùs æſtimare non potuiſſent, ſaltem ut regem, & dominatorem Angelorum, & hominum imaginari potuiſſent, & attribuere eidem, immò etiam cognoſcere de ipſo, quòd ei ſit honore regio, & magnificentia digna habitatio, & tanquàm aula regalis pro magnitudine, & multitudine familiæ, nec non & nobilitate ejuſdem, quæ, ut jam prædixi tibi, nec debet, nec poteſt eſſe aliquod ex cœlis mobilibus propter inquietiſſimam, ac rapidiſſimam velocitatem motus uniuſcujuſque eorum. Tertia cauſa fuit paucitas intellectus eorum circa naturam, & virtutes mundi mobilis. Apparet enim mundus mobilis, videlicet ab octavo cœlo mobili uſque ad terram, & loca terræ profundiſſima, quod cœlum ſtellarum fixarum dicitur, non eſſe niſi quædam officina fabricalis, in qua fabricantur vaſorum innumera genera, videlicet corpora animalium, & plantarum, & etiam aliorum generabilium, ac metallorum, gemmarum, & omnium aliorum mineralium. *Opinio philoſophorum.* In hac igitur fabrica conceſſerunt ipſi, & ſcripſerunt, quòd cœli ipſi cum ſtellis, & luminaribus, vel operatores ſint, & fabricatores, vel inſtrumenta fabricantis Dei. Nonnulli verò ex eis æſtimaverunt materiam generabilem, & corruptibilem, quam cœlum lunare circumvolvit, eſſe in manu, id eſt, in beneplacito, & voluntate omnipotentis creatoris, ut lutum in manu figuli. *Nota.* Totum verò, quod eſt ab octavo cœlo, uſque ad prænominatam materiam, hoc eſt, octo cœlos mobiles, ſub juſſu, & obedientia creatoris, velut rotam, aut rotas multas ſub pedibus figuli. Apparet igitur tibi brevitas intellectus eorum in hoc, quia etſi rectè fortſitan in hoc æſtimaverunt, manifeſta eſt diminutio intellectus eorum, atque defectus. Non enim ponunt mundum, niſi officinam, ut dixi tibi, fabricalem, aut figulariam: omnipotentem autem creatorem, tantùm fabrum, aut figulum opinari videntur, non autem regem in ultimitate gloriæ, aut dominum in ultimitate magnificentiæ, dum nec ei aulam regiam, nec regale palatium, ſed ſolummodò opera fabrilia, ſeu fictibilia, licet mirifica, & magnifica, ſapientiamque, & virtutem tot, & tanta, operandi ei attribuunt; licet autem regali congruat excellentiæ & neceſſitas adminiſtrandi regnum hoc exigat, ut in domo regia ſit officina fabricandis armis, & vaſis aliis deputata, longè tamen minùs debito nec laudatur rex, cui hæc ſola domus attribuitur, & domus regia non ex toto, ſed ex parte tantùm hujuſmodi ſermone deſcribitur. *Nota.* Quarta cauſa, de qua aliqua prælibata ſunt tibi in hoc ipſo capitulo, fuit ignorantia futuræ gloriæ, quæ in regione futura præſtabitur Dei electis, atque dilectis. In qua gloria incogitabili non ſolùm eo-

E rum animæ decorabuntur, ſed etiam corpora eorundem incomparabiliter ultra omnem pulchritudinem naturalem corporum extollentur, & ultra omnem virtutem ipſorum, & hoc faciam te ſcire in ſequentibus, in capitulo ſcilicet, de renovatione mundi. Quemadmodùm enim ex hoc ſtatu vitæ præſentis, immò miſeriæ, transferendi ſunt electi Dei, ut dixi, atque dilecti; ſic & ab hoc loco inquietudinis, & corruptionis transferendi ſunt in locum fœlicitatis ſuæ, & gloriæ congruentem. Neceſſe enim eſt iſtam miſeriam, & corruptionem, & inquietudinem peracto curſu ſuæ utilitatis ceſſare. Adhuc enim neceſſaria eſt propter innumeras utilitates, quas inde, qui à Deo erudiuntur in hoc, & adjuvantur, eliciunt. Quare illis ceſſantibus, ipſam eſſe neceſſe eſt ceſſaturam, & hoc eſt unum eorum, quod latuit multos ex philoſophis, & præcipuè

F Ariſtotelem, & ſequaces ejus, qui putaverunt iſtum conflictum, & pugnam elementorum, aliarumque contrarietatum, potentiæque, & actus, ſive potentialitatis, & actualitatis, alternas victorias, ſeu ſuperantias. eſſe indefectibiles, & perennes. His igitur ita dictis, revertar ad id, in quo eram priùs, *Nota.* & dicam, quia potiſſima, ac præcipua pars regni creatoris, quod eſt regnum omnium ſæculorum, & dominatio univerſitatis, cui omninò nihil eſſe poſſibile eſt non ſubditum, ſolumque veri nominis regnum, & dominatio potiſſima, inquam, ac præcipua regni iſtius, ac dominationis, pars eſt univerſitas ſubſtantiarum intelligentium: hujuſmodi autem univerſitatis pars non modica eſt univerſitas animarum humanarum, ſeu hominum: & de animabus quidem humanis manifeſtum eſt, quòd brevi tempore in corporibus ſuis eſſe permittuntur pro-

G pter corruptionem ipſorum. Quia igitur vivunt ex neceſſitate poſt mortem corporum ſuorum, ſicut declaratum eſt tibi in tractatu ſingulari de immortalitate earum, ex neceſſitate eſt eis habitatio aliqua poſt mortem corporum ſuorum. Manifeſtum autem eſt, quoniàm habitatio mundi hujuſmodi inferioris non eſt ei neceſſaria, niſi propter corpora ſua, quæ rebus mundi hujuſmodi indigent, propter victum, & veſtitum, & tectum, ſine quibus citiſſimè corrumperentur. Ampliùs, quis eſſet earum ſtatus in prædicto mundo, quæ operationes, quæ officia, præſertim, cùm nec natura ipſa, nec divinæ providentiæ bonitas, eas aut inutiliter, aut ſupervacuè vivere permittere poſſit? *Nota.* propter hoc Plato, & ſequaces ejus cum multitudine poëtarum, poſuerunt eis habitationes diverſas, & ab ipſis habitationibus eiſdem nomina poſuerunt; æſtimaverunt enim ea-

H rum aliquas poſt mortem corporum habitare circa tumulos corporum ſuorum umbras eaſdem pro habitatione hujuſmodi nominantes; aliquas verò apud inferos aliquo tempore, & vocaverunt eas manes ab hujuſmodi manſione. Expletâ verò utriuſque manſionis manſurâ, in cœlum transferri, & in ſtellis comparibus, in quibus & eas creatas eſſe ſomniaverant, collocari, & inde in corpora propria deſcendiſſe. In ſermone autem iſto non diſcordabant uſquequaque à doctrina Hebræorum, vel Chriſtianorum, licet diſcreparent in multo. De comparitate quidem ſtellarum aliqua tibi ſcripſi: audies autem certiora, ac perſcrutatiora in ſequentibus. In hoc igitur uno indubitanter rectè ſenſerunt, quòd habitationem animabus ſolutis à corporibus poſuerunt, & quòd diverſas eis habitationes pro diverſitate meritorum attribuerunt. Erraverunt autem circa habitationem circa tumulos, & cauſam habitationis hujuſmodi, ſicut ſcies poſt hoc. Quòd ſi dicat quis, quid ad ſpirituales ſubſtantias de loco, vel habitatione corporali? quemadmodùm enim nihil

Digitized by Google

A nihil ad corpora de habitatione, vel domo ſpirituali; ſic nihil ad ſpirituales ſubſtantias de loco, vel habitatione corporali; poſſet-ne, inquiunt, grammatica eſſe in burſa tua, vel in pyxide, aut alio vaſculo? quantò fortiùs igitur eſſentia creatoris habitationem localem dedignatur, ac refugit naturaliter, cùm ipſa ſit & in ultimitate ſpiritualitatis corporalitati repugnantiſſima, & in ultimitate ſimplicitatis omnibus ſpiritualibus ſubſtantiis incompatabiliter ſupereminens, & infra ſe omnia immenſurabili diſtantia relinquens? In hoc igitur per interrogationes reſpondeo. Quid inquio ad animam tuam de corpore tuo de qua dubitare non audes, vel non potes quin ipſa in eo ſit, & quin ipſum ſit habitatio ejus? Quòd ſi dixeris, quia ad ipſam pertinet onus & ſolicitudo regendi illud, & providendi ei alimenta, & alia neceſſaria, hîc dico, quia ipſa omnia hæc quæ numeras, corpora ſunt, quare dicis ipſam non ſolùm eſſe in corpore uno, ſed etiam verſari ex neceſſitate circa corpora alia multa.

Nota.

B Quòd ſi dixeris, quia anima humana non eſt in corpore ſuo localiter, ſed neque unquàm hoc cogitatum fuit ab aliquo, qui vel ad modicum apprehenderit naturam animæ humanæ, quam conſtat eſſe impartibilem partitione quantitativa. Neque enim diviſione continuitatis, ut linea, ſuperficies, aut corpus, neque diviſione diſgregationis, ut numerus, ſeu multitudo partibilis eſt, locus autem diviſione prædictas magnitudines ſequitur, ſicut declaravit Ariſtoteles in libro de phyſico auditu. Quare manifeſtum eſt impoſſibile eſſe modis omnibus, animam humanam eſſe localiter in loco corporali. Quòd ſi dixeris, quia ſic eſt in corpore ſuo, quemadmodùm Rex in regno ſuo, quod totum adminiſtrat, & regit potentiâ, & ſapientiâ ſuâ, jam aliquatenùs ad veritatem approximaſti, & uſualiter quippe Rex eſſe in regno aliquo dicitur, etiamſi localiter, & perſonaliter extra ſit, dummodò illi præſit, & illud adminiſtret, & regat. Verùm multa differentia eſt

Nota.

C inter duas iſtas adminiſtrationes, ſeu gubernationes; quoniàm Rex, licet longè abſens à regno, vel etiam localiter in eo præſens, per miniſteriales ſubditos, & obedientiam populi, interdùm omninò quieſcens, & nihil de his, quæ regni ſunt penitùs agens, regnum adminiſtrat, & regit. Sæpè verò ipſe perſonaliter multa agit eorum, quæ adminiſtrationis ſunt, ſicut cùm ipſemet judicat, hoc eſt cauſas examinat, & diffinit. Similiter cùm de regni negociis, vel apud ſe, vel cum ſapientibus tractat, atque deliberat. Eodem modo cùm ipſe perſonaliter circa hoſtes pugnat, & quoties de bellorum diſpoſitionibus, de armis, atque munitionibus, de ſtipendiis bellatorum, aut de ipſis ſtipendiandis, aut congregandis, de machinis, & de copiis in apparatum belli colligendis, quid imperat, aut conſiliatur; anima verò

Nota.

D humana, nihil operatur in gubernatione corporis, niſi præſentialiter, & ibi ſolummodò, ubi ipſa præſens eſt. Quòd ſi dixeris, quia per ſpiritus etiam ipſa operatur qui movent nervos, chordas, & etiam alia ligamenta, & per hoc movet membra: verum utique dicis, ſed nec ipſum ſenſum, nec vitam, nec ipſum motum, de quo loqueris, operatur, niſi præſentia ſua, & viribus, & ipſa etiam clamat, ſi teſtimonio ejus credere volueris, in omni parte corporis ſui, niſi dolor, vel læſio ſit, hîc lætor, hîc doleo, hîc percutio, & ne fortè dicas, quia non patitur ibi ipſa anima, ſed ſolùm corpus, cui ipſa tanquàm ſuo compatitur, attende quia non clamat, hic condoleo, ſed magis doleo, nec dicit hîc compatior, ſed magis patior. Sciendum verò eſt, quia opinati ſunt quidam ex naturalibus philoſophis animam humanam habitare in hujuſmodi ſpiritibus, & eos

Nota.

A cœleſtis eſſe naturæ poſuerunt, æſtimantes non eſſe dignam naturam alicujus ex inferioribus corporibus habitatione animæ ipſius, propter nobilitatem ejuſdem: iſtis ergo facilè ſuadetur, animas poſſe habitare in cœlo, qui eam, etiam, dum eſt in corpore, in corporibus cœleſtibus, hoc eſt, in ſpiritibus, autumant habitare, meritò verò ab eis quærendum eſt, qualiter intelligant Deum habitare in templis. Hic eſt enim ſermo, quem omnis lex, omnis ſecta, omnis natio, quæ de Deo notitiam, vel opinionem habet aliquam, accepit. Quia igitur manifeſtum eſt, omne templum locum eſſe corporalem, & nobilitate, vel etiam ſanctitate, nulla ex parte cœlo ultimo eſſe comparabilem, non poſſunt abhorrere Deum habitare in cœlo. Quare & de diis, quos hujuſmodi homines coluerunt, & templa eis erexerunt, & eoſdem in ipſis adoraverunt, conſequenter id ipſum ſentire neceſſe habent, quod nec unquàm ab his inficiatum eſt. Templa namque vocabant domos habitationi deorum, & cultui deputa-

Nota.

B tas, quos in templis ſuis habitare adeò pertinaci credulitate ſentiebant, ut eoſdem nuſquàm alibi quærendos, aut requirendos adorando putarent. Quia igitur illos nobiliores, longéque ſpirituales, quam ſint animæ humanæ, credebant, neceſſe habebant recipere, in locis poſſe corporalibus habitare. Quid autem ſit hujuſmodi habitatio, ſive Dei altiſſimi, ſive deorum ſuorum, cùm utique localis eſſe non poſſit, localis dico localitate corporali, quoniàm ipſi nec declaraverunt, nec intellexerunt, ſed vaga, ut ita dicatur imaginatione, & admodùm obſcura, receperunt, neceſſe habent intellectum depuratæ veritatis recipere, & ubi ſpirituali ab ubi corporali ſcire diſtinguere, & rationibus, ſeu diffinitionibus ſeparare. Dico igitur, quia ubi ſpirituale hoc eſt, ſolùm, & propriè congruens ſpiritualibus ſubſtantiis, diſtat ab ubi corporabili, quod ſcilicet ſolum, & propriè congruit corporalibus ſubſtantiis, diffe-

C rentiis multis, quarum prima, & principalis eſt circundatio, ſeu continentia, qua corpus circundatur, vel continetur ab intima ſuperficie corporis ambientis illud. Secunda eſt repletio concavitatis hujuſmodi, hoc eſt intimæ dictæ ſuperficiei. Repletionem autem iſtam intelligo, per quam nec corpus aliud, nec partem corporis alterius ſecum patitur in eadem concavitate ſive loco. Quarta eſt adæquatio loci, & locati, non ſolùm ſuperficiei ipſius locati, ſed ipſius, ut diximus, concavitatis, quam replet corpus locati, ac ſi vacuum aliquid eſſet, cùm reverà nihil ſit, ſicut declaravi tibi in præcedentibus. Quinta verò eſt ſitus, ſive poſitio, & ordinatio partium locati, per quam eſt tibi deſignare ſursùm & deorsùm, antè, & poſt, ſimiliter longum, & latum, & profundum, principium, finem, & medium. E-

Nota.

D contrariò autem ſe habet in ubi ſpirituali: ſpirituales enim ſubſtantiæ magis circundant id, in quo eſſe dicuntur, & continent, quàm circundentur, & contineantur ab ipſo: quemadmodùm ipſa eſſentia creatoris magis circundat, & continet omnia, quàm circundetur, vel contineatur ab ipſis, & magis concludit, & omnia continet intra ſe, quàm ſit incluſus in ipſis; & hoc quidam ex philoſophis Italicis dixit in libro ſuo, quem ſcripſit de natura deitatis, his verbis: Deus omnia continet, & nutrit in terra, quaſi partes ſuas, hoc eſt dicere, tanquàm eſſent partes ſuæ. Non enim intellexit Deum partes habere, aut eſſe ullo modorum compoſitum, cùm ipſum affirmet nihil omninò habere concretum in ſe, nihil adunatum, nihil duplex, ſed eſſe velut mentem liberam ab omni concretione mortali. Eodem modo ſenſerunt de anima humana exiſtente in corpore, qui de his vel ad modicú philoſophati ſunt,

Digitized by Google

videlicet corpus potiùs eſſe in anima, quàm ipſam eſſe in corpore. Unde & quidam eorum dixit, quia ipſa eſt corpus circundando illuminans, & illuminando circundans. In quo eſt ei ad creatorem nonnulla, licet incomparabiliter diſſimilis ſimilitudo; ſic enim creator eſt in univerſo, quòd ipſum in circundando illuminat multiplici influentia prælargæ bonitatis ſuæ, & illuminando circundat velut fovens, & continens omnipotentiſſima virtute ſua, alioquin in ſeipſo deficiens in nihilum vaneſceret, & recideret in non eſſe. Differt autem, quia eſſentia creatoris nec alligata eſt, nec admixta rebus ullo modorum, ſed ſupereminens ei ſtat in ultimitate gloriæ ſuæ liberrima, cùm à parte rerum ad eam impoſſibile ſit attingere. Anima verò humana multiplicem habet alligationem ad corpus, propter quod & patitur paſſionibus corporis, & dolet doloribus ejus, & quo trahitur corpus, trahitur & ipſa. Verùm alligatio iſta non eſt indiſſolubilis, quia vel per mortem corporis ſolvitur, vel ipſa mors corporis eſt ſolutio ejus, ut quibuſdam viſum eſt. Et de cæteris differentiis facile eſt tibi videre quia contraria earum comitantur ubi ſpirituale Sciendum autem eſt tibi, quia ſubſtantiæ ſpirituales quæ alligationem habent cum corporibus, ut dixi tibi de anima humana, limitatas habent virtutes, & diffinitas, quaſi limitibus, & terminis corporum ſuorum, ut ultra ea, vel extra ea per ſeipſas nihil operentur: per organa verò membrorum corporum ſuorum, vel per inſtrumenta membris eorum applicata multa manifeſtum eſt eas operari, ſicut apparet in ædificiis, & aliis artificiis: & quod dico tibi de iſta limitatione, ſeu diffinitione, intellige in pluribus, & non univerſaliter, quia forſitan anima baſilici, & animæ quorundam aliorum animalium, & quædam animæ humanæ multa operantur, & mira valde extra corpora ſua, & illa nominanda ſunt, & numeranda in ea parte naturalis ſcientiæ, quæ vocatur magica naturalis.

Nota.

Nota.

CAPUT XLIV.

Quæ utilitas, nobilitas, & ornatus provenit ex inhabitatione animarum humanarum, & angelorum, in cœlo empyreo.

REvertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quia cœlum ultimum, de quo toties audiviſti, nobiliſſimum eſt omnium corporum naturalium, quod ſublimitas ejus planè indicat, & dico, quia penè ſpirituale eſt, hoc eſt viciniſſimum in genere corporum naturalium ſpiritualitati, ſive naturæ ſpiritualium ſubſtantiarum, & hoc eſt facilè videre ex comparatione corporum naturalium ad invicem. Quis enim non videat quantò eſt ipſa aqua, quàm terra, nobilior, atque ſubtilior, ſimiliter & aer, quàm aqua? Eodem modo & ignis aere, deinde cœlum lunæ, quàm ignis, & ſic de cæteris, donec venias ad cœlum ultimum; & in quanta excellentia nobilitatis ac ſubtilitatis invenies ipſum ad corpora humana? quare ſi hanc habitationem humanæ animæ non abhorrent, immò diligunt ultra modum, quantò fortiùs igitur cœli illius nobiliſſima habitatio, grata & jocunda erit animabus humanis, & etiam angelis ſanctis? Quòd ſi dicat quis, quia evidens eſt cauſa, & utilitas habitationis animarum in corporibus, & evidens eſt, quid utilitatis proveniat corporibus, ex inhabitatione animarum in illis, ſimiliter & utilitas animarum, id eſt, quæ provenit eis ex hujuſmodi inhabitatione: verùm qui ſic quærit, non novit, quia ex gloria animarum futura ſplendor mirabilis refulgebit in corporibus earum.

Nota.

Nota.

E Hoc autem fiet per alligationem, quam dixi. Neceſſe enim eſt ex illa abundantia gloriæ multiplices redundantias fieri in ipſa corpora humana; ſic ex præſentia beatiſſimorum Angelorum ſplendebit cœlum empyreum, licet ſplendore corporali, quemadmodùm cœlum ſtellatum choreis variis decoratum? Quòd ſi dixeris, qualiter ſplendor corporis ex ſpiritualibus ſubſtantiis in cœlo empyreo emicabit? Reſpondeo, quomodò ſplendor in facie, & oculis, qui utique corporalis eſt, ex gaudio cordis, quod eſſe ſpirituale non dubitatur. Tu etiam audiviſti plurimùm, quòd odor ſuavitatis ex præſentia Angelorum ſanctorum fragraſſe compertus eſt; ſic & domus, & templa eorundem præſentia ſplendore mirabili illuſtrantur. Quòd ſi quærat quis, quid prodeſt hoc angelis ſanctis? Dico, quia permultùm eſt ad gloriam ipſorum, ut locus habitationis eorum, ſic eorundem præſentia illuſtretur. Hanc tamen gloriam ſibi ipſi minimè quærunt, ſed ei de cujus munere hæc, & omnia alia acceperunt. Erit F ergo cœlum empyreum, ſicut aula regia regc regum, & domino omnium ſæculorum præſidente regibus innumeris, & hominibus, & angelis aſſumptis, honore & decore regio fulgentibus, adornata. Si verò quærat quantam partem unuſquiſque angelorum beatorum occupabit de cœlo empyreo: hic reſpondendum videtur, quod tetigi tibi in præcedentibus, videlicet de limitatione, & diffinitione virtutum hujuſmodi ſubſtantiarum. Veriſimile enim eſt, ut qui majoris gloriæ vel nunc ſunt, vel tunc erunt in futuro, majores, vel ſublimiores, vel nobiliores partes cœli illius obtineant, quamquàm verum ſit, quòd etiam in partibus æqualibus diſſimilis, vel inæqualis gloriæ poſſunt angeli collocari; quemadmodùm enim longè inæquales animæ humanæ ſapientia, & virtutibus, & his vel naturalibus, vel G aliis, interdùm corpora æqualia inhabitant, interdùm econtrariò; ſic nihil prohibet eſſe poſſibile in partibus empyrei cœli æqualibus inæqualis gloriæ angelos eſſe, aut econtrariò. Si verò quiſquam quærat, quid accreſcit gloriæ beatiſſimorum angelorum ex locis hujuſmodi? Reſpondeo in hoc, quia etiamſi eis inde nihil accreſceret ex habitatione, tamen hujuſmodi præſentia eorum ornatur, atque decoratur mirabiliter aula illa Dei altiſſimi; quemadmodùm ſi poſueris, quòd magnatibus nihil accreſcit ex inhabitatione ſua in aula regia, tamen ipſi aulæ regiæ accreſcit ex inhabitatione eorum, & præſentia in eadem, ornatus pulcherrimus, & decor honorabilis, quorum uterque eſt ipſi regi in gloriam magnam, & hanc ſolam beatiſſimi illi angeli quærunt, non propriam: ſicut enim totum, quod habent beatitudinis, & gloriæ, ab ipſo recipiunt; ſic totum in ejus H gloriam, & honorem, laudemque refundunt; & quemadmodùm non eſt corpus, in quo animæ humanæ virtuoſitas ita operari, & apparere poſſit, ut corpus humanum, neque ita ornabile virtutibus ejuſdem, aut receptibile ipſarum; ita non eſt corpus in natura adeò ornabile præſentia ſanctorum angelorum, ut cœlum ultimum, nec in quo ita refulgere poſſit gloria ipſorum. Jam autem alibi didiciſti, quia gaudet unaquæque natura, quæ gaudere poteſt extenſione, & diffuſione virtutum ſuarum, & bonitatis, quam à creatore recepit, ſicut apparet in omnibus luminoſis, & aromaticis, & calidis calore actuali, etiamſi inanimata, & inſenſibilia omninò ſint. Ampliùs. Qui ponit cœlum hujuſmodi ſic ornatum, & decoratum, ut prædixi, non eſſe, manifeſtum eſt tibi, quantùm detrahit gloriæ Dei altiſſimi; majorem enim, ac præcipuam partem indubitanter, ſimiliter, & quantùm detrahit perfectioni univerſi, quia potiſſimam, maximamque,

Nota.

Nota.

Vide.

ac

ac nobiliſſimam partem. Utrunque autem iſtorum A & inconveniens, & impoſſibile eſt, quia nec univerſo poteſt deeſſe capitalis iſta pars, ac præcipua, nec Dei altiſſimi gloria eſſe debet adeò enormiter detruncata, ac decapitata. Qui verò ponit, ut dixi, ponit & Dei gloriam in ultimitate ſuæ perfectionis, & univerſum in conſummatione ſuæ integritatis. Quòd ſi quis dixerit, quia qui poſuerit aliud cœlum ſupra empyreum, præſtantius, & ornatius ipſo, ponet in majori perfectione univerſum, & Deo altiſſimo majorem gloriam: reſpondeo in hoc duobus modis, primùm, quia iſta poſitio ducit rem in infinitum, & cogit eum ponere cœlos ſine numero, & univerſum abſque termino. Secundùm dico, quia in corporibus naturalibus non poteſt eſſe nobilitate nobilius: ipſum enim eſt in ordine cœlorum, & aliorum magnorum mundi corporum, in ultimitate nobilitatis, quemadmodùm ignis in ordine elementorum. Debes autem ſcire, quia fuerunt loquentes, & forſitan adhuc ſunt, qui poſuerunt totum, quod eſt à Luna ſupra, vitam eſſe ſolummodò, & ſtellas, atque lumina ſpiritus tamen & nihil omninò corporeitatis, vel corpulentiæ ibi eſſe. Fulgores verò, & illuminoſitates, quæ ibi apparent, procedere ab hujuſmodi ſpiritibus. Illud autem, quod eos in hunc errorem induxit, potiſſimùm eſſe videtur lucis nobilitas, & ordo, quoniàm inter corporales diſpoſitiones, immò inter omnia, quæ videntur, prima eis viſa eſt, ac nobiliſſima, & propter hoc à ſpirituali natura prima proceſſiſſe; quare nec corpus eſſe, nec ſpiritum, ſed medium inter ipſa. Tu verò jam non dubitas, quia hujuſmodi homines motum deſtruunt in cœleſtibus, & cœlis omnibus, & non C ſolùm ſenſu indigent, qui nec oculis ſuis credunt, ſed etiam pœna, ut ait Ariſtoteles. Jam autem dixi tibi in præcedentibus, quia ſtellarum, & rerum luminarium certitudo indiget inquiſitione perſcrutata, & tractatum deſiderat ſingularem, qui non pertinet ad propoſitum, & multa de his, immò major pars eorum, quæ hìc audiviſti, eſt præter intentionem propoſiti. Verùm ego digreſſus ſum ad iſta, ut patefacerem tibi aliquatenùs profunditatem, & veritatem ſermonis philoſophici, ne ullo modo putares ipſum contemnendum eſſe, ſicut moris eſt quibuſdam ſtultis, quibus videtur nihil ſapienter dictum, niſi viderint illud armatum probationibus, & rhetoricis floribus adornatum, & quod eſt majoris inſaniæ, quicquid non intelligunt, erroneum opinantur. Tibi ergo de rebus tam difficilibus, & à conſuetudine, & exercitatione tua, tam longè diſtantibus, ſufficiant ad præſens ea pauca, quæ audiſti, donec pervenias ad inveſtigationem partis ſpiritualis univerſi, & donec tibi pateſiat natura ſpiritualitatis, & nominentur tibi, atque numerentur differentiæ ipſius, & comparationes, deinde ſpecies, ordines, gradus, & officia ſubſtantiarum ſpiritualium, & quid de iis contineant, vel habeant ſermones authentici, qui ſunt ſermones prophetarum, immò ſermones Dei altiſſimi, & poſt hoc opiniones philoſophorum, nec non & magorum. Addam tibi etiam explanationes hujuſmodi ſermonum, nec non & declarationes veritatis in his, & deſtructiones errorum, qui circa ea ſunt, vel fuerunt. Sequitur autem ea, quæ præceſſerunt, ſtabilire eſſe cœli, quod aplanon vocatur. Hoc autem fiet tibi duabus viis. Dico igitur, quia cùm cœlum ultimum, quod eſt empyreum, ſimplex ſit, hoc eſt unius naturæ, & immixtum, atque incompoſitum, & iterùm quietum, ac ſtabile ſtabilitate perpetua: quoniàm quies, ac ſtabilitas ordine naturæ præcedunt motũ, & inſtabilitatem, ſive inquietudinem, conſequens eſt eodem ordine ſimplex, & mobile; quare inter cœlum ſtellarum fixarum, quod eſt mobile, & multipliciter, ut tibi palàm faciam, compoſitum, & cœlum empyreum, quod eſt quietum, & ſtabile, intervenit ex neceſſitate cœlum medium, ſimplex videlicet, & mobile. Non enim dubitari poteſt, quin inter ſimplex ſtabile, & compoſitum mobile, medium ſit ſimplex mobile. Ampliùs. Dubitari non poteſt, quin compoſitum mobile præcedat ordine naturæ ſimplex mobile. Quæ enim præcedunt, vel priora ſunt ordine naturæ, ſi poſteriora eis ſunt, multò fortiùs ipſa; prioribus enim multò fortiùs competit eſſe, quàm poſterioribus. Ampliùs. Si medium illud cœlum deeſſet, non eſſet completum in parte illa univerſum corporeum, & remanſiſſet ibi vacuum naturæ. Quemadmodùm ſi ſolis extremis coloribus exiſtentibus, medij non eſſent, incompleta eſſet univerſitas colorum, & reliquiſſet B inter extrema vacuum, valdè indecens, & deforme, creatum. Ampliùs. Ordo naturæ, ordo veritatis eſt, neque enim falſa, neque erronea eſt natura; ſicut igitur eſt in ordine naturæ, ſic & veritatis. In veritate igitur eſt cœlum, quod aplanon nominant. Secunda via eſt palàm patens, & aperta; ſecundùm eos, qui octavæ ſpheræ, ſive cœlo ſtellarum fixarum ponunt motum ſecundum obliquum, vel in antè, & retrò. Manifeſtum eſt enim, quòd rectum priùs eſt deflexo, ſive obliquo. Non enim eſt obliquatio, vel deflexio, niſi à recto, quare motus rectus, & indeflexus prior eſt motu obliquo, & deflexo, & propter hoc à proportione mobile rectum, & indeflexum, motu obliquo, atque deflexo. Aplanon verò eſt hujuſmodi. Unde & aplanon nominatum eſt, quia ſine errore, hoc eſt, ſine deflexione, & obliquatione: propter hoc enim & planetæ ſic nominati ſunt, quaſi erronei, vel errabundi, propter ſcilicet obliquationes, & deflexiones motuum, quæ apparent in eis. Ampliùs. Unum multo, & ſimplex multiplici, & æquale inæquali ex neceſſitate prius. Motus autem aplani unus eſt, ſimplex, & ſemper æqualis; cæteri verò motus, hoc eſt aliorum cœlorum, econtrariò ſe habent. Quare ſi iſti ſunt, multò fortiùs ille, & propter hoc ejus mobile, ſive ſubjectum. Cœlum verò ſtellarum fixarum facilè ſtabilitur per motus ſtellarum ipſarum; apparent enim moveri ſtellæ fixæ omnes, quemadmodùm ſi fixæ eſſent in rota una, revolvente eas motu ſuo. Cùm enim impoſſibile ſit eas moveri motu proprio, ſicut confeſtim declarabo, neceſſariò moventur D motu corporis, in quo fixæ ſunt; palàm enim eſt, quia neque aliquo impellente, neque aliquo attrahente, quoniàm de illis eadem eſſet quæſtio, & ita curreret res in infinitum, aut eſſet circulus; tu autem didiciſti alibi deſtructionem utriuſque iſtorum inconvenientium. Ampliùs. Si aliqua ſtella fixa moveretur ſuo motu proprio, & omnes ſimiliter moverentur propriis motibus; manifeſtum autem eſt quaſdam omninò non moveri videlicet polos ambos. Ampliùs. Cùm omnes hujuſmodi ſtellæ ejuſdem naturæ ſint, quantùm ad principium motus, & cauſam, alioquin non moverentur una ſpecie motus, videlicet motu circulari; ergo quæ ſunt æqualis magnitudinis, moverentur æqualiter, quæ inæqualis, inæqualiter. Rarum quippe, & denſum, ibi locum non habent. Stellæ igitur, quæ ſunt in majori urſa lucidiores, aut in aliis ſeptentrionalibus imaginibus, moverentur velociùs ſtellis omnibus, quæ ſunt circa circulum æquinoctialem. Hoc autem manifeſtè falſum eſt, cùm ſeptentrionales omnes minores circulos deſcribant, quàm quæ ſunt inter arietem, & libram, & generaliter quantò propinquiores ſunt alterutri polorum, tantò minores circulos deſcribunt in æquali tempore; quantò verò remotiores ab alterutro polorum

Nota. Nota. Nota. Nota. Nota.

Digitized by Google

tantò majores circulos deſcribunt in tanto tempore. Ampliùs. Si ſtellæ fixæ moverentur propriis motibus, moverentur indubitanter in cœlo, & per illud. Quare ſcinderent illud, atque dividerent tot ſciſſuris, & tantis, quot & quantæ ſtellæ ipſæ eſſent, quæ moverentur. Quare fieret diviſio partium cœli, & elongatio earum unius ab alia, & exitus ipſius cœli fieret à ſuis terminis, & limitibus, quemadmodùm ſi magna corpora inſtar magnorum montium moverentur per totum mare, ſciſſuras, & diviſiones in ipſo facerent, & extrema ipſius maris exire cogerent litora, & inundationes ipſius maris immenſas facerent, qui exitus, & inundationes, etſi in mari poſſibiles eſſent, in cœlo tamen ſtellarum manifeſtè impoſſibiles ſunt, cùm extrema cœli illius, quo exire poſſint, non habeant, cœlum verò ſuperiùs irrumpere non poſſint.

Similitudo bona.

Nota. Ampliùs. Tu jam noſti opiniones philoſophorum de cœlis, quia impaſſibiles ſunt à parte iſta, hoc eſt inſecabiles, & indiviſibiles. Et dixit quidam ex eis, quia ſi ſecabiles, aut diviſibiles eſſent, aut partes eorum diviſæ redirent ad conjunctionem poſt diviſionem hujuſmodi, aut remanerent in illa diviſione. Quòd ſi redirent, quemadmodùm in aqua diviſa, reditus hujuſmodi non poſſet fieri, niſi per motum rectum; eſſet igitur partibus ejus motus rectus, & proculdubiò naturalis, quare & toti cœlo eſſet motus rectus naturaliter. Neceſſe enim eſt partium, & totius eundem eſſe motum naturalem. Quia igitur prout æſtimavit iſte, in cœlo non eſt motus naturalis rectus in partibus ejus, conſequens eſt diviſionem hujuſmodi, non eſſe reparabilem per reditum ſupradictum. Quare ſi fieret diviſio hujuſmodi, neceſſariò remanerent cœli ſciſſi, & lacerati, & ita in diviſionibus illis eſſet vacuum, aut neceſſe haberet creator continuè diviſiones hujuſmodi novis corporibus reſarcire, cùm diviſiones hujuſmodi ex neceſſitate continuè fierent, eò quòd motus ſtellarum continuus ſit, & non habens interpolationem. Ampliùs. Si ſtellæ in cœlo ſuo fixæ ſunt, & ei adhærentes, manifeſtum eſt, quòd impoſſibile eſt eas moveri, niſi motu ipſius: quemadmodùm clavi fixi in rota volubili, vel alia quæcunque adhærentia eidem, non eſt poſſibile ut moveantur, manente hujuſmodi affixione & adhærentia, niſi motu rotæ ipſius. Si verò ſunt in cœlo, quemadmodùm piſces in aqua, vel in mari, & moventur in cœlo, quemadmodùm piſces in mari, accidit quod dixi tibi de diviſionibus, & ſciſſuris ejuſdem cœli.

Nota. Ampliùs. De piſcibus manifeſtum eſt, quia ſi de neceſſitate ſequerentur motum maris, quòd fixi eſſent unuſquiſque eorum in loco ſuo, alioquin unde eſſet iſta colligatio, & ſocietas motuum in piſcibus? ſi enim unicuique ſtellarum eſt proprium principium motus: unde erit iſta ſocietas, ſeu unitas motus, ut euſque ſequantur motum cœli ſui? neque enim in eis, quæ voluntariè moventur, hujuſmodi ſocietas invenitur, niſi in paucis, & ad modicum, neque in eis, quæ naturaliter moventur, hoc unquàm reperitur, niſi ad invicem alligata ſint, vel alterum in altero fixum, vel ambo in tertio, & propter hoc motum tertij ex neceſſitate ſequentur ſimul. Ampliùs. Aut communicant ſtellæ, & cœlum in principio motus, quod eſt dicere, aut una, & eadem virtus eſt, quæ movet cœlum, & ſtellas, aut non: quòd ſi communicant, hoc eſt, ſi una, & eadem virtus eſt movens illud, & illas: ſicut igitur non habent proprium motorem, ſic neque proprium motum; & quemadmodùm moventur à motore cœli, dum movet cœlum, ita & moventur motu ipſius cœli: non enim mo-

Nota.

E tor cœli motum influit in cœlum, & ſtellas æqualiter ordine influentiæ, licet ordine temporis hoc faciat. Quemadmodùm motor manus tuæ non influit ſimul ordine influentiæ motum ſuper manum tuam, & ſuper dolabram, dum aliquid dolas, ſimul inquam ordine influentiæ, licet ordine temporis hæc ſimul faciat; ſic motor cœli primum ſuper cœlum motum influit, & per hujuſmodi motum ſuper ſtellas. Si verò non communicant in principio motus: unde igitur tanta ſocietas, tantaque unitas in motu? Diverſitatem enim principiorum mediatorum diverſitas ſequi conſuevit effectuum. Ampliùs. Stellæ, aut partes aut membra, aut inſtrumenta, aut ornatus ſunt ipſius cœli. Quodcunque autem iſtorum ſit, neceſſe eſt, ut moveantur motu ipſius cœli: partes enim, & membra ex neceſſitate moventur motu totius, & à virtute movente totum, ſimiliter inſtrumenta, & ornatus motu utentis, ſive habentis illa. Ampliùs. Si ſtellæ fixæ eſſent in cœlo, & moverentur motu ipſius tantùm, moverentur indubitanter eodem ordine, & æqualibus per omnia velocitate, & tarditate. Quare nihil accreſcit eis quantùm ad motum, vel movendi motum, & ordinem, ex eo, quòd eis ponitur proprius motus. Inutiliter igitur, atque ſuperfluè eis ponitur. Quare ex neceſſitate motu corporis, in quo ſunt, moventur; eſt igitur cœlum, in quo ipſæ ſtellæ ſunt, & hoc eſt cœlum cujus ſtabilitionem intendebam. Scito autem, quia ſi dixerit quis ſtellas eſſe ſub cœlo ſtellarum, idem ſequi neceſſe eſt. Cùm enim ſit inter illas vacuum, nec ad invicem ipſæ ſint continuæ, vel contiguæ, erit neceſſariò corpus continens eas omnes, quare erit circundans omnes cœlos ſeptem planetarum. Ipſum igitur erit propria nominatione cœlum ſtellatum, ſive ſtellarum fixarum. Ampliùs. Si ſtellæ moverentur propriis motibus à diverſis motoribus, quæ eſſet cauſa, propter quam illæ, quæ propinquiores ſunt polis, moverentur tardiùs, quæ verò remotiores ab eis, velociùs? Ampliùs. Quomodò ſtarent imagines ſignorum, & aliæ imagines, ſeu choreæ earum? hæc igitur ſunt duo indicia certiſſima, quibus indicatur eas moveri ſolo motu corporis, quod cœlum ſtellarum fixarum dicitur, videlicet ſtabilitas imaginum in figuris ſuis perpetua, & indiſſipabilis deinde ordo ipſe, & æqualitas motuum earum, atque conformitas ad motum corporis ipſius cœli, quæ utique tanta eſt, ac ſi non alius eſſet ſtellis motus, quàm motus corporis cœli. In tantùm igitur ſtabilitum tibi ſit cœlum ſtellarum fixarum. Stabilitio verò cœlorum inferiorum, videlicet ſeptem planetarum, eſt per motum eorum, qui habet obliquationem, & declinationem ad auſtrum, & aquilonem, & hoc eſt acceptū à ſenſu, qui eſt per oculos. In primis igitur ſcito, quia impoſſibile eſt, ut uni corpori ſint duo motus contrarij ſimul. Declaratio autem hujuſmodi eſt duplex; prima, quia duorum motuum contrariorum ſimul exiſtentium non eſt unum principium immediatum, & per ſe; quare nec una virtus ſimul utrunque eorum efficiens. Corpus igitur quod talibus motibus movetur, movetur à duabus virtutibus ſimul, quæ vel ſunt æquales, vel inæquales. Quòd ſi fuerint æquales, ſtat igitur, & quieſcit ex neceſſitate corpus hujuſmodi; ſive enim trahatur, ſive impellatur in partes contrarias, poſtquàm attractiones, & impulſiones æquales ſunt, neceſſariò altera alteram non ſuperabit, aut vincet; & eodem modo ſe habet in motu alterationis, quoniàm ſi æqualiter agant, & æquales ſint caliditas, & frigiditas, in aliquid corpus, vel remanebit in ſtatu, in quo erat videlicet tepidum, vel calefiet in parte, & in parte frigefiet. Totū autem calefieri, vel totum frigefieri, in caſu, de quo agitur, impoſſibile

Vide.

F

G

Nota.

H

Declaratio ſupradictorum.

Corpus an duobus contrariis motibus moveri poſſit.

impoſſibile eſt, ſic duabus virtutibus ęquè fortibus in corpus aliquod ad contraria loca trahentibus, impoſſibile eſt totum alterutram earum ſequi; quare vel ſtabit in loco uno totaliter, vel ſcindetur, vel diſrumpetur in partes; manifeſtum igitur eſt, quòd impoſſibile eſt corpus aliquod totaliter duobus motibus contrariis moveri. Secunda verò declaratio eſt per hoc, quod eſt manifeſtum impoſſibile, videlicet corpus aliquod eſſe ſimul in duobus locis, ſi proxima ſint ad invicem illa loca hoc eſt contigua. Hoc enim impoſſibile manifeſtum evidenter ſequitur ex hac poſitione, qua ponitur corpus aliquod moveri ſimul duobus contrariis, vel oppoſitis motibus. Oppoſitos autem motus vocamus. qui ſunt, vel qui fiunt ad diverſa loca, quorum alter non eſt via ad alterum: hoc autem deſcriptione literarum facilè tibi patefiet. Eſto enim quòd corpus aliquod moveatur ad duo loca, quæ exempli gratiâ, nominantur D, & E, ſit B medium ad D, locum, C, verò ad E: manifeſtum eſt igitur quòd hujuſmodi corpus, motu quo movetur ad D, locum, priùs intrat B, locum medium, quàm perveniat ad E, quia igitur ſimul movetur ad D, & E, ſimul intrat B & C; quare ſimul erit ex neceſſitate in B, & C, eodem modô in D, & E. Quia igitur hoc eſt manifeſtum impoſſibile, neceſſe eſt impoſſibilem eſſe poſitionem, ex qua ſequitur. Et hæc eſt via, per quam deſtruitur opinio eorum qui poſuerunt planetas ſeptem moveri contra motum octavi cœli proprio motu, & hoc ad orientem: motu verò ipſius cœli rapi eos motu contrario, ſcilicet ad occidentem. Hoc enim impoſſibile eſt indubitanter, ſive virtutes ſic moventes eos ſint æquales, ſive inæquales: quoniàm, ſi æquales fuerint, neceſſe habent ſtare ipſi planetæ, & diſrumpi; ſi verò inæquales. ex neceſſitate ſequuntur fortiorem. Si autem diligenter intenderis viis iſtis, apparebit tibi via, per quam ex neceſſitate cogentur dicere, qui ſic poſuerunt: Solem quandóque eſſe ſimul in oriente, & occidente & de aliis planetis eadem inconvenientia eoſdem ſequentur.

Nota.

Motus planetarũ.

His autem ita declaratis revertar ad motus planetarum, & dicam, quia ſi præter motum obliquum, & declinationis, quam dixi tibi, eſſet unicuique eorum motus proprius alius circularis ad ſimilitudinem motuum ſtellarum fixarum: non eſſet eis motus obliquus qui in eis apparet, propter oppoſitionem, ſeu contrarietatem motuum iſtorum, propter rationes quas audiviſti. Virtus enim movens quamcunque ex ſtellis circa centrum circuli ſui non permittit eam egredi ab ordine ſuo, ut aliqua hora ſcilicet ſit propinquior alteri polorum, aliqua hora remotior. Et hic eſt ordo motuum, qui apparet omni videnti in ſtellis fixis. Quòd ſi aliqua earum egrederetur ab ordine ſuo, fierent ex neceſſitate in ea, quæ prædixi tibi de appropinquatione & elongatione ad alterutrum duorum polorum; manifeſtum igitur eſt, quia iſti duo motus non compatiuntur ſe corpore uno. Quare cùm motus iſte ſecundùm obliquum appareat in unoquoque ſeptem planetarum, neceſſe eſt nullum alium motum eis eſſe. Et quoniàm nullus eorum eſt, qui non ſit in aliquo corpore continente ipſum, cujus motu ex neceſſitate vel movetur unuſquiſque, vel proprio, dico, quòd non moventur omnes motu unius corporis, alioquin moverentur omnes uno motu æquali, & ſimilis ordinationis motui ſtellarum fixarum. Una enim revolutione unius corporis fieret revolutio omnium planetarum, & tempore uno, & æquali: apparet autem ex ſenſu, quia revolutiones iſtæ. quæ fiunt in planetis ſecundùm obliquum, non ſunt ſecundùm unum motum, ſed eſt in iſtis diverſitas, ſicut revolutio Lunæ pro-

Nota.

A priè unius menſis eſt, & revolutio Solis ſimiliter unius anni, & de aliis planetis nota eſt diverſitas, ſicut revolutio Saturni quadraginta annorum, vel circa, revolutio Jovis duodecim, & aliorum ſimiliter diverſitates in hoc notæ ſunt, & deſcriptæ in libris aſtronomorum, & declaratæ ibidem, & hic eſt motus, quem dicunt eſſe ad orientem, & quem dicunt planetis eſſe proprium. Quare manifeſtum eſt, quòd non motus unius corporis moventur motu hujuſmodi. Moventur igitur multorum corporum motibus motu hujuſmodi. Corpora verò continentia ipſos, cœli eorundem nominantur apud omnes: apparet etiam per aliam viam, quia hujuſmodi motus non eſt motus eorum, nec eis eſt poſſibilis, & hoc eſt, quia nullus eorum movetur circulariter circa centrum aliquod, motu dico diurno, &

Cœli.

B nocturno, cujus menſura eſt vigintiquatuor horæ æquales. Verbi gratiâ, ut exemplum habeas in Sole, dico, quia Sol motu hujuſmodi non revertitur ad locum, à quo incipit moveri illo motu. Non enim oritur in loco, ubi ortus fuerat die præcedenti, immò longè ab illo loco, quaſi per gradum unum, donec compleatur declinatio motus ipſius. A puncto quippe ſolſtitij hyemalis unoquoque die naturali, id eſt, ſpatio vigintiquatuor horarum æqualium incipiens declinare ad ſeptentrionem, non ceſſat declinare, donec veniat ad circulum ſeptentrionalem, qui eſt terminus, & completio declinationis ipſius, quaſi medium † cancri. Ex quo apparet manifeſtè, quia iſte motus non eſt ejus, immò nec eſt alicui corpori poſſibilis: non enim eſt circularis, quoniàm non eſt circa aliquod, id eſt non eſt ei centrum, vel circulus, quoniàm non eſt ab eodem

† Aliàs centri.

Nota.

C ad idem reverſio, ſed neque rectus eſt rectitudine oppoſita curvitati: quare indubitanter non eſt motus potiſſimùm cœleſtis, cùm figura ipſius ſit curvitas incompleta ad modum ſphæræ. Ampliùs. Gradus, quem dixi declinationis. aut tranſitur à Sole continuè per diem, & noctem, ita ſcilicet, ut qualibet hora diei, vel noctis aliquid de illo tranſeat, aut ſit ſaltu, & in hora aliqua. Quia igitur hoc eſt impoſſibile, ut fiat ſaltu, & in hora, & hoc per aſpectum evidenter deprehendi poteſt in aſtrolabio, & aliis inſtrumentis; quare continuè ex neceſſitate movetur motu declinationis ad ſeptentrionem in parte dicta circuli, & continuè movetur motu circulari ab oriente in occidentem, & econversò. Iſti autem motus evidenter contrarij ſunt; quare manifeſtum eſt non moveri Solem motu proprio,

D ſed potiùs motu corporis continentis ipſum: juxta modum, quem declaravit Alpetrangi in libro ſuo de hoc; & declarationes ejus non parùm adjuvabunt te ad id, in quo eſt, hoc eſt ad ſtabilitionem ſeptem cœlorum, ſeptem planetarum, quarum declarationum ſumma hæc eſt, quia motus, qui videntur in eis non eſt poſſibile, ut ſint eis proprij, nec ex motibus eorum eſt iſte, qui eis imponitur tranſitus circuli zodiaci, & partium ejus propriè propter duas cauſas. Primùm, quoniàm propriè in eo circulo non ſunt, immò ſub eo longè diſtantiâ incredibili. Secundùm, quia tranſitus iſte magis eſt ipſius circuli ſignorum, potiùs enim circulus hujuſmodi tranſit ſuis revolutionibus ipſos planetas, quàm tranſeatur ab eis, & hoc eſt, quoniàm moventur inæqualiter. Completa enim una revolutione cujuſcunque ex planetis diurna, completur una revolutio ejuſdem circuli, & aliquid ampliùs de ſecunda, & ideò planetarum unuſquiſque non invenitur, neque apparet eſſe in fine completionis revolutionis ſuæ diurnæ, ſub ea parte circuli ſignorum, in qua apparebat in principio ejuſdem revolutionis. Verbi gratiâ, ſi fuerit Sol ſub gradu aliquo circuli

Nota.

illius in principio alicujus diei in ortu ſuo, completa illa revolutione ſua diei, & noctis illius, non invenietur in ortu ſuo, hoc eſt in principio ſecundæ diei ſub eodem gradu, immò ſub alio anteriori: quemadmodùm ſi fuerit in ortu ſuo in principio hujuſmodi diei ſub primo gradu, ponatur arietis, non invenietur cras eadem hora ſub eodem gradu, immò ſub ſequenti, ſcilicet ſecundo. Cauſa autem in hoc eſt velocitas revolutionis cœli ſtellarum fixarum, quæ addit ſingulis diebus naturalibus ſuper velocitatem motus cœli deferentis, & revolventis ſolem ferè gradum unum, & hæ additiones, cùm collectæ fuerint, complebunt revolutionem circuli

Annus ſolaris. ſignorum ferè, aut propriè. Tempus autem revolutionis iſtius annus ſolaris propriè dicendus eſt, cùm fuerit examinatiſſima calculatione collectum, & hoc eſt intentio philoſophi prænominati Alpetrangi. Apparet etiam tibi ex his cauſa erroris eorum, qui putaverunt Solem, & alios planetas moveri contra motum cœli ſtellarum fixarum ad orientem: non enim adverterunt additionem, quam dixi tibi, quæ eſt velocitatis motus cœli ſtellarum fixarum, ſuper velocitatem motus cœlorum ſeptem

Nota. planetarum, & ideò attribuerunt tranſitum circuli ſignorum planetis, quaſi tranſiretur ab eis verè, ac propriè motu ipſorum, cùm potiùs ipſe motu ſuo eos tranſeat, & ſuper velocitatem eorum velocitas ejus addat, ut dixi tibi. Et quia Saturnus propinquior eſt cœlo ſtellarum, ſive circulo ſignorum, conformior eſt in velocitate motus eidem cœlo, quàm omnes alij, & hic eſt ordo naturæ. Quare minùs diſcrepat in hoc ab ipſo, & propter hoc minùs addit velocitas motus ipſius cœli ſuper veloci-

Saturnus. tatem motus Saturni, ſive cœli ipſius. Quantò autem minores ſunt additiones ſingulorum dierum, tantò neceſſe eſt plures eorum colligi ad completionem annuæ, vel annualis revolutionis. quare neceſſe fuit annum Saturni longè majorem eſſe anno ſolari, permutata proportione additionis ad additionem. Verbi gratiâ: ſicut apparet manifeſtè de Sole, quòd addit velocitas motus cœli ſuper velocitatem motus illius ſingulis diebus gradum unum; ſic & in Saturno manifeſtum eſt, quòd velocitas cœli addit ſuper velocitatem motus Saturni, vel cœli ipſius triceſimam tantùm unius gradus. Quæ omnes additiones cùm collectæ fuerint, donec impleant integram revolutionem cœli, non complebunt niſi in ſpatio quadraginta annorum, quod eſt annus Saturni. Similis eſt cauſa de anno Jovis, qui eſt duodecim annorum ſolarium: luna verò, quia longiſſimè à cœlo, ſeu circulo ſignorum remota eſt, maximè diſcrepat in motu, & velocitate illius à motu circuli ſignorum; quare ex neceſſitate majores ſunt additiones motus circuli ſignorum ſuper motum illius, & propter hoc meritò paucioribus hujuſmodi additionibus completur integritas circuli. Inventus eſt enim addere circulus ſignorum ſuper motum Lunæ ſingulis diebus tredecim gradus, & duas ter-

Nota. tias unius gradus, quæ cùm aggregatæ ſimul fuerint, complebunt circulum integrum, & tempus earum erit menſis, qui propriè annus eſt Lunæ. Et juxta hanc viam ſe habet de cæteris planetis ſecundùm intentionem dicti philoſophi, cujus ingenio-

Ratiocinatio ſupradictorum. ſitatem, vide, ne ſpreveris. Aggregabo igitur ratiocinationem ex omnibus antedictis, & dicam, quia motus alterius modi, qui ponitur in planetis, impoſſibilis eſt, primùm propter ſciſſuras antedictas, deinde quia nec polos habet, nec centrum, cùm figura ejus nec circularis ſit, nec circularis ſimilis, immò irregularis, & inaudita uſque ad tempora hæc. Tertiò propter contrarietates, quas audiviſti de virtutibus moventibus. quartò propter

E ſuperfluitatem motus hujus, quia neque addit iſta poſitio aliquid motui vel in velocitate, aut tarditate, *Nota.* aut ordine. Eadem enim omnia accidunt planetis de tarditate, & velocitate, de occultatione, & apparitione, de conjunctionibus, & oppoſitionibus, & aliis omnibus, quæ aſtronomi requirunt à ponentibus eos moveri motibus cœlorum ſuorum, quæ accidunt, poſitis iſtis, quæ tantas habent difficultates, & contradictiones: quare non ſolùm ſupervacuè ponitur eis hujuſmodi motus, ſed etiam *Vacuum non eſt in regione planetarum.* noxiè, & perincioſè. Ampliùs. In regione ſeptem planetarum certum eſt non eſſe vacuum: neque igitur eſt, vel eſſe poteſt ibi corpus unum, vel multa, in quo, vel in quibus, & per quod, vel quæ moveantur hujuſmodi planetæ, & penè eadem in hoc dices, quæ dixiſti in motu cœli ſtellati: aut enim corpus illud habet motum, & illo motu revolvit planetas, aut non: ſi ſic, non erit igitur diverſitas in

F motibus eorum, niſi qualis eſt in motibus ſtellarum fixarum; quare non habebunt declinationes ad auſtrum, vel aquilonem, ſicut ſtellæ fixæ, ſed movebuntur uno ordine in circulis æquè diſtantibus. Contrarium autem apparet evidenter à ſenſu; quare vel non eſt unum corpus ibi continuum, vel non eſt illud revolvens corpora ſeptem planetarum. Quòd ſi dixerit, *Nota.* quòd reverà eſt ibi unum corpus continuum, ſed non revolvit corpora ſeptem planetarum, tunc neceſſe eſt corpora ſeptem planetarum in illo, & per illud moveri, & tunc occurrit inconveniens de ſciſſuris, & diviſionibus corporis illius, quemadmodùm de ſciſſuris, & diviſionibus cœli ſtellati. Quòd ſi dixerit, quia corpus illud revolvit corpora ſeptem planetarum: manifeſtum eſt hoc eſſe impoſſibile, cùm corpus illud non poſſit habere niſi

G motum unum, quare non poſſunt movere motu illo aliqua, quæ in eo ſunt, niſi motu uno. Apparet autem multa diverſitas in motibus planetarum. Neceſſe igitur eſt, in regione illa eſſe corpora multa, & ab illis moveri corpora ſeptem planetarum. Non dico in illis, & per illa, propter ſciſſuras, & diviſiones, quas prædixi tibi, quæ corpora, niſi eſſent ambientia, & continentia totum, quod eſt poſteà, ſed eſſent ſicut globi prægrandes, majores longè, quàm ſint corpora planetarum, tunc eadem eſſet quæſtio de motibus illorum, & quiete, quæ eſt de motibus ipſorum planetarum. Quare relinquitur, ut corpora illa ſint corpora grandia, & ſphærica, ambientia ea, quæ ſub ipſis ſunt, totaliter, & hujuſmodi corpora vocamus cœlos, cùm ſint mobilia, & moventia motu ſuo corpora ſeptem planetarum. Quia igitur numerus motuum eſt juxta numerum mobilium, ſive moventium: numerus autem mo-

H tuum ſeptenarius eſt, ſicut evidenter apparet per diverſitates additionum prænominatarum; numerus igitur cœlorum, qui ſunt inter cœlum ſtellatum, & quatuor elementa, ſeptenarius eſt, cùm manifeſtè appareat ſeptem eſſe motus. Jam enim claruit tibi ex his, quæ præceſſerunt, quia motus ſeptem, qui apparent in planetis, non ſunt eorum propriè, ſed ſunt ſicut partium in totis ſuis, quia ipſa tota moventur; propriè igitur ſeptem cœlorum illorum ſunt hujuſmodi motus. Indicat etiam iſta diverſitas, quòd motus iſtorum cœlorum ſeptem, non ſunt circa populos circuli equinoctialis, ſeu circa populos mundi, neque ſuper axes eorum, immò circa populos circuli ſignorum & ſuper axem *Nota.* ejuſdem. Si enim circa polos mundi eſſent, vel ſuper axem mundi, ſequeretur id, quod apparet de motibus planetarum, etiam de neceſſitate motuum ſtellarum fixarum, & propter hoc non appareret declinatio, in planetis ad auſtrum, vel ad aquilonem, & hoc eſt, quoniàm ſi imaginatus fueris duos

Digitized by Google

circulos habentes idem centrum, & duas ſtellas moveri in eiſdem circulis circa commune centrum earum, & ſuper polos eorundem circulorum, ſi ſtella quæ deſcribit majorem illorum circulorum, non habet declinationem, vel exit à circumferentia ejuſdem circuli, neque illa, quæ deſcribit minorem circulum, habebit declinationem, vel exibit à circumferentia circuli ſui. Hujuſmodi autem declaratio erit hęc; Manifeſtum quippe eſt, quòd unuſquiſque planetarum habet locum in cœlo ſuo ſub

Nota.

aliqua ſtella quæ eſt in circulo ſignorum. Quare ſi cœli ſeptem planetarum ſequuntur in motibus ſuis, & ordine motuum ipſorum, ſequuntur, & planetæ omnes motus ſtellarum in ordinibus ſuis, & in æqualitate temporum revolutionum ipſorum; quare non habebunt declinationes, ſicut neque ſtellæ fixæ. Sequitur ergo ex his, quia motus planetarum ſunt, ſicut dixi, hoc eſt, circa polos zodiaci, ſive circuli ſignorum, & inde ſunt eis declinationes iſtæ ſequentes declinationes circuli ſignorum, quibus declinat à circulo æquinoctiali, ſive æquatore diei, & ego non induxi tibi iſta de motibus planetarum propter ipſos motus eorum, ſed propter ſtabiliendum eſſe ipſorum cœlorum, & numerum eorundem; facilis autem eſt tibi declaratio declinationum iſtarum, ſi clarè imaginare potueris motus iſtos obliquos ſeptem cœlorum, & additiones, quæ fiunt à motu octavæ ſphæræ ex revolutionibus ejus quotidianis ſuper revolutiones ipſorum. Quem-

Vide.

admodùm enim rectitudo motus uniuſcujuſque iſtorum ſeptem cœlorum prohiberet declinationes planetarum, & apparitiones eorum ad auſtrum, & aquilonem; ſic & declinatio, & obliquatio motuum eorum facit diverſitates apparitionum, & obliquationum planetarum ad auſtrum, & aquilonem, nec te conturbet, quod à quibuſdam minus intelligentibus dici ſolet, quòd ſi moveatur navis aliqua motu aquæ deferentis eam, hoc eſt, ea velocitate, qua ipſa aqua; & aliquis moveatur à puppi ejuſdem navis ad proram, vel econversò, & hoc motu contrario ipſius navis, quòd movebitur homo ille duobus motibus contrariis, videlicet motu navis, & hic quidem eſt motus aquæ navem deferentis, & inſuper motu proprio, quo pertranſit longitudinem navis. Iſte enim ſermo hominum eſt paucæ conſiderationis, & hoc eſt, quoniàm ſi pari velocitate nititur contra motum navis, quo movetur & navis, dico, quoniàm hujuſmodi homo non movetur à loco ſuo, ſed in loco, & motu iſto retinet locum, in quo eſt, ne transferat eum navis ad alium; & hoc manifeſtum eſt à ſenſu, quia ſi notaverit ſignum aliquod extra aquam, vel etiam in aqua à dextris ejus, vel à ſiniſtris, directè videbit ſe, & quicunque eum intuebitur in directo ejuſdem ſigni toto tempore motus illius, & ſi notaverit duo ſigna prædicto modo, erit hoc manifeſtius. Quòd ſi majori velocitate, quàm navis moveatur, nititur contra motum illius, tunc manifeſtum erit à ſenſu per dictos modos id eſt, per ſigna notata, vel fixa, quia movebitur à loco per ſpatium aliquod. Si verò minori velocitate nitatur contra motum navis, quàm navis ipſa moveatur, tunc neceſſariò ſequatur motum navis, ſed non tanta velocitate, quanta navis; & hoc eiſdem modis

Nota.

ſimiliter manifeſtum fiet à ſenſu. Quare manifeſtum eſt hujuſmodi homines erraſſe, qui in prædictis exemplis opinati ſunt moveri hominem ſic motum contrariis motibus. Si quis verò dicat motum rectum operari motum circularem, & iterùm motum circularem operari motum alium circularem illi cõtrarium, dico quia verum eſt hoc, & apparet à ſenſu. Aqua quippe movens rotam ligneam primam molendinariam, movetur motu recto, & movet

A rotam illam circulariter, & iterùm rota illa movet circulariter rotam aliam, vel columnam, cui affixa eſt rota molæ, & ipſam etiam molam per illam motu alio circulari contrario; ſed manifeſtum eſt quòd illa omnia per accidens fiunt, & non per ſe. Nundùm autem ſcitum eſt à me, nec adhuc pervenit ad me, quòd ab aliquo ſcitum ſit, quòd hujuſmodi machinæ, vel machina inventa in cœlis ſit, quamquàm Ptolemeus dicat, quia multa corpora ſphærica ſunt ibi quæ, vel quorum motus nondùm ſciũtur. Eodem modo reſpondeo tibi in motu bigæ, ſive quadrigæ, qui compoſitus eſt indubitanter ex multis motibus: motus enim axis rectus tantùm eſt; motus verò rotarum eſt motus multiangularis, & hoc eſt, quoniàm ſingula puncta ſingulorum radiorum deſcribunt figuras multiangulas, & videntur eſſe hujuſmodi figuræ difficilè imaginabiles, & reverà hominibus, qui in hujuſmodi paucæ exercitationis ſunt, difficilis eſt imaginatio earum. Quòd ſi

Motus bigæ.

B eas imaginari tibi placuerit, imaginare primùm in uno puncto ex aliquo radiorum ejuſdem bigæ, vel quadrigæ aſcenſus, quos facit, & deſcenſus, revolutione rotæ ſuæ, & erit tibi facile de omnibus aliis ſimiliter imaginari. Ordo verò cœlorum declarari poſſe videtur duabus viis. Et primùm per viam Alpetrangi, de quo tibi feci mentionem in præcedentibus. Quorum enim motus conformiores ſunt motui cœli octavi, propinquiores eidem cœlo videntur. Quorum verò motus magis à motu illius diſcrepant, remotiores ſicut evidenter oſtendi tibi in motu cœli lunaris, & hæc fuit ſententia prænominati philoſophi. Habet autem cauſam ſuæ probabilitatis hanc; quia videlicet conformitas, & ſimilitudo in motu comitatur, aut forſitan effectivè ſequitur, conformitatem, & ſimilitudinem in natura. Conformitas verò in natura propinquitatem, & vicinitatem, & interdùm unitatem in loco, & ſitu, ſive poſitione. Econtrariò autem difformitas, & diſſimilitudo: quare idem erit

Alpetrangus philoſophus.

C ordo ſituum, ſive poſitionum, atque locorum ipſis cœlis, qui eſt conformitatis, & difformitatis in naturis, & motibus eorum. Secunda via evidens eſt in parte à ſenſu. Eclipſis enim Solis, quæ per interpoſitionem Lunæ eſt, indicat Solem, & cœlum ejus, ſuperiores eſſe Luna & cœlo ipſius, & Lunam ipſam citeriorem, & inferiorem eſſe, alioquin nec prohiberet radios Solis à mundo inferiori, nec Solem ipſum videri ab hominibus ſua interpoſitione. Eadem via apparet, quia Mercurius eſt Marte citerior, & terræ vicinior, cùm Martem manifeſtè inventum ſit eclipſaſſe, quod & in aliis planetis poſſibile eſt inveniſſe. Per inſtrumenta verò aſtronomica & etiam quædam geometrica, idem ordo certiſſimè deprehenſus eſt, & deprehendi poteſt. Cùm enim inventa ſit diſtantia centri terræ ad unamquamque quindecim ſtellarum fixarum, ſimiliter & diſtantia, quæ eſt ab eodem centro ad ſtellam Saturni, inventum eſt ſtellam Saturni inferiorem eſſe, & etiam exceſſus diſtantiæ ad diſtantiam; & per eandem viam inventæ ſunt diſtantiæ ad diſtantiam: & per eandẽ viam inventæ

Eclipſis ſolis.

D ſunt diſtantiæ omnium planetarũ ab eodem centro terræ, quare differentiæ, & proportiones eorum ad invicem, & propter hoc ex neceſſitate ordo ipſorum planetarum in prioritate, & poſterioritate, in ſuperioritate, & inferioritate, & hoc debes alibi didiciſſe.

Nota.

Digitized by Google

CAPUT XLV.

De profunditatibus ipſorum cœlorum, ſive de ſpiſſitudinibus eorum.

Profunditates cœlorum.

VT autem erigam te ad pleniorem conſiderationem ipſorum cœlorum, qui ſunt magna mirabilia Dei altiſſimi, & ut dem tibi occaſionem exercitationis amplioris, dicam tibi aliqua de profunditatibus ipſorum cœlorum, hoc eſt de ſpiſſitudinibus eorum. In primis igitur illud dico, quia proportionales magnitudinibus ipſorum debent eſſe profunditates eorum, & hoc idem manifeſtum eſt in animalibus ejuſdem ſpeciei; corporibus enim eorum partes corporum proportionales ſunt, niſi error, ſive peccatum naturæ, aut alia occaſio hoc impediverit. Verbi gratiâ: tibiæ tibiis, & digiti digitis, & oſſa ſimilium membrorum proportionalia ſunt totis ſuis. Verbi gratiâ, ſi totum corpus unius duplum eſt in magnitudine ad totum corpus alterius, erit tunc tibia dupla ad tibiam, & oſſa in eadem proportione ſe habebunt. Quia igitur, nec error naturæ nec alia hujuſmodi occaſio locum habet apud cœlos neceſſe eſt ita ſe habere, ut dixi. F Errorem autem naturæ ſanè intelligo. Non enim errat natura, quantum in ea eſt in operibus ſuis, aut operationibus, ſed per aliquod ex accidentibus impeditur; quemadmodùm quòd ſtrumoſi, vel gibboſi naſcuntur aliqui homines, fieri dicuntur per errorem naturæ, cùm fiant ex alia intentione, quàm ex intentione naturæ. Manifeſtum igitur eam eſſe proportionem ſpiſſitudinis, ſeu profunditatis uniuſcujuſque cœlorum ad profunditatem ſeu ſpiſſitudinem cujuſcunque alterius,, quæ eſt magnitudinis, totius ad magnitudinem totam. Quare quantò minus eſt cœlum totum Lunæ toto cœlo Solis, tantò minus profundũ, ſive minus ſpiſſum eſt alterũ altero, & ad hunc modum de aliis. Ampliùs. Si aliter ſe haberet, eſſet in ipſis cœlis multa indecentia multaque deformitas, & non eſſet ordinatio naturæ, aut rectitudinis inter eos, nec etiam inveniretur tanta hujuſmodi diſcrepantia. *Nota.* Qualiter enim, vel natura, vel Deus altiſſimus providiſſet cœlis amplitudines ordinatas, & non ſpiſſitudines, ſive profunditates juxta eundem ordinem? Quòd ſi volueris æſtimare de quantitate profunditatum, ponam tibi exemplum de Sole. Dico igitur quòd Sol totaliter eſt inter duas ſuperficies cœli ſui, hoc eſt, inter intimam, quæ circumvolvit, atque circundat cœlum lunæ, & eſt terminus ſpiſſitudinis, ſive profunditatis ipſius, & extimam ejuſdem ſuperficiem. Si enim exiret vel in parte, vel in toto ab extima ſuperficie convexitatis cœli ſui, tunc vel ipſe totus, vel pars illa eſſet in cœlo alio, videlicet cœlo, quod eſt proximum cœlo Solis. quare ſua revolutione faceret ſciſſuram in eodem. Utrunque autem iſtorum eſt inconveniens videlicet & quòd ipſe non ſit in cœlo ſuo totaliter, vel quòd ſua revolutione ſcindat cœlum proximum cœlo ſuo, & hoc ſciſſura tam grandi, hoc eſt, ad magnitudinem ipſius Solis. Eadem inconvenientia ſequuntur, ſi exiverit ab infima ſuperficie cœli ſui: ex neceſſitate enim tunc erit in cœlo Lunæ, vel totus, vel in parte ex quo ſequuntur eadem inconvenientia. Quare relinquitur ex neceſſitate, ipſum eſſe totaliter locatum intra ſpiſſitudinem cœli ſui. Ex neceſſitate igitur profunditas, ſeu ſpiſſitudo cœli ſolaris aut major eſt, aut ad minus æqualis diametro ipſius corporis ſolaris. Jam autem declaravit Ptolemeus, quia diameter Solis † quintò plus ſeſquialter eſt ad diametrum terræ: hoc autem eſt proportio vigintiduorum ad E quatuor. Cùm igitur poſueris juxta poſitiones philoſophorũ, geometrarũ ſcilicet & aſtronomorũ, & probationes eorum, pones ex neceſſitate quinquies tantùm, quod eſt decem millia leucas cum ipſa medietate diametri terræ, quæ eſt mille leucas totum diametrum ſolis undecim millia leucarum. Quia igitur jam declaratum eſt tibi, quòd profunditas cœli ſolaris, ſive ſpiſſitudo ad minus æqualis eſt longitudine diametri ſolis, patefactum eſt tibi conſequenter per hoc, profunditatem illã non minorẽ eſſe undecim millibus leucarum; veriſimile autem eſt & longè majorem eſſe. Per eandem viam erit declarare de aliorum cœlorum, in quibus planetæ alii moventur profunditatibus, videlicet, quòd ad minus profunditates eorum erunt longitudines diametrorum ipſorum planetarum. Quia verò declaravit Ptolemæus, & alii, longitudines diametrorum ipſorum planetarum, conſequenter declaravit profunditates ipſorum cœlorum, ad minus tantas eſſe, quantæ ſunt logitudines diametrorum ipſorum planetarum. Verbi gratiâ, quia declaravit lunam eſſe octavam partem totius terræ, declaravit diametrum Lunæ e c mille leucarum, & hoc eſt, quoniàm proportio ſphæræ ad ſphæram eſt diametri proportio ad diametrum triplicata, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Proportio enim duorum millium ad mille triplicata eſt proportio octo millium ad mille, & hæc eſt octupla: hæc autem dupla triplicata. Juxta hanc viam negociaberis in aliis, & invenies, ita eſſe, ſi libros eorum conſulere volueris.

† Alias. quintuplum ſexqualiter.

Nota.

CAPUT XLVI.

Contra illos, qui dicunt planetas eſſe malos.

Error quorundam de planetis

QUoniàm autem circa virtutes tam planetarum, quàm ſtellarum fixarum, erraverunt erroribus in impietatem vergentibus, & blaſphemaverunt etiam loquentes contra bonitatem Dei altiſſimi, dicentes quoſdam eorum eſſe malos, & expreſſè vocantes eos infortunia, & attribuentes eis magnam partem malorum, id eſt vitiorum, & peccatorum, quæ G fiunt in iſto mundo inferiori, videlicet homicidia, furta, rixas, cædes, vulnera hominum, & prælia, lites, & jurgia, fraudes, & quæcunque ſunt hujuſmodi, perſcrutandum eſt de hoc. Hæc quippe infamatio planetarum duorum, videlicet Saturni, & Martis, in blaſphemiam directè infunditur creatoris. *Bonum verbum.* Si enim per ſe, hoc eſt, ex naturali intentione virtutum ſuarum, cauſæ ſunt malorum hujuſmodi, neceſſe eſt & ipſos naturaliter eſſe malos, & virtutes eorum. Cùm igitur, & eſſe ſuum & virtutes omnes quas habent naturaliter, à creatore receperint, ſequitur ex neceſſitate creatorem malum eſſe, qui & H malos ſcienter, & voluntariè creaverit, & malas virtutes, & ad malum eis contulerit, cùm nulli dubium eſſe poſſit, ipſum nihil creaſſe, niſi ſcienter, & voluntariè, & virtutes omnes dediſſe creaturis ad id, ad quod per ſe ſunt, non ad intentionem abuſionis. *Nota.* Qui igitur ita ponunt, ut dixi, manifeſtum eſt iſta infamatione duorum planetarum eos blaſphemare contra bonitatem creatoris. Omnis autem blaſphemia contra creatorem, non ſolùm impietas eſt, ferro, & igne exterminanda, ſed etiam error impoſſibilis. Bonitati enim creatoris nihil mutabiliter, aut poſſibiliter accidit. *Blaſphemia contra creatorem.* Quòd ſi dixerint, quia mala hujuſmodi non proveniunt à Saturno, & Marte, per ſe, nec intentione naturali, nec intentione voluntaria tunc manifeſtum eſt ridiculosè hujuſmodi homines, & magis iniquè, & magis erroneè planetas iſtos nominaſſe infortunios, vel infortunia, atque

A

Nota.

que malos. Primùm, quia quæ ex accidenti per hunc modum fiunt, non nominant, neque denominant res, neque auferunt naturales nominationes à rebus per ſe debitas. Quare Saturnus, & Mars nominandi ſunt boni & fortunati, & fauſti, cùm iſtę nominationes eiſdem debeantur naturali bonitate, quam nec caſus, nec accidentia hujuſmodi eis auferre unquàm potuerunt. Neque enim lux ſolaris mala dicenda eſt, quia ex ea vel contingit interdùm, vel contingere poteſt excæcatio alicujus ſtultè ipſum Solem, & diutiùs intuentis; neque ignis propter hoc malus nominandus eſt: quia ex ipſo

Nota.

interdùm contingit exuſtio alicujus ex bonis, & ſacris domibus, quales ſunt templa, aut etiam alicujus viri ſancti, & optimi. Similiter, ſi lapis cadens obviaverit alicui bono viro, & læſerit ipſum, vel etiam occiderit, non propter hoc vel malus dicendus eſt, vel culpandus; lapis enim intendebat ſolummodò quærere, & acquirere ſibi locum congruũ & naturaliter debitum; quare præter intentionem ejus, immò contra, & ut ita dicatur, eo invito, &

B

non ſine impedimento itineris ſui obviavit ei vir ille bonus. Ampliùs. Secundùm hoc nihil eſſet nominandum bonum, nihil etiam dicendum bonitas neque juſtitia, aut alia virtus bona, cùm ex unoquoque bono, mala aliis proveniant. Ex ipſa enim juſtitia, cujus bonitas tantis laudibus ab omnibus extollitur, & prædicatur, proveniunt carceres, & vincula, mutilationes, ſuſpendia, & alia multa martyriorum genera, atque tormenta innumera latronibus, & aliis maleficis: ipſa etiam Dei bonitas, ex qua tot mala malis hominibus, atque dæmonibus proveniunt, ſecundùm hoc non eſſet bonitas. Ampliùs ex vino ebrietas, ex auro, & aliis divitiis cupiditas, ex aquis ſubmerſiones, & ruinæ molendinorum, domorum, & aliorum bonorum utilium: nemo tamen aliquid horum malum dicit, aut

C

nominat. Præterea, alia deliramenta ſunt hujuſmódi hominum, quoniàm & horam Solis infauſtiſſimam dicunt: Mercurium verò ponunt quaſi fallacem, & quaſi aſſentatorem, & promiſcuum ipſum dicunt, videlicet cum bonis bonum, & cum malis malum, cum maſculis maſculum, cum fœminis fœmininum: & quia ſuper his aliàs per me multa tibi dicta ſunt, abbreviabo ſermonem, & ſubſcindam narrationem compendio, ut ſcias in paucis, qualiter, & quæ ponenda ſunt de his ſecundùm opiniones hujuſmodi hominum. Dico igitur, quia nullo modo infamandi ſunt de malitia, vel infortunio planetæ, vel aliæ ſtellæ: ſed qui ponunt Saturno vel vim, vel potentiam adjuvandi, & dirigendi vim intellectivam humanam, nullo modo debent ei attribuere corruptiones, aut perverſitates ipſius, neque inclinationem, ſive extorſionem ejuſdem ad fraudes dolos, aſtutias, ſimulationes, atque mendacia, ſed hæc omnia fieri in vi intellectiva per ineptitudi-

Deliramenta quorundã aſtrologorum.

Vide.

D

nem, ſive inhabilitatem ſuſceptibilis, & hæc ineptitudo eſt ei à parte materiæ, hoc eſt corporis, cujus exemplũ eſt in vitio claudicationis. Cùm enim natura intendit virtutem greſſibilem debitæ bonitas præſtare animali, vel adjuvare eam in animali per inſtrumenta gradiendi; inhabilitas, ſeu ineptitudo materię, quę fecit, ut alterũ crus altero ſit brevius in hujuſmodi animali, cogit greſſum non eſſe rectum & eſſe claudicationẽ Sic eſt videre & in operatione ignis, quia quod eſt calefactio in uno, eſt aduſtio in altero, & vides difficultatem, & tarditatem calefactionis in ferro: facilitatem autem, & celeritatem combuſtionis in paleis, & ſtuppa: & quia longè citiùs, quàm calefieret modicum ferrum, magna quãtitas ſtuppæ combureretur. Sic eſt tibi manifeſtum in comparatione lucis, quæ quidem viſum in qui-

A

buſdam adjuvat, in quibuſdam autem impedit, maximè ſi vehemens fuit: in quibuſdam etiam penitùs tollit, quemadmodùm in veſpertilionibus, & noctuis, & aliis hujuſmodi animalibus, quorum viſus viget in tenebris, & confortatur etiam ex denſitate tenebrarum. Juxta has vias, & iſta exempla ponendum eſſet aſtronomis, ſi veritas ſubeſſet opinioni eorum. Verbi gratiâ; cùm Saturnus ſecundùm eos aſpiciat in virtutem intellectivam animæ humanæ à parte corporis, quod multùm, & longè plus, quàm adhuc, innotuit, poteſt in animam humanam, impeditur tamen operatio hujuſmodi Saturni in virtutem intellectivam, & impeditur jam, vel invertitur, ſeu torquetur in aliud, vel etiam in contrarium ejus, in quod cadit de virtute Saturni ſuper virtutem intellectivam, & hoc eſt, quia cùm ſecundùm eos Saturnus intendat dirigere, & illuminare virtutem intellectivam humanam ad ea cognoſcenda, quæ recta, & utilia, & interdùm uſque ad ſplendorem prophetiæ, impeditur hæc intentio ejus, & operatio à parte corporis, quod

Saturnus.

B

animæ illi conjunctum eſt; & cùm ex hujuſmodi illuminatione debet eſſe ſtudioſus circa ſcientias ſacras, & divinales, efficitur curioſus circa alias. Similiter cùm deberet per hoc eſſe ſolicitus rerum bonarum, & utilium, & ad ſanctificationem animarum pertinentium, providendarum, & agendarum, efficitur melancholicus, & cogitator vanarum, & interdùm impoſſibilium rerum, vel excogitator rerum noxiarum, quales ſunt fraudes, & doli, circumventiones aliorum, & ſimulationes, deceptiones, & hujuſmodi, exemplum ſimiliter eſt videre in viſu corporali exteriori, in quo accidit, quòd cùm intorquetur, vel premitur aliquo modo pupilla oculi, unum videtur duo, & interdùm unum videtur multa ſicut in his, qui eva-

Nota.

C

cuati ſunt per vigilias, & jejunia, una feneſtra vitrea videtur eis multa, & una lucerna multæ. Similiter & quibuſdam, quoties literas aſpiciunt, videtur ſibi videre tria puncta, vel quatuor lucidiſſima, vel etiam plura. De aliis deliramentis melancholicorum, videlicet, quæ tam multa, & tam ſtupenda ſunt, ut vix credibilia videantur, innumera ſuppetunt exempla, quæ ſcribi non oportet, ſed ad hæc iſta tibi aggregavi, & poſui, ut ex eis intelligas quòd ea, quæ ſunt de erroribus, & perverſitatibus, atque fallaciis viſus, non ſunt ex ipſa virtute viſibili per ſe, neque à virtute altiori impediente rectitudinem, & bonitatem ipſius, ſed à parte inſtrumenti, ſive materiæ. Sicut vides in obliquatione viſus, quam habent homines, qui vulgò ſtrabones vocantur: non enim hujuſmodi obliquatio eſt ex virtute viſibili directè, & per ſe, nec à virtute ſublimiori, multò minus, cùm virtutes quantò ſublimiores ſunt, tantò purioris bonitatis, & majoris rectitudinis eas eſſe neceſſe ſit; & hoc eſt propter ap-

Deliramenta melancholicorum.

D

propinquationem earum majorem ad potiſſimum, atque rectiſſimum, quod eſt creator benedictus. Juxta hunc modum eſſet eis dicendum ſecundùm opinionem ſuam de erroribus, & perverſitatibus virtutis intellectivæ humanæ, atque de alienationibus, & deliramentis ejuſdem, & ut curram per ſingula, juxta hunc modum eſſet eis dicendum & de Jove, quia cùm ipſe intendat ſuper animas humanas, ut ipſi ponunt, fidem, ſive fidelitatem, clementiam, juſtitiam, benignitatem modeſtiam, & manſuetudinem, à parte materiæ, id eſt, corporum, impeditur hæc ejus operatio, quemadmodùm, cùm quis intendit calefactionem ceræ, & remollitionem ejus, atque aptationem ad ſcripturas, & ſigillationes debilitas materiæ ipſius ceræ diſſolvit eam per calorem in liquefactionem; ſicque fit, ut cùm debeat

Digitized by Google

dictam re mollitionem, atque aptationem recipere,
recipiat diſſolutionem, & liquefactionem. Sic ſecundùm eos dici oportet, ut cùm anima humana debeat recipere à Jove ſecundùm intentionem virtutis illius clementiam, & benignitatem, quæ ſunt ſicut animi apta mollities, & applicabilitas ad omne bonum, & juſtum, recipit ex eadem virtute per occaſionem diſſolutam remiſſionem, & flexibilitatem debiliſſimam. Sic poteſt fieri ſecundùm eandem intentionem per contrariam materiæ diſpoſitionem, ut recipiat anima humana pro juſtitia, & æquitate rigorem, duritiam, & inclementiam, inexecrabili tatem, ſeveritatem pertinaciſſimam, immò ſævitiam, quæ omnia, cùm vitia ſint peſtilentiſſima, juſtitiam reputari ſe faciunt ab imperitis, & parùm videntibus. Sic & de Marte ponere coguntur expoſitionibus ſuis quod intendit virtutem magnificentiæ præſtare animabus humanis, iramque, & indignationem juſtiſſimas, & hoc eſt dicere, in res viles, & ignominioſas, atque in res odibiles, quales ſunt vitia, & peccata; per diſpoſitionem autem materiæ, quam prędixi tibi, contraria recipiant animæ humanæ ex virtute Martis tanquàm exceſſus, aut diminutiones, quemadmodùm cùm debeat aliquod ex corporibus

F recipere calorem ab igne. ſive calefactionem, recipit ex debilitate materiæ arſionem: ſimiliter & cùm debeat recipere coctionem, recipit uſtionem; cujus exemplùm evidens eſt in carnibus macilentis, hoc eſt, pinguedine carentibus, quæ ſe aſſari non patiuntur, quin etiam aduruntur. Sic de Venere eos ponere oportuit juxta opinionem ſuam. quia cùm ipſa intendat vim generativam vel præſtare vel adjuvare, atque dirigere, materiæ corporalis diſpoſitio eam vim extendit in plus, & in exceſſum intolerabilem, extendit quippe eandem in luxuriam interdùm inſatiabilem, & publicè proſtituram. Sic & de Mercurio, cùm ipſe ſecundùm eos intendat adjuvare

G atque dirigere virtutem interpretativam in anima humana, & præſtare eloquentiã, contraria diſpoſitio materiæ corporalis facit, ut non eloquentia, ſed loquacitas, hiſtrionica garrulitas, ſatyrica mordacitas & alia hujuſmodi, quæ humanam loquelam vitiant & maculant, recipiantur. Sic de Sole eis exiſtimandum fuit, ut cùm ipſe intendat præſtare præcellentiam, & virtutem regiam, id eſt, aliorum regitivam quã maximè decorat, & exornat humilitas, recipiatur per ineptitudinem materiæ corporalis ſuperbia & dominandi libido, arrogantia, elatio, & violenta oppreſſio aliorum. Eodem modo & de luna ſentiendum eſſet eis juxta opinionem ſuam, quia bona tantùm, & benè intendit animabus humanis, & per hanc viam: ſicut in evidenti eſt, ſtat bonitas abſque ulla infamatione malitiæ in ſeptem planetis Scito autem, quòd ego non loquor hîc niſi de virtutibus naturalibus, aut vitiis, quæ per corruptionem naturæ videntur animabus humanis innata, qualis eſt iraſcibilitas in multis, levitas, atque lu-

H bricitas,, & alia hujuſmodi, quæ medici non culpæ ſed naturalibus complexionibus attribuere conſueverunt. Debes etiam ſcire, quia pauca valde renumeravi tibi de virtutibus, & effectibus quos poſuerunt planetis, de quibus libri eorum refertiſſimi ſunt Faciam etiam tibi de his rememorationem brevem. Quidam enim ad ſimilitudinem quorundam partium humani corporis planetas in mundo poſuerunt Verbi gratiâ: Lunam tanquàm cerebrum: Solem velut cor: Mercurium verò ſicut linguam propter virtutem interpretativam, & eloquentiæ, labia eidem deputantes: Venerem verò tanquàm membra genitalia, propter virtutem generationis, quæ ex iſla eſt ſecundùm eos, & in illis ſedem habere videtur, Martem verò fel propter exceſſum caloris cho-

E lerici, Jovem, ſicut hepar propter temperantiam ejuſdem & multiplex adjumentum vitæ; Saturnum verò, ut ſplen, quia ſplen receptaculum melancholiæ poſuerunt, & has naturas ipſis planetis impoſuerunt, dicentes. Saturnum terreum virtute, & efficacia, & harmoniam ejus eſſe ad melancholiam, quæ terræ inter humores maximè concordat, cùm frigida, & ſicca ſit ad ſimilitudinem terræ. Jovem verò poſuerunt aereum eadem ratione, & harmoniam habere ad ſanguinem propter caliditatem, & humiditatem, in quibus ſanguis concordat aeri; *Venus.*
Martem verò ſimili ratione choleræ æruginoſæ deputaverunt, propter exceſſum caloris; Venerem verò ad flegma dulce, quod habet admixtionem ſanguinis; Mercurium verò ad choleram aduſtam; Solem verò ad choleram rubeam naturalem; Lunam verò ad flagma naturale. Habent autem iſta omnia quæſtiones difficiles & vix explicabiles ſecundùm eos. Cùm enim Saturnus ſit omnium planetarum ſupremus, & à terra elongatiſſimus, quare ei naturam terræ, quæ omnium infima, ac ignobiliſſima eſt elementorum, attribuunt? Eandem quæſtionem habet ordinatio in naturis ſignorum duodecim ſecundùm ipſos. Cùm enim arietem poſuerint igneum, qua de cauſa ſignum tauri, quod utique terreum exiſtimaverunt, ſtatim poſt ſignum arietis, & proximè ante ſignum geminorum poſuerunt; hoc enim eſt, ac ſi terram mediam, & utrumque contingentem inter ignem, & aera poſuiſſent: hîc autem non habent, quò fugiant, niſi duas vias, quarum altera eſt, ſicut tenebræ, & hujuſmodi tenebras multi reputant effugium, atque refugium imperitiæ ſuæ. Quoties enim interrogantur cauſam, quam ignorant recurrunt ad occultas virtutes, dicentes, cauſam eſſe occultam, & virtutem abſconditam, ex qua res *Nota.*
hujuſmodi eſt. Alia via eſt, ut ſcias, quia cùm in corpore animalis ſint oſſa, & humores, & oſſa qui-

G dem terrea ſint, hoc eſt, terreſtris naturæ, ſuſcipiunt tamen vitam, quæ nobilis valdè operatio eſt omniũ animarum. Sanguis verò cùm ſit naturæ ſublimioris, & aereus complexione, hoc eſt, calidæ, & humidæ naturæ, operationem tamen vitæ, & motus non recipit: ſimiliter neque cholera, cùm ſit natura ignea, & complexionis calidæ, & ſiccæ juxta modum iſtum, & cùm cor in animali quocunque ſit naturâ terreſtriſſimum, eſt tamen nobiliſſimarum operationũ organum, & velut fons atque ſedes vitæ, & motus, & ſenſus, in eo perficiuntur etiam ſublimiores operationes, videlicet intellectus dijudicatio, & voluntatis operatio, quæ eſt velle, & hoc quidem quatenùs in corpore perfici poteſt, eis competere, propter quod & Ariſtoteli viſum eſt, cor humanum ſedes eſſe animæ humanæ, cùm Platoni viſum hoc eſſet de capite. Indicium autem opinionis ſuæ poſuit Ariſtoteles hoc, quòd compreſſo corde, id eſt venis, quæ primæ egrediuntur à corde, compreſſis inquam circa cor, ceſſat omnis motus, & ſen-

H ſus in toto corpore humano, quemadmodùm accidere noviſti in morbo, qui vocatur ephialtes, vulgò autem apenſordus propter ponderoſam oppreſſionem, quam efficit ſupinè jacentibus, & dormientibus Atteſtatur autem Ariſtoteli in parte iſta tam hebræorum, quàm chriſtianorum opinio, & doctrina. Utraque quippe dicit mala vitiorum, & peccatorum, atque bona virtutum, de corde procedere. Vides igitur, quia terreitas, aut complexio terrea, non prohibet naturaliter, aut impedit receptionem operationum nobilium. Dicitur autem & Ariſtotelem dixiſſe omnes ingenioſos melancholicos, eſſe, ingenioſitas autem eſt una ex nobiliſſimis animæ humanæ virtutibus, quare terreſtris natura *Nota.*
vel complexio nullatenùs impedit receptioné operationum

Digitized by Google

rationum nobilium Cùm igitur Saturnum non poſuerint terreum ſua ipſa natura, & complexione, ſed virtute, & efficacia ſuper terrea, ſeu terreſtria, addam & pro ipſis exemplum aliud; manifeſtum enim eſt conſiderationem in hoc facere volentibus, atque valentibus, quia homo terreſtrioris eſt ſubſtantiæ, quàm piſces, aut aves; nec mirum, cùm ipſe ex terra factus ſit, illa verò ex aquis, quantò verò nobiliorum virtutum, & operationum ſit ſuſceptibilis, & effectivus, quàm alia animalia, non indiges edoceri: eodem modo eſt eis reſpondendum. Neque enim identitas ordinis, neque diverſitas neque vicinitas, aut proximitas ſimilia efficiunt in partibus corporis animalis, ſicut vides in cranio, & cerebro humanis, quia cranium cùm ſit terreſtriſſimum, locum tenet ſupremum in corpore humano; cerebrum verò, cùm plurimùm habeat de natura aquæ, locum tenet ſecundum: fel verò, & ſplen è regione ſibi oppoſita ſunt ſub duobus lateribus: debent autem eſſe ſecundùm hunc ordinem, qui eis objicitur, fel ſupremum in corpore humano, cùm habeat naturam primi elementi, hoc eſt ignis; & ſplen deberet habere locum infimum propter naturam terræ, non autem ſic eſt. Quoniàm igitur inventæ ſunt in cœlo ſtellarum fixarum variæ virtutes, & multiplices naturæ ſtellarum, nihil prohibet diverſarum virtutum ſtellas ſibi invicem eſſe proximas, cùm tamen illa proximitas, quæ ad ſenſum videtur, prægrandis elongatio ſit. Sicut igitur diverſa membra, & diverſarum complexionum, diverſarumque naturarum, atque virtutum conjunxit creator in corpore humano congruentia decentiſſima, & admirabili juxta profunditatem ſapientiæ ſuæ & bonitatis: quemadmodùm artifex aliquis, vel opifex volens ornare, ac decorare tabulam aliquam, vel vas aliud gemmarum, & aliorum lapidum pretioſorum varietate, non omnes ſmaragdos ſimul ponit in ordine uno, neque omnes ſapphiros, ſimiliter neque omnes carbunculos, & ita de aliis, ſed ſmaragdum juxta carbunculum, deinde ſapphirum, quartò amethyſtum, vel alio ordine, prout ei decentiùs, aut pulchriùs eſſe videbitur, conjungens colores valde diverſos: ſic fabricator omnium Deus ſtellas multiplicium virtutum variarumque pulchritudinum in cœlis ordinavit pro beneplacito ſuo decentia mirabili, ac decore. Quapropter conjunxit terreas igneis, & aereas terreis, & ad hunc modum de aliis, prout vidit congruere pulchritudini ipſius cœli, & forſitan naturis ipſarum ſtellarum, atque cœlorum Medulla enim decenter locatur in oſſe, licet contrariæ naturæ ſit ipſi oſſi: ſic & caro decentiſſimè conjungitur nervis & oſſibus, licet multùm diverſarum naturarum ſint, atque virtutum. Ut autem conſummationem tibi faciam de radicibus judiciorum aſtronomicorum: dicam brevi ſermone, quia quod maximè probabile videtur de virtutibus, & effectibus ſtellarum, & luminarium, habetur ex operationibus virtutum rerum aliarum, tam animalium, quàm partium ipſorum: ampliùs herbarum, medicinarum lapidum, & iſtæ virtutes ſunt ſicut aſpectus, & habitudines ipſarum ad alias res. Quorum primum exemplum pono tibi baſilici ſerpentis, cujus aſpectus, & habitudo ad naturam humanam eſt ſicut odium, aut ira vehementiſſima, & ira eſt, per quam interficit hominem, cùm ipſum viderit; commovetur enim aſpectu humano in tantam iram, & talem, quòd impreſſionem mortis facit in homine, & cùm de naturis occultis aliorum animalium ſimilia, & fortè majora audiveris, non miraberis hæc Sic vides de medicinis, quia reubarbari aſpectus eſt in choleram, & eſt ſicut odium naturæ aſpectus hujuſmodi, & contrarietas quædam imperioſa, ut diffuget ipſam choleram, & exire compellat à corpore humano, quaſi fugientem à facie ipſius; ſic myrobalanorum genera in humores ſuorum colorum, ut medici teſtantur. Sic theriaca in venenum, quod eſt ex cibo, habet aſpectum, ſive habitudinem odii imperioſiſſimi, propter quod fugit à facie ipſius, & præſentia hujuſmodi venenum: ferrum autem ad lapidem magnetem duos habet aſpectus, ac tertium quaſi medium, & compoſitum, & primus aſpectus ejus eſt, quaſi habitudo amantis in amatum, propter quod trahitur ab ipſo, & ſequitur ipſum, ſed limitata longitudine, quocunque tranſlatus fuerit. Contrarius autem aſpectus, & habitudo eſt ei ad aliud genus magnetis, à quo fugit, tanquàm ab hoſte. Tertius aſpectus eſt ei ad tertium genus magnetis, qui trahit ipſum altera ſui parte, altera verò diffugat, & repellit, & iſte aſpectus eſt quaſi compoſitus ex duobus primis. Sic omnium lapidum pretioſorum & politorum eſt quidem aſpectus amoris ad paleas modicas, atque leviſſimas. *Nota.* Sic conſiderandæ ſunt tibi virtutes omnium lapidum, & gemmarum, quemadmodùm dicitur de ſapphiro, quòd aſpicit in anthracem morbum, & in ardores febriles, & hujuſmodi aſpectus eſt ſicut odii, propter quod & iſtum ſanare, & illos refrigerare creditur à multis. Mirabilior autem aſpectus in ægritudines oculorum eſt illius ſapphiri, qui in oculos morbidos proprio motu inſilit, & intrans eos, atque circumdans ſuaviſſima deterſione mundificat illos, & humorem noxium inde ſecum extrahit Extenderunt autem iſtos aſpectus lapidum atque virtutes inopinabiliter, facientes eos, & ponentes ſpirituales. Impoſuerunt quippe ſmaragdo aſpectum in divitias, aſpectum dico attractivum, dicentes, quòd eas attrahat poſſeſſori ſuo. Sic & lapidi topazio aſpectum in ardores ſpirituales, & refrigerat tantùm ipſos. Ardores autem iſti ſunt, cupiditas, avaritia, luxuria, & omnes exceſſus mali amoris. Similem aſpectum poſuerunt amethyſto circa ebrietatem. *Nota.* Omnium autem hujuſmodi aſpectuum mirabiliora & virtutis incredibilis poſuerunt lapidi heliotropio: eſt autem lapis hujuſmodi viridis ad modum jaſpidis, vel ſapphiri, ſtellis rubeis ſtellatus, & eſt primus ejus aſpectus ſatis mirabilis in ſolem, cujus radios in ſanguinem convertere dicitur. Facit enim eos apparere ſanguineos, propter quod & nomen habet heliotropis ab helios, quod eſt Sol, & tropos, quod eſt converſio Secundus aſpectus eſt ei omnibus mirabilior, & eſt in oculos, ſeu viſum hominum, quorum aciem ita perſtringit, ut dicunt, ut videri non permittat portantem illum. Veruntamen hoc facere non videtur ſine adjutorio virtutis herbæ ejuſdem nominis, quæ vocatur heliotropia, hoc eſt ſolſequium. Cuidam verò lapidi jaſpidi qui invenitur in nidis aquilarum, impoſuerunt aſpectum ad ſerpentes, & virtutem fugandi eos, propter quod & aquila, tanquàm ad cuſtodiam ovorum ſuorum ponere illum dicitur in nido ſuo. Juxta hujuſmodi operationes aſpectus, & habitudines eſt invenire multas alias, quæ poſſunt adjuvare æſtimationem tuam ad opinandum de ſententiis dictorum aſtronomicorum, ſicut eſt illud de pelle vituli marini quæ dicitur avertere, & repellere fulgur, & tempeſtatem, & de quibuſdam aliis rebus. *Nota.* Eodem modo, & de aſpectu formicarum ad cor upupæ, à cujus præſentia fugiunt, ut dicunt. Similiter & fel corvorum deterrere dicitur hominem à loco, in quo abſconditum fuerit, cum quibuſdã aliis rebus. Sic & apum ranium, à quo fugiunt oves, ſicut à mortifero, & quod videtur mirabilius, hujuſmodi mortis ſignũ natura pinxit in hepatibus

ovium, in quibus ut dicunt, figura apii ranini deſcripta naturalis apparet. Et ſimilis aſpectus videtur eſſe inter olivam, & meretricem, quam ſi meretrix plantaverit perpetuò manere infructuoſam, vel areſcere dicunt, propter quod in aliquibus regionibus procurant agricolæ, ut à virginibus & incorruptis mulieribus plantentur olivæ. Sunt & alia particularia, ſicut eſt illud, quod quidam homines vehementer horrent aſpectum catti, ſive murilegi, ita ut illum videre ſine horrore graviſſimo non poſſint. Eodem modo ſe habent quidam alii ad canem: quòd ſi conſideraveris empirica medicorum, invenies admiranda, quæ opinionem excedant. *Vide.* Aggregata igitur ratiocinatione, tanquàm per aliquam conjecturam dicere potuiſſent, ſi advertiſſent, quòd ſi in corporibus terreſtribus ſint tot, & tantæ virtutes occultæ, licet manifeſtarum operationum, non eſt mirum, ſi in corporibus cœleſtibus, vel ipſis cœlis, ſint multæ virtutes mirabiles, & occultæ. Dicā igitur quid eſt, & quomodò eſt, & ſi quid veritatis in eorum opinionibus eſt. Manifeſtum eſt, quia aſpectus lunæ eſt in frigidum, & humidum, & in ipſam frigiditatem, & humiditatem, & propter hoc virtus ejus eſt ſuper illam in augmentum, & diminutionem, in intenſionem & remiſſionem, & hoc evidentiſſimum eſt in maximo humido, & frigido, quod eſt mare, cujus augmentum, & diminutio ſequuntur augmentum, & diminutionem apparitionis luminis in luna; eodem modo manifeſtum eſt ſe habere in cerebro, & medullis animalium, & hoc noverunt experientia certiſſima carnifices, & chirurgici, ſic ſe habere, & in medullis arborum, hoc eſt, internis humoribus manifeſtum eſt cæſoribus lignorum. *Nota.* Ea verò, quæ accidunt ex augmentis, & ebullitionibus hujuſmodi, non poſſunt prædici, niſi tanquàm per conjecturam. Verbi gratiâ: Deſtructio domorum, & villularum, quæ ſunt propè mare alliſiones, & fractiones navium, ſubmerſiones hominum, aut aliorum animaliū Multis enim modis declinantur iſta, ne accidant propter inundationem maris, quia per aggeres, & obices reſiſtitur mari, & prohibetur inundatio ejus: homines & alia animalia interdùm fugiunt, & non comprehendit eos mare: ſic & navibus multis modis conſulitur: ſicut norunt magiſtri, & experti homines maris. *Nota.* Sic non eſt neceſſe, quòd in omni plenilunio etiam in corporibus flegmaticorum fiant aut diſtillationes rheumatum, aut inundationes aliæ aquoſorum humorum, & hoc eſt propter multa particularia, quibus hujuſmodi ſuperfluitatibus reſiſtitur, qualia ſunt abſtinentia fortis, & longa maximè à potu, & exercitatio fortis, & multæ conſumptionis, aut evacuatio per fluxum aliquem: talia etiam ſunt medicamenta, ideſt medicinarum remedia, quæ medicinalis ſcientiæ periti norunt. Juxta hunc modum ſentiendum eſt de inundationibus igneis, quæ fiunt à tribus montibus, videlicet, vulcano, ætna, atque chimæra. *Nota.* Quoniàm autem hujuſmodi inundationes non ſunt æquales, neque unius modi: manifeſtum eſt non eſſe illas ex ſola virtute lunæ, quemadmodùm, quoniàm non omnes æſtates unius modi, neque omnes hyemes, & ita de aliis varietatibus temporum, manifeſtum eſt eas non eſſe ex ſola virtute Solis. Si enim hoc eſſet, cùm virtus una Solis omni modo non mutata in omni anno ſimiliter ſe habeat: ſimiliter & motus ejus uniformis, in omnibus annis eædem eſſent viciſſitudines, & per omnia ſimiles in omnibus annis. Quare conſequens eſt ex neceſſitate, ut alii planetæ, vel ſtellæ fixæ participent cum Sole in operationibus hujuſmodi viciſſitudinum. Manifeſtum eſt etiam tibi ex his, quia quæ accidunt ex inundationibus marinis de prædictis

E adventientibus caſu fiunt, quantùm ad intentionem maris, & lunæ, nec ſubſunt judicio humano, ac providentiæ, ut pote caſualia, & particularia; quare nec per lunam, nec per mare, nec per aliquam diſpoſitionem lunæ prædici poſſunt, & conjecturari, aut præſciri per ſcientiam aſtronomorum. Spiritu verò prophetiæ, & revelatione divina indubitanter præſcibilia ſunt, ſicut omnia alia, quæ revelare voluerit divinæ voluntatis dignatio. *Nota.* Utrùm autem diſſimiles virtutes eis, quas nominavi tibi, ſint ſtellis, & luminaribus, vel etiam cœlis, ſimiles inquam virtutibus rerum, quas nominavi tibi, & an verum ſit, quod dixit Ptolemæus in libro centum verborum, quia imagines terreſtres obediunt cœleſtibus, nec ſolùm illis, ſed etiam earum imaginibus, quaſi non ſolùm leonis terreni leoni cœleſti, qui eſt unum de duodecim ſignis cœleſtibus, ſed etiam ex imagine leonis illius, hoc eſt, quæ fuſa, vel

F ſculpta, vel aliàs figurata fuerit, ſub aſcenſione ipſius cœleſtis leonis, obediant, prout magiſtri hujuſmodi imaginum tradiderunt, & in libris ſuis ſcripſerunt, quæſtio eſt. Et primùm quidem id probabilitatis habere videtur opinio hujuſmodi hominum, quòd omnium philoſophorum opiniones in hoc concordes fuerunt, & etiam quòd longè præſtantiores virtutes ſunt ſtellis, & luminaribus, atque cœlis, quàm ſint virtutes, quæ lapidibus pretioſis, & rebus aliis imponuntur, præſertim ſecundùm illos, qui omnem virtutem lapidum ponunt eis eſſe per id, quod habet unuſquiſque lapidum in ſe de quinta eſſentia. *Nota.* Tu autem jam audiviſti à me ſuper his multa in alio tractatu, & radix, quam poſui tibi ad deſtructionem opinionum iſtarum, prima fuit hæc, ſcilicet, quòd nulla virtus dat majus, aut nobilius

G ſe, & in hoc etiam omnes philoſophi concordant, quia omne datum & magis, & majus, eſt apud datorem. Uſus ſum etiam in eodem tractatu hac alia radice, videlicet, quòd virtutes ſpirituales, & dona ſpiritualia, ut ſunt artes, & ſcientiæ, & aliæ perfectiones animarum humanarum, non ſunt à corporibus per ſe, inquantùm corpora ſunt: quare ſi ſtellæ, & luminaria, & cœli, pura corpora ſunt, id eſt, non animata, ſeu non viventia, impoſſibile eſt ex ipſis eſſe virtutes prænominatas, quas eis imponunt. Si verò animata ſunt, & animalia, ut Platoni viſum eſt, & Ariſtoteli, atque ſequacibus eorum, nec ſolùm animalia, ſed etiam rationalia, ſed etiam intelligentia, ſicut iidem opinati ſunt, & ſcripſerunt, tunc neceſſe eſt, ut perfectiones, & impreſſiones ſpirituales ſint ab eis per virtutes, & operationes animarum ipſarum; & quoniàm animæ ipſorum non poſſunt eſſe, niſi bonæ, propter puritatem & nobili-

H tatem materiarum ipſarum, cùm animæ rationales omnes in ſe naturaliter bonæ ſint: cœleſtis autem materia, ut pote puriſſima, atque mundiſſima, & immunis ab omni rebellione, & contrarietate, nihilque indigentiæ omninò afferens animabus ſuis, neceſſe eſt ut permaneant cum corporibus hujuſmodi in puritate bonitatis ſuæ naturalis. *Nota.* Hoc autem dico, quia corpora animalium tam terreſtrium, quàm hominum, & aliorum, multas indigentias, & rebelliones, & contrarietates afferunt animabus illorum, ſicut indigentiam eſcæ, ſeu nutrimenti, indigentiam habitaculi, indigentiam etiam ſocietatis in quibuſdam, & propter indigentiam eſcæ rapacitatem naturalem. Non enim lupus, aut leo, intendit per ſe nocere ovibus, aut onagris, quos devoravit, ſed potiùs ſibi prodeſſe. Quòd ſi irâ moventur leones, & lupi in animalia, quæ rapiunt; ita illa non eſt per ſe in nocumentum ipſorum, ſed in utilitatem leonum, atque luporum. Intendunt enim conſervare vitam ſuam per hujuſmodi eſcam, ſeu nutrimentum,

& fortè

& fortè non plus intendit gallina, vel gallus nocere, cùm devorat, aut diripit bufonem, aut ranam aliquã, quàm cùm comedit triticum, aut avenam: ipſi etiam homines, dum comedunt cibos ſuos, non cibis ipſis nocere, ſed magis vitæ ſuæ conſulere de nutrimento, aut voluptate, intendunt. Rebellionem etiam affert materia corporum animalium animalibus ipſis. *Nota.* Unde & pugnant ad invicem pro eſca, ſimiliter pro nido, vel cavea, & pro uxore, ſive etiam circa uxorem, ſicut tempore meo accidit de ciconia, quæ propter hoc, quòd alij maſculo, quàm proprio compari, ſe commiſcuerat, deprehenſa in hoc à proprio maſculo, à magna multitudine ciconiarum propter hoc congregata, tanquàm adulterij rea, & de eo convicta, roſtris, & unguibus diſcerpta, atque dilaniata eſt. Similiter pugnæ accidunt in hominibus propter ſimiles indigentias, vel propter deſideria ſua mala, quæ impleri contendunt litibus, & bellis, fraudibus, & dolis. Et hæc omnia à parte materiæ inebriantis, ſubvertentis, atque corrumpentis animas humanas, adveniunt eis. Quia igitur nihil omninò infectionis, aut corruptionis, nihil omninò indigentiæ, ingeritur animabus cœleſtibus à parte cœleſtis materiæ, neceſſe eſt eas in ſua naturali innocentia, bonitate, & ſapientia modis omnibus permanere, & nullatenùs velle hominibus nocere, hoc eſt, nec per ſe, ſcilicet directa intentione, nec per occaſionem, cùm prohibita ſit jam ab eis propter puritatem, & bonitatem cœleſtis materiæ omnis occaſio volendi nocere. Quare mala quæ in mundo inferiori vel ſunt, vel oriuntur, non proveniunt ab eis vel per ſe, vel per occaſionem voluntariam, quare nullo modo eis imputanda, tanquàm voluntaria. *Nota.* Si verò proveniunt ab eis, ſed invitis, multò minùs eis imputanda ſunt. Quòd ſi dixerit, quia proveniunt ab eis, ſed eis neſcientibus, quemadmodùm damnum provenit ab igne domino domus, quam comburit, ſed neſcienti igne; aut à lupo ei, cujus ovem comedit, lupo neque intendente, neque ſciente damnum hujuſmodi, jam incidit in majus inconveniens, quia hujuſmodi animæ, vel animalia, cùm ponant ea rationalia, poſſunt ſcire ea, quæ faciunt in rebus mundi inferioris, vel non poſſunt; quòd ſi non poſſunt, multò minùs igitur ipſi aſtronomi. cùm maximè noti ſint hujuſmodi animalibus motus proprij, ſimiliter conjunctiones. oppoſitiones aſpectibus, & alia per quæ ipſi ſe, & ſcire, & præſcire, exiſtimant hujuſmodi effectus eorum. Ampliùs. Quomodò poſſent ignorare operationes ſuas, quas tot millibus annorum operari non ceſſaverunt? Ampliùs. Quo jure requiritur ab animabus humanis, vel ab hominibus conſideratio, & prævıſio finium operum ſuorum, ſi illa animalia inculpabiliter ignorant fines, & eventus operationum ſuarum, cùm tantò nobiliores, tantòque ſapientia ſublimiores eas eſſe oporteat, quàm animas humanas, quantò remotiores ſunt ab impedimentis ſapientiæ, omnique infectione perverſitatis, propter puritatem, & nobilitatem materiæ cœleſtis? Quare conſequens eſt ex neceſſitate, ut intentio, vel voluntas, nocendi innocentibus, nullo modorum cadat in eas, cùm in animas humanas ſapientes hujuſmodi voluntas, vel intentio cadere non poſſit. Nocent autem ſtellæ, & luminaria, ſive cœli, etiam naſcentibus in nativitate ſua, & etiam in generatione, ſive conceptione eorundem, cùm certum ſit eos nihil tunc mali agere, vel anteà etiam egiſſe. Nocent etiam viris, ac mulieribus ſecundùm eos innocentiſſimis, atque ſanctiſſimis. Plerunque enim gladio, & igne, naufragiis, & aliis multis modis pereunt hujuſmodi homines quare manifeſtum eſt præter intentionem, & voluntatem ſtellarum, luminarium, & cœlorum talia mortalibus provenire; à caſu igitur proveniũt quantùm ad ipſa. Quòd ſi dixerit quis, quòd voluntate, & juſſu creatoris talia faciunt, cùm voluntatem creatoris neceſſe ſit ſemper eſſe bonam, immò etiam optimam: manifeſtum eſt ſtellas, & luminaria, atque cœlos, vel miniſtros, vel executores, vel inſtrumenta eſſe optimæ voluntatis creatoris, & honorum, mandatorum, vel juſſuum ipſius. *Nota.* Miniſteria igitur, & operationes ipſorum bona eſſe neceſſe eſt. Eos igitur infauſtos, infortunatos eſſe, vel malos non tam falsò, quàm etiam malè ſenſerunt. Quòd ſi dixerit quis, quia ſcilicet voluntate creatoris, & mandato aliquis depauperetur, vel occidatur, tamen malè accidit ei, & magnum malum irrogatur ei, & magnum infortunium eſt depauperatio, & mors: *Objectio.* hic jam incidit in alium errorem. cùm manifeſtum ſit depauperationem, & mortem bona tantùm eſſe, & etiam magna bona, benè utentibus eis, & à puriſſimo fonte bonitatis nihil poſſe procedere, niſi bonum, quod qui ignorat, proculdubiò Deum non novit, & puritatem bonitatis ipſius nec dùm ſcivit. In tractatu verò ſequenti iſtum, qui erit de cura, & adminiſtratione creatoris, quibus gubernat univerſum, faciam te ſcire, quòd omnia hujuſmodi, quæ ipſi vocant mala infortunia, bona tantùm ſunt, & declarabo tibi bonitates eorum, & utilitates magnas, atque multiplices. *Nota.* Talia enim poſuerunt erronei quidam, qui Deum non curare iſta inferiora opinati ſunt. Similiter non alia eſſe bona, vel mala, quàm præſentia, & temporalia ſomniaverunt, ignorantes indubitanter immortalitatem animarum humanarum, bonaque vitæ alterius, futuræ, ſcilicet & gloriam ſæculi altioris; ſimiliter & mala ejuſdem, quæ talibus, & aliis creatorem non verentibus, & venerantibus, juſtiſſimo creatoris judicio reddenda tunc ſunt. Mirabilis autem, & prorsùs intolerabilis error eſt, ſentire de lapidibus, qui nec ſeipſos juvare poſſunt, poſſe dare tam nobilia dona, ut ſunt invincibilitas, gratioſitas, apud homines, temperantia, ſive caſtitas, & alia hujuſmodi, quæ non poſſunt eſſe dona ullo modorum, niſi Dei altiſſimi. Et deſtructio hujuſmodi erroris eſt ex radice, quam primam poſui, videlicet, quòd nihil poteſt dare majus, aut nobilius ſeipſo. Addam autem tibi & aliam declarationem erroris iſtius, ſimiliter & erroris alterius, quo putaverunt imagines ſtellarum. & luminum factas ſub aſcenſionibus earum, & aſpectibus aliis quibuſdam, quod hujuſmodi homines obſervare conſueverunt circa ſtellas, quòd talia & majora etiam præſtant. Eodem modo & † ſpecula quædam, vel ſuſpenſa, vel ſepulta. *† Al. & ſpicula.* Hæc enim opinio plus derogat honori, & gloriæ creatoris, quàm error, quo attribuitur ſtellis, & luminaribus iſta virtus. Via verò deſtructionis iſtius erroris eſt multiplex, præter alias, quaſi alibi per me audiviſti. In primis enim eſt error iſte circa Dei altiſſimi providentiam, & gubernationem. Si enim hic poteſt præſtare lapis aliquis, ut qui eum haberet, vel deferret, vinci non poſſet in quocunque certamine, poſſet præſtare, ut quantumcunque hujuſmodi homo injuſtum certamen haberet, ſemper victoriam obtineret. Quare ſive contra Deum diſputaret hoc eſt, contra veritatem, & gloriam Dei, ſive etiam pugnaret contra ipſum, ſcilicet propter exterminandam honorificentiam cultus ejus, ſemper obtineret victoriam; quare virtutem hujuſmodi dediſſet in propriam injuriam, & contumeliam, & vellet vinci iniquiſſime cultores, & amicos ſuos, adverſareturque eis, & faveret inimicis ſuis, & hoc contra juſtitiam, & veritatem. Quòd ſi temperaverit iſtam ſententiam, dicens, quia hujuſmodi invincibilitas non eſt generalis, neque ad om-

Digitized by Google

ne certamen extenditur, ſed ad juſta tantùm, dico, quia non eſt minor iſte error priore. Neceſſe enim eſt, ut iſta virtus vel ſcientiam, vel gratiam, juſtè judicandi præſtet judicibus, ſub quibus hujuſmodi homo decertat, vel adverſariorum virtutem diminuat & certandi peritiam, vel ipſius certantis robur, & ſcientiam augeat: cùm contingere poſſit, ut multitudo fortium, ad bella doctiſſimorum contra hujuſmodi hominem, vel ſolum, vel pauciſſimos bellatores habentem, pugnet, & tunc eſſet mirabilius lapidem aliquem præſtare victoriam poſſeſſori ſuo, quàm virtutem, aut ſapientiam, multiplicare in alia, vel illa minuere in tantundem: tu autem vides, quàm intolerabilis ſit error hujuſmodi. Secunda via eſt, quia iſtæ virtutes eſſent in turbationem iniquiſſimam rerum humanarum, & in ſubverſionem perverſiſſimam earundem. Manifeſtum enim eſt, quia dignitates, & honores, & potentiæ iſtæ ſeculares, aut hæreditariæ largitione majorum proveniunt, aut etiam electione multitudinis. Quòd ſi imago aliqua vel ſculpta, vel fuſa, vel deſcripta lineationibus præſtare poſſet dignitatem, vel honorem; qui aliqua prædictarum cauſarum alicui de jure competit: poſſet igitur auferre hæreditatium honorem ſuum, & ad hunc modum de aliis, quæ quiſque juſtiſſimè poſſidet, & præferre ſeu præficere rebus humanis nequiſſimos, ac perverſiſſimos: per hujuſmodi autem homines perverti neceſſe eſt, ac turbari res humanas ac ſubverti jura omnia, & innocentes dari in direptionem, & gladium, & conſequenter Dei juſtitiam, & pietatem pariter vel impediri, vel averti à rebus humanis: hoc autem eſt ſupra omnem potentiam, & virtutem: ut enim tanta mala ſuſtineat omnipotentiſſima, & incogitabilis creatoris benignitas; ſola poteſt ejuſdem juſtitia, & tunc ſolùm, ſi malorum, hoc eſt vitiorum, & peccatorum, immenſitas ad tantam iram eam provocaverit adversùs homines. Quare ſequetur ex his, quòd hujuſmodi imagines, & ardere eam poſſunt facere in tantam iram. Nihil autem inſanius dici poteſt, quàm hujuſmodi imagines poſſe ad iram provocare Deũ altiſſimum, aut etiã poſſe placare. Ampliùs Ut aliquis non obtineat dignitatem per electionem, aut erit per impedimentum electionis, vel non erit omninò, vel erit diſcors, vel erit de alio, vel erit per mortem illius, vel per iniquitatem judicis, vel per aliquem alium defectum, aut impedimentum. Qualiter autem hujuſmodi imagines procurare poſſunt, & movere corda hominum, vel ad concordiam, vel ad diſcordiam, vel procurare mortes hominum, vel efficere, vel judices flectere ad iniquitatem? Secundùm enim hoc nihil eſſet in poteſtate hominum poſitum, vel voluntate. cùm tota poteſtas hominum, omneſque voluntates adeò ſubditæ eſſent hujuſmodi imaginibus, ut contra eas omninò nihil poſſent. Accidit & alius error majoris inſaniæ, ut etiam ipſa creatoris voluntas euſque videatur eis ſubdita, ut aliud vel non poſſit, vel non velit facere, quàm quod requirunt imagines hujuſmodi ſecundũ intentionem hujuſmodi erroneorum, & quod etiam conſentiat optima creatoris voluntas omnibus iniquitatibus, & injuriis quas per imagines hujuſmodi faciendas eſſe, & fieri docuerunt. Ampliùs Cùm imagines hujuſmodi corpora tantùm ſint, qualiter motus ſpirituales, aut alias diſpoſitiones operabuntur in animabus humanis, maximè cùm abſconditæ fuerint, ac ſepultæ, & omni modo ignoratæ, & inapprehenſæ? quod dico propter imaginem mulieris ſpecioſæ, quæ cùm apprehenſa fuerit, movere utique poteſt per apprehenſionem apprehendentem ad amorem, & concupiſcentiam mulieris, cujus ipſa eſt imago. Omninò autem latens, & non apprehenſa, non poteſt hoc, quare nec hujuſmodi imagines abſconditæ, & ſepultæ. Ampliùs. Quomodò imago mortua, & omni modo inapprehenſa, omnique modo immobilis moveret viventes? aut qualiter præſtaret ſcientiam, quam nec habuit, nec actu, nec potentia eam habere certiſſimum eſt? Quòd ſi dixerit, quia ſicut imago regis omninò mortua, ut pote, vel cerea, vel plumbea, vel aurea movet imagines viventes, & homines, & inclinat voluntates eorum ad faciendam voluntatem regiam, & hoc facit virtute imaginis vivæ, quæ rex eſt: ſic imagines hujuſmodi, quia imagines ſunt imaginum cœleſtium, quæ utique vivæ ſunt, ut ipſi ponunt, virtute illarum, ſcilicet cœleſtium, faciunt omnia hæc, & hoc eſt, quod dicit Ptolemæus in libro centum verborum, quem vocat centilogiũ, quia imagines terreſtres ſubditæ ſunt cœleſtibus virtutibus, & eis obediunt: in hoc facillimum eſt reſpondere, quoniàm imagines regalium ſigillorum, niſi apprehenſæ ſint, neminem movent, niſi motu apprehenſionis, neque ad voluntatem regiam faciendam, niſi ipſa voluntas regia, vel ſcriptura, cui appenſa ſit imago regia, vel modo aliquo alio innoteſcat. Si verò dixerit quis, quia ſenſu naturæ apprehenduntur hujuſmodi imagines, qui ſenſus eſt omni apprehenſione humana ſublimior, atque nobilior, & prophetiæ viciniſſimus, vehementerque ſimilis, quo omni modo ignorante anima humana ſentiuntur quædam nociva atque terrifica: unde terror, & horror, invadit plerunque homines, nihil de rebus hujuſmodi ſcientes, vel etiam cogitantes: & de hujuſmodi eſt latro latens in domo aliqua, qui cùm omninò tibi eſſe neſciatur, nec etiam cogitetur, horrorem tamen, & terrorem, cordiſque inquietudinem incutit ejuſdem domus habitatoribus, fortaſſis tamen non omnibus. quia iſte ſplendor naturæ rarus eſt in hominibus, hoc eſt, in paucis. De hujuſmodi eſt & meretrix, quæ quantumcunque abſcondita ſit in domo ampliſſima, interdùm tamen ab aliquo omninò ibi eſſe aliàs ignorante, & nihil aliàs de ea cogitante ibi eſſe ſentitur. Sed & mulier quædam tempore meo virum, quem vehementer adamabat, in domo ampliſſima abſconditum ibi eſſe, ſenſu hujuſmodi ſentiebat, & venientem ad locum, in quo ipſa commorabatur, longè à duobus miliariis præſentiebat. Similiter narratur de quodam, quem ſervientis ſui fornicatio latere non poterat. Quicquid enim de eſcis, vel menſæ inferret, vel aliter contrectaret, adeò domino ſuo ipſo tactu abominabilem faciebat, quod nihil inde ſumere poterat. De meretrice verò, quòd odibilis, *Nota.* & abominabilis naturæ ſit, ex prædicto ſenſu ejus abominatio ſenſibilis indicium magnum, & mirabile eſt, quod ſupra dixi tibi, quòd oliva ab eadem plantata, vel infructuoſa perpetuò manet, vel omninò areſcit. Similiter & de latrone, quòd naturæ humanæ odibilis ſit, indicat ſplendor mirabilis ſenſus naturæ, qui in quibuſdam canibus reperitur, qui latrones omninò incognitos, & ſibi, & homini- *Nota.* bus, ſenſu hujuſmodi ſentiunt, & ſua ſagacitate inveſtigant, inveniunt, comprehendunt, in inventos faucibus, & dentibus irruentes. Narrantur, & leguntur in libris hiſtoriographorum multa alia hujuſmodi. Verùm non cogunt omnia hæc, ut vera eſſe credantur, quæ ſtellis, luminaribus, & cœlis magiſtri judiciorum aſtronomiæ impoſuerunt, etiamſi omnia hæc ita ſe habere quis poſuerit. Neque enim mirum reputandum eſt, ſi latro, vel meretrix, atrociſſimi inimici naturæ humanæ, ipſi propter vehementiam nocivitatis ſuæ ſenſum ſui ingerunt, cùm omnis natura ſolicitudinem mirabilem con-

ſervandi, cnſtodiendi & defendendi ſe, ſeu proprium ſnbjectum. habeat: ſimiliter etiam in canibus, qui utique ad cuſtodiam hominum creati ſunt; quia hujuſmodi virtus, videlicet cuſtodiæ hominnm, in quibuſdam fortior eſt, non eſt mirum, ſi hujuſmodi virtus pro vehementia ſuæ fortitndinis habeat aliquid plus ſplendoris minoribus virtutibns ſimilium animalium, & hoc eſt, qnoniàm quantò plus habet hujuſmodi luminis, tantò erit hominibus utilior, propter quod utrumque canibus datur. Multæ ſimilitndines harum rerum præſtò ſunt conſiderare eas volentibus, atque valentibus: quemadmodùm enim, ne fruſtra naſcerentur araneæ, ſi nere, id eſt, filare, & fila in reticula connectere nec poſſent, nec ſcirent, & periret omnis utilitas proveniens ex ipſis, providit eis per naturam creator benedictus, atque ſublimis de utroque: ſic & canibus de fortitudine, & hujuſmodi ſplendore, ut eſſet ex hoc majoris cuſtodiæ hominibus utilitas. Similiter antem accidit in hominibns, qui nec dona naturæ, nec alia æqualiter habent: alii enim præditi ſunt majori fortitudine corporis, alii majori animi audacia, alii majori ſplendore ſapientiæ, alii majori pulchritudine, & perfectione virtutum aliarum & quò præeminentiores ſunt in his, plures, ant majores utilitates afferunt hominibus: ſic de canibus: alii enim ſagacitate venatica proſunt hominibus, alii diligentia cuſtodiæ, alii verò fortitudine, qua lupis, & interdùm leonibus reſiſtunt, necnon raptoribus, & furibus interdùm armatis. Iſti verò canes, qui tanto ſplendore ſenſus naturalis pollent, nobiliori, ac mirabiliori cnſtodia, quàm cæteri proſunt hominibus. Fit autem plurimùm, ut officia, & poteſtates utiles hominibus adinveniantur revelationibus, & aliis illuminationibus, interdùm etiam ſomniis: ſicut in quibuſdam regibus factum fuiſſe, antiquitatum hiſtoriæ declarant. Sic agnus ſentit inimicitias lupi contra ſe, id eſt, noxietatem, unde horret, & fugit ipſum naturaliter. Quidam tamen attribnunt iſtud virtuti æſtimativæ: lupus verò ſentit utilitatem nutritivam ſuam in agno, & propter hoc intentio ejus eſt ad devorationem agni, & ſimilium animalinm. Aggregata igitur ratiocinatione, reſpondeo, quia hujuſmodi qnæ ſenſu naturali ſentiuntur, ipſa ſunt, qnæ ſui ſenſum, aut nocivitatem, aut utilitatem ſuam ingerunt ea ſic ſentientibus. Verùm, ut alia ſentiant, vel aliorum utilitates, aut nocumenta ſentiant ſic, non efficiunt imagines, nec ſui ſenſum, nec alicujus, quod earum ſit, ingerunt vel hominibus, vel animalibus; propter hoc manifeſtum eſt diſſimilitudinem apertam eſſe inter prædicta, quibns niti volunt, & exempla, quæ poſui tibi. Quòd ſi qnis dixerit, quòd ad imaginem, columbæ lapideæ congregantur columbæ, dico, quòd non eſt hoc ex virtute imaginis illius, quemadmodùm ad agitationem unius plumæ, vel pennæ congregantur interdùm aviculæ, & ad aves vel domeſticatas, vel excæcatas ab aucupibus congregantur aliæ aves, non aliqua virtute vel occulta, vel manifeſta ipſarum, ſed amore quodam, quem naturalis ſimilitudo parit. Majoris autem incredulitatis ſunt ea, quæ de ligaturis, & aliis præſtigiis in libris ſuis de rebus hujuſmodi ſcripſernnt. Ibi enim apparet omnimoda ſubverſio naturæ: exempli gratiâ, in ligatione ignis, ut accendi non poſſit in aliqua domo, vel in alio loco; qnòd enim combuſtibile, vel arſibile appoſitum igni fortiſſimo ardere non poſſit, incredibilis ſubverſio utriuſque naturæ eſt, ſimiliter quòd abſque flatu, & aqua, in aere mundo, & puro, & aliis etiam remotis, per quæ ignis extingui conſuevit, ſtatim extinguatur, & reaccendi non poſſit. Vide hic duarum naturarum ſubverſiones, videlicet naturæ ignis, & naturæ ipſius combuſtibilis. Quid autem de ligatione latronnm, ut in aliqua regione furari non poſſint? ligatio verò molédini, ut nullo impetu aquæ, nulla vi ventorum molere poſſit, vel rotæ ejus volvi. Ligatio fontis, & putei, ut inde aqua hauriri nullo modorum poſſit, quin vaſa aquaria confringnntur, qnantumcunque fortia ſint. Ligatio verò mercatornm in aliquo loco, qnod nec vendere, nec emere poſſint. Similiter ligatio navinm, ut nulla vi ventorum à portu egrediantur. Similiter ligatio fulgurum, & tempeſtatum, ut in aliqnibus locis nocere non poſſint. Quæ quidem ſi eſſent poſſibilia fieri, ut ipſi ſcripſerunt, non opera hominum, ſed Dei omnipotentis mirabilia, atque miracnla reputanda eſſent. Omnis enim gens tam hebræorum, quàm chriſtianorum, quàm ſarracenorum, hujnſmodi opera miracula vocat, & ſoli omnipotenti virtuti creatoris poſſibilia eſſe credit. Ut enim aliquid combuſtibile in medio ignis non combnratnr, ut aqua proclivum inveniens non fluat, facere creatori poſſibile eſt, cujus beneplacito naturarum nnaquæque in ultimitate ſnbjectionis, & obedientiæ ſubdita eſt. Indicium autem, quòd iſta omnia erronea ſunt, manifeſtum eſt illud, quia cùm iſta ſcientia non veri nominis apud Chaldæos, Arabes, & Ægyptios maximè vignerit, abſque viribus, & armis totum mundum ſubvertiſſe, & inimicos ſnos exterminaſſe per hujuſmodi ligationes, atque præſtigia potuiſſent. Manifeſtum autem eſt eos hoc voluiſſe, cùm igne, & gladio, omnique genere bellandi circa illos pugnaſſe certiſſimum ſit. Quare manifeſtum eſt eos non potuiſſe facere per artem hujuſmodi ea, quæ libri mentiuntur. Ampliùs. Secundùm hæc, omnia regna terrarum, omnis dominatio, & omnis principatus terreni in poteſtate eſſent unius modici hominis, videlicet Magi, ſeu malefici, cùm per hujuſmodi artem poſſet hæc omnia anferre, & conferre quibus placeret ei, & quod eſt apertioris ſtultitiæ, & elementis, & animabus tam hominum, quàm aliorum animalinm dominatione imperioſiſſima imperaret, atque dominaretur. Quòd enim Nectenabo mago imponitur, quòd hoſtes ſuos, & naves ipſorum periclitari faciebat in mari, & in aliis aquis, manifeſtè impoſſibile eſt. Dicitur namque de eo, qnòd imagines navium hoſtium ſuorum faciebat cereas, & eo modo, & artificio, ut cùm ipſæ imagines mergebat, ſubmergerentur & naves hoſtium. Quis autem credat eam eſſe habitudinem, vel ligaturam inter hujuſmodi imagines, & naves, ut qualia fiebant imaginibus navium, talia neceſſe eſſet pati & naves ipſas? Palàm quippe eſt inter amicos adeò fortem eſſe ligaturam amoris interdùm, nt quod patitur alter eorum, pati velit & reliquus. Sicut mater inſequitur filium aquis merſum, præ doloris magnitudine, vel amoris vinculo tracta poſt filium, quod vinculum nec mortis metus diſrumpit, ſed ut eo ipſo, quòd filius mergitur, mergatur & mater, nec illa nnitas amoris, qua illa, & filius nnum ſunt, efficere poteſt. Quantò minùs igitur in tam diverſis, ut ſunt imago hujuſmodi, & imaginatum, nulla ligatnra inter ea erit, quæ cogat, ut quod patitnr imago, patiatur & imaginatum, aut econversò? Ampliùs. Longè convenientiùs eſt, ut imago ſeqnatur imaginatum, quàm econversò, & ut ſignum trahatur à re, quàm res à ſigno, & hoc ipſi expreſsè negant, & evidentiſſimè verum eſt, qnia non propter hoc ſi mergebantur naves, neceſſe erat mergi navium imagines; qnomodò igitur fiebat econversò? Ampliùs. Quid fiet ſi duo hujuſmodi magi circa ſe invicem operentnr, vel uterque per ſe. Verbi gratiâ, imaginem pro obtinendo principatu in eadem civitate, vel regione? Non

Nota.

Nota.

Nota.

In magos.

enim dubium eſt, quin poſſibile ſit ambos ambire ſimul unum & eundem principatum. Cùm igitur uterque operetur ſtudioſiſſimè, atque certiſſimè, quod ars hujuſmodi præcepit, quod uterque obtinebit totum principatum (quod non eſt poſſibile) vel neuter aliquid de eo, & ita mentietur ars iſta, vel uterque obtinebit partem, & iterùm mentietur ars, licet non in toto. Eodē modo ſe habet & de imagine quam dicunt, pro obtinenda victoria faciendam eſſe; quare priùs ſciendum eſt hujuſmodi artificibus, ne fortè aliquis eis contra operetur.

Ptolemæus.

Scito tamen quia hujuſmodi homines in libris ſuis dixerunt non omnes artifices, id eſt, artium peritos, idoneos eſſe, vel ut clariùs loquar, natos eſſe, obtinere fructum hujuſmodi, & hoc putaverunt forſitan innuiſſe Ptolemæum in præſcripto libello, ubi dixit, ſcientia ſtellarum eſt ex † ſe ipſis.

† Aliàs te, & ipſis.

Putant enim, quia licet aliquis fauſtus ſit, vel fortunatus ad obtinendam ſcientiam aliquam, quòd non propter hoc & ad ejus ſcientiæ fructum: opinantur tamen interdùm fauſtum poſſe eſſe aliquem ex conſtellatione ſuæ nativitatis ad utrunque. Meritò ergo quærendum eſt ab hujuſmodi hominibus, quid ſentiant de Dei altiſſimis judiciis, & bonitate in parte iſta? Puto enim eos credere, quòd per iram Dei interdùm auferuntur regnā, dominationes, & principatus, & ſubjiciuntur nationes nationibus, & reges regibus. Similiter & dantur omnia hæc per beneplacitum creatoris. Similiter & credendum eſt eos ſentire, quòd ira Dei, vel precibus, vel aliis modis placari poteſt, ut & bona jam data hominibus non auferat, & mala eiſdem merita non inferat, & hæc quidem experientia per hiſtorias antiquitatis, & prophetarum comminationes, & prædictiones, & à ſenſu accipi poteſt. Quæ omnia ſi negare voluerit, neget neceſſe eſt Deum altiſſimum res humanas curare, & expoſuiſſe eas magorum, & maleficorum beneplacitis, & quod eſt intolerabilioris ſtultitiæ, commiſiſſe eas imaginibus hujuſmodi vel æreis vel lapideis, quæ nec ſibi ipſis providere, nec ſeipſas curare poſſunt.

In imagines magorum.

Verùm de iſta cura Dei altiſſimi, & providentia ejus, atque adminiſtratione qua univerſum totaliter regit, & adminiſtrat, tractatum habebis in ſequentibus ſingularem, in quo declarabitur tibi, quia totum adminiſtrat Deus altiſſimus à primo uſque ad noviſſimum, & deſtruetur error hujuſmodi deſtructione irrefragabili, ita ut, nec ullius dubitationis, nec ignorantiæ circa hæc, ullum tibi veſtigium relinquatur. Manifeſtum eſt igitur, quia cùm contra voluntatem creatoris talia bona non proveniant hominibus, aut etiam auferantur: nihil autem poſſint hujuſmodi imagines contra voluntatem creatoris: manifeſtum inquam eſt, quòd tota proſperitas hominum, tota fœlicitas, atque tranquillitas eorum, & omninò omnia bona eorum, omniaque mala totaliter pendent ex ſolo beneplacito voluntatis Dei altiſſimi, & imagines iſtæ nihil omninò poſſint in bonis, vel malis hominum.

Bona à Deo, & mala, ſeu infortunia.

Pulchrè autem quidam, ut ipſemet narravit mihi, irriſit magum quendam, qui cùm promitteret ei dignitatem magnam in civitate illa, ſi vel modicam morulam ibi faceret, reſpondit eidem: Si Deus, inquit, non vult quòd ego iſtam dignitatem obtineam, poteriſne procurare, quòd illam obtineam? Qui reſpondit, quia nullo modo poſſet hoc procurare, Deo illud nolente. Et ille; & ſi Deus voluerit me obtinere dignitatem iſtam, poteris-ne hoc impedire? Reſpondit ille, nec ego, nec alius. Tunc ille mago: Igitur totum eſt in Dei voluntate, quare totum dixit ipſe, committo ei.

Reſponſio ad quendam magum.

Ampliùs. Nulli dubitare permittitur, quin & precibus ira Dei altiſſimi placari poſſit, & quin impetrari poſſit à bonitate ejus liberatio à quo-

E cunque malorum, alioquin longè minor eſſet ejus bonitas quantumcunque parva bonitate cujuſcunque hominis. Si enim à quocunque homine impetrari poteſt, ut parcat omni, cui iratus eſt, ut benefaciat ei, ſive liberando eum à malo aliquo, vel aliud beneficium præſtando, & hoc faciente ſcintilla bonitatis, quæ in eo eſt; quantò fortiùs à fontali, abyſſalique bonitate creatoris & liberatio à malis quibuſlibet, & largitio quorumlibet bonorum poterit impetrari? quare ſolo verbo orationis exſufflabitur hujuſmodi imaginum virtus, & inſuper omninò nihil poterunt contra Dei altiſſimi veros, ac devotos cultores, niſi fortè ad utilitates eorum multiplices, de quibus audies in prænominato tractatu, cùm certum ſit hujuſmodi homines divinæ cuſtodiæ, & protectioni non ſolùm verbis orationum, & obſecrationibus, ſed etiam placatiſſimis obſequiis commendatos eſſe eidem. Ampliùs. Cœleſtes imagines ſi præſtant ſic factis imaginibus ſecundùm hunc errorem prænominatas virtutes, aut hoc eſt,
F quia imagines earum ſunt, aut quia ſic ſunt ſub eis factæ, quod eſt dicere, quia imagines ſunt tam virtuoſarum imaginum, aut quia ſub potentia, & ducatu earum factæ, ſiquidem, quia tam virtuoſarum imaginum imagines ſunt; tunc imago regis alicujus ex neceſſitate poſſet in toto regno ipſius, & obediet ei in regno illo quicquid obedit regi, & ad hunc modum de unoquoque principe, & duce contra quod non oportet aliquem diſputare; ſi verò, quia ſub hujuſmodi imagine facta, aut intelligit ſub veneratione, aut intelligit ſub exaltatione, ſive ſub fortuna illius, hoc eſt, cùm benè ſe habet in figura cœli, videlicet in aſcenſione, & aſpectibus, & tunc neutra via effugiet, quin deſtruetur error iſte per exemplum præmiſſum. Sub quantacunque enim veneratione regis fiat ejus imago, non propter hoc obediet ei totum regnum illius, maximè ſi abſcondita fuerit, vel ſepulta. Similiter quantumcunque
G benè, proſperè, & fœliciter ſe habente rege facta fuerit imago ejus, non propter hoc aliquid potentiæ, vel virtutis acquiretur imagini illi. Ampliùs. Si homo vera, vivaque imago creatoris eſt ſecundùm animam, quomodò non omnia, ſaltem minora homine, quæ in regno Dei altiſſimi ſunt, obediunt ei? Tu autem vides, quia nec minima animalia obediunt ei, cùm eum invitum multipliciter infeſtent, & adversùs eum totis ſtudiis, ac viribus rebellent. Quòd ſi dixerit quis, quia ab initio omnia animalia obediebant homini, quaſi naturali inſtinctu venerantia creatorem in imagine ſua, quæ homo eſt; hoc autem faciebant durante hujuſmodi imagine in integritate, & pulchritudine ſua, atque veritate ſimilitudinis divinæ; poſtquàm autem quaſi fracta eſt per peccatum, inquinata, & corru-
H pta, & in brutalem ſimilitudinem deformata, ceſſavit obedientia hujuſmodi, quemadmodùm, & ſigillo imaginis regis creditur, & obeditur, quamdiu ſervaverit illæſam imaginem regiam; aliàs autem non: jam patefeci tibi in alio tractatu, homines naſci beſtiales interiùs, hoc eſt, ſecundùm animam, & brutali ſimilitudine deformatos, & etiam accepta ſententia iſta ex ſermone prophetico, videlicet, homo cùm in honore eſſet, non intellexit comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Laudanda indubitanter eſt iſta ſententia, & ſcio me multoties hoc dixiſſe. Verùm non facit pro errore quem diſcutio, errore ſcilicet imaginum magicarum: illæ enim ſecundùm hunc errorem inviſæ omninò, immò abſconditæ, & ſepultæ operantur mirabilia magica; homo verò non erat timori, vel honori cæteris animalibus, niſi vel viſus, vel aliter deprehenſus; aliàs autem ipſe ordo naturæ hoc exigebat

Digitized by Google

gebat, ut omnia alia animalia ei ſubjecta eſſent, tanquàm domino ſuo, cùm propter ipſum, & ei facta eſſent. Unde & adhuc homines aliis animalibus tanquàm ſuis utuntur, quod & Ariſtoteles dixit, omnibus inquit utimur, tanquàm noſtris. Addam & aliam deſtructionem erroris iſtius, & dicam, quia imagines magicæ non operantur per intelligentiam, aut voluntatem, cùm neutrum habeant; ſed neque per virtutem corporalem ad modum naturæ; operationes enim corporales per modum naturæ per contactum ſunt aut mediatum, aut immediatum, quod eſt dicere, quia corpus virtute ſua corporali non agit, niſi vel in corpus, quod contingit, vel in aliud contingens illud; hujuſmodi autem imagines non agunt in terram, qua ſepultæ ſunt, quæ utique eas contingit ex omni parte; quare impoſſibile eſt, quod agant in alia actione naturali, quod eſt dicere, quæ ſit ex virtute corporis per corporeitatem ſuam; quare operationes hujuſmodi imaginum, nec ſpirituales ſunt, neque corporales. Quòd ſi dixerit, quòd per virtutes ſunt, quæ deſcendunt à conſtellationibus ſuper eas in hora ſuæ factionis, quomodò non potiùs deſcendunt ſuper imagines vivas hujuſmodi virtutes? Exempli gratiâ, ſi ſuper imaginem ſcorpionis mortuam, ut pote æream vel ſtanneam, vel ex alio metallo factam, deſcendit virtus congregativa ſcorpionum, vel diffugativa eorum, cùm vera propinquior ordine naturæ ſit ſcorpioni cœleſti, immo, quod plus eſt media ſecundùm ipſos, quomodò non potiùs hujuſmodi virtus deſcendit ſuper ipſum ſcorpionem vivum? Ampliùs. Qualiter, & qua ratione adjuvat imagines hujuſmodi, vel virtutes earum abſconſio, vel ſepultura? Virtutes enim imaginum cœleſtium non impediuntur apparitione, vel manifeſtatione earum, immò ſecundùm eos augentur; fortiſſimas enim eas dicunt, & fortiorum operationum in apparitionibus ſuis, quod eſt dicere in aſcenſionibus, & cùm fuerint in medio cœli. Quia verò interdùm accidere videtur quòd per hujuſmodi imagines fiant maleficia aliqua, qualia dicuntur, invultuationes vetularum, quod eſt dicere, per vultus aut imagines, factæ maleficationes, qualiter hæc fiant, quoniàm iſtis experimentis multùm nituntur hujuſmodi homines, dicam tibi. Suppoſito igitur quòd ſubſtantiæ, quæ dæmones nominantur, inimiciſſimæ ſint generi humano, ſicut patefaciam in ſequentibus, inimiciſſimæ etiam Dei altiſſimi, cujus juſtiſſimo judicio, & laudabiliſſima omni modo juſtitia damnati ſunt, & ejecti de cœlo, ubi & creati ab eo fuerant, facile eſt tibi videre, quòd omni aſtutia malignitatis ſuæ hominibus nocere, & divini cultus honorificentiam minuere, & etiam ad ſemetipſos trahere intendant. Ex qua radice peſſimi omnes ſpecies, & modos idolatriæ, quos alibi audiviſti, ſuggeſſerũt hominibus, ut ipſos Deo altiſſimo offenſos, & odibiles redderent, & ſic in poteſtatem ſuam redigerent. Ac licet ex hiſtoriis certiſſimis iſtud vehementer credibile ſit, probationibus tamen iſtud tibi in ſequentibus patefiet. quòd iſtos divina providentia, & bonitas, propter multiplices utilitates, & propter pulchritudinem juſtitiæ ſuæ omni genere tentationis tentare homines, & multipliciter impugnare permittit, quemadmodùm vides, quòd & malis hominibus per multa hujuſmodi contra bonos etiam facere permittitur. Ex ſuggeſtionibus igitur, dæmonum dico, hanc opinionem originem habuiſſe ut homines traherent ad ſervitium, id eſt, idolatriam ſtellarum, & averterent à cultura, & ſervitio Dei altiſſimi. Quemadmodùm enim, cùm ignis præſtò ſit ad calefaciendum, non à creatore calefactio petitur, ſed ad ignem recurritur, quia ſcitur virtutem habere calefaciendi;

Operationes corporales per contactum.

Dæmones inimici generi humano.

Cultus ſtellarum ex dæmonum ſuggeſtione.

A ſic qui tot, & tantas virtutes ſtellis eſſe crediderunt, vel adhuc credunt, pro omnibus bonis temporalibus, & multis etiam ſpiritualibus, recurrendum eſſe putaverunt ad ſtellas, & etiam in bonis, & malis, quarum largitio, vel a quibus liberatio, ſoli omnipotenti creatori, poſſibilis eſt. Nihil enim idolatræ majus de idolatria ſenſerunt, nihil adeò magnum eis attribuunt, quàm iſti ſentiunt de hujuſmodi imaginibus ſepultis, & abſconditis. Quis enim unquàm regnum, vel imperium petere cogitavit ab idolo aliquo? Sed nec ab ipſis dæmonibus impetrari talia poſſe credendum eſt eis, cùm ipſi opinentur ſe poſſe & ligare, & recludere ſpiritus hujuſmodi, & incarcerare ipſum principem eorum, quod & in libris ſuis ſcripſerunt, quamquàm impoſſibile ſit, ut alibi didiciſti, ſpiritum invitum corpore detineri. Dico

B igitur, quia ſicut homines multa procurant circa obtinendos honores, & dignitates, principatus ſimiliter, & dominationes, & interdùm beneplacitum eſt Dei altiſſimi, ut fiat, quod intendunt: interdùm verò judicio ſuo, vel occulto, vel manifeſto fieri illud permittitur, videlicet ut dominentur, & malos ſubditos premant ad correctiones ipſorum, vel etiam bonos, ut meliores efficiantur, & propter alias utilitates, quas audies in ſequentibus: ſimiliter & dæmonibus poſſibile eſt, & etiam faciliùs, ſuggerere multa hominibus, & inducere eos, ut aliqua velint, vel nolint, tanquàm ſuggeſtores, conſultores, & ſuaſores. Cogere autem eos nunquàm illis permittitur. Et de quodam creditur, quòd hujuſmodi procurationibus dæmonum Romæ ſummam dignitatem obtinuit, quod utique Deus altiſſimus, ſicut & alia mala, pro-

C pter bona, quæ inde novit elicere, ſuſtinuit. Sic & de amatoriis carminibus, vel aliis operibus, quæ propter amorem mulieris ſtulti, & decepti facere conſueverunt, tibi ſentiendum eſt. Si enim poſſibile eſt viro, vel mulieri ſuggeſtionibus, aut ſuaſionibus mulierem aliquam ſeducere, & in conſenſum turpitudinis inclinare, quantò faciliùs iſtud eſt dæmonibus, ſi fuerit in hoc permiſſio creatoris, tales, & etiam fortiores ſuggeſtiones mulieri, quæ concupiſcitur, ingerere? & quia ſpirituales ſubſtantiæ ſunt, ſive per cogitationem, ſive per ſomnum formas virorum eas concupiſcentium, & alia amoris hujuſmodi incentiva in imaginationibus earum pingere? Quia igitur delectabile imaginatum movet deſiderium, ut ait Ariſtoteles, manifeſtum eſt tibi ex hoc, qualiter dæmones procurent fieri occultis ſugge-

D ſtionibus opera hujuſmodi. Suggeſſerunt tamen eas fieri per imagines magicas, ut ſic traherent homines ad venerationem, & ſervitium ſtellarum, cùm omnes virtutes imaginum hujuſmodi ſtellis attribuant. De ſermone verò invultuationis, qui tam vulgatus eſt, & cujus credulitas apud homines ita firmata: reſpondeo tibi, quia reverà fiunt interdùm hujuſmodi invultuationes, & hoc per modum eundem. Non enim dubitandum eſt, quin omnipotens altiſſimus ſuo ſemper laudando judicio permittat aliquos ex hominibus vexari multis modis à dæmonibus, & quoſdam fieri dæmoniacos, quoſdam arreptitios, quoſdam lunaticos. Quid ergo mirum, ſi ea hora qua malus hujuſmodi imaginum operarius pingit imaginem, vel in aquam ferventem mittit, dæmones ſimiles paſſiones infligant eis interdùm, quibus adſcriptæ ſunt, & contra quos fabricatæ: opinantur autem deceptiſſimi homines, quòd talia fiant per virtutes imaginum. De his autem, quæ fiunt per magicam naturalem, ſcito quòd nullam habent creatoris offenſam, vel injuriam, niſi quis ex ea arte, vel nimis curioſè, vel malum operetur. Sicut contingit in arte medicinæ, per quam con-

Carmina amatoria.

Imagines magicæ.

Nota.

Digitized by Google

tingit operari interdùm in mortem, vel in læſionem alicujus. Hoc autem apparebit tibi ex ejuſdem radicibus, & principiis, & etiam in illis operibus, quæ fortè revelabuntur tibi per me. Quòd autem tam frequenter falluntur, & fruſtrantur intentionibus ſuis operatores imaginum hujuſmodi, ne dubites eſſe propter hoc quia non permittit creatoris bonitas, niſi raro, ut dæmones operentur pro voluntate hominum, & hoc ipſum propter multiplices utilitates ipſorum hominum. Quarum prima eſt declinatio ab erroribus, & ſeductionibus dæmonum: ſecunda eſt declinatio nephariorum operum, ad quæ paratiſſimi ſunt multi, ſi opportunitatem, vel facultatem dæmones eis faciendi talia procurent. Nulla enim mulier ſpecioſa incorrupta remaneret, nullus principum, nullus magnatum incolumis perſiſteret, ſi dæmones malis voluntatibus hominum adeſſe, & ſatisfacere permitterentur. Tertia cauſa eſt, ut honor proprius, & gloria debita creatori benedicto ſervetur, quæ hujuſmodi operibus læditur, & minuitur ultra modum, dum ea quæ ipſius ſolius dona ſunt, ab ejus inimicis capitalibus petuntur, & ab eiſdem obtineri quæruntur. Sunt & aliæ cauſæ, quæ ex his tibi facilè poſſunt elucere. Et jam ad hoc deducti ſunt aliqui ex aſtronomis, ut ſtellas, & luminaria, cœloſque non ponant cauſas eventuum, & aliarum rerum particularium voluntariarum, quæ fiunt ſub ſphæra lunæ, ſed ſigna tantùm ea eſſe, jam dicunt, concordantes legi hebræorum, in qua dicit ſermo propheticus de ſtellis: Sint in ſigna, & tempora. Iſtud autem habet multas quæſtiones. In primis ſcilicet, utrùm ſint ſigna per naturam, aut per intentionem, & voluntatem. Quòd ſi per naturam, neceſſe eſt ut ſit comparatio cauſalitatis, aut effectualitatis inter eas, & res hujuſmodi, aut comparatio alterius comitantiæ: exempli gratiâ. Elevatio manus cum gladio ſignum eſt imminentis percuſſionis, quoniàm & cauſa ejuſdem fit, inflammatio oculorum ſignum eſt iræ, quoniàm effectus illius: ſic & in aliis rebus ſeſe invicem comitantibus ſe habet, quemadmodùm adventus eorum, qui ſolent regem præcedere, ſignum eſt imminentis adventus regis, ſimiliter cùm aliquis videtur venire, ſine quo rex non conſuevit incedere, ſignum eſt præſentiæ regiæ, vel ejus adventus. Quòd ſi dixerit, quia comparatio cauſalitatis eſt, quæ eſt inter ſtellas, & res hujuſmodi, jam dicit contrarium ejus, quod ante dixerat, cùm dixiſſet ſtellas non eſſe cauſas rerum illarum, ſed ſignum tantùm. Quòd ſi dixerit, quia inter eas eſt comparatio effectualitatis, quod eſt dicere quia ſtellæ, vel motus earum ſunt effectus rerum ſublunarium, devenit in abſurditatem, quam nemo adhuc cogitavit. Si verò dixerit comparationem aliam, videlicet, comitantiam naturalem inter eas eſſe, manifeſtum eſt, eum non eſſe longè à prædictis erroribus, quoniàm comitantia naturalis non eſt inter aliqua, quæ non ſint ad invicem in comparatione cauſalitatis, & effectualitatis, aut quæ non communicent in cauſa, quæ cogit ea ſimul eſſe; ſicut illi, qui comitantur regem, communicant in cauſa, quæ facit inter eos concomitantiam ſicut in ſubjectione, & familiaritate regia. Sic ſe habet & in omni cauſa, ex qua naturaliter provenit multitudo cauſatorum. Sicut vides, quòd grana multa comitantur ſe in una ſpica, quoniàm ex una cauſa generante ea omnia ſimul ſunt. Verùm in rebus hujuſmodi non eſt alterum comitativum dignius, ut ſit ſignum alterius, quàm econverſò. Quare non potiùs ſtellæ, vel diſpoſitiones earum ſigna ſunt rerum ſublunarium, quàm econverſò. Non autem eſt auditum adhuc, ut de ſtatu ſtellarum, vel diſpoſitionibus aliis, conſultæ

Nota.

Quæſtio, an ſtellæ ſint ſigna operum voluntariorum.

Nota.

Nota.

E unquàm fuerint res ſublunares. Ampliùs. Cùm ſtellæ, & diſpoſitiones earum omninò neceſſariæ, & immutabiles ſint, diſpoſitiones dico, id eſt, motus, & illa, quæ per motum ſunt, videlicet conjunctiones, & oppoſitiones, aſpectus, & alia, quæ hujuſmodi homines obſervare conſueverunt in ſtellis: res verò ſublunares, particulares ſcilicet, & voluntariæ, contingentes ſint, & corruptibiles, atque aliter, & aliter ſe habere poſſibiles, manifeſtum eſt non poſſe eſſe naturalem comitantiam inter has, & illas; & hoc eſt, quoniàm res ſublunares antedicta ſua corruptione, & inſtabilitate continuè deſerunt ſtatum, & ſtabilitatem illarum. Quòd ſi dixerit, quia per intentionem, & voluntatem ſignificant ſtellæ, & earum diſpoſitiones res antedictas, & diſpoſitiones earum; tunc ſignificatio earum eſt quædam locutio. Hujuſmodi autem erroris deſtructio eſt prima per hoc, quia cùm non loquantur F niſi hominibus, & propter homines, & omnibus hominibus communiter neceſſaria ſit providentia, ſeu præſcientia eventuum ſuorum; tunc neceſſe eſt, ut omnibus hominibus loquantur ſtellæ per diſpoſitiones ſuas eventus eorum. Cùm igitur locutionem hujuſmodi non audiant, vel intelligant, niſi rariſſimi, & perpauciſſimi, fruſtra, & vanè loquuntur eis talia. Hoc enim eſt, ac ſi ſurdis loquerentur. Ampliùs. Cùm loquantur ſic per intentiones, & voluntates, neceſſe eſt res hujuſmodi præſcitas eſſe, & certas apud cœlos, & ſtellas; qua de cauſa neceſſe eſt & eas evenire, licet ratio iſta poſſit habere calumniam. Licet enim omnia futura præſcita ſint, atque certiſſima apud ſapientiam creatoris, tamen non ex neceſſitate futura ſunt; tamen veriſſimum eſt, & demonſtratione declarabile, quòd ſi apud G homines certa eſſent, & ſcita hujuſmodi futura, non eſſet fugere ullo modorum, quin eſſent & neceſſaria. De hoc autem ſatisfiet tibi in declaratione de cura, & gubernatione univerſi. Ampliùs. Cùm iſtæ locutiones cœleſtes, ſeu ſignificationes ex neceſſitate veræ ſint, & immutabiles, hoc eſt videlicet duobus modis, ut & non ſignificare non poſſint, quæ ſignificant, & aliud vel contrarium ſignificare non poſſint, quod dico propter ſermones propheticos, quorum debes hîc reminiſci, ut clarè intelligas, quid hîc dico. Quia igitur cœlum mentiri impoſſibile eſt, neceſſe eſt res evenire, prout eas ſignificat, & loquitur: quare aut non ſignificat, aut loquitur particularia contingentia de futuro, vel illa ex neceſſitate evenient. Ampliùs. Cùm cœlum ſciat res humanas particulares, & voluntarias etiam, & naturales; ſcit ergo, qui de hominibus audiant, & H intelligant locutiones, & ſignificationes ſuas, & ſimiliter qui non intelligant, vel non audiant, notum eſt eis. Cur igitur illis loquitur? Quis enim ſurdo, quem novit eſſe ſurdum, loqui velit? Ampliùs. Secundùm opiniones eorum, omnia ſecreta hominum loquitur, & clamat cœlum, etiam cogitationes hominum. De inveniendis enim cogitationibus per ſignificationes ſtellarum ipſi libros habent, & multi ex eis ſcripſerunt quare nihil eſt occultum apud homines, quod cœlum non detegat, & revelet, nec theſaurus, nec cogitatio, nec conſilium. Nihil ergo permittit, quantùm in eo eſt apud eos eſſe ſecretum: quare quantùm in eo eſt, confundit homines, & turbat ad invicem eos, dum proditiones, ſimultates, & occultas inimicitias eorum prodit, immò palàm, & publicè clamat. quare ſi omnes homines eſſent periti aſtronomi, nihil eſſet ſecretum inter illos. Ampliùs. Vel ſtatus iſte præſens ſtellarum, & mundi ſublunaris eſt habiturus finem ſecundùm hujuſmodi errorem, aut non eſt habiturus. Quòd ſi dixerit, quia ſtatus mundi ſublunaris habiturus eſt finem

Nota.

Nota.

Significationes cœleſtes.

Nota.

In magos, & aſtronomos.

Digitized by Google

finem ſed ſtatus cœleſtis non; tunc ergo mentietur totum cœlum: loquetur enim, & ſignificabit eaſdem diſpoſitiones rerum humanarum, quas & modò per eaſdem diſpoſitiones ſuas, hoc eſt, conſtellationes, cùm poſt finem mundi ſublunaris ſimiles conſtellationes futuræ ſint in cœlo, propter perpetuitatem, & immutabilitatem motuum ipſius. Si verò dixerit, quia neuter habiturus eſt finem, hoc deſtruetur tibi in tractatu de renovatione univerſi, & eſt error iſte contra omnem legem. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc, quæ fuit cauſa prohibitionis obſervationis ſtellarum in lege hebræorum, quia indubitanter hujuſmodi obſervatio, provt eam error iſte extendit, vel in venerationem, & ſervitium ſtellarum vergit, vel ab hominibus aufert principalitatem operationum ſuarum, cùm omnia quæ hominum ſunt, etiam cogitationes, quæ radices ſunt operum, in cœlo, & diſpoſitionibus ſtellarum, & luminarium, vel taliter dicta ſint, vel prædicta, ſeu cauſaliter ordinata. Non igitur voluntariorum operum noſtrorum nos ipſi principia eſſemus, ſed à foris nobis advenirent videlicet de cœlis ipſæ cogitationes, & affectiones noſtræ omnes. Quare nec in poteſtate noſtra eſſent, ſicut neque cauſæ earum, nec nobis imputandæ. Si enim cauſa conjuncta, & neceſſaria, qua poſita ex neceſſitate ſequitur effectus, non eſt in poteſtate noſtra, videlicet ut eam vel avertere, ne ſit poſſimus, vel eam impedire, ne operetur, non eſt in poteſtate noſtra ipſe effectus ſimiliter: quare cùm diſpoſitio omnis cœli, & figuratio ſeorsùm ſit à poteſtate noſtra, ita & omnis effectus ejus, quem in res humanas operatur, erit ſeorsùm à poteſtate noſtra. Cùm enim circa cauſam nihil poſſimus, nihil poterimus circa effectum. Quòd ſi dixerit quis, quia naturalibus ſimilitudinibus ſignificant figuræ ſtellarum, & diſpoſitiones earum res, quæ ſunt, & fiunt ſub ſphæra lunæ, ut leo leones, & ſcorpio ſcorpiones, & iterùm leo propter nobilitatem, & audaciam reges, & principes, & inſuper milites propter quaſdam alias proprietates, & conditiones ſuas, intolerabili abuſione loquitur homo hujuſmodi, quoniàm imago propriè id, cujus imago eſt, ſignificat, non econversò; quare leo terreſtris magis leonem cœleſtem ſignificat, quàm econversò. Non enim calor vaporem, ſed vapor calorem ſignificare dicitur propriè; quare ſi imagines cœleſtes cauſæ ſunt imaginum terreſtrium, ut ipſi ſentiunt, potiùs dignum eſt, ut ipſæ ſignificentur à terreſtribus, quàm ſignificent eas. Ampliùs. Similitudo per ſe non facit dignius alterum ſimilium, ut ſignificet illud, quàm econversò. Quoniàm autem jam alibi in duobus tractatibus audiviſti plura contra iſtum errorem per me, & præter intentionem præſentis propoſiti eſt perſcrutatri de hujuſcemodi, faciam hic tibi finem hujuſmodi diſputationis, & dicam, quia concedendæ ſunt virtutes cœleſtes ſuper res, quæ fiunt ſub ſphæra lunæ, provt jam determinavi tibi in præcedentibus; & quoniàm poſſunt in radicales naturas, hoc eſt, elementa, & humores, & in ea quæ compoſita ſunt ex his, & in animalia, provt dixi tibi in his, quæ præceſſerunt, in animalia quidem bruta virtute forti, & dominante. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm hujuſmodi animalia neceſſitate ſequuntur radicales naturas, & obediunt eis, & etiam diſpoſitionibus, quæ ex ipſis ſequuntur: frigus enim ſuperfluum neceſſitate fugiunt, non libertate; ſimiliter & paſcua ſequuntur ea neceſſitate. Quapropter cùm fuerit calor ſuperfluus in aliqua regione, minuentur alimenta animalium paſcualium, & fortè erit hoc uſque ad deſtructionem, & conſumptionem eorum, propter ſuperfluitatem, & diuturnitatem caloris. Non enim poſſunt vivere animalia hujuſmodi ſinè paſtu. Sic ſe habet & de hominibus, quantùm ad aliquid, quod in homines poſſunt, ſed non, niſi quantùm homines voluerint, & hoc eſt, quoniàm non neceſſitate vel ſequuntur, vel fugiunt radicales iſtas naturas, immò libera voluntate. Quia verò vulgus, & multitudo ex paucitate intellectus, & aliis malis diſpoſitionibus penè ad modum brutorum animalium vivit, ſequitur in multa ſui parte radicales naturas, & ex maximo ſui, nolens conſulere periculis corporum deficientibus alimentis, & aliis, quibus corpora humana indigent, efferatur in rapinas, furta, homicidia, & bella: quemadmodùm lupi invaleſcente fame ſæviunt in homines, & devorant eos, cùm aliis temporibus ab eis abſtineant. Sic & cùm cholera acuatur tempore nimij fervoris, & diuturni, efficiuntur homines facilis iræ, & vehementioris. quapropter rixæ, & conflictationes, & bella, cæteræque turbationes, concitantur, maximè in calidis regionibus, & interdùm fiunt iſtæ turbationes pluris diſſenſionis, interdùm minoris, & augentur etiam ex diæta, & uſu, ſcilicet immoderato hominum ſicut ex vino, & aliis quæ paſſiones animarum ingerunt. Præſcientes igitur has cauſas, prædicere poſſent, quia turbationes erunt in hujuſmodi regionibus, & hoc per conjecturam, & ſermone univerſali: particulariter autem, & ſingulariter de nullo hominum quicquam tale præſcire, vel prædicere poſſunt. Sapientes verò, & animis ſuis dominantes, ſciunt non eſſe ſequendas hujuſmodi paſſiones, & voluntate per virtutem libera non ſequuntur eas, immò in ſeipſis eas comprimunt & extinguunt. Quare manifeſtum eſt, quòd affligi occaſionaliter poſſunt, vel nimio æſtu, vel nimio frigore, vel defectu alimentorum, & aliorum corporibus ſuis neceſſariorum: afflictionibus autem, & paſſionibus, cedere eſt eis liberum, & voluntarium. Cogi igitur per operationes cœleſtes nõ poſſunt, neque ulla neceſſitas eis ingeritur, licet magnæ, & admirandæ virtutis ſit afflictionibus à veritate, & rectitudine non abduci. Lupinum enim eſt non humanũ inedia cibi, & famis tabie in homines faucibus, & dentibus, ad devorandum irruere. Quapropter ſapientes, & modeſti homines nulla fame, vel alia inedia in furta, vel rapinas, in bella, & homicidia induci poſſunt. Hæc igitur quæ dicunt, non propriè ſigna ſunt, ſed magis cauſæ rerum hujuſmodi, eo modo, quo dixi tibi. Quemadmodùm ſi quis videt ignem in capite alicujus villę, quę ex lignis ędificata ſit, accenſum, ventumque validum ex illa parte ignis venientem, intelligere poteſt, quòd periculum combuſtionis immineat illi villæ, etiam toti. Veruntamen quia poſſunt eſſe & aquæ copioſæ, & alia adjumenta contra ignem, & etiam viri fortes, & ingenioſi ad defendendum illam ab imminenti incendio, poterit vel defendi tota, vel pars aliqua ab eo. Sic eſt quòd cùm talia imminent rebus humanis multis adjumentis defendi poſſunt ad hujuſmodi periculis. Conſumptis enim paſcuis ſuperfluitate caloris, & longitudine ſiccitatis, pluvia data eſt multoties precibus prophetarum. Similiter & extincta incendia interventu ſanctorum virorum. Sic peſtes, & mortalitates prohibitæ, bella ſedata, hoſtibus flagellis cœleſtibus interfectis; quare non niſi per conjecturam, & ſub conditione prædici poſſunt talia. Nec mirum cùm ab ipſo diluvio univerſali, quod temporibus, Noë factum eſt, & à particulari, quod ſub Deucalione, & à pluvia ignis, & ſulphuris, & à tempeſtatibus innumeris, cùm omnia iſta eſſent divina flagella, præcibus virorum ſanctorum liberati multi ſint, ipſo clementiſſimo creatore contra juſtiſſimam iram ſuam

Vide. *Nota.* *Nota.* *Nota.* *Nota.* *Nota.*

Digitized by Google

faventc votis, & precibus dilectorum, & electorum ſuorũ. Verùm veræ nominationis ſigna, ut cladium, & aliorum magnorum eventuum in mundo, apparere conſueverunt in cœlis, & in aere, ſicut ſtellæ, quæ dicuntur comatæ, vel crinitæ, & de his fama publica eſt, & univerſalis credulitas, quòd prætendant mortes regum, & mutationes regnorum. Et ſtella illa, quæ apparuit in initio regni chriſtianorum, non fuit de hujuſmodi, nec ſimilis ei viſa eſt; prope enim terram ferebatur. Unde & ducatum habuit quibuſdã regibus orientalibus uſque ad locum, & domum ipſius regis, & inſtitutoris regni chriſtianorum: in aere etiã acies igneæ, ſeu gladij ferrei viſi ſunt in regno Italię imminente clade, quę per gentem Vandalorum facta eſt. Sic & Dracones ignei per acra diſcurriſſe viſi ſunt multoties. De eclipſibus verò Solis, & Lunæ inconſuetis, & inviſis adhuc, quales futuras eſſe aliqui prophetæ prædixerunt, ut Solem verti in tenebras, & Lunam in ſanguinem, & iſtas etiam præcedere diem judicij futuri: eclipſis etiam Solis, quæ ferè in initio regni chriſtianorum facta fuit horâ ferè ſextâ, & Luna decima quinta, cùm indubitanter per interpoſitionem Lunæ ipſi Soli, & terræ, tunc fieri non potuerit, cùm & plenilunium eſſet, & Luna ſub terra: Sol verò ſuper terram, quaſi per diametrũ, tunc diſtantes & à conjunctione ſua longiſſimè, nonne eſt magnum aliquod portentum? Quo miraculo Dionyſius philoſophus permotus, relictâ idolatriâ, *Nota.* iiſdem temporibus auditâ prædicatione chriſtianæ religionis, ad ipſum Chriſtum converſus eſt. De hujuſmodi apparitionibus, quæ fiunt in ſublimi, non eſt dubitandum, quin portendant futura non qualiacunque, ſed eventus magnos, atque terribiles, prout diligentiſſimâ, atque longiſſimâ experientiâ compertum eſt. *Nota.* Ipſa etiam gens chriſtianorum circa finem mundi, appropinquante die judicij, ex doctrina ſua, & fide, expectat multa hujuſmodi ſigna, ſcilicet incõſueta, & nec dum viſa; fiunt autem ex providentia & bonitate creatoris, ut ſint terrori, & ſint etiam ad præmonitionem mortalibus, ſcilicet ut auferant à ſeipſis ea, quibus creator offenditur, & iraſcitur, & immittit in eos peſtes, & fames, clades, & bella, & alia quæ eos deterrere conſueverunt ab offenſionibus creatoris. Firmatur etiam ex hujuſmodi ſignis, & terroribus credulitas de providentia, & cura creatoris circa res humanas, quæ quàm neceſſaria ſit, quàmque ſalutaris ad corrigendos mores & componendam vitam hominum dubitare non poteſt, niſi qui ratione uti non novit. Noſti enim virtutem, & efficaciam timoris ad reprimendas animoſitates hominum, & avertendas ab eis, quæ malè cupiunt, & ad deſerendum ea, quæ malè diligunt. Jam igitur declaratum eſt tibi ex his, & per hæc, quid ſentiendum ſit de virtutibus cœleſtibus apud ea, quæ fiunt ſub ſphæra Lunæ, & quantùm, & circa quæ extendi oporteat eas circa homines, & cætera animalia; & quòd non per modum, quo putaverunt aſtronomi poſſunt in leges, vel ſectas, nec in artes, aut diſciplinas, aut mores hominum, ſimiliter nec in honores, & dignitates, principatus, aut dominationes rerum humanarum. Declaratus etiam eſt tibi error, qui eſt de imaginibus magicis cum cauſa, quæ induxit illum. Fient autem omnia hæc tibi certiora, & clariora, per ea, quæ patefient tibi de cura, & gubernatione Dei altiſſimi circa univerſum. Cũ enim innotuerit tibi, quanta cura ſit ſapientiæ, & bonitati creatoris de hominibus, & rebus humanis, eluceſcet tibi evidenter, quia nec imaginibus, nec ſtellis, nec luminaribus, aut etiã cœlis committit gubernationem eorum, nec eos exponit ullo modorum voluntatibus magorum, aut maleficiis, cùm manifeſtum ſit, quia à ſeipſo, & contra iram juſtiſſimam ſuam, de immenſitate pietatis ſuæ eadem tuetur, atque defendit. Et cùm

E multa de his, quæ præceſſerunt, præter intentionem ſint præſentis propoſiti, ſcias quòd hac de cauſa ea præmiſi, & ſcripſi, ut erigerem intellectum tuum ad conſiderationem rerum occultarum, & mirabilium, & averterem te à periculoſis erroribus, & firmarem credulitatẽ tuam in ſermonibus propheticis, qui reverâ ſermones Dei altiſſimi ſunt, & ejuſdem veneranda oracula. Poſt hæc autem perſequar juxta inceptum ordinem inveſtigationem reliquorum corporum magnorum mundi, *Nota.* quæ ſunt de magnis ejuſdem partibus, & hæc ſunt quatuor elementa, quæ videntur eſſe quatuor magnæ partes mundi, quæ continet ſphæra Lunæ. Scito igitur quia quidam ex philoſophis generationem quatuor elementorum poſuerunt eſſe ex motu vel omnium cœlorum mobilium ſimul, vel ex motu ſphæræ lunaris. Cauſa autem, quæ eos induxit in hoc, fuit; videntes enim quia ex motu calor provenit, poſuerunt primam partem materiæ F quatuor elementorum, hoc eſt orbi Lunæ contiguam, calefactam maximè eſſe, atque deſiccatam ex motu fortiſſimo, ac proximo eidem orbi lunari circa ipſam, ſicque per vehementiam calefactionis, & deſiccationis, ignem factum: partem verò proximam, ex qua generatus eſt aer, propter remotionem ſui à motu cœleſti minus calefactam, & licet ſubtiliatam, in nullo tamen deſiccatam, & ſic generatum eſſe corpus ſecundùm calidum, & humidum & illud eſt aer. Tertiam verò partem propter majorem remotionem remanſiſſe frigidam, & humidam, & ſic factam aquam. Quartum autem propter maximam à motu cœleſti diſtantiam remanſiſſe in ultimitate groſſitiei, & hæc eſt terra, fæx omnium elementorum, ut multi dixerunt. Videntur autem erraſſe multis modis, qui ita opinati ſunt, & primùm quidem, G quia generatio corporis non eſt poſſibilis fieri niſi ex corpore, neceſſe habent confiteri, materiam quatuor elementorum, ex qua ſcilicet quatuor elementa per modum, quem poſuerunt, ſunt, corpus fuiſſe. Deinde, quoniam omne corpus aut ſimplex eſt, *Nota.* aut compoſitum, ſive mixtum ex multis. Quòd ſi dixerint illud ſimplex fuiſſe, manifeſtum eſt ſecundùm eos, ipſum non fuiſſe naturæ quinti corporis, quod quintam eſſentiam, & corpus cœleſte ipſimet nominant, cùm corpus cœleſte incorruptibile ipſimet ſentiant: iſtud autem corruptibile fuiſſe negare non poſſunt, cùm ex eo generata eſſe quatuor elementa confiteantur, & generationem omnem ex quocunque fiat, per corruptionem ejuſdem fieri neceſſe ſit. Neceſſe igitur corpus hujuſmodi, ſi ſimplex fuit, fuiſſe velut unum elementum, & ecce per hoc jam deducti ſunt, ut ponant quintum corpus, & quintum elementum, quod hactenùs apud H ipſos non fuit auditum. Deſtruitur autem error ipſorum & ab Ariſtotele, & ab eiſdem in libris meteororum, quod ipſimet ſcripſerunt. Ampliùs, ſi vera & debita eſt ordinatio quatuor elementorum ſub corpore cœleſti, ita ut ignis ordine naturæ proximè ſequatur ſphæram lunæ, & ignem aer, & aerem aqua, aquam verò terra: non eſt igitur naturaliter medium, aut cœlo vicinius igne; hujuſmodi autem corpus, ſi vel eſſet naturaliter, vel fuiſſet, eſſet ex neceſſitate igne prius ordine naturæ, & cœlo, ut dixi, & lunæ, naturaliter propinquius, & locus ejus naturalis eſſet medius inter ſphæram lunæ, & ſphæram ignis: quare iſta generatio, quam ponunt elementorum, ejeciſſet corpus illud de loco ſuo naturali. Ampliùs. Corpus illud cùm eſſet igne prius naturaliter, & ordine ſublimius, ex neceſſitate eſſet & nobilius. quare manifeſtum eſt, quia iſta generatio imminuiſſet, & in deterius poſuiſſet mundum ſublunarem, cùm corpus nobilius deſtruxiſſet, & corpus pro eo minus nobile reſtauraſſet. Quòd ſi dixerint, quia corpus

illud

Digitized by Google

illud fuit compoſitum, & mixtum, tanquàm ex quatuor elementis, tunc fuit ex neceſſitate ordine naturæ poſterius: omne namque compoſitum componentibus ex neceſſitate poſterius eſt, & omne mixtum eis, ex quibus mixtum eſt; quemadmodùm oxymel tam melle, quàm aceto, ordine naturæ poſterius eſt. Quare non fuit ordinata ordine naturali & recto, mundi ſublunaris creatio, ſeu factio, cùm primùm facta ſit quatuor elementorum in ea materia hujuſmodi, quam ſecundùm opinionem iſtam manifeſtum eſt eſſe poſteriorem. Ampliùs. Meritò quærendum eſt ab hujuſmodi hominibus, utrùm una revolutione corporis cœleſtis, vel pluribus facta ſit hujuſmodi generatio quatuor elementorum? Si dixerit quia una ſola, & per illam generatus eſt tantus ignis, ergo mille revolutionibus debuit augeri generatio ignis, in millecuplum. Manifeſtum enim eſt, quia ubicunque ex motu calor, pro augmento motus, neceſſe eſt augeri & calorem in materia calefactibili, cujus exemplum eſt calefactio corporis tui. Si enim deambulatione unius ſtadij, vel miliarij, calefit corpus tuum aliquantulùm deambulatione æqualis velocitatis duorum ſtadiorum, vel miliariorum, duplò calefiet, vel ſaltem aliquantùm ampliùs. Quare, cùm omnia elementa alia ab igne calefactibilia ſint, & continua ſit revolutio corporis cœleſtis circa ea, neceſſe eſt augeri calorem, qui ex hujuſmodi motu eſt, continuè, donec omnia hæc convertentur in ignem, & jamdiu etiam eſt, quòd deberent omnia hæc converſa fuiſſe in ignem. Quemadmodùm & per contrarium apparet tibi, quia ſi continuè augeretur frigiditas aquæ, & aeris, & calor non augeretur, neque ignis, neceſſe eſſet tandem aera converti in aquam, & ignem extingui, & in aquam ſimiliter tranſmutari, & ita rediret facies mundi ſublunaris, qualem eam ſecunda die creationis mundi multi dixerunt. Si verò dixerit, quia pluribus revolutionibus corporis cœleſtis, aut finitæ fuerunt illæ, aut infinitæ. Si finitæ, accidit idem, quod prius, quia in quocunque numero ponantur, in ejus numero duplicato neceſſe eſt duplicatum, vel majorem generari calorem, verbi gratiâ: ſi mille fuerunt, per quas tantus calor factus ſit, ut per ipſum generatus ſit tantus ignis, & etiam ipſe aer, in duobus millibus revolutionum neceſſe eſt vel duplicari calorem, & propter hoc ignem, vel ſaltem augeri, donec, ut prædixi tibi, omnia elementa convertantur in ignem. Quòd ſi dixerit, quia infinitis revolutionibus facta eſt generatio ignis, & ita de aliis. Deſtruitur hoc duabus viis, quia vel ponit, qui ſic dicit, cœlum principium habuiſſe in tempore, principium inquam exiſtentiæ ſuæ, vel ponit contrarium. Si ponit ſic: tempus igitur tantùm finitum præceſſit, non infinitum, præceſſit inquam hanc horam præſentem, in qua hæc ſcribuntur. Jam autem alibi didiciſti, quia in tempore finito ſpatium infinitum tranſiri non poteſt: quare non eſt poſſibile infinities fuiſſe tranſitum in hoc tempore mundi ſublunaris. Non enim refert an infinitum unum pertranſiri dicatur, an finitum aliquod infinities in tempore finito, quemadmodùm non refert; an dicas ſtadium unum infinities eſſe pertranſitum in tempore aliquo finito, aut infinitorum ſpatium ſtadiorum. Quare manifeſtum eſt, quia corpus cœleſte ſecundùm hoc nondùm complevit tales revolutiones infinitas. Si igitur infinitæ revolutiones hujuſmodi requirebantur ad generationem ignis, manifeſtum eſt nondùm eſſe completam generationem ipſius, & multò fortiùs generationem aliorum elementorum, cùm remotiora ſint à cauſa ſuæ generationis, videlicet à motu corporis cœleſtis. Quòd ſi dixerit, quia tempus infinitum præceſſit hanc horam, & ideò completæ ſunt revolutiones infinitæ, quare & generatio elementorum completa; dico, quia hujuſmodi homo errat duobus modis: primùm, quia contrarius eſt ſibi ipſi: cùm enim ponit elementa generata eſſe, ponit ea eſſe poſtquàm non erant, præſertim cùm ponat eis materiam quæ præceſſit ea, & corrupta eſt in generatione ipſorum: quare ponit eis principium eſſendi in tempore, & propter hoc finitis ex neceſſitate revolutionibus corporis cœleſtis ea eſſe generata propter cauſam prædictam. Secundò, quia infinitæ revolutiones præceſſerunt, cùm ſecundùm eos totidem ſequantur, quoniàm ponunt motum cœleſtem perpetuum eſſe, neceſſe eſt, ut ſicut adduntur revolutiones revolutionibus, ita fiant continuæ additiones ſuper calorem. Quare neceſſe eſt veniri tandem ad id, quod dixeram, videlicet, ut omnia, quæ ſunt ſub Luna, convertantur in ignem. Si enim una revolutione nihil addatur, ſequitur quòd nec duabus, nec mille, & hoc eſt manifeſtum inconveniens, cùm in ferro levi motu, & uno, aliquid caloris fiat, & duobus tantùm motibus plus, & ita, donec veniatur ad ultimitatem caloris, quæ eſt arſio, vel ignitio. Certum autem eſt, quia totus mundus ſublunaris facilè calefactibilis eſt, quia & aer, & aqua, & terra. Multò autem calefactibilior materia eorum, cùm omnis materia longè paſſibilior ſit, quàm id quod ex ea eſt materiatum. Si verò dixerint, quia id, ex quo generata ſunt quatuor elementa, non fuit corpus: fuit autem materia quatuor elementorum, ut ipſi ponunt: fugit igitur materia corporalis nuda, & propter hoc hyle tantùm abſque omni forma, quod ipſimet confitentur inconveniens eſſe, & impoſſibile.

Nota.

Nota.

Nota.

CAPUT XLVI.

De materia, ex qua facta ſunt quatuor elementa ſecundùm aliquos, aqua ſcilicet, & de ejus ſalſedine.

JAm autem dixi tibi, quia lex Hebræorum, & ſapientes tam de gente eorum quàm de gente Chriſtianorum, dixerunt, materiam, ex qua facta ſunt quatuor elementa, aquam eſſe, ſimiliter & materiam omnium cœlorum, præter quam primi, quod empyreum vocatur, & quia majores, & ſapientiores eorum in hoc concordaverunt, quòd non fuerit aqua veri nominis, quæ aqua vocata eſt, propter cauſas quas audiviſti, ſicut neque aquæ marium veri nominis aquæ ſunt, quod probat ſalſedo earum, qui ſapor non poteſt eſſe aquæ puræ, & veræ; quare de admixtione alterius corporis eſt eis ſapor hujuſmodi: indicium autem hujuſmodi certiſſimum eſt, quia per excolationem amittunt ſalſedinem, ſicut cùm excolantur per ſaburram ſubtiliſſimam, vel ſabulum, vel quod eſt frequentius, quia in vas fictile diligenter obſtructum, & vacuum in mare miſſum, intrant aquæ hujuſmodi excolatione ſubtiliſſima; unde & cùm aliquanto tempore in mare fuerit vas hujuſmodi, invenitur plenum aquâ dulciſſimâ, & hoc eſt quoniàm anguſta vaporoſitas vaſis hujuſmodi non permittit intrare aquam marinam cum groſſitie ſuæ admixtionis, ſed ſpoliavit eam groſſitie illa, ſimulque ſalſedine ſaporis: per hoc igitur facta eſt dulcis. & de vaſe cereo ſimiliter ſe habet. Invenitur etiam per ebullitionem, & virtutem caloris hujuſmodi admixtio. Tu enim ſcis, quia calor eſt virtus diſgregativa heterogeneorum, hoc eſt, rerum diverſarum naturarum. Hinc eſt, quòd cùm aqua aliquandiu bullierit in vaſe æneo, poſtquàm ſemota aliquantu-

Vide.

Digitized by Google

E lùm requieverit, apparebit tibi ſedimen terreum in fundo vaſis, quaſi virtute caloris ab aqua pura ſeparatum, & hujuſmodi ſediminis quantitas erit pro quantitate groſſitiei, ſive admixtionis, quam aqua habuerit; quantò enim groſſior, & majoris admixtionis fuerit, tantò ſediminis hujuſmodi plus habebit. Hinc eſt quòd architectonici probant *Nota.* aquas locorum, in quibus ædificia conſtruenda ſunt, utrùm aquæ hujuſmodi ſalubres ſint, an noxiæ, & quæ etiam magis ſalubres. Quòd ſi fortè quis dixerit, quia aquæ naturaliter ſalſæ ſint omnes, per hoc, quod legitur in lege Hebræorum, dixiſſe Deum: congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum unum. Si enim puræ erant aquæ, & dulces, tunc non eſt facta congregatio earum in locum unum. Non enim eædem aquæ eſſe poſſunt aliquandò dulces, aliquandò ſalſæ, & hoc eſt, quoniàm purum, & mixtum in omni genere corporum diverſantur ſpecie, quemadmodùm medij colores, & extremi. In hoc igitur dico, quia aquæ ab initio dulces fuerunt, & hoc ipſe ordo naturæ requirit. F Purum enim mixto ordine naturæ purius eſt, ſicut ſimplex compoſito: quare eadem comparatione ſe habent ad invicem dulcedo aquatica, & ſalſedo, utpote effectus, & conſequentia illarum. *Nota.* Salſedo igitur advenit aquis, ſicut odor, & ſapor ſulphuris quibuſdam ex eis; hoc autem ex multitudine caloris, qui erumpit in fundo cujuſlibet maris ex terræ viſceribus, ubi non eſt dubium plurimum eſſe calorem, qui adurens hujuſmodi vapores, facit eos amari, & acuti ſaporis, & etiam odoris. Hinc eſt, quòd cùm admixti fuerint aquis, efficiunt eas ſalſas, & amaras, ſicut apparet in lixivia, quæ fit ex commixtione cineris aduſti, & aqua dulci. Hinc eſt quòd lixivia amara eſt, & ſalſa. Cinis enim terra aduſta, vel incenſa eſt, quapropter admixtio ejus cum aqua ſalſedinem, G & amaritudinem ejus in lixivia efficit: quemadmodùm manifeſtum eſt in aqua ſulphurea, & in balneis aquarum ſulphureatum, & odoribus eorum.

CAPUT XLVII.

Propter quid aquæ, quæ ſub cœlo fuiſſe dicuntur, prius creatæ ſint, quàm ignis, vel aer.

Nota. SI quis autem quærat de aquis hujuſmodi, quæ ſub cœlo fuiſſe dicuntur, ad quid creatæ fuerunt, cùm eadem facilitate poſſibile fuerit creatori creare quatuor elementa, ut corpus illud, quod nomine aquarum intelligitur? Non enim videtur eſſe ſapientis artificis, cùm per unum expediri poſ- H ſit ab opere, quod intendit, multiplicare vias, & operationes, quæ nihil adminiculi, nihil meliorationis præſtant operi principali. Cùm enim partem corporis illius oportuerit corrumpi in generationem ignis, & aeris, ad quid facta eſt, vel creata pars illius? ad quid iſte labor naturæ in corruptionibus ipſius & generationibus ignis, & aeris, cùm ea facilitate idem ſolo verbo ſuo omnipotenti, ſine his corruptionibus, & generationibus creare potuit ignem, & aera? ad hoc enim creaſſe videtur partem illam corporis antedicti, ut ſolùm eam deſtrueret propter generationem ignis, & aeris. Tu ergo ſcito, quia lex Hebræorum non loquitur de generatione ignis, aut aeris, ſed dicit aquas, quæ ſub cœlo ſunt, congregatas fuiſſe verbo Dei in locum unum: aut igitur remanſit vacuum in parte loci aquarum, quod non eſt poſſibile, aut pars aquarum, quæ totum occupabat uſque ad ſphæram lunæ, rarefacta eſt, & reliqua inſpiſſata, ſeu condenſata, ut oſtendi tibi, vel etiam ampliùs, ut pars antedicti loci longè minor, quàm anteà, illam caperet. Per hanc igitur viam videtur eſſe generatus aer. De igne verò nullam mentionem fa- *Nota.* cit propheta ille ſapientiſſimus Hebræorum, vel propter hoc, quia non philoſophari rudi populo curioſa, ſed magis prophetare, & docere ipſum ſalubria intendebat, vel propter hoc, quia ignis hujuſmodi multis ſapientibus, & doctis adhuc abſconditus, rudi populo ejus eſſe incredibilis videretur. Incredibilitas enim magnum, & valdè noxium, eſt doctrinæ ſalutaris, & peccatum grave non credere prophetæ, & legiſlatori. Fortaſſis autem & ob hanc cauſam, quia noluit populo in idolatriam, quam per legem funditùs exterminare intendebat, ruere, & incidere paratiſſimo mentionem facere de igne, & loco ipſius, nec memoriam culturæ ignis, quæ non ſolùm apud chaldæos celeberrima erat, ſed etiam in terra, quam poſteà populus obtinuit; terra ſcilicet chanaan; non parum frequens erat: facillimus enim erat populus ille in rebus, quarum cultus famoſiſſimus erat, ex ipſa ſublimitate locorum ſuorum aliquid divinæ virtutis, & numinis ſuſpicari. Cùm enim transferri crederent homines in deos, homines inquam, quos in altum ferri putabant poſt mortem corporum, quantò fortiùs ea quæ ſemper in alto ſunt, deos eſſe, & veneranda numina facilè poterant opinari? Generatus igitur videtur eſſe ignis ex ſuperiori parte aquarum. Illam enim magis oportuit ſubtiliari, & rarefieri; quia etiam veriſimile eſt, ut ſupra dixi tibi, aquarum illarum partes juxta appropinquationem ſuam ad nobiliſſimum, & ſubtiliſſimum corpus mundi quod eſt cœlum empyreum nobiliores fuiſſe, atque ſubtiliores.

CAPUT XLVIII.

Stabilitio eſſe ignis, quod ſcilicet eſt elementum.

ESſe autem ignis duabus viis invenitur, & ſtabilitur, & fortè pluribus. Primùm, quia mundus ſublunaris incompletus eſſet, & imperfectus, ſi deeſſet ei quarta pars iſta ſuæ totalitatis, & eſſet quodammodò decapitatus, & enormiter detruncatus, ſi deeſſet elementum hujuſmodi: elementorum enim quatuor nobiliſſimum ignis eſt. Alia via, quia in mundo ſublunari eſſet vacuum naturæ, quemadmodùm ſi aliqua ſpecies mediorum colorum deeſſet, eſſet inter colores vacuum naturæ, ut ſupra dixi tibi. Ampliùs. Incompleta eſſet univerſitas elementorum, & imperfecta. Incompletio autem, & imperfectio, in tam mirifico Dei opere, tamque nobili non poſſunt eſſe, niſi aut per impotentiam, aut ignorantiam, aut avaritiam, ut ita dicam, artificis, quæ *Nota.* omnia in ultimitate elongationis ab omnipotente, ſapientiſſimo, optimoque creatore longè ſunt. Alia via ex radicibus: ſi enim frigitas habet ſubjectum proprium, neceſſe eſt calorem, ſeu caliditatem habere ſimiliter proprium ſubjectum Ampliùs. Si alterum contrariorum invenitur in natura univerſi, invenitur in eodem & reliquum; quare ſi invenitur in univerſo mundo ſublunari corpus frigidum, & humidum naturaliter, neceſſe eſt in eodem inveniri corpus contrariarum diſpoſitionum, & juxta hanc viam poſtquàm invenitur in univerſo ſublunari corpus frigidum, & ſiccum, quod eſt terra, deinde frigidum, & humidum, quod eſt aqua; tertiò calidum, & humidum, quod eſt aer; neceſſariò debet quarto loco inveniri corpus cali-

Digitized by Google

dum, & ſiccum, quod eſt ignis. Ampliùs. Si frigiditati aſſocientur naturaliter duæ naturæ radicales elementales, videlicet ſiccitas in terra, & humiditas in aqua; quomodò non ſimiliter, & caliditati aſſociabuntur aliæ duæ in duobus aliis corporibus, videlicet humiditas, in uno, & hoc idem manifeſtum eſt, quia in aere, & ſiccitas in alio, quod indubitanter eſt ignis? *Nota.* Indicium autem eſſe ipſius ignis & collocationis ejus inter convexitatem aeris, & ſuperficiem intimam ſphæræ lunaris, ſunt inflammationes, quæ fiunt in ſublimi, & videntur eſſe ſtellæ cadentes. Inflammationes enim hujuſmodi ex aere eſſe non poſſunt, cùm aer ibi inflammatus non ſit, alioquin non jam aer eſſet, ſed ignis: per inflammationem enim tranſiviſſet in ignem: eſt igitur ibi ignis, à quo fiunt hujuſmodi inflammationes, & reverà iſte ignis non eſt ſicut flamma, alioquin de nocte totum cœlum ardere videretur, & nulla ex ſtellis appareret. Noſti enim quòd viſus ſtat in flamma, & non tranſit eam ullo modorum. Noſti etiam ex aliis, quia flamma non eſt corpus ſimplex, immò mixtum, atque compoſitum. Quæ autem ſit natura ignis elementi, declarare, vel determinare non eſt præſentis propoſiti.

CAPUT XLIX.

Quæ utilitates mundo proveniant ex igne elemento.

Nota. SI quis autem quærat, quæ utilitates in mundo proveniant ex igne, dico, quia utilitates univerſales proveniunt ipſi mundo ſublunari ex eo, videlicet perfectio, & decor, perfectio ſcilicet ſuæ totalitatis, & decor, quoniàm per ipſum ignem eſt mundus ipſe, ſicut decet eum eſſe. Et etiam ipſe aer non ſtaret in perfectione ſua, niſi adjuvaret eum ignis. Scis enim quoniàm aer infrigidatur vehementer motu ſuo, qui eſt ei à flatu ventorum & diſcurſu nubium. Noſti etiam quia frigiditas aquæ multò fortior ſit caliditate aeris, & jure naturæ non minùs fortis caliditate ignis. Contraria enim veri nominis, ac rationis æqualia eſſe ſemper neceſſe eſt. Non effugeret igitur aer, neque reſiſteret tantis frigefactionibus: quare totus tandem converteretur in aquam. Quantæ autem utilitates & hominibus, & aliis animalibus ex aere proveniant, nullum rationalium latere poteſt. Proveniunt igitur utilitates ab igne hominibus, & aliis animalibus, ſicut poſſibile eis à tam remota cauſa provenire, & quales etiam poſſibile eſt eſſe ab hujuſmodi corpore. Si quis autem quærat, utrùm ignis gignat, & nutriat aliqua animalia, quemadmodùm aer, aqua, & terra faciunt; ſcito quòd quidam ſomniaverunt quòd ſalamandra ſit de hujuſmodi animalibus, quæ ex igne generantur, & nutriuntur ab ipſo. Tu autem jam audiviſti in his quæ præceſſerunt, intentionem meam ſuper hæc. Et quoniàm omne corpus cujuſcunque animalis compoſitum eſt ex multis partibus, & membris, quæ ſimiliter compoſitæ ſunt elementatæ, & mixtæ: compoſitum autem, & mixtum impoſſibile eſt generari ex uno ſimplici, & *Nota.* etiam nutriri dico, quoniàm neque ex igne elemento, nec ex aliorum quocunque ſolo, poſſibile eſt generari animal, vel nutriri ab eodem.

A

CAPUT L.

Quòd augmentum, & diminutio maris, augmentationem, & diminutionem, luminis Lunæ ſequatur.

SI quis autem quærat, qualiter Luna mare augeat vel minuat: dico, quia mare videtur augeri, vel minui, quandò non augetur, nec minuitur ſecundùm veritatem: quemadmodùm aqua bulliens ex bullitione non augetur, immò minuitur: videtur autem augeri propter ebullitionem, & exundationem, & vas, quod nec plenè plenum erat ea, videtur ex ea cumulatum, & jam ſuperfluens. Hoc autem facit apparere additio vaporum ex aqua ipſa reſolutorum per vehementiam caloris, qui elevant eam aſcenſione ſua, atque diſpergunt multitudine B ſua; ſic eſt & de maribus. Unde fervores maris & ebullitiones vocantur inundationes hujuſmodi, & fiunt multiplicatione, & aſcenſione, vaporum aſcendentium à fundo maris, & à profunditatibus terrarum, quæ maribus apertæ ſunt, & ab ipſis terræ viſceribus plurimum calorem habentibus, *Nota.* & hæc eſt cauſa, ſicut jam audiviſti per me, propter quam maria minoris latitudinis, & majoris profunditatis fortiores, & altiores habent inundationes; maria verò quæ ſunt majoris latitudinis, minores habent ebullitiones: quemadmodùm vaſa ſtricti orificii, quàm patellæ, & alia ſimilia vaſa, & hoc quoniàm liberiorem, & latiorem exhalationem habent vapores hujuſmodi in maribus majoris altitudinis quàm in aliis, & ideò non cogunt aquas marinas C couſque levari, vel dilatari. Et quoniàm ſcripſit Ablumaſar in libro ſuo, quem vocat introductorium judiciorũ aſtronomorum, quia mare exit, vel effluit in illa regione ſemper, cùm Luna aſcendit: ſi verum eſt, quod ego utique non probavi, non reputo longè à veritate, ſi quis dicat, quòd mare aſſurgit ei, *Nota.* tanquàm duci ſuo, vel aliàs virtutem, & poteſtatem habenti ſupra ipſum, vel ex aliquo aſpectu, qualem diximus eſſe inter ferrum, & lapidem magnetem, de quo manifeſtum eſt quòd magneti aſcendenti quaſi aſſurgens coaſcendit, ſicut econtrariò ſe habet in lapide jaſpide, & lapidibus, quos vocant ſardonichas, ſi vera ſunt, quæ dicunt experimentatores de eis. Dicunt enim, quia fluxum ſanguinis reſtringunt, & faciunt ſtare intra receptacula ſua, & iſte aſpectus eſt quaſi timoris. Stat enim D ſanguis, qui priùs fluebat in præſentia hujuſmodi lapidum, quaſi formidet præſentiam eorum. Poſſibile tamen eſt ut per virtutem Lunæ intendatur frigiditas. Jam autem noſti, quia frigiditas coagulat vapores in guttas pluviales, ex quibus fiunt inundationes pluviarum, generationes torrentum, & augmenta fluviorum, & fluminum: quòd ſi hoc operatur frigiditas in ſublimi, quanto fortiùs ſimilia, & majora operabitur in locis inferioribus, ubi ſedes ejus eſt, & principalitas virtutis ſuæ. Quòd autem augmentationes, & diminutiones marium ſequi videntur apparitiones, augmentationes, & diminutiones luminis in Luna, inde eſt, quia virtus Lunæ impedit ex conjunctione Solem, cùm prohibeat radios Solis, & propter hoc virtutem calefactivam ipſius ſuper terras, & maria, vel quia ipſa virtus Lunæ impeditur ab operatione ſua ſuper mare ex conjunctione Solis, quam conſtat eſſe contrariæ operationis ad operationem Lunæ ſupradictę: quapropter ſicut paulatim fit additio ſuper elongatione ejus à Sole; ſic fit confortatio virtutis ipſius, donec compleatur apparitio luminis in ea, & ideò tunc quaſi liberata ab impedimentis completur operatio virtutis ejus ſuper omne frigidum, & humidum, prop-

Digitized by Google

ter-quod, & mare, & ea, quæ ſupra dixi tibi, eſt in complemento ſuæ augmentationis, & inde per reverſionem ad Solem juxta appatitionem diminutionis luminis in eâ, fit diminutio eorum, hoc eſt *Nota.* frigidorum & humidorum tam in maribus, quàm in animalibus, & plantis. Quòd ſi dixerit quis quia hoc eſt ex virtute ſolari, & operatione luminis, & caloris ipſius: cùm enim Luna fuerit in ultimitate elongationis ſuæ ab illo, liberè operatur virtus ſolaris, & ideò vaporũ majores, & fortiores reſolutiones & inde eſt ebullitio, & augmentatio marium. Confortat etiam virtutes vitales in animalibus, & plantis, & virtutes ſimiliter nutritivas, & ideò augentur materiæ nutritivæ in hujuſmodi, & ex conſequenti multiplicantur in cerebris animalium vapores, & in medullis: quapropter fieret ebullitio cerebri in homine, vel in alio animali, ſi pateret eidem exitus per fracturam cranii, & fortè nonpropter hoc, quia cerebrum in ſubſtantia ſua adauctum creverit, ſed propter vapores admixtos, & adjunctos cerebro, qui exhalantes aſcenſione ſua partem cerebri ſecum exire cogerent: hoc autem magis eſſe videtur ex multiplicatione caloris, quàm ex intentione frigiditatis; frigiditas enim magis conſtringit, & minuit, & reſolutionem per ſe ingerit, quemadmodùm, & coagulationem per ſe efficit, quæ contraria indubitanter eſt reſolutioni, & liquefactioni.

CAPUT LI.

Deſtructio erroris aſtronomorum, qui poſuerunt, imaginem fuſam ex ære in ortu Saturni, ut hominem loqui.

DE ſecretis autẽ, & mirificis virtutibus quas impoſuerunt planetis hujuſmodi homines, ne *Nota.* dubites eos erraſſe, & deceptos aſtutia malignorum ſpirituum, quos græci cacodæmones vocant, quorum unum exemplum eſt de virtute, quam impoſuere Saturno, dicentes, quòd in ortu ejus, ſi quis imaginem ex ære fuderit, loqui, ut hominem, probabit; cujus erroris deſtructio erit per vias, quas dicam. Aut enim intelligunt imaginem hujuſmodi per ſeipſam loquentem, tanquàm vivificatam, & animatam ortu Saturni, aut intelligunt ſpiritum aliquem intrare illam & loqui in illa? Quòd ſi animatam, & vivificatam illam intelligunt, tu jam noſti quia æs non eſt corpus ſuſceptibile vitæ, neque animale ullo modorum, & licet figuratum ſit ad modum organici corporis naturalis, tamen membra ejus nulli operationi apta ſunt, ſicut nec pedes ad ambulandum, nec manus ad operandum, nec lingua ad loquendum propter duritiam, & inflexibilitatem æris: tu enim ſcis, quia operationes animales, hoc eſt quæ per membra animalium fiunt, indigent flexibilitate, & volubilitate membrorum. Amplius. Anima illa aut creatur tunc, hoc eſt, in ingreſſu imaginis hujuſmodi, aut erat ante. Quòd ſi creatur tunc: eſt igitur multò nobilior animabus humanis, quia ſtatim intelligit, & ſcit loqui; animæ autem humanæ vix multo tempore, & labore, nutritæ, ac diligentia doctorum loqui, & intelligere poſſunt. Quòd ſi anteà ſint, ſequuntur hanc reſponſionem multæ quæſtiones, videlicet ubi erat, & an fœlix? an miſera? & an haberet ſedem, & manſionem propriam? an eſſet vagabunda? Quòd ſi beata erat, & in ſede, ac manſione propria, quæ neceſſitas compulit eam, ut illam intraret imaginem, & *Anima.* ſedem, ac manſionem beatitudinis ſuæ relinqueret? Si verò miſera erat, ſimiliter quæ neceſſitas eam illuc adduxit, ut carcerem imaginis illius intraret? Si enim invita ibi tenetur, carcer eſt imago illa. Si

E autem voluntariè intravit, cùm miſera eſſet extra; ſperavit igitur ibi habere aliquam conſolationem miſeriæ ſuæ. Quid autem vanius cogitari poteſt, quàm animam intelligentem quærere conſolationem, vel habitare in corpore, quo ad nullam operationem uti poteſt? Habent quidem animæ noſtræ multiplices conſolationes, & delectationes per operationes, ad quas utuntur corporibus, vel membris eorum. Ampliùs. Si invita intravit, quo vel compellente, vel cogente, ſic incarcerata eſt? Sequitur etiam ex hoc, ut iniquitas pariter, & crudelitas ſit carcerem fabricare, vel ædificare animæ illi, niſi tortorem ejus juſtum eſſe quantùm ad hoc conſtiterit. Quòd ſi Saturnus tortor eſt, & incarcerator animæ illius: peccavit igitur anima hæc vel Saturno, vel aliàs. Peccatrix verò anima qualia loqui poterit? divinationes enim & revelationes non loquetur, obtenebrata peccatis; artes autem, & ſcientias ubi didicit? præter verba autem artium, & ſcientiarum non oportet nos alia quærere, cùm illis abundemus. Præterea qualiter in ortu Saturni potiùs fit iſta incluſio, vel incarceratio, quàm aliâ horâ, vel tempore? Quòd ſi fuerit *Saturnus* anima hujuſmodi vagabunda, non habens certam F ſedem, vel manſionem, qua de cauſa ſpectat ad ortum Saturni, ut intret hujuſmodi manſionem? an fortè quia Saturnus ſolus poteſt ei præſtare hujuſmodi manſionem? an quia in ortu ſuo ei eſt cura de hoſpitanda hujuſmodi anima, & aliâ horâ non? Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia nulla anima indiget hujuſmodi corpore, cùm nec ejus perfectiones, aut operationes per hujuſmodi corpus adjuvari valeant ullo modo. Quantùm ad ipſam igitur ſupervacuus, & prorſùs inutilis eſt tam ingreſſus ejus in illud, quàm habitatio ejus in illo. Similiter & quantùm ad ipſam imaginem. Nihil enim boni, vel meliorationis advenire poteſt imagini ab anima, G vel per illam, quia nec vita, nec ſenſus, nec aliquid aliorum, quæ ab anima debent pervenire corporibus. Saturno verò, quæ utilitas eſt ex hoc, niſi fortè dicat quis, quòd eſt ei veneratio propter hoc, & adoratio? Si enim ea eſt Saturni poteſtas, vel virtus, quòd poſſit dare animam intelligentem, & loquentem, quid reſtat, niſi ut adoretur, & colatur tanquàm Deus verus? De hoc autem, an poſſit cadere in bonam aliquam creaturam intentio iſta, & voluntas, ut velit exhiberi ſibi hujuſmodi cultum: multa tibi ſcripta ſunt per me, in quibus declaratum eſt tibi quia idolatria injuria eſt intolerabilis, & contumelia Dei altiſſimi, & offenſi ejuſdem graviſſima, per quam neceſſe eſt eum iraſci exercentibus illam; & quia per ejus iram proveniunt mala mortalibus quæ nec idola avertere poſſunt ullo modorum ab eis. Ampliùs. Si creatur anima hujuſmodi *Idolatria eſt contumelia Dei* in hora illa, in ortu videlicet ſaturni, cùm creatio animarũ operatio ſit propria Dei altiſſimi ubi erit ſapientia illius ſi creat eam hujuſmodi corpori æreo, H vel propter illud, cùm prorſùs inutilis ſit utrique amborum conjunctio? ubi bonitas ejus, qui animam illam imperfectam creat, quantùm ad perfectiones, quæ debent ei eſſe ex corpore, ſeu per corpus, maximè ſi voluntariè eam creat? ſi autem invitus, ubi ejuſdem potentia?

CAPUT LII.

Quid non ſit ut ſpiritus, qui in tali imagine loquitur.

QUòd ſi dixerit, quia non anima eſt, ſed ſicut ſpiritus eſt, aut angelus, qui in imagine hujuſmodi loquitur, jam aſſerit multas quæſtiones, à quibus ſe expedire non poterit. Primùm, quia ſpiritus abſtracti,

Digitized by Google

abſtracti, qui animæ non ſunt, non indigent hujuſmodi corporibus, nec etiam aliis, cùm nulla operatio eorum vel in corpore, vel per corpus fiat. *Nota.* Quòd ſi in arreptitiis, vel dæmoniacis hujuſmodi ſpiritus videantur quandóque loqui, illa tamen opera, non ſunt eorum per ſe. immò ipſius hominis, qui loquitur indubitãter non cogitationes ſuas proprias, ſed ſuggeſtiones dæmoniacas, hoc eſt, quas pingit in imaginatione ipſius hujuſmodi ſpiritus, & ſunt hujuſmodi locutiones ſimiles mente captorum, aut alienatorum ſermonibus interdùm. Interdùm autem ſunt locutiones exprimentes revelationes ipſorum dæmonum, & inde vocantur divinantes. Quocunque autem modo fiat, ſive per alienationem, ſive non, ſemper ipſe homo loquitur, qui vocatur dæmoniacus, vel arreptitius: quemadmodùm in prophetis, quia ſive loquantur ex ſeipſis, ſive ex ſpiritu Dei, ſemper loquuntur ipſi, & tamen dicitur loqui in eis ſpiritus Dei. Quod autem quibuſdam viſum eſt. quòd diverſis vocibus loquatur ipſe homo dæmoniacus, & dæmonium in ipſo, & quia vox ipſius dæmonis ſubrauca eſt, vox verò ipſius hominis clarior, mihi etiam quandóque viſum eſt ex aſſertione aliquorum, qui hujuſmodi diverſitatem vocum ſe audiviſſe crebrò mihi narrabant, & *Nota.* putabant hanc eſſe cauſam in hoc, ipſam naturalem aptitudinem, & adaptationem membrorum vocalium ad virtutem loquendi, quæ propria eſt animæ, & propter hoc expeditiùs, & meliùs uti ipſam animam membris hujuſmodi, quàm ſpiritum dæmoniacum, cui nec virtus hujuſmodi naturalis eſt, nec ipſa conjunctio, & applicatio inſtrumentorum vocalium naturalis: quemadmodùm anima humana meliùs, & expeditiùs utitur ad gradiendum inſtrumentis naturalibus, ſcilicet pedibus, quàm ligni pedibus, vel inſtrumentis aliis in naturalibus. Modis igitur omnibus inutilis eſt ingreſſus hujuſmodi ſpiritus, & habitatio ipſius in talem imaginẽ. Quòd ſi dixerit, quia hominibus utilis eſt propter revelationes futurorum, & occultorum, ut præmoneantur de his homines, vel ſaltem ipſe factor imaginis hujuſmodi; reſpondeo. quia adhuc ſupervacua eſt imago hujuſmodi, cùm ad revelationes hujuſmodi & divinationes tales nihil poſſit penitùs operari: ad loquelam enim omninò inutilis eſt & ſecundùm partes. & ſecundùm totalitatem ſuam. Ampliùs. Si tanta cura eſt Saturno, ut ſciantur futura. & occulta, per aliquem ſpiritum, cur laborare voluit homines in fabricandis imaginibus, cùm per ſolum ſpiritum hujuſmodi tales revelationes, & divinationes fieri poſſint? Ampliùs Unde venit hujuſmodi ſpiritus? non dubito, quin reſpondeat, ſi vel modicum de talibus novit: quoniàm de cœlo Saturni, *Nota.* quemadmodùm & Ariſtoteles credidit ſibi adveniſſe ſpiritum de cœlo veneris, & habuiſſe eum familiarem, familiaritate, quæ ſolet haberi cum ſpiritibus hujuſmodi. Ethor etiam in libello deteſtabili, quem ſcribit de ſtationibus ad cultum Veneris, promittit culturam illam exercentibus, quia Venus mittet ei ſeptem angelos obedientes univerſis beneplacitis eorum, & juſſis; quare indubitanter ſimiliter ſenſit de Saturno, videlicet, quòd ſpiritum de cœlo ſuo mitteret in ortu ſuo, qui loqueretur in imagine ærea tunc fuſa. Mirabile autem videtur unde credulitas, vel opinio hujuſmodi facta eſt hominibus: & cùm omnia perſcrutatus fueris, non invenies cauſam aliam, quæ ad hoc eos induxit, niſi error, quo crediderunt Saturnum ejus eſſe virtutis, & poteſtatis, ut hoc poſſet, ſcilicet mittere in ortu ſuo, qui in imagine hujuſmodi crederetur loqui, & eſſe tantam venerationem ejuſdem in imaginis hujuſmodi fuſione, tanquàm ei charam, & dilectam, ut eam tanta mercede remuneret, videlicet, ut ſpiritum de cœlo ſuo mittat imaginem ejus in ortu ſuo fundenti; quare fuſio hujuſmodi cultus eſt indubitanter Saturni. Jam autem feci te ſcire de cultura ſtellarum, quàm erronea, & quàm impia, quámq; noxia ſit exercentibus eam, & quòd vana ſit, & inutilis modis omnibus &, propter hoc non oportet me in hoc ampliùs laborare, niſi in deſtructionem hujuſmodi erroris, quo crediderunt ſpiritus de cœlis deſcendere ad cultores ſtellarum. Omni modo enim ignorant ſtatum hujuſmodi ſpirituum. Subſtantiæ enim abſtractæ omnes, quæ immunes ſunt à corruptione vitiorum, & peccatorum ex neceſſitate in ſtatu ſunt fœlicitatis, & beatitudinis. Cùm enim immunes ſint per omnem modum à culpis, immunes ſunt ex neceſſitate, & à pœnis, quæ cauſâ culparum irrogantur Dei altiſſimi juſtitiâ, & judicio. Cùm autem abſtractæ ſint à materiis paſſibilibus, videlicet corporibus, immunes ſunt ex neceſſitate à pœnis quæ comitantur paſſibilitatem corporum, vel potiùs ſequuntur; quare nullo genere pœnarum affliguntur. Quia igitur nihil eſt quod dividat inter ipſas, & creatorem, nihil eſt quod aſcondit faciem ejus, quæ eſt in ultimitate luminoſitatis, & pulchritudinis ab eis: quapropter neceſſe eſt eos videre abſque ullo impedimento luminoſitatem, & pulchritudinem creatoris? *Nota.* Jam autem patefactum eſt tibi quia hæc eſt gloria virtutis intellectivæ & hoc eſt, quoniàm ipſa eſt plenitudo, ſeu perfectio ultima poſſibilitatis ipſius. Juxta hunc modum neceſſe eſt eos ſe habere ſecundùm virtutem ſuam nobilem motivã, quæ eſt voluntas, vel amor ad bonitatem, ſive ſuavitatem creatoris; quare quemadmodùm irradiantur & delectantur luminoſitate, & pulchritudine creatoris, quantùm ad vim ſuam intellectivam ſic neceſſe eſt, ut impleantur, & delectentur bonitate ipſius, delectatione, quæ meritò beatitudo dicatur. Hæc autem eſt, quæ ſola beatitudinis nomine digna eſt, quæ in ultimitate elongationis longè facit ab omni moleſtia, & implet in ultimitate plenitudinis obtinentem. Ultimitas autem plenitudinis eſt, quæ nihil omninò vacuitatis in continente relinquit; deſiderium autem & ſignum eſt, & effectus vacuitatis ſpiritualis, id eſt, vacuitatis cordis, quemadmodùm & fames & ſignum eſt, & effectus vacuitatis ſtomachi, ſive ventris; & generaliter omne deſiderium & fames, & ſitis, eſt ſpiritualis. Quare omnes ſpiritus abſtracti, quos vel peccatum non obtenebravit, vel malitia non corrupit, in fœlicitate ſunt vel naturalis cujuſdam beatitudinis, quæ eſt ultimitas perfectionis in hujuſmodi ſubſtantiis, vel in fœlicitate gloriæ, quæ eſt incomparabiliter perfectio nobilior & plenitudo deſideriorum cumulatior, atque jocundior. Et dicunt ſapientes Chriſtianorum. quòd beatitudinem priorem naturalem habuerunt omnes abſtracti ſpiritus, antequàm malitiâ perverterentur, & caderent illi, qui vocantur maligni ſpiritus *Sapientes Chriſtianorum.* Secunda verò, quæ propria nominatione gloria vocatur, collata eſt in bonitate ſua naturali perſiſtentibus, quæ bonitas, & beatitudo magna eſt, & perfectio multæ pulchritudinis, & deſiderabilis ſuavitatis, quod pauca conſideratione, atque leviſſima, tibi videre facile eſt. Tu ergo diligenter attende iſtas duas perfectiones, & ultimitates ordinum ſuorum, quas nominavi tibi, ſimiliter & duas viſiones divinæ luminoſitatis, & pulchritudinis. Nõ enim dubitandum eſt, quin hujuſmodi ſubſtantiis fuerit naturalis Dei cognitio, magna. & lucida, antequàm quidam eorum propria malitia depravati caderent, & propter hoc hujuſmodi cognitionem viſionem dixi. Ex his igitur manifeſtum eſt, nullum hujuſmodi ſpirituum deſcẽdere vel ad loca, vel ad ſtatuas

Digitized by Google

in quæ, vel quas miſſi ſint, deſcendere inquam ſpontè, vel voluntate ſua. quis autem dubitat, quin exilium, & carcer, miſeros eos faciat, qui inviti tenentur in illis? Nullus etiam dubitat, quin regio iſta terreſtris exilium ſit ad patriæ cœleſtis comparationem: imagines verò ſpiritibus in eis recluſis, ut ipſi putant, carceres eſſe certiſſimum eſt, ſi inviti in eis teneantur. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia non propria voluntate deſcendunt in iſtos carceres, & exilium, deſerta, & quaſi ſpreta fœlicitate, in qua ſunt. Quòd ſi dixerit, quia voluntarij deſcendunt, ut conſulant hominibus, propter quid igitur expectant ortum Saturni, cùm non magis homines indigeant utilibus, & bonis conſiliis in illo tempore, quàm in alio? Ampliùs. Ad quid requiruntur hujuſmodi imagines, niſi quia ſaturnus magis propitium ſe exhibet propter imagines hujuſmodi? Quòd ſi eſt; fiunt igitur in venerationem Saturni, & ita jam deveniſti ad idolatriam ipſius, quæ tam tibi deſtructa eſt, ut nulla de vanitate, & noxietate ejus, relicta ſit tibi dubitatio. Ampliùs Si tanta eſt benignitas & propitiatio Saturni in homines, cur tam paucos, tamque raros mittit hujuſmodi ſpiritus ad conſulendum eis? Ampliùs. Si quot imagines fieri poſſunt in ortu ejus, tot ſpiritus mittat Saturnus, poterit igitur fieri per multiplicationes imaginum hujuſmodi, ut vel pauci, vel nulli ſpiritus remaneant in cœlo ejuſdem. Ampliùs. Aut ſuadet ſpiritibus venire in hujuſmodi imagines, ſic paratas, aut cogit eos; ſi ſuadet, aut ſcienter acquieſcunt ei, aut ignoranter, ſi ſcienter, hoc eſt, ſi ſciunt, quòd ſuadet eis ſubire exilium, & intrare carcerem; qualiter igitur acquieſcunt ei, niſi quia ſtultiſſimi ſunt, immò dementes? Stulti autem, & boni ſimul eſſe non poſſunt, & multò minùs beati, unde mali ſimul, & miſeri ſunt; tales autem ſpiritus & vulgus vocat diabolos, atque dæmonia peſſima, & græci cacodæmones. De quibus conſtat, quòd non ad conſulendum hominibus appropinquant ipſis. Si verò ignorant, quàm noxia ſit eis hujuſmodi ſuaſio Saturni, hoc eſt frivolum, cùm tantæ tenebroſitatis ignorantia vix etiam in ſtultiſſimos homines cadere poſſit. Secundùm hoc, & ipſe Saturnus, ſi in eadem ignorantia eſt, ſtultiſſimus eſt. Si verò ſcit tam noxium eſſe, quod eis ſuadet, deceptor eſt eorum, & proditor peſſimus. Quòd ſi dixerit, quia cogit eos tunc tirannidem, & violentiam, exercet in eos, & cogit ipſos, ut miſeri fiant, quapropter & ipſe maligniſſimus, & ideò miſerrimus: quare de cœlo cum malignis ſpiritibus detrudendus eſt ab optimo creatore, atque juſtiſſimo, & in eodem nullatenùs ſuſtinendus. Ampliùs. Spiritus hujuſmodi ordine, & jure naturali, longè nobiliores ſunt, atque ſublimiores omnibus corporeis ſubſtantiis: quare nullo modo ſubditi ſunt eis naturaliter. Non habet igitur ſtella Saturni poteſtatem in hujuſmodi ſpiritus, & ideò nec coactionem, neque coercitionem in eos. Quòd ſi dixerit, quia non ſtella Saturni cogit eos, ſed ſpiritus, qui præeſt ſtellæ, & toti cœlo ejus, & omnibus ſpiritibus, qui in eodem ſunt; aut igitur ipſi mali ſunt, qui rebellant principi ſuo, nolentes ei obedire ſpontanei, cùm adhuc naturali ſubjectione teneantur, aut ipſe malus, qui imperat quod non debet. Si enim imperat, quod debet, mali ſunt, qui non niſi inviti ei obediunt. Si verò imperat quod non debet, malus eſt ipſe, & abutens pace ſua; quare auferenda fuit ei jam dudùm poteſtas illa. Si verò dixerit quia bonus eſt ſpiritus ille, & boni ſubditi omnes ſpiritus, & libenter veniunt juſſi in iſtam regionem, & in imagines ſic eis præparatas; ut conſulant hominibus, & aliter etiam eis ſerviant, quis non ſuſpicetur eos eſſe malos, & divini cultus vaniſſimos ambitores; quandò ad conſulendum hominibus, niſi priùs ſibi fabricatis imaginibus deſcendere nolunt? Quis non videat, quòd hujuſmodi imaginum fabricatio cultura ſit manifeſta Saturni?

CAPUT LIII.

Quòd omnia iſta, quæ fiunt per imagines, maligniſſimâ fiant dæmoniorum aſtutiâ.

IN hujuſmodi igitur nihil aliud tibi opinandum eſt, niſi quòd iſta eſt maligniſſima aſtutia dæmoniorum, ut ſuggerant hominibus ſe in hujuſmodi imagines deſcendere, ut ad earum fabricationem, quæ reverâ idolatria eſt, & ad obſervantias conſtellationum, ſub quibus fabricandæ ſunt, eos inducant. Hæc autem omnia apertè vergunt in ſervitium ſtellarum, & propter hoc conſequenter in offenſam creatoris, & averſionem à cultura ipſius, & veneratione. Jam igitur multis experimentis compertum eſt, quia hujuſmodi dæmonia, vel reſolvebant imagines ſuas, vel confringebant ad præceptum veterum veri, ac ſummi Dei cultorum, & fugiebant à facie ipſorum, ubi & malitiam ſuam clamore valido publicè confitebantur; propter quod de toto orbe (exceptis quibuſdam barbaris partibus) fugata ſunt, & idolatria exterminata, & intelligentes populi ſeductiones eorum, receſſerunt ab eis, reverſi ad creatorem benedictum, ſuſcipientes culturam venerationis ipſius. In quo & facta ſunt illa mirabilia, quòd & dæmoniis imperabant, & ab hominibus, quos vexabant, eoſdem ejiciebant. Hoc igitur exemplum debet tibi ſufficere cum eis, quæ audiviſti, ſimilibus de illuſionibus dæmoniorum in hujuſmodi, & de mirabilibus quæ malefici, & decepti homines facere credebantur per virtutes ſtellarum, & imagines hujuſmodi, ſimiliter & de figuris, quas vocant in libris ſuis anulos, ſigilla, characteres & imagines planetarum, quæ imagines non ſunt ſimilitudines aliquorum animalium, ſed ſunt quidam characteres. His autem quatuor generibus tantas virtutes attribuunt, ut propter eas totam ſcientiam ſtellarum credant eſſe inventam. Jam autem expedivi & me, & te, in alio tractatu, & declaravi, quia nulla eſt virtus verborum, aut characterum, prout ipſi opinati ſunt, & hoc credo ſufficere tibi de his.

CAPUT LIV.

Recapitulatio præcipuorum corporum univerſi.

JAm igitur pervenit ad hoc ratiocinatio inveſtigationis iſtius, qua inveſtigavi hactenùs partes univerſi corporei, videlicet, quòd quindecim ſunt partes iſtæ, ſive corpora magna ex quibus conſtitutum videtur univerſum iſtud, videlicet, denarius cœlorum, quos nominavi, & numeravi tibi; elementa quatuor, & corpus, quod propheta vocavit aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, quod cœlum aqueum, & aqueam regionem quidam nominant, potiùs quia ex aquis, quæ ſuper octo mobiles cœlos erant, factum, quàm ex veritate ſubſtantiæ ſuæ, licet lex Hebræorum de ejus generatione, vel factione taceat, ſicut de generatione aeris, & ignis; & jam dedi ſuper hoc cauſam, quoniam non erat intentio prophetæ, neque officium philoſophari eruditis, & ſapientibus, ſed magis ſimplici, ac nuda veritate communitatem populi Hebræorum inſtruere de his, quæ populum illum ad ſuſceptionem legis, qua ad Deum ferebatur, & divini cultus, inſtruerent. Quòd

Digitized by Google

Quòd autem Ptolemæus poſuit quibuſdam ſtellis fixis motum proprium ad † ſucceſſionem ſignorum duodecim, & ſuper polos circuli ſignorum, cogit ex neceſſitate illum ponere vel cœlum hoc, ſive orbem revolventem eas, vel cœlos plures juxta numerum earum; quòd ſi verum eſt, neceſſe eſt magna mundi corpora plura eſſe. Inveſtigare autem & de his, quæ dixi tibi, & de hoc ſermone Ptolemæi uſque ad verum certum, & admodùm difficile eſt mihi, & longè eſt ab intentione mea in hoc tractatu: ſufficiat ergo tibi audiviſſe à me de his rebus ea, quæ convenientiora ſunt intentioni propheticæ, & veriſimiliora, & forſitan veriora.

† Aliàs ſuſceptionem.

CAPUT LV.

Stabilitio loci, qui vocatur infernus.

Reliquitur ergo mihi poſt hoc, continuare ſermonem, & ſtabilire locum, qui vocatur infernus, quoniàm credulitas ipſius utilis eſt valde, & errores circa ipſum noxij, & impedientes correctiones hominum à vitiis ſuis, & perverſitate morum ſuorum; quare manifeſtum eſt inveſtigationem ejus, atque ſtabilitionem ipſius, evidentis eſſe utilitatis ad ea, quæ prædixi. Dico igitur, quia jam claruit tibi ex aliis veritas fœlicitatis animarum humanarum; quare & veritas miſeriæ earundem, & propter hoc cùm locum habeat certum, & proprium, vera fœlicitas earum; neceſſe eſt verum, & proprium locum habere veram miſeriam ipſarũ. Quia igitur locus ſupremus declaratus eſt locus eſſe veræ fœlicitatis ipſarum, conveniens eſt, ut locus infimus ſit locus proprius veræ miſeriæ earundem. Non enim debet eſſe minor diſtantia inter veram fœlicitatem illarum, & veram miſeriam earundem, quàm inter loca congruentia hujuſmodi ſtatibus ipſarum: maxima autem diſtantia non ſolùm localis eſt inter ſupremum, & infimum, ſed etiam multiplicium contrariarũ diſpoſitionum: quales ſunt ſupremitas, & infimitas; amplitudo, & anguſtia; luminoſitas, & tenebroſitas; ſtabilitas & inquietudo, & multa alia. Infimum autem univerſi corporis medium terræ eſt, quod etiam cor terræ nominatur. Ampliùs. Cùm inveniatur in univerſo vera fœlicitas animarum humanarum, & proprius locus ejus, videlicet ſupremus, quem cœlum empyreum tam frequenter nominari audiſti: ſimiliter inveniatur in eodem univerſo medius ſtatus veræ fœlicitatis, & veræ miſeriæ, & quaſi mixtus ex ambobus, & hic eſt ſtatus in quo ſumus: ſimiliter & locus ejus proprius, habitatio ſcilicet ſuper terram, in qua moramur: invenietur igitur in eodem univerſo miſeriæ animarum humanarum locus ejus proprius proportionaliter, provt poſſibile eſt, ab aliis remotus: & hæ quidem rationes penè naturales eſſe videntur. Tertia verò ratio ſimiliter naturalis videri poteſt; cùm enim univerſum velut domus quædam ſit creatoris, qui eſt dominus omnium ſæculorum, & rex, ac rector univerſi, neceſſe eſt, ut domus ejus completa ſit totalitate partium ſuarum, & oportuna ſufficientia congruentium officinarum. Tu verò non dubitas, quàm neceſſarius ſit carcer in omni regali palatio, atque habitatione, præſertim ubi tanta multitudo latronum eſt, & aliorum juſtitiandorum. Ampliùs. Nulla eſt civitas ordinata, cui bonus rex præſideat, & bono magiſtratu regatur, quæ non habeat locum exercendæ juſtitiæ; cùm igitur certum ſit, & omnium philoſophorum conſenſione firmatum, univerſum, ſeu mundum civitatem eſſe Dei altiſſimi, in qua cives ſunt homines, & angeli, hoc eſt omnes, & univerſæ ſubſtantiæ ſpirituales abſtractæ, exceptis dæmonibus malis, qui ſecundùm ſtatum ma-

Rationes, cur ſit infernus.

Medium cor terræ.

Mundus civitas Dei.

A litiæ ſuæ & etiam locum, quem nunc habẽt, & quem habituri ſunt, juxta fidem, & doctrinam Chriſtianam, non cives, ſed exules reputandi ſunt; quare neceſſe eſt hanc civitatem, quæ Deo altiſſimo rectore, & rege, regitur & magiſtratu ab eo inſtituto, locum habere univerſalem communem, & appropriatum exercendæ divinæ juſtitiæ, ejus inquam juſtitiæ, quæ procedit ex univerſali ejuſdem judicio, quod tibi ſtabilietur in ſequentibus, videlicet in capitulo de renovatione univerſi, & hic eſt locus, quem infernum intelligunt tres leges communes. Ampliùs. Cùm locum proprium, & determinatum habeant remunerationes ejus, & præmia, perẽnes, & perennia, neceſſe eſt, ut locum habeant proprium vindictæ ejuſdem perpetuæ, quarum perpetuitas tibi alibi præfacta eſt,
B & ſtabilita. Ampliùs Cùm inveniatur pura fœlicitas animarum humanarum, & inveniatur eiſdem pura miſeria; neceſſe eſt, ut & hujuſmodi miſeriæ ſit locus proprius. Iſta autem habitatio, in qua ſumus, non eſt congruens puræ miſeriæ ullo modorum, cùm & lucem habeat, & multa alia, quæ inhabitantes delectant, & licet permodica fœlicitatis aſperſione demulcent utcumque, atque deliniunt: pura autem miſeria nec vera, nec pura eſt, niſi ſit univerſalis: quare neceſſe eſt, locum ejus proprium, non ſolùm nihil habere, quod delectare poſſet aut aliquatenùs delinire, ſeu demulcere inhabitantes immò quicquid habet locus hujuſmodi, torqueat illos, & aliquid miſeriæ ingerat illis. Ampliùs. Sicut locus puræ, ac veræ univerſalis fœlicitatis, nihil habet, quod non addat fœlicitati, aut gloriæ inhabitantium ipſum; ſic neceſſe eſt, ut proprius locus puræ, ac veræ, univerſaliſque miſeriæ, nihil habeat, quod non addat miſeriæ, &
C ignominiæ detentorum in eodem. Ampliùs. Sicut poſſeſſores prænominatæ fœlicitatis non ſolùm longè ſunt ab omnibus malis, ſed etiam cumulari ſunt plenitudine bonorum, quæ deſiderari permittit, & de quibus gaudere poſſeſſores ſuos patitur hujuſmodi fœlicitas, ſicut neceſſe eſt præfatæ miſeriæ addictos, non ſolùm longè eſſe ab omnibus bonis, quæ miſeriam hujuſmodi vel tẽperare, vel lenire, vel minuere poſſint, ſed etiam affligi omnibus malis, ut nihil in inferno vacet à tormento eorum, qui creatori placere, & ſervire recuſaverunt. Cujuſmodi autem corpora habeat infernus, videlicet cujuſmodi ignem, hoc enim manifeſtè ſenſerunt, quicunque de eo rectè ſenſerunt, & tres leges in hoc manifeſtè conveniunt: cujuſmodi verò ſit ignis ille, & qualiter cruciaturus animas, non ſolùm corpora, & ipſa corpora abſque conſumptione, & an alia corpora
D ſint ibi, & quæ ſint illa, alterius eſt inveſtigationis. Et propter hoc creator benedictus dedit exemplum hujuſmodi mirabilium: creans hîc in noſtra ſcilicet habitatione ignem: qui abſque læſione corporum cruciat intolerabiliter animas appropinquantium, atque tangentium, & dicitur ignis ille eſſe in regno Siciliæ, vel propè illud, ut tollatur totaliter admiratio, & dubietas hujuſmodi hominum, qui admirantur, & credere nolunt, quòd ignis, qui utique corpus eſt agere poſſit in ſpirituales ſubſtantias: quorum admiratio non tam ridenda eſt, quàm inſania reputanda. & hoc eſt, quoniàm hoc in ſemetipſis & jugiter ſentiunt, & in aliis vident. Sentiũt enim animas ſuas pati ab igne, ſed per corpora ſua, ut dicunt affligi eas, non dolore compaſſionis, ſed ipſo cruciatu veriſſimæ paſſionis; æquivocè enim dicitur dolor paſſionis, & compaſſionis, & multùm diſtat alter ab altero, nec poſſunt ullo modo negare, quin caro patiatur læſionem ab igne ſcilicet uſtionem, aut conſumptionem, & hoc palàm manifeſtè confitetur omnis anima, videlicet, ſe dolere, ſe affligi, ſe cruciari ab igne: nec ullo modo dicit anima,

Ignis quomodo agat in animas.

Digitized by Google

regio Paradiſi continua non eſt terræ noſtræ habitationis, ſed mare eſt intermedium vel aer: qualiter ergo illa quatuor flumina tam magna veniunt ad terram noſtræ habitationis? per mare enim tantæ latitudinis, & profunditatis, non eſt poſſibilis tranſitus fluminibus. Si verò aer tantùm eſt intermedius, neceſſe igitur eſt terram noſtræ habitationis, aut ſub ipſa regione Paradiſi poſitam eſſe in parte, vel in toto, aut penè contiguam eidem eſſe, & tunc de terra noſtræ habitationis videretur regio illa, quod nondùm eſt auditum. Si verò ſolus aer eſt medius inter Paradiſum illum, & terram noſtræ habitationis; non poſſunt igitur cadere flumina illa ſuper terram noſtræ habitationis, niſi valdè modicus aer eſſet medius, medius dico, qui faciat diſtantiam latitudinis, non altitudinis. Si verò contigua, vel continua eſt regio Paradiſi noſtræ habitationi; non erit igitur forma terræ cum omnibus partibus ſuis terreſtribus, & marinis ſphærica, immò forma ejus eſſet oblonga. Jam autem declaratum eſt tibi alibi, quòd figura terræ hujuſmodi eſt, & adhuc etiam apparet tibi per aſpectum in omni eclipſi lunæ: id enim, quod obſcuratur de luna in omni particulari ejus eclipſi, arcuale eſt, hoc eſt, arcu terminatum; ex quo manifeſtè apparet umbram terræ pyramidem eſſe rotundam. Impoſſibile autem eſt corpus non ſphæricum jacere hujuſmodi umbram; quare manifeſtum eſt per hoc, Paradiſum terreſtrem partem eſſe magnam totius corporis terræ, & eſſe in extremis finibus orientis, & eſt veriſimile, quòd ipſe ſit extremitas terræ à parte orientis.

Nota.

Vmbra terræ.

CAPUT LVIII.

Propter quam cauſam creatus eſt Paradiſus terreſtris, cur vacuus derelictus.

HAbet autem quæſtiones multas propter quid creatus eſt. Si enim ut eſſet habitatio hominum (propter aliud enim creatus eſſe non videtur) cùm præſciret creator, quòd homines non erant ibi moraturi per diem integrum: non videtur creaſſe illum propter tam brevem morulam habitationis; cui ergo uſui creavit ipſum? De aliis quidem animalibus manifeſtum eſt, quia cùm ejiciuntur de habitationibus ſuis, ſive per venationem, ſive per aliam viam, creator ſubſtituit alia, nec invenitur locus congruens habitationi animalium, quem ipſe non repleat animalibus illi congruentibus; non reliquit igitur paradiſum nobiliſſimam regionem vacuam. Amplius. Poſt ejectionem, & caſum angelorum de cœlo empyreo, curavit ſecundùm doctrinam Chriſtianam reſtaurare ruinam illam, & replere loca cœli empyrei, quæ vacua remanſerant, animabus ſanctis; quomodò ergo non ſimiliter fecit in paradiſo terreſtri? quomodò credendum eſt eum voluiſſe tam nobilem habitationem, tam præclara opera ſua lignorum, & fructuum ocioſa eſſe, & hoc perpetuò? Tu ergo debes advertere, quia quemadmodùm plato, & platonici putaverunt infernum eſſe regionem iſtam generationis, & corruptionis, & poetæ in hoc aſſenſerunt propter cauſas, quas audies in ſequentibus: ſic elyſios campos, & tempe ſomniaverunt paradiſum quendam eſſe terreſtrem. Ego autem dico hîc, quia locus paradiſi non eſt habitatio congruens hominibus pro ſtatu, in quo modò ſunt, & hoc eſt, quoniàm delitiæ corporales valde noxiæ ſunt animabus humanis. Inebriant enim illas, & alienant à veritate, & rectitudine, & inducunt eas in oblivionem creatoris, & illaqueant eas, atque captivant, & inducunt eas in ſervitutem omnimodæ corruptionis. Contraria verò delitiarum corpora-

Alia quæſtio.

Plato.

Campi Elyſij.

A lium putificant, atque clarificant, & abſtergunt ab eis craſſitudinem, atque rubiginem vitiorum, & malarum paſſionum; quapropter utilis eſt multipliciter animabus humanis habitatio reſperſa miſeriis, nec oportet, ut quæratur à me, propter quid ergo creator ſapientiſſimus poſuit Adam, & uxorem ejus in paradiſo deliciarum, ſi deliciæ adeò obnoxiæ ſunt animabus humanis? Jam enim innui tibi, quia delitiæ corporales non poterãt prædicta nocumenta, vel alia inferre mentibus eorum propter puritatem, & bonitatẽ, atq; fortitudinem naturæ ipſorũ, quemadmodũ vides, quia vinũ, licet fortiſſimũ, quoſdam ex hominibus inebriare non poteſt propter bonitatẽ complexionis ipſorum, bonamque diſpoſitionem capitis eorundem: quoſdam autem, licet debiliſſimum, & ad modicum ſumptum, ſtatim inebriat propter B mollitiem complexionis ipſorum, & debilitatem capitum eorundem; ſic factum eſt in toto genere humano, poſtquàm natura humana in Adã, & ejus uxore corrupta eſt, & infirmata; omnes corporales delitiæ factę ſunt eis in vinum vehementis inebriationis, & in augmentum corruptionis, & ægritudinis ex primis parentibus, Adam ſcilicet & uxore ejus. De hoc verò, quod dicit, quia debuit creator benedictus alios homines in paradiſo ſubſtituere ſcilicet incorruptos, quibus habitatio illa deliciarum congrueret: Reſpondeo, quia meliores, & incorruptiores, quàm Adam, & uxor ejus naturaliter fieri non poterant; quare veriſimile eſt, quòd idẽ de illis accideret, quod de Adam, & ejus uxore jam acciderat, & per hanc viam iret res in infinitum. Si verò dixerit, quia poſſet eos Deus cuſtodire bonos, & immaculatos, verum utique dicit, ſed prælegit divina ſapientia, & boni- C tas, potiùs ex malis hominum bona elicere, quàm mala illa eſſe omninò non ſinere ex cauſis, quas audies in tractatu ſingulari de providentia, & cura ipſius, quibus univerſũ adminiſtrat & regit. De hoc autem, quod quærit, ut quid Deus præclaram illam habitationem, nobiliſſima ligna & fructus præſtantiſſimos ocioſa eſſe perpetuò ſinit: jam in parte reſpõdi tibi ſuper hoc, quia in hominibus in ſtatu, in quo modò ſunt, & fuerunt à tempore corruptionis, ſcilicet priorum parentum, noxia valde, ac pernicioſa eſt paradiſi habitatio. Multi autem ſunt uſus, & utilitates regionis illius, lignorumque, & fructuum ejuſdẽ. Et prima, & pręcipua utilitas illorum eſt, quia ut poſſunt, potentiam, ſapientiam, & bonitatem creatoris inſinuant, innuunt, & loquuntur; non quidem vocibus audibilibus, ſed ipſa veritate bonitatis, pulchri- D tudinis, & mirificentiæ, quæ cauſa eſt, & finis communis creationis omnium, ſecunda eſt complementum, atque perfectio univerſi: ſi enim deeſſet, multùm detractum eſſet, non ſolùm perfectioni ipſius, ſed etiam decori. Sunt & aliæ utilitates, ſicut eruditio hominum, & correctio; dum enim audiunt amiſiſſe habitationem tam nobilem, & hoc irrecuperabiliter, erudiri ex hoc debent, & provocari ad obedientiam creatoris, & deterreri à ſimilibus culpis illi, propter quam patria illa hæreditas ablata eſt, & miſeriæ præſentis exilium irrogatum. Quòd ſi dixerit, quia inutiliter creat ibi creator fructus tam nobiles, cùm non ſit qui comedat de eis; Reſpondeo ei, quia nec de omnibus arboribus, quæ in habitatione noſtra ſunt, fiunt ædificia, vel utenſilia, nec de omnibus lapidibus, qui ſunt in lapidicinis, conſtruuntur parietes, aut turres, aut propugnacula. Sed & quanta multitudo eſt piſcium marinorum, & fluvialium, de quibus nemo veſcitur? quot etiam feræ, quas nemo venatur? quot inſuper, & quantæ copiæ auri, & argenti, aliorumque metallorum ſunt in metalli fodinis, quæ inde non extrahuntur? Nec tamen propter hoc inutiliter omnia hæc creavit

Miſera habitatio nobis neceſſaria.

Quæſita utilitas paradiſi terreſtris.

Objectio alia.

Digitized by Google

altiſſimus; has enim copias, & ſimiles creavit juxta E divitias bonitatis ſuæ, & immenſitatem largitatis, non juxta menſuram avaritiæ, & cupiditatis hominum, aut etiam neceſſitatis. Cujus exemplum unum eſt in rege prædivite, & prælargo, qui non largitur munera ſua ſecundùm merita, vel neceſſitates recipientium, ſed juxta munificentiam principalem, tanquàm non attendens ſolummodò quanta, & qualia meruerunt, vel quantùm, aut qualibus indigeant recipientes, ſed magis quanta, & qualia deceat largiri munificentiam ipſius. Aliud exemplum eſt de patrefamilias dapſili, hoc eſt, largo in dapibus, qui non attendit quanta, vel qualia comeſturi ſint invitati, ſed quanta, & qualia apponere in ſplendida menſa deceat largitatem ipſius. Tertium exemplum eſt in fonte copioſo, & abundanter inundante, cujus aquæ non fluunt juxta menſuram ſitis, & poſſibilitatem bibendi, vel hauriendi, bibentium inde, vel haurientium. quartum exemplum eſt in Sole, qui non lucet pro capacitate oculorum videntium: neque etiam illis ſolis, qui eum videre, vel intueri poſſunt, ſed irradiat ſuper omne illuminabile pro copioſitate luminoſitatis ſuæ. Quintum exemplum eſt in igne, qui non calefacit pro indigentia calefieri volentium, immò juxta fortitudinem, & virtutem caloris ſui, propter quod incendit, & ignit etiam, calefactibilia, quibus obviaverit.

CAPUT LIX.

De ligno vitæ, quod eſt creatum in medio paradiſi ſcilicet propter quid lignum vitæ dicatur.

Lignum vitæ cur ita.

DE ligno verò vitæ quæſtionem habet, propter quid lignum vitæ dictum ſit: & dixerunt ſapientes Hebræorum, atque Chriſtianorum, quia virtus ligni illius vitalis erat, hoc eſt, vitæ conſervativa, ut quandiu homines illo ligno veſcerentur, à morte corporis immunes penitùs ſervarentur. Quòd ſi dixerit quis, quia hanc virtutem habent omnes ſani cibi: Reſpondeo, quia reverà ita eſt, ſed ad modicum, & ad tempus breve, non autem in perpetuum: lignum verò vitæ virtutem habebat hujuſmodi, ut etiam in perpetuum vitam conſervaret ex illo veſcentium: ſi eſſet divinæ voluntatis beneplacitum, ut tamdiu eſſent homines in paradiſo terreſtri, & ipſe exigentibus culpis eorum, pœnam mortis inferre eiſdem, vel transferre in paradiſum cœleſtem, ac ſpiritualem, per mortem corporum non providiſſet, quamquàm per aliam viam hanc translationem pro beneplacito ſuo facere poſſet: quod dico propter hoc, quia quæſtionem habet, quomodò tanta mutatio à ſtatu habitationis paradiſi terreſtris ad gloriam paradiſi cœleſtis ſine morte corporis fieri potuiſſet. Hoc tamen indubitanter verum eſt; quòd ſi per mortem translationem hujuſmodi creator omnipotens ſtatuiſſet, mors illa pœnalis omninò non eſſet: & hoc eſt, quoniàm cauſa mortis, id eſt, peccatum non præceſſiſſet. Hoc autem unum eſt eorum, quæ perſcrutatiùs inveſtiganda reſervo tractatui de renovatione univerſi. Cave autem tibi à fabulis, & deliramentis Hebræorum, quibus nec alienationes febricitantium errore, & incredulitate, comparabiles ſunt. Unum eſt autem ex deliramentis eorum, quòd arbor, ſive lignum vitæ in altitudine habeat iter quingentorum annorum; quapropter groſſities ejus, hoc eſt, trunci, vel ſtipitis ejus, major erat groſſitie totius terræ. Aliud deliramentum eſt, quòd dicunt arborem vitæ ambulaſſe. Sunt & alia multa non minùs erronea, & incredibilia, & riſu digna, vel potiùs irriſione, quæ ipſi intolerabili

Lignum vitæ vitã in perpetuum ſervabat.

Deliramenta Hebræorum.

cæcitate non ſolùm opinantur eſſe vera, ſed etiam parvulis, & inſipientibus dogmatizant. Si quis autem quærat, qualiter lignum vitæ per fructum ſuum virtutem habebat conſervandi vitam corporalem in corporibus tunc incorruptis, & neceſſitati moriendi nullatenùs addictis, vel etiam addictis propter peccatum ipſorum, attendat, quòd myrrha, & aloë, & balſamum, atque ſal, & multa alia, etiam corpora hominum corrupta, & quod plus eſt mortua, multo tempore ſervant à corruptione putrefactionis; multæ etiam medicinæ vitam prolongant, vel conſervando naturalem humiditatem, & vitalem calorem, vel purgando, ſeu reprimendo ea, per quæ corpora humana morti maximè appropinquant; quædam verò per renovationem quandam. Sunt enim quædam habentia renovativam virtutem, ſicut carnes ſerpentium, quæ vocantur thir, experimento iſtud cognoſcere potes, atque narrationibus multis, quæ inter homines audiuntur, F & ego de plurimis notiſſimis, & famoſis maximè, qui ſcilicet renovationes iſtas in ſeipſis habuerant, audivi talia. Non eſt igitur mirabile, ſi arbor vitæ, vel fructus ejus, virtutem habebat conſervativam vitæ humanæ.

Quæſtio.

CAPUT LX.

Stabilitio loci, qui purgatorium appellatur, in quo animæ humanæ purgationem in vita iſta inceptam, & non completam perficiunt.

Purgatorium.

DE loco verò purgationis animarum, quem purgatorium vocant, an ſit proprius, & deputatus purgationi animarum humanarum, ſeorsùm, à paradiſo terreſtri, & inferno, atque habitatione noſtra, quæſtionem habet. Verùm, quoniàm G manifeſtum eſt in quibuſdam animabus multa reſtare purganda poſt mortem corporum ſuorum, antequàm purgationem hîc compleverint, quæ pœnitentia eſt ſecundùm doctrinam Chriſtianam, quæ vel ſubitò, & improviſa morte rapiuntur, ſive per gladium, ſive per ſuffocationem, ſive per paſſionis alicujus vehementiam, quæ citiſſimè interficit, neceſſe eſt reſtare, ut compleant id, quod reſtat, & deeſt de purgatione ſua; quare & locus, ut hæc fiant, neceſſarius eſt, & hic eſt, quem purgatorium dicunt. Quòd ſi quis dixerit, quia non reſtat agendum poſt hanc vitam de purgatione animarum, ſed ſtatim ubi à corporibus exeunt, vel ad cœlos evolant, ſi abſque culpa mortali ſunt, vel ſi culpam mortalem habent, ad inferos rapiuntur: dico, quia non dubium eſt intelligentibus, peccata quædam levia eſſe, pro quibus infernalia ſupplicia non debentur. H Cum hujuſmodi autem peccatis impoſſibile eſt evolare in cœlum. quare priùs neceſſe eſt purgationem iſtam fieri, & ita in aliquo loco. Hic autem eſt locus, quem quærimus. Quòd ſi dixerit, quòd hujuſmodi peccata deponuntur cum ipſo corpore, & ſola depoſitione corporis dimittunt animam humanam mundam, & liberam; meritò quæretur ab eis, propter quid non & majores culpæ mortales eximuntur ipſa depoſitione corporis? Ampliùs. Manifeſtum eſt quædam vitia inhærere tenaciùs animabus humanis, & quaſdam paſſiones difficilè mobiles, & per contrarias conſuetudines paulatim minui vel remitti, donec radicitùs extirpentur; ſic ſe habet ex neceſſitate, & de maculis, quæ relinquuntur in animabus. De hujuſmodi igitur maculis, quòd momentanea & ſubdita depoſitione corporum abſtergi non poſſunt, facienda eſt purgatio. Ampliùs. Quædam culpæ mortales faciliùs deferuntur quibuſdam levibus:

Nota.

Digitized by Google

faciliùs enim pœnitet quis ab homicidio, vel latrocinio, quàm à riſu nimio, vel delectatione cibi, & potus, & hoc eſt, quoniàm peccata illa graviſſima horrore ſuo deterrent, & diffugant à ſeipſis, illa verò ſuavitate ſua animas noſtras alliciunt, & detinent; quare, ſi iſta leviora tam facilè relinquuntur, ut ſola morte corporis deleantur: quantò fortiùs illa, quæ conſtant eſſe minoris adhærentiæ, ac tenacitatis, delerentur. Ampliùs. Non eſt dubium, quin peccata omnia, quæ vocant actualia, voluntate, ſeu voluntariè contrahantur; quare contraria voluntate neceſſariò deferuntur. In eis autem, quos dixi, videlicet qui ſubitò moriuntur, locum non habet voluntas contraria, quia nec etiam cogitatus de correctione, vel emendatione, ſecum igitur deferunt animæ humanæ hujuſmodi peccata; cùm igitur nec cum eis transferantur ad cœlum, nec pro eis detrudantur in infernum, neceſſe eſt eas expiari, antequàm in cœleſtem gloriam transferantur. Eſt igitur locus, ubi purgatio iſta, ſive expiatio fit animarum. Ampliùs. Cùm manifeſtum ſit non omnia peccata æqualia eſſe, nec dubium ſit peccata expiari poſſe, vel per pœnam, vel per pœnitentiam; inæqualium autem peccatorum expiationes æquales eſſe non poſſunt, nec econversò, ſcilicet inæqualium æquales, æquales inquam, vel tempore, vel gravitate, vel aſperitate; quare ſi quæ animæ æqualia habent peccata, vel ſimul incœperunt expiationes peccatorum ſuorum facere, vel impoſſibile erit alteram priùs exire de corpore ſuo, quàm alteram, vel alterius expiatio complebitur poſt exitum à corpore. Manifeſtum autem eſt, quia non eſt impoſſibile alteram priùs exire de corpore ſuo, quàm reliquam, ſimiliter non eſt impoſſibile utramque exire ante completam expiationem. Quòd ſi ante completam expiationem alterutra exiverit, vel utraque, complenda igitur erit expiatio hujuſmodi in futuro, & propter hoc in aliquo loco, & hic eſt locus, qui quæritur hîc. Si verò dixerit, quia poſtquàm incœperit purgationē, neceſſe eſt eā morari in corpore ſuo, donec eam conſummaverit: ergo medio tempore non poſſet occidi homo ille, vel alitèr mori, quod eſt manifeſtè frivolum. Atteſtatur autem ei, quod dico, latinorum ritus antiquiſſimus, qui expiationes hujuſmodi, ſeu purgationes facere conſueverūt anni ſui menſe ſecundo. Unde & nomen illi menſi inde impoſuerunt februarij, illum februariū nominantes. Nam, ut ait Ovidius; Februa Romani dixere piamina patres. Similiter & ſi quis ſacra Plutonis antiqua ſcrutari voluerit, inveniet ibi plurima, quæ ad hoc faciunt, quamquàm hujuſmodi cultus, & ſacra non ſolùm vaniſſima ſint, ſed etiam Deo altiſſimo odibilia, & iram ejus contra mortales provocantia, ſicut per me alibi didiciſti. Ampliùs. Inter culpas graviſſimas, quæ mortales vocantur eſt ex neceſſitate via & medium ad virtutes, propter quas præmium fœlicitatis æternæ redditur, alioquin non eſſet reverſio, ſive converſio ab illis ad virtutes hujuſmodi; hoc autem eſt impoſſibile manifeſtè, videlicet non eſſe reverſionem à malitiis ad bonitates. Ipſa enim animæ humanæ mutabilitas non patitur aliquem hîc immutabiliter eſſe bonum, vel malum, ſimiliter neque Dei altiſſimi miſericordia, & juſtitia. Ampliùs. Huic errori ſenſus ipſe experientia frequentiſſima contradicit, cùm manifeſtè quotidiè videas & bonos malos fieri, & malos bonos vel eruditione, vel flagellatione, & divini numinis adjutorio. Malos autem non dico fieri quoſquam, niſi propria adinventione: vitia enim & peccata adinventiones eorum ſunt, in quibus ſunt, non additæ, vel inditæ, vel immiſſæ. Si autem medium eſt, & via, atque reverſio à malitiis ad bonitates, & à vitiis ad virtutes, manifeſtum eſt, quia illud medium, & via, non eſt niſi purgatio, & expiatio: qua de cauſa neceſſe eſt per expiationem minui vitia, atque malitias animarum humanarum, minui inquam quantùm ad opera, & quantùm ad cogitationes, & paſſiones, atque debilitari habitus malos per contrariam conſuetudinem, ita ut jam non ex ipſis procedant actus mali, ſive interiores, ſive exteriores, donec radicitùs extirpentur, & ſit facilis ingreſſus virtutibus in animas humanas, quarum adventu animæ ipſæ confortentur, decorentur, & velut renovatæ ex intimis juveneſcant; & hoc idem interdùm fit hîc, poſſibile tamen eſt ipſi creatori animarum ſubitò animas, quas voluerit, expurgare, & qualiter hoc fiat, jam dixi tibi in tractatu ſingulari de hoc, qui eſt de juſtificatione malorum, & pœnitentia: hîc autem intentio mea eſt de expiatione animarum, quæ eſt de divina injuria ſatisfactio, & expiatio, hoc eſt animarum humanarum emendatio, & divinæ iræ placatio. Omnia autem iſta convenientiſſimè fiunt per afflictionem, quæ vocatur purgatoria propter hoc. Nemo enim eſt cui non manifeſtum ſit, & terrena mala deſideria extingui per afflictiones, & hoc ipſum atteſtatur natura, quæ docet non ſolùm homines filios ſuos, & alter ſubditos, per flagella, & afflictiones corrigere, & avertere à vitiis, & peccatis, ſed etiam multa animalia. Ampliùs. Si creavit creator altiſſimus ignem, quo purgantur metalla cùm incomparabiliter major ſit ei cura de purgatione animarum humanarum, quomodò non creavit & ignem, quo animæ purgarentur humanæ? Quòd ſi dixerit quis, quia ſufficit afflictio pœnitudinis, & dolor internus ſpiritualis, quem habet verè pœnitens pro eo, quòd peccavit, verum utique dicit, quia ſufficit quandóque, & hoc eſt, ſi vehemens, & fortis adeò fuerit, habenſque perfectiones, quas alibi tibi ſcripſi. Verùm ſi paucus fuerit, & paucæ afflictionis, non ſufficiet ad iſtam expiationem; quare neceſſe eſt ut adjuvetur hîc, donec ſuppleatur quicquid deeſt hujuſmodi expiationi; quod ſi hîc id eſt, in vita iſta factum non fuerit, neceſſe eſt, ut poſt hanc vitam apponatur ſupplementum. Ampliùs. Quoniàm jam ſtabilita eſt alibi tibi pœnitentia, quæ eſt indubitanter purgatio animarum humanarum, & placatio Dei altiſſimi, manifeſtum eſt tibi per hoc, quia animabus poſt corpora eſt expiatio, & purgatio de neceſſitate, cùm poſſibile ſit, & manifeſtè contingat, multas pœnitentias in vita iſta non compleri; quapropter neceſſe eſt, ut poſt hanc vitā compleantur: quæ enim ex clementiſſimi creatoris adjutorio purgari cœperunt hîc, impoſſibile eſt remanere impurgatas. aut enim eſt in poteſtate earum poſitum, poſtquàm corporibus exutæ ſunt, ut compleant purgationem hîc incœptam, aut non eſt; ſi ſic, ergo, cùm tantò libentiùs, quantò propinquiores ſe vident glorificationi ſuæ, hoc meritò faciant, tantóque liberiùs, & expeditiùs, quantò ab ipſo corpore, & impedimentis ex parte corporis, & à vita mundi iſtius liberatæ ſunt, neceſſe eſt eas perficere in vita illa cœptam in præſenti expurgationem; quare neceſſe eſt eſſe locum hujuſmodi purgationibus deputatum: ſi verò non eſt in poteſtate earum, cùm manifeſtum ſit eas purgationem ſuam deſiderare, & modis omnibus velle; nihil veriſimilius, aut credibilius eſt, quàm clementiam creatoris ſatisfacere tam piis deſideriis earum, & ſupplere eis omnipotenti virtute ſua, quod ipſæ ſine ejuſdem adjutorio nec etiam incipere potuerunt. Quòd ſi dixerit, quia culpa earum fuit, vel quòd nimis tardè expurgationem hujuſmodi incœperunt, vel quòd deſidioſè nimis, & negligenter in parte iſta egerunt;

Peccata actualia voluntaria.

Expiatio.

Nota.

Nota.

Nota.

Digitized by Google

alioquin eã potuerunt perfeciſſe: dico, quia homo iſte omninò ignorat & virtuté veræ pœnitentiæ & ipſius pœnitẽtiæ veritaté. Non enim eſt verè pœnitens, niſi qui omninò averſus eſt corde, & volũtate à malitia ſua, hoc eſt à vitiis, & peccatis, & ad Deũ converſus, & eidẽ adhærens toto corde Talis igitur jam deſeruit malitiam penitùs, & apprehendit bonitatem, factuſque eſt bonus totaliter interiùs; quare vel nihil reſtat in eo expurgandum interiùs, niſi fortè leves aliquæ culpæ, vel forſitan aliquid ei patiendum reſtat, per quod ſatisfaciat Dei honori, atque juſtitiæ, & hujuſmodi paſſiones nominavi tibi pœnas purgatorias, & pœnitentiales. Tu etiam noſti conſuetudinem, quæ apud homines eſt, qui volunt ſibi ſatisfieri pro irrogatis injuriis per pœnam aliquam, vel condignam, vel minorem, & hoc eſt, cùm clementes ſunt homines, & juſti. *Nota.* Amant autem pœnam hujuſmodi non livore vindictæ, ſed amore juſtitiæ, quod eſt, cùm viderint eam emendatoriam, & correctoriam patientium, & multò ampliùs amarent eas, ſi viderent animas exinde purgari & decorari. Quia igitur tales intelliguntur pœnæ purgatoriæ, quæ cœptá in hac vita purgationé pœnitentialé perficiant, & suppleant, leveſque, ac velut deſuper aſperſas maculas leviũ peccatorũ abſtergendo animas purificent, & decorent, neceſſariæ ſunt multis animabus, & per eas divinæ ſatisfit juſtitiæ pariter, & clementiæ, ut ſupra tetigi tibi, & neceſſe eſt animabus humanis poſt corpora & tẽpus, & locum habere hujuſmodi expurgationis. Quòd ſi dixerit quis, quia clementiſſimus ac benigniſſimus creator non amat, vel quærit tormenta, & cruciatus animarum, cùm ipſe ſit eſſentialiter, atque fontaliter miſericors, jam in alio tractatu ſatisfeci tibi ſuper hoc, & iterùm dico, quia creator ſublimis. & benedictus, ſicut eſſentialiter, ac fontaliter eſt miſericors; ſic eſt eſſentialiter, ac fontaliter juſtus & propter hoc, ſicut non quærit pœnas animarum, aut cruciatus per ſe, ſed quia multipliciter utiles animabus, & ſalutares, ſic non quærit eas, quia tormenta ſunt animarum humanarum; *Adverte.* hæc enim intentio crudelitatis eſt diabolicæ, ſed potiùs, quia juſtæ, & honori ſuo convenientiſſimæ; inquantùm enim juſtæ, & bonæ ſunt, ſicut juſtitia inquantùm juſtitia eſt bonitas, ſunt etiam decoræ, quoniàm decent & juſtitiam ejuſdem, & merita patientium, vel patiẽtes propter merita mala. Quanta autem ſit pulchritudo juſtitiæ, inde manifeſtum eſt tibi, quia tam vehementer diligitur ab iis, qui eam intueri valent, & videre. Quàm utilis autẽ, & quàm ſalutaris ſit hominibus in parte iſta Dei juſtitia, inde licet intueri, quia metu futuræ purgationis, etiam aliàs non deterriti, pœnitentialem purgationem & faciliùs, & citiùs in præſenti vita incipiunt, atque diligentiùs & ſtrenuiùs proſequuntur, & ſatagunt conſummare, antequàm vita iſta defungantur.

CAPUT LXI.

Alia ſtabilitio loci, in quo purgantur animæ defunctorum, & de cauſis, & modis purgationis.

QUòd autem fidem indubitatam facit de purgatorio, & purgatione hujuſmodi, viſiones ſunt, & appariſtiones animarum, ſeu hominum, qui in hujuſmodi purgationibus exiſtentes poſt mortem corporum ſuorum apparuerunt tam multis, & tam ſæpè, & amicis ſuis, ut adjuvarent eas, & eis ſuffragia procurarent, ſimiliter & præmonentes eos, ſibi à futuris ſuppliciis præcavere. Apparuerunt ſimiliter, & viris ſanctis multi petentes ab eis ſuffragia ſua, vel ut ab amicis eorum ea ipſis fieri procurarent. faciunt & ad hoc teſtimonia redivivorum, hoc eſt, qui de morte corporis reſurrexerunt, qui ſtatum animarum & propriarum, & aliorum in prædictis purgationibus exiſtentiũ narraverunt, & teſtificati ſunt, prout invenire poteris *Nota.* ex geſtis, ſcriptis, & narrationibus Chriſtianorum de hujuſmodi apparitionibus, petitionibus, & querelis, præmonitionibus, & revelationibus, quæ non ſolùm auditu jocundæ ſunt, ſed etiam utiles, admodùmque ſalutares, multùmque proficientes ad correctiones hominum à ſuis vitiis, & peccatis, vehementer provocãtes ad amoré ſanctitatis, & deſiderium æternæ fœlicitatis. Ampliùs Non eſt lex de tribus magnis legibus quæ in purgationem animarum poſt mortem corporũ non conſentiat, & etiam gentes, quæ legem non habent, neque creatoris benedicti notitiam, vel fidem, & ſemper intenderunt, *Nota.* & adhuc intendunt ſuffragari animabus defunctorum, & adjuvare eas, ut liberentur, & transferantur ad cœlos, vel in Deos etiam tanquàm deificatæ. Gens verò Chriſtianorum & orationibus, & eleemoſynis, & ſacrificiis, & omni genere piorum operum credit adjuvari animas defunctorum uſque ad diem univerſalis judicij, non quidem omnes uſque ad perfectam liberationem, & expurgationem; non enim credit ſic eſſe purgabiles eas, quæ jam in inferno detinentur, ſimiliter neque animas parvulorum, qui præter baptiſmalem ſanctificationem à ſuis corporibus exiverunt: eas verò ſolas ad perfectum purgabiles, quæ pœnitentes, ut ſupra dixi, in alterum ſæculum migraverunt, hiſque ſolis prodeſſe poſſe ad liberationem omnimodam prædicta ſuffragia ex hac vita in alteram, quæ cum juſtificatione, ſeu juſtitia pœnitentiali ex hoc ſæculo tranſiverunt in alterum. Reſtat igitur, ut qui expurgationes, ſive expiationes iſtas negant animarum poſt corpora, vel concedant omnibus animabus verè hîc pœnitentibus ſolam pœnitudinem, & juſtificationem interiorem abſque aliis operibus, & ſatisfactione, ſufficere, vel non. Quòd ſi ſufficere credunt, neceſſe habent confiteri ſupervacua eſſe opera hujuſmodi, videlicet quæ pœnitentes pro peccatis ſuis in omni lege agere conſueverunt. Similiter *Vide.* orationes, obſecrationes, & ſacrificia quæ facere ubique noſcuntur. Amplius. Manifeſtum eſt, non omnes pœnitudines interiores æquales eſſe, nec omnia vitia, vel peccata Aut igitur determinatum eſt, quanta hujuſmodi pœnitudo, ſive afflictio, & dolor pœnitudinis ſufficiat ad plenam expiationem animarum, perfectamque reconciliationem ad creatorem, aut non eſt determinatum. Quòd ſi dixerit, determinatam eſſe quantitatem, neceſſe habet hoc intelligere altero duorum modorum, quorum primus eſt, ut intelligat unam aliquam quantitatem doloris pœnitentialis, quæ ſufficiat pro omnibus æquè, videlicet pro magnis, & pro parvis peccatis, ita ut non ſit neceſſe pœnitentibus aliquid ampliùs agere pro eo, ut reconcilientur creatori: ſequitur ergo, ut ſi fortè majoris quantitatis fuerit dolor, quàm ſint illa determinata. partem habeat ſuperfluam, & etiam quòd injuſtus ſit juſtificator animarum Deus altiſſimus, qui majorem infert pœnam *Nota.* doloris pœnitenti, quàm exigant culpæ illius. Quòd ſi dixerit, quia quod additur dolori ultra debitum, & exigentiam culparum, additur in profectum virtutum, & in medicinam: verum utique dicit, ſed de Dei juſtitia non ſe expedit, vel abſolvit. Neque enim humana juſtitia hoc patitur, ut pro inæqualibus delictis æqualis juſtitia fiat, & quòd pro uno, & pro multis, vel æqualibus. vel majoribus pœna eadem infligatur; quantò magis ergo juſtitia divina hæc

Digitized by Google

hæc non patietur? Alter verò modus eſt, ut intelligat determinatam eſſe pœnam pœnitentialem in quantitate, ita ſcilicet ut unicuique peccatorum debeatur propria, non una ſcilicet in omnibus, ſed majoribus major, & minoribus minor. Intelligo autem hoc de pœna pœnitudinis interioris. Dico igitur ſi pœnam hujuſmodi infert Deus in vindictam, & ex juſtitia ſola, poſſibile eſſet fortè, quod dicit, ſed hujuſmodi pœnitudo, ſi vera eſt, atque perfecta, indubitanter perfectè juſtificat animam, ſive hominem, & Deo reconciliat eundem: verè enim pœnitens interiùs, verè revertens eſt ad viam rectitudinis; quare verè eſt avertens ſe à malis, in quibus eſt, & quæ fecit, propoſitoque, & voluntate in bonitate eſt, & bonis, quæ deſeruit. Quantumcunque autem pœnitudo hæc pœnitentem facere faciat, ipſum juſtificat, deoque ipſum conciliat, & conjungit. Non eſt autem dubium, quin clementiſſimo creatori longè plus placeat pœnitudo interior, quàm pœnitentia exterior, & hoc eſt, quia longè melior, utpote vitiis, & peccatis eſſentialiter contraria, ipſique animæ humanæ vicinior, ut ejus mundatio, ac decoratio, ipſiuſque creatoris immediata operatio, & ipſarum animarum reformatio ſpiritualis: poſſibile autem eſt eam tantam eſſe, hoc eſt, tantæ afflictionis, & doloris, ut aliam pœnam ab ipſo pœnitente divina juſtitia non requirat; plerunque autem divinæ juſtitiæ per hujuſmodi pœnitudinem non ſatisfit totaliter, & ideò neceſſe eſt ut suppleatur, vel iteretur pœnitudinibus, vel exterioribus exercitationibus. Ampliùs. Qui peccavit & intùs, & exteriùs, & corde ſcilicet & opere, nonne dignum, & juſtum eſt, ut ſatisfaciat intùs, & exteriùs, aut ſaltem eouſque intùs, ſicut tetigi tibi, ut ſufficiat pœnitudo interior ut exterior ſatisfactio meritò non quæratur? Quòd ſi dixerit, quia non oportet hoc ita eſſe, quoniàm exterior ſatisfactio poſſet eſſe tanta ſecundùm hoc, quòd interior non eſſet neceſſaria, reſpondeo non eſſe verum, quia exterior exercitatio nec nomine ſatisfactionis digna eſt, nec unquàm Deo accepta, niſi de radice interioris proceſſerit. Modis igitur omnibus neceſſe eſt locum eſſe purgationibus futuris deputatum, propter injurias animarum quarum hîc purgatio, juxta quod tibi dictum eſt, non expletur. Quòd ſi dixerit quia non decet creatoris clementiam ita exactricem eſſe pœnarum, maximè pœnitentium animarum, jam reſpondi tibi in hoc, qualiter decet, & qualiter eſt decorum, & feci rememorationem bonitatis juſtitiæ, & pulchritudinis ejuſdem. Et nunc addo tibi, quia creator non intendit aliquid propter aliquid aliud à ſe, ſed operatur, quod decet ipſum, quia decet ipſum, & nihil magis decet ipſum, quàm clementia, & juſtitia, & tam clementiæ opera, quàm juſtitiæ etiam per ſe debita ſunt, per ſe bona, per ſe decora, & propter hoc propter ſemetipſum operatur illa creator optimus, licet miræ utilitates, & immenſæ proveniant ex eis hominibus.

Nota.

Nota.

CAPUT LXII.

Alia declaratio Purgatorij.

Nota.

DEbes autem ſcire, quòd qui negaverunt eſſe purgatorium, & purgationes iſtas animarum, ignoraverunt pœnitentiam, & ejus eſſe; eſt enim pœnitentia, ſive pœnitudo interior, judicium ſpirituale, in quo judicio anima peccatrix accuſat ſe, teſtificatur contra ſe, judicat contra ſe, videlicet ſe eſſe dignam tormentis, atque ſuppliciis infernalibus pro eis, quæ malè geſſit, poſtremò exequitur judicium proprium contra ſe, videlicet torquendo ſe, non ſolùm ſpiritualiter modis, qui tibi aliàs declarati ſunt per me, ſed etiam corporalibus afflictionibus, qualia ſunt, jejunia, labores, flagella, & alia hujuſmodi, quæ ſacræ exercitationes nominantur; & cùm videt, quia omnia iſta non ſufficiunt ad plenè ſatisfaciendum juſtitiæ creatoris, inſtat orationibus, & obſecrationibus apud clementiſſimum creatorem, implorans ejus miſericordiam, ut ignoſcat ei merita ſupplicia. Et jam declaravi, quia nulla eſt afflictio, nullum tormentum eſt, quod hîc ſibi pœnitentes infligunt, quo non majora incomparabiliter debeantur peccatis gravibus, quibus animæ humanæ ſeparantur à Deo. Sed neque honores quanticunque ſint, æquari poſſunt, vel comparari contumeliis, & injuriis, quæ peccatis hujuſmodi Deo altiſſimo irrogantur. Declaratum enim eſt tibi peccata hujuſmodi omnia, & infinita eſſe, & infinitas pro eis pœnas de rectitudine divinæ juſtitiæ irrogari. Sicut igitur ſervum fugitivum non ſola reverſio ſua ad dominum ſuum immò juſtiſſimè exiguntur ab eo opera, quibus tempore fugæ defraudavit dominum ſuum; ſicut etiam vir bellator recedens à rege ſuo imminente eidem prælio, non ſola reverſione juſtificatur apud regem, immò exigitur ab eo ſatisfactio, & de fide violata, & de damnis, ſi qua regi pro ejus receſſione provenerunt: ſic & peccatoribus non ſufficit ſola reverſio ad regem, & dominum omnium ſæculorum, niſi & damna ſubtractæ ſervituris, ſubtractique ſervitii reſtituant contumeliam, & injuriam fugæ ſuæ, & derelictionis, juxta legem ipſius emendent, niſi fortè tanta ſit humilitas, & devotio, afflictioque interior, ut regi, & domino his placeat eſſe contentum. Purgatio igitur pœnitentialis exterior ſequitur hujuſmodi judicium, ſi datum fuerit ſpatium hanc complendi, niſi, ut ſæpè dixi, interior ſufficiat; & pœna judicialis, quam etiam pœnitentialem vocavi, ſequitur animas exeuntes à corporibus ſuis. Utrùm autem locus aliquis per ſe his purificationibus deputatus ſit ſolus, & proprius, nulla lex, vel alia ſcriptura determinat: apparet autem ex viſionibus, & revelationibus animarum hujuſmodi, quia in multis locis mundi hujus terreni, purgationes iſtæ, & ſupplementa pœnitentiarum fiunt. Apparere etiam poteſt ex ratione. Cùm enim purgationes hujuſmodi ſupplementa ſint pœnitentialium ſatisfactionum, non oportet, ut alius locus ſit eis, quàm pœnitentiis: idem enim locus debetur ſemper toti, & partibus: ubi enim eſt locus hominis, ibi & pedum, & manuum: purgationes autem iſtæ partes ſunt pœnitentiarum. Audiviſti autem apud poëtas infernum eſſe, vel ſecundùm partem, vel ſecundùm totum deputatum ſuis purgationibus, & Plutonem deum vocari tartarorum, & præeſſe ſuppliciis animarum: quapropter ſtatuerunt ei ſacra, & ſacrificia, quibus placaretur ad parcendum animabus. Apud eoſdem etiam legiſti mundum iſtum terrenum infernum eſſe ex cauſis, & ſimilitudinibus, quas potes reminiſci, in quibus ſecuti eſſe videntur Platonis metaphoras, qui ponit animas violenta morte de corporibus exeuntes circa corporum ſuorum tumulos commorari, nec ante inde recedere, quàm conſummatum eſſet tempus, quo duraturæ erant in corporibus ſuis, niſi eas inde mors violenta expuliſſet, & ex hujuſmodi commoratione umbras vocari, ſicut in præcedentibus audiviſti.

Nota.

Lege cantic.

Nota.

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

Stabilitio ignis purgatorij, & ignis infernalis, & quid animæ ab igne corporali torquentur.

HIs igitur ita dictis, ſecundùm quod mihi fuit poſſibile, tranſibo ad alia, & incipiam loqui de igne, quem vocat gens chriſtianorum purgatorium, & de illo quem vocat infernalem, ut removeam à te dubitationem, & admirationem de his rebus, quas imperiti poſſe eſſe non credunt, ſed more ſuo quæcunque non vident, alios videre non exiſtimant; & etiam quicquid non cognoſcunt, cognoſci poſſe deſperant; & nihil eſſe penitùs opinantur. Dico igitur in primis quia hujuſmodi homines non crederent ignem eſſe, qui aquam combureret, niſi hoc eos credere vel oculi ſui, vel famæ teſtimonia innumera, & irrefragabilia compuliſſent. Tu autem ſcis, quia ignis iſte vocatur ignis græcus, & hujuſmodi novem ſpecies dicit Ariſtoteles, & docet compoſitiones, & modum confectionis ipſorum in tractatu de eiſdem ſingulari. Similiter ignem eſſe, qui oleo extingnatur, & aquâ frigidâ accendatur, quandò crederent hujuſmodi homines, niſi errorem eorum convinceret experientia ſenſus, viſus videlicet, atque tactus? hic autem eſt ignis qui eſt in calce viva. Quandò etiam crederent lampadem inextinguibilem poſſe fieri, videlicet quæ nec vento, nec pluvia poſſet extingui, niſi fuiſſet famoſiſſima illa lampas quæ in templo Veneris quondàm fuiſſet; non eſt dubium, quin fuerit lampas illa, id eſt, quòd ardebat, & lucebat, in ea aſbeſtus lapis, qui ſemel accenſus reverà nunquàm extinguitur vento, vel pluviâ, & eſt lapis lividi, ac † ferruginei coloris. Eſt & ignis qui vulgò vocatur aqua ardens, cujus confectio notiſſima eſt, & ignis iſte nihil conſumit præter ſe ipſum; eſt enim liquor ex quatuor, vel quinque rebus confectus, quocum aſperguntur capilli alicujus, aut liniuntur, non eſt alia lucerna neceſſaria ad menſam, in qua ſedet; capilli enim illius ardere videntur, & illuminant ad modum faculæ, vel ſtraminis ardentis, & capilli verò illæſi permanent omninò. Eſt & ignis, de quo ſupra feci tibi mentionem, vel in ipſa terra Siciliæ, vel propè, qui corpora non lædit. Sunt & alii ignes in lacubus, vel potiùs ipſi lacus, in quibus, & ex quibus intinctæ faculæ accenduntur, & ardent. Hæc autem omnia propter hoc aggregavi tibi de mirabilibus ignium, ut tollerem à te admirationem, atque dubietatem de igne purgatorio & de igne gehennali, quanquàm ignis purgatorius à multis intelligatur, non ignis propriè corpus, ſed pœna, ſive afflictio quâ divinæ juſtitiæ ſatisfit defectibus purgationum in vita iſta cæptarum, & in eadem non completarum, & hujuſmodi pœnam intelligunt non unam eſſe vel numero, vel ſpecie, immò multas, & hoc eis viſum eſt ex apparitionibus, & revelationibus antedictis. Multi enim apparuerunt ex mortuis, apparuerunt inquam modis, quibus fuit beneplacitum creatori, & revelaverunt pœnas ſuæ purgationis varias, atque multiplices, de quibus fit tibi ſermo in ſequentibus perſcrutatior, atque diffuſior. Debes autem ſcire, quia ignis ſecundùm doctrinam hebræorum tribulatio, vel afflictio nonnunquàm intelligitur. nec diſcordat in hoc intellectu ab eis doctrina Chriſtianorum. Quòd ſi quis miretur, & quærat qualiter ignis, ſive afflictio corporalis purgare poſſit animas humanas? Jam dixi tibi quia opera vitiorum, & peccatorum, nec non & delectationes, & deſideria abradit ab animabus, & extinguit in eis afflictio corporalis, & radices etiam hujuſmodi paſſionum, & operum adeò debilitat, ut ea durante in actus hujuſmodi exire non poſſint. Alius modus eſt ſatisfactio, ut dixi tibi divinæ juſtitiæ per ſupplementum purgationis in vita iſta cæptæ, & quia ſicut prędixi tibi, leves quædam culpæ ſunt, quaſi tenuis ſuperaſperſio, animas inquinantes, & non profundè, atque radicitùs inficientes, non immeritò viſum eſt multis ex doctoribus Chriſtianorum purgationem cæptam, & non perfectam in vita iſta in futuro compleri. Reſumam autem quæſtionē, qua multi quærunt, qualiter per corpus torqueri, vel affligi poſſint animæ humanæ, quæ incorporales omni modo ſunt. Qui proculdubiò, ſicut ſupra audiviſti, nec ea quæ jugiter vident, & ſentiunt, cognoſcere poſſunt, dum vident animas humanas & jugiter delectari, & moleſtari à corporibus, & per illa. Quis enim non videat qualiter delectabilia corporalia inflammant deſideriis animas, & irretiunt atque captivant voluptatibus, ſimiliter ut quædam triſtabilia contriſtant eaſdem? quot enim moleſtias deſideriorum, quot & quantos dolores, cruciatus turpium amorum ſpecioſæ mulieres ingerant animabus ſtultorum & interdùm animabus etiam ſapientium, quis non videat? *Nota.* Similiter quanta, & qualia patiantur animæ avarorum à divitiis & à divitiarū paſſionibus, hoc eſt corruptionibus, & diminutionibus? quanta ſuperbi, ut de aliis taceam, à ſolis detractionibus, & ab aliis vilitatibus, & vilifactionibus corporalibus, quis explicare, vel enarrare ſufficiat? Quamquàm videri poſſint alicui pœnæ contumeliarum, & opprobriorum ſpirituales, quòd non alia de cauſa eis videtur forſitan, niſi quia in animabus ſunt & propter hanc cauſam videri deberet eis, quòd omnes delectationes, & triſtitiæ noſtræ ſpirituales ſunt, cùm in animabus noſtris ſolùmodò ſint, poſſibile tamen eſt hujuſmodi pœnas aliquas ſpirituales eſſe. Non igitur abhorreant, aut mirentur, ſi ignis corporalis aliquis eſt, qui animas humanas & in corporibus, & à corporibus ſeparatas torquere valeat, cùm tanta mirabilia ignium audiant, & plura atque majora forſitan apud ſcriptores rerum mirabilium mundi, & hiſtoriographos legere poſſint. Ampliùs. Si juxta legem Hebræorum igni, qui prophetæ ipſorum in rubo apparuit, vel datum, vel ablatum eſt contra naturam ſuam propriam, & ipſius rubi, vel forſitan novus ignis talis ab omnipotente creatore creatus eſt tunc, materiam combuſtibilem, in qua eſſet, non combureret, quomodò non veriſimile eſt, *Vide.* ut propter exercendam tantam Dei juſtitiam talis ignis creatus ſit, qui torquere poſſit animas impiorum, & vindicare in eis injurias Deo altiſſimo irrogatas? Ampliùs. Si pluvia ignis, & ſulphuris creata fuit à juſtiſſimo creatore propter vindicandam Dei pariter, & naturæ injuriam, & contumeliam in gentes ſodomorum: quantò fortiùs propter omnes injurias, & contumelias Dei altiſſimi fuit creatus ignis, qui univerſaliter omnes vindicet? Nec numero namque nec magnitudine peccata gentis illius comparabilia ſunt peccatis omnium, qui extremo, & univerſali judicio in infernum detrudendi ſunt. Ampliùs. Si creator dedit aquas maris rubri, ut contra naturā omnium aquarum, & propriam, ſe dividerent & aperirent, viam ſiccam præbentes populo Hebræorum ab Ægyptio exeuntium; quantò fortiùs penſato honore, & gloria ipſius, necnon & pulchritudine, & bonitate juſtitiæ ſuæ, dedit igni contra naturam aliorum ignium, & propriam, virtutem torquendi animas eorum, quos inimicos ſuos reputat? *Nota.* Ampliùs. Si pro flagellandis Ægypriis, gente ſcilicet impia, miſcuit pluviam ignis, & grandinis, & ignem in aqua ardere fecit: quantò fortiùs pro torquendis univerſis impiis, tale aliquid, ac majora, & mirabilia facere decet juſtitiam ipſius?

† *Aliàs* fulginei.

ipſius? Ampliùs. Si hanc virtutem dedit ventri ſtruthionis, ut ferrum frigidum, atque duriſſimum coquat in nutrimentum corporis ipſius, quid mirum, ſi dedit igni virtutem animas ſic torquendi? Et ſi econtrario virtutem dedit ventri ejuſdem animalis, ut à ferro ignito nihil uſtionis, aut læſionis alterius patiatur, quomodò non potiùs igni, vel alij corpori dedit, vel dabit virtutem? Maximè cùm dignum, & juſtum ſit apud ipſum, ut corporibus, quibus culpabiliter ad injuriam, atque contumeliam creatoris ſe ſubjecerunt, & hoc ad delectationem, ſubjiciantur inviti ad pœnam, ut in quibus, & per quæ regem gloriæ benigniſſimum delectabiliter offenderunt, in his, & per hæc triſtabiliter patiantur. Ampliùs. Quid juſtius, quid divinæ gloriæ congruentius, quàm ut hi ſervire cogantur corporibus ad ſupplicium ſuum & cruciationem, qui neglecto creatore, atque contempto corporibus ſervire, quàm creatori, potiùs elegerunt? Ampliùs. Manifeſtum eſt ex hiſtoriis, & exemplis multis, quia creaturis creator propter ſervitium dilectorum, & electorum ſuorum auget vires, & dat novas, & ipſas etiam creaturas multiplicat contra naturam, id eſt, curſum naturæ ſolitum, exempli gratiâ; ſi credere vis hiſtoriis, & ſterilibus mulieribus dediſſe fœcunditatem, & ſterilibus agris; ſimiliter oleum multiplicaſſe, & farinam, & panes, & in multis aliis naturæ vires auxiſſe creatorem leges in eis. Quid igitur mirum, ſi in ſervitium propriæ juſtitiæ, aut virtutem adauget ignis, aut novam ei tribuit? Non enim dubitatur credenti, ac credentibus hiſtorias, quin fortitudinem adauxerit bellatoribus ſuis pluries creator optimus. Non eſt igitur cauſa, propter quam admirentur, vel dubitent, ignem talem creaſſe creatorem, qui ſervire juſtitiæ ejuſdem ſic poſſit, in vindicandis ſcilicet ejuſdem injuriis, & contumeliis. *Nota.*

CAPUT LXIV.

Qualiter corpora damnatorum non conſumantur, aut corrumpantur ab hujuſmod. ignibus.

DE eo verò, ſcilicet qualiter corpora damnatorum non ita lædantur, aut conſumantur ab hujuſmodi igne, aut mortem corporalem ſaltem non inferat; ſufficere tibi poſſunt exempla ſalamandræ, quæ vivit in igne, ut ignis prænominatus, qui corpora non lædit, animas intolerabiliter excruciet: ſimiliter & ventris ſtruthionis exemplum, qui ferro ignito non læditur. Noſti etiam de lateribus quibuſdam, qui in igne quantumlibet exiſtentes, ab ipſo non læduntur. Similiter audiſti & de bitumine, quo linita fuiſſe dicuntur arma Amazonum, quod nec ferro, nec igne ſolvitur, ſed & ſimili bitumine portæ Caſpiæ linitæ fuiſſe dicuntur. Noſſe etiam potes experientia de pellibus, & plumis ſalamandræ, quæ etſi incenſæ videantur ab igne, & etiam ardere, atque lucere, nihil tamen læſionis ab ipſo patiuntur. Sunt & alia innumera, quæ ignem non timent. Quòd ſi corpora hujuſmodi hominum igne illo infernali mortificabilia eſſent, atque diſſolubilia, non eſſet uſquequaque ibi pulchritudo divinæ juſtitiæ, cùm non eſſet perennis pœna eorum, quam eſſe perpetuam neceſſe eſt, ut per me in tractatu alio didiciſti. Nec eſſet talis, ac tanta, qualem & quantam eam eſſe requirit divinæ juſtitiæ pulchritudo, & dedi tibi in hoc cauſas, & probationes, quæ omni intelligenti ſatisfaciant, atque ſufficiant. *Nota.*

CAPUT LXV.

Virùm ignis prædictus in ſola imaginatione torquere ſufficiat animas humanas exutas à corporibus.

ET quoniàm aliquis ex ſapientibus chriſtianorum, atque doctoribus dixit, quia ignis hujuſmodi ſola imaginatione ſui ſufficit torquere animas humanas: bonum eſt ſcire, quæ ratio ad hoc illum induxerit, vel inducere potuerit. Non enim prætereunda, vel negligenda ſunt tibi dicta tanti ſapientis. Dico igitur in primis, quia tormentum, quod anima humana patitur ab igne per corpus ſuum, non eſt niſi vel in vi apprehenſiva, vel in vi motiva, vel in ambabus. Quocunque autem modo ſe habeat, in anima eſt hujuſmodi tormentum, cùm omnis paſſio in patiente ſit ex neceſſitate. Quia igitur ipſa anima ſubſtantia ſpiritualis eſt, in ea impoſſibile eſt formam aliquam corporalem eſſe. Quapropter neceſſe eſt tormentum iſtud, ſive cruciatum, ſive dolorem, ſeu quocunque alio nomine illum nomines, formam ſpiritualem eſſe. Sed & in omnibus apprehenſionibus corporalium, & ſenſibilium, ſimiliter ſe habere oportet, videlicet, ut impreſſiones ſpirituales ſint: quare nec calor, nec ardor eſt hujuſmodi impreſſio, tamen calere, & ardere ſe dicit anima, quæ ſic patitur. Non enim dubium eſt tibi, quia anima humana, nec calida, nec frigida eſſe poteſt, quoniàm hujuſmodi qualitates corporales ſunt, & in corporibus ſolummodò habent eſſe. Ardet igitur anima humana ſe ipſa teſte, cùm nihil caloris in ſe habeat. Vides igitur, quia forma ſpiritualis eidem per corpus ab igne impreſſa, cùm nec ignis, nec calor ſit, eandem tamen urit, & ardere facit, ut ipſamet confitetur. Quid ergo mirum, ſi ſola imaginatione ignis ardere ſibi videatur, & ardere ſe judicet, cùm ipſa imaginatio ſubſtantiæ animæ vicinior ſit, quàm ſenſus, & ſolummodò ſpirituale ſit, quod per impreſſionem ſenſibilem ad ejus ſubſtantiam venit, & in eandem intrat? Quòd ſi dixerit, quia reverà anima humana non uritur, nec ardet, ſed hoc ei videtur propter fortiſſimam conjunctionem, & unionem, qua corpori unita eſt, & inde eſt, quòd ſibi videtur, & ſe judicat pati, quòd ipſum corpus patitur, quia non ſolùm in corpore eſt, ſed corpus, ut multi ex philoſophis dixerunt, potiùs in ea, & hæc continentia ſpirituali, non ambitione corporali, tunc revertitur in id, quod ante prædixi, quia non verè dolet ipſa anima hujuſmodi paſſionibus, tanquàm ſuis propriis, ſed magis condolet, tanquàm alienis. Auferent igitur veritatem, ac proprietatem doloris ab animabus humanis; quapropter, & gaudiorum, atque delectationum. Contraria autem in eodem naturaliter habent fieri, ex quo conſequens eſt, ut veritatem, & proprietatem hujuſmodi ponant in corporibus, & ita expreſsè, & apertè, confiteantur corpora verè, ac propriè delectari, atque triſtari, quod uſque hodie nemo intelligentium dixit. Neceſſe igitur habent confiteri animas humanas verè gaudere, veréque triſtari paſſionibus hujuſmodi, cùm in ipſis ſubſtantiis earum nulla ſit paſſio corporalis. Et quoniàm ſpecies, vel fantaſma, vel ſimilitudo, ſeu quocunque alio modo nomines, cùm fuerit in vi apprehenſiva, movet etiam motivam neceſſe eſt, ut ipſa ſpecies in motiva virtute imprimat hujuſmodi paſſiones, quæ dolores, & gaudia vocantur: ſicut & Ariſtoteles dixit in libro de anima, quia delectabile imaginatum movet deſiderium. Et ſi ſpecies æquè fortis eſſet in vi imaginativa, ut eſt in vi *Nota.* *Nota.*

ſenſitiva, cùm ſenſibile ſentitur, minor eſſet impreſſio in vi imaginativa, quàm in ſenſitiva. Et hoc manifeſtum eſt in hominibus fortis imaginationis, *Nota.* quia non minùs delectantur imaginando quædam viſu delectabilia, quàm delectarentur videndo: propter quod, & quidam notus mihi non curabat videre haſtiludia, dicens ſe longè ampliùs delectari in imaginando ea, quàm delectaretur videndo. Ego etiam vidi hominem, qui ſolo aſpectu medicinæ movebatur, quoties opus erat, motu expurgationis. Quid igitur movebat eum ſic, quòd eſſet apud eum, niſi ſpecies ipſius, id eſt ſimilitudo impreſſa in anima ejus, cùm nec ſubſtantia medicinæ, nec ſapor, aut odor ipſius apud ipſum eſſet, ſed ſola ſpecies, ut dixi? Certum etiam tibi poteſt eſſe, ſi experimentari volueris, quoſdam viros delectari aſpectu mulieris, & mulieres aſpectu virorum; ut amplexibus, niſi fortè, quantùm minùs fortis eſt apprehenſio, quæ ſolo viſu fit, quàm quæ tactu; propter quod non dubitandum eſt, quin ſi remanerent ſimilitudines in organis viſus, æquè fortes abſente, ſive remoto viſibili æqualis fortitudinis paſſiones delectationis, & triſtitiæ exinde proculdubiò ſequerentur. Videri igitur ex his meritò potuit illi tanto *Nota.* viro, quòd ſpecies fortis, hoc eſt fortem faciens apprehenſionem triſtabilis, aut moleſtabilis, ſimiliter & delectabilis, per ſe ſufficiat efficere delectationes, & triſtitias, gaudia, & cruciatus in animabus, & harum paſſionum quantitates erunt juxta quantitates fortitudinum hujuſmodi ſpecierum, & rerum, quarum ſpecies ſunt: hoc autem eſt dicere, quia quantò fortior erit apprehenſio, quantòque fortiùs ipſum apprehenſum, hoc eſt, magis delectativum, vel magis triſtativum; tantò erunt delectationes, & triſtationes majores ex illis. Ampliùs. Manifeſtum eſt de ſomniantibus, quoniàm interdùm ſomniant ſe ardere, & eſſe in igne, & cruciantur intolerabiliter, tanquàm in veritate ardeant; quare quoniàm veritas, & ſubſtantia ignis apud eos non eſt, ſed ſola ſpecies ignis, vel in fantaſia, vel imaginatione eorum eſt, manifeſtum eſt eos cruciatum hujuſmodi ardoris à ſola ſpecie ignis pati. Eodem modo ſe habet & de ſomniantibus ſe tenere, & contrectare poma aurea, vel argentea, & lapides pretioſos. Manifeſtum enim eſt, quia nihil hujuſmodi rerum apud eos eſt, ſed ſolæ ſpecies, aut fantaſmata in animabus. Delectantur autem dormientes ſpeciebus, aut fantaſmatibus hujuſmodi, tanquàm ipſarum rerum veritate; quare neceſſe eſt, ut & poſſibile ſit eos contrariis ſomniis contriſtari: Verbi gratiâ, ablatione, vel alio modo, hoc eſt, ſi ſomniant auferri ſibi prænominatas divitias, vel alias ſibi deperire, & forſitan fiet hoc in eodem ſomno, quo priùs ſomniabant ſe poſſidere eas, & tenere manibus, & poſt modicum ſibi auferri. Non eſt igitur mirum, ſi vir ille ſapientiſſimus dixit, ſola apprehenſione ignis animas humanas ſolutas à corporibus, & abſque veritate, & ſubſtantia ignis, poſſe torqueri. Quòd ſi dixerit quis, quia non poſſet eſſe tantum tormentum à ſola imaginatione ignis præter veritatem ipſius, atque ſubſtantiam, quantum eſſet cum veritate, & ſubſtantia: jam reſpondi ei ſuper hoc, quia ſi præſentia, & veritas ignis non addunt apprehenſioni, non addunt tormento, hoc eſt ſi non augent illa non augebunt illud. Declaratum etiam eſt tibi per hoc, quia non ſolùm ardoribus hujuſmodi poſſibile eſt creatori cruciare animas, quas voluerit per ſolam imaginationem, vel intellectum, ſed etiam omni genere tormentorum, & hoc eſt, quoniàm poſſibile eſt ei juxta omnipotentiſſimam virtutem ejus pingere, vel deſcribere in vi imaginativa horrificas omnes, atque fortiſſimas ſpecies omnium generum

E tormentorum. Quòd ſi quis inferat: ergo ſuper vacuè creatus eſt ignis hujuſmodi: Reſpondeo, quia multæ ſunt utilitates ipſius, quarum una eſt, ut & *Nota.* corporaliter, & verè torqueat corpora animarum hujuſmodi, & etiam animas ipſas. Ampliùs Cùm ipſe ſit Deus veritatis, & veritas, non decet magnificentiam gloriæ ipſius, ut utatur mendaciis ſomniorum. Tertiò, quia modus ſomniandi tantùm ardores, non ſatis deterreret homines à vitiis, & peccatis, cùm pauciſſimi intelligere poſſint animas poſſe vel ſomniis, vel ſuppliciorum imaginationibus cruciari. Nec dubites omnipotenti creatori multos eſſe poſſibiles modos vindicandi in hoſtes ſuos, nec omnes, vel mihi, vel aliis hominibus eſſe notos. Si quis autem quærat, an ſolus ignis in inferno ſit, an etiam alia corpora; reminiſci debet, quia poëtæ poſuerunt ibi flumina, & paludes, & lethæum flumen, & cocyton, & ſtygem paludem, forſitan autem hoc per metaphoras platonicas dicentes. Lex
F verò, & doctrina, ſarracenorum ponit ibi arborem Adachum amariſſimi fructus, tanquàm ibi poſſit arbor aliqua vivere, & fructificare. Diſputare autem circa omnes fabulas, atque deliramenta, & figmenta inſipientium, non tam laborioſum eſt, quàm etiam ſupervacuum. Doctrina verò chriſtianorum, *Nota.* cui in parte concordat doctrina hebræorum, licet fabulis impoſſibilibus, & increduliſſimis, refertiſſima, habet, quòd in inferno ſunt aquæ gelidiſſimæ. Sed neque aquæ illæ, neque ignis infernalis, ſunt per omnia earundem manerierum, quarum ignes, & aquæ, quæ ſunt apud nos: quia nec ignis ille extinguibilis eſt, nec aquæ illæ conſumptibiles, & fortè nec calefactibiles. Propter longiſſimam igitur corporum infernalium, ad corpora hujuſmodi *An infernus modò ſit plenus.*
G mundi ſuperioris, qui eſt ſupra ipſum infernum, diſſimilitudinem, atque diſtantiam, ignoranter ex parte magna qualitates eorum. Habet autem admirationem magnam, & quæſtionem dubitabilem, an infernus totus modò plenus ſit, an ſit apud ipſum vacuum; & de vacuo jam alibi didiciſti, an poſſit eſſe; ſimiliter & de quantitate ipſius. Si enim jam totus plenus eſt corporibus ſuis, qualiter intrabunt in ipſum penè innumerabilium hominum corpora, ſi ferè ſola pars totius humani generis modica ſeorſùm ſalvabitur? Neceſſe igitur eſt, ut ignis, & aqua, quæ ibi ſunt, exeant pro majori ſua parte, & dent locum perditorum hominum corporibus, aut ut rareſiant. Inæſtimabile eſt autem, ut ſecum capiant corpora perditorum; & de hoc quidem, & de aliis quæ circa hoc ſunt, loquar in ſequentibus.

H

INCIPIT SECUNDA PARS primæ partis principalis Guilielmi Pariſienſis de Univerſo.

PROOEMIUM.

SEQUITUR ea, quæ præceſſerunt, inveſtigare de ipſo univerſo, an novum ſit, an antiquum, quod eſt dicere, an temporale, an æternale, ſive æternum. Secundò de cura, & gubernatione, qua gubernari dicitur à multis, & curari ab ipſo creatore, licet à multis contradicatur. Tertiò an ſtatus iſte ſit ei perpetuus ſtatus, ſcilicet in quo eſt, an finem habiturus, & etiam quem finem, ſive immutationem

Digitized by Google

immutationem, utrùm in melius, an in deterius, A & de ipſa novitate, vel de ſtatu, quem habiturus eſt, an ſit ei futura perennis, an iterùm habitura finem, an hoc debeat ire in infinitum, ſicut aliqui opinati ſunt. Et de ipſo genere humano, quem ſtatum habiturum ſit, tam ſecundùm animas, quàm ſecundùm corpora humana. Et quoniàm hæc omnia præcedit inveſtigatio de ipſa æternitate, perſcrutabor in primis de ipſa. Similiter de ſæculo, & ſæculis, & de ſæculis ſæculorum, atque de ſæculo ſæculorum.

CAPUT I.

De æternitate, & contra ponentes tempus partem æternitatis.

SCito igitur, quia opinati ſunt quidam æternitatem aliud non eſſe in eſſentia, quàm tempus. Unde & diffinierunt tempus eſſe perfectæ partem æternitatis, & iſti fuerunt Italici. Secundùm eos igitur non differt æternitas à tempore, niſi ſicut totum à parte ſua & ſicut majus tempus à minori. Secundùm eos etiam æternitas non præcedit tempus, immò ſi verè pars eſt æternitatis tempus, naturaliter præcedit æternitatem: omnis enim pars prior ſuo toto eſt; quoniàm quædam cauſa ipſius. Ampliùs. Sicut ante æternitatem nihil fuit, vel eſſe potuit: ſic nec ante totum tempus. Ampliùs. Nemo unquàm poſuit æternitatem, niſi infinitam; quare ante æternitatem nihil fuit. Si enim aliquid ante eam fuit, vel præceſſit eam alio medio, vel nullo; tu enim ſcis, quia diem craſtinam præcedit dies hodierna, & nox tota, quæ media eſt inter iſtos duos dies: quare ſi præceſſit eam alio medio, illi medio quaſi contigua erat æternitas; quare finiebatur, ſive terminabatur ad illud. Erit ergo ſecundùm hoc finita æternitas, & habens terminum, finem, ſcilicet illius medij, quemadmodùm dies craſtina terminum habet initialem finem noctis imminentis. Si verò præcedit eam ſine medio, tunc terminatur ex neceſſitate æternitas ad illud, quemadmodùm dies craſtina ad noctem præcedentem ipſam; quare modis omnibus ſequetur ex hujuſmodi poſitione æternitatem eſſe finitam. Manifeſtum autem, quòd omnes diffiniunt æternum, quod nec habet principium, neque finem, & intelligitur principium, & finis durationis, ſive permanentiæ ſuæ. Similiter & æternum dicunt homines communiter, quod nec incipit, nec deſinit eſſe; quare æternitas infinita eſt ſecundùm communem intelligentiam hominum. Dico inſuper, quòd æternitas impartibilis eſt ſecundùm prius, & poſterius; cùm enim æternitatis eſſe permanens ſit, immò ipſa æternitas permanentia interminabilis & ex utraque parte infinita; permanentia autem, & fluxibilitas contraria ſunt; ergo nihil fluxus eſt in æternitate, nihil fluens; quare nec prius, nec poſterius eſt in ea. Ampliùs. Quid eſt tempus, niſi fluens eſſe, & nullo modo permanens, id eſt nihil ſui habens permanens in actu, vel potentia? Si enim aliquid temporis permaneret, jam non eſſet illud, vel tempus, vel pars temporis, cùm eſſe temporis non ſit, niſi fluere ſecundùm totum, fluere inquam, irretentibiliter, & inſtabiliter. Quare eſſe æternitatis permanere eſt influxibiliter. Ampliùs. Indeſinentia cadit in diffinitionem æternitatis: æternum enim eſt, ut prædixi, ſecundùm intellectum omnium, nec incipiens, nec deſinens. Deſinentia verò eſſentialis eſt temporis, ſicut & fluere: fluere enim in tempore non eſt, niſi continuè cadere in non eſſe: cadere autem in non eſſe non eſt niſi deſinere; quare deſinentia eſſentialis eſt temporis: indeſinentia verò eſſentialis æternitatis: tempus igitur, & æternitas eſſentialiter contraria ſunt; quare ſicut proprium, & eſſentiale eſt tempori fluere, vel deſinere: ita æternitati permanere, & ſtare. Quòd ſi dixerit, quia æternitati ſecundùm totum eſt proprium ſtare, ſed partibus eſſentiale fluere, deſtruitur hoc duobus modis. Primùm, quia æternitas ſecundùm ipſum totum eſt homoeomeres, ſicut & tempus, & propter hoc ſi fluere, vel deſinere, eſt eſſentiale alicui ex partibus, erit eſſentiale & toti; quare nec actu, nec ratione ſeparabitur fluere, vel deſinere à tota æternitate, ſicut nec ab aliqua partium ejus; quare totam æternitatem neceſſe eſt continuè deſinere, & cadere in non eſſe. Et attende, quia iſta poſitio eſt, quemadmodùm ſi quis ponat aliquod totum album, & quamlibet ejus partem nigram, aut econverſò. Secundus modus deſtructionis eſt ex hac radice, quia nihil recipit in ſe contrarium eſſentiæ ſuæ. Eſt autem tempus fluxus continuus irretinibilis, quoniàm ejus eſſe eſt fluere continuò, & irretentibiliter. Æternitas autem econtrariò, ſtabilitas continua, & influxibilis, quoniàm æternum eſt ſtabile continuum influxibiliter, quod eſt dicere indeſinibiliter; eſſentia igitur æternitatis contraria eſt fluxibilitati, & deſinentiæ. Non recipit igitur illam, vel in ſe, vel in partibus ſuis cùm eſſentia ipſius ab eſſentia partium contrarietate diverſari non poſſit. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, tempus non eſſe æternitatem, nec partem æternitatis, & in æternitate non poſſe eſſe prius, neque poſterius ſecundùm ſucceſſionem, aut fluxum, ſive deſinentiam: quare eſſe æternitatis totum ſimul eſt, non inquam ſimul concomitantia temporali, ſed abnegatione prioritatis, & poſterioritatis; quemadmodùm, ſi dicerem, quòd in ea nihil ante, nihil poſt. Declaratum etiam eſt tibi ipſam eſſe infinitam, & interminabilem ex utraque parte, hoc eſt nec habere principium, nec habere finem; ſimiliter nec habere primum, nec habere ultimum, & propter hoc nec habere medium. Ubi enim eſt medium in duratione, neceſſe eſt eſſe prius, & poſterius, & ſucceſſionis ordinem; quare ſimplicem, & impartibilem neceſſe eſt eſſe æternitatem. Hoc autem ſequuntur multæ quæſtiones. Prima eſt, cùm æternitas ſit impartibilis, tempus autem in infinitum partibile, eſt igitur æternitas ad tempus, quemadmodùm ipſum nunc impartibile ad totum tempus: quare tempus eſt infinitum majus, quàm æternitas. Nemo autem dubitavit uſque hodie, quin æternitas ſit major in infinitum tempore, & quia tempus † intra æternitatem eſt; ipſum enim & præcedit æternitas & ſequitur. Si enim ceſſaret tempus, poſt ipſum eſſet æternitas, hoc eſt dicere, ſi deſineret eſſe tempus, ſimiliter, ſi cœpit tempus, ante ipſum fuit æternitas. Attende igitur, quia ipſe creator benedictus eſt ſimplex, & impartibilis, & tamen eſt infinitus, & immenſus amplitudine ſua, & immenſitate, omnia intra ſe continens, & circundans. Qua autem amplitudine, & circunſcriptione omnia circuncludit, & circunſcribit intra ſe, & claudit omnia, atque continet? manifeſtum eſt, quia incorporali. Attende & aliud exemplum, quomodò ſpecies, quæ in ſe impartibilis eſt corporaliter, id eſt, ſecundùm longum, & latum, & altum, ſicut linea, amplitudine tamen generalitatis, quæ utique potentialis amplitudo eſt continet infinitam multitudinem individuorum. Continentia verò corporali non continet niſi partes ſuas. Alio verò modo continet puncta, quæ in ea ſunt, ad quorum nullum habet in quantitate comparationẽ proportionalẽ, & propter hoc veriſſimè dicitur in infinitum

Æternitas. *Æternũ quid ſit.* *Nota.* *Tempus quid.* *Nota.* *Nota.* † *Aliàs* infra.

major, quàm quodlibet eorum, hoc eſt, ſuper omnem proportionem, cùm ſit ad unumquodque ipſorum pluſquàm dupla, pluſquàm tripla, & ita in infinitum. Veriſſimè igitur dici poteſt ex eis, quæ jam dixi tibi, quòd individuum eſt in amplitudine ſpeciei, ſicut punctus in linea, & hoc eſt, quoniàm individuorum infinitus eſt, quare amplitudo ſpeciei potentialiter infinita eſt, quantùm ad individua; non enim continet amplitudo ejus potentialiter tantùm individua, quæ ſunt in actu, immò quæcunque eſſe poſſunt, & quibuſcunque ratio ipſius poteſt competere, quod eſt dicere, quòd non eſt limitata hæc ſpecies homo, ut continere non poſſit, niſi individua, quæ ſunt, vel quæ fiunt vel quæ futura ſunt, quaſi oporteret capacitatem ejus, & amplitudinem dilatari, ſi placeret creatori plures homines creare, quàm apud ſe ſtatuerit, aut anguſtari, ſi pauciores ei creare placuiſſet. Omni quippe intelligenti manifeſtum eſt in amplitudine ſpeciei in ſe utique immutatam penitùs permanere. Et propter hoc exempla Avicembron, licet laudanda ſint, & intellectum adjuvantia, non tamen ita propria ſunt, & convenientia materiæ, de qua agitur hîc. Dixit enim idem philoſophus, quòd mundus ſenſibilis, ſive inſenſibilis eſt in ipſo eſſe in univerſali, quaſi diceret in altitudine, vel amplitudine entis, ut accipias ens commune, ac generale, tanquàm commune omnium. In illa, inquam, amplitudine communitatis ipſius eſt mundus ſenſibilis, tanquàm navicula in medio maris, aut tanquàm avicula in medio aeris. Non enim dubitandum eſt, quin & mare finitum ſit, & aer, & quòd finitum non poteſt continere infinita ejuſdem quantitatis, hoc eſt, quantitatis ejuſdem generis cum ipſo, & propter hoc mare quantumcunque ſit, non poteſt capere naviculas infinitas, quantumcunque parvas, ſimiliter neque aer aviculas. Declaratum enim eſt tibi aliàs, quia nullum finitum aggregatum eſſe poteſt ex infinitis tantis ſui generis, quod eſt dicere, nulla quantitas ex infinitis cubitis, & digitis. Quare manifeſtum eſt, quia quæcunque navicula quantumcunque parva in mari exiſtente, detrahitur amplitudini maris capacitate ipſius naviculæ, quantumcunque parvæ. Quare manifeſtum eſt, certum eſſe numerum, & determinatum, ultra quem non poſſet capere etiam unam naviculam, vel medietatem unius de naviculis, intelligo æqualis quantitatis. Neceſſe igitur eſſet ipſum dilatari, & additionem fieri ſupra amplitudinem ejus, ſi major numerus navium in ipſum mittendus eſſet. De amplitudine autem ſpeciei, & generis, declaratum eſt tibi aliter eſſe. Debes etiam ſcire, quia quantitates non ſunt proportionabiliter comparabiles, quæ non ſunt ejuſdem generis, & quibus non eſt unus modus menſurandi, & propter hoc æternitas, & tempus non ſunt ad invicem comparabiles. Quapropter amplitudo corporalis, & amplitudo ſpiritualis, nullam habent ad invicem proportionem. Amplitudinem namque corporalem facit multitudo partium, & aggregatio: amplitudinem verò ſpiritualem unitas, & ſimplicitas; & hæc eſt cauſa propter quam creator altiſſimus, & benedictus eſt in ultimitate amplitudinis ſicut eſt in ultimitate ſimplicitatis, & impartibilitatis; & qui eſt ordo ſimplicitatis, & impartibilitatis, idem eſt ordo amplitudinis ſpiritualis, & capacitatis, ſicut faciam te ſcire in tractatu ſequenti hunc, qui erit de ſubſtantiis ſpiritualibus, & abſtractis. Quia igitur amplitudinem, ſeu latitudinem, ſeu longitudinem in æternitate facit ſtabilitas, in tempore verò fluxus, ſeu fluxibilitas, impoſſibile eſt comparabilia eſſe proportionabiliter æternitatem, & tempus. Per hoc enim quòd ſtat

Similitudines geometricæ.

Avicembron.

Amplitudo corporalis & ſpiritualis.

E æternitas ininchoabiliter, & indefinibiliter, non habet primum, neque ultimum, & ideò nec prius, nec poſterius, nec medium; tempus econtrariò ſe habet per hoc quòd fluit irretinibiliter, & hoc ipſum facit in ea ſimplicitas. Simplicitas enim prohibet eam ab aggregatione partium, & ordine ipſarum, quare prohibet eam habere prius, & poſterius, & conſequenter primum, & ultimum. Juxta hanc viam ſciendum tibi, quia tempus, locus, & numerus improportionales ſunt ad invicem; neque enim verè dicitur, quòd aliquis numerus eſt major aliquo tempore, aut econverſò. Similiter neque tempus loco, aut locus tempore, & ridendæ ſunt hujuſmodi locutiones ſophiſtarum, & comparationes, quibus dicunt horam, vel aliam partem temporis majorem eſſe, vel minorem, vel æqualem miliario. Vidi autem tempore meo doctores grammaticos, qui ſic loquentes, non grammaticè loqui dicerent. F Debes etiam ſcire, quia de verbis, quod maximè congruit æternitati, eſt verbum eſſendi, ſtandi, ſimiliter & permanendi, & hoc in præſenti tempore ſolummodò. Fuiſſe enim, vel fore, ſtetiſſe, vel ſtaturam eſſe, permanſiſſe, aut permanſuram eſſe non propriè pertinent ad eam, & cauſas ſuper hoc jam prædixi, & in libris prophetarum, cùm de creatore loquuntur ipſi prophetæ, invenies ſæpè, quòd eſt, vel ens, ad ipſum, vel de ipſo dicunt. Rarò autem de eo dicunt aliorum temporum verba, quamquàm & rationabiliter de eo dici poſſint, ſed cum interpretationibus, & expoſitionibus, quas alibi didiciſti. Ariſtoteles autem dixit lineam curvam, & lineam rectam incommenſurabiles eſſe; cauſa verò, propter quam hæc dixit, quia non eſt eis idem modus menſurandi, & hoc eſt, quoniàm linea recta menſuratur G ſecundùm diſtantiam extremitatum ſuarum ab invicem. Major enim linea recta dicitur, quàm alia, cujus extremitates magis diſtant ab invicem. Non enim idem eſt modus menſurandi lineæ curvæ; alioquin omnis chorda eſſet æqualis arcui ſuo, & econverſò. Revertar autem adhuc ad impartibilitatem æternitatis, & dicam, quia perpetuitas videtur eſſe medietas æternitatis: habet enim medietatem rationis ipſius. Cùm enim æternum ſit, quod nec habuit principium, nec habiturum eſt finem: medietas iſtius rationis ratio eſt perpetuitatis. Eodem modo, ſi dixeris, quia æternum eſt quod eſt ininchoabiliter, & indefinibiliter, indefinibilitas idem eſt, quod perpetuitas, quare videtur eſſe medietas æternitatis. Ampliùs Durationis æternæ accipe medium, vel medietatem, perpetuitas eſt medietas iſtius durationis. Tanta enim eſt duratio, H quæ non incipit, & terminatur in hoc nunc præſenti, quanta eſt duratio, quæ incipit ab eodem, & nunquàm finietur; quare præſens nunc dividit totam durationem, quæ nec incœpit, nec finienda eſt in duas iſtas partes æquales, & in utraque iſtarum eſt medietas totius. Scito ergo, quia duratio dicitur duabus intentionibus. Una namque intentione dicitur tempus vitæ, ſeu permanentiæ, ſive exiſtentiæ alicujus rei, & eſt menſura uniuſcujuſque eorum, & non congruit verbum durationis ſecundùm intentionem iſtam, niſi in tempore exiſtentibus, hoc eſt eis, quorum eſſe, vel actiones fluunt cum tempore, ſicut eſſe motus fluit cum tempore, ſimiliter actiones cœleſtium corporum, ſimiliter paſſiones, & operationes naturalium, & vitæ etiam multorum animalium cum tempore fluunt; & ſic ſe habet de omnibus, quæ incœperunt in tempore, vel ex tempore. Omnia hujuſmodi menſurantur à tempore vel ſecundùm eſſe, vel ſecundùm actiones, & paſſiones ſuas; talia igitur ſunt omnia mobilia, & aliter mutabilia, & de perennibus dico, id eſt, quorum eſſe

Simplicitas æternitatis.

Verbum eſſe, & ſtare ad æternitatem pertinet.

Vide.

Digitized by Google

non eſt definibile, quia & ſecundùm eſſe ſuum menſurantur à tempore principii terminante ipſa: licet enim non finiatur eſſe eorum in tempore, tamen menſuratur à tempore, licet à tempore non finito, ſi tempus debeat eſſe infinitum. De hoc enim quæſtio eſt plurimæ difficultatis & non eſt dubium, quin quædam menſuratio temporalis ſit talis immenſitas. Quodammodò enim metitur lineam, qui dicit eam finitam in ſe, & infinitam ad punctum, & propter hoc perpetuitas quædam menſura eſt; & ſi aliqua corpora infinita eſſent, vel aliqua linea infinita, ex altera tamen parte finita, non inconvenienter diceretur hujuſmodi menſura eſſe lineæ talis, nec videtur eſſe aliqua ratio, ſi finita menſura menſurat finitum, quin & infinitum infinita, ſi infinitū eſt aliquid in quocunque genere quantitatis; quemadmodùm ſi quis diceret, quòd decem puncta numerat numerus finitus, ſcilicet denarius, & mille millenarius, & ita de ſingulis aliis numeratis, & numeris: eodem modo puncta infinita, & innumerabilia numerat infinitus numerus, & ſermo authenticus, & ſanctus habet, quòd numerus annorum Dei eſt inæſtimabilis. Verùm quoniàm de eſſe hujuſmodi ſubſtantiarum nihil omninò fuit cum tempore, ſed totum eſt integrum, & illæſum per omnia in quolibet nunc ipſius temporis, non propriè eorū eſſe dicitur eſſe in tempore: quēadmodùm enim quod totum eſt in uno puncto loci, non propriè dicitur eſſe in toto loco. Similiter neque quod eſt in parte loci, propriè dicitur eſſe in toto loco, ſed magis eſſe ibi per accidens, quemadmodùm, nec locus alicujus dicitur, niſi quod ipſum præcisè continet: major verò locus non dicitur locus ipſius, quod ipſum totum non implet. Sic animæ humanæ nullo modo per ſe dicuntur eſſe in tempore, quod eſt minus duratione earum, aut majus, & eſſe earum in corporibus eſt proculdubiò eſſe temporale, hoc eſt, à tempore menſuratum, cùm initium habeat, & finem in tempore. Similiter actiones, & paſſiones, quas agunt in corporibus, & per corpora, tempore menſurabiles ſunt, & menſurantur. De eſſe verò ejus apud ſe, hoc eſt, extra corpus, non eſt quæſtio, ſi in eo ſtatu actiones aliquæ ſunt ei, vel paſſiones, licet ſpirituales, quin tempore, vel puncto temporis menſurentur. Si enim ſubitæ, & durationem nullam habentes, manifeſtum eſt, quia puncto temporis menſurantur. Si verò permanent, ſed finem habent, cùm certum ſit eas incipere, manifeſtum eſt eas tempore menſurari. Quòd ſi finem aliquæ earum non habent, erunt infinitæ ſecundùm durationem, & hoc à parte futuri: ex alia enim parte finitæ ſunt cùm incipiant, & principium habeant in tempore. Si enim tempus infinitum eſt, cùm tempus eſſentialiter menſura ſit, erit menſura infinitorum, talium ſcilicet quæ in tempore incipiunt, & tempore finiuntur. Manifeſtū enim eſt, quia augmentum quantumcūque ſit, non mutat eſſentiam ejus, in quo eſt, aut ſpeciem, niſi in his ſolis, quæ determinatam habent eſſentiam, ut numeri, quorum unuſquiſque determinatam habet eſſentiam. Et ideò additione, & detractione etiam unius unitatis ſecundùm ſpeciem diverſantur. hora verò non videtur ſecundùm eſſentiam, qua eſt tempus, alterius ſpeciei eſſe, quàm dies. Licet poſſet dici forſitan alia ſpecies menſuræ, vel quantitatis & propter determinationem. Sicut cubitus, & duo cubiti diverſæ ſpecies menſuræ ſunt, propter manifeſtam determinationem, qua exiit altera ab altera: eſſe enim temporis ut ſupra dixi tibi, totum eſt fluere, & in hoc non differt dies ab hora, vel econverſò ſed reverà determinationibus differunt, & hæc eſt intentio mea in hoc, & determinatio iſta eſſentialis eſt quantitati per modum, quo quantitas eſt. De tempore verò, an ſit infinitum, vel an ſit finem habiturum, apud ſapientes quæſtio eſt; Ariſtoteli namque viſum fuit, nec habuiſſe initium, neque habiturum finem, & hæc erit perſcrutatio tibi ſufficiens in ſequentibus, in quorum via nunc ſum. Quod autem quærebam in præcedentibus, videlicet, an perpetuitas eſſet dimidiata æternitas, jam dixi tibi, quòd non eſt ullo modo partibilis æternitas, ſed reverà, ſi tempus eſſet juxta opinionem Ariſtotelis, ſine principio ſcilicet, & ſine fine, reverà perpetuitas eſſet dimidium temporis ex utraque parte infiniti: hoc autem dici non poteſt, niſi equivocè, æternitas. Jam enim pateſeci tibi contrarietatem manifeſtam inter æternitatem, & tempus, ex quo apparere tibi poteſt, quia qui dixit tempus partem eſſe æternitatis, vocavit totum tempus, ſcilicet infinitum, æternitatem, propter quod in ratione, ſeu diffinitione ſua non eſt locutus de illo, ſed de partibus determinatis ipſius, & ideò cùm dixiſſet: Tempus eſt pars æternitatis, adjunxit, cum † anni mēſurantis, diuturnique certa cōmenſuratione. Revertar autem ad ipſam æternitatē, & dicā, quia ipſa eſt contraria tēpori, ſicut oſtendi tibi jam, & quia ipſa impartibilis eſt partibilitate continuitatis, & quia ipſa eſt circundans tempus & tempore major, abſque comparatione proportionali. Deinde dico, quia ipſa eſt propria creatoris benedicti atque ſublimis. Omne enim aliud cœpit, poſtquàm non fuit, & finit, quod eſt dicere, quoniàm aliud habet eſſe poſt non eſſe, & hoc faciam te ſcire in ſequentibus poſt pauca. Solum enim eſſe creatoris eſt neceſſe per ſe ex omnibus modis ſuis, omne autem aliud eſſe poſſibile eſt eſſe per ſe, & non neceſſe eſſe, immò eſt ceſſans eſſe quantùm in ipſo eſt, & propter hoc recedit, & revertitur in non eſſe quantùm in ipſo eſt, niſi retineatur per creatorem, quod eſt dicere per ipſum neceſſe eſſe per ſe. Determinandum autem eſt, ac ſtudioſè perſcrutandum de ipſa æternitate, quid ſit ejus eſſe, videlicet an eſſe ipſius creatoris, an aliud ab illo, an privatio. Quòd ſi dixerit, quia eſt ipſum eſſe creatoris: qualiter igitur erit contraria tempori? eſſe quippe creatoris non habet contrarium, neque oppoſitum niſi non eſſe, ſicut jam te ſcire feci in aliis. Si verò dixerit, quia eſſe æternitatis eſt aliud ab ipſo eſſe creatoris, cœpit igitur æternitas, cùm omne aliud ab ipſo cœperit; ſed quia nondùm illud declaratum eſt, dicam quia ſic æternitas eſt ad minus poſſibilis eſſe in ſe ipſa, & propter hoc deſinibilis, & ceſſans ab eſſe quantùm in ipſa eſt. Jam autem tranſiviſti hæc, ubi dictum eſt, quia nihil recipit contrarium ſuum, vel eſſentiæ ſuæ. Non enim eſt nigredo dealbabilis ullo modorum, nec frigiditas calefactibilis, nec ipſa indeſinibilitas deſinibilis. Si verò dixerit, quia æternitas eſt continuitas eſſendi, erit eadem quæſtio. Quòd ſi quis dixerit, quia ipſa eſt privatio incœptibilitatis, & deſinibilitatis, cùm conſtet privationem nihil eſſe, tunc conſequens eſt, ut concedat æternitatem nihil eſſe, & neque etiam poſſe eſſe, quod multò fortiùs de tempore veriſimile eſt, cùm totum præteritum tempus jam non ſit, & totum futurum necdum ſit, medium verò nulla particula temporis ſit. Quòd ſi dixerit quis, quòd æternitas eſt ſtatus creatoris, vel ſtabilitas, qua ſtat in eſſe ſuo incœptibiliter, & indeſinibiliter, & per omnem modum influxibiliter, non effugiet per viam iſtam. Eædem enim quæſtiones ſunt de ſtatu, & ſtabilitate. Dico igitur, quia æternitas non eſt niſi eſſe creatoris, aut creator ipſe, ſed nomen æternitatis plus dicit quàm eſſe ipſius videlicet privationes incipiendi, & deſinendi, ſimiliter & fluxus,

Perpetuitas.

Animæ humanæ dicuntur eſſe in tempore quomodò.

Augmentum non mutat ſpeciem.

Ariſtotelis opinio de tempore.

† *Aliàs* animi.

Æternitas contraria tempori.

Quod eſſe æternitatis.

Nota.

Æternitas eſt eſſe creatoris.

naliter poſt ipſum futurus eſt, & ipſum tempus illum continuè deſerit, dum quotidie, & irretinibiliter, ut dictum eſt, fluit; ille ſtat immobiliter & per omnem modum influxibiliter uſquequaque; eſt igitur hujuſmodi comitantia inter creatorē, & tempus, qualis cogitari poteſt inter ſtantem in ultimitate ſtabilitatis, & fugientem in ultimitate fugacitatis. His autem ita ſe habentibus proſequar de hoc, quod omnia dicuntur eſſe in æternitate à quibuſdam, videri inibi, & hoc ſimul, & quid ſit propriè, ac verè eſſe in æternitate. Dico igitur, quia propriè, & verè eſſe in tempore, eſt eſſe menſuratum à tempore ſecundùm longum ſucceſſionis ipſius temporis, & propriè, & verè eſſe in æternitate, erit eſſe in ſtatu, & ultimitate ſtabilitatis: hoc autem ſolius eſt creatoris altiſſimi, & benedicti. Ampliùs. Si ſolum verè, ac propriè, temporale eſt ſolum, propriè, & verè in tempore, ſolum propriè, & verè æternum erit ſolum, verè, & propriè, in æternitate. Et reſpondeo in hoc, quia ita eſt, videlicet quòd ſolus creator in æternitate eſt verè, ac propriè. Ratio enim æternitatis, ut ſupra dixi tibi, eſt duratio non habens principium, neque finem, immò ſtatus, qualem deſcripſi tibi, videlicet in quo nec eſt fluxus, nec mutatio, nec prius, nec poſterius, quod eſt dicere, ſtatus per omnem modum influxibilis, incœptibilis, indefinibilis, impartibilis. Qui autem omnia dicunt eſſe in æternitate: ſi rectè intelligunt, penè eamdem habent intentionem in ſermone iſto, quam habent, cùm dicunt omnia eſſe in Deo: hoc enim in ſermone intelligunt ipſum creatorem immenſitate ſuæ amplitudinis omnia circundare, & ambire & velut intra claudere. Ipſi etiam dicunt per modum iſtum tempus eſſe in æternitate, & volvi, & fluere ipſum intra immenſitatem æternitatis, quemadmodùm, & totus mundus mobilis volvitur, & movetur intra immenſitatem ipſius creatoris, cùm ipſum totaliter circundet immenſitas creatoris: eſt enim ſupra ipſum, ut dominator altiſſimus ipſius, & infra ipſum, vi ſupportans ipſum, & ſuſtentans, ne recedat in non eſſe, & circa ipſum, ut conſervans ipſum, atque cuſtodiens.

Eſſe in tempore.

Nota.

CAPUT III.

Quomodò omnia ſint ſimul, & præſentia, in æternitate.

Omnia præſentia eſſe in æternitate.

De eo verò, quòd dicunt, omnia præſentia eſſe in æternitate, & ſimul, quæſtionem habet, qualiter hoc intelligant. Contraria enim ſimul in eodem eſſe non poſſunt, quomodò igitur eſt? Socrates in æternitate eſt, eſt-ne ibi ſimul ſenex, & puer? ſanus, & æger? & an eſt ibi ſola ſenectus ejus? an ſola pueritia? an ſola ſanitas? an ſola ægritudo Socratis? an ambæ? an neutra? Quòd ſi neutra, non ſunt igitur omnia in æternitate. Quòd ſi ambæ, cùm in æternitate non ſint prius, & poſterius neque ante, nec poſt, erunt igitur ſimul in æternitate; quare Socrates erit puer, & ſenex, ſanus, & æger in æternitate, & ad hunc modum ſe habet de omnibus aliis contrariis ex quibus invicem eſt permutatio. Et generaliter, quomodò intelligunt ea eſſe in æternitate ſimul, quæ ſimul eſſe nunquàm potuerunt in tempore? Ampliùs. Aut ſunt in æternitate, quæ præterierunt, aut quæ futura ſunt ſecundùm veritatem ſuam, hoc eſt, prout fuerunt, & futura, aut non. Si ſic; ergo cùm fuerint, & etiam futura ſint ſecundùm prius, & poſterius, & in ordine ſucceſſionis, erunt ſimiliter & in æternitate; erit igitur in ea prius, & poſterius, ante, & poſt, & ſucceſſio. Jam autem prohibita ſunt nomina hujuſmodi ab æterni-

A tate. Si verò non fuerint ibi ſecundùm ſuam veritatem, quam dixi, cùm alium modum eſſendi non habeant, quàm ſucceſſivum, & ordinatum, ut dixi, vel nullo modo igitur erunt ibi, aut figmentaliter, & falsò erunt ibi. Dico igitur in hoc, quia me, & te jam expedivi ſuper hoc, nihil enim temporalium, prout jam tibi patefactum eſt, in æternitate verè, ac propriè eſſe poteſt. Sed ſermo hujuſmodi hominum habet intentionem hujuſmodi; quia omnia, quæ habet æternitas, ſunt apud eam ſemper præſentia, cùm nihil apud eam fluat, aut prætereat, incipiat, aut deſinat. Cùm ergo generaliter intelligunt de rebus omnibus, hoc eſt, temporalibus, & ſpiritualibus, quia omnia hæc ſunt in æternitate præſentia, intelligunt indubitanter, quòd creator æternus, qui eſt lucidiſſimus, aut infallibilis conſpector omnium B ſæculorum, habet omnia ſibi præſentia, hoc eſt videt & intuetur, quoniàm non magis videt præſentia, quàm præterita, vel futura, vel quolibet modo aliter abſentia. Sicut enim non addit cognitioni luminoſiſſimæ ipſius rerum præſentia, vel exiſtentia, ita nihil detrahit eidem eorum præteritio vel futuritio. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm creator non videt per aliud, quàm per ſemetipſum. Ipſe enim eſt ſibi ipſi lux, per quam videt, & ipſemet eſt ſibi ſimilitudo, vel exemplum, vel ſpeculum, in quo videt, quicquid videt. Se enim ipſum intuens, videt omnia, de hoc tamen faciam conſiderationem, quæ tibi ſufficere debeat in tractatu, qui ſequitur ipſum.

Nota.

Nota diligenter.

CAPUT IV.

C *Comparatio æternitatis, & temporis, & de utriſque.*

Exemplum verò imaginabile comparationis æternitatis, & temporis, quod promiſi tibi, eſt, ut imagines rotam † immenſam æternitatem, & intra eam rotam temporis, ita quòd tangat eam in uno puncto tantùm. Hoc enim alibi didiciſti, quia ſive circulus circulum, ſive ſphæra ſphæram contingit, & hoc ſit intra, ſive extra, in uno tantùm puncto contingere neceſſe eſt. Quia igitur æternitas tota ſtat, ut audiſti, & tota ſimul eſt, imaginare, quia quatenùs tota temporis rotam æternitatis tangit, contactus in tantùm eſt, quantùm punctatim tantum ſua revolutione ipſam tangit punctum, & eſt ipſum tempus, & propter hoc nihil totum de tempore ſimul eſt. Simile eſt, ſi imagineris rotam æternitatem luminoſiſſimam, & luminoſitatem ejus D eſſe ipſum eſſe ipſius, vel entitatem, & ex ea influere lumen ejus ſuper tempus, quatenùs ipſum tempus receptibile eſt ipſius; & quoniàm non eſt receptibile ipſius eſſe ſecundùm totalitatem aliquam, hoc eſt neque ſecundùm ſuā totalitatem, neque ſecundùm totalitatem alicujus ex partibus ſuis, non fluit lumen eſſendi ab æternitate ſuper ipſum, niſi punctatim, quemadmodùm neque tangibilis eſt rota hujuſmodi, niſi punctatim; propter fluxum enim ſuum irretinibilem, non eſt illuminabile, niſi punctatim. Adjuvaberis etiam in hoc, ſi imaginatus fueris aquam exeuntē de vaſe aliquo guttatim, vel aliter exire nequeuntem: adeò enim eſt fortis potentialitas, adeòque anguſta, ut de ea exire, niſi punctatim tempus non poſſit in actum, ſicut anguſtia foraminis ex antedicto vaſe non permittit exire aquam, niſi guttatim. Omnium quippe rerum creatarum debilioris eſſe eſt tempus: hoc autem apparet ex hoc, quia actualitas ejus eſt in ultimitate parvitatis: potentialitas verò econtrariò. Eſt enim tempus ſecundùm minimum ſui, hoc eſt, ſecundùm punctum tantùm eſt, & non eſt ſecundùm

† Aliàs univerſam.

Æternitas.

Tempus.

Digitized by Google

plurimum ſui, & iſtud eſſe intelligo hîc ultimum actualitatis; illud verò non eſſe, hoc eſt, quod competit tempori, intelligo hîc plurimum potentialitatis. Admiratione autem dignum videtur, quòd inter forte eſſe æternitatis, & debiliſſimum eſſe temporis, medium non eſt, ut videtur. Illud enim ſi eſſet medium, aut eſſet fluens totaliter, ut tempus, aut eſſet totaliter permanens, ut æternitas, & neutro iſtorum modorum eſſet medium, aut eſſet in parte fluens, & in parte permanens, & hoc non eſſet unum, immò eſſet aggregatio æternitatis & temporis: ſi verè permanens eſſet pars ejus, & verè fluens eſſet pars altera. Quòd ſi quis dixerit, quia horizon æternitatis, & temporis, quem ponunt Philoſophi, eſt medium; communicat enim, ut videtur, utrique, & iſte horizon non eſt niſi perpetuitas, & perpetuitas communicare videtur cum tempore inceptionem, & cum æternitate indeſinibilitatem; & propter iſta duo dixit philoſophus ipſum eſſe horizontē æternitatis & temporis, & poſt æternitatem ſupra tempus, poſt æternitatem inquam propter inceptionem: ſupra tempus verò propter indeſinibilitatem eſſe, & iſti videbantur ſentire tempus eſſe finitum, id eſt, † finibilem durationem, quantùm ad hoc, quòd dicitur, ſupra tempus: horizontem verò nominavit ipſam perpetuitatem: horizon enim circulus eſt dividens duo hemiſphæria, videlicet id quod apparet de cœlo ſuper terram, quod eſt indubitanter medietas ipſius, & id, quod non apparet, quod ſcilicet terra prohibet videri, quod ex neceſſitate eſt reliqua medietas. Unde videtur illi, quòd in ipſo initio perpetuitatis eſſet diviſio, tanquàm per media ipſius æternitatis, ſicut ſupra dixi tibi; ſed hujuſmodi æternitas non poteſt intelligi niſi tempus æternum; horizon autem intelligitur orientis zona, & vulgariter dicitur hujuſmodi circulus finitor viſus noſtri. Unde Solem, & Lunam, & ſtellas tunc videre incipimus, cùm oriuntur motu ſuæ revolutionis ſuper horizontem noſtrum. Tunc verò ea videre deſinimus, cùm deſcendunt ſubter ipſum. Poteſt autem & meritò quæri, quid intelligit Philoſophus, quia omne eſſe aut eſt ante æternitatem, & ſupra ipſam, aut eſt in æternitate, & cum ipſa, aut poſt æternitatem, & ſupra tempus, ut anima, quæ eſt in horizonte æternitatis. Nihil autem poteſt intelligi ante æternitatem eſſe, aut ultra ipſam, niſi ipſe creator benedictus, & hæc anterioritas, vel prioritas non poteſt eſſe niſi cauſalitatis, quâ generaliter cauſa omnis efficiens intelligitur prior eſſe omni cauſato ſuo. Impoſſibile enim eſt, ut æternitate, & tempore præceſſerit æternitatem, tempore quidem ipſum præceſſiſſe æternitatem eſt impoſſibile, quoniàm tunc neceſſe eſſet tempus illud præceſſiſſe æternitatem, quare æternitas eſſet finita, & terminata ad tempus illud. Similiter impoſſibile eſt, quòd creator æternitate præceſſerit æternitatem; tunc enim oporteret, quòd vel eadem æternitate præceſſerit eam, vel alia. Si eadem, eſſet igitur æternitas eadem prior ſeipsâ. Si verò alia, eſſet igitur æternitas altera poſt alteram, & hoc non poſſet eſſe, niſi uno duorum modorum, videlicet, ut aut ſine medio eſſet poſt illam, aut non: ſi non, tunc eſſet terminata ad illam, & inciperet ab illa, quemadmodùm dies ad ſuum crepuſculum, vel noctem præcedentem immediatè ipſum. Si verò medium eſſet inter duas æternitates, eſſet poſterior æternitas terminata ad illud, & inciperet ab illo, & ita eſſet finita ab illa parte æternitas. Manifeſtum igitur eſt, quòd ante æternitatem nihil eſt duratione, quia nec tempore, nec æternitate, ut jam pateſeci tibi. Eodem modo ſe habet à parte altera. Quòd igitur creator benedictus dicitur eſſe ante æternitatem, per modum cauſalis ordinis dicitur, non per ordinem durationis, aut ſucceſſionis.

Horizon æternitatis, & temporis.

† *Aliàs* finibile duratione.

Nota.

Nota.

E F G H

CAPUT V.

Qualis æternitas ſecundùm Ariſtotelem.

SCito etiam, quòd æternitas iſta non eſt ſecundùm Ariſtotelem, neque ſecundùm intentionem ejus Philoſophi eſt iſte ſermo, niſi tempus æternum, hoc eſt, duratio ex utraque parte infinita. Verùm an hujuſmodi duratio poſſibilis ſit in aliquibus rerum creatarum, faciam te ſcire in ſequentibus, & declarabo; quia nec tempus, nec aliud continuum, ullo modorum poteſt eſſe infinitum. In hac ergo continuitate, & cum ea poſuit Ariſtoteles eſſe intelligentias decem, vel plures: ſi plures eſſent, quàm decem: hoc enim non determinavit in metaphyſica ſua; ſed poſuit tot eſſe intelligentias moventes corpora cœleſtia, quot erant motus cœleſtes; ſed neque numerum motuum cœleſtium declaravit tractatu, qui adhuc ad me pervenerit. Inductus autem fuit ad ponendum intelligentias in æternitate ſpecialiter ob credulitatem, quâ credebat, eas nihil habere in potentia, & propter hoc nihil eis addi poſſe, nihil minui, vel acquiri ab eis: ſed totum habere actu quicquid habere naturaliter poterant, & propter hoc nihil eorum, quæ habent, eis poſſe fluere, nihil eorum, quæ non habent, ad eas poſſe influere, & hæc eſt quædam indubitanter propinquitas, & vicinitas ad æternitatem.

Intelligentiæ moventes corpora cœleſtia.

CAPUT VI.

Explicantur aliquæ difficultates ex ſcriptura de æternitate.

MIrabile autem eſt, & quæſtionem habens non levem, quod habet ſermo propheticus ipſius Prophetæ Hebræorum & legiſlatoris ipſorum. Dominus, inquit regnabit in æternum, & ultra. Et alius ejuſdem gentis propheta, Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi. Aut igitur aliquid eſt ultra æternitatem & poſt ipſam, aliquid inquam quod eſt vel tempus, vel æternitas, vel perpetuitas, aut non. Si ſic; tu ſcis, quòd hoc jam prohibitum eſt per ea, quæ præceſſerunt: ex eo enim ſequeretur æternitatē eſſe finiendam ad illud, ſi immediatè eſſet ultra æternitatem. Si verò mediū intercederet inter illud, & æternitatem, finiretur ex neceſſitate æternitas in illo medio, & ad illud. Si verò nihil eſt poſt ęternitatem tale, quomodò igitur regnabit in eo Deus? nec enim hoc videtur, quòd aliquid ſit in æternitate, nec in perpetuitate, nec in tempore, nec in nunc temporis, propter hoc viſum eſt aliquibus quòd hæc ſit intentio ſermonis illius, Dominus regnabit in ęternum & ultra, hoc eſt quantumlibet, & ultra, diviſivè ſcilicet, ac ſi diceretur, per mille annos, & ultra, & per centum millia annorum, & ultra, & ita in infinitum. Sed qualiter exponent illud aliud, Regnabit in ęternum, & in ſęculum ſæculi? Videtur ergo ſæculum ſæculi intelligere ſæculum, quod eſt futurum poſt præſens ſæculum, id eſt, poſt ſęculum, quod modò eſt, & ſecundùm hoc, in æternum eſſet intentio deſignans præſens ſæculum tantùm. Verùm poſſet aliquis intelligere, quòd ſæculum ſęculi eſt expoſitio ejus, quod dixerat, in ęternum, ac ſi diceret, Dominus regnabit in æternum, hoc eſt, in ſęculum ſęculi. Jam enim declaratum eſt tibi, quia æternitas ſicut

An ſit aliquid ultra æternitatem.

Nota.

ſicut præcedit ſæculum præſens, & tempus, ita & ſequitur illa, intra enim ipſam ſunt, ſicut in præcedentibus audiviſti. Si quis autem dixerit, dictũ eſſe per figuram, quam Græci vocant hyperbolem, tu ne mireris, quia in libris prophetarum, qui indubitanter ſunt divina eloquia, & oracula, invenitur iſte modus locutionis; ſic civitates dicuntur ibi ad cœlum uſque muratæ. Per hujuſmodi igitur tropum locutionis, qui vocatur exceſſivus, voluit deſignare infinitatem creatoris. Debes autem reminiſci, quia alius Propheta ejuſdem gentis dixit de creatore Qui fecit terram in ſempiterno tempore. Qualiter ergo intellexit tempus ſempiternũ? Similiter in ſcripturis Chriſtianorũ ſæpiſſimè legitur vita æterna & fœlicitas æterna danda Dei electis, & amicis, poſt hanc vitã. Eſt igitur ibi abuſio, & non propria acceptio nominationis æternæ; fœlicitas enim, quæ danda eſt poſt hanc vitam, neceſſariò incipiet tunc, quare non propter hoc æterna dici poteſt. Æternam igitur dicunt pro perpetua. Sic & ſempiternum vocant tempus, propter multam durationem ipſius. Si enim, ut quidam putaverunt tempus totum, hoc eſt, in totalitate ſua acceptum, videlicet quod cœpit à creatione mundi, & terminabitur die univerſalis judicij, ſeptem millium annorum eſt tantùm, multa indubitanter eſt duratio ipſius, & propter hoc vocavit ipſum Propheta ſempiternum.

Nota.

CAPUT VII.

Quid ſæculum, quid generatio, quid progenies, quid ætas, quid ævum, quid dies antiqui, quid anni æterni, & non deficientes Dei, quid perpetuitas.

HIs autem ita determinatis, proſequar tibi juxta promiſſum, quia ſæculum accipitur ſecundùm duas intentiones, videlicet & pro rebus ipſis, quemadmodùm mundus vocatur ſæculum: unde & paradiſus cœleſtis, vocatur ſæculum alterum. Sæculum etiam præſens dicitur ſtatus iſte inſtabilitatis, & mutabilitatis, in qua ſumus, & iſtæ ſunt ritæ intentiones hujus nominis ſæculum, & ſunt valde uſitatæ. Tertia verò intentio eſt ejuſdem, qua accipitur pro tempore, vel alia duratione, ſive ſit perpetuitas, ſive æternitas. Quantùm autem tempus intelligatur ſæculum: alij dixerunt centum annorum tempus ſæculum eſſe. Forſitan autem hujuſmodi tempus veriùs dicitur generatio, ſicut oſtendam tibi in ſequentibus, uſitatiùs autem dicitur ſæculum ſpatium, quod eſt inter quaſcunque duas magnas mutationes ex his mutationibus, quæ ſæpè fiunt in mundo iſto terreno. Magnas autem mutationes iſtas intelligo mutationes regnorũ, mutationes ſectarum, mutationes legum, renovationes etiam, ſive univerſaliter, ſive particulariter fiant, dummodò ſint magnæ, quemadmodùm renovatio magna facta eſt generis humani per diluvium, quod ſub Deucalione dicitur inundaſſe, maxima verò per diluvium, quod ſub Noë dicitur fuiſſe. Sed ſi peſte, vel fame, aut tempeſtate, aut terræ motibus fierent magnæ deſtructiones hominum, & animalium, dico quòd eſſent vel initia, vel termini ſæculorum, & dicuntur hujuſmodi tempora ſæcula, & ipſum tempus ſæculum, à ſequendo, hoc eſt, ſuccedendo, propter fluxum ſucceſſionis continuæ, ut quibuſdam viſum eſt. Magis tamen videri poteſt, quòd dicatur ſæculum à ſecando, propter ſectiones ejus continuas, & diviſiones infinitas, quibus non ſolummodò dividitur, ſed etiam ſecatur & abrumpitur ab ipſo eſſe præteritione continua,

Sæculum quid?

Sæculum unde.

& huic intentioni atteſtatur ſcriptura nominis illius. Si enim ab eo, quòd eſt ſequor, ſequeris, nominatum eſſet: ſcribendum videretur per litteram q. Scribitur autem per litteram c. Debes autem ſcire, quia ſæcula alij minora, alij majora poſuere; alij enim centorum annorum ſpatium, ut prædixi tibi; alij verò mille annorum ſpatium, & iſti ſunt, qui diviſerunt totum tempus durationis mundi inferioris in ſeptem chiliadas hoc eſt millenarios Unde & ſcripſerunt magnas quaſdam mutationes, quæ factæ ſunt & etiam quæ futuræ ſunt ut dicunt. Fuerunt & alij, qui conſiderantes totum tempus ab initio mundi, invenerunt mutationes magnas factas in eo à ſexcentis in ſexcentos annos ferè, & intelligo mutationes magnas exortus regnorum magnorum, & deſtructionem ipſorum, aut in toto, aut in magna parte. Similiter & legum magnarum, atque ſectarum conſtitutiones, & deſtructiones, ſicut manifeſtum eſt tibi de regno Hebræorum, & lege, quandò exterminata fuit à principe, & exercitu Romanorum Deinde ſexcenteſimo ferè anno exorta eſt lex Machometi, & regnum ejus, & deſtructa lex Chriſtianorum, & regnum, in Arabia, Perſide, Media, Syria, Æthiopia, & Ægypto, & Hiſpaniarũ, quæ ſunt ultra mare & quæ ſunt citra mare, parte maxima, ſimiliter Aquitania, & Galliarum parte. Poſtmodùm autem invaleſcente regno Franciæ deſtructum eſt regnum Saracenorum, & ſecta eorum exterminata uſque ad fines Hiſpalis, quæ vulgò Sivilia vocatur, & percuſſum graviter eſt regnum illud, & ſecta etiam in capite ſuo, ſcilicet in urbe Maroquenſi, & finibus ejus. Per idem verò tempus, quo ſecta Saracenorum orta eſt, Imperium Romanum penè deſtructum eſt, partim per gentes ſectæ Saracenorum partim per barbaras nationes multas. Simul mutatio facta eſt in regno, ſeu Imperio Græcorum, quod Conſtantinopolitanum vocatur. Et iſtæ omnes mutationes ultimo ſexcentenario, in cujus fine ſumus, factæ ſunt. In præcedenti verò cum ſexcentenario, & ferè quadraginta annis ante exorta eſt lex Chriſtianorum, & regnum ipſorum. Utrùm autem iſta ſe habeat veritas per omnes ſexcentenarios annorum, qui fluxerunt ab initio mundi, ſcire poteris ex Chronicis. Quid autem futurum ſit poſt hoc de mutationibus magnis, Aſtronomi prædivinare conantur ex conjunctione planetarum, quæ futura eſt in libra. Cauſa autem in hoc eſt, quia omnes hujuſmodi mutationes attribuunt conjunctionibus iſtis & motibus ſtellarum fixarum. Manifeſtum etiam eſt tibi ex his quæ præceſſerunt, quia qui dixerunt corvum per tria vel novem ſæcula vivere, intellexerunt ſæcula centenarios annorum, quia per tres centenarios annorum, vel novem opinati ſunt vivere corvum. Generatio autem non immeritò credi poteſt ſpatium centum annorum & tunc intelligendum eſt dici à genere, & reverà tamdiu ſe eſſe de eodem genere homines dicunt, quamdiu patrem generis agnoſcunt, & tamdiu etiam gradus parentelæ, & cognationum computant, & hoc eſt ſpatium vitæ hominis, niſi ipſum, aut malitia complexionis, aut alia incommoditas abbreviet. Extenditur autem plerunque in plures, quàm centum annos, ſæpiùs verò contrahitur in paucos. Sciendum etiam eſt tibi, quia generatio dicitur interdùm totum tempus, quo generantur homines, quemadmodùm & generatio dicitur tempus renovationis ipſorum, hoc eſt reſurrectionis, & iſtæ intentiones inveniũtur in lege Chriſtianorum, quæ Græcè Evãgelium vocatur. Nec dubitandum eſt tibi, quin generatio etiam unũ genus, aut una progenies nominetur. Progenies autem generatio eſt ex uno primo, ac principali

Mutationes magnæ.

Nota.

Corvi ætas.

Generatio.

Progenies.

capite, famoſo ſcilicet, ac nominato. Plebeij quippe homines, & ignoti non dant nomen generibus, nec eis aſcribuntur genera, vel generationes, ſed illis, qui patres, ſimul, ac principes generum ſuorum habentur. *Ætas.* Ætas autem propriè, & prima ſui cognitione dicitur tempus vitæ uniuſcujuſque animalis. Dicitur etiam & ſtatus uniuſcujuſque partis ſecundùm quam eſt mutatio in ipſo animali. Sicut in homine nominantur ætates ſex: infantia, pueritia, adoleſcentia, juventus, ſenectus, & † decrepitas, & figuratè tranſlata ſunt iſta vocabula ad ſtatus populorum, ſicut & quidã ex hiſtoriographis infantiam deſcripſit populi Romani, & ætates aſſignavit, & adaptavit eidem, transfertur etiam & ad totius hujus mundi terreni ſtatus, hoc eſt, totius humani generis, unde & crebrò dicunt homines mundum ſenuiſſe, alij eundem ſeneſcere. *Ævum.* Ævum verò idem eſt ſecundùm quandam intentionem. Unde & apud hiſtoriographos invenies, quòd iſti homines non fuerunt ævi noſtri, hoc eſt, temporis noſtri. Dicunt autem quidam Italicorum, ævum interdùm pro æternitate accipi, & ab ævo, ideſt, ab æternitate tempus fluere. Scito poſt hæc quia in ſermonibus authenticis invenitur ſcriptum, dies antiquos, & annos æternos, & numerus annorum creatoris inæſtimabilis, & anni ejus non deficientes. Quibus omnibus ſermonibus, nihil aliud convenienter intelligi poteſt, quàm ipſius æternitas; nomina enim dierum, & annorum, fluentis, & omninò inſtabilis durationis, nomina ſunt propria intentione ſua. Neceſſe igitur eſt, hujuſmodi nominibus non aliud intelligi, quàm æternitatem creatoris, qualem eam eſſe ſuperiùs audiviſti. Juxta has intentiones intelligenda ſunt tibi ſæcula ſæculorum infinita, & immortalia. Unum enim ſæculum, ut ſupra dixi tibi, æternitas eſt, quæ nec recipit diviſionem in ſe, neque aggregationem alterius, & ideò non propriè ſignificatur per ſæcula, quia in ea non eſt ſæculum, & ſæculum. Sed nec ipſa perpetuitas, quæ incipiet à die judicij, recipit aggregationem, niſi quis dicat, quia perpetuitas gloriæ, quæ promittitur electis, atque dilectis Dei, & perpetuitas miſeriæ, atque ſuppliciorum, quibus affligendi ſunt mali, & judicio creatoris damnandi, duæ perpetuitates ſunt: hoc autem non videtur convenienter dictum. Sicut enim in uno, & eodem tempore, quibuſdam hominum benè eſt, & quibuſdam malè; ſic in eadem perpetuitate benè erit glorificatis, & malè damnatis, & perpetuitas ſecundùm quoſdam, non eſt niſi tempus interminatum à parte finis, hoc eſt non habens finem. Utrùm autem veri nominis tempus, vel alia magnitudo continua poſſit eſſe infinita, declarabitur tibi in ſequentibus. Quòd ergo habet ſermo ſanctus de Dei dilectis, & electis quibuſdam, quòd fulgebunt tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates: manifeſtum eſt tibi, quia impropriè dicitur hoc: neque enim æternitas perpetua, neque perpetuitas æterna verè dici poteſt; rationes enim earum contrariæ ſunt, ſicut apparet tibi ex his, quæ præceſſerunt. Sed neque æternitas recipit, ut dixi, aggregationem, ſive pluralitatem. *Nota.* Sciendum etiam eſt tibi circa hæc, quia ſermo ſanctus habet cujuſdam ex Prophetis Hebræorum, quia tempus inimicorum Dei erit in ſæcula. Erit igitur, ut videtur, in æternum, & ſine fine. Verùm, quoniàm nuda promiſſio, ſive prædictio, nec comminatio eſt contra creatoris inimicos, qua deterreri debeant à malis ſuis, nec promiſſio eſt boni, quo debeant illi provocari ad ea, quæ recta ſunt, ad quæ duo maximè eſt intentio Prophetarum in hujuſmodi ſermonibus, non videtur ullo modorum, quòd tempus accipiatur ibi ſecundùm intentionem, E qua tempus dicitur menſura motus. Quapropter viſum eſt quibuſdam, quòd tempus ibi accipiatur temporalitas, ideſt, inſtabilitas, qualem paſſuri ſunt irrevocabiles à malis ſuis homines. *Nota.* In inferno quippe, ſi erit ibi viciſſitudo tormentorum, ut unum poſt alterum infligatur, erit & ibidem veri nominis tempus: ſi verò non fuerit ibi viciſſitudo hujuſmodi, ſed omnia tormenta ſimul cruciabunt illos, & hoc abſque fluxu ullo, & tranſitu ipſorum, fortè multis non videri poſſit eſſe apud infernum veri nominis tempus. Si enim totum, quod meruerunt tormentorum, ſimul habebunt, nihil in poſterum, vel ultra timentes, vel expectantes, ſed totum præſentialiter patientes, ſtatus iſte indubitanter non eſt ſtatus temporalitatis, quin potiùs multùm ſimilis ſtatui æternitatis, ſicut & fœlicitas ſanctorum, F & hoc eſt omnibus opinionibus magis congruens doctrinæ Chriſtianorum. Sicut enim fœlicitas, quæ electis Dei promittitur, non per partes eis reddenda eſt, neque pars poſt partem, ſed tota ſimul, alioquin nunquàm eſſet completa illa fœlicitas, *Nota.* neque integra, & propter hoc neque eſſet etiam veri nominis fœlicitas, neque integra: ſic neceſſe eſt & in contraria miſeria ſe habere, ut tota ſimul miſeria malos obtineat. Signanter ergo dictum videtur, erit tempus eorum in ſæcula, ac ſi dictum eſſet, quia tempus hujuſmodi, ideſt, ſtatus eis competens, erit in ſæcula, hoc eſt, in æternum per modum, & ſimilitudinem, quo expoſui, videlicet in quo ſimul totum malum ſit, quod paſſuri ſunt non particulatim, ſive per partes.

CAPUT VIII.

G

Utrùm mundus ſit æternus, & de errore Ariſtotelis, & Avicennæ.

HIs igitur ita determinatis, aggrediar promiſſam inveſtigationem & declarationem de novitate, & antiquitate univerſi univerſaliter, & de temporalitate, atque æternitate ipſius. Et eſt intentio mea in ſermonibus iſtis, an ſit ipſum univerſum novum, an antiquum, quod eſt dicere, an temporale, vel æternum, an cœpit eſſe, & an deſiturum ſit. Univerſaliter autem dixi, pro eo, quia non eſt intentio mea inveſtigare de partibus ſingulis univerſi, hoc eſt, univerſitatis creaturarum. Non enim intendo de ſingulis creaturis perſcrutari, videlicet de Socrate, & Platone, an eſſe cœperint, H quoniàm hujuſmodi nullam habent dubitationem, vel quæſtionem, ſed de partibus magnis ejuſdem, de ſpeciebus, atque generibus rerum creatarum. *Ariſtoteles.* Ponam igitur in primis opinionem Ariſtotelis, & rationes quæ ipſum in opinionem ſuam de hoc induxerunt, & alias etiam, quæ eundem ad hoc ipſum movere potuerunt. Quicquid igitur dicatur, & quicunque conentur excuſare Ariſtotelem, hæc indubitanter fuit ejus ſententia, quòd mundus eſt æternus, & quòd non cœpit eſſe, & de motu ſimiliter ſenſit, & Avicenna poſt eum, & adduxerunt rationes, & probationes ad hoc. Similiter & alij expoſitores ejuſdem Ariſtotelis id ipſum ſenſerunt, atque fecerunt. Prima igitur ratio eorum eſt, quia creator, vel præceſſit mundum, vel non præceſſit. Si non præceſſit, non fuit ergo creator, quin & mundus non eſſet mundus, igitur non incœpit eſſe, & hoc eſt, quod intendunt, vel creator non fuit ante incœptionem mundi, & propter hoc tunc primùm fuit, quandò mundus incœpit eſſe. Incœpit igitur eſſe cum mũdo. Hoc autem impoſſibile manifeſtum eſt, quòd nec ipſi hujuſmodi ſententiæ profeſſores recipiunt. Si verò præceſſit mundum creator,

& non

Digitized by Google

Avicenna & non præceſſit ipſum, ut ait Avicenna, tempore, A
non præceſſit igitur ipſum, niſi quomodò cauſa præ-
cedit effectum Jam autem audiviſti, quia eſt etiam
alius modus præceſſionis, & dixi tibi in præceden-
tibus, quia æternitas præcedit tempus, & hoc in in-
finitum, cùm infinita ſit; quare cùm creator æternus
ſit, & in tota, ut ita dicatur, æternitate ſemper fue-
rit, in infinitum creator præceſſit mundum, & ut
dictum eſt tibi, tota æternitate creator præceſſit
mundum. Adjuvandus igitur eſt in hac ratiocina-
tione Avicenna. Ita enim procedit, ac ſi non eſſet
alius proceſſionis modus, quàm duo illi quos no-
minavit. Potuiſſet igitur dixiſſe pro ſententia ſua:
Si creator præceſſit mundum, fuit igitur creator,
vel quandò nec dum mundus erat, vel fuit creator
ſine mundo; imaginare igitur, quòd aliqua crea-
tura eſſet in æternitate cum creatore, & cogitaret
apud ſe de mundo, an eſſet futurus, aut non, vel ſi
Nota. potuit dici in æternitate, mundus eſt futurus, quia
reverà non poterat dici in æternitate mundus eſt, B
alioquin mundus eſſet in æternitate, & eſſet æter-
nus; alterum igitur iſtorum poterat verè dici: mun-
dus erit mundus non erit. Non poteratque verè
dici, mundus non erit, vel non eſt futurus: futurus
enim ab æterno poterat verè dici, mundus erit, vel
mundus eſt futurus, igitur vel nullo interme-
dio erat futurus mundus, vel aliquo intermedio.
Si nullo intermedio, erat igitur futurus ſubitò poſt,
quare jam erat inſtans incœptionis ipſius, & propter
hoc ſimul cum ipſo creatore extitit; ſimul enim
ſunt, inter quorum exiſtentiam nihil eſt medium.
Quòd ſi dixerit quis, quia tota æternitate præceſſit
creator mundum; ergo in infinito præceſſit mun-
dum: poſt hujuſmodi igitur dictum in infinitum
ſubſecutum eſt eſſe mundi; non enim verè dicere-
tur, in infinitum poſt hanc dictionem erit mundus.
ſi non in infinitum longè ab iſta dictione mea eſſet C
creatio mundi, quare nunquàm perveniretur ad
eam: Infinitum enim intranſibile eſt, ut alibi didici-
ſti per Ariſtotelem. Quòd ſi dixerit ita, ac ſi loque-
retur creator in ſemetipſo in æternitate ſua, & ante
tempus, & loqueretur de creatione mũdi, & diceret,
creo mundum, aut creavi, aut creabo: ſi diceret,
creo mundum, vel creavi, cùm impoſſibile ſit mani-
feſtè ipſum dicere, vel dixiſſe falſum; ante tempus
igitur fuiſſet verum ipſum creare, vel creaſſe mundũ;
quare ante tẽpus fuiſſet mundus ſecundùm hoc, &
ideò æternus Quòd ſi diceret creator ante tempus:
creabo mundum, aliquantùm igitur poſt dictio-
nem hujuſmodi creaturus erat mundus, quantùm
igitur eſt illud? quoniàm neceſſe eſt ut ſit vel tota
æternitas, vel pars æternitatis, aut tempus. Si to-
Nota. ta æternitas, cùm impoſſibile ſit eam finiri, im-
poſſibile erit venire ad creationem mundi, ut dixi,
cùm impoſſibile ſit illam finiri. Si verò pars æterni-
tatis eſt id, hoc jam prohibui in præcedentibus, vi-
delicet æternitatem habere partem. Quòd ſi etiam
concedatur hoc, ſcilicet partem habere æternitatem,
& pars illa præceſſit creationem mundi, & interceſ- D
ſit inter prædictam dictionẽ creatoris, duobus mo-
dis deſtruitur hoc: primũ, quia nihil dixit apud ſe
creator, quod nõ dixit ab æterno, quare impoſſibile
eſt partem æternitatis ſolam inter dictam dictionẽ,
& creationem mundi interveniſſe Secundo modo,
quia illa pars æternitatis ex neceſſitate tota tranſive-
rat, quandò mundus creatus eſt, aut non tota, aut
nihil de ea. Si tota, erat igitur finita, & inſuper fluens
ad modum temporis, nec invenietur differentia in-
ter illam, & tempus. Non habebit igitur ſecundùm
hoc tempus initium, & hoc eſt, quod ipſi intendunt.
Si verò non tota tranſiverat, neque aliquid de ea,
quandò mundus creatus eſt, duo inconvenientia ſe-

A quuntur: primùm, quia ſecũdùm hoc creatio mun-
di fuit in ea, & cum ea, quare creatus fuit mundus in
parte æternitatis, & propter hoc in æternitate. Se-
cundum, quia ſecundùm hoc etiam pars illa non
erat media inter mundi creationem, & creatoris di-
ctionem. Quia igitur iſta inconvenientia ſunt, &
impoſſibilia, neceſſe eſt id, ex quo ſequitur inconve-
niens eſſe, & impoſſibile. Illud autem eſt, ex quo
ſequuntur omnia hæc, incœptio mundi, & novi-
tas creationis ipſius quare impoſſibile eſt utrum-
que iſtorum. Secunda ratio Avicennæ ſuper hoc
hæc eſt: intellectus, inquit, purus, & verus teſta- *Nota.*
tur; quia ſi fuerit eſſentia una ex omnibus modis
ſuis, ſicut fuit priùs, quandò ex ea non erat aliquid,
hoc eſt, quandò non operabatur, vel efficiebat ali-
quid, & inde operatur, vel efficit aliquid, tunc ex
neceſſitate operabatur, & efficiebat illud priùs alio-
quin inquit, quomodò operaretur nũc potiùs quàm
priùs? quare ſi priùs non operabatur, neque modò,
B & ut adjuvem ipſum, ſicut adjuvi priùs, dico, quia
dicere potuiſſet ex eodem errore, quo dixit hoc,
quia hoc generale eſt in cauſis naturalibus, & in
cauſis voluntariis, ſive operationibus, & ponam *Nota.*
exẽpla de ambabus. Si enim ignis calefacit aliquid
modò, quod priùs non calefaciebat, neceſſe eſt, ex
aliquo modorũ ſuorũ nõ ſe habeat, ſicut priùs, quod
eſt dicere, quòd neceſſe eſt in ipſo igne factã eſſe mu-
tationem aliquam, aut in diſpoſitionibus, ſeu ope-
rationibus. Verbi gratiâ in ipſo igne, ſi non erat tan-
tæ quantitatis priùs, ut poſſet calefacere illud, po-
ſteà crevit eouſque, ut poſſet calefacere ipſum. In
diſpoſitionibus verò, & operationibus, ſi fortè priùs
erat interpoſitum prohibens calefactionem, vel mi-
nus longè erat ab ipſo calefactibili aut ipſum cale-
factibile habebat in ſe aliquid, quod prohiberet,
vel impediret calefactionem, vel congelatam du-
C titiam, vel ferrum, vel aſperſionem aquæ ſuper ſe
ipſum; vel ſi nimis citò ſublatum eſt calefactibile,
antequã compleri poſſet operatio ignis in ipſo. Sunt
forſitan, & alia impedimenta, & aliæ cõparationes
& diſpoſitiones. In his omnibus apparet, quia cùm
ignis operatur operationẽ ſuam, aut in ſe paſſus eſt
mutationẽ aliquam, aut ſecundùm aliquã ex diſpo-
ſitionibus, & comparationibus ſuis ad calefactibile,
mutatio eſt ſecundùm eſſe, vel non eſſe. Colligit igi-
tur Avicenna quia ignis non operabitur operationẽ
ſuam modò, ſi priùs eam non operabatur niſi ex ali-
quo ſuorũ modorum aliter ſe haberet modò quàm
priùs: eodẽ modo ſe habere videtur & in volũtariis
tam cõparationibus, quàm operationibus. Si enim
artifex, qui ædificat domum, ex omnibus modis ſuis
eſt, ſicut erat priùs, quandò non ædificabat: ſi priùs
non ædificabat, neque modò; aut ſi modò, & priùs;
neceſſe autem eſt, ut vel in ſeipſo novam diſpoſitio-
nẽ receperit, qualis eſt poteſtas operandi, vel ædifi-
candi voluntas, ſcientia, & ars, aut quòd exteriùs ex
aliquo modorũ ſe habeat aliter, quàm priùs, quod
eſt dicere, quia novi ſũptus accreverunt ei, quos non
D habebat priùs: aut operarij, aut materia, ſine qua
ædificari non poterat domus, aut quòd impedimen-
tũ aliud ſublatum eſt, aut novum adjutoriũ oblatũ,
& hoc manifeſtũ eſt in omni artifice, & operante vo-
luntariè. Si enim nec poteſtate, nec ſcientia, nec vo-
luntate ſe habet aliter quã priùs ullo modorũ: ſimi-
liter & adjumẽta, ac impedimẽta ędificationibus, ex
omnibus modis ſunt ei, ut priùs: ſi operatur modò,
neceſſe eſt ut & operaretur priùs, aut ſi nõ operaba-
tur, nec modò operatur. quæ inquit, ratio eſſe poteſt,
vel cauſa, ut potiùs modò operetur, quã priùs? Quia
igitur creator benedictus ex omnibus modis ſuis
erat, antequã crearet mundũ, vel mũdus eſſet ab eo,
quẽadmodùm, & in ipſo puncto tẽporis, quo creavit

Digitized by Google

ipſum , cùm priùs illum non creaſſet, nec tunc creavit ipſum , aut ſi tunc creavit ipſum , & priùs ex neceſſitate. Quòd autem ex omnibus modis ſuis ab æterno fuerit creator, ſicut & cùm creavit mundum , manifeſtum eſt , cùm ipſe ſit in ultimitate immutabilitatis per omnia ; & exteriùs, nec adjumentum , nec impedimentum habuit ullo modorum , cùm nihil eſſet ante univerſi creationem, quod ipſum vel adjuvare , vel impedire poſſet , & generaliter cùm nihil omninò eſſet præter ipſum: ipſum enim univerſum , ſive mundus , impoſſibile eſt , ut intelligatur vel adjuvans , vel impediens creationem propriam ; quare neceſſe eſt creatorem, quàm citò fuit, quod eſt dicere , ab æterno , mundum ipſum creaſſe . cùm nihil novum emerſerit in ipſa creatione mundi , quod ipſam creationem adjuverit , nihil defuerit tunc , quod ejus creationem ante vel prohibuiſſet, vel impediviſſet, & ut clarior, atque validior ſit iſta ratiocinatio , addo, quia nulla omninò novitas facta eſt in poſſe, vel ſcire , vel velle creatoris, nec circa ea , vel aliquod illorum , F nec contra aliquid aliud ipſa creatio , de qua nemo intendit quòd ejus novitas , vel ejus exiſtentia , fecerit debere creari mundum potiùs tunc , quandò creatus eſt, quàm non , vel quòd ad hoc adjuverit, ut mundus eſſet ; tunc enim ex neceſſitate cauſa eſſet ſui ipſius. Omne enim quod facit rem debere eſſe, vel quod adjuvat eam ad eſſe , cauſa eſt eſſe ipſius, & cauſa etiam creationis , vel factionis ipſius. Nihil autem aliud eſt incœptio, quàm novitas, & ſimiliter nihil aliud eſt creatio à parte creati , quàm novitas eſſendi ipſius, vel nova eſſentia ejuſdem. Ampliùs. Ut cauſa, & effectus conjuncta ſint inſeparabiliter, ita ut poſita ea , neceſſe ſit poni & effectum , non facit niſi ſufficientia cauſæ , qua ſufficiens eſt per ſe ſolam ſcilicet nullo modorum aliunde adjuta, cauſare , vel efficere eſſe ſuum. Manifeſtum autem eſt hujuſmodi cauſam eſſe creatorem ad univerſum: nullo enim modorum aliunde adjutus , per ſemetipſum ſolum , creavit univerſum. Intellige autem generaliter adjutum, ita ut adjumentum intelligas inductionem , & ſuaſionem , & conſilium ; de quibus omnibus palàm eſt nihil aliunde habuiſſe ; neque enim alieno conſilio , aut inductione, aut ſuaſione mundum creavit , ſeu cauſavit. Manifeſtum igitur eſt , quia omnimoda ſufficientia cauſalitatis creator eſt per ſemetipſum ſolum cauſa ſufficientiſſima univerſi ; quare conjunctiſſima cum ipſo : quare ex neceſſitate eo poſito ponitur univerſum. Hujuſmodi autem conjunctio prohibet ſeparationem inter cauſam , & cauſatum. Non fuit igitur creator nec in æternitate , nec in tempore ſeparatus ab univerſo , quod eſt dicere ſine univerſo. Ponam tibi & tertiam rationem Avicennæ , qua dicit ſic: Quoniàm creator ante mundum aut potuit creare corpus aliquod, quod haberet motum durantem uſque ad creationem mundi, vel non potuit. Frivolum autem eſt , ut dicit , apud creatorem dicere , creatorem non potuiſſe creare hujuſmodi corpus. Si verò potuit creare corpus , cùm ex poſſibili non ſit poſſibile , ut accidat impoſſibile : poſito igitur ipſum hujuſmodi corpus creaſſe , non accidet impoſſibile. Eſto igitur quòd creavit hujuſmodi corpus, quoniàm motus illius duraturus eſt uſque ad creationem mundi : omnis autem motus in tempore ex neceſſitate eſt cum ipſo , erit igitur tempus menſura motus illius , durans uſque ad mundi creationem. Mundi igitur creatio non fuit in initio temporis, cùm eam præceſſerit tempus illud. Eodem modo eſt procedere, ſi poſſibile fuit, multa corpora motuum inæqualium creaſſe creatorem ante creationem mundi ; tunc enim ex neceſſitate

Se ſolo Deus omnia creavit.

An Deus potuiſſet aliquod creare ante creationem univerſi.

E ſequetur motum tunc fuiſſe , atque priùs , & poſteriùs propter inæqualitatem motuum. Quæ enim inæqualiter moventur , neceſſe eſt, ut alterum eorum majus ſpatium in æquali tempore pertranſeat, quàm alterum , & quòd minus ſpatium citiùs pertranſeat , quàm alterum. Et generaliter in quacunque quantitate , vel cujuſcunque quantitatis ſpatio, quod ab ambobus tranſeundum eſt , priùs neceſſe eſt, ut tranſeat illud , quod eſt velocioris motus, quàm id quod eſt tardioris. Sequitur igitur , ut ſit in hujuſmodi motibus prius, & poſterius ſecundùm tempus , quapropter & tempus, & propter hoc poſſibile fuit fuiſſe tempus ante creationem mundi. Non igitur neceſſe tempus incœpiſſe à creatione mundi, vel mundum incœpiſſe in initio temporis.

CAPUT IX.

Solvit rationes Avicennæ.

Reſpondebo igitur in primis his rationibus, & probationibus Avicennæ, & dicam , quia ſuper eo , quod dicit de præceſſione creatoris, jam reſponſum eſt in eo , quod dixi tibi , quòd creator præceſſit mundum æternitate ſua : qualem etiam deſcripſi tibi , & fuit ante mundum anterioritate, non temporis , id eſt , præterita , vel fluente , ſed anterioritate æternitatis ſtante ſemper in præſentialitate ſua. Et debes hîc ſcire , quia ante temporis, & ante æternitatis non dicuntur univocè, neque una intentione, ſicut neque duratio temporis , & duratio æternitatis, & propter hoc comparationes ſecundùm prius , & poſterius non habent locum inter æternitatem , & tempus , nec inter veri nominis G æternum, & temporale. Univocum enim eſt omne comparabile , ſicut ait Ariſtot. Quemadmodùm igitur non eſt recipienda comparatio inter tempus, & numerum , vel locum , ut dicatur, quia tempus eſt majus loco , & numero, aut econverſò ; ſic nec inter æternitatem , & tempus , vel inter creatorem, & mundum , aut aliud temporale. Attende etiam, quia ante , & poſt, ſimiliter prius, & poſterius, fuit, & erit , intentiones ſunt temporis , & propter hoc fluxus, atque ſucceſſiones & præteritiones. Et ſcito, quia ſimiles locutiones ſunt, cùm dicitur aliquid fuit ante mundum , & cùm dicitur aliquid extra mundum, vel ultra mundum. Quemadmodùm enim mundus nec habet extra, nec habet ultra , cùm ſit omnia continens , & ambiens ; ſic tempus , quod cœpit à creatione mundi , non habet ante, vel prius , cùm ſit omnia tempora continens intra ſe, tanquàm partes ſuas. Scito etiam, quia grammaticæ doctores nugatorias , & non ſatis grammaticas dixiſſent locutiones iſtas. Si quis enim quæreret ab H aliquo , ſi eſſet in ſummo cœlorum , poſſet-ne extendere manum ſuam ultra : reſponderet ei , quia non loqueretur , & quia vox ejus eſſet ſine intellectu. Sicut ſi interrogaret: vidiſti - ne hominem, qui eſt aſinus? quemadmodùm enim hîc implicatur impoſſibile , videlicet hominem eſſe aſinum , ſic & ille implicat dicens locum eſſe , qui non ſit mundus , aut intra mundum. Iſtæ autem locutiones, quòd aliquid fuit ante mundum , aut nihil , in intentione , quam dixi, non contradicunt ſibi invicem , quemadmodùm nec iſtæ, aut vidiſti hominem, qui eſt aſinus, aut non vidiſti , & quod plus eſt , non dicunt aliquid , non ſolùm non ſibi invicem contradicunt. Qui enim quærit, utrùm ante initium temporis fuiſſet aliquid , cùm ante ſit intentio temporis, idem eſt, ac ſi quæreret : utrùm in tempore , quod præceſſit initium temporis, fuerit

Bona quæſtio.

Digitized by Google

aliquid. Similiter, & qui quærit, utrùm extra mundum ſit aliquid, vel ultra, idem eſt ac ſi quæreret: utrùm aliquid ſit in loco, qui eſt extra mundũ. Nemo autem intelligens indicat iſtas locutiones veras locutiones eſſe, aut reſponſione dignas.

Solvitur alia ratio.

Ad aliam verò rationem, cui ipſe valde innititur, & quam dicit eſſe veri, ac puri intellectus teſtimonium, planè reſpondendum eſt, quia non eſt verum hujuſmodi teſtimonium, & propter hoc non eſt veri, ac puri intellectus aſſertio. Declaratio autem hujuſmodi eſt, quoniàm aut impoſſibile eſt creatori creare ſubſtantiam aliquam, cujus creatio non indigeat adjuvari aliquo eorum, quæ ſunt, aut non eſt poſſibile; hoc autem non eſſe poſſibile creatori, inconveniens eſt, etiam apud ipſum Avicennam; quare neceſſe habet hoc confiteri.

Potentia creatoris eſt ſuper omne poſſibile.

Nihilominùs tamen declarabo hoc eſſe verum, & dicam, quia potentia creatoris non eſt ſuper quoddam poſſibile tantùm, ſed eſt ſuper poſſibile abſolutè, & propter hoc ſuper omne poſſibile, vel creabile in ſe. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm potentia creatoris non eſſet in ultimitate amplitudinis, cùm eſſet reſtricta ad quædam poſſibilia: longè enim ampliùs eſt poſſibile in ſe ſimpliciter, quàm quoddam poſſibile. Ampliùs. Influxum, & receptibile, relativè ad invicem dicuntur: quare non eſt alterum altero ampliùs. Sicut igitur receptibile in ultimitate amplitudinis eſt ad omnes influentias, quod eſt dicere, quia non eſt aliud ſuper quod cadere poſſit aliqua influentia; ſic influxivum primum, & maximum in ultimitate amplitudinis eſt ad influentias, ut nec actu, nec potẽtia, nec etiam intelligentia ſit influentia, quæ non ſit ab eo, vel quæ eſſe non poſſit ab eo. Neque enim amplior debet eſſe alveus receptabilitatis ad recipiendum, quàm fons relativè dictus ad ipſum, quantùm ad influendum. Ampliùs. Ponam ipſi Avicennæ exemplum in prima intelligentia, quam dicit eſſe nobiliſſimum omnium creatorum, & nec eſſe in corpore, nec pendere ex corpore, nec etiam ex aliquo eorum, quæ ſunt, niſi ex ſolo creatore. Conſtat autem quia non impoſſibile eſt intellectui noſtro imaginari aliam ſimilem intelligentiam, & conſiderationem facere de eis, prout ſe habent in ſeipſis, quemadmodùm de duobus individuis ſpeciei humanæ, ut de Ariſtotele, & Platone, de quibus nemo intelligens dubitat, quin cùm in ſe ipſis conſiderati fuerint, æquè generabiles ſint, & fuerint antequàm generarentur: ſic dico & de Sole, quoniàm alium poſſibile eſt tibi cum ipſo imaginari, quos dum in ſe ipſis conſideraveris invenies eos indubitanter æquè poſſibiles eſſe, & æquè generabiles, atque creabiles, quantùm in ipſis eſt. Sic dico de intelligentia prima, & de alia intelligentia ei ſimili, quæ tamen non eſt. Cùm enim in ſe ipſis conſideratæ fuerint, abſtractæ ſcilicet ab ipſo eſſe, & ſpoliatæ ab eodem, invenies eas æquè propinquas ad eſſe, quare æquè poſſibiles eſſe, & propter hoc æquè creabiles, quantùm in ipſis eſt.

Nihil creatur, niſi à creatore.

Nihil autem creabile eſt, niſi à creatore benedicto; quare invenies creatorem æquè potentem creare alterum, vel alteram. Ampliùs. Potentia creatoris non magis aſpicit in alteram, vel ejus poſſibilitatem, quàm in reliquam, vel ejuſdem poſſibilitatem, nec cauſa eſt apud alteram earum; quare potentia creatoris magis aſpiciat in eam, quàm in alteram, quantùm in ipſa eſt; hoc autem eſt, quoniàm in iſta conſideratione, videlicet quia conſiderantur in iſta abſtractione, & ſpoliatione, nec major, nec melior ullo modorum, nec ipſi eſſe propinquior eſt altera, quàm altera: quare manifeſtum eſt, quia non magis eſt creatori alteram creare, quàm reliquam. Eſto igitur, quòd creavit reliquam, quo- A niàm poſito poſſibili impoſſibile eſt accidere impoſſibile, ex iſta poſitione non accidet impoſſibile. Dico igitur, quia creator, qui modò creat intelligentiam ipſam, ex omnibus modis ſuis, ſic erat priùs, quandò non creabat eam, ut eſt modò, cùm creat illam; apud ſe enim immutabilis eſt in ultimitate immutabilitatis. Nullæ autem diſpoſitiones, vel comparationes ſunt, quæ adjuvent creatorem, ut creet eam, vel ipſam, ut creetur nunc. Jam enim poſui tibi ipſam nullo modo pendere ex aliquo eorum, quæ ſunt, quare nullo eorum, quæ ſunt, adjuta eſt, ut creetur, præterquàm à ſolo creatore, quod etiam apparere tibi poteſt ex creatione alterius intelligentiæ, quæ adducta eſt ad eſſe à ſolo creatore, & per ipſum ſolum. Manifeſtum igitur eſt tibi ex hoc exemplo, quòd ſcilicet cùm creat hanc intelligentiam, ex omnibus ſuis modis eſt ſicut erat priùs, quandò non creabat eam: quare B contrarium hujus eſt falſum, & propter hoc non eſt veri, ac puri intellectus teſtimonium. & hæc eſt radix, ex qua intendebat elicere probationem validiſſimam ſuper æternitatem, vel antiquitatem mundi. Deſtruam autem tibi, & aliter hanc radicem, cui ita innititur Avicenna, & dicam: quia aut aliquid eſt novum, aut non, aut omnia ſunt æterna. Novum, ſicut prædixi tibi, intelligo, quod cœpit: quare ſi nihil eſt novum eorum, quæ ſunt, erunt omnia æterna, hoc eſt, ſine initio exiſtendi: hoc autem adeò manifeſtum eſt inconveniens, & impoſſibile, ut circa illud non ratione diſceptandum ſit, ſed magis igne, & gladio perſequendum, & cum his, qui hoc dicerent, exterminandum. Reſtat igitur, ut confiteatur, quia reverà aliquid cœpit. Cauſa ergo clarioris intelligentiæ, quæ cauſa igitur C nominetur A, operata eſt A, antequàm operaretur illud, aut erat omnibus modis ſuis, ſicut cùm operata eſt, aut non. Si ſic, jam igitur venit contra illud, quod dicebat veri, & puri intellectus teſtimonium. Si verò non erat cauſa A ex omnibus modis ſuis, antequàm operaretur A, ſicut poſteà cùm operata eſt A: immutata igitur eſt ex aliquo modorum ſuorum, & quod novum factum in ea, vel circa eam, illud novum nominetur B: & quoniàm certum eſt B, cauſam habere, eadem quæſtio reſtat de cauſa ipſius B: aut enim antequàm operaretur ipſum B, cauſa ejus erat omnibus modis ſuis, ſicut poſteà cùm operata eſt B, aut non. Si ſic, jam dicunt contra illud irrefragabile teſtimonium. Si verò dixerit, quòd non; erit igitur aliquid novum factum circa cauſam ipſius B, illud novum vocetur iterùm C: quoniàm igitur C, cau- D ſam habet, eadem reſtat quæſtio, aut ibit igitur res in infinitum, aut occurret cauſa econtrariò ſe habens illi veri, & puri intellectus, teſtimonio. Si dixerit, quia res currit ita in infinitum, impoſſibile igitur erit aliquid fieri, niſi infinita fiant cum eo. Jam autem declaravit Ariſtoteles in libro ſuo, quem vocavit auditum, hoc eſſe impoſſibile, & facilis etiam eſt tibi alia declaratio impoſſibilitatis ipſius, quoniàm infinita non poſſunt fieri ſimul ab uno & eodem agente, ſed neque infinitos poſſibile eſt eſſe agentes ſimul, & propter hoc nec infinita corpora, nec infinita corporalia agentia poſſibile eſſe ſimul: quare nec infinita patientia, ſimiliter nec unum patiens eſt poſſibile ſimul recipere infinitas paſſiones. Quòd ſi dixerit, quia cùm novum aliquid fit, non eſt neceſſe infinita ſimul fieri, ſed neceſſe eſt quædam fieri, quæ adjuvent ipſum novum ad eſſe, quædam verò deſtrui, quæ impediebant illud, recidit in idem infinitatis inconveniens, & hoc eſt, quoniàm non eſt minus inconveniens infinita deſtrui, vel infinitas deſtructiones fieri, quàm infinita fieri;

Digitized by Google

vel infinitas generationes eſſe, & ſequitur ex hoc, quòd impoſſibile ſit aliquid fieri: quoniàm in cujuſlibet novi factione, neceſſe erit infinita deſtrui. Sicut autem impoſſibile eſt infinita ſimul fieri; ſic & impoſſibile eſt infinita ſimul deſtrui. Ex his etiam accidit ipſi Avicennæ, in omni cujuſcunque novi factione, vel creatione, infinitas innovationes fieri. Et potes ratiocinari, ſi vis, ſuper hoc, juxta eandem breviùs, & lucidiùs, ut videtur, ſecundùm hunc modum, ut dicas novi cauſam novam eſſe, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm aliquid, quod apud eam eſt, vel ſecundùm aliquam ex diſpoſitionibus, aut comparationibus, quæ circa eam ſunt, & hæc ſunt, quibus vel adjuvatur vel impeditur, & hæc eſt intentio mea novi, & novitatis in hoc. Manifeſtum eſt igitur omnis novi cauſam novam eſſe ſecundùm hunc modum. Quia igitur cauſa nova eſt novum, per modum ipſum neceſſe eſt & ipſam cauſam novam habere per modum eundem, & ita ibit res in infinitum, vel erit circulus in cauſis. Jam autem declaratum eſt tibi impoſſibile eſſe earum aſcenſionem infinitam, ſimiliter & circulum. Ad eam verò probationem, quam adjeci tibi, & dicebam, quia ſufficientia cauſæ cauſa eſt, quæ efficit conjunctionem inſeparabilem inter cauſam, & effectum, quod quidem probabile eſt, & ejus probabilitas multos decipit: Reſpondeo quia cauſarum aliæ ſunt operantes per neceſſitatem, & hæ ſunt cauſæ naturales, & non eſt eis poteſtas ſuper operari, neque libertas, aut electio ad utrumlibet propter quod dixit Ariſtoteles, quia natura operatur per modum ſervientis. Exemplum autem hujuſmodi eſt ignis, de quo ſcis, quia non eſt ei poteſtas ſuper calefacere, & non calefacere, neque libertas eligendi utrumlibet, immò neceſſe habet calefacere obviantem ſibi materiam receptibilem actionis ſuæ. Aliæ verò cauſæ ſunt operantes per voluntatem, & electionem, & inter has ſunt, quæ operantur per voluntatem mutabilem ad contrarium, videlicet voluntatem, ſimiliter & renovabilem vel conſilio novo, vel ſuaſione nova, vel aliqua ex paſſionibus, quales ſunt amor & odium, dolor, & gaudium, ſpes, & timor, ira, & pax; hujuſcemodi enim mutatur voluntas ad contrarium, vel nova res generatur in volente; & indubitanter in hujuſmodi verum eſt, quia cùm novum aliquid operantur, quod priùs non operabantur, neceſſe eſt ut innovatio aliqua fiat in ipſis agentibus, vel in aliqua ex diſpoſitionibus, & comparationibus ſæpè dictis. Debes tamen ſcire, quòd non eſt neceſſe, ut omne, quod deſtruitur, aut perit, deſtruatur novo aliquo agente in ipſum. Quædam enim ſunt adeò debilis eſſe, adeòque infirmi, ut per ſemetipſa deficiant, & hoc manifeſtè vides in tempore, & motu; tempus enim nullo impellente fluit in non eſſe. Creator autem operatur per liberrimam, ac dominantiſſimam, atque per omnia immutabilem voluntatem, & propter hoc conjunguntur ei cauſata ſua, cùm vult, & ſeparantur ab eo, cùm vult. In cauſis igitur naturalibus, quæ per neceſſitatem, ut prædixi tibi, operantur, ſufficientia hujuſmodi ſufficit ad prædictam conjunctionem, ſimiliter & in operantibus voluntariè apud nos, & hoc eſt quia non eſt in poteſtate eorum poſtquàm poſſe, ſcire, & velle cæteræque diſpoſitiones concurrerint, ut non incipiant operari. In creatore verò propter liberrimam, ac dominantiſſimam ejuſdem voluntatem, atque immutabilitatem, non eſt neceſſe, ut operetur, vel incipiat operari, niſi cùm velit. Et attende, quia poſſibile eſt, ut creator velit modò aliquid, poterit tamen non velle illud, abſque ulla mutatione voluntatis ſuæ. In nobis autem econverſò ſe habet ex ne-

Validè impugnat Avicennam.

Adverte.

E ceſſitate, & hoc alibi didiciſti, & propter hoc erravit Avicenna in hoc, ſimiliter & Ariſtoteles, qui non viderunt, quòd creator poſſet velle aliquid, & poſſet non velle illud, abſque voluntatis ſuæ mutatione, quemadmodùm & de ſcientia ſe habet, quia ſcit creator aliquid futurum eſſe, quod tamen poſſibile eſt non fore. Si autem accideret ipſum non fore, tunc creator in veritate modò non ſciret ipſum fore. Quare ſcit aliquid creator, quod poſſibile eſt ipſum non ſcire modò, & hoc abſque ulla mutatione, quæ in ipſo fiat, vel ſcientia ipſius, & hoc eſt quod ipſi non attenderunt in creatore benedicto.

Avicenna Ariſtoteles.

CAPUT X.

Solvuntur aliquæ difficultates.

POſt hæc autem addam & alia, antequàm veniam ad rationes Ariſtotelis, & dicam, quia homines erraverunt circa novitatem mundi propter brevitatem intellectus ſui, & difficultatem imaginationis ſuæ. Difficillimum enim eſt eis imaginari omnem locum, aut non intra mundum eſſe, aut ultra mundum, cùm non poſſent explicare ſe, vel evolvere ab intentionibus iſtarum dictionum,
F extra, vel ultra, ſimiliter neque ab intentione ejus, quod eſt, ante, & poſt. De his autem jam expedivi me, & te. Et ex hoc errore, & hac difficultate quærit quidam philoſophus ex Italicis, inquiens, ut quid innumera ſæcula dormierunt, an dormierat creator per ſæcula innumera, & poſtmodùm, quaſi expergefactus, creavit mundum? hujuſmodi enim homo de his fuit, qui non potuerunt imaginari tempus finitum continens omnia tempora, cùm dicat innumera ſæcula dormiiſſe, ac ſi tempus innumera tempora præceſſiſſent. De his autem jam expeditus es, & expedieris meliùs in capitulo proximo contra errorem Ariſtotelis, de hac ſcilicet quæſtione; Utrùm ab æterno creavit Deus mundum. Cùm enim nihil aliud ipſum ad creandum induxerit,
G quàm bonitas ſua puriſſima & largiſſima, & hæc non imminuta, neque adaucta, neque aliter per aliquem modorum immutata, & ipſe ſimiliter per omnem modum immutatus nec de novo vidit utilitates, propter quas mundus creandus erat, nec majores eas viderit in ipſa creatione mundi, quàm in ſua æternitate, nec ſibi faciliorem creationem ejus tunc, quàm in æternitate, ut quid igitur creavit eum, tunc potiùs, quàm in æternitate? In quo reſpondeo, quia in ipſa iſta dubitatione, ſolutio eſt quæſtionis: apparet enim ex ipſa diſputatione, non † ſteriſſe hoc, vel impedimentum fuiſſe, quominùs crearetur ab æterno, vel in æternitate mundus per defectum, vel per impedimentum, qui eſſet à parte creatoris. Quare manifeſtum eſt, quòd à parte mundi fuit iſtud impedimentum, cujus natura non fuit ab
H æterno creabilis, nec ſuſceptibilis æternitatis, & hoc declarabitur tibi in prænominato capitulo, non ſolùm de mundo, ſed de omni poſſibili, quia ipſa ſua natura, quæ eſt poſſibilitas, prohibitum eſt ab æternitate. Per eandem viam, & modum eundem, reſpondebis ad omnes ſimiles quæſtiones, videlicet; cùm quæritur, quid intendebat creator in creatione mundi, aut intendebat gloriam ſuam in creatione mundi, aut utilitatem mundi, & rerum mundialium, aut utrunque. Quodcunque autem iſtorum dicatur, manifeſtum eſt, quia cauſata eſſet de creatione mundi, ſi ab æterno fuiſſet creatus, creatoris gloria major, & tantò ipſi mundo, & rebus mundialibus major utilitas, quantò æternitas tempore major eſt; ab æterno igitur debuiſſet eum creaſſe.

Deus ſola bonitate mundū creavit.

† Aliàs non feciſſe.

Nota.

Digitized by Google

creaſſe. Quòd ſi dixerit, quia nihil horum intende- A
bat creator, ſed propter ſemetipſum tantùm, vel
gratis ipſum creavit, tantò magis debuit eum
creaſſe ab æterno. Scito tamen, quia ubi di-
cit, gratis, dicit intentionem alienæ utilitatis. De
hoc verò, quòd creator dicitur aliquid facere in
laudem, & gloriam ſuam, ſcito quia laus, & gloria
creatoris, cùm intimiùs cogitata fuerit, eſt tota, &

Laus, & gloria creatoris utilitas eſt aliena.

ſola utilitas aliena. Ex hoc enim non ſolùm maximè,
ſed etiam ſingulariter, & ſolummodò, quod aliis
benè eſt, ab ipſo eſt, & quicquid boni habent, ha-
bent ab eodem: de hoc verò, quod dicit, quia &
gloria in infinitum major eſſet ei, & ipſi mundo, &
rebus mundialibus utilitas, ſimiliter in infinitum
major, verum eſt hoc, ſed non ſequitur, quòd pro-
pter hoc debuiſſet creaſſe mundum ab æterno, quo-
niàm impoſſibile eſt, ut dixi tibi, mundum creatum
fuiſſe ab æterno, & non eſt hujuſmodi ſermo:

Objectio.

quemadmodùm ſi quis diceret: ſi Deus creaſſet te
impaſſibilem, & major gloria eſſet Deo de creatione
tua, & major tibi utilitas; debuit ergo te creare im-

Solutio.

paſſibilem. Dico quòd non, quoniàm non debuit
aliquid facere Deus, quod fieri non poterat, quæ-
cunque utilitas ab ipſo ſequeretur; tu enim non
poteras fieri impaſſibilis naturaliter, & ideò non
debuit te creator talem facere. Poſt hoc autem con-

Rationes Ariſtot. quibus credidit mundum æternum.

veniens eſt, ut ponam hîc rationes Ariſtotelis, qui-
bus ipſe inductus fuit ad credendum æternitatem
mundi, ubi oportet te reminiſci eorum, quæ præ-
ceſſerunt hîc, per quæ reſponſum eſt ſufficienter eis,
per quæ aſtruere conatur, motum æternum eſſe in
libro, quem vocavit auditum. & propter hoc non
repetam tibi rationes illas, neque reſponſiones præ-
dictas. Dicit igitur Ariſtoteles in libro ſuo cœli, &
mũdi, quia natura determinavit quibuſdam ſemper
non eſſe, ut impoſſibilibus, quæ ſcilicet naturali, &
propria poſſibilitate prohibita ſunt eſſe, ſicut quædã
monſtra, quæ contrarietas naturarum eſſe non pa-
titur, qualem fingunt chimæram, & multa alia. Qui-
buſdã determinavit natura quandóque eſſe, & quan-
dóque non eſſe, ſicut vides in animalibus, & homi-
nibus, & multis aliis; quare neceſſe eſt, & quædam
alia eſſe, quibus natura determinaverit ſemper eſſe,
quare non ſolus creator ſemper eſt, vel æternus,
immò multa alia cum eo, & adjuvatur iſta ratio per
hoc, quod dicit Avicenna, quia ſi invenitur alterum
contrariorum in univerſo naturæ, atque medium
inter illa, neceſſe eſt, ut inveniatur, & reliquum,
& ponit exemplum de aceto, & oxymelle, & melle,
quia cùm inveniatur acetum in univerſo naturæ,
& inveniatur oxymel, quod eſt medium inter ace-
tum, & mel, neceſſe eſt, ut inveniatur in univerſo
naturæ & mel, quoniàm acetum eſt alterum duo-
rum contrariorum, mel verò reliquum ſecundùm

Firmatur ratio Ariſt. variis mediis.

ipſum. Ampliùs. Adjuvatur iſta ratio per hoc, quòd
ſi aliter eſſet, duo inconvenientia viderentur ſequi.
Primum, quia incompleta eſſet contrarietas hujuſ-
modi, cùm deeſſet ei partium ſuarum principalium
altera, & hoc nec decet creatorem, nec decet natu-
ram, videlicet incompletum aliquid facere natura-
liter, maximè ſi illud ſuſceptibile fuerit comple-
menti. Aliud inconveniens eſt, quia in univerſo eſſet
vacuum naturæ, quemadmodùm ſi in univerſo
cœlorum deeſſet alterum extremorum, aut aliqua
ſpecies mediorum. Hæc autem natura non patitur,
ſicut nec vacuum loci, ſimiliter vides, quòd in ge-
nere animalium, non eſt vacuitas naturæ, quæ in-
dubitanter eſt defectus alicujus ex ſpeciebus. Ex
his igitur omnibus videtur neceſſe eſſe, ut in uni-
verſo inveniantur iſtæ tres maneries, videlicet ſem-
per exiſtentia, ſemper non exiſtentia, & quandó-
que exiſtentia. Semper autem exiſtentia ſunt æterna;

A ſic & ſempiternitas eſt æternitas ſecundùm unam
intentionem. Si autem invenitur multitudo ſemper
entium, vel exiſtentium, invenitur multitudo æter-
norum, & mundus, ſive univerſitas eorum, æter-
nus. Juxta hunc modum eſt ratiocinari de his tri-
bus, videlicet neceſſe, impoſſibile, & poſſibile. Et
dicit Ariſtoteles, quia neceſſe habet virtutem, ut
ſemper ſit, & ut nunquàm non ſit. Impoſſibile verò
habet virtutem, ut nunquàm ſit, & exemplificat de
diametro & latere, quia diametro eſt virtus, ut
nunquàm æqualis lateri ſit, & iſta virtus non poteſt
intelligi, niſi prohibitio ab ipſo eſſe, & elongatio
immobilis atque inappropiabilis. Et quia prolixus
eſt ſermo Ariſtotelis circa hoc, dico, quia eſſe de
creatore, & rebus aliis, non dicitur ſecundùm
unam intentionem, neque univocè, ſicut album de
colore, & de ſuperficie æquivocè dicitur. Color
enim dicitur albus eſſentialiter, & non ſecundùm
participationem. Non enim dicitur albus in ha-
bendo ſeu participando albedinem, ſed in eſſendo
B ipſa albedo. Superficies verò alba, vel paries albus
econtrariò; ſic creator non dicitur ens in habendo
ipſum eſſe ſed in eſſendo ipſum ſuum eſſe, ut per
omnia idem intelligatur in eo quod eſt, & quo eſt.
In nullo autem aliorum ſic eſt, in omni namque
alio aliud eſt, quod eſt, & aliud quo eſt, & ſecun-
dùm participationem generaliter omne aliud à
creatore dicitur ens. Quare quemadmodùm ſi quis
dicat alba, non comprehendit ſimul una intentione
colores, & colorata; ſic qui dicit entes, & entia
non comprehendit, ſimul creatorem, & creata,
quoniàm una poſitione unius nominationis non
poteſt æquivoce uti. Per hanc igitur interemptio-
nem non procedit ratio illa Ariſtot. Quod autem
dicit quia natura determinavit quibuſdam rebus,
ut ſemper non ſint, quamquàm multam habeat
C calumniam ſermo iſte, & propter ſermonem natu-
ræ, & propter verbum determinandi, quorum neu-
trius intentionem ſuam, vel intellectum determi-
navit; neque enim quid naturam ibi vocet, expli-
cat, neque, quid intelligat ipſum determinare, ma-
nifeſtat. Reſpondeo tamen, quia nulla natura ali-
quid determinavit creatori, licet verum ſit, quòd
natura ſua nobiliſſima ſemper ſit, & nulla ſit ei
penitùs ad non eſſe appropinquandi poſſibilitas: in
rebus autem creatis impoſſibile eſt per hunc mo-
dum ſe habere, & hoc faciam te ſcire in ſequenti-
bus, neque conveniens eſt, neque ulla neceſſitas
hoc exigit, ut ſi multitudo eſt ſemper non entium,
vel exiſtentium, quòd ſit multitudo propter hoc
ſemper non exiſtentium ſicut non eſt neceſſe, ſi eſt
multitudo vilium, quòd ſit propter hoc precioſior,
neque ſi eſt multitudo effectuum, quòd ſit ibi &
D cauſarum. Eodem modo ſe habet de rivulis, & fon-

Nota.

tibus, de ramis, & radicibus, licet contrarietas
nonnulla ſit inter eos: non enim multitudinem ri-
vulorum ſequitur ex neceſſitate multitudo fon-
tium, vel multitudinem ramorum multitudo ra-
dicum. Tu autem jam non dubitas, quin creator
omnium aliorum ſit cauſa entium, & quin ipſa ſint
effectus ejuſdem, & quin ſe habeat ad ipſa ex modo
aliquo per modum fontis ad ipſa, & ipſa per mo-
dum rivulorum ad ipſum, ſimiliter per modum ra-
dicis ad ipſa, & econverſò ipſa per modum ramo-
rum ad ipſum, licet non propriè, & multùm diſ-
ſimili, ut ita dicatur, ſimilitudine. Inter res igitur
creatas, & univerſum creatum, locum habent hu-
juſmodi comparationes, & ſimilitudines, quibus
utitur Ariſtoteles, non connumerato aliquatenùs
creatore cum ipſis, etſi fortè apud creaturas teneant,
non eſt neceſſe ut ad creatoris eſſe per ſimilitudinem
ſe extendant, cùm creator ab ipſis, & diſtan ii

immenſurabili diſtet & diſſimilitudine incogitabili eiſdem ſupereminear, & ſuperſit. Et licet dicat Ariſtoteles, quòd quibuſdam eſt virtus, ut ſemper ſint, quibuſdam verò, ut ſemper non ſint; debes ſcire, quia ſermo ejus non eſt verus in hoc. Illud enim videlicet ſemper eſſe, ſingulariter eſt proprium creatoris, & nulli ex rebus creatis ineſt virtus, ut ſemper ſit, etiamſi verum eſſet, quòd quædam ex eis ſemper ſint, nulla enim ſua virtute eis eſt, ut ſubſiſtant. Jam enim declaratum eſt tibi aliàs, quia eſſe accidit unicuique, præterquàm ſoli creatori, cui ſoli eſſentiale eſt. Ipſe igitur eſt ſua virtute, & ſemper eſt fortitudine ſtabilitatis ſuæ. Unumquodque autem aliorum ejus virtute, & dono eſt, ſicut eſt, & quandiu eſt, & quantùm in ſe eſt, recideret in non eſſe, niſi virtus, & bonitas creatoris ipſum retineret, & ſtabiliret in eſſe. Mirabilius autem eſt, quod dixit, quia quibuſdam ineſt virtus, ut ſemper non ſint, ſive ad ſemper non eſſe, tanquàm non eſſe ſit finis alicujus virtutis, & natura ei dederit principium ad hoc, videlicet ad non eſſe. cùm manifeſtum ſit, quia non eſſe nihil eſt, neque à natura unquàm deſideratum, aut quæſitum. Etſi enim negatio ſequatur ex affirmatione, non tamen affirmatio eſt ad hoc, vel propter hoc; ex eſſe enim album ſequitur non eſſe nigrum, albedo tamen non eſt ad hoc, ſcilicet propter non eſſe nigrum; ſic & in exemplo, quod ipſe ponit de diametro, & latere, ſive coſta, quia nec diameter, nec magnitudo ejus propter hoc eſt, ut non ſit æqualis lateri, & idem eſt de latere. Sequitur quidem ex neceſſitate de quibuſcunque duabus lineis, quòd ſi fuerint in eodem quadrato ſic ſe habentes, ut altera ſit illius quadrati diameter altera verò coſta, ipſas non eſſe æquales, quemadmodùm ſequitur de quibuſcunque duobus corporibus, quia ſi fuerint in eodem toto ſic ſe habentia, ut alterum ſit ejus medietas, alterum quarta, illa non eſſe æqualia, cùm tamen nec propter hoc ibi ſint, nec propter hoc ſint ſimpliciter. Nec minoris erroris eſt ſermo, quo dixit, quia virtus ineſt quibuſdam, ut quandòque non ſint, ſeu ut quandòque corrumpantur, & ut quandòque deſinant eſſe, cùm hoc ex virtute eſſe non poſſit, videlicet deſinere eſſe. Nulli enim dubium eſt, quin hoc ſit ex debilitate ipſius eſſe, & quin defectibilitatem propriè ſequantur defectus, & deſitio ab eſſe. Sed ipſemet, & expoſitores, atque ſequaces opinionis ipſius dicunt, quia ex potentialitate eſt ipſum non eſſe. Nemo autem dicit defectibilitatem, aut deſinibilitatem virtutem eſſe, immò contrariam nominationem ei attribuunt, videlicet impotentiam & debilitatem eas vocantes.

CAPUT XI.

Per hiſtorias, & rationes probat initium mundi.

POſt hæc autem conveniens eſt, ut adducam rationes, & probationes, ad ſtabiliendam novitatem mundi, & deſtruendam æternitatem ejus. Non enim ſatis eſt reſpondere rationibus econtrariò ſentientium, & diſſolvere quæſtiones eorum, & contradicere opinionibus ipſorum, ad completam certitudinem, niſi ex probationibus irrefragabilibus aſtruatur veritas, & declaretur. Ex his ergo duobus completur verè rectéque philoſophantis intentio. Incipiam igitur ab ipſis mundi teſtimoniis, & dicam, quia ſtant apud omnes nationes annales hiſtoriæ, & chronicæ narrationes, in quibus narrantur conditiones, ſive ædificationes, atque fundationes civitatum magnarum nominatarum, ſimiliter & initia regnorum omnium, ex quibus manifeſtum eſt, ipſum mundum habuiſſe initium in tempore. Cùm igitur omnia hæc, quæ dixi, initia certa habuerint: ſi mundus ante ea in infinitum duraſſet, fuiſſet in infinito tempore abſque civitatibus, & regnis, & ita otioſus, & vacuus in majori parte utilitatum ſuarum. Sed de iſtis initiis eſſet eadem quæſtio, quam & ipſe Ariſtoteles, & ſequaces ejus de initio mundi referunt. Contradicere autem tot, & tantis teſtimonis, non ſtultitiæ tantùm ſed intolerabilis eſt dementiæ. Reſtant & hiſtoriæ Hebræorum, & Chriſtianorum, Adam primum hominem fuiſſe teſtantes; ſed & ipſe propheta Hebræorum hoc ipſum teſtificatur in principio legis Hebræorum, cui tam magnificis ſignis, & inauditis & prodigiis ipſe creator teſtimonium perhibuit. cùm eidem prophetæ, niſi per ſigna, gens Hebræorum credere noluiſſet. Contradicere autem teſtimonio tanti prophetæ, cui & ipſe creator teſtimonium perhibuit tantorum ſignorum, contradicere eſt ipſi creatori, & mendacem facere illum. Procedam autem ulteriùs, & dicam, quia ipſe totus mundus confitetur ſe habuiſſe initium ex tempore, hoc audire ab eo, & intelligere valentibus. Confitetur enim potentialitatem ſuam, & ſibi eſſe impoſſibile eſſe per ſe; quare confitetur potentialitatem, ſeu poſſibilitatem eſſendi eſſe ſibi naturalem, & à ſeipſo. Actualitatem autem, ſive actum eſſendi recepiſſe aliunde, ſive ab alio, & hoc eſt, quoniàm poſſibile, ſive potentiale, inquantùm quòd hujuſmodi, ſive per hoc quòd hujuſmodi, non venit in actum eſſendi, ſive ad eſſe, ſed neque per aliud ſimile in quantùm ſimile, hoc eſt, inquantùm potentiale, ſive poſſibile, ſed remanet in ſua potentialitate, & poſſibilitate. quantùm in eo eſt: quare & in non eſſe ſecundùm actum, ſive in non eſſe actualiter. Quia igitur potentialitas eſt ei naturalis, erit & non eſſe eidem naturale: quare erit priùs ex neceſſitate, quàm ipſum eſſe. Naturalia autem priora ſunt unicuique rei ex neceſſitate quàm adventitia. Similiter & quod per ſe eſt unicuique prius eſt ei, quàm quod aliunde, vel ab alio. Quare mundus his omnibus conſideratis confitetur ſe accepiſſe eſſe poſt non eſſe. Ampliùs. Cùm manifeſtum ſit mundum factum, vel creatum eſſe: album verò non fiat niſi ex nigro, & calidum ex non calido: ergo ens mundus non eſt factus niſi ex non ente. In omni autem factione priùs eſt ex neceſſitate id, ex quo fit aliquid quàm ipſum factum: quare priùs non ens fuit mundus, quàm factus fuit ens: fuit aliquandò igitur non ens, & propter hoc, non ſemper fuit ens. Ampliùs. Cùm eſſe accepit mundus à creatore, quoniàm ab illo & eſt, & habet eſſe, aut accepit illud, cùm jam eſſet, & hoc eſt impoſſibile: quoniàm cùm erat, habebat eſſe: non eſt autem poſſibile ipſum accipere, quod habebat: quòd ſi dixerit, quia accepit illud, quandò habebat, quoniàm ſubitò accepit illud, & non per partes; tunc igitur accepit illud, quandò ipſum primò habuit: quare aliquandò primò illud habuit, quandò igitur primò habuit eſſe, tunc indubitanter incœpit eſſe: aliquandò igitur incœpit eſſe. Quòd ſi dixerit, quia incœpit eſſe, non quandò habebat illud; aliquandò igitur non habuit illud: quare aliquandò non fuit mundus: quare incœpit eſſe: omne enim quod aliquandò non fuit, & aliquandò fuit, incœpit eſſe. Ampliùs. De naturali potentialitate ſua eductus eſt mundus in actum eſſendi; ergo vel ſubitò, vel per partes, ſive continuè: quòd ſi ſubito; ergo in inſtanti, ſive in nunc temporis: quare in illo nunc primò fuit in actu eſſendi, ſive in eſſe in illo ergo incœpit eſſe, & hoc eſt, quod quærebam. Si verò per partes, ſive continuè exivit de potentia in actum, hujuſmodi exitus indubitanter

Digitized by Google

indubitanter generatio fuit: generatio autem finiti in tempore finito eſt, & ex utraque parte terminato. Generatum autem toto tempore generationis nondùm eſt, ſed in termino generationis primum eſt, & incipit eſſe: quare mundus incœpit eſſe in termino ſuæ generationis, cùm antea non fuerit; ſicut & alia generata. Nullum enim generatum poteſt eſſe, aut potuit unquàm ante complementum ſuæ generationis. Ampliùs. Potentialitas, & actualitas ſunt contraria: ſimiliter potentia, & actus, & non ſunt ſimul in eodem nec ſe compatiuntur: aut igitur potentialitas eſſendi præceſſit actum in mundo aut non præceſſit. Si dixerit, quia præceſſit: fuit igitur hujuſmodi potentialitas ſine actu; quare fuit mundus aliquandò in potentia eſſendi, & nondùm in actu: fuit igitur ens in actu aliquandò mundus, quare non ſemper. Quòd ſi potentialitas nunquàm præceſſit actum in mundo, cùm manifeſtum ſit, quia naturaliter prior eſt ipſo actu; non igitur ordo naturæ ſervatus eſt in creatione mundi. Contra ordinem igitur naturæ eſt, *Nota.* quòd mundus ſemper eſt actu. Ampliùs. Qualiter creatus eſt mundus à creatore? aut eſt generatus ex corruptione ſcilicet alterius, ſive per corruptionem illius, aut factus ex aliquo præter corruptionem illius, ut domus ex lignis, & lapidibus nonnunquàm fit; aut cauſatus, & ex nihilo factus, aut aliter ab eodem creatus. Sive autem ſit generatus, ſive ſit factus ut dixi: poſt non eſſe accepit eſſe. Si verò creatus, hoc eſt, de nihilo factus; aut ſubitò creatus fuit, aut continuè, & per partes. Si ſubitò: ergo in aliquo nunc temporis: quare tunc cœpit. Si verò pars poſt partem, & continuè, in termino creationis ſuæ, videlicet, in quo creatio ejus completa fuit, incœpit eſſe: quoniàm tunc primum fuit. Eâdem viâ procedendum eſt, quocunque modo aliter cauſatum à creatore dicat illum; quoniàm neceſſe eſt, ut cauſationem ejus dicat eſſe ſubitam, ſive ſubitò factam, aut partem poſt partem dicat eſſe cauſatam. Ampliùs. Quid dicet de genere humano? aut dicet ipſum ſimiliter æternum, & nullum eſſe primum hominem, aut non. Si dixerit æternum eſſe, & nullum ex hominibus fuiſſe primum: cùm patet ex neceſſitate ſit cauſa filii, & avus cauſa patris, & ita in infinitum; neceſſe habet confiteri cauſas aſcendere in infinitum, cauſas ſcilicet efficientes: pater enim eſt cauſa efficiens filij quantùm ad generationem corporis, ſive ambo parentes, hoc eſt pater, & mater. Jam autem declaratus eſt, & ſtabilitus ſtatus cauſarum in omni genere cauſæ, & patefactum eſt, impoſſibile eſſe, ut aſcendant in infinitum, & hoc per ipſum Ariſtotelem, & ſequaces ipſius, atque expoſitores librorum ipſius. Procedam & aliâ viâ, & dicam, quia neceſſe eſſe per ſe, & poſſibile eſſe per ſe, contraria ſunt. Eodem modo & neceſſi- *Nota.* tas per ſe, & poſſibilitas per ſe. Similiter antiquitas, & novitas: ſicut enim neceſſitas per ſe cauſa eſt æternitatis, ſive antiquitatis, erit ex neceſſitate, ut poſſibilitas per ſe ſit cauſa novitatis, ſive temporalitatis; quare ſicut neceſſitas per ſe non invenitur, niſi in uno ſolo, quod eſt creator benedictus; ita æternitas, ſive antiquitas non invenitur, niſi in eodem. Ampliùs. Sicut neceſſitas per ſe non ſuſtinet novitatem in eo, in quo eſt, ſive temporalitatem, ita & neceſſe eſt, ut poſſibilitas per ſe non patiatur ſecum in eodem ſubjecto æternitatem. Quare impoſſibile eſt, aliquam rerum creatarum æternam eſſe, & in aliis diſpoſitionibus ſimiliter ſe habet. neceſſitas enim per ſe, neque creationem, neque corruptionem, neque generationem temporalem ſecum patitur, neque ullius modorum incœptionem. Quare neceſſe eſt, ut poſſibilitas per ſe econtrariò ſe ha-

A beat, & iſta probatio fundata eſt ſuper hanc radicem, videlicet contraria contrariorum cauſas eſſe per ſe, & ſuper hanc aliam radicem, quæ eſt, proportionalium ſi alterum eſt, & alterum, & ſuper tertiam radicem, quia quæ ſunt proportionalia ex neceſſitate ſunt & permutatim proportionalia. Quapropter quemadmodùm ſe habet neceſſitas per ſe ad æternitatem, & antiquitatem, ſic poſſibilitas per ſe ad novitatem, ſeu temporalitatem; quare ſi neceſſitas per ſe cauſa eſt æternitatis, ſeu antiquitatis, erit poſſibilitas per ſe cauſa temporalitatis & novitatis; & ſi æternitas, vel antiquitas, conſequens eſt, vel comitans inſeparabile neceſſitatis per ſe, erit ſimiliter ex neceſſitate temporalitas, & novitas, conſequens, vel comitans inſeparabile, poſſibilitatis per ſe. *Nota.* Et quoniàm rationes, quæ hucuſque poſitæ ſunt, partim ethicæ ſunt, ſive morales, ut illæ, videlicet, quæ ſunt à teſtimoniis, partim verò naturales, & metaphyſicæ; proſequar rationes metaphyſicas circa hanc opinionem Ariſtotelis, & dicam B in primis, quoniàm accidit Ariſtoteli, non priùs fluxiſſe horam de toto tempore præterito quàm diem, vel menſem, vel annum, nec etiam antequàm mille millia annorum: hujuſmodi autem probatio eſt, quia ſi dixerit aliquam horam fluxiſſe, antequàm mille millia annorum fluxiſſent; aut illam horam præceſſit tempus in infinitum, aut non præceſſit. Si præceſſit eam tempus in infinitum, certum eſt, quia mille millia annorum pars fuerunt temporis infiniti illius; quare in toto illo ſuo præceſſerunt horam prædictam. Non igitur hora illa priùs fluxit quàm mille millia annorum, nec ſolùm mille millia annorum præceſſerunt horam illam, ſed etiam infinita millia, cùm tempus infinitum ex neceſſitate contineat infinita millia. *Nota.* Quòd ſi horam illam non præceſſit tempus infinitum, aut C præceſſit eam tempus finitum, aut nihil temporis. Si tempus finitum, initium igitur illius fuit initium temporis totius, quare tempus habuit initium. Si autem nihil temporis præceſſit horam illam, manifeſtum eſt, quia initium illius horæ fuit initium totius temporis; quare manifeſtum eſt quia ſecundùm opinionem Ariſtotelis non fluxit hora de toto tempore, antequàm mille millia annorum. & quia non eſt deſignare, quòd non præceſſerint infinita millia annorum. Ampliùs. Cùm infinitum, ut ipſemet dicit alibi, intranſibile ſit, & maximè motu finito, tempus autem totum, quod præteriit, aut infinitum eſt, ut ipſe dicit, aut finitum. *Nota.* Quòd ſi finitum, habet igitur initium. Quapropter & motus, & hoc eſt ei contrarium. Si autem infinitum: qualiter ergo totum jam tranſiit? fluxus enim ipſius non eſt infinitæ velocitatis, nec majoris eſt velocitatis, quàm motus cœleſtis. Ponam autem ad hoc exem- D plum de aqua, & dicam, quia ſi imaginatus fueris aquam infinitam, & ponas fluxum ejus finitum, hoc eſt, ut per fiſtulam finitam, vel canalem finitum, & finita velocitate effluat, non erit unquàm poſſibile ipſam totam effluxiſſe. Ampliùs. Totum ipſum futurum ſecundùm Ariſtotelem infinitum eſt, nec finietur unquàm; non igitur minus eſt, quod futurum eſt de tempore toto, quàm quod præteriit de eodem; æquales enim ſunt velocitates, quibus totum præteritum fluxit ſive præteriit, & totum futurum prætereundum eſt; ventum autem eſt ad finem præteritionis ejus, quod de tempore jam præteriit tanta velocitate fluxus, non obſtante infinitate ipſius: venietur igitur & ad finem præteritionis totius temporis, quod futurum eſt, cùm æquali velocitate prætereundum ſit, qua illud præteriit non obſtante infinitate ejuſdem: quare *Nota.* neceſſe eſt ipſum finiri. Ampliùs. In toto præterito

Digitized by Google

tempore cœlum complevit revolutiones finitas, aut infinitas. Si finitas: neceſſe eſt quòd in tempore finito; quoniàm in tot partibus temporis æqualibus, quot ipſę fuerunt, cùm paris velocitatis ſint omnes revolutiones cœli. Erit igitur totum tempus, quod præteriit uſque in præſens nunc finitum. Si verò dixerit, quia infinitas revolutiones complevit cœlum toto tempore præterito, imaginabor, quia iſta imaginatio poſſibilis eſt intellectui, quòd duplo minori velocitate motum fuerit toto tempore præterito. Quia igitur quæ eſt proportio motus ad motum, eadem eſt pertranſiti ad pertranſitum in eodem tempore, vel æquali: ex neceſſitate neceſſe, ut eodem tempore, non niſi medietatem revolutionum jam completarum compleverit. Revolutiones igitur quas complevit toto tempore præterito cœlum, habent medietatem, & per eandem viam habebunt quartam & octavam, & ita in infinitum. Manifeſtum autem eſt, quia infinitum medietatem non habet. Amplius. Cùm imaginatur econverſò, videlicet quòd duplò velocior fuerit motus totius cœli in toto tempore, quod præteriit, ergo per eandem rationem duplò plures erunt revolutiones completæ in eodem tempore. Non autem erat completurum cœlum plures revolutiones eis, quæ præceſſerint, & eis, quæ futuræ ſunt, ſimul acceptis, tot autem compleviſſet duplò majori velocitate revolutum, quare finiviſſet motum ſuum. Amplius. Non eſt dubium, quin duplò plures revolutiones compleviſſet duplicata velocitate motus, & in eodem tempore; quare numerus revolutionum jam completarum habet duplum, & eſt medietas alicujus numeri. *Nota.* Non eſt igitur infinitus hujuſmodi numerus, cùm & medietatem habeat, ut dictum eſt, & etiam duplum. Amplius. Manifeſtum eſt, quia cœlum ſolis, vel ſol ipſe perficit unam revolutionum ſuarum in anno ſecundùm motum ſuum medium, & æqualem: imaginabor igitur exempli gratiâ, annum hujus revolutionis trecentorum 60. dierum æqualium, ita ut unicuique diei gradus unus ſolaris circuli deputetur. Erit igitur per ea, quæ audiſti, proportio motus ipſius cœli ad motum ſolis, proportio quæ eſt trecentorum 60. ad unum. quare & revolutionum cœli ad revolutiones ſolis erit eadem proportio. Erunt igitur revolutiones ſolis, & anni revolutionum ejus, ad revolutionem cœli, & annos revolutionum ejuſdem, in proportione unius ad trecentos 60. *Adverte.* Nec te conturbet, quòd dixi annos, & annos quia idem eſt, ac ſi dicerem, quantùm ad cœlum, dies. Eodem modo eſt conſiderare de revolutionibus Saturni, quæ ſunt ad revolutiones ſolis in proportione unius ad triginta Similiter & de revolutionibus Jovis, quoniàm ſimiliter ſunt ſecundùm eundem modum ad revolutiones ſolis in proportione unius ad duodecim, & per eandem viam conſidera de revolutionibus Martis, Veneris, Mercúrij, & Lunæ. Invenies enim proportiones eorum à revolutione cœli certiſſimas, & hoc eſt, quoniàm proportiones extremorum aggregantur ex proportionibus ipſorum ad media, & mediorum ad invicem: invenies igitur, quia revolutiones uniuſcujuſque planetarum ſecundùm computationem aſtronomicam erit pars certiſſima, hoc eſt certiſſimæ proportionis ad univerſas cœli revolutiones ſimul acceptas, *Nota.* quæ completæ ſunt toto tempore, quod terminatur in præſens nunc. Impoſſibile autem eſt infinitum eſſe, cujus partes certæ comparationis, & proportionis ad ipſum inveniuntur, &c. Ut autem manifeſtiora, & certiora ſint hæc, declarabo, quia non poteſt eſſe continuum aliquod infinitum. Et primùm declarabo hoc in linea, & faciam ſciri, quia non poteſt

E eſſe aliqua linea infinita ex altera parte tantùm. Protrahatur enim linea A, B, infinita ex parte B, & ſupponatur ei, & ſit inter A & B, cubitus. Deinde applicetur ei alia infinita, quæ vocetur C, D, infinita ſcilicet ex parte D, applicetur autem ei ſic, vel ſupponatur, ut ſit C, punctus in directum B, vel ſuper ipſum B. Dico igitur quia A, B, major eſt C, D, cubito uno, quod eſt inter A, & B, illo enim cubito excedit eam; ex altera verò parte non eſt exceſſus alterius ad alteram, hoc eſt, à parte infinitatis; ſi enim exceſſus eſſet, videlicet ita, ut altera ex parte illa extenderetur juxta alteram, inciperet exceſſus in aliquo puncto, ſive eſſet exceſſus finitus, ſive infinitus; quare ille punctus eſſet terminus lineæ minoris, eſſet igitur terminata ex utraque parte, non eſſet igitur infinita: poſita autem erat infinita utraque. *Nota.* Reſtat igitur, ut ex illa parte, à parte ſcilicet infinitatis, non ſit exceſſus alterius ad alteram, & ideò ex neceſſitate à parte illa æquales per diffinitionem æqualium: eſt igitur exceſſus alterius ad alteram, ſicut dixi, intellige igitur, quòd linea C, D, trahatur ſuper lineam A B, donec punctus C, ſit ſuper punctum A, & punctus D, ſuper punctum C, aut ergo eſt exceſſus modò alterius ad alteram ex parte infinitatis, aut non; ſi enim eſt exceſſus à parte in-

F finitatis, jam oſtenſum eſt tibi, quòd non eſt infinita utraque, hoc autem erat poſitum, ab altera verò parte non eſt jam exceſſus, cùm initiales termini earum, videlicet C, & A, ſimul ſint; quare ex neceſſitate modò ſunt æquales per diffinitionem æqualium, quæ eſt, æqualia ſunt, quorum altero alteri ſuppoſito, neutrum alterum excedit; priùs autem erant inæquales, quare cùm neutra creve.it, aut decreverit, adhuc ſunt inæquales, quare ſunt ſimul æquales, & inæquales, & hoc eſt impoſſibile, ergo & illud ex quo ſequitur, eſt impoſſibile, hoc autem nou eſt, niſi lineam illam infinitam eſſe ex altera parte. Erit autem declaratio hæc compendioſior, atque lucidior, ſi intellexeris à puncto B, protractam aliam lineam infinitam, cujus principium ſit punctus C, & ſuppoſitam parti prioris lineæ, quæ

G pars incipiat A, B. Dico igitur, quia linea illa æqualis eſt illi parti A, B, lineæ, cui ſuppoſita eſt, quare eſt minor ex neceſſitate, quàm tota A B. Intellige igitur quòd trahatur linea illa ad partem A, donec principium ejus, hoc eſt, primus punctus ejus ſit ſuper A, punctum Quia igitur ſuppoſita iſta A, B, lineæ non excedit eam, vel exceditur ab ea, *Nota.* quoniàm non excedit eam à parte infinitatis, ut præmonſtratum eſt tibi, ſed neque à parte A, cùm primus ejus punctus ſit ſuper A, erit igitur æqualis A, B lineæ, priùs autem erat æqualis parti ejuſdem, videlicet ei parti, quæ incipit ab ipſo B, & procedit in infinitum. Amplius. Per eandem viam demonſtrabitur tibi, quòd in infinitum eſt major A. B, & hoc eſt, quoniàm ſi extraxeris eam adhuc per cubitum citra A, dico, quoniàm illo toto cubito excedit A, B.

H Reſiduum enim ab illo cubito eſt æquale lineæ A, B, & hoc eſt quia ſicut dixi à parte infinitatis non excedit A, B, illud reſiduum, nec exceditur ab eo, eſt igitur illud reſiduum à prænominato cubito æquale lineæ toti A, B, quare manifeſtum eſt, quòd illo cubito excedit lineam A, B, *Vide.* & eadem eſt via ad demonſtrandum, quòd excedit eam duobus cubitis, videlicet ſi extraxeris eam prædicto modo per duos cubitus, ſimiliter & mille millibus cubitorum invenietur excedere eam, ſi intellexeris eam tractam ad eandem partem per mille millia cubitorum, & ita in infinitum. Quia igitur poſita linea ex altera parte tantummodò infinita, ſequuntur iſta inconvenientia, & impoſſibilia manifeſta, videlicet, partem eſſe æqualem toti, & etiam majorem, & hoc

Digitized by Google

& hoc in infinitum, ſcilicet majorem partem toto ſuo in infinitum, manifeſtum eſt eſſe impoſſibile id, ex quo omnia iſta impoſſibilia ſequuntur. Hoc autem eſt lineam aliquam eſſe infinitam ex altera parte tantùm; tractus enim lineæ quantuſlibet, vel applicatio lineæ ad lineam nihil addit, vel detrahit magnitudini ejus, quæ trahitur. Similiter neque applicatio lineæ ad lineam addit, vel detrahit alterutrius magnitudini. Addam & aliam manifeſtationem ad hoc. Dico igitur, quia ſi linea moveatur, vel trahatur ſecundùm rectum ſuæ longitudinis, movebitur æqualiter cuilibet ex punctis ſuis. Verbi gratiâ. Si moveatur, vel trahatur per cubitum, quilibet ejus punctus, movebitur tantundem, & tranſibit cubitum: ſit ergo terminus lineæ ex altera parte infinitæ A, & tota linea illa infinita vocetur A, B, & ſit C, punctus diſtans à, B, per cubitum. Dico igitur quia ſi linea A, B, moveatur à loco, in quo eſt uſque ad C, quod eſt dicere per cubitum, dico quòd A, tranſibit cubitum illum, & perveniet ad C, & ſimiliter quilibet ex aliis punctis tantundem tranſibit, quare punctus in linea A, B qui diſtabat per cubitum, erit in fine hujus motus in puncto, in quo erat A, & idem eſt manifeſtum de quolibet ex aliis; quare manifeſtum eſt, quia hoc modo movetur æqualiter linea omnis, ſive finita, ſive infinita ſit, cuilibet ex punctis ſuis. Eodem modo eſt oſtendere de qualibet ex partibus ſuis. Tota igitur linea A, B, mota eſt per cubitum. Omne autem quod movetur, tantum relinquit de loco, quem exit, quantum acquirit, vel intrat de loco, in quem movetur, & iterùm omne, quod movetur ab aliquo loco in alium, ſive moveatur ſecũdùm partem, ſive ſecundùm totum, hoc eſt, ſive exeat illum ſecundùm partem, & intret alium ſecundùm partem, ſive exeat illum ſecundùm totum, & intret alium ſecundùm totum: totum eſt ex neceſſitate inter duo alia loca, ſive inter partes illorum locorum. Quare ex neceſſitate terminatum utrinque, ſive finitum. Ampliùs Omne quod movetur à loco in locum, relinquit tantum poſt ſe de loco in quo erat priùs, quantum acquirit ante ſe de loco novo, & omne quod habet poſt ſe & ante ſe, finitum eſt, ſimiliter oſtendi poteſt, quia omne quod poteſt moveri finitum eſt, cùm motus non poſſit addere, vel detrahere quantitati. Quare ſi finitum eſt ex neceſſitate omne, quod movetur, finitum eſt ex neceſſitate omne, quod poteſt moveri. Quòd ſi dixerit, quia infinitum non poteſt moveri, quin tranſeat in infinitum ſpatium: reſpondeo, quia ſermo iſte impoſſibilis eſt, & error intolerabilis, & dico, quia ſi aliquid movetur, & tranſit infinitum, tranſit quamlibet partem ipſius tam finitam, quàm infinitam: quare tranſit finitum de illo ſpatio priùs, quàm tranſeat totum illud infinitum. Ampliùs. Si in ſpatio illo infinito non tranſit finitum, quicquid non tranſit de illo, remanet intranſitum ab eodem; quare remanet quodlibet ſtadium de illo ſpatio, intranſitum, ergo & mille millia ſtadiorum ubicunque ſignentur in illo ſpatio, invenientur intranſita. Qualiter igitur totum illud ſpatium erat infinitum † per tranſitum. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quia non eſt poſſibile lineam aliquam infinitam eſſe ex altera parte tantùm, & per eandem viam facile eſt tibi oſtendere & de ſuperficie, & de corpore. Ex hoc autem evidenter ſequitur quia ſi non eſt poſſibile lineam infinitam eſſe ex altera parte tantùm, multò fortiùs impoſſibile erit ex utraque parte illam infinitam eſſe. Si enim impoſſibile eſt duorum alterum eſſe, multò fortiùs ambo. Ampliùs. Si A, B, linea infinita eſt ex utraque parte, dico quoniàm quodlibet punctum ſignatum in linea A, B, eſt terminus duarum linearum infinitarum ex altera parte tantùm; à quolibet enim hujuſmodi puncto progreditur linea finita, & infinita tantùm ex altera parte, cùm finitur ex neceſſitate in puncto, à quo progreditur. Quòd ſi dixerit, quia ab aliquo puncto lineæ A, B non progreditur ulla linea infinita, ſed finita tantùm, hoc eſt in partem alteram. Eſto igitur in parte A, poſt A, igitur non erit niſi linea illa de tota linea A, B, quare poſt A, non erit niſi finitum de tota linea A, B, quare erit A, B, finita ex parte A, poſita autem erat linea A, B, ex utraque parte infinita. Ampliùs Medium & in linea, & in omni continuo, eſt, poſt quod non eſt ampliùs, quàm ante illud, aut econversò. Et iterùm medium in linea eſt, à quo deducta perpendiculari, & circa ipſum revolutis, eo quod eſt ante illud, & eo quod eſt poſt, revolutis inquam ad perpendicularem, donec alterum ſuperjaceat alteri, inter ea non invenietur exceſſus. Iterũ medium lineæ cujuſcunque eſt, circa quod revoluta parte, quæ poſt ipſum eſt, donec ſubjaceat parti, quæ ante ipſum eſt, alterius ad alteram non invenitur exceſſus. Quia igitur poſita linea ex utraque parte infinita hoc accidit in omni puncto illius, neceſſe eſt ex prædictis diffinitionibus punctum cujuſcunque lineæ infinitæ medium eſſe inter illa. Ampliùs. Omne punctum eſt medium in quacunque linea, cùm in eo facta ſectione, ipſa dividitur in duo æqualia. Quia igitur hujuſmodi neceſſe eſt accidere in omni puncto cujuſcunque lineæ ex utraque parte infinitæ, neceſſe eſt omne punctum hujuſmodi lineæ medium eſſe in eadem Ex hoc autem accidit, partem eſſe æqualem toti. Prætereà ratio, quam poſui de medio, non poteſt convenire duobus Eſto enim, quòd conveniat, A, & B, punctus in aliqua linea, quæ ſit infinita, cùm A ſit medium in ea, non erit plus id, quod eſt de ipſa linea ante A, quàm quod eſt poſt ipſum, ſimiliter cùm B, ſit medium in eadem, ſimiliter ſe habere debet; quare id de tota linea, quod eſt inter A, & B, cum eo quod eſt poſt B ſimul acceptum non erit plus quàm id, quod eſt poſt B per ſe ſumptum, & ita non erit plus totum, quàm pars: illud enim, quod eſt poſt A, eſt totum ad id, quod poſt B, quoniàm continet illud, & inſuper id, quod eſt inter B, & A. Accidit inſuper ex hujuſmodi diſpoſitione, qua ſcilicet ponitur linea infinita ex altera parte, ut pars ſit in infinitum major toto Si enim C, D, lineam infinitam prædicto modo ſubjacere intellexeris A, B. lineæ infinitæ, ita ut punctus C, ſuperjaceat puncto B, non eſt dubium, quin linea C, D, ſit æqualis parti lineæ A, B, parti inquam quæ incipit à B, puncto, & procedit in infinitum, & æqualitas iſta manifeſta eſt per diffinitionem æqualium, & ſi traxeris eam ad partem A, citra A, quantumcunque volueris, & per mille millia ſtadiorum, remanebit æqualis ſemper lineæ A, B, ex parte infinitatis ambarum, ſicut jam feci te ſcire; quare toti reſiduo, quo tracta eſt citra A, excedit illam ſemper: erit igitur major ea mille millibus ſtadiorum, & iterùm millies mille millibus, ſi tantùm eam tractam in partem prædictam intellexeris. Priùs autem demonſtratum eſt tibi eam eſſe æqualem parti lineæ A, B, ei videlicet parti, quæ incipit à, B, & progreditur in infinitum, quare pars illa lineæ A, B, major erit ipſa linea A, B, in infinitum, id eſt, abſque menſura aliqua determinata, Jam igitur declaratum eſt tibi nec lineam, nec ſuperficiem, nec corpus infinitum eſſe poſſe ex altera parte tantùm, & multò fortiùs ex utraque, vel ex omni; non erit poſſibilis alicui iſtorum trium infinitas. Quia verò ſimiles ſunt continuitates menſurarum hujuſmodi, & temporis, neceſſe eſt, & in tempore ſimiliter ſe habere, & hoc jam declaravit.

Nota. *Nota.* *Nota.* *Nota.* *Nota.*

† Aliàs pertranſitum.

Corpus, linea, ſuperficies, non recipiunt infinitum.

Ariſtoteles in libro ſuo de auditu. Quòd ſi volueris calumniari, quòd non poſſumus tractus prædictos, & applicationes facere ad tempus, non effugies per hoc. Dico enim quia tempus ſimul fluit cum motu, & motus cum tempore, & à corporibus motis tranſeuntur ſpatia localia, vel ſitualia proportionaliter fluxui temporis, & motus. Quemadmodùm igitur feci te ſcire, quia ſi à quocunque motu tranſeatur ſpatium infinitum, neceſſe eſt, ut ab eodem tranſeatur priùs pars illius ſpatij, quàm totũ, & pars de illo finita, quàm infinita; ſic neceſſe eſt, ut à quocunque moto tranſeatur idem ſpatium priùs finities, quàm infinities, & tranſeatur priùs ſemel, quàm milleſies, & infinities; quare cœlum priùs fecit unam revolutionem, quàm infinitas, & priùs partem revolutionis, quàm totam compleverit. Jam autem hoc deſtructum eſt in præcedentibus. Ampliùs. Intelligibile eſt, tempus velociùs poſſe fluere aliquantulùm, quàm fluat, vel tranſeat: ſimiliter & tardiùs. Eſto igitur, quòd fluat, vel tranſeat velociùs, ita ut fluxus ejus ſit velocior quantitate unius horæ. Dico igitur, quia totum tempus effluet una hora priùs, quàm aliàs eſſet effluxurum, quare à parte finis relinquit poſt ſe unius horæ ſpatium, quemadmodùm ſi aliquid intelligatur moveri velociùs, quàm moveretur ante; ita ut tranſeat majus ſpatium per cubitum, quàm aliàs tranſiret: ſicut occupat ante ſe unum cubitum ſupra id, quod aliàs occuparet; ita poſt ſe reliquit plus unum cubitum ſupra id, quod aliàs reliquiſſet; quare & tempori detrahitur per iſtam adjectionem velocitatis à parte finis una hora, quare finietur ex neceſſitate in puncto, quod eſſet initium horæ illius, ſi hora illa futura eſſet. Cauſa autem in hoc eſſet, quoniàm quod occupat præteritio, ſive anteceſſio, hoc amittit futuritio. Exemplum autem hujuſmodi eſt in aquâ, quæ tota effluit, ſi intelligatur fluxus ejus augeri quantumcunque, videlicet in tantum, quantum eſt fluxus mille modiorum, ex neceſſitate accelerabitur ejus effluxio tanto tempore, quantum requirit fluxus mille modiorum. Quare detrahetur toti tempori in † tanto, & non detrahetur ei à parte principij, detrahetur igitur ei à parte finis, & ita finietur ex parte illâ, & non effugit Ariſtot. quin ſi intelligibile eſt, ut augeatur in duplum velocitatis curſus temporis, aut ſi minuatur in duplum, quin habeat medietatem, & quin habeat duplum. Similiter non effugit illud impoſſibile, videlicet quòd omne nunc in tempore infinito, ex utrâque parte ſit medium in toto tempore illo, cùm non habeat plus de tempore ante ſe, quàm poſt ſe, vel econverſò. Ampliùs. Addam, & iſtam ultimam manifeſtationem ad hoc, & dicam, quia creator benedictus aut potuit differre creationem mundi per horam, aut non potuit. Si non potuit, cujuſmodi illum arctabat neceſſitas ad creandum? Præterea hoc reputant ipſi inconveniens, videlicet, quòd Deus non potuerit aliquid, quod in ſe eſt poſſibile: nulli enim dubium eſt, quin mundus in ſe ipſo ſit poſſibilis eſſe, quare quantùm in ipſo eſt retardabile eſt ejus eſſe in infinitum. Nulla autem neceſſitas arctabat creatorem ad accelerandum couſque creationem ipſius, quare poſſibile fuit differri ſaltem per horam creationem ejus. Poſito autem poſſibili, non accidit impoſſibile. Ponatur igitur iſtud, quòd per horam dilata ſit creatio mundi. Dico ergo, quia in fine horæ illius creatus fuit mundus, quare tempus à creatione ejus uſque nunc finitum eſt, cùm ſit ex utraque parte terminatum. Jam autem didiciſti alibi, quia ſi finitum remanet detracto finito, priùs erat finitum: & ſi finitum additur finito, totum erit finitum: quia igitur finitum remanet de tempore toto, quod eſt à crea-

† *Aliàs toto.*

Nunc dicitur medium inter præteritum, & futurum.

E tione mundi uſque nunc, ſolo finito detracto, ſcilicet hora dilationis prædictæ: ergo cum illo detracto erit ex neceſſitate finitum, quare non eſt poſſibile, ut ſit infinitum, cùm non ſit poſſibile, ut detractâ illâ horâ ſolummodò, de eo remaneat infinitum.

CAPUT XII.

Reſpondet ad varia quæſita.

POſt hæc igitur reſpondendum eſt quæſtionibus, quæ ſequuntur declarationes has. Harum autem prima hæc eſt. Cùm tempus finiendum ſit, quid erit poſt ipſum? Deinde, an erit motus, vel mutatio? Et jam dixi tibi in præcedentibus, quia nulla erit mutatio glorificatis hominibus, vel animabus eorum, nulla ſpes erit eis ultrà aliquid acquirendi; nullus timor aliquid amittendi de obtentâ tunc fœlicitate, ipſa verò fœlicitas tota ſimul erit, nihil habens omninò de malo, ſeu defectu potentialitatis; & ſicut alibi te feci ſcire, virtutes animarum humanarum erunt in perfectionibus ſuis omnes, & ſin-F gulæ, nec erunt tunc habitus dormientes; immò erit unaquæque earum in actu ſuo perfectiſſimo, & ultimo, & actus earum delitiæ, & gaudia, ſicut patefeci tibi ex diffinitionibus delitiarum, & gaudij. Similiter erunt ipſi actus præmia, dotes, & gloriæ, animarum noſtrarum, qui ſi non eſſent ſimul omnes, non eſſet integra, vel completa fœlicitas animarum noſtrarum, & ſi ceſſare poſſibile eſſet aliquam ex virtutibus hujuſmodi ab actu ſuo, vel imminui ibi ab actu ſuo, poſſibile eſſet imminui fœlicitatem hujuſmodi, immò & quod plus eſt, locum haberet ibi dolor, & miſeria. Impoſſibile enim eſt tantum gaudium amitti, vel minui ſine dolore, & miſeriâ. Propter hoc ergo dixit Ariſto-G teles, ſi tamen veritatem fœlicitatis illius intellexit, quia fœlicitas eſt actus intranſmutabilis. Status igitur hujuſmodi eſt intemporalis, & nullo modo obnoxius fluxui, & inſtabilitati temporis, & quoniàm habiturus eſt initium licet non temporis, horizon veriſſimè dicendus eſt æternitatis. Et dixi tibi, quia ſimiliter ſe habebit ſtatus inferni; omnes enim dolores, omnes cruciatus infernales, ſimul patientur ibi damnati, ſicut jam prædictum eſt tibi. Unde nec quies, ſive ceſſatio alicujus eorum, vel imminutio locum habebit hîc, quare nec mutatio, & propter hoc neque tempus. Inveniuntur autem in libris, quos meritò vocant homines ſanctos, ſermones tropici de tormentis malorum hominum, quibus ego contradicere nunquàm volo, & his ſermonibus juxta tropos intelligunt quidam viciſſitudines tormentorum in inferno, ut nunc ſint in ardore, & incendio inexcogitabili, nunc in frigore. Nec mirum, quòd ſi Deus ita eis futurum eſſe revelavit, ita & ſit. Non enim fas eſt, quemquam ſermonibus H authenticis, vel ſanctis contradicere. Verùm nihil periculi eſt in rebus hujuſmodi ſermones tropicos in ea, quæ rationis ſunt, juſtitiæque divinæ, & meritis damnatorum congrua, interpretari, præſertim cùm rationibus, & probationibus, & non teſtimoniis contra errores impios diſputetur. Et hujuſmodi authenticorum virorum ſatis evidentia, & expreſſa, teſtimonia non negantur, ut in contrarium habeantur. Doctrina quædam Chriſtianorum habet in libro, quem Sapientiæ librum nominant, quia flumina concurrent duriter, & intelliguntur flumina tribulationum, & dolorum, quæ propter hoc concurrere in malos dicuntur, quoniàm non per vices, & unum aliud non expectat. Si quis autem quærat de glorificandis hominibus, an in eo

Damnati dolores omnes ſimul patientur.

Bona quæſtio.

Digitized by Google

ſtatu fixi manſuri ſint in locis, & ſedibus ſuis, an deambulaturi, vel aliter movendi ſint, & ex hoc arguere, quia motus erit, & propter hoc tempus: reſervo quæſtionis hujus ſolutionem in ſequentibus, ubi ſpero me declaraturum, quia motus hujuſmodi non erit ibi neceſſarius, nec aliquid addens fœlicitati glorificandorum hominum, nec ejus ceſſatio aliquid detrahens eidem, quin potiùs forſitan illa fœlicitas motum hujuſmodi nullatenùs patitur. Habet & gens Chriſtianorum prophetam introducentem Angelum jurantem per viventem in æternum: quia tempus non erit ampliùs, quam prophetiam non induco, tanquàm probationem, ſed potiùs ut ſcias, quia ſermones authentici ea continent, quæ audis hîc. *Nota.* Eadem quæſtio eſt de motibus cœlorum, an ceſſaturi ſint, ac permanſuri: quoniàm ſi permanſuri, erit igitur & tempus, cùm motus ſine tempore eſſe non poſſit. Si autem ceſſaturus eſt motus cœlorum, quid facient illi motores cœlorum duplices? ſicut poſuerunt Ariſtoteles, & ſequaces ejus, ponentes intelligentias movere cœlos, quaſi motores extrinſecos: quemadmodùm amata movent amantes: animas verò poſuerunt eiſdem, quaſi motores intrinſecos. quærentes ipſis cœlis perfectiones hujuſmodi, videlicet, ut habeant in actu ſitus, quos habent in potentiâ, quaſi ſituum renovatio tam frequens, immò magis, & continua, ſit aliquid tantâ inquiſitione dignum, immò quaſi ſit perfectio beatiſſima, ſimiliter & motus qui non debet eſſe niſi via, & inquiſitio alterius perfectionis, quæratur per ſe, tanquàm perfectio, & finis, & tanquàm ipſe ſit via ad ſemetipſum, & inquiſitio ſui ipſius. ubi non videntur poſſe effugere circulum eorum, quomodò dicitur, quia ita eſt, ita eſt & cœli moventur, ut moveantur, & incedunt, ut revertantur: quibus animabus ſi ita eſt, nullæ miſeriores ſunt, quæ nihil aliud quærunt, niſi motum corporibus ſuis, & exagitationem infinitam: *Ceſſabit motus cœli.* propter hoc habet doctrina Chriſtianorum ceſſaturum eſſe motum illum penitùs, & alia circa hæc de ſtatu futuri ſæculi, quæ audies in ſequentibus.

CAPUT XIII.

De errore Platonis circa ſtatum animarum.

Opinio Platonicorum de animabus.

POſtquàm autem ſtabilita eſt mundi novitas ſtabilitione univerſali: conveniens eſt, ut inquiratur de quibuſdam partibus ipſius, quibus nonnulli philoſophorum poſuerunt antiquitatem, quemadmodùm Plato, qui hujuſmodi antiquitatem animabus poſuit. Poſuit enim eas creatas ſimul extra corpora ſua, & poſitas in comparibus ſtellis ab initio, poſtmodùm deſiderio incorporandi illectas, & abſtractas, deſcendiſſe ad corpora. Doctrina autem Chriſtianorũ habet creari eas in corporibus ſuis quotidiè novas. Pythagoras autem poſuit à corporibus in alia corpora tranſire, & non ſolùm in humana ſed etiam in brutalia corpora, donec explerent tẽpora expiationis cujuſdam, ante quam non licebat eis redire ad compares ſtellas; & hoc idem Plato poſuit, quia numeri certi temporis præſcripti erant animabus, quos explere neceſſe habebant in corporibus, vel circa corpora, ut ait Plato. Inveſtigandum etiam reſtat de renovatione univerſi: utrùm renovandum ſit ſecundùm totum, an ſecundùm partem, & utrùm corpora hominum renovanda ſint per reſurrectionem, & utrùm ſola, an & alia corpora, & quæ ſint illa, & de univerſo corporeo, quem ſtatum habiturum ſit poſt renovationem reſurrectionis. Incipiam igitur auxiliante Deo, & dicam quia ſermo Platonis erroneus eſt, & patefaciam A hoc multis viis. *Motus ſpirituum inſtantaneus.* Dico igitur quia jam declaratum eſt ab Ariſtotele, quia impoſſibile eſt impartibile moveri motu continuo; quare non eſt poſſibile animas humanas ſic aſcendere, vel deſcendere, ut ipſe poſuit. Ipſe enim poſuit eis non ſolùm aſcenſiones, & deſcenſiones, ſed & partes, per quas aſcenderent, & deſcenderent, ac ſi ſubſtantiæ ſpirituales partibus, & apertionibus indigerent, & poſſent retineri corporeis obſtaculis, quominùs tranſirent. Secundò quæro ab eodem Platone, cùm pœnalis ſit habitatio corporum ſuorum animabus humanis: utrùm hujuſmodi habitationem ſpontè appetiverint, atque ſuſceperint, an invitæ. *Deſiderium animarum.* Quod ſi ſpontè, hoc non niſi de intolerabili ſtultitia proceſſit in eis: ſponte enim appetere tam horrendum, tantarumque af- B flictionum carcerem, non niſi dementis eſt, & mente capti. Ampliùs. Deſiderium illud, quo deſideraverunt inhabitationes corporum, aut fuit eis naturale, aut adventitium: Si naturale, & non eſt dubium, quin deſiderium illud ſtultum fuerit, & ex inſania ſola procedens: naturalis igitur fuit inſania hæc, & propter hoc naturaliter inſipientes, & malæ ſunt animæ humanæ. Ampliùs. Quoniàm naturalia non deponuntur, nec recedunt ab his, quibus naturalia ſunt, ergo poſt expletos numeros in corporibus, & reverſionem ſuam ad compares ſtellas, naturali iterùm deſiderio appetent inhabitationem corporum; quare incorporabuntur iterùm, & ita ibit res in infinitum. Quòd ſi dixerit, quia deſiderium hujuſmodi eſt eis adventitium, in ipſis igitur ſtellis commorantes deceptæ fuerunt, vel propria ſtultitia, vel ſuggeſtione aliena, & utrunque iſtorum frivolum eſt, quoniàm ut tales C creatæ ſint, videlicet deficientes, non patitur bonitas creatoris: ſuggeſtor verò hujus ſtultitiæ, ſeu deceptor earum, quis erit? Si verò infinitæ de ſtellis dejectæ ſunt, & in corporibus detruſæ, hoc indubitanter fieri non potuit, niſi à creatore, quare neceſſe eſt, ut hanc pœnalem incarcerationem aliqua culpa meruerint, aliàs enim injurioſus eiſdem extitiſſet creator in hoc; quæ autem culpa in eis cogitari poteſt, niſi deſiderium hujuſmodi Ampliùs. Aut præſcierunt pœnalitatem carceris hujuſmodi, aut latuit eas. Si præſcierunt, qualiter igitur eam appetiverunt? Si verò latuit eas, & hoc qualiter poſſibile, niſi lateret eas ſtatus generis humani totus? *Nota.* Omnes enim homines in afflictione, & miſeriâ eſſe nulli intelligenti ignotum eſſe poteſt, quia & ipſi, qui voluptates maximè ſequuntur, eaſdem minimè aſſequuntur, & doloribus, atque tormen- D tis innumeris eaſdem mercantur. Quòd ſi latebat eas ſtatus hujuſmodi terreni corporis, & hominum, quomodò & illæ, quæ revertebantur à corporibus ad ſtellas ſuas, alias ſuper hoc non inſtruebant, atque docebant? Ampliùs. Si latebat eas ſtatus hujuſmodi mundi, quomodò appetebant in ipſum venire, niſi pueriliter, atque ſtultiſſimè, Ampliùs. Aut creatæ fuerunt ſapientes in ſtellis ſuis animæ humanæ, aut non. Si ſic ergo, abſque pravo deſiderio. atque ſtulto creatæ fuerunt; unde ergo hujuſmodi deſiderium, videlicet intrudi in corpora, in quibus & ſapientiam obliviſcituræ erant (ſicut ipſemet Plato dixit) & virtutes omnes immergendæ, velut in læthæo flumine, atque ſepeliendæ erant? Si verò abſque ſapientiâ creatæ ſunt & omninò nihil ſcientes; appeti autem, vel deſiderari incognita non poſſunt; quomodò ergo deſideraverunt inhabitationem corporum, quæ de corporibus omninò nihil ſciebant? Quòd ſi dixeris, quia ſciebant aliquid de eis, verumtamen non per ſapientiam, ſed per ſcientiam, & hoc, non obſtante pœnalitate, quemadmodùm accidit in hominibus, qui volu-

Digitized by Google

ptates corporales concupiſcunt, & ſequuntur, licet ſciant eas ſibi eſſe pernitioſas. Quoniàm igitur manifeſtum eſt, quòd iſta concupiſcentia & inordinata eſt, & culpabilis, ſi in iſta concupiſcentia creatæ ſunt animæ humanæ, manifeſtum eſt eas malas creatas fuiſſe à creatore bono, hoc autem impoſſibile manifeſtè. Ampliùs. In quo ſtatu putavit eas fuiſſe Plato, cùm erant in comparibus ſtellis, in ſtatu fœlicitatis, an in ſtatu miſeriæ? ſi in ſtatu fœlicitatis, certum eſt, quia ſtatus ille nec ignorantiam patitur, neque culpabilem concupiſcentiam; quare nullo modo erat eas deſiderium inhabitandi corpora, cùm habitatio adeò pernitioſa eſſet eis, ut ipſemet Plato confitebatur. Ampliùs. Quoniàm fœlicitas plenitudo eſt, & ſatietas omnium deſiderabilium: manifeſtum eſt, quia nullum deſiderium ſuſtinet fœlicitas, ſicut nullam famem ſatietas, deſiderium enim fames ſpiritualis eſt & ſitis, & generaliter deſiderium non eſt, niſi ubi eſt carentia, & defectus, nec eſt unquàm ſine moleſtiâ, quare impoſſibile eſt, ut ſit cum fœlicitate, cùm moleſtia omnis pars ſit miſeriæ & vera miſeria. Si autem in miſeria erant animæ humanæ, cùm erant in ſtellis ſuis, vel fuerunt in eâ miſeriâ creatæ, vel poſtmodùm advenit eis; ſi creatæ fuerunt in illâ, cùm ante creationem ſuam nihil meruerint, ergo abſque meritis ſuis inflicta eſt eis miſeria, & ita injuſtè egit cum eis creator. Si verò poſtmodùm advenit eis, & ſine culpâ ſuâ. injurioſè eis irrogata eſt. Si autem culpâ ſuâ, vel ob culpam ſuam, peccaverunt igitur, antequàm intrarent corpora, & hoc etiam nonnulli erronei adhuc dicunt, & quia propter peccata illa expianda in corporibus velut in carceribus intruſæ ſunt. Iſte autem error deſtruetur multis modis. Primùm, quia pœna, quæ ab initio à neſciente ſuſtinetur, non eſt ei ad expiationem, vel purgationem aliquam. Secundò, quia corpora humana magis inquinant animas, & polluunt, quàm purificent, & ad concupiſcentias illicitas innumeras ipſas animas trahunt. Tertiò, quia in corporibus animæ ipſæ peccant, & pluribus peccatis, & gravioribus, quàm illa fuerunt, quæ in ſtellis commiſerunt, & pauciſſimæ ſunt, atque rariſſimæ, quæ in corporibus penè abſque numero non peccent. Quartò quia creator hæc omnia videns, quomodò non eis dat corpora ad expiationem priorum peccatorum, cùm potiùs ſint eis ad majorem contaminationem, & inquinationem? Ampliùs. Quis dubitat quin omnes animæ ſanctæ, & virtuoſæ conquerantur de corporibus ſuis, pro eo, quòd eas ad peccandum ſtimulant, & multipliciter alliciunt, & abſtrahunt, & propter hoc bello implacabili contra ea inceſſanter decertant? Quomodò igitur poſſunt eis eſſe corpora ad expiationem? Ampliùs. Quæ animæ poſſunt meliùs noſſe, an corpora ſint eis ad expiationem quàm animæ ſanctæ, & juſtæ, manifeſtum autem eſt, quia ipſæ de corporibus ſuis inceſſanter conqueruntur pro inquinamentis, quæ patiuntur ab illis, & continuè contra ea præliantur, ut ſe deffendant ab inquinamentis eorum, & propter hoc etiam mortem corporum ſuorum deſiderare non ceſſant ut liberentur à pollutionibus, quas à ſuis corporibus patiuntur: animæ verò vitiis deditæ abeunt poſt corpora ſua ſequentes concupiſcentias, & propter hoc ampliùs inquinantur per corpora ſua; quare manifeſtum eſt, quia nec bonis animabus, nec malis ſunt ad expiationem, vel expurgationem corpora ſua per modum iſtum, quem erronei intelligunt. Aliàs autem certum eſt, quoniàm afflictiones corporales, & dolores ſunt ad expiationem eorum, qui per eas emendantur, & propter hoc multi ex bonis viris eas ſibimet inferunt, ut ardores concupiſcentiarum carnalium per eas vel reprimant, vel extinguant. Inſuper etiam cum eis irrogantur, gratanter eas recipiunt, & eis ſe gloriantur multipliciter adjuvari, habentes eas velut medicamenta vitiorum. Ampliùs. Animæ humanæ penitùs ignorant hoc, quod in ſtellis quondàm poſitæ peccaverunt, & propter hoc pro hujuſmodi peccatis nec à Deo veniam præcatur, nec aliàs ipſum placare curant, nec Deum ullo modo peccata illa curare arbitrantur. Qualiter igitur vel expiationem habent, vel patiuntur pro illis, pro quibus, nec pœnam, nec pœnitentiam agunt, & de quibus nullo modo curant. Quòd ſi dixerit, quia pœnalitas, & afflictiones, quas patiuntur in corporibus ſufficiunt ad placandum creatorem pro illis, & quia pœna illa contentus eſt, dico quoniàm errat multipliciter. Primùm, quia pœna hujuſmodi, pœna tantùm eſt patientium animarum, & nihil omninò operans ad correctionem, vel emendationem earum. Secundò, quia hujuſmodi pœnalitas culpabilis eſt, cùm ab invitis ſuſtineatur: ipſa enim noluntas ſuſtinendi expiationem, quam creator conſtituit animabus, peccatum eſt: quemadmodùm & ipſa redditio debiti per violentiam extorta, culpabilis eſt invito, & repugnanti, quæ eſſet volenti, atque ſpontaneo, opus juſtitiæ. Tertiò, quia hujuſmodi pœnalitas non ſufficit expiandis peccatis, quandò in ipſis corporibus ab animabus eiſdem perpetrantur, quare neceſſe eſt, ut alia illis expiatio ſtatuatur, & propter hoc ſecundùm ipſum in aliis corporibus retrudentur. Ampliùs. Secundùm iſtum errorem Platonis non ſunt novi homines, qui naſcuntur, nec reverà homines naſcuntur, cùm id, quod eſt potiſſimum, ſeu præcipuum in unoquoque eorum non ſit novum, & hoc eſt anima uniuſcujuſque. Ampliùs. Non eſt dubium, quin certus ſit in ſe, & determinatus numerus animarum ſic creatarum, quoniàm fuit juxta numerum ſtellarum ſecundùm ipſum. Si igitur poſt mortem corporũ expletis numeris (ut ipſe ait) revertuntur ad proprias ſtellas animæ humanæ: jam diù eſt, quòd reverſæ debuiſsẽt eſſe omnes ad ſtellas ſuas in tot millibus corporũ expiatæ, cùm longè plura milliæ corporũ jam mortua ſint, videlicet longè plura millia, quàm ſint ſtellarũ. Ampliùs Secundùm hoc nõ plura corpora hominũ fuerunt, quàm ab initio fuiſſent creatæ animæ, cùm non propter aliud hujuſmodi corpora generentur, niſi propter hoc, ut in eis omninò animæ expientur. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quòd totum corpus humanum natum eſt ad perfectiones quaſdam, ut oculus ad viſum, auris ad auditum, pedes ad greſſum, manus ad operationes multiplices, & ita de aliis: ſicut autem ſingula membra ad ſuas virtutes & operationes; ſic totum corpus in totalitate ſua ad animam naturaliter. Quare totum unumquodque corpus humanum natum eſt perfici ab anima una; perficere autem & perfici oppoſita ſunt, & proportionaliter ſe habentia ad animam, & corpus. Quare ſi naturale eſt corpori perfici ab anima, erit naturale & ipſi animæ perficere corpus. Carcer autem, & incarceratum non ſic ſe habent, immò carcer omnis innaturalis eſt incarcerato, aut pœnalis. Clarius autem erit hoc, ſi conſideres, quia propria perfectio non eſt in ſuo perfectibili, ſeu perfecto, ſicut incarceratum in carcere; eluceſcet autem ampliùs iſte error, ſi in particulari fiat conſideratio de his. Quis enim dicat, quòd viſus eſt in oculo, ſicut in carcere ſuo, & auditus in aure, & ita de aliis ad expiationem? Quare nec anima eſt naturaliter in corpore ad expiationem, ſed ad perfectionem ipſius animam habentis, ſicut viſus in oculo perfectio eſt ipſius oculi, & tanquàm ejus anima. Ampliùs. Quis audeat

Deſideriũ ubi carentia, & defectus.

Nota.

Impugnatur error Platonicus.

Corporales afflictiones valent ad animarum expiationem.

Homines nihil de novo acquirunt ſecundùm Platonem.

Totum corpus unica anima perficitur.

E F G H

audeat dicere viſum creatum eſſe extra oculum per ſe naturaliter, & tandem cauſa expiationis miſſum eſſe in oculum, & hoc modo de aliis viribus, & perfectionibus organorum aliorum? Quare nec de tota anima ita ſentiendum fuit, ut extra corpus crearetur, cùm ipſa anima, ſecundùm quòd anima eſt, hoc eſt, animativa corporis, vel animans corpus, ſic ſe habeat ad totum corpus, ut ſingulæ vires ipſius ad organa, ſeu membra ſibi convenientia, ſeu congruentia. Quòd ſi dixerit, quia animæ humanæ in morte corporum ſeparantur ab ipſis, & non auferuntur eis per mortem vires naturales ſuæ, ſicut eſt virtus viſibilis, & virtus audibilis, aut aliqua ex aliis; dico quia verus eſt ſermo iſte & addo, quia ſeparatio animarum noſtrarum à corporibus per mortem ipſorum violenta eſt ex parte virium ipſarum, quarum operationes non ſunt, niſi in corpore, & per corpus; & quia mors innaturalis eſt valde, & plaga magna in genere humano, & de hoc dedi tibi probationes, & rationes alibi, & non eſt plaga tantùm corporum mors ipſorum immò & animarum noſtrarum, quantùm ad vitam, quam habent in corporibus, non quantùm ad vitam quam habent in ſe, & apud ſe & hac plaga moriuntur operationes virium prædictarum Unde & inducti fuerunt nonnulli ex philoſophantibus ut dicerent viſum mori, & alias vires hujuſmodi, morte corporis, & etiam viſum eruitione oculorum. Qui ſermo, etſi fortè ſecundùm intẽtionem eorum intellectum aliquem veritatis habere poſſit aliquo modo, non eſt tamen recipiendus: quoniàm ſonat aliquatenùs in mortem animarum humanarum, quas jam non dubitas eſſe immortales cum omnibus viribus ſuis, & potentiis naturalibus: neque enim dico artem citharizandi, vel muſicam mori in citharædo, ſeu cithariſta deſtructione citharæ ipſius, licet actus citharizandi moriatur, & pereat in eo, quin potiùs ipſam artem permanere omnimodò illæſam apud animam ipſius citharædi. Sic & vires ipſius animæ humanæ deſtructis organis illæſæ permanent apud animam humanam Eodem modo ipſa anima humana apud ſe, & in ſuo eſſe, omninò vivens, & illæſa permanet deſtructo corpore toto, in quo erat, & erat ei univerſale organum quantùm ad vires prædictas. Debes autem ſcire, quia Plato non ſatis attendit naturam humanarum animarum, cùm poſuit eas creatas extra corpora ſua. *Nota.* Non enim attendit vires eas habere, quæ non niſi per violentiam poſſent eſſe ſine corporibus, quales ſunt illæ, quas nominavi tibi, ut virtus videndi, & virtus audiendi, & ſimiles his. Quarum operationes non poſſunt eſſe, niſi per corpora, & in corporibus, & hoc eſt quoniàm non ſpontè, neque ſine dolore ſuſtinent naturaliter animæ noſtræ prohibitiones, & impedimenta operationum ſuarum Sicut vides in cæcis, & claudis, & aliis occaſionatis, quòd moleſtiſſimè ſuſtinent iſtas occaſiones, & impedimenta operationum ſuarum. Adjeci autem, naturaliter, in hoc propter animas, quæ jam fœlicitate æterna fruuntur. Illa namque fœlicitas nec moleſtias eas habere patitur, nec dolores, licet quantùm eſt in natura earum non levis moleſtia pro impedimentis hujuſmodi eſſet eis, ſed ſuperinundans torrens, divinæ ac ſpiritualis voluptatis eas euſque jocundat, ut nullus apud eas ſit locus moleſtiæ, vel doloris. Vide ergo, quod dixi quoniàm Plato poſuit eis has vires eſſe naturaliter, de quibus loquor, aut adveniſſe eis cum corporibus Si poſuit illas animabus noſtris naturaliter eſſe, aut poſuit eis fœlicitatem, qualem dixi, aut non: ſi poſuit utrunque, poſuit eas eſſe in defectu, & carentia, ſed reverà ſine moleſtia ulla propter incogitabile

A gaudium fœlicitatis ipſius. Quæro igitur, quid movit eas, vel induxit, ut deſiderarent habitare corpora? ubi nihil veriſimile reſponderi poteſt, niſi quia deſiderium perfectionis virtutum antedictarum ad hoc eas induxit, quare ab initio ſuæ creationis eadem fuit cauſa intrandi corpora apud illas, & per moram in ſtellis nihil crevit eis, quantùm ad hoc: ab initio igitur ſuæ creationis quantùm in ſe fuit, intraverunt corpora. *Nota.* Apud creatorem verò, quæ potuit eſſe cauſa detinendi eas in imperfectione hujuſmodi? niſi fortè quis dicat, quia creator voluit eas & prægustare, & probare fœlicitatem illam, ut poſtmodùm ad eam reverti completis numeris feſtinarent. Sed hæc cauſa eſſe non potuit, cùm creator præſciret illius fœlicitatis nullam poſtmodùm eas habituras memoriam, ſicut & ipſemet B Plato teſtatur. Nullam igitur vidit cauſam Plato, quare animæ noſtræ vel ad modicum detinerentur in ſtellis. Si verò non poſuit eis Plato vires hujuſmodi, ergo non poſuit eas eſſe veras animas humanas, cùm ſecundùm veritatem animæ humanæ vires hujuſmodi habeant, & quaſi nihil diſcrevit inter Angelicas ſubſtantias ſpirituales, & animas noſtras in perfectione ſcientiarum, & virtutum creatas, non ſolùm perfectibiles. Quare ſecundùm ipſum nulla eſt differentia ſecundùm ſpeciem inter animas noſtras, & ſubſtantias Angelicas, & ſpirituales. Et iſte error eſt apud quoſdam erroneos uſque adhuc, qui dicunt animas noſtras, non eſſe, niſi Angelos, qui de cœlo ferè ab initio mundi cecidiſſe creduntur: manifeſtum autem eſt tibi ex aliis, quia virtus intellectiva per ſe, & in eo, quòd talis, nec eſt in corpore, nec operatur per corpus. *Nota.* Quapropter nullo modorum eſt per ſe corpori unibilis, C quòd igitur anima humana unibilis eſt corpori, à parte aliarum virium eſt. Quare ſi animæ noſtræ naturaliter non ſunt vires hujuſmodi, non ſunt unibiles corporibus naturaliter, ſicut neque angelicæ ſubſtantiæ ſpirituales Quare poſitio ejus ex neceſſitate impoſſibilis eſt, ſicut enim vires hujuſmodi naturaliter unibiles faciunt animas noſtras corporibus; ſic privatio naturalis hujuſmodi virium naturaliter inunibiles facit angelicas ſubſtantias ſpirituales humanis corporibus Et iſta ratio fundata eſt ſuper radices, quæ ſunt cauſalitas, & proportionalitas. De hoc autem alias audies, cùm faciam conſiderationem, & inquiſitionem de eo, quòd dicuntur hujuſmodi ſubſtantiæ, hoc eſt angelicæ, & ſpirituales, aſſumere corpora, & apparere in illis, videlicet an impoſſibile ſit, an non. Manifeſtum igitur D tibi debet eſſe ex his, quia ſermo Platonis non eſt ſermo naturalis de humanis animabus, videlicet ſermo, quo poſuit eas creatas eſſe ſeorsùm à corporibus immò valde eſt contra naturam animarum ipſarum, & ipſe etiam ordo naturæ contradicit eidem. Ordo enim naturæ caſualis non eſt cùm ſit univerſalis, atque perpetuus. Quia igitur iſtæ vires animarum noſtrarum priùs efficiuntur in nobis univerſaliter, atque perpetuò, quàm vires animarum noſtrarum ſublimes, & nobiles: idem autem ordo eſt perfectibilium, qui eſt & perfectorum, manifeſtum eſt, quia non priùs ſunt vires nobiles animarum noſtrarum, quàm vires earum inferiores, quæ in corporibus, & per corpora operantur. Quare non priùs ſunt animæ noſtræ in perfectionibus virium illarum, quàm iſtarum, nec priùs in viribus iſtis, ſive cum eis, quàm in iſtis, & cum iſtis, quin potiùs, ſi locum haberent hîc priùs, & poſteriùs, priùs eſſent in iſtis inferioribus, & cum illis, quàm cum iſtis, & in iſtis. Ampliùs. Dubitari non poteſt, quin oculus inquantùm oculus, ſit natus, & fabricatus, ad videndum, & non expiandam,

Digitized by Google

vel purgandam virtutem viſibilem, & ita eſt de toto corpore, quare ipſa natura membrorum ſingulorum hoc teſtificatur, quare & natura totius corporis, atque figura hoc ipſum teſtificatur de ſe quòd † admixtum eſt, tanquàm organum ejus convenientiſſimum, toti animæ humanæ, & hoc per naturam. Unde igitur iſta falſitas vaniſſima, quòd in carcerem pœnalem, vel expiatorium ſit corpus humanum animæ ſuæ naturaliter? Ampliùs. Certum eſt generationem in hominibus, & aliis animalibus, generationem eſſe univerſalem, quia omnes, & ſinguli generantur, atque perpetuò, hoc eſt uſque in finem curſu uno non mutato currentem. Deſcenſus igitur animarum aut eſt per hunc modum, videlicet ut ſit ordinatus, & currens per ſucceſſiones generationum corporum humanorum, aut non. Si ſic, non eſt igitur caſus, aut præcipitatio earum, ſive dejectio ex alto ſtellarum. Caſus enim in culpam nihil habet ordinis, niſi divinæ juſtitiæ, & hunc habet ad pœnam: præcedit enim pœnam per divinam juſtitiam, vel quod eſt verius, ac magis conveniens, eam ſequitur pœna ex ordine divinæ juſtitiæ, quemadmodùm effectus cauſam ſuam. Ampliùs. Cujuſmodi culpa animarum eſt hæc, quæ expianda eſt in corporibus, & utrùm æqualis in omnibus, an inæqualis? Deſiderium enim incorporandi non eſt culpa aliqua, cùm ſit naturale, maximè quantùm ad inferiores vires. Si enim virtus viſibilis deſiderat oculum, ut in eo, & per ipſum perficiatur, quantùm ad operationes viſibiles, vel ut etiam ipſa perficiat oculum cujus nata eſt eſſe perfectio, & à qua natus eſt oculus perfici, nihil habet inordinatum, aut culpabile hujuſmodi deſiderium, quare nec animæ propter hujuſmodi deſideriũ culpabiles in aliquo ſunt, & propter hoc nec indigentes erunt expiatione aliquâ. Si verò dixerit, quòd corporales delitias concupiverunt, cùm eſſent in ſtellis, & hujuſmodi concupiſcentia fuit in eis inordinata, atque culpabilis: quis dubitat quin convenientiùs expiarentur in locis, in quibus prohibitæ eſſent ab eis, & omni modo eis inacceſſibiles, quàm in corporibus, in quibus eas quodammodò neceſſe habent non ſolùm concupiſcere, ſed etiam plurimùm ſequi, & exquirere? Ampliùs. In corporibus inceſſanter eas concupiſcunt, & hoc eſt eis à parte corporum, nec poſſunt non concupiſcere hujuſmodi concupiſcentiam, dùm in eis ſunt. Ex hoc igitur oriuntur, & ſequuntur inconvenientia multa. Primum, quia ſi hujuſmodi concupiſcere culpabile, & expiabile judicavit creator, quantò fortiùs judicare debuit ipſum exquirere delitias hujuſmodi, & eis immergi? Non debuit igitur animas humanas in corporibus includere, in quibus non ſolùm à concupiſcendo non deſiſterent, ſed etiam potiùs in voluptates animæ humanæ præcipites abirent. Secundum quomodò culpam concupiſcendi expiare per corpora intendebat creator, cùm ignorare non poſſet per ea concupiſcentias augeri? Tertium, quia nulla eſt expiatio peccati vel culpæ, à quo non receditur, nec ab eo purificatur anima, quæ ipſum omninò non derelinquit. Quia igitur hujuſmodi concupiſcere, nec in corporibus, nec per corpora relinquunt animæ noſtræ, imò magis è contrariò, manifeſtũ eſt nullam eſſe hujuſmodi expiationem animarum, quam Plato poſuit. Quòd ſi dixerit, quia animæ virorum ſanctorum benè purificantur, & ſanctificantur in corporibus ſuis: verum indubitanter dicit, ſed hoc virtute, & dono creatoris, quo vel reprimuntur concupiſcentiæ & aliæ paſſiones hujuſmodi, vel extinguuntur, caſtigatione magna corporum, quâ in ſervitutem animarum rediguntur, nullatenùs autem eſt virtute corporũ cùm ea magis neceſſe ſit debilitari ſan-

† *Aliàs unitum.*

Nota.

E ctis exercitationibus, & etiam afflictionibus, ne animas humanas concupiſcentiis, & aliis paſſionibus polluant & corrumpant. Ampliùs. Animæ humanæ cùm revertuntur ad ſtellas ſuas ſecundùm ipſum, aut recordantur miſeriarum, & inquinamentorum, quæ paſſæ ſunt in corporibus, aut non recordantur. Si recordantur, infideliter igitur agunt erga alias, ſi non eis hoc annunciant, & deſcendere in corpora non eiſdem diſſuadent, quare à quacunque de mundo iſto illud reverſa avertantur aliæ admonitionibus ipſius à voluntate deſcendendi huc; & ita ceſſabit hominum creatio, & iſte deſcenſus platonicus animarum. Si verò non recordantur eorum, quæ in hoc mundo paſſæ ſunt, duo inconvenientia ſequentur. Primum, quia tanta amiſſio memoriæ erit læſio graviſſima, præſertim cùm expediat eis recordari expiationũ ſuarum, & aliorum beneficiorum creatoris, quæ hîc receperunt, ne incidant in execrabile F nomen ingratitudinis, & propter hoc indigebunt expiatione aliâ, per quam ab illo purificentur, quare revertentur iterùm ad corpora, ut ab illo in eis expientur, aut erit in cœlo eis alius modus expiationis conſtitutus: quòd ſi eſt, quomodò & non pro aliis minoribus vitiorum inquinamentis eſt eis in eodem cœlo de expiatione proviſum? Secundum inconveniens eſt, quia non avertentur à deſiderio revertendi ad corpora, cùm non recordentur malorum, quæ in eis paſſæ fuerint, cùm ſint, tanquàm ſi in corporibus non fuiſſent. Vides igitur, quia iſte error Platonis non mediocriter vergit in opinionem erroneorum, quos Chriſtiani vocant Manichæos, de quo ſuprà mentionem feci tibi.

Adverte.

G

CAPUT XIV.

Hîc impugnat opinionem Pythagoræ de tranſitu animarum.

PYthagoræ verò accidunt inconvenientia multa & inopinabilia. Primum eſt, quia omnibus animalibus brutis erunt ratio, & intellectus, & propter hoc omnia animalia erunt rationalia. Homo enim nec eſt, nec dicitur animal rationale, niſi propter animam rationalem, & nullo modo propter corpus. Cùm igitur animæ rationales, hoc eſt, animæ humanæ ſint in corporibus brutorum, eadem de cauſa erunt bruta animalia rationabilia. Quòd ſi dixerit, quia hominibus liberum eſt uti ratione, & non ſolùm habent rationalitatem, immò & uſum ipſius; reſpondeo, quia multi non habent uſum, nec facultatem uti ratione; quemadmodùm illi, qui vocantur moriones: ſimiliter & furioſi omnes tẽpore furoris ſui, nihilominùs tamen & homines, & animalia H rationalia ſunt, & dicuntur. Si verò dixerit, quia non per naturam ligata eſt ratio in hujuſmodi hominibus, ſed à caſu per malam diſpoſitionem corporis; hoc ipſum neceſſe habet dicere & in hujuſmodi brutis. Sola enim diſpoſitio brutalium corporum, quia non congruit animabus humanis, impedit in eis uſum rationis: aliam enim cauſam fingere non poſſunt, quare neceſſe habent concedere bruta hujuſmodi animalia eſſe rationalia. Ampliùs. Aut creavit Deus corpora brutorum aliqua, in quæ non ſunt tranſlatæ aliquæ animæ humanæ, aut non creavit. Si creavit aliqua, quæ habent animas brutales ex illis: cùm animabus ſuis brutalibus ſint verè animalia & ex neceſſitate alterius ſpeciei, quàm illa bruta, quæ habent animas humanas, quare neſcirent homines, qui habent animalia bruta, an habeant veros equos, veros aſinos, veros boves, an falſos, aut ſi magis homines reputãda ſint, quàm bruta animalia: & ita nephanum erit unicuique hominum uti ſervitute

Vide.

Digitized by Google

virtute brutorum animalium, & affligere illa, ne fortè ſtimulando boves, aut equos urgendo calcaribus, aut affligendo aliis variis laboribus, graſſetur in animas parentum ſuorum, aut fratrum, aut cognatorum. Si verò nulla creavit corpora animalium brutorum Deus, in quibus non incluſerit, vel incluſurus ſit animas humanas; tunc manifeſtum eſt nullum verè brutum animal creatum eſſe à Deo, & nullum animal verè eſſe irrationale. Ampliùs. Virtus intellectiva non operatur in corpore, nec per corpus operatur ſuam nobilem operationem, ut ſunt intelligere, & ratiocinari de ſubſtantiis ſublimibus ſpiritualibus abſtractis: quare non prohibebuntur à parte corporum bruta animalia philoſophari de talibus, & contemplari in eis: ad philoſophandum autem de corporalibus, & materialibus adjuvantur ſenſibus; & multò nobiliùs, atque ſublimiùs adjuvantur quibuſdam ſenſibus quædam, quàm homines. Unde & tempeſtates præſagiunt, & multa ex eis, & per ea prænoſcuntur, ſed & canes qui latrones inveſtigant & deprehendunt ſplendorem propheticum evidenter imitari videntur. Manifeſtum igitur eſt conſequens eſſe, animalia bruta & philoſophari, & prophetare poſſe. Ampliùs. Aut animabus humanis eſt ordo, & aptitudo in humana corpora potiùs, quàm in brutalia aut non magis curant illa naturaliter, quàm brutalia. Quòd ſi dixerit, quia eſt illis ordo, & concupiſcentia naturalis ad humana corpora; cùm hujuſmodi concupiſcentia non poſſit eſſe propter incarcerationem naturale deſiderium earum ad illa; alia igitur intentione eſt eis naturale deſiderium ad ipſa. Naturale verò deſiderium ab ipſo auctore & creatore naturaliter eis inditum eſt. Nihil autem eſt fruſtra inditum à creatore: quare neceſſe eſt impleri naturaliter hujuſmodi deſiderium. Impletio igitur deſiderij naturalis eſt. Quia igitur impletio hæc non eſt niſi incorporatio ipſa, cùm impletio deſiderij non ſit, niſi adeptio deſiderati: incorporatio igitur animarum humanarum naturalis eſt, quare incarceratio eſt ad pœnam earum, nec ad expiationem. Ampliùs. Si motus in aliquem finem eſt naturalis, ergo, & perventio in illum: quia igitur motus concupiſcentiæ, ſive deſiderij in corpora humana naturalis eſt animabus humanis, ergo & perventio in illa hoc autem non eſt, niſi incarceratio, ſcilicet in illa, ſive incorporatio. Ampliùs. Quoniàm cujus eſt potentia, ejuſdem eſt & actus potentiæ illius, quòd idem eſt ſemper ex neceſſitate potens, & agens per illam potentiam, qua eſt agens: quia ergo naturalis eſt animabus potentia incorporandi, alioquin fruſtra inditum eſſet incorporandi deſiderium, ſi natura non dediſſet eis potentiam ad hoc; actus incorporandi naturalis eſt animabus humanis: incorporari igitur eſt eis naturale, non carcerarium, aut piaculare. Ampliùs. Si motus in aliquid eſt alicui naturalis, & quies in eodem erit eidem naturalis, quare ſi motus, quem dixi deſiderij, vel concupiſcentiæ in corpora humana, vel alia, eſt animabus noſtris naturalis; eſſe in corporibus eſt animabus noſtris naturale. Ampliùs. Si exitus ab aliquo vel motus ab illo, eſt alicui non voluntarius, ſed violentus, naturaliter quies in illo erit eidem naturalis: quia igitur exitus à corporibus violenti ſunt animabus noſtris naturaliter, & invitæ exeunt ab illis, erit quies in illis naturalis eiſdem. Ampliùs Econtrariò, & indirectè. Si eſſe in corporibus eſt violentum, & contra naturam animabus noſtris, exire ab illis erit eis voluntarium: manifeſtum autem eſt, quia invitæ ſemper exeunt naturaliter, quod dico propter animas, quæ ſpe fœlicitatis æternæ plurimùm ibi lætificantur, ut deſiderabile ſit eiſdem, dum ſint in corpore, diſſolvi ab eodé & exire

Nota. *Nota.*

A de illo. Ampliùs. Si duorum aliquorum ſeparatio violenta eſt naturaliter, conjunctio erit naturalis, ſed ſeparatio animarum humanarum à corporibus violenta eſt, & mortem hominum vocat, & fugit eam communitas hominum naturaliter: quod enim univerſale eſt, atque perpetuum, non eſt caſuale, ſed naturale & aliàs, ſicut dixi tibi, luget ab ea, & dolet natura humana, teſte totâ univerſitate individuorum ſuorum: quare manifeſtum eſt eam eſſe plagam duriſſimam naturæ humanæ. Manifeſtum igitur eſt per hoc, quia conjunctio animarum humanarum ad corpora ſua, naturalis eſt, & diviſio contra naturam, & propter hoc earundem animarum conjunctio ad alia corpora contrariarum figurarum, & diſpoſitionum contra naturam eſt. Si verò dixerit, quia non eſt animabus humanis ordo, neque reſpectus ad humana corpora potiùs, quàm ad brutalia: ergo non eſt eis cauſa à parte ſuà, propter quam potius intrent humana corpora, quàm brutalia, quare vel intrant utraque, vel neutra, quantùm B in eis eſt: ergo judicium creatoris eſt, ut intrent potiùs iſta, quàm illa, aut econversò. Ampliùs. Nemo adhuc auſus eſt dicere de brutalibus, quòd peccent: de hominibus autem manifeſtum eſt, quoniàm abſque menſura, & numero peccant, quare aptiora expiationi, & ſanctificationi animarum humanarum ſunt corpora brutorum, quàm corpora humana: immò quod plus eſt corpora humana omninò inepta ſunt iſtis purificationibus animarum noſtrarum, cùm in eis tam multipliciter inquinentur, licet renitentes, & invitæ. In aliis autem inquinari nullatenùs poſſunt. Ampliùs. Qualiter poſſibile eſt, ut adeò irrecordabiliter obliviſcantur ipſo ingreſſu corporum ſtatus ſui, in quo erant cùm eſſent in ſtellis: ſi enim cauſa hujuſmodi oblivionis eſt ipſa conjunctio corporum, dum igitur ſunt in corporibus, C nullarum rerum poterunt reminiſci, cùm cauſa oblivionis eadem remaneat. Si enim levia, & minima oblivioni traduntur, non eſt hoc mirabile, quoniàm non curantur, nec etiam ſi magna ad modicum obliviſcuntur, ſed quòd & ſemetipſas, & ſtatum illum tam nobilem, tamque magnificum oblivioni tradiderunt, & hoc perpetuò, hoc eſt, quandiù in corporibus ſunt. Quòd ſi dixerit, quia hæc eſt ebrietas, quâ inebriantur à parte corporis, velut immerſæ in ipſum; quomodò igitur recordantur aliorum, leviorum ſcilicet, & minimorum? Si dixerit, quia ebrietas paulatim minuitur, dum ſunt in corporibus: deberent igitur reverti ad cognitionem priſtinam, quam habuerunt, antequàm ingrederentur corpora. Quia igitur nunquàm revertuntur ad hoc, nec reminiſcuntur, dum ſunt in corpore: manifeſtum eſt, naturalem eſſe ignorantiam hanc, D cùm ſit perpetua, & univerſalis: non enim eſt oblivio, vel ex oblivione. Quòd ſi dixerit, quia aliquæ aliquandò reminiſcuntur ſe fuiſſe in aliis corporibus, quia & talia narrantur à poëtis: reſpondeo, quia nec illis creditur à ſapientibus, nec illi probant hoc, præſertim cùm ex narrationibus eorum, nec præſumptio appareat eas vel in ſtellis fuiſſe, vel in aliis corporibus, ſed quemadmodùm mente alienatis interdùm videtur, quòd fuerint reges, vel etiam aves, ut apparet manifeſtè deſipientia eorum ſic dico, & de hominibus hujuſmodi. Ampliùs. Quid majus poteſt accidere circa animam humanam, quàm mors corporis ſui: de ipſa autem morte corporis certum eſt, quòd non abolet, neque abradit quodcunque ſciunt, vel fecerunt dum eſſent in corpore. Deſcenſus igitur humanarum animarum in corpora, vel tranſlatio etiam earum à corporibus, in alia corpora, non delevit oblivione univerſali, atque perpetua ſcientias omnes, & memorias, quas habuerunt

Nota. *Nota.* *Nota.* *Vide.*

Vuu u

vel in ſtellis ſecundùm Platonem, vel in corporibus aliis ſecundùm Pythagoram. Atteſtantur autem nobis omnes homines, ſe nihil penitùs ſcire de hujuſcemodi rebus, vel quòd in ſtellis ſuis fuerint animæ eorum, & hoc etiam teſtificātur animæ eorum, quia nihil ſciverunt antequàm eſſent in corporibus, vel fecerunt, ſed omnia, quæ ſciunt, ſe in ſuis corporibus didiciſſe. Nulla enim dicit alicujus ſe reminiſci talium. Naturale autem eſt in omnibus animabus humanis, vel ſaltem in pluribus, vel multis, quoties aliquod rediſcunt eorum, quæ priùs ſciverunt, quod ſtatim advertunt, & reminiſcuntur ſe aliàs ſciviſſe. In mille millibus autem ſtudentium & diſcentium, vel etiam philoſophantium, non eſt invenire animā unam, quæ reminiſcatur aliquod eorum, quæ dicit ſe ſciviſſe in cœlo, vel apud ſtellā ſuam. Ampliùs. Sicut ipſe Plato poſuit, philoſophando deteguntur opertæ vel ſepultæ naturaliter nobis inditæ, vel innatæ ſcientiæ, cùm tam multa, tam profunda inventa ſint à philoſophis, quomodò ab Ariſtotele, & ſequacibus ejus, quos conſtat in philoſophia & præeminētiores fuiſſe ac perſcrutatioris inveſtigationis, non eſt hoc unum inventum, atque detectū in animabus noſtris, videlicet animas eorum in cœlo fuiſſe & in cōparibus ſtellis habitaſſe? Ampliùs. Iſta tranſlatio, quam Pythagoras poſuit animarū, quouſq; extendetur? in omnia corpora animaliū? an ſtabit in animalibus aliquibus, quod eſt dicere, an ſint in omnibus corporibus animaliū animæ humanæ ſecundùm intentionem Platonis & Pythagoræ, an in corporibus hominum tantùm, an in corporibus etiam quorundam animalium aliorum: & de tranſlatione eadem eſt quæſtio, videlicet an transferantur à corporibus humanis in alia corpora humana tantùm, an etiā in corpora aliorum animalium. Quòd ſi dixerit, quòd in corporibus omnium animalium ergo in corporibus pulicum, & muſcarum quare quotidie exibunt à corporibus hujuſmodi innumerabilia millia animarum humanarum per ſolum venatum hirundinum. Omni enim die unaquæque hirundo venatur pluſquàm duo millia muſcarum. Quotidie igitur revertuntur innumerabilia millia animarū humanarum ad compares ſtellas de ſolis corporibus muſcarum. Ampliùs. Manifeſtum eſt non eſſe tot ſtellas in cœlo, quot ſunt pulices, & muſcæ. Cùm enim nota ſit magnitudo cœli, & declaratum ſit unamquamque ſtellarum fixarū viſibilium, & notabilium, majorem eſſe tota terra: manifeſtū eſt muſculas, & pulices numero excedere ſtellas omnes, quare & omnes animas humanas. Plato autē poſuit animas humanas creatas eſſe ad numerū ſtellarum. Si dixerit, quòd in aliquibus animalibus ſtat opinio Platonis, & Pythagoræ, vel in hominibus ſolis: illa igitur ſola erunt vera animalia, utpote habentia animas naturali aptitudine congruentes corporibus ſuis: ex anima enim humana, & corpore brutali, non poteſt eſſe verus aſinus, aut verus leo, & ita de aliis. Erunt igitur quædā animalia brutalia vera, & quædam falſa, quod eſt dicere, equi veri & equi quidā non veri, & de leonibus ſimiliter: manifeſtum autem eſt, quia tranſlatio animarū humanarum in corpora brutorū, nihil omninò habet utilitatis, plurimum verò habet noxietatis. Si enim cucurreris per omnes vias utilitatis quantùm ad ipſas animas, nullam protsùs invenies, quia nec ibi ſapiētiores, aut meliores effici poſſunt, quàm eſſent in corporibus humanis; immò protsùs deſipiunt ibi, & indociles ſapientiæ, & honeſtatis omninò efficiuntur; ad expiatiōné verò, vel correctioné, ſive emendationem penitùs inutilis eſt hujuſmodi tranſlatio. Impoſſibile enim eſt eas corrigi, vel emendari in brutalibus corporibus. Quòd ſi dixerit, quia ex ordine divinæ juſtitiæ, videlicet

Nota.

E ad pœnam, propter delicta ſua transferuntur à nobilibus corporibus humanis ad ignobiliora, & viliora, & hoc ipſum vanum eſt, quia pœnā hujuſmodi non ſentient ipſæ, vel aliæ, quas metus hujuſmodi pœnæ deterrere poſſet, & arcere à ſimilibus delictis. Inutilis autē eſt manifeſtè pœna omnis, quæ nec patienti, nec aliis prodeſſe poteſt, talis eſt autem omnis pœna incogniſcibilis. Hæc autem adeò incogniſcibilis eſt, ut nec prophetis revelata ſit, nec à tantis prophetis potuerit inveniri. Quòd ſi dixerit, quia à Pythagora inventa eſt: reſpondeo, quia non eſt inventum, niſi quod vel ſenſu, vel ratione irrefragabili verum eſſe declaratū eſt, niſi fortè creatoris revelatione fuerit oſtenſum. In hujuſmodi enim rebus opiniones hominum, non inventiones, ſed ſomnia reputāda ſunt, niſi ſint certis probationibus, aut ſaltem veriſimilibus finaliter approbatæ. F Si verò dixerit, quia Manichæi invenerunt hanc tranſlationem, reminiſci debes imbecillitatis, & erroneitatis ipſorum: & qualiter radicitùs deſtructa eſt per me in prima parte tractatus iſtius ſecta eorum, in quo apparet tibi evidenter, quia poſitiones eorum non ſolùm impoſſibiles ſunt, ſed deliramenta ſunt mente alienatorum, & fabulæ aniles, quapropter nec dignum eas ſigillatim, & omnes deſtruere, magis enim riſu, & deriſione dignæ ſunt, quàm diſputatione. Si verò dixerit, quia ſtat in ſolis corporibus humanis hujuſmodi tranſlatio animarum humanarum, ut manifeſtum eſt, quia omnia animalia bruta, & verè animalia, & verè bruta ſunt: ſoli autem homines, nec veri ſunt homines, nec vera animalia, immò æquivocè animalia dicuntur, & anima humana æquivocè dicitur anima ad animas brutorum, G cùm anima brutalis omnis pars ſit ipſius animalis bruti, ut forma ipſius, atque perfectio corporis ejuſdem, & ut ita dixerim, naturalis inhabitatrix corporis ejuſdem, & corpus brutale habitaculum ipſius, anima verò humana econverſò: unde naturaliter, hoc eſt, ex ipſa creatione ſua habet eſſe extra juxta poſitionem Platonis, & Pythagoræ, & ſit in corpore humano, tanquàm hoſpes, & advena limitatæ hoſpitationis. Secundùm hoc nobiliſſima ſpecies omnium animalium deeſſet univerſitati animalium, & quod eſt in ea velut caput, videlicet homo: hoc autem non decuit creatorem, videlicet, ut univerſitatem animalium relinqueret imperfectam, & tam enormiter detruncatam, immò decapitatam, ut aptiùs loquar. Si in omnia corpora animalium eſt iſta tranſlatio animarum humanarum, H cur non in corpora Planetarum? Et deinde qualiter ſtabit ibi, ut non extendatur iſta tranſlatio in lapides, aut metalla? Ampliùs. Cùm corpus humanum non minùs organicum ſit naturaliter, nec minoris aptitudinis naturalis, immò evidenter incomparabiliter majoris, quàm corpus brutorum ad operationes multiplices. quod manifeſtè apparet in ſculpturis, figuris, & innumerabilibus fabricationibus & artificiis, quomodò creator non providit hujuſmodi corporibus naturalem perfectionem eis congruentem. & debitam, ut eſt perfectio naturalis? Quia igitur perfectio naturalis non habet eſſe naturaliter, niſi in eo cujus eſt naturalis perfectio, animas autem humanas vocamus hujuſmodi perfectiones; quare animæ humanæ per modum, quo animæ humanæ ſunt, non habent eſſe naturaliter extra corpora. Si igitur extra corpora creatæ ſunt, per violentiam tantùm ſunt, vel fuerunt in locis ſuæ creationis, quare & injuſtè egit creator cum eis, cùm ſine culpâ hujuſmodi violentiam eis intulit. Nullam enim culpam in ipſa creatione ſua, vel ante ſuam creationem contraxerunt, & ipſæ deſiderio incorporandi nullo modo peccaverunt,

Adverte.

Vide.

Digitized by Google

verunt, cùm incorporari eis naturali jure competeret, & ipſum deſiderium ejuſdem naturale eiſdem eſſet, & nullum naturale poſſit eſſe illicitum, vel peccatum. Quæ igitur cauſa potuit eſſe creatori, ut in iſtos carceres corporum tantæ tenebroſitatis, atque pœnalitatis animas humanas detruderet, cùm contra juſtitiam ejuſdem manifeſtum ſit hoc eſſe, & in tantam ipſarum animarum perniciem? Pythagoræ verò major evidenter eſſe apparet inſania in tranſlatione animarum humanarum à corporibus in corpora. Impoſſibile enim eſt, ut hoc naturali earum deſiderio fiat, vel etiam alio ipſarum deſiderio, cùm neutro modorum hoc animæ humanæ deſiderent, & hoc apparet † atteſtantibus eis, quæ deſideria ſua † puriſſimè cognoſcunt, quare neceſſe eſt, ut fiat hoc per violentiam, hujus autem violentiæ nulla prorſùs inveniri poteſt utilitas. Sed & quomodò recordarentur tantarum mutationum, & violentiarum circa ſe factarum?

† *Aliàs* ex actibus earũ. † *Aliàs* pleniſſimè.

CAPUT XV.

Pergit diſputare contra Platonem, & Pythagoram.

IGitur ex his, quæ præceſſerunt, manifeſtum eſt tibi Platonem, & Pythagoram deſtruxiſſe in parte iſta naturam animarum humanarum, & ſi diligenter intenderis in hoc, invenies eos deſtruxiſſe omnes animas humanas, & poſuiſſe ſubſtantias Angelicas ſpirituales ſecundùm veritatem poſitionis ſuæ creatas fuiſſe ante fabricationem corporum humanorum, non autem veras animas humanas, quoniàm non patitur natura earum, & in hoc vergit error eorum in opinionem eorum, qui cacodæmones, quos vulgò diabolos vocant de cœlo dejectos, & propter delicta ſua in corpora humana, velut in quoſdam carceres detruſos ſentiunt, quare non effugerint Plato, atque Pythagoras, ſicut nec hi, quos ultimò nominavi, deſtructionem totius humanæ ſpeciei. Veritas enim humanæ ſpeciei eſt ex vera anima, & ex vero corpore, ex angelica quippe ſpirituali ſubſtantia in corpore humano impoſſibile eſt eſſe verum hominem. De hoc autem quòd dicitur à quibuſdam, ſubſtantias hujuſmodi corpora humana aſſumere, ut homines appareant: quæſtionem habet non facilè diſſolubilem, an aſſumant hujuſmodi corpora, an non aſſumant, & utrùm aſſumptio iſta ſit talis conjunctio, quæ debeat dici unio, vel unitio, per quam unum fiat ex ſubſtantia angelica, & corpore humano, & illud unum an ſit homo, an alterius ſpeciei, & iterùm ſecundùm errorem Platonis, quomodò non obliviſcuntur angeli ſancti, quod cognoverunt ante aſſumptionem corporum hujuſmodi, an quia minùs immerguntur corporibus, quàm animæ noſtræ, & nec etiam uniuntur eis, an etiam ob aliam cauſam: perſcrutabor in ſequentibus, in tractatu videlicet de hujuſmodi ſubſtantiis.

Nota.

CAPUT XVI.

Impugnat annum vertentem, ſeu Platonicum, ſeu errorem dicentium, poſt 36. millia annorum omnia, ſingula, reverſura in eundem omninò priſtinum ſtatum.

POſt hoc conſequens erit de univerſo inveſtigare, an habeat renovationem, & utrùm unam, vel multas, & utrùm ſecundùm partem, vel ſecundùm totum. Ubi etiam perſcrutandum erit de ſtatu iſto, ſcilicet generationis, & corruptionis, atque

A de morte, & vitâ, utrùm perennes ſint, & nunquàm habituræ finem, & de vità ipſâ, utrùm perpetuò fluxura ſit in mortem, an à perpetuâ fluxione ſtabilienda quandóque, & implenda tunc quædam prophetia Chriſtianorum, quâ dicitur, quia mors non erit ampliùs, quod & ipſa lex Sarracenorum expreſsè habet. Primùm igitur ponam tibi opiniones antiquorum. Hæc ergo eſt opinio Aſtronomorum, & quorundam Poëtarum, quòd anno, quem vocant annum vertentem, fiat renovatio univerſi, & erunt omnia, ſicut fuerunt in ipſo principio creationis univerſi, & current omnia ſæcula curſu eodem ſecundo anno, quo cucurrerunt primo, & revertentur res eædem ad ſæcula ſua, quæ fuerunt in aliis ſæculis Verbi gratiâ: Idem Plato, idem Ariſtoteles, iidem omnes alij homines, ita quòd revertantur ſinguli, & renaſcantur in ordine ſuo, eadem agentes, eadem patientes prorſùs, quæ vel egerunt, vel paſſi ſunt in temporibus ſuis, & generaliter eventus omnes in omni parte mundi iidem erunt, qui B & præceſſerunt, & iſta renovatio non eſt, niſi reverſio omnium rerum, non ſolùm ad ſtatum ſuum priſtinum, ſed etiam ad omnes curſus ſuos, actiones ſcilicet, & paſſiones, & alios eventus. Annus autem iſte, ut eis viſum eſt, continet 36. millia annorum, & hoc eſt quoniàm ſecundùm probationem Ptolemæi unaquæque ſtellarum fixarum movetur ſingulis centum annis uno gradu, quare quoniàm circulus cœli non continet niſi trecentos & ſexaginta gradus, unaquæque ſtellarum prædictarum complebit revolutionem ſuam totam, id eſt, deſcriptionem totius circuli cœli in tot centenariis annorum, quot gradus continet cœli circulus, quare in trecentis ſexaginta centenariis annorum. Trecenti verò ſexaginta centenarij annorum 36. millia annorum ſunt. Annus igitur magnus ſtellarum fixarum 36. millia continet annorum. De planetis ve- C rò ſeptem id ipſum ſentiunt, quia eodem numero annorum ad ſtatum ſuum primitivum abſque ullâ diverſitate revertentur. Prædictum igitur ſpatium annorum annus eſt revolutionis totius cœli, & reverſionis ad omnium motuum ſuorum principium. Mundus verò naturæ, id eſt, generationis, & corruptionis, qui continetur inter circulum Lunæ, propter quod & mundus ſublunaris dicitur, quoniàm ſecundùm opinionem eorum, mundum ſuperiorem, ac cœleſtem tanquàm ducem ſuum, & cauſam motuum, & mutationum ſuarum ſequitur; neceſſariò revertetur ſecundùm ſe totum, & ſua omnia ad ſuum primitivum ſtatum, & hoc eſt dicere, quòd omnes iidem prorſùs homines, & animalia omnia, & cætera cuncta, quæ mundus iſte ſublunaris continet, regenerabuntur, ſeu reparabuntur eadem, & ſequentur, poſtmodùm per ſimiles cœli revolutiones eædem corruptiones, generationeſque, & alij eventus omnes, donec compleatur D iterùm numerus præſcriptus annorum 36. millium. Poſt illius autem completionem fiet iteratio ſimilis, & ita in infinitum. Et quoniàm de hujuſmodi hominibus alij poſuerunt mundum æternum: alij verò creatum in tempore ex neceſſitate coacti ſunt quidam eorum ponere infinitas jam renovationes hujuſmodi præceſſiſſe, & infinitas futuras eſſe: alij verò infinitas quidem futuras eſſe, non autem præteriiſſe; hoc enim prohibet mundi novitas, & inceptio. Debes autem ſcire, quia ſunt qui dicunt annum iſtum magnum, qui & mundanus dicitur † 40. millium annorum ſpatium continere, & & credo, quia hoc eſt forſitan propter diverſitatem reverſionis 7. planetarum. Quid autem veritas de his habeat, facile eſt tibi videre, cùm noti ſint motus planetarum, & facilè invenibiles ad omnem

Nota. *Nota.* *Nota.* † *Aliàs* LX.

Digitized by Google

tempotis quantitatem. Non refert autem quantùm ad intentionem præſentis tractatus. Et quoniàm magni reputati ſunt, qui hoc dixerunt: conveniens eſt, ut acquiratur tibi veritas & certitudo ſuper his, ne levi ratiocinatione, & debili contradictione diſſentire videaris ab opinione tantorum.

Nota. Primùm igitur decet, ut audias cauſas, quæ eos in hanc ſententiam vel induxerunt, vel inducere potuerunt, & jam tetigi tibi unam ex his, videlicet ducatum, ſive mundi ſuperioris principatum, & cauſalitatem, quam poſuerunt ei ſuper iſtum inferiorem, ſcilicet ſublunarem. Ex quo viſum eſt eis, quòd inceptio rerum generabilium, & corruptibilium ſit ex inceptione motus cœleſtis, & progreſſus ex progreſſione, quare reverſio ex reverſione, iteratio ex iteratione, & propter hoc iterari continget motum cœleſtem toties, & res inferiores generabiles, & corruptibiles, & hoc legiſti apud libros Judicum aſtronomicorum: hac eadem de cauſa poſuerunt mutationes magnas in mundo inferiori juxta diſpoſitiones ſtellarum, & luminarium, & jam nominavi tibi mutationes magnas, quales fuit corruptio generis humani verè univerſalis per diluvium univerſale, & reparatio ejuſdem per paucos qui ab eodem diluvio evaſerunt, ſimiliter magnas mutationes, intelligo mutationes legum, & ſectarum, atque magnorum regnorum.

Nota. Secunda cauſa, quæ eos ad hoc inducere potuit, ipſa circulatio, quæ omni anno contingit: omni enim anno revertuntur quatuor viciſſitudines temporum juxta quadrantes circuli ſolaris, hoc eſt circuli ſignorum. Ea autem viciſſitudine ſunt ver, æſtas, autumnus, & hyems Similiter attenderunt circulationes in rebus, quæ fiunt in ſublimi, quales ſunt pluviæ, grandines, nives, rores, & cæteræ hujuſmodi: quorum omnium quia videbant circulares renovationes, æſtimaverunt, quia univerſo ſublunari eſſet & renovatio univerſalis, & annus ei appropriatus, in cujus completione totaliter reverteretur ad ſuum initium. Si enim partibus particulares renovationes ſint, & anni ſuarum renovationum per congruentia naturarum ſuarum, conveniens eſt, ut ſit & univerſo univerſalis renovatio, & annus renovationis congruens univerſitati ſuæ. Tertia ratio videtur illa fuiſſe. Certum enim eſt multa genera animalium virtutem habere in ſeipſis renovativam; ſicut manifeſtum eſt de ſerpente, qui vocatur thirus, qui ſemetipſum renovat, & à ſenectute ſuâ rejuveneſcit, ſicut alibi didiciſti. Similiter aquilæ, accipitres, & de cervis idem dicitur, ſed & vegetabilia, quæ ſingulis annis veteraſcunt, ſingulis annis renovantur, & rejuveneſcunt. De ave autem phænice forraſſis habet quæſtionem: verumtamen quantùm modò mihi occurrit, veriſimiliùs videtur, quòd avis hæc magis intendat renovationem ſuam, quàm mortem. Totum enim, quod facit comburendo ſeipſam, natura movente facit: natura autem non movet ſubjectum proprium in deſtructionem ſui ipſius, quare magis videtur renovatio phænicis per hujuſmodi combuſtionem fieri, quàm generatio novæ phænicis Inveniuntur etiam multa alia vim renovativam & reverſivam in ſemetipſis habentia. Quantò fortiùs igitur univerſum, vel virtute ſua renovabitur, vel aliena, quod dico propter thirum cujus virtus non eſt renovativa ſolummodò ipſius, immò etiam aliorum, quod nobiles mulieres docentibus medicis ſe noſſe multoties oſtenderunt. Quarta ratio eſt, cui omnes conſentiunt, ſicut dicit Ariſtoteles, quia virtus nutritiva in animalibus, & plantis reſtaurat, quod deperit de individuo virtus verò generativa, quod deperit de ſpecie, & adjecit, quia virtus nutritiva conſervativa eſt individuo-

E tum, generativa verò ſpecierum. Facit igitur vis generativa, quod poteſt, videlicet quia non poteſt renovare individua in ſeipſis, renovat ea in aliis. Quia igitur nulla utilitas eſt in generatione novorum individuorum, cùm æquè bona ſint, quæ corrumpuntur, & ſimpliciter mala ſit corruptio boni, manifeſtum videtur ſupervacuam eſſe generationem individuorum in ſemetipſis: poſtquàm vis generativa aliud non intendit, quàm conſervationem ſpecierum: & multò melius eſſet naturæ virtus renovativa, quàm generativa, quoniàm per eam & malum corruptionis tolleretur ab individuis, & bonum conſervationis proveniret eiſdem, & conſervationi ſpecierum nihil penitùs deperiret. *Nota.* Ipſi autem teſtantur, quoniàm natura intendit non ſolùm in bonum, ſed etiam in optimum, quod eſt ei poſſibile. quare natura univerſalis intendit ad renovationem univerſi, quantùm ei poſſibile eſt, & quo-
F niàm non eſt ſtabile univerſum, cujus partes generabiles, & corruptibiles ſunt, intendit renovationem ejus per ſucceſſiones, & reductiones ad ſtatum primitivum, & quoniàm in eo ſtare non poteſt, propter cauſam prædictam, neceſſe eſt ipſum corrumpi in partibus ſuis corporalibus, quare vel non ſtabit omninò, ſcilicet recidens in non eſſe, vel renovabitur ſtatus ejus, & quia nullus ejus ſtatus ſtabilis, nec poſſibile eſt, quòd omninò recedat in non eſſe, neceſſe eſt ut ſint ei renovationes abſque numero, & fine. Quinta ratio. In vegetabilibus, quæ ſingulis annis renaſcuntur, & poſtmodùm corrumpuntur, veriſimile eſt illa corrumpi in ea, ex quibus compoſita fuerunt. Si enim compoſitum reſolvitur in ea, ex quibus compoſitum non erat, cur potiùs in illa, quàm in alia, & quare potiùs in
G quædam, ex quibus non eſt compoſitum, quàm in quævis alia hujuſmodi? Ampliùs. Quomodò reſolvetur compoſitum in partes, ex quibus non eſt compoſitum, ut homo in animam & corpus, ex quibus non eſt, & numerus in unitates, ex quibus non eſt aggregatus? quare triticum, quod hoc anno comeditur, reſolvetur in ea, ex quibus compoſitum eſt, & propter hoc ſi fiat generatio ex eiſdem, generabitur idem triticum, ex eiſdem enim non debet eſſe niſi idem, quare idem triticum erit præſenti, & ſequenti anno, & eodem modo ſe habet de fructibus: quare conſequenter & de animalibus ſimiliter ſe habebit, quòd ſcilicet quæ generantur, & corrumpuntur, ſuo tempore eadem regenerarentur. Jam autem declaratum eſt in diſciplinalibus ſcientiis, quòd propoſitis quibuſcunque numeris poſſibile eſt invenire tam minimum, quàm maximum numerantem illos, quare poſſibile erit invenire ſpatium
H temporis, quo fiat omnium hujuſmodi regenerabilium regeneratio. Hæc autem dico, quia quædam unâ, & eâdem die generantur, & corrumpuntur, quædam uno menſe, quædam pluribus, & quædam pluribus centenariis annorum, ſeu ſæculis. *Adverte.* Sicut corvus, & cornix, prout ſuprà audiviſti, & multæ aliæ diverſitates inveniuntur in hujuſmodi, quare notis omnibus hujuſmodi temporibus, & temporum numero, facile eſt invenire, quod dixi, exercitatis in talibus, videlicet tempus in quo fiat omnium hujuſmodi regeneratio, quod tempus ſive ſit, ut prædictum eſt, majus, ſive minus, non refert, quantùm ad opinionem iſtam. Sexta ratio. Neceſſe eſt, ut generatio, ſive corruptio, extendantur in infinitum, aut ut ſtent, aut ut revertantur, & quaſi reincipiant curſum ſuum. Quòd autem extendantur in infinitum impoſſibile videtur eſſe, cùm jam ſtabilitus ſit ſtatus cauſarum, quare quemadmodùm non contingit cauſas efficientes aſcendere in infinitum: ſic neque deſcendere, quod eſt dicere, ut a.

Digitized by Google

generet b. & b. generet c, & hoc finem non habeat. Quòd autem non ſtet generatio in aliquibus individuis, inde manifeſtum videtur. Illa enim in quibus ſtaret, eſſent in infinitum ſtabiliora, atque fortiora eis, à quibus generata eſſent, quare effectus eſſet fortior causâ ſuâ, atque ſtabilior: hoc autem non eſt poſſibile, cùm effectus per modum, quo eſt effectus, totum quod habet, à causâ ſuâ recipiat. Recipere autem ipſum majus à causâ ſuâ, quàm ipſa causa habeat, impoſſibile eſt: quare non eſt poſſibile, ut ſtent generatio, & corruptio in aliquibus individuis, nec poſſibile eſt ea currere in infinitum. *Vide.* Recurrent igitur, & reincipient curſum ſuum, vel reſolventur omnia corruptibilia in nihilum. Quòd ſi dixerit, quòd non eſt neceſſe, quòd in nihilum, ſed in primam materiam, ex quâ generata ſunt, fiet iſta reſolutio, tunc non effugit, quin reincipiat generatio, ſi generatio ſecundum materiam eſt. Cauſa enim generationis efficiens eadem eſt, quæ & à principio, ſive cauſa iſta intelligatur motus cœlorum, ſive natura, aut virtus alia, ſive creator ipſe ſublimis, & cœleſtis. Potuit & eos movere ad hunc errorem fictio, vel narratio poëtarum, in quorum libris inveniuntur aliqua hujuſmodi.

CAPUT XVII.

Solutio rationum pro prædicto errore inductarum.

POſt hæc igitur per ordinem reſpondebo rationibus iſtis, & dicam, quia jam feci te ſcire, quia motus cœleſtis intentio non extenditur in particularia, quia neque ipſe pater Socratis intendebat generare Socratem, cùm daret operam generationi. Quantò fortiùs igitur cœlum, vel virtus cœleſtis non intendit in particularia, vel individua ſingulariter: & ſi conceſſum fuerit eis, quòd virtus cœleſtis cauſa ſit efficiens omnium generationum, & corruptionum, quæ fiant in mundo ſublunari, quamquàm de hoc multa in præcedentibus audieris, quare non eſt intentio motus cœleſtis, ut generentur, neque poſſibile eſt hoc ullo modorum virtuti cœleſti, cùm animarum humanarum creatio, & corporũ humanorũ fabricatio, ipſorumque ad invicem conjunctio, operationes ſint ſoli omnipotenti creatori poſſibiles, quare per interemptionem poſitionis illius aſtronomicæ diſſolvitur ratio illa prima eorum. *Nota.* In ſequentibus autem deſtruam radicitùs & poſitionem eorum, & rationem iſtam, & oſtendam multis viis reverſionem iſtorum & † renovationem illorum nullo modorum eſſe poſſibilem. De novitate verò mundi ſuperioris, immò & totius univerſi, jam ſatisfactum tibi eſt, & acquiſita certitudo, poſt quam non eſt ulla relicta tibi dubitatio. Secundæ verò rationi, cujus radix eſt circulatio, quæ videtur eſſe in rebus, quæ ſequuntur motum Solis, reſpondeo, quia errant de ipſa circulatione: non enim eſt circulatio, niſi ab eodem uno in id ipſum. Non autem ita eſt in rebus, de quibus exempla ponunt. Non enim eſt ab eadem hyeme ad eandem reverſio, nec ab eodem vere ad id ipſum, nec ab eadem pluvia ad pluviam, & ſic de aliis. Quòd igitur iſtæ mutationes ſunt ex quibuſdam in alia numero, & ex illis iterùm in alia, dico hoc eſſe extenſionem ſecundùm rectum, cùm in eis ſit invenire principium, & finem. & diverſa numero penitùs, econtrariò autem ſe habet in circulatione. Tertiæ verò rationi, quam de virtute renovativâ quorundam animalium inducunt, & per hoc, quod eſt in aliquibus partibus univerſi generabilis, & corruptibilis, nituntur eam extendere in univerſum, illud reſpondeo, quia virtus hujuſmodi in pauciſſimis eſt partibus univerſi: & quia multùm diſtat inter renovationem hujuſmodi, & regenerationem; ipſi verò non ponunt renovationes univerſi, renovationes inquam, quæ ſint à vetuſtate, ſed regenerationes, quæ ſint à corruptione, & reſurrectiones, quæ ſint à morte, de quibus manifeſtum eſt, quòd nec univerſo generabili, & corruptibili poſſibile eſt, nec alicui parti ipſius. Nulla enim eſt omninò creatura quæ poſſit generare ſe, vel regenerare ſe poſt corruptionem ſuam, vel reſuſcitare ſe à morte ſuâ. Ad hoc autem, quòd dicunt, quia melior eſſet individuis generabilibus virtus renovativa, quàm generativa: reſpondeo, quia neceſſe eſt corrumpi, & mori multa ex generabilibus propter conſervationem aliorum, ſicut de frugibus, & fructibus manifeſtum eſt, & de animalibus omnibus, quibus alia nutriuntur, in quibus omnibus non habet locum renovatio, ſed magis regeneratio, & reſuſcitatio: comeſtione enim hujuſmodi animalia corrumpuntur, & moriuntur. Similiter & plantæ multis modis pereunt propter conſervationem hominum, & quorundam aliorum animalium, combuſtione ſcilicet & diſſecatione multiplici. *Nota.* Quare vis renovativa hujuſmodi vel non habet locum quantùm ad utilitatem univerſi, vel in perniciem cederet univerſi, ſi ejus eſſet fortitudinis, ut eſum, & alios uſus neceſſitatis ab animalibus prohiberet. De eo vero, quòd dicunt, quia utilior vis hujuſmodi renovativa, quâ & conſervarentur ſpecies ſimul, & individua: Jam reſponſum eſt per hæc eadem, cùm ex eis manifeſtum ſit conſervationem multorum individuorum deſtructionem eſſe multorum aliorum individuorum meliorum, atque nobiliorum, & etiam humanæ ſpeciei, per quam aliæ ſpecies generabilium, & corruptibilium creatæ eſſe videntur. Scito autem, quia bonitas creatoris non intendit in conſervationem ſpeciei humanæ quantùm ad vitam præſentem tantùm (quemadmodùm hominum hujuſmodi vanitas ſomniavit) immò intendit eam transferre in vitam alteram, quæ futura eſt poſt iſtam, quæ eſt vita beata & vita gloriæ, vitaque æterna rectiſſimè nominatur. Nec data eſt ab eodem vis generativa hujuſmodi ſpeciei individuis propter conſervationem ejuſmodi, immò propter ipſa individua generata, & ſic cuilibet creator optimus prænominatam gloriam intendit ſigillatim & ſingulariter, quantùm eſt de largitate ineffabili beneficentiæ ſuæ, quamquàm propter cauſas multas, & impedimenta multiplicia, multa eorum eam minimè aſſequuntur, ſicut doceberis in ſequentibus. Et attende quia in iſta reſponſione etiam quarta ratio diſſoluta eſt. *Nota.* Quintæ verò rationi, quâ nituntur aſtruere eadem omnia regenerari, & ſingulis annis fruges, & fructus proximi præcedentis anni eoſdem numero reviviſcere, ac reverti, reſpondeo, quia intolerabiliter errant, & quia falſum impoſſibile ſupponunt, dicentes: Unumquodque reſolubilium in ea, ex quibus eſt, ſolummodò poſſe reſolvi, licet verum ſit unumquodque compoſitum in ea, ex quibus eſt immediatè compoſitum, primâ ſui reſolutione reſolvi, tamen poſſibile eſt ſecundâ, & tertiâ, & quâlibet alia reſolutione in alia ipſum reſolvi. Verbi gratiâ, corpus humanum in membra, ex quibus eſt, neceſſe eſt primâ reſolutione reſolvi, ſive dividi, & omne aliud totum integrale: Verumtamen nullatenùs neceſſe eſt corpus humanum in ſemina maris, & fœminæ reſolvi primâ reſolutione ſuâ, nec forſitan ullâ, & hoc eſt, quoniam virtus reſolvens vel dat materiæ *Nota.*

† *Aliàs* reverſionem.

reſolubili formam ſibi ſimilem, vel præparat ipſam ad hujuſmodi formam. propter hoc in res non ſolùm alterius ſpeciei, ſed etiam alterius generis, ſeu diverſorum generum, reſolvuntur plerumque compoſita. Cùm enim ignis lignea reſolvit, in alia reſolvuntur, quàm ſi illa aqua reſolveret, quemadmodùm fit & econtrariò, virtute aquæ alia generantur ex eis, quàm ſi virtute ignis reſolverentur. Similiter & cùm innaturalis ſiccitas fortis ea reſolvit, generatur ex eis putredo pulverulenta; cùm verò innaturalis humiditas ea reſolvit, generantur ex eis vermes, qui & teredones vocantur. Manifeſtum eſt, quia neque ex hujuſmodi pulveribus, neque ex hujuſmodi vermibus, ligna compoſita ſunt. Summa autem hujuſmodi ratiocinationis hæc eſt, quia reſolvens non ſemper intendit reſolvere in ea, ex quibus facta eſt compoſitio, immò ſæpiſſimè nova generare, & inſuper præter intentionem reſolventis generantur nova, ſicut vides in propoſito exemplo. Non enim innaturalis humiditas generationem vermium intendit, ſed alia virtus ſe ingerit, quæ præparatam ad hoc materiam inveniens, vermes ex ea gignit. Sextæ verò rationi reſpondeo, quia generationem habent ultimam individua humanæ ſpeciei in ultimâ generatione ſuâ, quam generationem reſurrectionem lex chriſtianorum nominat; ubi ſtabilientur fixione perpetua, ita quòd *Nota.* mors non erit ampliùs apud ea, neque etiam alibi. De individuis verò aliarum ſpecierum animalium, nec doctrina eorum, nec philoſophia determinat quicquam. Verùm mihi veriſimile eſt, ut ea, quæ propter eſum, vel propter alium uſum hominum & creantur, & ſunt, ceſſare debeant, ceſſante causâ ipſorum. Vita enim illa hominum, impoſſibile eſt, ut indigeat hujuſmodi adjutoriis; tunc ceſſabit etiam curſus generationis, & ipſa vis generativa ceſſabit in hominibus. Non enim erit neceſſarium, ut per ea conſervetur humana ſpecies, cùm immortalitate firmiſſimâ ex tunc conſervanda ſint individua, quorum conſervatione manifeſtum eſt ſpeciem conſervari. *Nota.* Quapropter dico limitatam eſſe vim generativam, ſicut in ſingulis hominibus, ſic & in univerſitate eorum, & propter hoc determinatum eſſe numerum individuorum humanæ ſpeciei, eoque completo conſummandam eſſe, & finiendam generationem hominum, ita ut nullus ulteriùs generetur. Debes autem reminiſci eorum, quæ de vita poſt hanc futura didiciſti in deſtructione erroris, qui continetur in lege Saracenorum. Ibi enim pateſeci tibi probationibus certiſſimis, ceſſare omninò ex neceſſitate in alterius vitæ fœlicitate vim generativam, & quantùm ad fructum prolis & quantùm ad voluptatem: & quia fœlicitas illa delitias eſcarum pati non poteſt, quare nec oſtendetur in infinitum generatio, nec ad ſuum recurret initium, ut naſcantur, & regenerentur iterùm primi homines.

CAPUT XVIII.

Adhuc diſputat contra magnum annum, ſeu circulationem ſtatus mundi.

POſtquàm autem reſponſum eſt rationibus erroneorum hujuſmodi, conveniens eſt, ut adducam tibi probationes, per quas acquiratur tibi certitudo veritatis in rebus tam longè, ut videtur, à conſuetudine hominum, & inventu tam difficilibus, tam neceſſariis veræ, ac nobilis philoſophiæ perſcrutationem intendentibus, & hoc faciam ſi Deus voluerit. Dico igitur in primis, quia iſta ite- E ratio, ſive circulatio, quam ponunt, in primis ſupervacua omninò eſt, & inutilis. Si enim non fluit in finem aliquem, qui ſit poſt eum, hoc eſt, in ſtatum nobiliorem, ſed fluit ſolummodò, ne iterùm fluat, fluit ex neceſſitate ſine cauſa, cùm ipſa ſibi eſſe cauſa non poſſit. Quapropter inutiliter, & ſupervacuè. Ampliùs. Si idem per omnia eſt curſus ejus, qui eſt, & recurſus, quem ipſi ponunt. & in nullum melius recurſus ejuſdem, quàm curſus. & omninò nihil addens, vel ipſi eſſe, vel bonitati ejuſdem, inutilis igitur eſt omni modo repetitio ipſius, quemadmodùm vides de orationibus repetitis, & nugatoriis. Unde & nugationem, & inconveniens, etiam ipſi ſophiſtæ reputant. Ampliùs. *Nota.* Secundùm eos creator eſt ſicut ſtultiſſimus ædificator, qui totum quod ædificavit, deſtruit, & poſtmodùm reædificat id ipſum, & hoc infinities, & nec melius, nec pulchrius, nec ſtabilius, & omninò nihil addens, vel operationi, vel modo. quis enim non reputaret hujuſmodi ædificatorem ſtultiſſimum? ſic autem eſt ſecundùm eos & de creatore ſapientiſſimo, & optimo, quòd quicquid ædificat per generationem in rebus hujuſmodi, deſtruit per F corruptionem, & poſtmodùm reædificat per generationem, per omnem modum rediens in id ipſum: quia igitur hujuſmodi ſtultitia nec in operatoribus hominibus inveniri poteſt, quantò fortiùs creator ſapientiſſimus, incomparabiliter longiùs erit ab ea? Pone igitur, quòd ipſe ſæculum unum prænominati temporis ædificet abſque ulla additione, ut dixi: indubitanter eſt ponere illum ſtultiſſimum ædificatorem, & inſaniſſimum operatorem. Ampliùs. Secundùm hunc modum ultimæ generationis homines vel generabunt, vel non generabunt. Si non generabunt, ſtabit igitur in illis curſus generationis abſque extenſione, & recurvatione: jam autem poſuerunt contrarium: ſi autem generabunt, G aut igitur generabunt proximè præcedentes ſe, hoc eſt, patres ſuos, & matres, & illos vel vivos, vel mortuos, quorum utrunque impoſſibile. Vivos enim generari impoſſibile manifeſtum eſt, cùm jam generati ſint, & in hoc permaneant. Mortuos autem regenerare, vel reſuſcitare opus naturæ non poteſt eſſe. Ampliùs. *Adverte.* Si generent parentes ſuos, hoc eſt patres, & matres, erit igitur unuſquiſque eorum pater, aut mater alicujus ex parentibus ſuis, quare erit unuſquiſque avus ſui ipſius. Majus autem inconveniens eſt, ſi generent antiquiores ſe, quàm ſint ipſi parentes eorum, & propter hoc longè majus inconveniens eſt, ſi avos, & iterùm proavos, & ita donec veniatur ad primitivos. Maximum autem inconveniens eſt in his dicere, quòd generent progenitores ſuos præcedentes eos multis millibus generationum, & tantò majus inconveniens, quantò pluribus. Ampliùs. Sic iſti erronei non effugiunt circulum cauſarum in eodem genere cauſatum. Pater enim cauſa filii efficiens, & avus cauſa patris H ſimiliter efficiens, & generaliter generans generati, quare ſi circulentur generationes, circulabuntur & cauſæ. Jam autem deſtructa eſt per me in primo tractatu totius primi ſapientialis, ac divinalis magiſterij, qui eſt de primo principio, circulatio iſta cauſarum, & infinitas. Ampliùs. Si propter hoc reincipiant iſtæ generationes, & corruptiones, quia reincipiet motus cœleſtis anno hujuſmodi completo, & revertentur eædem circulationes, quia annus idem revertetur, revertentur igitur diverſæ numero, quia motus diverſus numero. Identitas verò ſecundùm ſpeciem non eſt cauſa identitatis ſecundùm numerum, alioquin omnia, quæ ſpecie eadem ſunt, erunt in numero eadem. Quòd ſi dixerit, motus non eſſe diverſos numero, quoniàm ab

Digitized by Google

ab eiſdem ſcilicet initiis, & per eandem viam, eoſdem ſcilicet circulos, & ad finem ſcilicet eundem, ſequitur ex neceſſitate, ut cœli ſtellati vel ſuperioris non ſit infinita revolutio numero, & quòd ejus hodierna revolutio ſit eadem, quæ craſtina, & ſic de aliis. Similiter ſe habet de revolutione Solis, & Lunæ, & eodem modo de anno, quoniàm non erit niſi unus annus, ſed repetitus: quapropter ſequetur & de die, quòd non ſit niſi unus. Ipſi autem jam poſuerunt triginta ſex millia annorum, vel ampliùs, contineri in anno mundano, ſeu vertente. Ex hoc autem ſequitur eandem diem eſſe nubiloſam, & ſerenam, & alia innumerabilia hujuſmodi, & annum non habere partes, niſi horas, cùm annus non contineat niſi diem unum. Sequitur & ex hoc reſurrectio dierum, poſtquàm præterierunt, & horarum, ſimiliter & motuum. Horum autem omnium facilis eſt deſtructio. Ut enim redeat tempus idem numero, quod abiit, non eſt ponere in die, quin neceſſe ſit ponere in horâ unaquâque Si enim dies revertitur tota, & unaquæque illius hora; quare quoniàm iſta reverſio circularis per naturam eſt in motu, & in tempore, cùm ejuſdem prorsùs naturæ ſit tempus cum unaquâque partium ſuarum, erit ſimul reverſio non ſolùm in unaquâque horarum, ſed etiam in unaquâque partium cujuſcunque illarum; quare nec illam horam continget præterire, nec partem ipſius aliquam. Si enim præteriret pars aliqua, medietas ejus vel reverteretur poſt prætetitionem ſuam, vel non reverteretur. Si reverteretur, ergo non eſſet alia medietas illius, ſed eadem repetita, & eodem modo ſe haberet de medietate ipſius repetitæ, & ita in infinitum. Quare impoſſibile eſſet aliquid de tempore præterire, impoſſibile etiam eſſet partem aliquam tempus habere. Iſta igitur opinio deſtruit tempus: quapropter & motum. Ampliùs. Si melior eſſet generatio anni ſequentis mundani, quàm præcedentis: veriſimile eſt, ut & tertij anni, quàm ſecundi, quare finem haberent iſtæ generationes. Cùm enim nulla creatura diſtet in infinitum ab optimo ſtatu ſuo: manifeſtum eſt, quia per meliorationes finitas pervenirer ad illud, hoc autem eſt finis uniuſcujuſque naturæ, videlicet, ut ſit in optimo ſtatu ſuo, quare ſi ſæcula illuc perventura ſint, quieſcent ibidem naturaliter. Completa enim intentione naturæ, & acquiſito fine, quem intendit, impoſſibile eſt, quin moveatur ulteriùs. Si enim moveretur ulteriùs, moveretur duobus motibus contrariis, videlicet ad finem, & à fine, quod eſt dicere ad optimum ſui ſtatum, & perfectionem, & ab ipſo. Quòd ſi dixerit, quia propter inſtabilitatem ſuam, id eſt, defectibilitatem ſuam, ſæcula non poſſunt ſtare in aliquo ſtatu, aut intelligit, quòd defectibilitas moveat ipſa: aut intelligit, quòd aliud. Dico igitur, quòd ſermo iſte defectibilitatis erroneus eſt. Si enim defectibilitas moveret ea, non moveret ea, niſi ad non eſſe, non eſſe autem non eſt finis, quem aliqua natura intendat, vel quærat, quia nec aliquid eſt ipſum non eſſe. Præterea nulla natura intendit in deſtructionem proprij ſubjecti. Si verò intellexit, quia propter defectibilitatem ſuam patiuntur violentiam alicujus, vel agentium aliquorum, quæ vel deſtruunt illa, vel transmutant in alia ſæcula, erunt igitur contraria illis, cùm non agant, niſi contraria invicem, & habet iſte ſermo involutiones multas, & dubietates, & proſecutio ejus prolixitatem, videlicet an ipſa ſæcula ſe deſtruunt, an unum deſtruat aliud, ſicut manifeſtum eſt deſtrui generationes florum in vegetabilibus, & cadere eos per ſucceſſiones fructuum, fructus verò deſtrui eſu hominum, vel

Nota. Nota. Nota. Nota.

A aliorum animalium. Similiter & animalia multa pereunt mutuâ invicem devoratione. Ampliùs Innumera pereunt peſte, fame, clade; homines verò morbis, gladiis, & aliis modis penè innumeris. De pluviis verò nivibus, grandinibus, & aliis generabilibus, & corruptibilibus: manifeſtum eſt, quibus modis, & qualiter deſtruantur, & qualiter generentur. Manifeſtum eſt igitur, quia ſecundùm opinionem iſtorum omnia reſurgant, videlicet & nives, & pluviæ, & cætera omnia, quæ prænominata ſunt, & quòd ſæculum unumquodque in generabilibus, & corruptibilibus ſuis deſtruit ſe, quia quædam partes ad invicem ſe deſtruunt, & verum eſt quòd quędam ſe invicem generent ſicut animalia ex ſe invicem generantur. Quare manifeſtum eſt, quòd ſæcula rerum generabilium ſe invicem deſtruunt, & ſe invicem conſervant prædictis modis. Verùm non eſt in natura, vel virtute alicujus eorum, ut ſemetipſum reducat ad ſtatum ſuum primitivum. Jam autem patefactum eſt tibi, quia nec
B hoc habet virtus cœleſtis, quoniàm non intendit in particularia determinatè, & particulariter. Nec etiam aliquis operatur hoc modo intendit, præter ſolum creatorem benedictū, qui videt unumquodque particulariū futurorum, quemadmodùm unumquodque præſentium, ſicut alibi didiciſti. Alij autem operatores, exceptis ſubſtantiis abſtractis, nihil vident de particularibus futuris, quæ operaturi ſunt, ſicut manifeſtum eſt tibi, quòd pater Socratis non intendebat generare Socratem ſingulariter, & determinatè. Similiter nec ædificator intendit iſtam domum ædificare ſecundùm individuum vagum, ut Ariſtoteles ait. Sic nec ſolùm intendit generationem hujus numero floris, aut hujuſmodi pomi, & adhuc modum ſe habet de aliis operatoribus.
C Quare manifeſtum eſt, quòd virtus cœleſtis non eſt determinatè intendens in generationem hominum, vel quorumcunque animalium, & propter hoc nec in generationem hanc, vel ſæculi hujuſmodi. Ampliùs. Virtus, quæ intendit generationes ſæculorum, & efficit eas, aut intendit eſſe particularium generatorum propter eſſe eorum, aut intendit illud propter conſervationem ſæculorum. Quòd ſi intendit eſſe particularium propter hoc, ut ipſa ſint: non intendit igitur deſtructionem illorum, quare deſtructio eorum eſt à caſu, quantùm ad intentionem ipſius, cùm ſit præter illam, & inſuper, cùm intendit eſſe eorum ex neceſſitate quantùm in ipſa eſt, erit prohibens non eſſe eorum, quapropter & deſtructionem. Quòd ſi dixerit, quia reverà intendit eſſe eorum, ſcilicet prout convenit, & patitur natura eorum: natura verò eorum, id eſt, naturalis infirmitas non patitur ea eſſe, niſi ad modicum, ſicut dicit Ariſtoteles, quòd ſingularia minimè eſſe poterant, propter longè à principio diſtare. Intentio igitur iſtius hominis eſt, quòd intendit eſſe hujuſmodi particularium breve, & modicum. Quia verò
D non eſt minus malum non eſſe, quàm ſit bonum eſſe, quia non minùs hoc nocet, quàm illud proſit, & inſuper ipſum non eſſe majus eſt, cùm extendatur in triginta ſex millia annorum, ipſum verò eſſe ad plus in paucos annos, quomodò operatur tam modicum bonum, & non prohibet tantò majus malum? Ampliùs. Vel erit reſurrectio mortuorum hominum univerſalis, vel non erit. Si erit: impoſſibile autem eſt, ut corpora hominum ſint numero infinita, ſicut alibi didiciſti: non erunt autem plures animæ, quàm corpora; aut econverſò. Erunt igitur animæ finitæ numero. Completo igitur illo numero ſtabit creatio earum, & propter hoc generatio hominum. Si verò non erit reſurrectio hominum, & regeneratio humanorum corporum; erunt

Nota. Nota. Nota.

igitur animæ otioſæ perpetuò ſecundùm vires ſuas, per quas operantur in corpore, & ita penè ſupervacuæ, & prorsùs inutiles erunt vires illæ; cùm non ſint utiles, niſi ad valdè modicum, videlicet ad breve illud temporis, quo animæ ſunt in corporibus, quod eſt quaſi nihil ad comparationem perpetuæ otioſitatis, in qua erunt, cùm animæ ſolutæ erunt à corporibus ſuis, quare modis omnibus neceſſe eſt ſtare creationem animarum, & generationem hominum, & propter hoc, omnem generationem, quæ eſt propter illam, niſi forſitan alia appareret utilitas aliarum generationum. Ampliùs. Si circulus eſſet in generationibus, & ſæculis, ita ut eadem omnia reverterentur, eadem inquam numero, fieret ex neceſſitate reſurrectio & regeneratio omnium, non ſolùm generabilium ſubſtantiarum, & corruptibilium, ſed omnium accidentium ipſorum, hoc eſt, omnium quantitatum, & qualitatum: hoc autem eſt inconveniens, quod nemo adhuc dicere auſus eſt, videlicet, ut eædem omnes ſubſtantiæ, eademque omnia accidentia numero revertantur. Tunc enim & ipſa eadem mors reſurgeret, & eædem corruptiones generarentur; hoc autem fieri non poſſet per vim regenerativam, quam diximus, cùm manifeſtum ſit res innumerabiles omninò non habere illam. Per hanc etiam viam neceſſe habent confiteri eaſdem aquas numero ſingulis F annis reverti per alveos fluviorum, quare nec ſtillam unam aquarum poſſe ullo modo vel retineri, *Nota.* vel aliter impediri, quin regeneretur, & revertatur in anno ſequenti. Nemo autem dubitare poteſt, quin per multos annos aliquid aquæ ſalvari poſſet in vaſe vitreo, vel alterius modi: quare impoſſibile eſt fieri renovationes omnium aquarum ſingulis annis. Ampliùs. Secundùm hoc, eoſdem panes comederemus, eaſdem aquas biberemus, eadem vina biberemus ſingulis annis, & de aliis, quibus ad eſum utimur, ſimiliter ſe habere oporteret: iidem etiam capilli renaſcerentur in nobis. Quæ omnia etiam manifeſtum eſt eſſe impoſſibilia, cùm manifeſtum ſit capillos tonſos ſervari poſſe, donec in *Nota.* eâdem magnitudine ſint alii generati. Quòd ſi di- G xerit, quia non de partibus capillorum, ſed de totalitate intelligendum eſt totum, videlicet, quia cùm capilli, vel pili ad eam magnitudinem pervenerint, ut ultra in eo, cujus ſunt partes, creſcere non debeant, tunc regenerabuntur, & non ante, & eodem modo ſe habet de pilis, lanâ, cornibus, & de aliis ſuperfluitatibus animalium: ſermo iſte multis modis apparet eſſe erroneus. Primùm, quia vel erit finis univerſalis omnium hujuſmodi, quemadmodùm & ipſi ponunt reincœptionem univerſalem, aut deducetur paulatim unumquodque ad finem ſuum. Quòd ſi fuerit finis univerſalis omnium, & poſtmodùm ſtatim reincœptio, neceſſe eſt, ut fiat hoc altero duorum modorum, videlicet, ut ſubitò, vel per ſucceſſiones, ſicut factæ fuerunt ipſæ regenerationes. Quòd ſi ſubitò, habebunt igi- H tur & accipitres, & aquilæ, & aliæ aves, quæ renovant plumas ſuas, tot paria plumarum ſimul, quot mutationes habuerunt ipſarum ſimiliter, & cervi tot paria cornuum, quot mutationes ipſorum fecerunt. Similiter & equi habebunt ungulas cum omnibus detruncationibus, quæ eis factæ ſunt tanta multitudine, & frequentia ferrationum. Similiter & oves cum omnibus velleribus, quæ tot tonſionibus amiſerunt, reparabuntur, & omnes thiri cum omnibus pellibus, quas tot renovationibus depoſuerunt. Ipſi verò homines cum duobus paribus dentium, & cum ridiculosâ, ac deformiſſi- *Nota.* mâ immenſitate unguium. quare manifeſtum eſt impoſſibile eſſe, ut amiſſæ ſuperfluitates ſic, videlicet,

E ſucceſſive, & per partes conſumptæ, ſive corruptæ, ſimul reſtituantur eis, quorum fuerunt. Manifeſtius autem eſt hoc in foliis, floribus, & fructibus arborum, ſimiliter & in frondibus arborum quarum frondes ſæpè reſcinduntur, quales ſunt ſalices, & vites, & ſilvæ cedrinæ. In his autem manifeſtum eſt omnes prænominatas ſuperfluitates ſimul eſſe non eſſe poſſibile. Quòd ſi dixerit, quia non ſimul fiet iſta renovatio, ſed ſucceſſivè, & per partes, & eodem ordine, quo fluxerunt per corruptionem, generabilia revertentur, ut iterùm fluant, tunc redit ratiocinatio in id ipſum, quod priùs, videlicet, ut qui modò nepotes ſunt in centeſimâ, vel amplioris numeri generatione, nepotes inquam progenitorum ſuorum, fiant vice versâ ipſi progenitores illorum, in non minoris numeri generationes. Accidit etiam aliud impoſſibile ſecundùm hoc, quia vel in iſtâ regeneratione erunt omnes homines infantuli, ſimiliter & omnes mulieres. vel erit ſicut modò eſt. Si omnes infantuli: ergo ſine patribus, & matribus, ex quibus ergo nati ſunt à quibus geniti? Hæc *Nota.* igitur via manifeſtè impoſſibilis eſt, nec eſſet renovatio iſta, ſed potiùs quantùm ad homines univerſalis corruptio, atque mortificatio. Parvuli enim, ſtatimque nati, & geniti, nec per diem vivere poſſent ſine matribus, vel nutricibus. Si verò tunc erunt F illis patres, & matres, & nutrices, ſicut & modò, manifeſtum igitur eſt, non eſſe generationem univerſi generabilis, atque corruptibilis, niſi forſitan delirare velint, quòd iſte ſtatus, qui modò eſt, ejus eſt ſtatus, quam ſomniant, generationis. Ampliùs. Accidit in pluribus generabilium, & corruptibilium, quòd particulatim, & non in uno loco corrumpuntur. Qualiter igitur intelligunt regenerationem hujuſmodi fieri, & convenire materias de tam diverſis, & tam remotis locis, & unam virtutem agentem eſſe, quæ agat ſimul in totalitatem materiæ diſperſæ ſic: ab uno enim agente, neceſſe *Adverte.* eſt unumquodque generabilium generari. Quòd ſi dixerit, quia virtute creatoris, quam conſtat eſſe potentiſſimam, fiat renovatio iſta, & non virtute G naturæ, neque virtute alicujus agentis per naturam: in hoc jam declinant ab errore iſto, & incipiunt appropinquare veritati. Verùm contrarij ſunt ſibi ipſis, cùm paulò ante adjeciſſent, quia circulatio mundi ſuperioris, cauſa eſt circulationis mundi inferioris, de quâ agitur. Ampliùs. Accidit eis annum iſtum, hoc eſt, reverſionis, & reparationis quam ponunt, non potiùs incœpiſſe ab initiis motuum ſtellarum, & luminarium, & ipſius ſphæræ ſtellarum fixarum, quàm ab aliis quibuſcunque punctis, vel terminis motuum eorundem: ab iſto enim nunc incipit ſtatus quidam rerum generabilium, & corruptibilium, qui terminabitur in ultimo nunc triginta ſex millium annorum, qui ab iſto nunc incipiunt. Et ad hunc modum eſt videre de quolibet nunc, ſiquidem ab ipſo in- H cipit tempus triginta ſex millium annorum. Quare ſimiliter eſt ſtatus, ſive ſæculum generationum, & corruptionum, & aliarum mutationum, quæ futuræ ſunt in totalitate temporis illius, & ſimiliter renovatio futura in ultimo temporis illius. In quolibet igitur nunc incipit annus vertens, qui eſt annus fluxus generabilium, & corruptibilium, & renovationis, atque reverſionis ipſarum. De hoc autem, quod nonnullos moviſſe videri poteſt ex philoſophis, & adhuc movere videtur multos ex vulgaribus hominibus, conveniens eſt, ut aliquid loquar tibi: hoc autem eſt, quia vident in hominibus, & aliis animalibus virtutem generativam permanere, & operari generationem, donec appropinquet finis vitæ eorum, eandem perſeverantiam

tiam virtutis generativæ, & generationis vident in terris, & aquis: nec apparet ullus defectus, vel debilitatio, vel hinc, vel inde. *Nota.* Quia igitur vis generativa, & operatio ejus, cauſa eſt continuitatis, & perſeverantiæ rerum generabilium, & corruptibilium, neceſſe eſt perſeverare, & perennem eſſe generationem, & corruptionem in illis. Quare ſtatum generationis, & corruptionis perennem eſſe eis viſum eſt, nec unquàm habiturum eſſe finem. In rebus enim non perſeverantibus in eſſe neceſſe eſt defectum, & defectibilitatem apparere, & etiam in cauſis earum. Nos autem (aiunt) videmus concupiſcentias virorum in mulieres, & econversò, nec minores eſſe in filiis, & filiabus, quàm in parentibus fuerint, ſollicitudines generandi, & nutriendi, nubendi, & nuptui tradendi. Eodem modo ſe habet de agricolationibus, & vegetationibus, & navigationibus, & de aliis hujuſmodi vitæ actionibus: quare inquiunt, ſicut eſt modò, & ita ſemper erit. Poſtquàm enim neque apud cauſas, neque apud effectus invenitur defectus, neque debilitas, neque laſſitudo, neceſſe eſt perſeverare, & eſſe, perſeverare inquam perſeverantiâ hujuſmodi hoc eſt, univerſalitatis, & ſucceſſionis. Hæc autem ratiocinatio debilis eſt, & eſt ſermo iſte hominum, qui naturam ſolam poſuiſſe videntur, & gubernationem Dei altiſſimi, cui totaliter ſervit natura, penitùs ignoraſſe. *Nota.* Sicut enim equus validiſſimus, quamdiù ei vires ſuppetunt, ſeſſorem portat motu uno & æquali: verumtamen in voluntate ſeſſoris eſt motum ejus, vel omninò ſiſtere, vel accelerare, vel aliter moderari, ſed apud equum nec laſſitudo, nec debilitas aliqua eſt, nec nova virtus ei accreſcit: ſic creatoris virtus dominantiſſima curſus hujuſmodi naturaliter ſiſtere omninò cùm voluerit, & accelerare, & retardare abſque laſſitudine, & debilitate earum, poteſt pro beneplacito ſuo, laſſatis etiam, & debilitatis, naturis vires novas dare, & veteres confortare: & ſicut molendinarius fluxum aquæ vel ſiſtit, vel avertit, vel liberum dimittit, prout vult: ſimiliter ſiſtit eundem, & retinet, & etiam ipſum, cùm vult, facit inundare copioſiùs. Non eſt igitur in poteſtate naturæ, ut fluat, vel ut magis, vel minùs fluat, vel etiam, ut ſtet fluxus ejus, ſed in ſola poteſtate creatoris regentis eam ſapientia ſua, cujus non eſt enarratio, & potentia ſua imperioſiſſima moderantis eandem. Hæc eſt veritas, quam apertè viderunt, & ſcripſerunt prophetæ illuminati ſplendore, qui vocatur prophetia. Hanc etiam cognoverunt, & ſcripſerunt ſapientes chriſtianorum, ejuſque credulitatem genti ſuæ communicare doctrinis ſuis, & exhortationibus, *Nota.* non tanquàm veram tantùm, ſed tanquàm ſalutarem, & creatori placitam firmare, ſolicitè ſtuduerunt. Attribuunt ergo philoſophi cauſis naturalibus in aliquibus, ultra quàm ipſis competeret ſicut per me alibi didiciſti. Fortaſſis autem aliquid veritatis ſubeſt ſermoni Avicennæ, licet habeat contradictionem multam, & fortem. Sermo autem ipſius eſt, quem dixit de duabus naturis, videlicet univerſali, & particulari. Intelligo, inquit, per naturam particularem, virtutem propriam regiminis unius individui, videlicet regitivam unius individui, & intelligo per naturam univerſalem virtutem infuſam in ſubſtantias cœlorum, quaſi unam rem, & gubernantem univerſitatem generationum, & adjecit quia motus, qui intendit in infinitum, eſt unus per continuationem, & intellexit per infinitum, durabilitatem interminatam tam ipſius motus cœleſtis, quàm generationum in mundo ſublunari, & in hoc erravit, quia ſi verum eſt, quod intellexit *Nota.* de natura univerſali, ex neceſſitate eſſet intentio ipſius, hoc eſt, naturæ univerſalis contra ordinem, & beneplacitum creatoris, quem dico poſuiſſe terminum generationum ſicut ſcies in ſequentibus. Manifeſtum etiam eſt tibi, quoniàm intentio naturæ univerſalis, quam ponit in infinitum durabilitatis, tam motus cœleſtis, quàm generationum, non poteſt eſſe niſi altero duorum modorum, hoc eſt, vel particularis, vel univerſalis, & intelligo intentionem particularem infinitæ durabilitatis unius individui, & unius motus, vel unius generationis. Hæc autem intentio non ſolùm eſt fruſtra, ſed etiam impoſſibilis, cùm impoſſibile ſit aliquod hujuſmodi individuorum ſecundùm intentionem ipſius durare in infinitum. Non enim de cœleſtibus individuis, ſed de ſolis ſublunaribus loquor. Si verò univerſalis eſt iſta intentio, non ſolùm impoſſibilis videtur, ſed etiam ridiculoſa. & hoc eſt, quoniàm ſi intendit generationis durabilitatem in infinitum, nam virtus illa, quam dicit naturam univerſalem, neceſſe eſt, ut intendat ſimul durabilitatem corruptionis infinitam. Quapropter erit intentio hæc non ſolùm, ut generentur individua infinita ſublunaria, *Nota.* & in infinitum, ſed etiam ut corrumpantur ſimiliter; quare erit intentio hæc naturalis ad contraria, & intendet hæc natura non ſolùm generare ſed etiam corrumpere, & deſtruere quæ generavit. Hoc autem non videtur eſſe poſſibile, ut natura una, & eadem contraria intendat. Ridiculoſa etiam eſt, quoniàm intentio ædificandi, & deſtruendi unam, & eandem domum in ædificatore ridiculoſa eſt. Et qui ædificat domum unam, & ædificando deſtruit, perinde eſt, ac ſi eam non ædificaret. Quòd ſi dixerit, quia durant per partem aliquam temporis individua generabilia, & corruptibilia, videlicet tempore vitæ ea, quæ vivunt, & ſic unumquodque aliorum: manifeſtum eſt tibi, quia vita ipſa non durat, nec permanet. Quare recipiendo vitam, amittunt eam, & conſequenter vivendo moriuntur, & moriendo vivunt. De hoc etiam, quod dixit, quia virtus hujuſmodi intendit in infinitum, videtur quòd eo modo poſſet dixiſſe, quòd ſimiliter *Nota.* intendit in nihilum, quoniàm quemadmodum intendit in eſſe per generationem continuam, ſic intendit in non eſſe per corruptionem continuam; quapropter in nihilum. De eo verò quod dixit, virtutem hujuſmodi infuſam in ſubſtantias cœlorum: ſcito quòd habet dubietatem, & involutionem multam. Primùm de hoc quod dixit virtutem, ac ſi intelligeret unam virtutem eſſe in ſubſtantiis omnium cœlorum. Tu autem ſcis quia nec una qualitas, nec anima una, infuſa poteſt eſſe in ſubſtantiis omnium cœlorum etiam ſecundùm ſententiam ipſius, cùm ipſemet poſuerit, & ſe declaraſſe crediderit in libro ſuo, quem ſcripſit de anima, quia unicuique corpori animato eſt anima propria, & nulla eadem multis, & de qualitatibus, atque aliis accidentibus, nec tibi, nec alij dubium, quin appropriatæ ſint ſigillatim ſuis ſubjectis. Subſtantiam verò ſeparatam non intellexit virtutem infuſam in ſubſtantias cœlorum, cùm infuſio, & ſeparatio contraria ſint. Si verò intellexit virtutem iſtam ipſam eſſentiam creatoris, & intellexit eam infuſam in ſubſtantias cœlorum quoniàm in illis eſt, ut in unaquaque earum (non quemadmodùm ſenſit Abubacer Sarracenus, qui dixit in expoſitione auditus Ariſtotelis, quòd Deus erat ſpiritus cœli) appropinquavit utcunque ad veritatem, & hoc didiciſti in primo tractatu magiſterij hujus, ubi te feci ſcire, quòd creator benedictus & ſublimis in unaquaq; ſubſtantiarum eſt, & ex ipſius præſentia eſt unicuique earū quicquid boni habet. Omne enim bonum, *Nota.* omnis virtus, omnis pulchritudo, velut quædam redundantia eſt primi, & univerſalis fontis quòd ſi de

hac virtute intellexit Avicennæ ſermo prædictus, E propter quid dixit eam infuſam eſſe in ſubſtantias cœlorum, cùm in aliis ſubſtantiis ſic eſſe infuſa non dubitetur? Non minorem quoque dubitationem, aut involutionem habet, quòd ſubjunxit in ſermone ſuo, videlicet, tanquàm unam rem. Utrùm enim intellexit virtutem illam infuſam eſſe, tanquàm unam rem, an ipſas ſubſtantias cœlorum eſſe, tanquàm unam rem, non ſatis perſpicuum eſt: quòd ſi virtutem ipſam intellexit, tanquàm unam rem, revertitur eadem quæſtio, quæ priùs, videlicet cujuſmodi unam rem intellexerit, an unam animam, an unam qualitatem, an unam ſubſtantiam ſeparatam, ſicut prædixi tibi, & unumquodque iſtorum impoſſibile eſt, ſicut jam audiviſti. Si verò ipſas ſubſtantias cœlorum voluit intelligere, tanquàm unam rem, hæc intentio indubitanter eſt magis erronea. Quis enim dicat, ſubſtantias cœlorum eſſe unam rem, vel tanquàm unam rem? Nec minus erroneum videtur, quòd dixit, virtutem illam gubernatricem generationum, cùm generationes in multis generibus animalium, & vegetabilium, tot caſibus, & peſtibus expoſitæ ſint, & multimodis corruptionibus, quarum pars magna de cœlis provenire videtur. F Qualiter igitur gubernans eſt generationum virtus illa, quam tam multipliciter deſtruit? Frigus enim ſuperfluum & calor immoderatus: ſimiliter ſiccitas, & humiditas deſtruunt multas ex generationibus. *Nota.* Harum autem qualitatum elementarium ſuperfluitates, & diminutiones ab hujuſmodi virtute eſſe ipſemet poſuit. In generationibus verò hominum eadem accidunt: quam igitur intellexit generationem philoſophus iſte? Gubernatio namque & navem defendit à periculis, & navi providet contra ea: nec gubernans, aut gubernator navis dicitur qui eam ſcienter mittit, ſive immittit in pericula vel naufragiorum, vel alia. Si verò virtus illa non inducit pericula generationum, quæ prædicta G ſunt, immò præter intentionem ejus, & contra voluntatem eveniunt gubernabilibus, non poteſt dici gubernans earum ſimpliciter. cùm pericula gubernationum nec minora, nec potiora ſint, quàm profectus ipſarum. quapropter & improvidè commiſſa eſt ei hujuſmodi gubernatio generationum, utpotè ignaræ tot & tantorum periculorum, vel infirmæ, dùm ea avertere, & eiſdem occurrere non poteſt. Ipſa etiam virtus hujuſmodi propter quid gubernationem iſtam ſuſcepit, quam ſupra prudentiam ſuam, & vires eſſe, ignorare non potuit, niſi & ipſa fuerit etiam intolerabili ignorantiâ obcæcata?

CAPUT XIX.

Contra Origenem ponentem corporum annihilationem.

POſtquàm autem jam patefactus eſt tibi error iſte, quomodò poſuerit quidam circularem re- H novationem generabilium, & corruptibilium, & *Nota.* reverſiones mundi ſublunaris juxta reverſiones cœlorum, ſtellarum, & luminarium ad initia motuum ſuorum, & declaratæ ſunt tibi abſurditates, & impoſſibilia, quæ ex hujuſmodi errore proveniunt: conſequens eſt, ut alium errorem, qui penè ſimilis eſt huic, incipiam tibi deſtruere, & hic eſt error, qui impoſitus fuit à quibuſdam uni ex præcipuis doctoribus chriſtianorum, & iſte fuit ex ſapientibus theologis græcorum, & vocatus fuit Origenes. Apparebit autem tibi ipſum nullatenùs iſtud ex ſententia, & aſſertione dixiſſe, non ſolùm ex verbis ejus, ſed etiam ex incredulitate, & impoſſibilitate erro- *Nota.* ris, quo magiſter tantæ ſapientiæ, & eruditionis involvi pertinaciter, finaliterque non potuit. Error autem hic eſt, videlicet, quòd tota humana natura reſolvetur in nihilum, quantùm ad corpora, quoniàm glorificatis animabus, uſus corporum non erit neceſſarius ſecundùm hunc errorem, quin potiùs oneroſus, & cùm ſecundùm opinionem omnium retrò philoſophantium corpora non ſint animabus humanis data, niſi ut ſanctificentur, & perficiantur in eis perfectionibus, quibus præparentur ad fœlicitatem æternam, & dignæ fiant eadem, ad quam, & propter quam ſolam, creatæ ſunt: quare expleto iſto miniſterio, & obtentâ iſtâ utilitate per ipſa ceſſabit eſſe eorum, tanquàm ulterius inutile, & ſupervacuum; ſed & obtentâ fœlicitate, & gloriâ animarum, quia remanebit in animabus noſtris naturalis mutabilitas, & ſeparabilitas à gloriâ hujuſmodi, tanquàm eis adventitiâ, & accidente, fiet immutatio in animabus, quâ & peccabunt, deſiderantes incorporari. propter cujuſmodi peccatum expiandum, & ſanctificationem animarum perficiendam, erit uſus corporum neceſſarius, quapropter fiet regeneratio corporum humanorum, donec iterùm præparatæ, & ſanctificatæ animæ noſtræ obtineant denuò fœlicitatem prædictam, à quâ iterùm cadentibus reſtituantur iterùm corpora, & hoc finem non habeat in æternum. Impoſſibilitas igitur iſtius erroris primùm apparet ex eo, quod in eo dicitur, quia uſus corporum non erit neceſſarius glorificatis animabus. Hoc enim manifeſtum eſt eſſe falſum. In primis, quoniàm non perfectam poſſibile eſt eſſe gloriam animarum ſeorsùm à corporibus, quoniàm vires, quarum operationes ſunt per corpus, remanent quaſi extinctæ; naturalis autem moleſtia animarum noſtrarum, quam patiuntur ab impedimentis hujuſmodi virium, certiſſimum indicium eſt, partem perfectionis, & fœlicitatis earum, eſſe perfectionem virium hujuſmodi. Ampliùs. Quid eſt aliud dicere animam humanam beatam, vel glorificatam eſſe amiſſo uſu ſenſuum, & aliarum virium, quibus operatur per corpus, quàm hominem plenè beatum, & glorioſum eſſe cæcum, ſurdum & mutum, aliiſque hujuſmodi operationibus corporalibus omninò ineptum? Ne attendas autem mendaciis, & deliramentis quorundam, qui negant animas humanas videre, audire, & cæteras operationes, quæ per corpus ſunt, exercere: ſed hominem juxta verbum Ariſtotelis dicunt hujuſmodi operationes exercere in animâ: cùm manifeſtum *Adverte.* ſit, operationes, quæ per inſtrumenta fiunt, fieri propriè ab ipſo, qui utitur inſtrumentis, & ipſum propriè operationes hujuſmodi operari. Cùm igitur corpus ipſum humanum totaliter inſtrumentum ſit animæ humanæ, & membra ſingula, ſimiliter neceſſe eſt ipſam operari operationes, quæ per ea fiunt, & ejuſdem eſſe proprias, propriéque de eâdem dici. Videre igitur, & audire propriæ operationes ſunt animarum, cujus autem actus, ejuſdem, & potentia, quare viſus, & auditus, & cætera hujuſmodi, vires ſunt. & potentiæ animarum humanarum, quapropter & oppoſita earum, videlicet cæcitas, & ſurditas, & cæteræ privationes hujuſmodi: oppoſita enim ſemper, & maximè privatio & habitus, ejuſdem ſunt, & circa idem naturaliter. Manifeſtum autem eſt hoc in privatione, & habitu. De hoc verò, quod dixiſſe dicitur, quia corpora humana non ſunt neceſſaria glorificatis animabus, & propter hoc ceſſabit eorum eſſe omninò: manifeſtum eſt, quòd non ſunt neceſſaria ad eſſe earum, ſed adjuvantia, ſunt & expedientia multum ad completum benè eſſe earum: eſt enim nonnulla pars benè eſſe earum gloria virium prædictarum, quam ſcire te faciam in ſequentibus. Ampliùs. Si delectationes corporales

Digitized by Google

corporales extinguit in animabus humanis omne deſiderium delectationum ſpiritualium : quantò *Nota.* fortiùs delectationes fœlicitatis æternæ, quæ incomparabiliter majores ſunt, extinguent in animabus noſtris omne deſiderium delectationum corporalium ; quare & deſiderium incorporandi, cùm hujuſmodi deſiderium non ſit, niſi propter delectationes corporales. Nihil enim habent deſiderabile animæ humanæ pro ſtatu præſentis vitæ, niſi delectationes hujuſmodi. Cætera enim, quæcunque corporum ſunt in iſta miſeria, moleſta, & oneroſa ſunt animabus. Ampliùs. Amor æternorum, ac cœleſtium gaudiorum animas humanas faſtidire facit delectationes corporales, & quod plùs eſt pugnare contra eas, & earum deſideria & inſuper eſſe in hujuſmodi corporibus, atque deſiderare diſſolutionem ab ipſis propter innumerabiles moleſtias, & impedimenta, quæ præſtant eiſdem. Quantò fortiùs igitur incogitabilis ſuavitatis illa fœlicitas non ſolùm reprimet, ſed extinguet in animabus noſtris deſiderium tam moleſtæ, tamque oneroſæ habitationis, qualis eſt pro ſtatu miſeriæ iſtius habitatio earum in corporibus noſtris ? Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia deſiderium fœlicitatis illius facit odire animas ſanctas habitationem corporum noſtrorum, licet permodicum ſit, & vix tepidum : *Nota.* quantò fortiùs igitur amor habitationis, & gloriæ cœleſtis, quo ſupra omnem cogitatum ardebunt, cùm eam continebunt, non patietur hujuſmodi terrenæ habitationis deſiderium advenire glorificatis animabus? Ampliùs. Amore illo in ſuo ardore permanente, impoſſibile eſt amorem contrarium, ſeu contrarium deſiderium advenire, vel eſſe in animabus beatis. Si igitur advenit, neceſſe eſt amorem illum vel tepeſcere, vel frigere : quare neceſſe eſt, ut hoc fiat uno trium modorum, videlicet vel ſatietate, vel faſtidio, vel corruptione perverſitatis, quæ fiat in animabus ipſis. Jam autem patefactum eſt tibi alibi quia etſi ſatietas, & plenitudo deſideriorum cumulatiſſima apud fœlicitatem illam ſit, non tamen per eam minuitur, aut tepeſcit amor, quemadmodùm contingit in corporalibus delitiis, quæ ardenti amore, & deſiderio non habitæ diliguntur, & appetuntur, ſua verò ſatietate amorem ſui minuunt, & extinguunt. Ibi autem impoſſibile eſt ſic ſe habere multis de cauſis. Primùm quia ſuavitas primæ bonitatis non eſſet prima, aut perfecta ex omnibus modis ſuis, ſi hoc modo ſatiativa eſſet, videlicet, ut amorem ſui, vel deſiderium ſui, frui- *Nota.* tione, vel obtentu minueret. Ampliùs. Hoc ipſum videmus in multis bonitatibus, quæ obtentu ſuo amorem ſui augent, donec plenè, ac perfectè obtineantur : quamdiù verò augentur in ſubjectis ſuis, augetur amor, & deſiderium earum in eiſdem ſubjectis : cùm autem in ſuâ plenitudine, & perfectione obtentæ fuerint, & hoc certum fuerit obtinentibus, quieſcit quidem deſiderium, quod eſt motus ſpiritualis in ipſâ ; amor autem earum permanet in ſua plenitudine, & perfectione. Quare impoſſibile eſt vel amorem primæ bonitatis, vel gaudium, quod ex eâ eſt in gloriâ, ibidem extingui, vel etiam tepeſcere. Quare impoſſibile eſt contrarium alterutrius eorum illuc ullo modorum attingere. Contraria enim impoſſibile eſt generaliter in eodem ſecundùm idem eſſe. Sed neque pugnam contrariorum, neque rebellionem ullo modorum patitur ſtatus ille. Ampliùs. Sicut ignis corporalis materiam *Nota.* calefactibilem in ſitu ſuo debito, & conjunctione, ſeu oppoſitione ſibi convenienter obviantem frigere non patitur : ſic & in igne ſpirituali ſe habere manifeſtum eſt : & quemadmodùm quantò ignis corporalis fortior, atque perſeverantior ; tantò operationem ejus fortiorem eſſe, atque perſeverantiorem eſt neceſſe, quia prima, ac puriſſima bonitas, ignis ſpiritualis eſt, cujus calor eſt amor in ipſam, neceſſe eſt & ſubſtantias angelicas ſanctas, & animas beatas pro magnitudine ignis iſtius, atque perſeverantiâ, ab eo calefieri & ardere. Durante igitur conjunctione illâ convenientiſſimâ, quâ tantæ fornaci ſic conjunctæ ſunt ; impoſſibile eſt eas, vel tepeſcere, vel frigere : quare impoſſibile eſt eis contrarium ignem, vel ardorem ad illas attingere. Ampliùs. Quoniàm amor vinculum eſt, & quantò major, & fortior, tantò majus, & fortius vinculum ; quantò autem fortius vinculum, tantò à rupturâ, & diſſolutione longius : quia igitur amor, quo hujuſmodi ſubſtantiæ primæ, ac puræ, bonitati alligatæ ſunt & aſtrictæ, eſt in ultimitate magnitudinis, erit ex neceſſitate in ultimitate elongationis à rupturâ, & diſſolutione : erit igitur omninò irrumpilis, & indiſſolubilis, & propter hoc impatiens contrarij amoris, & deſiderij. Quòd ſi dixerit, quia deſiderium eſſendi in *Nota.* corpore, ſive incorporandi, vel corporis inhabitationis, non eſt contrarium amori cœleſtis illius, & glorioſæ habitationis : dico, quia ſermo ejus erroneus eſt in hoc, quoniàm deſiderium iſtud ex neceſſitate aut eſt deſiderium nudæ hujuſmodi habitationis, & qualis ſcilicet eſt in ſtatu miſeriæ præſentis, & tunc deſiderat ſtatum illum ærumnoſum propter ipſam ejus miſeriam, quod eſt impoſſibile, aut eſt propter corporales delitias, & tunc manifeſtè contrarium eſt amori delitiarum gloriæ, ſicut jam alibi ſcire te feci, videlicet in capitulo deſtructionis paradiſi carnalis, quem gens Sarracenorum poſt hanc vitam expectat, aut eſt propter perfectionem virium, quibus operantur per corpora ſua, & hoc eſt indubitanter naturale deſiderium, & haberet moleſtias duriſſimas, & afflictionem graviſſimam niſi vel ſpes reſurrectionis corporum, in quâ hujuſmodi perfectionem obtenturæ ſunt, eas con- *Nota.* ſolaretur vel ipſa, in quâ ſunt, fœlicitatis ſuavitas, omnem hujuſmodi dolorem propelleret, vel potiùs abſorberet, quamquàm & tanta ſit eis voluntatis rectitudo, ut nihil eas velle, vel deſiderare patiatur, niſi quod fuerit divinæ beneplacitum voluntatis ; nec deſunt etiam illæ duæ virtutes, quæ patientia, & longanimitas vocantur, quarum altera, videlicet patientia, moleſtiarum amaritudines dulcorat, altera, videlicet longanimitas, dilationis, & longæ expectationis tædium conſolatur : utraque verò in tanto ſpei gaudio, tantaque obtinendi certitudine tantum præſtat conſolationis ſolatium, ut tædium hujuſmodi procul pellat. Propter igitur iſtam cauſam manifeſtum eſt, nullam ex carentia corporum moleſtiam, nullum ex dilatione, vel longâ expectatione tædium apud iſtam fœlicitatem penitùs poſſe eſſe. Manifeſtum eſt tibi etiam ex hoc, quod audiviſti hîc, & ex aliis, deſiderium incorporandi, ſi naturale eſt, hoc eſt, propter perfectiones virium, quibus animæ noſtræ operantur in corpore, & per corpus, non eſſe peccatum, nec culpabile, nec ullo modo expiabile. Quare propter expiandum illud non eſt neceſſarius uſus corporeus, hoc eſt, corporum humanorum, vel aliorum, quæ propter utilitates hominum creata ſunt. Sed reverà propter perfectiones virium animarum noſtrarum quæ per corpora operantur, uſus corporeæ naturæ neceſſarius eſt, & erit ſemper & hoc nulla dubitat anima, niſi quæ ſe, & naturam ſuam ignorat. Reminiſcere etiam hîc, quia à primâ, & purâ bonitate, poſtquàm hujuſmodi glorificatâ conjunctione conjunctæ *Nota.* ei fuerint animæ noſtræ, nec violentiâ, nec voluntate propriâ, ab eâdem ſeparabiles ſunt. Cauſa autem in hoc eſt, quia violentia ſublime fœlicitatis

iſtius nullo modorum attingit, ſed neque voluntate propriâ eas averti ab eâdem poſſibile eſt, quoniàm omne, quod ab alio voluntate propria ſeparatur, non ſeparatur ab eo, niſi altero duorum modorum, ſive alterutrâ duarum cauſarum, videlicet, aut propter hoc quoniàm aliquid ſibi moleſtum in eo ſentit, quod impoſſibile eſt eſſe in primâ, ac puriſſimâ bonitate, aut propter hoe, quoniàm aliud ſuo placore, ſeu ſuavitate illud attrahit, & propter hoc neceſſe eſt ipſum eſſe majus cum placore, & ſuavitate, quàm illud quod pro eo dimittitur, quod verum impoſſibile eſt eſſe apud fontalem bonitatem. Vides, quemadmodùm prædixi tibi, quia ſermo hujuſmodi non eſt hominis, qui naturam animarum humanarum, & divinæ bonitatis ſuavitatem vel ad modicum cognoverit: adeò enim rapit in ſe divina bonitas & pulchritudo animas, quibus ſe intuendam, ac ſentiendam exhibet, & apponit, ut aliud eis cogitare vel non libeat, F vel non liceat. Etſi enim aliud, vel alia videant, qui cum in tanta humani illuminatione intellectus intuentur, in ipſo, & per ipſum, & propter ipſum hoc faciunt, quapropter non tanquàm ſeparatum, & ſeorſum, aſpectuque declinato ab incogitabili pulchritudine creatoris, illud intuentur ſed in ipſo intuitu pulchritudinis ipſius: tantò autem clariùs, tantóque certiùs unumquodque *Nota.* aliorum cognoſcunt, & vident, quantò in luce, ac pulchritudine creatoris magis eſt defixus, & à declinatione elongatior eorum intuitus. Faciam autem te ſcire in ſequentibus, quia quicquid cognoſcunt vel angeli ſancti, vel intelligentiæ, ſi tamen ſunt, quod dico, quia earum eſſe nondùm ſtabilitum eſt apud me, & jam ſuper hæc aliqua in præcedentibus audiviſti: dico igitur, quia quicquid G cognoſcunt, magis cognoſcunt illud in creatore, id eſt, intuendo creatorem ipſum, quàm aciem intellectus dirigentes in illud, & idem dico de animabus, quæ ſecundùm doctrinam chriſtianorum, in gloria angelorum jam beatæ ſunt, & de omnibus aliis glorificandis, ſicut ſcies in ſequentibus. Nunc autem revertar ad alias partes præmiſſæ diviſionis, & dicam; quia infaſtidibilitas eſt de propriis perfectionibus divinæ bonitatis, atque ſuavitatis. Alioquin nec prima, nec pura eſſet, neque ex modis ſuis omnibus perfecta: neque enim mediocris perfectio eſt in bonitatibus, ac ſuavitatibus infaſtidibilitas. Ampliùs. Si faſtidibilis eſſet: eſſet neceſſariò moleſta, atque contriſtans poſſeſſores ſuos: faſtidium enim longum ex neceſſitate ſequitur contriſtatio. Quare non eſſet delectans, niſi propter ſui deſiderium, vel famem: hoc autem modo & cineres, & carbones, & lutum ſordidiſſimum delectabilia ſunt H quibuſdam ægrotantibus, ſimiliter quibuſdam mu- *Nota.* lieribus prægnantibus, & quibuſdam parvulis. Manifeſtum igitur eſt tibi, quàm longè à veritate ſenſerit de divina bonitate, ſi quis unquàm in iſto errore erravit. De tertio verò membro diviſionis, videlicet de corruptione, quod ſtatum illius fœlicitatis nullo modorum attingat, adeò palam eſt, ut ſi quis inde dubitet, non rationibus, aut probationibus, erudiendus in hoc ſit, ſed magis ſuppliciis coërcendus. Ampliùs. Si appropinquatio ad creatorem elongatio eſt ab omni corruptione, & contagio: manifeſtum eſt, quia quæcunque ſunt in ultimitate propinquitatis ad ipſum, ſunt in ultimitate elongationis à corruptione; prædictæ autem ſubſtantiæ in ultimitate ſunt propinquitatis ad ipſum, cùm ſint ei conjunctiſſimæ: Quare neceſſe eſt eas eſſe in ultimitate elongationis à corruptione. Nulla igitur eſt appropinquatio corruptioni ad ipſas. Ampliùs. *Nota.* Non eſt appropinquatio ad creatorem loco, ſed

E aſſimilatione ſanctitatis, & bonitatis: quæ igitur ſubſtantiæ ſunt in ultimitate propinquitatis ad ipſum, ſunt in ultimitate aſſimilationis ad ipſum: quare impoſſibile eſt ad ipſas contingere corruptionem, aut contagium peccati. Ampliùs. Si virtus, & ſcientiæ ſanctæ defendunt animas in ſtatu miſeriæ iſtius ab inquinamentis, & contagiis vitiorum, & peccatorum, ubi tot, & tam fortes inſultus ſunt, & penè continui, & tam longè repellunt ea ab ipſis: quantò fortiùs virtutes gloriæ incomparabiliter majores, & fortiores virtutibus hujuſmodi vitæ prohibebunt acceſſum inquinamenti hujuſmodi ad ſubſtantias, quæ in ea ſunt, præſertim cùm nullus inſultus, nulla pugna omninò ſit ibi circa virtutes, aut poſſeſſores earum, & ipſius creatoris. Ad id verò, quod dicit de largitate creatoris. Reſpondeo, quia ſi continua eſt generatio, & corruptio, ut ipſi ponunt, nulla videtur largitas crea- F toris. Cùm enim omne, quod dat per generationem, auferat per corruptionem, penè idem eſt, ac ſi non daret. Et inſuper ſi reſurrectio mortuorum non *Nota.* eſt futura, major eſt ablatio ipſius incomparabiliter, quàm donatio ipſius, cùm donatio ſit ad modicum temporis: ablatio verò ad perpetuum; per generationem enim obtinent ea, quæ generantur, ut ſint ad modicum, & breve temporis; per corruptionem verò amittunt eſſe perpetuò Quia igitur eorum eſſe tempore brevi finitur, ipſum verò non eſſe eorum infinitum eſt, cùm non ſit ipſorum reſurrectio futura, verum eſt ex neceſſitate, quod dixi. Ampliùs. Cùm ſicut indigent eſſe generabilia, ita indigeant & continuatione, & perpetuatione ipſius eſſe, & hoc poſſit eiſdem dare largiſſimus creator abſque ullo detrimento, ſeu diminutione divi- G tiarum ſuarum; aliquid igitur indatum relinquitur apud ipſum, quod ſine detrimento, & diminutione rerum ſuarum dare poſſet; quo & omnes homines indigere, manifeſtum eſt, & omnia alia, quæ generantur, & corrumpuntur. Manifeſtum eſt igitur principium ratiocinationis hujuſmodi erronei eſſe falſum. Quòd ſi dixerit, quia non eſt *Adverte.* conveniens creatori dare immortalitatem, ſeu perpetuitatem eſſendi hominibus aut animalibus aliis, aut etiam vegetabilibus, verum utique dicit, ſed cauſam penitùs ignoravit. Si enim dixerit hoc, quòd homines non ſunt receptibiles immortalitatis, quantùm eſt de ſtatu, qui nunc apparet in natura humana, verum utique dicit, non tamen ſic effugit. Quoniàm manifeſtum eſt poſſibile eſſe creatori ſtatum naturæ humanæ mutare in melius, & firmare vitam in hominibus, atque prolongare quantùm voluerit, cùm multis medicinis ad hujuſmodi H virtutem dederit, hoc eſt, virtutem renovandi, & confortandi naturam humanam, & prorogandi eidem vitam. Renovandi autem virtutem intellige, qualis apparet in thiro ſerpente, & aliis reptilibus multis. Latet etiam, & latuit hujuſmodi erroneos utilitas mortis in hominibus: præcipua namque, & finalis utilitas exiſtentiæ animarum humanarum in corporibus ſuis hæc eſt ſanctificatio, & purificatio earum à paſſionibus, quæ illas à nobilitate ſua degenerare faciunt, atque dejiciunt, & in brutalem ignobilitatem eaſdem tranſvertunt, ſicut dixit ſermo propheticus: quia homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis, &c. ſimiliter deterſio, & elimatio ab immunditiis vitiorum, quibus, vel obtenebrantur, ut multa ſibi ſalutaria omninò non videant, vel incraſſantur ut ea minùs videant, atque difficilè cognoſcant. Cum his autem *Nota,* eſt exornatio, ac decoratio virtutum, ac ſcientiarum, quibus adeò acceptæ placitæque creatori efficiuntur, ut eas dignas reputet fœlicitate, & gloriâ

Digitized by Google

æternâ. Ad hæc autem tria mors corporum non mediocriter utilis eſt, quæ à deliciis corporalibus, & divitiis, honoribus, potentiis, & vanis laudibus, quibus animæ humanæ obtenebrantur, inebriantur, horribiliterque deturpantur, atque ipſi creatori odibiles efficiuntur; ipſa ſui meditatione, & timore, homines abrumpit, & ſeparat, & amorem rerum hujuſmodi, velut peſtiferum, mortiferumque incendium extinguit in ipſis. Si enim per mortem tam citò auferenda prænominata homines tam furioſo amore diligunt, ut eis tam miſerabiliter captiventur, inebrientur, & deſipere brutaliter compellantur; quid eſſet ſi perpetuò eis habenda concederentur à creatore? Denique ipſe amor vitæ præſentis non ſolùm catena eſt, quæ alligatas animas humanas in corporibus tenet; ſed etiam ipſam futuræ vitæ fœlicitatem vix cogitare, vix ſperare, & diligere, vixque inquirere patitur, & hoc in pauciſſimis, qui ad hoc divinæ pietatis adjutorio, quod gratia vocatur, communiter adjuvantur. *Objectio.* Quòd ſi dixerit quis, tamdiù igitur detineri debent à creatore animæ humanæ in corporibus, donec perficiantur in eis iſta tria; videlicet ſanctificatio, purificatio, & exornatio virtutum: *Reſponſio.* reſpondi tibi in hoc jam in aliis tractatibus, & hîc dico tibi, quia multi culpâ ſuâ, hoc eſt, negligentiâ, & deſidiâ non adjuvantur adjutorio antedicto. Multi avertunt ſe ab hujuſmodi adjutorio, multi prohibent illud à ſe immanitate, & multitudine offenſionum creatoris, multi judicio ipſius nobis occulto, & de his in tractatu de curâ, & providentiâ ipſius audies, unde tibi meritò ſatisfiat. Interim igitur attende utilitatem mortis in hominibus, quam audiſti, cum quâ & multæ aliæ ſunt ſuo loco tibi nominandæ, & forſitan numerandæ. Reminiſcere autem eorum, quæ audiſti in aliis tractatibus per me, qualiter, & quâ de causâ naſcuntur homines in multâ corruptione & perverſitate naturæ ſuæ. Et hanc corruptionem doctrina Chriſtianorum, & fides, *Originale peccatum.* originale peccatum nominant, circa quod ſpecialiter datum ſibi remedium ponunt ſacramentum regenerationis, & renovationis, quoniàm & ipſam hujuſmodi corruptionem vetuſtatem rectiſſimè vocant, & de hoc in aliis ſufficienter edoctus es. Nec ſola utilitas mortis, vel ſolæ utilitates ejuſdem, quæ reverà magnæ, & multæ ſunt, prohibet vitæ perennitatem ab hominibus hîc, ſed etiam & ipſa naturæ illius infirmitas, atque debilitas. Tertia verò cauſa mortis eſt in hominibus tranſlatio in alteram vitam, quæ niſi per mortem fieri non poteſt. Quartam verò cauſam aſſignant non immeritò ſancti & ſapientes, ipſum creatoris judicium, ſicut quidam ex eis dixit, hoc judicium à domino omni carni.

CAPUT XX.

Stabilitur reſurrectio mortuorum.

ET quoniàm quidem reſponſum eſt hujuſmodi ratiocinationi, quod oportuit, revertar ad id, in quo eram, videlicet ad ſtabiliendam reſurrectionem hominum † univerſaliter. Dico igitur, quia bonitatis, & ſapientiæ creatoris eſt, non ſolùm bona, & benè facere, ſed etiam optima, & optimè, facere, prout uniuſcujuſque natura receptibilis, ſeu capax eſt. Dico etiam, quia vita immortalis unius hominis, licet miſera, melior, innumerabilibus, & infinitis vitis hominum miſeris æqualis miſeriæ, *Nota.* quarum unaquæque ſit centum annorum. In vita namque perenni, ſeu immortali ipſius eſt invenire non ſolùm unam vitam centum annorum, ſed etiam infinitas. Cùm igitur hujuſmodi homo vixerit cen-

† *Aliàs* aliter.

A tum annis in tantâ miſeriâ, & alius totidem in æquali miſeriâ, erût ex neceſſitate æquales illi duo quantùm ad vitam dico, & miſeriam, de bonitate, vel ſanctitate nihil loquor hîc. Eodem modo, ſi ſuccedat illi mortuo alius æqualis vitæ, & miſeriæ, invenietur & iſte immortalis æqualis illi toto centenario annorum, æqualis inquam quantùm ad vitam, & miſeriam ipſius vitæ, & ita ſi infiniti ſuccedunt, quorum unuſquiſque ſit centum annorum, erit iſte immortalis æqualis omnibus. Quia igitur neque majores, neque meliores ſunt ſigillatim uni ſuccedentes, quàm ſi ſimul ſint omnes, vel per millia, aut per centena millia alij aliis ſuccedant, manifeſtum eſt unum hominem immortalem infinitis mortalibus ejuſdem valoris in iſtâ miſeriâ æqualem eſſe, & nullo modo minorem. Quare manifeſtum eſt additâ ei gloriâ fœlicitatis æternæ, de quâ dubium eſſe non poteſt intelligentibus, quin eum in B infinitum efficiat meliorem, utpotè bonitas, cui nulla præſentis vitæ bonitas comparabilis eſt, manifeſtum inquam eſt, unius ſolius hominis glorificationem in infinitum meliorem eſſe, atque præſtantiorem omnium mortalium generationibus, & etiam durationibus. Multò fortiùs igitur multitudo glorificationum, omnibus generationibus hominum incompatabiliter melior, & multitudo glorificandorum hominũ omnibus aliis hominum multitudinibus ſuper omnem cogitatum, & comparationem præcellentior futura eſt. Quare ſi tantæ generationes hominum factæ ſunt, & tantæ vitæ tempora data ſunt illis propter bonitatem præſentis, & mortalis vitæ, atque bonitatem hominum, quam hîc obtinent, bonitatem dico, quæ eſt præter gratiam, & gloriam: quantò fortiùs multitudo homi- C num aliqua glorificanda eſt propter in infinitum, & incompatabiliter majores bonitates glorificatorum, & glorificationum? Idem eſt etiam, ſi æqualitas in ſanctitate ponatur in eis. *Objectio.* Quòd ſi dixerit quis, quia ſi magnitudinem bonitatis vitæ glorioſæ, & glorificandorum hominum attendens creator ſapientiſſimus, & optimus voluit eam eſſe tempore ſuo, & glorificare tunc quoſdam ex hominibus, cùm major bonitas multò eſſet glorificationis omnium hominum, quàm paucorum, debuit igitur velle glorificationem omnium hominum, & ordinare, ut eſſet: *Reſponſio.* reſpondeo in hoc, quia ſi à foris, & à rebus tantùm ſuaſus, vel inductus creator operaretur, procederet ratiocinatio hæc aliquatenùs. Verùm non ſic eſt, immò ſola liberrimâ electione ſapientiæ ſuæ, & mero beneplacito optimæ voluntatis ſuæ, cujus impoſſibile eſt cauſam aliquam ullo modorum eſſe, cùm ipſa ſit, ut ait Plato, cauſa omnium, quæ ſunt. *Plato.* D Quapropter non eſt philoſophantium intentio, vel officium circa divinam voluntatem inquirere, propter quid. Et ego hîc hoc ſolùm intendo declarare, quia creator operatur quicquid operatur ex purâ bonitate ſuâ, & quamvis ſuperabundantia ſint beneficia ſua, ſeu dona, ſine injuriâ hoc non accipientium, & plurimùm abſque ullo meritò accipientium; opera autem omnia ipſius ſic ſunt, ut decet eſſe, & ut pulchrum eſt ea eſſe. Scito autem, quòd in quibuſdam operibus ejus evidentior eſt pulchritudo juſtitiæ, in aliis pulchritudo miſericordiæ ipſius: in utriſque autem cùm ad invicem conſiderata, & comparata fuerint, & major, & magis eluceſcit utraque pulchritudo, necnon & utilitas, quâ minus bona majoribus proſunt, & ipſa, quæ mala reputant homines, ut paupertas, & mors, & cæ-tera hujuſmodi, adjumenta innumera, & utilitates incogitabiles præſtant bonis, & hoc contra vitia, & paſſiones peſtiferas animarum humanarum. Qualiter etiam, & quantùm etiam boni homines

per malos. licet perſequentes, & impugnantes, & E omni modo eis adverſantes, proficiant, jam multa tibi dicta ſunt per me. Ipſa etiam paupertas pauperum, non ſolùm ad ea, quæ naturæ ſunt, atque fortunæ, ſed etiam ad ea, quæ ſunt honeſtatis, atque virtutis plurimùm prodeſt. Pauperes enim, qui tam multipliciter operibus ſuis, & neceſſarij, & utiles ſunt divitibus, eiſdem, niſi paupertas compelleret, non ſervirent. Ad ea verò, quæ honeſtatis, & ſanctitatis ſunt, quis dubitat, quin paupertate provocentur divites ad miſerandum, ad ſubveniendum, & largiendum pauperibus? Hæ autem virtutes, ſcilicet pietas, & largitas, quem locum obtineant in bonis moribus, quis ignorat? Sic ſe habet & in afflictionibus omnibus. Quòd ſi conſiderationem feceris de paupertate ſpirituali quæ eſt defectus ſapientiæ, & virtutum, & de afflictionibus ſpiritualibus, quas mali, atque perverſi homines, partim ſenſibiliter, & partim inſenſibiliter patiuntur, videbis comparabiles, ac proportionales utilitates eas F occaſionaliter afferre bonis hominibus, & ipſam malitiam malorum hominum (ſi fas eſt dicere) multipliciter bonam, hoc eſt, utilem bonis: & conſiderata univerſitate creaturarum videbis admirandam pulchritudinem in univerſo, & laudabis ſapientiam, & bonitatem creatoris quæ ex parvis malis immenſa bona, & ex paucis malis innumerabilia bona elicit: parva dixi mala comparatione bonorum. Jam enim aliàs didiciſti bonitatem incomparabiliter eſſe majorem malitiâ: pauca dixi mala comparatione multitudinis bonorum, quæ ex illis proveniunt occaſionaliter, & ut videas hoc evidentiùs, attende hoc ex unius hominis unicâ paupertate, quot miſerationes, ſive compaſſiones, quot eleemoſynæ proveniant, quot utilitates aliæ ſervitiorum erga divites Deinde quot ipſi pauperi ex eâ utilitates proveniunt, videlicet puritatis, ſive munG ditiæ, aliorumque alibi tibi nominatorum, & numeratorum; provenit etiam eidem pietas in alios pauperes, niſi ultra modum reprobus ſit. Juxta doctrinam verò Chriſtianorum ex unius tyranni ſævitiâ quot, & quanta bona proveniunt patientibus? & ex unius hominis proditione ſalus innumerabilium provenit. Hæc omnia induxi, ut indubitanter agnoſcas, quia omnia, quæ in univerſo ſunt, decenter collocata, & utiliter ordinata à creatore ſunt. Suſtinet igitur bonitas creatoris, & permittit mala eſſe, & fieri, non tam utiliter, quàm etiam decenter, & pulchrè, & hoc in tractatu de cura ejuſdem circa univerſum. Ubi etiam apparebit tibi quid utilitatis, & etiam pulchritudinis infernus habeat, totaque damnatio, & ſupplicia reproborum Interim autem certum tene, paucorum hominum ſanctificationem, atque glorificationem ex divinæ bonitatis, & gratiæ electione eſſe D mnationem autem ex divinæ juſtitiæ judicio. Quæſtio verò, quam proponit ad præſens, ſic ſolvetur. Quare, inquit, H non omnes ſanctificat atque glorificat? Reſpondeo, quia hoc non faciendo, nulli eorum injuriam facit. Utitur enim libertate ſuâ, quamquàm verum ſit, quia & malis meritis ſuis multi demereantur ſanctificationem, & glorificationem, & mereantur etiam æternā damnationem Ipſis etiam, qui dānandi ſunt, multa & magna bona largitur, & multis modis deſerviunt utilitatibus hominum, & gloriæ Dei, ſicut doceberis in ſequentibus. Attende verò quia cùm explicueris iſtam quæſtionem, quare potiùs quoſdam de hominibus eligit ad gratiam ſuam, & gloriam, quàm alios, nihil invenies aliud per eam quæri, niſi hoc: Quare eligit quoſdam, & non alios, nec aliud reſpondendum eſt, niſi quòd voluntate ſuâ optimâ utrunque facit, & voluntate ſua eligit iſtos, & voluntate ſuâ non eligit illos, ideſt, eligere poſtponit. Quæri autem non poteſt, niſi deſipientiſſimè, quare vult eligere iſtos, & non vult eligere illos, & hoc eſt propter cauſam, quam diximus.

Paupertatis utilitas.

Paupertas ſpiritualis

Paupertatis bona.

Ordo univerſi pulcherrimus

Quæſtio.

Solutio.

Nota.

Vide ſupra in hoc capitulo.

CAPUT XXI.

De glorificatione animarum differit, oſtenditque, & aſtruit futuram corporum reſurrectionem, & glorificationem.

Reſurrectio corporum.

Et quoniàm glorificatio animarum humanarum his, qui norunt immortalitatem earum, dubitationem non habet, quin ſaltem, etſi non omnes, aliquæ tamen earum glorificandæ ſint, neceſſe habent iſti ponere reſurrectionem corporum earum, nec non & glorificationem corporum ſuorum. Si enim omninò non redderentur eis corpora ſua, non glorificarentur animæ ipſæ ſed eſſent, ut prædixi tibi, damnatæ, & quaſi mutilatæ, quantùm ad vires, quarum operationes exercentur per corpora; &, ut rememorationem ejus tibi faciam, eſſent ſicut homines ſurdi, muti, paralytici, omnibuſque ſenſibus damnati. Quia igitur nec damnatio, nec damnationis pars, locum habet apud gloriam illam, manifeſtum eſt, non eſſe poſſibile iſtam quaſi mutilationem, & reverà damnationem, locum habere apud fœlicitatem illam. Ampliùs Aut meritis redditur hujuſmodi gloria, aut datur ex ſolâ divinæ gratiæ largitate, aut in quibuſdam ſic, & in aliis ſic. Quòd ſi meritis redditur, tanquàm ex divina juſtitia: cùm igitur vires exteriores non minùs, ut ita dicam, pugnaverint contra paſſiones delectationum ſenſibilium, & moleſtias illis contrarias, quàm vires interiores contra ſuas, nec minùs vicerint, quàm illæ, non minùs coronandæ ſunt. Quòd ſi dixerit, quia hoc fuit imperio, & auxilio virium interioG rum, atque ſublimiorum: dico, quòd homo hujuſmodi per ſermonem iſtum removet etiam meritum à viribus interioribus, & hoc eſt, quoniàm ipſæ auxilio gratiæ longè majoris, & imperio creatoris omnia faciunt, & fecerunt. Ampliùs. Tu ſcis, quia ſermo hujuſmodi, quo vires mereri dicunt, tropicus eſt, & non proprius. Homo enim eſt, qui propriè meretur apud Deum, vel anima humana Quare ſicut totus homo, hoc eſt, tam interiùs, quàm exteriùs, videlicet tam ſecundùm vires interiores, quàm exteriores, placitis creatoris obſequiis ei ſervit, & totus à Deo, hoc eſt, ſecundùm utraſque vires remunerandus eſt: quare totus ab eodem glorificandus, ſi glorificatio, remuneratio, & merces eſt hujuſmodi obſequiorum; neque enim congruit divinæ bonitati, aut juſtitiæ, aliquod ex meritis, ſive ex obſequiis ſibi placitis quid irremuneratum relinquere, aut minùs, quàm ſe extendant merita, mercedem contrahere: quia igitur in totum hominem H tam interiùs, quàm exteriùs, ſe extendunt merita, id eſt, grata creatoris obſequia, neceſſe eſt, ut in toto ſe gloria remunerationis extendat. Quòd ſi dixerit, quia ſolis virtutibus, doniſque creatoris, quæ apud Chriſtianos gratiæ crebertimè nominantur, debetur iſta glorificatio, de quâ agitur, cùm ipſæ non ſint niſi in animabus humanis, omninò nihil habentes in corporibus: reſpondeo duobus modis. Primùm, quia iſte ſermo cogit eum confiteri, quòd etiam placitis creatori obſequiis nihil remunerationis penitùs debeatur, cùm longè remotiora ſint hujuſmodi obſequia à virtutibus, & gratiis antedictis. Secundò dico, quia ex eis redundat in vires exteriores, & membra, & in totam vitam exteriorem decor multiplex, compoſitioque, & ornatus, quæ eſſe Deo grata nemo intelligens ignorat.

Anima propriè meretur, vel homo.

Nota.

Decor animarum. ignorat. Quare, ſi decor interior animarum humanarum, qui utique virtutum eſt, & gratiarum, congruentem ſibi habet remunerationem, pro eo utique, quia creatori grata, ſeu placita, cur non & exterior ex eâdem causâ? Et hoc eſt, quod aliquis ex ſapientibus chriſtianorum dixit, videlicet, quòd ex internâ gloriâ animarum humanarum redundabit in ipſa corpora earum ſanitas incorruptionis, quod utique non mediocriter congruit divinæ juſtitiæ, & æquitati: videlicet, ut proportionaliter ſint merita gratiarum, & præmia gloriarum. Quapropter quemadmodùm ex abundantiâ gratiarum redundat in totum corpus, totamque vitam humanam exteriorem decor creatori acceptus, & compoſitio eidem placita ſic ex ſuperabundantiâ gloriarum non minùs redundare neceſſe eſt mercedem congruentem in corpus, totamque vitam exteriorem. Quòd ſi forſitan objiciat de parvulis, in quibus locum non habet vitæ decor exterior, & propter hoc non eſt neceſſe corpora eorum glorificari: reſpondendum eſt ei, quia largitas creatoris non intendit ad calculos meritorum humanorum, immò largitur dona ſua juxta magnificéntiam gloriæ ſuæ, quemadmodùm alibi didiciſti, quia totos, licet ignorantes, & anima, & corpore parvulos ſacrat, atque ſanctificat, ſic & integrè tempore ſuo glorificabit eos. *Largitas creatoris quanta.* Revertar autem, ut reſpondeam ei de ratiocinatione, cui jam in parte reſpondi, & dicam, quia non omnia, quæ poſſibilia ſunt eſſe, indigent ipſo eſſe, ea ſcilicet indigentiâ, propter quam conveniat largitati creatoris dare eis illud. Jam enim patefactum eſt tibi, quia non minus bonum eſt vita perennis unius hominis in aliqua quantitate bonitatis naturalis, ſive etiam gratiæ, generationibus infinitorum, quorum uniuſcujuſque vita in æquali quantitate bonitatis ſit centum annorum. Quare neceſſe eſt, ut vita unius glorioſa tantò majus bonum ſit infinitis vitarum centenariis, quantò vita glorioſa vita quacunque præſenti, hoc eſt, ſive naturæ, ſive gratiæ, præſtantior, & unus homo glorioſus, ſive glorificatus, infinitis hujuſmodi hominibus incomparabiliter etiam in infinitum majus bonum, quare potiùs eligendum fuit creatori, & faciendum quàm extendenda generatio hominum in infinitum, & vita eorum per ſucceſſiones in perpetuum propaganda? Magis igitur inconveniens fuit largitati creatoris hoc bonum facere in infinitum majus, quàm illud in infinitum minus. Dico inſuper conveniens eſſe ſapientiæ, & bonitati, creatoris illud minus dimittere propter hoc, ſi iſti præſtaret impedimentum. Quia igitur nec infiniti glorificari poſſunt homines, nec eſſe ſimul, multos tamen glorificari, neceſſe eſt, ut, quod prohibet infinitas, & quod mala merita aliorum, aliæque cauſæ, quas audies in ſequentibus, bonum glorificationis, cujus tota multitudo hominum non eſt receptibilis, de divinâ largitate, & in parte ſaltem aliquâ ſuppleatur. *Objectio.* Quòd ſi interrogaverit aliquis, cùm omnipotentiæ creatoris poſſibile ſit omnes glorificari, quid arctat, vel anguſtat magnificentiam largitatis ipſius? jam tibi multoties multis modis reſponſum eſt ſuper hoc. Reminiſcere igitur, quia naturalis corruptio, & acquiſita per vitia & peccata, licet in nullo obſiſtere poſſint divinæ potentiæ, faciunt tamen, ut divina juſtitia partim hoc prohibeat fieri; partim autem divina voluntas eſt, ut hoc non fiat: cujus ſicut nulla cauſa eſt, nec in ea, aut circa eam, propter quid inquirendum. Alias etiam reſponſiones ſuper hoc audiviſti in capitulo de perpetuitate ſuppliciorum infernalium; ubi etiam audiviſti, quia quæſtio hujuſmodi eſt, quemadmodùm illa, quâ quæritur, propter quid luna non habet ſplendorem æqualem ſplendori ſolis, & quare non omnes ſtellæ ejuſdem ſint claritatis? ſimiliter & ei, quâ quæritur, propter quid non omnes homines ſunt reges, aut principes terreni, talis eſt & illa, quâ quæritur, quare non omnes lapides precioſi ſimiles ſunt, etiam illæ quæſtiones, quibus quæritur: cur non omnes lapides carbunculi ſunt, vel ſmaragdi. Scito autem, quia vulgaribus hominibus, atque ſimplicibus, non levia argumenta ſunt reſurrectionis corporum, quæ ſumuntur ex comparationibus ipſorum corporum vel ad homines, vel ad animalia aliqua. Si enim corpora partes hominum ſunt, ſi ſolæ animæ glorificabuntur, dimidii homines remunerabuntur. Tu verò vides, quàm ridiculoſum ſit ſervum, vel ſervitorem remunerare dimidium. Si verò domus animarum ſunt ipſa corpora: domus inquam naturales earum ſunt, conveniens eſt bonitati, largitatique creatoris, ut dum extra ipſa ſint, ſuo tempore reficiantur eis, atque reparentur; immò præparentur eis & decorentur, & ornentur pro congruentiâ gloriæ illius, quam adepturæ ſunt. *Glorificatio corporum.* Eodem modo, ſi veſtes animarum ſunt, veſtes inquam naturales, denudatio earum indubitanter pars miſeriæ eſt, propter quod neceſſe eſt, ut reddantur eis veſtes hujuſmodi, non in vetuſtate, & ſciſſuris, vilitateque, & ſarcinâ, in quibus modò ſunt, hoc eſt, quas in vita iſta habuerunt, ſed in gloriâ & decore, quæ fœlicitati futuræ deſerviant, & concordent. Similiter & ex comparationibus regni illius, & gloriæ, ad ipſos homines, vel animas ipſorum, convenientia vulgaribus hominibus, atque ſimplicibus ſumuntur argumenta. Indecens enim, & illiberale modis omnibus eſt, & inauditæ hactenùs ruſticitatis, ut aliquis dives in hoſpitio ſuo, ſive in domum ſuam nolit recipere hoſpitem, quem diligit, niſi dimidium, aut niſi nudum. *Similia.* Eſt enim gloria illa cœleſtis domus glorioſæ habitationis beatificandorum hominum, & animarum: & ſicut palatium regis regum, in quâ domo habitat, & manet creator benedictus, tanquàm paterfamilias, ejuſque cum eo præclara familia, millia ſcilicet millium ſanctorum angelorum, & beatarum animarum, quæ jam ibi pietatis ſuæ dignatione receptæ ſunt juxta fidem, & doctrinam Chriſtianorum. *Gloria cœleſtis.* Ibi ſedet Deus velut in palatio, & ſolio gloriæ ſuæ, velut rex univerſalis dominationis, cujus magnificentiam nec attingit æſtimatio, neque cogitatus. An autem & aliæ ſubſtantiæ ibi ſint, quas Arabes, & Græci philoſophi, intelligentias vocant, audies loco ſuo. Ex comparationibus igitur quæ ſunt domus ad hoſpitem, ſive palatii ad eundem, & ex liberalitate, atque largitate creatoris, quas neceſſe eſt eſſe in ultimitate perfectionis, impoſſibile eſt, ut corpora hominum, ſi partes hominum ſunt, excludantur omninò à domo ſuâ, vel hoſpitio, ſive palatio. Similiter ſi veſtes animarum ſunt: eodem modo ſi corpora humana, velut equi animarum ſunt, non patietur ea excludi à domo ſuâ vel palatio, magnificentia largitatis creatoris ſublimis: hoc enim neque apud nos, neque apud liberales hoſpites permittit fieri ad modicum, quod apud eos eſt liberalitatis, & largitatis. Quantò fortiùs igitur non patietur iſtam liberalitatem fons ille abyſſalis, & redundantiſſimæ largitatis. Habet autem & gens Chriſtianorum argumentum non ſolùm fortiſſimum ad aſtruendam reſurrectionem bonorum, ſed etiam auditu jocundiſſimum, ex reſurrectione filii Dei, quem credunt ineffabili largitate pietatis, & gratiæ ſuæ pro ſalute hominum factum hominem, & etiam morte ſuſcepti corporis mortuum: hujuſmodi enim glorioſa reſurrectio per teſtes, & multoties apud eos claruit, ita quòd etiam à quingentis ſimul teſtibus *Reſurrectio Chriſti.*

viſus eſt unâ horâ poſt mortem ſuam. Quia igitur
apud eundem juſtiſſimum judicem æqualium meri-
torum æqua ſunt præmia, & ſimilium ſimilia; om-
nium autem verorum, & bonorum, Chriſtiano-
rum merita ſimilia ſunt meritis illius. ſecundùm
quod homo fuit; omnes enim veri, & boni Chri-
ſtiani, in eo quòd tales ſunt, imitatores illius ſunt,
Boni Chriſtiani.
quare omnium talium merita apud Deum patrem
juſtiſſimum judicem, meritorum, & datorem lar-
giſſimum præmiorum, ſimile præmium, non dico
æquale, obtinebunt. Similitudo enim eſt in meritis
Chriſti, & ſuorum; nullatenùs autem æqualitas.
Similem igitur glorioſam reſurrectionem, & quam
Chriſtus obtinuit, neceſſe eſt omnes obtinere, &
omnes ſuos, & ei ſimiliter eſſe glorificandos, non
dico æqualem, vel æqualiter propter prædictam
cauſam. Quòd ſi dixerit quis, quia ratiocinatio iſta
non probat, niſi reſurrectionem bonorum, & ve-
rorum Chriſtianorum, & quia univerſalem reſur-
rectionem non probat, hoc eſt univerſorum, verum
indubitanter dicit. De parvulis verò ſanctificatis,
Parvuli ſanctificati.
& in hujuſmodi ſanctitate decedentibus, non eſt
dubium, quin ſimiles ſint Chriſto in gratia, & pro-
pter hoc ex neceſſitate ſimiles ei futuri ſunt in glo-
ria. De meritis autem nihil pertinet ad eos in ætate
illa. Merita autem intelligo hic obſequia operum
creatori placitorum ad quæ manifeſtum eſt parvu-
los in ætate parvula impotentes eſſe. De malis verò,
& perverſis hominibus atque mandatis creatoris
rebellibus, ex præcedentibus apparere tibi poteſt,
quia neceſſe eſt eos reſurrecturos eſſe in corporibus,
ut ſatisfiat divinæ juſtitiæ, hoc eſt, ut quemadmo-
dùm malè, & culpabiliter ſe habuerunt in vita iſta,
tam interiùs, quàm exteriùs, ſic & utrunque per
justitiam creatoris retribuatur eiſdem retributione
inquam peccatis & vitiis congruente. Hæc autem
retributio eſt pœna tam ſpiritualis, quàm corpora-
lis. Qualiter autem corpora eorum & ignem æter-
num, & alia tormenta corporalia, quæ eos expe-
ctant, ſuſtineant, dicetur in ſequentibus, cùm glo-
ria corporum humanorum tibi fuerit declarata, vi-
delicet ſtabilita in eſſe ſuo, & in qualitatibus ſuis.
Debes autem ſcire, quia cauſam efficientem, & ra-
dicem per ſe reſurrectionis corporum noſtrorum in
natura noſtra, ſive de natura, & etiam per naturam
noſtram, eſſe impoſſibile eſt. Et hoc brevi, & levi
conſideratione tibi patefiet. Neque enim animæ hu-
manæ poſſibile eſt reformare corpus ſuum, aut repa-
rare, cùm per mortem diſſolutum, aut putrefactum,
ſeu in pulverem redactum fuerit; corpore vero ſic
ſe habente, multò minùs, cùm tunc non ſit. Ambo-
bus autem ſimul, cùm alterum non eſt, certum eſt,
Reſurrectio humanæ naturæ impoſſibilis.
nihil eſſe poſſibile: nihil autem ampliùs eſt in natu-
ra humana, quare omninò naturæ humanæ impoſ-
ſibile eſt per modum refectionis reſſuſcitatio corpo-
rum noſtrorum. Ampliùs Manifeſtum eſt tibi, quòd
anima humana nec retinere ſe poteſt, nec etiam re-
manere in corpore ſuo contra morbum, vel ægri-
tudinem mortalem, nec defendere ipſum à morte,
vel vulneribus aut ægritudinibus, vel aliis cauſis
mortis univerſaliter: multò igitur fortiùs nec poteſt
eripere de morte, cùm jam mortuum fuerit, ſimi-
liter nec reintegrare, nec reformare. Si verò dixe-
rit quis, quòd in natura, ſeu virtute cœlorum eſt
Reſurrectio ex potentia cœlorum non eſt.
potentia iſta reſſuſcitandi, & reparandi corpora
noſtra poſt mortem ipſorum, manifeſtum eſt hoc
multipliciter eſſe falſum, quia nec virtus ea gene-
randi in eis eſt, immò in parentibus: prætereà nullus
hujuſmodi effectus adhuc ex cœlis, vel ſtellis appa-
ruit, neque enim adhuc auditū eſt ab illis vel unum
hominem generatum, aut à mortuis ſuſcitatum.
Dico igitur, quia reſurrectio corporum, atque re-
E formatio, ſive reparatio eorum, operatio eſt ſolius
ſublimis, & benedicti creatoris. Neque enim dice-
re poſſunt, quòd generatio, ſeu formatio primi ho-
minis ex cœlis, vel ſtellis fuerit. Quomodò enim ſi
in eis eſſet virtus hujuſmodi operationum, vel
unum ſolùm, vel tam paucos genuiſſent. Quomodò
etiam tamdiu poſtmodùm à tam nobili opere deſti-
tiſſent. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his, quia
omnipotenti bonitati creatoris ſolius eſt virtus, vel
potentia reſurrectionis, ſeu generationis corporum
humanorum, & propter hoc apud ipſam quærenda
eſt cauſa, & probatio, ſeu declaratio ipſius. Dico
igitur, quia, ſicut ſæpè audiviſti per me, bonitas,
& virtus creatoris non operatur per modum natu-
ræ, qui modus eſt ſervientis, atque ſervilis, ſed
ejus operatio eſt per electionem liberrimam, & be-
Natura ſerviliter operatur.
F neplacitum voluntatis, quam vel cogi, vel impedi-
ri impoſſibile eſt, quæ nec ſuadetur, nec inducitur
à foris. Conſilio igitur ſapientiæ ſuæ, ad quod im-
poſſibile eſt vel ignorantiam, vel errorem attingere,
& de puriſſima bonitate ſua poteſt facere, quæ fa-
cit, & quandò, & quomodò facit; ſimiliter & non
facere, quæ non facit. Neceſſe igitur eſt ipſam eli-
gere, ea facere, quæ meliùs eſt facere, quàm non
facere. Similiter & de temporibus, & modis ſe ha-
bet. Quare neceſſe eſt ipſum & optima, & optimè
facere juxta quod decet ipſum, & ſecundùm quod
res ipſæ receptibiles ſunt, & eis ipſis expedit, ſeu
utile eſt; neque etiam ſapientis hominis, & boni, eſt
vel minùs bona, vel minùs benè facere, cùm opti-
ma, & optimè, facere æquali facilitate poſſibile ſit.
Quia igitur in toto genere humano optimum eſt
glorificatio, de quâ non dubitatur, quin creatoris
bonitatem deceat, & quin homines illius, id eſt,
G glorificationis receptibiles ſint, neceſſe eſt bonita-
tem creatoris in genere humano tempore ſuo opti-
mum iſtud efficere, vel ſecundùm partem, vel ſe-
cundùm totum; & quoniàm ſecundùm totum non
eſt poſſibile, juſtitia creatoris partim propter mala,
merito hominum obſiſtente, partim mero bene-
placito ſuo & judicio nobis occulto; neceſſe eſt, ut
in parte tantùm generis humani bonum iſtud præ-
ſtantiſſimum operetur. Quòd ſi quis dixerit, homi-
nes nec ſecundùm univerſum ſuum eſſe receptibiles
hujuſmodi gloriæ, nec ſecundùm animam ſcilicet,
nec ſecundùm corpora, vel ſaltem non ſecundùm
opera: dico, quia hujuſmodi ſermo erroneus eſt,
& impoſſibilis, & hominis ignorantis nobilitatem
Anima rationalis capacitas.
naturæ humanæ. Dico igitur, quia anima humana
ſuſceptibilis eſt omnium ſcientiarum philoſophica-
H rum naturaliter; ſi enim aliquæ animæ impeditæ
ſunt paſſionibus corporum ſuorum, ut moriones,
vel defectu ſenſuum, ut qui cæci, & ſurdi naſcun-
tur, vel aliàs occaſionati, hoc ex accidenti eſt, &
adventitium, & innaturale animabus. De aliis verò
animabus, quibus paſſiones hujuſmodi, ſive occa-
ſiones, impedimenta doctrinæ, & diſciplinæ non
præſtant, non eſt dubium, quin capaces, ſeu rece-
ptibiles ſint omnium philoſophicarum ſcientiarum.
Receptibiles etiam ſunt quædam prophetici ſplen-
doris, & propter hoc neceſſe eſt etiam quòd omnes,
cùm receptibilitas ſit naturalis in omnibus anima-
bus humanis, quemadmodùm & generaliter omnia
naturalia unius individuorum cujuſcunque ſpeciei,
ex neceſſitate naturaliter inveniantur in unoquoque
aliorum individuorum ejuſdem. Ampliùs. In pro-
phetico hujuſmodi ſplendore non ſtant naturali fi-
xione, & prohibitione, quâ prohibeantur à ſubli-
miori, & nobiliori claritate. Ampliùs. Apparet ex
Opera magica.
magicis operibus maximè, quæ ſunt divinationum,
quòd majoris, aut nobilioris claritatis ſuſceptibiles
ſunt, quàm ſit cognitio naturalis. Claritas enim
illa

Digitized by Google

illa, qua divinant præterita, vel futura, & etiam vident præſentia abſcondita, major eſt omni cognitione naturali, quàm habeant, vel habere poſſunt animæ noſtræ in corporibus, naturaliter enim talia videre non poſſunt animæ humanæ. Si igitur hujuſmodi claritas, & illuminatio eſt eis ex conjunctione dæmonum, tanquàm ex applicatione luminis, quia reverà & ipſi lumina quædam ſunt, ex majoris luminis majori applicatione magis eas illuminari neceſſe eſt, cùm majoris luminis applicatio intellectum non obtenebret, vel obſcuret, immò confortet magis, & illuminet. Licet aliter in ſenſibus ſe habeat, quod & dixit Ariſtoteles, propter quod dixit; quia excellentia corrumpunt ſenſum, ſicut vehementia ſolaris luminis vel offuſcat, vel obtenebrat viſum noſtrum. Quia igitur conjungibilis eſt anima humana luci primæ, ac puriſſimæ, quæ eſt creator benedictus, neceſſe eſt, ut ex ejus conjunctione, vel applicatione, tantò ampliùs, tantòque ſublimiùs illuminetur anima humana, quantò ipſa lux prima aliis luminibus, hoc eſt, ſanctis angelis, atque dæmonibus, eſt clarior, ſeu luminoſior. Neceſſe eſt etiam eam confortari ſecundùm vim intellectivam, & delectari in ea delectatione, quæ meritò beatitudo nominetur. Quòd ſi dixerit quis, quia anima humana non eſt ſic conjungibilis, deſtrues errorem iſtum multipliciter. Primum, quia non eſt dubitatum apud intelligentes, virtutem intellectivam creatam eſſe ad intellectum, ſeu viſionem ſpiritualem primæ lucis, & non ad quemcunque intellectum, vel viſionem ipſius ſed ad nobiliſſimam, atque perfectiſſimam Hæc autem eſt conjunctio ad ipſam, & applicatio ſine medio: fruſtra igitur creata eſſet, ſi iſta perfectio non eſſet ei poſſibilis. Ampliùs. Non eſt conjungibilis ad alia, niſi propter illam, ergo magis illi Ampliùs. Unaquæque virtus, & unaquæque potentia propter optimum ſuum actum nobiliſſimamque perfectionem ſuam creata eſt. Aliæ enim perfectiones propter optimam, ac nobiliſſimam perfectionem ſunt. Quia igitur optimi cognoſcibilis optima cognitio, & nobiliſſimi nobiliſſima optima, ac nobiliſſima perfectio eſt virtutis intellectivæ talis eſt cognitio creatoris, optima autem † cognitio eſt illa, quam prædixi, creatoris Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia localis diſtantia nec eſt, nec eſſe poteſt inter creatorem, & animam humanam: diſtantiam igitur ſpiritualem ſolam inter eos eſſe, poſſibile eſt Hæc autem non poteſt intelligi, niſi altero duorum modorum, vel trium. Primùm diſſimilitudine, & hæc eſt malitiæ, quæ diſſimilat animas noſtras à creatore, qui bonus eſt in ultimitate bonitatis, & hæc eſt quæ per ſe, & directè prohibet ſentiri ſuavitatem ipſius. Quemadmodùm contraria diſpoſitio in palato corporis ſentire prohibet dulcedinem, vel aliam ſuavitatem cibi. Secundò verò tanquàm diſtantiam ſpiritualem facit aliud apprehenſum, cùm via non fuerit ad apprehendendum creatorem. Hoc autem eſt, cùm fuerit apprehenſum, ut res. Reminiſci namque debes ſermonis, quem dixit Ariſtoteles, quia imago leonis apprehenditur quandóque, ut res, & quandóque ut ſignum, & cùm apprehenditur ut res, ſtat in ea, & ſiſtitur apprehenſio, & non pervenit ad leonem. Cùm apprehenditur, ut ſignum, non ſtat in ea apprehenſio, ſed tranſit ad leonem, & apprehenditur per ipſam leo Vides igitur, quia uno modo imago leonis eſt interpoſitum inter apprehendentem, & leonem, & tanquàm obex figens in ſeipſo apprehenſionem, & prohibens eam tranſire ad leonem; alio verò modo velut via, non ſolummodò tranſitum præbens apprehenſioni leonis, ſed etiam transferens, ſive tranſvehens apprehenſionem in

Illuminatio animæ rationalis.

*

Virtutes, & potentiæ animæ ad quid.

† *Aliàs* conjunctio videlicet abſque interpoſito medio.

Anima quomodò diſtat à Deo.

Nota.

A leonem. Et juxta iſtos duos modos currit res in omnibus creaturis, & creatore: quoniàm quælibet creatura & res eſt in ſe, & via ad apprehenſionem creatoris, & ſignum eſt ipſius intelligentibus Tertiò immerſio, & incraſſatio, quædam animarum diſtantia eſt, prohibens perventionem luminis, & irradiationis ab ipſo ſuper illas, nec mirum, cùm illuminationem intellectus, quæ debet eſſe per ſenſus à parte corporis, etiam prohibeat, & incraſſatio iſta, & immerſio facit homines motiones, & penè brutales. Cùm igitur iſta tria ſublata fuerint ab animabus noſtris, tunc erit poſſibile deſcendere ſuper eas irradiationes, quæ ſunt à lumine primo, & etiam à parte ſenſibilium, ut prædixi. Quia igitur quædam irradiationes hujuſmodi naturaliter deſcendunt ſuper quaſdam ſubſtantias, videlicet ſuper angelicas, inde & in quâdam perfectione ſapientiæ naturalis creatas illas eſſe, manifeſtum eſt:

B quædam verò cadunt juxta beneplacitum creatoris, etiam poſt illuminationem hujuſmodi naturalem, & iſtis non eſt menſura, niſi beneplacitum creatoris, qui influit de lumine ſuo, quantùm vult, & quomodò vult Opinati autem ſunt quidam, quia ſplendor propheticus eſt ſecundùm receptibilitatem naturæ, hoc eſt, ſecundùm diſpoſitionem animarum, ſuper quas deſcendit: & propter hoc paucæ ſunt animæ humanæ, ſuper quas deſcendit, & inſuper non æqualiter, neque uno modo ſuper ipſas Verùm iſta non ſunt indicia certitudinis, quoniàm ſimilis diverſitas invenitur in influentiis illuminationum, quæ gratiæ tantùm ſunt, & nihil habentes omninò à parte naturæ, quod vel eas augeat, vel minuat ſive expediat, aut impediat. Jam igitur manifeſtum eſt tibi per hoc quia gloria intellectus animæ

C humanæ eſt longè ſublimior, quàm gratia prophetiæ, & quàm etiam illuminatio naturalis intellectus angelici, quemadmodùm & beneplacitum creatoris eſt incomparabiliter ſuper omnem receptibilitatem naturæ, & ſuper omnem limitationem ipſius, & jam ſcis, quia beneplacitum ejus non habet limitationem aliundè, ſed à ſeipſo, & limitatio iſta non eſt in ipſo ſecundùm ſe, cùm potentia ipſius, & divitiæ in ultimitate ſint amplitudinis, & copioſitatis, ſed limitatio eſt in muneribus ejus ſive ſint naturæ dona, ſive gratiæ, & etiam in pœnis malorum ſive ſuppliciis, quæ ſemper minora ſunt, quàm merita eorum requirant. Ea enim eſt ſuperabundantia & divitiæ miſericordiæ ſuæ, ut mali nunquàm ab ipſo totum, quod merentur, recipiant. Aggregatà igitur ratiocinatione, dico quia decet creatoris bonitatem adducere naturam humanam ad optimum, ubi & non obſiſtit ejus juſtitia, & concurrit

D receptibilitas ejuſdem & præſertim ubi merita congruunt, vel etiam hoc requirunt Hoc autem manifeſtum eſt in omnibus electis, quos hîc præilluſtrat donis gratiarum ſuarum, atque virtutum, quibus & dat, ut hîc ſecundùm beneplacitum ſuum vivant. Ampliùs. Sicut nata eſt vis intellectiva cognoſcere creatorem & videre veritatem, ſeu claritatem ipſius, ſic nata eſt vis affectiva, ſeu deſiderativa, ſuperior, & nobilis, ſentire bonitatem ipſius. Quare utraque ducenda eſt ad hunc ſuum finem nobilem juxta modum, quem prædixi tibi. Ampliùs. Sicut illa nata eſt illuminari, ſeu perfici lum noſiſſimâ veritate creatoris, ſic iſta jocundari, ſeu beatificari ſuavitate bonitatis ipſius, & nemo intelligens ignorat, quin intellectus principaliter, atque finaliter ad lumen primæ veritatis intuendum creatus ſit, & quin ipſa lumen ejus ſit, & ſuum proprium, & principale viſibile ipſius; ſic & prima bonitas ſuum deſiderabile, & ut ita dicatur, ſuum ſenſibile virtutis noſtræ affectivæ nobilis. Hujuſmodi autem indicium

Immerſio animæ.

Superabundantia divinæ miſericordiæ.

Vis intellectiva ad quid.

Vis affectiva ad quid.

Digitized by Google

certiſſimum eſt, quòd neutra vel impletur, vel perficitur, vel etiam quieſcit citra ipſum. Si enim creatori placeret omnia alia clariſſimè oſtendere virtuti noſtræ intellectivæ ſe ipſo eidem abſcondito, nemo dubitare poteſt, quin adhuc & vacua, & imperfecta remaneret, nec reputaret ſe quicquam cognoſcere, vel videre ignotato, vel non viſo creatore. Sic ſe habet & de virtute noſtrâ deſiderativa, quam dixi, quia ſi poſſibile eſſet ei haurire omnes ſuavitates, quæ præter illam ſunt, adhuc ſe vacuam ſentiret, & primæ bonitatis ſuavitatem eſuriret, atque ſitiret. Corporales quidem delitias faſtidiret; hoc enim eſt earum propriũ, & naturale, ut ipſâ ſuâ abundantiâ faſtidiũ ſui generent: Spirituales verò famem ſui, ſive ſitim ſuâ ipſâ abundantiâ vehementiorem provocant, & inflammant, & propter hoc impoſſibile eſt, eis aliquem ſatiari citra fontem ipſum earum, qui eſt indubitanter bonitas creatoris, & inde promittitur eis ſatietas per Prophetas Hebræorum, quorum unus dixit ad ipſum creatorem loquens: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua. Et alibi, Torrente voluptatis tuæ potabis eos: & inebriabuntur ab ubertate domus tuæ Prophetia verò propria Chriſtianorũ dicit, quia deducet eos, & inebriabuntur ad vitæ fontes aquarum: manifeſtũ igitur eſt per hoc, quia conjunctio hæc, ſive approximatio ad creatorem fœlicitas eſt, & gloria, & iterùm plenitudo, atque ſatietas eſt perfectio earum. Ampliùs. Si citra ſiſterent, ut non ex ipſo fonte luminis, hoc eſt, ex ipſa prima, ac luminoſiſſima veritate haurirent, & ore, ut ita dicatur, pleno biberent cognitionem, ſive ſcientiam, ad quam natæ, vel creatæ ſunt animæ humanæ, non ſolùm imperfectæ, ſed miſeræ remanerent, cruciatuque vehementi famis, & ſitis ſpiritualis torquerentur. Hoc autem apparet evidenter in viris ſanctiſſimis, de quibus apud te non eſt dubitatio, quin plus deſcendat ſuper animas eorum & de lumine primæ veritatis, & de ſuavitate primæ bonitatis, quàm ſuper alios quoſcunque. Certum etiam eſt tibi, quia quantò ſanctiores ſunt, tantò magis eſuriunt, & ſitiunt prædicta duo bona, videlicet lumen primæ veritatis, & ſuavitatem primæ bonitatis, & propter hoc magis affliguntur fame, & ſiti hujuſmodi; & hoc ſentiebat idem Propheta Hebræorum qui dicebat. Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus. Et iterùm: Sitivit anima mea ad Deum † fortem vivum, & alibi: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. In ipſo igitur creatore, & ex ipſo immediatè eſt quies omnium deſideriorum & plenitudo. Ampliùs Cùm hanc virtutem, & largitatem dedit Deus ſubſtantiis multis naturalibus, ut applicatione ſuâ, ſeu contactu aſſimilent ſibi receptibilia virtutum ſuarum, & actionum per modũ receptibilitatis earum, ſicut apparet in igne, qui ferrum eouſque ſibi aſſimilat, ut non ſolùm ignitum, ſed ignis etiam nominetur; ſicut & omnis ſpecies ſpeculum, quod ei objectum fuerit, ſi mundum, terſumque fuerit, ipſum ſibi expreſſiſſimè aſſimilat, ſimilitudinem ſuam expreſſiſſimam eidem imprimens; ſic in odoribus, & in ſaporibus, & aliis innumerabilibus ſe habet: quantò fortiùs igitur largitas, & virtus creatoris, quas manifeſtum eſt eſſe in ultimitate copioſitatis, ac redundantiæ, eouſque aſſimilabit ſibi animas humanas ultimatâ illâ approximatione ſibi conjunctiſſimâ, ut non ſolùm deificatæ ſint, ſed etiam deæ, & dij, & ſint, & veraciter nominentur, & hoc indubitanter aliquo modo ſomniavit antiquitas: ſicut apparet ex Philoſophorum antiquorum ſermonibus, & etiam Poëtarum. Et deos generaliter nominabant viros magnificos, & ſtrenuos, ut Herculem

Corporales delitiæ.

Spirituales delitiæ.

Conjunctio ad Deũ fœlicitas.

† *Aliàs* fontem.

Quies omnis deſiderij in Deo.

Poëtæ quos deos fieri putabant.

E omneſque illos, qui ſecundùm opinionem ſuam laudabiliter, & ſtrenuè in hac vita ſe habuerant quos translatos, vel transferendos opinabantur, & deos eos fieri, ſeu deificari credebant. Quod inde apparet, quia & Saturnum & Jovem & Mercuriũ, & Apollinem, & multos alios, quos deos putabant, & ut deos colebant, homines, aut mulieres fuiſſe ex hiſtoricis narrationibus certum eſt. Unus etiam ex Prophetis Hebræorum ex perſona creatoris deos vocat aliquos de gente illâ. Ego inquit, dixi, dij eſtis. Et iterùm ex perſona ſua: Deus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. Quòd ſi ex tam modica appropinquatione ad creatorem, quanta videlicet erat hominibus illis in vita iſta; quantò fortiùs ex illa futura, quæ incomparabiliter major erit, dij congruentiùs poterunt nominari? Ampliùs. Cùm incomparabiliter major ſit influentia ex largitate, & gratiâ creatoris, quæ eſt poſt influentiam, & largitionem donorum
F naturalium hîc in hominibus, ſeu in animabus humanis: multò fortiùs major erit influentia futura omni influentiâ naturæ, quod & ipſa nomina oſtendunt; præſens enim influentia hujuſmodi gratia nominatur, futura verò, quæ Deo dilectis animabus promittitur, vocatur gloria communiter, & uſu communiſſimo. Nemo autem intelligens dixit, adhuc comparabilem eſſe gratiam gloriæ. Hoc autem inde manifeſtum eſt, quoniàm nec ſtillam gloriæ ſuſtinere poteſt vitæ præſentis infirmitas. Suſtinet autem gratiam prophetiæ, quæ maxima inter gratias eſſe videtur. De hoc autem meliùs doceberis in ſequentibus, ubi de ipſa eſſentia in veritate gloriæ inquiram inquiſitione perſcrutatâ, ſi Deus voluerit. Ampliùs. Si tantæ ſunt influentiæ donorum, & gratiarum creatoris in eos, quorum nulla ſunt ad hoc merita, nulla præceſſerunt ei obſe-
G quia, quantæ erunt in eos, in quibus inveniuntur & digna merita, & placita creatori præceſſiſſe ſervitia? præſertim cùm non ipſe intendat ad calculos meritorum, ſed magis attendat, quid deceat magnificentiam largitatis ſuæ, quàm quid debeatur meritis ſervientium ſuorum: & propter hoc non videtur finitum id, quod addit ſupra condigna præmia meritorum; tunc enim vocare videretur ad calculos, ſi finitum eſſet, vel comparabile ei, quod reddit ex juſtitia, id quod ſuperaddit ex ſuæ ſuperabundantia largitatis. Ampliùs. Si inimicos etiam, qui quantùm in eis eſt, malis meritis ſuis non ſolùm reſtringunt, ſed etiam penitùs repellunt divitias largitatis ipſius, regit & gubernat, quantæ erunt influentiæ bonitatis, & munificentiæ ipſius in amicos, & ſervitores ſuos? Ampliùs. Si pulchritudines, bonitates, atque ſuavitates ſenſibilium, ita rapiunt in ſe animas humanas, nec ſolùm rapiunt, ſed etiam uniũt tanta unione amoris, quanta apparet in paſſionibus, & compaſſionibus, paſſionibus inquam dictorum ſenſibilium, & compaſſionibus animarum humanarum ad illa; quid factura eſt pulchritudo creatoris,
H & bonitas, atque ſuavitas, quas nec attingit admiratio, nec æſtimatio, nec etiam cogitatus? ſicut igitur amoris iſtorum ad amorem, qui tunc erit creatoris, nulla eſt comparatio; ſic neque unionis prædictæ ad unionem erit beatarum animarum ad creatorem. Differt autẽ, quoniàm amor hujuſmodi, & unio animarum noſtrarum ad ſenſibilia, ebrietas eſt, immò inſania; captivitas inſuper, & obcæcatio earum; illa verò illuminatio eſt animarum noſtrarum, & ſapientia perfectionis ultimæ & libertas ſimul, atque fœlicitas in ultimitate elongationis à miſeria, & ſanitas, ad quam nec læſio, nec aliquid attingit contrariorum ullo modorum. Ampliùs. Cùm adamas ferrum attrahat, tantâque velocitate

Gratia.

Gloria.

Amor & unio.

Adamãtis natura.

rapiat

Digitized by Google

rapiat illud ad ſe, & conjungat ſibi, & approximet, quod non eſt niſi quodam occultò amore naturali; quid facient pulchritudo, & bonitas creatoris, cùm innotuerint animabus noſtris, & hoc abſque velamine interpoſito? Ampliùs ex proportione cùm pulchritudo & bonitas creatoris ſuper omnem menſuram, & comparationem majores ſint pulchritudine, & bonitate quorumcunque aliorum, ſive ſint ſenſibilia, ſive inſenſibilia: animæ verò noſtræ, cùm æqualiter utraque eis innotuerit, & liberè, atque mundæ fuerint à perverſitate corruptionis, de quâ ſæpè audiviſti, neceſſariò trahantur ab eis proportionaliter cauſis, hoc eſt ſecundùm proportionem, quam habent invicem prædicta trahentia: quia igitur trahentium ad trahentia nulla eſt comparatio, hoc eſt pulchritudinis, & bonitatis creatoris ad alias quaſcunque, non erit comparatio amoris, & attractionis pulchritudinis, & bonitatis creatoris ad amorem, & attractum aliorum omnium. Quare ſuper menſuram, & comparationem erit amor pulchritudinis, & bonitatis creatoris ad amores, & attractus aliorum, & propter hoc nullus erit tunc talis amor, aut attractus, quantùm ad alias pulchritudines, & bonitates. Ex quo manifeſtum eſt, paradiſum carnalē in altera vita impoſſibilem eſſe; hîc enim quoniàm ad modicum valdè trahuntur animæ noſtræ à pulchritudine, & bonitate creatoris & hoc eſt, quoniàm ad modicum eis innoteſcunt, trahuntur etiam ab aliis pulchritudinibus, & bonitatibus. Quâ de causâ in pugnâ magna ſunt hîc animæ multę. Cùm autem invaleſcit etiam hoc in hac vita notitiâ pulchritudinis, & bonitatis creatoris, extinguitur amor aliarum, amor inquam qualem dixi: quantò fortiùs igitur cùm plenè innotuerit? hoc autem eſt, quemadmodùm ſi imaginaveris mobile aliquod, quod trahatur duabus virtutibus in partes contrarias: exempli gratiâ, nominetur mobile hujuſmodi C, & virtus movens ipſum in ſurſum nominetur A, virtus verò trahens illud in deorſum nominetur B, manifeſtum eſt tibi, quia ſi A, fortitudine prævaluerit B, trahet in partem ſuam, hoc eſt, in ſurſum ipſum B; quare ſi in infinitum prævaluerit, totaliter trahet ipſum in partem ſuam, hoc eſt in ſurſum. Quia verò impoſſibile eſt aliquid moveri ſimul contrariis motibus, & hoc totaliter: manifeſtum eſt nullum eſſe motum ipſius C, tunc ad partem B. Et quoniàm motus animarum noſtrarum deſideria ſunt, amor verò virtus eſt, & radix hujuſmodi motuum ſpiritualium, manifeſtum eſt in altera vita animabus ſic raptis, & attractis amore pulchritudinis & bonitate creatoris, nullum eſſe motum contrarium, hoc eſt deſiderium, vel etiam amorem ad ſenſibiles pulchritudines, & bonitates; & quoniàm in non amatis, & non deſideratis impoſſibile eſt delectationem eſſe in ſenſibilibus pulchritudinibus, & bonitatibus, delectationem inquam, qualem ibi ſomniat, & delirat vulgus ſarracenorum. Non enim veriſimile eſt Philoſophos gentis illius in parte iſtâ tam erroneè ſentire, delectationem multiplicem eſſe futuram animabus, ſeu hominibus glorificatis ex creaturis, quæ tunc erunt, & etiam ex his, quæcunque eſſe deſierint, quod manifeſtum tibi fiet in ſequentibus. Verùm hujuſmodi delectatio erit ex amore primæ pulchritudinis, atque bonitatis, & propter hoc nullo modo aliqua erit ei contraria, vel repugnans, neque impediens ullo modorum eam delectationem, quæ erit in pulchritudine, & bonitate creatoris. Ampliùs. Imaginare mundum divinum, ſeu ſæculum altius, quod & patriam, & civitatem Deo delictorum; & ab eo electorum Theologi Chriſtianorum vocant, & imaginare in ea duos populos, alterum ſanctorum Angelorum, alterum ſanctorum, & glorificatorum hominum: imaginare etiam infernum, velut carcerem, & locum tormentorum, ubi in malos; & creatoris voluntati rebelles vindicantur per juſtitiam creatoris injuriæ, & contumeliæ, quas & creatori, & hominibus, dùm in hac vitâ viverent, irrogarunt: imaginare etiam locum alium nihil habentem hujuſmodi tormentorum, & ibi poſitos parvulos, qui nec corruptioni originali peccatum aliquod addiderunt, nec contra eam mundationis remedium perceperunt. Dico igitur, quia omnis generis homines ſunt ſic in ſtatu convenientiſſimò eis, ac decentiſſimo. Decet enim modis omnibus creatoris famulos, ac miniſtros eſſe cum eo, & juxta eum quatenùs hoc fas & poſſibile eſt. Nihil enim decentius gloriæ ipſius, quàm multitudo militiæ, militiæ dico, indutæ, & ornatæ, atque decoratæ, prout decet regalem magnificentiam. Quia igitur iſte ſtatus ſic ſe habet, & hujuſmodi eſt tam in hominibus, quàm in aliis ſubſtantiis nobilibus, qui & creatoris militiâ, & ejuſdem familiâ digni vocati ſunt, vel erunt: dico quia iſte ſtatus congruentiſſimus eſt gloriæ creatoris. Decorum autem eſt, quod decet, & propter hoc maximè decorum; quod maximè decet. Nihil autem magis decet creatorem, quàm quod maximè decorum eſt, maximè juxta eum, atque in domo, ſive in aula ſive in palatio ſuo. Quare ſic ſe habere magnificentiſſimam domum ipſius, & præclariſſimam aulam, nobiliſſimamque militiam ejuſdem tempore ſuo neceſſe eſt. Quòd ſi dixerit quis, quia non eſt conveniens, ut homines ſimul & ſubſtantiæ ſpirituales, in una ſcilicet domo, vel palatio habitent, cùm homines corporei, illæ verò incorporeæ, & incorporales ſint: reſpondendum eſt ei, quia multò ampliùs inconveniens videri debet eidem, quòd animæ humanæ cum corporibus habitent, cùm inter ipſas, & corpora ſua longè ſit major differentia naturarum. Homines enim etſi corporei ſint, ſecundùm partem eſt hoc, partem dico inferiorem & ignobiliorem: incorporei autem ſecundùm partem præcipuam, prædictiſque ſubſtantiis in ſtatu illo gloriæ ſimillimam. Convenientius autem eſt, ut corpora humana ſequantur animas ſuas, & trahantur ab eis in ſublime ſæculi altioris, quàm tunc ipſæ trahantur ab eis in locum inferiorem, & habitationi earum minimè congruentem. Dico etiam, quia ſermo iſte hominis eſt ignorantis gloriam corporum glorificatorum. Si enim ſciviſſet, quòd valde ſimilis eſt naturæ ſpirituali, ſicut tibi patefiet in ſequentibus, nullatenùs hoc dixiſſet. Dico etiam, quia ſermo propheticus, quo creator dictus eſt rex gloriæ, non habet dubitationem ſuæ veritatis apud intelligentes. Non poteſt autem intelligi rectiùs rex gloriæ, quàm uno iſtorum modorum, videlicet, vel ut intelligatur regnum ejus gloria. & quia præcipua pars regni civitas eſt, in qua ſedes eſt, & ſolium ipſius; quare illa tota gloria eſt, & omnes inhabitantes in ea glorioſi, ſeu glorificati, & civitas illa meritò civitas gloriæ habenda eſt, & dicenda. Et quoniàm gloria perfectio eſt, ſicut alibi didiciſti, impoſſibile eſt in civitate illa gloriæ aliquid eſſe imperfectionis. Alio modo intelligitur rex gloriæ, quomodò dicitur & rex juſtitiæ, quaſi juſtiſſimus; quemadmodùm dicitur vas pulchritudinis, vas pulcherrimum, & quod nihil habet indecentiæ, vel deformitatis. Sic rex gloriæ rex glorioſiſſimus, quaſi cujus regnum eſt in ultimitate gloriæ, & nihil habens gloriæ repugnans, ſeu contrarium. Neceſſe igitur eſt, regnum ejus totum, quod eſt univerſitas hoc eſt univerſa ſeries ſæculorum ſic ſe habere, videlicet ut ſit in ultimitate pulchritudinis ſecundùm

Paradiſus carnalis non eſt poſſibilis in alio mundo.

Amor.

Paradiſus

Limbus parvulorum.

Rex gloriæ.

Civitas gloriæ.

Digitized by Google

omnes partes ſuas, & hoc provt congruit, & expedit unicuique earum tempore ſuo. Et propter hoc neceſſe eſt, ut & univerſitas angelica & univerſitas hominum ſit unoquoque tempore, provt decet eam eſſe, & provt decorũ eſt eam eſſe in tempore unoquoque; & quia decorum, ac decentiſſimum eſt, ut prima, ac ſuprema habitatio habitatoribus, ſeu civibus nobilitati ejuſdem congruentibus impleatur, quod impoſſibile eſt fieri, niſi ex angelis, & hominibus, utriſque glorificatis; nec enim fas eſt, neque conveniens aliquem eſſe veſtitum, niſi gloriâ: omne enim aliud veſtimentum, vel operimentum indecens eſt, & regi gloriæ, & regno gloriæ: imperfectum autem veſtimentum, & imperfectus ornatus, in hominibus eſt gloria animarum: neceſſe igitur eſt glorificandarum animarum corpora gloriâ communi congruente ſuo tempore veſtiri. Tertio modo intelligitur rex gloriæ per appropriationem, videlicet cujus ſolius eſt, & cui tota debetur gloria; quare neceſſe eſt omnia ſuo tempore converti in gloriam ipſius. Non ſolùm igitur animæ humanæ, quatenùs eis congruit per glorificationem ſuam, convertendæ ſunt in gloriam ipſius, ſed etiam corpora earum. Quemadmodùm igitur animæ totum gloriæ habituræ ſunt per gloriam, quam accepturæ ſunt ab eo; ſic & corpora totaliter in gloriam ejus, & obſequium convertenda ſunt tempore ſuo, & propter hoc adeptura gloriam, quæ illi ſtatui, & officio congruat. Amplius. Sicut alibi didiciſti, mors plaga eſt non ſolùm innaturalis naturæ humanæ, ſed etiam euſque contraria, ut eam etiam deſtruat. Hujuſmodi autem indicium certiſſimum eſt, quod naturaliter horretur, & fugitur ab hominibus. Nihil autem naturale naturaliter horretur, & fugitur. Natura igitur humana naturaliter nec ad mortem tendit, nec ad illam ducit homines naturaliter; quare manifeſtum eſt plagam hujuſmodi ſanandam eſſe tempore ſuo. Si enim in pecude ſuâ, ſive in grege, vel armento nemo ſuſtineret plagam mortis, ſive etiam mortalitatis, ſi eam avertere poſſet quantò fortiùs creator in genere humano, quod velut grex ejus eſt, immò nobiliſſima, amabiliſſimaque poſſeſſio ejus, non ſuſtinebit plagam mortis, quin eam curet tempore ſuo? Ampliùs. Quis paterfamilias peſtem, ſeu peſtilentiam à pecudibus ſuis, ſi poſſibile ei fuerit, non depellat? Quis denique rex in regno ſuo id, quod totum illud vaſtet, ſi hoc poſſet facere, non avertat? Et quia manifeſtum eſt, quòd genus humanum pars præcipua, ac nobiliſſima eſt poſt ſubſtantias abſtractas, & nobiles regni creatoris, neceſſe igitur eſt bonitatem creatoris peſtem iſtam, & vaſtitatem abigere à regno ſuo Mors igitur, & corruptio finem habebunt in genere humano. Eodem modo eſt argumentari & de ruina domus. Quaſi enim domus creatoris eſt univerſitas hominum, & aliarum ſubſtantiarum nobiliũ. & ex illis velut duobus parietibus ædificata, ſeu constructa; ruit autem alter paries totaliter per mortem: qualiter igitur iſtam ruinam in domo ſua perpetuò ſuſtinebit, cùm eam reædificare poſſit, atque ſtatuere ſtabilitate perpetuâ? quis paterfamilias ruinam hujuſmodi reparare negligeret, & domum ſuam ſtabilem facere, ſi poſſet? Quòd ſi dixerit quis, quia ruinam, quæ per mortem fit, vel corruptionem, reparat creator quotidie per novorum hominum creationem, debes reminiſci ejus, quod audiſti in præcedentibus, & in hoc eodem capitulo, quia reædificatio hujuſmodi continuò deſtruenda, continuéque ruens, non reædificatio eſt; tantum enim deſtruere, quantum reædificatur ex altera parte, perindè eſt, ac ſi nihil reædificaretur. Ad alteram verò partem quæſtionis non reſpondet, videlicet qualiter ſuſtinet bonitas creatoris tantam ruinoſitatem, tantamque inſtabilitatem, tam præclari ædificij ſui. Quis enim paterfamilias ruinam continuam in ſua domo, vel ædificio ſuſtineret, maximè cùm eam avertere prævaleret.

CAPUT XXII.

Quòd in altero ſæculo omnes rectiſſimè collocabuntur, & quòd hæc vita non ſit merces bonorum, ſed futura.

REvertar autem, & dicam, quia creatoris aula, ſive palatium, cùm repletum fuerit ſubſtantiis ſpiritualibus, & hominibus glorificatis, erit ſecundùm magnificentiam regni, & gloriæ creatoris; erit & ſecundùm ultimum decentiæ, & decoris proprij. Quare & ex parte creatoris, & ex parte ſua erit ſecundùm optimum, ultra quod nec meliùs, nec decentiùs poſſibile eſt eſſe. Sic dico & de inferno, quia nihil magis decet carcerem, & locum tormentorum, quàm malefici, & juſtiſſimi cruciatus eorum. Quare ſecundùm imaginationem poſitam erit infernus ſecundùm ultimum decentiæ, & decoris, & hoc ex pulchritudine juſtitiæ creatoris, quæ ibi & pro magnitudine ſua, & pro rectitudine lucidiſſimè apparebit, hoc eſt, provt poſſibile erit glorificatis oculis tam ſpiritualibus, quàm corporalibus magnitudinem, & pulchritudinem illius conſpicere, & videre. Quia verò parvuli, qui nihil culpæ addiderũt originali corruptioni, nihil pœnæ actualis de juſtitia divina paſſuri sũt, & hoc eſt, quoniàm pœna actualis non debetur, niſi culpæ actuali, manifeſtũ eſt eis non deberi, nec decere eos locum alicujus pœnæ actualis. Et quoniàm digni gloriâ non ſunt, utpotè qui circa originalem culpam remedium, quod eſt gratia ſanctificationis, non receperunt, locus gloriæ eos omninò non decet Decentiſſimè igitur collocati ſunt ſecundùm poſitam imaginationem in loco, qui nec ſit pœnæ actualis nec gloriæ. Quòd ſi dixerit quis, quia impoſſibile eſt hujuſmodi homines fore ſine pœnâ actuali in quocunque loco ſint, cùm cognoſcant ſe fuiſſe creatos ad fœlicitatem, & gloriam, & non adeptos illam, dico quia ſermo hujuſmodi non eſt verus. Non enim creati fuerunt ad illam, niſi qui electi fuerunt creatoris prædeſtinatione ad ipſam. Cùm igitur videant, ſe non eſſe electos ad illam, vident ſe nihil juris habere in illâ, & ſibi non deberi illam. Quemadmodùm igitur vides in multis hominibus quòd abſque moleſtiâ, & dolore ſuſtinent ſe non eſſe reges, pro hoc ſcilicet, quia ſciunt ſine injuria ſua, & contumelia hoc eſſe: ſic & iſti abſque ulla pœna, & cruciatu ſuſtinebunt ſe non obtinere fœlicitatem, & gloriam regni illius ſublimis, atque præclari. Si verò dixerit, quia videbunt ſe potuiſſe obtinere illam, & propter hoc dolebunt, quia non obtinuerunt, & hoc ipſum diſſolves per prædictum exemplum. Non enim eſt homo, qui naturali poſſibilitate prohibitus unquàm fuerit à regno; ſunt tamen innumerabiles, qui omninò non dolent pro eo, quòd reges facti non ſunt. Non eſt igitur conſequens, ut ſi aliquis bonum aliquod obtinere naturaliter poſſibilis ſit. quòd propter hoc doleat, quia illud non aſſequitur. Jam igitur manifeſtum eſt tibi, quòd ſecundùm poſitam imaginationem ſtatus univerſitatis hominum hujuſmodi eſt ſecundùm optimum ſuum, & in ultimitate decentiæ, & decoris, nec non & in ultimitate ſuæ pulchritudinis, & quia per ipſum ſatisfit ſimul miſericordiæ creatoris, & juſtitiæ ipſius, atque naturæ humanæ, & meritis hominum. Naturæ quidem

Nota.

humanæ, quia redditur ei ſua perfectio naturalis, quantùm ad vires naturales exteriores, quas exercet per corpus. Redditur etiam ei corpus ſecundùm hoc, redditur, inquam quale congruit ipſi naturaliter, quod eſt dicere immortale, ſicut alibi didiciſti. Nec ſolùm quale congruit ei naturaliter, ſed etiam quale congruit meritis ipſius, & ſtatui. Statui quidem gloriæ congruit corpus glorioſum, cujus gloriam in ſequentibus audies: ſtatui verò æternæ miſeriæ congruit corpus, quod eam perpetuò ſuſtinere poſſit, & tale redditur naturæ humanæ in vita futura ſecundùm poſitam imaginationem. Satisfit etiam ſecundùm hoc ſtatui parvulorum, qui contra corruptionem, ſeu maculam originalem ſatisfactionis remedium non acceperunt. Hic igitur eſt ſtatus per omnia decentiſſimus, & quantùm ad gloriam creatoris tam ex parte miſericordiæ ipſius, quàm ex parte juſtitiæ, ſimiliter & quantùm ad ſalubritatem & utilitatem naturæ humanæ, nec non & ultimam ejuſdem perfectionem, quantùm humanæ naturæ poſſibile eſt, cum æquitate, & juſtitiâ creatoris, hunc igitur ſtatum eliget, immò eligit æternaliter apud ſeipſam ſapientia, & bonitas creatoris. Quare manifeſtum eſt in eo ſtatuendum eſſe finaliter naturam humanam. Ampliùs. Quia nullus motus naturæ fruſtra eſt naturaliter, neque naturali impoſſibilitate prohibitus ab eo fine, in quem eſt: quia igitur appetitus immortalitatis naturalis eſt, id eſt, naturaliter inditus hominibus, quemadmodùm fuga mortis, hoc eſt timor, & horror illius, manifeſtum eſt immortalitatem, quæ eſt finis hujus appetitus, & evaſionem ab ipſâ morte, non eſſe naturaliter impoſſibiles hominibus: nec aliud intendo in ſermone iſto, niſi quòd naturaliter poſſibiles ſunt iſti duo fines hominibus, poſſibiles quidem per modum receptionis, & inſuper à naturâ intenti, ſive intentati. Non enim ſic intelligo poſſibilitatem iſtam, quemadmodùm dicitur poſſibilitas unicuique hominum eſſendi, vel fiendi regem. Regalitas quippe non intenditur à naturâ humanâ, neque directè naturæ humanæ advenit, ſed magis ab accidente, & indirectè, ſicut & cauſa ejus, quæ eſt voluntas, ſive electio hominum, ad quos pertinet reges eligere, vel conſtituere. Inſuper tota intentio naturæ perficitur, & impletur abſque hoc, quod adveniat ei regalitas, ſeu regia dignitas. Non autem ſic ſe habet immortalitas ad naturam humanam; quoniàm ſine adeptione immortalitatis non perficitur natura, neque intentio ejus, nec pervenit natura ad finem, in quem tendit per duos prænominatos ſuos motus, videlicet appetitum immortalitatis, & fugam mortis. Ampliùs. Nullus motus naturalis eſt hominibus in regiam dignitatem, vel poteſtatem. ſed magis ex cupiditate & ambitione eſt deſiderium hujus poteſtatis hominibus, aut quod rariſſimum eſt, ex creatoris electione, vel hominum ipſorum, & hoc eſt, cùm creditur ab his, qui poteſtatem hujuſmodi ſuſcipiunt, vel Deo placere, vel hominibus expedire, ut ipſi regnent, & propter hanc ſolam cauſam regnare ſe ſuſtinent. Manifeſtum igitur, quia hujuſmodi poſſibilitas, non eſt poſſibilitas per ſe, & ordinata ad hujuſmodi finem: quare conſequens eſt, quia poſſibilis eſt humana natura recipere immortalitatem poſſibilitate per ſe, & ordinata ad illam; & quoniàm tendit ad illam naturalibus motibus pluribus ſuis: quare neceſſe eſt, ut ad illam perveniat, vel totaliter, vel in parte: quòd ſi conceſſerit, quia in parte perveniet ad illam, jam audiviſti ſuper hoc alias rationes, propter quas impoſſibile eſt, quòd in parte etiam non perveniat. Ampliùs. Jam alibi audiviſti, quia etſi contingat ſpeciem aliquam in aliquâ parte individuorum ſuorum perfectione ſua, vel perfectionibus privatam eſſe; impoſſibile tamen eſt, ut univerſaliter privetur illâ, vel illis. Similiter impoſſibile eſt univerſaliter, & perpetuò aliquam ſpeciem remanere univerſaliter, & perpetuò in privatione, ſeu potentialitate ſuæ perfectionis, alioquin fruſtra, & vanè creata eſſet à creatore. Hujuſmodi autem exemplum eſt in mineris metallorum, & gemmarum, aliorumque lapidum nobilium. Materia enim omnis, quæ per ſe materia eſt, non creatur, ut ſit materia tantùm, ſed creatur propter perfectionem, non creatur inquam in materialitate ſua, ut in ea permaneat. Cujus expoſitio eſt, ut intelligas, minera auri non eſt minera, ut ſit minera tantùm, neque ut remaneat in hac materialitate, quæ eſt mineralitas, ſed propter aurum, ut aurum ſcilicet ex ea fiet. Quia igitur materia, ut materia, non eſt utilis, niſi propter id, quod ex ea exiturum eſt: manifeſtum eſt, quòd non creatur, vel eſt, ut ſit, vel remaneat materia tantùm, quoniàm ejus eſſe ſic inutile eſſet. Sapientia autem, & bonitas creatoris non permittunt hoc, ut creatur, vel ſit inutiliter ſpecies aliqua totaliter, hoc eſt, ſecundùm omne individuum ſuum; quare impoſſibile eſt ſpeciem aliquam remanere totaliter in ſua materialitate, vel potentialitate. Neceſſe igitur eſt unamquamque ſpecierum, vel in totalitate ſua, vel in parte individuorum ſuorum ad id pervenire, quod ſupra dixi, ſuam ſcilicet perfectionem, vel actum. Quia igitur ſpecies humana in hac poſſibilitate, ſeu potentialitate creatur, ut ex ea poſſint fieri immortales homines: quare neceſſe eſt ſaltem aliquos fieri immortales. Hanc igitur mortem, quæ nunc eſt hominum, ſequetur ex neceſſitate immortalitas. Hæc autem eſt vita immortalis. Ampliùs. Nihil magis erigit homines ab ejectione vitiorum, & paſſionum inordinatarum, quàm ſpes futuræ immortalitatis, & retributionis; nihil magis eos animat, atque confortat ad acquiſitionem virtutum, atque cuſtodiam, & ad compoſitionem morum ſuorum, totamque vitæ ſuæ decorationem, quàm ſpes futuræ immortalitatis; & hoc apparet in his, qui nihil boni ſperant in vita futura, qui omnia credunt cum ipſa luce vitæ præſentis relinquere: his enim nullus eſt amor virtutum, nulla cura componendæ vitæ ſuæ, ſed totos ſe tradunt, & exponunt inſtar jumentorum voluptatibus corporalibus. Quare qui ſpem iſtam tollunt de medio, negantes eam, virtutes etiam de cordibus humanis extirpant, totumque vitæ humanæ decus, atque decorem in brutales delitias, atque turpitudines transferunt, & deformant. Manifeſtum igitur eſt hanc opinionem radicem eſſe perniciosiſſimam, atque peſtiferam humanæ vitæ, & inſuper ipſi creatori contumelioſiſſimam, quæ & amorem virtutum ſalubrium extinguit in hominibus, & creatoris cultum, & honorificentiam extirpat radicitùs, & laudem creatoris aufert ex ore hominum. Vita namque jumentina, ebrietaſque, inſania delitiarum carnalium, etiam ab anima humana cogitatum abradit, & abolet creatoris: ferro igitur, & igne profliganda eſt, & funditùs exterminanda hujuſmodi opinio. Non tam igitur probationibus contra eam pugnandum eſt, quàm tormentis. Quòd ſi dixerit quis, quia propter divitias præſentes, & corporales delitias componenda eſt, & ornanda virtutibus, & motibus vita præſens; tu ipſe vides quia iſta ſunt, quæ totam turbant, & confundunt vitam præſentem hominum, & ipſos etiam homines uſque in inſaniam ſubvertunt, & hæc eſt una ex cauſis, propter quas ſapientes ipſas fugiunt, tanquàm peſtes. Vides etiam, quia hæ ſunt, quæ homines avertunt, ma-

Immortalitas corporis glorificati.

Nota.

Nota de materia.

Mortem humanam ſequitur immortalitas.

Digitized by Google

ximè à creatore, & ab omni cultu, & honorificentiâ ipſius Non inducunt igitur homines ad honorificandum, & colendum creatorem quin potiùs abducunt. Iſta etiam ſunt, ex quibus ſunt lites, & jurgia, ſeditiones, & bella, ebrietates, & furores hominum invicem. Qualiter igitur propter iſta, quæ cultum, & honorificentiam creatoris adeò impediunt, quæ maximi cultores creatoris maximè fugiunt, & contemnunt, & ex quibus mala quæ prædixi, omninò ſunt, colendus, vel honorandus erit creator? Ampliùs Si propter hæc ſola honorandus, vel colendus eſſet creator, quod utique eſſet, ſi alia vel meliora ab eo non ſperarentur, vel quod rectius eſt, gratis tantùm colendus eſſet: qui igitur eas non habent, abſoluti eſſent omninò à debito cultus, & honorificentiæ creatoris, cùm apud eos cauſa hujuſmodi debiti non eſſet Quòd ſi dixerit, quia ipſa vita præſens bonum magnum, & ipſa anima bonum maximum, ſimiliter & corpus totum, & membra ſingula, bona, & magna ſunt; verum utique dicit, & reverà largitione tantorum bonorum obnoxios ſibi nos fecit bonitas creatoris, & debitores obſequiorum, quæ ex his eidem impendere poſſumus; verùm adeò læſa ſunt omnia hæc, & corrupta in nobis, ex originali corruptione, de quâ tot, & tanta jam audiviſti, & ex aliis cauſis, quas de induſtriâ prætereo, ut ex eis neque decenter, neque acceptabiliter creatori ſervire poſſimus, & propter hoc neceſſarium eſt nobis, ut mundemur ab hujuſmodi, & novis adjutoriis à creatore adjuvemur. Hæc autem adjutoria ſunt, quæ virtutes, & gratias & dona, doctrina Chriſtianorum crebertimè nominat. Scito autem quòd non eſt hæc intentio creatoris, ut propter obſequia noſtra prædicta nobis munera largiatur. Non enim indiget his, ſed nos eis indigemus, ut per hæc creatori nos acceptos, & placitos exhibeamus, & per eadem ab eodem incomparabiliter meliora, atque ſublimiora obtineamus. Hæc igitur eſt intentio ipſius adjuvare nos hîc hujuſmodi adjutoriis, ut non ſolùm munificentia ejus, & miſericordia idoneos nos faciant majora, ac præcellentiora accipere, ſed etiam ejuſdem juſtitia nos dignos inveniat, ut talia nobis ex meritis debeantur. Quapropter manifeſtum eſt, quòd ſicut bonitas naturæ ex diſpoſitionibus bonis naturalibus præparat, & idoneam facit naturam humanam; ſic ipſa adjutoria eandem præparant, non ſolùm, ut idonea ſit ad ea, quæ ſunt æternæ fœlicitatis, & gloriæ, ſed etiam, ut & digna ſit ex eiſdem adjutoriis: de his autem licet multa per prophetas Hebræorum & dicta, & ſcripta ſint genti illi, doctrina tamen Chriſtianorum de hujuſmodi adjutoriis, dignitatibus, retributionibuſque creatoris, refertiſſima eſt, & gratiam adoptionis hæreditatemque regni cœleſtis ſtudioſiſſimè attollit, & prædicat; ex quâ manifeſtè ſequitur reſurrectio mortuorum, & glorificatio eorum ſaltem in parte. Stabilitur autem gratia iſta exemplo uno per bonitatem & largitatem creatoris. Dico igitur quia ſi rex aliquis in hominibus haberet regnum ditiſſimum, ac præclarum, nec eſſet ei niſi unicus filius, regnum autem ejuſmodi maneriei eſſet, ut per multitudinem hæredum nulli minueretur, & ipſi unigenito regis gloria multa, atque præclaritas per multitudinem cohæredum, atque conſortium accreſceret, bonitas, & largitas ipſius regis multos filio ſuo conſortes advocaret, & multos filios ſibi gratiæ adoptaret: hoc autem apud nos in hominibus multoties factum eſt qui cùm filios proprios non haberent, extraneos adoptabant nec dubium eſt apud intelligentes, quin, etiamſi multos haberet filios, id faceret, poſtquàm per quantamcunque gratiam adoptionis, ac per

Divitiæ contemnendæ.

Gratia adoptionis.

E quantamcunque multitudinem adoptivorum, nihil deperit unigenito Regis de divitiis, aut gloria regni ſui, quin potiùs augetur ei gloria exterior ultra omnem admirationem. Si ex multitudine militiarum, ex multitudine, & magnificentiâ principum augetur gloria regis uniuſcujuſque: quantò fortiùs innumerabilis multitudo regum cœleſtium erit ad decorem, & gloriam regi regum omnium? Si enim decem regibus imperare, tanta gloria eſt imperantis, regibus inquam terrenis, & omnibus terrenis regibus imperare, tantò major gloria eſt terreni imperatoris, quantò major eſt numerus, atque potentia regum omnium terrenorum, quàm decem: quantò magis omnium regum cœleſtium obedientia, & ſubjectio erit ad gloriam regis omnium ſæculorum? manifeſtum igitur eſt, quia dominantiſſimus ille imperator, quem Dei filium dixi, ſive intendat ad gloriam ſuam, ſive in utilitatem hominum, prout decet divitias bonitatis ejus, atque juſtitiam, ex neceſſitate advocat, & adoptat ſibi conſortes, atque cohæredes regni, & gloriæ ſuæ innumerabiles, quos ſecum glorificaturus, & coronaturus eſt in noviſſimo, & aſſimilaturus ſibi aſſimilatione, quæ deceat magnificentiam largitatis ipſius, & congruat meritis ipſorum. Dico etiam, quòd ſi poſſet eos æquales ſibi facere in gloriâ, hoc

F eſt, ſi ipſi receptibiles eſſent ullo modorum, eoſdem ſibi in gloria adæquaret. Non oportet autem dicere, quia natura poſſibilis per ſemetipſam ullo modorum receptibilis eſt æqualitatis ad eum, qui eſt neceſſe eſſe per ſe ex omnibus modis ſuis, quamquàm receptibilis ſit ſimilitudinis, licet à ſupereminentia ipſius incogitabiliter longè diſtantis. Nec aliter ſentiendum eſt de largitate, & magnificentiâ bonitatis ipſius creatoris qui enim has divitias, hancque profuſionem munificentiæ creatoris, quam dixi, negant, vel ignorant, conſequenter & deitatem ipſius negant, & minimum ſuæ largitatis eidem relinquunt. Quicquid enim largitur bonitas creatoris, modicum valdè eſt ad nobilitatem, & gloriam regni cœlorum & glorificationem, atque coronationem regum innumerabilium. Qui igitur

G eam negant, maximum ſui quantùm ad munera largitatis, auferunt creatori, & propter hoc malè de bonitate ipſius ſentiunt, immò non largitatem de eo, ſed avaritiam potiùs reſtrictiſſimam de eodem ſomniant, & delirant. Ampliùs. Quis ex terrenis magnatibus, ſive principibus habens militem, qui equum ſuum in bello ejuſdem amiſerit, illi non reſtituat, ſive reddat: ſimiliter & alia damna, quæcunque in ſervitio ejus incurrerit, eidem non reſarciat, aut refundat? Quia igitur electi creatoris, atque dilecti in ſervitio ipſius corpora ſua per eorum mortem amittunt; neceſſe habet creator ex bonitate ſuâ & juſtitiâ reſtituere tempore ſuo. Quòd ſi dixerit quis, quia corpora illa ex dono receperunt creatoris, & ſic eadem eis donavit, & quòd eadem ſibi retinuit, non à ſe abalienavit; quare quæ crea-

H toris erant amiſerunt, non quæ ſua tantùm, & propter hanc cauſam non tenetur creator hujuſmodi eis facere reſtitutionem Attende igitur quia ſermo iſte, hominis eſt erronei, & hoc declarabitur tibi duobus modis. Primùm, quia ſecundùm hoc ſublata eſt ſpes mercedis, & retributionis, ſublata inquam Dei ſervitoribus, ut nulla ſit apud creatorem: omnia namque bona, ſive ſint virtutes, & gratiæ, ſive grata creatori obſequia, dona ſunt creatoris Si igitur propter hoc, quia corpora noſtra dona ſunt ipſius, non eſt debitor retributionis ipſorum corporum, multò fortiùs neque gratorum ſibi quorumcunque obſequiorum, cùm omnium obſequiorum, quæ in vita iſta præſtari poſſunt eidem, mors corporum majus ſit, quandò propter eum

Nota.

Nota.

Nota.

ſuſcepta

Digitized by Google

ſuſcepta fuerit. Alio modo deſtruitur deliramentnm illud, quia etſi humana corpora dona creatoris ſunt, noſtra tamen aliquo modo ſunt, & tantò magis noſtra, quantò illa in obſequiis creatoris occupaverimus Et jam alibi didiciſti per me, quia obſequia, quæ ex amore ſolo gratuito iurendimus, dona ſunt apud eum, cui impenduntur, & propter hoc obligant ipſum ad redonationem, ſeu remunerationem, ſive retributionem. Donant igitur à Deo dilecti, & Deum diligentes homines creatori corpora ſua, cùm ex amore ſolo hujuſmodi illa morti pro eo exponunt, faciunt ergo ipſum convenientis retributionis ſibi debitorem. Hæc autem eſt communi omnium hominum opinione conveniens retributio, ut in primis reſtituatur damnum corporis per mortem amiſſi, & hoc de divinæ bonitatis largitate, quæ, nt jam dixi tibi, non vacat calculis meritorum, ſed magis attendit, quid magnificentiam, & gloriam ejus deceat erga ſervitores ſuos, & nt ſuperaddatur gloria corpori, qualem audies in ſequentibus. Quòd ſi fortè dixerit quia eſt convenientiſſimum magnificentiæ creatoris illis corpora reſtituere, qui pro eodem ea morti expoſuerunt; in aliis verò, qui ea propter mortem naturalem, non propter illum videlicet in ſuo ſervitio, amiſerunt, nec dignum, nec juſtum eſt ut eis reſtitutio ſic amiſſorum corporum fiat, cùm non pro ſervitio creatoris illa amiſerint, dico, quia homo iſte Dei liberalitatem, & largitatem contrahit etiam infra notiſſimam, atque certiſſimam hominum bonitatem. Nullus enim eſt hominum, qui damna ſervorum ſuorum, quæ in ſervitio ſuo incurrunt, eis non reſarciat, & qui non turpe ſibi, & erubeſcendum reputet hujuſmodi damna non refundere eiſdem. Quæ igitur erit liberalitas, atque largitas creatoris, ſi quid avaritia hominum vel vix ullo modo ſuſtinet, ipſa in ſervitores ſuos ſibi gratiſſimos, ac devotiſſimos operetur?

Nota.

Adverte.

CAPUT XXIII.

De qualitatibus, ſeu dotibus corporum glorificatorum.

QUoniàm igitur ex eis, quæ præceſſerunt, evidenter eluxit, & claruit tibi, animabus ipſis reddenda eſſe corpora ſua in vita, quæ erit poſt hanc, & hæc redditio, reſurrectio eſt mortuorum, quæ primùm ab ipſo creatore prophetis revelata eſt, deinde rationibus, & probationibus, quas audiviſti, ſicut fuit dignationis ejus dare intelligentibus, approbata, relinquitur perſcrutandum de diſpoſitionibus corporum humanorum, quæ ſcilicet, aut quales erunt. Dico igitur, quoniàm cùm animæ humanæ quædam glorificandæ ſint, illis ex neceſſitate reddenda ſunt corpora non ſolùm immortalia, ſed etiam impaſſibilia, & nutrimento non indigentia. Erunt etiam eis aliæ mirabiles diſpoſitiones, propter quas ipſa corpora meritò glorificata nominabuntur. Si enim paſſibilia eſſent à læſionibus, & aliis paſſionibus ſenſibilibus eſſent animæ illæ glorificatæ obnoxiæ doloribus ſenſibilibus, cùm neceſſe ſit patientibus corporibus animas eorum compati; non eſſet igitur vera, ſicut nec pura illa futura fœlicitas, ſi tantorum dolorum miſeria vel admixta eſſet, vel admiſceri poſſet. Vera enim, & pura fœlicitas non tam actu, quàm etiam potentia longè eſt in ultimitate elongationis ab admixtione miſeriæ, alioquin non eſſet ipſa fœlicitas in ultimitate ſuæ perfectionis, nec etiam eſſet gloria nominanda, aut ſtatus hujuſmodi glorioſus,

Reſurrectio mortuorum.

Immortalitas corporum.

Fœlicitas procul à miſeria.

A qni contrariæ miſeriæ ſuſceptibilis eſſet, immò quod verius, per contrariam miſeriam deſtructibilis. Nihil enim eorum, quæ ſunt gloriæ, deſtrnctibile eſt Per eandem viam clarere tibi poteſt, quia nec mortalia erunt corpora animarum glorificatarum, eſſet enim per mortem eorum animarum gloria deſtructibilis, & etiam doloribus mortis obnoxia. Ampliùs. Secundùm hoc non differt vita illa à præſenti, niſi ſecundùm magis & minùs, hoc eſt, non eſſet alterius. & admirandæ, ſupereminentiſſimæque fœlicitatis, ſed eſſet ſimilis fœlicitatis, ut hic, licet majoris, quemadmodùm accidit illis, qui paradiſum delitiarum carnalium poſuerunt. Quòd ſi fortè dixerit, quia nulla fœlicitas eſt ejus virtutis, aut potentiæ in rebus creatis, quæ prohibeat ab eis B naturalem paſſibilitatem, ſeu defectibilitatem, dico, quia homo iſte dicit ſermonem impertinentem ad id, de quo agitur. Non enim hoc intenditur hîc, ut omninò per gloriam futuram deſtruatur defectibilitas naturalis, vel in animabus humanis, vel in corporibus, ſed dico quia prohibetur ab actu ſuo prohibitione impoſſibilitatis perpetuę. Cujus rei exemplum unum licet longè diſtantis diſſimilitudinis eſt aqua in vaſe ſolidiſſimo, & omninò impenetrabili circumcluſa. Vides igitur ibi fluiditatem ipſius aquæ naturalem in nullo penitùs imminutam, & modis omnibus permanentem illæſam, ſubſtantiamque ipſius in nullo prorsùs mutatam, à fluxu ſuo prohibitam, ſed hoc idem exterius eſt ei, & in hoc eſt diſſimilitudo exempli hujuſmodi ad gloriam fœlicitatis, de quâ agitur. Convenientius autem exemplum eſt in criſtallo, ſi poſueris aquam vehementiâ congelationis in criſtallinam duritiem C ſolidatam, & hoc eſt, quoniàm ſecundùm hanc poſitionem ipſa criſtalli ſubſtantia mutata eſt à fluiditate ſuâ, & prohibita à fluxu, prout poſſibile eſt criſtallinæ ſoliditati. Evidentius autem exemplum eſt de re iſtâ in lapide, qui dicitur diamas, ſimiliter & in eo, qui adamas nominatur. Tantò autem convenientiora ſunt exempla iſta præſenti negotio, quantò ſubſtantiæ hujuſmodi, videlicet quæ per congelationem induratæ ſunt, ſolidiores fuerint, & à reſolutione remotiores. Quàpropter in cœleſtibus corporibus convenientiora ſunt exempla, quæ tantâ ſoliditate ſtabilita ſunt, atque firmata, ut nec corruptioni, nec læſioni alicui obnoxia ſint, licet naturali potentialitate, ſeu poſſibilitate defectibilia ſint in ſe, prout viſum eſt Ariſtoteli. & ſequacibus ipſius, ſimiliter & Platoni. Non ſunt igi- D tur contraria, neque ad invicem euſque ſibi repugnantia, ut ſe in uno, eodemque ſubjecto non compatiantur: ſicut & econtrariò naturalis viſibilitas, ſeu videndi potentia, & perpetuitas cæcitatis, habent in ſubjecto uno in vita iſta inſeparabilitaté. Quòd autem nec alimento indigeant in ſtatu fœlicitatis illius corpora glorificata, inde manifeſtum eſt, quia omne nutrimentum, ſicut alibi didiciſti eſt reſtauratio ejus, quod fluit de corpore nutribili per motum, & conſumptionem caloris naturalis. Quia igitur hujuſmodi diſſolutio, vel conſumptio locum non habet in hujuſmodi corporibus, manifeſtum eſt, quoniàm neque nutrimentum. Ampliùs. Fames & ſitis miſeriæ magnæ ſunt, quoniàm ſimul ſunt paupertas, & afflictio, quare nullus eſt locus illis, ubi vera eſt, ac plena fœlicitas. Si autem apud corpora illa eſſet diſſolutio, ſeu conſumptio, locum haberent ibi fames, & ſitis. Ampliùs. Etiam haberet locum ibi mors. Cùm enim continua eſſet ibi deperditio, ſeu conſumptio, quam prædixi, videlicet quæ per nutrimentum reſtaurari habet neceſſe, per eam tandem venirent corpora ad defectum, qui mortem induceret. Quia igitur extrema miſeria

Similitudo aptiſſima.

Alia ſimilitudo.

Adamas lapis.

Corpora glorificata cibo non indigent.

Digitized by Google

eſt hîc, hoc eſt, in vita iſta mors corporum, manifeſtum eſt vitam illam futuram glorificatorum hominum à morte eſſe proſsùs liberam, & immunem. Quòd ſi dixerit quis, quia ſufficere debet, & ſatis erit glorificatis hominibus, ut nunquàm moriantur; & quia non eſt eis neceſſaria hujuſmodi impaſſibilitas, dico in hoc quia jam declaratum eſt tibi, quia ſine impaſſibilitate corporum, non eſt poſſibile eſſe illam gloriam animarum, quoniàm quacunque paſſione corporum, hoc eſt, etiam ſine læſione, & dolore ſenſibili, evacuaretur tota, atque deſtrueretur. Sed neque etiam veri nominis gloria eſſet, ſi ad eam ullo modorum eſſet acceſſus miſeriæ. Unum enim de conſequentibus eſt hujuſmodi gloriam ultimitas elongationis à miſeriâ. Ampliùs. Dico, quia hujuſmodi corporibus glorificatis cedent abſque ullâ reſiſtentiâ, & difficultate quâlibet corpora alia, alioquin paſſibilia eſſent ab ipſis. Cauſa autem in hoc eſt, quia omne corpus reſiſtens alii, erit neceſſariò agens in illud vel retardans, aut impediens motum illius; & ſi fuerit alterum altero ſubtilioris ſubſtantiæ, intrabit alterum in alterum, faciens in eo ſectionem, ſeu diviſionem. Si autem ſectibilia, aut diviſibilia eſſent hujuſmodi corpora, eſſent neceſſariò homines glorificati mortales; diſſecatio enim, & diviſio corporum humanorum, mortem inducit homini corporalem. Ampliùs. Omne impedimétum, & retardatio motus voluntarii, omniſque difficultas, miſeria eſt; nihil autem miſeriæ habitura eſt illa fœlicitas: motus igitur voluntarius in hominibus nec reſiſtentiam retardationis, nec difficultatis quicquam habebit: per quæcunque igitur corpora erit eis tranſitus ab omni reſiſtentiâ, & difficultate liberrimus, & immunis, per quæcunque inquam corpora alia, videlicet quæ non ſunt glorificata. *Nota.* Si quis autem quærat, an ipſi homines glorificati, ſi moveri in cœlo, vel per cœlum maluerint, poſſint moveri: dico, quia jam reſponderunt ſapientes Chriſtianorum in hoc, quòd corpora glorificata poterunt eſſe in eiſdem locis cum aliis corporibus, licet hæc nullâ probatione declaraverint. Declaratio autem ejus eſt hæc: quoniàm ſi alia corpora in ſuis locis ſecum non poſſent pati corpora glorificata, neceſſe eſſet, ut glorificatis ingredientibus loca illa, ejicerent alia de locis illis, in quibus antea quieſcebant quare per violentiam eſſet exitus illorum à locis illis; ex neceſſitate igitur retardarent ingreſſum illorum in loca illa, & difficultatem ingererent motui glorificatorum. Jam autem prohibitum eſt hoc à motu eorum. Quòd ſi quis dicat, quia glorificatis corporibus cedunt alia ſponte loca ſua, & hoc pertinet ad gloriam eorum, ut tanquàm honorabilioribus, atque nobilioribus cedant eis alia. Verùm Ariſtoteles, & ſequaces ejus æſtimaverunt ſe prohibuiſſe hoc, dicentes diviſiones, & ſectiones non eſſe poſſibiles apud corpus cœli, vel etiam apud quodcunque ex aliis corporibus cœleſtibus, & cauſas æſtimationis ſuæ jam alibi audiviſti per me; hoc eſt igitur veriſimilius, quod ſupra dixi, nec habet contradictionem Ariſtotelis, vel alicujus ex ſequacibus ejus, videlicet quòd corpus non glorificatum ſecum in eodem loco patiatur glorificatum abſque ſui diviſione vel ſectione, & hæc eſt una ex cauſis, propter quas lex, & doctrina Chriſtianorum corpus glorificatum vocat ſpirituale, videlicet, quoniàm quemadmodùm ſpiritus totum corpus, quod animat, atque vivificat, abſque diviſione, & ſectione, abſque ullâ etiam læſione intrat: ſic corpora glorificata intrabunt alia, & etiam intrabuntur ab eis. *Corpus non glorificatum patitur ſecum glorificatum.* Quod multi crediderunt de ferro ignito, & carbone ardente, opinantes, quòd ignis totaliter intret ferrum ignitum, & totaliter intretur ab eo. Similiter crediderunt de ligno ignito, quod carbonem diximus. Et hoc ipſum opinati ſunt de vipa, hoc eſt, de vinato, ſive vino madefacto totaliter pane, & de omnibus ſimilibus. Cauſa verò ſecunda, propter quam ſpiritualia dixerunt futura corpora glorificata, eſt, quoniàm non erunt indigentia nutrimento. *Corpora glorificata cur ſpiritualia.* Tu verò jam didiciſti, quia nutrimentum reſtauratio eſt deperditionis, & conſumptionis, quæ fit in vita iſta in corporibus animalium mundi hujus, videlicet ſublunaris. Quia igitur apud corpora illa glorificata nulla omninò erit in ſubſtantiis eorum deperditio, vel conſumptio, nulla erit apud ea hujuſmodi reſtauratio quare nec nutrimentum. Debes autem hîc reminiſci eorum, quæ alibi didiciſti de nutrimento animalium, videlicet, quia nutrimentum hujuſmodi non fit, niſi per multas digeſtiones, ac depurationes, ex quibus ſunt generationes multiplicium ſuperfluitatum. *Nutrimentum corporis.* Ex his autem ſequuntur inconvenientia quæ audiviſti in capitulo de deſtructione paradiſi deliciarum carnalium: quantæcunque enim amplitudinis, & capacitatis ſit regio illa paradiſi, non eſſet poſſibile, ut ſufficeret in perpetuum etiam ſolis ſuperfluitatibus corporum humanorum. Manifeſtum igitur eſt tibi per illa. & hæc, quæ hîc audis, non eſſe poſſibile corpora glorificatorum hominum nutrimentis, vel epulis indigere. *Agilitas.* Utrùm autem ſit eis futura mobilitas illa, ſeu agilitas, quam eis ponit doctrina Chriſtianorum, facile eſt declarare, & hoc multis viis. Et prima quidem via ad hoc eſt id, quod audiviſti in præcedentibus de ſubtilitate, ſeu ſpiritualitate ipſorum, per quam abſque ullâ reſiſtentiâ, & difficultate quâlibet, ſeu retardatione eſt eis liber tranſitus per omnia alia corpora; quare quemadmodùm, ſi motus eſſet poſſibilis fieri per inane, ſicut viſum eſt Ariſtoteli eſſet motus abſque morâ, & menſurâ in tempore, & hoc eſt dicere ſubitus: totum enim, quod motus requireret, eſſet apud mobile: potentia autem omnis, quæ totum habet apud ſe, quod requirit ejus actus non debet habere moram in exitu ad ſuum actum, & eſt intentio mea in hoc ſermone, quia non dicitur eſſe mora inter potentiam hujuſmodi, & actum ipſius: quare ſubitus eſt ejus exitus in ſuum actum: ubi verò reſiſtentia eſt circa ipſam potentiam, ibi non eſt mirum, ſi mora & retardatio locum habent. Exemplum autem hujuſmodi eſt, quia motus hujuſmodi non eſt, niſi per violentiam, & victoriam moventis ſuper id, per quod eſt motus ſcindentis ipſum, & facientis ſibi viam per illud: quia igitur groſſiora corpora majoris reſiſtentiæ ſunt, & difficilioris diviſionis, quàm ſubtilia, ideò ex neceſſitate unius, & ejuſdem corporis motus eſt tardior per groſſa corpora, quàm per ſubtilia. Cujus exemplum eſt, quia tardior eſt motus corporis cujuſcunque, quod per terram moveri poteſt, quàm quod per aquam: ſimiliter & per aquam tardior, quàm per aera; quare juxta poſitionem Ariſtotelis motus per inane, ſicut omninò eſſet ſine reſiſtentiâ ſic eſſet omninò ſine tarditate & morâ: eſſet igitur in non tempore, & ſubitus, & hoc erat inconveniens temporibus Ariſtotelis, quandò nihil adhuc auditum erat, vel etiam cogitatum apud eum, & ſequaces ejus de motu corporum glorificatorum. *Ariſtoteles.* Ipſe etiam Ariſtoteles de motibus naturalium corporum naturalibus agit, & tractat in libris illis. Quòd ſi quis dicere voluerit, quia nec cœlum, nec aliquod corporum cœleſtium patitur reſiſtentiam, aut difficultatem in motu ſuo, & propter hoc quilibet cœleſtis motus deberet eſſe in non tempore, & ſubitus, & propter

Digitized by Google

& propter hoc etiam æquales omnes motus, & revolutiones eorum, & tunc nec eſſet dies, neque nox, neque menſis, aut annus, neque ullum tempus, cùm omnis motus ſubitus eſſet, & in uno ſolo nunc compleretur: dico, quia ſermo iſte non eſt declaratus adhuc, neque per ſe manifeſtus, videlicet quòd virtutes moventes cœlos non habent impedimentum, vel reſiſtentiam motuum ſuorum: fortaſſis enim virtus, quæ movet cœlum lunæ non poſſet revolvere eâdem velocitate cœlum ſolis, vel fortè nec movere ipſum ullo modorum, & multò minùs cœlum ſtellarum fixarum; quemadmodùm anima, quæ movet corpus muſcæ vel pulicis non poſſet movere corpus hirundinis, aut equi, & quæ poſſet movere corpus hirundinis, aut equi, non poſſet movere corpus aquilæ, vel corpus elephantis. Forſitan igitur proportionatæ ſunt virtutes moventes cœlos magnitudinibus ipſorum, ita ut in majora corpora motus tantæ velocitatis eſſe non poſſint. Si quis verò dicat, quia eadem anima movet corpus pueri in infantiâ ſuâ, cùm valdè modicum eſt, & movebit ipſum in juventute, etiamſi giganteæ ſtaturæ, & magnitudinis fuerit: dico, quia creverunt ei adjutoria multa cum cremento corporis ipſius, videlicet nervorum, ſpirituum, oſſium, chordarum, & ligamentorum, & inde eſt, quòd propter paucitatem ipſorum, hoc eſt, adjumentorum hujuſmodi, non poteſt movere corpus parvuli, vel ad ſaltationem, vel curſum, apud cœlos autem nihil hujuſmodi eſt. Revertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quia naturalis motus naturalium corporum ſequitur naturam ipſorum corporum, quæ eſt continuitas, & diviſibilitas in infinitum, & propter hoc continuus eſt omnis motus naturalis naturalium corporum, & in infinitum partibilis, juxta ſermonem Ariſtotelis, quo dixit, in quolibet moveri eſſe infinita mota, & in quolibet fieri infinita facta, & declaravit hoc in libro ſuo, quem vocavit auditum, & poſt eum multi alij etiam tempore meo. Quoniàm autem virtutes gloriæ virtutibus naturæ incomparabiliter nobiliores, & fortiores ſunt, neceſſe eſt, ut in operationibus ſuis, & modis operationum præcellant eiſdem ſuper omnem comparationem, & menſuram. Quare neceſſe eſt, ut motus ad motus ſimiliter ſe habeant, cùm proportionales ſint virtutes utræque, & motus earum. Quia igitur nullus motus continuus ad alium continuum eſt incomparabilis in velocitate, neceſſe eſt alterum iſtorum duorum motuum, non eſſe continuum; quare neceſſe eſt ipſum eſſe in non tempore, ſive ſubitum: neceſſe enim eſt omnes duos motus inæquales, quorum uterque eſt in tempore, comparabiles eſſe, & ſi fuerint in temporibus æqualibus, erit proportio ſpatiorum pertranſitorum, quæ eſt velocitatum motuum. Quoniàm igitur non debet eſſe comparatio motus ad motum, ubi non eſt virtutis moventis ad virtutem moventem, non erit comparatio motuum naturæ ad motus gloriæ in velocitate. Erunt igitur motus gloriæ infiniti in velocitate ad motus naturæ, cùm virtutes gloriæ movebunt pro magnitudinis, & vehementiæ ſuæ immenſitate. Non enim negandum eſt, quin pro voluntate, ac beneplacito ſuo glorificati homines moveri poſſint in ſtatu illo, ſi vel decuerit, vel oportuerit, & ſtatus ille hoc permiſerit, moveri inquam motu continuo, & non ſubito: habet enim non levem, neque facilè determinabilem quæſtionem hoc, ſicut pateſiet tibi in ſequentibus. Amplius. Imperativum, & miniſtrativum correlativa ſunt. Similiter imperium, & miniſtratio, ſive obedientia, quare neceſſe eſt eſſe ipſa æqualia. Omnia enim correlativa æqualia ſunt, & omnis relatio ſuæ

Virtutes cœlos moventes.

Motus naturalis.

Motus.

Motus gloriæ.

A correlationi æqualis, & econverſò. Nec obſtat, quòd apud mathematicos poſitiones quas vocant ſuppoſitiones, minores ſuis ſuppoſitionibus dicuntur, & hoc tempore meo declaratum fuit per me. Declaratio autem hæc eſt, quia quantùm A eſt majus B tantò B, minus A: quare majoritas A, ad B, tanta eſt, quanta minoritas B, ad A. Æquales igitur ſunt omnes majoritates ſuis minoritatibus, & econverſò. Quòd igitur dupla proportio major dicitur apud eos, quàm ſubdupla, ad denominationem refertur, & ita ſe habet in omnibus aliis: duplicitas enim à binario denominata eſt, & ſubduplicitas ab unitate.

B

CAPUT XXIV.

Reſpondet ad quæſita imperitorum circa gloriam corporum, ubi & de eorum claritate.

REvertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quia imperium, & obedientia æqualia erant, & imperativum, & miniſtrativum in ſuis comparationibus; quare quàm imperativa erit anima humana, ſive, quàm potens imperare corpori ſuo in ſtatu illo gloriæ, tam miniſtrativum erit corpus, & tam potens miniſtrare eidem. Quantum motum igitur & quàm velocem potens erit imperare anima humano corpori ſuo tunc, tantum, & tam velocem erit tunc potens exequi corpus ipſius. Quare motum non in tempore ſed ſubitum poterit imperare corpori ſuo tunc, & illum exequi corpus. Amplius. Quantumcunque C velocem motum imperarent animæ in ſtatu illo corporibus ſuis, & quantumcunque veloci motu moverent ea, dummodò motus illi eſſent in tempore, non eſſent illi motus gloriæ, cùm vel æquales, vel ſaltem comparabiles inveniantur motus naturales, vel ad minùs, qui non ſunt gloriæ, qualis eſt motus primi cœli, cujus tranſitus eſt in ictu oculi, plus quàm mille millia milliariorum, quod apparet ex ipsâ magnitudine cœli illius. Motus enim ipſius eſt in ſpatio viginti quatuor horarum æqualium. & eſt iter ſexaginta millium annorum ferè, ita ut annus ſit trecentorum ſexaginta dierum. Iter verò diei quadraginta milliaria. Ita inquam eſt juxta probationes, & declarationes, quas ſcripſit quidam in libro ſuo de profunditatibus cœlorum. Quoniàm autem admirationi eſt inſipientibus, propter ignorationem D gloriæ iſtius; qualiter tantâ ſtabilitate ſolidanda ſint corpora glorificatorum hominum; qualiter tantâ ſanitate incorruptionis firmandâ: reſpondebo in primis admirationi eorum, & dicam, quia ſuper iſtâ quæſtione ſatisfeciſſent eis ſcripturæ rerum geſtarum, & hiſtoriæ, ſi eas vel videre, vel audire curaſſent. Notiſſima quippe eſt hiſtoria mulierum, quæ amazones nominantur, quarum arma linita dicuntur fuiſſe bitumine, quod nec ferro, nec igne ſolvitur. Quali etiam bitumine portas caſpias ex ære fuſas liniviſſe Regem Alexandrum narrat hiſtoria geſtorum ejuſdem. Simile bitumen apparet in arca Noë, quæ ſtat adhuc ſuper montes Armeniæ à tot millibus annorum, durante adhuc liniturâ & ligaturâ illius bituminis. Si igitur natura illius bituminis in tantam ſolidationem potuit eſſe proprij ſubjecti, vel eorum, quibus applicata eſt, ut nec ferro, nec igne ſolvatur, quid exiſtimandum eſt poſſe gloriam contra corruptionem, & paſſibilitatem ſubjectorum ſuorum? Amplius. Si creator dedit naturæ, quæ ad tam modicam eſt gloriam,

Anima corpori quomodo imperabit.

Amazones.

Arca Noe adhuc in montibus Armeniæ.

tantam virtutem ſoliditatis, atque fortitudinis: quid putandus eſt creator eſſe daturus corporibus glorificatorum hominum, quorum perpetuitas, & incorruptibilitas erit ei ad incomparabiliter majorem, ac nobiliorem gloriam? Quòd ſi fortè dixerit hiſtoriographis, atque poëtis non eſſe credendum, in omnibus ſatisfaciam eis, per ſenſum oculorum ſuorum in parte iſtâ. Videant igitur oculis ſuis, & diligenter intueantur duritiem lapidis adamantis, & ſoliditatem lapidis diamantis, cui etiam ferri duritia cedere dicitur. Attendant etiam ad quantam ſoliditatem ex tenerrimâ aquæ fluiditate criſtallus operante naturâ perveniat, & conſiderent, quia non eſt limitatum creatori ſolas naturales fortitudines, quibus voluerit, largiri, immò etiam nobiliores, atque ſublimiores tribuere in ſolo dignationis ejus beneplacito eſt, cui voluerit. Ampliùs. Si regum terrenorum ea eſt potentia, & magnificentia, ut plebeios, immò natos ſervos homines, ſupra naturales conditiones eorum elevent, & exaltent, dantes eis dignitates, & potentias; qualiter abnegabitur regi omnium conditori, & dominantiſſimo ſæculorum omnium imperatori naturas, ultra quam naturaliter ſint, poſſe extollere, & de electis, atque dilectis ſuis reges in regno gloriæ ſuæ facere, quod nullâ numeroſitate conſortium minui poſſibile eſt, vel ullo etiam modorum lædi; quemadmodùm ſupra dixi, quin potiùs augeri unicuique conſortium, & ipſi creatori, neceſſe eſt, eſſe ex hoc gloriam ampliorem. Quòd autem meritò quæri poteſt de hujuſmodi corporibus, ſcilicet glorificatis: utrùm luminoſa, & colorata futura ſint, & de coloribus eorum, atque luminoſitate, an ſint notorum apud nos, ſcilicet in hoc mundo generum, perſcrutandum eſt inquiſitione, quæ mihi poſſibilis eſt. Et quoniàm hujuſmodi luminoſitates, atque colores, qui habentur apud nos, viſibiles ſunt, & viſibilia faciunt corpora, quorum ſunt, & oculis, & viſibus quales in vita iſta habentur, viſibilia eſſe nobis corpora glorificata videatur forſitan alicui, quemadmodùm & corpora mundi hujus, quæ videntur à nobis. Color enim ſecundùm rationem ſuam hîc, proprium eſt ſenſibile viſus, & lux ſimiliter, vel fortè prius, & magis propriè, magiſque per ſe. Nemo autem adhuc dixit ipſa viſibilia humanis oculis, quales ſunt in vitâ iſtâ in ſplendoribus, & pulchritudinibus ſuis. Quòd ſi dixerit quis, quia propter hoc ſolum non ſunt viſibilia, propter vehementiam, ſcilicet, immò ſupereminentiam ſplendoris, atque coloris, quas infirmitas, vel harmonia ſecundùm Ariſtotelem viſuum noſtrorum non patitur: quemadmodùm ſe habet in Sole: tunc neceſſe eſt ea eſſe, quantùm in ipſis eſt, tantò magis viſibilia. Sol enim quantùm in ſe eſt, inter omnia quorum luminoſitas nobis nota eſt, maximè viſibilis eſt. Utrùm autem colores medij tantam luminoſitatis, ſeu ſplendoris vehementiam, patiantur ſecum in eiſdem ſubjectis, meritò dubitabit quis. Non enim viſa eſt apud nos adhuc nigredo, vel † nitor, vel aliquis aliorum mediorum colorum, qui noſtri viſus harmoniam, vel infirmitatem, vel corrumpat, vel lædat. Ampliùs. In valdè ſubtilibus corporibus color locum non habet, ſicut apparet de aere, & de etiam de aquâ. Si igitur tanta erit ſubtilitas corporum glorificatorum, ut omnia eis alia corpora pervia ſint, quomodò colores in eis locum habebunt, colores inquam, qui apud nos ſunt? Scito igitur in hoc, quia in rebus tam ſublimibus, tamque longè à conſuetudine noſtrâ, & etiam ab aliorum corporum naturâ diſtantibus,

† Aliàs viror.

Color.

E non eſt via declarationis, nec eſſe debet per vias rerum naturalium apud nos conſuetarum, hoc autem eſt propter longiſſimam ab eis diſtantiam, & vix nobis cogitabilem diſſimilitudinem: propter hoc igitur neceſſe eſt te recurrere ad prophetarum oracula, & ad Dei revelationes, atque ad eorum, qui ex mortuis reſurrexerunt, teſtimonia. Unus quippe eorum dixit, ſe in ſæculo illo nihil vidiſſe, quod ſimile eſſet alicui ex rebus mundi iſtius, præter lucem, & illam longè noſtræ luci diſſimilem. Quare lux, & color apud vitam alteram, & apud hanc, in qua ſumus, æquivocè ex neceſſitate dici videntur, & quòd habent prophetarum ſermones, videlicet, quòd juſti fulgebunt ſicut ſol, docti verò ſicut firmamentum, & quidam ſicut ſtellæ, intelligendum eſt de ſplendore congruenti gloriæ vitæ illius, vel quia vulgares homines, ſublimiores, ac nobiliores ſplendores intelligere, & capere non valebant, dictum eſt ſermonibus hujuſmodi, quòd eos utcunque erigeret ad cogitandam ſublimitatem gloriæ: quemadmodùm ſapientes Chriſtianorum ſcripſerunt promiſſionem de terrâ lacte, & melle manante factam Hebræis, propter opulentias, atque delitias ſpiri- F tuales, quæ ab aliis ſermonibus illi rudi, & penè puerili adhuc in rebus divinalibus populo, inſinuari non poterant. Si quis autem juxta planum literæ ponere voluerit corpora glorificatorum hominum claritatem ſolis habitura, vel majorem, incidet in quæſtiones difficilè explicabiles, videlicet de membris ipſorum corporum, videlicet an futura ſint ejuſdem claritatis, an diverſarum. Non enim videntur oculi, & naſus ejuſdem claritatis futuri, cùm magis congruat oculis claritas, quàm naſo. Similiter & de inteſtinis ſimilis quæſtio erit, ſi habitura ſint claritatem hujuſmodi, tanquàm velut criſtallina futura ſint corpora eorum, ſed incomparabiliter majoris claritatis, quàm criſtallus. Quia igitur in his, & ſimilibus non eſt certum, & determinatum poſitum fundamentum, quod vel declarare, vel defendere paratus eſſem ſecun- G dùm poſſibilitatem parvitatis meæ, nolo de ingenio meo novum aliquid ponere in talibus. Tu autem generaliter in his, in quibus, nec fundamentum revelatum per prophetas, vel aliàs à creatore; & ubi deficit humanæ ingenioſitatis inveſtigatio, noli præcipitare opinionem tuam, ſive judicium, ſed indubitanter certum tene, quia corpora glorificatorum hominum in tanta gloriâ futura ſunt, in tantaque pulchritudine, & decore, quantam requireret gloria eorum, qui non ſolùm amici, electi, & dilecti Dei, ſed etiam filii ejuſdem adoptivi, filiique ejuſdem per gratiam ipſius dicendi ſunt. Non enim intentionis eſt meæ in tractatu iſto novam fidem aſtruere, ſed veterem, atque communem veritatem, hoc eſt, communiter ab omnibus credendam, atque tenendam & quam non eſt du- H bitandum prophetas, & omnes ſapientes, qui profundaverunt ſe in rebus divinalibus, tenuiſſe, & tanquàm principium ac fundamentum veræ religionis ſervaſſe, & defendiſſe.

Color quomodò ſit in corporibus glorificatis.

CAPUT XXV.

Contra deſipientes affert rationes, & ſimilitudines, pro reſurrectione corporum.

INſipientibus autem non ſolùm admirationi eſt, ſed etiam incredibile videtur, quòd de pulvere, ſeu cinere, in quem reſoluta fuerunt humana corpora, reformentur in regeneratione, ſeu reſurrectione univerſali; hoc autem eſt eis ex ignorantia

Reformatio corporum in reſurrectione.

Digitized by Google

ignorantia, quâ ignorant omnipotentiam creatoris, & mirabilia, atque admirationem excedentia opera ejus. Latet enim eos indubitanter, quòd cœlos creaverit de nihilo omnipotenti verbo ſuo: ſicut declaratum eſt tibi in parte prima tractatus iſtius: quoniàm ipſe dixit, & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt. Latet etiam eos illa incogitabilis imperioſitas verbi ſui, quâ vocat ea, quæ non ſunt tanquàm ea quæ ſunt: & quia ea obediunt ei, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, & propter hoc cùm mandat, vel jubet, ea eſſe, ſtatim ſunt, quantò fortiùs igitur obediunt ei mortua corpora, ut viventia? quapropter eo vocante ad eſſe, neceſſe eſt venire ad illum, & eo mandante, ſeu jubente, ut reſurgant, neceſſe habent reſurgere. Audiunt enim mortui vocem filij Dei, quia vocat eos ad vitam, vel jubet eos vivere & propter hoc vivunt ex neceſſitate. Neque enim ferramentis, aut dolabris, aut ſecuribus, aut malleis, ſeu quibuſlibet aliis inſtrumentis, aut quocunque humano artificio refrabricanda ſunt corpora, ſed omnipotenti, imperioſiſſimoque verbo creatoris juſſa, reſurgere reintegrata, & reformata reſurgent; hoc enim modo & cœlum fabricavit, & terram. Mirabile verò eſt de admiratione hujuſmodi hominum, qui ligna aridiſſima, & quotidiè ſalices reviviſcere, refrondeſcere, refloreſcere, & refructificare vident, & hoc de ſemetipſis deſperant, vel etiam credere contradicunt. Cùm tantò majorem curam neceſſe ſit eſſe curatori omnium, & ſingulorum creatori, de reformatione, ac renovatione mortuorum hominum, quàm mortuarum herbarum, arbuſtorum, aut arborum: quantò nobilior eſt humana natura naturis illorum, quantóque in majorem gloriam creatori eſt renovatio, ac reformatio hominum, quàm renovatio, aut reformatio hujuſmodi vegetabilium. Ampliùs. Cùm videant tam multorum generum animalia & de pulvere, & de putredine generari, quæ generatio non fit, niſi omnipotenti virtute ſapientiaque, & bonitate creatoris: quâ ſtultitiâ igitur deſperant poſſe fieri, vel eam futuram generationem humanorum corporum ex pulveribus, in quos reſoluta fuerint. præſertim cùm tam modica appareat hujuſmodi generationis animalium utilitas, tam modica ex eis gloria creatoris, comparatione utilitatis hominum, & gloriæ creatoris, quæ ex hominum generatione proventuræ ſunt? Ampliùs. Cùm virtute naturæ videant ex viliſſimo cinere generari vitrum mundiſſimum, ac nitidiſſimum: ſimiliter & gemmas coruſcantiſſimas, atque vernantiſſimas; qualiter deſperant ex cineribus corporum humanorum reformari poſſe, ſeu regenerari, vel etiam regeneranda eſſe corpora humana, præſertim cùm hoc requirant non ſolùm bonitas, & largitas creatoris, ſed & juſtitia, & gloria ipſius. Quòd autem omnes gemmæ non ſolùm ex cineribus vehementiâ caloris reſolutis, ſed etiam cinis ſint, jam in præcedentibus declaratum eſt tibi, nec ponitur alia cauſa diſſolutionis eorum cum eis, quas audiviſti, niſi ut reformentur in melius, quia etiam corpora damnatorum immortalia reformabuntur, ſicut audies in ſequentibus. Intolerabilis autem error eſt, quo hujuſmodi homines conſuetudinibus oculorum ſuorum adeò pertinaciter innituntur, ut nihil poſſe facere creatorem credant, niſi quod oculis ſuis videre conſueverunt, tanquàm alligata ſit omnipotens virtus creatoris rebus quas vel noverunt, vel noſſe ſe credunt, & tanquàm anguſtata, & limitata ſit bonitas, & largitas ipſius, avaritiæ velut quibuſdam repagulis, ut vel non velit, vel non poſſit nova, & eis incognita dona dare quæcunque, quantacunque, & quotcunque decuerit magnificentiam gloriæ ſuæ. Mirabile autem eſt valdè, ſi credunt hujuſmodi homines contentam eſſe potentiam, bonitatem, & ſapientiam creatoris iſtâ alternatione mortis, & vitæ in hominibus atque generationis, & corruptionis, cùm longè melior, utiliorque ſit hominibus immortalitas, etiam in uno, quemadmodùm in præcedentibus audiviſti, quàm hujuſmodi alternatio in innumerabilibus eorum, & nemo potens, & dives, domos ruinoſas, jam jamque caſuras ædificaret, ſi eas ſtabiles, nunquámque ruituras eadem facilitate ædificare poſſet, niſi domos illas vellet eſſe ad tempus tantùm, quemadmodùm tentoria, ſeu tabernacula quædam ad modicum tantum temporis ædificantur, vel niſi aliqua ex cauſis prohiberet, quarum nulla apud creatorem inveniri poteſt.

Verbo creatoris reſurgent mortui.

Vitrum ex cinere.

CAPUT XXVI.

Ex variis nominibus Eccleſiæ probat reſurrectionem futuram.

SI quis etiam ſermonibus authenticis, & ſanctis, qui ſunt ſermones ſanctorum prophetarum, attendere voluerit, evidenter, & expreſsè videbit in eis, quòd totam congregationem electorum, & dilectorum ſuorum creator ſublimis, & benedictus vocat civitatem ſuam, domum, templum, ſponſam, equum, & veſtimentum ſuum. Ex quorum nominationum unaquaque ſequitur renovatio, & reparatio glorioſa ejuſdem civitatis, ſive domus. Nemo quippe vult habere ſponſam, niſi ſpecioſam, & quæ nunquàm vereſcat, & ornatam, ac decoratam ornamentis ſimiliter, quæ non vetereſcant, omnique apparatu ſpectabilem, & quæ congruat gloriæ mariti. Quis autem non videat, quòd immortalem ſponſum non decet niſi ſponſa immortalis, & ſponſum gloriæ non niſi ſponſa glorioſa, & ejus ſpecioſitatis, quæ quantùm poſſibile eſt, conveniat, & concordet pulchritudini ſponſi, quæ omnem admirationem, omnemque cogitatum exuperat. Sic & de domo, & de equo, & de aliis, quæ prænominavi tibi, negotiandum eſt. Quòd ſi dixerit quis, quoniàm iſta ratiocinatio deducit rem ad hoc, quòd creator altiſſimus ab initio debuit creare ſponſam iſtam in gloriâ immortalitatis, & ſpecioſitatis hujuſmodi, & non ſuſtinere ruinas iſtas mortis, & aliarum miſeriarum, reſpondeo, quia creavit eam, qualis decuit ut crearetur, & qualem eam decuit eſſe in ipſo initio exiſtentiæ ſuæ, & in quâdam gloriâ cujuſdam immortalitatis, & in multo decore, ac ſpecioſitate ſcientiarum, & virtutum naturalium, & hic erat ordo decentiſſimus, ut perfectio naturalis, tanquàm fundamentum, præcederet perfectionem gratiæ, & gloriæ. Naturalia enim noſtra priora ſunt nobis, quàm adventitia, & hoc eſt, quoniàm innata nobis: dona verò, quæ ſunt gratiæ, vel gloriæ ſuperadduntur nobis divinæ bonitatis largitate. Si verò quæſierit: cur ergo poſtea creator morti, & aliis miſeriis eam tradidit, & non ad prænominatam gloriam illam perduxit, & ut quid tot millibus annorum in morte, tantiſque miſeriis eam detinuerit? & quid expectat bonitas creatoris, & propter quod differt gloriam ſponſæ ſuæ? Reſpondeo, quia juſtitia creatoris hoc expoſcit propter peccatum primorum hominum, quod tibi alibi jam declaravi. Dico etiam, ſicut in præcedentibus dixi, quòd innumerabiles utilitates, & bona inæſtimabilia facit bonitas creatoris ex morte, & aliis miſeriis provenire hominibus, & hæc omnia patefient tibi in tractatu, qui ſequetur hunc abſque medio,

Civitas Dei.

Objectio.

Objectio.

Digitized by Google

ſcilicet de cura creatoris Manifeſtum verò tibi eſt, quia quotidiè revertuntur homines à malitiis ſuis, & efficiuntur boni multi: multi verò ex bonis efficiuntur meliores. Hæc igitur debet eſſe meritò una cauſa durationis ſtatus iſtius: generatio enim, & vita, quam non bonitas, & decor virtutum illuſtraret, ipſis, quorum eſt, eſſet noxia, licet aliis forſi-
Nota. tan prodeſſe poſſet: & jam dixi tibi, quia vita malorum, ac perverſorum hominum multipliciter utilis eſt bonis & virtuoſis. Noſſe autem debes, quia unaquæque ſpecies creata eſt propter optimum ſui, ſicut totum, quod in homine, & totus homo, propter optimum ſui, & propter perfectionem ejus, quod eſt in eo optimum: hoc autem non eſt, niſi illud; quod præcellit brutis animalibus, & perfectio illius ultima futura gloria eſt animarum; ſic tota ſpecies, ſcilicet humana, quod eſt dicere totum genus humanum, creatum eſt propter optimum ſui, ac nobiliſſimum, & hoc indubitanter eſt cœtus electorum, atque glorificandorum hominum: quare propter gloriam futuram in hominibus tota ſpecies humana creata eſt. Pars quidem, ut eam obtineat: pars verò, ut adjuvet obtenturam. Mali quippe, ac perverſi homines bonos adjuvant, & ad bonitatem quam habent, & ad gloriam, quam habituri ſunt, licet hoc ipſi mali
Nota. ignorent. Quòd ſi quis quæſierit, quia aliqua multitudo hominum eſt, vel aliquis populus, in quo nullus eſt, niſi perverſus; nec inde aliquis aſſumenduſeſt ad gloriam futuram, & propter hoc tota eſt inutilis, vel forſitan noxia vita illorum, dùm, nec ſibi, nec aliis proſunt, quantùm ad hoc, hoc eſt, quantùm ad perfectionem virtutum, & ſcientiarum, vel quantùm ad perfectionem futuræ gloriæ: non videntur igitur creati hujuſmodi homines vel ad hoc, ut futuram gloriam obtineant, vel ad hoc, ut adjuvent obtenturos: reſpondeo, quia ſermo iſte non eſt de ſermonibus authenticis, nec de ſermonibus per ſe manifeſtis, nec de ſermonibus demonſtrativis probationibus declaratis, vel etiam declarabilibus, nec eſt de ſermonibus legis alicujus, propter quod non cogeris ſermonem hujuſmodi concedere, vel recipere, qui etiamſi verus eſſet, non propter hoc inutiles eſſent, aut inutiliter creati hujuſmodi homines. Quemadmodùm enim luminoſitas Solis, etſi multis non proſit, non tamen inutilis eſt, aut inutiliter creata: ſic & multi fructus ſunt, quibus nec homines, nec alia animalia veſ-
Nota. cuntur, cùm tamen comeſtibiles ſint, quia etſi actu comeſtibiles non ſint, potentia tamen ſunt. Largitas, aut bonitas creatoris non eſt tantùm erga homines ad neceſſitates eorum, ſed eſt profuſa ulteriùs, prout decet magnificentiam ipſius. Cujus exemplum poſui tibi in præcedentibus in vero divite, & dapſili, qui nec præparat, nec apponit cibos convivis ſuis, prout requirit indigentia, vel fames eorum ſolummodò, immò prout decet largitatem ipſius. Et vult etiam largas, & magnas eſſe reliquias menſæ ſuæ ne improperetur ei à creatore, quod dixit ſanctus, & ſapiens: Nihil, inquit,
Nota. remanſit de cibo ejus. Reminiſci etiam debes eorum hîc, quæ dixi tibi & in præcedentibus in hoc tractatu, & etiam alibi, quia univerſitas hominum velut materia eſt, & ſilva, & velut aurifodina, ſive minera alterius mundi, de quâ per multas excoctiones, & depurationes, tanquàm aurum pulcherrimum, ac probatiſſimum extrahitur cœtus ſapientium, atque bonorum, & in futuro glorificandorum. Tu autem vides quoniàm non omnia ligna ſilvarum, quæ apta ſunt ædificiis, expenduntur in illis, nec omnes mineræ conſumuntur in extractione metallorum. Qui igitur miratur divinam

E largitatem majorem eſſe circa nos, quàm ſint neceſſitates noſtræ, vel expetiſſe, neſcit cogitare Deum, ut Deum, neque divitias bonitatis ejuſdem adhuc, vel ſaltem ad modicum apprehendit. Homines *Adverte.* igitur, licet mali & perverſi, & inutiles etiam aliis, quantùm ad debita adjutoria in multam gloriam ſunt creatori, qui contra mala eorum merita, non obſtante etiam ingratitudine ipſorum, innumerabilia, & inæſtimabilia eis beneficia largitur, creando ſcilicet, conſervando, & per creaturas eos multipliciter erudiendo, ſi advertere vellent. Electis autem, atque dilectis Dei multam devotionem, & gratiarum actiones in creatorem provocant, cùm eos vel vident, vel audiunt in ſuis perverſitatibus ſuſtineri, & expectari diutiùs à creatore, & à donis, & muneribus gratiarum, & virtutum, quibus obtinetur æterna fœlicitas non deſtaudari: ſe autem ad futuram gloriam, tanquàm per arrham quandam prædictorum donorum electos, quemadmodùm eis poſſibile eſt, cognoſcunt. Quamquàm autem
F de ſpecioſitate multa particularia ſupra nos ſint eouſque, ut ad ea philoſophica inveſtigatio non attingat, & honoranda potiùs ſilentio videantur, quàm philoſophica perſcrutatione indaganda: tamen in hoc & mihi, & tibi evitandum eſt ut error, & incredulitas rerum hujuſmodi tollatur de medio, quoniàm contumelioſiſſimus eſt creatori. Debitus autem honor, & gloria creatori ſervetur per fidem veriſſimam, atque rectiſſimam, quâ creditur innumera mirabilia, & feciſſe, & facere, & facturus eſſe inceſſanter, quæ non ſufficimus ad certum, & liquidum invenire. Erroneum enim intolerabiliter eſt limitibus noſtræ conſuetudinis circunſcribere, atque reſtringere creatorem, & tanquàm metiri eum noſtri intellectus anguſtiis, & ejus immenſitatem noſtrâ includere parvitate, quod
G nec faciat, nec facere poſſit, niſi vel quæ, vel qualia videre conſuevimus, aut comprehendere prævalemus, & hanc ſtultitiam non ignoras eſſe, & fuiſſe, in quibuſdam hominibus.

CAPUT XXVII.

Quare differtur reſurrectio mortuorum.

SI quis autem quærat, propter quam cauſam differatur reſurrectio mortuorum, qui jam deceſſerunt, & ut quid imperfectio exteriorum virium quibus ſcilicet animę humanę operantur per corpora, tanto tempore ſuſtinetur, & maximè animarum, quæ purgatione alterius vitæ non indigent, quaſi ſicut totum humanum genus particulariter moritur, ſic & particulariter reſuſcitaretur, & univerſalis
H reſurrectio non expectaretur: reſpondeo in hoc, quia homo, qui ſic quærit, ignorat pulchritudinem ordinis, & ordinem pulchritudinis in reſurrectione mortuorum, ignorat etiam unitatem, atque ſocietatem electorum, atque dilectorum creatoris, qui cœtum eorum & vocat, & ſponſam ſuam habet. Quia igitur pulchrius eſt ut tota ſimul reformetur, decoretur, & exornetur, glorificetur, & recipiat pulchritudinem, quæ congruat gloriæ tanti ſponſi, & ut tota ſimul introducatur in thalamum ejuſdem, & in ſolium gloriæ ſuæ, quàm fruſtatim, atque per partes, ita & futurum eſt per electionem, & bonitatem creatoris, & eſt admiratio, & quæſtio hujuſmodi, ac ſi quæreretur de ſociis amore fortiſſimo, & ingenti conjunctis, propter quid alter alterum expectat, nolens ingredi propriam civitatem ſolus, vel etiam intrare patriam abſque totâ ſocietate, quamquàm verum ſit, quia animæ ab omni labe vitiorum, & peccatorum purgatiſſimæ,

Digitized by Google

atque donis virtutum, & gratiarum decoratæ cum ſanctis, & beatis Angelis jam ſunt, & in gloria ſimili gloriæ illorum, quantùm poſſibile eſt, ſine corporibus, & expectant gloriam virium ſuarum exteriorum, gloriamque corporum ſuorum, ut fiat totius ſanctæ, ac dilectæ Deo ſocietatis glorioſa regeneratio, ex qua ſicut alibi didiciſti, propter ineffabilem incogitabilis dilectionis unionem, erunt cuique tot gaudia, quot erunt ſimul reſurgentes in gloriam tantam, quanta erit charitas mutua in omnes alios, & in ſingulos eorum, ita ut nullus amor ſæculi iſtius comparabilis illi ſit, & propter hoc omnes amore vitæ iſtius, ſi in unum amorem congeſti, vel conjuncti eſſent, non eſſet ille unus minimo amori vitæ illius comparabilis. Quia igitur amores præſentis vitæ, licet tam parvi, tamque debiles, ita devinciunt, & connectunt inter ſeſe amantes hic ut ſeparationem ab invicem vel vix, vel nullatenùs admittant, quid facere æſtimandus eſt amor ille beatarum animarum, quem habent in creatore, & in animas jam ſibi ſociatas in gloria illa, nec non & in conſociandas in poſterum? Quid mirum igitur, ſi ſimul cum eis recipiendam expectant gloriam, maximè cùm tot, & tanta gaudia ſint eis ex univerſali reſurrectione, & glorificatione totius illius electæ ſocietatis proventura? cùm etiam non ignorent hoc eſſe beneplacitum creatoris, ut totam illam ſponſam dilectiſſimam ſibi ſublimet ſolio regni, quod ei præparavit, & introducat in thalamum abſconditæ, & incogitabilis nobis pulchritudinis, & gloriæ? Certiſſimum etiam eſt eiſdem, quanta ſit pulchritudo divinæ juſtitiæ, quantaque ſit gloria creatori, ut innoteſcat publicè, quæ maximè clara, & evidens fiet per judicium univerſale, neque alia via eſt adeò conveniens manifeſtationi, ac declarationi ipſius quàm judicium, cùm judicium veriſſimâ, ac rectiſſimâ diffinitione, ac ratione declaratio ſit juſtitiæ. Major autem eſt pulchritudo ſemper in toto in totalitate ſua conſtituto quàm ſit in partibus in partialitate ſua conſiſtentibus. Aggreganda eſt igitur ex univerſis partibus ſuis juſtitia Dei forinſeca, ex omnibus retributionibus, & ultionibus, aggreganda inquam in uno judicio faciendo, ut tantò magnificentiùs ſplendeat ad gloriam creatoris in totalitate ſuæ pulchritudinis, quantò major eſt univerſitas omnium retributionum, & ultionum unaquâque ipſarum. Eſt autem nonnulla ſimilitudo judicij hujuſmodi ad judicia regum terrenorum, qui magnificentiùs putant magnam multitudinem maleficorum ſimul punire, quàm ſingularibus judiciis ſingulos, & propter hoc interdùm reſervantur, donec aggregetur ex eis multitudo magna, ut ex juſtitiatione tantæ multitudinis & magis, & major appareat juſtitia regum hujuſmodi, tanquàm ex aggregatis parvis luminibus fulgor major ſplendeat, & bonitas ipſius principis tanto fulgore majori laudi, & gloriæ pateat.

CAPUT XXVIII.

Quòd animæ beatæ citra dolorem ſuſtinent dilationem reſurrectionis corporum, & de immortalitate corporum.

Nota.

SI quis autem quærat, qualiter ſine dolore carentiam corporum ſuorum ſuſtineant animæ beatæ, quæ cum dolore magno amiſerunt, ſimiliter & de ſocietate prædictâ, qualiter ſuſtinent ſibi differri, vel gaudium, quod ex hujuſmodi aſſociatione ſperant, vel etiam tantum bonum ſocietatis illius, quam ſupra cogitatum noſtrum diligunt: aut enim deſiderant gloriam corporum ſuorum, & virium A ſuarum, quibus per corpora operantur, aut non deſiderant. Quòd ſi deſiderant, ſine dolore igitur non differtur eis. Si verò non deſiderant, hoc videtur mirabilius, quòd tantum bonum ſuum & ſibi etiam debitum non deſiderant. Reſpondeo in hoc, & ſimilibus generaliter quòd adeò eſt eis recta voluntas, ut in nullo diſcordet à rectitudine voluntatis ipſius creatoris, & hæc eſt pars potiſſima gloriæ ipſarum. Licet igitur deſiderent prænominatam gloriam, non tamen deſiderant eam habere, niſi quandò eam dare, vel reddere beneplacitum fuerit creatoris. Non ignoras autem, quia qui deſiderat in tempus, non affligitur deſiderio illo ante tempus illud, in quo habere vult, quod deſiderat, & qui totaliter vult impleri beneplacitum creatoris, neque contrarium vult aut deſiderat ullo modorum, B nec ullo deſiderio affligitur, cùm ſemper impleatur deſiderium ipſius: ſemper enim in omnibus. & per omnia fit beneplacitum creatoris & hoc beatæ animæ non ignorant. Quantùm enim ad hoc notum eſt eis totaliter beneplacitum creatoris. Eodem modo reſpondendum eſt tibi de illo deſiderabili conſortio animarum, quæ aſſumendæ ſunt, & nondùm aſſumptæ ad gloriam, in quâ iſtæ ſunt de quibus agitur. Addam autem adhuc tibi duas manifeſtationes, quibus evidenter patefiet tibi immortalitas corporum humanorum, quæ reddentur animabus glorificandis.

Nota.

Dico igitur quia etiam naturaliter pro magnitudine, ac fortitudine, virtutis eſt magnitudo & fortitudo, operationis, & pro copioſitate fontis, eſt magnitudo & vehementia inundationis. Quare cùm animæ humanæ omnis virtus incomparabiliter major, & fortior, futura ſit in gloria, de quâ agitur, quàm in iſta vita, ubi C tot miſeriis affligitur, premitur, & debilitatur, neceſſe eſt, ut ejus omnis operatio in corpus ſuum longè major, & fortior ſit, immò incomparabiliter, quàm ſit hîc, hoc eſt, in ſtatu miſeriæ iſtius, vita verò corporis ſui una ſit ex operationibus ipſius major, & fortior incomparabiliter, quàm modò ſit. Nullo igitur modorum erit morti obnoxia; ſi enim mortalis eſſet quemadmodùm hîc, non eſſet poſſibile, ut incomparabiliter fortior futura ſit ibi, quàm ſit hîc. Juxta hunc modum dico, quia vita corporis humani ad ipſam animam humanam eſt, ut inundatio ad fontem ſuum. Quia igitur anima humana in ſtatu illo erit vita copioſior, erit ex neceſſitate inundatio, ſeu redundantia ejus etiam in corpus, tantò copioſior, ac vehementior, quantò ipſa tunc erit vita plenior, ſeu copioſior. Quare D ſicut ipſa anima humana erit tunc ex ultimitate propinquitatis immò conjunctionis ad primitivum fontem vitæ, qui eſt creator benedictus, in ultimitate plenitudinis, ac copioſitatis vitæ ſibi congruentis, erit ex neceſſitate vita redundans ab ipſa in corpus, ſcilicet vita corporis, in ultimitate ſuæ vehementiæ, ac fortitudinis, & propter hoc in ultimitate elongationis à morte contraria. Ampliùs. Manifeſtum eſt tibi, quia ipſæ ſpirituales paſſiones, ſive affectiones, cùm vehementes fuerint, mortem corporis inducunt, ſicut ſunt amor, & odium, ira & triſtitia, dolor, & gaudium, & cæteræ hujuſmodi. Cùm igitur incomparabiliter vehementiores, atque fortiores ſint amor, & gaudium, in ſtatu illo gloriæ, quàm poſſint eſſe hîc, vehementia autem, & fortitudo ſua extinguunt vitam corporis, qualis eſt hæc; impoſſibile igitur eſt, ut eas paſſiones ſuſtineat vita futura corporis humani in ſtatu illo gloriæ, niſi fuerit incomparabiliter fortior, quàm ſit hîc. Non erit igitur morte vincibilis, aut ſuperabilis. Neceſſe enim eſt, omnes duas vitas corporales morti corporali obnoxias, ſive ab ea vinci-

Digitized by Google

biles, comparabiles ad invicem eſſe fortitudine. Declaratio autem hujuſmodi eſt hæc, quoniàm neceſſe eſt eas eſſe, aut æquales fortitudine, & ſic manifeſtè comparabiles, aut alteram alteram excedere. Quòd ſi alteram altera excedit, aut finitè eam excedet, & tunc neceſſe eſt prõportionalem comparationem inter eas eſſe, aut infinitè, & tunc erit infinitæ fortitudinis, cùm ejus fortitudo contineat infinities fortitudinem alterius. Jam enim alibi didiciſti omne aggregatum ex infinitis tantis ſui generis, quâcunque quantitate demonſtratâ, infinitum eſſe. Dubitari verò non poteſt ab aliquo intelligente, vitam infinitæ fortitudinis morte poſſe nullatenùs ſuperari.

CAPUT XXIX.

De agilitate, & pulchritudine glorificatorum corporum.

Nota. ADdam tibi & aliam manifeſtationem pulchritudinis ſimul, & agilitatis hominum glorificatorum, quantùm ad corpora, & dicam, quia indubitatum eſt amorem euſque confortare animas humanas in hoc ſtatu in corporibus ſuis, ut ipſa corpora eis longè leviora propter hoc videantur, & multò leviùs ea moveant. quamquàm & in aliis paſſionibus iſta etiam manifeſta ſint, ut in freneſi, & maniâ: his enim duabus paſſionibus laborantes, quantò fortiùs, quantóque leviùs corpora ſua moveant quàm alij homines, licet ſani, ac robuſtiſſimi: ſenſu forſitan edoctus es, alioquin ſuper hoc ſenſu poteris edoceri. Neque enim ipſemet, quandò ſani facti ſunt ab hujuſmodi paſſionibus, vel vincula irrumpere, vel homines fortiſſimos lacerare poſſent, aut ligantibus ſe reſiſtere, quod eos in ipſis infirmitatibus poſitos poſſe videmus. *Nota.* A me etiam alibi audiviſti, quia vires corporales in animabus plurimùm ſuæ confortationis, & fortitudinis, habent à naturis, & paſſionibus animarum. Quia igitur nullæ paſſiones amoris, & gaudij, quæ in vita iſta habeantur, comparabiles ſunt ad amores, & ad gaudia futuræ gloriæ animarum humanarum, & hominum, neceſſe eſt, vires motivas humanorum corporum infinitæ, ſive incomparabilis fortitudinis eſſe futuras ad vires motivas, prout ſe habent in ſtatu vitæ præſentis: agilitas igitur corporum glorificatorum, ſive mobilitas ſuper omnem proportionem excedit agilitatem corporum humanorum, quam habent hic. Quòd ſi dixerit, quia tantam vehementiam motivam, tantamque exagitationem, ſuſtinere non poſſent corpora humana: dico, quia ſermo iſte eſt hominis etiam corporaliter non videntis. Si enim verè videns eſſet, videret utique in infirmis corporibus prædictis paſſionibus laborantium, quantos motus quantaſque exagitationes ſuſtineant, quas nec ſana ſuſtinere valerent. Non attendit, & fortè apprehendere non prævalet velocitatem motuum cœleſtium, quæ vix in noſtram imaginationem cadit propter ſui magnitudinem. *Nota.* Quòd ſi tantum robur corporibus licet ægrotantibus præſtant paſſiones hujuſmodi, quæ infirmitates tantùm ſunt, & non vires, ac virtutes, quid æſtimandæ ſunt futuræ amor gloriæ illius, & gaudium quæ non ſolùm virtutes erunt, immò virtutes perfectiſſimæ in ultimitate perfectionum ſuarum, & in actibus ſui ſultimis intranſmutabiliter ſtabilitæ. De pulchritudine verò ipſorum hominum glorificatorum, quòd ultra æſtimationem noſtram ex ipſa interna animarum humanarum fœlicitate augenda ſit, indicium eſt id, quod apparet in hominibus in vita iſta in vultibus eorum, etiam ex modico gaudio, cùm fuerit in ani-

E mabus eorum. Vides enim, quòd inde ſplendeſcunt oculi eorum, & tota facies gratiori colore ſuffunditur; dilatantur etiam inde, tanquàm novo decore, atque pulchritudine venuſtatur. *Nota.* Quia igitur proportionales ſunt ſemper cauſæ ſimiles ſuis effectibus, erit ex neceſſitate pro immenſitate futuri gaudij ſplendor, & venuſtas in facie uniuſcujuſque hominum glorificatorum. Ampliùs. Si ex ſola bona diſpoſitione animæ humanæ, diſpoſitione inquam, ſive ſtatu naturali, tanta redundat in corpus bona diſpoſitio ſanitatis, & roboris, atque mobilitatis, ſive agilitatis, quantò fortiùs ex illo ſtatu gloriæ incomparabiliter modis omnibus meliori, hoc eſt *Adverte.* fortiori, copioſiori, redundantiori, redundabit incomparabiliter major ſanitas, & agilitas, expeditioque omnimoda in corpus humanum, & hoc quidem habet ipſa doctrina Chriſtianorum: hoc quippe dixit unus ex ſapientibus, & doctoribus eorum, ſcilicet, quoniàm ex beatitudine animæ humanæ redundabit in corpus humanum ſanitas incorruptionis. Quod verò in parte vel non vident vel videre nolunt, aut quod verius eſt, videre neſciunt ea, F quæ in proſpectu oculorum habent hujuſmodi homines, manifeſtum eſt tibi per ea, quæ ingeniati, ac philoſophati ſunt in corporibus cœleſtibus, quæ ipſi poſuerunt animata eſſe, & etiam incorruptibilia, & æſtimaverunt ſe probationes adduxiſſe ad hæc. Ex quo ſequitur eos, ut ponant animas hujuſmodi corporum, aut nobiliores animabus corporum humanorum, aut æquè nobiles aut minùs nobiles. Quòd ſi minùs nobiles, conſequens igitur eſt, ut ſi ex illis corporibus cœleſtibus eſt vita perpetua naturaliter, quòd ex animabus humanis ſit naturaliter vita perpetua corporibus noſtris: eſt enim de nobilioribus redundantiis animarum vita nobilior, hoc autem non eſt niſi immortalitatis ſtabilitate, hoc eſt, immunitate à morte. Quòd ſi dixerit, quia hujuſmodi vita, ſcilicet immortalis utique redundaret ex animabus humanis in corpora humana naturaliter, ſi vitæ talis eſſent naturaliter ſuſceptibilia: reſpondeo in hoc, & dico, quia errat intolera- G biliter: ſi enim corpus humanum eſt naturale vas fonti hujuſmodi emanationis, & propter emanationem ſuſcipiendam fonti naturaliter applicitum, errat igitur natura vas emanationis inſuſceptibile fonti hujuſmodi applicando. Natura autem in his, quæ naturaliter facit errare impoſſibile eſt, quare naturaliter congruit ex neceſſitate vas humani corporis per receptibilitatem fonti hujuſmodi emanationis. Hæc autem emanatio eſt vita perpetua, ut ipſe ponit. Naturaliter igitur ex animabus humanis redundat vita perpetua in corpora humana, & ipſa naturaliter receptibilia ſunt ipſius, alioquin inepta valde eſſet, & naturæ prudentiam minimè decens hujuſmodi vaſorum ad hujuſmodi fontes applicatio, ſive conjunctio. Si verò fuerint nobilitate æquales animæ cœleſtes, & animæ humanæ, manifeſtum H eſt ex æqualitate cauſarum ſequi debere naturaliter æqualitatem effectuum. Erit igitur redundantia vitæ corporalis in corporibus humanis immortalitate, id eſt, immunitate à morte, firmata naturaliter. Jam autem audiviſti alibi probationes, & declarationes alias ad hæc. Quòd ſi dixerit, quia nobiliores ſunt animæ illæ cœleſtes animabus humanis, & hujuſmodi indicium eſt ipſa nobilitas corporum; hoc enim jam multi dixerunt, dico quia longè major apparet nobilitas in humanis corporibus, in quibus apparent tot organa, & tam multiplicium operationum. In illis quippe corporibus nec unum apparet organum unius operationis, aut virtutis. Nobilitas autem animarum, & omnium virtutum etiam, apparet ex multitudine, & nobilitate, operationum *Nobilitas animarũ.*

Digitized by Google

rarionum. propterea Ariſtoteles, & ſequaces ejus poſuerunt cœlum ſtellarum fixarum cæteris cœlis nobilius, & ſolum ſtellarum plurimarum multitudine inſignitum, tanquàm ipſæ ſtellæ organa quædam ſint, & ſigna virtutum multiplicium, quibus creator cœlum illud præ aliis illuſtravit, & in hoc Aſtronomi conſenſiſt illi. Verùm Ariſtoteles manifeſtè dicit organa morus non eſſe data ſtellis, utpote, qui eas non poſuit moveri per ſe, ſed in cœlis ſuis. Quia igitur tanta multiplicitas virtutum apparet in animabus humanis, tantaque redundantia, ſive emanatio operationum: in illis verò non apparet, niſi motus, & virtus motiva, de qua non levis diſceptatio eſt apud Philoſophos, manifeſtum eſt animas humanas nobiliores eſſe illis, quas ponunt corporibus cœleſtibus. Si verò dixerit, quia alias habent multiplices virtutes nobiliſſimas, quæ notæ ſunt apud Aſtronomos, & ſcriptæ ſunt in libris eorum: tu jam audiviſti intentionem meam ſuper hoc, & declarationes, quibus declaratum eſt tibi per me, quia non eſt poſſibile virtutes tam nobiles, atque ſublimes eſſe cœlis, & ſtellis, ut multi ex Aſtronomis poſuerunt, nec ampliùs eis relictum eſt à me de virtutibus, & influentiis, quas eis poſuerunt, niſi ſuper quatuor elementa, & in ea quæ ex elementis ſunt, & hoc quatenùs alligata ſunt eis, & de rebus voluntariis apud homines, quid poſſint, & non poſſint, qualiter, & quatenùs, patefactum eſt tibi probationibus, & rationibus. Ad hoc igitur jam devenit iſta ratiocinatio, quia major nobilitas apparet animarum humanarum naturaliter, quàm illarum animarum, quas ponunt, cœleſtium. Quòd ſi dixerit, eas intelligentes eſſe longè nobiliùs atque ſublimiùs naturaliter, quàm poſſibile ſit animabus noſtris, quippe ipſi nec probent, nec declarent hoc, dico, quia de intellectiva per ſe non fluit vita apud corpus, cùm ipſa per ſe non ſit corpori conjungibilis, aut applicabilis. Quare ſi eſſet etiam iſta nobilitas, atque ſublimitas virtutis intellectivæ apud animas illas, non eſſet influentia vitæ corporalis ex illa per ſe Quare impertinenter illam ponunt quantùm ad influentiam vitæ immortalis Modis igitur omnibus neceſſe eſt vitam corporum humanorum, tanquàm naturalem redundantiam naturaliter reſpondere naturali fonti ſuo. Naturalis autem fons vitæ corporalis humanæ anima humana eſt abſque ulla dubitatione. Quare naturaliter, ſicut ipſa anima perpetuæ copioſitatis eſt, ac redundantiæ; ſic ipſum corpus humanum naturaliter perpetuæ receptionis eſt hujuſmodi redundantiæ. Naturaliter igitur vita humani corporis perpetua eſt, & de hoc jam alibi alias probationes audiviſti.

Aſtronomi.

Intellectiva pars animæ.

Anima humana fons vitæ.

CAPUT XXX.

De damnatorum pœnis, & eorum reſurrectione, & primò explicat, quomodò corporum damnatorum immortalitas, atque paſſibilitas, compatiantur ſe invicem.

POſt hæc autem revertar ad corpora damnatorum, de quorum reſurrectione, ſeu regeneratione non debet eſſe apud te dubitatio, cùm plures ex his rationibus, & probationibus, quas audiviſti ſuper reſurrectione, ſeu regeneratione glorificandorum hominum, ſufficiant tibi certitudinem facere de illa. Maximè autem probationes, quæ ſunt à parte juſtitiæ creatoris hoc enim requirit juſtitia ipſius, ut effectus cauſis ſuis reſpondeant, & pœnæ malis meritis. Quapropter ſicut duo præceſſerunt in malis genera meritorum malorũ, videlicet, & corporalia, & ſpiritualia, ita reddentur eis duo genera

Reſurrectio damnatorum.

A pœnarum, videlicet ſpirituales, & corporales: hoc autem fieri non poteſt. niſi malis, & perverſis animabus corpora ſua reddantur, quæ redditio non eſt, niſi reſurrectio, ſeu reſſuſcitatio ipſorum. Habet igitur meritò quæſtionem difficilè perſcrutabilẽ, cùm corpora illa damnandorum neceſſe ſit immortalia eſſe, & paſſibilia, ſicut paucis declarabo tibi, qualiter iſtæ duæ diſpoſitiones, videlicet immortalitas, & paſſibilitas ſe compatiantur in eis. Dico igitur, quia jam alibi declarata eſt tibi per vias multas perpetuitas pœnarum, & quoniàm aliter non eſſet ſatisfactum juſtitiæ creatoris, niſi mali, & incorrigibiles hîc, perpetuò torquerentur in vita futura. Perpetuitas autem pœnarum non poteſt eſſe in ſubjecto mortali, præſertim in ea magnitudine, & vehementia, quâ futuræ ſunt, in quibus eas ſuſtinere non poſſent ullo modorum corpora, quæ non eſſent immortalitate firmata Si verò paſſibilia

Nota. Quæſtio pulchra.

B non eſſent, nullæ eſſent pœnæ corporales, nulli dolores, ut videtur. Quòd ſi dixerit quis, quia dolor eſt ſolutio continui, ſive continuitatis, ſicut poſuerunt aliqui ex Philoſophis, & præſertim Medici: dico, quia jam reſponſum eſt ad hoc per me in hoc eodem tractatu, ubi dixi, quia eſt ſpecies ignis, qui nec diſſolvit corpus, nec lædit ullatenùs: torquet autem intolerabiliter animam in corpore illo exiſtentem: ſi enim pœnæ illæ corporales, quas mali homines paſſuri ſunt, corpora diſſolverent, ac comburerent, non eſſent pœnæ corporales æternæ. quoniàm deficientibus per mortem corporum ſuorum ſubjectis, pœnæ corporales deficerent, & ita non eſſent perpetuæ: reſtat igitur hujuſmodi corpora inſecabilia eſſe, & incombuſtibilia. Verùm quæſtionem habet, utrùm ex propria diſpoſitione hoc

Dolor quid.

C habeant, an ex protectione divinæ juſtitiæ, ſicut habebat ſe in primorum hominum corporibus, quæ non propriâ impaſſibilitate à ſectionibus, & diviſionibus atque combuſtionibus immunia erant, & libera, antequàm peccaſſent illi primi homines, ſimiliter ab omni dolore & pœna. Hoc autem erat per ordinem divinæ juſtitiæ, quo prohibebatur pœna culpam præcedere; ſicut & ordo naturæ non patitur, ut effectus cauſam ſuam præcedat; ſic & protegente divinâ juſtitiâ à læſionibus diſſolutionum, atque diviſionum, in ipſis ignibus futurorum tormentorum libera, & immunia perſiſtent corpora damnatorum. Jam autem multis experimentis didiciſti ex narrationibus authenticis, de quarum veritate nefas eſt dubitare, multos in medio ignium homines per bonitatem creatoris illæſos fuiſſe ſervatos, & tam à læſione corporum ſuorum, quàm ab omni dolore tam corporali, quàm ſpirituali libera-

D tos. Quia igitur non eſt majus creatori ab altero duorum ſalvare, vel liberare, quàm ab ambobus ſimul, quæ eſt admiratio, aut incredulitas ſtultorum de hoc, quòd ſalvatis corporibus in medio futurorum ignium, & illæſis per omnia, in ipſis per ignem hujuſmodi animæ ſint torquendæ? Facilius enim in ſe eſt, non dico quantùm ad omnipotentiam creatoris, ſola corpora ſic ſervare, quàm animas, & corpora ſimul. Quòd ſi dixerit, quia ignes illi infernales incompatabiliter fortiores ſunt ignibus ſæculi iſtius: verum utique dicit, ſed ipſa corpora damnandorum erunt incomparabiliter fortiora ad ſuſtinendum ignes hujuſmodi, quàm noſtra ſint hîc ad ſuſtinendum ignem ſæculi præſentis, quamquàm omnipotentiæ creatoris non ſit ullo modorum difficile præſentis fragilitatis, & infirmitatis, corpora ignibus, ſupple, illis futuris, ſervare illæſa. Ampliùs. Jam dixi tibi in præcedentibus, & pellem animalis, quod dicitur Salamandra, & plumas quarundam avium in igne fortiſſimo apud nos ſervari

Salamandra.

illæſas, & dicitur etiam, quòd ibidem purgantur, & meliorantur: aurum etiam in fornace non tam ſervatur, quàm etiam purgatur, & melioratur. *Aurum igne purgatur.* Si igitur iſta mirabilia ſunt in naturis, & virtutibus eorum, quomodò non magis creatori poſſibile eſt, & etiam placitum, propter adimpletionem juſtitiæ ſuæ, ſervare corpora perpetuò in medio ignium infernalium à diſſolutione combuſtione, atque conſumptione? & ſi talis ignis, qui corpora non lædat, & animas torqueat, invenitur in naturis, & facturis, & creaturis, in mundo iſto, quomodò non multò fortiùs in altero ſæculo, quod totum refertiſſimum eſt mirabilibus creatoris, & ubi tam neceſſarius eſt propter executionem juſtitiæ ſuæ, non invenietur? Ampliùs Cui ex regibus magnis, & inclytis defuerunt unquàm inſtrumenta pœnalia ad executionem juſtarum vindictarum in maleficos? quantò fortiùs igitur non deerunt regi regum omnium? *Ignis infernus.* Quia igitur talis ignis neceſſarius eſt ad executionem juſtitiæ creatoris in perverſos, & incorrigibiles, quæ ſicut alibi didiciſti, pœna perpetua eſt, neceſſe eſt non ſolùm ignem hujuſmodi futurum eſſe, ſed etiam ab eo tempore factum eſſe, quo ipſum requiſivit Dei juſtitia propter uſum iſtum, quare ab eo tempore, quo cœperunt eſſe, qui igne hujuſmodi digni eſſent. Dico etiam, quia ſi factus ab eo tempore non fuiſſet, faciendus tamen eſſet creatori in judicio futuro, alioquin juſtitiæ ipſius deeſſet, vel executio, vel executionis celeritas. Turpe namque eſſet non mediocriter creatori, & omninò non decens gloriam ipſius, ut vel defectum inſtrumentorum hujuſmodi, vel retardationem executionis ſuæ ejuſdem juſtitia patiatur. Nec dubium eſt tibi jam ex aliis, quia pœna hujuſmodi hominum perpetua ſit. Quapropter neceſſe eſt ignem hujuſmodi, & parcere eis à conſumptione corporum ſuorum, & non parcere à tormento, præſertim cùm ad hoc tantùm creatus ſit, nec eſt multùm mirabile hoc, cùm etiam ignis, qui apud nos eſt, in purgatione metallorum non parcat admixtis eorum ſordibus, parcat autem puris ſubſtantiis ipſorum. De hujuſmodi etiam igne jam dixi tibi, quia ſæpè & corporibus, & animabus per virtutem creatoris pepercit, ut nec tormentum animabus eorum, nec corporibus aliquam læſionem intulerit. Aliàs etiam didiciſti, videlicet in tractatu primo ſapientialis, divinaliſque magiſterij, virtutes omnes naturales, ſic teneri beneplacito creatoris ut non influant operationes ſuas, niſi cùm creator voluerit, & quatenùs, & quomodò voluerit, & audiviſti eum tenuiſſe, & aquam, & ignem, ita ut non influerent operationes ſuas, quæ ſunt combuſtiones, & influxiones, & immerſiones & hoc legis in ſermonibus authenticis prophetarum hebræorum. *Virtutes naturales.* Multò autem plura, & majora in lege, & doctrina chriſtianorum & præcipuè in narrationibus miraculorum ſuorum, quas ſæpè conſului tibi inſpicere, quoniàm multipliciter adjuvant philoſophiam nobilem, & ſublimem. Gens autem Sarracenorum ipſo legiſlatore eorum teſtante non habet, nec habuit miracula, & cauſa tibi nota eſt ex aliis, quæ de lege gentis illius per me didiciſti.

CAPUT XXXI.

De ſtatu corporum glorificandorum diſputaturus, primò gloriam definit: deinde explicat cauſas, propter quas corpora glorificata ſpiritualia quodammodò dicantur.

His igitur ſe ita habentibus, conveniens eſt poſt hoc declarare tibi gloriam corporum glorificandorum, & hoc faciam ex ratione, & partibus

E ſuis. Dico igitur, quia gloria ſecundùm intentionem, & doctrinam chriſtianorum, apud quos ſolos de ea ſermo eſt (aliis enim gentibus nullatenùs innotuiſſe videtur) eſt inquam gloria, ſtatus ſeu diſpoſitio † omnium ſtatui naturæ in creaturis longè ſupereminens, & totus mirabilis: *Gloria quid.* *† Aliàs animæ.* in corporibus autem ſpiritualitati ſimilitudine multâ proximus, ſicut audiviſti in præcedentibus, quòd propter hanc cauſam in lege, & doctrinâ chriſtianorum ſpiritualia dicta ſunt corpora hujuſmodi, *Spiritualia corpora cur.* primùm quidem propter ſubtilitatem ſubſtantiæ ipſorum, deindè propter velocitatem, ſive agilitatem, quâ pari facilitate ſe transferunt habentes eas, ſi voluerint, quâ ſpirituales ſubſtantiæ à cogitatu in cogitatum. De hoc tamen aliquid audies in ſequentibus. Tertiò, propter inconſumptibilitatem atque ſtabilitatem ſubſtantiæ ſuæ, per quam prohibentur indigere nutrimento. Quartò quoniàm impalpabilia,

F & inviſibilia ſunt, & inſenſibilia omninò ſenſibus noſtris, prout ſunt in ſtatu miſeriæ iſtius, *Corpora glorificata impalpabilia.* niſi ſe ipſi glorificati homines modo, quem ipſi norunt vel cogituri ſunt, ſe ad hoc accommodaverint, & adaptaverint. Hoc enim quibuſdam Dei electis, atque dilectis etiam in iſta miſeria divino munere conceſſum eſt, videlicet, ut nec viderentur, nec ſentirentur, niſi cùm vellent, ſicut legitur in narrationibus miraculorum gentis chriſtianorum, & in operibus magorum tam naturalium, quàm maleficorum, de rebus hujuſmodi multa inveniuntur. Tu etiam vides in Sole, quòd viſui noſtro per nubem interpoſitam coaptatur, ita ut meliùs judicent homines ſe videre illum, quàm detecto ad nudum fulgore ſuo. Verùm ſi glorificati homines apud nos viderentur, aut aliter ſentirentur, meritò

G dubitari poſſet, an ipſi fulgorem ſuum ſic viſibus noſtris temperarent, ut hoc ſolùm ſui fulgoris in oculos noſtros influerent, quod ipſi oculi pati poſſent, an novâ virtute ad hoc noſtri viſus & oculi juvarentur: & forſitan ita eſt in ſpiritualibus viſionibus, quæ ſunt propheticæ revelationes, & apparitiones, ad quod noſtri viſus interiores id eſt, noſtræ virtutes intellectivæ novo adjutorio elevantur, & confortantur, ut talia valeant intueri. Interdùm autem velaminibus ſignorum, & ſigntarum rerum viſarum, fulgor eis, & claritas temperatur. De hoc autem perſcrutatiùs inquiram in ſequentibus, ſi Deus voluerit. Iterùm autem veriſimile valdè eſt homines glorificatos, ſive glorificandos, conſque habere corpora ſua in pace, ut & qualitates, & quantitates ſuas pro beneplacito ſuo habeant oſtendere, & exhibere quibus voluerint, & quomodò voluerint, & quandò. Et hujuſmodi rei exempla

H multa invenies in prænominatis libris de miraculis chriſtianorum. Quarta verò cauſa, propter quam ſpiritualia dicuntur, eſt iſta poteſtas, atque libertas apparitionis, quâ apparent quandò volunt, & quibus volunt, & quomodò volunt, quemadmodùm ſpirituales ſubſtantiæ, de quibus multa leguntur tam in lege hebræorum, quàm in lege chriſtianorum. Vides igitur, quia iſta quatuor longè valdè ſunt à quantumlibet ſublimi nobilitate naturæ. Sic ſe habet de immortalitate, atque impaſſibilitate corporum hujuſmodi, videlicet, quòd longè præſtantiores diſpoſitiones ſunt atque ſublimiores, diſpoſitionibus aliorum corporum animatorum tam mundi hujuſmodi ſublunaris, quàm etiam ſuperioris mundi corporei, quoniàm ſi ponantur cœli, & ſtellæ animalia, quemadmodùm viſum eſt Platoni, & Ariſtoteli atque ſequacibus eorum, nec immortalitas, nec impaſſibilitas ſimilis eſt illis. *Plato. Ariſt.* Et de impaſſibilitate quidem manifeſtum eſt: licet enim forſitan paſſibilia non ſint à contrariis, quia contraria non habent,

Digitized by Google

Res creatæ ſuſceptibiles melioris ſtatus.

bent, ut hujuſmodi philoſophi poſuerunt, tamen quòd indiviſibilia, & inſecabilia, atque impenetrabilia ſint, non eſt veriſimile. Scito autem, quòd omnes res creatæ, ſeu factæ naturaliter receptibiles ſunt melioris ſtatus, atque nobilioris, & perfectionis excellentioris, quàm naturaliter habeant. Creator verò ſolus additionem non recipit, & hoc eſt, quoniàm nobilitas, & perfectio ipſius in ultimitate ſupereminentiæ, & altitudinis eſt per omnem modum. Quòd ſi dixerit, quia ſtellæ cœli, & luminaria non recipiunt additionem, neque meliorationem, verum utique dicit, ſi intelligat à naturâ, vel naturaliter, natura enim non poteſt addere aliquid naturalibus perfectionibus ipſorum. Scire tamen debes, quia ſapientes doctorum chriſtianorum docuerunt, & ſcripſerunt in tractatibus ſuis, & prophetæ eis atteſtari videntur expreſſè, quia meliorationem recipient, & nobilem valde renovationem in renovatione, ſeu regeneratione hominum; & cauſam hujuſmodi audies per me in ſequentibus. Quemadmodùm igitur vides in his partibus gloriæ corporum, quòd longè præſtant naturalibus perfectionibus ipſorum; ſic imaginari, & ſcire te oportet de gloria animarum humanarum.

Corpora cœleſtia meliorationem ſuſceptura.

CAPUT XXXII.

Exponit, in quo ſtatu futuri ſint ſenſus humani glorificatis jam corporibus, atque animabus.

Meritò verò inveſtigandum eſt de ipſis ſenſibus humanis, in quo ſtatu, quibuſve diſpoſitionibus futuri ſint glorificatis animabus humanis, atque corporibus. Dico igitur, quia glorificandi homines totaliter glorificabuntur. Si enim oculi non glorificarentur, ſed remanerent in iſtâ miſeriâ, & paſſibilitate, poſſent cæcutire vel penitùs excæcari. Sic & poſſent ſurdeſcere homines glorificati. Similiter & ſenſum tactus contingere poſſet obſtupeſcere, vel extingui, & ita non eſſet vera ac pura illa fœlicitas, quæ tantam haberet partem miſeriæ. Ampliùs. Non ſe viderent invicem glorificati homines, prohibente hoc ſubtilitate corporum ipſorum quia nec aer, nec ignis elementum viſibilis eſt hîc oculis humanis, propter ſubtilitatem ſubſtantiæ utriuſque: quantò fortiùs igitur illa corpora glorificata non eſſent ibi viſibilia oculis humanis, in iſtâ imperfectione permanentibus? Ampliùs Si electi Dei, atque dilecti tunc fulgebunt, ſicut Sol juxta promiſſionem prophetarum, & utriuſque dictarum legum, ſcilicet hebræorum, & chriſtianorum, non poterunt homines glorificati ſe invicem intueri, abſque læſione viſuum ſuorum, ſicut neque modò Solem Ampliùs. Manifeſtum eſt tibi, quia ſolâ vigiliâ deficit viſus humanus; aut igitur erit ſomnus, id eſt, dormitio, aut continuitate vigiliarum neceſſe erit caligare oculos hominum glorificatorum, & tandem obtenebrari omninò. Quòd ſi fuerit ibi dormitio, erit ibi laſſitudo, & defatigatio, non erit igitur vera fœlicitas. Neceſſe igitur eſt oculos hominum glorificatorum glorificatos eſſe: virtus verò viſibilis perfectio eſt oculorum, quare neceſſe eſt virtutem viſibilem in omnibus glorificandis hominibus glorificandam eſſe. Quæ igitur erit gloria illius, ſi per eam non videt homines tunc æquè longè, ut propè, & æqualiter remota, ut propinqua? Ampliùs Si non omnia corpora eſſent viſui glorificato pervia, poſſet habere impedimentum virtus viſibilis in operationibus ſuis, retardationes multas, atque difficultates; quare non eſſet elongata in ultimitate elongationis à miſeriâ quam habet hîc. Non eſſet igitur diſpoſitio ejus aut ſtatus, aut diſpoſitio gloriæ. Quòd ſi dixerit, quia retardationes hujuſmodi, & impedimenta mirâ facilitate declinabit, hoc eſt, longè majori, quàm poſſet hîc declinare: dico in hoc, quia qui ſic dicit, gloriæ virtutis viſibilis contradicit, & removet ab eâ gloriam futuram, ſed reverà poſuit ei longè minorem miſeriam, quàm ſit ea, in quâ nunc eſt hîc. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, & alia, quæ præceſſerunt, homines glorificandos totaliter glorificandos eſſe, atque ita glorificandos ut nulla eorum pars remaneat in miſeriâ. Ampliùs Quoniàm ipſæ animæ humanæ quæ glorificandæ ſunt, totaliter glorificandæ ſunt, hoc eſt, ſecùndum omnes vires ſuas, neceſſariò glorificandi ſunt oculi hominum & aures & virtutes animarum, ſcilicet viſibilis, audibilis & cæteræ exteriores, non ſolùm interiores, & jam audiviſti cauſam in hoc. Apparet igitur ex his, quantò præſtantior, atque ſublimior eſt viſus glorificatus viſu adhuc exiſtente in iſtâ miſeriâ, & obnoxia tot & tantis paſſionibus, ac læſionibus.

Omnimoda glorificatio.

Nota.

Nota.

Nota.

CAPUT XXXIII.

Quis modus audiendi, videndi, vel aliter ſentiendi futurus ſit in glorificatis.

Quæſtionem autem habere videtur difficilè explicabilem, quis modus vel videndi, vel audiendi, vel aliter ſentiendi erit tunc hominibus glorificatis, ſi per paſſiones, & immutationes organorum ſenſibilium In hujuſmodi autem actionibus, & paſſionibus, propinquitas, & remotio, ſenſibilium evidens præſtant impedimentum, vel adjuvant. Senſibilia enim quæ propinquiora ſunt organis ſenſuum, fortiores immutationes operantur in eis, & vehementiores impreſſiones influunt, & hinc eſt, quòd magis ſentiri ſe faciunt, remotiora verò econtrariò ſe habent. Quòd ſi dixerit quis, quia organa ſenſuum adeò erunt purgata tunc, adeòque facilè mutabilia, ut in quâtacunque remotione à ſuis ſenſibilibus immutentur, neceſſe habet dicere, ut ex appropinquatione ſenſibilium augeantur immutationes hujuſmodi, & propter hoc tandem invaleſcent in læſionem ipſorum ſenſuum, & hæc ſunt inconvenientia, quæ removi tibi in præcedentibus à ſenſibus glorificatis. Dico igitur, quia facile eſt creatori, apud quem nullo modorum eſt difficultas ſic moderari, & menſurare immutationes iſtas, ut nec appropinquatione creſcant, nec remotione ſenſibilium minuantur. Sicut enim multoties tenuit virtutem ignis, ut omninò non combureret, neque aliquatenùs læderet combuſtibile in quo erat, & ſicut modò vides ſæpiſſimè laxatum ardorem ignis, ut influat combuſtionem ſuper ligna arida; ſic in beneplacito ipſius omni modo poſitum eſt, ut laxet virtutes ſenſibilium, & reſtringat menſura, qua voluerit, ad faciendas immutationes in organis ſenſuum, elongatione, & appropinquatione eorum nec addente aliquid, nec minuente. Hoc autem dico, ſi beneplacitum ejus eſt, ut iſte ſit modus ſentiendi. Si cui autem videatur, quia menſura hujuſmodi erit in diminutione ſenſuum, quantùm ad operationes ipſorum propter hoc, quoniàm majores immutationes, hoc eſt, excedentes menſuram hujuſmodi, errat indubitanter, nec attendit etiam ea, quæ manifeſtè accidunt hîc in naturis. Quidam enim homines non vident ſubtilia, niſi multa appropinquatione eorum ad oculos ſuos, & quibuſdam neceſſaria eſt elongatio eorum ab oculis ſuis, & adjuvantur viſus eorum per

Virtus creatoris.

illam. In lapide verò, qui diamas dicitur, quantumcunque parvus ſit, diſtinctè tamen videntur ibi formæ multæ ſimul. Quid ergo mirum, ſi modicâ immutatione etiam clariſſimè, ac diſtinctiſſimè videbuntur viſibilia in futura fœlicitate? Si quis autem dixerit, quia ſicut tota potentialitas virium animarum humanarum exibit, & perpetuò manebit in futura gloria in ultimitate ſuæ perfectionis, & actualitatis; ſic & vires exteriores, quibus operantur animæ humanæ per corpora, liberabuntur tunc à malo potentialitatis, & erunt in ultimitate perfectionum ſuarum, & in ultimitate actualitatum ſuarum; hoc autem eſt dicere, quia vis intellectiva in ſtatu gloriæ futuræ erit ſpeculum in effectu omnium intelligibilium, & erit ſpeculum intelligibile, hoc eſt, exemplum in effectu univerſitatis intelligibilis: ſic unaquæque vis ſenſibilis erit ſpeculum in effectu omnium ſuorum ſenſibilium, & propter hoc non indigebunt organa ſenſuum, vel vires ſenſibiles immutationibus novis, quemadmodùm nec vis intellectiva, tunc dico, quia ſermo iſte non eſt improbabilis gloriam futuram intelligentibus; cauſa autem in hoc eſt, quoniàm omnis imperfectio reverà, & omnis obnoxietas ad miſeriam, tollenda eſt per gloriam futuram. Quòd ſi paſſionibus iſtis, & immutationibus obnoxiæ eſſent vires prædictæ, multæ imperfectiones remanerent apud eas, ex quibus una eſt, quia non omnia viſibilia viderent glorificati homines ſimul, & non viderent ea, quæ eſſent poſt eos, ſed tantùm ea, quæ eſſent ante; quare viderent particulatim unum poſt aliud ſicut & modò. Ampliùs. Jocunditas, ſeu delectatio, quæ tunc erit ex viſu, eſſet fruſtatim, atque particulatim, & non eſſet tota ſimul. Ampliùs. Deperiret particulatim, ſicut & generaretur, quoniàm cùm deſinerent videri quædam viſibilia, periret delectatio, quæ foret ex viſione eorum; non congruit aut megaudiis gloriæ ullo modorum, quòd aliquid eorum pereat, vel aliquid ex aliquo eorum, congruit igitur iſte ſermo, ut dixi, gloriæ, atque perfectioni virium prædictarum. Quærat autem fortaſſis aliquis de virtute guſtabili, & virtute tangibili, & etiam odorabili, ſi quæ erit earum operatio, vel uſus in futura gloria, & reverà non eſt tibi dubitandum, quia vires illæ non recedent ab animabus humanis, ſed operatio virtutis guſtabilis, quæ guſtatio eſt, ſive comeſtio, cùm non ſit neceſſaria, niſi propter nutrimentum, & reſtaurationem corporis, non erit ibi neceſſaria, ſicut neque operatio virtutis generativæ, quæ generatio eſt. Liberabuntur autem iſtæ vires à miſeriis, in quibus modò ſunt. Tu enim vides qualiter hîc affligitur virtus guſtabilis fame, & ſiti, maliſque ſaporibus. De vi etiam generativa notum eſt tibi, quæ tormenta patiatur hîc ab ardoribus concupiſcentiarum, & libidinibus. Ab his igitur erit libera tunc, & immunis, & erit decor ejus, & gloria, caſtitas inviolabilis. Sic non eſt tibi dubitandum, quin ornetur tunc, & glorificetur virtus guſtabilis ſobrietate, & abſtinentiâ quæ illi gloriæ congruat, ſi fas eſt eas ſic nominare. Non enim ſobrietas, aut abſtinentia, aut minùs virtutes ſunt, aut minùs arma animarum humanarum in pace ſpirituali, quàm in bello, & hoc eſt, quoniàm non ſolùm arma ſunt, ſed etiam ornamenta, & pulchritudines animarum mirabiles, ac deſiderabiles. In eo igitur, quòd virtutes, quòd ornamenta, quòd pulchritudines animarum, uſus earum manifeſti ſunt in ſtatu beatitudinis illius; animas enim fortificant, ut virtutes, ornant eas, & decorant, ut ornamenta & pulchritudines. Verùm quoniàm pax illa bella non habet, nec ad illam attingere bella poſſibile eſt ullo modorum, in eo quòd arma, nullus eſt uſus earum, hoc eſt dicere nullus eſt uſus protectionis earum, nullus uſus impugnationis: hi enim ſunt duo uſus armorum in eo, quòd arma ſunt.

Imperfectio omnis tollenda per gloriã.

Virtus guſtabilis.

Virtutes ornamenta animarum etiam in gloria.

CAPUT XXXIV.

Pulcherrimam quaſtionem pertractat: an ſit in futura gloria harmonia aliqua, aut concentus delectabilis. Ubi tandem adſtruit rebus ſenſibilibus animas non eſſe delectandas, aut detinendas eo modo, quo hîc delectantur, quod eſt contra Sarracenorum, & Mahometiſtarum perſuaſionem.

Revertar autem paululùm ad ea, quæ præceſſerunt, & dicam, quia reverà res fœlicitatis illius gloriæ propter elongationem ſuam à conſuetudine noſtra, & à rebus ſæculi iſtius, non eſt facile, ut inveniantur per vias probationis ad certum, & liquidum per ſingula. Sed indubitanter verum eſt, quòd fœlicitas illa nullam ſecum patietur miſeriam in glorificatis, nullam imperfectionem, quæ dedeceat, aut non deceat homines gloriæ illius. Utrùm autem vires ſenſibiles ſic perficiendæ ſint, quemadmodùm audiviſti, an alio modo, creatori, & quibus revelare voluit, noto nobis autem adhuc ignoto, cùm ex ſermonibus prophetarum, vel aliis ſermonibus authenticis perſpicuum non ſit, non facilè affirmandum eſt. Si quis autem dixerit, quia ſicut nihil corruptibile habet vita illa gloriæ, ita nihil habet etiam corrumpens, vel corruptivum, veriſimile proculdubiò dicit. Scio enim multos, & maximè in rebus divinalibus ad modicũ exercitatos, non facilè poſſe videre, quòd omnia viſibilia ſimul videãtur in effectu viſione lucidâ, & diſtinctâ Similiter, & quòd omnes harmoniæ, omneſque concẽtus delectabiles, actualiter ſimul audiantur, & ſub diſtinctione clariſſimâ, non minùs eis incredibile videtur. Tu verò audiviſti quid rationis hoc habeat. Interim igitur causâ exercitationis iſta teneas, donec per me vel per aliũ acquiratur tibi certitudo rerũ hujuſmodi. Non enim parùm habet admirationis, aut quæſtionis, an harmonias habeat, & cõcentus delectabiles vita gloriæ illius, & tu ſcis quid ſenſerit Ariſtoteles de ſonis, & generatione ipſorum. Quamquàm autem Plato poſuerit harmonias in cœlis mobilibus, in cœlo tamen immobili ponendæ non ſunt etiam ſecundùm ipſum; propter motum enim ipſorum poſuit in cœlis harmoniam. Tu autem jam audis ſermones hominum de cantibus Angelorum. Audis etiam ſermones Prophetarum, & maximè prophetias Chriſtianorum de his, & revelationes, quæ apud eos ſunt, de quibus ſæpè dictum eſt tibi per me, quia valdè utile eſt videre eas, & ſæpè inſpicere. Habet etiam quæſtionem, quæ futuræ ſint ibi harmoniæ, & voces hominum, utrùm univocæ vocibus, quas hàbemus hîc, & utrùm conveniat eis ratio, quam poſuit Ariſtoteles, vocis, quod eſt dicere, an ſint univocæ voces illæ vocibus noſtris. Generaliter ergo ſcito, quia delectationes ſenſibiles, hoc eſt per ſenſus, quæcunque erunt ibi, non erunt ſenſibiles per modum, quo hîc, quod eſt dicere, quoniàm non ſtabunt animæ noſtræ in rebus ſenſibilibus, neque hærebunt eis per delectationes iſtas, ſed magis erunt eis viæ ad bonitatẽ, pulchritudinẽ, atque ſuavitatẽ creatoris, omnes bonitates, pulchritudines, atque ſuavitates creaturarum. Tunc enim juxta ſermones ſapientum & ſanctorũ, creaturæ omnes glorificatis hominibus intuentibus, & ſentientibus eas, manifeſtè apparebũt veſtigia, viæ, nutus, & ſigna creatoris, ducentes ad ipſum, & oſtendentes ipſum, & hic eſt error, quo gens Sarracenorum involuta eſt miſerabiliter, & ſeducta, quoniàm ſic ſe credunt eſſe delectandos in rebus ſenſibilibus, & per ſenſum delecta-

De harmonia vitæ cœleſtis.

Error Sarracenorum.

Digitized by Google

delectabilibus, ſicut delectari ſe ſentiunt hîc, cùm indubitanter res ſenſibiles, & per ſenſum delectabiles, non detineant tunc animas glorificatas hominum, quin potiùs ducant eas, & transferant in creatorem, & propter hoc, quod maximè delectabit homines glorificatos in creaturis, erit ipſe creator, & forſitan, quòd propriè, ac per ſe, quemadmodùm in veſtigiis, & aliis ſignis, cùm ſint delectabilia per ea ſolummodò, quorum veſtigia, vel ſigna ſunt, illa propriè, & per ſe delectant quorum ſigna, vel veſtigia ſunt, & forſitan non eſt delectatio veri nominis, aut veræ rationis, quam gens Sarracenorum ſomniat, aut quâ inebriantur, & quâ captivantur animæ ſtultorum. Hoc autem erit tibi manifeſtum, cùm rationes, ſeu diffinitiones delectationis conſideraveris. Delectatio enim eſt apprehenſio, ut ait quidam ex Philoſophis, virtuti apprehendenti Rectiùs autem diffinitur delectatio conjunctio conveniens convenientis cum conveniente Jam autem alibi didiciſti per me quia conjunctiones animarum noſtrarum cum ſenſibilibus, & delectabilibus in iſta miſeria, neque naturales ſunt, neque cōvenientes, cùm ſint abuſivæ, & adulterinæ: hoc autem eſt, quoniàm ſicut amor propter ſe ab animabus noſtris non debetur niſi creatori; ſic delectatio non debet eſſe eiſdem per ſe, aut propter ſe, niſi in illo, aut per illum. Et cùm imaginatus fueris animam ex omnibus modis ſuis benè diſpoſitam, atque perfectam, invenies hoc evidenter, quòd omnia delectabilia vitæ ſunt ei ad creatorem, nullum eorum finis, & propter hoc in nullo eorum ſtat; hoc enim reputat abuſionem, finem habere viam, vel viam habere finem, ſimiliter & adulterinum, cùm amorem ſuum, & amplexus ſuos ſpirituales per ſe, atque finaliter, ſciat ſe non debere, niſi creatori, quem etiam omnis anima erudita non dubitat eſſe ſpōſum ſuum ſecundùm id totum, quod eſt in ea nobile, atque ſublime hoc autem eſt totum, quo præcellit brutalibus animabus, & hoc eſt, tres vires ſuperiores nobiles ipſius animæ rationalis; & de hoc plura per me in aliis tractatibus didiciſti: & quia Philoſophi multi in hoc non leviter erraverunt, ponentes naturales, & veras eſſe delectationes iſtas abuſivas, & adulterinas.

Delectatio quid.

Nota.

CAPUT XXXV.

Redit ad propoſitum, quandam anacephaleoſim faciens ſupradictorum, & docet corpora damnatorum immortalia futura, & cibo non indigentia quòd erunt inconſumptibilia, item de eorum immobilitate, & deformitate.

Nota.

NUnc autem revertar ad id, à quo longè digreſſus ſum, & dicam: quia gloria animarum humanarum, quantùm ad exteriores, ſive interiores ſimul vires ſuas, ſive ſit per modum illum perfectionis, quo omnia viſibilia delectabiliter videant per modum, quo dixi, videlicet ut veſtigia creatoris, ut vias ad ipſum, ut ſigna, & nutus ipſius, & ut refulgentiam quandam bonitatis, pulchritudinis, & ſuavitatis ipſius, ſive ſit per modum alium congruentem beatitudini illi futuræ, qui nec impedimentum habeat, nec retardationem nec difficultatem ullam, nec periculum à læſionibus virium illarum, aut organorum ſuorum. hoc enim congruit fœlicitati illi, videlicet, ut ad ipſam non attingat læſio, vel corruptio ullo modorum: non video errorem, utrumlibet dicatur, nec adhuc manifeſta eſt certitudo in altero iſtorum, vel ſermonibus authenticis, ut prædixi vel probationibus. Veruntamen primum iſtorum duorum magis philoſophicum eſt, & magis congruens perfectioni illi

A futuræ. Secundùm autē minùs eruditis credibilius; ſed utrùm duorū verum ſit, propter novitatem diffinire ſuperſedeo. Tu igitur ex his, quæ audiviſti, imaginare, & conſidera veritatem futuræ gloriæ tam in corporibus, quàm in animabus; & reminiſcere, quia quatuor tibi poſita ſunt in præcedentibus, velut partes quatuor gloriæ futuræ corporum, expeditio ſcilicet, ſive agilitas, impaſſibilitas, & ſubtilitas, cui non obſiſtit ſoliditas, aut duritia corporum aliorum: deinde claritas quæ utrùm ſit univoca claritatibus mundi iſtius, magis eſt diſputabile, quàm perſpicuum. Non eſt autem propoſitum meum hîc ſtabilire, quæ expreſsè non continentur in ſermonibus authenticis aut quæ expreſsè in eis declarari evidenter non poſſint. Expoſitæ etiam ſunt tibi quatuor cauſæ, propter quas ſpiritualia dicuntur corpora glorificata, & hoc eſt, quoniàm per illas multâ ſimilitudine ſpirituali noſtræ approximant Expoſui etiam tibi, pro vi mihi poſſibile fuit, qualiter, & quibus oculis viſibilia futura ſint, ex quo apparere tibi debet, qualiter etiam tangibilia, ſeu palpabilia, & quibus, ſeu qualibus tactibus De

Dotes corporum glorificatorū.

B modulationibus autem, & harmoniis, quales ibi futuræ ſint, manifeſtum eſt indubitanter, quia ſpirituales ibi erunt: quales autem ipſæ ſint, & quales futuræ, reſervo tractatui de ſubſtantiis ſpiritualibus, qui ſequetur iſtum. De corporalibus autem modulationibus, & geſticulationibus, & de choris, ſive choreis, quas ibi futuras multi credunt, determinandum eſt ex aliis, & per alia, quoniàm proculdubiò ante ea perſcrutandum eſt, an poſſibile ſit ibi fore motum corporalem. Si enim non eſt poſſibile ibi eſſe motum, impoſſibile eſt ibi eſſe cauſationes, aut geſticulationes, cùm geſticulationes evidenter motus ſint, modulationes autem corporales non videantur niſi per motum poſſe fieri ullo modorum. Hanc igitur quæſtionem, videlicet an motum poſſibile ſit ibi eſſe, proſequar in ſequentibus primùm aliquibus dictis de natura, ſeu diſpoſitione corporum eorum, qui damnandi ſunt, & de corporibus parvulorum, qui abſque remedio originalis cor-

An ſint choreæ, & geſticulationes in gloria.

C ruptionis, & immunditiæ deceſſerunt. Dico igitur quia corpora damnatorū immortalia erunt, ut jam audiviſti, alioquin non eſſent ſuſceptibilia cruciatus perpetui. Ampliùs. Nutrimēto non indigebunt, cùm inconſumptibilia futura ſint. Si enim locum haberet apud ea conſumptio, nutrimento reſtaurabilia eſſent, & neceſſariò mortalia, & hoc eſt, quoniàm continuo defectu, ſeu conſumptione tandem neceſſariò morerentur. Quòd ſi dixerit quis, quia iſta duo ſunt partes corporum glorificatorum, tu vides ex his, quæ dicta ſunt, quoniàm iſta inconſumptibilitas non excludit miſeriam, immò eſt in extrema miſeria, & veriſimile eſt etiam, quòd non excludat miſeriā famis, & ſitis, quoniàm juſtiſſimū eſt, ut quemadmodùm peccaverunt virtute guſtabili, per eandem & torqueātur, & quemadmodum peccaverunt

D ingluvie ciborum, & ingurgitatione potuum, fame & ſiti contrariis crucientur. Veruntamen poſſibile eſt omnipotenti creatori igne illo, de quo ſuprà mētionem feci tibi, eos in faucibus, & linguis ſufficienter punire De agilitate verò, vel mobilitate hujuſmodi corporum, non aliud apparet ad præſens, niſi quòd non eſt ibi neceſſaria quantùm ad divinā juſtitiā, quoniàm magis decet corpora hujuſmodi hominū detineri gravata, & illigata ſuppliciis, quàm illâ agilitate, quā audiviſti ſuperiùs, ad loca varia evagari, præſertim cùm de carcere infernali eis exire nec liceat, neque etiā conveniat De coloribus verò eorū veriſimile eſt, ut ſint tales, qui congruant deformitati animarum eorum videlicet tetri, & aſpectu horribiles, ut quemadmodùm imitati ſunt perverſitate

Digitized by Google

malignos ſpiritus, & horribiles: ſic & eos pœnali deformitate, & aſpectu horrifico imitentur.

CAPUT XXXVI.

In quali ſtatu corpora parvulorum reſurgent.

DE corporibus verò parvulorum, quos prænominavi tibi, multas habet quæſtiones, quas nuſquàm credo determinatas, vel etiam propoſitas. Et prima eſt, utrùm in eis diſpoſitionibus reſurrectura ſint, in quibus ex hac vita deceſſerunt, videlicet illâ infirmitate, ſeu debilitate, in qua erant, quandò deceſſerunt, & in illa deſipientia, quâ nec loqui poterant, nec intelligere quicquam; aut ſi fortè corpora eorum, cùm ſint immortalia, futura erunt & impaſſibilia, & hoc idem debet eſſe tibi clarum ex his, quæ præceſſerunt, quia nulla pœna actuali punibilia erunt ſicut nulla culpa actuali tenebantur, dùm hîc viverent. Hoc autem ita eſſe cogit veritas juſtitiæ creatoris, quæ non permittit aliquem actualiter puniri, qui actualiter non peccavit. Si enim in deſipientia, & puerilitate, in qua erant in cunabulis, ubi & deceſſerunt, permanerent, multa inconvenientia ſequerentur. Primùm quidem, quoniàm vita eorum otioſa videtur, & omninò inutilis: deinde niſi immortalitate firmetur, nullo modo durabilis: Tertiò virtus tam ſpiritualis, quàm corporalis eſſet omni perfectione naturali privata in eis. Propter hoc, & alia, veriſimilius eſt, in ea perfectione naturali ſecundùm curſum miſeriæ iſtius, ut in virili ætate, hoc eſt, in perfectione virilis ætatis, quam adepturi erant, ſi tamdiù viverent, & hoc eis præſtabitur divinæ largitatis beneficentia, ut ſic impleatur decor, & perfectio humani generis, quatenùs divina juſtitia patitur Nec eſt mirabile, ſi perfectionem, quam largiturus erat eis creator per ſucceſſus ætatum, & temporum, ſi euſque viverent, ipſo reſurrectionis momento eiſdem largiatur, & ita requirit ipſa miſeria parvulorum, ut defectus adjumentorum naturæ divina bonitas ſuppleat, & quod naturalibus nutrimentis, & adjumentis acceptura erat natura, hoc virtus creatoris illis deficientibus largiatur. Similiter & de profectibus, atque perfectionibus animarum, ut eis in reſurrectione tribuantur, quas ſi uſque ad virilem ætatem viverent, obtinerent Verbi gratiâ, naturalem prudentiam, & ſimiles perfectiones, quas virilis ætas habere naturaliter conſuevit. Si quis autem quærat de artificiis, & magiſteriis, dignitatibus, & poteſtatibus, quæ omnia forſitan obtinuiſſent in vita iſta, ſi in ea tanto tempore permanſiſſent: reſpondeo duobus modis. Primùm, quia non eſt certum, quòd aliquis eorum aliquod ex hujuſmodi artificiis, ſeu artibus, magiſteriis, aut dignitatibus obtineret, etiamſi tamdiù in vita iſta permanſiſſet, & hoc utique tunc certum erit, quandò manifeſtum erit tunc, divinam providentiam aliter de hujuſmodi muneribus ordinaſſet. Secundò reſpondeo, quia magiſteria & dignitates, & artificia diſtribuit bonitas creatoris ad communes utilitates hominum, quod exindè apparet, quia homines ſe invicem indigent propter hujuſmodi artificia, & officia. Quis enim eſt, qui textore, & artificio texturæ non indiget? Similiter fabro, & arte fabricandi? Magiſtratibus autem poteſtatibus, judicibus, advocatis, & bellatoribus, quantùm res humanæ indigeant, quis non videat? Per hos enim juſtitia, & pax & fit, & ſervatur inter homines, per quas potiſſimùm benè eſt hominibus, benè inquam ſecundùm naturam, ſicut & contraria, videlicet bella, lites, & injuſtitia res humanas perturbant, atque confun- E dunt, ipſamque vitam humanam deſtruunt, propagationem etiam, & educationem generis humani multipliciter impediunt, ſicuti noſti.

Actualis pœna ſequitur actuale peccatum.

Nota.

Nota.

CAPUT XXXVII.

Aptiſſima concluſio dictorum.

QUoniàm autem multa in hoc capitulo aggregata ſunt tibi, quædam de beneficentia largitatis creatoris, quædam de rectitudine juſtitiæ ipſius, quædam verò de perfectione. & decore ſtatus univerſalis generis humani, videlicet, quia ultimitas pulchritudinis ipſius eſt, in qua evidenter apparet beneficentia largitatis creatoris, & rectitudo juſtitiæ ipſius, & perfectiones naturæ humanæ, provt conveniens eſt bonitati, & juſtitiæ creatoris, F & dictum eſt etiam tibi, quòd genus humanum eſt in iſtis diſpoſitionibus, provt decet magnificentiam, & gloriam creatoris, & hic eſt ſtatus ejus optimus, atque pulcherrimus, utpote ſapientiæ, & bonitati ejus convenientiſſimus, & per hoc claruit tibi reſurrectio mortuorum tam malorum, quàm bonorum, tam parvulorum, quàm magnorum, tuum erit de cætero ex his ſtudioſè, ac diligenter conſiderare, an per hæc omnia ſufficienter declarata ſit tibi renovatio univerſi corporei futura in ea parte ſua, quæ genus humanum vocatur, ſive univerſitas hominum; & ſiquidem acquiſita eſt tibi certitudo hujuſmodi renovationis per hoc, & deſtructi errores contrariis, gratiæ tibi, & mihi, agendæ ſunt bonorum omnium largitori. Alioquin ſaltem viæ tibi multæ apertæ ſunt, & initia tradita per me, quibus & perſcrutatiùs inveſtigare, & faciliùs invenire ſu- G per rebus à conſuetudine noſtra tam longè diſtantibus poteris veritatem. Ego verò, provt diſtractiones occupationum permiſerunt, ſecundùm poſſibilitatem meam, deſiderio tuo curavi ſatisfacere in hac parte, & certum eſt mihi, quia exercitatis in rebus divinalibus, atque philoſophicis, & veritatis ſaluriferis amatoribus ſufficiunt, quæ audiviſti.

CAPUT XXXVIII.

De renovatione, & melioratione reliqui mundi corporei futura.

COnſequenter igitur proſequar alias, quæ reſtant de quæſtionibus, quæ circa hæc ſunt. Quarum prima eſt de reliqua parte univerſi corpo- H rei, an & ipſa renovationem, vel meliorationem receptura ſit. Scito igitur, quia ſermones Prophetarum Hebræorum hoc videntur innuere, Prophetiæ verò Chriſtianorum expreſsè hoc teſtantur. Vidi, inquit unus ex Prophetis eorum, cœlum novum, & terram novam: primùm enim cœlum, & terra abiit. In ipſa lege verò, & doctrina Chriſtianorum multa de hoc, & clara teſtimonia de iſta renovatione poteris invenire. Quòd ſi quis dicat, quia cœlum, & terra incorruptibilia ſunt, & immutabilia; reſpondendum eſt ei, quia nihil habent omnia hæc, niſi quod acceperunt ex ſolo beneplacito creatoris, nec ſtant, nec permanent, niſi eo conſervante, & retinente, quemadmodùm ipſe etiam Plato teſtatus eſt, dicens ex perſona creatoris loquentis ad Deos, & dicentis: natura quidem vos diſſolubiles, me autem ſic volente, indiſſolubiles. Nullâ igitur neceſſitate, prohibita eſt omnipotens voluntas creatoris à renovatione, & melioratione cœlorũ, & cœleſtium corporum Jam autem teſtificati ſunt Prophetæ, quia & terris, & fluminibus, & vegetabilibus atque animalibus, & meliùs, & deteriùs fuit

Plato.

Digitized by Google

propter homines. Certum etiam factum eſt hoc experientia multiplici, quia & cœli non dabant pluviam, neque rorem aliquandò propter malitiam hominum, & ſicut dixit propheta hebræorum, terram fructiferam dedit in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Audiviſti etiam famoſiſſimas ſubverſiones civitatum quinque, & totius regionis illius exterminium, & qualiter, cùm eſſet antè ſicut paradiſus Dei, facta eſt poſtmodùm vaſtitas horribilis. Notæ etiam ſunt tibi plagæ Ægypti antiquæ, quibus percuſſa eſt à creatore, & in fluminibus converſione in ſanguinem, & in terra vaſtatione locuſtarum, & in aere tenebris palpabilibus. Sic & econtrariò juxta teſtimonia prophetarum, terram ſine aqua dedit creator in exitus aquarum, & fertilitatem terris, & vegetabilibus dedit multoties, & reddidit. Si igitur propter paucos electos, & dilectos ſuos, & brevem habitationem eorum ſuper terram, beneplacitum fuit bonitati creatoris ſic meliorare, & ornare terram, & congrua ſibi venuſtate veſtire propter modicum, & pauci temporis ſervitium; quantò fortiùs propter incomparabiliter plures electos, & dilectos, & incomparabiliter meliores, quàm eſſe poſſent hîc, erit beneplacitum ejuſdem decorare cœlos, & ſtellas, & luminaria, quæ ab initio mundi ſervierunt eis tam multiplicibus ſervitiis? Ampliùs. Si beneplacitum fuit creatoris decorare habitationem electorum ſuorum tam brevem, tamque modici temporis in terra; quantò fortiùs decorabitur cœlum propter inhabitationem

Ornabuntur cœli novo decore.

eorum perennem? Ampliùs. Si verum eſt juxta teſtimonia prophetarum, quòd cœtum electorum habeat creator, tanquàm ſponſam ſuam ſpiritualem, nemo autem regum, vel etiam inferiorum hominum eſt, qui domum ſuam non præparet, & exornet: quantò creator ſponſam hujuſmodi ineffabiliter ampliùs ſibi dilectam, introducturus in palatium illud præclarum, atque magnificum, & in thalamum illud ſecretiſſimum incogitabilis fœlicitatis introducturus, non prædecorabit, & prærornabit

Nota.

præter ſolitum decorem? Ampliùs. Quis regum in coronatione unius filii ſui non præparet, & ornet, atque decoret palatium ſuum novo decore, & ornatu? Quantò fortiùs igitur creator innumerabiles filios adoptionis, & gratiæ ſuæ coronaturus palatium illud nobiliſſimum, ac præclarum, in quo cum eo regnaturi ſunt, & ſeſſuri in gloria futura, novo decore, & ornatu faciet ſolito ſpecioſiſſimum propter honorem, & gloriam ipſorum, & ſuam? Quòd ſi dixerit, quia longè ſecus eſt in natura, quàm in gratia, quia incomparabiliter plus diligitur filius naturæ, quàm filius gratiæ: verum indubitanter dicit, quia indubitanter ſuper omnem comparationem, & etiam cogitatum, majoris gloriæ eſt, & habetur apud patrem filius naturæ, quàm filius gratiæ: verumtamen non eſt ſecùs in hoc, cùm & coronationis naturæ, & coronationis gratiæ debitum, & ſequela, ſit decoratio hujuſmodi, & ornatus palatij. Si verò dixerit, quia tanta eſt ſpecioſitas, atque præclaritas cœleſtis illius palatij, ut coronatio regum hujuſmodi majorem meritò non requirat; dico quia majorem requirit quantacunque illa ſit, & hoc eſt ex congruentia honoris, & gloriæ coronantis. Decet enim regem, & dominum ſæculorum, ita facere, ut dixi, & indicium hujuſmodi eſt naturale exemplum, quod poſui tibi de regibus, & inferioribus ordinibus. Non enim otioſè, aut fruſtra pingit natura exempla hujuſmodi in manifeſto, ſed ob eam etiam cauſam, quam dixit Avicembron. Scito, inquiens quia manifeſtum eſt indicium occulti.

Nota.

Ampliùs. Si propter hoſpites, & advenas fit apparatus hujuſmodi do-

A morum, ut honorificè, ac feſtivè recipiantur, & hoc ab hominibus, ex modica virtute hoſpitalitatis, quid fiet ab illo patrefamilias, creatore videlicet, cujus largitas, ac liberalitas eſt in ultimitate perfectionis, & hoc pro electis, atque dilectis? Ampliùs. Cùm eos gratia adoptionis honoravit, quo honore in creaturis major cogitari non poteſt, quomodò honores minores, & comparatione iſtius nullos, non eis impendet? Vides igitur, quoniàm rectè ſenſerint, & docuerint ſapientes chriſtianorum, qui cœlos, & ſtellas, atque luminaria remunerandos eſſe dixerunt pro ſervitio, quod electis impenderunt tam illuminando, quàm temperando, & aptando habitationem eorum terrenam, remunerandos, inquam, ob gratiam, id eſt, ob amorem, & honorem ipſorum. Quòd ſi dixerit quis, quia nobiliores ſunt cœli, ſtellæ, & luminaria, quàm homines, & propter hoc indignum eſt, ut eis ſervierint, & ut motus eorum, & aliæ operationes propter homines fuerint, quemadmodùm dixit

B Avicenna, quia res ignobiles, ſeu minùs nobiles non debent eſſe cauſæ rerum nobiliorum: dico igitur, quia manifeſtus eſt error eorum in hoc. Videmus enim evidenter, quia homines ſerviunt cæteris

Nota.

animalibus, ut paſtores ovium ovibus, & paſtores equorum equis, & ita de aliis, & quod majus eſt, artifices omnium artificiorum artificiis non ſolùm fabricando, ſed etiam decorando, & exornando, ſed etiam in conſervando, & cuſtodiendo illa. Ipſi etiam reges, & principes, cæterique rectores atque doctores, qui videntur dominari ſubditis ſuis, ſervi eorum ſunt, ſervientes eis in officiis, à quibus hujuſmodi denominationes habent, & iſta nomina, quæ audiviſti, & cætera omnia hujuſmodi, nomina ſunt officiorum, atque ſervitutum. Rex enim verus nihil aliud eſt, quàm ſervus juſtitiæ, & propu-

Nota.

C gnationis pro ſubditis, & propter hoc exigitur ab eo juſtitia, quemadmodùm à ſervo debita opera. Unde & uſualiter dicuntur reddere juſtitiam, ſive jura, quemadmodùm ſervi debitas operationes. Apparet etiam indubitanter tibi per hujuſmodi exempla, & ſimilia, quia non eſt inconveniens, ut res nobiliores ſerviant minùs nobilibus. Ex quo manifeſtum eſt tibi, quia verus eſt ſermo, quia quicunque voluerit major inter homines fieri, neceſſe habet eſſe omnium ſervus.

CAPUT XXXIX.

De mundo ſublunari, ubi quæritur quid fiet elementis, & animabus.

D SEquitur autem poſt hoc, ut proſequar tibi de mundo ſublunari, quem ſtatum habiturus eſt tunc. Dico igitur in primis, quia neceſſe eſt elementa pacem habere inter ſe, & ut non ſit ampliùs pugna, & conflictus inter ea. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm pugna hujuſmodi, & conflictus, non eſt

Pax in elementis futura.

apud elementa, niſi propter generationem generabilium, & corruptibilium, quæ ſunt ſub ſphæra lunæ. quia igitur ceſſabit generatio, ceſſabit etiam, & corruptio, ut jam patefactum eſt tibi, & patefiet tibi per rememorationem aliquorum, quæ præceſſerunt. Cùm enim animalia, & vegetabilia ſimiliter metalla, & alia quibus utuntur homines in habitatione iſta, non ſint neceſſaria, niſi propter ipſos; tranſlatis autem hominibus in loca perennium habitationum ſuarum ceſſent utilitates rerum hujuſmodi, neceſſe eſt eſſe ceſſaturam tunc generationem & corruptionem ipſarum. Quòd ſi dixerit, quia ignis non poteſt manere ignis, & non pugnare cum aqua, quamquàm ſuper hoc ſatisfactum tibi debeat

Digitized by Google

eſſe ex præcedentibus, reminiſci tamen debes, qualiter olim in Ægypto ignis in aqua magis ardebat, quàm extra aquam. Reminiſci etiam debes ejus, quod audiviſti per me, quia philoſophi plus attribuerunt naturis cauſalitatis, atque influentiæ, quàm veritas habeat. Non enim naturas ſic dimiſit ſibi ipſis creator benedictus, ut earum virtutes, & influentias non omninò in beneplacito ſuo retinuerit, atque poſuerit, & hoc manifeſtum eſt ex miraculis hebræorum antiquis, quæ jam diu & penitùs ceſſaverunt apud eos propter infidelitatem, & malitiam eorum, ſimiliter & ex miraculis chriſtianorum, quæ à tempore incœptæ legis, & religionis eorum incœperunt, & adhuc non ceſſant, tibi poterit elucere. Nec attendas ſermonibus philoſophorum in parte iſta, nec etiam in aliis ſi vis eruditus eſſe, & abſque errore in rebus divinalibus, niſi quatenùs eos concordare inveneris ſermonibus prophetarum, & aliis ſermonibus authenticis.

Miracula.

Mirabilia enim creatoris, quæ miracula nominantur, tenendum eſt eos aut ignoraſſe, aut omninò non credidiſſe, & hæc eſt cauſa, propter quam erraverunt in naturis, & earum virtutibus, errore quem dixi tibi. Ex quo etiam in alios errores plurimos incidunt. Ne prætereas autem, quia qui ponunt generationem elementorum quatuor factam per motum cœlorum, conſervarique ea per motum eundem, videantur cogi concedere, quòd ceſſante motu cœlorum, ceſſet ex neceſſitate eſſe quatuor elementorum. Cauſâ enim conſervativâ ceſſante, ceſſare neceſſe eſt eſſe, quod per eam conſervabatur. Ampliùs. Si quatuor elementa non erant, niſi propter generabilia, quæ generabantur ex his, ceſſante igitur generatione, videntur & ipſa ceſſatura. Ampliùs. Quis uſus, vel utilitas virtutum elementarium in ſtatu futuro? quod eſt dicere, quis uſus caloris, aut frigiditatis in ſtatu illo? Ampliùs. Si terra renovanda eſt, & acceptura decorem, & ornatum perpetuum, quid fiet de aliis elementis? Ampliùs. Quatuor elementa, ſunt partes domus creatoris, quæ totus mundus eſt: ſi ergo domus hæc renovanda, decoranda, & ornanda, quomodò in vetuſtate ſua pars iſta remanebit?

Qualis futurus ſtatus terræ.

Et de terra quidem aliqui ex ſapientibus chriſtianorum dixerunt, quòd graminibus ſemper virentibus, & floribus immarceſcibilibus, perpetuaque vernantiâ, & amœnitate inſtar paradiſi terreſtris decoranda eſt, & ornanda. Nec habet dubitationem apud intelligentes, quin ornatus hujuſmodi, & perpetua conſervatio ipſius poſſibilis ſit creatori. De aliis autem elementis nec perſpicuum eſt ex ſermonibus authenticis, nec meum eſt novum aliquid hîc ponere, ſed veterem veritatem, quam creator prophetis, & prophetarum ſequacibus innotuit, quantùm mihi poſſibile eſt, aſtruere.

Aeris puritas, & ſerenitas futuræ.

Veriſimile autem eſt nubes, & nebulas, pluvias, & nives, & grandines, fulgura, & tempeſtates, cæteraſque hujuſmodi impreſſiones, quibus aer deformari videtur, ceſſaturas eſſe, & ipſum aera decorandum eſſe puritate. De aquis verò nec lex, nec doctrina alicujus legis, quem ſtatum habituræ ſint, al quid ſtatuit, cujus declarationem me intendere oporteat. Quòd ſi quis ornatum aquarum dicat piſces, & alia animalia, quæ generantur in aquis, & vivunt in eis: dico, quia ſimiliter idem poteſt dicere, quòd ornatus terræ eſt animalia terreſtria, & uterque ornatus reverà pulcherrimus, atque nobiliſſimus, & nec terra, nec aqua poteſt habere præſtantiorem. Quia igitur non poteſt hoc eſſe, niſi alterutro duorum modorum, videlicet ut immortalia ſint utraque animalia, terreſtria, ſcilicet, & aquatica, aut ut continuetur in perpetuum generatio, & corruptio. Nulla autem apparet

E utilitas immortalis vitæ animalium. Ea enim, quæ ad eſum, & victum hominum tantùm utilia ſunt, per mortem utrique uſui deſerviunt. Ad vectiones verò, & medicinas nulla erit utilitas eorum, cùm glorificandorum hominum corpora nulli oneri, vel tædio ſint eis futura, cùm laborem, & laſſitudinem apud eos fœlicitas illa procul ab eis inacceſſibiliter faciat.

Medicina nulla futura in altera vita.

Medicinæ verò nullus locus ibi eſſe poterit, ubi nec morbi, nec vulnera, ubi tanta fœlicitas, & firmitas, ut conforrationem, vel meliorationem non recipiat, corpora quoque damnatorum miſeriâ omninò immedicabili, & irremediabili teneantur. De corporibus verò parvulorum qui actualiter non peccaverunt, dùm hic viverent, quoniàm immortalitate ſtabilienda ſunt, & divinæ protectionis impaſſibilitate munienda, ſicut dixi, & qualiter dixi, manifeſtum eſt, quòd nullus uſus animalium apud ea locum habebit. Quapropter conſequens eſt, quia ſi propter uſus, & utilitates hominum ſolummodò vel creata, vel creanda eſſent hujuſmodi

F animalia, ea nec debere, nec poſſe eſſe, cùm uſus iſti, & utilitates ceſſaverint. Quòd verò propter uſus, & utilitates hominum creata ſunt, ipſa natura teſtificatur, quæ homines omnibus uti docet, & ſuggerit. Si verò dixerit quis generationem, & corruptionem animalium continuandam eſſe in perpetuum, ne habitationes iſtæ, terrarum ſcilicet, & aquarum, & aeris vacuæ ſint, & perpetuâ otioſitate inutiles: reminiſci debes eorum, quæ præceſſerunt in iſto tractatu, quorum unum eſt, quia neceſſe eſt finiri generationem, & corruptionem, aliaſque mutationes omnes, & motus, qui in tempore habent fieri, finiri, & ceſſare cum tempore, & diffinitione temporis, de quo non eſt tibi relicta dubitatio. Aliud verò eſt, quia generatio animalium ceſſatura eſt ex neceſſitate, cùm ejus omnis uſus, & utilitas ceſſabit. Quòd ſi quis dixerit, quia depurabitur

G aqua, quemadmodùm, & aer, depurabitur inquam ab immunditiis ſuis, quæ ſunt alienæ commixtiones, non improbabiliter dicit, neque incredibile eſt eam eſſe largitatem, & magnificentiam creatoris, ut electos ſuos, atque dilectos, non ſolùm in ſe ipſis, ſed etiam in omnibus ſuis, hoc eſt, quibus in obſequium creatoris benè uſi ſunt, honorificet, atque remuneret, quemadmodùm ſuprà dixi de ipſis corporibus ac de corporalibus virtutibus animarum hoc eſt, quibus operantur per corpora. Propter hoc igitur non immeritò ſentiunt doctores chriſtianorum, extendendam eſſe mercedem, ſive remunerationem largitatis creatoris, non ſolùm in ſervitores ipſius, ſed in ea etiam, quibus benè utendo eidem laudabiliter ſervierunt, & propter hoc in terras, & aquas, & aera, quaſi non fruſtra, neque in vanum tot, & tanta commoda, ſive ſervitia electis, & dilectis Dei aer, aqua, & terra, impenderint, quoniàm prout decet largitionem

H creatoris magnificam, inde remunerabuntur. Si verò dixerit quis, quia ſecundùm hanc rationem, & cauſam, extendenda eſt remuneratio, ſive merces in alia animalia, & etiam in vegetabilia: reſpondeo, quia non ſunt receptibilia remunerationis, cùm irreſurgibiliter mortua ſint, & irreparabiliter corrupta. Si verò dixerit, quia reſuſcitari debent, ut ſibi congruentem remunerationem recipiant, dico, quia nec hoc poſſibile eſt, quia nec aquæ, nec terræ ea capere poſſent. Et jam aliàs patefactum eſt tibi, nec poſſunt, nec eſſe debent perennes, & multæ viæ ad declarationem hujuſmodi oſtenſæ ſunt tibi. Attende autem, quia quemadmodùm non eſſet nobis inveſtigabilis ſtatus univerſi corporei, nec etiam ſtatus generabilium, & corruptibilium, antequàm eſſet; ſic & multo minùs inveſtigabilis eſt nobis

ſtatus

Digitized by Google

ſtatus ejuſdem futurus poſt curſum expletum præſentem, & hoc eſt quoniam incomparabiliter admirabilior eſt. Inveſtigabilem verò intelligo ad certum, & liquidum, maximè, cùm de ingenio ſuo in talibus nemo aliquid, niſi temerè affirmare poſſit, niſi ea, quæ ſermonibus authenticis expreſſa ſunt, aut ex his evidenter ſequuntur, aut ſaltem non contradicunt, & in aſſertionibus etiam talium, niſi vel neceſſariis, vel multùm veriſimilibus probationibus, non eſt aliquid affirmandum.

CAPUT XL.

An motus ſit futurus in altero ſæculo.

An motus ſit futurus.

POſt hæc autem revertar ad inveſtigandum de motu, utrùm futurus ſit in ſtatu illo futuro. Dicam igitur in primis, quia ſi motus eſt ibi futurus, neceſſe eſt ibi futurum eſſe tempus: tu autem jam audiviſti remotionem temporis in præcedentibus, quam ex neceſſitate ſequitur remotio motus, & omnium mutationum, quæ non habent fieri, niſi in tempore. Ampliùs. Si non poteſt ibi eſſe motus, erunt igitur homines glorificati immobiles, & hoc videtur eſſe non levis miſeria. Ampliùs. Sanum corpus, ſana membra, & incomparabiliter fortiora, magiſque expedita, quàm poſſint eſſe hîc, quis prohibebit moveri? In hoc ergo reſpondendum videtur, ſi quis dicere voluerit, quòd motus non erit ibi, quia motum non prohibet infirmitas, aut debilitas corporum, ſed ipſa diſpoſitio ſtatus illius, qui erit æternitati ſimillimus, quæ non permittit ibi eſſe priùs, & poſteriùs nec continuitatem ſucceſſivam ullo modorum, ſicut in præcedentibus didiciſti. Adjuvat autem reſponſionem iſtam perfectio ſtatus illius, per quam prohibita eſt omnis indigentia ab illo. Et jam patefactum eſt tibi in naturalibus, quòd motus elementorum, & omnium animalium, aliorumque elementatorum ex indigentia eſt, ſeu carentia. Indigentiam autem, & carentiam perfectio ſtatus illius omni modo removit ab illo. Quòd ſi dixerit quis, quia hoc non habet locum in motibus cœlorum & cœleſtium corporum, quoniam per illos non intendunt cœli, vel cœleſtia corpora conſulere aliquibus indigentiis ſuis, vel carentiis, ſed ipſi motus, perfectiones ſunt, quas intendunt, non effugit, quin & ipſi motus hujuſmodi ex carentia, vel indigentia ſint, cùm ipſos intendant, ut perfectiones, & ipſis perfici quærant. Perfectio enim omnis ex indigentia, & imperfectione, quæritur. Si verò dixerit, quia quidam motus ſunt velut jocundæ deambulationes, quæ interdùm fiunt non ex indigentia aliqua, vel ex neceſſitate, quemadmodùm venatoriæ exercitationes non ex indigentia fiunt à potentibus, & magnatibus, ſed causâ jocunditatis tantùm: & ſic ſe habet in omnibus ludis, & modulationibus, quæ causâ delectationis quæruntur, & fiunt: dico in hoc, quia ſermo iſte eſt ſermo hominis non exercitati in rebus naturalibus, & etiam non intelligentis ſe ipſum: indigentia enim, & carentia voluptatis, indigentia & carentia ſunt veri nominis, & veræ rationis, nec quæruntur, niſi ab indigentibus illis, & carentibus eis, & hoc ex indigentia, & carentia. Obtentæ enim non quæruntur, ſed tantummodò dùm non habentur. Quia igitur ceſſantibus indigentiâ, & carentiâ earum voluptatum, quæ per hæc acquiruntur, ceſſant hæc, & durantibus indigentia, & carentia earum, durant hujuſmodi vel motus, vel actiones, manifeſtum eſt indigentiam, & carentiam hujuſmodi voluptatum cauſam eſſe naturalem hujuſmodi motuum, & actionum, cauſam inquam eo modo, quo carentiam, vel privationem principium unum naturalium mobilium ponit Ariſtoteles in libro phyſicorum; quia igitur ut prædictum eſt tibi, convenientiſſimum eſt illi ſtatui habere ſimul omnia delectabilia, ſeu deſiderabilia, quæ congruunt nobilitati, & perfectioni fœlicitatis illius, alioquin non tota ſimul eſſet, neque plena, cùm particulatim, atque fruſtatim eſſet: non enim verè fœlix, aut beatus eſt, cui aliqua pars veræ fœlicitatis, aut beatitudinis deeſt. Ampliùs. Fœlicitas amiſſibilis ſive per totum, ſive per partes, immò, quocunque verè amitteretur, qualiter fœlicitas dici poſſet, & de hoc jam multa audiviſti in capitulo de æternitate, & tempore. Nec dubium eſt alicui intelligenti, amiſſionem etiam partis fœlicitatis partem eſſe miſeriæ magnæ, quæ eſt amiſſio totius fœlicitatis. Ampliùs. *Nota.* Si deambulatio locum haberet ibi, non eſſet, niſi propter obtinenda loca alia ab his, in quibus primùm locati eſſent homines, aut propter videndos amicos, ſeu aliqua delectabilia: loca verò alia ſi quærerentur, dererentur priora, & tunc neceſſe eſſet, ut vel eſſent æqualia nobilitate, & jocunditate, utraque, aut inæqualia: quòd ſi æqualia, fruſtra igitur eſſet motus ab his in illa, cùm illa melioratio nulla fieret, vel additio fœlicitatis, quæ obtinebatur in prioribus locis, niſi fortè quis dicat, quia deambulatio hujuſmodi fieret propter tollendum faſtidium moræ longioris in eodem loco; hic autem ſermo valde erroneus eſt, cùm nulli dubium eſſe poſſit, fœlicitatem illam nec faſtidium habere poſſe, nec tædium. Si verò dixerit loca priora inæqualia eſſe in jocunditate, & nobilitate poſterioribus, manifeſtum eſt, quia acquiſitione poſteriorum aut augebitur, aut minuetur fœlicitas illa. Utrumlibet autem fiat, nec erit vera, nec perfecta fœlicitas illa: vera quidem non erit, quæ mutationes augmenti & diminutionis, & etiam amiſſiones ſaltem in parte patitur perfecta non erit, quæ augeri poteſt, immò augetur ſecundùm hoc. *Nota.* Quòd ſi dixerit, quia deambulationes erunt ibi propter videndos amicos, aut aliqua delectabilia, quæ priùs non videbantur: ea igitur videre prohibebat vel remotio vel interpoſitio aliqua: quare remotio ibi, & interpoſitio prohibent, vel impediunt delectationes, quæ ſunt ex hujuſmodi viſitationibus. Omnes autem delectationes, quæ ibi ſunt, partes ſunt fœlicitatis illius. Sed jam dictum eſt tibi, quia non eſt vera, aut perfecta fœlicitas, quæ vel minui poteſt, vel impediri, ſive in toto, ſive in partibus, & non eſt perfecta, quæ tota ſimul non eſt. Hic ergo ſermo eſt ſtatui æternitatis ſimillimo congruentior, & tam ſublimia cogitare valentibus veriſimilior. Sibi autem ſoli, & eis, quibus revelare dignatus fuerit, reſervavit, atque retinuit creator ſublimis, ac benedictus ſtatus illius claram ac liquidam certitudinem, & hoc inſinuavit unus ex nobiliſſimis prophetarum hebræorum his verbis: Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. Et in lege, & doctrina chriſtianorum invenitur ſermo ſimilis. Debes autem ſcire, quia ſermo deambulationis jocundæ, & viſionis amicorum, aliorumque delectabilium, ſermo eſt hominum brevis intellectus, & paucæ exercitationis in rebus divinalibus, & maximè in rebus mirabilibus, quæ ſunt ſæculi altioris, & habitationis glorioſæ, ubi civitas illa, id eſt, cœtus glorificandorum hominum collocanda eſt, & manſura perpetuò. Cúmque conſideraveris errorem hebræorum, atque Sarracenorum, quibus ſperant paradiſum delitiarum ſenſibilium, invenies ſermonem iſtum multùm appropinquantem errori eorum. Hoc

Nota.

autem eſt. quoniàm delectatio deambulationis, & viſionis delectabilium ſenſibilium, provt iſti ſentiunt. ad carnalem, & ſenſibilem pertinet paradiſum Similiter & ſermo de miſeria quem ſomniant, eidem errori proximus eſt Si enim impoſſibilitas movendi ſive motus, vel miſeria eſſet, vel pars miſeriæ, eſſet creator in parte illa miſerrimus: hoc autem eſt, quoniàm tam longè eſt creator à poſſibilitate hujuſmodi, quàm longè eſt ab omni indigentia, & carentia. Quare manifeſtum eſt motum, & movendi poſſibilitatem in ultimitate elongationis, & impoſſibilitatis prohibitam eſſe à creatore, quemadmodùm omnem carentiam, & indigentiam quòd ſi dixerit, quia in hominibus, qui ſunt naturaliter voluntariè mobiles, miſeria eſt movendi impoſſibilitas, non effugiet, quin cogatur concedere, quòd copioſitas, & plenitudo omnium deſiderabilium, immunitaſque omnium triſtabilium, tædibilium, faſtidibilium, quæ ſunt duæ partes totaliter conſtituentes, veram, ac plenam fœlicitatem, miſeria ſit, aut miſeriæ pars. Quapropter ipſa fœlicitas erit miſeria, vel miſeriæ pars. Vera enim, ac plena fœlicitas motum pati non videtur in ſtatu ſuo ullo modorum, ſicut neque carentiam, aut indigentiam. Si quis autem dicat quia ſanctiſſimi, ac beatiſſimi Angeli viſi ſunt veniſſe ad homines, & ambulaſſe cum hominibus, & ducatum eis præbuiſſe quandóque, ſicut evidenter legere potes in eorum legibus, & doctrinis, non amiſſo, neque imminuto ſtatu fœlicitatis ſuæ: attende quia ad modicum edocti ſunt in talibus homines, quoniàm non eſt moleſtum angelis ſanctis, neque tædioſum ullo modorum pro beneplacito creatoris ſecedere ab habitatione gloriæ ſuæ, & deſcendere ad homines, ut eis conſulant ut inſtruant, ut præmuniant, interdùm autem & defendant à malis angelis, quod diabolos vocant, vel etiam ab hominibus malis. Interdùm etiam ad malos, ut eorum civitates ſubvertant, & eos etiam perdant, & de hoc prædictæ leges, & doctrinæ multa continent teſtimonia. Doctores autem, & eruditores in talibus gentis chriſtianorum, ſoli ſenſiſſe videntur, angelos ſanctos, atque beatos, cùm ad hæc officia, vel miniſteria deſcendunt, hoc eſt deſcendere vel videntur vel dicuntur in authenticis, & ſanctis ſermonibus beatitudinis, & gloriæ ſuæ nullum pati penitùs detrimentum, nec à viſione pulchritudinis creatoris, aut à fruitione ſuavitatis illius ullatenùs elongari, cùm quocunque vadant, quocunque mittantur, præſentiſſimum inveniant, vel potiùs habeant, creatorem. Ego verò dico tibi in hoc, quia ſermones iſti exactiſſimâ, ac diligentiſſimâ perſcrutatione determinandi ſunt. Similis quæſtio eſſe videtur, & de glorificatis hominibus, quorum adventus, & apparitiones crebri habentur in gente chriſtianorum, & jam de hoc in præcedentibus aliqua audiviſti, & alibi plura, quæ deberent ſufficere tibi. De angelis verò ſanctis, atque malis, an poſſibilis, & an conveniens ſit eis motus, & quis intellectus eſſe debeat in ſermonibus authenticis, & ſanctis, cùm dicuntur ibi vel moveri, vel deambulare, vel volare tentabo tibi ſatisfacere in tractatu ſingulari de eis, qui ſequetur iſtum, ſi Deus voluerit. Interim autem ſcito, quia non eſt impoſſibile ullo modorum omnipotentiæ creatoris, neque incongruum fœlicitati, & gloriæ futuræ, ut fœlicitas illa omnes partes ſuas ſimul habeat, & ut viſu glorificato, quemadmodùm dixi ſupra. omnia viſibilia videantur à glorificatis hominibus, ſi hoc ad illam fœlicitatem pertineat, videantur inquam non obſtante vel parvitate, vel magnitudine, non prohibentibus, vel impedientibus hoc diſtantiis, aut interpoſitionibus. Si quis verò dixerit, quia delectatio quantacunque

Nota. *Nota.*

E poſſit eſſe tunc per ſenſus, quaſi in ultimitate parvitatis erit ad delectationem, quæ erit ex aſpectu, & viſione creatoris, & propter hoc ſi detrahatur omninò, vel quantacunque pars ejus. perinde eſt, ac ſi nihil ei detraheretur, quemadmodùm ſi punctus lineæ, vel corpori detrahatur. Et iſtud exemplum adjuvat ſermonem primum de deſcenſu ſanctorum, ac beatiſſimorum angelorum ad homines. Interpellatio enim brevis fœlicitatis illius ad totam quaſi punctus eſt. Alius autem ſermo, ſicut ſæpè dixi tibi, quo dicitur ſtatus fœlicitatis illius æternitati ſimilis. & fœlicitas illa, propter hoc omnes partes ſuas habere ſimul, ſapientiæ convenientior, & ſtatui illi congruentior. Ratio autem ad hoc validior eſt, quia ſi quis ita non poſuerit, neceſſe habet ponere priùs, & poſteriùs in ſtatu illo, & propter hoc tempus, quod jam videtur ex præcedentibus demonſtrativâ deſtructione remotum. Sermo

F verò, quo ponuntur angeli ſancti, atque beati propter miniſteria, & utilitates hominum deſcendere ad homines, & interpellare ad modicum beatitudinem illam videri poteſt ſermo impoſſibilis: tempus enim hujuſmodi interpellationis erit tanquàm diviſio beatitudinis, dividens beatitudinem ipſam in duas partes, quarum altera terminatur initio temporis, altera verò fine ejuſdem, nec videtur dubium eſſe poſſe apud aliquem intelligentium, omnem interpellationem diviſionem eſſe duorum, quorum alterum alteri abſque medio jungeretur, niſi interpellatio interveniens prohiberet. Erit igitur diviſibilis in partes, & ſecundùm priùs, & poſteriùs illa fœlicitas, nec ſolùm in partes duas, ſed etiam in infinitas, cùm poſſibile ſit quâlibet parte temporis deſcendere, & mitti angelos ſanctos multos ad homines propter multa, & varia miniſteria.

G Quia igitur illa miniſteria in multis, & diverſis temporis partibus exequuntur, & adimplentur, erunt ex neceſſitate tot interpellationes, & tantæ, quot, & quantæ temporis partes hujuſmodi. Sequitur etiam ex hoc, non ſolùm diviſibilem eſſe fœlicitatem hujuſmodi, ſed etiam innumerabiliter eſſe diviſam, cùm ab initio creationis generis humani, angelorum miniſteria innumerabilia, & innumerabilibus vicibus fuerint, & adhuc ſint, & ſingulorum miniſteriorum expletiones ſingulas interpellationes, atque diviſiones, in illa fœlicitate fecerunt. Erit igitur mirabiliter quaſi dilacerata, & innumerabiliter dirupta, quantùm ad angelos hujuſmodi fœlicitas illa, & ſecundùm doctrinam chriſtianorum etiam quantùm ad omnes ſanctos angelos, & beatos, cùm ſecundùm illam omnes ſint adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium propter

H Dei electos homines, & dilectos. Hoc igitur cauſa exercitationis hîc poſui, in ſequenti tractatu ſtudioſiùs perſcrutandum. Et quoniàm quaſi contraria ſunt fœlicitas illa, & infernalis miſeria, non immeritò, neque improbabiliter in multis ſimiliter ſe habere, & in multis ab invicem diſcrepare dicuntur. Si enim illa eſt vera, & extrema miſeria, omnes ejus partes ſimul eſſe videntur, ſicut audiviſti de partibus fœlicitatis oppoſitæ. alioquin non eſſet in fine, ſive ultimitate ſuæ. ut ita dicatur, perfectionis, & eadem inconvenientia videntur ſequi, quæ ſupra audiviſti de diviſione, & laceratione fœlicitatis, & de continuatione temporis, hoc eſt, de duratione ejus in perpetuum. Ampliùs Non eſſet leve remedium pœnarum, & tormentorum tranſitus eorum, vel earum, & multò plus ceſſatio tormentorum, quàm mitigatio eorum. Quemadmodùm igitur in illa fœlicitate nulla eſt remiſſio, vel diminutio gaudiorum; ſic & in inferno, nulla eſt mitigatio, vel alleviatio tormentorum. *Nota.*

Quòd

Quòd ſi dixerit quis, quia longè ſuperabundantior eſt miſericordia creatoris in præmiis, & retributionibus, quàm ſit juſtitia ejus in ſuppliciis, & tormentis, verum indubitanter dicit. Perpetuitas autem, & integritas communes eſſe videntur ex neceſſitate extremæ illi fœlicitati, & extremæ miſeriæ, & hoc eſt propter ſtatum illum futurum, quem, quantùm videre datur hîc, æternitati oportet eſſe ſimillimum.

CAPUT XLI.

Qualiter boni tot gaudia, & mali tot tormenta ſimul habeant.

SI quis verò quærat, qualiter animæ humanæ, vel homines, tantis, & tot gaudiis ſimul gaudere poſſint, vel tot, & tanta tormenta ſimul ſentire: debes reminiſci eorum, quæ alibi de hoc per me audiviſti. Ubi oſtendi tibi multis exemplis, quòd etiam in iſta miſeria, & anguſtia præſentis vitæ multæ animæ multis ſimul apprehenſionibus vacant, & intendunt, & paſſiones ſimul multiplices patiuntur. Quid igitur de eis in illa fœlicitate ſentiendum, ubi inſtar ſubſtantiarum angelicarum ſublimium dilatandæ, roborandæ, atque libertate, & expeditione vix nobis cogitabili, donandæ ſunt. *Nota.* Addo etiam tibi, quòd magnitudo gaudiorum, & claritas apprehenſionum, & cognitionum cogit & ea ſimul ſentiri, & illas ſimul eſſe. Juxta modum iſtum veriſimile eſt ſe habere de doloribus, & ſuppliciis infernalibus: & videntur ſermones ſancti, & authentici hoc innuere. Dicitur enim in quodam ex ſanctis, & authenticis libris quia flumina tunc concurrent duriter, & intelligitur evidenter hoc de fluminibus tribulationum illarum, ac ſi diceretur, quia ſimul, non per partes, neque per ſucceſſiones torquebunt damnatos. In alio verò libro ex eiſdem dicitur donec Deus pluat bellum ſuum ſuper eum: inſinuando, quia quemadmodùm ſtillæ pluviæ innumerabiles ſimul cadunt ſuper aliquem, ſic & dolores illi innumerabiles ſimul affligent damnatos. *Nota.* Scito tamen, quòd aliqui aliter, & in contrarium ſermones iſtos interpretabuntur, intorquentes eos & trahentes ad intellectum ſuum juxta conſuetudinem ſuam. Attendere etiam debes, propter quid dixerim, quia fœlicitas hæc, & infernalis miſeria, quaſi contraria ſunt, & non dixi quòd eſſent veræ contrariæ, quia reverà fœlicitas illa impoſſibile eſt, ut habeat contrarium: quemadmodùm impoſſibile eſt, ut cauſa ejus efficiens, & immediata, ſit alicui contraria, vel aliquid ei contrarium: neque enim pulchritudo neque claritas, neque bonitas creatoris contrarium ullo modorum habere poteſt, & hoc declaratum eſt tibi ſufficienter in prima parte tractatus iſtius. Si reminiſceris autem ejus, quod dixit Ariſtoteles in libris topicorum, quia ſcientia ex eo, quod eſt conſiderato, quoniàm diameter eſt coſtæ aſymmeter, non habet contrarium, adjuvabit te ad hoc cognoſcendum; propter hoc enim, ſcientia demonſtrativa quæcunque ſit, & ubicunque ipſa ſit, non habet contrarium, quoniàm res demonſtrabilis non habet contraria propter neceſſitatem ſui eſſe, contraria inquam, quæ ſint; à non entibus enim nec ſcientia, neque aliud eſſe poteſt. *Nota.* Alibi inſuper audiviſti, quòd omnia veri nominis, & rationis, contraria ſunt ſibi invicem è regione, alterum contra alterum in eodem gradu altitudinis, & dignitatis naturaliter Tu autem non es oblitus vias, quibus declaratum eſt tibi, creatori nihil poſſe eſſe è regione juxta prædictum modum, immò univerſitas ſubeſt ei abſolutè; ipſe verò ſupereſt ei in ultimitate ſupereminentiæ, & altitudinis, & propter hoc in ſermonibus authenticis rectiſſimè nominatur altiſſimus.

CAPUT XLII.

De perfectione virtutis vocalis in beatis, & qualis ſit futurus ſermo.

REvertar autem, ut audias id, quod multis faceret admirationem grandem, ſi quis eſſet, qui hoc aſſereret. Si enim ut forſitan alicui videri poſſit, nihil potentialitatis, hoc eſt, carentiæ, indigentiæ, imperfectionis, in viribus animarum humanarum relinquit perfectio futuræ fœlicitatis: tunc vis vocalis, ex qua ſunt modulationes, emitet ſimul omnes voces, atque ſonos, quos naturaliter emittere poteſt, & etiam quaſcunque perfectio gloriæ illius ſupeaddiderint. Erit igitur os uniuſcujuſque hominis glorificati, ſicut cithara chorearum innumerabilium, & ſicut organum innumerabilium fiſtularum, & erit ſonoritas ex ore uniuſcujuſque glorificati hominis concentus vocum, ſive ſonorum innumerabilium, mirâ, & incogitabili nobis hîc ſuavitate ſibi invicem conſonantium, & auribus perfectionis illius ſimul audibilium. Ratio verò, quæ aliquem fortaſſis adhuc moveat, eſt glorificatio, de qua audiviſti, animarum noſtrarum, quam neceſſe eſt fore, ut videtur, ſecundùm omnes vires earum. *Nota.* Quia igitur virtus vocalis una illarum eſt, quæ alia exiſtimari poteſt ejus glorificatio, quàm hæc, videlicet ut ejus poſſibilitas ſic impleatur, & ejus potentialitas ſic perficiatur? omnes igitur partes ſuæ perfectionis ex neceſſitate ſimul erunt: hæ autem non ſunt niſi voces, ſive ſoni vocales, aut muſicati, aut articulati, & intelligibiles. Ampliùs. Niſi ſimul eſſent omnes illæ perfectionis partes, ſed particulatim, & truncatim, ibi ſuccederent, ex neceſſitate eſſet ibidem & tempus, ut audiviſti. Quòd ſi quis dixerit, de virtute interpretativa, quæ eſt virtus loquendi, quòd ſimilem debet habere perfectionem: hoc autem eſt, ut unuſquiſque hominum beatorum omnia ſimul loquatur, ſuper quæ erit poſſibilitas virtutis ejus interpretativæ, non videretur mirabile hoc, ſi locutiones, & ſermones, locum haberent ibi. Multis autem ex ſapiẽtibus de gente Chriſtianorum videtur, non fore ibi neceſſariò ſermones, & hoc eſt propter claritatem ſtatus illius, ut nihil aliquem glorificatorum hominum ibi lateat, quod videre, vel ſcire ipſum deceat, & quod noſſe ad gloriam illam pertineat. Supervacuum igitur eſſet ibi interpretari alterum alteri conceptus ſuos, ſeu cogitationes ſuas, cùm ibi neminem lateant, & à nemine abſconditæ ſint, cui expediat illas noſſe, & manifeſtum ſit, quia innoteſcere, vel interpretari, quod noſſe non expedit, non ſolùm otioſum, ſed etiam ſtultum eſt. *Nota.* Si quis verò quæſierit, qualiter una fiſtula ſive arteria, tantæ multitudini vocum, tamque variis modulationibus deſervire poſſit, proculdubiò qui ſic ponit, neceſſe habet hoc attribuere gloriæ illi: ultra enim omnem admirationem noſtram, & cogitatum, erunt virtutes, & potentiæ glorificatorum corporum ſupra id, quod ſunt hîc. Sic dico & de partibus & organis quorum uſus erit ibi, & non eſt mirabile, ſi ſtatus ille, qui totus eſt mirabilis & miraculoſus totus plurima habet, vel etiam omnia, quæ virtute fidei ſola, & ad modicum, quoquo modo capiantur: ſicut igitur hîc facit unus homo, in ſtatu ſcilicet miſeriæ iſtius, in eis, quæ ſunt roboris, & virtutis, & agilitatis, id quod decem, vel viginti alii facere non prævalent; ſic non eſt improbabile, vel incredibile unam fiſtulam, vel arteriam in gloria

perfectionis illius, multa poſſe facere, quæ multa millia fiſtularum, vel arteriarum, facere non poſſent. *Nota.* Reminiſci etiam debes quæſtionis in præcedentibus propoſitæ, quæ eſt de differentia vocum humanarum hic, & ibi, ſcilicet an ſint univocæ, id eſt ejuſdem nominis & rationis. Si igitur ità ſe habet veritas, in hoc ſatisfactum ſit deſiderio tuo, & propoſito meo, quòd non inermem, neque indefenſam contradictores veritatis eam inveniant de cætero. Si verò aliter ſe habet, revelabit hoc creator benedictus, ſi voluerit, & declarabit eam, per quem voluerit.

CAPUT XLIII.

Negat à vita æterna choreas, ſaltationes, & tripudia, & cantilenas.

HAbet autem quæſtionem de choris, ſive choreis, & geſticulationibus, an in ſtatu illo gloriæ futuri ſint, & hanc quæſtionem pro parte aggravant, & difficiliorem faciunt, ſermones ſapientium, qui præceſſerunt in gente Chriſtianorum, qui hoc evidenter ſcripſiſſe inveniuntur. Ipſa quoque natura, & naturalium experientia, hæc inſinuare, immò etiam teſtari, videntur. In hoc enim ſtatu iſta modica gaudia, quæ in eo ſunt, homines non ſuſtinent abſque motu corporum ſuorum, & penè ſingulorum membrorũ: manifeſtum enim eſt tibi, qualiter ex gaudio quod in anima tua ſit, movetur os tuum, motu, qui riſus vocatus eſt tota etiã tua facies immutatur. Vides inſuper viros, & mulieres pro gaudiis hujuſmodi diſſilientes, ſtrepentes, ſaltantes, & ſonis cantilenarum, aut muſicorum inſtrumentorum, qua poſſunt effigiatione motuum, concordare conantes Multos quoque vidiſti ex viris, & mulieribus qui vel cantantes, vel cantus audientes, ab hujuſmodi effigiatione geſticulationis corpora ſua nequeũt cõtinere *Nota.* Quia igitur geſticulationes iſtæ exuberantiæ ſunt, ſive redundantiæ præſentium gaudiorum, quę tam modica ſunt, immò nulla, comparatione gaudiorum fœlicitatis futuræ, qualiter poſſibile eſt incomparabiliter majores exuberantias, ſeu redũdantias convenientium ſaltationum, ſeu exultationũ, convenientiſſimæque reſpondentium, non eſſe ex illis? Reſpondendum igitur videtur hîc, vera, ac ſpiritualia gaudia non inundare in corpora humana geſticulationes, aut effigiationes hujuſmodi, & hoc eſt, quoniàm, ut ait quidam ex ſapientibus, verum gaudium res ſevera eſt, hoc eſt, non frangens, non emolliens, non diſſolvens gaudentem, quin potiùs cõfortans, & erigens ipſum. Corporalia verò, & non vera gaudia meritò hujuſmodi exuberantias influunt in corpora ſic gaudentium. Et manifeſtum eſt unicuique intelligenti, quia magis videntur hujuſmodi geſticulationes, atque ſaltationis exagitationes, inſaniæ, quàm verorum gaudiorum exuberantiæ. Jam autem declaratum eſt tibi per me, quia hujuſmodi gaudia falſa ſunt, & geſticulationes, quæ ex illis foris proſtrepunt, velut motus petulantiæ ſunt, & impetus, atque præcipitationes jumẽtorum, & aliorum hujuſmodi animalium. Non leviter autem moveri poteſt aliquis. ſi quis dixerit, quòd ibi dabuntur ore laudes creatori, cùm decentiſſimum, ac debitum modis omnibus per ſe videatur, & corde, & ore, ibi potiſſimùm laudari creatorem ab his, in quos incogitabiliter profuſa erit beneficentia largitatis ipſius. Ampliùs. Ipſa virtus gratitudinis nec completa fore in operationibus ſuis videri poteſt, ſi non erumpit in voces collaudationum benedictionum, & glorificationum creatoris. Dicet autem fortaſſis aliquis quia vocalis illa collaudatio ſupervacua eſſet ibi, propter id, quod in præcedentibus audiviſti: videlicet quoniàm virtus vocalis, & interpretativa ad alterũ tantùm ſunt, & operationes propter indigentiam & imperfectionẽ alienam. *Nota.* Hæc autem eſt mutua ignorantia, ſive in alterutrum, apud homines cogitationum, ſeu paſſionum ſuarum: ceſſatura autem eſt ibi cauſa hujuſmodi, quare ceſſaturus videri poteſt & effectus. Quòd ſi dixerit quis, quia non parva, neq; contemnenda pars fœlicitatis deerit illi ſtatui futuro, ſi delectatio harmoniarũ maximè benè † moratæ muſicæ juxta ſermonẽ Platonis, & ſuavitas concentuũ, & harmonici generis cantilenæ ibi defuerint: tu jam inſtructus es ex præcedentibus, quia ſermo hujuſmodi manifeſtè vergit, atque declinat ſecundùm intentionem loquentis ipſum in paradiſum ſenſibilium voluptatum juxta errorem gentis ſarracenorum. Jam autem prohibitus eſt à te error hujuſmodi per me deſtructionibus demonſtrativis.

† Aliàs harmonizatæ.

CAPUT XLIV.

Qualis harmonia delectabit animas noſtras in alio ſtatu.

NOn immeritò verò perſcrutandum eſt, quid ſit, quod delectet animas noſtras in vocibus muſicatis, ſeu melodiacis, & forſitan videatur alicui non irrationabiliter, quòd non voces ipſæ delectent eas, ſed magis numeri, & proportiones muſicæ, qui nullatenùs audiuntur, ſed interiùs ſolummodò cogitantur. *Nota.* Indicium autem hujuſmodi non leve eſt, quoniàm videmus aliquos abſurdiſſimè canentes, & injucunda percuſſione aures audientium offendentes, ſuis cantibus non mediocriter delectati Intùs igitur apud animas eorum eſt, cùm tam inſuaviter, tamque moleſtè foris ſonent cantus eorum: quòd ſi ita eſt, videlicet, ut ea, quæ intùs ſunt apud animas delectationem ingerant muſicalem, non videtur neceſſe eſſe, ut propter eam ſonent forinſecæ voces. Rectè autem utentibus vel harmoniis, vel aliis ſenſibilibus, & potiſſimùm in illo ſtatu tam fœlicis perfectionis, impoſſibile eſt futurum eſſe modum iſtum delectationis ſenſibilis, vel veriùs, inventivæ invenire. Nec tibi dubitandum, quin omnis pulchritudo, omnis apta conjunctio, omnis conveniens applicatio tunc futura, reſonet in eo ſtatu ſpiritualiter pulchritudinem, bonitatem, & ſapientiam creatoris, & ipſum univerſum univerſaliter, hoc eſt, in omnibus partibus ſuis ſpiritualibus, & corporalibus, erit quædam reſonantia creatoris, & velut carmen pulcherrimum arte creatoris, & ſapientia, ineffabili artificio modulatum ſpiritualiter, ut ipſis glorificatis hominibus auditu jocundiſſimum non foriuſeco ſtrepitu ullo modorum ſit tumultuoſum. *Nota.*

CAPUT XLV.

Quomod. ſit intelligendum ſtatum illum æternitati ſere ſimillimum, ubi difficultates ſolvuntur.

SCiendum verò eſt tibi, quia ſermo, quem audiviſti de hoc, quòd ſtatus futuræ gloriæ hominum, & animarum ſtatui æternitatis erit ſimillimus, quæſtiones divinaliter philoſophantibus plures, ac difficillimas generat, & ſilentio forſitan potiùs honorandas, quàm perſcrutatione attendendas. Harum prima eſt hæc, quia fides veritatis, ſicut eſt apud gentem Chriſtianorum notiſſimum, evidenter aſſerit, quotidiè aliquas animas aſſumi in gloriam illam, quemadmodùm & gentes antiquæ reges ſuos in deos tranſvehi, ſive transferri opinabantur, & abeuntes

ſe vidiſſe

ſe vidiſſe jactabant, ſi creditur hiſtoriis earum. Eſto igitur, exempli gratiâ, aliquam ex hujuſmodi heri fuiſſe tranſlatam in gloriam illam, & aliam hodiè ſimiliter transferendam: quia igitur ſpatio unius diei diſtant tranſlationes, ſeu aſſumptiones hujuſmodi, neceſſarium videtur alterum duorum, videlicet ut tantùm diſtent in ſtatu illo gloriæ, aut ut ſimul fiant. Simul autem eas fieri impoſſibile videtur eſſe ſecundùm poſitionem iſtam, cùm altera alteram ſpatio unius diei præcedere, & etiam ſubſequi poſitum ſit. Si verò diſtat ingreſſus alterius in illum ſtatum ab ingreſſu alterius in eundem ſpatio unius diei, neceſſe eſt ibi eſſe tempus, & prius, & poſterius, & antè, & poſt: ubi ergo ſimilitudo ipſius ad æternitatem? Similem quæſtionem generat deſcenſus animarum ad judicium, & ad corpora ſua reſumenda. Judicium enim non videtur ſubitò futurum, præſertim cùm credatur habenda ibi diſceptatio de meritis bonorum, atque malorum, & rapiendi ſint utrique boni ſcilicet in ſublime beatitudinis ſibi promiſſæ & præparatæ; mali verò in profundum infernale.

Nota.

Illo igitur intervallo judicii, hoc eſt, parte temporis, quâ totum complebitur judicium, cum diſceptationibus, & ſententiis ſuis, & ſententiarum ipſarum executionibus, videntur abeſſe à loco illo ſublimi, à quo deſcenderunt, cum ipſo judice vivorum, & mortuorum: inter deſcenſum autem iſtum, & aſcenſum earum, quin tempus unum fuerit, ſive futurum ſit, aut plures temporis partes, quod dico propter hoc, quoniàm, non ſimul aſcenderunt omnes, qui inde tunc deſcenderunt, dubium non eſt. Habitatio igitur earum ab aſcenſu, ſeu aſcenſibus hujuſmodi, tempore, vel temporibus terminata eſt. Neceſſariò autem habitatio illa aut tota eſt habitatio eorum in ſublimi illo fœlicitatis, aut pars: quòd ſi tota erit, igitur finita, & menſurata certo tempore habitatio illa gloriæ: non erit igitur perpetua: ſi verò pars eſt, igitur partibilis ſecundùm tempus, non erit igitur tota ſimul: Qualiter igitur erit æternitati ſimilis? quòd ſi volueris circa hoc à propinquiori negotiari, poteris incipere ſic. Quoniàm aut aliquid de illo ſtatu tranſit tranſitu unius diei, aut nihil. Si dixerit, quoniàm aliquid, eſt igitur ſtatus ille ſtatus non permanens ad modum temporis, ſive motus, immò fluens atque dilabens, quemadmodùm alteruter ipſorum.

Nota.

Si verò nihil præterit de illo ſtatu ſpatio unius diei, conſequens eſt, ſicut alibi didiciſti, quòd nec aliquid inde prætereat ſpatio unius anni, & ſimiliter mille annorum. Quâcunque horâ igitur, id eſt, quamtumcunque tarda, quis ingrediatur ſtatum illum: nihil minùs obtinet illo, qui mille annis ante eum ingreſſus eſt, & inibi moratur: pro nihilo igitur habendum eſt ibi inhabitaſſe per mille annos, & ſimiliter per mille millia annorum. Exemplum autem declarans objectionem iſtam eſt in tempore unius diei, vel quolibet alio determinato. Si enim nihil flueret de die, nihil minùs haberet de die, qui horâ meridianâ naſceretur, quàm qui ſummo diluculo, & hoc eſt, quoniàm totum diem ſimul inveniret. Eodem modo, & etiam manifeſtiùs ſe habet in aqua fluente, & in aqua ſtante. Si cùm flueret ab initio diei aqua de clepſydra, & hoc per totam diem, plus ex neceſſitate haberet de illa, qui ab initio diei illam excipere inciperet fluentem, & exceptionem hujuſmodi per totam diem continuaret, quàm qui horarum quâlibet aliâ ejuſdem diei hoc faceret.

Nota.

Si verò nihil de aqua flueret, nihil hujuſmodi diverſitas alterutri vel afferret, vel auferret, cùm ea eſſet aquæ hujuſmodi conditio, ut eam uterque totaliter haberet. Vides igitur, quia nihil deſipientius dici poſſe videtur, quàm hoc, videlicet nihil eſſe, hoc eſt, nec prodeſſe, nec valere, quicquam per mille millia annorum fuiſſe in ſtatu fœlicitatis illius. Iſtas igitur quæſtiones propoſui tibi hîc cauſa exercitationis; non enim facilè eſt determinare eas in capitulo iſto, & hoc eſt propter difficultatem imaginandi, & declarandi ſtatum hujuſmodi, cujus declaratio ſingularem tractatum deſiderat diffuſum, ac perſcrutatum. Interim autem tibi ſufficiat, quia ſermones, quibus ſcilicet utimur hîc, & intellectus, ſeu paſſiones, quæ ſunt apud animas noſtras in vita iſta præſenti, multùm longè ſunt multùmque differentes, & fortè non univocantur ad illos, vel illa, quia, vel quæ ſunt, vel futuræ ſunt apud ſtatum illum fœlicitatis, & maximè ſermones temporis, & motus, & quæſtio eſt non facilè certificabilis, an ſermones temporis, ſive intentiones eorum, hoc eſt præteriti præſentis, & futuri, locum habeant apud fœlicitatem iſtam, vel apud æternitatem, maximè, cùm manifeſtum ſit in æternitate nihil fluere, nihil eſſe antè, & poſt.

Nota.

De his igitur, quæ futura ſunt in tempore, vel præterierunt in illo, an poſſit vel dici, vel excogitari in æternitate, quoniàm erunt, vel fuerunt, meritò dubitabit quis. Si enim de unoquoque præteritorum verum eſt, quod fuit, & de unoquoque futurorum verum eſt, quoniàm erit, quomodò iſta vera non ſunt ibi dicibilia, vel cogitabilia? Ampliùs. Secundùm hoc nihil ſcitur ibi de veris hujuſmodi, quoniàm omnis ſcientia, quæ ibi eſt, eſt ſcientia in effectu, & non tanquàm habitus dormiens; ſcientia autem in effectu non eſt, niſi cogitatio, ſive viſio ſpiritualis; conſequens igitur erit ex hoc, ut neque creator ipſe benedictus aliquid ſciat de hujuſmodi. Scito igitur, quoniàm iſta temporalia, quæ dixi, cognoſcuntur ibi, & cogitantur intemporaliter, quemadmodùm vides in temetipſo, quòd quietus, & immotus vides moveri multa ex his, quæ moventur, & cogitas motum eorum, & tranſitum aliquorum tranſeuntium ante te, cùm tu non tranſeas, immò ſtes fixus in loco tuo. ſic in immobilitate æternitatis exiſtens creator in ultimitate ſtabilitatis fixiſſimus, videt fluxus motus, ſucceſſus & mutationes temporalium, & non tangit eum, vel ſtatum ejus aliquid fluxuum, aut ſucceſſionum hujuſmodi, quemadmodùm, & nihil pertinet ad te tranſitus eorum, quæ vides tranſire coram te, ut per hoc oporteat te moveri tranſitu ſimili, niſi hoc ſolùm reverà tangit te, quia motum non vides in inſtanti, immò neceſſe eſt, ut videas ipſum in tempore.

Nota.

Sed apud intellectum exemplum eſt de hoc convenientius, quoniàm motum, qui reverà non eſt, niſi in tempore, apprehendit eum, & cogitat, ſubitò, & in inſtanti, ſimiliter, & tempus. Juxta hujuſmodi exempla oportet te conari ad imaginandum, qualiter temporalia & in æternitate, & in inſtanti, & in ſtatu ſimillimo ei cognoſcantur, & intelligibiliter videantur & tamen ſeorsùm à tempore, hoc eſt intemporaliter. Et quemadmodùm de localibus, ſeu locabilibus, loquuntur homines extra loca in quibus illa ſunt, exempli gratiâ homines, qui ſunt, in Alemania, loquuntur de rebus, quæ ſunt in india, vel æthiopia, & homines qui ſunt in terra, loquuntur de ſtellis, & aliis corporibus, quę ſunt in cœlo, & cogitant de eis, & apprehendunt eas, cùm tam longè ſint ab eis, ſimiliter & homines, qui ſunt in ſtatu aliquo, cogitant de hominibus, qui ſunt in ſtatu longè alio, & alterius modi: ipſæ etiam animæ noſtræ, dum hîc ſunt, cogitant de ſanctis, & beatis angelis, & de ſtatu, ac fœlicitate ipſorum, ſecundùm poſſibilitatem ſuam, & homines cùm temporales ſint, & in tempore de ipſa æternitate cogitant, & de creatore, qui ſolus in ea eſt, licet perdifficillimum ſit eis clarè

Nota.

imaginari, & ad liquidum comprehendere ea. Manifeſtum igitur eſt, quoniàm & de æternitate eſt tempus, & temporalia conſpicere, & de ipſo tempore æternitatem; ſed verum eſt, quia de æternitate, tanquàm in lumine, & ex lumine, ultra quod non eſt lumen; de tempore verò tanquàm de tenebris, & illis admodùm denſis. Verus enim eſt ſermo ſancti, & ſapientis, quo dixit: nos quippe involvimur tenebris.

Adverte.

Jam etiam audiviſti alibi, quoniàm ſenſibilia ſunt nobis hîc tenebræ magnæ, & hoc eſt propter corruptiones, & incraſſationes, quæ ſunt animabus noſtris à parte corporum, & augentur evidenter tenebræ iſtæ à parte quorundam corporalium, ſicut vides à parte nutrimentorum quorundam corporalium, ut apparet manifeſtè in cibis, & potibus, quibus inebriantur uſque ad deſipientiam animæ noſtræ. Attendendum etiam eſt tibi hîc, quia fœlicitas illa tantam habet claritatem cognitionis, ut non magis videantur illic, quæ præſentialiter ſunt, quàm quæ præterierunt in tempore, vel futura ſunt.

Status æternitatis.

Unde ſermo communis videlicet ſapientum, eſt, jam eſſe ibi, quæ adhuc in tempore futura ſunt, & præſentia ibi eſſe, quæ jam in tempore præterierunt. Ex illo igitur lumine videntur futura in tempore, quæ ex illo lumine, neque per præteritionem exeunt, neque per adventum ſuum in tempore ſuo noviter illuceſcunt. Hæc eſt cauſa, propter quam dixerunt aliqui antiquorum, quoniàm in æternitate eſt, & intra ipſam, quod nondùm eſt in tempore, quoniàm ſicut audiviſti in præcedentibus, infinitas æternitatis circundat, & continet anguſtiſſimam temporis brevitatem, quemadmodùm ſi diceretur, quia quicquid eſt in terra, eſt & in cœlo, quoniàm circundatur, & continetur cœlo.

Eſſe.

Unde & poſuerunt hoc verbum Eſſe æquivocum, & diviſerunt ſignificationem ejus, ponentes alteram æternalem, alteram temporalem, & dixerunt, quia ſecundùm intentionem æternalem non declinatur in fuit, vel erit, & hæc eſt intentio, ſecundùm quam de ſolo dicitur creatore juxta fidem & doctrinam Chriſtianorum, ſimiliter & Hebræorum, quorum utrique nihil æternum ponunt præter ipſum, & poſitio iſta eſt tibi verificata in præcedentibus.

Æternum quid.

Atteſtantur autem iſti diſtinctioni ſancti ſermones, & authentici, quod manifeſtum eſt in libris prophetarum, & aliorum, qui prophetas ſecuti ſunt. Secunda verò intentione ſuâ non congruit, niſi temporalibus, & tempori, ſicut neque inflexiones ipſius. Verè tamen ſecundùm communem uſum loquendi de his dicitur, quæ tota ſimul ſunt, hoc eſt, quorum eſſe non fluit, ſive ſint ſimplicia, ſive compoſita: in hoc enim vicinantur nonnullâ ſimilitudine æternitati, propter quod ſecundùm intentionem æternalem, quam dixi, & etiam hanc, tempus veriſſimè dicitur non ens, & non eſſe, ſed magis fluens, & fluere. Omnium enim, quæ eſſe dicuntur quolibet modo, ab æternitate remotiſſimum eſt tempus, & hoc eſt, quoniàm æternitatem minimo ſui tangit tantummodò; hoc autem eſt ipſum nunc, ſeu punctus ejus, & de hoc aliqua audiviſti in prima parte tractatus iſtius. Quòd autem ſtatum fœlicitatis futuræ ſimilem æternitati ſæpè dixi, neceſſe eſt, ut ita intelligas, non quin & initium, & partes habeat: fœlicitas enim ſanctorum angelorum, cujus ſimilitudo, & æqualitas promiſſa eſt electis, & dilectis Dei, ab ipſo, & per ipſum indubitanter cœpit, & juxta doctrinam Chriſtianorum, qui ſoli de ea philoſophati ſunt, paulò poſt creationem ipſorum habuerunt quidam ante hanc aliam fœlicitatem, quæ non immeritò naturalis dicitur, quoniàm ipſa fuit opulentia bonorum naturalium, hoc eſt, ſcientiarum naturalium, & virtutum, habens ex

E neceſſitate multam jocunditatem, cùm tam longè eſſet à moleſtiis, & miſeriis. Et quoniàm non erat ſine cognitione magnâ, & luminoſâ creatoris, habebat illa fœlicitas ex neceſſitate gaudium ex cognitione ipſius, licet incomparabiliter minùs, quàm habeat illa, quæ poſtmodùm data eſt eis, fœlicitas. Dico igitur, quia hæc fœlicitas in his, quæ narrabo, eſt æternitati ſimillima. Horum primum eſt, quòd omnia bona gaudiorum, & gloriarum ſimul habet, nec perit, aut fluit quicquam eorum, quorum permanentia ipſa requirit, & quæ decet apud eam permanere. Secundum eſt pax placidiſſima ab omni tumultu motionum corporalium, atque conflictuum longè immunis, & libera. Tertium eſt ſtabilitas, atque impermutabilitas in contrarium, vel in minus, vel in deterius. Menſurari autem eam nihil prohibet, ſed hoc idem eſt alieno, tempore non ſuo, quemadmodùm & motus ſublunares menſurâ propriâ motus cœleſtis menſurantur. Et tu vides

Aſtrolabium.

F etiam, quia magnitudines, quæ notæ non ſunt, per alias notas menſurantur, ſicut longitudo panni per ulnam, & altitudo viſa per umbram ſuam meridianam, & per aſtrolabium, & tabulas ejus, ac circulos, aliaſque deſcriptiones, quæ in eo ſunt, menſurantur. Attende etiam, quia ſunt quædam, de quibus feci tibi in præcedentibus mentionem, videlicet quorum eſſe totum eſt ſimul in omnibus, & cum omnibus partibus ſuis, ſicut unaquæque ſcientiarum, atque virtutum ſe habet, & mora, ſeu manſio, earum in propriis ſubſtantiis. Non enim inconveniens eſt ullo modorum dicere, quòd aliquis per duos annos fuit juſtus, vel per plures, & in fine ſecundi anni cecidit à juſtitia, & perſeverantia ejus, vel mora in ipſa juſtitia hîc menſuratur tempore, quod fuit inter juſtificationem ejus, & caſum ejuſdem à juſtitia. Jam igitur determinatum eſt tibi

G per hæc exempla, quia mora, ſive manſio in fœlicitate angelica menſuratur tempore, tempore utique non ſuo & manifeſtum eſt tibi, quid eſt, fuiſſe in illa per mille annos. Utrùm autem recipiat diviſionem vel interruptionem per deſcenſum futurorum animarum, quæ ibi tunc invenientur ad judicium, & etiam angelorum, qui deſcenſuri ſunt cum ipſo conditore, & rege ſuo, & quid ipſe deſcenſus ſit, reſervandum eſt ex neceſſitate tractatui ſequenti, ſicut prædixi tibi.

Alia quæſtio.

CAPUT XLV.

An illa fœlicitas poſſit augeri.

HAbet autem quæſtionem, utrùm illa fœlicitas mutationem ſaltem recipiat in majus, quod

H eſt dicere, utrùm augeri poſſit. Videtur enim non parum augenda, tribus de cauſis. Primum eſt, ſi tantus eſt futurus glorificatis hominibus amor divinæ juſtitiæ, & exterminationis omnis iniquitatis, injuſtitiæ, omniſque miſeriæ à ſanctis, & electis hominibus ſeu animabus, qualiter poſſibile eſt eos iſta videre fieri, & novum eis gaudium non accreſcere? omne enim amatum obtentu ſuo, ſive adeptione, aut novum ingerit gaudium, aut priſtinum adauget. Secundò ex receptione glorificatorum corporum: ſi enim tantus amor eſt corporum ſuorum animabus humanis etiam in iſta miſeria, & deformitate poſitorum: quomodò non incomparabiliter major amor eſt eis corporum ſuorum, cùm ea viderint glorificata? pro magnitudine enim amoris in amatum eſt magnitudo gaudii ex adeptione amati. Manifeſtum igitur eſt ex receptione corporum glorificatorum accreſcere eis gaudium inæſtimabile. In ipſa enim glorificatione

Fœlicitas æterna augeri poteſt.

Gaudium ex corporibus glorificatis.

Digitized by Google

hujuſmodi perficientur, & ipſæ ſecundùm vires A ſuas exteriores. ſicut in præcedentibus audiviſti. Tertiò, cùm tantus amor ſit & Angelis ſanctis in animas ſanctas, & animabus ſanctis, quæ jam in illa fœlicitate ſunt, in animas glorificandas, hoc eſt, quæ ad illam fœlicitatem adhuc aſſumendæ ſunt, quomodò non ex adventu, & conſortio earum, augebitur gaudium utrorumque pro magnitudine amoris in eas? Debes etiam reminiſci eorum, quæ ſuper hoc alibi audiviſti, & demonſtrativæ declarationis, quam ſuper hoc feci tibi, videlicet de hoc, quòd gaudium uniuſcujuſque beatorum Angelorum de gloria uniuſcujuſque hominum glorificatorum, ſeu animarum, majus erit omnibus gaudiis, quæ in hoc mundo, vel vita, ſunt, etiamſi aggregentur in unum. Quia igitur non unum tantùm, ſed B innumerabilia millia hujuſmodi gaudiorum unicuique, tam beatorum Angelorum, quàm animarum, quæ jam conſorties ſunt fœlicitatis ipſorum, advenient, ſeu accreſcent, ex omnibus his, qui de judicio aſſumentur ad utrorumque conſortium, quomodò non augebitur tot, & tantorum gaudiorum millibus fœlicitas utrorumque priùs glorificatorum? Quòd ſi intendere quis voluerit in ipſam gloriam, & honorem quæ tunc multipliciter non ſolùm innoteſcet, ſed etiam præſens erit, & hoc intelligo de gloria forinſeca, quæ erit apparitio clara magnificentiæ ſuæ & omnipotentiæ, juſtitiæque ejuſdem, inſuper exterminationis injuriæ, & contumeliæ ipſius, & in inimicos vindicta juſtiſſima, atque imperioſiſſima, videbit evidenter etiam pro magnitudine amoris earundem in creatorem gaudium accreſcere eiſdem ex omnibus his, præſertim C cùm amor omnis ſtatus illius ſit in perfectione ultimi actus ſui, & æqualis eidem; omnis enim amor ſtatus illius æqualis eſt gaudio, quod primò, & principaliter eſt ex illis. & propter hoc amor in creatorem æqualis eſt gaudio, quod per ſe, & principaliter eſt amanti ex illo. Secundaria verò gaudia, quæ ex aliis ſunt, licet propter ipſum creatorem, & ad ipſum, poſſibile eſt eſſe minora forſitan. Dico igitur in his veriſimile eſſe, augendam eſſe fœlicitatem ipſam prædictis cauſis, & modis, præſertim cùm in imperfectione ſit, & multa ei deeſſe videantur ad perfectionem ſuam, quemadmodùm audiviſti in præcedentibus, quia pars gloriæ hominum eſt gloria corporum ſuorum, & pars gloriæ animarum etiam gloria eſt virium illarum, quibus operantur per corpora, & in corporibus. Scis etiam D quia nemo amicus propriâ fœlicitate contentus eſt, nec beatum ſe reputat, cùm in miſeria videt amicos ſuos eſſe, & ſemper ſibi ad beatitudinem deeſſe reputat beatitudinem eorum, quos amat. Quia igitur Angeli ſancti, ac beatiſſimi, tantò ampliùs, tantò rectiùs, ſinceriúſque diligunt amicos ſuos, quàm boni homines diligere poſſint in vita iſta amicos ſuos, neceſſe eſt tantò magis impleri, ac perfici fœlicitatem eorum conſortio, & communione amicorum, quantò fœlicitatis illius amicitia eſt amicitia vitæ præſentis, ſublimior, atque præſtantior; nec dubitandum tibi eſt Angelos illos amicos eſſe hominum amicorum Dei altiſſimi, cùm & videant illos ab eo dilectos, & etiam ſemetipſos ab illis. Quòd ſi quis dixerit, quia gaudia fœlicitatis illius ex apprehenſione ſunt, ſive cognitione, cognitioni verò fœlicitatis illius non videtur aliquid addendum, cùm tanta claritas ſit ſtatus illius, ut ipſa, quæ futura ſint, ibi tanquàm præſentia videantur, & propter hoc gaudiis illis nihil ex futura glorificatione hominum, vel animarum augetur gaudiis fœlicitatis illius: dico in hoc, quia non eſt iſtud ad certum, & liquidum declaratum adhuc, & etiamſi eſſet

Nota.

Angeli ſunt amici hominum.

A verum, multùm diſtat inter apprehenſionem, quâ apprehenditur res eſſe futura, & eam, qua apprehenditur eſſe præſens. Similiter & inter cognitionem, quâ aliquis cognoſcit ſe aliquid bonum habiturum, & eam, quâ cognoſcit, & ſentit, ſe jam habere illud. Et dixerunt aliqui, quia multùm diſtat inter gaudium rei habendæ, & jam habitæ, vel obtentæ. Et ſi igitur prænoſcatur à ſanctis, ac beatis Angelis certitudine indubitatâ ſocietas eorum, vel hominum, ſcilicet, vel animarum, qui ad eorum conſortium aſſumendi ſunt, nondùm tamen habetur, niſi in ſpe, & ut veriùs dicatur, tantùm ſperatur habenda, nondùm autem habetur. Quòd ſi quis dixerit, quia non eſt futura eis major, aut certior cognitio, quàm jam habeatur ab eis de gloria B aſſociandorum ſibi, dico quoniàm nec verum eſt, quia cùm fixum erit, omninóque immutabile, quod creator ſtatuit de glorificatione futura hominum, vel animarum, erit certior, ac firmior cognitio ſanctorum Angelorum de illa. Quia verò de multis pendet adhuc, quoniàm multi, qui juſti ſunt, & ſancti, poſſunt & mali fieri & mali decedere ex hac vita, & multi præparati ſunt, & prælecti ad gloriam illam, qui poſſunt, & non eſſe electi, & nunquàm fuiſſe electi ad illam de hoc doceberis in ſequentibus. Manifeſtum eſt inſuper, quoniàm ſicut aliud eſt futuritio rei alicujus, aliud præſentia, ſeu præſentialitas ejuſdem: ſic alia eſt cognitio de ipſa futuritione rei alicujus alia de præſentia ſeu de præſentialitate ipſius. Apud creatorem autem non ſic eſt, cui & apud quem de his, quæ ſunt, nihil deperit, aut præterit. Verùm apud beatos Angelos, & animas ſanctas, quæ in conſortium eorum jam aſſum- C ptæ ſunt, perit, & præterit ſpes quorundam bonorum futurorum, ſimiliter & gaudium de ſpe ipſorum, quàm citò ipſa adveniunt, & ab eis præſentialiter obtinentur.

Nota.

CAPUT XLVI.

De gaudio futuræ beatitudinis, an ſecum compatiatur operationem aliquam corporalem.

Mirabitur autem quis non immeritò de ipſo gaudio futuræ beatitudinis ſpiritualis, quo fruituræ ſunt animæ ex aſpectu pulchritudinis creatoris, & ſenſu bonitatis, ac ſuavitatis ejuſdem, an ſecum patiatur operationem aliquam corporalem, ſive ſenſibilem in hominibus glorificatis: cùm enim degustatio tam modica, quæ nonnullis ſan- D ctorum virorum hîc interdùm conceditur, ita rapiat in ſe, & occupet corda eorum, ut aliud illâ horâ vel agere, vel cogitare non liceat, & ita etiam, ut vel verè mortui ſint, vel mortui videantur ſenſibus, & viribus corporis penitùs deſtitui, quid abyſſalis illa ſuavitas. & gaudiorum illorum immenſitas factura eſt in hominibus tunc glorificatis? Deficiet igitur, ut videtur, ex neceſſitate vita corporalis, & uſus omninò corporum humanorum. Dico igitur in hoc, quia ſicut prædixi, de plenitudine illa, & immenſitate, erit redundantia conveniens in ipſa corpora humana, & erit ipſa expediens, & confortans, ultra admirationem noſtram; vitæ autem noſtræ corporalis miſeria & infirmitas, nec præſentem gratiam, aut virtutum operationes abſque moleſtia, & debilitate ſua ſuſtinet; hoc autem eſt non ſolùm propter infirmitatem, ac debilitatem ſuam, ſed propter quandam quodammodò contrarietaté, quam habet ad bona ſpiritualia: hæc autem eſt innata corruptio, quâ eis adverſatur, & hinc eſt, quòd convaleſcentibus, & proficientibus bonis ſpiritualibus, hoc eſt, gratiarum donis, & virtutum

ipſa infirmatur, & deficit. In ſua verò puritate, & in ſuæ incorruptionis firmitate confortabitur, ut prædixi, ex bonis ſpiritualibus futuræ fœlicitatis, utpotè in nullo diſcrepans ab ipſo ſpiritu, in nullo tunc adverſans eidem, & hoc dignum, & juſtum eſt, ut ceſſante corruptione in natura, quæ cauſa contrarietatis, atque rebellionis iſtius ſola eſt, ſit pax inter carnem depuratam, & ſpiritum illa fœlicitatis gloria ſublimatum.

CAPUT XLVII.

De loco futuri judicij univerſalis, & an beati in toto cœlo empyreo ſint collocandi, an in parte.

POſt hæc autem tentabo de ipſo loco judicij univerſalis futuri, quis futurus eſt. In quo reminiſci debes ſermonum Prophetarum, qui de hoc aliquid locuti ſunt, & expreſſit aliquis, quòd in *Vallis Joſaphat.* valle Joſaphat, quæ eſt non longè à Hieruſalem F civitate famoſiſſima. Verùm hoc per metaphoram more prophetico dictum eſſe forſitan quis opinetur: quoniàm vallis illa poſſe capere nullatenùs videtur innumerabilem illam multitudinem omnium gentium, de quibus non eſt dubium, quin in illo judicio judicandæ ſunt, & mirabile etiam eſt, ſi medietas totius terræ eas capere ſufficiet. Sapientes verò, & Doctores gentis Chriſtianorum dicunt, regem gloriæ, judicemque omnium, deſcenſurum in aërem iſtum inferiorem, & ibi diſceptaturum cum bonis, & malis, & laturum ſententias duas ſalvationis electorum, & damnationis aliorum. Sunt autem hîc quæſtiones multæ. Et prima eſt, cùm credatur appariturus omnibus judicandis, & manifeſtum ſit multitudinem illam longè plus, quàm centum millia per circuitum eſſe occupaturam, qualiter à tam longè diſtantibus videri poterit, G & præſertim in forma humana, in qua credi- *Diſceptatio ſummi judicis.* tur judicaturus. Secunda eſt, cùm diſceptaturus ſit cum judicandis, ſicut expreſsè continet ſermo propheticus & lex Chriſtianorum hoc evidenter continet; diſceptatio autem nulla ſit, niſi diſceptans audiatur, ſimiliter & niſi ſententiæ audiantur ab his, contra quos, vel pro quibus ferendæ ſunt, in vanum, & inſipientiſſimè proferentur Dico igitur, quia non per metaphoram, immò juxta planum literæ, diſceptatio judicantis, & ſententiatio convenienter intelligitur: in terra enim fieri dicitur quod fit ſuper terram, & non longè à terra. Salvum igitur eſt planum literę per hanc expoſitionem, licet in aëre inferiori ſuper vallem Joſaphat, & non longè à terra facturus eſt ea, quæ dixi, etiamſi non tota multitudo hominum in valle illa futura ſit. Ibi enim diſceptaturus eſt, & judicaturus juſtus ille judex, ubi & futurus eſt tunc Qualiter autem illic videndus eſt à tam longè diſtantibus hoc & omni- H potentiſſimæ virtuti ejus attribuendum eſt, & gloriæ tam viſus, quàm auditus electorum, & de hoc multa audiviſti in præcedentibus. Et qui credit ipſum dediſſe viſum omnibus videntibus, & etiam multoties cæcis, non poteſt dubitare, quin facillimum ſit ei euſque clariorem, & ampliorem dare, quatenùs hoc requirit juſtitia, & judicium: hoc autem ita dixi, licet manifeſtum ſit omni intelligenti, nullum eſſe locum difficultati apud ipſum. De damnatis autem non eſt dubitandum, quin & viſibilem, & audibilẽ eis ſe tunc exhibeat; hæc enim pars non modica futura eſt pœnæ ipſorũ, videlicet aſpectus tremendi judicis, quo tantoperè contremiſcẽt, tanta erubeſcentia confundentur, ut requiret tunc & magnitudo ſcelerum, & fœditas vitiorum, & E majeſtas terrifica judicantis. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc, quia hoc requirit illud judicium, ut judex vel ſuâ virtute ſe malis, atque damnandis exhiberet viſibilem, & audibilem, vel ut hoc operaretur in viſu, & auditu eorum, unde ipſum tunc & videre valeant, & audire. His autem peractis diſceptatione, ſcilicet, & ſententiarum prolatione, nulla mora futura eſt executioni, nec aliud reſtat, niſi, ut judex in cœleſte palatium ſe recipiat, & electam illam, & præclaram familiam ſuam in ipſum introducat, ibidem cum eo perpetuò regnaturam, & gaudiis illis incogitabilibus fruituram. Si quis autem quærat, utrùm totum cœlum ultimum, quod ſæpè dixi tibi eſſe habitationem glorificandorum hominum, & beatorum Angelorum, totum ſit replendum, an in aliqua ejuſdem parte ſint manſuri, & pars illa quæ ſit, an orientalis, an occidentalis, an auſtralis, an meridionalis difficilè inveniet convenientem, ac certam reſponſionem. Si enim F totum cœlum illud, quod magnitudine ſua excedit cœlum ſtellarum fixarum repleturi ſunt glorificandi homines, qualiter capiet infernus omnes damnatos? Jam enim alibi didiciſti totam terram in ultimitate parvitatis eſſe comparatione magnitudinis cœli ſtellarum fixarum. Infernum autem *Infernus ubi.* multò minorem eſſe terra tota dubitari non poteſt, cùm manifeſtum ſit ex præcedentibus, ipſum eſſe in medio terræ, & propter hoc partem ipſius terræ non magnam, hoc eſt, neque medietatem, neque quartam. De multitudine verò damnandorum omnis lex determinatum habet apud ſe, quòd multò major futura ſit multitudine glorificandorum. Non videtur ergo poſſibile, ut totum cœlum multitudo glorificandorum † exceptura ſit, niſi fortè quis *† Aliàs exceſſura.* dicat eo tropo replendum eſſe cœlum hominibus hujuſmodi, quemadmodùm diceretur terra repleta hominibus, aut pecudibus, aut ipſum cœ- G lum ſtellarum ſtellis, hujuſmodi enim ſermones inveniuntur in libris authenticis, videlicet Prophetarum. Cùm autem intimiùs, ac perſcrutatiùs conſideraveris ſermonem hujuſmodi, videbitur tibi occurrere intolerabilis abſurditas, & hoc eſt propter diſtantiam ſtellarum ab invicem; quæ enim ſibi invicem propinquiores videntur, diſtant per multa milliaria, & hoc apparere poteſt facilè per omnia inſtrumenta, quibus invenitur diſtantia ſtellarum ab invicem. Si igitur tantis interſtitiis diſtantes in illo cœlo collocandi ſunt, magis diſperſi apparebunt, quàm congregati, vel etiam aſſociati. Sed *Nota.* nec facilè corda hominum hoc recipient, inter homines, tanta ſibi invicem amicitia conjunctos, tantas diſperſionis diſtantias eſſe non pœnales, cùm de hoc ſemper ſit apud amicos dolor querulus, quòd ab invicem ſunt elongati. Si verò in parte cœli collocandi ſunt homines, non eſt dubium, ſi proximi invicem futuri ſunt, quin magis apparebit cœlum H vacuum, quàm hujuſmodi hominibus plenum, & hoc etiam apud homines turpe, ac ignominioſum reputatur, ut perampla, ac permagnifica palatia in parte ſui maxima vacua ſemper eſſent. Quantò fortiùs igitur in illo præclaro, nobiliſſimoque palatio regis regũ hoc indecens, & turpe æſtimandum eſt? Ampliùs Regalibus mẽſis, atque palatiis, quis dubitat ignominioſiſſimã eſſe paucitatẽ convivarũ? quæ autem eſt paucitas, aut major aut ignominioſior, quàm illa, quæ nec palatij, nec menſæ partem centeſimam occupare ſufficit, aut implere? Ampliùs. Jam alibi didiciſti per me, quia fœlicitas illa permagnificũ eſt, atque opulentiſſimum convivium ſpiritualiũ epulatum: ſicut expreſsè legere potes in lege Chriſtianorũ, & in libris Prophetarum Hebræorum, licet non adeò evidenter. Qualiter igitur pro honore & gloria

& gloria, hoc eſt, prout decet honorem, & gloriam tanti regis, non erit ibi multitudo convivarum? quæ autem multitudo decere poteſt magnificentiam, & gloriam ipſius, niſi quæ totum ejus palatium implere ſufficit, & menſam ejuſdem totaliter occupare? Et apud homines quidem quanta ſit indecentia, quantaque deformitas menſæ, etiam in parte, vacuitas, manifeſtum eſt, præſertim cùm ciborum tanta ſit abundantia, tantaque ferculorum varietas, ut omni multitudini non ſolùm ſufficiant, ſed etiam ineffabiliter ſuperabundent. In hoc igitur non aliud video reſpondendum, niſi quia decentia, & decor maximè hîc conſiderandus eſt, & plenitudinis intentio ſemper reſpondet ei, cujus eſt: aliter enim dicitur domus plena convivantibus, aliter hominibus. Non enim ſic impletur convivantibus, ut pincernæ, & dapiferi, alijque epularum miniſtri, inter convivantes ad menſarum miniſteria intercurrere non poſſint; plenitudo igitur convivantium miniſtros epularum non excludit. Similiter cùm dicis plenam domum hominibus, non intelligis plenam à ſummo uſque deorſum; neque enim ad hoc domus facta eſt, ut ſic repleatur hominibus: vaſa verò aliqua ea intentione plena dicuntur, videlicet cùm à ſummo uſque deorſum nihil vacuum habuerint, etſi fortè liquores aliqua eventatione indiguerint, quoniàm interdùm liquoribus noxia eſt nimia plenitudo; nihilominùs vaſa plena dicuntur uſualiter, licet aliqua particula eorum vacua ſit, cùm plena fuerint juxta congruentiam hujuſmodi, quam conſervatio liquorum requirit. Aliud etiam vides in omnium rerum collocationibus: quædam enim requirunt propinquitatem ſummam, & hæc eſt contiguitas, ſicut dentes in multis animalium: quædam verò diſtantiam ad invicem, ut manus, vel pedes, & alæ, & hoc eſt, quoniàm ipſa propinquitas & deformis eſſet, & membrorum hujuſmodi officia impediret. In ſtructuris etiam, & ædificijs hoc idem vides, quia columnæ rectam requirunt diſtantiam abinvicem, lapides verò in muris, & parietibus, per contiguitatem ordinantur, & ibi etiam multæ ſunt interpellationes, maximè, ſi lapidibus varijs, aut pretioſis fuerit ædificium decorandum: non enim omnes lapides marmorei ejuſdem coloris ſimul in eadem ſerie ordinantur, ſed interpoſitis aliorum colorum lapidibus alternatim: hujuſmodi enim varietas, & alternitas non parùm pulchritudinis addit ædificio. Iſtæ igitur duæ cauſæ videlicet neceſſitas, ſive utilitas, & pulchritudo ita operantur in rerum collocationibus, & ordinibus, & neutra apparet nobis per aſpectum in cœlo ſtellato. Quàm decenter enim, & quantæ pulchritudinis ordine locatæ ſint ſtellæ in illo, non aliâ viâ probare poſſumus, quàm per ſapientiam, & bonitatem creatoris, cui placuit cœlum illud indubitanter ordinare, & decorare ſtellis. Utrùm autem hujuſmodi ordinatio ſtellarum neceſſaria eſt, vel utilis ſit ipſi cœlo, non eſt nobis perſpicuum: de neceſſitate autem, & utilitate earum apud res ſublunares, multa & in multis capitulis jam audiviſti per me. Nullatenùs autem dubites, quia ſi daretur nobis cœlum iſtud evicinò conſpicere, appareret nobis evidenter pulchritudo ordinis ipſarum ſtellarum. In collocationibus verò hominum vides differentias multas videlicet in ordine ſecundùm antè & poſt; ſecundùm, ſuperius & inferius. Vides & aliam differentiam ſecundùm longè & propè: magnates enim ſpatioſiùs ſedere ſolent ab invicem, & diſtantiùs, quàm plebes, vulgus autem, etiam apud nos eſſe conſuevit in anguſtia, & preſſura. Et iterùm unuſquiſque magnatum cum comitatu ſuo collocari conſuevit in majorum palatijs. Reges etiam, qui

Similitudo.

Nota.

Varietas decorem addit.

A ſuberant imperio babiloniorum, in Babilonia habebant habitationes ſuas, & propria palatia ab invicem congrua remotione diſtantia. Et forſitan apud urbem Romam ſimiliter ſe habuit res, & veriſimile eſt ad hoc ſpecialiter ædificatum fuiſſe palatium magnificum, ut reges imperio romano ſubditi, in eo cum ipſo Imperatore convenienter, & honorificè recipi poſſent. Quanquàm autem principatus, & potentatus, hujuſmodique officia hominum ſimiliter & ſanctorum angelorum, ut pote ibi nullo modorum ſint neceſſaria, cùm ibi nec doctrinâ, nec eruditione, nec diſciplinâ, neque correctione, ſive coërtione opus ſit, tantâ claritate ſapientiæ illuminatis hominibus, tantâ compoſitione, immò perfectione motum, & virtutum, ut illam decet gloriam, decoratis, erunt tamen ibi gradus varij meritorum, atque præmiorum, pretioſaque varietas tam in ſanctis, & beatis angelis, quàm in glorificatis hominibus: & ſic hîc apparet in gente Chriſtianorum, in B qua diligenter conſiderantibus, & talia intelligere valentibus, prout poſſibile eſt, in vita iſta multa reſultat ſimilitudo civitatis illius nobiliſſimæ, ac præclaræ, cujus ædificium ex prædictis angelis, & hominibus tunc erit in ſua pulchritudine, atque perfectione cõſummatum. Sic erit ad decorem civitatis ejuſdem varietas præmiorum, & glori..tum, ſicut modò eſt varietas ordinum, & profeſſionũ ad decorem ipſius gentis Chriſtianorum. Neque diverſitas profeſſionum contrarietatem habet, vel repugnantiam, quæ decorem in toto ſuo vel deturpet, vel minuat, aut aliquatenùs impediat, immò auget, & quod majus eſt, ex iſta varietate, & in iſta conſiſtit pulchritudo totius, ſicut neque varietas membrorum, aut officiorum ipſorum lædit ullo modorum pulchritudinem totius corporis humani: ſimiliter C neque varietas virtutum, aut operationum pulchritudinem animarum humanarum, quin potiùs illam exornat, perficit, & componit: ſic ſe habitura eſt in totalitate civitatis illius ſpecioſa illa gloriarum varietas. Quemadmodùm etiam cœleſtes imagines ex quibus duodecim ſigna nominantur, ipſum cœlum ſtellatum quamquàm multæ ex illo ab invicem multùm diſtent, diſtinguunt, atque decorant; ſic illi ſupercœleſtes ordines cœlum illud ultimum in quo collocandi ſunt, incogitabili pulchritudine decorabunt: nec dubitandum eſt tibi, quòd in cœlo Saturni non indecenter collocata eſt ſtella unica, & in ſequentibus cœlis ſimiliter, nec ullo modo arbitrandum tibi, quòd tanta vacuitas à ſtellis deturpet, aut deformet ullo modorum aliquod ex cœlis hujuſmodi, quemadmodùm neque paucitas oculorum corpora hominum, aut aliorum animalium, & D quòd ſola frons in hominibus oculis ornata eſt: totum verò reſiduum corporum humanorum vacuum eſt ab oculis, non deformitas eſt eorum imò decor, atque decentia: ſic & quòd in fronte draconis ſolâ carbunculum gignit natura, totum verò reſiduum corporis ejus vacuum relinquit, & à gemma hujuſmodi, & ab alijs, nemo autem eſt, qui hoc imputare poſſit ad deformitatem ſ ſic, & de cœlo ultimo, ac nobiliſſimo, quis exiſtimare prohibeat, ut parte ejus modica, comparatione totius, repleta ſanctiſſimis, ac beatiſſimis, civibus illis, major ejus pars vacua ab eis abſque ulla indecentia, ac deformitate remaneat? quamquàm & ignotum nobis adhuc ſit, an pars ejus aliqua aptior ſit immò ſpecialiter aptata habitationi hujuſmodi, quàm alia. In eodem enim regali palatio manſiones multas, & officinas eſſe decet: quantò fortiùs in illo tam magnifici regis palatio multas manſiones eſſe, multamque amplitudinem, ubi multorũ, tãquàm variorũ meritorũ cives collocandi ſunt. Si quis autem dicat, quia cœlũ illud

Decor ex varietate.

Simile.

Carbunculus in fronte draconis.

Digitized by Google

ſimplex eſt, & unius naturæ per totum, & ideò non habens diverſitatem manſionum, attendat homo hujuſmodi, quòd in aëre, & in aqua invenitur diverſitas ſecundùm rarum, & denſum, ſubtile, & groſſum, licet ſint corpora ſimplicia, & ubi etiam non apparent utilitates, aut neceſſitates ſimiles eis, quas requirit tanta varietas, tantaque multitudo inibi collocandorū. Quòd ſi dixerit quis, quia nihil ad gloriam ſanctorum Angelorū hoc pertineat, attēdat hujuſmodi homo, quàm multùm pertineat ad animarū gloriam nobilitas, & tota gloria corporum ſuorū, quæ etſi multis operationibus & multis virtutibus deſerviant, animarū habitacula tamen earū, ſive receptacula eſſe non dubitantur. Attendat etiam regum antiquorum gloriam non modicam reputatam, thronos aureos, lectos eburneos, palatia deaurata, multaque varietate pretioſorum lapidum decorata, omnemque ambitionem veſtium, cortinarum, velorum, quorum nullum corpora cupiunt, vel per ſe corporibus cupiuntur. Quin potiùs animæ ſunt, quæ iſta deſiderant, & delitias in his, gloriamque ſuam ſentiunt, vel ſomniant potiùs ut ſæpè audiſti. Si verò dixerit, quoniàm animabus humanis, dùm in corporibus ſunt, talia utcunque congruunt, hoc eſt, corporales vel delitiæ, vel gloriæ, & cætera, quæ nominavi: ad Angelos verò ſanctos incorporales, & abſtractos nihil pertinet de hujuſmodi corporalibus: dicò tibi, quia reſponſum eſt in præcedentibus de hoc. Addam autem hìc aliqua. Dico igitur, quia ſermo iſte adhuc deducit iſtum erroneum, ut dicat ad creatorem benedictum nihil pertinere de cœlo, vel de tota mundi corporei multitudine, de qua non eſt dubium, quin eam inhabitet, & repleat, prout decet hujuſmodi inhabitatio magnificentiam gloriæ ſuæ; & iſti ſunt ſermones authentici Prophetarum, quòd creator benedictus in cœlo eſt, & habitat, & cœlum, & terram ipſe implet. Sermones etiam antiquorum Philoſophorum ſunt, mundum corporeum eſſe habitationem deorum, & hominum. Miror autem, ſi homo hujuſmodi audivit ſermones vulgatiſſimos, quibus dicitur Deum habitare in hominibus, & etiam in templis, & de hoc aliquid audiviſti in præcedentibus. Scito igitur, quia habitationes communiter fiunt tribus de cauſis in rebus corporalibus, vel in locis. Primùm propter indigentiam inhabitantium, quam ob cauſam homines habitant in domibus, & volucres in nidis, & ferarum multa genera in ſpeluncis, ut per hæc protegantur ab incommodis frigoris, imbrium & ventorum. Habitant etiam aves in aëre, & piſces in aquis propter indigentiam vitæ, ſive neceſſitatem, ſicut ſcis. In turribus verò, & aliis munitionibus habitant ob aliam neceſſitatem, ſcilicet propter rapinarum, atque bellorum pericula. Secunda verò cauſa eſt indigentia locorum, & rerum quæ inhabitantur, & hoc modo habitat Deus in hominibus, non propter indigentiam ſuam, cujus plenitudine, & divitiis omnia indigent, ipſe verò nullo omninò. Indigent quippe homines tali, & tanto inhabitatore, cùm ex ejus præſentia, & inhabitatione influat in eos quicquid boni habent, ſive illud ſit naturæ, ſive gratiæ, ſive gloriæ, ſive etiam temporale, aut corporale bonum. In templis verò, quoniàm templa propter Dei honorem, & gloriam ſunt, & propter ſanctificationes, aliaſque ſpirituales utilitates hominum, habitat Deus propter utilitates hominum ſimiliter. Quòd enim ibi honoratur, & glorificatur, non ſua utilitas eſt, ſed hominum, ſicut cùm ſol videtur, non utilitas ipſius eſt, ſed videntium: ſic & Dei glorificatio, ſeu honoratio, tota perfectio animarum noſtrarum eſt, & hominum, præſertim

Habitationes in locis cur?

Honoratio Dei utilitas animarum atque perfectio.

E cùm fuerit in ultimitate ſuæ completionis, quæ eſt fœlicitas futura. Tertia verò cauſa, ex duabus iſtis compoſita eſt. & hæc eſt cauſa habitationis animarum noſtrarum in corporibus noſtris: animæ enim corporibus indigent propter multas operationes, atque perfectiones, & corpora animabus propter utilitates multiplices, quæ notiſſimæ ſunt, & quas nec nominare opus eſt, nec numerare. Etſi igitur creator benedictus nec cœlo, nec hominibus, nec templis indigeat, nec aliquid ei ex habitatione hujuſmodi rerum accreſcat, cœlo tamen, & hominibus, & templis multa, & magna ex inhabitatione creatoris adveniunt, quæ alibi didiciſti, & hæc eſt cauſa inhabitationis ejus in his. Sic & ſanctis Angelis, etſi nihil eis ex habitaculis ſuis, vel receptaculis ſuis, quæ habent in cœlo empyreo, accreſceret, vel adveniret, propter utilitatem aliquam ipſorum receptaculorum inhabitare inibi poſſent, tantus quippe ornatus, tanquàm creatori honorificus, tamque aſſociatis ſibi hominibus jocundus, vel utilis, poſſet eſſe ex præſentia, & inhabitatione ſan-
F ctorum Angelorum, ut meritò ipſa propter hæc inhabitare deberent, quemadmodùm narrat lex Hebræorum, quòd Angelus præcedebat exercitum eorum in columna nubis, quam & præſentiâ ſuâ illuſtrabat à parte ipſorum, à parte verò Ægyptiorum obtenebrabat, ut Hebræi in lumine, Ægyptij verò in tenebris ambularent. Sunt alij ornatus, quàm luminis, & de hoc feci tibi in præcedentibus aliquam mentionem.

Nota.

CAPUT XLVIII.

Terrâ poſt judicium innovabitur, & meliorabitur, & generatio ceſſabit, & omninò ceſſabit uſus venereorum.

QUia verò terra deteriorata eſt, & maledictione quâdam à creatore damnata propter peccata primorum hominum, ſicut narrat liber primus
G legis Hebræorum, non leve, neque invalidum argumentum eſt credentibus legis illius latori, terram liberandam à maledictione hujuſmodi, cùm cauſa hujuſmodi maledictionis omninò ceſſaverit. Hoc autem eſt dicere, ut ſpinas, vel tribulos ampliùs non generet. Similiter & in meliùs ipſam reformandam quàm ab initio conſtituta fuerit propter cauſam contrariam fortiorem. Si enim apud creatoris juſtitiam, peccatum illud hoc potuit, ut terra maledictionem iſtam incurreret, ut ſpinas, & tribulos, in pœnam hominibus generaret, panem verò non ſine labore, & dolore multiplici: tantò fortiùs apud bonitatem ipſius, atque miſericordiam, virtus, & gratia hominum, ne dicam gloria, facere poterit, non ſolùm, ut reſtituatur ad ſtatum priſtinum, ſed etiam ut in meliorem, ac nobiliorem reformetur, quicunque ille ſit. Propter hoc perpetuâ vernantiâ, & amœnitate venuſtandam eſſe ter-
H ram creditur à gente Chriſtianorum. Unde & floribus immarceſcibilibus, perpetuique viroris graminibus à multis creditur exornanda. De lignis autem & arboribus nihil expreſſerunt, quod ad nos pervenerit, ſermones authentici. Quoniàm autem iſta credulitas firmata eſt in gente Chriſtianorum per ſapientes eorum, quos Theologos vocant, videlicet, quòd ſi primi homines non peccaſſent in paradiſo terreſtri, tota poſterioritas eorū remanſiſſet ibidem, permanſura uſque ad præfixum tempus à creatore, à quo transferenda erat in paradiſum, & conſortium bonorum Angelorum, conſequenter creditur habitationem iſtam, non patriam naturalem eſſe hominum, ſed magis exilium, & ob hanc cauſam

Terra deteriorata propter peccata primorum parentū.

cauſam tot, & tantis miſeriis, & ærumnis obnoxiam & aſperſam. Quia igitur primis non peccantibus ceſſaſſet originalis corruptio, quæ cauſa radicalis eſt vitiorum conſequentium, & peccatorum nullus naſceretur, vel poſtmodùm efficeretur peccator. Quare habitatio iſta nec deſerviret hominibus, ut patria, cùm in ea nullus naſceretur, nec deſerviret ut exilium, cùm in ea nullus exulare mereretur. Animalia verò, & alia vegetabilia, quæ in uſus ſolos, & utilitates hominum creantur, ſimiliter metalla, lapides, & gemmæ, nulli uſui, vel utilitati hominum in ea devenirent, ſed nec alibi deſervitura eſſent quoniàm nec in paradiſo terreſtri, cùm ibi nulla eſſet pœnalitas, nulla indigentia, cui per ea occurreretur. Quis igitur eſſet uſus, quis ſtatus iſtius habitationis, ſi primi homines non peccaſſent? Sequitur igitur ex his non moleſtè ferendum eſſe philoſophantibus, ſi ignorant ſtatum habitationis iſtius, qui indubitanter erit naturali nobilior, & propter hoc eſſe debet occultior, quandò ipſe ſtatus naturalis qui philoſophicis eſt inveſtigationibus vicinior, non poteſt eſſe per philoſophiam uſquequaque perſpicuus. Sed illud indubitanter tenendum eſt, quòd hujuſmodi ſtatus, talis erit, ut gloriam creatoris decet, & futuræ perfectioni univerſi corporei congruat. Si quem autem forſitan moveat vis generativa terrarũ, & aquarum, quæ perpetuò otioſæ eſſe videbuntur, & ideò inutiles: reſpondeo in hoc duobus modis. Primùm, quia uſus, ut jam prædixi tibi, virtutis generativæ non erit ulteriùs neceſſarius, uſus dico conſuetus, nec in hominibus, nec in aliis. & cauſas in hoc jam audiviſti in præcedentibus. Secundò, quia noviſſima generatio in vegetabilibus, licet unica futura ſit, nobilitate ſuâ, ac perpetuitate, non ſolùm eam compenſabit, immò etiam ſuperabit incomparabiliter. Contra ſomnia verò ſtultorum, atque deceptorum, qui inveniuntur in gente ſarracenorum, qui uſum, & utilitatem virtutis noſtræ generativæ futuram, in ſola voluptate carnali conſtituunt, in alio tractatu audiviſti, per quæ ſufficienter, & evidenter deſtructa ſunt, & hoc eſt, quoniàm voluptas hujuſmodi paradiſum ſpiritualem nullo modorum ſuſtinere poteſt. Ibi etiam declaravi tibi, quòd neque regio corporalis, etiam ſolas ſpurcitias egeſtionum aliarumque immunditiarum quæ hujuſmodi errorem ſequuntur, capere ullatenùs ſufficeret, etiam ſi eſſet cœlo ultimo centies millies major.

Originalis corruptio.

Virtus generativa.

CAPUT XLIX.

Quòd futurus ſtatus mundi inferioris non ſit adhuc determinatè inventus, quamquàm erit pretioſior quàm nunc.

REvertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quia ſtatus mundi inferioris terreni futurus poſt famoſum illud, & univerſale Dei judicium, nondùm eſt inventus per me vel per alium: cujus inventio ad me pervenerit certitudine determinatâ. In univerſali verò, prout traditum eſt genti Chriſtianorum à patribus, inveniri poteſt per vias, quas in præcedentibus audiviſti, quòd erit indubitanter ſpecioſior, atque præſtantior, quàm modò ſit, & erit laboribus humanis, & agricolationibus omninò non indigens, & omne genus hominum ceſſabit ab hujuſmodi laboribus deinceps, hoc eſt, ab expleto prædicto judicio. & concordat in hoc lex Hebræorum & credulitas ſapientum, quia manifeſtè intelligunt ab ipſo legis principio hoc primo homini inflictum fuiſſe, ſcilicet laborem agricolationis, quandò dictum eſt ei ab ipſo creatore. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Intelligunt etiam evidenter ex eodem legis ca-

A pitulo terram ab hujuſmodi maledictione damnatam, quâ indigeret labore agricolationis. Si quis autem quærat, cujuſmodi uſui & utilitati deſervitura eſt ſtatus illius pretioſitas, atque præſtantia, ſecundùm opinionem philoſophorum, facilis eſt reſponſio, videlicet, quia perfectioni deſerviet univerſi, ſpecialiter autem perfectioni univerſi corporei, quam nullo modorum decet negligere creatorem; alias autem utilitates audiviſti in præcedentibus, ſed & de hoc, videlicet de ipſa parte terræ tota, quæ extra paradiſum terreſtrem eſſe dignoſcitur, quos uſus, vel utilitates habitura erat, ſi primi homines, non peccaſſent, & quem etiam ſtatum, cùm ſtatum præſentem ſtatum maledictionis, & non ſtatum ſuæ primæ conſtitutionis, ſeu conditionis eſſe appareat
B ex lege Hebræorum: Reſpondeo in hoc, quia revera longè nobilior quàm iſte ſit, atque perfectior: de uſibus verò, & utilitatibus ipſius, planum eſt juxta opinionem philoſophorum, ut dixi, planum etiam eſt juxta communem fidem, ac veritatem, quia ſtatus ille deſerviret gloriæ creatoris, ut appareret in eo juxta poſſibilitatem ſuam largitas, ac redundantia beneficentiæ creatoris. Jam etiam dixi tibi in præcedentibus de venis auri, & argenti, & venis omnium metallorum, & de lignis, ſeu arboribus, & fructibus earum, quibus omnibus nemo utitur, qualiter ſerviunt gloriæ creatoris, & de omnibus aliis hujuſmodi.

CAPUT L.

Concluſio pulcherrima totius præcedentis tractatus.

C DE ſtatu verò futuræ gloriæ ſanctorum angelorum, & ſanctorum hominum, quatenùs, & qualiter ſimilis futurus eſt æternitati; dixi tibi, quod potui. Ubi poſui tibi multa cauſa exercitationis, & ut appareat tibi inſipientia eorum, qui ſpem gloriæ illius in Dei electis, & dilectis hominibus velut inanem, irrident, & vacuam, & ut etiam cognoſceres, quia & ſuaſiones habes per iſta, & defenſiones, quales poſſibile eſt in rebus tam arduis, & à noſtra conſuetudine tam remotis, tamque diſtantibus inveniri. In omnibus autem ſermonibus meis de rebus hujuſmodi, & de aliis rebus divinalibus hac intentione, & moderatione loquar ut in nulla opinione velim eſſe fixus, & immobilis, niſi quatenùs Dei auctoritas, & patrum doctrina, atque teſtimonia me aſtringunt. Si igitur vel propriâ inveſtigatione, vel cujuſcun-
D que alterius declaratione aliter ſe habere veritatem invenero me aliter ſenſiſſe dolebo, & veritati ſemper adhærere ſtudebo. Hoc enim verè, ac rectè philoſophantis eſt intentio, ut à deprehenſa falſitate ſtatim recedat, & erraſſe ſe doleat, atque inventam veritatem cum gaudio amplectatur: & hoc maximè in rebus ad veritatem religionis pertinentibus. Diligenter igitur, ac perſcrutatè intende in his, quæ in præcedentibus ſunt diſputata contra errorem Ariſt. de æternitate mundi: conſidera etiam ſtudioſiùs de fine, ſive temporis deſitione, ſi fortè aliter ſe haberet, ut veritas inveniri poſſit, ſimiliter & de perfectionibus virium exteriorum animarum noſtrarum futuris in ſtatu gloriæ illius, ubi videtur magis abſcondi veritas, quam utinam tibi revelet Deus, & mihi per te: omninò enim periculoſum eſt in rebus inventu tam difficilibus & de quibus nihil habemus traditum à patribus, aliquid temerè affirmare. De ſtatu verò mundi ſuperlunaris continentis cœlos mobiles novem, quòd reverà meliorandus ſit & quòd eis novus decor addendus ſit, ſplendorque luminarium adaugendus, & prophetæ Hebræorum inſinuare videntur, & doctrina Chriſtianorũ doctorum

Nota.

Mundus superlunaris.

affirmat, & cauſas in hoc audiviſti, & rationes, quas mihi poſſibile fuit invenire; ſed & de tempore poſtquàm ceſſaverint motus cœlorum, ſtellarumque & luminarium, juxta doctrinam Chriſtianorum, cùm in cœlis tempus tunc locum non habeat, nec in terris, aut aquis, cùm nulla in eis mutatio remaneat. Sed de inferno propter varietatem, & multitudinem tormentorum multis viſum eſt tempus ibi futurum eſſe. Cauſa autem hujuſmodi opinionis apud eos eſt credulitas, quâ credunt, nec omnia ſimul eſſe, vel aliquid eorum totum. Verùm ſi quis dixerit ea ſimul futura, & omnia, & unumquodque totum ſimul futurum in omnibus eis, qui poſt judicium ibi futuri ſunt, quemadmodùm partes futuræ fœlicitatis, & omnes, & totas ſimul eſſe in glorificandis, non videbitur errare, multúmque periculosè, neque improbabiliter dicere: hoc autem eſt, quoniàm completa videtur futura eſſe infernalis illa damnationis miſeria: quemadmodùm & completa futura eſſe videtur promiſſa ſanctis fœlicitas: neutra autem earum completa fore videtur ſi non omnes partes ſuas ſimul habuerit, & de hoc nullam aggrediaris contentionem, quoniàm nullum eſt periculum in hoc, niſi ſermo aliquis authenticus econtrariò habuerit, cui nullatenùs contradicendum tibi. Tunc enim verè, ac rectè prophetamus, cùm veritatem ſanctis, & ſapientibus divinitùs revelatam, vel per eos aliter declaratam vel defendimus, vel aſtruimus, vel cùm ipſam non declaratam aliàs prout nobis poſſibile eſt, declaramus, & intelligibilem facimus.

Vera Prophetia.

INCIPIT TERTIA PARS primæ partis principalis de Univerſo Guilielmi, &c. Ubi agitur de Providentia Dei circa univerſum.

PROOEMIUM.

Poſt hæc autem aggrediar loqui de gubernatione univerſi corporei, & maximè quantùm ad res humanas, & ipſos homines; & hoc eſt, quoniàm circa homines ipſos, & res humanas magis eſt erratum, & periculoſius, & erratur adhuc à multis. Ipſi etiam Prophetæ Hebræorum parùm intelligentibus dubitaſſe videri poſſunt de cura, & providentia creatoris: & hoc legere potes in libris Hebræorum; nonnulli etiam ex nobilioribus Poëtarũ interdùm dubitaſſe ſe ſcripſerunt in libris ſuis Poëticis. Proponam igitur in primis tibi quæſtiones, quæ ſunt circa hæc, & tentabo determinare illas, quoniàm ex ſcientia, ſcilicet ſapientiali, ſcientia eſt gubernationis Dei altiſſimi, ſicut audiviſti ex ſermonibus Avicennæ. Harum igitur quæſtionum prima eſt, an curet creator benedictus, & ſublimis univerſa, & ſingula, & de univerſis & ſingulis. Secunda, qualiter curet de malis, quæ juſtis, & ſanctis hominibus, accidunt in hac vita, & de aliis quæ circa hanc quæſtionem ſunt, videlicet qualiter, & quâ utilitate, vel uſu ſuſtineat hîc florere malos, florere inquam potentiis, divitiis, & delitiis. Similiter quâ utilitate, vel fructu ſuſtineat bonos affligi hîc, & etiam opprimi in malis, & ipſos malos dominari bonis, & multiplici tyrannide, atque violentiâ graſſari in eos. Poſt hæc de ipſo malo, an per providentiam creatoris ipſius eveniat. Loquar etiam hîc de fato & fatis, à quibus dicunt fatati homines, vel eſſe fatatos, & hic ſermo valde vulgatis eſt, & valde anilis. Loquar etiam de his, quæ apud Poëtas parcæ, & nominantur ab eis clothos, lacheſis, attopos: & faciam te ſcire de præſcientia, & providentia creatoris, qualiter ex eis non fit rebus contingentibus neceſſitas, nec per eas ullo modorum impeditur, vel prohibetur noſtra libera voluntas, neque arctatur, vel conſtringitur noſtra libertas, quantùm ad velle, & non velle, facere, & non facere, niſi quatenùs, & quibus modis, oſtendam tibi.

De Providentia quæſtiones

Fatum.

Parcæ poëticæ.

CAPUT I.

De differentia præſcientiæ, & providentiæ, & quòd univerſa, & ſingula bona, & mala curantur, & reguntur, à creatore immediatè, vel mediatè.

Scito in primis, quòd differt intentio præſcientiæ ab intentione providentiæ: quoniàm intentio præſcientiæ amplior eſt, & extenſa tam ſuper bona, quàm ſuper mala futura: æquè enim præſcit creator benedictus mala, & bona, & econversò. Intentio verò providentiæ reſtrictior eſt, & non cadit niſi ſuper bona futura, communiter enim ſola bona provideri dicuntur. Nemo enim dicit providere malum, vel ſibi, vel alij: providet enim qui conſultè intendit aliquid facere, vel ut aliquid fiat. Mala verò non intenduntur conſultè, ſive circonſpectè, immò per errorem. Ampliùs. Qui providet aliquid, procurat aliquo modo ex intentione, ut illud fiat, vel eveniat. Non autem eſt bonitatis divinæ intentio, ut mala eveniant, vel fiant, mala dico culpabilia. Sed neque ejuſdem bonitatis eſt procurare, ut mala hujuſmodi fiant, vel eveniant; quare manifeſtum eſt mala non eſſe proviſa à creatore, ſicut neque conſultè procurata: quamquàm dubitare non debeas omnia, & bona, & mala præſcita eſſe ab eodem, & præcognita, ac præviſa, & eſt intentio mea hîc de malis culpabilibus. Proſequar igitur primam quæſtionem. Dico igitur quoniàm univerſa, & ſingula curat creator, & univerſa, & ſingula bona, nec non & mala, quorum duo ſunt genera, culpabilia, ſcilicet, atque pœnalia, licet modo diverſo. Hoc autem eſt videre per partes. Etenim omnia, quæ ſunt ab ipſo per creationem, dubitari non poteſt, quin curet, cùm eis ſcienter & eſſe tribuat, & conſervet: non enim diminuta eſt iſta curatio. Quòd ſi dixerit quis, quia poſtquàm dederit eis eſſe, dimittit ea ſibimet non ea de cætero gubernans, vel curans ulteriùs, attende errorem iſtum, quo multi ſe involverunt. Aut creator rebus hujuſmodi dedit vires, ſive virtutes, quibus ſe ipſas regere, ſeu gubernare ſufficerent abſque ampliori cura creatoris: aut non. Si ſic, & hoc fecit utique ſcienter, & providè: per providentiam igitur ejuſdem reguntur, cùm per curam, ſeu providentiam ejus factum ſit apud eas, unde ſe regerent: hoc enim habent ex cura, & providentia ipſius, ut ſe ipſa regant, atque gubernent. Exemplum autem hujuſmodi rei evidentiſſimum eſt in illo, qui volens regere per ſe filium ſuum elegit ei, & dedit rectorem, inſtruens ipſum, qualiter filium regeret, & limitans ei certis mandatis, & regulis filij gubernationem. In hoc igitur exemplo manifeſtum eſt, quia pater non dimiſit filium ſibiipſi, immò potiùs regendum commiſit rectori inſtructo ab ipſo. Nec dubitare poteſt quiſquam quin pater curet filium, nec quis audebit dicere, quòd negligat ipſum vel neglexerit. Illa quippe non curari dicuntur, quæ negliguntur. Ampliùs. Vires hujuſmodi, ſeu virtutes quaſi

Adverte.

Nota.

Digitized by Google

quaſi gubernacula ſunt, quibus res ipſæ regunt ſe A ſecundùm hoc. Nullus autē ex gubernatoribus navium negatur gubernare navem, cujus tenet gubernaculum, ſed dicitur eam gubernare per gubernaculum. Si igitur hujuſmodi vires tenet creator, quæ gubernacula ſunt rerum hujuſmodi, qualiter negabitur res hujuſmodi gubernare? Ampliùs. Qui regit rectorem, aut gubernat gubernatorem in eo, quòd rector, aut gubernator eſt, indubitanter regit, & gubernat id, quod regitur, aut gubernatur ab ipſo. Gubernacula enim navium reguntur, & gubernantur à rectoribus ipſarum, & hoc per manus eorum, tanquàm per quædam gubernacula, ſed & manus ipſæ per muſculos, chordas, & ligamina: & hæc iterùm per vires motivas ita, donec veniatur ad ſapientiam gubernantis, quæ eſt gubernaculum B per ſe, & gubernatore alio non indigens, ſi vera, & perfecta eſt. Et juxta hunc modum ſe habere neceſſe eſt in ſapientia creatoris, quæ eſt gubernans, & dirigens per ſe ea, quæ immediata ſunt apud ipſam, & per illa immediatè conſequētia, & ita, donec veniatur ad ultima gubernata à creatore: ſi quis ergo dicere voluerit, quia non omnia creata reguntur à creatore immediatè, hoc eſt, per ſe ſolum, non contradico, cùm innumerabilia regat per rectores tam ſpirituales, quàm corporales. Multi enim ex hominibus rectores ſunt aliorū, & multi ex Angelis præſunt aliis, & etiam hominibus, & in animalibus etiā invenitur in multis generibus, quòd parentes regūnt filios, & erudiunt ſicut aquilæ erudiunt filios ſuos ad volandū, & accipitres ſimiliter. In volatu etiam multæ aves ducē ſibi præficiunt, ut grues. Ampliùs Hujuſmodi vires, aut egent naturaliter rectore, & C gubernatore, aut non. Si egent, aut providit eis creator aut non providit. Si non providit, cùm egerent, reliquit igitur eas caſui, & temeritati: eas igitur periclitari ſcienter voluit; quare ad caſum, ſive ruinā, & periculum eas conſtituit. Quòd ſi providit eis rectores, vel rectorē, quod indubitāter ſapientiæ ejus, & bonitati congruit, tunc vel ſe rectorem per ſe, & immediatum, aut rectores alios, & per eos ex neceſſitate regit illas. Manifeſtum igitur eſt, quòd in eis, quæ per creationem ſunt à creatore, locum habet cura, & gubernatio ipſius. Ampliùs. Illa nobiliſſima ſunt in creaturis rationabilibus, ſimiliter & corporalia, quæ ſunt ab ipſo per creationē nobiliſſimam. Intelligo autem de corporalibus, quæ merè corporalia ſunt. Si non curat igitur ea, quæ nobiliſſima ſunt, multò fortiùs non curabit ignobiliora, & ſic nihil omninò curabit in univerſo. Si enim nobiliora non curat, multò minùs ignobiliſſima & ſi ſuprema, multò minùs neque media, neque infima. D Ampliùs Omnis creatura indiget curâ, & gubernatione creatoris, quantùm ad conſervationem ſui in ſuo eſſe. Quòd ſi dixerit, quia animalia quæ conſervant ſuum eſſe per nutrimentum, non indigent ampliori curâ creatoris; ſed ſufficit ejus natura, quoniàm quandò natus eſt porcus, ſcit currere ad ubera matris, & inde ſugere lac: ſimiliter ad paſcendas herbas, & ad alia nutrimenta ſumenda, non indigent duce, vel præceptore, & propter hoc ſufficiunt ſibi ad conſervationem vitæ ſuæ, quamquàm jam removerim iſtud in præcedentibus, addam & alia ad id ipſum ampliùs, & lucidiùs removendum. Dico igitur quia natura, quæ docet animalia ſic alimenta perquirere, & vitam ſervare, gubernatrix eſt eorum: hoc autem dedit eis creator ſapientiſſimus, & ad hoc dedit utique, ut ab ea, & per eam ſic gubernarentur. Redit igitur iſte ſermo ad hoc, ut confiteatur, qui hoc dicit, creatorem gubernare hujuſmodi animalia, ſed per medium rectorem illum, videlicet per naturam hujuſmodi: qui autem confitetur creatorem curare, & gubernare aliquid, ſed per medium rectorem, & gubernatorem alium, non deſtruit curam, aut gubernationem creatoris, ſed magis declarat eam.

Nota. *Nota.*

CAPUT II.

Quòd providentia Dei ſe extendit non ſolùm ad ſuperiora, ſed etiam ad iſta particularia inferiora, quantumcunque minima.

De motibus autem cœlorum, ſtellarum, & luminarium, & de viciſſitudinibus temporum, & de generationibus, & corruptionibus, quæ viciſſitudines temporum ſequuntur propter curam, & providentiam creatoris, ſunt indicia manifeſta intelligentibus utilitates, quæ inde proveniunt hominibus, & aliis animalibus, quæ nullo modo provenire poſſent, niſi per curam, & providentiam creatoris. Inutiliter enim hujuſmodi, hoc eſt, homines, & alia animalia, atque vegetabilia creaſſet creator, ſi non eis alimenta, & alia, ſine quibus durare non poſſunt, providiſſet. Exemplum autem hujuſmodi eſt in architecto, qui non ſolùm inutiliter, ſed etiam inſipienter ædificaſſet domum corruendam per ſe, & ſtatim, ſi non eidem fulcimenta, quibus ſtabiliretur, adjeciſſet. Frequentia ſimiliter, ſive perpetuitas, & univerſalitas indicia certiſſima ſunt curæ, & providentiæ, & removent caſum, & temeritatem, quemadmodùm dixi tibi in præcedentibus, quia mors accidit hominibus univerſaliter, & ſemper, quandiù ſunt hìc: hæc igitur duo ſunt indicia certiſſima, quòd per curam, & providentiam creatoris mors eſt in hominibus. Econtrariò verò raritas, atque particularitas, indicia ſunt certiſſima caſus, & temeritatis, quantùm ad nos, quantùm autem ad creatorem, neque caſus, neque temeritas aliquid eſt, & iſtud tibi attendendum eſt diligenter in omni genere animalium; generatio enim pedum, alarum, & etiam plumarum in omnibus animalibus, quæ naturaliter habent membra hujuſmodi, vel adjumenta, ſicut plumas, & ſquamas, ex neceſſitate per curam, & providentiam eſt creatoris, quoniàm perennis eſt, ut ita dicam, hoc eſt durans quantùm creator hìc eſſe animalia providit. Eſt etiam univerſalis unicuique generi animalium hujuſmodi. Sic ſe habet & generatio pilorum in illis partibus animalium, in quibus conſueverint generari. Curam dico intelligentiam, vel mediatam, vel immediatam; quantò fortiùs igitur motus cœlorum tam frequens, & tam immutabilis, erit per curam, & providentiam creatoris. Ampliùs. Non poteſt dubitari, quin creator prævideret, ſive prænoverit, quid boni, vel eſſet, vel haberet motus cœlorum, & quòd propter illud dederit virtutes ad hujuſmodi motus; providit igitur motum cœli, cùm illum procuraverit propter bonum, vel quod eſt, vel quod ex eo habet, vel quod ex eo eſt hoc autem eſt per curam, vel providentiam, ut prædixi tibi. Eſt igitur hujuſmodi motus ex providentia, quare & omne id, quod per ſe naturaliter ex eo ſequitur, quare dies, & nox, & generationes, & corruptiones, vernales, autumnales, hyemales, & æſtivales, & viciſſitudines ipſæ temporum quatuor. Utilitates autem iſtæ notæ ſunt nobis, multò fortiùs igitur creatori. Quoniàm igitur intentio ſapientis eſt intendere in opere ſuo omne bonum, & omnem utilitatem, quæ provenire debet, aut poteſt ex opere ſuo, erit hæc intentio multò fortiùs creatoris ſapientiſſimi. Quare

Nota. *Nota.* * *Motus ex providentia.*

Digitized by Google

omne bonum, quod eſt, vel debet eſſe, ex quibuſ-
cunque operibus ejus, eſt per intentionem ipſius;
omne autem bonum, aut opus ejus eſt, aut ex opere
ejus: omne igitur bonum eſt per intentionem ip-
ſius, & effectus ejus, vel mediatus, vel immedia-
tus. Quicquid autem eſt creatum ab eo, eſt creatum
per ſapientiam ejus, & propter hoc omne bonum
eſt proviſum ab ipſo, & per curam, ac providentiam
ipſius. Scito autem, quia Italici Philoſophi prædi-
ctis indiciis uſi ſunt ad declarandam curam, & pro-
videntiam creatoris circa univerſum corporeum, &
circa corporalia, quæ generantur, & corrumpun-
tur ſub circulo Lunæ. Verùm non potuerunt per has
vias extendere curam, & gubernationem creato-
ris uſque ad ſingula particularium: ut enim genere-
tur hoc granum frumenti, vel corrumpatur per
curam, & gubernationem creatoris, nullo modo-
rum videtur declaratum per vias iſtas; hoc autem
eſt, quoniàm non eſt patefactum per eas, quòd cu-
ra, & gubernatio creatoris ſit immediatè circa hu-
juſmodi, mediorum verò non eſt intentio ad hoc,
verbi gratiâ: intentio patris Socratis non fuit ad
hoc, ut generaretur Socrates, ſed magis, ut generare-
tur proles in univerſali, vel forſitan, ut dicat aliquis,
individuum vagum. Benè igitur ſe habet, & con-
veniens eſt huic capitulo, quod tractare incœpi, in-
veſtigare de hoc. Debes igitur ſcire, quia non eſt
neceſſe, ut media per quæ fit gubernatio, intendant
generaliter, vel intentione univerſali, vel intentione
particulari, ſicut manifeſtum eſt tibi in armamentis
navis, hoc eſt, in inſtrumentis gubernationis ipſius,
quòd nihil omninò intendunt, vel univerſaliter vel
particulariter. Neque etiam, cùm homines medij
ſunt gubernationum neceſſe eſt ut intendant in
omnia particularia, ſicut miniſtri argonautarum,
ſive archinautarum non intendunt in ſingulos flu-
ctus, vel undas, quæ poſſunt navem ſubverte-
re, nec in ſingulas guttas, quæ poſſunt in ſentinam
influere quoniàm nec cogitant de illis cogitatione
particulari; ſic nec duces de ſingulis paſſibus, nec
ipſi etiam ambulantes: ex quibus exemplis fortaſſis
alicui videatur, quia multò fortiùs non eſt neceſſe
omnipotentiſſimum creatorem intendere in ſingu-
la eorum, quæ per curam & gubernationem ip-
ſius fiunt, vel gubernantur. Si enim non oportet au-
rigam de ſingulis paſſibus equorum trahentium
currum ſuum, aut de ſingulis revolutionibus ro-
tarum currus, quem regit ſingulariter intendere,
vel cogitare; quantò minùs creatorem omnipoten-
Nota. tiſſimum, ac rectorem univerſorum Deum non
oportebit ſingulariter intendere de omnibus, quæ
per curam, & providentiam ipſius reguntur: præ-
ſertim cùm incomparabiliter facilius ſit ei univer-
ſum regere, quàm cuivis aurigæ currum leviſſimum?
Ampliùs. Ridenda, & ridiculoſa videri poteſt pro-
videntia circa atomos, atque arenarum calculos,
præſertim cùm nemo ſapiens hujuſmodi minutias
curet, vel etiam numerum earum ſciat aut ſcire ve-
lit. Quantò magis igitur creatori iſta curanda
non ſunt? Hinc eſt quòd quidam ex ſapientibus &
doctoribus Chriſtianorum reputati ſunt Dei adula-
tores, qui talia ipſum curare dicerent. Tu igitur at-
tende in his exemplis, quæ poſita ſunt tibi hîc, quo-
niàm in eis ſunt ſermones, quorum intentiones tibi
diligenter intuendæ ſunt, videlicet, quòd auriga
dicitur regere currum, aut equos trahentes ip-
ſum, & dux itineris viantes. Non enim iſta dicuntur
ſimpliciter, & ſecundùm totum. Equi namque greſ-
ſus ſuos regunt ſenſibus ſuis, & vi æſtimativa, & ma-
ximè eorum & in minimo reguntur ab auriga; ſic ſe
habet & de itinerantibus, & duce eorum. De patre
verò familias, vel ſapiente quocunque, qui non

E curat minima domus ſuæ, ut atomos, & calculos
arenarum, verum utique eſt hoc. Cauſa autem eſt,
quoniàm intentio ſapientis hujuſmodi limitata eſt
circa ea, quæ videt utilia ſibi, vel expedientia domui
ſuæ, vel his, quibus habet ex officio ſuo conſulere,
vel providere. Hinc eſt quòd nec numerũ atomo-
rum vel aliarum minutiarum hujuſmodi, neque ali-
qua ex eis curat, ſed ea ſola, in quibus eſt ſpes, aut
certitudo quam intendit, utilitatis. Ampliùs. Nec
poſſibile eſt homini iſta ſigillatim, neque per ſingula
curare, quoniàm nec cogitare. In creatore verò tam
longè aliter, tamque diſſimiliter eſt cura, & provi-
dentia, quantùm longè eſt ejus bonitas, & ſapientia
à bonitate humana, & ſapiẽtia, quantæcunque ipſæ
ſint. Sicut enim ſapientiã creatoris, aut intuitum ejus
non adjuvat magnitudo rerũ, aut paucitas ſic neque
parvitas, neque multitudo impedit eam ullo modo-
rũ. Hoc enim declaratũ eſt in prima parte ſcientiæ
F iſtius, & cauſa in hoc eſt, quoniàm creator non eſt
ſapiens aliundè, vel à foris, ſed eſſentialiter per hoc,
quod eſt ſcilicet & per hoc æqualiter novit futura, ut
præſentia, & præterita ſimiliter: ſimiliter parva, ut
magna, & multa, ut pauca, & corporalia, ut ſpiri-
tualia, & econverſò, ſimiliter particularia, ut univer-
ſalia. Quapropter & ſingula, quæ creavit, & ſingulas
utilitates eorũ, in ultimitate claritatis, & fortitudi-
nis intuetur. Ex quo manifeſtũ eſt, quia omnes bo-
nitates creaturarũ ſigillatim providet, & ſigillatim
largitur. Hoc autem eſt eſſe per providentiã, & cu-
ram ejuſdem, videlicet bonum eſſe, vel utile, & con-
ſultè, ſive ſcienter factum eſſe. Ampliùs. In quoli-
bet continuo indubitanter ſunt partes infinitæ, & *Nota.*
ſicut providit, & curavit creator, ut eſſet totum, ſic
providit, & curavit, ut eſſet medietas; & eodẽ modo
G ſe habet de medietate medietatis, & ita in infinitum.
Qui enim providet, & curat, ut ſit domus, providet,
& curat ut ſit paries, & etiam ut ſit lapis in pariete.
Verùm non oportet eũ curare, ut partes lapidis ſint
in lapide, hoc enim invenit præter curam, & provi-
dentiam ſuam jam factum: creator verò benedictus
de his, quæ facit, vel fecit, nihil invenit, vel invenit
factum aliàs, vel ab alio. Intendo autem factum,
aliàs factum, non per curam, & providentiã ſuam.
Manifeſtũ igitur eſt, quia totum continuũ cum uni-
verſitate, & infinitate partium ſuarum factum eſt per
curam, & providentiam creatoris: apparet autem
hoc evidenter per hoc, quòd generatio omnis natu- *Vide.*
ralis, hoc eſt cujuſlibet continui, quod generatur,
cùm non ſit niſi per virtutem generantem datam à
creatore ad hanc utilitatẽ, videlicet generandi: con-
ſequens eſt, ut omnes, & ſingulæ partes cujuſlibet
continui generati, ſint per curam, & providentiam
creatoris, & multò fortiùs cujuſlibet cõtinui creati,
H quod dico propter cœlum ultimũ, videlicet empy-
reũ, & propter terrã, quæ forſitan videtur creata, &
non propriè generata. De novẽ verò cœlis mobili-
bus, qui in medio aquarũ facti ſunt, forſitan magis
veriſimile eſt, quòd ſint generati, vel facti ex aquis,
hoc eſt, ex media parte aquarũ, in cujus loco poſiti,
& ordinati ſunt. Revertar igitur ad id, in quo eram,
& dicam, quia ſicut partes in toto continuo ſunt,
non obſtante numeroſitate, vel etiam infinitate ea-
rum, ſunt inquam, per providentiam creatoris;
ſic & multò fortiùs in toto diſgregato hoc eſt in
omni monte arenoſo, & litore uniuſcujuſque maris,
& in ripa uniuſcujuſque fluminis. Neque enim ob- *Adverte.*
ſtat infinitas, aut numeroſitas, ſapientiæ, aut provi-
dentiæ creatoris, ut minùs eam videat, quàm fini-
tatem, ut ita dicam, aut minùs infinita, quàm unum.
Ampliùs. Unuſquiſque proviſor domus ſuæ ſcit ag-
gregare feſtucas, ſeu paleas ad ſternendam inde do-
mum, vel conſtruendum ſtratum, licet non videat

Digitized by Google

uniuſcujuſque paleæ, vel feſtucæ utilitatem per ſe viſione ſingulari, & determinatâ. In univerſali utique videt faſcem paleatam neceſſarium eſſe ad alterum duorum prædictorum: quantò fortiùs creator omnia intuens, & ſingula, ſingulorumque omnium utilitates videns ad certum, & liquidum, novit aggregare ſive in totum continuum, ſive in totum congregatum, particulas minutiſſimas, ſive corpora minutiſſima. *Nota.* Novit enim non minùs utilitatem uniuſcujuſque calculi arenalis, quantumcunque parvulus ſit, & utilitatem aggeris totius ex innumerabilibus calculis arenalibus congeſti: neceſſe igitur eſt & parva, & minuta corpora, in quantacunque parvitate ſint, eſſe per providentiam, & curam creatoris: unde ipſe novit utilitates uniuſcujuſque calculi arenalis, quas habet in ſe, & per ſe, & incomparabiliter lucidiùs, quàm nos eas, quas habet in toto. Nos autem propter hebetudinem, & obſcuritatem intellectus noſtri, atque brevitatem ipſius, ad hæc tam minuta non attingimus; quemadmodùm neque viſu corporali videre tam parva poſſumus in ſua parvitate, donec aggregata fuerint in acervum, vel aliam congeriem, vel continuitatem, in totalitate alicujus colligata. Manifeſtum igitur eſt tibi ex his, quoniàm ſingula creatorum ſuorum & etiam ſingulorum partes ſingulares novit creator. *Nota.* Ampliùs. Si curavit de ſingulis, ut eſſent, & ut bona eſſent, & benè eſſent, providens unicuique locum convenientem, & ſalutarem ſibi, & etiam virtutem acquirendi ipſum locum unicuique tribuit: quomodò non per providentiam, & curam ejus, ſunt omnia, quæ creavit, ſub cura, & providentia ipſius? qualiter veriſimile eſt, ut regere, & gubernare negligat ea, quæ eſſe voluit, & creavit? Ampliùs. Cùm propter certas utilitates unumquodque eorum, quæ ſunt, creaverit, neceſſe eſt, ut ea dirigat, & perducat ad illas utilitates, quantùm in eo eſt, & ad finem, propter quem eas eſſe voluit, quod dico propter homines malos, & angelos malos, qui cùm ad fœlicitatem nobiliſſimam, ſcilicet perpetuam, creati ab eo ſint, ad illam tamen non perveniunt. Cauſa autem in hoc eſt malitia voluntaria, quâ ab ejus regimine, atque directione ſe avertunt, quantùm ad hoc. Non enim extra regnum ipſius ſunt, quos jam ſæpè compeſcit, & laxat, ut non noceant mali angeli, quantùm volunt, neque mali homines libidines ſuas, aut cupiditates explere poſſent pro libito, neque in alios graſſari; & de hoc perſcrutatiùs, & diffuſiùs loquar in ſequentibus. *Nota.* Qualiter autem eos laxet, & compeſcat, & quibus utilitatibus, audies tunc. Manifeſtum autem eſt tibi, quia equus, qui à ſeſſore interdùm laxatur à curſu, interdùm autem frenatur ab eo in ambulatione, interdùm autem & ligatur omninò, ita ut etiam nec moveri poſſit, non eſt extra regimen, & curam ſeſſoris. De parvulis verò, quas utilitates habeant, quos uſus, vel nativitates eorum, vel vita, jam aliqua ſuper hæc dicta ſunt tibi. Reliqua verò expectanda ſunt uſque in capitulum quod dixi. Alios verò homines, & angelos, quos amavit, indubitanter dirigit, atque perducit, creator benigniſſimus ad bonum, propter quod, & ad quod eos creavit, & adjuvat etiam illos multiplicibus, & penè innumerabilibus adjutoriis. *Nota.* Animalia quoque, quæ ſunt ad uſum hominum creata, per induſtrias & artes, quas ipſemet dedit hominibus ad hoc, convertuntur in uſus hominum; quare, licet per homines medios, ad finem perducuntur, ad creatorem, ad quem ſunt. Jam enim alibi dixi tibi, quòd quicquid eſt cauſa cauſæ per ſe in eodem genere cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, & intelligo cauſa cauſæ per ſe. Cùm igitur

A induſtria hominum, & voluntas utendi animalibus hujuſmodi, à creatore cauſatæ ſint efficienter, ſive effectivè, & ipſe cauſet uſum hujuſmodi eodem modo cauſandi, neceſſariò & uſus hujuſmodi opus eſt creatoris, & donum, atque beneficium. Quicquid autem eſt cauſatum ab eo ita, vel donatum, eſt cauſatum, vel donatum ab eo per curam, & providentiam ipſius. Quare uſus animalium hujuſmodi erit per curam, & providentiam creatoris. Ampliùs. Certum eſt, quòd mors, & vita totaliter in voluntate ſunt, & beneplacito creatoris, neque vivit aliquis, niſi ex dono, & beneficio ipſius, & nec moritur aliquis, niſi vel eo faciente vel permittente; quicquid autem vel facit, vel donat, ſcienter facit, & quicquid permittit, ſimiliter permittit ſcienter; quicquid autem ſcienter donat, vel facit, curat indubitanter & facere, & donare, & curat etiam finem, & fructum, qui ex hoc provenire debeat, niſi fortè ſit ultimum donatum, quod eſt ſi ùs & fructus omnium præcedentium illud in

B ordine ſuo, vel ordinatione: proinde igitur, & curatè, ſive providenter omnia facit, quæ facit, & donat ſimiliter, alioquin velut ludo, ſeu joco otioſo aliquid faceret, vel permitteret fieri, quod nec bonitas, nec ſapientia ejus ullo modorum patitur. *Nota.* Manifeſtum igitur eſt tibi ex omnibus his, quoniàm à maximo creato uſque ad minimum, omnia bona curat, & providet creator, & omne bonum aliud ab ipſo eſt per curam & providentiam ipſius. Omninò enim indecens eſt bonitati, & ſapientiæ ipſius, eum non curare vel quod ipſa faciunt, vel quid de eis fiat, quæ curavit facere, alioquin jocosè, & otioſè tantùm ea faceret, quemadmodùm ſi quis artifex artificium aliquod faceret, & poſtmodùm non curaret vel quid ipſum faceret, vel quid de eo fieret, vel quo deveniret, ad jocum ſtultiſſimum, atque otioſiſſimum, operatus manifeſtè

C appareret. Quòd ſi dixerit quis, quia de modicis, & minimis non oportet creatorem curam habere, & quia ridiculoſa eſſet, atque ridenda hujuſmodi cura, ſive curatio, jam reſpondi tibi in hoc, quia poſtquàm creator judicavit bonum illa facere, & non ridiculoſum, neceſſe eſt, ut judicet bonum illa curare, & regere, alioquin ut dixi jocosè, & ridiculosè illa feciſſet.

CAPUT III.

Per induſtrias, & ingenioſitates brutorum probat providentiam.

VT autem erigam te, atque dirigam, ad ſubliomiorem conſiderationem curæ, ac providentiæ creatoris in rebus minimis, conſidera, & inveſtiga, ubi diſcunt, vel didicerunt araneæ nere,

D ſive filare, & telas ſuas, atque retiacula texere, ubi didicerunt ſimiliter caſuras eſſe muſcas in retiacula earum, & quòd muſcæ prædæ earum eſſe naturaliter debeant, & eſca, antequàm vel matres filantes viderent, antequàm cognoſcerent vel fila, vel telas, vel retiacula, antequàm appareret eis muſca aliqua. Similem conſiderationem fac de anatibus, qui quàm citò aquam vident, in eam ſtatim inſiliunt, & natare incipiunt, cùm nullum animal natare viderint, ubi natare didicerunt, & aquam eſſe habitationem ſuam, hoc eſt naturæ ſuæ convenientem? Similis eſt quæſtio, ac conſideratio de formicis, ubi didicerunt theſaurizare, & quod eſt mirabilius, ubi didicerunt grana tritici germinatura, ſi ea integra relinquerent, & ideò dividunt ea in fruſta? De perdicibus verò habet admirationem non levem, qualiter matrem agnoſcant, quam nunquàm viderunt, & relinquant perdicem, qui furatur ova

Digitized by Google

matris, & fovit ea: perdiculi verò excluſi ſtatim eam relinquunt, & matrem, quæ ova, in quibus nati ſunt, poſuit, ſequuntur inſeparabiliter. Longè autem mirabilius omnibus his eſt generatio ſcarabæorum. Scarabæi, cùm ſcarabæos alios generare non viderint, miro artificio generant alios; de ſtercore namque equino globos rotundos formant, ad receptacula ſua eos portantes atque deſuper incubantes alios generant. Sunt & alia innumera artificia animalium, quale eſt artificium picæ, quo compingit nidum ſuum, quem nemo carpentariorum, vel architectorum effigiare poteſt. Dicitur autem & illud mirabile, quod fateor me non probaſſe, quin etiam pluries teſtiti, ſtructura illa, arte etiam cæmentariorum quâdam uti videntur hirundines, & quædam volucres aliæ, & ut ulteriùs re dirigam: quis docuit roſas texere floſculos ſuos, & cingere, & lilia ſimiliter & de omni genere ſeminum, ſecundùm quod dixit Ariſtoteles, quia virtus eſt in ſeminibus ſimilis artificiis, & propter hoc ſunt genera artificiorum naturalium: quare manifeſtum eſt omnia ſemina artifices eſſe naturæ, vel naturales. Denique quis docuit gallinas, & alia animalia ovantia, ſuperincubando ovis ſuis, generare animalia ſuarum ſpecierum? quis docuit ſtruthiones ova ſua calefacere in ſabulo ad Solem, & ſic generare ſibi pullos? Quis verò docuit apes, ut favos ſuos per exagonos operarentur? quis docuit eas, vel quem explanatorem habuerunt, quòd mel eſſet in floribus, & quis oſtendit eis artificium illud colligendi ex illis? Ubi didicit fœnix ex aromatibus rogum ſibi conſtruere, & in eo ſe concremare, ut ex ejus cineribus fœnix alius generetur. Præterea de medicinis animalium occultis, & ſaluberrimis, ſicut de buffone, qui medicamentum veneni primus oſtendit in ruta, & ſalvia, & innumera hujuſmodi ſunt quæ leguntur apud medicos, & naturales philoſophos. Super hujuſcemodi igitur jocosè multoties aliquos interrogavi, & eſt una reſponſio omnium, quòd natura docet animalia hujuſmodi artes, & artificia. Poſtmodùm autem quæro ab eis, utrùm natura hæc liber ſit, an magiſter, & iterùm cujuſmodi liber, cujuſmodi literis ſcriptus, & quæ quantitas, & cujus voluminis, & de ſcriptore interrogo eos, & neſciunt mihi reſpondere. Quòd ſi dixerint mihi, quia magiſter eſt: quæro iterùm, ubi magiſter ille tot, & tanta artificia didicerit, ſi didicit, quoniàm ſi non didicit, hoc eſt, ſi ſcientiam hujuſmodi ab alio non habet, neceſſe habent confiteri, quia magiſter iſte creator eſt, cùm ſolus creator ſcientiam ab alio non habeat, & quicunque habent, ab eo habeant. Mirabile autem valdè eſt, quòd ſimilis artifex, & magiſter, aut ſimilis liber apud nos nondùm inventus eſt. Quòd ſi creator ipſe eſt, qui docet hujuſmodi artifices, quibus nulla eſt artificiorum neceſſitas propriâ comparatione indigentiarum, & neceſſitatum noſtrarum; quantò magis in nos deberet eſſe tantæ divinæ bonitatis largitas, ut in hominibus eſſent iſtæ artes naturaliter, vel ſaltem artes neceſſariæ, ut non cogerentur homines tantis vigiliis, & laboribus, artificia ſibi neceſſaria diſcere, & acquirere? Mirabile autem eſt, ſi ſit liber, in quo legunt iſti artifices artificiorum ſuorum ſcientiam, qualiter ibi legere poſſunt, & videtur quòd literæ illæ non ſint naturales, ſi literæ ibi ſunt, quoniàm nullæ literæ naturaliter leguntur ab hominibus, & literæ non poſſunt eſſe naturales aliud, quàm naturalia ſigna: ſed & hæc ſigna, ubi impreſſa ſunt, & quis impreſſit? Ampliùs. Natura, quæ ita docet hujuſmodi artifices, ſi non eſt ſubjectum, ſed in ſubjecto, quemadmodùm docet Ariſtoteles qualiter docet, cùm

Nota.

E ipſa nihil ſcire poſſe videatur? quis enim opinetur accidens, vel ſcire aliquid, vel docere, niſi quemadmodùm quis dicat albedinem, vel alium colorem per viſum, & calorem per tactum, & unumquodque aliorum ſenſibilium docere ſentientem ſe per ſenſum, ſive per ſenſionem ſui. Modus autem iſte multùm longè eſt à cognitionibus, quæ videntur eſſe naturaliter in animalibus antedictis, & in multis aliis. Dicendum igitur videtur, ut quemadmodùm fluit eſſe à fonte primo, & univerſali eſſendi, & pro beneplacito ipſius, ſuper eſſe cauſatum ab ipſo; & quemadmodùm bonitas, & pulchritudo & alia quæ vocantur bona, ſunt bonitate ſuâ ſuper omnia creata, & generata; ſic & à lumine ſapientiæ creatoris deſcendunt, ſive fluunt pro beneplacito ipſius naturaliter lumina prædictarum cognitionum, prout requirit neceſſitas, & utilitas eorum; quemadmodùm ſuper formicam lumen quoddam providentiæ, quia hoc requirit neceſſitas vitæ ipſius: niſi enim congregaret in æſtate, unde aleretur in hyeme, periret indubitanter in hyeme, cùm extra receptacula ſua propter aſperitatem frigoris, & teneritudinem, atque paſſibilitatem proprii corporis, alimenta, & receptacula ſua perquirere non valeret; ſic quædam venandi aſtutia, velut aliud quoddam lumen, deſcendit ſuper araneam: manifeſtum enim eſt, quoniàm venatione muſcarum vitam ſuam ſuſtentat aranea: & quoniàm hoc lumen in ipſa inutile eſſet per ſe, ſuperadditum eſt ei ex providentia creatoris aliud lumen, videlicet nendi, ſive filandi, & retiacula ſua texendi, ſimiliter & receptaculum duorum fortiſſimum, ubi ova ſua ponit & cubat, & fovet. In lupis autem, & lupabus, aſtutia venandi non modica lumen quoddam naturale eſt, & quod mirabilius videtur eſſe, in canibus non ſolùm olfactus nobilior eſt, quàm in multis aliorum animalium, ſed etiam velut quoddam lumen prophetiæ, ſeu divinationis, quibuſdam canibus à creatore inditum eſt naturaliter, ita ut & latrones, & homines occultos hoc lumine inveſtigent, dignoſcant, & apprehendant. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm canis creatus eſt propter cuſtodiam hominum, & rerum ipſarum, quam ipſi ſollicitudine ſuâ & amicabilitate quâdam, exhibere videntur hominibus, nec non latratibus, & morſibus, quibus arcere nituntur ea, quæ videntur eis nocitura hominibus dominis ſuis, vel rebus eorum evidenter indicant. Quia igitur latrones, & occulti homicidæ de his ſunt, quæ multùm nocent hominibus, & rebus eorum, lumen hujuſmodi, quaſi divinationis cujuſdam, datum eſt canibus, veruntamen pauciſſimis, vel propter nobilitatem ipſius luminis, vel propter raritatem diſpoſitionis, quæ illos receptibiles illius luminis facit. Quemadmodùm & quidam dixit de ſplendore prophetiæ; quia tanta bonitas complexionis rariſſimè invenitur in hominibus, quæ receptibilis ſit ſplendoris illius: ideò rariſſimè invenitur in illis. Tibi verò certum poteſt eſſe, ſplendorem iſtum non ſequi bonitatem complexionis, quin potiùs datur ab ipſo præter diſpoſitionem, quoniàm multis data eſt propter meritum ſanctitatis ipſorum, multis propter alios inſtruendos, & præmuniendos contra mala ipſius imminentia, multis ob alias cauſas, quas audies ſuo loco, & interdùm valdè malè complexionatis invenies & datum eſſe, & dari bonum iſtud. Quemadmodùm igitur à primo fonte eſſendi, ſive à primo eſſe, ut eſſe, deſcendit eſſe aliud: ſic à primo lumine ſapientiæ, ut eſt lumen ſapientiale, deſcendunt omnia hujuſmodi lumina pro beneplacito creatoris, & per providentiam ejuſdem, ad utilitates, quas dixi, & alias innumerabiles,

Nota.

F

G

Canis cuſtos hominis.

H

Digitized by Google

biles, quas nominare, & numerare, & mihi difficile eſt, & multæ me latent, & tibi forſitan eſſet tædioſum. *Contra auguria.* Debes in hoc etiam ſcire, quia ſtultitia augurium, & opinio tam antiqua de veritate auguriorum, quâ opinione multi adhuc errare noſcuntur, hanc poteſt videri habuiſſe occaſionem ſui eſſe, & ſuæ credulitatis, tanquàm ſuper corvos, & cornices, aliaſque aves, circa quas obſervantur auguria, deſcenderent quædam lumina præſagiorum à lumine antedicto, & quæ per hæc de eventibus humanis præſagirent aves hujuſmodi, garritibus, & volatibus, aliiſque corporum ſuorum motibus hominibus indicarent. Qualiter autem, & ex quibus viis error iſte declaretur non ſolùm impoſſibilis, ſed etiam ridiculoſus, patefiet tibi per me loco ſuo, ſi Deus voluerit. Cauſas etiam deceptionis iſtius audies ibidem, & fient tibi manifeſtæ. Videtur etiam juxta hanc viam, ut omnia, quæ ſunt virtutis, & fortitudinis, & pertinent ad illas, deſcendant ſimiliter à prima virtute, ſive fortitudine, ſive potentia, ut eſt virtus, & fortitudo, & potentia, ſemper per providentiam ipſius, & provt requirunt *Nota.* neceſſitates, & utilitates recipientium. Unde in quibuſdam ſunt arma defenſionis, ſicut in bobus, & vaccis apparet in cornibus, quia per illa ſe defendunt à lupis: quædam verò ſunt arma protectionis ſicut duritia cutis in aptis, & cocodrilis, licet & aliæ ſint utilitates iſtorum. In aliis verò dentes, & ungues ad impugnationem pariter, & defenſionem ſunt, ſicut in urſis, & leonibus, & aliis animalibus quæ de præda, ſive rapina ſua nutriuntur. Sic etiam de pulchritudinibus dicendum videtur, quoniàm omnes deſcendunt à prima pulchritudine, ut eſt pulchritudo, & bonitates à prima bonitate, ut eſt bonitas, ſimiliter ſcientiæ, vel ſapientiæ, à prima ſcientia, ut eſt ſcientia, & altitudines à prima altitudine, ut eſt altitudo, & ſuavitates veri nominis à prima ſuavitate, ut eſt ſuavitas. Cauſa *Nota.* autem in hoc eſt, quoniàm omnia hæc relucent ad primum, inquantùm talia ſunt: ad primum inquam inquantùm tale, quale determinavi tibi: ſicut omnis virtus ad ipſum inquantùm eſt virtus, & omnis bonitas relucet ad ipſum inquantùm eſt bonitas, & eodem modo currit res in aliis. Quia igitur omne, quod relucet ad ipſum, non relucet ad ipſum, niſi per id, quod cadit ſuper ipſum de irradiatione primi, manifeſtum eſt, quòd omne quod eſt potens, & omne quod eſt bonum, non eſt tale, niſi per illud, quod cadit ſuper ipſum de irradiatione primi. Per prædictas comparationes omnis virtus videtur eſſe cauſa, & declaratio ſermonum hujuſmodi. Cave autem ne per hoc intelligas diverſari primum apud ſe ullo modorum, quemadmodùm & fons quantâcunque multitudine, vel diverſitate rivorum, apud ſe non diverſatur, aut multiplicatur: ſic nec primum propter multitudinem, aut diverſitatem influentiarum, quæ ex ipſo ſunt. Cautè autem intellige, ubicunque nominari creatorem audieris fontem, & creaturas rivos, vel flumina: non enim eſt propriè rivus, niſi aqua, quæ fluit in fonte, vel pars fontis, id eſt aqua fontalis, & propter hoc minueretur ex neceſſitate ejus fluxu *Nota.* vel exitu aqua fontalis, niſi ei alia daretur. Remota enim jam à creatore eſt per me partibilitas, nec ſuper hoc eſt tibi relicta dubitatio. Et ab uno, & eodem calore eſt emollitio in cera, & induratio in luto. Vides etiam, quia ex eodem ſemine tam modico proveniunt fructus, flores, & folia, frondes, & cortices, & etiam ſemen ſimile; cùm ſemen unum, & fortè unum ſimplex hoc eſt, unius naturæ ſit In ſemine enim humano, quod unius naturæ tantùm eſt, videtur apparere major multitudo,

A majorque diverſitas in effectibus ſuis. hoc eſt, in eis, quæ ex ipſo generantur, quorum eſt tanta multitudo, atque varietas, ut pili, ungues, caro, oſſa, nervi, cartilagines, medullæ, & quatuor humores radicales & ipſa ſubſtantia cerebri quantò fortiùs igitur à creatore, per modum effectionis, per imperioſiſſimum verbum ipſius erit multitudo, atque diverſitas, adeò ſeorsùm ab ipſo, adeò que diſcreta, ut nec ſpecie, nec genere, nec etiam prædicamento communicet? In his autem ſimilitudinibus attende longiſſimè diſtantem diſſimilitudinem. Semen enim, licet fortiſſimam habeat virtutem operativam, cauſa materialis eſt, & propter hoc corrumpitur in generatione eorum, quæ ex ipſo fiunt: hoc autem non eſt cauſæ efficientis unquàm per ſe, ſcilicet ut ipſa corrumpatur ipſâ operatione ſuâ, quæ eſt ei propria, & per ſe. Nec moveat te exemplum fœnicis, quod poſui, quoniàm ignis ille, quem ipſe ſuccendit, eſt cauſa efficiens corruptionis ipſius: *B* ipſe autem fœnix non eſt cauſa per ſe, & propriè ignis illius. Reminiſcere igitur ſublimitatis, ac ſupereminentiæ creatoris benedicti, *Nota.* imperioſitatiſque verbi ipſius, de quo plura audiviſti in prima parte tractatus iſtius, & videbis, quàm longè eſt omnipotentiſſima virtus ipſius, & excellentia, atque munificentia operationum ipſius ab aliis virtutibus, & modis operationum ipſarum. Reminiſcere etiam, quia nomen, & intentionem cauſæ efficientis videntur meritò philoſophi extendiſſe ad exactam, ac depuratam ejuſdem rationem; forſitan enim ſic non congruit, niſi primæ cauſæ efficienti, quæ eſt creator benedictus. Quia verò ſimiles illuminationes eis, quas ſupra poſui, habere videntur omnia alia animalia & quædam multò minores, minuſque nobiles, quædam etiam majores, quemadmodùm vultures, ſi verum eſt quòd de eis multi ſunt fabulati, quia prævident ſtrages fu- *C* turas ex præliis, & propter hoc cōgregantur in locis, ubi futuræ ſunt ſtrages hujuſmodi, tanquàm prævideant futuram eſcam cadaverū humanorū & equorum: apparet tibi ex omnibus his luminibus luminoſitatem ſapientiæ creatoris penetrare atq; pertingere non ſolùm uſque ad extrema animaliū, ſed uſque ad extrema ſeminum; lumina enim quæ cadunt ſuper ſemina, ſimilia ſunt artificiis, ut dixit Ariſtoteles: attende etiam quòd lumina hujuſmodi non ſunt tantùm ſicut artes, aut artificia operandi, ſed ſunt velut imperia creatoris, quæ neceſſe habent implere ipſa ſemina Non enim ex libero arbitrio operantur, ſed ex neceſſitate per modum ſcilicet ſervientis, quod & Ariſtoteles aliter alibi generaliter dixit, de natura ſcilicet, quoniàm ipſa operatur per modum ſervientis. Nemo autem dubitat, quin ſemina nec alia, nec aliter operari poſſunt, quàm quemadmodùm in ipſis eſt, impediri tamen & adjuvari poſſunt, ut meliùs & citiùs operentur ſicut *D* apparet ex operibus magiæ naturalis quæ ſunt ſubita generatio pediculorum, ranarum, vermium, & aliorum multorum. Impediuntur verò ſemina in agris multoties per naturam agrorum repugnantem, ut ex ſeminato tritico non generetur niſi ſinapis, aut ſigalum Jam igitur declaratum eſt tibi, quoniàm ad omnia hæc pervenit non ſolùm luminoſitas ſapientiæ creatoris, ſed & imperium; quare omnia hæc, quæ ſic fiunt, generantur, & fiunt creatore ſciente, & imperante ſic fieri; quare & evidenter ab ipſo, & per ipſum. De hoc quoque, quod quærebatur, cujuſmodi cognitiones, vel ſcientiæ eſſent lumina iſta: reminiſci debes eorum, quæ alibi audiviſti per me, videlicet; quoniàm ſcientiarum, ſive cognitionum, aliæ ſunt deſcendentes deſuper à luminoſitate creatoris, & hæ vocantur

Digitized by Google

ſcientiæ inditæ, vel infuſæ, & inditæ quidem, E quæ naturaliter inſunt, & cum his creantur, quibus inditæ ſunt, & nominantur rectè ſcientiæ naturales, vel innatæ. Aliæ verò, quæ poſt naturam completam dono creatoris adveniunt, communiter vocantur infuſæ. Tertiæ verò rebus ipſis adveniunt, quemadmodùm imagines reſultantes in ſpeculis ab inſpicientium faciebus, & iſtæ ſunt, quæ ſequuntur numeroſitatem rerum, & varietatem, atque diverſitatem, utpotè cauſatæ ab ipſis. Nec mirum cuiquam videri debet, ſi multitudinem, aut varietatem rerum ſequantur imagines earum, & verificatur iſtud per argumentationem à cauſa, & à proportione. Cùm enim res omnes ad hujuſmodi imagines ſuas ſimiliter ſe habeant, ſive proportionaliter, conſequens eſt, ut permutatim, ſicut res ad invicem ſe habent, ſic & imagines earum ſe F habeant ad invicem, & propter hoc, ut eſt diverſitas in rebus ad invicem, ſic & in imaginibus. Propter hoc igitur, ſive res hujuſmodi univerſales fuerint, ſive particulares, eodem modo erunt, & ſcientiæ, vel univerſales, vel particulares. Scientiæ verò aliæ, videlicet tam innatæ, quàm infuſæ ſequentur imitationem cauſæ ſuæ, & propter hoc una earum eſt multorum generum, & multarum ſpecierum; quædam verò una numero, & per omnem modum impartibilis eſt omnium generum, ſpecierum, & individuorum. Hinc eſt, quòd lumina, quæ numeravi tibi, & nominavi, ſequentur hoc modo unitatem ipſius; nec habent lineationes, aut deſcriptiones librorum, nec aggregationes partium, quemadmodùm nec ſapientia prima. Et idem dico de ſplendore prophetico, quoniàm unus eſt, non diviſibilis, neque aggregatus ex particu- G laribus ſplendoribus, & in illo, & per illum viſa eſt à prophetis tanta rerum, & eventuum multitudo, atque diverſitas. Sic dico & de iſtis luminibus, quamquàm nec lumina dicenda ſint comparatione ſplendoris prophetici: in uno tamen ei aſſimilantur, videlicet in hac unitate, & indiviſibilitate. Si tamen invenirentur in hominibus lumina ſimilia, videlicet inveſtigandi latrones, & dignoſcendi, atque deprehendendi eos; aut nendi, ſive filandi, texendique retia, & venandi; ſi inquam invenirentur in hominibus præter eruditionem, Nota. & doctrinam, ſplendores illos propheticos, nemo nominare vereretur. Sed neque ſcientia illa, neque per ſcientias operari animalia, vel ſemina uſualiter dicimus, propter paucitatem noſtræ exercitationis in his, & propter novitatem, quam ſemper H mirantur, & plurimùm abhorrent vulgares homines, & imperiti; propter quod Ariſtoteles dicere noluit, quòd artificia eſſent in ſeminibus, ſed virtutes ſimiles artificiis: propter quod, & convenientiùs accommodato, aptatoque, ſermone non dicimus lumina iſta ſcientias, aut artes, ſeu artificia, ſed magis ſimilitudines ſcientiarum, & artificum, & artificiorum. Si quis autem quærat, utrùm aranea ſciat nere, ſive filare, & retiacula tendere, & alia facere, quæ facit, proponet quæſtionem non facilè determinabilem imperitis. Aut enim ſcienter facit aut caſu, quod facit, & præter intentionem. Quòd ſi reſpondeat quis, quia neſcienter facit, quod facit: qualiter igitur declinat errorem omnem in operibus ſuis? Ampliùs. Si quemadmodùm dicit Ariſtoteles, quia omninò ſcientis ſignum eſt dicere poſſe, cur non potiùs ſignum ſcientis erit facere poſſe? Ampliùs. Quòd ſignum eſt in muliere filante, quòd ipſa filare ſciat, quòd non & meliùs, & magis appareat in aranea? Si verò dixerit, quia mulier hoc facit arte, vel ſcientia ſive artificio, oblitus videtur hujuſmodi homo ſermonis, quem

E dixit Ariſtoteles, quia quod naturale tale, magis tale: quare naturalis ars, magis ars, & naturalis Nota. ſcientia, magis ſcientia, & naturale artificium, magis artificium, & naturaliter ſciens, magis ſciens. Quare & magis ſciens eſt aranea hujuſmodi operis, & magis ſcienter operatur fila, & retia, quàm mulier quæ per doctrinam alienam, aut per propriam adinventionem hoc ſcit, vel didicit. Quòd ſi reſponderit, quia inſtinctu naturæ hoc facit aranea, involvit ſe difficilioribus quæſtionibus, de inſtinctu ſcilicet, & natura, quid utrunque iſtorum ſit. Eadem enim reſtat quæſtio de natura, utrùm ſcienter inſtiget araneam ad iſta facienda, aut inſcienter. Quòd ſi ſcienter, non erit hujuſmodi natura in ſubjecto: eis enim, quæ in ſubjecto ſunt, nullo modorum congruit ſcire, vel F ſcienter aliquid facere. Si verò ſubjectum fuerit natura hujuſmodi, ſequentur aliæ quæſtiones de hujuſmodi ſubjecto, an per ſe hoc faciat, an alieno inſtinctu. Quòd ſi per ſe, reſtat quæſtio, quâ utilitate, & cujus: Si enim ſuâ utilitate hoc facit, non erit hujuſmodi ſubjectum, niſi ipſa aranea; venatio enim muſcarum ſoli araneæ, quæ illam exercet, utilis eſſe videtur. Niſi fortè quis dicat, quia etiam utilis eſt hominibus ad admirationem ſapientiæ creatoris, & ad philoſophandum de providentia ipſius. Si verò alieno inſtinctu hoc facit hujuſmodi natura, perveniet hæc eadem ad creatorem, & fiet per hoc manifeſtior in rebus hujuſmodi providentia divina, cùm inventum fuerit, quòd per ejus inſtinctum & filant araneæ, & texunt fila ſua, & retia, & venantur. Si autem non pervenerit hoc Nota. uſque ad creatorem, neceſſe eſt, ut veniat hoc ad G aliam ſubſtantiam nobiliorem, quàm ſit aranea, & hoc, vel unam, vel multas: quòd ſi fuerit una ſola, apparebit eſſe regitiva omnium aranearum, docens eas hujuſmodi vivendi artificia, vel inſtigans eas ad hoc, ut illa exerceant, quod vel erit ei commiſſum à creatore, vel erit eidem innatum. Per utranque autem viarum iſtarum apparet evidenter omnia hujuſmodi artificia & eſſe, & exerceri providentiâ creatoris. Eodem modo ſi multæ fuerint Nota. hujuſmodi ſubſtantiæ regitivæ aranearum, non poterit eſſe dubium, quin regimen hujuſmodi ſit eis vel innatum, vel commiſſum à creatore. Tu ergo attende in his, & ſimilibus, quia non eſt contendendum rectè philoſophantibus de vocabulis, aut nominibus, quin potiùs ſine litigio, & contentione utendum his, ſicut utitur communitas homi- H num; extraneitas autem, quam repudiat uſus communis in vocabulis, modis omnibus fugienda eſt philoſophantibus. Similiter & novitas earum, niſi fortè defectus, vel neceſſitas cogat nova vocabula fingere, aut ſaltem circunlocutionibus utendum eſt eis. Propter hoc igitur Ariſtoteles noluit dicere virtutes quæ ſunt in ſeminibus, artes eſſe, vel artificia, ſed ſimiles artificiis, quamquàm abſque abuſione intolerabili dixiſſet eas eſſe quaſdam artes, ſeu quædam artificia naturæ. Neque contendendum eſt tibi ſuper hoc, quod dixi, videlicet utrùm araneæ ſciant facere, quod faciunt, vel utrùm ſcientiæ ibi faciant, quod faciunt: cùm uſus communis hominum recipiat eas ſcire operari, & ſcienter, opera hujuſmodi, & tantillum luminis accepiſſe eas à luminoſitate ſapientiæ creatoris ad acquirendum ſibi ſuſtentationem vitæ, ſicut dixi. Utrùm autem per medium, ſive media, an immediatè, non diffinio hîc, quoniàm eſſe, & vita immediatè videntur procedere à creatore, & creari ab ipſo, & propter hoc fortaſſis videatur alicui, quòd ita modica lumina, ſicut & magna, deſcendant ab ipſo ſuper hujuſmodi creaturas, ſicut, & nobiliſſima

Digitized by Google

& nobiliſſima lumina, quæ vocantur dona gratiarum, *Nota.* ſcientiæque, & virtutes ſublimes dicuntur ab ipſo immediatè deſcendere ſuper homines, & angelos beatos. In tantùm igitur determinatum ſit tibi per hæc omnia hujuſmodi, quæ prænominata ſunt, per providentiam creatoris & eſſe, & fieri. Quoniàm autem datum eſt à creatore omnibus corporibus, ut poſſint ſibi acquirere loca naturalia, hoc eſt, naturis ſuis congruentia, & virtutes etiam ad hoc eis datæ ſunt ab eodem, quibus hæc acquirant per motum, & quibus etiam in eis quieſcant: non eſt tibi dubitandum, quin per providentiam creatoris ſint motus eorum, & quietes, præſertim cùm motus naturalis uniuſcujuſque corporis non tam ſit inquiſitio loci naturalis, quàm etiam fuga innaturalis, atque contrarii. Vides igitur evidenter, quia corpora naturalia ſibi provident naturaliter ad B conſervationem ſui eſſe, & à locis nocivis per fugam, & de locis ſalutaribus per motus & inclinationes naturales, & hæc eſt cauſa, ut mihi videtur, quæ induxit Ariſtotelem dicere, naturam hujuſmodi in corporibus naturalibus, quaſi quandam eſſe vitam, quoniàm in viventibus hujuſmodi providentia evidentiſſima eſt, videlicet quâ declinant noxia, & quærunt ſibi ſalutaria, atque proficua. Et in quibuſdam quidem animalibus videtur eſſe quædam naturalis peritia, & ars innata medicinalis. Quis enim docuit buffonem alieno morſu, atque veneno, vulneratum rutam adire, & eidem locum vulneris affricare, & propter hujuſmodi affricationem à periculo veneni curari? & hoc idem de ſalvia facere creditur à multis. Similiter, quis docuit C cattam per affricationem ſuam ad herbam, quæ nepita nominatur, concipere poſſe, & ſic defectum maſculi ſupplere? Eodem modo & equas exponere ſe flatui venti favonii, & ex ejus afflatu, atque attractu concipere? Quis verò docuit piſces, quoſdam, poſtquàm in aquam effuſa fuerint ova eorum, ſemine ſuo ſuperfundere? aliàs autem generare non poſſe. Denique quis docuit aquilas, & corvos rejuveneſcere, & juventutem ſuam, modis, quibus alibi audiviſti, renovare? Quis docuit ſcorpiones exteriora tantùm manuum in hominibus percutere, palmis autem parcere: vel quod verius credo, timere forſan, ne fortè ab eis incluſi, capti detineantur, quod ab exterioribus manuum minimè timent? *Nota.* Sunt & alia innumera, quæ hiſtoriographi naturæ hujuſmodi ſcripſerunt, in quibus omnibus mani- D feſtum eſt tibi & communiter dici, artes quaſdam, & artificia, & ingenia naturæ dici, & non immeritò. Iſta tamen vocabula uſque ad naturas inanimatorum corporum neminem adhuc audivimus extendiſſe, & hoc eſt propter parvitatem ſuam, & ut ita dicam, tenuitatem luminis. Nullum enim philoſophantium audivimus dixiſſe, ponderoſa corpora inclinari, vel moveri, ad medium mundi arte, vel artificio. Similiter neque ignem comburere ligna arte, vel artificio naturæ, licet communiter receptum ſit, quòd hoc faciat virtute naturæ ſuæ: ſed hoc eſt, ut dixi, propter longam diſtantiam, atque diſſimilitudinem ad artes, & artificia. Creatoris autem providentia, ſicut & virtute ejuſdem primariâ, omnia iſta fieri, quæ nominavi tibi, jam dubium eſſe non debet, nec in partibus, nec in totis, ut prædixi. Fortaſſis autem non intendit ſingularia in his, niſi quis dicat, eam intendere ſingularia vaga. Non enim videtur intendere aranea hoc filum determinatè, vel hoc reticulum. Jam autem audiviſti alibi intentionem meam de individuo vago, qualiter ſe habet in ipſo ſenſu, & in ipſa imaginatione. *Adverte.* Et hujuſmodi exemplum quoddam eſt in homine, qui videtur à longè veniens, ſed propter elongatio- A nem nondùm ſcitur eſſe homo, ſed ſcitur eſſe hoc animal veniens: deinde cùm appropinquaverit, cognoſcitur eſſe iſte homo veniens, & nondùm Socrates. Erit autem magis vagum, ſi eouſque remotum fuerit, ut non deprehendatur animal eſſe, ſed hoc movens, magis etiam vagum, ſi nec moveri appareat. Tunc enim non cognoſceretur eſſe, niſi hoc corporale. Ex his igitur apparet tibi, quia denudatio à conditionibus particularibus, & circumveſtitione eorum facit individuum vel vagum, vel magis vagum, vel expreſſum, ac determinatiſſimum, juxta modos hujuſmodi exemplorum. Quia verò ſermones philoſophorum de animabus animalium non rationabilium ferunt eas apprehendere univerſalia non poſſe, & dixerunt hoc eſſe proprium animarum rationalium, & ſubſtantiarum intelligen- B tium, non videtur ſecundùm eos quòd in animabus animalium ſimiliter artificibus operationum ſint imaginationes, vel aliæ impreſſiones univerſalium, neque quòd poſſibilis ſit eis abſtractio à circumveſtitionibus individuantibus uſquequaque. Quapropter difficile erit eis determinare, utrùm aranea imaginetur muſcam, ſi univerſaliter eam apprehendere non poſſet, ſecundùm eos. Si verò individualiter, *Nota.* aut ſingulariter imaginatur, quâ conditione vel circumveſtitione illam individuet, difficile poſſe videri videtur, cùm ipſæ conditiones primò individualiter neceſſariò apprehendantur. Fiet autem evidentius, quod dico per exempla. Si enim imaginatur aranea muſcam caſuram volatu in telam ſuam, iſtæ conditiones omnes communes ſunt, & pluribus communicabiles; non individuant igitur mu- C ſcam, & ut breviùs dicam, per has conditiones non eſt deſcendere ad hanc. Qualiter igitur deſcendet aranea ad quamcunque? Quòd ſi non deſcendit ad hanc aliquam ſtabit igitur ei imaginatio, ſive apprehenſio alia, in communi, ſive in generali. Non erit igitur propria ſubſtantiarum intelligentium apprehenſio communium, ſive univerſalium. Ampliùs. De artificibus, qui ſunt apud nos, nullus dicit ſe ædificare hanc domum determinatè, ſed potiùs quandam domum. Similiter neque textor aliquis dixit ſe texere hunc pannum, ſed quendam pannum. Nec aliquis ex fabris dicit ſe fabricare gladium, ſed quendam gladium. Multò minùs igitur in animalibus ratione carentibus erit poſſibile hanc individuationem, ſeu determinationem eſſe. Am- D pliùs. Cùm animæ rationales multò nobiliores, & *Nota.* fortiores ſint in apprehendendo, quàm animæ hujuſmodi, quomodò extendent ſe in apprehenſionem ſingularium vires apprehenſivæ earum & vires apprehenſivæ animarum rationabilium erunt adeò breves, & decurtatæ, ut in ſuis artificiis uſque ad particularia, & vaga ſimiliter individua non attingant? Si quis autem dixerit, quia araneæ operantur quemadmodùm aliquis artifex operaretur cœcus, vel clauſis oculis: nec ſic etiam abſolvit ſe à nodo quæſtionis iſtius, quoniàm qui ſic operatur, etſi clauſos habeat oculos, vel omninò obſcuratos, apertam tamen habet, atque revelatam imaginationem, & ipſum ſenſum communem interiorem. Difficile autem, eſt invenire exemplum diſſimilitudinis imaginationis, & intentionis hujuſmodi animalium in operibus ſuis apud nos, & hoc eſt, quoniàm ipſa intendunt ab intus, & imaginantur inſuper, nos autem à foris, & deorſum in artificiis, quæ apud nos ſunt. Et jam dixi tibi in pluribus capitulis, & tractatibus ſcientiæ iſtius, quia lumina quæ de ſurſùm deſcendunt, & longiùs, & latiùs ſe extendunt, quàm quæ deorſùm & à rebus animabus noſtris, & animabus animalium irrationabilium adveniunt, propter quod & menſurantur, & numerantur

ſecundùm res. Unius enim una eſt viſio, & unius ſoni una eſt auditio, & duorum duæ, & ita ſe haber de aliis, & hoc eſt, quoniàm omnia hæc ad modum paſſionum ſunt à rebus agentibus in animas apprehenſivas, & ad modum reſultationum à formis rerum ſenſibilium in ſpeculis: animæ verò apprehenſivæ, & receptibiles hujuſmodi paſſionum, & reſultationum ſunt, velut paſſibilia & receptibilia hujuſmodi paſſionum, & ſpecula reſultationum hujuſmodi. Viſus verò, & auditus, naturalis, & cæteri hujuſmodi habitus, ampliores ſunt, atque latiores, licet imperfecti actu naturaliter, & indigentes paſſionibus, & reſultantiis, quas diximus. Sic ſe habet & de luminibus, quæ nominavi tibi, & quantò ampliùs aſcenderis & cogitatu, & conſideratione, tantò ampliùs illud invenies dilatari, donec pervenias ad puriſſimum lumen, videlicet lumen luminum, quod eſt creator ſapientiſſimus. *Nota.* Cujus lumen luminoſitas eſt in ultimitate latitudinis, ſimiliter & longitudinis, ſicut habet ſanctus, & authenticus ſermo, videlicet, quoniàm ſapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Hinc eſt, quòd ſplendores prophetici, prout poſſibile eſt, imitantes illud lumen, ſcilicet, luminum, non ſolùm in latum ampliſſimè deſcendunt, ſed etiam in longum, propter quod ipſi prophetæ non ſolùm prima vident in ſplendoribus iſtis, ſed etiam noviſſima. Apparet igitur tibi per hæc iſta lumina naturalia non immeritò, eſſe extenſiora apprehenſionibus noſtris, quæ à foris adveniunt, & propter hoc neceſſe eſt, ut res præcedant apprehenſiones hujuſmodi, tanquàm cauſæ earum. Splendores verò prophetici, & iſta lumina, ſicut à rebus non ſunt, ſic nec exigunt exiſtentiam rerum præcedere ſe propter hoc, & ideò non exiſtentia, antequàm ſint, extenduntur. Ideò & ſplendores prophetici prophetis oſtendunt præterita, quæ jam non ſunt, & futura, quæ nondùm ſunt. Sic & iſta lumina aquilis, & cervis oſtendunt ſuas renovationes, antequàm ſint, & cauſas earum, & modum operationis, quo eas faciant, aut procurent. Similiter & araneis retiacula, quæ non ſunt, & fortè muſcas, quæ nondùm ſunt, & caſum earum in retiacula, antequàm ſiut. Quòd ſi quis dixerit, nec araneas, nec hujuſmodi animalia ſcire, vel videre, quæ operantur, vel utilitates operum, tunc magis accedit, ut concedat ea non ſuâ, ſed alienâ providentiâ operari, & tandem deveniet ſermo iſte ad hoc, ut concedat omnia opera hujuſmodi fieri per providentiam creatoris, ſicut prædixi tibi. *Nota.* Sequitur etiam hoc, ut dicat araneas alieno inſtinctu comedere muſcas, quas capiunt. Et hoc ipſum habebit neceſſe concedere in porcis, & omni genere animalium, quod non inſtinctu propriæ naturæ, aut famis comedunt, ſed alieno inſtinctu. Ut quid enim potiùs faciunt operationes hujuſmodi alieno inſtinctu, & non illas videlicet comedere, & bibere, quæ finis horum ſunt, & utilitas? Ampliùs. Quicquid poteſt in finem & in viam, & quicquid in extremum & in medium naturaliter. Quòd igitur iſtæ operationes, filare, texere retiacula, inſidiari muſcis, capere eas, media ſunt, & viæ naturales ad comeſtionem earum, & ad acquiſitionem nutrimenti ex eis: ſi extrema naturalia ſunt, ſimiliter & media naturalia ſunt ad illa extrema, & hoc ordinatione naturali; ergo ſi araneæ naturaliter poſſunt in finem, vel extrema, poterunt multò ampliùs in vias, & media. Ampliùs. Hoc eſt dicere, quòd aliquis poteſt naturaliter comedere, quod non eſt naturaliter, niſi per maſticare, & non poteſt naturaliter maſticare: ſimiliter, quòd aliquid poteſt naturaliter nutriri cibo, & non poteſt coquere vel digerere cibum. Vides igitur per me in his nonnullas

E vias exercitationis ingenii tui: quòd ſi meliùs videre dederit tibi Deus in his, gauderem, & hoc ipſum vellem fieri mihi.

CAPUT IV.

De utilitatibus creaturarum generalibus, & diverſis, ubi diffusè diſputat de uſu flagellorum, & tribulationum.

DE motibus verò naturalibus, qui ſunt à medio, & ad medium, & quidam addunt tertium, videlicet circularem, qui eſt circa medium, quamquàm hoc improbabile meritò valdè videatur Ariſtoteli & ſequentibus ejus: ſimiliter & de inclinationibus, ex quibus ſunt hujuſmodi motus: jam dixi tibi, quia neque motus per ſcientiam fiunt eorum, quæ moventur, ſicut neque per providentiam. *Nota.* F Neque Ariſtoteles voluit nominare principia motuum iſtorum artes, vel artificia, vel animas, vel vitas, ſed quaſi vitas, & cauſa in hoc fuit, ſicut prædixi tibi, diſtantia, & elongatio ab his, quibus hujuſmodi nominationes rectâ, ac verâ, nominatione congruunt. Jam igitur apparet tibi ex his, quæ præceſſerunt, providentiam divinam attingere à primis creatis uſque ad minima, & intelligo hoc de ſubſtantiis, & tam de partibus, quàm de totis corporeis ſubſtantiis; & quia non eſt inconveniens, vel indignum ſapientiâ, & bonitate creatoris ea curare, poſtquàm ſunt, quæ curavit cùm non eſſent, & eouſque curavit, ut ea eſſe faceret, & quia modis omnibus decet ejus ſapientiam, & bonitatem ea deducere ad fines hujuſmodi, & utilitates, quibus ea aptavit, & ordinavit, ſive ſint nobis noti, ſive ignoti. G Hoc autem eſt, ſicut prædixi tibi, indubitanter, regere videlicet, & conſervare, & deducere ad finem, vel uſum, ad quem res eſt. Quòd ſi quæſierit quis, qualiter curat muſculas, quas hirundines tam ſtudioſè venantur, cùm nec videatur eas conſervare, quin potiùs videtur eas expoſuiſſe devorationi hirundinum, qualiter etiam videtur deducere ad finem, ad quem ſunt, & an eſt alius finis earum, quàm nutrimentum, ſeu ſuſtentatio hirundinum: *Nota.* reſpondeo in hoc, quia reverà hic eſt unus finis, & una utilitas muſcarū hujuſmodi, & ad hunc finem, & utilitatem deducit eas creator per naturam ipſarum hirundinum, quam creavit eſu earum nutribilem, ſeu ſuſtentabilem, quibus & dedit lumen naturale de prædictis luminibus, quo hæc illo modo cognoſcant, & etiam ipſas capere ſciant, quemadmodùm, & comedere. Conſervat igitur eas creator uſque ad uſum hujuſmodi, quamquàm & aliæ utilitates ſint, & alii uſus, quos audies in H ſequentibus. Nec eſt inconveniens quædam animalia in eſum, & ſuſtentationem aliorum creatorem creaſſe, vel etiam in alios uſus multiplices. Sicut apparet de equis, & aſinis, & mulis, quæ non comeduntur ab hominibus communiter: boum verò, & ovium, & caprarum, aliæ ſunt utilitates multæ, quibus adjuvantur homines, quàm ejus & nutrimentum; & ut evidentior tibi fiat Dei providentia in omnibus, narrabo tibi, & numerabo generales utilitates creaturarum. Prima igitur generalis eſt bonum quod habet res unaquæque, ſive illud ſit eſſe, ſive aliud, ſive alia, ſive eſſe cum alio, aut cum aliis. Gratuita namque bonitas creatoris non intendit prodeſſe ſibi in creando res, in dando eis eſſe, vel bona alia, ſed prodeſſe rebus iſtis, & hæc eſt ſemper intentio creatoris, vel gratuitæ bonitatis, videlicet hujuſmodi rectitudinis, ut nec recurvet eam dator in ſe, intendens ſcilicet ſibi ipſi, hoc eſt, in proprium bonum, vel honorem, vel commodum, vel gloriam,

Digitized by Google

gloriam, vel voluptatem, vel aliquid hujuſmodi, neque deflectens eam ab hujuſmodi rectitudine, vel in nocumentum inimicorum, vel in profectum amicorum ſuorum, videlicet, quia ſui ſunt. Hæc enim conſideratio, videlicet quòd ſui ſunt, declinatio eſt à rectitudine gratuitatis, & habet aliquid recurvationis prædictæ. Secunda cauſa creationis in quibuſdam eſt utilitas aliena, & hoc accidit in multis generibus rerum. Quædam enim ſunt nata eſſe per ſe, & inſuper eſſe utilia aliis, ſicut jam ſuperiùs multoties audiviſti de vegetabilibus, & animalibus irrationabilibus, quòd nata videntur eſſe utrique utilitati, & uſui hominum. Alia verò ſunt non nata eſſe per ſe, ut partes, & membra animalium, quemadmodùm oculus non natus eſt eſſe per ſe, & pes, & manus ſimiliter, ſed in toto, ſimiliter & toti. Similiter os, & nervi, & caro in animalibus non ſunt nata eſſe per ſe, ſed in animalibus tantùm nata ſunt eſſe, & utilitati totalitatis eorum. Quapropter finis quidem, & utilitas creationis eorum, videtur eſſe utilitas totalitatis animalium, quorum partes, & in quibus ſolummodò nata ſunt eſſe, & hìc non intelligo, niſi utilitates naturales. Sunt enim & aliæ utilitates ſublimiores, atque nobiliores, & hæ ſunt, quibus adjuvantur virtutes, & compoſitio morum in hominibus, & ea bona gratiarum, atque virtutum, quibus perennis, & futura fœlicitas obtinetur, & hæc eſt omnium utilitatum noſtrarum ultima, atque perfectiſſima utilitas. Ex quibus manifeſtum eſt tibi, quia virtutes, & dona gratiarum utilia ſunt omnibus aliis, quoniàm utilitas iſtorum, ad quam ſcilicet ſunt, & quam intendit creator principaliter hominibus, utilitas eſt, ultra quam nihil quærendum erit. Poſt hæc verò ſecundùm gradum utilitatis obtinent in ordine iſto ea, quibus iſta acquiruntur, nutriuntur, adjuvantur, conſervantur, adaugentur, & inter hæc primæ ſunt bonæ diſpoſitiones earum naturales, ſive bonitas complexionis, & benignitas naturalis, & manſuetudo naturalis. Qui enim iſtis præditi ſunt, faciles ſunt recipere gratuitam, ac nobilem virtutem patientiæ, & ſanctæ dilectionis, nec non & pacis atque ſerenitatis cordis, cujus contrarium eſt turbulentia, & inquietudo. Et de his omnibus ſatisfactũ debet eſſe tibi per ea, quæ audiviſti de virtutum tribus generibus, hoc eſt, naturalibus, gratuitis, & conſuetudinalibus, & eis, quæ circa ipſas ſunt. Tertium locum obtinet in ordine iſto doctrina, ſtudioſitas, & diſciplina, & propter hoc gens chriſtianorum, quæ maximè placet creatori nititur, ſtudiis, quibus creatori placeat, ſummoperè invigilat & ſacris doctrinis, & prædicationibus ſingulariter inſiſtere videtur, cùm aliæ gentes iſta negligant evidenter. Nec dubium eſt apud te de ſacris doctrinis, & prædicationibus, quantùm incitent ad cultum, & honorificentiam creatoris, quantùm illuminent mentes hominum ad cogitationem ipſius, & eorum quæ amanda, quærenda, tenenda, & ſervanda ſunt hominibus, ſimiliter ad cognitionem eorum, quæ eis fugienda ſunt, & dimittenda, & etiam perſequenda: & omninò non ignoras, quanta ſit virtus doctrinæ, & prædicationis in immutandis cordibus hominum, & in avertendis eis ab omni errore, & pravitate, & ab omnibus adverſitatibus, & contagiis vitiorum, maximè cùm gratia creatoris & loquentibus, & audientibus affuerit. Et tu jam didiciſti, quâ reverentiâ, quâ puritate intentionis ſacræ doctrinæ, & exhortationes, & loquendæ, & audiendæ ſunt, & quomodò per irreverentiam, & impuritatem contrarias abſque fructu plurimùm, & audiuntur, & docentur. Studia verò ſunt lectionum & meditationum, lectionum quidem in ſacris libris, meditationum verò unicuique apud ſemetipſum, & per ſe, & deliberationum, ſeu circumſpectionum in eis, quæ aguntur, aut ſuſtinentur. Quidam enim imparati, & improviſi, parumque circumſpecti proſiliunt ad opera, quæ conſultiſſimè agenda eſſent, & incauti irruunt in pericula adverſitatum priùs dejecti, & læthaliter vulnerari, quàm de pugna deliberent, & quàm armis ſe accingant, vel induant. De diſciplina verò aliquantulùm diffuſior ſermo habendus eſt, propter hoc, quoniàm minimè cognoſcunt homines utilitates eorum, quæ ſunt diſciplinæ, propter quod ipſam tanquàm noxiam fugiunt, & cum dolore, & moleſtia, & pro viribus renitentes illam plurimùm ſuſtinent. Res igitur diſciplinæ ſunt, quæ timorem, aut dolorem aut oppreſſionem inferunt, & quæ fomenta vitiis ſubtrahunt, aut eis concludunt, vel acceſſum ad ea omninò auferunt. Timoris autem utilitates jam alibi audiviſti in capitulo de operibus, & mirabilibus ipſius, & per ſe manifeſtum eſt, quia timor fuga ſpiritualis eſt, & reſilitio ab eo, quod timetur: timor igitur bonus, & ſanctus eſt, quo fugitur ab omni, quod iram provocat creatoris, hoc eſt, ab omni inquinamento peccati mortiferi: propter hunc igitur timorem incutiendum mortalibus creator & ſtellas comatas in cœlo, gladioſque igneos, & dracones flammeos creat, & apparere facit in ſublimi: ſimiliter, & portenta in terra, & in mari, & mulas parere, monſtra in hominibus etiam naſci, ut infantulos multorum capitum, propter quod & monſtra dicuntur, non ſolùm quia propter admirationem novitatis ea homines ſibi invicem monſtrant, ſed quoniàm iram Dei monſtrant imminere mortalibus, ut ſcilicet turbato rerum ordine turbatus hominibus creator appareat. Sunt & alia innumera præter illa, quæ lex chriſtianorum expreſsè continet, quæ ſcilicet futura ſunt in Sole, & Luna, & ſtellis, & in aliis. inter quæ etiam terræ motus ennumerantur, ut ipſo tempore ſuo terra tremorem hominibus incutiat, & tremendum eis ſuadeat propter imminentem vindictam creatoris. Quapropter manifeſtum eſt terræ motum fieri per providentiam creatoris, propter eam evidentem utilitatem, quæ ex eo debet provenire hominibus mortalibus, & hoc, ſive fiat per naturam, quam didiciſti in libro meteororum, ſive aliàs per voluntatem creatoris; propter hanc cauſam lex hebræorum data eſt eis in tantis terroribus ignis, caliginis, & lampadarum ignis diſcurrentium, clangoriſque terrifici; ſed & ipſam præceſſerunt terribilia facta in Ægypto, ut timerent à malo inobedientiæ, & à peſſimis conſuetudinibus Ægypti, quibus nutriti erant: propter quod eleganter interpretatur doctrina chriſtianorum hebræos fugiſſe de Ægypto in ſequentibus Ægyptiis, & eos fugantibus, ut eo ipſo intelligerent, fugiendum eis eſſe non ſolùm ab hominibus Ægyptiis, ſed etiam ab Ægyptiis moribus, ab execratione ſcilicet idolatriæ, & à vitiis, quibus illi ſe creatori abominabiles, & odibiles fecerant. Ampliùs Cùm diligentiorem conſiderationem de timore feceris, invenies ipſum evidenter ſuper omnia alia dona deprimentem cor humanum, & ſubjicientem ei, quem timet, cor inquam immobile, durum, atque ſervile: propter quod ſciens creator rebellionem cordis gentis hebræorum, ſe eis timendum, atque tremendum tot, tantiſque tremoribus in legis datione exhibuit, ut eos ad legis ſuæ obedientiam non tam incurvaret, quàm etiam frangeret. Gens enim illa, ſicut ipſemet creator dicit, in lege eorum gens duræ cervicis fuit, & propter hoc inclinationem voluntariam non ſuſcipiens, terroribus horrificis terrenda fuit ab initio.

Brutorum uſus. *Dona gratiarũ.* *Doctrinæ, & ſtudiũ chriſtianorum.* *In temerarios.* *Diſciplinæ utilitas.* *Timor quid.* *Monſtra.* *Fuga ex Ægypto quid.* *Gens hebræa dura.*

Digitized by Google

CAPUT V.

De bono doloris.

Bona ex dolore.

EA verò, quæ ſunt doloris, ſicut ſcis, mortificant, & extinguunt concupiſcentias voluptatum, deſideriaque carnalia, ac ſæcularia, ipſaſque voluptates mortificant, & abradunt hominibus. Jam autem noſti ex aliis, quàm noxiæ ſint hominibus voluptates hujuſmodi, & deſideria, quia videlicet captivant, inebriant, debilitant, diſſolvunt, excæcant, atque dementant in omne genus inſaniæ animas humanas, ſeu homines. Dolor igitur, qui omnia hæc extinguit, & abradit ab eiſdem, quàm ſalutaris ſit, apparet ex his, & quia reverà medicina eſt, inſtar abſynthii, vermes hujuſmodi mortificans, & eſt velut lixivia abominanda hujuſmodi inquinamenta diluens: propter hæc igitur duo, videlicet mortificationem iſtam, & ablutionem à vitiis, nominata videtur aqua tribulationis in ſermonibus prophetarum. Sciendum etiam tibi eſt, quòd ipſam avaritiam, atque ſuperbiam radicitùs exterminat cum ſeminibus earum; & quemadmodùm ignis lateres, & omnia alia vaſa fictilia firmat, atque fortificat, & obduratione quodammodò armat, non ſolùm contra aquam, ſed etiam contra ſe: lateres enim excocti nec ignem timent, nec aquam: ſic dolor præſentium tribulationum animas humanas armat, atque fortificat, & velut armaturam quandam eis patientiam operatur, & præſtat, & hoc expreſsè legitur in utraque lege, hebræorum ſcilicet, & chriſtianorum, & in lege quidem hebræorum dixit ipſe legiſlator ad gentem illam: Excoxi te in camino paupertatis. In lege verò chriſtianorum legitur: Tribulatio patientiam operatur. Animas etiam humanas mirabiliter adjuvat, & illuminat ad ſapientiam. Ipſe verò ſapientiſſimus hebræorum, & rex gentis illius, dixit in quodam ex libris ſuis, quia colligata eſt ſtultitia in corde pueri, ſed virga diſciplinæ fugabit eam, & eodem libro: Virga, ac correctio tribuunt ſapientiam. Alius etiam ex ſapientibus antiquis dixit, quia ſapientia non invenitur in terra ſuaviter viventium. Et ex philoſophis Archytatentinus expreſsè dixit: Ubi dominatur libido, nullum eſſe locum temperantiæ, & in regno voluptatis virtutem non poſſe conſiſtere; quare nec ſapientia, cùm ſapientia veri nominis virtus ſit, plus quàm ars, ſicut dicit Ariſtoteles de metaphyſica ipſa. Attende igitur iſtas utilitates dolorum, & adverte, quia eas novit creator, & quia eſt bonitas creatoris, ut diligat animas noſtras, & propter hoc neceſſe eſt, ut eis provideat bona tam ſalutaria, quibus à tantis malis liberantur, atque purificantur. Ampliùs. Cùm omnia numerata mala, à quibus per dolores prædictos eſt liberatio animabus, morbi ſint, vulnera, fœditates, deformitates, & inquinamenta abominabilia animarum & aliàs multipliciter noxia animabus noſtris, & lædentia illas, cùm nemo intelligens dubitet creatorem amare, & velle ſanitatem, munditiam, pulchritudinem, & fortitudinem, cæteraſque perfectiones animarum noſtrarum, qualiter dubitari poterit, hæc bona eum non providere animabus noſtris, quibus adeò efficaciter adjuvantur ad obtinendum prænominatas perfectiones, quas non diligere in eis, non eſt poſſibile, creatorem? Ampliùs. Si vides ægrum multiplicium ægritudinum incommodis laborantem, & videris ei exhiberi medicinam ſalutarem contra omnia illa, cùm ipſe nec de ſanitate ſua cogitet, nec aliquid ſibi medicationis procuret, aut perquirat, dubitabis-ne

Tribulatio.

Sapientia.

Amor Dei erga animas noſtras.

E alterius bonitate, & ſapientiâ medicinam hujuſmodi eidem præſtari? De illis verò, qui dolores inferunt, & mederi patientibus non intendunt, manifeſtum eſt, quòd eorum medicina, non ut medicina præſtatur ab hujuſmodi, quoniàm intentio eorum non eſt, ut ſanent, vel proſint aliis, ſed magis, ut lædant, & noceant, niſi fortè ſint eruditores, atque doctores. Quòd ſi imaginari volueris univerſitatem hominum prænominatis tibi ægritudinibus laborare, & attendas creatorem jugiter intueri morbos, ſive ægritudines hujuſmodi in genere humano, conſideraveriſque divitias pietatis ipſius, non aſcendet ullo modorum in cor tuum ipſum negligere tantam plagam in genere humano, & relinquere irremediatam, ſeu immedicatam. Quia igitur optimi, & ſapientiſſimi medicantis eſt ea ſemper medicandis adhibere remedia, quæ ſaluberrima eſſe conſpicit, & ad curandas ægritudines efficaciſſima, prænominatos verò dolores videt creator benedictus adeò virtuoſos ad acqui-

Nota.

F renda prædicta incommoda, adeò ſalutares ægro hujuſmodi, neceſſe eſt, eos eidem adhiberi per ipſum. Manifeſtum igitur jam ex hoc, dolores tribulationum, quæ in hominibus ſunt, eſſe in eiſdem per curam, & providentiam creatoris. Quòd ſi dixerit quis, quia iſta eveniunt hominibus ab ipſis, vel in ſe per ſemetipſos, vel ab aliis malis in alios, verbi gratiâ, ægritudo interdùm ex crapula, interdùm ex ebrietate, interdùm ex cibo, vel potu non ſano, interdùm ex æſtu, vel frigore nimio, & aliis pluribus modis; ab aliis verò in alios, ut verbera, & plagæ, carceres, vincula, damnificationes per fraudes, dolos, rapinas, eodem modo, & contumeliæ, & quæ contumeliarum ſunt; hujuſmodi igitur omnibus cauſa eſſendi, vel adveniendi non videtur eſſe divina bonitas, quin

G potiùs humanæ iniquitates, atque malitiæ, & ignorantiæ. Agentes enim cauſæ ſunt occaſionum ſuarum, & paſſio omnis effectus eſt, illatioque actionis. Propter hoc igitur dixerunt majores ex ſapientibus chriſtianorum, quia reverà actiones hujuſmodi, hoc eſt, malas quaſcunque, atque perverſas, non cauſat directè bonitas creatoris, ſed ſuſtinet eas, ſive permittit propter bonitates, & utilitates paſſionum, & propter hoc ipſas paſſiones eum cauſare dixerunt, quoniàm eas providet, diligit, approbat, ut pote tam multipliciter utiles; propter hoc igitur ſuſtinet actiones perverſas, ſive permittit. Et quoniàm longè majores ſunt, & plures bonitates, & utilitates paſſionum, eligit providentia creatoris paucas, & modicas malitias, atque perverſitates, ut inde multò plures, multóque majores bonitates eliceret, quàm ſi illas om-

H ninò eſſe non fineret. In hoc igitur, & ſecundùm hoc, à quibuſdam dictus eſt creator cauſa malorum, atque perverſarum actionum, quia & actores earum creavit, & vires eiſdem dedit, quibus abutentes, eas faciunt, licet non ad hoc eas illis dederit. Tu verò vides evidenter, quòd nomine cauſæ abutuntur, & etiam cùm dicunt, à creatore eſſe malas actiones, abutuntur præpoſitione hac, à: eſt enim hujuſmodi præpoſitio nota, ſive ſignum directæ originis, & rectæ cauſationis: cujus exemplum congruentiſſimum eſt in rege juſtiſſimo, & præfecto ejus iniquo, ſive prætore qui occidit innocentem ſcienter iniquè. In hoc igitur exemplo nemo dicit hanc occiſionem innocentis eſſe à rege, vel per regem juſtiſſimum, licet prætoriana poteſtas, per quam iniquè occiſus eſt, ab ipſo rege ſit; hoc autem eſt, quoniàm, etſi poteſtas prætoriana à rege ſit directè, & per ſe, occiſio tamen innocentis non eſt ab illa directè, & per ſe, quin potiùs

Cauſa.

Digitized by Google

A per intorſionem, & abuſionem, & inflexionem in latus; non enim deſcendit pœna directè à poteſtate, niſi per judicij rectitudinem, & tunc ſuper nocentes ſolummodò, vel qui meritò nocentes habentur, ſeu reputantur, quod dico, propter probationes, quæ interdùm vel falſæ ſunt, ut falſi teſtes, vel falſa inſtrumenta. Neutrorum tamen falſitas apparet judici. Multoties etiam deeſt juris probatio, & neceſſe habet judex ex officio judiciario condemnare innocentem. Cujus exemplum eſt in debitore, qui reverà ſolvit mutuum, ſed deficit in probatione ſolutionis. Confitetur autem ſe recepiſſe mutuum: ſtat ergo judex meritò confeſſioni ejus, quam contra ſe facit, cùm probationem ſolutionis non adhibuit. Ex his igitur manifeſtum eſt tibi, quòd malæ actiones atque per ſe, non propriè dici poſ- B ſunt eſſe à creatore, ſicut neque innocentum ſupplicia, aut falſa, ſive iniqua judicia prætoris, à rege juſtiſſimo, vel per ipſum eſſe, niſi abuſivè, immò niſi intolerabili abuſione, nemo diceret. Si verò volueris utilitates dolorum invenire, & numerare, quomodò dolor & aqua tribulationis vocatur, & ignis in ſanctis, authenticiſque ſermonibus, conſidera actus, & operationes ignis naturalis, & invenies ad ſimilitudinem, & proportionem earum, operationes, & utilitates ſpirituales doloris, & tribulationis in animabus humanis, & de his alibi plurima audiviſti per me. Ex his etiam eſt manifeſtum tibi, quàm utiles ſint in genere humano, qui dolores inferunt, ſive ea, ex quibus dolores ſunt, quoniàm tot utilitatum miniſtri, & vaſa ſunt, ſeu inſtrumenta, licet non intendentes, & ſcientes hæc faciant, & interdùm contraria intendentes, hoc eſt, nocumenta, ſive nocere, hinc eſt, quòd cùm utili- C tates miniſterij eorum ceſſaverint, projicientur in locum damnationis, niſi interim reſipuerint, & per pœnitentiam fuerint emendati. Hujuſmodi autem exemplum eſt in virga, quam erudito ad plenùm filio paterfamilias in ignem projicit. propter hoc dixit ſanctus, & ſapiens, & in gente Chriſtianorum doctor clariſſimus. Quid gloriatur impius, quia de illo flagellum mihi facit pater meus? Si igitur noviſti adhuc creatoris pietatem immenſam erga genus humanum, & diligenti ſcrutatione conſiderationem in rebus humanis feceris, invenies ipſum paterna ſolicitudine, atque dulcedine ſic erudire totum genus humanum per malos, quemadmodùm pater unus unicũ filium. Aliis etiam malis, quæ non ſunt per malos, quemadmodùm ſunt mors, & peſtes, fames, atque ſterilitates, innumeras utilitates præſtat bonitas creatoris mortalibus; D & quoniàm de his multa alibi dicta ſunt, & alibi etiam dicenda, videlicet in prædicationibus, & exhortationibus, revertar ad propoſitum, & dicam, quia bonitas creatoris, & ſapientia, cùm nihil faciat, aut fieri permittat ſine cauſa, & inutiliter, nec ala unius muſcæ ſit, niſi per curam, & providentiam ipſius: quantò fortiùs ea, ex quibus tot, & tantæ utilitates nobis proveniunt, non erunt niſi ipſo patiente, vel fieri rationabiliter permittente, & etiam ordinante? Quòd ſi dixerit quis, quia multis non proſunt, immò nocent mala hujuſmodi, jam reſponſum eſt tibi ſuper hoc in præcedentibus per menſam convivæ dapſilis, qui non ſolùm ad menſuram ſatietatis convivantium, ſed juxta magnificentiam largitatis ſuæ menſam ornat, & præparat, & addo alia hîc, & dico, quia culpa, & defectus eorum eſt, qui tam utilibus auxiliis uti vel noluerunt, vel neſcierunt, quamquàm & hoc non facilè concedendum ſit, quòd videlicet flagella hujuſmodi non ſemper proſint, cùm veriſimile valdè ſit filium ſub virga patris rebellantem multò rebelliorem

Dolor aqua tribulationis.

Virga diſciplinæ.

Nihil fit à Deo ſine cauſa.

Convivia dapſilis.

A fore ſibi dimiſſum. Manifeſtum etiam eſt intelligentibus, ipſam mortem admodùm utilem eſſe etiam in malitiis ſuis pertinaciter perſiſtentibus, cùm evidenter hujuſmodi hominibus expediat malefaciendi amittere poteſtatem atque libertatem, quemadmodùm & in furentibus, & furioſis ſe habet de amiſſione, ſeu ablatione gladiorum. Omnis enim poteſtas abutentis eâ in perniciem ſuam, & aliorum, velut gladius eſt in manu furentis. Ampliùs. Cùm tot, & tantis utilitatibus, indigeat genus humanum, ſi malitia eorum ad eas reficiendas non ſufficeret, eas indubitanter procuraret bonitas creatoris. Nullo enim modorum tam pernitioſum defectum in genere humano ſuſtineret. Quid mirum igitur, ſi providè, immò ſapientiſſimè, cauſas B hujuſmodi bonorum in hominibus eſſe ſuſtinet, & permittit? Ampliùs. Propter hujuſmodi utilitates fiunt juſtificationes judiciales, videlicet mulctationes pecuniariæ, membrorum mutilationes, latronum ſuſpendia, omneſque cruciatus prætoriales, ut ipſi mali, qui non judicio, ſed malitiâ quæcunque mala, quæ dixi, inferunt hominibus, compeſcantur, ne euſque turbent ſuis inſolentiis res humanas, ut non ſolùm benè vivere, ſed nec etiam vivere inter eos liceat. Tibi igitur manifeſtum eſt prænominatos dolores, atque mala per divinam providentiam procurari hominibus. Cùm omnes rectores, & judices propter has utilitates dari ab eodem manifeſtum ſit hominibus. Non debet igitur eſſe dubium alia mala dolorum, & tribulationum ſcilicet divinâ providentiâ permitti, & ordinari propter cauſas eaſdem. Ampliùs. Multa de hujuſmodi malis, licet non proſint patientibus, proſunt C tamen aliis. Unius enim pœna malefici multos deterret à ſimilibus. Ampliùs. Quis non videat, quia ſi mundus iſte non haberet, niſi pacem, atque delitias, inſeparabili adhærentiâ detineret in ſeipſo homines, & à bonis futuris, & virtutibus euſque averteret, ut pauciſſimi vel has, vel illa curarent. Vita igitur humana, & magnis, & multiplicibus reſpergenda fuit amaritudinibus, & doloribus, ut tantum malum, tantaque noxietas averteretur ab hominibus. Quid enim magis pernitioſum, magiſque noxium humano generi cogitari poteſt eo, quod aufert ei bonũ propter quod ſolum creatum eſt, bonum ſcilicet fœlicitatis futuræ, & malum, quo nullum majus eſt, videlicet ſupplicium damnationis æternæ, infert eidem? Non immeritò igitur vitæ iſtius dulcedinem amaricari velle debuit creator hominibus, ne à bono, ad quod eos creaverat, D illos averteret, & in malum contrarium eoſdem traheret: quomodò igitur opinandum eſt, dolores tam utiles, tamque ſalutares, divinâ providentiâ vel procurante, vel permittente, & ordinante, non eſſe in hominibus. Ponam autem tibi ad hæc exẽpla multa, multò plura prætermittens declinans prolixitatis tædiũ, & horum primũ erit exẽplum nutricis, quæ tempore ablactationis pueri, quem nutrit, videns parvulum dulcedine lactis adeò illectum, ut ab eo ſe ſeparari non patiatur, nec ad ſolidiorem, aut congruentiorem ſibi cibum inclinari velle, ſummitates papillarum aliqua aſpergit amaritudine, quam parvulus ſentiens in papillis, ſpontè eas reſpuit, & etiam refugit, & ad menſam patris inhiat, & poſtmodùm comedit. Quid igitur mirum, ſi totius generis humani creator nutritius, & nutritor, à lacte non dico pueritiæ, ſed puerilitatis humanæ, quæ turpiſſima, ac pernicioſiſſima eſt, ſeparare volens, & ad menſam futurarum ſpiritualium epularum, quæ in cœlo gloriæ ſuæ parata eſt, inhiare volens homines, atque aſpirare, amaritudinibus multiplicibus aſpergit carnales, ac ſæculares dulcedines,

Mors quibus utilis.

Nota.

Amara cur hæc vita.

Simile.

Digitized by Google

quatum falſitas, atque fallacia adeò noxia. adeòque pernicioſa eſt hominibus, ut & à menſa illa delitiis inexcogitabilibus refertiſſima omninò avertat homines, & in ſeipſis eoſdem inebriet, & dementet, res inſuper humanas bellis, litibus, omnique inordinatione, atque inquietudine deturpet, confundat, atque perturbet? Aliud exemplum hujuſmodi rei eſt paterfamilias, qui videns filium in loco periculoſo, arrepto flagello ipſum crebrò percutiens, illum abſterret inde, & diffugat, de quo dubitare non potes, quia ſi multitudinem magnam haberet filiorum diſperſam in multis locis periculoſis, quin multiplicaret flagella, & flagellationes ad id ipſum faciendum multitudini filiorum, quod faceret unico. Cùm igitur univerſitas hominum, ſicut multitudo ſit filiorum aliquo genere filiationis, quid mirum ſi creator benigniſſimus, cui manifeſtiſſima ſunt omnia pericula, omniaque noxia habitationis iſtius, & mora, quæ per amorem noxia eſt hominibus, quid inquam mirum, ſi multiplicatis flagellis, atque doloribus eos, ne huic habitationi, ſive mundo hæreant abſterret, & diffugat? Quòd ſi dixerit quis, Deum nec habere, nec reputare homines filios ſuos ullo modorum filiationis, quamquàm in parte iſta ipſius creatoris oraculis hoc eſt, ſermonibus propheticis apertè contradicat, negare tamen non poteſt, quin ſaltem aut ut boves, aut ut oves, aut in aliqua conditione, ſeu comparatione ſuæ poſſeſſionis eos habeat. Quis autem paterfamilias de ovibus ſuis, aut bobus, ſi in periculoſo aliquo loco eos eſſe conſpiceret, non ita faceret, ut dixi? apparet igitur ex hoc providentiam divinam cauſam eſſe dolorum præſentium in hominibus. Tertium exemplum eſt de vino fortiſſimo, & inebriantiſſimo, cui ſimillimæ ſunt vitæ hujuſmodi præſentis carnales, aut ſæculares voluptates, inebriant enim uſque in brutalem deſipientiam, & inſaniſſimam dementiam. Tribulationes verò, & dolores contrarij, ſimillimi ſunt aquæ, quantùm ad virtutem reprimendi malitiam vini hujuſmodi, & obſiſtendi ne inebriet. Nemo autem intelligens ignorat omnes homines quoſdam creatoris eſſe convivas, vel ſaltem hoſpites; quin potiùs manifeſtum eſt etiam alumnos eſſe, quos omnes cibet, & potet. Quis autem paterfamilias convivis ſuis vinum tam noxium non temperet. Quis alumnis ſuis, quibus curam alendi, & ſumptus alimentorum impendit, non provideat à mortifera pernicie, ſi eam eſſe cognoverit in alimentis? Quis hoſpitibus ſuis à veneno mortifero non caveat, niſi maligniſſimus proditor, & quærens mortem hoſpitum ſuorum? Nullum autem venenum pernicioſius eſt voluptatibus antedictis immò illæ tantò pernicioſiores omni veneno peſtifero, quantò vita beata futura, quam hominibus auferunt, eſt vita corporis, quam ſola venena extinguunt, præſtantior. Quia igitur per aquas tribulationum, & dolorum, ſupradictas tantis malis ſaluberrimè occurritur, atque periculis: non relinquitur tibi dubitatio, quin aquæ tribulationum, & dolorum hujuſmodi providentiâ, & bonitate creatoris admiſceantur præſentibus delitiis. Ut autem finem faciam ratiocinationis iſtius, dico, quia nec de † minimo bono quocunque dubitare permittitur, qui homo eſt, non nomine tantùm, ſed re, & non nomine, quin ipſum ſit à creatore, quemadmodùm ſi non eſſet fons luminis, nec eſſe poſſet præter Solem, qui hoc noſſet, non dubitaret de quocunque lumine, vel quantocunque, quin ipſum eſſet à Sole Quia igitur jam declaratum eſt tibi in prima parte magiſterij hujus, nec eſſe, nec poſſe eſſe fontem boni. vel bonitatis præter creatorem, manifeſtum factum eſt tibi, non poſſe eſſe aliquid

Aliud ſimile. — *Homines filii creatoris.* — *Aliud ſimile.* — * *Pernicioſæ voluptates* — † *Aliàs* animæ.

E boni, vel bonitatis, niſi ab ipſo. Declaratum etiam eſt tibi in præcedentibus, tribulationes, & dolores hujuſmodi, non ſolùm bona eſſe, ſed etiam valdè bona. Tam magna verò bona creatorem negligere, quis niſi homo ſine intellectu cogitet? negligere autem intelligo, ut non ea eſſe. nec curet qualiter, aut quo fructu. Sunt alia innumera exempla hujuſmodi innumerabilium utilitatum, & fructuum dolorum, & tribulationum hujuſmodi, quæ alibi, & maximè in exhortationibus ſacris & dicendæ, & exponendæ ſunt. Si quis verò dixerit, quia reverà communitati hominum & conſulitur, & providetur innumeris utilitatibus, & fructibus per hæc, & quia creator gerit indubitanter curam univerſitatis, non autem ſingulorum; reſpondendum eſt homini illi, quia in rebus naturalibus ſingulorum evidenter apparet cura creatoris, & providentia ipſius, videlicet in compoſitione. formatione, numeroſitate, & colligatione membrorum. atque perfectione. Nulla enim eſt natura, nulla virtus alia. cui poſſibilis ſit fabricatio humani corporis, & de natura quidem corporali dubitationem non habet: de natura F verò ſpirituali brevi cõſideratione id ipſum videre poteſt, quoniàm illa non operatur inſtrumẽtis, cùm illa non habeat, ſed imaginando, ſive intelligendo tantùm, & volendo, ſive imperando. Non recipit autem intellectus rationalis, ut eſſe ſubſit voluntati, aut imperio alicujus alterius, quàm creatoris, ſimiliter neque quòd formæ corporales, & maximè corporum animalium ſubſint, niſi ſoli imperio creatoris, quoniàm quod non poteſt naturaliter imperare eſſe, multò minùs non poteſt imperari ſic eſſe, aut tale eſſe. Manifeſtum igitur eſt per hoc, ſolâ virtutem creatoris poſſe fabricare, & formare corpora humana, & etiam aliorum animalium, ex quo manifeſtum etiam eſt conſequenter, & ipſam nutritionem, vitam, & conſervationem, totamque reliquam gubernationem ad creatoris providentiam pertinere. Non enim minùs eſt mirabile nutrimentum, & crementum corporeum animalium, atque G vegetabilium, nec minori difficultate inventum, aut potiùs æſtimatum, quàm generatio, & fabricatio ipſorum. Quis enim admirari ſufficiat tam ſtudioſè, tamque diligenter decoqui nutrimentum, tam crebrâ excolatione depurari, tantâ fidelitate, ut ita dicatur, diſtribui ſingulis membris. & partibus, prout unicuique opus eſt, & convenit, & prout etiam juſtum eſt? quâ arte arithmeticâ numerari poſſent nutrimentorum, & nutritorum particulæ? quâ geometriâ dividi, menſurari, & commenſurari membris, & aliis partibus, atque aptari neceſſitatibus, & indigentiis earum? nulla enim conqueri poteſt, quòd minùs juſtè, aut plus recipiat, quantùm eſt in virtute nutritiva, & nutrimenti diſtributiva, niſi cùm ei, aut plus debito, aut minùs ei de nutrimento traditum fuerit, aut eidem virtuti inobediens. H In his autem tribus caſibus culpa eſt tantùm ſuperioris diſpenſatoris, quemadmodùm cùm aliquis vel plus juſtè onerat ſtomachum, vel minùs cibi, quàm naturæ ſufficiat, infert in illum, vel cibum, quem decoquere, & depurare ſtomachi virtus non ſufficit, non culpa eſt ſtomachi, quicquid vitiationis aut corruptionis ex his accidit nutrimento, vel corpori nutriendo. ſed ut prædixi. culpa eſt malè diſpenſantis ipſi ſtomacho. ſed nec in his ceſſat providentia, aut bonitas creatoris, qui ægritudines, & dolores exindè provenientes, tam multipliciter efficit fructuoſas, ut audiviſti Apparet igitur evidenter ex his tibi, quia in corporibus animalium, & partibus eorum, quæcunque naturaliter fiunt, & per divinam providentiam, & bonitatem, fiunt & ordinantur, ut exindè multiplices utilitates proveniant

Nota. — *Nota.* — *Nota.*

Digitized by Google

niant, ſicut non eſt pilus in veſte tua qui locum convenientem in ea non teneat, licet propter parvitatem ſuam, & utilitatis ipſius parvitatem, hoc ſenſus percipere non ſufficiat. Ita eſt, & de omnibus uniuſcujuſque totius particularis cujuſcunque generis, totum ipſum ſic ſe habet. Jam enim declaratum eſt in tractatibus de continuo & infinito, quia omne aggregatum ex continuis, id eſt, ex partibus, quorum unaquæque continua eſt, ipſum verò totum diſgregatum, aggregatum eſt de neceſſitate ex finitis. Quapropter omnis pannus cujuſcunque magnitudinis ſit, ex finitis pilis eſt, & omnis acervus arenæ ex finitis arenis, & ſi unus pilus detraheretur de panno, detraheretur aliquid de totalitate ipſius, & pars certæ, ac determinatæ in ſe comparationis ad totum pannum, licet neque comparationem hujuſmodi, neque detractionem ſenſus percipiat. Luminoſitas verò ſapientiæ creatoris omnia hæc, & ſimilia menſurat atque dinumerat: neque enim ſine cauſa dixit ſanctus, & ſapiens loquens ad ipſū: omnia in numero, pōdere & mēſura diſpoſuiſti.

CAPUT VI.

De utilitate oppreſſionum, & paupertatis, & quomodò diverſimodè Deus largitur proſpera, & adverſa, & de utilitate mortis.

Oppreſſionis commoda.

POſt hæc autem veniam ad ea, quæ ſunt oppreſſionis, & ſubtractionis materiæ malorum, & prohibitiva acceſſus ad ipſa, hoc eſt, quæ prohibent homines abſcedere, à malo, & econverſò. Dico igitur, quia oppreſſio ipſā intentione, & nominatione ſuā habet utilitates multas ſpirituales, quarum prima eſt contra iniquiſſimam elevationem ſuperbiæ, quam imminentem ſanat, & contra imminentem præſervat. Secunda utilitas ejus eſt contra inconſtantiam, levemque mobilitatem, quibus quidam ex hominibus adeò exagitantur, ut nec in uno loco corporaliter, nec in uno ſtatu ſpiritualiter perſiſtere poſſint, & primæ utilitatis exemplum eſt compreſſio pellium inflatarum, ſimiliter & follium fabrilium, & omnia alia, quæ compreſſione detumeſcunt. Evidens autem exemplum eſt in bufonibus, qui generantur in anguſtis fiſſuris petrarum, qui intumeſcere non poſſunt, donec inde exeant. Secundæ utilitatis exemplum eſt in levibus tectoris domorum quæ lapidibus onerantur, ne à vento auferantur. Similiter & omnia illa, quibus ponderoſa ſupponuntur, ne vel flatu ventorum, vel fluxu aquarum rapiantur. Tertia utilitas eſt, ejus exemplum apparet in equis, quorum nimia velocitas, & impetus reprimitur oneribus, & greſſus ad ſuavitatem & modeſtiam rediguntur, & juxta has vias tuum erit videre, & excogitare multas alias. Quæ verò faciunt homines abſcedere à peccato, vel peccata abſcedere ab eis, ſunt carceres & vincula, & cuſtodiæ diſciplinales, atque circunclusiones, qua viri ſancti omnem aditum peccatis occludere intendentes, ſeque atque diſcipulos ſuos ab abſceſſu eorum prohibere volentes, ſibi fecerunt, & adhuc faciunt, & iſta apud gentem Chriſtianorum ſolam inveniuntur.

Solitudo Philoſophorum.

Nonnulli tamen ex Philoſophis aliud vicinum hujuſmodi cuſtodiis feciſſe dicuntur, eligentes ſibi habitationes ſeorſum, & longè ab hominibus, ſcientes quàm periculoſa ſit ſocietas indoctorum, atque incompoſitorum hominum philoſophari volentibus.

Paupertas ſalutaris.

Paupertas verò adeò ſalutaris eſt caſtitati & ſobrietati, ut incendiis lignorum ſubtractio. Opulentia namque ciborum, & potuum, aliorumque temporalium, quæ corpori deſerviunt, hoc ſunt ad luxum, & luxuriam, atque nimias concupiſcentias ciborum, & potuum, quod ligna ad ignem, vel incendium. Secunda utilitas paupertatis eſt vallaris munitio: quod enim eſt vallum ad arcem, quam circundat, ſive munitionem, hoc paupertas ad pauperem, ſive hoc intelligat, ſive non: & quoniàm quemadmodùm vallū arcet hoſtes, & prohibet ab ingreſſu, immò ab acceſſu: ſic paupertas vitia luxus, & luxuriæ comeſſationum, & ebrietatum accedere non ſinit ad homines. Ex incommodis autem divitiarum facilè apparebunt tibi fructus, & commoda paupertatis, & jam alibi per me de utriſque plurima didiciſti. Quoniàm autem maximè erraverunt, & adhuc errant homines circa providentiam, & curam creatoris in eis, quæ caſu tantùm videntur accidere, & hæ ſunt, quæ communiter, & æqualiter eveniunt ſapientibus, & inſipientibus, juſtis, & injuſtis, qualia ſunt pericula naufragiorū, quæ juſtum, & injuſtum pariter abſorbent, & mortes, & alia incommoda fortuita. Secundò in eis, qui omninò non curari videntur tam à creatore, quàm ab aliis, quales ſunt furioſi, qui furore ſuo ſolummodò ferri videntur. Tertiò in his, qui pro libito vivunt, hoc eſt, ut volunt, & non niſi malè vivere volunt, & ut ita dicatur, ſtultā voluntate ſuā ducuntur, vel potiùs aguntur nullo rectore, vel curatore, ut videtur exteriùs. Quartò in his, qui omninò derelicti videntur, quemadmodùm cadaver expoſitum canibus, & avibus, pro cujus liberatione à diripientibus, & devorantibus, nihil fit ſic nonnulli pauperes diripiuntur, & multipliciter affliguntur hìc nullo eripiente, vel defendente, vel etiam contradicente, aut ſaltem compatiente, præſertim cùm ſanctiſſimi, atque juſtiſſimi ſunt. Qualiter ergo eos curat creator benedictus? Si verò hos non curat, qualiter alios curat?

Caſus procul à ſapientia Dei.

Scito ergo in primis, quia caſus, & temeritas tam longè ſunt à ſapientia, & bonitate creatoris, quàm longè ſtultitia, vel ignorantia, & propter hoc quantùm ad creatorem nihil eſt caſus. Apud nos verò locum habet caſus, ſed quantùm ad nos, hoc autem eſt propter ignorantiam, & improviſionem: creator enim omnia intuetur, non intuitione, quæ ſit habitus dormiens, quin potiùs intuitu, qui eſt in ultimitate vigilantiæ, & actualitatis, neque aliquid eſt opertum, vel abſconditum ullo modorum à viſione ipſius. Sed neque intuetur aliquid tanquàm longè ſit ab eo, neque tanquàm propinquum ſit ei, & intelligo in hoc ſermone meo, quòd propinquitas, & remotio rerum, nec addit, nec minuit cognitioni ipſius:

Cuncta videt Deus ad nudū.

quapropter videt omnia ad nudū, & tanquàm proxima. Manifeſtum igitur eſt, quoniàm nihil evenit, ut ſit in rebus, quod ipſe non ſciat, & etiam præſciat, & quoniàm intentio eſt ejus & ut bona ſint, & fiāt, & permaneant, quandiù videt decere gloriam ſuam, & provenire ex eis utilitates, quas vult ex eis eſſe. Circa mala verò, quæ vulgus mala nominat, & hæc ſunt mala pœnalia, quæ vulgares inſipientes homines totis ſtudiis, ac viribus fugere, & declinare, vel ſaltem minuere, atque lenire conantur: quoniàm reverà bona ſunt hujuſmodi, ſicut alibi didiciſti, & ſunt opera juſtitiæ, & miſericordiæ ipſius, multipliciter utilia, ac ſalutaria hominibus, circa, inquam, hæc eſt eadem ei intentio, quæ & circa alia bona temporalia, ſeu corporalia, hoc uno excepto, quòd iſta conventiora ſunt bonis correctionis, & retractationis hominum à malis vitiorum, & peccatorum, & convenientiſſima nominatione bona diſciplinalia, bonaque diſciplinæ, & eruditionis creatoris nominari poſſunt, alia verò bona, temporalia ſcilicet & corporalia, bona attractionis, & allectionis divinæ benignitatis dicenda ſunt. Ea enim largitur benignitas creatoris

Digitized by Google

Bona diſciplinalia. hominibus vel ad neceſſitatem ſuſtentationis, & hoc communiter omnibus, vel ad blandimentum attractionis, & allectionis. & hoc ſpecialiter pue- *Bona temporalia cur à Deo.* rilis ſenſus hominibus; adeò enim modica bona ſunt hæc, ut ea ſapientes deſpiciant, & ea dignitate ſuâ indigna omninò eſſe cognoſcant: pueriles verò homines eadem, tanquàm magna, totâ aviditate amplectuntur. Per hæc igitur quaſi blanditur eis bonitas creatoris, ut eos ad amorem ſui & cultum attrahat, & paulatim proficientes ad ſublimia bona, propter quæ eos creavit, provocet, inſtar matris atque nutricis, & etiam boni patris parvulos per munuſcula pirorum atque pomorum in amorem ſui provocantium, & deinde vel ad ſtudia literarum, vel ad alia quoque majora coſdem provocantium, quo artificio ergà gentem Hebræorum creatoris bonitas manifeſtè uſa eſt, cui, utpote puerili, & adhuc parvulæ bona ſublimia, vel cognoſcere, vel amare non valenti, pro obſervatione legis ſuæ ſola modica temporalia, tanquàm puerilia munuſcula promiſit, & ſola contraria, videlicet paupertatem, mortem corporalem minatus eſt eiſdem. tanquàm parvulis deterrendis. Non enim judicavit ſapientia creatoris cum gente illa ſibi agendum eo tempore, tanquàm cum ſapientibus. ſciens puerilitatem & ruditatem ipſius. promiſſiones enim hujuſmodi munuſculorum ſapientibus illuſiones, & irriſiones eſſent, ſi eis fierent. Quis enim ſapiens non ſe irrideri cognoſcat, ſi ei mulier papillas diſcooperiens ſugendas offerat, etſi pro muneribus magnis, ac pretioſis duas eidem, vel tres avellanas porrigat. Propter hoc igitur paulatim erudito genere humano tam doctrina legis Hebræorum & Prophetarum, quàm Phiſicis dogmatibus, & aliis creatoris eruditionibus atque miraculis, bona ſublimia promiſſa ſunt in lege veritatis, & perfectionis, & promiſſa bona ſublimia, videlicet bona alterius vitæ, quæ ſola digna ſunt excellentiâ generis humani, & perfectione ejuſdem, in quo nobilitati Philoſophorum ſatisfactum eſt, ſimiliter & aliorum ſapientum, qui & puerilia hujuſmodi munuſcula contemnenda eſſe cognoverunt, & docente Dei ſapientiâ per legem & doctrinam Chriſtianorum, promiſſiones bonorum deſiderabilium, hoc eſt, futurorum, totâ aviditate receperunt. Similiter & comminationibus malorum magnorum deterriti ad virtutes ſublimes confugerunt. Intelligentes in lege hujuſmodi, & evidentiſſimè cognoſcentes perfectiones, quas quærebant. Intellige igitur ex his, quia lex & doctrina Chriſtianorum non univerſali populo, ut puerili data eſt, quod manifeſtum eſt ex promiſſionibus, & comminationibus ejuſdem, quoniàm earum cognitio non cadit in animos pueriles, nec ab eis capiuntur. Apparet igitur ex his, quæ dixi tibi, intentio bonitatis creatoris circa utraque bona prædicta, quia per altera intendit ſuſtentationem communem omnium hominum: ſpecialiter autem blandiri puerilibus, & eos attrahere ad majora futura videlicet, & præſentem miſeriam taliter qualiter conſolari: per altera verò intendit bona diſciplinæ, hoc eſt, retrahere & præſervare à malis vitiorum, & peccatorum. Et jam dixi tibi in præcedentibus, quia nullus eſt, cui ipſa mors corporalis utilis non *Mors corporalis utilis omnibus.* ſit. Sanctis enim & juſtis liberatio eſt à præſentibus malis omnibuſque periculis, exituſque de carceribus & vinculis, & egreſſus ad regnum fœlicitatis futuræ. Multa etiam alia bona mortis corporalis per me aliàs audiviſti. Malis verò, & quibus ſtatim poſt mortem imminet infernale ſupplicium, in hoc mors utilis eſt, quoniàm malis meritis ſuis, à quibus reſipiſcere non proponunt perſiſtendo in eis, majoris damnationis ſibi ſupplicia cumularent. Di-

E co autem, reſipiſcere non proponunt: quoniàm quicunque hoc proponit, ſanctus & juſtus eſt; pro- *Propoſitum recte vivendi.* poſitum enim non peccandi de cætero, & rectè vivendi continuè in poſterum omnem maculam peccati mortalem abolet & abradit ab animabus humanis, ſicut & voluntas, quâ hoc vult, non dico, vellet. Sic igitur volentibus reſtat interdùm aliqua ſatisfactio, quæ non minùs purgatio eſt poſt mortem; ſatisfactio autem & purgatio, juſtitiam, & ſanctitatem non extinguunt, aut minuunt, quin potiùs adjuvant multipliciter, atque clarificant, ſicut alibi didiciſti. Eſt & alia utilitas hujus mortis communiter evenientis juſtis & injuſtis hominibus: *Utilitas alia mortis temporalis.* eſt enim non levis admonitio mortalium ad præparationem finis ſui & exitûs de hac vita, & magna exercitatio contra torporem atque pigritiam humanam. quâ quædam in vita iſta velut dormientes ſunt, & omninò neſcientes quid eis, vel circa eos
F agatur, neque præcogitare † volentes, quid eis immineat. Eſt etiam ipſa mors aliena adjumentum *† Aliàs valentes.* validum ad contemptum vitæ præſentis, de qua creator evidenter oſtendit, quàm parùm illâ appretietur, & quâ parvi nobis ipſis eſſe debeat, quâ tam facilè extinguibilem fecit, & tot mortis generibus ſubjecit. Mala igitur hujuſmodi & bonis, & malis communiter eveniunt, & omnibus indubitanter. ſed non æqualiter proſunt. Dico etiam, quia ipſis injuſtis, & peccatoribus multoties præſtantur, ut horrore tempeſtatis. & metu mortis imminentis, avertantur à ſuis vitiis, & peccatis. Eſt enim timor *Timor utilis.* fortiſſimæ virtutis ad expellenda peccata, & ad abrumpendum homines à viis ſuis malis, & perverſitate conſuetudinis. Manifeſtum igitur eſt, quia expedit, & eſt ſaluberrimum multis ex peccatoribus, perire naufragiis: quantò fortiùs ergo ſanctis & juſtis? Hoc autem fiet tibi manifeſtius teſtimonio eorum, qui frequenter navigant, & verſantur in ma-
G ribus. Ipſi enim manifeſtè narrant atque teſtantur, numquàm adeò ſibi diſplicuiſſe vitia ſua, & peccata, numquàm adeò doluiſſe. vel pœnituiſſe de illis: numquàm adeò deſideràſſe, & amàſſe juſtitiam & ſanctitatem, quàm cùm ſibi videbant imminere naufragii periculum. Quia igitur nulli incredibile, vel ignotum eſt creatorem prænoſcere hæc bona provenire bonis & malis, juſtis & injuſtis communiter ex naufragiorum periculis, quid mirum ſi creator vult eiſdem eſſe communia hujuſmodi pericula? ubi enim effectus communis, & utilitas, non indecens eſt cauſam eſſe communem.

CAPUT VII.

Quòd furioſi non ſint extra curam Dei, & quòd mala pœnalia non debent dici verè mala.

De furioſis verò reſpondeo, quia non ſunt extra curam, & providentiam creatoris, cùm videa-
H mus quoſdam religari, vel flagellari, ne ſibi, vel aliis noceant, cùm etiam videamus eos paſci, nutriri, & veſtiri, & alia neceſſaria eiſdem præſtari, quod ſive ex naturali amore, ſive ex pietate præſtantium, ſive etiam ad cuſtodiam vel rerum, vel hominum, quibus nocere poſſent, ſi dimitterentur; per curam ſiunt hæc omnia, & providentiam creatoris, cujus dona ſunt amor, pietas, & ſolicitudo prædicta. Quòd ſi dixerit quis, quia in hujuſmodi ſatis apparet cura & providentia creatoris, ſed in furioſis, qui ſibi ipſis dimittuntur, nulla eſſe videtur, cùm neque à ſeipſis, nec ab aliis regantur: reſpondeo, quia in quibuſdam ipſa dimiſſio, quâ ſibi dimiſſi videntur, non ſolùm eſt per curam & providentiam creatoris, ſed etiam per curam & providentiam hominum,

Digitized by Google

hominum, & hoc, quoniàm quidam propter hoc ſolvuntur à vinculis, & liberi dimittuntur, quia ipſa dimiſſio, & libertas, diſcurſus & evagatio contra furioſitatem ſalutaris eſt eiſdem. Nec adhuc pervenit ad me, quòd aliâ de cauſa dimitteretur ſibi ipſi furioſus. Sed neque etiam hâc de cauſa dimittitur, ſi ejus dimiſſio, atque libertas aliis periculoſa videtur. Quòd ſi etiam de vinculis evaſerit, ſicut interdùm contingit, manifeſtum eſt ex hoc & ſibi, & aliis bona magna provenire. & ei quidem provenit bonum cautioris cuſtodiæ, videntibus autem illum eſſe ſuo, & aliorum periculo liberum, provenit inde provocatio ad pietatem, & beneficentiam in ipſum. Quæ tria magna eſſe bona, & creatori accepta, nemo rationalis dubitat, etſi etiam aliquem læſerit, antequàm comprehendatur, hoc ipſum utilitates quas jam didiciſti, & forſitan multas alias parit. Si verò ſemetipſum in aquam, vel ignem præcipitaverit, & hoc ipſum eidem utile eſt, ſicut audiviſti, & eis etiam quos lædere poterat, bonum pacis, & ſecuritatis ab eo per mortem ipſius provenit. De ipſo etiam malo furoris dico, quòd plerumque, immò ſemper valdè utile eſt furioſis: ſive enim boni, & juſti ſint, cùm in furorem incidunt, in tuto ponitur per furorem ſanctitas eorum, ſive bonitas, cùm tempore furoris peccare non poſſint, & ita nec amitti ab eis, nec minui eo tempore ſanctitas, & juſtitia eorum poſſit, cùm per ſola peccata ſanctitatem, & juſtitiam poſſibile ſit vel minui, vel omninò tolli, ſive mali & injuſti ſint, in hoc eis per furorem conſulitur, ut malitia eorundem eo tempore non augeatur, & propter hoc ne futuræ damnationis ſupplicia eis creſcant. Quòd ſi creditur Galeno, adjuvat hunc ſermonem id, quod dicit in libro de Melancholia, videlicet quia quidam ex nimio deſiderio videndi Deum, nimiaque ſolicitudine circa hoc, incidere in melancholiam, quod non eſſet poſſibile apud creatoris bonitatem, videlicet ut ex tanto bono, tamque ei accepto, quantum eſt deſiderium videndi ipſum, & circa hoc vehementer eſſe ſolicitum, permitteret eos in tantum malum incidere, morbum videlicet melancholiæ niſi eiſdem ipſum prænoſceret utilem fore multipliciter, & ſalubre. Debes autem ſcire, quia tempore meo multi fuerunt viri ſanctiſſimi ac religioſiſſimi, quibus deſiderio magno erat morbus melancholiæ propter ſecuritatem antedictam. Unde & cùm inter eos eſſet quidam melancholicus, & ſtatum ejus non mediocriter affectarent, apertè dicebant Deum inæſtimabilem gratiam illi melancholico contuliſſe in hoc, videlicet quòd bona ejus ſpiritualia adeò in tuto eidem conſtituerat, ut ea amittere non poſſet, cùm bona hujuſmodi, niſi per peccata, ut prædixi, amitti non poſſit. Quòd ſi dixerit quis, quia non eſt impoſſibile apud voluntatem creatoris, ut propter bona aliquis mala recipere permittatur, neque rarum eſſe, immò frequentiſſimum: quis enim dubitat multos occidi pro juſtitia, quia eam, vel fecerunt, vel deſerere nolebant? ab idolatris quot millia hominum interfecta ſunt, quoniàm à cultura creatoris, quæ dubitari non poteſt juſtiſſima, recedere nolebant, & quoniàm idola colere, vel eis ſacrificare contemnebant? Deindè quot millia matronarum, & virginum interfecta, pro eo quòd libidinibus corruptorum coinquinati renuebant. In hoc igitur reſpondeo, quia multa hujuſmodi pœnalia à vulgaribus & inſipientibus hominibus & malè, & falsè, & etiam injuſtè dicuntur, atque creduntur. Non enim poſſunt eſſe mala, quæ juſta ſunt, & quæ judicio creatoris, quem errare, vel falli impoſſibile eſt, bona ſunt, ac ejuſdem remuneratione di-

Nota.

Furoris utilitas.

Galenus.

Melãcholia à multis expetita.

A gniſſima: nec adhuc dubitatum eſt à quoquam intelligente, quin pati pro veritate & juſtitia, & bonum, & iuſtum ſit, & apud homines glorioſum, laudeque digniſſimum, apud etiam juſtitiam creatoris remunerabiliſſimum. Malè igitur, atque damnabiliter infliguntur mala pro bonis, ſed laudabiliſſimè tolerantur. Non nôrunt ergo virtutem patientiæ, neque rectitudinem eius pulchritudinemque ipſius, & gloriam penitùs ignorant, qui needum ſciunt, quàm decorum ſit pati pro juſtitia, & quòd patientia omnium aliarum virtutum protectrix eſt, & velut clypeus, omnes ictus, & inſultus, quibus aliæ impugnantur, cunctaque jacula, quæ in eis jaciuntur, in ſemetipſa excipiens, & elidens, omnes illæſas protegit, & cuſtodit. Et ſermo iſte de patientia, B quem hîc dico, determinatio eſt quæſtionis quartæ, quam proximè ſupra poſui.

Patientia clypeus quidam.

CAPUT VIII.

Quòd voluptuosè viventes, & barbaræ nationes, non ſunt extra curam Dei.

DE his verò qui voluptuosè hîc vivere vidẽtur, & pro voto, tanquã vitiis proſtituti & expoſiti per omnia, qualiter ſub cura, & providẽtia creatoris vivant: hinc intelliges, quia qui donis creatoris ad ſolas voluptates utuntur, quique adeò dediti ſunt voluptatibus, moleſtias divinorum flagellorum nullatenùs ferre poſſent, immò occaſionaliter per eas deteriores fierent. Quanto enim dolore, quantâ iracundiâ tabeſcerent, & excandeſcerent, ſi eis delitiæ, quas ſummoperè amant, auferrentur: inde maC nifeſtè videre potes. quoniàm delitiarum ablatione inſaniunt. Ampliùs. Si eis donis quæ maximè amãt, & de quibus maximè gaudent, non provocantur ad amorem creatoris, ſed potiùs ingrati eorum, abutuntur eis in tantam animarum ſuarum perniciem, quid credis eos facturos in flagellis contrariis? proculdubiò inſanirent uſque ad blaſphemias creatoris, & perverterentur ad negandum ipſum, & etiam in nefandam idolatriam corruerent, ſicut de multis jam audiviſti. Conſultò igitur ſapientia, & bonitas creatoris elegit huiuſmodi homines, quantùm in ſe eſt, provocare, & attrahere ad ſe donis, & beneficiis, quæ maximè diligunt quàm conterere flagellis, & à ſe abſterrere tribulationum doloribus, quas maximè oderunt. Si enim lactis dulcedine non provocatur parvulus, ut papillas diligat, & eis adhæreat: quantò minùs attrahetur abſynthii, aut cujuſcûque alterius amaritudine? propter hoc enim & creator providentiſſimus dulcedinem in lacte poſuit mammillarum, ut ipſum appetibile, atque amabile faceret parvulis, qui nutriri ejuſdem ſubſtantiâ totâ ætate parvulâ indigent. Ad hoc igitur dulcedo temporalium bonorum potiſſimùm creata eſt, ut parvulos adhuc ſapientia nutriat in amore, & D obedientia creatoris, non ſolùm ut eos corporaliter nutriat, & impinguet. Nec fas eſt ſentire de ſapientia, & bonitate creatoris, ut corpora humana tantoperè curet, & animas negligat, & ut bona corporalia, quæ ingratis, & inſipiẽtibus, per ingratitudinẽ & abuſionẽ ſuã adeò noxia efficiũtur, tãtã profuſione ſuæ largitatis tribuat: quæ verò tã neceſſaria, tãq; ſalutaria hominibus, & ſine quibus ipſa bona corporalia pernicioſa eſſe conſpicit, avaritiâ, & credulitate, quarum utramque de ipſo cogitare nefas eſt omninò gladio & igne ab ipſo exterminandum, largiri non curet. Quòd ſi dixerit quis, huiuſmodi bona corporalia, ſeu temporalia multis non eſſe provocatoria, aut nutritoria amoris, & obedientiæ in creatorem, quin potiùs in perverſionem, & corruptionẽ animarum ſuarum, videlicet in ſuperbiam, & luxuriam, cæteraſque peſtes vitiorum,

Deus animas præcipuè curat.

Digitized by Google

ideò non divinâ providentiâ, aut curâ ea dari hominibus, cùm intentio ſapientiæ & bonitatis creatoris ſit, ut dona ejus proſint recipientibus, non autem ullo modo eum ut noceant: Reſpondeo quia veriſſimus eſt ſermo ultimus hic, videlicet de intentione ſapientiæ & bonitatis creatoris, & præter intentionem ipſius reverà eſt, quòd bona Dei dona hujuſmodi homines in propriam vertunt perniciem, quod indubitanter faciunt per abuſivam intorſionem datæ ſibi à creatore liberæ poteſtatis. Hujuſmodi rei autem exempla multa ſunt. Dedit quidem vinum creator hominibus ad ſalubritatem, quod multi ex eis in verterunt in ebrietatem. Dedit etiam ignem multiplex adjumentum ſalutis, & conſervationis, furioſi tamen in eam ſe præcipitantes, ipſum faciunt inſtrumentum perditionis. Dedit etiam aquam eiſdem ad utilitatem tam multiplices, tamque neceſſarias; multi tamen per inſaniam in eam ſe immergentes enecantur. Dat interdùm paterfamilias filio gladium ad ipſius defenſionem, qui tamen per furorem, aut iracundiam nimiam eodem ſe perimit. Sic & lux ſolaris tam latè, tamque longè ad illuminationem oculorum radians fit eiſdem in obtenebrationē per nimietatem, ſive ſuperabundantiam aſpectus in eum, vel lumen ipſius. Quoniàm autem manifeſtum eſt omnes hujuſmodi abuſiones & intorſiones culpabiles eſſe, atque peccata & pravitates, utpote contra rectitudinem, dignum & juſtum eſt, atque juſtitiæ creatoris convenientiſſimum, ut hæc peccata pœna ſequatur, & Dei dona, quæ pervertterunt in abuſionem culpæ, ſint eis cauſa juſtæ pœnæ. Juſtiſſimum igitur eſt; ut abuſionem vini ſequatur ebrietas, vel alia pœna juxta beneplacitum creatoris, quemadmodùm interdùm ſequitur eam hydropiſis, interdùm febris aliqua, interdùm ſomnus inexcitabilis, per quem datur opportunitas latronibus ſpoliandi, aut etiam jugulandi ebrios. Sunt & alii caſus innumeri, atque mala ex ebrietate provenientia. Apparet igitur in his omnibus pœnis evidenter, ſcilicet abutentium beneficiis creatoris ipſius, juſtitia. In benè verò utentibus eiſdem ejuſdē prælarga benignitas. Utraque autem indubitanter ad curam & providentiam ipſius pertinent, videlicet, & quæ juſta ſunt, & quæ, ut ita dicatur, benigna. Nec dubitatur, quin vinum virtute ſuâ naturali, quam habet à creatore, inebriet quemquam: non quòd ad hoc hujuſmodi virtutem creator eidem dedit, ſed per occaſionem abuſionis malè utentis fit creatori inſtrumentum juſtiſſimæ ultionis. Quapropter veriſſimum eſt, quia qui ſic beneficia creatoris in ſuam invertunt perniciem, eadem arma creatoris faciunt, & inſtrumenta juſtitiæ circa ſemetipſos. Quin autem placeat hujuſmodi juſtitia creatori, apud intelligentes dubium non eſt. Utriquc igitur homines, id eſt & benè, & malè utentes Dei beneficiis, vel ſub larga beneficentia rectè ſe regunt, atque compoſitè, vel ſub ejus juſtitia vindictas ejuſdem juſtiſſimas patiuntur. Quis autem non videat ſub ejuſdem Regis regimine, atque gubernatione eſſe bonos, quibus pacem, & alia bona largitur, & maleficos, quos juſto judicio, atque juſtitiâ torquet & punit. Si verò dixerit aliquis, quòd hujuſmodi pœnas non intendit creator, facile eſt tibi videre, quia ſermo hujuſmodi hominis erroneus eſt. Cùm enim manifeſtum ſit pœnas omnes hujuſmodi juſtas eſſe, & propter hoc bonas, & creatori placitas, neceſſe eſt creatoris intentionem cadere ſuper illas. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm cùm non ſit fons juſtitiæ, præter ipſum creatorem, nec ſtillam eſt reperire juſtitiæ, quæ non ſit donum ipſius: quòd igitur juſtæ ſunt pœnæ hujuſmodi, ex dono eſt creatoris.

Reſponſio.

Mala ebrietatis.

Nota.

E Quicquid autem dat creator, dat ſciens, prudens, & vigilanter, atque volens, non ignorans, aut dormiens. Quare ſciente, volente, & dono ſuo hoc faciente creatore, juſtæ ſunt, & juſtæ hujuſmodi hominibus inflictiones; per curam igitur, & providentiam creatoris. Ampliùs. Certum eſt, quoniàm in regno totaliter, & immediatè ſubjecto regi ſuo juſtiſſimo, nec fit juſtitia, vel judicium, niſi per providentiam & curam ipſius; quia nec poteſtas judicandi eſt in eodem regno cuiquam, niſi ab eo, & per ipſum, & multò fortiùs ſi nec voluntas faciendi judicium, aut juſtitiam, nec ſcientia cuiquam fuerit in hujuſmodi regno, niſi per illum regem. Quia igitur univerſa ſeries ſæculorum regnum eſt creatoris, & nulli eſt in ea poteſtas, vel voluntas, aut ſcientia, judicium, vel juſtitiam faciendi, niſi à creatore, & per ipſum, nec judicium, nec juſtitia fit in tota ſerie ſæculorum, niſi ab eo, & per ipſum; juſtitia igitur, quâ abuſores beneficiorum ejus tam juſtis pœnis juſtitiantur, ab ipſo eſt, & per ipſum, & hoc utique ſcienter, atque volenter, ut prædixi. F Quicquid igitur juſtitiæ fit in totalitate univerſi, ſive in exemplis propoſitis, vel alibi, per curam fit, & providentiam creatoris. Ampliùs. Quàm ſalutaria ſunt judicia, quàm neceſſariæ juſtitiæ, quot & quanta bona, atque utilitates ex eis proveniant rebus humanis, manifeſtum eſt, etiam pauca intelligentibus, & eſt intentio mea in hoc ſermone de judiciis & juſtitiis, quæ per judices, atque juſtitiarios homines exercentur: tanta autem bona, videlicet judicium, & juſtitiam eſſe in rebus humanis, ubicunque ſunt, dubitari non poteſt, cùm incomparabiliter, minúſque utilia rebus humanis providere nec unquàm ceſſaverit, nec adhuc ceſſet: neceſſe igitur eſt, ubi per homines judicium & juſtitia non ſunt, aut exercentur, divinam ſapientiam, & bonitatem iſta tanta bona vel per ſe, vel per alias creaturas hominibus ſupplere; & hoc non ſolùm Prophetarum, hiſtoriarumque authenticarum teſtimoniis notum, ſed etiam iugi experientiâ. G Manifeſtum eſt, quòd per aquas quidem diluvii univerſalis in totum genus humanum, velut univerſale iudicium & iuſtitiam exercuit, ubi ab huiuſmodi inundatione, atque conſumptione, octo hominibus ſolis parcendum duxit. Per pluviam ignis, & ſulphuris, flagitia quinque civitatum vindicavit: famoſiſſima ſunt judicia, quæ in Ægyptios, & Deos eorum, per beſtiolas ranarum, & ciniſum per ignē & grādinē per cōverſionē aquarū in ſanguinē, per obtenebrationē eius partis Ægypti, in qua erant Ægyptii, per illuminationem eius partis, quam inhabitabant Hebræi; & noviſſimè per ſubmerſionem regis Ægypti, & totius exercitus ſui in mari rubro, fecit altiſſimus, in ipſos etiam [illegible]æos multoties ultiones per ignem, & interdùm p[illegible] ipſam terram, hiatu ſuo abſorbentem aliquos ex ipſis, creatorem H feciſſe certiſſimæ narrant hiſtoriæ. Peſtes inſuper, fames, & ſterilitates, ſiccitateſque, & pluviarum defectus notiſſimæ ſunt, quæ creatoris judicio, & juſtitiâ propter peccata hominum facta eſſe non dubitantur, cùm in eas, earumque contraria ſolus habeat poteſtatem. Legentibus etiam hiſtorias manifeſtum eſt, & urſos, & alias beſtias, videlicet locuſtas, & mures in vindictam miſſas eſſe ſuper nationes iniquas. De tempeſtatibus verò maris, & terræ, hoc eſt, inundationibus, & terræ motibus, demerſionibus, & conflagrationibus civitatum, & regionum, non eſt neceſſe ut loquar tibi. Diligentem autem conſiderationem faciens per ſingula, invenies nihil vacare à creatoris juſtitia, quandò & ipſas belluas, & penè omnia genera animaliū invenies quandam exercere juſtitiam, & jura ſua defendere.

Series ſæculorum regnum creatoris.

Iudicia Dei & vindictæ in genus humanū.

Vindictæ Dei.

Iuſtitia Dei ubique.

Attende

Attende qualiter urſa rapinâ, vel necem catulorum A ſuorũ vindicet. Similiter & leo, qualiter pro uxoribus, pro nidis pro eſcis, & pro pullis, ſeu fœtibus ſuis pugnet: quantâ juſtitiâ labores ſuos maſculi, & fœminæ invicem patiantur, ut fœminâ remanente in nido, vel ſpelunca maſculus ad perquirendum cibum, atque reportandum fœminæ ſuæ & fœtibus egrediatur, & regrediatur. Tempore etiam meo ciconia, tanquàm de adulterio convicta per olfactum maſculi ſui, congregata multitudine ciconiarum, neſcio qualiter accuſante maſculo, vel deregente ejus crimen, à tota illa multitudine deplumata, atque dilacerata eſt, tanquàm concilio, aut judicio omnium eſſet adulterii judicata. Narratur etiam de equo, qui ignoranter cum matre ſua concubuerat, poſtquàm hoc deprehendit, propriis dentibus ſibi genitalia abſcidiſſe, tanquàm in ſeipſum vindicans inceſtum quem cõmiſiſſe ſibi videbatur, licet ignorans. eo quòd operimento abſcondita fuiſſet ei mater ejus, dùm eam aſcendebat. Angelos etiam ſanctos, necnon & malos miſſos eſſe ſæpè in vindictam ſcelerum legere potes in libris hiſtoriarum, maximè gentis Hebræorum, atque gentis Chriſtianorum, quarum gentium hiſtoriis nemo ſapiens dubitat eſſe credendum. In narrationibus autem gentis Chriſtianorum, & miraculis eorum, quarum & admodùm ſalutaris, & valde jocunda eſt inſpectio: invenies innumeras & conſolationes angelicas, & vindictas magnificas ſceleratoſque principes multos arreptos à dæmonibus & miſerabiliter cruciatos. Si quis autem dubitat de barbaris nationibus, quæ omninò extra leges, & extra regnum omne eſſe videntur: ſcito quia nulla eſt natio adeò barbara, quæ majores ſuos non habeat, quibus paret, & per quos utcunque regitur: ſimiliter & deos, & ſacra, quæ magis execrationes dicendæ ſunt, & ritus aliquos, & cæremonias, non tam impias quàm etiam ridiculoſas. Adjuvat & gubernationẽ earum, ipſa feritas, ſeu ferocitas barbarica, per quas ſe invicem reprimunt & caſtigant, nec permittitur barbarus in barbarum ſævire abſque vindicta; qualem quidem irrogare ſufficit ipſe, qui patitur, & propter hoc mutuo ſe invicem timore compeſcunt aliquatenùs. Ipſa etiam barbaries, atque indomabilitas, atque incredulitas juſtiſſimæ pœnæ ſunt nationum hujuſmodi ex juſtiſſima deſertione creatoris, qui nec duces, nec rectores, neque doctores eis adhuc dedit, quibus erudirentur, & componerentur ad inſtar nationum, quæ vivunt, ut homines. Et quoniàm alibi didiciſti, aliam juſtitiam eſſe naturalem, aliam verò poſitivam, & inſtitutam per homines: tertiam verò divinam ab ipſo creatore inſtitutam, & hoc eſt de componendis ad perfectionem moribus humanis, atque de cultu ei per ſe placitiſſimo, atque ſanctiſſimo; quemque ſolum ipſemet dignum reputat remuneratione fœlicitatis æternæ, circumi, & inveſtiga univerſum mundum ſublunarem, & invenies evidenter nihil vacare ab iſtis tribus generibus juſtitiæ. Invenies unumquodque regi aliquo iſtorum trium generum, vel duobus, vel omnibus tribus. Quia igitur iſtæ omnes juſtitiæ, ſive leges à creatore ſunt & per ipſum, manifeſtum eſt nihil eſſe in mundo ſublunari, quod non aliquâ lege creatoris, vel aliquibus ejuſdem legibus regatur. Quicquid autem regitur lege, vel legibus cujuſcunque, curâ, & providentiâ ejuſdem regitur indubitanter. Nihil igitur eſt in univerſo ſublunari vel hominum, vel animalium, quod non regatur curâ, & providentiâ creatoris.

Mirum de ciconia

De equo.

Nota.

Nota.

Providentia creatoris in mũdo toto ſublunari.

CAPUT IX.

Quòd delitioſe viventes vindictam Dei faciunt in ſeipſis, & quòd ſæpe proſperi eventus fiunt cauſa ſalutis.

REvertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quia homines, qui voluptuosè, & pro voto vivere hîc videntur, & beneficiis creatoris abutuntur in ſuperbias, avaritias, luxurias ſuas, cæteraſque peſtes hujuſmodi, ipſa beneficia, ſicut dixi, ſibi faciunt pœnalia, & inſtrumenta contra ſe ipſos divinæ juſtitiæ, & ſic creatoris donis abutentes, executores ſunt, licet neſcientes, contra ſemetipſos divinæ juſtitiæ, atrociſſimi quippe lictores ſunt animarum ſuarum. dùm delitiis eas inebriant, & excæcant. Mala verò ſuperbiæ, & avaritiæ, & B aliorum vitiorum. quos morbos, & vulnera, ſervitutes, & vincula omnis ſapientia Philoſophorum, cæterorumque ſapientum nominat, quis metiatur, aut numeret? Quis divitias corporales theſauris honeſtatis, & virtutum divitiis compararet? Si igitur ablatio pecuniæ corporalis pœna eſt, & ablator ejus punitor amittentis eam: quantò fortiùs ablatio divitiarum prænominatarum eſt pœna, & ablator earum punitor amittentis eam & hæc tantò acrior, quantò ſpirituales illæ divitiæ excellentiores. Ad hunc modum, qui corporalia mala inferunt, vel morbos, & vulnera, carceres, & vincula, ſi verè lictores ſunt eorum, quibus hæc irrogant; quantò fortiùs qui morbos, & vulnera ſpiritualia cæteraque mala hujuſmodi, & inimici, vel lictores reputandi ſunt patientium? cùm hæc mala tantò deteriora ſint malis corporalibus, quantò animæ humanæ præcellunt corporibus. Verus igitur C eſt ſermo, quem dixi, quia creatoris beneficia inſtrumenta ſibi pœnarum faciunt, & ſe ipſos executores divinæ juſtitiæ, licet ignorantes, conſtituunt, dùm creatoris injurias, & contumelias in animas ſuas tam atrociter vindicant, & plerunque in corpora ſua, ſicut prætetigi tibi. Quare juſtiſſimo creatori judicio, & per omnia laudanda juſtitia ejuſdem ſerviunt in executionem contra ſemetipſos juſtitiæ, qui ingratos ſeipſos de beneficiis exhibentes, ſervi voluntarii nolunt eſſe ejuſdem juſtitiæ. Debes autem ſcire, quia interdùm impiis, atque peſſimis hominibus prodeſt divinæ largitatis beneficentia, & à malis ſuis, hoc eſt, vitiis, & peccatis avertit, ſicut accidit tempore meo de quodam divite, & magno, cujus vita cùm eſſet de tantis beneficiis creatoris ingratiſſima, luxuriaque ſpurciſſima, & nihilominùs electus eſſet ad honorem, & dignitatem pontificalem, oblata ſibi electione ſtatim dixit: viciſti me benigniſſime, ac dulciſſime Deus D infatigabili bonitate, & beneficentia tua, quia beneficia tua mihi ſemper largiri non ceſſaſti, cùm & ego mala ſemper reddere non deſtiti. Nunc autem me omni bono indigniſſimum, omni damnatione, & morte digniſſimum, ad iſtum tantæ ſublimitatis honorem vocare feciſti, concluſiſti mihi, & concluſum me pietati tuæ trado, de cætero abdicans & hunc honorem, & omnia bona tua temporalia, quibus iam ingratè, tamque damnabiliter abuſus ſum. Abiens igitur relictis omnibus arctiſſimæ religioni ſe dedit, ibidem perpetuò creatori victurus. Noſti etiam quia liberatio de periculis tempeſtatum, de carceribus, obtentus victoriarũ, innumerabiles averti à ſuis vitiis, & peccatis, & ad emendationem vitæ eorum, & morum compoſitionem induxit. Sic & alia beneficia creatoris multos etiam, de quibus neſcitur, ad amorem creatoris, &

Donis Dei abutentes.

Morbi animæ.

Nota hoc exemplũ.

Beneficia Dei.

obedientiam induxerunt. Quarta verò quæſtio facilè determinabilis eſt poſt hoc, de his videlicet, qui flagellis, & tribulationibus, omnibuſque corporalibus incommodis expoſiti ſunt. Dico enim quoniàm patiuntur hæc pro juſtitia, & ab impiis hominibus, videlicet volentes eam ſervare, & non deſerere, neque iniquitati conſentire: & tunc manifeſtum eſt hoc non eſſe extra curam, & providentiam creatoris, cùm nihil juſtius, nihil legi creatoris conſonantius, nihil eidem acceptius, aut apud ipſum remunerabilius. Si verò pro delictis ſuis, & facinoribus, hoc patiuntur, & hoc utique juſtiſſimum eſt, non ſolùm curâ & providentiâ divinâ, ſed etiam ejuſdem procuratione digniſſima. Ampliùs. Cùm nec ſic reſipiſcant, nec à malis ſuis revertantur, manifeſtum eſt etiam, quia majoribus ſuppliciis digni ſunt: juſtè igitur infliguntur eis ea, quæ patiuntur, & miſericorditer de meritis ſuppliciis detrahitur eis. Ampliùs. Cùm eorum malitiam tanta flagella non avertant, quanta eſſet, & quouſque procederet, niſi flagellis reprimeretur, & frænaretur. Manifeſtum igitur eſt quia non derelinquuntur à creatore, quorum malitiæ ſic conſulitur, ut per flagella ſaltem aliquatenùs reprimatur. Aliis etiam hominibus in hoc utiliter providetur, quòd tanta malitia per crebra flagella repreſſa in eos graſſari non ſinitur. Solicitè igitur, ac perſcrutatè intellige ſermonem meum de malis pœnalibus, & de malis culpabilibus, & attende, quia mala pœnalia, & omninò culpâ carentia, bona propriè, & verè ſunt, ſed inſipientia hominum, & corruptio palati cordis humani, malitiæ nomen ejus impoſuit. Inſipientia quippe hominum, & ea fugere facit, & etiam ut eiſdem fugienda videantur, ſicut vides in equo umbratico, qui fugit quod fugiendum eidem non eſt, & ex eodem vitio umbraticitatis periculum æſtimat, ubi non eſt, niſi ſecuritas. Eodem modo, quoniàm hujuſmodi bona palatum cordis corruptum habentibus malè ſapiunt, etiam mala bona nominant, & bona mala, dicentes bonum malum, & malum bonum, atque ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, ſicut ait ſermo propheticus. Hujuſmodi ergo nominationes ſunt, quemadmodùm ſi febricitantes impoſuiſſent nomina ſaporalibus, & noctuæ luci, & tenebris. Non enim dubium eſt, quin febricitantibus dulcia amaritudinem ſapiant, & amara dulcedinem; ſimiliter manifeſtum eſt, quia noctuis & veſpertilionibus, cæteriſque ſimilibus, lux tenebra videtur, & tenebra lux, ſimiliter nox dies, & dies nox. Attende etiam, quia in errorem Epicuri proculdubiò declinant, quibus vel ſola pœnalitas malitia, vel ſola voluptas maximè bonum videtur. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm neceſſe eſt ut eiſdem vel ſola voluptas bonum, vel maximè videatur. Apparet igitur tibi evidenter ex his, utraque iſta bona, cùm dona creatoris ſint, & non niſi ſcienter, & volenter donentur ab ipſo non eſſe extra curam, & providentiam ipſius, licet per actiones iniquas, atque perverſas, mala pœnalia infligantur patientibus. Quòd ſi quis quærat qualiter mali homines per actiones malas ſuas cauſæ efficientes poſſint dici, & ipſe creator ſimul cum eis; jam determinavi tibi, quia creator cauſa eſt eorum per intentionem rectiſſimam faciens, non tantùm, ut ſint, ſed etiam, ut bonæ, & ſalutares, & multipliciter utiles ſint. Cujus exemplum eſt in impio, qui vulneravit alium gladio, ubi manifeſtum eſt, quia vulnus exivit ab eo per malam voluntatem, tamen per potentiam datam à creatore & ipſi & gladio, & etiam per poſſibilitatem, hoc eſt per poteſtatem recipiendi vulnus ipſi vulnerato. Intendebat igitur impius nocere vulnerato per vulnus, creator

Equus umbraticus.

Febricitantibus dulcia amara.

E verò per idem vulnus intendebat contrarium, videlicet eidem prodeſſe. Elicuit igitur impius ex potentia bona malum, videlicet malam actionem, creator verò paſſionem bonam. Abſit autem ut ſoli malitiæ infligentis attribuendum ſit vulnus illatum, cùm & potentia ferientis, & voluntas, id eſt, vis volendi, & ipſe gladius, & ipſa poſſibilitas, ut dixi, patientis, bona creatoris dona ſint. Ipſa igitur malitia ferientis & ipſi vulnerato ſervit, & prodeſt, invito feriente, & ipſi creatori, & ob hanc cauſam eſſe permittitur, vel ſinitur. Cùm igitur tot Dei dona adjuvent, & cooperentur ex ipſa intentione creatoris ipſum eſſe vulneris, aut doloris ex vulnere, cùm eſſe vulneris & doloris creatori placeat, non immeritò ejus eſſe attribuendum eſt creatori. Malitia ve-

F rò eidem nullatenùs attribuenda, præſertim cùm multi hoc opinentur, quòd malum velle, & malum agere, hoc ipſum quod eſt, à creatore eſt. Sed inordinatio ejus, atque deflexio à debita rectitudine, quæ & malitia eſt, & pravitas, tam ipſius agere, quàm ipſius velle, à malè agente, & malè volente eſt. Hic autem eſt intellectus eorum ſecundùm intentionem meam quemadmodùm ſi diceretur, idem eſſe ſecundùm eſſentiam, & veritatem, occiſionem hujus hominis, cùm occiditur per judicium & juſtitiam, & cùm occiditur per iniquitatem, & impietatè: idem igitur eſt ejus eſſe utrumque. Quare ſi ejus eſſe eſt à creatore, cùm eſt per judicium, & juſtitiam erit & à creatore etiam, cùm fuerit per iniquitatem, aut impietatem, præſertim cùm iniquitas, & impietas non videantur poſſe dare eſſe, vel illi, vel alij. Ampliùs. Inordinatio, & pravitas quas dixi, accidunt & ipſi eſſe, & ipſi velle, & ipſi

G agere: non conſtituunt igitur eis eſſe, nec dant illis; omnia autem alia, ex quibus procedit ipſum velle, vel agere malum, bona dona creatoris ſunt. Nec velle igitur, nec agere quodcunque, non eſt, niſi ex Dei altiſſimi donis, quod eſt, & inquantùm eſt, & propter hoc non eſt niſi bonum omne agere, & omne velle, quod eſt, & inquantùm eſt. Non eſt igitur mirum, ſi mala agere, & mala velle ſunt quod ſunt à creatore, & per curam, ac providentiam ipſius, & ſi bonæ ſunt paſſiones, quæ ex illis ſequuntur. Hujuſmodi autem exemplum unum eſt in motu navis, qui non poteſt dici non eſſe à vento, vel aqua, vel ambobus ſimul: quòd autem ſit non rectus, vel diſtortus poteſt eſſe, vel à mala diſpoſitione veli, vel à mala diſpoſitione gubernaculi manifeſtum autem eſt, quia nec diſpoſitio veli, nec diſpoſitio gubernaculi, cauſa eſt motus, hoc eſt, ipſius eſſe vel eſ-

H ſentiæ motus, ſed diſtorquere, aut dirigere motum, indubitanter poſſunt, & faciunt: ſicut igitur motus navis diſtortus aliundè eſt motus, & aliundè diſtortus; ſic & actio diſtorta, ſive prava aliù dè eſt, & aliundè eſt diſtorta ſive prava: & ſicut nec vento nec aquæ attribuenda eſt diſtortio motus maris, ſed motus tantùm ipſius, ſic creatori neque diſtortio, neque pravitas actionum aut voluntatum noſtrarum, ſed ipſum eſſe earum, quo ſunt, aut quibus ſunt actiones, & voluntates. Secundùm iſtos igitur cùm omnia ſint à creatore, non ſolùm ſubſtantiæ, ſed etiam actiones, & voluntates earum, facile eſt videre omnia eſſe ſub cura, & providentia creatoris, cùm omnia ſint opera ejus, & omnia ſcienter, & volenter, atque ſapienter neceſſe ſit ipſum operari, neque poſſibile ſit ipſum aliquid operari ſapienter, & non providenter. Dicat autem forſitan aliquis ex potentiis eſſe totaliter actiones, ac voluntates, ſicut curſus equi totus ex virtute greſſibili ipſius, & non ex calcaribus, aut fræno, nec ex compunctionibus calcariû, aut fræni: ſic non ex ipſo velle actu, ſive actuali, eſt aliqua ex actionibus

Malitia Deo non attribuenda.

Malum velle à quo.

Nota.

Simile.

Lege caute.

Digitized by Google

noſtris, quia ipſum velle, ſicut compunctio tantùm eſt, & paſſio in anima agentis, & ſuggeſtio forinſeca, ſive imperantis, ſive monentis, ſive terrentis, velut calcar tantùm eſt. Jam autem dixerunt multi ex philoſophis velle, & nolle, timere, & ſperare, & cætera hujuſmodi, paſſiones tantùm eſſe, & ideò ſecundùm ſermonem iſtum, ſicut calcaria non equos currere faciunt, nec curſuum equorum cauſæ ſunt, vel dicuntur, punctiones verò calcarium excitationes tantùm, ſic prædictæ paſſiones animarum noſtrarum excitationes ſunt ipſarum, atque virium earundem ad actiones ſuas, & non cauſæ. Quicquid igitur nominetur malitia, ſecundùm hoc non erit cauſa actionis. Sint igitur iſta tibi in hoc capitulo materia exercitationis ingenii, quoniàm declaratio, ac diffinitio rerum iſtarum, tractatum diffuſiorem, ac perſcrutatiorem deſiderat.

CAPUT X.

Quòd ſapientia creatoris non minùs cognoſcit maxima, quàm minima, ubi docet, quid ſit cura, & curare.

VTrùm autem venationes hominum, & animalium, ſic in divinam curam cadant, & providentiam, & actiones voluntariæ, quæ videntur omninò indifferentes, & non referre an fiant, an non fiant, quæſtionem habet, quam potiùs aliqui ridiculoſam reputant, quàm fructuoſam, aut inveſtigatione dignam. Hujuſmodi ſunt, an per curam, & providentiam creatoris cadat iſte piſcis in rete piſcatoris potiùs, quàm alius, & an evadant alii per providentiam creatoris, quaſi parcat eiſdem à captione, & devoratione. Et eadem eſt quæſtio de leporibus, & capreolis, & aliis retiaculis venatorum. In animalium verò venationibus ſimilis eſt quæſtio de onagris, & leonibus, videlicet an per curam, & providentiam divinam capiatur, aut devoretur potiùs unus onager à leone uno, quàm alius, & unus mus à murilego potiùs, quàm alius. Eadem eſt quæſtio de araneis, & muſcis, & hirundinibus, & muſculis, & devenient iſtæ quæſtiones ad canes, & oſſa, ad vultures, & cadavera, ad gallinas, & grana, & alias aves, quæ granis veſcuntur. In rebus verò voluntariis ſimiles quæſtiones ſunt, an per curam, & providentiam creatoris comedat iſte potiùs hanc bucellam panis, quàm aliam, & priùs hanc, quàm aliam. Eodem modo ſe habet de leguminibus, an per curam, & providentiam creatoris comedat hoc granum priùs, quàm aliud, & hanc fabam potiùs, quàm aliam, & an per curam, & providentiam creatoris pares, vel impares. Dico igitur in hoc, quia ſapientia creatoris non minùs attingit ullo modorum minima, quàm maxima, vel media, vel econverſò, nec minùs cognoſcit utilitates minimorum, licet minimas, quàm maximorum, licet maximas, & tam hæ quàm illæ ex ipſo ſunt, & per ipſum ſapienter, providenter, volenter; & ſicut cura fuit ei, ut eſſent ſingula, quemadmodùm prædixi, ſic & ei cura ordinare ſingula ad fines ſuos, & utilitates: nec dubitant venatores, & piſcatores dicere, Deus dedit mihi hodiè piſcem iſtum, vel feram iſtam, & quandò nihil capiunt, ſimiliter apertè dicunt, hodiè non dedit mihi Deus aliquid capere. In qua diverſitate, ſive alternatione capiendi uno die, vel non capiendi, una evidens eſt utilitas, credulitas, & admiratio divinæ providentiæ, & bonitatis: ſimiliter excitatio timoris, & amoris creatoris, ſimiliter & gratitudinis in ipſum, ut cùm dat, eidem gratia referatur, & cùm non

Sapientia creatoris circa minima etiã.

dat, timeatur offenſus, & de ejus munere, quod quæritur, expectetur. Debes autem ſcire, quia quantùm pertinet ad id, de quo nunc agitur, curare, aut non curare, per duos modos, aut intentiones dicitur. Et una ex his eſt pertinens apud nos ad virtutem noſtram motivam internam mobilem, & eſt ſecundùm hunc modum, non curare, non habere cordi euſque aliquid, ut nec gaudeat, ſi fiat, nec offendatur, ſi non fiat, aut econverſò, & juxta hunc modum non curare dicitur creator apud vulgus omne id, quo nec offenditur, nec placatur. Hoc autem eſt dicere, pro quo nec pœnam infert, nec remunerationem largitur, & hoc modo nec numerum muſcarum, quæ ab araneis capiuntur, aut ab hirundinibus glutiuntur, ſimiliter neque numerum fabarum, quas quis comedit, neque ordinem, quo hanc priùs, illam poſteriùs, curat creator, & forſitan concordat iſta intentio etymologiæ nominis, qua dixerunt quidam, quia cura dicitur quaſi cor urens, unde & illa curari dicuntur propriè, quorum eventus, vel non eventus corda noſtra urunt, hoc eſt, movent quacunque paſſione, ut irâ, vel placatione, dolore, vel gaudio, & ad creatorem non pertinet iſta intentio, niſi per tropum, quem ſcis, cùm ipſe ſit in ultimitate impaſſibilitatis, & immutabilitatis. Hic autem tropus eſt, quia iratus dicitur, cùm facit ad modum irati, videlicet cùm infert ultionem, & gaudens, cùm largitur remunerationem pro quocunque facto, ſimiliter & placatus, cùm deſiſtit ab ulciſcendo, & iſtæ intentiones aliis ſermonibus apertiùs deſignantur, videlicet cùm ita dicitur, quia nomina, vel verba hujuſmodi cùm in nobis dicuntur, affectivè dici intelliguntur, quod eſt dicere, quia affectiones noſtras, id eſt, paſſiones animarum noſtrarum ſignificant; cùm verò ad creatorem referuntur, effectivè dicuntur, hoc eſt effectiones ejus, quas nominavi, ſignificant. Hoc autem eſt, quoniàm paſſiones hujuſmodi ad creatoris puritatem ſupereminentiſſimam nullo modorum attingunt. Rectiſſimè igitur dixit quidam ex doctorum Chriſtianorum ſapientioribus, quia iratum Deum non facit dici turbationis affectus, ſed ultionis effectus. Per modum igitur iſtum, ſive intentionem, non curat creator captionem hujuſmodi feræ, vel piſcis, vel evaſionem, niſi cùm vel ad neceſſitatem quæritur capientis, aut alterius ea indigentis, vel cùm aut amor ipſius creatoris, aut obedientia, aut honor, aut pietas ad quærendum, & venandum, piſcandum, & capiendum homines inducunt. In hujuſmodi enim intentionibus, & operationibus, nemo qui bonitatem creatoris noverit, eum adeſſe dubitat adjutorem, cùm hoc ipſe, qui novit omnia, viderit expedire, & gloriam ſuam decere. Nec mirum, cùm etiam tempore ſuo frumenta, & legumina omnipotenti ſuâ virtute, atque largitate, etiam in ipſis horreis tempore famis in centuplum, & eo ampliùs multiplicavit, ſatisfaciendo ſimul, & piis deſideriis religioſorum fame periclitante populo, & compatiendo neceſſitatibus egenorum. Leges etiam in narrationibus, & miraculis Chriſtianorum, ad quorum lectionem te ſæpiùs hortatus ſum, & hortor adhuc, aureos multiplicatos in loculis virorum ſanctorum. Tempore etiam meo piſces jam coctos ad menſam cujuſdam viri ſancti mihi notiſſimi multiplicatos fuiſſe conſtat benignitate, & largitate creatoris: quia cùm vix ſex convivantibus miniſtrari poſſet de illis in uno ferculo miniſtratum eſt per ſingulas ſcutellas in tribus ferculis toti multitudini convivantium epulanter: ipſæ quoque, quæ ſuperaverunt, reliquiæ piſcium, majores longè fuerunt paratis piſcibus, & appoſitis

Curare duobus modis dicitur.

Cura unde.

Iraſci, & curare per tropum Deus dicitur.

Affective.

Effective.

Nota.

Miracula.

menſis. Non eſt igitur mirandum, ſi de piſcibus, aut feris jam creatis largitur creator certa cura, & providentia venantibus, & piſcantibus, aut eis pro quibus venatio exercetur, atque piſcatio, cùm piſces jam coctos, atque paratos ad comedendum, mirabiliter interdùm in ipſis menſis multiplicet. Secundo modo, vel intentione dicitur curare, attendere, vel cogitare, & hoc modo pertinet ad vim noſtram apprehenſivam nobilem, & juxta excellentiam nobilitatis ſuæ ad ipſum creatorem; nec eſt aliquid in rebus creatis, vel earum eventibus, quod per modum iſtum, & intentionem non curet creator. Nihil enim eſt ex omnibus hujuſmodi, quod non videat, & attendat non ſolùm ipſum, ſed fines, & utilitates, quas inde proventuras ſuâ ordinatione præcognoſcit, & prævidet. Per modum igitur iſtum curat & numerum muſcarum, quæ capiuntur ab araneis, & muſculatum quæ degluttiuntur ab hirundinibus, & omnem ordinem captionis, atque devorationis earum: omnia enim intuetur intuitu fixo, ac luciđiſſimo cum utilitatibus, ac finibus ſuis. Devoratio enim unius muſculæ pars eſt ſaturationis unius hirundinis, & ipſa muſcula pars eſt totalitatis cibi illius. Quòd ſi quis quærat quâ utilitate, vel fructu hæc intuetur; reſpondeo, quia totâ utilitate, vel fructu qui inde provenit. Dico etiam, quòd rector navis uniuſcujuſque ſi ejus virtutis, & claritatis eſſet ipſius intellectus, ut non ſolùm gubernacula, vela, & remos, ſed etiam ſingulos navis aſſes, atque clavos, atque funiculos conſpicere ſimul ſufficeret, omnia hæc ſimul intueretur: quantò fortiùs igitur rector univerſitatis altiſſimus, nihil extra intuitum ſuum patitur. Dico etiam hoc eſſe debitum per ſe omnium rerum, paſſionum, & eventuum, ut omnia, & ſingula ſint ſub luciđiſſimo intuitu creatoris; & quoniàm non eſt poſſibile ipſum aliquid videre ignoranter, vel inſcienter, neceſſe eſt, ut attentè omnia videat, & ſit intentio ejus in omnia, & ſingula: non enim videt, ut nos, qui nullam ex rebus totam ſimul, aut plenè videmus, immò multæ ex rerum conditionibus innoteſcunt nobis una poſt aliam: illi autem omnes ſimul, & totæ, atque æqualiter. Ampliùs. Nobis multa in re una innoteſcunt ſubitò, & præter intentionem, apud ipſum autem econtrariò eſt. Si verò quæſieris, quæ eſt utilitas ordinis in comeſtione fabarum, aut granorum: dico quòd eam videt creator, ſive nos ignoremus, ſive non, quamquàm in anima comedentis aliquid ſit, quod inclinavit, & movit ipſum comedentem, ut hanc priùs, vel potiùs comederet, quàm illam: apparet etiam in hoc bonitas libertatis apud comedentem, qui forſitan abſque ulla cogitatione, vel conſideratione utilitatis ordinavit de comeſtione ſic, ut hanc priùs, vel potiùs comederet, quàm illam, volens ſolummodò liber comedere, & uſque adeò liber, ac ſi neque ſuaſus, neque illectus, faceret, ſed mero, ac liberrimo imperio voluntatis, quod mihi ſcio multoties eveniſſe.

Curare cogitare.

Simile.

Adverte.

CAPUT XI.

Quòd quæ caſualiter evenire videntur ſunt ſub providentia Dei, ubi agit de virtute regitiva rebus à Deo indita ad conſervationem ſui.

Sicut autem in eis, quæ caſualiter evenire videntur, videlicet in occurſionibus hominum improviſis, & in aliis, quæ præter intentionem, & cognitionem noſtram eveniunt: ſic reſpondendum eſt de caſu piſcium in retia, atque ferarum in retiacula, videlicet cur potiùs hic, quàm ille, vel hæc, quàm illa incidit in ea. Quemadmodùm, quæ ſit cauſa, quare hujuſmodi homo obviavit iſti in foro, cùm ab eo non quæreretur, nec de eo etiam cogitaſſet. Manifeſtum enim eſt, quia eadem hora, eadem via, quoſcunque è diverſo ambulantes, neceſſe eſt ſibi occurrere, & potuerunt eſſe eis diverſæ cauſæ ambulationis; alteri enim negociationem, alteri repetitionem debiti, alii exactionem vectigalium, alii receptionem teloneorum, alii inveſtigationem latronum, aut aliorum maleficorum, cauſam hujuſmodi ambulationis fuiſſe poſſibile eſt. Unitas ergo viæ, ſive fori concurrentibus in eo, hujuſmodi cauſis occurſum fecit, ſive concurſum hujuſmodi hominum: ſic cùm ibat piſcis forſan ad paſtum per viam aliquam, contingebat tunc trahi rete per eandem, vel fortè fugiebat à clamore, & ſtrepitu, quem faciebant ſocii trahentium rete. Occurrerunt igitur ſibi invicem piſcis, & rete, occurſus autem cauſa eſt evidenter captionis, alius autem piſcis eâdem horâ, vel eâdem viâ non ibat ad paſtum, vel fortè non pervenit ad eum terror piſcantium, ut fugeret, aut fortè fugit in profundiores latebras, aut per aliam viam, & ideò non occurrit reti, aut rete illi, & propter hoc non eſt retentus ab ipſo. Cauſa verò prioritatis captionis ſuæ manifeſta eſt, interdùm propinquioritas ſua ad rete, vel major natatus velocitas, vel prioritas perventionis terroris ad ipſum. Evaſionis autem, id eſt, non captionis plurimæ poſſunt eſſe cauſæ, quas per temetipſum videre, tibi facile eſt quemadmodùm major hora, vel tarditas natatus. Hoc autem eſt, quia priùs fuerunt collecta retia, quàm poſſet in ea incidere, vel fugit forſitan per aliam viam, aut forſitan fugit retrò, cùm ante eſſet extenſum rete, aut irrupit rete, & fecit ſibi aperturam in eo, per quam effugit, aut exilivit deſuper rete, & tranſilivit, aut immerſit ſe, & infixit ſe in arenam, vel lutum ſub ipſo reti, & ita tranſivit ſub ipſo, vel cùm ipſe traheretur, tranſivit ſuper ipſum; & hæc omnia univerſa, & ſingula intuetur, & attendit ſapientia creatoris, & ordinat ad fines, & utilitates convenientiſſimas, & ſibi ſoli perfectè notiſſimas. Ne dubites autem, quia ſicut omnes piſces ſimul capi, omneſque feras, deſtructio eſſet univerſalis in piſcibus, & feris, ita quaſdam, & quoſdam, quandoque capi, & comedi, deſtructio eſſet naturæ particularis in eiſdem quantùm ad aquam unam, vel ad regionem, verbi gratiâ, cùm pauci ſint aliqui piſces in flumine, vel ſtagno aliquo, paucos illos capi, vel comedi eſt vaſtatio atque deſtructio generis illius in eodem. Non eſt igitur mirum ſi creator, & conſervator naturarum per curam, & providentiam ſuam præcavet naturis particularibus, ſicut & univerſalibus, ne ex toto vaſtentur, & pereant, donec ceſſare debeat uſus, & utilitas earum, de quo in præcedentibus audiviſti. Si verò principes terrarum, & minores domini earundem, interdicunt interdùm venationes, & piſcationes in aquis, & terris juriſdictionis ſuæ, avaritiæ ſuæ ſolummodò per hoc conſulere intendentes, non naturæ de conſervatione providere; quantò magis bonitas creatoris naturarum conſervationi, quas tantis utilitatibus creavit conſulere non dedignabitur ne pereant uſquequaque? Et notum eſt tibi ex lege Hebræorum, qualiter in arca illa famoſiſſima conſervare præcepit per bina, & ſeptena animalium genera, contra aquas diluvii. Vides etiam quantas aſtutias effugiendi piſcatorum inſidias, quantaſque vires piſcibus dederit creator benedictus: ſimiliter & feris, quot latibula, quot refugia contra venatores, & etiam ipſas feras invicem aliis contrariis.

Nota.

Deus naturis particularibus præcavet.

Digitized by Google

Naturæ ſagacitas in brutis.

contrariis. Quis enim docuit cervas in via calcata parere ad declinandas luporum inſidias? Quis docuit eas. quòd lupi vias calcatas timeant, & declinent? Quis docuit onagros ſuſtinere vehementem ſitis ardorem, donec leones ab aquis potatis reverſi ſint, ne ſi hora illa, qua leones ad aquam vadunt, vel inde redeunt, leonibus occurrant, ab ipſis devorarentur? Quis eos fecit ſcire, quòd leones eiſdem inſidientur? Sic & leporibus levitatem pedum, & cuniculis profunda, & penè inacceſſibilia aliis receptacula ad conſervationem ſui eſſe dedit creator; ſic & hirundinibus tantam velocitatem volatus, & multis aliis aviculis, & multi credunt hanc eſſe cauſam, quare nulli avi rapaci hirundo unquàm præda fiat. Mihi tamen videtur, quòd acquiſitio victus ejus tota eſt per volatum, quoniàm per ipſum ſolummodò venatur muſculas volitantes; & ſicut multa ex animalibus tam greſſibilibus, & volatibilibus, quàm natatilibus non ſint nobis in eſcam, aut eſum, quin potiùs abominamur ea, & eis omninò veſci reſpuimus; ſic non mirum reputo, ſi hirundines ex cauſa ſimili ab avibus rapacibus non comeduntur. Memini etiam me vidiſſe catum carnem avis, quæ vulgò plumalia dicitur comedere, nullatenùs voluiſſe, cùm caro illa adeò guſtu ſuavis ſit, & ſapora, ut inter regalium ciborum delitias computetur. Hoc autem incidenter dixi, ne multùm facilè credas hominibus paucæ exercitationis in rebus naturalibus, & ut erigam, & elevem intellectum tuum, & cogitatum tuum ad conſiderationem mirabilium creatoris in rebus naturalibus, & radioſitatis ſapientiæ ſuæ, quâ illuminantur omnia animalia ad regendum ſe & vitam ſuam, licet luminibus permodicis, quamquàm magna ſint, & meritò eſſe debeant in admiratione noſtra, & in comparatione obtenebrationis animarum humanarum, & obfuſcationis, quam patitur intellectus humanus ex corruptione originali, & ſuperadditis tenebris ex vitiis, & peccatis. Hac quippe comparatione ſplendorem propheticum reputaremus in animabus humanis eam ſagacitatem, ſive ſenſum naturæ, ſeu quodcunque aliud nomen nominari libeat, in canibus virtutem inveſtigandi, & apprehendendi latrones: ſic & providentiam formicarum, de qua dixi tibi, ſi abſque doctore, & abſque libri inſpectione inveniretur in hominibus, ſicut & alia innumera hujuſmodi lumina, quæ non dubitaremus ſplendores vocare propheticos in hominibus, ſi abſque doctrina, & eruditione invenirentur in eis; & quemadmodùm inveniuntur in animalibus, invenitur etiam in corporibus inanimatis virtus regitiva, qua declinant noxia, & quærunt ſibi ſalutaria per motus naturales. Videtur autem in omnibus ſpeciebus lapidis magnetis virtus eſſe multùm appropinquans ſenſui; penè enim videtur ſentire ferrum, & vidi oculis meis, quòd per interpoſitam ſpiſſitudinem pelvis æneæ trahebat ferrum magnes. Tres namque ſunt ſpecies lapidis magnetis, ſi creditur Mercurio. Prima eſt, quæ ferrum attrahit, hæc eſt notiſſima. Altera verò ſpecies repellit illud à ſe. Tertia verò ſpecies ex altera parte ipſum attrahit, ex altera verò repellit. Eſt & aliud de mirabilibus magnetis, quòd in præſentia veri adamantis ceſſat ab hujuſmodi operationibus attractionis, ac ſi ſentiat illum nobiliorem, ac fortiorem ſe, quaſi reverentiâ deferens ei. Et ſimile aliquid dicitur de palma maſculina, & palma fœminina, quoniàm cùm ramus alterius ramum alterius tetigerit, ſe complicant in mutuum amplexum, in quo virtus ejus vitalis videtur aliquid habere aſperſionis de luminoſitate virtutis ſenſibilis; & forſitan hæc eſt cauſa, propter quam Ariſtoteles eam dixit

Nota.

Magnes lapis, & ejus ſpecies.

Palma.

A nobiliſſimam plantarum. De virgulto quoque, quod corylus nominatur, ſimile aliquid dicunt loquentes, videlicet, quòd cùm diviſa fuerit per medium ſecundùm longitudinem, in ipſa recentia diviſionis partes ſibi invicem per ſe appropinquantes rejunguntur, quod deceptores verborum quorundam virtuti ipſi decepti attribuunt, cùm hoc ſit ex virtute, & ſenſu naturæ.

CAPUT XII.

Cur malos in hac vita florere, & dominari bonis Deus permittat, & quæ bona inde eliciat.

DE flore verò, & dominatione malorum, ac perverſorum hominum, quantas utilitates præſtet bonis, qui per ipſos in hac vita premuntur, & multipliciter affliguntur, & ipſis etiam malis, atque perverſis, quantam ingerat admirationem divinæ bonitatis, & largitatis, quantamque provocationem, & etiam amorem, & obedientiam creatoris, manifeſtum eſt, cùm dona, quæ ipſi tam magnifica B reputant, videlicet divitiarum, & delitiarum, & hujuſmodi, non ſolùm immeriti, & indigni, ſed contra merita ſua peſſima obtineant. Habet etiam & illud ſalutaris eruditionis erga bonos, veroſque creatoris cultores, ut ex hoc, quod tam vilibus hominibus præſtantur, viliſſima ea eſſe cognoſcant, & vix inter creatoris munera reputanda, addiſcantque ex eodem minima reputare creatorem ea, quæ etiam inimicis præſtat, & doceantur patienter carere donis tam vilibus, licet interdùm hujuſmodi dona ſuis etiam cultoribus largiatur ad conſolationem vel ipſorum, vel aliorum bonorum, ne deſertos à creatore, aut derelictos ſe putent. In communicationem etiam, & adjutorium, atque defenſionem indigentium, & bonorum contra iniquos oppreſſores, amicis ſuis, boniſque ſervitoribus præſtat hujuſmodi bona bonitas creatoris. opulentia namque divitiarùm, cùm obtinetur à bonis, alit indigentes, atque ſuſtentat, & præcipuè bonos. Potentia verò ab C injuſtis oppreſſoribus defendit eoſdem.

Cur mali floreant in proſperitate.

CAPUT XIII.

Quòd pernicioſiſſimus error ſit negare providentiam Dei, & ejus credulitas utiliſſima.

QUoniàm autem ex his, quæ præceſſerunt, credo ſatisfactum eſſe tibi de cura, & providentia creatoris, quia ipſa eſt attingens univerſa, & ſingula; & propter hoc tantam rationum, & exemplorum multitudinem aggregavi tibi, ſcilicet ut firmaretur in te credulitas hæc tam ſalutaris & deſtrueretur error pernicioſiſſimus, quo quidam de inſipientibus opinati ſunt, creatorem non curare iſta inferiora, neque etiam homines, aut res D humanas, & agi omnia hæc caſu, atque temeritate. Quid enim jocundioris conſolationis poteſt eſſe hominibus in ſuis oppreſſionibus, & afflictionibus quàm firma credulitas de cura, & providentia creatoris circa ipſos, & res eorum, quâ credunt ſapientiam, & bonitatem creatoris in omnibus curam eorum gerere? Quis enim non videat omnia, quæ circa eos fiunt, eo ſciente, propter ejus ſapientiam, & utiliter quantùm in eo eſt, propter ejuſdem bonitatem: eodem etiam volente, aut permittente, & etiam ad finem debitum ordinante, per ejus virtutem omnipotentiſſimam fieri? Cuncta igitur circa ſe agi & benè, & utiliter, niſi per ipſos ſteterit, conſequenter cognoſcunt homines, apud quos eſt de cura, & providentia creatoris circa ipſos fixa ſen-

Nota.

Credulitas divinæ providentiæ.

Digitized by Google

tentia, nec mediocriter invitat, & provocat ad amorem, & obedientiam creatoris iſta credulitas. Quis enim credat magnificentiſſimum creatorem ſe, & ſua omnia curare, ac ſi ſolum curaret, & amorem ſuum, atque obedientiam contineat? Timores etiam, & pudores ſanctiſſimos in eiſdem excitat iſta ſententia, & tam attentè curare, & ſe ipſos, actuſque ſuos, atque paſſiones tam interiores, quàm exteriores, tamque vigilanter intueri, & etiam jugiter ſentiunt. Alias etiam virtutes plures in nobis vel provocat, vel nutrit, vel robotat, vel auget iſta credulitas, ſicut prædixi tibi de patientia, & de aliis pluribus levi conſideratione invenies. Error verò contrarius adeò noxius eſt, adeóque pernicioſiſſimus hominibus, ut omnem curam honeſtatis, omnem honorem virtutum, omnem ſpem futuræ fœlicitatis radicitùs extirpet ab hominibus. Quid enim reſtat hominibus erroris iſtius tenebris excæcatis, ac dementatis, & mercedem ſanctis, ac Dei cultoribus non eſſe conſtitutam, nec pœnam malis, atque perverſis, & nec hîc, nec in futuro Deum judicare, vel judicaturum eſſe, credentibus, niſi ut in omnia flagitia, & ſcelera ſeſe præcipitent, & omni turpitudini vitiorum, & peccatorum abſque ullo repagulo ſe proſtituant: poſtquàm enim nec creator adeò bonus, aut juſtus eſt ut curet quid agant boni, vel mali, vel quid patiantur, nec alius pro eo, vel ex parte ipſius, ſecundùm errorem iſtum, nihil eſt in rebus humanis, niſi perturbatio, aut perverſitas, omnimodaque inordinatio, atque confuſio, cùm ſolus creator eas ordinare poſſit, nec curet ſecundùm ipſos, nec velit etiam, ut ordinentur, atque dirigantur, ſed potiùs caſui atque temeritati eas præcipitandas, atque ſubvertendas reliquerit. Vides igitur evidenter in parte iſta, quàm ſalutare ſit magiſterium quámque utilis ſapientia, quâ tam pernicioſus error deſtruitur, & tam neceſſaria, tanquàm fructuoſa credulitas ſtabilitur.

Negare divinam providentiam quot mala afferat.

CAPUT XIV.

Quæſtionem ſtultorum mirantium ad divinam providentiam, curamque multitudinem rerum, & mortalium pertinere, hoc loco ſubtiliter authorà ſſolvit exemplis.

Stulta quæſtio.

CONſequens igitur eſt poſt hæc, quæſtiones, quæ ſunt circa hæc, proſequi, ac determinare. Quarum prima eſt ſtultorum, & inſipientium, quærentium, qualiter poſſibile eſt creatori tantam rerum multitudinem, & diverſitatem regere, & curare. Cui quæſtioni reſpondet Apuleius Platonis diſcipulus hoc modo quemadmodùm inquit rex unus, aut dux regit exercitum innumerabilium bellatorum, & ad unum clangorem buccinæ alii ad arma, alii ad equos, alii ad machinas currunt, & circa unumquodque iſtorum tam multa, tamque varia opera fiunt, ſic totam multitudinem creaturarum unus nutus creatoris perindè regit, ac ſi ſingulæ naturæ illum audiant, aut ſentiant; exequitur res quæque vices ſuas, ſciens legem à creatore ſibi inditam, quemadmodùm in exercitu quantumcunque magno ſcit unuſquiſque eorum, qui ibi ſunt, quid ad eum pertineat ex officio ſuo, & illud exequitur dato ſigno, vel clangore buccinæ, ut dixi, vel alio, ſciunt quippe armigeri, quòd ad eos pertinet arma parare militibus, ſciunt ipſi milites, quia eos oportet armari, & parare ſe ad prælium, ſciunt cuſtodes equorum quòd ad eos pertinet ſellare, cingula parare, equos frænare, & de frænatura per alios providere. Et per hunc modum conſidera tantam multitudinem, tantamque varietatem officiorum unâ

Apuleius.

Simile optimum.

E voluntate regiâ quam buccinæ clangor, vel aliud ſignum innuit, ad tam multa, & varia tam citò, tamque facilè, concitati, & aggredi, quod unuſquiſque cognoſcit ad ſuum officium pertinere. Quid igitur mirum, ſi rex, & dominus ſæculorum, creator benedictus univerſitatem creaturarum, & ſingulas etiam illarum omnipotentiſſimâ, imperioſiſſimaque voluntate ſuâ commovet, & concitat, aggredique facit operationes ad unamquamque pertinentes, legeſque quas ei impoſuit, vel potiùs edidit, & officia, quæ eiſdem injunxit, quàm ſtudioſiſſimè, atque officioſiſſimè adimplere? Quòd ſi dixerit quiſquam quòd bellatores, utpotè rationales intelligunt per clangores tubarum, aut per alia ſigna, naturæ verò, & maximè inſenſibiles, qualiter cognoſcunt creatoris voluntatem? quamquàm ex præcedentibus huic quæſtioni reſponſum ſit per exempla animalium, & artificiorum, addam tamen

Objectio cum reſponſione, & declaratione.

F tibi declarationem evidentiorem ad hoc, & dico, quòd unicuique naturæ naturaliter indita eſt divinæ cognitio voluntatis, & cum ea naſcitur unaquæque, & hujuſmodi cognitiones vocabuli tibi modica lumina de irradiatione, & aſperſione luminoſitatis ſapientiæ creatoris, & hujuſmodi exemplum convenientiſſimum, ac evidentiſſimum eſt in ſubſtantiis ſpiritualibus, & abſtractis, quæ creatæ ſunt cum perfectione ſcientiæ naturalis, & honeſtatis ſimiliter naturalis, & hoc eſt, cum inſcriptionibus naturalis honeſtatis in virtute ſua intellectiva, & cum impreſſionibus, ſive ſigillationibus pulchritudinum virtutum naturalium in ſua virtute motiva, ſive affectiva, & hoc eſt voluntas in ipſis; quare manifeſtum eſt, quòd cum lege ſua creata eſt unaquæque ipſarum, & quaſi cum libro, ubi legit quid ei naturaliter, aut faciendum ſit, aut declinandum; ſimiliter, quaſi cum lucerna, vel lumine oſtendente ſibi vias, per quas ambulare debeat, & de via, quam

Virtutes naturales in angelis.

G neceſſe habeat declinare, quod in primis etiam fuit hominibus, qui in ſimili perfectione pro modo ſuo facti, & formati fuiſſe non dubitantur ab illis, qui propheticis ſermonibus, & divinis oraculis non credere nefas credunt. Manifeſtum igitur, quia ſecundùm hunc modum naſcitur aranea cum lege, libro, & lucerna hujuſmodi, qui & lex eſt ei, quam tranſgredi non poteſt, & liber eſt, in quo legit quodammodò, qualiter ei & benè vivendum ſit, & quâ arte vel artificio modus ſit ei quærendus, & lucerna eſt oſtendens eidem vias, per quas debeat ambulare naturaliter. Manifeſtum autem eſt tibi, quia omnis lex ſermo eſt, & deſignatio voluntatis eam jubentis, ſive imponentis: quia igitur omnis natura tam ſubſtantiarum nobilium abſtractarum, quàm hominum, & cæterorum animalium, & etiam vegetabilium, naſcitur ex neceſſitate cum indicio, & deſignatione voluntatis, & beneplaciti creatoris, quoniàm cum lege ſua, habet unaquæque ex neceſſitate in ſe, & apud ſe, non ſolùm ubi cognoſcat vo-

Lex unicuique naturæ indita.

H luntatem creatoris naturaliter, ſed etiam ipſam cognitionem naturalem ejuſdem, & hoc apparet ex præſcripta diffinitione legis. Secundam reſponſionem ad hanc quæſtionem dedit quidam ex ſapientioribus, ſanctiſque doctoribus Chriſtianorum, dicens, quia cùm præceperit rex aliquis ædificari ſibi civitatem, de una ejus voluntate, unoque Imperio ipſius, de ædificanda civitate procedunt tam multa, & tam varia opera operariorum, nec non equorum multorum, aſinorum, omniumque animalium oneriferorum. Videbis ibi alios in lapidicinis eruderantes, alios cædentes, alios ſculpentes, alios polientes, videbis alios comportantes eoſdem lapides, alios porrigentes illos cœmentariis, alios collocantes eos in ſtructura murorum. Videbis ibidem

Simile.

Digitized by Google

ibidem quadrigas, & quadrigarios, alias onerari, alias oneratas ad locum ædificii convenire. Videbis fabros ferrarios multiplicia inſtrumenta neceſſaria illi ædificio fabricantes. Videbis & fabros lignarios, quos vulgò carpentarios vocant, ſuarum artium opera facientes. Sunt & alia officia, & opera innumera, quæ per temetipſum excogitare tibi facile eſt. Ex una igitur voluntate regia, vel juſſu, vides tam multos motus hominum, & animaliũ, quadrigarum, & aliarum evectionum fieri, tam multa genera artificum, & operariorum, tam multis, & variis generibus artificiorum occupari, ſcientibus operariis omnibus, & miniſtris, quid artis, vel operis ad unumquemque pertineat, ad unum juſſum regium, quod leviſſimo ſigno agnoſcunt, ſingulos opera ſua aggredi, & explere. Et jam dixi tibi ex ſermone Ariſtotelis, quòd virtutes ſeminum ſimiles ſunt artificiis, quare & ipſa ſemina artificibus. Apparet igitur tibi ex hac conſideratione, qualiter ſine labore, & ſolicitudine, nutu voluntatis ſuæ tantam multitudinem, varietatemque creaturarum ſuarum movet, & regit creator altiſſimus, quantò & rex nullo modo magnificentia, & gloria, & nulla ex parte ei comparandus, tantam multitudinem animalium, & hominum, & artificum & operariorum, inſtrumentorumque innumerabilium movet, & regit, & in finem intentionis ſuæ dirigit, & conjungit, ſedens in ſolio ſuo quietiſſimus. Quòd ſi de toto ipſo regno conſiderationem facere volueris, invenies expreſſiorem ſimilitudinem, exemplumque convenientius, quàm regis ad regem, & regni ad regnum, & gubernationis ad gubernationem providentiæ ad providentiam, curæ ad curam juſtitiarum ad juſtitias, & judiciorum ad judicia; præſertim ſi eum adeò inclitum imaginatus fueris, ut plenè, atque totaliter abſque rebellione ulla, ſive reſiſtentia, ſit ei ſubditum regnum ſuum, eaque præditum ſapientiâ, ut velut ſplendore prophetico illuminatus, omnia cognoſcat, & videat, quæ aguntur in eodem regno, cui ea ſit bonitas, atque rectitudo, & fervor rectitudinis, ut toto ſtudio, & viribus omnem iniquitatem, & juſtitiam perſequatur. Hic igitur conſtituet, & ordinabit ab initio, vel potiùs ornabit totum regnum ſuum magiſtratibus ſapientiſſimis, miniſtris obedientiſſimis & inſtruet eos mandatis veritatis, & juſtitiæ, leges juſtiſſimas, ac ſaluberrimas per omnes fines ſuos promulgabit. Sed & de aliis omnibus, quæ faciunt ad pacem, tranquillitatem, defenſionemque regni contra hoſtes ſapientiſſimè providebit. Hic igitur ſolo nutu optimæ voluntatis ſuæ movebit ſibi aſsiſtentes, demùm præſides, provinciarum ſuarum rectores, & cuſtodes finium, magiſtratus civitatum, judices omnium ordinum. Videbis ſub eo compoſitiſsimam, armatamque militiam. In primis duces legionum, deindè chiliarchos, quinquagenarios, centuriones, decuriones, & ita uſque ad extremum, vel unicum bellatorum, totam armatam militiam decentiſſimè ordinatã. Regem iſtum de ſolio ſuo videbis regentem & omnes, & ſingulos, homines regni ſui. Tempore ſiquidem pacis regentem tribunalia, ne quid injuſtitiæ, vel iniqui judicii ex eis prodeat, regentem ſingulos privatos, ac ſuis legibus coërcentem, ne quid injuriæ, vel fraudis alii ab alio irrogetur, & ut ad unum locum dicã, omnia genera hominum ſub eo legibus propriis regi, ſervos, liberos, & rurales: ſimiliter & bellatores legibus ſibi appropriatis vivere, & juxta hũc modum ſe habet de aliis; ipſum verò in ſolio regni ſui pacatiſſimum reſidere. Quemadmodùm enim dixi tibi de ſeminibus in regno naturali rerum naturalium, & de artificibus in ædificatione civitatis, ſic intellige hic de officiis

Nota.

Nota.

A publicis, quibus reſpublica gubernatur, atque defenditur necnon & de artificiis, quibus unicuique privatorum victus acquiritur, ſicut ſunt artificia fabrorum, argentariorum, lignariorum, & etiam agricolarum quæ non eis ſolis, qui ea exercent, neceſſaria ſunt, ſed publicis utilitatibus multis modis deſerviunt. Ars enim fabricatoria, & lignaria, & cœmentaria, defenſioni reipublicæ deſerviunt; quoniàm fabricatoriâ ferrariâ fabricantur loricæ, tela, & gladii, & galeæ; fabricatoria verò lignaria arcus, baliſtæ, & lanceæ fabricantur. & machinæ omnium generum extruuntur, cœmentaria verò turres, & muri; omniſque generis lapideæ munitiones ædificantur: ſolo igitur nutu voluntatis ſuæ tempore pacis per judicium, & juſtitiam regit univerſos B ſubditos ſuos, & ſingulos, & tempore belli regit armatam militiam à maximo bellatore, uſque ad minimum per belli peritiam. Defendit autem regnum ſuum, regnique ſui habitatores per armatam militiam, & vaſa, ſive inſtrumenta bellorum, & non eſt dubium tibi, quin per providentiam, & curam ejus omnia bona & tempore pacis, & tempore belli regno ſuo proveniant, & quin mala omnia exterminentur per ipſum ab eodem regno, & hoc per judicium. Bona verò tempore pacis ſunt pax, & tranquillitas ſubditorum, cuſtodiaque rerum eorum. Bona verò tempore belli ſunt defenſio, victoria, & alia, quæ ex victoria provenire ſolent victoribus ut ſpolia hoſtium, & ſubactio eorum, vel ſervilis, vel tributaria, vel communis judiciaria. Ad hunc modum creator in regno ſuo, quod eſt re- C gnum omnium ſæculorum, quid mirum ſi diſpoſuit univerſam ſeriem ſæculorum nutu ſuo, & ſuæ beneplacito voluntatis, & ſingula, quæ in ea ſunt, ſive naturalibus legibus ſuis, ſive legibus per prophetas, aut per ſemetipſum editis; & hæ leges divinæ meritò nominantur, ſive legibus per homines principes editis, quæ humanæ vocantur, quibus ipſemet creator parari vult, quatenùs legibus divinis concordant, aut ſaltem non contradicunt: ubi enim contradicunt, non leges, ſed blaſphemiæ, nec jura, ſed creatoris injuriæ reputandæ ſunt, & propter hoc igne, & gladio exterminandæ, de medioque tollendæ. Si quæ verò nationes hujuſmodi perverſis legibus regi dicuntur, juſtiſſimo Dei judicio, & laudanda per omnia ejuſdem juſtitia, hoc fieri permittitur, propter ſcelera eorum, atque ſpurcitias abominabiles, ut talibus legibus non regi, ſed opprimi dici potiùs debeant, quoniàm nec legibus æquitatis voluntariæ ſubditos ſe eſſe patiuntur; quapropter nec juſto regimine, nec jugo ſuavi reguntur, ſed oppreſſione, & violentiâ; quemadmodùm feræ, aut beluæ indomitæ, quæ magis ferro religandæ ſunt, & flagellis aſſiduis tundendæ, quàm diſciplinis, & legibus erudiendæ. D Quia igitur quicquid boni, quicquid æquitatis, atque juſtitiæ, leges humanæ continent, totum vult, totum approbat, totum docuit, & docere non ceſſat altiſſimus, vel per ſe, vel per homines, aut libros eorum, vel per res ipſas, quæ, dicit Ariſtoteles mentiri non norunt, meritò per curam ejus, & providentiam leges hujuſmodi in tantum & conditæ, & editæ ſunt. Quare manifeſtum eſt, quòd tota gubernatio generis humani ad curam, & providentiam pertinet creatoris, & leges iniquæ, ut dixi, propter injuſtitiam, juſtiſſimam oppreſsionem, & afflictionem beluinorum, atque incompoſitorum hominum, ad curam ejus, & providentiam pertinent. Si verò aliud exemplum gubernationis & curæ creatoris habere volueris, conſidera domum regiam per omnia benè diſpoſitam, & primùm regi aſsiſtentes ſenes, videlicet ſapientes: deindè

Artes mechanicæ.

Diſpoſitio, & œconomia regis omnium ſæculorũ.

Simile.

Res non mentiuntur.

Leges iniquæ.

Conſideratio domus regiæ.

judices; tertiò theſaurarios; quartò diſpenſatores opum regalium; deindè cubicularios; poſt hæc dapiferos; deindè cocos; deindè eos, qui deputati ſunt deferendis nunciis, aut literis legalibus, & poſt hoc pincernas, panifices, menſarumque regalium varios miniſtros: noviſſimè cuſtodes equorum, quorum eſt equos parare, quoties regi equitandum eſt: & videbis in tota domo regia omnia prænominatorum officiorum opera ſolo nutu fieri regiæ voluntatis. Cùm igitur totus mundus velut domus ſit creatoris, & aula ejus regia, in qua habitat cum tota familia ſua, & opulentia; quid mirum ſi ad nutum omnipotentiſſimæ voluntatis ipſius omnia in ea fiunt, & ſingula? voluntatis dico, vel imperantis, vel prohibentis, vel utrumlibet permittentis, & ordinantis unumquodque malorum, quæ fiunt, cui proſit, cui noceat, ordinantis inquam lege æquiſſimâ. Et præſcriptus ſapiens de gente Chriſtianorum hoc expreſſit in ſermone ſuo, dicens: nihil fit in tota rerum univerſitate, tanquàm in republica univerſali, quod non ab intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut volendo, & jubendo, aut ſinendo, ſeu permittendo, procedat, qui ſicut ex præcedentibus tibi patefactum eſt, neque ſinit, aut permittit fieri, nec eos ipſos, qui hîc malè agunt à cura, & providentia ſua ſeorsùm ſinit, aut relinquit, quin potiùs ipſos malè agentes ſic ordinat, ut prædixi, ut creatoris judicium, & juſtitiam contra ſemetipſos exequantur, & ipſæ malæ actiones eorum creatoris ſint arma, & vindictæ juſtiſſimæ: ipſis verò patientibus, ſi voluerint, utilitatum multiplicium adjumenta præſtantes, ſimilia habes exempla de navi, & rectore ipſius, de miniſtris gubernationis, & inſtrumentis, de curſu, & auriga.

Mundus domus creatoris.

CAPUT XV.

Utrùm providentia, ſeu præſcientia creatoris rebus, & eventibus neceſſitatem imponat.

POſt hæc autem proſequar antiquam illam quæſtionem, quæ multos antiquitùs exagitavit, & multos etiã tempore meo involvit, videlicet utrùm providentia, & cura creatoris rebus, & eventibus neceſſitatem inferat, & ferè eadem quæſtio eſt de ſcientia, & præſcientia ipſiùs. Ponam igitur in primis ea, quæ in errorem iſtum multos induxerunt. Horum autem primum eſt, quoniàm, inquiunt, impoſſibile eſt divinam providentiam falli, neceſſe eſt evenire quicquid providit: quicquid autem neceſſe eſt evenire, neceſſarium eſt, quicquid igitur providit creator, neceſſarium eſt, providit autem omne, quod eſt futurum, ſeu eventurum, omne igitur futurum, ſeu eventurum, neceſſarium eſt, omne igitur futurum eſt immutabile, & inaverſibile. Ampliùs. Inquiunt, aut poſſibile eſt non evenire aliquid eorum, quæ providit Deus, aut non. ſi eſt poſſibile, eo igitur poſito non accidet impoſſibile. Ponatur igitur. Erit ergo verum. quòd aliquid eorum, quæ providit Deus eventura, non eveniet, erravit igitur providendo, & verum eſt providentiam ejus falli: hoc autem certum eſt omnibus eſſe impoſſibile, videlicet Deum errare, vel providentiam ejus falli in aliquo, id igitur ex quo accidit eſt impoſſibile. Impoſſibile igitur eſt aliquid eorum, quæ providit Deus eventura, non evenire. Nihil autem eſt futurum, quod non providerit. Nihil igitur eſt futurum quod non ſit neceſſe evenire. Quia igitur omne, quod eſt eventurum, providit Deus eventurum, omne quod eſt eventurum neceſſe eſt evenire, quare omnia de neceſſitate eveniunt. His igitur, & hujuſmodi, quæ ſophiſtica ten-

Quæſtio ardua.

Argumenta ſophiſtica.

E dicula, & intelligentibus, exercitatiſque in rebus hujuſmodi ridendæ ac pueriles argutiæ ſunt, nolo te detinere diutiùs. Reminiſcere igitur, quia hoc neceſſe eſt eſſe eventurum, quicquid eveniet, vel neceſſe eſt evenire quicquid providit Deus eventurum, duas habet intentiones, ſive duos intellectus, quoniàm neceſsitas poteſt referri, vel ad ſingula, vel ad totum, & aliis verbis ferè idem dicitur compoſitè, vel diviſim. Primus eſt, ac ſi diceretur neceſſe eſt hoc evenire, quod providit Deus, & illud, & ita de ſingulis. Multa autem de ſingularibus hujuſmodi proculdubiò contingentia ſunt, & non evenire poſſibilia. Si verò neceſsitas referatur ad totum, quod eſt hoc, quod hac locutione ſignificatur. Quicquid providit Deus eveniet, de qua nemo dubitat quin vera ſit & neceſſaria, ſicut & contradictoria ejus impoſsibilis, quæ eſt hæc, aliquid providit, quod non eveniet, & hoc ſophiſtæ Italici, vel Latini dicunt eſſe duplicitatem locutionis, quia poteſt intelligi, ut dicunt, de re, vel dicto, & intentio eorum eſt,
F quòd dictum, quod per illam locutionem dicitur, quicquid providit Deus eveniet, neceſſe eſt, ſive neceſſarium, ſicut & ipſa locutio neceſſaria, & ejus contradictoria manifeſtè impoſsibilis. Intellectum verò de re vocant id, quod ego dixi de ſingulis. & hoc puerili, & vagâ intentione. In explicatione namque hujuſmodi duplicitatis defuerunt eis, & deſunt adhuc, non tantùm ſermones, ſed etiam intellectus clarus, ac deputatus; hoc autem apparet tibi per hoc, quod dicam, manifeſtè. Primùm, quia locutione omni dicitur res, hoc autem eſt quoniàm omni locutione dicitur id quod ipſa ſignificat. Id verò, quod unaquæque locutio ſignificat, res ejus eſt, etiamſi ſermo ſit, vel ſignum aliud quodcunque, res dicetur ad ſermonem, ſeu locutionem ſignificantem illum, dictum igitur per locutionem res eſt; quare intellectus de dicto eſt intellectus de re. Ampliùs. Conſidera ipſum prædicatum & videbis, quòd aliud non eſt, niſi neceſsitas eveniendi, hoc autem de ipſo dicto nullo modo verè dicitur, quoniàm dictum nec evenit, nec eveniet. Non
G enim eſt de futuris, cùm ab initio ſæculorum, & modò etiam verum ſit, & neceſſarium. Quia igitur prædicatum iſtud non dicitur, niſi de rebus, & naturis, non poteſt intelligi illa locutio, niſi de rebus: eſt ergo veritas, & vera diſtinctio, quia iſta neceſsitas poteſt de rebus prædicari, vel rebus attribui in univerſali, ſive univerſaliter, & hoc ſit ſecundùm veritatem, quandò intelligitur de dicto ſecundùm eos, vel poteſt intelligi in ſingulari, ſeu diviſim, & hunc intellectum vocant ipſi de re: hoc igitur eſt, quod facit duplicitatem in re, videlicet univerſalitas, & ſingularitas Nullo modo enim verum eſt de ſingulis ſingulariter, & diviſim, quicquid providit Deus eventurum, evenire neceſſe eſt. Eſt tamen verum in univerſali, & conjunctim, etiamſi unumquodque futurum eſſet contingẽs, & poſsibile non evenire, tamen
H verum eſſet hoc, & neceſſarium, & hoc eſt, quoniàm univerſalitas eſt, cui competit neceſsitas, ſingularitati verò non, quemadmodùm cùm dixeris de duobus oppoſitis contingentibus, alterum iſtorum duorum eſſe verum neceſſe eſt In utroque enim contingentia eſt, & in neutro neceſsitas, & quemadmodùm ſi dicas, ſemper erit verũ alterum, ſempiternitas veritatis non diviſim, aut ſingulatim attribuitur alteri, ſed in communi, ſive in univerſali. Eodem modo intellige & ibi, quicquid providit Deus eventurum, evenire neceſſe eſt. Quemadmodùm, & ſi quis dixerit omnem hominem vivere neceſſe eſt cùm de quocunque verum ſit ſingulatim, atque diviſim, quòd ipſum vivere non eſt neceſſe, cùm ipſum mori poſſibile ſit, nec iſta locutio omnis homo vivit, ſemper vera

Nota.

Nota.

Adverte.

Digitized by Google

vera eſt pro eiſdem hominibus, nec pro eiſdem etiam enũciatur. Ideò ſempiternitas veritatis ſtat in univerſitate ipſius, & in univerſalitate hominum, quæ non mutatur mutatione individuorum ſicut neque ſpecies in ratione ſpeciei. *Nota.* Amplius. Dictum hujuſmodi, quicquid providit Deus evenire, aliud eſt, cùm dictio refertur ad ſingula diviſim, atq; determinatè, aliud eſt, cùm ſtatur in univerſali, ſive communi. Cùm enim ad ſingula dictio refertur, ſingulatim ac determinatè, perindè eſt, ac ſi ſingula ſingularia dicerentur; hoc autem eſt ac ſi diceretur, hoc quod providit Deus neceſſe eſt evenire, & id, & illud, atque ita de ſingulis. Cùm autem ſtatur in univerſali, ut dixi, non dicuntur illa ſingula ſingulatim ac determinatè, & ideò manet eadem ſignificatio locutionis, ſive eadem maneant proviſa, ſive alia provideantur. quemadmodùm & iſta locutio, omnis homo vivit, non mutat ſignificatum, vel dictum mutatione individuorum ſpeciei, niſi quis prædicto modo intendat de ſingulis ſingulatim; tunc enim perindè eſt, ac ſi diceret, ſingula dicta ſingularia, hoc eſt, hoc vivere, & illud vivere; & ita de ſingulis; hæc eſt igitur duplicitas prædictarum locutionum, & hæc mutatio deceptoria, ſive ſophiſtica in eis. Cùm enim conceſſum ſit per modum univerſitatis, & conjunctionis, quicquid providit Deus eventurum, evenire neceſſe eſt, tu ſcis, per quem modum conceditur. Cùm autem aſſumit, quicquid neceſſe eſt evenire, eſt neceſſarium, transfert ſe ad ſingula ſingulatim. Iſtâ enim locutione, omne, quod eſt eventurum, eſt neceſſarium, vel immutabile, vel inaverſibile, ſingulis ſingulatim attribuitur neceſſitas, & immutabilitas, & perindè eſt, ac ſi diceretur, & hoc eventurum, & illud, & ita de ſingulis aliis, eſt neceſſarium, vel immutabile, nec ſolveret ſophiſma iſtud, niſi ad hominem, ſi quis diceret, quia fit in hujuſmodi argumentatione mutatio tam ſubjecti, quàm prædicati. Quoniàm in hac locutione, quicquid providit Deus eventurum, evenire neceſſe eſt, infinitivus ſubjectum eſt, & neceſſitas prædicatum de re infinitivi. In concluſione verò, quæ eſt hæc, quicquid providit Deus eventurum, eſt neceſſarium, totum hoc, quicquid Deus providit, eventurum eſt ſubjectum, & neceſſitas prædicatum. Mutatio igitur prædicati facta eſt, quia neceſſitas, quæ prædicabatur de re infinitivi quæ eſt evenire, in concluſione prædicatur de re hujuſmodi circumlocutionis, quicquid providit Deus eventurum. *Nota.* Res autem hæc eſt univerſitas eorum, quæ vidit Deus eventura. Mutatio etiam ſubjecti facta eſt, quia prius ſubjectum erat infinitivus, in concluſione verò prædicta circumlocutio: hoc autem eſt, quia non explicabit ſe homo, qui hoc dicit, cùm interrogatus fuerit, an omni rei infinitivi, prout ibi ſubjicitur, conveniat prædicata neceſſitas, quod eſt, an omni eventui futuro à Deo proviſo conveniat, an non conveniat; & quia manifeſtum eſt, quòd non convenit, cùm non omne hujuſmodi evenire neceſſe, vel neceſſarium ſit, cogetur non obſtante iſtâ mutatione confiteri primã propoſitionem eſſe falſam omni modo, videlicet hanc: quicquid providit Deus evenire, evenire neceſſe eſt. Manifeſtum etiam eſt, quia aliquo modo vera eſt, non igitur liberat ſe ab hujuſmodi laqueo vel *Nota.* nodo ſophiſtico. De his verò locutionibus, ſi Deus providit hoc, neceſſariò eveniet, vel neceſſe eſt illud evenire, licet pueri tempore meo noſcerent duplicitates earum, multos tamen video poſtmodùm miſerabiliter involutos. Quis enim non videat, quia neceſſitas poteſt fieri ſuper conditione, & tunc dicitur, & aſſeritur illa conditionali locutione neceſſitas conditionis, ſive conſecutionis, & perindè

A eſt ac ſi diceretur, iſta conditio, vel conſecutio, quã dicitur, ſi Deus providit hoc, ipſum eveniet, eſt neceſſaria quòd proculdubiò eſt verum. Alius verò intellectus ipſius eſt, quo neceſſitas fertur ad conſequens præcisè, & abſolutè, & eſt perindè, ac ſi diceretur, ſi hoc eſt verum, Deum providiſſe hoc, iſtud eſt neceſſarium ſcilicet ipſum evenire, quod eſt, quia ſi antecedens eſt verum, conſequens eſt neceſſarium, quaſi diceretur, ad veritatem antecedentis ſequitur neceſſitas conſequentis, hoc autem indubitanter eſt falſum. Scito autem quòd hanc eandem diſtinctionem aliis verbis alii faciunt, dicentes, quia illâ oratione conditionali: ſi Deus providit hoc, neceſſe eſt illud evenire, poteſt vocari neceſſitas conſequentis, & hoc eſt, quod dixi, quia poteſt referri neceſsitas ad conſequens, vel poteſt vocari neceſsitas conſequendi, & hoc eſt, quod dixi, neceſsitatem referri ad conſecutionem: verùm quoniàm iſta puerilia ſunt, & nec tolerabilis eſt ignorantia eorum in B pueris, tranſibo ad ipſam radicem quæſtionis iſtius. Dico igitur, quia ignorantia ſcientiæ, ſive cognitionis creatoris atque hujus modi, quo ipſe providet, vel cognoſcit, dedit occaſionem iſti quæſtioni, & hæc eſt etiam cauſa, propter quam opinati ſunt, quia ſi aliquid providit, vel ſcivit, non poteſt illud non providiſſe, vel non ſciviſſe, vel non cognoviſſe. Induxit etiam eos quædam alia radix veritatis, quæ eſt hæc, videlicet, quia divinam providentiam falli, vel errare, vel non eſſe veram, impoſsibile eſt quod utique indubitãter veriſsimum eſt, alia fuit ignorantia diſpoſitionis, ſive conditionis quorundam verorum, atque falſorum, quæ nata ſunt habere alterutrum, videlicet vel veritatem ſolam, vel falſitatem ſolam: non tamen ita fixè, ut neceſſariò ſint in C alterutra, & hujuſmodi conditionis, ſive diſpoſitionis ſunt propoſitiones ſingulares contingentes in eis, quæ ſunt de futuro, vel dependentia ab his contingentibus, quæ futura ſunt, & horum exempla ſunt, te eſſe comeſturum cras ſemel tantùm, & ejus oppoſitum. Manifeſtum eſt tibi, quia hoc vel eſt verum, vel eſt falſum. Si autem eſt verum, non tamen eſt ex neceſsitate in ſua veritate fixum, immò poteſt eſſe falſum, & econverſò. *Nota.* Accidit etiam in hujuſmodi, quia ſi eſt verum, ſemper fuit verum, & de falſitate ſimiliter ſe habet & hinc eſt, quòd nullum hujuſmodi mutari poteſt à veritate in falſitatem, aut econverſò. Mutari enim eſt poſt unam diſpoſitionem habere aliam, aut ante unam diſpoſitionem habuiſſe aliam. Hoc autem non eſt poſsibile in hujuſmodi, quoniàm ſi aliquid de his eſt verum, nũquàm fuit in diſpoſitione contraria, & de falſitate ſimiliter ſe habet, & propter hoc non ſequitur, hoc eſt verum, & poteſt eſſe falſum, ergo poteſt mutari à veritate in falſitatem. Similiter neque argumentatio D econtrariò valet: cauſa verò in hoc eſt, quoniàm verbum mutandi duas diſpoſitiones dicit, ſcilicet alteram ante & alteram poſt: hujuſmodi autem vera non ſunt receptabilia veritatis, & falſitatis ſimul, ſicut ſcis, neque etiam diverſis tẽporibus, videlicet ut alteram priùs habeat, alteram verò poſt. Juxta hunc modum ſe habet divina providentia, quia ſi providit aliquid, providit illud ab æterno; ſi ſcit aliquid, ſcivit illud ab æterno. & ſi non providet, vel ſcit modò, nec providit, nec ſcivit ab æterno. Verum tamen illud eſt, quia ſcit aliquid de hujuſmodi, & tamen poteſt non ſcire illud, & quod mirum videtur inſipientibus, *Nota.* ſi ſcivit aliquid ab æterno, vel providit tamen poſsibile eſt ipſum nunquàm vel providiſſe illud, vel ſciviſſe. Declaratio autem hujuſmodi manifeſta eſt, quia ſi verum eſt te cras comeſturum eſſe ſemel tantùm, etiam verum fuit hoc ab æterno. Omne autem verum inquantũ eſt

verum, & quandiu verum eſt, & ſcitur à creatore, & ſcitū eſt; quare ſi hoc verum eſt, ſcivit illud Deus ab æterno, non autem, ſi eſt verum, propter hoc eſt & neceſſarium; quare licet ſit verum, poſſibile tamen eſt, ipſum non eſſe verum, etſi non eſſet verum, nec modò ſciretur à creatore, neque unquàm ſcitum fuiſſet ab eo. Comitantur enim ſe ſemper veritas in unoquoque dicibilium, & ſcientia creatoris, ita ut ſi eſt verum, ſit ſcitum à creatore, & ſi non eſt verum, non eſt ſcitum ab eodem, & ſi fuit verum, quandocunque fuit verum, eſt ſcitum, & econverſò. Quia igitur accidit in exemplo poſito, ut cùm ſit verum, ſcilicet te eſſe cras comeſturum ſemel, poſſibile ſit, illud non eſſe verum; & etiam cùm ſemper fuerit verum, poſſibile tamen ſit, ipſum nunquàm fuiſſe verum: conſequenter verum eſt propter dictam ante comitantiam, ut cùm ſciatur à creatore modò, non ſciat poſteà, & cùm ſcitum ab æterno fuerit à creatore, poſſibile tamen ſit ipſum non fuiſſe ſcitum ab eodem: quemadmodùm & poſſibile eſt ipſum fuiſſe nunquàm verum: tu enim non dubitas, quia non eſt poſſibile cadere ſcientiam, vel providentiam, aut prævidentiam, niſi ſuper verum. Ex his igitur apparet tibi ſimilitudo, quam prædixi. Non enim ſi providit Deus aliquid, & poſſibile eſt non evenire illud, ergo poſſibile eſt ipſum falli, vel errare, & hoc eſt propter comitantiam antedictam, ſcilicet ſcientiæ divinæ, & veritatis in proviſo, vel præviſo.

CAPUT XVI.

Quomodo verum ſit creatorem aliquid ſciviſſe, vel prævidiſſe, quod tamen poſſibile ſit ipſum non ſciviſſe, vel prævidiſſe.

QUaliter autem, & qua de cauſa verum ſit, ut Deus providerit, vel ſciverit aliquid, quod tamen poſſibile eſt ipſum nec ſciviſſe, nec providiſſe; dico, quia hoc eſt per perfectionem, & luminoſitatem ipſius creatoris, cui à parte rerum nihil accidit, vel advenit, per quod ſciat. Similiter nec aliquid ab eo recedit, vel tollitur ullo modorum, per quod efficiatur non ſciens, hoc eſt, per cujus receſſum, & ideò cùm ſit ſciens aliquid, abſque ullo modorum mutationis, & præterquàm, quod aliquid ab eo recedat, vel in eo eſſe deſinat, poteſt effici non ſciens illud. Aliud autem mirabile in ſcientia creatoris eſt, quia ea ſcientia, & eodem intuitu per modum omnem, quo ſcit, vel videt alterum oppoſitorum, cùm eſt verum, erit ſciens reliquum, ſi erit verum. Longè autem aliter ſe habet apud nos. Omnis enim ſcientia noſtra, omnis etiam cogitatio noſtra aliquid eſt novum, & adventitium, & ſuper additum ſuper eſſentias animarum noſtrarum, & propter hoc non abſque mutatione earum efficimur ſcientes eorum, quæ priùs non ſciebamus, aut non ſcientes eorum, quæ priùs ſciebamus. Neque una & eadem ſcientia, quâ ſcimus alterum oppoſitorū, poſſumus ſcire reliquum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ſcientiæ hujuſmodi in nobis, cùm à rebus ipſis ſumptæ ſunt, ſequūtur diverſitatem rerum, tanquàm cauſatum ſuarum, & propter hoc affirmationis, aut negationis, aut quorumcunque aliorum duorum, non eſt una, numero ſcientia actualis apud nos. Scientia tamen habitus una forſitan eſt contrariorum, & una diſciplina, quod propter hoc dico, quia ſermonem iſtum Ariſtoteles abſque maſticatione perſcrutationis deglutivit. Cùm enim quorumlibet duorum contrariorum utrunq; proprias habeat paſſiones, & diſpoſitiones ſeparatas, & forſitan contrarias habeat paſſiones, & diſpoſitiones, à diſpoſitionibus, & paſſionibus alterius, non videtur, ut amborum eadem eſſet ſcientia per ſe, ſed forſitan per accidens, & ex conſequenti intelligendus eſt ſermo ille Ariſtotelis: quoniàm qui novit per ſe ac propriè, hoc eſt, ex propriis paſſionibus, diſpoſitionibus, aut etiam rationibus, novit per accidens, & conſequenter, de reliquis. Quòd ſi ſcientia noſtra fuerit ex luminibus naturalibus, qualis naturaliter eſt in angelis, aut ex irradiatione nobiliori, quales ſunt ſplendores prophetici, ſicut res cognitę non ſunt cauſę ipſorum: ſic non ſequitur, ut imitentur eas in unitate ſua, vel multitudine, neque in identitate ſua, aut diverſitate; quocunque tamen modo fiant in nobis ſcientiæ actuales, vel etiam habitudinales, non fiunt tamen ſine immutatione nova animarum noſtrarum, niſi quis inſtare velit in ſcientiis naturalibus, & habitudinalibus, quæ ſecundùm Platonem concreantur ipſis animabus noſtris. Manifeſtum igitur eſt ex his omnibus, qualiter, & quam ob cauſam verum eſt, quòd creator aliquid ſcivit ab æterno, & tamen poſſibile eſt ipſum nunquàm ſciviſſe illud, & qualiter, & quam ob cauſam ſcit aliquid modò, & tamen poſſibile eſt ipſum nunquàm poſtea ſcire illud, & utrunque iſtorum abſque ullo modorum mutationis, & propter quid non ſequitur, ſi prævidit aliquid eventurum, quod tamen poſſibile eſt non evenire, quod ideò poſſibile ſit ipſum falli, vel errare, quia verbum fallendi, & verbum erroris notat duplicem ſtatum, & diſcrepantiam, ſive ſeparationem inter eventus rerum, aut res ipſas, & providentiam, vel ſcientiam creatoris, cùm inter eas, & illam comitantia inſeparabilis ſemper ſit, ſicut audiviſti. Declaratum igitur eſt tibi per hæc, propter quid, & qualiter non eſt neceſſaria hoc modo providentia creatoris, ut ſi aliquid ſit proviſum ab ipſo, propter hoc neceſſarium ſit illud eſſe proviſum ab ipſo, immò poſſibile eſt, ſicut oſtendi tibi, illud nunquàm fuiſſe vel ſcitum, vel proviſum ab ipſo, tamen verum eſt indubitanter, quòd ipſa eſt infallibilis & immutabilis: infallibilis quidem propter neceſſariam comitantiam ipſius, & rerum, per quam non eſt poſſibile, ut diſcrepet, vel diſcordet à rebus: hoc autem eſt dicere, quia non eſt poſſibile, ut aliter præviderit, quàm eveniat, vel econverſò, nec eſt poſſibile, ut præviderit aliquid eventurum, & non eveniat, quamquàm per ſe de multorum præviſorum quolibet poſſibile ſit ipſum non evenire, & de eorum ſimiliter quolibet veriſſimum eſt poſſibile eſſe ipſum non fuiſſe præviſum. Comitantia autem præviſionis, & inventionis in nullo genere rerum ſeparabilis eſt, quoniàm ſe invicem ſequuntur, ut ſi præviſum eſt de unoquoque, quod ipſum eveniat, ac ſi non eveniat, ſequitur non eſſe præviſum, quod eveniat: immutabilis etiam eſt providētia creatoris propter duplicitatem, quam prædixi tibi ſtatuū, & conditionum. Eodem modo & de ſcientia ejuſdem ſe habet, quoniàm immutabilis eſt, hoc eſt, non eſt receptibilis duplicitatis illius, quam prædixi tibi, & propter hoc neque novitatis. Non enim poſſibile eſt, ut dicatur verè de creatore ipſum aliquid vel ſcire, vel prævidere de novo: quoniàm ſi ſcit aliquid, ſemper ſcivit illud, & ſi prævidit aliquid, ab æterno prævidit illud. Novitas igitur procul eſt ab ipſo in parte iſta; hoc autem eſt propter duos ſtatus, vel duas conditiones, quas habet intellectus, & intentio novitatis, ſicut & intentio mutationis, & mutandi. Hi autem duo ſtatus ſunt novitatis, eſſe ſcilicet, & non fuiſſe: mutationis verò, aliter eſſe, quàm priùs, vel aliter ſe habere: utraque autem iſtarum diverſitatum procul eſt à ſcientia, & providentia

Scientia noſtra eſt adventitia.

Ariſtoteles.

Falli, & errare.

Scientia & providentia.

Nota.

Digitized by Google

creatoris: propter eandem cauſam nec diſcere, vel fieri ſcientem dici poteſt ullo modorum de ipſo: quoniàm intentio diſcendi, & diſcentis, in duos ſtatus eſt, videlicet in ſcientiam, & ignorantiam, ſcientiam inquam præſentem, & ignorantiam præteritam. Eodem modo ſe habet, & de eo, quod eſt fieri ſcientem, quoniàm ſimilis duplicitatis intentio eſt in eo, quoniàm nemo dicitur fieri ſciens, niſi

Nota.

ejus quod antea ignorabat. Et hæc omnia exempla ideò aggregavi tibi, ut caveas in prædicationibus, quæ fiunt de creatore, ab hujuſmodi ſermonibus, ne per eos ad creatorem referatur aliqua hujuſmodi duplicitas. Hoc autem dico, quia niſi ad ipſum creatorem referatur, vel ad id, quod eſt ipſe creator, hoc eſt ad ſcientiam, vel providentiam ejus, non habent hujuſmodi periculum, quemadmodùm cùm dicitur creare aliquid de novo, vel mutare impios in juſtos, novitas iſta non refertur ad creatorem, neque refunditur in ipſum, ſed in id cujus verè ipſa eſt, videlicet in id, quod creatur. Illud enim verè novum eſt; eſt enim, cùm priùs non fuerit, & mutatio in ipſo exemplo non refertur in creatorem, ſed in eos, quorum verè eſt. Hi autem ſunt, quibus aufertur malitia, quam priùs habebant, & præſtatur juſtitia, quam priùs non habebant: de creatione verò, quâ creator aliquid creare dicitur, & de omnibus aliis, quæ per modum agendi de eodem dicuntur, quid ſignificent, & in quo eſſe debeat, vel non debeat, quod ſignificant, ſatisfeci tibi in tractatu primo hujus magiſterii, qui tractatus eſt de primo principio.

CAPUT XVII.

Cautela contra verſutias ſermonum de Deo, & de differentia ſcientiæ divinæ, & noſtræ.

A Sæpè dictis quoque duplicitatibus ſimiliter cavendum eſt in eis, quæ dicuntur de futuro, aut dependent à futuro, de quibus dixi tibi, quòd non ſunt ſuſceptibilia duarum hujuſmodi diſpoſitionum, aut conditionum, & debes eſſe circunſpectus circa intentiones ſermonum, qui hujuſmodi duplicitates quoquomodò ſignificant, ſicut dixi tibi de ſermone novitatis, cujus intentio non explicatur, niſi de ſignificatione duorum ſtatuum, ſive conditionum, quæ ſunt præſens exiſtentia, & præterita non exiſtentia, nec abhorreas ſi non exiſtentiam, vel aliam quamcunque privationem, diſpoſitionem, vel conditionem, vel ſtatum nomines. Uſualiter enim paupertas ſtatus aliquis dicitur, & etiam nuditas alius. Ipſe etiam Ariſtoteles in phyſico auditu non eſt veritus carentiam vocare principium naturale, nec in hujuſmodi vim aliquam conſtituas, cùm vel propter defectum ſermonum, vel propter evidentiorem rerum explicationem, nomina plerunque fingere oporteat: ſermones autem hujuſmodi ſunt incipere deſinere, ſimiliter & primò aliquandò eſſe. Non ſequitur ergo ſi te eſſe comeſturum cras ſemel tantùm, eſt verum, & poteſt eſſe falſum, quòd ideò poſſit, vel deſinere eſſe verum, vel incipere eſſe falſum, vel aliquandò primò eſſe falſum. Hoc autem eſt propter antedictam cauſam, quoniàm ſi eſt verum, ſemper fuit verum, & ſi eſt falſum, ſemper fuit falſum; ſi autem inciperet eſſe verum, aut falſum, eſſet verum, cùm priùs fuiſſet falſum, aut eſſet falſum, cùm priùs fuiſſet verum; apud ipſum autem non habet locum ſtatuum iſta diverſitas, vel duplicitas. Eodem modo cavendum eſt tibi in omnibus, quæ ſignificant additionem, vel minutionem, vel crementum. Si enim dixerit quis, quia multa poteſt creator providere, quæ non

A providit, & multa non providere, vel etiam non providiſſe: poteſt igitur addi, & detrahi numero proviſorum à creatore, vel poteſt creſcere, vel decreſcere numerus proviſorum ab ipſo. ſcito concluſionem eſſe impoſſibilem. Si enim eſſet poſſibilis, eâ poſitâ nullum accidet impoſſibile, ponatur igitur aliquid addi numero proviſorum. Dico igitur quia illud non erat priùs de numero proviſorum *Nota.* non erat igitur proviſum; additur autem numero proviſorum: eſt igitur de numero proviſorum, cùm priùs non eſſet de illo; quare eſt proviſum, cùm priùs non eſſet proviſum. Jam autem patefactum eſt tibi, quia ſi aliquid eſt proviſum à creatore, ab æterno fuerit proviſum ab eodem. Manifeſtum igitur eſt prædictam concluſionem eſſe impoſſibilem. Juxta hanc viam declarabis impoſſibile eſſe aliquid

B detrahi numero proviſorum à creatore. Si enim poſſibile eſſet ſequeretur illud, quod detraheretur de numero proviſorum, effici non proviſum, cùm priùs eſſet proviſum, & hujuſmodi impoſſibilitas jam patefacta eſt tibi, quòd numerum proviſorum à creatore creſcere, vel decreſcere impoſſibile ſit ex his. Certiſſimum enim eſt impoſſibile eſſe numerum creſcere, vel decreſcere, niſi per additionem, aut detractionem. Quia igitur manifeſtum eſt tibi, tam additionem, quàm detractionem ibi eſſe impoſſibi- *Nota.* lem: manifeſtum eſt tam crementum, quàm decrementum ibidem impoſſibile eſſe. Cujus enim cauſa impoſſibilis, & ipſum impoſſibile eſſe neceſſe eſt. Cauſa verò crementi, & decrementi additio, & detractio ſunt. Aliâ tamen viâ impoſſibilitas hæc crementi, ſcilicet, & decrementi declarabilis eſt

C videlicet, quoniàm ſi aliquid adderetur numero proviſorum, contractum ejus detraheretur eidem, & ita quantum adderetur illi, tantum detraheretur, & ita quemadmodùm creſceret ex additione unius, tantum decreſceret ex detractione contrarii. Manceret igitur in eadem quantitate. Attende igitur diligenter hæc exempla, ne involvaris tendiculis ſophiſtarum & ne pueris iſta ſcientibus te exhibeas deridendum. *In ſophiſtas.* Et quoniàm manifeſta eſt tibi jam diverſitas, & differentia multipliciter inter ſcientias, quæ nobis de rebus, & de foris adveniunt & ſcientiam creatoris, & inter modos noſtros ſciendi in hoc, & ipſius, quoniàm illa eſt eſſentialis ipſi, & nullo modorum adventitia, & una per omnem modum: neque aliquo modorum multiplicabilis. &

D quoniàm non ſequitur diverſitatem, vel multitudinem rerum, quatum eſt, & una numero, & eadem *Scientia.* per omnem modum eſt alterius oppoſitorum, ſi eſt verum, quæ etiam eſſet reliqui, ſi eſſet verum: in noſtris autem ſcientiis econtrariò ſe habet per omnia. & ex hoc declaratur tibi conſequenter quoddam, quod eſt & admirationi, & incredibile inſipientibus. Hoc autem eſt propter ignorantiam iſtarum differentiarum. Cùm immutabilior, inquiunt, & fixior ſit incomparabiliter creatoris ſcientia, vel *Creatoris ſcientia qualis.* providentia, neceſſarium autem eſt, ut ſi aliquis ex hominibus vel ſcit, vel ſcivit aliquid, ipſum ſciviſſe illud ſemper poſt hoc ſit neceſſarium, nec ullo modorum poſſit non ſciviſſe illud; qualiter igitur poſſibile eſt de aliquo, quod creator ſcit nunc, vel ſcivit ipſum, non ſciviſſe illud, & qualiter poteſt de cætero non ſciviſſe illud? Intende in his, quæ dixi, quia hoc eſt præter mutationem omnem apud creatorem, ita ut ex hoc, quo aliquid ſcit, vel ſcivit, non intelligatur aliquid adveniſſe, vel acceſſiſſe ei & ſi non ſciat, vel non ſciverit, non intelligitur aliquid amiſiſſe, vel receſſiſſe ab eo aliquid. *Scientia noſtra qualis.* In nobis autem econtrariò ſe habet per modum omnem, & hoc eſt, quoniàm ſcientia, qualem dixi, advenit nobis per doctrinam, aut diſciplinam, aut

Digitized by Google

experientiam, aut inveſtigationem propriam, nec poteſt contingere. ut ſimus non ſcientes, niſi per receſſum ejus à nobis, & per amiſſionem ipſius, quæ eſt oblivio, aut contraria ſcientiæ diſpoſitio, quemadmodùm per dubitationem. Poſſibile enim eſt aliquem etiam per modum demonſtrationis ſcire aliquid, & per argumentationem aliquam ſophiſticam poſtmodùm dubitare illud, aut opinari, vel etiam credere contrarium. Tu autem vides, quoniàm iſtæ tres diſpoſitiones, videlicet dubitatio ejus, quod ſciebatur; opinio contrarii illius atque credulitas ipſius contrarii, diſpoſitiones ſunt contrariæ ſcientiæ eo modo, ſcilicet, quòd eam ab animabus noſtris expellunt, nec ſecum eſſe in eiſdem illam patiuntur.

Oblivio quid. Oblivio verò privatio eſt ſcientiæ, & abraſio ejus à memoria, vel intellectu, quemadmodùm abraſio ſcripturæ, ſive obliteratio ejus à libro, vel tabula. Manifeſtum igitur eſt tibi, quia qui ſciens eſt, vel fuit, apud nos non poteſt eſſe non ſciens abſque aliquo iſtorum modorum mutationis, & abſque amiſſione ſcientiæ, quod eſt per oblivionem, vel acquiſitionem alicujus ex contrariis tribus diſpoſitionibus iſtis, quas nominavi tibi. Oblivio autem, & acquiſitio hujuſmodi diſpoſitionum, amiſſioque ſcientiæ mutationes ſunt habentes duplicitatem, de qua tamen ſæpè locutus ſum tibi. Non enim poſſibile eſt quemquam amittere ſcientiam, niſi & aliquandò illam habentem, & qui aliquandò illam habet apud nos, non poteſt illam non habere, niſi amittat illam. In creatore autem ſecùs eſt, quia creator habet modò ſcientiam multorum, quæ futura ſunt, tamen poteſt non habere illam, id eſt, non ſcire illa abſque amiſſione ſcientiæ illius. Cave autem, ut ſanè intelligas hoc, quia reverà creator non poteſt non habere ſcientiam aliquam, quam vel habeat, vel habuerit unquàm, ſed comparationem ipſius ſcientiæ, quâ dicitur ſciens aliquid, & quæ quoquo modo poteſt nominari caſus ſcientiæ ipſius ſuper illud, vel reſpectus aliquis ſcientiæ ipſius ad aliud, & tam caſus hujuſmodi, quàm reſpectus iſte, licet eos habeat creator, poteſt tamen eos non habere abſque amiſſione alicujus, quod ſit apud ipſum, & non eſt iſtud mirabile in creatore, cùm apud nos in comparationibus, ac relationibus, atque reſpectibus, eodem modo res ſe habeat: quod enim eſt æquale alij, vel ſimile, poteſt eſſe non æquale, & non ſimile illi abſque ulla mutatione ſui, atque ſine amiſſione alicujus quod ſit apud ipſum. Hujuſmodi autem exemplum eſt in duobus æqualibus, quorum alterum augetur, vel minuitur, quod cauſâ evidentiæ volo nominari B, alterum verò remanet immutatum in ſua quantitate, & illud nominetur A. Vides igitur quia A, cùm eſſet priùs æquale B, modò eſt non æquale, vel inæquale, & hoc abſque ullâ ſui mutatione, vel amiſſione alicujus, quod eſſet apud ipſum: ſic ſe habent de duobus ſimilibus, quorum alterum alteratur, reliquo remanente immutato ſecundùm qualitatem. *Exempla philoſophica.* Quæcunque igitur mutatio fiat in rebus, ſuper quas cadit divina providentia, vel prævidentia, non propter hoc apud divinam ſcientiam, vel providentiam mutatio aliqua fit, nec propter hoc aliquid additur, aut detrahitur, ſed reverà ſi iſta duo compoſſibilia eſſent, ut creator ſciret aliquid modò, & poſteà non ſciret illud, neceſſe eſſet mutationem aliquam fieri circa ſcientiam, vel providentiam ipſius. Jam autem audiviſti in præcedentibus duplicitates hujuſmodi non eſſe conjungibiles, hoc eſt, ſimul prædicabiles de ipſo creatore, nec ſecundùm idem tempus, nec ſecundùm diverſa, eſt enim immutabilis per omnem modum. Si quis autem quærat de aliquo falſo, quod

E tamen poteſt eſſe verum, quod exempli gratiâ nominetur A, utrùm creator nunc habeat ſcientiam A, & procedat ſic. Creator modò non ſcit A, ergo non habet modò ſcientiam A. Ampliùs. A non eſt ſcibile modò, cùm ſit falſum, ergo non eſt modò ſcientia ejus, vel de eo; nec creator igitur, nec alius habet modò ſcientiam ejus, & poteſt habere ſcientiam ejus, immò habebit, quandò erit verum: ergo poteſt habere, vel habiturus eſt ſcientiam, quam non habet. Manifeſta eſt hæc deceptio. Non enim ſi poteſt habere ſcientiam, cujus modò non habet, conſequens eſt, ut poſſit habere ſcientiam, quam non habet. *Similitudo.* Quemadmodùm rex aliquis ex poteſtate ſua regia, quâ rex eſt, & dominus omnium ſubditorum ſuorum ſi naſcatur in regno ejus aliquis, vel effi-
F ciatur alter de novo ſubditus ejus, habet poteſtatem illius, cujus priùs poteſtatem non habebat: non tamen habet poteſtatem, quam priùs non habebat: quia ex poteſtate priori eſt potens ſuper iſtum, vel dominus ipſius. Habet igitur dominium ipſius, cujus non habebat, non tamen aliud dominium, quemadmodùm rex eſt ejus, cujus priùs non erat, non tamen habet regnum, quod priùs non habebat, de dominio enim univerſali quæſtio eſt, & eſt intentio mea hîc, non de ſingulari, quod forſitan in iſtum habet. Si verò proceſſerit ulteriùs, & dixerit, quia creator habet modò ſcientiam hujuſmodi, quod modò eſt verum, & primò non habuit ſcientiam hujus, noſce in parte iſta inſidias ſophiſtarum, & quia ipſimet diſtinguunt hîc, concedentes, quia ſcientiam hujus habuit priùs, nec tamen concedunt, quòd priùs habuit ſcientiam hujus, quia comparatio prædicta quandò præcedit verbum præteriti *Nota.*
G temporis, quod eſt, habuit, liberè refertur, ut dicunt, ad præſens, vel præteritum tempus; quandò verò ſequitur verbum illud, non refertur niſi ad tempus ipſius verbi, hoc eſt, ad tempus præteritum, & tunc ſecundùm hanc poſitionem non cadebat ſcientia divina ſuper ipſum, cùm eſſet falſum. Si verò dixerit, habet modò creator ſcientiam hujuſmodi, & priùs non habuit ſcientiam hujuſmodi: ergo habet modò ſcientiam hujuſmodi, & priùs non habebat illam: cave tibi in hoc, quia cùm dicitur creator non habebat priùs ſcientiam hujuſmodi, non negatur ſimpliciter ipſum habuiſſe ſcientiam hanc, ſed in comparatione ad hoc, vel potiùs comparationem ad hoc, quia propter ipſam comparationem, quæ ibi negari intelligitur, recipiunt eam. Cùm autem dicitur habebat illam, vel non habebat illam, negatur ſimpliciter, vel affirmatur
H ſimpliciter, ſcientia, vel habitus ſcientiæ de ipſo creatore.

CAPUT XVIII.

Reſponſio ad quoſdam errores circa ſermones, & enunciabilia, & quod providentia Dei non infert neceſſitatem rebus.

NE obliviſcaris autem opinionem eorum, qui dicunt omnia vera eſſe hujuſmodi, ut non cadant iſtæ duplicitates circa ea, vel ſuper ea, videlicet alteratio à veritate in falſitatem, vel econverſò, ſimiliter inceptio eſſendi verum, & deſitio contraria. Horrendum enim reputant, & non immeritò, creatorem nunc primùm ſcire aliquid, quicquid illud ſit, & incipere, aut deſinere ſcire illud. Multùm quippe ſonare videtur injuriam, & contumeliam ſapientiæ creatoris, nec iſta effugere poſſunt, qui ponunt vera, & falſa quædam, ſic alterari, & mutari. Cùm enim non poſſit ſciri à creatore aliquid, niſi cùm eſt verum, & quandiù eſt verùm, neceſſe

Digitized by Google

neceſſe eſt, ut tunc incipiat ipſum ſcire creator, cùm incipit eſſe verum, & conſequenter tunc deſinet illud ſcire, cùm ipſum deſinit eſſe verum, & tunc ſciat primò aliquid, cùm illud primò eſt verum. Videtur enim conſequens eſſe, ut ſi incipit aliquid ſcire, vel deſinit ſcire illud, diſcat illud, vel obliviſcatur, & ſi nunc primò ſcit aliquid, quod priùs non ſciverit, quod vel doceatur illud ab alio, vel inveniat illud per ſe de novo, vel alio modo de novo venerit ad notitiam ejus. Tu verò debes ſcire, quia non ſolùm veræ blaſphemiæ in creatorem, id eſt, quæ veras injurias, aut contumelias creatoris ſignificant, cavendæ ſunt omni generi hominum, ſed etiam omni igne, & gladio exterminandæ. Cauſam verò, vel occaſionem dedit huic errori alia ſtultiſſima, & creatori contumelioſiſſima opinio, quâ poſuerunt enunciabilia, hoc eſt, omnia vera, & falſa omnia ab æterno fuiſſe, & habere ſuum modum exiſtendi per ſe ſeorſum à creaturis, & ab omnibus Dei operibus nec eſſe facta, aut creata à creatore, ſed eſſe æterna, & ab æterno fuiſſe, quapropter nihil debere creatori, vel quantùm ad eſſe, vel quantùm ad ſuum benè eſſe. Qualiter autem compoſita ſunt hujuſmodi ex ſubjectis, & prædicatis, quæ utique temporalia ſunt, & ex tempore cœperunt pro majore parte, & quomodò præceſſerunt partes ſuas non ſolùm tempore ſed æternitate, præterea cùm compoſita ſint, & non à creatore, neque à ſeipſis, qui fuerunt compoſitores eorum, aut quis compoſitor, vel quomodò compoſita nullo componente? Pertranſeo deſtructionem erroris iſtius, quem incogitabilis intellectus imbecillitas ſomniavit. Revertar igitur ad id, in quo eram, & dico, quia affirmationibus, & negationibus non affirmantur, neque negantur, niſi res, quæ per prædicata ſignificantur, & niſi de rebus, quæ per ſubjecta, & niſi ex his, id eſt, ex rebus ſubjectis, & prædicatis, poteſt aliquid unum componi compoſitione naturali, immò hujuſmodi compoſitiones rationis ſunt, & intellectus, in cujus poteſtate eſt & componere intelligibiliter, ſeu rationabiliter, quæ per modum naturæ componibilia non ſunt, & dividere ſimiliter per modum ſuum, quæ per modum naturæ dividi impoſſibile eſt, & compoſitiones iſtæ, atque diviſiones intellectuales, ſeu rationales non ſunt, niſi affirmationes, & negationes, de quarum utriſque inveniuntur veræ, & falſæ, poſſibiles, & impoſſibiles, neceſſariæ, & contingentes, & propter hoc, grammaticam muſicam eſſe, de quo audiviſti apud logicam Ariſtotelis, nec factum eſt, nec æternum, quoniàm nec affirmatio, nec negatio facit affirmatum, vel negatum, quoniàm non dat ei eſſe, neque compoſitio intelligibilis conjungit res, niſi apud intellectum, neque propter eam minùs ſunt in ſua diviſione, vel ſua contrarietate apud ſemetipſas. Similiter neque propter negationem minùs ſunt in ſua conjunctione. Si enim dicas, quòd oriens eſt occidens, aut econversò, non minùs longè eſt propter hanc conjunctionem oriens ab occidente, & ſi dicas de eo, quod eſt in oriente, quòd ipſum eſt in occidente, aut econversò, non propter hoc receſſit hoc ab oriente, aut appropinquavit etiã occidenti. Similiter neque econversò. Et ab hujuſmodi errore non longè eſt ille, qui poſuit tria prædicamenta, & tria genera rerum, videlicet naturalia, moralia, vel civilia, & rationalia, & de rationalibus quidem, ſi ſolos ſermones vocaverunt rationalia, nihil periculi, vel periculoſi erroris habuit opinio eorum, niſi fortè in illam declinaverint inſaniam, ut idem delirarent de vocibus, quod prædicti erronei de veris, & falſis; & hujuſmodi errores, videlicet, quòd dicebantur voces fuiſſe ab

Blaſphemiæ in creatorem.

Opinio perverſa.

Nota.

Nota.

Alius error præcedenti ſimilis.

æterno, & æternas, aliarumque falſiſſimarum inſaniarum circa hæc, ubi non latet te, quanta fuerit ignorantia eorum in rebus naturalibus, & quanta imbecillitas intellectus eorum in his rebus, in quibus exercitatos ſe autumabant, & de quarum ſapientia ſe jactabant: horum verò deſtructio facillima eſt tibi ex aliis. Revertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quia orationes de præterito & de futuro per iſta tria tempora non diverſantur ſignificationibus, aut ſignificatis, ſicut neque ipſa verba; eſt enim, & fuit, & erit, rem unam ſignificant, videlicet eſſe, vel entitatem, & diſputat, & diſputavit, & diſputabit, non ſignificant niſi diſputationem, licet modis variis, quemadmodùm ipſa diſputatio cùm eſt præſens, & cùm eſt futura, & cùm erit præterita, non aliud eſt, aut alia: res autem ſunt ea, quæ ſciuntur indubitanter, & ea, quæ ſignificantur, & ea, quæ apprehenduntur. In omnibus enim ſcientiis de rebus agitur illarum, & in omnibus quæritur vel eſſe rerum, vel diſpoſitiones earum propriæ, ſive paſſiones. Scientiæ igitur omnes de rebus ſunt, & creator etiam dicitur ſciens, ſicut & reverà eſt, præterita, præſentia, & futura, & hæc non ſunt, niſi res. Illa enim, quæ ipſi vocant enunciabilia, affirmabilia ſcilicet, & negabilia, vera, & falſa, ſecundùm errorem eorum, ſunt ſemper, & ideò nec præterita ſunt, quæ perpetuò manent, nec futura, cùm ſemper fuerint ſecundùm eos; nec præſentia, cùm eorum eſſe tempus præſens non limitet, aut menſuret. Reſpondebo autem in proximo ad ea, quæ pro errore hujuſmodi facere videntur, & eidem dediſſe occaſionem. Dicam igitur non ſolùm, quòd veritas habet hic, & quòd alibi declaratum per me tibi eſt, videlicet in prima parte tractatus de Univerſo, & etiam in prima parte hujuſmodi ſcientiæ ſapientialis, videlicet, quòd ipſe ſolus, & æternus eſt, & ab æterno & ipſe novit ab æterno, & vidit, & videt intuitu vigilantiſſimo (ut dixi tibi in præcedentibus) omnia, quæ jam præterierunt, & quæ futura ſunt, & quæ præſentia ſunt, & hic eſt ſermo fidei communis, atque veridicus, qui jam declaratus eſt tibi, & ſicut audiviſti, ſcientia ejus, & providentia, fluxus ſunt, cui ſubeſt tota ſeries ſæculorum, & univerſi curſus eorum immutabilis eſt, & omninò prænominatæ duplicitates ſtatuum non habent locum ullo modorum apud ipſum, & vides ex his qualiter, & quam ob cauſam ſcivit aliquid, quod tamen non poteſt ſciviſſe, & qualiter in nobis non eſt poſſibile, quoniàm non eſt una numero ſcientia actualis, & per ſe, apud nos duorum contrariorum, alterius poſt alterum: & quoniàm non eſt poſſibile apud nos, ut aliquis ſciat aliquid, quod poſſit non ſcire, niſi per aliquam mutationem, quas dixi, & ideò nemo noſtrum poteſt aliquid ſcire ſcientia hujuſmodi, quod poſſibile ſit poſtmodùm ipſum non ſciviſſe, propter mutationes, quas dixi tibi, & dualitatem ſcientiarum de duobus oppoſitis. In creatore verò econtrariò, propter dictam immutabilitatem ipſius, & unitatem, ac ſingularitatem ſcientiæ ipſius. Ut autem evidenter videas quod dico, intende in exemplum, quod pono tibi de rebus, quæ ſunt apud nos, ſit poſitum inter me & te, quòd aliquis homo priùs omnibus aliis locututus eſt mihi, ut ſit nomen ipſius A. Dico igitur quia A nomen cujuſdam ex hominibus, videlicet illius, qui primò locututus eſt mihi, poſſibile tamen eſt ipſum A, nunquàm fuiſſe nomen illius, & hoc quoniàm poſſibile eſt, quòd alius priùs mihi loquatur: quòd ſi eſſet, videlicet, ut alius primò mihi loqueretur, A, eſſet nomen illius, non autem prioris. Eodem modo ſi demonſtraverim illum ad intellectum, & dixerim

Eſt, fuit, erit.

Deus ſolus æternus.

Exemplũ declaratiuum.

iſte homo loquetur mihi priùs, poſſibile erit per eandem viam me non demonſtraſſe illum, quoniàm ſi alius eſt mihi primò locuturus, quod utique eſſe poteſt manifeſtū eſt, quòd illum demonſtravi, ſecundum ſcilicet. Manifeſtum igitur eſt tibi, quoniàm in his duobus actibus meis, qui ſunt nominatio & demonſtratio, accidit, quod dicebam, quia nominavi, & demonſtravi hominem, quod tamen poſſibile eſt me nec nominaſſe, nec demonſtraſſe. Hoc autem eſt, quoniàm ſuper quem hominem cadat nominatio, vel demonſtratio, connexum eſt, & comitans actui, vel ſtatui futuro hominis illius: eodem modo caſus ſcientiæ, vel providentiæ creatoris comitatus eſt veritatem, ſive eventum rei, ad quam refertur, ita ut ſi non ſubſit veritas, vel eventus, non cadat ſuper illum; & quia non cadit aliquid ſuper quod ab æterno non ceciderit, pendet ex ipſa veritate, vel eventu, quodammodò, non ſolùm ut cadat, vel non cadat ſuper illud ſcientia creatoris, ſed etiam ut ceciderit ſuper illud, vel non ceciderit, quemadmodùm prædicta nominatio, & demonſtratio ſuper quem ex hominibus cadant, vel non cadant, pendent ex actu futuro ad hoc, videlicet ex locutione primò habenda mecum. Similiter & ſuper quem ceciderit, vel non ceciderit alterutra earum pendet, etiam poſtquàm utraque facta eſt & ideò ſuper quemcunque alterutra earum ceciderit, poteſt non cecidiſſe ſuper illum; quemadmodùm, & actus ille cujuſcunque futurus ſit poteſt non fore illius, & fore alterius. Declaratio autem evidens eſt. quia providentia creatoris non infert neceſſitatem rebus nec ex ea ſequitur neceſſitas apud res. Si enim hoc eſſet, nihil eſſet contingens, & poſſibile non evenire. Cùm dubitari non poſſit omnia quæ futura ſunt, & quæcunque unquàm futura fuerunt, ſub providentia divina & cadere, & ab æterno cecidiſſe. Jam enim declaratum eſt tibi per me in primo tractatu hujus ſapientialis, ac divinalis magiſterii, omnia tam præſentia, quàm præterita, quàm futura creatori ab æterno fuiſſe notiſſima, nec minùs fuiſſe ei nota, cùm eſſent futura, quàm cùm eſſent præſentia, nec minùs poſtquàm ſunt præterita, quàm cùm ſunt præſentia. Et cauſam in hoc audiviſti. quoniàm nec res, nec diſpoſitiones earum, nec rerum tempora, quod eſt dicere, quia nec futuritio nec præteritio, nec præſentialitas rerum addit aliquid ullo modorum ſcientiæ, vel providentiæ creatoris ſimiliter neque minuit apud ipſum. Omnia igitur ex neceſſitate evenirent, & nihil eſſet contingens de futuris, ſed unumquodque eſſet vel neceſſarium evenire, vel impoſſibile evenire. Hujuſmodi autem deſtructionem jam noſti ex libris Italicorum philoſophorum, & aliam deſtructionem audies per me in ſequentibus. Ampliùs. Si ex providentia creatoris ſequeretur neceſſitas eventuum futurorum, aut ſequeretur ex ea tanquàm ex cauſa, & tunc neceſſe eſt ipſam eſſe cauſam conjunctam rerum hujuſmodi, videlicet quâ poſitâ conſequenter eſſent res ex neceſſitate & tunc cùm bona, & mala, hoc eſt futura adulteria homicidia, & cætera hujuſmodi mala culpabilia æquè cadant in creatoris ſcientiam, & in providentiam, quemadmodùm in cognitionem, neceſſe eſſet divinam ſcientiam vel providentiam cauſam eſſe omnium, & ſingularium hujuſmodi malorum: hoc autem nefas eſt ſentire de creatore, vel ſcientia, vel providentia ipſius: nec ſolummodò cauſam ipſam eſſe neceſſe eſſet hujuſmodi malorum; ſed etiam cauſam agentem, & efficientem; & propter hoc ipſum creatorem auctorem hujuſmodi omnium malorum, & etiam propter hoc non ſolùm malum, ſed peſſimum. Si verò non ſequitur ex providen-

Vide quā acutè & ingenioſè.

F

Providentiam creatoris num ſequatur neceſſitas.

G

H

E

tia creatoris prædicta neceſſitas in rebus, tanquàm ex cauſa: quæ igitur erit cauſa conſequentiæ iſtius? Duo enim, quorum neutrum eſt cauſa alterius, & quæ non habent communem cauſam, neque colligationem relativam ad invicem, impoſſibile eſt eſſe hujuſmodi concomitantiam, vel conſequentiam. Ita autem eſt inter divinam providentiam, & res, quas nominavimus, hoc eſt, mala culpabilia Quòd ſi dixerit, hanc eſſe cauſam hujus conſequentiæ, quia ſi creator ſcit, vel ſcivit aliquid eventurum, ipſum eveniet, & neceſſaria eſt iſta conditio, vel conſecutio, duobus modis deſtruitur error iſte. Primùm, quia ſicut neceſſaria eſt iſta conſecutio, ſic & econversò, videlicet ſi eventurum eſt hoc, creator ſcit, vel ſcivit eventurum: non minùs igitur erunt res inferentes neceſſitatem providentiæ creatoris, quàm providentia creatoris rebus. Secundò, quia etiam ſimilis conditio, vel conſecutio eſt neceſſaria de te unoquoque hominum, quia ſi ſcis aliquid eventurum, illud eveniet, non propter hoc tamen viſio tua facit, ut illud eveniat, nec ut neceſſarium ſit illud evenire; ergo neque ſcientia creatoris faciet res evenire, per modum, quo eſt ſcientia, vel cognitio, alioquin ſcientia, quâ tu ſcis ſolem eſſe in cœlo, vel ſuper terram, faceret ſolem eſſe ibi, vel neceſſarium eſſe, ipſum eſſe ibi. Manifeſtum autem eſt tibi utrunque impoſſibile eſſe videlicet, ut, quia tu ſcis ſolem eſſe in cœlo, vel ſuper terram, neceſſarium ſit ipſum eſſe in altero duorum locorum illorum. Ampliùs. Divina ſcientia, vel providentia adeò ſeparata eſt à rebus hujuſmodi, & omnibus etiam temporalibus, quòd ipſa præceſſit eas tota æternitate, in qua erat, cùm nulla earum adhuc eſſet; ipſa igitur erat ſine rebus, ipſæ verò non poſſunt eſſe, quin illa præceſſerit, præceſſio verò per modum quo eſt præceſſio, nullam dat neceſſitatem ſequentibus. Licet enim non poſſit eſſe occaſus ſolis, quin ortus ejus præceſſerit, tamen ortus non facit eſſe neceſſarium, ut ſequatur occaſus, vel econversò; præſertim cùm ſicut alibi didiciſti, relativorum alterum non ſit dignius cauſa eſſe alterius, aut econversò, neque alterum contrariorum ſimiliter. Ortus igitur non dignior eſt cauſa occaſus, quàm econversò, nec præceſſio, ut ſit cauſa converſionis, neque econversò; neque igitur ſcientia divina per modum, quo eſt ſcientia, dat neceſſitatem ſcitis; ſicut neque viſio tua, quâ vides ſolem in cœlo, dat neceſſitatem ſoli eſſendi in cœlo; neque tanquàm cauſa dat providentia creatoris neceſſitatem rebus, neque per modum, quo eſt ſcientia, vel viſio, ſicut neque viſio tua, neque neceſſaria concomitantia eſt inter illam, & res, per hoc quòd ipſa ſit cauſa earum, cùm innumerabilia ſint, quorum ipſa non eſt cauſa, videlicet omnia mala culpabilia, omnia vitia, & peccata: neque per hoc, quòd communem habeat cauſam cum rebus, cùm ipſa cauſam non habeat ullo modorum. Sed neque ipſa neceſſaria eſt in ea comparatione, quam prædixi tibi, hoc autem eſt dicere, quòd caſus ejus ſuper quaſdam res eſt poſſibilis, & contingens, videlicet ſuper res contingentes, quas poſſibile eſt evenire, & non evenire. Et jam dixi tibi, & dedi convenientiſſimum exemplum ad hoc, quia ipſa cecidit ſuper res multas ab æterno: poſſibile tamen eſt non cecidiſſe unquàm ſuper aliquam earum; & hoc eſt quoniàm poſſibile eſt nullam earum evenire: & ſi ulla earum eveniret unquàm, ſuper aliquam earum cecidiſſet providentia creatoris Patefeci etiam tibi quomodò una eſt ſcientia creatoris. & quomodò non multiplicatur multiplicatione rerum, nec diverſatur diverſatione earum: & propter hoc una, & eadem per omnem modum permanens cadit ſuper alterum contra-

Deſtructio erroris præcedentis.

Simile.

Acutè.

contrariorum, & poteſt cadere ſuper alterum abſque ulla diverſificatione, & mutatione, quæ fiat apud ipſam. Declaravi etiam tibi, quomodò econtrariò ſe habet in ſcientiis, quæ vel adveniunt à rebus, vel acquiruntur nobis per ipſas. Intende igitur diligenter in hoc, & non involveris erroribus, qui ſunt circa hoc, neque conturbabunt te ullo modorum pueriles argutiæ ſophiſtarum.

CAPUT XIX.

De quatuor, quæ moverunt erroneos opinari, omnia ex neceſſitate fieri, & nihil libere.

Destructio erroris pernicioſiſſimi.

QUia verò & per alias vias, quàm per creatoris providentiam, viſum eſt nonnullis erroneis, omnia ex neceſſitate fieri, vel evenire in mundo iſto, & nihil eſſe omninò in poteſtate noſtra liberè, ſed potiùs impelli nos neceſſitate ad omnia, quæ facimus, & prohiberi impoſſibile eſſe ab omnibus, quæ facimus: convenientiſſimum arbitror negociari aliquantulùm circa hæc, & intendere ad deſtructionem errorum iſtorum, quos tu vides tam pernicioſos. Scito igitur, quia quatuor ſunt, quæ induxerunt eos in errorem hujuſmodi: primum fuit providentia divina per comitantiam, quam audiviſti, ſive comitantiam mutuam inter ipſas, & res futuras, vel non futuras: & adjuvit eorum deceptionem ridiculoſitas arguriarum, quas diſſolvi tibi in præcedentibus: & non eſt neceſſe vel ut repetamus, quæ dicta ſunt de hoc, vel ut alia ſuperaddamus eis, cùm illa ſufficere tibi debeant. Secundum fuit motus cœlorum atque figurationes, cæteræque diſpoſitiones ſtellarum, & luminum, de quibus conſueverũt aſtronomi omnes eventus, omneſque actiones & paſſiones, quæ fiunt conſiderare in mundo inferiori, & maximè in hominibus, & rebus humanis. Tertium fuit imarmene, quam vocaverunt aliqui ex philoſophis implexam ſeriem cauſarum, & indeficienter currentem, dependentiamque neceſſariam unius ex alia. Quartum fuit fatum, ſive fatatio. De tribus igitur his tentabo ſatisfacere tibi per viam quam conſuevi probationum, & ſatisfaciam, ſi Deus voluerit.

Imarmene quid

CAPUT XX.

Diſputat contra ponentes ex motu cœli, & diſpoſitione ſtellarum cauſari neceſſitatem in rebus.

QUoniàm ſi inter motus cœleſtes, & res antedictas eſt hujuſmodi cauſalitas, quæ neceſſariam conſequentiam faciat in rebus, cùm duorum quorumlibet, quorum alterum ſequatur ad alterum, vel alterum ex altero, ſi antecedens eſt neceſſarium, neceſſe eſt ipſum conſequens eſſe neceſſarium, non eſſet effugere, quin quemadmodùm motus cœleſtes neceſſarii ſunt, & immutabiles, & adeò ſeorsùm, & longè à poteſtate noſtra, ut nihil circa eos omninò poſſimus, quin currant per omnem modum, ſicut currunt; erit ex neceſſitate, ut nihil poſſimus etiam circa curſum rerum antedictarum; quare nihil erit nobis imputandum de curſu earum In omnibus igitur, quæ in rebus hujuſmodi accidunt, erimus per modum omnem inculpabiles: quod enim non eſt imputandum alicui, non eſt culpabile apud ipſum, neque ipſe propter illud ſimiliter laudandus. Quare nemo benè, aut malè aget, cùm nemo malè agat niſi culpabiliter, & vituperabiliter, & nemo ſimiliter benè niſi laudabiliter: Nihil igitur erit vitium, vel pec-

Nota.

A catum, & nihil vitiosè agetur, & peccare quemquam impoſſibile erit. Non peccantes autem punire, iniquum & injuſtum eſt. Ipſa igitur juſtitia quâ rei puniuntur, vel erit iniqua, vel iniquitas, & judicia omnia, quibus hoc decernitur ut rei puniantur, iniqua erunt, & injuſtiſſima; cùm omnes homines neceſſe ſit eſſe innocentes: cùm impoſſibile ſit quolibet modorum aliquem vel reum eſſe, vel peccare. Iſte igitur error deſtruit juſtitiam, & judicium, quæ tam neceſſariæ, tamque ſalutares ſunt & hominibus, & rebus humanis, totumque ordinem ſubvertit, totamque pacem, atque tranquillitatem rerum humanarum. Ampliùs Nihil erit correctio, nihil diſciplina, cùm correctio nihil aliud ſit, quàm averſio à malo culpabili, & converſio ad

Error perniciosus.

B contrarium Utrunque autem eſt impoſſibile ſecundùm errorem iſtum: neceſſitas enim inaverſibilis eſt, & inevitabilis, & impoſſibilitas inconverſibilis; impoſſibile enim eſt ſecundùm errorem iſtum aliquem averti ab eo, ad quod impellit ipſum neceſſitas motuum cœleſtium, nec minùs impoſſibile eſt eum converti ad id, à quo prohibet ipſum contraria prædictæ neceſſitati impoſſibilitas. Contra errorem igitur iſtum non eſt tam ratione diſceptandum, quàm igne, & gladio pugnandum. Cùm omnia vitia & peccata inde deſcendere aſſerant, omniaque eſſe inculpabilia, & nullatenùs habentibus ea, vel facientibus, imputanda, & propter hoc nec illos, nec illa ullâ pœnâ, vel punitione eſſe digna. Nutricem verò vitiorum & omnium peccatorum, videlicet impunitatem, adeò defendat, & nutriat, ut pœ-

Error igne extirpandus.

C nas omnes exterminet, nec aliquam infligi, nec infligendam eſſe patiatur. Ubi non eſt dubitandum ullo modorum, quin pœnis maximè indigeant, & illis ſolis edoceri poſſint. Si enim undique flagellentur, contumeliis afficiantur, rebuſque ſuis ſpolientur, mirum eſt, ſi tanta, tamque erronea ſint pertinacia, ut de nullo iſta eis irrogantium conquerantur, ſi neminem ſibi injuriari dicant, vel etiam poſſe injuriari; hoc enim neceſſe habent confiteri, vel reſipiſcere ab iſto errore, & hic eſt unus de tribus modis, quibus philoſophia conſulit erroribus, ſicut etiam audiviſti alibi, preces, & admonitiones inter homines inutiles erunt, aut ſupervacuæ. Pulchras autem irriſit quendam ex hujuſmodi erroneis quidam amicus meus. Cùm enim conſtanter aſſereret omnia, quæ eveniunt, ex neceſſitate evenire, & omnia, quæ non eveniunt, impoſſibilitate prohibita non evenire, jactaretque ſe hoc poſſe probationibus irrefragabilibus aſtruere, nec poſſet ab iſta pertinacia illum avertere, quin potiùs erroneus ille rogabat eum, ut cum eo iret ad quendam, qui inter ſapientes, & doctores præcipuus habebatur, & promitteret, quia illum ſapientem probationibus validiſſimis ad hoc ipſum concedendum cogeret:

Nota.

D reſpondit illi erroneo dicens: Tu credis, quia omnia, quæ eveniunt, ex neceſſitate eveniunt, vel eveniant, & quæ non eveniunt, vel evenient impoſſibile eſt ut eveniant: ſtultiſsimè igitur rogas me, ut eam tecum, quia vel impoſsibile eſt, me facere quod petis, ſi non ſum facturus illud, & tunc inutiles ſunt preces tuæ, vel neceſſe eſt me facere illud, ſi facturus ſum illud, & tunc preces tuæ ſupervacuæ ſunt, cùm ſive roges me, ſive non roges, ex neceſsitate ſim facturus illud. Sic ergo illuſus, & irriſus, cognovit errorem ſuum, & deſtitit à precibus illis. Ampliùs. Secundùm errorem iſtum nulla vi, vel virtute poterit impediri volatus muſculæ unius, quemadmodùm neque cauſa ipſius, id eſt, motus cœleſtis, & conatus omnes ad quæcunque opera, fruſtra eſſent apud homines, hoc eſt, vel ſupervacui, vel inutiles: fruſtra ergo laborabitur, ut fiant quæcunque

Arguta reſponſio. Vide diligenter.

bona, vel ut declinentur aliqua mala, cùm declinatio venturorum, vel imminentium malorum ſit impoſſibilis, & aſſecutio non venturorum bonorum ſit impoſſibilis. Cavendum autem eſt tibi ne decipiaris, & erres reſponſione, quam facit quidam ex Philoſophis Italicis, dicens: Cùm quæritur de ægro, an ſit convaliturus de ægritudine, quam patitur, an non: ſi dixerit quis, quòd ſic, & ei objectum fuerit, ergo ſupervacua ſunt ei medicamenta; ſi verò dixerit, quia non eſt convaliturus, & objectum fuerit ergo inutilia, reſpondeo, quia non benè arguit, qui ſic dicit, convaliturus eſt, ergo ſupervacua ſunt medicamenta, quoniàm medicamenta ſunt, per quæ convaliturus eſt, & eſt perindè ac ſi diceret, hoc eſt futurum, ergo ſupervacua eſt, per quam eſt futurum, vel ſi dixerit, hæc domus erit, ergo ſupervacua eſt ædificatio illius, vel ſi dixerit, iſtam ſcientiam obtinebis, vel habebis, ergo ſupervacuum eſt tibi dare operam ut illam habeas, vel ſupervacuum ſtudium, per quod illam acquiris, vel ſupervacua inſpectio librorum, & auditus magiſtrorum, vel aliud quodcunque, per quod illa ſcientia acquiretur tibi. Nemo intelligens dubitat hujuſmodi argutias magis irriſione, quàm ſolutione dignas: forſitan autem illuſioni prædictæ, & aliis, quæ in præcedentibus induxi ad hoc conabitur aliquis reſpondere ad ſimilitudinē reſponſionis iſtius, & dicet: licet aliquid ex neceſſitate futurum, vel faciendum, non tamen preces, vel ſupervacuæ, vel inutiles ſunt apud factorem illius, & hoc eſt, quoniàm per preces obtinebitur ab ipſo, quòd faciat illud, ſicut dixi de medicamentis, & ſanitate futura. Eodem modo ſe habet & de correctione, quoniàm licet iſte convertendus ſit ab errore ſuo, & ignavia ex neceſſitate, non tamen objurgatio, vel pœna porrigentis ſupervacua eſt, quoniàm per objurgationem, & pœnam, hujuſmodi correctio ejus futura eſt. Eodem modo videtur poſſe reſponderi ad alia ſimilia. Tu igitur attende, quoniàm iſta exempla, & cauſæ multùm longè diſtant, hoc eſt, multâ diſſimilitudine à motibus cœleſtibus quantùm ad res humanas, & voluntarias, & hoc, quoniàm cauſa ſcientiæ, quæ acquiritur, in nobis eſt, vel nos ſumus illa, & ipſa acquiſitio ex nobis eſt, & propter hoc liberum eſt nobis acquirere illam, & non acquirere. Motus verò cœleſtis ſecundùm poſitionem erroneorum iſtorum extra nos eſt, & in eum per ſe nihil poſſumus, neque quantùm ad eſſe ipſius, neque quantùm ad aliter ſe habere ejuſdem: manifeſta igitur eſt tibi diſſimilitudo cauſarum prænominatarum in cauſalitatibus ſuis. Faciam autem ſcire quoniàm in rebus voluntariis, hoc eſt, in rebus quæ per voluntatem noſtram vel fiunt, vel acquiruntur, nihil poteſt naturaliter, & per ſe, motus cœleſtis. Hujuſmodi autem prima declaratio eſt per ipſam libertatem noſtræ voluntatis. Dico igitur, ſicut & alibi per me audiviſti, quia tanta eſt libertas hujuſmodi, ut nō patiatur eam cogi ad ſuum actum per ſe, quæ eſt velle, neque prohiberi ab eo invitā, hoc eſt dicere, ſi velit illum: eſto enim, quòd cogatur invita, vel ſubjectum ejus invitum velle aliquid, & nominetur illud A, ſecundùm hanc poſitionem igitur ipſum ſubjectum eſt volens A, invitum, & volens ipſum velle: quia igitur ipſum velle A, eſt volens, & hoc propter A magis eſt volens ipſum A, quoniàm propter quod unumquodque tale, illud magis, eſt igitur volens A, non eſt igitur nolens illud, ergo non coactum, nec invitum vult A. Similiter dico, quia non poteſt prohiberi velle A, ſi vult velle A. Eſto enim quòd prohibeatur, ſi poſſibile eſt; dico quia priùs vult velle A, cùm velle ſimpliciter non ſit volibile niſi propter A, neque aliud quod-

Vide diligenter.

Motus cœleſtis extra nos.

Libertas noſtræ voluntatis.

E cunque velle volitum eſſe poteſt, niſi propter illud in quod, aut ſupra quod cadit, aut tranſit. Quapropter velle A, non eſt volitum ab ipſo ſubjecto, niſi propter A, quapropter erit A, non ſolùm volitum, ſed magis volitum. Vult igitur A. Non ergo prohibitum eſt à volendo A, poſitū autem erat ipſum eſſe prohibitum. Manifeſtum igitur jam feci tibi, quia non eſt poſſibile aliquem cogi ad volendū aliquid, cùm nolit velle illud, neque prohiberi à volendo ipſum, cùm velit velle illud, & eſt intentio mea hæc in hoc ſermone de voluntate, quâ aliquis veraciter dicit, volo, quod nemo veraciter dicit, qui non facit, illud quod poteſt. De voluntate, quâ dicit quis, vellem: non eſt intentio mea in hoc ſermone: hæc enim voluntas, magis eſt deſiderium, quàm voluntas, quoniàm magis optativa eſt, quàm imperativa. Illa autem eſt imperativa, quâ, qui vult aliquid fieri, imperat eis, quorum obedientia eſt ne-F ceſſaria ad faciendum illud, ut unumquodque faciat, quod ſuū eſt, ſicut vides in opere ſcribēdi, quia ſi vult aliquis ſcribere, hujuſmodi voluntatē imperat, & oculis, & manibus motus ad ſcribendū neceſſarios, atque inciſionem calami, & alias præparationes ad hoc. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quòd voluntas noſtra ſecundùm intentionem, quam dixi non ſubeſt neceſſitati motus cœleſtis, nec cuiquam alij neceſſitati: quapropter neque ea, quæ ſubſunt voluntati, aut quæ ab ea, ſive per eam: Si enim libera eſt voluntas per ſemetipſam, neceſſe eſt libera eſſe, quæ ſubſunt ejus imperio, & ab illo, & per illud, quamdiù ſubſunt ejus imperio. Hoc autem dico propter hoc, quoniàm motus membrorum noſtrorum interdùm non ſubſunt imperio voluntatis, ſicut apparet in eis, quorum manus ligatæ ſunt, ſive pedes, de quibus manifeſtum eſt, quòd non ſolvuntur per motum cœleſtem, neque G ligantur per ipſum, immò per voluntatem poteſtatem habentis in hoc. In his igitur, & hujuſmodi, quæ poſſunt non ſubeſſe imperio noſtræ voluntatis, & vim, & violentiam, & neceſſitatem pati poteſt voluntas noſtra, & nos ipſi, ſed in ſua propria operatione, & immediata, quæ eſt velle, liberrima eſt, ut dixi. Similiter & in ſe ipſa: hoc enim impoſſibile eſt, ut velit coacta, vel invita, cùm velit aliquid. Manifeſtum igitur eſt tibi, quoniàm nec voluntas, nec res voluntariæ ſubſunt alicui neceſſitati, ſed noſtræ voluntati, vel alienæ, vel partim. Nos enim ipſi vel patiendo, vel etiam adjuvando impedire poſſumus voluntates noſtras ab operibus exterioribus quæ fiunt in corpore, vel per corpus, ſalva per omnia libertate ipſarum, quantùm ad primam, & immediatam operationem ipſarum, ubi manifeſtum eſt, quòd prohibitio hujuſmodi operum non eſt niſi voluntaria, vel noſtræ voluntatis, ut dixi, H vel alienæ, vel partim. Poteſt enim quis ligare ſibi manus, vel pedes aliquo adjutorio, vel artificio, vel adjuvare ligantem. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc ex cœleſti motu nullam eſſe neceſſitatem in rebus voluntariis, cùm ex voluntatibus humanis omninò, ut dixi, dependeant, & ſint. Ampliùs. Voluntas humana non inclinatur in aliquid violentiâ, vel neceſſitate, ut dixi, ſed conſilio, vel ſuaſione, metu, & ſpe, & aliis paſſionibus, & hoc etiam non niſi ſponte, & propter hoc per apprehenſionem vel unam, vel plures. Ex motibus verò cœleſtibus nullæ ſunt ei apprehenſiones, ſed magis à rebus, niſi fortè cogitet de ipſis motibus, ſed rerum voluntariarum nullæ ſunt ei apprehenſiones ex illis. Quare nulla inclinatio eſt voluntatibus noſtris ex hujuſmodi motibus. Ex inclinationibus autem voluntatum noſtrarum ſunt voluntaria noſtra, hoc eſt actiones, & ea quæ ex illis ſequuntur, aut per illas

Voluntas imperativa.

Voluntas libera.

Voluntas noſtra quomodò patitur vim.

Voluntas humana quomodò inclinatur.

Digitized by Google

illas fiunt. Nihil igitur ad motus cœleſtes de rebus hujuſmodi. Amplius. Apprehenſiones omnes circa res voluntarias aut ſimilitudines ſunt hujuſmodi rerum, aut per ſimilitudines earum fiunt. Apprehenſiones autem, ſicut alibi didiciſti, cauſæ ſunt generãtes affectiones aut alio modo eas imprimentes. Quia igitur motus cœleſtes non ſunt cauſæ apprehenſionum, non erunt cauſæ affectionum cauſatarum ab illis, & propter hoc conſequenter neque operum, quorum illæ cauſæ ſunt. Si enim principio, ex quo per modum affectionis ſunt & media, & poſtrema, non eſt cauſa, non erit cauſa alicui mediorum, & multò minùs poſtremo: hujuſmodi autem convenientiſſima, luciduſſimaque exempla multa ſunt, quorum unum eſt in motu Solis & die, & anno ſolari. Si enim, quod Solem involvit, non daret cauſam motui ipſius, vel non eſſet cauſa motus ipſius, non eſſet cauſa diei, vel anni, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Et quòd non eſt cauſa efficiens ignis vel in hoc ut ſit, vel in hoc ut calidus ſit, non erit cauſa efficiens calefactionis, vel combuſtionis, quæ ex illo eſt. Nec moveant te ſermones vulgarium hominum, & rationẽ cauſalitatis ignorantium, qui cauſam combuſtionis dicunt, vel illum qui ligna applicat igni, vel ignem lignis, aut alij combuſtibili. Similiter dicũt homines imperiti, qui ſubtrahit columnam ædificio, vel ſuffodit fundamentum illius, cauſa eſt ruinæ ejuſdem, & reverà cauſa quædam eſt, non autem efficiens, immò ponderoſitas ædificij cauſa eſt efficiens caſus ipſius, qui eſt motus naturalis in deorſùm, cujus principium naturale, & efficiens ponderoſitas eſt, hujuſmodi cauſam vocaverunt nonnulli cauſam, ſine quâ non fieret ruina ædificij, & reverà non eſt cauſa in aliquo genere cauſarum, quas alibi audiviſti, ſed eſt de his, quæ dicuntur adjuvantia cauſas ipſas, vel tollendo impedimentum prohibens eas operari, vel præſtando aliquid, quo cauſa ipſa indiget ad ad hoc, ut ſit operans in effectu, quemadmodùm vides in exemplo columnæ proximè poſito, & in exẽplo fundamenti in ædificio, reverà nihil novum præſtat ponderoſitati, quæ eſt cauſa efficiens ruinæ illius, ſed tollit impedimentum, quod erat prohibens operationem ponderoſitatis ædificij, hoc eſt deſcenſum, ſive ruinam ipſius ædificij. Prohibebat enim columna, vel fundamentum motum ædificij in deorſùm, & tenebat illud in alto contra naturam ipſius ædificij, ſimiliter & fundamentum hoc ipſum faciebat. Qui verò vel ligna applicuit igni, vel ignẽ lignis, donec ſeſe contingerent, præſtitit indubitanter novum adjumentum & ipſi igni, quantùm ad actionem combuſtionis, & ipſis lignis quantùm ad paſſionem, videlicet contiguitatem, ſive contactũm, vel appropinquationem, ſine quorum altero non perficiuntur adeò fortes, atque vehementes actiones. In motu autem cœleſti, & voluntariis actionibus, & paſſionibus noſtris, nec etiam poſſibile eſt fingere hujuſmodi adjumenta, niſi quis fortè dicat, quòd Sol luminoſitate ſuâ adjuvat volũtarias operationes noſtras & maximè illas, in quibus actus videndi requiritur, Saturnus adjuvat venditores lignorum in venditionibus eorum ex prolongatione frigoris, & augmentatione ipſius; facit enim ſecundùm poſitionem aſtronomorum, ut & faciliùs, & cariùs, & copioſiùs vendãtur: ſimiliter & Mercurius navigantes, quoniàm eſt dominus ventorum ſecundùm ipſos, & interdùm non minùs impedit ſecundùm eos, ſimiliter & ventilantes in aëra adjuvat, & ad hunc modum ſe habet de aliis ſecundùm opinionem eorum, & de his, & hujuſmodi multos libros impleverunt, videlicet omnes libros judiciorum aſtronomicorum. Manifeſtum

Apprehẽſiones circa quid.

Nota.

Nota.

A autem eſt tibi, quoniàm hujuſmodi adjumenta non ſunt digna, ut debeant planetas facere eſſe cauſas efficientes rerum voluntariarum noſtrarum, videlicet quarum voluntates noſtræ ſunt principia effectiva. Ampliùs Si cœli luminaria, & ſtellæ per motus ſuos, & alias diſpoſitiones ſunt cauſæ rerum voluntariarum noſtrarum, quas dixi, aut erit hoc per intentionem, & voluntatem ipſorum, aut præter intentionem eorum, & voluntatem: quòd ſi per intentionem eorum, & voluntatem propriam, cùm vitia, & peccata ſint voluntaria apud nos, alioquin nec vitia eſſent, nec peccata, neque ullo modorum aliquibus imputanda, nec cauſis antedictis, ipſæ igitur ſolæ erunt coinquinatæ omnibus humanis vitiis, & peccatis, præſertim cùm ſecundùm B errorem iſtum, non ſit poſſibile hominibus cauſis hujuſmodi reſiſtere, quæ per naturales diſpoſitiones ſuas, & motus neceſſarios operantur: naturales enim diſpoſitiones earum augeri, vel minui, vel ullo modorum mutari per nos, non poſſunt, quare nec ea, quæ ex his naturaliter & per modum effectionis ſequuntur. Ampliùs. Sequitur ex hoc malitiam ſtellarum luminaribus, & cœlis innatam eſſe, & eos eſſe naturaliter malos, & ad mala hominis incendere; quare non ſolùm malos eſſe, ſed & deteriores hominibus, quibus ſunt malitiarum omnium voluntarij actores. Jam autem deſtruxi tibi hoc in alio capitulo de hac eadem materia, judiciorum ſcilicet aſtronomiæ. Si verò præter intentionem, & voluntatem eorum ſunt voluntaria noſtra, ſunt igitur à caſu, ſive caſualiter quantùm ad ipſos. Caſualium autem nec ordo eſt, nec certitudo, nec perennitas, nec etiam frequentia, qua- C re nec ſcientia, ergo, nec ipſi aſtronomiæ ſuper hujuſmodi credendum eſt, neque ejus profeſſores ſuper talibus conſulendi. Et hoc eſt quod intendebam, videlicet declarare, quòd motus cœleſtes non ſunt cauſæ ullo modorum neceſſitatis apud res humanas.

Malitiã non eſſe innatã cœlis.

CAPUT XXI.

Impugnat imarmenem, ſeu implexam ſeriem cauſarum neceſſitantem.

QUoniàm autem alibi circa hoc multa tibi & dicta, & ſcripta ſunt per me procedam ad deſtructionem imarmenes, prout eam iſti erronei poſuerunt. Hanc igitur dixerunt eſſe implexam ſeriem cauſarum, juxta quod intellexit Mercurius, & expreſſit in libro ſuo de Deo deorum. Primùm igitur D quærendum eſt ab eis, utrùm intelligant iſtam ſeriem ſic implexam, & continuè fluentem à primo cauſante uſque ad ultimum, ita ut aliquod cauſatum primò fluat à primo cauſante, qui eſt creator benedictus, fluat inquam immediatè, & per neceſſitatem, & ab illo aliud ſimiliter immediatè, & hoc donec veniatur uſque ad ultimum cauſatum, vel currat hoc in infinitum, aut non eſt ita. Quòd ſi dixerit, quoniàm à primo cauſante fluit primò, & immediatè unum cauſatum per neceſſitatem, tunc neceſſe eſt ut fluat ab ipſo per modum naturæ, aut per voluntatem; & de modo naturæ jam ſcis, quàm longè ſit à nobilitate, & gloria creatoris, quoniàm ſicut didiciſti apud Ariſtotelem, natura operatur per modum ſervientis & ideò ſerviliter. Ampliùs Non eſt liberum naturæ non facere, quod naturaliter facit, nec eſt ei poteſtas, aut libertas, neque electio ſuper facere, & non facere, quare modus operationis naturæ nullo modorũ congruit creatori, ſicut neque ſervitus, aut ſervilitas, neque magis decet magnificentiã ipſius, atque præſtantiã aliquid quàm libertas. Eſt igitur cauſatio primi ex operis

Natura quomodo operatur.

bus creatoris per voluntatem ipſius libertimam, quare non per neceſſitatem. Non igitur eſt continua cauſarum iſta implexio per totam ſeriem cauſantiũ, & cauſatorum, continua inquam, ideſt continuæ neceſſitatis. Ampliùs Si primum opus ipſius creatoris eſt ſubſtantia intelligens, erit idem oſtendere de illa, cùm omnis ſubſtantia intelligens non operetur, niſi per electionem, & voluntatem, alioquin nec benè agere, nec malè poſſet, nec rectè agere, nec peccare, nec aliquid ei imputandum eſſet ad meritum, vel ad culpam, ad laudem, vel vituperium. Propter hoc enim nec benè, nec malè agere poſſe, nec culpabiliter, aut laudabiliter quicquam facere poſſe dicuntur, quorum non eſt poteſtas ſuper facere, & non facere, ſed neceſſitate feruntur ad ea, quæ cupiunt, & neceſſitate avertuntur ab eis, quæ timent, non libertate ſe illis applicant, aut contraria declinant; quare ſi hujuſmodi ſubſtantia ferretur ſimili neceſſitate ad aliqua, vel reſiliret ab eis, neutrum eſſet ei imputandum hoc eſt neque inclinatio, ſive applicatio ad illa, neque reſilitio ab illis. Ampliùs. Intellectus eſſet ſupervacuus, & omninò inutilis in hujuſmodi ſubſtantia, intellectus, inquam, quo cognoſceret quæ ei agenda, & quæ declinanda eſſent Cùm iſta cognitio eſſet in hujuſmodi ſubſtantia nulli uſui, vel fructui. Ampliùs. Nec ea, quæ virtutis ſunt, eſſent agenda hujuſmodi ſubſtantiæ, nec ea, quæ vitiorum, declinanda, nec ulla eidem lex imponenda, neque cum eadem de moribus agendum, ſicut neque cum brutis animalibus, aut lapidibus, cùm neceſſitas legem non habeat, nec legi ſubdita eſſe poſſit; quare nec intellectus virtutum, aut vitiorum, neque cognitio boni, & mali intelligibilium eſſet in ea, niſi fruſtrà. Quòd ſi dixerit, quia propter bona, & mala ſenſibilia adipiſcenda, vel declinanda, hoc non eſt verum, cùm ad hoc ipſi ſenſus cũ virtute æſtimativa ſufficere poſſent, & deberent eidem Ampliùs. Hujuſmodi intellectus, videlicet agendorum, & declinandorum, quem vocant practicum, non eſt, niſi ad hoc, ad agenda ſcilicet intelligibilia bona, & declinanda intelligibilia mala: hoc autem eſt impoſſibile quare intellectus hujuſmodi erit ad finem impoſſibilem, & hoc fruſtra; fruſtra enim eſt omnis virtus, & omnis potentia, cujus operatio eſt impoſſibilis, & res iſta curret per totum ordinem, ac ſeriem ſubſtantiarum nobilium abſtractarum. In toto igitur ordine illo non erit propter prædictam convenientiam implexio cauſarum neceſſaria, & inevitabilis, atque immutabilis, hoc eſt, nec in toto ordine intelligentiarum, quas poſuit Ariſtoteles, & ſequaces ejus, nec in omnibus novem ordinibus Angelorum ſanctorum, quos ponit doctrina Chriſtianorum, & eſt intentiò mea in hoc ſermone de neceſſitate, quâ natura naturaliter operatur, ſicut prædixi tibi, & hæc eſt neceſſitas ſervitutis, ſive ſervilitatis. In cauſis verò, quæ per ſapientiam, vel providentiam, & electionem operantur, libertas eſt ſuper operari, & non operari, & nulla neceſſitas impellens, vel cogens eas ad operandum, niſi fortè quis dicat voluntatem, ſive imperium creatoris cogere cauſas hujuſmodi adimplere, vel exequi juſſa ejus, vel beneplacita, ubi cavendum eſt tibi à ſermone coactionis, & intentione ejuſdem: non enim propriè intentio ſermonis hujus currit in eis cauſis, quæ voluntariè operantur, quamquàm vulgaris uſus, atque certiſſimus hæc habeat, ut cogi ſe dicat amore imperantis, qui amore fortiſſimo eidem eſt obnoxius, & aſtrictus Dicitur etiam ſecundùm hunc modum aliquis operari amore cogente, quod maximè voluntariè, maximéque libenter, atque gaudenter operatur. Cauſa autem in hujuſmodi ſermonibus eſt, quia quemadmodùm

Inconveniens.

Intellectus practicus.

Virtus ſine operatione fruſtra.

Cogi.

E violentia cogentis virtutes, ſeu vires coacti, totaliter ſibi ſubjectas habet, ita ut contra ipſum, nihil poſſint, hoc eſt nullatenùs reſiſtere violentiæ ipſius, ſic in vehementer amante totam voluntatem ejuſdem amor occupat, & poſſidet, ut contrarium voluntatis jubentis non velit, etſi amor fuerit fortiſſimus, atque firmiſsimus, nec etiam velle poſsit, qualis amor eſt in ſanctiſsimorum Angelorum conſortiis erga creatorem, ubi dubium non eſt, quin quemadmodùm amor ille nec minui, nec ullo modorum tepeſcere poteſt apud eos, ſicneque voluntas adimplendi quicquid jubere eiſdem fuerit dignatio creatoris, & hujuſmodi voluntatis fortitudo, atque immutabilitas, ex immutabilitate, & fortitudine eſt amoris in creatorem. Cùm autem certum habeas, quia coactio omnis ex debilitate, atque defectu eſt patientis illam, & majori cogentis virtuti propter

Nota.

F hoc reſiſtere non valentis, manifeſta eſt tibi diverſitas inter propriam coactionis ſive violentiæ intentionem, & iſtam vulgarem, & impropriam, cùm illa, propria ſcilicet, ſit ex infirmitate virtutis illam ſuſtinentis, iſta verò ex fortitudine, & ex hoc, quod cogens illo modo coacti virtutem impedit, & ad contrariam operationem ſua virtute impellit; voluntas autem jubentis in ſic amante virtutem ejus, amorem ſcilicet, & obedientiam, nullo modorum impedit, quin potiùs eam augeret, & confortaret, ſi augmenti, & confortationis eam ſuſceptibilem inveniret. Certum enim eſt gaudium verè, ac perfectè amantium, non tantùm eorum, quos amant, neceſſitatibus ſubvenire, ſed etiam eorundem parere beneplacitis, & mandatis. Scire etiam debes,

G quia quemadmodùm bonitas creatoris per hoc ipſum, quod nec poteſt minui, nec mutari, & per hoc ipſum, quod non poteſt, niſi benè agere, non ſolùm non minùs libera, immò hoc eſt ei ex ultimitate, ac ſupereminentia libertatis; ſic nec præclaris illis, ac nobilibus ſubſtantiis, quòd non poſſunt vel non amare creatorem, vel non velle, quod ſciunt ipſum velle, vel non facere, quod intelligunt ipſum jubere eas facere, non eſt ex debilitate ſuæ virtutis ullo modorum, vel ex depreſſione, vel læſione aliqua libertatis. Malè igitur agere aut ſervitus eſt, aut ex ſervitute, aut etiam ſervum fieri, ſicut alibi didiciſti. Sicut igitur, quòd aliquis non poteſt ſervus fieri, vel ſervire, ſive opus facere ſervitutis, ex perfectionibus eidem eſt libertatis, videlicet ex magnitudine, & fortitudine ipſius, ſic ſe habet in creatore, & in prænominatis ſubſtantiis; hæc enim omnia ſunt ex elongatione, vel etiam ipſa elongatio à ſervitute, ex elongatione autem à ſervitute

H impoſsibile eſt impediri libertatem, vel lædi quolibet modorum. Jam igitur manifeſtum eſt tibi per hoc, quoniàm implexio cauſarum non currit curſu cauſalitatis naturalis, atque neceſsitatis hujuſmodi in ſubſtantiis intelligentibus abſtractis, neque in aliquibus aliis ſubſtantiis quantùm ad actiones voluntarias, & quia neceſsitas obedientiæ voluntariæ non contradicit libertati, nec lædit eam ullo modorum, quin potiùs perficit eandem, & quòd non poſſunt non obedire juſsis creatoris prænominatæ ſubſtantiæ nobiles, non eſt ex debilitate, vel impotentia, vel defectu virtutis, quin potiùs ex fortitudine, abundantiaque, & perfectione ipſius. Quòd ſi dixerit quis, quia non obſtantibus his currunt res, ſicut currunt, & quia iſta non faciunt debere, ut non ſit curſus cauſarum neceſſarius, hoc, eſt aliter eſſe, vel ſe habere impoſsibilis: dico in hoc, quia voluntas creatoris ſublimis, aut benedicti non eſt ſuper hujuſmodi curſum cauſarum, ut ita ſemper ſit, & non aliter, quemadmodùm non eſt ſuper virtutes moventes cœlos, ut ſemper ita eos moveant;

Implexio cauſarum

Digitized by Google

neque ſuper motum cœlorum, aliorumque corporum cœleſtium, vel ut ſemper ſit, vel ut ita ſemper ſit, quin potiùs ceſſaturi ſunt motus hujuſmodi. & virtutes moventes eos, ſi virtutes intelligentes ſunt, & moventes eos voluntariè (ſicut poſuit Ariſtoteles, & ſequaces) deſinent eos movere in fine ſæculorum currentium, intelligentes voluntatem creatoris eſſe in hoc: ſic dico & de ſanctiſſimis angelis, qui ad multiplices utilitates hominum dominantiſſimo ſerviunt creatori; ceſſantibus autem utilitatibus hujuſmodi, ceſſabunt & miniſteria eorum, quæ propter eas adimplebant, quapropter in eis etiam invenitur non ſolùm aliter poſſe eſſe, ſed etiam aliter multoties non fore: quoniàm quæ operantur modò angeli ſancti circa homines, quandóque non operabuntur. Manifeſtum igitur eſt, quòd in operationibus eorum hujuſmodi neque impletio neceſſaria prænominata, neque etiam ſempiternitas, aut perpetuitas locum habet.

Virtutes cœlos moventes deſinent movere.

B Jam etiam patefactum eſt tibi in præcedentibus, quòd in rebus voluntariis, quæ apud homines ſunt, ſimiliter locum non habet neceſſitas, aut implexio, cùm tanta ſit libertas voluntatis humanæ; ut neque cogi poſſit ad ſuam primam, ac propriam operationem, quæ eſt velle, vel prohiberi ab illa invita. In eis autem voluntariis, quæ ſunt ex velle, & poſt ipſum, corporalibus ſcilicet actionibus, locum habet prohibitio, & coactio antedictæ, inquantùm ſunt motus corporis, aut membrorum ipſius, aut contrarium motus. Invito enim unoquoque hominum in ſtatu miſeriæ iſtius poſſunt moveri corpus ejus, & membra, & prohiberi à motu per ligationes, aut alia impedimenta.

CAPUT XXII.

Utrùm ex aggregatione cauſæ efficientis, & omnium adjuvantium ex neceſſitate ſequatur effectus.

SCias autem me dixiſſe, inquantùm motus corporis, aut membrorum, & noluiſſe dicere, inquantùm ſunt actiones voluntariæ, propter hæc, quoniàm in manu alicujus poteſt poni thus eo omninò invito, & penitùs obnitente, ſeu renitente, & moveri munus hujuſmodi ad pedes idoli, & poni thus ante idolum per manum ipſius. Sed poſitio iſta non erit thurificatio, neque actio voluntaria quantùm ad ipſum, nec etiam motus voluntarius; ſed violentus erit, at thurificatio fortaſſis, & veneratio idoli, quantùm ad ipſum. qui violentiam infert hujuſmodi, & hoc ſi intentio ejus fuerit in hoc, ut ſic idolum veneretur. Forſitan autem dicat aliquis, quia iſta implexio eſt juxta ſermonem, quem dixit quidam ex Italicis philoſophis, occupationes; inquiens, ſcrimus. Hujuſmodi autem exemplum eſt, quia cùm in aliquo concurrerint ſcribendi voluntas, & oportunitas, cæteraque omnia, quæ requiruntur ad hoc, ut potentia ſcribendi exeat in actum, exibit neceſſariò in actum; & eodem modo ſe habet de his, quorum cauſa eſt actus ſcribendi cum aliis, quoniàm ſequuntur ex actu ſcribendi cum aliis, & hoc neceſſitate ſimili, qua actus ſcribendi eſt ſecutus ex cauſa ſua, & aliis adjutoriis, & ita in infinitum, vel uſque ad noviſſimum cauſatum. Qua de cauſa cujuſcunque ſingularis vel exiſtentia, vel eventus erit neceſſarius, & hæc ratio induxit aliquandò me in adoleſcentia mea, ut mihi videretur nullum ex ſingularibus contingentibus habere cauſam hujuſmodi, vel unam, vel plures ſimul aggregatas, cauſam in quam, conjunctam ſcilicet, quâ poſitâ de neceſſitate ponatur: audies

Nota.

Nota.

C/D

A & alia à me in hoc præſenti capitulo. Scito igitur hîc, quoniàm fortaſſis verum eſt, quòd poſitâ hujuſmodi aggregatione cauſæ ſcilicet efficientis, & eam ad hoc quod operetur, adjuvantium, neceſſe eſt operationis initium eſſe, vel operis, non autem opus ipſum, vel ejus perfectionem, & hoc dico in his, quæ generantur, vel per ſucceſſionem temporis fiunt, & hoc eſt, quoniàm aut conſummationem, vel perfectionem operis hujuſmodi poſſibile eſt, vel ipſam cauſam efficientem omninò non eſſe, vel aliquid de aggregatione illam adjuvantium. Sicut vides in ædificatione domus, cujus cauſa efficiens eſt voluntas ædificantis, vel ædificari facientis: quam voluntatem poſſibile eſt mutari in contrariam voluntatem, antequàm perficiatur domus hæc, & omninò deſinere eſſe; ſimiliter poſſibile eſt facultates ei auferri, ſeu furto ſubripi: poſsibile etiam eſt prohibitionem ei fieri, ne ædificet, & alia multa impedimenta evenire, quibus impediretur perfectio domus. Eodem modo ſe habet, & de ſcriptura, ſive actu ſcribendi, quia ſcilicet hujuſmodi rerum, vel eventuum perfectio pendet ex aggregatione multorum poſsibilium, quorum quolibet non exiſtente, impeditur ejus perfectio: eſt igitur neceſſe, ut confluentibus, ſive aggregatis causâ efficiente, & omnibus eam adjuvantibus, ut dixi, opus, vel operationem incipere, ſeu inchoari: & quoniàm ad ejus perfectionem, ſeu conſummationem ſtabilitas neceſſaria eſt totius aggregationis hujuſmodi, ſi illa concurrant, ſequetur conſummatio. Verùm quoniàm ipſa ſtabilitas, ut ita dicam, non eſt neceſſariâ ſtabilitate ſtabilis, immò non eſſe poſsibilis, non eſt neceſſe, ut ex prædicta aggregatione ſequatur neceſſaria conſummatio, & propter hoc generaliter non eſt verum in rebus hujuſmodi, quòd ex aggregatione ſæpè dicta ſequatur conſummatio, niſi in ea intelligatur totius aggregationis permanentia. Similiter non eſt neceſſarium, ut ſic etiam, hoc eſt, computatâ ibi ſtabilitate, ſequatur conſummatio, ſeu perfectio neceſſaria, niſi ipſa permanentia neceſsitate firma intelligatur: & ad hunc modum ſe habet in omnibus cauſis operantibus in tempore, ſive per ſucceſsionem. Sicut evidenter apparet in claritate diei, quæ cùm ſit ex revolutione Solis ſuper terram, tanquàm ex cauſa efficiente, tamen non eſt neceſſe, ut ſit ex illa, licet neceſſarium ſit illam eſſe, quoniàm lux ſolaris poteſt impediri quantùm ad operationem iſtam, vel per nubilum, aut nubes, vel eclipſim Solis. vel per adventum multitudinis locuſtarum, ſicut plerumque fit in terra paleſtinæ, & in partibus Ægypti. Lux igitur ſolaris non eſt neceſſaria, aut neceſsitate ſtabilis.

Adverte.

Exemplū.

Simile.

CAPUT XXIII.

Quòd multæ paſſiones pendent ex ipſis patientibus; & quomodò de ei poſſit eſſe aliquid in poteſtate noſtra.

SCiendum etiam eſt tibi, quoniàm actiones multæ, & etiam innumerabiles pendentes ſunt ex ipſis patientibus, quoniàm non fiunt contra voluntatem patientium multoties, immò ſecundùm eam, quemadmodùm vides in illuminatione hominum à Sole, & in calefactione eorum ab eodem; poſsibile namque multis hominibus eſt avertere ſe à lumine, & à calore ipſius, & multi hoc faciunt, abſcondentes ſe ab eo vel in ſilvis, vel in antris, vel in locis ſubterraneis, vel in aliis ad hoc ædificatis, & aptis: Sicut audire potuiſti de æthiopibus, & in lybia; & ſi intenderis in hoc; erit tibi facile

Actiones pendentes ex ipſis patientibus.

ſolvere quæſtionem, quæ aliquandò mihi difficilis E viſa eſt ad ſolvendum. Hæc autem quæſtio illa: ſi cauſa non eſt in poteſtate noſtra, cauſa inquam, quâ poſitâ ponitur effectus: non erit effectus in poteſtate noſtra, & eſt intentio mea in ſermone iſto, qui eſt, eſſe, vel non eſſe in poteſtate noſtra, ut tunc dicatur eſſe in poteſtate noſtra cauſa, cùm facere poſſumus, ut vel ſit, vel ut operetur, aut prohibere ut vel non ſit, vel non operetur. Quare conſequens videtur, ut cùm cauſa non eſt in poteſtate noſtra, vel quantùm ad eſſe, vel quantùm ad operari, nec effectus ſit in poteſtate noſtra. Cujus exemplum eſt in ſole & die, de quo manifeſtum eſt quòd non eſt in poteſtate noſtra dies, quia nec Sol quantùm ad eſſe ſuum, neque quantùm ad operari operatione, quâ diem operatur, quæ operatio eſt lucere ſuper terram. Neque enim prohibere poſſumus eſſe ipſius Solis, neque ejus lucere ſuper terram, aut omninò avertere, aut ullatenùs impedire, & ideò manifeſtum eſt, quia non eſt in poteſtate noſtra, ut dies non ſit. Eodem modo, neque ut dies ſit, quia ſole exiſtente ſubter terram, non poſſumus facere, ut ſit, vel ut luceat ſuper terram. Manifeſtum igitur eſt, quia ſi cauſa hujuſmodi non eſt in poteſtate noſtra, neque effectus. Quare ſi effectus eſt in poteſtate noſtra, & cauſa; quare & cauſa cauſæ, cùm quælibet cauſarum uſque ad primam effectus ſit alicujus cauſæ. Quare ſi aliquid eſt in poteſtate noſtra, erit ipſa prima cauſa in poteſtate noſtra Quia igitur ipſa non eſt in poteſtate noſtra, per deſtructionem conſequentis ſequitur, nihil omninò eſſe in poteſtate noſtra. Quare nihil eorum quæ ſunt, vel fiunt, eſt in poteſtate noſtra, vel ut ſit, vel ut non ſit. Nihil ergo de his, quæ ſunt, vel fiunt, poſſumus avertere, vel prohibere ne ſint, vel fiant, aut facere, vel procurare, ut ſint, vel fiant. Quare omnia erunt, vel fient, vel evenient ex neceſſitate quantùm ad nos. Nulla igitur erit libertas noſtra, nulla omninò poteſtas. Scito igitur in hoc, quia non ſolùm cavendum eſt tibi, ne falſum aliquod dicas, vel ſentias de creatore benedicto, ſed etiam timoratè, & reverenter, & circumſpectis, examinantiſſimiſque ſermonibus loquendum eſt nobis de ipſo, qui nec ſpeciem ullam, nec ſuſpicionem erroris habeant. Quia igitur cauſam primam eſſe in poteſtate noſtra ſonat ſubjectionem ipſius, quem conſtat non ſolùm eſſe liberrimum, ſed etiam omnium ſæculorum dominatorem dominantiſſimum, indubitanter malè ſonat ſermo hujuſmodi, ſpeciem habens erroris peſſimi. Verumtamen illud manifeſtum eſt, & non habens dubitationem, quia quemadmodùm non poſſumus facere, ut radius Solis intret per feneſtram aliquam, tamen poſſumus prohibere ne intret: poſſumus etiam facere aliud, quo facto intrabit, ſicut aperire feneſtram, vel aliud obſtaculum amovere, & ob hanc cauſam interdùm dicitur in poteſtate noſtra eſſe, ut domus noſtræ illuminentur à Sole, quia videlicet præſto ſunt lux ſolaris, & bona diſpoſitio aëris, ſi concurrerit cum eis amotio prohibentis obſtaculi. Totaliter enim nihil de forinſecis actionibus eſt in poteſtate noſtra, videlicet neque comedere, neque bibere, neque ambulare, & hoc eſt, quoniàm vita noſtra, & duratio noſtra requiritur ad unumquodque iſtorum. Non eſt autem in poteſtate noſtra, ut duret ad comeſtionem buccellæ unius, vel ad hauſtum modici vini, vel donec perficiamus unum paſſum. Eodem modo ſe habet, & de ſanitate membrorum, atque virtutis greſſibilis: non enim poſſumus conſervare ſanitatem pedum, donec pertranſiverimus, etiam paſſum dimidium, via etiam requiritur, circa quæ quid

Operatio ſolis non eſt in poteſtate noſtra.

Cum timore loquendum de Deo.

Simile.

poſſimus, & non poſſimus, manifeſtum eſt tibi. Quare manifeſtum eſt tibi de omnibus hujuſmodi, quòd nihil eorum eſt totaliter in poteſtate noſtra, hoc eſt, cum omnibus adjumentis, & impedimentis ſuis. Intende etiam in opera creatoris, quæ operatur in nobis, qualia ſunt dona gratiarum, atque virtutum. Dico igitur, quia in poteſtate noſtra eſt avertere nos à largitate, & beneficentia ipſius, quantùm ad hujuſmodi, quemadmodùm poſſibile eſt tenenti vas, avertere illud, & deſuper cadente pluvia, vel obſtruere ejus orificium, aut obvertere fundum ipſius ad pluviam. Sic enim ſtulti, & mali homines faciunt, dum corda ſua, quæ ſunt vaſa virtutum, & gratiarum receptacula, convertunt ad vitia, & peccata: avertunt enim vaſa hujuſmodi à largitate, & beneficentia creatoris, quæ parata eſt deſcendere, velut imber deſcendens à fonte redundantiſſimo, quæ eſt bonitas creatoris: & ſicut vides homines avertentes oculos ſuos corporales, ſic plerumque oculos cordium avertere à lumine primo, F quod eſt Deus altiſſimus, dum virtutes ſuas apprehenſivas nobiles, ad alia cogitanda, & inquirenda intendunt, atque convertunt. Patefactum igitur eſt tibi per hæc, & hujuſmodi exempla, quia multæ ſunt de operationibus primæ cauſæ, quas poſſumus avertere, vel prohibere, ne fiant in nobis, verumtamen non contra voluntatem creatoris, id eſt eo invito, & propter hoc non eſt mirum, ſi intimiùs ac diligentiùs conſideres: non eſt hoc propriè, atque totaliter in poteſtate noſtra, cùm etiam ipſa averſio, vel perverſitas hæc adeò ſit in poteſtate creatoris, ut eam prorsùs à nobis tollat, cùm voluerit, & diſpoſitiones contrarias, & præparationes ad dona ſua recipienda nobis dare poſſit quandocunque fuerit dignatio bonitatis ejus. Eo igitur ſinente, vel permittente ſic, ab ejus muneribus manus noſtras, ſive vaſa cordium noſtrorum avertimus, G & propter hoc eadem non recipimus, & hoc facimus ex viribus, ſive virtutibus naturalibus, quas ipſe nobis donavit. Non igitur ex aliqua poteſtate, quâ ei reſiſtere poſſumus, adeò perversè agimus. Vides ergo, quia propriè non debet dici eſſe in poteſtate noſtra, contra quem nihil poſſumus, ex cujus viribus ab ipſo nobis donatis per abuſionem ipſarum: eo tamen non injuſtè, ſed juſto judicio, permittente, non ipſum creatorem impedientes, ſed nos ipſos graviſſimè lædentes, dona ejus optima à nobis repellimus: quemadmodùm ſi quis eruat ſibi oculos, non contra Solem, cujus lumen à ſe repellit, hoc facit, neque in læſionem, aut detrimentum ipſius, ſed in propriam læſionem. Apparet igitur tibi ex omnibus antedictis, cùm ea diligenter conſideraveris, quia intentio ejus, quod eſt eſſe in poteſtate, non dicitur propriè, ſimpliciter, H & ſecundùm totum, niſi de creatore, quoniàm in ejus poteſtate eſt unumquodque eorum, quæ ſunt, ut ſit, vel non ſit, ut fiat, vel non fiat, & etiam vitia, & peccata deſtruere, & exterminare omninò, quoniàm hoc eſt eximiæ, ac dominantiſſimæ poteſtatis. Ipſa autem facere, vel procurare, ut fiant, non eſt ullo modo poteſtatis ejuſdem, quia hoc eſt debilitatis, ac viliſſimæ ſervitutis. Utrùm igitur aliquid ſit in poteſtate noſtra, jam tibi determinatum eſt, quoniàm propriè, ac verè, nec nos ipſi in poteſtate noſtra ſumus, & propter hoc nihil verè, ac propriè eſt in poteſtate noſtra, quoniàm nihil vel facere, vel eſſe, facere, ſive procurare, ut ſit, ſufficimus: ſicut oſtenſum eſt tibi in actibus, qui maximè videntur eſſe in noſtra poteſtate, quales ſunt actus comedendi, bibendi, & ambulandi. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ad hoc, ut unumquodque talium ſit, vel fiat, requiritur aggregatio

Opera creatoris in nobis.

Nota.

Eſſe in poteſtate.

Actus qui ſunt in noſtra poteſtate.

Digitized by Google

gregatio multa adminiculorum adjuvantium ad hoc, ut illud ſit, vel fiat. Eâ verò intentione, quâ dicitur interdùm aliquid eſſe in poteſtate noſtra, videlicet ſecundùm quid, vel quia poſſumus aliquid facere, quo facto, illud fiet, vel non fiet, non ſequitur ullo modorum neceſſitas, aut impoſſibilitas circa nos, neque læſio ulla noſtræ libertatis. Sed neque etiam ſequitur, ut ſi aliquid poſſumus circa effectum aliquem creatoris, vel alterius cauſæ, quòd propter hoc poſſumus aliquid circa ipſum, vel circa illam. Manifeſtum enim eſt, quia aliqnid poſſumus in illuminatione, quæ fit in nobis, aut circa nos à Sole; nec tamen aliquid propter hoc in Sole poſſumus, vel contra ipſum.

CAPUT XXIV.

Quid fatum diverſimodè accipitur.

Pôſt hæc tranſibo ad inveſtigationem fati, & fatationis, & earum perſonarum, quæ vulgò dicuntur fatatæ, & fatandi poteſtatem habere, utrùm ſint, vel non ſint, & quid ſit ipſa fatatio ſecundùm intentionem eorum, qni eam poſuerunt. Scito igitur quia fatum ſecundùm intentionem unam, eſt fortuna, vel infortunium, adverſitas, vel proſperitas, exaltatio, vel depreſſio, præordinata, ſeu prædeſtinata, aut præparata alicui in ipſa nativitate ſua, vel ante, & hæc eſt intentio, ſecundùm quam aſtronomi ſcientias judiciorum ſuorum fatidicas nominant, & dicitur fatum abuſivè à for, faris, tanquàm conſtellatio nativitatis, vel conceptionis, vel etiam alterius horæ præcedentis conceptionem, & nativitatem, hæc fata, ſive loquuta fuerit præſignando, ſive præſignificando. Alio modo, & aliâ intentione fatum intellexerunt cultores multitudinis deorum, præordinatum, & prædictum ab ipſis diis, quos colebant, prędictum inquam denunciativè. Opinabantur enim Deos tripliciter loqui, videlicet commonitoriè, comminatoriè, & denunciativè. Ea verò, quæ comminatoriè, vel commonitoriè dixiſſent, poſſe averti, ne eveniant. Denunciata verò neceſſariò evenire, tanquàm decreta, & ſtatuta Deorum. Unde & fata, tanquàm dicta, & prædicta deorum ipſorum, quos mentiri impoſſibile eſſe credebant, nominaverunt. Fatum igitur ſecundùm intentionem iſtam eſt ſententia, & aſſertio deorum ipſorum, dicendo, vel fando expreſſa, & denunciata mortalibus de magnis eventibus alicujus, non enim dicitur fatum de quotidianis, & modicis eventibus. Dedit autem cauſam huic opinioni multiplex narratio, & aſſertio hominum, & maximè mulierum dicentium, ſe audiviſſe Deos loquentes in nativitatibus hominum, & mulierum, eventus iſtos. Sed & uſque hodiè apud multas nationes eſt hujuſmodi opinio, & forſitan apud omnes, & multos ex egregiis militibus, quos fatatos ſic dicunt, id eſt, magnos eventus eorum à diis, vel deabus antequàm evenirent, præfatos, ſive prædictos, Expoſuerunt quidam deas eſſe, quæ talia præfarentur, aut prædicerent, maximè in nativitatibus hominum, forſitan ex ſimilibus narrationibus, & aſſertionibus hominum dicentium, ſe audiviſſe deas colloquentes de eventibus naſcentium, vel forſitan arbitrati ſunt convenientiùs deas aſſiſtere parientibus, hominumque nativitatibus, quàm Deos. Et hoc licet ſuperſtitioſè & penè aniliter dici videatur, quia vel famoſè, vel fabuloſè, tamen penè communiter dicitur, & fatati multi de antiquis, & quidam etiam hujus temporis non multùm longè à terra nativitatis meæ,

Fatum unde.

Fatum quid ſecundùm aliam intentionem.

Fatati.

Non eſt prætermittendum, quin de hoc aut veritas, ſi Deus voluerit, aut veriſimilitudo quæratur, & tentetur an per me valeat inveniri. Sciendum autem eſt tibi, quia fuit ex Italicis philoſophis, cujus eloquentiam uſque hodiè tota latinitas non immeritò admiratur, & inter Italicos ſapientiam ejus reputo, & arbitror admirandam, qui dixit fatum, & imarmenem idem eſſe. nec diſtinxit inter ea, niſi nominibus tantùm, dicens fatum eſſe cauſas colligatas, per quas res rebus connexæ ſerie oriuntur, vel fiunt. Et iterùm alio ſermone dixit, quia fatum eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna, Quibus ſermonibus, etſi veritatem explicare ſibi viſus fuerit, rationem tamen, & explicationem præteriit nominationis, nec apparet nobis, nec facit nos ſcire, quare fatum ſit nominatum ſic. Reminiſcere igitur eorum, quæ audiviſti in præcedentibus, hoc eſt, in prima parte tractatus iſtius, qui eſt de univerſo, & in prima parte totius ſpiritualis, ac divinalis magiſterii de verbo primo, ſeu primogenito, quo primus genitor, primuſque loquutor ſemetipſum dixit æternaliter, ante omnia tempora, & antequàm aliquid crearet, & eſſe dixit eodem verbo quæcunque facturus erat, & quæcunque futura erant, ſive in rebus, ſive de rebus, ita ut nullus ex eventibus vel rerum, vel hominum ſit, quod non in eo verbo, & per ipſum dixerit, ſimiliter nec ordo, nec modus in tota ſerie ſæculorum ab eo prætermiſſus eſt, vel tacitus; quare quicquid tunc erat futurum, tunc fatus eſt, & loquutus, & propter hoc fatum tunc, ſive dictum eſſe hujuſmodi. Inde igitur videri poteſt nominatum fatum primogenitum verbum, quia dictum eſt ab ipſo primo loquutore, primoque genitore. Scis enim quia dictum, aut fatum, non ſolùm res dicitur, ſed ipſa fatio, ſive dictio ipſa, quâ res dicta, vel fata, dicenda eſt. Hæc igitur ratio videtur eſſe nominis, ſeu nominationis fati, & congruere ſoli verbo creatoris, in quo, & per quod conſtituit, & ordinavit apud ſemetipſum ante ſæcula totam ſeriem ſæculorum, atque cauſarum, omneſque eventus hominum, qui dicuntur fortunæ, vel infortunia, & bona quidem omnia tam naturæ, quàm gratiæ, quàm futuræ gloriæ, & etiam temporalia, ſive corporalia, de quorum numero ſunt pœnæ, & afflictiones, depauperationes, contumeliæ, ipſaque paupertas; omniaque tormenta hujuſmodi, & etiam mors, quæ omnia vulgaris ſtultitia mala nominat, & tanquàm mala fugit eadem, & prout poteſt repellit. Mala verò culpabilia, quæ vitia dicuntur, atque peccata dixit apud ſemetipſum futura, atque prævidit, nec voluit ut eſſent ex ipſo, vel ab ipſo, vel per ipſum, quoniàm non decet gloriam ejus, & bonitatem, ut ſit cauſa talium. Statuit igitur apud ſe in verbo ſuo omnipotentiſſimo, & per ipſum, non prohibere ea eſſe, ſed limitare, atque ordinare, & moderari; limitare quidem, ne eouſque proſilirent, quocunque mali homines, vel mali dæmones vellent, aut ſuggererent. Moderari verò multiplicibus repreſſionibus, ac reſiſtentiis, quas omnes ſola totaliter novit ſapientia ipſius: ordinare quoque, ut non ante, vel priùs fierent, quàm ipſe utilitates illas ex eis eliceret, propter quas eas permittenda potiùs elegit, quàm quominùs eſſent, avertenda, ſeu prohibenda.

Ciceronem intellige.

Epilogus quidam.

Fatum quid ſecundùm catholicos.

CAPUT XXV.

Si fatum accipitur pro verbo Dei, cautè utendum verbo illo, & de errore, qui dicit omnia vera eſſe primâ veritate.

Fato evenire quomodo,

HIs igitur ita determinatis, cave diligenter ab intellectu, & intentione ſermonis communis, quo dicunt homines valdè incircumſpectè, fato evenit hoc, vel per fatum: quoniàm ſi fatum intelligatur ibi verbum Dei altiſſimi, non poterit verè dici niſi de bonis vel naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, vel corporis, ſeu fortunæ, & nomine fortunæ intelligo ipſa bona antedicta, quæ vulgus inſipientium infortunia nominat, cùm nemo ſapiens dubitet, illa eſſe bona Dei dona, multipliciter fructuoſa benè utentibus, & inæſtimabiliter pretioſa. Verbo quippe Dei, atque per ipſum facta fuiſſe omnia, & fieri, quæcunque operatur creator, & fienda quæcunque facturus eſt, declaratum eſt tibi in prima parte tractatus iſtius, & hoc habet uſus authenticorum ſermonum prophetarum gentis hebræorum. Horum enim unus dixit: Verbo Dei cœli firmati ſunt. Lex verò, & doctrina chriſtianorum refertiſſimæ ſunt hujuſmodi ſermonibus.

Nota.

Hoc autem eſt, quoniàm verbum iſtud illis maximè innotuit, & ipſum legis ſuæ latorem, auctorem, doctorem, & prædicatorem indubitatâ fide tenent, ipſumque pari cultus honorificentia cum ipſo genitore ſuo in unitate deitatis tota devotione, ac ſtudio venerantur; nec apud eos, qui docti ſunt de gente chriſtianorum, recipitur ſermo hujuſmodi; fato evenit hoc, vel per fatum; quoniàm nec intentio hujuſmodi, quam dixi, videlicet quâ ſignificet verbum Dei nomen fati, eſt apud eos, & etiam ſi eſſet, non reciperent abſque diſtinctione expreſſa, atque declaratione. Cavent enim ſibi non immeritò non ſolùm ab erroribus impietatis cujuſcunque, ſed etiam ab ipſa ſpecie, & ſuſpicione eorum in ſermonibus, & colloquutionibus ſuis Hinc eſt quòd fati nomen abhorrent, tanquàm reſonans idolatriam, quam ſummoperè deteſtantur, vel irrident, tanquàm anilis, ſeu vetulatis inſipientiæ deliramentum Nec te conturbare poterunt, aut debebunt argutiæ ſophiſtarum dicentium, poſtquàm creator dixit æternaliter omnes eventus futuros, & verbum ejus immutabile eſt per omnem modum, & omnis dictio, vel aſſertio neceſſaria, & omninò impoſſibile eſt ipſum mentitum fuiſſe; neceſſe igitur eſt evenire, vel verum eſſe, quicquid dixit, ſi reminiſceris ſimilium argutiarum, quas in præcedentibus de providentia creatoris audiviſti: per omnia enim ſimiliter te habere debes in omnibus, quæ contra verbum Dei, vel dictum objiciuntur, quemadmodùm & in his, quæ contra providentiam, & cavere tibi à ſermonibus, qui duplicem ſtatum, aut duplicitates, de quibus audiviſti, vel expreſsè ſignificant, vel inſinuant, vel diſcrepantiam, ſive diſſimilitudinem inter verbum Dei, vel dictum, quale eſt verbum mentiendi, vel dicendi falſa, ut falſitas verbi Dei, aut falſum verbi Dei. Iſta enim dicunt diſcrepantiam inter verbum Dei, & res dictas, & hujuſmodi diſcrepantia indubitanter impoſſibilis eſt. Impoſſibile enim eſt aliter eſſe in rebus, vel ſe habere res, quàm Deus dixerit, & ſicut non eſt neceſſe de unoquoque, quod providit Deus ipſum providiſſe illud, immò multa providit, quorum unumquodque poſſibile eſt ipſum non providiſſe, & de ſcientia ſimiliter ſe habet, ſic & de verbo, ſeu dictione ipſius, veriſſimum eſt ipſum multa ab æterno dixiſſe, de quorum unoquoque

Fatū non eſt apud Prophetas.

E poſſibile eſt, quòd ipſum non dixerit. Quemadmodùm etiam dixi tibi cavendum eſſe ab univerſitate, & particularitate, & compoſitione, atque diviſione, à re, & dicto, juxta ſermones loquentium de providentia creatoris, ſic & in ſimilibus locutionibus circa verbum ejuſdem, vel dictionem, tibi cavendum eſt de ſimilibus ſermonibus. Et ut clariora fiant tibi, quæ audiviſti circa verbum creatoris, & providentiam: intende diligenter in exemplum, quod propono tibi. Si quis dixerit de duobus oppoſitis contingentibus, quorum neceſſe eſt ſemper alterum eſſe verum, hoc eſt verum, demõſtrato eo, quod eſt verum, & firmaverit intentionem ſuam in hoc, ita quòd aliud non demonſtraret: manifeſtum eſt ipſum non poſſe mentiri hac oratione, hoc eſt verum, in hac intentione, quam dixi, quia poſſibile eſt non eſſe verum id, de quo dicit, hoc eſt verum, quoniàm de utroque poſſibile eſt ipſum non eſſe verum Cùm ſecundùm poſitionem iſtam utrunque contingens ſit: quantò fortiùs

Exemplū notabile.

★

F non debet eſſe mirabile, Deum non poſſe mentiri verbo ſuo, licet multorum quodlibet eorum, quæ dicit, vel dixit, poſſibile ſit non eſſe verum? Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm quemadmodùm intentio vel demonſtratio iſtius non cadit, niſi ſuper illud de duobus, quod eſt verum, ſimiliter hæc loquutio, vel hoc verbum ipſius, quæ eſt, hoc eſt verum, non poteſt eſſe falſum, vel falſa, licet falſum eſſe poſſit, quod per eam ſignificatur. Sed ſi falſum eſſet, non ſignificaretur per eam, vel per illud: quantò fortiùs igitur verbum Dei eſſe falſum non poteſt, licet multa ſubſint ei, quæ poſſibile eſt eſſe falſa. Evidentius autem erit in eventibus, ſi dixero de morte, vel vita alicujus, ita erit de iſto cras, demonſtrato eo quod erit de morte, vel vita ejus, neſcio tamen, quid erit, hoc eſt, an morietur, an vivet, illo, quod erit, demonſtrato: vides hîc manifeſtè, quia non poſſum mentiri, & verbum meum verum eſt, quicquid accidat de morte, vel vita ejus. Sic verbum Dei non cadit, niſi ſuper ea, quæ vera ſunt, aut verè futura, vel præterita: ſicut audiviſti

Argute.

Verbum Dei circa quæ cadit.

G de providentia ipſius, & ſicut hoc eodem verbo, ſcilicet, hoc erit, ſi aliud eſſet futurum de vita, vel morte iſtius, dicerem illud fore: ſic eſt de verbo Dei, quatenùs in rebus tam longè ab invicem diſtantibus fas eſt vel dici, vel inveniri ſimilitudinem, quia creator benedictus eodem verbo per omnia, quo dixit, hoc eſſe futurum, quod reverà eſt futurum, dixiſſet illud ipſum non eſſe futurum, ſi in veritate non eſſet futurum, & illo unico verbo dicta ſunt omnia, quæ omnibus orationibus noſtris dicibilia ſunt. Jam verò error, quem prædixi tibi de dicibilibus, & enunciabilibus occaſionem habuiſſe videtur ex hoc, quia enunciabilia fuerunt ab æterno, & hoc per vias, quas oſtendam tibi: aut enim vera fuerunt veritate, quæ erat, & quæ erat in eis, aut non: ſi ſic, erat igitur veritas eorum, & erat in eis, erant

H igitur & ipſa, cùm in non entibus nec veritas nec aliud eſſe poſſit: ſi verò non erat veritas eorum, nec erat in eis, quomodò igitur vera erant eâ veritate, quæ nec erat, nec erat in eis? hoc enim ita dici videtur, ac ſi diceretur, quòd aliquid erat album albedine, quæ nec erat nec erit in eo. Nec minorem fortè difficultatem habet ſermo quo dicuntur vera eſſe ea, quæ de futuro ſunt, ſive ſint neceſſaria, ſive contingentia: quomodò enim verum eſt Solem eſſe oriturum cras, ſi veritas ejus non eſt? Non aliter videtur, quàm ſi dicatur: Socrates eſt philoſophus, aut ſapiens ſapientia, vel philoſophia, quæ non eſt. Quòd ſi dixerit, quia veritas illa futura eſt, hoc eſt, ac ſi diceretur, quia Socrates eſt ſapiens ſapientia, quæ nondùm eſt, ſed futura eſt. Si verò dixerit,

Digitized by Google

dixerit, quia veritas illa eſt, ubi ergo eſt? non poteſt dici, quòd in Sole, quoniàm etiamſi Sol non eſſet, dummodò cras eſſet oriturus, vera eſſet enunciatio, quâ diceretur cras oriturus. Quòd ſi voluerit de hoc calumniari, quia Sol eſt, & propter hoc habet veritas illius enunciationis ſubjectum, in quo ſit, & à quo ſuſtentetur errat multâ imbecillitate intellectus: deſeret enim eum iſta ſolutio, ſi dixeris ei: aliqua dies præterit, quæ modò non eſt, vel aliqua dies erit, quæ nondùm eſt, manifeſtum eſt tibi, quia neutra iſtarum enunciationum habet ſubjectum, quod ſit; quare non habet ſubjectum, in quo ſit veritas, cùm neutrius ſubjectum ſit. Exagitati quidam vel his, vel ſimilibus rationibus, & imbecillitate intellectus deficientes ab inventione veritatis, & ejuſdem januam tanquàm cæci, & errabundi non invenientes, dixerunt primam veritatem eſſe, quâ vera ſunt omnia hujuſmodi. Hic autem error deſtruetur viis, quas oſtendam tibi. Harum prima eſt, aut enim intelligunt, quòd primâ veritate vera ſunt omnia hujuſmodi formaliter, aut effectivè, quod eſt dicere, quoniàm aut intelligunt, quòd per hoc nomen, vera, prædicetur prima veritas, quæ non eſt niſi creator benedictus, & tunc ponent eam ex neceſſitate in omni vero, aut intelligunt, quòd per hoc nomen, vera, prædicetur quidam effectus primæ veritatis cadens ſuper omnia vera, quemadmodùm lumen ſparſum à Sole ſuper omnia illuminata ab ipſo. Et manifeſtum eſt intelligentibus, quia veritas hujùſmodi lux eſt intelligibilis ad virtutem noſtram intellectivam; quemadmodùm lux corporalis ad virtutem noſtram viſibilem, & propter hoc omne, & ſolum, verum ſcibile eſt nobis, quemadmodùm ſolum lucidum actu, vel illuminatum, viſibile. Neceſſe igitur habent ponere primæ veritatis eſſentiam ſecundùm intentionem hanc in omninò non entibus. quoniàm innumerabiles ſubſtantiæ, tam corporales, quàm ſpirituales, ut animæ humanæ, & paſſiones earum, atque habitus, futuræ ſunt, & nondùm ſunt, tunc verum eſt de qualibet earum, quoniàm hæc res erit, quæcunque earum demonſtrata, aut fortè nihil eſt, quoniàm ſubjectum hujuſmodi enunciationis non eſt, neque prædicatum, neque enim fore prædicat eſſe, vel quod non. Sed neque compoſitio eſt ſubjecti, & prædicati; non entia enim illa nullo modo conjuncta ſunt conjunctione reali, & ſecundùm veritatem, immò reverà diviſa, quoniàm reverà hæc res non eſt, vel nondùm eſt; quare hanc rem fore de non entibus eſt, eſt autem verum, hanc rem fore ſecundùm intentionem poſitam hujuſmodi nominis, verum, quâ dicit primam veritatem in eo, de quo prædicatur. Quare prima eſſentia erit in hoc non ente, & in omni ſimili vero, & propter hoc ſimiliter in non ente. Quis autem intelligat hoc, quòd ens ſit in non ente? Neque enim liquor in vaſe, quod non eſt, neque anima in corpore, quod nondùm eſt, neque ſcientia in anima, quæ non eſt, neque ullum genus rerum poteſt cogitari eſſe in alio, quod non ſit. Ampliùs. Manifeſtum eſt multa, & innumera modò eſſe vera, quæ poſſunt eſſe falſa & econversò; quòd ſi contingeret, recederet ab eis primæ veritatis eſſentia & intraret oppoſita eorum, quaſi ergo locum mutare, vel habitaculum, eam ſequetur. Ampliùs. Ex hoc ſequetur majus inconveniens, quia vel falſitate, vel alio illum expellente, fugabitur à vero, in quo erat, tanquàm non potens ibi remanere: non enim poteſt remanere veritas, ubi inhæret falſitas. Ampliùs. Sive falſitas aliquid ſit, ſive nihil impoſſibile eſt, quòd expellat primam veritatem; ſi enim aliquid

Nota.

Falſitas.

A eſt, impoſſibile eſt, ut ſit ei fortitudine comparabilis, quomodò igitur expelletur per ipſam, ſi nihil eſt falſitas? Multò minùs poterit contra primam virtutem, ſive veritatem. Juxta hoc invenies, & alia inconvenientia, non tam impoſſibilia, quàm irriſione digniſſima. Si verò dixerit, quòd veritas hæc quâ veræ ſunt enunciationes, vel vera eorum ſignificata, eſt velut lumen ſparſum à prima veritate ſuper omnia vera hujuſmodi, non effugit quin neceſſe habeat concedere, & confiteri quòd lumen illud ſpargitur ſuper non entia, & quòd eo illuminata ſunt, & eo lucent infinita non entia; hanc autem poſitionem nec imaginatio recipit nec intellectus. Si enim lumen illud accidens eſt, quomodò eſt in ſubjecto non ente? Ampliùs. Iſtud accidens erit æternum, & immortale, & incorruptibile univerſaliter, impoſſibile etiam in contingentibus veris. Impoſſibile eſt enim nullum contingentium dicibilium verum eſſe; neceſſe enim eſt quorumcunque duorum cōtradictoriè oppoſitorum alterum verum eſſe. Ampliùs. Si in eadem propinquitate ſint ad veritatem primam duo B hujuſmodi oppoſita, qualiter non cadet æqualiter ſuper ambo lumen iſtud veritatis? quemadmodùm ſi duo luminabilia in eadem propinquitate, & aliis diſpoſitionibus fuerint vel ſe habuerint ad Solem, & æquè illuminabilia fuerint, æqualiter illuminabuntur, & vel utrunque illuminabitur, vel neutrum. Ampliùs. Qualiter recedit hujuſmodi lumen veritatis ab altero eorum? aut prima veritas retrahit ad ſe radium, & hoc non accidit in aliquo genere naturalium operationum: aut ipſum, quod erat verum recedit à lumine illo & hoc non eſt poſſibile, niſi illud moveatur. Quis autem intelligat dicibilia moveri? qualiter intelliget quis enunciationem moveri, vel ipſum enunciatum, cùm nec voluntariè, nec naturaliter poſſibile ſit ea moveri. Ampliùs. Hujuſmodi lumen erit vel partibile, vel impartibile in omni enunciato. Si partibile: erit igitur pars ejus in ſubjecto, & pars in prædicato. quare alterutro eorum deſtructo, deſtruetur pars illa: hoc autem manifeſtè impoſſibile eſt. & ponam tibi exemplum C ad hoc ſcilicet Socratem diſputare, vel non diſputare. Hoc enim ſemper eſt verum, ſive Socrates ſit, ſive non, & æquè verum deſtructo Socrate. Si autem pars veritatis iſtius eſſet in Socrate, deſtrueretur illa pars veritatis deſtructo Socrate. deſtructa autem parte, non remaneret totum integrum, nec etiam maneret. manet autem integra veritas ejus, quòd eſt Socratem diſputare, vel non diſputare: manet etiam illud non minùs ullo modo vèrum, quàm fuerat Socrate permanente. Quare manifeſtum eſt, nec totam veritatem illius, nec partem in Socrate eſſe: quare erit in prædicato, quòd eſt diſputare, vel non diſputare. Quia igitur in eo, quod eſt non diſputare, nec veritas, nec aliud eſt, vel eſſe poteſt, cùm ipſum etiam ſit non ens, & nihil, utpote pura negatio, erit ex neceſſitate tota in eo, D quod eſt diſputare, quare eo deſtructo, deſtruetur. Cùm igitur non erit diſputare Socratis, non erit veritas in toto illo, quod eſt Socratem diſputare, vel non diſputare: Socrate igitur non diſputante, non erit verum Socratem diſputare, vel non diſputare. Ampliùs. Iſta influentia hujuſmodi luminis à prima veritate deſcendens ſuper omnia vera ſparſim, aut eſt naturalis, aut eſt voluntaria ipſi primæ veritati. Quòd ſi fuerit naturalis, ut prætetigi, erit ſervilis, ſive ſervitutis: hoc autem non patitur nobilitas primæ veritatis, ſicut multoties audiviſti. Si verò fuerit voluntaria per voluntatem igitur ipſius erunt vera omnia vera; quare iſtum rapere, illum furari, illum blaſphemare, illum negare Deum, erunt vera per voluntatem ejus, & ipſo faciente, ut vera ſint, erit

Exemplū aliud.

Nobilitas primæ veritatis non eſt ſervilis.

igitur voluntas ejus cauſa omnium furtorum, & rapinarum. Quicquid enim facit, ut verum ſit furari iſtum, facit ut iſte furetur. Ampliùs. Iſta influentia non eſt vel eſſentia creatoris, vel creatoris eſſentialis; quare poteſt ſeparari ab eo actu, vel ſaltem intellectu: ſeparemus igitur intellectu eam ab ipſo, id eſt, intelligamus non influere, vel ſpargere, cùm iſtud lumen aliam non habeat cauſam, non erit omninò, poſtquàm non erit à creatore. Quare nulla erit veritas, & propter hoc nihil erit verum; erit igitur hoc ipſum verum, ſcilicet nullam veritatem eſſe, & hoc aliud nihil eſſe verum, & innumerabilia hujuſmodi. Ampliùs. Hujuſmodi veritas, cùm nec ſit pars ejus, ſuper quod cadit, nec ſit ipſum totum, ſeparabilis eſt ab eo, ſaltem intentione, vel intellectu. Ampliùs. Amiſſibilis eſt, & irrecuperabilis in multis, id eſt, multa ſunt vera, quæ poſſunt non eſſe vera, & multa non ſunt vera, quæ poſſunt eſſe vera, de omnibus autem hujuſmodi dicitur univocè verum, accidit igitur omnibus hujuſmodi. Ampliùs. Socratem diſputare non recipit in ratione ſua, vel eſſentiâ veritatem, ſi enim eſſentialis erit ei veritas, nullo modo poteſt recipere falſitatem, nihil enim receptibile eſt alicujus, quod ſit contrarium, vel privatio, aut totius eſſentiæ ſuæ, aut alicujus eſſentialium ſuorum, eſt autem receptibilis falſitatis, non eſt ei igitur veritas eſſentialis. Ampliùs. Socratem diſputare non aliud eſt, nec alterius rationis, ſi ſit verum, quàm ſi ſit falſum, eſſet autem aliud, vel alterius rationis, ſi veritas eſſet ei eſſentialis. Manifeſtum igitur eſt ſecundùm hanc intentionem, cùm ſit influentia à luminoſitate primæ veritatis deſcendens ſuper omnia vera, & univocè dicatur de omnibus illis, quòd erit ſeparabilis, ſaltem intellectu ab unoquoque eorum, & hoc indubitanter. Sic ſe habet in omni eo, quod nec eſt tota eſſentia ejus, in quo eſt, neque pars, ſed eſt receptum ſuper totam, & completam eſſentiam. Quare ab unoquoque hujuſmodi erit actu, vel ratione ſaltem ſeparabilis veritas hæc: hoc autem manifeſtè impoſſibile eſt in innumerabilibus, quorum unum eſt Socratem diſputare, vel non diſputare. Nullus enim intellectus poteſt ab eo ſeparare veritatem, & eodem modo ſe habet in omnibus ſimilibus, hoc eſt quæ ſunt disjunctæ contradictionis. Eodem modo ſe habet in eo, quod eſt, aliquid eſſe verum, vel aliquam veritatem eſſe. Nullus enim intellectus admittit, ut non ſit verum, aliquid eſſe verum, neque ut ſit verum nihil eſſe verum, ſimiliter nullus intellectus recipit nullam veritatem eſſe. Ampliùs Cùm manifeſtum ſit multa fuiſſe vera ab æterno diverſa, & varia, & omninò ad invicem non contingentia, multa inquam contingentia de futuro, nihil autem ab æterno fuerit, præter creatorem, non fuit igitur veritas effuſa, cùm ipſa creator non ſit, immò lumen ſparſum ab ipſo ſuper omnia vera ſecundùm hanc opinionem: aut igitur non erant vera, aut erant vera veritate, quæ non erat.

Adverte. Quòd ſi dixerit, quia veritas illa fuit, quàm citò fuit prima ac luminoſiſſima veritas, quæ eſt Sol ſpiritualis intellectus & omnium ſubſtantiarum intelligentium, quemadmodùm, quòd citò fuit Sol, ſive luminoſitas ejus, tam citò fuit & ſplendor ex ipſo emicans, & ſparſus per totum orbem receptibilem ipſius: dico, quia etiamſi totum cœlum ultimum luminoſum eſſet ad inſtar Solis, nihil luminis caderet, vel ſpargeretur ab eo extra ſe, & hoc eſt, quoniàm extra cœlū non eſt aliud receptibile vel luminis, vel alicujus influentiæ, niſi quis deliret, non ens aut nihil eſſe receptibile alicujus impreſſionis, aut influentiæ: hoc autem eſt, quemadmodùm prædixi tibi, ac ſi quis dicat, vas, quod non eſt, recipere liquorem aliquem, & aërem, qui nondùm eſt, illuminari à Sole, atque ſubjectum non ens ſuſtentare accidens quodcunque. *Deliramentum.* Quòd ſi dixerit, quia ſplendor à cœlo ſpargeretur ſuper inane, vel vacuum, jam audiviſti ſuper hoc Ariſtotelem, & expoſitores ejus, qui opinati ſunt ſe deſtruxiſſe inane, ſive vacuum. *Vacuum deſtructum.*

CAPUT XXVI.

Quòd veritas accipitur ſex modis, & in quo conſiſtat veritas enunciationum de non entibus.

SCiendum igitur eſt tibi in his, quoniàm veritas ſecundùm multas intentiones dicitur, & unâ intentione ſignum, ſive ſignificatio, & ſic falſitas, & veritas oppoſita ſunt, & hoc modo veritas non eſt, niſi res ipſa ſignificata Secundo modo veritas opponitur falſitati, quæ eſt apparentia rei alicujus, quæ non ſubeſt, & ſecundùm hunc modum dicuntur falſi homines, qui prætendunt exteriùs contrarium ejus, quod habent interiùs, & & ut communi, & noto nomine nominem eam tibi, uſualiter ſimulatio vocatur. *Veritas.* *Simulatio.* Tertio modo veritas ipſa eſt puritas ab admixtione, quemadmodùm dicitur verum argentum quod eſt purum, & tantò verius, quantò purius; huic ergo veritati impuritas oppoſita eſt, ſive ut contraria, ſive ut veriùs videtur, ut privatio. Quarto modo ipſum eſſe rei uniuſcujuſque, hoc eſt, reſiduum à tota varietate, & circunveſtitione accidentium, & hoc eſt eſſe, quod explicat diffinitio, in quam non cadit aliquid de accidentibus, ſed ea ſola, quæ vel ſunt rei eſſentia, ſive ſubſtantia. Unde & ratio ſubſtantiæ nominata eſt vera diffinitio, quoniàm explicatio eſt ipſius ſubſtantiæ integra, ac pura abſque admiſſione, vel admixtione alicujus ex accidentibus, & nominata eſt ſubſtantia propter hoc, quod ſtat ſub tota illa veritate, ac circunveſtitione accidentium, ſuſtinens eam, alioquin caderent in non eſſe; propter quod & accidens nominatum eſt, tanquàm ad ſubſtantiam cadens, quærens inniti ei, & ſuſtentari ab ea, tanquàm per ſe ſubſiſtere non valens: vel dictum eſt accidens, quaſi ad non eſſe cadens, quantùm in ſe eſt, hoc eſt, quantùm eſt ex natura accidentalitatis, tanquàm per ſe, hoc eſt propria firmitate, ſcilicet naturali, ſubſiſtere non valens. *Ratio ſubſtantiæ.* *Subſtantia.* *Accidens.* Quinto modo dicitur veritas eſſe creatoris, ſive ipſe creator, & omne aliud comparatione ipſius dicitur falſitas: ſicut dixit Ariſtoteles in libro metaphiſicorum, dicens: unum eſſe ſolum, cujus nulla eſt cauſa, & illud eſt veritas Omne autem aliud eſt poſſibile eſſe, & illud eſt falſitas, vel vanitas, & intentio iſta ſimilis eſt aliquatenùs uni ex præcedentibus intentionibus. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm quemadmodùm non dicitur verum argentum, quod exteriùs ſolummodò argentum eſt; neque ſimia dicitur homo, quoniàm exteriùs homo eſt tantùm, interiùs autem brutum; ſic unumquodque eorum, quæ ſunt præter creatorem, exteriùs tantùm eſt, & à foris, habens eſſe de foris, & adventitium; quoniàm ſicut declaratum eſt tibi in prima parte totius ſapientialis, ac divinalis magiſterii, eſſe quod prædicatur per hoc verbum eſt, hoc eſt, eſſe, quo unumquodque eſt, hoc inquam eſſe, de unoquoque aliorum dicitur accidentaliter, ſive ſecundùm participationem. *Eſſe.* De ſolo autem creatore dicitur eſſentialiter, ſive ſecundùm eſſentiam, aut ſecundùm ſubſtantiam. Ab omni quippe alio eſt ſeparabile actu, vel ratione, ſive intellectu. A creatore verò ſolo nullo modorum ſeparabile eſt, alioquin eſſet ei acquiſitum, vel adventitium. Hujuſmodi autem impoſſibilitas manifeſta eſt, quoniàm ſi eſſet ei acquiſitum,

aut

Digitized by Google

aut eſſet ei acquiſitum à ſe, vel ab alio, & ita vel eſſet cauſa ſui eſſe, vel cauſam haberet aliam, & ita nec eſſet primum, nec principium, & non oportet, ut proſequar hîc deſtructionem erroris iſtius, de quo eſt tibi in prænominato tractatu pleniſſima certitudo. Quia igitur omne aliud à creatore exteriùs tantùm eſt, hoc eſt, eſſe forinſeco, & adventitio, utpote accidentaliter; ſolus autem creator intùs, vel potiùs intimè, meritò falſum ens dicitur omne aliud, aut falſitas; ſolus autem creator verum, ſive verè ens, & verus atque veritas. Hujuſmodi autem exemplum convenientiſſimum eſt in aëre luminato, ſive lucidato, falsò enim lucidus, ſive lucens, comparatione Solis dicendus eſt, & maximè comparatione lucis ſolaris, quæ eſſentialiter lux eſt, & ejus eſſe lucere. Sexta verò intentio veri, & veritatis, qua vera dicuntur enunciata & veræ enunciationes, & hoc, ait Avicenna, eſt adæquatio orationis, & rerum, id eſt affirmationis, & negationis; & intelligendum eſt in ſermone Avicennæ quòd orationem vocat tam exteriorem, ſcriptam ſcilicet, vel vocalem, quàm ſpiritualem, ſive intellectualem. Sive autem dicas æquationem, ſive æqualitatem, ſive ſimilitudinem non refert, quantùm ad intentionem Avicennæ. Verum igitur eſt ſecundùm hanc intentionem adæquatum, ut dixi, ſuæ affirmationi, vel negationi, & iſta adæquatio eſt non ſecundùm unum tempus tantùm, immò ſecundùm omne, & extenditur etiam in æternitatem. Oratio igitur vera eſt, quâ dicitur eſſe, quod eſt, aut non eſſe quod non eſt, vel fuiſſe, quod fuit, vel non fuiſſe, quod non fuit, & ſimiliter ſe habet de futuro. Debes etiam ſcire hoc, quia non eſt enunciatio vera alicujus enunciabilis, quæ vel aliud, aut plus, aut minùs, aut aliter quolibet modorum aſſerit, vel negat, quàm habeat, vel contineat ipſum enunciabile, & hæc eſt ſimilitudo, vel æqualitas, vel adæquatio, quam intendit Avicenna, ſive dicas convenientiam, ſive concordantiam inter ipſum enunciabile, & ſuam orationem, vel negationem, ſuam inquam ſicut expoſui tibi priùs, hoc eſt ipſa convenientia, vel concordia enunciabilis, & enunciationis veritas eſt utriuſque, & contrarium, ſive privatio illius, eſt falſitas utriuſque. Verum igitur eſt enunciabile, quod à ſua affirmatione, vel negatione, non diſconvenit, vel diſcordat. Unde manifeſtum eſt, quòd veritas, & falſitas ſecundùm intentiones iſtás, velut reſpectus ſunt: aut comparationes compoſitionum, atque diviſionum ad affirmationes, & negationes ſuas, & veritas, atque falſitas affirmationum, & negationum comparationes ſunt, ſive relationes, aut reſpectus ad compoſitiones, & diviſiones rerum, quas ſignificant: alibi autem declaratum eſt tibi per me, quia comparationes, & relationes nec addunt, nec minuunt rebus in ſemetipſis, nec ponunt aliquid in illis, neque comparatum, aut relatum, per hoc, quod eſt comparatum, aut relatum, habet aliquid in ſe, ſed habet aliquid ad ſe, vel ſibi. Similiter dictum, vel ſignificatum, apprehenſum, cogitatum amatum, per hoc quod ſignificatum, cogitatum, aut apprehenſum, aut amatum, non habet aliquid in ſe: nec iſtæ diſpoſitiones, ſeu comparationes requirunt eſſe illud, in quo ſunt, vel de quo ſunt. Significatur enim plurimum id, quod non eſt, nec ſignificatio, quâ ſignificatur, eſt aliquid in eo. Similiter amatur etiam id, quod non eſt, & deſideratur filius, qui nondùm eſt, & deſideratur aurum, quod nondùm generatum eſt, nec unquàm erit. Apprehenditur igitur res apprehenſione, quæ in ea non eſt, & amatur amore, qui in ea non eſt, & deſideratur filius deſiderio, quod in eo non eſt, & generaliter verum, quòd denominationes paſſivæ, ſive prædicationes fiunt de rebus, in quibus non ſunt, quoniàm ſunt in eas, vel ad eas, vel de eis: ab albedine autem, vel alia quacunque ſenſibilium qualitatum non fit denominatio, vel prædicatio, niſi de rebus, in quibus ſunt: album enim nihil dicitur, niſi quod habet in ſe albedinem, vel in quo eſt albedo. Amatum autem dicitur, non in quo eſt amor, ſed id, in quo eſt, vel de quo eſt, niſi fortè ſuperaddatur amatum à ſeipſo: tunc enim idem eſt amans, & amatum, & ad hunc modum ſe habet de ſignificationibus, apprehenſionibus, & affectionibus noſtris: quoniàm prædicantur de rebus, in quibus non ſunt, & de rebus in quibus ſunt: hoc autem ne extenderis ad apprehenſiones ſenſibiles, ſimiliter neque ad affectiones ſenſibiles, quoniam quemadmodùm non ſentit, niſi quod eſt, ita non ſentitur, niſi quod eſt. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam non ſentitur, niſi quod præſentialiter agit in ſenſum, hoc eſt, in organum ſenſus. Similiter non delectat ſenſibiliter niſi quod eſt, neque delectatur id, quod non eſt. In imaginationibus autem, & in his, quæ ſupra eas ſunt, diſpoſitionibus animarum noſtrarum, currit res, quemadmodùm dixi. Revertar igitur ad ſolvendas quæſtiones, & argumentationes ſupra poſitas, & dicam, quia enunciabilia de futuro, ubi nec ſubjecta ſunt, nec prædicata, præſentialiter vera ſunt hujuſmodi veritate, hoc eſt, convenientia, ſive concordia, ſive adæquatione, ſive æqualitate, & dico multas convenientias, multaſque hujuſmodi comparationes nec eſſe aliquid in rebus, nec ponere aliquid in eis, & eſſe etiam privationes quaſdam earum, vel dici ſecundùm privationes. Uſualiter enim dicitur omnia non entia convenientia eſſe, vel convenire in non eſſe, & omnia impoſſibilia convenire in impoſſibilitate, & omnes cœcos ſimiles eſſe in cœcitate, & nudos in nuditate, & pares etiam, & æquales dicuntur, quantùm ad hoc. Manifeſtum autem eſt nihil horum aliquid eſſe ſecundùm veritatem. Similiter & foramina dicuntur æqualia, & vaſa ſimilia, vel æqualia in foraminibus & æquè nudi dicuntur homines, & nuditates eorum æquales: Imago etiam Herculis dicitur ſimilis illi, cùm nec Cęſar, nec Hercules ſit. Quià igitur convenientia inter orationem, & ejus ſignificatum vel privatio eſt, vel ſecundùm privationem dicitur: ſicut apparet ex ratione adæquationis, quæ poſita eſt videlicet quæ non aliquid aut aliud, aut aliter, nec plus, aut minùs, quàm ipſum enunciatum continet, hoc eſt, aſſerit, vel negat, nihil igitur prohibet ſecundùm hoc aliquid eſſe verum veritate, quæ nõ eſt, ſicut neque aliquid eſſe nudum nuditate, quæ non eſt, & convenire non entia convenientia, quæ non eſt, & impoſſibilia ſimiliter. Debes etiam ſcire, quòd cùm dicuntur enunciabilia vera eſſe, id eſt convenientia, ſive adęquata, affirmationibus, aut negationibus ſuis, non intelligitur hoc, quod dicitur, de affirmationibus, & negationibus ſuis ſecundùm actum, ſed ſecundùm potentiam, & hoc eſt dicere, quia non intendo affirmationibus, vel negationibus ſuis, quas præſentialiter habeant, hoc eſt, quibus præſentialiter, aut actualiter ſignificentur, ſed potiùs, quibus poſſibilia ſunt affirmari, vel negari. Vera igitur fuerunt ab æterno enunciabilia id eſt convenientia, ſive adæquata orationibus ſuis, quibus ſcilicet erant affirmabilia, vel negabilia. Non cogeris igitur per prædictas argumentationes dicere innumerabiles veritates, vel innumerabilia enunciabilia actu fuiſſe ab æterno. Si quis autem dicere voluerit, quoniàm primo verbo omnia affirmabilia vera, & omnia vera negabilia, affirmata, & negata ſunt ab æterno & illi ſemper convenientia, atque adæquata, verũ quidem dicet: ſed non ſolvit nodum quæſtionis quoniàm non exponit veritatem de hujuſmodi convenientia,

Verum ens.

Veritas enunciationis.

Nota.

Animadvertenda hæc.

Nota.

vel adæquatione, & hoc eſt, quoniàm claudicabit ex neceſſitate ſecundùm ipſum, cùm non habuerit à parte enunciabilium, ubi pedem figeret. Cùm res, etſi eſſent enunciabiles: non eſſent tamen in veritate eſſendi. Qualiter igitur intelliget convenientiam relationem eſſe, cùm correlationem habere non poſſit in rebus, propter non exiſtentiam earum, niſi recurrat ad ea, quæ dixi? Sicut igitur aliquid eſt verum, quod tamen non eſt, ut Chimæram eſſe, cujus nec prædicatum, nec ſubjectum eſt; ſic non eſt mirum, ſi aliquid eſt verum veritate, quæ non eſt, maximè cùm veritas hujuſmodi, veritas rationalis, ſive logica, ſit, & convenientia enunciationum, quæ non magis exigit res eſſe, quàm non eſſe, & econversò, nec magis eſt ad entia, quàm ad non entia. Affirmatio enim, qua affirmatur, Chimæram † eſſe, æquè convenit cum affirmato ſuo, & adæquata eſt ei, ut qua affirmatur creatorem eſſe, convenit cum ſuo affirmato, vel adæquatur eidem. De relationibus autem, & prædicationibus, & modis prædicandi expedivi te, & me in tractatu ſingulari, occaſione prædicationum, quæ fiunt juxta doctrinam chriſtianorum in rebus divinalibus, vel potiùs divinis. Et ſi reminiſci volueris eorum, quæ dicta ſunt ibi per me, adjuvaberis non parùm ad declarationem quæſtionum, & declarationum propoſitorum, quamquàm ea, quæ hîc audiviſti, meritò tibi ſufficere debeant.

† *Aliàs non eſſe.*

CAPUT XXVII.

Unde nomen fati inolevit, & quòd vilipendenda eſt fatatio deorum, vel dæmonum, & inquiſitio de anima mundi ſecundùm Platonem.

Fatum.

POſt hæc autem revertar ad fata, & fatationes. Scito igitur, quia tam lex hebræorum, quàm chriſtianorum in hoc concordat, quòd & in nativitatibus, & ante nativitates factæ ſunt revelationes magnorum eventuum de viris naſcentibus, & lex hebræorum narrat ab ipſo creatore revelationes hujuſmodi factas, & maximè de principibus, & patribus gentis illis. Lex autem chriſtianorum per angelos narrat revelationes factas hujuſmodi. In narrationibus etiam eorum leguntur multæ revelationes hujuſmodi factæ eſſe per ſomnia, & etiam per prophetas, ſive per propheticos viros. Nomen autem fati, vel fatæ, vel fatationis, apud utramque gentem, ſicut prædixi tibi, horrificum, eſt, & abominabile, nec in alterutra dictarum legum legitur, vel auditur; & quoniàm utrâque lege antiquior eſt mentio culturæ deorum, atque dearum, & idolatria, velut reliquia quædam ex ſequela aliqua hujuſmodi culturæ remanſit opinio fatationis: potiſſimùm autem circa anus, ſeu vetulas, quæ vel curioſitate faciente, muliebrique levitate, vel quæſtuatione, pro qua mentiri non verentur, nondùm receſſerunt ab eis. Quare, ſi creditur eorum hiſtoriis, credulitas utcunque tolerabilis eſt, eo tempore quo colebatur multitudo deorum, hoc eſt, dæmoniorum peſſimorum, ſicut permittebantur cultoribus ſuis dare reſponſa, & multa alia facere, ſic potuerunt in multorum nativitatibus colloquentes auditi, & prædicentes, quæ opinabantur de eventibus naſcentium, & quæ ipſimet forſitan neſciebant, & ſuggeſſerunt hominibus collocutiones ſuas hujuſmodi eſſe fatationes, hoc eſt, firmas ordinationes eventuum illorum: ſimiliter & fata, quaſi decreta irretractabilia, haberi. Omnia autem hæc faciebant intentione maligniſſimâ, atque nequiſſimâ, videlicet, ut cultoribus ſuis, & etiam aliis, ſe Deos veros eſſe ſuaderent, & quòd in pote-

Nomen fati horrificum.

E ſtate haberent ſolo verbo, vel dicto magnis, ac præclaris eventibus proſperare, & præclaris honoribus ſublimare, ut inſipientes homines ad culturam ſuam provocarent; in quo nihil intendere poterant, niſi vel contumeliam creatoris, vel ſubverſionem, ac perditionem colentium, vel vaniſſimam honorationem ſuam: hoc enim putatur eſſe, ut vehementer concupiſcant nominari, & haberi dii, & divinis honoribus venerari. Eodem modo ſentiendum eſt & de fatabus, hoc eſt, de falſiſſimis, & vaniſſimis deabus, quia non ſunt niſi dæmones, cùm aliquid ſunt, & cùm in veritate collocutionis eorum audiuntur, ſeducere intendentes eos, quibus permittuntur talia, & taliter loqui. Interdùm fictiones ſunt, & ad inventiones vetularum, aliquid per hujuſmodi mendacia ab inſipientibus obtinere volentium: quæſtuoſitas enim, & adulatio à vetulis, & maximè pauperibus non facilè recedit. Sed & de divinationibus, & ſomniis, vel exponendis, vel fingendis eſt eis tanta aviditas men-F tiendi, tantaque audacia, ut nec etiam flagellis ab eis exterreri poſſint, aliis etiam eſt mulieribus generaliter tanta circa hujuſmodi credulitas, ut vetulas res iſtas mentientes, atque fingentes, frequentare deſiſtere non poſſint, licet & multoties mendaces eas probent, & in nullo veridicas. Inſuper & hujuſmodi mendacia, atque figmenta pretiis magnis emere audaciſſimæ ſunt. Nihil autem habere firmitatis, aut neceſſitatis dicta deorum hujuſmodi, inde manifeſtum eſt, quoniàm nec verbum, nec dictum creatoris omnipotentis infert firmitatem, vel neceſſitatem eventibus contingentibus, ſicut ſæpiùs in præcedentibus audiviſti: quantò minùs dicta falſorum deorum, aut dicta vaniſsimarum dearum alicujus firmitatis, aut neceſsitatis erunt? Ampliùs. Quoties mendaces & illi, & illæ, probati, & inventi ſunt ab ipſis cultoribus ſuis? quòd ſi de mendaciis eorum, vel earum certitudinem habere volueris, le-G ge narrationes Chriſtianorum, lege etiam reſponſa eorum, & invenies innumerabilem multitudinem mendaciorum, nec-non & ambiguitatum in reſponſis ipſorum, quæ in utranque partem contradictionis interpretari poſſunt: in quo apparet eos ignoraſſe veritatem, & eâ aſtutiâ hujuſmodi dediſſe reſponſa, ut quicquid eveniret, illud prædixiſſe viderentur. Ampliùs. Jam declaratum eſt tibi in alio tractatu, & ſcriptum eſt tibi de cultura eorum, quoniàm nihil poſſunt ſtatuere, vel deſtituere pro mortalibus, vel contra illos, quin potiùs totum benè eſſe, tota proſperitas, totum malè eſſe, quod eſt adverſitas, in beneplacito eſt creatoris omnipotentis. Si ergo nulla vi, vel virtute ſuâ, ſive potentiâ poſſunt prodeſſe, vel nocere hominibus: quantò fortiùs nullo dicto ſuo, vel loquutione, aut loquelâ? Ampliùs. Si natura, vel virtus eorum eſt, ut ſcirent H eventus hominum, quantò magis deberent prænoſſe ſuos? præſcierunt igitur exterminium ſui cultus, quomodò ergo illud non averterunt? Ampliùs. Si ſolo dicto honores, & potentias dare poſſunt hominibus, & avertere ab eis omne genus infortunii, quomodò ſe ipſos exhonorari, & deprimi, atque conculcari paſſi ſunt, & adhuc patiuntur? ut omnis honorificentia culturæ ſuæ exterminata ſit à regno Chriſtianorum, & à regno ſarracenorū, & aliquandò à toto orbe Romano? an fataverunt Imperatores Romanos in tantam ſui contumeliam, & depreſſionem? Ampliùs. Certum eſt gentem Judæorum, & gentem Chriſtianorum, gentemque ſarracenorum inimiciſsimas eſſe omni cultui eorum, & eos ex lege ſua totis ſtudiis, ac viribus perſequi: quomodò ergo ſolo dicto, cùm hoc poſsint, non adeò infortunant, ſive infauſtant unumquemque eorum

Aſtutia idolorum.

Deæ fatales deæ vaniſſimæ.

Vetulæ ſtultæ, & ſuperſtitioſæ.

Reſponſa deorum vaniſſima.

In Deos gentilium.

Digitized by Google

qui naſcuntur in aliqua iſtarum gentium, ut nihil A poſſit contra eos? De his autem, & aliis qui circa eos ſunt, expediam me, & te in tractatu proximo poſt iſtum, ſi Deus voluerit.

Plato.

Quoniàm autem in mundo ſublunari rectores multos poſuerunt Philoſophi, & alii animam mundi, ut Plato, & ſequaces ejus; alij verò virtutem ejuſdem, mundi totius regitivam, necnon & alias virtutes occultas, & dæmones etiam conſulere rebus humanis, conveniens eſt perſcrutari de his; quantùm pertinet ad præſentem tractatum: & primùm circa animam mundi negociandum mihi videtur.

Anima imperat corpori.

Anima enim corporis, quod animat gubernatrix indubitanter eſt, reginaque, atque imperatrix ipſius. Imperium autem ipſius, & dominatio ſuper illud apparet ex obedientia tam ipſius totius, quàm membrorum Similiter & providentia ex inquiſitione eorum, quæ corpori ipſi, & membris neceſſaria ſunt, ſicut tectum, & tegumen, cibus, & potus. B Albumaſar etiam Aſtrologus totam fabricationem, atque formationem corporum animalium attribuit animabus eorum, ſive naturis eorum, quaſi anima leonina ex materia, de qua generatur corpus leonis aſſumit unde format ſibi dentes, & ungues, ſimiliter, & anima urſina. Nec mirum eſt, ſi hoc attribuar animabus, cùm Ariſtoteles ſimiliter ſentire videatur de ſeminum virtutibus, ut prædixi tibi. Ut quid enim in ſeminibus virtus eſſet formandi flores, & folia, & fructus, corporaque omnia vegetabilium, & nõ potiùs in ſeminibus vegetabilibus eſſet virtus formandi corpora hominum, cùm tantò nobiliora debeant eſſe ſemina animalium, nobilioreſque virtutes ſeminum ipſorum, quantò nobiliora ſunt corpora animalium corporibus vegetabilium.

Mundus animal ſecundùm Platonem.

Tota igitur gubernatio mundi ex anima ipſius erit, præſertim, cùm Plato expreſsè poſuerit ipſum eſſe animal intelligens divinæ prudentiæ ſanctionem. Quid autem induxerit eum ad hoc, & utrùm totum mundum, C id eſt, univerſum corporeum poſuerit eſſe animal, an ſolum cœlum, id eſt, partem illam univerſi corporei, quæ eſt à Luna ſupra, & tota mobilis circulariter, quæ ſcilicet continet novem cœlos mobiles, de qua in præcedentibus audiviſti: an totum univerſum, quod conſtat ſcilicet, ex novem cœlis iſtis, & quatuor elementis, dubium eſſe poteſt: quoniàm Ariſtoteles, & ſequaces ejus ſolum cœlum, id eſt, partem illam, quæ eſt à luna ſupra, vel forſitan cœlum ſtellarum fixarum animal eſſe poſuiſſe videntur, & Avicenna evidenter dicit, quia cœlum eſt animal Deo obediens.

Cœlum animal ſecundùm Ariſtotelem.

Quatuor autem elementa animata ponere non videtur tanto philoſopho congruiſſe. Quis enim dicat ignem, vel aëra animatum eſſe, ſimiliter aquam & terram? neque enim vita in eis apparet, nec aliqua ſpecies motus, præter motum localem, niſi violentus qui nullo modo vitalis eſt. In omnibus autem vegetabilibus apparent motus crementi, & decrementi, & Ariſtoteles dicit, quia cremento, atque decremento determi- D nantur Videntur autem ex his, quæ apparent in terra, & aquis, virtutem quandam generativam vegetabilium, & etiam animalium habere. Et lex Hebræorum, atque doctrina, aſſentiunt in hoc, & doctrina Chriſtianorum, atque fides non diſſentit ab hoc. Ego autem jam dedi tibi cauſam, & probationem in hoc in præcedentibus, & dixi, quia terra per hoc, quod eſt terra, non habet virtutem generativam animalium, aut vegetabilium: nullum enim corpus per ſuam corporeitatem poteſt generare, niſi corpus ſuæ ſpeciei, terra terram ſolam, & aqua aquam ſolam. Quòd igitur alia corpora generant, videlicet animalia, aut etiam vegetabilia, ex alia virtute ſuperaddita eſt utrique, & hoc conſi- A tentur prænominatæ leges, quia ſcilicet ex benedictione creatoris datum eſt utrique generare nobiliora quàm ipſæ ſint, & inſinuavit lex Hebræorum in principio ſuo verba creatoris, quibus intelligitur iſta benedictio, videlicet quibus dicitur, producant aquæ, & producat terra, &c. Tu verò debes ſcire, quia inanimatio quatuor elementorum non eſt cauſa, quæ debeat prohibere eſſe animal; quemadmodùm inanimatio quatuor humorum in corpore humano non prohibet hominem eſſe animal & eſt iſtud exemplum ſententiæ iſti Platonis convenientiſſimum, cùm inter hominem, & mundum quandam poſuerit eſſe ſimilitudinem, ut hominem mundum minorem non dubitaverit nominare.

Homo minor mundus.

Secundùm Platonem etiam, ſciendum eſt tibi, quia mundus circundans quatuor elementa mundo non indiget ſublunari, quin potiùs econversò, & hoc jam noſcitur ex aliis.

Humores corporis humani.

† Aliàs minutorum.

Scis etiam, qualiter qua- B tuor humoribus, qui quatuor elementis aſſimilantur, nutriuntur membra humani corporis, & partes illorum, & qualiter ex illis fit generatio ſuperfluitatum, & † inimicorum quorundam animalium in eodem, ſic vegetabilia, metalla, & liquores generantur ex quatuor elementis, & ea, quæ nutribilia ſunt ex hujuſmodi generatis, nutriuntur ex ipſis elementis. Dixerunt etiam ſequaces Platonis in confirmationem opinionis ipſius, quia effluxiones marium ſunt ſpirationes, & reſpirationes ipſius mundi Unde, & quaſi nares ei poſuerunt, ubi majores ſunt inundationes, ſive effluxiones marium, quod eſt vel in abyſſo magna, quam matricẽ omniũ aquarum dicit Ariſtoteles, vel in maribus illis, ubi vehementiores, majoreſque apparent hujuſmodi inundationes.

Reſpirationes quomodo fiãt

Horum autem error facilè manifeſtus fit, ſi conſideraveris qualiter ſpirationes, & reſpirationes fiant in animabus, & primùm quidem, quia non fiant ſine motu dilatationis, & cõſtrictio- C nis quarundam partium in eis, videlicet ventris, atque pulmonis. Nihil autem tale apparet in partibus terræ, hoc eſt in omnibus profunditatibus ipſius terræ, quæ eſt velut venter continens maria omnia. Ampliùs. Spirationes, & reſpirationes augentur in animalibus ex vehementia motus, & fortitudine, & minuuntur ex contrariis, nullus autem motus apparet in corpore terræ. Inundationes verò marium hyemales, atque vernales, majores ſunt, ac fortiores inundationibus, quæ fiunt aliis temporibus. Ampliùs. Maria occidentalia, & ſeptentrionalia vehementiorum ſunt, ac majorum inundationum, quàm orientalia, vel meridionalia, quia viciniora videntur eſſe vitalibus ipſius mundi, quemadmodùm quæ viciniora ſunt pulmoni, & cordi in animalibus, ſpirationibus, & reſpirationibus fortiùs moventur partibus remotioribus ab eiſdem.

Nota.

Apparet autem evidenter ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ejus, quia fons vitalis caloris ad orientem eſt, atque meridiem. Virtutes etiam, ex quibus po- D nunt eſſe generationem, & vitam animalium ad meridiem ponunt, videlicet ſolem, & alios planetas, & duodecim ſigna. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quoniàm aquas marium, aut ſinuoſitas, atque profunditas terræ attrahit, & eas rejicit, aut aliud, cùm aqua non niſi violento motu ita exundet. Si dixerit, quoniàm terra attrahit eas intra ſinus ſuos, atque profunditates, hoc multis modis apparet eſſe impoſſibile. Primùm, quoniàm non poſſunt attrahi, niſi ubi aquæ non erunt, quare aliqua profunditas terræ vacua eſſet ab aquis, immò tanta ſinuoſitas, tantaque profunditas, quæ capere ſufficeret aquas revertentes. Hoc autem eſt manifeſtè impoſſibile, quia locus ille, quem intrant, vel eſſet omninò vacuus à corpore, quod eſt impoſſibile, vel

Digitized by Google

eſſet plenus aëre, aër verò non poſſet prohibere aquas, quin intrarent, & dividerent ipſum, & ejicerent de loco illo, præſertim cùm locus ille tam multiplices habeat ſinus, & exitus. Ampliùs. Non aliter corpora attrahunt aëra, niſi dilatato pulmone, & extenſo ventre. Nihil autem tale fit in profunditatibus terræ. Ampliùs. Spiratio, & reſpiratio non ſunt, niſi ſpiritus, id eſt, aëris, à quo & denominantur: manifeſtum autem eſt, quia ſi omnia interiora alicujus animalis, videlicet venter, & pulmo, plena eſſent aquis, reſpirare non poſſet, quin potiùs occluſo ſpiritu, & viâ ſpirationis obſtructâ, ſuffocaretur, ſive extingueretur. Apparet autem inde ſpirationem, & reſpirationem eſſe aëris, quoniàm ſola animalia ſpirantia, & reſpirantia aëra, vivunt in illo, propter quod & piſces in eo vivere non poſſunt, niſi qui in aëra capita elevant, & natantes capita ſuper aquas portant. Piſces verò, qui ſemper inter aquas notantur, non reſpirant, propter quod, neque pulmonem habere dicuntur. Nec oportet, quòd ampliùs immorer in deſtructione fantaſiæ iſtius, cùm præter hæc, quæ hìc dixi tibi, reminiſci poſſis eorum, quæ didiciſti in ſcientia meteororum, ubi declaratum eſt tibi cauſa motus marium, ubi & declaratum eſt tibi, quia motus hujuſmodi, motus ebullitionis tantùm eſt: unde & fervor maris uſualiter dicitur. Et tu jam noſti, quia motus ebullitionis eſt ex vaporibus reſolutis per calorem, atque multiplicatis, & aſcendentibus, multitudineque ſua, & aſcenſu aquam impellentibus, ſursùm elevantibus, exundareque eam cogentibus.

Aër attrahitur pulmonis dilatatione.

Piſces, qui pulmonem habere negantur.

CAPUT XXVIII.

Utrum Plato, & ſimiles poſuerint animam unam novem cœlis, vel plures, & quomodò anima illa poſſit in hæc inferiora.

Plato.

Revertar igitur, & dicam, quia Plato, & quicunque ſic poſuerunt, aut intellexerunt unam animam eſſe omnium cœlorum novem, aut non. Si ſic, dico quoniàm eadem indicia, quæ indicant unum cœlorum eſſe animatum, indicant omnes eſſe animatos, videlicet motus. Ampliùs. Diverſos motores illorum indicat diverſitas motuum ipſorum, motores autem eorum nullus poſuit, niſi animas ipſorum; non erit igitur anima una animans omnes novem cœlos. Quòd ſi dixerit quis, quia multitudo cœlorum non prohibet unam animam animare eos omnes: cùm enim evidenter appareat in corpore humano tantam eſſe multitudinem membrorum, atque diverſitatem, & animam unicam animare omnia illa; quantò fortiùs non prohibebitur anima unica tam nobilis, corpora tam ſimilia, ut ſunt novem cœli, animare? Quòd ſi dixeris, quia motuum diverſitas hoc prohibet in cœlis, cur non & in animalium membris? tanta quippe motuum diverſitas eſt in animalium membris. Cor enim non habet motum ſimilem motibus aliorum membrorum, & motum ejus dixerunt ſyſtolen, & diaſtolen, hoc eſt, elevationem, & depreſſionem, & motus hujuſmodi non eſt voluntarius, aut imperatus, nec eſt in poteſtate, vel voluntate hominis, vel alterius animalis motum hujuſmodi reprimere, vel prohibere. Motus verò oculorum videtur volubilis; motus brachiorum ad intùs; motus pedum in antè. Quid verò aliud dici poſſe videtur de hepate, ſplene, corde, genitalibus, lingua, labiis, quæ tam longè ab invicem eſſe videntur? tamen nemo poſuit adhuc unicuique iſtorum animam eſſe propriam, ſed anima una vivificari, adminiſtrari, & regi communiter omnia hæc, quæ eſt anima totius cor-

Motores cœlorum.

Cordis motus.

Una anima corpus vivificat.

E poris. Ampliùs. Si Plato ſentiebat diverſis animabus cœlos omnes moveri, & regi, totumque mundum ſublunarem ſimul; ad quid poſuiſſet eum compoſitum, præſertim ex eodem, & diverſo? niſi quia iſtas duas naturas requirebat ipſa mundi diverſitas, quæ & partem habet quaſi eandem, in uno ſcilicet ſtatu perſiſtentem, ac permanentem, videlicet partem cœleſtem, quæ novem prædictos cœlos continet, & partem ſublunarem, cujus tanta mutabilitas, & tanta diverſitas eſt, maximè quantùm ad ſtatum inferiorum elementorum, & eorum, quæ in eis ſunt, ut nihil ferè in eodem ſtatu apud ea permaneat. Amplius. Corpora animalium, & vegetabilium elementata ſunt, & ex diverſo compoſita, quoniàm ex contrariis, elementa enim contraria **F** ſunt, ſicut alibi didiciſti; non eſt igitur mirum cùm unaquæque anima congruere debeat corpori ſuo, utpote perfectio illius, & forma tanquàm materiæ propriæ, non eſt mirum, ſi partem animæ totius mundi † quidam poſuit, & partem diverſam propter congruentiam, quam dixi eam oportere habere ad idem, & diverſum. Ampliùs. Cùm ipſi novem cœli mobiles individui ſint, aut ejuſdem ſpeciei, aut diverſarum, qualiter poſuit Plato unicam illis animam eſſe, potiùs quàm multis hominibus, aut multis aliis animalibus? Ampliùs. Non videtur noſſe naturam animæ per hoc, quod anima eſt, neque naturam formæ per modum, quo forma eſt qui ponit unam animam diverſis corporibus per ſe eſſe natis, aut unam formam diverſis materiis ſimiliter per ſe eſſe natis. Quod dico propter membra hominum, & aliorum animalium, quæ non ſunt nata eſſe per ſe, ſed in totis ſuis, & de illis, & propter hoc anima totius, **G** uniuſcujuſque ſufficit toti, & partibus, præſertim cùm partes omnes colligantiam habeant ad invicem mediatam, vel immediatam, quemadmodùm ſe habet res in omnibus animalium membris; cœli verò non habent ad ſe invicem colligantiam, niſi contiguitatis, contiguitas autem non eſt colligantia, quæ ſufficiat efficere, ut una anima ſufficere debeat multis corporibus, quare nondùm dicit, qui hoc dicit cauſam, propter quam debeat eſſe una anima novem cœlis mobilibus. Quòd ſi dixerit alias eſſe colligantias illorum cœlorum, quæ non immeritò ignorantur ab hominibus propter ſuum longè diſtare ab ipſis; dico in hoc, quoniàm iſte ignorat motus iſtorum cœlorum, & diverſitates motuum ipſorum; ea enim eſt diverſitas eorum, ut & centra diverſa habeant, & polos, & propter hoc etiam plagas. Inſuper motus uniuſcujuſque conti- **H** nuus eſt, & indeficiens, atque totalis, id eſt, ſecundùm omnem partem: nulla enim pars in quocunque illorum quieſcit, in hominibus autem, & animalibus aliis, aliter ſe habet. Nulla enim pars motum habet proprium, & per ſe de interioribus, niſi cor, quemadmodùm dixi. Cæteræ enim de interioribus non moventur, niſi motu totius. Exteriores verò partes moventur imperio totius, & tu ſcis cauſam motuum illarum. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia cœli non ſunt ad invicem, ut membra, vel partes ſuperioris mundi mobilis, cùm adeò invicem diviſi ſint, & motibus, & motorum centris, & plagis, & polis, ut nec partes, nec membra illius ullo modorum reputari poſſint. Ampliùs. Cùm animas cœlorum ponant hoc ſolum operari in corporibus ſuis, videlicet, ut circulariter moveantur; non enim vitam nutribilem operantur in ea, ſed ſolum motum hujuſcemodi: quia igitur tam diverſi ſunt motus, tamque diverſi ad invicem, tamque appropriati motoribus ſuis, utpote immediati, & per ſe effectus eorum, neceſſe eſt motores eſſe diverſos; ex una enim virtute per ſe, & immediatè non eſt poſſibile

Elementa contraria.

† Alias idem.

Cœli contigui.

Nota

Digitized by Google

bile actus exire diverſos ſpecie operatione naturali, motus autem iſti ſunt operationes naturales, & ſolæ hujuſmodi motorum in corporibus ſuis. Nihil enim aliud operantur in corpora ſua, hoc eſt, non aliud influunt in ea, niſi fortè dicant, quòd non videtur, aliud eſſe quàm motus: conſervatione enim non indigent corpora hujuſmodi, vel reſtaurativa, quæ nutrimento perficitur, vel alia, cùm incorruptibilia naturaliter eſſe ipſimet ponunt, qui hæc ſenſerunt. Ad hoc igitur deducit eos iſta ratiocinatio, ut neceſſariò cogantur multos motores cœlis antedictis ponere pro multitudine ipſorum, quapropter & multas animas, cùm motus circularis omnis anima ſit, ſive ab anima. Quòd ſi dixerit, quia nihil prohibet & in membris animalium eſſe virtutes motivas multas, & unicuique membrorum mobilium propriam virtutem, licet anima una ſit, ex qua tanquàm ex una ſtella multorum radiorum procedunt omnes vires illæ, velut quidam radii: ſic ex anima illa primi cœlorum mobilium procedunt virtutes octo motivæ in octo cœlos inferiores: dico in hoc, quia ſermo iſte diſcordat ab opinione Platonis in parte iſta, cùm ipſe poſuerit contrarietatem in motibus cœlorum. Cœlos enim ſeptem planetarum poſuit moveri ab occidente ad orientem: econtrariò motus octavi cœli. Ab uno autem principio per ſe, & immediatè impoſſibile eſt eſſe contrarietatem. Si verò dixerit, quia animam illam non poſuit Plato unam propriè, & verè; immò poſuit eam multa, atque contraria, cùm poſuerit eam compoſitam ex eodem, & diverſo, quæ non eſt dubium eſſe contraria, dico in hoc, quia vel utraque pars compoſitionis iſtius eſt in cœlo uno, vel ſunt in diverſis cœlis duæ partes illæ. Quòd ſi fuerint in cœlo uno, ita quòd neutra in aliquo aliorum; debet igitur movere cœlum illud duobus motibus contrariis, hoc autem nec invenitur in aliquo cœlorum, & manifeſtum eſt ipſum eſſe impoſſibile. Quòd ſi dixerit, partem eſſe in uno cœlorum, & partem in alio, non erit ex illis anima una; quemadmodùm nec ex corporibus hoc eſt, ex cœlis, in quibus ſunt. Ampliùs. Perindè eſt hoc, ac ſi diceretur, quòd ex anima, quæ eſt in corpore Socratis, & illa, quæ in corpore Platonis, eſt compoſita anima una. Ampliùs. In corpore uno eſt anima una, corpore dico animato, & per ſe uno, ac diviſo ab aliis. Quia igitur ſecundùm ipſum omnes cœli animati ſunt, erit hoc non anima una numero, ſed tot animabus quot ipſi cœli ſunt; quemadmodùm ſe habet in aliis individuis animatorum, tam hominum ſcilicet quàm aliorum animalium, & etiam vegetabilium. Ampliùs. Cœli, qui moventur ab occidente in orientem econtrariò primo motui, ut ipſe poſuit, non habent diverſitatem, aut contrarietatem in motibus ſuis, quin potiùs motus eorundem ſunt, & uniformes ſecundùm tempora ſua; quemadmodùm, & motus primus. Non eſt igitur ratio, quare dicatur motus diverſus, vel ediverſò motus eorum, quàm motus primi; niſi fortè dicere velit, hoc eſſe propter ſtationes, & retrogradationes, elevationes, & depreſſiones, epicyclos, & motum eorum, & aliorum motus, quos Ptolemæus ibi poſuit ex cauſa, quam audiviſti, & per modum, quem alibi didiciſti: reſpondeo in hoc, & dico, quia qui hanc diverſitatem motuum poſuerunt in motibus planetarum, & circulorum, poſuerunt ſimiliter multas diverſitates in ſtellis fixis, & poſuerunt motum antè, & retrò in capite arietis, & in capite libræ. Si verò totam animam iſtam ponant in cœlo mobili primo, ponent igitur inferiores inanimatos, undè igitur eis motus? Si autem poſuerit eam totam in unoquoque cœlorum mobilium; in unoquoque igitur debet eſſe motus idem, & diverſus; cùm iſti duo motus duas partes animæ illius, quæ ſunt idem, & diverſum cauſas habeant, atque principia ſui eſſe. Si verò intellexerit idem, & diverſum in anima, velut duos reſpectus, aut comparationes, quæ animæ illi ſunt, altera, ſcilicet ad idem creatori, hoc eſt ad unitatem, & immutabilitatem creatoris ipſius: altera verò ad diverſum, hoc eſt ad diverſitatem, & immutabilitatem mundi ſublunaris, in quo eſt tanta rerum varietas, & multitudo, atque diverſitas per motus, & mutationes tam multas, ac ſi intenderet ipſam unam, vel unum eſſe ad partem creatoris, in qua, & ſecundùm quam non diffurcatur, vel dividitur vel virtutibus, vel operationibus: ad partem verò mundi ſublunaris diffurcatur, atque dividitur innumeris virtutibus, & operationibus, tam ſecundùm Platonem, quàm ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ejus, omneſque illos qui aſtrorum judiciis crediderunt. Omnes enim hujuſmodi totam diverſitatem rerum generabilium, & corruptibilium, omnium quoque eventuum, qui in mundo ſublunari fiunt, à mundo ſuperiori, ſive cœlo fieri poſuerunt, & hoc propter animam ipſius, vel animas, corporis enim per modum, quo corpus eſt, impoſſibile eſt eſſe virtutem effectivam tam nobilium, tamque multiplicium operationum. Propter iſtud igitur idem, atque diverſum, angularem formam, & bifurcatam Plato poſuit animæ iſti, & hoc parabolicè ſolummodò juxta conſuetudinem ſuam, quâ (ſicut dixit Ariſtoteles) ſequebatur parabolas. Jam etiam didiciſti alibi, quia nulla anima nobilis, ſive intelligens, partibilis eſt partitione, aut diviſione corporali, nec ullo modorum illi congruit forma angulata, aut diffurcata. Difficile autem intellectu videtur, quòd anima in corpore uno exiſtens operari poſſit in corpora remotiſſima, & animæ quidem noſtræ potiùs patiuntur à corporibus alienis, atque remotis, quàm impreſſiones in illa faciant. Qualiter igitur in terris, & in aquis, & in aëre, tam multiplicia, tamque nobilia opera fiunt per animam iſtam, niſi intellectu, & voluntate? Corpus enim animæ hujuſmodi, ſive ſit unum, ſive multa, ut prædixi tibi, non eſt tanquàm inſtrumentum fabricationis, ut tactu, vel impreſſione, vel tunſione, vel aliquo modorum hujuſmodi fiat fabricatio animalium, & vegetabilium. Manifeſtum igitur eſt, ſicut alibi oſtenſum eſt tibi, quòd operatio animæ illius in ea, quæ dixi, & eorum, hoc eſt animalium, & vegetabilium, non eſt niſi ſpiritualis, hoc eſt, non eſt niſi per ſpiritualem voluntatem, quemadmodùm in præcedentibus audiviſti de operatione creatoris, qui verbo omnipotentiſſimo, atque imperioſiſſimo dixit, & facta ſunt, & dominantiſſimâ voluntate ſuâ mandavit, & creata ſunt. Accidit autem ſecundùm hanc poſitionem, motus cœlorum, ſtellarum, atque planetarum non operari res ſublunares, neque in eas, niſi quantùm ad quatuor elementarias, & radicales naturas, ſeu qualitates, quæ ſunt caliditas, humiditas, ſiccitas, & frigiditas. Cùm enim anima illa operetur per intelligentiam, & voluntatē tantùm, neque indigeat cœlis, aut motibus eorum, aut ſtellis, aut planetis, vel motibus eorum, omnibus illis ſtantibus, & quietis, eaſdem operationes operabitur in mundo ſublunari. Deſtruit igitur opinio hæc judicia aſtronomiæ, quæ in motibus prænominatorum corporum, & in motum conſequentibus, quæ ſunt conjunctiones, oppoſitiones aſpectuum, figuræ, ortuſque, & occaſus, omninò conſiſtunt; & propter hoc aſtronomici judices hæc omnia conſiderant, & obſervant, & ex eis judicant. Dubium inſuper eſſe non poteſt intelligentiam, & voluntatem animæ illius nullo modorum pendere ex prædictis

Plato de cœlis.

Abſurdum.

Ptolemæus.

Ariſtoteles.

motibus, alioquin omnium animarum inconſtantiſſima eſſet, ac mutabiliſſima; cùm hujuſmodi corporibus nihil mobilius ſit, & figuris conſtellationum nihil inconſtantius. Ampliùs. Cùm animæ humanæ longè viciniores ſint paſſionibus, & mutationibus propter paſſibilitatem corporum ſuorum, & propter hoc multipliciter paſſibiles per illa, & non ſequantur motus corporum ſuorum intelligentiæ, & voluntates earum, immò potiùs econversò, impoſſibile erit ex neceſſitate, ut intelligentia, & voluntas animæ illius ſequantur motus antedictos; quare nec operationes hujuſmodi ſequuntur ipſos, cùm ſint per intelligentiam, & voluntatem ab anima illa. Ampliùs. Quis diceret hoc, quòd ipſa figuret aſpectus triangulares, quadratos, & alios. vel quòd ipſa intendat in eos, cùm ipsâ non intendente, nec cogitante per motus cœlorum ex neceſſitate accidant? Supervacuum enim eſſe manifeſtum eſt, ea vel intendere, vel cogitare, quæ abſque intentione nihilominùs fiunt. Ampliùs. Secundùm hoc faciet ſtationes, & retrogradationes, elevationes, & depreſſiones, cæteraſque figuras omnes conſtellationum, & hoc non faciet, niſi per intelligentiam, & voluntatem. Quare ſcienter turbabit, & confundet motus cœleſtes per intelligentiam, & voluntatem, cùm ejus intelligentia errare non poſſit, nec ejus voluntas eſſe, niſi recta. Ampliùs. De animabus noſtris manifeſtum eſt, quia motibus ſuis, hoc eſt, corporum ſuorum non intendant aliquam ex figurationibus ſupra dictis, niſi fortè figuratio hujuſmodi ſit neceſſaria ad aliquam aliam operationem. Interdùm enim ſe invicem aptant homines in figuram circularem, quemadmodùm ad choros ducendos, vel ad onus, quod habet figuram hujuſmodi, ſupportandum ſimiliter ſe aptant, & in figuram parallellam, vel in figuram longitudinis tantùm, vel etiam aliam aliquam, prout neceſſitas operationis, quam exercere intendunt, requiſierit. Triangularis verò, quadratus, aut alterius figurationis aſpectus, in nullo juvare poteſt operationem quæ eſt ex intelligentia, & voluntate per ſe, & ſola. Alioquin non eſſet operatio hujuſmodi per intelligentiam, & voluntatem per ſe, ſicut neque operatio texendi, aut ædificandi, de quibus manifeſtum eſt tibi, quia licet ſint per intelligentiam ſive imaginationem, & voluntatem, non ſunt tamen per ea ſola, aut ex eis ſolis, immò ex eis per inſtrumenta. Ampliùs. Quid eſſet, quod dicit Ariſtoteles, & quod etiam ſenſuum atteſtatione manifeſtum eſt de virtutibus ſeminum: quarum operationes adeò evidentes ſunt, ſi vel non eſſent in ſeminibus vel non operarentur in eis, quorum alterum eſſe neceſſe eſt, ſi anima illa, quam Plato dixit animam mundi, omnia hæc, quæ generantur, & corrumpuntur, ſub ſphæra Lunæ, videlicet homines, animalia, & vegetabilia per intelligentiam ſolam, & voluntatem animæ illius generarentur? Supervacuè enim & inutiles eſſent hujuſmodi virtutes in ſeminibus, ſi intelligentia & voluntas animæ mundi per ſe ſufficiens eſſet ad hujuſmodi operationes. Quòd ſi dixerit quis, quia vires motivæ etiam aliarum etiam operationum effectivæ ſunt in membris animalium, licet ſit una anima in corpore uniuſcujuſque animalis, nec tamen vires illæ ſuperfluunt, dico in hoc, quia ſermo iſte deſtruitur duobus modis: primùm quoniàm ſecundùm hoc homines, & alia animalia, erunt membra animalis iſtius, cujus anima illa anima eſt, hoc eſt mundi, & propter hoc, ſicut nullum membrum animalis animal eſt, ita nec homo, nec aliud aliquod ex animalibus animal erit: ſed erunt membra animalis illius magni monſtruoſiſſimi, & horrificiſſimi, & conſequēter ex hoc accidet in nul-

Abſurdũ.

Vires motivæ in membris.

Inconvenientia.

E lo hominum, vel animalium aliorum animam eſſe, nec anima humana anima erit, niſi æquivocè: cùm nulla perfectio cujuſcunque ex membris hominum, vel animalium aliorum animal ſit, vel etiam dicatur, ſed neque homines erunt animalia plura, vel animal unum, & propter hoc neque unus homo, neque multi homines. Secundò deſtruitur ſermo hujuſmodi per hoc, quòd anima, quæ eſt extra corpus quodcunque, impoſſibile eſt, ut animet, vel vivificet illud, ſive perficiat, cùm perfectio omnis eſſentialis pars perfecti ſit, atque de ipſo, & in eo de neceſſitate eſſe habeat. Quare, quemadmodùm anima, quæ eſt in Socrate non poteſt animare, aut vivificare Platonem neque ullo modorum eſſet perfectio ejus; ſic neque anima cœli, ſive anima octavi cœli, ſive alterius corporis poteſt eſſe perfectio, alicujus ex hominibus, aut animalibus, aut vegetabilibus, quæ ſunt apud nos, hoc eſt, ſub circulo lunari.

F Quoniàm autem dixi tibi in præcedentibus de anima iſta, quòd in retrogradationibus, exaltationibus, & depreſſionibus, aliiſque hujuſmodi, videlicet obſeſſionibus planetarum, & ecclipſationibus, aliiſque omnibus, quibus virtutes eorum, & operationes impediri poſuerunt aſtronomi, & non dixi in hoc ſermone completum, per quem firma fieret ratio, ſeu probatio, quam intendebam, ſupplebo igitur hîc, & firmabo probationem hanc. Dico igitur, quia ſi anima illa efficit ea, quæ numeravi, & nominavi tibi, vel efficit illa ſcienter, vel nolenter, & ignoranter. & propter hoc non volenter, aut invita. Quòd ſi ſcienter operatur impedimenta operationum planetarum, qualiter igitur movet eos cùm per motus, & motuum figuras operari ponant omnes aſtronomi, & omnes philoſophi conſentientes aſtronomis? Ampliùs. Ut quid eos retrogredi facit, an quia plus juſto proceſſerunt ul-

G tra, quàm ipſa imperaſſet, an quia nimis celeriter moti ſint, an quia pœniteat eam couſque moviſſe? Quare præter imperium ejus, & voluntatem ejus, moveri eos neceſſe eſt, vel in parte, vel in toto. Ampliùs. Qualiter obſidet eos conſtituens aliquem eorum inter duos malos, ubi mirabiliter ligatam virtutem ejus ſcripſerunt aſtronomi? Et quâ de causâ ecclipſat Solem, & Lunam, & interdùm alios, frequenter? quo fructu, ſive utilitate, tot & tanta mala quærit, atque procurat corporibus hujuſmodi, nec in animam brutalem cadit iſta malignitas, ut corpus, in quo eſt, vel membrum, vel aliquod ex membris ejus ſcienter moveat ad impedimentum ipſius, vel læſionem virtutis ejus. Multò fortiùs igitur non eſt poſſibile, ut hoc cadat in animam illam nobiliſſimam, ac ſapientiſſimam. Si verò neſciens hoc operatur, hic etiam ſermo valdè erroneus eſt;

H quoniàm etiamſi iſta ignorantia in ea naturalis eſſet, iam longâ tamen aſſuetudine millesies ablata eſſet ab ea, & contraria eidem ſcientia acquiſita. In brutis enim animalibus videmus per aſſuetudinem naturales ignorantias multas tolli, & ipſa in multis quaſi diſciplinabiliter erudiri, ita etiam ut quædam ex illis loqui, ſive diſcere videamus, ſi loquela dicenda eſt locutionis humanæ talis effigiatio. Qualiter igitur tam diu duraſſet iſta ignorantia in anima mundi? Ampliùs. Ipſi aſtronomi, qui homines fuerunt, & ſunt etiam brevis vitæ & longè à motibus iſtis, & figurationibus eorum, & aliis quæ numeravi, & nominavi tibi, invenerunt inveſtigationibus, & obſervationibus ſuis operationes cœlorum. Qualiter igitur ignorare poteſt anima mundi aliquid omnium iſtorum? Ampliùs. Cùm animabus noſtris notiſſimi ſint motus corporum noſtrorum, atque membrorum, & hoc eſt per imaginationem, ſive intelligentiam, & voluntatem earum, qualiter

Naturales ignorantiæ in brutis tolluntur per aſſuetudinem.

motus

Digitized by Google

motus omnes cœleſtes, vel motuum figurationes latere poſſunt animã mundi, cùm fiant per intelligentiam, & voluntatem ipſius? Si verò dixerit, quòd eâ invitâ accidunt hujuſmodi impedimenta virtutum ſuarum planetis; eſt igitur alia virtus movens cœlos, & planetas, quàm ipſa anima mundi; nullus autem Philoſophorum poſuit aliquod horum moveri, niſi ab anima, neque etiam Plato ipſe. Quare erit alia anima movens cœlos, vel aliæ animæ moventes eos, quàm anima illa mundi, quam Plato poſuit, & de hac erit adhuc quæſtio eadem, & difficultas eadem. Sequitur etiam hunc errorem per vias multas, quòd violentia, atque conflictus, & velut pugna, atque rebellio apud cœlos ſit, hoc autem nemo Philoſophorum dixit.

CAPUT XXIX.

Declarat, quid Plato de anima mundi ſenſerit, ubi agit de errore dicentium, unam animam mundi animare quicquid eſt animatum.

Platonis ſententia de anima mundi.

His igitur cauſa exercitationis, & declarandæ veritatis propoſitis, circa opinionem Platonis, dico quia ſecundùm ſententiam meam non fuit opinio Platonis, mundum totum corporeum animal unum eſſe, ſed cœlum ſolùm, hoc eſt, totum, quod eſt à Luna ſupra vel ultimam ſphærarum mobilium ſuperiorum, quam Plato forſitan credidit eſſe ſphæram ſtellarum fixarum; forſitan enim nona ſphæra latuit eum, quemadmodùm & decima, & ipſum, & alios Philoſophos. Sola quippe Chriſtianorum doctrina decimum cœlum ponit, quod & vocat empyreum, hoc eſt, prælucidum, ſive præfulgidum, & videtur hoc ipſum ſenſiſſe Avicennam, & Platoni concordaſſe, ubi dixit quia cœlum eſt animal quoddam, Deo obediens, & illud mundus à præcellentia munditiæ, & puritatis, aut ab ultimitate nobilitatis, & velocitatis ſecundùm hoc nominatus videtur. Abuſamar verò Sarracenus in libro expoſitionis auditus Ariſtotelis dixit, Deum eſſe ſpiritum cœli, quod de creatore intellexit, & erravit intolerabiliter, ignorantiâ etiam damnabiliſſimâ eum excæcatum fuiſſe non dubites: creator enim in ſupereminentia nobilitatis, ultimitateque libertatis ſuæ: ſic eſt in rebus, ut neque unitus, neque alligatus ſit eis, aut alieni earum; ſpiritus enim omnis qui verè dicitur unitus corpori, ſic alligatus eſt corpori ſuo vinculo naturali, ut vel non poſſit eſſe extra illud, vel non poſſit benè eſſe ex omnibus modis ſuis, niſi in illo, & cum illo; hoc autem dico propter animas humanas, quæ in conſortio beatiſſimorum Angelorum ſunt, quibus quidem benè eſt, non autem ex omnibus modis ſuis, quod eſt dicere, quia nondùm completa eſt beatitudo earum, aut gloria, cùm reſtent adhuc eis perficiendæ, & glorificandæ omnes illæ vires earum, quibus illæ operabantur in corporibus ſuis per illa. Quàm longè autem ſit à creatore omnis incompletio, omniſque defectus, manifeſtum eſt tibi ex ultimitate gloriæ illius: quia ergo de tanto philoſopho tantus error facilè credendus non eſt, magis veriſimile arbitror ſermonem ſuum ipſum intellexiſſe per tranſumptionem, ita videlicet, ut cenſuerit, ipſum ſpiritum cœli propter nobilitatem ſuam, & appropinquationem ad nobilitatem, atque divinitatem creatoris non eâ intentione, vel intellectu, quâ creator Deus dicitur; in illa enim nihil ei communicat, immò nomen illud nomen eſt proprium, & incommunicabile creatoris; propter quod nec plurale habet, quoniàm non multiplicatur ullo modorum ejus divinitas: æquivocè igitur, & Deus,

Chriſtiani ſoli decimã ſphæram noverunt.

Nota de ſpiritu appropriato.

Anima glorificata ſine corpore perfectè beata non eſt.

A & dij, de omni alio, & de omnibus aliis dicitur, & nullatenùs illâ ratione, vel intentione; ſic igitur ſpiritum cœli Deum dixiſſe opinandus eſt Abuſamar, ſicut Jovem, aut Apollinem, & etiam eodem modo, quo quidam mundum ipſum Deum dicere non veriti ſunt, quos quidam ex Philoſophis Italicis irridens, dixit in libro ſuo de hoc, quæ pulchritudo poteſt eſſe iſti rotundo Deo? Quod autem quæritur de aliis cœlis, utrùm illa eadem anima animati ſint, an habeat quodque eorum animam propriam, convenientiùs dicendum videtur ſecundùm Platonem, quòd unumquodque eorum animâ propriâ animatum eſt; quoniàm unam intellexit compoſitam ex eodem, & diverſo, totam aggregationem animarum illarum propter colligationem, quam habent cœli ad invicem. Quemadmodùm ipſe idem Plato poſuit caput & cor, & matricem in hominibus animal eſſe, nihilominùs hominem B unumquemque animal unum eſſe. Sicut & mundus unum totum, & unum univerſum communiter ab hominibus nuncupatur; unum verò, ſive unitatem, quod poſuit in anima illa, poſuit in cœlo, quod ipſe opinabatur principale, ac nobiliſſimum inter cœlos. Diverſum verò animæ illius videtur intellexiſſe aggregationem animarum aliorum cœlorum, tum propter multitudinem, atque diverſitatem earum, tum propter diverſitatem, quæ apparet in motibus eorum, nec non & contrarietatem ad motum cœli illius, quod nobiliſſimum, ac principale opinatus eſt. Debes etiam ſcire, quòd caput in homine Plato poſuit hominem eſſe, reſiduum verò ſicut columnam ad ſupportandum, atque geſtandum in alto hominem, id eſt, caput ipſum; ſic & nobiliſſimam partem univerſi corporei, to- C tique reſiduo ejuſdem ſupereminentem animam eſſe poſuit, & reſiduum velut quoddam vehiculum, ac ſuſtentaculum in ſublimi habere, & deferre animal illud. Neque negaret Plato membra hominis partes hominis eſſe, propter communem uſum nominandi hominem. Homo enim nominatur communiter, & uſualiter, non caput ſolum, ſed totum, quod ex capite, ſuppoſitoque componitur, & ipſe intelligitur, & Plato intelligebat, quòd à parte illa ſupereminenti totum nominaretur homo, quemadmodùm à parte corporis, tanquàm ab humo, pro eo, quod terreſtris eſt, ſive terrena, totum nominatur homo. Quamquàm igitur Platonis conſuetudo eſſet ſequi metaphoras; iſta tamen videtur veriſimilior intentio ſermonis ejus de anima mundi. Debes autem ſcire, quia eouſque excæcati ſunt, & eouſque intellectu deficientes, ut crederent unam animam mundi numero, quicquid in mundo eſt animatum, animare, nec D aliud eſſe ſecundùm eſſentiam, & veritatem animam Socratis, quàm animam Platonis, ſed aliam animam, & hoc ex alietate animationis, & animati. Ex quo neceſſe habent recipere non aliud eſſe Socratem, quàm Platonem ſecundùm eſſentiam, & ſecundùm veritatem, ſed alium ex prædictis alietatibus. Quapropter generatio, & corruptio ſecundùm eos non erunt in hominibus, vel in aliis rebus, cùm generatio ſit in rebus ſecundùm Ariſtotelem in ſubſtantiam, & corruptio egreſſus ab illa, nec fiant ſecundùm accidentia, quin potiùs ſecundùm ſubſtantiales formas. Hujuſmodi enim mutationes, videlicet, quæ fiunt ſecundùm accidentia, vel accidentales formas alterationes ſunt, non autem generationes, aut corruptiones. Ampliùs. Neque homines, neque aliæ res numerantur ſecundùm accidẽtia, neque dicuntur unus, & alius, aut unũ, & aliud. Neque enim Socrates quondàm puer, & modò ſenex numeratur unus, & alius, aut duo homines, quamvis ipſe

Dij æquivocè.

Nota.

Plato de homine.

Error manifeſtus.

Digitized by Google

ſenex differat à ſe puero multâ numeroſitate accidentium. Quare ſi non eſt inter homines alterius modi differentia, quàm ſecundùm accidentia, non cadet numerus apud eos, neque erunt multi, vel multa, ſed erunt unus, & idem homo, quemadmodùm Socrates quondàm puer, & modò ſenex. In deſtructione autem hujus erroris non rationibus, aut probationibus utendum eſt, ſed igne, & gladio, omnique pœnali genere exterminii. Nec te conturbet ſermo cujuſdam ex Italicis philoſophis, qui dixit, quia ſola accidentium varietas facit differentiam numero, quoniàm intentio ejus non fuit in hoc, niſi vel excludere differentiam ſpecificam, vel alias ſubſtantiales differentias, vel retulit intellectum ſermonis ſui ad nos, intelligens differentiam ipſam diſtinctionem noſtram; fuit igitur intentio ejus in hoc ſermone, quòd ſola accidentium varietas, id eſt, non ſpecies, aut differentia ſubſtantialis, aut aliquid communium omnium eſſentialium facit differentiam numero, hoc eſt diverſificat ipſa individua, vel facit diſtinctionem numeralem nobis individuorum; non enim in ſpecie diſtinguimus individua, ſed magis unimus ſimilitudine eſſentiali omnimoda, quæ eſt eis in ſpecie, vel potiùs, quæ eſt ipſa ſpecies ſecundùm ipſum. Ipſemet dixit, quia ſpecies eſt ſubſtantialis ſimilitudo individuorum, & debes intelligere, quod dixi, ſubſtantialis, hoc eſt ſecundùm totam ſubſtantiam: præter enim rationem ſpeciei, nihil habet ſubſtantiale individuum. Scito autem, quia hujuſmodi ſimilitudo nominatur communiter identitas in ſpecie. Nec dubites, quin ſi intellectus noſter illuminatus eſſet hîc illuminatione gloriæ ſuæ ultimæ, diſtingueret, & numeraret in ipſa ſpecie ſua; non quidem diſſimilitudine, quia nulla eſt eis in ipſa ſpecie, ſed diverſitate, quâ videret hoc non eſſe illud, & converſò, & veriſſimè numeraret, diceretque unum, & aliud, & tertium. In ſtatu verò hujuſmodi tam tenebroſæ miſeriæ non illuminatur ad ea numeranda, & diſtinguenda, niſi per ipſas accidentium varietates, accidentium dico ſenſibilium, niſi fortè ſplendore prophetico, aut alio deſuper venientis irradiationis humanæ hoc ei facere poſſe donetur. Dico etiam, quia quemadmodùm & alibi didiciſti, ſicut anima brutalis non eſt perfectiva humani corporis, aut hominis: ita propter hoc, & multò fortiùs anima iſta cœleſtis, quam Plato poſuit, non erit perfectiva humanorum corporum, aut aliorum animalium, aut vegetabilium, cùm multò major diverſitas ſit inter corpus cœleſte, & corpora humana, quàm inter humana, & brutalia. Et eodem modo ſe habere neceſſe eſt de animabus aliorum cœlorum, ſi animas eis, vel animatos ipſos poſuit Revertar igitur, & dicam, quia animam iſtam non videtur Plato poſuiſſe, niſi vel in cœlo uno, vel in ipſo univerſo novem cœlos mobiles continente. Quòd autem in præcedentibus contra hujuſmodi ſermonem Platonis dixi de diviſionibus, atque diverſitatibus cœlorum, videlicet, quòd per eas prohibeatur anima una animari eos omnes, ſcito quòd facile eſt & naturis multis, & animabus nobilibus colligationes habere ad invicem, & firmari eas, atq; roborari per contactum corporum ſuorum. In naturis autem unum exemplũ eſt tactus ferri, & adamantis vel etiam magnetis, qui eſt longè minoris virtutis, quàm adamas in parte iſta. Cùm enim ferrum tetigit adamantem, vel etiam magnetem, attrahet aliud ferrum. & illud aliud, & forſitan non habet iſtud finem. Unde & ſi acus tetigit hujuſmodi lapidem, recipit ex ipſo tactu hujuſmodi virtutem attrahendi, & quaſi agglutinandi ſibi acum aliam, & ſecunda ſimiliter faciet de alia, & tertia eodem

Species quid.

Anima cœleſtis non perficit corpora humana.

Naturalis ſympathia, vel colligantia rerum.

E modo operabitur in quartam, & quarta in quintam, nec eſt experientia probatum adhuc apud me, an finem habeat hoc, an ſtet in aliquo numero acuum. Videbis enim acuum primam ſic ordinatarum pendere ex lapide iſto quem tangit: deindè ſecundam acum adhærere illi per tactum ſimilem: & tertiam; & quartam, & ita de aliis. Quia igitur virtus adamantis, qua ſibi facit adhærere acum primam, transfunditur in omnes acus: quid mirum ſi virtus vivifica, vel animalis primi cœli transfunditur in ſecundum, & à ſecundo in tertium, & ita donec veniatur ad ultimum cœlorum mobilium, quod eſt cœlum lunæ, etiamſi non ſit alia ligatura, vel ligatio inter eos, quàm contiguitas, ſive contactus, quemadmodùm apparet in exemplo propoſito. Ampliùs In inciſionibus arborum manifeſtum eſt tibi ipſo ſenſu, quia transfunditur virtus F vitalis à trunco in ſurculum inſitum illi, cùm aliâ ligaturâ, quàm contactu, ſibi invicem non hæreant. Quid ergo mirum ſi vita illa primi cœli ſe transfundit in ſecundum, & ita de aliis? Ampliùs. In ipſius vitæ contrariis invenies transfuſiones innumerabiles, quemadmodùm in morbis humanis, quod non eſt apud me levis admirationis, quia uno laborante morbo caduco cadente cadunt multi. Vides igitur, quòd morbus iſte ſe transfundit in aſtantes, & maximè pueros, etiam propter appropinquationem contiguitatis. Ipſa etiam medicina laxativa, & purgativa ſolo aſpectu virtutem ſuam transfundit in aſpicientem, & humores noxios illius, & evacuat ipſos. Notiſſimum etiam eſt G tibi de virtute ignis, & aliis activis, qualiter transfundant operationes ſuas in contigua ſibi paſſibilia, atque receptibilia operationum ſuarum; & quia contactus via eſt ad hujuſmodi operationes Quare, ſi primum illud, ac nobiliſſimum cœlum ſecundùm Platonem ſedes animæ eſt illius; & propter hoc neceſſariò eſt habens in ſe maximam redundantiam vitæ ex ipſa præſentia fontis illius, quid mirum, ſi in corpora ſequentium cœlorum influit vitam, & motum, aliaſque animarum operationes? cùm hujuſmodi corpora ex ipſa ſimilitudine cœli illius; nobiliſſimiſque ſuis diſpoſitionibus, ad has influentias recipiendas, naturaliter aptiſſima ſint, eorumque capaciſſima? Sic enim mihi videtur ſecundùm intentionem Platonis fontem vitæ, & motus habere in ſe cœlum illud, ſicut ſol fontem luminis, & caloris, & ſimili largitate in receptibilia illos influere. Quòd ſi dixerit quis, influentiæ illæ aut animæ ſunt, aut H tantùm influentiæ animales, non refert, opinor, ſecundùm Platonem, hoc eſt non videtur inconveniens eſſe concedere, quòd reverà animæ ſint, cùm ipſemet quaſdam partes animalium animalia eſſe dixerit: & Ariſtoteles non abhorruit dicere quoque animam oculi viſum eſſe, ſive virtutem viſibilem Si verò quis objiciat, quòd ſecundùm hoc erit anima & anima, nec hoc inconveniens eſt apud multos, videlicet quòd virtus viſibilis ex anima totius animalis, ſive hominis, ſive alterius ſit. Nec dubitatur ab aliquo intelligente, quin perfectio oculi, quâ eſt inſtrumentum vivum, & naturale videndi, ſit perfectio corporis naturalis tantùm potentiâ viventis, ſive vitam habentis; quare erit ex neceſſitate anima ſecundùm hanc rationem Ariſtotelis, niſi fortè Ariſtoteles intelligere voluerit de corpore perfecto, quod natum eſt eſſe per ſe, non in alio, vel de alio, & hoc fortaſsè non irrationabiliter quis intelligat. Animam verò filii ex anima patris eſſe impoſſibile eſſe, jam declaratum eſt tibi per me alibi. Apud Ariſtotelem verò, & ſequaces ejus non reputatur inconveniens intelligentiam

Similitudo.

Virtus contiguitatis.

Intelligentiæ motrices cœlorum.

Digitized by Google

tiam eſſe ab intelligentia, donec veniatur ad ultimam, quam dicunt eſſe motorem cœli, ſive ſphæræ lunaris. Primam autem intelligentiam ſolam à creatore eſſe per viam creationis. Secundam verò à prima, ſicut alibi jam dixi tibi. Conſequens igitur eſt, ut nec reputent inconveniens animam ſecundi cœli eſſe ab anima prima, vel ab intelligentia primi cœli. Animas etiam noſtras creari ab aliqua ex intelligentiis dicere veriti non ſunt, intolerabiliter abutentes verbo creandi, & creationem ipſam, quæ operatio eſt propria, & poſſibilis creatori benedicto, creaturæ errore impiiſſimo tribuentes.

CAPUT XXX.

Deſtruitur error ponentium animam mundi compoſitam ex numeris, & conſonantiis muſicalibus, & expoſitio parabolæ Platonis.

Mundus muſicalis ſecundùm Platonem.

QUòd numeros formæ animæ illius Plato applicuit & aptavit, & quaſi in compoſitionem ipſius venire illos aſſeruit ex ipſa mundi fabrica, cui animam hujuſmodi poſuit, accepiſſe videtur. Poſuit enim diſtantias, quæ ſunt à terra uſque ad cœlum nonum, immò uſque ad octavum, ſecundùm ipſum, proportionales eſſe numeris, quos poſuit in figura ſua, & totum mundum eſſe poſuit muſicalem, parteſque ipſius; juxta quod de eo intelligere potui, proportionibus muſicis ſibi invicem naturaliter conſonas, & connexas: & propter hoc ipſam animam mundi, quæ corpori ſuo concordare neceſſe habet, atque congruere, ſimilibus nexibus eſſe naturaliter unitam quodam modo compactamque, quemadmodùm tetigi tibi ſupra, cùm loquerer de eodem ipſius, & diverſo. Induxit etiam eum vis, virtuſque muſicalium proportionum, quæ adeò, ut ipſemet dixit, potentes ſunt in animas noſtras, ut totæ animæ noſtræ in poteſtate earum poſitæ videantur. Immutant quippe eas mirâ facilitate ſecundùm diſpoſitiones illas, quæ ſunt ſecundùm virtutem concupiſcibilem, & iraſcibilem: & hoc pro voto, ſeu libito muſicantis, ſi in arte muſica exercitatus fuerit, & evidenter peritus. A dolore namque in gaudium, & econverſò, & ab iræ turbatione in tranquillitatem, atque ſerenitatem; à timore in ſpem, ſive fiduciam: à puſillanimitate in magnificentiam, & econverſò, incredibili velocitate eas transferunt, atque demutant. Hinc eſt, quòd cùm Plato crediadiſſet, nihil, niſi ſuo ſimili delectari naturaliter, credidit animas noſtras, propter vehementiſſimas delectationes, quas habent animæ noſtræ in conſonantiis ſimillimas eſſe ipſis, & propter hoc compoſitas eſſe ex conſonantiis muſicalibus, & inde etiam idem de anima mundi ſenſit, addens ipſi mundo velut muſicam duplicem. Cùm enim muſica humana bis diapaſon non excedat, muſicam cœleſtem uſque ad quater diapaſon aſcendere affirmavit. Philolaus verò, quia Philoſophus, hac eadem ratione permotus, animam humanam poſuit harmoniam, & conſequenter ipſam animam mundi. Multis autem viis, & modis poſitio iſta deſtruitur, & primùm quia ſimilia non ſolùm faſtidiunt, ſed etiam contriſtant animas noſtras. Neque enim calore delectatur, niſi qui frigidus eſt, nec frigore, niſi qui calidus, nec cibo, vel potu, niſi qui eſurit, vel ſitit; ſic quietem delectabilem facit motus, & econverſò, & ad hunc modum eſt reperire in multis aliis. Amplius. Secundùm hoc in ſolis numerabilibus, & menſurabilibus eſſet delectatio

Muſica cœleſtis ſecundùm Platonem.

A animabus noſtris. Quare in ſimplicibus, & in corporalibus ſcilicet quantitatem non habentibus, nulla eſſet eis delectatio; quare nec in ſcientiis, nec in virtutibus, nec etiam in ipſo creatore, in quo conſtat eſſe ultimitatem delectationis, & animarū noſtrarum beatificam ſanitatem. Amplius. Quemadmodùm animæ noſtræ tantis ſtudiis conſonantias exquirunt, & inſtrumenta muſicalia ſibi fabricant amore ſuavitatis muſicalis; ſic & multò amplius anima illa conſonantias iſtas exquiret, & potiſſimùm naturæ ſuæ, & compoſitioni congruentiſſimas, ita ut ſi poſſibile eſſet, harmonicas melodias omnes cœlos faceret reſonare. Jam autem declaravit Ariſtoteles muſicalem ſonum, vel alium quemcunque cœlos reſonare, vel habere non poſſe: voces enim

B ibi locum non habent, ſicut neque muſicalia inſtrumenta. Sonus verò omnis ex violenta colliſione perficitur. In cœlis verò nec violentia, nec colliſio locum habet, & propter hoc neque ſonus, præſertim cùm ſonum emittat aër colliſione hujuſmodi compreſſus. Aërem verò in cœlis eſſe, impoſſibile eſt, cùm locus ejus naturalis infra ſphæram Lunæ ſit ſub ſphæra ignis. Declaravit etiam Ariſtoteles, quòd ſonus eſt diſpoſitio per colliſionem impreſſam in aëre, & propter hoc tam diù portat impreſſionem hujuſmodi, hoc eſt tam longè, quàm ipſum colliſio impellit, unde nec ulterius auditur. Hinc eſt, quòd nec pilus, nec capillus, nec lana ſonum perficit, vel imprimit niſi denſatus, vel globatus, quoniàm aliter colliſionem aëris efficere non ſufficit, nec in aqua ſonus poſſe fieri videtur, & ſonitus, qui auditur maris, non eſt ex colliſione aquæ ad aquam abſque interpoſito aëre ne-

C que aquæ marinæ ad littora, vel ſcopulos: omnimodò enim iſtius diſpoſitionis aër receptibilis eſt; & propter hoc multi ex antiquis ſonum diffinierunt aërem ictum, vel alliſum, quæ ratio evidenter materialis eſt. Inconvenienter igitur collocata eſſet anima in parte ſuperiori mundi corporei, in tanta ſcilicet naturæ ſuæ diſſimilitudine, ut cùm ipſa compoſita ſit ex numeris harmonicis, nihil harmoniæ eſſet in illa regione ſua. Quòd ſi dixerit quis, quoniàm harmonia ſpiritualis, ſive intellectualis, eſt ibi in numeris motuum, & proportionum ipſorum, dico quia ſermo iſte eſt evidentis impoſſibilitatis. Motus enim octavæ ſphæræ ad motum ſphæræ, vel ſtellæ Saturni, eſt in proportione triginta annorum ad unum diē; motus dico diurnus, unaquaque enim die naturali octava ſphæra, quaſi ſe totam perfectè deſcribit, ſive pertran-

D ſit. Stella verò Saturni ſecundùm Platonem, non minori tempore, quàm triginta annis pertranſit eandem. Stella verò Jovis in duodecim annis pertranſit totum circulum ſignorum. Manifeſtum autem eſt, quoniàm iſtæ proportiones harmonicæ non ſunt. Ipſe etiam poſuit, quòd muſica cœleſtis non excedit quater diapaſon, quater verò diapaſon non eſt, niſi ſexdecupla proportio, vel ſecundùm eam. Sexdecupla enim proportio quatuor duplas continuè continet, quarum prima eſt à ſexdecim in octo, ſecunda ab octo in quatuor, tertia à quatuor in duo; quarta à duobus in unum, prænominatæ autem proportiones multò majores ſunt. Quòd ſi dixerit, quia inter ſphæras planetarum, ſive motus earum, ſunt proportiones harmonicæ, & iſte ſermo ſimiliter manifeſtè erroneus eſt. Proportio enim motus ſphæræ, ſive ſtellæ Saturni ad motū ſphæræ, vel ſtellæ Jovis, proportio eſt triginta ad duodecim, hæc autē eſt dupla ſeſquialtera ſecundùm curſum eorum mediū. Sed curſus æquatus facit aliam longè proportionem inter eos, & omninò non harmonicam ſecundùm veritatem. Si enim curſus

Sonus unde.

Sonus aquæ ad aquam quomodo.

Curſus Planetarum.

Diapaſon quod.

Digitized by Google

æquatus, & curſus medius ejuſdem quantitatis eſſent preciſè; eſſet reverà proportio inter motus iſtorum duorum planetarum, Saturni, videlicet, & Jovis, harmonicè compoſita ex diapaſon, & ex diapente. In cæteris quoque Planetis, cùm examinaveris motus eorum æquatione veriſſima, invenies proportiones motuum omninò non eſſe harmonicas, & ſi diligentiorem conſiderationem feceris, per retrogradationes, & ſtationes invenies motuum proportiones alias ab harmonicis diſpoſitionibus, & ſi aliàs eſſent inter motus illos, multipliciter illos avertere. Quòd autem poſuit de diſtantiis, & proportionibus earum, an concordet probationibus Ptolomæi, & aliorum, tuum erit videre, quamquàm proportiones diſtantiarum magis videantur debere eſſe, ſicut tetigi tibi in præcedentibus; cœli enim omnes mobiles proportionales eſſe videntur & magnitudine, & ſpiſſitudine, ſeu profunditate. Contrarium enim, hoc eſt contraria habitudo videtur indecens mundo ſuperiori deformitas. Non erunt igitur illæ proportiones diſtantiarum, quas Plato poſuit. Hæc & ſimilia relinquenda arbitror conſiderationi tuæ. Ampliùs. Diverſum illud, quod partem animæ iſtius poſuit, aut eſt diverſum ſecundùm eſſentiam ſuam, habens ſcilicet in ſe ipſo partem, & partem, aut eſt diverſum tantùm ſecundùm virtutes, & operationes. Quòd ſi ſecundùm eſſentiam, erit de ipſis partibus eadem quæſtio, videlicet, an partibiles ſint, & aggegatæ ex multitudine, an non, & quoniàm illud diverſum non eſt compoſitum continuatione, ſive continuitate partium: hujuſmodi enim compoſitio corporis tantùm eſt, & per ſe, quare erunt aggregatæ partes illæ ex ſimplicibus, ſeu impartibilibus, & illis utique finitis: alioquin eſſe animæ illius eſſet infinitum, & inintelligibile, atque intellectu interminabile, & intranſibile; hujuſmodi autem poſitiones reſpuit iſta philoſophia, & omnis alia: nemo enim rectè ſapiens philoſophatur de non intelligibilibus, erit igitur diverſum iſtud aggregatum ex finitis ſimplicibus, & illa erunt ex neceſſitate ſubſtantiæ, cùm ſint partes ſubſtantiæ illius, quæ eſt diverſum hoc. Hæ igitur ſubſtantiæ aut erunt viventes, aut non viventes, & iterùm intelligentes, vel non intelligentes. Quòd ſi fuerint intelligentes, & viventes; erunt igitur ſubſtantiæ nobiles, & erunt vel animæ, vel intelligentiæ, vel ſpiritus angelici. Quare pars animæ illius erit compoſita ex animabus, vel intelligentiis, vel ſpiritibus angelicis. Hoc autem quàm inconveniens ſit, & quàm inauditum hactenùs, plenè noſti. Si verò fuerint partes illæ non viventes, erit igitur multò fortiùs totum non vivens; ex non vivis autem, & mortuis, vivum eſſe impoſſibile eſt. Quòd ſi dixerit, quia diverſum illud, non eſt diverſum diverſitate partium aggregatarum in compoſitione ipſius, ſed diverſitate virtutum, & operationum, quæ ex ipſo ſunt, tunc pars reliqua ejuſdem animæ non erit multò fortiùs diverſum, cùm ex eo neceſſitate ſit major diverſitas, & multitudo operationum, tanquàm ex ſuperiori, ac nobiliori, quàm ſit illud diverſum: omnis namque virtus quantò ſuperior eſt, quantòque nobilior, tantò eſt virtutibus, & operationibus multiplicior, & maximè, ſi conjuncta fuerit corpori: ſicut apparet evidenter in anima rationali, quæ longè multiplicior eſt in virtutibus, & operationibus, quàm brutalis, & brutalis, quàm vegetabilis. Qualiter autem aliquis ponere poſſit ex aliquibus ſubſtantiis, vel virtutibus, unam eſſe, vel aggregatam, vel alio quolibet modorum compoſitam, niſi ex defectu, & imbecillitate intellectus, videre non poſſet; hoc autem dico propter imbecilles, & erro-

Cælorum proportio quæ.

Nota.

E neos, qui vel animam rationalem, vel aliam quacunque ex ſubſtantiis nobilibus aggregatam ponere audent ex ſimplicibus vel ſubſtantiis, vel virtutibus, ex quarum operationibus, vel virtutibus unam aggregari, vel alio quolibet modo componi, impoſſibile eſt. Hoc enim eſt, ac ſi quis diceret unam virtutem aggregatam eſſe, vel alio modo compoſitam ex virtute viſibili, & virtute audibili. Ampliùs. Si ſecundùm veritatem numeri venirent in compoſitionem animæ mundi, eſſet compoſita ſecundùm veritatem eſſentiæ ſuæ ex illis. Quare ex neceſſitate numerus eſſet in veritate eſſentiæ ſuæ, & propter hoc non eſſet vera ſubſtantia, immò eſſentia ſua, & veritate, atque genere, quantitas, & propter hoc eſſet in ſubjecto, & non eſſet ipſa ſubjectum veri nominis. Ampliùs. Unitates, ex
F quibus eſſet numerus ille, vel eſſent ſubſtantiæ, vel accidentia. Si eſſent ſubſtantiæ, redit quæſtio, quam præmiſi, quia vel vivæ, & intelligentes, vel non, &c. Quòd ſi eſſent accidentia, ex illis impoſſibile eſſet fieri, niſi accidens. Ampliùs. Sicut in numeris illis ſunt proportiones harmonicæ, ſic & proportiones contrariæ; ſicut enim ſunt ibi novem, & octo, & ſex, & quatuor, tria, & duo, & unum, habentes ad invicem proportiones harmonicas; ſic ſunt & ibi novem, vel ſeptem, & quinque, & tria, & novem, & quinque, & ſeptem, & quatuor, quorum proportiones omninò contrariæ ſunt harmoniis. Quare ſicut præcedentes numeri ad invicem reſonantiam faciunt in anima illa, ſic iſti contrariam diſſonantiam in eadem, & etiam majorem
G diſſonantiam, utpote plures diſcordantium proportionum, quàm illi, qui proportionibus harmonicis ad invicem connexi ſunt, non minùs igitur inepta eſt compoſitio iſta ratione hujuſmodi diſſonantiarum, quàm apta ratione conſonantiarum. Manifeſtum eſt igitur tibi per ea, quæ præceſſerunt, non ſecundùm rem, & veritatem Platonem poſuiſſe hujuſmodi compoſitionem animæ cœleſti, & hoc apparet evidenter ex aliis ſermonibus ipſius. Cùm enim dixerit, eam omnibus intelligentibus præſtantiorem, evidenter intellexit eam ſimplicem eſſe, cùm ſimplices ſuſtantiæ ex neceſſitate præſtantiores ſint compoſitis. Similiter apparet ex mixturis, & diviſionibus, ex quibus illam eſſe compoſitam dixit. Spirituales enim ſubſtantiæ nec mixtibiles ſunt, nec ſecabiles, ſed neque corporales ſubſtantiæ mixtibiles incorporeis, aut econverſò, ſicut alibi didiciſti; & quocunque modo conjungibiles ſint ad unum efficiendum, illud tamen, quod ex eis componitur, impoſſibile eſt diviſibile eſſe: quemadmodùm homo, ut homo, diviſibilis non eſt, aut ſecabilis; quocunque enim modo divideretur, neceſſe eſſet animam in aliquam ex partibus cedere: illa enim indiviſibilis eſt diviſione hujuſmodi. Ap-
H paret igitur evidenter ſecundùm rem, & veritatem, nec Platonem, nec alium intelligentem ita ſenſiſſe de anima. Parabolas verò Platonis proſequi per ſingula, quæ ipſe enumerat, diffuſiorem expoſitionem deſiderat, quàm patiatur meum hoc propoſitum. Neque aliud in hoc, quòd formam corpoream animæ illi poſuit, intelligendum puto, niſi quòd virtutes animæ illius extenſas, & dilatatas eſſe in corpus cœli juxta figuras illas cœleſtes imaginatus eſt; quemadmodùm, ſi quis dicat, animam humanam figuram habere duarum linearum rectarum æqualium ſeſe invicem orthogonaliter ſecantium: quoniàm & corpus humanum hujuſmodi figuram evidenter habet. Hoc autem eſt, ac ſi quis poneret eam compoſitam ex virtute intellectiva prima, ac ſuperiori parte, & virtute operativa infima, operativa inquam in corpore, & per corpus. Mediis autem

Errorquerundam.

Simplicitas ſpiritualium ſubſtantiarum.

Digitized by Google

virtutibus concupiſcibili, & iraſcibili, tanquàm partibus, altera dextera, altera ſiniſtra, & virtuti quidem concupiſcibili ſedem quidam poſuerunt hepar, ſive in hepate, & ſedem amoris hepar dixerunt, virtuti verò iraſcibili cor. Unde & magnifici cordis, & parvi cordis eos dixerunt, quibus magnificentia, & puſillanimitas ſunt, quas non eſt dubium diſpoſitiones eſſe virtutis iraſcibilis noſtræ. Si quis igitur hac de cauſa, ſcilicet, quoniàm animæ humanæ virtutes extenduntur, velut ab alto in deorsùm, & à ſiniſtro in dextrum, & econversò, juxta figuram corporis ſui, poſuerit eam ſpiritualiter habere figuram hujuſmodi, in hoc ponere videbitur ad modum Platonis, & ſi ulteriùs in hujuſmodi poſitione procedere voluerit, etiam totam figurationem corporis humani aptare eidem per viam iſtam poterit. Diffunduntur autem, & extenduntur vires, ſi virtutes ejus per omnia membra uſque ad omnes extremitates ipſius corporis: quemadmodùm manifeſtum eſt de ſole, quia luminoſitas ejus in orbe circa ipſum circumquaque, & in omnem partem effunditur, ſequens formam ipſius corporis ſolaris, & generaliter verum eſt, quòd virtutes corporales ſuâ extenſione, operationumque ſuarum diffuſione, formam ſuæ originis, hoc eſt, corporis, à quo oriuntur, imitantur; ſic viſum eſt forſitan Platoni de virtutibus ſpiritualibus, quòd formam ſuæ originis, id eſt, ſubſtantiarum, à quibus exeunt, imitantur. Viſum eſt etiam multis ex philoſophis, quia virtutibus, & ſubſtantiis ſpiritualibus, quæ conjungibiles ſunt corporibus, & perfectivæ eorum, corpora aptantur pro exigentia, ſeu congruentia operationum ipſarum, & quòd etiam configurentur eis, hoc eſt, figuratione aſſimilentur, & in hoc utique rectè ſenſerunt; videlicet de aptatione figurarum. Anima namque ſerpentina, vel alterius, reperitur non poſſe eſſe in corpore elevato, & ad gradiendum naturaliter apto, ſicut neque anima humana in corpore ſerpentino. Ipſæ igitur virtutes, & operationes animarum requirunt figuras corporum ſibi congruentes, Quare potentialiter; ſive virtualiter videntur ipſæ animæ, aut figuras hujuſmodi habere, aut nonnullam ſimilitudinem earum. Potuit etiam eſſe; quòd Plato conſideravit in anima humana virtutem vitalem, ſeu vivificativam, quaſi centrum, vel modicum animæ ipſius, deindè virtutem intellectivam procedentem ex illo medio in ſublime, virtutem verò operativam per corpus, velut procedentem ex illo medio in deorsùm, virtutem verò concupiſcibilem, & iraſcibilem procedentes iterùm ex illo medio, alteram in dexteram partem, alteram in ſiniſtram. Et forſitan propter hoc opinatus eſt figuram corporis humani hujuſmodi lineationis eſſe debuiſſe: hoc enim expreſsè videtur in orbibus cœleſtibus. Quatuor enim ſunt numeroſitate virtutes, & videntur eſſe principales in anima humana. Si quis verò dixerit virtutem greſſibilem eſſe, velut unam ex hujuſmodi lineis; videlicet, quæ à virtute vitali protenditur in deorsùm, virtus verò operativa artificiorum, vel aliorum quorumcunque neceſſariorum protenditur in utrumque latus ad inſtar brachiorum, & indubitanter in brachiis, & manibus eſt virtus hujuſmodi: unde non leve argumentum humanæ ſalutis, & reformationis in hujuſmodi figura poſuit lex, & doctrina Chriſtianorum, quoniàm reformatio formæ, ſive formationi reſpondere debet, atque congruere quia igitur Plato motum circularem intellexit eſſe primum, ac nobiliſſimum motuum, & hunc opinatus eſt eſſe difformem, & unum, ſive eundem, & diverſum, ſive rectum, & obliquum, juxta ſermones Ariſtotelis, formam congruentem his motibus, & figuris eorum, poſuit animæ mundi ſuperioris, quaſi & anima potentialiter juxta exempla poſita apud primam ſui virtutem, ac præſtantiſſimam, eſſet una, & eadem, & potentialiter circularis, hoc eſt, potens naturaliter in motum circularem hujuſmodi, poſuit ex ea primum motum eſſe illum rectum, ſcilicet unum, & eundem; & æqualem, in quo nulla diverſitas. Secundæ verò parti poſuit ſimiliter formam circularem, ſed diverſam, atque obliquatam, utpote in motum obliquum, multiſque diverſitatibus obnoxium, naturaliter potentem. Super his, quæ de motibus ipſe ſenſit, & ſequaces ejus; audiviſti contradictionem, quæ ſi vera eſt, neque ſecundùm veritatem, neque ſecundùm parabolam ſtare poteſt poſitio hæc Platonis. Audiviſti etiam intentionem meam in hoc, hoc eſt, in motibus cœleſtibus, prout ſuſtinuit brevitas capituli. Audiviſti probationes, & imaginationes Ptolomæi. Ex quibus omnibus facile eſt tibi deſtruere hanc poſitionem Platonis, & ex his, quæ audiviſti à me hîc; licet adjuverim parabolam ejus exemplis, quibus potui, & iſta ſufficere arbitror hîc, ut fiat tibi certitudo de iſta poſitione Platonis tam famoſa; & quæ tam profundata, & à Græcis, & à Latinis, uſque hodiè habetur.

Iraſcibilis ubi. — *Concupiſcibilis.* — *Anima virtutes per univerſum corpus diffuſa.* — *Nota.* — *Plato.* — *Ariſtoteles.*

CAPUT XXXI.

Vtrùm mundus ille ſuperior animal unum ſit, vel plura, & utrùm cœli ipſi, & animæ eorum rationales ſint.

VTrùm autem mundus ille ſuperior animal unum ſit, an plura, & utrùm cœli ipſi animati ſint, & an animæ eorum rationales, apud Ariſtotelem, & ſequaces ejus determinatum habetur, & etiam apud multos ex Italicis philoſophis; doctrina verò Hebræorum, & Chriſtianorum hactenùs talia non curavit. Gens enim Hebræorum contenta ſolebat eſſe libris ſuæ legis, & prophetarum. A tempore autem multo ad fabulas incredibiles ſe convertit, & illis ſe totaliter dedit, paucis dumtaxat exceptis, qui commixti genti ſarracenorum philoſophati ſunt. Gens verò Chriſtianorum virtutibus, & ſanctitati, atque venerationi creatoris totaliter ſe ſubjiciens, philoſophiam ad modicum amplexata eſt, niſi quantùm erroneorum perverſitas, & inſipientium contradictio eos coëgit, & ad defenſionem legis, & fidei, & deſtructionem eorum, quibus vel ſalus, quam ſperant; vel honor creatoris impugnabatur. Et de animabus ſuis homines hujus legis ſoliciti, animas cœlorum attendere noluerunt, pro eo ſcilicet, quòd nec profeſſioni eorum, nec ſaluti ſcientia earum prodeſſe, vel ignorantia earundem obeſſe viſa eſt ipſis, ſive mundus ille animal ſit unum, & ſive cœlum animal, ſive cœli animalia. Horret tamen gens illa hoc, tanquàm monſtrum, ſibi penitùs ignotum, & tanquàm novitatem, de qua ad ſe nihil pertinere arbitratur, ſtupet, & etiam refugit, quamquàm aliquis de nobilioribus, ac ſapientioribus, inter doctores gentis illius ignorantiam ejus in quodam libro ſuo non erubuerit confiteri, & in alio etiam hoc ſe dubitare dixerit. Credere igitur in parte iſta Ariſtoteli, vel cuivis alii; nihil periculi eſt legi, vel fidei, vel doctrinæ

Hebræi contenti ſuis libris. — *Chriſtiani.*

Digitized by Google

Chriſtianorum. Illud autem non leve periculum habet, videlicet ſentire de animabus illis, quòd gubernatrices ſint rerum inferiorum, & maximè humanarum, & hominum, ſimiliter & quòd effectrices ſint, ſive per ſe, ſive per corpora ſua eventuum humanorum, legumque perfectarum, vel aliorum, quæ aſtronomi poſuerunt eis. *Nota.* Nec mihi etiam videtur ullo modo, quòd ſigna ſint rerum hujuſmodi, neque pro rebus humanis ullo modo conſulenda corpora cœleſtia, & de hoc audiviſti intentionem meam jam in multis capitulis. Illud dubitandum tibi non eſt, quia ſi cœli vel animati, vel etiam animalia ſunt, animabus eorum naturaliter commiſſum eſt regnum corporum ſuorum, & motuum, in alia verò nihil ad eos de gubernatione naturaliter. Nihil enim faciunt eorum, quæ ſunt gubernatorum, ſive rectorum, quoniàm nec leges condunt, neque promulgant, nec quicquam præcipiunt, aut prohibent, neque conſulunt, aut ſuggerunt, neque ſuadent, aut diſſuadent quicquam. Quare genus humanum arbitrio ſuo commiſſum eſt, & gubernationi, cùm adjutoriis, quæ ſunt ei à parte creatoris, propter naturalia, ſicut ſunt judices, reges, principes, & conſules, & magiſtratus, conſiliarii, & doctores, ſacerdotes, & ſacerdotum officia. Et de his adjutoriis ſunt lex, & doctrina, atque prophetia, & intelligo in prophetia viſiones, & revelationes, in adjutoriis etiam creatoris, quæ numerare non ſufficio, immò nec intelligere, intelligo miracula, flagella, & terrores, hiſque contraria.

CAPUT XXXII.

Quòd erroneè ponatur à quibuſdam vis regitiva in univerſo, præter creatorem, & ipſius adjutoria.

QUi autem poſuerunt in univerſo vim regitivam, præter ipſum creatorem, & adjutoria ipſius, juxta quod ea nominavi, & inſinuavi, ſupervacuè poſuerunt illam, cùm iſta ſufficiant ad regimen univerſi. *Angeli adjutores.* De adjutoriis verò creatoris etiam ipſi ſancti angeli ſunt, qui multiplicibus officiis E rebus humanis conſulunt, hominesque dirigunt, & adjuvant; ſicut audies in tractatu ſequenre iſtum. Et de hujuſmodi vi regitiva, an ſit ſubſtantia, an accidens, & ubi ſit, & quæ eſt ejus operatio præter eas, quas nominavi, quærendum eſſet ab his, qui hanc poſuerunt. De quo ſi perſcrutari volueris, invenies eam vel omninò ſupervacuam, otioſamque, & nihil agentem, vel eſſe figmentum errore incredibili ſomniantium. Et cùm partes gubernationis numeraveris, atque diligenter conſideraveris, non invenies de hujuſmodi figmento, quòd aliquam earum efficiat, vel adjuvet, ut F fiat, quoniàm neque mandatum, neque prohibitionem, neque aliquid aliorum, quæ prædixi, eam invenies operari.

CAPUT XXXIII.

De nefando errore eorum qui dicunt ſpiritum ſanctum eſſe animam mundi.

QUi verò ſpiritum ſanctum, tertiam ſcilicet in beata, & glorioſa Trinitate perſonam, animam mundi poſuerunt, & ipſum ſpiritum ſanctum omninò non noſſe & naturam, ac rationem G animæ ignorare evidenter ſe oſtenderunt. Cùm anima omnis perfectio ſit, & pars animati ſui, & alligata corpori, quod animat. *Error ipſius.* Spiritus verò ſanctus tam longè ſit ab unoquoque iſtorum, quantùm ultimitas libertatis, & gloriæ, quâ Deus verus, ac ſolus eſt, eum, vel alligari, vel includi nulli corporum permittit. Et in prima parte tractatus iſtius declaratum eſt tibi declarationibus certiſſimis Trinitatem unum ſolum, ac verum Deum eſſe, & unamquamque trium perſonarum purum, verum, ac ſolum Deum eſſe. Quòd ſi illud in errorem iſtum induxit eos, qui ſic H poſuerunt quia, videlicet ſpiritus ſanctus dator eſt vitæ, & fons, ubicunque vita ſit, & quia tota vita mundi ab eo eſt, idem neceſſe habebant ſentire, de unaquaque trium illarum perſonarum, cùm unaquæque illarum vitam det omni viventi; propter quod & dicitur vita ſæculorum id eſt fons vitæ, quæ datur omni, quod vivit in unoquoque ſæculorum.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS TOTIVS OPERIS GVILIELMI PARISIENSIS DE VNIVERSO.

A

INCIPIT PRIMA PARS ſecundæ partis principalis de Univerſo.

PROOEMIUM.

HOnoret te Deus, quoniam & tu ipſum non parùm acceptabiliter honoras amando, & inquirendo ſcientias, quibus maximè illuminantur, & B
diriguntur animæ noſtræ ad magnificandum ipſum, & ad intelligendam & contemplandam ſupereminentiam, & gloriam ipſius: in quo & ipſæ animæ tuæ honori eximio conſulis, quærens eidem perfectiones tam nobiles, tamque deſiderabiles. Ex quibus duobus manifeſtum eſt, te verè cognoſcere ſublimis, ac ſapientialis philoſophiæ fines optimos, & beatificationes præclariſſimas, quæ indubitanter ſunt magnificatio creatoris, & perfectio animarum noſtrarum, quæ non eſt, niſi luminoſitas ſcientiarum hujuſmodi, & ſpecioſitas virtutum. Ex his enim duabus perfe- C
ctionibus, & in his conſiſtit religioſitatis integritas, quæ eſt totius decoris, totumque decus animarum noſtrarum. Religioſitas verò cùm completa fuerit completione ſuâ ultimâ, erit gloria earundem; ſicut & per me ex aliis didiciſti. Comparatio autem ſcientiarum in nobilitate, aliarum ad alias, eſt ſecundùm comparationem ſcibilium ſuorum. Quapropter neceſſe eſt ſcientiam de univerſo ſpirituali tantò nobiliorem eſſe ſcientiâ, quæ eſt de univerſo corporali, ſive corporeo, quantò natura ſpiritualis quâcunque corporali dignoſcitur eſſe præſtantior. Ex quo manifeſtum eſt, eam tantò diligentiori perſcrutatione eſſe tibi D
tractandam, & tradendam per me, & tantò ſtudioſiori attentatione ſuſcipiendam. Præſertim cùm penè nihil de illa ab eis, qui nos præceſſerunt, philoſophis ad tempora iſta devenit, exceptis paucis narrationibus. Cujus rei cauſam aliam veriſimile eſt non fuiſſe, niſi profunditatem ipſius, & brevitatem humani intellectus, atque elongationem ſubſtantiarum ſpiritualium à conſuetudine noſtra, & propter hæc tria ab eis, qui me præceſſerunt, philoſophis deſperatam, & ideò derelictam; incredibile namque videtur viros philoſophiæ ſtudiis totaliter deditos, ſcientiarum conquiſitores avidiſſimos, & amore philoſophiæ ferventiſſimos tam nobilem ſcientiam contempſiſſe, & eam deſidiâ, vel negligentiâ prætermiſſe.

CAPUT I.

Quòd univerſi ſpiritualis ſecundùm opinionem antiquorum tres partes ſunt, & propoſitio tractandorum.

SCito igitur in primis, quòd univerſum ſpirituale, cujus hunc tractatum incipio, in tres partes dividitur ſecundùm opinionem antiquorum. Quarum prima, ac nobiliſſima, eſt intelligentiæ ſpoliatæ, & abſtractiſſimæ à materia, & appendiciis ipſius, ſecundùm quod poſuit Ariſtoteles, & ſequaces ipſius, contra quorum errores in parte iſta, & in primo hujus partis capitulo diſputare intendo; ſecunda pars eſt ſubſtantiæ, quas græci calodæmones vocant, nos verò juxta legem, & doctrinam Chriſtianorum angelos bonos, & angelos ſanctos dicimus; tertia verò pars eſt ſubſtantiæ, quas ipſi græci cacodæmones appellant, nos autem angelos malos, & malignos ſpiritus uſualiter, atque vulgariter diabolos nominamus. Debes etiam ſcire, quia intentionem ſpecialitatis ſine examinatione, atque diſtinctione, pertranſeo; quæſtionem enim habet apud doctos difficilè determinabilem, utrùm ipſi, qui Dæmones, vel angeli dicuntur, verè, ac merè, ſpirituales ſint, ſive ſpiritus in corpore, an ſint habentes corpora, & utrùm omnes incorporei ſint, an pars illorum ſolummodò, & de hoc audies in ſequentibus; verùm quoniam ad modum ſpirituum in multis ſe habere videntur, quia nec alimentis uti videntur, nec attrectabiles, vel tangibiles eſſe dicuntur, nec ſecabiles, nec vulnerabiles eſſe dicuntur; clauſis etiam oſtiis aditibuſque omnibus diligentiſſimè obſtructis, templa, & domos alias intrare & exire, viſibileſque ſe exhibere, cùm volunt, ſimiliter, & inviſibiles, famoſum valde eſt apud homines ſpirituales, propter has cauſas interim dicantur, donec veritas in hoc per vias probationum, prout potero, declaretur. Horum igitur omnium ſpecies, gradus, differentias, poteſtates, officia, declarare, nec non & nominationes authenticas atque vulgares aſſignare, nominationes non dico ſingulares, ſed communes, præſentis negotii erit; an enim nominationes ſingulares habent, vel habere poſſint, diſputationem habet, ſicut doceberis in ſequentibus. Et primùm quidem circa eſſentialia, atque naturalia eorum, negociari tentabo: deindè circa quæ poſt illa ſunt, & quæ ex tempore in ipſis, aut circa ipſa, facta ſunt: tertiò de his, quæ hominibus, aut circa homines agere dicuntur, ubi de operibus magorum, & maleficorum, de divinationibus, reſponſis & revelationibus, & de aliis mirabilibus, quæ per utroſlibet (hoc eſt, ſive bonos ſive malos) fiunt, vel fieri dicuntur, faciam perſcrutationem, per quam acquiretur tibi certitudo de omnibus his, ſi Deus voluerit.

Digitized by Google

CAPUT II.

Quòd Ariſtoteles & alii, qui ponunt intelligentias, neceſſe habent eas perfectas ponere perfectione ſcientiarum, & naturalium virtutum.

VT autem certior, ac lucidior, tibi ſit ſermo meus de intelligentiis, quas poſuit Ariſtoteles, quem in hoc ſecuti ſunt multi ex græcis philoſophis, & arabes omnes, quorum tractatus pervenerunt ad nos: reminiſcere eorum, quæ audiſti de illis in prima parte tractatus iſtius, & aggrega ea his, quæ dicam, ſciens, quoniàm non parùm adjuvabunt te ad cognitionem veritatis de intelligentiis. Scito igitur, quoniàm Ariſtoteles poſuit intelligentiarum unamquamque ſubſtantiam nobilem, valdè perfectam naturaliter ex omnibus modis ſuis, hoc eſt, ſibi congruentibus, quod dico propter ſupereminentiam creatoris, cujus perfectio ſuper omnem numerum & menſuram, nec non & ſuper omnem comparationem longè præcellit, & præeminet omnibus aliis perfectionibus. Intelligentiæ verò perfectæ ſunt naturaliter ſecundùm opinionem hanc pro congruentia ſui gradus & ordinis: quemadmodùm & homines perfectos dicimus vel ſapientiâ, vel virtutibus, vel utriſque; ut homines quidem, hoc eſt, ut decet naturam, vel ſtatum eorum, vel officium; ſic & creatorem perfectum dicimus pro ſublimitate ſui. Eſt igitur perfectio uniuſcujuſque intelligentiæ, non tantùm lux, ſeu luminoſitas innatæ cognitionis, ſed etiam ſpecioſitas virtutum naturalium omnium, quarum naturaliter intelligentia capax eſt: ſi enim nulla ei eſſet ſpecioſitas virtutum, eſſet deformis intolerabiliter, & detruncata turpiſſimè. Ampliùs. Inutiliter cognoſceret bona, cùm unde amare poſſet ea, non haberet, ſimiliter & mala, cùm illa odire non poſſet. Ampliùs. Nec poſſet bona, nec mala eſſe, cùm nec bonum, nec malum velle poſſet. Amando enim, & volendo bonum, boni ſumus, & amando, vel volendo malum, fiunt mali: ſola enim & nuda cognitio boni, & mali, non ſufficit perficere bonum, vel malum habentem illam, propter quod & ipſe Ariſtoteles dicit, quòd ſcire vel parùm, vel nihil, operatur ad virtutem. Ampliùs. Secundùm hoc intelligentiarum unaquæque non eſſet, niſi oculus: videre autem oculi non eſt propter ſe, ſed propter alias operationes, videlicet propter regendos pedes in greſſibus, aut manus in operibus, & aliis multis. Ampliùs. Videre propter ſe non facit bonum videntem; quia etiam videre bonum non facit illum bonum; quare ſapientia, & bonitas creatoris, nec ſapienter, nec benè creaſſet hujuſmodi ſubſtantias. Ampliùs. Cùm tam nobilis, tamque perfecta ſit ſcientia intelligentiarum, neceſſe eſt, ut omnibus aliis ſubjectis lucidiùs, atque perfectiùs, cognoſcant creatorem: & propter hoc, ut magis eum diligant (dilectio autem creatoris omnium virtutum nobiliſſima eſt) quod non poteſt eſſe, niſi in eis ſit virtus, cùm ſit in eis immobilis, atque perfecta, juxta perfectionem cognitionis, ſive ſcientiæ, qua creatorem cognoſcunt. Ampliùs. Vel delectantur in ipſa cognitione creatoris, vel non: ſi ſic, diligunt igitur creatorem. Eſt igitur in eis dilectio creatoris, virtutum, ut dixi, nobiliſſima, quæ, ſicut alibi didiciſti, per ſe, vel ſola eſſe non poteſt; ſi verò non delectantur in aſpectu ſeu in cognitione, igitur non delectantur in aſpectu, vel in cognitione alicujus aliorum. Intellectui enim earum, & omni etiam intellectui, maximè naturaliter intelligibilis eſt creator; quare conjunctio
E hujuſmodi intellectus, & creatoris, maximè naturalis eſt; quare maximè delectabilis; delectatio enim eſt (ut alibi didiciſti) apprehenſio rei naturalis virtuti apprehendenti. Ampliùs. Cùm omnium virtutum apprehenſivarum nobiliſſima ſit intellectus, erit ex neceſſitate apprehenſibile ipſius omnium apprehenſibilium nobilius, & tantò magis conveniens illi, quantò intellectus nobilior. Quare, quia intellectus hujuſmodi ſubſtantiarum omnium intellectuum nobiliſſimus eſt, ſecundùm rationem iſtam, erit conjunctio ejus ad intelligibile nobiliſſimum omnium hujuſmodi conjunctionum convenientiſſima, quare & delectabiliſſima, cùm (ſicut alibi didiciſti) delitia, ſeu delectatio ſit conveniens conjunctio convenientis cum conveniente. Ampliùs. Qualiter creator ſapientiſſimus, & optimus, largitus eſt tam præclarum, tamque pretioſum donum, videlicet nobiliſſimum intellectum ſubſtantiæ, quæ nec per hoc, nec propter hoc diligat, nec diligere poteſt, neque ipſum inde laudare,
F aut eidem inde gratias agere. Ampliùs. Aut diligit hujuſmodi ſubſtantia ſuum intelligere, ſive ſuum ſcire, aut non: ſi ſic, delectatur, igitur in illo, & diligit ex neceſſitate datorem, à quo ſcit ſe accepiſſe illud; ſi verò non diligit illud, non curat igitur uti illo plus, quàm non uti, nec habere illud plus, quàm non habere: non igitur utitur illo, niſi forſitan, quemadmodùm ſol luce ſua, aut ignis calore ſuo. Hoc autem eſt ex neceſſitate, & per modum ſervientis. Manifeſtum autem eſt, quòd hujuſmodi uſus nihil habet utilitatis, vel fructus in intellectu. Quoniàm, etſi ſol ſplendorem ſpargat alienæ utilitati, non ſuæ, intelligens tamen intelligere non poteſt, niſi ſibi, niſi forſitan ad docendum alium intelligat, quemadmodùm docens, aut præintelligat, ut præmeditans. hoc autem non eſt apud
G aliquem abſque intentione, & voluntate docendi. Sed iſti removent ab intelligentiis omnem voluntatem, & amorem, & omnes alias diſpoſitiones motivas, atque virtutes. Ex his igitur omnibus declaratum eſt tibi, quòd neceſſe habent quicunque ponunt intelligentias, ponere eas perfectas utrâque perfectione, ſcientiarum, ſcilicet, & virtutum naturalium. Ponunt autem eas nudas, & abſtractas, ut dixi tibi, & tamen tantò perfectiores omni modo perfectionis eis congruenti (hoc eſt tam ſcientiarum quàm virtutum) neceſſe habent eas ponere, quantò viciniores, ſive propinquiores in ordine nobilitatis illas eſſe ponunt creatori.

CAPUT III.

Cauſæ, quæ induxerunt Ariſtotelem, & alios ad po-
H *nendum novem intelligentias, nempe novem motus, atque deſtructio poſitionis earum.*

CAuſæ verò, quæ induxerunt Ariſtotelem ad ponendum novem intelligentias, fuerunt novem motus novem cœlorum mobilium. Poſuit enim cœlis illis animas moventes eos, & animabus illis animata intelligibilia, abſtracta, ſubſtantias ſcilicet intelligentes, & perfectiſſimas, intuentes jugiter perfectionem earum, & quærentes amore vehementiſſimo, & deſiderio ardentiſſimo, aſſimilari eiſdem, & etiam aſſimilare eis cœlos in hujuſmodi perfectione. Perfectionem verò iſtam intellexit & dixit, completam actualitatem in eis, per quam nihil haberent in potentia, ſed totum, quod ad earum perfectionem pertineret (prout eis poſſibile erat) ſemper haberent in actu, qualis meritò videri poteſt ſtatus gloriæ animarum noſtrarum, cùm totum, quod ad gloriam earum pertinet, in

Digitized by Google

in actu præſentialiter obtinebunt, nihil novum in futuro ſperantes, aut deſiderantes. quod pertineat ad gloriam earum. Hac igitur de cauſa poſuit continuâ revolutione moveri cœlos ab animabus ſuis, & hoc eſt, quoniàm ſitus poſuit perfectiones quaſdam eſſe partibus cœlorum, quemadmodùm loca ſua naturalia corporibus, naturâ mobilibus. Quia igitur cœlorum partes non poſſunt habere ſimul omnes ſitus hujuſmodi, videlicet quia non poſſunt omnes ſimul eſſe ſuper hanc partem terræ: eſt autem unicuique illarum potentialitas ad unumquemque ſitum, eduxit unaquæque anima cælorum hanc potentialitatẽ unicuique parti cæli ſui eâ velocitate, quâ poteſt, & eo modo, quo poſſibile eſt, ſupplens per ſucceſſionem, & perficiens potentialitatem unicuique partium cæli ſui hujuſmodi actu poſt actum, quoniàm actus hujuſmodi potentialitatum ſimul omnes eſſe non poſſunt. Nulla enim pars cæli poteſt eſſe ſimul ſuper omnes partes terræ ſuperpoſitione directâ. Et propter hoc acquiritur eis hujuſmodi ſuperpoſitio per ſucceſſionem, & renovationem. Intende, & intellige, quia error iſte non ſolùm multipliciter ridiculoſus eſt, ſed etiam impoſſibilis, patet, quia utilitas nulla eſt alicui parti cujuſcunque cælorum ex quocunque hujuſmodi ſituum, & ſuperpoſitionum, nec etiam ex omnibus, ſi omnes ſimul haberet. Inutiliter igitur eis quæruntur hujuſmodi ſitus, quare otioſus eſt motus iſte, & ſupervacuus. Ampliùs Situs per hoc, quod eſt ſitus, id eſt, ſuperpoſitio corporis unius ſuper aliud, nihil ponit utilitatis ſuperpoſito, niſi propter aliud illud intendatur (quemadmodùm accidit de pugnantibus, & belligerantibus) quia alta ſuperpoſitio ſuper hoſtes prodeſt ſuperpoſitis multipliciter, ſcilicet ad perſpiciendum quid agant hoſtes ſuppoſiti, vel ad jacienda ſaxa, vel tela, vel alia, quæ nocere poſſint, in eos. Nulli autem parti cæli hujuſmodi ſitu, vel ſuperpoſitione aliquid aliud acquiritur. In nullo igitur melius eſt ei hujuſmodi ſitu: ſupervacuè igitur acquiritur. Quòd ſi dixerit, quia in hoc ei melius eſt ex hujuſmodi ſitu, quia potentialitas, quam habebat ad illum, per eum perficitur: dico quia ſimpliciter per hujuſmodi actum alius actus, vel perfectio non minùs bona, deſtruuntur, quoniàm acquirendo ſitum iſtum perdidit æquè bonum, & ita decidit in æquè malam potentialitatem, ſive imperfectionem. Perinde igitur eſt, ac ſi nihil ei acquireretur, cùm tantum amittat, quantum ei acquiritur. Manifeſtum igitur eſt in nullo melius eſſe ei ex acceſſu hujuſmodi ſitûs, quàm eſſet ante. Ampliùs. Cùm per unam revolutionem acquiſierit omnes ſitus, & æquè eos perdiderit, non plus prodeſt ei illa revolutio, quàm noceat, ſimpliciter ergo eſt inutilis. Ampliùs. Si poſuerimus, quia omnes hujuſmodi ſitus ſimul habeat unaquæque pars cujuſcunque cæli, quæritur, quæ utilitas eſt ex his partibus cælorum, dicet Ariſtoteles reverà, quòd perfectio antedictæ potentialitatis. Interrogo igitur Ariſtotelem in hoc, in quo malè erat alicui ex hujuſmodi partibus per carentiam cujuſcunque ex omnibus hujuſmodi ſitibus? Non enim malè eſt alicui ex corporibus inferioribus per hoc, quòd non eſt in omni loco, in quo poſſibile eſt ipſum eſſe: tunc enim natura ipſius averteret ipſum ab omni loco, & impelleret in omnem locum, quemadmodùm animæ cælorum ſecundùm ipſum faciunt de partibus ipſorum. Ampliùs. Natura declinat proprium ſubjectum, & fugere facit ab omni loco, in quo malè eſt ei, & avertit ipſum à malo potentialitatis hujuſmodi: inclinat autem ipſum, & impellit in locum, in quo benè ſit ei: ubi autem benè eſt ei, ibi facit ipſum quieſcere. Malè igitur eſt unicuique par-

A ti cælorum in quocunque ſitu ſit, cùm multò plus ſit unicuique potentialitatis ex carentia omnium aliorum ſituum, quàm actualitatis ex una. Ampliùs. Unumquodque corporum naturalium quæ ſub circulo Lunæ ſunt, contentum eſt unico ſub loco naturali, nec potentialitas, quam habent hujuſmodi corpora, cogit ea fugere à locis naturalibus. Quomodò igitur non unaquæque pars uniuſcujuſque cælorum contenta erit ſitu unico, ita ut non cogat eam potentialitas, quam habet ad alios, tantâ velocitate feſtinare ad illos? Ampliùs. Motus ab aliquo, & motus ad illud, contrarii ſunt, ſicut fuga; & inſequutio. Non ſunt igitur unius, & ejuſdem ſimul. Secundùm autem potentiam iſtam unaquæque pars cujuſcunque cælorum movetur ad unumquemque ſitum hujuſmodi, & ab illo ſimul. Et illam inſequitur, & fugit ab illa ſimul. Totus igitur motus uniuſcujuſque revolutionum hujuſmodi æqualiter

B eſt inſequutio omnium illorum ſituum & fuga ab illis. Quare totus motus uniuſcujuſque cælorum eſt ſibi ipſi contrarius, & propter hoc erit ſibi ipſi aliud contrarium. Ampliùs. Non omnis carentia, neque omnis potentialitas, perfectibilis eſt actu; vel habitu, propter quam oporteat eſſe motum. Etſi enim potentialitas ſit tibi ad tenendam; vel habendam feſtucam unam, non oportet ut movearis ad hoc, vel motu ſpirituali, qui eſt deſiderium, vel motu locali, qui eſt apprehenſio feſtucæ, vel motu corporis tui ad apprehendendum illam. Cauſa autem in hoc manifeſta eſt utilitas, vel inutilitas feſtucæ; majoris autem ſtultitiæ eſſet moveri ad illam utroque motuum prædictorum, ſi ſtatim continuò dimittere cogereris & excutere manum tuam ab illa. Quia igitur evidenter ſic ſe habet in hujuſmodi ſitibus, cùm & nihil utilitatis afferant partibus cælorum acquirentibus eos, nec etiam malum potentialitatis minuant, quod debet eſſe una ex utilitatibus uniuſcujuſque motus: & inſuper acqui-

C ſiti ex neceſſitate continuò amittantur, ſtultiſſimum eſt, in acquiſitionem ipſorum intendere, & ridiculoſum tam nobilia illa corpora continuâ repetitione & amiſſione ipſorum laborare. Exemplum etiam ſtultitiæ iſtius in omni avaro eſt evidentiſſimum, qui cùm amore divitiarum, & paſſionum, inſipientiſſimè totus ardeat, nulla tamen inſania avaritiæ ad hoc adduci poſſet, ut acquirere vellet pecuniam, quam acquirendo amitteret, vel quod mirabilius eſt, cujus acquiſitio amiſſio ejuſdem eſſet. Et illuſionem tantùm, non acquiſitionem reputaret, quemadmodùm, ſi ei pecunia in ſaccum pertuſum daretur, aut in manibus poſita ponendo inde auferretur, aut ſi cui daretur civitas ita, ut tranſeundo eam curſu velociſſimo acquireret, & ſimul illam eodem tranſitu amitteret, acquiſitio hujuſmodi amiſſio ſimul eſſet. Nemo adeò deſipere poteſt, qui non magis illuſionem, quàm acquiſitionem donationem hujuſmodi reputaret. Et quoniàm multa in

D prima parte tractatus iſtius per me jam audiviſti; transferam me ad alia, quæ ibi non dixi.

CAPUT IV.

Deſtructio errorum Ariſtotelis, & aliorum, ponentium, animas cælos moventes, propter hoc, quod amant ſuperiores intelligentias, & illis aſſimilari intendunt.

Dico igitur, poſtquã animas cœlis poſuit Ariſtoteles, quę amare poſſint hujuſmodi ſubſtantias nobiliſſimas, ſpoliatas à materia, & ejus appenditiis,

atque conditionibus, poſuit eis ex neceſſitate intellectum valdè nobilem. Non enim intellectu hujuſmodi intelligunt animæ illæ intelligentias univerſaliter, quin potiùs ſingulariter. Si enim intelligerent eas univerſaliter, quemadmodùm cùm tu intelligis hominem intentione ſpeciei (id eſt, inquantum hominem) reverà nondùm intelligis Socratem, aut Platonem: & eodem modo ſi amas hominem in eadem intentione, vel conſideratione, nondùm propter hoc amas Socratem, aut Platonem: quare ſi ita eſſet apud animas iſtas, ut per modum univerſalem, ſive communem intelligerent, & amarent, non autem hanc, vel illam, non haberet unaquæque earum amatum proprium, intelligentiam, ſcilicet propriam, ſed omnibus eis eſſet amatum unum commune, videlicet intelligentia ſimpliciter: non hæc autem, vel illa. Non igitur eſſent motus multi diverſati ab invicem novem cœlis, ſed unus, & idem omnibus, quoniàm ex una, & eadem cauſa non diverſata, videlicet ex intellectu uno, & amore uno univerſali. Quemadmodùm ſi multi homines deberent moveri ex intellectu hominis, inquantùm homo, & ex amore ipſius in eadem intentione, vel ratione, non eſſet diverſitas motus apud eos ex cauſa una, & eadem. Ampliùs Unaquæque animarum illarum intelligendo pulchritudinem, & perfectionem intelligentiæ ſuæ amat eam, & quærit ei aſſimilari ſecundùm iſtam opinionem, & aſſimilare etiam cœlum ſuum. Cùm igitur unaquæque intelligentiarum omninò immobilis ſit, & quietiſſima: mobilitas autem & immobilitas contrariæ ſunt, & contrarietas ſit diſſimilitudo, & differentia completa, & maxima, ſicut alibi didiciſti maximè igitur ſecundùm eos eſt diſſimilitudo, & diſſimilatio, & hoc ignorare non poſſunt animæ illæ: ſcienter igitur errant animæ illæ, quærentes per contrarietatem aſſimilationem, vel ſimilitudinem, inter ea, in quibus eſt ipſa contrarietas. Ampliùs. Si omninò immobilia vel facerent, vel permitterent, eſſe corpora cœlorum ſuorum, tunc vera eſſet aſſimilatio, qualem eſſe poſſibile eſt inter ſubſtantias naturaliter tam diſſimiles. Ampliùs. Intelligentiæ ipſæ nec movent, neque moventur. Niſi fortè dicat, quemadmodùm amata movent amatores ſuos, ſive amatoria illa. Si igitur animæ illæ, quas cælis poſuerunt, nec moverent, nec moverentur, aſſimilatæ eſſent intelligentiis ſuis: multò magis quàm ſint. In hoc enim diſcrepant ab eis, quod moverent ſic corpora ſua, magis igitur pertinet ad perfectionem earum non movere corpora cælorum ullo modorum, quàm movere ea quocunque modo. Quare hoc eligere debuerunt potiùs, quàm illud: ſi liberè fuit eis eligere per voluntatem, quod earum perfectionem juvaret: ſi verò non fuit eis liberum, non movent igitur cælos ſuos voluntariè, quare non quærunt voluntariè perfectionem hujuſmodi aſſimilationis, neque amorum etiam movent eoſdem, cùm omnis motus, qui ex amore eſt, voluntarius ſit, & liber. Ampliùs. Unaquæque iſtarum animarum aut intelligit ſolam intelligentiam quæ eſt proprium amatum ejus, aut intelligit cum ea alias, aut aliquas earum, & non refert, quantùm ad intentionem meam in hoc, an concedat hoc adverſarius de omnibus, an de aliquibus, quoniàm eodem modo procedit ratiocinatio mea, utrumlibet horum dixerit Quòd ſi dixerit, quia nõ intelligit unaquæque animarum iſtarum niſi intelligentiam, quæ eſt proprium amatum ejus, longè igitur nobilior eſt intellectus noſter etiam in iſta miſeria, quàm intellectus earum cùm liber ſit, & expeditus ad intelligenda omnia intelligibilia. Ampliùs. Anguſtia iſtius miſeriæ nec etiam cadit in

E aliquem ex ſenſibus noſtris, licet omnes ſenſus particulares ſint, & particularia ſola, ſive ſingularia apprehendant: quantò magis igitur impoſſibile eſt ipſam cadere in intellectum, quem conſtat eſſe incomparabiliter majoris amplitudinis, & capacitatis. Quòd ſi dixerit, quoniàm vehementia amoris illum in ſuo amato figit, & detinet alligatum, prohibens ipſum aliud cogitare, vel intelligere, juxta miſeriam, quæ invenitur in animabus humanis, quæ interdùm amore perverſo ſic capiuntur, & illaqueantur, ut aliud cogitare non valeant, quàm amata ſua: dico, quoniàm amor hujuſmodi perverſus eſt, quemadmodùm & amores animarum noſtrarum, quos dixi: propter hoc enim perverſi ſunt, atque pravi amores hujuſmodi, quoniàm avertunt animas à creatore, & prohibent reſpicere illum, quapropter & vertere faciem ad illum. Quare dorſum habent ad creatorem, & faciem ad amata ſua

F animæ, quæcunque ſic amant; quâ diſpoſitione nihil perverſius eſſe manifeſtum eſt. Amor igitur hujuſmodi vitium peſſimum eſt, creatori intolerabiliter injurioſum, atque contumelioſum. Si verò dixerit, quia unaquæque hujuſmodi intelligit omnes intelligentias, manifeſtum autem eſt, quoniàm inter illas multa eſt diverſitas, multiplexque differentia, quantùm ad perfectiones, & nobilitates earum: quantò enim ſimiliores ſunt primo perfecto (quod eſt creator ſublimis, ac benedictus) tantò perfectiores ſunt, atque nobiliores, & deſiderabilioris pulchritudinis: aut igitur amant eas animæ cælorum per electionem liberam, & amorem gratuitum, aut ex cauſa aliqua trahitur unaquæque, & inclinatur in amorem propriæ intelligentiæ. Si ſic, neceſſe igitur eſt, ut unaquæque animarum hujuſmodi amet omnes illas intelligentias, & aliam magis alia, juxta differentias, & comparationes perfectionum, & pulchritudinum ipſarum Erit

G igitur unaquæque intelligentiarum amatum uniuſcujuſque animarum iſtarum juxta comparationes, & differentias prædictas. Quare prima intelligentia, cùm ſit in prima ultimitate perfectionis, & pulchritudinis inter intelligentias, erit in ultimitate amoris inter eas. Et erit unicuique animarum cæleſtium deſiderium aſſimilationis ad illam in ultimitate intentionis. Et de aliis curret res ſecundùm gradus, ordines, & comparationes antedictas. Non erit igitur unicuique animarum illarum proprium amatum, ac ſolitarium, cùm unaquæque illarum omnes intelligentias amet communiter pro modo, & menſura perfectionis, & pulchritudinis ſuæ. Neque erit etiam alicui earum deſiderium, aut intentio, aſſimilationis ſingulariter fixa in aliqua earum, & hoc idem manifeſtè eſt videre in animabus noſtris cùm benè compoſitæ fuerint. Amant enim omnia amabilia juxta differentias, & gradus, atque dignitates amabilium, videlicet ita, ut majori amore digna magis diligant, & æquali, æqualiter, &

H minori minus. Ubi autem aliter ſe habent, cauſa in hoc eſt perverſitas, & incompoſitio, & hoc eſt de per ſe notis apud intelligentes. Quia igitur ponentibus animas hujuſmodi nefas eſt ponere eis perverſitatẽ, aut incompoſitionem quamcumque, neceſſe habent ponere eas cõpoſitiſſimas, & ordinatiſſimas compoſitione, & ordine virtutum. Quare in parte iſta tantò ordinatiùs, tãtòque rectiùs eas ſe habere neceſſe eſt, quã animas noſtras, quantò ipſas ab omni corruptione, atque perverſitate illis elõgatiores eſſe manifeſtũ eſt. Neq; enim in animas noſtras benè cõpoſitas cadere poſſibile eſt hujuſmodi perverſitatẽ videlicet ut in amore & deſiderio aſſimilationis ſuę pręferãt minùs amabilia, minúſque imitatione digna, magis amabilibus, & imitatione dignioribus, & hoc ipſum

eſt

Digitized by Google

eſt evidenter videre in omni genere artificum, ſcriptorum, pictorum, ſculptorum, & omnium aliorum; nullus enim de hoc genere hominum deteriora exempla ſibi ad imitandum proponit in operibus ſuis ad effigiandum. Qualiter igitur poſſibile erit, ut vel una animarum illarum non ſibi præponat, & eligat exemplar imitatione, & aſſimilatione digniſſimum, ſi liberum, & poſſibile eſt ei de exemplaribus eligere quodcunque voluerit. Manifeſtum igitur eſt conſequens eſſe ex his unamquamque animarum iſtarum intendere amore fortiſſimo, & deſiderio vehementi, aſsimilationis ſuæ in primam intelligentiam vel ſingulariter, vel maximè. Quòd ſi dixerit, quia non eſt eis liberum ſic eligere, multo igitur infœliciores ſunt, multoque miſerabiliùs anguſtatæ, atque depreſſæ, quàm animæ noſtræ, etiam in ſtatu præſentis miſeriæ exiſtentes. Nulli enim animarum noſtrarum inflicta, vel indicta eſt iſta neceſsitas, ut non poſsit imitari quamcunque ex melioribus, & ſanctioribus animarum, vel etiam angelos ſi eos illi videre conceſſum eſt. B Quòd ſi dixerit, amorem hujuſmodi animarum naturalem eſſe intelligentiis ſuis, & ipſum deſiderium aſsimilandi eis ſimiliter naturale: dico, quòd ſi intelligit naturale, id eſt, neceſſarium, vel ſervile, quemadmodùm prædixi tibi in præcedentibus, non adjuvatur per hoc: natura enim, vel naturalitas, nec pervertit, nec depravat amorem, vel deſiderium, alioquin amor creatoris, & voluntas eſſent in ultimitate perverſitatis, & pravitatis, cùm ſint in ultimitate naturalitatis, utpote eſſentiales ipſi creatori, & nullo modo eidem adventitiæ, vel acquiſitæ, vel etiam contractæ. Ampliùs. Declaratum eſt tibi per me in tractatu de virtutibus, voluntatem omnem in quocunque, vel ubicunque, vel cujuſcunque ſit, eſſe de neceſsitate liberrimam, & à violentia, & coactione, immuniſsimam. Voluntas igitur in hujuſmodi animarum libera eſt. Quapropter & electio, quam dixi, libera eſt eiſdem. Si verò dixerit, quòd unaquæque animarum iſtarum in intelligentiam, à qua creata eſt, fixum habet intellectum, C & deſiderium ſuæ, aſsimilationis, quemadmodùm & apud nos ſe habet, quia filii in patrum mores maximè intendunt, & eos maximè imitantur: reſpondeo in hoc, quia reverà hoc faciunt filii, dum adhuc parvuli ſunt: cùm autem adulti fuerint, provectæque ætatis, & eruditi ſapientia, atque moribus bonis compoſiti, venerantur unumquodque ſanctæ imitationis exemplar, & imitantur magis, ac magis, quos majoribus virtutibus præditos eſſe conſpexerint. Quòd ſi dixerit, quia naturalis eſt imitatio filiorum ad patres, id eſt, naturalis ſimilitudo, quantùm ad corpora, hoc quidem plerumque verum eſt, & multoties accidit econtrariò, & cauſam per me alibi didiciſti. In moribus autem frequenter multa diſsimilitudo, & contrarietas eſt D inter filios, & parentes; non enim parentes in hoc parentes ſunt filiorum, hoc eſt, quantùm ad mores, & virtutes, vel vitia, neque quantùm ad aliquas diſpoſitiones animarum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm totum, quod transfunditur à parentibus in filios per generationem, de corporibus eorum exit, atque deciditur. Nihil autem ab animabus, vel ex animabus eorum, in corpora; vel in animas, traducitur, & credo me tibi hoc alibi declaratione certiſſima declaraſſe. Si verò dixerit, quòd unicuique animarum prælata eſt intelligentia propria; ut doctor, ſeu rector, aut exemplar; & propter hoc in eam ex ordinatione creatoris ſingulariter, & ſolitariè intendere; non autem ex neceſsitate naturæ, quæ ſervitus eſt, aut ſervilitas, ut ſæpiùs audiviſti: reſpondeo in hoc, quia hujuſmodi arctatio non

Filii patres imitantur.

Quòd filii non ſemper ſequuntur parentes in moribus.

A congruit bonitati creatoris; nec etiam bonitati intelligentiæ, ut ea utatur, etiamſi hoc poſſet de licentia creatoris: nemo enim bonus diſcipulum, qui proficere magis poſsit apud alium, vel alios, addicit magiſterio, vel doctrinæ alicujus magiſtri, vel prohibet ipſum ab aliis diſcere, vel audire, ſed nec aliquis bonus magiſter ſingulariter, & ſolitariè, ſibi vendicare vult unquàm diſcipulos, quandò apud alios magiſtros magis proficere parati ſunt. Et ſi quis hoc facit, vel fecit, vel quæſtuarius eſt, atque venalis magiſter, vel zelo malo, atque invidia, perverſus.

De malo doctore.

CAPUT V.

Deſtructio præcedentis erroris per alias probationes.

NOn modicam autem admirationem habet amor iſte, quem ponunt animabus cœlorum. Amor enim omnis aut inquiſitor eſt utilitatis in amatum, aut in amantem, aut voluptatis aut alicujus aliorum, quæ deſideriis inquiruntur. Qui autẽ eſt inquiſitor utilitatis apud amantem, nec levis amor eſt in amatum, nec apud philoſophos adhuc propriè amor nominatus eſt, ſed potiùs negotiatio, & venalitas. Exiguum enim valde, & exile, eſt amicitiam extimare, vel intorquere ad calculos, ſicut ait quidam ex philoſophis latinorum: ſi igitur amor animarum in intelligentias ſuas eſt intentionis hujuſmodi, manifeſtum eſt eum eſſe non verum amorem, ſed magis negotiationem, amoris falſa ſpecie obumbratam. Præſertim ſi perfectio, quam intendunt animæ iſtæ, fluit ab intelligentiis ſuper eas. Etſi propter hujuſmodi influentiam amant eas: non enim refert, an ſpiritualis, an temporalis ſit utilitas, quæ pretio amoris emitur, non refert enim quantùm ad amoris falſitatem, quia æquè falſus eſt amor hinc, & inde. Ampliùs. Si iſtam perfectionem influunt intelligentiæ ſuper animas hujuſmodi, intendentes eas ſibi aſsimilare, aſsimilatione, quam dicunt, quæ utilitas eſt ipſis intelligentiis in aſsimilatione hujuſmodi, vel ipſis animabus? quid deperiret intelligentiis, ſi motum hujuſmodi, vel virtutem movendi, ex motu non influerent ſuper animas illas, præſertim cùm animabus illis nihil, niſi labor movendi, & revolvendi aſsiduè, tam ingentia corpora accreſcere videatur? Manifeſtum eſt tibi, quia nemo noſtrum vellet ſuper animam ſuam, vel ſuper animam equi, vel aſini ſui, fieri vel à quacunque intelligentiarum, vel etiam ab ipſo creatore: Fortè ſuper molendinum tuum, vel rotam, quancunque, cujus aſsidua rotatio, ſeu revolutio, tibi utilis eſſet, hoc meritò velle poſſes. Et ſi hanc utilitatem præſtarent hominibus intelligentiæ, meritò laudarentur ab eis, & honorarentur actionibus gratiarũ. Ipſę verò animæ cœlorum ex iſta inquietiſsima vertigine corporum ſuorum quid conſequuntur, vel acquirunt, niſi laborem inutilem, & ut ita dicatur, nugatorium? Ampliùs. Quid aliud videri poſſunt animæ cœlorum revolutiones ipſorum indefeſſa cõtinuatione facientes, niſi equi, vel aſini ad molam molendinariam revolvendam poſiti: niſi; quòd equi, & aſini, evidenti utilitati hominum laborem molendinariæ revolutionis ſuſtinent: animæ verò illæ nullius utilitati. Neque enim ex hodierna revolutione melius eſt in aliquo alicui cœlorum, vel partibus ejus, quàm ſi quieviſſet toto tempore revolutionis illius: nec alicui alii quicquam ex illa utilitatis accrevit, niſi fortè diem, vel lumen, & calorem, cæteraſq; diſpoſitiones hujuſmodi mundo inferiori inde abũdantiùs adveniſſe. Hoc autem ipſi pertinaciſsimè negant, dicentes, quòd ſi propter hujuſmodi

Digitized by Google

utilitates moverentur cœli: tunc res viliores eſſent cauſæ rerum nobiliorum, & res nobiliores ſervirent vilioribus, hoc eſt, cœleſtes terrenis. Dixerunt autem hoc non attendentes, neque videntes, quòd paſtores, qui utique homines ſunt, ſerviunt ovibus, & capris ſervitio multiplici, cuſtodiæ ſcilicet, & regiminis paſtoralis. Reges etiam, & principes, atque rectores ſpirituales ſubditis ſuis penè innumerabilibus ſervitiis ſerviunt. Quòd ſi dixerit quia paſtores ſerviendo animalibus, ſibi ipſis, & dominis ſuis, ſerviunt in cuſtodia, & regimine animalium; ſic neceſſe habet dicere ipſas animas cœlorum ſervire vel ſibi ipſis, vel ſibi dominantibus, aut dominanti, qui eis officium hujuſmodi ſervitutis injunxit; ſibi ipſis autem eas non ſervire in hoc manifeſtum eſt, cùm nihil eis utilitatis perveniat ex diſpoſitionibus prænominatis, quas operantur in mundo inferiori quare vel virtutibus, quæ eis præſunt, in hoc ſerviunt, & in illis creatori benedicto, ſi rectè intendunt: ſic reges & principes in gubernationibus regnorum, & principatuum, ſi rectè intendunt, non ſibi, ſed creatori ſerviunt. Et etiam ſi malè, atque perversè, intendunt, officia ſua in quæſtum avaritiæ, aut vanitatem ſuperbiæ intorquentes, creatori ſerviunt neſcientes, quorum malis, atque perverſitatibus ipſe optimè utitur, eliciens ex illis utilitates multiplices, atque magnificas, ſicut in tractatu præcedenti didiciſti. Non eſt igitur inconveniens res meliores ſervire vilioribus, quandò in eis creatori ſerviunt. Nec vile poteſt eſſe ſervitium, vel officium, aut indignum dignitate cujuſcunque, vel quantumlibet excellentis, quod creator injunxit, vel ſi eidem placuerit: nihil enim eſt poſſibile creaturæ cuicunque, quod ab injunctione, vel obedientia creatoris exemptum ſit, & illud fieri non oporteat, ſi creator ipſum faciendum injunxerit, vel quicunque ex miniſtris creatoris illud præcepit ex parte, & nomine ipſius.

CAPUT VI.

Quòd animæ cœlorum finaliter non quærunt, nec amant intelligentias, cùm ſolus creator propter ſe quærendus ſit, & amandus.

Reminiſci quoque debes eorum, quæ audiviſti in tractatu de virtutibus, videlicet, quòd creator finis eſt omnium rectarum intentionum, voluntatum, & operationum. Et quoniàm finis alius non eſt ponendus nec in alio ſiſtendum eſt. Omne enim aliud via debet eſſe ad ipſum, & greſſus, & viæ quædam ſunt virtutes, & naturales habitus, atque diſpoſitiones: greſſus verò operationes, ſive ſpirituales ſint, ſive corporales. Nihil igitur eſt quærendum propter ſe, vel amandum finaliter propter ſe, præter creatorem, nec iſta, quam dicunt perfectionem animarum cœleſtium, quærenda eſt ab eis, vel ab alio quocunque propter ſe tantùm, & finaliter. Aut igitur malè quæritur, & intentione non recta: aut quæritur propter finem illum ultimum, qui eſt, ut dixi, creator ſublimis, & benedictus. Hoc igitur dixiſſe debuerunt, ſcilicet quòd animæ cœlorum propter creatorem finaliter movent ſic corpora cœlorum ſuorum. Quod non poteſt intelligi, niſi uno iſtorum modorum, videlicet vel quoniàm placet creatori, vel ut placeant creatori, vel quoniàm inde magnificatur, aut glorificatur creator. Et Avicenna hoc videtur ſenſiſſe, cùm dixit, quia motus cœlorum motus eſt obedientiæ Dei altiſſimi. Movent igitur animæ iſtæ cœlos ſuos ex obedientia Dei altiſſimi, ſive quia ita placet Deo altiſſimo, quod idem eſt. Non eſt igitur cauſa motus deſiderium per-

E fectionis, ſive aſſimilationis ad intelligentias ſuas. Forſitan autem propter hoc non eſt neceſſe ponere animas eſſe cœlis, cùm ſine animabus etiam in quocunque genere motus obedire neceſſe habent cœli Deo altiſſimo. Ampliùs. Omnium perfectionum nobiliſſima, & ſubſtantiis intelligentibus, atque rationalibus, congruentiſſima eſt perfectio, quæ ex ſapientia, & bonitate conſiſtit. Et præter hanc nec perfectio eſt, nec pars perfectionis. Et iſta cùm completa fuerit completione ſua ultima, nec indigentiam, nec potentialitatem, nec carentiam ullam alicujus boni deſiderabilis patitur in ſuo perfecto. Cùm igitur ponant Ariſtoteles, & ſequaces ejus animas iſtas perfectas perfectione ſua ultima neceſſe eſt, ut removeant ab eis omnem carentiam cujuſcunque boni deſiderabilis. quare & omne deſiderium, cùm deſiderium ſemper ſit cum carentia ejus, quod deſideratur. Non enim poſuerunt eas perfectibiles animarum noſtrarum. Non eſt igitur eis hujuſmodi deſiderium, quod eis poſuerit. Am-

F pliùs. Non poſſunt eas ponere, niſi in ſtatu gloriæ, quemadmodùm nec angelos. Status autem gloriæ nihil habet imperfectionis, aut carentiæ, ſeu deſiderii cujuſcunque rei non habitæ. Ampliùs. Deſiderium iſtud, quo deſiderant ſic aſſimilari intelligentiis ſuis per cœlos ſuos ſimiliter impoſſibile eſt impleri. Impoſſibile enim eſt, ut potentialitas, quæ eſt in partibus cœlorum ad unumquemque ſitum prænominatorum, educatur ad actum totaliter, & ſimul: impoſſibile enim eſt omnes partes cœlorum ſimul obtinere omnes hujuſmodi ſitus. Aliter autem potentialitas hæc totaliter educi non poteſt in actum. Quare impoſſibile eſt, ut dixi, ut potentialitas illa totaliter educatur in actum, ita ut non remaneat maxima pars ejus. Quare remanet maxima pars deſiderii antedicti. Deſiderium autem hujuſmodi ſemper habet afflictionem deſiderantis. Et quantò majus fuerit deſiderium, tantò major afflictio ex ipſo apud deſiderantem. In continua igitur afflictione ſunt animæ cœlorum, & ita in continua miſeria ex hujuſmodi deſiderio. Indicium au-

G tem hujuſmodi afflictionis ex vehementi ardore deſiderii iſtius eſt velocitas motus ipſorum per quam conantur eouſque aſſequi perfectionem iſtam, ut ipſi ponunt, & quoniàm non ceſſat hujuſmodi motus, manifeſtum eſt non ceſſare deſiderium hujuſmodi, ſimiliter quoniàm non minuitur motus, non minuitur deſiderium. Ampliùs. Quoniàm deſiderium omne fames ſpiritualis eſt: motus verò, quo fames hujuſmodi ſatiari, vel impleri quæritur, ſicut curſus eſt animalis eſurientis ad cibum, & ſicut leonis vehementer eſurientis prædam, quam videt, ſaltus ad ipſam, & ſicut volatus aquilæ, vel vulturis in id, quod eſurit, erit neceſſariò motus cœlorum, ſicut rapidiſſimus curſus hujuſmodi animalium ad ea, quæ vehementer eſuriunt. Deſiderium verò uniuſcujuſque animarum cœleſtium, ſi-

H cut fames eſt validiſſima, licet ſpiritualis. Quemadmodùm igitur curſus, vel ſaltus leonis ad prædam, non eſt, niſi quamdiu eſt fames, ardorque appetitus prædæ, ceſſat autem apprehenſa præda, & devorata: ſic neceſſe eſt fame validiſſima, & inſatiabili continuè affligi animas cœlorum, cùm continuus ſit motus eorum in ea, quæ tanto ardore appetunt. Et quia nunquàm ceſſat motus eorum, ut ipſi ponunt, neceſſe eſt nunquàm ceſſare famem hujuſmodi. Ampliùs. Cùm fames omnis, & omne deſiderium ſit in ſatietatem, & propter illam, neceſſe eſt ſatietatem hujuſmodi non eſſe impoſſibilitate prohibiram ab illa, quare & poſſibile pervenire ad illam, ſive aſſequi eandem ipſam famem eſſe neceſſe eſt. Alioquin fruſtra eſſet, aut non eſſet niſi in tormentum

Digitized by Google

ipſius eſurientis. Quare non naturalis eſſet, ſed infernalis, ſicut ſe habet in deſideriis infernalibus, quorum nullum ibi impleri poſſibile eſt. Omnium enim deſiderabilium conſecutio creatoris juſtitia, & ordinatione, ab illis, qui in inferno erunt, erunt perpetuò prohibita. Quare manifeſtum eſt hujuſmodi deſideria in animabus cœlorum pœnalia tantùm eſſe, aut ſupervacua Attende autem diligenter exemplum, quod ponam tibi de animalibus famelicis ad eſcam toto præcipitio feſtinantibus, quoniàm convenientiſſimum eſt deſideriis, & motibus cœlorum. Attende, quia cibus, cujus ſumptio nec famem minuit, nec confortat ſumentem, aut aliter adjuvat, omninò inutilis eſt, ſic & aſſecutio deſiderati, quæ nihil horum trium præſtat aſſequenti illud, ex neceſſitate omninò inutilis eſt. Quare omninò inutilis eſt unicuique cœlorum talis aſſequutio ſituum, cùm manifeſtum ſit nullum iſtorum per ipſam acquiri cœlorum partibus. Et neque etiam per ipſam delectatio acquiritur. Si enim hoc eſſet, acquireretur & triſtitia ex amiſſione: quia igitur ſimul ſunt, & fuerunt acquiſitio uniuſcujuſque illorum, & amiſſio ipſius, ſimul ex neceſſitate fierent in animabus cœlorum gaudium, & triſtitia, & eſſent ſimul, & perpetuò animæ illæ in gaudio continuo, atque triſtitia, vel in ſtatu mixto ex iſtis duobus.

CAPUT VII.

Quòd animæ cœlorum non intendunt, ut cœlum in ſitibus renovetur, vel ut renovatio continuetur.

QUòd ſi dixerit, quia non eſt intentio, vel deſiderium animarum cœleſtium ad hunc ſtatum, vel illum, ſed ad renovationem ſituum continuam, ſive ad continuationem renovationum, etiam in iſta renovatione. vel continuatione, quæ utilitas eſt? Ampliùs. Autem eſt ex motibus cœlorum aliquis naturalis, aut non eſt: ſi ſic, aut iſte, quo movetur, circularis ſcilicet, aut alius: ſi iſte, ſupervacuum igitur eſt deſiderium, & intentio animarum cœleſtium circa motum iſtum Cùm illum natura per ſemetipſum efficiat, quemadmodùm & in corporibus animalium evidenter ſe habet, quia ſi naturæ ipſorum moverent ea motibus, quibus moveantur ab animabus ſuis, ſupervacua eſſet intentio & otioſum deſiderium animarum ipſorum ad iſtos motus: quòd ſi alius motus eſt cœlis naturalis, erit igitur iſte eidem violẽtus, quare non erit eis perfectio, cùm omne violentum ſit potiùs in læſionem, & deſtructionem ei, cui irrogatur violentia, quàm in perfectionem. Ampliùs. Si iſte motus eſt violentus, quies igitur oppoſita erit eidem naturalis, quies autem omnis naturalis perfectio eſt quieſcentis, propter quod & illam quærit per motum omne, quod naturaliter mobile, & quieſcibile eſt. Motus igitur non erit perfectio cœleſtium corporum, impoſſibile enim eſt duo contraria perfectionis eſſe ejuſdem. Quare renovatio ſituum, quæ indubitanter non eſt niſi motus circularis, non erit perfectio corporum illorum. Si verò nullus ex motibus naturalis eſt hujuſmodi corporibus, jam contradicunt Ariſtoteli, qui aſſeruit, & putavit ſe declaraſſe declaratione tutiſſimâ omne corpus habere motum naturalem. Et declaratio ejus eſt hæc, & applicabo eam corporibus cœleſtibus. Dico igitur, quia ſi ceſſarent intentiones, & deſideria animarum cœleſtium, per quas movent corpora cœlorum, aut moverentur corpora hujuſmodi, aut non moverentur per ſemetipſa Si dixerit quia moverentur, & non moverentur tunc ab animabus, moverentur igitur à naturis propriis, quare naturaliter habent motus Si verò non moverentur, cùm eis nulla violentia inferretur, quæ illa detineret ubi ſunt, vel ſicut ſunt, quieſcerent igitur per ſemetipſa, ubi ſunt: quare non abſtraherentur inde niſi per violentiam: omne autem quod non abſtrahitur ab aliquo loco, vel ſitu, niſi per violentiam, naturaliter redit per ſemetipſum ad locum illum Quare reditus ad locum illum eſt ei naturalis, ſicut exitus ab illo violentus. Habent igitur corpora cœlorum motus naturales. Et per eandem viam eſt tibi oſtendere de aliis. Ampliùs. Juxtà poſitionem iſtam deſiderium eſt animabus cœleſtibus aſſimilandi propriis intelligentiis in hujuſmodi perfectione, ut totum, quod habent in poſſibili, habeant in actu, quemadmodùm ipſæ intelligentiæ, quatenùs eis poſſibile eſt, de perfectionibus autem ſpiritualibus, quæ ſunt animarum ipſarum per ſe, non poſſunt negare aſſertores hujus opinionis, quin eas habeant animæ cœlorum ad ſimilitudinem, & exemplar intelligentiarum ipſarum. Hæ autem perfectiones non ſunt niſi ſcientiarum, & virtutum hujuſmodi ſubſtantiis convenientium. Qualiter igitur ex his perfectionibus influunt in corpora ſua rotationes iſtas continuas, & inquietudines circulationum iſtarum, cùm econtrariò ſe habeat in animabus noſtris, quæ quantò majores, & nobiliores obtinuerint perfectiones hujuſmodi. tantò minùs curant de motibus corporum, & de aliis corporalibus. Quin potiùs amant quietem corporum, & ipſo motu ſe impediti ab omnibus intentionibus perfectionum ſuarum ſe ſentiunt. Ampliùs. Cùm completæ fuerint hujuſmodi perfectiones in eis, ipſorum corporum ſuorum & omnium corporalium obliviſcuntur. & quaſi raptæ in ſublime earum, à corporum omninò ſollicitudinibus ſuſpenduntur. Qualiter igitur in animabus cœlorum non multò fortiùs hæc poſſunt perfectiones earum tam nobiles, tamque ſublimes, ut eas in ſua ámata totaliter elevantes & rapientes, & omninò figentes in illa, à ſollicitudine corporum ſuorum illas prohibeant, præſertim à tanta ſollicitudine, quâ tantam molem tam ingentium corporum tantâ velocitate revolvunt. Apparet utique in animabus noſtris, cùm in amata ſua corporalia vehementer rapiuntur, ut non deſinant movere corpora ſua plerunque, quin potiùs ea moveant ad amata ſua vel motibus, qui ſaltationes, & geſticulationes dicuntur. Et hi motus ſunt expreſſiones quædam, vel potiùs eruptiones internorum gaudiorum, ſive jocunditatum, fiunt & iſti motus ad auditum modulationum muſicarum. Et reſpondentur per illos, qua poſſibile eſt, convenientia vocibus, vel ſonis, qui audiuntur; cùm verò vehementiùs hujuſmodi amor inarſerit, fiunt motus inordinatiores, pauſatimque minuitur compoſitio, & ordo eorum, donec omninò deficiat, & tunc adeò incompoſiti, & inordinati motus efficiuntur hujuſmodi, ut magis inſanientium, & rabie exagitatorum, quàm hominum rationalium videantur. Et procedit amoris iſtius corporalis ardor, & vehementia uſque ad ſpaſmum, & defectum cordis, noviſſimè verò uſque ad mortem corporis invaleſcit Quia igitur animas cœlorum beatiſſimas ponere neceſſe habent, quicunque eas ponunt, neceſſe eſt ut eas raptas, & fixas in amata ſua ponant, atque ſuſpenſas ab intentionibus, & deſideriis motuum. & aliorum corporalium, & omninò non curantes, nec cogitantes de his, niſi fortè attribuere velint eis ſtatum gloriæ, de quo audiviſti in precedente tractatu. Ille enim ſtatus non videtur prohibere animas humanas à motu corporum ſuorum, ſi vel neceſſarius, vel placitus ei fuerit, licet perfectiones illæ gloriæ omnibus perfectionibus

ſpiritualibus, quæ hîc haberi poſſunt, ſuper omnem comparationem ſublimiores, ac nobiliores ſint. Quòd ſi hæc quis dicere voluerit, reverà non attendit, quàm indecens, quámque omni modo inconveniens ſit nobilitati gloriæ rotationis hujuſmodi inquietudo. Ampliùs. Secundùm poſitionem iſtam ad infinitum eſt, & nunquàm finiendum, intentio, & deſiderium animarum cœleſtium. Quare ad id, quod impoſſibile eſt obtineri, ſupervacuè igitur, & inutiliter, quemadmodùm deſiderium pertranſeundi ſpatium infinitum motu infinito. Manifeſtum enim eſt hoc impoſſibile eſſe. Sicut ergo fruſtra quis ſic moveret corpora cœlorum, ſic & fruſtra intendunt animæ ipſorum. Omne enim impoſſibile fruſtra intenditur. Et omne quod obtineri non poteſt, fruſtra deſideratur. Aliud exemplum de eodem eſt conatus ejus, qui vult per partes bibere, vel haurire aquam infinitam. Conatus enim ipſius, & voluntas ad impoſſibile eſt. Sicut ſe habet & de illo, qui vult numerare revolutiones cœlorum, quas tamen credit eſſe infinitas, vel puncta alicujus lineæ, quæ manifeſtum eſt infinita eſſe, vel inſtantia cujuſcunque temporis, quorum ſimiliter nota eſt, & jam per Ariſtotelem declarata, infinitas. In quo ſi dixerit, quia animæ hujuſmodi non intendunt, niſi ſemper movere corpora ſua, nec cœli, niſi moveri ſemper, dico quoniàm utrumque iſtorum eſt infinitum. Ampliùs. Sicut ipſæ intelligentiæ nobilitate, & dignitate, inæquales ſunt, ſic & animas cœlorum neceſſe eſt eſſe inæquales dignitate, & nobilitate. Cùm enim dignitas, & nobilitas animarum ex ipſis intelligentiis ſit, ut ipſi ponunt, proportionaliter autem influant, & per omnia ſimiliter, intelligentiæ in animas illas perfectiones, quas animæ illæ habent, erit ex neceſſitate proportio intelligentiarum ad invicem in nobilitate, & perfectione, quæ eſt & animarum illarum; quare & earum, quæ ex ipſis perfectionibus animarum illarum ſimiliter fluunt, hoc autem manifeſtè falſum videtur. Cùm ſemper movere, & continuè renovare ſitus cœlorum, non diverſentur apud animas moventes, nec apud cœlos motos; unaquâque enim die naturali fit renovatio integra ſituum uniuſcujuſque partium uniuſcujuſque cœli. Quòd ſi dixerit, quoniàm in hoc non eſt diverſitas apud cœlos, vel animas eorum, quantùm ad nobilitatem, vel dignitatem, etſi in aliis invenitur multa diverſitas, videlicet in ipſis ſubſtantiis: ſuperiores enim cœli nobiliores videntur eſſe ſubſtantiæ, quàm inferiores, inſuper in magnitudine evidens eſt diverſitas: dico in hoc, quia magnitudo corporis non indicat naturaliter nobiliorem eſſe animam inhabitantem, ac regentem ipſum, ſicut apparet in equo, & elephante, & homine. Manifeſtum enim eſt nobiliorem eſſe animam humanam, quàm ſit equina, vel elephantina, cùm corpus humanum longè melius ſit corporibus hujuſmodi animalium. Quòd ſi dixerit, quòd inferiores cœli tardioris motus ſunt, quàm ſuperiores, & propter hoc cœlum lunare tardiſſimi motus eſt inter omnes cœlos mobiles, ſicut putavit ſe declaraſſe Alpetrangi: reſpondeo, quia neque hoc indicium eſt certum majoris nobilitatis vel in cœlis, vel in animabus eorum, ſicut apparet in prædictis exemplis elephantis, & equi, & hominis. Evidentius autem apparet in volatilibus, quorum motus inter motus animalium nobiliſſimus eſt. Nam quoad hoc ipſa volatilia inter omnia animalia nobiliſſima ſunt. Ampliùs. Finis amoris proprius eſt vel conjungi amato, vel acquirere ipſum: hoc igitur maximè intendunt fine principali animæ cœleſtes. Si verò amata earum ſunt intelligentiæ, ut vel eis conjungantur, vel eas acqui-

E rant, in utroque ſcilicet iſtorum in nullo profecerunt motibus omnibus, qui præceſſerunt uſque modò. Si enim diffinita eſt diſtantia inter eas, & intelligentias, ſive corporalis, ſive ſpiritualis, cùm infinitæ revolutiones hujuſmodi jam præceſſerunt ſecundùm opinionem ipſorum, cùm ipſi ponant motum cœlorum infinitum eſſe ex utraque parte, hoc eſt, nec incœpiſſe nec deſiturum eſſe, procul dubiò jam pertranſiſſent hujuſmodi diſtantiam. Et ſi finita eſt multò fortiùs, apparet igitur infinitam eſſe, & propter hoc intranſibilem, fruſtra igitur eſt motus, vel conatus ad pertranſeundum illam: hoc autem eſt, ad conjunctionem hujuſmodi animarum, & ſuarum intelligentiarum. Eodem modo ſe habet & de acquiſitione ipſarum, qualemcunque ponant acqui-
F ſitionem earum. Ampliùs. In animabus noſtris ita eſt, quòd ipſæ credunt aſſimilari creatori in mundo iſto, quatenùs poſſibile eſt eis, atque conveniens, ut per hanc aſsimilationem, vel ſimilitudinem placeant ei; quærunt autem placere ei, ut obtineant à Deo remunerationem æternam. Impoſsibile autem eſt ita ſe habere in animabus cœlorum: nihil enim poſſunt ſperare per aſsimilationem iſtam ab intelligentiis ſuis: hæc enim ante multa milia annorum jam obtinuiſſent ab eis, cùm per infinita milia annorum ſecundùm eos, qui eas ponunt, ad hoc intendentes, laboraverunt, & nondùm obtinuerunt, alioquin, id eſt, ſi obtinuiſſent, ab hujuſmodi labore jam diu deceſsiſſent. Ampliùs. Qualiter in animabus noſtris, cùm ſit in eis deſiderium, & intentio aſsimilandi creatori, ſtant hæc intentio &
G deſiderium in ipſis animabus, ut nihil de perfectione motus vel continuatione intendant operibus ſuis? Intendunt reverà, quæ intendere prudenter noverunt, corporibus ſuis perfectionem, quam tibi nominavi in tractatu præcedenti, gloriam ſcilicet corporum humanorum, ſed non motum continuum tam rectum, quàm circularem, nec pulchritudinem, nec perfectionem, in qua quieſcendum, ſeu ſiſtendum non eſſe certum habent animæ noſtræ, & non ſolùm non eſt eis deſiderio, immò econtrariò ſe habet, omnimodo enim odio, & fuga ipſum à corporibus ſuis repellerent, ſi eis vel auferretur, vel inferretur; quid igitur vel ſuavitatis, vel utilitatis, vel pulchritudinis eſt cœlis ex motibus iſtis? Ampliùs. Animæ iſtæ apprehendunt creatorem, aut non apprehendunt. Quòd ſi apprehendunt illum, cùm non apprehendunt ipſum niſi apprehenſione nobili, & depurata tam ab erroribus, quàm obſcuritatibus, apprehendunt ipſum ex neceſsitate apprehenſione nobiliſsimâ, & jocundiſsimâ, quæ eſt perfectio intellectus ipſarum, & gloria: hujuſmodi autem apprehenſio facit vileſcere, & vaneſcere, & penè nulla reputari omnia alia apprehenſa, & prohibet figi intellectum in quocunque alio, & ſepa-
H rari ab ipſa creatorem quocunque modorum, prohibet igitur figere animas cœlorum, ac intellectus ſuos intelligentiis. Ampliùs. Non noverunt procul dubiò, qui ſic ponunt, immenſitatem pulchritudinis, & ſuavitatis creatoris, quibus ſe intuentes ita rapit in ſe, & figit, ut nec aliud, nec ab alio ipſos vel deſiderare, vel quærere patiatur. Quare ſi animæ cœlorum intuentur ipſum ad nudum abſque medio, ut prædixi, nec aliud, nec ab alio quicquam vel deſiderant, vel ſperant, nec in aliis figi intuitum, vel aſpectum eorum permittit pulchritudo, & bonitas creatoris, & propter hoc frivolum, & vanum eſt, quod opinati ſunt de animabus iſtis apud intelligentias. Ampliùs. Ipſæ intelligentiæ, ſi ſanctæ, & beatæ ſunt, quales eas neceſſe ponere habent, qui eas ponunt, nullo modorum patiuntur, ut in eis figant intellectus ſuos, & amores animæ cœlorum,

nec

Digitized by Google

hæc ut eis ſic adhæreant, ut in eis ſiſtant, quin potiùs ſe ipſas vias eis faciunt ad contemplandum, & amandum creatorem, & nullo modo fines contemplationis, aut amoris hujuſmodi animarum ſe ſubſtinebunt. Tu enim ſcis, quòd nullus ex hominibus ſanctis, & juſtis, nulla omninò anima bona, & ſapiens, vellet ſic vel amari, vel cognoſci, ut in ea finaliter cognitio, vel amor cujuſquam ſic ſtaret, aut hæreret, ſciens ſe in hoc injuriari creatori; quantò fortiùs igitur beatiſſimæ illæ intelligentiæ, atque ſanctiſſimæ hanc injuriam creatoris à ſe repellent, & prohibebunt? Ampliùs. Ipſæ intelligentiæ aut intendunt, & volunt rotationes iſtas cœlorum, aut non curant eas: ſi intendunt eas, & volunt, & influunt eas in cœlos, vel animas eorum, neceſſe eſt, ut hoc faciant propter honorem, & gloriam creatoris, alioquin nec rectè, nec ſincerè, ipſum diligerent, niſi omnes intentiones ſuas, omneſque voluntates, & omnia deſideria in honorem ipſius, & gloriam, converterent, & confirmarent: neceſſe igitur eſt, cœlos moveri ſecundùm hoc propter honorem ſolùm, & gloriam creatoris. Quis autem eſt honor & gloria creatoris in motibus eorum potiùs, quàm in quiete ipſorum? propè enim aſtantibus nec videre, nec mirari pulchritudinem cœlorum, nec ornatus eorum permittitur propter rapiditatem motus ipſorum. Quies autem videre volentes, & creatoris gloriam ex mirificentia eorum conſiderantes, non mediocriter adjuvaret. Ampliùs. Quomodò bonitas creatoris adeò de propinquo ſuper intelligentias influens, & inundans non implet omnia deſideria earum, ut propter illam nihil cupiant, vel quærant. Quòd ſi intelligentiæ non curant motus cœlorum, non ſunt igitur ab eis vel per eas, qua de cauſa quantùm ad eas præter intentionem ſunt, & tanquàm à caſu. Non fluunt igitur ex perfectionibus earum, quapropter nec ex amore, nec ex deſiderio vel ipſarum, vel aſſimilationis ad ipſas. Ampliùs. Si fides, & veritas, eſt in intelligentiis, quomodò animas cœlorum non tranſmittunt ad exemplar perfectionis nobiliſſimum, ac lucidiſſimum, quod eſt creator benedictus, & ſublimis, ut ei deſiderent, & quærant aſſimilari, aut quomodò non repellunt eas à ſe, ut magis proficiant imitando perfectionem creatoris, quàm ipſas? hoc enim infidelitatem, & deceptionem apud nos nemo eſſe dubitat, & nec poſſe cadere in animam quamcunque ſapientem, & bonam. Ampliùs. Intellectus, & veritas ſe habent ad invicem quodammodò per modum ſponſi & ſponſæ, ſic amor, & pulchritudo, ſive bonitas: non licet autem ſponſo alij adhærere, quàm ſponſæ, vel econversò, alioquin committitur adulterium manifeſtum etiam eſt, quia hæc eſt tota, & ſola perverſitas animarum noſtrarum quòd alij adhærent, quàm creatori; quare manifeſtum eſt, hoc eſſe debitum per ſe naturale, & quaſi conjugale: non licet igitur amore, vel deſiderio adhærere cuiquam alij adhærentiâ fixâ, & inibi terminatâ, animabus noſtris; quantò fortiùs igitur non licebit hoc nobilibus illis, ac ſublimibus ſubſtantiis, hoc eſt, animabus cœlorum? Ampliùs. Quælibet intelligentiarum ſuâ pulchritudine, & perfectione ſufficiens eſt ad hoc, ut ametur, vel amabilis ſit ab omni apprehendéte, vel cognoſcente illam, dùmodò non ſit aliquâ perverſitate depravata, nullaque cœleſtium animarum eſt aliquâ perverſitate depravata, ut vel amare non poſſit, vel ut non amet quicquid eſt per ſe ipſum amabile, amet inquam amore fortiſſimo: quia igitur unaquæque earum cognoſcit, & intuetur ad nudum unamquamque intelligentiarum, amat ex neceſſitate unamquamque amore fortiſſimo, quia etiam cognoſcit pulchritudinem

A perfectionis uniuſcujuſque deſiderat aſſimilari ei: in omnes igitur intelligentias eſt unicuique earum amor fortiſſimus, & deſiderium aſſimilationis ad illas; quare ex omnibus intelligentiis, & ex unaquaque earum, eſt quilibet motus cœlorum, & non ſingulariter motus ex ſingulis intelligentiis. Quòd ſi dixerit, quia non cognoſcit vel intuetur unaquæque animarum cœleſtium, niſi unam intelligentiam, videlicet illam, ex qua eſt juxta poſitionem iſtam, qualiter igitur cognovit Ariſtoteles, & ejus ſequaces omnes iſtas intelligentias, ſi unaquæque animarum cœleſtium non cognoſcit, niſi unam ſibi appropriatam: ſi verò dixerit, quia Ariſtoteles, & ſequaces ejus non cognoverunt intelligentias omnes, niſi cognitione obumbratâ, & B obſcurâ propter præſentis vitæ fantaſias, & elongationem intelligentiarum ab animabus noſtris: dico in hoc, quia ſi omnia iſta impedimenta non prohibuerunt Ariſtotelem, & ſequaces ejus à cognitione intelligentiarum, qualis poſſibilis eſt eis in ſtatu vitæ hujus multò fortiùs non prohibebantur aliquæ cœleſtium animarum à cognitione lucidiſſimâ omnium intelligentiarum, cùm nullum hujuſmodi impedimentorum obſiſtat alicui earum in hoc. Sequitur etiam in hoc, ſicut prædixi tibi, ut omnes animæ cœlorum maximè fixæ ſint in prima intelligentiarum amore, & deſiderio ut in aliis, proportionaliter; amor enim rectè amantem omnem ordinat, & proportionat ad amabilia, ut quæ eſt proportio amabilium, & deſiderabilium in amabilitate, & deſiderabilitate, ea ſit amorum, & deſideriorum ipſius ad invicem. Ampliùs. Minima intelligentiarum omnium ſufficeret omnibus animabus C cœlorum ad hoc in eis perficiendum, quod omnes intelligentiæ in omnibus animabus illis perficiunt: nulla enim eſt in eis, quæ non ſit tantæ pulchritudinis, atque perfectionis, & non amore fortiſſimo, & deſiderio, amabilis, & deſiderabilis omnibus animabus illis ſit; quare ſi amor hujuſmodi, & deſiderium cauſa eſt movendi cœlos in animabus cœleſtibus, neceſſe eſt minimam ex omnibus intelligentiis pulchritudine ſuâ, atque perfectione ſufficientem eſſe ad omnium motus cœlorum: pluralitas igitur, vel diverſitas motuum non fuit cauſa ſufficiens ad faciendum debere eſſe plura amata, ſeu plures intelligentias, quarum amore, & deſiderio animæ illæ cœlos moverent. Ampliùs. Unus amor eſt ſolus creatoris, & unum deſiderium aſſimilandi ei, & placendi per aſſimilationem qui operatur in ſanctis, & juſtis hominibus tantam multitudinem, D tantamque diverſitatem operationum, profeſſionum, ſive ordinum, nec propter hoc neceſſe eſt ponere vel multos creatores, ſive multa amata hujuſmodi. Non fuit igitur ratio hæc, quæ deberet inducere ſapientem ad ponendum plura amata animabus cœlorum propter pluralitatem motuum eorundem; leviter igitur, & non ſapientiali circunſpectione manifeſtum eſt Ariſtotelem poſuiſſe intelligentias, vel pluralitatem earum propter cauſas hujuſmodi, videlicet propter pluralitatem motuum cœlorum. Debes etiam hîc reminiſci exemplorum, quæ poſui tibi in præcedentibus, videlicet de duce exercitus, de rege, de rectore navis, de patrefamilias faciente ædificare domum ſibi, in quibus omnibus manifeſtum ex una voluntate, vel amore, vel deſiderio procedere magnam multitudinem, multiformemque diverſitatem, motuum, & operationum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Quòd omnis intellectus eſt propter intellectum ſolius creatoris, & quòd eſt ſpeculum totius univerſitatis intelligibilis.

POſt hæc autem tentabo proſequi, & inveſtigare perſcrutatiùs naturam ipſam intelligentiarum, ſi ſunt ſecundùm poſitionem iſtam, deinde officia, & operationes, & de numero, in quo Ariſtoteles non tam erraſſe, quàm etiam inſaniſſimè deliraſſe videbitur evidenter: quia igitur viſus exterior etiam ſecundùm ipſum Ariſtotelem creatus eſt ad videndum viſibilia, neceſſe habet concedere & de viſu interiori, hoc eſt, intellectu, quod neceſſe eſt ipſum eſſe creatum ad videnda, hoc eſt, ad intelligenda intelligibilia, & ſic de aliis viribus, ſeu virtutibus naturalibus ſe habere neceſſe eſt, videlicet, ut virtus amandi propter amanda amabilia creata ſit, & ad hunc modum de aliis: quoniàm autem intellectus uniuſcùm perfectus fuerit perfectione ſuâ ultimâ, intellectus illius perficitur vis intellectiva perfectione completâ, ita quòd ultra nec aliud quærit, aut deſiderat, nec aliquid ei deeſt, neceſſe eſt intellectum compleri perfectione ipſius completione ultimâ. Omnis enim virtus, & omnis potentia creata habet eſſe propter perfectionem ſui ultimam, & hæc eſt gloria ipſius, ſicut in præcedentibus didiciſti. Intellectum igitur, ideſt, virtutem intellectivam neceſſe eſt creatum eſſe propter intellectum ſolius creatoris, intellectum inquam illum ipſius, qui perficitur perfectione completâ, ſeu completione perfectionis ultimæ. Quòd ſi dixerit, quia alia intelligibilia neceſſe eſt ut intelligat intellectus, alioquin non eſſet completus perfectione hujuſmodi, proculdubiò verum dixit. Sed intelligere ſive intellectus primi, ac nobiliſſimi intelligibilis, quod eſt creator, non eſt intellectus ſolius creatoris, immò eſt intellectus, ſive intelligere omnium, quo intelliguntur intelligibilia omnia intellectione nobiliſſimâ, ac perfectiſſimâ. Ipſe enim creator benedictus eſt in ſeipſo velut mundus intelligibilis, & exemplar lucidiſſimum omnium, & propter hoc in ipſo lucidiſſimè videntur omnia ab his, qui eum ad nudum, & abſque medio intuentur, nec ſpeculum tantùm eſt intuentibus ipſum, immò etiam lux præfulgora, & irradiantiſſima ſuâ irradiatione immediatâ, ſicut dixi, perficiens & illuminans intellectum omnem, cui ſuâ dignatione conceſſerit, ut illum ſic intueatur. Ampliùs. Intellectus omnis natus eſt eſſe ſpeculum intelligibile, cùm natus ſit recipere in ſe deſcriptionem univerſitatis intelligibilium, manifeſtum autem eſt, quòd cùm iſtam deſcriptionem receperit, erit velut exemplum univerſi, & velut liber totius deſcriptionis ipſius. Ampliùs. Cùm intellectus ſpeculum ſit natum, hoc eſt, naturaliter aptum, ut in eo reſultent omnes formæ intelligibiles, cujuſcunque autem forma in eo naturaliter reſultare poteſt, natus eſt eſſe ſpeculum illius. Intellectus igitur omnis natus eſt eſſe ſpeculum omnium, & ſingulorum intelligibilium, & totius univerſitatis intelligibilis. Ampliùs. Omnia ſpecula viſibilia apta ſunt eſſe ſpecula omnium viſibilium, & uniuſcujuſque. Inſuper omne ſpeculum viſibile, cùm fuerit viſibile, in effectu, hoc eſt, cùm in eo reſultaverit in effectu forma aliqua viſibilis, efficit ſpeculum in effectu omne aliud viſibile, ſi mundum, & terſum fuerit, & illi directè oppoſitum; quod autem faciunt ſpecula viſibilia ſuâ directâ oppoſitione ad invicem, hoc faciunt intelligibilia inter ſe ſuâ intelligibili, & convenienti invicem conjun-
E ctione, & per hoc omnes ſubſtantiæ intelligentes ſuâ conjunctione immediatâ ad primum univerſale, ac lucidiſſimum ſpeculum (quod eſt creator) recipiunt ex irradiatione ipſius, ut ſint in effectu ſpecula intelligibilia, ſi beneplacitum fuerit creatoris, ut tantâ ei conjungantur appropinquatione, & tantâ ſuper ea irradiet illuminatione; non enim ſunt operationes creatoris, quas per ſemetipſum operatur, ſicut operationes naturæ, quæ ſerviles ſunt, & per modum ſervientis, ut ſæpè audiviſti: illæ autem ſunt ſecundùm beneplacitum ipſius & ex ultimitate libertatis: ſic etiam ſe habet inter ſubſtantias nobiles abſtractas, ſive immateriales, & animas noſtras, ſuâ enim conjunctione ad illas faciunt ipſa ſpecula intelligibilia pro modo, & menſura conjunctionis hujuſmodi, & propter hoc prophetiæ,
F & revelationes non ſunt ſecundùm unum modum, aut menſuram unam, & evidens eſt iſta diverſitas in prophetis, & omnibus illis qui verè, ac propriè divinare dicuntur; alij enim & magis, & majora, & plurima vident aliis, & de his audies in ſequentibus, quæ ſufficient tibi.

CAPUT IX.

Deſtructio erroris Algazelis, & aliorum Philoſophorum de hoc, quòd ponunt, quòd à primo principio non provenit, niſi unum primum creatum, quod eſt intelligentia prima.

HInc autem revertar ad id, in quo eram, & dicam, quòd intelligentia omnis ſecundùm
G hanc poſitionem eſt ſubſtantia intelligens in effectu intellectu, ſive intelligere completo naturaliter; non autem perfectibilis potentiâ, quales creantur animæ noſtræ ſecundùm Ariſtotelem: eſt igitur omnis intelligentia naturaliter, aut proxima, aut conjunctiſſima primo, & univerſali ſpeculo, quod eſt creator, & recipit ex hujuſmodi conjunctione irradiante luminoſitate creatoris hujuſmodi perfectionem intellectivam, quâ eſt ſpeculum intelligentium, vel ſpeculum intelligibilium, juxta modum, & menſuram, quam ei limitat, & præſcribit creator, aut eſt conjunctiſſima alij ſpeculo, per quod effecta eſt ſpeculum in effectu, ſpeculum inquam intelligibile, quale dixi: & quoniàm non poteſt res iſta currere vel abire in infinitum, neceſſe eſt, ut intelligentia ſit aut creatori proxima, aut immediata aut ut alia ſubſtantia interveniat, vel aliæ, quas impoſſibile didiciſti numero eſſe infinitas: jam enim deſtructa eſt per me infinitas cauſarũ in omni ordine
H deſtructione irrefragabili primâ parte magiſterij iſtius. Et quoniàm unicam ponunt potentiam intellectivam, & illam eſſe cauſam ſecundæ, & ſecundam tertiæ, & ita deinceps, donec compleatur numerus, qui denarius eſt ſecundùm eos, & non major: ſi igitur aliqua ex intelligentiis abſque ullo medio conjuncta, ſeu proxima eſt creatori, hæc erit prima. De aliis enim ſi ſunt, manifeſtum eſt, quòd poſt illam, & ſub illa ſunt, ubi ipſi poſuerunt, & ipſa inter creatorem, & illas: & quoniàm manifeſtum eſt illas elongatiſſimas eſſe ab omni tumultu materiæ, neceſſe eſt etiam eas eſſe benigniſſimas, cùm gloria intellectus ſit hæc conjunctio intellectus, atque viſio creatoris; eſt enim perfectio ultima, perfectio autem ultima uniuſcujuſque virtutis gloria eſt ipſius, ſicut alibi didiciſti, didiciſti etiam in præcedentibus, quia in nulla ſubſtantia eſt intellectus ſine voluntate, & amore, quæ dicuntur virtutes motivæ. Habitudo autem amoris, & voluntatis, non eſt niſi conjunctio perfecta ad ultimum amatum, ſeu volitum; ultimũ autem amatum, & volitum

Digitized by Google

& volitum omnium rectè volētium, ac rectè amantium, creator eſt, ultima verò conjunctio ad ipſum eſt obtentio, ſive obtentum ipſius, & vocatur amplexus ſpiritualis. Manifeſtum igitur eſt beatiſſimas eſſe omnes intelligentias, quæ creatori conjunctiſſimæ ſunt tam à parte virtutum ſuarum apprehenſivarum, quàm à parte motivarum, conjunctio autem hæc, atque perfectio ultima gloria eſt ipſarum, & beatitudo. Niſi quis fortè dicat, quoniàm iſtæ perfectiones, ſive conjunctiones, naturales ſunt, naturalia autem omnia longè ſunt infra gloriam, & hoc utique verè dicitur eâ intentione gloriæ quâ animæ ſanctorum, & juſtorum hominum glorificari expectant in renovatione mundi à creatore. Verùm iſte ſtatus verè gloria magna eſt comparatione ſtatus animarum noſtrarum in vita iſta, adhuc exiſtentium, doctrina verò Chriſtianorum, & etiam lex, ponit ſuper quantumcunque nobilem, atque ſublimem ſtatum naturæ ſupereminentiorem, atque præſtantiorem ſtatum gloriæ. Et hic ſtatus non cognoſcitur in mundo iſto adhuc, niſi per fidem, aut revelationem. Non refert autem quantùm ad propoſitum, & intentionem meam in hoc tractatu, utrùm ponant in intelligentiis duos iſtos ſtatus, aut alterum ſolùm. Hoc igitur ita poſito, quæritur ab eis, utrùm otioſæ ſunt, & omninò nihil agentes, ſed vacantes, ſolummodò intentæ pulchritudini creatoris, & fruitioni bonitatis, atque ſuavitatis ipſius in quibus duobus cōſiſtit beatitudo earū: quòd ſi eſt, quæ fuit igitur cauſa ut non niſi unam earum, videlicet primam ſolam, crearet creator, nec enim impoſſibile, nec difficile fuit ei creare multas, bonitas etiam ipſius æquè ſufficiebat beatificare multas, ut unam ſolam. Pulchritudo enim viſibilis ex multitudine intuentium non minuitur, nec anguſtiatur: ſimiliter nec luminoſitas, ſicut apparet evidenter in ſole. Invidia autem, & avaritia ſunt in ultimitate elongationis à creatore. Quòd igitur non ſunt multæ creatæ, non fuit ex diminutione, ſeu parvitate virtutis ipſius creatoris, nec ex defectu divitiarum, nec ex invidia, vel avaritia ipſius, quia quàm certiſſimum eſt eum eſſe largum in ultimitate largitatis, hoc igitur ſolum prohibuit multas eſſe primas intelligentias, quod erat à parte earum, videlicet impoſſibilitas eſſendi, quâ naturaliter prohibitæ erant, & remotæ ab ipſo eſſe, aut impoſſibilitas eſſendi ſimul, ſicut jam alibi in præcedentibus didiciſti de duobus mundis, aut duobus univerſis: quia igitur nefas eſt dicere, vel opinari apud creatorem quicquam defectus, vel diminutionis eſſe, vel fuiſſe, ſimiliter, & avaritiam, vel invidiam manifeſtum eſt ab ipſo omnimodâ impoſſibilitate prohibitas, ac remotiſſimas; neceſſe eſt igitur à parte intelligentiæ prohibitam eſſe multitudinem intelligentiarum primarum; impoſſibile eſt autem prohibitionem iſtam eſſe, niſi uno modorum, quos dicam. Quorum unus eſt contrarietas, aut repugnantia. Et de illo manifeſtum eſt, quòd non habet hîc locum. Intelligentiæ enim primæ, ſi multæ eſſent, ſimillimæ eſſent in omnibus eſſentialibus, ac naturalibus ſuis, deinde concordantiſſimæ, & amantiſſimæ inter ſe, utpote bonæ & juſtæ. Non eſſet igitur inter eas repugnantia, vel contrarietas, quæ prohiberet eas ſimul eſſe. Nulla inſuper intelligentia eſt naturali impoſſibilitate ab eſſe prohibita in ſemetipſa, aut per ſemetipſam: fiet hoc autem manifeſtum tibi, ſi imaginatus fueris multas intelligentias ſimiles illi primæ, invenies enim eas ſimillimas eſſe in poteſtate eſſendi, ſive in potentialitate: electione autem, & beneplacito creatoris illam, quam ipſi ponunt primam, eductam eſſe de potentia eſſen-

A di in actum, cùm non eſſet naturaliter, quantùm in ea erat, propinquior, vel etiam paratior actui eſſendi, quàm aliqua aliarum. Et hoc videbis evidenter, ſi imaginatus fueris eam non eſſe. Tunc enim ex modis ſuis omnibus erit, ſicut aliæ, quas imaginaberis. Cecidit ergo electio creatoris ſecundùm opinionem iſtam ſuper hanc ſolam, ut educeret eam ſolam de poteſtate eſſendi in actum. Manifeſtum igitur eſt tibi, quoniàm ipſa non eſt nata eſſe ſola, nec naturaliter prohibita eſſe cum aliis, aut prohibens naturaliter eſſe alias. Alius modus eſt ſuperfluitas, quæ ſimiliter non habet hic locum. Si enim mille millia hujuſmodi intelligentiarum eſſent nulla eſſet ſuperflua, vel ſupervacua. Et hoc apparet ex operationibus earum, quæ ſunt
B intelligere, ſive cogitare, ſive ſcire, amare, velle, gaudere. Supervacuum enim eſt, ſive ſuperfluum, quod non prodeſt; hujuſmodi autem operationes proſunt operatoribus quoniàm lætificant ipſas intelligentias, quarum ſunt, & creatorem tantò ampliùs glorificant in ſemetipſis & à cognoſcentibus ipſas glorificari, & laudari faciunt. Neutro igitur iſtorum modorum prohibita eſt multitudo intelligentiarum. De eo verò, quod viſum fuit Ariſtoteli, & ſequacibus ejus, quia multitudinem hujuſmodi prohibuit unitas creatoris: reſpondi tibi in præcedentibus in prima parte tractatus hujus de univerſo. Illud autem quod movit Ariſtotelem, & ſequaces ejus, videlicet quòd non poſuit plures eſſe ſubſtantias abſtractas à materia, & appendentiis materiæ ſpoliatas, ejuſdem ordinis, & æquales per omnia, atque ſimiles omni modo: propter quod & animas ſpoliatas poſuerunt non
C eſſe plures, nec differre numero, vel alio modo eſt error peſſimus, & cui omnis lex non immeritò contradicit: hoc enim eſt dicere, omnes animas unam eſſe, poſtquàm à corporibus ſeparatæ fuerunt, & ſolummodò dum ſunt in corporibus, eas differre, & eſſe plures.

CAPUT XI.

Deſtructio erroris Ariſtotelis, Alfarabij, & aliorum, qui poſuerunt omnes animas ſeparatas unum eſſe ipſaque ſeparatione à corporibus unam fieri, atque illas uniri.

DEclaratio autem hujus erroris, atque deſtructio manifeſtiſſima eſt hæc: manifeſtum enim per ſe eſt ea, quæ accidunt non facere aliud: ſimiliter & ea, quæ a foris ſunt, nec ſunt de ſubſtantia,
D nec de neceſſitate, aut ratione ipſius eſſe. Quia igitur corpora nec ſunt de ſubſtantia, vel ſubſtantiis animarum ſuarum, manifeſtum eſt, quòd non faciunt eas aliud, & aliud. Similiter accidentia, hoc eſt, virtutes, & vitia, ſcientiæ, & ignorantiæ, & paſſiones, quæ ſunt gaudium, & triſtitia, timor, & audacia, & cætera hujuſmodi non faciunt animas, in quibus ſunt, aliud, & aliud. Secundùm hoc enim anima, quæ nunc gaudet, non poſſet triſtari, aut econversò, cùm non poſſit eſſe aliud, & aliud; gaudium autem, & triſtitia facerent eam aliud, & aliud ſecundùm errorem iſtum, videlicet ſi accidentia, & à foris advenientia hæc poſſent facere, ſcilicet aliud, & aliud, id cui advenirent. Et propter hoc alteratio, vel mutatio, nihil eſſet apud animas: ſi igitur verè ſunt anima Socratis, & anima Platonis, aliud, & aliud, dum ſunt in corporibus, erunt verè aliud, & aliud, ex neceſſitate, cùm erunt extra illa. Ampliùs. Sicut ea, quæ differunt ſubſtantialiter, vel eſſentialiter, nullo adventu accidentium, nullâ ſimilitudine qualitatum, poſſunt idem fieri, vel eadem; ſic ea quæ ſunt unum

eſſentialiter, nullâ diſſimilitudine, vel differentiâ accidentium poſſunt fieri diverſa: ſi igitur ſunt unum eſſentialiter animæ omnes humanæ, nullâ differentiâ, vel diverſitate corporum, aut accidentium efficientur diverſa, quemadmodùm homo, & aſinus nullâ ſimilitudine accidentium poſſunt fieri unum: aut igitur modò ſunt unum omnes animæ humanæ, dùm ſunt in corporibus, aut non erunt unum, cùm fuerint à corporibus ſeparatæ. Ampliùs. In uno, & eodem ſubjecto non poteſt eſſe contrarietas ſecundùm totum, vel ſecundùm idem, contrarietas autem eſt triſtitia, & gaudium. Non poſſunt igitur eſſe in uno, & eodem ſubjecto, diverſa igitur ſunt ex neceſſitate: anima igitur, quæ gaudet, aliud eſt ab anima, quæ triſtatur; aliud eſt igitur eſſentialiter anima Socratis, quæ gaudet, quàm ſit anima Platonis, quæ triſtatur. Ampliùs. Aliqua anima eſt modò ſeparata, aut ipſa eſt eadem cum qualibet anima in corpore exiſtente, aut alia cum qualibet: non enim poteſt dici convenientiùs eadem cum una, quàm cum alia: quare vel eadem eſt cum qualibet in corpore exiſtente, vel cum nulla: eſto igitur quòd anima Socratis ſit ſeparata à corpore, & non anima Platonis: ſi hoc eſt poſſibile, cùm anima Socratis ſit ſeparata à corpore, & ipſa eſſentialiter ſit anima Platonis, erit ex neceſſitate anima Platonis ſeparata à corpore Socratis: ſaltem enim per accidens verum eſt, quòd anima Platonis eſt anima Socratis: albus enim eſt Medicus, & ſedens Muſicus. Ampliùs. Si omnes animæ ſunt una eſſentialiter, non erit anima una aut melior, aut ſcientior alia, quemadmodùm ſedens non eſt melior, aut ſcientior Muſico; hoc eſt dicere, quòd iſte ſedens non eſt melior, aut ſcientior iſto Muſico. Ampliùs. Secundùm hoc non erit vera generatio hominum, generatio enim maximè ſecundùm formam eſt, & maximè propter novitatem formæ generatio dicitur, in iſto verò homine, qui dicitur generari non eſt nova forma, cùm non ſit nova anima: nec anima poteſt dici nova ex novo accidente, vel ex novo corpore ſicut nec novus homo ex domo, quam de novo inhabitat. Ampliùs. Si omnes animæ ſeparatæ ſunt anima una, & unum, erunt utique unum impartibile, quoniàm una anima, quæ utique impartibilis eſt, aut poſſibile eſt generari aliquem hominum, aut non eſt poſſibile. Manifeſtum eſt hoc eſſe poſſibile: eſto igitur quòd generetur aliquis de novo homo. Aut dabitur ei hæc una anima, quæ eſt ſeparata, & eſt omnes illæ, quæ fuerunt dudùm in corporibus, & exiverunt ab illis, aut creabitur alia prorsùs, & dabitur illi homini de novo generato. Quòd ſi datur ei hæc una, quæ utique non eſt, niſi una, & unum impartibiliter, dabitur igitur ei tota, & totaliter, nihil igitur de ea remanebit extra corpus, ſed nec ipſa tota, ſive totaliter. Quare nec anima Socratis, vel anima Platonis, vel alicujus alterius ex mortuis remanebit extra corpus: ubi ergo ſunt animæ mortuorum, quorum tot millia præceſſerunt ſæcula noſtra? ſi verò creabitur alia prorsùs, neceſſe eſt & idem dici de omnibus aliis, quæ in corporibus ſunt, quare omnes animæ, quæ in corporibus ſunt modò, aliæ prorsùs ſunt à ſeparatis, & aliæ prorsùs erunt ab eiſdem, cùm ipſæ fuerint ſimiliter ſeparatæ. Ampliùs. Secūdùm hoc nulla anima crearetur; non enim poteſt creari anima, quæ jam eſt. Jam autem eſt omnis anima eſſentialiter ſecundùm hunc errorem in illa una, quæ eſt omnes ſeparatæ: præterea ſi crearetur, aut crearetur in corpore, cui conjungitur, aut extra: ſi extra, hoc eſt impoſſibile, cùm priùs eſſent in illa una, quæ omnes ſeparatæ ſunt: ſi verò in corpore, fieret hoc aliqua hora, vel inſtanti:

E quare in illa hora, vel inſtanti eſſet primum, & ante non fuiſſet: hoc autem impoſſibile, cùm ante jam fuerit in illa una, in qua unitæ ſunt omnes ſeparatæ. Ampliùs. Hæc anima, quæ nunc primo eſt, videlicet quæ nunc creatur, non fuit in aliquo corpore, & impoſſibile eſt eſſe ſeparatam à corpore, in quo non fuit; non eſt igitur ſeparata ab aliquo, illa autem una eſt ſeparata à multis ſecundùm hunc errorem, hæc igitur non eſt illa. Ampliùs. Separatio animæ à corpore, & conjunctio ad ipſum, circa idem ſubjectum numero ſunt ex neceſſitate. Non enim poſſibile eſt ſeparari niſi conjunctum, manet igitur idem ex neceſſitate, quod erat conjunctum, quandò ſeparatur. Sed quandò ſeparatur eſt anima illa una, ergo cùm erat conjuncta, erat illa eadem, & idem eſt dicere de omnibus aliis animabus. Quare omnes animæ, quæ corporibus conjunctæ ſunt, adhuc, etiam nunc ſunt anima illa una. Ex quo ſequitur ex neceſſitate nullam animam creari, nullum hominem generari, ſicut prædixi. Ampliùs.
F Ipſa ſeparatione aufertur ab unaquaque animarum, quæ ſunt in corporibus, non ſolùm materia, ſed & multa de accidentibus, & paſſionibus, quæ aut auferuntur omnia, aut non. Si omnia, ergo nec remanet ſcientia, nec virtus in eis poſt mortem corporis, nec pœna ulla; in hoc autem contradicunt omnes leges: apparet autem evidenter hoc eſſe erroneum, & impoſſibile per hoc, quoniàm ſi ita eſt, omninò inutilis, & ſupervacua eſſet conjunctio animarum ad corpora, cùm tales omninò egrederentur à corporibus, quales ingrediuntur, nullo ſuperaddito, vel acquiſito. Ampliùs. Eſſe animarum per corpora eſſet omninò inutile, & ſupervacuum, cùm vacuæ à ſcientiis, & virtutibus eſſent extra corpora, quemadmodùm eſſe ſpeculi, in quo nulla reſultaret apparitio, vel eſſe tabulæ, in qua nulla ſcriptura, vel pictura eſſet. De quorum utroque non eſt dubium, quin ejus eſſe, quantùm ad
G iſtam potentialitatem, omninò otioſum eſſet, & vacuum, & ſimiliter inutile omninò, ſi aliquis alius uſus, vel utilitas non eſſet illorum. Quod dico propter hoc, quòd tabula, & vitrum fortitan aliis uſibus, quàm ſcripturis, vel picturis, vel apparitionibus applicari poſſunt; eſſe verò animarum noſtrarum, cùm ſpoliatum fuerit omninò, à ſcientiis, & virtutibus, & aliis actibus, & ſeparatum à corporibus, nullum penitùs habet uſum, vel utilitatem. *Anima virtutibus, & aliis habitibus privata, nullius utilitatis.* Quòd ſi dixerit, quia reverà omnia accidentia, omnes habitus, & diſpoſitiones tolluntur ab animabus in iſta ſeparatione à corporibus, novi verò habitus, diſpoſitiones, aut novæ qualitates dantur eis, aut dantur eis per omnia ſimiles, & hoc eſt ſtultum, & iniquum, apud datorem, videlicet ut eadem per omnia dentur animabus, quæ benè egerunt & illis, quæ malè egerunt. Si verò diſſimilia dantur
H eis juxta merita, manifeſtè igitur diverſitas eſt inter eas quandò ſunt ſeparatæ, quoniàm diſſimilitudo evidens in meritis, & præmiis, ſive pœnis, & etiā in iſtis novis qualitatibus, & diſpoſitionibus, quæ dantur eiſdē, licet nec ſint præmia, nec pœnæ, poſtquàm diſſimilia ſunt; diſſimilitudo enim evidens ſignum eſt pluralitatis, & diverſitatis. Ampliùs. Si imaginari volueris animam unam ſeparatam jam eſſe, & alteram de novo ſeparari, ſecundùm errorem iſtum, neceſſe eſt, ut concedant, quòd hæc ſit illa, vel fiat illa. Jam autem vidiſti inconvenientia multa, quæ ſequuntur dicentem, quòd hæc eſt illa, ubi vehementer admirabile eſt, qualiter dicunt, quòd hæc eſt illa, cùm hæc tot habitibus, diſpoſitionibus, & paſſionibus circūveſtita ſit, illa verò nudata ab omnibus hujuſmodi: neceſſe enim habent concedere veſtitionē, & nuditatem, quæ ſunt privatio, & habitus,

tus, aut affirmationem, & negationem, quæ ſunt veſtitio, aut non veſtitio de eodem. Si verò dicunt, quòd hæc ſit illa, cùm priùs non eſſet illa, ſit igitur aliud quàm eſſet priùs, hoc autẽ non poteſt eſſe, niſi altero illorum modorum, videlicet aut retinendo eſſe, quod habebat priùs, aut amittendo illud. Si retinendo, erit igitur unum, & aliud unum, ſcilicet quod erat priùs, & aliud, quod fit per ſeparationem. Quare erit duo, ex quibus non fit unũ; ſi enim unum fieret ex illis duobus, compoſitum ex ipſis neutrum eſſet illorum. Erit igitur anima humana non ſolùm partibilis, aut diviſibilis in duo, ſed etiam erit duo diverſa ſecundùm eſſe, itaque utrunque illorum, quòd ſi amittit per ſeparationem eſſe, quod habebat priùs, corrumpitur ergo. Quare hunc errorem ſequitur corruptibilitas, ſeu mortalitas animarum humanarum, hic autem eſt error, quem igne, & gladio lex omnis perſequitur. Contra hunc igitur errorem animæ humanæ non ſolùm rationibus, & probationibus, armari debent omnia genera hominum, ſed ferro, & omni genere tormenti ad exterminandum ipſum, cùm error ille, & vitam alteram, & gloriam, propter quam creatæ ſunt, auferat eiſdem. De hoc autem alibi ſatisfeci tibi.

CAPUT XI.

Adhuc contradicitur errori præmiſſo propter inconvenientia, quæ ſequuntur ex illo.

ET quoniàm error iſte adeò manifeſtus eſt, ut quivis rationalis (licet paucæ exercitationis) ſufficiat ſibi ad deſtructionem ipſius, onerari te nolo majori prolixitate probationum. Verùm ſcire debes, quoniàm intolerabiliter detrahit gloriæ, & magnificentiæ creatoris, quia aufert ei tot millia animarum in altera vita, nec ab ipſis magnificandus, & collaudandus eſt ſine fine. Non enim ſolùm obſtruit, ſeu claudit ora laudantium, & canentium ipſum, ſed etiam tollit de medio ipſa ora, & laudes, atque decantationes creatoris innumerabiles, dùm ponit de uno ſolo ore canendum ipſum, & magnificandum, atque laudandum: & propter hoc unam ſolam laudem, ac decantationem, ipſius eſſe futuram ab omnibus beatificandis animabus ponens univerſitatẽ earum unam ſolam animam eſſe futuram, & unum ſolum eſſentiâ, & veritate. Nec miſeranda eſt etiam imbecillitas, vel erroneitas hominis hujuſmodi, qui pro eo, quod non apprehendit differentias accidentales in rebus aliquibus ponit identitatem eſſentialem in eis cùm videat in omnibus individuis multarum ſpecierum ſimilitudinem omnimodam in accidentibus, quemadmodùm in muſcis ejuſdem ſpeciei, & ejuſdem ætatis, quarum innumerabilis eſt multitudo: & quia non videt eas differre niſi loco, putat eas ſublatâ illâ differentiâ eſſe unum, & unam muſcam. Sic ſublatis differentiis, quæ à parte corporum erant in animabus (quæ non ſunt, niſi accidentales) putat omnes animas unam, & unum ſolum. Et hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles, quòd non poſſunt eſſe plures ſubſtantiæ ſeparatæ ejuſdem ordinis, & nobilitatis; decem autem intelligentiæ propter differentias, quas habent in ordine, & nobilitate, factæ ſunt plures, quia ſi eſſent ejuſdem ordinis, & nobilitatis, nulla eſſet inter eas differentia, & propter hoc nulla earum pluralitas. Quidam quoque ex Latinis Philoſophis dixit evidenter in libro ſuo, quòd ſolâ accidentium varietas facit differentiam numerorum inter individua. Et hoc ſermone conati ſunt aliqui confirmare ſibi errorẽ iſtum. Ego verò expoſui tibi ſupra, quis ſit verus intellectus ſermonis iſtius, &

Intellige Albertum Magnũ.

A ſufficiat tibi: jam enim didiciſti in logicis, quoniàm accidentales differentiæ non faciunt aliud, ſed alteratum ſolum, & propter hoc ſecundùm eas nec generatio, nec corruptio eſt ſed alteratio ſola. Quapropter ſi tota accidentium varietas auferretur à Socrate, non propter hoc Socrates minùs eſſet, quod eſt, aut quod fuit ante. Nec propter hoc eſſet aliud, forſitan tamen alteratus, vel alterius modi factus dici poſſet. Corruptus autem, aut generatus, aut aliud, aut etiam alius homo nullo modo. Alioquin alius homo eſſet Socrates factus ſenex, & ſapiens, atque famoſæ honeſtatis, quàm fuiſſet cùm eſſet puer, & hoc eſſet dicere, nullum hominem poſſe creſcere, vel proficere ſapientiâ, vel moribus. Sequitur etiam ex hoc, Socratem nec natum fuiſſe, nec didiciſſe, & alia innumerabilia, in quibus ſufficit tibi concluſio præmiſſorum. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc, quòd ſimilitudo, quantacunque, & æqualitas non prohibent multitudinem, aut B diverſitatem & differentiæ accidentales non prohibent identitatem, cùm ſint in eodem temporibus diverſis; & quoniàm ſimilitudo quantacunque ſit, non prohibet ſocietatem, quin potiùs attraheret eam, ſi ad ipſam pertineret, neque cogit debere eſſe ſolitudinem, aut ſingularitatem, & quòd multitudo ſimilium non inducit de neceſſitate ſuperfluitatem. Et ex his claruit tibi, quòd à parte intelligentiæ, quam ipſi ponunt primam, ac nobiliſſimam, non eſt prohibitio pluralitatis in natura intelligentiæ. Nec eſt prohibita per naturam, quin ſit ei ſocia multitudo ſimillimarum ſubſtantiarum, nec ipſa multitudo ſimilium ſubſtantiarum prohibita eſt naturali impoſſibilitate ab eſſe. Patefactum etiam eſt tibi, quòd nec ex parte creatoris fuit defectus aliquis, aut impedimentum quod prohiberet eum creare tam nobilem multitudinem. Ex quibus etiam innoteſcit tibi, quantùm detraxit Ariſtoteles, & C ſequaces ejus magnificentiæ, & gloriæ creatoris in poſitione ſolitudinis, & ſingularitatis primæ intelligentiæ, ſimiliter & in poſitione paucitatis omnium intelligentiarum, quas reſtrinxit, & limitavit in denarium numerum cœlorum, motuumque cœleſtium, parùm attendens, quantùm ex innumerabilibus intelligentiis magnificetur, & glorificetur creator, plus quàm ex una, vel quàm ex dictis decem, in quo apparet eum vel non credidiſſe Philoſophis, vel non inſpexiſſe libros eorum, niſi fortè alibi errorem iſtum revocaverit, atque correxerit. Admiratione autem dignum eſt quod primam intelligentiam poſuit impatientem ſimilitudinis, & ſocietatis, ſi hoc fecit ex illa cauſa, quam dixi, cùm natura bonitatis ſit ſociabilis, & ſocietatis amica, & ipſa bonitas veriſſimâ ratione principium ſit conjunctionis, & aſſimilationis, hoc ipſum audivit à D Platone magiſtro ſuo Ariſtoteles, qui de creatore dicit in Timæo, ſive in libro, quem Timæum vocavit: Optimus inquit erat, porrò ab optimo invidia longè relegata eſt, itaque cuncta ſui ſimilia, ideſt bona, prout cujuſque natura beatitudinis, ideſt bonitatis capax eſſe poterat, effici voluit. Licet Ariſtoteles non dicat ex invidia primæ intelligentiæ prohibitam eſſe multitudinem ſimilium, ſed ex eo, quòd tam nobiles ſubſtantiæ, adeòque abſtractæ, plures eſſe non poterant. Jam autem oſtendi tibi, quòd naturalis impoſſibilitas eſſendi multitudinem hujuſmodi ab eſſe non prohibuit, ſed nec repugnantia naturalis, aut invidia. Nunc verò addo, quòd nec habitatio creatoris anguſtiâ ſuâ hoc prohibuit, tanquàm capere non valens tantam, tamque nobilem multitudinem.

Nota illã recapitulationem, vel epilogationem.

De bonitate pulchra dicta.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De ubi, ſive loco primæ intelligentiæ, & aliorum, ſecundum ſententiam Ariſtotelis.

QUia verò intelligentiam iſtam, & alias eſſe poſuit Ariſtoteles, meritò perſcrutandum eſt, ubi eas eſſe poſuit, an in cœlis, an extra cœlos. Et an poſuerit eas eſſe cum creatore, & juxta eum, & de ipſo creatore, & habitatione ipſius, quid ſenſerit, videlicet an ipſum eſſe ſolitarium, & habitare ſingulariter apud ſe abſque conſortio familiæ præclaræ atque congruentis magnificentiæ, & gloriæ ipſius, an eſſe contentum conſortio iſtius intelligentiæ, primæ videlicet, an omnes decem, quas poſuit, aſſiſtant ei, vel ſtent ante eum propinquitate ſpirituali, quia de corporali propinquitate, vel diſtantia, nihil ad eum, vel etiam ad illas. Et de prima intelligentia ſenſiſſe videtur, quòd ipſa eſt in convexitate cœli primi, & hoc idem cenſiſſe videtur de anima cœli illius; propinquitate enim ſpirituali conjunctiſſimæ eſſe videntur, propter influentiã bonitatis intelligentiæ continuè deſcendentis ſuper animam illam, prout ipſe poſuit; qualiter autem in convexitate, vel extremitate cœli animam illam, vel intelligentiam poſuerit, cùm in cordibus animalium, & etiam hominum, animas eorum eſſe poſuerit, hoc autẽ eſt, in medio eorum, in quo viſum eſt aliquibus, quòd extremitates cœlorũ velut corda eorum ſunt. Propter quod & motus, & vita abundantior ibi eſt, quàm in aliis partibus eorundem, quemadmodùm & in corporibus animalium: in medio verò ſpiſſitudinis, ſive profunditatis cujuſcunque cœlorum forſitan veriſimilius videri poſſet opinatum eſſe Ariſtotelem animas cœlorum eſſe, vel in ipſis planetis, quæ fortaſſis credidit velut corda eſſe ſuorũ cœlorum: de quibus declaravi tibi in præcedentibus, quòd unuſquiſque eorum eſt in medio profunditatis, hoc eſt, ſpiſſitudinis cœli ſui. Alia verò conſideratione medium uniuſcujuſque cœli terra eſt, vel centrum ejus, in quo non fuit poſſibile animam, vel vitam alicujus cœlorum eſſe, niſi per ſeparationem ab illo, ſeparata autem anima à corpore ſuo quæcunque ſit, non poteſt movere ipſum, nec vivificare. Quare mortui eſſent cœli omnes, ſi hoc eſſet, & ideò non moverentur, & hoc eſt apud ipſum, & ſequaces ejus, intolerabile inconveniens. Secundùm hoc autem non levem habet quæſtionem de anima cœli ſtellati, in qua ſtellarum eſſet. Et de intelligentia, in quam intendit anima ejus ſimiliter, in quo non video, quid aliud dicere poſſet, qui ſequitur ſomnia iſta, niſi quòd in ariete, vel in galaxia in ariete quidem, quoniàm ab eo debet eſſe principiũ motus cœli illius, quemadmodùm à corde in animalibus, & hominibus Relinquitur autem hîc quæſtio, in qua ſtellarum arietis ponere voluerit animam cœli illius, & intelligentiam, in quam illa intendit. Ubi dicendum eis videretur, quoniàm in ſtella, quæ videri poteſt corpus ipſius arietis, quemadmodùm & quod de ſtellis fixis dicitur cor leonis. In galaxia verò dicet forſitan aliquis animam eſſe cœli illius, & judicium, vel ſignum hujus eſſe candorem ipſius, qui eſt ex adunato, ſeu aggregato in eo multarum ſtellarum ſplendore Platonamque animam humanam in capite humano ſedem habere opinatus eſt, propter multiplices in eo ſplendores ſenſuum, qui ſunt velut radij quidam animarum, de fulgore animarum procedentes. Quid autem reſpondebunt, ſi objiciatur eis, quòd capricornus eſt nobilioris, ac abundantioris virtutis, quàm aries, aut forſitan ſagittarius? dico quòd reſpondere poterunt, hæc

E ſigna in virtutibus multarum eſſe diverſitatum & differentiarum, quemadmodùm ſe habet in membris animalium manus enim in homine expeditioris eſt, & abundantioris virtutis, quàm pes, penè enim innumerabiles ſunt operationes manus, pauciſſimæ verò pedis, quia duæ tantùm propriæ, ſcilicet ſubſtentare, & ambulare. Calcare enim vias, & pugnare, & hujuſmodi, non propriæ, & naturaliter pedum ſunt. Sic & oculus habet operationem, quæ eſt videre, & utique nobiliſſimam, & per quam diriguntur, & reguntur in multas operationes aliorum membrorum: ſic & capricorno attribuunt operationes mirificas, maximè cùm ſaturnus in eo directus fuerit, & liber † à malis ita ut etiam gratiam viſionum, & revelationum more ſuo, & modo illi attribuant, arieti ſimiliter alias, quas ipſi diligenter, & diffusè expoſuerunt in libris ſuis de hujuſmodi ſubſtantiis. In corde verò certum eſt, non eſſe ſenſum, niſi tactus, quo multo nobilior viſus, nec tamen judicavit Ariſtoteles dignum eſſe, vel decens,

F ut anima humana eſſet in oculo, vel in nervo optico contingente virtutem viſibilem. Quare nobilitas vel ſigni, vel virtutis ipſius non facit debere eſſe in eo animam cœli, cujus illa pars eſt. De galaxia verò qui ſomniare voluerit, quod prædixi, convenientiùs videbitur, ut in eodem errore ſequatur aſtronomos, qui ponunt circulum ſigniferũ zodiacum nobiliorem eſſe partem cœli ſtellarum fixarum. Quapropter conveniens eſſe videtur homini hujuſmodi, ut ponat animam cœli illius in altera ex ſectionibus quibus galaxia ſecat circulum digniorem, & de illis duabus eligat illam, quæ convenientior ad hoc videbitur

† *Aliàs* amabilis.

CAPUT XIII.

Deſtructio erroris quorundam Philoſophorum de ubi intelligentiarum.

G QUoniàm autem in nullo cœlorum eſt aliquid, quod non moveatur, cœlorum dico novem mobilium, moventibus verò nobis moventur ea, quæ in nobis ſunt, ſicut dicit Ariſtoteles, moventur inquam, ſaltem per accidens, movetur igitur anima uniuſcujuſque cœli in quacunque parte cœli ſui ſit. Quapropter movebitur intelligentia, ſi in ea, vel cum ea eſt, vel etiam in cœlo ſuo eſt, ubicunque in eo ſit miſerrimus igitur erit ſtatus ipſius ex iſta rotatione tam rapida. Præterea omni modo fuit, & erit, motus ejus inutilis cùm nec ei proſit, nec alicui alteri: quòd ſi non movetur ipſa intelligentia, movetur autem anima tam vehemens amatrix illius, ſeparatur igitur anima illa ab intelligentia ſua per motum illius, & ex neceſſitate cum

H dolore graviſſimo Quapropter neceſſe eſt ipſam non voluntariè movere cœlum ſuum, quemadmodùm nec voluntariè ſeparari ab intelligentia ſua. Quòd ſi dixerit, quòd ſeparatio hujuſmodi, videlicet localis in nullo impedit animas cœlorum, nec etiam alias ſubſtantias ſpirituales: nec enim minùs videt, aut minùs intuetur ſubſtantia ſpiritualis aliam ſpiritualem propter diſtantiam corporalem: nec magis propter propinquitatem, hoc utique verè dicit, ſi in viſione † revelata, id eſt, admodùm alta, alteram intuetur. Verùm ſi corpore adjuvetur cognitio, aliter ſe habebit, quemadmodùm ſe habet in cognitionibus animarum noſtrarum mutuis, quæ non niſi per corpora, & ea, quæ corporum ſunt, invicem ſe cognoſcunt. Perfectiones verò, quæ in corpora influuntur, vel infunduntur à ſubſtãtiis ſpiritualibus, motu, & elongatione impediri, & adjuvari plerunque manifeſtũ eſt; cœli autem corpora ſunt, & in eos influunt iſtæ in-

† *Aliàs* revelata.

Quomodo ſubſtãtiæ intelligentes motus cauſant in corporibus cœleſtibus.

Digitized by Google

telligẽtiæ amores, & deſideria, ex quibus ſunt motus illorum. De corporibus autem noſtris manifeſtum eſt, & de nobis ipſis, quòd non moventur, niſi ab animabus, quæ ſunt in ipſis, quia nec etiam virtus intellectiva, qua reguntur motus, & operationes noſtræ, niſi proxima, & conjunctiſſima, eſſet animabus noſtris, non poſſet eas regere per ſe: ſi igitur intelligentiæ regunt motus cœlorum, & per ſemetipſas, neceſſe eſt, ut ſint conjunctiſſimæ illis, propter hoc perfectiones. quas animæ quærunt ab ipſis, neceſſe eſt, ut ſint in ultimitate perfectionis ipſius. Quare, ſi tanta eſt vehementia amoris illarum in illas, totæ rapiuntur in illas, nec poſſibile eſt eis aliâ ſollicitudine occupari. Cùm enim vehementer amans amato ſuo conjunctione perfectâ, & ultra quam nulla major eidem quæritur, convenienter conjunctum eſt, toto cogitatu, atque amore eidem adhæret, ita ut etiam non ſolùm ſuorum negotiorum, vel rerum, ſed etiam ſui ipſius obliviſcatur: quare non eſt poſſibile, ut occupentur animæ cœlorum rotationibus corporum ſuorum, præſertim cùm motus ejuſmodi tanti ſunt, tantorumque corporum, atque tantæ rapiditatis, ut mediocri ſollicitudine peragi non poſſint. Eadem etiam eſt quæſtio de ipſis intelligentiis, quia ſi ejus nobilitatis ſunt cujus eſſe neceſſe eſt ſecundùm poſitionem illam neceſſe eſt. ut intellectus earum totaliter fixus ſit in pulchritudine creatoris, & ipſæ amore vehementiſſimo adeò rapiantur, adeóque adhæreant pulchritudini, & bonitati ipſius, ut ab omnibus aliis ſolicitudinibus ſuſpenſæ, nihil aliud, quod creatorem cogitent, aut deſiderent, niſi ut forſitan aliquid eis alterius officii creatoris dominantiſſima voluntas injunxerit, quemadmodùm fieri certiſſimum eſt in ſanctorum angelorum viſionibus, ſicut apparet ex libris prophetarum, de quo loquar in ſequentibus, ſi Deus voluerit. Quòd ſi intelligentiæ ſeparatæ ſint ab animabus iſtis, non immeritò quærendum eſt, utrùm ſunt extra cœlos, vel in ipſis cœlis, & in quibus partibus ipſorum, & utrùm ordinatæ ſunt ad proportionem, & ſimilitudinem locorum, ita ut ultima, quam vocant intelligentiam agentem, & ſolem animarum noſtrarum, & lucem intelligibilem hujus mundi terreni, hoc eſt, hujus habitationis noſtræ, ſit proxima nobis. Secundo loco, & ordine intelligentia, quæ eſt amatum animæ moventis primum cœlorum mobilium, & ſupra illam ſolus creator, qui eſt Deus altiſſimus, qui ſi non habet familiam ſpiritualem, & nobilem, vita ejus non longè eſt à vita leonis, & lupi: ſicut dixit quidam ex philoſophis Latinorum, ſcilicet, quòd vita ſine ſocio vita leonis, ac lupi eſt. Quæ autem ſit iſta familia creatoris, & de aliis, quæ circa hanc inquirenda ſunt, perſcrutabor in ſequentibus, hoc eſt, poſtquàm expedivero me de intelligentiis. Incipiam igitur ab intelligentia agente, quam ipſi ordinaverunt ultimam, hoc eſt, infimam nobilitate, & dignitate.

De vita ſolitaria.

CAPUT XIV.

Inquiſitio de intelligentia agente quam infimam nobilitate, & ordine, poſuerunt. Et quæ cauſa coëgit Ariſtotelem, & ſequaces ejus hanc intelligentiam ponere.

Dixit igitur Ariſtoteles de ea (quemadmodùm prædixi) quòd ipſa eſt velut ſol intelligibilis animarum noſtrarum, & lux intellectus noſtri, faciens relucere in effectu formas intelligibiles in eodem, quas Ariſtoteles poſuit potentiâ eſſe apud ipſam, eamque educere eas de potentia in actum.

A Quemadmodùm ſol viſibiles colores potentiâ, hoc eſt, qui potentiâ ſunt in corporibus coloratis, educit in actum ſuâ irradiatione, hoc eſt ſuæ lucis ſuperfuſione. Cauſa autem, quæ coëgit ipſum hanc intelligentiam ponere, fuit poſitio Platonis de formis, ſive de mundo ſpecierum, qui & mundus archetypus, & mundus principalium formarum, & mundus ſpecierum, & mundus intelligibilis, ſive intelligibilium dicitur. Non enim poterat defendere ſe Ariſtoteles, quin cogeretur concedere poſitionem hanc Platonis, in quo quæ fuerunt rationes, vel probationes, Platonis non pervenit ad me. Ponam igitur rationes, quas vel habuiſſe videtur, vel habere potuiſſet. Ad hoc dico igitur, quòd non minùs credendum eſt intellectui de intelligibilibus, quàm ſenſui de ſenſibilibus: quia igitur teſtimonium, ſeu teſtificatio ſenſus cogit nos ponere mundum ſenſibilium, & ipſum ſenſibilem, mundumque particularium, ſive ſingularium, cogere nos debet intellectus multò fortiùs ponere mundum in-

B telligibilium, hic autem eſt mundus univerſalium, ſive ſpecierum. Intellectus enim noſter hic non apprehendit propriè per ſe particularia, ſeu ſingularia, ſed univerſalia tantùm, quæ ſunt genera, & ſpecies, & alia communia, quæ Plato formas, & ſpecies abſtractas vocaſſe videtur. Ampliùs. quoniàm omnis cognitio noſtra aſſimilatio quædam eſt ad ipſa cognita ſecundùm eam vim, vel partem, per quam cognoſcuntur ut ſi per ſenſus cognoſcuntur, aſſimilatio erit ſenſus ad illa, ut evidens eſt in tactu, & viſu, & in omnibus ſenſibus; in organo enim uniuſcujuſque ſenſus neceſſe eſt imprimi ſimilitudinem ejus, quod per ipſum ſenſibiliter cognoſcitur, ſeu ſentitur. Et ipſum ſenſibile generaliter non aliter per ſenſum cognoſcitur, niſi per actionem ſuam in organum illius & impreſſionem ſuæ ſimilitudinis in eodem, ſic & intellectum ſe habere neceſſitate videtur. Quare non eſt intelligere intelligibile niſi per actionem ipſius intellectus paſſibilis, ſeu receptibilis hujuſmodi paſſionum, & impreſſionum, ſive ſimilitudinis in eodem. Et hoc

C ipſum ſentire viſus eſt Ariſtoteles, ubi dixit, quòd impoſſibile eſt intelligi ſine fantaſmate. Intellectus igitur noſtri, hoc eſt, intellectiones, quibus ſumus intelligentes, non ſunt in effectu, niſi paſſiones, ſeu ſimilitudines intelligibilium impreſſæ ab eiſdem intellectui noſtro. Agere autem vel imprimere, non poteſt, quod non eſt neceſſe igitur eſt intelligibilia eſſe, quæ hujuſmodi ſimilitudines, ſeu paſſiones imprimunt in intellectu noſtro. Hæc autem ſunt, quæ ſola hîc, id eſt, in vita iſta intelligimus. Neceſſe eſt ergo hujuſmodi intelligibilia eſſe. quare neceſſe eſt formas communes, ſcilicet genera, & ſpecies, & alia hujuſmodi, convenientia eſſe, & non ſolùm modo, ſed etiam eſſe, ſicut intelliguntur. quemadmodùm ſenſibilia, & particularia, neceſſe eſt eſſe, non ſolùm ſimpliciter, ſed

D etiam eſſe ea ſicut ſentiuntur. Ampliùs quomodò verior teſtis putabitur eſſe ſenſus, quàm intellectus? ſi ergo ita ſe habent res in eſſe ſuo. res, inquam, ſenſibiles, quemadmodùm teſtificatur de eis ſenſus, multò fortiùs neceſſe eſt res intelligibiles ita ſe habere, ſicut de eis teſtificatur intellectus. Teſtificatur autem eas eſſe communes, ſempiternas, & ſeorsùm à generatione, & corruptione & ab omni tumultu mutationum; ſic igitur eas & eſſe, & ſe habere, neceſſe eſt. Ampliùs. Si aliter eſſet, ſolus ſenſus verax eſſet, ſive veridicus, & intellectus totus mendax, quia mentiretur de omnibus, de eſſe, & veritate rerum intelligibilium, aut de modo eſſendi. & modo ſe habendi earum. Ampliùs. Formæ intelligibiles, cùm ſint paſsiones, ſive impreſsiones, neceſſe eſt,

Rationes quibus probatur, quòd in intellectu ſunt ideæ, ſive ſpecies intelligibiles.

Digitized by Google

E ut ſit agens imprimens, ſive agentia, & imprimentia illas. Senſibilia autem naturali operatione, & per ſe, non imprimunt, niſi ſimilitudines ſuas, quæ non poſſunt eſſe ſigna, niſi eorum, à quibus impreſſæ ſunt. Quare non ſunt ſigna, niſi ſenſibilium naturaliter. Non erunt igitur ſigna intelligibilium, non eſt autem cognoſcere res aliquas, niſi per ſigna ſua propria. Erunt igitur rebus intelligibilibus ſigna propria intelligibilia, impreſſa ab eiſdem, vel non erunt cognoſcibilia nobis in ſtatu iſto intelligibilia, hoc eſt res intelligibiles. Quòd ſi dixerit, quia formas, quæ imprimuntur à ſenſibilibus ſpoliat intellectus & denudat à conditionibus particularibus, & hoc modo facit eas formas intelligibiles, & ſigna rerum intelligibilium: in primis ſequitur eum, naturam neglexiſſe F virtutem intellectivam in nobis, & multò ſtudioſiùs curaſſe virtutes ſenſibiles, quàm ipſam, cùm ipſis tantam copiam ſignorum propriorum, & ea imprimentium providerit: virtutem verò intellectivam in ea paupertate conſtituerit, ut à ſignis ſenſibilibus mendicare neceſſe habeat ſigna ſibi neceſſaria, & non niſi de reliquiis eorum eidem conſultum ſit, deinde quid eſt iſta ſpoliatio, vel denudatio, habet-ne in poteſtate virtus intellectiva aliqua abolere, vel abradere de ſignis ſenſibilibus? & quæ ſunt hujuſmodi veſtimenta, quæ detrahit ab eis. Licet igitur nondùm approbem ſermonem iſtum Ariſtotelis, & opinionem, quia tamen toties legitur in libris ejus, & aliorum, qui eum ſequuti ſunt, & hoc tam crebiò ſonat in labiis quorundam, qui ſe philoſophari opinantur, exponam tibi ſermonem hunc G ſpoliationis, & denudationis.

Senſibiliũ eſt ſenſatio, ſicut intelligibilium intellectio.

CAPUT XV.

Quomodò intelligitur ſpoliatio, ſeu denudatio rerum ab intellectu.

SCito igitur, quia virtus intellectiva noſtra nihil detrahit, nihil tollit, vel minuit omninò de ſignis ſenſibilibus, ſed magis ei detrahitur, quoniàm non attingit ipſa ſigna hujuſmodi totaliter, ſed quaſi partem tantùm eorum, nec ipſa perveniunt ad eam cum integritate, ſeu totalitate ſua. Sed eſt, quemadmodùm dicam tibi, ſi quis imaginem Socratis vel ſculpat, vel pingat, & euſque illam ſocrati aſſimilet, ut omni cognoſcenti ſocratem, & à propè illam intuenti, evidenter imago ſocratis appareret, manifeſtum eſt, quòd à longè eam intuenti non imago ſocratis expreſsè, ſed imago hominis indeterminatè, ſive indefinitè, hoc eſt, in univerſali appareret: hoc igitur manifeſtum eſt tibi, quia nec viſus, nec videns, aliquid imagini ſocratis detraheret, nec aliud ab ea vel aboleret, vel abraderet. Similiter ſi appropinquaret ipſi imagini, ut illam plenè, ac perfectè intuens, imaginem ſocratis illam eſſe cognoſceret, non propter hoc circa imaginem additio aliqua, vel minutio fieret, hoc modo ſcito ſe habere virtutem intellectivam ad ſigna particularia ſenſibilium, quemadmodùm à longè intuentem ad prædictam imaginem ſocratis, & hanc eſſe intentionem ſpoliationis, ac denudationis prædictæ, ſcilicet brevitatem intellectus, per quam attingere non poteſt conditiones particulares, quibus ſigna illa appropriantur ſignatis ſuis particularibus, ſicut dixi tibi de à longè intuenti imaginem ſocratis ante dictam, & iſta brevitas eſt intellectus noſtri dum eſt hîc in corpore, niſi aut ſplendore prophetico, aut alio lumine deſuper ipſi advenience illuſtretur.

Qualiter intellectus noſter ſpoliat formas ſenſibiles à conditionibus particularibus.

CAPUT XVI.

Adhuc deſtruitur error Ariſtotelis, & aliorum circa intelligentiam agentem, & utrùm aliquid fluat ab ipſa ſuper virtutem noſtram intellectivam, inquiritur.

REvertar autem ad hoc, ut proſequar, quod inceepi de opinione Ariſtotelis circa intelligentiam agentem; dico igitur, quoniàm non eſt ea virtus in ſole viſibili, ut in ſpeculo vitreo, vel cujuſcunque alterius materiæ faciat relucere in effectu per ſe, hoc eſt ſolâ ſuperfuſione lucis ſuæ, aliquam formam ſenſibilem. Non erit igitur in intelligentia F agente ex ſola cauſa hujuſmodi, ut faciat relucere in ſpeculo virtutis noſtræ intellectivæ formam aliquam intelligibilem. Sed, quemadmodùm ſatis ipſe exprimit, in intellectu ſunt formæ intelligibiles potentiâ propinquâ: in ſpeculo autem viſibili non ſunt formæ viſibiles, niſi potentiâ remotâ, & longè majoris indigentiæ, & imperfectionis, & propter hoc neceſſe eſt adhiberi formas viſibiles, quæ ſint in actu ad hoc, ut lux ſolis eas relucere faciat in hujuſmodi ſpeculis in effectu. Ex ſermonibus autem Ariſtotelis evidenter apparet ipſum Ariſtotelem ſenſiſſe virtutem noſtram intellectivam & ab inferiori, hoc eſt, à parte ſenſibilium per ſpoliationem, vel denudationem, quam expoſui, & à parte ſuperiori, hoc eſt, ab intelligentia agente eſſe illuminabilem. Manifeſtum etiam eſt ipſo ſenſu, G quia propheticos ſplendores, & illuminationes animarum noſtrarum, quæ fiunt in raptu, & extaſi, & aliis quibuſdam paſſionibus & diſpoſitionibus, quæ tibi narrabuntur, & numerabuntur, in ſequentibus, impoſſibile eſt fieri à ſenſibus vel per ſenſum: interrogo igitur Ariſtotelem hîc, utrùm quod recipitur ab intelligentia agente ſuper virtutem intellectivam noſtram, cùm ab ea ſic illuminatur, vel irradiatur, ſit forma ipſa intelligibilis, aut formæ, aut aliud. Quòd ſi fuerit ipſa forma intelligibilis, tunc non educitur de potentia in effectum per modum, quem dicebat: quemadmodùm de potentia ſpeculi viſibilis non educitur in effectum forma in eo reſultans, cùm in eo eſſet potentiâ, ſive potentialiter, niſi quis intelligat hanc potentiam eſſe potentiam recipiendi ſolummodò. Non autem ita eſt in coloratis corporibus, & coloribus eorum. Colores namque à ſole non recipiunt, ſed adjuvantur operatione ſolis, ut quod habent in potentia educant in actum. Sic & ſemina non à calore, vel humore recipiunt formas vegetabilium, vel animalium. Illas enim imprimere nullo modorum poteſt calor, vel humor, ſed adjuvatur eorum potentialitas calore, & humore, & tolluntur H impedimenta, quæ formas hujuſmodi prohibebant exire in effectum. Reſtat igitur, quod imprimitur ab intelligentia agente, ſive influit ſuper virtutem noſtram intellectivam aliud eſſe, quàm formam ipſam intelligibilem. Hunc autem ſermonem ſequuntur quæſtiones multæ: ab intelligentia enim agente naturaliter non influitur, niſi ſimilitudo, aut ipſius, aut ejus, quod habet; nihil autem habet apud ſe niſi formas intelligibiles in effectu, quod igitur fluit ab ea ſuper virtutem noſtram intellectivam ab intelligentia agente, aut ſubſtantia eſt ipſius, aut forma intelligibilis ſimilis alicui ex formis, quæ apud illam ſunt, cùm (ſicut alibi audiviſti) ſecundùm eos ſit omnis intelligentia plena formis: cauſa autem hujus quod dico, eſt quia intelligentia agens non operatur ſic irradiando, ſcilicet ſuper virtutem intellectivam noſtram, niſi aut

Quòd per ſpoliationẽ & denudationem illuminatur intellectus noſter, non per intelligentiam agentem.

per

Digitized by Google

per ſubſtantiam ſuam, aut per ſuam formam; & ſi per ſuam ſubſtantiam, debet imprimere ſimilitudinem ſubſtantiæ ſuæ, hoc eſt, ſibi ſimilem ſubſtantiam; ſi verò operatur per ſuam formam, debet imprimere formæ ſuæ ſimilem formam. Ampliùs. Cùm ſenſus illuminetur ad cognitionem ſenſibilem per ſolam ſimilitudinem formæ ſenſibilis, quæ imprimitur in organo ſenſus; quantò fortiùs per ſolam formam intelligibilem illuminabitur ad cognitionem intelligibilem noſter intellectus. Id ergo, quod imprimit intelligentia agens virtuti noſtræ intellectivæ, non eſt, niſi forma intelligibilis, & ſimilitudo intellecti, hoc eſt, rei, quæ intelligitur: de ſole autem manifeſtum eſt omni ſentienti, ne dicam intelligenti, quòd colores non imprimit corporibus coloratis, quoniàm nec apud ipſum ſunt, nec etiam Ariſtoteles hoc cenſuit, nec hoc virtuti ſolis impoſuit, præſertim cùm ſciret operationem hanc ſolis naturalem eſſe, & ideò per ſimilitudinem. Non ignoravit igitur Ariſtoteles lucem ſolis non imprimere, vel non dare, colorem corporibus coloratis. Ampliùs. Cùm omnis ſimilitudo à veritate ſit, & omne exemplum ab exemplari formæ autem intelligibiles, quæ recipiuntur ab intellectu noſtro ſive virtute intellectiva noſtra, ſimilitudines ſint; ſunt igitur à veritate, ad quam ſimilitudines dicuntur. Hæc autem veritas, aut eſt apud intelligentiam agentem, & in ipſa, aut ſola ſimilitudo hujuſmodi veritatis. Quòd ſi veritas iſta eſt apud intelligentiam agentem, erit in ipſa modus verax ſpecierum, & verarum formarum, & non erit ſimilitudo ſola veritatis apud ipſam, ſed ipſa veritas, & ad hunc modum ſe habet de aliis formis: recidit igitur Ariſtoteles in ſententiam Platonis, quam ſe per hujuſmodi poſitionem putaverat effugiſſe. Si verò ſola ſimilitudo eſt apud intelligentiam agentem (ut jam dictum eſt) ſimilitudo autem omnis à veritate ſua eſt; ſic igitur veritas apud illum Et quoniàm impoſſibile eſt rem currere in infinitum, occurreret uno, vel pluribus numero determinato interpoſitis, aliud, apud quod eſt veritas hujuſmodi ſimilitudinis, & omnium ſimiliter aliarum; hoc autem eſt quod ponebat Plato, mundum ſcilicet veritatis rerum, & ſpecierum, & formarum. Mundum autem iſtum ſenſibilem ponebat exemplorum, atque ſimilitudinum, dicens hoc non eſſe verum ignem, quod eſt apud nos, nec ignem, vel veram terram, eſſe apud nos, ſed igneum, & terreum, nec veram humanitatem, ſed humanum. Quòd ſi dixerit, quòd veritas ſimilitudinum, atque formarum, quæ ſunt apud intelligentiam agentem, eſt in rebus particularibus, dico quòd homo iſte contradicit Ariſtoteli: primò quoniàm intelligentia agens nihil recipit à rebus particularibus, maximè ſecundùm ipſum, qui ponit omnem intelligentiam immaterialem, & impoſſibilem eſſe; deinde quoniàm omnis veritas prior eſt ſimilitudine ſuâ, in ordine autem univerſi creati, ſive univerſitatis, primas poſt creatorem altiſſimum ipſe poſuit intelligentias eo ordine, quem narravi. Debes etiam ſcire, quia eadem quæſtio eſt contra Ariſtotelem de ipſo creatore benedicto, & ſemper benè dicendo, utrùm apud ipſum ſolæ ſimilitudines rerum ſint, an veritates ipſarum, quoniàm ſi ſolæ ſimilitudines, quas plato ideas nominaſſe videtur, neceſſe eſt priores eſſe ſimilitudines ſuis veritatibus, & hoc videtur abſurdum. Ampliùs. Iſtæ ſimilitudines aut erunt creatæ à creatore, aut non: ſi ſic: erit igitur inordinata, & præpoſtera hujuſmodi cauſatio creatoris. A veritate enim debuiſſe videtur incipere, quæ in omni re ordine rectiſſimo prior eſt omni ſimilitudine ſuâ, tanquàm exemplar omne quolibet exemplo ſuo. Si verò non ſint cauſatæ à creatore, cùm omnis ſimilitudo cauſata ſit: erunt igitur cauſatæ ab ipſis veritatibus ſuis. Et ex hoc ſequitur ipſum accepiſſe aliquid à creaturis, & ſic adjutus fuiſſet ab ipſis, ut crearet eas, quod dicere, vel etiam cogitare nefas eſt, & blaſphemia impiiſſima contra ipſum. Sed ne videar ſophiſtare, vel litigioſè diſputare, contra opinionem Ariſtotelis: dico, quia ſimilitudo unâ intentione dicitur ipſum quod oritur à veritate, & eſt tantùm ad deſignandum ipſam, ſicut imago ſocratis, vel cæſaris, quæ indubitanter poſt utrunque eſt, ad ipſum ſolummodò deſignandum. Et iſta etiam ſimilitudo non prohibetur eſſe veritas ad ſimilitudinem ſuam, quæ imprimitur in animo intuentis ipſam. Et illa etia ſimilitudo, quæ impreſſa eſt in animo intuentis ipſam, poteſt eſſe veritas, & exemplar ad aliam imaginem, quam poteſt in ſe fabricare ipſe, qui intuitus eſt priorem, & tunc ſimilitudo, quam hujuſmodi fabricator habet in animo ſuo, erit exemplar illius ſecundæ imaginis; illa verò exemplum ipſius, & nihil prohibet, ut dicatur veritas ad illam. Aliâ verò intentione etiam ſimilitudo ipſum ſimile dicitur, licet non æquè propriè, aut rectè, quomodò ideæ rerum omnium ſimilitudines earúm dicuntur, & fuiſſe ab æterno in mente creatoris. Maximè verò ſecundùm Platonem, qui hoc primus dixiſſe videtur. Et ſecundùm hanc intentionem non eſt neceſſe, ut omnis ſimilitudo poſterior ſit eo cujus eſt ſimilitudo, vel quòd originem habeat ab illo.

Quòd ſimilitudo duobus modis capitur.

CAPUT XVII.

Quæ ſit intentio mundi archetypi ſecundùm doctrinam Chriſtianorum, & quòd in intelligentia agente eſt plenitudo formarum exemplarium ſecundùm Ariſtotelem.

De mundo verò archetypo, qui eſt ratio, & exemplar univerſi, ſcito, quòd doctrina Chriſtianorum hunc intelligit eſſe Dei filium, & Deum verum, & ipſum gens illa ex fide, & lege ſua vocat imaginem Dei patris in ultimitate ſimilitudinis, & expreſſæ repræſentationis ejuſdem; quapropter Deus pater ad ipſum veritas eſt in iſta comparatione, & ipſe imago ad ipſum, quia ex ipſo eſt habens originem, propter quam & filius veriſſimè dicitur ejuſdem. Et ipſe eſt exemplar rerum omnium, quæ verè, ac naturaliter bonæ ſunt. Unde & ipſe dicitur ſimilitudo univerſi, ut exemplar, & univerſum relucet ad ipſum omni mirificentia ſuâ, & decore, omni virtute, & potentia, omni bonitate, & ſuavitate, quæ in eo eſt, licet à longè, ſupra omnem menſuram & comparationem, ita ut non, niſi velut umbra tenuiſſima, & veſtigium permodicum ipſius, dicendum ſit. Ipſe verò verbum completum Dei patris quo ſemetipſum completiſſimâ loquutione dixit æternaliter, & in eo, & per ipſum omnia, univerſis verò vix ejuſdem nutus exiguus habendum; & eſt, ſicut declaratur in prima parte ſapientialis ſcientiæ, quæ comparativa nominatur, eo quòd gloriam, & magnificentiam creatoris ex comparationibus univerſi, & partium ejuſdem ad ipſum creatorem, prout poſſibile eſt, patefacit contemplantibus; ipſa enim eſt quarta pars ſapientiæ contemplativæ. Ponendum igitur eſt ſecundùm Ariſtotelem intellectum agentem habere apud ſe rerum ſimilitudines, id eſt, exemplaria quæ à ſolo primo exemplari, quod dixi, intelligentiæ illi naturaliter ſunt inditæ & innatæ. Quapropter ipſe eſt rerum omnium, quæ ſibi naturaliter ſcibiles ſunt, liber, in quo eſt eas legere modo, quem

Quòd ſimilitudines rerum imprimuntur intelligentiis à Deo ſecùndum Ariſtotelem.

Digitized by Google

dicam. Et ut dixi, ſpeculum mundum, in quo lucidiſſimè reſultant omnia illa. Non igitur neceſſe eſt, veritatem particularium eſſe apud ipſam vel in ipſa eſſentialiter, ſcilicet, ut Socrates ſit apud illam, vel in illa, & ad hunc modum de aliis. Secundùm poſitionem autem Ariſtotelis ipſa eſt veritas quodammodò formatum particularium, tam ſpiritualium, quàm corporalium. Quoniàm ipſa eſt ſecundùm Ariſtotelem & creatrix etiam animarum noſtratum, & fabricatrix corporum noſtrorum, & hæc omnia, quæ ſunt poſt ipſam, ipſa operata eſt, & quæ fiunt ipſa operatur, ut eidem viſum eſt & ſicut in præcedentibus prædixi tibi, non operatur, niſi intelligendo, & volendo, ad ſimilitudinem creatoris.

CAPUT XVIII.

Qua de cauſa non poſuit Ariſtoteles plures intelligentias agentes, & quare ab una intelligentia non poſſunt cauſari plures intelligentiæ ſecundùm ipſum, inquiritur.

MIrabile autem non immeritò videtur, qua de cauſa poſuit eam unicam, & non plures, cùm operari non poſſit ubi ipſa non eſt; cùm igitur operatur in toto hoc mundo terreno tot animas, & tot corpora, neceſſe eſt vel ipſam eſſe ubique in mundo terreno, vel plures eſſe ſimiles eidem, quæ cum ea ſimiliter operantur. Erunt igitur in India, ſimiliter & in Britannia in Æthiopia, & Italia, in Armenia, & Hibernia, quod videre non parum difficile eſt. Ampliùs. Cùm fabricet hoc corpus hìc, & ſimul eidem hìc infundat animam, & hoc faciat per ſemetipſam, hoc eſt, per eſſentiam ſuam, & virtutem propriam, neceſſe eſt eam eſſe in hoc corpore, quod fabricat, & in hac anima, quam facit, ut ipſemet dixit; quomodò igitur eſt in tot corporibus ſimul, & in tot animabus? Ampliùs. Quomodò poteſt in tot anima, videlicet, ut eas efficiat, vel alio modo cauſet, quo non multò fortiùs poteſt in ſubſtantias ſpeciei ſuæ, ut eas ſimiliter cauſet, & ita ſint multæ intelligentiæ agentes? Ampliùs. Omnis ſpecies plus poteſt naturaliter in multitudine ſui, quàm alterius, & plus poteſt, & expeditior eſt ad illam, quia omne dans magis potens eſt ad dandum, quod habet, quàm quod non habet. Nec eſt objectio de creatore, multis de cauſis, maximè ſecundùm legem, & doctrinam Chriſtianorum, cùm ipſe dederit & deitatem, & omnipotentiam, quas habet, filio ſuo, & ſpiritui ſancto. Nec eſt objectio etiam de filio, & ſpiritu ſancto, quoniàm & ipſi dant, quod habent, ſed pro receptibilitate eorum quibus dant; omnipotentiæ enim nulla creatura receptibilis eſt, neque deitatis eſſentialiter: dii tamen vocantur homines apud eos, & deificantur ſecundùm fidem eorum. Manifeſtum enim eſt tibi, quoniàm hæc æquivocè dicuntur, omnipotentia verò de nulla creatura dicta eſt, vel dici poteſt, verùm potentia, & virtus multiplicatur creaturis, & augetur ſecundùm beneplacitum eorum. Ampliùs. Manifeſtum eſt animas rationales eſſe non ſolùm alterius ſpeciei, quàm intelligentiam agentem, ſed etiam alterius generis. Quomodò igitur ab illa per ſe exit iſta diverſitas? Ampliùs. Qualiter ab illa una tanta multitudo, atque diverſitas procedit, præſertim cùm illud coëgerit eos primam ponere intelligentiam unicam, & ſolitariam eſſe, quoniàm eſt à creatore uno, & inquantùm uno, & eodem? Ampliùs. Si intelligentia iſta, quæ utique noviſſima eſt, & inter intelligentias nobilitate, & dignitate, atque virtute

E infimâ, poteſt in tantam multitudinem animarum rationalium, quæ omnes ſubſtantiæ nobiles, & intelligentes ſunt, quomodò non poterit intelligentia, in quam intendit anima cœli lunæ, in multitudinem ſubſtantiarum nobilium intelligentium, quarum habitatio ſit cœlum lunæ, quemadmodùm habitatio noſtra eſt orbis terræ, & aër circa ipſam? eodem modo & intelligentia, quam ſibi præeſſe poſuit cœlo ſolis: quomodò non cauſabit multitudinem ſubſtantiarum nobilium nobilitatis ſuæ, quatenùs poſſibile eſt, vicinarum? Et ad hunc modum de aliis intelligentiis, ita ut ex unaquaque ſit multitudo ſubſtantiarum nobilium, & nobilitati ejus, prout congruit, appropinquantium? Scito igitur, quòd hæc poſuerunt philoſophi, qui dicti ſunt magi, dicentes unicuique cœlorum multitudinem eſſe ſpirituum illi deſervientium, quos in operibus ſuis invocare conſueverunt: hi

F igitur ordines ſpirituum, & hæ multitudines, ſi eos eſſe, & ita ſe habere, certum eſſet, videri poſſent eſſe utilitates intelligentiarum, propter quas ſcilicet poſitæ ſunt, vel ponendæ eſſent, quod eſt dicere, ut quemadmodùm multitudo hominum ex una, & per unam, ſic unaquæque iſtarum multitudinum, ſive ordinum ex una etiam intelligentia, & per unam, & has intelligentias forſitan ipſi intellexerunt eſſe principes, & rectores hujuſmodi ordinum, ſeu miliarum. Quòd ſi res currit per omnes intelligentias in hunc modum, perveniet ex neceſſitate & hoc ad creatorem, ut non ſolùm infra ſe fluat largitas ejus ſuper primam intelligentiam, ſed etiam circa ſe creando aliter multitudinem innumerabilium ſubſtantiarum nobilium congruentem ſupereminentiæ gloriæ ſuæ, & hic eſt exercitus militiarum forſitan qui dividuntur in aſtantes coram eo, & miniſtrantes ei, ut legitur in libris prophetarum Hebræorum. Quòd ſi non eſt ita, ſed eſt ſolus, & ſolitarius in ſolio

Quòd ſecundùm magos in quolibet cœlo ſunt multi ſpiritus.

G gloriæ ſuæ ignominioſè ipſum ſedere ponunt. Et iſta ignominioſa ſolitudo adhuc audita, vel dicta, non eſt. Hoc enim ita eſt, ac ſi dicatur rex aliquis in palatio ſuo ampliſſimo, & præclaro ſolus eſſe, & habitare, & nullam habere frequentiam vel militum, vel aliorum miniſtrorum, cùm nulli unquàm patrifamilias aliquis delirus hoc adhuc impoſuerit. Quicquid autem ſit de ordinibus prænominatis, quos in cœlis magi habitare poſuerunt, & ſi intelligentiæ omnes & ſteriles, & impotentes adeò eſſent, ut nulla multitudo ex eis eſſet, creatoris tamen magnificam affluentiam & virtutem omnipotentiſſimam nullatenùs decet ſolitudo, aut ſingularitas iſta. Pingit autem natura nobis hoc in omni genere animalium. Et hoc eſt, quoniàm omne genus animalium, prout ſibi poſſibile eſt, multiplicat ſibi familiam, & reimplet habitaculum ſuum fœtibus ſuis, ſeu filiis, &

H hoc eſt ex largitate, & redundantia naturali ſua. Quomodò igitur bonitas, & largitas creatoris adeò anguſtata, & reſtricta erit? Verùm in ſequentibus ſtabiliam tibi ordines militiarum hujuſmodi cœleſtium viis aliis multis, & declarationibus, ſi Deus voluerit.

CAPUT XIX.

Quòd multitudo animarum noſtrarum, ſive diverſitas, non poteſt eſſe creata ab intelligentia agente.

REvertar igitur, & dicam, quia ſic intelligentia agens, & cauſans, & perficiens animas noſtras, ſicut ipſi poſuerunt, cùm nihil operetur niſi intelligendo, & volendo, juxta modum intelligentiarum

Digitized by Google

tiarum aliarum: intelligendo igitur ſe habere virtutem iſtam cauſandi eas, & perficiendi inſuper illas; atque volendo virtutem iſtam adimplere id propter quod ei data eſt, & non patiens eam eſſe otioſam, cauſat eas, & perficit; cùm igitur iſta cauſatio, & perfectio ſit ex illa per ſe, & ſecundùm ſe, & cùm in cauſando non ſit diverſitas, propterea omnes animæ noſtræ cauſantur in ordine uno eſſentialiter, & ideò non diverſantur dignitate ab invicem naturaliter, nec diverſabuntur ſimiliter perfectione, quare ſicut naturali, & eſſentiali dignitate cauſantur ęquales, ſic & naturalibus perfectionibus cauſabuntur æquales. Tu autem vides rem econtrariò ſe habere. Quædam enim ad ſcientias, & virtutes cauſantur naturaliter aptiſſimæ, & etiam propheticis ſplendoribus, & ſublimibus aliis illuminationibus proximæ, quædam verò vix mechanicis artibus aptæ, quædam in omnia vitia promptiſſimæ. Quia igitur ab uno, & eodem, inquantùm unum, & B idem, ſecundùm ipſos non poteſt eſſe multitudo, ſive diverſitas, neceſſe habent ponere, quòd multitudo hujuſmodi, atque diverſitas, non eſt ab intelligentia agente naturaliter, ſed neque voluntariè Tunc enim mala eſſet indubitanter, ſi animas aliquas humanas diſſolveret, & quodam modo proſtitueret in vitiis. Quòd ſi dixerit quis, quia hoc eſt à parte corporum, cùm igitur ipſam ponant fabricatricem corporum noſtrorum, accidet idem inconveniens; ſi enim naturaliter fabricat ea, fabricat ea unius diſpoſitionis, cùm ex una virtute, & arte, non ſit ſecundùm eos per ſe multitudo, atque diverſitas: ſi verò voluntate fabricat ea ita noxia animabus noſtris, imputanda eſt ei omnis animarum noſtrarum malitia, quemadmodùm ei, qui domum peſtilentem alicui habitatori ædificat, & ſcienter, atque voluntariè illum in illam inducit, & habitare facit. Mors enim, atque corruptio omnis, quæ hujuſmodi domus habitatori provenit, non C habitatori, ſed illi imputanda eſt. quippe omnis naturalis virtus, & omnis potentia operatur, quàm largè, quàm latè quàm copiosè poteſt, ſicut eſt evidenter videre in operatione ſolaris luminis, & caloris. Quare ſi intelligentia iſta naturaliter operatur, cauſando, & perficiendo animas noſtras, cauſat eas quantas, & quot poteſt, & influit in eas perfectiones quot, & quantas poteſt. Omnes igitur æqualiter cauſat, & perficit, manifeſtum autem eſt, & hoc eſſe falſum. Quòd ſi dixerit quis, quia utique facit quantùm in illa eſt, ſed aliæ magis, aliæ minus receptibiles ſint influentiarum ipſius; erit de receptibilitate hujuſmodi quęſtio fortior non minor. Totum enim quod habet unaquæque anima humana naturale, habet à cauſatore ſuo. quare receptibilitas hujuſmodi, ſi naturali operatione intelligentiæ præſtatur animabus, æqualiter erit in omnibus. Quare & omnes influentias naturales ejuſdem ſuper illas neceſſe erit eſſe æquales. Non igitur naturali operatione diverſificat intelligentia D hæc influentias ſuas ſuper animas noſtras, ſed neque voluntaria, ea de cauſa, quam prædixi Manifeſtum igitur eſt, quòd non poteſtate, vel arbitrio ſuo operatur eas, vel in eas Ampliùs. Si extra corpora cauſaret animas noſtras, cùm ex voluntate, & identitate non poſſit eſſe multitudo, atque diverſitas, non eſſet apud animas noſtras multitudo, nec diverſitas. Tunc enim à parte corporum nihil eſſet, vel fieret apud eas, haberent igitur totum, quod eſſet eis à cauſante intelligentia una, & per unum, & eundum modum; quare omnes eſſent una, & eadem, & per eundem modum. Corpora verò in quacunque ſui comparatione conſiderentur, nihil diverſitatum, vel differentiæ eſſentialis, afferre poſſunt ani-

Objectio de receptibilitate influentiarū.

A mabus: ſive enim conſiderantur eſſe organa, ſive inſtrumenta animarum ſuarum, manifeſtum eſt; quòd diverſitas inſtrumentorum non diverſificat operationem in illis: unus enim, & idem citharista utitur nunc unâ citharâ, nunc aliâ, ſic & idem faber lignarius nunc utitur ſecuri, nunc dolabiâ, nunc bitaeuiâ, nunc runcinâ, nec propter hoc eſt quatuor artifices, vel quatuor fabri lignarii; ſic ſe habet etiam in organis naturalibus, & operationibus naturalibus Una quippe, & eadem anima nunc utitur oculis, nunc linguâ, ſive labiis, nunc manibus, & nunc pedibus, nec propter hoc alia eſt, cùm utitur uno organo naturali ſuo ad naturalem operationem ſuam, & alia cùm utitur alio, nec multa, cùm utitur multis. Conſequens igitur eſt ex neceſſitate, quòd nec à parte corporum noſtræ animæ diverſantur. Quantùm autem eſt à parte cauſantis intelligentiæ, una, & eadem, ſunt omnes; B ſimpliciter igitur, & abſque determinatione neceſſe eſt unam & eandem animam eſſentialiter eſſe omnes animas noſtras, in quo nihil inſanius dici poteſt. Et de hoc multa audiviſti in præcedentibus; propter unitatem autem, & identitatem ipſius intelligentiæ agentis dixerunt ipſi, quòd animæ ſeparatæ a corporibus revertuntur ad intelligentiam, à qua & exiverunt, per modum quem ipſi juxta opinionem ſuam poſuerunt, redeuntes in id ipſum, & unitæ eâ unitate, quam dixi. Et ob hoc poſuerunt animam redire ad ſuum ſæculum altius (hoc eſt, ad intelligentiam ſuam, à qua eſt cauſata) ibique perfectionem noviſſimam (hoc eſt, in ſæculo ſuo altiori ipſam recipere, nec ultra eam aſcendere, aut aliam expectare. Qui error indubitanter ſequitur eos ex falſo fundamento ſuæ poſitionis; neque enim fas judicare poſſunt eas ultra cauſam ſuam aſcendere debere vel etiam poſſe. Nec notiorem perfectionem, quàm illa habeat, & in ea inveniant, eas C ſperare debere.

CAPUT XX.

Quòd animæ humanæ, cùm ſeparantur à corporibus, non revertuntur ad intelligentiam agentem, ut ab ipſa perfectionem recipiant in ſuo ſæculo altiori.

IUxta fidem autem, & legem Chriſtianorum facilè declaratur erroris iſtius impoſſibilitas; de omni enim rege, & principe bono manifeſtum eſt, quòd ſervitoribus ſuis majora, & nobiliora largitur, quàm eis ex paterna hæreditate contingant, atque honore, & gloria ſuper parentes ſuos eos exaltat, ſi hoc gratis obſequiis meruerint, & longè ſuper naturam ſuam Et interdùm ſuper filios proprios divitiis. & potentia eoſdem elevant. Multos enim videre potuiſti de ſervitoribus regum per ipſam regalem gratiam ſuper naturam ipſorum, & ſuper parentes D ſuos honore, & gloriâ elevatos, & ipſorum regum filiis potentia, & divitiis fuiſſe præpoſitos, ſeu prælatos, interdùm quoque adæquatos, & in filios adoptatos: quantò fortiùs igitur de rege ſæculorum omnium, cujus bonitatis, & largitatis differentias nullus attingit cogitatus, nullæ linguæ ſufficiant enarrare, adeò magnificè ſentiendum eſt, ut ad ſimilitudinem, & proportionem exemplorum iſtorū, faciat ſibi ſervientibus pro beneplacito? Ampliùs. Quis de regibus terrenis bellatores ſuos atque victores juxta magnificentiam ſuam non remunerat, & coronat, non eoſdem ditat, magnificat & exaltat ultra, quàm ſint, vel etiam meruerint? Ignominioſè igitur, & exiliter ſenſerunt de creatore intolerabiliterque detraxerunt magnificentiæ, & gloriæ

Hoc in fortuna rota conſpicias.

ipſius, qui Dei electos, atque dilectos ſervos, & eidem laudabiliter (hoc eſt ad beneplacitum ſervientes) non majora, quàm ſint, vel quàm naturaliter habeant, ſperare ab eodem debere opinati ſunt, & majores fieri eoſdem in regis illius palatiis, quàm eſſe poſſent in domibus parentum ſuorum.

CAPUT XXI.

Quòd fœlicitas animarum noſtrarum non eſt ex conjunctione ſui, vel unione, cum intelligentia agente, & cur hæc infima intelligentia aliam intelligentiam non genuit.

Oſtendam autem congruentiam exempli iſtius, atque parabolæ iſtorum exemplorum, atque parabolarum: ubi ponam tibi juxta opinionem ipſorum intelligentiam, & ſæculum perenne, & domum ipſius, creatorem verò, & præclaram illam habitationem ſuam, ſive palatium gloriæ ſuæ, regem remunerantem, domum, vel curiam ipſius, illis, qui nullam mercedem credunt, vel ſentiunt ſervituti, ſive ſervitiorum, quantacunque, & qualiacunque ibi † rependentur tam inclito, & magnifico regi, ſed in noviſſimo ſervorum ejus ſecundùm ſe ipſos, hoc eſt intelligentiâ agente, poſuerunt ſpem totam, & finem ſuæ perfectionis, quod eſt dicere, omnium bonorum ſuorum futurorum. Intelligentia namque agens noviſſima, & infima eſt omnium ſubſtantiarum nobilium abſtractarum. Ipſi verò nullam aliam ponere videntur. Cùm ab ipſo creatore non ponant niſi unam, & ab illa non niſi aliam. Et ita donec perveniatur ad iſtam noviſſimam. In quo ridenda eſt philoſophia eorum, & ridiculoſa etiam reputanda, qui vident ſubſtantias incomparabiliter ignobiliores, videlicet corporales, operari naturaliter, & diffundere virtutes ſuas in omnem partem. Iſtas verò ponunt operari ſolummodò in deorſùm, & per minorationem effectuum, quaſi tenuatâ virtute, pervenire ad infimum, & deficere tandem in nihilum. Cùm manifeſtum ſit in omni genere animalium parentes filios ſibi adæquare, & aſſimilare: interdùm autem meliores, ac potentiores etiam gignere. Ignem etiam videre non poſſunt plerunque majorem ſe gignere, & quominùs hoc ſemper faciat, per ſolam parvitatem materiæ, ex qua generationem hujuſmodi faciat, impediri. Horum autem ipſe creator benedictus exemplar ſe poſuit, qui æqualem ſibi filium æternaliter de ſe genuit, & æquale ſibi donum de immenſitate, & copioſitate largitatis ſuæ æternaliter effluxit. Exemplo hujus exemplatis omnes verè largitores tota profuſione largiuntur, quæ habent, & cùm æqualia ſibi ipſis dona non habeant, largiuntur ſe ipſos in omne, vel ad omne, quod accipientibus prodeſſe cognoſcunt. Omnes veri patres filios meliores, & ſapientiores, efficere quàm ipſi ſunt, enituntur. Omnes veri, & boni doctores diſcipulos ſapientiores, ac meliores, facere ſtudent, quàm ipſi ſint: omnes etiam veri amici ſe ipſis meliores eſſe volunt, quos veraciter amant. Qualiter igitur intelligentia agens vel non poteſt naturaliter, vel non vult, aut avaritiâ anguſtatâ, aut invidiâ perverſatâ, adæquare ſibi, & aſſimilare ſtatim aſſimilatione perfectâ animas noſtras, quas miro, & ſtupendo, genere cauſationis eam cauſare dicunt? Ampliùs. In impietatem idolatriæ planè iſta vergit opinio, dum non alium auctorem, non alium remuneratorem ponunt animabus noſtris, quàm ipſam. Non enim aliam gloriam ponit animabus noſtris, quàm redire ad ipſam, & perfectionem, quam apud ipſam recepturа eſt ex ſua ſeparatione à corpore, & conjunctione ad illam, nec alium paradiſum ponit eiſdem, quàm ſæculum illud altius, quod prædixi: hic enim eſt ſermo nominationis paradiſi ſpiritualis apud eos; fœlicitatem igitur, & perfectionem ultimam animarum noſtrarum non poſſunt intelligere (juxta poſitionem hanc) ſed conjunctionem, & unionem earum ad eam, & habitationem apud eam. Suadent igitur nobis per hanc viam iſtam intelligentiam habendam eſſe auctorem, reformatorem, perfectorem, atque remuneratorem unicum animarum noſtrarum; quare ipſi ſoli ſerviendum, ipſumque ſolum colendum eſſe animabus noſtris, tanquàm proprium, & unicum earum Deum. Neque enim de viſione creatoris, neque de fruitione bonitatis ipſius, neque de habitatione apud ipſum, promiſſionem aliquam eiſdem faciunt, vel etiam intentionem. Si enim hoc intelligerent, vel ſentirent animas noſtras ad creatorem redire, & ſuper cœlos omnes iſtos aſcenſuras, atque cum eo, & apud eum habitaturas, proculdubiò prædixiſſent. Nunc autem nec ad cœlum lunare eaſdem aſcenſuras eſſe, vel etiam attingere poſſe ſequitur ex opinione iſta, cùm ſæculum iſtud altius, quod ipſi ſic nominant, non ſit ſupra intelligentiam iſtam. Cùm enim dicunt illam ſolam eſſe hujus mundi terreni ſolem ſpiritualem, & intelligibilem, neceſſariò ponunt, eam eſſe ſolummodò in iſto orbe terreno, ubi & ſolummodò lucet, & ſolùm illum illuminat, quatenùs luminis illius receptibilis eſt. Quemadmodùm ſolē, & lunam, in orbibus ſuis fixos eſſe manifeſtum eſt, & inde vel eſſe deſcenſuros, vel aſcenſuros, neminem adhuc dixiſſe audivimus. Ipſa verò intelligentia agens, cùm ipſa ſit in ſe ipſa perfectiſſima, & propter hoc beatiſſima, & ideò non expectet perfectionem, vel perfectionis ſuæ aliquod complementum, de orbe ſuo in ſublimius aſcenſura, vel alio quocunque itura, non niſi ſupervacuè, & inutiliter poneretur, niſi fortè ad creatorem ductura ſecum multitudinem animarum, quæ ab ea, & per eam hîc illuminante directæ, & perfectæ ſunt, & eam præſentatura creatori in teſtimonium boni regiminis, & bonæ adminiſtrationis ſuæ, & oblatura ei, tanquàm lucrum de ſorte luminoſitatis, & perfectionis, ab eodem acceptæ. Quòd ſi eſt, operatur igitur per imperium dominantiſſimum creatoris, & injunctionem ejus, quam tranſgredi non licet eidem. Quapropter erit ſicut unus ex miniſtris Dei altiſſimi, & cuſtodibus, atque miniſtratoribus, regnorum, & provinciarum, quæ illis commiſſæ ſunt; hujuſmodi autem miniſtri ſunt angeli diſcurſores propter varia miniſteria. Non erit igitur hæc intelligentia, niſi ſicut unus ex angelis. Niſi fortè quantùm ad hoc, quòd major eſt ei adminiſtratio commiſſa, & poteſtas data, quàm multis ex angelis ſanctis, atque beatis. Fruſtra igitur novitatem hujuſmodi nominationis adinveniſſe videbuntur, cùm res nova non ſubſit. Nulla enim lex dubitat angelorum exercitus, & ordines multos eſſe, & inter ipſos multiplices eſſe gradus dignitatum, principatuum, & poteſtatum. Ampliùs. Omnium individuorum ejuſdem ſpeciei eædem ſunt vires, & potentiæ naturales, & etiā naturaliter æquales. Aut igitur hæc intelligentia agens eſt ejuſdem ſpeciei cum intelligentia, à qua genita eſt, vel (quemadmodùm ipſi dicunt) creata, aut non: ſi ſic, igitur eidem non ſolùm ſimilis viribus naturalibus, & potentiis, ſed etiam naturaliter æqualis. Quare ſi illa naturali virtute ſuâ, atque potentiâ potuit generare, vel creare intelligentiam, neceſſariò potuit iſta ſimiliter hoc ipſum. Quare ex iſta erit alia intelligentia. Et ita curtit res in infinitum. Si verò non eſt ejuſdem ſpeciei cum illa, non eſt igitur per generationem, aut alterius modi cauſationem

Margin notes: † *Aliàs* impendentur. — *Proprietas liberalium.*

Digitized by Google

cauſationem naturalem ab illa. Omnis enim cauſatio, quæ per ſe, eſt naturalis transfuſio ejus, quod eſt apud cauſantem in cauſatum, & omne datum naturaliter eſt apud dantem, hoc autem intelligitur ſecundùm ſpeciem, & ſimilitudinem, & non ſecundùm numerum. Non enim idem lumen numero eſt apud ſolem illuminantem aëra, & apud aëra illuminatum à ſole. Erunt igitur omnes decem intelligentiæ ejuſdem ſpeciei; hoc autem concedere noluit Ariſtoteles videlicet poſſibile eſſe multas ſubſtantias abſtractas ejuſdem ſpeciei eſſe. Quoniàm nec ipſas animas noſtras (quarum multitudo, atque diverſitas tam evidens eſt) concedere voluit multas eſſe, cùm ſeparatæ fuerint à corporibus, immò poſuit de neceſſitate eas omnes unicam eſſe animam. Ampliùs. Cùm hæc intelligentia ſit ſubſtantia impartibilis, qualiter in ea ſimul, & actu, eſt tanta multitudo formarum intelligibilium? Neceſſe enim videtur eſſe eas vel inibi confuſas eſſe, & velut commixtas, aut unitas invicem, & unum effectas mixtum, & unum naturaliter, non niſi ipſummet mixtum, & unum. Quare in intellectivam virtutem noſtram non influet ab intelligentia agente aliqua forma dilucida, & diſtincta, ſed quaſi confuſio, & mixtura formarum. Confuſione verò vel mixtura formarum non eſt intelligere aliquid dilucidè, vel diſtinctè. Quia igitur quæſtio iſta non magis eſt contra Ariſtotelem, quàm contra eos, qui econtrariò ſentiunt, determinabo eam tibi in ſequentibus. Non enim intendo contradicere ei, vel etiam cuiquam alii, niſi in quibus ipſum video ſentire contrarium veritati. Ampliùs. Hæc intelligentia, cùm illuminat, & perficit quamcunque ex animabus noſtris, aut conjungitur ei alio modo conjunctionis, aut non: ſi ſic, cùm hæc conjunctio non ſit per motum, eſt igitur proxima unicuique animarum noſtrarum, & conjuncta illi abſque medio. Et propter hoc in unaquaque animarum noſtrarum tota, ſive totaliter. Cùm neceſſe ſit ipſam impartibilem eſſe. Si enim partibilis eſſet, & habens magnitudinem continuam ad ſimilitudinem corporum, impoſſibile eſſet eam conjungi multitudini ſimul ſecundùm unam, & eandem partem. Reſtat igitur ipſam eſſe in unaquaque animarum humanarum; quare neceſſe eſt illam eſſe ſimul in unaquaque regione noſtræ habitationis. Ampliùs. Si ſeorsùm eſt ab anima, quam illuminat, & perficit, verbi gratiâ diſtans ab ea per miliare, vel per miliaria multa: lumen utique corporale poſſet emicare ab illa per medium aëra, vel aliud corpus diaphanum. Lumen autem ſpirituale non requirit hujuſmodi media. Ampliùs. Cùm operari non poſſit, quod operatur per ſemetipſam & non per aliud, niſi ubi eſt, neceſſe eſt igitur ipſam eſſe ubicunque operatur. Eſt igitur in unaquaque animarum noſtrarum, quotieſcunque illuminat eam. Impoſſibile autem eſt eam recedere, vel elongari per motum à quocunque, in quo ſit; neceſſe igitur eſt eam eſſe eſſentialiter, atque præſentialiter in unaquaque animarum noſtrarum, & manere etiam perpetuò apud illam.

Quòd Ariſtoteles non poſuit, niſi unam animam poſt ſeparationem.

CAPUT XXII.

Quòd non ſit reditus animarum noſtrarum ad prædictam intelligentiam, adhuc probationibus declaratur.

EX hoc autem oritur quæſtio de reditu animarum noſtrarum ad ipſam intelligentiam, quam poſuit Ariſtoteles: cùm enim ab ipſo puncto ſuæ creationis cùm ipſa intelligentia ſint, nec ab ea elongari poſſint, nec etiam ab illa recedant, cùm intrant corpora nec redire igitur ad illam poſſunt propriè. Niſi redire intelligat ex toto recedere à ſollicitudine corporum, curaque, & gubernatione ipſorum, & aliorum quæ per ipſum fiunt, totaliterque vacare, & adhærere intelligentiæ iſti, & fruitioni influentiarum, quæ deſcendunt ab ipſa intelligentia ſuper animas noſtras cùm à corporibus ſeparatæ fuerint, & in ſæculo ſuo altiori ſic receptæ fuerint, inibi perpetuò permanſuræ; habet autem nonnullam ſimilitudinem reditus iſte ad eum, quem ponit fides, & doctrina Chriſtianorum. Differt tamen. quoniàm reditum iſtum ponit fides, & doctrina Chriſtianorum tranſlationem eſſentialem animarum à mundo inferiori ad alium, hoc eſt ad mundum ſublimem, qui eſt habitatio gloriæ, vel ad mundum alium, qui eſt habitatio damnatorum, vel ad locum purgationis, vel ad locum de quo ſuperiùs audiviſti, qui eſt deputatus hominibus, qui peccato originali juxta doctrinam Chriſtianorum mortale non addiderunt. In iſto autem alio reditu non ponitur tranſlatio, niſi ſpiritualis, quoniàm nec exitus de mundo iſto, nec ingreſſus in mundum alium, vel locum. Ampliùs. Cùm hæc intelligentia cauſat, vel ſicut ipſi dicunt, creat aliquam ex animabus noſtris proculdubiò non creat eam niſi ubi ipſa eſt, creatio enim non eſt operatio, quæ per aliud, quàm operantem (hoc eſt creantem) fieri poſſit, unaquæque autem animarum noſtrarum impartibilis eſt, non creat igitur aliquam ex animabus noſtris foris extra ſemetipſam. Quare creat ipſam intra ſemetipſam, non enim poſſibile eſt ut intelligentia, & anima, quam creat, contingat ſe ſecundùm partem, cùm neque ſit partibilis: ſi verò contingunt ſe ſecundùm totum; altera igitur tota eſt intra alteram. Verum igitur eſt, quod dixi, quòd creat eam intra ſemetipſam, & non extra ſe unaquæque igitur animarum noſtrarum, cùm creatur, creatur intra ipſam intelligentiam, & eſt intra eam quæcunque igitur ſimul creantur ab ea, ſimul ſunt intra eam, ſive in ea. Cùm igitur nulla animarum noſtrarum creetur extra corpus, ſed potiùs unaquæque creetur in corpore ſuo, neceſſe eſt omnes ipſas eſſe, dum ſingulæ ſunt in corporibus ſuis, ſimul in intelligentia agente. Quare omnes animæ noſtræ, licet diſperſæ ſint per omnes partes habitationis iſtius, conjunctæ tamen ſimul ſunt, & congregatæ omnes in intelligentia agente. Valdè autem mirabile eſt, cùm ita ſint, videlicet unaquæque in omnibus aliis, & ſingulæ in ſingulis, ut nulla earum de aliis aliquid ſciat. Præſertim cùm in tanto lumine ſint, lumen enim earum intelligentia agens eſt: debes autem reminiſci, qualiter declaratum eſt tibi aliàs noſtras animas extra corpora non fuiſſe creatas, nec etiam potuiſſe creari.

Diverſa loca poſt hanc vitam conſideranda.

CAPUT XXIII.

Quòd intelligentia agens, cùm animas ſecundùm ipſos creavit, à ſe ipſa non abjecit eas, ut alliget corporibus, & detrudat.

QUòd ſi dixerit, quià intelligentia agens, cùm creavit unamquamq; animarum noſtrarũ intra ſemetipſam, dimittit eam ſtatim à ſe, & mittit in corpus, dico in primis, quòd confitetur homo iſte animas noſtras cauſari extra corpora: deindè quòd non ſolùm inutiliter, ſed etiam perniocioſiſſimè mittit eas in corpora; dum enim eas ejicit à ſe, ejicit eas de paradiſo fœlicitatis, & gloriæ ipſarum, & mittit eas in carceres tenebroſiſſimos, ſordidiſſimos, & horrificos corporum; tenebroſiſſimos quidem,

Vide deductionem.

quia ibi omnia ignorant ſtatim, & quæcunque ſcituræ ſunt, neceſſe habent per ſingula addiſcere, ſordidiſſimos verò, non tantùm temporali fæculentia, ſed etiam ſpirituali; in corporibus enim manifeſtum eſt animas noſtras omnium vitiorum, & peccatorum ſordibus inquinari; horrificos autem quoniàm vix invenitur, qui corpora mortuorum, poſtquàm ab eis animæ receſſerint, non horreat ferè intolerabiliter intueri. Ex præſentia namque animarum, videlicet dum animæ ipſæ in eis ſunt, & placita ſunt, & aſpectu deſiderabilia noſtra corpora. Ampliùs. Cùm apud intelligentiam nihil mali meruerint animæ noſtræ, utpote quæ nunquàm peccaverunt, nec etiam peccare potuerint, propter munditiam, & ſanctitatem intelligentiæ ipſius, nec non & propter ipſius ſtatus, in quo apud illam erant, fœlicitatem: quomodò poſſibile eſt, ut innocentibus animabus noſtris, omniq; culpa omni modo carentibus, à ſanctiſſima, ac beatiſſima iſta intelligentia tanta injuria irrogetur, ut in tantas miſerias, in tam diros carceres, noſtra ſcilicet corpora detrudantur? Ampliùs. Qualiter exeuntes animæ noſtræ ab intelligentia intrant corpora noſtra? An motu, an ſaltu, an ſubitò? Et de motu, & ſaltu, jam audiviſti apud Ariſtotelem, quia neuter poſſibilis eſt apud ſubſtantias impartibiles. Si verò ſubitò eſt hoc, ſcilicet, ut ſimul exeant ab intelligentia, & intrent corpora ſua, erunt igitur vel ſimul apud intelligentiam, & in corporibus, & propter hoc in fœlicitate, & miſeria ſimul (quod eſt impoſſibile manifeſtum) vel erunt apud intelligentiam tantùm, cùm intrant corpora, vel in corporibus tantùm, cùm exeunt ab intelligentia. Qualiter igitur exeunt ab intelligentia, ſi nec apud intelligētiam fuerint, nec aliquid earum, aut intrant corpora, ſi nec ipſæ fuerint in corporibus, nec aliquid earum? Ampliùs. Secundùm hoc violentus erit exitus iſte animarum ab intelligentia, & violentus ingreſſus earundem in corpora: quis enim opinari poſſit, ut ſponte paradiſum ſuæ fœlicitatis deſerant, & carceres tantarum miſeriarum, atque pœnalitatum nolentes intrent, non erit igitur conjunctio animarum noſtrarum, & corporum. Quare nec vita, ſive vivificatio corporum noſtrorum naturalis erit. Ampliùs. Finis creationis animarum noſtrarum perfectio earum eſt, atque fœlicitas. Utrunque autem iſtorum recipiunt ex habitudine ſua apud intelligentiam agentem. Cùm igitur intelligentia agens intendat perfectionem earum, atque fœlicitatem ſolummodò, & propter hoc ſolum creet illas: ſciat quoque indubitanter hanc perfectionem, & hanc fœlicitatem illas nec alibi, nec aliunde, quàm ab ea, & ex habitatione earum apud ipſam, & cum ipſa, poſſe obtinere; quomodò poſſibile eſt, ut elonget eas à fine iſto, quem ſolum eis intendit? Elongat autem, & prohibet illas à perfectione, & fœlicitate, quas eis intendit, dum eas à ſeipſa abjicit, & in carceribus eas corporum alligat, & detrudit.

CAPUT XXIV.

Quomodò ſecundùm eos poteſt eſſe intelligentiarum multitudo.

CUm autem ſubſtātiæ ſeparatæ à materia, & materiæ conditionibus, atque appendiciis, non ſint in ſe ipſis innumerabiles ſecundùm opinionem hominum iſtorum, propter quod, ut pr̨edixi tibi, etiam animas noſtras non poſuerunt innumerabiles eſſe, hoc eſt, plures, ſive multas, niſi dum ſunt in corporibus, ac ſi pluralitas, & multitudo, ſive numerus, non ſint eis, niſi per corpora & corporum conditiones,

E ſive accidentia: meritò perſcrutandum, eſt qualiter ponant numerum, ſive pluralitatem in intelligentiis, cùm ipſæ omni modo liberæ ſint, & ſeorſùm longè à materia, & conditionibus illius. Quòd ſi dixerint, quia eas invicem numerant, & plures eſſe faciunt comparationes cauſalitatis, & effectualitatis, hoc ſi eſſet, videlicet, quòd cauſalitas, & effectualitas pluralitatem facerent in eis, de quibus dicuntur; cùm igitur inveniantur in ſocrate iſtæ duæ comparationes ſimul, erit ex neceſſitate ſocrates plures homines ſimul. Eſt enim ſocrates cauſa filii ſui per generationem, qua genuit eum, & eſt effectus ſimul patris ſui per generationem, qua genitus eſt ab ipſo. Ampliùs. Jam declaratum eſt tibi, alibi, quia ad aliquid non diverſat, nec numerat res, alioquin quælibet res eſſet non ſolùm
F multæ, ſed etiam innumerabiles, & infinitæ, cùm unicuique accidant comparationes innumerabiles, & infinita ad aliud. Quòd ſi dixerit, quia cauſalitas, & effectivitas ſunt comparationes, quæ non poſſunt eſſe ejuſdem ad ſe, dico, quia ſimilitudo ſimiliter non poteſt eſſe ejuſdem ad ſe, & in infinitis ad aliquid, ideſt, relativis ſimiliter ſe habet, tamen ſimilitudo, & diſſimilitudo non numerant res, nec ponunt eas in numero, vel pluralitate, alioquin, ſicut prædixi tibi, ſocrates non eſſet idem homo, qui ipſe fuit puer, vel quandò naſcebatur. Ampliùs. Ipſa intelligentia agens ex tot cauſalitatibus, quot ſunt animæ noſtræ, cùm ad unamquamque habeat cauſalitatem appropriatam, per quam eſt cauſa illius eſſet tot intelligentiæ, quot ſunt animæ
G noſtræ. Videtur autem Ariſtoteles numeraſſe intelligentias per cœlos, & motus eorum, atque animas, videlicet, quia, ut ei videtur, cauſæ ſunt motus eorum, & modo eo, quo prædixi tibi; hoc autem longè abſurdius eſt, & à ratione remotius, quàm eſſet de corporibus, & de ad aliquid. Neque enim aqua propter hoc ponenda eſt multæ, quia movet multas rotas molendinorum, nec ventus multi, quia unus evidenter multas movet naves: quòd ſi dixerit, quia ventus non eſt movens naves, tanquàm amatum, nec aqua ipſa molendina, ſed violento impulſu, intelligentiæ verò movent cœlos, tanquàm amata ipſorum, & propter hoc multiplicatæ ſunt, ſive multæ inventæ ſimul accidit Ariſtoteli in primis creatorem benedictum, qui jam tibi declaratus eſt unus in ultimitate unitatis, eſſe multipliciorem innumerabilibus exercitibus: innumerabiles enim homines movet tanquàm amatum ipſorum, non ſpiritualiter tantùm, ſed
H etiam corporaliter, nec ſolùm uno motu, immò tantâ varietate motuum, quantâ poteſt eſſe in ejus cultu, atque ſervitio, vel fieri. Ampliùs. Quis non videt unum, & idem amatum innumerabilia amantia quotidiè movere ad ſe ipſum, videlicet unum, & eundem cibum multa animalia, unam, & eandem prædam multos raptores, unam, & eandem mulierem ſponſam multos amatores, unam, & eandem pecuniam multos cupidos, unum, & eundem honorem multos ambitioſos? Ampliùs. Omnes intelligentias & æquales eſſe per omnia, & ſimiles eſſe neceſſe eſt. Si enim ejuſdem ſpeciei ſunt, cùm ſint ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, & appendiciis ejus, unde eſt inter eas diverſitas, cùm apud animas noſtras, poſtquàm ſeparatæ fuerint à corporibus, nulla ſecundùm homines iſtos ſit futura diverſitas, immò etiam nec pluralitas? Ampliùs. Cùm unaquæque res ſit à cauſa ſua operatione naturali, & per ſe, operatio verò naturalis, & per ſe, ſit per ſimilitudinem, ſicut ſæpè dixi tibi, unde erit inter cauſam, & effectum ibi vel diſſimilitudo, vel diverſitas, maximè ſecundùm eos, qui ſic

Ingenioſè ratiocinatur.

Digitized by Google

ponunt? Ampliùs Omnis virtus, & omnis potentia, & generaliter omnis cauſa operans per ſe ſolam, & ex ſe ſola, & ſecundùm ſe ſolam, adæquat ſibi, & aſſimilat aſſimilatione, & adæquatione perfecta cauſatum: ſi enim luminoſitas ſolis cauſaret ſecundùm ſe ſolam luminoſitatem, quam infundit in aëra, ex neceſſitate adæquaret eam ſibi: non autem hoc facit, quin potiùs ſecundùm receptibilitatem aëris, & ſecundùm propinquitatem, aut diſtantiam ipſius aëris ad ſolem; hujuſmodi autem exemplum manifeſtum eſt in ſpeculis forma, & terſione, atque munditia ſimillimis, cùm enim convenienti oppoſitione, & appropinquatione ſibi invicem coaptabis, apparitio reſultans ab altero in alterum erit æqualis per omnia, & ſimilis apparitioni, quæ reſultat primum, & in primo ſpeculo, & curreret æqualitas iſta, & ſimilitudo in infinitum. ſi infinita hujuſmodi ſpecula, hoc eſt, terſa, & munda æqualiter, & ejuſdem formæ per omnia, ſic coaptari ſibi invicem poſſent Quia igitur prima intelligentia iſto modo cauſat ſecundam, & ex neceſſitate adæquat eam ſibi, & aſſimilat per omnia, & de ſecunda, & de tertia ſimiliter ſe habere neceſſe eſt, & deinceps, donec veniatur ad noviſſimam, quam vocant intelligentiam agentem. Æquales igitur ſunt, & ſimiles per omnia invicem intelligentiæ omnes. Quare nulla earum dignior eſt, ut vel prima, vel ſuprema ſit, & creatori vicinior, aut primò exiens ab eo. Et per hanc viam manifeſtum eſt non debere ordinem eſſe nobilitatis, aut ſublimitatis, vel etiam cujuſcunque perfectionis inter eas: ex quo ſequitur, quòd nec inter animas cœlorum, & conſequenter nec etiam inter cœlos propter proportionalitatem, hoc eſt, ſimilitudinem comparationum intelligentiarum ad ipſas, & ad cœlos earum Ampliùs. Creatio quam ponunt intelligentiæ ab intelligentia, aut fit ab intelligentia inter ipſam, quod eſt dicere, aut creat prima intelligentia ſecundam intra ſe ipſam, aut extra. Quòd ſi intra ſeipſam: creata igitur fuit intelligentia ſecunda à prima inter ipſam.

CAPUT XXV.

Quæritur quomodò unam intelligentiam aſſerunt aliam creaſſe, ubi oſtenditur, quòd creatio, non eſt, niſi omnipotentis creatoris virtute.

EX hoc oriuntur quæſtiones iſtæ, quas audies, videlicet, aut tunc ſecunda intelligentia, quæ citò fuit, creavit tertiam, aut diſtulit eam creare aliquo tempore, ſive hora. Quòd ſi tunc creavit tertiam, neceſſe eſt, ut tertia creet quartam. Curret igitur res uſque ad noviſſimam. Eo modo eſt quærere & de primo cœlo, utrùm cum ipſa etiam intelligentia creatum ſit, an priùs; ſi ſic, an ita ſe habet & de aliis cœlis, an non; ſi non, fuit igitur, quandò cœlum primum ſolummodò fuit, & nullum aliorum, ſed nec alia corpora erant. Cùm ipſi ponant & materiam primi cœli, & formam ejuſdem creatas à prima intelligentia. Reſtat igitur vacuum ſolum ſub illo cœlo. quare mundus totus inferior nec tunc erat, ſed vacuum, & inane, tantùm continebatur, & ambiebatur à primo cœlorum iſtorum. Jam autem audiſti deſtructionem vacui & per Ariſtotelem, & per me. Si verò tunc creavit prima intelligentia cœlum illud totum, hoc eſt, animam, & corpus illius, inſuper materiam, & formam corporis ejuſdem cœli; creatio autem iſta non fuit niſi verbo ſpirituali, quod eſt, intellectu, & imperio ſpirituali, ſive mandato, quod non eſt. niſi voluntas in effectu' ſive velle: manifeſtum eſt autem, quoniam ſic operari, & hoc opus tam præclarum, tam-

Nota inquiſitionem,

A que magnificum, ut eſt primum cœlum in ſua perfectione integra, tamque ſublimem effectum cauſare, ut eſt ſecunda intelligentia, non eſt niſi ſupereminentis & omnipotentis virtutis creatoris. Ampliùs. Secundùm hoc creator in omnibus, & per omnia otioſus, & omninò nihil agens fuit, & eſt adhuc. Et erit etiam vacans ab omni opere in ſæcula ſæculorum, niſi in hoc, quòd intelligentiam primam ſolummodò creavit, intelligentias verò alias, & animas cœlorum, atque corpora eorum, cæteraque omnia aliis à ſe creanda reliquit. Et hujuſmodi homines in hoc ſaltem honorant creatorem, ut dicant, quòd alia aliis creanda commiſerit. Vides igitur hîc, quia omnis lex contradicit ſermoni iſti, dum & ipſum Deum altiſſimum creatorem omnium vocant. & ipſum cœlos creaſſe, fabricaſſe, tetendiſſe, & ſtabiliviſſe confitentur. Quòd ſi de mandato, & injunctione creatoris intelligentia prima ita operata eſt, & aliæ conſequenter, inde manifeſtum eſt, eis ſolùm miniſterium creationis, non autem B auctoritatem ullatenùs eſſe attribuendam; quamquàm manifeſtum ſit creationem juxta intentionem communem non eſſe ullo modorum operationem ſervitutis, aut miniſterij, ſed ſummæ, ac primæ auctoritatis. Unde nec creatoré aliquam ex hujuſmodi ſubſtantiis adhuc nominare auſi ſunt vel idolatræ, vel hujuſmodi homines, quin potiùs nomen creatoris ſingulariter, & incommunicabiliter uni tribuerunt, quem auctorem omnium, & regem ſæculorum dominantiſſimum poſuerunt.

Quod creare non communicatur creaturæ,

CAPUT XXVI.

De hoc quod ſupra, ſcilicet quòd intelligentiis non ineſt virtus creandi.

C REvertar ad id, in quo eram, & dicam, quia ſi intelligentia prima creavit ſubſtantiam in ſemetipſa, & ita de aliis, æqualiter igitur deſcenderet ad cœlos inferiores, & eodem modo eſt quærere de animabus cœlorum. Ampliùs. Si unaquæque intelligentiarum creavit aliam, atque ſuum cœlum præter noviſſimam, quam agentem vocant, quomodò illa vel non potuit, vel non voluit creare cœlum ſibi conveniens? Ampliùs. Creatio mundi iſtius inferioris ſublimioris cui attribuetur? Si enim creatori ſoli, quàm ineptè, & quàm contumelioſè hoc dicant, manifeſtum eſt, cùm opera nobiliora, ac ſublimiora intelligentiis attribuant, omniumque hujuſmodi operum minimum, atque viliſſimum relinquant creatori. Sed & intelligentiam agentem, quam eouſque honorant, ut ei animarum noſtrarum creationem, & perfectionem attribuant: qua- D liter eouſque eam dejiciunt, & deprimunt, ut eidem ſaltem creationem mundi ſublunaris, vel ſaltem terræ non attribuant? Ampliùs. Aut hujuſmodi homines confitentur ſanctos, & beatos Angelos eſſe, juxta ſermones Prophetarum Hebræorum, legemque, & doctrinam tam Chriſtianorum, quàm Sarracenorum, aut nõ confitentur. Quòd ſi confitẽtur, neceſſe igitur habent confiteri multa millia eſſe, immò millia millium ſubſtantiarum & intelligentiarum ſeparatarum, inter quas intelligentias impoſſibile videtur eſſe poſſe diſtinguere. niſi fortè ſecundùm majus, & minus, officiaque, & dignitates commiſſas eiſdem à creatore, in quo ſaltem aliquatenùs communi veritati appropinquare videntur. Quòd ſi dixerint, quia creationes intelligentiarum, atque cœlorum, initium non habuerunt, nec aliqua earum in tempore, vel in inſtanti temporis facta eſt, quin potiùs ab æterno. & æternaliter, & omnes intelligentiæ, & omnes animæ cœlorum,

Digitized by Google

& ipſi cœli, ſunt, non eſt neceſſe, ut ea repetam, E quæ ſuper hoc in præcedentibus audiviſti.

CAPUT XXVII.

Deſtructio erroris prædictorum Philoſophorum de hoc, quod dicunt, intelligentias creare per intellectum.

VErùm non eſt prætereundum de modo operationis, quo dicunt intelligentiam primam creaſſe ſecundam, videlicet intelligendo creatorem. Ex hoc enim ſequitur eos omnem ſubſtantiam intelligentem creatorem creare. Si enim ex intelligere creatorem fuit, vel eſt primæ intelligentiæ creare ſecundam, vel potiùs ſi ipſum intelligere creatorem eſt ei creare ſecundam intelligentiam, & omne ſimile intelligere creatorem, in quocũque reperiatur, erit creare intelligentiam aliquam, niſi fortè dicat, quòd ipſum intelligere creatorem adeò F nobile, & perfectum fuit in prima intelligentia, quod ex eo exire debuit tã nobilis, ac præclarus effectus, videlicet intelligentia ſecunda: dico igitur, quia ex unoquoque intelligere creatorem debet eſſe congruens effectus ipſi intelligere, hoc eſt, juxta differentias, & comparationes ipſorum intelligere. Quod eſt dicere, ut quæ eſt comparatio, ſeu proportio unius intelligere creatorem ad aliud, ea ſit effectus illius ad effectum ſequentis, & quemadmodùm ex intelligere prænominato primæ intelligentiæ ſecutus eſt ille ſublimis, ac præclarus effectus, quem ſecundam intelligentiam vocant, ſequatur ex omni alio intelligere creatorem ſimilis, & æqualis, aut ejuſdem nobilitatis effectus. Ampliùs. Apud nullum artificũ hoc reperiri poſſibile eſt, videlicet, ut domum intelligens, aut imaginans, ſtatuam fabricet, vel arcam. Ex intellectu enim, vel imaginatione, & ex forma, vel conceptu, & artificio G ſemper eſt forma, quam artifex dat, vel imprimit, & non ex alia; intelligentiam autem ſecundam non potuit creare intelligentia prima, niſi intelligendo ipſam, non creavit igitur ipſam intelligendo creatorem niſi fortè quis dicere velit, quòd intelligendo creatorem ſubliniùs, ac meliùs, intellexit ipſam, quàm ſi illam per ſe intelligeret, & aciem intellectus ſui in illam immediatè dirigeret. Si autem iſta eſſet intentio eorum, tunc verum eſſet, quòd intelligendo eam propriè, ac per ſe, creavit prima intelligẽtia ſecundam: hic igitur debuiſſet eſſe ſermo totum, videlicet, quòd intelligendo ſecundam intelligentiam prima intelligentia creavit eam. Magis autem incongruum, & rationi contrarium videtur ſermo eorum de creatione animæ primi cœli, cùm formæ intelligentiæ primæ, & animæ illius, non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere diſcrepent, & propter hoc eſt ſermo iſte eorum eſt, ac ſi dicerent, H quòd faber ferrarius intelligendo, vel imaginando gladium, fabricet dolabram, aut econtrariò. Cùm, ſicut prædixi, ex forma intellecta, vel imaginata apud artificem, fiat ex neceſſitate ſemper forma, quam dat, vel imprimit. Irrationabilius etiam longè eſt, quod dixerunt de creatione formæ corporalis ipſius cœli. Et hoc eſt, quoniam longè diſtantioris ſimilitudinis, ac majoris diſcrepantiæ eſt ad omne id, quod eſt apud intelligentiam quàm ipſa materia cœli. Et propter hoc multò minùs eſſe potuit ab imaginatione, vel intellectu cujuſcunque, quod eſſet apud intelligentiam, cùm omnis forma impreſſa per intellectum, aut imaginationem, aut artem, neceſſariò ſimilis ſit formæ, quæ eſt in intellectu, vel imaginatione imprimentis. adhuc autem & de creatione materiæ ipſius cœli manifeſtum eſt per hanc eandem viam multùm improbabiliter, atque inopinabiliter, eos opinatos fuiſſe. Cauſa autem in hoc eſt, quia ipſa materia propter informitatem ſuam non potuit habere apud intelligentiam formam ſibi ſimilem: neceſſe autem eſt, ut prædixi tibi, omne quod eſt per intellectum, aut imaginationem, habere eſſe juxta ſimilitudinem formæ, ex cujus intellectu, vel imaginatione eſt. Quapropter non fuit poſſibile per hanc viam materiam exire à prima intelligentia. Ampliùs. Cùm jam declaratum ſit tibi per me in rebus, & ſubſtantiis immaterialibus, poſſibilitatem non eſſe aliud, niſi potentiam cauſæ efficientis illius intelligentiæ, igitur poſſibilitas, ſeu potentia apud intelligentiam primam non fuit niſi intellectus potentiæ creatoris. Potentia autem creatoris, nec minus eſt, nec aliud, quàm ipſe, nec aliquid defectus, vel impotentiæ apud ipſum eſſe poſſibile eſt. quare ex intellectu potentiæ ipſius non fuit poſſibile aliquid imperfectum, vel quod in potentia tantùm exiſtat, exire, nec dignũ aut decens fuit ut minùs perfectum eſſet, quod exibat ex intellectu potentiæ ipſius, quàm quod exibat ex intellectu eſſentiæ ipſius, cùm nullo modorum vel minor, vel minùs perfecta eſſet potentia ipſius, quàm eſſentia ejuſdem. Ampliùs. Potentia creatoris potentia tantùm activa eſt, & influens ſolummodò; nullo autem modo paſſiva, vel receptibilis, ſive recipiens, qualem manifeſtum eſt eſſe potentiam materiæ, & ipſam materiam receptibilem tantùm, & ex nullo modorum ipſam eſſe agentem, vel influentem: per intellectum igitur potentiæ primæ non debuit exire materia ab intelligentia prima, immò potiùs ſubſtantia activa, & influens.

Effectus neceſſario ſimilis ſua cauſa.

CAPUT XXVIII.

Quod in intelligentiis nihil ſit poſſibilitas, & tantùm in Deo ſit potentia effectiva earum, & quod nihil poſſint creare intelligendo creatorem, vel aliud de ſe ipſis.

QUòd autem poſſibilitas in hujuſmodi ſubſtantiis, hoc eſt, immaterialibus, nihil ſit, niſi potentia activa, vel effectiva eorum, hoc eſt, ex qua, vel à qua, ipſæ ſunt per modum effectionis, declarabitur tibi evidenter, & facilè, cùm intellexeris aliquam ex hujuſmodi ſubſtantiis non eſſe. Exempli autem gratiâ, nominetur aliqua ex illis A, dico igitur, quia poſſibilitas, quâ A eſt poſſibilis eſſe, non eſt aliud in A, vel apud A, cùm A nondùm eſt: in eo enim quod nondùm eſt, non eſt poſſibile aliquid eſſe, quod verè ſit. Quare potẽtia A, quâ eſt poſſibilis eſſe, ſecundùm veritatem nihil eſt, cùm non ſit in A, nec in aliquo ex parte A, hoc eſt, nec in materia ipſius A, cùm A immateriale ſit, nec in aliquo alio ex parte A, cùm nihil ſit adhuc omninò ex parte A, igitur omninò nihil eſt hujuſmodi poſſibilitas, cùm non habeat ubi ſit ex parte A. Aut erit per ſe, hoc eſt, ſine ſubjecto, quod eſt impoſſibile, aut erit in ipſa cauſa efficiente ipſius A: in cauſa autem efficiente non eſt potentia, niſi effectiva ipſius A, aut alia activa; hoc autem eſt dicere, quia potentia, quâ creabilis eſt A à creatore, antequàm creatur, non eſt niſi potentia, quâ ipſe creator potens eſt creare A. ſicut & potentia, quâ poteſt intelligi, quod nondùm eſt, non eſt aliud in illo, vel apud illud, cùm in illo, vel apud illud, quod nondùm eſt, nihil eſſe poſſit adhuc, ſed eſt tantùm potentia intellectiva, quæ eſt ſolummodò in eo, vel apud illum, qui poteſt intelligere illud. Et eodem modo ſe habet de opinabili, & opinativo, & de laudabili, & laudativo, & de ſimilibus, maximè quæ apprehenſiones, aut paſſiones, quæ ſunt ex appetitibus, ſignificant. Et declaravi tibi hoc multis

Quid potentia ſit vide.

viis in

Digitized by Google

viis in tractatu ſingulari de prædicationibus; & modis prædicandi; quia idem in omnibus hujuſmodi, & in exẽplo propoſito, & in illis ſimilibus, prædicatur per modum actionis, & per modum paſſionis, & per modum potentiæ, & poſſibilitatis. Quemadmodùm cùm dicitur aliquid amare aliud, & illud ab ipſo, utroque verbo, activo ſcilicet, atque paſſivo, prædicatur ſolus amor, qui non eſt niſi in amante, & apud ipſum. Similiter cùm dicitur Socrates cognoſcere aliquid, & illud cognoſci ab illo ipſo, una cognitio numero, & ſola, quæ eſt in Socrate ſolo, & apud illum ſolum, prædicatur utrunque, hoc eſt, utroque verbo, hoc eſt, activo videlicet, atque paſſivo? Ampliùs. Intellectus in eo, quod intelligens, non eſt agens in rem intelligentem. Neque etiam in aliud, neque enim videre agere eſt, & Ariſtoteles in tractatibus ſuis, intelligere quodammodò pati, & quoddã pati dicere conſuevit, & communiter formas intelligibiles in ſpeculo noſtri intellectus à rebus intellectis reſultantes, ſeu relucentes, paſſiones vocare, quemadmodùm in libro peri hermenias dixit, quia voces ſunt notæ earum, quæ ſunt in anima, paſſionum. Intelligens igitur, per hoc, quòd eſt intelligens, & ſciens, per hoc, quòd eſt ſciens magis eſt patiens ſecundùm Ariſtotelem, atque recipiens, quàm agens, vel influens, vel ſaltem habens aliquid apud ſe, nec in creatorem benedictum aliquis ſermonis iſtius hujuſmodi intentionem extendat, vel in aliquam ex ſubſtantiis immaterialibus nobilibus abſtractis, de quibus Ariſtoteli, & ſequacibus ſuis, non eſt viſum, quòd aliud recipiant. Cùm poſuerint eas ab æterno in omnibus perfectionibus ſuis fuiſſe, & nihil eis de novo unquàm adveniſſe, vel adventurum fore. Iſte autem ſermo, vel opinio non liberat eos, vel facit effugere, quin intelligere, aut ſcire, ſit vel pati, ſive recipere, vel habere aliquid apud ſe, videlicet ſcientiam, vel intellectum. Quare generaliter verum eſt, quòd ſciens, vel intelligens per intentiones ſcientis, aut intelligentis, hoc eſt, per modum, quo eſt ſciens, vel intelligens, non eſt agens, vel influens in aliud. Vanè igitur, & falsò, poſuerunt primam intelligentiam, vel quamcunque aliarum per modum, quo erat intelligens, hoc eſt, per ſuum intelligere aliquid vel creare, vel agere. Ampliùs. Si intelligens, vel ſciens, ex intentione ſcientis, vel intelligentis, eſſet agens, vel influens, potiùs hoc eſſet in rem ſcitam, vel intellectam, quàm in aliquam aliam. Si enim videns hominem, vel aliquid aliud, per hoc, quòd videns, eſſet agens, vel influens influentiam quamcunque, dignum eſſet, & magis debitum, ut per hujuſmodi viſionem, vel viſum, eſſet agens in hominem, vel influens in ipſum, quàm in aliquid aliud. Et ſi non eſſet agens, vel influens, per viſionem in rem viſam, multò minùs hoc eſſet in quodcunque aliud. Tu autem audiviſti poſitionem eorum. Et legis in eis manifeſtè, quia nulla intelligentia aliquid cauſavit, vel creavit, niſi intelligendo ſe, vel aliquid eorum, quæ ſua ſunt, & ſuam actualitatem, ſeu potentialitatem, aut ipſum creatorem. Nec dixerunt aliquam eorum in aliquid horum, hoc eſt, in aliquam rerum intellectivarum, aliquid egiſſe, vel influxiſſe, ſed quemadmodùm quis diceret artificem, vel operatorem quemcunque intelligendo, vel imaginando arcam, fabricaſſe pontem omninò ad fabricationem arcæ nec adjuvantem, nec pertinentem. Ampliùs. Ignoraſſe eos apparet, quòd in omni operatore, qui per artem, vel ſapientiam operatur, artem eſſe tantùm, ſicut lucernam, & non operari eam aliud, ſed oſtendere ſolummodò, quid, vel qualiter, operandum ſit: quemadmodùm viſus ſe habet ad greſſum, in quo nihil operatur per modum effectionis, ſed tantùm oſtendit viam, & viæ diſcrimina: voluntas autem greſſum imperat; virtus autem greſſibilis, quæ eſt in pedibus, & tibiis, aliiſque membris greſſum adjuvantibus, illum efficit, vel perficit. Cùm igitur intelligere in quocunque gradu nobilitatis, vel excellentiæ, ſit, nec plus ſit ad quamcunque intelligentis operationem, quàm videre ejuſdem, manifeſtũ, eſt quòd nulla intelligentiarum, ex intelligere ſuo per modum effectionis aliud operatur, vel operata eſt. Quare nec prima intelligentia ſecundam, nec ſecunda tertiam, & ſic de aliis, nec intelligentia agens animas noſtras per ſuum intelligere vel creavit, vel alio modo cauſavit per modum effectionis, ut dixi. Ex his apparet tibi, quòd per artem operari, vel ex arte artificem aliquid facere per modum effectionis, nũquàm apud nos verè, ac propriè dicitur. Quòd autẽ lex Chriſtianorum artem creatoris vocat ejuſdem filium, & ex illo, & per illum, omnia facta eſſe, vel fuiſſe docet, & prædicat, proculdubiò veriſſimè hoc facit. Et hoc jam declaratum eſt tibi per me, quia ars hæc non ſolùm ars eſt, ſed etiam verbum, & imperium omnipotentiſſimi Dei patris, cui obediunt ea, quæ non ſunt, non minùs, quàm quæ ſunt, ſicut audiviſti apud quemdam ex Prophetis Hebræorum, qui dicit, quòd ipſe vocat ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt. Ampliùs. Intelligentia agens cùm cauſat aliquam ex animabus, aut cauſat eam intelligendo creatorem, aut intelligendo ſemetipſam, aut intelligendo aliud de ſe ipſa juxta modum, quem poſuerunt aliis intelligentiis, ſi dixerit, quia intelligendo creatorem: ex hoc igitur intellectu, vel intelligere, debet cauſari alia intelligentia, ſicut ipſi dixerunt de aliis intelligentiis, alioquin quam cauſam diverſitatis aſſignare hîc poterunt? niſi forſan hîc dicant, quòd intellectus creatoris eſt apud alias intelligentias ſublimior, atque nobilior, & propter hoc ſublimiores, atque nobiliores ſunt ex eo effectus, quàm ſint ex intellectu creatoris, qui eſt apud intelligentiam agentem: dico in hoc, quòd rectè dicunt ſecundùm poſitionem iſtam. Verùm, quia proportionales ſunt ſemper cauſæ ſimiles ſuis cauſatis, cùm cauſæ non differant, niſi ſecundùm magis, & minùs, ut ipſi ponunt, neceſſe habent ponere cauſata eorum non differre niſi per modum eundem, & hoc eſt ſecundùm magis & minùs tantùm. Quoniàm igitur intellectus, quo intelligentia agens intelligit creatorem, non differt ab intellectibus, quibus aliæ intelligentiæ intelligunt ipſum, niſi ſecundùm magis, & minùs, non differrent effectus qui ſunt ex hujuſmodi intellectibus, niſi per modum eundem. Cauſatum igitur, quod exit ab intelligentia agente ex intellectu, quo intelligit primum, videlicet creatorem, erit ejuſdem ſpeciei cum ſimiliter exiſtentibus cauſatis ab aliis intelligentiis; erit igitur intelligentia. Ipſi autem dicunt, quòd ab intelligentia agente non cauſatur ſubſtantia aliqua nobilis, præterquàm animæ noſtræ. Quòd ſi dixerit, quia intelligendo ſe ipſam cauſat animas noſtras intelligentia agens; quemadmodùm aliæ intelligentiæ intelligendo ſe ipſas cauſant animas cœlorum, vel cauſaverunt, conſequens eſt per eandem viam, ut animæ noſtræ omninò non differant ab animabus cœleſtibus, niſi per modum, quo intellectus hujuſmodi, & intellecta: non differrent igitur ſpecie, ſed ſecundùm magis, & minùs, quaſi gradibus tantùm nobilitatis, & ſublimitatis atque perfectionis. Manifeſtum autem eſt hoc eſſe impoſſibile, cùm animæ cœlorum & naturaliter perfectæ ſint, & longè diſſimilium operationum ad operationem animarum noſtrarum. Indicat etiam magnitudinem diverſitatis iſtius

Quod intelligere non agere.

Nota.

magnitudo diverſitatis corporum cœleſtium, & corporum noſtrorum, qua differunt ab invicem tam genere, quàm figura, quàm motu. Et in figura, atque motu, & etiam genere differre manifeſtum eſt eis quoque, qui in rebus naturalibus paucæ exercitationis ſunt, manifeſtum eſt figuras corporum animalium pro diverſitate animarum diverſas eſſe, interdùm etiam, & complexiones. Quòd ſi quis objiciat de leone, & cane, quia corpora eorum ſimilis figurationis eſſe videntur, licet ſpecie manifeſtè differant: Reſpondebo in hoc, quia non ſatis conſideravit figuras corporis leonis, & canis, qui hoc dixit, & maximè in unguibus, & dentibus, nec ſermo Ariſtotelis, quo dixit in libro ſuo de animabus, quòd leo intùs eſt canis, & canis intùs eſt leo, cogit nos concedere canem, & leonem, ſpecie idem eſſe, hoc enim magis ſecundùm figuram interiorem leonis, & canis, dixit quàm ſecundùm naturam. Quod apparet evidenter ex alio ejuſdem ſermone in eodem libro, quo dixit, quia ex oſſibus leonis invicem colliſis ignis exilit. Non ſic autem ex oſſibus canis. Apparet & eadem diverſitas inter animas eorundem animalium ex naturali ferocitate, & rabie, ac feritate leonis, & habitatione ejuſdem ſeorſùm ab hominibus, & ex naturali manſuetudine canum, atque cuſtodia, & adulatione, multiplicique ſervitio, necnon inſeparabili eorum cohabitatione ab hominibus. Cauſa autem in hujuſmodi eſt, quoniàm naturalia omnia omnibus individuis ejuſdem ſpeciei ſemper convenientia ſunt.

CAPUT XXIX.

Quod intelligentia agens intelligendo non cauſat animas noſtras, nec intelligentia prima ſecundam, nec aliquid aliud.

SI verò dixerit, quòd intelligentia agens, aliud aliquid intelligendo de ſe, cauſat animas noſtras, ſequuntur ipſum eadem inconvenientia, quæ in præcedentibus circa intelligentias alias audiviſti. Ampliùs. Non eſt dubium ſecundùm poſitionem iſtam, quin unum, & idem, & eodem modo intelligendo, cauſet omnes animas noſtras. Unde igitur in eis tanta diſſimilitudo, tantaque diverſitas, tam multa denique artium, officiorum, & omnium generum operationum non ſolùm varietas, ſed etiam repugnantia, & contrarietas. Ampliùs. Cùm nunquàm ceſſaverit, nunquàm eſſet, vel ceſſaturus ſit intellectus creatoris apud intelligentiam primam, nec intellectus ſui ipſius apud eandem. & ad hunc modum ſe habeat de aliis intellectibus, hoc eſt de intellectu ſuæ actualitatis. & intellectu ſuæ paſſibilitatis, nunquàm igitur debent ceſſare actiones, ſive alterius modi cauſationis effectus, quæ ex hujuſmodi intelligibilibus ſunt. Erit igitur continua, & æterna unaquæque cauſationum hujuſmodi, quare non una ſola intelligētia cauſata erit ab illa, ſed infinitæ per intellectum creatoris. Et ad hunc modum ſe habere debet de aliis intellectibus, & cauſatis ipſorum. Si enim ex uno intellectu, quo intelligentia prima intellexit creatorem per horam unam, aut diem unum, proceſſit intelligentia ſecunda, cùm ejuſdem perfectionis, atque virtutis, æqualiſque per omnia ſit intellectus ipſius de creatore in quacunque hora, vel die alia, neceſſe eſt, ut ex illo ſimpliciter procedat intelligentia alia. Ut quid enim otioſus, & vacuus ab æquali, & ſimili effectu eſt æqualis, & ſimilis alterius horæ, vel diei intellectus apud eandem intelligentiam? niſi fortè quis dicat, quia illa prima cauſatione, vel generatione, ſeu etiam creatione,

E ne, totam virtutem ſuam omninò explicuit, & effudit prima intelligentia, & propter hoc inepta, & impotens effecta eſt ulteriùs creare, vel aliter cauſare, ſive generare: quemadmodùm manifeſtum eſt in quibuſdam animabus ſe habere, propter quod determinatus eſt eis & numerus generationū, & tempus generandi. Impoſſibile autem eſt apud virtutem intellectivam ita ſe habere. In animalibus namque ita ſe habet propter debilitatem virtutis generativæ, quam efficit frequentia generandi; apud intelligentiam autem primam, vel quamcunque aliarū, non habet locum debilitatio, vel alterius modi defectio. Ampliùs. Virtus intellectiva omnis ex intellectu creatoris confortatur, atque perficitur, & ſi eſt augmenti receptibilis, ex illo adaugetur. Ampliùs.
F Ipſum intelligere intelligentiæ primæ nec minuitur, nec deficit, nec ullum genus recipit detrimenti. Quapropter ſtat continuè in virtute ſua, atque perfectione illæſum per omnia. Aut igitur nunquàm ex illo, ſive per illum eſt aliqua intelligentia, aut inceſſanter ex eo fluunt infinitæ intelligentiæ, una poſt aliam. Hujuſmodi autem exemplum eſt in fonte indeficientis per omnia copioſitatis, & diminutionis nullo modorum receptibilis. Ibi enim, quemadmodùm ſtat in eadem virtute, & perfectione, abſque ullo modorum diminutionis, copioſitas fontis, ſic indeficienti perſeverantia redundant ex eo emanationes abſque numero, & termino: nullo modo igitur poteſt eſſe ſola intelligentia ſecunda. Ampliùs. Omnis virtus intellectiva ex ſuo intelligibili nobiliſſimo, & maximo illuminatur cognitione ipſius, & inflammatur amore ipſius, & iſtæ duæ ſunt primæ influentiæ illius ſuper illam.

Quod ex cognitione creatoris animæ noſtræ illuminantur & inflammantur.

G Ex his verò duabus influentiis conſequenter emanant ex illa operationes ſervitutis, atque ſervitiorum, quibus hujuſmodi intellecto, & amato placere ſe cognoſcit, aut quatum debitorem ſe reputat erga hujuſmodi cognitum, & amatum. Et hoc non habet inſtantiam, niſi ubi intelligentem hujuſmodi ſubſtantiam pravitas aliqua pervertit. Manifeſtum igitur eſt tibi, quòd ex hujuſmodi amore, & cognitione procedunt laudes, & gratiarum actiones, & placita obſequia apud hujuſmodi cognitum, & amatum, nullo modo verò ex his duabus influentiis, vel impregnatur, vel alio modo recipit hujuſmodi cognitor, & amator, ut ex eo procedat ſubſtantia intelligens, niſi fortè per modum meriti, vel gratiæ: quemadmodùm narratur in lege Hebræorum, & in lege Chriſtianorum de aliquibus, in quibus adeò ſibi complacuit creator benedictus ut cùm eſſent
H ſteriles, daret eis etiam in ætate ſenili filios. Non eſt autem ſic apud intelligentiam primam ſecundùm opinionem iſtorum, apud quos de gratia, vel merito nulla eſt in parte iſta mentio, vel etiam cogitatus. Sunt & aliæ influentiæ in animabus noſtris ex intellectu, & cognitione creatoris, videlicet timor, honor, & reverentia, atque ſanctitas, quâ ipſius honoribus, & cultui totaliter ſe addicunt, niſi alicujus corruptionis perverſitas eas ab his averterit.

CAPUT XXX.

Quòd intelligentia prima naturali proceſſione non exivit à creatore, nec ſecunda à prima.

QUòd ſi dixerit juxta ſententiam eorum, quòd naturæ virtus eſt ſimile ex ſimili procreari, & propter hæc, cùm intelligentia prima naturali proceſſione procedit à creatore, transfunditur in eam à creatore virtus creandi ſimilem ſibi ſubſtantiam. Quemadmodùm à luce ſolis transfunditur in lumen, quod ex ea procedit, virtus cauſandi ſimile lumen,

Digitized by Google

A lumen, & ita donec veniatur ad ultimum receptibile luminis: Reſpondeo ad hoc, & dico, quòd non omne, quod eſt apud gignentem, transfunditur in genitum generaliter, quoniàm nec omne, quod eſt apud gignentem, decet, aut poſſibile eſt habere genitum, & hoc docet evidenter fides, & doctrina Chriſtianorum in primo genitore, & primo genito, & primo donatore, & primo dono, ſicut in prima parte magiſterij iſtius didiciſti. Dico etiam, quòd prima intelligentia non exivit à creatore per modum, quem dicunt, hoc eſt naturali proceſſione: immò libertimâ creatione, & beneplacitâ electione. Addo inſuper, quia per modum, quo fas eſt dici multitudinē apud creatorem, multa ſunt apud ipſum, quæ non ſunt tranſibilia in creaturas, vel communicabilia ipſis. Et ex his unum eſt omnipotentia, & aliud eſt dominatio univerſalis, quorū neutrorū vel decet, vel poſſibile eſt creaturam aliquod habere: ſunt & alia plurima hujuſmodi, quæ per temetipſum videre tibi facillimum eſt. Ampliùs. Si naturali operatione, ut iſti homines ponere videntur, ſecunda intelligentia exivit à prima, jàm autem audiviſti apud Ariſtotelem, quia natura operatur per modum ſervientis: omnis autem operatio hujuſmodi ab alio eſt, & per modum imperantis: creatiō igitur intelligentiæ ſecundæ à creatore ipſo eſt ſecundùm opinionem illorum per modum imperantis. Ampliùs Serviens per modum ſervientis nihil poteſt in operatione per ſe (operatione dico) quam per modum iſtum operatur. Nec enim poteſt deſiſtere ab ea per ſemetipſum nec accelerare eam, nec addere, aut minuere quicquam eidem; totaliter igitur conſiſtit hujuſmodi operatio, hoc eſt, quantùm ad ſuum eſſe, aut ſuum non eſſe, quantùm ad ſuum accelerari, & ſuum retardari, & quantùm ad omnia alia, quæ ejus ſunt, in beneplacito imperantis; illi igitur ſoli eſt & attribuenda, & imputanda, & hoc ipſum nos, velut interpretantes naturæ ſervitutem, & creatoris imperium ſuper naturam, in moribus noſtris ſervamus; illi ſoli gratias agentes de ſervorum ſuorum obſequiis, cujus ſolo beneplacito & mandato nobis præſtantur. Sic & mittentibus munera, non ea nobis deferentibus regratiamur, & eiſdem ſolis nos debitores, & obnoxios pro hujuſmodi muneribus, vel obſequiis reputamus. Totam igitur creationem ſuam creatori ſoli debet intelligentia ſecunda, & nihil omninò ipſius intelligentiæ primæ. Quòd ſi dixerit, quia intelligentia prima creavit, vel aliter cauſavit, intelligentiam ſecundā imperio creatoris, & hoc fecit voluntariè & non coactè: dico in hoc, quia jam cōfitetur, qui hoc dixit, non naturali operatione intelligētiam ſecundam exiviſſe à prima, ſicut nec operatio voluntaria à ſervo exit per modum naturæ, vel etiam ſervitutis. Manifeſtum inſuper etiam eſt quia voluntaria nobis munera, ab aliis nobis miſſa, deferentibus, munera non attribuimus, vel imputamus. Præſertim cùm voluntatem deferentium ſola voluntas D mittentis ad ea deferenda nobis inclinaverit, vel induxerit. Quod fas eſt, ac convenientiſſimum ſentire de unaquaque intelligentia ſecundùm eos, qui eas tantâ præcellentia nobilitatis, & perfectionis extollunt. Nihil enim de eis rectius, aut magnificentius ſentiri poteſt, quàm eas in ultimitate ſubjectionis, & ſervitutis eſſe ſubditas creatori.

CAPUT XXXI.

Quot modis, vel intentionibus, dicatur nomen creationis.

Debes autem ſcire, quia verbum creandi, & nomen creationis, cùm transfertur ad vulgare B Hiſpanicum, penè ejuſdem intentionis, & ſignificationis eſt cùm verbo generationis, vel nativitatis; unde apud Hiſpanos creatus de domo aliqua (hoc eſt ſtirpe, vel familia) dicitur, qui de ea vel natus, vel genitus eſt. Non autem iſtā intentione Deus altiſſimus creator communiter dicitur, nec creatio, quin potiùs creatio ſingularis eſt operatio creatoris, quia ſolo beneplacito voluntatis ſuæ abſque ullo medio, vel adminiculo, largitur eſſe cui voluerit. Et per modum iſtum, vel intentionem, non dicitur creare, niſi ſubſtantias incorporeas, ſive incorporales, exceptis ſolis cœleſtibus. Aliæ enim generantur, & per actiones, & paſſiones, multoſque conflictus agentium, & patientium generantur. Cœli verò, & alia cœleſtia corpora creata ſunt per modum prædictum, & intentionem De quatuor autem elementis manifeſtum eſt, quia ſecundùm partem inceſſanter generantur, & corrumpuntur, etſi non ſecundùm totalitatem ſuam; Chriſtianorum verò conſuetudo, etſi concedat homines generare homines alios, & homines eſſe generatores hominum, non tamen creare recipit homines homines alios, aut homines creatores eſſe hominum aliorum. Abhorret etiam audire, tanquàm impium, atque nefarium, verbum creandi de omni alio à creatore, niſi tranſlatâ ſignificatione, & intentione. Quemadmodùm apud gentem tandem creari dicuntur reges vel ſacerdotes. Quod indubitanter longè aliâ intentione dicitur. Hæc igitur operatio, videlicet creationis ſecundùm hanc intentionē creatori appropriata eſt apud gentem iſtam in iſta intentione, & nominatione. Et quemadmodùm dixi tibi de quibuſdam aliis virtus ejus, & ipſa, non transfunduntur à creatore in creaturam aliquam, nec communicatur alicui.

Quòd creare nulli communicatur.

CAPUT XXXII.

C *Narratio mirabilium virtutum quorundam animalium, & applicatio.*

Conveniens autem eſt, ut in hoc capitulo reminiſcatis virtutum, atque ſubſtantiarum intelligentium, vel etiam ſentientium, quæ extra ſe ipſas, & corpora, quibus conjunctæ, vel colligatæ ſunt, operatur impreſſiones mirabiles. Verùtamen nullam invenies, quæ ſubſtantiam ſibi ſimilem vel in ſe, vel extra ſe generet, aut creet Et ex iſto genere (ſicut alibi dixi tibi) eſt piſcis, qui vocatur torpedo, qui tangentis manum ſolo attactu ſui adeò torpidam efficit, ut nihil illa hora omninò operari poſſit. Et quod eſt mirabilius, ſi lanceâ quantæcunque longitudinis tangatur, eundem torporem in manu tangentis, non dico in lancea, operatur. Ex his eſt piſcis, qui echeneis nominatur, qui adhærens exteriùs fundo navis, quantumcunque maximæ, & quantocunque flatu, vel impulſu ventorum agitatæ, eam ſtare cogit immobilem. Ex his eſt & baſilicus (ſolo viſu hominem ut dicitur) interficiens. Ex his eſt vir, vel mulier, quicunque oculos habens faſcinantes, ſi creditur ſermonibus vulgaribus, & maximè mulierum vetularum. Ex his eſt lupus, ſi creditur verbis hominum dicentium, quòd ſi priùs viderit hominē, quàm videatur ab ipſo, ipſum naturaliter raucū facit, prævisus autē ab homine hoc in eū minimè operatur. Sunt & alia innumera hujuſmodi, quæ libri de ſecretis, & mirabilibus animaliū virtutibus continent. Horum igitur tibi rememorationem feci, ne fortè ipſorum exemplo in opinionē creationis aut generationis, quas imponunt intelligentiis, inducaris. Quod eſt dicere, ne propter hoc, quòd intelligentias ponunt incomparabiliter nobiliorum, ac majorum virtutum, quàm ſint anima

Nota de natura cujuſdam piſcis.

Digitized by Google

animalium prænominatorum, cogi te credas ad opinandum, vel concedendum, quòd hujuſmodi creationes, quas eis imponunt, poſſe debeant intelligentiæ, cùm audiveris jam ſæpiùs animas canum, & aranearum, multa poſſe, quæ non poſſunt animæ noſtræ, licet nobilitate, atque perfectione ſint eis naturaliter incomparabiles. Vulgate autem exemplum eſt in ferro, & auro; ferrum manifeſtum eſt multa poſſe, quæ non poteſt aurum. Sic & auris poteſt, quod non poteſt oculus, cùm ſit oculus aure multò nobilior. Et de his ſuppetit tibi exemplorum innumerabilis multitudo.

CAPUT XXXIII.

Determinatio contradictionis Platonis & Ariſtotelis, de mundo archetypo, & quòd nomina, quæ excellentiam notant, ſoli Deo propriè, & verè conveniunt, creaturis autem æquivocè, vel ſecundum quid.

POſt hæc autem revertens ad contradictionem Platonis, & Ariſtotelis, determinabo eam tibi, & narrabo veritatem communem, in quam omnes leges conſentiunt, & cui atteſtantur eloquia Prophetarum. Dico ergo in primis, quia creator eſt veritas per ſemetipſum, & apud ſemetipſum, & rectiſſimè, ac convenientiſſimè, nominatur primus verus. Eſt etiam veritas ad univerſum, quod ab ipſo creatum, vel conditum, & ordinatum eſt ordine pulcherrimo, & ipſum univerſum eſt umbra vaniſſima, ac tenuiſſima ad ipſum, & comparatione ipſius. Et hoc inſinuavit Avencebron in ſermone ſuo, quo dixit, quòd creaturæ erexerint ſe ad creatorem, & fecerunt ei umbram. Expoſitio autem intentionis meæ in ſermone umbræ eſt hæc, videlicet, quia cùm conſideraveris immenſitatem, & ſublimitatem creatoris in omnibus prædicationibus, & ſingulis, quæ magnificentiam ejus innuunt, & curam, & gloriam: invenies manifeſtè eaſdem prædicationes, cùm ad univerſum, vel ejus partes referuntur, non ſignificare niſi umbras exiguas, & nutus, atque veſtigia, & ſigna permodica eorum, quæ ſignificant apud creatorem, cùm de ipſo dicuntur; exempli gratiâ, attende diligenter intentionem potentis, & potentiæ, cùm creator potens dicitur, vel ejus potentia nominatur. Conſidera ſimiliter intentiones eorundem nominum, cùm aliqua creatura potens dicitur, aut ejus potentia nominatur, & compara potentiam creatoris ad potentiam creaturæ, & videbis manifeſtè, quia potentia creaturæ ad potentiam creatoris non eſt digna, ut nominetur potentia, ſed ſignum, vel veſtigium permodicum illius, cùm ſit impreſſa ab illa. Non enim eſt comparatio inter illas, qualis cogitari poteſt inter fontem copioſiſſimum, & indeficienter redundantiſſimum ad *Nota.* unam ex guttis totius aquæ illius, vel abyſſi, vel maris, vel ad ſtillam permodicam totius aquæ ſuæ, propter multas cauſas. Harum prima hæc eſt, quia videlicet utrunque aqua dicitur, & hoc univocè ſecundùm unam, & eandem intentionem; tota enim aqua ex hujuſmodi fonte manans, & unaquæque gutta ipſius aqua dicitur; ſic & tota abyſſus, ſive mare, & unaquæque ſtilla ipſius: non ſic autem ſe habet in creatoris potentia, & cujuſcunque creaturæ potentia. Secunda, quia quælibet ſtilla, vel gutta totius fontalis emanationis pars eſt illius. Similiter & quælibet ſtilla, vel gutta abyſſi, vel maris, pars ejuſdem eſt. Non ſic autem eſt inter potentiam creaturæ quamcunque, & quantamcunque, & potentiam creatoris videlicet, ut hæc pars illius ſit, vel etiam aliquid cõparabile ad illam. Tertia cauſa eſt, quia ſtillæ, vel guttæ in aliquo numero aggregatæ, E ſeu congregatæ aliquid cõparabile, hoc eſt aliquam aquã comparabilẽ in magnitudine totali emanationi prædictæ, aut toti abyſſo, indubitãter conſtituere poſſunt, vel etiam æqualem aquam; tota enim abyſſus magna ex finitis numero guttis æqualibus conſtituta eſt, & ſicut alibi didiciſti, nulla magnitudo aggregata eſt ex infinitis tantis ſui generis, verbi gratia nulla linea ex infinitis tantis lineis, nulla ſuperficies ex infinitis tantis ſuperficiebus, nullum corpus ex infinitis tantis corporibus, quacunque quantitate demonſtratâ. Cùm autem aggregaveris in imaginatione tuâ, vel intellectu omnes omnium creaturarum, & ſingularum potentias, & cogitaveris aggregatum ex illis, tanquàm potentiam unam omnium, aut potentiam univerſi, tota hæc ſic aggregata potentia non erit aliquid comparabile ad potentiam creatoris; declaratio verò hujus eſt, quoniàm ſi intellexeris vel univerſa eſſe infinita, vel hujuſmodi potentiam aggregatam ex infinitis, ſive multiplicatam, neutra infinitas etiam ad punctum, F ſcilicet horum, poterit reſiſtere potentiæ creatoris: juxta hunc modum conſidera ſapientiam creatoris ad unamquamque aliarum ſapientiarum, & aggregatam infinitatem ex illis, & invenies unamquamque illarum, & etiam infinitatem aggregatam ex illis non eſſe aliquid comparabile ad ſapientiam creatoris. Sic ſe habet de bonitate creatoris, & de aliis bonitatibus, ſic de ſuavitate, & de aliis ſuavitatibus, de largitate, & de aliis largitatibus, de pulchritudine, altitudine, nobilitate, & de omnibus aliis, quorum prædicationes nobis, ut dixi, magnificentiam, ſive excellentiam creatoris utcunque innuunt, & ad creaturas pro ſuæ exiguitatis congruentia referuntur. Cum his autem comparationibus, & conſiderationibus attende diligenter veras impoſitiones, & proprias ſignificationes hominum, & videbis evidenter, quòd nullum nomen coloris propriè nominat colorem, aut denominat, niſi purum, & immixtum ſuo contrario, quemadmodùm G nec albedo nominat colorem, niſi purum à nigredine, nec album denominat propriè, ac verè, niſi, quòd puram, & immixtam nigredini albedinem participat, & propter hoc dixit Ariſtoteles, quoniàm alba dicuntur quædam, quæ nihil dealbare videntur, intendens indubitanter, quòd nullâ ratione albere dicerentur, ſi vel modica in eis admixtio nigredinis appareret. Quare manifeſtum eſt, per errorem, aut ignorantiam, nominationes in talibus, & denominationes fieri. Nomen igitur potentiæ verâ impoſitione, & propriâ ſignificatione non nominat, niſi potentiam puram uſquequaque ab impotentia, & eidem omninò immixtam. Juxta hunc modum & potens non denominat, niſi habentem veræ rationis potentiam, & per hanc viam currit res in ente, & entitate, in vero, & veritate, bono, H & bonitate, pulchro, & pulchritudine, ſapiente, & ſapientia, alto, & altitudine, nobili, & nobilitate. Manifeſtum igitur eſt ex his, & per hæc, quia veræ & propriæ ſignificationes hujuſmodi prædicationum ſoli creatori conveniunt, aliis autem non applicantur, niſi æquivocè, & ſecundùm quid, vel ad aliquid, vel qualiqualem, & longiſſimè diſtantem à creatore ſimilitudinem. Quantùm igitur ad hujuſmodi nominationes, & denominationes, veritates (ut ita dicatur) ſunt apud creatorem. In creatura autem ſolæ ſimilitudines hujuſmodi veritatum, juxta modum, quo ſimilitudines inter creatorem, & creaturas, eſſe poſſibile eſt, & convenienter cogitari.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

Deſtructio erroris Platonis qui poſuit denominationes rerum mundi hujus non fieri per veritatem; ſed tantùm per ſimilitudinem.

Vide ſententiam Platonis.

VErùm Plato ultra, quàm oporteret, & veritas exigeret extendit hujuſmodi ſimilitudines, & expreſſit in ſermonibus ſuis in libro, quem Timæum nominavit. Quoniàm nominationes creaturarum omnes per ſimilitudinem tantùm fiunt, & nulla earum per veritatem, unde nec veram terram, nec verum ignem, nec veram aquam, aut verum aërem in mundo ſenſibili eſſe patenter aſſeruit, non attendens quòd multæ nominationes ſunt de creaturis, quæ nullâ comparatione, vel ſimilitudine ad creatorem dicuntur. Non enim terra nominata eſt terra, quemadmodùm bonum, nec denominata eſt nigra, quemadmodùm bona, neque corporalis, aut fæx elementorum, quemadmodùm creatura, aut opus creatoris; ſimiliter non ſic nominata eſt materia terreſtrium corporum aut habitatio hominum, & animalium greſſibilium, de quibus nominationibus manifeſtum eſt, quòd per ſe nihil innuunt, quod ad creatorem pertineat. Hæc igitur, & ſimiles nominationes ſunt creaturis ſecundùm ſuum eſſe, & veritatem, & ſecundùm proprias diſpoſitiones ſuas abſque ulla comparatione, & reſpectu ad creatorem: ſi enim vera terreitas, aut igneitas vera non eſſet in mundo iſto ſenſibili, nec vera terra, nec verus ignis eſſet in eodem; non eſt igitur vera terra hîc, aut verus ignis. Tamen neceſſe eſt concedere Platonem de terra, quæ eſt in hoc mundo ſenſibili, quòd vel eſt aliquid in veritate, ſive ſecundùm veritatem, vel nihil: quòd ſi eſt aliquid ſecundùm veritatem, cùm ei nomina poſuerimus, redibit Plato ex neceſſitate in id ipſum, quod negaverat ſi enim nominetur terra, concedet igitur ex neceſſitate terram ſecundùm veritatem eſſe in mundo ſenſibili; & veram terram eſſe hanc, quam videmus in eodem; ſi verò non placeat ei, ut terram eam nominemus, nominet eam A, vel B. Et eadem quæſtio erit, utrùm verum A ſit in hoc mundo ſenſibili. Quia igitur neceſſe habet recipere verum A eſſe in mundo hoc, cogetur ex neceſſitate concedere veritatē A, eſſe hîc, non ſolùm ſimilitudinem illius. Ampliùs. Quid reſponderet Plato interrogatus, an verus Plato eſſet ipſe, qui ita opinabatur, & an veritas Platonis eſſet in ipſo, & apud mundum iſtum ſenſibilem? Si verò reſpondet, quia reverà ipſe eſt verus Plato & veritas Platonis eſt in ipſo, & apud mundum iſtum, qualiter effugeret ut non ſimiliter confiteri cogeretur, & veram terram hanc eſſe, & veritatem ejus in mundo iſto eſſe? Quòd ſi diceret ſe non eſſe verum Platonem, nec veritatem Platonis in eo eſſe, ſed ſecundùm ſimilitudinem quandam ſolùm veri Platonis ſe eſſe, verum autem Platonem apud mundum eſſe ſpecierum, nec vera igitur individua, ſive particularia ſunt in mundo iſto ſenſibili, quod eſt dicere nec veri homines, nec veri equi, aut veri aſini. Quare nec verè mundus iſte ſenſibilis eſt, nec verus mundus. Conſequens igitur eſt nihil eſſe omninò in mundo iſto ſenſibili ſecundùm veritatem. Ipſumque mundum ſimiliter nihil eſſe in veritate, ſive ſecundùm veritatem. Quòd enim nihil eſt in veritate, nihil eſt ſimiliter, & verè nihil. Nec volo uti contra eum illo ſermone Ariſtotelis, quo dixit in libro Metaphyſicorum, quia unumquodque ſic ſe habet ad veritatem, ſicut ad eſſe, propter hoc, quoniàm ad-

A verſarius non eſt teſtis idoneus contra aliquem. Ampliùs. Saltem ſimilitudo terræ apud mundum iſtum eſt, etſi non veritas, ſecundùm Platonem, & hæc ſimilitudo non facit eam verè, ſive eſſentialiter terram, ſed ſolummodò terreum. Similiter dicet, quia apud iſtam terram non eſt vera corporeitas, ſed ſimilitudo, quæ ſimiliter non facit eam verè corpus, ſed tantùm corporeum. Neceſſe igitur habet tandem venire ad hoc, ut neque verè ſubſtantia ſit, nec eſſentialiter, ſed neque aliquid aliud. Quare neque verè, neque eſſentialiter, aliquid erit. Et ad hunc modum ſe habet res in unoquoque aliorum. Nihil igitur erit verè, aut eſſentialiter de omnibus ſingularibus, ſeu particularibus. Quòd ſi dixeris, quià hoc eſt eſſe terræ, ſcilicet eſſe terreum ſimiliter, & eſſe ignis, vel eſſe ignem non eſt, niſi eſſe igneum, & hoc modo ſe habet res in omnibus aliis hujuſmodi prædicabilibus: manifeſtū autem eſt, quia terreum, & igneum, non dicunt quid, neque prædicantur in eo, quod quid eſt, nihil igitur prædicatur apud B nos, hoc eſt in mundo iſto, vel poteſt prædicari in quid. Quare nihil eſt quid, nec aliquid eſt diffinibile cùm non ſit dicere de aliquo, quid hoc eſt. Ampliùs. Veritas, & verum ſemper ſimul ſunt, ſicut albedo & album, & ad hunc modum de aliis, verbi gratiâ, veritas humanitatis, ubi verus homo, & ubi ſolummodò veri homines, ſicut ubi vera albedo, ibi ſolummodò vera alba; apud mundum igitur ſpecierum ſolummodò ſunt veri homines, & veri æqui, & vera omnia alia. Quare vera individua, ſeu particularia omnia apud mundum illum ſunt, & nullum apud nos hoc eſt, in mundo iſto. Manifeſtum eſt tibi ex his quarum rerum veritas, & cujuſmodi veritas, apud creatorem ſit, & quarum rerum ſimilitudines apud nos hoc eſt, in mundo iſto ſint: deindè quarum rerum veritates apud nos ſint, ſimilitudi- C nes verò ſolæ apud creatorem. Et hoc apparet ex ipſa communicatione, ſeu communione nominationum, communione inquam, qualem dixi tibi, quæ reverà æquivocationis eſt, & non univocationis, hoc eſt, unius rationis apud nos, ſimilitudo verò ſola apud creatorem. Intellige autem ſimilitudinem eo modo, quo prædixi tibi, videlicet eo modo, quo exemplar ſimilitudo eſt exempli. Quemadmodùm vides, quia reverà domus extra eſt, ſcilicet quæ videtur foris oculis corporeis, & quæ ædificatur eſſentialiter ex lignis, & lapidibus. Similitudo verò, & exemplar illius intus eſt, ſive intra, hoc eſt, in mente artificis. Vides etiam, quia nomen domus impoſitum eſt ei, quod extra eſt, extra inquam mentem artificis, & nullo modorum impoſitum eſt ei, quod eſt apud artificem, ſive in mente ipſius, ſed ei ſoli impoſitum eſt & illud ſolùm nominat, quod fo- D ris videtur, quod eſt ſcilicet habitatio, & receptaculum hominum. Nullo modorum autem nominat aliquid quod ſit apud artificem. Nec alius hominum hujuſmodi exemplar unquàm domum vocare auſus eſt, niſi per abuſionem intolerabilem. Juxta hunc modum terra eſt nomen ejus, quod eſt apud nos, & videtur, & nullo modorum alicujus, quod ſit apud creatorem, vel in mente ipſius, nec alius hominum adhuc vocavit terram, vel ignem, vel aquam, niſi quæ ſunt apud nos, & videntur.

CAPUT XXXV.

Deſtructio erroris Platonis de hoc, quod poſuit veritatem particularium rerum eſſe in mundo archetypo.

CUm autem intentiùs conſideraveris ſermones Platonis apparebit tibi manifeſtè impoſſibilitas eorum. Primùm, quoniàm exemplar nec verè,

nec propriè dici poteſt veritas exempli. Veritas enim uniuſcujuſque rei non eſt, niſi vel ſubſtantia, vel eſſentia, ſive eſſe ipſius. Et hoc eſt, quod ratio, ſive diffinitio explicat. Hoc autem eſt reſiduum à tota circunveſtitione accidentium. Manifeſtum autem eſt, quòd nullo iſtorum modorum exemplar eſt veritas exempli, ſed neque res veritas ſigni ſui verè, vel propriè, dici poteſt; dicitur quidem veritas rei apud illud, vel in illo eſſe, apud, vel in quo, eſt ratio, ſeu diffinitio, & cui nomen primò, ac principaliter impoſitum eſt, quemadmodùm apparet in homine, atque ejus pictura, ſive imagine. Nam homini, qui eſt animal rationale greſſibile bipes, nomen hominis impoſitum eſt principaliter, atque primò. Et apud ipſum, & in ipſo, eſt tota ratio, ſeu diffinitio hæc, quam poſui. Et ipſe eſt, qui verè, ac propriè, atque ſingulariter, ideſt ſolus, dicitur verus homo; pictura verò, vel imago ipſius nullo modorum dicitur verus homo, dicitur tamen homo, ſed æquivocè, ſicut audiviſti apud Ariſtotelem: mundus igitur archetypus, ſive exemplaris nullo modorum eſt veritas rerum particularium, hoc eſt, nullo modorum eſt vel ſubſtantia, vel eſſentia, vel eſſe illarum, niſi quis per abuſionem intolerabilem dicere velit omnem imaginem, ad cujus ſimilitudinem imago alia facta fuit, veritatem eſſe illius. Ampliùs. Aut intellexit Plato ſpecies, dùm dixit mundum ſpecierum exemplar eſſe mundi iſtius ſenſibilis, atque particularium, quas dicimus prædicari de pluribus differentibus numero in eo, quod quid eſt, aut intellexit rerum ſimilitudines, ſive ideas, ſive imagines rerum exemplares. Quòd ſi juxta priorem intentionem, contradicit huic ſermoni ipſemet Plato evidenter in libro ſuo, quem nominavit Timæum, dicens, quia non hoc, quod eſt apud nos, terra eſt, ſed terreum, nec ignis verus eſt, qui apud nos eſt, ſed igneum, verbi gratiâ, terra, & verus ignis, non prædicantur de his, quæ apud nos ſunt eſſentialiter, ſive in eo, quod quid eſt, ſecundùm ipſum Platonem, cùm ipſemet in prædicto ſermone ſuo removeat verum ignem, & veram terram, ab his quæ apud nos ſunt. Ampliùs. Hujuſmodi ſpecies totum eſt eſſe individuorum; quicquid enim habet Socrates præter hominem (hoc eſt præter ea, ex quibus eſt homo) accidit eidem; id verò, quod habet reſiduum ab accidentibus, eſt totum eſſe ipſius, quare totum eſſe ipſius, eſt ipſa ſpecies videlicet hęc ſpecies homo, ſicut dicitur, vel prædicatur de ipſo, cùm dicitur, Socrates eſt homo. Quia igitur totum eſſe individuorúm omnium in ipſis individuis eſt, & non extra, manifeſtum eſt hujuſmodi ſpecies in individuis ſuis, ſive ſingularibus totaliter eſſe & non extra. Ampliùs. Ubi uniuſcujuſque veritas, ibi eſt ipſum & econtrariò. Quare ſi veritas terræ, & veritas ignis apud mundum exemplarem, ſive archetypum ſunt, neceſſe eſt verum ignem & veram terram eſſe apud ipſum, hoc autem innumerabilia inconvenientia ſequuntur. Primum quidem, quoniàm verus ignis non erit corpus, ſimiliter nec vera terra. Quare corpus non erit genus ad ignem, & terram, verum inquàm ignem, & veram terram. Ampliùs. Verum corpus ſecundùm hoc non erit apud mundum iſtum, ſed apud archetypum. Et eodem modo ſequitur, ut nec vera ſubſtantia ſit apud mundum iſtum. Quare nec verum accidens per eandem rationem, & ita nihil verum erit in mundo iſto particularium. Quare nec verus ſol, nec vera luna, nec verus Socrates, aut verus Plato, ſimiliter: nec verus calor, nec vera frigiditas, quare nec verè calidum, nec verè frigidum apud nos eſt aliquid. Ubi autem eſt vera frigiditas, ibi eſt & verè frigidum, ſimiliter ubi verus eſt ca-

E lor, ibi & verè calidum; verè igitur calidum, & verè frigidum in mundo ſolo archetypo ſunt, & per eandem viam verè album, & verè nigrum; quare verè viſibilia, & verè tangibilia, in ſolo illo ſunt, & propter hoc verè ſenſibilia, quare & verè particularia apud illum ſolum ſunt; ipſe igitur eſt verè mundus particularium ſolus. Ampliùs. Si vera albedo apud ipſum ſolum eſt, quomodò vera albedo eſt, qua nihil eſt verè album, vel etiam album? Manifeſtum autem eſt ſecundùm ſententiam Platonis in mundo intelligibili nihil eſſe ſenſibile; quare neque album, neque nigrum, nec calidum, nec frigidum, nec molle, nec durum; quare veritas qualitatum ſenſibilium non eſt ibi, cùm verè ſenſibilia non ſunt ibi. Ampliùs. Secundùm hoc non eſt apud nos veritas motus, ſed in mundo archetypo: ipſe autem ponit ipſum quietiſſimum, immobilem, æternum. Ampliùs. Cùm veritas

F uniuſcujuſque rei ſit eſſe ipſius, quod ejus ratio, vel diffinitio explicat: nihil eſt diffinibile eorum, quæ in mundo iſto ſunt, hoc eſt, nihil eorum habet rationem, vel diffinitionem explicantem ejus eſſe. Et propter hoc nihil eorum habebit eſſe creatum, ſive cauſatum, cùm omne hujuſmodi eſſe ſit inexplicabile, & ita nihil eorum, quæ ſunt in mundo iſto, habebit, eſſe, omne autem, quod habet non eſſe, non eſt. Quare nihil erit omnium eorum, quæ in mundo iſto ſunt. Ampliùs. Cùm Plato ponere non poſſit mundum illum, niſi impartibilem, non poteſt in eo ponere aliquid, quod habet trinam dimenſionem. In impartibili enim non poteſt poni trina dimentio, nec aliquid habens trinam dimenſionem. Ampliùs. Vera terra, quæ ibi eſt, nec frigida eſt, nec ſicca, nec gravis, ſive ponderoſa. Hujuſmodi enim diſpoſitiones non habent locum in mundo intelligibili. Quomodò igitur vera terra eſt terra illa, quæ nullam iſtarum diſpoſitionum habet? Ampliùs. Quomodò terra eſt, de qua non poteſt fieri, vel

G vas unum fictile, vel laterculus unus? Ampliùs. Terra illa, vel eſt una numero, & ſingularis, vel non: ſi ſic, eodem modo ſe habet & de igne, & de uno quoque aliorum. Quare quicquid eſt in mundo archetypo unum numero eſt, & ſingulare, ſive particulare. Eſt igitur mundus ille particularium, ſive ſingularium, & omnia illa exemplaria, quæ apud illum ſunt, ſingularia, ſive particularia ſunt. Quare ad exemplar ſingularium, ſive particularium facta ſunt omnia, quæ ſunt in mundo iſto. Ampliùs. Terra illa, vel eſt compoſita, atque partibilis, vel eſt ſimplex, & impartibilis. Quòd ſi ſimplex, & impartibilis, quomodò vera, aut verum corpus? Si verò compoſita, & diviſibilis, ſequitur, ut ſit vel gravis, vel levis, quare & ſenſibilis, & propter hoc per omnia ſimilis terræ, quæ apud nos eſt. Ampliùs. Secundùm hoc erit etiam in loco eodem modo. Per eandem viam oportebit eos idem dicere de igne, & de

H aliis corporibus mundi iſtius ſenſibilis. Quare mundus archetypus non erit, niſi alter mundus ſenſibilis ſimilis huic. Manifeſtum igitur eſt per hæc, & alia, quæ præceſſerunt, Platonem non intellexiſſe hoc, quod dixit, de mundo archetypo, de ſpeciebus, quæ de individuis, vel ſingularibus in eo, quod quid, prædicantur. Illas enim eſſe neceſſe eſt, & in ſingularibus ſuis; & cum ſingularibus. Ubi enim Socrates eſt, neceſſe eſt eſſe hominem, & ubi homo eſt, neceſſe eſt, eſſe aliquem hominem. De ideis igitur, ſive formis exterioribus, quæ in mente creatoris æternaliter ſunt, intellexit ſermones ſuos.

Quid intellexerit Plato per mundum archetypum.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Alia deſtructio erroris Platonis, ubi docetur entitatem idealem, & rerum, quæ apud nos ſunt, differre eſſentialiter, nec dici de eodem, & nomina rerum iſtarum mundi eſſe vera, & eſſentialia, propriè nominantia, quæ verè ſunt, & quòd per ſimilitudinem transferuntur ad creatorem, vel ſpirituales ſubſtantias, non propriè.

IN hoc autem vel per abuſionem intolerabilem locutus eſt, vel erravit evidenter, quòd nomina terræ, & ignis, & alia ſimilia, dixit non prædicari ſecundùm veritatem de corporibus, quæ ſunt apud nos, neque per eſſentiam, ſed per ſimilitudinem tantùm. Cùm dubium eſſe non poſſit alicui intelligenti hujuſmodi nomina eſſentialia eſſe, & veri nominis nomina eſſe, non denominationes, aut agnominationes, atque inſtituta eſſe ad declarandas rerum eſſentias, ſive ſubſtantias, non autem ſimilitudines, aut alias diſpoſitiones, ſeu comparationes earum, ſicut prædictum eſt tibi. Ampliùs Nec Platoni, nec alii unquàm dubium eſſe potuit omne exemplar, & ſuum exemplum quodcunque, duo eſſe ſecundùm veritatem, ſive eſſentialiter, quemadmodùm cauſam, & effectum ſuum; ſimiliter priùs, & poſteriùs, de quibus manifeſtum, quòd cùm ad ſe invicem referuntur, impoſſibile eſt, ut dicantur de eodem: in hac enim comparatione, ſive conſideratione, contraria ſunt, quare impoſſibile manifeſtum eſt, terram, quæ apud nos eſt, & terram exemplarem, videlicet cujus iſta exemplum eſt, unius eſſe veritatis, aut eſſentiæ: quia igitur utraque eſt ſecundùm veritatem, neceſſe eſt illas eſſe duas, & duorum eſſe, atque duarum veritatum, cùm unumquodque ſe habeat ad eſſe, ſicut ad veritatem, prout audiviſti apud Ariſtotelem in libro metaphyſicorum, & ſicut per ſemetipſum hoc manifeſtè verum eſt, quoniàm veritas uniuſcujuſque rei eſt ejus eſſe, & econversò. Manifeſtum igitur eſt mundum iſtum corporeum verum mundum eſſe, & verum habere eſſe, non ſimilitudinarium tantùm. Quia ſicut prędixi tibi, nomina partium mundi iſtius non ſunt nomina ſimilitudinum, neque denominationes, aut agnominationes impoſitæ ab accidentibus, ſed ſunt nomina veri nominis, & veræ nominationis, nominantia, quæ ſunt verè, & eſſentialiter. Et propter hoc eſſentialia nomina ſunt impoſita rebus ad nominandum eas, quod verè, atque eſſentialiter ſunt, ſicut ſol, luna, terra, vel aliorum hujuſmodi unumquodque. Et hujuſmodi nominationes propriæ ſunt eis ſecundùm iſtas intentiones, nec ullo modo ſecundùm eas transferuntur ad creatorem, vel ad ſpirituales, & abſtractas ſubſtantias, ſed magis per ſimilitudinem aliquam, quemadmodùm apud prophetas ſol juſtitiæ, & ſol intelligentiæ interdùm nominatur. Cauſæ autem, propter quas hoc fiat, manifeſtæ ſunt tibi. Terra verò, ſive cùm dicitur apud prophetas terra viventium, ſive etiam cùm dicitur in lege hebræorum terra manans lacte, & melle, juxta ſimilitudines acceptas à prophetarum, & philoſophorum ſermonibus, per nonnullas ſimilitudines accipitur; ipſe enim, ideſt, creator, eſt velut patria, & urbs quædam, ſanctorum angelorum, & ſanctarum animarum in eodem beatè viventium. Eſt & tanquàm regio deliciis ſpiritualibus affluentiſſima, de qua torrens voluptatis, & fluenta delitiarum ſpiritualium per emanationes in omnes exercitus militiarum ſpiritualium inceſſanter, & indeficienter, inundant. Terra igitur dicitur ex ſimilitudine habitationis, quæ habitatio prænominatorum civium eſt, A lacte verò, & melle manans ex redundantia prædictarum delitiarum, hæc autem, & ſimilia nota ſunt exercitatis in ſermonibus prophetarum.

CAPUT XXXVII.

Quòd nominationes quædam, quæ ſecundum veritatem exactiſſimam conveniunt creatori, creaturis communicantur, & quidem verè, tamen ſecundùm intentionem, quæ eis aptantur.

IAm verò dixi tibi in eis quæ præceſſerunt, quòd nominationes quædam ſecundùm veritatem exactiſſimam, & poſitionem nominum primitivam propriè conveniunt creatori. Communicat tamen hujuſmodi nominationes vel omnibus, vel aliquibus ex creaturis. B Sicut eſt ens, eſſe, potens & potentia, ſapiens, & ſapientia, bonus, & bonitas, pulcher, & pulchritudo, & his ſimilia, quæ ſecundùm depuratam & immixtam contrario per omnia veritatem, ſoli conveniunt creatori. Verùm communicantur aliis per quandam (licet longè diſtantem) ſimilitudinem, ſicut expoſui tibi. Et nomina quidem ad ſupereminentiam, & gloriam pertinentia, qualia ſunt, rex, & dominus, & his ſimilia, cùm depuraveris, & à contrariis uſque ad purum removeris intentiones eorum, invenies ea eſſe nomina ſolius creatoris, excellentiam ejus, & gloriam ſignificantia, quemadmodùm ſi depuraveris regem ab eo, quod eſt regi, & ipſum regem ſimiliter depuraveris ab omni iniquitate, injuſtitiâ, imprudentiâ, negligentiâ, & C infirmitate, ſeu debilitate, regis nomen ſoli conveniet creatori; ſic dico & de hoc nomine, dominus, cùm depuraveris intentionem ejus, videlicet dominationem, ab omni ejus contrario (quod eſt dicere ab omni ſubjectione, & debito ſervitutis: non enim verè, aut purè dominus eſt, qui alii vel ſubjectus eſt, vel etiam debitor ſervitutis) ſimiliter cùm depuraveris intentionem dominationis à parte inferiori, hoc eſt, à parte comparationis, quam habet dominus ad inferiores, vel ſubditos, hæc autem eſt poteſtas, invenies poteſtatem ejus puram, & immunem ab omnibus his quæ ſunt ex parte impotentiæ, & occurret tibi intenſio dominationis ex utraque parte ſic depurata, ſoli creatori conveniens, & eidem appropriata appropriatione incommunicabili ſicut in lege hebræorum, & in libris prophetarum ipſorum invenies ſæpè dictum, Dominus nomen illi, & ex perſona ipſius, ego Dominus, hoc eſt nomen meum. D Manifeſtum igitur eſt tibi, quia hujuſmodi nominationes non communicantur creaturis ſecundùm intentiones depuratas, quibus appropriantur creatori; & propter hoc non univocè, ſed æquivocè, & diſtantiſſimâ ſimilitudine. Verùm iſta diverſitas rationum, & intentionum, non prohibet, quin verè dicantur de creaturis, & intentionibus, quibus applicantur, & aptantur eiſdem; non enim dubium eſt, quin rex Indorum, & rex Æthiopum, his intentionibus, quibus reges ab hominibus communiter nominantur, verè reges ſint, ſive ex nuda poteſtate (licet eam multis iniquitatibus, & injuſtitiis maculent) ſive ex poteſtate, juſtitiâ, aliiſque regis virtutibus decoratâ, propter quod, & tyrannos reges impios vocant homines, licet eos non regant, idest rectè agant, ſed magis violentâ tyrannide illos premant, & graſſantur in eos, non eos cuſtodientes, aut defendentes, ſed magis prædam de illis ſibi facientes, quemadmodùm dixit ſapientiſſimus hebræorum, leo rugiens, & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem. Quòd ſi dixeris, quia rex nomen juris eſt, & officii, & impoſitum

Quòd nomina, quæ pertinent ad supereminentiā creatoris ſecundum depuratas intentiones, non communicātur creaturis.

Quomodo nomina præmiſſa ſecundum veritatem creaturis conveniāt.

Digitized by Google

non ab his, quæ malè potentes faciunt, ſed ab officio, vel jure, vel debito eorum quæ facere debent; & quia non eſt rex aliquis ex eis, quæ facit, (quæcunque illa ſint) nec ex poteſtate faciendi hujuſmodi, ſed ex officio; & jure, ſive debito, regendi, hoc eſt, cuſtodiendi, defendendi, pacificandi per juſtitiam, & judicandi ſubditos, rectè eum dicere conſentio. Verùm hoc eſt ſecundùm veram, ac propriam intentionem hujus nominis, rex, nihilominùs tamen in prædictas abuſiones intorquet vulgus nomen illud, & alia hujuſmodi. Nec dicendum eſt, vulgaribus hujuſmodi ſermonibus nullam ſubeſſe veritatem; omnibus enim communibus ſermonibus ſubeſt virtus intentionis, quantùm ad nominationes & deſignationes rerum. Et eſt intentio in hoc ſermone, quòd nullus tropus, vel abuſio quantacunque, prohibet veritatem intentionis à nominantibus ſic, id eſt tropicè, vel abuſivè, & hoc eſt dicere, quòd vulgus tyrannum verè regem, aut principem nominat, ſecundùm intentionem ſuam, alioquin, nec malum regem, nec malum principem ipſum verè dici poſſibile eſſet. Quemadmodùm, qui non eſt homo, nec verè poteſt dici homo, nec poteſt ullo modorum dici malus, vel impius homo, nec oportet, ut pueriles ſophiſtarum argutias, quibus dicitur homo mortuus, qui non eſt homo, vel falſus nummus, vel homo pictus, qui non eſt homo, hîc declarem, vel referam tibi: tu enim ſcis, quòd in eo, quòd dicitur homo mortuus, per quod eſt mortuus, tollitur potior pars ejus, quod eſt homo, & hæc pars anima eſt; quare tota iſta intentio, homo mortuus, non dicit hominem, ſed partem ipſius, illam ſcilicet, quam mors relinquit apud nos, & hæc eſt corpus, hæc verò intentio, falſus nummus, non dicit ſimiliter totum nummum. Et hoc eſt quoniàm per adjectivum, falſus, tollitur vera materia nummi, quod debet eſſe, vel aurum, vel argentum. Tota igitur intentio, falſus nummus, non dicit nummum, ſed ſolùm reſiduum à materia nummi, hoc eſt, formam ſolam illius, quemadmodùm homo mortuus ſolam materiam veri hominis dicit; hæc autem intentio, homo pictus, nec verum hominem, nec veri hominis veram materiam, aut veram formam, ſed ſolùm ſimilitudinem, ſeu picturam ejuſdem, nec aliud eſt homo pictus, quàm pictura, ſeu picta ſimilitudo hominis. Adjectivum enim, quod eſt pictus, totum hominum verum tollit, hoc eſt, & quantùm ad materiam, & quantùm ad formam totam, ut dixi, appellationem ſibi vendicans, & in propriam ſignificationem transferens, hoc eſt, in ſolam picturam. Adjectiva verò, quæ ſunt, malus, & impius, nihil tollunt de ſubſtantia rei, quam nominat ſubſtantivam; ſive enim dicatur malus homo, vel impius, ſive malus rex, vel impius, integra manet, quantùm ad ſignificationem tam vera materia, quàm vera forma, regis, & hominis. Revertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quòd ſive per proprietatem, ſive per tropum, ſive per abuſionem, ſive per ſimilitudinem, aut aliam quamcunque comparationem, nominantur res vulgariter, atque communiter, verè nominantur ſecundùm intentiones nominantium: nec enim falſas dicimus parabolas, nec tropos, nec alias quaſcunque abuſivas orationes in eo, quòd parabolæ, vel tropi, vel abuſivæ ſunt, & hoc eſt, ſecundùm intentiones earum, inquantùm hujuſmodi. Verum igitur eſt, quòd terra vera terra eſt, & vera terra quâcunque intentione accipiatur nomen terræ, & ex intentionibus præmiſſis, & Plato in eo, quod dicit, non eſt terra, quæ apud nos eſt, ſed terreum, non contradicit huic ſermoni.

De hoc, quod ſupra determinavit.

E

CAPUT XXXVIII.

Utrùm mundus archetypus ſit ipſe creator, vel aliud à creatore ſecundùm ipſum Platonem, & de abſurdis ſequentibus ex ejus poſitione.

HAbet autem admirationem non levem, neque prætereundam intentio Platonis in hac parte, propter quod inveſtigandum eſt, utrùm intellexit mundum archetypum eſſe ipſum creatorem, vel aliud à creatore, & ab eodem factum, vel creatum. Quòd ſi ipſum creatorem, neceſſe habet confiteri unamquamque ſpecierum, vel idearum hujuſmodi creatorem eſſe, vel partem creatoris. Quia igitur creatorem declaratum eſt in prima parte hujus ſapientialis, ac divinalis, philoſophiæ impartibilem eſſe, per omnem modum, neceſſe habet concedere unamquamque hujuſmodi ſpecierum, vel idearum F eſſe ipſum creatorem, præter hoc veram terram ſecundùm intentionem ſuam eſſe ipſum creatorem; & veram aquam ſimiliter, & ad hunc modum de unoquoque aliorum; quare neceſſe habet concedere omnes ſpecies, & intelligibilia mundi illius intellectualis, unum, & idem eſſe ſecundùm eſſentiam, & veritatem, & illud eſſe impartibile in ultimitate impartibilitatis, ſi autem unum ſingulare, quomodò mundus, aut univerſum, hoc procùldubiò debuit declarare. Tu verò de hoc audies per me aliqua in his, quæ ſequuntur. Quòd ſi intellexerit Plato mundum iſtum intellectualem, ſive ſpecierum, aliud eſſe à creatore; neceſſe erit ipſum creatum eſſe, vel factum ab illo. Neceſſe etiam erit partes ejus eſſe ſubſtantias intelligibiles, ſive intellectuales, & propter hoc intelligentes, & tanto præſtantiores ac nobiliores in omnibus diſpoſitionibus ſuis ſubſtantiis angelicis, & intelligentiis, quantò ordine G naturali creatori propinquiores; neceſſe etiam erit ſecundùm hoc iſtum mundum habere exemplar aliud apud creatorem, ad cujus ſimilitudinem ab eo conditus ſit. Et per hanc viam ibit res in infinitum. Et non habebunt finem hujuſmodi exemplaria, ſive mundi: aut cogetur Plato confiteri creatorem aliquem ex hujuſmodi mundis, ſive exemplaribus creaſſe. Quod non ſolùm ſecundùm Platonem impoſſibile eſt, ſed etiam declaratum tibi jam eſt per me in prima parte hujus philoſophiæ, quòd apud omnem ſapientem operatorem, & per ſapientiam operantem neceſſe eſt exemplar eſſe omnium operum, quæ per ſapientiam operatur: & idem eſt apud ipſum, & in eo eſt ars, ſive ſapientia, ex qua, & per quam operatur, & exemplar ad quod, ſive ad cujus ſimilitudinem, operatur. Et non oportet, ut faciam tibi repetitionem hujuſmodi declaH rationis.

CAPUT XXXIX.

Alia declaratio contradictionis, quæ fuit inter Platonem, & Ariſtotelem, in quo declaratur quòd ſapientia creatoris eſt mundus archetypus.

HIs itaque determinatis revertar ad determinationem contradictionis iſtius, quæ fuit inter Platonem, & Ariſtotelem, & dicam, quia mundus archetypus, hoc eſt exemplaris omnium eorum, quæ facta ſunt, vel creata à creatore, vel quæ fient, aut etiam fieri poſſunt, propriè eſt ſapientia ab ipſo creatore æternaliter genita quam dei filium, & Deum, lex, & doctrina, fideſque Chriſtianorum veriſſimè nominat. De quo, & ejus generatione, atque aliis, quibus magnificentiam ſuam, & gloriam cognoſci,

Nota de mundo archetypo, & ſapientia Dei.

cognoſci, & declarari per me bonitatis ejus dignatio fuit, in prima parte hujus philoſophiæ tractatum habes deſiderabilem, & nobilem. Hunc igitur deum, ac dei filium, artem dei omnipotentis plenam rationum viventium ſapientes, & doctores Chriſtianorum nominant: rationes viventes intelligentes ipſas ſpecies, vel ideas, quas Plato poſuit ſecundùm intentionem, & opinionem, ipſorum, qui in parte iſti de Platone, & ejus philoſophia, benè, & laudabiliter opinati ſunt. Eſt igitur benedictus, ac venerandus dei filius exemplar, & mundus, & univerſum ſpecierum, & idearum hujuſmodi, & ars plena rationum viventium, quæ omnes unum in ea ſunt juxta ſermones ſapientum, atque doctorum Chriſtianorum, & iſtæ rationes prædictæ ſpecies, vel ideæ, vel formæ Platonicæ ſunt. Et quemadmodùm dicit philoſophus, quia omnis intelligentia plena eſt formis, propter hanc plenitudinem rationum, & innumerabilem multitudinem idearum hujuſmodi, vel formarum, in lege Chriſtianorum, & doctrina appellari, & videri, poteſt meritò multiformis. Debes etiam ſcire, quia ſubſtantia intelligens, cùm virtus intellectiva ipſius perfecta fuerit perfectione ſuâ completâ, efficitur mundus intelligibilis, ſive ſæculum intelligibile, ſicut prædixi tibi, & hujuſmodi perfectio, & gloria, & virtus eſt noſtri intellectus, & pars prima beatitudinis futuræ, & fœlicitatis perpetuæ, quam promiſit creator benedictus electis ſuis, de qua aliquid jam audiviſti per me. Qualiter autem & unum in ultimitate unitatis ſit ſapientia creatoris, & qualiter multiformis, qualiter in ea etiam unum ſint innumerabiles illę multitudines idearum, & qualiter multæ, nec non qualiter in angelis ſanctis, atque beatis, & etiam in animabus noſtris, cùm prænominata gloria beatificatæ fuerint, ſimiliter ſe habeat de hac multitudine formarum, & unitate, pro modo congruentiæ ſuæ, declarabitur tibi manifeſtè, ſi deus voluerit, ubi ſpiritualitatis naturam, & propria ipſius inveſtigabo, & hæc eſt quæſtio, quam dixi ſuperiùs Platonem declarare debuiſſe.

CAPUT XL.

Quòd in omni intelligentia eſt plenitudo, ſeu multiformitas idearum, vel exemplarium.

DEbes autem ſcire, quòd perfectio iſta intellectiva, & multiformitas non debet eſſe ullo modorum ſolius intelligentiæ agentis, imò omnium aliarum intelligentiarum (ſi ipſæ ſint) omnium ſubſtantiarum angelicarum beatarum; verùm iſta perfectio dividitur in eis in duas, quarum altera eſt eis naturalis, & innata, altera verò largitate gratuita, & creatoris largitione ſuperaddita, & nominatur apud hujuſmodi ſubſtantias tam gratia, quàm gloria, gratia quidem, propter gratuitam D largitionem, gloria verò, propter ſupereminentiam perfectionis, ultra quam nec quæritur alia, nec ſperatur. Cujus verò amplitudinis, ſive largitudinis, aut capacitatis ſit naturalis iſta perfectio, quantùm ad ſcibilia, ſeu cognoſcibilia, quod eſt dicere, utrùm apud iſtam, vel ipſam, ſive in ea, ſive intra eam, ſint omnia ſcibilia, vel cognoſcibilia, an quædam tantùm, ſive pars eorum, in ſequentibus inveſtigare, & determinare tentabo cum dei adjutorio: non conturbet igitur te ſimplicitas, aut impartibilitas ſubſtantiarum hujuſmodi, vel etiam creatoris, quaſi per eam prohibeatur ab ipſis multiformitas iſta, ſeu multitudo rationum, aut idearum, ſeu formarum exemplarium. In ſequen-

A tibus enim faciam te ſcire, ſi deus voluerit, quoniàm ipſa ſimplicitas, & impartibilitas in hujuſmodi ſubſtantiis eſt amplitudo, & capacitas earum intellectiva. Hoc igitur ſic poſito de hujuſmodi ſubſtantiis manifeſtum eſt tibi, qualiter intelligentia agens ſecundùm Ariſtotelem ſit ſol, ſive lux animarum, quod etiam de omni hujuſmodi ſubſtantia, videlicet abſtracta, atque perfecta perfectione prædictâ, verum eſſe neceſſe eſt, & tantò magis de ſuperioribus, quantò majoris luminoſitatis ipſas, quàm inferiores eſſe neceſſe eſt. Diſtantia enim localis non prohibet hujuſmodi ſubſtantias à luminoſitate ſua, quemadmodùm manifeſtum eſt tibi in corporibus luminoſis, quoniàm tenuatur, atque debilitatur irradiatio eorum in alia corpora ſecundùm magnitudinem propinquitatis, & remotionis illorum ad illa, nec non ſecundùm diſpoſitiones mediorum corporum inter irradiantia, & irradiata: hæ autem diſpoſitiones, ſicut alibi didiciſti, ſunt

Intelligentia agens lux animarū ſecundum Ariſt.

B raritas, & denſitas, in ſubſtantiis autem ſpiritualibus alterius modi ſunt appropinquationes, & elongationes, & forſitan corporales appropinquationes, & elongationes, adjuvant & impediunt interdùm aliquas ex hujuſmodi irradiationibus. Veriſimile enim eſt, licet nondùm demonſtratione per me declaratum, vel per alium, cujus declaratio ad me pervenerit, non omnes angelos bonos, & malos, æqualiter noſſe propinqua ſibi, & remota, propinquitate inquam, & remotione localibus, ſive corporalibus. Quis enim opinetur angelos, ſive bonos, ſive malos, qui ſunt in civitate Arim, æquè noſſe ea, quæ fiunt in ultima Thule, ut ea, quæ fiunt in Arim? Hæc igitur eſt una de quæſtionibus, quæ multos exagitat, & conturbat, ſimiliter cùm viri ſancti in ſpiritu rapiuntur ad viſiones, & revelationes, utrùm fiat per motum localem, vel quocunque modò aliter, non minori inveſtigatione inquirendum eſt. Jam autem dixi tibi de ſole, & luminoſitate ipſius, quoniàm non eſt imprimens per ipſam colores ſuperficiebus corporum, quorum ſuperficies irradiat, ſed eſt adjuvans colores, qui potentia

C ſunt in corporibus, quemadmodùm calor arenæ, vel pulveris, non eſt imprimens materiæ, quæ eſt in ovo ſtruthionis, formam ſtruthionis, ſed eſt adjuvans materiam illam ad hoc, ut exeat in effectum in illa forma ſtruthionis. Potentia enim, quæ eſt in materia illa, potentia incompleta eſt, & non ſufficiens per ſemetipſam educere in effectum formam ſtruthionis ſine adjutorio caloris, ſicut manifeſtè vides in calore ſolis, quoniàm ipſe non eſt imprimens formas vegetabilium, ſed eſt adjuvans ipſa ſemina ad hoc, ut ex eis educantur in effectum ea, & formæ eorum, quæ potentialiter ſunt in ſeminibus.

CAPUT XLI.

Utrùm lumen ſcientiæ deſuper totaliter cadat ſuper animas noſtras ab intelligentia agente. Et utrùm ab omni alia ſpirituali ſubſtantia irradiatio hæc fiat, vel illuminatio.

DEclaratio autem hujus manifeſta eſt hæc, quia nihil imprimit naturaliter, & per ſe, formam, vel ſimilitudinem formæ, quam non habet. Operatio verò ſolis in his naturalis eſt per ſe. Ampliùs. Exempla in Ariſtotele & ſimilitudines perfectibilitatis animarum noſtrarum nullo modo congruunt iſtis ſermonibus ipſius. Nec enim in tabula picturæ, vel ſcripturæ, ſunt potentialiter, quarum receptibilis eſt, quin potiùs totaliter ei à foris adveniunt, & imprimuntur, ab agente, ſcilicet, vel

Digitized by Google

ſcribente in ea, ab ipſa verò non exeunt ullo modo, & nec in parte, nec in toto. Similiter ſe habet de ſpeculo, formæ enim, quæ reſultant in eis ex oppoſitione aliarum formarum, nullo modorum exeunt ab illis, ſed totaliter à foris, & aliunde illis adveniunt; quare ſi ſimiliter ſe habet de animabus noſtris, non exeunt formæ intelligibiles ab eis per irradiationem intelligentiæ agentis ſuper ipſas, ſed totaliter ab illa eis adveniunt, & imprimuntur. Ampliùs. Ipſe uſus communis loquendi hoc habet: non enim dicunt homines ſcientias extrahi de animabus noſtris, vel exire ab eis, ſed magis dari animabus: eodem modo, & de virtutibus loquuntur homines, vocantes creatorem ſcientiarum, & virtutum, non autem extra actorem, vel eductorem earum; ſed neque quis hominum dicit ſolem dare colores, aut datorem colorum, immò corpora communiter dicunt homines colorata in ſe eſſe per naturam propriam. Solem autem dicunt manifeſtare colores, & etiam figuras, quantùm ad viſum, hoc autem dicunt, non auſi ampliùs attribuere ſoli circa colores, quàm manifeſtationem ipſorum, nullatenùs autem generationem colorum. Alioquin pictores, & tinctores, dicerent eſſe otioſos, & ſupervacuos, cùm communiter dicant eos facere colores, & dare. Quædam corpora etiam dicunt dare colorem aliis, de ſole verò adhuc inauditum eſt apud homines, quòd vel det, vel gignat, vel faciat colores. Ampliùs, ſi potentiâ eſſent in animabus noſtris formæ hujuſmodi, cùm tanta facilitate, tantaque velocitate in actum exeant, vel educantur, potentia hujuſmodi non eſſet potentia tantùm, ſed habitus proximus actui ſuo. Quare etiam anima humana creata eſſet ſecundùm ipſum Ariſtotelem perfecta habitibus ſcientiarum, & propter hoc ſimiliter habitibus virtutum. Recidit igitur Ariſtoteles in ſententiam Platonis de perfectione, & perfectibilitate animarũ humanarum, & etiam majorem ponit eis perfectionem, quàm Plato. Neceſſe igitur eſt veritatem ſe habere, ſicut dixi, videlicet, ut lumen ſcientiæ deſuper adveniens totaliter cadat ſuper animas noſtras, à quacunque virtute deſcendat. Nec neceſſe eſt, ut ab una ſola virtute, vel ſubſtantia fiat irradiatio, vel illuminatio.

De receptibilitate formarum in ſpeculo.

Deductio notanda.

Quod ex propheticis revelationibus, & illuminationibus, manifeſtum eſt, qui diverſos, ac multos angelos, miſſos ad ſe nominant, multas, atque diverſas illuminationes, & varios illuminationum ſuarum modos ſcripſerunt. Alii namque per figuras, alii per ænigmata verborum, alii ad nudum, abſque ullo velamine res ſibi cœlitùs revelatas deſcripſerunt. Ex quibus omnibus manifeſtè apparet, non eſſe illuminationes hujuſmodi per intelligentiam unicam agentem, cùm fixam, & immobilem ponat Ariſtoteles intelligentiam agentem, nec dicat, in qua parte mundi terreni illam eſſe opinetur. Otioſè namque in ſphæra ignis eſſet, vel aëris, vel etiam aquæ, cùm in nulla hujuſmodi ſphærarum animæ humanæ creentur, vel ſint, aut inhabitent. Si verò in ſphæra terræ eam poſuerit, nondùm aſſignavit nobis montem, aut vallem, regnum, vel civitatem, aut alium locum, ubi eam eſſe intelligat. Ipſi verò prophetæ ſcripſerunt angelos miniſtros ſuarum illuminationum miſſos ad ſe, vel in ſeipſis, quod eſt dicere, quoſdam ſibi locutos, quoſdam verò in ipſis. Ampliùs. Non magis eſt conveniens, quàm intelligentia agens irradiet hujuſmodi illuminationes, quàm aliqua ex aliis ſuperioribus ſubſtantiis ſpiritualibus, cùm ex neceſſitate minoris luminoſitatis eam eſſe neceſſe ſit, quàm aliquam ex ſuperioribus, propter majorem ſui elongationem à lumine primo, quod eſt creator bene-

E dictus, ſi verò dixerit, quia ex propinquitate ſua ad animas noſtras eſt ad has illuminationes magis idonea, aut intelligit de propinquitate corporali, ſive locali, aut ſpirituali: ſi de corporali illa nihil omninò prodeſſe videtur ad ſpirituales illuminationes: ſi verò de propinquitate ſpirituali, vel eſſentiali, quærendum eſt ab ipſo, utrùm intelligat, quòd propinquitas hujuſmodi faciat eam conjunctam animabus noſtris, aut magis conjungibilem ipſis, quàm aliquam aliam ex ſuperioribus ſpiritualibus. Quòd ſi faciat eam conjunctam animabus noſtris, eſſet igitur eſſentialiter in unaquaque animarum noſtrarum, & econtrariò; de hoc autem audiviſti me in his, quæ præceſſerunt. Si verò non facit illam conjunctam animabus noſtris conjun-
F ctione eſſentiali, quam dixi; remanet igitur ſeorsùm ab animabus noſtris in loco uno aliquo: ab illo igitur oportet eam diſcurrere per ſingulas animarum noſtrarum, quas illuminare voluerit, & ad ſingulos ventres mulierum, in quibus animæ humanæ creandæ ſunt, & infundendæ corporibus humanis, ibique jam formatis, ſecundùm hunc ſermonem Ariſtotelis, qui attribuit ei creationem animarum humanarum. Quare non differret ab aliquo ex omnibus angelis diſcurrentibus per mundum iſtum terreum ad implenda juſſa creatoris. Erit inſuper diſcurſus ejus ſimul incredibilis, & intolerabilis, & contrarietatibus motuum refertiſſimus, ſi per motum localem intelligatur fieri diſcurſus hujuſmodi. Neceſſe enim habet moveri ſimul antè, & retrò, ſursùm, & deorsùm, dextrorsùm, & ſiniſtrorsùm, intus, & extra. Ampliùs. Si non
G poteſt in præſentia exhiberi in aliquo loco, niſi per motum ad illum veniat, neceſſe eſt eam inceſſabili, & impoſſibili diſcurſu exagitari, vel etiam fatigari; diſcurſus enim tot contrariorum motuum impoſſibilis eſt manifeſtè, cùm veræ contrarietates, quas dixi ſuperiùs, in motibus ſint. Ampliùs. Si ponatur ei motus hujuſmodi, atque diſcurſus, quærendum eſt ab eo, qui ſic ponit, utrùm per motum hujuſmodi recedat ab aliquo: quòd ſi ab aliquo loco, neceſſe eſt, ut ab omni, in quo eſt, ſi in multis locis ſimul eſt, in quocunque enim loco aliquid ſit, ſi ab illo non recedat, non movetur ad alium; quare vel recedit ab omni, ſi in multis eſt, vel à nullo recedit. Quòd ſi recedat ab omni, in nullo igitur remanet. Si verò à nullo recedit, non movetur igitur ad locum. Quòd ſi dixerit, quia præſentiam ſuam exhibet multis locis, præterquàm quod moveatur ad illa, vel etiam ad aliquem illorum, dico, quia iſte ſermo eſt hominum vel non intelligentium ipſum, vel quibus aut impoſſibile eſt, aut valdè difficile eſt, explicare ſermonem hujuſmodi. Didiciſti & apud Ariſtotelem de ſubſtantiis impartibilibus, qualiter viſus eſt ſibi declaraſſe impoſſibi-
H litatem motus apud eas declaratione demonſtrativâ. Quoniàm autem nec doctrina Chriſtiana, neque hebraïca, neque etiam alterius gentis, quæ adhuc ad notitiam noſtram pervenerit, attribuit alicui ſubſtantiæ, ut naturaliter poſſit exhibere præſentiam ſui in multis locis, atque corporibus ſimul, neque in uno poſt alium abſque motu locali, quemadmodùm audiviſti prophetas loquentes de diverſitate, ſive pluralitate, & etiam de nominibus angelorum ſanctorum ad ipſos miſſorum: & quoniàm non omnis veritas circa ſubſtantias ſpirituales abſtractas adhuc declarata eſt, nec philoſophia in his adhuc completa, ſuo loco tentabo inveſtigare de hoc, ſi deus voluerit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLII.

Qualiter in omni ſubſtantia ſpirituali, ſine confuſione eſt innumerabilis multitudo formarum ſpiritualium diſtinctione lucidiſſima.

INterim autem ſufficiat tibi cognoſcere, quia cauſæ, quæ induxerunt Ariſtotelem ad ponendum intelligentias, & ordines earum, & ad ponendum intelligentiam etiam agentem, & illam unicam, non fuerunt cauſæ ſufficientes ad hoc; revelationes enim, & derivationes, & omnes alias illuminationes, quæ deſuper adveniunt, & non per naturam, ſed pro divino munere, vel aliis viis, quas audies in ſequentibus, adveniunt inquam animabus noſtris, fiunt vel allocutionibus angelorum vel bonorum, vel malorum, vel applicationibus ſpiritualibus quibuſdam, vel elevatione animarum noſtrarum & raptu fortiſſimo quo elevantur, uſque dum applicentur, & conjugantur lumini primo. Cujuſmodi applicationem, vel conjunctionem non ſuſtinet præſens vita corporum noſtrorum. Qualiter verò in quacunque hujuſmodi ſubſtantiarum abſtractarum ſit prædicta multiformitas, hoc eſt, multitudo innumerabilium formarum ſpiritualium diſtinctione lucidiſſimâ, & abſque permixtione, & confuſione, per omnem modum, oſtendam tibi primò exemplis evidentiſſimis, in ipſa anima tua, ubi non dubitas nec partes ſcientiarum, quæ in anima tua ſunt, vel commixtas eſſe, vel confuſas in ipſa, ſed neque etiam ipſas ſcientias, quantumcunque magnæ, & amplæ ſint, poſſibile eſt, ut coanguſtent ſe, vel comprimant, aut impediat altera alteram ullo modorum, quin potiùs neceſſe eſt, ut quantò altera dilatatior, ſeu quolibet modorum major fuerit, tantò cum ipſa latiùs, ac ſpatioſiùs in anima exiſtat. Addo & aliud iſti exemplo. Et dico, quòd quantò majores, ac plures ſcientiæ fuerint apud animam tuam, tantò aliis erit & ingreſſus facilior, & locus amplior apud illam: Et hæc nulla anima intelligens ignorat. Quis enim dubitat animas, apud quas ſunt ſcientia arithmeticæ, & ſcientia muſicæ, atque ſcientia geometriæ, capaciores eſſe ſcientiæ aſtronomiæ, quàm ſi illæ apud eas non eſſent, quin potiùs manifeſtum eſt alias animas ſcientiam aſtronomiæ capere non poſſe, niſi quæ iſtas in ſe ipſis habuerint, & tantò magis illam eas capere poſſe, quantò his tribus fuerint pleniores. Manifeſtum igitur eſt tibi per exemplum iſtud formam intelligibilem in ſubſtantia impartibili non coanguſtari, nec comprimi, vel conſtringi, neque obſcurari, aut ullo modorum impediri conſortio alterius, quin potiùs ſpatioſiùs eſſe cum illa, & etiam diſtinctiùs. Et hæc eſt una ex proprietatibus naturæ ſpiritualis. Econtrariò ſe habet per omnia in amplitudine, & capacitate corporum. Corpora enim ſe anguſtiant, & comprimunt, & mutuò ſe ejiciunt de locis eiſdem, & cùm unum eorum in loco aliquo fuerit, alterum in eodem ſitu nec patitur, nec admittit, quin potiùs ipſum pro viribus repellit, & quominùs intret in illum obnititur, & obſiſtit. Idipſum vides in memoria tua, ideſt in vi memorativa tua, & quod mirabilius eſt, quia formæ intelligibiles exiſtentes in theſauro memoriæ alias inibi ſecum advocant, & attrahant. Similiter & omnes ſcientiæ alias ſecum attrahunt, & advocant, & invitis nobis, & etiamſi obniti vellemus, ſcire alia nos compellunt. Addam & aliud exemplum in viſu oculorum, de quo manifeſtum eſt, quòd ad organum ipſius, ideſt oculum, veniunt ſimul innumerabiles formæ viſibiles, & colores

Quòd ad aſtrologiã capeſſendã requiritur arithmetica, & geometria.

A multi. Quorum forſitan impreſſiones in ipſa pupilla oculi, vel in humore cryſtallino permixtione confunduntur. Veruntamen apud videntem, ideſt in anima videntis diſtinctiſſimæ ſunt, alioquin non eos diſtinctè videret. Si enim confuſæ, vel permixtæ eſſent apud animam videntis, non videret eas diſtinctè. Indicium autem hujuſmodi certiſſimum eſt infectio, quæ facit, ut aliquibus infirmis videantur omnia nigra, quæ indubitanter infectio eſt prohibens formas viſibiles diſtinctas eſſe, vel fieri in anima videntis. Confuſio, quam dixi fieri in pupilla, non prohibet hoc, propter debilitatem ſuam, per quam nec profundata, nec fixa eſt, in pupilla, vel in ſpiritu viſibili. Ex his etiam manifeſtum eſt tibi, quia ſi velut oculis intellectus intueri tibi ad purum, vel nudum, liceret aliquam ex hujuſmodi ſubſtantiis ſic perfectã, ut dixi tibi, indubitanter videres eam velut mundum intelligibilem, aut univerſaliter ex omnibus illis regnum conſtitutum, quorum formæ in illa, vel apud illam eſſent, B & etiam tantò clariùs, atque diſtinctiùs, quantò hujuſmodi ſubſtantia eſſet impartibilior, & ultimitati ſimplicitatis, quæ creatoris ſolius propè eſt ordinatione naturali, aut gratiæ propinquior. De modis autem illuminationum iſtarum, & de applicationibus, atque conjunctionibus hujuſmodi ſubſtantiarum ſive ad creatorem, ſive adinvicem, ſive ad animas noſtras, & de aliis modis illuminationum hujuſmodi, quæ per artificia, vel ingenia quædam, ſive etiam per naturam, philoſophis viſi ſunt fieri, & hominibus tam à magis, quàm à malis angelis per ipſos multipliciter illuditur, dicam in ſequentibus, prout Deus donaverit.

CAPUT XLIII.

De hoc, quod ſupra, ſcilicet quòd formæ exemplares, & rationes omnium creatorum, & creandorum, viventes ſunt apud ſcientiam creatoris æternaliter, & ſunt unum cum illa, nec differunt ab ipſa eſſentialiter.

C IAm igitur determinatum eſt tibi per hæc, quæ veritas ſubeſſe poſſit, vel debeat, ſermonibus Platonis, & de ſermonibus Ariſtotelis; & quoniam ſi Plato intellexit mundum ſpecierum, ſive formarum intelligibilium, ſcientiam creatoris, vel ſapientiam etiam uniuſcujuſque ſic perfectarum nobilium ſubſtantiarum, veriſſimè hoc dixit, juxta modum, quem expoſui tibi, quomodò dictum eſt, omnis intelligentia plena eſt formis. Et ſequentes Ariſtotelem de ultima perfectione animarum humanarum, quæ fœlicitas earum æterna nominatur, expoſuerunt quantùm ad virtutem intellectivam earum, dicentes expreſsè, quòd unaquæque animarum noſtrarum illa fœlicitate, ſeu beatitudine, præditatum erit ſæculum intelligibile, quantùm ad veritatem ſuam intellectivam. Cujus autem, aut D quantæ amplitudinis, ſeu capacitatis, & an omnes in parte iſta æquales futuræ ſint in iſta plenitudine formarum, nondùm certitudine demonſtrativâ declaratum audivi. Manifeſtum etiam eſt tibi Platonem nullo modorum ſenſiſſe res iſtas creatas, ſive ſubſtantiam, aut veritatem earum, eſſe, vel fuiſſe, æternaliter apud creatorem, cùm nec ipſæ, niſi ex tempore ſint, formæ verò exemplares, & rationes omnium creatorum, & creandorum, viventes apud ipſum æternaliter fuerint, quemadmodùm, & ſapientia, quæ de ipſo genita eſt, quam Chriſtianorum lex, & fides, atque doctrina Dei filium veriſſimè nominat. Hæ verò formæ non aliter ab ipſo genitore hujuſmodi ſapientiæ differunt, quàm ipſa, nec aliter ab ipſo proceſſerunt.

OOooo

Digitized by Google

Ab invicem autem ipſæ formæ eſſentialiter nullatenùs differunt, ita ut dici poſſit veraciter, hæc aliud ab illa, neque aliter multæ dicuntur, aut dici poſſunt, quàm ipſa ſapientia dicitur multiformis quod ad rerum multiplicitatem, atque varietatem forſitan maximè refertur. Nec obſiſtit, aut impedit ullo modorum unitas, aut impartibilitas ſapientiæ ipſius, quin ex ea procedat rerum tam multiformis, tamque multiplex varietas. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ipſa non operatur per unitatem ſuam ſolummodò, immò per virtutem ſuam largifluam, & immenſam, & redundantiam diffuſivam, juxta poſſibilitates receptibilium, non per modum naturæ, ut ſæpè jam dixi, ſed per largitatem liberam in ultimitate liberalitatis. Ut autem intelligas ſermonem meum de poſſibilitatibus, & receptibilitatibus, creatorum, & creandorum, fac conſiderationes in unaquaque ſpecierum creaturarum, & invenies manifeſtè, quia ſpecies leonina F non eſt ſuſceptibilis perfectionum humanarum, ſive ſint eſſentiales, ſive accidentales, ſimiliter neque aliarum, ſive ſint ſpirituales, ſive corporales. Et ad hunc modum facile eſt tibi videre de aliis ſpeciebus; nullo modorum autem intelligas, quòd poſſibilitates, ſeu receptibilitates rerum, modificent, vel aptent ſibi influentias deſcendentes ſuper eas à datore perfectionum, vel ſapientia ipſius, quin potiùs ipſe per eam influit ſuper unumquodque, & aptat eidem, quod illi congruit de influentiis largitatis ſuæ. Hujuſmodi verò exemplum evidentiſſimum eſt in unoquoque de operibus artificiorum, hæc enim influit ſolùm de arte & exemplari, quod eſt in mente artificis, ſuper materiam, in quam operatur, quod eſt beneplacitum fluere ſuper illam. Neque materiæ aliquid virtutis, aut poteſtatis attribuunt homines in formas, quas per artificium recipit, ſed totum aſcribunt prudentiæ, G & beneplacito artificis. Quemadmodùm argilla nihil aliud poteſt in formam, quam ei dare voluerit figulus, niſi ſolùm recipere. Quòd ſi dixerit quis, quia materia poteſt contra formam, quam imprimit artifex, ſaltem reſiſtere magis, vel minùs, quemadmodùm durum ex duritia reſiſtit interdùm, & retardat impreſſionem, ſive receptionem formæ, in materia muri, dico, quia verum dicit. Verùm iſtud non eſt poteſtas modificationis, vel aptationis formæ ipſius. Nec per hoc poteſt addere, aut minuere aliquid ipſi formæ, licet poſſit majus, aut minùs, & meliùs, vel deteriùs ipſam recipere. Quemadmodùm forſitan in artificiis noſtris hoc poſſibile eſſet, ſi tamen eſſe poteſt, in creaturis tamen operibus, & artificiis, totum ſibi vendicat dominantiſſima voluntas, & imperioſiſſimum beneplacitum ipſius. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm H tam recepta, quàm receptibilia, quàm etiam receptiones eorum, ſubſunt virtuti, & ſapientiæ creatoris ſubjectione pleniſſimâ, & obedientiâ perfectiſſimâ. Nolo autem hîc eſſe tibi adeò profuſus, ſive prolixus, ut pueriles ſophiſtarum argutias tibi ponam, & exponam, qui eos inceſſanter audis, vel audire poteris apud homines, qui ridiculis hujuſmodi gloriantur, & magis illudere diſcipulis, & auditoribus ſuis per hoc, quàm veritati ſtudere conſueverunt, in quibus ipſo etiam tempore non tam diſpendiosè, quàm etiam periculosè, abutuntur. In his igitur ſi forſitan eas audieris, reminiſci te oportet fallaciæ accidentis, & conſequentis. Quòd ſi quis dixerit, quia eadem debet eſſe habitudo formarum exemplarium ad invicem, & exemplatarum, & quoniàm, ſicut ſunt in exemplari, ſic debent eſſe in veritate, cùm exemplar, exemplar ſit veritatis. Et propter hoc ſicut apud formas exemplares non E eſt diverſitas, aut pluralitas eſſentialis; ſic apud res, quæ arte, vel ſapientiâ divinâ factæ ſunt, non debet eſſe diverſitas, vel pluralitas eſſentialis. Quemadmodùm igitur omnes formæ exemplares, ſive rationes viventes, unum ſunt in arte, vel ſapientia creatoris; ſic omnes res, etiam per illam factas, unum oportet eſſe in veritate, quod eſt, eſſentialiter, & dicit Ariſtoteles Empedoclem ferè ita ſenſiſſe, qui poſuit omnia unum eſſe ſecundùm rationem, multa verò ſecundùm ſenſum. Poſt eum verò fuerunt aliqui magis inſenſati, & inſenſibiles, & neque quantùm ad hoc, inter bruta animalia computandi, qui rerum formas, & differentias, omninò negantes, unum, & idem, eſſe omnia inſaniſſimâ vanitate delitaverunt. Quibus, ut aliàs tibi dixi, ipſa bruta animalia præferenda ſunt in hoc, quòd rerum diverſitates, & differentias, ſaltem ſenſibilium, manifeſtè dignoſcunt. Quapropter ad con- F fundendam, ac repellendam, iſtam inſaniam brutorum animalium ſufficit contradictio per ſe ſola, præſertim cùm ſenſus, & diſcretio ſenſibilium in hujuſmodi animalibus vox quædam ſit naturæ, veritatem pluralitatis, atque diverſitatis rerum hujuſmodi publicè, manifeſtéque, clamantis.

Reprehendit illos, qui omnia unum eſſe dixerunt, puta, Permenidem, & Meliſſum.

CAPUT XLIV.

Quòd unitas eſſentialis exemplaris non prohibet ab exemplis pluralitatem, aut differentiam.

Dico igitur, quia mundus exemplaris, ſive ars, ſive ſapientia genita creatoris, per unitatem ſuam, ſive per id, quod unum eſt, non eſt exemplar creatæ multitudinis, aut diverſitatis. Unitas tamen ejus, quæ eſt unum exemplar, & unus mundus intelligibilis, exemplar eſt unitatis qua mundus crea- G tus eſt unus. Et totus ſimul mundus intelligibilis ratione mundi, & univerſalis exemplaris, acceptus non eſt exemplar uniuſcujuſque rei creatæ, ſed ſicut fas eſt intelligere, ac dicere, unaquæque res creata habet in illo exéplari ſuum exemplar, ac ideam propriam, appropriatam ſcilicet ſibi, & ſimilibus ſuis, in eo, quòd ſimiles ſunt, ſive inquantùm ſimiles. Quemadmodùm arca una exemplaris in mente artificis non eſt exemplar unius arcæ tantùm, ſed innumerabilium ſimilium inquantùm ſimiles ſunt, nec oportet, ut quæque propriam arcam exemplarem habeat in mente artificis, cùm una exemplaris innumerabilibus exemplis ſufficiat. Sicut manifeſtum eſt in ſigillo regio, vel quocunque alio, ex quo uno innumerabiles impreſſiones formantur. Et per hoc exemplum manifeſtum eſt tibi, quia unitatem exemplaris non ſequatur unitas exemplorum, H nec ad diverſitatem exemplorum ſequatur ſimul diverſitas exemplaris. Scire tamen debes, quia unitas eſſentialis idearum non prohibet ab eis omnem modum pluralitatis, aut differentiæ, ſeu differentiarum, ſicut neque apud primum genitorem, & ejuſdem primogenitum. Cùm enim inter eos ſit unitas eſſentialis, nihilominùs tamen inter eoſdem eſt pluralitas, & differentia, quam Chriſtianorum fides, & doctrina vocant rectiſſimè perſonalem. Scito etiam, quia in iſtis formis exemplaribus unitas non ſolùm non prohibet pluralitatem, ſeu diverſitatem in exemplis, ſed etiam adjuvat illam & perficit, ſicut unitas creatoris non arctat, aut reſtringit cauſalitatem magnificam, & multificam creatoris, immò adjuvat, & perficit ita, ut quantò unitior eſt, ac ſimplicior in ſeipſo, tantò multificentior, ac magnificentior ſit neceſſariò in cauſando.

CAPUT

CAPUT XLV.

Intelligentias non eſſe ponendas propter motus cœlorum, nec in eo numero, in quo poſuerunt eas Ariſtoteles, & ſequaces ejus.

IAm igitur patefactum eſt tibi per ea, quæ præceſſerunt, nec intelligentias ponendas fuiſſe per motus, ſeu propter motus cœlorum, neque in eo numero, in quo poſuerunt eas Ariſtoteles, & ſequaces ejus, neque nomen intelligentiæ appropriandum fuiſſe decem ſubſtantiis nobilibus, cùm omnibus angelicis, incorporeis, aut ſecundùm virtutem intellectivam, juxta modum quem dixi, perfectis, communiter & univocè conveniat. niſi fortè per excellentiam aliquam iſtam appropriationem fecerit, quam indubitanter ponere, & declarare debuit in libro ſuo, hoc autem eum perfeciſſe nondùm audivi. Admirationem B verò habet de viro, qui in rebus phyſicis adeò profundaſſe creditus eſt, & benè in omni genere rerum exercitatiſſimus, & auctor, & instructor peripateticæ diſciplinæ cùm fuerit, quomodò in libris hebræorum librisque magorum, vel non legerit, vel ſi legiſſet, non meminerit, cujus profeſſio erat omnium ſermones audire, omnium ſcripta legere, pro omnibus, & contra omnes diſputare, vel dicere, & ſimul veriorem, aut ſaltem veriſimiliorem viam eligere, de ſeptem angelis precioſiſſimis apud deum, nec-non de cherubim, & ſeraphim, ac de innumeris principatibus, & poteſtatibus, de quibus tam multa magi, ac malefici ſcripſerunt, quemadmodùm audies in ſequentibus, mirum eſt quomodò nihil legit, vel meminit. Seraphim enim ordinem ſubſtantiarum nobiliſſimarum, & præſtantiſſimarum ſpiritualium hebræi in libris pro- C phetarum ſuorum nominant, Cherubim verò ſecundæ dignitatis ordinem, an fortè fidem non adhibuit his, vel illis? Qualiter autem ſpiritus, quem de cœlo veneris adveniſſe ſibi jactat non ei enarravit omnium hujuſmodi ſubſtantiarum ordines, virtutes, & dignitates, aut quomodò adeò parùm ſollicitus fuit ipſe Ariſtoteles de ſcientia ſubſtantiarum hujuſmodi, de quibus, & ſcribere, & alios docere intendebat. Præſumpſit autem Ariſtoteles eouſque de ſcientia earum, ut malos angelos, quos uſualiter cacodæmones, & diabolos vocant homines, eſſe negaret, & hoc aſtruere probationibus attentaret, ſeductus forſitan ab illo ſpiritu, qui hujuſmodi familiaritatem ſe adeptum eſſe dicebat, nolens infamare de malitia conſortes ſuos, & propter hoc, tanquàm ſpiritus mendacii omnes ſpiritus bonos dicere non expavit. D

CAPUT XLVI.

Quod dictum ſupra fuerat, probationibus declaratur, ſcilicet, quòd unitas, & ſimplicitas capacitatem, & diſtinctionem rerum ſcitarum in ſubſtantiis impartibilibus non impediunt, ſed juvant.

POſt hæc autem revertar ad declarandum probationibus, quod dixi tibi de unitate, ac ſimplicitate, quia ipſa non ſolùm non eſt prohibens diſtinctionem rerum, quæ ſunt ſcitæ à ſubſtantiis ſimplicibus impartibilibus, & quòd non ſolùm non ſunt coanguſtantes ipſas ſcientias, quæ ſunt in ſubſtantiis hujuſmodi, quin potiùs adjuvantes ſunt diſtinctionem hujuſmodi, & amplificantes ipſas ſcientias, & virtutes, ut eis quodammodò ſpatium facientes. Dico igitur in primis, quia ſi

A unitas, & impartibilitas confuſionem rerum facerent apud cognoſcentem, & diſtinctionem earum impeditam, aut ipſas ſcientias invicem comprimerent, aut coanguſtarent, neceſſe eſſet, ut apud creatorem hoc maximè efficerent, cùm manifeſtum ſit creatorem eſſe in ultimitate ſimplicitatis, & impartibilitatis. Quare apud creatorem, ſive ſcientiam ipſius, eſſet maxima rerum ſcitarum confuſio, minimaque vel nulla apud illum earum diſtinctio; neceſſe igitur eſſet ipſum maximè confusè videre, & cognoſcere quæcunque videt, aut cognoſcit, & maximè diſtinctè eadem cognoſcere, vel videre. Quare vel minima, vel nulla rerum diſcretio, ſive diſtinctio eſſet apud ipſum. Eſſet igitur ultimus in incertitudine cognitionis, & dijudicationis rerum, ultimus, ideſt minimus. Ampliùs. Cùm corporalitas, & ſpiritualitas contrariæ ſint, neceſſe eſt, ut ſequantur eas per ſe diſpoſitiones contrariæ. Cùm igitur corporalitatem ſequantur iſtæ diſpoſitiones, videlicet coanguſtatio receptorum, ſeu contentorum, coanguſtatio, inquam, mutua eorum ad invicem, & minoratio capacitatis amplioris ex quocunque recepto, ſeu contento, & etiam repulſio aliorum, vel pro parte, vel pro toto, quia unumquodque contentorum corporalium continente corporali pro magnitudine corporali ſua repellit alia, atque intrare prohibet, & hoc, ut dixi, pro magnitudine ſua corporali, quod eſt dicere, ut quantò majus fuerit, tantò magis prohibeat, & repellat alia ſimilis magnitudinis; econtrariò igitur ſe habere neceſſe eſt apud naturam ſpiritualitatis: quantò enim major fuerit ſcientia, vel virtus in ſubſtantia quacunque ſpirituali, tantò non ſolùm non prohibet, aut non repellit, ſed etiam adjuvat, ut intrent, alias, & interdùm, ut prædixi tibi, intrare compellit, tantoque alias non ſolùm meliùs ſecum patitur in eodem ſubjecto, ſed etiam magis eas amplectitur, & ſpatioſiùs cum eis eſt in eodem. Manifeſtum eſt tibi per temetipſum, quia non ſequitur ſpiritualitatem ex quantiſcunque, & quotcunque receptis, ſive contentis, minoratio capacitatis amplioris, quin potiùs majoratio ipſius, & augmentum. Quantò enim majores, & plures ſcientias, atque virtutes recipit anima tua, tantò plurium, & majorum erit capacior, & econtrariò, quantò minores, & pauciores receperit, tantò aliorum minus capax erit. Dico etiam, quia quantò plures, & majores erunt ſcientiæ apud animam tuam, tantò lucidior erit apud eam rerum ſcitarum diſcretio, atque diſtinctio; econtrariò verò, quantò minores, atque pauciores recipit. Ex his igitur manifeſtum eſt, quia ſimplicitas, & impartibilitas in ſubſtantiis nobilibus abſtractis non ſolùm non faciunt confuſionem rerum, & indiſtinctionē, quin potiùs augent, & illuminant ſcientiam. Et hæc eſt natura, & proprietas ſpiritualitatis, contrarium verò natura eſt, & proprietas corporalitatis. Ampliùs. Fac conſiderationem comparativam animarum noſtrarum, & ſubſtantiarum angelicarum, animarumque brutalium, & invenies evidenter, quia animæ noſtræ, quantò unitiores ſunt in ſe, majoriſque ſimplicitatis, atque impartibilitatis, tantò ſunt majoris capacitatis, quantùm ad cognitiones. Animę quippe brutales ſolas capiunt cognitiones ſenſibiles, & imaginativas, ac memorativas, quæ relinquuntur ex ſenſibilibus, & imaginativis, & has etiam non habent omnia animalia bruta, quædam enim ex illis carent virtute memorativa: Propter quod nec diſciplinabilia ſunt, ſicut dicit Ariſtoteles in libro metaphyſicorum. Animæ verò noſtræ receptibiles ſunt omnium ſcientiarum, angelicæ verò ſubſtantiæ ſimiliter omnium,

Digitized by Google

verùm tantò magis, & majorum, ac ſublimiorum ſcientiarum receptibiles ſunt, quantò à natura corporeitatis, atque partialitatis, naturali nobilitate ſunt elongatiores. Et invenies ita ſe habere per omnes ordines ſubſtantiarum ſublimium, donec perveniat conſideratio tua ad ſupereminentiam creatoris benedicti, apud quem tantò eſt amplitudo, latitudoque ſpiritualis omnibus aliis major, quod eſt dicere, ut quemadmodùm ejus unitas eſt in ultimitate ſimplicitatis, ſic ejus amplitudo, atque latitudo ſpiritualis ſit in ultimitate ſibi congruentis magnitudinis. Et ob hanc cauſam res omnes ſunt apud ipſum, ſive in ſapientia ejus, in ultimitate luciditatis, atque diſcretionis, ſimiliter & in ultimitate ſpatioſitatis.

INCIPIT SECUNDA PARS Secundæ partis principalis Guilielmi Pariſienſis de Univerſo.

PROOEMIUM.

His igitur ita determinatis, revertar ad ſtabiliendum partem ſecundam univerſi, quæ eſt pars ejus ſpiritualis: hanc enim omninò negavit ſecta quædam gentis hebræorum. Ariſtoteles quoque eam negavit eſſe in parte, videlicet, quantùm ad malos angelos, quos græci, cacodæmones vocant: vulgus verò diabolos vocat.

CAPUT I.

Stabiliuntur ſubſtantiæ ſpirituales, & abſtractæ contra errorem Saducæorum, & Ariſtotelis, de his malè ſentientium.

Dico igitur, quoniàm omnium duorum contrariorum veri nominis, hoc eſt, quæ verè contraria ſunt, neutrum eſt altero dignius, ut ſit, cùm omnia contraria hujuſmodi per omnem modum æqualia ſint. Quare neceſſe eſt, ut ſi alterum eorum in univerſo naturaliter invenitur, & alterum eorum in eodem inveniatur. Quia igitur corporalitas in univerſo tam multipliciter, tamque variata, manifeſtè naturaliter eſt, manifeſtum eſt, ſpiritualitatem nec minorem, nec minùs multiplicem, in eodem naturaliter eſſe. Juxta ſermonem philoſophi, qui dixit, quoniàm ſi tanta eſt multitudo corporalium, neceſſe eſt eſſe ſpiritualium non minorem. Ampliùs, quæ æqualis bonitatis, & dignitatis ſunt, neceſſe eſt, naturam curaſſe æqualiter, alioquin nec ſapientia, nec providentia regeretur (cùm æquè curanda ſint naturaliter æquè bona) ſi de altero eouſque curet, ut ipſum faceret, alterum verò eouſque negligeret, ut ipſum eſſe non curaret. Debes autem attendere in hoc ſermone meo id, quod ſupra dixi, videlicet veri nominis, & vera contraria. Bonum enim, & malum, non ſunt vera contraria, & propter hoc neque ejuſdem bonitatis, nec ejuſdem dignitatis. Quapropter neque æquè curanda ipſi naturæ. Jam autem audiviſti intentionem meam de bono, & malo, & declarationes meas de utriuſque intentionibus in tractatu ſingulari de eis. Dico autem hoc, ne te conturbet loquacitas imperitorum, & ignorantium veritatem intentionum boni, & mali, atque non intelligentium veritatem contrarietatis. Ampliùs. Priora ſunt natu-

Quòd bonum, & malu non ſunt vere contraria.

E raliter ſimplicia, quàm compoſita ex his; quæ autem priora ſunt ordine naturę, priora ſunt ordine eſsēdi; quæ verò priora ſunt ordine eſſendi, digniora ſunt, ut ſint, quàm poſteriora eorum in hoc quare ſimplicia generaliter digniora ſunt, ut ſint, quàm compoſita eorum: quia igitur natura digniora præfert minùs dignis, alioquin cum eis iniquè ageret, & ordinem juris ſui, atque juſtitiæ perverteret, priùs igitur, & potiùs, ſimplicibus præſtat eſſe, quàm compoſitis. Quia igitur purè corporeum, & pura corporalitas, ſimiliter purè ſpirituale, & pura ſpiritualitas, ſimplicia ſunt comparatione ad compoſita ex eis, neceſſe eſt, ut natura, & priùs, & potiùs præſtet eis eſſe, quàm compoſitis ex ipſis, verbi gratiâ, ſi natura creat, vel alio modo efficit homi-

F nem, qui utique compoſitus eſt ex merè ſpirituali, quod eſt anima, & purè corporali, quod eſt corpus, neceſſe eſt, ut & priùs, & potiùs ordine naturali efficiat animam, quàm efficiat corpus. Quòd ſi dixerit quis, quia hoc non habet dubitationem, verum utique dicit, non autem eſt intentionis meæ, ut hîc inquiram, & ſtabiliam eſſe ſimplicium in ſuis compoſitis, verùm potiùs, ut ſtabiliam illud per ſemetipſum hoc eſt, ſeorsùm ab ipſis Hæc autem eſt intentio mea in hoc ſermone aſtruere probationibus quòd ſi invenirentur ſimplicia in compoſitis, naturaliter invenirentur ſeparata, & ſeorsùm ab illis. Quemadmodùm ſi inveniatur mixtum naturaliter ex auro, & argento, quod dicitur electrum, dico quià neceſſe eſt naturaliter inveniri aurum, & argentum, ſeorsùm à compoſitione electri. Et eodem modo ſe habet de miſcibilibus, & mixtis, verbi gratiâ de elementis, & de omnibus

G aliis hujuſmodi. Et generaliter de omnibus contrariis, verbi gratiâ, ſi naturaliter invenitur color mixtus ex albo, & nigro, neceſſe eſt naturaliter inveniri colorem album per ſe, & nigrum ſimiliter. Sic dico & de ſubſtantiis purè ſpiritualibus, & purè corporalibus, quia poſtquàm inveniuntur in conſtitutione, ſeu compoſitione naturaliter, neceſſe eſt ut inveniantur & per ſe. Quòd ſi dixerit quis, quia reverà invenitur anima humana per ſe, & corpus humanum per ſe, ſcilicet cùm alterum ab altero per mortem ipſius corporis eſt ſeparatum, verum utique dicit, ſed nondùm loquitur ad id, quod intendo. Hoc autem, quod intendo, eſt, quia componibilitas, ſeu conjungibilitas ad corpus, & inconjungibilitas ſimiliter ad ipſum contraria ſunt, & circa idem naturaliter habent fieri. Quia igitur conjungibilitas hujuſmodi non habet eſſe niſi in

H ſubſtantia corporali, & circa ipſam, neceſſe eſt, ut inconjungibilitas contraria in ſubſtantia ſpirituali ſola ſit, vel circa ipſam. Eſt igitur ſubſtantia ſpiritualis corpori inconjungibilis naturaliter, & ſeorsùm habens eſſe à corpore. Ampliùs. Perfectum imperfecto & priùs eſt, ac dignius, & magis eſt, & magis ei debetur eſſe. Et ſimiliter ſe habent ad invicem minùs perfectum, & magis perfectum. Cùm igitur ſpiritualis ſubſtantia non indigens corpore propter aliquam ex ſuis perfectionibus perfectior ſit ſubſtantia ſpirituali, quæ indiget corpore propter multas ſui perfectiones, neceſſe eſt illam eſſe & priorem, & digniorem, magiſque deberi ei eſſe, quàm iſti. Hujuſmodi autem exemplum eſt anima rationalis, quæ per multas ſui perfectiones indiget corpore, videlicet propter perfectionem virium ſenſibilium, & quaſdam alias perfectiones, quæ relinquuntur ex perfectionibus illarum. Neceſſe igitur eſt ſubſtantiam eſſe ſpiritualem anima rationali nobiliorem, cujus perfectio non ſit in corpore, nec per corpus. Ampliùs. Si verum eſt, quod dixit Ariſtoteles, videlicet quòd anima rationalis creatur

Digitized by Google

perfectibilis, & non perfecta. Perfectio autem per-
fectibilitate prior eſt, & dignior. Et perfectum ſi-
militer ſe habet ad perfectibile. Eſt igitur ante ani-
mam rationalem ordine naturæ prior, atque nobi-
lior ſubſtantia ſpiritualis, in ipſa ſua creatione per-
fecta. Ampliùs. Quemadmodùm dixit Avicenna,
cùm inveniatur oxymel, quod eſt compoſitum ex
melle, & aceto, & inveniatur mel per ſe quando-
que in univerſo naturæ, neceſſe eſt, ut & inveniatur
acetum per ſe in eodem univerſo. Juxta hujuſ-
modi argumentationem dico; quoniàm cùm inve-
niatur in univerſo naturæ naturaliter ſubſtantia me-
rè corporalis, & naturaliter per ſe, atque ſeparata à
ſubſtantia ſpirituali, & inveniatur in eodem natu-
raliter compoſita ſubſtantia ex ambabus, hoc eſt,
ex ſubſtantia corporali, & ſubſtantia ſpirituali,
quæ ſunt in homine anima, & corpus, neceſſe eſt
naturaliter inveniri, & eſſe, ſubſtantiam ſpiritua-
lem ſeparatam, & per ſe, & corpori inconjungibi-
lem, quemadmodum dictum eſt de ſubſtantia merè
corporali ſubſtantiæ ſpirituali omninò inconjun-
gibili. Ampliùs. Cùm inter primum principium,
quod eſt creator benedictus, & animam rationa-
lem ſit velut locus ſpiritualis, & diſtantia ſpiri-
tualis infinita, ſi non eſſent ibi ſubſtantiæ ſpiri-
tuales perfectæ, eſſet ibi vacuum naturæ: abhorret
autem vacuum natura inter extrema quæcunque,
dummodò inter ea poſſit eſſe medium: hujuſmodi
autem exemplum eſt in coloribus albo, & nigro,
quorum differentia, ſeu diſtantia maxima eſt in ge-
nere colorum, ubi vides evidenter, quòd diſtan-
tiam illam implevit natura coloribus mediis. Vides
etiam, quòd vacuum corporale natura non patitur.
Quantò fortiùs igitur non patitur natura vacuum
hujuſmodi, quod incomparabiliter magis inimi-
cum eſt naturæ univerſi, magiſque minuens perfe-
ctionem illius, & magis deformans pulchritudi-
nem ipſius? Ampliùs. Inſpecta natura poſſibilitatis
ſubſtantiarum ſpiritualium generaliter, manife-
ſtum eſt eam non magis congruere ſubſtantiis ſpi-
ritualibus imperfectis naturaliter, quàm natura-
liter perfectis. Et hoc notum eſt per ſe omni intel-
lectui, neque aliquis intellectus contradicit huic
ſermoni, quin ſaltem poſſibiles ſint hujuſmodi ſub-
ſtantiæ, poſſibiles, inquam, in ſe. Similiter mani-
feſtum eſt per ſe, quia poſſibilitas ſubſtantiarum
ſpiritualium naturaliter perfectarum prior ſit or-
dine naturæ poſſibilitate naturaliter imperfecta-
rum, quemadmodùm unum priùs duobus. Illa
enim poſſibilitas una tantùm eſt, vel quaſi una;
hæc verò duæ, vel quaſi duæ, cùm ſit poſſibilitas
ad eſſe, & etiam ad perfectionem, quæ eſt poſt eſſe.
Et perfectio, quæ eſt in eſſe, vel cum ipſo eſſe,
quaſi una eſt comparatione perfectionis, quæ eſt
poſt eſſe. Sive igitur procedat eſſe à creatore natu-
raliter, ſive per electionem, & voluntatem largiſ-
ſimam, neceſſe eſt ipſum priùs cecidiſſe, vel influ-
xiſſe, ſuper poſſibilitatem nobilium ſubſtantiarum,
cùm ſit vicinior, ſive propinquior, ipſi fonti eſſen-
di, quàm poſſibilitas animarum noſtrarum. In-
fluentiæ enim naturales continuæ ſunt, hoc eſt,
abſque ſaltu, & interruptione; quæ verò per ele-
ctionem, & largitatem ſunt, non relinquunt di-
gniora, tranſilientes ad minùs digna. Digniora
autem ſunt, ut prædixi tibi, ſubſtantiæ inconjun-
gibiles corporibus, & nullo modorum corporibus
indigentes, quàm animæ noſtræ, quæ propter tan-
tas perfectiones indigent corporibus. Quòd ſi fortè
dixerit quis, quia non eſt poſſibile, ut aliquæ ſub-
ſtantiæ ſpirituales perficiantur, niſi in corporibus,
& etiam per illa, dico, quia iſte ſermo hominis eſt
ſeipſum non intelligentis, & anima ſemetipſam igno-
A rans cogitavit illum: omnis enim anima ſemetipſam
cognoſcens ſentit in ſe ipſa, quòd quantò ampliùs
ſe abſtrahit à corpore ſuo, tantò ampliùs perficitur
ſcientiis nobilibus, atque virtutibus, & quantò
ampliùs ſe in illo conjungit, tantò ampliùs ab hu-
juſmodi perfectionibus ſe elongat. Ampliùs. Omni
animæ intelligenti manifeſtum eſt, quòd virtus
intellectiva ipſius non recipit per corpus irradia-
tiones nobiles, quales ſunt prophetici ſplendores,
& aliæ multiplices illuminationes, de quibus au-
dies in ſequentibus, ſed potiùs deſuper illi adve-
niunt, ſive à lumine primo immediatè, ſive per lu-
mina ſubſtantiarum, quarum eſſe hîc inquiritur,
& cujus ſtabilitio hîc quæritur. Nobiles ergo per-
fectiones, cùm deſurſùm tantùm adveniunt, non
requirunt corpus, vel corporis operationem ali-
B quam, cùm manifeſtum ſit animas humanas tantò
aptiores eſſe ad recipiendas iſtas influentias nobi-
les, quantò corpora earum quietiora fuerint, &
ipſæ ab eis magis averſæ, & ad ſe ipſas magis con-
verſæ. Manifeſtum etiam tibi, quoniàm in hujuſ-
modi illuminationum receptionibus fit raptus ani-
marum de corporibus ſuis, & extaſis, & debilita-
tio vehementiſſima corporum, appropinquatioque
multa ad ſeparationem ab eis, quæ eſt mors cor-
porum, interdùm autem & ipſa mors; quantò for-
tiùs igitur ſublatis tot, & tantis impedimentis,
quæ per corpora præſtantur animabus humanis, re-
ceptibiles erunt perfectionum hujuſmodi? Seor-
ſùm igitur à corporibus, manifeſtum eſt, quòd
tantò perfectibiliores ſunt animæ noſtræ perfectio-
C nibus hujuſmodi ſublimibus, quantò liberiores à
corporibus, & impedimentis, quæ ipſis per corpora
ingeruntur.

CAPUT II.

Probatio puritatis, & immaterialitatis ſubſtantiarum ſpiritualium, & de ſimilitudine earum ad creatorem.

DEbes etiam ſcire, quoniàm non parvum ad-
jutorium eſt ad inveſtigandas, & cognoſcen-
das, naturas ſubſtantiarum hujuſmodi conſidera-
tio ſpecioſitatis, & excellentiæ creatoris. Ea enim
de perfectionibus naturalibus, ſive gratiæ, ſive
gloriæ, quæ de hujuſmodi ſubſtantiis dicuntur
per modum naturalem, ſive innatum, ſive per
quemcunque alium, de creatore dicuntur eſſentia-
liter, ſive per modum eſſentialem. Fortaſſis autem
D naturalia hujuſmodi ſubſtantiarum eadem ſunt,
quæ & eſſentialia ipſarum. Et eſt conveniens huic
tractatui inveſtigare etiam certitudinem de hoc.
Iterùm autem fac conſiderationem de hujuſmodi
perfectionibus in comparatione ad nobiliſſimam
ſupereminentiam creatoris, prout per ſimilitudi-
nem dicuntur de hujuſmodi ſubſtantiis. Similitu-
dinem inquam; quam fas eſt, & poſſibile eſt, eſſe,
vel cogitari inter ipſas, & creatorem. Dico igitur,
quia ſapientiam, ſanctitatem, juſtitiam, & cætera
hujuſmodi, quæ ſecundùm modum eſſentialem de
creatore ita dicuntur, invenies ſtantes, & fixas, per
ſemetipſas in ultimitate ſimplicitatis. Sic ſapien-
tiam, ſanctitatem, & cæteras hujuſmodi perfectio-
nes cùm cogitaveris eas apud hujuſmodi ſubſtan-
tias, invenies eas deſcendentes, ſive fluentes à crea-
tore ſtabilitas ab eodem, & innixas ſuper eundem
innixione incorporali firmiſſimâ, & ſingulari, non
habentes, nec requirentes aliud vel fundamentum,
vel fulcimentum, & ad hunc modum ſe habet in
omnibus his, quæ à creatore per viam creationis
deſcendunt. Ipſe enim eſt ſolus ſuſtinens, & ſub-

ſtentans eâ, atque aſſimilans ſibi, prout poſſibile eſt eis, ſecundùm ordines, & gradus, quos eis creator conſtituit, atque diſpoſuit. Omnes enim creaturas neceſſe eſt creari ſimplices, donec perveniatur ad corpus. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ſola forma corporalis indiget materia, & hoc eſt propter operationes ſuas corporales, quas exercere non poteſt niſi per diſpoſitiones materiales, quas prædixi tibi, quæ ſunt quantitas, continuitas, & contiguitas, ſive contactus, deinde locus, & ſitus. Notum enim eſt tibi de ſitu oppoſitionis, & in operationibus ſpeculorum, & reſultationum, atque reflexionum, & in aliis corporalibus operationibus, quantùm adjuvet illas. Spirituales autem virtutes, quæ per ſemetipſas, & abſque hujuſmodi adminiculis operantur, nullo modo indigent materiâ. Supervacuè igitur ponitur illis. Ampliùs. Forma ſubſtantialis uniuſcujuſque ſubſtantiarum hujuſmodi vita eſt, & vivens, in ſemetipſa. Quare impoſſibile eſt eam eſſe in ſubſtantia non vivente, videlicet in ſubſtantia, quam non vivificet Quod exemplo animæ humenæ, & omnium aliarum animarum exemplis manifeſtum eſt: omnis enim anima materiam, in qua eſt, vivificat, & intelligo materiam iſtam corpus, in quo unaquæque animarum eſt, ſive cui conjuncta eſt. Manifeſtum enim eſt tibi, nec latet aliquem ex hominibus corpora non ſolùm hominum, & aliorum animalium, ſed etiam plantarum viva eſſe, & vivere per animas, quæ in eis ſunt. Quare neceſſe eſſet materias hujuſmodi ſubſtantiarum & vivas eſſe, & vivere. Nemo autem adhuc dixit primam, puriſſimamque materiam, & in ſe ipſa ab omni forma abſtractiſſimam, vel vivam eſſe, vel vivere, præſertim vita ſpirituali, quæ vel eſt intellectus, vel voluntas, aut ſequens ex illis, aut ex qua ipſi ſequuntur. Ampliùs Cujus eſt potentia ejuſdem eſt & actus & in quo potentia, in eodem eſt actus. Quare in quo nec actus, nec aliquid de actu, in eo nec potentia, nec aliquid de illa. Intelligere verò nec eſt in hujuſmodi materia, quam ſomniant, nec aliquid de illo, cùm ſit impartibile Quare nec potentia intelligendi, nec aliquid de illa, eſt in hujuſmodi materia. Et eodem modo ſe habet de potentia volendi. Quia igitur nemo dubitat potentias hujuſmodi formas ſubſtantiales eſſe hujuſmodi nobilium ſubſtantiarum, ſi formatæ, vel materiatæ ſint, manifeſtum eſt formas ſubſtantiales earum nec eſſe in materia, nec aliquid habere in materia. Scire namque debes, quia forma ſubſtantialis uniuſcujuſque ſubſtantiæ principium per ſe eſt actus nobiliſſimi ſubſtantiæ illius. Et ſi multæ formæ ſubſtantiales hujuſmodi, erunt ex neceſſitate principia nobiliſſimorum actuum ſubſtantiæ, quam perficiunt eſſentialiter. Cauſa autem in hoc, eſt quoniàm nobiliſſimæ formarum omnium in unoquoque ſubſtantiales ſunt. Et propter hoc neceſſe eſt eas eſſe principia nobiliſſimorum actuum ſubſtantiæ, quam perficiunt. Ampliùs. Perfectio uniuſcujuſque ſubſtãtiæ conſiſtit in nobiliſſimis actibus ipſius. Quemadmodùm perfectio noſtra, ſive animarũ noſtrarum in nobiliſſimo intelligere, & nobiliſſimo amare, ſeu velle. Quia igitur formæ ſubſtantiales propter ultimam ac nobiliſſimam perfectionẽ ſunt in omni eo, cujus formæ ſubſtantiales ſunt, neceſſe eſt ipſas eſſe propter actus nobiliſſimos in illo, & hoc in primis, & maximè. Actus verò propter quem eſt quæcunque forma, in primis, & maximè principium, & cauſam habet eandem Manifeſtum igitur eſt ex his, quia potentia intelligendi, ſeu cognoſcendi, ſunt formæ ſubſtantiales ſubſtantiarum abſtractarum nobilium. Oportet autem cavere te ab errore eorum, qui dixerunt, quòd forma & materia corre-

E lativè dicuntur ad invicem. Hoc enim ſimiliter falſum eſt, cùm ipſum creatorem benedictum, & formam dicamus, & pulchritudinem, & formam etiam uſu communĩ dicatur quodcunque exemplar, & tantò veriùs forma dicitur unumquodque abſtractorum immaterialium, & intelligibilium, quantò materiæ immixtiùs, & ab eadem longiùs, & hoc eſt propter communitatem, quam dixi tibi ſuperiùs. Hujuſmodi etiam ſubſtantiæ tantò veriùs formæ nominantur, & formæ nomine digniores ſunt, quantò creatori per iſtam immixtionem & elongationem ſimiliores. Dico etiam, quia indigentia comitans eſt materiam per hoc, quòd eſt materia, ſimiliter & imperfectio, contraria verò his ſunt comitantia formam per hoc, quod eſt forma. Ampliùs Qualiter intelligunt hujuſmodi formas, & materias ſubſtantiarum iſtarum? Quod eſt dicere, quoniàm aut illi intelligunt eas ſimul, & eodem ordine à creatore exiiſſe, aut non ſimul Quòd ſi ſimul intel-

F ligunt, intelligunt igitur eas in eadem eſſe propinquitate ad creatorem naturaliter: quare ejuſdem dignitatis, atque perfectionis; quæcunque enim eodem ordine, & ſimul naturaliter exeunt à creatore, ſic ſe habere neceſſe eſt. Si verò non ſimul, & eodem ordine, tunc vel materiæ hujuſmodi exeunt ab illo priùs naturaliter, vel poſteriùs; quòd ſi priùs, erunt igitur naturaliter priores ſuis formis, quare & ordine creatori propinquiores, & propter hoc majoris nobilitatis, atque perfectionis: quæcunque enim naturaliter creatori propinquiora ſunt, quibuſcunque aliis nobiliora, atque perfectiora illa eſſe neceſſe eſt. Hoc autem manifeſtè impoſſibile eſt, materiam enim quacunque ſuâ formâ perfectiorem eſſe impoſſibile eſt. Ampliùs Secundùm hoc quantùm eſt in hujuſmodi materia, creabilis eſſet naturaliter ſine forma, cùm priùs poſteriori naturaliter non indigeat, nec perfectius minùs perfecto;

G quòd ſi poſteriùs exivit naturaliter à creatore, quàm ejus formæ, redit res in id, quod anteà dixeram, videlicet, quòd formæ illæ non indigent hujuſmodi materiis propter eſſe. Manifeſtum autem eſt, quoniàm neque propter operationes, aut perfectiones hujuſmodi ſubſtantiarum, aut etiam proprias: jam enim ex eis, quæ præceſſerunt, didiciſti perfectiones ſpirituales, & operationes etiam animarum noſtrarum, ſive noſtras, nihil ſui omninò habere in materiis noſtris, quin potiùs totaliter in animabus noſtris ſunt; quantò fortiùs igitur perfectiones, & operationes hujuſmodi ſubſtantiarum nihil ſui omninò habent in materiis ipſarum, præſertim cùm per materias earum nihil eis de illis adveniat, nec per ea adjuvantur ullo modorum ad perfectiones, & operationes ſuas. Nos verò quantùm adjuvemur in multis ex perfectionibus, & operationibus noſtris, omni intelligenti manifeſtum eſt. Ampliùs. Cùm inveniantur in univerſo naturaliter ſubſtantiæ

H omninò materiales, ſive corporales, quales ſunt corpora, nec viventia, nec vivificabilia, & inveniantur mediæ ſubſtantiæ in parte ſcilicet corporales, & materiales, & in parte ſpirituales, ut homines, qui à parte corporum corporales, & materiales ſunt, à parte verò animarum ſpirituales, & immateriales, neceſſe eſt naturaliter in eodem univerſo inveniri ſubſtantias omninò immateriales. Et eſt intentio mea in hoc ſermone, quoniàm cùm inveniantur in univerſo naturaliter formæ materiales tantùm, videlicet, quarum eſſe non eſt naturaliter, niſi in materia, & cum ipſa, quales ſunt formæ corporales ſenſibiles, & inveniantur etiam formæ, quarum eſſe medio modo ſe habeat, videlicet, ut in parte habeant eſſe naturaliter in materia, & cum ipſa, in parte verò ſeorſum, quales ſunt animæ humanæ,

Digitized by Google

manæ, ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ipſius, A quæ quantùm ad partem virium ſuarum non habent eſſe, niſi in corpore, ut ipſi opinati ſunt; quantùm verò ad partem aliam, ſeparabiles ſunt à corpore, & habent eſſe ſeorſùm ab illo, quod indubitanter, ſicut materia hominis eſt ad ipſas: neceſſe igitùr eſt inventri naturaliter in eodem univerſo formas, quarum eſſe omninò ſeorſùm ſit à materia, & nullo modorum habens eſſe in illa, vel cum illa. Eodem modo eſt ratiocinari per operationes. Quemadmodùm ſi dixeris, quia cùm ſit naturaliter invenire in integritate, & plenitudine univerſi, formas, quarum operatio non eſt niſi in materiis ſuis, & per eas, quales ſunt formæ corporales ſenſibiles, ut prædixi, ſimiliter & inveniantur naturaliter in eodem formæ, quarum operationes partim ſunt in materiis earū, & partim extra, neceſſe eſt inveniri in ipſo formas, quarum operationes ſunt omninò ſeorſùm à materiis. Formæ verò, quarum operationes naturaliter ſeorſùm ſunt omninò à materiis, & ipſas omninò neceſſe eſt ſeorſùm eſſe à materiis. Impoſſibile eſt autem invenire hujuſmodi formas, niſi in genere ſubſtantiarum. Quare neceſſe eſt evidenter in univerſitate ſubſtantiarum ſubſtantias eſſe, quarum eſſe ſit omninò ſeorſùm à materiis. Hoc autem eſt immateriales eſſe omninò, quod eſt nec eſſe in materia, nec partem habere materiam, nec operari in materia. Et debes reminiſci, quia hujuſmodi ratiocinationibus uſus eſt Ariſtoteles in libro ſuo cœli & mundi, & quia Avicenna poſuit in hujuſmodi ratiocinatione exemplum de oxymelle, & partibus ejus. Ampliùs. Inſpectâ ſimilitudine creatoris ad ea, quæ ex ipſo ſunt, cùm ipſe ſit purus in ultimitate puritatis, & immaterialis per modum omnem formarum, quomodò exeuntes proximè, ſive primò, & immediatè, ab illo ſubſtantiæ non erunt puræ, & immateriales formæ. Si enim naturaliter operatur creator creando hujuſmodi ſubſtantias, neceſſe eſt primas ſubſtantias eſſe creatori ſimillimas, maximè in hoc, quod dixi, C videlicet immaterialitate, & puritate. Ampliùs. Ex forma naturaliter non exit, niſi forma nec ex colore niſi color, nec ex calore niſi calor. Et ad hunc modum de aliis. Quare ſi per modum naturæ exeunt primæ illæ ſubſtantiæ à creatore, quem conſtat eſſe puriſſimam, atque immaterialiſſimam formam, neceſſe eſt ipſas eſſe puras, atque immateriales formas, provt requirit ordo, & inferioritas, quam habent ad creatorem. Non enim comparabiles ſunt ullo modorum creatori nobilitate & dignitate, vel perfectione. Si verò per modum electionis, & beneplaciti à creatore exeunt (quod nullatenùs dubitandum eſt) tunc multò fortiùs in ea puritate immaterialitatis, atque perfectione, quas dixi eas exire ab illo neceſſe eſt. Neque enim D avaritia, neque invidia, neque ulla reſtrictio, vel arctatio omnipotentiæ apud creatorem cogitanda eſt, nec aliud aliquid, quod ipſum prohibuerit, quominùs in ultimitate nobilitatis, atque perfectionis, quæ in ſubſtantiis creatis naturaliter eſſe poteſt, eas creaverit. Hæc autem eſt, quam dixi, puritas videlicet formalis, & immaterialitas. Scito autem, quia homines, qui negaverunt, vel qui adhuc negant puritatem, ſive immaterialitatem hujuſmodi ſubſtantiarum, non fecerunt hoc niſi propter cauſas, quas audiviſti in præcedentibus, & quia terruit eos, & terret adhuc, quoſdam eorum nomen formæ. Ridendus autem eſt in eis, qui Philoſophi nominari voluerunt, vel volunt adhuc, error iſte, utpote puerilis & ridiculoſus. Non enim materia ad formam ſimpliciter dicitur, ſed ad formam generabilem, tanquàm mater ad prolem. Inde & nomen materiæ ſumptum eſt, ac derivatum, videlicet, ut à nomine matris. Forma verò agens, & generans formam generabilem, ad illam eſt, ut patet, pro eo, quòd illam generat. Sed neque forma ſimpliciter ad materiam dicitur, & in hoc laudanda eſt ſententia Platonis, quâ poſuit formas eſſe, & eſſe immateriales, hoc eſt ſeorſùm à materia. Licet de his formis hoc non intellexit. In hoc tamen ipſum laudandum reputo, quòd formas non ad materias retulit, nec eas dici ad materias voluit, quin potiùs illas à materiis omninò abſtraxit, & ſeorſùm longè à materiis eas poſuit. Ampliùs. Cùm bonitatis intentio ſit aſſimilationis, & aſſociationis, atque diffuſionis abundantiæ propriæ in alia, neceſſe eſt, ut hæc ratio tantò ſuperabundantiùs conveniat bonitati creatoris, quantò ipſe ſuper omnem comparationem magis bonus eſt omnibus aliis. Quia igitur ipſe bonus eſt in ultimitate bonitatis, erit ex neceſſitate intendens, & quærens aſſimilationes, & aſſociationes aſſimilabilium B ſibi, & aſſociabilium. Eritque diffundens abundantiam bonitatis ſuæ in omnia, quæ receptibilia ſunt illius, juxta imperioſiſſimum beneplacitum dominantiſſimæ voluntatis ſuæ. Quia igitur ex hac intentione bonitatis ſuæ placuit ei creare animas noſtras in aſſimilationem ſcilicet, & aſſociationem ſuam, atque participium bonitatis ſuæ, provt erat illis poſſibile, atque ipſi creatori conveniens, neceſſe eſt eâdem intentione bonitatis ejuſdem placuiſſe illi creare alias ſubſtantias, & magis aſſociabiles, magiſque bonitatis ejuſdem receptibiles, & ad majorum bonorum participium naturaliter aptiores ipſum creare voluiſſe.

CAPUT III.

Deſtructio erroris circa præmiſſa, & alia univerſi ſpiritualis ſtabilitio.

Quòd ſi dixerit quis, quòd per hanc viam neceſſe erit infinitos ordines ſubſtantiarum ſublimium creatorem creaſſe pro eo, quia videtur ei, quòd nullus ſit ordo, vel eſſe poſſit ſubſtantiarum hujuſmodi, quo nobilior, atque ſublimior excogitari non poſſit, & etiam quàm ſit poſſibilitas: Reſpondeo in hoc, quia hujuſmodi ſermo eſt hominis ignorantis naturam ſpiritualem limitatam eſſe, & terminatam, atque determinatæ propinquitatis ad creatorem. Et intelligo in hoc ſermone meo, quia velut horizon altitudinis ſpiritualis eſt, ultrà quam non eſt acceſſus, aut appropinquatio naturalis ad ſupereminentiam creatoris, & forſitan eſt gloria, ultrà quam prohibita eſt aſcendere ſubſtantia ſpiritualis, prohibita inquam limitatione naturalis capacitatis ſuæ, nec non & limitatione ipſius gloriæ. Quod eſt dicere, quia nec ſubſtantia ſpiritualis naturaliter eſt capax amplioris gloriæ, nec ipſa gloria hujuſmodi majoris ſublimitatis, aut altitudinis. Quemadmodùm vides in corporibus animalium, & vegetabilium limitationes in magnitudinibus. Nec enim leo unquàm in magnitudinem elephantis excreſcit. Neque cocodrilus in magnitudinem equi. Et in minoribus animalibus manifeſtum eſt tibi, quòd magnitudines naturaliter limitatæ ſunt ſingulis, & terminus unicuique generi naturaliter poſitus, ultrà quem in magnitudine non aſcendit aliquod ex individuis ipſius. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia nobiliora priora ſunt in eſſe, quàm minùs nobilia: quare prima in eſſe nobiliſſima eſſe neceſſe eſt. Quia igitur ſubſtantiæ hujuſmodi, quarum eſſe ſtabilire intendo, primæ

Quòd ſubſtantiæ ſpirituales limitatæ ſunt in perfectione.

ſunt inter omnes ſubſtantias creatas in nobilitate, ſive in ordine ejuſdem, erunt primæ ex neceſſitate in eſſe & ordine ipſius: ſi igitur de poſterioribus, & minùs nobilibus eſſe conceditur, multò fortiùs de primis, ac nobiliſſimis ipſum concedi neceſſe eſt. Concedendum igitur eſt ex neceſſitate ſubſtantias hujuſmodi eſſe. Hujus autem exemplum eſt, ut poſtquàm conceditur calor de his, quæ poſteriora ſunt in calore, neceſſe eſt, ut concedatur de igne. Cùm manifeſtum ſit ipſum eſſe primum omnium corporum in calore. Ampliùs. Qui negat hujuſmodi ſubſtantias eſſe, detruncat univerſum nobiliori parte ſuâ. Nobilior enim pars illius eſt pars ejus ſpiritualis, & in parte ſpirituali pars iſta nobiliſſima. Quare intolerabiliter imperfectum faciunt univerſum detruncantes ipſum ſic, ac deturpantes. Ampliùs Ipſi regno, & gloriæ creatoris quantùm detrahant ex hoc ipſo manifeſtum eſt Cùm potiſſima pars regni ipſius, immò caput, hujuſmodi ſubſtantiæ ſint. Regnum enim creatoris non dubitanter eſt univerſum in ſua integritate, & totalitate In toto enim univerſo regnat & imperat in ultimitate rectitudinis, & dominationis. Extra verò univerſum nihil eſt. Ampliùs. Sive creator intenderit in gloriam ſuam, ſive in rerum utilitatem, ſive univerſi perfectionem ſive in omnia hæc, manifeſtum eſt neceſſe eſſe ipſum creaſſe eſſe tam hujuſmodi ſubſtantiarum, quàm aliarum, quin & incomparabiliter major gloria eſt ei creatio hujuſmodi ſubſtantiarum, & ſupra omnem comparationem major utilitas earum, quantùm etiam pertineat ad perfectionem univerſi nulli dubium eſt. Ampliùs. Ex revelationibus propheticis, ex operibus magorum, & maleficorum, ex innumerabilibus teſtimoniis eorum, qui apparitionibus, conſolationibus, & adjutoriis multitudinibus hujuſmodi ſubſtantiarum confortati, & adjuti ſunt, adeò famoſum eſt, & quantùm poteſt irrefragabilibus atteſtationibus atque creberrimis ad liquidum, eſſe ſingula, quæ dixi, conſiderantibus dubium eſſe non poteſt, immò ut dixi, quia omnium gentium conſenſione firmatum eſt, adeò quoque pro certo apud ineruditiſſimos barbaros habitum, ut multas ex hujuſmodi ſubſtantiis & deos reputent, & ut deos colant, eiſdem templa, ſacra, & ſacrificia jam à multis millibus annorum ſtatuerint. Hæc etiam opinio in toto orbe diffuſa idolatriam in eodem ferè per totum non ſolùm dilatuit, ſed etiam penè inextirpabiliter radicavit. Quòd ſi dixerit quis, quia ſervitium idolatriæ nunquàm exhibitum fuit illis nobilibus, ac ſublimibus ſubſtantiis, de quibus hîc agitur, ſed quibuſdam longè inferioribus, reſpondeo, quia homo iſte penitùs ignorat idolatriam, & illam maleficam, ac maledictam necromantiam, in quarum libris creberrimè legitur & manifeſtè, de principatibus, & poteſtatibus, quibus hujuſmodi cultus impendebatur ab idolatris, ſimiliter tam crebrò nominatur ibi princeps dæmonum nomine ſuo. Et ego tibi rememorationem faciam de hujuſmodi in ſequentibus, & de hoc, quòd ſermo Platonis in Timæo eſt de diis deorum, qui non poſſunt intelligi, niſi de ſublimioribus, & præſtantioribus ſpiritualibus ſubſtantiis. Licet ad ipſos planetas ſermo iſte directus, ſeu factus videatur. Taceo etiam præteriens de familiaribus hujuſmodi ſubſtantiis, de quarum familiaritate multi multa dixerunt, de qua ſi conſtaret probationibus, ipſa de ſe ſufficeret ad ſtabilitationem eſſe ipſarum. Ampliùs. Sic eſt pars iſta ſpiritualis in univerſo, ſicut anima humana in homine, & ſic pars iſta nobiliſſima in toto univerſo, ſicut virtus intellectiva, ſive ſuperior, aut nobilior pars animæ humanæ in ipſo homine. Quare ponere univerſum, & negare partem ejus ſpiritualem, eſt ponere hominem, & negare animam humanam. Et iterùm ponere univerſum & negare partem hanc nobiliſſimam ipſius, eſt ponere hominem, & negare de eo virtutem intellectivam ipſius, aut partem animæ rationalis nobiliorem, atque ſublimiorem, ſive præcipuam. Ampliùs. Platoni, & Ariſtoteli, atque ſequacibus eorum nullo modorum poſſibile eſt negare partem hanc nobiliſſimam univerſi, cùm ipſi ponant mundum animal eſſe intelligens, deoque obediens, & ipſum macrocoſmum (hoc eſt) majorem mundum vocent, & nominant, hominem verò propter multam cõvenientiam, & ſimilitudinem ad ipſum, microcoſmum, hoc eſt, minorem mundum appellent. Erit igitur pars hæc nobiliſſima ſpiritualis in ipſo macrocoſmo, ſicut pars animæ humanæ nobilior in ſuo microcoſmo, hoc eſt in homine. Quare ſicut non poſſunt ponere hominem & negare animam humanam, aut præcipuam, ſive nobiliorem partem ipſius; ſic non poſſunt ponere univerſum, & negare partem iſtã nobiliſſimam ipſius. Ampliùs. Neque omne, neque totum, neque univerſum dici poteſt ullo modorũ, cui vel minima pars defuerit. Et per ſingula videre faciliimum eſt; neque enim totus homo, aut tota domus, ubi pars una defuerit, dicitur. Et ad hunc modum ſe habet de aliis. Non eſt igitur vel omne, vel mundus, ſi pars hæc eidem defuerit. Eſt igitur inane, & falſum unumquodque iſtorũ trium nominum, cùm res nulla ſubſit alicui eorum. Ampliùs. Negari non poteſt ullo modorum, quin imaginari, aut intelligi poſſit univerſum in iſta integritate, & completione partium ſuarum. Similiter negari non poteſt, quin pars iſta, de qua loquor, poſſibilis ſit, & neque contrarietate naturarum, ut chimæra, neque aliâ causâ impoſſibilitatis, quantùm in ea eſt, ab eſſe prohibita naturaliter. Dico igitur, quia actualitas debet reſpondere, & adæquari, naturaliter huic poſſibilitati. Et hanc decet & eſſe, & fuiſſe, ſemper voluntatem creatoris, ut hæc poſſibilitas totaliter exeat in actum, atque perfectionem: neque enim decet excellentiam creatoris imperfectio aliqua in quocunque ex operibus ſuis. Ampliùs. Qualiter elegit ſapientia creatoris, qualiter permiſit hoc bonitas ipſius, ut partem viliorem perficeret poſſibilitatis univerſi, & partem nobiliorẽ imperfectam relinqueret? Manifeſtum enim eſt, quia pars nobilior poſſibilitatis univerſi poſſibilitas eſt partis hujuſmodi nobiliſſimæ, cujus ſtabilitio hîc quæritur; hoc autem inde manifeſtum eſt, quia proportionabilia ſunt poſſibilitates & actus. Quare ſi actus actu nobilior erit, & poſſibilitas poſſibilitate nobilior. Quia igitur eſſe hujuſmodi ſubſtantiarum, nobiliſſimarum ſcilicet, longè nobilius eſt, quàm ſit eſſe omnium aliarum, manifeſtum eſt, quòd & poſſibilitas ejus poſſibilitate totius reſidui univerſi nobilior eſt.

Quid macrocoſmum, & quid microcoſmũ dicant.

CAPUT IV.

Quòd neceſſarium ſit univerſum ſpirituale propter corpora, & propter quid creator non creavit plures ſoles, aut plures ſtellas.

SI verò dixerit quis, quòd poſſibilitas ſolis alterius, quàm iſte ſit, poſſibilitas inquam ſolis æqualis non eſt indignior, quàm poſſibilitas iſtius, quam creator elegit perficere, & educere in actum, cur ergo creator non elegit perficere illam, quin potiùs eam imperfectam relinquit? Reſpondeo, quòd poſtquàm ponuntur æquales iſtæ duæ poſſibilitates, liberum per omnia fuit creatori utram vellet perficere, ſimiliter & utrùm vellet relinquere imperfectam,

fectam. Et jam dixi tibi, quòd in voluntate, & beneplacito, creatoris non habet locum quæſtio hæc, videlicet propter quid, & cauſa in hoc eſt, quoniàm voluntas creatoris cauſam non habet, ſed ipſa potiùs cauſa eſt aliorum. Scire tamen debes, quòd duo Soles, vel duæ Lunæ, vel duo Saturni, aut duo Joves, etſi poſſibiles ſint in ſe, non tamen compoſſibiles ſunt. Quemadmodùm vides in animalibus, quòd quædam membra non patiuntur ſingularitatem, aut ſolitudinem ſuam per naturam, quin potiùs requirunt duplicitatem, aut quadruplicitatem, aut majorem numerum ſicut pes in hominibus, & multis aliis greſſibilibus requirit conſortium, & auxilium alterius; in quadrupedibus verò requirit aliorum trium conſortium, & adjutorium, in aranea multorum aliorum, quinque ad minus: culex autem non paucioribus pedibus, quàm duodecim, ambulat naturaliter, atque perfectè: ſunt & alia membra in eiſdem, quæ multiplicari ſe non patiuntur, ſicut cornu in unicorni, ſi quis velit iſtud inter membra computare, ſimiliter cauda in animalibus, quæ ſunt apud nos, eodem modo de hepate, ſplene, & corde, ſalvo hoc, quod dicunt de leporibus cujuſdam regionis, quos putant habere duo corda: ſicut igitur deformitas eſſet in homine pes unicus, aut oculus unus ſolus, ſic deformitas in cœlo ſolis ſi eſſent duo ſoles, ſimiliter in cœlo lunæ duæ lunæ, & eodem modo ſe habet de aliis quinque cœlis aliorum quinque planetarum. Hoc autem, quemadmodùm duo capita in homine uno, aut duo alia membra in eodem, vel in quocunque alio animali, quod non debet habere naturaliter, niſi unum illorum. Declaratio verò hujuſmodi ſermonis eſt, quod neque creator, nec etiam natura detruncata, vel mutilata facit naturaliter, ſed unumquodque in integritate partium ſuarum. Quemadmodùm igitur unicuique animalium dat integritatem totalitatis ſuæ, & perfectum numerum partium ſibi congruentium, ſic fecit ex cœlis. Quare nec plures lunas naturaliter habere potuit quodcunque ſeptem cœlorum ſeptem planetarum, alioquin detruncatos debitis partibus, & quaſi mutilatos congruentibus membris illos creatos feciſſet, & hujuſmodi falſitas manifeſta eſt. Nec oportet, quòd probationibus declarem tibi, quòd hæc pars nobiliſſima univerſi & reſiduum, ſive reliqua pars ejuſdem compoſſibiles ſint, & ſe invicem compati naturaliter poſſint. Cùm manifeſtum tibi ſit alteram alterâ multipliciter indigere, & alteram ab altera multipliciter adjuvari. Et hujuſmodi exemplum eſt in ipſa anima humana, & homine, juxta quod prædixi tibi, pars enim nobiliſſima animæ humanæ, & ipſum reſiduum hominis multipliciter ſe adjuvant. In adminiſtrationibus quoque rerum humanarum manifeſtum eſt tibi quantùm indigeat vulgus principibus, & poteſtatibus, eiſque, qui proximè regibus aſſiſtunt, hoc eſt, conſiliariis, & alio regio comitatu. Juxta modum igitur iſtum non videtur incredibile, nec mirum cuiquam intelligenti, ſi mundus iſte quem ponere communi atteſtatione coguntur, multipliciter indiget ſublimibus, ac præſtantiſſimis ſubſtantiis, quæ creatori è vicinior, & è proximo aſſiſtunt, etſi ab eiſdem modis innumerabilibus & admodùm neceſſariis adjuvatur.

A

CAPUT V.

Proponit quæ, & quo ordine ſit tractaturus.

QUoniàm autem idolatria, & ars malefica, & multiplex illuſio, vexatioque ſubſtantiarum, quæ mali angeli, vulgariter verò dæmones vocantur, cum innumerabilibus narrationibus, quæ apud omnes gentes audiuntur, famoſum jam, & pro parte etiam maxima notum eſſe fecit illorum, & firmavit credulitatem in hominibus de differentiis eorum, & ſpeciebus, necnon de poteſtatibus, & operibus eorumdem mirabilibus, propter quæ & deitas eis eſt ab idolatris attributa, & ritus omnis idolatriæ conſtituti, & hac de cauſa etiam illos deos nominare, & habere decepti homines non ſunt veriti, benè ſe habet, & omni modo conveniens eſt perſcrutari de illis, & de malitiis eorum, præſertim

B

propter Ariſtotelem, qui malitiam de omnibus ſubſtantiis ſpiritualibus negavit, & diabolos eſſe concedere noluit, ſed & de ipſo principe malitiæ, & rege eorum omnium, & unde illi malitia ſit, & de aliis ſimiliter de ſubſtantiis eorum, videlicet utrùm corporei ſint, aut incorporei, & de natura corporum ipſorum, ſi corporei ſint: ſi verò incorporei ſint, cujuſmodi, & unde ſunt eis formæ corporales, in quibus apparent hominibus, necnon utrùm aſſumant hujuſmodi figuras, & quid eſt aſſumptio corporum apud eos: ſed & de nominationibus eorum, ſive nominibus, quibus nominari dicuntur in libris maleficis, & quas de ſe ipſis ipſimet hominibus expreſſerunt, perſcrutari diligentia meæ poſſibilitatis neceſſe habeo hîc, ſi Deus voluerit. Et quoniàm ferè omnia hæc, quæ hîc enumeravi, de conſequentibus naturam ſunt, vel ſaltem de his, quæ poſteriora ſunt naturalibus, incipiam à naturalibus, & eſſentialibus ſubſtantiarum nobiliſſimarum, & inveſtigabo primò de eſſentialibus ipſarum. Deinde de aliis naturalibus earum. Tertiò de officiis, gradibus, ordinibus, virtutibus, & operationibus earum. Et de his, quæ circa homines, & res humanas operantur, quantùm me adjuvare in hoc fuerit creatoris dignatio.

C

CAPUT VI.

Declaratio immaterialitatis ſubſtantiarum abſtractarum ubi refutatur error Sarracenorum dicentium Deum creaſſe Angelos de luce, diabolos verò de flamma.

DIco igitur in primis hujuſmodi ſubſtantias, aut immateriales eſſe ex neceſſitate omnes, aut ſaltem pro parte, & hoc non deberet habere quæſtionem, neque habet apud ſapientes, & exercitatos in his, niſi propter apparitiones multas in formis corporalibus, & operationes, quas circa corpora exercent multæ ex his, quales ſunt everſiones domorum, & deportationes columnarum, atque evectiones, ſive equitationes hominum ſimiliter jactus lapidum, & alia innumera quæ in ſequentibus enarrabo. Quod enim legitur in lege Sarracenorum, quia Deus creavit Angelos de luce, diabolos verò de flamma, non ſolùm vanum, & frivolum eſt, ſed etiam impoſſibile: lux namque, & flamma, non niſi corporales immò etiam corpora ibi intelligi poſſunt, ſpiritualium verò ſubſtantiarum corpora materiæ eſſe non poſſunt ſecundùm hunc modum, vel intentionem, hoc autem eſt, ut de eis fiat, ut enim de corpore fiat ſpiritus manifeſtè impoſſibile eſt, aliâ verò intentione materia ſpiritualis ſubſtantiæ illa eſt, quam perficit, & in qua

D

exercet operationes ſuas, juxta quem modum corpus humanum materia eſt animæ humanæ, quemadmodùm & ipſa forma eſt corporis humani, hoc eſt perficiens ipſum perfectione exteriori, non autem eſſentiali, quoniàm nullo modorum pars eſt illius. Et hic eſt modus, quo materia corporalis, & forma corporalis ſunt materia, & forma corporis, quod eſt dicere eſſentialiter, quia illud componunt, atque conſtituunt eſſentialiter ut veræ, & eſſentiales partes. Manifeſtum eſt igitur, quia ſermo ille, quo dictum eſt, quia Deus Angelos creavit de luce, diabolos verò de flamma, de impoſſibilibus eſt. Lux autem corporalis, quæ accidens eſt, nullo modorum poteſt eſſe materia ſubſtantiæ, quoniàm neque pars. Ampliùs. Secundùm hoc non eſſent priùs angeli in ordine creationis, & hoc eſt per omnem modum inconveniens, cùm ordine naturæ, & dignitate, & etiam propinquitate ad creatorem, priores ſint omnibus corporibus, & corporalibus. Lux autem, & flamma, vel corpora ſunt, vel corporalia: quare priores ſunt angeli, & dæmones etiam, tam luce, quàm flamma, priores igitur ſunt materiis ſuis, & hoc eſt manifeſtè impoſſibile.

CAPUT VII.

Deſtructio erroris quorundam ponentium receptibilitatem formarum eſſe propriam materiæ, & ideò nullam creatam ſubſtantiam immaterialem eſſe.

DEbes autem ſcire quoſdam, qui nominari voluerunt inter ſapientes, poſuiſſe receptibilitatem formarum eſſe propriam materiæ, & propter hoc nullam ſubſtantiam immaterialem eſſe, quoniàm, ut ipſi opinati ſunt, receptibilitas hujuſmodi non eſt niſi materiæ propria, & per materiam adeſt omni ſubſtantiæ. Erraverunt autem hujuſmodi homines in ſermone iſto multipliciter. Primùm in ipſo intellectu, & ratione materiæ: receptibilitas enim ſimpliciter non eſt diſpoſitio materiæ, ſed potiùs ſubſtantiæ, ſicut dicit Ariſtoteles, quia maximè proprium eſt ſubſtantiæ eſſe ſuſceptibile contrariorum. Secundò erraverunt in ipſa ratione receptibilitatis nimis extendentes, vel ampliantes receptibilitatem materiæ, cùm nullo modo ſe extendat materiæ receptibilitas, niſi ad formas corporales, quarum acquiſitione fit generatio, & quarum amiſſione corruptio. Alias enim formas, quæ ſunt poſt iſtas, ſive ſubſtantiales ſint, ſive accidentales, ſicut quantitates, & qualitates corporales, ſola ſubſtantia compoſita recipit, & ſuſtinet. Et propter hoc vocant tantùm philoſophi ſubſtantiam, quæ ſuſtinet novem prædicamenta. Tertiò errant in hoc, quòd materiam ponere coguntur exire primùm à creatore, & ita omnium ſubſtantiarum imperfectiſſimam propinquiorem eſſe creatori, & priùs ab illo exire, quàm aliquam aliarum, & propter hæc imperfectum prius erit ordine naturali, quàm perfectum. Quartò errant in ratione ſubſtantiæ, non intelligentes, vel non advertentes, quoniàm ſubſtantia eſt ens per ſe, hoc eſt, non indigens ſuſtinente, vel ſuſtentante quemadmodùm accidens, quod à debilitate, ſive infirmitate ſui eſſe, accidens nominatum eſt, quaſi ad aliud cadens, hoc eſt ad ſuſtinens, vel ſuſtentans ipſum, non valens eſt ſtare propriâ virtute per ſemetipſum. Cùm igitur forma ſubſtantialis omnis ſubſtantia ſit, non indiget ſubſtinente, vel ſubſtentante. Non indiget igitur hujuſmodi materia, quam ponunt. Sed neque propter receptibilitatem formarum ſibi congruentium, hanc enim habet à parte ſua, videlicet per id, quod eſt ſubſtantia; fruſtrà igitur, & vanè ponitur hujuſmodi

E formis materia. Quintò errant in ipſo nomine ſubſtantiæ, non attendentes etymologiam ipſius. Subſtantia enim dicta eſt ab eo, quòd ſtet ſub, & non ab eo, quòd ſupra. Formæ autem ſubſtantiales in ſubſtantiis, de quibus agitur, non ſtant ſub, ut fundamentum, ſed ſtant ſupra, ut fundatæ, videlicet in materia, quam eis ponunt, quare nec per ſe, nec propriè, nomen ſubſtantiæ dicitur de eis. Et propter hoc nec propriè, nec verè erunt ſubſtantiæ. Et propter hoc neque compoſita ex eis, & materiis hujuſmodi, verè, aut propriè ſubſtantiæ erunt, cùm ex non verè ſubſtantiis veram ſubſtantiã componi, vel eſſe, manifeſtum impoſſibile ſit. Sextò errant in ſuperfluitate poſitionis hujuſmodi materiæ. Hoc autem manifeſtum eſt ex conſideratione formarum, quarum ſuſceptibiles ſunt ſubſtantiæ hujuſmodi.

F Quemadmodùm enim intelligere non eſt in corpore, nec per corpus, nec adjuvatur in anima humana à corpore ſuo, intelligere inquam quo deſuper irradiatur; ſic intelligere hujuſmodi ſubſtantiarum non adjuvatur ab hujuſmodi materia. Quoddam enim intelligere, quod ab inferiori eſt à parte, ſcilicet rerum ſenſibilium, per ſpoliationem, & abſtractionem particularium, ſeu ſingularium conditionũ ab eis adjuvatur per corpus, hoc eſt quia in corpore recipiuntur hujuſmodi formæ, videlicet ſenſibiles, à quibus fit ſpoliatio, & abſtractio, ſicut in præcedentibus expoſui ibi: in materia verò, quam ponunt hujuſmodi ſubſtantiis, nulla fit receptio formarum deſuper advenientium: propter intelligere igitur hujuſmodi, vel propter receptionem formarum deſuper eis advenientium

G nullo modorum indigent ſubſtantiæ illæ materia. Conſidera enim omnes formas hujuſmodi ſubſtantiarum, & videbis eas nihil omninò habere in materia. Quemadmodùm ſcientiæ, & virtutes, & aliæ hujuſmodi formæ ſpirituales, quæ ſunt in animabus humanis, vel hominibus, nihil omninò habent in corpore: ſic ſcientia, & virtutes ſubſtantiarũ hujuſmodi, nihil omninò habent in materiis earũ, & neque ſecundùm partẽ, neque ſecundùm totum in eis ſunt. In nullo igitur adjuvant hujuſmodi materiæ, vel ſuſceptibilitatem, vel ſuſceptionem ſcientiarum, aut virtutum, aut aliarum quarumcunque perfectionum, quæ ſunt apud hujuſmodi ſubſtantias. Septimò jam patefactum eſt tibi, quia corpora impediunt nobiles perfectiones hominum, hoc eſt eas, quæ deſuper ſunt. Si igitur materiæ veri nominis ſunt, quas ponunt ſubſtantiis hujuſmodi, ex neceſſitate impedient perfectiones earũ. Cauſa autẽ in hoc eſt, quo-

H niàm perfectiones hujuſmodi ſecũdùm formas tantùm ſunt, & nihil ad materias de illis. Inſuper materia, & forma, contrariæ ſunt, ſicut alibi didiciſti. Et propter hoc impediunt ſe multipliciter, ſicut manifeſtum eſt in anima humana, & corpore ſuo, quoniàm alterum impedit perfectiones alterius in ſtatu vitæ iſtius. Octavò dico, quoniàm materia, quam ponunt hujuſmodi ſubſtantiis, aut eſt corporalis, hoc eſt, ejuſdem ſpeciei, vel materiei, cujus materia corporum, aut non: ſi ſic poterunt igitur ex hujuſmodi ſubſtantiis fieri naturaliter, & econtrariò, & redigi ſubſtantia hujuſmodi in corpus, & econtrariò, quemadmodùm ignis in aëra, & econtrariò poterunt inquam, quantùm eſt de natura communis hujus materiæ, quæ ſuſceptibilis eſt formarum corporalium, aut ſpiritualium. Si verò eſt alterius modi, ſive materiei, quàm materia corporum, eſſet hæc differentia ex neceſſitate vel ſecundùm ipſas ſubſtantias earum, vel ſecundùm diſpoſitiones aliquas, per quas altera non eſt receptibilis, niſi formarum ſpiritualium, altera verò non niſi corporalium. Quòd ſi fuerit differentia hæc ſecundùm

Digitized by Google

ſecundùm ſubſtantias ſuas apud ſe, eſſet hæc, quoniàm altera eſt ſimplex, & impartibilis, altera verò cõpoſita, & diviſibilis, hoc autem eſt in rebus ejuſdem generis, ſicut differẽtia puncti ad lineam. Punctus enim, & linea, cùm ſint ejuſdem generis, ſolâ partibilitate, & impartibilitate contraria differunt. Non erit igitur materia incorporalium alio modo differens à materia corporalium, niſi ſicut terminus continui ab ipſo continuo. Si verò fuerint differentes per diſpoſitiones, quas dixi, hoc eſt, per diſpoſitiones, quæ faciunt alteram receptibilem ſolarum formarum materialium, alteram verò tantummodò corporalium, neceſſe eſt, ut iſtæ diſpoſitiones ſint vel partes eſſentiales earum, ſicut forma ſubſtantialis ipſarum, aut ſint eis advenientes ſuper completas eſſentias ipſarum, aut ſunt id ipſum, quod illæ. Quòd ſi fuerint formæ ſubſtantiales earum, erunt igitur eis materiæ, ex quibus, & hujuſmodi formis erunt ipſæ compoſitæ quare non erunt veræ, & puræ materiæ, ſed materiata Quòd ſi fuerint diſpoſitiones ſuperadditæ completis ſubſtantiis earum, cùm per alia non differant, ut prædictum eſt, non differunt igitur eſſentialiter. Quapropter erunt una materia eſſentialiter, & communis ſpiritualium, & corporalium, hoc autem jam deſtructum eſt Si verò fuerint id ipſum, quod hujuſmodi diſpoſitiones tunc erunt invicem contrariæ contrarietate veriſſimâ Qualiter igitur alterum erit in altero? Nihil enim recipit intra eſſentiam ſuam contrarium ſuum veri nominis. Addo autem in hoc ſermone contrarium veri nominis, propter id, quod prædixi, videlicet. quia materia, & forma, contraria ſunt, quemadmodùm, & ipſe dixit Ariſtoteles, non autem eſſentialiter, neque veri nominis cõtrarietate Non enim eſt maxima, ſeu completa, differentia inter eas, hujuſmodi autem differentia contrarietas eſt ſicut alibi didiciſti. Major autem differentia longè eſt inter corpoream, & incorpoream ſubſtantiam. Cauſa verò in hoc eſt, quia materia, & forma, cadunt in genus incorporeæ ſubſtantiæ, minùs igitur diſtant, vel differunt ab invicem, quàm corporea, & incorporea, ſubſtantia. Omnia enim duo, quæ in genere eodem conveniũt, minùs ad invicem differunt, quàm ea, quorum alterum in illo genere, alterum in oppoſito eſt Amplius. Ipſe Ariſtoteles dixit, quoniàm proprium eſt ſubſtantiæ nihil contrarium habere. Poſſem & alia tibi addere ad majorem declarationem hujuſmodi ſermonis, quo dixi, quia non eſt veri nominis contrarietas inter materiam, & formam.

CAPUT VIII.

Impugnatur materia, quam aliqui ſomniant in Angelis, & quomodò intelligitur ſolum Deum eſſe hoc, reliqua verò hoc, & hoc.

Revertar igitur, & dicam, quia homini à parte materiæ ſuæ, quæ eſt corpus ejus, eſt multiplex adjutorium, & ad multas perfectiones ſuas intelligibiles, & per impreſſiones, quæ fiunt in ipſo adjuvatur, ſicut prædixi tibi ipſe homo ad perfectiones, quæ fiunt in ipſo Adjuvatur etiam, ſicut prædixi tibi, ipſe homo ad perfectiones ſcientiarum, & virtutum. Quemadmodùm per experientiam, & memoriam ſenſibilium ſimiliter & per imaginationem, ad ſcientias, quæ deſuper ei adveniunt. Ad virtutes verò conſuetudinales quantùm doloribus, & laboribus, totaque frequentia corporalium actionum, & paſſionum adjuvetur, ſoli neſciunt inexperti. Materia verò, quam ſomniãt in iſtis nobiliſſimis ſubſtantiis, nihil penitùs adminiculi
A præſtat hujuſmodi ſubſtantiis; hoc autem inde manifeſtum eſt, quoniàm nulla impreſſio fit in hujuſmodi materia, qua perfectiones hujuſmodi adjuvantur; neque enim habitus intelligibiles, quæ ſunt ſcientiæ, & virtutes, neque diſpoſitiones, aut paſſiones, quibus adjuvantur hujuſmodi, in hujuſmodi materia recipiuntur. Amplius. Sicut ait quidam ex ſanctis, & ſapientibus Chriſtianorum, ſcientiæ, & virtutes, omneſque paſſiones, & diſpoſitiones pertinentes ad eas, vitæ ſunt; amor enim, ut ipſe dixit, eſt vita corporalis, & propter hoc non ſunt, vel eſſe poſſunt, niſi in vita, vel vivente ſubſtantia. Manifeſtum igitur eſt per hoc, quoniàm ſcientia non eſt præciſè, & abſolutè deſcriptio formarum intelligibilium in ſpeculo viventis, ſed magis viva, & viventium formarum deſcriptio in eodem. Quod inde manifeſtum eſt, quoniàm mortuas ſubſtantias, ideſt, non viventes, nulla deſcriptio formarum ſenſibilium, vel intelligibilium, nulla pictura, nulla
B ſcriptura, nulla ſculptura poteſt facere ſcientes. Alioquin libri philoſophiæ omnes ſcientes eſſent. Et liber totam philoſophiam continens eſſet omnium philoſophorum ſapientiſſimus, cùm non immeritò & philoſophus, & Philoſophos omnes incomparabiliter ſapientia excedens dicendus eſſet. Patet igitur, quòd materia hujuſmodi in ſemetipſa mortua eſt, hoc eſt, nec vivens, nec vivificabilis, materia inquam nuda, nec eſt receptibilis vivæ ſubſtantiæ, aut vivæ formæ, nec adjuvat receptibilitatem hujuſmodi, ſed neque adjuvat operationes intelligibiles, ſive ſpirituales. In nullo igitur utilis eſt ſubſtantiis hujuſmodi, fruſtra igitur, & vanè eiſdem ponitur. Amplius. Ipſa receptibilitas ipſa paſſibilitas eſt, quemadmodùm recipere ipſum non eſt niſi pati. Pati verò, & paſſibilitas, ſicut mori & mortalitas, longè ſunt inacceſſibiliter ab hujuſmodi ſubſtantiis, ſicut dixit quidam ex Philoſophis Latinis Chriſtianorum, divinorum, inquit, eſt
C agere, caducorum verò pati Debes autem circumſpectus eſſe in diſputando cum hominibus, qui philoſophi haberi volunt, & nec ipſa rudimenta philoſophiæ adhuc apprehenderunt. De rudimentis enim philoſophiæ eſt proculdubiò ratio materiæ, & ratio formæ: & cùm ipſa ratio materiæ poſita ſit ab Averroë philoſopho nobiliſſimo, expediret, ut intentiones ejus, & aliorum, qui tanquàm duces philoſophiæ ſequendi, & imitandi ſunt, hujuſmodi homines, qui de rebus philoſophicis tam inconſideratè loqui præſumunt, apprehendiſſent priùs ad certum, & liquidum. Ratio igitur materiæ, quam poſuit iſte philoſophus in libro ſuo, hæc eſt Quoniàm materia prima potentia eſt ſubſtantiæ ſenſibilis, & adjecit ad declarationem hujuſmodi rationis, quia ſubſtantia ſenſibilis eſt ultimus actus materiæ primæ. Ex hoc igitur manifeſtum eſt tibi, quia prima materia non eſt materia, niſi ſubſtan- *Quid eſt materia ſecundùm Averroin.*
D tiatum ſenſibilium. Quare nullo modorum eſt materia, niſi ſubſtantiatum intelligibilium: hoc ipſum dixit dictus philoſophus Latinorum, dicens, quoniàm ſolorum corporeorum hyle eſt materia. Ariſtoteles quoque in libro ſuo de anima evidenter aſſerit animam formam immaterialem eſſe; tripliciter, inquit, cùm dicatur ſubſtantia & hoc quidem, ſicut materia, illud autem, ſicut forma, quæ jam erat aliud eſſe; tertium verò compoſitum ex his, anima nec materia eſt, nec compoſitum ex materia, & forma, relinquitur igitur, ut ſit forma, quam & ibidem vocat entelechiam quam quidem interpretantur abſolutam perfectionem; conſilium autem meum eſt ſemper, ut de rebus philoſophicis, philoſophis ſolùm, inquantùm ad eos pertinet, credas, diſputationes, & conflictus, ſive conflictiones im-

Digitized by Google

petitorum omninò declines, nihil ſollicitus de opi- E nionibus eorum, ſunt enim velut ſomnia, & deliramenta. Cauſam autem hujuſmodi ſomniorum, & deliramentorum expreſſit tibi Ariſtoteles in ſermone ſuo, quo dixit, quia imperiti velut à longè diſtantes ſpeculantur. Tu verò noſti, quia lapis erectus, vel truncus ligni, à longè intuentibus homo videtur. Somniantes autem, & deliri fantaſmata imaginationum ſuarum pro ipſa veritate amplectuntur. Debes autem ſcire cum his, quæ dixi tibi in hoc capitulo, quòd prædictus latinorum philoſophus diſputans de ſimplicitate, & unitate creatoris, in quodam ex libris ſuis, dixit, quia primum principium eſt hoc tantùm, omne autem aliud eſt hoc, & hoc per quem ſermonem viſum eſt nonnullis omne aliud à principio primo eſſe compoſitum, F & eſſe duo, & propter hoc nihil eſſe hoc præter ipſum. Et ex hoc viſum eſt eis, quòd omne aliud compoſitum ſit ex materia, & forma. Quòd ſi ita eſſet, ſequitur ex neceſſitate, ſi omne aliud eſt hoc, & hoc, ſecundùm intellectum eorum, quòd omnis materia eſſet hoc, & hoc, & omnis forma ſimiliter eſſet hoc, & hoc, & etiam omne eſſet hoc & hoc, & ſic iret res in infinitum, & eſſet omnis res infinita numero, ſive infinita hoc, & hoc. Ex quo contingeret nihil eſſe intelligibile, aut demonſtrabile, ſeu nominabile. Erraſſet igitur intolerabiliter iſte ſapiens, ſi intellectus ejus in ſermone ſuo eſſet ſecundùm opinionem iſtorum. Ego verò dico, quòd ex ſermonibus ejus præcedentibus, & ſubſequentibus hunc ſermonem apparet evidenter intentio ipſius in eodem ſermone, dicit enim in præcedentibus, quia omne ſimplex eſſe ſuum, & id quod eſt, unum habet. Quod eſt dicere, quia in verè ſimplici, de quo ipſe loquitur, non eſt aliud quod eſt aliquid, & quo eſt, ſive eſſe; hujuſmodi autem ſimplex eſt in ultimitate ſimplicitatis, ſicut patefactum eſt tibi per me in prima parte iſtius philoſophiæ ſapientialis, in capitulo ſcilicet de neceſſe eſſe per ſe: hæc igitur declaratio eſt neceſſitatis per ſe apud ipſum, quia unum per omnem modum ipſum eſt, & ſuum eſſe non eſt ſeparabile ab ipſo actu, vel intellectu. Ab omni verò poſſibili, & ab omni eo, quod eſt neceſſe eſſe per aliud, eſt ſeparabile ſuum eſſe, aut actu, aut intellectu, ſive ratione. In omni igitur alio eſt aliud ipſum ens aliud ejus eſſe, ſeu entitas. Et iſte eſt intellectus ſapientis illius de hoc, & hoc. Et omne aliud ens eſt quodammodò compoſitum ex eo, quod eſt, & ex eo, quo eſt, ſive eſſe ſuo, ſive entitate ſua. Quemadmodùm album eſt album ex ſubjecto, & albedine, hæc autem conjunctio albi, & albedinis, non eſt veri nominis, & propria compoſitio, videlicet per quam aliud novum conſtituatur, cùm manifeſtum tibi ſit ex aliis, quæ alibi didiciſti, impoſſibile eſſe ex ſubſtantia, & accidente aliquid eſſe, vel fieri. Accidens enim non advenit ſubſtantiæ ad conſtituendum novum aliquid, ſed magis ad ordinandam, decorandam & perficiendam perfectionibus forinſecis ipſam, cui advenit, ſubſtantiam. Non debet igitur conturbare te ſermo iſte ſapientis illius de hoc, & de hoc, tanquàm per ipſum cogaris confiteri omnem ſubſtantiam compoſitam eſſe ex materia, & forma, ſive ſpiritualis ſit illa, ſive corporalis. Sollicitè autem attendere debes exemplum, quod poſui tibi de albo, & albedine. Convenientiſſimum enim eſt ad id, de quo agebatur, videlicet de ente creato, & entitate, & hoc, quoniàm eſſe, ſive entitas unicuique accidit, & advenit præter completam ejus ſubſtantiam, & rationem, præterquam primo principio, cui ſoli eſſentiale eſt, & unum cum eo in ultimitate unitatis. Addam autem, & aliam declarationem ad oſtendendam immaterialitatem ſubſtantiarum de quibus agitur. Et dicam, quia forma ſpiritualis, & ſubſtantialis non indiget materia, ut in ea, vel per eam exerceat operationes ſuas, forma inquam abſtracta naturaliter, & ſeparata à corpore, & conditionibus corporis, & hoc patet in ſuperiori, & nobiliori parte animæ humanæ, ſicut prædixi. Tu etiam vides, quia formæ corporales, videlicet quæ ſunt perfectiones corporum, non operantur, niſi in materiis ſuis, & per eas, & per diſpoſitiones materiales, hoc eſt, quæ ſunt ſubſtantiis à parte materiarum ſuarum, quales ſunt quantitas, continuitas, contiguitas, ſive contactus, ſitus, & locus. Spirituales autem operationes, hoc eſt, quæ & eſſe habent, & fieri ſpiritualiter tantùm, non indigent niſi forma, hoc eſt principio agente illas. Quare non indigent materiâ ullo modorum; ergo neque principium agens illas indiget materiâ. Si enim anima humana propter ullas ſui operationes corpore indigeret, omninò non indigeret illo propter ſuam eſſentiam, vel ſuum eſſe; non indiget igitur, vel propter ſuum eſſe, vel propter operationes ſuas materiâ hujuſmodi ſubſtantiæ, quare nullo modorum. Amplius. Ipſimet philoſophi non attribuunt creationem materiæ immediatam, & immediatè ipſi creatori, ſicut in præcedentibus oſtendi tibi in creatione materiarum cœlorum ſecundùm opinionem Ariſtotelis, & ſequentium ejus, hoc autem eſt propter inexplicabilem diſſimilitudinem ipſius ad creatorem. Secundùm Platonem verò in mundo G archetypo nec ideam videtur habere materia, qualiter igitur tam è vicino ab eo exiviſſet?

Quòd eſſe, ſive entitas advenit cuilibet rei creatæ propter completā ejus ſubſtantiam, & rationem.

De hoc ſupra.

CAPUT IX.

De diverſitate, & multitudine ſubſtantiarum abſtractarum, & qua de cauſa creator deſtitit à creatione ſubſtantiarum tam nobilium.

POſt hæc reſtat perſcrutatio de hujuſmodi ſubſtantiis, an ſit diverſitas apud eas, & multitudo, & intelligo in hoc ſermone, an diverſantur numero, & an illo ſolo, an etiam ſpecie. Quod eſt dicere, utrùm inveniantur plures ſpecies, hujuſmodi ſubſtantiarum. Et ſi numerus eſt apud eas, quis numerorum ille ſit, & in quo numero decentius, aut dignius, ſit eas eſſe, deinde utrùm omnes ſimul creatę ſint, & utrùm in illo numero ſteterit largitas, & beneficentia creatoris, ita videlicet, ut poſt illas nullam hujuſmodi ſubſtantiam creare voluerit creator benedictus, & quæ cauſa, vel ratio ceſſare fecerit ipſum ab operatione tam nobili, tamque magnifica. Et intendo in hoc, utrùm ſola volun- H tas ejus, & beneplacitum ipſum deſiſtere fecerunt à creatione ſubſtantiarum tam nobilium, an numerus earum major eſſe non potuit, nec etiam poteſt adhuc. Scito igitur, quia non eſt intentio mea in capitulo iſto, & inter quæſtiones iſtas, inveſtigare de ſubſtantiis naturaliter nobilibus, quæ vocantur Fauni, ſatyri, & dæmones incubi, & lemures, & lamiæ, neque de aliis, qui nominati ſunt apud poëtas, & quibus ſervitus idolatriæ exhibita eſt multorum annorum millibus, & adhuc exhibetur à deceptis, & perditis hominibus. Poſt diſcuſſionem verò prænominatarum quæſtionum, & earum, quæ ſequuntur illas, nec-non & incidentium in ipſis, tentabo declarare veritatem de illis ſic nominatis ſubſtantiis, & determinare quæſtiones, quæ ſunt de illis. Et de prima quidem quæſtionum prænominatarum audiviſti ſermonem Ariſtotelis, & ſer-

Digitized by Google

mones Alphatabii, & Avicennæ, & aliorum, qui in parte iſta Ariſtoteli conſenſerunt. Qui omnes in hanc unam ſententiam concordaverunt, quòd omnis diverſitas, omnis numerus à materia eſt corporali, propter quod etiam animas noſtras, cùm ſeparatæ ſunt à corporibus, numerum nec facere, nec habere, ſed omnes illas unam ſubſtantiam eſſe, & unum prorsùs, nec inveniri apud eas hoc, & hoc, quin potiùs nec demonſtrationem, nec deſignationem alterius modi habere locum apud eas dixerunt. Et ſuper hoc multa audiviſti in præcedentibus, videlicet in ſermone ultimo de intelligentiis. Sufficit autem intelligenti cuicunque ad deſtructionem ſermonis iſtius quòd omnis lex, & omnis prophetia, quæ de ſtatu animarum noſtrarum poſt corpora aliquid loquitur, contradicit ei evidenter, ſive negetur reſurrectio corporum noſtrorum, ſive concedatur. Si enim non ſunt redituræ animæ noſtræ ad corpora, ſed remanebunt in ſeparatione illa, & abſtractione à corporibus in qua non erit inter eas diverſitas, aut differentia ſecundùm opinionem eorum, non uni erit meliùs, quàm alteri, aut deteriùs, ſed omnibus erit unus ſtatus, ſicut & una ſubſtantia abſque ullo modorum diverſitatis, quemadmodùm & una eſſentia. In uno namque, & eodem per omnia ſubjecto, non eſt poſſibile eſſe contraria. Cùm nec ſecundùm idem in eodem eſſe poſſint propter eorum advenientem repugnantiam, nec ſecundùm diverſa propter omnimodam diverſitatis carentiam. Omnibus ergo animabus humanis poſt corpora erit vel una nullo modorum diverſata fœlicitas, vel una, & æqualis miſeria; non enim una earum fœlix erit, & altera miſera, cùm ibi non ſint futuræ una & altera ſecundùm ipſos, ſed una tantùm, cùm omnes unum per omnem modum tunc futuræ ſint ſimpliciter, neque majoritas, & minoritas, propter prædictam contrarietatem, & indiviſam modis omnibus unitatem.

CAPUT X.

Quòd Deus deſignabilis eſt, & verè demonſtrabilis, dicendo hic, & iſte, ſimiliter de ſubſtantiis abſtractis, contra dictum errorem.

Dicam igitur in primis, quia leviter, & ratiocinatione debili inducti fuerunt ad hoc. Primò, quia neceſſe habent concedere, & confiteri intelligibilium abſtractorum unumquodque ſingulare, & unum numero eſſe, quod ſaltem in creatore inficiari non poſſunt, ſed neque demonſtrationes, aut alias deſignationes differentiales, & diſtinctivas, præſertim cùm prophetæ omnes & ad ipſum, & de ipſo ſingulariter, & diſtinctè, tam per demonſtrationes, quàm per appropriatas nominationes loquantur. Crebertimè namque de ipſo dicunt, hic eſt Deus, & non æſtimabitur alius ad illum, & inſuper, Tu domine Deus meus. Ipſum etiam introducunt loquentem ſæpè, & dicentem: Ego Deus, ego dominus. Ampliùs. Quomodò, vel qualiter orabitur, vel adorabitur creator benedictus? Qualiter dirigetur ad ipſum vel oratio, vel ſermo alius, ſi non eſt ſingulariter intelligibilis, aut deſignabilis? præſertim cùm ipſe velit, atque præcipiat tantâ diſtrictione, ſolus, & ſingulariter adorari, atque evidenter, & tam frequenter per prophetas Hebræorum dicat, ego dominus, & non eſt alius, ſtabiliens cœlos, & nullus mecum. Sed & ipſe Ariſtoteles, & omnes ſequaces ejus, ponunt ipſum unum in ultimitate unitatis, & poſuerunt ei individuum dicentes, quia individuum ejus eſt bo-

A nitas pura implens omnia ſæcula bonitatibus, & gratiis. Ampliùs. Ipſimet exiſtimaverunt ſe declaraſſe ſermonibus primum principium, quod rectiſſimè nominaverunt neceſſe eſſe per ſe, non habere comparem, & coæquævum aliud, & ejus eſſe incommunicabile omni modo & ipſum neceſſe eſſe per ſe nullo modorum prædicabile eſſe de multitudine. Proprium nomen verò, ſeu propria nominatio eſt quam impoſſibile eſt naturaliter prædicari de multitudine, quare neceſſe eſſe per ſe eſt propria nominatio ipſius. Ampliùs. Jam declaratum eſt tibi per me, quia veriſſima, ac puriſſima unitas prima unitas eſt, & hæc eſt ex neceſſitate in ultimitate elongationis à multitudine. Eodem modo ſe habet & unum, hæc autem eſt, quod nec actu, nec potentia, vel multum eſt vel multa eſt. Omne autem commune, ſive univerſale, potentiâ multùm, ſive multa eſt, quoniàm potentialiter eſt tota multitudo individuorum, de quibus dicitur. Manifeſtum eſt tibi, quia animal potentialiter eſt unumquodque B animalium, & homo potentialiter Socrates, & Plato, & unuſquiſque aliorum. Quapropter unitas in numero prima, ac veriſſima, unitas eſt, & primum unum unum numero. Ipſi etiam diffinierunt individuum, cujus imaginatio prohibet ipſum prædicari de multitudine. Aggregata igitur ratiocinatione, manifeſtum eſt tibi ex omnibus his, primum principium deſignabile eſſe deſignatione ſingulari, & appropriatâ, & verè demonſtrabile & ita ut dicatur de ipſo hoc, vel iſte, & hæc eſſentia altiſſima, vel hoc eſſe nobiliſſimum, licet ejus eſſe ſit in ultimitate immaterialitatis, & abſtractionis. Non prohibet igitur ſpoliatio, ſive abſtractio, à materia, & appendiciis materialibus ſubſtantias intelligibiles, ſive per demonſtrationem, ſive quolibet aliorum modorum ſingulariter, & appropriatiſſimè, deſi- C gnabiles eſſe, alioquin in creatore tantò magis hoc prohiberent, quantò majores apud ipſum ſunt, ſcilicet hujuſmodi ſpoliatio & abſtractio. Ampliùs. Prima ſubſtantia creata aut eſſet hoc aliquid, aut eſſet commune tantùm, ſive univerſale. Quòd ſi non eſſet hoc aliquid quocunque demonſtratio: non eſſet igitur vel quid, vel aliquid. Ampliùs. Actio creatoris, vel creatio, non eſſet in aliquid, neque alicujus, hoc autem eſt, ac ſi diceretur, generationem eſſe in hominem, vel hominis, in nullum tamen hominem, vel nullius hominis, & hoc eſt dicere, generari hominem, nullum tamen. Tu verò jam didiciſti alibi actiones omnes, quibus aliquid fit vel eſſe recipit, non eſſe niſi in ſingularia. Sicut ædificatio non poteſt eſſe, niſi in domum aliquam. Non enim poſſibile eſt ædificari domum in univerſali, niſi domus aliqua ſingularis, & in ſin- D gulari ædificetur. Sic impoſſibile eſt dari eſſe in univerſali, niſi detur cuidam ſingulariter, & in ſingulari. Primum igitur creatum non poteſt eſſe univerſale abſque ſingulari Eſt igitur vel unum ſingulare, vel multitudo ſingularium. Et jam dixi tibi in præcedentibus in ſecundo ſermone de intelligentiis, non fuiſſe poſſibile ullo modorum primam ſubſtantiam ſolam aliquam creare, quia nec fuit hoc poſſibile à parte creatoris, nec à parte hujuſmodi ſubſtantiæ, non à parte quidem creatoris, quoniàm bonitatem ejus, nec avaritia, nec invidia, nec impotentia, nec difficultas ulla arctavit, vel anguſtavit, ut non niſi talem ſubſtantiam creare vel vellet, vel poſſet, vel ſaltem non ſine difficultate. A parte verò creatæ ſubſtantiæ ſimpliciter non fuit hoc poſſibile. Quoniàm nec fingi contingit in ea vel invidiam, qua ſibi ſimilem, vel æqualem pati non poſſet, vel aliquid aliud; quod illam ſolam eſſe cogeret, & alias cum ea eſſe prohiberet. Sicut facile eſt

Digitized by Google

tibi videre in exemplis, quæ tibi in ſupradicto capitulo poſui. Manifeſtum enim eſt tibi propter quid ſol unus, & alius cum eo eſſe non poteſt. Similiter & luna unica, & ſolitaria creata eſt propter ſimilem cauſam. Eodem modo ſe habet, & in omnibus aggregationibus ſtellarum, quæ ſigna, vel imagines, aut partes earum, aut geſtacula ſunt, qualia ſunt arcus, cingulum, gladius, qui manifeſtè apparent in ſigno orionis, qui eſt de auſtralibus imaginibus una.

CAPUT XI.

Utrùm creator unum ſolum creare debuit angelum ſcientiis, & virtutibus, omnium aliorum excellentiſſimum, ac nobiliſſimum.

QUòd ſi dixerit quis quia ſecundùm doctrinam Chriſtianorum unus ex angelis creatus fuit excellentiſſimus, & in gradu, & ordine ſuæ nobilitatis ſolus, quem gens Chriſtianorum dixit à creatore apoſtataſſe, & in tantam malitiæ perverſitatem demutatum, ut & caput omnis malitiæ & princeps omnium dæmoniorum, & rex ſuper filios omnes ſuperbiæ apud ipſos habeatur. quid ergo mirum, ſi prima intelligentia, vel alia ſubſtantia in ſuæ nobilitatis gradu, & ordine ſola creata eſt? Reſpondeo in hoc, quia ſi reminiſcaris eorum, quæ in præcedentibus audiviſti, manifeſtum eſt tibi creatorem creaſſe quæcunque creavit per electionem liberrimam, & voluntatem imperioſiſſimam, & nihil, quod extra ipſum ſit, terminos poſuiſſe magnificentiæ, & largitati ipſius, ſicut neque extendiſſe, aut ampliaſſe bonitatem ipſius, vel adauxiſſe, ut in plura, vel majora illam extenderet, vel diffunderet, quàm beneplacitum ejus fuerit: & ſicut ſæpè dixi tibi, ſermonibus prophetarum tanquàm ſacris creatoris oraculis abſque ulla declinatione, & hæſitatione adhærendum eſt; qui enim aliter ſentiunt, aut prophetas, quos manifeſtum eſt fuiſſe ſanctiſſimos, aut ſeductores, aut fallaces fuiſſe, neceſſe habent opinari, aut creatorem mentitum fuiſſe in ſermonibus ipſorum, vel quod verius eſt, in ipſis ſuis oraculis. Quorum errorum uterque ferro, & igne exterminandus eſt cum auctoribus ſuis. Dico igitur, quòd ita ſe habet veritas, ut gens Chriſtianorum à prophetarum accepit oraculis, & placuit creatori benedicto angelum illum primum nobiliſſimum in illa excellentia ſcientiarum, & virtutum naturalium creare, in qua nec conſortem, nec parem habuit, nec prohibitus fuit creator omnipotentiſſimus, & optimus ullâ neceſſitate multos ejuſdem nobilitatis creare. Verùm, quoniàm prævidit, atque prænovit illum pervertendum, & in tantam malitiam ruiturum, tolerabiliùs judicavit illum ſolum ex tanta altitudine caſurum, quàm multos. Probabile namque erat æquales per omnia ſubſtantias aut æqualiter caſuras, aut æqualiter in gradu ſuæ altitudinis permanſuras. Et de formatione primi hominis, ac primæ mulieris juxta humanam rationem ſimiliter, & non improbabiliter videri poteſt videlicet quare non in multo numero homines ab initio creaverit altiſſimus, propter hoc ſcilicet, quia tolerabiliorem judicavit ruinam, & corruptionem duorum, quàm majoris multitudinis. Si verò objecerit quis, quia doctrina Chriſtianorum tradit, non ſolùm primum angelum cecidiſſe, ſed etiam ex unoquoque ordine angelorum, quos novem eſſe dicunt, multos cecidiſſe, qui autem ſunt vel fuerunt, ejuſdem ordinis, æquales erant per omnia in ſcientia, & virtutibus naturalibus, nec tamen omnes de unoquoque ordine æqua-

De caſu primi angeli, & quare non creavit Deus plures tales.

E liter ceciderunt, alioquin nullus eorum in cœlo remanſiſſet, & propter hoc non eſt neceſſe, ut æqualitas antedicta, vel æqualiter eos ſtare faceret, vel æqualiter eos dejiceret: dico in hoc, quia in rebus naturalibus, & naturaliter tantùm operantibus, ita ſe habere neceſſe eſt. Verum tamen eſt, ſicut alibi declaratum eſt tibi, ut duobus vel hominibus, vel angelis, quantùm ad naturalia ſua ſibi invicem totaliter adæquatis, poſſibile ſit ex hac libertate voluntatis alterum inclinari ad malum inclinatione corruptiva, alterum verò continere ſe ab illo. Et propter hanc libertatem adjeci tibi in præcedentibus humanæ rationis probabilitatem. Quemadmodùm erit, ſeu contingit in duobus æqualiter per omnia benè videntibus aliquid, quod viſibus am-
F borum æqualiter objectum ſit, non æqualiter tamen videri ab eiſdem, vel ab altero videri, & ab altero non videri. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm non eſt neceſſe eos æqualiter intendere ad videndum illud. Multoties enim accidit coram oculis planiſſimè videntium poſita ab eiſdem non videri, pro eo quòd non attendunt, ſive non intendunt ad videndum illa. Manifeſtum verò eſt ſimiliter ſe habere in voluntate, ſicut in intentione, & attentione. Verùm quid caſus ille angelicus fuerit ſine ruina, & qualiter poſſibilis fuerit, maximè ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ipſius, qui ſubſtantias abſtractas, atque à materia, & materialibus appenditiis ſpoliatas poſuit immateriales, aliaſque multas, ac difficiles quæſtiones, quæ circa hæc ſunt, examinare, & determinare tentabo in ſequentibus, ſi Deus voluerit. Forſitan autem dicet aliquis non improbabiliter, quia propter innumerabiles utilitates,
G & bona multiplicia, quæ de malitia ipſius primi angeli, & ſequacium ipſius elicere voluit, & inceſſanter elicit bonitas, ac ſapientia creatoris, illos damnari, & cadere permiſit, & ſoli uni tantam excellentiam dare voluit, ne major angelorum ruina fieret. Illam enim majorem futuram fuiſſe veriſimile eſt, ſi plures auctores, aut cauſas, quàm habuerit, habuiſſet. Forſitan autem & ſi plures æquales, & ſimiles illi primo creati fuiſſent, plures auctores, & cauſas habuiſſet illa ruina: quare meritò multiplicari noluit creator optimus, cujus ſapientiam nullo modorum latere potuit, quicquid inde futurum erat. Caſus enim ille prodeſſe debuit aliis ad virtutem humilitatis, in hoc videlicet, ut de viribus ſuis longè minoribus nullatenùs præſumerent, aut inaniter confiderent, qui fortiſſimum illum virtutibus naturalibus, & ſapientiâ, cecidiſſe
H conſpicerent. Cùm autem audieris ipſam excellentiam ſcientiarum, & virtutum, occaſionem dediſſe eidem angelo tantæ ruinæ, non mirabetis, ſi nullum æqualem ei creare voluit bonitas creatoris, qui minora dona, ſive gratiæ, ſive naturæ, plerunque tribuens ſalubriter conſuluit recipientibus, quibus majora cauſa eſſent ruinæ. Eos enim extollerent in ſuperbiam, & in alias corruptiones dejicerent. Tu etiam vides, quia viri ſapientes apud nos aut mediocritate, aut etiam paupertate conſulunt filiis ſuis, in quibus conſervantur, qui in divitiis, & ſuperfluitatibus corruptione multiplici periclitarentur. Quemadmodùm enim in minoribus aquis conſervantur, qui in majoribus perirent, aut ſaltem inde enatant, qui in majoribus mergerentur, & ſub modicis oneribus vivunt, & ambulant, portantes ea, qui majoribus ſternerentur; ſic in minoribus ſervantur, qui in donis majoribus perderentur. Diſpenſat igitur creator ſapientiſſimus, & optimus dona largitatis ſuæ tam naturalia quàm gratuita, prout ſcit unicuique expedire debere atque ſufficere. Tu etiam vides, quia illi primo angelo nocuit ipſa

Quod caſus primi angeli profuit aliis ad humilitatem.

Quod excellentia quãdoque corrũpunt.

Digitized by Google

ipſa excellentia, in qua creatus eſt, ſicut tradit doctrina Chriſtianorum. Ex illa namque intumuit, & elevatus eſt in ſuperbiam. Propter quod & dejectus eſt à conſortio ipſius creatoris, & aliorum angelorum, qui permanſerunt Non debet igitur mirum videri tibi, ſi creator ſapientiſſimus, & omnia prænoſcens antequàm fiant, uni ſoli tantam excellentiam ſapientiæ, & virtutum naturalium largiri voluit, cùm etiam illi nocituram illam prævidit. Quod igitur prævidit in uno. prævidiſſe potuit & in multitudine ſimilium, & æqualium illi per omnia. Meritò igitur noluit divinitas bonitatis ſuæ nocere multis, & in perniciem converti. Quod veriſimile eſt fuiſſe futurum, ſi multos illi primo creaſſet ſimiles, & æquales. Veriſimile etiam eſt, ut qui ſupereminentiam creatoris pro ſuperbia ferre non potuit, ut æqualitatem, atque ſimilitudinem in ſuis conſortibus, atque compatibus non tuliſſet. Secundùm enim doctrinam Chriſtianorum eſſe ſimilis altiſſimo ambivit. Manifeſtum igitur eſt tibi veriſimile eſſe in multitudine tam excellentium ſubſtantiarum bellum fuiſſe futurum, & diſcordiam intolerabilem ſecundùm doctrinam hanc: qui enim in ſupereminentiſſimum, & benedictum creatorem armari, & contra eum conſurgere non formidavit, quid in compares ſuos facturus eſſet, & illi invicem, & verſâ vice in illum, ſecundùm hanc doctrinam? Amplius. In illo uno evidenter oſtendit creator benedictus quid poſſet in creatione ſimilium Et hoc propter gloriam ipſius innoteſcendum erat hominibus, qui propter glorificandum eum principaliter creabantur Ne fortè plura, vel majora, quàm ipſi eſſent, creator non poſſe facere putaretur, aut non ſcire, vel non facere velle. Creandus igitur fuit unus in illa excellentia, per quem eluceſceret potentia creatoris in magnificentia operum, & in quo innoteſcerent divitiæ bonitatis ejus ex largitione præclarorum munerum. Cadere etiam permittendus fuit, ac damnari propter immenſas, & innumeras utilitates, quas eliciturus erat creator ex malitia, & ruina illius, inter quas una non modica eſt, quia illius exemplo cognoſcitur omnem creaturam, vel in deterius eſſe mutabilem, vel in ipſum non eſſe, à quo educta eſt per creatorem, poſſe recedere facillimè, ſi ſibi ipſi à creatore dimittatur, poſtquàm ille inter omnes ſubſtantias fortiſſimus, ſic immutatus eſt, & dejectus. Et hæc omnia ſcito me dicere ſecundùm veriſimilitudinem, & probabilitatem, juxta doctrinam Chriſtianorum, & etiam ſecundùm humanam rationem, & æſtimationem. Perſcrutatiùs enim, & latiùs de ſtatu primi, ac nobiliſſimi angeli illius, ac de immutatione, & caſu ejuſdem, loquar in ſequentibus, ſi Deus voluerit. Interim hæc dico tibi, ut mitigetur admiratio tua in rebus his. Et ne ſtupor te in incredulitatem adducat, cùm audis contraria eorum, quæ apud Ariſtotelem, & multos didiciſti.

Quòd non fuit creãdus niſi unus angelus ita perfectus, ſicut fuit lucifer.

CAPUT XII.

Quòd ſpoliatio, vel abſtractio à materia non prohibet à ſingularitate intelligentias, nec aufert ab eis multitudinem.

POſt hæc igitur ad id, in quo eram, revertar, & repetam, atque dicam, quia nulla abſtractio, vel ſpoliatio prohibet ſubſtantiam creatam à ſingularitate, vel individualitate, nec à deſignatione, vel demonſtratione hujuſmodi. Quoniàm quemadmodùm dixi, illa prohibitio eſſet longè fortior in creatore, Cùm manifeſtum ſit cauſam

A illius incomparabiliter fortiorem eſſe apud illum. Amplius. Prohiberet illam eſſe hoc, & illud, & ita de ſingulis. Quare prohiberet eam eſſe in numero, vel de numero univerſitatis. Cogetur igitur illam ponere eſſe extra univerſitatem entium, & propter hoc poneret illam in non eſſe. Quòd ſi dixerit, quia genera, & ſpecies, nec ſunt extra univerſitatem, nec in non eſſe, vel extra eſſe, tamen nulla ſpecies, vel genus eſt hoc aliquid. Verbi gratiâ. Hæc ſpecies homo, nec eſt ſocrates, nec Plato, nec aliud quodcunque individuorum tamen dubium non eſt eam eſſe: jam reſponſum eſt tibi per me, quia ſpecies, ut ſpecies, nec eſt actu aliquod individuorum, nec aliud ab aliquo eorum, immò potentia eſt unumquodque Et ratio ejus, ſeu diffinitio totaliter eſt in unoquoque illorum. Et jam fuerunt aliqui dicentes ſpeciem unamquamque eſſe univerſitatem individuorum ſuorum. Tibi verò manifeſtum B eſt, quia ſpecies non dicitur totaliter, id eſt non ſecundùm omnem ſui partem de aliquo individuorum. Licet dicatur totaliter de unoquòque ſecundùm rationem ſuam. Et intelligo totalitatem iſtam, quæ eſt ex partibus rationis, ſeu diffinitionis. Et hæ partes ſunt genus, & differentiæ. Alio modo partes ſpeciei individua ſunt, quoniàm ipſam ſpeciem, cùm de eis prædicatur, ſibi invicem quodammodò partiuntur. Cùm enim dicitur, Socrates eſt homo, & Plato eſt homo, pro alio dicitur homo de Socrate, & prædicatur de Platone, pro alio inquam numero. Quare aliud eſt in numero, quod Socrates habet in prædicato, cùm dicitur Socrates homo, & aliud eſt, quod habet Plato in eodem. Propter quod dixi, quia individua quælibet ſpeciem ſuam ſibi invicem partiuntur. Et manifeſtum eſt ſimiliter de ratione ſpeciei, quòd illam ſibi ſimiliter partiuntur Non autem ſecundùm totalitatem C antedictam, aut prænominatas partes ejuſdem, quæ ſunt genus & differentiæ, quin potiùs totaliter ſecundùm partes illas de unoquoque eorum dicitur. Et quoniàm genera, & ſpecies ipſi æternas ponunt, hoc eſt, tam platonici, quàm peripatetici, licet diverſis intentionibus, ſicut jam multoties audiviſti, & propter hoc nec creatas, nec generatas, cautè poſui in præcedentibus hoc participium, creatam, quamquàm neceſſe ſit, ut jam declaratum eſt tibi in tractatu præcedente iſtum, qui ſcilicet, eſt de novitate, & renovatione univerſi, nihil eſſe antiquum, vel æternum, niſi creatorem benedictum, & unumquodque aliorum eſſe novum, & eſſe incœpiſſe, ſecundùm Platonem, cui impoſſibile eſt aliquid creari vel generari. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ſpecies æternæ ſunt ſecundùm ipſum, omnis autem ſpecies eſt totum eſſe uniuſcujuſque D individuorum ſuorum. Quare totum eſſe uniuſcujuſque individuorum cujuſcunque ſpeciei æternum eſt, cujuſcunque autem totum eſſe æternum eſt, ipſum æternum eſſe neceſſe eſt. Amplius. Cùm ſpecies totum eſſe ſit uniuſcujuſque individuorum ſuorum, & omnia eſſentialia uniuſcujuſque illorum apud ſpeciem ſint, & in ipſa nihil eorum, quæ eſſentialia ſunt unicuique individuorum, nihil novum eſt, vel generatur, aut fit, cùm omnis ſpecies ſecundùm ipſos cum omnibus, quæ intra ipſam ſunt, æterna ſit, & nec fiat, nec generetur, aut nova ſit; quare nihil, quod ſit eſſentiale cuicunque individuorum, vel generatur, vel fit, vel novum eſt, ſed potiùs æternum. Omne igitur individuum neceſſe habent confiteri æternum eſſe. Deſtruunt igitur tam creationem, quàm generationem, quoniàm uniuſcujuſque modi factionem, & omninò novitatem eſſendi, & in ſingularibus ſimiliter, & in univerſalibus, cùm omnia univerſalia ponant eſſe æterna.

Realizantium modus.

Digitized by Google

Ampliùs. Secundùm hoc non erit ſingularitas, vel individualitas, in ſubſtantiis ſpoliatis nobilibus: ſi enim non eſt in eis reperire vel illud, aut illam, non erit niſi univerſalitas, & communitas apud eas, quare non niſi genera, & ſpecies. Erunt igitur tam genera, quàm ſpecies ſine individuis apud eas. Hoc autem eſt ponere hominem eſſe, cùm nec ſocrates, nec plato, nec unus aliorum ſit. Ampliùs. Hoc eſt ponere potentiam otioſam, & ſupervacuam, cùm omnis actus ejus æternaliter impoſſibilis ſit: eſſe enim omnis ſpeciei potentiale eſt, & incompletum, perficitur autem, & completur perfectione ſuâ ultimâ in individuo: quemadmodùm eſſe generis potentiale, & incompletum, eſt comparatione eſſe ipſius ſpeciei, perficitur autem, & completur in ea: ſecundùm opinionem igitur iſtorum potentia ſpeciei, ſive potentia generis, remanet æternaliter incompleta, & ſua perfectione ultimâ privata: quapropter inutilis eſt, & ſupervacua, & hoc naturaliter ſecundùm ipſos. Ampliùs. Eſſe omnis ſpeciei abſque individuis omnimodò inutile eſt, verbi gratiâ, eſſe equi, qui nec poteſt ferre hominem, neque onus, nec bigis, nec quadrigis, aut curribus, aut aratro ſervire, & cujus neque corium, neque pellis, nec caro alicui applicari poteſt uſui, manifeſtè inutilis eſt. Talis autem eſt ſpecies equi per omnia. Evidentius autem videtur hoc in hac ſpecie, homo, qui nec arare, nec ſeminare, nec aliud quicquã ex ſenſibilibus operibus operari poteſt, ſed neque creatorem laudare, aut benedicere, aut glorificare, aut ei gratias agere, aut modicum canticum ſaltem unius verſus eidem cantare poteſt. Similiter & ad ſpirituales operationes omninò inutilis eſt. Nec enim intelligere, aut ratiocinari, nec creatorem timere, aut amare, aut venerari ullo modorum poteſt. Manifeſtum igitur eſt in ſubſtantiis nobilibus, & abſtractis ſpecies ſine individuis omninò inutiles eſſe: quia igitur nihil inutiliter creavit creator ſapientiſſimus, & optimus, manifeſtum eſt ipſum, vel non creaſſe ſpeciem aliquam hujuſmodi ſubſtantiarum, aut creaſſe eam cum multitudine individuorum. Si quis enim dixerit eum creaſſe ſpeciem aliquam cum uno ſolo individuo, vel duobus, vel tribus tantùm, homo erroneus ſit & inutilis. Et ſermo ejus eſt, quemadmodùm ſi diceret unum ſolum hominem, aut duos debere eſſe in terra, & unam ſolam, vel duas, aut tres ſtellas debere eſſe in cœlo. Ampliùs. Si regibus omnibus multitudinem variorum miniſtrorum creator contulit, ſi aulas ſive palatia eorum tanta varietate miniſtrorum implevit, quomodò iſta gloria ſe ipſum fraudavit, & reliquit ingloriosum, ut non multitudinem, ac varietatem miniſtrorum pro congruentia magnificentiæ ſuæ, & gloriæ ſibi ipſi non creaverit, atque providerit? Qualiter aulam ſuam, ſive palatium deſertam eſſe, & vacuam voluit? Qualiter tantâ frequentiâ magnatum, & ſervientium, alios reges, qui utique non ſunt, niſi miniſtri regni ipſius, voluit honorari? Qualiter ſibi ipſi regalem gloriam invidit, & ſolitarius, dignoque conſortio deſtitutus eſſe voluit? Et quidam prophetæ tam Hebræorum, quàm Chriſtianorum nominaverunt nobis exercitus cœlorum, & militias, atque milia hominum miniſtrantium creatori, & decies centena milium aſſiſtentium eidem. Quia igitur de habitatoribus, & animalibus terrarum à nobis multùm diſtantium creditur teſtimonio eorum, qui talia viderunt, quantò fortius ſanctis prophetis, quibus tam ſublimia, tamque à noſtra conſuetudine remota videre datum credere nos oportet, & de teſtimoniis eorum nullatenùs dubitare? Sed & omnis doctrina, omniſque diſciplina

In quo perfici habeat ſpecies.

Vide concluſionem, quod non ſatis ſit ſpecies uno individuo.

E teſtimoniis utitur, & experientiis, quemadmodùm Ptolemæus utitur teſtimoniis Abratis, & obſervationibus ejus. Sic & Abategni teſtimoniis Ptolemæi, & obſervationibus ejuſdem. Ampliùs. Nulli unquàm ex prophetis denegatum eſt accipere à ſenſu quocunque teſtimonia aliqua, & multa ex ſingularibus, & quoniàm probationem aliam habere non poterant, à ſenſu credere, & aliis credenda tradere coacti ſunt. Quare à ſenſu, & teſtimoniis prophetarum, atque experientiis credere nullo modorum eſt extra viam philoſophicæ rectitudinis, nec à via philoſophandi rectè deviat ullatenùs, qui talia, & ſic, ad probationem aliorum ab eis accipit.

CAPUT XIII.

F *Ponit duplicem ſenſum, corporalem, & ſpiritualem, & quòd etiam corporalibus ſenſibus probatur angelos bonos, & malos eſſe.*

QUòd ſi dixerit quis, quia ſenſibilis cognitio, vel experientia, non habet locum in inſenſibilibus; inſenſibilia verò ſunt ea, de quibus hîc agitur, videlicet ſpirituales & inviſibiles ſubſtantiæ, dico in hoc, quia ſermo hujus ſermo eſt hominis imbecillis intellectus, aut calumniari volentis. Eſt enim ſenſus non ſolùm corporalis, ſed etiam ſpiritualis. Et hoc modo, atque ſecundùm hanc intentionem dicit unuſquiſque hominum ſe ſentire gaudium ſuum, & dolorem ſuum, cæteraſque hujuſmodi paſſiones. Et intendo dolorem ſpiritualem, & gaudium in hoc loco, & non corporales. Similiter dicunt homines communiter ſe ſentire ſcientias ſuas & dubitationes, & ignorantias. Sic manifeſtum eſt prophetas ſenſiſſe viſiones ſuas, & revelationes, atque omninò deſuper deſcendentes in
G animas ſuas illuminationes; & eodem ſenſu ſenſiſſe ipſa viſa, & revelata. Ab his ſenſibus, & teſtimoniis tantorum virorum, quibus tam ſublimia videre, & ſic ſentire datum eſt, accipit hæc theologica, ſeu divinalis philoſophia, cœleſtes exercitus eſſe, & militias ſpirituales præclaras, & milia milium, decieſque centena milium, & cætera hujuſmodi, quæ ſuis eloquiis ſe vidiſſe teſtati ſunt. Addo & ad hoc, quia etiam ab ipſis ſenſibus corporalibus ſtabilitur eſſe hujuſmodi ſubſtantiarum, ubi & lapides jactari, & alia corpora transferri, ſeu transportari, & hæc tam corpora hominum, quàm ſaxa grandia, quàm columnæ, quòd etiam partes ingentes domorum nullo apparente motore evidenter videntur. Qui motus, quoniàm contra naturam erant, manifeſtè indicant ſe eſſe, vel fuiſſe ab inviſibilibus, & ſpiritualibus motoribus, & de jactatione lapidum, atque colliſione vaſorum, frequens
H eſt, & vulgariſſimum apud homines, quòd fiant vel in eos, vel in domibus eorum. Et effectores hujuſmodi motuum vocant ſtultos Dæmones. Sunt & alia innumera ſenſibilia opera, quibus homines inquietantur, & ludificantur ab hujuſmodi ſubſtantiis. Ubi admirationem non levem habet, quia jactus lapidum hujuſmodi nec vulnus, nec læſionem ullam inferunt hominibus, in quos fiunt: in hujuſmodi caſibus igitur ſenſus hujuſmodi rerum, & motuum, motores eſſe indicat evidenter, cùm omnem motum motorem habere neceſſe ſit. Per hoc etiam, quod motores hujuſmodi nec videntur per ſe, nec per alios ſenſus directè, & propriè ſentiuntur, indicatur eos eſſe inviſibiles, & ſpirituales. Quòd ſi dixerit quis, quia ſubſtantiæ, quæ hujuſmodi operationes operantur, non ſunt de primis illis,

Quod per ſenſum poteſt probari ſubſtantias incorporales eſſe.

illis, ac nobiliſſimis ſubſtantiis, ſed potiùs de his, quos græci cacodæmones vocant, reſpondeo, quoniàm creditur, quòd indubitanter fatendum eſt, quòd bonæ fuerunt illæ ſubſtantiæ, quæ ſubverterunt ſodomam, & gomorrham, quæ ad ulciſcendum abominationem illarum civitatum venerunt, & tantam, tamque famoſam, totique mundo notiſſimam vindictam de his ſumpſerunt. Quos etiam, ſi mali fuiſſent, ſapientiſſimus ille, atque ſanctiſſimus Hebræorum pater nec hoſpitio, nec aliis honoraſſet, quin potiùs tanquàm inimicos Dei, & ob hoc hominum inimicos, longè à ſe penitùs repuliſſet. Alia plura in illa hiſtoria invenire potes, ex quibus evidenter eſt videre, quia non ſolùm bonæ erant illæ ſubſtantiæ ſed etiam nobiliſſimæ, & creatori benedicto chariſſimæ. Verùm de malitia hujuſmodi ſubſtantiarum reſtat adhuc (& reſervo eam in ſequentibus) grandis, & perſcrutata inquiſitio, non ſolùm propter contradictionem Ariſtotelis, ſed etiam propter alias plures, & determinari valde difficiles.

CAPUT XIV.

Quòd viſiones ſpiritus prophetici non credulitates, vel opiniones, ſed cognitiones certiſſimæ ſunt, & quòd ſpiritus ſeparati faciunt numerum.

Revertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quia unicuique videnti de ſuis ſenſibilibus credendum, prophetis igitur, qui antiquitùs videntes vocabantur, de ſuis viſibilibus abſque ulla dubitatione credendum eſt. Quia igitur hujuſmodi ſubſtantiæ in vita iſta ſolis prophetis ac prophetico ſplendore illuminatis viſibiles ſunt, prophetis indubitanter de illis credendum eſt. Ampliùs. Viſui noſtro corporali, cùm fuerit liber ab impedimentis ſuis, non ſolùm credimus de viſibilibus corporalibus, quæ per ſe, & propria ſenſibilia ſunt ipſius, ſed etiam ſcire certiſſimè nos arbitramur, & dicimus ſcire quæcunque, quæ per illum videmus. Quia igitur intellectus propheticus, id eſt, ſplendore prophetico illuminatus, viſus eſt hujuſmodi viſibilium in ſtatu iſto præſenti. neceſſe eſt viſiones ejus non opiniones, aut credulitates, ſed cognitiones certiſſimas eſſe. Propter quod & ab hujuſmodi viſu prophetæ videntes dicti ſunt, tanquàm proculdubiò, videntes ea, quæ procul, ſive longè ſunt à cognitione aliorum hominum, nec intelligi poſſunt; vel prophetæ quaſi providentes. Providebant namque hominibus à malis eis imminentibus, vel interpellando pro eis apud miſericordiam creatoris & inſtruendo eos, qualiter vel illa à ſe averterent, vel declinarent. Scito autem, quia raptus & extaſis, & quædam ſomnia, & quædam aliæ illuminationes, de quibus in ſequentibus audies, propheticis ſplendoribus annumerandæ ſunt propter ſimilitudinem ad illos. Ampliùs. Ponam aliud exemplum in animabus noſtris, quas dicunt numerum non facere propter ſeparationem ſuam à corporibus: quia igitur deſignabiles ſunt deſignatione ſingulari, dum ſunt in corporibus, & demonſtrabiles, ita ut verè, aut propriè dicatur unaquæque earum, hæc ſubſtantia, quæ vivificat, & regit hoc corpus, eſt quædam anima, & quædam ſubſtantia, & ſimiliter illa, quæ vivificat, & regit illud aliud corpus, eſt quædam alia anima, & quædam alia ſubſtantia, alioquin, videlicet ſi anima ſocratis non eſt quæ-

Nominis prophetæ interpretatio.

A dam alia anima, & quædam alia ſubſtantia, non erunt duæ animæ, nec duæ ſubſtantiæ anima ſocratis, & anima platonis: quare neque dum ſunt in corporibus, neque dum ſunt extra corpora, facient numerum: quapropter non erit in omnibus corporibus humanis, niſi anima una numero. Cùm igitur ſeparatur de corpore ſuo anima ſocratis, aut deſinit eſſe hæc anima, ſive hæc ſubſtantia, aut non. Quòd ſi remaneat hæc anima, & hæc ſubſtantia, & remaneret hoc, remanebit, ſimiliter anima platonis illa anima, & illa ſubſtantia, & illud. Remanebunt igitur extra corpora hæc, & illa, & hoc, & illud. Quare remanebunt duæ, & duo, remanebunt igitur in numero extra corpora, in quo ſunt, dum ſunt in corporibus. Quòd ſi utraque deſinit eſſe hoc, ſimpliciter igitur utraque deſinit eſſe. Quemadmodùm enim cùm aliquid fit hoc, fit ſimpliciter; B ſic & cùm deſinit eſſe hoc, deſinit eſſe ſimpliciter, fieri enim hoc non eſt recipere aliquid, quod ſit poſt eſſe, vel ſupra illud, ſed eſt recipere ipſum eſſe. Quare amittere eſſe hoc non eſt amittere aliquid, quod accidat, ſed eſt amittere ipſum eſſe, amittere autem eſſe non eſt niſi deſinere eſſe Manifeſtum autem eſt, quòd creatio, & generatio, non dicuntur ad accidentia, neque ſecundùm illa, neque propter illa, ſed ad ipſum eſſe, & propter illud: Non enim dicitur Socrates generari, quomodò dicitur juſtificari, vel doceri, quoniàm non juſtificatur, vel docetur, niſi qui jam eſt, & poſtquàm eſt. Generari verò non dicitur, niſi qui nondùm eſt, ſed eſſe recipit. Juſtificari verò, qui jam eſſe habet, & ſuper illud recipit juſtitiam. Quare generatio receptio eſt ipſius eſſe, ſimiliter ſe habet & de creatione. Nulli autem dubium eſt, quin generatio, & creatio circa ſingu- C laria, ſive individua ſint, & quin de illis ſolis propriè, ac verè dicantur. Quare contraria creationi & generationi, circa illa ſola, & de illis ſolis naturaliter, propriè, ac verè dicuntur. Nec creatur igitur, niſi hoc, inquantùm hoc: nec deſtruitur. nec corrumpitur, niſi hoc. inquantùm hoc. Quemadmodùm ergo tunc verè creatur, aut generatur, cùm accipit eſſe hujuſmodi: ſimiliter tunc verè deſtruitur, aut corrumpitur cùm amittit eſſe hoc. Jam autem dixerunt, quia unaquæque animarum noſtrarum in ſeparatione à corpore ſuo amittit eſſe hoc, quare ſeparatione à corporibus ſuis unaquæque animarum noſtrarum deſtruitur, aut corrumpitur. Quod enim accipit accipiendo eſſe hoc, neceſſe eſt ipſam amittere deſinendo eſſe hoc Quia verò exemplum de duobus per omnia ſimilibus ad ſenſum hujuſmodi homines induxiſſe D videtur in hunc errorem, eo quòd in talibus non ſit à ſenſibus diſtinctio, niſi per locum, aut ſitum, aut aliud hujuſmodi, verbi gratiâ, inter duas oves ſimillimas tam colore, quàm quantitate, quàm aliis, quæ ſenſibus apparent, vel inter duas apes ſimillimas nemo per ſenſum diſtingueret, niſi attenderet vel locum, vel ſitum; propter hoc enim, quòd vides hanc in uno loco, & illam in alio, vel hanc à dextris, & illam à ſiniſtris, vel hanc alicui propinquiorem, illam remotiorem, aut hanc oppoſitam alicui directè ſecundùm ſitum, illam verò non, viſus inquam non diſtingueret inter illas, nec apud viſum numerum facerent: ſic inquiunt, ſe habet & apud intellectum, quia ſi animæ noſtræ omnes poſt ſpoliationem à corporibus ſimillimæ remanerent in omnibus ſpiritualibus, ſive intellectualibus, remanerent ex neceſſitate indiſtinguibiles ſecundùm intellectum apud ipſum & propter hoc ſingulariter indeſignabiles, & individualiter indemon-

Digitized by Google

ſtrabiles, quapropter & innumerabiles; ubi enim nec ſenſus, nec intellectus diſtinguit, impoſſibile eſt diſtinctionem eſſe, quare & numerum. Amplius. Unum ex principiis ſapientialis hujus, ac divinalis philoſophiæ eſt omne, quod eſt intelligibile, eſſe, ex quo manifeſtè ſequitur omne, quod non eſt, intelligibile non eſſe. Quia igitur diſtinctio, ſive diverſitas non eſt intelligibilis, & intellectu apprehenſibilis inter hujuſmodi ſubſtantias, neceſſe eſt ipſam non eſſe. Ubi autem nec diſtinctio, neque diverſitas eſt, impoſſibile eſt numerum eſſe; quare inter ſubſtantias ſeparatas, ſive ſpoliatas à materia, & appenditiis materiæ, impoſſibile eſt numerum eſſe. Sequitur autem hanc concluſionem nec apud intelligentias, nec apud animas noſtras, cùm ſeparatæ fuerint à corporibus, numerum poſſibilem eſſe, ſed neque inter has, & illas diſtinctionem, aut diverſitatem ullam eſſe, & quod eſt omnibus his impoſſibilius, inter creatorem benedictum, & quamcunque hujuſmodi ſubſtantiarum nullam eſſe diſtinctionem, aut diverſitatem: quare non erit creator alius à quacunque illarum, & propter hoc erit idem ex neceſſitate cum unaquaque illarum. Omne autem idem cum aliquo eſt eſſe illud, quod illud: quare creator benedictus erit id, quod unaquæque ſubſtantia ſeparata. Nec intelligentia igitur, nec anima ſeparata quæcunque erit, niſi ipſe creator benedictus. Quare nec animæ noſtræ, nec intelligentiæ, neque ulla alia ſubſtantia ſeparata erit vel creata, vel facta, vel aliter cauſata ab ipſo, & propter hoc in hujuſmodi non creabit, vel faciet, vel per viam aliam cauſabit, niſi ſeipſum.

CAPUT XV.

Reprehendit eos, qui animas ſpoliatas omnibus diſpoſitionibus in hoc mundo acquiſitis corpora exire dixerunt. Et hujus erroris cauſas diligentiſſimè perquirit.

Licet autem jam ſæpè dixerim tibi, quia contra hujuſmodi errores non rationibus, aut probationibus, ſed ferro, & igne diſceptandum eſt, oſtendam tibi tamen hîc cauſas erroris iſtius, & imbecillitatis intellectus hujuſmodi hominum. Dico igitur, quia homines iſti opinati ſunt animam humanam, cùm exit à corpore ſuo, ſpoliari omnibus paſſionibus, & diſpoſitionibus, quas acquiſivit à corpore, quod eſt dicere, hominem, cùm exit de domo aliqua, nihil ſecum portare de his, quæ in ea acquiſivit, vel habuit, vel comedit, aut bibit in eadem. Propter hoc ſuſpicati ſunt nihil remanere in animabus noſtris, cùm eximuntur à corporibus, niſi ea ſola, quæ in ipſa creatione ſua à creatore receperunt, in quibus nec inæquales, nec diſſimiles ullo modorum videntur, & hoc indubitanter erroneum eſt, & impoſſibile. Quicquid enim ponas corpus humanum ad animam, hoc eſt, ſive equum, ſive domum, ſive veſtem, ſive organum, quæ ipſimet recipiunt, non eſt neceſſe ullo modorum, ut ſeparatione ab illo amittat, vel deponat quæcunque per illud idem acquiſita ſunt. Quemadmodùm ſe habet de vino, quod ex vaſe interdùm corruptionem contrahit, ſi corruptum ipſum invenerit, interdùm verò ſaporis, aut odoris ſuavitatem, aut etiam medicinalem virtutem, ſi hanc diſpoſitionem in ſe vas habuit. Longè autem arctior, ac preſſior eſt conjunctio animarum noſtrarum ad corpora, quàm ſit, vel eſſe poſſit liquorum ad vaſa continentia illos. Multò fortiùs igitur non eſt poſſibile denudari animas omnibus diſpoſitionibus, quas in corporibus habuerunt, vel acquiſierunt, denudari inquam per ſeparationem corporum ſuorum. Ampliùs. Secundùm hoc tales omninò exirent de corporibus, quales intraverunt. Superfluè igitur, & inutiliter in corporibus tam diu moram fecerunt, cùm ex eis exeant in nullo melioratæ. Ampliùs. Exibunt inde ſecundùm hoc actu imperfectæ, ſed perfectibiles ſapientiâ, & virtutibus, quemadmodùm tabula vacua, aut ſpeculum, ſive liber vacuus, ſicut dixit Ariſtoteles: aut igitur poſt corpora adveniet iſta perfectio, aut remanebunt perpetuò in ſua poſſibilitate, & perfectione. Quapropter eſſe earum erit perpetuò ſupervacuum, & inutile, hoc autem nec natura patitur, nec bonitas creatoris. Quòd ſi perfectionis iſtius, ſapientiæ ſcilicet, & virtutum, tunc eis advenientium, tunc æquè habiles, æquè capaces, & nulla hujuſmodi perfectione dignior futura ſit una alia in ſtatu illo, æquales eis perfectiones iſtas tunc advenire neceſſe eſt: ſive enim per naturam eis adveniant, ſive per gratiam creatoris, æquales illas eſſe neceſſe eſt. Unde enim in eis fruſtra eſſet inæqualitas, cùm in ſe ipſis æquales per omnia ſint in ſtatu illo, & æqualium per omnia comparationum tam ad naturam, quàm ad gratiam creatoris. Ampliùs. Nec creatoris judicium, neque juſtitiam in homines, vel in animas humanas patitur error iſte. Cùm ſimilia & æqualia, ſive bona, ſive mala futura ponat omnibus animabus humanis poſt corpora, ſimiliter & hominibus, ſi reſurrecturos eos ponat. Similes enim eos per omnia ponere neceſſe habet quantùm ad merita. Merita enim totaliter in animabus, & ab animabus ſunt. Illas autem ponunt ejuſdem fore diſpoſitionis per omnia: quare ſecundùm eos nulla futura eſt vel apud homines, vel apud animas differentia, vel diſſimilitudo meritorum apud homines, vel animas poſt corpora, & propter hoc nec retributionum inter bonos, & malos; quare nulla juſtitia creatoris, nullum judicium futurum de malis hominibus, nulla ſpes retributionis futuræ relinquitur bonis. Tertia cauſa errorum iſtorum fuit, & eſt, ignorantia differentiæ apprehenſionum ſenſus, & intellectus. Senſus enim ſola forinſeca apprehendit; de interioribus verò, vel intimis nihil, ſicut dicit quidam ex philoſophis latinorum. Senſus inquit nihil integritatis percipit, ſed uſque ad proximum venit. Ratio verò quidam ſubeſſe perpendit. Intellectus igitur videt interiora omnia, hoc eſt, ipſa ſubſtantialia rerum, ipſaſque ſubſtantias earum. Et propter hoc quoniàm in ſubſtantiis ſuis differunt omnia creata, ſive ſint ſenſibilia, ſive intelligibilia, omniaque ſingulatia, videt differentias earum eſſentiales, per quas nulla earum eſt alia; ſicut enim hoc non eſt hoc, niſi per hoc, quod eſt, hoc eſt dicere non à foris, neque ab aliquo quod ſit poſt eſſe ipſius, & ſupra id adveniens, ſicut, quòd hoc non eſt illud, non eſt ex forinſecis, neque accidentalis differentia, ſed diverſitas, & differentia eſſentialis. Hanc igitur videt intellectus, qui videt intùs, ubi iſta diverſitas eſt. Senſus verò inter ſimillima ſenſibilia diverſitatem non videt, niſi ad intùs, quemadmodùm dixi. Intellectus verò totum penetrat, quemadmodùm dicitur de viſu lyncis. Hoc autem non putes me dicere de intellectu in corpore quodammodò demerſo, atque ſepulto, & originali noſtra corruptione obſcurato, fantaſiiſque depreſſo, ſed de intellectu (ut Chriſtianorum utar ſermone) glorificato. Jam igitur patefactæ ſunt tibi duæ cauſæ erroris iſtius, quæ ſunt ignorantia adhærentiæ, & remiſſionis paſſionum, & diſpoſitionum multarum in animabus humanis, quæ

Digitized by Google

quæ nec abolentur, neque abraduntur, neque avelluntur, neque ullo modorum ſeparantur ab eis ſeparatione corporum ſuorum ab eis, & cauſas, atque rationes, & exempla poſui tibi in hoc. Tertia verò cauſa hujuſmodi erroris fuit ignorantia penetrationis, & profundationis intellectus in intima intelligibilium. Hæc autem ſunt ſubſtantiæ, & ſubſtantialia illorum, & differentiæ eſſentiales ipſorum, quæ faciunt diverſitates ſecundùm numerum. Erraverunt etiam hujuſmodi homines decepti æquivocationes ejus, quod unum eſt. Cùm enim refertur ad ſpeciem, hoc eſt, cùm dicitur unum ſpecie. intentio ejus non eſt, niſi ſimilitudo eſſentialis. Species enim (ut ait idem philoſophus) ſubſtantialis eſt, & intelligitur ſecundùm totum. Non enim ſunt unum ſpecie, niſi ea, quæ eſſentialiter, atque totaliter, hoc eſt, ſecundùm totas ſubſtantias ſimilia ſunt. Quæ verò genere tantummodò unum, vel idem ſunt, non totaliter, nec integrè, ſed ſecundùm partem ſubſtantiarum ſuarum tantùm ſimilia ſunt, quoniàm ſecundùm unum eorum, quod intentio, ſeu ratio generis continet. Quemadmodùm homo, & equus ſecundùm ea ſubſtantialia ſua, quæ habent in genere ſuo, quod eſt animal, ſimilia ſunt, ſecundùm autem ea ſubſtantialia ſua, quæ poſt genus ſunt, diſſimilia. Intellectus igitur noſter in his tenebris, & in hac depreſſione, in qua ſumus hîc, non diſtinguit ad nudum ſocratem à platone in hac ſpecie, homo. Quoniàm nec ad nudum, & clarum penetrat apprehenſio ejus, nec intrat in illam. In gloria tamen futura ſua ad nudum, & clariſſimè intuebitur eorum diverſitatem numero, per quam ſolam numerantur, & per quam ſolam verè, ac propriè dicitur hoc, & illud unum, & alius unus, & alius alter, & reliquus, non autem ullo modorum per varietatem accidentium. Et ſermo, quo iſte philoſophus Italicus dicit, quia ſola accidentium varietas facit differentiam numero, intelligendus eſt (ut prædixi tibi) per ſubauditum, quod ſubauditur, nobis videlicet, in his tenebris conſtitutis, per quas prohibetur (ut prædixi tibi) intellectus noſter penetrare ad nudum, & videre ad liquidum intima ſenſibilium ſubſtantiarum, quæ in præſenti non videt, niſi velata, id eſt quaſi ſub operimento varietatis ſenſibilium accidentium.

CAPUT XVI.

Epilogatio dictorum, & quòd ad decorem ipſius univerſi, gloriamque creatoris, eſſe ſubſtantiarum hujuſmodi ſtabiliendum eſt, multis comparationibus perpulchre demonſtrat.

IAm igitur declaratum eſt tibi per ea, quæ præceſſerunt, ſpoliationem à materia, nec in animabus noſtris, nec in aliis ſubſtantiis ſpoliatis prohibere numerum, ſeu pluralitatem, ſeu multitudinem, nec deſignationem ſingularem, & appropriatam: & quia veriſſimè dicitur in eis hoc, & illud, hæc & illa, declaratæ etiam ſunt tibi cauſæ erroris contrarii, & imbecillitas intellectus hominum, qui tam debilitationi cedentes, in hunc errorem tanquàm victi dejecti ſunt. Patefactum etiam eſt tibi cum his, quia decens omninò eſt & debitum per ſe, magnificentiæ, & gloriæ creatoris, ut ſit ei frequentia, & multitudo nobilis, & præclaræ militiæ ſpiritualis, tantò innumeroſior, atque ſublimior, quantò ipſe ſupereminentior, atque præſtantior eſt aliis regibus, qui quantumcunque divites, & incliti videantur non ſunt tamen niſi miniſtri regni ipſius quod eſt regnum omnium ſæculorum, & cujus dominatio univerſalis eſt, & imperioſiſſima ſuper univerſa, & ſingula. Et quoniàm non eſt poſſibilis demonſtratio de ſingularibus, non eſt hîc mihi poſſibile demonſtrativè declarare de quocumque ex hujuſmodi ſubſtantiis ejus eſſe, vel ipſum eſſe. Similiter & de rebus, quæ per electionem, & voluntatem ipſius creatoris liberrimam, & imperioſiſſimam ſunt, vel fuerunt, vel futuræ ſunt, non eſt demonſtratio, quoniàm neque voluntatis ejus eſt per ſe ſcientia, ſive cognitio, qualis debet eſſe principium ſcientiæ demonſtrativæ Sed nec adeò firma, & neceſſaria eſt communicantia voluntatis ejus, & rerum, quæ ab illa, vel per illam eſſe debent, ut non poſſit quædam velle, quæ non vult, & quædam non velle, quæ vult. Quamvis, ſicut in præcedentibus oſtenſum, & declaratum eſt tibi, mutatio non attingat ad ipſum ullo modorum. Quapropter non eſt via, vel medium ad ſtabiliendum eſſe ſubſtantiarum hujuſmodi per voluntatem creatoris, niſi decor, ſive decentia, & decus, quibus decet bonitatem ipſius, & magnificentiſſimam largitatem ipſius, ac ſupereminentiſſimam gloriam, ut ſit ei militiarum nobilis, & innumeroſiſſima præclaritas, & miniſtrorum decentiſſimus ornatus & frequentia honorifica, ita ut in omnibus his ſit creatori decus eximium, poſt quod non ſit decus aliud, id eſt quemadmodùm neq; regnum aliorum ad ipſum, nec regnorum aliorum ad regnum ipſius eſt comparatio in nobilitate, ſive ſublimitate, nec in potentia, aut divitiis: ſic abſque ulla comparatione glorię regnorum aliorum ad gloriam regni ipſius nec multitudine, nec magnitudine congruenti, nec ornatu aut apparatu miniſtrorum apparent, nec videntur alicujus momenti. Et idem intendo, ſive intelligo de aliis omnibus, quæ regali excellentiæ congruunt, de quibus dubium eſſe tibi non poteſt, quin in hujuſmodi locum habeat proportionalitas, & conſideratio proportionalitatis. Scire etiam te feci, quia cœtus prophetarum eſt velut oculus ſpeciei humanæ, ſive univerſitatis hominum, non ſolùm ad videnda ſecreta creatoris & militiarũ iſtarum exercitus, ſed etiam ad regẽdos greſſus ſuos, & ambulandum in via mandatorum, hoc eſt, in via veritatis & honeſtatis Et in hoc didiciſti, propter quod credendum eſt ei de viſibilibus ſuis, hoc eſt ipſi ſoli in nocte, ſive in tenebris præſentis vitæ viſibilibus His ergo ita determinatis proſequar ſecundam quæſtionem, qua ſcilicet quæritur, an ſit finitus numerus aliquis, & determinatus hujuſmodi ſubſtantiarum.

CAPUT XVII.

An ſit aliquis determinatus numerus ſubſtantiarum ſpiritualium, & an poſſit eſſe aliquis numerus infinitus.

DIcam igitur in primis, quia quęſtio iſta multam habet difficultatẽ, tũ propter ſermones authenticos, qui de eo cõtrarii videntur, tum propter rationes urgẽtiſſimas, quibus reſpõderi oportet. Ait enim de antiquis ſapientibus unus, nunquid eſt numerus militum ejus, hoc eſt, creatoris Et hæc interrogatio ſonat negationem, ſicut ſcis, & perinde eſt, ac ſi diceret, non eſt numerus militum ejus. Quod quidem per hyperbolem, figuram locutionis, dictum intelligere non eſt novum, neque inſinuatum in ſermonibus authenticis. Alius verò ſapiens dicit in libro ſuo, quia omnia fecit creator in numero, pondere, & menſura. Ipſas igitur ſubſtantias, quarum numerus quæritur, in numero fecit. Quæ autem in numero ſunt, numerabilia ſunt, & quæ numerabilia ſunt, in aliquo numero determinato ſunt, ſive ſit notus, ſive ignotus nobis. Neque enim intelligibile eſt in numero eſſe, & eſſe facta innumerabilia. Si quis

autem dixerit, quia omnia non comprehendit, niſi numerabilia, & ponderabilia, & menſurabilia, & tunc eſt intentio ſermonis: Omnia fecit in numero, pondere, & menſura, videlicet omnia numerabilia in numero, omnia ponderabilia in pondere, & omnia menſurabilia in menſura; non enim partes continui, cùm ſint infinitæ, & innumerabiles, feciſſe videtur in numero, nec de iſto dico, quòd reprobandus ſit intellectus ipſius. In ſermonibus enim hujuſmodi non ſemper ita colligitur numeroſitas totaliter, ut nihil ſit extra collectionem ſumere. quoniàm autem propter multos, & varios tropos, & interpretationes multiplices hujuſmodi ſermonum, neque ſtabiliri ad certum, & liquidum, nec deſtrui per eos poteſt ſubſtantiarum iſtarum numerus, ad rationes, & probationes recurrendum eſt. Dico igitur in primis, quia reſtrictio, & determinatio numeri, neceſſe eſt, ibi ut ſit vel ex parte creatoris, vel ex parte ipſarum ſubſtantiarum, vel utrumque. Et à parte quidem creatoris nullo modorum poſſibile videtur, ut ſit. Paucitas enim filiorum ex diminutione, vel defectu eſt generativæ virtutis in altero parentum, vel in ambobus; ſic & paucitas hominum, atque parvitas, ex defectu, vel diminutione virtutis operativæ, apud autem potentiam creatoris nec defectus, nec diminutio locum habet ullo modorum. Non enim eſt ſicut virtus generativa in animabus, quæ operationibus generativis vel minuitur, vel deficit. Nec eſt determinata, aut arctata ad numerum aliquem, quemadmodùm illa. Propter quod quædam animalia ſemel tantùm generant, ſicut dicitur de vipera, quædam verò ter, aut quater, aut quinquies tantùm, aut in alio numero ſolo, & iterùm quædam uno partu fœtum unicum, ſicut equæ, & vaccæ, quædam verò duos, & quædam tres, quædam quinque, ſeptem, quatuordecim, vel plures, & de ovis, & de ovantibus animalibus, ſimiliter ſe habet. Quæ omnia, & ſingula tu vides, per temetipſum. Nullus autem adhuc adeò imbecillis, & brevis intellectus fuit, qui de virtute, & potētia creatoris cogitaverit, quin ipſa ſit in ultimitate tam amplitudinis, quàm fortitudinis, quàm libertatis, & propter ultimitatem fortitudinis incogibilis ad id, quod non vult, & improhibibilis ab eo, quod vult, ſimiliter infatigabilis, & indefeſſibilis. A parte verò bonitatis ipſius non videtur eſſe poſſibilis arctatio iſta, ſeu determinatio. Cùm enim æquè facilis fuerit ei creatio multarum, ut paucarum hujuſmodi ſubſtantiarum, & infinitarum, ut finitarum, quis hunc finem impoſuit creatori, quis eam ſic limitavit, & ſtare fecit in numero finito, quis eam prohibuit in infinitum extendi, quis vel modicæ largitaris, ſi eadem facilitate poſſet dare magna, qua parva, & multa, qua pauca, & infinita, qua finita, præſertim cùm laudabiliter omnia dare poſſet, reſtringeret ſe, & arctaret ad dona finita? Quantò fortiùs igitur largitas creatoris ſtare non potuit in numero aliquo, vel etiam quantitate donabilium? A parte verò ſubſtantiarum hujuſmodi nulla cauſa reſtrictionis eſſe potuit, cùm nulla inter eas eſſet contrarietas, aut adverſatio, qua ſe invicem ullatenùs impedirent. Non enim apud eas eſt quemadmodùm apud leones, vel alias beſtias, hominibus inimicos quorum multitudo reſtringenda fuit, & ad paucitatem redigenda propter homines, ſed neque quemadmodùm apud corporales ſubſtantias, quæ in locis ſe invicem coanguſtant. Et propter hoc in uno loco altera alteram, vel una aliam non patitur ſecum eſſe. Et de his in præcedentibus aliqua audiviſti. Reſpondeo igitur in hoc, ſicut reſpondi in præcedentibus de ſingularitate, vel ſolitudine hujuſmodi mundi,

E quia non fuit defectus à parte creatoris, ſive ex parte potentiæ, ſive ex parte bonitatis, aut largitatis ipſius, quin alium creare vellet, & poſſet, ſed iſte mundus alium ſecum pati non potuit, ſic & de magnitudine. Non enim defuit creatori virtus, ſive potentia, ut mundum infinitum creare non poſſet, ſed mundo defuit potentia, cujus defectus infinitus creari non potuit. Defuit enim ei receptibilitas infinitæ magnitudinis. Declaratum namque eſt tibi jam & in naturalibus, & in metaphyſicis non eſſe poſſibile, ut corpus aliquod ſit infinitæ magnitudinis. Cùm igitur mundus corporeus corpus eſſet, vel aggregatum ex corporalibus, neceſſe habebat eſſe finitus. Non igitur fuit arctata divina potentia, ut majorem ei magnitudinem præſtare non poſſet.

F Sed cùm videret eum non poſſe recipere infinitam, providit ei finitam naturæ ſuæ congruentiſſimam, quæ omnia alia corporea capere ſufficeret, & inter ſe continere. Sic etiam providit omnibus aliis corporeis naturis ſuis congruentiſſimas quantitates. Non enim ſine cauſa formicam minorem eſſe voluit elephante, & muſcam tam longè à magnitudine gruis, vel aquilæ. Si tamen multitudo infinita eſſe non poſſit, ex parte multitudinis fuit iſta finitio. Quapropter ſtetit largitas, & bonitas creatoris in numero determinato, quoniàm indeterminatus eſſe non poterat, ſeu infinitus. Hac igitur de cauſa creatæ ſunt ſubſtantiæ iſtæ in numero certo, & limitato. Certum enim tibi eſt ex aliis, quia omnis numerus determinatus eſt eſſentialiter. Et ipſa determinatio adeò eſſentialis eſt ei, ut omni additione, vel diminutione nova numeri ſpecies conſtituatur. Verbi gratiâ, ſi ternario unitatem addideris,

G alius numerus, quàm ſit ternarius, & alterius ſpeciei conſtituitur, videlicet quaternarius. Si verò ei unitatem detraxeris, & alius numerus, & alterius ſpeciei, ex eo relinquitur, videlicet binarius. Hæc igitur determinatio, quam eſſentialem dixi, prohibet omnem numerum recipere magis, & minus, & majoritatem, & minoritatem. Ampliùs. Hæc determinatio conſtituit unumquodque numerorum in ſua ſpecie. Quapropter ubi determinatio mutatur, mutatur & ſpecies numeri cujuſcunque. Et intendo, mutatur, id eſt, alia eſt à priori. quia igitur neceſſe eſt unumquemque numerorum in aliqua ſpecie numeri, vel ſub aliqua eſſe, utpote individuum: neceſſe eſt unumquemque numerorum determinatum eſſe, & limitatum, & eſſe binarium, vel ternarium, vel aliquem aliorum determinatorum. Quapropter impoſſibile eſt modis omnibus eſſe numerum aliquem infinitum. Ampliùs. Si eſſet nume-

H rus hujuſmodi ſubſtantiarum infinitus, cùm eſſet numerus eſſet ex neceſſitate vel par, vel impar. Quòd ſi eſſet par haberet medietatem, quæ vel eſſet finita, vel infinita. Si finita, totus numerus igitur eſſet finitus, cùm eſſet aggregatus ex duabus finitis. Si infinita eſſet, non eſſet minor toto ſuo, quoniàm non eſſet reperire numerum, vel etiam cogitare, qui excederetur à toto ſuo. Ampliùs. Quicunque numerus eſſet pars totius, eſſet pars ipſius medietatis. Poſtquàm enim infinitus numerus eſſet ipſa medietas dicti numeri, omnis ſpecies numerorum eſſet pars ejus, quod apparet per inductionem ſingulorum, ut binarius, ternarius, & ita de unoquoque aliorum. Quare nullo numero excederetur à toto ſuo, ſed neque unitate ſola, cùm ſit medietas illius. Si verò eſſet impar, tunc haberet parem ſibi proximum, & immediatum, & ante, & poſt. Quorum alterum unitate ſola excederet, ab altero verò ſola unitate excederetur. Quare eſſet amborum illorum ſimul aggregatorum medietas. Hoc enim declaratum eſt jam per demonſtrationem in arithmetica.

Digitized by Google

Aliquis igitur numerus eſſet duplus ad ipſum, qua- A
liter igitur infinitus? Ampliùs. Quod eſſet nomen
numeri illius? Manifeſtum eſt, quia non poſſet in-
veniri nomen illius, cùm omne nomen cujuſcun-
que numeri à ſuo numero, hoc eſt, à numero, quem
nominat, ſumptum ſit, ut ternarius à ternario, &
ab uno unitatum numero derivatum, & determi-
natum, cùm numerus omnis non aliud intelliga-
tur, quàm ſuarum unitatum ſumma, & infinitarum
unitatum nulla ſit ſumma, vel poſſit eſſe. Innomina-
bilis igitur eſt hujuſmodi numerus, ſi infinitus eſt,
quapropter & inintelligibilis. Jam autem audivi-
ſti, quia principium unum ſcientiæ iſtius eſt omne,
quod eſt intelligibile; eſſe. Ex quo manifeſtè con-
ſequens eſt omne, quod non eſt intelligibile, non
eſſe. Impoſſibile igitur eſt hujuſmodi numerum
eſſe. Ampliùs. Omne, quod recipit additionem ſu-
per ſe, eſt finitum, & terminatum additione hujuſ-
modi, cùm totum ſit citra eam, & nihil omninò
habens ultra. Quia igitur numerus omnis recipit
additionem unitatis ſupra ſe, vel etiam numeri al- B
terius ſpeciei, neceſſe eſt omnem numerum finitum
eſſe. Quare impoſſibile eſt hunc numerum eſſe in-
finitum. Ampliùs. Quod numerare non poteſt, nec
numerari, numerum eſſe impoſſibile eſt, ſed hujuſ-
modi numerum, videlicet infinitum, impoſſibile
eſt numerari, quare impoſſibile eſt ipſum numera-
re, quoniàm numerando, ideſt dum numeratur,
omnis numerus numerat. Et generaliter numerus
numerans, & numerus numeratus ſemper, & ubi-
que, ex neceſſitate æquales ſunt. Sicut igitur eſt
impoſſibile ipſum numerari, ſic impoſſibile eſt ipſum
numerare. Quod autem impoſſibile eſt numerare,
impoſſibile eſt numerum eſſe. Quemadmodùm
quod impoſſibile eſt albare, impoſſibile eſt albedi-
nem eſſe. Et omne quod eſt impoſſibile menſurare,
impoſſibile eſt menſuram eſſe. Impoſſibile igitur C
eſt numerum aliquem infinitum eſſe. Ampliùs. Ne-
ceſſe eſt omnem numerum, & omnem menſuram
genere eſſe quantitatem, quantitas autem eſt om-
ne faciens quantum, & numerus omnis eſt faciens
quot; totus igitur cætus hujuſmodi ſubſtantiarum
& numero quantus eſt, & numero quot, ideſt ali-
quot, quemadmodùm non eſt aliquis, de quo non
eſt aſſignare, vel reſpondere quis, neque qualis,
neque aliqualis, de quo non eſt aſſignare, & reſpon-
dere interroganti, qualis. Quia igitur non eſt aſſi-
gnare, vel reſpondere de toto cœtu, ſive de univer-
ſitate ſubſtantiarum, de quibus agitur, quantus eſt,
vel quanta eſt numero, vel quot eſt, manifeſtum
eſt non eſſe numerum aliquem hujuſmodi ſubſtan-
tiarum. Non eſt igitur numerus infinitus. Ampliùs.
Si infinitæ ſunt, ſunt igitur innumerabiles, quare
multò fortiùs innumeratæ, & propter hoc nume- D
rum non habentes. Ampliùs. Uſualiter, atque com-
muniter dicitur, quarumcunque rerum non eſſe
numerum, quæ infinitæ, vel innumerabiles ſunt.
Si igitur ita eſt de hujuſmodi ſubſtantiis, manife-
ſtum eſt, quia earum non eſt numerus. Ampliùs.
Quicquid eſt in aliquo numero eſt ex neceſſitate
quotum in illo, ideſt ſecundum, vel tertium, vel
quartum, vel quintum, vel centeſimum, vel mille-
ſimum, & ita de aliis, nihil igitur in illo numero
numeratur. Et de hoc quidam ſapientes Chriſtia-
norum tradiderunt in libris ſuis, quòd numerus
hujuſmodi ſubſtantiarum numerabilis quidem eſt,
& certus, & determinatus in ſe, licet nobis ignotus,
& incertus, & quoniàm ipſe eſt ſuperans mundanos
numeros.

CAPUT XVIII.

De numero beatificandorum, & an æquari debeat numero eorum, qui ceciderunt, & quis eorum numerorum major, minorve debeat eſſe.

QUem autem deceat numerum eſſe, & quis ipſe
ſit, non eſt facilè determinare, propter quod
non levem habet admirationem ſermo illius, qui di-
cit, quòd legio una medio loco proportionabiliter
eſt inter ordinem unum, & ſubſtantiarum hujuſmo-
di unam. Hoc autem eſt dicere ordinem unum tot
legiones continere, quot hujuſmodi ſubſtantias con-
tinet legio una. Hujus autem ſermonis declaratio
nō pervenit ad me, atque quis hoc dixerit, aut à quo
iſtud audiverit, adhuc eſt mihi inauditum. Quia
verò notus eſt numerus legionis unius, videlicet,
ſex millia, ſexcenti, ſexàginta ſex, facilis eſt tibi
quadrati numeri iſtius inventio. Hoc enim eſt du-
B cere ipſum in ſemetipſum, ſive multiplicare ipſum
per ſe, ideſt toties ipſum ſumere, quot in ſe continet
unitates. Videri tamen poteſt, ut quoniàm juxta le-
gem, & doctrinam Chriſtianorum animæ electo-
rum hominum, ideſt glorificandorum, adæquandæ
ſunt angelis ſanctis, atque beatis in gloria futura,
adæquandæ ſint eis in numero. Et hoc ipſe decor, *Nota.*
& pulchritudo nobilis illius, ac præclaræ civita-
tis, quæ ſecundùm eorum doctrinam ex hominibus,
& angelis in cœlo illo primo, ac nobiliſſimo ædifi-
canda eſt, quam & ipſi ſupernam Hieruſalem nomi-
nant, requirit evidenter. Decet enim omnem do-
mum æqualitas parietum, & omnem civitatem
æqualitas laterum. Deformis enim eſt inæqualitas
contraria tam in domibus, quàm in civibus. Quia
igitur ſecundùm hæc duo parietes domus illius, &
C duo latera civitatis illius erunt, univerſitas bono-
rum angelorum, & univerſitas hominum glorifi-
candorum; impoſſibile autem eſt aliquid indeco-
rum, vel indecens habere domum illam, vel civita-
tem, quæ erit domus Dei præſtantiſſima, ac nobiliſ-
ſima, impoſſibile eſt inæqualitatem hujuſmodi eſſe
in ea. Quòd ſi major numerus bonorum angelorum
futurus eſſet ibi, quàm hominum glorificatorum,
eſſet ibi indubitanter illa inæqualitas. Ex hoc igitur
non improbabiliter videtur eundem futurum eſſe
numerum glorificandorum hominum, qui nunc
eſt, & ſanctorum angelorum. Scilicet & ipſe nume-
rus hominum hujuſmodi admodùm invitus eſt, &
nobis adhuc incertus. Quòd ſi dixerit quis deci-
mum ordinem ex hujuſmodi ſubſtantiis cecidiſſe,
& per hujuſmodi ruinam deformatam eſſe detrun-
catione indecenti domum illam, ſive civitatem, &
D propter hoc reſarciendum, ac ſupplendum eſſe hu-
juſmodi defectum ſanctorum, ac bonorum angelo-
rum, ex hominibus, nihilominùs autem integrum
parietem ædificandum illic ex hominibus, quapro-
pter non ſolùm adæquandum eſſe numerum homi-
num numero angelorum, ſed etiam ſuperagendum
tantâ multitudine, quæ ſuppletura eſt ruinam an-
tedictam angelorum: Reſponderunt quidam in hoc
veriſimiliter, quòd non propriè dictum eſt hoc à
doctoribus Chriſtianorum, ſed per æqualitatem.
Non enim aliquis, ut dicunt, ex decem ordinibus
ex integro cecidit, ſed in omnibus ordinibus aliqua
pars hujuſmodi ruinæ facta eſt, tantaque multitu-
do ex omnibus ordinibus cecidit, quæ uni ordini
æqualis eſt. Intendunt igitur, ſive intelligunt deci-
mum ordinem cecidiſſe, hoc eſt, tantam multitudi-
nem ex ordinibus, quæ uni ordini numero æqua-
retur. Utrùm autem aliter ſe habeat veritas, in ſe-
quentibus declarare tentabo.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Numerum denarium Angelis convenire, corporaleſque ſubſtantias à ſpiritualibus non dependentes, ipſis nullo pacto in numero adæquari, demonſtrat.

QUoniàm autem lex, & doctrina tam Hebræorum, quàm Chriſtianorum, & utriuſque legis Prophetæ crebrò nominant millia millium, & decies centena millia, opinabitur fortaſſis aliquis denarium eſſe radicem numeri illius. Denarium etiam vocaverunt Pythagorici primam quadraturam. Et ipſam eſſe dixerunt numerorum conſummationem, nec ultra ipſum numerum eſſe propriè, & ſicut in menſuris corpus primum, ac præcipuum locum obtinet, eſt enim omnium menſurarum perfectiſſima, & in corporibus ſphæra, vel cubus, ſic cubici numeri perfectiores aliis, ac majores ſunt. Quia igitur cubus denarij millenarius eſt, primus ſcilicet cubicus, qui additionem in ſe nec habet, nec continet, ſed neque diminutionem à denario, per ipſum maximè numerari videntur ſpiritualium miliriarum exercitus, ſimiliter & per centenarium in medio loco proportionalem, & eſt quadratus denarij, latus autem millenarij. Quod autem dixi tibi de diminutione à denario, dixi propter octodenarium, qui reverà eſt omnium cubicorum numerorum primus, utpote cubus denarij, qui eſt omnium numerorum primus. Quod verò dixi de additione, dixi propter xxvij, qui eſt cubicorum numerorum ſecundus, utpote cubus ternarij, qui eſt omnium numerorum ſecundus, & continet additionem in ſe ſuper digitum, qui eſt viccnarius, continet enim ſeptem ſuper viginti. Cùm igitur cubicaveris millenarium, excreſcet in millies mille millia. Cùm enim quadraveris millenarium, proveniet quadratus ejus, videlicet mille millia. In quem ſi duxeris latus ipſius, ideſt mille, cubicabis illud, & proveniet millies mille millia, quem ſi iterùm cubicaveris excreſcet in millia, quæ vix recipiet imaginatio tua. Et erit tertius cubus in ordine millenariorum. Quem iterùm ſi cubicaveris, excreſcent millia millium. In quorum apprehenſione laborabit intellectus tuus, & indubitanter omnium numerabilium mundanorum ſuperabit numerum. Non autem intelligas, vel arenam maris, vel pluviæ guttas, vel grana quæcunque me intelligere hìc numerabilia eſſe, ſed ea, quæ in mundo iſto conſueverunt numerari, ſicut exercitus, & greges, & alia, quæ verſantur in contractibus hominum. Hi igitur inter innumeros videtur pulcherrimi, & ab ipſo denario, qui numerus eſt tam cœlorum, quàm ordinum per multitudinem perfectiſſimam, hoc eſt, cubicam conſurgentes. Veriſimile igitur videtur, ac decens, elegiſſe creatorem in iſta ordinatione numerorum numerum, quo numerari eidem placuit militias ſuas, & exercitus tam bonorum Angelorum, quàm hominum electorum. Si quis autem fortaſſe dicat omnem numerum ſubſtantiarum cœleſtium, ac ſpiritualium eundem eſſe, qui eſt & ſtellarum fixarum, tanquàm cœli illi duo, videlicet ſtellarum, & empyreum, ſimiles debeant eſſe in ornatibus ſuis, ut qui alterum eorum ornatiſſimum eſt ſtellis, videlicet ſtellarum alterum verò ornatiſſimum ſubſtantiis nobilibus, ſint æquales ornatus eorum in numero, ut non ſint plures hujuſmodi ſubſtãtiæ cœlo empyreo, non video hìc ratiocinationem validã, quæ ſufficiat ſtabilire hoc. Non enim neceſſe eſt, ut corporales ſubſtantiæ, quæ non pendent à ſpiritualibus, eis ex neceſſitate numero adæquentur, ſed neque etiam quandò penderent,

E quemadmodùm cùm membra corporis uniuſcujuſque animalis pendeant ex viribus animalis illius, non eſt neceſſe, ut quot ſunt vires hujus, tot numero ſint & membra, aut econtrariò. Nemo enim dixit duas eſſe virtutes viſibiles in animali uno, licet ſint duo membra, videlicet oculi duo, pendentia ex illa, quoniàm propter ipſam, & operationem ipſius ſunt oculi. Et ad hunc modum ſe habet de virtute greſſibili, & pedibus, multò minùs igitur, quandò ipſa corporalia non pendent ex ſpiritualibus, non eſt neceſſe, ut numero ſibi invicem adæquentur.

CAPUT XX.

F *De diverſitate inter hujuſmodi ſubſtantias, & an verè ſint ejuſdem ſpeciei, aliaque perpulchra declarat.*

POſt hæc autem tentabo perſcrutari, an apud hujuſmodi ſubſtantias eſt diverſitas ſecundùm ſpecies, an omnes ſunt unius ſpeciei. Et quæſtio iſta apud illos, qui dicunt alias ex illis eſſe corporeas, alias incorporeas determinata eſt quantùm ad hoc, ſi declarata eſſet iſta diviſio declaratione demonſtrativâ. Verùm multæ quæſtiones, & difficultates ſequuntur illam, quas audies in ſequentibus. Dico igitur in primis, quoniàm ſecũdùm doctrinã Chriſtianorum, qui ponunt præſtantiorem, ac præcellentiorem ex his omnibus, corruiſſe, quem & dicunt principem eſſe dæmoniorum, difficile eſt reſpondere, & contradicere ratiocinationibus, quæ ad

G probandum hanc diverſitatem induci poſſunt. Primùm, quoniàm omnia individua ejuſdem ſpeciei eſſentialia ſua omnia, & naturalia naturaliter habent, & æqualia. Et inæqualitas in his non eſt, niſi ab accidenti: quòd enim non omnes Æthiopes æquè nigri ſunt, aut omnes flavi æquè, aut albi, non eſt eis hoc à natura, quam communicant per ſe, ſed ab accidenti aliquo, vel paſſione, quæ facta eſt eis vel impreſſa præter communis, & univerſalis naturæ intentionem, & præter intentionem ſpeciei, apud quam eſt totum eſſe ſingulorum. Similiter quòd non omnes homines ſunt, æquè fortes, aut æquè agiles, & expediti, de communi intentione ſpeciei ſuæ, aut de univerſalis naturæ humanæ intentione non eſt hoc. Similiter quòd aliquis claudicat, aut ſtrabonizat, non eſt ei ex intentione naturæ. Natura enim non intendit claudicationem, neque viſus obliquationem, ſicut neque virtus greſſibilis intendit malitiam, ſive depravationem operationis ſuæ, hoc eſt, obliquationem, ſive diſtortionem greſſùs. Sed paſſio, vel diſpoſitio, quæ eſt in inſtrumento greſſus, impedit virtutem greſſibilem. Nec tamen ipſam malam diſpoſitionem inſtrumenti greſſibilis intendebat per ſe natura. ſed vel paucitas

Utrùm ſubſtantiæ abſtractæ differant ſpecie.

H materiæ, vel ſuperfluitas, vel alia diſpoſitio impedivit virtutem formativam membrorum, & prohibuit eam formare inſtrumentum perfectè conveniens operi greſſus. Diſſimilitudo igitur, & inæqualitas in individuis ejuſdem ſpeciei non eſt naturaliter ab ipſa natura communi. Quia verò non eſt utile, ut contendas mecum de nomine, cùm ſoli veritati intendamus ego, & tu, accipe ſecundùm intentionem meam verba, quibus ego utor tecum. Et credo, quòd iſta eſt intelligentia communis apud omnes. Nemo enim dixit hominem claudum, aut ſimum naturaliter; niſi fortaſſis intelligens à nativitate, vel nativa aliqua paſſione, verum quidem eſt ſecundùm intentionem meam, quia omnia individua ejuſdem ſpeciei naturaliter æqualia, & ſimillima ſunt, excluſis, ut dixi, paſſionibus, & accidentibus, quæ præter intentionem naturæ, vel à loco

Quid diſſimilitudo, & inæqualitas in individuis ejuſdem ſpeciei non eſt ab ipſa natura communi.

Quod omnia individua ejuſdem ſpeciei æqualia, & ſimillima ſunt exclusis paſſionibus, & accidentibus.

loco ipſo generationis vel ab aliis cauſis adveniunt. Quòd ſi quis dixerit inæqualitatem, tum multiplicitatem, & diſſimilitudines tam varias à conſtellationibus eſſe, maximè in homines, debes reminiſci eorum, quæ circa hoc per me jam in tribus tractatibus audiviſti, quamquàm ſecundùm eos, qui virtutes iſtas ſtellis poſuerunt, ſcilicet ipſas ſtellas non operari ſecundùm naturas ſuas, ſed potiùs ſecundùm ſitus, aſpectus, & oppoſitiones, & alias multas diſpoſitiones, quæ ipſis aliundè adveniunt, audietis ex libris eorum; quicquid autem ſit in ſubſtantiis corporalibus, in ſubſtantiis tamen ſpiritualibus abſtractis, nulla hujuſmodi exceptionum locum habet, cùm nihil à loco, nihil ab aliis forinſecis, nihil à ſtellis, ſed totum, quicquid naturaliter habent, ex ſola largitate, & beneficentia creatoris eas habere manifeſtum eſt. Quia igitur illa prima, ac præclara ſubſtantia, quam primum Angelum apoſtatam tam gens Hebræorum, quàm gens Chriſtianorum nominat longè inæqualis, longéque diſſimilis fuit naturalibus ſapientia, & virtutibus, cæteris omnibus, ex neceſſitate alterius ſpeciei fuit. Cùm iſta inæqualitas, iſtaque diſſimilitudo, & naturales, & naturaliter in eo fuerunt. Ad hunc modum eſt oſtendere & de aliis. Ampliùs. Si naturalis eſt inter eas diſſimilitudo, atque diverſitas, aut erit hoc per naturam, aut erit per ſolum beneplacitum creatoris, qui voluit alias aliis præſtantiores, ac nobiliores naturaliter eſſe. Quòd ſi fuerit per naturam aut hoc erit per naturam agentem, aut perficientem eas naturaliter, aut erit à parte ipſarum, videlicet per receptibilitatem ipſarum, per quam aliæ majores, & ſublimiores ſcientias, & virtutes recipere, quàm aliæ, vel natæ, vel aptæ erant. Quòd ſi dixerit hoc eſſe per naturam naturaliter agentem, ac perficientem eas. jam removi tibi hoc in eis, quæ præceſſerunt. Ibi enim declaravi tibi creatorem non operari per modum naturæ, ſed per electionem liberrimam, & voluntatem imperioſiſſimam. Modus autem, quo operatur natura, ſervilis eſt, quemadmodùm dixit Ariſtoteles, quia natura operatur per modum ſervientis: ſi verò dixerit, quia diverſitas iſta eſt per diverſitatem receptibilitatis ipſarum, reminiſcere, quia jam removi tibi hoc. Et feci te ſcire, quia receptibilitas in ſubſtantiis ſimplicibus abſtractis, receptibilitas inquam eſſendi, non eſt aliquid apud ipſas, vel in ipſis, nec eſt aliud ſecundùm veritatem, & eſſentiam ſuam, quàm donabilitas ipſius creatoris, hujuſmodi enim ſubſtantia non habet potentiam creandi, ideſt ad hoc ut creetur, poteſt enim creari, cùm nondùm eſt. Si igitur potentia hujuſmodi eſſet in ipſa, vel apud ipſam, eſſet in non ente, vel apud non ens. Quapropter ſicut amare, & amari non ſunt duo, alterum in amante, alterum in amato; ſic potentia, quâ quis poteſt amare aliud, & potentia, quâ quis illud poteſt amari, non ſunt duæ. Proportionabiliter enim ſe habent potentia ad potentiam, & amare ad amari. Et de hoc ſatisfeci ibi in tractatu ſingulari de prædicationibus, & prædicamentis in rebus divinalibus. Quòd ſi fuerit diverſitas iſta, ſcilicet, ſecundùm ſpeciem in ſubſtantiis hujuſmodi per ſolum beneplacitum creatoris, tunc habet hoc admirationem non levem. Primùm, quia ipſam primam, ac nobiliſſimam, quæ nunc princeps dæmoniorum dicitur, ſublimiorem fecit omnibus aliis, ac longè præſtantiorem, cùm ignorare non poſſet omnibus illis eam nobilibus donis, ſapientia ſcilicet, & naturalibus virtutibus, abuſuram eſſe, & omnia illa converſuram in contumelias, & injurias largitoris ipſorum. Inferiores autem quâ de cauſâ fecit innumerabiles ex ipſis eſſe, cùm tamen ſciret eas eſſe benè uſuras tantis donis, & converſuras ea totaliter in obſequiū, & gloriam ipſius? In nullo autem genere rerum invenitur ſic feciſſe creator. Stellas enim, & animalia, & plantas, & corpora inanimata, in tanta conſtituit ſpecierum varietate, ac multiplicitate, ut vix ſpecierum earum numerus, ſive numeroſitas deprehendi poſſit, aut inveniri. Ampliùs Manifeſtum eſt intellectum à rebus acquiſitum, & intellectum, ut ita dicatur, nobis innatum, qualis eſt primatum impreſſionum, & intellectum propheticum, intellectum etiam, qui eſt gratiæ, & intellectum naturalem angelicum, atque intellectum, qui eſt gloriæ tam in ſanctis, ac beatis angelis, quàm in animabus humanis jam conſortio, & adæquatione illorum glorificatis, manifeſtum eſt, inquam, diverſos eſſe ſecundùm ſpeciem, & intelligere, quod eſt ex unoquoque illorum differre ſpecie ab unoquoque intelligere, quod eſt ex quocunque aliorum. Quia igitur proportionabilia ſunt ipſa intelligere in intellectibus ſuis, ſive virtutibus intellectivis, ex quibus ſunt, neceſſe eſt, ut ipſæ virtutes intellectivæ ſecundùm ſpeciem ad invicem diverſentur. Ampliùs. Ipſi prophetici ſplendores diverſantur ab invicem multipliciter. Viſio enim ad nudum, & viſio figuralis, atque viſio ænigmatica, manifeſtè differunt ſecundùm ſpeciem. Ipſa etiam viſio ad nudum differre videtur alia ab alia. Intellectus enim naturalis angelicus longè ſublimior ac nobilior eſt, quàm intellectus propheticus. Et viſiones Angelorum naturales, quæ ſunt eis ex naturali ſcientia ſua, latiores, atque clariores manifeſtè ſunt, quàm propheticæ. Prophetæ namque arctatas, & limitatas habuerunt viſiones ad ea, quæ ad gloriam creatoris, vel cultum ſpecialiter pertinebant, vel ad ea, quæ ad res humanas propter Dei cultum. Et intelligo res humanas, non aurum, aut argentum hominum, aut cætera hujuſmodi, quæ in divitiis eorum computantur, ſed ſtatus ipſos adverſitatis, & proſperitatis, peſtis & famis, belli, & hoſtilitatis exaltationis, & depreſſionis gentis, vel regni, vel etiam unius hominis, & ſimiliter mortis, vel vitæ, & ſimilium. Intellectus verò naturalis angelicus de omnibus naturalibus eſt, & omnia naturalia veriſimile eſt Angelos naturaliter videre debere, vel poſſe. Quare latior, atque ſublimior, eſt intellectu prophetico, de hoc tamen inveſtigatio perſcrutatior mihi facienda eſt in his, quæ ſequuntur. Ampliùs Si nulla eſſet apud hujuſmodi ſubſtantias diverſitas, ſive diſſimilitudo eſſentialis, naturaliter non eſſet in eis, vel apud eas, cauſa ulla alterius diverſitatis, vel diſſimilitudinis, eſſet igitur tota à parte creatoris. Et hoc habet admirationem non parvam; ut quid enim apud eos eſſent gradus dignitatum, & differentiæ tantæ, quantæ exprimuntur in ſermonibus ſanctis, & authenticis, ut quid alij principatus, alij dominationes, alij throni, alij poteſtates, alij virtutes nominati eſſent? Et ut quid potiùs de ſeptem dictum eſſet, quòd ipſi aſtant ante Deum, hoc enim unus de ipſis dixiſſe invenitur in quodam ex libris authenticis. Si natura igitur æquales eſſent, irrationabiliter, & ſine cauſa videtur facta à creatore tanta differentia, tantaque varietas in eis dignitatum. Quòd ſi dixerit quis, quia per hanc viam non deberet eſſe differentia dignitatum, ac poteſtatum apud homines, cùm & ipſi natura æquales ſint, reſpondebo in hoc, quia reverà, ſi ſola natura in hominibus, & apud eos operaretur, non eſſent iſti gradus, vel ordines apud ipſos. ſicut neque apud alias ſpecies animalium: neque enim unus equus præeſt multitudini equorum, aut unus leo multitudini leonum, neque unus mus vult dominari cæteris muribus, aut unus aſinus aliis aſinis. Apud verò

Quod Prophetæ viſiones habuerunt limitatas, & Angeli magis amplas habēt notitias, & viſiones ſuas.

homines non currit res per viam hanc. Quia præter naturales perfectiones habent alii plus induſtriæ, plus ſapientiæ, per quas poſſunt præeſſe aliis hominibus, & regere eos, habent etiam ſtudia, & artificia multa, quibus quærunt, & acquirunt perfectiones, alij majores, alij minores. Et hujuſmodi perfectionibus ſunt præſtantiores aliis, & idonei regere illos. animalia autem alia perfectiones hujuſmodi neque habent, neque ullo modorum inquirunt. Amplius. De viribus apprehenſivis exterioribus, & à foris, ſimilior eſt virtuti intellectivæ viſus. Propter quod & ipſa etiam viſus nominatur. Diverſatur autem viſus exterior multipliciter ſecundùm ſpeciem, ſi creditur hominibus; viſus enim cati, & viſus veſpertilionis, & viſus noctuæ, cæterorumque animalium, quæ in tenebris vident, non videtur ullo modorum eſſe ejus ſpeciei, cujus eſt viſus humanus, ſimiliter nec viſus aquilinus, cùm illum adjuvet vehementia fulgoris ſolaris, hunc autem deſtruat. Lyncus verò, ſi creditur hominibus, longè alterius modi eſt cùm ei, ſicut dicunt homines, denſiſſimi parietes parvi ſint, noſtrum autem omninò prohibeant. Viſus quoque baſiliſci, ſi verum eſt, quòd interficiat homines, qualiter videri poteſt ejuſdem ſpeciei cum viſu humano? Forſitan autem ſunt & aliæ multæ differentiæ apud ſenſum viſus. Qualis eſt viſus columbarum, qui, ut dicunt aucupes, à cæcitate nomes reviviſcunt. Viſus quoque lupinus hominem viſum, antequàm ab eo videatur, raucum efficere dicitur vulgariter. Apud experimentatores quoque forſitan aliæ differentiæ inveniri poſſunt. Si igitur tanta invenitur diverſitas apud viſum corporalem, qui euſque ſimilis eſt viſui ſpirituali, quomodò non invenietur tanta diverſitas apud viſum interiorem, ſive ſpiritualem? Quia verò hæc diverſitas non eſt poſſibile, ut ſit in una ſpecie, neceſſe eſt eam eſſe in multis. Inveniuntur igitur naturaliter apud viſum interiorem, ſive ſpiritualem, differentiæ ſecundùm ſpeciem: econtrariò verò, quemadmodùm ſe habet in accidentibus ejuſdem puritatis, & immixtionis, videtur ſe habere & in ſubſtantiis, ut quemadmodùm albedines ejuſdem puritatis, & immixtionis, ejuſdem ſunt ſpeciei ſpecialiſſimæ; ſic & ſubſtantias ſimplices, quarum alia ſuper aliam, ſive plus alia, nihil habet naturaliter admixtum, ſe habere neceſſe eſt. Unde enim eſſet diverſitas ſpiritualis inter eas? In coloribus enim diverſitatem hujuſmodi extremorum ad medios & mediorum ad invicem ſola facit admixtio. Quia igitur in ſimplicibus ſubſtantiis non habet locum admixtio, vel depuratio, nec diverſitatem hujuſmodi inter eas locum habere poſſibile eſt. Amplius. Quæcunque ſunt eadem genere, non diverſantur ex parte generis, diverſantur inquam diverſitate, quæ eſt ſecundùm ſpeciem. Similiter neque ſecundùm genus ſuperius diſſimilantur, aut diverſantur. Et ita currit res, donec veniat ad primum, & ſupremum commune, quod eſt ens. Manifeſtum autem eſt, quia quæcunque ejuſdem ſimplicitatis, & puritatis, ſunt in eſſe, non diverſantur in illo, neque diſſimilantur ad invicem. Quia igitur omnes hujuſmodi ſubſtantiæ ſic ſe habent, manifeſtum eſt eas nec diverſari, nec diſſimilari ſecundùm totum ſuum eſſe. Non enim adjuvatur, vel aggregatur earum eſſe ex multitudine partium ullo modorum, cùm ſint ſimplices in eſſe ſuo, & non habentes partem & partem. Genus enim, & differentia, vel differentiæ, non faciunt aggregationem, per quam ſit aggregatum hoc, & hoc. Aggregatio enim hæc eſt ſecundùm rationem vel intellectum, & abſtractionem Logicam, & non ſecundùm naturam. Alioquin ſimplices ſubſtantiæ non eſſent, niſi velut acervi ag-

E gregati ex ſuis differentijs, & genere ſuo, vel ex ſuis formis ſubſtantialibus, abſque materia quas etiam ſubſtantias eſſe neceſſe eſt. Eſſet igitur omnis ſimplex ſubſtantia velut acervus aggregatus, & diſgregatus, ex ſimplicibus ſubſtantiis, & propter hoc non eſſet unum aliquid. Ex viribus enim multis naturalibus cujuſcunque ſubſtantiæ impoſſibile eſt aliquid unum eſſe. Quemadmodùm ex actibus earum impoſſibile eſt unum actum aliquem eſſe, vel aliquid aliud. Et de hoc audiviſti intentionem meam alibi, ſecundùm quod poſſibile fuit mihi videre in hoc.

CAPUT XXI.

Quòd varietas, & diverſitas, in ſubſtantiis abſtractis non diverſat ſpeciem.

F Dico igitur in his omnibus, quoniam difficile eſt valdè invenire diverſitatem ſecundùm ſpeciem in ſubſtantiis hujuſmodi propter elongationem earum à conſuetudine, & experientia noſtra. Prophetis autem, & aliis viris ſanctis, qui familiaritatem aliquarum ex illis habuerunt, & frequentiam alloquiorum, & apparitionem ipſarum, poſſibile fuit, & facile, ſi in hoc intendere voluiſſent. Tu tamen ſcis, quia à ſenſu ſpirituali, vel corporali incipientes ſcientiæ, per memorias, & experimenta perveniunt ad perfectionem artis & ſcientiæ. Verùm de hoc, quod dicitur, quia quicquid eſt naturale uni ex individuis cujuſcunque ſpeciei, eſt naturale & in omnibus aliis individuis ejuſdem, dico quia non eſt verum hoc. Et apparet hoc in primis hominibus, quorum corpora in integritate, atque perfectione magnitudinis, & fortitudinis à creatore facta ſunt. Si enim nata eſſent corpora illa ex aliis, non eſſent illi homines primi. Et ſi eſſent
G facta in illa teneritudine, parvitate, & infirmitate, in qua modò naſcuntur corpora humana, non duraſſent ſine multiplici adjumento, & officio incrementi, horum autem nihil eſſet, cùm primi ſoli homines eſſent: dedecens autem, & incongruum eſſet, atque naturæ humanæ admodùm inimicum, pueriles, immò infantiles animas, tantisque defectibus imperfectas, in corporibus virilibus, atque perfectis ponere, cùm ipſa nec movere, nec regere ſufficerent. Perfectæ igitur ſapientiâ, & virtutibus naturalibus, creatæ ſunt, & corporibus illis infuſæ. Quare ſapientia hujuſmodi, & virtutes illis naturales fuerunt, in ipſa ſcilicet creatione ſua ipſis inditæ, vel innatæ. Manifeſtum autem eſt, quòd in aliis animabus humanis non invenitur iſta perfectio naturaliter. Non eſt igitur neceſſe omne, quod eſt naturale uni individuorum cujuſcunque ſpeciei, eſſe naturale aliorum individuorum ejuſ-
H dem, cùm animas illas, ſcilicet primorum hominum, nemo dubitaverit adhuc ejuſdem ſpeciei eſſe cum omnibus aliis animabus humanis. In eo verò, quòd dicitur æquales eſſe omnes ſimplices ſubſtantias, de quibus hîc eſt ſermo, vel æquales debere eſſe naturaliter, dico hoc non eſſe verum. Niſi fortè quis intelligat hîc naturam ſpeciem ipſam. Naturalia enim uſu vulgatiſſimo, atque certiſſimo, vocant homines omnes eas rectas, & bonas diſpoſitiones, quæ ſine impedimento, vel læſione ſunt à prima creatione in ſubſtantiis ſuis. Et veriſimile eſt ſapientiſſimum creatorem non omnes ſimplices, ac ſpirituales ſubſtantias, licet ejuſdem ſpeciei eas creaverit, creaſſe per omnia æquales, & in omnibus ſimiles. Quemadmodùm neque in aliqua ſpecie ſenſibilium ſubſtantiarum hoc ei facere placuit, ſicut neque omnes homines, neque equos. Et eodem modo ſe habet in aliis omnibus ſpeciebus ſubſtantiarum

Quòd difficile eſt invenire differentiam ſpecialem in ſubſtantiis abſtractis.

Quòd non oportet, quòd quicquid eſt naturale individuo alicuius ſpeciei, ſit naturale cuilibet individuo ejuſdem ſpeciei.

Quòd animæ primorum parentum creatæ fuerunt perfectæ ſcientiis, atque virtutibus.

Digitized by Google

rum ſenſibilium. Prævidit enim, atque prænovit ſapientia, & bonitas creatoris, quòd ex ipſa inæqualitate, diſſimilitudine atque varietate, augeretur inæſtimabiliter ipſa ſpecioſitas illius præclaræ, ac nobiliſſimæ, civitatis ſuæ ſupercœleſtis. Quemadmodùm enim ipſam militiam ornat, atque decorat veſtium varietas pretioſa, quemadmodùm frequentiam miniſtrorum ornatuum varietas efficit ſpectantibus gratiorem; ſic donorum naturalium, hoc eſt ſcientiarum, & virtutum multiformis ſpecioſitas militias illas ſubſtantiarum ſimplicium, atque ſpiritualium ſpecioſiores efficit, & univerſitati ipſarum plurimum decentiæ tribuit, & decoris, inſtar amœniſſimi prati, cui florum quantò major eſt varietas, ac multiformior ſpecioſitas, tantò eſt oculis ſpectantium magis gratum, ejuſdemque præſtantior pulchritudo. Sic in veſte ſe habet colorum varietas. Sic & in picturis, & in omnibus aliis, quæ fiunt ad pulchritudinem, & decorem. Evidens autem de hoc exemplum eſt cœli ſtellarum fixarum varietas, quæ tantam pulchritudinis ſpeciem ei præſtat. Manifeſtum etiam tibi, quia æqualitas, & ſimilitudo per omnia pulchritudinem minuit, & apud nos confuſionem generat, & inducit Memini quidem me vidiſſe in puertia mea duos fratres gemellos. & adeò ſimiles, ut nemo alterum ab altero dignoſcere poſſet, niſi vel alterius modi veſtis, aut ſignum adhuc aliquod aliud adhiberetur. Nec mirum, ſi multiformitas, atque varietas adaugent pulchritudinem, atque magnificant, quandò & ipſa contrarietas hoc efficit evidenter. Juxta quod dicit Ariſtoteles, quia contraria juxta ſe poſita & magis, & majora videntur. Et ille philoſophus Italicus, de quo ſupra tibi feci pluries mentionem, manifeſtè dicit, quia contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Quòd ſi quis in hujuſmodi dubitare poteſt, videtur nunquàm vidiſſe caudam pavonis, cujus pulchritudinem omnis oculus admiratur. Eſt etiam hoc declarare ex proportione ſeu proportionabilitate. Proportionabilia enim ſunt ornatus, & pulchritudines corporales, ſive ſenſibiles ad ſuas ſubſtantias, ſubſtantias videlicet corporales, atque ſenſibiles, & ornatus, atque pulchritudines ſpirituales ad ſubſtantias ſuas, ſpirituales. ſcilicet & intelligibiles. Quare quod accidit in uno, & in multis, & in parte univerſitatis, & in tota, ex pulchritudinibus & ornatu ſenſibilibus, ſimiliter accidere neceſſe eſt ex ornatu, & pulchritudine ſpiritualibus, & in una ſubſtantia ſpirituali & in multis, & in parte univerſitatis earum, & in tota univerſitate. Non eſt ergo dubitandum, quin creator benedictus militiarum ſuarum exercitus multa ſpiritualium pulchritudinum varietate in ipſa creatione earum decoraverit, & ingentem illam frequentiam miniſtrorum ſuorum ſpiritualium multipliciter exornaverit, & notabilia hujuſmodi, hoc eſt, ſecundùm hanc intentionem, naturalia, non eſt debitum, ut faciant in ſubſtantiis ſuis diverſitatem ſecundùm ſpeciem. Quemadmodùm manifeſtum eſt in columbis, quia invenitur in eis multipliciter naturalium colorum diverſitas. & etiam contrarietas. Sic & in equis, & in hominibus Ipſæ etiam monedulæ alicubi inveniuntur tantùm nigri coloris, alibi tantum albi. Nec iſta diverſitas, aut contrarietas ſufficit in aliquo prænominatorum ſpeciem diverſare.

CAPUT XXII.

Quomodò inter potentiam & actum, nulla eſt naturaliter diſtantia; cauſas aſſignando, & nonnullos errores confutando, declarat.

Quòd ſi dixerit quis, quia in ſpiritualibus. & abſtractis nihil differt inter actum, & potentiam, quemadmodùm dixit Ariſtoteles, potentiæ verò hujuſmodi ſubſtantiarum ſubſtātiales eis ſunt, quare & ipſi actus cùm igitur differant hujuſmodi actibus, qui utique non ſunt, niſi ſcientiæ naturales, atq virtutes, differunt ex neceſſitate ſubſtantialiter. quare & ſecundùm ſpeciem reſpondeo in hoc, quia ſermo iſte Ariſtotelis eſt duarum intētionum. Et prima eſt, quia intelligitur de diſtantia temporis Et hoc indubitanter verum eſt, quia in hujuſmodi ſubſtantiis nihil diſtat naturaliter, ideſt nulla eſt naturaliter diſtantia temporis inter potentiam, & actum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm operantur de ſe & per ſe, nec indigent ad operationes ſuas aliquo forinſeco, hoc eſt, quòd extra eas ſit. Quia igitur totum habent apud ſe, & intra ſe, quod exigitur ad actum, nulla eſt neceſſitas moræ inter potentiam earum, & actum, & propter hoc nulla mora. Inter actus verò, quos operantur ex novis influentiis deſcendentibus ſuper eas à creatore, vel à mediis, quæ ſunt inter ipſas, & creatorem, multiplices moras nihil prohibet eſſe. Et hoc eſt, quoniàm hujuſmodi non operantur per ſe ſolum, neque de ſe ſolis, ſed ex influentiis, quas recipiunt & propter illas quæ non ſunt niſi aut novæ viſiones creatoris, aut novæ revelationes, aut novæ aliæ illuminationes. Et hoc eſt, quod non vult Ariſtoteles, qui putavit eas immunes omninò ab omni novitate, & innovatione, & eſſe per omnia immutabiles. Et hic eſt unus ex erroribus ejus circa eas, ſicut in ſequentibus declarabitur tibi. Secunda intentio ſermonis ipſius prædicti eſt, quia intelligitur diſtantia, ſive differentia, ipſa diverſitas Et eſt intellectus ipſius ſecundùm hoc, quòd nihil diſtat in hujuſmodi ſubſtantiis inter potentiam, & actum, ſed idem protsùs ſunt ibi potētia, & actus Et hoc etiam erroneum eſt, ſi potentiam intelligas radicem ultimam ipſius actus Sed ſi intelligas habitum, quem multi vocant potentiam propinquam, immò proximam actui, verus utique eſſet ſermo ipſius: habitus autem iſte accedit hujuſmodi ſubſtantiis, & eſt perfectio ſuperaddita, ſive ſuperappoſita viribus, quæ ſunt radices ultimæ omnium operationum hujuſmodi ſubſtantiarum, & radices, quæ eſſentiales ſunt eis, ſive ſubſtantiales differunt à radicibus ſimilibus, quæ ſunt in animabus noſtris, in hoc, quòd natæ ſunt ſtatim perfici perfectionibus naturalibus ſuis, & hoc per ſe, & ſeorsùm à corporibus, hoc eſt, abſtractæ, & nō in corporibus, vel per corpora, natę etiā ſunt longè nobiliores, atq ſublimiores, per perfectiones naturales, quàm animæ noſtræ. Quare hæ differentiæ diverſant eas ab animabus noſtris, quantùm ad vires animarum noſtrarum nobiliores, quoniàm vires hujuſmodi econtrariò ſe habent viribus ſubſtantiarum iſtarum. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc, quoniàm rationabiliter, ac prudentiſſime exornavit, atque decoravit creator benedictus militias hujuſmodi varietate tantâ, ac multiplicitate pulchritudinum ſpiritualium; & quoniàm non reſpexit in hujuſmodi exornationibus æqualitatem, aut ſimilitudinem eſſentialem in eis, ſed potiùs attendit ad decorem, qui ex hujuſmodi varietate proveniebat, primùm in parte iſta tam præclara ſpiritualis univerſi, & demùm in toto totaliter univerſo. De puritate verò, & immixtione, quia revera locum

Quòd actus ſubſtantiis abſtractis ſunt ſcientiæ, & virtutes.

Quomodo actus, & potentia differunt in ſubſtantiis abſtractis.

Quomodò animæ noſtræ differunt ab angelis ſecundùm ſuas radices eſſentiales.

non habent ſecundùm intentionem philoſophicalem, ſive naturalem in ſimplicibus, & quæ non ſunt adunatæ, ſive aggregatæ unitatis, manifeſtum eſt tibi. Verùm quia communiter dicunt homines, & ſapientes, aliquas ex hujuſmodi ſubſtantiis puriores eſſe aliis, & utimur communiter hujuſmodi ſermonibus loquentes de rebus ſimplicibus, & inadunatis, quales ſunt ſcientiæ quædam, & virtutes omnes, non eſt negligendus, neque prætereundus ſermo hujuſmodi.

CAPUT XXIII.

Quòd magis, & minus, intentio, & remiſſio, non ſunt per admixtionem contrarij, vel remotionem à contrario, & quòd diverſus intelligendi modus non variat ſpeciem.

SCito igitur quia magis, & minùs atque intentio & remiſſio, non differunt ſecundùm intentiones iſtas. Et hoc manifeſtum tibi faciam in tribus exemplis. Dico igitur in primis, quia motus non eſt tardus ex admixtione quietis. Cùm enim ſit tardus aliquis motus æqualiter in omnibus partibus ſuis, eſſet ei admixta quies in omnibus partibus ſuis & ſingulis, quies autem, qua nihil quieſcit, nihil eſt, quieſceret igitur ſubjectum hujuſmodi motus in omnibus, & ſingulis partibus, motus iſtius quieſceret inquam quiete contrariâ illi motui, & quietibus contrariis omnibus, & ſingulis partibus illius, in nulla igitur moveretur. Amplius. Privatio non miſcetur habitui, nec recipit illum, aut recipitur ab illo, ſed tollit ipſum totaliter, & removet. Vides igitur manifeſtè quia tarditas, vel remiſſio motus non eſt per admixtionem quietis, ſed neque per admixtionem motus contrarij. Tunc enim neceſſe eſſet unum corpus moveri ſimul contrariis motibus, hoc eſt, in ſurſùm, & deorsùm, vel in ante, & poſt. Si enim motus, qui eſt in ante in omnibus ſuis partibus æquè tardus, admixtum haberet motum qui eſt in retro, moveretur ſub eodem utroque motu, ſi mixtio illa utrumque motum ſalvum eſſe permitteret. Jam autem declaratum eſt tibi per me in prima parte tractatus iſtius non eſſe poſſibile ullo modorum corpus aliquod moveri ſimul duobus motibus contrariis. Ampliùs. Vera commixtio deſtruit utrumque mixtorum. Si igitur miſcerentur motus in antè, & motus in retrò, ex neceſſitate deſtrueretur uterque, cùm in vera mixtione contraria ſalva eſſe non poſſint. Non moveretur igitur in antè, nec in retrò, corpus hujuſmodi. Unde fruſtra eſſet apud ipſum uterque hujuſmodi motuum. Manifeſtum igitur eſt, quia motus non remittitur per admixtionem vel quietis, vel motus contrarij. Quare nec per depurationem à quiete, vel à motu contrario intenditur. Secundum verò exemplum, pono tibi in luce, & tenebris, ſive in nocte, & die. Si enim remiſſio lucis eſſet ex admixtione tenebrarum, ſequerentur quæcunque dixi in priori ratiocinatione, videlicet quòd nox & dies eſſet ſimul, & quòd in aere æqualiter per totum illuminato, niſi eſſet in ultimitate illuminationis illuminatus, eſſet ex neceſſitate tenebra per totum, & propter hoc totus eſſet tenebroſus. Ampliùs. Tenebra ſecundùm propriam, ac veram intentionem ſuam, qua eſt privatio perfecta luminis, non recipit magis, aut minùs, ſicut neque quies. Nulla igitur tenebra eſt major alia ſecundùm intentionem: æquales autem tenebræ admixtæ lumini ſecundùm hanc opinionem, æqualiter remitterent lumen illud ex neceſſitate. Omnia igitur lumina, quæ non ſunt intenſa in ultimitate intentionis, habent admixtas tenebras æquales. Quare ex neceſſitate ſunt remiſſa. Aër igitur, qui

E eſt intra domum, & aër, qui eſt radiis ſolis totus infuſus, erunt æquè illuminati. Tertium exemplum ponam tibi in ipſis ſcientiis, & virtutibus. Manifeſtum enim eſt tibi, quia ſcientia una non eſt minor aliâ, vel minùs intenſa per admixtionem ignorantiæ, neque virtus admixtione vitii. Primùm, propter ipſam ſimplicitatem, & impatibilitatem ſuam, quæ prohibet omne aliud intrare eſſentiam ipſius. Mixtio enim neceſſariò eſt alterius mixtorum ad alterum per totum. Secundò, quoniàm ignorantia, quæ eſſet admixta ſciētiæ, aut eſſet ejuſdē, & de eodem, cujus & de quo ipſa ſcientia, aut non. Si eſſet ejuſdem, & de eodem, eſſet igitur contraria ipſi ſcientiæ. Quare ſubjectum illarum eſſet ſimul ſciens, & ignorans, unum & idem, hoc autem eſt impoſſibile manifeſtè. Ampliùs. Ignorantia hæc non poteſt tollere partem ſcientiæ, cùm ſcientia impartibilis ſit; vel igitur nihil tollit de ea, vel

F tollit eam totam. Quòd ſi nihil tollit de ea, in nullo igitur minuit ipſam. Quare non facit minùs ſcientem ſubjectum. Si verò tollit eam totam, non facit igitur minùs ſciens ſubjectum, ſed omninò non ſciens, & ignorans. Quòd ſi ignorantia, quam dixi eſſe mixtam ſcientiæ, non fuit ejuſdem, & de eodem, cujus, & de quo, ipſa ſcientia, non lædet igitur eam ullo modorum, nec minuet, nec remittet illam, utpòte non tangens, nec attingens ipſam. Niſi fortè dicat, quòd ignorantia hæc eſt de re, cujus ſcientia neceſſaria eſt ad illam, de qua agitur. Quòd ſi ita eſt, deeſt igitur aliquid eorum, quæ neceſſaria ſunt ad hujuſmodi ſcientiam. Quare neceſſe eſt ipſam non eſſe, cùm impoſſibile ſit aliquid eſſe, cui deſit aliquid eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ejus eſſe. Si verò dicat, quia deeſt ſcientia alicujus rei, per quam, ſi haberetur, eſſet ſcientia, de qua agitur, major aut clarior, ſive intenſior: manifeſtum igitur eſt tibi, quia ignorantia illius rei nec admixta eſt ſcientiæ, de qua agitur, nec re-

G mittit illam aliquo modorum. Et eſt ſermo iſte, quemadmodùm ſi diceret quis, remiſſum eſſe ignem iſtum, vel calorem ipſius per hoc, quòd non eſt ibi tortis quicunque alius. Quia ſi ibi eſſet per hoc, vel propter hoc, quod ibi eſſet, fieret major ignis, aut calor ejus: & ſimiliter ſe habet ſe de lumine candelabri alicujus, ſi defectus alicujus lucernæ, quæ ibi non eſt, minuit, vel remittit luminoſitatem ejus, per hanc cauſam, videlicet quia ſi ibi eſſet lucerna illa, majus eſſet lumen, ſive luminoſitas candelabri, quàm ſit ſine illa. Ubi manifeſtè etiam vides, quoniàm defectus lucernæ illius non eſt admixtus lumini, ſeu luminoſitati candelabri: propter quod conveniſſimum eſt exemplum iſtud. Per eandem viam negociaberis de intenſione virtutis, & remiſſione ipſius, quoniàm non poteſt eſſe per depurationem à vitio intenſio illius, nec per admixtionem vitii remiſſio ejuſdem. Qui igitur ſic locuti ſunt cir-

H ca hæc, erraverunt intolerabiliter, ſi intentiones eorum de intentionibus, & remiſſionibus in rebus ſpiritualibus, ſive eſſent ſubſtantiæ, ſive accidentia, fierent per depurationem, & admixtionem à contrariis vel privationibus. Per ſimilitudinem igitur locuti ſic fuiſſe intelligendi ſunt, quoniàm intenſiones, & remiſſiones in aliis rebus per hanc viam fiunt: & quoniàm reverà plus luminis, ut ita loquar, videntur habere ſcientiæ principiorum, quàm ſcientiæ concluſionum. Et curritur per hanc viam, donec veniatur ad extremas concluſiones in unaquaque doctrina, ſive diſciplina, ſitque tenuatio luminoſitatis iſtius ſcientialis, ac ſi aliquid contrarii admiſceretur. Tu autem jam alibi didiciſti, quoniàm ſcientiæ non eſt contrarium, ſcientiæ inquam veri nominis, & demonſtrativæ, quoniàm ignorantia

dùm diſpoſitionem recipientis, aut influentis eas.

rantia privatio eſt ſcientiæ, non contrarium. Contrarium verò omne ejus, quod per demonſtrationem cognoſcitur, impoſſibile eſt. Quemadmodùm illud, quod per demonſtrationem ſcitur, neceſſarium eſſe neceſſe eſt. Impoſſibile verò non eſt poſſibile, ut ſciatur. Eſt igitur magis, & minùs in ſcientiis, & virtutibus ſecundùm diſpoſitionem recipientis eas, aut ſecundùm diſpoſitionem virtutis influentis eas. Quemadmodùm vides in hominibus naturaliter timidis, quòd virtus magnanimitatis impeditur à parte receptibilitatis ipſorum. In eis verò, qui naturaliter animoſi ſunt, vel iracundi econtrariò adjuvatur. Et intendo hîc de conſuetudinalibus virtutibus. Quæ enim de ſurſum ſunt ex influentia, ſcilicet largitatis creatoris, dantur ſecundùm liberrimum beneplacitum ipſius. Et largitatem ejus intelligo hîc diſpoſitionem, per quam majores influit ſcientias, aut virtutes. Et hæc largitas non eſt aliud, quàm bona voluntas ipſius, quæ non augetur, aut minuitur ullo modorum apud ipſum ſecundùm ipſum; dicitur tamen magis larga, & minùs, ſecundùm comparationem datorum majorum, ſcilicet, & minorum. Quia igitur tenuantur iſta, & minuuntur, & intenduntur, & remittuntur, licet non per viam per quam illa, quæ recipiunt admixtionem, & depurationem, ſimilitudine æquali, quoniàm apparet in eis quaſi denſatio, & rarefactio, ſicut in miſcibilibus, & depurabilibus, loquuti ſunt homines ſecundùm prædictum modum de ipſis. In rebus quoque naturalibus tu vides evidenter quia major ignis majorem, ac fortiorem, flammam emicat, & minor minorem, eùm nec ignis, nec flamma admixtionem intra ſe naturaliter recipere poſſit frigiditatis. Sermo verò præteritus de intellectu prophetico, & de ſpeciebus ejus, quem intellectum operationem intelligo virtutis intellectivæ, non ipſam virtutem, ſermo inquam iſte non cogit, ut concedatur diverſitas ſecundùm ſpeciem apud virtutem intellectivã; cauſa autẽ in hoc manifeſta eſt, quoniàm manifeſtum eſt in uno homine, vel in anima una humana, non eſſe niſi virtutem intellectivam. Tres verò illi intellectus, ſive tres modi intelligendi in uno, & eodem homine inveniuntur, vel eos inveniri poſſibile eſt, quod eſt dicere, ut quædam videat ad nudum, quædam ænigmaticè, quædam verò parabolicè: & eodem modo ſe habet de aliis propheticis illuminationibus, atque propheticis ſimilitudinibus, de quibus omnibus ſecundùm poſſibilitatem meam loquar in ſequentibus, ſecundùm quod datæ fuerit datoris, & illuminatoris, ipſius intellectus dignatio.

Quod eadem virtute aliqua videntur ad nudum, & aliqua ænigmaticè & aliqua parabolicè.

CAPUT XXIV.

Virtutes noſtras apprehenſivas arctatas eſſe, virtutemque intellectivam omnium formarum naturalium nudam in actu, potentialiter tamen omnium illarum receptibilem, ſenſibilium verò diverſa organa neceſſaria eſſe clarè deducit.

SI quis verò quærat, qualiter vires noſtræ apprehenſivæ plures factæ ſunt, & ad certas materias, & diverſas arctatæ incommunicabiliter, & inconfuſibiliter, ſicut apparet in quinque ſenſibus; quoniàm viſus arctatus eſt ad viſibilia, & auditus ad audibilia, & ſic de aliis abſque communione, & conſortio, ita ut nec viſus videat audibilia per ſe, nec auditus audiat ea, quæ ſunt viſibilia per ſe, quomodò, eùm tam multa ſint genera, & ſpecies intelligibilium, non diverſata eſt & in multos ramos diviſa virtus intellectiva. reſpondeo tibi in A hoc, quia non oportet hoc fieri, nec etiam potuit, propter abſtractionem, & amplitudinem, virtutis intellectivæ, de qua te in præcedentibus audiviſti. Sicut enim pupilla oculi abſtracta eſt à coloribus, & ita facta, ut nullius ſit in effectu coloris, receptibilis tamen ſit omnium colorum, non autem aliorum ſenſibilium; tangibilia enim iſtam deſtruerent, ut calor, & frigus, & acumen, atque aſperitas: ſic facta eſt virtus intellectiva omnium formarum materialium nuda ſecundùm effectum, potentialiter tamen receptibilis eſt uniuſcujuſque eorum. Hæc igitur eſt cauſa, per quam non recipit in ſe diviſionem, vel ramificationem. Senſibiles verò virtutes, quia non operantur niſi per organa corporea, ſeu corporalia (nec potuit eſſe organum, quod omnium formarum ſenſibilium eſſet receptibile) fabricata ſunt B eis diverſa organa ideò ſunt diviſæ, atque ramificatæ ſecundùm illa. Dependentia igitur à corpore cum diverſitate formarum ſenſibilium eum ea contrarietate, quam dixi, quam quædam habent ad quædam organa, coëgit ponere hanc diviſionem, & pluralitatem virtutum ſenſibilium, quam audiviſti. Latitudo verò, ſeu amplitudo virtutis intellectivæ, quam dixi, ſuſtinuit, & ſuſtinet in ipſa unitate ſua, ſive cum ipſa, multitudinem, atque multiformitatem formarum intelligibilium. Quòd ſi reminiſcaris ſermonis Ariſtotelis, quo dixit, quia ſenſus, eùm ſentit calidum, efficitur calidus, nec ſentit calidum, niſi per calorem, quem ab eo in organo ſuo recipit, intellectus verò non ſic, non enim, eùm intelligitur calidum, calefit ipſe, adjuvaberis non parùm ad C meliùs intelligendum quod dico.

CAPUT XXV.

An anima noſtra, ſeu Angeli, cognoſcant immaterialia, & ſi ſic, quomodò.

HAbet autem quæſtionem, qualiter vis intellectiva, ſive noſtra, ſive ſubſtantiarum abſtractarum, intelligat immaterialia. Si enim propter hoc neceſſe fuit illam eſſe nudam in effectu ab omnibus materialibus formis, ut omnium illarum eſſet receptibilis, aliter non valeret eas apprehendere, quemadmodùm dixi de organo viſibili, id eſt pupilla oculi, aut igitur non apprehendit formas immateriales, aut nuda videtur eſſe ab omnibus illis. Quare erit per omnem modum informis, hoc eſt, nec habens materialem formam nec immaterialem. Eſt igitur ſicut pura hyle, & nuda apud ſemetipſam, ſive in ſemetipſa. Nemo autem philoſophantium, vel etiam vulgarium hominum tantum D deliramentum circa ipſam cogitaverit. Scito igitur in hoc & diligenter intende, quia vis intellectiva, ſive ex luminoſitate naturali perfecta ſit, ſive influentia nobiliori, ipſa eſt ſibi forma, & liber, & ſpeculum, ad omnia alia, quæ illuminatio hujuſmodi requirit, apprehendenda. In imperfectione verò, & obſcuritate, atque tenebris, in quibus nunc eſt abque hujuſmodi perfectione intellectus ab ipſis rebus materialibus accipit formas, per quas illa apprehendit. Immaterialia verò in hujuſmodi ſtatu non apprehendit ad nudum & liquidum, ſed tanquàm ſub operimento. Quoniàm nec ipſum creatorem, niſi tanquàm ſub nube univerſi, & gubernationis ipſius; ſic neque animas, dum ſunt in corporibus, ſed quaſi ſub nube corporum, & corporalium operationum, per quas perpendit eas ineſſe corporibus. Cùm manifeſtum ſit ei motus corporum animatorũ, gubernationemque eorum habere principiũ in ipſis corporibus. Quo ceſſante, vel recedẽte, ceſſant hujuſmodi motûs, & gubernatio. Cùm

Quomodo intellectus noſter, ſive angelorum, apprehendit immaterialia.

Digitized by Google

igitur animæ ad hanc perfectionem illuminationis per benigniſſimam largitatem creatoris perductæ fuerint, erit ſtatus earum, & perfectio, gloria adæquata gloriæ ſanctorum, ac beatorum, de quibus agitur, Angelorum.

CAPUT XXVI.

An hujuſmodi ſubſtantiæ abſtractæ corporeæ ſint, vel incorporeæ.

POſt hæc verò ſequitur, ut inquiram de ſubſtantiis iſtis nobilibus, & abſtractis, utrùm aliqua, vel etiam omnes ſint corporeæ. Quod quidem nonnullis viſum eſt, quibuſdam verò ex his propter hoc, quoniàm aliqui ex Doctoribus Chriſtianorum dixerunt, ad comparationem creatoris ipſius omnes alios ſpiritus corporeos eſſe. Perſcrutabimur igitur non de hoc, ſcilicet, an ſint ſubſtantiæ hujuſmodi corporeæ ad comparationem creatoris, ad quem omni intelligenti certũ eſt eas penitùs nihil eſſe, & in ſermonibus ſanctis, & authenticis ipſe nominatur, qui eſt, & dicitur, & tu ſolus es, ſed potiùs, an in ſe ipſis, corporeæ ſint, vel omnes, vel aliqua earum. Dico igitur in primis, quia ſubſtantia, cujus nulla operatio pendet ex corpore, ipſa non eſt indigens corpore. Cùm igitur omne compoſitum, vel adunatum ex partibus indigeat omni parte ſua, neceſſe eſt nullam ex hujuſmodi ſubſtãtiis corpus habere partem ſui; & de hujuſmodi quidem ſubſtantiis, quarum operationes tantùm ſpirituales, & intelligibiles ſunt, nullus philoſophantium dubitat, quia nec ipſæ, nec operationes earum indigent corpore. Ampliùs. Si corporeæ eſſent aliqua ex illis, cùm ſint ſubſtantiæ vivæ, & intelligentes, eſſent ex neceſſitate animalia rationalia, & propter hoc vel eſſent ſenſibilia, vel non. Quòd ſi eſſent ſenſibilia, in quo igitur differrent ab hominibus, niſi fortè formis, aut figuris corporum, atque ſubtilitate, & agilitate ipſorum. Quod forſitan in aliquibus viſum eſt propter apparitiones, & ludificationes quorundam ex dæmonibus, quorum multi motus, & operationes ſæpè apparent hominibus, & præ ſubtilitate corporum januis clauſis intrare videntur domos, & nec gladio, nec aliquo alio percuti, vel vulnerari poſſe, ſed neque etiam cathenis, aut funibus retineri. Sequuntur igitur iſtum errorem multa inconvenientia, quæ tibi proſequar hìc pro parte Dico igitur, quia corpora hujuſmodi aut eſſent ſimplicia, ut ignis, aër, aqua, aut aliud, aut eſſent compoſita, ſicut elementata. Quòd ſi eſſent compoſita, eſſent igitur diſſolubilia igne, vel ferro. Eſſent etiam recluſione, & retinaculis, atque obſtaculis retardabilia à motu ſuo, & agilitate. Ampliùs. Qualiter eis non obſtarent parietes, & aliæ ſtructuræ, Ampliùs. In corporibus iſtis, in elementis, ſcilicet, nullum eſt ſubtilius igne, vel aëre, & tamen utriſque obſiſtunt groſſa corpora, & retardant ipſa, atque prohibent totaliter à motu ſuo. Compoſitum autem omne corpus ex elementis groſſius eſt, reſiſtentiæque, & retentioni magis obnoxium. Quare multò fortiùs aptum & teneri, & retineri, & à motu ſuo totaliter prohiberi. Contrarium autem apparet evidenter in prædictis exemplis, & quoniàm nec malleis ferreis videntur poſſe ullo modorum lædi. Si verò ſimplicia ſunt hujuſmodi corpora, verbi gratiâ ignis, aut aër, aut aqua, cùm eſſe videantur adeò ſubtilis ſubſtantiæ, ut & paucis appareant, & nõ niſi quibus & quandò voluerint: quòd ſi ignea, aut aërea, aut aquea ſunt, tunc manifeſtum eſt ea eſſe obnoxia ſectionibus, & diviſionibus, & aliis corporibus, atque paſſionibus innumeris. Erunt igitur mortales hujuſmodi ſubſtãtiæ & paſſibiliores, quàm ſumus. Ampliùs. Si ignea ſunt, earumque corpora quomodò ſuſtinent eſſe in aqua abſque extinctione? Et ſi aërea, vel aquea, quomodò vivunt in igne? Ampliùs. Cùm natura aëris, & aquæ ſit malè terminari proprio termino, benè tamen alieno, & aquam manifeſtum ſit effundi, atque diffundi, ſive diſpergi, & in aëre, & in aqua, & in igne, niſi ex omni parte, præterquàm à ſuperiori, retineatur, quomodò ſtant corpora illa, quæ ſunt velut globi aquei, ſtant inquam, vel in igne, vel in aëre, vel in terra, & qualiter etiam in omnem plagam, & regionem diſcurrunt? Ampliùs. Si ſenſibiles ſunt, oportet, ut totaliter ſenſibiles ſint, cùm nulla pars earum aptior ſit ſenſui, quàm alia. In globo enim aquæ, vel aëris non eſt poſſibile, ut aliqua pars deſerviat virtuti viſibili ad videndum, & alia auditui ad audiendum, & ſic de cæteris, cùm omnes æqualis ſint aptitudinis ad omnes ſenſus. Quare totus globus aëris, qui eſt pars uniuſcujuſque hujuſmodi ſubſtantiarum, erit oculus illi, hoc eſt, inſtrumentum videndi. Similiter & totus auris, hoc eſt inſtrumentum audiendi, & ad hunc modum de aliis ſenſibus. Ampliùs. Tam aër, quàm ignis, quàm aqua, ſtatim, ut conjunguntur ſimili ſuo, uniuntur ei contiguitate, & efficitur vel unus aër, vel una aqua. Ubicúque igitur ſit in alio trium elementorum aliqua ex hujuſmodi ſubſtantiis, efficietur ex neceſſitate unum cum illo. Omnium autem duarum ſubſtantiarum corporearum, quarum corpora unum ſunt, & ipſæ ex neceſſitate unum ſunt. Quemadmodùm ſi, corpus Socratis, & corpus Platonis, continuarentur, vel eſſent continua, ex neceſſitate unum eſſent; quare omnes hujuſmodi ſubſtantiæ, quæ in unoquoque trium iſtorum elementorum ponuntur, ex neceſſitate unum ſunt. Ampliùs. Si aliqua ex hujuſmodi ſubſtantiis eſt aërei corporis, & eſt in aëre, cùm corpus ejus aëreum continuum ſit toti aëri circunſtanti, quæ cauſa erit, vel ratio, ut pars aliqua totius aëris ſit compoſita potiùs, quàm totus aër circunſtans? De terra verò hoc prætereo, quoniàm corpora earum terrea nemo unquàm dixit, nec patitur quemquam iſtud opinari agilitas, quæ apparet in eis. & velocitas operationum, ſimiliter & inſenſibilitas earum, quã nec tangi, nec arctari ullo modorum poſſunt, ſed neque retineri, vel retardari, vel impediri à motibus ſuis quocunque obſtaculo, hæc autem terreno corpori impoſſibilia ſunt.

CAPUT XXVII.

An ſaltem hujuſmodi ſubſtantiæ habeant æthereæ corpora.

SI verò dixerit, quia corpora hujuſmodi ſubſtantiarum ætherea ſunt, hoc eſt, cœleſtis ſubſtantiæ, vel naturæ, dico, quòd hoc non eſt eouſque remotum à probabilitate, ſicut præcedentia deliramenta. Cœleſtem quippe naturam corpoream poſuit Ariſtoteles, & ſequaces ejus, impaſſibilem ab inferioribus corporibus, hoc eſt, elementis, & elementatis. Alioquin cœlum lunæ, quod ignis immediatè circunvolvit jam diu exuſtum eſſet, atque conſumptũ. Congruere etiam videtur hujuſmodi ſubſtãtiis cœleſtis hujuſmodi corporeitas propter ipsã habilitatem, & optimã diſpoſitionem, ad motum. Præſertim ſecundùm illos, qui tantam agilitatem, tantamque velocitatem motus ponunt eis, ut ſimul in locis à ſe invicem remotiſſimis eſſe videantur propter inſenſibilitatem motus, quæ eſt eis ex adjumento cœleſtis corporeæ naturæ. Et hoc apparere poteſt ex velocitate motus cœli ſtellarum, fixarum,

Digitized by Google

qui in ictu oculi videtur eſſe mille milliariorum, A vel ſpatij amplioris. Si enim revolutionem ejus integram, quam peragit xxiiij. horarum ſpatio, poſueris eſſe iter ſexaginta millium annorum, ita, ut annum intelligas eſſe trecentorum ſexagintaquinque dierum, iter verò uniuſcujuſque diei quadraginta milliaria, invenies evidenter in ictu oculi cœlum ſtellarum fixarum longè plus pervolare, quàm ſit iter mille milliariorum. Nec abhorreas, quod dixi de motu cœli iſtius, quòd motus ipſius unius diei iter eſt ſexaginta millium annorum ad menſuram, & computationem prædictam; hoc enim, vel propè hoc, invenies per æſtimationem infallibilem, cùm comparaveris diametrum terræ ad diametrum cœli, & diametrum cœli ad ambitum ipſius cœli, & cogitaveris, quantùm unius horæ atomo, & atomi quantacunque particula de toto ſuo ambitu tranſeat dictum cœlum. Apparebit igitur tibi evidenter non eſſe incredibile, quod dixi, de agilitate ſubſtantiarum hujuſmodi, ſi corporeæ ſunt corporeitate cœleſti. Ampliùs. Animæ B cœlorum, ut poſuit Ariſtoteles, & ſequaces ejus, non indigent corporibus, niſi propter virtutes ſuas motivas; non enim habent vires ſenſibiles, aut imaginativas, propter quas indigeant corporibus, inſtrumentis, aut organis, ſed ſolum motum in corporibus cœleſtibus operantur, & cùm dicunt ſolum motum, intendunt eas non operari operationes apprehenſivas corporales, quales ſunt ſenſibiles, & imaginativæ. Similiter intelligunt eas non operari operationes motivas imperativè, quales ſunt ira, odium, dolor, & gaudium, ſimiliter & amor in res, vel erga res ſenſibiles, quæ per hujuſmodi paſſiones vel acquiruntur, vel declinantur. De amore verò earum, & delectatione in ſpiritualibus intelligentiis, vel ab ipſis, prout ipſi poſuerunt, non loquor hìc, quia de his multa locutus ſum tibi in iis, quæ præceſſerunt. Vitam C verò, qualis congruit hujuſmodi corporibus, ſimiliter non excludunt, cùm evidenter ponant motus cœleſtes non eſſe poſſibiles ſine vita, quoniàm motus infinitus, & interminabilis non poteſt eſſe à natura corporali. Naturam enim omnem corporalem, & virtutem finitam eſſe æſtimavit Ariſtoteles ſe declaraſſe libro ſuo, quem vocavit auditum: has igitur animas vocaverunt angelicas, propter elongationem ſuam, ſive abſtractionem à ſenſibilibus operationibus, quas dixi, & propter immunitatem à paſſionibus prædictis. Cùm ergo cœleſtis corporis natura ſuſceptibilis ſit ſecundùm ipſos animarum nobilium, quæ non moveant cœleſtia corpora niſi motu circulari, quomodò non erit ſuſceptibilis animarum nobilium, quæ moveant illa motu voluntario in omnem plagam, & partem, cùm motus D hujuſmodi naturæ non ſit niſi ab anima, & hujuſmodi natura obedientiſſima ſit animabus ſuis? Quomodò prohibebitur moveri recto motu quocunque, ſi hoc fuerit voluntas animæ moventis ipſam? hoc ergo ſi poſuiſſent, videlicet alias † cauſas angelicas, & cœleſtibus animabus ſimillimas eſſe in corporibus æthereis, & ſic compoſitas eſſe quaſdam ſubſtantias ex animabus hujuſmodi, corporibuſque cœleſtibus, mobiles in omnem partem, quam voluerint, & plagam, ea mobilitate, quæ nobilitati tam animarum, quàm corporum hujuſmodi ſit congrua, & hoc eſt, in ultimitate agilitatis, & velocitatis, hoc inquam ſi poſuiſſent, non eſſet tantæ abſurditatis, nec videretur tam longè eſſe à via philoſophantium, præſertim, cùm ita appareat eſſe in ſubſtantiis, quas Faunos, & Satyros, & cætera hujuſmodi homines communiter vocant. Ampliùs. Iſtæ ſubſtantiæ videntur natura eſſe poſſibiles, & quoniàm ſi eſſent, completa eſſet perfectio univerſi, quantùm ad poſſibilitatem hujuſmodi, quare ſi deſint, videbitur incompletum univerſum.

CAPUT XXVIII.

Reprobat opinionem, quæ oriri poſſit, quòd ſubſtantiæ hujuſmodi junctæ ſint corporibus æthereis.

IN hoc igitur reſpondendum videtur, quantùm ad præſens pertinet. Quia forſitan ſunt ſubſtantiæ, quæ ſic apparent, ſcilicet ludificantes homines hujuſmodi, hoc eſt, ex animabus, & ſubtiliſſimis corporibus compoſitæ; & forſitan non ita ſe habet veritas, cùm non appareat indigentia aliqua, quæ cogat debere eſſe hujuſmodi corpora in mundo ſublunari. Et quia forſitan non eſt poſſibile, ut animalia cœleſtia, vel ætherea, ſi eſſent, viverent in mundo prædicto. Quemadmodùm neque animalia mundi hujus vivere poſſunt in regione ſuperlunari: determinavit namque natura unicuique ſpeciei, animalium regionem habitationi ſuæ congruam, & conſervationi aptam, quemadmodùm evidenter apparet in animalibus aquatilibus, quorum habitatio, & vita, & vitæ conſervatio eſt in aquis. De terreſtribus ſimiliter ſe habet, quòd vivere non poſſent in aquis, nec ſervari, vel ſalvari vita eorum in eis, & piſces extra aquas vix ad modicum vivere poſſent, homines verò, & multa ex aliis animalibus terreſtribus, in aquis vivere non poſſunt. Quòd ſi quis in hoc perſiſtere voluerit, ut dicat ſubſtantias hujuſmodi eſſe, & vivere apud nos, hoc eſt, in regione noſtræ habitationis, difficilè expediet ſe, vel explicabit de forma, vel figura ſubſtantiarum hujuſmodi. Figuram enim, vel formam aliam, quam ſphæricam habere non poſſe videntur, cùm omnia alia illius naturæ corpora, hoc eſt, cœleſtia, hujuſmodi formam habeant, & figuram. Quare ſi hæc forma, vel figura naturalis eſt hujuſmodi materiæ, erit omnibus ex hujuſmodi materia compoſitis. Eſt autem forma hæc, vel figura, ſoli motui circulari conveniens, motui verò recto valdè inepta; quare propter motum rectum non eſt eis hujuſmodi forma data ad operationes omnes incongruentiſſima, cùm nec attrectare, nec tenere, nec ullo modorum movere aliud permittat ſubjectum ſuum. Evidens autem eſt, quoniàm nullum genus operationis adjuvat hæc figura, operationis dico, quam operetur ſubjectum ejus in aliud quodcunque, etiam nec motui lapidum conveniens eſt iſta forma. Ridiculosè inſuper cogitare videntur de hujuſmodi ſubſtantiis, qui cogitant eas velut globos eſſe, ſive ſphæras æthereas modicas, volitantes, aut diſcurrentes per mundum iſtum inferiorem, nec enim puerilis deſipientiæ videtur eſſe hujuſmodi cogitatio. De hoc verò, quòd corporibus eorum cedere videntur corpora mundi iſtius inferioris, ut lapides, & ferrum, non levem habet quæſtionem, qualiter tranſeant per illa. Aut enim tranſeunt per ferrum, & parietes, & ligna ſolidiſſima ſine diviſione, & læſione eorum, per quæ tranſeunt, aut non. Si ſic, intrant igitur illa, & intrantur ab eis. Quare cedunt illis, ſicut & ipſis illa. In ipſo igitur tranſitu ſunt in eiſdem locis, cum partibus illorum, quas intrant; ſunt igitur duo corpora in eodem loco in tranſitu hujuſmodi. Hoc autem in corporibus naturalibus non patitur ullo modorum natura corporeitatis naturalis; hoc enim eſt de ſubſtantialibus ipſius corporeitatis, videlicet repletivitas loci, & prohibitio, ſive repulſio alterius ab eodem. Corpus enim ſolum, & verè eſt repletivum loci, & impatiens alterius corporis ſecum in illo. Attendè

† *Aliàs* animas.

autem in hoc, quia ſi quis hoc dixit, non longè eſt, quin concedat gloriam corporum humanorum, quam habituri ſunt electi, aut dilecti Dei homines, poſt finem vitæ iſtius. Si verò attribuant eis formam rectam ad ſimilitudinem humanorum corporum, vel aliorum animalium, ſequuntur hæc abſurditates multæ. Primùm, quia ventrem, & inteſtina impoſſibile eſt habere animalia hujuſmodi naturaliter, ſimiliter neque membra genitalia. Superflua enim, & otioſa in eis naturaliter eſſent, nulla enim officia exercerent in eis. Eodem modo dentes, & labia inutiliter haberent, & linguam, cùm loquelâ, ſive locutione non egeant. Et ad unum dicam, cùm corpora earum ſimplicia ſint, ſecundùm hoc erunt omnes partes eorum æquè aptæ omnibus officiis, quæ per corpora exercentur. Quare non erit dignior una ex partibus in quocunque ex illis corporibus, ut ſit digitus, vel lingua, vel labrum, quàm quæcunque alia. Erit igitur quælibet pars pes, aut nulla erit pes, & ita de aliis membris. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia nec figuram animalem, nec ſphæricam hujuſmodi ſubſtantias habere poſſibile eſt: quare nec corpora, cùm omne corpus formatum, vel figuratum eſſe neceſſe ſit. De his verò, quæ apparent circa eas in ludificationibus, quas narrant homines, & de quibus tot, & tantorum hominum, teſtimonia dubitari non ſinunt, audies loco ſuo. Interim verò manifeſtum eſt tibi per ea, quæ præceſſerunt, quoniàm qui ponunt nullas earum eſſe incorporeas, deſtruunt nobiliorem partem univerſi ſpiritualis; hoc enim eſt ponere omnes ſubſtantias ſpirituales aut animas eſſe, aut animalia, & propter hoc nullas eſſe ſubſtantias, quæ non indigeant corporibus; deſtruunt igitur, & perfectiſſimas ſubſtantias, & perfectionem iſtam earum, & de hoc multa tibi in præcedentibus dicta ſunt. Qualiter autem poſſint defendere corporeitatem, vel animalitatem, in omnibus hujuſmodi ſubſtantiis, ipſi viderint. Et ego aliquid tentabo dicere de hoc in eis, quæ ſequuntur de ludificationibus, & operationibus, quæ fiunt in quibuſdam per inviſibiles ſubſtantias. Interim igitur proſequar ea, quæ reſtant perſcrutanda, & declaranda, antequàm veniatur ad illud.

CAPUT XXIX.

Quòd non eſt eadem ratio continua generationis, & creationis, & quomodo erravit quidam maleficus concludere intendens ex perpetua generatione perpetuam creationem, & quotidianam ſpirituum.

QUia verò fuit, qui diceret, & etiã ſcribere auderet in libro ſuo, quem de operibus maleficis maledictis cõpoſuit, quotidiè creari novos ſpiritus, ſive ſubſtantias ſpirituales nobiliſſimas. & poſuit duodecim ordines earum, quotidiéque cadere multitudinem ex illis, quemadmodùm lex, & doctrina Chriſtianorum docet cum ipſo principe dæmoniorum multa millia ex aliis cecidiſſe, decens, atque debitum eſt videre de hoc, & deſtruere errorem iſtius in parte iſta, qui non veritus eſt dicere ſe ea, quæ in libro ſuo ſcripſit, ab inhabitantibus lucem didiciſſe, & ſe cum eis ſex luſtrorum ſpatio habitaſſe. Dico igitur quia ſimilitudo, quam ſomniavit inter creationem, & generationem induxit eum in errorem iſtum. Opinatus eſt enim creationem eſſe debere perpetuam, quemadmodùm opinabatur & de generatione, quoniàm ſcilicet ex eodem fonte divinæ largitatis, & bonitatis emanat. Adjecit etiam, & dixit, quoniàm apud largiſſimum datorem nihil indatum relinquitur, quod dari poſſit;

E quia igitur creator omnipotentiſſimus, atque promptiſſimus, ſemper eſt ad dandum, impoſſibile ipſum eſt ceſſare ab iſta largitione. Non ceſſat igitur unquàm, aut ceſſaturus eſt, dare eſſe, aliis quidem per creationem, videlicet creabilibus, aliis autem per generationem, videlicet, generabilibus. Quare non ceſſat creatio, quemadmodùm, neque generatio ſecundùm errorem ſuum. Tu autem manifeſtè vides, quòd generabile non generatur, niſi ex alio præcedente ipſum, ea propter generabilia impoſſibile eſt ſimul generari. Creabilia verò non creantur, ſicut alterum ex altero, nec pendet aliud ab alio, vel alia ab aliis. Et ideò non eſt neceſſe, ut alterum expectet alterum, quemadmodùm filius neceſſe habet expectare patrem, & præceſſionem
F ejus, antequàm poſſit venire in eſſe. Neceſſe enim eſt, ut pater priùs ſit in eſſe in opere generationis, quàm filius ingredi poſſit ipſum eſſe, vel eſſe extendi, vel derivari in ipſum per patrem. In creabilibus verò econtrariò ſe habet, cùm nullum creabilium requirat hoc, ut eſſe veniat per aliud præcedens ad ipſum. In creabilibus igitur non eſt cauſa ulla iſtius ſucceſſionis, & ordinis ſecundùm ante, & poſt, in tempore. Creatio igitur non requirit ordinem iſtum, vel ſucceſſionem: apud creatorem verò, nec fingere cauſam poſſibile eſt retardationis, vel accelerationis, per quam oporteret ipſum creare unum creabilium ante, & aliud poſt; quare ſimul ex neceſſitate creata ſunt omnia creabilia hujuſmodi, videlicet ſeparata, & abſtracta à materiis, & generatione corporali non indigentia. Quod dico propter animas noſtras & ejus potentias animales, quæ non creantur ſine generatione corporum ſuorum
G propter perfectionem quarundam virium ſuarum, quæ indigent corporibus, & organis corporalibus; ſimul igitur creati ſunt omnes abſtracti ſpiritus: vides igitur manifeſtè diſſimilitudinem magnam inter creationem, & generationem: generationem enim neceſſe eſt fluere in aliud ex uno, & per unum in aliud, quoniàm generabilia indigent invicem alia aliis, creabilia verò non ſic, niſi quemadmodùm dixi tibi de animabus. Largitio igitur ejus, quod eſt eſſe, in his quæ merè abſtracta ſunt, & generatione nullo modorum indigentia, ſimul tota eſſe debuit, cùm nulla cauſa apud ea fuerit ordinis in tempore ſuæ ſucceſſionis. A parte verò largitoris ipſius eſſe nulla cauſa fuit diviſionis, aut ſucceſſionis hujuſmodi largitionis. Non enim eſt, ut fons guttatim effluens, ſeu influens dona ſua, ubi receptibilia parata ſimul invenerit. Apparet igitur, quòd
H homo iſte in ſermone ſuo, ubi æſtimavit magnificare ſe divinæ bonitatis largitatem, diminuit eam inæſtimabiliter, & reſtrinxit. Incomparabiliter enim magnificentiùs eſt largiri ſimul omnia donabilia, quàm guttatim illa diſtibuere, & unum poſt aliud, cùm receptibilia ſimul parata ſint, elargiri. De eo verò, quòd dicit, quoniàm apud largiſſimum largitorem nihil indatum relinquitur, quod dati poſſit; reſpondeo, quia non eſt ſermo iſte largitatis, ſed prodigalitatis, & effrænatæ profuſionis. Non enim dat largus quicquid poteſt, nec cuicunque poteſt, nec quandocunque poteſt, ſed quicquid decet, & cuicunque decet, & quandocunque decet. *Nota diligenter.* Non ſolùm autem decens fuit ſpiritus ſeparatos in numero certo creatos eſſe, ſed etiam neceſſe, quemadmodùm in præcedentibus audiviſti.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXX.

De ſcientia naturali angelorum tam bonorum, quàm malorum, & utrùm omnia ſcibilia cadant in uniuſcujuſque ſcientiam, vel quædam in aliquos, & quædam non.

POſt hæc relinquitur perſcrutandum de ipſis ſcientiis hujuſmodi ſubſtantiarum naturalibus, per quas dicuntur à ſapientibus ſpecula clariſſima, ac libri lucidiſſimæ, & apertiſſimæ inſcriptionis, ſive deſcriptionis rerum ab eiſdem ſubſtantiis naturaliter cognitarum, utrùm æquales ſint in eis omnibus, aut non, & utrùm per eas omnia ſcibilia ſciantur ab ipſis, & an æqualiter ab ipſis. Et quidem alterum eorum determinatum eſt tibi, & dictum in eis, quæ præceſſerunt, quia non decuit omnes hujuſmodi ſubſtantias æquales eſſe, & ſimiles per omnia ſapientiâ, & virtutibus naturalibus, propter
B decorem, qui provenit toti cœtui earum ex varietate, & inæqualitate pulchritudinum hujuſmodi. Quoniàm autem ſcientiæ æquales dicuntur aut claritate, ſive certitudine, aut amplitudine, poſſibile enim eſt, ut ſcientia propter quid & ſcientia quia, æquales ſint in aliquo ſecundùm amplitudinem; hoc autem tunc eſt, quandò vel ſuper eadem tantùm cadunt, vel ſuper æqualia numero: certitudine verò, vel claritate impoſſibile eſt eas æquales eſſe, cùm ſcientia propter quid luminoſior ſemper, & certior ſit, utpote prior, & ex ipſis luminibus principiorum, tanquàm ex maximis luminibus ſcientialibus emicans, ſcientia verò quia ex minoribus, & poſterioribus luminibus, & tanquàm tenebris ignorantiæ vicinioribus. Quòd igitur ſcientiæ horum omnium æquales non ſunt ſecundùm claritatem, & certitudinem, inde manifeſtum eſt, quoniàm ſi æquales eſſent, neceſſe eſſet & virtutes earum naturales æquales eſſe. Eſſent igitur ſimpliciter in omnibus pulchritudinibus ſuis æquales per omnia, atque ſimillimæ. Et de hoc audiviſti jam, quia
C non fuit decens, & quòd ipſum minueret intolerabiliter decorem militiarum illarum. Neceſſe igitur eſt ipſas non eſſe æquales per modum iſtum. Si verò fuerint æquales per modum iſtum, videlicet amplitudinis, & expanſionis, ita videlicet, ut nihil cadat in ſcientiam alicujus, quod non cadat in ſcientias ſingulorum, reſtat nihilominùs inveſtigandum, utrùm omnia ſcibillia cadant in uniuſcujuſque ſcientiam, an quædam ſic, & quædam non. Et iterùm, utrùm omnia ſcibilia cadant in quarundam ſcientiam, & in quarundam ſcientiam nonniſi quædam. Et quæ vel cujuſmodi ſint illa, & quæ ſit cauſa diverſitatis hujuſmodi. Dico igitur in primis, quia virtus intellectiva apud eas, ſi eſt perfecta in eis perfectione ſua naturali, habet totum in effectu, quicquid naturaliter habet in potentia. Habet
D igitur ſcientiam omnium in effectu, quorum habet eam naturaliter in potentia. Manifeſtum autem eſt quoniàm intellectus purus à corruptione, & obtenebratione, atque obſcuratione habet naturaliter in potentia ſcientiam omnium præteritorum, præſentium, & futurorum. Quemadmodùm enim viſus ad viſibilia, ſic intellectus hujuſmodi ad omnia intelligibilia. Quare ſicut ſi perficeretur potentialitas viſus totaliter, ſive perfectè redigeretur ad actum, omnia viſibilia eſſent apud ipſum viſa in effectu: ſic apud intellectum hujuſmodi omnia intelligibilia ſunt intellecta, ſive ſcita in effectu; quare unaquæque ſubſtantiarum hujuſmodi eſt ſciens omnia præterita, præſentia, & futura in effectu. Amplius. Si aliqua earum non eſt ſciens niſi quædam,
A & non omnia, eſt igitur in parte perfecta virtus intellectiva apud eam, & in parte imperfecta. Tuum autem eſt videre, an deceat divinæ magnificentiæ largitatem iſta dimidiatio. Amplius. Id quod deeſt de perfectione hujuſmodi, aut eſt acquiſibile per doctrinam, aut eſt expectans largitionem creatoris. Quòd ſi per doctrinam. diu ergo eſt, quòd acquiſita eſt pars illa perfectionis, cùm tot millia annorum à creatione ſubſtantiarum hujuſmodi tranſierint. Niſi fortè quis deliret, vel doctrinam, vel doctorem eis defuiſſe tam diu. Quòd ſi perfectio hujuſmodi à ſolo creatore danda eſt hujuſmodi ſubſtantiis, quid igitur retardavit, vel prohibuit largitatem creatoris, ut cùm dedit alteram partem ipſius perfectionis, non dederit & reliquam? Dicet igitur forſitan, quia ſcientiam earum rerum dedit creator hujuſmodi ſubſtantiis, quarum ſcientia vel neceſſaria, vel utilis erat eiſdem. Multæ namque res eſſe videntur, quarum ſcientia non prodeſſet eis. Sicut eſt ſcientia numeri arenæ maris, aut guttarum pluviæ, aut numeri muſcarum, quæ quotidiè vel generantur, vel pereunt. Dico in hoc, quia ſermo iſte ſermo eſt hominis ignorantis perfectionem ſubſtantiarum hujuſmodi, & animarum noſtrarum, ipſamque veritatem perfectionis, atque nobilitatem: etſi enim nulla videatur neceſſitas, vel utilitas noſſe numerum arenæ maris, vel aliquod de aliis hujuſmodi, gloria non tamen modica eſt ſcientia tam difficilium, & noſtris intellectibus in iſto ſtatu ſciti impoſſibilium. Gloria etiam magna eſt, immò gloriæ, qualem vis intellectiva naturaliter habere poteſt, pulcherrimum complementum, impletio poſſibilitatis abſque diminutione, & evacuatio integra potentialitatis, & imperfectionis. Ex conſideratione verò ſimilium, hoc eſt, exemplorum convenientium apparebit hoc lucidiùs. Sive enim ſpeculum, ſive librũ, ſive ſæculũ intelligentiæ dicas intellectivam virtutem, vacuitas à reſultatione, & defectus ab inſcriptione & detruncatio etiam modica ab aſſimilatione ad ſæculum reale, ſive † numerum, deformitas eſt. quemadmodùm completa perfectio pulchritudo. Sic & in capite, quod ſpecioſitate capillorum ornandum, ac decorandum eſt, paucorum capillorum defectus deformitas eſt, etſi non appareat longè diſtantibus, & imperfectè videntibus; non omnia igitur naturalia calculanda, & exiſtimanda ſunt ex comparatione noſtrarum neceſſitatum, atque utilitatum, qui illa ſola hîc neceſſaria, vel utilia reputamus, quibus præſens vita ad ſui ſuſtentationem, & conſervationem, atque defenſionem indiget, vel quæ nobis ad promerendam, & obtinendam fœlicitatem perpetuam ſuffragantur. Multas hîc imperfectiones noſtras, & ignorantias, euſque negligimus ut illas nec etiam cogitemus, licet contrariæ perfectiones, atque ſcientiæ multo eſſent decori nobis, & animabus noſtris, licet etiam ipſæ animæ noſtræ nos ad earum acquiſitionem per ipſa naturalia deſideria non mediocriter ſollicitent. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm partim abſterret nos ab hoc vitæ præſentis brevitas, partim acquirendi eas difficultas, partim neceſſariarum, vel etiam noxiarum occupationum multiplicitas. Viros autem bonos maximè ad hujuſmodi arctant amor, & timor creatoris per urgentes eos abjicere à ſe, & longè fieri ab eis, quibus creator offenditur, ſtudiaque, & labores in ea totaliter conferre, quibus ei placetur, & quibus futura illa, ad quam nati ſumus, & propter quam alia omnia largitur nobis creator benedictus, fœlicitas obtinetur. Non immeritò igitur, neque irrationabiliter ab hujuſmodi ſe abſtrahunt ut amittendæ, aut minuendæ, aut etiam differendæ fœlicitatis illius devitent peri-

† *Aliàs* mundum.

cula, & ad ea ſe colligunt, & conferunt, per quæ illa obtineatur eis, & acceleretur, cujus obtentus, ut ſæpè audiviſti per me, ſicut eſt adimpletio perfecta poſſibilitatis animarum noſtrarum, ſic eſt & evacuatio completa potentialitatis, & imperfectionis: propter hanc cauſam multi neglexerunt philoſophati in vita iſta, & multi negligunt etiam adhuc, non curantes perfectionem philoſophicam, tam modicum duraturam, ſcilicet ſolo tempore vitæ præſentis, contenti perfectionibus gloriæ futuræ, in qua etiam omnibus hujuſmodi ſcientiis tantò nobiliùs perficiendos ſe ſperant, quantò ſtatus illius fœlicitatis præſenti miſeriæ noſcitur præeminere: ob hoc etiam interrogaverunt me nonnulli ex hominibus hujuſmodi, utrùm totam philoſophiam, pro cujus acquiſitione philoſophorum ingenia jam diu ſudavere, vitæque hujus partem maximam in hoc ipſi expenderunt, ſcituri ſint ipſi in ſtatu futuræ gloriæ, qui eam in hac vita & ignoraverunt, vel etiam nec curaverunt. Cui quæſtioni jam multoties coactus ſum reſpondere. Etiam patefactum eſt tibi, quanta eſt neceſſitas, quæ Dei amicos hîc philoſophari compulit, & etiam adhuc compellit, ubi præcipua, atque urgentiſſima cauſa eſt creatoris honor, & gloria, cui imperiti, & divinæ veritatis ignari homines pertinaciſſimè contradicunt. Secunda cauſa eſt inſultatio philoſophorum, atque irriſio, quibus religioſitatem eorum, qui ſoli Dei cultores ſunt, cultores inquam acceptiſſimi, vilipendebant, & vilificabant, tanquàm ſimplices, & inſipientiſſimos, & quod eſt intolerabilius erroneos, aſtutiaque imperitorum hominum deceptos, ac ſi apud eos ſolos eſſet ſublimitas, & profunditas ſapientiæ. Tollit igitur à cœtu creatorem vero, ac ſincero, cultu venerantium contumeliam iſtam veræ, ac ſapientialis philoſophiæ ſtudium, dum hujuſmodi philoſophorum repellitur imperitia, & confutatur ſuperbia apparentibus pretioſioribus, ac incomparabiliter nobilioribus, ac apud veros Dei cultores errores eorundem rationibus irrefragabilibus deſtruentibus evidenter, ſicut vides in præſenti tractatu.

CAPUT XXXI.

Quod hujuſmodi ſubſtantiæ creantur perfectæ perfectione naturali, non tamen omnia ſciunt, ſed ſicut voluntate perficiuntur, ita & illuminantur à creatore.

NUnc autem revertar ad id, in quo eram, & dicam, quia ſi hæc eſt natura ſubſtantiarum, de quibus agitur, ut non poſſint naturaliter creari, niſi perfectæ perfectione naturali, quantùm ad vim ſuam intellectivam, cujus perfectio eſt ſcientia completa, ſcientia dico naturalis, hoc eſt, naturaliter indita, vel etiam innata eorum, quæ naturaliter ſcibilia ſunt, quemadmodùm piſces multi non poſſunt naſci, niſi perfecti integritate membrorum ſuorum, & etiam virtutibus animalibus, motivis, ſcilicet, & apprehenſivis, propter quod & ſtatim natant ad paſtum; ſic ſe habet & in multis volatilibus: quantò fortiùs igitur in ſubſtantiis ſpoliatis ita ſe habere neceſſe eſt: Præſertim cùm perfectio earum nec tempus, nec moram ullam requirat, ſicut vides in multis animalium, quòd neque magnitudine, neque etiam figurâ perfecta naſcuntur. In hominibus etiam manifeſtum eſt tibi, quia ſine dentibus naſcuntur; & quia virtus loquendi, & virtus greſſibilis, quæ eſt in pedibus, & tibiis, & virtus operandi, quæ eſt in manibus, tempore, & ſucceſ-

E ſione, atque paulatim perficiuntur, virtus verò intellectiva nihil per partes, aut ſucceſſivè, recipere poteſt, ſed ex neceſſitate tota ſimul, & ſubitò illuminatur. Similiter & vis motiva earum, hoc eſt, hujuſmodi ſubſtantiarum quacunque virtute tota ſimul, & ſubitò perficitur. Quare in ipſa ſua creatione neceſſe eſt eas & illuminari totaliter, & ſubitò, ſcientiâ naturali completa, quantùm ad virtutem intellectivam, & perfici totaliter, & ſubitò bonitate integra, quæ eſt totus decor virtutum naturalium, quantùm ad virtutem motivam. Ampliùs. Tota perfectio earum eſt eis deſuper adveniens, à parte ſcilicet creatoris, nihil enim recipiunt à parte inferiori, hoc eſt, ſenſibilium. Et hoc eſt, quoniàm non ſunt ſicut animæ noſtræ, quæ ſunt ſicut ſpecula duarum facierum, alteram ad inferiora, videlicet ſenſibilia, obverſam habentes, alteram verò ad ſuperiora, hoc eſt, intelligibilia. Quapropter

F nihil recipiunt niſi ex parte altera, hoc eſt à ſuperiori. Omnis igitur earum perfectio deſcendens eſt deſuper, hoc eſt à creatore ſive per medium, ſive abſque medio, ſuper ipſas. Ampliùs. Virtus intellectiva abſtracta non eſt paſſibilis à ſenſibilibus. Quoniàm nec vis intellectiva noſtra, quæ lõgè vicinior eſt eis, eſt paſſibilis ab ipſis. Nõ enim colorabilis, aut calefactibilis eſt intellectus noſter, ſicut ſæpiùs audiviſti. Nec intelligit, vel apprehendit ſenſibilia, niſi per abſtractionẽ, & ſpoliationẽ, quam in præcedẽtibus expoſui tibi. Omne igitur, quod recipit vis intellectiva in hujuſmodi ſubſtantiis, deſuper recipit. Nulla ergo eſt cauſa remorationis, ſeu retardationis apud eam, per quam neceſſe habeat paulatim, & per partes perfici ejus illuminatio Et eodem modo ſe habet de virtute motiva, quantùm ad ejuſdem perfectionem naturalem. Subitò igitur, & ſimul perficiuntur ambæ in hujuſmodi ſubſtantiis. Quare in ipſa creatione ſui perficiuntur omnes iſtæ ſub-

G ſtantiæ. Ampliùs. Perfectiones iſtæ non ſunt niſi dona ipſius creatoris. Nec aliter deſcendunt ab ipſo, quàm per creationem. Creantur igitur ab ipſo in hujuſmodi ſubſtantiis. Creatio autem eſt operatio, quæ non requirit tempus, vel moram, cùm ſit à creatore per ſe, & abſque medio, maximè in ſubſtantiis, de quibus agitur. Quod dico propter animas noſtras, quarum creatio requirit tempus propter generationem, & formationem corporum noſtrorum. Hoc autem non dico propter hoc, quin ſubitò fiat, & nullo modorum per partes. Sed expectat creator, & differt creationem earum, donec completa ſit fabrica in unoquoque corporum noſtrorum, & figura, niſi prohibeatur ejus completio aliqua paſſione, vel occaſione. Quemadmodùm accidit in quibuſdam occaſionatis, & naturaliter impeditis, qui patiuntur defectum alicujus ex membris, ut digiti vel etiam pedis. Non dico igitur,

H quòd creator differat creationem animæ humanæ, donec completa ſit forma, & figura corporis completione integra, ſed ea completione, quæ ſuſtineat animæ ipſius gubernationem. Quemadmodùm neque creator revocat eam propter detruncationem pedis, aut defectum oculorum, vel cujuſcunque etiam alterius membri, ſine quo ipſa vita ſalva eſſe poſſit. In hujuſmodi verò ſubſtantiis, ſicut ſæpè audiviſti, nulla eſt creatori cauſa retardationis, aut dilationis ſuper creatione earum, ſimiliter neque ſuper creatione perfectionum ipſarum. Ampliùs. Sicut animæ noſtræ non creantur abſtractæ, & ſeorsùm à corporibus, ſed in ipſis corporibus, in quibus viciniores ſunt perfectionibus ſuis, propter quod nec perficiuntur naturaliter perfectione virtualitatis ſpiritualis, donec & ipſa corpora, in quibus ſunt, perfectionem ſuam adepta fuerunt; ſic nec

Quæ diſpoſitio requiratur ad infuſionem animæ.

Digitized by Google

A nec decet creari ſubſtantias iſtas in imperfectione potentialitatis cùm nihil expectent à foris, neque per forinſecum, ſed totum, hoc eſt, ipſa tota integritas ſuarum perfectionum, eſt eis ab ipſo creatore. Alioquin viderentur creari parvulæ, & puerilis perfectionis, proceſſibuſque temporum erudiri, ac perfici inſtar puerilium animarum; quæ autem eſſet illa ſchola, quis in ea magiſter, qui modi docendi atque diſcendi? Si enim ſolis revelationibus addiſcant hujuſmodi ſubſtantiæ, certum eſt, quòd illæ ſubitò fiunt, & non per partes. Aliter namque ſe habet in illuminationibus, quæ deſursùm ſunt, aliter in ſcientiis acquiſitis, & de deorsùm, & de virtutibus idem tibi ſciendum eſt; propter quod dicit Ariſtoteles de virtute conſuetudinali, quòd tempore indiget, atque generatione. Scientiæ namque diſcuntur per partes, & ſucceſſivè, videlicet propoſitio poſt propoſitionem, & alia poſt aliam: Et ſic currit res donec veniatur ad extremas concluſiones: ſic ſe habet de memoriis, & experimentis. Prophetici verò B ſplendores, & aliæ illuminationes, quæ de ſursùm ſunt, totaliter ſimul, & ſubitò infunduntur. Ampliùs. Manifeſtum eſt tibi, quia viſus noſter non per partes innaſcitur nobis, ſed totus ſimul & ſubitò. Nec ſequitur diviſionem, aut diverſitatem viſibilem, cùm ipſe unus numero ſit in homine uno, viſibilia verò tam multa, támque diverſa; longè autem perfectior eſt viſus ſpiritualis naturalis, & interiór, hoc eſt, intellectus; quare multò fortiùs unus eſt non aggregatus, vel adunatus ex partibus, licet tam multa ſint intelligibilia. Quemadmodùm igitur viſus exterior, & corporalis, in ipſa generatione ſua datur naturaliter animalibus ſic habere illum debentibus naturaliter, ſic & viſus interior. Differt autem, quoniàm viſus exterior perfectiones ſuas recipit à foris ab ipſis rebus viſibilibus, quibus paulatim, & per tempus conjungitur, & non omnibus ſimul. Viſus verò interior à viſibilibus ſuis nihil recipit, nec ex conjunctione ipſius ad ea perficitur ejus viſio, ſed in ſe, & apud ſe videt viſibilia ſuo nullo modorum illuminatus ab eis. Niſi fortè quis di-C cat, quòd unum de viſibilibus eſt creator benedictus, à quo indubitanter illuminatur tam illuminatione naturæ, quàm illuminatione gloriæ, ſi ad hoc idoneus eſt. Apparet igitur ex his intellectus abſtractos ſimul illuminari, totumque lumen ſcientiæ ſuæ naturalis ſimul, & ſubitò recipere. Sic & de virtutibus motivis neceſſe eſt ipſas ſimul, & ſubitò, omnes perfectiones naturales ſuæ bonitatis recipere; non enim eſt generatio apud eos, hoc eſt, apud iſtas ſubſtantias. Et intendo, quoniàm non generantur una ex alia, ſive ab alia: Si enim hoc eſſet, transfunderet aliquid de ſubſtantia generans in generatam, alioqui non generaretur ullo modorum ex illa, niſi quis dicere velit, quòd ſic eſt generatio apud illas unius ab alia, ſicut ignis ab igne, & luminis à lumine. Manifeſtum autem eſt, quia hujuſmodi D generationes per corruptionem fiunt, aut extentionem virtutis agentis ſuper ſubjectum paſſibile. Rareſcit etiam, & tenuatur id, quod ab agente ſic transfunditur in patiens ſecundùm diſpoſitionem ipſius patientis. Subſtantiæ verò ſpirituales, & ſeparatæ nihil agunt niſi per intelligentiam, & voluntatem, quod eſt dicere, niſi intelligendo, & volendo; ſic autem cauſare ſubſtantiam quamcunque non eſſet niſi creare illam. Cùm enim velle non ſit, niſi imperare, ſi per voluntatem ſolam, & intelligentiam cauſarent hujuſmodi ſubſtantiæ, alias ſolo verbo ſpirituali, & imperio cauſarent; hæc autem eſt ſublimitas, & gloria creatoris benedicti ſingularis, & nulli communicabilis. Ampliùs. Iſtæ generationes, vel potiùs creationes irent in infinitum. Quemad-

A modùm audiviſti in eis, quæ præceſſerunt, de intelligentiis: Infinitas autem cauſarum jam remota eſt tibi, & deſtructa deſtructione irrefragabili. Quòd ſi generans hujuſmodi ſubſtantia transfundit aliquid de ſe in ſubſtantiam generatam, hoc erit vel pars ſui eſſe, vel totum ejus eſſe. Non autem pars, cùm ſit impartibilis: erit igitur totum eſſe generantis, vel deſtruetur igitur ipſa, quæ generat; vel remanebit apud eam ſuum eſſe. Si enim non remaneret ſuum eſſe apud eam, ex neceſſitate amitteret illud; amiſſio autem ipſius eſſe deſtructio eſt, ſivè deſitio. Quapropter eſſet generatio inutilis, cùm æquè bonam ſubſtantiam deſtrueret; & ab eſſe abrumperet. Nec eſſet illa, quam in eſſe educeret. Si verò remaneret apud generantem ſuum eſſe, & nihilominùs transfunderetur in generatam unum igitur eſſe eſſet ambarum, ſive in ambabus. Quare ex neceſſitate eſſent ambæ res una, & ſubſtantia una, & unum hoc, & ſimiliter neceſſe eſſet B ſe habere in aliis, videlicet ut generantes, & generatæ omnes eſſent res una. Quia igitur hoc jam deſtructum eſt in animabus noſtris, & declaratum impoſſibile eſſe, ut generetur una ex alia, vel ab alia; multò fortiùs apparet impoſſibile eſſe in hujuſmodi ſubſtantiis generationem. Ariſtoteles autem, & ſequaces ejus, poſuit in ſolis intelligentiis generationem. Et de hoc audiviſti in præcedentibus, quæ tibi ſufficere poſſunt. Videtur autem mihi, in omnibus his, quòd quoniàm creator benedictus non operatur ſive creando, ſive aliter cauſando, niſi per electionem liberrimam, & voluntatem ſuam imperioſiſſimam, ac dominantiſſimam, ideò nullo modorum prohibetur, vel prohibitus eſt, vel prohiberi poteſt, largiri quandocunque vult perfectiones majores, & minores, juxta beneplacitum optimæ voluntatis ſuæ, prout videt decere magnificentiam gloriæ ſuæ & ipſum decorem, atque perfectionem regni ſui, quod eſt univerſum in ſua totalitate, atque integritate. Et cùm dedit animabus primorum hominum perfectiones naturales ſcientiarum, & virtutum naturalium, in ipſa C creatione earum, non tranſtulit eas à ſpecie ſua, nec mutavit eas eſſentialiter, cùm nec perfectio deſtruat, vel lædat aliquod perfectibile, quin potiùs illud perficiat. Et propter hoc acceleratio perfectionis, & decoris non aufert eſſe perfectibilis, quod invenit, neque novum eſſe ſuperinducit eidem: neque quicquam læſionis, aut alterius mali infert; aut irrogat, immò bonitate ipſius perfectionis malum totum, quod invenit, abolet, & expellit. Animæ igitur primorum hominum non exiverunt à ſpecie ſua per inditas, vel innatas perfectiones, hoc eſt, in ipſa creatione ſibi à creatore datas, nec alterius ſpeciei factæ ſunt, quàm aliæ animæ humanæ, quæ paulatim, & per tempora proficientes perficiuntur, ſicut neque corpora illorum hominum diſſimilitudo generationis, hoc eſt, divinæ fabri-D cationis, & acceleratio ſuæ perfectionis, abſtraxit à communi ſpecie corporum humanorum. De ea verò quæſtione, qua quæritur, an omnes hujuſmodi ſubſtantiæ, & ſingulæ, omnia ſciant, vel videant, quorum naturaliter ſcibiles ſunt: Reſpondeo tibi, quia non naturaliter, hoc eſt, naturali operatione illuminantur, vel perficiuntur à creatore; ſed voluntariâ tantùm, atque gratuitâ beneficentiâ ipſius, qui menſurat unicuique dona ſua, ac decorem univerſi ſui, & decentiam gloriæ ſuæ. Et ſicut non eſt veriſimile, quòd animabus primorum hominum dederit ſcientiam dinumerandi arenam maris, aut pluviæ guttas, ſciens alias ſcientias eis ſufficere ad regendam vitam ſuam, & cuſtodienda mandata, quæ ipſis ad gloriam ſuam & hono-

Quæſtio notanda.

rem tradiderat, quemadmodùm viatori, inquantùm viator eſt, ſufficiunt ea, quæ requirit ipſa viatio, & negociatori, inquantùm eſt negociator, omnia illa, quæ requirit negociatio, & militanti ea, quæ requirit ipſa militia; ſic & homini dona Dei, quibus illum ornavit, & inſtituit, ſufficiebant ad omnia officia perfectè, & laudabiliter adimplenda quæ ipſi ad ſibi ſerviendum duxerat imponenda. Non videtur autem impoſuiſſe ei officium dinumerandi arenam maris, aut pluviæ guttas. Et propter hoc nec artem, nec artificium hoc faciendi eiſdem tradidiſſe. Quis enim dicat creatorem ſapientiſſimum, & optimum, hominem ab initio arithmeticum, vel geometricum inſtituiſſe, qui nihil habebat numerare, vel menſurare, vel cæmentarium, cùm nullum eidem immineret ædificium? Quia igitur ſolum rectè, aut benè vivendi officium eidem impoſuit, ejuſdem illi & artificium, ſive artem indidit. Hinc eſt, quòd ignorantia artis iſtius ſive artificii erubeſcenda eſt, atque culpabilis, quemadmodùm in omni officio ignorantia exequendi, ſive adimplendi illud excuſationem non habet. Culpabiliter enim, & ignominiosè à quocunque ſuſcipitur officium, quod adimplere ignorat. Propter quod dicit unus latinorum philoſophorum, & judicio meo nobiliſſimus, quia ridendus eſt grammaticam profeſſus, ſi locutione barbarizet, & ſi is, qui muſicus haberi velit, abſurdè canat. Apuleius quoque platonicus dicit in libro ſuo, quem ſcripſit de Deo Socratis. Interrogatus, inquit, an ſcias ſtatuam facere, abſque erubeſcentia dices, non, nec pudet te non eſſe ſignificum. Interrogatus, an ſcias benè vivere, non audebis dicere, neſcio benè vivere, præ erubeſcentia, & confuſione. Adhuc enim in unoquoque hominum adultorum, quos vel inſania, vel morbus alienativus, vel naturalis deſipientia, non occaſionavit, eſt aliquid reſidui naturalis artis, & inſtitutionis divinæ deſerviens vivendi officio, etſi longè ſit id à luminoſitate & perfectione artis, & ſcientiæ benè vivendi, quæ data fuit primis hominibus in ipſa creatione ſua. Quia igitur ſubſtantiis ſpoliatis impoſitum eſt naturaliter benè vivendi, & creatori ſerviendi, officium, inditum eſt & ipſis hujuſmodi officii exequendi artificium, & ars benè vivendi naturaliter eiſdem inſcripta. Non videtur autem pertinere ad vitæ rectitudinem dinumerare arenam maris, aut pluviæ guttas, & attentare alterutrum eorum, eſſet non mediocriter ridiculoſum. Præſertim cùm vitæ propriæ gubernatio, & creatoris ſervitium, vitæ, & etiam ſubſtantiarum illarum ab omnibus aliis ſolicitudinibus liberrimarum, totalitatem ſufficiant occupare, nihil de eadem vacuum aliis operibus relinquentes. Quòd ſi dixerit quis, quia perfectionis ſcientiæ eſt hoc ſcire, ſcilicet numeros arenæ maris, & guttarum pluvialium, meritò reſpondeat quis, quia non perfectionis eſt hæc, ſed ſupervacuitatis, & ſuperfluitatis. Quemadmodùm & ipſum dinumerare talia opus eſſet hominis otioſi, & tempore abutentis. Et ſi quis adjiceret, quia operatio hujuſmodi operatio eſt hominis vitam propriam, & Dei ſervitium, culpabiliter negligentis, non dubitat aliquis intelligens eum dicere bonum, & rectum. Non eſt igitur defectus, & læſio perfectionis abſentia cujuſcunque, quod adeſſe poſſet, ſed eorum dumtaxat, quæ requirit, aut ipſius eſſe integritas, aut ejuſdem bonitas, hoc eſt benè ſe habere, aut ipſius pulchritudo, atque ornatus. Non enim tibi reputas deeſſe ad perfectionem integritatis corporis tui cornua, vel bovina, vel cervina, ſed neque varietatem plumarum pavonis ad complementum tuæ pulchritudinis, aut ornatus. Sic neque pellem urſinam

Nota in quibus defectus eſt culpādus.

E dicis tibi deeſſe propter prædictam bonitatem, hoc eſt, tuum benè habere, vel benè eſſe. Dico inſuper, quia ſcientia hujuſmodi neque appetibilis, neque etiam deſiderabilis eſt, neque aliquem adeò curioſum eſſe credo, vel avidum ſciendi, qui pro ea obtinenda etiam modicum laborem vellet ſuſcipere, vel ſubire. Addo inſuper, quia creatore illam gratuitò offerente, neſcio ſi inveniretur, qui eam curaret recipere, niſi propter hoc forſitan, quia recuſationem ipſius diſplicere crederet creatori. Arbitror aut neminem pro illa voluiſſe unquàm, vel velle rogare creatorem, etiamſi preces ſuas ſperaret ſuper hoc audiendas. Intelligentes verò, atque rationabiles in hominibus arguerent in ſemetipſis, atque damnarent in ſe ipſis, non ſolùm ſcientiarum,
F ſed omnium aliarum rerum, quæ ſola otioſa ſciendi, vel obtinendi, aviditas, & non fructus ipſarum bonitas, aut utilitas, ingereret, vel incitaret. Interim igitur determinatum ſit tibi de ſcientiis naturalibus, atque virtutibus ſubſtantiarum ſpoliatarum. Et qualiter eas naturales dixerint, vel intenderint, & de cauſa inæqualitatis diſſimilitudiniſque, atque varietatis ipſarum.

CAPUT XXXII.

Quòd magnifica largitas creatoris poteſt ſuperabundare in ordine ad ſcientiam hujuſmodi ſpirituum.

SI quis autem quærat, utrùm augeri, vel minui poſſint in eis hujuſmodi ſcientiæ, & virtutes, cùm ea quæ naturalia ſint ſubſtantiis, nec augeri poſſe, vel minui videantur, & potiſſimùm in ſubſtantiis ſimplicibus, quæ à paſſionibus immunes eſſe,
G & liberæ non immeritò forſitan putantur: reſpondeo, quia non ſic, neque eouſque ſentiendum eſt, eas liberas eſſe à paſſionibus, ut ab ipſa largiflua bonitate creatoris nihil vel recipere poſſint, vel etiam ultra ea recipiant, quæ ab ipſo in ſua creatione recipiunt. Nihil enim arctavit omnipotentiſſimam bonitatem creatoris ad hoc, ut naturalia dona ſua eis augere non poſſit, aut nova etiam eiſdem ſuperapponere. Præſertim cùm doctrina Chriſtianorum hoc habeat, quod ipſis, & virtutibus, cæteriſque donis naturæ ſuperaddiderit magnifica largitas creatoris dona præclariſſima incomparabiliter naturæ ſupereminentis gloriæ. Ampliùs. Cùm innumerabilia ſint ſecreta, & myſteria creatoris, quæ non videtur eis ab initio revelaſſe, quomodò non eis poterit aliqua ex his revelare? Præſertim cùm
H tam profunda, tamque inſcrutabilia circa generis humani gubernationem inceſſanter faciat, & diſponat, quæ non niſi ipſi videntur eſſe cognoſcibilia propter elongationem ſuam ab omni intellectu naturaliter dato à creatore. Similiter & propter remotionem diſtantiſſimam, & profunditatem occultiſſimam, fructuum, & utilitatum, quas inde mortalibus elicit, de quibus, quod inattingibiles, & incomprehenſibiles ſunt, niſi per revelationem ipſius omnis intellectus humanus indicat apud ſemetipſum, & abſque ulla hæſitatione recognoſcit, & confitetur. Apparet autem hoc evidenter in multis, quæ ſunt apud fidem Chriſtianorum ſolam. Qualis eſt humanatio, ſive incarnatio filii Dei, & multa alia, quæ ipſi vocant ſacramenta. In quibus nullum ſuggerit, aut ſubminiſtrat natura cognitionis initium, nec invenit intellectus naturalis per naturam ullo modo tum viam inventionis, neque quid de eis cogitet, aut etiam leviter conjectaret. Cauſa autem in hoc eſt, quia nihil in his vel factum eſt, vel ſit virtute naturæ, vel ordine, ſed ſolâ benigniſſimâ, & incogitabilis largitatis gratiâ creatoris.

Digitized by Google

creatoris. Manifeſtum igitur eſt, quia in hujuſmodi naturalis intellectus ipſa naturali limitatione ſua prohibitus eſt à cognitione, cùm non ſit ejus ordo, & comparatio naturalis, niſi ad ea quæ per naturam naturaliter ſunt. Non autem ad ea, quæ ſuper naturam, & quæ tam longè ſuperſunt naturalibus. Modis enim omnibus neceſſe eſt, ut quemadmodùm naturæ virtus, & operatio in ſola naturalia ſemper extenditur, & nec ſuprà aſcendit, nec ultra progreditur; ſic naturalis intellectus, ejuſque naturalis cognitio ſolis naturalibus contentus ſit naturaliter. Quòd ſi dixerit qnis, quoniàm iſta ratiocinatio eſt removens ab intellectu naturali cognitionem etiam creatoris, cùm creator non res naturæ, aut res naturalis eſſe videatur: Reſpondeo, quia ſermo hominis iſtius ſermo eſt hominis imbecillis, & naturæ rationem, atque intentionem ignorantis. Creator enim indubitanter natura eſt prima, ac primitiva, & in ordine naturali univerſi primus, & altiſſimus, & ipſi univerſo ultimitate ſuæ nobilitatis incogitabili ſupereminentiſſimus. Et ipſa natura diligenter conſiderata hunc ordinem naturaliter nobis ſuggerit, & oſtendit. Ipſumque univerſum totalitate ſua, & ſingulis partibus ſuis indicat naturaliter, & prædicat creatorem & eſt ipſi auditui ſpirituali velut carmen pulcherrimum geſtorum ipſius, & velut reſonantia ſuaviſſima laudum ejuſdem, atque concentus univerſarum creaturarum concordantium etiam ineffabiliter, non quidem vocibus, ſed ipſa veritate eſſentiarum ſuarum, & ordinatione ſua pulcherrima ſuper omnem melodiam gloriam ipſius concinentia. Habet igitur intellectus naturalis vias tot ad inveniendum creatorem, & ſtabiliendum, quot ei ſunt coram poſitæ creaturæ, & ambulatio per vias iſtas ad creatorem eſt eidem naturalis. Naturale namque eſt unicuique effectui cauſam ſuam indicare, & ad ipſam deducere rationabiliter cogitantem. Ad ea verò, quæ dixi de fide Chriſtianorum, non ſunt viæ intellectui naturali naturaliter, quoniàm nullæ ex rebus naturalibus, indicant aliquid eorum neque conſideratione ſua aliqnid eorum adducere poſſunt naturaliter ſagaciſſimè etiam requirentem. De his autem rebus, quæ apud ſolam fidem Chriſtianorum ſunt, ut dixi, tu audiviſti jam per me, quoniàm credulitas earum inclinat virtutem noſtram intellectivam, tanquàm caput mentis humanæ, in venerationem, & adorationem creatoris. Et propter hoc ipſa eſt caput veræ, ac perfectæ religionis. Et licet res hujuſmodi non credantur religioſè, & acceptabiliter creatori, remunerabiliterque credentibus, niſi cùm creduntur per obedientiam noſtræ virtutis intellectivæ, probationes tamen adduxi tibi ſuper his partim, ut deſtruerem errores eorum, qui contraria illis vel ſentiunt, vel ſenſerunt, partim, ut patefacerem tibi fidem Chriſtianorum, ideſt ea, quæ ſunt apud fidem eorum rationibus, & probationibus non carere. Volui inſuper intellectus aſſuetos, & nutritos probationibus & rationibus, tanquàm claudicantes, & ſingulis penè paſſibus in dubitationes, aut ignorantias corruentes, notis ſibi, & familiaribus hujuſmodi ſubſtentaculis adjuvare. Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc, quia ſcientia naturalis ſubſtantiarum ſpoliatarum duobus modis limitata eſt, primùm limite, ſeu termino rerum naturalium, quarum fines exire non ſinitur, ſecundò neceſſitate, vel utilitate rerum, quarum ſolarum eſt eis vel neceſſaria, vel utilis cognitio. Apparet etiam tibi per hæc, quia poſtquàm hominibus revelare creatori placuit antedicta myſteria, placuit eidem, ut & ipſa ſcirent ſubſtantiæ ſpoliatæ, tum propter hoc, quia miniſterio earum multa de his, & annuncianda, & agenda erant, tum propter hoc, quia tantas divitias bonitatis ejus eis abſcondi non decebat, qui de ipſis & creatorem ineffabiliter glorificarent, & qui de ſalute ac reparatione humani generis gaudio inenarrabili gaviſuræ eſſent, utpote de acquiſito tanto numero tam dilectorum conſortum, quorum ſocietas pro magnitudine dilectionis tam naturæ, quàm gloriæ in ipſos, erat eis deſiderabilis, & jocunda. Quòd ſi quis dicat, quia jam beatis, jamque glorificatis angelis ſanctis, ſicut ex reparatione, atque ſalute generis humani, accrevit eis ſcientia, ſic accrevit eiſdem & gaudium, quapropter crevit & eorum gloria, non improbabiliter, neque irrationabiliter, hoc dicere reputandus eſt.

Naturalis conditio in quo ſit limitata.

CAPUT XXXIII.

Refutatio definitionis Apulei qua dæmones ponit animalia eſſe paſſibilia, non ſubjecta corruptioni.

De diffinitione dæmonum ab Apuleio platonico data.

Quia verò jam incœpi perſcrutationem de corporeitate, & de corporibus, an ſint hujuſmodi ſubſtantiis, conveniens eſt, atque connexum huic quæſtioni diſputare de ſententia illius, qui diffinit dæmones eſſe genere animalia, ſpecie rationalia, corpore paſſibilia, tempore æterna, officio diligentiam hominibus impertientia. Sermo igitur iſte ſermo eſt indubitanter hominis, qui opinatus eſt ſubſtantias, quas dæmones nominabat, eſſe animalia rationalia, & eſſe corporeas. Alioquin nec animalia illa eſſe dixiſſet, cùm nulli nuquàm dubium fuerit animal omne ex anima, & corpore compoſitum eſſe. Evidenter autem expreſſit, cùm adjecit, corpore paſſibilia. Et homo iſte fuit Apuleius platonicus, & ſcripſit ſermonem iſtum in libro ſuo, qnem nominant, de Deo ſocratis. Primùm igitur in iſto ſermone illud inveſtigandum videtur, qualiter poſuit ſubſtantias iſtas corpore paſſibiles, & nihilominùs immortales. Quicquid enim natura paſſibile eſt de corporibus, neceſſe eſt & natura deſtructibile eſſe: erit enim ſecabile, & diviſibile omne corpus poſſibile, erit & combuſtibile, & putrefactibile. Quia igitur deſtructionem corporis ſequitur ex neceſſitate deſtructio & mors animalis, cujus pars eſt, ſive materia corpus illud: erunt igitur mortalia hæc. Ampliùs. Omne animal eſt habens multa membra, ſive partes corporis ſui, quibus abſciſſis, aut detruncatis, ſive quolibet modo deſtructis, neceſſe habet mori, ſive deſtrui. Quia igitur animalia poſuit corpore paſſibilia, conſequenter neceſſe habet concedere ipſa eſſe mortalia, cùm paſſibilium corporum omnes partes ſecabiles ſint, & ſeparabiles à ſuis totis. Quòd ſi dixerit, quia fides, & doctrina Chriſtianorũ eſt, homines damnandos in futuro in univerſali judicio habituros eſſe corpora paſſibilia ab igne infernali, & tamen indeſtructibilia & immortalia, ipſoſque homines habentes hujuſmodi corpora, nihilominùs futuros eſſe in ſtatu illo immortales: Reſpondeo, quòd fides, & doctrina Chriſtianorum non ponit immortalitatem iſtam eſſe futuram naturaliter, ſive per naturam, quin potiùs ſuper naturam, & forſitan contra eam, hoc eſt, contra curſum ejuſdem conſuetum; in diffinitionibus verò non ſunt ponenda ea quæ ſuper naturam, vel præter naturam rebus adveniunt, ſed naturalia ſola, ſive eſſentialia. Si verò dixerit, quia corpora hujuſmodi non ſunt naturalia dæmonibus, ſed data ſunt eis, ut ad pœnam, tanquàm carceres; & quoniàm perpetua eſt ipſorum pœna, judicio creatoris, data eſt perpetuitas hujuſmodi corporibus, & nihilominùs paſſibilitas, ut ſatisfiat ex utraque parte

judicio creatoris, quod non eſt poſſibile eſſe, niſi juſtum, dico in hoc, quia Apuleius debuit declarare intentionem ſuam, & dicere, quia non erat intentionis ſuæ dicere, quòd naturaliter, vel eſſentialiter ſunt ipſi dæmones, ſed quòd ſunt modò ex caſu, & paſſione circa eos facta. Quòd ſi quis hoc intelligere voluerit, in ſermone ejus contradicit huic intellectui ipſemet Apuleius, ubi dixit hujuſmodi animalia tempore æterna, cùm animalitas, & corporeitas non ſint eis æternæ, ſecundùm intentionem iſtam, quin potiùs temporales, & adventitiæ. De figuris quoque corporum non facile eſt Apuleio, ut ſe expediat, ſicut reminiſci potes ex eis, quæ in præcedentibus dicta ſunt tibi. De motu verò eorum, an ſit greſſus, vel volatus, non minori involutione arctabitur: utrumlibet enim iſtorum motuum illis ponat, neceſſe eſt, ut poſſint recludi, & religari, & per obvia alia corpora retardari, & prohiberi penitùs motus eorum, contraria autem teſtificantur de ipſis experimentatores. Ex quibus aliqui dicunt ſe attentaſſe pugnare cum eis, & percutere eos ferro, & prohibere motus eorum obſtaculis fortiſſimis, ſcilicet funibus, & catenis, & trabibus, & nihil potuiſſe in parte iſta. Ampliùs. Quæ vel qualia inſtrumenta ad motum ponent eos habere, videlicet pedes, an alas? Quòd ſi poſuerint eis alas, neceſſe habent eas eis ponere aut ex pellibus ad modum veſpertilionum; aut ex plumis ad modum volatilium, quæ volant de die. Quòd ſi ſubtiliſſimas illas eis poſuerint ad inſtar muſcularum, ponent igitur illas debiliſſimas, & filis aranearum captibiles, & retentibiles. Eodem modo, ſi ponat quis eis pedes, eſt multa quærere contra eum, & de ipſo motu, & de forma, atque figura pedum ipſorum, videlicet ſi ponat pedes illorum figuram, vel formam habere pedum humanorum, aut ponet eos monſtra ex diverſis formis, & figuris diverſorum membrorum animalium compoſita, ſicut eſt animal, quod vocatur bever, ſive caſtor, caudam habens piſcis ſolam, cætera verò membra habet multorum animalium, aut ponet eis conſequenter totam formam, vel figuram humani corporis, & ſtaturam erectam ad modum hominum, ſeu corporum humanorum. Et tunc quod aliud dicet de eis, niſi ipſos vel eſſe homines noſtræ ſpeciei, vel eſſe eos inviſibiles quoſdam homines alterius ſæculi, tertii videlicet, quod oportet eum ponere ſæculum imaginabile continens omnes hujuſmodi ſubſtantias inviſibiles, ſed tamen imaginabiles, quarum multitudines innumerabiles multis apparere, & maximè de nocte dicuntur. Verùm hujuſmodi ſermo videtur anilis, ſeu vetularis, quamquàm non dubitem eam eſſe ſtultitiam nonnullorum imperitorum, ut facilè delirent tres mundos debere eſſe, videlicet intelligibilem, ſenſibilem, & imaginabilem, & unumquemque ipſorum habere partes ſibi congruentes, & habitatores proprios, & aliis impermixtos, & ad mundum imaginabilem pertinere omnes hujuſmodi ſubſtantias, de quibus eſt ſermo, quaſi ad intelligibilem pertinere non poſſint, cùm ſint figuratæ, & formatæ formis, & figuris imaginabilibus, neque ſimiliter ad ſenſibilem, cùm nec tangi, nec attractari manibus poſſint, nec etiam videri viſione verâ, cùm non niſi de nocte, & in tenebris appareant, ubi fortè magis imaginatio locum habet, quàm veritas viſus. Deliramentum autem hujuſmodi facilè deſtruitur per hoc, quòd manifeſtum eſt eadem eſſe ſenſibilia, & imaginabilia, nihil enim eſt ſenſibile, quod non ſit imaginabile. Et ſimiliter nihil propriè, ac per ſe, eſt imaginabile, quod non ſit ſenſibile. Intelligibilia verò propriè, & verè, ſunt omnia, ſed intellectui perfecto, & ex nulla parte obtenebrato, vel

E obſcurato. Eadem igitur continent mundi duo; quorum alterum ponunt ſenſibilem, alterum imaginabilem, eadem inquam, tantùm ita, ut nihil alter contineat, quod non & reliquus. Non poſſunt igitur duo eſſe, id eſt, vel duo continentes, ſive duæ regiones, neque duo contenta, hoc eſt, duæ univerſitates, altera, ſcilicet ſenſibilium, altera imaginabilium, cùm prorsùs eadem ſint hæc cum illis: intelligibilis verò regio ſit continens omnia, ut quicquid eſt ſenſibile, vel imaginabile, ex neceſſitate intelligibile ſit. Quid autem ſit unumquodque hujuſmodi apparentium, & qualiter, & propter quid fiant apparitiones hujuſmodi, ſuo loco inveſtigare tentabo, videlicet cùm de ipſis dæmonibus, quos diabolos vulgò vocant, erit mihi ſermo. Videtur autem hujuſmodi apparitionibus inductus Apuleius ſic diffiniviſſe dæmones, vel hoc accepiſſe ab homine ſic ſuaſo. Manifeſtum tamen eſt, quia paucis ex hominibus fiunt hujuſmodi apparitiones, etſi vera viſa, & verè viſibilia eſſent, quæ ſic apparent,
F omnibus æquè videntibus, & in loco apparitionis exiſtentibus, æqualiter viderentur, & hoc non eſt verum.

CAPUT XXXIV.

Quòd dæmones non aſſumunt vera corpora in ſuis ludificationibus, nec quæ aſſumunt, apud nos aſſumunt.

Sermo verò eorum, qui dicunt corpora data hujuſmodi ſubſtantiis ad pœnam carceralem, & ſermo eorum, qui dicunt eos aſſumere corpora, provt volunt, vel provt requirunt miniſteria, ad quæ mittuntur, vel quæ ipſis imponuntur, eaſdem ferè habet contradictiones. Primò, quia corpora hujuſmodi, ſi vera corpora ſunt, quæ apparent ſic, organica ſunt, & figuram humanorum corporum, vel aliorum animalium
G habentia. Organa verò naturalia, ſeu membra, non ſunt conjungibilia, niſi virtutibus, aut per virtutes, ſive vires, quarum operationes perficiuntur, vel exercentur per ea. Neceſſe igitur eſt ſubſtantias hujuſmodi habere vires, quarum operationes exerceantur per organa, ad inſtar animarum noſtratum; quare ſi veræ ſunt operationes, quas exercent per membra corporum iſtorum, & veræ conjunctiones hujuſmodi organorum ad vires ſibi congruentes, erunt veri homines, qui apparent ſic, & vera animalia, quæ ſic apparent. Quare erit vera generatio hominum, ſive aliorum animalium, in hujuſmodi apparitionibus, quare & vera mors in contrariis diſparitionibus. Sed & unde erit iſta mors unicuique hujuſmodi ſubſtantiarum, niſi cuique à ſemetipſa, occident igitur ſemetipſas. Ampliùs. Hæc erit ex neceſſitate vera caro, erunt & vera
H oſſa in hujuſmodi corporibus. Cùm ergo depoſita fuerint ab ipſis ſubſtantiis, remanebunt ad tempus, quemadmodùm corpora noſtra remanerent, poſtquàm ab eis exiverunt animæ noſtræ, & reſolventur, atque diſſolventur paulatim putrefactione, & corruptione donec conſummetur diſſolutio eorum. Sed hoc nunquàm hactenùs viſum fuiſſe auditum eſt. Ampliùs. Si eſſent vera corpora humana, qualia apparent, eſſent verè tangibilia, verè palpabilia, & verè paſſibilia omni genere paſſionis. Nihil autem horum reperitur in ipſis. Ampliùs. Ut ſubitò corrumpantur, & redigantur in nihilum, non eſt poſſibile. Corruptio enim corporis, vel generatio, non videtur poſſibile, ut ſubitò fiat; & de creatione, ſicut jam audiviſti, manifeſtum eſt, ipſam eſſe ſubitaneam, ſive inſtantaneam, & non fieri ullo modorum per partes, aut ſucceſſionem.

Digitized by Google

Ubi ergo fieret iſta corruptio, niſi ubi & apparitio eorum, & diſparitio? Ibi igitur neceſſe eſt apparere, & eſſe ſecundùm veritatem id, in quo fit corruptio, ſeu reſolutio hujuſmodi corporum. Manifeſtũ autẽ eſt, quia nihil poſt ſe relinquunt quod ſit corpus, vel corporeum. Invenies autem in narrationibus miraculorum, quæ facta ſunt apud Chriſtianos, aliquos ex malis dæmonibus ejectos ab hominibus fœtorem intolerabilem poſt ſe reliquiſſe. Quòd ſi per motum, id eſt receſſum fit diſparitio hujuſmodi, impoſſibile eſſet, ut fieret ſubitò. Recedentes enim à nobis homines aliquantulâ horâ videmus, donec elongatio, aut aliud medium viſum prohibeat. Ampliùs. Fabricatio hujuſmodi corporum aut eſſet ſubita, aut ſucceſſiva: quòd ſi ſubitò, fieret ergo ſolo nutu, & imperio aſſumentium ea hujuſmodi ſubſtantiarum; hoc autem non eſt niſi omnipotentis virtutis creatoris. Si verò ſubitò non fieret, ſed per ſucceſſionem, pars ſcilicet poſt partem, tunc eſſet generatio fabricatio hæc. Quare eſſet ex aliquo, quod corrumperetur in generatum; quia igitur illud oportet eſſe viſibile, neceſſe eſt alibi fieri generationem hujuſmodi, quàm ante homines, quibus fit hujuſmodi apparitio. Cùm igitur nunquàm in toto mundo viſa fuerit vel ipſa fieri, vel materia, ex qua fit, neceſſe eſt ipſa fieri extra habitationem hominum. Qualiter igitur adveniunt ad conſpectum hominum tanta velocitate, & abeunt ſimiliter non minori, & ubi deponunt, atque reponunt corpora iſta, quorum nullum indicium poſt earum diſparitionem apparet. Ampliùs. Quàm magnum, quàm bonum eſſet hominibus, ut corpora eorum talia, & ſic fierent, videlicet, quæ animas humanas non inquinarent, non ebriarent, non onerarent. A quantis malis proviſum eſſet toti generi humano, ſi ſic homines formarentur? Ceſſarent igitur dolores parientium, labores educantium, & innumerabilia alia mala. Ampliùs. Corpora hujuſmodi niſi ab ipſis, à quibus aſſumuntur, deſtruerentur, qualiter ſe haberent relicta ſibimetipſis, diſſolverentur-ne, & putreſierent? Non eſt hoc veriſimile, cùm nec paſſibilia videantur, quantùm in ipſis eſt; igitur perpetua ſunt, & incomparabiliter nobiliora, quàm fuiſſe ponantur à gente Chriſtianorum corpora primorum hominum, antequàm ea peccato maculaſſent, & morti obnoxia neceſſitate divinę juſtitię effecta eſſent. Ampliùs Quâ de causâ ponunt hujuſmodi corpora, per quæ addicitur eis perfectio corporalium operationum, & virium, quæ per organa corporum operantur? Præſertim cùm tantæ gloriæ corpora etiam inter cœtus militiarum ſpiritualium decori ſint, quemadmodùm ſpes Chriſtianorum eſt, lexque, & fides eorum, quòd corpora glorificata humana nihil indecentiæ ingerent civitati iſti nobiliſſimæ, ac præclaræ, quam dicunt ex hominibus glorificatis, & beatis ſubſtantiis ſpiritualibus conſtituendam, & in ipſo cœlo ultimo collocandam. Ampliùs. Secundùm hoc neceſſe habebunt hujuſmodi ſubſtantiæ, quoties apparent, nova ſibi corpora fabricare, & quoties diſparent, illa in quibus apparuerant deſtruere. Ampliùs Si vera corpora ſunt, quæ apparent; ſic non erit effugere, quin & veræ veſtes ſint, & veri equi, & vera arma cum quibus apparent. Quia igitur interdùm apparent abſque numero, & videtur exercitus eorum major omnibus exercitibus omnium regum, & principum terræ, non parvam habet admirationem, & quæſtionem, unde ſumpta ſit materia, ex qua tanta numeroſitas corporum humanorum, & novorum equorum, ſcutorum, lancearum, galearum, & aliorum apparentium fabricata ſit, cùm integri montes omnes, & aliæ partes terræ perſiſtant. Ampliùs. Iſti exercitus ſic apparentes non bellant, niſi contra ſe invicem. Qualia igitur prælia committunt qui nec occidi, nec vulnerari poſſunt ferro, quod apud nos ſit? Quid ſibi volunt haſtiludia iſta, & pugnæ, quibus nemo læditur, vel etiam lædi poteſt? Quòd ſi non ſint veræ pugnæ, quæ ſic apparent, & committi videntur? Non erunt igitur veri bellatores, nec veri equi, nec vera arma, quapropter fantaſmata erunt omnia hujuſmodi, id eſt apparentia tantùm, & nihil internæ veritatis habentia. Ampliùs. Si poteſtas hæc tam ſubitò fabricandi corpora, & tam ſubitò deſtruendi eadem, eſſet Angelis bonis, & ſanctis, qui ea non utuntur, niſi ad gloriam creatoris, & utilitates hominum, non propter hoc deberet eſſe malignis ſpiritibus, qui ea non videntur velle uti, niſi ad illuſionem, & deceptionem hominum;

CAPUT XXXV.

Quòd ſolæ imaginationes, vel phantaſmata, vel ſimilitudines, ſufficiunt apparitiones facere, & de mirabilibus phantaſiis, & melancholicis quorundam hominum.

INtende igitur in hoc, & vide ex aliis apparitionibus, quia non eſt neceſſe per hoc, quod aliquid apparet, vel oſtenditur, alicui in forma, vel in ſpecie, quòd ejus ſubſtantia aſſumatur ab aliquo, vel fabricetur nova ſubſtantia, vel novum corpus, propter hujuſmodi apparitionem, vel oſtenſionem. Et hujus rei primum indicium, & exemplum pono tibi in ſomniis, & ſomniantibus, apud quos certum eſt tibi, non eſſe ſubſtantias, vel corpora, ſive res corporales, quas videre, & contractare certiſſimè ſe credunt, nec minùs clarè, quàm per ſenſum. Indubitanter enim ſe credunt aliquandò videre, & contractare poma aurea, & maſſas argenteas. Diſputant etiam interdùm apud ſemetipſos, an veritas ſit, an ſomnium, quod apud eos ſic agitur. Tibi verò non eſt dubium veritatem pomorum aureorum, aut maſſarum argentearum, non eſſe apud ipſos. Ipſi tamen, ſi interrogari tunc poſſent, & reſpondere, durante ſomnio, cum juramento affirmarent rerum iſtarum veritatem ſe certiſſimè & videre, & contractare. Secundum exemplum ponam tibi in febricitantibus, qui patiuntur alienationes, etiam vigilantes. Et dicunt ſe videre latrones, vel alios homines, qui quærunt eos occidere, & clamant contra eos, & invocant auxilia circunſtantium, & nituntur exurgere de lectis ſuis, ut effugiant eos, quos dicunt ſe videre. Videtur eis etiam, quòd intrent per feneſtras adeò parvas, per quas nullo modo intrare poſſent. In hoc exemplo manifeſtum eſt tibi, neque apud febricitantem, hoc eſt, neque in interioribus ſuis eſſe hujuſmodi homines, neque etiam in domo, ubi dicunt ſe videre illos, ſic etiam nonnunquàm, ut id ipſum patiantur de mortuis. Manifeſtum igitur eſt ſolas imaginationes, ſeu phantaſmata quæ ſunt apud animam febricitantis, ſufficere per ſe ad apparitionem, ſive oſtenſionem hominum hujuſmodi, & non oportere ullo modorum, ut aſſumantur corpora ipſorum, vel alia corpora illis ſimilia à quoquam, vel à quibuſcunque. Tertium exemplum ponam tibi in melancholicis quibuſdam, qui videntur ſibi videre multitudines hominum armatorum, & qui aſcendunt muros civitatum, in quibus ſunt, vel ingrediantur portas ipſarum, & quòd capiant eas. Unde & ipſimet timentes ab eis capi, exclamant terribiliter, & cum tremore fugientes quocunque, & quacunque poſſint. Nec poteſt eis ſuaderi ullo modorum contrariſ[?]

propter quod non poteſt ceſſare in eis timor, nec tremor, neque etiam clamor, neque fuga, niſi tenentur. Memini me vidiſſe virum bonum, & religioſum, qui cùm mihi exponeret, & narraret ægritudinem, quam patiebatur, etiam in ipſa narratione hujuſmodi videbatur ſibi videre mures magnos, & nigros tentantes aſcendere deſuper veſtimenta ſua ad caput ſuum, & non ceſſabat paſſio hæc in ipſo, propter quod erat in horrore, & timore continuo. Nec mirum eſt, ſi de rebus, quæ extra nos ſunt ex cauſis, quas alibi didiciſti, per phantaſias, ſive phantaſticas imagines, nobis illuditur, poſtquàm de nobis ipſis in incredibiliores opiniones, & apparitiones hujuſmodi phantaſmata nos inducunt. Fuit namque tempore meo vir, qui credebat ſe eſſe gallum adeò pertinaci credulitate, quòd ab ipſa nullo modorum poterat averti. Et ad hoc etiam deductus erat, quòd loquelâ humanâ nullatenus uti volebat, galli vocem tantùm pro viribus effigiabat. Fuit & alius, qui mortuum ſe indiſſoluabiliter credebat. Et propter hoc inter homines, vel cum hominibus viventibus ſe nec debere, nec poſſe comedere ullatenus delirabat, donec quidam alius ſimulans ſe ſimiliter mortuum, ſuggeſſit ei, quia cum eo & poterat, & debebat comedere, cùm eſſet mortuus, ſicut & ipſe, cum viventibus autem neuter eorum. Potuiſti quoque audire, & ſcire, ſi reminiſcaris, de quodam, qui ſemper putabat ſe videre aquam magnam ante ſe, & propter hoc nec paſſum unum volebat ambulare hujuſmodi phantaſiâ deterritus. Audire potes & alia hujuſmodi innumera, quibus adjuvari poteris ad videndam intentionem meam ſuper eo, quod hîc declarare intendo. Appropinquabo autem ad illud, & dicam ea, quæ viciniora, atque ſimiliora ſunt eidem. Reminiſcere igitur viſionum, & apparitionum, quæ videntur fieri per maleficos, quos vulgò necromanticos vocant. Ex his una eſt, quæ fit per inſpectionem pueri virginis in ungue proprio, ubi & rem furtivam & furem, & nomen furis, & vias ipſius, & locum rei furtivæ tam à quo ſubrepta fuit, quàm illum, in quo repoſita eſt, ſe videre videtur ipſe puer. Impoſſibile autem eſt manifeſtè, in ungue eſſe furem ipſum propter parvitatem ipſius unguis. Impoſſibile etiam eſt ibi eſſe, quin etiam ab aliis æquè clarè, ſubtiliterque videntibus, & diligenter in eadem propinquitate, & ſitu convenienti, intuentibus, videretur. Eodem modo eſt & de auditu nominis ipſius furis. Non igitur in ungue videt furem puer, vel alia antedicta: ſed neque alibi extra ſemetipſum, cùm nec alibi intueatur, & res ipſa furtiva fortè conſumpta ſit, & ipſe fur parietibus concluſus, vel alio obſtaculo interpoſito videri prohibitus. Intra ſemetipſum igitur videt hæc omnia puer iſte, & audit etiam nomen furis. Certum autem eſt, quia rerum iſtarum veritas non eſt apud ipſum, ſed ſolæ imaginationes, ſive phantaſmata earum. Ecce patefactum eſt tibi hoc exemplo, quia nec aliquis ſpiritus aſſumpſit corpus furis, neque corpus rei furtivæ, neque corpora ſimilia corporibus eorum, ſed ſolæ imaginationes, vel phantaſmata ſufficiunt ad apparitiones, & oſtenſiones iſtas; fiunt igitur hujuſmodi apparitiones, ſive oſtenſiones per impreſſiones hujuſmodi imaginum, ſive phantaſmatum, in virtute imaginativa videntis illas. Si enim corpus furis aſſumpſiſſet aliqua ſpiritualis ſubſtantia, corpus inquam illud idem numero, amiſiſſet illud ex neceſſitate fur ipſe, & eſſet mortuus, & occiſus ab illa. Si verò corpus ſimile, quomodò illud inviſibile effeciſſet? Quomodò etiam illud in locum apparitionis abduxiſſet, vel attuliſſet, & de re furtiva eadem eſt quæ-

De magica. & divinatione.

Quomodo illuſiones fiunt.

Quod ſpiritus faciunt apparere res in anima noſtra

E ſtio. Si enim hoc habet in poteſtate ſubſtantia ſpiritualis effectrix hujuſmodi viſionis, ut novum corpus rei furtivæ efficiat, cur non potiùs illud novum furtum paſſo reſtituit, ut parcatur ei, & à ſumptu, & à labore, atque apparatu talis inveſtigationis? Præſertim cùm ejuſdem pretij, ſeu valoris eſſe videatur ex omnimoda ſimilitudine ad illam. Quâ de causâ non vult tam piè agere in eos, maximè, quæ furta graviſſima, & intolerabilia rerum etiam non ſuarum patiuntur? Ampliùs. Si res pretioſiſſima furto ſublata fuerit, cujus fur per multos hujuſmodi inſpectores inveſtigetur pari per omnia diligentia, & apparatu, veriſimile eſt, ut pariter ab omnibus hujuſmodi inquiſitoribus inveniatur. Quòd ſi eſt, fabricabuntur igitur tot corpora furis, ut aſſumantur à ſubſtantiis ſpiritualibus revelationes iſtas efficientibus, ſimiliter & res furtivæ rei ſimiles multæ.
F Niſi fortè quis dicat, non tot eſſe ſubſtantias ſpirituales, quot ſunt hujuſmodi inveſtigationes, vel aliis officiis occupatas, aut propter hoc non plures de una re facere revelationes, cùm una ſufficiat. Nihil enim ſuperfluum, vel otioſum facere velle vel debere videntur. Eodem modo ſe habet & de aliis inſpectionibus maleficis, quales ſunt inſpectio in ovo, in ebore, in enſe, in pelvi, in ſpeculo quoque, & etiam in ſpeculo apollinis, quod eſt in operibus hujuſmodi apud maleficos maximum. Similis eſt & inſpectio in libro execrabili, quem ipſi vocant ſacratum. Nec dubites omnes iſtas viſiones arreptiones quaſdam denominatas eſſe, propter quod horrorem efficiunt in vultibus ſic videntium.
G Jam igitur declaratum eſt tibi per hæc ſecundùm duos modos eſſe apparitiones omnes hujuſmodi. In quibus non intendo comprehendere propheticos ſplendores, neque ſanctorum angelorum collocutiones, atque conſortia, de quibus loquar in ſequentibus. Et modus quidem primus ex morbo eſt, ſive ægritudine, nec eſt jam tibi dubium de alienationibus, quæ fiunt ex ægritudinibus, quoniam vel fixæ ſunt, vel mobiles ad inſtar ſomniorum. Et mobiles quidem ſunt, quæ fiunt ex fumis, ſive vaporibus aſcendentibus ad cerebrum, & in eodem infectionem non imprimentibus, atque relinquentibus, ſed potiùs facilè recedentibus, propter quod & cum ipſo ſomno velut evaneſcentes, excutiuntur, & de ipſis infectionibus relictis aliæ facilè abolentur, propter quod & ipsâ ægritudine ceſſante, & humore purgato, ex quo erant, non faciunt ampliùs aliena vel videre, vel loqui, quod ante faciebant; aliæ verò ſunt intimioris infectionis, atque tenacioris, magiſque adhærentis, & ideò difficilè curantur, & faciunt, ut quis videatur ſibi
H Rex eſſe, ut vidi patientem, qui putabat ſe eſſe avem, quocunque vellet, volantem, & interdùm putabat ſe eſſe filium Dei, interdùm verò Spiritum ſanctum, quandoque verò Meſſiam Judæorum, quem & adhuc expectant, ipſumque gens Chriſtianorum nominat Antichriſtum, & hoc ipſum eſſe apertè dicebat, videlicet, quòd ipſemet erat Antichriſtus, & cum ipſo morbo interdùm immiſcet ſe ſuggeſtio diabolica, quam gens Chriſtianorum vocat ſpiritum blaſphemiæ. Et eſt paſſio pernicioſiſſima, quoniàm intolerabilis, & horrificæ vexationis, & ſolâ virtute divinâ curabilis. Fit ex morbo interdùm, ut aliquis videatur ſibi eſſe lupus, & fit nihilominùs ex ſuggeſtione diabolica. Invenies namque in narrationibus miraculoſis Chriſtianorum de quodam, quem ſic agitabat, & vexabat dæmonium, quòd videbatur ſibi certis temporibus fieri lupus, & videbatur ſibi, quòd curreret coram hominibus, & terreret eos, & quòd fugerent à facie ejus, ſicut à facie lupi, donec per virum quendam ſanctum liberatus

Quòd cū morbis immiſcet ſe ſuggeſtio diabolica.

beratus eſt, & ſanatus, inventumque eſt corpus ejus, quaſi exanime, in ſaltu quodam, & inde ſurgens ſanus vidit lupum adhuc currentem, quem credebat ſe eſſe. Intra ſemetipſos igitur vident armatos exercitus, & haſtiludia, & pugnas, quas dixi, multi ægritudine faciente, multi verò maligno aliquo ſpiritu hæc omnia in virtute imaginativa ipſorum pingente. Debes autem attendere hîc, quæ dixi de armis, & exercitibus bella agentibus & armis malè utentibus, & propter hoc apparent eis ibi plerunque chari eorum, qui gladio occiſi ſunt, vel quos ipſi gladio occiderunt, apparent inquam in labore intolerabili, & dolore, ex armis, & pugnis, quas exerceri videntur. Quod veriſimile eſt fieri ex miſericordia creatoris ad commonitionem ipſorum, videlicet, ut ab iniquo uſu armorum deterreantur agnoſcentes, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Et hoc ipſum nonnulli dixerunt ſe in hujuſmodi viſionibus audiviſſe, & charis ſuis annunciantibus eis pondera armorum, quæ portabant, ſeu portare videbantur, graviſſima, & incredibilis tormenti, nec-non & illud tormentum ſibi eſſe purgatorium aliquod dixiſſe dicuntur, & certo tempore finitum, quidam verò illud eſſe ſibi perpetuum, nec habere ſpem liberationis ex illo. Interdùm autem dixerunt aliqui ex his, qui talia ſe vidiſſe dicunt, & charis ſuis multa de futuris ſuis eventibus revelata fuiſſe, & ex his unum memini me vidiſſe Verùm ſi haſtiludia illa, & pugnæ nec vera, nec veræ ſint, qualiter eis puniri, vel torqueri poſſunt? Gladio enim phantaſtico percuti, vel lædi quomodò poſſibile eſt? Armis verò hujuſmodi, quæ nihil, niſi imagines, & phantaſmata armorum ſunt, quomodò onerari graviſſimè aliquem poſſibile eſt, cùm nihil oneris eas habere manifeſtum ſit? Reſpondeo tibi in hoc, quoniàm jam expedivi me, & te ſuper hoc; & tu jam ſcis, quia & dolorem vehementiſſimum, & dolorem intolerabiliſſimum, ſimiliter & timorem patiuntur ex ſolis phantaſmatibus ſomniantes. Tu etiam dubitare non debes, quia clarè, & ad liquidum videntes vitia ſua, & turpitudines operum ſuorum, dolore horribili cruciantur, etſi pœnam aliam non formidant, & hoc apparere tibi poteſt ex dolore pœnitentium, qui gratuitò oderunt monſtruoſitatem horrificam vitiorum, & ſpecioſitatem diligunt virtutum. Cujus indicium eſt dolor mulieris videntis deformitatem, aut vilitatem veſtimentorum ſuorum, atque defectum convenientis ornatus, aut deformitatem faciei ſuæ. Præſertim cùm eam ſciat palàm hominibus apparere: ſic & incomparabiliter ampliùs, torqueri non dubites eos, qui clarè, & ad liquidum deformitates ſuas ſpirituales & ipſi intuentur, & alios videre cognoſcunt. Poteſt igitur eſſe reverà, ut malignus ſpiritus hujuſmodi viſiones ſuggerat, & procuret, non propter bona, quæ dixi, ſed ut mala aliqua, & noxia admiſceat ad deceptionem videntium. Nec intendo, quin boni, & ſancti angeli & revelare poſſint pœnas purgatorias bonorum, & etiam infernales malorum, & quin plerunque revelaverint ad commonitionem viventium. Verùm etſi non ſit eadem cauſa revelationis bonis, & malis angelis, idem tamen eſt eis revelationis modus, videlicet pingendo in virtute imaginativa viſiones iſtas videntium imagines, & ſigna hujuſmodi viſorum. Eſt etiam nonnulla differentia & initio, & in fine inter utraſque viſiones. Et ſuper hoc viſum eſt quibuſdam, qui reputati ſunt ſapientes, viſiones, quæ fiunt per ſpiritus malignos, blandas eſſe in ſui initio, in fine verò terrificas, ſive terribiles: contrariè verò ſe habere dixerunt viſiones, quæ fiunt per angelos ſan-

Quòd maligni ſpiritus immutant imaginativas noſtras.

A ctos. Et reverà in libris prophetarum Hebræorum in aliquibus viſionibus propheticis invenies, prophetas territos fuiſſe ſanctorum angelorum præſentia, territos inquam fuiſſe terrore vehementi, & deinde confortatos allocutione angelica atque ſolatio. Puto autem hoc non eſſe generale. In his enim, qui angelicis viſionibus, & allocutionibus aſſueti ſunt, ceſſare videtur terror hujuſmodi tum ipſa aſſuetudine, tum ipſo placore angelicæ viſionis, atque præſentiæ: naturale namque eſt ab inſuetis pavere, atque ſtupere, aſſuetudine verò minui timorem, & curari ex toto, & contrariam audaciam generari. Ampliùs, ipſa delectabilia delectandi frequentia ſui deſiderium incitare, deſiderabilia verò, ſicut deſiderio ſui alliciunt, & attrahunt ad ſe quærenda, & obtinenda deſiderantem, ita nec reſilire, nec refugere illum timore faciunt à ſe ipſis. Hinc eſt, quòd aſſueti magicis operibus,
B & horrificis monſtruoſitatibus dæmonum, ad hujuſmodi non expavent. Eſt & alia differentia, quia in magicis operibus, & prædictis viſionibus, qui vel ſemel eos viderunt, vix ab aliquo incommodo corporis immunes ab eis recedunt, & horrore vultus, ſive aſpectus, perpetuò notabiles evidenter apparent. Viſiones verò ſanctorum angelorum, & allocutiones, ſi frequentes fuerint, evidenti gratia placatiores efficiunt homines, cùm eos frequentant. Nec mirum ſi humani generis tam atroces inimici abſque læſione aliqua non appropinquant ulli, vel conjunguntur. Similiter ſentiendum eſt, & de angelis ſanctis. quòd bonitatis, & amicitiæ ſuæ in eis certa relinquunt, & grata inſignia, quos viſitant, propter quod unus de patriarchis Hebræorum, immò pater eorum, à quo & filii Iſraël uſque hodie nominantur, dixiſſe videtur: vidi dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea, qui
C utique dominum ſæculorum non in veritate gloriæ ſuæ viderat, ſed potiùs in ſpecie, vel forma pulchritudinis angelicæ, vel forſitan humana, in ea elegantia, quam habere decuit formam humanam, in qua Deus gloriæ apparebat. Notum autem eſt apud eos, quos creatoris prælarga bonitas gratia dignatur hujuſmodi, hoc eſt angelicæ viſitationis, & frequentationis ſolatio, quanti placoris, & ſuavitatis ſit, quod ipſi ſoli ſentiunt. Debes autem ſcire, quia ratio illa, quam in præcedentibus audiviſti, de hominibus ſic apparentibus, quòd invulnerabiles, & illæſibiles ſunt, non cogit te concedere eos eſſe phantaſticos, & non veros. Cùm de primorum corporibus hominum, antequàm peccaſſent, idem ſentiendum eſſe videatur. Neque enim potuiſſe vulnerari, vel lædi in ſtatu illo viſibiliter videtur, non quidem impaſſibilitate naturæ ſuæ,
D ſed ordine divinæ juſtitiæ, per quam pœna non poteſt præcedere culpam, immò neceſſe eſt, ut culpa præcedat pœnam, tanquàm cauſa effectum ſuum. Quare ante culpam, nec morti, nec alii læſioni obnoxia erant, nec ſuſceptibilia illius prohibente hoc protectione divinæ juſtitiæ, non armatura impaſſibilitatis ſuæ. Non enim impaſſibilitate illa naturali armavit altiſſimus contra mortem, & alias læſiones, ſed protectione juſtitiæ ſuæ ea quaſi ſtipavit, atque vallavit. Quia igitur angeli ſancti nec in ſe, neque in corporibus hujuſmodi, ſi vera corpora ſunt, unquàm peccaverunt, neceſſe eſt eodem ordine divinæ juſtitiæ ipſa eſſe immunia, & protecta ab omni læſione ignis, & gladii Verùm quid reſpondere poterit de malignorum ſpirituum corporibus, cùm & in ſe ipſis, antequàm illa aſſumerent, peccaverint, & in ipſis aſſumptis corporibus peccare non ceſſent? Juxta fidem quoque, & doctrinam Chriſtianorum, ſi veram carnem aſſu-

Quod primi parentes non poterant lædi in primo ſtatu.

Digitized by Google

munt, & vera corpora humana, maligni ſpiritus, carnem utique aſſumunt, non per concupiſcentiam genitam, neque ex originali corruptione peccatricem, aut infectivam conjuncti ſibi ſpiritus; qualiter igitur, aut qua de cauſa aſſumunt tam nobilia corpora, tanquàm munda, cùm animas humanas, quas etiam mundas creator benedictus creat, & de quibus multitudinem tam copioſam ad gratiam hîc ſanctitatis obtinendam, & ad gloriam fœlicitatis perfectæ in futuro perficiendam elegit, non niſi corpora immunda eas polluentia, & inficientia habere, vel aſſumere, vel faciat, vel patiatur? propter has cauſas, & alias rationes, quæ ad hoc induci poſſunt, vocant communitas hominum homines, qui ſic apparent, phantaſticos, non veros, & ipſos etiam, quibus apparent, dicunt homines phantaſticos, ſive phantaſiatos, atque ex infirmitate capitis hujuſmodi illuſiones phantaſticas eos pati. Quod ſicut apparere poteſt tibi ex præcedentibus, pro parte verum eſt, pro parte verò in miniſterio dæmonum malignorum, interdùm etiam & in miniſterio ſanctorum angelorum, ſicut legitur in hiſtoriis Hebræorum, ad orationem prophetæ cujuſdam vidiſſe puerum, qui cum eo erat, exercitum penè innumerabilem armatorum pro populo Hebræorum pugnare paratum. In ipſa quoque lege gentis illius narrat ipſe legis eorum lator, ipſum Jacob, ſive Iſraël, angelos obviam habuiſſe, & dixiſſe: caſtra Dei ſunt hæc. Propter quod & vocavit eos linguâ ſuâ manai, ideſt caſtra. Caſtra verò militantium propriè ſunt, & dicuntur. Quare videtur ex ipſo plano, & contextu narrationis iſtius angelos ſanctos ibi apparuiſſe in modum caſtrorum, aut exercitus, ordinatos. In prophetis verò Chriſtianorum narratur viſum fuiſſe prælium in cœlo inter angelos ſanctos, & angelos malos. Et veriſimile eſt ſpecies præliantium, & formam ipſam, vel figuram prælii ibi apparuiſſe. Nec eſt dubium apud gentem Chriſtianorum revelationem iſtam, vel viſionem factam fuiſſe per angelum ſanctum, & bonum. Patefactum igitur eſt tibi per exempla hæc, & teſtimonia, etiam per angelos bonos exercitus, & prælia interdùm apparuiſſe. Nec videtur ullo modorum creatus fuiſſe propter quamcunque iſtarum revelationum, vel apparitionum, tantus verorum hominum, ſeu vera corpora habentium, novus exercitus. Quare, ſicut prædixi, multitudo iſta ſic apparens, nec verorum hominum, nec verorum corporum humanorum, nec verorum equorum, aut armorum, qui de novo eſſent, fuit. Fuerunt igitur apparitiones iſtæ ex irradiatione angelica ſuper animas prophetarum pingente, & deſcribente, in eis hujuſmodi viſa. Sic intelligendum puto id, quod invenitur in hiſtoriis regum Hebræorum, de ſuſcitatione cujuſdam prophetæ ipſorum facta per mulierem magam, quæ in eadem narratione dicitur pythoniſſa. Neque enim vel mulieri, vel ſpiritui cuicunque maligno, poteſtas eſt, vel fuit unquàm per naturam ſuſcitare mortuum, neque etiam data à creatore, cùm ea hora, qua propheta ille ſuſcitatus à morte loqui cum rege Iſraël videbatur, corpus ejuſdem prophetæ in ſepulchro jacebat omninò mortuum. Aliud verò corpus ſe oculis regis illius exhibebat; non enim propheta ille à morte reſuſcitatus erat, ſed alius quidam, & novus homo regi loquebatur. Manifeſtum igitur eſt, quia ſpiritus ille pythonicus ſpeciem prophetæ illius exhibuit, vel præſentavit animæ ipſius regis, non ipſam veritatem propheticæ perſonæ, vel corporis. Qualiter autem iſtæ deſcriptiones, vel impreſſiones fiant in virtute imaginativa, vel etiam in nobiliori, vel ſublimiori virtute, declarare tentabo, cùm de miniſteriis, & operationibus ſanctorum angelorum loquendi locus advenerit, & de operibus magorum, & de omnibus generibus divinationis, & de modis prophetarum non præteribo.

Quod maligni ſpiritus ex natura ſua non poſſunt ſuſcitare mortuos.

Expoſitio notanda.

CAPUT XXXVI.

Qualis fuerit, & ſic corporum aſſumptio in operationibus multis angelorum, & dæmonum.

QUoniàm autem narratur in ſcripturis Hebræorum angelos præbuiſſe ducatum itineris aliquibus, & conſortes, atque cuſtodes eorum fuiſſe in itinerationibus, non videtur hoc fieri potuiſſe abſque veritate corporum humanorum Præſertim, quod factum eſt Hebræo, qui dictus eſt Thobias junior, qui narratur ibi cuſtodem, ac ducem itineris habuiſſe archangelum, qui ſe Raphaëlem nominavit, eumque duxit ad locum, ad quem mittebatur, atque reduxit incolumem. Cùm igitur viſiones quodammodò quaſi ſomnia vera & clara ſint, ſi totum, quod actum eſt ab hujuſmodi Archangelo circa Tobiam, viſio fuit, vel ſi in viſione factum eſt, & non in veritate, neceſſe eſt Tobiam tanto tempore itinerationis illius in viſione fuiſſe, & tanquàm in ſomnis. Quomodò igitur ambulavit tot diebus? Quomodò duxit uxorem, celebravit nuptias, & dormivit cum uxore ſua, recepitque pecuniam ſuam, atque numeravit, & ponderavit illam? Hujuſmodi enim actus non ſunt in ſpiritu exiſtentis hominis, & in viſione tantùm, & quaſi in ſomno agentis. Ampliùs. Archangelus ille, ſicut in diſceſſu ſuo teſtatus eſt, videbatur comedere, & bibere cum homine illo, cùm tamen nec comederet, nec biberet, inviſibili namque cibo, ſicut ipſe dixit, utebatur. Exhibebat igitur ſe hominem aſpectibus Thobiæ, hoc excepto, quòd non verè comedebat, nec bibebat, nec verè agebat alia, quæ ſpiritualis natura non patitur. Verè autem comedebat, & bibebat Thobias. Quare non agebat in viſione actus comedendi, & bibendi. Quòd ſi quis dixerit, quia Archangelus ille, ſicut exhibebat ſpeciem comeſtionis, & bibitionis, & non veritatem, ſic poſſibile erat eidem ſpeciem vini, cùm non ſubeſſet veritas, exhibere: difficile quoque videtur ſecundùm doctrinam Chriſtianorum doctorum carnem humanam eſſe credere, quæ non ſit ex carne primi hominis, id eſt, Adæ, per generationem etiam concupiſcibilem propagata, excepta ſacratiſſima illa carne, quam ſummi patris unigenitus pro mundi ſalute ſuſcepit. Quam etiam in ſe ſuſcipiendo ſic mundavit, atque ſacravit, ut animam ſibi conjunctam nec lædere, ut in aliis fit, poſſet, neque eam aliquatenùs inquinare. Unde igitur caro illa, ſive corpus ab illo archangelo ſuſceptum, vel aſſumptum, ſecundùm hanc doctrinam, quandò nec ipſe Dei filius tam nobilem ſuſcipere, ſive aſſumere voluit? Ampliùs. Si vera erat caro illa id eſt, verè humana, indigebat utique alimento naturaliter. Quod apparet ex carne primorum parentum, quæ naturaliter erat nutribilis. Ut quid igitur prohibita eſt à nutrimento, & illuſum eſt ei tot diebus per phantaſiam, id eſt, apparentiam inanem cibi, & potus? Præſertim cùm labor tam longi itineris refectionem veram expoſceret. Si verò dixerit, quia omnipotentiſſimæ virtuti creatoris nullo modorum difficile eſt corpora humana abſque refectione hujuſmodi ſuſtentare multis diebus, cùm hoc facturus ſit perenni ſtabilitate, & nunquàm finienda in gloria futura, quam promiſit dilectis ſuis & electis, relinquitur quæſtio, ut quid hujuſmodi corpus vel fabricatum

tatum à creatore, vel aſſumptum fuit ab Archangelo illo, cùm ſola ſpecies humani corporis, hoc eſt, abſque veritate, ſuffeciſſet ad miniſterium, quod Thobiæ illi impendendum erat ab ipſo? quemadmodùm ſufficiebat eidem ſpecies apparentis, & non veræ refectionis, & eadem ratio in omnibus fortè miniſteriis angelicis, quæ propter homines ſuſcipiunt, adhiberi poteſt. Ubi igitur ſola ſpecies abſque veritate ſatis eſſe poteſt miniſterio angelico, non videtur à ſapientiſſimo, & optimo creatore, vel ab ejuſdem miniſtris veritas adhiberi, cùm in nullo ex operibus ejus putandum ſit eſſe aliquid otioſum. Nihilominùs autem quæſtionem iſtam aggravat id, quod dixi tibi in præcedentibus. Aut enim in hujuſmodi aſſumptione corporum apponuntur iſtis ſubſtantiis vires ſenſibiles, aut non. Si ſic: mutantur igitur in alteram ſpeciem, & efficiuntur vel veræ animæ humanæ, vel permultùm eis ſimiles. Quare non manent in ſua ſpecie priori. Aut ſi manent, ſimul ſunt in duabus ſpeciebus. Quòd ſi dixerit, quia vires ſenſibiles ſunt eis adventitiæ, & ſuper neceſſitatem, complementumque eſſentiarum ſuarum eiſdem appoſitæ, errat, ignorans, quia vires ſenſibiles non ſunt ſic apponibiles, ſive ſuperadvenibiles alicui ſubſtantiæ. Non enim poſſibile eſt, ut addantur ſubſtantiæ jam terminatæ, ut complemento ſuæ perfectionis finaliter conſummatæ, cùm ipſæ perfectiones ſint, & complementa naturaliter, & non ſint natæ, niſi perficere, & complere ſubſtantiam, quæ alias, id eſt, ſine ipſis, eſſet eſſentialiter incompleta. Si verò dixerit, quia ſubſtantiæ ſpoliatæ ad hoc, ut utantur corporibus humanis, & membris, non indigent appoſitione hujuſmodi virium, ſcilicet ſenſibilium, habere poteſt ad hoc argumentum non leve in aſina, quæ in lege Hebræorum legitur locuta fuiſſe, in qua angelus ſanctus indubitanter magis pro ipſa aſina, & in ipſa videtur fuiſſe locutus. Neque enim veriſimile eſt ullo modorum locutionem hujuſmodi ab ipſa aſina eſſe potuiſſe, cùm rationabilis fuerit, & arguens prophetam aſinæ ſuperinſidentem; hoc eſſet igitur intolerabiliter, & etiam inutiliter extollere & adaugere miraculum locutionis illius. Quis enim credat aſinam illam factam fuiſſe animal rationale ad horam propter arguendam prophetæ illius ſtultitiam? Amplius. Dicit communitas hominum malignos ſpiritus in hominibus arreptitiis loqui. Et diſcernunt homines loquelam hujuſmodi hominum, & vocem, à locutione, & voce, dæmoniorum in eis loquentium, dicentes vocem dæmoniacam vel raucam, vel ſubraucam eſſe, vocem verò propriam ipſorum hominum diſſimilem. Cujus hanc puto cauſam eſſe, quia liberiùs, expeditiùſque utitur homo vocalibus organis, ſeu inſtrumentis, pro eo quòd naturalia ſunt eidem, quàm malignus ſpiritus, cui extranea ſunt, & per violentiam uſurpata. De ſanctis autem angelis, utpote naturæ humanæ amicis, qui homines ſua inhabitatione nec lædunt, nec impediunt, nec conturbant, quin potiùs illuminant, & adjuvant multipliciter, inſuper & ab aliorum malignitate defendunt, non eſt dubitandum, quin & liberiùs, & leviùs, & per modum omnem aptiùs ſe applicent ad organa vocis humanæ. Quapropter quiete, & placide, & abſque turbatione ulla ipſorum hominum loquuntur in eis angeli ſancti, mali verò tanquàm per furorem, & alienationem, & tanquàm etiam in neſcientibus, & mente captis licet interdùm quieti eſſe animo videantur. Manifeſtum eſt etiam tibi de ſpiritibus, quos Pythones vocant à Pythio Apolline, quia ipſi loquuntur in hominibus, & mulieribus, quos Pythonicos, & Pythoniſſas vocant. Utuntur igitur humanis corporibus à creatore per naturam, ſive naturaliter fabricatis. Amplius. Si utuntur ſtatuis, ut ita loqui videantur in eis, quantò fortiùs corporibus humanis, quæ adeò apta ſunt & ad loquelam, & ad alia innumerabilia opera. Ex his igitur omnibus videri poteſt, non eſſe neceſſe nova corpora fabricari propter hujuſmodi miniſteria ſanctorum angelorum, vel propter alia opera malorum, cùm jam fabricatis utrique uti ad illa poſſint.

Quod aſina non loquebatur ſed angelus in ea.

Concludit quod angeli non aſſumunt corpora nova neceſſario, ſed utuntur corporibus jam factis.

CAPUT XXXVII.

Quòd fabula in libro mercurii reperta, quòd angeli verè ſint incarnati, nullius ſit momenti.

VEra tamen, & nova corpora humana, & verè incarnatos angelos ſanctos quoſdam fuiſſe, lex ſarracenorum evidenter narrat. Et Mercurius in libro ſuo, quem ſeptem planetarum dicit, fabulam eandem ſcripſit, nominans angelos illos haroc, & maros, ita inquiens; convenientes angeli ſancti quadam die coram domino ſanctorum dixerunt ad ipſum: ut quid domine ſancte, & juſte ſuſtines filios Adæ ſuper terram, qui prævaricantur legem tuam? Et reſpondit eis dominus ſanctorum: neſcitis infirmitatem, & fragilitatem conditionis humanæ, neque vires carnis. Qui reſpondentes dixerunt: nulla fragilitas, vel infirmitas carnis excuſare debet eos. An non noverunt te eſſe Deum ſæculorum? ut quid igitur audent in conſpectu tuo talia facere? Et ait ad eos dominus ſæculorum: Eligite ex vobis duos ex religioſioribus, ut & ipſi experiantur in ſe, & vos probetis in eis infirmitatem humanæ conditionis. Electi igitur ſunt ad hoc haroc, & maros, ſtatimque incorporati corporibus humanis, atque virilibus, oblataque eſt aſpectibus eorum venus ſpecioſiſſima. Qui exardentes in concupiſcentiam ejus ſolicitaverunt eam, & interpellaverunt de turpitudine fornicationis, quæ ter ſollicitata cùm ſemper reſponderet ſe nolle eis acquieſcere, niſi priùs negarent dominum ſæculorum, & ipſam adorarent abſque participe alio, tandem conſentientes negare ipſum, rapti ſunt de corporibus, & adducti ante dominum ſæculorum. Dixit autem eis dominus ſæculorum, & omnibus aliis. Ecce jam probaſtis, & certum vobis eſt factum, quod dixeram de fragilitate carnis humanæ. Deſiſtite igitur accuſare de cætero homines coram me. Vos autem duo haroc, & maros, qui reverà puniendi eſtis, eligite vobis locum tormentorum. Qui elegerunt ſibi locum tormentorum in aëre. Poſtmodùm verò ex aëre tranſlati ſunt precibus cujuſdam prophetæ in Babylonem, & recluſi ibi in antro quodam, ubi dieſcit eis, & adveſperaſcit uſque in diem judicii. Et tunc faciet dominus ſæculorum de eis ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ. Contra hanc fabulam diſputare ſupervacuum eſſet, cùm facillima tibi ſit ejuſdem deſtructio. Ex parte autem aliqua ſimilis fabula invenitur in lege ſarracenorum de quibuſdam angelis, qui recepti hoſpitio apud quendam, vino inebriati ſunt, & ad fornicandum inducti: propter quam cauſam interdixit legis ſarracenorum lator ſarracenis bibere vinum. Ecce alia fabula, in qua evidenter vides legis illius latorem ſenſiſſe angelos illos aut homines veros fuiſſe, aut verè humanatos, ſeu verè incarnatos. Manifeſtum autem eſt tibi, quia neque ut propheta, neque ut ſapiens in rebus divinalibus, neque

Nota fabulam de haroc, & maros.

Quare ſarraceni non bibunt vinum

TTttt

Digitized by Google

ut philoſophus ſenſit angelos concupiſcentia carnis, & ardore hujuſmodi libidinis, illectos, & abſtractos. Quare nec ſententia, nec opinio reputandus eſt error hujuſmodi, ſed magis ridiculum puerile.

CAPUT XXXVIII.

Quid ſentiendum de angelis, quos Abraham hoſpitio ſuſcepit.

Difficiliorem autem efficit quæſtionem iſtam illud, quod in Hebræorum lege legitur, ipſum patrem Hebræorum Abraham ſapientia, & ſanctitate famoſiſſimum angelos ſuo hoſpitio recepiſſe, numero tres, & tanquàm veris hominibus hoſpitalitatis obſequium, & gratiam obtuliſſe, & etiam impendiſſe. Qui vel ſciebat eos angelos eſſe, & tunc inſipientiſſimè & præparabat, & offerebat eis talia, cùm dubitare non poſſet eos talibus nec egere, nec uti poſſe, aut ignorabat eos eſſe angelos, & veros homines eſſe credebat, & tunc non parùm habet admirationis ejus ignorantia, cùm eſſet vir prophetici ſpiritus, & omni ſcientia Chaldæorum eruditiſſimus. Videtur igitur potiùs ſciviſſe veros homines illos eſſe, aut vera corpora humana geſtantes. Neque enim illuſiſſe tanto viro, tamque ſibi dilecto, creator ullo modo credendus eſt. Quid autem fuit falſorum, ſive phantaſticorum convivarum, illa adductio, niſi illuſio? Credebat ille vir ſanctus bonos convivas ſe verè reficere, G & totum apparenter tantùm, & falsò agebatur. Ut quid creator benigniſſimus, qui loquebatur ad eum in ipſis, & vice verſa ipſe ad creatorem in illis, non prohibebat illum parare, quæ paravit? Ut quid non dicebat ei, noli hujuſmodi præparare, quia iſti qui mecum ſunt, talibus nec indigent, nec uti poſſunt? Quòd ſi dixerit quis, quia placebat creatori ſancti viri hoſpitalis illa officioſitas, ut illam digna mercede remuneraret, verum utique dicit, ſed adhuc ſufficit bonitati creatoris bona voluntas, & devotio bona volentium, qui bonam voluntatem pro facto ſemper computat; ut quid igitur ciborum illorum conſumptio? conſumentibus enim non profuiſſe videtur, in quo non irrationabiliter reſpondetur, quoniàm illi viro ſancto profuit illa conſumptio, & illud, quod conſumptum fuiſſe videtur, theſaurizavit apud fideliſſimum, atque largiſſimum retributorem bonorum omnium Deum. Ex eo vero, quod Archangelus Raphaël dixit, ut audiviſti, quia videbar, inquit, comedere, & bibere, H cùm eſſem ad menſam tecum, ego autem inviſibili cibo utor, videtur quibuſdam ſimile feciſſe angelos iſtos. Nec tamen illuſio reputanda eſt hujuſmodi factum, cùm in ipſo, & per ipſum intenderet creator utilitatem ipſius viri ſancti, non erubeſcentiam, aut contumeliam ejuſdem. Non refert autem apud omnipotentiſſimam virtutem creatoris, novos, quales vult creare homines, an eis, quos jam fecit, prout voluerit, uti. Neque veritas in hujuſmodi ad certum, & liquidum, declarabilis eſt per vias probationum. Sufficere autem arbitror illud in eis vel videre, vel ſentire, quod magis congruat gloriæ creatoris, & utilitati eorum, propter quos talia fiunt, & angeli igitur potuerunt eſſe hoſpites viri ſancti iſtius, & veri homines, vel novi, vel priùs à creatore conditi. Nihil enim horum trium contradicit gloriæ creatoris, vel communi intelligentiæ ſermonum propheticorum, præſertim cùm ipſos homines interdùm angelos ipſi prophetę intelligant,

De ignorantia Abrahæ in ordine ad angelos hoſpitio ſuſceptos.

E & Joannes, qui Baptiſta agnominatur, tam apud Sarracenos, quàm apud Chriſtianos ſanctitate eximius, angelus præcedens faciem Dei filii à quodam propheta nominatus ſit, & ipſe etiam Dei filius magni conſilii angelus ab alio ſit propheta vocatus. Quid ergo convenientius ſit in prædictis exemplis facile eſt tibi videre. Et puto, quòd decentius ſit veros angelos illos prænominatos viri ſancti hoſpites, atque convivas, fuiſſe.

CAPUT XXXIX.

Quòd aliqui angeli ſint mali, etiam lumine naturali ratiocinatur, quamvis contra Ariſtotelem.

F Et quoniàm de bonitate, & malitia ſubſtantiarum ſpoliatarum, quaſi per ſuppoſitionem crebrò mentionem in præcedentibus feci, Ariſtoteles verò negavit expreſsè malitiam de ipſis, neceſſarium eſt, & præſenti tractatui convenientiſſimum inveſtigare de hoc, & reſpondere contradictionibus Ariſtotelis in hoc, nec non & aliis rationibus, quas audies per me, determinare inſuper quæſtiones, quæ ſunt circa hoc, & illas, quæ incidunt, vel emerſerint circa illa. Dico igitur in primis, quia malitiam multorum ex hujuſmodi ſubſtantiis primùm indicat evidenter idolatria, qua ſe coli, & venerari ſuſtinent cultu, & honorificentia ſoli debita creatori. Omne enim, quod ſoli creatori debetur, jus ejus proprium eſt. Et nulli alii communicabile. Quia igitur latriam, hoc eſt cultum ſoli G creatori debitum, ſibi impendi ſuſtinuere, manifeſtum eſt eos in hoc injurioſos exiſtere creatori, dum jus creatoris ſingulariter proprium ſibi vendicant, & uſurpant. Si enim hanc injuriam creatoris in aliis ſuſtinerent, quàm in ſe ipſis, dubitari non poteſt, quin creatori injurioſi eſſent in hoc ipſo, præſertim, ſi hanc injuriam avertere prævalerent. Neque enim fingere poſſibile eſt ſubſtantiam rationalem, vel intelligentem, quæ fidem, atque fidelitatem naturaliter non debeat creatori. Quare non ſolùm non lædere tenetur unaquæque jura creatoris, ſed etiam conſervare, prout eidem poſſibile eſt, & tueri. Quantò fortiùs igitur infideliter agunt erga creatorem, ſi ipſæmet hanc injuriam, vel ſuggerunt hominibus, vel nutriunt illam in ipſis, vel quolibet alio modo procurant? Et hujuſmodi injuriæ exemplum eſt in omni ſervo, & domino ſuo, in omni ſubdito, & præcedenti ſuo. Nullus namque ſervus abſque damnabili injuria vel auferre honorem, ſive obſequium, domino ſuo ſoli debitum, vel eidem ſubtrahere ullo modorum poteſt. Niſi fortè H dominus ejus in eum adeò graviter delinquat, ut à ſervitute ejus pro hoc meritò ſit exemptus. Cogitare autem, quòd creator erga quamcunque ſubſtantiam iſtarum deliquerit, nefas eſt ferro, & igne, de medio auferendum, omnique tormento plectendum: manifeſtum eſt igitur eas ob hoc. Etſi aliàs nullo modorum peccarent, culpam graviſſimam infidelitatis incurrere quòd ſe hujuſmodi cultu, videlicet creatori ſingulariter debito ſuſtinent honorari. Quare multò fortiùs, ut prædixi, cùm vel hoc ſuggerunt hominibus, vel alio quolibet modorum procurant. Ampliùs. Eouſque proceſſit earum malitia, & infidelitas, ut omnem creatoris cultum, & honorificentiam ferè de toto mundo exterminaverint, rariſſimoſque in toto genere humano creatoris cultores earum malitia faciente etiam de terra delere per cultores ſuos ſemper totis ſtudiis, ac viribus conatæ fuerint. Quia igitur manifeſtum eſt divini cultus abolitionem in hominibus eſſe manifeſtam, & intolerabilem malitiam,

quantò

Digitized by Google

quanto magis igitur in ſpiritualibus ſubſtantiis, A
quas creatori incomparabiliter magis neceſſe eſt eſſe
obnoxias, magiſque honoribus ejus, & obſequiis
intendere? Quid aliud eſt hoc, quàm ſi ſervi domi-
no ſuo, & majorem partem ſuæ dominationis ab-
ſtulerint, & reſiduum eidem auferre omnibus frau-
dum conatibus enitantur? Evidentius exemplum
eſt in rege, quem ſubditi ſui à regno ſuo pro majori
parte dejecerunt. Et nec vel angulum unum, vel
portionem quantumlibet modicam, eundem in pa-
ce poſſidere permittunt. Nuſquàm enim creatorem
coli, vel venerari, etiam à pauciſſimis, patiuntur.
Antequàm enim lex Hebræorum lata eſſet, & pro-
mulgata, quàm pauci eſſent creatoris cultores,
& veneratores, quàm modica totius orbis terrarum
portionum creatoris cultus concluſus eſſet, ex hi-
ſtoricis narrationibus, tam Hebræorum, quàm
aliarum gentium, facile eſt tibi colligere, ſi eas
inſpexeris. Regnum quippe Babyloniorum, omnia-
que regna uſque ad Ægyptum, & Lybiam, & etiam B
Ægyptum, & Lybiam uſque ad oceanum occiden-
talem occupaverat, & de regno Judæorum famo-
ſiſſimum eſt. Qualiter autem exterminata eſt inde
idolatria per ipſam gentem Hebræorum non opor-
tet, ut enarrem. Poſtmodùm verò de regnis orien-
talibus, & meridionalibus, & magna parte occi-
dentalium, ſeptentrionaliumque regnorum, ex
hiſtoriis Chriſtianorum, qualiter profligata fue-
rit per ipſam gentem eorum, legenti eas palam
eſt. Præſertim cùm regnum Romanorum initio
ipſius regni Chriſtianorum toti orbi terrarum do-
minaretur, & ipſum captivum teneret in idolatriæ
ſervitute, donec Rex ipſe Romanorum, & totius
orbis Imperator fidem, ac legem Chriſtiano-
rum ſuſcepit, orbemque Romanum univerſum
Chriſtianæ fidei, & legi lege publica ſubjectum
eſſe debere conſtituit. Tertiò quoque exortum eſt C
regnum ſaracenorum, quod de finibus ſuis ido-
latriam in gladio diffugavit. Et hæ ſunt tres leges
famoſiſſimæ, quibus cultus, & veneratio ſolius
creatoris benedicti indicitur, & ipſa idolatria tan-
quàm peſtis nepharia, & creatori inimiciſſima, non
ſolùm interdicitur, ſed etiam modis omnibus,
quibus id fieri poteſt, extinguitur, aboletur, ab-
radicatur. Vides igitur, quod dicebam, quia de
tota dominatione orbis terrarum permodicum
relinquerunt multæ ex hujuſmodi ſubſtantiis,
& illud etiam eidem auferre, provt poterant,
conabantur. Sed per iſtas tres leges, triaque regna
deſtructa eſt, quantùm vides idolatria, nec ta-
men uſquequaque conſumpta. Multa enim, &
penè inæſtimabilis barbaries occidentalis, & ſe-
ptentrionalis, nec-non & orientalis, adhuc tene-
bris ejus involvitur, & operibus inſanit. licet
paulatim ad fidem, & legem Chriſtianorum ve-
nire non ceſſent, & tempore meo etiam multæ D
ex his regionibus provinciæ venerunt. Manifeſtum
igitur eſt tibi ex his idolatriam euſque inimicam
eſſe creatori, ut ablationem cultus, & venerationis
ſuæ. Quare manifeſtum eſt ſubſtantias, quæ hanc
ſibi impendi quocunque modo procurant, vel etiam
ſuſtinent, creatoris honorem & gloriam præſum-
ptione intolerabili uſurpare Qua malitia quæ
major poteſt cogitari, aut quæ eidem coæquari, vel
etiam comparari? Ampliùs. Quis enarrare ſufficiat
afflictiones, & tormenta, ſtrageſque, quas irrogari
procuraverunt Dei cultoribus, & fieri de eiſdem.
Quod qui malum eſſe dubitat, vel malos eſſe, qui
talia fieri ſuggerunt, vel procurant, non per vias
philoſophiæ erudiendus eſt, ſed ſuppliciis coërcen-
dus Quartum indicium, quod eas nequiſſimas eſſe
evidenter indicat, ſunt artes maleficæ, & opera eo-
rum, quibus nocumenta innumera tam ſpiritualia,
quàm corporalia irrogata ſunt innocentibus Et hoc
ſimiliter legere potes in narrationibus ferè om-
nium gentium. Quintum indicium eſt opera ipſo-
rum maligniſſima, ſicut interfectiones hominum,
& multa alia incommoda, quæ hominibus irro-
gaſſe, & narrant hiſtoriæ, & famoſiſſimæ narratio-
nes hominum confitentur. Sicut in hiſtoriis He-
bræorum legis de dœmonio, quod vocabatur Aſmo-
dæus: quia ſeptem maritos unius puellæ occiderat,
quam poſtea duxit uxorem Thobias ille junior, de
quo feci in præcedentibus mentionem. Et propter
malignitatem ſuam dœmonium illud religavit Ar-
changelus Raphaël in deſerto ſuperioris Ægypti.
Sextum indicium eſt ejectio earum de hominibus
arreptitiis, & aliis, quos vulgò dœmoniacos vo-
cant. Similiter & fuga earum à facie amicorum
creatoris, & cultorum ipſius, & amiſſio omnimoda
poteſtatis, quam priùs habebat in hominibus.
B Quòd ſi vis teſtimonium habere ab ipſis, ſcito ipſos
hoc ipſum teſtificatos fuiſſe multoties, & cum cla-
moribus, & ululatibus exiviſſe, & fugiſſe multo-
ties à facie amicorum dici altiſſimi. Septimum in-
dicium eſt manifeſtus exitus, atque viſibilis earum
vel de corporibus obſeſſis hominum, vel de ipſis
idolis, & hoc eſt teſtimonium de viſu. Viſi enim
ſunt exiviſſe ſpecie horrifica, atque teterrima in-
ſtar Æthiopum. In ipſa autem lege Chriſtianorum,
& in multis narrationibus hiſtoricis eorum, inve-
nies, ſi inſpexeris, quod modis omnibus conſulo
tibi, confeſſiones clamoſas hujuſmodi ſubſtantia-
rum, quibus in mediis turbis hominum clama-
bant, ſe ante tempus torqueri pro eo, quòd ſe non
dubitarent, præter ea tormenta, quæ hic patieban-
tur à viris ſanctis, & angelis bonis, etiam in fu-
turo univerſali judicio eſſe torquendos. Verùm
C hæc malitia ipſorum uſque ad promulgatam legem,
& doctrinam Chriſtianorum latuit ex majori parte.
Et ſicut audiviſti, non dœmones, vel cacodæmones,
vel maligni ſpiritus, vel diaboli, niſi à paucis, quod
eſt, veris veri Dei cultoribus, & à nonnullis ipſo-
rum familiaribus, ſed dii immortales, per quos
omnia bona præſtabantur mortalibus, vocabantur.
Ariſtoteles verò, & ſequaces ejus vexationes dœ-
moniacas in morbos interpretabantur, unde &
incubum nocturnum quem ephialtem aliqui vo-
cant, ipſe magis humorem cor comprimentem,
quàm dœmonium opinatus eſt. Similiter & mor-
bum, quem dœmonium lupinum medici vocant,
non dœmonium verum, ſed magis morbum eſſe
putavit. ſic & lunaticos, & ſimiliter occaſionatos,
non per dœmonia, vel à dœmonibus vexationes
hujuſmodi pati, ſed à certis ægritudinibus puta-
vit. Quapropter admirationem habet non parvam,
qualiter latere potuit tantum philoſophum tam *Quòd Ariſtoteles dæmonem habuit familiarem.*
D patens, tamque per totum orbem ſæviens maligni-
tas dœmonum. Præſertim cùm ipſe quendam fa-
miliarem habuiſſe, & nephando ſacrificio obti-
nuiſſe ſe dixerit. Qualiter enim opinari potuit bo-
num eſſe ſpiritum, quem ſacrificio tam impio ac-
quiſivit, vel qualiter potuit bonus eſſe, qui ſibi ſa-
crificium offerri permiſit, niſi forſitan illud crea-
tori obtulerit. Quod ipſa ejuſdem verba, & locus
ſacrificii nullo modo patiuntur. Cur etiam potiùs
de cœlo veneris, quàm de alio cœlo miſſum ſibi cre-
didit ſpiritum illum.

CAPUT XL.

Quod hujuſmodi ſubſtantiæ ſunt receptibiles paſſionum, influentiarum, malitiarum: & conſequenter paſſibiles, deductio contra Ariſtotelem.

POſt hæc autem proſequar rationes, quæ in hunc errorem Ariſtotelem induxerunt, vel inducere potuerunt. Dicam igitur in primis, quia ipſe Ariſtoteles poſuit hujuſmodi ſubſtantias puras intellectivas eſſe, & à corporibus, & à corporalibus ſpoliatas, & propter hoc impaſſibiles ab his, quæ infra eas ſunt, & ideò non eſſe receptibiles alicujus influentiæ, vel paſſionis, niſi deſuper, quod eſt à parte creatoris. Ab illa verò parte manifeſtum eſt nihil influere potuiſſe in eas, niſi bonum. Nullo modorum igitur receptibiles erant malitiæ, quare nec receperunt eam. Ampliùs. Malitia iſta aut eſt hujuſmodi ſubſtantiis naturalis, ſive innata naturaliter, aut adventitia, ſive acquiſita. Quòd ſi dixerit, naturalis, hoc jam removi aliàs, & declaravi tibi, quòd impoſſibile eſt aliquid eſſe naturaliter, ſive eſſentialiter malum, quocunque modo intelligas malum. Si enim intelligas privationem malum, manifeſtum eſt tibi privationem eſſentialiter nihil eſſe. Si verò intelligas ſubſtantiam eſſe, hoc jam declaravi tibi nec ſubſtantiam aliquam ſecundùm eſſentiam ſuam poſſe eſſe malam, nec ſecundùm naturalia ſua, ſive eſſentialia. Et non oportet, ut iſta repetam tibi, cùm reminiſci facilè poſſis eorum, quæ dixi tibi in deſtructione errorum illorum, qui poſuerunt duo principia, alterum bonum, & alterum malum, & hæc ſunt in prima parte tractatus iſtius de univerſo. Neceſſe igitur eſt malitiam, quæ ponitur in hujuſmodi ſubſtantiis, acquiſitam eſſe, ſive adventitiam. Et tunc non eſt effugere, quin ſit acquiſita hæc malitia unicuique hujuſmodi ſubſtantiarum, ſcilicet malarum, & impreſſa vel à ſe, vel ab alio. Quòd ſi à ſeipſa, ipſa igitur eſt, quæ movit, vel mutavit ſe, & alteravit à bonitate naturali in malitiam hujuſmodi, & tunc redeunt diſputationes Ariſtotelis, quas poſuit in libro ſuo, quem vocavit auditum. Aut enim ſecundùm idem ſui fuit movens, & mota, ſive alterans, & alterata, aut ſecundùm diverſa. Et quidem ſecundùm idem ſui non potuit eſſe movens, & mota, ſive movere & moveri, cùm iſta contraria ſint. Agere enim, & pati, movere, & moveri ſunt contraria. Quare non poſſunt in eodem eſſe, vel de eodem dici ſecundùm idem, ſed neque in hujuſmodi ſubſtantiis ſecundùm diverſa ſui, cùm non poſſit in eis reperiri aliud, & aliud, quorum alterum ſit movens, & alterum ſit moveri; hoc enim prohibet earum ſimplicitas, & impartibilitas. Ampliùs. Cùm hujuſmodi ſubſtantiæ nihil habeant à creatore naturaliter, vel eſſentialiter, quod non ſit bonum; quicquid autem poſſibile eſt eas agere, vel in ſe, vel in alia, neceſſe eſt eas agere primùm ex ſuis naturalibus, vel eſſentialibus: cùm igitur illa omnia bona tantùm fuerint, hoc eſt purè bona, quoniàm à creatore ſolo data, non fuit poſſibile ullo modorum, ut ex illis exiret malitia, ſive malum. Ex aliis quoque bonis minoribus, videlicet bonis aliarum creaturarum, ſimiliter non potuit eſſe malitia, ſive malum. Ampliùs. Antequàm malæ fierent hujuſmodi ſubſtantiæ, neque erat malitia, neque malum: non erat igitur niſi bonum, ex bono vero nec potuit, nec debuit eſſe malum. Nulla igitur invenitur cauſa malitiæ hujuſmodi ſubſtantia-

E rum, niſi fortè quis dicat bonum eſſe cauſam mali, & bonitatem ſimiliter malitiæ. Et hoc indubitanter bonum eſt, ſicut expoſitum, & declaratum eſt tibi in prima parte tractatus iſtius, ubi didiciſti, quia malum eſſentialiter nihil eſt, nec etiam eſſe poteſt, neque etiam ſimpliciter, neque in rebus naturalibus, neque etiam in rebus moralibus, niſi quis dicat in rebus naturalibus, ipſum non eſſe malum eſſentialiter, vel ſimpliciter, eſſe. Et ſecundùm hanc intentionem malum non poteſt intelligi, niſi ipſum nocumentum, ſive defectus, ſive amiſſio boni. Similiter in rebus moralibus non adhærere, ſive, averſum eſſe à primo fontali, & capitali bono, quod eſt creator benedictus. Et hujuſmodi malum eſt, ipſum nocumentum, ſive privatio, ſive carentia, ſive defectus hujus boni quod eſt totum, & ſolum bonum eidem adhærentium; cætera enim bona non ſunt bona illi adhærentium, niſi inquantùm ad illud ſunt, vel ipſa, quorum ſunt, ad hoc adjuvant, ut illi adhæreant. Verùm privationem puram malum

F eſſentialiter dicere non debet intelligi tanquàm eſſentiam, vel eſſe habeat, cùm neutrum habere poſſit: ſed ac ſi diceretur, malum in ſe, ſive in ratione ſua, ſive in eo, quod non eſſe, aut non adhærere, & propter hoc etiam, quoniàm quemadmodùm nihil recipit contrarium ejus, quod eſt, vel habet eſſentialiter, ita ipſum non eſſe nihil boni in ſe recipit, cæterum nihil eſt nocens, vel noxium, ſive nociturum eſſentialiter, vel etiam per ſe, & ſimpliciter, ſed cui tantùm. Neque prohibet aliquid, quin res una ſit bona ſimpliciter, & mala alicui, & quin etiam bonitate ſua mala ſit, & nocens alicui, ſicut tibi manifeſtum eſt in vino, quod bonitate ſua nocet illi, quem inebriat: ſic & divitiæ multos, licet bonæ ſint, faciunt inſanire. Ipſa etiam ſcientia malum ſuperbiæ in multis occaſionaliter generavit, & bonum humilitatis abſtulit ab eiſdem. Et hæc omnia, nec divitiæ, nec ſcientiæ facere poſſunt, niſi bonitate ſua. Quare & ipſum bonum eſt malum cui, & ipſa

G bonitas illius eſt mala eidem, cui illud eſt malum. Quare ipſam bonitatem nihil prohibet dici poſſe malitiam per occaſionem, ſive per accidens, cùm ſit principium nocendi, & cauſa nocumenti, & bonum adveniens per eundem modum facit, manifeſtum etiam eſt tibi ſuperbire interdùm homines ex ipſa bonitate ſua, licet non per ſe ex illa; ſed quemadmodùm dixi, per occaſionem, & per accidens. Quare ex ipſa bonitate manifeſtum eſt apud nos oriri, ſive naſci per prædictam viam, ſive modum, tantum malum, quantum eſt ſuperbia, & ex virtute tantum vitium. Nihil igitur prohibet, vel obſiſtit, quin ex bono naturali oriatur malum per modum antedictum, & quod eſt admirabilius, ex ipſo bono gratiæ, quod eſt malis vitiorum repugnantius, & magis adverſans.

Quod eadem res eſt bona ſimpliciter, & mala alicui.

CAPUT XLI.

H *Quòd ſubſtantiæ ſpirituales, de quibus eſt ſermo, proficiant in cognitione, & influentiis, contra Ariſtotelem.*

EX his ergo expedivi te, & me quantùm ad iſtam contradictionem Ariſtotelis. In eo verò, quod poſuit impaſſibiles hujuſmodi ſubſtantias, jam dixi tibi, quia paſſibiles, id eſt, receptibiles multarum influentiarum, quas ab initio habuerunt, creatæ ſunt. & multa, ſicut ante dixi tibi, poſt ea receperunt. Declaravi etiam tibi, quia non omnium, quorum ſcibiles erant naturaliter, data fuit eis ſcientia ab initio. Vellem autem audire Ariſtotelem, utrùm poſſent inveſtigando, ſeu

Quæſtio notanda.

philoſophando, ſeu quolibet alio modo proficere in ſcientia, ſive in ſcientiis. Quòd ſi non potuerunt, nulla fuit apud eas inveniendi vis, ſive virtus, & propter hoc nec ingenium, nec ingenioſitas. Quare in parte iſta imperfectiores creatæ ſunt animabus noſtris. Ex quo etiam ſequitur, ut nec inventione, nec revelatione, neque alia qualibet viâ proficere poſſent in quacunque ſcientia. Intendo autem in hoc, ut nec aliquid melius, aut magis, cognoſcere poſſint, quàm cognoſcant. Et de profectu virtutum neceſſe habet Ariſtoteles idem ſentire, videlicet, quòd nullam mutationem, vel innovationem poſſibile ſit fieri circa eas, quantùm ad virtutes, quod eſt dicere, quia nullo modorum meliores, aut magis boni ſive magis virtuoſi effici poſſunt. Propter quod conſequens eſſe videtur ſecundùm Ariſtotelem, ut in ultimitate bonitatis, qualis congruere poteſt ſubſtantiis creatis, creatæ ſint. Et eodem modo ſe habet de ipſa earum ſapientia. Ex quo etiam conſequens eſt omnes illas creatas fuiſſe æquales tam ſapientiâ, quàm virtutibus. Quæcunque enim in ultimitate cujuſcunque diſpoſitionis ſunt, ſive ex creatione, ſive ex acquiſitione, neceſſe eſt æqualia eſſe in illa diſpoſitione, cùm poſt, vel ultra ultimitatem nihil ſit; hoc autem ipſe non poſuit, cùm manifeſtum ſit ipſum poſuiſſe ordinem in intelligentiis decem. Propter quod neceſſe habet concedere primam intelligentiam, quæ eſt motor primi cœli ſecundùm ipſum, eſſe nobiliſſimam & deinceps ordinare alias in nobilitate, & dignitate ſecundùm comparationes elongationum ſuarum à prima, & appropinquationum ſuarum ad ipſam. Et erit hoc ſecundùm ipſum, id eſt, idem ordo, eædemque comparationes cœlorum ipſorum, & animarum illarum. Ampliùs. Qualiter fixæ ſunt hujuſmodi ſubſtantiæ in gradibus ſuis, & dignitatibus, ut denegatus ſit eis omnis profectus, atque melioratio? Manifeſtum enim eſt apud nos virtutem viſibilem noſtram proficere, & augeri, appropinquatione rei viſibilis ad organum viſus, & adminiculis ſimiliter: eodem modo ſe habet & de virtute noſtra intellectiva, quoniàm augetur, & melioratur ejus operatio, quæ eſt intelligere, ex frequentia cogitandi res, ſimiliter ex indiciis & cauſis, & aliis adjutoriis, quæ tanquàm varia lumina adhibita illi, adjuvant illam, & augent claritatem cognitionis ipſius. Et tu etiam ſcis, quia cauſæ immediatæ magis appropinquant virtutem intellectivam noſtram ad res, quas immediatè cauſant, & ideò magis, & meliùs eas videri faciunt, quàm cauſæ mediatæ. Et hæc eſt cauſa propter quam maximè cognoſcuntur primæ impreſſiones, quoniàm abſque medio conjunctæ ſunt virtuti noſtræ intellectivæ Ob eandem etiam cauſam habitus, & diſpoſitiones, atque paſſiones, quæ ſunt eſſentialiter apud animas noſtras, ſunt apud eas in ultimitate cognitionis, quoniàm non per ſigna, aut alia media cognoſcuntur, ſed ipſâ ſuæ præſentiâ veritatis. Ariſtoteles etiam adjuvat me, & te, in hoc contra ſe in eo, quod dicit, quia imperiti veluti à longè diſtantes ſpeculantur. Aut igitur omnia hujuſmodi ſubſtantiæ cognoſcunt abſque medio, tanquàm primas impreſſiones; aut igitur ipſa ſuæ præſentia veritatis, cùm in ſua cognitione proficere non poſſint ullo modorum; abſque medio verò omnia eas cognoſcere, & tanquàm primas impreſſiones, impoſſibile eſt manifeſtare, cùm juxta ordinem rerum ſit & ordo cognitionum earum apud hujuſmodi ſubſtantias. Non enim æquè propinquæ ſunt naturaliter res omnes virtuti intellectivæ. Sicut manifeſtum eſt tibi de generibus, & generum generibus, & ſpeciebus ſpecialiſ-

A ſimis. Quare non eſt poſſibile, ut res omnes cognoſcant eſſentialiter hujuſmodi ſubſtantiæ, cùm neceſſe ſit eas, quæ propinquiores ſunt naturaliter virtuti earũ intellectivæ, magis eſſe notas eiſdẽ naturaliter, & juxta ordinẽ propinquitatis, & lõgitudinis ipſarum rerum naturalium, naturaliter eas cognoſci. Illud verò nec fingi quocunque deliramento poteſt, quòd omnes res ſint habitus, vel diſpoſitiones, vel paſſiones hujuſmodi ſubſtãntiarum. Impoſſibile igitur eſt, quòd res omnes, quas cognoſcunt naturaliter, cognoſcant æqualiter.

CAPUT XLII.

Quòd ſit aliquis ordo in cognoſcendis rebus in talibus ſubſtantiis.

Quòd ſi dixerit, quia cognitiones, quæ ex ipſis rebus fiunt, juxta ordinem ipſarum rerum ſe
B habent, ordinem dico in prioritate, & poſterioritate, & hic ordo eſt ordo propinquitatis ad virtutem intellectivam, & elongationes earum ab eadem, cognitiones verò hujuſmodi ſubſtantiarum non ſunt à rebus cognitis, ſed potiùs à lumine primo irradiatione naturali ſuper ipſas, verum utique dicit ſecundùm Ariſtotelem. Adjuvatur enim contra objectionem iſtam ex eo, quòd eadem objectio poſſe fieri videtur de ſcientia, vel ſapientia creatoris, apud quem nullo modorum locum habere poteſt, cùm manifeſtum ſit omni exercitato in rebus divinalibus creatorem omnia æqualiter cognoſcere. Quoniàm cognitio ejus eſt in ultimitate claritatis, & fortitudinis, ſimpliciter, & per omnia. Hujuſmodi verò ſubſtantiæ ſunt ſecundùm Ariſtotelem in ſcientia, & virtutibus, in ultimitate aſſimilationis ad ipſum in ordine rerum creatarum. Et propter hoc pro congruentia ſuæ inferioritatis ad ipſum cognoſcunt ſimiliter illi. Quare aſſimilantur ei-
C dem ſecundùm Ariſtotelem, & in hoc, quòd non cognoſcunt res ex ipſis, vel per ipſas, & ideò æqualiter omnes, & in hoc aſſimilantur earum ſcientiæ ſcientiæ datoris, vel creatoris. Dicendum etiam eſt Ariſtoteli ex neceſſitate per conſequentiam hujus opinionis ſuæ, quòd non eſt eis poſſibilis major appropinquatio earum ad res, vel rerum ad ipſas, appropinquatio inquam intelligibilis, quæ ſola illuminationem adjuvat intellectivæ virtutis: corporalis enim appropinquatio nihil operatur apud virtutem intellectivam, neque ex illa ullo modorum proficere poteſt, vel meliorari. Per eandem cauſam neceſſe habet Ariſtoteles dicere, quòd nec ampliùs, nec minùs cogitare poſſunt hujuſmodi ſubſtantiæ de rerum qualibet, quam cogitent. Verùm iſta non ſunt, per quæ effugere poſſit Ariſtoteles. Aut enim cogitant æqualiter de omnibus rebus, aut non: ſi ſic, non plus ergo cogi-
D tant de creatore, quàm de muſcula minima, vel minimo calculo totius arenæ maris. Manifeſtum autem eſt, quia incomparabiliter plus eſt unicuique earum cogitandum de creatore, quàm de toto univerſo creato. Inordinatus igitur, atque perverſus eſt cogitatus earum. Ampliùs. Qualiter opinatur eas vivere Ariſtoteles? Aut enim ſunt in continua laudatione creatoris, & jugi gratiarum actione ejuſdem, à quo tam nobilia, tamque magnifica dona receperunt, & à quo eis perenniter conſervantur, aut non. Si ſic, parùm igitur aut nihil vacant aliis cogitationibus, vel operationibus. Ipſum igitur creatorem, quem vel jugiter, vel maximè intuentur, maximè cognoſcunt. Ampliùs. Cùm ſecundùm modum cognitionis, & menſuram, ſit amoris modus, atque menſura, cognitio verò, quam habent de creatore hujuſmodi ſubſtantiæ non

Digitized by Google

ſit comparabilis cognitioni quantæcunque cujuſcunque viri ſancti de eodem non erit igitur comparabilis amor, quem habet quicunque vir ſanctus in creatorem, amori, quem habet quælibet hujuſmodi ſubſtantiarum in eundem. Tantus autem eſt amor iſte in multis ſanctorum virorum etiam in vita iſta, ut vix eos aliud cogitare permittat, quàm ipſum creatorem, vel aliquid eorum, quæ beneplacita credunt eidem, etſi aliud interdùm cogitant, hoc inviti faciunt, & dolentes. Multò fortiùs igitur amor creatoris non patietur hujuſmodi ſubſtantias aliud cogitare, quàm creatorem, vel aliquid eorum, quæ beneplacita eſſe noverunt eidem, cùm tantâ libertate præditæ ſint, ut nihil invitæ, niſi juxta beneplacitum ſuum cogitent. In primis igitur, & maximè intendunt cogitatu ſuo in ipſum creatorem, conſequenter autem in beneplacita obſequia ipſius. Maximè igitur vident, & propter hoc cognoſcunt creatorem, quare non omnia æqualiter cognoſcunt. Ampliùs. Cùm virtus intellectiva tam in eis quàm in nobis creata ſit ad cognoſcendum, ſeu intelligendum creatorem in primis, & maximè, conſequenter verò alia propter ipſum; eſt igitur maximè prompta, & expedita ad intelligendum, & cognoſcendum ipſum, & longè magis etiam potens in hoc, quàm ad cognoſcendum quodcunque aliud. Quare maximus atque fortiſſimus ejus actus eſt in ipſum creatorem, & ſimiliter ſe habet de virtute motiva nobili, quæ eſt amor, ſive voluntas. Maximus enim actus amoris omnium ſubſtantiarum intelligentium eſt naturaliter in creatorem, & econtrariò ſe habet ex perverſitate, atque ex corruptione virtutis hujuſmodi. Eſtque hæc iniquitas, & injuſtitia intolerabilior, videlicet, ut aliud in amore creatori præferatur quod eſt dicere, ut plus, quàm creator, aliquid aliud diligatur. Ampliùs. Qualiter credit Ariſtoteles hujuſmodi ſubſtantias generaliter vivere? an credit eas omninò otioſas, & ab admiratione, atque magnificatione creatoris, & laudibus totaliter vacare? Non eſt veriſimile tantum Philoſophum hoc ſenſiſſe de præclaris illis, ſanctiſſimiſque ſubſtantiis. Quod nec etiam de hominibus juſtis ſentiendum eſt, cùm in eis contrarium evidenter appareat. Ampliùs. Incomparabiliter minora dona cognitionis ipſius creatoris, & amoris in ipſum, receperunt naturaliter omnes homines, etiam primi, quàm hujuſmodi ſubſtantiæ. Quia igitur ingratitudo iſta damnabiliter culpabilis eſſet in hominibus, multò fortiùs, & incomparabiliter in hujuſmodi ſubſtantiis. Præſertim cùm liberum ſit eis gratiarum juges actiones referre, & laudes continuas impendere creatori. Non enim eſt eis impedimentum à parte corruptionis, cùm incorruptibiliſſimæ ſint ſecundùm Ariſtotelem, & etiam ab omnibus & moleſtiis, & occupationibus liberrimæ, exceptis miniſteriis, quæ de injunctione, ſeu juſſu creatoris, interdùm ſuſcipiunt & peragunt. Quod non ſolùm neceſſe eſt, ut compleant abſque labore omni, & moleſtia, ſed etiam tanto majori gaudio, quàm ſancti homines, quanto majori obedientiæ devotione ſubjectiſſimi ſint.

Quòd creator benedictus limitat cogitationes Angelorum.

CAPUT XLIII.

Quòd ſpecioſitas creatoris rapiat ad ſe intuentes, & de miniſteriis Angelorum.

HAbet autem admirationem vehementem ignorantia Ariſtotelis in parte iſta, ſi ignoravit ſpecioſitatem deſiderabiliſſimam creatoris, & ultimitatem placoris ipſius, quibus neceſſe eſt, ut in ſe corporaliter rapiat omnem intuentem ipſum ad nudum, & liquidum, ſimiliter & omnem ſentientem è proximo & abſque interpoſitio, juxta ſermonem Prophetæ, quæ dixit ad eum: memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt: nullæ igitur divitiæ, nullæ delitiæ comparabiles ſunt reſpectu pulchritudinis ipſius, & ſenſui ſuavitatis ejuſdem. Quapropter obtentu ipſorum impletur tota poſſibilitas uniuſcujuſque ſpiritualis ſubſtantiæ, quam tantis delitiis, & divitiis dignatur bonitas creatoris. Quare cùm continua ſit tantorum donorum, ſeu beneficiorum largitio, atque receptio, continua eſt ex neceſſitate gratiarum actio, & collaudatio in datorem, niſi recipientes, aut ignorantia, aut corruptio, aut occupatio, aut ingratitudo ab hoc avertat. Quorum nullum locum habet apud ipſas, niſi fortè quis dicat, quòd occupatio miniſteriorum, quæ, ut dixi, juſſu creatoris peragunt, eas in parte iſta impediat. Hoc autem non eſt poſſibile, cùm non ſint prohibitæ ullo modorum varias operationes ſpirituales, & multas ſimul explere, ſicut declaravi tibi in præmiſſis, & in eis quæ dixi de gloria futura animarum noſtrarum. Tu etiam vides quia major eſt, & creatori acceptior recognitio obſequiorum, quàm verborum, ſive ſint ſpiritualia verba laudis ſive corporalia hujuſmodi quoque ſubſtantiæ nec ſapienter, nec laudabiliter obſequia ſua creatori vel impenderent, vel redderent niſi quid ei debent, & quid ei placeat, & ut ejus beneplacita impleant, jugiter cogitarent, hujuſmodi autem cogitatus, & cogitationes gratiarum actiones, & collaudationes ſpirituales ſunt. Quia igitur hujuſmodi miniſteria, & obſequia, quæ erga nos exercent, non continua ſunt, neque perpetua, ſive perennia, immò pro exigentia, vel congruentia rerum humanarum, & mutationibus temporum, alia eis, & alia injunguntur, & nunc nova, & nunc vetera, nec ſemper eadem, neceſſe eſt eis plerumque, & nova juſſa recipere, & nova beneplacita creatoris addiſcere. Quapropter manifeſtum eſt eas non omnia, etiam quæ acturæ ipſæ erant ab initio noſſe cùm tam multa, & varia circa res humanas agant officia & nunc unus, nunc alius aliuſque, & alii ad hæc agenda temporibus à creatore conſtitutis deputentur, & de his in ſermonibus Prophetarum plurima invenies.

CAPUT XLIV.

Quòd tales ſubſtantiæ non omnia à ſuo primo eſſe cognoverunt, cùm poſt multa illis revelata ſint.

QUòd ſi dixerit fortè, quia unaquæque hujuſmodi ſubſtantiarum ab initio ſuæ creationis naturalis illius ſcientiæ lumine vidit, vel novit omnia, quæ injungenda erant ei à creatore, & miniſteria, quæ peractura erat totâ perennitate vitæ ſuæ, debes reminiſci eorum, quæ audiviſti in præcedentibus de ſcientia naturali hujuſmodi. Ibi enim dixi tibi multa eſſe & penè innumerabilia beneplacita creatoris, & opera, quorum nullum ſignum, nulla via inveniri poteſt naturaliter apud virtutem intellectivam vel noſtram, vel earum, per quam innoteſcere poſſint eidem. Ampliùs. Non omnia bona, quæ poteſt, & ſcit creator facere, revelavit hujuſmodi ſubſtantiis, quoniàm nec omnia hujuſmodi facturus eſt, vel fecit, vel facit. Quare nullum hujuſmodi vel fuit unquàm, vel eſt, vel erit, nullum igitur horum cadit in ſcientiam hujuſmodi ſubſtantiarum. Qualiter enim revelatum eſſet eis, quod nec unquàm fuit, nec erit unquàm? Unde ſi aliquid ex hujuſmodi fieret à creatore, ſicut eſſet

novum

novum in eſſe, ſic & in ſcientia earundem ſecundùm ipſum, quare accreſceret eis ſcientia, vel cognitio illius; poteſt igitur augeri ſcientia hujuſmodi ſubſtantiarum. Ampliùs. Sicut viſio noſtra corporalis non eſt, niſi eorum, quæ ſunt infra horizonta noſtræ habitationis, & ſecundùm quod occidunt, vel oriuntur, viſibilia, hoc eſt, elevantur ſuper horizonta, vel deſcendunt infra ipſum, & ſecundùm hoc deſtruuntur in nobis quorundam illorum viſiones, & quorundam aliorum generantur novæ; ſic ſola illa, quæ ſunt in eſſe, vel in fuiſſe, ſive fore, vel futurum eſſe, cadunt in viſionem ſpiritualem, quæ eſt ſcientia, vel cognitio. Ens enim ſecundùm prædictas temporum comparationes horizon eſt terminans viſum ſpiritualem, ideſt ſcientiam. Quare neceſſe eſt, in ſubſtantiis hujuſmodi ſecundùm ſententiam Ariſtotelis fieri, ſive generari novas viſiones, & deſtrui alias ſecundùm ortum, & occaſum, & moram ſuper hujuſmodi horizonta, hoc eſt, dicere ſecundùm ingreſſum earum in eſſe, & egreſſum contrarium, & moram earundem in eſſe.

CAPUT XLV.

De differentia ſcientiæ angelorum, & ſcientiæ creatoris.

SI autem dixerit, quia viſio corporea noſtra à rebus ipſis eſt, & propter hoc ſequitur earum eſſe ſuper horizonta, & harum non eſſe ſuper illum, viſio verò ſpiritualis hujuſmodi ſubſtantiarum non à rebus viſis, ſeu ſcitis eſt, ſed eſt eis naturalis, & lumen innatum, dico in hoc, quia diſſimilitudo iſta non expedit eum, cùm manifeſtum ſit eſſe rerum, & veritatem horizonta eſſe ſcientiæ, & viſionis ſpiritualis. & ſuper hoc, ſuper iſtam ſcilicet radicem fundatur ratio mea hæc. Si verò dixerit, quia hæc eadem poteſt referri quæſtio de creatore, quoniàm ſimiliter eſſe, & veritas terminare videntur ſcientiam ejus, quoniàm creator nihil ſcit, niſi quod eſt in eſſe, aut veritate, ſecundùm aliquem prædictorum modorum, reſpondeo in hoc, quia ſermo iſte erroneus eſt; eſſe enim, & veritas rerum non terminant ſcientiam creatoris, ſed magis ſcientia creatoris determinat. & limitat rebus eſſe, & veritatem. Quia verò naturaliter priùs ſunt in ſuo eſſe, & veritate, quàm cognoſcantur ab hujuſmodi ſubſtantiis, dico, quia neceſſe eſt ſcientiam hujuſmodi ſubſtantiarum de eſſe. & veritate rerum, poſteriorem eſſe ipſis; econtrariò verò ſe habet in creatore, quoniàm prior eſt ſcientia creatoris de eſſe, & veritate rerum, quàm ſit veritas earum, utpote cauſa ipſorum. Quare neceſſe eſt ipſam ſcientiam creatoris, & priorem eſſe, & ſublimiorem ipſis. Ampliùs. Æternaliter novit eſſe. & veritatem omnium rerum creator ipſe, res autem omnes ex tempore eſſe cœperunt, nec ſuo eſſe, aut veritate, ſcientiæ creatoris quicquam addiderunt, quare neque ſuo non eſſe aliquid detrahitur ſcientiæ creatoris. Quare manifeſtum eſt longè aliter cognoſci eſſe rerum & veritatem à creatore, quàm ab hujuſmodi ſubſtantiis.

CAPUT XLVI.

Quòd ab æterno res in actu eſſe ſcivit creator, & aliquo modo incipit ſcire, quomodo etiam ſciverint intelligentiæ ſecundùm Ariſtotelem, non tamen adæquandæ creatori.

QUòd ſi dixerit, quia rerum eſſe in actu, ſive in tempore, non ſcit ipſe creator, niſi cùm ipſæ in actu, & in tempore ſunt; non enim ſcit creator Socratem eſſe, niſi cùm Socrates eſt, & propter hoc non ſcit Socratem eſſe nunc, niſi nunc eſt, debes reminiſci eorum, quæ prædixi tibi in præcedenti tractatu, ſcilicet in capitulo de ſcientia & providentia creatoris. Ubi dixi tibi, quia Socratem eſſe nunc ſcivit creator ab æterno, ſed reverà oratio iſta, Socrates eſt nunc, nunquàm ante hoc nunc ſignificavit Socratem eſſe nunc, quemadmodùm neque hoc adverbium. nunc, demonſtravit hoc nunc antea, nec demonſtrabit in poſterum. Non enim demonſtrat niſi nunc ſolum, quod eſt, & ſolummodò cùm eſt, ſimiliter ſe habet & de hoc verbo eſt, quoniàm non ſignificat eſſe, niſi quod eſt in ipſo nunc, quo dicitur, vel profertur, vel ad quod, tanquàm ad præſens, refertur. Quòd ſi etiam dicere voluerit, quia ſimiliter ſe habet, & in ſcientia ſubſtantiarum hujuſmodi, ſecundùm ſententiam Ariſtotelis, propter hoc, quia nullo modorum eſt à rebus, vel per ipſas; nec eſſe rerum aliquid ei addit, neque non eſſe ipſarum aliquid ei detrahit, cùm ipſa ſit innatum, ſive nativum lumen in ipſis, dico, quia etſi fortè hoc verum ſit, tamen non eſt extollenda, neque extendenda euſque, ut perficiatur, vel adæquetur ſcientiæ creatoris. Præſertim cùm tanta ſit, ac talis, quantam, & qualem eam eſſe fuit, & eſt beneplacitum creatoris, de quo nullus intelligens dubitat, quin ex neceſſitate, & utilitate recipientium, & decentia gloriæ ſuæ limitaverit illam. Ampliùs. Etiamſi conceſſum fuerit Ariſtoteli, & ſequacibus ejus, quòd per iſtam ſcientiam, quam dixi innatum, ſive nativum lumen, cognoſcunt iſtæ nobiles ſubſtantiæ univerſum, & ordinem ejus quo eſt inſtitutus à creatore, & curſum generationum, & corruptionum, & aliarum mutationum. atque motuum, quæ fiunt in mundo corporeo, & nobili, ſtabilitatemque, & pacem, cæteraque omnia, quæ ſunt in mundo ſpirituali, ubi & ipſæ ſunt, non tamen veriſimile eſt eas alium, & novum ordinem ejuſdem univerſi, & partium ipſius, ſi creatori placuiſſet ab initio, vel etiam modò placeret inſtituere, per eandem ſcientiam, vel modò cognoſcere, vel ab initio cognoviſſe. hujus autem exemplum eſt in viſu noſtro corporali, quia ſi alterius modi viſibilia eſſe, vel creari, quàm lucem, & colores, qui ſunt, placeret altiſſimo, iſto viſu noſtro non poſſemus ullo modorum illa videre. Quemadmodùm multis ex ſapientibus, & doctoribus Chriſtianorum viſum eſt de corporibus glorificandorum hominum, quia non erunt viſibilia naturaliter viſu noſtro ex ſola virtute ſua naturali. Propter quod addunt, quia ſolo viſu noſtro glorificato viſibilia erunt. non enim poteſt natura noſtra ullo modorum in gloriam, neque ipſa virtus intellectiva noſtra apprehendit illam, niſi fortè apprehenſione ænigmatica, & valde obſcura. Et hoc videtur innuere ſermo ille, qui in quadam prophetia legis ipſorum ſcriptus eſt, ſcilicet hoc nomen nemo novit, niſi qui accipit. Aliud exemplum eſt in artibus, & artificiis. Scientia enim. vel ars, qua quis ſcit ſe ædificare, non extendit ſe ad vaſa aurea & argentea, neque ex illa poteſt artifex ædificator fabricare vaſa

Socratem eſſe nunc quomodo ſcivit creator.

Digitized by Google

hujuſmodi, neque etiam cognoſcere. Quare manifeſtum eſt, quia ſi ſcientia ſubſtantiarum, de quibus agitur, eſt de univerſo, ut eſt, & ordine ejus, & partibus ejus, ut ſunt, & ut ſe habent, & æqualiter ſe habent, non erit poſſibile cognoſcere per eandem idem univerſum, ſi in ſtatum alterius generis tranſmutetur, alterius generis, intelligo, quantùm ad formas, & diſpoſitiones ſuas exteriores, quales habiturus creditur poſt futurum univerſale judicium, de quo ſtatu manifeſtum eſt, quia ſimilitudinem nullam habet in naturis, hoc eſt, nullus ſtatus ſimilis invenitur in rebus naturalibus, quia etſi gratia pertenuis, & permodica ſimilitudo gloriæ dicatur, non eſt tamen ipſa gratia de rebus naturalibus. Ipſa etiam lex, & doctrina Chriſtianorum hoc continet quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, & eſt iſte ſermo propheticus etiam & in quodam ex Prophetis legitur: quia igitur ſtatus mundi futurus non erit ignotus hujuſmodi ſubſtantiis & per nativum illud, vel per innatum lumen ſcientiæ, non eſt eis cognoſcibilis; nova igitur ſcientia adveniet eis, vel ab ipſo mundo ſe eis tunc in illo ſtatu oſtendente, vel ex novo munere creatoris. Ampliùs Si creditur mortuis redivivis, hoc eſt, à morte per reſuſcitationem redeuntibus ad vitam, in narrationibus, quas ſemper tibi ſuadeo inſpicere, invenies quendam mortuum redivivum, ut dixi, narraſſe in altero ſæculo ſe nihil vidiſſe rebus hujus mundi ſimile, præter lucem, quam tamen dicebat luci huic noſtræ longè diſſimilem. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his, quia & mutationem, hoc eſt augmentum, & additionem, & etiam innovationem recipit, & novæ ſcientiæ additionem ſcientia ſubſtantiarum hujuſmodi, & intendo innovationem novæ ſcientiæ additionem Ampliùs. Si poſuit Ariſtoteles corpora cœleſtia impaſſibilia eſſe, & immutabilia, doctrina verò Chriſtianorum ponit ea mutanda eſſe in multo nobiliorem ſtatum, quàm ſint, ſicut in præcedentibus expoſui tibi; ipſe etiam legis Chriſtianorum lator, & auctor evidenter dixit, quia cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt; expoſitores verò legis ipſarum exponunt, addentes, in aliam formam, non in aliam ſubſtantiam, intendentes hujuſmodi formam decorem exteriorem cæli & terræ qui eſt eis ſuper completam ſubſtantiam eorum: ſi enim de forma ſubſtantiali intelligerent hoc, contradicerent ſibi ipſis, quia ex neceſſitate, ſi in aliam formam ſubſtantialem tranſitiva eſſent cælum & terra, in aliam utique ſubſtantiam tranſitiva eſſent; quia igitur iſta paſſibilitas, ſeu receptibilitas nullo modorum lædit cælum & terram, nec eſt eis in aliquo detrimentum, quin potiùs ad meliorationem, & illuſtrationem nobiliſſimam, neque in impotentiam, neque in defectibilitatem ullatenùs deputanda eſt; viæ enim, quæ ad perfectionem ſunt, & meliorationem, non in contrarium retorquendæ ſunt, quapropter paſſibilitas hæc, vel mutabilitas, nec impotentia naturalis, nec potentiæ naturali contraria habenda, vel dicenda eſt. Sanabilitas enim in ægro magis ad potentiam conſervativam, & ad virtutem, ac fortitudinem naturæ, quàm ad debilitatem ejuſdem pertinet. Quemadmodùm quòd aliquis non poteſt æger fieri, vel infirmus, non ex impotentia ex toto, vel debilitate, ſed ex fortitudine eſt potiùs ac virtute, alioquin impotentiſſimum eſſe neceſſe eſſet creatorem, cùm nec peccare, nec mori, nec aliquid omni modo læſionum pati poſſit, ſi omne non poſſe ex impotentia eſſet. Verùm ſicut non poſſe ſanari, vel meliorari in multis ex impo-

Nova ſcientia adveniet Beatis.

E tentia eſt, ſic non poſſe meliorari in creatore ex potentia eſt, videlicet ex ultimitate bonitatis, ex qua eſt ei multa non poſſe, ſic eſt illud non poſſe invitare meliorem ſe ad cœnam. Quia igitur ultimitas bonitatis non eſt apud hujuſmodi ſubſtantias, etiam bonitatis in ordine bonitatum creatarum, & etiam ſi eſſet ibi, non eſſet niſi apud unam ex illis, videlicet apud intelligentiam, quæ eſt motor primi cæli; illa enim eſt ſecundùm hujuſmodi homines nobilior, ac præclarior cæteris, quare cæteræ non ſunt prohibitæ per hanc cauſam, ſcilicet per ultimitatem nobilitatis hujuſmodi à profectu & melioratione, ſed neque alia naturali potentia cùm potentiæ naturales non ſint naturaliter prohibitivæ perfectionum nobiliorum, quin potiùs fundamenta

F earum ſunt; & adjumenta præparatoria ad illas. Non invenitur igitur apud eas cauſa naturaliter prohibens eas à perfectionibus ſublimioribus, quàm ſint naturales perfectiones ipſarum. Ampliùs. Ex ipſis naturalibus perfectionibus ſuis, ſi tantæ, ac tales ſint, quantas, & quales eas ponit Ariſtoteles, totas ſe conferunt in obſequia atque honorem, & gloriam creatoris, cui etſi alia obſequia non impenderent, utpote non juſſæ impendere, à gratiarum tamen actionibus, & jugibus præconiis, ſeu collaudationibus creatoris ceſſare non poſſent etiam ad punctum horæ. Præſertim cùm hujuſmodi collaudare & gratias agere, non ſit niſi cognoſcere, & intelligere jugiter magnalia ipſius, & recognoſcere magnifica beneficia in ſemetipſis prælargæ bonitatis ipſius. Qualiter igitur vel arctata eſt omnipotentiſſima largitas creatoris, ut tantis, tamque ſibi gratis obſequiis nihil dignæ re-

G munerationis retribuat, vel ipſæ qualiter prohibitæ ſunt, ut nihil ultra dona primitiva de divitiis magnificentiſſimæ bonitatis creatoris recipere poſſint? Cùm manifeſtum ſit in creatoris gloriam, & obſequia jugiter intendentes magis, ac magis, ex hujuſmodi operationibus in ipſum proficere, & continuè ab eodem recipere potiora, maximè autem ultimæ remunerationis mercedem; & hoc quidem ita ſe habere apud nos in omni exercitatione ſapientiæ, & virtutum, nulli hominum dubium eſt, his duntaxat exceptis, qui ſacrarum exercitationum omninò expertes, & ignari ſunt Cum quibus non eſt ſermo de rebus hujuſmodi, vel habendus, vel conferendus quemadmodùm neque cum cæcis de coloribus diſputandum. Et ad hunc modum de aliis ſe habet res, de quibus agendum

H eſt cum Philoſophis ignorantibus.

CAPUT XLVII.

De malitia hujuſmodi ſubſtantiarum, & an talis fuerit eis coæqueva, & unde, ſeu à quo provenerit.

POſtquàm autem jam patefactum eſt tibi, quia nullæ ex hujuſmodi ſubſtantiis, vel naturaliter vel eſſentialiter malæ eſſe potuerunt, & quia multæ ex eis malæ ſunt, neceſſe eſt malitiam eis adventitiam eſſe, hoc eſt nec eſſentialem, neque innatam, ſive nativam; apparere etiam tibi debet ex his, quia priùs fuerunt bonæ puræque, & immunes à malitia, quàm malæ. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm priora ſunt unicuique ex rebus eſſentialia ſua, & naturalia, quàm adventitia, & acquiſita. Ampliùs. Si malitia eſſet eis coæquæva, videlicet, ut in ipſa ſua creatione, & in ipſo primo nunc exiſtentiæ ſuæ malæ eſſent, non eſſet ab eis hujuſmodi malitia, ſed potiùs à creatore. Neque enim poſſibile eſt ullo modorum, ut in ipſo hujuſmodi nunc ſe ipſas depravaſſent, & in malitiam demutaſſent.

Hoc

Hoc enim eſſet ponere primam earum operationem A fuiſſe malam. Cùm autem benè agere ſit eis ex naturalibus ſuis, malè autem agere ſit eis acquiſitum, vel ex acquiſito, neceſſe eſt priùs fuiſſe eis ipſum benè agere, quàm malè, ſicut eſſe bonas, quàm malas. Ampliùs. Proportionabilia ſunt bonitas, & malitia, benè agere, & malè agere. Quare ſicut bonitas præceſſit malitiam in eis, ſic benè agere præceſſit in eis malè agere. Quòd ſi quis quærat, quid ejuſmodi bene agere præceſſit earum malum agere? Reſpondeo, quia vis apprehenſiva, & vis motiva, non fuerunt in eis otioſæ, & velut dormientes ab initio, maximè ſecundùm Ariſtotelem, qui ponit eas liberas, & immunes à malo potentialitatis, & omni imperfectione. Vires igitur utræque, quas dixi, in ipſo nunc creationis fuerunt in actu, ſive in effectu ſuarum operationum. Quare virtus intellectiva fuit in actu cognoſcendi, ſive intelligendi, ſicut & vis motiva in ipſo actu, vel effectu amandi, ſive volendi. B Ampliùs. Cùm intelligere, ſive cognoſcere non fuerit eis à rebus, nec ſit etiam, aut per illas ſed ex innato, ut ſæpe dixi, lumine virtutis intellectivæ, neceſſe eſt in ipſo primo nunc exiſtentiæ ſuæ eas intellexiſſe & cognoviſſe in actu ea, quorum cognitio, vel intellectio naturaliter eis erat indita, vel innata, & de amore, & voluntate ſimiliter ſe habere debere, manifeſtum eſt tibi, maximè ſecundùm ſententiam Ariſtotelis ut prædixi. Sed nec dubitare potes, quoniàm omnis actus cujuſcunque virtutis naturalis naturaliter bonus ſit. Quare primum intelligere, ſive cognoſcere, & primum amare, ſive velle hujuſmodi ſubſtantiarum bona fuerunt, & boni actus, ſive operationes. Si quis autem dixerit, quoniàm animæ noſtræ in ipſo nunc ſuæ creationis malæ ſunt ſecundùm doctrinam, & fidem Chriſtianorum, quæ ſola ponit originale peccatum, de quo aliàs ſufficienter C expedivi te, & me, verum utique dicit, & ſi adjecerit, quia malitiam hujuſmodi non habent à creatore, & hoc indubitanter verè dicit. Sed ſi dicat, quia ſimiliter poſſibile fuit in ſubſtantiis, de quibus agitur, quia in ipſo primo nunc exiſtentiæ ſuæ poſſibile fuit, ut non eſſent malæ, licet hujuſmodi malitiam creator eis non indiderit, aut impreſſerit: Reſpondeo, ſicut & alibi oſtendi tibi, quia malitia iſta originalis, quam ſola fides, & doctrina Chriſtianorum ponunt, eſt animabus noſtris ex conjunctione corporum noſtrorum ad ipſas. Et dixi tibi, quia malum iſtud eſt, ſicut ebrietas, aut inſania quædam, & ibidem multa exempla audiviſti de ipſa ebrietate, qualiter eſt animabus noſtris ex ipſa conjunctione vini ad ipſas, quæ longè minor eſt, hoc eſt, minoris adhærentiæ, & profundationis incomparabiliter, quàm illa: eodem modo ſe habet, & de D applicationibus multarum rerum ad animas noſtras; ex quibus melancholia, vel freneſis, vel alia inſania fit animabus noſtris. In hujuſmodi verò ſubſtantiis longè aliter ſe habet res, cùm ſeparatæ creatæ fuerint, & ſeorsùm ab omni conjunctione, & applicatione corruptiva, vel perverſiva earum, & cùm ſic ſeparatæ remanſerint, animæ verò humanæ in ipſis corporibus, quibus infunduntur, creantur & infunduntur ſimul. Quapropter ipſa infuſione in corpora, & ipſa conjunctione corporum ad illa, inebriantur ebrietate hujuſmodi ſpirituali, quæ vocatur & corruptio originalis, & peccatum originale apud gentem Chriſtianorum; malitia igitur hujuſmodi ſubſtantiarum non fuit eis, niſi à ſe ipſis, & per voluntariam operationem ipſarum, ſicut ſcire te faciam in proximo, niſi fortè quis dicat ex applicatione voluntatis, ſive conjunctione ipſius ad res iſtas, malitiam iſtam hujuſmodi ſubſtantiis adveniſſe.

CAPUT XLVIII.

Quòd mali angeli per aliquam moram ſteterunt in bonitate, & utra priùs peccaverit in eis, vis apprehenſiva, an motiva.

Quòd malitia angelorum à ſe ipſis provenit.

Quoniàm autem operatio culpabilis, quæ propriè peccatum dicitur actuale, non eſt niſi malus uſus, ſive abuſus alicujus ex viribus naturalibus, quæ ſunt apprehenſiva nobilis, & motiva, neque poſſibile, quamquàm ſubſtantiam intelligentem aliter peccare potuiſſe; niſi vel malè utendo altera virium iſtarum, vel non utendo, cùm utendum ei eſſet; peccatur enim non tam faciendo, quod non eſſet faciendum, vel quod verius eſt, quod eſſet non faciendum, ſed etiam non faciendo quod eſt faciendum, vel fieri debitum, nec intendo peccaſſe parvulos inquam peccato originali, quod tibi in alio tractatu ſtabilitum, ac declaratum eſt, declaratione, & ſtabilitione, poſt quas non eſt tibi circa illud relicta dubitatio, quoniàm peccatum illud non eſt actus, neque actus privatio, ſed magis habitus, non ſolùm difficilè mobilis, ſed etiam ſoli omnipotenti virtute creatoris mobilis, aut mutabilis, & ſuper his non eſt neceſſe, ut faciam tibi repetitionem, vel recapitulationem eorum, quæ alibi per me didiciſti; neceſſe igitur eſt primum peccatum, de quo hìc agitur, fuiſſe ſecundùm alterum duorum modorum; hoc eſt, vel malum uſum, ſive abuſum alterius hujuſmodi virtutum, aut privationem boni, & debiti uſus. Præſertim cùm ſubſtantiæ hujuſmodi, quarum primum peccatum inquiritur, neque vires, neque principia alia operationum habuerint; non enim vires ſenſibiles, aut motuum executivas habuerunt ab initio. Hoc autem addo propter ſermonem eorum, qui dixerunt data poſtea fuiſſe eis corpora, quaſi quoſdam carceres, in quibus luerent injuriam, quam peccando irrogaverant creatori. Quòd ſi dixerit quis, quia & viribus executivis motuum voluntariorum, & etiam membrorum motibus, & operationibus peccatur exterioribus, verum utique dicit. Sed ſi vires antedictæ omninò immunes ſint, & liberæ, à peccato, impoſſibile eſt peccatum eſſe, quod per illas agitur. Hujus autem exemplum eſt manifeſtum eſt in eo cujus manu per alterius violentiam, vel ſacrificatur idolis, vel etiam occiditur homo, ſeu quodcunque aliud malum perficitur. Cauſa autem in hoc evidens eſt quia operatio hujuſmodi operatio eſt violentiam inferentis & actus proprius ipſius, & nullo modorum illius, cujus manus per hujuſmodi violentiam ſic movetur, quemadmodùm ſi in manu imaginis mortuæ poſueris thus, ſive thymiama, & per iſtam poſueris ante idolum, vel ſuper altare idoli, thurificatio hæc non erit thurificatio imaginis illius, ſed tua. Sic manifeſtum eſt ſe habere in exemplo, quod poſui tibi de imagine viva, videlicet, quæ eſt homo. Quare declaratum eſt tibi, per hoc, quia cùm fuerit quæcunque ſubſtantia intelligens munda, & libera ſecūdùm duas vires ſuas antedictas à malitia tam actus, quàm privationis, ſive, ut ſupra dixi, abuſus, aut abuſionis, erit ex neceſſitate munda totaliter ab omni peccato, & culpa actuali. A culpa verò, & peccato originali, & naturali mundæ fuerunt ſubſtantiæ, de quibus hìc intendo initio exiſtentiæ ſuæ, licet nec lege aliqua, nec ſermonibus prophetarum determinatum ſit tempus durationis munditiæ, ſive bonitatis iſtius, & hoc ſatis expreſsè dicit quidam ex prophetis hebræorum his verbis: Tu cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum. Ambulaſti

Digitized by Google

perfectus in vitiis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te. Alius verò ex ſapientibus antiquis dixit: Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis invenit pravitatem, nec eſt contrarium iſtis ſermonibus, quod ipſe legis Chriſtianorum lator dixit de Angelo primo, ac nobiliſſimo in ipſa lege ſua, quia ille in veritate non ſtetit ab initio. Intelligitur enim, non ſtetit, quia non perſeveravit, vel propter modicitatem exiſtentiæ in bonitate naturali. Et tibi manifeſtum eſt, quia ſtare, & ſtatus, & ſtatio, & ſtagium, manſionem, & moram dicunt, atque quietem. Tropus etiam ille loquendi, quo uſu certo dicitur quis non feciſſe, quod non perfecit, & quo dicitur non fuiſſe factum, quod non fuit perfectum, non eſt ignotus tibi, juxta quem non inconvenienter intelligitur non ſtetiſſe in veritate eum, qui in ea non perſtitit. Attende etiam, quòd ſermones Prophetæ prioris, ſcilicet Hebræorum, & quod ſupra poſui, & alii, quibus in eodem capitulo magnificat, & extollit præeminentiam Angeli illius primi, ac nobiliſſimi, ad naturalia dona, hoc eſt, ad divitias ſapientiæ, & virtutum naturalium ipſius referendi ſunt, & in eas ſolummodò interpretandi, nullo modorum autem ad divitias gloriæ, quæ eſt ultimitas perfectionis, & fœlicitatis, poſt quam nihil quæritur, vel ſperatur. Ab illa enim non eſt poſſibilis caſus, propter quod Ariſtoteles in libro Ethicorum dixit eam actum intranſmutabilem. A naturali igitur eminentia caſus hujuſmodi ſubſtantiarum intelligendus eſt, cùm gloria caſus, & cujuſcunque alterius tranſmutationis, quæ illam vel tollat totaliter, vel minuat aliquatenùs, receptibilis omninò non ſit. Et hoc jàm declaratum eſt tibi per me aliàs. Aggregatâ igitur ratiocinatione patefactum eſt tibi ex omnibus his cecidiſſe à naturali bonitate ſubſtantias hujuſmodi, quæ malæ ſunt. Appatet etiam tibi evidenter ex eiſdem, quia caſus hujuſmodi, ſeu peccatum non fuit niſi abuſus, vel privatio debiti uſus alterius ex viribus antedictis, & potuiſti videre, quia peccatum hujuſmodi fuit ſecundùm priorem vim, hoc eſt, apprehenſivam nobilem; quemadmodū enim ordine naturæ prior eſt ejus uſus vel actus, quā uſus vel actus motivę nobilis: ſic & priorē ejus abuſū eſſe neceſſariū videri poteſt, cōtrariorū enim eſt idē ordo. Et intendo in ſermone de identitate ordinis, quia cùm fuerint duæ contrarietates proportionabiles ad invicem, quales ſunt iſtæ duæ, quas poſui, erunt & ordines earum proportionabiles. Quare quemadmodùm prima eſt in ordine nobilium virtutum naturalium apprehenſiva nobilis, & ejus uſus, ſive debitus actus in ordine actionum, vel uſuum primus; ſic ejus abuſus in ordine abuſuum, vel abuſionum, neceſſe eſt ut ſit primus. Primus autem abuſus cujuſcunque virtutis naturalis hujuſmodi primum peccatum eſt. Quare primum peccatum, vel hujuſmodi virtutis fuiſſe, vel ſecundùm eam meritò fuiſſe videri poteſt. Ampliùs. Cùm vis iſta, videlicet apprehenſiva nobilis, ad modum ſuggerentis, & ſuadentis, atque conſiliarii, ſe habeat ad virtutem motivam nobilem, illa verò & apud nos, & apud omnes ſubſtantias intelligentes ad modum dominantis & imperantis, aut illa fecit quod ad ſe pertinebat in ſuadendo, & diſſuadendo, conſulendo, & diſconſulendo apud virtutem motivam nobilem, aut non fecit: ſi ſic, non fuit igitur poſſibile cadedere virtutem motivam nobilem, quoniàm neceſſe erat tantò ad omne bonum eſſe ſuadibilem, quantò purior tunc erat, tamque facilius ab omni malo averſibilem, quantò ab omni ſervitute corruptionis liberior: neque enim erat furioſa, aut ebria, qualis eſt in nobis ex originali corruptione, antequàm

Quòd peccatum primum Angelorū fuit in vi apprehenſiva.

E divino munere purificetur, & liberetur. Sed nec etiam apud eam, ſive in hujuſmodi ſubſtantiis, radix aliqua, vel ſeminarium corruptionis, aut ebrietatis hujuſmodi, quæ ſemel extincta, ſive perempta, reviviſcere poſſet, ſive reſurgere, quemadmodùm in nobis plerumque fit. Quare facillimâ diſſuaſione averti eam neceſſe erat à quocunque malo. Si igitur totum fecit vis apprehenſiva nobilis apud eam, nullo modo eam inclinari poſſibile fuit ad contrarium ejus, quod illa ſuadebat. Quare non fuit poſſibile, ut peccaret ſecundùm utramque virium iſtarum: igitur mundæ, & liberæ permanſerunt ab omni peccato, & omni culpa. Quare non peccaverunt. Si verò non fecit totum, quod ad ſe pertinebat de ſuaſionibus atque conſiliis: ipſa igitur F prima peccavit, & prima in culpa fuit, ad minus privationis debiti uſus; niſi fortè quis dicat, quòd ipſa etiam in culpa fuit abuſus, ſuadens, & conſulens virtuti motivæ applicationem ſui, vel malam, ad id, quod non erat licitum, hoc eſt, ad malum, vel applicationem ſui ad bonum, ſed malè. Ipſum enim bonum interdùm malè appetitur, & eſt malè volitum, & in hoc ſimiliter peccavit apprehenſiva nobilis. Ampliùs. Hujuſmodi peccatum aut fuit ignoranter commiſſum, aut ſcienter. Quòd ſi ignoranter, in culpa igitur fuit, cùm præcavere, & providere deberet virtuti motivæ ab omnibus malis, atque periculis & præoſtendere quid agendum, quid declinandum eſſet eidem. Aggregatâ igitur ratiocinatione ex omnibus his videri poteſt primum peccatum in apprehenſiva nobili fuiſſe, vel ſecun- G dùm illam.

CAPUT XLIX.

Quod in vi motiva conſiſtit omne peccatum.

IN quo reſpondeo, quia peccatum in iſta non eſt, nec ſecundùm illam, ita ut ei imputandum ſit, vel etiam ſecundùm illam, per modum, quem patefaciam tibi; tota enim eſt in poteſtate motivæ virtutis, & quicquid operatur, per modum ſervientis operatur, & applicationes ejus ad res intelligibiles, ſeu cognoſcibiles, cùm aliquid habent laudis, ſive meriti, ſive culpæ, ſive vituperii, per imperium fit virtutis motivæ, & privationes earum ſimiliter fiunt per negligentiam, aut non imperium, quod intelligo privationem imperii ejuſdem motivæ. Et hujus rei exemplum evidens eſt in oculo, & virtute viſibili corporali. De quo manifeſtum eſt tibi, quia non applicatur ad res applicatione, quam requirit viſio, & hæc eſt directa oppoſitio, H non applicatur inquam, niſi juſſione moventis ipſum. Et intendo, quia nec clauditur, nec aperitur, nec elevatur, nec deprimitur, nec in dextram, aut ſiniſtram partem gyratur, aut vertitur, niſi juſſione ejuſdem. Non eſt ergo in poteſtate ejus vel videre, vel prævidere aliquid, ſed neque contrarium, hoc eſt, neque non videre, nec non prævidere; & eodem modo ſe habet de virtute viſibili. Dico igitur, quia exemplum hoc evidentis ſimilitudinis eſt, & evidentiſſimæ comparationis ad virtutem viſibilem interiorem, hoc eſt apprehenſivam nobilem. Quoniàm ipſa eſt tanquàm oculus, & tanquàm virtus viſibilis interior in omni ſubſtantia intelligente ſpirituali. Quemadmodùm igitur calefacere, vel non calefacere, nec culpam, nec meritum habet apud ignem, nec laudem, nec vituperium, & neque vitioſum, neque virtuoſum poteſt eſſe igni; ſic neque videre, neque non videre apud virtutem apprehenſivam nobilem, de qua eſt hic ſermo. Apud nos quoque manifeſtum eſt tibi, quia virtus noſtra

Digitized by Google

noſtra intelligibilis non agit operationes ſuas, quæ ſunt cogitare, inveſtigare, & aliæ hujuſmodi, niſi juſſa à virtute imperativa, quæ eſt voluntas, neque ſuæ poteſtatis, aut libertatis eſt, ut avertat ſe à cogitationibus, & aliis operationibus ſuis, niſi quemadmodùm dixi, imperio ſcilicet, ſive juſſu voluntatis, propter quod neque non cognoſcere poteſt primas impreſſiones, neque contradieere ſyllogiſticis complexionibus, ignorare quidem poteſt aliqua, ſed ea quæ dixi, non habet in poteſtate ignorare, vel etiam dubitare. Cauſa autem in hoc eſt, propinquitas hujus rerum ad eam, ex qua per ſemetipſas ſe ingerunt, & imprimunt in eandem. Quemadmodùm & paſſiones, quæ ſunt apud animam, quales ſunt dolor, & gaudium, ignorare non eſt ei poſſibile propter præſentiam veritatis ipſarum. Ex hoc igitur eſt, ut talia nec laudem habeant, nec vituperium apud eam, quia nec voluntaria ſunt, propter quod dixerunt ſapientes Chriſtianorum, quia omne peccatum adeò voluntarium eſt; quòd ſi non eſt voluntarium, non eſt peccatum. Hinc eſt, quòd inquiſitiones, & inveſtigationes ſcientiarum, & privationes, ſive negligentiæ earundem, laudabiles, & vituperabiles ſunt, & culpam habent, & laudis meritum. Ignorantiæ verò per ſe, aut ſcientiæ non ſic, hoc autem eſt, quia illæ ſunt voluntariæ, ſcientiæ verò neceſſariæ ſunt, & omninò inſubditæ voluntati, propter quod nullo voluntatis imperio vis apprehenſiva nobilis poteſt eis contradicere. Aboleri utique, & amitti poſſunt ſcientiæ per voluntatem avertentem vim apprehenſivam nobilem à cogitatu, & conſideratione rerum, quarum ſunt, & occupantem illam cogitationibus, & ſollicitudinibus rerum ad illas non pertinentium. Quod frequentiſſimè fieri vides ferè in omni genere ſcientiarum. Hac enim de cauſa in oblivionem abeunt. Nec ita ſe habet res in virtutibus; virtutes enim omnes adeò voluntariæ ſunt, ut ſolâ voluntate contrariorum, aut noluntate ipſarum, deſtruantur, & pereant omninò ab eis, in quibus ſunt. Cujus exemplum eſt manifeſtum in hoc, quòd quàm citò quis vult, vel amat virtutibus contraria, tam citò ſine illis eſt, & quàm citò deſinit velle, vel amare ipſas, amittit eaſdem; virtutes enim, ut ait Ariſtoteles, aut voluntates ſunt, aut non ſine voluntate.

Quòd intellectus quantùm ad principia per ſe nota non ſubeſt voluntati.

CAPUT L.

Quòd contravenientes dictis fidei Chriſtianorum non ſunt dicendi infideles, & hæretici, niſi hoc cum pertinacia dicant.

QUòd ſi dixerit quis, quia errores quidam, & dubitationes, & ignorantiæ multæ culpabiles ſunt, atque damnabiles, & omnis lex ferro, & igne illos proſequitur, & exterminare conatur, ſicut eſt hæreſis apud gentem Chriſtianorum, & iſta omnia non ponunt niſi in virtute apprehenſiva nobili, cùm contraria in eodem, vel circa idem ſecundùm naturam habeant & eſſe, & fieri. Quapropter ubi ſcientia, ibi & error & ignorantia, & ubi vera ac ſalutaris fides, ibi & hæreſim modis omnibus eſſe neceſſe eſt; & non eſt dubium, quin hæreſis peſſimum, ac exeetabiliſſi um vitium ſit, ſicut & fides nobiliſſima, ac virtuoſiſſima: Reſpondeo in hoc, quia iſta nec laudem habent, nec vituperium per ſe, nec error per ſe unquàm damnabilis eſt, ſed pertinacia in eodem, & negligentia, ſive privatio voluntatis avertendi ab errore, & ſciendi, vel cognoſcendi veritatem, cujus cognitio ſalutaris eſt, propter quod unus ex Prophetis Hebræorum evidenter increpat voluntariè errantes in ſermone ſuo, quo dixit: Ecce homo qui noluit intelligere, ut benè ageret, & ſapientes, atque doctores Chriſtianorum, non ſenſerunt hæreticos eſſe ſimpliciter errantes, & ſimpliciter de his, quæ fidei communis ſunt, vel de aliquo eorum, malè ſentientes, ſed eos ſolos, qui pertinaciter malè ſentiunt in his, & errores ſuos irrevocabiliter defendentes, adverſarios, & inimicos fidei ſe conſtituunt, contra etiam cœtum fideliũ factionem, & Eccleſiam malignantium ex adverſo erigentes ad impugnandam fidem communem totis ſtudiis, ac viribus. Propter quod prudenter, ac laudabiliter attendit gens Chriſtianorum, an ſimpliciter errant contra fidem veridicam, tanquàm ſeducti, an pertinaciter, & ut ſeductores, & illis utique medetur eruditione & correctione, tanquàm vulneratis à ſerpentibus, illos verò gladio & igne, tanquàm ſerpentes exterminat. Multum quippe differt inter ſerpentem & vulneratum à ſerpente. Nec laudem igitur, nec vituperium habent, nec culpam, nec meritum hujuſmodi errores, & ignorantiæ, nec culpabiles, aut damnabiles ſunt, niſi inquantùm ſunt voluntatis, & inquantùm eos ſuos facit, hoc autem eſt, volendo approbando, defendendo, vel etiam negligendo. Non enim negligenda eſt vis apprehenſiva nobilis, quin potiùs ſtudioſiſſimè, totiſque viribus purificanda eſt ab erroribus noxiis & clarificanda ab omnibus ignorantiarum, quæ virtutes impediunt, tenebris. Et quoniàm nec doctrinæ, nec ſtudia, nec experientiæ ſenſuum ad hoc ſufficiunt, à creatore inſtantiſſimè, ac devotiſſimè illuminatio ejus, & purificatio inceſſanter petendæ ſunt. Operaque vitiorum omnium, quæ opera tenebrarum gens Chriſtianorum veriſſimè nominat, quia animas humanas obtenebrant, & à vero lumine avertunt, ſunt in opere declinanda. Sciro autem de fide, cujus laudes, & virtuoſitatem alibi tibi ſufficienter declaravi, nec habere laudem meriti, nec ſpem retributionis futuræ, niſi cum amore, & voluntate tenetur, licet ſine hoc eſſe poſſet vera iſta, ac ſalutaris fides armativa, cùm eſſet & ornatus eximius virtutis apprehenſivæ nobilis, & fortitudo ejuſdem. Sed non eſſet, niſi quemadmodùm bonæ diſpoſitiones oculi, & claritas, & fortitudo, atque agilitas pupillæ ipſius, quorum bonus uſus voluntarius apud imperantem poſſet habere laudem, vel meritum. Videre verò, quod omninò eſſet ſine voluntate, nihil haberet hujuſmodi apud virtutem viſibilem; ſic & apud virtutem apprehenſivam nobilem ſe habet, & de ſuo videre, & de ſuo cognoſcere, eodem modo ſe habet, & de contrariis. Jam autem declaravi tibi declaratione, quæ tibi meritò ſufficiat quid ſit mereri, vel meritum ſecundùm omnem intentionem, & modum, & quid retributio per comparationem alterius ad alterum. Si verò dixerit quis, quia bonitas creatoris cùm ſit naturalis, quin potiùs eſſentialis, & voluntati, vel alii nullo modorum ſubdita, non debet habere laudem, nec nominari virtus: Reſpońdeo in hoc, quia bonitas creatoris ipſa eſt ejuſdem voluntas, & non ſolùm non eſt alicui ſubdita, ſed omnia alia ipſi neque bona eſt, per applicationem ſuam ad res bonas, ſed magis econverſò res bonæ per applicationem ejus ad illas. Non enim bona eſt Dei voluntas per bona volita, id eſt, quæ vult, quin potiùs res, quas vult, ſunt bonæ per ipſam, & intendo, quia volitæ per ipſam. Secùs autem eſt inter voluntates noſtras, & res à nobis volitas. Voluntates enim noſtræ bonæ ſunt per applicationem ſuam ad res bonas, applicationem inquam convenientem, & debitam. Volunt enim homines interdùm bona, ſed malè. Res verò non ex neceſſitate fiunt bonæ per applicationem voluntatum noſtrarum ad

Fides non habet meritum, niſi amore teneatur.

De applicatione voluntatis noſtræ ad res bonas.

ipſas Interdùm tamen res paucæ bonitatis efficiuntur bonæ longè ampliùs, quàm ſint in ſe, ex applicatione bonæ voluntatis ad illas. Sicut vides in eleemoſynis, dare quippe eleemoſynam modicam etiam nonnullius bonitatis eſt, ex applicatione tamen multum bonæ voluntatis efficitur multum bonum, & multi meriti apud largiſſimum retributorem, Deum videlicet, cùm fuerit multâ pietate, aut vehementi dilectione creatoris ornata voluntas, ex qua eſt, aut etiam cùm fuerit non de ſuperfluitate, aut divitiis largientis, ſed de neceſſitate, atque penuria ipſius. Et intendo, cùm ipſe dator cum difficultate & moleſtia, eam neceſſitati propriæ ſubtraxerit, ut tollat, vel ſaltem leniat moleſtiam, aut miſeriam indigentis. Ea verò, quæ in ſeipſis mala ſunt, quæ Ariſtoteles vocat mox nominata conjuncta malo, nullius quantumcunque bonæ voluntatis applicatione bona fieri poſſunt; ſi tamen poſſibile eſt voluntatem bonam talibus applicari.

CAPUT LI.

Quod virtus apprehenſiva nihil conſulit, vel ſuggerit, quin potius alia potentia neceſſario id faciat, & quod mali Angeli ſint abuſi vi motivâ.

IAm igitur expedivi te à quæſtione iſta, & patefeci tibi, quia præter voluntatem, hoc eſt. ſine ipſa non poteſt eſſe culpa, vel peccatum. Et intendo, quia omne peccatum eſt abuſus voluntatis in primis, aut negatio ſive privatio debiti uſus ipſius. Et intelligo negligentiam voluntatis, & tepiditatem ipſius, privationem, ſicut expreſſit ſapiens in ſermone ſuo, quo dixit: vult, & non vult piger. In primis autem, dixi, quia ex hoc abuſu, vel privatione ſequitur abuſus virtutis apprehenſivæ nobilis, defectusque multi, & privationes noxiæ in eadem, videlicet applicatio ipſius ad res ſuperfluas, & noxias, & averſio ejus ab utilibus, atque ſalutaribus, ex qua averſione ſunt in ea ignorantiæ errores, & dubitationes, atque opiniones malæ. Scis enim ipſe multos ex hominibus non ſolùm cogitantes mala, & malè, ſed etiam ſtudioſos in his, quales ſunt doloſi, fraudulenti, & omnes inquiſitores malorum, videlicet omnes illi, quos malæ paſſiones, ſeu vitia exagitant. Scis & multos ignaros rerum neceſſariarum, atque utilium, per negligentiam, atque deſidiam, vel ſtudendi, vel diſcendi, vel experiendi, vel ſicut dixi, à creatore poſtulandi bonam, & ſalutarem ſcientiam. Neceſſe igitur eſt ex omnibus his ſubſtantias, de quarum primo peccato agitur, abuſas fuiſſe virtute motivâ nobili, id eſt voluntate in primis, vel non uſas fuiſſe, ut decuit, & conſequenter ſimiliter ſe habuiſſe eas circa virtutem ſuam apprehenſivam nobilem. Manifeſtum autem eſt, quòd ubicunque vis motiva nobilis, vel aliter ſe applicat, quàm ei ſuggerat, vel conſulat virtus apprehenſiva nobilis, quòd alio ſuggerente ex neceſſitate hoc faciat. Quemadmodùm vides in nobis ipſis, qui non aliter applicamur vel divitiis, vel deliciis, vel aliis, quarum applicatione non convenienti corrumpuntur, & pervertuntur animæ noſtræ. Fit enim hoc rebus hujuſmodi quaſi allicientibus, & abſtrahentibus animas noſtras. Quemadmodùm dixit Ariſtoteles, quia deſiderabile imaginatum movet, & dixi tibi in alio tractatu, qui eſt de fide, quia ſuavitates, & pulchritudines, & aliæ diſpoſitiones rerum, quæ apud eas vocantur bonitates, ſicut ignes ſunt ad virtutem

Quod virtus motiva nobilis quandoque ab alio movetur, quàm ab intellectu.

E noſtram motivam, interdùm calefacientes eam, interdùm inflammantes amore ferventiſſimo, & flammis deſideriorum ipſarum. Apparet igitur evidenter ex his, quæ præceſſerunt, quia peccatum actuale primum apud hujuſmodi ſubſtantias fuit abuſus virtutis motivæ in illis. Quapropter fuit, vel amor, vel deſiderium, vel voluntas in rem aliquam, in quam erat indecens, vel indebitum ipſum eſſe, & à qua decens erat, & debitum, ut contineretur, & averteretur. Quapropter neceſſe eſt, vel amorem indebitum, vel deſiderium, vel voluntatem fuiſſe hujuſmodi actum. Aliquid igitur amavit, vel deſideravit, vel voluit, qui hujuſmodi peccato peccavit, à quo debuit continere, & avertere tam amorem, quàm deſiderium ſuum, quàm voluntatem, vel ipſam vim, ſive virtutem motivam ſuam nobilem illi indebitè, & indecenter applicuit.

Quod fuerit primum peccatum Angelorũ.

F

CAPUT LII.

Quod averſio ab incommutabili bono fuit primum peccatum actuale diaboli, quamvis omne peccatum à Deo avertat.

QUia verò unus ex ſapientibus gentis Chriſtianorum doctoribus dixit, primum malum averſionem fuiſſe ab incommutabili bono, & intellexit iſtam averſionem receſſionem eſſe, ſive ſeparationem ab ipſo, conveniens eſt perſcrutari de ſermone tanti ſapientis, & apud prædictam gentem tam famoſi. Reminiſcere igitur in primis ſermonis, quem audiviſti à me in tractatu ſingulari de bono, & malo, ubi audiviſti, quia primum, & maximum malum, & ut ita dicatur, malum omnis mali in moribus, atque rebus moralibus, eſt iſta privatio, quæ opponitur intentioni, G quam ſapiens iſte vocavit adhæſionem, quâ adhæretur incommutabili bono, quod ipſe intelligebat ſolum creatorem. Cùm autem res omnes, quibus adhærere dicit bonum, contraria habeant, dicitur & malum adhærere illis, & reverà malum eſt, ſicut cùm dicitur lepra alicui adhærere, & ubicunque adhærere dicitur quis ei, de quo non convenit. Quo modo unus ex Prophetis Hebræorum dicit de gente ſua: Pueris alienis adhæſerunt. Adhærendum autem eſt creatori, ſicut dixit alius ex Prophetis ejuſdem gentis: mihi adhærere Deo bonum eſt, & alibi: adhæſit anima mea poſt te: lex autem Hebræorum evidenter in multis locis dixit, per inſinuationem, quoniàm adhærendum eſt creatori, tanquàm ſponſo: & de hoc in diverſis tractatibus multa audiviſti per me, videlicet quia creator ſponſus eſt uniuſcujuſque animæ humanæ ſecun- H dùm tres vires ejuſdem nobiles. Secundùm intellectivam quidem in eo. quòd ipſe eſt veritas luminoſiſſima. Secundùm concupiſcibilem in eo, quòd ipſe eſt bonitas ſuaviſſima. Secundùm iraſcibilem verò in eo, quòd ipſe eſt gloria magnificentiſſima, & honor, ſive decus, poſt quem non eſt honor alius, vel decus aliud. Circa hoc enim verſantur omnia nobilia deſideria animarum humanarum, & iſta ſunt quæ ſola rectè, & magnificè, & laudabiliter ab eis quæruntur, & in quibus finiuntur, ac quieſcunt, & à quibus ſolis implentur recta deſideria earum, & propter hoc ab omnibus aliis, quæ per iſta tria non quæruntur, illuditur eis, & remanent vacuæ etiam, cùm aſſequutæ fuerint illa. Cauſa autem in hoc eſt

Quòd ſecundum tres vires adhærendum eſt Deo.

Digitized by Google

quoniàm omnia alia ſunt vanitas per modos, & intentiones, quas alibi jam expoſui tibi. Quapropter cùm illa venantur, vel acquirunt quolibet modo, non verè comedunt, ſed inſtar ſomniantium eis illudunt vanitates hujuſmodi, & hoc eſt, quod inſinuavit quidam ex prophetis antedictis hujuſmodi ſermone ſuo: quomodò, inquit, ſomniat eſuriens ſe comedere, cùm autem expergefactus fuerit, anima ejus vacua eſt; & quomodò ſomniat ſitiens ſe bibere, cùm autem evigilaverit anima ejus, arida eſt; ſic erit multitudo gentium, &c. De hoc eodem dixit ſapientiſſimus gentis illius, juſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſaturabilis, juſtum intelligens eum, qui ſe, & ſua omnia ſervitio creatoris impendit, vel potiùs reddit, ut debitor eorum in hoc, & ad hoc; non enim venatur vanitates, nec laborat ad acquiſitionem earum, ſed vera, & ſolida bona, quæ ſola animam ejus implere ſufficiant, totis ſtudiis exquirit; hæc autem ſunt tria illa, quæ nominavi tibi, quæ ſunt creator unus benedictus Jam autem dixi tibi, quia omnia alia vanitas ſunt, & etiam falſitas ſecundùm Ariſtotelem, & de hoc audiviſti intentionem meam, in prima parte hujus ſapientialis, ac divinalis magiſterii. Ratio verò vanitatis veriſſima ſecundùm intentionem communem & opinionem, eſt hæc, ut ita dicatur, vanitas eſt, quod nec confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti. Venter verò impiorum idcirco evidenter eſt inſaturabilis, quoniàm clauſus eſt, & obſeratus inappetibiliter ad bona vera & ſolida, à quibus ſolis impleri poſſet apertus autem, & hians inclauſibiliter ad vanitates, à quibus non eſt poſſibile illum impleri, & intendo in ſermone ſapientis iſtius ventrem impiorum famem eorum vel deſiderium. Ad iſta igitur tria bona eſt converſio animarum noſtrarum decens, & debita, caſtaque, & incorrupta, ad alia verò quæcunque illa ſint, turpis eſt, & fornicaria. Quapropter manifeſtum eſt tibi ex his, quoniàm adhærendum eſt creatori, tanquàm ſponſo legitimo ab animabus noſtris; ab aliis autem continendum eſt eis, & avertere ſe debent, tanquam à corruptoribus, & adulteris videlicet, ab adhærentia eorum, ſcilicet, ne quærant ea per ſe, aut propter ſe, & ne diligant ea per modos iſtos, aut gaudeant in eis, & intendo ne admittant ea, quaſi ad torum, & amplexus. Iſta enim ſoli ſponſo creatori debentur. Verùm, ut pediſſequas, ſeu ancillas introducentes eas in thalamum ſponſi, vel ad ſponſum creatorem, eas admittere, & etiam diligere non eſt injuria ſponſi, vel maculatio ſponſarum, cùm manifeſtum ſit creaturas omnes introducere animas noſtras ad ipſum ſponſum, veritate quidem ſua noſtram vim intellectivam ad veritatem luminoſiſſimam primam, & ſuavitate ſua ad bonitatem ſuaviſſimam primam, & honorabilitate ſua, ideſt, ſi quid habet, quod pertineat ad vim noſtram iraſcibilem nobilem, ad gloriam magnificam, & honorem ultimum creatoris. Et intendo ſuavitatem veram non ſomniatam, quales ſunt delitiæ corporales, de quibus jam patefeci tibi, quia palatis corruptis ſolummodò ſuave ſapiunt, ſanis autem, & mundis abominabiliter deſipiunt, & propter hoc verus eſt ſermo nobilis illius moralis philoſophi ad diſcipulum ſuum, dicentis: Crede mihi, gaudium verum res ſevera eſt Adhærendum, etiam eſt creatori ut fonti bonorum indeficientiſſimo ac redundantiſſimo. Adhærendum, ut Domino, contra omnia, quæ ſe erigant contra ipſum, vel ei modo quolibet adverſantur. Adhærendum eſt ei, ut magiſtro, ſive doctori, & à doctrina, atque diſciplina ejuſdem nullatenùs

Quid eſt vanitas.

Qualiter diligendus eſt Deus, & alia in ordine ad eum.

A recedendum. Adhærendum eſt ei, tanquàm medico ſoli animarum, & à cura ejus, atque curatione nullatenùs declinandum. Adhærendum eſt ei non ſolùm, ut Salvatori, ſed etiam, ut ſaluti, ut vitæ à quo ſeparatio vera mors eſt, & ſola veriſſimè eſt. Adhærendum eſt ei, ut cuſtodi, & defenſori unico, à quo ſi vel ad punctum ſe quis ſeparaverit, vel abrumpi permiſerit, incidit in fauces, & dentes beſtiarum crudelium, in manus, & gladios hoſtium implacabilium. Quocunque iſtorum modorum intellexeris ſermonem prophetæ prædictum, quo dixit: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, non errabis Vides igitur evidenter in omnibus iſtis intentionibus, quoniàm ſeparatio, receſſio, averſio à creatore contraria eſt unicuique adhærentiarum, quas nominavi, & numeravi tibi. Verùm averſio eſt, qua tanquàm dorſum vergit à creatore, qui ab eo recedit. Intentio verò receſſionis nihil innuit de dorſi ad creatorem verſione. Qua igitur adhærere creatori totum, & ſolum bonum eſt animarum noſtrarum, ſive noſtrum, privatio oppoſita ex neceſſitate eſt totum, & ſolum malum earum, & noſtrum.
B Ampliùs. Hoc toto, & ſolo ſalvato boni ſumus, & omni modo à malitia culpabili immunes, & liberi; quare hoc eſt bonum totum, & ſolum, atque tota, & ſola bonitas, qua boni ſumus; contrarium igitur, ideſt privatio huic bonitati oppoſita, tota, & ſola malitia eſt, qua mali ſumus Ampliùs. Dixit Ariſtoteles, & verè, quia per ſe eſt, quo poſito ponitur, & quo remoto removetur; poſita autem hujuſmodi adhærentia ad creatorem boni ſumus, remota autem non boni ſumus: ipſa igitur eſt, qua per ſe boni ſumus, quare privatio oppoſita eſt malitia, qua per ſe mali ſumus Ampliùs. Poſita hujuſmodi privatione, & ſola, mali ſumus, & ponitur malitia noſtra, & remota removetur; ipſa igitur eſt per ſe malitia noſtra, & ipſa eſt, qua per ſe mali ſumus. Quare ante eam nullum malum,
C cùm ea, quæ per ſe ſint, prima fiant unicuique ſubjecto. Ampliùs Si ante eam eſſet, vel fuiſſet malum, ſive malitia, non ea remota removeretur malum, aut malitia, cùm antequàm ipſa eſſet, non eſſet ipſa, & eſſet malum, ſive eſſet ipſa malitia, ipſa igitur eſt primum malum Ampliùs. Quicunque actus, vel uſus ponatur fuiſſe in hujuſmodi ſubſtantiis, ſi non avertit eas à creatore permittit eas adhærere creatori adhærentia quacunque; quare permittit eas eſſe bonas, & patitur ſecum bonitatem, quæ tota, & ſola bonitas earum erat. Non eſt ergo poſſibile hujuſmodi actum, vel uſum fuiſſe malum, qui patiebatur & bonitatem veram ſecum, & bonas eſſe hujuſmodi ſubſtantias; ſi quis igitur actus vel uſus malus fuit, fuit, quia ſcilicet avertebat à creatore, averſio igitur à creatore fuit malum primum, ſive malitia prima. Cùm nihil in actibus, vel operationibus, vel etiam in diſpoſitionibus, aut habitibus, aut paſſionibus poſſibile ſit eſſe malum, niſi per ipſam, ipſa enim ſublata, ut
D dixi, impoſſibile eſt aliud eſſe malum culpabile, vel moribus bonis, atque virtutibus nocivum. Hujuſmodi autem exempla etiam in omnibus vitiis, & malis operibus manifeſta ſunt Si enim avaritia non averteret avarum à creatore, in nullo mala eſſet. Et intendo, quia ſi animæ noſtræ poſſent ſimul adhærere creatori adhærentia debita, & convenienti, atque divitiis adhærentia, quæ eſt avaritia, nullo modorum eſſet mala avaritia, cùm ſalva tota, & ſola bonitate qua boni ſumus, vel eſſe poſſumus, eſſet in nobis.

Digitized by Google

CAPUT LIII.

Quòd avaritia avertit à creatore, & quod eſt ponenda connexio virtutum, & quod averſio non videtur totaliter intenta ab angelis malis.

NIſi fortè, quis erroneus dicat, quia avaritia poſſet eſſe avaritia ſine averſione à creatore, cùm reverà avaritia eſſe non poſſit, quin multa impedimenta, & multas læſiones inferret bonitati, ſive adhærentiæ, qua convenienter, & debitè adhærendum eſt creatori, licet non totaliter avarum averteret ab eodem. Scito ergo, quia ſermo iſte ſermo hominis eſt optantis aliquem conſortem, vel participem poſſe eſſe creatori in jure, & dominatione animarum noſtrarum, & creatorem non offendi, ſi in parte adhæſerimus, & ſervierimus alii, quàm ipſi. Et jam audiſti ex lege Chriſtianorum, quia nemo poteſt duobus ſervire, & ipſe legis illius lator manifeſtè dixit: Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. Et cauſas multas audiviſti à me ſuper hoc in expoſitione ſermonis, quem ſcilicet dixit legis illius lator. Addam autem hîc tibi, quia non eſt verè, & propriè avarus, niſi qui amat pecuniam propter ſe ipſam, tanquàm per ſe bona, per ſeque expetenda ſit. Qui enim amat eam ad bonos, & pios uſus, non avarus eſt, imò verè largus eſt. Hæc enim intentio multùm longè eſt ab avaritia, & verè contraria avaritiæ. Amor verò, quem dixi tibi, videlicet, quo aliquis amatur propter ſe, amor debitus eſt ſoli creatori. Quare manifeſtum eſt, quia non eſt impendendus ullo modorum vel pecuniæ, vel alii. Et propter hoc qui eum impendit alii, idolum ſuum illud facit, & ſervit ei ſervitute, vel ſervitio, quæ eſt idolatria. Præſertim cùm amor potiſſima pars ſit divini cultus. Ampliùs. Hoc habet evidenter doctrina, & lex Chriſtianorum, quòd avaritia eſt ſimulacrorum ſervitus, & quoniàm nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Cauſa autem in hoc eſt evidentiſſima, quoniàm creator ordinavit nos ad pecuniam ut nos ei ſuperponeret, & eam ſub pedibus noſtris poneret. Totam enim terram, & omne, quod terrenum eſt, poſuit ſub pedibus noſtris corporalibus, ſicut dicit unus ex prophetis hebræorum loquens ad ipſum: Omnia inquit ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Ipſæ etiam pecuniæ totis viribus ponderum ſuorum contendunt, & conantur eſſe ſub pedibus noſtris, nec inde levari, niſi invitæ, & per violentiam patiuntur, manifeſtè oſtendentes avaris iniquitatem, atque perverſitatem avaritiæ, quibus ſe pecuniis ſpiritualiter ſubjecerunt. Hæc igitur eſt perverſitas avaritiæ, quòd pecuniam, quam avari corpore calcant, corde adorant. Ex quo palàm eſt illos, & pecuniam habere viliſſimam forinſecùs, & eam habere honoratiſſimam intrinſecùs, quam pedibus corporis calcant, & inclinato capite ad eam, hoc eſt, corde per amorem illum, ut Deum, adorant. Audiviſti etiam per me, quoniàm amor unio quædam eſt amantis, & amati. Unitus igitur eſt omnis avarus omni pecuniæ, quam per avaritiam amat. Iſtas etiam pecunias, quas amore hujuſmodi amat, efficit membra ſua Et hoc ipſi ſermonibus ſtrictiſſimis confitentur avari, dicentes de uno prædio, vel molendino, vel furno, hoc eſt melius membrum, quod habeo. Non adhæret igitur creator unitus pecuniæ, cùm apertè contineat lex Chriſtianorum, & doctrina, quoniàm qui adhæret deo unus ſpiritus eſt cum illo, cùm non ſit poſſibile, ut avarus ſit unus ſpiritus cum deo, & una terra cum pecunia, vel in parte, vel in toto. Ampliùs. Cùm unaquæque iniquitas, & una-

De avaritia, & avaris.

E quæque macula mortaliter culpabilis, ſive damnabilis ſit, maculet animam humanam, & creatori eam abominabilem, atque inimicam conſtituat, impoſſibile eſt, ut in parte avarus ſit aliquis, & nihilominùs creatoris amicus. Non enim neceſſe eſt eum, qui inimicus eſt alicujus, omnia nocumenta intuliſſe illi, & omni genere impugnationis impugnaſſe ipſum. Alioquin non eſſet poſſibile quemquam hominum habere aliquem inimicum, cùm non ſit poſſibile omne genus inimicitiarum vel exercere, vel exercuiſſe, quemquam in alium. Ampliùs. Cui dubium eſt, quin ex uno caſu in lutum profundiſſimum inquinatur, qui in illud ceciderit, ſimiliter cui dubium eſſe poteſt, cui unica mors illata eſt, quin mortuus ſit. Quare non relinquitur tibi dubium, quin avarus, cùm ejus cor in lutum profundiſſimum divitiarum ceciderit, atque demerſum ſit ipſum eſſe inquinatum, & propter hoc omni appropinquatione ad creatorem indigniſſimum, ſimiliter omnem avaritiam mortem eſſe, & extin-
F ctionem ejus, in quo eſt, inquantùm ad vitam gratiæ, qua deo, & ex deo vivimus. Non enim poſſibile eſt, vel fuit unquàm, aliquem prolabi in omnem avaritiam; non enim poſſibile eſt aliquem omne furtum committere, aut omnem rapinam exercere, neque omni fraude, & dolo pro obtinenda pecunia alios circumvenire, quoniàm non eſt poſſibile quemquam omne aurum concupiſcere, vel quaſlibet alias ex divitiis, cùm non ſit poſſibile ipſum omne aurum, vel omne argentum videre, vel alio modo apprehendere, apprehenſione dico particulari, neque ad hoc, ut aliàs injuſtus ſit, neceſſe eſt ipſum omnem injuſtitiam exercere, quare neque ad hoc, ut malus ſit, neceſſe eſt ipſum exercere omnem malitiam, aut omnis malitiæ opera: ſic neque ad hoc, ut idolatra quis ſit, neceſſe eſt
G ipſum omne idolum adorare, neque ad hoc, ut ſit fornicator, omnem fornicationem agere, aut omne adulterium ipſum perpetrare ad hoc, ut adulter ſit. Quare manifeſtum eſt in omni genere malitiæ malum eſſe ſimpliciter, & dixi quemcunque, qui vel uno opere illius ſe ipſum maculaverit, quare ſeparatum à creatore, tam ſimilitudine, quàm offenſione, & vinculo, ſive adhærentia, qua deo adhæretur, diruptis. Quemadmodùm enim ligatura fortiſſima ſibi cohærent invicem colligata, ſic amore ſincero adhæretur creatori. Et propter hoc offenſione ipſius ſit ſeparatio, ſive averſio ab illo. Tibi etiam manifeſtum eſt uſu notiſſimo, ac vulgariſſimo dici amicos amoris vinculo ſibi invicem colligatos, & odio, vel inimicitia, ab invicem ſeparati. Quamquàm autem ita de amore dixerim, quòd eo adhæretur creatori, nihilominùs tamen verum eſt,
H quòd unaquaque virtutum, quæ in eum ſunt, adhæretur eidem, videlicet fide, qua creditur in eum, & timore, quo ipſe timetur, ſimiliter & ſpe, qua in ipſum ſperatur, ſic quoque honore, quo honoratur, & pudore, quo omnis turpitudo propter jugem inſpectum ipſius, ſive intuitum, erubeſcitur; & ad hunc modum ſe habet de aliis, quæ in eum ſunt, ut dixi priùs, & nominavi eas, & numeravi tibi in tractatu ſingulari de virtutibus, amore tamen, quia eſſentia ipſa ſua unitio eſt amati ad amatum, & vinculum, quo adhæret, atque conſtringitur, potiſſimè creatori adhæretur, cùm fuerit perfectus perfectionibus ſuis ſeptem, quas in eodem tractatu didiciſti. Relinquitur igitur ex omnibus his non eſſe poſſibile dimidiationem iſtam, ſive particulationem in ſubſtantiis intelligentibus, videlicet, ut in parte creatori adhæreant, & in parte ab eo ſeparatæ ſint, ſeu averſæ, tum propter impartibilitatem earum, quæ partitionem, & partes non recipit,

recipit, tum propter proportionalitatem meritorum, & retributionem, tum etiam propter inſeparabilem concomitantiam virtutum veri nominis, & veræ rationis; cùm enim proportionabilia ſint merita retributionibus ſuis, ſicut non eſt poſſibile in retributionibus eſſe, vel fieri dimidiationes, vel particulationes hujuſmodi, ſic neque in meritis, quæ ſunt prædictæ virtutes, & opera earum. Quia igitur non eſt poſſibile ſubſtantiam quamcunque intelligentem in parte obtinere retributionem gloriæ futuræ, & in parte damnationem miſeriæ contrariæ; ſic non eſt poſſibile ullo modorum eam hîc habere meritum in parte futuræ gloriæ, & in parte demeritum damnationis contrariæ. De ipſis verò virtutibus, de quibus hic eſt ſermo, declaratum eſt ibidem tibi eam eſſe concomitantiam, atque connexionem ipſarum, ut non ſit poſſibile, vel unam eſſe in quocunque ſubjecto, in quo, & omnes aliæ non ſint, & intelligo unamquamque ſine aliis omnibus eſſe non poſſe, ita ut ubicunque una eſt impoſſibile ſit aliam quamcunque deeſſe. Dico igitur, quoniàm averſio à creatore non patitur, vel unum ex tantis bonis, quantæ ſunt virtutes hujuſmodi, ſecum eſſe. Ex quo etiam apparet, quantum malum ſit ipſa averſio à creatore, per quam & ipſe fons bonorum, id eſt creator benedictus, amittitur, & etiam tam precioſa, tamque ſalutaria dona ipſius, ut ſunt virtutes, & dona, quibus decorat, illuſtrat, & perficit animas noſtras juxta beneplacitum ſuum. Quemadmodùm cùm ſol viſibilis amittitur, & totus calor ipſius, & tota radioſitas. Dico inſuper, quoniàm averſio nec inquiſita, nec intenta fuiſſe videtur ab aliqua primarum ſubſtantiarum, quia nec etiam ab hominibus in nocte hujus vitæ, atque perverſitate degentibus, quæri, vel etiam deſiderari videtur. Qui enim quærit appropinquare pecuniæ, & conjungi, & poſſeſſioni, ſive dominio, non intendit recedere à creatore, nec hujuſmodi receſſus quæritur, vel deſideratur apud ipſum, quemadmodùm vides de ambulante, quem movet deſiderium eſſendi in loco, ad quem tendit, quia non movet eum, vel amor, vel deſiderium recedendi à loco, in quo erat, nec receſſus hujuſmodi eſt apud ipſum quæſitus, vel deſideratus, eſt tamen conſequens acceſſui ad locum alterum. Non enim poſſibile eſt, ut quis accedat ad locum aliquem, quin deſerat locum, in quo erat ante, & quin recedat ab illo, licet hoc deſiderium, vel intentio ejus non ſit. Nec veriſimile eſt aliquam ex primis eſſentiis intelligentibus ejus perverſitatis fuiſſe, cùm peccaverunt, ut iſtud malum averſionis, ſcilicet, vel ſeparationis à creatore quæſierit, vel intenderit, cùm manifeſtè nihil habeat bonum, vel deſiderabile, vel apparens alterum iſtorum. Non enim veriſimile eſt aliquam earum in eum iracundiæ furorem exarſiſſe adversùs creatorem, ut eum negare, offendere, & ab eo omninò recedere deſideraverit, vel intenderit, quemadmodùm videtur in aliquibus, qui ex dolore amiſſionis alicujus rei, quam charam nimis habebant, vel cujuſcunque alterius infortunii, in tantam iram adversùs creatorem exardeſcunt, ut excogitatis blaſphemiis, & contumeliis ipſum offendere conentur, negentque ipſum, & recedant ab ipſo, per intentionem, & inquiſitionem ipſius receſſionis ab ipſo. Hujuſmodi autem ſtatus non fuit apud primas ſubſtantias, & etiam ſi fuiſſet, non eſſet tamen primum peccatum eorum iſta receſſio, vel averſio, ſed dolor immoderatus, aut ira, quemadmodùm vides in propoſito exemplo.

Quod virtutes ſe comitantur.

Quod averſio à deo non quæritur, nec intenditur.

Quod per furorē non deſideraverunt angeli recedere à Deo.

A B C D

CAPUT LIV.

Quòd ſeparatio à creatore fuit primum malum; & prius averſione ab ipſo, ſicut cauſa prius cauſato, & utrùm averſio prior converſione.

DEbes tamen ſcire, quia averſio, & receſſio, & ſeparatio, in corporalibus, ſive corporibus, dicuntur ſecundùm duas intentiones. Eſt enim receſſio intentio motus interdùm, & eſt idem motus receſſio ab uno loco, & acceſſus, ſive acceſſio ad locum appoſitum, ſicut via una, & eadem, eſt à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas; non enim movetur duobus motibus, qui ab uno loco movetur ad alium; ſic ſe habet, & in ſpiritualibus, quemadmodùm, qui appropinquat pecuniæ movente avaritia modo appropinquationis, quem dixi, eadem appropinquatione, ſive motu ſpirituali recedit, & elongatur à creatore, & eſt unus, & idem motus ſpiritualis appropinquatio hæc, & elongatio. Et iſte motus non eſt, niſi concupiſcentia, vel deſiderium pecuniæ, qualem concupiſcentiam, vel deſiderium, ſuggerit, vel potius inflammat avaritia. Dicuntur inſuper ſeparatio, & receſſio privationes oppoſitæ diſpoſitionibus, quæ dicuntur adhærentia, conjunctio, propinquitas, ſocietas. Viri namq; ſancti deoq; dilecti dicūtur habere ſocietatem cum deo, & eſſe prope eū, & habere eū prope ſe. Separatio igitur à deo, ſive averſio dicitur privatio adhærentiæ, qua deo adhærendum eſt, & ipſa eadem dicitur averſio, qua ab eo receſſum eſt, quaſi verſo tergo, ſeu dorſo ad ipſum. Et quoniàm non fit hoc niſi adhærendo alii, neceſſe eſt primas iſtas ſubſtantias creatore deſerto per hujuſmodi privationem alii, vel aliis adhæſiſſe, & hanc adhæſionem, ſive adhærentiam, vocant doctores Chriſtianorum converſionem ad ea, quibus per eam adhæretur, reverſionem verò, qua ſubſtantiæ intelligentes ab hujuſmodi recedentes ad creatorem convertuntur, ita ut ei adhæreant. Manifeſtum igitur eſt tibi, quia primum malum, id eſt nocumentum, & damnum, atque maximum omnium damnorum, & nocumentorum eſt privatio hæc, videlicet ſeparatio à creatore. Primus verò actus malus converſio fuit ad aliud, per quem deſertus eſt creator, ſive derelictus, & ſeparatæ ipſæ ab eo. & hujuſmodi actus, ſcilicet converſionis, per quem adhæſerunt alii, quàm creatori, eſt malum, ex quo provenit ſeparatio earum à creatore, quare ex neceſſitate eſt prius illa, cauſa enim efficiens ſemper prior eſt cauſato ſuo. Quòd ſi dixerit quis, quia hujuſmodi actus non fuit malus, niſi propter malum averſionis à creatore, ſive ſeparationis ab ipſo, ergo malitia illius prior eſt quàm malitia actus hujuſmodi, vel major, indubitanter verum dicit, quia malitia ejus, & prior, & major illo genere prioritatis, & ordine, quo omne, quod eſt per ſe, prius eſt eo, quod per accidens, ſive per aliud, & unicuique ſubjectorum prius eſt quod eſt ei per ſe, quàm quod eſt ei per aliud. Quia igitur malitia per ſe eſt hujuſmodi privationi, & tanquàm eſſentialiter. neceſſe eſt & prius, & magis illam eſſe malam, quàm actum hujuſmodi, non tamen neceſſe eſt illam prius eſſe: cujus exemplum eſt in cœcitate, & actu, vel paſſione, per quam cœcitas irrogatur, aut viſus aufertur; neceſſe enim eſt hujuſmodi actum, vel paſſionem priorem eſſe cœcitate, utpote cauſam ipſius, non tamen plus, vel magis eſſe malam, cauſa quidem eſt hujuſmodi actus, vel paſſio, ſcilicet, ut cœcitas ſit, ſive ut viſus non ſit, non autem cauſa eſt malitiæ ipſius cœcitatis, hoc eſt, ut cœcitas ipſa mala ſit. Cœcitas enim in ſe ipſa,

Quod primum malū fuit ſeparatio à creatore.

Digitized by Google

& per ſe ipſam mala eſt malitia natu~~, ideſt, ipſo nocumento, & damuo, quod ipſa eſt, vel irrogat naturæ, ejus igitur malitia non eſt ei adveniens aliunde, vel ex eauſa alia. Cauſæ verò cœcitatis non eſt malitia, niſi ab ipſa cœcitate, & æqui vocè dicuntur mala nocivum, & nocumentum. Nocivum enim effectivè, nocumentum verò per ſe, & eſſentialiter. Actus autem hujuſmodi, vel paſſio, non dicitur malus, ſive mala, niſi effectivè, tanquàm ſcilicet nocivum, hoc eſt, quia vel bonum aliud adimit, vel malum infert, aut imprimit. Simile exemplum de hac re eſt in actu ſpoliationis, & nuditate, in actu depauperationis, & paupertate, in actu mutilationis, & membri carentia, & in actu vulnerationis, & morte, ſimiliter in actu extinctionis luminis, ſive ablationis ipſius, & tenebroſitate, & ad hunc modum in actu occaſus ſolis, & nocte. Manifeſtum igitur, quia primum malum, ideſt nocumentum, ex neceſſitate fuit ſeparatio à creatore, ſive amiſſio ejus, ſive deſertio; primum verò malum, ideſt primum noxium, vel nocivum, primus hujuſmodi actus abuſivus, vel privatio prima debiti uſus, aut actus virium, quas ſæpè nominavi tibi. Quòd ſi quis dixerit, quia prima adhærentia, ſive primum adhærere, quo adhæſum eſt alii, quàm creatori, per ſe, & in ſe malum, & turpe fuit; quare nihil prius fuit eo malum, & propter hoc ipſum fuit primum malum: Reſpondeo, quoniàm ſic adhærere ipſa intentione, & ratione ſua, mox nominatum juxta ſermonem Ariſtotelis conjunctum eſt malo, quod eſt deſertio creatoris, ſive averſio ab illo. Non enim adhæret creatori, qui alii adhæret, quàm ipſi, quemadmodùm non adhæret uxori ſuæ, qui alii adhæret. Et de aliis modis adhærendi, qui ſupra nominati ſunt tibi, ſimiliter ſe habet. Reverà igitur adhærere alii, quàm creatori, quolibet dictorum modorum in ſe, & per ſe malum e..., juxta intentionem, quam dixi & non ſolùm noxium, & maximum bonum, quod eſt creator, adimens, vel auferens, ſed etiam turpe, & iniquum turpitudine omni adulterio incomparabili, & omni iniquitate ab æquitate in infinitum remotiori. Si quis enim ſpreta uxore, ſeu deſerta, quæ utique fœmina eſt, & conditione naturæ eo in nullo inferior, alii fœminæ adhæreat, minùs longè incomparabiliter à caſtitate conjugali ſe facit, quàm ſubſtantia intelligens, quæ deſerto ſponſo ſuo, qui eſt creator benedictus, alii cuicunque rei adhæret. Nec eſt ſolummodò hujuſmodi adulterium, ſeu fornicatio, qua fornicantur multæ ex hujuſmodi ſubſtantiis à creatore, ſicut aliqua ex nephariis abuſionibus, quibus ſe polluunt homines ignominioſè, quemadmodùm ſi ſpreta uxore quis aſinæ ſuæ commiſceatur, & adhæreat, ſed incomparabiliter majori diſtantia à conjugio creatoris, majorique abuſione ſuper omnem comparationem, cùm miſcentur rebus, & adhærent, quæ nec ſui generis, nec ſui etiam prædicamenti ſunt, multæ ſubſtantiæ rationales. Vanitas enim, & voluptas nec de genere ſubſtantiarum ſunt; manifeſtum eſt tibi, qualiter fornicentur à creatore cum eis homines. Si ergo nepharia abuſio eſt in hominibus commiſceri, & adhærere animalibus non ſuæ ſpeciei, quantò fortiùs, & incomparabiliter major, & intolerabilior magiſque abuſiva eſt fornicatio cum vanitatibus, & voluptatibus, deſerto nobiliſſimo, ac ſublimiſſimo ſponſo, qui eſt creator benedictus? Vides igitur turpitudinem, & immenſitatem ipſius turpitudinis, qua turpe eſt cuicunque alii adhærere creatore deſerto: immenſitas verò eſt iniquitatis, qua ab æquitate veriſſima recedunt avari, tanto viliora ſe ipſis adorantes, & nobiliſſi-

Quòd primum malum noxium, ſive nocivum fuit actus adhærendi alii, quàm creatori, & primũ malum, ideſt, nocumentum, fuit ſeparatio à creatore.

E mum, ac præſtantiſſimum creatorem omnium omni inimicitia, omnique fragmento auri, vel argenti, omnique luto, & ſtercore viliorem habentes, ſtudioſè namque, & laborioſè ſtercora de plateis colligunt, coacervant, atque cuſtodiunt, ipſum verò creatorem optimum nec curant, nec recogitant.

CAPUT LV.

Quod origo peccati fuit ſuperbia, & de origine invidiæ ſimiliter, & aliorum peccatorum.

QUoniàm autem, ſicut audiſti in præcedentibus, nec ira, nec dolor, nec gaudium, locum F primum habere potuerunt apud primas ſubſtantias, niſi fortè dolor invidiæ, ſicut nonnullis viſum eſt, qui dixerunt primam, ac nobiliſſimam ſubſtantiam invidiſſe ipſi filio Dei, quem videbat ſibi infinita ſupereminentia gloriæ præcellentem, conveniens eſt de hoc ipſo aliquantulùm perſcrutari; non enim negligendi, vel prætereundi ſunt ſermones tantorum ſapientum in rebus arduis, tamque longè à conſuetudine noſtra diſtantibus. Dico ergo in primis, quia dolor invidiæ locum habet ubi ex aliena quacunque præſtantia, ſeu præeminentia, quoquo modo quis, vel cognoſcit, vel timet, excellentiæ ſuæ vel diminutionem, vel læſionem, vel obſcurationem, ideſt apparentiæ quolibet modo minorationem. Verè autem hîc nihil horum eſt, quod cauſa poteſt eſſe doloris, vel invidiæ, niſi fortè quis dicat, amorem ſingularitatis in bonis quibuſlibet dolorem hujuſmodi generare, quod & hîc nullo G modorum locum habere videtur. Hæc enim ratio cogeret illam nobiliſſimam, ac primam ſubſtantiam invidiſſe ipſi patri, ac primogenitori, etiam ſpiritui ſancto, cùm in ultimitate præſtantię ſit uterque eorum præſtantiſſimus, & per utriuſque eorum præſtantiam, ſeu præcellentiam non minùs prohibeatur ſingularitas, ſeu ſolitudo, quam amaſſe dicitur, quàm per præcellentiam ipſius filii Dei; quare eadem cauſa, & æqualis per omnia invidendi utrique eorum, quæ fuit invidendi filio Dei. Ampliùs. Amor hujuſmodi ſingularitatis ſuperbia eſt eſſentialiter, & per ſe; hæc enim eſt ſupra ſe ire, nolle ſcilicet habere parem, vel majorem; Dei autem filius incomparabiliter ei ſupereminens nec erat ei par, nec ullo modorum poterat ei par videri; hoc igitur non fuit malum, videlicet, quòd noluit habere parem filium Dei, cùm juſtiſſimum H eſſet non eſſe parem ipſi filium Dei, in aliis verò parem non habebat; quare ſatisfactum erat voluntati ejus in parte iſta. Ampliùs. Hoc ipſum nolebat creator, quare voluntas ejus concordabat in hoc voluntati juſtiſſimæ creatoris. bona igitur erat voluntas hujuſmodi, & bonum velle. Quòd ſi dixerit, quia nolebat habere ſuperiorem filium, & hic erat ei dolor, videlicet quòd ſuperior erat ei filius, vel eo præſtantior, iſta cauſa, ut jam dixi, doloris erat communis erga totam beatam, & glorioſam Trinitatem. Neceſſe igitur eſt aliam cauſam fuiſſe doloris hujuſmodi; quod ergo veriſimilius videtur hoc eſt, ut dicat qui hoc dicit, quia prævidit filio Dei regnum ex humano genere acquirendum, & congregandum vel in terra, vel tam in terra, quàm in cœlo. Ambivit igitur ſecundùm iſtam ſententiam ſimile regnum, licet contrarium, in hominibus. Sed cur non ſimiliter, & in angelis ſibi regnum ambivit, cùm videret, & in angelis tunc regnantem, & poſtmodùm regnaturum filium Dei? ſed & hæc cauſa ſimiliter communis erat toti Trinitati. Non enim, vel magis, vel meliùs regnabat, vel

Nota, ex quibus conſurgit invidia.

vel regnaturus erat in angelis Dei filius, quàm pater, vel Spiritus ſanctus. Subjungit autem auctor hujuſmodi opinionis teſtimonium cujuſdam prophetæ ex prophetis hebræorum ex perſona filii dicentis. Si propter me orta eſt tempeſtas, mitte me in mare, dicentis inquam hoc ad patrem, & Spiritum ſanctum. Et intelligo tempeſtatem hanc totius generis humani lapſum in corruptionem, & mortem. Hanc igitur dicebat filius ſecundùm hoc propter ſe ortam, tanquàm in invidiam ſuam ab hujuſmodi primo, & principali angelo, concitatam. Sciens enim iſte princeps malitiæ non poſſe cedere in partem ſuam, & regnum homines, niſi per malitiam per quam à deo receditur, ſeduxit primos homines, & ad inobedientiam creatoris induxit, ſicque eos in partem ſuam traxit, permittente namque creatore omnes mali cedunt in partem ejus, & regnum, & ſoli boni ad partem, & regnum filii pertinent, ſicut ipſemet dixit per quędam ex prophetis hebręorum: Funes, inquiens ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Habet autem admirationem non levem quomodò regnum, vel regnare, velle potuit, qui ſe exemi non poſſe ab omnimoda ſervitute, pleniſſimaque ſubjectione filii debita, nec debuit, nec etiam potuit. Se enim nihil poſſe, vel in ſe, vel in ſubditos, niſi quantùm creator daret eidem, vel permitteret, nullo modorum ignoraſſe videtur, cùm etiam ſtulti homines ab hujuſmodi ignorantia immunes ſint Ampliùs Cùm ignorare, vel dubitare non potuerit, nec aliquid ſe poſſe facere contra voluntatem filii Dei certum habuerit, certum igitur ei fuit, ſe non poſſe eſſe niſi ſubjectum ei ſubjectione pleniſſima, & niſi ſervum ejus ſervitute omnimoda. Quare manifeſtum erat ei ſe, nec regem, nec Dominum poſſe eſſe, niſi falſiſſima, ac vaniſſima nominatione. Ampliùs. Ipſam ſubjectionem, & obedientiam eſſe totaliter in poteſtate, & beneplacito filii Dei, ut eum ab ea dejiceret, ac deturbaret, quandocunque beneplacitum ejus eſſet, videbat evidenter; qualiter igitur contra voluntatem ipſius, & verè per furtum, atque rapinam, & ipſius filii Dei injuriam, hujuſmodi dominationem ſeu regnum obtinere volebat? Ampliùs. An neſciebat, quia ſervitus creatoris, cùm perfecta fuerit, regnatio nobiliſſima eſt, beatitudoque, atque fœlicitas. rebellio verò, & erectio contra ipſum nequiſſima ſervitus, atque viliſſima? Qualiter igitur verum, ac nobiliſſimum regnum hujuſmodi, hoc eſt, ſervitutem creatoris, viliſſimæ, ac nequiſſimæ ſervituti, illuſionique turpiſſimæ non prætulit? Præſertim cùm ſervitus illa creatoris nec onus haberet ullum, neque moleſtiam, neque depreſſionem in illo ſtatu, quin potiùs libertatem, jocunditatem. atque honorem, & gloriam inæſtimabiles. Ampliùs. Cùm ex parte filii Dei non ſolùm non minueretur, aut non læderetur quocunque modorum fœlicitas ſubſtantiæ illius primæ, quin potiùs & eſſet, & augeretur ei, ex ipſo, & ex parte ipſius, qualiter invidere potuit illi? Vides igitur manifeſtè, quia ſermo iſte cogit ſuperbiam eſſe primum peccatum, quæcunque invidia, ideſt cujuſcunque intentionis, hæc fuerit. Omnes etiam ſacri Doctores in hoc conveniunt, quòd invidia filia ſit ſuperbiæ, & multi primogenitam filiam ejus illam dicunt. Quòd autem ſuperbia primum peccatum ſit; ſicut dicit ille ſapientiſſimus de gente hebræorum: Initium omnis peccati ſuperbia, evidenter oſtenditur, ſi memoriter retines, quòd primum peccatum ex neceſſitate fuit abuſus virtutis motivæ nobilis in ſubſtantia ſic peccante. Dico enim, quia non conſque ſua erat illius ſubſtantiæ vis motiva nobilis, ut liceret eidem uti illa quocunque modo voluiſſet; hoc eſt, ut ullo modorum ea illi abuti liceret. Abutens igitur ipſa uſurpavit in ea dominium, quod in illa non habebat. Quare elevavit ſe vel exaltavit ſuper vim illam in dominium, quod in ea non habebat. Quare ſuperbivit, ideſt ſuper illud, quod erat, vel habebat, ſic abutens, ivit, & inde dictum eſt ſuperbire, quaſi ſuper ire. Ampliùs Ex ordinatione creatoris totaliter debebat eſſe ſubjecta totaliterque ſerviens eidem; & intendo totaliter, hoc eſt, ex omnibus ſuis, & pro omnibus, ſicut & illa omnia ex mera largitione creatoris acceperat. Quia igitur in omnibus, & per omnia ſerviens, vel ſervus creatoris; tenebatur in nullo eſſe Dominus, & quia in omnibus, & per omnia eidem ſervire tenebatur ex neceſſitate; & in nullo dominari, & in nullo dominum ſe gerere, ideò tenebatur voluntatem propriam, & in omnibus abdicare, & voluntatem creatoris ſolam facere Ubi ergo econtrariò ſe habuit, ſe quantùm ad hoc Deum geſſit. Superbivit igitur, cùm à ſervitute creatoris in hujuſmodi dominium aſcendit. Ampliùs. In animabus noſtris ex naturali, & pura impreſſione, inditum eſt, ut in omnibus exhibeamus nos creatoris miniſtros. In omnibus enim noſtris, & de omnibus tenemur miniſtri eſſe creatoris, & ea convertere in ejus obſequium, & honorem. In nullo igitur licet nobis econtrariò agere: quia igitur peccato primo econtrariò egerunt † primum peccantes, non ſolùm ſe non miniſtros creatoris ſic agendo exhibuerunt, ſed etiam adverſarios. Quapropter in creatoris æquiparantiam ſe extulerunt, adverſarietas enim æquiparantia eſt in prædicamento relationis. Et qui in adverſarium ſe erigit. certum eſt, quòd eidem ex adverſo, & è regione ſe opponit, non minus altum, potentem aut fortem in hoc ſe gerens. Quare primus peccans longè ſuper id, quod erat, & eſſe debebat, ivit. cùm in creatoris adverſarium ſe erexit. Ampliùs. Omnia dona, quæ contulit creator hujuſmodi ſubſtantiis, videlicet ſapientiam, & virtutes naturales, non contulit eis, niſi ut inde eidem ſervirent, ſeu miniſtrarent, non contulit igitur eis, niſi miniſterium voluntatis propriæ quod eſt dicere, uſum voluntatis ſuæ, hoc eſt, creatoris. Utentes igitur contra voluntatem ipſius, deſerto miniſterio, quod ſolum in illis habebant, uſurpaverunt dominium in eiſdem. Quare à miniſterio, ſive adminiſtratione, quæ ſola commiſſa erat eis in ipſis, aſcenderunt in dominium uſurpatum, hoc autem eſt ſuperbire, ut jam dixi.

CAPUT LVI.

De libertate virium diſputatio, & quòd ſuperbia fuerit primum peccatorum.

Quòd ſi dixerit quis, quia non cõmiſit eis creator miniſterium in rebus hujuſmodi, quin potiùs dominationem liberrimam largitus eſt ipſis in eiſdem, dans eis poteſtatem liberrimam abſque ulla legis reſtrictione, ut uterentur eis quocunque modo vellent, deſtruitur ſermo iſte multis modis. Primùm, quia evacuatur ſic primum peccatum. Si enim hoc eſt, nullam legem ſunt tranſgreſſæ hujuſmodi ſubſtantiæ, cùm nullam habuerint. Secundò, conſequens eſt errorem iſtum licitum hujuſmodi ſubſtantiis fuiſſe in omnem injuriam, & contumeliam creatoris, uti potuiſſe inculpabiliter omnibus donis hujuſmodi Tertiò dico, quia iſte error in multa parte gentem Saracenorum involvit, quæ ad hoc deducta eſt, ut credat rebus omnibus ſuis, quocunque modo voluerit vel uti, vel abuti;

† *Aliàs primi parentes.*

Quod primum peccatum fuit ſuperbia.

propter quod & ſervis maſculis abutuntur, & etiam multis animalibus. Sufficit autem ad deſtructionem erroris iſtius innumerabilis multitudo manifeſtorum inconvenientium, quam cognoſces ex paucis: nihil enim magis noſtrum eſt, quàm ipſa membra noſtra, & partes. Sequitur igitur, ut & linguis noſtris liceat nobis abuti in omnes blaſphemias, & contumelias creatoris, in omnia perjuria, & mendacia, in omnem ſubverſionem, & ſeductionem hominum, ſimiliter & dentibus ad mordendos, & lacerandos homines, & manibus ad rapiendum, furandum, percutiendum, lædendum quolibet modorum homines. Eodem modo videri poteſt & de viribus animarum noſtrarum, quoniàm licebit nobis ſecundùm hoc vi intellectiva noſtra abuti ad cogitandum quæcunque turpia, vel noxia, ad excogitandas omnes Dei injurias, atque blaſphemias, ſimiliter ad excogitandas omnes fraudes, & dolos, & ad hunc modum ſe habet de omnibus inventionibus malorum. Quapropter licebit nobis excogitare deſtructionem legis ipſorum, & ejuſdem erroris defenſorum, & propter hoc tam corde, quàm lingua impugnare, & deſtruere utcunque: & quia duorum contrariorum non eſt poſſibile, ut utrumque ſit licitum in rebus hujuſmodi, non erit licitus error hujuſmodi, cujus deſtructio eſt licita, vel conceſſa, quoniàm in rebus hujuſmodi non habet locum indifferentia, hoc eſt, in rebus, quæ ſunt ex lege, vel contra legem. Quartò, quia jam audiviſti in præcedentibus, quia unaquæque ſubſtantia ſenſibilis naſcitur cum ipſa lege ſua, ſecundùm quam vivendum eſt ei, & cum artificio acquirendi ſibi victum, & conſervandi tam individuum ſuum, quàm ſpeciem. Quapropter multò fortius eſt hoc in hominibus naturaliter, & eminentius, & ſublimius in ſubſtantiis nobilioribus. Quantò enim natura compoſitiores eſſe debent, tantò & major, & lucidior eſt eis impreſſa ars vivendi, & regulæ vitæ ſuæ, & hanc radicem aſſumo à ſenſu: hoc enim manifeſtum eſt ſenſu in omni genere animalium, ſicut ſupra audiviſti de aranea, & cato, ſive murilego, quorum utrunque naſcitur cum arte ſive artificio venandi, & per venationem acquirendi victum ſuum. In hominibus verò manifeſtum eſt tibi ex te ipſo, quoniàm naturaliter ſunt eis inditæ vel inſcriptæ lex, & regulæ, ſecundùm quas eis naturaliter vivendum eſt, & dixi, ex te ipſo, propter hoc, quoniàm naturalia omnia in omnibus individuis uniuſcujuſq; ſpeciei naturaliter eadem, & communia ſunt. Exceptis dumtaxat caſu, vel paſſione aliqua occaſionatis, ſicut vides in his, qui cœci naſcuntur, aut claudi, & in aliis ſimiliter occaſionatis, ſive plaga, ſive morbo hoc factum ſit. Creatæ igitur ſunt ſubſtantiæ nobiles cum arte ſua vivendi, & cum omnibus regulis honeſtatis eas decentis, & hæc eſt lex naturalis eiſdem vivendi. Quintò, nemo intelligens dubitare ſinitur, quia hujuſmodi ſubſtantiis tantò honeſtius, hoc eſt, in ſe compoſitius, & creatori honorabilius, & jure naturali vivendum ſit, quàm hominibus, quantò hoc eis liberius, atque facilius, innatoque lumine ſapientiæ eſt notius. Ipſo igitur jure naturali, & lege incomparabiliter magis obligatæ creatæ ſunt, quàm homines ſint, etiam poſtquàm adulti fuerint. Eſt igitur eis lex vivendi poſita naturaliter, & inſcripta, & juſtitia naturalis eiſdem indita, & quoniàm nihil in eis naturaliter vacat à libertate, hoc eſt, quoniàm ſe & omnia ſua naturaliter habent in poteſtate ſua liberrima, atque pleniſſima, neceſſe eſt nihil vacare in eiſdem à lege, quemadmodùm vides in nobis, quoniàm in illis ſolis ab omni lege exempti ſumus naturaliter, quorum non eſt nobis poteſtas data libera, & propter hoc inculpabilia in

E nobis ſunt, ſicut eſt eſurire, ſitire, & ſuperflua nutrimentorum egerere, vel purgare. Quare cùm omnia, quæ apud hujuſmodi ſubſtantias naturaliter ſunt, in liberrima poteſtate habeant, ſecundùm illa omnia neceſſe eſt eas eſſe ſub lege, nec intelligo, quòd ſuum eſſe, vel ſuum non eſſe, ſubſint poteſtati, & de omnibus ſubſtantialibus idem intendo, ſed de uſibus virium naturalium ſuarum, quæ ſunt nobilis apprehenſiva & nobilis motiva, dico, quòd in poteſtate earum ſunt naturaliter, atque voluntate liberrima, ita ut non utantur eis, niſi quandò voluerint, & quantùm voluerint, & circa quæ voluerint. Et intelligo, ut nulla paſſio, nullus uſus ſit apud eas naturaliter, vel eſſe poſſit, etiam violentus, hoc eſt dicere, contra voluntatem earum. Omnia igitur hujuſmodi ſunt in libera poteſtate, ſeu voluntate poſita earundem. Circa hæc verò ſunt virtus, & vitium, rectitudo, & peccatum, circa hæc intel-

F ligo, ideſt circa voluntaria, ſive voluntati ſubdita: voluntatem autem in tam nobilibus ſubſtantiis, nec otioſam, nec ſuperfluam, nec deficientem, eſſe neceſſe eſt, cùm nulla eis fuerit difficultas in quocunque uſu alterutrius duarum virium: nec enim ſtatus noſter ſimilis eſt illi primo ſtatui ſubſtantiarum hujuſmodi, cùm hîc nos & multarum ignorantiarum tenebris involvamur, & innumeris difficultatibus & intùs, & foris ab eis, quæ bona, & recta ſunt, vel prohibeamur, vel impediamur, nec putes culpâ carere eum, qui voluntatem omninò liberam habet, ſi illam vel in malum, vel in non bonum quolibet modorum intorqueat. Hac igitur lege juſtitiæ tenebantur iſtæ ſubſtantiæ, in bono, & benè vires ſuas intendere totaliter, & purè in ſtatu illo primario. Tam negligentia igitur, quàm omiſſio, hoc eſt, privatio debiti, & boni uſus, culpabilis in eis erat, atque damnabilis. Similiter otioſitas, & ſuperfluitas in nobis plurimum habent excuſationis interdùm propter cauſas ante dictas,

G quæ ſunt ignorantia, & difficultas. Manifeſtum igitur eſt, quoniàm apud primas ſubſtantias hujuſmodi virium uſus aut boni fuerunt, aut culpabiles, & quoniàm conſtat multas ex eis à ſtatu illius bonitatis naturalis, atque naturæ, in malitiam declinaſſe, ſeu cecidiſſe, manifeſtum eſt hoc, ideſt caſum iſtum malum aliquem ex uſibus hujuſmodi fuiſſe virium. Jam autem patefactum eſt tibi, omnem malum uſum cujuſcunque ex viribus noſtris, vel earum, uſurpatum ex neceſſitate per ſuperbiam eſſe. Quare ſuperbiam primum earum peccatum fuiſſe neceſſe eſt. Ampliùs. Nulli intelligenti dubium eſſe poteſt, hoc ſolum illas habuiſſe in dictis viribus, quod eis à creatore conceſſum eſt; non autem conceſſum fuit eis à creatore, ut eis, vel altera earum malè quolibet modorum uterentur, in aliquo autem, quod eis à creatore conceſſum non erat, nihil planè juris habuiſſe, palam eſt: cùm igitur nullus malus uſus

H hujuſmodi virium eſſet in illis à creatore conceſſus, dubitari non poteſt eum fuiſſe ab eis per injuriam uſurpatum, hoc autem eſt iniquum dominium in re quacunque, & hoc eſt indubitanter peccatum ſuperbiæ, quo ſuperbit, ideſt, ſuperit in quacunque re ſuper id, quod in eadem eidem conceſſum eſt, dum quicquam ſibi vendicat, vel uſurpat. Ampliùs. Lex eſt unicuique id, contra quod ei facere, vel venire nullo pacto licere poteſt. Quia igitur contra creatoris voluntatem nulli eam cognoſcenti venire, vel facere, licere poteſt, ipſa eſt lex ex neceſſitate eidem: voluntas igitur creatoris lex fuit omnibus hujuſmodi ſubſtantiis, niſi quis dicat fortaſſe, quòd eam in ſtatu illo nativæ ſuæ bonitatis ignorabant. Hoc autem eſt frivolum circa viram, & actus earum, cùm, ſicut dixi tibi, hujuſmodi ignorantiam

Quod voluntas creatoris eſt lex.

nec

nec in animalibus brutis Dei bonitas patiatur. Omne enim animal brutum, ut ſæpè dixi tibi, cum arte ſua, & artificio vivendi creatur, & naſcitur. Non ignoraverunt igitur nobiles illæ ſubſtantiæ, quæ eſſet voluntas creatoris de vita, & actibus earum, ipſa igitur erat eis lex, quare eidem per omnia tenebantur eſſe ſubditi. Erigentes igitur ſe contra eam elevatæ ſunt quaſi in altum exemptionis, & hoc eſt earum ſuperbire, vel ſuperire. Ampliùs. Aut voluit creator illas eſſe ſubditas per omnia voluntati ſuæ, & totaliter inſiſtere ſuis obſequiis, aut non: quòd ſi voluit, & ſervaverunt, in nullo contra facientes, manifeſtum eſt eas nullo modorum peccaſſe; ſi verò non ſervaverunt, propria igitur voluntate à debita ſubjectione creatoris quaſi in altum exemptionis, & rebellionis ſe ipſas erexerunt, & hoc iterùm non eſt, niſi ſuperbire. Quòd ſi noluit creator eas totaliter ſubditas eſſe voluntati ſuæ, quicquid igitur agerent non agebãt quicquam contra voluntatem ipſius; cùm igitur contra voluntatem ipſius ſit, quicquid malè, ſeu culpabiliter agitur, nihil male, ſeu culpabiliter ſecundùm hoc agere potuerunt, quare conſequens eſt eas nunquàm peccaſſe. Ampliùs. Quis audeat dicere aliquam tantæ nobilitatis ſubſtantiam exemptam eſſe jure naturali à ſervitute omnimoda, & omnibus ſervitiis creatoris, & non eſſe econtrariò obligatas? Quis adeò delirus, aut inſipiens eſſe poteſt, ut virtutem gratitudinis, & vitium ingratitudinis naturaliter non cognoſcat, & hanc non probet, illam verò non damnet? Ipſa etiam bruta animalia erga benefactores ſuos (quantùmcunque ſæva, vel indomita ſint) gratitudinem evidenter oſtendunt, & parentibus mira ſubjectione inſeparabiliter adhærent. Cujus exemplum oſtendi tibi memoriâ digniſſimum in leone per militem de faucibus ſerpentis, hoc eſt, draconis mirabiliter liberato. Quantò fortiùs igitur illæ naturali bonitate optimæ, & nativo, ut ſæpè dixi, lumine ſapientiſſimæ, hac virtute tam naturali, videlicet gratitudine carere non potuerunt naturaliter? Hæc autem eſt. quæ per ſe ipſam, & ſola ſufficiens, hujuſmodi ſubſtantias creatoris obſequiis, omnibuſque ejuſdem beneficiis jugiter inſiſtentes illas efficeret. Ampliùs. Quis dubitare poteſt, vel audeat, voluntatem creatoris legem eſſe univerſi, & univerſitatis partibus ſingulis, adeò ut quicquid in illo regitur, hoc eſt rectè agitur, in tantum ſolummodò rectè agitur, in quantum juxta illam, ſive ſecundùm illam agitur, ſimiliter & hoc ſolum malè in univerſo agitur, quod contra illam, aut non ſecundùm illam agitur, præſertim à cognoſcentibus, vel cognoſcere debentibus illam? Hujus autem indicium eſt manifeſtum, & declaratio evidens, quòd in ſolo genere humano, atque malignis ſpiritibus locum habet peccatum, nec ulli ex aliis rebus imputatur aliquid ad culpam, ſed ſolis nobis hominibus, & illis. propter quod & divinæ ultionis juſtiſſimo miniſterio, & judicio divinæ juſtitiæ notæ pœnæ infliguntur, cæteris omnibus, quicquid agunt, impunè agentibus. Cujus rei nulla alia cauſa eſt, vel confingi poteſt, quàm hujus optimæ legis, cui jure multiplici, ſicut aliàs didiciſti, ſubditi eſſe tenemur vita, & actibus voluntariis, ita ut voluntas creatoris lex unica ſit, & regula voluntatibus noſtris, in quantum nobis cognita eſt ſive nativo lumine, ſive ejus eloquiis, vel potiùs elogiis, ſeu ſacrorum doctorum monitis, ſeu dignationis ipſius revelationibus declarata. Manifeſtum eſt igitur ex his, quia omne, quod agitur contra hanc legem optimam, poſtquàm innotuit, vel innotuiſſe debuit peccatum eſt, & in hoc, & quantùm ad hoc ſuperbire dicitur, quod loco debitæ ſubjectio-

A nis, qua peccans ſubditiſſimus eſſe tenebatur, contra eam ſe erigit, & quantùm in eo eſt, rebellat. Ampliùs. Cùm manifeſtum ſit voluntatem creatoris ſemper eſſe rectiſſimam, neceſſe eſt omnem voluntatem à tam ſacræ regulæ rectitudine diſcordantem eſſe diſtortam; duo enim recta, cùm ſibi invicem applicata fuerint, & coaptata, impoſſibile eſt diſcordare. Non eſt igitur recta voluntas, quæ à divinæ voluntatis rectitudine hujuſmodi contrarietate diſcordat. Quia verò manifeſtum eſt rectitudinem, & peccatum eſſe contraria, & circa idem ſemper eſſe, vel fieri, manifeſtum eſt conſequenter circa hujuſmodi voluntatem eſſe peccatum, & eam eſſe peccatricem.

CAPUT LVII.

De peccato ſuperbiæ primi angeli; & quid ſit illud, & quod alia comparatione ſit avaritia, & quomodò
B *invidia ſecundùm Bernardum.*

Attende autem, quoniàm quemadmodùm primum peccatum neceſſe eſt fuiſſe ſuperbiam; hoc eſt, actum euntis ſuper id, quod erat, vel habebat & hoc eſt à miniſterio, ſive adminiſtratione; in dominium; & à ſervitute quaſi in altum exemptionis, ſive dominationis; ſic ex altera comparatione ſcire potes; ipſum primum peccatum fuiſſe peccatum avaritiæ, & furti, ſeu rapinæ, & in lege Chriſtianorum evidenter legitur, avaritiam eſſe radicem omnium malorum. Unus etiam ex egregiis doctoribus generis Chriſtianorum dixit, avaritiam non tantùm eſſe pecuniæ, ſed altitudinis, & ſcientiæ, & evidenter in ipſo principio legis Hebræorum legitur, quia promiſſione altitudinis, & ſcientiæ, in peccatum inducti ſunt primi homines, eis quippe dictum eſt à maligno ſpiritu per ſerpentem: quacunque die de fructu illo comederitis, eritis ſicut
C eloïm, ſcientes bonum & malum, eloïm namque dii, vel judices interpretantur, quare promiſſa eſt eis altitudo deitatis, ſive judiciariæ poteſtatis In eo verò, quod ſequitur in ſermone promiſſionis, videlicet, ſcientes bonum, & malum, evidenter promittitur eis ſcientia boni, & mali, non quæcunque, aut qualiſcunque, ſed eminens, & nobiliſſima, cùm in illo ſtatu præditi eſſent & naturali boni, & mali ſcientia, & etiam, ut ita dicam, gratuita, quæ eſt longè omni ſcientia naturali præſtantior. Dico igitur manifeſtam fuiſſe rapinam in ambitione, ſive appetitu hujuſmodi ſcientiæ, primùm per hoc, quòd non per illum, qui eſt ſcientiarum dominus, immò contra illum, ad ipſam obtinendam intenderunt; non enim fruſtra dictum eſt in ſermone illo prophetico apud Hebræos: Deus ſcientiarum dominus eſt, velle autem quamcunque rem obtinere, vel poſſidere non per dominum, cujus res eſt, furtum indubitanter ſpiritualè, vel rapina eſt; & intelligo ſpiritualè, quoniàm in corde eſt apud
D animam, & in voluntate ſic rem habere volentis; quoniàm velle illud ſupra conceſſionem creatoris uſurpatum eſt in ipſa voluntate, ſive in ipſa volendi virtute, cùm in illa non fuerit cuiquam conceſſum à creatore, ut ipſa abuteretur, vel ut in injuriam ipſius, vel contumeliam illam rei alicui applicaret. ſolus enim rectus uſus & in illa, & in omnibus juribus aliis naturalibus unicuique conceſſus eſt: jam igitur declaratum eſt tibi per ea, quæ præceſſerunt hujuſmodi ſubſtantiarum peccatum primum fuiſſe una conſideratione, ſeu comparatione, ſuperbiam, à ſuper eundo, hoc eſt abeundo ſuper id, quod erant, vel quod habebant in viribus ſuis naturalibus, & alia intentione, ſeu comparatione

Digitized by Google

fuit peccatum avaritiæ, in cupiendo, ſcilicet ſeu rapiendo, quod alienum erat. Vendicare namque, vel uſurpare in re aliena ſibi dominium, in qua non habet hujuſmodi vendicator, ſeu uſurpator, niſi miniſterium, ſive adminiſtrationem, ſuperbia ſimul eſt, & avaritia. Apparet igitur evidenter ex his, quomodò non diſcordant illi duo ſermones authentici, quorum alter eſt: Initium omnis peccati ſuperbia, alter verò: Avaritia eſt radix omnium malorum. De eo verò, quod audiviſti in præcedentibus, iſtum principem malitiæ invidiſſe filio Dei, quoniàm ſanctus, ac ſapientiſſimus vir in rebus divinalibus dixit hoc, nec tutum, nec bonum eſt contradicere ſermoni ipſius; reverentia enim multa honorandi, ſunt tanti, ac tales viri, ac ſermones eorum; ſtultitia enim intolerabilis eſt, & omninò philoſophantibus inconveniens, ſtatim contradicere, & opinari eos erraſſe, licet veritas, & cauſa, quæ induxit eos ad ſentiendum, & dicendum ſic, ignoretur, & difficilè inveniatur: in hoc tamen nec inſipienter, nec improbabiliter dicitur invidiam non fuiſſe primum illud peccatum, ſed, ut ſæpè dixi, veriùs, ac veriſimiliùs de ſuperbia dicitur, quam fortè neceſſe eſt ſemper ſequi invidiam. Fortaſsè autem nec veriſimile eſt, niſi multùm exercitatis, multúmque eruditis in rebus divinalibus principem iſtum, vel prævidiſſe, vel præcogitaſſe etiam ea, quæ futura erant in genere humano de colligendo, ſeu congregando regno ſanctorum per filium Dei, & de hoc, quòd ipſe regnaturus eſſet in eis in humana forma, & natura, ſicut docet lex, & doctrina totaque fides Chriſtianorum. Cùm enim ſolum lumen naturæ, ſeu naturalis cognitionis habuerit, & ex illo ea, quæ ſupra naturalem ordinem, & curſum, futura erant, cognoſcere, vel cogitare non potuerit, utpote ea, quæ in rebus naturalibus nec indicia nec conjecturas ullas futuritionis habebant, manifeſtum eſt ex illis paſſionem invidiæ, ſive dolorem eidem principi fuiſſe non eſſe poſſibile. Nihilominùs tamen verum eſt, quod alibi habet ſermo authenticus, videlicet, quòd invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Potuit enim diabolus conjicere ex excellentia, & nobilitate, in qua vidit humanam naturam conditam, & ex abundantia donorum eidem ſuperadditorum, ad æqualitatem primatum nobilium ſubſtantiarum tandem eſſe transferendam, & longè altius, quàm eſſet ſtatus, à quo ipſe ceciderat, elevandam. Et nulli intelligenti dubium eſt, quin hoc potuerit occaſio eſſe invidiæ apud eum adversùs homines, cùm tantò ſe ipſo inferiores naturaliter, tantò futuros eſſe perpenderet ſuperiores, ex quo & adversùs Dei filium ira ſuæ malignitatis excandeſcere potuit, & invidia tabeſcere, & torqueri; non enim ignorabat benigniſſimam, ac piiſſimam ſollicitudinem ipſius circa primos homines, ſeque ipſum ab eodem deſpectum, atque dejectum, quam ob cauſam invidiſſe ei gloriam regni, quod in eodem genere humano conditurum opinabatur filium Dei, vel quoquo modo ſubtrahere, vel minuere eidem voluiſſe, non improbabile eſt. Tunc igitur apud eum invidia iſta exarſiſſe videtur, quandò primum hominem conditum agnovit, & quod intendebat Dei filius bonum tam magnificum per antedictam ſollicitudinem, perpendit. Forſitan autem dicat quis, quia ſicut Deus pater per filium, & in eo conſtituit genus humanum tam magnificè inſtaurandum, & ad angelicæ gloriæ conſortium vocandum, & exaltandum; ſic per ipſum, & in ipſo principem malitiæ, cum tota factione ſua dejiciendum, ac deturbandum ſtatuit, juxta ſermonem, quem ipſemet filius Dei dixit in lege Chriſtiano-

E rum, loquens de patre, & de ſe. Pater, inquit, omne judicium dedit filio, non ſolùm igitur hominum viventium, & mortuorum, ſed etiam apoſtatantium angelorum. Hujus ergo judicii condemnatio, non mirum, ſi adversùs ipſum inimicum juſtitiæ odio inextinguibili inflammavit diabolum. Poſt hæc autem conſequens eſt, ut proſequar opiniones, ſeu quæſtiones, quæ ſunt circa peccatum ejuſmodi ſuperbiæ. Harum prima eſt, quid illud ſit, quod ambivit, vel appetivit, vel voluit primus iſte peccator, & viſum eſt aliquibus, quòd illud fuit æqualitas, ſive ſimilitudo altiſſimi, juxta ſermonem cujuſdam ex prophetis Hebræorum, qui dixit, ut multi opinantur, ex perſona hujus peccatoris: ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Ponam ſedem meam ad aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo. Hanc autem ſimilitudinem intellexerunt quidam æqualitatem, quam nec ipſum appetiviſſe, nec præſumpſiſſe valde veriſimile eſt; non enim ignorare potuiſſe videtur ullo modorum impoſſibilem ſibi fuiſſe,
F immò impoſſibilem ſimpliciter æqualitatem hujuſmodi, cùm tantâ ſcientiâ præditus eſſet. Ampliùs. Cùm incomparabiliter longiùs eſſet hic primus peccator ab æqualitate altiſſimi, quàm ſit viliſſimus quiſque ſervus ab æqualitate imperiali, & inſuper ab eadem ſciebat ſe naturali impoſſibilitate prohibitum, quod non ita ſe habet in ſervo viliſſimo quocunque: ſi igitur tam ſtulta, ne dicam præſumptio, ſed nec cogitatio in ſervo, quantumcunque vili, mentis tamen compote & non mente alienato, non eſt poſſibilis; quantò fortiùs non fuit poſſibilis in hujuſmodi ſubſtantia? Ampliùs. Non fuit ei poſſibile ignorare, quin tanta eſſet diſtantia ipſius à creatore, ut nec genere, nec etiam prædicamento ei appropinquaret. Certum igitur ei fuit, non niſi per corruptionem & mutationem ſubſtantiæ ſuæ ad di-
G gnitatem creatoris ipſum potuiſſe pertingere, ſi tamen & ſic poſſibile fuiſſet. Sciebat autem & ſubſtantiam eſſe incorruptibilem, & exiſtentiæ perennis. Sciebat igitur impoſſibile eſſe etiam ex propria incorruptibilitate ſe pertingere ad illam æqualitatem. Ampliùs. Cùm ſciret creaturã omnem non eſſe poſſibile ullo modorum æquari creatori, quomodò hoc aſcendit in cor ejus, ut hoc vellet, à quo ſciebat ſe eſſe naturali impoſſibilitate prohibitum? Ampliùs. Qualiter credebat hoc, quòd eſſet ſimilis futurus, id eſt, æqualis altiſſimo? Aut enim credebat, quòd hoc eſſet futurus remanens eſſentialiter creatura, & intelligo eſſentialiter id, quod erat à creatione, aut ſe mutandum, ac corrumpendum in eſſentiam creatoris, vel eſſentiam ſimilem eſſentiæ creatoris. Quòd ſi credebat ſe futurum ſimilem creatori in ſtatu creaturæ, hoc eſt inſania, quæ in nullius
H unquàm cor intelligentis, & mentis ſuæ compotis aſcendere unquàm potuit. Quis enim unquàm ignoravit infinitatem diſtantiæ ſupereminentiæ creatoris ad creaturam omnem? Si verò credebat eſſentiam ſuam mutandam per corruptionem in eſſentiam creatoris, aut eſſentiam ſimilem illi, credebat igitur generabilem eſſe eſſentiam creatoris ex eſſentia ſua, & eſſentiam ſuam corrumpendam in illam. Ignorare verò non poterat, quia per corruptionem non ſolùm non acquiritur perfectio aliqua, ſed etiam auferuntur ab eo quæcunque habebat. Non credebat igitur ſe futurum æqualem altiſſimo, cùm ſciret ſe nihil eſſe futurum per illam corruptionem. Ampliùs. Cùm eſſentia creatoris multiplicationem nec actu, nec potentia recipiat, nec æqualem, nec ſimilem eſſentiam patiatur ullo modorum, ſicut jam declaratum eſt tibi in prima parte hujus magiſterii, aut ſciens, & prudens mentitus fuit, cùm dixit: Ero ſimilis altiſſimo, aut

non intellexit de ſimilitudine, vel æqualitate hujuſmodi, cùm ſciret nec ſimilitudinem, nec æqualitatem talem poſſibilem eſſe. Et forſitan nec intellectus admittit hujuſmodi æqualitatis, vel ſimilitudinis poſitionem, neque ipſa intelligibilis eſt: ergo nec ſimilis patri, nec æqualis ſecundùm iſtam intentionem eſſe voluit, nec poſſe eſſe ullo modorum præſumpſit. Propter has & hujuſmodi rationes alius intellectus acquirendus eſt in ſermone prædicto. Niſi forſitan quis dicat, quia non eſt multùm inconveniens patrem mendacii, qui in veritate non ſtetit, in hujuſmodi ſermone mentitum fuiſſe, ſic enim vocat eum ipſa veritas in lege Chriſtianorum. Quòd ſi quis dixerit, quia cùm videret ſe ſignaculum ſimilitudinis tantæ expreſſionis, quanta in nulla creatura naturaliter eſſe poterat, inaniter elevatus in gloria pulchritudinis, atque ſimilitudinis tam ad ipſum patrem, quàm ad ipſum Dei filium; voluit haberi filius, cùm ſe ſimillimum patri conſpiceret, neque elongatiſſimam imaginem patris inſtar filii ſe eſſe videret. Ex hoc igitur voluit haberi filius, & recuſavit eſſe ſervus, non quòd eſſentialiter, vel perſonaliter voluerit eſſe ipſe filius unigenitus Dei patris, ſed voluit eſſe ſicut ipſe, videlicet quòd non ſubeſſet, ſed præeſſet tantùm aliis omnibus inferioribus ſe ſubſtantiis, quemadmodùm unigenitus Dei patris filius. Et hujus exemplum eſt in magnatibus, qui exaltati, & elevati, vehementerque honorati à Regibus, præeſſe volunt aliis, & nullo modo ſubeſſe eiſdem. Interdùm autem etiam ſervire renuunt, atque refugiunt illis ſervire, à quibus ita magnificati ſunt: lex autem creatoris, quam expreſſit lator legis Chriſtianorum, & in ſemetipſo adimplevit, eſt, ut quibus unuſquiſque præeſſe videtur, illis maximè ſerviat, & maximè ſubditus ſit. Et tunc ritè, ac rectè præeſt unuſquiſque multitudini, cùm in officiis injunctis, vel ſuſceptis, fideliter, ac diligenter, eis ſervit, vel potiùs creatori in regimine, ſeu gubernatione ipſorum. Primus verò peccator, ut jam dixi, econtrariò ſe habere voluit, dominari volens ſubditis, & omnibus, quos ſibi ſubjicere poſſet, non ſervire, ſed neque creatori in ipſis. In hoc igitur, quòd ſervitutem penitùs abdicans, ſervitutem inquam creatoris, & ſubditorum, & dominari tantùm voluit, quemadmodùm filium Dei dominari videbat, ipſum perversè imitari voluit. Et hoc eſt perverſitas in omni ſubſtantia intelligente, aliud ſcilicet quærere in ſubditis, quàm creatori placere, atque ſervire, & ipſis prodeſſe. Quærere autem, vel amare ipſum dominari, vel quæſtum alium ex ipſis ſubditis, diabolica perverſitas, ac ferina rapacitas eſt; ſicut dixit ille ſapiens Hebræorum: leo rugiens & urſus eſuriens princeps ipſius ſuper populum pauperem; & unus ex prophetis gentis illius, qui devorant, inquit plebem meam, ſicut eſcam panis. Utraque etiam lex videlicet gentis Hebræorum, & gentis Chriſtianorum quantùm deteſtetur in eis, qui præſunt, cupiditatem, & avaritiam, & quæſtum facere de ſubditis, ipſaque officia, quæ pietati & ſanctitati deſervire debent, in quæſtum pervertere, nullus in eis legens, & intelligens permittitur ignorare. Væ Principibus, & væ terræ, quorum tribunalia quæſtui deſerviunt, ubi fora non judicialia, ſed venalitatis ſunt. Væ curiæ, ad quam tanquàm ad forum rerum venalium, tanquàm ad lupanar, tanquàm ad tabernam, tanquàm ad menſam nummulariam, ſolummodò eſt ingreſſus.

Quomodo quis aliis dicitur præeſſe.

Quòd male præſunt qui in ſubditis ſolum quæſtum quærunt.

CAPUT LVIII.

Quod dicens primum Angelum præeſſe voluiſſe conſequenter dicere poteſt ipſum Dei filium imitari voluiſſe.

Revertar igitur, & dicam, quia ſi quis hoc dicere voluerit, quòd hoc modo, & his de cauſis imitari voluerit Dei filium primus peccator, & prædictas difficultates effugiet, & non longè à probabilitate dicet. Præſertim cùm manifeſtum ſit exẽplũ de magnatibus quod poſui, & tã pronos manifeſtũ ſit eſſe homines ad libidinẽ dominãdi, quibus poſſunt, nec contẽti eſſe velint magnis multitudinibus ſubditorum multi, quin potiùs extendere dominationem ſuam in alios totis ſtudiis, totis fraudibus, & viribus enitantur. Quanquàm indubitanter verum ſit, quòd tantò longiùs ab hujuſmodi perverſitate eſſe debuerunt primæ illæ ſubſtantiæ, quantò & à tenebris ignorantiæ, & ab originali corruptione creatæ ſunt liberæ, & immunes. Sermo quoque loquentium de hoc vulgatiſſimus eſt, quòd primus peccator præeſſe voluit, & non ſubeſſe, licet non explicent qualiter præeſſe, aut qualiter non ſubeſſe. Veriſimiliùs autem eſt, quantùm nunc in re tam ardua video, ut hoc modo præeſſe voluerit, & hoc modo non ſubeſſe, quibus dixi; difficillimè enim qui majores ſunt, in minorum, vel ſubditorum obſequia inclinantur, & ſervos ſe reputant eorundem, niſi divino munere in parte iſta magnificè adjuventur. Difficillimè etiam ſuadetur hominibus, qui in locis ſublimitatis ſunt conſtituti, officiorum ſuorum honores onera eſſe, & ipſas ſublimitates, vel dignitates, atque poteſtates eſſe ſubditorum veriſſimas ſervitutes, & quod eſt mirabilius ipſos ſubditos eorum dominos eſſe, eiſque tanquàm ſervis econtrariò dominari, atque divitias, reditus, tributa, vectigalia, omniaque alia hujuſmodi, quæ à ſubditis recipiunt non eſſe aliud, quàm ſtipendia debitæ ſervitutis, qua militare & ſervire tenentur ſubditis ſive jura reddendo in judiciis, ſive defendendo præliis, ſeu alia qualibet faciendo, quæ utilitati ſerviant eorundem. Ab his igitur, quos ſubditos & reputant, & vocant, tanquàm à veris dominis ſuis, ut milites hujuſmodi ſtipendia recipiunt, tanquàm militaris ſervitutis hujuſmodi debitores: & hoc in lege & doctrina Chriſtianorum, lucidiſſimè pluries eſt expreſſum. Si quis autem quærat unde ei tantus auſus, tamque intolerabilis præſumptio, ut ſubeſſe creatori noluerit eo modo, quo dictum eſt: Reſpondeo, quia ipſum præeſſe tantâ libidine ei placuit, ut ſubeſſe non curaverit, adhærens ipſi præeſſe amore, non ſolùm perverſo, ſed nimio, & penè inſano, propter quod nec vidit illa hora, quòd verè ſubeſſe, & ritè, eſſet verè præeſſe, & quod mirabilius, non ſenſit jucunditatem, quam habet ſervitus creatoris, quæ ſuper omnem comparationem major eſt, quàm delectatio, vel gaudium, quam ſomniat & mentitur ambitio in hujuſmodi falſi nominis dominatione. Non enim eſt in ea gaudium verum, aut delectatio, ſed illuſio ſola, declarabitur autem tibi hoc diffinitione delectationis evidenter. Subeſſe enim, ſive ſubjectio, omnimodaque ſervitus ad creatorem, omni ſubſtantiæ intelligenti naturaliſſima eſt; quare contrarium innaturaliſſimum, & propter hoc moleſtiſſimum, & propter hoc virtuti apprehendenti injucundiſſimum. Ampliùs. Iſta conjunctio ſubſtantiarum intelligentium ad creatorem eſt conjunctio convenientis cum conveniente convenientiſſima; nihil enim convenientius ſubſtantias intelligentes conjungere

Qualiter Prælati ſervi ſunt ſubditorũ ſuorum.

Unde fuit quòd primus Angelus noluit ſubeſſe creatori.

Digitized by Google

poteſt creatori, quàm ſubjectio perfectiſſima, & ſervitus ad eum omnimoda. Ampliùs. Quàm nequam, quámque turpis ſit ſervitus libidinis, id eſt cujuſcunque improbæ, ſeu reprobæ voluntatis, quis æſtimare ſufficiat? Quòd ſi ambitioſos, & inanis gloriæ amatores diligentiùs conſideres, apparebit tibi nequitia, & ærũnoſitas hujuſmodi ſervitutis, dũ cognoveris. quibus laboribus, & doloribus torqueantur vaniſſimorum bonorum, & falſiſſimarum gloriarum ſervi, hoc autem in ſermonibus exhortationum potiùs, quàm hic conveniens eſt declarare. Non auſu igitur fortitudinis, ſed temeritate præcipiti illectus eſt, & abſtractus, raptus, & inflammatus falsâ pulchritudine, & illuſoriâ delectatione falſæ dominationis, immò veræ, & nequiſſimæ ſervitutis, propter quod apud gentem Chriſtianorum ſemper videbis in picturis eorum ambitioſos velatis oculis pictos: & cùm omne vitium ſubjectum ſuum obtenebret, ambitio tamen appropriata denominatione cæca dicitur apud eos, & pingitur. Quòd ſi quis quærat, qualiter non advertit iſte peccator ſe non poſſe effugere ſubjectionem, atque ſervitutem creatoris: Reſpondeo, quia ſubjectionem, & ſervitutem voluntariam effugiunt omnes mali, cùm voluntate, & actibus, adversùs eum quodammodò rebellent, ipſo ad hoc patienter, & miſericorditer ſufficiente. Sed quin per omnem modum adeò ſubditi, & in poteſtate ejus poſiti ſint ut de eis faciat juxta beneplacitum voluntatis ſuæ abſque ulla contradictione, & reſiſtentia, nullo modorum avertere, vel declinare poſſunt, & iſta poteſtas, qua hi, vel illi potuerunt, vel mali homines hoc poſſunt, ut volũtate, & operibus ei non ſolùm non ſubditi ſint, ſed etiam adverſarii, & rebelles, non eſt veræ rationis, aut nominis poteſtas, ſed magis impotentia, & infirmitas, quemadmodùm in creatore, quòd malus eſſe non poteſt, aut malè agere, non impotentia eſt, aut defectus, ſed magis virtus, & fortitudo. Si verò quæras, qualiter naturalis illa, ſeu nativa ſcientia tam facilè, tamque citò, cùm adeò luminoſa eſſet, euſque obtenebrata, vel obſcurata eſt, ut tanta mala non adverterit, qualiter palatum ejus ſpirituale tam citò corruptum eſt, ut ei tantum malum, videlicet ſuperbiæ, non deſipuerit, bonumque contrarium ſapuerit, & ipſum falſum bonum illuſione nominationis non ſenſerit: Reſpondeo, quia vel incredibilis virtutis ad obtenebrandum intellectum, & ad pervertendum palatum ſpirituale eſt falſa dominatio, & honor illuſtris, vel incredibilis levitatis, atque infirmitatis fuit in iſto primo peccatore unaquæque vitium iſtarum; ſicut evidenter vides in hominibus, quos tantâ celeritate rapit in ſe, & inflammat amore ſuo honor illuſoriæ & tam fugacis dominationis. Nec ignoravit hoc ille Poëta de gente Latinorum, qui dixit; nihil eſt, quod credere de ſe non poſſit, cùm laudatur Diis æqua poteſtas. Adiuvaberis autem ad hoc lucidiùs videndum, ſi dementationes adulationum cogitaveris. quæ adeò falſa. adeòque incredibilia ſuadent, & credere faciunt homines, quos dementant. Si tanta eſt virtus adulationis ex alieno ore blandiſſimæ applaudentis ut falſa manifeſtiſſima, & incredibilia ſic ſuadeat, & credi faciat, cujus virtutis eſſe putanda eſt, quæ ex ipſo corde ſeu intellectu, unicuique confingit inopinabilia, cùm idem eſt orator, & judex, decipiens. & deceptor? Aliis namque credere, vel non credere, aliquid habet libertatis, ſed ſibi ipſi non credere, cui erit liberum, vel poſſibile? Alioquin, ſi ſibi quis ſuggerenti non crederet, crederet ſimul, & non crederet idem. Alii quidem poteſt quòd ipſe ſuggeſtor

De ambitione dominandi in Angelo primo.

Qualiter obtenebrata fuit ſcientia Angeli primi.

E non credit, ſuggerere ſibi verò nequaquàm, quia nemo ſibi ſuggerit, niſi quod dictat ei conſcientia ſua; quicquid autem dictat unicuique conſcientia ſua, hoc proculdubiò credit, propter quod dixi, quia difficillimum eſt non credere propriis ſuggeſtionibus, aut ſuaſionibus: quare eruditiſſimus eſt, & magno munere creatoris adjuvatur, qui propriæ conſcientiæ ſuggeſtiones examinare conſuevit, & difficilem ſe ad credendum eis exhibere, niſi ubi vel ex lege, vel ex doctrina authentica, vel ex evidentia veritatis ſuggeſtionum aliter appareat, & cùm etiam quid aliquem credere velit, aut jubeat, ignoranti ſaluberrimum eſt, & non damnabile, totâ ſollicitudine inquirere veritatem. Si quis quoque admiretur, qualiter tam ſubitò rapere potuit eum in ſe honoris illius illuſorii pulchritudo, utinàm attendat, quantâ facilitate pulchritudo mulieris rapuerit in ſe corda ſapientiſſimorum, eodem modo & pulchritudo divitiarum, atque delitiæ:

F ſed & de ipſis mulieribus, quæ ſpecioſitatem ſuam, hoc eſt, ſuorum corporum interdùm attendentes, in tantam elevantur ſuperbiam, ut alias contemptui habeant, & penè ab hominibus adorari velint. Noſti etiam de ſcientia, vel ſapientia, ſi tamen ſapientia dicenda eſt, in quantam ſuperbiæ deſipientiam elevant plerunque ſcientes, cùm econtrariò ab inſania ſuperbiæ eiſdem mederi potiùs debeant, & inſipientiam repellere à proprio ſub ecto. Obtenebratio autem hujuſmodi & fuit in primo peccatore, & adhuc eſt in omnibus imitantibus eum, ex hoc, quòd ſibi, & verè luci interpoſuit: & ipſi interponunt falſæ dominationis falſiſſimam pulchritudinem, & ſic & nativi luminis radium, & geniti, ſi quem habent, à ſe prohibent, & abſcondunt. Quòd ſi quis quæſierit, tu, qui hoc diſputas & loqueris, quâ audaciâ te hoc videre præſumis, & illum primum peccatorem, quem ſapientiſ-

G ſimum fuiſſe nemo dubitat, iſta non vidiſſe, vel cognoviſſe contendis? Præſertim cùm tenebris te involutum, & immenſa diſtantia à luce ſapientiæ illius te longè eſſe negare non poſſis. Reſpondeo: quia quantumcunque expedita ſit virtus viſibilis in aliquo, quantumcunque benè diſpoſito oculo, non tamen æquè benè, vel clarè videre poteſt id, in quod aciem oculorum non dirigit, ut qui lippientibus oculis in illud reſpicit: ſed neque ſolem ipſum videre poteſt, qui dorſum habet verſum ad illum: ſic dico & de me, & de omnibus in hoc intendentibus, quia non eſt mirum, ſi videmus, vel intelligimus minori longè lumine ſcientiæ falſitatem, & vanitatem pulchritudinis & illuſoriæ dominationis, cujus amore, & ambitione primus ille peccator à creatore averſus eſt, cùm in eam oculum cordis, & aciem mentis, provt poſſumus, dirigamus, & viſum in eandem, quantùm nobis de-

H ſuper datur, profundemus; ille verò non profundavit intellectum ſuum, ut videret intimam vanitatem, & falſitatem dominationis illius, & ut cognoſceret, quia ipſa intus erat ſervitus viliſſima, atque nequiſſima. Aſpexit igitur eam à foris, ubi ſe mentiebatur libertatem, & dominationem, & propter hoc obſcuratus eſt hujuſmodi mendacio intellectus ipſius, & ſubverſa vis motiva, quæ non erat, niſi amor, aut voluntas in eo. Converſus igitur ad bonum forinſecum, & apparens, eique amore cæco adhærens, ab interno bono, videlicet naturali rectitudine ſua diſtortus eſt, & à vero & intimo bono, quod eſt creator, averſus. Quòd ſi quærat quis, cur non ſtatim, vel ſaltem aliquo tempore poſt, à tam cæca perverſitate non reſipuit, præſertim, cùm tantâ irâ creatoris dejectus ſit, atque deturbatus ex alto naturalis illius nobilitatis,

in qua

Digitized by Google

in qua creatus fuit, in tam ignominioſam vilitatem; tamque grandia tormenta, ut per quendam ex nobilioribus prophetis Hebræorum dictum ſit ad creatorem de eo: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: etſi enim innumerabiles homines ſeducat, atque ſubvertat, ab omnibus tamen ſanctis, & Deo dilectis, eouſque eidem illuditur, ut illuſionibus eorum videatur à creatore merito ſuæ perverſitatis expoſitus, & hoc proculdubiò dignum, & juſtum eſt, ut qui tam perversè gloriari non eſt veritus, extremis contumeliis illudatur; de his verò illuſionibus, & contumeliis, convenientius eſt, ut in exhortatoriis ſermonibus exponatur; vix enim eſt cogitare contumeliam, aut modum illuſionis, quem ei non irrogent viri ſancti, ſive in certaminibus ſpiritualibus vincentes ipſum in ſemetipſis, ſive aliàs eidem reſiſtentes, fortiter quidem quantùm ad ſe, & mirabiliter, quantùm ad ipſum verò, cum grandibus contumeliis, & illuſionibus, & omnia palàm ſunt eis, qui ſciunt victorias ſanctorum virorum de eo, dejectiones ejus, deprædationes, ſpoliationes, deſugationes, & ereptiones peccatorum de faucibus ejus, atque de ventre. Omnia autem hæc, & alia innumerabilia, quæ nec enarrari, nec explicari per hominem poſſunt, non avertunt ipſum, nec avertere poſſunt à perverſitate ſua. Adeò enim profunda, adeòque intima eſt in eo ſuperbia, ut non tam affectio apud eum, quàm infectio meritò habeatur. Et hujus ſtultitiæ nonnullum exemplum eſt in ſtultis, quibus inſigniis regalibus illuditur. Propter quod & credunt ſe reges eſſe nulla irriſione, vel contumelia ab hujuſmodi credulitate averſibiles, nec ab amore hujuſmodi illuſoriæ regietatis, ut ita dicatur, revocabiles. Aliud exemplum, & evidentius eſt in regibus, & principibus, qui ſolùm dominandi libidine, ſoloque amore inanis gloriæ, & honoris illuſorii, occupant loca ſublimitatum, nullo amore rei publicæ vel ſpiritualis, vel temporalis, nullo creatoris honore; qui enim tot labores, & dolores, & horrores, tot cruciatus ſpirituales, & temporales inceſſanter patiuntur, ut etiam indomita animalia, & feræ rapidiſſimæ & eruditi, & ab omni præda abſterreri deberent, non tamen ſic ab hujuſmodi dominationibus, & honoribus averti poſſunt. Aliud exemplum eſt in militibus, qui in exercitationibus militaribus, quas vulgò torneamenta vocant, tot, & tantis livoribus, vulneribus, ſumptibus, & ſumptuum oneribus & plerunque grandibus contumeliis, turpiſſimiſque delectationibus, & captionibus affliguntur, nec aquis tantarum tribulationum extinguitur in eis amor vaniſſimæ gloriæ vanitatis militaris, & falſæ laudis de ſtrenuitate armorum. Quartum exemplum in hypocritis, quorum jejunia, vigilias, orationes, cilicia, cingula ferrea, labores, quis enumeret, vel exponat? Et hæc omnia perferunt amore vaniſſimæ laudis, & falſiſſimæ opinionis hominum. Non eſt igitur numerus, non eſt menſura aliqua cruciatuum, & tormentorum, quam profundata ſuperbia, & intimatus amor inanis gloriæ non perferat, etiam gloriæ, quæ apud nos eſt. Qui enim amore modici, & pauperis regni, tot & tanta ſuſtinere non dubitat, ex proportione incomparabili majora pro incomparabili majori, ac nobiliori regno ſuſtinere indubitanter paratus eſt; proportionabiles enim debent eſſe in eodem genere cauſæ & effectus earum: qui ergo pro regno unius civitatis, vel provinciæ, tot & tanta patitur, ut illud vel obtineat, vel obtentum jam non amittat, quanta pro regno regnorum terrenorum, hoc eſt, pro totius orbis imperio perferre non dubitaverit? Omnibus autem regnis terrenis, & etiam totius orbis terreni imperio incomparabiliter præſtantius, atque ſublimius eſt regnum, quod primus peccator ambivit. Tantò enim magnificentius fuit regnare ſuper omnes ſubſtantias angelicas; & hoc perenniter, quàm ſuper paucos homines, & ad tempus, quantò perennitas brevi tempore longior, & quantò angelicæ ſubſtantiæ naturali dignitate præcellunt hominibus. Quare ex proportione incomparabiliter major etiam intentione fuit avaritia, vel ambitio illa diaboli omni humana ſuperbia, ambitione, & avaritia. Et propter hoc ex eadem proportione, ſeu proportionalitate cauſarum, & effectuum, ad incomparabiliter majores cruciatus perferendos armavit, & fortem fecit diabolum, quàm ipſe poſſit armare, & fortes facere homines. Sequitur & ex eadem proportionalitate, ut incomparabiliter difficilius ſit, eum reſipiſcere, quàm prædictos imitatores ipſius. Difficultas autem, quæ incomparabilis eſt ad aliam difficultatem finitam, & determinatam intentione, vel magnitudine, quid eſt niſi impoſſibilitas? quare impoſſibilis non immeritò videatur ejus reverſio. Attende etiam, quia in omnibus paſſionibus ſpiritualibus eſt interdùm profundatio, & intimatio, ſic totum ſubjectum rapiens, & poſſidens, ut ab omnibus aliis ipſum avertat. Et manifeſtum eſt tibi hoc in exemplo amoris fortiſſimi: ſicut eſt in amore interdùm mulieris in virum aliquem, vel viri in illam, qui omnes cogitationes, & alias affectiones locutiones ſimul, & operationes, ſibi vendicat, nec aliud cogitare ſinit amantem, quàm amatum, vel ea, quæ amori deſerviunt, aut ex amore ſunt. ſic ſe habet & de avaritia, cùm eouſque inarſit. Notum autem eſt tibi de amore, qui dicitur heros qualiter totaliter in ſe rapiat, & inflammet amantem, & in ipſum amatum quodam modo transferat illum. Sic ſe habet & de dolore, eo enim uſque interdùm invaleſcit, ut dolentem efficiat inconſolabilem: ſic & timor interdùm inaſſecurabilem. Quid ergo mirum ſi ſuperbia vehementia ſua ſuperbum faciat inhumiliabilem, quod dico de virtute, & potentia naturæ. Potentiæ enim creatoris nihil impoſſibile eſt, nihil difficile de his, quæ in ſe poſſibilia ſunt.

CAPUT LIX.

Quod non ſolùm quadam ratione probabili; ſed evidenter oſtendi poteſt caſus primi angeli, qui fuit primus peccator.

Addam autem tibi declarationem evidentem hujus caſus, & quaſi cujuſdam mortis primi peccatoris. Si enim conſideraveris ſtatum primi hominis, antequàm peccaſſet, etiam in puritate, & nobilitate ſolatum perfectionum naturalium, & ſtatum præſentis hujus corruptionis, cum qua naſcimur, invenies, quia ſtatus ille fuit verè humanus, & veri hominis; hic autem ſtatus eſt ex magna parte brutalis, & etiam totaliter brutalis perſiſteret, niſi eruditione, & aliis ſive parentum, ſive aliorum hominum adjutoriis à ſua brutalitate aliquatenùs recederet. Quod evidenter apparet in parvulis ſeorſùm ab hominibus nutritis, qui nec ambulare, nec loqui, nec aliud, quod ad humanæ perfectionis nobilitatem pertineat, facere norunt. Primus verò homo nihil omninò brutalitatis habuit, hoc eſt, nihil omninò brutalis deſipientiæ, aut temeritatis, ſive præcipitationis habuit, ſed rationalis, & modeſtus erat in ſtatu illo, & erectus ad bona *De ſtatu primi hominis.*

Digitized by Google

ſpiritualia, & ſuſpenſus ad illa, & averſus ab infimis ſuis, hoc eſt, à carnalibus, & temporalibus; propter quod nec ipſam nuditatem corporis ſui cogitabat, vel cognoſcebat. Unde in ipſa lege Hebræorum legitur, quia poſt peccatum cognoverunt ſe eſſe nudos, quemadmodùm & ipſe creator interrogatione, quam primo homini proponit, hoc ipſum evidenter aſſerit, dicens ad eum: Quis indicavit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quia de ligno hujuſmodi comediſti? Econtrariò verò nunc ſe habet, quia in inferioribus ſuis, & exterioribus ſuis adeò demerſus, atque ſepultus eſt, ut ea in hac miſeria ſola cognoſcat, & ſentiat, interiora verò ſua nec videat, nec ſentiat, neque nuditatem animæ ſuæ, quæ ſpoliata eſt veſte ſuâ pulcherrimâ, quæ eſt ex omni decore, & varietate virtutum contexta. Sed neque deformitates ſuas ſpirituales videre prævalet, neque pulchritudinem. Ex hac eadem cauſa, neque ſpiritualia pericula ſua videt, nec quòd mundus mare ſit periculis ſpiritualibus refertiſſimum, nec videre prævalet quòd in eo periclitantur ſpiritualiter homines. Non videt, quòd omnia delectabilia corporalia laquei ſunt, atque muſcipulæ ſpirituales: ſicut dixit quidam ex ſapientibus, dicens, quia creaturæ Dei in odium homini factæ ſunt, id eſt, verſæ, & in laqueum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Non videt, quòd pulchritudines corporales, ignes, & gladii ſunt ad exurendas ſpiritualiter, & transverberandas animas humanas, & alia innumera hujuſmodi pericula ſpiritualia, quæ ſcientia illa divinalis, quam ſcientiam ſanctorum, & ſcientiam ſalutis ſermones vocant authentici, docet, & explicat. Ad hæc igitur mala inſenſibilis effectus homo, ad mala corporalia tranſit, valdè ſenſibilis. Mare namque viſibile, & ignes, & gladios viſibiles, vincula, & carceres, & alia mala corporalia lucidiſſimè cognoſcit, & ſentit, inquantùm hujuſmodi ſunt, quemadmodùm & multa ex brutis animalibus. Eodem modo ſe habet & de bonis corporalibus, & pulchritudinibus, ut de ſanitate, eſca, veſtimento, tecto, & lumine, omnibuſque aliis hujuſmodi. In ſpiritualibus verò bonis, & malis, ut ego dixi, cæcus, & inſenſibilis eſt, niſi gratia creatoris ipſum illuminet in his, atque adjuvet. In prædicto verò ſtatu econtrariò ſe habebat. Eſt igitur quaſi mortuus ab illa vita ſublimi, & erecta, atque ſpiritualiter ſenſibili, propter quod juxta planum literæ verus fuit ſermo creatoris, quo dictum eſt ad primos homines, ſicut narrat lex Hebræorum, quacunque die comederitis, morte moriemini, hac ſcilicet morte ſpirituali, qua ſenſus ſpirituales juxta intentionem prædictam, in eis ſic extincti ſunt. Propterquod doctrina Chriſtianorum veriſſimè vitam nominat gratiam creatoris, qua ſenſus & iſti interiores, ac ſpirituales reviviſcunt aliquatenùs. Exempli gratiâ, viſus interior reviviſcit ad videndam & intuendam lucem ſuam, ſolem ſcilicet intelligentiæ, & juſtitiæ, qui eſt creator benedictus. Sic & ipſa voluntas, hoc eſt virtus volendi, vel amandi, tanquàm vivifico, ſeu vitali calore recaleſcit amore creatoris rectiſſimo. Et ad hunc modum eſt videre de virtute iraſcibili, quòd ipſa reſurgit, & elevatur magnificentia ſancta, & recaleſcit ſimiliter ita nobiliſſima, quæ eſt zelus rectiſſimus: & juxta modum iſtum ſingulæ virtutes veræ rationis, & nominis, & ſingula dona gratiarum vitam iſtam ſpiritualem, aut tanquàm partes ejus conſtituunt. Econtrariò per omnia fit extinctione perfectionum hujuſmodi, & vitiorum, ac peccatorum adventu, quo non ſolùm depravantur, deformantur, & fœdantur animæ humanæ, ſed etiam ſicut dixi, & in

Qualiter homo dicatur mortuus per peccatum.

Quomodo gratia eſt vita.

E tantum mortificantur, ut propter hoc, niſi viverent apud eas vires inferiores, omninò mortificatæ apparerent. Quia igitur apud primum peccatorem, & ſequaces ejus non ſunt vires inferiores, ſed ſolæ ſuperiores, ac nobiles, apparent penè mortificatæ comparatione vitæ nobilis, & rectæ, qua in bonitate illa ſua naturali, ſeu primitiva vixerunt; vires enim eorum antedictæ à bonis, quæ ipſa natura naturaliter ſuadet, & ſuggerit, penitùs averſæ, ad mala totaliter converſæ ſunt, ac potiùs ſubverſæ, atque detortæ, & hoc irreverſibiliter, atque irreſurgibiliter, propter profundatam, & intimatam inæſtimabiliter infectionem perverſitatis: hic igitur eſt caſus eorum, videlicet ex alto naturæ, ſeu naturalis bonitatis, & rectitudinis, in infimum maligniſſimæ perverſitatis: & hæc eſt mors quædam
F apud eos, vivifici, ſeu vitalis caloris extinctio. Et intelligo calorem iſtum amorem naturalem bonorum omnium, quæ natura naturaliter amanda ſuadet, & ſuggerit apud eos. Patefactum etiam eſt tibi per hoc, in quam mortem ceciderunt primi homines, & in qua alii naſcuntur; & cauſas etiam didiciſti hîc, & comparationes, atque ſimilitudines, propter quas & caſus in mortem, & mortificatio non immeritò dicitur lapſus hujuſmodi; & ſtatus ille inferno ſimillimus eſt, & habitatio taliter mortuorum. Forſitan autem hoc intellexit in ſermone ſuo ſapiens ille, qui dixit, caſus in Angelis, mors in hominibus. A quo caſu non eſt poſſibile naturaliter eos reſurgere, ſicut neque homines à morte. Reſurrectio enim hominum, vel regeneratio mor-
G tuorum, non eſt humanæ naturæ poſſibilis, neque ejus operatio ullo modo credenda eſt, ſed ſolius omnipotentis, & divinæ virtutis mirandus effectus. Jam igitur reſponſum eſt tibi ſuper quæſtionibus ante propoſitis, & declaratum ſecundùm poſſibilitatem meam, & parvitatem ſcientiæ meæ, quod, vel quale fuerit peccatum primi peccatoris: & quia reverà ſuperbia fuit juxta intentionem nominationis ſuæ, qua dicta eſt ſuperbitio, quaſi ſuperitio. Et addo hîc, quia vix ſeparantur ab invicem tres illæ, vel partes, vel ſpecies, vel rami, vel filiæ ſuperbiæ, quæ ſunt dominandi libido, amor inanis gloriæ, & honoris ambitio. Nec eſt veriſimile primum iſtum peccatorem ab aliqua earum fuiſſe immunem. Declaratum eſt etiam tibi, quid ipſum ad hoc induxerit, vel ſeduxerit, & dictum eſt tibi, quia pulchritudo apparens illuſoriæ dominationis, falſique honoris, & inanis gloriæ: & dedi tibi exempla, & ſimilitudines ad hoc. Reſponſum etiam eſt tibi, qualiter ipſum ſic decipi, & aberrare permiſit tanta illa ſapientiæ illius naturalis claritas.
H Et dictum eſt tibi, quia quemadmodùm oculorum quantacunque claritas, & viſus quantumlibet bona diſpoſitio permittit vel ceſpitare, vel etiam cadere non dirigentem viſum in viam ſuam, & viæ diſcrimina, quemadmodùm etiam ipſum ſolem, qui eſt viſibilium maximè viſibilis, quantacunque perfectio viſus, & oculorum ſit, permittit non videre eum, qui dorſum habet ad illum, vel qui oculos ſuos ab ipſo averterit. Ex quibus omnibus apparet ſubitum, & non deliberatum fuiſſe hujuſmodi peccatum. Quemadmodùm accidit in eo, qui in viſæ mulieris ſpecioſæ pulchritudinem libidinoſâ concupiſcentiâ ſtatim ardet; nec requirens, nec habens conſilium, neque deliberationem, an ſit ei concupiſcenda mulier hujuſmodi, ſeu amanda, ſed ſubitò cor ejus in eam rapitur, & inflammatur: ſubitaneitas autem, atque temeritas magis conveniunt, & adhærent ſuperbiæ, quàm alicui ex aliis vitiis: propter quod & ventus ei quodammodò à ſacris doctoribus, & moralibus Philoſophis, appropriatur:

Quare non pæniteant Angeli.

Quòd temeritas adhæret ſuperbiæ.

priatur, non tam propter inflationem, quâ intumeſcunt omnes ſuperbi, ſed propter inconſultiſſimam, indeliberatiſſimamque præcipitationes; quâ omnes ſeparationes ſuas improviſim, & imparati peragunt. Omnium enim motuum corporalium, qui in mundo ſublunari fiunt, motus ventorum velocior eſſe videtur. Audiviſti inſuper in his, quæ præceſſerunt, qualem ſimilitudinem voluit iſte peccator habere altiſſimi, hoc eſt quia nullo modorum eſſentialem. In nullam enim ſubſtantiam intelligentem cadere poteſt hujuſmodi voluntas, aut deſiderium, videlicet, ut velit eſſe ipſe creator, & ſicut dixi tibi, ſimilitudinem, qualis ei apparebat non benè, nec plenè, nec intus, ſed foris tantùm, videnti, ſimilitudinem inquam libertatis, & dominationis, gloriæque, & honoris. Et hæc eſt pulchritudo, quæ ipſum in ſe rapuit, & ſubvertit. Non enim erat vera pulchritudo, ſed in nocte, quam ipſe ſibi fecit, averſus à lumine ſapientiæ ſuæ, & ab
B ipſa luminoſitate creatoris, vera illa pulchritudo, & magna apparuit. Vidi ego ipſe mulierem deformem, quæ ad ignem, & lucernam, pulchritudinis videbatur eſſe mirabilis: in luce verò diei apparebat evidenter in ea non pulchritudo, ſed magna deformitas. Cauſam etiam propter quam nec ſtatim, nec poſteà à tam ſtulta nequitia reſipiſcens ſe correxerit, aſſignavi tibi, videlicet profundatiſſimam perverſitatis, atque corruptionis ſuperbiæ illius infectionem. Exempla etiam humanæ ſuperbiæ appoſui ad hoc. De invidia verò, qualis ſit, & quando ei fuerit adverſus Dei filium, dixi per veriſimilitudinem, quòd vidit regnum ipſius in homines dilatandum, ubi contra regnum ipſius in ſeductione primorum hominum ejus ſe malignitas patefecit. An verò de gloria, & divinitate filij Dei doluerit, non eſt adhuc mihi ſermone aliquo authentico declaratum, ſed quòd facto etiam Trinitati invi-
C derit gloriam regni illius, hoc eſt, Angelicarum ſubſtantiarum dominationem, ex hoc manifeſtum eſt, quòd tantam eam multitudinem in partem ſuam traxit, & à creatore avertit. Si tamen averſionem, & caſum earum, quæ cum ipſo cecidiſſe dicuntur, modo quolibet procuravit. Hoc enim habet quæſtionem non levem, ſicut audies in ſequentibus. Quæſtio autem, quâ quærebatur, qualiter ambiret adverſus creatorem etiam, vel partem regni ſui modicam, cùm ſe adverſus eum omninò nihil poſſe non ignoraret, cùm nec in ſtultiſſimum ſervum hominem adverſus regem ſuum, vel principem ſimilis ſtultitia unquam ceciderit, determinata eſt per hoc, quia non habet ſervus talis pulchritudinem, vel gloriam aliam, quæ ad hujuſmodi cogitatum, vel ambitionem ipſum erigat, vel extollat. Accidit tamen ſæpiùs in ſer-
D vis viliſſimis potentia, & honoribus, atque divitiis à ſuis regibus, vel principibus exaltatis, ut regna, & principatus eorum ambiant, & inde eos dejiciant, ipſaque regna, & principatus illorum ſibi uſurpare attentent, interdùm etiam & uſurpent, de obſtinatione quoque, duriſſimaque pertinacia ipſius primi apoſtatæ, qui nec tormentis, nec contumeliis erudiri poteſt, ut reſipiſcat, cauſam audiviſti, & exempla, atque ſimilitudines hominum imitantium ſuperbiam illius. Ubi & reminiſci debes vim amoris incredibilem, quæ tot, & tanta ſuſtinere facit amantes; nec tantis gladiis tribulationum perſequentium ſecari, vel dividi poteſt. Habet tamen quæſtionem de iſto peccatore, qualiter vis ejus nobilis motiva ſic perverſa, & ſubverſa eſt qualiter tanta ſapientia, vel aſtutia, ut verius dicatur, in vi ejus intellectiva remanſit, ut nulla ſcientia humana ei valeat

A comparati. In quo reſpondeo, quia luminoſitas hæc in ea, quæ intendit, reverà facit eū perſpicaciſſimum, ac profundiſſimum; quemadmodum ſe habet & in omni genere vitiorum. Avaros enim ad exequendas, multiplicandas, congregandas divitias, ad damna vitanda, & ad lucra captanda calidiſſimos non ſolùm non prohibet, licet perverſiſſima ſit, totaque ſubverſa, quin potiùs adjuvat, & etiam illuminat, & videre facit in rebus hujuſmodi ultra, quàm videre prævaleant ſancti & juſti, veræque rationis, & nominis ſapientes. In

Qualiter tanta aſtutia remanſit in vi intellectiva primi Angeli.

eis autem, quæ ad ſapientiam ſalutarem, atque honeſtatem, & virtutes pertinent, penè penitùs ſunt cæci. Et hæc à ſenſu accipere tibi facillimum eſt. Si enim de rebus hujuſmodi, hoc eſt, de his, quæ ſanctitatis, & honeſtatis ſunt, locutus eis fueris, eos cæcos, & ſurdos intus evidenter probabis, nec aliquid ampliùs in his intelligentes, quàm cæcum natum de coloribus, aut noctuas, aut veſpertiliones de ſole, & luce diei. Propter quod eruditi in ſacris exhortationibus non tam mortuos avaros dicunt ſpiritualiter, quàm ſepultos in luto, ſeu ſterquilinio divitiarum, quas avarè diligunt. Eodem modo ſe habet de luxurioſis, & pompaticis, & ſuperbis. Sic ſe habet, & de diabolo, qui in eis, quæ malignitatis, & vanitatis ipſius ſunt, perſpicaciſſimus, ac profundiſſimus eſt. In aliis autem, ſcilicet, quæ ſunt bonitatis, & rectitudinis, non ſic, propter quod & ſæpiſſimè fruſtrantur à viris ſanctis inſidiæ ipſius. Verùm, utrùm uſu inſidiandi, & antiquitate aſtutia ejus profecerit, quæſtionem habet non facilè determinabilem. Quamvis jam multi dixerint, quòd reverà crevit ejus illa ſcientia malignandi, vel aſtutia. Sed nec modum iſtius crementi, ſive profectus dixerunt, nec probatione aliquâ declaraverunt, cùm à rebus, quæ poſt ipſum fiunt, nihil accipere videatur, maximè ſecundùm Ariſtotelem. Reſervabo autem iſtam quæſtionem cum aliis loco ſuo. Nec illud prætereundum eſt, videlicet, utrùm ab initio creatoris cultum, & honorificentiam, quæ Græcè latria dicitur, ambiverit. Et intendo, utrùm in ſimilitudine creatoris coli, & adorari voluerit, cùm poſtmodùm tanta multitudo ſectionis, id eſt, congregationis ſuæ hoc appetierit, & eouſque hoc hominibus ſuaſerit, ut penè totum genus humanum idolatriæ execrabilitas polluerit. Sola enim pars modica gentis Hebræorum in unius veri, ac ſummi Dei cultura remanſit, pluſquàm tribus partibus gentis ejuſdem ad culturam idolatriæ jam translatis. Decem enim tribus, & dimidia per Regem Perſarum, atque Medorum, captivatæ, & in montes Perſarum, atque Medorum translatæ, in ritus idolatriæ tranſeuntes, unus populus, & gens una, cum gentibus, inter quas commixtæ fuerunt, effectæ ſunt, paucis dumtaxat exceptis, qui in abſcondito legi Hebraicæ, & ritui adhærebant; & apparebit tibi hoc ex hiſtoriis Hebræorum, quas gens Chriſtianorum recipit. De toto verò regno Romanorum, & de toto regno Græcorum, quæ fuerunt regnorum omnium mundanorum ampliſſima, atque fortiſſima, utpote quibus omnia alia regna ſubdita fuerunt, manifeſtum eſt ex hiſtoriis, quia deſtructis aliis ſectis, & ritibus, ad idolatriam compellebant in toto orbe, quoſcunque poterant, donec lex Chriſtianorum, velut vivifici luminis ſaluberrima claritas, Imperatori Romanorum mirabiliter illuxit, & averſum à ſordibus idolatriæ ad religionem Chriſtianam convertit. Per hunc ergo in

Utrùm aſtutia diaboli uſu augeatur.

Digitized by Google

toto orbe Romanorum, atque Græcorum idolatria E proſligata, & exterminata apud ſolas barbaras nationes remanſit, religione Chriſtianâ adhuc durante in Regibus, eo tamen excepto, quòd in multis poſtmodùm remanens per negligentiam Sacerdotum, & Principum, apoſtatante quodam ex Regibus Romanorum à fide & religione Chriſtiana ad idolatriam, quaſi denuò reviviſcens, multas regiones in regno Sarracenorum occupavit. Ubicunque autem vel fuit, vel eſt idolatria, coluntur his Dii hujuſmodi, quos malos Angelos atque apoſtatas gens Chriſtianorum nominat, hoc autem non fit, niſi ſuggeſtione ipſorum. An igitur ab initio ſic coli, & adorari voluerint: an poſtmodùm dejecti, atque damnati à creatore, irâ adversùs eum exardeſcentes in hoc injuriam, & cõtumeliam ipſius excogitaverunt, atque procuraverunt, perſpicuum ex ſermonibus authenticis nondùm eſt. Nec eſt F parùm admirandum inſaniam iſtam eos ab initio incurriſſe, cùm nullus hominum, niſi mente captus, hujuſmodi culturam impendi ſibi unquàm voluerit, donec ſuaſum eſt hominibus in Deos aliquos tranſire, atque deificari propter egregios, ac magnificos actus. Invaluit & adhuc eouſque iſta opinio de tranſlatione hominum in Deos, ſuffragante ad hoc non modicùm adulatione Poëtarum, atque mendaciis, ut etiam viventes homines Dii haberi vellent, & ſtatuas ſibi erigi vel præciperent, vel gauderent. Unus etiam ex Regibus Babylonis in eam dementiam proſiliit, ut Deos omnium gentium exterminare intenderet, & ſolus in univerſa terra Deus haberi vellet. Nec oportet, ut onerem multitudine narrationum ſuper hoc.

Quòd à principio primus Angelus voluit coli ſicut Deus.

Poteſt igitur ex his exemplis hominum, qui ſoli Dii haberi, & culturam Deorum impendi ſibi voluerunt, videri alicui, quòd ab initio apoſtatæ Angeli in eam ſuperbiæ dementiam elevati ſunt, ut culturam divinam ſibi impendi, vel exhiberi appetierint: & hoc G eſt ſimilitudo, vel pars ſimilitudinis, quam appetiit primus ille, atque maximus eorum, & de qua dixit: Ero ſimilis altiſſimo, videlicet in honorificentia culturæ, & aliis, quæ dixi. Non eſt ergo multùm longè à probabilitate, & veriſimilitudine hoc, cùm ſimilis inſania poſtmodùm evenerit hominibus, licet ignorare non poſſent ſe eſſe mortales: illi autem ſcirent ſe eſſe immortales. In quo nonnullam creatoris ſimilitudinem eos habuiſſe manifeſtum eſt. Tuum ergo erit rationes iſtas, exemplaque, & ſimilitudines in unum congerere, diligentiúſque conſiderare, ut auferas à te dubitationem, & admirationem circa ſermones propheticos, cùm præter authoritatem divinam, per quam editi ſunt hominibus, & ſancti apud eos, etiam rationes habeant probabiles, quibus eorum credulitas adjuvetur. H

CAPUT LX.

Qualiter tanta multitudo Angelorum peccavit, & num adhærendo Lucifero, an per ſe quiſque ſuperbiendo, & num ipſe eos ſollicitaverit, & num fuerit conſpiratio.

HIs ergo ita determinatis, reſtat inquirendum, qualiter tanta multitudo Angelorum ſic peccaverit. Utrùm vel adhærendo ei in iſta ſtultitia, vel per ſeipſos ſuperbiendo, & utrùm ipſe hoc procuraverit aliquâ ſuggeſtione, vel ſuaſione, & utrùm inter eos tractatus aliquis fuerit, vel deliberatio de conſpiratione facienda contra creatorem, & de erigendo ei, atque eligendo Regem alium, & Principem ex adverſo. Dico igitur inprimis, quia hujuſmodi aggreſſus non fiunt apud nos ſine fautoribus, ac complicibus; neque adhuc auditum eſt, quòd unus in quocunque regno quantumlibet potens, & magnus ſolus contra Regem ſuum ex adverſo ſurrexerit, & ſe ei opponere præſumpſerit, maximè ſi Rex bonus, & juſtus ſit. Aut ergo non intendebat aliquid in creatoris injuriam attentare, cùm ſciret ſe contra eum penitùs nihil poſſe, aut fretus fiduciâ multitudinis, & potentiæ ſibi adhærentium hoc præſumpſit, ſed & hoc eandem habet rationem ſuæ deſtructionis. Similiter enim certiſſimum erat, etiamſi omnes exercitus illi ſubſtantiarum ſpiritualium eidem adhærerent ad rebellandum contra creatorem, ſe contra ejuſdem beneplacitum nihil poſſe, nec etiam ullo modorum durare poſſe, vel vivere, creatore nolente.

F Ampliùs. Si ipſe induxit ſuggeſtionibus, vel ſuaſionibus ſuis, ut eum tanquàm Deum altiſſimum adorarent, & pro Deo altiſſimo illum colerent, quibus promiſſionibus, aut blanditiis, quibus minis, aut terroribus, quorum miraculorum, vel mirabilium oſtenſionibus, aut ſignis eos ad hoc induxit, cùm enim ſuum creatorem agnoſcerent, & de non eſſe ad eſſe omnipotenti virtute, & bonitate creatoris eductum? Ampliùs. Quæ erat ſcientia eorum, vel credulitas de ipſo? Si enim ſuggerebat eis ſe eſſe Deum altiſſimum, in hoc nullus eorum ei credere potuiſſe videtur. Si verò ſuggerebat eis ſibi deberi divinos honores, dico, quòd in hoc ei credere non permiſit eos eminens illa naturalis ſapientiæ luminoſitas, cùm divinis honoribus, & adoratione hujuſmodi, nihil dignum eſſe poſſe cognoſcerent lucidiſſimè, niſi illum, qui verè Deus, ac ſolus eſt. Sed neque hujuſmodi cultus honorificentiam, ſcilicet alii, quàm ipſi creatori ſervire,

G injuriam, & contumeliam creatoris eſſe ignorare, nec dubitare poterant tunc. Quare ſcientes, & prudentes in execrationẽ idolatriæ prolapſi ſunt, ipſũ Principem malitiæ ſibi ipſis idolum facientes. Ampliùs. Iſti tractatus, aut latebant alios Angelos, aut conſcii erant eorum. Si latebant, qualiter erant iſta abſcondita apud eos? ſic enim nec voce aliquâ loqui eis poterat, cùm eſſent præſentiſſimi, ac propinquiſſimi, ſi loqui poſſet, nec ſigno alio ſuggerere eis talia poterat, cùm ſigna hujuſmodi ab oculis eorum abſcondita eſſe nullo modorum poſſent. Si verò conſcii fuerunt hujuſmodi tractatus, ſimilis eos culpa involvit cum eo ſtatim, & à tanta ſtultitia non ſe averterunt, & præſumptioni inſaniſſimi Principis non reſtiterunt. Non enim ignari erant debiti, & obligationis, quibus tenebantur & honorem conſervare creatoris, & avertere injurias, & contumelias ipſius. Ampliùs. Cùm dicant nonnulli ſacrorum do-

H ctorum in gente Chriſtianorum, quòd non omnes imitatores primi peccatoris ex uno ordine fuerunt, quicunque autem in uno ordine erant æquales ſcientiâ, & bonitate fuiſſe videntur: unde igitur iſta diverſitas, ut de Angelis æqualibus quoſdam ſic perverteret, quoſdam verò pervertere non potuerit, cùm æqualibus ſuaſionibus apud æquales per omnia illum uſũ fuiſſe veriſimile ſit? Alioquin minimos, ſeu extremos naturali ſcientiâ, & bonitate elegiſſe videtur, qui ſuis ſuggeſtionibus tam facilè crederent, de majorum ac ſublimiorum ſubverſione deſperans, & ſciens eos ſibi magnitudine bonitatis, & eminentiâ ſcientiæ reſtituros, vel ſaltem metuens. Ampliùs. Non ſolùm inveniuntur in Regibus, & Principibus, aliiſque Magnatibus iſti tres rami ſuperbiæ, ſed etiam in minimis, atque viliſſimis hominibus. Illud

verò

Digitized by Google

verò ferè univerſale vitium eſt, videlicet nolle ſervire, ſive ſubeſſe, neque enim eſt reperire in hominibus aliquem, qui non jugum ſervitutis detrectet; & abjicere conetur, & libertatem, quâ omninò non ſubſit, non affectet. His dumtaxat exceptis, qui ad regulam voluntatis creatoris, & ad perfectionem, quam lex Chriſtianorum, ut ſuperiùs tibi dixi, continet, ejuſdem gratiâ directi ſunt & adjuti. Quia igitur iſta eſt verè perverſitas & generalis eſt naturaliter in hominibus, & perpetua, exceptis his, de quibus dixi, & divino munere, quod creatoris gratiam nominavi, naturalis videtur eſſe in ſubſtantiis rationalibus, maximè ſecundùm Ariſtotelem, qui originalem corruptionem non poſuit in genere humano. Eadem autem cauſa, & longè fortior, ſic ſuperbiendi in ipſa creatione ſua fuit apud ſubſtantias ſpoliatas, videlicet eminentiâ ſcientiæ naturalis, atque virtutum. Manifeſtum autem eſt tibi, quia eminentiæ, ſive ſint ſpirituales, ſive temporales, occaſiones ſunt, & fuerunt ſuperbiendi, atque ſubjectiones, & ſervitutes repellendi: & hoc à ſenſu, & experientia tibi liquidū eſt. Non enim ſuaſum habent homines, nec fortè illæ ſubſtantiæ facilè, quòd ab eminentiis debeant deſcendere in deorſum ſubjectionis, & ſervitutis eorum, quæ ſunt poſt ipſas, & ſub eis. Magis enim videtur iſta cognitio eſſe in omni, in quo eſt, ex ſuperiori lumine, atque nobiliori, quod eſt gratiæ, vel gloriæ. Quemadmodùm & ipſa voluntas gerendi ſe inferiorem, & ſubditum eis, qui poſt aliquem, & ſub ipſo ſunt, non videatur forſitan alicui naturalis inſtitutionis eſſe; ſed ex divino creatoris munere & ordinatione. Quicquid autem dicatur hîc à quocunque, mihi tamen videtur, quòd naturalis ordo, vel inſtitutio naturæ hoc non prohibeat, etiam ſi hoc naturaliter non efficeret. Multa enim plerunque natura efficere per ſe non ſufficit, quæ tamen in ſubſtantiis ſuis non prohibet naturaliter ab alio effici, quin potiùs ſuſceptibilem ſe exhibet, atque præbet ad perfectiones ſubjectorum ſuorum, ad quas efficiendas virtus ei propria non ſuppetit. Et hoc manifeſtum eſt tibi in aëre, cujus virtus, cùm illuminationem ejus efficere non valeat, ipſum tamen ab illa non ſolùm non prohibet naturaliter, ſed ad ejus ſuſceptionem ipſum habilem reddit, & præparat. Addito inſuper, quia in ſubſtantia intelligente, nondùm aliqua ſubverſione perverſa; hæc ordinatio, vel inſtitutio eſt naturaliter indita, vel impreſſa, videlicet, ut ex his, quæ à creatore recipit, ſerviat indigentibus, & recipere poſſibilibus, quin manifeſtum eſt in ſubſtantiis etiam inanimatis, hoc ita ſe habere. Cujus exemplum eſt evidens in ſole, qui de luminoſitate, quam habet ex dono creatoris, ſervit omnibus lumine ejus indigentibus, & etiam omnibus illuminabilibus ab ipſo, quantumcunque eo inferiora ſunt: & hoc tanta amplitudine largitatis, & diffluentiæ, ac ſi ſolum miniſterium luminis, & ſola ſervitus miniſtrandi illud eſſet ei commiſſa. Ampliùs. Quis paſtor non eſt incomparabiliter per naturam ovibus ſuis ſublimior, nec tamen ſervire eis in exquirendis paſcuis, in regimine, cuſtodia, & defenſione, atque medicatione naturaliter dedignatur? Quòd ſi dixerit quis, quia in hoc ſibi ipſi ſervit, cùm ſervitus illa totaliter cedat, & refundat in utilitatem ipſius, verum utique dicit; ſed hoc ipſum poteſt facere intuitu mercedis conductus, ſcilicet à domino ovium. Verùm inſuper eſt manifeſtè, quia reges, & principes ſerviunt ſubditis ſuis in regimine, cuſtodia, atque defenſione; & ſubditi eiſdem nihilominùs in vectigalibus, tributis, & aliis multis præſtationibus. In corpore etiam animalis manifeſtum eſt omni conſideranti, unumquodque membrorum omnibus aliis, & ſingulis ſervire ex ordine, & inſtitutione naturæ; & in toto genere humano ſi ſic eſſet, ut omnes homines ſe invicem mutuis ſervitiis adjuvarent, & ab omnibus læſionibus unuſquiſque omnes; & ſingulos, prout ei poſſibile eſſet, defenderet, non contra naturam, immò ſecundùm naturam, indubitanter hoc eſſet, cùm naturalis benignitas, & pietas hoc ipſum naturaliter ſuggerat unicuique. Nec propter hoc vel minus naturaliter; vel minus benè, atque decenter, ſubſtantiæ iſtæ nobiles vel hominibus ſervirent propter hoc, quia ut homines eis ſerviant viceverſa, non indigent, immò tantò melius, tantóque pulchrius quantò liberalius, & magis gratis. Non obſiſtit igitur bono; & recto ordini naturæ, quòd ſuperiores vel homines, vel aliæ ſubſtantiæ inferioribus ſuis abſque indigentia, quâ eis indigeant, & abſque ullo commodo, quod ab eis recipiant, ipſis ſerviant. Libertas enim & gratia, nullo modo naturæ ordinem ſubvertunt, vel impugnant. Amplius. Intelligentibus palàm eſt virtutem viſibilem non eſſe in oculis propter oculos ſólos, neque etiam propter totum, & ſolum ſubjectum; ſi enim viſu cujuſcunque hominis quicunque alius indigeat, eidem videre tenetur. Et propter hoc cæcis hominibus ipſi, qui vident, adjutorium ſui viſus exhibent, vel ducatum eis præbentes, vel illos à viarum, & ab aliis diſcriminibus avertentes: ſic & de viſu ſpirituali ſe habet, quod eſt ſapientia, vel ſcientia, quia nulli propter ſe ſolum datus eſt, vel datur, cùm multis aliis notum ſit prodeſſe, & interdùm majoribus utilitatibus in aliis deſervire, quàm in ipſis, in quibus ſunt. Quapropter manifeſtum eſt, quoniàm ſi naturali illa ſcientia ſua uti voluiſſent, multò meliùs, quàm quidam Philoſophi, quibus iſtud innotuit, cognoviſſent. Quare ſi ſubeſſe creatori in hoc miniſterio, vel etiam ſubſtantiis, quibus prodeſſe poterant, contempſerunt, vel quolibet modo noluerunt: patens eſt ſuperbia eorum in hoc, quamquàm & alterius miniſterij ſublimioris, ac nobilioris, eos debitores fuiſſe, tibi dubium eſſe non debeat. Hoc autem miniſterium eſt fœliciſſimæ, ac beatiſſimæ jocunditatis, quo vacatur admirationi, & glorificationi creatoris, jubilationibus, & collaudationibus ſuavitatis incogitabilis, quibus ſolum poſt conſummationem præſentis miſeriæ dilecti, & electi creatoris homines ſunt perenniter vacaturi. Ex his igitur omnibus veriſimile non immeritò videri poteſt, ſuperbiam hujuſmodi primum fuiſſe peccatum communiter in omnibus hujuſmodi ſubſtantiis, & cauſam unam dediſſe occaſionem eidem, videlicet eminentiam, quâ in ſemetipſis in eam ſuperbiam elevatæ ſunt, ut ſupereſſe vellent altero prædictorum modorum, appetentes falſam illam, quam dixi in præcedentibus, libertatem; & in eis, quæ poſt ipſas, hoc eſt, quæ inferiores ipſis erant, vaniſſimam, & illuſoriam dominationem. Quòd enim in ſolos malos, ac perverſos homines dominari appetierint, non eſt veriſimile, cùm neque de hominibus, neque de malitia eorum, aliquid etiam cogitaſſe illo tempore videantur; non enim erant homines eo tempore, quo ipſi ſic depravati ſunt, ſecretum igitur in conſilio creatoris tunc fuiſſe videtur de creatione hominum, ac depravatione, cùm tunc futuræ eſſent. Ampliùs. Depravatio hominum futura erat per eos, aut aliquem, vel aliquos eorum, hoc ipſum autem ignoraſſe videntur, videlicet quòd ipſi priùs depravati ſeducturi eſſent homines, & in ſubverſis dominium

Quòd eminentia ſcientiæ naturalis & virtutum ſuperbierunt Angeli. Nota de habitudine ſuperiorum ad inferiores.

Quomodo principes ſerviũt ſubditis, & ſubditi principibus.

Quod primus Angelus non ſeduxerit alios, ſed unuſquiſque auctor fuit propria malitia.

obtenturi. Ad eam verò quæſtionem, quam ſupra poſui, videlicet utrùm primus, & maximus peccatorum iſtorum alios ſeduxerit, atque ſubverterit: nihil veriſimilius occurrit mihi nunc, quàm unumquemque propriæ malitiæ fuiſſe auctorem ex occaſionibus antedictis. Neque enim contractu, vel ſine contractu video factam fuiſſe ſeductionem iſtam. Quòd ſi quis quærat, quare peccaverunt quidam eorum potiùs, quàm alii omnes, cùm nec minùs ſcientes, nec minùs fortes fortitudine ſpirituali fuerint omnibus aliis? Reſpondeo, quia manifeſtum eſt nullum eorum violento impulſu in malitiam fuiſſe dejectum, quare unuſquiſque eorum peccavit ſuâ voluntate, applicans eam falſo bono, & avertens eandem à vero bono, nec aliam cauſam, vel occaſionem habuit aliquis eorum, quàm eas quas audiviſti. Sive-rò quærat quare potiùs hujuſmodi cauſæ, vel occaſiones illos induxerunt in malitiam, quàm alios: Reſpondeo, quia ipſi dederunt ſe hujuſmodi cauſis, vel occaſionibus: & hoc dare, vel tradere, non fuit niſi ipſum velle, vel appetere falſum bonũ, quod audiviſti. Quòd ſi dixerit, quia eandem cauſam habuerunt alii, qui non ſimiliter peccaverunt, quia voluntatem ſuam falſo bono malè non applicaverunt; contingit enim in duobus æquales gladios habentibus, quòd alter gladio ſuo ſe interficit, alter verò nõ, & in hoc nõ eſt alia cauſa, niſi quia alter applicat ſtultiſſimè voluntatem ſuam tanto malo; videlicet interfectionis propriæ, alter verò non: & ſic eſt de duobus habẽtibus æquales vires, ſeu virtutes ad ambulandum: & æquales etiam ſuggeſtiones, exempli gratiâ exercitationem, vel negociationem, alter ambulat hujuſmodi occaſione ſuaſus, & allectus; alter verò non: ſi quæris, unde hæc: reſpondeo, quoniàm à voluntate efficienter, vel effectivè: de ſuggeſtione, & ſuaſione tu ſcis, unde eſt, quoniàm ab exercitatione, vel negociatione. Quare inclinatur, ſi quæris, voluntas iſtius potiùs, quàm illius ad acquieſcendum hujuſmodi ſuggeſtioni: Reſpondeo, quia hujuſmodi inclinationis non eſt cauſa, niſi voluntas ipſa quæ tantæ libertatis, atque imperioſitatis eſt, ut nullo modorum cogi poſſit ab operatione ſua immediatè, & per ſe, & hoc eſt velle, vel nolle: & quemadmodùm in factis Imperatorum eſt audientibus, & videntibus ea, pro cauſa & ratione ſufficienti, voluntas, adeò ut cùm ea eſſe facta Imperatorum cognoverint, non ulteriorem cauſam requirant: ſic voluntas vis imperativa motuum, & propter hoc inſtar Imperatoris in toto regno uniuſcujuſque ſubſtantiæ intelligentis ſe habet. In malis igitur actionibus non habet auctorem, niſi ſe ipſam: in bonis verò ipſum creatorem habet auctorem, cùm illa ex juſſione, vel præceptione ipſius faciat, & juſſio hæc pervenit ad illam vel per nativi, ut dixi, luminis ſcientiam, vel per gratuitâ inſpirationẽ, vel per legẽ, vel per doctrinã, nec inclinatur ſuaſionibus, aut ſuggeſtionibus, aut conſiliationibus, niſi ad quæ vult & quando vult, & quomodo vult. Et intendo, quòd nullo modorum omninò invita ad aliquid volendum inclinatur. Et forſitan ejus inclinatio non habet cauſam efficientem, quantùm ad mala, quæ propriè dici debeat efficiens. Efficiens enim propriè eſt, & per ſe, quâ poſitâ ponitur effectus. Extra voluntatem autem nihil eſt ponere, quo poſito ponatur effectus hujuſmodi, id eſt inclinatio ipſius voluntatis, ſive ipſum velle. Sed neque etiam ipſa voluntas eſt ſic cauſa efficiens ſui velle, ut ex neceſſitate ipſam ſequatur, ſed ſemper potiùs libertate. Attende igitur differentiam aliorum principiorum, ſive cauſarum efficientium, ad voluntatem, & invenies concomitantiam, ſeu connexionem neceſſariam, & modis omnibus inſeparabilem inter ipſas, & operationes ſuas; liberam autem & ſeparabilem, inter ipſam voluntatem, & ejus immediatam, ac per ſe operationem, quæ eſt velle, niſi bonitas creatoris ipſam confirmet in ſuo bono velle, & idem dico de malo velle, niſi pertinacia obſtinationis ipſam in ſuo velle induraverit.

Quòd voluntas ſuaſionibus non inclinatur, niſi ad ea, quæ vult.

Nota.

Debes autem ſcire, quòd fuerunt, qui dicerent cauſam depravationis primorum peccatorum fuiſſe naturalem mutabilitatem, ſeu defectibilitatem ipſorum, quam Philoſophi vocant poſſibilitatem ſeu potentialitatem. Quod autem induxit eos in hoc, induxit etiam in errorem pernitioſiorem, quo opinati ſunt gloriam animarum poſt corpora, vel hominum, vel etiam ſanctorum Angelorum, non poſſe eſſe perennem, quoniàm naturalis mutabilitas pro eo, quòd naturalis eſt, vel eſſentialis, non poteſt auferri ab ipſis, & propter hoc neque effectus ejus perpetuò, & hic effectus eſt mutatio. Quare non eſt poſſibile, ut eis viſum eſt, quin quandoque in quocunque ſtatu ſint, vel futuræ ſint, ab eo demutentur in alium. Quare à ſtatu gloriæ neceſſariò quandoque in alium mutabuntur, non autem in æqualem, vel ſuperiorem; in ſuperiorem quidem non, quoniàm non eſt poſſibile ſtatu gloriæ alium eſſe ſuperiorem, in æqualem verò, vel ſimilem nec eſt poſſibilis mutatio, & etiam ſuperflua eſſet, cùm nihil haberet meliorationis, in ſimilem verò alibi didiciſti non poſſe eſſe mutationem, ut ab albo in album. Erit igitur ſecundùm hunc errorem in deterius, & contrarium; ſicut in peccantibus Angelis, & hominibus jam factum fuiſſe manifeſtum eſt, quia à bono in malum, & à ſtatu bonitatis in pravitatem malitiæ demutati ſunt. Ampliùs. Subſtantiam aliquam perpetuò manere in potentialitate ſua, quantùm ad quamcunque ipſius operationem, viſum eſt eis impoſſibile eſſe. Mutabilitas autem eſt potentia. & amittendi jam habitum, & acquirendi, quod nondùm habetur. Cùm igitur ſit naturalis iſta potentia in omnibus ſubſtantiis nobilibus. & ſeparatis: neceſſe eſt ipſam aliquando educi de potentialitate ſua in actum, & de perfectione ſua ad perfectionem. Quicquid igitur in ſe naturaliter mutabile eſt, neceſſe eſt ut & quandoque mutetur. Quare cùm ſubſtantiæ omnes intelligentes naturaliter mutabiles ſint, neceſſe eſt eas quandoque mutari. Quapropter & ab ipſo ſtatu gloriæ neceſſe eſt eas aliquando mutari, ſeu mutandas eſſe. Habes ſermonem Platonis, atque ſententiam de hac re, videlicet quòd mutabilitas in ſubſtantiis nobilibus ſit naturalis. Hic enim eſt ſermo ipſius in libro ſuo, quem Timæum vocavit, ex perſona creatoris ad Deos etiam Deorum: Dii Deorum, inquit, opera mea vos eſtis, naturâ quidem diſſolubiles; me autem ſic volente indiſſolubiles. Ampliùs. Mutabilitas & immutabilitas contrariæ ſunt, non poſſunt igitur naturaliter eſſe in eodem, & ſecundùm idem. Mutabilitas autem naturalis eſt in omnibus hujuſmodi ſubſtantiis, & inſeparabilis ab ipſis; impoſſibile igitur eſt, ut immutabilitas adveniat ipſis. Si enim adveniret aliquo tempore, cùm contraria mutabilitas ſeparari non poſſit ab illis, eſſet ſimul cum illa in eiſdem. Quòd ſi dixerit, quia mutabilitas naturalis, ſive naturæ, & immutabilitas gratiæ, ſeu gloriæ, non ſunt ad invicem contrariæ, neque etiam repugnantes, videtur eadem ratione poſſe dicere, quòd albedo naturalis, qualis eſt in nive, vel cygno, & nigredo adventitia non ſunt contrariæ; neceſſe etiam habent concedere, quòd poſſunt eſſe in eodem ſecundùm idem, alteram enim altera non repellit: ſic nec contrarietas, nec repugnantia eſt inter eas. Intẽde igitur, & ſcito ſermonẽ iſtũ erroneum

eſſe, & deſtructionem ejus eſſe multiplicem. In primis, quoniàm mutabilitas iſta non eſt tantùm ſecundùm amiſſionem, aut acquiſitionem eorum; quæ accidunt, vel adveniunt ſubſtantiis poſt completam eſſentiam, ſed etiam ab eſſe in non eſſe, & etiam à non eſſe in eſſe. Alioquin intentio immutabilitatis ſolius eſſet creatoris benedicti, qui nec à non eſſe in eſſe, vel ab eſſe in non eſſe, unquàm mutabilis eſſe potuit. Falsò igitur eam ponerent, vel ſupponerent in hujuſmodi ſubſtantiis, vel in quacunque alia re. Quare ex falſo fundamento, atque poſitione inducti ſunt in errorem iſtum. Ipſe etiam præmiſſus ſermo platonis evidenter hanc intentionem inſinuat, videlicet de mutabilitate ab eſſe in non eſſe. Si igitur valida eſt ratio eorum prior, videlicet quia hujuſmodi potentia neceſſe eſt ut quandoque educatur ad actum mutationis, conſequens eſt ex neceſſitate nihil eſſe perenne, ſeu perpetuum in ſubſtantiis, cùm neceſſe ſit unamquamque ſubſtantiam aliquandò mutari ab eſſe in non eſſe ſecundùm ipſos: & animæ igitur noſtræ mortales erunt, & ipſæ ſubſtantiæ omnes nobiles, de quibus mihi ſermo totus. Ampliùs. Jam alibi didiciſti, quòd mutatio corporum continua eſt ex neceſſitate, & non ſubita. Quare defectio cœlorum; & corporum univerſorum cœleſtium paulatim fieret, donec perveniret ad extremum defectus. Tu autem ſcis, quia nihil defectionis apparet in eis, vel apparuit, cùm jam per tot milia annorum duraverit. Quòd ſi appropinquarent ipſi non eſſe per naturalem iſtam defectibilitatem, apparerent in tot milibus annorum propinquiora facta eſſe ſuæ defectioni aliquatenùs: hoc autem non eſt verum. Ampliùs. Si per tot milia annorum prohibita eſt mutabilitas naturalis in hujuſmodi corporibus virtute ipſorum, nec apparet virtutem hujuſmodi in aliquo debilitatam, neque virtutem mutabilitatis in aliquo confortatam, ita ut vel fortior ſit hæc, quàm ab initio fuerit, vel illa in aliquo debilior, nec laſſitudo apud alterutram earum locum habeat, neceſſe eſt & in tanto numero annorum utramque, quantùm in eis eſt, ſimiliter ſe habere. Quare ſicut virtus cœlorum prohibet potentiam mutabilitatis iſtius, & prohibuit per tot millia annorum ab illo defectu ſuo, qui eſt mutatio de eſſe in non eſſe, ſic ſufficiet & prohibere illam abſque debilitatione ſua, & laſſitudine, per totidem ſequentium annorum milia, & ita eſt neceſſe, ut hoc ſufficiat in infinitum. Eſt igitur perpetua corporum hujuſmodi duratio, ſeu perennis. Ad hoc verò, quod dicere potuiſſe videntur, quia naturalis mutabilitas non recipit immutabilitatem propter contrarietatem, vel repugnantiam, quam habet ad ipſam: Reſpondeo, quia potentialitas non repellit actum, nec imperfectio perfectionem, immò deſiderat eam, & obtentam quemadmodùm fœmina marem amplectitur; ſicut dixit Ariſtoteles de materia ad formam in libro auditus. Ampliùs. In omni genere rerum; ubi potentialitas habet locum, quærit ipſa res exire de malo potentialitatis. Et propter hoc Ariſtoteles in prænominato libro ſuo poſuit potentialitatem propter malum impotentialitatis, atque carentiæ, principium motus naturalis. Non enim actum, vel perfectionem ſibi convenientem ſolummodò quærit omne, quod movetur, ſed etiam naturaliter fugit malum potentialitatis, & carentiæ, ut ponderoſum in aëre non ſolùm intendit per motum acquiſitionem loci ſibi congruentis naturæ ſuæ, ſed etiam malum carentiæ illius, & locum incongruentem ſibi, atque contrarium effugere. Ampliùs. Nulli dat, vel dedit unquàm natura virtutem, vel principium ad de-

A ſtructionem proprii ſubjecti; quoniàm tunc intenderet in deſtructionem propriam, cùm non fundetur natura unaquæque niſi in proprio ſubjecto. Ampliùs. Ipſum non eſſe manifeſtum eſt nihil eſſe; ad nihilum autem nec aliquid tendit naturaliter, nec principium, vel virtutem habet ad illud. Nullum igitur eſſe naturale principium eſt ad non eſſe; vel deſtructionem ipſius eſſe in quocunque genere rerum, ſimiliter neque ad non habere, neque ad amittere aliquid per ſe. Quare nec mutabilitas principium eſt naturale, nec virtus ullo modorum; ſimiliter neque defectibilitas, neque mortalitas, ſed magis defectus virtutis, atque potentiæ conſervativæ ipſius eſſe, & defendentis illud à læſionibus, neque poſſe non eſſe; aut poſſe deſtrui, ex potentia, vel virtute eſt. Alioquin quæ impotentiſſima ſunt, neceſſe eſſet eſſe potentiſſima, hoc eſt potentiis refertiſſima. Si enim poſſe mori, poſſe deſtrui, poſſe mutilari, poſſe vulnerari, poſſe capi, B poſſe ligari, eſſent ex potentiis, poſſe igitur cadere in quamcunque miſeriam vel moleſtiæ, vel carentiæ, eſſet ex potentia. Cùm ſint igitur innumerabiles læſiones, atque aliæ miſeriæ, & innumerabiles amiſſiones, in quas poteſt cadere hominum unuſquiſque impotentiſſimus, eſſet ipſe ex neceſſitate potentiis pleniſſimus, & propter hoc potentiſſimus, quomodò igitur eſſet impotentiſſimus. Declaratum igitur eſt tibi per hæc, quia mutabilitas nec virtus; nec potentia eſt, ſed potiùs virtutis, & potentiæ defectus. Quòd ſi etiam eſſet potentia aliquo modo, non propter hoc neceſſe eſſet eam aliquandò exire in actum. Nullus enim hominum eſt, qui non habeat potentiam, ut fiat, vel ſit rex. Manifeſtum autem eſt tibi, & omni alii; cui aliquid poteſt eſſe manifeſtum, pauciſſimas ex tot potentiis exire in effectum hujuſmodi. Patens igitur eſt eos erraſſe, qui mutabilitatem, ſeu defectibilitatem eſſe potentiam poſuerunt. Ampliùs. C Secundùm hoc mors naturalis eſſet unicuique mortalium. Naturalia autem ea, quibus naturalia ſunt, naturaliter non fugiunt; neque contraria illis naturaliter appetunt. In genere verò humano manifeſtum eſt omnes homines & mortem naturaliter fugere, & vitam, atque ſtabilitatem ejus naturaliter amare. Quare mors contra naturam humanam eſt naturaliter, atque inimica eidem, & vitæ ſtabilitas naturalis, & amica ipſi. Quòd ſi dixerit quis, quia interdùm homines mortem deſiderant, & nonnulli eorum ſemetipſos occidunt: Reſpondeo, quia deſiderium hujuſmodi naturale non eſt, ſeu tædio vivendi per ſe, ſed magis infortuniorum tædia, aut aliarum moleſtiarum, qualia ſunt incommoda ſenectutis, ab ipſa natura penè extortum, & ex plurimo ſui involuntarium: & declaratum eſt tibi per me hoc in tractatu alio, ubi patefactum eſt tibi, unde mors; & quia plaga eſt humano generi juſto judicio creatoris illata.

D

CAPUT LXI.

Quòd non eſt mirum depravatio & caſus malignorum ſpirituum, cùm ſuperbiæ occaſionem habuerint.

POſt hæc autem tentabo, ut tollam à te admirationes hominum, quibus admirantur caſum, ſive depravationem ſubſtantiarum, quas malignos ſpiritus, & diabolos jam tres leges nominant. Prima igitur cauſa admirationis eorum eſt præeminens illa; & præclara ſapientia naturalis, qua eos

Digitized by Google

naturaliter præditos fuiſſe jam noſti, qualiter, inquiunt homines, tanta in eis ſapientia tantam ſtultitiam, vel potiùs inſaniam ſuperbiæ ab eis non repulit, immò, quod mirabilius eſſe videtur, qualiter illam admiſit? Hi igitur cauſam ſuperbiæ non noverunt, & ipſam conſuetudinem ſcientiæ non attendunt, propter quod ſapientiſſimus ille, & doctor Chriſtianorum, evidenter dixit, quia ſcientia inflat: ex quo ſequitur, quia & major magis. Scientia igitur inflationem quaſi de conſuetudine parit ſuperbiæ. Non igitur mirabile debet videri cuiquam, ſi ſcientia, illa licet præeminens, & ſcientiis humanis incomparabilis ſuperbiam non repulit, aut etiam admiſit, cùm de conſuetudine eam gignere habeat, & nutrire, & tantò magis, atque major eſt, quantò majorem ipſam eſſe contigerit. Idem dico de virtutibus jam naturalibus, & tota bonitate nativa, & de omnibus præeminentiis, quia provocare, & gignere conſueverunt ſuperbiam ſecundùm omnes partes ipſius, quas debes ex aliis reminiſci. Nec mirum, ſi ex virtutibus naturalibus, atque ſcientia, quantumcunque nobilibus proceſſit ſuperbia, quandò ex virtutibus gratiæ, quæ longè præſtantiores ſunt, & ſuperbiæ magis incomparabiliter adverſantur, interdùm oritur. Multi enim de ſanctitatis eminentia in ſuperbiam elati, & elevati ſunt. Quæ autem major abuſio in generatione vitiorum inveniri poteſt, quàm quod ſuperbia ex ipſo contrario ſuo naſcatur, hoc eſt ex virtute humilitatis. Nonnulli enim de ipſa humilitate ſua ſuperbia intumuerunt. Addo etiam, quia de ipſa morte ſua reviviſcit ſuperbia, & reſurgit, & interdùm de ipſa victoria, qua victa eſt, victorem ſuum vincit perniciofius, & de ipſa dejectione ſua damnabilis elevatur. Non enim dubitandum eſt tibi nonnullos ex hoc in inanem gloriam & elevatos fuiſſe, & adhuc etiam elevandos, quod ſuperbiam in ſeipſis vicerant, & ipſam dejectam, atque proſtratam ſuperbiam de ipſa dejectione, & proſtratione ſua, vires majores reſumpſiſſe & contra victores ſuos ſe altiùs erexiſſe. Accidit, & ſingulariter, in vitio ſuperbiæ, quod in nullo rerum aliarum genere reperitur, videlicet, ut cõtrarium ſuum diligat, ſpeciemque ſuam, atque ſimilitudinem totis ſtudiis, ac viribus perſequatur. Humilitatem enim diligit omnis ſuperbus in alio à ſe, ſuperbiam verò alienam implacabiliter, implacabiliterque perſequitur, & cauſas horum per me alibi didiciſti. Non mireris igitur, ſi præter conſuetudinem rerum naturalium, & contra naturæ ordinem, prima eſt nata ſuperbia, quam vides tam prodigioſè, tamque monſtruoſè quotidie generari. Cujus abuſiones ſi ſcruteris per ſingula, incredibilia apparebunt tibi ejuſdem monſtra; cùm enim pondus ſpirituale ſit ſuperbia, elevat tamen in altum ſuperbientem, & non minus monſtruoſè, ſeu abuſivè, de hujuſmodi pondere ſpiritualiter movetur in ſurſùm. Pondus iſtam dico, quoniàm principium eſt caſus, ſicut dixit ſapiens in ſermone ſuo, quia initium omnis peccati ſuperbia. Peccatum autem omne caſus ſpiritualis eſt, quare principium deſcenſus ſpiritualis. Hæc autem eſt veriſſima ratio, ſeu diffinitio ponderis ſpiritualis, quemadmodùm principium deſcenſus corporalis diffinitio eſt ponderis corporalis. Quòd ſi ipſam ſuperbiam intimiùs, ac profundiùs cognoveris, videbis eam monſtrum horrificum, & iſtum ſuperbum prodigium ridiculoſiſſimum, juxta ſermonem cujuſdam ſapientis, qui dixit: Si videres unum murem dominantem aliis muribus, vel etiam dominari volentem, nunquid riſum contineres? aut ſi unum aſinum regem eſſe volentem aliorum aſinorum, quid

E diceres? cùm autem volueris imaginari ſuperbum intimiùs, atque profundiùs, invenies ipſum idolatram ſimul, & idolum ſui ipſius, & videbis ipſum non ſolùm velle adorari, & coli, tanquàm Deum, & dominum ab hominibus, ſed etiam adorantem, & colentem ſe, ita ut quemadmodùm veri Dei cultores adorant, & colunt ipſum, laudantes, & benedicentes, & bona, quæ habent, vel faciunt eidem attribuentes: ſic & ipſe hæc omnia ſibi impendit. Non mireris igitur, ſi tam prodigioſum monſtrum, tam monſtrificè, ſeu monſtruoſè naſcitur. Præſertim cùm ipſum tam crebrò naſci videas inter tot humilitatis præſidia ubi tot, & tanta ſunt, quorum minimum extinguere, & ſuffocare ipſam ſufficiens eſt, ſi his benè uteretur ſuperbiens. Quis enim enumeret miſerias humanas à parte animarum in ipſis, & quæ à parte corporum in eiſdem, deinde ipſam mortem, & ad extremum terrificum judicium creatoris, & venturam damnationem: & hæc omnia pugnant contra ſuperbiam. Pugnant etiam linguæ
F detractorum, contumeliæ, & injuriæ perſequentium, irriſiones, & cachinni, & omne genus illuſionis vilipendentium, ac vilificantium. Hæc igitur omnia ſunt velut exercitus armatus contra ſuperbiam, & velut apotheca copioſiſſima contra morbum ſuperbiæ, & velut præſidia humilitatis armantia, ac defendentia eam contra ſuperbiam, & ipſam animam humanam contra hoſtem tam noxium munientia. Nec tamen adhuc prohibetur, vel repellitur tantis præſidiis eouſque ſuperbia, ut non ſolùm non oriatur in majori parte humani generis, ſed nec etiam, ut non ſæpiſſimè ſicut tibi dictum eſt, & mortua reviviſcat, & proſtrata reſurgat. Attende etiam & illud, quia vehementi admirationi eſt virtus humilitatis in magnatibus, in regibus, atque principibus. Et cauſa hujuſmodi
G admirationis eſt credulitas difficultatis, qua credunt poteſtativas iſtas ſublimitates difficillimè poſſe pati virtutem humilitatis, & ipſam ſuperbiam comitem earum penè inſeparabilem opinantur, licet tot ſint præſidia, totque adjutoria humilitati in ipſis, quot nocumenta, atque impedimenta ſuperbiæ in eiſdem. Cùm igitur hæc tanta, & tot præſidia humilitati defuerint in ſubſtantiis, de quibus agitur, & nullum de omnibus hujuſmodi nocumentis, vel impedimentis habuerit ſuperbia in eiſdem; eminentiæ verò longè præſtantiores, atque ſublimiores omnibus regalibus, & imperialibus excellentiis, fuerint iſtis, de quibus agitur, ſubſtantiis, ſublata meritò videri debet omnis admiratio circa ſuperbiam earum. Quòd ſi dixerit, quia ratiocinatio iſta ad hoc deducit, ut cùm eandem cauſam ſuperbiendi habuerint ſubſtantiæ primæ, quæ non ſimi-
H liter ſuperbierunt: propter hoc ſimilis apud eas ſequi debuit effectus, jam reſpondi tibi ſuper hoc, quia libera voluntas non habet cauſam neceſſariam, vel cogentem, quin potiùs in libertate ejus eſt, ut applicet velle ſuum qui voluerit, & avertat, à quo voluerit. Intellige autem hîc non duo velle eſſe ex neceſſitate in hujuſmodi applicationibus, quia ſecundùm hoc cogeremur & infinita ibi concedere. Non enim dicitur voluntariè aliquis velle aliquid, quia ſolum vult ſe velle illud, ſed quia ſimpliciter vult illud. Et hoc eſt propter voluntatis libertatem, quæ nullam cogi patitur ad volendum, & etiam propter hoc, juxta uſum loquendi certiſſimum, quia non facit aliquid, per quod velle illud avertatur ab ipſo. & hic eſt modus, quo dicitur ad ſervum delinquentem, tu vis verberari, quoniàm nec facit aliquid per quod declinet verbera, & inſuper facit, quod aliquis faceret volens verberari. Cave igitur in his, & hujuſmodi, & adverte, quia non

Digitized by Google

non eſt ſolummodò voluntarium, quod eſt volitum, ſed etiam quicquid ex voluntate eſt liberè. Si enim hoc eſſet, aut velle non eſſet voluntarium, aut præcederent ipſum infinitæ voluntatis ordinatæ cauſæ efficientes ipſius. Si enim velle eſſet volitum alio velle, quàm ipſum ſit, & illud aliud velle ſimiliter eſſet volitum alio velle, per hanc viam curreret res in infinitum. Jam autem deſtructa eſt tibi infinitas cauſarum. & ſtabilitus ſtatus earum Manifeſtum igitur eſt, quia non eſt neceſſe omne velle volitum eſſe, vel voluntarium, niſi ſecundùm intentiones, quas dixi, videlicet liberè à voluntate cauſari, ſcilicet non per coactionem, aut compulſionem. Interdùm tamen contingit velle verè, ac propriè volitum eſſe, & hoc alio velle, quàm ipſum ſit, quemadmodùm aliquis debilitatam habens vim appetitivam, & omninò non habens appetitum ſumendi cibum, excitat ipſum appetitum, & procurat. In eo ergo verum eſt, quod ipſe appetit appetitum ſibi verum eſt, quod appetitus apud ipſum B appetitur, & deſiderium hujuſmodi deſideratur, & duo ſunt ibi appetitus, & duo deſideria. Sic & multi timentes ſe non amare, aut timere creatorem, provt deceret, & deberent, volentes ipſum amare ſic, videlicet & ut eos deceret, & deberent, conantur ut poſſunt, provocare, & accendere in ſe hujuſmodi amorem, ſimiliter & incutere ſibi hujuſmodi timorem. Hìc ergo vides duos amores diverſos, alterum videlicet qui quæritur, quoniàm non haberi timetur, & alterum, quo ille quæritur, qui movet quærentem ad quærendum illum. Et hanc diverſitatem oſtendit tibi ſermo ille propheticus, quo dixit ſanctus, & ſapiens ille propheta Hebræorum: Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore. In hoc enim quòd dixit, concupivit, & deſiderare; duo deſideria evidenter expreſſit, alterum per verbum concupivit, C alterum per verbum deſiderare, alterum, videlicet quo concupiſcebat deſiderare, proculdubiò & habebat, & ſe habere ſciebat, ipſum verò deſiderare quod concupiſcebat, vel non habebat, vel ſe habere neſciebat. Nemo enim concupiſcit, quod habere ſe cognoſcit. Contingit tamen interdùm, aliquem quærere, quod habet, & deſiderare, quando videlicet ſe iſtud habere ignorat Stat igitur per hæc, quæ jam dicta ſunt, infinitas hæc, ſtat inquam actu non autem potentia, de quolibet enim velle nihil prohibet, quin poſſibile ſit alio velle ipſum eſſe volitum, & procuratum. Unumquodque igitur ſingulorum infinitatis hujuſmodi per ſe ipſum poſſibile eſt Infinitas tamen tota ſimul impoſſibilis, quemadmodùm Democrito reſpondet Ariſtoteles in libro de generatione, & corruptione, videlicet quia poſſibilis eſt cujuslibet partis continui diviſio per ſe, univerſitatis autem partium, ſive infinitatis, tota ſimul diviſio impoſſibilis, & D ſimiliter ſe habet in cauſis quibuſdam efficientibus, verbi gratiâ, de quolibet homine generato poſſibile eſt, quòd ipſe generet alium, & de generato ab illo ſimiliter, quòd generet alium, & de tertio, quòd generet quartum, & ita in infinitum. Singula igitur iſtius infinitatis per ſe poſſibilia ſunt, ipſa tamen infinitas in ſua univerſalitate impoſſibilis eſt. Et in duobus oppoſitis contingentibus manifeſtum eſt de utroque, quia eſſe verum poſſibile eſt, verum utrumque eſſe verum in ſua univerſalitate, ſeu conjunctione non eſt poſſibile.

A

CAPUT LXII.

Quòd dæmonum ſcientia, & aſtutia poteſt augeri, contra Ariſtotelem.

POſt hæc autem expediam te, & me, provt erit mihi poſſibile juxta promiſſum, de quæſtione illa, qua quærebatur in præcedentibus de primis peccantibus ſubſtantiis, an poſſent proficere ſcientia. Jam igitur audiviſti ſententiam Ariſtotelis ſuper hoc, qui poſuit eas eſſe immutabiles, & impaſſibiles. Ex quo manifeſtè conſequens eſt eas creatas fuiſſe limitatæ receptibilitatis, ita videlicet, ut non poſſent vel plura, vel majora à creatore, vel aliunde recipere, quàm ab initio ſuæ creationis receperint. Quare neceſſe eſt virtutes intellectivas ipſarum anguſtiores, minùſque capaces fuiſſe, quàm noſtras, cùm noſtræ receptibiles creatæ fuerint quantæcunque ſcientiæ naturalis, & inſuper ſcientiarum gratuitarum, quales ſunt prophetici ſplendores, & intellectus ſanctus, & contemplativus, & aliquæ aliæ. Ampliùs. Primam intelligentiam nobiliſſimam eſſe ſecundùm poſitionem ipſius manifeſtum eſt, & propter hoc ſapientia, & virtutibus naturalibus præſtantiſſimam Alias verò ſecundùm gradus inferioritatum ſuarum, & ordinum, ſapientia, & virtutibus minores eſſe, quare vel minores eſſe multitudine, ſeu numero, ſcitorum, vel ipſa claritate, ac nobilitate ſcientiæ; quòd ſi numero cognitorum, manifeſtum eſt eas omnia illa, quæ deſunt perfectioni ſcientiæ ſuæ, vel per revelationem, vel per doctrinam poſſe addiſcere, atque cognoſcere, cùm neceſſe ſit ea intelligibilia eſſe, cùm ſint intellecta apud primam intelligentiam, & cùm unum ex principiis hujus ſapientialis, ac divinalis ſcientiæ ſit, omne, quod eſt, intelligibile eſſe, & propter hoc, nihil ſit non intelligibile. Ampliùs. Virtus intellectiva eſt ſuper omne intelligibile, quemadmodùm, & ſenſitiva ſuper omne ſenſibile. Omni igitur virtuti intellectivæ intelligibilia ſunt illa, aut igitur non eſt completa perfectio virtutis intellectivæ apud alias intelligentias, aut cognitio iſtarum non deeſt eiſdem Ariſtoteles verò poſuit completam eſſe perfectionem ſcientiæ naturalis, & virtutum naturalium apud ipſas. Ampliùs. Nihil eſt intelligibile, quod non per doctrinam, aut revelationem cadere poſſit in virtutem intellectivam noſtram, atque cognitionem; quantò fortiùs igitur in cognitionem ſubſtantiarum hujuſmodi? Ampliùs. Si in primis impreſſionibus, & principiis doctrinarum, atque diſciplinarum, quæ ſunt apud animas noſtras, eouſque philoſophando proficiunt animæ noſtræ in tanta obſcuritate, tantiſque philoſophandi impedimentis, ut penè nihil non inventum, vel cognitum de intelligibilibus totius univerſitatis relictû ſit à philoſophis quomodò non potiùs habitantes in luce primæ ſubſtantiæ, & ab omni impedimento; & difficultate philoſophandi liberrimæ, etiam abſque nativi luminis ſcientia, & abſque etiam deſuper irradiatione alia, & abſque etiam doctrina, non omnia intelligibilia invenerunt? quòd ſi ex his, quæ enumeravi, proficere non potuerunt, vel etiam modò non poſſunt, quomodò ex eiſdem animæ humanæ in philoſophantibus eouſque profecerunt? de mutabilitate verò earum in deterius jam facta jam ſatisfeci tibi in his, quæ præceſſerunt. Ampliùs. Ipſe uſus, ſive conſuetudo malignandi ex neceſſitate auget aſtutiam ipſarum: hoc enim manifeſtum eſt in animabus humanis Homines enim malignationibus aſſueti ipſa hujuſmodi

Digitized by Google

aſſuetudine aſtutiores efficiuntur ad malignandum. Quomodò igitur, vel qua de cauſa prohibitæ erunt primæ peccatrices ſubſtantiæ, ut non poſſint in ſua inſidioſitate, atque verſutia creſcere? Præſertim cùm inceſſanter videamus, aut audiamus eaſdem novis & hactenùs inauditis inſidiis homines ſeducere, atque ſubvertere, & in nova eaſdem flagitia, atque ſtupenda inducere. An fortè creatoris bonitas malignitatem eorum compreſſit, atque frænavit uſque modò, ut eos, non permitteret tanta, ac talia mala ſuggerere hominibus, quod utique veriſimile dici poſſet pro parte. Vix enim inveniuntur vitia, vel peccata in hominibus, quorum ſimilia non præceſſerunt in eiſdem, propter quod dixi, pro parte. Non enim improbabiliter, neque impiè creditur eam eſſe circa homines divinæ pietatis ſollicitudinem, ut malignos ſpiritus non permittat totis malignitatis ſuæ conatibus ſævire in homines, cùm & ipſos invicem ſibi inimicantes homines à mutuis nocumentis reprimat, & compeſcat. Ampliùs. Cùm omnes iſti primi peccatores non ſint pares etiam nunc aſtutia, vel malitia, quomodò prohibentur, quin in minores, tanquàm ſibi ſubditos, & miniſtros innumeras ſuæ malignitatis fraudes exerceant? Ampliùs. Quis ignorat omnem affectionem, ſive bona ſit, ſive mala, ad ea, quæ ad ipſam pertinent, exacuere, & quodammodò ut ita dicatur, docere. Cujus exemplum poſui tibi unum in avaritia, quæ aliàs ſimpliciſſimas mentes ad exquirenda lucra, & ad vias ejus excogitandas incredibiliter exacuit, & dirigit. Si & turpis amor ſe habet erga turpem amatorem docens ipſum excogitare vias, quibus obtineat, quod amor ſuggerit, hoc eſt, vel amaſiam ipſam, vel delitias amatorias. Ampliùs. Si verum eſt juxta ſermonem Ariſtotelis, quia virtus eſt omni arte certior, & melior, ſic &, quòd malitia omni aſtutia certior, ac nequior ſit, dubium eſſe non debet; quare ſicut virtus ſcientiam illuminat circa ea, quæ ad doctrinam pertinent, quemadmodùm juſtitia ſcientiam juris; ſic & malitia ipſam malignandi aſtutiam circa ea, quæ malignitatis ſunt illuminat. Quare ſi creſcit malitia, neceſſe eſt, & ut ipſa creſcat malignandi aſtutia, hoc enim modo, & circa virtutes ſe habet, videlicet ut eis creſcentibus omne lumen ſalutaris, atque moralis ſcientiæ creſcat in animabus, in quibus ipſæ virtutes creſcunt. Quòd autem creſcat diabolica malitia inceſſanter, licet hoc habeat ſermo propheticus tam apud gentem hebræorum, quàm apud gentem Chriſtianorum, quo ſermone dictum eſt ſuperbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper, manifeſtum ex hoc, quòd regna eorum, hoc eſt, multitudines malorum, ac perverſorum hominum, & quandóque decreviſſe in immenſum noſcuntur, & quandóque ſimiliter creviſſe, videlicet prout peſtis idolatriæ, vel extirpabatur, vel pervagabatur: amantes enim dominationem neceſſe eſt, & dolere, cùm eis, vel aufertur, vel minuitur, & gaudere, cùm eam vel recuperant, vel acquirunt, & hujuſmodi dolores, & gaudia, majores, & minores eſſe pro quantitate ampliatæ, vel detruncatæ dominationis. Nulli autem dubium eſt, quin acquiſitio hujuſmodi dominationis mala ſit, atque culpabilis, ſimiliter & gaudia quæ ex illa ſunt. Eodem modo ſe habet, & doloribus, qui ſunt ex amiſſione illarum. Quia igitur continuè ſunt hæc apud illos, manifeſtum eſt eos continuè, & ſemper ſe novis peccatis, & novis malitiæ operibus implicare; quare & deteriores, ſive pejores fieri. Ampliùs. Pertinacia creſcit ex mora: magis enim pertinax eſt, qui pertinax eſt per annum, quàm qui per diem. Quare

Quod maligni ſpiritus nõ permittũtur à deo tota malignitate ſua ſævire in homines.

E pertinacia eorum, ſeu contumacia creſcit inceſſanter, & ideò malitia. Ampliùs. Quis dubitat eos inceſſanter inſiſtere ſeductionibus, & ſubverſionibus hominum, deinde ludificationibus, & magicis operibus, quæ per eos fiunt, jugiter inſervire? Quemadmodùm igitur ex frequenter malè agere creſcit malitia in hominibus; ſic neceſſe eſt fieri & apud illos. Præſertim cùm tantæ renovationes & malorum operum, & malarum diſpoſitionum, ſeu paſſionum in eis evidenter fieri appareant. Si igitur creſcit eorum malitia inceſſanter, neceſſe eſt, ut creſcat & eorum aſtutia ex eadem aſſuetudine ſtudiorum malignitatis. Ampliùs. Cùm apud eos ſint principatus, & poteſtates, nova juſſa mala inceſſanter eis imperant, novas malitias ſemper eis ſuggerunt, quomodò non inceſſanter, & nova mala addiſcunt, cùm & novis ſuggeſtionibus principum ſuorum, & nova faciendi experientia revelentur? F

CAPUT LXIII.

De cognitione, quam habent maligni ſpiritus de ſingularibus inceſſanter, ut de invocationibus, & ſacrificiis eiſdem oblatis.

EX his igitur manifeſtum eſt eos particularia, ſive ſingularia inceſſanter addiſcere, ſingularia inquam tam hominum, quàm rerum aliarum. Non enim tanquàm cœci alieno ducatu ad illos veniunt, qui eos invocant, vel tanquàm ſurdi aliena interpretatione cognoſcunt invocationes, quæ eis fiunt. Et ſimiliter ſe habet de ſacrificiis, quæ immolantur eiſdem. Evidentiſſimum autem eſt de ſtatuis vel idolis, in quibus reſponſa dare videntur, ubi & interrogantes ſingulariter noſſe, & interrogationes ſingulas, nec-non & reſponſiones ſuas cognoſcere quodammodò, dubitari non G poteſt. Alioquin qualiter reſpondere poſſent ad quacunque earum? Manifeſtum autem eſt à ſenſu, & experimentis innumeris, ipſos, & ad ipſos, & ad interrogationes ſingulas, ad quas reſpondent ſingulariter reſpondere, & ipſos, quibus reſpondent, ſingulariter, expreſſéque diſtinguere. Et de his apud gentem Chriſtianorum innumerabilia legere potes in libris narrationum, & miraculorum ſuorum, & in ipſa lege & legis eorum latorem expreſsè nominant, & de ipſo conqueruntur, quòd eos perdere venerit ante tempus, & cùm clamarent exeuntes ab hominibus, coacti, vel prohibiti, ejecti, per ipſum, clamarent inquam ipſum eſſe Chriſtum, quia ipſe non ſinebat eos loqui de hoc. Poſtquàm igitur patefactum eſt eos rerum particularium particulares cognitiones acquirere quolibet modo, multiplicemque varietatem paſſionum doloris, & gaudii, timoris, & cupiditatis, iræ, & in- H vidiæ in eis inceſſanter fieri, ſimiliter amoris, & odii, declaratum eſt conſequenter earum & aſtutias, & malignitates augeri poſſe, & etiam augeri quotidie. Scito autem, quia quod dixi de gaudio apud eos, non eſt indubitatæ certitudinis. Utrùm enim gaudeant, vel etiam gaudere poſſint ex quacunque cauſa, quæſtionem habet, cujus nodos, atque difficultates in ſequentibus diſſolvere intendo. Ampliùs. Cùm dicat Ariſtoteles ſe obtinuiſſe ſpiritum, qui deſcendit ad eum de cœlo veneris, de cujus obtentu, & familiaritate gloriatus eſt, qualiter ſentire potuiſſe videri poteſt hujuſmodi ſpiritum non cognoviſſe ipſum, cùm eſſet ei familiariſſimus, & juſſionibus ſuis obedientiſſimus? Similiter & juſſiones ejuſdem, quibus promptiſſimè ipſum obedientem fuiſſe dicebat Ariſtoteles, qualiter non agnoſcebat?

Quod maligni ſpiritus ſingulariter cognoſcunt invocationes, & ſacrificia, quæ eis offeruntur.

Quod dubium eſt, utrùm dæmones gaudere poſſint.

Digitized by Google

De ſpiritu, quem Ariſtoteles habuit ſibi familiarem.

agnoſcebat? Agnoſcebat igitur & ipſum Ariſtotelem ſingulariter & omnes juſſiones, ſeu præceptiones, quas ad eum faciebat. Alioquin quomodò ad ipſum ſingulariter, & conſultè deſcendere potuit potiùs, quàm ad alium, & juſſionibus ſingularibus ejus, quomodò ſingulariter obediebat, ſi eas ſingulariter nou intelligebat? eodem modo ſe habet de omnibus operibus maleficiſ, quæ per eos, ſive miuiſterio eorum fiuut. Aut enim ipſa opera ſingulariter, & ſiugillatim intellectu conſpiciunt, aut operantur illa in tenebris, & velut clauſis oculis, aut tauquàm cœci, cùm evidenter pouant intellectum in ſingularibus, ſive quantùm ad ſingularia, cœcum, quemadmodùm ſeuſum in univerſalibus, & abſtractis, non dubitant eſſe penitùs non videntem, & propter hoc nec de ipſis, nec in ipſis, nec circa ipſa, quicquam operari valentem, vel aliquid per ipſum, aut ſecundùm ipſum. Præſertim cùm nec apprehendi poſſibile ſit talia ſenſu, aut per ipſum. Ampliùs.

Quod ſenſus non percipit niſi ſingularia.

Nulli intelligenti dubium eſt de unoquoque, qui vexatur à dæmonio, quin ſingulariter vexetur ab illo. Quòd ſi ſpiritus hujuſmodi malignus vexat inſcius, & ignorans & ipſam vexationem, & ipſum, quem vexat, cùm & ipſa vexatio ſingulare ſit, atque ſenſibile, & ipſe ſimiliter qui vexatur, operatur igitur hic quemadmodùm, & operari cogit ipſum, quem vexat, & ineudo, velut inſanus, & ueſciens quid agat. Inſania autem, & ſimiles paſſiones procul ſunt ab hujuſmodi ſubſtantiis, etiam ſecundùm errorem iſtum. Per modum iſtum apparet enormitas hominum iſtorum ex ſpiritibus prophetarum, hoc eſt, qui vel in prophetis loquebantur, vel per quos ipſi prophetæ illuminati prædicebant, & prænunciabant, vel futura, vel alia occulta hominibus. Ubi manifeſtum eſt ſpiritus ipſos loquutos fuiſſe propheris, cùm hujuſmodi revelatio locutio ſit intellectualis, niſi fortè per ſigna aut figuras facta fuerit. Horum autem interpretatio locutionem ſpiritualem requirit. Alioquin nec ipſi ſpiritus ſcirent, vel quæ, vel quibus loquebantur, vel ipſi prophetæ, utrumque autem abſurdiſſimum eſt. Ampliùs. Qualiter verum eſt, quod continet ipſa uarratio prophetica in principio legis hebræorum de angelis, qui venerunt ad ſuccendendam iufœlicem illam, & maledictam pentapolim? Qualiter ad illam potiùs, quàm ad alia loca decliuaverunt, ſi non cognoſcebant illam, niſi iu univerſali? Ex intellectu enim univerſalis non eſt potiùs deſcenſus in unum individuum illius univerſalis, quàm in aliud, quemadmodùm ex intellectu, quo intelligitur homo, hoc eſt, in univerſali non potiùs deſcendere in Socratem, quàm in Platonem. Ampliùs. Nec aliquo modorum eſt deſcenſus intellectui circa ſpeciem, cùm deſcenſus ejus non ſit niſi apprehenſio. Omne autem lumeu virtutis intellectivæ, omniſque cognitio ipſius terminatur in ſpeciem, poſtquàm, ſive circa quam, non ſunt niſi particularia, ſive ſingularia, quæ omuia abſcondita ſunt, & inviſibilia, etiam iutellectui ſecundùm ipſos, & tenebræ, vel tenebroſa quantùm ad ipſum. Singularitas enim regio tenebrarum eſt, quantùm ad intellectum, vel tenebroſitas, lumen autem, ſeu luminoſitas, aut regio luminis, quantùm ad ſenſum: ſic abſtractio, & univerſalitas lumen eſt, & regio luminis, quantùm ad intellectum, regio verò tenebrarum, & tenebroſitas, quantùm ad ſenſum apud illos, cùm intellectum ponant quantùm ad ſingularia, & ſenſibilia, prorsùs cœcum: poſſent & alia ad deſtruendam erroris iſtius abſurditatem adduci, quod facere ſuperſedeo, quoniàm iſta ad hoc ſufficiuut evidenter; interim igitur ad præſens tibi determinata ſint hæc.

CAPUT LXIV.

In bonis, & malis angelis generari ſolertias, & providentias; & quomodò boni dicantur ſæcula intelligibilia.

QUouiàm autem ſubſtantiæ primæ nobiles, quæ remanſerunt in puritate nativæ, ſeu naturalis bonitatis ſuæ, modis omnibus præferendæ ſunt eis, quæ in malitiam depravatæ ex alto ſtatu illius ceciderunt: revertar ad proſequendum ea, quæ reſtant de ipſis, & ea, quibus adjuvaberis ad intelligendas, & imaginandas perfectiones, & pulchritudines ipſarum, de quibus uonnulla in præcedeutibus audiviſti, ex quibus hæc, videlicet quòd nominantur ſæcula intelligibilia, ſpecula clariſſima ſpiritualia, mentes ſapientia naturali, & bonitate perfectæ, ſubſtantiæ uobiles ſeparatæ, intelligentiæ nudæ, ſeu ſpoliatæ, videlicet à materiis, & materialibus appenditiis, & conditionibus, quæ ſunt generatio, & corruptio, cæteræque permutationes, quarum principium eſt natura corporalis. Et in illa prima uominatione, qua uominatæ ſunt à philoſophis ſæcula intelligibilia, caveto ne intelligas eam eſſe amplitudinem earum, ut omnium, & ſingulorum, & ſubſtantiæ, & actiones, & paſſioues, quæ in mundo iſto ſunt, vel fuerunt, vel futura ſunt, vel fiunt, vel facta ſunt, vel facienda ſunt, deſcriptiones, & ordines in eis appareant, vel reſultent. Et jam audiviſti in præcedeutibus, quia nativi, ſeu naturalis luminis ſcientia non eſt, nec eſſe poreſt eorum, quæ ſupra, vel contra naturam, vel ſunt, vel fiunt. Audiviſti etiam, quia hujuſmodi ſcientia nihil ſuperfluum, vel otioſum habet, qualis eſt ſcientia numeri guttarum pluviarum, aut arenæ maris, oſtendi tibi hoc per ipſas ſcientias, ſi tamen ſcientiæ dicendæ ſunt, naturaliter inditas, vel impreſſas animalibus, ex quibus, ſive per quas, nihil cognoſcunt naturaliter, niſi quod confert ad vitam eorum conſervandam, atque propagandam, quemadmodùm pica novit uiique uidum ſuum compingere ex ramuſculis, & fruſtulis lignorum. Lapides autem quadrare, vel ſculpere non novit, neque de arte geometriæ aliquid, videlicet neque quadrare circulum, ueque angulos menſurate, videlicet, utrùm recti, vel obtuſi, vel acuti ſint, & ad hunc modum ſe habet de aranea, & de aliis, quibus lumina naturalium quarundam ſcieutiarum quædam videntur indita, vel impreſſa. Eorum igitur duntaxat ſcientia hujuſmodi ſubſtantiis eſt à creatore uaturaliter inſita, vel inuata, quorum cognitio ad regendam vitam ipſarum, & dirigendas operationes neceſſaria, & conveniens eſt. Tunc autem benè regitur vita earum, & operationes rectæ, & laudabiles ſunt, cùm & creatori in omnibus honorificæ, & in ſe decoræ, atque decentes, & aliis utiles, ſive beneficæ ſunt, & intendo, aliis, quibus videlicet ex ipſa naturali inſtitutione, vel ex nova creatoris injunctione, ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive defendendo, & noxia arcendo, prodeſſe debent. Et partem utilitatum iſtarum ipſo nativo lumine ſcientiæ hujuſmodi in ſemetipſis agnoſcunt. Pars verò hæc ſola ſuperiori illuminatione, ſive revelatione iunoteſcit eiſdem. Cauſa autem in hoc eſt. Quoniàm majora, ac præſtantiora beneficia, quàm ſint ipſa naturalia dona, largitur creator hominibus miniſterio earum, quales ſunt annunciationes, & revelationes de his, quæ pertinent ad reparationem, & glorificatiouem hominum, & penè de omnibus, quæ continet fides Chriſtianorum. Illa enim nou niſi divinis oraculis, ſeu

Digitized by Google

revelationibus innoteſcere unquàm potuerunt, nec niſi miraculis ſuaderi communitati hominum. In ipſa etiam gubernatione totius humani generis, & rerum humanarum innumerabilia ſunt abſcondita, quæ non niſi per revelationem creatoris cognoſcuntur, quales ſunt eventus bellorum, videlicet victoriæ, & earum contraria, eventus navigationum, negociationum, peregrinationum, ſimiliter & eventus fœderationum, & amicitiarum, & generaliter omnes eventus, quos uſualiter vocant homines fortuitos, aut caſuales. Hæc & hujuſmodi non niſi prophetico ſpiritu, aut divina revelatione talia cognoſcuntur, etiam ab ipſis angelis ſanctis. Quod autem mali talia interdùm prædicere, vel prædivinare videntur, ex ſupernis revelationibus eſt, vel ex conjecturis. Cùm enim creatoris juſtiſſimo judicio malignis ſpiritibus vexandi traduntur aliqui homines, hoc eis ex ea revelatione innoteſcit, qua eis dicitur hoc. Et limitatur eis ipſa vexatio, atque poteſtas reſtringitur, ut non vexent eos pro ſuæ malignitatis voto, ſeu deſiderio, ſed pro creatoris permiſſione, & arbitrio. Et hujus exemplum evidens eſt, & etiam teſtimonium, in libro apud gentem hebræorum, & gentem Chriſtianorum, notiſſimo de ſancto illo, ac ſapiente, qui nominatus eſt Job. De quo in ejuſdem nominis libro legitur ipſe creator dixiſſe ad Sathan: ecce omnia, quæ habet in manu tua ſunt. Verumtamen animam illius ſerva. Nec mirum ſi peccatores angeli multa ex conjecturis prænunciant de bellorum eventibus, quandò exercitati in bellis milites ex ipſa arte, & peritia pugnandi præcognoſcunt victorias vel ſuas, vel hoſtium. Et hoc ex ipſo modo appropinquandi ad prælium, & ex ipſa ordinatione, vel inordinatione acierum, & diſpoſitione prælantium, & ex ipſo etiam initio conflictus; ſic ex ipſa arte medicinæ medici imminentes mortes, vel ſanationes infirmantium plerumque cognoſcunt, & prædicunt, interdùm autem in hoc ipſo patenter deficere, & errare inveniuntur. Ex eis etiam, quæ præceſſerunt non debet tibi videri incredibile apud tam bonos, quàm malos angelos per tam longas, tamque multiplices experientias, tantaſque, & tot cognitiones revelationum generari in eis ſolertias, & providentias inveniendi, & deprehendendi multa de futuris, & etiam de præſentibus, quæ alias occulta eſſent eiſdem. cùm apud homines manifeſtum ſit rerum, & negociorum experientiis diu exercitatos hujuſmodi ſolertiis, & providentiis, præditos eſſe, propter quod & in dandis conſiliis præpollent aliis ſapientibus, & frequentius ab hominibus conſuluntur. Juxta verbum cujuſdam ex philoſophis latinorum, quo dixit, quia ſapiens ex parvis magna, ex paucis multa, ex propinquis remota perpendit.

Quod non omnia futura ſciunt angeli ſancti.

De modo ſciendi per conjecturas.

CAPUT LXV.

Quòd novæ ſcientiæ de rebus particularibus poſſint fieri, & quòd non omnis paſſio ſimilis eſt agenti.

VErùm qualiter novæ ſcientiæ rerum particularium, ac ſenſibilium in eis fiant, quæſtionem habet non parùm determinatu difficilem. A rebus enim ſenſibilibus, & materialibus nihil recipere videntur, cùm nec paſſibiles eſſe videantur ab illis: neque enim animæ noſtræ à rebus ſenſibilibus aliqua reciperent, niſi per organa ſenſuum venirent ad illas paſſiones ab ipſis: ſic neque paſſiones hujuſmodi aliquid operarentur in animabus noſtris, niſi ipſa organa hujuſmodi alligata eſſent eiſdem. Indicium autem hujus eſt, quòd poſtquàm exutæ, & ſeparatæ ſunt à corporibus, nihil patiuntur, vel recipiunt ex paſſionibus corporum: ſive enim fruſtatim concidantur corpora noſtra ſive exurantur, nihil de hujuſmodi pervenit ad animas noſtras, cùm fuerint ab ipſis exutæ. Sicut veriſſimè legis Chriſtianorum lator in ipſa ſua lege evidenter oſtendit dicens Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & ampliùs non habent quid faciant, faciens nos intelligere apertè, quia nihil doloris, vel tormenti, præter mortem corporis, inferre poſſunt occiſores corporum animabus noſtris poſt corporum mortem. Quantò minus igitur à rebus ſenſibilibus nulla paſſio, vel impreſſio, contingere poteſt ad ſubſtantias ſeparatas? Et quoniàm manifeſta eſt tibi quæſtio hæc, & ratiocinationes, quæ circa eam vel ſunt, vel eſſe poſſunt, expediam me, & te, abſque ultimiori protractione. Dico igitur, quia apud gentem Chriſtianorum, vel etiam quoſcunque alios, qui ponunt, vel credunt animas humanas cruciandas eſſe ante reſumptionem, vel reſurrectionem corporum, in gehenna, ſive in igne gehennali, juxta prædicti legiſlatoris ſermonem, non reputant multum mirabile, ſi ab aliis rebus ſenſibilibus hîc patiantur ſubſtantiæ ſeparatæ, & incorporales. Præſertim paſſionibus, quæ eas non lædant, quin potiùs adjuvant, erudiunt, & illuminant. Modus autem patiendi, & recipiendi, non ſolùm in eis admirabilis eſt, & inventu difficilis, ſed etiam in virtutibus intellectivis animarum noſtrarum. Non enim videtur vis intellectiva noſtra materiales formas recipere, ſicut ſenſus, & fortaſſis nec recipit. Cauſa autem in hoc eſt, quia ſenſus recipiendo calorem, ſive paſſionem ex calido, calidus fit, quod dico, quantùm ad inſtrumentum tactus, intellectus verò intelligendo calorem, non fit calidus, nec intelligendo colorem coloratus; quare vel non recipit, ut dixi, quemadmodùm ſenſus, vel omninò non recipit, quemadmodùm quidam de ſapientibus Chriſtianorum dixit. Et fuit ſermo ejus, quia intellectus excitatus per ſenſum mira agilitate format ſibi in ſeipſo formas intelligibiles. Non enim arbitrabatur paſſionem ex calore, vel colore per ſe exeuntem poſſe eſſe niſi calorem, vel colorem, quarum manifeſtè impoſſibilis, & inſuſceptibilis eſt intellectus. Verumtamen jam noſti ex aliis, quòd non eſt neceſſe paſſionem generaliter aſſimilari agenti, hanc enim aſſimilationem prohibet & elongatio ab agente, & irreceptibilitas patientis. Vides enim, quia ex anima non mota exit motus tam ſui corporis, quàm ſæpè etiam aliorum. Et ab adamante omninò immoto localiter, & totaliter quieſcente, exit motus ferri ad ipſum: ſic ex vino ebrietas, & ex ſpecie muliebri concupiſcentia, quæ dicitur amor, & interdùm ardor vehementiſſimus libidinis; niſi fortè quis dicere audeat, quòd amor hujuſmodi, ſeu concupiſcentia non eſt, niſi ipſa ſpecies, ſeu pulchritudo muliebris profundè infixa, ſive intimata in anima concupiſcentis. De quo aliqua audiviſti in eis, quæ præceſſerunt. Verùm cùm attenderis iſtas diſſimilitudines agentium, & paſſionum, quæ ex illis ſunt, & apprehenſiones mirabiles quaſdam, de quibus mentionem tibi faciam, non miraberis diverſitatem hanc. Quod enim eſt in virtute intellectiva noſtra à rebus ſenſibilibus, vel ſpecie, vel etiam genere, ſcientia eſt, nihil tamen, quod ſit in rebus ſenſibilibus, vel ſpecie, vel etiam genere ſcientia eſt. Iſta igitur diverſitas propter elongationem rerum ſenſibilium à virtute intellectiva partim eſt, partim verò propter ſpiritualitatem virtutis intellectivæ, quæ prohibet eam à receptione formarum materialium, & paſſionum ſimilium illis. Et eſt hujuſmodi diverſitatis cauſa evidentior

De alligatione corporum ad animas noſtras.

Quod non omnis paſſio ſimilis eſt agenti.

Digitized by Google

dentior in creatore, & creaturis. Nulla enim ex diſpoſitionibus, donis, vel paſſionibus, quæ de influentia, & largitate creatoris deſcendunt ſuper ipſas, habet convenientiam, vel ſimilitudinem, vel ſpeciei, vel generis, vel etiam prædicamenti, cum aliquo eorum, quæ ſunt apud creatorem, videlicet nec eſſe, quod eſt defluxum à creatore in creaturas, eſt ejuſdem prædicamenti cum ipſo eſſe creatoris, nec bonitas cum bonitate, nec ſapientia cum ſapientia, nec virtus cum virtute, nec pulchritudo cum pulchritudine creatoris. Quælibet enim rerum creatarum quantumcunque propinqua ſublimitate ſua, & nobilitate, videatur creatori, in infinitum tamen remota eſt ab eo, & diſtans ab eodem diſtantia infinita, cujus diſtantiæ exempla ſunt, quæ ponam. Hæc autem ſunt infinita minoritas, ſive minoritatis incomparabilitas. Non enim dicendum eſt, nec dici verè poteſt de quacunque ex creaturis, quòd duplo, vel triplo, minor eſt ejus potentia, quàm potentia creatoris, vel quòd ſi creſceret in centuplum, vel millecuplum, perveniret ad æqualitatem potentiæ creatoris, & ita in infinitum. Atque eodem modo de ſapientia, bonitate, & pulchritudine, quantumcunque ſublimis, atque nobilis creaturæ: Non enim eſt cogitare numerum, vel menſuram, cujus additione pervenire poſſit ad æqualitatem earum diſpoſitionum, quæ per ante dicta nomina ſignificantur de creatore. Apparet igitur tibi evidenter infinitas diſtantiæ, ſive minoritatis, & elongationis, quam dixi, eſſe cauſam diverſitatis, atque diſſimilitudinis inter virtutes agentes & paſſiones, quas imprimunt. Apparet etiam tibi per vias iſtas infinitas, & immenſitas creatoris, & inſuper excellentia illa, qua dixit eum Avicenna ſuper finitum, & infinitum, ſuper perfectum, & imperfectum, ſuper completum & diminutum. Jam enim alibi didiciſti, quia aggregatum ex infinitis ſuæ ſpeciei, vel ſui generis, neceſſe eſt eſſe infinitum, quemadmodùm lineam rectam ex infinitis tantis lineis rectis aggregatam neceſſe eſt infinitam eſſe, in quantacunque quantitate ponatur unumquodque hujuſmodi aggregatorum, & intendo, ſive in magnitudine digitali, ſive in quantumlibet minori quantitate ponantur aggregata illa. Hoc autem eſt dicere, quia ſi linea recta quæcunque, vel etiam curva, ſit aggregata ex infinitis lineis digitalis longitudinis, neceſſe eſt ipſam eſſe infinitæ longitudinis, & ad hunc modum ſe habet de cæteris magnitudinibus ex infinitis tantis ſuæ ſpeciei, vel ſuæ maneriei, in quacunque parva quantitate aggregatis. Declaratum namque eſt declarationibus multis demonſtrativis nec lineam aggregatam eſſe ex punctis, nec ſuperficiem ex lineis, nec corpus ex ſuperficiebus, ſed omne continuum ex ſuæ ſpeciei continuis eſſe compoſitum, & propter hoc omnem partem continui continuam eſſe, ideòque omne continuum in infinitas partes diviſibile eſſe. Revertar igitur ad id in quo eram, his ita poſitis. Et dicam, quia ſi ſunt ſubſtantiæ aliquæ infinitæ, quemadmodùm opinatus eſt Ariſtoteles, & ſequaces ejus de intelligentiis nudis, quas poſuerunt, cùm manifeſtum ſit creatorem eſſe infinita ſupereminentia ſuper illas, manifeſtum eſt ipſum eſſe ſuper infinitum, & pluſquàm infinitum. Si verò nulla eſt ſubſtantia infinita, tamen hanc paſſionem recipit intellectus noſter, & imaginatio, ut intelligatur aliqua ſubſtantia infinita tam potentia, quàm ſapientia, quàm bonitate. Et ne videar ex conſenſu, vel gratia, ut ita dicatur, iſtud à te obtinere, tanquàm probationes in parte iſta mihi non ſuppetant, tentabo iſtud à te probationibus extorquere. Dico igitur, quia bona, quæ ſunt gloriæ

Quod ſi eſſet infinitum, deus eſſet ſuper illud.

A ſuper omnem proportionem meliora ſunt, & majora bonis naturæ, & etiam gratiæ. Et jam declaravi tibi, quia virtutes, & potentiæ corporum glorificatorum in infinitum majores, & fortiores ſunt virtutibus, & potentiis corporum noſtrorum miſerorum, hoc eſt, in præſentis vitæ miſeria conſtitutorum. Manifeſtum enim eſt impaſſibilitatem ipſorum in infinitum majorem, ac fortiorem; eſſe virtute, vel fortitudine quacunque, & quantacunque, quam hìc habent. Quod evidenter apparet ex ipſis virtutibus, & potentiis, eorum, à quibus tam facilè læduntur, atque deſtruuntur hìc corpora noſtra, quæ in ſtatu illo futuræ impaſſibilitatis nihil læſionis omninò eiſdem inferre poterunt. Si enim eſſet comparatio impaſſibilitatis illius ad virtutem quantamcunque corporis humani in præſenti miſeria conſtituti, eſſet ex neceſſitate, & læſionis

Quod bona gloriæ ſuper omnem proportionem meliora ſunt bonis gratiæ, & naturæ.

B ad læſionem. Et intendo, quia ſi tanta percuſſio tanti gladii tantam læſionem inferret hìc humano corpori, juxta comparationem, ſeu proportionem, impaſſibilitatis illius ad hujuſmodi virtutem adaucta dicta percuſſio tantam læſionem inferret, vel tantò minorem, quantò dicta virtus in paſſibilitate minor eſſet. Verbi gratiâ; ſi impaſſibilitas millecuplo major eſſet dicta virtute præſenti, millecupla percuſſio ejuſdem gladii tantam læſionem inferret corpori glorificato, aut in eadem quantitate manens ipſa percuſſio millecuplo minorem. Manifeſtum eſt autem, quia omninò nullam inferre poteſt quantumcunque adaucta, vel millecuplata virtus glorificato corpori læſionem. Eodem modo eſt ratiocinari de igne, quemadmodùm ſi diceretur, quia ſi tantus ignis tantum calefacere ſufficit humanum corpus hìc, millecuplus tantumdem illud calefacere ſufficeret in ſtatu impaſſibilitatis, cùm impaſſibilitas millecuplo tantum magis

C reſiſteret, atque millecuplo tantum magis prohiberet ab eo calefactionem. Relinquitur ergo ex neceſſitate, cùm quantumlibet major ignis reſiſtente impoſſibilitate in ipſum nihil poſſit in ſtatu illo, nullam prorſùs eſſe proportionem impaſſibilitatis illius ad quantamcunque virtutem corporis humani in præſenti miſeria exiſtentis. Ex aliis etiam noſſe debes, quia puri ad mixtum non eſt proportio, ſic autem ſe habent ad invicem impaſſibilitas, & virtus quæcunque læſibilis, aut deſtructibilis, ſicut purum, & mixtum. Impaſſibilitas enim eſt virtus, vel potentia pura, non habens admixtionem impotentiæ, læſibilitas autem omnis impotentia eſt, ſicut didiciſti apud librum prædicamentorum Ariſt. Quare omnis virtus, vel potentia læſibilis, vel deſtructibilis, eſt ſicut mixta, vel mixtum ex potentia, vel virtute, & impotentia, vel infirmitate. Quare nulla proportio eſt impaſſibilitatis illius ad

D quantamcunque virtutem, ſive potentiam, de qua hìc agitur. Ampliùs. Difficultatis ad impaſſibilitatem nulla eſt proportio. Manifeſtum enim eſt impaſſibilitatem infinitam eſſe, & nulla potentia, ſive finita, ſive infinita ſit, vincibilem, vel ſuperabilem. Difficultas autem vincibilis eſt, etſi non facile, & quamvis non parva virtute. Quare manifeſtum eſt potentiam quamcunque corporalem, quæ non faciat corpus, in quo eſt, niſi difficile paſſibile, aut læſibile, in infinitum minorem eſſe, ſeu minus fortem impaſſibilitate, quæ omne corpus, in quo eſt vel futura eſt, facit impoſſibiliter non ſolùm læſibile, ſed etiam paſſibile. Potentia autem naturalis, ſicut docuit te Ariſtoteles in prædicto libro ſuo, qualitas eſt efficiens ſubjectum ſuum difficile pati, & propter hoc multò fortiùs facit ipſum difficile lædi. Eodem modo eſt ratiocinari de virtute corporum glorificatorum, qua penetrativa ſunt omnium aliorum

Digitized by Google

corporum abſque ulla reſiſtentia, abſque ulla difficultate, vel etiam reſiſtendi potentia. Si enim neque ad quantumlibet modicum quantacunque duritiès, vel denſitas, ſeu quælibet alia potentia, vel fortitudo corporum non glorificatorum reſiſtere poteſt virtuti glorificatorum, ut per ea non tranſeant, aut ea non intrent, manifeſtum eſt fortiorem eſſe virtutem, cui abſque ulla reſiſtentia, vel retardatione ſui motus cedunt, quàm ſit illa, qua cedunt. Quòd ſi volueris de ipſa agilitate, hoc eſt virtute motiva ipſorum, ſimiliter negociari, invenies eam ſimiliter in infinitum majorem qualibet virtute motiva corporum aliorum. Præſertim ſi verum eſt, quòd in præcedentibus tentavi, videlicet quòd ſubitò, & non per ſucceſſionem, ſive per tempus, ſe transferant quò voluerint; quemadmodùm enim nulla eſt proportio temporis ad tempus, ut ita dicatur, ſic non eſt proportio motus ad motum. Et ne calumnieris, quòd tempus voco ipſum nunc. Hujuſmodi enim calumniæ pueriles ſunt, & ridiculoſæ, & philoſophos penitùs indecentes, & cum aliis incommodis ab inquiſitione, & acquiſitione, veritatis impediunt, & prohibent imbecilles. Quia igitur ſubitò, hoc eſt ſub ipſo nunc, tranſeunt quanta voluerint ſpatia, cùm corpora noſtra glorificata fuerint, alia verò corpora non niſi in tempore quantumcunque parvum ſpatium, alia inquam corpora non glorificata pertranſire non poſſunt. Quia igitur manifeſtum eſt virtutes moventes proportionales eſſe motibus ſuis, & ſpatiis, prout Ariſtoteles in libro ſuo phyſicorum declaravit, manifeſtum eſt virtutem motivam, qua ſpatium aliquod in infinito minori tempore tranſitur, ea, per quam idem ſpatium niſi in tempore in infinitum majori tranſitur, non poſſe in infinitum majorem eſſe. Ampliùs. Motum, quo in puncto temporis ſpatium aliquod pertranſitur, in infinitum velociorem neceſſe eſt motu, quo idem ſpatium in tempore tranſitur. cùm enim omne tempus ad omne punctum temporis infinitum ſit, hoc eſt, ſuper omnem proportionem majus, quod eſt dicere, magis, quàm centuplum, magis, quàm millecuplum, & ita in infinitum, neceſſe eſt motum, quo aliquod ſpatium in puncto temporis pertranſitur, in infinitum velociorem eſſe omni motu, quo tantum ſpatium in tempore pertranſitur. Eodem modo neceſſe eſt de virtutibus moventibus ſe habere, cùm virtutes moventes motibus ſuis proportionabiles ſint ſemper ex neceſſitate. Et eſt intentio mea non de ſolis virtutibus, ſed etiam de omnibus, ſicut Ariſtotelis in libro ſuo phyſicorum, motus verò ſuos virtutum intelligo, quos majores efficere poſſunt in ea, vel per ea, in quæ, vel per quæ movent. Et juxta intentionem iſtam non invenies inſtantiam, cùm parificaveris ea, in quæ, vel per quæ eſt motus, quemadmodùm cùm fuerint, vel æquè rara, vel æquè denſa, vel ſubjecta, in quæ eſt motus, fuerint æquè paſſibilia. Verùm in virtutibus gloriæ raritas, ſive rarum, & depreſſitas, vel denſum, nec virtutes adjuvant glorificatorum quantùm ad motus eorum per ipſa, vel in ipſa, nec in aliquo eas impediunt, vel retardant. In ſpiritualibus quoque virtutibus, & aliis diſpoſitionibus gloriæ, manifeſta eſt infinitas, ſive incomparabilitas ad ea, quæ ſunt vel naturæ, vel gratiæ, vel quaſcunque etiam alias; virtutes enim gloriæ ad virtutes, quæ hîc ſunt & ſimiliter ſpirituales ſcientiæ, infinitæ ſunt ad virtutes, & ſcientias, quæ ſunt in vita iſta. Et hoc ſecundùm doctrinam Chriſtianorũ nec quæſtionem habet, nec dubitationem; in infinitum enim majora ſperantur præmia à creatore de magnificentiſſima largitate ſua danda dilectis ſuis, quàm poſſint eſſe merita eorum hic.

Corpus glorificatum quo movetur.

E Jam etiam declaravi tibi in tractatu ſingulari de virtutibus tã naturalibus, quàm gratuitis, quàm etiam conſuetudinalibus, quòd virtutes gratiæ in infinitum majores ſunt, quàm virtutes naturæ, & etiam quàm vitia. Quantò fortiùs igitur virtutes gloriæ in infinitum majores erunt & illis, quæ ſunt naturæ, & illis, quæ ſunt gratiæ? Non enim poſſibile eſt minus ſupereminere gloriam gratiæ, quàm gratiam naturæ. Cùm igitur, ſicut apparet tibi ex his, omnia, quæ ſunt gloriæ, infinita ſint ad omnia, quæ citra vel infra ſunt; quantò fortiùs glorioſus creator erit infinitus, & etiam ſupra infinitum ad omnia illa, quæ ſunt gloriæ. Infinitus enim ad infinita non tantùm infinitus eſt, ſed ſupra infinitum, & pluſquàm infinitus.

F

CAPUT LXXI.

De improportionabilitate vitæ iſtius, & futuræ, & de infinitate creatoris.

QUòd ſi dixerit quis, quia etſi illa, quæ ſunt gloriæ, de quibus agitur, infinita ſint ad ea, quæ infra ipſa ſunt, non eſt neceſſe propter hoc, ut ipſa ſint infinita ſimpliciter: Reſpondeo, quia reverà non ex hac cauſa, quia infinitum eſt aliquid ad aliud, neceſſe eſt ipſum eſſe infinitum ſimpliciter. Hujus exemplum evidentiſſimum eſt ab omni linea, & quolibet ſuo puncto, & in angulo recto, & in angulo contingentiæ. Tu enim ſcis quantitates hujuſmodi diverſarum eſſe manerierum; G verùm ſi ſcientia de una re ad aliam ſcientiam de eadem eſt infinita, dico, quia neceſſe eſt ipſam eſſe infinitam, quemadmodùm ſi linea una recta ad aliam quamcunque rectam infinita eſt, neceſſe eſt ipſam eſſe ſimpliciter infinitam. Eodem modo habet ſe de amore ad amorem, & gaudio ad gaudium, cùm amor gloriæ, & amor gratiæ de eadem re non dicantur æquivocè, nec differant ad invicem ſpecie, ſed numero tantùm, & ſecundùm magis, & minus. Et eodem modo ſe habet de gaudiis, & ſcientiis, aliiſque diſpoſitionibus, quæ partes ſunt gloriæ futuræ. Scito autem, quia magnitudo corporalis non eſt de partibus gloriæ iſtius. Quòd ſi quis quæratio quo, vel ſecundùm quid eſt infinita vel ſcientia, vel dilectio futuræ gloriæ: Reſpondeo de ſcientia, quia certitudine infinita eſt, atque firmitate. Quòd ſi iterùm quæratur, ipſa certitudo, vel firmitas qualiter infinita ſit: Reſpondeo, quia ex impugnabilitate, & inconcuſſibilitate. Nullis enim contradictionibus, nullis ex adverſo ratiocinationibus, nullis etiam miraculis, vel expugnari, vel concuti eam poſſibile eſt. Propter quod ſcientiæ H illius firmitas, & certitudo ſuper omnem proportionem major eſt omni certitudine, & firmitate cujuſcunque ſcientiæ certitudine, ſeu firmitate, ſeu quàm hîc eſſe poſſibile eſt, ſicut prædixi tibi de comparatione impoſſibilitatis ad difficultatem. Eſt enim comparatio illa ſicut infiniti ad finitum, & ſicut intranſibilis ad tranſibile, licet difficile tranſibile. Per eandem viam eſt oſtendere, quia nec gaudiorum illorum ad gaudia vitæ præſentis eſt veriſimilis comparatio, & hoc quoniàm nulla adjunctione, vel admixtione amaritudinum, ſeu dolorum, etiamſi poſſibiles eſſent hujuſmodi conjunctiones, ſeu commixtiones, vel remitti, vel minui poſſunt. Neque eſt hîc quemadmodùm amaritudo maris ad dulcedinem unius guttæ mellis, quoniàm inter illas ex neceſſitate eſt proportio, & finita ex utraque parte. Inter gaudia verò gloriæ, & gaudia præſentis vitæ, non per aliam etiam viam poteſt tibi acquiri certitudo de hoc videlicet, quàm per propor-

Digitized by Google

tionalitatem, ut ita dicam, amoris ad amorem, & bonorum illorum ad bona vitæ iſtius. Si enim in infinitum major eſt amor bonorum illorum, quàm poſſit hîc eſſe bonorum præſentium, erit ex neceſſitate ſimiliter gaudium ad gaudium, ſimilis eſt via ex parte infinitæ majoritatis bonorum illorum ad bona hæc; pro magnitudine enim bonorum obtentorum, neceſſe eſt eſſe magnitudinem de hujuſmodi obtentu gaudiorum. Manifeſtum igitur eſt bona illa infinita eſſe ad hæc, ſicut prædixi. & propter hoc ſimpliciter infinita. Non enim eſt iſta infinitas, ſicut lineæ ad punctum, quemadmodùm prædixi tibi, ſed ſicut lineæ ad aliam lineam, vel ſuperficiei ad aliam ſuperficiem. Quia igitur creator benedictus eſt in infinitum major, & unoquoque illorum, & etiam omnibus illis ſimul ſumptis, manifeſtum eſt ipſum eſſe non ſolùm infinitum, ſed etiam ſuperinfinita, cùm ſit ſuper tot infinita, etiam ſupereminens infinitum. Nec te conturbet error quorundam imbecillium, qui neſciverunt, nec potuerunt ſcire, quòd ſuper infinitum, aut majus infinito poſſet aliquid eſſe, cùm nec pueriles etiam intellectus latere poſſit, quin major ſit infinitas punctorum uniuſcujuſque lineæ totius, quàm medietatis, cùm hæc ſit pars, & illa totum. Et eodem modo ſe habet de medietate, & quarta, atque de quarta, & octava, & ita in infinitum. Declarata autem eſt jam tibi, & per Ariſt. & multis aliis viis, infinitas continui generaliter, & quia non poteſt eſſe pars continui, niſi continuum. Quare declarata eſt tibi ſimul infinitas uniuſcujuſque partis omnis continui; tu autem ſentis apud intellectum tuum, & imaginationem tuam, quia omnis pars univerſaliter minor eſt ſuo toto: & quoniàm contrarium non recipit intellectus tuus, vel imaginatio tua, ſive totum, & pars finita ſint, ſive infinita, etiam dixi tibi in præcedentibus, quia qui poſuerunt tempus infinitum, non poſſent negare, nec unquàm negaſſe dicti ſunt, totum tempus, quod præceſſit diluvium univerſale, quod fuit temporibus Noë, minus fuiſſe toto tempore, quod præceſſit hanc horam, in qua præſentialiter ſumus, licet ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ejus utrunque infinitum fuerit: eodem modo ſe habet de infinitate punctorum cujuſcunque lineæ ad infinitatem punctorum cujuſcunque ſuæ partis. Aliam etiam diverſitatem oportet te in rebus iſtis, de quibus ſermo meus eſt, attendere, videlicet, quoniàm aggregatio impartibilium, impoſſibile eſt, ut quantitatem continuam vel faciat, vel augeat. Et hæc declaravit Ariſtoteles in libro ſuo, quem vocavit auditum. Et multi alij tempore meo hoc ipſum declaraverunt declarationibus demonſtrativis. Quæcunque autem diſpoſitio eſt, quantumcunque parva, de diſpoſitionibus, de quibus agitur, & quanta eſt in ſe, & multitudine ſua, auget, atque multiplicat quantitatem, ſicut apparet de ſcientiâ, & pulchritudine, & bonitate quacunque. Duplicata enim ſcientia duplo major eſt, & ſi triplicaveris, habebis triplo majorem & ita in infinitum. Quapropter ſi intellexeris eam in infinitum multiplicatam, neceſſe habes intelligere eam in infinitum majorem, & propter hoc infinitam, utpote infinitas tantas continentem. In punctis autem apud quantitates continuas longè aliter ſe habet. Quoniàm punctus, nec in ſe quantus eſt, nec ſua multiplicatione quantitatem auget, & majorem efficit, quantitatem dico continuam, quantitatem enim diſcretam proculdubiò & auget, & efficit. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm in ſe ipſo unus eſt. Unum autem omne pars eſt multorum, & unitas pars multitudinis. Punctus autem neque pars eſt continui magni; neque punctalitas pars eſt, vel

A eſſe poteſt continuæ magnitudinis, ſicut evidens eſt ex præmemoratis declarationibus. Licet autem ſcientiæ, & virtutes, nec magnitudines continuæ ſint, nec magnitudines continuas habeant, habent tamen intenſiones, & remiſſiones magis, & minùs, ſecundùm quæ dicuntur ad invicem. Et per hoc menſurantur ad ſimilitudinem, & proportionem quantitatum continuarum, ſicut didiciſti in tractatibus Philoſophorum temporis mei, & etiam in eis, qui tractatus ſunt de intenſionibus, & remiſſionibus, intenſibilium, & remiſſibilium, & de magis, & minùs, ſi tamen eos vidiſti; utinàm autem eos vidiſſes, quoniàm ad multa utiles ſunt, quæ aliæ ſcientiæ non declarant. Erronei autem, & imbecilles circa hujuſmodi omninò nihil intelligentes ſunt quoniàm neglexerunt tractatus iſtos. Revertar igitur ad id in quo erã & dicã, quia patefactũ eſt tibi per hoc quòd intẽdebã de infinitate & ſuperinfinitate creatoris, cũ tamẽ nõ ſit intẽtio mea;

Quamvis ſcientiæ non habeat quantitatem, habent tamen intenſionem & remiſſionem.

B ut vera, ac propria comparatio, quæ inter ſola univoca eſt, ſit inter creatorem, & quodcunque aliud; ſed quemadmodùm dicitur, quòd infinitum majus eſt finito, & quemadmodùm corpus in infinitum majus eſt puncto. Quamquàm & iſtæ ſimilitudines longè diſſimiles ſint comparationibus, quæ quoquomodò admittuntur inter creatorem, & creaturas; & quemadmodùm dicitur ſol magis & in infinitum magis lucere modicâ ſquamâ piſcis, aut modicâ putredine ligni, cùm tamen intelligenti, & exercitato in comparationibus, & proportionibus, manifeſtum ſit infinitas tantas luces, quanta eſt lux modicæ putredinis ligni; ſi aggregatæ eſſent in unam, non pervenire ad æqualitatem lucis ſolaris, nec poſſe facere diem, cùm illa nihil efficiat diei ubi eſt. Apparere etiam tibi poteſt evidenter ex notis comparationibus apud ſapientes, comparationibus inquam creaturarum ad creatorem, creatoris infinitas, & ſuperinfinitas, & ad

C unamquamque creaturarum, & ad omnes ſimul. Comparationes autem hujuſmodi ſunt, etiam veſtigii tenuiſſimi ad id, ex quo eſt, & umbræ veraciſſimæ, ac permodicæ ad veritatem, cujus umbra eſt, & deſignationis perexiguæ ad id, cujus deſignatio eſt, hoc eſt, ad rem, cujus eſt. Juxta hunc modum dicuntur creaturæ nutus, quibus ſe, & magnificentiam gloriæ ſuæ nobis innuit in vita iſta creator, & hoc unus ex eis, qui ſapientiores habentur apud gentem Chriſtianorum, dixit his verbis loquens ad ipſum: Nutus, inquit, tui ſunt omne creaturarum decus: non enim ceſſat nobis innuere, qualis, & quanta ſit purgatarum mentium ſuaviſſima lex. Quia igitur manifeſtum eſt tibi quàm longè ſit nutus à plena, ac perfecta deſignatione, & multò fortius à re, & veritate, quam innuit, vides evidenter, quàm longè ſit omne creaturarum decus à magnificentiſſima ſupereminentia, ac majeſtate creatoris, & ad hunc modum eſt conſiderare in aliis comparationibus antedictis: quòd ſi conſiderationem facere volueris inter prædicationes, quæ

Comparatio gloriæ creatoris & creaturarum.

D dicuntur de creatore, & de creaturis, fiet tibi manifeſtius, quemadmodùm eſt, vel eſſe ſecundùm intentionem, qua de creatore dicitur, & ſecundùm intentionem, qua dicitur de creaturis, invenies eſſe creatoris non ſicut mare ad guttam, neque ſicut fontem abyſſalem ad aſperſionem pertenuem, & vix ſenſibilem: & de bonitate ſimiliter ſe habet ad bonitatem, & de aliis, quæ audiviſti, & ſicut luminoſitas infinita non ad radium, vel radiolum, ſed ad id, quod relucet in lapillo permodico, vel ligno parviſſimo intra domum, quam nullus ex radiis ſolis ingreditur, à ſole tamen illuminatur, vel ſicut id, quod relucet ex radioſitate alicujus ſtel-

Digitized by Google

larum fixarum in nocte, in decima, vel minori parte unius grani frumenti ad luminoſitatem ſolis, & ſicut odor unius gariofili, qui relinquitur ex contactu ipſius ad apothecam aromatum infinitam. Et eſt intentio mea in hoc non ad odorem ipſius apothecæ, vel aromatum in ea contentorum, ſed ad ipſam immenſitatem ipſorum aromatum; non enim intelligo totum univerſum eſſe velut aroma unum modicum, ſeu ſpeciem atomaticam ad ipſum creatorem, quaſi ipſum creatorem intelligam velut ſpeciem infinitæ aromaticitatis, quamquàm & hoc verum ſit, ſed ipſum univerſum, aut bonitatem ipſius, velut odorem ſolummodò pertenuem, aut perexiguum creatoris. Ampliùs. Nemo rationalis ignorat creatorem intra amplitudinem ſuam ſpiritualem continere totaliter univerſum continentia ſpirituali, non locali, ſeu corporali, & ſi duo, vel etiam infinita creaſſet univerſa, nihilominùs amplitudine illa ſua ea omnia contineret, atque circumdaret, abſque ulla coanguſtatione, quemadmodùm dixi tibi in eis, quæ præceſſerunt, de ſcientiis, & virtutibus, & continentia earum apud animas noſtras. Manifeſtum igitur eſt omnibus illis univerſis, ſeu mundis majorem eſſe amplitudinem creatoris, quæ omnia illa amplitudine contineret. Ampliùs. Sicut ipſemet dixit per quendam ex Prophetis Hebræorum, cœlum, & terram ego impleo, in quo ſermone licet convenienter, & rectè intelligatur plenitudo ex donis, & bonis, creatoris, nihilominùs intelligenda eſt plenitudo ex eſſentia ipſius, ſive ex ſe ipſo, quod eſt dicere, quia non ſolùm implet creator benedictus cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, donis, & bonis ſuis, ſed etiam ſe ipſo, cùm nulla pars univerſi, pars inquam quæ ſubſtantia ſit, vacet ab ejus præſentia. In omnibus enim, & ſingulis hujus partibus neceſſe eſt ipſum eſſe præſentialiter, & hoc declaratum eſt tibi per me in prima parte hujus ſapientialis, ac divinalis magiſterij. Si autem duo eſſent mundi, ſimiliter & illos implere ipſum neceſſe eſſet, & eiſdem probationibus, ſi infiniti eſſent, oporteret ipſum impleri illos, neceſſe autem eſt infinitum eſſe abſque ulla dubitatione, quòd ſufficit infinita tanta implere, quantùm eſt totus mundus: eodem modo ſe habet de virtute movendi, & † cohærendi, & de ſapientia regendi, & miniſtrandi ipſius creatoris.

† *Aliàs* coërcēdi.

CAPUT LXXII.

Quòd terminus magnitudinis corporum noſtrorum proveniat ab anima, non quantùcunque extenſam materiam nata informare, cùm nec ſit infinita, ut creator.

QUòd ſi quis voluerit per hanc viam aſtruere ſimilem infinitatem de animabus noſtris, quia cùm unaquæque anima humana totum corpus ſuum impleat, & quantum cunque majus eſſet illud, nihilominùs impleret, moveret, & regeret, etiamſi infinitum quantitate eſſet. Dico, quia opinio hujuſmodi hominis erronea eſt, & ratiocinatio imbecillis. Primùm, quoniàm ea, quæ non vivunt in corporibus humanis, non implet anima humana. Et de his ſunt quatuor humores, cerebrum, medullæ, & forſitan aliqua alia. Deinde corpora gigantium in natura humana maxima fuerunt, & veriſimile eſt naturam humanam non eſſe receptibilem majoris magnitudinis, cùm nec ante, nec poſt, tanta magnitudo inventa ſit in eis, neque appareat poſſe in poſterùm inveniri. Quare limitata videtur naturaliter in humanis corporibus magnitudo, & potiùs à parte formarum, quàm à parte materiarum

Qualiter anima limitata

E videtur iſta limitatio eſſe in hominibus, cùm & materiæ corporum, & alimenta longè majora inveniantur, quàm requirant corpora gigantæa. A parte igitur animarũ, quæ majora, vel movere, vel regere non ſufficerent, eſt iſta limitatio. Manifeſtè etiam vides, quia limitata eſt virtus animarum noſtratum circa motum, & regimen corporum humanorum. cùm unaquæque earum non ſufficiat movere, vel regere, niſi unum & ex motu etiam illius, & regimine adveniunt ei laſſitudo, & tædium, & ſimiliter forſitan videatur alicui, quòd hæc cauſa fuit limitationis in magnitudinibus cœlorum, videlicet, quoniàm animæ cœlorum non erant potentes movere, vel regere corpora majora, quamquàm Ariſtoteles inſinuare videatur cauſam iſtam eſſe à
F parte materiæ, quæ majores magnitudines recipere non potuit: ſicut expreſsè dicit hanc fuiſſe cauſam unitatis ſeu ſingularitatis mundi, quòd tota mundi materia, hoc eſt, ex qua ſola mundus alius fieri poterat, in mundo iſto incluſa eſt, & ab ejus forma totaliter occupata ſicut de phœnice ave ſimiliter dicitur, quòd in ſpecie ſua propter hanc cauſam non poteſt habere niſi individuum unum. In minimis quoque animalibus, quorum tanta multitudo generatur, non immeritò videri poteſt à parte formæ, hoc eſt, à parte animarum ipſorum limitata eſſe quantitas eorum, & ad tantam parvitatem redacta, ſive reſtricta, cùm tanta corpora, tantaque abundantia inveniatur materiæ hujuſmodi animalium; non eſt igitur ex defectu, ſeu paucitate materiæ hujuſmodi animalium diminutio quantitatis in eis, quare eſt à parte formæ, ſive animarum ipſorum. Abundat quippe, & ſubabundat materia eo-
G rum, cùm innumerabiles multitudines ex eis tam ſæpè generari videamus; quis enim numerare ſufficiat pulicum, & muſcularum, multitudines, & agmina, & aliorum ſimilium: inde igitur apparet eſſe parvitas quantitatis in eis, hoc eſt, à parte animarum, quæ non ſufficiunt movere, & regere corpora majora. Ampliùs. Cùm animas cœlorum ponant implere cœlos totaliter, ipſam animam mundi, juxta ſententiam Platonis implere mundum ipſum ab ultima ſuperficie cœli † permanenter influentem uſque in oppoſitum, quomodò multo majorem non poneret creatorem? Et hoc utique non eſt auditum adhuc aliquem dixiſſe, videlicet non multo majorem eſſe creatorem omnibus animabus cœleſtibus, & etiam anima totius mundi. Cùm igitur iſtud inficiari non poſſint, quid reſpondebunt, ſi quæratur ab eis, utrùm finito tantùm, an infinitum ma-
H jor ſit creator anima totius mundi? Quòd ſi dixerint, quia finito, quaſi duplo, vel triplo, vel centuplo, ſequitur hoc ex neceſſitate, ut ſi creator creaſſet centum mundos tantos, ac tales, quantus, ac qualis, eſt iſte, creator eſſet æqualis omnibus illis centum mundorum animabus, quoniàm eadem eſſet proportio creatoris ad unam illarum, videlicet centupla, & omnium illarum ſimul ſumptarum ad eandem: jam autem declaratum eſt in quinto libro Euclidis, quia quorum ad idem eadem proportio, æqualia eſſe neceſſe eſt. Ampliùs. Conſequens eſſet ad hoc, ut ſi mundum iſtum condidiſſet creator centuplo majorem, quàm ſit modò, ejus anima eſſet æqualis creatori, & hoc eſt deliramentum, quod nemo adhuc cogitavit.

ſint, & quod non poſſunt regere corpora majora, quàm regant.

† *Aliàs* permeantem, &c.

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

Quòd Deus eſt hoc unum numero demonſtrabile, & intelligibile, eſto quòd infinitum, & de ejus imparti-bilitate, deq; amplitudine prælium.

POſtquàm autem audiviſti deſtructiones erro-
ris iſtius, & declarationes veritatis contrariæ,
conveniens eſt, ut audias etiam ea, quæ in errorem
iſtum induxerunt imbecilles: hoc autem eſt potiſſi-
mùm, & cui maximè innituntur, videlicet, quia
creator eſt unum hoc numero ſingulare, atque de-
monſtrabile demonſtratione intellectuali, & etiam
intelligibile quid. Quomodò autem eſt intelligi-
bilis, ſi eſt infinitus, & ſupra infinitum, infinitum
enim omne inintelligibile eſſe, principium eſt Phi-
loſophiæ iſtius. Ampliùs. Qualiter erit unum, &
infinitum cùm unitas finitio eſſe videatur, diviſio-
que, ac determinatio ab aliis, & in ſeipſo indiviſio?
Ampliùs. Qualiter cadet ſub demonſtratione, vel
alia deſignatione, ſi infinitus eſt? res enim unaquæ-
que, & deſignatio ipſius æquales eſſe videntur,
qualiter igitur erit finita deſignatio creatoris, ſi ip-
ſe eſt infinitus? præſertim vera deſignatio, cùm ve-
ritas æqualis ſit deſignationis & rei. In quo reſ-
pondeo, quia ratiocinatio iſta debilis eſt, cùm ma-
nifeſtum ſit, & apud unumquemque loquentium
frequentiſſimum, deſignatione unâ deſignari mul-
ta, & deſignatione finitâ deſignari infinita. Quis
enim ignorat nomen multitudinis unum eſſe, &
tamen per ipſum deſignari multitudinem, ſimiliter
& nomen infiniti finitum, eoque deſignari infini-
tum, quis adeò imbecillis eſt, qui non ſciat ſe deſi-
gnare, & intelligere infinita puncta cujuſcunque
lineæ, cùm dicit infinita ſunt puncta lineæ iſtius,
& etiam deſignatione finitâ? ſubjectum enim ora-
tionis illius, quæ hoc dicit, & intellectum ipſius,
finita eſſe, nec ipſemet dubitat; ſimiliter ſi dixerit,
quia numeri pares infiniti ſunt, & numeri impares
ſimiliter, nonne utraque nominatione, quâ dicit
numeros pares, & quâ dicit numeros impares, in-
finitos numeros deſignat, & intelligit? ſimiliter &
ſi dixerit, omnium numerorum alii ſunt pares,
alii impares, nonne ſic colligit, & etiam dividit,
tam deſignatione, quàm intellectu, & utroque fi-
nito totam univerſitatem numerorum, quam mani-
feſtum eſt eſſe infinitam, & etiam pluſquàm infini-
tam? Si enim univerſitas parium finita eſt, & uni-
verſitas imparium ſimiliter, neceſſe eſt univerſita-
tatem utrorumque, cùm eas contineat, ut partes &
etiam ut medietates, majorem eſſe duabus illis, qua-
rum utraque eſt infinita. Quapropter non ſolùm in-
finitam, ſed etiam ſuperinfinitam ipſam eſſe neceſſe
eſt, cùm ſit evidéter ſuper penè innumerabiles infini-
tas eſt: enim infinitas una primorũ, videlicet qui à ſo-
la unitate numerãtur, alia † cõtra ſe primorũ, alia qua-
dratorum, alia cubicorum, & multæ aliæ ſunt,
ſicut apud arithmeticam didiciſti, quælibet autem
iſtarum univerſitatum infinita eſt, quare univerſi-
tas tota numerorum omnium multas univerſitates,
quarum quælibet eſt infinita, continet: eſt igitur
multis infinitis major, & propter hoc ſupra multa
infinita multitudine: quid ergo mirum ſi dicitur
eſſe non ſolùm infinita, ſed etiam ſuperinfinitum,
& ultra. Ampliùs. Una & eadem figura, videlicet
unitatis, juxta quod didiciſti apud Algoriſmum
de numeris Indorum, deſignatur interdùm unitas,
interdùm denarius, interdùm centenarius, inter-
dùm millenarius, interdùm millies mille, & ita in
infinitum, & vulgares etiam numeratores, vel

Quod infinita ſignis finitis deſignantur.

† *Aliàs* quaſi.

A computatores uno calculo deſignant nunc mini-
mum unum, nunc libram auri, vel argenti, nunc
centum libras ejuſdem, quandoque mille, quan-
doque mille millia, & quantumlibet ampliùs vo-
luerint, juxta ordinem, in quo illum poſuerint.
Non reſpondet igitur, vel parvitati, vel paucitati,
vel unitati ſignorum, & deſignationum, paucitas,
vel parvitas deſignatorum, neque parvitati, aut
unitati iſtorum, unitas, vel parvitas illorum. At-
tende, quàm modica eſt tabula aſtrolabii tui, quàm
modici in ea deſcripti circuli, quàm modicæ in ea
deſignationes, gradus, & tamen circulos cœleſtes,
orbeſque difficilè cogitabilium magnitudinum de-
ſignant: ſic & modici apices literarum, res magnas
ſignificant, & rebus minimis res quantumlibet ma-
gnæ, deſignantur, & numerantur, & intelliguntur,
ſicut vides de ſtellis, & ipſis ſignis cœleſtibus, quæ
ſunt corpora tantarum magnitudinum, deinde uno
B puncto deſignamus ſtellam Jovis in ſphæra, vel
aſtrolabio, cùm ipſa ſit nonagies quinquies major
totâ terrâ, & ipſum Solem qui longè eo major eſt.
Deinde nihil prohibet pictorem, vel ſculptorem
majori longè picturâ, vel ſculpturâ deſignare her-
culem, quàm ipſe fuerit, nec propter hoc falſa erit
deſignatio illius; ſicut igitur neque parvitas ſigno-
rum, aut deſignationum, cogit parvas eſſe res deſi-
gnatas, neque magnitudo magnas: ita nec finita co-
git eſſe finitas, nec etiam infinita, ſi poſſibilis eſſet,
deſignatio cogeret rem deſignatam eſſe infinitam,
videlicet ſi pictura, vel imago Herculis infinita
eſſet magnitudine, vel dimenſione quacunque,
non ideò cogeret Herculem fuiſſe infinitum; quem-
admodùm igitur abſque ulla repugnantia patitur
parvitas ſignorum, & deſignationum, deſignato-
rum magnitudinem, & paucitas horum multitu-
dinem illorum; ſic finitas ſignorum, & deſignatio-
num infinitatem deſignatorum: & ſicut iſta diver-
C ſitas non inducit falſitatem circa ſigna vel deſig-
nationes, ſic vera eſt finita, & parva deſignatio
creatoris infiniti. Ampliùs. Cùm aperis oculum,
& intueris cœlum, & vides medietatem ejus,
quam alibi didiciſti unicuique hominum, in quo-
cunque loco terrarum habitet, apparere, attende
quàm modicum eſt, quod à tota medietate cœli, &
ab aliis, quæ cum illa vides, imprimitur ſpiritui
viſibili tuo quod tamen evidenter, & clara de-
ſignatione oſtendit tibi illa, quæ tunc conſpicis,
& videbis quàm modico ſigno, quanta magnitu-
do, immò quantæ tibi magnitudines deſignantur.
Præterea. Quis neſcit omne nomen finitum eſſe,
& omne aliud inſtrumentum loquendi: reminiſci
etiam debes, quòd in modico panno deſcripſerunt
antiqui omnia, quæ in mundo iſto inferiori con-
tinentur; videlicet maria, & flumina inſulas, &
regiones, civitates, & multa ex caſtellis, & vo-
D catur inſtrumentum hujuſmodi mappa mundi. De
hoc verò, quòd dicere videntur intellectum no-
ſtrum finire creatorem, reſpondeo quia frivolum
eſt hoc, & puerile. Nihil enim circa creatorem
operatur intellectus noſter, neque ſignum, aut
deſignatio unquàm circa rem deſignatam: neque
enim parvitas ſigni, vel deſignationis parvifi-
cat rem deſignatam: neque magnitudo illius ma-
gnificat illam, & propter hoc neque finitas
iſtius finit illam: neque infinitas iſtius infinitat
eandem; res tamen deſignatæ, & intellectæ
plerumque augent, & minuunt, ſigna ſua
ſecundùm receptibilitates intelligentium aut
recipientium ea, & ſecundùm alias diſpoſitio-
nes, quibus plus adjuvantur, aut impe-
diuntur hujuſmodi operationes, cujus exem-
plum evidens eſt in ſpeculis viſibilibus; in ſpe-

Quòd parvitas ſigni non parvificat rem deſignatam

Quòd intellectus noſter intelligens creatorem non finit eum, nec terminat.

Digitized by Google

culis enim convexis facies inſpectoris minor, quàm ſit, apparet, in planis verò, quanta eſt, ſic & oculi aquilani plus luminoſitatis à ſole recipiunt, quàm noſtri, quia fortior eſt diſpoſitio, & melior ad hoc, oculi namque noſtri magis turbantur, & obſcurantur ex vehementia luminis ſolaris; ſic ſe habet & in intellectibus noſtris, & angelicis, illi enim majores longè ſplendores recipiunt de luminoſitate creatoris, quàm noſtri, dùm in ſæculo iſto vivimus, quoniàm nec ipſi prophetici ſplendores ad fulgores illos angelicos comparabiles ſunt. De hoc verò, quòd dixi, quia creator unus eſt, & unitas finit illum, & diſterminat ab aliis, quaſi ipſe finiatur ad ea, & illa ad ipſum, ſicut ſe habet in omnibus corporibus ſe contingentibus, quoniàm alterum, alterum terminat, dico, quia intolerabiliter ridiculoſus eſt ſermo iſte, unitas enim ipſius eſt ultima ſimplicitas, ſive impartibilitas, & hoc eſt immenſitas ipſius, & amplitudo, atque capacitas, ſicut in præcedentibus dixi tibi, & quia econtrariò ſe habent amplitudo, & capacitas ſpiritualis ad amplitudinem, & capacitatem corporalem.

De impartibilitate creatoris cum ejus amplitudine.

Quòd ſi dixerit ipſam unitatem finitam eſſe inſtar unitatis apud Arithmeticos; ſi propter hoc finitam eam eſſe dixerit, quoniàm ultra eam non eſt unitas, dicat neceſſe eſt numerorum omnium univerſitatem finitam eſſe, quoniàm ultra eam non eſt numerus: quòd ſi finitam dixit, quia impartibilem, errat transferens intentionem ſuam in alium intellectum ejus, quod dicitur finitum, & error iſte multos involvit, quia non aliam impartibilitatem de creatore cogitant, quàm impartibilitatem, quæ eſt puncti.

Quòd aliter intelligendum eſt creatorem indiviſibilem eſſe, quàm punctum.

Tu ergo ſcito, quia impartibilitas puncti oppoſitio eſt partibilitati, qua partibile eſt continuum, & ideò tollit eam, & prohibet à puncto, & eſt terminus ipſius; partitio enim continui ſecundùm potentiam terminatur in ſolo puncto, & ſicut punctus vel lineæ, vel corporis non habet eſſe alibi, quàm in linea, vel corpore, ſed eſt fixus in eis, non habens extra, vel ultra, ſui extenſionem, vel expenſionem, ita nec impartibilitas ipſius dat ei hoc, ut extra, vel ultra continuum extendatur vel expendatur ejus eſſentia. Ampliùs. Iſta impartibilitas tollit, & prohibet ab eo amplitudinem, & capacitatem corporales. quoniàm ſicut per me multoties audiviſti, partibilitas corporalis cauſa eſt hujuſmodi amplitudinis, & capacitatis; impartibilitas autem, quæ eſt ſecundùm rationem, qualis eſt in ultimo prædicabilium communium, illa eſt faciens amplitudinem, & extenſionem prædicabilem, ultra quam non eſt extentio, vel amplitudo generalitatis, ſive communitatis Ens enim omnium prædicabilium primum, ac communiſſimum eſt, nec dividit ipſum, aut explicat intellectus, ſeu ratio noſtra, diviſione, vel applicatione, qualibus dividuntur, vel explicantur genera, & ſpecies, & hoc eſt, quoniàm ens per modum, quo eſt ens, nihil habet aggregatum in ſe, nihil implicatum, omne autem genus habet ens intra ſe, & aliquam differentiam, vel differentias.

De communitate entis, & impartibilitate ejus.

Ens igitur impartibile eſt per modum iſtum, unum verò, & multum, poſt ens ſunt, quoniàm unitas, & multitudo accidunt enti, & ſequuntur ipſum. In eo igitur manifeſtum eſt tibi, quòd impartibilitas hujuſmodi efficit ipſum, & primum in prædicabilibus, & latius, atque capacius omnibus, ſicut alibi didiciſti: hæc etiam impartibilitas facit in eo ſtatum prædicamentorum, & eſt ei cauſa ultimitatis, & terminationis ipſorum; partibilitas verò, quæ eſt ex aggregatione differentiarum, eſt minuens. atque reſtringens amplitudinem iſtam, ſeu latitudinem. Et jam patefactum eſt tibi aliàs, quia genera, & differentiæ, partes quædam, &

E quodammodò, ſunt ſpecierum. Manifeſtum igitur eſt tibi per hæc, quia partium hujuſmodi aggregatio, ac multiplicatio, diminuens eſt, & arctans, ſive anguſtans amplitudinem communitatis. Eſſentia verò creatoris, cùm omni modo impartibilis, & inexplicabilis ſit, utpote una in ultimitate unitatis, & ſimplex in ultimitate impartibilitatis, ſeorſum eſt, & incogitabiliter longè ab omni coanguſtatione, & limitatione, & exhibitione expanſionis, atque terminationis. Corpora enim ſe invicem terminant, & prohibet alterum extentionem alterius, & incurſionem in ipſum Omnis autem ſubſtantia eſt amplectens, ſi dici fas eſt, eſſentiam creatoris intra ſe, ac ſi ſentiat præſentiam creatoris ſuſtinentem ſe, ne ruat in non eſſe, à quo per ipſum educta & elevata eſt in eſſe, & retinentem in ſe, ne refluat, & vaneſcat in nihilum, & implentem ſe non ſolùm ipſo eſſe, quo ipſa eſt. ſed etiam viribus, ſeu virtutibus, F & aliis bonis naturalibus, quibus omnis ſubſtantia à creatore impleta eſt uſque ad redundantiam, & refluentiam, nec aliud intendo eſſe vires, & virtutes naturales, quæ principia ſunt operationum, quàm fontes quoſdam redundantes, velut influentias quaſdam, operationes ſuas. Hujus exemplum evidentiſſimum in ſole, quem creator euſque luce replevit, ut eam redundet, atque refundat, quam, & qualiter vides ſic ignem calore, & aliis etiam bonis ſuis, ex quibus innumeræ utilitates redundant mortalibus, & operationes mirabiles, quas non eſt probare, vel reperire, niſi in mineralibus, & hæ redundantiæ indicia manifeſtiſſima ſunt copioſitatis, & divitiarum, inexhauſtibilis largitatis creatoris benedicti, quibus implet omnia ſæcula, & ſæculorum creaturas omnes, & ſingulas: lux au- G tem ſolaris, quoniàm affixa eſt, ſive alligata ipſi ſoli, non eſt potens transferre ſe ipſam in aëra, vel in alia innumerabilia, & propter hoc ſtans in ipſo fixa, & à creatore in eodem collocata, atque ad pulchritudinem, & ornatum ipſius ſolis eidem à creatore deputata, facit etiam in alia quod poteſt, largitatem quodammodò exequens creatoris per lumina, quæ refundit, quod per propriam eſſentiam facere naturali illa, quam dixi, affixione, & alligatione, atque adhærentia, quæ omnium quantitatum, & qualitatum propria eſt, prohibita eſt. Eſſentia verò creatoris in ultimitate libertatis, & ſuper omnem cogitatum bona, quod eſt dicere, larga, & diffuſiva, eſt exequens congruentiſſimum ſibi ſuæ largitatis officium, etiam per ſemetipſam, & impendens ſe ipſam creaturis, quibus nulla ejus dona vel ad eſſe, vel ad benè eſſe ſufficerent, admittendo eas intra ſemetipſam ad conſervandum, nutriendum, ſuſtentandum, & retinendum, ſicut H prædixi, cùm extra eam nec quamquam eſſe. nec benè eſſe poſſibile ſit.

Quod Deus per eſſentiam eſt ubique.

Et quemadmodùm de ſe ipſa fortiſſima eſt, atque firmiſſima, ad omnia ſuſtentanda, ac retinenda; ſic de ſe ipſa ampliſſima eſt, atque latiſſima ad omnia, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt, continenda, ac circundanda, non amplitudine, ut ſæpè dixi, corporali, quæ anguſtiſſima eſt etiam in ultimo cœlorum, ſed amplitudine ſpirituali, quæ totum univerſum intra ſe continet, quemadmodùm æternitas omnia tempora, de qua jam declaratum eſt tibi per me, quòd impartibilis eſt. Licet tam tempus omne, quàm ejus quælibet pars, partibile ſit. Dico inſuper, quia creator major eſt ſuper omnem comparationem, quàm ens ſecundùm intentionem, quâ dicitur de ſolis creaturis, nec iſta majoritas eſt comparatio corporalis amplitudinis, aut magnitudinis cùm ens in hac conſideratione incorporalis ſit, & ſeorſum longè à corporalibus dimenſionibus, & cùm non ſit, ut ſæpè audiviſti, niſi umbra

De amplitudine generum & ſpecierum.

umbra permodica, & veſtigium tenuiſſimum creatoris. Eſt igitur incorporali magnitudine, & amplitudine incomparabiliter major. Conſidera igitur amplitudinem hujus ſpeciei, homo, & conſidera Socratem in amplitudine, vel latitudine ipſius, & invenies ipſum in ea, quaſi punctum in ſuperficie aliqua, videlicet in circulo. Amplitudo enim ſpeciei infinita eſt ad Socratem: neque mille millia hominum aliquid, quod poſſit dici pars ejus, occupant in ea, vel de ea: neque enim ad aliquem numerum hominum arctata eſt, vel reſtricta, videlicet, ut illi ſoli in ea capi, vel contineri poſſint, non enim poſſunt eſſe homines in aliquo numero, & non in majori: licet enim determinatus ſit numerus hominum actu, & apud creatorem certiſſimum ſit quot fuerunt, quot ſint modò, & quot futuri ſint: tamen non eſt limitatum in natura, vel potentia ſpeciei humanæ, ut vel alii, vel plures eſſe non poſſint, propter quod dixi, ſpeciei humanæ latitudinem, & amplitudinem infinitam, & ſi Socrates nunquam fuiſſet futurus, nihil de magnitudine, vel amplitudine ſpeciei detractum, vel minutum eſſet, nec appareret hujuſmodi detractio, ſicut neque detractio puncti in ſuperficie circuli, & eodem modo ſe habet de additione. Conſidera ſimiliter hanc ſpeciem, homo, vel quamcunque vis aliorum animalium, in latitudine, vel amplitudine hujus generis animalis, & videbis eam ſicut aviculam in latitudine, vel amplitudine aëris, aut ſicut aviculam volitantem in latitudine, vel amplitudine ejus. Similiter videbis de hoc genere animal, cùm conſideraveris ipſum in latitudine, vel amplitudine hujus generis, ſubſtantia, eodem modo apparebit tibi de hoc genere, ſubſtantia, cùm conſideraveris ipſum in latitudine, vel amplitudine entis, & ipſum etiam ens, cùm cogitaveris ipſum in latitudine creatoris, vix apparebit tibi magnitudinis unius muſculæ volitantis in amplitudine aëris, & idem dico tibi de univerſo creato, ſeu mundo toto, & hoc eſt, quoniàm ſi infiniti tanti mundi eſſent in ipſo, nec ſe anguſtarent, nec minus ample, aut ſpatioſe eſſent in eo, quàm ſit iſte ſolus modò. Eſſent autem in ipſo procul dubiò, ſi creaſſet eos: hîc autem nulla eſſet dubitatio, niſi eſſet difficultas abducendi intellectum à conſuetudine ſenſuum, & hanc ingerit apud quoſcunque & multitudo conſuetudinis circa corporalia, & paucitas exercitationis circa ſpiritualia: ſicut enim ſpiritualia ſeſe non coanguſtant aut comprimunt in loco ſuo ſpirituali, multò minùs ipſa corporalia ſe ſe coanguſtare, aut comprimere poſſunt in eodem; cauſa autem in hoc eſt, quia quemadmodùm ſpiritualia locum corporalem nec implere, nec occupare ullo modorum poſſunt; ſic neque corporalia amplitudinem, vel capacitatem ſpiritualem, nihil enim implere, vel occupare poteſt naturaliter non locum proprium, ac naturalem ſuum, vel ſuo ſimilem, quod dico, quia & terra poteſt eſſe ubi eſt naturaliter aër, & aër ubi eſt naturaliter terra, & intendo ſecundùm partem, non ſecundùm totum, quemadmodùm dicit Ariſtot. quia terra ſecundùm totum immobilis eſt, veruntamen loca ſimilia ſunt, de quibus dixi, loca inquam corporum, ſimilis figuræ, & hoc eſt, quoniàm loca hæc, ſicut declaravit Ariſto. non ſunt niſi ſuperficies ambientes locata. Mirabile autem videtur, unde opinantur aliqui creatorem finitum, & qualiter etiam hoc intelligant, puto eos non intelligere, puto autem eos illud cogitare, quia creator totus eſt in mundo, & nihil ſui habet extra, videtur quaſi eſſe in mundo incluſus, mundique terminis circumcluſus, atque terminatus, dico igitur, quia nec ipſum intelligere videntur: ſi enim intelligunt creatorem eſſe in mun-

Qualiter Deus dicitur eſſe totus in mundo.

A do localiter, quemadmodùm aqua, vel vinum in vaſe, quod replet, & hoc eſt verè localiter eſſe in aliquo, quoniàm interior ſuperficies vaſis hujuſmodi eſt ambiens, & circumcludens ipſam aquam, vel vinum; intolerabiliter abſurdè intelligunt creatorem eſſe in mundo. De nulla enim ſubſtantia ſpirituali, nedum de creatore, hoc cogitare fas eſt; ſapientes autem, & præcipuè doctores gentis Chriſtianorum, potiùs dicunt dicendum eſſe mundum eſſe in creatore, quàm creatorem in mundo, & creatorem continere mundum, quàm creatorem contineri à mundo. In hoc verò, quòd dicunt creatorem nihil ſui habere extra mundum, non verum dicere videntur, cùm extra unamquamque partem mundi ſe totum habeat. Non enim eſt in cœlo partem aliquam deſignare, extra quam ſe totum creator non habeat: quemadmodùm enim in una parte cœli eſt, ſic & in qualibet alia: ſuſpectus autem eſt ſermo

B quo dicitur creator totus eſſe in aliquo, vel in aliqua ſubſtantia, & propter hanc præpoſitionem, in, & propter hanc dictionem, totus. Manifeſtum autem eſt tibi, quia hæc dictio, totus, non dicit in creatore aggregationem aliquam partium ullo modorum, quin potiùs ſonat privationem diminutionis. Totus igitur dicitur eſſe in mundo, hoc eſt, in ſua perfectione & abſque exceptione, vel diminutione ullo modorum. De intentione verò hujus præpoſitionis, in, & quot modis, vel intentionibus dicatur eſſe aliquid in aliquo, ad alium tractatum pertinet, videlicet ad illum, qui ſingulariter de hoc, quod creator dicitur eſſe in mundo, & in creaturis, ſcilicet qualiter eſt hoc, & utrùm humano intellectui explicabile, vel declarabile ſit. Verùm digreſſionem iſtam magnam ad hoc feci, ut contradiceretur

Nota tractatum qualiter Deus eſt in mundo.

C eis, qui creatorem ſentiunt, & dicunt eſſe finitum, & mirantur ipſum, cùm ſit ſuper finitum, & ſupra infinitum, quo modo vel in mundo, qui utique finitus eſt, vel in quacunque ſubſtātia multò minore ſit, vel etiam eſſe poſſit. Dixi etiam hoc, ut erigerem te, & adjuvarem aliquatenùs ad intelligendam, & contemplandam immenſitatem creatoris, quam fides Chriſtianorum tam evidenter aſſerit, utpote, quæ à vera, & examinatâ prophetiâ in nullo penitùs diſcordat. Scito etiam cum prædictis, quia ipſi, qui hoc mirantur, vel nondùm cognoſcunt, videlicet creatorem infinitum eſſe, vel poſſe eſſe, in mundo finito, vel alio quocunque, quod finitum ſit, non mirantur & ſpecies, & genera, & etiam ipſum ens, quæ omnia infinita ſunt, eſſe in particularibus vel ſingularibus, quorum unumquodque finitum eſt, & etiam in aliis particularibus, quæ etiam ſi infinita ſunt in infinitum, tamen minora ſunt ſuis ſpeciebus, atque generibus, & ipſo ente, quorum unumquodque jam

D ſcis eſſe infinitum ex eis, quæ præceſſerunt.

Quòd Deus inſit in re finita.

CAPUT LXIX.

Quomodo Angelis cauſantur cognitiones de rebus ſenſibilibus, & de receptione formarum intelligibilium in ipſis.

POſt hæc igitur revertar ad id, in quo eram, & tentabo declarare, qualiter ſubſtantiæ angelicæ, ſive bonæ, ſive malæ, cognoſcant à rebus particularibus, & ſenſibilibus, cùm nec ſenſus, nec inſtrumenta ſenſuum habeant, per quæ ſola acquiri videntur ſcientiæ novæ de rebus ſenſibilibus, & particularibus. Si enim verè ſpoliatæ ſunt, & corpora penitùs non habentes, non videntur paſſibiles à rebus ſenſibilibus, res autem non docent, nec ſciri faciunt, niſi per paſſiones, quas imprimunt. Quoniàm ipſæ ſcientiæ, quæ à rebus forinſecis animabus noſtris adveniunt, non ſunt niſi deſcriptiones ſimi-

Digitized by Google

litudinum ipſarum inſtar apparitionum, quæ fiunt in ſpeculis ex objectu rerum in eis apparentium. Specula enim ſunt ipſa organa ſenſuum, ſive ſpiritus ſenſibiles, & nulli etiam ad modicum exercitato in eis, quæ de anima humana ſunt, dubium eſt virtutem intellectivam ſpeculum eſſe intelligibile, & apprehenſiones intelligibiles ipſius non eſſe niſi apparitiones, vel reſultationes rerum intelligibilium in ipſo per formas, vel imagines ſuas, ſive alia ſigna ipſorum. Aut igitur à rebus ſenſibilibus, & particularibus patiuntur recipientes ab eis ſigna, & ſimilitudines ipſarum hujuſmodi ſubſtantiæ, de quibus agitur, aut omninò non generantur apud eas novæ ſcientiæ de rebus hujuſmodi, de modo igitur ſigna recipiendi eſt tota quæſtionis iſtius difficultas. Quòd ſi intimius ipſas apprehenſiones animarum noſtrarum ſcrutatus fueris, occurret tibi ſimilis difficultas; cùm enim organa ſenſuum corpora ponantur, & ipſi etiam ſpiritus, qui in nervis interioribus ſunt, per quos, & à quibus impreſſiones hujuſmodi fiunt in animabus noſtris, neceſſe eſt ipſas animas noſtras pati ſaltem ab hujuſmodi ſpiritibus, & recipere ſimilitudines, vel imagines has. Quid ergo mirum ſi à corporibus patientur ſubſtantiæ, de quibus agitur, non obſtante ſpiritualitate ipſarum, cùm animarum noſtrarum ſpiritualitas hoc apud ipſas non prohibeat, videlicet, quin patiantur à ſpiritibus hujuſmodi, qui corpora eſſe dubitari non poſſunt? Quòd ſi dixerit, quia impreſſiones, quæ fiunt in ſpiritibus, ſiſtunt vel ſtant in ipſis ſpiritibus, ita ut nihil ab eis, vel per eos intret apud animas noſtras, neceſſe igitur eſt ſcientias hujuſmodi in ipſis ſpiritibus eſſe, & fieri, & non in animabus noſtris, quapropter remanebũt animæ noſtræ inſciæ prorſus rerum hujuſmodi, & ſoli ſpiritus antedicti ſcient illas, et it igitur ſcientia in corpore, & ſequitur ex hoc animas noſtras cæcas, & ſurdas eſſe, & penitùs inſcientes rerum ſenſibilium, atque particularium. Ampliùs. Iraſci eas, & dolere, aliiſque hujuſmodi paſſionibus obnoxias eſſe, manifeſtum eſt ex narrationibus Hebræorũ, & ex narrationibus Chriſtianorum, & ex omnibus hiſtoriis idolatrarum, qui, idolatræ ſcilicet, eas & placari ſacrificiis, & ludis, & delectari cantibus eas crediderunt, ſimiliter provocari ad iram, & offendi, & non intendo de omnibus ſpiritualibus ſubſtantiis. Alibi enim declaratum eſt tibi per me, quia ex neceſſitate malæ ſunt omnes ſpirituales ſubſtantiæ, quæ honorificentiam divini cultus impendi ſibi volunt, vel etiam patiuntur. De ligationibus verò earum, & cruciatibus, & clamoribus ſuis, à tempore legis Chriſtianorum ipſæmet fidem fecerunt, & de his in narrationibus Chriſtianorum plurima jam legiſti, ſi juxta conſiliũ meum in hoc te habuiſti. Manifeſtum igitur eſt ex teſtimoniis earum, eas paſſibiles eſſe à rebus particularibus, & ſenſibilibus. Dolores enim, & cruciatus ſe pati teſtabantur, vel ab Angelis ſanctis, vel à viris ſanctis legis Chriſtianorum doctoribus. Libri quoque magorum, ſive maleficiorum, ſi tamen eis credendum eſt, de ligationibus earum, incluſionibus, & incarcerationibus incredibilia narrant. Quicquid autem ſit de hujuſmodi, dubitari tamen non debet eas à rebus ſenſibilibus, aut per eas novas ſcientias, & particulares rerum particularium, atque ſenſibilium quacunque occaſione, vel modo hoc fuerit, acquirere. Nec mirum videri tibi debet mira facilitate, & occaſione leviſſima, hoc fieri apud eas, cùm in animabus noſtris ſimilia fieri didiceris. Accidit ſiquidem tempore meo, quòd quædam mulier adamabat virum amore ſupra modum vehementi, & præſentiebat eum venientem ad villam habitationis ſuæ, cùm adhuc longè eſſet per unum, vel per duo milliaria.

Difficultas quomodo formæ intelligibiles recipiuntur ab intellectu.

Qualiter ſpecies intelligibiles formantur in anima.

Quod Angeli ex rebus ſenſibilibus novas ſcientias acquirunt.

E Accidebat etiam plerunque, ut cùm abſconditus eſſet in magno, & ampliſſimo palatio, muliere à foris exiſtente, & de eo nihil penitùs audiente, vel aliter ſciente, non poſſet eam latere, quòd ibi eſſet. Dic ergo, quæro, cujuſmodi erat iſta cognitio, vel apprehenſio? non enim poterat agere aliqua ex formis ſenſibilibus viri illius in ſenſum, vel imaginationem mulieris, cùm hoc tot, & tanta interpoſita prohiberent. Quia verò & in civitate poſſet eam latere vir ille, & à longè per quatuor milliaria non præſẽtiret adventũ ipſius, veriſimile eſt virtutem cognoſcitivam ipſa propinquitate, vel appropinquatione illius adjuvari, licet non appareat imprimens aliquam paſſionem in animam illius, vel paſſio aliqua ſit impreſſa. Verùm negari non poteſt, quin aliquid novũ F circa animam mulieris tunc fieret, à quocunque fieret, cùm ſic præſẽtiret virum illum. Simile accidit & de quodam alio, quem latere non poterat meretrix intrans domum, in qua eſſet, quantacunque diligentia abſconderetur. Simile exemplum eſt de viro, quem fornicatio ſervi ſui latere non poterat; eo enim die, quo fornicatus fuiſſet, nihil, quod ſervus ille tangeret, de cibariis, vel potibus, ſumere poterat. Omnia enim abominabilia fiebant ei, quæcunque ſervus ille accuraſſet. Forſitan autem & illud non eſt diſſimile, quòd mulier quædam interfectorem filij ſui, quem hæredem chariſſimum habebat, levi horrore, quem ei ingerebat, non ſolùm aſpectu, ſed ipſa propinquitate, qua in eadem domo, cùm illa erat deprehendit. Similia videntur eſſe penè incredibilia, quæ de cæcis hominibus narrantur. Propè namque terram nativitatis meæ fuit vir cæcus à nativitate, nihilominùs tamen G bellator acerrimus, ac ſtrenuiſſimus, toto tempore cæcitatis. Tandem verò miſerante creatore in ſervitium ejus totum ſe contulit, & illuminari viſu corporis ab eodem obtinuit. Hic ergo cæcus qualiter vel cognoſcebat hoſtes, vel à jaculis, & ſagittis hoſtium atque inſidiis ſibi cavebat, cùm clariſſimè videntes vix ad hoc ſibi ſufficiant.

CAPUT LXX.

De eodem, & quòd vis motiva adjuvat apprehenſivam, & quantæ virtutis ſit ſenſus naturæ, & quomodo dæmones movent corpora.

Debes igitur ſcire in omnibus his, & hujuſmodi, quia vis motiva & in animabus noſtris, & aliorum animalium, vehementia ſuæ affectionis incredibiliter adjuvat vim apprehenſivam: neque H enim vanè dictum eſt, ubi intenderit ingenium ibi valet, propter quod & viri ſanctiſſimi in eis quæ pertinent ad creatoris honorem, & gloriam, & ad promerendam futuræ fœlicitatis remunerationem, longè profundius, & clarius vident, & enunciant, quàm multi, qui nomen magnorum doctorum obtinent apud homines, ſacræque doctrinæ ſtudiis inſiſtendo ſenuerunt, propter quod dixit ille ſapiens de gente Hebræorum: Anima viri juſti enunciat veritatem, quam ſeptem circumſpectiores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum: ſic non immeritò æſtimandum eſt imaginationem mulieris, de qua ſermo præceſſit, ad apprehenſionem hujuſmodi mirabilem viri, cujus amore eouſque ardebat, adjutam, & quodam novo ſplendore in parte iſta irradiatam, quemadmodùm vice verſa vehementia imaginis vis concupiſcibilis non tantùm invaleſcit, & confortatur, ſed plerunque etiam inflammatur. Videtur igitur ex adjutorio virtutis motivæ hoc datum eſſe virtuti imaginativæ in exemplo iſto hujus apprehenſionis adjutorium. Quòd autem à longè per quatuor mil-

liaria,

Digitized by Google

Qualiter virtus motiva adjuvat apprehenſivam, & econtrà.

liaria, vel ampliùs, mulier hæc virum illum præſentire, vel præſagiari nonpoterat, ex limitatione erat, & paucitate hujuſmodi adjutorii, quemadmodùm quòd aliquis rem aliquam à remotiori loco videre non poteſt, quàm videat, ex parvitate viſus eſt, & limitatione ipſius, vel ex parvitate virtutis rei viſæ, qua virtute vel perficitur, vel adjuvatur viſus, & virtus hæc eſt forma viſibilis, hoc eſt, lux vel color, vel aliqua aliarum viſibilium, quemadmodùm, quòd tu non potes jacere lapidem aliquem ultrà decem paſſus ex paucitate virtutis tuæ eſt, nec jacere ultra prædictum ſpatium illum, niſi novo aliquo adminiculo juvateris. Quòd ſi quærat aliquis, quid cauſæ eſt, quòd virtus motiva ita adjuvat apprehenſivam? Reſpondeo, quia ſic poſſet forſitan quærere, qua de cauſa apprehenſiva adjuvat motivam, manifeſtum tamen eſt, quia vis apprehenſiva ſubeſt virtuti motivæ tanquàm imperanti: imperat enim vis motiva non tantùm motum, ſed etiam ea, quæ adjuvant motum, ut præcogitationem, deliberationem, apertionem oculorum, & elevationem, licet multi dixerint, & forſitan adhuc multi ſentiunt paſſiones, quæ fiunt in motiva non eſſe, niſi profundatas vel intimatas apprehenſiones, nec differunt niſi, ſicut ſcriptura, & ſculptura, & impreſſio, ſeu ſigillatio, quare non videtur mirabile ſi altera ex altera eſt, vel altera alteram adjuvat, & in prædictis exemplis, quæ ſunt de imaginatione, vel ſenſu communi, veriſimile eſt virtutem imaginativam accedere aliquatenùs ad ſplendorem propheticum, de quo certum eſt exercitatis in eo, quòd deſcendere habet virtutem ſuper imaginativam, & quædam ſpecies prophetię imaginativa eſt, quoniàm fit in virtute illa, & ſecundùm ipſam, & adjuvatur virtus imaginativa ad recipiendum hujuſmodi ſplendorem privationibus ſenſuum exteriorum, ſicut doceberis in ſequentibus. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm luminoſitas naturalis, ſeu natura animarum noſtrarum ex obturatione ſenſuum multiplicatur interiùs, tanquàm aqua currens ex obice, vel per obicem retinentem, ſeu prohibentem fluxum illius, vel tanquàm radii luminis per reflexiones, quæ fiunt à ſpeculis, vel aliis politis, vel terſis corporibus, & hanc diſtinctionem idcirco poſui, quia alii de philoſophantibus opinati ſunt hoc fieri per reflexionem, alii tanquàm per retentionem virtutis apprehenſivæ interioris, & debes ſcire in hoc, quia non fit ſolùm per hujuſmodi retentionem, vel privationes, confortatio, ſeu multiplicatio virtutum apprehenſivarum, ſed etiam motivarum, propter quod qui debiles habent pedes, & tibias, manus plerumque fortiſſimas habent, & brachia, & qui debilitatis incommodum habent in altera manuum, vel brachiorum, eis in altera reſtauratur, & de pedibus, & tibiis ſimiliter ſe habet. Manifeſtum igitur tibi eſſe debet ex his, quia quod minus habebat in viſu exteriori, ſuppletum eſt ei in ipſa virtute imaginativa, vel in ſenſu communi interiori; & quia ſuppletio iſta fuit ei vel ex multitudine dicti nativi luminis, vel ex ſuperadditione divini muneris ſimilis prophetico ſplendori, nihilominùs tamen ſciendum eſt tibi ſenſu naturæ multas apprehenſiones mirabiles fieri, & hanc ipſam apprehenſionem mulieris, amore viri, de quo agitur, inflammatæ potuiſſe fieri ſenſu naturæ. Quæ enim vehementer inimica ſunt naturæ, hoc eſt, vehementer contriſtantia ipſam, vel vehementer delectantia ipſam, horret, & refugit natura abſque ulla apprehenſione ipſorum, & ex hujuſmodi horrore convincit, & conjecturatur ipſe, qui hoc patitur, præſentiam ſeu, propinquitatem rei hujuſmodi: & eodem modo ſe habet de vehementer delectantibus, & ſicut narratur, ita fuit in

Quod ſenſu naturæ multæ apprehenſiones fiunt mirabiles.

muliere, quæ ita pavebat, & horrebat, interfectorem filii ſui, cùm nihil de interfectione ejus apprehendiſſet. Et hoc tamen, ſi ejus eſſet ſolertiæ, æſtimare potuit, prope ſe vel inimicum, vel vehementer contriſtans ipſam, ſic erat & de muliere forſitàn adamante virum, de quo præceſſit ſermo. Memini etiam me vidiſſe mulierem, quæ adeò exhorrebat maritum proprium, ut quoties intrabat domum, in qua ille erat, morbo caduco arriperetur, licet aliàs omninò eum ignoraret eſſe. Similiter ſe habet de meretrice, & fornicatore, meretrix enim non parum inimica eſt humanæ naturæ, meretricium enim nobiliſſimos fructus humanæ naturæ, antequàm naſcantur, ſuffocat, & præextinguit, hoc eſt, filios, & filias, quos nec etiam patitur generari, licet ex alia cauſa inimica ſit, & abominabilis ipſi humanæ naturæ propter immunditiã ſimul, & contumeliam, qua naturam humanam abominabiliter vilificat, & polluit. Hoc igitur ſenſu poterunt fieri quæ de fornicatore, & meretrice prædicta ſunt, licet virtus caſtitatis ex ſua præeminentia efficere potuerit hæc. Quemadmodùm apparet de cane inveſtigante, & deprehendente latrones, cùm enim impoſitum ſit ei tanquàm à lege naturæ, vel inſtitutoris ipſius, & conditoris Dei altiſſimi, velut officium cuſtodiendi homines, & res eorum, additur ei, licet in paucis individuis, aſtutia hæc inveſtigandi ſcilicet, & deprehendendi latrones. Aſtutia enim hæc adjutrix eſt efficaciſſima ipſius ad implendum ſive exequendum hujuſmodi officium. Quemadmodùm vides, quòd ratio, ſeu virtus ratiocinativa, data eſt à creatore generi humano in omnibus individuis ſuis propter gubernationem, & compoſitionem vitæ ſuæ, & morum. Et nihilominùs ſuperadditus eſt ſplendor propheticus, licet in pauciſſimis, atque rariſſimis, additus inquam eis propter eandem cauſam, quæ eſt compoſitio, & decoratio vitæ, nec fit iſta inveſtigatio, aut deprehenſio latronum per apprehenſionem aliquam, quæ à foris ſit. Neque enim latro, neque latrocinium odoris alicujus veſtigio, vel cujuſlibet alterius ſenſibilis, inveſtigabilia ſunt, ſed ſicut prædixi, velut ſenſus naturæ, aut aliud lumen eſt, quo ſentit nocumentum latrocinii canis inveſtigator. Et eodem ſenſu ſentit & ipſum, qui nocumentum intulit, & viam, per quam rem furtivè ſubreptam aſportavit. Et dicunt nonnullos ex hominibus aſtutia ſimili præditos, videlicet inveſtigandi, & deprehendendi latrones, & via ſimul ſimillima ad hoc eos uti. Juxta hunc modum ſe habet res in vulturibus, ſi creditur hominibus, qui dicunt eos pręſentire ſtrages hominum, & equorum, & propter hoc prælia imminentia, in quibus facienda eſt ſtrages hujuſmodi. Cùm enim in vulturibus maxima pars victus ſit in cadaveribus hominum, & jumentorum, data eſt eis iſta, ut ita dicatur, prævidentia in adjutorium virtutis ipſorum nutritivæ, quemadmodùm araneæ in adjutorium virtutis ejuſdem data eſt nendi, ſive filandi quædam peritia, & inſidiandi muſcis aſtutia. Juxta hoc meliùs videtur, & magis veriſimile eſt, Eritium, de quo narrat Ariſtoteles, quod dedit judicium ventorum imminentium apud Conſtantinopolim per hoc, quòd ingreſſum ſpeluncellæ ſuæ obſtruxit ex ea parte, qua patebat ventis, qui poſtmodùm ſecuti ſunt, vel eos præſentire, antequàm eſſent, vel alio modo ſentire non potuiſſe, quàm ſenſu, quem prædixi naturæ, qui datus fuit ei in adjutorium virtutis ſuæ conſervativæ, quemadmodùm hominibus data ſunt artificia, & artes multæ in ſimile adjutorium, quales ſunt ars, ſeu artificium nendi, texendi, filandi, ſuendi, ſeminandi, & aliorum hujuſmodi. Illud autẽ non parvam habet admirationem,

De lumine naturæ multorum animaliũ.

Digitized by Google

quòd ipſæ inſaniæ, & aliæ alienationes occaſionem dant revelationibus magnis, & irradiationibus animarum humanarum, propheticis ſplendoribus valde ſimilibus, & cauſam, proptet quam hoc fiat, declarabo tibi in ſequentibus in capitulo de prophetia, & divinatione. Addo inſuper præcedentibus, quoniàm etſi mirabile videatur, quòd animæ noſtræ ſic patiantur à corporibus, vel corporalibus, & non per ſenſus exteriores, vel per corpora ſua, ſed tanquàm ab intus, patiantur inquam iſtos horrores in ſemetipſis, & etiam horripilationes in corporibus, non tamen ſine cauſa & ratione hoc eſt: quemadmodùm enim iſtæ ſpirituales ſubſtantiæ agunt in corpora, & corporalia, non per organa corporalia, vel alia organa, cùm omninò nulla habeant, ſed totum faciunt ab intus, & nihil per foranea, ſeu forinſeca. ſic & animæ noſtræ in rebus hujuſmodi totum patiuntut ab intus, & nihil per organa ſua corporalia, vel alia. Viva enim eſt tota natura animæ humanæ, & propter hoc tota ſentiens in ſe etiam cum organis. ſeu membris corpotis ſui non adjuvatur ad hoc: ſicut natura ſubſtantiæ ſpiritualis tota viva eſt, & tota agens, vel activa in ſemetipſa, vel per ſemetipſam, & propter hoc non indigens ad actiones ſuas hujuſmodi inſtrumentis: quemadmodùm igitur circa corpora & corporalia patiuntur ab eis, non per medium aliud; ſic animæ noſtræ patiuntur à corporibus, & corporalibus, non per medium interveniens inter hæc, & illa, & hujus rei ponam tibi exemplum primum in cacodæmonibus quos ſatyros, vel faunos vocant. De quibus manifeſtum innumerabilibus teſtimoniis, & experientiis, quòd lapides projiciunt, & oſtia interdùm effringunt, & alias innumerabiles hujuſmodi moleſtias hominibus irrogant. Cùm igitur nec fundas, nec manus, nec ulla omninò inſtrumenta corporalia habeant jaciendi, manifeſtum eſt, quòd lapides non jaciunt, vel alia corpora movent inſtrumento aliquo corporali, nec aſſumptis corporibus hoc faciunt, cùm hoc facientes nihil omninò à referire eos intendentibus & conantibus pati poſſint; quare relinquitur evidenter vim imperativam, hoc eſt, voluntatem apud eos ejus eſſe virtutis, ut ei in hujuſmodi motibus per ſe ſolam lapides, & alia corpora obediant, ut quemadmodùm per manus, aut alia inſtrumenta virtus imperativa motus apud homines lapides ſic movet, alias eos ſic movere non valens, quod eſt diminutio perfectionis apud eam; ſic apud hujuſmodi ſubſtantias ſolo imperio, & non alio adjumento moveant eos ſic hujuſmodi ſubſtantiæ, & hoc eſt apud ipſas fortitudo, atque perfectio hujuſmodi virtutis: quod autem in narrationibus miraculorum, & etiam aliis apud gentem Chriſtianorum legitur, videlicet, quòd ipſos dæmones equitaverũt, vel ipſos inſtar equorum equitaverunt, vel aſſumpta forma hujuſmodi, forma ſcilicet equina, factum eſt, vel virtute, qua dixi, quæ movendi ſit corpora noſtra eſt eis virtus innata, & interdùm poteſtas data. Quod verò apud quendam ex Prophetis Hebræorum legitur, quòd Angelus bonus Prophetam quendam arreptum cincinno capitis in Babylonem portaverit, dico quia præter virtutem nativam angelicam affuit ibi nova virtus ſuperaddita creatoris, cujus juſſu hoc factum fuiſſe narratur in eodem libro; non enim cincinnus capillorum hanc virtutem naturaliter habuit, ut pondus corporis Prophetæ ferre poſſet, neque ipſi capilli adeò tenaciter adhærebant capiti ipſius, ut tanto tactu, & pondere non avulſi eſſent ab ipſo. Verùm ſi depravatis, atque perverſis hujuſmodi ſubſtantiis ponitur tanta perfectio hujuſmodi virtutis; quantò fortiùs ponenda eſt bonis, & Deo altiſſimo famulantibus,

Quomodo cacodæmones jaciunt lapides imperando eis.

De Abacuc portato per Angelum.

E cùm illæ non uterentur ea, quantùm eſt de intentione ſua, niſi in contumeliam, & injuriam creatoris; iſtæ verò non niſi ad gloriam ipſius. Ampliùs. Quis non videat, quòd animæ humanæ movent corpora ſua, hoc eſt, in quibus ſunt, ſolo imperio, quia ſi media ſunt alia corpora, quemadmodùm prædixi de ſpiritibus, illos etiam movent ſolo imperio: ſed ſicut jam dictum eſt vis imperativa debilis eſt, & etiam incompletæ fortitudinis in parte iſta, non autem quantùm ad motum ſpirituum, ad quem perficiendum non indiget ullo adjutorio. Quamquàm de motu hujuſmodi videlicet ſpirituum, & lacertorum, atque muſculorum, chordarumque, & ligamentorum, qualiter per dictos ſpiritus fiat, non uſquequaque liquidum ſit; quòd ſi per ſe, & ſolo F imperio fiat ab anima, non minùs mirabile eſt, quàm jactus lapidum antedictus. Decet ſi quidem, & congruit, ut anima humana, cujus multarum virium operationes pendent ex corpore, & non fiunt niſi per illud, ut parum poſſit in alia corpora, & ferè totum per ſemetipſam in proprium corpus; ſic & conveniens eſt naturæ ſeparatæ, ut multum poſſit in corpora iſta, quæ vel elementa, vel elementata ſunt, & hoc totum poſſit in ea dominatione, atque præſtantia, qua prælata eſt, & antepoſita eiſdem; corpora enim humana, & cæterorũ animalium aptata ſunt figura, & aliis diſpoſitionibus ad obediendum animabus eorum, & in operationibus, quibus perficiendis apta nata ſunt. Subſtantiis verò ſeparatis, tanquàm apud ſemetipſas perfectis, nulliſque organis corporalibus indigentibus, nulla aptata ſunt, ſed omnia prædicta plenè ſubdita ad uſum, G quem voluerint. Nec intendo per hoc, ſic omnia plenè ſubdita, ut quantumlibet magna corpora movere poſſint in quamcunque partem voluerint, & quantumcunque voluerint. Quin potiùs veriſimile eſt, limitatam eſſe, ac determinatam vel à natura, vel ab ipſo creatore, virtutem earum in parte iſta. Nondùm enim pervenit ad me aliquam ex hujuſmodi ſubſtantiis totam terræ molem motu, qui terræ motus dicitur, concuſſiſſe, neque totum mare, licet particulares hujuſmodi commotiones eas feciſſe manifeſtum ſit ex narrationibus certiſſimis, quæ de miraculis Chriſtianorum apud eos inveniuntur. Ex libris etiam hiſtoricis, & magicis multa hujuſmodi colligi poſſunt, & ſaxa enim ingentia, & montes eas prorupiſſe, tempeſtates concitaſſe, naveſque ſubmerſiſſe narrationum hujuſmodi ſcriptores ſcripſerunt de hujuſmodi ſubſtantiis, in corpora verò cœleſtia nullam habere poteſtatem videntur, neque aliquid apud me adhuc auditum eſt, quòd in ea fuerint operatæ. De aëre verò non H eſt dubium, quin multa in eo hominibus terrifica, & miranda egerint: in quo ſecundùm doctrinam Chriſtianorum habitare creduntur uſque ad diem judicij, & tunc in profundum ſuppliciorum infernalium detrudendæ: cùm autem ex virtute naturæ ſuæ ſpiritualis in quædã ex inferioribus corporibus adeò miranda operentur, & hoc ſolo imperio, idem videntur per omnia poſſe in parva, & magna hujuſmodi corporum. Magnitudo enim nec reſtrinxiſſe, nec arctaſſe ullatenùs vel virtutem imperativam ipſarum, vel ipſius imperium videtur; quid enim prohibet eas vel imperare, vel velle motus magnorum corporum inferiorum, ut parvorum? maximè cùm tanta ſit, tamque vehemens malignitatis earum perverſitas, & perſpicuum ſit eis plus eos poſſe nocere hominibus motu totius terræ, vel medietatis ipſius, quàm longè minoris partis, niſi malitiam eorum compeſcat divina bonitas, & cùm non inveniantur niſi tres cauſæ limitationis, vel arctationis hujuſmodi, videlicet vel naturalis

Quod animæ noſtræ ſolo imperio voluntatis movent ſpiritus vitales.

Quod dæmones habitant in aëre uſque ad diem judicii.

impotentia, qua prohibitæ ſuur à tam magnificis operibus, vel ipſa ratio earum diſſuadens eis auſus tantarum nequitiarum, vel miſeratio creatoris, tenens eas ligatas, velut immaniſſimas beluas, & non ſinens eas implere atrocitatis ſuæ deſideria adverſùs homines: & hoc indicium certiſſimum eſſe videtur, quòd projicientes lapides in homines, quandoque lædunt eos, & quandoque non lædunt, & interdùm flagellant eos cum læſione, quod mihi certiſſimis teſtimoniis hæc ab illis patientium, & patientes videntium, certum factum eſt: libri quoque narrationum de miraculis, & mirabilibus, quæ facta ſunt, & uſque hodie fiunt, multa valdè continent de hujuſmodi. Quod autem in corpora cœleſtia nulla eis poteſtas relicta eſt, ſi tamen aliquid poteſtatis in eadem ante depravationis ſuæ lapſum habuerant, non immeritò cauſæ iſtæ fuiſſe videntur, videlicet, quoniàm nec habitationis locum in eis habere permiſſi ſunt tam longè ab eis dejecti, videlicet, in aëra iſtum caligionum ſuper habitationem noſtram, hoc eſt non multùm longè ab ea: nec admiratione cuiquam dignum videri debet hoc apud creatoris ſapientiam, & juſtitiam, ſi poteſtatem eorum imminuit, & ligavit, quos hoſtes ſibi, & adverſarios cognoſcens, non ſolùm ab aula ſua illa Imperiali, atque præclara ejiciens, longè à pulchetrimis finibus cœleſtis pulchritudinis certis ergaſtulis ſive carceribus deputavit, nec irrationabiliter, ſciens eas generi humano inimiciſſimas, ſeorsùm ab hominibus eas conſtituit, ne ipſa propinquitate major eſſet illis ad nocendum hominibus opportunitas, atque facilitas. Quamquàm autem ab ipſo initio apoſtaſiæ ſuæ detrudi eos in ignem gehennalem non ignoraret creator eſſe juſtiſſimum, conveniens tamen judicavit, ut & cum hominibus ſuæ perverſitatis imitatoribus, atque ſequacibus in extremo, & univerſali judicio damnarentur, & quos conſortes habuiſſent in culpa, conſortes haberent ſimiliter & in futuræ damnationis pœna.

Tres ſunt cauſæ limitationis dæmonũ.

CAPUT LXXI.

Quod in homine vis motiva ſive imperativa, quæ aliàs dicitur voluntas incompleta, & diminuta eſt, ſicut in angelis, & quomodo diverſimodè animæ, & angeli movent corpora.

REvertar igitur ad id, in quo eram, videlicet, ut magis clarere tibi faciam, qua, vel cujuſmodi virtute, corpora, quæ movent hujuſmodi ſubſtantiæ, moveant. Dico igitur; quoniàm cùm nec alias vires ad operandum habeant, quàm intellectivam & imperativam, quæ eſt voluntas, inſtrumenta verò motiva nulla eas habere apud ſemetipſas, vel in ſemetipſis jam patefactum ſit tibi, manifeſtum eſt non niſi intelligendo, & volendo, quod eſt dicere, imperando. Cùm autem diligentiùs conſideraveris vim motivam, & intendo vim imperativam motus, quæ eſt in anima humana, invenies incompletam, & diminutam valdè, & hujus indicium manifeſtum eſt indigentia manifeſta tot organorum, ſeu inſtrumentorum, quibus indiget ad perficiendum motum vel corporis ſui, vel cujuſcunque alterius. Quia igitur imperfectum imperfecto ſuo ordine naturæ neceſſe eſſe priùs, ſimiliter completum diminuto, & ſufficiens indigente, neceſſe eſt virtutem motivam perfectam, ſive completam abſque diminutione, & indigentia hujuſmodi in ſpiritualibus ſubſtantiis naturaliter inveniri, & hæc eſt virtus, cujus inquiſitionem intendo. Quòd ſi dixerit, quia virtutis iſtius tanta completio, ſive perfectio ſingularis eſt perfectionis, & gloriæ creatoris, videtur homo hujuſmodi nullam ſpiritualem ſubſtantiam credere eſſe inter ipſum, & animas noſtras, hoc autem jam remotum eſt tibi per ea, quæ præceſſerunt. Ampliùs. Cùm ex narrationibus hiſtoricis, atque propheticis manifeſtum ſit hujuſmodi ſubſtantias & civitates ſubvertiſſe, & alia non pauca ſimilia feciſſe, manifeſtum eſt eas virtutem hujuſmodi habuiſſe; ſi verò dixerit, quia hujuſmodi perfectio non fuit innata, ſive naturalis, ſed potiùs de novo data, cùm ad hujuſmodi facienda creator illas miſit, dico quia & hoc vanè dicitur: eodem quippe modo dicere poſſet & de virtute intellectiva. Ampliùs. Cùm nulla virtus naturaliter fruſtra ſit, vis autem imperativa motus, ſive volunras, qua velle poteſt unaquæque ſubſtantiarum motũ in hujuſmodi corporibus, cùm & plerumque utilis, & ſæpiſſimè ad gloriam creatoris inveniatur, fruſtra virtus hujuſmodi eſſet indita ſubſtantiis iſtis, ſi prohibitæ eſſent à perfectione cujuſcunque imperati motus, prohibitæ inquam impoſſibilitate naturali. Ampliùs. Alligatio animarum noſtrarum ad corpora quantùm ad virtutem hujuſmodi motivam eſt ſupplens indigentiam ipſius, & adjuvans infirmitatem ipſius per ea ad hoc, ut compleatur ejus imperium de motu, ſive perfectione ipſius: & ex hoc, ut prædixi, apparet ejus in parte iſta imbecillitas. Manifeſtum autem eſt tibi, quia ſubſtantiæ ſpirituales, quantò alligatiores ſunt corporibus, tantò imbecilliores, atque diminutiores, ſunt virtutes earum imperativæ, vel executivæ motus. Propter imperfectionem enim iſtam, & diminutionem alligantur eis & aptantur membra, & alia, quæ ſunt organa motus corporalis, & ob hanc cauſam anima vegetabilis paucioribus motibus movet plantam, quàm anima brutalis corpus animalis irrationabilis. Anima verò rationalis potentior eſt, & imperioſior naturaliter, quàm anima cujuſcunque inferioris animalis irrationalis in corpus proprium: impedita autem eſt virtus ejus motiva per corruptionem originalem, quemadmodùm & ipſum corpus paſſionibus innumeris, & morti factum eſt obnoxium, [illegible] eandem corruptionem.

Quod voluntas in angelis perfecta eſt, & in animabus noſtris imperfecta. & propter hoc alligata ſunt corporibus.

CAPUT LXXII.

De celeritate motuum ab animabus animalium.

QUòd ſi quærat, an anima humana potentior eſſet in motus proprii corporis, quàm animæ volatilium, & intendo, an poſſet in motum volatus, vel æquè nobilem, aut velocem, antequàm impedimentum iſtius corruptionis haberet: Reſpondeo, quia veriſimile eſt, quòd ſic; nulla enim difficultate prohibebatur movere corpus ſuum eo tempore, nec ipſum corpus tarditate aliqua, vel gravitate reſiſtere poterat tunc imperio illius, cùm eſſet ei jure naturali ſubditiſſimum, & obedientiſſimum, atque ab omnibus paſſionibus, quibus nunc premitur, & aggravatur, immune, atque liberum; quare ſi eo tempore imperaret ei curſum, vel volatum, velocius abſque ulla rebellione, & reſiſtentia, hujuſmodi imperium adimpleret: nec dubitari debet etiam de animabus irrationabilibus, quin quædam earum fortioris imperioſitatis ſint ſuper corpora ſua quibuſdam aliis, ſicut hirundines, & alia volatilia greſſibilibus, & naturalia ſerpentibus. Quis enim non videat climacas, & vermes longè debilioris eſſe imperii in corpora ſua, quantùm ad motum, quàm canes, aut tigrides, aut aſpiolos? ſcito tamen imperioſitatem iſtam limitatam eſſe,

Digitized by Google

ut non ſit velocitas motus eorum pro deſiderio ipſorum, alioquin nec lepus velocitate motus canem unquàm effugeret inſequentem, nec perdix accipitrem, & ad hunc modum ſe habet de multis aliis. Juxta hunc modum videntur ſe habere & animæ cœlorum, ſi tamen animati ſunt, ſicut opinati ſunt Plato, & Ariſtoteles & ſequaces eorum in hoc; ſemper enim fortiſſimum eſſe videtur imperium earum in corpora cœlorum, ubi & tam veloces ſunt, tam forteſque motus, atque continui. & æquales, & quos nec ſequitur, nec comitatur laſſitudo, vel fatigatio, ſed nec retardatio ſecundùm intentionem, vel opinionem meam: quod enim de ſtatu & retrogradatione planetarum, & de motibus in ante, & retro, capitum arietis, & libræ, multi ex aſtrologis æſtimaſſe videntur, nullo modorum eſt ex contrarietate, vel reſiſtentia, quæ apud cœlos, vel alia cœleſtia corpora ſint, ſed vel ad ſenſum ita apparet, quemadmodùm de motu octavæ ſphæræ, atque motibus planetarum declaraſſe ſibi viſus eſt Alphraganus in libro ſuo ſingulari de his, vel quemadmodùm dixit Ptolemæus, multa corpora ſunt in regionibus cœleſtibus, quæ ſicut non apparent nobis, ita & motus eorum ignoramus. Adjuvaberis autem non parùm ad æſtimandum de his, ſi diverſitates apparitionum veneris, & mercurii, & cauſas earum, atque intricationes circulorum ipſorum, diſtantiaſque centrorum, & poſitionem plenè, ac dilucidè cognoveris.

CAPUT LXXIII.

Quod quanto minùs animæ alligatæ ſunt corporibus, tanto fortiorem habent vim imperativam, & de modo, quo ſubſtantiæ ſpirituales movent corpora etiam ingentia.

REvertar igitur poſt hoc ad id in quo eram, & dico, quia ſicut paucitas alligationis ſpiritualium ſubſtantiarum ad corpora auget virtutem motivam in eis, ſive fortificat; ſic perfecta abſolutio, & libertas ab eiſdem, & illas liberat, & abſolvit, & in complemento congruentis ſibi fortitudinis conſtituit. Cujus indicium evidentiſſimum eſt virtus omnipotentiſſima creatoris. Quæ ſicut eſt in ultimitate libertatis, & elongationis à corporibus, ita eſt & in ultimitate imperioſitatis, & fortitudinis ſuper motus eorum Separatio igitur, & libertas naturalis à corporibus nullo modorum impedit, aut retardat potentiam ſubſtantiarum hujuſmodi, nec prohibet apud eas eſſe potentiam, ſeu virtutem motivam corporum nec prohibet eam eſſe apud hujuſmodi ſubſtantias Alioquin cùm maxima ſit hujuſmodi libertas, & ſeparatio apud creatorem, maximè prohiberet illum ab hujuſmodi potentia, vel virtute. Quapropter in ultimitate elongationis eſſet creator elongatus ab ea, & in ultimitate prohibitionis prohibitus ab eadem; eſſet igitur non ſolùm impotens movere quæcunque corpora, ſed & impotentiſſimus ad id ipſum. Fortaſſis autem virtus hæc in omnibus aliis ſpiritualibus ſubſtantiis limitata eſt etiam ſecundùm notam longitudinem: quemadmodùm virtus lapidis magnetis in attrahendo, & repellendo, ad ſe, & à ſe ferrum; non enim attrahit ipſum à longè per miliare unum, nec repellit illud à ſe per longitudinem miliaris, quapropter conſequens eſt, ut ſubſtantiæ hujuſmodi, quæ in Alexandria ſunt, non poſſint movere corpora, quæ in Babilone ſunt, aut econverſò, niſi appropinquaverint ad ea, & aliquo modo adhærentiæ, vel conjunctionis eiſdem, vel adhæreant, vel jun-

E gantur. Et manifeſtum eſt in animali, quod torpedo vocatur, quia torpidum efficit membrum tangentis, quod utique non efficit niſi tangat membrum illud, vel inſtrumentum, quo tangitur, & hoc ſolummodò quandiu inſtrumentum illud tenetur, vel tangitur à tenente ipſum, & intendo quia quandiu tenet manu virgam, vel baculum quis, quo, vel qua, tangit torpedinem, tandin torpet manus ejuſdem, nec refert, quantùm ad operationem hujuſmodi, quàm longa, vel brevis ſit virga, qua tangitur. Simile ex parte aliqua eſt illud, quod accidit ex adhærentia, qua ſibi invicem adhærent acus, cùm prima earum tetigerit magnetem, vel adamantem, quod inde indubitanter eſt, quia ſecunda ſentit in prima virtutem lapidis illius, & tertia in ſecunda, & quarta in tertia, & ad hunc modum de aliis; fortaſſis autem minuitur, & debilitatur virtus hæc, qua transfundi videtur F in acus ſic ordinatas per elongationem ab ipſo lapide, donec omninò deficiat. Notæ quippe longitudinis eſſe videtur operatio hujus virtutis per omnem modum: ſicut igitur anima antedicti animalis, hoc eſt, torpedinis in membro fortiſſimi, ac velociſſimi motus, operatur contrarium ejus, hoc eſt, immobilitatem corporis, & hoc ſolo imperio, vel deſiderio, quomodò improbabile hoc videnti videri poteſt, ut ſubſtantiæ tam nobiles incomparabiliter fortius operentur motus fortiſſimos, ac nobiliſſimos in corpora antedicta ſi echeneidis anima ſimiliter ſolo imperio, vel deſiderio, retinet navem ingentiſſimam, quantocunque ventorum impetu per mare currentem, quomodò non potiùs veriſimile eſt ſubſtantias hujuſmodi motus fortiſſimos, ac velociſſimos, ſolo deſiderio, vel imperio, in antedicta corpora operari, ſolo imperio, vel deſiderio dico, quoniàm neque torpedo, neque echeneis inſtrumentum ad hoc vel adhibent, vel movent, propter perficiendas hujuſmodi operationes. Quare in G animabus earum ſunt principia, & virtutes, ex quibus exeunt hujuſmodi operationes abſque ullo corporis, vel inſtrumenti alterius adjumento, niſi fortè quis dicat, quia hujuſmodi animalia per corpora ſua ſentiunt attactum, vel læſionem à tangentibus, vel navibus, quæ ſuper ea feruntur, ex quibus commotæ ſive ad iram, ſive ad aliam paſſionem, operantur per hujuſmodi paſſiones antedictas operationes. quemadmodùm dixi tibi de baſiliſco, quòd per iram vehementiſſimam, qua exardeſcit in hominem, quem intuetur, interficit illum; quòd ſi præviſus ab eodem homine fuerit, non nocet eidem viſu ſuo. Veriſimile enim eſt aliquid poſſe naturam manſuetiſſimam in animalibus, & hæc eſt humana, naturaliter inquam, aliquid poſſe ad compeſcendam, vel temperandam tantam ſævitiam baſiliſci, cùm ejus ſævitia tantum poſſit in humanam naturam. Hoc autem me dicere ſcito ſecunH dùm opinionem, & æſtimationem. Debes etiam ſcire cum his, quæ præceſſerunt in hoc capitulo, quòd quemadmodùm ſubſtantiæ iſtæ, naturaliter nobiles animas noſtras non movent, niſi cum eis appropinquaverint quoquo modo, & eiſdem ſe conjunxerint, vel adhæſerint. movent inquam motibus ſpiritualibus, quæ ſunt illuminationes, & revelationes, & aliæ vexationes; ſic nec motibus corporalibus movent corpora, niſi aliquo modo appropinquaverint eis, aut ſe illis adjunxerint. Conjunctio autem hujuſmodi, ſicut alibi didiciſti, nec continuatio, nec contiguatio eſt, nec alia conjunctio corporalis, cùm ipſæ ſint impartibiles: corpora verò partibilia ſint in infinitum, nec mirum eſt ſi igni gehennali, qui utique corpus eſt, ſubjiciendæ ſint in futuro judicio ad tormentum, & ignominiam, ita ut

ita ut ab ipſo torqueantur ex ordine divinæ juſtitiæ, (A) quæ tanta gloria naturaliter, & illi, & aliis corporibus ſuppoſitæ fuerant ex ordine bonitatis divinæ. Adjuvaris autem exemplo hoc ad æſtimandum de re tam ardua, tamque à conſuetudine noſtra remota, cùm edoctus ſis ex libris propheticis; maximè autem ex lege, & doctrina Chriſtianorum, ignem antedictum operaturum eſſe paſſiones, & dolores ſpirituales in quaſdam ex hujuſmodi ſubſtantiis. Ampliùs. Conſidera in leone vim imperativam motus, quo abrumpit à tauro, vel bove fortiſſimo, totam coxam ipſius, quod quatuor boves vix facere ſufficerent, & apparebit tibi hujuſmodi abruptionem fieri per fortitudinem virtutis imperativæ, quæ vel eſt ira ipſa vehemens leonis, vel ardens appetitus, ſive fames ejuſdem; non enim fortiores nervos habere videtur leo, quàm taurus, vel bos.

Quod fortitudine imperante leones, & frenetici mirabilia operantur

Quod igitur nervi taurini, ſive bovini cedunt leoninis, debetur fortitudini imperativæ virtutis, (B) quam dixi, fiet quoque fortitudo hujuſmodi virtutis tibi manifeſtior, cùm conſideraveris eam, & ejus operationes in furioſis, & arreptitiis, & melancholicis. Manifeſtum enim eſt freneticos longè fortiores eſſe in ipſo furore ſuo frenetico, quàm priùs eſſent in ſanitate ſua, & hoc declaratur ex vinculis fortiſſimis, quæ tunc dirumpunt, quæ cùm ſani erant, dirumpere non valebant, ſimiliter ex eo, quòd tanta difficultate ligantur, qui ante furorem freneticum longè minus difficilè ligarentur; cùm igitur corpora eorum per hujuſmodi morbum nullo modorum fortiora effecta ſint, apparet evidenter iſtas, ut ita dicatur, fortitudines provenire freneticis, & aliis inſanientibus, à parte animarum per vehementiam, ſcilicet hujuſmodi paſſionum. Videbis enim melancholicos tota die abſque quiete, & laſſitudine, obambulantes quod nullo modorum ſanati facere ſufficiunt. Hæc igitur omnia aggregata conſideratione confer apud temetipſum, (C) & fiet tibi lucidum de vehementia virtutum imperativarum influere fortitudines obedientiarum, ſive executionum motus, de vehementia, quam virtuti imperativæ ſuperaddunt hujuſmodi paſſiones. Ampliùs. Si ſubſtantiæ hujuſmodi ſolam haberent virtutem imperativam motuum antedictorum, vel haberent in ſemetipſis executivam hujuſmodi imperii, aut extra ſe, aut nec hîc, nec ibi. Quòd ſi nec hîc, nec ibi, fruſtra igitur, & vanè haberent imperativam, imperium enim omne, cujus naturaliter nulla eſt executio, fruſtra tantùm, & vanè fit naturaliter. Manifeſtum autem eſt impoſſibile eſſe, ut aliquid fruſtra, & vanè, naturaliter fiat, multò autem fortiùs impoſſibile eſt virtutem aliquam naturalem naturali impoſſibilitate prohibitam eſſe ab actu ſuo naturali. Quare impoſſibile naturaliter eſt ſubſtantias hujuſmodi motus, de quibus agitur, (D) imperare, vel virtutem imperativam illorum habere, & propter hoc, cùm virtus hæc imperativa motuum non ſit, niſi voluntas, nec imperare eos ſit; niſi velle eos, vel velle, ut fiant, impoſſibile eſt eas & habere virtutem volendi hujuſmodi motus; & ipſas velle eoſdem; quia igitur manifeſtum eſt ipſas efficere hujuſmodi motus, manifeſtum inquam à ſenſibus, & experientiis innumeris, neceſſe eſt ut illos efficiant vel caſu, vel violentia aliena, cùm voluntas propria apud eas locum non habeat in parte ſua, ſed nec etiam per hanc viam effugeret, ſi quis hoc diceret; quoniàm eadem remanet quæſtio de modo efficiendi motus iſtos, & etiam difficilior efficitur; cùm nec vis imperativa motus, nec etiam executiva, vel inſtrumenta hujuſmodi executionis eis ponantur ſecundùm deliramentum iſtud. Ex omnibus his igitur, quæ præceſſerunt in capitulo iſto, cùm eadem aggregaveris, & ordinaveris, & ſtudioſè conſideraveris, colliges evidenter ſolo intellectu, vel imaginatione, & imperio ſubſtantias hujuſmodi efficere motus iſtos, cùm apud eas nihil aliud eſſe manifeſtum ſit, quod motus hujuſmodi vel efficiat, vel adjuvet, ut fiant, quoniàm etiamſi corpora haberent aërea, ut nonnullis viſum eſt, corporibus talibus, hoc eſt, aëreis, non poſſent movere ſaxa ingentia, aut domos, cùm hujuſmodi corpora debiliſſima ſint, & duris corporibus naturaliter cedentia, ſeu ceſſibilia, præſertim in ea magnitudine, in qua neceſſe habent ponere, qui hoc dicunt; non enim ponunt magnas hujuſmodi ſubſtantias ad æqualitatem montium, vel elephantum: hoc autem dico, quia aër, quemadmodùm ventus, non eſt prohibitus in aliqua magnitudine ſua vel montem, vel domum evertere, vel à loco ſuo transferre; modicus autem aër non eſt potens in hoc, niſi fortè, cùm fuerit vehementer incluſus, quemadmodùm accidit in vinis, quæ in vaſis fortiſſimè ferratis, ſeu religatis diligentiſſima, ac fortiſſima obturatione obſtruuntur, & forſitàn poſſet accidere hujuſmodi concuſſio, & abruptio in terræ motu, præſertim ſi pars terræ ſuperior argilloſa eſſet, ac butiminoſa, & vehementer prohibens incluſi vaporis exhalationem.

Nota.

CAPUT LXXIV.

De hoc ipſo per exemplum virtutis motivæ corporum inanimatorum.

Quod inclinationes à loco proprie videntur eſſe quidam ſenſus.

Cum iſtis autem, quæ hîc præmiſi tibi, debes reminiſci ſermonis Ariſt. quo dixit in unoquoque natura mobilium ipſam virtutem motivam, ſive inclinativam in plagam, quaſi eſſe vitam ipſius mobilis, & potuiſſet ſecundùm intentionem ſuam hanc dixiſſe eſſe quaſi ſenſum quendam: ſic enim fugiunt ponderoſa ex alto, ſive ſublimi, quaſi ſentiant ipſum ſibi innaturale, & noxium, ſic requieſcunt in imo, & adhærent eidem, quaſi in naturali, & proprio loco, & quaſi nutritivo, aut conſervativo ipſorum. Juxta modum iſtum currit ferrum ad adamantem, & adhæret eidem, nec ſolùm illi, ſed etiam tangenti illum, & inſuper juxta modum, quem dixi de acubus; non ſolùm enim amicum, ut ita dicatur, adamantem, ſive magnetem, ferrum ſibi ſentire videtur, ſed quemadmodùm apud nos eſt, ut amicus amico etiam amanti amicum amicus ſit: ſic non ſolùm magnetem ferrum amare videtur, quod ei amore ſenſerit adhærere, ſed & deinde adhærens adhærenti; ſicut vides de his, qui mutua ſibi invicem amicitia cohæſerint. Quòd ſi hujuſmodi quaſi ſenſus quidam; & abſque ulla, ut videtur, paſſione, invenitur in corporibus antedictis; quantò fortiùs in ſubſtantiis antedictis nobilior, paſſionibuſque longè minus indigens inveniri debet in iſtis ſubſtantiis.

Quod ſenſibilia non imprimunt formas intelligibiles in intellectu, niſi excitativè, ſed intellectus format eas in ſemetipſo ex ſe ipſo.

Ampliùs. Manifeſtum eſt intueri volentibus araneas in latibulis, quæ ſibi ad hoc contexuerunt, caſus muſcarum in telas ſuas deprehendere, & hoc leviſſimo unius fili motu, ſive concuſſione. Motus verò hujuſmodi non videtur, cùm & unus, & unum ſit, ſignare totam iſtam rationem, videlicet muſcam aliquam in telam hujuſmodi cecidiſſe, ſed potiùs; quaſi commotionem facere, ſeu excitare ipſam araneam, illa verò ſic excitata ex lumine, quod apud ipſam eſt, rationem hujuſmodi apprehendere; & ſenſit hoc idem de vi intellectiva noſtra unus ex nobilioribus ſapientibus Chriſtianorum, dicens in ſermone ſuo, quia paſſionibus ſenſuum, quaſi pulſatur, ſeu excitatur intel-

Digitized by Google

lectus, ipſe verò per ſemetipſum, & in ſemetipſo E format ſibi formas intelligibiles, & rationes intellectuales; & in hoc concordare videtur Ariſtoteles, ubi dicit, quia intellectus non patitur à formis materialibus, ſeu corporalibus, quemadmodùm ſenſus, intelligentes enim calidum non caleſimus, & tamen ſentientes calidum caleſimus. Jam igitur per ea, quæ præceſſerunt, nec impoſſibile, nec mirum tibi videri debet, à rebus ſenſibilibus, præter paſſiones, & impreſſiones, occaſionaliter, quemadmodùm dixi, fieri, ſeu generari novas cognitiones, ſeu apprehenſiones in ſubſtantiis abſtractis ſpiritualibus, & quoniàm occaſiones iſtæ, ſive pulſationes, ſive excitationes, non fiunt niſi ſecundùm notam longitudinem. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm formæ ſenſibiles finitæ ſunt per omnem modum, & propter hoc operationes earum omnes nota tantùm longitudine extenduntur, ſicut dixi tibi de operationibus, quæ ſunt inter ferrum & magnetem, atque adamantem.

CAPUT LXXV.

Quòd ſicut in animalibus ex variis occaſionibus generantur novæ ſcientiæ, ita multò magis in angelis.

QUòd ſi quis quæſierit de iſtis ſive pulſationibus, ſive excitationibus, utrùm paſſiones ſenſibiles, ſive materiales ſint, eodem modo & quærere poteſt, utrùm per contactum fiant, quemadmodùm corpora naturalia naturaliter ab invicem patiuntur; cùm autem duriſſima corpora ſint, & ferrum, & adamas, difficilliméque patientia, non videtur ullo modorum alterum ab altero quantùm ad hoc quicquam pati. Ampliùs Cujuſmodi paſſio eſſet, quam alterum ab altero reciperet? ſenſi- G bilis enim nullo modorum eſſe videtur, cùm nullo ſenſu apprehenſibilis ſit, intelligibilis verò cujuſmodi eſſe poſſet? Eſt igitur apprehenſio, quam dixi araneæ ſuper caſu, ſeu captione, muſcæ occaſionaliter ex motu ſeu concuſſione fili in tela ipſius, effectivè verò, ſive efficienter, eſt ex innato lumine, ſive ex arte, ſive artificio naturaliter indito ipſi, vel per modum, quo procedere vides ex theſauro memoriæ reminiſcentias, & recordationes in effectu, ſimiliter ex habitibus ſcientiarum, & virtutum, atque vitiorum cogitationes, & paſſiones, leviſſimis excitationibus rerum obviantium, quemadmodùm ſe habet in exemplo, quod de ſolertia poſuit Ariſtoteles, videlicet de eo, qui videt aliquem loquentem cum cambitore, ſive campſore, & ex hoc viſo incidit ei opinio, quòd velit ab illo mutuari pecuniam, dat igitur occaſionem iſte aſpectus H ſolertiæ, ut ex ea exeat iſta cogitatio, ſive ſuſpicio. Manifeſtum autem eſt aſpectum hujuſmodi nullo modorum per ſe cauſam poſſe eſſe hujuſmodi opinionis, ſive ſuſpicionis, dubium verò non eſt, quin aliqua occaſio ſit, & quin aliquod adminiculum præſtet generationi illius, ſolertia verò per ſe cauſa eſt generationis illius, & ex ea exit tanquàm inundatio, vel rivus ex proprio fonte. Quòd ſi in nobis per adeò exiguas, & exiles occaſiones, ſive excitationes generantur novæ ſcientiæ particulares, ſive opiniones, aut alterius modi apprehenſiones, quantò longè minoribus in ſubſtantiis abſtractis hoc fieri poſſibile eſt? Præſertim cùm incomparabiliter promptiores, & expeditiores ſint ad omnes cogitatus, & apprehenſiones, quàm animæ noſtræ; ſicut apparere tibi poteſt in ipſo exemplo ſolertiæ, qui quantò fortior, & major eſt, tantò facilius, & expeditius, ac per modum omnem occaſione minori ab ea exeunt ſolertes cogitationes, & cogitatus.

Quòd apprehenſio araneæ de captione muſcæ eſt à motu fili in tela ipſius occaſionaliter & effectivè à lumine ſibi innato.

Quapropter neceſſe eſt minoribus adminiculis rerum exteriorum particularium incomparabiliter facilius excitari ad hæc, quæ dixi, iſtas ſubſtantias, quàm animas noſtras, neceſſe inſuper eſt adminicula, quæ præſtantur animabus noſtris per paſſiones, quæ fiunt in organis ſenſuum noſtrorum, ſuppleat perfectio virtutis intellectivæ, & etiam imperativæ in ſubſtantiis, de quibus agitur: non enim poſſibile eſt, ut perfectio ſoporet eis ſolertiam, vel alium nobilem habitum, aut ut faciat ipſum inexcitabilem, & inadjuvabilem, cùm, ſicut dixi, & manifeſtiſſimum eſt tibi, quantò major, ac perfectior fuerit, tantò facilius excitabilis, atque adjuvabilis, per hunc modum ſit, nec propter hoc paſſibiles dici conſueverunt ſubſtantiæ, videlicet ſpirituales, quia tam levibus occaſionibus excitabiles ſunt ad operationes ſuas ſpirituales, quemadmodùm neque Ariſt. intellectum voluit eſſe paſſibilem à formis materialibus, licet per eas exciterur paſ- F ſionibus, quas imprimunt in organa ſenſuum, & eſt longè alter modus agendi, & patiendi, & hujuſmodi excitationes, actiones, aut paſſiones, dicendæ ſunt alio modo, quàm audiveris in naturalibus de actionibus, & paſſionibus corporum invicem naturaliter agentium, & ab invicem patientium; quòd ſi reminiſci velis exemplorum, quæ in præcedentibus poſui tibi, videlicet de ſenſu naturæ, quo canis inveſtigat, & deprehendit latronem, & de aliis hujuſmodi, quæ multùm aſſimilantur propheticis ſplendoribus, videbis non ex conſuetis paſſionibus organorum ſenſibilium iſta fieri, ſicut prædixi, ſed leviſſimis penè occaſionibus. Quòd ſi quis dixerit, quia & latro, & meretrix, & omnia alia, quæ vehementer inimica ſunt naturæ humanæ, non poſſunt eſſe alicubi, etiam ad modicum, quin relinquant ſigna aliqua, vel impreſſiones malitiæ ſuæ, & per hæc ſigna, ſcilicet ſenſus naturæ deprehendit hujuſmodi noxia, & inimica illi, non videtur mihi hoc improbabile. Præſertim cùm de multùm bonis, & naturæ humanæ amicis relinqui manifeſtum ſit indicia exiſtentiæ ſuæ, ſive præſentiæ in locis, in quibus fuerint: quemadmodùm de præſentia ſanctorum, ac beatiſſimorum angelorum, interdùm fulgor, interdùm fragrantia, ſive odor ſuavitatis, interdùm etiam ſanctitas, & reverentia quædam, ſeu venerabilitas in locis, in quibus apparent, & relinquitur, & ſentitur: ſic ex præſentia malignorum ſpirituum loca horrifica, & fœtida. Ipſi etiam, qui vel ad modicum appropinquaverunt eis in maleficis operibus, horrore aſpectus, ſive vultus, ab eis perpetuò horribiles relinquuntur; multò autem ampliùs, ſi ab eis aliquandò vel vexati fuerint, vel arrepti; ſi autem tam evidentia ſigna, & ſenſibilia, ex utraque præſentia relinquuntur, hoc eſt amicorum, & inimicorum naturæ, quid mirum, ſi minima, & inſenſibilia ab eis in locis, in quibus fuerint, imprimuntur? Manifeſtum enim eſt minores, & leviores impreſſiones tantò facilius, & levius imprimi, quàm majores, & ſenſibiliores, quantò eiſdem leviores fuerint, ac minores; ſicut calefactio tantò facilius imprimitur, quàm arſio, quantò minorem eam eſſe illa manifeſtum eſt. Juxta quem modum tugurium palatio tantò levius ædificabile eſt, atque facilius, quantò & materia leviori indiget, artificioque minori, nec propter hoc minus aut imprimitur, aut relinquitur, quia nobis non apparent, aut à nobis non ſentiuntur, cùm innumerabilia ſint opera naturæ, in quibus præ parvitate, ac ſubtilitate, & ſenſu deficimus, & intellectu: quis enim pedes ſutrionis, & inteſtina, dignoſcat, atque dinumeret? Forſitan autem & poſſibile eſt, ut ipſa natura

Quòd meretrix & alia inimica naturæ relinquunt ſigna aliqua in locis in quibus fuerunt, per quæ cognoſcitur, quòd ibi fuerint.

Digitized by Google

natura locorum aliquid turbationis aut læſionis patiatur ex attactu, ſeu præſentia tam noxiorum, tamque inimicorum ſibi, cùm experimentis plurimis manifeſtum factum ſit ſpecula terſiſſima rubiginari ex inſpectu mulieris menſtruatæ; mortuoſque ipſos, atque ſepulchra eorum propter ipſam mortem terrifica fieri, & horrenda: quemadmodùm autem dictum eſt tibi in præcedentibus, quia corpora humana electorum Dei ex magnificentia, & largitate creatoris, cùm nunc & mortalia, & paſſibilia ſint, innumeriſque læſionibus obnoxia, futura tamen ſunt immortalia, ab omnique noxia paſſione, & læſione libertima, ſic ex ordine divinæ juſtitiæ factum eſſe, ut malignorum ſpirituum ſubſtantiæ, quæ naturaliter à corporibus illæſibiles erant, & impaſſibiles, nunc læſibiles eſſe, atque paſſibiles veriſimile eſt: quemadmodùm & in corporibus noſtris ſimile aliquid factum eſſe jam alibi tibi per me declaratum eſt, ut cùm eſſent ab initio ſuæ conſtitutionis in primis hominibus immortalia, & illæſibilia, non quidem fortitudine naturæ, ſed protectione divinæ juſtitiæ, quæ non permittebat, ut pœna culpam præcederet, & apud quem ſemper injuſtum fuit, ut vel morte, vel læſione quacunque affligerentur, qui peccati culpam non haberent, nunc ex ejuſdem juſtitiæ rectitudine propter præcedentium peccatorum culpam, & morti & aliis læſionibus, manifeſtum eſt ea eſſe obnoxia, ſicut & primorum hominum corpora, poſtquàm morti, & aliis læſionibus ſint addicta. Intende igitur in hæc omnia, & attende, quia ſicut diximus, ex attactu ferri ad adamantem, ſive ad magnetem, relinquitur aliquod veſtigium, propter quod & aliud ferrum illi adhæret, & tertium ſecundo, ſicut præaudiviſti. Juxta hunc modum poteris negociari circa divinationem, quæ imponitur vulturibus, de qua & dixi tibi Non enim poſſunt prævidere imminentem ſtragem hominum, ſive multitudinem cadaverum occidendorum hominum, aut equorum, niſi altero duorum modorum, quos dicam tibi, videlicet aut in ipſo innato ſibi lumine juxta modos, quos priùs audiviſti, aut aliquo ſigno forinſeco excitati in aëre, vel in alia parte mundi inferioris, impreſſo. In magnis enim eventibus fieri conſuevit, ut ſigna aliqua eos præcedant, ſicut ſæpe audiviſti de apparitionibus ſtellarum, quæ comatæ vel cometæ dicuntur, & ſolent fieri in mutationibus regnorum, ſimiliter & in partubus, ſeu in fœtibus monſtruoſis, atque prodigioſis, quales ſunt partus mularum, & hominum, ſive aliorum animalium, duo capita, aut aliam monſtruoſitatem habentium. Sic apparuerunt nonnunquàm & dracones ignei volantes per aëra imminente dejectione alicujus regis de regno ſuo per alium, ſive ab alio; ſic & gladii ignei apparuerunt in aëre imminente ſtrage hominum ſub aëre illo habitantium Eodem modo ſe habet & de aliis terroribus manifeſtis. Etirius verò qui prævidit in urbe Conſtantinopolitana ventum magnum futurum, atque fortiſſimum, non prævidit hoc in aliquo ſigno ſenſibili, aut aliter nobis deprehenſibili Quemadmodùm enim canis olfactu aliquid deprehendit de odorabilibus, in quod non poteſt olfactus noſter, & lynx aliquid viſu ſuo, quod non eſt apprehenſibile noſtro, ſimiliter ſe habere non dubites, & de occultis ſignis multis rerum futurarum, multa apprehenſibilia eſſe aliqualibus animalibus, quæ nobis non ſunt, ſicut apparet in cane leporario, & exploratore perdicum, qui præſentit tam lepores, quàm perdices, quod non poſſunt exercitatiſſimi, vel aucupes, vel venatores.

Quòd malignorum ſpirituum ſubſtantiæ quæ illæſibiles creatæ fuerunt à corporalibus, nũc læſibiles ſunt ab eis.

Quibus modis vultures præſentiunt imminentem ſtragem hominum, vel equorum.

Quod magni eventus præcedunt aliqua ſigna.

CAPUT LXXVI.

Quòd aſtrologia divinativa malè ponit planetas, & alia corpora influere in animas, & in incorporalia.

QUoniàm autem apud aſtronomicos judices, hoc eſt, doctores judiciorum, qui ea extendunt in res particulares, & voluntarias, iſte modus operationis neque novus, neque inopinatus eſt, conveniens eſt, ut adjuveris quantùm poſſibile eſt, contra errorem eorum, ſimiliter, & contra errorem eorum, qui magiſterium imaginum profeſſi ſunt, nec non & exemplis occultarum operationum, & mirabilium, quæque nonnulli medicorum, & etiam quidam philoſophorum naturalium, empirica vocant. Dicunt igitur ſaturnum agere in animas humanas ſcientias magnas, & ſublimes, inſuper etiam interdùm ſplendores propheticos; nec tamen ponunt hujuſmodi actiones ad modum naturalium, videlicet per ſimilitudinem, quemadmodùm illuminationes, quæ ſunt à ſole, aut in aëre, aut in aliis per medium aëra, quod eſt quaſi eructatio, aut effluentia, ſive inundatio quaſi de pleno. Et intendo, tanquàm ſaturnus eſſet luminoſiſſimus luce ſapientiæ divinalis, quemadmodùm ſol luminoſiſſimus eſt luce corporali, atque viſibili, & propter hoc ſicut inundantiſſimus ſol illuminationum corporalium: ſic & ſaturnus inundantiſſimus illuminationum ſpiritualium. Verùm ipſi non ponunt ita, neque artes, aut fontem artium inundantem apud mercurium: & ita ſe habet de aliis planetis, & ſtellis. Et juxta hunc modum de honoribus, & dignitatibus terrenis quarum manifeſtum eſt nullam eſſe apud ſtellas, vel planetas. Quemadmodùm igitur animæ noſtræ ſecundùm opinionem illorum res antedictas recipiunt à non habentibus quicquam earum; ſic adjuvantur iſtæ ſubſtantiæ ſpirituales à non agentibus in eas, & recipiunt, ut ita dicatur, iſtas excitationes, vel occaſiones à non agentibus in ipſas. Quemadmodùm audiviſti in præcedentibus de intellectu, qui cùm nihil patitur à formis materialibus, & ſenſibilibus, per occaſionem tamen alienæ paſſionis, ſcilicet quæ fit in aliquo ex organis ſenſuum, exeunt ab ipſo novi cogitatus, aut novæ etiam paſſiones; ſic in hujuſmodi ſubſtantiis ſecundùm hujuſmodi homines ſe habet: & quod dico, à non agentibus, intendo ſecundùm modum agendi naturalem, qui eſt ſecundùm duos modos, videlicet interdùm ſecundùm victoriam alterius contrariorum ſuper alterum, & iſte modus non habet hîc locum, ſicut tu vides evidenter: ſecundus modus eſt per ſimilitudinem, ſive aſſimilationem, qua agens aſſimilat ſibi patiens, imprimens ei ſimilitudinem, per quam agit, ſicut calidum calorem, & lucidum lumen, & ad hunc modum de aliis. Jam autem audiviſti in præcedentibus ex ſermonibus Ariſtotelis, & aliis, quòd intellectus noſter non eſt recipiens à rebus ſenſibilibus, & materialibus ſimilitudines earum. Non enim calefit à calidis intelligens ea, neque intentio judicum aſtronomorum eſt virtutes cœlorum, aut ſtellarum imprimere animabus noſtris ſimilitudines diſpoſitionum ſuarum, atque virtutum; quia neque ſol, quem manifeſtum eſt generare calorem, apud ſe calidus eſt, vel calorem habet. Licet autem in explicandis occaſionibus iſtis, ſive excitationibus, per quas novæ vel cognitiones, vel cogitationes, aut aliæ diſpoſitiones fiunt in ſubſtantiis, de quibus agitur, ita dixerimus, non tamen veriſimile eſt, ut couſque liberæ ſint, & immunes

Quod intellectus, & ſubſtantiæ ſeparatæ excitãtur à non agentibus in ipſos.

ab omni genere paſſionum, ut à rebus ſenſibilibus & particularibus nihil ullo modorum recipere poſſint. Hoc eſt, neque per occaſionem, neque per aliam viam. Aranea quippe, licet dici non poſſet propriè, quòd à muſca per motum telæ ſuæ recipiat æſtimationem, vel imaginationem caſus ipſius muſcæ, aut captionis ejuſdem: fit tamen per occaſionem motus hujuſmodi in ea prædicta imaginatio, vel æſtimatio, cùm manifeſtum ſit ipſam muſcam necdùm viſam, nec alio ſenſu apprehenſam impreſſionem facere non poſſe. Quòd ſi intendere volueris in ipſam unitatem, ſive colligantiam univerſi, atque comparationes, & habitudines occultas, quas habent res corporales ad invicem; ſicut dixi tibi de ferro, & lapide adamante, atque magnete: ſimiliter & rerum ſpiritualium ad invicem, cujus exemplum eſt in animabus noſtris, videbis interdùm duos homines ex unico aſpectu mutuo, ſeu colloquio, ſe invicem diligentes dilectione forti, invenies inſuper & alios duos econtrariò ſtatim, ut ſe invicem viderint, ab invicem diſcedere, & iraſci alterum contra alterum, odioque implacabili alterum in alterum concitari, cùm nulla ſubſit cauſa, vel materia in alterutro hujuſmodi paſſionis, & intendo cauſam, vel materiam in hoc, injuriam, vel offenſam: invenies etiam inter viros, & mulieres ſimiles iras & odia, atque paſſiones horrificas alterius ab altero. Et de hujuſcemodi ſcio me vidiſſe mulierem, quæ in aſpectu, vel præſentia mariti ſui, morbo caduco, vel epileptico arripiebatur. Sic debes conſiderare comparationes, & habitudines ſubſtantiarum ſpiritualium ad res corporales, & corpora, videlicet ut quemadmodùm corpora ligaturam quandam habent ad ſubſtantias ſpirituales, & velut quandam obedientiam, ut ad earum imperium moveantur; ſic & ſpirituales ſubſtantiæ non omni modo ſeorſum ſunt, ſive immunes, aut liberæ à comparationibus, & relationibus, ſive habitudinibus, ad corporales, ut de diſpoſitionibus earum nihil, ut ita dicatur, ſentiant, aut alio modo cognoſcant. Et forſitan quicquid adminiculi præſtat colligatio corporum noſtrorum animabus noſtris ad cognoſcenda ſenſibilia, præſtat ſeparatio à corporibus ſubſtantiis ſeparatis, & intendo, ſeparatio, id eſt, perfectio, qua natæ ſunt non indigere corporibus. Et hujus exemplum eſt in quibuſdam cæcis à nativitate, in quibus vis æſtimativa, vel imaginativa eouſque defectum viſus ſupplevit, ut etiam eſſent in ipſa cæcitate famoſi, ac ſtrenui bellatores. Invenies quoque, quòd debilitatem pedum in claudis ſupplet fortitudo brachiorum, & manuum. Mercurius verò in libro, quem ſcribit de captionibus animalium, & ferarum, narrat Ariſtotelem interrogaſſe eum, qualiter animalia, cùm non audiant, nec intelligant verba illa, quibus docet illa capi, qualiter inclinantur, vel inducuntur ad veniendum, & dandum ſe in manus capere volentium, & hoc eſt dicere, cùm verba hujuſmodi nullo modorum agant in animalia, qualiter per ipſa inducuntur, ut depoſitâ feritate tradant ſe capientibus ad omnem eorum voluntatem: nec ſolvit quæſtionem iſtam Mercurius, nec dicit in ea ſermonem ſufficientem ad declarationem. Dixit enim creatorem inclinare corda animalium ad hujuſmodi verba, quemadmodùm cùm aliquis orat creatorem, ut liberet eum ab inimicis ſuis, illis neſcientibus, neque ullo modorum advertentibus, ipſe mitigat, atque pacificat corda eorum per ſemetipſum. Verùm ſi verba hujuſmodi ad creatorem dirigerentur, & creator ad illa per hoc invocaretur, hoc eſt, ad danda animalia in manus capientium, tunc forſitan iſtud poſſibile eſſet, ſi tamen & ipſi ſic invocantes digni eſſent, quibus bonitas creator hoc præſtare deberet. Addo

E etiam, quia ſi per invocationem creatoris captio animalium obtineri poſſet, tunc ſupervacuè confectiones, & odores ad hoc adhiberi præcepiſſet. Præſertim cùm illa non velut in ſacrificium ad placandum creatorem, & impetrandam ab eo captionem hujuſmodi præparari præceperit. Manifeſtum igitur eſt tibi ex his & aliis, quæ declarata ſunt tibi per me de virtutibus verborum, & characterum, quia ſi quid habet veritatis doctrina illa Mercurii, non eſt niſi per modum, quem dixi tibi in capitulo illo. Et hic eſt modus, ſicut ibidem declaravi tibi, per quem fit incantatio ſerpentum. Nec mirum tibi videri debet, ſi ſpirituales ſubſtantiæ, quæ multam habent ſimilitudinem, quantùm quidem decet, & poſſibile eſt, ad nobilitatem creatoris, in operando magnifica, & mirifica, & etiam in modo operandi, quod eſt intelligendo, ſive docendo ſpiritualiter, & volendo, ei utcunque aſſimilantur. In tantùm igitur tibi pro parvitate ſcientiæ meæ determinata ſint hæc, donec creator benedictus veritatem ſuper his vel per me, vel per alium, magis & meliùs revelet.

CAPUT LXXVII.

Pralibatio quæſtionum terminandarum in ſequentibus.

Poſt hæc igitur auxilio Dei ſequitur perficere declarationes quæſtionum, quæ reſtant adhuc de ſublimibus ſubſtantiis tam bonis, quàm malis. Et primùm de ubi earum, quod eſt dicere de locis, aut ſedibus, ſive habitaculis, aut habitationibus, deinde de officiis earum, dignitatibus, & gradibus, ſive ordinibus: tertiò de apparitionibus earum, revelationibus, & illuminationibus, cæteriſque operationibus, quas in hominibus, & apud homines operari dicuntur, ubi loquar de religationibus, quas in malignos ſpiritus operantur, ſed & de tormentis, atque de cruciatibus, quos veræ illæ ſubſtantiæ creatorique adhærentes in depravatas, & jam à creatore damnatas operantur; juxta quod continet tam lex, quàm doctrina Hebræorum, & Chriſtianorum. Poſt hæc circa malignos ſpiritus, & differentias eorum, operationes, & illuſiones, apparitioneſque & figuras monſtrificas, in quibus apparere dicuntur, necnon differentias eorum tam in operationibus, quàm in habitaculis prout dare mihi creatoris dignatio fuerit, per vias, quibus aſſuetum me incedere noſti, declarare tentabo.

CAPUT LXXVIII.

Quòd Angeli, qui in ſua naturali bonitate remanſerunt, nobiliorem bonitatem receperunt à creatore, & in aula regia, id eſt ultimo cœlo remanſerunt, & utrùm idem locus futurus ſit habitatio hominum glorificandorum.

Scito igitur in primis, quia doctrina Chriſtianorum eſt eas de hujuſmodi ſubſtantiis, quæ in ſua naturali bonitate perſtiterunt, nobiliorem à creatore bonitatem recepiſſe, & hanc bonitatem, gloriam, ſeu beatitudinem nominant, & in ultimo cœlorum, quod & Paradiſum nominant, & mundum divinum, & regnum cœleſte, & aulam præclaram univerſalis Imperatoris, & Regis Regum, permagnificum, & incogitabilis pulchritudinis palatium, patriam electorum, & Dei dilectorum, & civitatem eorundem, & Dei domum ſpecialem,

Digitized by Google

ſpecialem, electiſſimamque Dei habitationem. Ibi ergo dicunt iſtas beatiſſimas ſubſtantias, atque ſanctiſſimas remanſiſſe, hominesſque glorificandos, & in conſortium earum aſſumendos illuc transferendos poſt futurum univerſale judicium, & inibi collocandos, tanquàm in patria propria, & loco gloriæ ſuæ congruentiſſimo. Cùm autem ponant idem cœlum patriam eſſe, & locum proprium ſubſtantiarum ſpiritualium, atque naturalem, ſive nativum, utpote ubi creatæ ſunt, propter quod & cœligenas eos dicunt, impoſſibile videtur idem locus congruere habitationi hominum, & eſſe debitus, aut proprius eorum, cùm manifeſtum ſit homines etiam glorificatos corporales futuros eſſe ſubſtantias, locus autem ſpiritualis capere non poſſit corporales ſubſtantias, aut econtrariò. Ampliùs. Locus ille aut eſt merè ſpiritualis, aut eſt merè corporalis, aut mixtus. ſive compoſitus ex ambobus. Quod ſi merè ſpiritualis, quomodò igitur congruit ſubſtantiis corporalibus? Similiter ſi merè corporalis, qualiter igitur congruet ſubſtantiis ſpiritualibus? contraria enim ſunt veri nominis, & rationis corporalitas, & ſpiritualitas, & propter hoc ſubjecta eorum naturaliter contraria loca requirunt; ſi verò habet partem ſpiritualem, & partē corporalē, ita ut pars ejus ſpiritualis habitatio ſit ab initio, & etiam in perpetuum ſubſtantiarū ſpiritualium, pars verò corporalis ipſius habitatio ſit futura hominum glorificandorum, non erunt igitur ſimul loco, & habitatione angeli ſancti, & homines glorificandi. Quare cùm illa duo loca non poſſint ſibi invicem eſſe, & è regione, ſpiritualitas verò ſitum non habet, erit igitur alter eorum ſuperior eo modo, quo ſuperioritatem in terra eſſe poſſibile eſt. Quare vel homines erunt ibi loco ſuperiores angelis ſanctis, & habitatione, aut econtrariò. Si autem loco, & habitatione, ergo & dignitate. Ipſi autem ponunt homines glorificandos ſanctis angelis adæquandos. Ampliùs. Cùm non dubitetur apud gentem Chriſtianorum cœlum empyreum locum eſſe corporalem, & omnia continentem, qualiter ponunt ibi ſpirituales ſubſtantias collocatas? Debes igitur ſcire, quia creator omnipotentiſſimus palatium illud nobiliſſimum, ac permagnificum, tantum, ac tale, condidit quantum, & quale vidit decere magnificentiam gloriæ ſuæ, multitudinemque, & varietatem exercitus ſui. Et intendo, quia ejus capacitatis, & amplitudinis ipſum fecit, ut in eodem collocari poſſint ea decentia, & decore, quibus convenit, omnes exercitus militiarum ſuarum, hoc eſt ſanctorum ac beatiſſimorum angelorum, & hominum, & electorum, qui ad ſimilem, & æqualem gloriam illorum aſſumendi ſunt. Quapropter neceſſe eſt ipſum eſſe ejus capacitatis, atque naturæ, qua receptibile ſit, & ſpiritualium ſubſtantiarum, quæ in eodem remanſerunt aliis inde cadentibus, & hominum, qui illuc ad conſortium. & gloriam earum poſt futurum, & univerſale judicium transferendi ſunt. Alioquin valde improvidè, & incircumſpectè, conſtructum eſſet hujuſmodi palatium. Si enim nemo ex regibus terrenis ædificat ſibi palatium, niſi juxta quod prævidet, & prænoſcit decere magnificentiam, & gloriam regni ſui, & juxta quod videt requirere multitudinem, ac varietatem, exercitus ſui, ſive familiæ. quæ inhabitatura eſt cum eo palatium hujuſmodi, quantò magis impoſſibile eſt creatorem in parte iſta non proſpexiſſe in ædificatione palatii ſui & gloriæ ſuæ, & inhabitantium, & inhabitaturorum congruentiæ. Manifeſtum igitur eſt palatium iſtud neque ejus corporalitatis eſſe, qua non patiatur apud ſe inhabitationem ſubſtan-

Quod angeli, & homines, poſſunt, & debeant, eſſe in cœlo, tāquàm in habitatione, & loco proprio.

A tiarum ſpiritualium, neque ejus diſpoſitionis, quæ repellat inhabitationem glorificatorum hominum. Neceſſe igitur eſt, & ipſum naturæ ſpiritualitatis eſſe quàm proximum ſubtilitate, ac nobilitate corporali, ſimiliter & ipſi gloriæ glorificatorum corporum debita convenientiâ concordare & propter hoc utraſque dictas ſubſtantias congruâ receptibilitate in ipſo oportet eſſe locabiles. Declaratio autem hujuſmodi multiplex eſt. Primùm, per ipſam ultimitatem incorporalis altitudinis, & ordinem, ac proportionalitatem, quas in præcedentibus audiviſti; ordo enim altitudinis, & nobilitas in corporibus magnis, & primis, ex quibus mundus corporeus conſtitutus, ſive compoſitus eſt, proportionabiles ſunt. Quare quod eſt primum in altitudine, neceſſe eſt eſſe primum & in nobilitate: quare & in ſubtilitate, & propter hoc ad ſpiritualitatis naturam in proximitate, & aſſimilatione; ſecundò ex conſiderationibus prædictorum corporum; manifeſtum enim eſt terram in ultimitate groſſitiei, B & corpulentiæ eſſe, & propter hoc fecem elementorum, & quaſi ſedimen, & reſidentiam ipſorum, ipſam aliqui ex philoſophis eſſe dixerunt, ſecundo loco manifeſtum eſt eſſe aquam tertio aëra, quarto ignem. Et ita ſe habet donec perveniatur ad ultimum cœlum. Manifeſtum igitur eſt ipſum eſſe in ultimitate parvitatis, quantùm ad groſſitiem, ſeu corpulentiam corporalem. Et propter hoc in ultimitate ſubtilitatis. Tertiò jam audiviſti quoſdam ex medicis, & aliis philoſophis, poſuiſſe ſpiritus, qui in corpore humano ſunt, ſedem propriam, & immediatam eſſe animæ humanæ & primas influentias, quæ ex ipſa exeunt deſcendere in ipſos; & ab ipſis in nervos, & venas, & inde per alias partes corporis, quæ influentiarum illarum receptibiles ſunt, ipſos etiam ſpiritus cœleſtes eſſe, vel æthereæ naturæ. Quæ ſi vera ſunt, cùm anima humana ſpiritualis eſſe naturæ non dubitetur. conſequenter manifeſtum eſt corpus C cœleſte, ſive æthereum in primis eſſe ſedem, & habitaculum ſpiritualis naturæ. Si enim apti ſunt, & idonei ſpiritus, qui in corporibus humanis ſunt, habitacula, vel receptacula eſſe animarum noſtrarum propter ſubtilitatem, & nobilitatem ſuam, non obſtante, vel prohibente hoc natura corporalitatis ſuæ, quantò magis non obſiſtet, neque prohibebit natura corporalitatis ultimi cœli ipſum eſſe receptaculum, & habitaculum ſubſtantiarum ſpiritualium ſeparatarum? Propter hoc dixerunt aliqui ſpiritus hujuſmodi mediam habere naturam inter ſpiritualem, & corporalem. Quod forſitan conſiderationem in hoc facienti facilè inveniretur impoſſibile eſſe. Ampliùs. Sermo communiſſimus eſt apud nos, atque certiſſimus, corpora noſtra, & habitacula, & receptacula eſſe animarum noſtrarum, in lege verò, & doctrina Chriſtianorum, & domos, & tabernacula earum nominamus. Et ſermo iſte non longè D eſt à conſuetudine philoſophantium, vel etiam philoſophiæ. Quòd ſi hoc conceditur de corporibus noſtris, videlicet, quòd ipſa ſint habitacula, vel receptacula animarum noſtrarum, quantò fortiùs concedendum eſt de præclaro, ac nobiliſſimo corpore cœleſti, quòd ipſum ſit habitaculum ſubſtantiarum ſeparatarum? Sed dicet quis forſitan, quia corpora noſtra non tam habitacula ſunt animarum noſtrarum, quàm etiam organa, ſive inſtrumenta earum, quod manifeſtiſſimè verum eſt. Addet etiam ſi voluerit, quia animæ noſtræ propter multas ex viribus ſuis. & operationes illarum, neceſſe habent eſſe in corporibus Alioquin otioſæ eſſent vires hujuſmodi, & propter hoc inutiles.

Quod multis de cauſis habentur habitacula.

Quod quædam loca indigent corporibus.

Subſtantiæ verò ſeparatæ non habent iſtam neceſſitatem, vel cauſam eſſendi, vel inhabitandi in corporibus. Et ideò non eſt neceſſe, ut vel cœlum, vel aliud corpus habeant habitaculum. Dico igitur in hoc, quia ſubſtantiæ ſpirituales habent organa, quæ ſunt eis etiam habitacula, & habent organa, quæ non ſunt eis habitacula, qualia ſunt inſtrumenta ſabtilia, & muſicalia. Cùm igitur ſubſtantiæ ſpirituales abſtractæ organa non habeant, quoniàm nec eis indigent, quomodò habitacula certa, & ſibi congrua non habebunt? Aliud enim eſt habere domum ad inhabitandum, ſive habitaculum ad commorandum in eo, & quieſcendum, aliud operatorium, vel cum organis, ſive inſtrumentis convenientibus ad operandum. Quòd ſi dixerit, quia ſpirituales ſubſtantiæ abſtractæ ſicut non indigent organis ad operandum; ſic non indigent habitaculis, vel tabernaculis ad inhabitandum, vel quieſcendum; dico in hoc, quoniàm habitacula, & receptacula habentur multis de cauſis: primùm, in protectione ab injuriis, & paſſionibus aëris, videlicet à ventis, & pluviis, & aliis hujuſmodi, ſecundò in defenſione ab hoſtibus: ut turres, & arces: tertiò ad delitias, quemadmodùm fiunt tabernacula tempore æſtivo in locis amœnis, quartò fiunt ad gloriam, & hoc manifeſtum eſt in palatiis regum antiquorum, qui picturis, & ſculpturis, auraturis, aliiſque multiplicibus ornamentis decorabant palatia ſua, ut eſſent eis ad gloriam, & oſtentationem, necnon in admirationem, & delectationem inhabitantium in eiſdem; quod de iſto palatio, & habitaculo creatoris ſentire non indignum eſt. Sic manifeſtum eſt ſubſtantias quaſdam corporeas indigere locis, & locali poſitione in eis, quemadmodùm vides in corporibus mundi hujus inferioris, ſic & loca quædam eouſque indigent corporibus, ut vacuitatem ſuam nullo modorum ſuſtineant. Propter quod dicunt homines, quia vacuum, ſive vacuitas attrahit, & attractiones iſtæ notiſſimæ ſunt ibi, & ex ingeniis quibuſdam, quibus ductus aquarum aſcendunt in ſublime, & ex vaſculis, quæ ventoſæ dicuntur, & ex aliis innumeris. Dico etiam, quia quædam collocantur in locis corporalibus, non propter indigentiam locorum, quam patiantur, ſed propter cuſtodiam, ut theſauri, alia quædam ad decorem, ut gemmæ, & alii lapides pretioſi in ornamentis, ſimiliter aurum, & lapides pretioſi, marmorque in ſtructuris parietum domorum, & aliorum ædificiorum collocantur; non quia locis illis indigeant, aut loca illa ipſis, ſed quia ad ornatum, & decorem locorum ipſorum, & gloriam ædificantium. Hæc autem propter hoc tibi dixi, ut videres evidenter, quia collocationes rerum corporalium non fiunt omnes, neque omninò, vel quia ipſæ indigeant locis, vel quia loca ipſis. Principum verò, & magnatum collocationes, & ordinationes fiunt in palatiis ad honorem, & gloriam ipſorum. Interdùm & in magnis palatiis ſedes habent appropriatas, ſive ſedilia. Feſtivi inſuper conventus, & ſplendida convivia, quæ hodie curiæ vocatur, fiunt à regibus, & principibus, in majoribus palatiis ſuis ad oſtentationem, & admirationem gloriæ ſuæ. Ipſi etiam reges, & principes coronis precioſiſſimis gemmis, & auro fulgentibus, aliiſque regalibus ornamentis, in hujuſmodi conventibus, & conviviis ſeipſos ornare conſueverunt. Sicut igitur in præcedentibus audiviſti, ipſa multitudo militiarum, & magnificentia magnatum, longè ampliùs decorat, & exornat regale palatium, quàm gemmæ aurum, & marmora. Quare cœlum ultimum, cùm tot ſplendebit, & decorabitur, ſanctis, ac beatiſſimis angelis, velut gemmis, inæſtimabili fulgore micantibus, & hominibus glorificatis, velut lapidibus precioſiſſimis coruſcantibus, ac vernantiſſimis, ipſam cœli ſtellati pulchritudinem, & ornatum tam multiplici varietate, ac luminoſitate ſtellarum, & luminarium tantò ampliùs ſuperabit, quantò fulgores, & ſpecioſitates ſpirituales corporalibus antecedunt. Et apparebit, quòd tunc, & in perpetuum, magnificentiſſima gloria regni regis regum, non ſolùm incomparabiliter, ſed etiam incogitabiliter, ſuperat glorioſas, vel, ut veriùs dicam, exigua exiliaque miniſteria, vel potiùs ſervitutes regum terrenorum.

Quod omnis poteſtas, exceptâ Dei potentiâ, ſervitus eſt.

Jam enim patefactum eſt tibi in eis, quæ præceſſerunt, quoniàm omnis potentiatus, & omnes dignitates, ſive cœleſtes ſint, ſive terrenæ, ſive ſpirituales, ſive temporales, ſervitutes veri nominis ſunt, ſi legitimè adminiſtrentur, excepta dominantiſſima potentia creatoris. Quapropter conſequenter etiam tibi declaratum eſt, quia nomen dominationis illi ſoli congruit, & qui ſe nominari dominos vel volunt, vel ſuſtinent, furtum, vel rapinam adversùs creatorem indubitanter committunt, niſi forſan æquivocè, & alia ratione, vel intentione de ipſis hujuſmodi nomen accipiatur. Quòd ſi quis calumniari voluerit ſimilitudinem iſtam, ſive exemplum, per hoc, quòd aurum, & lapides precioſi ſitus habent & poſitiones deſignabiles atque diſtantias in ornatibus domorum, ſimiliter proceres, & milites in feſtivis conventibus, & conviviis regalibus, hæc autem longè ſunt à ſubſtantiis abſtractis, & impartibilibus, dicam quod aliqui dixerunt, quia etſi ipſæ ſubſtantiæ hujuſmodi non habeant ſitus ſcilicet & diſtantias deſignabiles, ac menſurabiles, effulgentiæ tamen earum hæc habent in illo palatio. Nec mirum ſi aliqui ſic ſenſerunt, cù fuerint nonnulli ex nominatis philoſophis, qui à luna ſupra corpus aliquod eſſe, dixerunt non eſſe poſſibile, quin potiùs totum eſſe vitam, totumque eſſe ſpirituale, & ea, quæ apparent de ſole, & luna, & ſtellis, non eſſe corpora ullo modorum, ſed effulgentias tantùm ſubſtantiarum vivarum. & quarum unaquæque vita eſt tantùm, omninò incorporalis, & ſpiritualis, & ad iſtas effulgentias referri quicquid de motibus cœleſtibus aſtrologi vel dixerunt, vel ſcripſerunt. Et hæc quidem opinio inexplicabilis difficultatis eſſe mihi videtur, & facilis deſtructionis, ſi quis exercitatus in his ad hoc intendere voluerit. Verùm non oportet confugere te ad opiniones hujuſmodi cùm præſto ſit videre valentibus, & volentibus veritas, & exempla evidentiſſima, quæ intellectum tuum ad ejus cognitionem erigant, & adjuvent. Quorum primum eſt anima humana, quæ cùm in corpore humano nec ſitum, nec poſitionem, nec conſtitutionem localem habeat, effulgentiis tamen ſuis multis corpus, in quo eſt, exornat evidenter, atque decorat, ut oculos viſu, & aures auditu, cæteraſque partes corporis aliis virtutibus ſuis, quæ non ſunt niſi effulgentiæ quædam, & radii luminoſitatis ipſius. Aliud exemplum in hoc ipſum in præcedentibus audiviſti, videlicet de ſanctis, ac beatiſſimis angelis, qui præſentia ſua interdùm, & fulgore mirabili, & fragrantia ſuavitatis, loca, in quibus hominibus apparent, mirificant, & jocundant. Tertium exemplum, & omnium evidentiſſimum, eſt creator benedictus, & ſublimis, qui univerſum præſentia ſua tam magnificè, tamque mirificè, non ſolùm replet, ſed etiam tam multiplici ſpecioſitate illud pingit, & variat, incomprehenſibili numeroſitate pulchritudinum ſpiritualium ſcilicet, & corporalium. Jam autem declaratum eſt tibi aliàs, quia omnis ſpecioſitas univerſi to-

Digitized by Google

tius, & ſingularium partium ejuſdem, non eſt niſi effulgentia quædam, & irradiatio ipſius, licet tenuiſſima, ac perexilis, ſeu perexigua, propter quod nec irradiatio, nec effulgentia verè, ac propriè, dici poteſt, propter incomprehenſibilem nobis immenſitatem fulgoris ipſius. Aggrega igitur ex his tribus exemplis ratiocinationem, & apparebit tibi evidenter conſequens eſſe ſubſtantias angelicas, de quibus agitur, licet nec ſitum habeant, nec poſitionem localem in cœlo habitationis ſuæ multiplici effulgentia ſua venuſtare cœlum, & exornare. Per hæc igitur ſoluta eſt tibi prædicta calumniatio.

CAPUT LXXIX.

Quòd angeli certi ſpatii occupant locum, & quare non punctualiter ſe habent.

QUòd ſi dixerit, ad quid occupant vel unum pedem cœli omnes illæ, & innumerabiles ſubſtantiæ, cùm omnes tanquàm impartibiles in uno puncto concludi poſſint? Reſpondendum eſt, quia intentio creatoris fuit ab æterno, & implere, & decorare totum cœlum, non ſolùm partem, aut punctum ipſius: & quoniàm diffinitæ, aut determinatæ, & notæ longitudinis, aliarumque dimenſionum futuræ ſunt hujuſmodi effulgentiæ, noluit eas commiſceri, vel confundi, aut alio quolibet modo ad invicem impediri. Quod indubitanter fieret, niſi congruentia ſpatia, atque ſedes debitæ ſingulis deputatæ, ſeu diſtributæ eſſent. Hujus autem exemplum eſt in circulo cœleſti, qui græcè dicitur galaxias; & latinè lacteus, ubi lacteus ille color ex confuſione eſt, ut nonnulli dixerunt, radiorum multarum ſtellarum. Ibi ergo manifeſtum eſt, quod in aliis partibus cœli ſtellati, & pulchrius, & gratius micant ſtellæ ſeparatis ab invicem, & diſtinctis fulgoribus, quàm in illa confuſione luminum, ſeu radiorum, quæ magis oculis ſpectantium lactei candoris ſpeciem, quàm radioſæ luminoſitatis prætendit. Veriſimile igitur eſt creatorem hanc diſtinctionis pulchritudinem in cœlo illo beatæ habitationis elegiſſe potiùs, quàm hujuſmodi confuſionem. Si verò quæſierit, cur non & in cœlo ſtellato confuſionem hujuſmodi ſimiliter devitavit? Reſpondeo, quia forſan non eſt confuſio ibi, licet nobis in terra appareat. Neque enim, prout diſtant, neque quantum diſtant, neque poſitiones, aut ſitus ſtellarum, nobis ad liquidum, & certum videntur. Multoties enim apparent nobis propinquiores, quæ remotiores ſunt, & inferiores, quæ ſuperiores; & de radioſitatibus earum ſimiliter ſe habet. Videntur enim nobis permixtæ, quæ ſeparatæ ſunt; & commixtæ, ſive congregatæ, quæ multa diſtantia ab invicem disjunctæ, ac diſgregatæ ſunt. In quantam autem admirationem, & gloriam creatoris ſint decores, & ornatus iſti effulgentiarum hujuſmodi, conſidera ex prædictis exemplis corporalibus, videlicet de ornatu regalium palatiorum ex auro, & gemmis, & marmoribus variis. Quod autem dixi de nota longitudine, & dimenſionibus, non debes abſque diſcuſſione, & perſcrutatione deglutire. Qui enim dicunt ſubſtantias hujuſmodi non localiter, ſed diffinitivè, in locis eſſe, iſtam diffinitionem referre debent ad expanſionem effulgentiarum, quas dixi. Non enim extendunt eas hujuſmodi ſubſtantiæ in infinitum, aut in totum cœlum; ſed in tantam partem, quantam eis menſuravit creator, & intendo menſuram iſtam pro menſura ſapientiæ; atque virtutum,

Quod ſitus, & poſitiones ſtellarum, non videntur nobis ad liquidum.

Qualiter angeli diffinitivè ſũt in cœlo, & de expanſione effulgentiarum ſuarum pro limitatione.

A quibus eas prædidit, & illuſtravit creator. Et intendo, quòd quæ in his præcellentiores, ac præeminentiores ſunt, longius, & latiùs, copioſiuſque per omnia effulgentias iſtas diffundant. quàm illæ, quæ minoribus donis hujuſmodi donatæ ſunt. Si verò quæſierit aliquis, quomodò conceſſum eſt unicuique animarum humanarum in totis partibus totius corporis ſui eſſentialiter eſſe, atque præſentialiter, una verò quæque ſubſtantiarum, de quibus agitur, prohibita ſit eſſe in qualibet parte cœli illius: Reſponderi utique poteſt quia neceſſe habet hoc unaquæque anima humana propter perficiendas operationes, quas per hujuſmodi partes exercet, ipſis etiam partibus humani corporis ſingulis, in quibus vita eſt, neceſſaria eſt exiſtentia, & præſentia animæ ipſius, propter effulgentias antedictas. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm indigent eiſdem, etenim vita eſt inter hujuſmodi effulgentias prima, deinde ſenſus. Nemo autem dubitat,

B quin omnia, quæ vivunt in corpore humano, vitæ indigeant, ſimiliter omnia organa ſenſuum ſenſibus, ita quod eis, ablatis, vel impeditis deſtruuntur, vel impediuntur affectionibus ſuis; in ſubſtantiis verò ſeparatis non eſt indigentia ulla, qua indigeant omnibus partibus cœli propter operationes aliquas, ſed in partibus ipſius cœli eſt indigentia, ſive vivant partes illius, ſive non vivant: ſi enim vivunt, per propriam vitam vivunt, atque perfectionem, & non per hujuſmodi ſubſtantias. Alioquin quandò mittuntur ad nos iſtæ ſubſtantiæ, morerentur partes hujuſmodi, & extingueretur vita earum per receſſum earum, quemadmodùm vita corporum noſtrorum per receſſum animarum noſtrarum ab eis, fierent igitur innumerabiles mortes in partibus cœli per receſſus iſtos, & innumerabiles reſurrectiones per reverſionem contrariam ſubſtantiarum iſtarum ad partes illas. Am-

C pliùs. Quantæ mortes, & quanta mors ipſius cœli, vel magnæ partis ipſius, futura eſſet in judicio univerſali, cùm rex ille regnum omnium venturus ſit ad judicium cum eo comitatu ſanctorum angelorum, qui deceat magnificentiam gloriæ ſuæ? Præſertim cùm non ſolùm judicaturus, ſed quaſi præliaturus contra rebelles, & incredulos ſuos, venturus & prædictus ſit à prophetis Hebræorum; & tam evidenter in lege Chriſtianorum hoc ipſemet aſſeruerit, quòd ſi forſitan & de ipſa deturpatione cœli quis objicere voluerit, quia recedentibus inde hujuſmodi ſubſtantiis, ex quarum præſentia erat ei tam nobilis, tamque ſpecioſus ornatus, ex hoc videtur non modica deturpatio, ſeu deformatio: Reſpondeo in hoc, quia depoſitio ornatus adventitii. quæ non eſt niſi ad horam, vel diem, non eſt reputanda, vel cenſenda deturpatio, vel deformatio, quemadmodùm neque econtrariò, qui pro-

D pter verecundiam rubeus ad horam efficitur, rubens non propter hoc dicitur, neque rex, qui diadema de capite ſuo deponit, aut alia ornamenta regia, rex hujuſmodi depoſitione deformatus cenſetur, ſic nec mulier cultiſſima, cùm cultum hujuſmodi depoſuerit. Juxta hos modos, neque aula regia, cùm inde rex etiam cum toto comitatu ſuo quantocunque apparatu adornato ex ea exiverit, deturpata dicenda eſt ſimpliciter, licet illius ornatus ſpecioſitas ab eadem ad tempus receſſerit, licet ad tempus illa claritudine non fulgeat ut priùs.

Vide hic cauſam; quare anima eſt in qualibet parte corporis; & angelus non eſt in qualibet parte cœli, in quo eſt.

Digitized by Google

CAPUT LXXX.

Quod Angeli decentiſſimè à Deo ſint collocati, & non affixi partibus cæli.

SI quis verò dixerit de hujuſmodi ſubſtantiis, quòd neque congruit naturæ ſpiritualitatis eas arctari, vel affigi certis, & determinatis partibus habitationis ſuæ, quæ eſt cœlum ultimum, quin potiùs unaquæque illarum in qualibet parte corporis ſui vivente eſt, novum quidam, & admirabile dicit, & non ſolùm declaratione, ſed etiam intellectu nobis aliter aſſuetis difficile. Et poteſt ad hoc eum inducere forſitan illud exemplum, quod induxi de anima humana, & etiam ſimilitudo earum, quæ nobilitate ſpiritualitatis inter alias ſubſtantias ſimillimæ ſunt creatori, & propter hoc nec loco, nec corpore concluſibiles eis fortaſſe videntur & quemadmodùm anguſtiam corporalem non extendit in ampliùs à quantitate ſuâ certiſſimâ ſubſtantiæ ſpiritualis amplitudo; ſic nec immenſitatem ſpiritualis amplitudinis contrahit, vel anguſtat ullo modorum naturaliter anguſtia corporalis. Licet enim corpus quod corrũpitur, aggravet animã, & terrena inhabitatio ſenſum deprimat multa cogitantem, & noxia corpora tardent velocitatem, ac agilitatem ingeniorum, & animarum, ut ait Latinorum Poëtarum egregius, non hoc per naturam corporum eſt, vel animorum, ſed per corruptionem adventitiam corporum. Ab initio enim corpora humana iſta corruptione caruerunt, puraque, atque mundiſſima à creatore condita ſunt, ſed peccantibus primis hominibus eâ corruptione infecta ſunt, ac depravata, ut etiam ipſas animas conjunctione ſuâ, & applicatione obtenebrent, & quaſi inebrient: licet igitur quaſi concluſæ, ſint animæ humanæ in corporibus noſtris, operationes tamen earum, & vires limitibus corporum, ſive terminis, nec anguſtatæ ſunt, nec concluſæ. Ipſæ namque vires, quas per corpus exercent, longè, latéque extra corporum ſuorum terminos extenduntur. Sicut manifeſtum eſt de viſu, & operatione ipſius, qui uſque ad ſtellas fixas, quæ remotiſſimæ à nobis ſunt, pertingit. Sic imaginatio, & memoria, & intellectus longè ampliùs operationes ſuas per omnia, quibus eis congruit, in longinquum extra terminos corporum noſtrorum diffundunt: de auditu verò, & tactu manifeſtum eſt unicuique, quàm longè diſtantia à corpore, in quo ſunt, ſentiant. Quantò fortiùs igitur ſubſtantiæ illæ eouſque ſpirituales, ac nobiles, in minus ſuæ amplitudinis immenſitate reſtringi, aut in minore concludi non poterunt? Et debes ſcire, quia licet negari non poſſit creatoris eſſentia ubique tota eſſe, hoc eſt, in omni ſubſtantia creata, ſive corporalis ſit, ſive ſpiritualis, non tamen dixit aliquis intelligens eum in aliqua incluſum eſſe, quemadmodùm neque, quamvis extra ſubſtantiam tuam totaliter illum eſſe concedas, propter hoc intelligis ipſum à te eſſe excluſum. Nemo enim recti, & ſani intellectus dixit uſque adhuc, rem quamcunque ab eo excluſam eſſe, in quo totaliter eſt. Ampliùs. Poſſet & illum movere ſermo ſapientis, qui dixit potiùs dicendum eſſe corpora noſtra eſſe in animabus noſtris, vel intra eas, quàm econtrariò. Et cauſam hujus ſermonis aliquandò audiviſti per me, & nunc addo cauſam aliam. Si enim amplitudinis eſt continere, erit ex neceſſitate & maximæ amplitudinis maximè continere. Quare cùm amplitudo ſpiritualis major ſit incomparabiliter amplitudine corporali, erit incomparabiliter magis pertinens ad illam, magiſque congruens eidem continere, quàm ampli-

Quod vires animæ, & effulgentiæ ejus extenduntur extra corpus, in quo eſt,

Quod quamvis eſſentia creatoris ſit in qualibet re creata in nulla tamen includitur, & quamvis tota ſit extra ſubſtantiam ejus, non tamen ab ea excluditur.

E tudini corporali. Quemodò igitur extremæ amplitudini corporali, quæ eſt amplitudo ultimi cœli, continere ſolummodò corporaliter congruit, & nullo modo corporaliter contineri; ſic & amplitudini extremæ ſpirituali maximè congruit continere, inquam ſpiritualiter, & nullo modorum congruet illi corporaliter contineri. Corporaliter enim continere, & corporaliter contineri, circa idem naturaliter videntur habere eſſe, & fieri. Quemadmodùm igitur corporaliter contineri non congruit, niſi corporibus; ſic & corporaliter continere, & inſuper, quemadmodùm corporales ſubſtantias concludere, vel circumcludere, non congruit niſi corporalibus; ſic ſpirituales ſubſtantias includere, vel circumcludere, non congruit niſi F ſpiritualibus. Quare nec cœlo, de quo agitur, nec partibus ejus, congruit habere incluſas, vel circumcluſas in ſe ſubſtantias ſpirituales. Quemadmodùm igitur eſſentia creatoris univerſum implet præſentia ſua: ſic unaquæque illarum totum cœlum habitationis ſuæ. Ampliùs. Cùm cœlum illud, ſi corpus eſt, quod dubitationem nullam habere videtur, ſimpliciſſimum omnium illud eſſe neceſſe ſit, & omnes partes ipſius unius, ejuſdemque eſſe naturæ, nulla earum alicui ex ſubſtantiis ſpiritualibus magis congruit appropriatione naturali, quàm alij, quare ordinatio, ſeu conſtitutio earum in cœlo illo non eſt naturalis; & propter hoc neque habitatio. Præſertim cùm immobiles naturaliter ſint omnes, & ſingulæ. Piſces enim in aqua, cujus omnes partes unius, ejuſdemque, naturæ ſunt, non ſunt affixi G naturali appropriatione partibus illius, immò transferunt ſe à parte in partem, & à loco in locum, vel propter inquiſitionem paſtus, vel propter effugium inſectantium eos, & capere volentium. Subſtantiis autem illis nulla cauſa eſſe videtur transferendi ſe ab una parte cœli in aliam. Quare affixæ videntur eſſe naturaliter ſedibus ſuis, aut totaliter eſſe in unaquaque earum. Jam autem prohibui hoc, videlicet affixionem naturalem hujuſmodi, cùm natura eadem ſit in toto cœlo, & in omnibus, ac ſingulis partibus ejuſdem; videtur ergo veriſimile unamquamque naturaliter totã eſſe in toto cœlo illo, & in unaquaque partium ipſius, quantùm eſt tam de natura earum, quàm de natura ipſarum partium cœli, cùm neque naturalis adhærentia inveniatur in eis ad partes cœli, nec naturalis attractio cœli partium ad eaſdem. Ampliùs. Sicut ipſum quoniàm earum omni tempori præſens eſt, cur non & ubi earum ſimiliter præſens eſt omni loco, & econtrariò omnis locus illi? Ampliùs. Secundùm Ariſtotelem æternitas ipſa quandò earum eſt circundans omnia tempora, & præſens unicuique ipſorum; quare ſic neceſſe eſt H & ubi earum circumdare loca omnia, & præſens eſſe unicuique illorum, & unumquemque locum illi. Quapropter quemadmodùm ſine motu ullo, & mutatione, cùm ſint in æternitate, ſunt etiam & nunc, & fuerunt in omni tempore, & futuræ ſunt; ſic & abſque ullo modorum motus, & mutationis, cùm ſint in ſuo ubi ſpirituali, atque ampliſſimo, ſunt quandocunque volunt, & hîc, & alibi, & in omni loco. Et hujus rei quoddam exemplum eſſe videtur anima humana, dùm eſt in corpore humano. Cùm enim corpus humanum propriè eſſe non poſſit ubi ipſius animæ humanæ, ipſa tamen de ſuo ubi, quodcunque illud ſit, in omni parte corporis abſque ullo motu præſentem ſe exhibet ad omnem operationem peragendam, ſive ſit ſenſus illa operatio, ſive motus, quare ſuo ubi præſens eſt omni parti corporis, & omnis pars corporis humani abſque motu quocunque ad omne, quod agendum eſt per corpus, & ad omnem paſſionem ſenſibilem, quæ

in eodem

Digitized by Google

In eodem ſit, ſtatim præſens adeſt. Si enim inter ſuum ubi, & quamcunque partem corporis, eſſet diſtantia localis, nullo modorum, ut videtur, poſſibile eſt ipſam ſubitò ad omnia prædicta præſentiam ſuam adhibere: quemadmodùm & dixi de ſuo quando, & proximitate illius ad omnem partem temporis, & etiam ad omne nunc ipſius. Verùm ſermo iſte præter admirationem habet etiam horrorem inauditæ novitatis, atque periculoſæ, habet inſuper multiplicem contradictionem. Si enim unaquæque hujuſmodi ſubſtantiarum cœlum præſentiâ ſuâ totaliter occupare ſufficit, vel implere, hoc eſt, ita eſſe in toto cœlo illo, ut etiam in qualibet parte ipſius ſit, quid cauſæ erit, quòd non ſimiliter totum impleat univerſum, & quin verè dicere poſſit, quod habet ſermo propheticus de creatore; cœlum, & terram ego impleo? Ampliùs. Secundùm hoc in qualibet parte cœli, & forſitan univerſi, neceſſe erit eſſe totam univerſalitatem, hoc eſt, omnes exercitus militiarum hujuſmodi, & forſitan in quolibet puncto totius cœli ultimi, & propter hoc infinities erunt omnes, & ſingulæ in qualibet parte illius, & etiam in quolibet puncto illius. Qualiter igitur non erit ibi aut coanguſtatio, aut confuſio, & inordinatio? Reverà reſpondere poſſunt, quod nos reſponderemus eis de exiſtentia creatoris in toto univerſo. Videtur igitur mihi modeſtiùs, & magis ſobriè ſentiendum de rebus tam arduis, & à conſuetudine noſtra tam longè diſtantibus, & præcipuè juxta doctrinam Chriſtianorum, quæ in rebus divinalibus Prophetarum oraculis, & ſacrorum Doctorum revelationibus ſolis credendum eſſe arbitratur: quæ duo illa, quæ præmiſi, videlicet implere cœlum, & terram, & eſſe in univerſo totaliter, ſive ubique, propria dicit ſupereminentiæ, & ſingularis immenſitatis ipſius creatoris. Hoc igitur convenientiùs, & magis conſonare videtur doctrinæ illi, ut ſubſtantiæ iſtæ in cœlo ſint habitatione naturali, ſive nativa: non autem adhærentia, vel affixione neceſſaria, quemadmodùm ſe habet in corporibus quæ locis ſuis naturalibus inclinationibus ſuis adeò adhærent, ut inde niſi per violentiam abſtrahi ſe non ſinant. Nihil autem hujuſmodi eſt in ſubſtantiis, aut locis, vel potiùs ſedibus earum, ſed voluntate propria, & creatoris ordinatione pulcherrima, & decentiſſima in illo præclaro palatio conſtitutæ ſunt. Nec eſt improbabile, neque alienum à doctrina veritatis, aut eidem contrarium eſt, in eodem palatio manſiones multas eſſe, & varias, & multorũ ordinum atque graduum ſedes, ſive ſedilia, & alias aliis honoratiores, etiamſi cœlum omninò verum corpus ſit, quoniàm & in aëre, & in aqua inveniuntur partes ſubtiliores, ac pulchriores aliis, cùm manifeſtum ſit ea eſſe corpora ſimplicia, ſive ſimpla. Ampliùs. Cùm hoc requirat in omni regali palatio ipſa palatij pulchritudo, ordines ſcilicet, & graduum dignitates inhabitantium, aut convivantium, quomodò pulchritudo iſta deeſſe credi poteſt præclaro illi Imperatoris univerſalis palatio, ad cujus magnificentiam, & mirificentiam omnia terrenorum Regum palatia vix tuguria viliſſima ſunt? Ampliùs. Cùm igni purgatorio, & igni infernali, virtutes mirificæ purgandarum, & torquendarum animarum humanarum datæ ſint à creatore ſupra vires, & virtutes ignium, qui apud nos ſunt; quantò magis datum eſt corpori cœli empyrei quicquid ad gloriam creatoris, & fœlicitatem inhabitantium, neceſſarium eſt, vel etiam congruum? Etſi igitur alia corpora ſpiritualium ſubſtantiarum habitacula, vel ſedes propriè, ac convenienter eſſe non poſſint, illi tamen ex hac cauſa veriſimile eſt datum eſſe à creatore, ut & illarum, & etiam corporalium receptacula congruentiſſima ſint. Ampliùs. Si naturale eſt conſortium animarum humanarum, quæ utique ſpirituales ſubſtantiæ ſunt, & corporum humanorum, tanta eſt unio ad invicem, quomodò horrent imperiti, & credere non poſſunt, futuram bonorum Angelorum, & hominum glorificatorum in eadem cæli habitatione conſortium? Ampliùs. Si corpora humana in tantam gloriam transferenda ſunt, tantamque ſubtilitatem ſubſtantiæ, ut comparatione corporum mundanorum ferè ſpiritus videantur, quid de cœlo, quod totum erit, & eſt habitatio gloriæ, ſentiendum eſt? Si enim ipſa corpora noſtra tanta corpulentia, & groſſitie naturali, hìc depreſſa, in eam, quam dixi ſpiritualitatis gloriam, immutanda ſunt: qualis credenda eſt gloria corporis illius, quod creatum eſt, non ſolùm ut ſit habitatio tantæ gloriæ corporum, ſed etiam glorificatorum, ac beatiſſimorum Angelorum? Si enim propter hanc gloriam corpora noſtra lex, & fides Chriſtianorum ſpiritualia dicit eſſe futura, quomodò non multò fortiùs ex majori ſubtilitatis gloria corpus illud, cœleſte videlicet, ſpirituale cenſendum eſt? Sunt tamen & aliæ cauſæ, propter quas etiam ſpiritualia futura dicta ſunt, cùm natura corporeitatis non ſolùm non corrupta, & illæſa, ſed etiam incorruptibilis, & perfecta per gloriam reſurrectionis ſalvanda ſit ad integrum, & ſervanda. Apparet igitur ex his ſublimitas, atque nobilitas fidei Chriſtianorum, imperitiaque, & imbecillitas intellectus eorum, qui mundum gloriæ, hoc eſt, divinæ habitationis, & glorificatorum Angelorum, & hominum, ex habitatione miſeriæ iſtius æſtimare conantur, ac ſi creator non ſublimiora, & nobiliora opera ſua tam inviſibilia, quàm viſibilia & eſſe voluerit, & fecerit, & non majora, ac per modum omnem meliora ſuis apud ſe repoſuerit, quàm hìc eis adhuc contulerit, & quaſi omnia magnalia ſua, & mirabilia ingeniis humanis vel oſtenderit, vel inveſtigabilia expoſuerit. Ampliùs. Negare non poſſunt, quin in eadem anima humana, licet ſecundùm diverſas vires, ſimilitudines ſubſtantiarum corporalium, & ſubſtantiarum ſpiritualium, & receptibiles ſint, & recipiantur, & locabiles ſuo modo ſint, & etiam collocentur juxta modum, quo dicitur anima eſſe locus ſpecierum. Quomodò igitur non erit poſſibile in eadem ſubſtantia corporali, ſaltem ſecundùm diverſas partes, locabiles eſſe ſubſtantias tam corporales, quàm ſpirituales. Et intendo quoniàm cùm non obſiſtat ſpiritualitas receptioni, & locationi ſimilitudinum corporalium in ſubſtantia ſpirituali, ſicut apparet in anima humana quapropter prohibebit corporalitas cæli ultimi collocationem, ſive receptionem ſpiritualium ſubſtantiarum in cœlo illo nobili, ac præclaro; & declaro adhuc, quia ſi non prohibet ſimplicitas ſpiritualis, quominùs formæ compoſitorum corporalium recipiantur in ſubſtantia ſpirituali, quomodò prohibet compoſitio corporalis receptionem ſubſtantiarum ſpiritualium in ſubſtantia corporali? Ampliùs. In uno, eodemque homine recipiuntur & corporalia, & ſpiritualia, & aptiſſimè collocantur, quoniàm utraque inveniunt in eo convenientia naturis ſuis receptacula, ſpiritualia ſcilicet in anima, & corporalia in corpore. Quemadmodùm igitur dices mihi, quoniàm hoc eſt propter hoc, quia homo eſt ex utriſque naturis, corporali videlicet, & ſpirituali compoſitus, & propter hoc rerum utriuſque naturæ capax, ac receptibilis, ſic debet & dicere, quia ſimiliter ſe habet in cœlo, de quo agitur.

Digitized by Google

CAPUT LXXXI.

De vicinitate cœli empyrei ad utramque naturam, ſcilicet corporalem, & ſpiritualem.

QUòd ſi dixerit quis, quia ſi cœlum ſic compoſitum eſſet ex duabus naturis, corporali ſcilicet, & ſpirituali, idem eſſet, vel ſimiliter de eo dicendum, dico in hoc, quia cœlum illud, etſi compoſitum non ſit ex anima, & corpore, habet tamen ex neceſſitate aliquid de utraque natura, corporali ſcilicet & ſpirituali. Et intendo in hoc vicinitatem multam, & proximitatem ipſius ad utramque naturarum illarum. Quemadmodùm dixi tibi de ſpiritibus. qui ſunt in corpore humano, qui recipiunt inprimis influentias animarum, & per eos tranſmittuntur ad membra, & partes corporis ſimiliter novisſimè recipiunt influentias corporum, & paſſiones venientes ab ipſis ad animas noſtras, propter quam cauſam mediæ naturæ inter corporalem, & ſpiritualem eſſe ponuntur à quibuſdam, propter iſtam etiam proximitatem ad ſpiritualem naturam animarum ſpiritus eos vocaverunt, & primam, atque immediatam ſedem animarum humanarum. Aptum igitur à natura creatum eſt. vel ex ſuperappoſita ei gloria aptatum recipiendis ſpiritualibus ſubſtantiis de quibus agitur, & hominibus glorificatis. Alioquin non ſatis ſibi, hoc eſt gloriæ & magnificentiæ ſuæ perſpexiſſet creator benedictus; quemadmodùm dixi in præcedentibus, ſi familiæ ſuę tam magnificæ, tam multæ, tamque præclaræ congruentiſſimum per omnia habitaculum non extruxiſſet, nec eſſet ſolùm improvidus, ſed inſipientiſſimus, cùm de palatio, & aula regia, vel ſanctis ac beatis Angelis, vel hominibus glorificatis non providiſſet. Si enim ejus corporalitatis habitaculum ſanctum cœli ultimi condidit, ut ſpirituales ſubſtantias recipere vel omninò non poſſet, vel non, ut eſt conveniens aut ejus ſpiritualitatis, ſive alterius naturæ adeò alienæ, adeóque longè à natura corporalitatis, ut glorificatos homines non admitteret, proculdubiò ſimilis eſſet Regi ſtultiſſimo, qui convivas innumerabiles invitaſſet, & cœnaculum ubi eos paſceret non haberet. & qui familiam magnam ac multam nimis, & cives innumerabiles congregaſſet, & de palatio vel civitate, ubi eos reciperet, ubi eis manſiones congruas aſſignaret, non curaſſet: quàm longè autem ſint hæc ab omnipotentia, ſapientia, & bonitate creatoris nulli intelligentium non manifeſtum eſt. Ampliùs. Cùm ad eam gloriam deducenda ſint corpora dilectorum, & electorum creatoris in eamque nobilitatis præſtantiam extollenda, ut non ſolùm ſarcinæ, vel oneri non ſint vel etiam ad modicum ſed potiùs gloriæ, ſed & in eam ſpiritualitatis proximitatem ut ſępè dixi, transferenda ſint, ut omnia alia corpora, nō glorificata ſcilicet ſint eis pervia, & abſque ulla reſiſtēnię, vel retardationis difficultate ſint eis inæſtimabili velocitate cedētia, cujus, quantæ, aut qualis gloriæ, credendum eſt eſſe cœlum, quod habitationi hominum glorificatorum præparatum eſt, qui utique & corporales & ſunt, & futuri ſunt, ut de ſanctis ac beatiſſimis Angelis taceatur. Quemadmodùm enim aqua ſubtilioris ſubſtantiæ eſt, quàm corpora natatilium in ea degentium. ſimiliter & aër ſubtilioris, ac ſublimioris ſubſtantiæ eſt, quàm corpora hominum, & aliorum animalium in aëre viventiū & habitantium ſic fortaſſis veriſimile videatur alicui cæli illius ſubſtātiam ſublimiorem, ac ſubtiliorē eſſe corporibus glorificatis hominū glorificādorū. Si quis autem voluerit hoc referre ad ſubſtantias ſpirituales,

Quod cœli ſubtilioris naturæ ſit, quam corpora glorificatorum.

E & dixerit, quia ratio iſta, ſi valida eſſet, cogeret illam eſſe præſtantiorem etiam ſubſtantiis ſpiritualibus, reſponderi poſſet hujuſmodi homini; quia ſubſtantiæ ſpirituales non requirunt hoc, cùm nec motum, nec reſpirationem, nec alimentum habere eas, oporteat ab eo, vel in eo, in quo vivunt, & habitant, homines verò, & etiam animalia in habitationibus ſuis hîc, in mundo ſcilicet inferiori, neceſſe habent moveri, reſpirationemque, & alimentum accipere ab eiſdem. Homines verò glorificati, etſi nec alimento, nec forſitan reſpiratione indigere habeant in illa habitatione gloriæ: motus tamen non debet eſſe ab eiſdem tunc impoſſibilitate prohibitus, aut difficultate aliqua impeditus, quod proculdubiò eſſet, niſi corpus illud cœleſte eſſet corporibus humanis cedens, ac pervium. ſi per illud in F illo moveri vellent glorificati homines aut ſi eſſet corpulentiæ majoris, aut groſſitiei denſioris, niſi quis dicat. quoniàm, etſi ſolidioris, aut denſioris ſubſtantiæ futurum ſit, cedet tamen illis ceſſione velociſſima, & nullam penitùs difficultatem habente cùm illis in illa gloria & ferrum cederet & adamas abſque ulla motus retardatione Verùm ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ejus non eſt poſſibile in corpore cœleſti quocunque eſſe, vel fieri ſciſſuram, vel diviſionem quamcunque, quantò minùs corpus illud, comparatione aliorum cœlorum, glorioſum, immune eſt ab hujuſmodi paſſionibus?

Quod glorificati homines poſſent moveri per cœlum, ſi vellent.

CAPUT LXXXII.

Quòd Deus eſt paradiſus ſpiritualis beatorum, in quo exultant, & quòd non eſt abſurdum angelos, & homines ſimul habitaturos in gloria.

G QUia verò Latinorum philoſophorū non ignobiliores dixerunt, creatorem velut urbem quandam, & patriam eſſe animarum beatarum in ipſo degentium, hoc ipſum à fide, & doctrina Chriſtianorum, non diſcrepat, immò veriſſimè & paradiſus, & habitatio gloriæ tam beatorum angelorum quàm hominum glorificatorum, veriſſimè dicitur; & determinat doctrina Chriſtianorum paradiſum ſpiritualem ipſum eſſe, & quemadmodùm loca propria, ſedes, receptacula, & habitacula, mentes angelicæ, & humanæ ſunt ſcientiarum, & virtutum, donorum, & gratiarum & etiam quæ poſt iſta ſunt, gloriarum In ipſo igitur creatore, tanquàm in abyſſo fontali luminis & gaudij, vitæ, & pacis, libertatis, & gloriæ, quemadmodùm vulgò dicitur piſces in aquis, incogitabili fœlicitate exultant. Et habet hoc doctrina Chriſtianorum creberrimum, videlicet ipſum creatorem & gaudium H eſſe, & præmium dilectorum, & electorum ſuorum. Et jam dixi tibi de immenſitate creatoris in præcedentibus; & de amplitudine incogitabilis ſpecioſitatis ſpiritualis ipſius, qualiter continet univerſa, & ſingula, abſque ulla compreſſione & abſque ullo modorum coanguſtationis. Et hujuſmodi exemplum eſt nonnullius ſimilitudinis amplitudo animæ humanæ, quæ tantam numeroſitatem ſcientiarum, & virtutum continet tantâ latitudine ſpirituali, tantaque amplitudine, ut quantò plures, ac majores fuerint, tantò ſpatioſius in ea inhabitent, propter quod manifeſtum eſt, quòd dona gloriæ & virtutes, atque ſcientiæ in animabus humanis glorificatis tantò ſpatioſiùs erunt in eis in ſtatu futuræ gloriæ, quàm quæ in hac vita apud eas in eiſmodò ſint, quantò gloria, quàm gratia, major eſt. Et adjuvat te exemplum iſtud ad videndum, qualiter millia millium ſpiritualiū ſubſtantiarum glorificatarum in amplitudine gloriæ creatoris jocundiſſima

Digitized by Google

Quod licet Deus ſit veriſſimè paradiſus Angelorum, & beatarũ animarũ, tamen cœlum ultimum eſt paradiſus, & habitatio earum.

diſſima ſpatioſitate inhabitant. Licet autem creator benedictus paradiſus glorificatarũ animarum, & etiã beatiſſimorum Angelorum, convenientiſſimè, veriſſiméque dicatur, nihilominùs tamen cœlum ultimum paradiſus eſt, & habitatio gloriæ beatorum Angelorum, & hominum glorificandorum Et vocatur etiam ſpiritualis paradiſus cœlum hujuſmodi, licet corpus ſit, contra paradiſum carnalem, qualem gens Saracenorum ſtultiſſimè, ſicut alibi tibi declaratum eſt, expectat, propter quod & ſpirituali paradiſo ſe defraudat. Non ſolùm enim incompoſſibilis eſt carnalis paradiſus ſpirituali, ſed etiam per ſe impoſſibilis. quemadmodùm alibi didiciſti. Debes etiam circa hoc attendere, quia quædam loca aptant ſe corporibus, quæ non continent, & configurant ſe eis ſive conformant, ſicut aqua, & aër, & quædam corpora conformant ſe, atque configurant locis, in quibus ſunt, ut ipſa eadem aqua. Aqua enim figuram induit loci continentis ipſam, & aër ſimiliter. Verbi gratia, ſi in vaſe rotundo fuerit, rotunditatem ab illa aſſumit, ſimiliter à quadrato quadraturam, & ita de aliis. Et ſi aër, vel aqua corpus quadratum, aut rotundum continuerit, ſimili forma, vel figura circundabit illud. Quia igitur tanta pax. tantaque concordia futura eſt in fœlicitate illa, & gloria ut nulla prorsùs diſſidẽtia, nulla contrarietas, vel adverſatio ibi locum habitura ſit, manifeſtum eſt, & locum fœlicis illius habitationis ſic ſe coaptare eis, quæ continebit, & contenta eidem ſicut pacis illius immenſitas, & ſuavitas requirit. Cum his autem, quæ audiviſti, conſidera diligenter, quoniàm corpora noſtra, & animas ſimul eſſe in habitatione hujus miſeriæ, & conſortes eſſe hujus habitationis, nemo miratur, aut horret. cùm unicuique manifeſtiſſimum ſit, hæc corporales ſubſtantias eſſe, illas verò ſpirituales: ſicut igitur non obſtante contrarietate hujuſmodi, videlicet, quæ eſt inter corporalitatem, & ſpiritualitatẽ, non ſe ab invicem repellunt, immò iſtius habitationis conſortium amplectuntur, & dirigunt, cuſtodiunt, & defendunt pro viribus, quid mirum. ſi glorificatos homines & beatos Angelos una continebit habitatio gloriæ, & in ſe ipſa jocundo conſortio ſociabit? Præſertim cùm ipſi glorificati homines à parte animarum adæquandi ſint Angelis, & à parte corporum in eam ſubtilitatis, ac nobilitatis gloriam transferendi, ut per illam corpora eorum ſpiritualia, prout tibi expoſui, reputentur. Quia igitur ipſæ animæ noſtræ tunc in Angelorum gloriam ſublimatæ conſortium corporum ſuorum non ſolùm ſuſtinebunt, ſed etiam cognoſcent ſibi eſſe ad gloriam, quomodò poſſibile eſt, ut Angeli ſancti, quorum ſpiritualitas nec major erit, nec majori gloriæ, quàm ſpiritualitas animarum noſtrarum, non patietur conſortium vel hominum, vel corporum ipſorum, in tanta illius ſtatus gloria conſtitutorum? Ampliùs. Conſidera & aliud exemplum, quia theſaurus, qui eſt in arca, in arca eſſe, & in domo continente arcam illam, à nemine dubitatur. ſic & nos ipſi & in mundo, & in ipſa immenſitate creatoris mundum ampliſſimè continente, & largiſſimè circundante, manifeſtiſſimè ſumus. Et à parte quidem corporum, & etiam animarum, multiplicibus influentiis ejuſdem mundi, velut quibuſdam inundationibus, replemur; corpora namque paſſionibus ſenſibilibus. animæ verò paſſionibus intelligibilibus, & de deorſum, ſimiliter & ex omni latere variis, & multiplicibus influentiis divinæ bonitatis, & largitatis influuntur. Et influentias iſtas intelligo delitias, divitias, & illuminationes apprehenſionum, & cognitionum, quales eſſe poſſunt à mundo corporeo, & rebus ſenſibilibus. Hæc igitur ſunt nobis ex continentia, & circumdatione mundi corporei, & ſunt quaſi tactus, quo quaſi undique tangit nos. Spirituales verò delitiæ, atque divitiæ, videlicet ſcientiales & ſapientiales, ſunt nobiliores influentiæ; quæ veniunt in animas noſtras ex cõinentia, & circũdatione creatoris, & ſunt quaſi attactus ipſius, & conjunctiones immediatæ ipſius ad animas noſtras, & econtrariò. Verùm iſti attactus tenuiſſimi ſunt; & tanquàm ad modicum, nec dici poterunt repletiones, quin potiùs ſunt permodicæ aſperſionis, quemadmodùm ſi humidum ſuperficialiter tangat aridum, in ſtatu verò gloriæ erunt incomparabiliter influentiæ iſtæ ſpirituales largiores, & uberiores, & intelligo ſimilitudinem, quemadmodùm ſi humidum ſe infundat arido per totum, vel ignis in ferrum. quemadmodùm fit in ferro ignito, & eſt hoc, ac ſi diceretur, quæ aſperguntur tenuiſſimè, hoc eſt, aſperſione tenuiſſimâ animæ noſtræ, ab ubertate domus Dei; ibi verò implebuntur, & hîc caleſiunt ad modicum, ibi verò ignientur, & eſt comparatio ſtatus iſtius ad illum, quæ eſt aſperſionis exiguæ ad immerſionem in abyſſum infinitam. ſimiliter & quæ eſt calefactionis leviſſimæ, modicumque extendentis teporem, ad ignitionem ferventiſſimam. Eo modo ſe habet diluculum, ſivè crepuſculum. ad meridiem pleni luminis, vel ſicut illuminatio à ſtellis ſupra terram ad irradiationem, hoc eſt, fulgorem radiorum ſolis. Quod autem invenitur apud quendam ex Prophetis Hebræorum de lapidibus ignitis, tu ne intelligas hoc de nobili iſta ignitione, quæ gloria eſt animarum noſtrarum; promiſſa eis in futura renovatione mundi. Non enim habuerunt hujuſmodi gloriam Angeli, qui mali ſunt, & cacodæmones vocantur. Ab illa enim, cũ ſit vera, & completa fœlicitas, non fuit caſus poſſibilis, neque tranſmutatio juxta ſermonem Ariſtotelis, quo dixit in libris Ethicorum, fœlicitatem eſſe actum intranſmutabilem. Ipſa enim tranſmutabilitas à ſtatu hujuſmodi, ſive amiſſibilitas illius, pars eſt miſeriæ. Vera autem, & perfecta fœlicitas nihil habet admixtum miſeriæ, quemadmodùm ſe habet, & in omnibus verè contrariis; hoc eſt, quæ differunt differentiâ completâ. Neutrum enim talium habet aliquid admixtum alterius, cùm contrarietas differentia completa ſit inter qualitates ejuſdem generis: minùs autem ex neceſſitate ſemper differat mixtum, vel medium, ab utroque extremorum, quàm illa ab invicem. Alioquin non eſſet verè medium inter illa, immò nec eſſet etiam inter illa. Aggregata igitur ratiocinatione colligere potes ex omnibus, quæ dicta ſunt tibi per me de ubi ſanctorum Angelorum, & glorificandorum hominum in ſtatu futuræ gloriæ, quia nec impoſſibile, nec etiam improbabile eſt, eos ſimul habitaturos eſſe, & etiam perpetuò permanſuros in cœlo nobili, ac præclaro, de quo tibi toties facio mentionem, cùm animæ noſtræ, & corpora ſimul ſint in iſto mundo inferiori: licet aliter in eo ſint corpora noſtra modò, aliter animæ; ſic beatiſſimæ illæ ſubſtantiæ ſpirituales conſortium hominum glorificatorum nullatenùs refugiunt, quin potiùs & nunc deſiderant, & tunc illud amore incogitabili amplectentur, quemadmodùm conſortes erunt ejuſdem gloriæ. Gloria enim hominum glorificatorum quaſi tota erit in animabus, cùm gloria, quæ futura eſt corporum. ſit quædam effulgentia, & quædam redundantia ex illa. Ampliùs. Ad comparationem futuræ gloriæ animarum gloria futura corporum non poteſt dici pars, neque aliquid comparabile ad illam. Et propter hoc dixi, quia quaſi tota gloria hominum futura in animæ

Digitized by Google

mabus eorum erit, licet magna futura ſit pulchritudo, & nobilitas corporum eorum. Quòd ſi quis dicere voluerit, illam eſſe partem gloriæ cujuſcunque glorificandi hominis, tu de hoc ne contenderis, cùm ſano, & vero intellectu hoc dici poſſit, & etiam uſu communi dicatur. Erit igitur communis habitatio bonorum Angelorum, & hominum glorificatorum, & communicabunt in loco, & habitatione, quemadmodùm & in gloria, & communicabunt in ubi communicatione univoca beati Angeli cum animabus glorificatis, quantùm ad inhabitationem cœli illius. Habebunt tamen & animæ humanæ habitationem glorioſam in corporibus ſuis tunc, quemadmodùm nunc habent eam in eiſdem miſerrimam. Et ſi quis voluerit habitationem vel hanc, vel illam, nominare ubi, non contendo: neque ſi dixerit animas glorificatas duo ubi habitaturas, alterum, ſcilicet commune cum beatis Angelis, alterum verò propriū in corporibus ſuis, non oportet de hoc decertationē eſſe inter philoſophantes, cùm decertatio iſta nō de re ipſa, & veritate, ſed de nomine tantùm eſſet. Decertare autē non phyſicum eſt, ſed ſophiſticum, & puerilis eſt hujuſmodi litigioſitas.

CAPUT LXXXIII.

Quod animæ noſtræ non ſunt locus, ſive ubi Angelorum, nec econtra & quod cùm omnia ſint in Deo, & ipſe in omnibus, impoſſibile eſt ipſum inquinari.

QUòd ſi dixerit, quoniàm Angeli boni in animabus noſtris inhabitare dicuntur, cùm in eis apud Prophetas locuti fuiſſe ipſo Prophetarum teſtimonio ſciantur, non video, qualiter effugere poſſit, quin vice verſa dicere neceſſe habeat, & animas glorificatas habitaturas eſſe in illis. Quapropter habebunt ſuum ubi in animabus noſtris, & illæ in ipſis, hoc autem frivolum eſt in hujuſmodi ſubſtantiis, videlicet quòd altera ſit locus alterius, & econtrariò. Licet enim de creatore, & de animabus humanis, vel hominibus leges Hebræorum, & Chriſtianorum, atque doctrinæ earundem hoc recipiant, tamen in aliis eſt hactenùs inauditum. Quòd autem, & creator in animabus humanis inhabitet, & ipſe verſa vice ſit habitatio earum glorioſa, & paradiſus incogitabilis fœlicitatis, creberrimum eſt in utrorumque libris, & doctrinis. Et jam dixi tibi, qualiter univerſitas intra immenſitatem creatoris ſit. Ipſe enim eſt continens, & circundans omnia immenſitate ſua, & ipſe erit continens, & circundans glorificatos tam Angelos, quàm homines, infſnens in eos influentias nobiliſſimas, ac ſuaviſſimas, & implens eos impletione, poſt quam non relinquitur vacuitas ulla deſiderij: & dedi tibi exempla in hoc, & eſt infundens, & penetrans tam animas glorificatas, quàm Angelos beatos, ſecundùm exempla, quæ ſuper hoc audiviſti. Tertio verò modo eſt continens omnia, & habens apud ſe, per modum exemplaris, univerſa præſentia, præterita, & futura, & iſte eſt modus, per quem dicitur eſſe Socrates ubi ejus imago eſt. Mundus enim archetypus, ſive exemplaris, imago quædam eſt univerſi, quemadmodùm id, quod eſt in mente artificis, imago exterioris artificij, quod per artem ſuam vel operatus eſt artifex, vel operaturus eſt. Jam igitur tibi dixi hìc tres modos, quibus res dicuntur eſſe in creatore. Quartus modus eſt, quòd dicuntur eſſe in eo tanquàm in ſinu nutrientis, & conſervantis, ac protegentis. Et de hoc dixit quidam ex nobilioribus Philoſophis Italicis, quia Deus intra ſe omnia contineſt, ac nutrit. Et liber Chriſtianorum, quem librum ſapienti nominant,

E vocat omnium nutricem gratiam ipſius. Neque aliud intelligo ſinum, vel gratiam creatoris omnium nutricem, quàm ipſam bonitatem redundantiſſimam, influentiſſimamque ipſius, cujus redundantijs, & influentijs omnia nutribilia nutriuntur, omnia indigentia juxta ejuſdem beneplacitum ditantur, omnia per ſemetipſa ruentia, & in non eſſe, à quo per ipſum educta ſunt, recidentia, ſuſtentantur, ac retinentur omnia per ſemetipſa deficiētia cōſervantur, omnia decorabilia, quantùm in ea eſt, decorantur, & illuſtrantur uſque ad ultimum congruentium ſibi pulchritudinum, & perfectionum. Et intendo, quantùm in ea eſt, magnificentiſſimam largitatem ipſius, qua nulli dona ſua, vel beneficia denegat, aut ſubtrahit, quin potiùs multas ex no- F bilioribus creaturis ſola malitia earum ab eiſdem, ſcilicet inventa, & acquiſita, prohibet, & avertit, hæ ſunt maligni ſpiritus, & mali homines. Et hæc malitia, quantùm diſpliceat, judicia ejus, non ſolùm manifeſta, ſed etiam occulta declarant, illis potiſſimùm, quibus ea manifeſtare dignatur, & hoc ſecundùm datum, & menſuram gratiæ ſuæ. Quaſi igitur natat univerſum in ipſa amplitudine ſpatioſiſſima bonitatis creatoris, & hoc, ſicut ſæpe dixi, abſque coanguſtatione, & compreſſione ulla, quemadmodùm univerſitas piſcium in amplitudine, atque profunditate maris, & quaſi volitat velut avicula in ſpatioſitate aeris. Et hujus exemplum nonnullum eſt univerſum ſcientiarum, & virtutum exiſtentium in ipſa amplitudine capacitatis animæ unius, in qua ſi infinitæ tantæ multitudines eſſent, G non minori ſpatioſitate, aut largitate in ea eſſent, quàm paucæ illæ, & numerabiles, quæ in ea ſunt. Quapropter manifeſtum eſt, quia cùm tanta ſit ad hujuſmodi locabilia ſua capacitas animarum humanarum, conſequens eſt ex neceſſitate amplitudinem creatoris non ſolùm eſſe infinitam, & immenſurabilem, ſed etiam magnitudine ſibi congruente inæſtimabilem. Attende autem & tibi, & alijs à ſtultitia intolerabili quorundam imperitorum, qui negaverunt creatorem ubique eſſe, ne fortè locorum immunditijs inquinaretur puriſſima, mundiſſimaque ipſius eſſentia, & non ſolùm indignum, immò contumelioſum arbitrati ſunt eſſe gloriæ ipſius, eſſe in locis hujuſmodi. Vide igitur imbecillitatem ipſorum in uno exemplo animæ humanæ, quæ in corpore humano, quod manifeſtum eſt eſſe vas ſtercorum, & multiplicium ſpurcitiarum, inhabitat, & moratur depuratiſſima, ac ſacratiſſima multoties, & quamdiu in eo eſt, ab hujuſmodi ſordibus mundiſſima. Neque enim ullo modorum receptibilis eſt inquinamentorum hujuſmodi, nec paſſibilis ab eis eſt per modum hujuſmodi, videlicet inquina- H tionis. Nec eſt poſſibile, ut ad ejus altitudinem attingant fæculentiæ corporales. Quantò fortiùs igitur non erit poſſibile, ut puriſſima illa ſublimitas eſſentiæ creatoris contaminetur, aut attingatur ullo modorum à ſordibus corporalibus. Iſti igitur erronei, & imbecilles ſic timuerunt gloriæ creatoris, quemadmodùm ſi timuiſſent animæ humanæ ab albedine corporis ſui albi, ne fortè dealbetur ab illa, vel ab ipſo, non attendentes incontingentiam, & inacceſſibilitatem, per modum iſtum albedinis ad animam humanam: ſicut enim color neceſſitate ſtat in corporibus naturali impoſſibilitate prohibitus à ſublimioribus, hoc eſt, incorporalibus ſubſtantijs; ſic multò ampliùs, & ſuper omnem comparationem, & cogitatum, prohibitæ ſunt inquinationes corporales à ſupereminentiſſima celſitudine creatoris. Juxta deliramenta imbecilliū iſtorum invenies, qui horreant, & timeant munditiæ creatoris, ſi audiverint univerſitatem ſubſtantiarum

Quod creator nulli creaturæ denegat dona & beneficia ſua, licet multæ ab eiſdem per ſuam malitiam ſe avertant.

rum

Digitized by Google

rum corporeatum, & incorporearum eſſe in ipſo, ne fortè accidat ei, quod accidit vaſis ſordes continentibus. Proculdubiò delirant univerſum eſſe in creatore, quemadmodùm in vaſe ampliſſimo, ac profundiſſimo. Adjuvaris igitur in hoc exemplo animæ humanæ juxta ſermones ſapientum qui dixerunt corpus humanum potiùs eſſe in illa, quàm ipſam in illo. Nec aliquis in hoc cogitavit corpus, quantumcunque ſordidum inquinare ipſam, nec etiam in corpore leproſo, quod ferè per totum infectione lepræ inquinatum eſt, lepra hujuſmodi aliquis unquàm animam opinatus eſt inquinari. Sufficit autem tibi ratiocinatio, quam præmiſi, indubitanter valida & irreſtagabilis, de incontingentia, & inacceſſibilitate, ſordium corporalium ad ſpirituales ſubſtantias. Præſertim cùm nulli intelligenti dubium ſit, quia corpus ſordidum nihil inquinat, niſi tactu ſuo corporali. Corpus verò non ad modum vaſis corporalis circumattactu continet animam, neque anima circumdatione ſimili conti- B net corpus. Nec eſt poſſibile ullo modorum, ut ſit tactus corporalis inter animam, & corpus, quod regitur ab illa. Adjuvaris etiam exemplo albedinis, quod poſui in præcedentibus. Ampliùs. Sicut non eſt eis timendum à grammatica, quæ in anima humana eſt, ne fortè grammaticum efficiat corpus, vel ab anima, quæ in ſe habet grammaticam, ſic nec ipſi grammaticæ, nec animæ, in qua eſt, timendum eſt à corpore, videlicet ne fortè corporalem illam efficiat, aut aliâ diſpoſitione corporali alterutram earum inficiat. Juſtam igitur habet admirationem, unde tam delirus error, tantaque imbecillitas intellectus eis irrepſerit, ut videre non valerent diſpoſitiones quaſcunque corporales nihil hujuſmodi poſſe in ſubſtantias ſpirituales, aut econtratiò.

Quòd corpus non continet animam nec anima corpus, ſicut vas continet liquorem.

Quia verò duæ prænominatæ leges, Hebræorum ſcilicet & Chriſtianorum, & prophetiæ utriuſque C gentis illius evidenter aſſerunt ſubſtantias illas ſpirituales, ac beatiſſimas mitti ad nos, & volare, propter multiplicia miniſteria, ſed & innumerabilibus apparitionibus earum hoc jam in utraque lege claruit; neceſſe eſt, ut ponatur eis ubi, quale convenit naturæ, & excellentiæ ipſarum, quoniàm neque volatus, neque miſſio ad hujuſmodi miniſteria, neque tranſlatio à cœlo ad terras, poteſt fieri ullo modorum circa hujuſmodi ſubſtantias, niſi eis alicujuſmodi ubi fuerit: quemadmodùm autem jam ſæpiſſimè dixi tibi per prophetas, & prædictarum duarum legum latores veritas rerum divinalium, quam fides ſalutaris continet, divinæ bonitatis piiſſima dignatione primùm revelata eſt, deinde illuminatus, & multipliciter adjutus rectè philoſophantium intellectus circa res divinales directus eſt, in earumque inquiſitione, & certitudinis de ipſis acquiſitione incredibiliter profecit. Quapropter nullo modo- D rum recedi poteſt à veritate quam ſcripſerunt, & ſuis ſermonibus mundo tradiderunt, abſque errore impio, & intolerabili. Neceſſe igitur habemus ponere ſubſtantiis iſtis ubi, & habitationem, ſive manſionem, congruentiæ ſuæ, non autem circundationem circumſcriptivam, aut localem circumſcriptionem, quoniàm hoc natura ſpiritualitatis pati non poteſt.

CAPUT LXXXIV.

An Angelus gubernans unum regnum poſſit eſſe ſimul in diverſis partibus illius, ſicut anima in partibus corporis.

QUòd ſi quis quærat, cùm anima humana neceſſe habeat eſſe in toto corpore, ſaltem quan- A tùm ad partes viventes, per quas ſenſibiles operationes ſuas exercet, quoniàm niſi per præſentiam ejus inibi exerceri non poſſunt, quomodò non potiùs omnes ſubſtantiæ angelicæ, de quibus agitur, in omnibus locis, in quibus præſentiam earum requirunt ſibi injuncta miniſteria, ſimul erunt? exempli gratiâ, ut Angelus Perſarum, juxta nominationem propheticam, in omnibus partibus ejuſdẽ regni, in quibus miniſteria ejuſdem neceſſaria ſunt, præſentialiter ſimul ſit. Præſertim cùm miniſteria illa, niſi per præſentiam illam explere non poſſit. Reſpondeo, quia non eſt neceſſe, neque etiam poſſibile, ut in omnibus illis partibus præſentialiter ſimul ſit princeps ille Perſarum Angelus, cùm ſubitò præſentiam ſuam exhibere valeat cuicunque parti, cui neceſſaria eſt, nec eſſe poſſit moræ, vel moroſitatis periculum. Quòd ſi dixerit quis, quia in multis, & remotis partibus ejuſdem regni poſſunt oriri plurima negotia, quorum unumquodque præſentiam ejus requirat. B Reſpondeo in hoc, quia non eſt veriſimile per unum ſolum hujuſmodi principem totum regnum miniſtrari, ſive regi. Quare veriſimile eſt datam ei eſſe ab Imperatore univerſali, qui eſt creator benedictus, multitudinem angelicarum ſubſtantiarum, ut ſint ei in adjutorium, & cooperationem miniſteriorum ſuorum, quapropter non oportet, ut omnia regni illius negotia præſentiam ipſius ex neceſſitate requirant, immò plurima illorum per minores illi adjunctos angelos expedivit. Dico etiam in hoc, quia ſi ſolus eſſet, ſuppleret velocitate exhibitionis præſentiæ ſuæ miniſteria multitudinis, & prohiberet à negotiis emergentibus omnia diſpendia moroſitatis: ſi verò quæſierit quis, quomodò vel propter quid, diverſitas, & multitudo negotiorum expediendorum non cogit ipſum ſimul eſſe in omnibus partibus, in quibus per præſentiam ſuam expedienda C ſunt negotia, quemadmodùm diverſitas operationum cogit animas noſtras eſſe in omnibus membris noſtris, in quibus non niſi per eam operationes perficiendæ ſunt: Reſpondeo in hoc, quoniàm diverſitas, & multitudo operationum hujuſmodi non facit animas noſtras debere eſſe in membris ſingulis, aut aliis quibuſcunque partibus ſimul, quin potiùs, quoniàm anima humana eſt ſuſtinens, vivificans, & portans omnia membra corporum noſtrorum, & ſingula & eſt retinens ea in eſſe, alioquin fluunt, & recidunt per corruptionem in non eſſe: ſimilis autem neceſſitas non invenitur in partibus regni Perſarum, vel alterius, ſimiliter neque in partibus cœli ultimi, quantùm ad hujuſmodi ſubſtantias. Et intendo, quòd partibus cœli non eſt vita, neque ſuſtentatio, neque retentio in eſſe per aliquam hujuſmodi ſubſtantiarum, ſed eſt ſolummodò locus, & habitatio congruentiſſima gloriæ ipſorum. Quòd ſi quis dixerit, hujuſmodi D ſubſtantiis non eſſe locum corporalem, ſed ubi ſpirituale tantùm? quemadmodùm generibus, & ſpeciebus, aliiſque univerſalibus, quoniàm communicant eis in abſtractione, & in eſſe ſeorſum à materia, & materiæ conditionibus, & cùm interrogatus fuerit, ubi ſint ſubſtantiæ hujuſmodi, nolit aliud reſpondere, quàm, ubi ſunt genera, & ſpecies, & alia univerſalia, quæ videntur prohibita ab omni ubi corporali, dico, quia ſermo hujuſmodi multùm longè eſt à ſpe, & fide communi, & à ſermonibus prænominatarum duarum legum, atque à promiſſionibus, quæ per Prophetas Dei dilectis, & electis hominibus factæ ſunt, inconſonabiliter diſcrepans, & deſtructio ejus eſt deſtructio univerſalium juxta poſitionem Platonis ſecundùm intentionem Ariſtotelis; neque enim habet alias vias ad deſtruendum iſtum ſermonẽ præter vias Ariſt. & illas,

Quòd non oportuit Angelum Perſarum eſſe in qualibet parte regni illius propter miniſteria diverſa.

Digitized by Google

Contra erroneos, qui dicunt quod Angeli non habeant locum corporalem, ſed ubi ſpirituale tantum, ſicut generis, & ſpeciei.

quas per me in præcedentibus didiciſti. Falſo namque fundamento innititur ſermo iſte, hoc eſt, poſitione univerſalium ſecundùm quod Ariſtoteles intendit deſtruere illam. Ampliùs. Sermo iſte evidenter contradicit viſionibus, & revelationibus Prophetarum, qui expreſsè teſtantur ſe vidiſſe exercitus angelicos in cœlo. Teſtes autem de viſu certiſſimi ſunt de viſu, ſeu viſione rerum, quas teſtificantur. Quòd ſi quis hujuſmodi teſtibus non eſſe credendum dixerit, vel ipſemet credere noluerit, manifeſtum, ipſum eſſe intolerabiliter incredulum, cumque deductum eſſe ad illud incredulitatis extremum, vel nulli hominum credat, nulli credendum eſſe concedere cogatur. Si enim Prophetas indignos fide judicat, quos ſpiritu Dei altiſſimi locutos fuiſſe tot, & tantis ſignis, & prodigiis, declaratum eſt, reſtat ei ex neceſſitate non ſolùm, ut nullis teſtibus ſed etiam, ut nec ipſi creatori, qui eſt benedictus in ſæcula credat, cùm ipſe creator in omnibus, quæ ſignis, & miraculis approbat, teſtem ſe exhibeat, & ipſa ſigna, & miracula teſtimonia ſunt quædam, & affirmationes, atque confirmationes propheticorum ſermonum & quia à Deo altiſſimo miſſi ſunt, & ab eodem eſſe mandata, quæ prædicant, & annunciant, quibus miracula atteſtantur. Jam igitur ſatisfactum eſt tibi ſuper hoc, videlicet propter quid principes illi angelici, qui regendis regnis ſingulis ſinguli deputati ſunt, non habent neceſſitatem eſſendi præſentialiter ſimul in omnibus, & ſingulis partibus uniuſcujuſque regnorum ſuis miniſteriis commiſſorum: anima verò humana neceſſitatem habet hujuſmodi propter ſuſtentationem, & vivificationem ſingulorum membrorum corporis, quod regitur ab eadem. Et hoc apparet ex ſeparatione ejuſdem ab illo, vel à quocunque membro ipſius, ſeparatione inquam ipſius vel ab ipſo toto corpore, vel à quocunque membrorum illius, & ipſum corpus, & illud membrum ſtatim extinguitur à vita, atque corrumpitur, & in putredinem reſolvitur. Nulli autem regnorum nulli parti cujuſcunque illorum, quicquam deperit, quantùm ad eſſe, ex receſſu, ſeu ſeparatione principum, ſeu rectorum hujuſmodi ab ipſis.

CAPUT LXXXV.

Quod Angeli ſancti ſint in ſuo cœlo collocati ad ſimilitudinem ſtellarum.

DE collocatione verò, atque ordinatione ſanctorum Angelorum in cœlo ſuæ habitationis non aliud, neque aliter ſentiendum adhuc mihi videtur, quàm quod apparet ex collocationibus ſtellarum in cœlis ſuis, evidentiùs autem in cœlo ſtellarum fixarum, ubi nemo intelligens dubitare poteſt, quin à ſapientiſſimo, omnipotentiſſimoque creatore collocatæ, & ordinatæ ſint eo decore, atque decentia, quibus vidit convenientius hoc fieri poſſe, & hoc juxta exigentiam, ſeu congruentiam partium ejuſdem cœli. Stellæ namque Septentrionales non congruebant partibus cœli auſtralibus, neque econtrariò. Quemadmodùm & numerus ſtellarum Septentrionalium non congruebat parti auſtrali, immò minor. Quapropter factus eſt numerus ſtellarum Septentrionalium major, quàm numerus ſit auſtralium; ſicut apertè declaravit Ptolemæus in libro, quem vocavit Almageſti, in quo numeravit notabiles in utraque parte, hoc eſt, Septentrionali & auſtrali, & quod dixit de notabilibus, ſimiliter ſe habere de his, quæ notari præ parvitate ſua non potuerunt ab Aſtrologis, veriſimile eſt. Non enim dubitandum eſt in tam nobilibus, atque ſublimibus operibus omnipotentis, ac ſapientiſ-

E ſimi creatoris, nihil incongruentiæ, vel indecentiæ prorſùs eſſe. Sed neque ſentiendum eſt ullo modorum majorem numerum ſtellarum congruiſſe parti auſtrali, vel minorem parti Septentrionali, quàm alteutri earum à creatore datus ſit. Alioquin incongruenter, vel indecenter de ſtellarum numeris dictis partibus providiſſet. Juxta hunc modum dicendum arbitror, videlicet ut caput ſigni arietis ſignum libræ non decuerit, hoc eſt ſtella, quæ eſt in capite arietis, in capite libræ eſſe non debuit, aut econtrariò. Quemadmodùm neque ſignum libræ collocandum fuit, ubi ſignum arietis collocatum eſt, nec vice verſa, neque Orion ubi major, aut minor urſa, neque Arctophylax ubi pleiades ſunt, & ad hunc modum de aliis. Alioquin nec ſtellas ſingulas, nec ſigna, ſeu imagines ex ſtellis aggregatas, ordine debito creator diſpoſuiſſet, quin potiùs ordinem perverti ſſet. Evidentius autem apparebit tibi hoc in corpore humano, vel alterius animalis. Ubi conſideranti, & intelligenti
F manifeſtum eſt oculos nec in alia parte, quàm in corpore, nec in alia parte capitis, quàm in anteriori, nec in alia etiam parte anterioris, quàm ſub fronte & ſuperciliis collocari debuiſſe. Quòd ſi cœlum ſtellatum animal eſt, quemadmodùm viſum eſt nobilioribus Philoſophorum Græcorum, & Arabum, erit ex neceſſitate ſimiliter ſentiendum de ordinatione partium ipſius, quemadmodùm de ordinatione partium corporis alterius animalis, nec decet te, nec expedit tibi, ut diligentiam meam prolixitatem repules, cùm apud omnes manifeſtum ſit, in rebus à conſuetudine noſtra tam remotis probationes philoſophantibus ſuppetere non poſſe ad cõpletam declarationem. Et hæc eſt cauſa, propter quam prorogo, & aggrego tibi tantam multitudinem, ac varietatem exemplorum, atque ſimilitudi-
G nem. Adjuvantur enim non mediocriter ipſæ probationes exemplis, & ſimilitudinibus, & ad tam ſublimia, & ſpiritualia intelligenda ſimilitudo exemplorum via eſt aptiſſima, atque intellectibus humanis adjuvandis, & erigendis efficaciſſima.

CAPUT LXXXVI.

De vero ubi Angelorum, & ſanctarum animarum, qui eſt Deus, & quo ſenſu ſit verum cœlum eſſe habitationem Angelorum.

UT autem ad ipſam veritatem de ipſo vero ubi ſanctorum, ac beatiſſimorum Angelorum, necnon & electorum, ac dilectarum Deo altiſſimo animarum, per viam probationis intellectum tuum elevẽ, & adducam, attende inprimis, quia inclina-
H tio, & motus in corporibus indicant naturale ubi uniuſcujuſque illorum, ſicut vides de inclinatione, & motu in deorſum, ſive mundi medium, indicare naturale ubi corporum gravium, quod eſt ipſum mundi ſublunaris medium. Et econtrariò inclinatio, & motus in ſurſum indicant in corporibus levibus ipſum extremum mundi ſublunaris eſſe locum naturalem ipſorum, & apud ipſum eſſe ubi eorundem. Veriſimile etiam eſt ut ſi aliqua ex ſtellis eſſet in iſto mundo ſublunari, quod non quieſceret in eodem, quin potiùs tota virtute naturæ ſuæ ferretur in ſublime regionis cœleſtis. Juxta hunc modum manifeſtè ſe habet & in animabus noſtris, quia non quieſcunt quantùm ad vires ſuas nobiles, atque præcipuas, niſi in ſublimitate, & amplitudine creatoris. Et propter hoc omne aliud quantùm ad hoc carcer, & captio eis eſt, & mora in eo captivitas miſerabilis. Jam etiam declaratum eſt tibi multipliciter aliàs, & per me, quia non eſt vera quies,

Digitized by Google

ſed ſomniata tantùm in corporalibus delitiis ſecundùm vires hujuſmodi, tum propter hoc, quia animæ noſtræ, cùm evigilaverint in eis hujuſmodi vires, reſpuunt hujuſmodi delitias, tanquàm ſordes abominabiles, & ſugiunt ab eis, tanquàm à venenatis, atque mortiferis, tum etiam propter hoc, quia nulli quærunt eas, niſi illi, in quibus vires iſtæ ſopitæ, & quaſi ſepultæ ſunt, tum propter hoc, quia ſicut viribus ſenſibilibus non eſt poſſibile quieſcere verè in ſpiritualibus bonis; ſic neque viribus ſpiritualibus poſſibile eſt quieſcere verè in ſenſibilibus, ſive corporalibus bonis, tum etiam propter hoc, quia corporalia, ſive ſenſibilia bona inquietiſſima ſunt, & paſſionibus innumeris obnoxia, quibus neceſſe eſt amatores eorum exagitari, atque torqueri. Cùm enim amor unio quædam ſit amantis, & amati, per quam unum ſpiritualiter amici invicem dicuntur: neceſſe eſt, ut amato patiente quamcunque læſionem, eam in amantem redundare, ſi ad notitiam pervenerit illius. Ex his igitur omnibus patefactum eſt tibi non eſſe veram quietem animabus noſtris ſecundùm nobiles, ac ſublimiores vires ſuas, apprehenſionibus aut obtentibus rerum quarumcunque aliarum à creatore. Ampliùs. Cùm intellectus, ſeu vis intellectiva noſtra, natus ſit apprehendere creatorem apprehenſione luminoſiſſima, & hæc ſit fœlicitas, ac beatitudo ipſius, quoniàm ultima perfectio ejuſdem, ſimiliter & vis motiva nobilis noſtra ſublimis, ac ſpiritualis nata ſit conjungi eidem, & obtinere ipſum, ipſoque frui fruitione ultimæ jocunditatis, poſtquam non eſt poſſibile eſſe jocunditatem, manifeſtum eſt ipſum creatorem eſſe non ſolùm maximum bonum ejus, ſed etiam finale, & completivum perfectionis ipſius, atque impletivum totius poſſibilitatis ejuſdem, impletivum inquam impletione ultimæ ſatietatis, & plenitudinis, qui nec quicquam famis relinquat deſiderii, nec quicquam vacui. Quare manifeſtum eſt omne aliud bonum non eſſe, nec plus, niſi viam ad hunc finem ultimum. In via enim non eſt natum aliquid quieſcere quiete naturali, cùm in ſolo fine naturali omnium motuum quietem eſſe poſſibile ſit. Quare non eſt poſſibile, ut vera quies ſit animabus noſtris, quantùm ad vires hujuſmodi, niſi circa creatorem. Quare omnes motiones animatum noſtrarum ſpirituales, quæ rectæ, & perfectæ ſunt, in hunc finem ultimum ſunt; quemadmodùm ſe habet in corporalibus motionibus; quæ enim non ſunt in finem, propter quem debebat eſſe motus, aut erroneæ ſunt, aut imperfectæ: erroneæ, ſi in aliud, quod non ſit medium, aut via ad finem hujuſmodi; imperfectæ verò, ſi in viam, vel medium ſunt, & finem ultimum non attingunt. Ex omnibus igitur his manifeſtum eſt locum naturalem, & patriam unicam, omnium ſubſtantiarum ſpiritualium nobilium eſſe creatorem, & apud ipſum, & in eo ſolo eſſe verum, ac proprium ubi earum, ſicut egregius ex philoſophis Italicis dixit in libro ſuo de natura deitatis his verbis: Nihil, inquit, aliud mihi Deus eſſe videtur, quàm urbs quædam, & patria beatorum ſpirituum, & animarum in eo beatè degentium, atque viventium; ſicut enim locus corporalis naturalis eſt unicuique corpori, in quo ſolo vivere, & quieſcere natum eſt; ſic ex neceſſitate unicuique ſubſtantiæ ſpirituali locus ſpiritualis proprius, ac naturalis eſt ille, in quo ſolo verè quieſcere nata eſt. Quapropter ubi ſubſtantiarum hujuſmodi apud creatorem, & in ipſo ſolummodò eſt, & ipſe verus, ac naturalis, & proprius locus earum. Ampliùs neque natæ ſunt hujuſmodi ſubſtantiæ ad aliud, vel in aliud moveri, neque in alio quieſcere. Omne autem

Quod creator eſt verum ubi animarum, & angelorũ.

A quod eſt natum moveri, vel mobile naturaliter, ad illud ſolum, vel in aliud ſolum eſt natum moveri, ſive ſpiritualiter, ſive corporaliter mobile ſit, quod ejus locus naturalis ac proprius, & apud quod eſt ejus ubi verum, ac proprium. Quare manifeſtum eſt quod dixit antedictus philoſophus, creatorem eſſe velut urbem quandam, & patriam animarum, atque ſpirituum, in eodem beatè degentium, ſive viventium. Quod ergo ſapientes Chriſtianorum dixerunt, quia cœlum ultimum, id eſt decimum, eſt habitatio, & patria Sanctorum, & beatiſſimorum Angelorum, habet etiam cauſam ſuæ veritatis, & intellectum convenientem, quoniàm inibi creatos eos dixerunt iidem ſapientes; & propter hoc apud gentem Chriſtianorum celigenæ crebrò vocantur. Non enim eſt ei motus in cœlum, vel ad cœlum illud, vel ad quodcunque aliud corpus, ſeu corporale, motus inquam deſiderii naturalis. Manifeſtum enim eſt quietem naturalem, aut perfe-
B ctionem ſpiritualem, non poſſe eſſe ſubſtantiis abſtractis in corpore, vel corporalibus, cùm omnes perfectiones earum ſpirituales omninò ſint. In corporibus autem, & corporalibus, perfectiones ſpirituales eſſe indubitatum impoſſibile eſt. Sed & nemo intelligens ignorat naturam fruſtra movere, aut quamcunque perfectionem naturaliter eam quærere, ubi eam eſſe impoſſibile eſt. Quapropter prohibitæ ſunt ſubſtantiæ abſtractæ ab hujuſmodi inquiſitionibus; & quoniàm omne naturale deſiderium eſt inquiſitio perfectionis naturalis, quæ eſt perfectio per ſe, manifeſtum eſt ſubſtantias hujuſmodi nec in cœlos, nec in alia corpora, vel corporalia moveri deſiderio naturali per ſe. Quare ſi deſiderio aliquo moventur in illa, vel ad illa, non eſt hoc deſiderium naturale, neque motus hujuſmodi eſt per ſe ad illa, vel in illa; ſed quemadmodùm ex juſſione creatoris veniunt interdùm in mundum iſtum inferiorem propter explenda mandata aliqua
C ipſius: ſic interdùm & ad cœlos mobiles. Quòd enim ſteterunt Sol, & Luna, donec duplicaretur dies, ſicut narrat lex Hebræorum, miniſterio alicujus ex hujuſmodi ſubſtantiis factum fuiſſe veriſimile eſt, & ad hoc illam jubente creatore veniſſe quemadmodùm & de aliis mirabilibus Dei altiſſimi, quæ in iſto mundo inferiori narrant hebræorum, & Chriſtianorum hiſtoriæ, ea videlicet facta fuiſſe miniſterio ſanctorum Angelorum ad hoc miſſorum. Sermo autem, quo dicitur ſanctos Angelos in cœlo ultimo creatos eſſe, illum videtur habere intellectum, videlicet, quòd ſtatim, hoc eſt, abſque ullo intervallo temporis, & in ipſa creatione ſua in cœlo apparuerunt. Poſſibile enim fuit omnipotenti creatori illos creare ante omnes cœlos, & ante omnia corpora, quoniàm non requirebat natura eorum cœlorum exiſtentiam, vel aliorum corporum, cùm ſit naturaliter abſtracta à corpore, & nullo modorum pendens ex ipſo.
D

Quomodo intelligendum ſit, quod cœlũ ſit habitatio angelorum.

CAPUT LXXXVII.

Quòd ſi Deus creaverit Angelos ante creationem omnium corporum, creavit eos in amplitudine ſuæ immenſitatis.

QUòd ſi quærat quis, ſi creaſſet Deus altiſſimus Angelos ſanctos ante creationem omnium corporum, ubi creaſſet eos? Manifeſtum eſt, quòd in amplitudine ſuæ immenſitatis: ex quo etiam manifeſtum eſt, quia illa eſt naturalis locus ipſorum, cùm ſit locus creationis, ſive generationis ipſorum proprius. Locus enim generalis naturalis univerſa-

Digitized by Google

juſque videtur eſſe locus naturalis ejuſdem: quòd enim grando, & nix, & pluvia generantur in ſublimi, non eſt ex natura grandinis, ſed inde eſt, quia materia grandinis inventa eſt in ſublimi à frigiditate, & ſiccitate. quæ ibi erant non ſecundùm naturam. Hujuſmodi enim frigiditas, & ſiccitas, potiùs naturaliter eſſe habent in regione duorum inferiorum elementorum, ſcilicet aqua & terra. Tu autem manifeſtè vides terram ibi eſſe ubi creata, vel generata eſt. Et manifeſtum eſt tibi cœlos non mutaſſe loca ſuæ creationis, vel generationis, nec inde eſſe motos. Ampliùs. Secundùm hoc manifeſtum eſt ipſam amplitudinem immenſitatis creatoris patriam eſſe propriam ſubſtantiarum abſtractarum: cùm patria unicuique ſit ubi, & unde natum eſt, & inde unumquodque eſſe dicatur, ubi natum eſt, ſicut Græci, & Arabes, vocantur, & de Græcia, vel Arabia eſſe dicuntur, qui ibi nati ſunt.

F

Patria verò ſi naturalis eſſet unicuique, naturale ubi illius eſſet unicuique in illa. Accidit autem plerumque, ut genitus, vel conceptus in una regione, naſcatur in alia, & transferantur homines à natalibus regionibus ad alias, ſicut & de animabus noſtris futurum ſperamus ex promiſſionibus creatoris benedicti; naſcuntur enim, ideſt creantur in corporibus noſtris, ſicut per me alibi didiciſti, & transferendæ ſunt ad patriam, atque conſortium ſanctorum, ac beatiſſimorum Angelorum. Quemadmodùm transfertur miles benè meritus à tabernaculo militiæ ad aulam regiam, vel imperialem, ut in ea honoretur, & exaltetur, interdùm etiam ad regnum, vel aliam dignitatem, interdùm etiam de propria domo abſque ullo merito militationis, ſicut jam didiciſti de parvulis ſacramentis ſanctificatis in ætate parvula, antequàm ſit eis virtus, ſive poſſibilitas contra peccata, & vitia militandi, didiciſti inquam ex doctrina, & fide Chriſtianorum. Vides igitur manifeſtè, quia ubi ſubſtantiarum nobilium

G

abſtractarum non eſt niſi in creatore per ſe, quoniàm non eſt eis quies niſi in ipſo, & apud ipſum. Unicuique autem ſubſtantiæ, ſive ſpiritualis ſit, ſive corporalis, quies eſt vera, ac perfecta naturaliter in ſuo ubi, & nullo modorum alibi. Quia ergo Angeli ſancti in ipſo puncto ſuæ creationis cœlum ultimum repleviſſe dicuntur, vel potiùs cœlum ultimum repletum eis tunc fuiſſe dicitur, potiùs ſecundùm effulgentiam, quàm ſecundùm localem continentiam, intelligendum eſt, quoniàm totum cœlum illud effulgentiis eorum ſplendidatum eſt, ac decoratum. Quemadmodùm & cœlum ſtellarum fixarum fulgoribus totum ſplendet, ac retinet, & eis quodammodò repletum eſt. Et propter hoc etiam ſtellis repletum dicitur, non quia corporeitate ſtellarum totum plenum ſit. Juxta quem modum non inconvenienter intelligitur ſermo ille ſapientis, quo dictum eſt; Spiritus domini replevit orbem terrarum, non quia

H

ipſa ſubſtantia ſpiritus Dei repletiva loci per ſe, ac propriè ſit ſed quia ingenti ubertate, ac largitate donorum omnes creaturas ditat, ac replet. Vas quippe replere, vel implere dicitur, & liquor, qui ejus capacitatem totam occupat, & ipſe, qui liquorem in ipſum infundit, vel mittit. Ampliùs.

Quod quicquid boni poteſt eſſe alicui creaturæ ex ſuo ubi, totū illud eſt Angelis ex habitatione in amplitudine immenſitatis creatoris.

Manifeſtum eſt tibi, quia quicquid decoris, utilitatis, aut alterius cujuſcunque boni, poteſt eſſe ex ſuo ubi alicui creaturæ, totum eſt angelis ſanctis ex inhabitatione, qua inhabitant in ipſa amplitudine immenſitatis. Quemadmodùm enim vita eſt radicibus vegetabilium ex ipſa terra, in qua infixæ ſunt, & ex ipſa radice diffunditur vita hujuſmodi in totum unumquodque vegetabilium, quantò fortiùs ex inhabitatione in ipſo creatore inavellabiliter in ipſo radicata erit unicuique ſanctorum Angelorum, & ſimiliter beatarum animarum vita nobilis tam naturæ, quàm gloriæ? Sic gemmis ex auro grata renitentia, ſic ex vitro vino flavor delectabilis, ſic gemmis ab invicem coruſca vernantia, ſeu vernans coruſcantia. Quare manifeſtum eſt ex exemplis hujuſmodi, ex inhabitatione prædicta in ipſo creatore decorem incogitabilem eſſe ſanctis Angelis, cùm nulla collocatio naturalis, nulla adhærentia, decentia, ſeu convenientia, comparabilis ſit ei collocationi, & ordinationi, quibus ſubſtantiæ hujuſmodi in ipſa amplitudine, ut ſæpe dixi, immenſitatis creatoris intelligibiliter collocatæ, atque ordinatæ ſunt. Cauſa autem in hoc, quoniàm nihil magis conveniens cogitari poteſt, nihil magis debitum quàm eos inſeparabili adhærentia fixos eſſe in ipſo creatore ſecundùm omnes vires ſuas nobiles. Neque enim eouſque decere poteſt creaturam quamcunque aliquid, ut vim intellectivam angelicam immobiliter fixam eſſe contemplatione & admiratione in luce & pulchritudine creatoris, & ſimiliter vim motivam concupiſcibilem, ſcilicet nobilem, amore, & gaudio inexpreſſibilibus in bonitate, & ſuavitate ejuſdem. Eodem modo conſequens eſt & de iraſcibili nobili, quæ eſt inquiſitrix altitudinis, & eminentiæ, non minùs decens eſſe, ut ipſa fixa ſit in honore, & gloria creatoris ultimitate ſubjectionis, & obedientiæ; cùm enim inquiſitrix ſit altitudinis, & ſupereminentiæ virtus hujuſmodi, hæc autem altitudo, immò culmen altitudinis, & ſupereminentiæ, tam Angelicarum ſubſtantiarum, quàm animarum noſtrarum, videlicet, ſit ultimitas ſubjectionis, & inferioritatis ad ipſum, neceſſe eſt, ut in hoc ſit ei quies, & pax uſquequaque completa. Neceſſe igitur eſt ex omnibus his in ſolo creatore quietem eſſe & pacem omnibus ſubſtantiis hujuſmodi, & hoc naturaliter. Quapropter manifeſtum eſt ſolum creatorem eſſe locum naturalem ipſarum, & in eo, & apud ipſum eſſe ubi naturale ipſarum. Cùm hoc autem non debet tibi eſſe dubium creatorem eſſe habitationem gloriæ earundem, & ubi, ut ita dicatur, gloriæ illarum eſſe apud ipſum. Ampliùs. Nulli intelligenti dubium eſſe poteſt, quin creatori poſſibile fuit creare ſubſtantias hujuſmodi, hoc eſt, ſpirituales, & ſeparatas, ſive ſpoliatas antequàm cauſaret mundum corporeum, vel quamcunque ſubſtantiam corpoream, & hoc duabus de cauſis: primùm, quoniàm creatio ipſarum non pendet ullo modorum ex creatione, vel exiſtentia corporis vel corporum, ſimiliter nec eſſe earundem: ſecundò, quia ordine naturæ priores ſunt tam perfectione, quàm dignitate: quæ autem priora ſunt hoc modo, non indigent poſterioribus, quare multò minùs indiguit creator, vel creatione, vel exiſtentia mundi corporei, vel cujuſcunque ſubſtantiæ corporeæ ad creationem ipſorum. Poſſibile igitur fuit omnipotentiæ ipſius creare eas necdùm creato mundo corporeo, nec alia ſubſtantia corporea. Quæro igitur ubi creaſſet eas, ſi tunc illas creare voluiſſet? Manifeſtum eſt, quoniàm extra locum omnem corporeum, aut corporalem, cùm tunc locus hujuſmodi nullus eſſet. Locus autem ſpiritualis nullus tunc eſſet, niſi ſola amplitudo immenſitatis creatoris. Si igitur non fuit poſſibile eas creari, niſi in loco vel corporali, vel ſpirituali, neceſſe eſſet eas fuiſſe creatas in ipſa amplitudine immenſitatis creatoris, & intra ſemetipſum tantum creatorem creaſſe illas; poſtmodùm verò qualiter ejeciſſet eas creator à ſemetipſo, & in mundo corporeo collocaſſet illas, cùm etiam ipſum mundum corporeum non extra ſe, ſed intra ſuæ immenſitatis ambitum creaſſet?

CAPUT

CAPUT LXXXVIII.

Quòd creator non tangit mundum, nec mundus ipſum, & quomodo totum mundum eſſe in amplitudine ipſius creatoris intelligitur.

Qualiter totus mūdus eſt in amplitudine immenſitatis creatoris nec tangit mundum, nec mundus ipſū.

QUia verò brevis intellectus, & paucæ exercitationis homines, mundum corporeum eſſe intra ipſum creatorem, nec conſiderare, nec capere, nec etiam cogitare prævalent, qualiter ſanctus, & ſapiens dixerit, omnia eſſe in ipſo, conveniens eſt, ut hoc cognoſcas, etiam per exemplum, quod talibus ſufficere debeat. Dico igitur, quoniàm quemadmodùm anima humana in corpore, quod vivificat, & regit, proxima eſt unicuique parti ejuſdem, & hoc abſque tactu vel contactu illius; ſic & univerſum eſt in ipſo creatore, & ab ipſo circundatur, vel ambitur, nec tamen tangit illud, vel totaliter, vel ſecundùm partem, vel tangitur ab eodem. Licet igitur proximus ſit ipſi, & unicuique partium ejuſdem, & econtrariò, impoſſibile tamen eſt ut tangat ipſum, vel tangatur ab ipſo. Et idem dico de anima humana, & de corpore, in quo eſt, ac de ſingulis partibus corporis illius. Manifeſtum igitur eſt, quòd abſque medio ſibi invicem proxima ſunt tam hæc, quàm illa, nec tamen ullo modorum contingunt, aut contingere poſſunt, cùm ſicut alibi didiciſti, contactus locum habere non poſſit ullo modorum, niſi in corporalibus. Ampliùs. Si contingerent ſe, aut contingerent ſe ſecundùm totum; quemadmodùm alibi audiviſti, quia mixtio eſt contactus ſecundùm totum, ſive contactus univerſalis, quod in prædictis exemplis nefas eſt cogitare, aut contingunt ſe ſecundùm partem. Et hoc iterùm impoſſibile eſt, cùm impartibile totaliter tangere non poſſit, pars autem continui omnis totaliter partibilis ſit. Quare non tanget ipſum niſi impartibiliter, & hoc eſt ſecundùm punctum. Hoc autem eſt dicere, quòd non tanget niſi punctum ipſius, & propter hoc ab illo ſolo tangetur. Sed declaratum eſt tibi jam in auditu Ariſtotelis impartibilia ſe invicem tangere non poſſe, quoniàm nec ſecundam partem, cùm impartibilia ſint, nec ſecundùm totum: quæ enim ſecundùm totum ſe invicem tangunt, hoc eſt, ſecundùm ſingula ſui, non tangunt ſe, ſed unum eſt totaliter immixtum alteri. Mirarentur etiam impetiti, ſi eis diceretur, quòd aliqua eſt propinquitas inter aliqua, quæ nec eſt contactus, nec ullo motu pervenire poſſibilis ad contactum.

CAPUT LXXXIX.

Similitudines ad cogitandum locum, ſeu ubi, ſubſtantiarum abſtractarum.

REvertar autem ad id, in quo eram; & dicam, quia id, quod movet, atque conturbat indoctos, & inexercitatos homines in parte iſta, eſt difficultas imaginandi, & intelligendi ſubſtantias abſtractas, & eandem difficultatem patimur circa æternitatem, & circa ipſum creatorem, & circa genera & ſpecies, & quæcunque alia, quæ ad hunc modum cogitanda, & conſideranda ſunt, propter quod & eſſe divinum, ſeu divinale hujuſmodi rebus attribuit Ariſtoteles, & ſequaces ejus, rebus hujuſmodi, ſcilicet immaterialibus, & ſpoliatis, quemadmodùm eſſe creatoris ſeorsùm à materia, & conditionibus ipſius, ſeorsùm à tempore, & loco juxta congruentiam ſuæ inferioritatis eas in hoc habere poſuerunt. Similiter & numerorum ordo, atque ſeries infinita abſque ubi, & quando; ſic ea,

A quæ in doctrinis, & diſciplinis per viam probationis ſciuntur, ut diametrum eſſe coſtæ aſymmetrum in ſcientia geometriæ, & omnes numeros in ſua proportione contra minimos ſe eſſe primos, & omnia illa hujuſmodi, quæ cogitabantur in abſtractione in ſpoliatione, quam dixi. Sicut igitur non eſt conſiderare diſtantiam localem inter numerum, & numerum, quoniàm nec cogitantur eſſe in loco, nec etiam ut in loco intelliguntur: & ad hunc modum ſe habet de omnibus prænominatis, quomodò non juxta hunc modum ſe habebit in ſubſtantiis ſpoliatis, ut neque in loco, neque ut in loco intelligantur, aut cogitentur, quod eſt dicere, ut neque in cœlo, neque in terra, nec in alia parte mundi? Quòd ſi dixerit quis, quia

B ſimilitudo iſta multam habet diſſimilitudinem, cùm hæc, quæ prænominata ſunt, ab omni motu quietiſſima ſint, & ab omni operatione vacantiſſima, & ut ita dicatur, tanquàm ſi mortua eſſent, nihil agentia, ſed & prorsùs nihil patientia, utpotè à mundo actionum, & paſſionum, & ab omni pugna potentialitatis, & actus, omnique conflictu contrariorum, tanquàm eſſent in mundo alio ſeorsùm, longè diſtantia: verùm ſubſtantiæ, de quibus agitur, nobiles, ac beatæ admirationi, & magnificationi, collaudationibus ejus, & jubilationibus, inceſſanter inſiſtunt, quemadmodùm ſermo ſanctus, & authenticus, ubi eras, inquit ex perſona creatoris, cùm me laudarent aſtra matutina, & mihi jubilarent omnes filii Dei? Animabus etiam electorum, & dilectorum Dei altiſſimi promittit unus ex nobilioribus hebræorum propheris hoc ipſum dicens: Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eru-

C ctabunt, & iterùm alio loco: Beati, qui habitant in domo tua Domine &c. Sicut igitur inceſſanter torrente voluptatis ſpiritualis, & incogitabilis, inceſſanter potabuntur, & inebriabuntur, ab ubertate domus Dei, quemadmodùm idem propheta teſtatur; ſic gratiarum actionibus, & collaudationibus magnificentiſſimæ gloriæ, & largitatis creatoris, totaliter vacabunt. A quo tam magnifica dona, tamque deſiderabilia jugi inundatione recipiunt. Alioquin tanto vitio ingratitudinis tantis bonis indignos ſe facientes à juſtiſſimo creatore privarentur eiſdem, nec ad punctum horæ illa fœlicitas tam inimica vitiis illas ferret. Similiter quoties mittuntur propter gubernationem humani generis, ſive ad illuminandos prophetas, ſive ad alia miniſteria, certum eſt eos operari operationem illuminationis in ipſis pro-

D phetis, & alia miniſteria interdùm in rebus corporalibus, ſicut fuerunt everſiones civitatum quarundam, & everſiones templorum idolatriæ, contritiones idolorum, & multa hujuſmodi. Qualiter autem operari eas poſſibile eſt, ubi non ſint? Ipſis igitur operationibus hujuſmodi manifeſtam eſſe faciunt evidenter præſentiam ſuam in rebus, in quibus operationes hujuſmodi perficiunt. Patens igitur eſt multam diſſimilitudinem eſſe inter poſitas ſimilitudines, & hoc utique nemo intelligens negabit. Ad hoc tamen adjuvaris per hujuſmodi ſimilitudines, ut abſtracta, & ſpoliata, quoquomodò imagineris habere quale ubi, videlicet ſpirituale, & non cogaris eis ponere ubi locale ullo modorum, neque ſitus, neque diſtantias, quas tibi pingit imaginatio propter depreſſionem intellectus tui.

Digitized by Google

CAPUT XC.

Quod inter ſcientias, & virtutes, & ſubſtantias angelicas multiplex ſimilitudo reperitur, & quod ſicut una, & eadem anima multarum ſcientiarum, ſic unus, & idem locus multorum angelorum eſt capax, & num unus ſpiritus poteſt eſſe in alio.

QUòd ſi diligentem conſiderationem feceris de ſcientiis, & virtutibus, qualiter in amplitudine animæ humanæ ſpatioſiſſimè collocatæ ſint, & quantò plures, atque majores fuerint, tantò ſpatioſius, adjuvaberis non parum ad intelligendum ubi ſubſtantiarum nobilium abſtractarum. Et apparebit evidenter tibi, quòd non eſt neceſſe, ut exercitus militiarum illarum diviſi ſint per ſingula, & diſtributi certis partibus cœli, vel diſperſi per agmina in amplitudine cœli ad inſtar muſcularum, vel aliorum volatilium agminatim in latitudine aëris volitantium, vel gregatim in ea quieſcentium, quemadmodùm ſe habent de quantacunque numeroſitate ſcientiarum, & virtutum in mente humana creatoris munere exiſtentium. Si verò dixerit, quia iſta etiam ſimilitudo diſſimilitudinem multam habent ad id, de quo agitur, cùm ſcientiæ & virtutes accidentia ſint, res verò de quibus agitur ſubſtantiæ, verùm indubitante eſt, quòd hæc diſſimilitudo eſt inter res illas, ſed multiplex ſimilitudo eſt inter eaſdem, primùm, quia utræque ſpirituales ſunt, deinde, quoniàm neutræ comprimunt ſe invicem, vel coanguſtant in ſuo loco, vel ubi, ſive aliæ in aliis, ſive ſimul in uno. Neque enim ſcientiæ vel virtutes, comprimunt ſe, vel coanguſtant in anima una, neque ipſam animam ullo modo coanguſtant, vel occupant occupatione, quæ prohibeat eam à receptione plurium, vel majorum, quemadmodùm fit in ſacris, & aliis vaſis corporalibus, quæ interdùm nimia repletione, vel occupatione, confringuntur, aut dirumpuntur; tertiò ipſam animam dixit Ariſtoteles, locum eſſe ſpecierum, ſive formarum; quare ſecundùm hoc apud ipſam eſt ubi ſpecierum, ſive formarum; quartò, in hoc eſt alia ſimilitudo inter res, de quibus agitur, quia ſubſtantiæ ſpirituales, cùm ſint ſpirituales, & impartibiles, non ſunt prohibitæ per ſubſtantialitatem ſuam compati ſe multæ abſque compreſſione, & coanguſtatione in uno loco ſpirituali, quemadmodùm econtrà quantitas continua per accidentalitatem ſuam occupat, & replet locum corporalem, ut quidam poſuerunt, & adhuc etiam pluribus videtur. Alioquin qualiter eſſent omnes hujuſmodi ſubſtantiæ in amplitudine immenſitatis creatoris, ſi ſubſtantialitas earum prohiberet illas ab hujuſmodi ſocietate, & compoſſibilitate, quam diximus. Ampliùs Secundùm hoc, cùm nec ſit poſſibile, nec fuerit, creatorem benedictum create aliquam hujuſmodi ſubſtantiam extra ſe ipſum, aut non potuit creare niſi unam, aut non potuit creare plures, quàm creaverit. Si enim duæ, vel plures non poſſint eſſe in ſinu immenſitatis creatoris, ſed una totum illum impleat, & occupat, prohibens, & repellens alias ab eodem, non potuit creare, niſi unam ſemel, cùm ſimul intra immenſitatem creatoris eſſe non poſſint, ſed neque multas creare potuit unam poſt aliam. Alioquin ejiceret à ſe primam, cùm crearet ſecundam, & ita de aliis, quod jam in antecedentibus prohibitum eſt. Scito cum his, quia non eſt prohibita una ſubſtantia ſpiritualis aliam recipere intra ſe. Cujus exemplum evidens eſt in ſupereminentiſſima, ac glorioſiſſima Trinitate, qui eſt unus verus, ac

E ſolus Deus, pater ſcilicet & filius, & ſpiritus ſanctus. Ubi manifeſtum eſt ex lege & doctrina Chriſtianorum, quia unaquaque trium nominatarum perſonarum in utraque ſit reliquarum & econtrariò. Et jam declaratum eſt hoc tibi per me in tractatu ſingulari de primo principio. Creberrimum etiam eſt tam in lege hebræorum, quàm in lege Chriſtianorum, & in doctrinis utrarumque, Deum & habitare, & loqui in animabus hominum ſanctorum: & de hoc unus ex nobilioribus prophetis dicit: Audiam quid loquatur in me dominus Deus; quomodò autem loquitur dominus Deus in eo in quo non eſt? Alius iterùm de prophetis hebræorum dixit: & dixit angelus, qui loquebatur in me. Præcepit inſuper lex hebræorum occidi tam virum, quàm mulierem, in quo, vel in qua ſpiritus pythonicus eſſet.
F Tu etiam audis dæmoniacos ſæpiſſimè nominari, & vulgariſſimum eſt apud legem Chriſtianorum, & narrationes miraculorum ipſorum dæmones ejectos eſſe ab hominibus. Et in libris magicis invenies multa remedia ad ejiciendos dæmones ab hominibus, ſi tamen vera ſunt quæcunque in eis ſcripta ſunt. Quare ſi creditur tantis teſtimoniis, non relinquitur dubium, & bonos, & malos ſpiritus, ſeu angelos in animabus hominum plerumque fuiſſe, & etiam adhuc eſſe poſſe. Ampliùs. Qualiter prohibita eſt ſubſtantia ſpiritualis impartibilis recipere poſſe aliam intra ſe, cùm capax ſit, & receptibilis innumerabilium ſcientiarum, atque virtutum? Quòd ſi dixerit, quia hoc prohibet ſubſtantialitas ipſius, dico in hoc, quia ſubſtantialitas ipſius non anguſtat illam, aut efficit incapacem, quominùs recipere poſſit aliam. Alioquin nulla ſubſtantia capax, vel receptibilis eſſet alterius. Quòd ſi dixerit, quia impartibilitas prohibet hoc, videlicet ut aliam ſubſtantia impartibilis intra ſe recipere poſſit:
G quomodò igitur non prohibet ea receptionē ſcientiarū, & virtutū, cùm ſubſtantia ſpiritualis nec corporaliter, nec ſpiritualiter magis repletiva vel occupativa ſit, quàm virtus, vel ſcientia ratione impartibilitatis. Alioquin ipſe creator eſſet omnium anguſtiſſimus, & incapaciſſimus, cùm manifeſtum ſit, & per vias multas in præcedentibus declaratum, ipſum eſſe in ultimitate amplitudinis, & capacitatis. Cui autem videri poteſt, ut angelus, qui erat, & loquebatur in anima antedicti prophetæ, non pati poſſet, vel potuiſſet ſcientias, & virtutes prophetæ, quæ erant in illa, & quod neceſſe habuerunt fugere ab eadem, cùm in eo ſpiritus ille propheticus intravit. Vel quis dubitare poteſt quin ſplendor ille propheticus adventu ſuo omnes illuſtraverit, atque adauxerit, & quin animam ipſam prophetæ dilataverit, & ampliaverit potiùs, quàm anguſtiaverit, & occupaverit, vel minus capacem reddiderit? Deinde
H quid eſt quod dicitur in libro, qui dicitur Sapientiæ apud Chriſtianos, videlicet quòd in ipſa ſapientia eſt Spiritus ſanctus, & poſt pauca? Qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles. Ampliùs. Si multa millia dæmoniorum eſſe poſſunt in anima una humana, ſicut continet lex Chriſtianorum, cur non potiùs multa millia ſanctorum, ac beatarum hujuſmodi ſubſtantiarum? Præſertim cùm hæ inimica ſint animæ humanæ, eamque intolerabiliter vexantia, ac perturbantia, illæ verò amiciſſimæ, & modis omnibus ordinantes, tranquillantes, perfectionibuſque ejuſdem nobilibus benigniſſimè, ac ſtudioſiſſimè intendentes. Et intendo, quòd ſi ignis aquam intra ſe recipere non refugit naturaliter, multò fortiùs non refugit & aqua intra ſe admittere ignem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XCI.

Quod multi doctores Chriſtianorum dixerunt, quod trinitas glorioſa eſſe poteſt in anima humana, & nulla alia ſubſtantia, videtur tamen veriſimile, quod cum Deo veniant ad eam etiam Angeli.

Quod in anima humana cum trinitate glorioſa poſſunt eſſe Angeli multi.

QUòd ſi fortè dixerit, quia animam humanam ſibi ſedem propriam, & habitaculum nulli communicabile, beata, & glorioſa trinitas retinet, & reſervat, quod multi ex ſapientibus Chriſtianorum dixerunt, fortaſſis non improbabiliter hoc dicer, quanquàm verum ſit, quia & non minùs probabile eſt, conſortium ſanctiſſimarum ſubſtantiarum ei jugiter famulantium nunquàm eidem diſplicere, nunquàm ipſum repellere, & propter hoc ab ingreſſu ſanctarum animarum eas non excludere, quæ non niſi ad implenda juſſa ipſius, nunquàm niſi ad parandum, & ornandum ei habitaculum in animabus B humanis, eas ingrediuntur. Nec opinandum eſt ullo modorum, ut præclara illa familia creatoris ſit ei, vel eſſe poſſit in quocunque loco vel corporali, ſcilicet vel ſpirituali ad compreſſioné, vel coàguſtationé vel ad aliquid aliud, quod eidem diſpliceat, quin potiùs ad gloriá, & honorem, cùm potiùs dominátiſſimam ipſius majeſtatem ſtipatam, ac circundatá nobiliſſimo divitiarum ſuarú comitatu eſſe deceat, quàm ſolitariam Nec hoc pati poſſe videtur imménſitas bonitatis ipſius, cú, ſicut ait nobilis ille Latinorum Philoſophus, vita ſine ſocio, vita leonis, ac lupi eſt. Qualiter igitur volunt magnificentiſſimum gloriæ Regem, & ullius dominationis imperatorem ſolitarium eſſe in amplitudine capacitatis animæ humanæ? Si enim ita eſt, ut ipſi ponunt, anima humana non erit ei honoris habitaculum, ſed magis ignominiæ, & neſcio cujuſmodi abſconſionis latibulum, in C quo excluſo comitatu gloriç ſuç quaſi deliteat ſolus. Manifeſtum igitur tibi eſt ex omnibus his ſubſtantiá quantumcúque abſtractam, & impartibilem prohibitam non eſſe naturali impoſſibilitate, quin & recipere poſſit aliam hujuſmodi intra ſe, & recipi ſimiliter in eadem. Debes etiam ſcire, quia nonnullis viſum eſt nihil pertinere tam locum, quàm ubi ad animam, vel ad alias ſubſtantias ſpirituales, ac ſimplices.

Opinio dicentium, quod ſubſtantiæ ſpirituales nó habent nec quando nec ubi.

Ad ſubſtantias verò, de quibus agitur hîc, dixerunt etiam quandò non pertinere, cùm eas æternas poſuerint; niſi quis forſitan quandò æternitatem, vel æternalitatem dicere voluerit. Ad ſolam enim ſubſtantiá, quæ ſuſtinet decé prædicamenta ubi & quandò pertinere exiſtimaverúr Adjuvátur auté in hoc per ſermonem Ariſt. quo dixit, & corpus quidem materia eſt: anima verò forma Quia igitur manifeſtum eſt tibi formas materiales, ſive ſint accidentales, ſive ſubſtantiales, non habere ubi, niſi ſubjectorum ſuorum, quemadmodùm neque motum: videri poteſt & de D anima humana non aliter habere ubi niſi in corpore ſuo, neque aliud ubi, quàm corporis ſui. Et hoc videntur approbare, qui dicunt eam eſſe in corpore ſuo diffinitivè Intendunt verò in eo, quod dicunt diffinitivè, ad negationem exiſtentiæ ipſius extra illud. Et intendunt in ſermone eſſendi in corpore diffininitivè eſſe in corpore, & non alibi; hæc autem ratio congruit albedini ad ſuperficiem, cùm in illa ſit, & non alibi.

Quid intelligitur per eſſe diffinitivè in ubi, ſive loco.

Verùm quoniàm animam eſſe in corpore, & ipſam animare corpus, ſubjecto, atque re, & veritate unum ſunt; animare autem non dicit ubi ullo modorum manifeſtum eſt, quoniàm animá eſſe in corpore non dicit ubi ullo modorum, per eandem viam corpus habere animam, & corpus eſſe animarum, idem ſunt ſubjecto, & veritate: neutrum autem dicit aliquod genus ubi ullo modo, ſimiliter A & quoniàm eſſe animam in corpore; & corpus eſſe animarum, animamque animare corpus, & corpus habere animam, idem ſunt, per eundem modum conſequens eſt nullum iſtorum quatuor dicere aliquod genus, vel aliquem modum ubi, vel ubietatis.

Quod anima humana eſt in corpore, ſicut Rex in regno.

Jam verò pervulgatum, ac pervagatum eſt apud loquentes de anima humana, quia ipſa eſt in corpore ſuo, quemadmodùm Rex in regno ſuo, & quemadmodùm Dominus in domo ſua, ſicut & alibi audiviſti per me, quia corpus humanum velut domus eſt animæ humanæ vaſorum, & utenſilium, ſufficientia ad omnes operationes neceſſarias præparata, & ornara: & quemadmodùm ipſum eſt ſicut officina quædam, aut operatorium ut textrinum, vel fabrica, ipſa verò eſt in eo, ut operarius, vel operator exercens operationes ſuas per partes corporis, & membra, tanquàm per varia inſtrumenta. Et intendo operationes etiam ſenſuum, & imaginationis; cæterasque omnes tam interiores, quàm exteriores. B Differt autem quoniàm operarius, ſive operator, qui utique ſubſtantia corporea, & homo eſt, certam habet ſedem, & locum ſuæ circumſcriptionis corporalis, unde operatur, & illam unitam ſedem anima verò humana non ſic, cùm in tot, & de tot corporis ſui partibus operetur.

Quod Plato dixit animam ſedem habere in capite, & Ariſtoteles in corde & motiva eorum de hoc.

Quòd autem Plato dixit eam ſedem habere in capite, Ariſtoteles autem in corde, non abſque ratione dictum eſſe opinandum eſt. Sedes enim vitæ, & ſenſus, maximè tactus in corde potiſſimùm eſſe videtur, per rationem, quá ad hoc inducit Ariſtoteles, hanc videlicet, quia modicâ, & levi compreſſione nervi cujuſdam procedentis à corde ceſſat in toto corpore motus, & ſenſus tactus: ſicut manifeſtum eſt in oppreſſionibus, quas ſæpè patiuntur dormientes, & ſupini jacentes, & hujuſmodi oppreſſio vocatur ephialtes, quam nonnulli dæmonium eſſe credunt, vel à dæmonio in- C cumbente ſupra corda dormientium, & modo, quo dixi, jacentium. Plato verò ſenſibus caput cæteris partibus ornatius attendens, poſitioneque & loco ſupereminentius, in eo ſedem animæ humanæ poſuit, & ſedem rationis in media cellula cerebri eſſe voluit pro eo, quòd læſione cellulæ illius læditur ratio quantùm ad uſum ſuum, vel operationem, & cùm vehementer invaluerit; operationem rationis omninò impedit; propter hæc igitur omnia euſque permotus eſt Plato, ut caput humanum ipſum hominem eſſe diceret, reſiduum verò corporis humani quaſi columnam quandam eſſe caput in ſublimi portantem.

CAPUT XCII.

Quòd creator eſt ubi proprium Angelorum; & animarum beatarum.

REvertar autem ad id, in quo eram, & dicam; quia ex his quæ in hoc capitulo præceſſerunt, clarere debet tibi locum naturalem, & patriam, & etiam locum gloriæ ſubſtantiarum, de quibus hîc ſermo eſt, ſinum eſſe amplitudinis creatoris benedicti & utrumque ubi earum eſſe apud ipſum propriè ac verè ſolum, & quoniàm in cœlo ultimo dicuntur eſſe, ipſumque replere effulgentiis vitæ ſuis mirificis, atque pulcherrimis; nullo modorum autem eſſentiis ſuis, cùm impartibiles ſint, & jam declaravit Ariſtoteles, & alii multi impartibilia, ſive finita ſint, ſive infinita, non poſſe replere locum partibilem, etiam quantumcunque parvum? Hujus autem exemplum eſt in anima humana, quæ corpus, in quo eſt effulgentiis vitæ, ſenſuum, & motus, aliarúque virtutú, & operationú replet; non auté implet illud eſſentiá

Quod Angeli replent cœlum effulgentiis ſuis, & non eſſentiis ſuis.

ſua, nec hoc eam facere poſſibile eſt, vel alicui tali ſubſtantiæ impartibili, ſicut dixi. Neç intelligas in hoc ſermone meo, quòd effulgentiæ ſanctorum Angelorum ſic repleant cœlum ultimum, quemadmodùm effulgentiæ animatum replent corpora, in quibus ſunt, quoniàm effulgentiæ iſtæ animatum corpora ipſa vivificant, perficiunt, & aptant ad varias operationes, tanquàm naturalia earum inſtrumenta, vel organa, effulgentiæ verò illarum beatiſſimarum ſubſtantiarum cœlum nec vivificant, nec perficiunt neque ad operationes aliquas illud aptant Sed quemadmodùm regale palatium ornaretur, ac decoraretur militibus ornatiſſimis, & apparatiſſimis, ſi parietes, & aliæ partes illius natæ eſſent relucere inſtar ſpeculorum ad decorem, & apparatum illorum: ſic cœlum natum eſt nobilitate, ac præcellentiâ, qua ſupereminet mundanis corporibus relucere ex vicinitate ſanctarum, ac beatarum hujuſmodi ſubſtantiarum, eiſque ornari, ac decorari. Et hoc ipſum in inferioribus corporibus accidiſſe ex utraque lege Hebræorum, & Chriſtianorum, & ex narrationibus miraculorum ſæpiùs accidiſſe manifeſtum eſt. videlicet carceres, templa, aliaque loca, vel habitacula ex ſanctorum Angelorum præſentia refulſiſſe, & ſuavitatis miris odoribus fragraſſe Non debet igitur tibi videri mirum, ſi nobiliſſimum illud cœlum ordinatione naturali ſanctiſſimis illis, ac beatiſſimis ſubſtantiis ſuper omnia alia corpora proximum multiplici decore refulget ex tanta vicinitate earum, quemadmodùm ſpiritus in corpore humano priùs recipiunt effulgentias animales, quàm nervi, & nervi, quàm oſſa, & forſitan copioſiùs. Ampliùs. Reſpice in gloriam creatoris, & videbis effulgentiis ejus ornatum eſſe, & refulgere univerſum. Et effulgentiæ iſtæ ſunt potentiæ, virtutes, bonitates, & pulchritudines, quibus ordinatiſſimum, ac pulcherrimum eſt univerſum. Quid igitur mirum ſi à præclaris, ornatiſſimiſque ſubſtantiis illis effluunt convenientes, ac ſpecioſæ effulgentiæ in cœlum illud, decorantes, & exornantes ipſum? Declaratum etiam eſt tibi cum his omnibus, quoniàm anima humana non dicitur eſſe in corpore ſuo, quod regit, & adminiſtrat, per modum ubi, ſicut animatum, & habere corpus nullo modorum ſignificant ubi, neque animare, vivificare, aut regere pertinent ullatenùs ad prædicamentum ubi, eſt igitur per modum, quem dixi, & dicitur eſſe anima humana in corpore. De hoc autem ſcito, quòd ipſum habet quæſtiones multas, & diſputationes, & explicatio ejus completa nec facilis, nec contemnenda, quas ego motu prolixitatis prætereo. Quòd ſi volueris imaginari ſtatum ſubſtantiarum ſeparatarum, & animarum beatitudini, & gloriæ illarum aſſociatarum, conſidera diligenter, quoniàm anima ſeparata à corpore ſeparatione perfectâ, nihil habet ſecum de pertinentibus ad ſenſum, & imaginationem, ſed quaſi deterſa, & abraſa ſunt ab ea omnia fantaſmata ſenſuum, & imaginationis, ſimiliter & memoriæ congruentis iſtis. Eſt igitur nuda, & pura ab his: ſive enim hujuſmodi ſigna, ſive fantaſmata in ſpiritibus ſint, qui deſerviunt viribus illis, ſive in ipſa eſſentia animæ ex præſentia corporis, per hujuſmodi ſeparationem ab eis protsùs nudatur, atque detergitur. Spiritus enim omnes illi, cùm corporei ſint, ab ea ſeparantur cum corpore, & extinguuntur cum eodem. In ipſa verò eſſentia animæ humanæ nullo modorum fingi poſſunt, cùm immediatè impreſſa ſint à formis ſenſibilibus. Præterea etiam ſola ægritudo ab hujuſmodi formis animas noſtras diſpoliat, & à memoria noſtra funditùs eas abolet, & abradit. Quātò fortiùs igitur mors nullā earū in nobis relinquet? Sic igitur anima ſpoliata cū ſe cogitare voluerit ſeorſum ſe inveniet, & cogitabit ab omnibus ſenſibilibus. Quare nec in cælo, nec ſub cœlo, nec in terra, nec ſuper terram ſe eſſe intuebitur, nec de nullo ſenſibilium cogitabit cogitatione ſenſibili, vel imaginabili, aut memorativa memoria, quam prædixi, ſed cogitatione tantùm intellectiva, vel intelligibili, & tanquàm ſeorſum à mundo iſto, & in alium mundum raptam, ſive tranſlatam ſe ſentiet, aut videbit. Et hic eſt ſtatus valde ſimilis, immò penè idem ſtatui raptus, ſive animarum, quæ dicuntur rapi, ſeu raptæ, de quibus dicitur, quoniàm in alio mundo, vel ſeculo ſunt in raptu, quàm eſſent ante: & ſimiles alienationes, ſeu tranſlationes videntur interdùm fieri melancholicis, & quibuſdam alijs furioſis, propter quod videntur ſibi ipſis eſſe in ſpiritu, vel quaſi in ſpiritu. Contingit autē hoc hujuſmodi hominibus interdùm ad modicū, interdùm autem ad multum temporis, propter quod & multa de futuris, & de aliis occultis enunciant. Qualiter autem hoc fiat, vel qua de cauſa, fieri impediatur, audies in ſequentibus, ſi Deus voluerit. Ego verò non intendo hic de animabus, quæ vel per mortem rapiuntur ex hac vita ad ſupplicia, quæ meruerunt, vel ad loca ſuppliciorum hujuſmodi per raptum viſionis, aut revelationis, & hoc vel ad hoc, ut ipſæ ſibi proſpiciant, & caveant ab hujuſmodi, vel ad hoc, ut viventes præmoneant, atque præmuniant, ut mala huiuſmodi præcaveant, & devitent. Scito igitur, quoniam animæ hujuſmodi vel per mortem omninò ſeparatæ & à corporibus, & à mundo iſto ſenſibili, vel per raptum viſionis, aut revelationis, quaſi in quadam regione lucis ſibi eſſe videntur, propter quod & ad videnda, quæ in alio ſtatu non viderant, illuminantur, & hoc ſecundùm majus, & minus. Verùm quæ omninò ſeparatæ ſunt, viſione intellectiva tantùm vident, quæ vident. Et viſum fuit multis ex ſequacibus Ariſtotelis eas non videre niſi univerſalia, hic autem eſt error nulli legi tolerabilis, & deſtruxi eum in his tibi, quæ præceſſerunt. Prohibet enim iſte error, & negat omninò gloriam animarum humanarum, quæ eſt perfecta, lucidiſſimaque viſio creatoris: cùm enim creator ſingulariſſimus ſit, ſingularitas autem ſit prohibens à ſe viſionem intellectus, erit ex neceſſitate creator benedictus omnium inviſibiliſſimus, viſione ſcilicet intellectiva. Manifeſtum igitur eſt ſecundùm huiuſmodi errorem animas ſeparatas eſſe quaſi in regione univerſalium, & abſque ulla memoria particularium, ſive ſingularium, quæ priùs noverant in corporibus ſuis, & in iſto mundo, & propter hoc de ubi nihil eas penitùs cogitare, vel noſcere. Et ſi in eo ſtatu interrogarentur de ubi, ubi eſſent, neſcirent, nec etiam cogitare poſſent, quid interrogarentur, ubi enim omne particulare eſt. Et inſuper non habet locum in regione ſubſtantiarum abſtractarum, & ſeparatarum, in qua nec ipſæ alia vel cogitant, vel cogitare poſſunt quantùm in eis eſt, quàm huiuſmodi ſpoliata, ſive abſtracta. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his ipſam non habere ubi per ſe ipſam, neque indigere: cùm autem intrat corpus, acquirit ubi corporis, quod intrat, & facit illud ſuum, ſed multum extraneè eſt ſuum, multumque per accidens. Quapropter intrare corpus, vel exire de illo, multum extraneè dicitur, & multi ex philoſophis abhorrerent, & repudiarent huiuſmodi ſermones. Hæc autem imaginatio ad hoc te adjuvat, ut cognoſcas, quia ſi anima humana abſque ullo uſu ſenſuum, & imaginationis, & memoriæ de ſenſibilibus, cogitaret ſe, & de eſſe ſuo, non inveniret vel ubi, vel ſitum, id eſt neque ſub, neque ſupra, neque juxta, neque ante, neque retro, ſed neque naturalem potentiam, vel aptitudinem ad quodcumque iſtorum

Quòd in morte omnia fantaſmata ſeparantur ab anima.

Quod animæ omninò ſeparatæ viſione intellectiva tantùm vident quæ vident.

Quod error eſt dicere, quod anima ſeparata univerſalia tantū cognoſcit.

Et propter

Digitized by Google

Et propter hoc videri non improbabiliter poteſt, quoniàm non aliter dicit, vel cogitat ſe eſſe in corpore, vel in loco corporis, quàm ſe lædi, vel percuti, quando læditur, vel percutitur ejus corpus. Hi autem ſermones, ſicut pleuè noſti, ſermones non proprii, neque per ſe ſunt. Reminiſci verò debes ſermonis illius, qui nolebat recipere animam eſſe in corpore, ſed corpus potiùs eſſe in anima, quemadmodùm nemo recipit æternitatem eſſe in tempore, hoc eſt, intra tempus, ſed potiùs tempus eſſe in æternitate, & intra ipſam. Indignum quippe meritò videri poteſt immenſitatem amplitudinis ſpiritualis, intra anguſtiam parvitatis ſpiritualis includi; & de amplitudine, & de immenſitate amplitudinis ſpiritualis, non oportet te in hoc capitulo ampliora audire. Circa hoc igitur cogita ſecundùm ingenioſitatem tuam. Et ſi aliud vel verius, vel melius videris, donum reputa creatoris.

CAPUT XCIII.

Quòd infima aëris regio malignorum ſpirituum eſt habitatio, à qua in cœlum, ut expulſi, tranſcendere non valebunt. Et de his, quæ à prophetis videntur fieri, & de quodam ſpiritu, qui Regem Achab decepit.

Quòd mali ſpiritus ſunt in parte inferiori aëris damnati exilio perpetuo à reverſione in cœlum, à quo dejecti ſunt.

POſt hæc autem conveniens eſt, ut aggrediar quæſtiones, quæ oriuntur nobis circa hoc ex ſermonibus Prophetarum, & ex narrationibus hiſtoriarum, quas omnis lex recipit. Habet ſiquidem lex, & doctrina Chriſtianorum totam multitudinem malorum Angelorum de cœlo ultimo merito ſuæ depravationis dejectam, ac profugatam in inferiorem partem aëris. Et hæc eſt pars caliginoſa, quam venti, & nubes, cæteraque, quæ in ſublimi generantur, ut nives, & grandines, & pluviæ, & fulgura occupant. Habet inſuper eadem lex, & doctrina eos prohibitos perpetuò, & tanquàm damnatos exilio perpetuo, à reverſione & aſcenſione in cœlum illud, à quo ſic dejecti ſunt. His igitur ita ſe habentibus, qualiter ſtabit ſermo, quem dixit ſanctus & ſapiens, videlicet quia quadam die, cùm eſſent filii Dei coràm Domino, affuit etiam & Sathan. Si enim filii Dei, hoc eſt Sancti, & beati Angeli in cœlo illo ultimo ſunt manſione perpetuâ, Sathan autem perpetuo exilio damnatus abſque ulla ſpe reverſionis inde ejectus eſt, qualiter affuit cum filiis Dei coram Domino? Quomodò affuit ibi Sathan? Scito igitur, quia quidam Hebræorum opinati ſunt virum iſtum ſanctum, ſcilicet Job nunquã fuiſſe in veritate, ſed fuiſſe tantùm exemplum, & parabolam propoſitam hominibus ad intelligendam creatoris providentiam, & curam circa homines, & hujuſmodi parabolæ vocantur uſualiter argumenta apud Rhetores, & Oratores. Argumentum enim eſt ſecundùm eos res ficta, & non facta, quæ tamen fieri potuit. Verùm non ſic effugiunt, quoniàm Michæas unus ex Prophetis eorum dixit ſe vidiſſe Deum, & omnem exercitum cœli circa eum, & audiviſſe ipſum dicentem: Quis decipiet mihi Regem Achab? Et ſurrexit ſpiritus in medio, dicens, Ego decipiam Regem Achab, & ero ſpiritus mendax in ore omnium, & in ore omnium Prophetarum. Erat quidem inter eos, quibus communiter interrogatio illa creatoris proponi videbatur: aut ergo aſcenderat ad locum habitationis ſanctorum, ac beatorum Angelorùm, aut illi deſcenderant ad locum illum ubi iſta oſtenſa ſunt Prophetæ Michææ. Utrumque autem inconveniens eſt manifeſtum, videlicet & creatorem deſcendiſſe de habitaculo illo

A excelſo, & gloriam omnis exercitus ſui illuc adduxiſſe, ut loqueretur illi ſpiritui mendacii, & illum ſpiritum in habitaculo illo admiſſum fuiſſe. Propter hoc, & multa hujuſmodi neceſſe habes exercitatus eſſe non mediocriter in expoſitionibus, & intellectibus eloquiorum Prophetarum. Scito igitur quià ubicunque ſit Sathan, ſemper eſt coram Domino, hoc eſt dicere in conſpectu, in oculis. Et intendo utrumque iſtorum non aliud eſſe, quàm in clariſſima viſione, & lucidiſſimo intuitu creatoris. Et ſecũdùm intellectum iſtum non cogeris, vel in cœlo, vel in alio loco aggregatos fuiſſe beatiſſimos, ac ſanctos Angelos, & Sathan cum eis inibi fuiſſe, & intellectus iſte eſt ſecundùm planum literæ. Scitò etiam, quòd diſtantia locorum non detrahit aliquid præſentiæ, quantùm ad creatorem, nec propinquitas aliquid addit eidem. Et intendo, quòd nec illa facit, ut aliquid minus præſens ſit creatori, nec illa magis, ſicut

B neque magis notum, aut minùs. Debes etiam in hujuſmodi rebus attendere, quia quædam fiunt in viſione, quæ reverà non fiunt ſecundùm rem, & veritatem, ſed fieri videntur. Et propter hoc nullo modorum conſequens eſt, ut quod videt Propheta, ſeu viſum eſt ei fieri in viſione propter hoc ſit, vel fiat in re, & veritate. Plerumque enim adducti ſibi videntur Prophetæ ab una regione in aliam, cùm omninò non moveantur, & videntur eis equi & quadrigæ, cùm nec equi veri nec quadrigæ ſint, ſed ſigna tantùm, & imagines oſtendentes ex figuris ſuis, & aliis deſignationibus, quæ ventura ſunt, vel alia occulta, quæ tamen expediat ſcire hominibus, vel quæ facienda, vel cavenda ſunt eiſdem. Unde & Prophetæ nominati ſunt quaſi providentes hominibus, & videntes pro eis. Attende igitur in viſionibus Pro-

C phetarum, quæ fiant in viſione, nec tamen fiant ſimpliciter, ſicut dixi tibi de adductione Prophetæ in regionem aliam. Quod verò de ſpiritu mendacii audiviſti, juxta planum literæ rectiſſimè intelligi poteſt, ſicut illud, quod dictum eſt, filii Dei coram Domino. Quemadmodùm enim coram Domino ſunt ſubſtantiæ iſtę ubicunque ſint, quocunque modo alicubi eſſe dicantur, coram Domino ſemper ſunt; ſic & aſſiſtunt ei ſemper ubicunque eſſe dicantur. Et hic eſt ſermo Prophetæ iſtius ſecundi, videlicet Deum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei. Nec inconvenienter de exercitu cœli intelligi poteſt eſſe ſpiritus ille mendacii vel quia inde fuerit, antequàm malitia ſua depravatus inde corrueret, & frequentiſſimus uſus habet loquentium nominare & res, & homines ex hoc, quòd fuerunt, vel habuerunt. Multi enim dicti ſunt Reges vel Principes regnorum, atque provinciarum, etiam quorum poteſtates habere deſierunt, & etiam poſtquã mortui fuerunt. Scito ta-

D men, quia non cogit planum ſermonis illius, ut concedas ſpiritũ mendacii fuiſſe de exercitu cęli, hic eſt enim ſermo: Egreſſus eſt autẽ ſpiritus, & ſtetit corã Domino. Jam autẽ expoſui tibi quid ſit intellectus ejus, quod eſt corã Domino. Poſſet tamen intelligi totum factum fuiſſe in viſione, ut ſignificaretur toto hujuſmodi facto ſpiritũ illum mendacii poteſtatem accepiſſe decipiendi Regẽ illum, & illudendi ſic Prophetis ejuſdem mendacibus, & non habuiſſe eã niſi ex permiſſione creatoris, in quo voluit creator benedictus firmari credulitatem hominum de providẽtia ſua, & cura circa homines, & res humanas; cũ enim ipſam mali ſpiritus illius deceptionem. & Prophetarum illorum illuſionem, ſe ſciente, & permittente hoc facto docuit; quantò fortiùs igitur de bonis hoc eſt ſentiendum, videlicet quòd ex magnificentiſſima munificentia ejus ad homines veniãt. De malis verò, quòd ex rationabiliſſima, juſtiſſimaq; ejuſdẽ permiſſione hoc eſt, eo rationabiliſſimè, ac juſtiſſimè

Digitized by Google

permittente homines tentent, aut vexent, ut fiant ſolertes, intelligentes inſtruxit.

CAPUT XCIV.

Quod dæmones in pluribus locis apparent, ſicut lares, penates, domina abundia hellequin, & de aliis, ex quo non videntur in aëre carcerati.

CUm autem doctrina Chriſtianorum evidenter habeat, & ſcientia ſapientum eorum expreſſerit, quòd in aëre iſto inferiori in quo prænominatæ mutationes fiunt, ſit habitatio dæmonum, licet carceralis, uſque ad diem judicii, in quo cum cultoribus ſuis, & imitatoribus ſuis detrudendi ſunt in locum ſuppliciorum, qui communiter infernus nominatur, quæſtiones oriuntur philoſophantibus multæ de hoc. Primùm, quia ſi habitatio illa eſt eis carcer, qualiter inde tam liberè, ut videtur, & in tanta multitudine egrediuntur? Ampliùs. Aliquandò hujuſmodi ſpiritus totam terram occupaverunt, partim in templis, ſive delubris, partim in ſtatuis & aliis receptaculis, partim in domibus communibus, unde quidam eorum lares vocati ſunt, partim in penetrabilibus domorum, propter quod & alii penates dicti ſunt. alii in hortis, ubi & colebantur, alii in limitibus agrorum, alii in ſilvis, ſive nemoribus, alii in fluminibus, alii circa fontes, ſed & in omnibus locis amœnis colebantur, & reſponſa dabant cultoribus ſuis; plurimi verò in hominibus, vel in his quos vexabant, vel in quibus, ſeu per quos loquebantur, vel pauciſſimi igitur in loco habitationis illius remanebant, vel multitudo eorum eſt incredibilis numeroſitas. Præterea de incubis, & joculatoribus, & de aliis, qui multis ex hominibus familiares ſe exhibebant, ſicut dixi tibi ſupra de illo, de cujus familiaritate Ariſt. ſe jactat; propter hoc ego dixi, quòd liberum videntur habuiſſe egreſſum à loco illo, & adhuc etiam habere. cùm ad invocationes magorum, & necromanticorum veniant. Quid autem dicam de opere majoris circuli, & de opere etiam minoris, in quibus tanta multitudo eorum apparet, ubi & quatuor Reges ipſorum à quatuor mundi partibus, cum exercitibus innumerabilibus ſuis convenire dicuntur, ſed de exercitibus nocturnis, quos alii hellequin vocāt, alii exercitum antiquum, quid de fatis, ſive de fatabus, quid de dominabus nocturnis, quarum principem dominam abundiam, ſive ſatiam vocant, ab abundantia ſcilicet, & ſatietate, quam in domibus, quas frequentant, largiri eam credunt, maximè mulieres, quæ vilibus delira mentis intendunt, cùm hæc omnia ſi quid veritatis habent, maximè maligni ſpiritus eſſe videantur. Quomodò ligati, vel incarcerati videri poſſunt, qui tantis exercitibus & agminibus diſcurrere tam longè latèque videntur, in maribus etiam apparet eorundem non minima multitudo. Quid verò ſentiendum ſit de Deo Plutone, & toto regno ejus, cui vulgus, ut ait Poëta quidam Latinus, innumerum famulabatur, an totum figmentum Poëticum eſt, quod de regno ejus Poëtæ fabulati ſunt, aut ſi veritas ſubeſt, proculdubiò etiam in regno ejus, & habitatione eſt innumerabilis tartareorum civium multitudo. Qualiter igitur omnes illi maligni ſpiritus incarcerati in loco antedicto detineri videri poſſunt? quantâ quoque libertate, atque licentia, ſi illic habitant, inde egrediantur, apparet evidenter ex hoc, quòd ipſa lex Chriſtianorum habet expreſsè in uno videlicet homine unam legionem ipſorum habitaſſe, legionis autem numerus eſt ſex millia ſexcenti ſexaginta ſex: magna igitur eſt eis

De numero legionis

E libertas exeundi de carcere hujuſmodi, quando ad vexationem unius ſolius hominis tanta multitudo deſcendens inde convenit. Ampliùs. Fabula illa gentis Hebræorum manifeſtè contradicit huic incarcerationi. Narrant quippe inter alia fabuloſa quendam ex Regibus ſuis ſapientiâ indubitanter famoſiſſimum, totam univerſitatem hujuſmodi ſpirituum vaſculo uno vitreo religaſſe recluſos poſtmodum autem fracto, neſcio quo caſu, hujuſmodi vaſculo eos inde exiviſſe: in qua igitur poteſtate, vel virtute potuit Rex ille carcerem creatoris aperuiſſe, & vincula, quibus religati ſpiritus hujuſmodi, tenebantur inibi. vel ſolvere potuit, vel diſrumpere? Ampliùs. Quomodò ipſimet non potuerunt hujuſmodi vaſculum frangere, cùm inter eos nullus ſit, qui non majora, & fortiora incomparabiliter poſſit? quis vel etiam puer ſeptem annorum F carcerem illum vitreum frangere non prævaleat? quis denique niſi intellectu carens, corpore etiam licet ſolidiſſimo, hoceſt, ferreo, vel adamantino ſubſtātias ſpirituales retineri non poſſe ignorat.

CAPUT XCV.

Quod ſpiritus maligni, etſi in aliis locis appareant, inferiorem aëris ſedem habitant. Quotque legiones ſinguli ordines Angelorum contineant, deque tentationibus ab ipſis permiſſione divina aliis factis.

REvertar igitur & dicam, quia doctrina Chriſtianorum nullam debet habere apud te de veritate ſua dubitationem. nec movere te debet multitudo quocunque loco, vel regione, apparentium dæmonum. Et reverà non movebit, ſi conſideraveris univerſam multitudinem ipſorum. Quòd ſi G reminiſceris ſermonis ejus, quo dixi quia tot legiones ſunt in unoquoque ordine ſubſtantiarum abſtractarum, quot ſubſtantiæ ſunt in una legione, apparebit indubitanter tibi in unoquoque ordinum eſſe ſex millia, & ſexcentas & ſexaginta ſex legiones ſubſtantiarum hujuſmodi. Quantam verò partem totius terræ occupare poterunt ſex legiones? præſertim cùm una hujuſmodi ſubſtantiarum in multis regionibus coleretur, & colatur etiam adhuc, vel etiam in uno regno toto, propter quod & Apollo Delphicus à Delpho Inſula, & Pythicus à locis culturæ ſuæ, & venerationis ſuæ dictus eſt; magnus enim numerus eſt unicuique ſex legionum. Eſto autem quòd concedatur improbitati diſputantium in parte iſta ſexaginta legiones, & ſex, diſperſas eſſe per mundum iſtum inferiorem, & permiſſas eſſe illudere hominibus, & vexare illos atque tentare juxta beneplacitum creatoris, non habebunt quid caH lumnientur. Addo etiam adhuc quia & unus malignorum ſpirituum ſufficit ludificationibus, & vexationibus unius regionis, vel etiam regni, cùm poſſibile ſit ei, atque liberrimum ſe transferre ſubitò quocunque voluerit, & præſentiam ſuam inibi exhibere, niſi hoc divinæ providentiæ, & bonitatis virtus prohibuerit, quæ non permittit hujuſmodi ſpiritus ſævire in homines juxta deſiderium ſuæ malignitatis; & de hoc feci tibi in ſuperioribus mentionē, videlicet cùm loquerer de ſanctis Angelis regnorum rectoribus. Faciam autē te ſcire, quod dico in tractatu ſingulari de motibus, & volatibus, vel ſi quo alio nomine nominantur hujuſmodi ſubſtantiarum. Debes etiam attendere in hoc, quòd & apud gentem Chriſtianorum unus ex ſanctis, quos propter Dei altiſſimi honorem, & gloriam, venerantur, in multis regionibus, & regnis, templa habent & ſtatuas, & picturas, aliaſque ſui honoris memorias Verū quam ob cauſam legio una, vel qualiter cōvenerit

Quot sūt legiones in unoquoq; ordine Angelorum.

Digitized by Google

Quare legio una convenerit ad vexationem unius hominis.

ad vexationem unius hominis, conveniens eſt, ut A aperiam tibi hîc. Scito igitur, quia, ſicut jam audiviſti, non eſt liberum malignis ſpiritibus ſævire in homines pro malignitatis ſuæ voluntate; cùm autem libenter vexaret legio illa vel totam univerſitatem hominum, vel multos de illa, non eſt tamen permiſſa vexare, niſi unum, ſed neque in illum data eſt ei poteſtas pro voto ſævitiæ ſuæ; veriſimile verò eſt, quia multis ex dæmonibus ſervierat, vel alias multis generibus peecatorum creatorem offenderat, & propter hoc multis in poteſtatem, limitatam tamen, ut prædixi, datus eſt; hæc enim eſt creatoris benedicti juſtitia, ut illos habeant mali homines tortores, quos habuerunt eriminum ſuggeſtores, & propter hoc, quòd creatorem deſeruerunt, hoc eſt, horum ſervitium ſervitio creatoris præpoſuerunt, malitiam eorum ſentiant per tormenta, poſtquàm eredere noluerunt, atque ab eis recedere contempſerunt, ad creatorem redire, & adhærere contemnentes, & cùm ita retribuatur eis, & hîc niſi ad B modicum crimina non vindicantur, prudentibus indicatur quod hujuſmodi retributio complenda eſt in die ultionis, ac plenæ retributionis: nec enim fruſtra, aut vanè ſermo ſapientiæ ſcriptus eſt, quo dicitur: Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Quod verò quæritur, qualiter de illa carcerali habitatione aëris huc venire permittuntur, manifeſtum debet eſſe tibi ex his, quæ audiviſti de cura, & providentia, atque gubernatione Dei altiſſimi, quâ non veniunt in hanc habitationem noſtram, niſi ex permiſſione creatoris, qui interdùm juſtiſſimo judicio ſuo permittit eos vexare homines propter peccata ſua, & vitia, ſicut de his, qui blaſphemant eum, ſæpè viſum eſt, diſtorqueri ora eorum, & linguas paralyſi ligari, labia igne ſacro exuri, & innumerabilia hujuſmodi. Ipſi etiam viſi ſunt à dæmonibus arripi, & cruciatibus intolerabilibus ab ipſis necari; de his autem doceberis aliqua ex libris, & hiſtoriis Hebræorum: plurima verò, & memoria, ac narratione digniſſima ex doctrinis, & narrationibus C Chriſtianorum; & quia illuſiones, & deceptiones pœnæ graviſſimæ, ſunt hominum, quamvis hoc ſtultis non videatur juſtiſſima ira Dei infliguntur interdùm hominibus, & eadem juſtitia traduntur homines miniſtris pœnarum hujuſmodi taliter puniendi. Ex hac ergo juſtitia manifeſtum eſt ad illudendos, & decipiendos homines Dei judicio de carcerali illa, quam dixi, habitatione dæmones venire permitti; & ſimiliter ſe habet de omnibus aliis peccatis, in quæ ſuggeſtionibus dæmonum decepti homines ſe præcipitant. Debes etiam ſcire, quia intentio creatoris nunquàm eſt in hoc, ut malum fiat, vel proveniat, intentio verò diabolica finaliter ſemper eſt ad hoc, propter quod fraudatur diabolus deſiderio ſuo in omnibus, qui tentationibus ejus, atque ſuggeſtionibus reſiſtunt viriliter. In quo & adjuvantur à creatore, ut eas vincant ab eodem poſtmodùm coronandi: cautè igitur, ac circumſpectè intelligere debes ſermones hujuſmodi, D quibus dicuntur maligni ſpiritus juſto judicio à creatore permitti venire ad ludificandos, vel decipiendos homines; nullus enim operationis, vel intentionis, vel voluntatis creatoris, finis eſt malum culpabile, ſeu peccatum. Quare non eſt permiſſio creatoris, vel dimiſſio dæmonum, ad hunc finem, videlicet ut vel ipſi decipiant, vel decipiantur homines, ſed hic eſt finis convenientiſſimus intentionis ejus in hoc, ſive permiſſionis, ſive dimiſſionis, ſcilicet ut impleatur decor, & ordo divinæ juſtitiæ, & iræ juſtiſſimæ ipſius, quoniàm dignum, & juſtum eſt, ut digniſſimè, ac juſtiſſimè illam ſentiant, qui eam iniquitatibus ſuis provocant, &

A intelligo digniſſimè, atque juſtiſſimè ac ſi dicerem, ſecundùm exigentiam, vel congruentiam meritorum, & jam dixi tibi multa de his in tractatibus aliis. Manifeſtum enim eſt plerunque accidere, ut & iniquè fiat aliquid, & à Deo tamen ſinatur juſtiſſimè fieri: quòd igitur probantur, quòd exercentur, quòd vincunt, & quòd multis modis, ſuggeſtionibus, & tentationibus diabolicis meliores efficiuntur viri boni, ex providentia divina, & bonitate eſt directè cauſaliter, & per intentionem. Quòd autem mali inde peccant, & corruunt, non de permiſſione ejus eſt cauſaliter cauſalitate propria, ut ullo modorum imputandum, vel attribuendum ei ſit, vel quòd mali, vel deteriores inde fiant qui eis id eſt dæmonibus conſentiunt, vel non reſiſtunt, niſi illo modo impropriiſſimo, quo apud communiter diſputantes uſualiter dicitur cauſa ſine qua, reverà enim niſi permitteret, talia non fierent. Si ergo dictum eſt de permiſſione, id eſt eo permittente, non tamen monente, vel operante, vel quolibet modorum B adjuvante, ut mala hujuſmodi fiant. Perfecta enim cauſa ſuggeſtionis, & tentationis apud dæmones eſt, videlicet ipſa malignitas eorum; ſic & perfecta cauſa ruinæ, & deteriorationis eſt apud eos, qui ſuggeſtioni, & tentationi conſentiunt, reſiſtere non volentes. De recluſione verò univerſali dæmonum, quam regem quendam ſuum feciſſe fabulantur Judæi, non aliud hîc dicendum video, niſi quod aliis eorundem fabulis adnumeretur; quanquàm autem ex præcedentibus manifeſtum eſſe tibi debeat, vaſis adamantinis teneri non poſſe ſpirituales ſubſtantias; in ſequentibus etiam intendo facere te ſcire, quæ ſint quibus ligari, vel religari poſſint hujuſmodi ſubſtantiæ, ubi & alia audies de erroribus hominum, qui talia vel crediderunt, vel eredere ſuggeſſerunt. De exercitibus verò nocturnis, & de his, quæ fiunt in operibus, quæ dicuntur major circulus, & minor, quantùm convenit præſenti tractatui, hoc eſt, capitulo, quod mo- C dò proſequor, & pertracto, dico quia non cogeris concedere, vel credere exercitus hujuſmodi veros eſſe vel etiam ſi veri eſſent, quod eſſent ex hujuſmodi ſubſtantiis: non omnia enim, quæ ſic videntur à videntibus vera eſſe neceſſe eſt, ſicut neque ea, quæ videntur à ſomniantibus, raptis, aut alias mente alienatis, hoc autem eſt, quoniàm multa de hujuſmodi in viſione tantùm fiunt, non autè in re, vel veritate, & hoc doceberis in ſequentibus. Attendendum quoque tibi eſt, quia nec veri equi, nec veri equites eſſe poſſunt, nec vera arma habere, cùm nec corporei ſint. Hoc autem evidenter apparet ex hoc, quia nec corpora retinent, nec ab eis retinentur nec eis obſiſtunt nec ab ipſis obſiſtitur illis, & conati ſunt homines interdùm retinere eos funibus, & trabibus objectis, illi verò nocturni exercitus omnia illa tranſibant, tanquàm ventum, aut inane, ſed nec gladiis, nec malleis unquàm vulnerari potuerunt, immò tanquàm ventus, & inane excipiebant D eos. Quòd ſi quis dixerit hujuſmodi exercitus corpora habere aërea, debet reminiſci eorum, quæ in præcedentibus per me contra hoc didiciſti. Et quoniàm hæc incedenter tibi dicta ſunt, expecta patienter, donec perveniam ordine ſuo ad capitulum ſingulare quod de hujuſmodi viſis ſimilibus in ſequentibus ſcribam tibi

Quod aliquid inique fit ab aliquo, ut ab homine, vel dæmone, & tamen juſtiſſime permittitur fieri à Deo.

CAPUT XCVI.

Quod in cœlis, ſtellis, aut circulo obliquo, etſi inferiora ab illis regantur, nulli ſunt Angeli, aut habitatores, & ea, quæ ab ipſis hic inferius fiunt, per miniſtros Angelos fieri negantur.

Inquiritur, quare ignis cœli, & ſtellæ, non habeāt habitatores, cùm multi poſuerint eis habitatores.

NEc illud hîc prætereundum eſt, quòd multos in quæſtionem, & dubitationem adduxit, videlicet quòd cùm terra habeat animantia inhabitantia illam; ac ſi diceretur, habitatores proprios, & convenientes ſibi, videlicet reptilia, & innumerabilia jumenta, & beſtias, necnon & homines: unde & uſualiter habitatores vocantur, ſimiliter aqua & in maribus, & fluminibus, in lacubus, ſtagnis, & paludibus, habitatores manifeſtè proprios habeat; eodem modo & aër, volucres ſcilicet, & volatilia, quæ etiam habitacula ſua in aëre compingunt, vel ædificant, cur non & ignis habitatores proprios habebit? ſimiliter ipſi cœli, & planetæ, atque ſtellæ, quarum unaquæque latiſſima regio eſt? qualiter, & quâ de causâ habitatoribus, & incolis naturis ſuis convenientibus privati erunt? Quomodò inquiunt tam nobiles regiones vacuas, & quaſi ſolitudines, & deſerta habitationi ineptiſſima derelinquit creator optimus, atque largiſſimus. Ampliùs. Salamandra, etſi quod eſt ſimilis naturæ aliud animal, habitationem videtur propriam habere in igne; qualiter autem non habebit ignis convenietē tem ſibi multitudinē generum diverſorum, & ſpecierum animalium, quemadmodùm & aqua? cùm contraria æqualia & dignitate, & aliis naturaliter eſſe debere videantur.

Quod quidam poſuerunt habitatores in cœlis & planetis

Magiſtri verò imaginum, & magiſtri præſtigiorum poſuerunt ſingulis cœlis habitatores ſuos, & ſingulis planetis, & nominaverunt de habitatoribus hujuſmodi, de circulo ſcilicet Lunæ, quinquaginta: & de circulo Veneris alios quinquaginta: & dixerunt eos miniſtrantes circulis illis. Poſuerunt ſimiliter Angelos miniſtrantes duodecim ſignis, & alios quorum nomina in libris eorum non legi. Ariſtoteles verò ſicut audiviſti in præcedentibus jactavit ſe, quòd apud ipſum deſcendiſſet ſpiritus de cœlo veneris: ſed & Thot Græcus in libro, quem ſcripſit de cultu veneris, dixit quandam ſtationem cultus illius obtinere ab ipſa venere colentes ſeptem, qui illi, & veneri ſerviant. Quomodò inquiunt terram, quæ velut fæx eſt, & viliſſimum omnium elementorum, omniumque corporum mundi magnorum ignobiliſſimum, & in ultimitate parvitatis ad magnitudinem cœli, quod eſt dicere velut punctus, ornavit creator tam multiplici, tamque decora varietate animalium in eadem habitantium, cœlum verò præclariſſimum, omnium verò corporum mundi magnorum maximum, ac nobiliſſimum, quaſi vaſtam ſolitudinem, nec unius animalis habitatione dignatus eſt, quin potiùs fecit illud inhabitabile? quoniàm ſi habitabile feciſſet, impleviſſet, aut ejus habitabilitas otioſa fuiſſet.

De cauſa eſſendi in loco.

Dico igitur, quia conſiderare debet in his, cauſas habitationis, & eſſendi in locis: & jam audiviſti in præcedentibus, quia cauſa eſſendi in loco eſt natura, per quam naturaliter inquirunt illum, & quieſcunt in illo; & hæc eſt communis omnibus corporibus inferioribus, ideſt, ſublunaris mundi: & cauſa hæc non eſt apud ſubſtantias ſpirituales abſtractas. Secunda cauſa eſt animalibus, & vegetabilibus, nutrimentum, & victus. Propter hoc enim piſces in aquis ſunt, quia inde eſt eis nutrimentum, & victus, & inde cibantur; & cauſa iſta ſimiliter non eſt apud ſubſtantias, de quibus agitur, cùm alimentis corporalibus non in-

E digeant ullo modorum: ſed neque ipſi cœli, aut cœleſtia corpora ſunt ſicut paſcuæ cibandis, aut nutriendis animalibus, vel plantis, vel etiam herbis apti; ipſe enim motus circularis, quo tanta velocitate, immò rapiditate moventur, non pateretur apud eos plantas, vel etiam herbas eſſe, cùm cœli contingant ſe invicem. Quapropter hujuſmodi plantæ, & herbæ vel facerent diviſionem ſectionis in corporibus cœlorum, cùm eis cederent corpora cœlorum, vel ſi eis non cederent, abrumperentur à radicibus ſuis, vel penitùs eradicarentur. Et de corpore quidem Lunæ manifeſtum eſt, quòd nec herbas, nec plantas habeat, cùm uno modo ſemper ſit: niſi fortè quis dicat ver eſſe perpetuum apud ipſam. Jam autem didiciſti de vegetabilibus, qualiter generantur, & nutriuntur, & quoniàm cibantur à parte radicum ſuarum, & ſuper eas attrahunt, & exugunt nutrimentum à corpore, in quo infixæ
F ſunt; quare neceſſe eſſet corpus Lunæ eſſe corruptibile ſecundùm partem ad minus, neceſſe enim eſſet corrumpi quicquid de eo vegetabilia eidem infixa ſibi attraherent, & in nutrimentum ſuum aſſumerent; deberet etiam in eclipſi Lunæ aliquid de hujuſmodi vegetabilibus apparere: verùm tota Lunæ ſuperficies apparet ſecundùm unum modum in eclipſi ejus univerſali: quare ſecundùm hoc tota eſſet, ſicut nemus denſiſſimum, aut eſſet in parte nemus; in parte verò carens coloribus, & appareret iſta diverſitas in ſuperficie corporis ipſius. Sol autem, & ſtellæ omnes, ſi arbores, aut plantas haberent, non lucerent omninò, ſicut lucere videntur, videlicet luce continua, & non interpolata, ſeu tenebris mixta, lumen quoque ejus in ſuperficie terræ appareret ſic, & non continuum. Tertia cauſa eſſendi in loco quibuſdam eſt exercitium alicujus officii: quemadmodùm ſpeculatori ſpecula, & rectori navis in nave, & ſacerdotibus cauſa eſſendi in templis ſunt officiorum ſuorum exercitia, videlicet cultura, &
G ſervitia creatoris; hoc autem fingere non poſſunt in cœlis, vel ſignis, vel ſtellis; nulla enim officia, vel miniſteria Angelorum locum corporalem requirunt, cùm vires eorum, ſive virtutes ſpirituales verè ſint, & omninò abſtractæ à corporibus, & operationes eorum non ſint niſi ſicut intelligere, ſeu cognoſcere, & velle, ſicut ſæpè audiviſti, & hæ ſeorſum à corpore perfectiſſimè exercentur, atque perficiuntur: non igitur propter operationes aliquas, vel officia, in cœlis, vel planetis, vel ſtellis oportet eſſe ſubſtantias aliquas ſpirituales abſtractas, quod dico propter eos, qui eis animas ponunt, & eos eſſe exiſtimant animatos: de eo verò, quòd ponunt Angelos miniſtrantes ſignis, aut planetis, aut circulis, facile eſt tibi videre, quàm erroneæ, quàmque
H abſurdè hoc ponant; cùm enim angelicæ ſubſtantiæ abſtractæ longè nobiliores ſint, quàm ſubſtantiæ quælibet corporales, & propter hoc, quàm planetæ, vel ſtellæ, vel ſigna, manifeſtè indignum eſt, & lex ipſa naturæ iſtud non patitur, ut ſint miniſtræ illarum, vel etiam miniſtrent eiſdem: quòd ſi dixerit, quia actores animalium atque cuſtodes, incomparabiliter digniores animalibus miniſtrant illis, & miniſtri ſunt eorum in paſcendo, & cuſtodiendo illa, non rectè inſtat; quod enim faciunt animalibus, propter ſe ipſos faciunt homines, & propter hoc paſcunt animalia ſibimetipſis, & cuſtodiunt ſibimetipſis, non animalibus ipſis. Quare propriè, & verè ſibi ipſis impendunt homines hujuſmodi ſervitia, ſeu miniſteria, & non animalibus; & idem oportebit te videre in ſimilibus. Ampliùs. Qualia ſervitia, ſeu miniſteria impendunt ſignis, vel circulis, vel ſtellis hujuſmodi Angeli, nunquid parant eis cibos, aut lectos ſternunt? nunquid veniunt,

Quod nō ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ in ſignis miniſtrantes eis.

Digitized by Google

Quod quamvis mundus inferior regatur circulo ſignorum, tamen circulus ille non facit hoc miniſterio Angelorum.

niunt, aut calciant eos, nunquid diſcurrunt in varias legationes miſſi ab eis? in quo quidem difficillimum aliquid veriſimile fingere. Quòd ſi quis diceret, quia cùm circulus ſignorum regat mundum inferiorem, regimen iſtud, & gubernationem adminiſtrat, & efficit per Angelos hujuſmodi, quantò probabilius diceret Angelos iſtos mundùm ſublunarem regere per ſigna ipſa? Spirituales namque ſubſtantiæ corporalibus, vel tanquàm inſtrumentis, vel tanquàm aliis adjumentis utuntur, ſicut animæ noſtræ corporibus ſuis, & membris, & aliis etiam inſtrumentis forinſecis ad exteriores operationes, quemadmodùm ſecuri, & dolabra: econtrariò autem in toto univerſo non invenitur corporalis ſubſtantia uti ſpirituali, neque habere eam couſque ſubditam, & ut miniſtra ipſius debeat nominari. Ampliùs. Unumquodque ſignorum vel eſt mortuum, id eſt, vita carens, vel eſt vivum, ſive vivens: quòd ſi mortuum eſt, juxta dictum modum, nec regimen, nec gubernatio alterius ullo modorum congruit ei, nec etiam eſt poſſibilis eidem: quòd ſi vivum eſt unumquodque ipſorum, manifeſtum eſt, quia non eſt animal, ſed pars animalis tantùm; pars enim cœli ſtellarum fixarum eſt unumquodque ſignorum, pars dico corporeitatis & continuitatis ipſius: verùm nulli dubium eſt, partes animalium nihil regere, cùm nec ſe ipſas regere ſufficiant, quin potiùs à ſuis totis reguntur, nullo ſibi prorsùs regimine ſuo, vel ſuæ partis cujuſcunque, vel relicto, vel commiſſo: tu etiam vides in rebus omnibus, quia non partibus, vel cuiquam earum, deputantur unquàm miniſtri, vanè enim miniſtraretur eiſdem, cùm ſervitia nec cognoſcerent, nec adverterent: vides etiam, quoniàm ipſi, qui miniſtrant calceamenta dominis ſuis, non dicunt ſe ſervire pedibus, aut tibiis ipſorum, ſicut neque in cor quantumcúque parum intelligentis hominis aſcendit, ut diceret pedem regis dominari, vel imperare calceanti, aut diſcalceanti ſe. Si verò dixerit quis, quia hujuſmodi Angeli miniſtrant ſignis in motibus eorum, & hoc quàm frivolum ſit, quàmque vanum, ex multis manifeſtum facile tibi fiet: cùm enim jam tibi declaratum ſit aliàs nec ſigna, nec ſtellas, aut planetas moveri propriis motibus, ſed motibus cœlorum, in quibus fixi ſunt, & hoc eſt, dicere motibus partium in totis ſuis, manifeſtum eſt tibi cum hoc, quia motus unus eſt totius, & partium, & propter hoc ab uno motore. Ampliùs. Si verè cœli animalia ſunt, quemadmodùm Ariſtoteles, & ejus ſequaces poſuerunt, ab uno autem motore movetur unumquodque animal cum omnibus partibus ſuis; moveretur igitur unumquodque cœlorum ab anima ſua: ſimiliter & partes ipſius ab eadem. Ampliùs. Si poſueris ceſſare Angelos illos à motibus ſignorum, non propter hoc neceſſe eſt, ut anima cœli ſtellarum fixarum ceſſet à motu, quo revolvit illud revolutione completa in ſpatio viginti quatuor horarum. Impoſſibile autem eſt, ut moveat ipſum, quin moveat omnes ejuſdem partes; quacunque enim parte quieſcente, neceſſe eſt quieſcere totum cœlum, aut ſciſſuram fieri partis illius, & reſidui: quòd ſi dixerit, quia non poſſunt ceſſare Angeli illi à motu, quo movent ſigna, quin neceſſe ſit & ipſam animam cœli illius à motu ſuo, quo movet cœlum, ceſſare, tunc neceſſe eſt, ut moveant ipſum cœlum eodem motu ipſi, & anima illius, aut diverſo, utrumque autem horum manifeſtè impoſſibile eſt: ſi enim motum, quem operatur anima illa ſufficienter, conantur iterùm efficere Angeli, hujuſmodi ſupervacuus eſt, & omninò inutilis conatus, & intentio eorum: eodem modo eſt ratiocinari de

Quod propter motus ſignorum non ſunt ponendi Angeli in eis.

A anima ipſius cœli, quòd vero diverſo motu moveant ipſum cœlum impoſſibile eſſe, per me jam tibi alibi patefactum eſt; generaliter enim declaratione demonſtrativa feci te ſcire in præcedentibus impoſſibile eſſe quodcunque corpus moveri diverſis motibus.

CAPUT XCVII.

Quod ad effectum motuum cœleſtium non requiruntur angeli ipſis cœlis coadſiſtentes.

SI autem dixerit, quòd angeli iſti non movent cœlum, neque ſigna motu novo, ſed adjuvant velocitatem motus ejuſdem, quaſi non ſatis velociter moveretur, niſi ipſi velocitati ſuum adjutorium adhibetent, & hoc iterùm non niſi vaniſſimè dici poteſt. Manifeſtum eſt enim, quia creator unicuique mobilium, ſive ſint mobilia voluntariè, ſive ſint mobilia naturaliter, dedit virtutes motivas ſufficientes ad motus convenientes eiſdem, & congruentes naturis eorum; quemadmodùm vides in hirundinibus, quibus dedit volatum, & volandi virtutem, quæ ſufficit ad acquiſitionem victus earum; ſimiliter & leporibus levitatem pedum ad effugium, & evaſionem captionis, non quidem ab omnibus animalibus, quoniàm & quibuſdam aliis, & quibuſdam canibus, & tigribus, & aquilis, longè majorem velocitatem dedit: propter quod & eos capiunt. Qualiter igitur & ipſis cœlis non providit ſapientiſſimus, & optimus creator virtutes, quæ ſufficerent ad motus convenientes ipſis cœlis? Ampliùs. Hujuſmodi angeli non adjuvant velocitatem cœlorum impingendo, vel trahendo, cùm iſtæ operationes non fiant, niſi per corpora, vel corporalia inſtrumenta; ipſi autem incorporei ſint, adjumentum igitur, quod præſtant cœlis in parte iſta, ſpirituale tamen eſt; hoc autem eſſe non poteſt, niſi vel intelligere, vel velle, vel imperare majoritatem motus; quod ſi eſſet, manifeſtum eſt, quia tunc non ipſi miniſtrarent ſignis, ſed potiùs imperarent. Per hanc eandem viam deſtrui poteſt, ſi quis dixerit eos in hoc miniſtrare ſignis, quantùm ad motum, quia temperant ipſum à ſuperfluitate, vel nimietate velocitatis, & hoc etiam aliâ via deſtrui poteſt; ſi enim animæ cœlorum per ſemetipſas non poſſent motuum cœlorum velocitatem, vel vehementiam moderari, non eſſet voluntarius motus earum ullo modo, ſed eſſet vel naturalis, vel brutalis; naturalis autem non poteſt eſſe nimius, vel ſuperfluus, & hoc eſt, quoniàm natura nec ſuperfluè quicquam, nec diminutè unquàm aliquid operatur, cùm omnia agat, prout ei ab ipſo creatore conſtitutum eſt, nec in poteſtate habet vel aliud, vel aliter operari; ſicut enim ſæpiùs audiviſti: ipſa operatur per modum ſervientis, vel potiùs per modum ſervi, limitatum mandatum habentis, limitatione, ſcilicet intranſgreſſibili, de brutali quoque anima non oportet doceri te, quin quadam neceſſitate moveat, & non libera voluntate, & quin impetu paſſionum ita ferantur bruta animalia, & quaſi rapiantur poſt concupiſcentias ſuas, vel repellantur timoribus, nullo modo autem refrænant ſe niſi moderentur, aut retrahantur, ſed potiùs, ut dixi, repelluntur quaſi vi, & impetu neceſſario, & non libertate. Ignobiles igitur eſſent valde animæ cœlorum, ſi brutales eſſent, & motus eorum non eſſent rationabiles, ſed præcipites, & inconſiderati; ſed & ipſe creator omninò improvidè, & inſipienter tam nobilia, ac ſublimia tam ignobilibus animabus commiſiſſet, aut credidiſſet, qualiter autem cœlis,

Quòd non ſunt ponendi Angeli in cœlis, ut adjuvent velocitatem motuum ipſorum.

Quòd animæ cœlorum non ſunt, nec debent dici brutales.

Digitized by Google

qui utique animalia bruta eſſent ſecundùm hoc, E totius ſublunaris mundi gubernationē, & omnium animalium tam brutorum, quàm hominum, creator ſapientiſſimus, & optimus tradidiſſet? nec enim uni ex aſinis alius aſinus regendus unquàm creditus eſt, vel commiſſus; quantò fortiùs igitur, nec homines, nec res humanæ cœleſtibus illis, & tamen brutis animabus tradendæ ad regendum à ſapientiſſimo, optimoque creatore non fuerunt, & propter hoc nec traditæ ſunt? Manifeſtum igitur eſt ex his, quia non propter exercenda aliqua officia, vel miniſteria ſubſtantiæ abſtractæ aliquæ in ſupernis illis regionibus conſtitutæ ſunt.

CAPUT XCVIII. F

De errore magiſtrorum imaginum circa Angelos; necnon & de quodam familiari ſpiritu ipſi Ariſtoteli.

AD id verò, quòd magiſtri imaginum, atque præſtigiorum deceptiſſimi poſuerunt, reſpondendum eſt, quia boni, & ſancti Angeli nullis invocationibus, nullis ſuggeſtionibus, aut promiſſionibus, nullis donis, aut oblationibus unquàm deſerunt injuncta, vel impoſita ſibi à creatore officia, vel ab aliis quibuſcunque, qui eis legitimè imperent & jure dominentur eiſdem. Quapropter fruſtra invocari eos docent, fruſtra eis offerri ſacrificia, propter hoc, ut ad ſerviendum invocatoribus ſuis veniant propoſitis ſibi ſervitiis derelictis. Quòd ſi mali ſunt hujuſmodi Angeli, ſicut ex hoc manifeſtè apparet, quòd creatoris honorem, & gloriam in ſe transferri ſuadent hominibus vel inſaniſſima aviditate inanis gloriæ, vel inſaniſſima malignitatis, & G nequitiæ odioſitate ipſorum hominum, quos tantis creatoris offenſis ab eodem avertere conantur, non debet alicui intelligenti dubium eſſe, quin mentiri paratiſſimi ſint eis quibus tam vehementer inimicantur Quare manifeſtum eſt eis mendaciter iſtud hominibus ſuggeſſiſſe, videlicet habitationem ſibi eſſe in cœlis, ut per hoc faciliùs eiſdem de deitate vel divinitate, quam ſe habere ſemper mentiti ſunt, crederetur ſic & de miniſterio, vel miniſtratione ſignorum falſum ſuggeſſerunt, ut homines ad eorum ſervitium, & ad idolatriam ſtellarum, & cœlorum, atque circulorum, per hujuſmodi mendacium inclinarent. Non debet igitur mirum videri tibi ſi mentitus eſt aliquis de nequam ſpiritibus Ariſtoteli, dicens, ſe ad eum de cœlo Veneris deſcendiſſe cum ſacrificio agni capiſtrati & aliis hujuſmodi ſacrificio nephario ritu adhibitis. Hoc ipſe H Ariſtoteles ſcripſerit eſſe factum; neque enim mentiri veritus eſt, qui idolatriam ſuggerere, & ſacrilegum ſacrificium recipere non expavit, propter quod non parum admiranda eſt cæcitas, & decipientia eorum, qui tantam malitiam hujuſmodi ſpirituum vel non viderunt, vel videntes eis crediderunt. Quòd ſi fortè dicat ſacrificium illud immolaſſe Ariſtotelem Veneri, & propter hoc obtinuiſſe ab ea ſpiritum antedictum ad ſe mitti, dico quia iſtud videtur abſurdius. Primò: quia cùm Venus corporalis ſubſtantia ſit, ſive animata, ſive inanimata, omninò indignum, & indecens eſt, & naturæ nullo modorum tolerabile, ut ipſa imperet, & dominetur ſubſtantiis abſtractis merè ſpiritualibus, cùm illæ longè nobiliores, atque potentiores ſint, quàm ſubſtantiæ corporales. Secundò: quia longè propinquiores, ac viciniores ſunt deitati, ſeu divinitati, quàm ipſa Venus eſſe poſſit hoc autem eſt propter ſpiritualitatem, atque nobilitatem, & perfectionem ſuam, propter quas nullo modorū indigent corpore; nullo modorum igitur conveniens eſt, ut hujuſmodi

Quod angeli, qui apparent hominibus per invocationes, ſunt mali & per quid, vel unde hæc apparent.

ſubſtantiæ ſerviant ſubſtantiis corporalibus; ſed & de ſignis, ſicut prædixi, nullo modo conveniens eſſe poteſt, ut eis ſerviant cùm partes, ut dixi, ſint cœli ſtellati, quod & ſi eſſet animal, ipſa tamen ſigna animalia eſſe non poſſent; partes enim animalium animalia eſſe impoſſibile eſt.

CAPUT XCIX.

Ex cæteris modis eſſendi in loco deſtruit habitationem Angelorum in ſtellis cœlis, planetis, & cur dæmones in montibus, vel deſertis apparent.

QUarto verò modo, & quarta cauſa, eſt aliquid in aliquo ad perfectionem, & exinde eſt ei plurimus decor, & ornatus: quemadmodùm anima eſt in corpore, & viſus in oculo; & inde eſt ipſi corpori, & oculo plurimus decor & ornatus. Iſte verò modus & cauſa nullo modo conveniens eſt hujuſmodi ſubſtantiis, cùm ex eis non ſit perfectio cœlis, aut ſtellis; non enim animant, vel vivificant eas. ſive enim inanimati ſint ſive animati, nec animantur, nec vivificantur ab eis, cùm ſint abſtractæ ſubſtantiæ, & à corporibus ſeparatæ: maximè ſecundùm eos, qui cœlos animatos ponunt, & ſtellas ſimiliter. Dico etiam, quòd neque ad ornatum in cœlis poſſunt eſſe hujuſmodi ſubſtantiæ; ſpiritualia enim abſtracta non poſſunt eſſe ornatui apud ſemetipſa corporeis, aut corporalibus ſubſtantiis, cùm neque applicationem, neque conjunctionem aliquam habeant ad illas. Ampliùs. Ornatus ille aut corporalis eſſet, aut ſpiritualis, & corporalis quidem eſſe non poteſt, ſi per ſe, hoc eſt, per ipſas eſſentias ſuas, & non per aliud, præſtant illum hujuſmodi ſubſtantiæ, & intelligo ſuas per eſſentialia, hoc eſt, ipſa earum applicatione, ut annulus digito, & annulo gemma: non tamen negandum eſt ſubſtantias ſpirituales multiplices ornatus præſtare interdùm templis, in quibus apparent, & in aliis locis, ſicut in præcedentibus audiviſti de fulgoribus, & odoribus, quibus eas illuſtraſſe & templa, & alia loca, ſæpè viſum eſt; & credo, quòd adhuc iſtud facere non deſiſtunt. Verùm iſti ornatus nec eſſentia earum ſunt, nec ab eis eſſentialiter exeunt, vel effulgent; ſpiritualem verò ornatum præſtare non poſſunt cœleſtibus corporibus, quoniàm nec illius receptibilia ſunt. Quòd ſi conſideraveris alias cauſas eſſendi in loco, & per ſingulas curras, invenies nullam earum convenientem eſſe prædictis ſubſtantiis; neque enim ſunt ibi, ut cuſtodes, aut defenſores, cùm nihil vel cœlos impugnet, vel inſidietur eiſdem, neque ſunt ibi, ut theſauri ad cuſtodiam, ne rapiantur, neque ut captivi, qui cuſtodiantur, ne effugiant, neque ut militiæ exercituum, & congregatorum, & præparatorum ad bellum, cùm apud hujuſmodi ſubſtantias neque arma, neque bella locum habeant. Quòd ſi quis dixerit, quia in ſermonibus Prophetarum vocantur & militiæ cœli, & cœleſtes exercitus, non te conturbet iſtud, quoniàm ſermones hujuſmodi non cogunt te, ut concedas Prophetas hoc intellexiſſe de aliquo cœlorum mobilium, nec etiam ille ſermo ejuſdem ex Prophetis Hebræorum, quo arguit gentem Hebræorum ſerviſſe omni militiæ cœli, vel ſermo, quo prohibetur adorare militiam cœli, etiam non cogit ad hoc, cùm militia cœli in utroque ſermone evidenter intelligatur Sol, & Luna, & ſtellæ, quamquàm & alias intentiones ejus, quod eſt militia cœli, audiveris in eis, quæ præceſſerunt. Aggregata igitur ratiocinatione ex omnibus, quæ ad hoc inducta ſunt hic, manifeſtum eſt tibi nullam eſſe cauſam, quæ debere faciat ſubſtantias angelicas eſſe in cœlis, vel ſtellis, aut in ſignis, aut

Quod angeli, ſi ponerentur in cœlis, non animarent eos nec ornarent.

Quod dicta prophetarum de militia cœli non intelliguntur de cœlis mobilibus.

Digitized by Google

aut planetis, ſed neque aliquis fructus, neque utilitas ulla ex earum eſſe in illis inveniri poteſt. Patefactum ergo eſt tibi per hæc, & alia quædam, quæ præceſſerunt, quia non ſunt ibi ullo modorum, & quia ſe ibi eſſe mali angeli mentiti ſunt hominibus, ut eos in cultum, & venerationem ſuam inducerent, & ut ſe ipſos deos eſſe per hoc credibilius ſuaderent. Habes autem quæſtionem, cùm & in multis deſertis locis & in montibus ſæpè appareant, nullã aliam ludificationem, exercentes, quàm ut homines videant, aut cognoſcant, quâ de causâ inibi ſint. In hoc ergo ad præſens aliud dicendum non video, niſi quòd ipſa apparitio eorum non modica ludificatio eſt, cùm provocatio magna ſit ad hoc, ut conſulantur, vel requirantur, & propter hoc via, & appropinquatio ad illuſiones, & deceptiones hominum, quorum pronitas ad familiaritatem eorum manifeſta eſt; hujùſmodi enim apparitiones curioſis, & malignam aſtutiam hujuſmodi ſpirituum ignorantibus provocatio vehemens eſt ad collocutiones ipſorum, & familiaritatem conquirendam.

CAPUT C.

Propter quid dæmon dictus Aſmodæus in quodam deſerto ſuperioris Ægypti ab Angelo Raphaële ligatus extiterit, & refutatio fabulæ de Harot, & Marot.

QUòd ſi quis quærit, qualiter Archangelus Raphaël religavit dæmonem nomine Aſmodæum in deſerto ſuperioris Ægypti, & qua de cauſa mutavit ei carcerem, in quo fuerat cum aliis, videlicet carceralem illam habitationem aëris; de qua ſæpè audiviſti: dico quia expediens, & perutile fuit, ut firmaretur credulitas de ipſo bonorum Angelorum, & malorum eſſe, & de poteſtate bonorum Angelorum ſuper malos. Dico etiam, quia ſi remiſiſſet Archangelus Raphaël dæmonium illud ad carcerem priſtinum, aëris ſcilicet, occulta eſſet illa incarceratio, nec roboraret credulitatem hanc; & veriſimile eſt ipſum dæmonium dare plerunque ſuæ religationis indicia certa; hoc enim in aliis ſimiliter religatis leges, ſi mihi credideris, in narrationibus miraculorum, quæ ſunt apud gentem Chriſtianorum. Quod totum fit ad firmandam credulitatem antedictam, & fidem de omnipotentia creatoris, & cura ejuſdem circa homines, & res humanas. De hoc quoque, quod in lege Saracenorum legitur de Haroth, & Maroth, quòd in antro quodam in Babylone incarcerati ſunt, quòd & Mercurius magus in libro veneris, qui eſt pars libri ſeptem planetarum, rememorat: ſcito fabulam eſſe mendaciſſimam propter multas cauſas. Primo; quia ſicut ibi dicit, quaſi de injuſtitia arguerunt Deum ſæculorum. Secundo, quia concupiſcentia libidinoſa dicit eos ibidem peccaſſe, & euſque concupiſcentia hujuſmodi exàrſiſſe, ut negare parati eſſent Dominum ſæculorum. Tertio, quia expreſsè affirmat illos Domino ſæculorum ſerviviſſe mille ſeptuaginta annis, ex quo conſequens eſt non omnes malos angelos ſimul cecidiſſe, & non cecidiſſe eos omnes per ſuperbiam, cùm dicat iſtos cecidiſſe per libidinis concupiſcentiam, & apoſtaſiam, atque idolatriam, utpote qui, ut ipſe teſtatur, parati fuerunt Dominum ſæculorum negare, & Venerem ſolam abſque participe adorare, cùm in angelicam ſubſtantiam concupiſcentia hujuſmodi cadere non poſſit; concupiſcentia enim propria eſt virtuti generativæ corporali, quam impoſſibile eſt eſſe in abſtractis ſubſtantiis, impoſſibile igitur fuit eos peccare concupiſcentia libidinis. Quòd ſi dixerit quis, quia ipſam virtutem generativam aſſumpſerint cum ipſis corporibus, non effugiet, quin eum oporteat confiteri, & de aliis viribus animalibus ſimiliter Quapropter cogetur ex neceſſitate ipſos ſanctos fuiſſe homines: ut autem Angelus homo fiat non minùs impoſſibile, quàm Angelum hominem fieri.

CAPUT CI.

Quales ſint motus ſubſtantiarum abſtractarum, & de motu impartibilium, ubi de lucis operatione.

De motibus ſubſtantiarũ abſtractarum.

POſtquàm autem complevi ſermonem iſtum de ubi ſubſtantiarum iſtarum, prout mihi poſſibile fuit ex largitione creatoris, & prout occupationes, & alia impedimenta permiſerunt, aggrediar ſermonem de motibus, qui apparent in eis, & qui etiam in utraque lege Chriſtianorum, & etiam Hebræorum attribuuntur eis. Incipiam igitur, & dicam, quia jam dixit Ariſtoteles in libro ſuo, quem vocavit auditum: quia motus eſt exitus à potentia in actum continuus, & non ſubitus & intellige actum non motum ipſum, ſed id, cujus acquiſitio per motum intenditur, alioquin eſſet motus in motum omnem, & ita in infinitum, cùm à potentia movendi in actum movendi exitus eſſet motus, in quem ſimiliter exitus à potentia ſua eſſet alius motus, & in illum ſimiliter exitus à potentia ſua eſſet tertius motus, & ſecundùm hunc modum iret res in infinitum. Quapropter neceſſe eſſet conſequenter, ut omnem motum præcederent infiniti motus: & propter hoc infinita mota, cùm unum impoſſibile ſit infinitis motibus moveri. Hanc definitionem motus cùm perſcrutatè conſideraveris, apparebit tibi liquidò ipſam eſſe diffinitionem motus corporalis ſolius, apparebit etiam conſequenter tibi impartibile non poſſe moveri motu hujuſmodi, hoc eſt, continuo, & hoc jam declaravit Ariſtoteles in eodem libro; ego autem addam tibi hîc declarationes faciles, & manifeſtas, atque huic tractatui convenientes. Dico igitur, quia omnis diſpoſitio, quæ eſt, vel eſſe poteſt, in ſubſtantia impartibili, impartibilis eſt partitione continuitatis, alioquin non eſſet tota in impartibili, quin potiùs minimum ſui haberet in impartibili, & plurimum, imò totum, videlicet totalitatem eſſentiæ ſuæ, haberet extra illud, & propter hoc totalitas ejus eſſet extra proprium ſubjectum, nullã omninò partem ſui habens in illo, ſed ſolum punctum, quemadmodùm quantitas continua non poteſt dici eſſe in puncto. Manifeſtum igitur eſt per hoc, quia partibilis diſpoſitio partibilitate continuitatis non poteſt eſſe diſpoſitio impartibilis. In id autem eſt motus uniuſcujuſque moti, quod eſt vera, & propria diſpoſitio illius. Impoſſibile igitur eſt motum impartibilis eſſe in diſpoſitionem impartibilem partitione hujuſmodi: quia igitur omnis motus cujuſcunque moti eſt in aliquam diſpoſitionem, ut acquiratur illi, & omnis diſpoſitio ſubjecti impartibilis, vel partibilis eſt, quod jam removi, vel impartibilis, erit ex neceſſitate omnis motus hujuſmodi ſubſtantiæ in diſpoſitionem impartibilem, ſed omnis diſpoſitio impartibilis acquiritur ex neceſſitate ſubito, & non per partes, neque per continuitatem ſucceſſionis, cùm partes non habeat. Nihil autem aliud eſt exitus à potentia in actum, quàm acquiſitio diſpoſitionis, quare omnis exitus à potentia in actum, hoc eſt, diſpoſitionem impartibilem, eſt ſubitus, & non continuus. Juxta hanc viam facile declarari tibi poteſt, quia diſpoſitionis prædicto modo partibilis continua eſt, & ſucceſſiva, non ſubita acquiſitio, dico acquiſitio, quæ motus eſt: jam enim declaravi

Quod impartibile non poteſt moveri motu continuo.

Digitized by Google

tibi in prima parte tractatus iſtius de Univerſo, quod acquiſitio formæ cœli primi, & acquiſitio corporeitatis ejus, ſubita fuit & non continua, quoniàm fuit creatio, & non generatio; & ſic dico de diſpoſitionibus omnibus prædicto modo partibilibus, quæ ſunt opera immediata creatoris, videlicet, quæ ſunt per creationem tantùm, quòd acquiſitio earum ſubita eſt, non continua. nec te conturbet error eorum, qui opinati ſunt operationem lucis ſubitam eſſe, & non continuam. Hoc enim viſum eſt eis propter velocitatem ipſius, propter quod apparet eis quàm citò ſol in ortu eſt, tam citò in oppoſitum ejus, quantumcunque remotum ſit ab eo, lumen ejus relucere, hoc autem impoſſibile eſſe multis viis cognoſces, ſi conſiderationem in hoc feceris. Mutatio enim à tenebris in lucem, ſi fieret in inſtanti, neceſſe eſſet, ut in illo inſtanti ipſum, quod tranſmutatur à tenebris in lucem, vel eſſet tenebratum tantùm vel luminatum tantùm, vel utrumque ſimul, utrumque autem ſimul illud eſſe impoſſibile eſt: quòd ſi tenebratum tantùm, nondùm igitur eſſet ſaltem incœpta mutatio, cùm ſe haberet eodem modo prorsùs ut priùs; ſi verò luminatum tantùm eſſet; igitur perfecta totaliter, & completa mutatio; quare tunc non mutaretur, cùm eſſet omninò mutatum, quemadmodùm non intrat domum, qui totus intus eſt, nec exit eam, qui totus extra eſt, nec acquirit aliquid, quod jam totum habet, nec amittit illud, quo jam totaliter caret; ſed jam illud totum amiſit. Ampliùs. Cùm ſplendor ille à ſole emicans totum pertranſeat, & percurrat aëra, quem totum illuminat, neceſſe eſt, ut priùs partem pertranſeat, quàm totum, & præſertim, cùm pars luminata partem ſibi continuam illuminet, & illa aliam, donec perveniatur ad finem luminis, neceſſe eſt unamquamque partium prius habere lumen in effectu, quàm generare lumen aliud. Ut enim generet, vel agat aliquid, quodcunque generantium, & agentium, neceſſe eſt ipſum eſſe prius in effectu. Ampliùs. Manifeſtum eſt lumen tenuari, ac minorari per elongationem à luce, ex qua emicat, donec annihiletur, alioquin virtus lucis, quantumcunque parvæ, eſſet infinita: cùm poſſet in infinitam operationem, hoc eſt, in infinitam illuminationem: ſi enim aër eſſet infinitus, quantumcunque modica lux poſſet in totam illuminationem illius, neceſſe igitur eſt per continuam hujuſmodi attenuationem tandem veniri ad conſumptionem, & annihilationem ipſius: manifeſtum igitur eſt fortitudinis majoris eſſe lumen in partibus vicinioribus ipſi ſoli, quare & fortiores motus, & propter hoc velociores: quantò igitur propinquius eſt lumen à ſole emicans ipſi, ſoli, tantò fortioris, ac velocioris eſt motus, & quantò elongatius, tantò minoris, ac debilioris virtutis. quapropter tantò tardioris, ac remiſſioris motus. Impoſſibile autem eſt, ut mota eodem tempore, vel puncto temporis, idem ſpatium, vel æqualia ſpatia tranſeuntia, inæqualis motus ſint, quapropter manifeſtum eſt de luminibus inæqualibus, quòd impoſſibile eſt, quòd æqualis velocitatis ſint in illuminando, ſeu emicando, quod eſt, corpus luminabile percurrendo; eſſet autem neceſſe, ſi ſubitò, quod eſt, in puncto temporis, unumquodque lumen totum corpus, quod illuminat, percurreret? idem enim ſpatium, vel æqualia ſpatia uno puncto temporis pertranſirent, & hæc eſt ratio æqualis motus. Ampliùs. In calore manifeſtum eſt, quòd non ſubita eſt mutatio ab ipſo in contrarium, nec econverſò: & hoc apparet per augmentum, ſive intenſionem ipſius, quæ eſt arſio, vel combuſtio; de quibus manifeſtum eſt, quòd non ſubitæ ſunt, neque in puncto temporis perficiuntur.

Quòd operatio lucis non ſit ſubito.

E Omne enim, quod ardet, vel comburitur, articulatim, & ſucceſſione continua ardet, vel comburitur; quapropter in calefactione, & etiam in tepefactione eodem modo ſe habere neceſſe eſt. In ſonis quoque hoc evidens eſt: priùs enim videbis percuſſionem mallei, vel alterius inſtrumenti perfici, quàm perveniat ad te ſonus hujuſmodi percuſſionis: quòd ſi fueris ſupra ripam lati fluminis, & in oppoſita ripa fiat ſonora percuſſio ſenſibilis, apparebit tibi diſtantia inter percuſſionem iſtam, & ſonum ejuſdem, nimis igitur crediderunt oculis ſuis, & viſui ſuo homines hujuſmodi. Mirum autem eſt, ſi non credunt ſolem bipedalis magnitudinis eſſe tantùm, cùm viſus hoc teſtificetur: ſimiliter & ſi non credunt lunam ſole multò majorem eſſe, & ſtellarum, atque planetarum, unamquamque, quomodò credent multò majorem eſſe terra tota contra teſtimonium viſus ſui? an verò credent F declarationibus demonſtrativis, quæ ſuper hoc jam inventæ, & ſcriptæ ſunt à Philoſophis? In his igitur, & multis aliis philoſophia humanis conſulit erroribus. Debes etiam hîc reminiſci, qualiter declaratum eſt in motu ſphæræ cœleſtis, quòd habitantibus hominibus ſub æquinoctiali alter colurorum oritur in inſtanti, ſive ſubitò, & quoniàm ortus ejus, ſive aſcenſio ſuper horizonta non habet moram, vel ſucceſſionem. Omnia enim puncta, quæ ſunt immediatè circumferentiæ ipſius à parte orientali, ſimul emergunt ſuper horizonta prædictum, & propter hoc ortus omnium illorum, vel aſcenſio, non eſt plus quàm ortus unus ex eis. Unius autem punctus ortus, vel elevatio ſuper horizonta in inſtanti ex neceſſitate perficitur. Similiter omnia puncta, quæ ſunt immediatè ejuſdem coluri orien- G talis, ſimul elevantur ſuper horizonta: quare & tota illa medietas, & propter hoc neceſſe eſt, ut reliqua medietas, videlicet occidentalis, tota ſimul, & ſubitò occidat: non autem ita eſt de æquinoctiali apud illos habitatores, & hoc eſt, quoniàm & aſcendit ſuper horizonta non totus ſimul, neque aliqua pars illius, ſed neque aliquis ortus, neque etiam duo aliqua puncta ipſius: quod autem dixi de coluro, non eſt, niſi propter hoc, quoniàm colurus nec habet ſpiſſitudinem, neque aliam dimenſionem in parte illa, videlicet aſcenſionis ſuæ; ſed ſolam ſuperficialem tenuitatem, de qua manifeſtum eſt tibi, quantùm ad aſcenſionem ſuæ ſpiſſitudinis, cùm illam non habeat, quod nec morari poteſt, nec extendere aſcenſionem ipſius in morulam quantumcunque parvam, nec in aliquo ullo modo quod excedat punctum temporis. Illi verò rationi, quam induxi de illuminatione, & tenebratione; videlicet an luminatus, an tenebroſus ſit aër, quandò mutatur à lumine in tenebras, non eſt neceſſe, quòd illi H innitaris: quia in impartibilibus, & ſpiritualibus mutationibus te induceret in errorem; nec ſecundùm unam rationem dicitur mutatio in corporalibus & ſpiritualibus, & æquivocatio iſta latet multos imperitos, & propter hoc coguntur interdùm concedere ſpirituales mutationes continuas, & non ſubitas eſſe. Secunda verò declaratio, quòd impartibilia non moventur, vel mutantur mutatione partibili partitione continuitatis, eſt, quia cùm conſideraveris diſpoſitiones ſubſtantiarum impartibilium, invenies eas impartibiles partitione hujuſmodi.

Secunda declaratio quod impartibilia non moventur motu partibili.

CAPUT

CAPUT CII.

Quod motiones Angelorum nullo adminiculo fiunt; ſed ſola voluntate, & intellectu, quare & ſubito.

Vnde ſcientia dicitur una.

QUòd ſi dixerit quis, quia ſcientiæ geometricæ, & aliæ hujuſmodi ſcientiæ, compoſitæ ſunt ex multis, & aggregatæ ex ſcientiis principiorum, & propoſitionum, quarum forſan non eſt numerus. Dico in hoc, quia ſcientiæ hujuſmodi non habent veram unitatem, nec verè, ac propriè, aliqua earum unum dicitur, nec dicuntur unum, niſi quia de uno, videlicet Arithmetica de numero. Et ad hunc modum ſe habet de aliis, nec credo, quòd aliquis euſque unquàm deliraverit, ut crederet partes alicujus ſcientiæ unitas eſſe ad invicem unione continuitatis, quare remanent diſgregatæ ab invicem, & non aliter conjunctæ, niſi quia in B uno ſubjecto, & de una materia, quemadmodùm dixi de numero, ſed neque contactus habet locum apud eas: quia igitur motus, ſeu mutationes locales, quales eis congruunt, non fiunt apud eas, videlicet apud hujuſmodi ſubſtantias corporali aliquo adminiculo, hoc eſt, neque corporali impulſu, neque corporali tactu, nec corporali evectione, non enim equitant in curribus, aut aliis vehiculis vectitantur, neceſſe eſt tranſlationes hujuſmodi locales, quibus moveri dicuntur, fieri apud eas per ea ſola, quæ in eis ſunt, & intendo ſpirituales apprehenſiones, & affectiones & hoc eſt dicere eos in ſolo intellectu, & voluntate ſic ſe transferre ab uno loco in alium. Intellectus autem, ut voluntas ſubitæ ſunt in operationibus ſuis. Quod eſt dicere in inſtanti perficiuntur. Velle enim, & intelligere, ſicut partes non habent, ſic nec particulatim fiunt in hujuſmodi ſubſtantiis. Quare quantùm eſt ex principiis, & cauſis hujuſmodi motionum: motiones ipſæ inſtantaneæ, ſive ſubitæ ſunt, non C enim eſt in abſtractis ſubſtantiis, & earum motionibus, quemadmodùm eſt in animabus noſtris, & corporum noſtrorum motibus, maximè ſecundùm quod ſe habent corpora noſtra in vita iſta, hoc autē eſt, quia corpora ſua ipſa groſſitie, & continuitate corporali, non poſſunt moveri ſubitò, imò neceſſe eſt ea ſequi, & comitari continuitatem ſuam in motibus ſuis: non poſſunt igitur ea velocitate obedire imperantibus motum animabus, quâ imperant illum; ſubitò enim imperantur, hoc eſt in inſtanti, imperantur inquam moveri, nec tamen in inſtanti poſſunt moveri, cùm omnis motus corporalis non poſſit eſſe, & perfici niſi in tempore, quamquàm veriſimile dici poſſit animas noſtras D non imperare in vita iſta corporibus ſuis, ut ſubitò moveantur hîc; quoniàm certum habent ea non poſſe ſic moveri, igitur naturali inſtinctu prohibentur hujuſmodi impoſſibilia deſperata imperare corporibus ſuis. Quia verò in futura vita poſt hanc erit vita gloriæ, facillimum erit corporibus obedire animabus imperantibus, cùm per gloriam futuram ſublata erit omnis difficultas, & omne aliud impedimentum, ipſaque corpora, quæ modò ſunt ſarcinæ animabus, tunc erunt gloriæ, ſicut in præcedentibus didiciſti. Adæquabuntur enim invicem in velocitate animarum imperia, & obedientiæ corporum, nec debet tibi videri mirum, aut incredibile, ſi præſtatur per gloriam futuram corporibus, ut ad nutum imperantium animarum vel ſubitò, vel moroſè, ſe transferant, quocunque animæ noſtræ vel miſerint, vel voluerint, cùm non improbabiliter alicui videri poſſit, hoc ipſum etiam per naturam fieri poſſe, ſi neceſſitas hoc requirere,

Quod mutationes ſubſtantiarū abſtractarū non fiunt, niſi intellectu, & voluntate.

Quod corpora glorificata poterunt moveri ſubito.

A per naturam inquam nondùm corruptione originali depreſſam, atque gravatam, & intendo, quia ſi Adæ, antequàm peccato ſuo hujuſmodi corruptionis, & aggravationis pœnam incurriſſet, neceſſitas eſſet transferendi ſe ſubitò ab uno loco in quemcunque alium, & hujuſmodi tranſlationem corpori ſuo imperaret; nullatenùs in hoc illud ei repugnaret, ſed abſque difficultate aliqua eidem obediret; alioquin neque naturale organum, neque conveniens naturaliter animæ ipſius videri non immeritò poſſet corpus, quod vel repugnantiam, vel tarditatem adhiberet obedientiæ ſive executioni imperij illius: præſertim cùm relatio, & correlatio æquales eſſe debeant, relativa verò ad invicem eſſe non dubitantur imperativum, & miniſtrativum; ſimiliter imperium, & miniſtratio, ſive executio: Quare hujuſmodi correlationes non videntur & naturales, & naturaliter eſſe inter animas noſtras, & B corpora noſtra ſecundùm ſtatum illum primarium; in quo non erat cauſa aggravationis, vel retardationis hujus, propter quam dixit ſapiens quidam; quia corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, quod & Poëta ille nobiliſſimus Latinorum intellexiſſe videtur in ſermone ſuo, quo dixit; quantùm non noxia corpora tardent. In quo etiam intellexiſſe videtur ipſas animas humanas à parte corporum originali corruptione læſorum tardari, & multipliciter impediri ab operationibus ſuis. Ex his igitur omnibus manifeſtum eſt tibi, quia nulla ſubeſt cauſa, quæ faciat debere moveri ſubſtantias impartibiles motibus partibilibus partitione prædicta; neque enim hoc faciat deberi continuitas corporum in ſubſtantiis abſtractis, cùm corpora illa non habeant, neque etiam in noſtris animabus: non enim neceſſe eſt illas moveri motibus, quibus movent corpora; & hoc jam declaravit Ariſtoteles in auditu ſuo, ubi ſciri fecit, quia C nullum movens neceſſe eſt moveri ex hoc, quod movet, vel motu, qui movet, vel alio. Motus autem ſpirituales animarum noſtrarum, quos ipſe vocat paſſiones, impoſſibile eſt eſſe continuos, ſive continuitate partibiles: & hic eſt ſermo, qui non habet contradictionem ad interiùs rationem: quæcunque enim anima gaudet, gaudet ſubitò, & intendo; quia in inſtanti recipit gaudium, ſimiliter & triſtitiam, & ad hunc modum ſe habet de aliis paſſionibus. Quare manifeſtum eſt motus hujuſmodi, quos Ariſtoteles paſſiones vocat, omnes ſubitos, & inſtantaneos eſſe, quapropter & iſtas lationes, ſive tranſlationes, ex neceſſitate ſimiles eſſe, hoc eſt, ſubitas, & inſtantaneas, quemadmodùm ſi ſubitus, & inſtantaneus eſſet motus manus te- D nentis ſecurim, & percutientis in ea, ſubita & inſtantanea eſſet hujuſmodi percuſſio. Quia igitur ſubita, ſive inſtantanea eſt voluntas, ſive velle, quâ vult ſe transferre ab uno loco in alium quæcunque ſubſtantia ſpiritualis, cùm nec ſit continuitas apud ipſam, nec ſit ei aliud ſui hujuſmodi motus inſtrumentū, vel adminiculum, neceſſe eſt lationem, ſive tranſlationem, quâ ſe transfert ab uno loco in alium, per ſolum velle ſuum, ſubitam, & inſtantaneam eſſe, cùm cauſa partibilitatis hujuſmodi nec fingi etiā poſſit, neque enim impellit ſe, vel impingit hujuſmodi ſubſtantia ab uno loco in alium, nec aliud in ea, vel apud eam ſit propter hoc, ſcilicet, ut ab hoc loco transferatur in illum, quàm ſolum velle, quo videlicet vult eſſe in illo loco. Modis igitur omnibus neceſſe eſt, ut ſola voluntate ſe transferant, & eſſe ſe faciant quocunque voluerint. Ampliùs. Si hāc poteſtatem habent in ſuis corporibus ſanis, ſanitate ſcilicet, primaria, quâ libera prorſùs, & immunia

eſt, quòd ſuæ libertatis, atque poteſtatis eſt omni modo: & quia apud ipſam nihil poteſt virtus ratiocinativa, niſi quemadmodùm advocatus apud judicem, aut Conſiliarius apud Regem, vel Imperatorem. Declaravi etiam tibi hoc in alio tractatu, qui eſt de virtutibus, & moribus, eam eſſe libertatem voluntatis, ut neque cogi poſſit ullo modorum ad propriam & primam operationem ſuam, quæ eſt velle, vel nolle, neque prohiberi ab eadem; & intendo, quod non eſt poſſibile aliquem velle aliquid omninò nolentem ſe velle illud, vel nolle omninò volentem ſe velle illud. Quod ergo dixi animam humanam movere ſe motu voluntatis, intelligo ſuggeſtione, vel conſilio virtutis ſuæ ratiocinativæ inclinare ſe ad volendum, hoc eſt velle. Non enim aliud intelligo inclinari ad volendum, quàm velle; licet conſilio, vel ſuggeſtione hoc fiat.

CAPUT CIV.

Quòd varii ſunt modi movendi, & de inclinationibus voluntatis, & quòd tribus modis dicitur quis moveri ad volendum.

Quibus modis dicitur movere.

QUod ſi dixerit quis, quia neceſſe eſt movere & moveri, non ſecundùm idem ineſſe, cùm ſint contraria, verum utique dicit, ſi rectè intelligat, & circumſpectè diſtinguat diverſas intentiones ejus quod eſt movere, palam enim eſt, quia una intentione movet advocatus judicem, & ſuggeſtor ſuggeſtionibus acquieſcentem, & alia intentione movet anima humana corpus, in quo eſt, inclinando illud, vel erigendo: tertio modo movet impulſor impulſum, & quarto attrahens attractum; quintus verò modus videtur eſſe, quem Ariſto. expreſſit in libro ſuo de anima in ſermone ſuo, quo dixit quia delectabile imaginatum movet. & motus ille deſiderium eſt indubitanter: ſic forſitan verum eſt, quia volitum movet volentem, licet non uſquequaque ſimiliter ſe habeat. Deſiderium enim ſic videtur eſſe ex imaginatione, ſicut calor ex luce: & intendo cauſaliter, & effectivè: velle verò non ſic eſt ex volito, ſed ex voluntate liberè. Liberum enim eſt voluntatem inclinari in volitum, niſi corruptione aliqua perverſa, aut depravata fuerit, voluntas, virtuti autem deſiderativæ, ſive concupiſcibili inferiori non ſic; neceſſe enim habet calere ex imaginatione delectabilis, niſi eam voluntas, quæ ſuper ipſam habet dominationem, & imperium, hoc averterit, ac prohibuerit. Quod ſi quis dixerit, quia vis concupiſcibilis, ſi munda & immunis eſſet ab omni perverſitate, atque corruptione, liberum haberet moveri deſiderio delectabilis ex imaginatione ipſius, dico quia ſermo iſte erroneus eſt; & hoc apparet duabus vijs, primùm: quoniam in brutis animalibus non eſt hujuſmodi perverſitas, aut corruptio; nec tamen apud ea eſt hujuſmodi libertas in vi concupiſcibili: non enim liberum habent concupiſcere, vel non concupiſcere, delectabilia ſua, cùm ea viderint, vel aliter ea apprehenderint; ſed quaſi neceſſitate feruntur, vel rapiuntur ad ea. Secundò, quia ſi libertatem hanc haberent, culpanda, vel vituperanda, eſſent bruta animalia propter hujuſmodi deſideria, vel concupiſcentias: præſertim cùm poſitos ſibi limites à natura tranſgrederentur, quemadmodùm quando commiſcentur alijs ſpeciebus, & de furto arguendus eſſet canis, vel catus, cùm fruſtum panis, aut carnis, invito, vel neſciente domino illius rapit. Quòd ſi dixerit quis, quia in primis hominibus, Adam ſcilicet, & Eva, non erat iſta neceſſitas, quantùm ad virtutem concupiſcibilem inferiorem, imò pacatiſſima erat

Quod ex imaginatione delectabilis vis concupiſcibilis neceſſariò movetur, niſi voluntas eam retrahat.

A rationique, & voluntati obedientiſſima, poſſet ei reſponderi, quia reverà pacatiſſima erat, ſed hoc non erat ei ex ſe, hoc eſt, ex natura ſua, cùm non videatur diverſificata ſecundùm naturam in nobis, & in brutis, ſed potiùs erat ei pax iſta ex fortitudine, & dominatione voluntatis, quia cùm erat in fortitudine ſua, plena, & libera in pace poſſidebat ſubjectas ſibi vires, hoc eſt, abſque rebellione, & contradictione ulla; poſtmodùm verò debilitata, atque depreſſa, per corruptionem originalem patitur rebelliones concupiſcentiarum, & deſideriorum, quæ ſunt à parte carnis, quas unuſquiſque noſtrum ſentit in ſemetipſo: patitur inquam eas nolens, velut ſervitutem duriſſimam corruptionis, quemadmodùm in primis hominibus exemit ſe per ſuperbiam à ſervitute ſuaviſſima, ac nobiliſſima creatoris. Scire tamen debes, quia tranquillitas, & præceps imperioſitas operationum non diverſant vires, ſeu virtutes ſecundùm ſpeciem. Invenitur

B namque interdùm, & etiam ſæpè in duobus hominibus, quòd alter eſt velocis inventionis, alter verò tardæ, & quoniàm alter eſt temerarij judicij præcipitans ſententias ſuas, alter verò gravis, & maturi, nihil affirmans aut judicans, nec proferr niſi conſiliatus, & præmeditatus, aliquam ſententiam: ſimiliter invenies, quoſdam levis, & ſubitæ iræ, quoſdam verò gravis, & tardæ; nec tamen propter hoc opinatur aliquis diverſitatem eſſe ſecundùm ſpeciem inter vires rationabiles ipſorum; nec inter concupiſcibiles eorundem Si quis autem dixerit, quòd effrænitas iſta, ſive impetuoſitas, quæ apparet in vi concupiſcibili noſtra modò, non fuit in ea ab initio, quin potiùs ex ebrietate corruptionis originalis proceſſit in eam, non improbabiliter dicet, & inſuper concordabit magis doctrinæ Chriſtianorum, cujus veritas per tractatus iſtos tibi, & per alios, qui ſcribendi invenientur, eluceſcet. Ex his igitur, quæ præceſſerunt hìc, & in

C alijs tractatibus, manifeſtum factum eſt tibi, nihil eſſe culpandum, vel laudandum in ſubſtantijs rationalibus, niſi voluntatem, aut ejus contrarium, vel privationem, aut propter ipſam. Revertar igitur ad id, in quo eram, & dicam, quia ipſum velle maximè liberum eſt, aut voluntarium, & maximè noſtrum, & maxime nobis ipſis attribuendũ, & intendo maximè, id eſt, longè plus, quàm aliæ diſpoſitiones, vel operationes noſtræ. Sive igitur velociter, ſive tardè, ſive ſubitò, & præcipitatim, ſive deliberatè, aut conſultò aliquid ſit à quocunque volitum, ſponte ab illo eſt volitum, & ipſa applicatio ejus voluntatis ad illud voluntati illius & attribuenda, & imputanda eſt cùm ſola voluntas ipſius in ſui applicationem ad quodcunque aliud, quod eſt dicere in ſuum velle, & in retractionem ſuam ab illo, quod eſt dicere, in ſuum nolle illud, pleniſſimam habeat poteſtatem. Velle igitur unus ſolus motus eſt in ſemetipſo indiviſibilis, ſive impartibilis; nec præcedit illum alius motus, niſi apprehenſio illius voliti, aut procuratio

D ejus. vel ipſius velle, ſicut audiviſti, & quod uſualiter dicitur quis motus ad volendum, dicitur hoc tribus modis, ſive intentionibus. Primo: eo modo, quo dicitur judex motus ad judicandum pro aliquo, vel contra aliquem, & hoc eſt dicere, ſuaſus, vel inductus. Secundò: dicitur per viam procurationis, quia reverà ubi ipſum velle procuratum eſt, plerunque per alios motus procuratur: quemadmodùm per timorem, qui indubitanter motus ſpiritualis eſt, movetur timens ad velle evaſionem, & ad velle fugam, ſimiliter & per motum amoris, vel amicitiæ movetur amicus ad id velle facere, quod vult, vel quod fieri vult amicus. Tertiò verò inten-

Quòd tranquillitas & impetuoſitas operationum nõ diverſant vires ſecũdum ſpeciem.

De iſto velle vide ſuperius.

Quod tribus modis dicitur quis motus ad volendum.

Digitized by Google

tione moveri. ad volendum non eſt, niſi ipſum velle, quemadmodùm procedere ad ſententiam non eſt, niſi ſententiare, & procedere ad litis conteſtationem, non eſt niſi litem conteſtari: ſimiliter moveri ad iram non eſt, niſi iraſci. Attende igitur, & cave ab iſta tertia intentione, ne per hujuſmodi ſermonem, quo dicitur moveri ad volendum, ponas duos motus, videlicet ipſum velle, & alium, quo moveatur ad ipſum velle; quemadmodùm per ſermonem, quo quis dicitur moveri ad iram, non ponis ei duos motus; alterum, ſcilicet iram, & alterum, quo moveatur ad illam.

CAPUT CV.

Iterùm probat motum inſtantaneum in Angelis, exemplo creationis primi cœli in inſtanti factâ immediatè à Deo.

HIs ergo determinatis revertar ad id, in quo eram, & dicam, quia poſtquàm ſpirituales, & impartibiles ſubſtantiæ inventæ ſunt non habere in ſe vel inſtrumentum, vel aliud, per quod transferre ſe poſſint ab uno loco in alium, niſi ſuum apprehendere, & ſuum velle: cùm hujuſmodi tráſlationes immediatè ſint ex ipſis eorum apprehendere, & velle & iſta ſint, vel fiant in eis ſubitò, & non in tempore, ex neceſſitate hujuſmodi lationes, vel tranſlationes eorum, ſubitò, & non in tempore erunt, vel fient: quemadmodùm ſe habet & in operibus creatoris, quæ ſunt ex eo, quòd abſque medio. Creatio enim ultimi cœli, quia ab ipſo creatore immediatè fuit, quod eſt ab ejus ſcire, vel velle, non per medium, vel media, ex neceſſitate, & inſtantanea fuit, & ſubitò factum eſt cœlum illud, & non per partes: non enim recipit intellectus naturalis rationalis, quòd pars poſt partem ejus facta fuerit. Ampliùs. Mora ſupervacua omninò eſſet, cùm ea nec creator indigeat, nec partes cœli illius hanc requirerent, cauſa autem in hoc eſt, quia non erat inter eas aliqua dignior in eſſe, vel ordine eſſendi aliis, quocunque modo cœlum illud cogitatione diviſeris, hoc eſt, ſive in hemiſphæria, ſive in quartas, vel quaſcunque alias partes. nihil invenies in una earum, quod faciat eam priùs debere eſſe, quàm quamcunque aliam, & de hoc facta eſt tibi aliàs per vias multiplices certitudo, videlicet in capitulo de exitu mundi corporei à creatore, & de diebus ſex, quibus mundus totus conditus eſt.

CAPUT CVI.

Quòd licet Angeli ſola apprehenſione, & voluntate moveantur, non tamen ſequitur eos eſſe poſſe ubique.

ORiuntur autem hìc quæſtiones multæ, & difficiles. Prima eſt, quia ſi ſola voluntate ſua ſe transferant in quemcunque locum voluerint hujuſmodi ſubſtantiæ, ſi igitur in omnem ſimul ſe transferre voluerint, in omni loco ſimul, & ſubitò, erunt, quare movebuntur ſimul, & ſubitò motibus infinitis, atque contrariis; quia in omne ſursùm & in omne deorſùm ſimiliter, & in omne dextrum, & in omne ſiniſtrum. Ampliùs. Propter quid in uno loco ſolo conſtituta eſſet aliqua ex eis, & illi affixa, cùm poſſibile eſſet ei in omnibus locis eſſe? cur ſaltem in omnibus locis, in quibus juſſa creatoris executuræ erant, non ſunt conſtitutæ, in quibus juſſa creatoris explerent; manifeſtum eſt enim, quia ponderoſa, quæ ſursùm ſunt aliquandò, ut pluvia, nix, & grando, quæ in ſublimi fiunt, deorſùm non deſcenderent, ſi ſimul, & in imo, & in ſublimi eſſe

E poſſent? Ampliùs. Semel miſſæ à creatore à primo cœlo ad terras nunquàm illuc revertentur; non enim poſſibile eſt aliquid ire ad locum in quo eſt. Prætereà nihil deperiret eis, ſi remanerent in terra, cùm propter hujuſmodi remanſionem nihilominùs eſſent in cœlo ultimo. Ampliùs. Secundùm hoc immobiles eſſent, ſive intransferibiles, videlicet, ſi ubique, id eſt, in omni loco, eſſent; impoſſibile enim eſt, ſicut prædixi, aliquid moveri ad locum, in quo eſt, & etiam ſi eſſet poſſibile, ſupervacuum eſſet, & omninò inutile. Dico igitur in hoc, quia voluntas hujuſmodi ſubſtantiarum, ſive naturalis ſit, ſive gratuita, in nullo diſcordat à voluntate creatoris, & propter hoc nec eſſe volunt, niſi ubi ſentiunt eas eſſe velle creatorem, nec transferre ſe, niſi in quo jubet

Quod Angeli non ſunt ſimul in multis locis, nec volunt eſſe.

F creator. Dico etiam, quia nec naturali voluntate poſſunt velle ſe eſſe ubique, cùm ſciant hoc eſſe ſingularem præcellentiam creatoris, & ſibi nullo modo competere, voluntaſque earum firmata ſit in juſtitia naturali, & etiam juſtitia gloriæ: in malis verò, ſive malignis ſpiritibus, quos relegatos, & incarceratos aſſerit doctrina Chriſtianorum, non eſt mirum, ſi ligata eſt iſta potentia movendi vel transferendi ſe quocunque voluerint, vel etiam, ſi eſt in multo ſui debilitata vel imminuta; quemadmodùm apparet tibi etiam in nobis, in quibus poteſtas, & dominatio ſuper corpora noſtra, ipſaque libertas arbitrij adeò infirmata eſt ut penè magis ſervi corporum noſtrorum, quàm Domini, magiſque ſervire corruptioni, quàm libertate præditi meritò videamur. Si ergo ex peccato originali juſtiſſimo, laudan-

Quòd eſſe ſe ubique eſt ſingularis excellentia creatoris.

G doque ſemper creatoris judicio pœnalitas iſta ex peccato primorum hominum in nos eſt velut hereditariè devoluta, quantò fortiùs in malignos ſpiritus ex propriis eorum peccatis nõ minor ſimilis pœnalitas devenit? quòd autem religati, & incarcerati ſint maligni ſpiritus omnes, duabus viis tibi ſcire facile eſt. Prima eſt, ſuperabundantiſſima pietas creatoris, quæ paratiſſimos graſſari, atque ſævire toto malignitatis ſuæ furore in genus humanum non permittit, alioquin nec ad momentum ſubſiſterent. Secundo, quia vocati ſæpè invocationibus, & illecti ſacrificiis, nec veniunt nec apparent; quare cùm avidiſſimi ſint inanis gloriæ, quæ eis in ſacrificiis hujuſmodi impenditur, ſed & noſtræ perditionis ardentiſſimi amatores, quotieſcunque invocantibus, & ſacrificia illis offerentibus, non apparent, manifeſtum eſt eis hoc non permitti; hæc autem eſt manifeſta ligatio ipſorum, ſive poteſtatis eorum. Apparet etiam ex alia via. quia ſæpiſſimè jacere lapides in homines permittuntur, quos tamen nec vulnerant, nec lædunt ullatenùs: cùm igitur omnium belluarum immanitatem, omnium ferarum rabiem exce-

Quod poteſtas dæmonum retinetur & frænatur.

H dat eorum ſævitia, & furor adverſùs homines, nullatenùs dubitandum eſt alicui intelligenti, quin ſi liberum eis eſſet recipere hujuſmodi ſacrificia, reciperent ea, & quin offerentibus apparerent, ſi poſſent. Jam igitur patefactum eſt tibi per hæc, quòd motus localis, qualis competit hujuſmodi ſubſtantiis, non poteſt eſſe, niſi ſubitus, & inſtantaneus.

CAPUT CVII.

Quod anima in ſui creatione nullam partem primo ingreditur corporis, ſed in omnibus membris ſimul creatur.

HAbet autẽ quæſtionẽ de anima humana, cùm ſit in quolibet mẽbro, & qualibet parte corporis quod vivificat, utrùm ſimul intret omnes, an priùs unã, quàm aliã, vel alias. Quod ſi omnes ſimul intret, movetur igitur in hujuſmodi ingreſſu in omnẽ partẽ, qua-

Digitized by Google

té, quare infinitis motibus contrarijs: Dico igitur in hoc, quia ingreſſus iſtæ animæ humanæ in corpus, quod vivificat, & regit, non eſt veri nominis ingreſſus, cùm extra corpus nunquàm fuerit: quemadmodùm, qui in domo aliqua naſcitur, non poteſt dici verè ingredi domum illam; ſic manifeſtum eſt ſe habere & in anima, quæ in corpore, & intra ipſum creatur, quòd ipſa creatione ſua non ingreditur illud, ſicut neque homo nativitate ſua ingreditur domum, in qua naſcitur: ſi quis autem quærat utrùm in aliqua parte, & illa ſola creetur anima humana, an in omni parte corporis ſui, parte dico, quam vivificat, & regit: dico, quoniàm in omni parte hujuſmodi creatur, & declaratio hujus eſt, quemadmodùm creatio ipſius non eſt, niſi incæptio, ſive novitas eſſendi per ſolam voluntatem creatoris abſque ullo medio, quia igitur incæptio iſta, ſive novitas eſſendi eſt ei ſic à creatore in omni parte corporis ſui, neceſſe eſt, ut & creatio ſit ei in omni parte corporis ſui, quapropter eſt manifeſtum ipſam creari ſimul & in omnibus partibus illis, & ſingulis, nec propter hoc conſequens eſt illam creari multoties, aut multis creationibus: ſicut enim una creatione datur toti corpori, & ſingulis ejuſdem partibus, ſic una creatione creatur in toto corpore, & ſingulis partibus illius: cùm non aliud ſit datio hujuſmodi, quàm ipſa creatio: hujus autem exemplum convenientiſſimum eſt in viro, qui creatur, ſive conſtituitur rex in regno aliquo: una enim creatione, vel conſtitutione conſtituitur rex toti regno, & ſingulis partibus illius, dico etiam, quia conſtituitur rex, ſive creatur in omni parte regni: quoniàm fit rex, inquam inquantùm rex, quod eſt poteſtativè, ſive potentialiter, & dominanter, ſive regaliter non dico localiter: tu autem jam didiciſti, & declaratum eſt tibi in alijs, quoniàm anima humana in corpore, quod vivificat, & regit, eſt quēadmodùm rex in regno ſuo, aut rector navis in nave, quam regit, nullo autem modorum localiter, propter quod dixi exemplum hoc eſſe convenientiſſimum ad id, de quo agebatur: quòd ſi quis dixerit animam humanam creari vel extra corpus, vel in parte aliqua corporis, ut in corde, vel in capite; quorum utrunque nonnulli opinati ſunt, & inde transfundi in omnem partem corporis, neceſſe habet dicere cùm hoc transfuſionem iſtam non eſſe motum voluntarium, neque naturalem animæ humanæ, ſed ſolummodò beneplaciti creatoris; cauſa autem in hoc eſt, quoniàm nihil voluntariè agere poteſt anima humana in illa hora ingreſſus videlicet ſui in corpus quemadmodùm neque intelligere poteſt illa hora, ſed neque voluntariè id eſt voluntate ſua, corpus ingtedìtur, ſicut ſomniavit Plato: hoc enim jam remotum eſt per ea, quæ præceſſerunt, naturalis verò non poteſt eſſe uni ſubſtantiæ, niſi motus unus, infuſio autē non poteſt eſſe motus unus animæ humanæ, quin potiùs neceſſe eſt ipſum eſſe multiplicem, & infinitæ numeroſitatis, atque contrarietatum innumerabilium. Utrùm autem punctus, qui ponitur terminus lineæ, vel ſuperficiei, vel corporis, moveri poſſit, & lineam deſcribere ſaltem in eo, cujus eſt terminus; per ſe enim manifeſtè impoſſibile eſt, ipſum moveri, quæſtio non divinalis, ſed potiùs geometrica, eſſe videtur, & ad propoſitum præſens non pertinet. Si enim imaginatus fueris pyramidem, cujus cacumen ſit angulus ſolidus, quocunque modo imaginaveris ipſam moveri, non videtur intelligibile, quin capitalis ejus punctus moveatur, niſi fortè intelligas eam moveri circulariter circa diametrum baſis ſuæ: ſi enim imaginaveris eam moveri ſuper planum motu recto, deſcribet baſis ejus ſuperficiem planam, capitalis verò punctus ejus deſcribet lineam rectam: punctus verò in ſe nec corpus eſt in ſe, nec ſubſtantia aliqua, manifeſtum eſt, quoniàm non eſt ei virtus motiva in ſe, quare non eſt mobile per ſe quocunque genere motus; quin verò moveatur motu ejus, in quo eſt, quod eſt dicere per accidens, non videtur prohibitum eſſe, juxta ſermonem Ariſto. quo dixit, quia motis nobis moventur & ea, quæ in nobis ſunt; quod autem motu continuo punctus punctum intret, aut exeat, impoſſibile videtur evidenter. Quòd ſi quis dixerit, quia ſi punctus moveatur ſive per ſe, ſive per accidens, neceſſe eſt, ut priùs tranſeat locum in quo eſt, ſive exeat ab illo, quàm intret alium: verum dicit, & ut evidentius iſtud faciam, dico, quia punctus capitalis ille pyramidis, de quo agitur, priùs exiverit à puncto, in quo, quàm intret alium: & cùm quærit quis, utrùm exeat illum quandò totaliter in eo eſt, vel quandò totaliter extra illum, cùm non poſſit eſſe partim intra illum, & partim extra; Reſpondeo, quia tunc exit illum, vel ab illo, quandò totaliter eſt intra illum, & hoc quandò ultimo eſt in illo, & generaliter dico, quia exire vel intrare impartibile, non eſt aliud, quàm vel ultimo eſſe in loco, vel primo non eſſe in illo, aut econversò, & de hujuſmodi ingreſſu, vel exitu, audiviſti per me aliàs, quod debeat tibi meritò ſufficere.

Qualiter punctus imaginatur moveri.

Quod impartibile exit locum in quo eſt, quando eſt in eo & quid intelligitur per intrare, vel exire impartibile.

CAPUT CVIII.

Quod non eſt neceſſe angelos, dum moventur de loco ad locum, tranſire per medium.

QUæret autem aliquis, utrùm in translationibus, & motibus hujuſmodi videlicet ſubſtantiarum impartibilium, neceſſe ſit fieri tranſitum per media: quemadmodùm neceſſe eſt in motibus corporum, ſive ſubſtantiarum corporalium? & dico, quia non eſt neceſſe, quia in ſpiritualibus mutationibus earum non eſt ſimiliter neceſſe: quemadmodùm cùm tranſit anima tua ab ignorantia rei alicujus in certitudinem, vel ſcientiam ejuſdem, non eſt neceſſe, ut primò veniat in dubitationem rei illius; deinde in opinionem, tertiò in credulitatem, quartò in certitudinem, vel ſcientiam ejuſdem: quamvis dubitatio, opinio, & credulitas media indubitanter ſint inter meram, ſive puram ignorantiam, & certitudinem. Ampliùs Sicut volens eſſe in hoc loco nunc efficitur volens eſſe in alio abſque ulla voluntate eſſendi in aliquo mediorum locorum, vel etiam in omnibus; ſic & transfert ſe ab hoc loco in illum præter hoc omninò, quod ſit in aliquo mediorum locorum: cauſa autem in hoc eſt, quoniàm proportionales cauſæ ſemper ſunt ſimiles effectibus ſuis ſimilibus; quare quemadmodùm voluntas ad voluntatem in hujuſmodi ſubſtantijs: ſic acquiſitio loci ad acquiſitionem, & eſſe in uno loco ad eſſe in alio apud hujuſmodi ſubſtantias; quare ſicut non eſt medium inter cauſas, id eſt voluntates illas, ſic neque inter effectus antedictos; quemadmodùm igitur motus, ſive mutatio, qualis hujuſmodi ſubſtantijs congruit, eſt eis à voluntate eſſendi in hoc loco ad voluntatem eſſendi in quocunque alio abſque media ulla voluntate, quæ non poteſt eſſe, niſi voluntas eſſendi in aliquo ex locis medijs: ſic neceſſe eſt, ut ſit tranſvolatio, ſive tranſilitio hujuſmodi ſubſtantiarum ab uno loco in alium abſque eo, quòd ſint in aliquo intermediorum locorum, ſi hoc modo tranſilire, vel tranſvolare voluerint: non enim prohibitæ ſunt impoſſibilitate naturali transferri ad aliquem ex locis medijs, ſi injuncta eis miniſteria à creatore hoc requiſierint,

Digitized by Google

Ampliùs. Cùm voluntate ſola ſemetipſas ſic moveant, ut antedixi, & voluntates earum, quæ bonæ, & ſanctæ ſunt, non ſint ad hoc, ut ſint in omnibus locis intermedijs nec alia cauſa ſit eis intrandi loca quæcunque, quàm voluntas eſſendi in illis, tranſvolant igitur abſque illis. Si quis autem dixerit, quia voluntas eſt, ut ſint ſemper in locis medijs, antequàm intrent extrema: Dico in hoc, quia errat indubitanter homo cujus eſt ſermo iſte. Voluntas enim bonarum, atque ſanctarum ſubſtantiarum nunquàm inutilis eſt, aut ſupervacua. Supervacuũ autem, & inutile prorſùs eſt eis eſſe in locis, in quibus non requirunt ea eſſe injuncta illis à creatore miniſteria: ſi verò dixerit, quia minor velocitas ſufficit explendis miniſterijs earum, quàm habeat iſta tranſvolatio: Reſpõdeo in hoc quia creator non injungit eis motum, qui naturæ earum non congruat, aut qui ei repugnet. Jam autem declaravi tibi in hoc eodem ſermone, vel capitulo, quia nullus motus eſt naturæ earum congruens, vel etiam poſſibilis, niſi ſubita, & inſtantanea quam dixi, tranſvolatio: & propter velocitatem hanc in ſermonibus prophetarum dicitur volatus, quoniàm inter motus animalium, quæ apud nos ſunt, volatus eſt velociſſimus: ſimiliter & motus fulguris. Volentes igitur Prophetæ ex inſpiratione creatoris hominibus intelligibiliter quatenùs poſſibile erat, loqui, deſignaverunt nobis velocitatem motus hujuſmodi ſubſtantiarum per motum fulguris, & volatum, propter quod dixit unus ex eis, Volavit ad me unus de Seraphin: & alius, animalia ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.

Quòd velocitas motuum angelorum deſignatur per volatum & motum fulguris.

CAPUT CIX.

Quod tribus de cauſis dignitates, & officia inveniuntur in univerſo, & an inter angelos hæc reperiantur.

ET quoniàm jam complevi ſermonem de ubi, & motibus ſubſtantiarum abſtractarum, prout mihi poſſibile fuit ex dono, & largitate dignationis creatoris: & perduxi eum euſque, ut conſequenter inveſtigare debeam de dignitatibus, & officijs, & de principatibus, & poteſtatibus earum, & de ordinibus, cæteriſque differentijs & gradibus ipſarum, atque alijs, quæ circa eas inveſtiganda ſunt, ſicut ſunt cauſæ, & rationes nominationum ipſorum, & alia quæ ſuis locis audies: Incipiam igitur auxiliante Deo inveſtigare, & determinare primam prænominatarum quæſtionum Dico igitur quoniàm dignitates, & officia principatus, & poteſtates, non inveniuntur in univerſo, niſi tribus de cauſis. In regnis ſcilicet, & domibus principum, atque civitatibus, & alijs locis. Primùm ſcilicet, propter reges ipſos, aut principes; quemadmodùm ſunt cubicularij, & alij miniſtri perſonis iſtis regum, aut principum ſingulariter ſervientes, & hoc vel ad neceſſaria, vel ad beneplacita; ad neceſſaria quidem ut coqui, pincernæ, quia ciborum, & potuum ſolummodò regiorum curam gerunt, & qui cubicularij ſunt, cuſtodeſque ipſius perſonæ regiæ, vel alterius dignitatis: ad beneplacita verò cantores, & fabricatores ornamentorum regiorum & conquiſitores delitiarum illorum, & in hujuſmodi numeratione. vel nominatione, non eſt neceſſe, ut immorer, quia nota eſt tibi multitudo. & varietas hujuſmodi miniſtrorum; quia igitur manifeſtum eſt tibi hujuſmodi miniſtris non indigere regem regum, & Dominum ſæculorum, nec etiam eum habere velle, nec etiam eos decere magnificentiam gloriæ ipſius, manifeſtum eſt, quòd in domo gloriæ

Utrùm ſint gradus poteſtatu, & ordinum inter angelos.

E habitationis ipſius, & in aula, ſeu palatio imperiali ejuſdem, quod eſt cœlum ultimum, nullo modorum eſt multitudo, aut varietas hujuſmodi miniſtrorum. Ampliùs. Subſtantijs ſpiritualibus abſtractis omninò non congruunt hujuſmodi officia, nec etiam poſſibilia ſunt eiſdem. Manifeſtum etiam eſt, quia ſi etiam eſſent eis poſſibilia, impoſſibile tamen eſt inter ſervientes ſoli perſonæ regiæ tantam eſſe multitudinem dignitatum, apparet etiam ex ipſa excellentia nominationum ſuarum creatorem non deputaſſe ſervitio ſuo ſingulariter, & ſolitariè, totam multitudinem miniſtrorum, cùm uni perſonæ regiæ, licet indigentiſſimæ, ac voluptuoſiſſimæ, pauci miniſtri ſufficiant ad omnimodas neceſſitates, & ad quaſcunque poteſt exquirere voluptates; quantò fortiùs igitur ditiſſimus, abundantiſſimuſque F creator non ſibi propter ſe ſolum conſtituit, atque appropriavit tantam multitudinem miniſtrorum, tot gradus dignitatum, & officiorum? Manifeſtum igitur ex his primam cauſam, quam dixi, cauſam inquam conſtituendi gradus, & ordines principatuum & poteſtatum, variaque officia miniſtrorum, non eſſe apud creatorem; hæc autem cauſa eſt proprium, ac ſolitarium ejuſdem ſervitium. Quare relinquitur ex neceſſitate, ut vel propter ſeipſas, vel propter homines ſint eis conſtitutæ dignitates, & poteſtates hujuſmodi, aut propter utroſque. Verùm, quòd propter ſe impoſita ſint eis officia, quæ ex nominationibus earum deſignantur, impoſſibile eſſe, videre facile eſt: in civitate namque pacatiſſima, pace ſcilicet inviolabili, & in agregatione juſtiſſimorum, atque ſanctiſſimotum, ſeteque perfectè diligentium, in qua nullum habet locum injuria, vel injuſtitia, ad quam nullus eſt acceſſus hoſtibus, nulla cuiquam nocendi facultas, nulla omninò voluptas, nec eſſe poteſt, non eſt opus magiſtratibus, G neque judicibus, neque prætoribus, aut alijs quibuſcunque juſtitiæ miniſtris. Ibi enim nullum eſt delictum, nulla querimonia quapropter nullum locum habet ibi punitor, aut pæna, ubi tutiſſima eſt innocentia, ubi nulla eſt nocendi audacia: lex etiam, quæ propter tranſgreſſiones ponitur, nec neceſſaria eſt, nec locum ibi habet. Ibi enim impoſſibilis eſt omnis tranſgreſſio, ſed neque rectoribus, aut ducibus ibi opus eſt, ubi nullum erroris, aut deviationis periculum: quia igitur talis eſt illa civitas ſanctiſſimarum, ac beatiſſimarum ſubſtantiarum, ut omninò nec judicibus, nec magiſtratibus, nec alijs hujuſmodi officialibus egeat; otioſi igitur, atque omninò inutiles in ea eſſent; cùm igitur ejus ſit perfectionis, ac puritatis, ut nihil ſupervacuum, nihil inutile habere poſſit, manifeſtum eſt hujuſmodi principatus, aut poteſtates apud eam non eſſe; ubi enim unuſquiſque civium ſemetipſum per ſe laudabiliter regere ſufficit, & etiam regit, nec gubernatione alia, nec rectore alio opus eſt. Ampliùs. Quid principatus, & poteſtates, & rectores hujuſmodi gubernationi civium illorum adderent, ſi eis H præeſſent? nec enim præciperent, aut aliter facerent, quàm faciant, cùm omnia faciant, prout decet perfectionem gloriæ, in qua ſunt, ſtatus aut gloriæ ultimitas eſt perfectionis, ultimitas autem perfectionis non recipit additionem. Quare per hujuſmodi dignitates, vel officia nihil potuit accreſcere vel civitati illi gloriæ, vel civibus illius; ſuperfluè igitur, & vanè ponuntur quantùm ad ipſam civitatem, vel cives illius; relinquitur ergo, ut neque propter ipſam civitatem gloriæ, aut cives illos glorioſos, ſint in ea, vel apud illam, dignitatum, vel officiorum hujuſmodi, qualis vel in ſermonibus prophetarum, vel in lege, & doctrina Chriſtianorum, nominatur, & numeratur varietas, cùm inutiliter

inutiliter ponatur, & vanè omne id, quo poſito A nec in re, nec in modo, quicquam boni additur, & quo remoto nihil vel in re, vel in modo deperit, aut detrahitur. Ampliùs. Hoc habet evidenter lex Chriſtianorum, atque doctrina, quòd Dei filius in fine, ſcilicet in judicio, & deinceps evacuabit omnem principatum, & poteſtatẽ: cujus evacuationis nulla alia cauſa ponitur, vel poni poteſt: niſi quia hominibus ad perfectum gloriæ reformatis non erunt neceſſaria officia principatuum, & poteſtatum, cùm nihil corrigendum, nihil compeſcendum, nihil repellendum, nihil ſubjiciendum habeat ſtatus ille gloriæ. Quia igitur idem erit ille ſtatus in hominibus, hoc eſt, ejuſdem perfectionis, & gloriæ, qui nunc eſt in ſanctis, & beatis Angelis, propter eandẽ cauſam à tempore glorificationis ipſorum ceſſaverunt apud eos officia principatuum, & poteſtatum; ſed & apud eoſdem etiam in ſtatu naturalis innocentiæ ex neceſſitate ceſſaverunt, cùm ſtatus ille in ultimitate naturalis perfectionis eſſet & bonus, ni- B hil habens omninò corrigẽdum, nihil judicandum, aut vindicandum, aut purgandum; bonitas namque naturalis eorum non patiebatur in eis, qui permanſerunt, aliquid indecens, vel indebitum, vel turbidum, aut turbulentum; ſed neque à foris erant civitati illi hoſtes, ut ad pugnandum contra eos neceſſarij eſſent ei duces, vel principes. Ampliùs. Habet ipſa lex Chriſtianorum, & doctrina, quia omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Propter electos igitur Dei, atque dilectos, qui valde pauci ſunt comparatione multitudinis reproborum, videtur in iſto ſermone dicere omnes illos Angelicos ſpiritus adminiſtratorios eſſe, & miſſos in miniſterium propter homines ad hæreditatem illam præclaram gloriæ electos; quare adminiſtratores omnes, atque miniſteria eorundẽ ſolis hominibus deſervire videntur. Habet autem ſermo iſte quæſtiones C tres. Prima eſt de hoc, quia in eo dicitur omnes eſſe adminiſtratorios ſpiritus, & etiam omnes miſſos eſſe; videtur igitur civitas illa ſanctorum, ac beatiſſimorum Angelorum, tota evacuata civibus ſuis, & creator ſublimis relictus in ea ſolus, hoc eſt, abſque omni conſortio eorum. Non enim poſſibile eſt ullum ex eis ſimul eſſe apud nos, hoc eſt, in terra, & in cœlo illo ultimo habitationis eorum. Secunda quæſtio eſt: quia cùm pauci ſint valde comparatione reproborum illi, qui capiunt hæreditatem ſalutis, innumerabiles verò Angeli ſancti, & beati, erunt deputati pluſquàm centum Angeli unicuique electorum; & hoc non poteſt eſſe niſi ſupervacuè, cùm unus Angelus uni electo ſufficiat ad perfectum. Tertia quæſtio eſt de hoc, quòd unus ex Prophetis Hebræorum expreſsè dixit, quia millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei; iidem autem ſunt miniſtrantes, qui & miſſi in miniſte- D rium, aſſiſtentes verò qui alij intelligi poſſunt niſi aſſiduè ipſi creatori aſtantes? hoc enim ſonare videtur ipſum vocabulum, quo dicuntur aſſiſtentes. Dico igitur in hoc, quia ſermo ille ita ordinandus eſt, & intelligendus, videlicet, ut ita conjungantur partes illius, & dicatur, omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatẽ capiunt ſalutis. Poſſet tamen intelligi, quòd omnes non accipitur ibi pro ſingulis generum, ut uſualiter dicitur; ſed quaſi pro generibus ſingulorum, quẽadmodùm illud; convertentur ad dominum univerſæ familiæ gentium, quod intelligi non poteſt de ſingulis univerſarum familiarum, cùm manifeſtum ſit innumerabiles de familiis illis in idolatria non tantùm remanſiſſe, ſed etiam deceſſiſſe, & in aliis vitiis multis ſimiliter, & adjuvatur intellectus iſte E ab ea opinione, quæ dicit de omni ordine ſanctorum Angelorum mitti aliquem in miniſterium prædictum. De hoc verò, quod dicitur, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, videlicet, quod tam pauci ſunt, ut centum, vel plures ſancti Angeli uniuſcujuſque electorum miniſterio deputentur; manifeſtum etiam eſt tibi, quia utrolibet modorum prædictorum intelligatur prædictus ſermo; evidenter expeditus eſt, nec procedet hujuſmodi concluſio ex illo.

CAPUT CX.

Quòd non ad ſolos electos, ſed etiam ad reprobos, & gentiles Angeli mittantur miniſtraturi.

HAbet tamen quæſtionem, utrùm omnes hujuſmodi ſpiritus, quos adminiſtratorios vocavit ſanctus, & ſapiens ille, mittantur propter electos, & dilectos Dei, propter alios ſermones propheticos, quibus dictum eſt, quia in unaquaque gente præpoſuit rectorem altiſſimus, & prædictus Propheta evidenter nominat Principem Perſarum, intelligens Angelum rectorem regni Perſarum. Manifeſtum autẽ eſt, quia eo tempore, quo Prophetia illa edita eſt, gens Perſarum idolatra erat, & regnum illud abominationibus idolatriæ inquinatum totaliter, & pollutum; non igitur electis ſolis ad hæreditatem ſalutis hominibus mittuntur in miniſterium Angeli ſancti: quare non propter illos ſolos ſanctos, hoc autem convenientiùs, & pleniùs determinabitur, cùm de miniſteriis iſtis, & cauſis, atque utilitatibus eorum loquar in ſequentibus. His ergo ita ſe habentibus, revertar ad id, in quo eram, & dicam, quia civitas illa ſanctiſſimorum, ac beatiſſimorum Angelorum, non habet principatus, aut poteſtates, aut judices, aut alios magiſtratus; quoniàm ſi haberet inutiliter prorsùs, aut otioſos illos haberet, quantùm ad ſe, & unumquemque civium ſuorum; ſi igitur habet eos, propter gubernationem humani generis, & rerum humanarum utilitates, habet eos.

Quod civitas Angelorũ non habet poteſtates, & magiſtratus, etſi eos habet, hoc eſt propter utilitates humanarum rerum.

CAPUT CXI.

An in Angelis ſint ordinum, & graduum dignitates; propter varias illuſtrationes, quas transfundunt inter ſe.

QUòd ſi dixerit quis, quia propter ipſos Angelicos cives, eſt in civitate illâ præclarâ, & graduum illa, & ordinum varietas, quoniàm ibi ſuperiores, & creatori propinquiores abundantiùs ab ipſo creatore, tanquàm à fonte redundantiſſimo, tam luminis, quàm aliorum donorum, virtutum ſcilicet, & gratiarum, in propinquos ſibi transfundunt, & illi in alios, & ita donec univerſitas illa civium tota impleatur inundationibus, & donis nobiliſſimis primæ, ac puræ bonitatis, prout congruit unicuique ex civibus illius, & decet magnificentiſſimam largitatẽ creatoris; habet & iſte ſermo quæſtiones nonnullas, hujuſmodi enim inundationes, ſive illuſtrationes, non ſunt niſi ſcientiarum, & virtutum nobiliſſimarum, atque ſublimium; hæ igitur aut effluunt, & deſcendunt inceſſanter continuè una poſt aliam, quemadmodùm aquæ ex fonte copioſiſſimo erumpentes, unda poſt undã, aut non: ſi ſic, conſequens eſt ex neceſſitate, nullum ex hujuſmodi civibus plenum eſſe, aut perfectum, quoniàm potiùs ſunt velut homines inceſſanter bibentes, & nihilominùs ſitientes, & ſicut vaſa perforata inceſſanter aquam recipiẽtia, & nunquàm ad plenitudinem pervenientia. Quòd ſi dixerit, quia ſer-

per pleni ſunt inundationibus hujuſmodi primæ bonitatis, & nihilominùs inceſſanter influit in eos inundans bonitas prima inundationes hujuſmodi, quemadmodùm omnia flumina inceſſanter in mare intrant, licet mare ſemper plenum ſit; ſic ſe habet & in Angelis ſanctis ad fluentia, ſeu flumina, quæ ſunt inundationes primi, ac univerſalis omnium bonorum fontis, ſermo iſte deſtruitur multis viis. Primò: quoniàm aut inundatio hujuſmodi inundationem, quam invenit, expellit ante ſe, quemadmodùm unda undam in fluminibus aut ſuperveniens unda undæ ſtat cum illa, & permanent ambæ ſimul, quòd ſi expellit extrà, fruſtrà igitur ſupervenit quantùm ad recipientem, cùm nihil accreſcat recipienti per influentiam illius. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm non melior eſt unda ſuperveniens, & expellens inventam, quàm illa quæ expellitur: quare nihil plus boni confert recipienti, quàm auferat eidem. Inutiliter igitur advenit illi, ſive influit in illud: quòd ſi permanet influxio cum influxione, accidit quod prædixi, quia nec ſatiantur, nec unquàm implentur inundationibus hujuſmodi ſubſtantiæ recipientes illas; ſunt igitur ſicut ſemper potantes & nihilominùs ſitientes. Præſertim cùm à creatione ſua, à qua jam fluxerunt pluſquàm quinque millia annorum, infundi ſic, & influi influentiæ hujuſmodi non ceſſaverint, nec tamen vel ex parte ſitis earum ſedata adhuc apparet, vel in modico impleta vacuitas. Quæ igitur eſt intentio primæ ac puræ bonitatis influentiis, ſive inundationibus iſtis, ſi nec ſatiare intendit recipientes angelicas ſubſtantias, nec replere? Amplius. Status ille gloriæ nec imperfectionem, nec vacuitatem patitur, cùm ſit ſtatus perfectionis ultimæ; eſſet autem in eo vacuitas hæc, & imperfectio perennis, ſi juxta modum antedictum erumperent per ſucceſſionē inundationes iſtæ à fonte primo Amplius. Diſpoſitiones, quæ ſunt gloriæ, ſive ſcientiæ ſint, ſive virtutes, perpetuæ ſunt, & indeſtructibiles, alioquin nec ipſa gloria perpetuâ ſtabilitate firma eſſet, ſi partes ejus deſtructibiles eſſent, nec ipſa fœlicitas gloriæ vera, & pura fœlicitas eſſet, ſi tranſmutabilis eſſet, ſed neque actus eſſet purus, & verus, cùm ſubjectos ſuos in imperfectione potentialitatis perpetuò detineret ſimiliter, & mutabilitatis; in potentialitate namque eſſent quantùm ad futuras influentias, & quaſi in motu, vel mutatione ad illas Dico igitur in hoc, quoniàm influentiæ iſtæ non ſunt per ſucceſſionem, neque undatim, aut alio modo particulariter infunduntur, ſed totæ ſimul quoniàm fœlicitas vera tota ſimul eſt, nec ſapientia, vel alia diſpoſitio gloriæ amiſſibilis eſt; quoniàm ſi amitti poſſet, non eſſet hoc, niſi per oblivionem; oblivio verò, & maximè ſapientia illius, non attingit ſublimitatem ſtatus illius; & idem manifeſtum eſt de virtutibus, quia nec eradicabiles ſunt à ſubſtantiis ſuis in ſtatu gloriæ, neque abrumpibiles, neque ullo modorū ſeparabiles ſunt à ſubſtantiis ſuis in ſtatu gloriæ. Amplius Omnes inundationes illæ ejuſdem ſpeciei ſunt, & æquales, manifeſtū autē eſt unicuique, quia cùm fuerit in ſubjecto aliquo, diſpoſitio quæcunque, diſpoſitio ejuſdem ſpeciei, & æqualis non expellet illam, neque ſubjectum erit receptibile illius, non expellet inquam quoniàm non vincet eam, cùm non ſit fortior illâ; victoria enim eſt, ubi eſt inæqualitas fortitudinis inter pugnantes. Amplius. Neque pugnam ibi eſſe poſſibile eſt, ubi eſt omnimoda ſimilitudo, & æqualitas, & nullo modorum contrarietas. Sed neque poſſibile eſt duas diſpoſitiones ejuſdem ſpeciei, & æquales per omnia, eſſe in eodem ſubjecto, maximè diſpoſitiones immobiles, atque perpetuas. Amplius. Inundationes hujuſmodi non ſunt ſicut aquarum, & fluminū

Quod ſcientia, & virtutes in Angelis totæ ſimul infunduntur.

E ex fonte fluxus, ſed magis ſunt creationes ſcientiarum, & virtutum gloriæ, & propter hoc in ſanctis, ac beatis Angelis ſimul creatæ ſunt, hoc eſt, in ipſo inſtanti glorificationis eorū, quemadmodùm ſcientiæ illorum naturales, atque virtutes concreatæ ſunt illis, & propter hoc cum eiſdem ſimul creatæ. Neque ſcientiæ hujuſmodi, videlicet gloriæ, eſſe poſſunt per momentum temporis abſque virtutibus congruentibus, hujuſmodi ſcientiis, quemadmodùm non eſt poſſibile aliquem ſic cognoſcere creatorem, ſcilicet, cognitione gloriæ, quin amore gloriæ totus ardeat, & rapiatur. Alioquin poſſibile eſſet aliquem ſapientiâ eſſe perfectiſſimum, & virtutibus imperfectum, cùm ſapientia illa gloriæ perfectiſſima ſapientia ſit; virtutes verò, quæ non ſunt gloriæ, perfectæ non ſint, ſed magis via ad promerendas, & acquirendas illas, quæ ſunt gloriæ. Tu verò jam noſti comparationes, quæ ſunt viæ ad finem, & medij
F ad extremum, & ſeminis ad fructum ultimum, quas cùm perſcrutatè conſideraveris invenies eſſe inter virtutes viæ iſtius, quæ indubitanter via eſt ad vitam alteram, quæ eſt gloriæ; invenies inquam inter ipſas eſſe, & virtutes gloriæ, quæ procuidubiò finis eſt illarum, & fructus ultimus, comparationes antedictas. Scientiæ igitur, & virtutes gloriæ, cùm ſint finis ultimus aliarum omnium ſcientiarum, & virtutum, non ſunt viæ ad illas, ſed ſtatur ex neceſſitate in illis, ſtatur inquam ſtatu intranſmutabili. Quod igitur habet Theologia Græcorum, & Latinorum apud Chriſtianos, de deſcenſibus, & influentiis venientibus à fonte primo, & implentibus totam illam præclaram Dei altiſſimi civitatem, hoc eſt, univerſitatem ſanctiſſimorum, ac beatorum ſpirituum, necnon & anima-
G rum humanarum, quæ ad conſortium eorum jam receptæ ſunt: non eſt niſi per modum, quem dixi; nec poſſibile eſt, ut ſint, vel fiant, quemadmodùm deſcenſus radiorum luminis à ſole fit per ſucceſſionem, itaut unus poſt alium exeat, aut unus alium expellat, ſed omnia ſimul exeunt à luce ſolari, & ad terminos ejuſdem diſtantiæ ſimul perveniunt. Et intendo, quod dico, ſimul, quod non priùs provenit illuc unus alio, nec præcedit unus alium ſua interventione ad terminum æqualis, ut dixi, diſtantiæ à loco exitus ſui; hoc autem ſic determino, ut intelligas in hoc, quod dixi, ſimul, ſubitaneam, & in non tempore perventionem eorum ad terminos ſuos, cùm jam declaratum ſit tibi per me in præcedentibus motum luminis ſolaris per aëra, ſive illuminationem ipſius aëris à ſole in tempore, utpote, & ſucceſſione fieri. Differt autem illuminatio iſta ab irradiationibus ſpiritualibus, quæ fiunt in beatis iſtis, ac ſublimibus ſubſtantiis, quoniàm illæ
H ſublimes, ac divinales fixæ ſunt in ſuis ſubjectis, & immobiles ab eis, & intranſmutabiles, ita ut nec augeantur unquàm, nec minuantur; lumen autem, quod in aëre eſt à ſole, & minuitur, & augetur ſecundùm diſpoſitiones aëris, & ſecundùm interpoſita, rara, ſcilicet, aut denſa, deſtruitur etiam per interpoſita, ſicut in nocte, per interpoſitam terram, & de die etiam per interpoſitionem terreſtrium corporum, & lumini imperviorum, ſive impenetrabilium. Quapropter & diverſantur multipliciter, ut cùm prohibitus fuerit unus radius ſolaris à loco uno per interpoſitum aliquod ſublato impedimento illo non idem numero redeat, ſed alius prorſùs novus, alioquin reſurgerent lumina extincta. De reſurrectione verò luminum, vel aliorum accidentium, non eſt hactenùs aliquid auditum. Manifeſtum igitur eſt quia verba iſta videlicet inundationes, influentiæ, ſive influxiones, & deſcenſiones luminum gratiarum

Nota differentias inter ſcientias, & virtutes naturæ, & gloriæ.

Quod illuminationes, quæ fiunt à ſole, & illuminationes ſpirituales, quæ fiunt à Deo, differunt; quoniàm ſpirituales fiunt ſubito, & alia non.

Digitized by Google

gratiarum à fonte primo, non intelliguntur aut motus, aut per modum motus, ſed cauſaliter tantùm, ſive per modum cauſæ, nec aliud eſt deſcendere eas à fonte primo, quàm eſſe, vel creari ab illo. Et creatio iſta ſubita eſt, & non in tempore, & ipſæ, ut ſæpè dixi, ſcientiæ, atque virtutes, fixæ ſunt, & intranſmutabiles, non fluentes, neque tranſfuſæ ab aliis in alios, & ab uno in aliũ; immò dona creatoris ſunt, ab eodem immediatè donatæ, atque creatæ, omnes hujuſmodi perfectiones ſpirituales; ejus enim eſt illas ſubſtantias perficere, qui eas fecit, ſimiliter reformare, & decorare, qui eas formavit. Non tamen negandum eſt ullo modorum, quin ſublimiores, ac præſtantiores inter hujuſmodi ſubſtantias multa cognoſcant, & videant, quæ abſcondita ſunt inferioribus, & quin per eas inferioribus revelentur ad hoc, ut per eas, hoc eſt, per inferiores innoteſcant hominibus. Et hoc evidenter apparet in ſermonibus Prophetarum, & in lege Hebræorum, ſimiliter in lege, & doctrina Chriſtianorum. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia officia ſupradicta, & dignitates, non habent locum in civitate illa præclara gloriæ, in qua unuſquiſque civium ordinatiſſimè, & compoſitiſſimè, atque pacatiſſimè ſe habet, niſi in hoc ſolo, hoc eſt, in revelationibus, quas dixi. Propter revelationes autem ſi qua dignitas eis congrueret, vel officium, illa non eſſet, niſi magiſterium, nec ex illa, niſi doctores, aut magiſtri nominandi eſſent. Verùm quoniàm illæ paucæ ſunt, nec qui ab eis diſcunt, diſcipuli nominari debent, nec illi magiſtri, vel doctores, qui tam pauca docent; alioquin quaſi quædam ſchola eſſet civitas illa. Hoc autem non videtur conveniens, quia ſchola non eſt congregatio, niſi quæ congregata eſt propter hoc, ut ipſa doceatur, & diſcatur, & hoc principaliter; hujuſmodi autem docere, & diſcere de ſecundariis ſunt, & minimis, quæ inibi aguntur. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his, quoniàm dignitates, & officia, quæ cognominationibus hujuſmodi ſubſtantiarum deſignantur, non ſunt eis, niſi propter homines. Ampliùs. Cùm completa fuerit reparatio, & reformatio generis humani, quæ non eſt niſi glorificatio ipſius in parte electorum, ceſſabunt iſtæ revelationes, quæ fiunt nunc pro hominibus: tunc enim non erunt neceſſariæ annunciationes, aut inſtructiones angelicæ. Ceſſabunt igitur omnia officia angelica, quantùm ad homines, cùm illa tunc ſimpliciter non ſint eis futura neceſſaria. Si igitur ulteriùs duratura ſunt, non durabunt, niſi propter ipſos angelos. Jam autem audiviſti, quia nec ipſi Angeli indigent hujuſmodi officiis. Tunc autem, ſi qua erit indigentia, omninò tolletur ab eis, quemadmodùm ad hominibus.

Quod Angeli ſuperiores aliqua poſſunt revelare inferioribus, ut revelentur hominibus.

Quod dignitates, & officia quæ cognominationibus hujuſmodi ſubſtantiarum deſignantur, non ſunt eis niſi propter homines.

CAPUT CXII.

De novem ordinibus Angelorum, & tribus hierarchiis, prout B. Dionyſius tradit, & ſimilitudo ad terrenum regnum.

VErùm, ne viro tam ſapienti, & ſancto, per quem innotuerunt ordines ſubſtantiarum iſtarum genti Chriſtianorum, in primis Græcis, & poſtmodùm Latinis, & qui dicit ea ſe accepiſſe à primo perfectore, maximoque doctore legis, & doctrinæ Chriſtianorum, hoc eſt, ab uno ex Apoſtolis, à quo & ipſe converſus fuit ad fidem, & religionem Chriſtianam, & edoctus ab eodem fidem, & legem antedictas, contradicere videat; quod neque levis culpæ, neque parvæ præſumptionis reputo: tentabo inveſtigare, & declarare intentiones cognominationum ordinum hujuſmodi, & ipſos ordines, & officia, juxta intentionem, & traditionem ipſius; A ſimiliter numerum eorum, & cauſas ipſius miſſionis eorum, & an reverà mittantur aliquæ ex hujuſmodi ſubſtantiis, an non. Dixit ergò vir iſte ſanctus, & ſapiens in libro ſuo, quem de iſtis ſanctis, ac beatiſſimis ſubſtantiis ſcripſit, quòd novem ſunt ordines earum, ſicut edoctus fuit à præclaro illo doctore ſuo, qui raptus in paradiſum hoc ibi didicit, & vidit, & novem cognominationes ipſorum ordinum ab eodem doctore ſuo, & perfectore accepit. Et primum ordinem dixit cognominari Seraphim, & cognominatio iſta Hebraica eſt, & addidit ei alias duas, videlicet recalefacientes, & pennoſos, & cauſæ iſtarum duarum cognominationum ſunt duæ, prima, quia Seraphim interpretatur incendium eorum, vel totus ardens: propter hoc ergo dicit recalefacientes. Secundæ cognominationis, quæ eſt, pennoſos, cauſa ut puto eſt, quia duo Seraphim apparuerunt uni ex Prophetis Hebræorum alati, & pennoſi, ſex alæ ſcilicet uni, & ſex alæ alteri. B Secundum ordinem cognominavit Cherubim, Et quoniàm Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ, cognominavit iterùm Cherubim fuſionem ſcientiæ. Et quia Cherubim apparuerunt cuidam alii Prophetarum pleni oculis, vocavit eos oculoſos. Tertium autem thronum, & ſedes. Quartum dominationes. Quintum virtutes. Sextum poteſtates, Septimum principatus. Octavum archangelos. Nonum angelos, Alii tamen Theologi Chriſtianorum in loco virtutum ponunt principatus, & in loco principatuum virtutes. Hos etiam novem ordines per ternarios dividens, & conjungens, dividit in tres hierarchias, tres ordines unicuique ponens, & deputans. Ita ut prima hierarchia contineat Seraphim, Cherubim, & Thronos. Secunda Dominationes, Virtutes ſecundùm ipſum, & Poteſtates. Tertia ſecundùm ipſum Principatus, Archangelos, Angelos. Secundùm alios verò, ut prædixi, Virtutes, Archangelos, & Angelos. C Hierarchia verò eſt ex Græco eloquio, & intepretatur ſacer principatus. Communiter igitur ſacros principatus vocat omnes hujuſmodi ſubſtantias; ſacros propter elongationem, & inacceſſibilitatem ad omnem execrationem, principatus verò propter ſublimitatem, & præcellentiam, quæ eſt eis ſuper alias creaturas, nec non & propter perfectionem ſubjectionis, qua primo principi, atque principio, ſubjectiſſimæ ſunt à gubernatione, ſive regimine ipſius nullo modorum declinabiles aut diſcrepabiles; ſed & in eandem legem ſubjectionis, eandemque pulchritudinem gubernationis prout poſſe acceperunt, & ſuper hoc beneplacitum eſſe, ſive injunctionem creatoris, cognoſcunt, vel intelligunt, ſibi ſubjecta, & inferiora ſe, ſummo opere reducentes, ſeu convertentes. D Principatus autem non immeritò vocatur ſacra illa congregatio, non ſolùm illius ordinis; ſed etiam omnium, ideſt, novem antedictorum, cùm principatus etiam ab uno ſolo principe non inconvenienter nominetur unus exercitus, vel unum regnum. Quantò fortiùs igitur tota illa ſancta militia novem ordinum ſacer principatus non immeritò cognominatur, in qua unuſquiſque princeps eſt, quæ digna ſunt ſemper principi cogitans, juxta ſermonem Prophetæ unius ex Prophetis Hebræorum, & ſemetipſum principaliter, hoc eſt, magnificentiſſimè, ac decentiſſimè regens, quamvis non incongruenter etiam appropriatè principatus cognominetur ordo ille, juxta ſermonem ſapientis illius, qui hæc tradidit, & ſcripſit primus. Habet autem diſtinctio, quam ex ſermonibus ſapientis illius poſui, quæſtiones multas profundam, ac perſcrutatam inveſtigationem, requirentes. Et primam inter eas ponam de ratione

Novem ordines Angelorum qualia nomina ſint ſortiti.

Digitized by Google

numeri, videlicet, quam ob cauſam, in iſto numero, videlicet novenario, ſteterunt militiarum illarum ordines, & propter quid prohibita eſt multiplicatio earum extendi in denarium. Tu verò jam audiviſti intelligentias abſtractas Ariſtotelem in eodem numero poſuiſſe. Et opinati ſunt aliqui de philoſophantibus novem ordines, & novem intelligentias non differre ab invicem, ſed potiùs eſſe novem ordines novem intelligentias, & econtrariò. Negat enim Ariſtoteles, ſicut audiviſti in præcedentibus, numerum in ſubſtantiis abſtractis per ſe, ſive quantùm in eis eſt, ſed concedit ratione materiarum, in quibus ſunt, vel quas movent, aut regunt, ſicut evidenter aſſeruit Ariſtoteles, & ſequaces ejus, propter quod & animas humanas non eſſe numerabiles, neque multas, niſi dum ſunt in corporibus: neque eſt eis multitudo, aut numerus, niſi ratione corporum, in quibus ſunt, & quæ movent, atque regunt; quapropter cùm ſeparatæ fuerint à corporibus non erunt numerabiles. Jam autem removi hoc in præcedentibus deſtructione, cui non eſt contradictio, aut reſiſtentia. Intelligentias quoque non dixit numerabiles ſimiliter, niſi ratione cælorum, quos movent. Et propter hoc poſuit eas novem juxta numerum cælorum, & mundi terreni, deputans octo cælis intelligentias octo; mundo verò terreno principaliter, ac ſpecialiter intelligentiam agentem, quam poſuit eſſe creatricem animarum humanarum, & ſolem intelligibilem earundem. Manifeſtum igitur eſt tibi, quia Ariſtoteles ſecundùm opinionem ſuam antedictam non potuit ponere ordines, cùm ordo omnis multa millia contineat ſubſtantiarum abſtractarum.

De cognominationibus Angelorum per comparationem ad familiam regiam.

Scito, quòd tempore adoleſcentiæ meæ, cùm cogitarem de ſacris iſtis principatibus, & ordinibus, incidit mihi cogitatus de regno terræ benè ordinato, ac decenter diſpoſito, & de familia regia. Et viſum eſt mihi, quòd proximi, ac laterales Regis neceſſariò debent conſtituere tres ordines hominum, quos neceſſe eſt indeſinenter, & lateraliter aſſiſtere ipſi Regi. Primus ergo eſt amantiſſimorum, hoc eſt, maximè Regem amantium, & amore ipſius ſuper omnes ferventium. Et manifeſtum eſt tibi, quia hæc eſt conſuetudo Regum omnium, ſcilicet, ut & velint habere, & habeant juxta ſe, & proximos ſibi, quos ſibi credunt amiciſſimos. Secundus eſt ordo ſapientum, quo ordine nihil regi convenientius, nihil decentius; præſertim, cùm ipſa ſapientia dicat, quia per me Reges regnant, & ille Rex Hebræorum ſapientiſſimus omnibus aliis donis ſapientiam prætulerit, aliisque poſtpoſitis illam ſingulariter petierit. Tu quoque ſcis, quàm neceſſarii ſunt ſapientes gubernationibus regnorum, ſicut & ille idem ſapientiſſimus Rex dixit, quia multitudo ſapientum, ſalus eſt orbis terrarum. Noſti etiam, quia per ſapientiam conduntur leges, & ſtatuta ſalutaria, hominibusque perutilia eduntur. Tertius ordo eſt judicum, videlicet qui jura reddant, qui controverſias, & lites dirimant. Quartus ordo eſt excellentiſſimorum, atque honorabilium magnatum. Inter quos ſunt Regi ſubditi, & tributarii Regis, vel illi, qui ſolent dici Proceres regni, & Barones, in quibus conſiſtit magna pars fortitudinis, & potentiæ regni. Quintus ordo Præſides Provinciarum. Sextus ordo Duces legionum, atque bellorum inſtructores, & capitanei acierum. Septimus ordo centurionum, videlicet miniſtrorum, qui vindictas, & juſtitias exequuntur. Octavus magnorum Nunciorum, qui Legati uſualiter nominantur, videlicet qui magna nunciant, & aliis nunciis non revelanda, & de magnis rebus atque negociis deferunt ad quos Rex juſſerit. Nec numero coquos in iſta familia regia, quia nec regni neceſſitas, nec ejuſdem decor, aut gloria, ſed magis noxia delicioſitas eorũ miniſteria exquiſivit. Sic dico de pincernis, & de cubiculariis & theſaurariis, hoc eſt theſaurorum cuſtodibus; quia curioſitas, & voluptas, & avaritia cauſam dederunt ſuperfluitati eorum, cùm longè minori apparatu, & ſollicitudine poſſet Regibus miniſtrari, & regna etiam gubernari. Et tunc benè erat rebus humanis, cùm à deliciis, & ſuperfluis divitiis, vaniſque honoribus ſe Reges abſtrahebant, & ſicut dicit Philoſophus quidam, cùm Philoſophi regnabant, & Reges philoſophabantur. Nonus & noviſſimus ordo eſt minorum nunciorum per totum regnum diſcurrentium, ſive equitum, ſive peditum, juſſa Regis, & mandata deferentium. Quia igitur iſte numerus ordinum, & iſta diſpoſitio eorum, & regni terreni tota hujuſmodi diſpoſitio decentiſſima eſt, atque pulcherrima; omnis autem pulchritudo, & decor, ſive decentia cujuſcunque regnorum aliorum, exemplum eſt pulchritudinis, & decentiæ regni illius primi, ac nobiliſſimi; neceſſe eſt in illo regno pulchritudinem, & decentiam, numerum, & ordinationem, non ſolùm ſimiles eſſe iſtis, quas de regno terreno poſui, ſed etiam exemplares iſtarum; cùm enim proportionales ſint Reges ad regna, Reges ſcilicet boni ad regna ſua benè diſpoſita, erunt & permutatim regna proportionalia. Quia igitur omnis Rex bonus exemplum eſt, & ſimilitudo primi, ac ſummi Regis, qui eſt creator benedictus, erit neceſſariò & omne regnum benè diſpoſitum exemplum, & ſimilitudo regni illius, & ordinatio hujus ordinationis, & ordines hujus ordinum illius. Apparet etiam hoc evidenter in ſimilitudine, & proportionalitate, atque comparationibus partium, ſive ordinum ad partes, ſive ordines primi, ac nobiliſſimi regni illius. Ordo enim primus, ſcilicet ordo amore Regis ferventiſſimorum ordini Seraphim aſſimilatur, atque proportionatur, ſicut apparet ex ipſa cognominatione ipſius, quæ eſt totus ardens, ſive incendium eorum. Et ordo ſapientum, qui eſt ſecundus ordo, per ſimilitudinem, & proportionem reſpondet ordini Cherubim, quod oſtendit ejuſdem cognominatio ex Hebræo in Latinum interpretata, quæ eſt plenitudo ſcientiæ, vel fuſio ſapientiæ. Similiter & tertius ordo, qui eſt judicum, aſſimilatur & proportionatur ordini tertio præclari illius, ac nobiliſſimi regni, qui throni vel ſedes cognominatur: in illis tanquàm in regno regalis excellentiæ ſuæ ſedet Rex ille, & Dominus ſæculorum, & inde, ſive per illos judicia ſua exercet. Quartus ordo potentiſſimorum, honoreque, ac ſublimitate poteſtatis in regno præeminentium, reſpondet per eaſdem vias quarto ordini regni antedicti, qui cognominatur dominationes, quoniàm in illis maximè relucet dominatio ſupereminentiſſima creatoris, quemadmodùm in ipſa potentia, & gloria Magnatum maximè apparet regni terreni potentia: unde & Barones à fortitudine, ſive potentia cognominationem hujuſmodi acceperunt. Præſides verò Provinciarum, per quos ſcilicet Provinciæ reguntur, Principatibus ſimilitudine convenientiſſimâ comparantur. Quod videre facillimum eſt, ſi officium, & opera Principum, quæ maximè juſtitiâ, atque clementiâ decorantur, diligenter attendantur; hæc enim digniſſima Principe ſunt. Longè enim differt Principatus à tyrannide, à rapina, & oppreſſione ſubditorum. Veri namque nominis Princeps miniſtrum, id eſt, quaſi patrem ſe gerit, & exhibet ſubditorum. Unde quidam Princeps Romanorum ſubditos nobiles potentes commilito-

Digitized by Google

nes ſuos vocabat. Et de vero Principe veriſſimum eſt, quia prodeſſe intendit ſubditis ſuis, & hoc ſolùm amat in principatu ſuo, non præeſſe. Sexto ordini, qui eſt poteſtatum rectiſſimè comparantur Duces legionum, inſtructores acierum, & Principes militiarum, quoniàm per eos in poteſtatem Regis reducuntur, & rediguntur, qui à poteſtate receſſerant, vel eidem rebellant. Septimus ordo, qui eſt vindictas exercentium, & juſtitias, ſive judicia exequentium, quales ſolent eſſe centuriones, aptatur ordini virtutum, qui adeò inimici debent eſſe vitiis, ut in mortem eorum conjurati appareant, & uſque adverſarii videantur vitiis, ut non ſolùm virtuoſi, ſed etiam virtutes nominari digni ſint; præſertim cùm oſtium eorum ſit vitia, & vitiorum opera totis ſtudiis ac viribus exterminare cum ipſis eorum auctoribus. His igitur incumbit, ut armis etiam militiæ ſæcularis ſtrenui ſint, armis videlicet omninò ſpiritualibus, & præcipuè illis, quæ propriè nominantur arma juſtitiæ. Noviſſimi verò ordines duo, qui ſcilicet ſunt majorum nunciorum, atque minorum, evidentiſſimam habent proportionem, atque ſimilitudinem Angelorum, & Archangelorum, & evidentia hæc non indiget declaratione. Debes autem ſcire, quia Theologi Chriſtianorum moderni attribuunt officium faciendi miracula ordini virtutum. Cauſa autem in hoc videtur, quia licet admiranda, & magnifica ſint omnia opera creatoris, in miraculis tamen, & per ea magis apparere videtur omnipotentia virtutis ipſius, quemadmodùm in reſuſcitatione mortuorum, quàm in generatione vivorum, & vix eſt, ſi tamen eſt, qui non dicat majoris virtutis eſſe ſuſcitare jam mortuum, quàm generare viventem. In ſequentibus tamen de hujuſmodi officiis, & cognominationibus, perſcrutatiorem faciam inquiſitionem.

De ordine virtutum ſecundùm modernos Theologos.

CAPUT CXIII.

Quòd ordines Angelorum, officia, & dignitates ſe habent modo, quo debet ſe habere politia Clericalis.

Addam tibi, & aliam ſimilitudinem regni, ſcilicet ſpiritualis, quod gens Chriſtianorum Clerum vocat, in quo Pontifex, vel Sacerdos ſummus ſimilitudinem tenet primi, ac ſummi Regis, cujus loco eſſe, & cujus vices agere, quantùm ad ſpiritualem gubernationem, ipſum dicunt in terris. Circa ipſum verò nulli intelligenti dubium eſt, quin eſſe debeant, & aſſiſtere eidem jugiter tres ordines Clericorum, quorum primus inſtar Seraphim debet eſſe amore creatoris ferventiſſimorum, & totaliter ardentium. Secundus inſtar Cherubim debet eſſe ſapientiſſimorum, & in rebus divinalibus eruditiſſimorum. Tertius inſtar thronorum, ſeu ſedium judicum, qui & jura ſpiritualia, & leges Eccleſiaſticas, ſive Clericales ad perfectum noverint, & jura reddant petentibus. Et iſta Hierarchia, trium ſcilicet iſtorum ordinum, vocatur apud gentem Chriſtianorum ſacer cœtus Cardinalium. Manifeſtum autem eſt tibi, quia tribus ordinibus iſtis vehementer indiget res publica ſpiritualis, & gubernatio ejuſdem. Et manifeſtè vides, quia nulla major pernicies poteſt pervenire regno ſpirituali, nulla major confuſio, vel ſubverſio rei publicæ, ſpirituali, ſive Clericali, quàm ſi loco iſtius Hierarchiæ econtrariò ſe habens cœtus loco iſtius conſtituatur, videlicet ſi ex inimicis Dei, quaſi ex antiſeraphim, & inſipientibus, tanquàm ex antichenibim, & iniquis leges ſpirituales, & jura ignorantibus, juſtitiamque, & judicium pervertentibus, quaſi ex antithronis, & antiſedibus, velut Antihierarchia

A Eccleſiaſtica malignantium, & ſynagoga Sathanæ congregetur, & quodammodò regnum ſpirituale hujuſmodi diabolo præparetur. Dominationibus verò reſpondent Patriarchæ, ſive Primates, qui indubitanter poſt tres antedictos ordines præeminentiores ſunt in Clero. Principatibus Archiepiſcopi, ſive Metropolitani adaptantur, ſicut & cognominatio eorum ſonat. Poteſtatibus Epiſcopi, virtutibus Archidiaconi, Archangelis Archipresbyteri, Angelis Presbyteri convenienter reſpondent, juxta ſermonem Prophetæ, qui dicit, quia Sacerdos Angelus Domini exercituum eſt. Virtutibus autem ideò Archidiaconos comparavi, quia eorum eſt virtute irrumpere iniquitatem, cùm judices ſint, & ad eos jurgia pertineant. Quòd ſi Presbyter Angelus Domini exercituum eſt, quis dubitat conſequens eſſe, quòd & Archipresbyter Archangelus Domini exercituum ſit? Poteſtates quoque non immeritò Epiſcopis aptantur, quoniàm ad ipſos maximè pertinet exercitus ſpiritualis regere legiones, ducere ſpirituales
B acies, ordinare, atque inſtruere militiam ſpiritualem, ſeu docere: ſimiliter & rem militarem ſpiritualem non tam docere, quàm etiam ſcribere, aſtutias, inſidias, vires hoſtium detegere, arma etiam ſpiritualia dare, ac diſtribuere, quod in ſacramento Confirmationis evidenter oſtendit doctrina Chriſtianorum, ubi armaturam ſpiritualem recipere ſe credunt per manus Epiſcoporum, de quo alibi aliqua audiviſti. Quia igitur omnis ordinatio, & omnis pulchritudo ordinationis, in omni regno terreno, ſive ſpirituale ſit, ſive aliud, non eſt niſi exemplum & ſimilitudo quædam, ſive relucentia, & propter hoc deſignatio quædam, ſive ſignum pulchritudinis illius primi, ac nobiliſſimi regni; manifeſtum eſt hujuſmodi pulchritudinem, & ordinationem eſſe apud ipſum, licet incomparabiliter majorem, atque præſtantiorem.

C

CAPUT CXIV.

Quomodo intelligitur, quòd cognominationes Angelorum eis ſint tributæ ex officiis, quæ circa ſe, vel homines exercentur.

Quoniàm autem dixerunt quidam antedictas cognominationes ſortitas eſſe hujuſmodi ſubſtantias ex officiis quæ circa vel ſe, vel homines exercent, conveniens eſt, ut ponam tibi, & exponam intentionem hujuſmodi hominum, & poſtmodùm, ut perſcruter per vias probationum an veritas ita ſe habeat, an aliter. Intenderunt igitur hujuſmodi homines Seraphim nominatos eſſe ſupernos illos ſpiritus, qui à creatore acceperunt hanc poteſtatem, ut poſſent alios Angelos amore dilectionis creatoris accendere, vel officium ut hoc facerent. Ob hanc igitur poteſtatem, & officium nominati ſunt Seraphim, & juxta viam iſtam, qui poteſtatem, & officium illuminandi ſapientiâ, vel
D ſcientiâ receperunt, Cherubim ex plenitudine, vel fuſione ſcientiæ, nomen habent. Similiter ſe habet circa judicia, & judicandi poteſtatem, vel officium, ut qui ad hæc docenda poteſtatem, vel officium acceperunt, throni, vel judices nominentur, quaſi qui de his poſſunt docere, vel inſtruere judicantes, vel judicare habentes, & qui ex officio hoc faciunt, throni, ſive ſedes nominati ſunt. Dominationes verò, qui ad domandos vel domeſticandos indomitos, & ferinos homines, atque ad exaltandam, & ampliandam divinæ dominationis honorificentiam ex officio diligenter, ac ſtudioſè intendunt, vel qui homines ipſos ad domandam, & domeſticandam animalitatē, ſeu beſtialitatem, quæ in eis eſt,

Digitized by Google

inſtruunt ex officio, & adjuvant, prout de injunctione creatoris acceperunt. Principatus verò, qui homines principari, & regere ſe ipſos, vel alios decenter, docent, & adjuvant. Poteſtates verò illi angeli, ſeu ſpiritus, per quos maligni ſpiritus reprimuntur, ne noceant quantùm vellent. Virtutes verò illi, quorum miniſterio miracula divina fiunt, Archangelos, per quos majora, ac ſecretiora nunciantur, quemadmodùm de partu virginis, de incarnatione verbi Dei, & reparatione generis humani. Angeli verò vocantur, qui minora de occultis, & ſecretis annunciant ex officio ſuo hominibus. His verò non inconvenienter reſpondent minores nuncij regij, ſeu regales.

CAPUT CXV.

Vtrùm ordines, & dignitates ſint naturales angelis, vel adventitiæ.

VTrùm autem ordines iſti, & dignitates, & officia naturales ſint iſtis ſubſtantijs, an adventitiæ ſint, non habet parum quæſtionis, & difficilis inveſtigationis. Et primùm quidem videri poſſet, quoniàm adventitiæ ſunt eis. Si enim ad ſimilitudinem, & proportionem hujuſmodi ordinum diſpoſiti ſunt cætus clericales, ſive eccleſiaſtici: manifeſtum autem eſt, quia ordines, & dignitates omnes clericales adventitiæ ſunt, & nulla earum naturalis cuiquam ex his nominatur in clero, & iſta, ut ita dicamus, hierarchia eccleſiaſtica eſt imitans illam ſuperiorem, utpote exemplum, & imago quædam illius, videri poteſt conſequens eſſe, ut & illa tota ordinatio ſupernarum ſubſtantiarum adventitia tantùm ſit, & non naturalis. Quòd ſi quis dicat nil prohibere, quin adventitia imitentur naturalia, & etiam, quin multa ſimilitudine aſſimilentur eis, ſicut in ſculpturis, & picturis artificiorum, indubitanter verum dicit, neque neceſſe eſt, ut artificia per omnem modum imitentur naturam. Non enim oportet ex neceſſitate, ut homo pictus ad idem per omnia reſpondeat homini vivo. Quoniàm autem omnes illæ ſubſtantiæ ex quibus tres nominatæ hierarchiæ conſtitutæ ſunt, ordinatæ ſunt in dignitatibus ſuis, & gradibus, ita ut aliæ ſint propinquiores alijs creatori, aliæ remotiores, & aliæ mediæ inter creatorem, & alias, & quæ propinquiores ſunt abundantiùs recipiunt influentias perfectionum, meritò inveſtigandum eſt, an iſtæ propinquitates ad creatorem, & remotiones ab eodem, & mediationes inter creatorem & quaſdam earum, & propinquitates immediatæ quarundam ad creatorem, ſint eis à natura, an ſint eis à foris. Et intendo in hoc, quia propinquitas ignis elementi ad cœlum lunæ eſt maxima, & immediata ad ipſum; propinquitas verò aëris ad illud eſt minor, & mediata; propinquitas verò aquæ ad idem cœlum eſt iterùm minor, & remotio terræ ab eodem eſt maxima in remotionibus elementorum ab illo. Nec intendo, quòd ordo propinquitatum ad creatorem, vel elongationum ab eo, ſit ordo propinquitatum, niſi ſpiritualium, & ipſemet ordo ſpiritualis tantùm eſt.

Vtrùm omnes angeli æque propinqui ſint creatori à natura

CAPUT CXVI.

Quòd nulla inter hujuſmodi ſubſtantias naturalis, aut eſſentialis dignitatum diverſitas, ſeu differentia reperitur, maximè ſi ſint ejuſdem ſpeciei.

DIco igitur, quia ſi omnes illæ ſubſtantiæ ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ ſunt, quantùm eſt

E de naturalibus, & eſſentialibus ſuis, non eſt apud eas differentia, vel diverſitas ſublimitatum, vel dignitatum; æquales enim per omnia ſunt nobilitate, quantùm ad hæc, quemadmodùm manifeſtum eſt apud homines, & apud alia animalia, quòd à parte ſpecierum ſuarum non eſt inter ea, quantùm ad naturalem dignitatem, vel nobilitatem gradus, aut diverſitas. Quare manifeſtum eſt, quia cùm ſpecies ſit totum eſſe uniuſcujuſque individuorum ſuorum; apud hujuſmodi ſubſtantias non eſt ordinum, vel graduum à parte ipſius eſſe earum diverſitas, aut differentia. Aut igitur non ſunt unius ſpeciei ſpecialiſſimæ, aut differentiæ hujuſmodi graduum, & ordinum, ſunt eis adventitiæ, hoc eſt, ſuper completum eſſe earum appoſitæ; quemadmodùm apud homines regia, & ſacerdotalis dignitas, & omnes omninò tam clericales, F quàm militares gradus, & dignitates adventitiæ ſunt hominibus, & non eſſentiales, aut ſubſtantiales ullo modorum. Tu autem vides, quia gradus, & dignitates non faciunt creatori proximiores ordine naturæ, ſed neque etiam ordine gratiæ, ut ita dicatur, cùm malis hominibus non minùs, quàm bonis plerumque donentur, & inſuper, quod mirabilius eſt, ipſis malis ſpiritibus propter quod & ipſe magiſter, qui ſapientem iſtum, ſcriptorem ſcilicet hierarchiarum, de his docuit, vocat adhuc in doctrina ſua malignos ſpiritus principatus, & poteſtates, & ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Sed & uſualiter princeps dæmoniorum apud hebræos nominatur Beelzebub. In libris etiam magicis, & necromanticis, de principatibus illis, & poteſtatibus multa invenies, nec parvam habet admirationem, quam ob cauſam reliquerit eis creator benedictus principatus, & alias dignitates. Damnatis enim & morti adjudicatis non eſt auditum adhuc, quòd relicti fuerint honores aut di- G gnitates ſuæ. Ampliùs. Qui de ipſa aula regia, ſeu palatio imperiali, ejecti ſunt, & perpetuo exilio damnati, quomodò poſſibile eſt, ut à juſtiſſimo judice reſervatus ſit eis aliquis honor, aut dignitas, cùm nec vita gloriæ, vel etiam gratiæ, digni judicati ſint, immò indigni, & inſuper eadem privati. Quòd ſi placuerit tibi inſpicere libros, qui ſcripti ſunt de miraculis apud gentem Chriſtianorum, invenies in illis aliquos ex dæmonibus honoratos, & coronatos à principibus ſuis pro eo, quòd alios homines vel ſeduxiſſent, vel in creatoris offenſam dejeciſſent, & alios flagellatos econtrariò pro eo, quòd minùs hominibus nocuiſſent, hoc eſt, in minores, vel pauciores offenſas creatoris homines induxiſſent.

CAPUT CXVII.

H *Quòd ſicut Deus hominibus malis poteſtatem eis ab ipſo datam omninò non aufert; ſic & malignos ſpiritus in ſuis poteſtatibus ſuſtinet, & num retineant poteſtatem in alios ſpiritus.*

QUòd ſi quis dixerit, quia quemadmodùm malis hominibus non aufert Deus plerumque poteſtatem, quam eis dedit, & cauſa in hoc eſt multiplex utilitas, quam omnipotens, ac ſapientiſſimus creator de abuſu hujuſmodi poteſtatis elicit; ſic & malignos ſpiritus in multis poteſtatibus adhuc ſuſtinet, ſciens quot, & quanta bona de malitiâ ipſorum faciat. Sicut manifeſtum eſt ex libro, quem prænominavi tibi, in quo ſcriptum eſt, quia ipſi Sathan dedit creator poteſtatem ſuper illum, ſcilicet Job ſapientiſſimum, atque ſanctiſſimum, volens eundem & victorem impugnationum illius efficere,

Digitized by Google

Quod homines vel loca ſæpe denominantur ab his, quæ habuerũt.

efficere, & tandem honore, & gloria coronare. Verùm an poteſtatem habeant illi ſuper alios, & quam, & cujuſmodi, non eſt adhuc aliter, quàm hîc audiviſti, declaratum. Nec eſt cogens ſermo ille ſapientis, quem dixi, quo vocat malignos ſpiritus principatus, & poteſtates. Plerumque enim agnominantur & homines, & loca ab eis, quæ habuerunt, vel à quibus habita ſunt, ſicut à principatibus, quos habuerunt, vel poteſtatibus, licet illos amiſerint. Et civitas Ariſtot. adhuc dicitur civitas, quæ ejus fuit, & jam non eſt & princeps, vel rex Ptolemæus dicitur, qui nec rex modò, nec alius princeps eſt. Ex olim igitur habitis principatibus, vel poteſtatibus, potuit eos agnominare principatus, & poteſtates. Alius verò ex ſanctis, & ſapientibus ex lege Chriſtianorũ primis, maximiſque doctoribus, dixit, quia hujuſmodi angeli deſeruerunt ſuum principatum. Quòd autem deſeruerunt, proculdubiò non retinuerunt. Iſte ſermo igitur hoc teſtari videtur hujuſmodi apoſtatas ſpiritus principatum nullum habere.

CAPUT CXVIII.

Quòd ſi hujuſmodi ſpiritibus poteſtates relictæ ſunt, incomparabiliter tamen ſunt diminutæ, & deterioratæ, & ligatæ, boniſque angelis & ſpiritibus ſubditæ.

VErùm non improbabiliter quis intelligat in eo principatum principatus gloriam, & honorem, quam ſponte deſeruerunt, & abjecerunt; & in malitiam commutaverunt; ipſam enim fœlicitatem, in qua erant, abjecerunt in malitiam declinantes. Nec dubitandum eſt immutatam eſſe virtutem earum, & debilitatam omnem potentiam naturalem in eis. Sicut enim gloria illa omnem virtutem naturalem confortat, dilatat, & per omnem modum nobilitat, ſic privatio ipſius intra limites naturæ eam reſtringit, & arctat. Malitia quoque ſuperaddita eandem in multò deteriorat à naturali bonitate ſua, atque pervertit.

Quomodò dæmones ſubditi ſunt angelis, & ſanctis viris.

Revertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quia poteſtates, & dignitates illæ, ſi remanſerunt hujuſmodi ſpiritibus, non remanſerunt eis, niſi incomparabiliter imminutæ, & deterioratæ, ac deformatæ, multùmque ligatæ, boniſque, & ſanctis ſpiritibus omni modo ſubditæ; ita ut etiam malignos ſpiritus ligent, interdùm, abſterreant, & diffugent, undè voluerint, & quo voluerint. Nec mirum, cùm viri ſancti, & Dei altiſſimi placiti cultores, hujuſmodi poteſtatem in eos exerceant, videlicet ligandi, & eijciendi, atque arcendi eos unde voluerint. Et quoniàm non diverſantur hujuſmodi ſubſtantiæ ſpecie, niſi diverſetur hujuſmodi diverſitate vis intellectiva, aut vis motiva, aut ambæ ſimul, neceſſe eſt autem eſſe diverſitatem hujuſmodi apud illas, aut omnes eſſe ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, inquirendum eſt hîc an vis intellectiva diverſificabilis ſit diverſitate prædictâ.

Utrũ intelligere diverſificetur ſecundùm ſpeciem.

Et quoniàm ſi actus proprius, & mediatus, qui eſt intelligere, non eſt diverſificabilis ſecundùm ſpeciem, neceſſe eſt eam eſſe indiverſabilem, & immultiplicabilem, ſecundùm ſpeciem, oportet de hoc primùm inquirere, videlicet an ipſum intelligere ſic diverſificabile ſit. Dico igitur, quia intelligere recipit magis, & minùs: magis autem, & minus diverſationem hujuſmodi non faciunt ſimpliciter. Præſertim cùm ex eadem vi intellectivâ poſſibile ſit aliquo modo etiam unum aliquid magis, & minus intelligere, ſaltem temporibus diverſis. Scire tamen debes, quòd in eis, quæ per

A admixtionem, & depurationem, magis, & minus recipiunt, mutatio ſit ſpeciei. Et intendo, quòd alterius ſpeciei eſt mixtum, quàm immixtum, ſivè purum: ſimiliter magis mixtum, quàm minùs mixtum. Declaratio autem hujuſmodi eſt quoniàm medius color ſecundùm ſpeciem differt ab utroque extremorum: ſimiliter & unuſquiſque mediorum ab unoquoque eorum, qui medij ſunt inter ipſum, & utrumque extremorum. Idem eſt recipere in metallis; ſicut enim admixtio alterius extremorum cum altero, facit ut mixtum diverſetur ab utroque extremorum: ſic ſi major fiat admixio, erit ex neceſſitate major diverſatio per hujuſmodi admixtionem compoſiti ad purum, cui facta eſt prior admixtio. Exemplum autem hujuſmodi eſt, quia ſi admiſceatur albedo nigredini, certum eſt, quia color ſic compoſitus erit diverſus ſpecie à pura, & vera albedine. Si verò ſic mixto colori fiat adhuc admixtio nigredinis, erit hac ſecunda admixtione color compoſitus magis diverſus ab albedine verâ, & purâ.
B Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm erit magis recedens ab illa, & magis accedens ad nigredinem veram, & puram. Et cauſa in hoc eſt, quoniàm plus habet de admixtione nigredinis, quàm priori admixtione color compoſitus.

Quod non omne magis, & minus dicuntur ſecundùm accidens.

Nec debes ullo modo æſtimare quòd omne magis, & minus dicantur ſecundùm accidens tantùm: ſimiliter neque quòd omnis intentio & remiſſio accidant tantùm, immò eſſentialiter, ſive ſecundùm ſubſtantiam fiunt, ut dixi tibi, ſicut in exemplo quod audiviſti. Non enim magis album dicitur quid ex aliquo, quod accidat albedini, quin potiùs ex eo, vel pro eo, quod eſt de ſubſtantiâ ipſius, videlicet, quòd majorem partem albedinis habet in ſe, vel minorem de contrariò. Et quoniàm manifeſtum eſt, & ſermone uſitatiſſimo dicitur, magis intelligere, qui intelli-
C git per ipſam ſuam ſubſtantiam, quàm qui intelligit intelligere acquiſito, quemadmodùm ſe habet in ſubſtantijs abſtractis, & in animabus noſtris; illæ enim eſſentia ſua, & natura lumina ſunt: animæ verò noſtræ non ſic, ſed luminabiles ſunt, conſequens eſt intelligere, & ſcire, & diverſari ſecundùm ſpeciem in animabus noſtris, & hujuſmodi ſubſtantijs.

Quod intelligere noſtrum & angelorum differunt ſpecie.

Et ſimilis differentia eſt inter ignem veri nominis, videlicet, qui eſſentialiter eſt ignis, vel lignum, vel ferrum ignitum, ſive flammam, quæ eſt non niſi fumus ignitus, vel incenſus. Et eſt conveniens iſta ſimilitudo, vel comparatio, cùm omnis ſcientia aut lumen ſit, aut illuminatio, hoc eſt, vel acquiſita, vel innata, ſive eſſentialis, & omnis ſciens ex neceſſitate ſciens ſit, aut eſſentialiter, quod eſt, per eſſentiam ſuam, aut innatâ ſcientiâ, quod eſt, per naturam, aut adventitiâ, ſive acquiſitâ, quod eſt,
D à foris, quemadmodum aër luminoſus eſt, ſive luminatus non eſſentiali, aut innato lumine, ſed ſuperfuſo eidem, & à foris adventitio: quemadmodùm autem diverſificatur ipſum ſcire, ſic & intelligere ipſum. Nec eſt dubium alicui intelligenti, quin iſta diverſatio ſit ſecundùm ſpeciem, cùm videas inter lucem ſolis, & ipſum ſolem lucidum, & aëra illuminatum à ſole, non uno modo ſecundùm ſpeciem, immò tribus evidentibus modis, & patenter diverſis poſſe dici lucere. Et lux quidem eſſentialiter lucet, hoc eſt, per ſemetipſam, ſive per eſſentiam ſuam, quâ eſt lux, ſol verò non per eſſentiam ſuam, ſed per innatam ſibi lucem; & intendo, non per eſſentiam ſuam, non per hoc, quod eſt ſol, id eſt non per hoc, quod eſt hoc corpus, aut hoc animal, ſi tamen animal eſt, quod multis viſum eſt de philoſophis. Ampliùs. Videre per interpoſitum, & videre ad nudum, non dicuntur univocè neque ſecundùm modum unum, immò evidenter ſpecie diverſantur,

Quare quoniàm omne ſcire, & omne intelligere, E videre eſt ſpiritualiter; manifeſtum eſt, quia intelligere per ſe, & ad nudum, & intelligere per interpoſitum, ſive per medium aliud, diverſantur ſecundùm ſpeciem. Ampliùs. Videre lumen ipſum, & videre aliud per illud, ſecundum ſpeciem diverſa videre ſunt, ſicut evidenter apparet in principiis ſcientiarum, quæ per ſeipſa cognoſcuntur, ſive videntur, tanquàm lumina, & in eis, quæ per ipſa principia cognoſcuntur, oſtendunt illa, & hæc ſunt concluſiones. Lumen enim eſt, quod ſeipſum, & alia oſtendit, propter quod dixi hujuſmodi principia lumina eſſe, quoniàm ipſa ſe per ſemetipſa oſtendunt, & in hoc ſibiipſis ſunt lux ad lucendum per ſe: concluſiones verò non ſufficiunt ſibiipſis ad hoc. ut luceant per ſe, & oſtendant ſe intuentibus, F id eſt cogitantibus Et propter hoc dico, quia non lucent per ſe, ſed per principia. Quare ſicut lucere æquivocè dicitur de principiis, & de ipſis concluſionibus; ita neceſſe eſt. ut videri, ſive cognoſci æquivocè dicatur, & hoc indubitanter verum eſt, & videre, quo videntur principia ſcientiarum intelligere nominatur apud Philoſophos; videre verò quo videntur per principia concluſiones, ſcire vocatur apud eoſdem: ſicut dixit Ariſtoteles, quia ſcire arbitramur unumquodque, cùm cognoſcimus ejus cauſas, & principia prima; & hoc non eſt niſi cognoſcere illud per viam demonſtrationis, ſive demonſtrativè. Et debes ſcire, quòd videre viſu, qui eſt ſenſus, diverſatur ſecundùm viſa, & recipit contrarietatem à parte illorum, & alias diſpoſitiones multiplices; ſicut ſunt magis & minus, & à longè, & à propè; ſimiliter nudè, ſive ad nudum, & G ſub operimento, ſive per interpoſitum, nec hujuſmodi diverſitates faciunt debere diverſari virtutem viſibilem. Similiter neque unitas ipſius cogit unificari, ſive uniri ſecundùm ſpeciem operationes, quæ ſunt ex illa; & cauſa in hoc eſt, quoniàm non totaliter ſunt ex illa, immò ex parte magna cauſantur ab ipſis rebus viſibilibus. Et inde eſt, quòd viſio albi, & viſio nigri, contrariæ ſunt propter contrarietatem, quæ eſt inter album, & nigrum: altera enim eſt ſicut diſgregatio viſus, & altera congregatio ejuſdem; contraria enim eidem ſubjecto non niſi contrarias inferunt paſſiones, eidem inquam ſubjecto, cùm fuerit receptibile illarum, & intendo, quòd ea, quæ fiunt in oculis per ſe ab albo, & nigro, verè contraria ſunt. Quæ autem fiunt apud animam occaſione paſſionum hujuſmodi, non dico eſſe contraria, quoniàm anima non eſt ſuſceptibilis paſſionum, quæ per ſe exeunt ab albo, & nigro. & hæ non ſunt niſi cognitiones, ſive judicia, ut quidam nominant de albo & nigro. Quod inde manifeſtum eſt, quia non ſolùm ſeſe H compatiuntur in eadem, ſed etiam ſe invicem adjuvant Cognitio enim alterius contrariorum cognitionem alterius adjuvat. Vides etiam in his exemplis quia ex eadem numero vi intellectivâ eſt intelligere principia, & ſcire concluſiones, ſimiliter ex eodem viſu numero eſt videre lumen, & in lumine, licet viſiones diverſæ ſint ſpecie. Quare manifeſtum eſt tibi, quia hujuſmodi operationes non diverſant, nec cogunt eſſe diverſas virtutes, ex quibus exeunt. Negari verò non poteſt, quin naturalis perfectio, & naturalis imperfectio, virtutem intellectivam diverſificent ſecundùm ſpeciem Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm individuis ejuſdem ſpeciei generaliter eadem ſunt naturalia omnia, & maximè perfectiones naturales, quare & imperfectiones.

Quod videre, & cognoſcere dicuntur multum æquivocè.

CAPUT CXIX.

Num eſt ponenda diverſitas graduum, & ſuperioritatis, ſi omnes ſubſtantiæ abſtractæ ſunt ejuſdem ſpeciei.

Meritò autem dubitatur, & quæritur de abſtractis ſubſtantiis, quæ ſunt naturalia lumina, claraque, atque perfecta naturaliter ſpecula, & libri, ut ſæpè dixi naturaliter inſcripti, non quemadmodùm animæ noſtræ, quæ vacuæ, ſed tamen ſcriptibiles creantur, ut viſum eſt Ariſtoteli & ſequacibus ejus, utrùm diverſitatem graduum, & præeminentiam habeant ad invicem. Videri namque poteſt de animabus noſtris, ſi ſeorsùm à corporibus creantur, nudæ ſcilicet & abſtractæ, quòd omnimoda eſſet inter eas æqualitas, nullaque diſſimilitudo, quod ſecundùm Ariſtotelem & ſequaces ejus dubitationem non habet. Ipſi namque ponunt eis omnem inæqualitatem, omnemque diſſimilitudinem à parte corporum eſſe; quòd ſi ita eſt, quomodò veriſimile eſt inter ſubſtantias abſtractas ullam eſſe diſſimilitudinem, aut inæqualitatem? Quare nec præeminentiam, nec dignitatem poſſibile eſt eſſe apud illas; quia verò nec Regia dignitas, nec Sacerdotalis, ſed neque ſcientia, vel ars, neque virtus poteſt eis eſſe à parte corporis, nec ſervitus, nec libertas, neque fortuna, neque infortunium, neceſſe eſt, ut aliunde eis ſint, vel proveniant hæc omnia; ſed neque à parte complexionis corporum provenire poſſunt eis hæc cùm manifeſtum ſit non omnibus ejuſdem complexionis eadem hujuſmodi provenire, immò interdùm aliquibus hominibus ejuſdem complexionis contraria evenire. Ampliùs Chiromantici nituntur ex ſignis naturalibus, quæ apparent in palmis hominum, dignoſcere, & dijudicare eventus eorum. Hæc autem ſigna, ſi naturalia ſigna ſunt, nec à complexione, nec à parte corporum ullo modo rum eſſe poſſunt; & indicium manifeſtum eſt in hoc, quia non ejuſdem complexionis omnibus hominibus apparent ſimiles lineationes, aut figurationes palmarum, forſitan nec in aliquibus duobus ex omnibus; & videtur ſuſtentare Chiromanticos in hoc ſermo authenticus, quo dicitur: Qui ſignat in manibus ſingulorum opera eorum: multò fortiùs igitur in radicibus, hoc eſt, in animabus: ſicut enim ex animabus procedunt opera hominum, ſic videri debent procedere ex eis & ſigna: & ſicut unaquæque herbarum vires ſuas in figuris foliorum, & numero, atque in ſapore, & odore oſtendit talia intelligentibus; ſic non ſolùm interiora ſua oſtendit humana natura intelligentibus, ſed eventus ſuos, id eſt fortunas, & infortunia ſignificat lineationibus, & lineationum figuris ſecundùm iſtos. Propter quod non immeritò quis credat eſſe à creatione ſua in animabus noſtris diſpoſitiones ad hujuſmodi fortunas, vel infortunia. Jam autem removi tibi hoc in alio tractatu remotione ſufficienti; nec dubitat aliquis rationabilis, quin iſtæ dignitates, & poteſtates à foris, & aliunde adveniant, & ex aliena voluntate, ac poteſtate. Qui enim eligunt duces, ſive ad majorem poteſtatem homines, ſuâ voluntate hoc faciunt, & ex eo, quòd apud ipſos eſt, illos in hujuſmodi officiis conſtituunt, non ex eo, vel per id, quod in animabus illorum eſt. Poſſibile tamen eſt, ut videntes illos idoneos ad hujuſmodi exercenda officia, idoneos inquam prudentiâ, & virtute, per hæc duo inducti vel ſuaſi, conſtituant eos in hujuſmodi poteſtatibus, & hoc non niſi ſuâ voluntate, ſua inquam conſtituentium. Videri tamen poſſunt quædam

Digitized by Google

quædam prælationes & quidam principatus naturales, quemadmodùm in animalibus homo principatum, & dominationem habet ex ipſa lege naturæ & ordinatione naturali; ſed & leo ſuper multa animalia, & aquila rex avium, & baſiliſcus à quibuſdam rex ſerpentum dicitur, ſicut nomen ejus ſonat. Magis autem congruere videtur iſta regalitas draconi, qui criſtam inſtar coronæ velut quoddam inſigne regni geſtat in capite. In lapidibus etiam quibuſdam ſimiliter ſe habere videtur. Lapis enim magnetis velut principi, aut aliter ſuperiori ſuo, cedit adamanti, in præſentia ipſius non attrahens ferrum, quamquàm & hoc ferro non improbabiliter deputari poſſit, quaſi ſentiat adamantem nobiliorem magnete, illo deſerto, adhærens adamanti. Sed & ſi quis dicat majoris, ac fortioris virtutis adamantem eſſe, quàm magnetem, & propter hoc etiam rebellante magnete, & quaſi majoritate virtutis ſuperato, non tam trahere ferrum, quàm eripere ipſi magneti: nolo ad præſens contendere de hoc. In **B** metallis quoque nonnulli aliquid ſimile ſuſpicantur, quemadmodùm inter argentum vivum, & aurum, cui cedit in auraturis, ſive deauraturis, ſibique ſuperpoſitum non repellit: immò cedens ei infra ſe illud admittit, & quaſi ſe toto amplectitur. Quamvis autem verum ſit de ipſis principatibus, prout narravi, non tamen verum eſt, quòd principatum, vel dominationem exerceat aliquid ex prænominatis in res ſuæ ſpeciei, ut homo naturaliter non dominatur hominibus neque leo unus leonibus, ſed in alias ſpecies ſolummodò principatum exercet hujuſmodi: ſic aquila, ſic draco, non aquilis, aut draconibus, ſed aliis ſpeciebus ſolummodò principantur; propter quod dixit ſapiens quidam Latinorum: Si videres, inquit, murem unum velle dominari cæteris muribus, nunquid riſum teneres? Inſinuat igitur iſte ſapiens nulli individuorum cujuſcunque ſpeciei naturalem eſſe poteſtatem dominationis in alia individua ſuæ ſpeciei, hoc **C** autem indubitanter nihil naturaliter prohibet, niſi naturalis illorum ad invicem æqualitas. Quapropter conſequens modis omnibus eſſe videtur, ut iſti principatus, atque poteſtates apud ſublimes, nobiliſſimasque ſpirituales ſubſtantias non ſint. Quare ſi ibi naturaliter ſunt, neceſſe eſt multiplicem diverſitatem ſecundùm ſpeciem eſſe apud illas; quòd ſi eſt: qualiter igitur animæ humanæ omnes ejuſdem ſpeciei erunt, cùm ab hujuſmodi ſubſtantiis differre non videantur, niſi perfectione naturali & imperfectione? Præterea qualiter in gloria futura illis adæquandæ ſunt, cùm apud illas ſit tam multiplex ſecundùm ſpeciem diverſitas; apud animas verò noſtras omnimoda naturalis ſimilitudo, & æqualitas? In eodem quippe gradu ſublimitatis non eſt poſſibile eſſe diverſarum ſpecierum ſubſtantias ſpirituales abſtractas. Omnia enim individua cujuſcunque ſpeciei naturaliter in eodem gradu altitudinis, & nobilitatis eſſe neceſſe eſt, cùm ſit apud ea naturaliter omnimoda ſimilitudo, & æqualitas in naturalibus **D** ſuis, & eſſentialibus. Ampliùs. Apud eas non diverſatur ipſum intelligere earum: uno etenim modo intelligunt omnes, quæcunque naturaliter intelligunt: de ipſo enim intelligere naturali earum intendo hîc; quæcunque enim naturaliter intelligunt, nudè, & abſque velamento intelligunt. Intellecta verò non cogunt, nec faciunt debere diverſari virtutem intellectivam, cùm nec viſa ſua diverſitate diverſari debere faciant virtutem viſibilem. Quantò igitur minùs diverſitas intellectorum non poterit facere debere diverſari virtutem intellectivam, quæ incomparabiliter magis unita eſt ſive unificata, & à diverſatione omni longè remotior, & pro- **A** pter hoc tantò latior, atque capacior; & ampliùs extenſa ſuper intelligibilia, quantò intelligibilia & majora, & plura ſunt, quàm viſibilia. Non diverſatur igitur vis intellectiva naturaliter in hujuſmodi ſubſtantiis diverſatione ſecundùm ſpeciem, & per eandem viam neque vis motiva nobilis. Igitur, cùm nihil ampliùs habeat eſſe earum, quàm iſtas duas, & in his duabus conſiſtat tota neceſſitas, totumque eſſe uniuſcujuſcunque illarum, manifeſtum eſt, quia toto eſſe ſuo ſimiles ſunt. Quia igitur æqualitas, ſive identitas ſecundùm ſpeciem, non eſt niſi ſimilitudo eſſentialis, ſive ſecundùm totum eſſe; conſequens eſt eas eſſe ſimiles ſecũdùm ſpeciem, & ejuſdem ſpeciei, & propter hoc natura omninò æquales, & ſimiles. Non eſt igitur naturalis principatus, aut dominatio apud illas, videlicet ita ut aliæ naturali dominatione præſint aliis. Nõ ſunt igitur apud eas, ut ſæpè dixi, principatus, aut poteſtates, aut aliæ dignitates aliarum ſuper alias; quare non ſunt ibi ordines antedicti naturaliter. Ampliùs. Primus ordo **B** ponitur Seraphim ab incendio, vel ardore, ſic nominatus; hic autem ardor non poteſt intelligi niſi amore; ſecundus autem ponitur Cherubim à plenitudine ſciẽtiæ vel fuſione ſapientiæ. Et hæc ordinatio videtur perverſa atque præpoſtera, cùm cognoſcere priùs ſit ordine naturali, quã diligere. In primo igitur gradu totius ordinationis ponendus fuit Cherubim. Ampliùs. Aut iſti ordines æquales ſunt ſcientiâ, ſive ſapientiâ, aut alter altero major; quòd ſi æquales ſunt, cur igitur nomen ſcientiæ appropriatur Cherubim? Ampliùs. Si æquales ſunt ſcientiâ, ſive ſapientiâ; æquales igitur ſunt in cognitione creatoris. Quare æquales ſunt & in dilectione ejuſdem. Non enim eſt poſſibile, ut à duobus ejuſdem perfectionis, & ſanctitatis, idem bonum æqualiter cognoſcatur, & inæqualiter ab eiſdem diligatur; & unus ex Prophetis Hebræorum uno calamo dixit menſurari altitudinẽ, & latitudinem ædificii, quod ei oſtendebatur in **C** viſione, inſinuans eandem eſſe menſuram, & æqualem latitudinis dilectionis, & altitudinis ſcientiæ. Alius autem Propheta Chriſtianorum proprius, & intendo, non Hebræorum, dixit in Prophetia ſua; quia quanta eſt latitudo civitatis, tanta eſt & altitudo ejuſdem. Si verò inæquales ſunt, erit ex neceſſitate, ut vel Cherubim ſit major in ſcientia, quàm Seraphim, vel minor. Quòd ſi major, erit igitur & magis ardens in dilectione, & propter hoc magis ei cõpetet nomẽ Seraphim, quod eſt nomẽ ardoris. Quòd ſi minor eſt in cognitione: minùs igitur cõvenienter nominabitur Cherubim, cũ magis congruat nomen illud ipſi Seraphim. Ampliùs. Cũ dona, nõ dicã gratiarũ, ſed potiùs gloriarũ, recipiantur proportionaliter ſecundùm propinquitatẽ ad creatorẽ, & remotionẽ ab eodem, ſicut evidẽter dixit ſapiens iſte & ſanctus ſi Cherubim plus de ſciẽtia recipit, quàm Seraphim, à propinquiori igitur recipit: erit igitur Deo propinquior in ordine ſuo, quàm Seraphim. Similiter ſi Seraphim plus recipit de ardore dilectionis; **D** quàm Cherubim, erit igitur Deo propinquior. Quare uterque erit altero ſuperior, & etiã inferior. Ampliùs. Ex lumine, & per lumẽ cognitio, & ex cognitione, & per illã, dilectio. Prior ergo videtur eſſe ordo Cherubim ordine naturali, quã ordo Seraphim. Ampliùs. Qualiter Seraphim erit perficiens Cherubim, juxta ſermones ſapiẽtis iſtius, niſi derivãdo, & trãsfundẽdo in ipſum perfectionẽ, quã ipſe abũdanter habet: hæc autẽ perfectio non eſt niſi ardor dilectionis; trãsfundẽdo igitur ardorẽ dilectionis in ipſum, perficiet ipſum, & hoc non eſt niſi calefaciendo ipſum amore creatoris: calefactio verò hæc non eſt ſicut per contactum, quemadmodùm eſt ignis ad ferrum, aut carbonem: contactus enim non habet

Quòd res ejuſdem ſpeciei ſuperioritatem non habent ad invicem naturaliter.

Quod una ſubſtantia abſtracta non præeſt alii naturali dominatione.

locum apud hujuſmodi ſubſtantias. Eſt igitur iſta calefactio oſtenſio bonitatis, ſuavitatis, & pulchritudinis creatoris. Iſta enim ſunt, quæ cognoſcentes inflammant in amorem creatoris. Docent igitur Seraphim ipſos Cherubim iſta, vel alia, quæ illos ad amorem creatoris inflamment, aut augeant in eis amoris incendium. Quomodò igitur nominabuntur Cherubim, id eſt fuſio ſapientiæ, vel plenitudo ſciétiæ potiùs, quàm doctores eorũ, Seraphim ſcilicet?

CAPUT CXX.

An æquales, & tres ſunt ordines circa Deum immediatè collocati, ab ipſo dona recipientes ſine medio, & an convenienter aptentur beatiſſimæ Trinitati.

Quod juxta ordinem nominationum non eſt ordo ſuperioritatis in Angelis.

SCito igitur in hoc, & in aliis, quæ proximè propoſitæ ſunt, quæſtionibus, quia ſapiens iſte & ſanctus, æquales per omnia ponit tres ordines iſtos primos, & circa creatorem immediatè collocatos, & ab ipſo non per medium recipere dona illa, propter quæ nominationes iſtas obtinuerunt, videlicet ardorem, ſive incendium divinæ dilectionis, plenitudinem illius ſcientiæ, vel ſapientiæ, ſive cognitionis divinæ ſublimitatem, & excellentiam regiminis, ſeu gubernationis, nec juxta ordinem nominationum eſt apud eos ordo ſuperioritatis, aut inferioritatis. Acceperunt autem nominationes has juxta tria, quæ ſacræ, ac divinales ſcientiæ attribuunt creatori; hæc autem ſunt potentia ex omni modo perfectiſſima, deinde ſapientia ejuſdem perfectionis, omnia æqualiter intuens, & ad nudum in ultimitate certitudinis; tertiò bonitas pura in ultimitate copioſitatis fontalis, & univerſalitate redundantiæ. Et non diſtinguo tibi nunc pulchritudinem, & ſuavitatem creatoris, à bonitate ipſius, bonitatem intelligens quicquid eum amabilem facit, quicquid in illum deſideria cognoſcentium trahit, aut rapit. Sicut enim verum, & veritas ad virtutem intellectivam, ſic bonum, & bonitas ad virtutem motivam. Et jam dixi tibi in tractatu ſingulari de bono, & malo; quia veritas, & verum ad virtutem intellectivam ſe habent, ut lux, & lucidum ad viſum. Ipſa enim viſus interior eſt, & ſicut viſus, aut oculus ſpiritualis in omni ſubſtantia intelligente eſt; bonitas verò, & bonum ad vim motivam nobilem, ſicut dulce, & dulcedo ad guſtum, & ſicut amabile ad virtutem amativam, & ſicut deſiderabile ad virtutem deſiderativam, & ſicut appetibile ad virtutem appetitivam, & ſicut nolle ad virtutem nolitivam, ſive voluntatem. Quòd ſi dixerit, quia ipſa ſapientia bona eſt incomparabiliter, & pulchritudo eſt ſuper omnem admirationem deſiderabilis, & ſuaviſſima, & appetibilis; verum utique dicit indubitanter, ſed ſapientia, prout hîc intendo, perfectio eſt virtutis intellectivæ per ſe, & propriè, licet ſecundariò ex his, quæ hîc nominantur, perfectio ſit virtutis motivæ, ſive appetitivæ nobilis. Et quamvis pulchritudo viſibilis delectet viſum, aut videntem ſecundùm viſum, non tamen hoc efficit per ſe, ſed propter aliud, quod pulchritudini, vel adeſſe credatur, vel ſubeſſe. Nec negandum eſt, quin ſapientia, quæ creatoris eſt, & quam creator quibus vult largitur, pulchritudo ſit, ſive pulcherrima. Veruntamen non inquiritur per ſe, ſive appetitur ut pulchritudo, ab ipſa virtute intellectiva, immò tanquam perfectio ipſius, & tanquàm lux ejuſdem, tanquàm ejuſdem viſus & oculi. Bonitas autem creatoris non ſolùm ſuum deſiderabile eſt, ſive appetibile virtutis motivæ nobilis, immò ipſa per ſeipſam communicativa eſt, & diffuſiva ſui ipſius pro capacitate, & aptitudine recipientium, & bonifactiva eorum, ſicut dicit Plato,

E Quia cuncta ſui ſimilia, prout uniuſcujuſque natura beatitudinis capax eſſe poterat, effici voluit, intelligens beatitudinem, quam nos vocamus bonitatem, & intendo in iſta cõmunicatione ſecundùm ſimilitudinem, hoc eſt, aſſimilationem. Cujus exemplum eſt in ſole, qui communicat lucem ſuam non transfundendo ipsã numero, quæ apud ipſum, & in ipſo eſt, in aëra, vel partes aëris, vel alterius illuminabilis cujuſcunque: ſic divina bonitas non ſemetipſam participatam transfundit in alia, quæ ipſa efficit bona, ſed quaſdam ſui permultum diſſimiles ſimilitudines. Hæc igitur eſt intentio mea de hac diffuſione, & communicatione. Et bonitas hæc, videlicet creatoris, cùm eam perſcrutatiùs conſideraveris, non eſt niſi amor purus, & rectus, atque gratuitus alieni boni, propter quod & bonos dicimus homines, qui aliis bona amant, volunt, & quærunt cùm F poſſint. Debes autem reminiſci, quoniàm amor eſt primum omnium donorum, & donabilium & etiam maximum, ſicut alibi didiciſti, & quoniàm non eſt veri nominis, vel rationis donum, niſi amor, qualem dixi aut quod ex amore proceſſit. Qualis autem ſit amor iſte in creatore æſtimare te oportet ex ipſa immenſitate creatoris. Jam enim didiciſti per me, quoniàm omnia, quæ creatoris ſunt per ſe, ſunt in ultimitate magnitudinis & excellentiæ, ut potentia, ſapientia, bonitas, ad quæ nec contingit æſtimatio nec menſura; quare amor ejus erit ex neceſſitate ſuper omnem magnitudinem, & menſuram. Et propter hoc erit ſicut caminus, aut fornax ardoris ſpiritualis, ſuper omnem æſtimationem, & admirationem, atque cogitatum immenſa. Declaratio autem hujus eſt ex comparatione bonitatis, ſive amoris, cujuſcunque boni viri ad bonitatem creatoris, ſive amoris, qui ejus eſt boni alieni. Quia igitur non eſt comparatio bonitatis ad G bonitatem, cùm bonitas creatoris bonitatem viri quantumcunque boni ſuper omnem proportionem, & comparationem excedat, erit ex neceſſitate, & bonitas infinita creatoris, & amor prædictus in ipſo. Meritò igitur & caminus, & fornax infinitæ, & incogitabilis magnitudinis dicenda eſt. Quare neceſſe eſt omnes illas ſubſtantias, quæ non ſolùm juxta fornacem iſtam immediatè conſtitutæ ſunt, ſed etiam in ipſa, & intra ipſam habitationem habent, perpetuò ardere ſuper alias, quæ minùs propinquæ ſunt eidem juxta proportionem propinquitatum ſuarum ad illam, & remotionum ſuarum ab eadem. Quare quæ æqualiter propinquæ ſunt eidem, æqualiter ardent ex illa, & per eandem viam æqualiter lucent ex ſapientia ipſius: ſimiliter æqualiter poſſunt ex omnipotentia ipſius. Si igitur alia cauſa non ſubeſt, quæ differentiam inter eas eſſe debere faciat, quantùm ad hoc, æquè nominandi ſunt Seraphim omnes illi ordines, id eſt, ex æquali ardore H nominandi ſunt æqualiter Seraphim, & ex æquali fuſione ſcientiæ æqualiter nominandi Cherubim, & ex æquali potentia ſimiliter nominandi ſunt Throni. Propter hoc viſum eſt nonnullis ex antiquis Theologis, quia non nudè, & purè, aut per ſe ab ardore nominati ſunt Seraphim, ſed ex officio inflammandi homines amore creatoris. Similiter Cherubim non ex plenitudine ſapientiæ, ſed magis ex officio docendi homines, & implendi eos ſapientiâ ſacrâ, ac divinali. Similiter Throni non ſunt nominati illi de tertio ordine ex ſublimitate regitivæ poteſtatis, ſed ex officio inſtruendi, & docendi homines, qui in hujuſmodi officiis conſtituti ſunt de regendo, & dirigendo ſibi commiſſos, & commendatos, quos uſualiter ſubditos vocant; cùm reverà ipſi, qui præeſſe, vel Prælati dicuntur, magis illorum ſubditi ſint, nec ſolùm ſubditi, ſed etiam ſervi,

Quomodo intelligitur quod bonitas creatoris diffuſiva eſt ſui ipſius.

Quod bonitas creatoris eſt amor alieni boni.

Quod majores ſervi ſunt aliorum.

& tot

& tot ſervitutum debitores, quot officia pro illis ſuſceperunt. In quibus nulli intelligenti dubium eſt, ſi illa rectè, & ut decet, exequuntur, quin miniſtri, & ſervitores ſint. Et hoc habet evidenter ipſa lex, & doctrina Chriſtianorum, quæ expreſsè interdicit, ne magiſtratum, aut dominatum, vel nomina magiſtratus, aut dominationis ſibi vendicent. ſed miniſtros ſolummodò ſe exhibeant, & diſpenſatores myſteriorum Dei, & etiam ſervi ſint aliorum, qui minores videntur. Ad hunc modum ſentiunt, & de aliis ordinibus, ut dominationes intelligantur illi ſancti, ac beati ſpiritus, qui homines inſtruunt, & adjuvant ad domandam carnem rebellantem contra ſpiritum, & ad redigendam in ſervitutem ſpiritus eandem: necnon & nequam ſervos, qui ſe erigunt contra dominos. Principatus verò, qui hominibus inſpirant, & in ſe, & in eos, quos habent regere, cogitare, & facere, quæ Principe digna ſunt, ſicut eſt, ut prædixi, declinare tyrannides, & iniquas oppreſſiones, atque rapacitates, necnon & inſidias, & captioſitates; ſectari verò, quæ ſunt rectitudinis, clementiæ, & pietatis in eoſdem, & ad hoc ſummam intentionis, & officii ſui deducere, ut quietam, & tranquillam vitam habeant, rectamque pariter, ſcilicet abſque declinatione, ſive diſtorſione in devia vitiorum ut ipſa vita ſit eis via ad finem ultimum fœlicitatis: in ſeipſis verò ut ipſum Regem Regum, & rectorem univerſorum, domini in ſuis officiis imitentur; in hoc videlicet ut ſint incorruptibiles acceptione perſonarum, vel munerum, inadulabiles, hoc eſt, blandimentis adulatorum inſeducibiles, vel quod convenientiùs dicitur, indementabiles falſis conſiliis, & ſuggeſtionibus infallibiles. Poteſtates verò eos ſanctos, & beatos ſpiritus, qui contrarias poteſtates, ſcilicet dæmonum, arcent ab hominibus, atque repellunt, & ad pugnandum contra eos eoſdem inſtruunt, & adjuvant. In bellis etiam atque præliis temporalibus, ſive corporalibus, nemo de bonitate creatoris benè ſentiens dubitat, quin multipliciter conſiliis, auxiliis, & revelationibus Dei cultoribus ſuffragentur. Sic & de virtutibus ſenſerunt illas ſublimes, ac nobiles ſubſtantias; quæ homines ad aggredienda, & proſequenda difficilia incitant, & adjuvant. Ex his enim virtuoſi homines nominantur propter hoc, quia virtus, & ars circa difficillima ſunt, ut dicit Ariſt. Propter hanc cauſam per hujuſmodi beatas ſubſtantias miracula fieri dicuntur quæ ſunt ſuper omnem virtutem naturæ. Ipſa quoque miracula uſu certiſſimo virtutes divinæ vocantur propter excellentiam virtuoſitatis, qua fiunt. Et etiam non ſolùm propter difficultatem, ſed etiam propter impoſſibilitatem naturæ, cui omnia miracula impoſſibilia ſunt. De Archangelis autem, & Angelis manifeſtum eſt, quia ipſis ſuis nominationibus eorum officia innoteſcunt. Angelus enim Græcè nuncius Latinè dicitur. Archangelus verò ab archos, quod eſt Princeps quaſi nuncius principalis, hoc eſt, majorum, ac principalium revelationum annunciator. Quamquàm tamen iſta probabiliter dicta ſint, non tamen diſſolvuntur per hæc totaliter præmiſſæ quæſtiones; ſi enim æqualiter ardent tres illi ordines, quare primo eorum injunctum eſt illud officium, cùm omnes æquè idonei ſint, videlicet omnes illi tres ordines ſupremi; idonei inquam accendere, vel inflammare homines, vel etiam poſt ſe inferiores Angelos amore creatoris? Quomodò credendus eſt ſapientiſſimus; omnipotentiſſimusque creator in officio iſto æquè idoneos aliis poſtpoſuiſſe, & non magis idoneos præpoſuiſſe? Ampliùs. Cùm omnes æquales ſint, qualiter ſunt ibi primus, ſecundus, & tertius? iſtæ enim nominationes ordinales ſunt. Ampliùs. Cùm in om-

Quòd dicta ſuperiùs de nominibus Angelorum poſſunt impugnari.

A nibus illis primæ Hierarchiæ, hoc eſt, trium ordinum ſpiritibus, ſit ex omni parte æqualitas, & ex omnibus modis ſimilitudo, ſicut iſte ſanctus & ſapiens ponit; manifeſtum eſt, nec diverſabiles eos eſſe, nec diſtinguibiles ullo modorum, niſi diſtinctione numerali, ſecundùm quam iſte unus, & ille alius. Ampliùs. Si ardor ille dilectionis, & plenitudo ſcientiæ, & ea dignitas, quæ nominatione thronorum inſinuatur, ſolummodò diſtinguit eos, cùm iſta æqualia per omnem modum, & ſimilia inveniantur in unoquoque, erit ex neceſſitate in quolibet illorum aſſignare tres ordines, quia eædem cauſæ triplicis iſtius diſtinctionis in unoquoque eorum per ſe inveniuntur. Quidam verò qui & in hoc ſequaces habet, & habuit, voluit iſtam Hierarchiam primam, ſcilicet trium ordinum ſupremorum, adaptare beatiſſimæ, ac ſupereminentiſſimæ Trinitati, aſſignans Seraphim propter ardorem

Quidam volunt aptare primam Hierarchiam Trinitati.

B amoris Spiritui ſancto, qui indubitanter fornax immenſa eſt, & caminus infinitus per omnem modum ſpiritualiſſimi, ac ſanctiſſimi amoris Cherubim verò propter plenitudinem ſcientiæ, ſive fuſionem ſapientiæ, adaptavit comparatione, quâ poſſibile eſt, filio, qui eſt ſapientia abyſſalis per modum omnem infinita, & inſcrutabilis, ſicut continet lex & doctrina Chriſtianorum. Et jam tibi declaratum eſt hoc per me declaratione certiſſimâ Thronos verò adaptavit ipſi patri propter omnipotentiam ipſius, & nobilitatem, excellentiamque regiminis, & gubernationis, quâ omnia ſuo coercet, & adminiſtrat imperio, quod eſt dicere propter excellentiam regiminis, ac ſupereminentiam.

CAPUT CXXI.

Quare Seraphim, ante Cherubim, & Thronos, & Cherubim poſt Seraphim nominentur.

C VErùm iſtæ adaptationes, ſive comparationes novas dubitationes ingerunt, & pariunt quæſtiones. Primùm, propter quid ordo ille Seraphim primus ponitur, cùm Spiritus ſanctus non ſit primus in Trinitate, & ſemper in ea noviſſimus numeretur: ſecundò cùm ipſa charitas, ſive dilectio Dei, non prima ſit, & penè noviſſima numeretur: tertiò, cùm ipſa charitas inter gratuitas ac divinales virtutes primatum obtineat, quomodò ordo ejus non præcellentior ſit ſequentibus duobus ordinibus? In quo ſcire debes, quoniàm etſi Spiritus ſanctus ex omnibus modis æqualis ſit patri & filio, bonitas tamen ei appropriatè attribuitur, & amor, ex quibus ſunt omnia dona, ſicut jam in præcedentibus audiviſti Ampliùs. Propter ipſum amorem donantur alia, & fides ſcilicet, & ſpes, &

Nota ſpiritus ſancti nominationes;

D ſcientia, & quæcunque aliæ, propter ipſam Dei dilectionem in nobis, vel accendendam, vel conſervandam, vel defendendam vel adaugendam, donantur, ſicut expreſsè legis in Theologia Chriſtianorum, quia ſine ipſa omnes aliæ nihil poſſunt. Meritò igitur propter iſtum duplicem primatum; primum locum obtinuit in cognominatione, vel denominatione ordinum. Ipſa inſuper inter omnes virtutes creatori placet in nobis, & ſola nos ei facit placitos, & acceptos. Addo & tertium, quia omnis ſubſtantia intelligens hoc maximè intendit, & intendere debet in ſe, ut amore iſto ſanctiſſimo totaliter creatori adhæreat, & in ipſum alios quos poteſt inducat, & inflammet Hic eſt ergo & alius primatus, ſive alia præcellentia hujus ſemper diligendæ, & totis ſtudiis, ac viribus ſemper quærendæ dilectionis. Et ſi perſcrutatiùs intenderis; propter hanc eſt, & propter hanc habet totum quod habet, videlicet ut hac ſinceriſſimâ, perfectiſſimâ-

Digitized by Google

que dilectione creatori totaliter adhærear, atque uniatur, plenéque per omnia ab ipſo poſſideatur. Quàm verò grata Deo ſit iſta unitas amoris, & amicitiæ, iſte legiſlator Chriſtianorum, & inſtitutor oſtendit, dum hanc tam ſtudioſè, tamque devotè poſtulat à patre dari credentibus, & credituris in eum. Evidentiſſimum autem, fortiſſimumque ex ore ejus eſt teſtimonium, quo ex ipſa dicit pendere legem totam, & Prophetas. Et quod eſt expreſſius, atque validius, quia ignem dicit ſe veniſſe mittere in terram, & quid inquit volo, niſi ut accendatur? & iterùm: Hoc eſt præceptum meum; quaſi diceret, hæc lex eſt, & doctrina mea, ut diligatis, quibus omnibus ſermonibus manifeſtè oſtendit, quantùm arderet amore patris, & quantùm vellet accendi homines amore illius. In quo veriſſimâ ac propriâ ratione nomen Seraphim juxta ſupereminentiſſimam excellentiam ſuam ſibi convenientiſſimè vendicavit, dum incogitabiliter in ſe totus ardens fuit, & ſuos ſimili ardore accendi voluit.

Quod dono amoris maximè obtinetur ſcientia, & ideò poſt Seraphim immediate ſequitur Cherubim.

Secundus autem ordo, qui eſt Cherubim, rectiſſimè ordinatur poſt Seraphim, tum quia dono amoris maximè obtinetur ſapientia, & ipſe eſt, qui maximè familiares, Secretarioſque creatoris efficit. Nemo enim ſecreta conſiliorum ſuorum revelat, niſi amicis, & apud ſapientes ordo ſemper iſte ſervatur, ut primò amicos ſuos eſſe cognoſcant, quibus ſecreta ſua duxerunt committenda, quàm illis committant: propter hoc ipſe prædictæ legis lator, & auctor quibuſdam ex ſuis: Vos, inquit, dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis. Priùs igitur ſapientiſſimus, optimuſque creator accendit in cordibus electorum ſuæ dilectionis incendium ſive flammam, quàm ea impleat ſecretiſſimâ, ſacratiſſimâque ſapientiâ ſuâ. Alioquin inſipienter ageret, & manifeſtè contra conſuetudinem, & conſilium omnium ſapientum. Nec tibi videatur ullo modorum ſapientiam, ſive ſcientiam, ex qua cognominati ſunt Cherubim, eam eſſe, quæ apud inimicos Dei, videlicet idolatras, aut aliter execrabiles homines, ſæpiſſimè invenitur, & falſi nominis ſcientia hominesque inflare in doctrina Chriſtianorum dicitur; cùm manifeſtum ſit homines hujuſmodi ignorare Deum, & non amare amore, quo & ardet, & incendit Seraphim.

CAPUT CXXII.

Cur throni tertio loco nominentur, & quomodò per eos Deus ſua judicia exercet.

ORdo verò thronorum tertio loco ponitur, quia virtus Regis, ſive regiminis, & poteſtas judiciaria, non eſt danda niſi creatoris amatoribus ſapientibus, Deique conſilia, atque judicia ſcientibus. Rege ſiquidem inſipiente, & Dei inimico, nihil Reipublicæ perniciosius, & poteſtas in manu ejus non eſt niſi gladius in manu furentis: propter hoc ſapientiſſimus ille Rex Hebræorum, cùm Regem factum ſe videret, prætulit ſapientiam omnibus aliis donis Dei, quæ illi offerebantur; attendens, quòd poteſtas regia, ſive ſapientia, gladius eſſet, ut dictum eſt, in manu furentis; & quia dux cæcus, & rector inſipiens, non ducatum præſtare poſſunt rectitudinis, ſed magis deviationem præcipitationis. Hæc igitur omnia obſervavit creator benedictus in ſanctiſſimis thronis, ſive ſedibus, ſive ſubſelliis ſuis, in quibus, & per quos judicare voluit, & regere omnia ſubjecta, ut eſſent dilectione ipſius ardentiſſimi, ſapientiâ ejus perſpicaciſſimi, atque virtute ejus potentiſſimi, ſciens amore alieno facilè corrumpi, qui ejus amore carerent, facilè er-

E rare, qui ejus ſapientiam non haberent, facilè eludi judicia judicum, qui virtute irrumpendi iniquitatem præditi non eſſent, qui ſententias ſuas executioni demandare nequirent; propter hoc igitur beatiſſimos iſtos thronos, & inflammavit amore ſuo, & illuſtravit ſapientiâ, & firmavit inſuperabili potentiâ, ut eſſent ex omni parte idonei ad exercenda Dei judicia, & nihil eorum, quæ tribunalia perficiunt, deeſſet eis. Dicit inſuper iſte ſanctus, & ſapiens, omnes iſtos ſpiritus æquales eſſe in iſtis perfectionibus, & in aliis multis, quas ipſe nominat, & numerat in libro ſuo de his.

Vtrùm Angeli ferant ſententias ex conſilio Dei, an exequantur eas, an utrumque faciant, & ubi hoc faciunt.

Quòd ſi quis quærat, qualiter in his ſanctiſſimis thronis, & per eos regit Rex, & Dominus ſæculorum, omnia, quæ ſub ipſis ſunt; & intendo, an ipſi ferant ſententias Dei ex ejus conſilio, & inſpiratione, an exequantur eas, an utrumque faciant; & inſuper ubi hoc faciunt, an in ſua gloria, & habitatione, an alibi; nihil enim judicandum habet civitas illa glorioſa ſubſtantiarum beatiſſimarum, de quibus agitur. Si F qua ergo judicia per illos exercet creator, non fit hoc, niſi apud nos, vel ſpiritus malignos; nec parvam habet admirationem, qualiter iſta judicia exerceantur, cùm judicium eſſe poſſe non videatur, ubi nulla poteſt eſſe diſceptatio, vel diſputatio: diſceptatio enim, & diſputatio, impoſſibile eſt, ut ſint, ubi nulla eſt falſitas, vel malignitas, per quas veritati, & juſtitiæ contradicatur; aut igitur ibi non ſunt judicia, aut æquivocè dicuntur judicia illa ad noſtra judicia. Scito igitur, quia omnia opera creatoris judicia dicuntur in ſermonibus propheticis, & hoc eſt propter circumſpectiſſimam providentiam; quemadmodùm enim dicitur in ſermone prophetico: Lingua juſti loquetur judicium, id eſt examinatiſſimam ſententiam. Sic dictum eſt; omnes viæ ejus judicia, quod eſt dicere examinantiſſimæ bo-

Omnia opera Dei dicuntur judicia.

G nitatis, aut æquitatis opera. Nihilominùs tamen verum eſt diſceptationes inter ſanctiſſimos illos, ac beatiſſimos ſpiritus interdùm haberi, ſicut dicit unus ex Prophetis de Principe Perſarum, & Principe Græcorum.

Quòd diſceptationes quandoque fiunt inter Angelos.

Habet autem doctrina Chriſtianorum, quòd diſceptatio illa non ſit niſi allegationes duorum Principum hujuſmodi, id eſt ſanctorum Archangelorum illorum allegantium merita regnorum ſuorum, id eſt ſibi commiſſorum. Et erant allegationes iſtæ de meritis eorum, videlicet, an merita alterius regnorum requirerent liberationem illius, an requirerent prolongationem ſervitutis ejuſdem, ſive ſubjectionis. Et de hoc nemo dubitare poteſt, quin per ſupernos illos, ſanctiſſimoſque thronos, dijudicari poterit, quid Deo altiſſimo faciendum eſſet in parte iſta. In Prophetia verò H Chriſtianorum, quam ipſi Græco nomine vocant Apocalypſim, evidenter dicitur de Principe malignorum ſpirituum, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos die, ac nocte. Iniquiſſimum autem eſt tribunal, ſive conſiſtorium, apud quod, vel in quo accuſationes ſolæ locum habent, & nullæ defenſiones, ibi vel ſunt, vel admittuntur. Neceſſe igitur eſt apud illud ſublimiſſimum tribunal Dei altiſſimi, & defenſiones eſſe, & defenſores, contradicentes hujuſmodi accuſationibus; quare veri nominis diſceptationes, & propter hoc & vera judicia, & veros judices, qui malignis, & falſis accuſatoribus, & juſto judicio imponant ſilentium, & poteſtate firmiſſimâ, quod pronunciant, exequantur.

Vtrùm diſceptationes fiant corā Deo.

Quòd ſi quis quærat, ubi hujuſmodi diſceptationes fiant, videlicet coram ipſo Rege, & dominatore omnium ſæculorum, an coram antedictis beatiſſimis thronis vices ejus in parte iſta gerentibus, non debet eſſe tibi dubium, quin ubicunque fiant, coram ipſo fiant, cùm

Digitized by Google

omnia ſint nuda, & aperta oculis ejus. Si verò miretur, qualiter admittitur ante conſpectum creatoris aliquis ex malignis ſpiritibus: Reſpondendum eſt, quia non aliter admittitur ante conſpectum ipſius, quàm ſicut dixi in præcedentibus; videlicet, quia ubicunque eſt, coram ipſo eſt, ſicut dixit ſapiens quidam, & ſanctus. Quia nudus eſt infernus coram eo, & nullum eſt operimentum perditioni; & iterùm. Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ubi ſe abſcondent, qui operantur iniquitatem. Dico inſuper, quoniàm accuſationes iſtæ diabolicæ non fiunt clamoribus vocalibus, ſed cogitationibus tantùm, & deſiderijs malignitatis malignorum ſpirituum. Spirituales enim ſubſtantiæ per ſe non niſi ſpiritualiter loquuntur, ſpirituales verò locutiones cogitationes ſunt tantùm, vel deſideria. Quare manifeſtum eſt, quia non eſt neceſſe accuſatores iſtos localiter appropinquare propter proponendas accuſationes hujuſmodi tribunalibus, vel judicibus, ſive thronis: cùm cogitationes neque per appropinquationem localem magis audiantur, neque per elongationem contrariam minùs: ubicunque enim ſunt, vel fiant iſtæ accuſationes, æqualiter audiuntur ab hujuſmodi judicibus, ſive ab ipſo etiam creatore. De judicijs etiam juſtis quæ fiunt apud homines, non eſt tibi dubitandum, quin plerumque fiant per beatiſſimos thronos, ſeu judices, ſicut dixit rex ille ſapientiſſimus hebræorum: Multi, inquit, adeunt faciem principis, ſed à Domino judicium egreditur ſingulorum. Nec mirum, cùm ipſe legiſlator hebræorum expreſſè dixerit: Quia judicium Dei eſt. Quapropter manifeſtū eſt juſtis juſtè judicantibus, & juſtitiam diligentibus adeſſe conſilium, & inſpirationem creatoris. Hæc autem convenientiſſimè fiunt per beatiſſimos iſtos thronos, ſeu judices. Quia verò regalis officij, & dignitatis, eſt leges condere, ſtatuta edere; appropriato autem vocabulo throni ſedes regiæ vocantur, juxta quod prænominatus rex dixit ex perſona ſapientiæ: Per me reges regnant, per me conditores legum juſta decernunt. Ad ſacratiſſimos thronos pertinere conditiones legum, editiones ſtatutorum juſtorum, & utilium pertinere, conſequens eſt, ſicut evidenter dictum eſt de ipſa lege hebræorum, videlicet, quòd ordinata ſit per angelos in manu mediatoris. Inſpirare igitur leges ſalutares, & ſtatuta neceſſaria, regum cordibus, ad ſanctiſſimos thronos pertinet. Propter quid autem iſte ordo in prima prænominata hierarchia noviſſimus ponitur, illa cauſa mihi videtur eſſe, quoniàm ordo iſte adaptatur, & comparatur patri, & relucet ad ipſum, atque reſpondet per potentiam, quæ in donis creatoris, ut potentia conſiderata, minima eſt, & minimè expetenda, nec ex ipſa per ſe, videlicet inquantùm potentia, exit actus aliquis. Cùm autem juſſa fiunt à charitate, ſeu recta voluntate, & illuminatâ, ſeu directâ à ſapientia exeũt ab ea laudabiles operationes. Et cùm diligenter conſideraveris, invenies eam in conſideratione, quam dixi, ſubjectam voluntati, & quaſi informem, & infœcundam, ut non ſolùm nihil formatum, aut decorum ex ea exire valeat; ſed neque etiam aliquis actus, quantumlibet indecorus, aut informis. Hoc inquam dico de potentia ut potentia & intendo, quod dico, ut potentia, ideſt, in iſta nuda, & generali conſideratione. Manifeſtum etiam eſt, quem gradum valoris obtineat apud judicium creatoris, cùm etiã viliſſimis hominibus plerumque donetur, cùm tot, & tanta mala, non ſolùm ſecum patiatur in hominibus, ſed etiam miniſtra ſit, immò ſerva nequitiarum ſuarum, & omnes nequitias ſuas

Quod locutiones dæmonum ſunt cogitationes, & deſideria.

Quod accuſatores localiter non appropinquant ad creatorem, vel ad thronos.

Quod judicia quæ fiunt hic per judices fiunt quandoque ab angelis.

Quod inſpirare cordibus regum leges ſalutares, & ſtatuta neceſſaria, pertinet ad thronos.

per ipſam exerceant, tanquàm per executricem malitiarum ſuarum. Noviſſimum igitur ordinans divina providentia ordinem potentiæ poſt ordinem charitatis, & ordinem ſapientiæ, convenienter hoc facit, inſinuans potentiam locum habere non debere niſi poſt charitatem, & ſapientiam, quarum alteram habet, ut imperatorem ſuum, alteram autem, ut conſiliarium. Tu autem ne cogites quicquam juxta hunc modum de potentia creatoris; quoniàm ipſa eſt potentia viva, vel potiùs vita in ſemetipſa, & eſt formata, immò potiùs forma, & formifica, atque formatrix omnium formabilium; & eſt in ſemetipſa ſapientiſſima, quin potiùs veriſſima, ac per omnia perfectiſſima ſapientia, & juxta iſtas cognominationes & conſiderationes adaptatur ei, atque reſpondet ordo ſanctiſſimus, ac beatiſſimus thronorum Et ſunt comparationes iſtæ, & aptationes ad beatiſſimam, ac glorioſiſſimam trinitatem, quæ eſt unus verus, ac ſolus Deus, ita ut ad fornacem Spiritus ſancti appropriatâ comparatione recaleſcat Seraphim, ad luminoſitatem filij reluceat Cherubim, ad perfectiſſimam ex omnibus modis poteſtatem, ſeu regalitatem patris, conformitate appropriatâ aſſimilantur throni, quemadmodùm didiciſti. Uſitatiſſimum quippe eſt in theologia tota Chriſtianorum, quia in benevolis propter ipſam benignitatem, vel potiùs propter ipſam bonitatem relucet Spiritus ſanctus, in ſapientibus per ſapientiam filius, in verè potentibus per ipſam veri nominis potentiam relucet pater. Et intendo per veri nominis potentiam, quæ non habet admixtam impotentiã ullo modorum. Servitus autem & omnis ſubjectio impotentia eſt, ſimiliter & omne vitium impotentia, & infirmitas, quémadmodùm & omnis virtus potentia eſt & fortitudo ſeu firmitas: quia igitur omnis vitioſus ſervus eſt, aut unius aut plurium vitiorũ, manifeſtum eſt nullum vitioſum verè potentem eſſe. Quapropter omnes tyranni, quantacunque potentiâ præditi eſſe videantur, verè impotentes ſunt, quoniàm verè ſervi nequitiarum ſuarum. Jam etiam alibi didiciſti per me, quia charitas proprium ſignaculum eſt Spiritus ſancti, & tanquàm ejuſdem ſigillatione impreſſa ſimilitudo, propter quod & nomen ſuum eidem communicat: nam ipſe enim, quàm ejuſdem prædicta ſimilitudo, charitas apud theologos Chriſtianorum vocatur, ſic & ſapientia proprium ſignaculum filij, ſic & poteſtativa iſta virtuoſitas, ſeu virtuoſa poteſtas ſignaculum proprium eſt patris altiſſimi. Et hoc reverà dignum, ac juſtum eſt, ut ex calore calor, & ex ardore ardor, & ex igne ignis propriè imprimatur; ſic ex luce ſapientiæ lux ſapientialis emicet, & ex virtute virtus, & ex poteſtate poteſtas. Vides igitur per exempla hæc in anima humana exemplum quoddam, & imaginem, ſive ſimilitudinem quandam iſtius hierarchiæ primæ, trium videlicet prædictorum ordinum Et hoc eſt, cùm fuerit inflammata amore creatoris per ſpiritum ſanctum ſapientificata per filium, potentificata, ſive fortificata per patrem. Erit enim Seraphim per hujuſmodi inflammationem Cherubim per ſapientialem illuminationem. Throni verò per regalem iſtam potentificationem. Si quis tamen dicere voluerit, quoniàm virtus juſtitiæ pertinet ad thronos propter ſermonem ſapientis, quo dixit: Firmabitur juſtitia thronus ejus: & quia dictum eſt per quendam ex prophetis: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, vel æquitatis, virga regni tui, ſive ſceptrum, & iterùm idem: Juſtitia, & judicium præparatio ſedis tuæ. Hæc igitur regalitas, quam dixi, juſtitia eſt ſecundùm hoc fortiſſima, & per modum

Utrum virtus juſtitia pertinet ad thronos.

omnem indeclinabilis, & incorruptibilis, & inadulabilis, magnifica, atque iniquitatis, & injuſtitiæ invincibilis, & victorioſiſſima, perſecutrix, plurimumque aſſimilata, vel quod verius eſt, ipſa eademque virtus regia nominatur à prophetis; hæc autem virtus & poteſtativa, & ſapientialis juxta modos, quos dixi. Et eſt tibi ſciendum, quia licet Seraphim ab ardore cognominetur, & Cherubim à plenitudine ſcientiæ, vel fuſione ſapientiæ, & Throni ab ipſa poteſtativa, ſapientialique regalitate, non tamen propter hoc æſtimandum eſt plùs ardere Seraphim igne divinæ dilectionis, quàm Cherubim, aut throni, ſimiliter neque Cherubim propter cognominationem, quam habent à plenitudine ſcientiæ, vel fuſione ſapientiæ, arbitrandi ſunt luminoſiores eſſe ſcientiâ, vel ſapientiâ, quàm Seraphim, vel Throni. Similiter neque throni propter poteſtativam iſtam regalitatem vel poteſtatem, vel juſtitiâ, vel ſcientia judicãdi, ullomodo judicandi ſunt præcellere vel Seraphim, vel Cherubim. Quemadmodùm in ipſa beata, & glorioſa trinitate, licet enim Spiritus ſanctus, & charitas, & ardor, & ignis appropriatè nominetur, tamen non propter hoc, aut magis calet, aut magis ardet, aut magis diligit, quàm pater, aut filius. Eodem modo neque filius, quamvis in ſacra, aut veridica theologia, ſapientia appropriatâ nominatione dicatur, ſapientia luminoſior putandus eſt eſſe, quàm pater, aut Spiritus ſanctus. Juxta vias iſtas non eſt alicui ſentiendum, ideò potentiorem eſſe patrem ullo modorum, quàm ſit filius, aut Spiritus ſanctus, quoniàm appropriatè attribuit ei potentiam ſcientia divinalis. Jam enim declaratum eſt tibi per me in primo tractatu ſapientialis, divinaliſque magiſterij, quia omnia, quæ per eſſentiam inſunt tribus iſtis benedictis, & glorioſis perſonis, æqualiter ſunt illis, & æqualia per omnem modum. Quare cùm iſti tres ordines ſpecula clariſſima ſint, & imagines pulcherrimæ beatæ iſtius, & glorioſæ trinitatis, non eſt mirum, ſi quemadmodùm eſt apud eam veritas de rebus prænominatis, ſic relucet, vel reſultat in ſpeculis mundiſſimis iſtis, & ſi quemadmodùm ſe habet veritas, ſic & imago repræſentat. Iſta igitur beatiſſima hierarchia trium dictorum ordinum imago eſt pulcherrima glorioſiſſimæ, atque ſupereminentiſſimæ trinitatis, & repræſentatio ejuſdem expreſſa, prout poſſibile eſt, creatoris: licet enim & in alijs creatoris reluceat ſimilitudo nonnulla benedictæ, ac ſemper adorandæ trinitatis, in his tamen tribus ordinibus lucidiùs, atque perfectiùs, quàm in alijs, exceptis duntaxat duabus animabus, de quibus cùm de alijs creaturis agitur, volo te ſemper intelligere me nolle extendere ad illas ſermones aliarum creaturarum, ſive de alijs creaturis. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm incogitabili præcellentiâ præeminent alijs omnibus creaturis. De ſanctis autem, ac beatis animabus, quæ jam in conſortium, & ad æqualitatem beatiſſimarum ſanctarum ſubſtantiarum receptæ ſunt, non aliud intendo ſentiendum, quantùm ab ea, quæ hic dico, niſi quemadmodùm & de illis, quibus adæquatæ ſunt gloriæ adæquatione. Oſtendi etiam tibi in his, quæ proximè præceſſerunt, quòd una, & eadem anima ſanctificata, atque perfecta, imago eſt hujuſmodi beatæ, ac primæ hierarchiæ. Et nunc addo, etiam ipſa perfectibilitate ſua, hoc eſt, ſecundùm tres vires ſuas, imaginem eſſe ipſius ſemper benedicendæ trinitatis, ita videlicet, ut virtus intellectiva per fœcunditatem, & generationem ſcientiæ, vel ſapientiæ, imago ſit patris & ſapientia genita imago filij: vis autem concupiſcibilis imago ſit Spiritus ſancti, quoniàm fornax eſt potentialiter

Quodquivis ſpiritus ſcilicet ſit charitas, & calor, & ignis, non tamen plus diligit, quàm filius, vel pater.

E amoris. Aliqui verò voluntatem filij imaginem intelligi voluerunt, idest vim volendi, quæ eſt virtus concupiſcibilis ſuperior, atque nobilior; virtutem verò iraſcibilem imaginem appropriatam Spiritus ſancti propter benignitatem, non propter iram, benignitas enim ipſi Spiritui ſancto plerumque appropriatè attribuitur. Et hæc eſt contraria iræ, ſive malignitati, quæ eſt ira inordinata, & nimia. Et propter ipſam contrarietatem ſunt in eadem vi: unde & quemadmodùm dicitur malignus malè, vel malo, ignitus: ita benignus vel benè, vel bono, ignitus. Tunc igitur erit juxta viam iſtam imago, vel ſimilitudo ſemper adorandæ trinitatis expreſſè relucens in anima humana, cùm vis intellectiva erit in ea perfecta ſapientia, & vis volendi voluntate rectiſſimâ, atque iraſcibilis benignitate placidiſſimâ, atque dulciſſimâ, & quoniàm æqualitas per omnia eſt in cauſantibus perſonis tribus, de- F cet, ut ſit æqualitas in tribus iſtis ordinibus, æqualitas inquam per omnia, quæ nominata ſunt. Et hoc ſecundùm naturam ſic ſe habere neceſſe eſt, ſi beata, & glorioſa trinitas juxta modum naturæ tres illos beatiſſimos ordines cauſaſſet. Tu autem jam didiciſti, quia natura operatur per modum ſervientis, quod eſt dicere, ſerviliter, ſcilicet non habens aliud, vel aliter operari. Creator autem liberaliter operatur in ultimitate libertatis, & liberalitatis. Dico inſuper, quòd etiam per hunc modum neceſſe eſt primos iſtos tres ordines eſſe per omnia coæquales. Si enim fas eſſet vel dicere, vel cogitare ordinem Seraphim cauſatum eſſe proprium Spiritus ſancti, & Cherubim eſſe proprium cauſatum filij, & Tronos per eundem modum patris, nullomodò poſſibile eſſet, ut Spiritus ſanctus cauſatum ſuum vellet G eſſe præſtantius cauſato filij, aut cauſato proprio patris. Cauſa autem in hoc eſt incogitabilis concordia, & pax, amorque, quo ſe invicem diligunt; quæ enim cauſa hoc efficere poſſet, niſi vel invidia, vel ſuperbia? Ampliùs. Cùm Spiritus ſanctus nullo modorum præferre ſe velit vel patri, vel filio, aut econtrariò, quomodò vellet præſtantiſſimum opus ſuum ſive cauſatum præferri præſtantiſſimo operi alterutrius illorum? Ampliùs. Cùm per omnia æquales ſint, quomodò vel dignum, vel juſtum eſſe poteſt, ut unius eorum cauſatum proprium melius, aut pulchrius, aut quolibet modorum perfectius ſit cauſato alterius reliquorum? Quia igitur indignum, & injuſtum hoc, manifeſtum eſt, nullum eorum hoc voluiſſe. Dico etiam cum his, cùm opus, & imago gloria ſit cauſantis, ſcilicet exemplaris, quemadmodùm totus mundus gloria quædam eſt, & laus creatoris, & carmen pulcherrimum, immò reſonantia laudum ipſius, cùm impoſſibile ſit, ut aliquis eorum plus diligat gloriam propriam, quàm H alterius reliquorum, impoſſibile eſt, ut præſtantius opus operetur, quàm ſit opus alterius aliorum. Ampliùs. Quilibet eorum æqualiter diligit utrumlibet aliorum, ut ſe ipſum, & econtrariò. Si enim pater minus diligeret filium, quàm ſe ipſum, minus diligeret, quàm eſſet diligendus: non enim minus eſt diligendus, quàm pater, cùm non ſit minus bonus, nec minus ſapiens, nec ullo modorum minor. Quare non eſt minus diligendus ullo modo. Si ergo minus, quàm ſe ipſum, illum diligeret pater, minus illum diligeret, quàm eſſet diligendus. Eſſet igitur in hoc diminutus, & inordinatus, & imperfectus? hoc autem impoſſibile non indiget deſtructiva ratiocinatione. Manifeſtum igitur eſt, quia cùm per omnia æqualiter ſe diligãt, per omnia æqualiter diligunt, volunt, & quærunt æqualiter unuſquiſque gloriam alterius, non ſolùm unam, ſed etiam quantamcunque. Gloria autem uniuſcujuſque, ſicut dixi quodlibet

Digitized by Google

quodlibet ejus cauſatum, vel opus eſt, æqualiter igitur diligunt cauſata ſua, & opera, & intendo, æqualiter unuſquiſque cauſatum alterius, ut ſuum proprium. Quare non majorem pulchritudinem diligit, vult, aut quærit, unuſquiſque cauſato proprio, quàm cauſato alterius; ergo nec præſtat. Non igitur pulchriùs, aut meliùs, aut alio quolibet modo perfectiùs efficit cauſatum proprium, quàm ſit cauſatum alterutrius aliorum: æqualia igitur volunt eſſe cauſata ſua invicem, nec ſuſtinet inæqualitatem inter illa, quæ per omnia æqualiter, & æquè propinquè cauſant. Manifeſtum igitur eſt per iſtas vias primos tres ordines prænominatos æquales per omnia eſſe. Ampliùs. Appropriationes, de quibus hîc agitur, non prohibent ullo modorum, quin æqualiter creent, vel creaverint iſtos ordines tres illæ glorioſæ perſonæ, & in hujuſmodi declaratione non eſt tibi opus, ut immorer. Omnes enim operationes ſuas communes habent; operationes inquam, quæ circa creaturas exercent, quales ſunt creatio, ſanctificatio, illuminatio. Non magis, nec aliud, nec aliter creat, quàm filius, aut Spiritus Sanctus, aut econtrariò; nec magis ſanctificat, aut illuminat Spiritus ſanctus quàm pater, vel filius, neque etiam aliter. Quicquid igitur influit à Spiritu ſancto de perfectionibus ſpiritualibus in Seraphim, influit æqualiter per omnem modum à patre, & filio ſuper ordinem eundem. Et quicquid vult Spiritus ſanctus influere de hujuſmodi perfectionibus ſuper Seraphim, hoc ipſum vult influere in ipſum pater, & filius. Si enim plus de ardore ſanctiſſimæ dilectionis vellet influere Spiritus ſanctus ſuper illum ordinem, quàm pater, aut filius; jam eſſet diſcordia inter eos: quapropter non plus, neque minus vult influere de hujuſmodi ardore ſanctæ dilectionis in illum ordinem, quàm velit filius, aut pater; & propter hoc nec plus, nec minus, influit de eodem ſuper eundem, quàm filius, aut pater. Generaliter enim, ut prædixi, in nulla creaturarum aut aliud, aut plus, operatur unus eorum, quàm uterlibet reliquorum, quin potiùs communia ſunt illis per omnem modum omnia opera, quæ operantur in creaturis, & omnia dona, quæ largiuntur eiſdem, ſimiliter & per omnem modum æqualia. Quapropter omnibus donis, & perfectionibus ſuis æquales ſunt ordines iſti, ex quibus conſtituitur prima hierarchia, quamvis appropriatè reluceat primus, vel recaleat potiùs ad fornacem vivifici caloris, quæ eſt Spiritus ſanctus, & ſecundus reſplendeat appropriatè ad luminoſiſſimam ſapientiam, quæ eſt filius, & tertius per omnem modum ad regalem, omnipotentiſſimamque virtutem excellentiùs conformetur, quæ eſt pater, ſicut oſtendi tibi, quia pater nec potentior eſt, quàm filius, aut Spiritus ſanctus, licet ei approprietur, & attribuatur potentia: nec filius ſapientior, quàm pater, aut Spiritus ſanctus, licet per eundem modum, ſcilicet appropriatè, attribuatur eidem ſapientia; & ad hunc modum ſe habet de Spiritu ſancto, & dilectione, vel amore.

CAPUT CXXIII.

Quomodò filius dicatur imago patris potiùs, quàm Spiritus ſanctus, & quomodo varie procedant à patre.

SI quis autem quærat, qualiter, aut propter quid, filius & ſit, & dicatur imago patris potiùs, quàm Spiritus ſanctus, niſi ſimilior ſit ipſi patri, quàm Spiritus ſanctus: ſi autem eſt ei ſimilior, difficile erit invenire in quo; non enim in potentia cùm nec illam, aut magis, aut majorem habeat, quàm
A Spiritus ſanctus, eodem modo neque in ſapientia, cùm ſimiliter, nec majorem ſapientiam, nec magis ſapientiam, habeat, quàm ipſe Spiritus ſanctus. Ad hunc modum videtur ſe habere de aliis. Ampliùs. Quis dubitat tres illas glorioſas perſonas ejuſdem eſſe per omnia pulchritudinis, ejuſdem per omnia bonitatis? quapropter & ſimillimas, hoc eſt, in ultimitate ſimilitudinis ſimiles illas eſſe neceſſe eſt. Quia igitur quod per ſuperabundantiam dicitur, non eſt poſſibile dici de aliquo magis, vel de aliquo minus, non eſt poſſibile, ut verè dicatur filius ſimilior patri, quàm Spiritus ſanctus. Jam autem didiciſti in tractatu ſingulari de iſta beata, & glorioſa Trinitate, quia cùm ſimile, & diſſimile dicantur propriè ſecundùm qualitatem, quæ indubitanter accidens eſt, non habent locum iſtæ denominationes apud illam, neque apud dictas perſonas. Feci etiam te ſcire ibidem differentiam inter proceſſionem filii de patre, vel à patre, & proceſſionem Spiritus ſancti de eodem, vel ab eodem. Amor
B enim rectiſſimus, atque gratuitus procedit ab amante, ut donum à datore. Filius autem à patre, ut genitus à genitore. Et intentio generantis eſt in prolem, ut ſit. Generatio enim via eſt ad eſſe, & eſſe terminus eſt generationis, ſeu finis. Intentio verò donantis non eſt finaliter, ut res data ſit, ſed extenditur ulteriùs, videlicet in hoc, ut ſit alterius, juxta uſitatum illum ſermonem, quo dicitur, Quia dare eſt ſuum accipientis facere: datum etiam, ſeu donum omne per hoc, quod eſt donum, vel datum, non ſolum eſt, ſed etiam eſt alterius. Per hoc autem, quòd eſt alterius, non eſt imago donantis, ſive dantis, neque hoc eſt in ratione, ſeu neceſſitate ejus, quod eſt datum, vel donum: & eodem modo manifeſtum eſt ſe habere de amore, inquantùm amor. Verbum autem ſpirituale, quod eſt intellectus ge-
C nitus, eſt ex neceſſitate imago ejus, qui gignitur; ſicut vides in intellectibus, qui gignuntur à rebus in animabus noſtris; & reſultant in eis, tanquàm imagines ipſarum rerum in ſpeculis: quia ergo primogenitus intellectus ab ipſo primo genitore eſt, & gignitur, & reſultat ex ipſo apud ipſum; rectiſſimè, & abſque ulla dubitatione ejus imago eſt, & in ipſis ſcientiis naturalibus didiciſti, quia generatio omnis per ſimilitudinem eſt: & ut ſonat ipſum vocabulum, generatio eſt generis ſui de ſe ipſo propagatio, ſive multiplicatio, & hoc de ſe ipſo, & per ſe, ut dixi, quoniàm in multiplicatione ipſa ſtat finaliter intentio generãtis, juxta quod expoſui tibi.

Vnde filius dicatur imago patris.

CAPUT CXXIV.

De æqualitate ordinum primæ hierarchiæ, & penes quid
D *attendi debeat ipſarum propinquitas.*

HIs autem ita determinatis, revertar ad id, in quo eram, videlicet ad æqualitatem ordinum iſtorum trium. Et dicam, ſicut dixi, quia illam facit debere eſſe æqualitas trium perſonarum, non per modum naturæ, quoniàm per illum modum, ut jam edoctus es, non operatur creator, ſed per ipſam dilectionem, & concordiam, quâ nulla ex illis, videlicet dictis perſonis, vult præcellentiam ſui ad utramlibet aliarum, neque in ſe, neque in opere ſuo. Et intendo opus ſuum, non quòd illa ſola efficiat, aut cauſet, vel magis illud faciat, quàm alterutra aliarum ſed per appropriationem antedictam, & in ſacra, ac veridica Theologia conſuetam. Scito etiam, quia iſte ſanctus, & ſapiens, non ponit ordinationem prioritatis, aut poſterioritatis; ſimiliter neque majoritatis, aut minoritatis, neque ullam omninò præcellentiam dignitatis, ſed potiùs ponit

Digitized by Google

eos immediatè collocatos circa ipſam eminentiſſimam majeſtatem creatoris, & propter hoc ab ipſo, & in primis, & immediatè, atque ſuperabundanter omnibus aliis ordinibus recipere influentias donorum ſcientiarum, & virtutum. Et cauſam iſtam dicit eſſe propinquitatem immediatam ad ipſum fontem abyſſalis infinitatis redundantiæ indeficientis, qui eſt creator benedictus. Nec debes intelligere propinquitatem iſtam localem ullo modorum, ſed dignitatis, & ſublimitatis ſpiritualis; & quod eſt magnificentius, ac efficacius, amoris, & gratiæ ipſius, per quam ſolam tanta præcellentia perfectionum ſpiritualium eoſdem ſublimavit, & decoravit.

Quòd propinquitas non intelligitur ſecundùm locum, ſed ſecundum dignitatem.

CAPUT CXXV.

Quot modis exponitur? Quis eſt iſte, qui venit de Edom? & quomodo eſt ordo, & æqualitas inter ſpiritus ejuſdem hierarchiæ.

HAbet autem quæſtionem, & de ipſis ſanctiſſimis Seraphim, & aliis trium illorum ordinum ſpiritibus, & utrùm æquales ſint omnes ad invicem per omnia. Et ponit iſte ſapiens ſermonem Prophetæ dicentis ex perſona iſtorum ſublimium ſpirituum, & interrogantium: Quis eſt iſte, qui venit de Edom? &c. Hanc enim quæſtionem ad invicem facere videntur: non enim proponere videntur eam ad ipſum principem ſuæ illuminationis Deum. Alij ergo aliis hanc proponunt, quaſi minus ſapientes ſapientioribus. Dico igitur, quia deliberativè poſſunt eam proponere, vel potiùs admirativè, tertiò expreſſione deſiderii ſui, hoc eſt, exprimendo deſiderium ſuum, videlicet ſciendi, quis eſſet ille, qui veniebat de Edom? Quod & ſtatim audivit ipſe illuminator eorum Deus, & ſtatim reſponſione ſuâ adimplet deſiderium eorum, dicens: Ego ſum, qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Ex hac reſponſione, quaſi aſſumptâ interrogandi ipſum fiduciâ, quærunt conſequenter; quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari? Et propter hoc quòd ab ipſo audiunt, quod quærunt, non ab invicem, neque ab aliis immediatè eos illuminari, ſed ab ipſo fonte luminis, dixit. Quòd ſi quis miretur in tanta multitudine individuorum unius ſpeciei nullam inveniri poſſe inæqualitatem, aut diſſimilitudinem, propter hoc quoniàm in hominibus, & aliis animalium ſpeciebus, ſimiliter & vegetabilium tam multiplex varietas, tantáque inæqualitatum, & diſſimilitudinum multiplicitas invenitur. Reſpondeo, quia in manifeſto ſunt cauſæ inæqualitatum, & diſſimilitudinũ hujuſmodi; quemadmodùm inter hominem, & filium ſuum neceſſe eſt inæqualitatem eſſe multiplicem, & diſſimilitudines multas; cùm alter alterum multo præcedat tempore, & ipſe filius multò minor ex neceſſitate naſcatur, quàm pater ejus, cùm ipſum generat, & tam in anima, quàm corpore innumeris immutationibus ad æqualitatem patris vix perveniat. Scis etiam à parte materiæ, videlicet corporis, quòd cauſæ differentiarum, & diſſimilitudinum ſiunt. Hæc autem dixerim ſalvo hoc, quòd innumeræ ſunt, & inſcrutabiles; pro tanto autem dictum ſit, quia multæ earum tibi notiſſimæ ſunt. In ſublimibus autem illis ſubſtantiis nihil inveniri poſſe videtur, niſi à parte datoris univerſalis, cùm omni modo immateriales ſint, quapropter & ad ſe invicem ſimillimæ. Et iſta magnitudo ſimilitudinis errare fecit Ariſtotelem, & ſequaces ejus, abſcondens eis diverſitatem numeralem, atque ſubſtantialem, & prohibens eos videre, quòd una non eſt alia, neque hoc ipſum,

E quòd una eſt, eſt illud idem numero, quod alia. Invenitur tamen ad ſenſum in multis generibus, animalium ſimilitudo omnimoda; quemadmodùm in apibus ejuſdem ſpeciei, & quantitatis; & in multis generibus muſcarum, ſimiliter & in ovibus ejuſdem quantitatis, atque coloris: interdùm autem & in ovis. Propter hoc, ad ſenſum, dixi, quia ſenſus in hujuſmodi nihil diſſimilitudinis deprehendere ſufficit. Ampliùs. Si non eſſent ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ omnes illæ ſubſtantiæ trium primorum ordinum, non eſſent naturaliter in eodem gradu altitudinis naturalis, neque naturaliter æquales. Naturalis enim æqualitas non eſt niſi ab identitate ſpeciei; ſicut neque naturalis ſimilitudo. Naturales enim diſpoſitiones ab ipſis eſ- F ſentialibus ſunt, quemadmodùm accidentales, & caſuales ab his, quæ accidunt & quæ caſu adveniunt. Non videntur igitur naturales eſſe diſſimilitudines inter hujuſmodi ſubſtantias: in eis autem, quæ gloriæ ſunt, non videtur ſimiliter diſſimilitudo, aut inæqualitas apud eas eſſe; nulla enim ex eis vel gratia, vel gloria digna fuit præferri alij, aut alicui ex eiſdem, cùm omnibus diſpoſitionibus ſuis æquales eſſent, diſpoſitionibus ſuis inquam, quas ante perfectiones illas gloriæ habebant. Apud eas igitur nulla erat cauſa, vel ratio, propter quam uni major, aut minor gloriæ perfectio, quàm alij præſtaretur à creatore. Creator autem in collatione naturalium perfectionum æqualem per omnia, & ſine acceptione perſonarum ſe omnibus exhibuit, quomodò igitur in collatione perfectionum gloriæ non ſimiliter erga omnes illas ſe habuit? G Et non intendo in ſermone iſto, quòd neceſſitas ulla fuerit creatori conferẽdi æquales, & per omnia ſimiles perfectiones, omnibus illis, ſed cùm naturalibus, quas ſolas habebant, non eſſet una majoribus perfectionibus gloriæ dignior, quàm alia, non eſt veriſimile, ut in unã eſſet propenſior largitas magnificentiæ ſuæ, quàm in aliam; jam etiam audiviſti in ſermonibus Prophetarum, principem omnium malignorum ſpirituũ multâ præſtantia perfectionũ naturalium præcellentiorem creatum fuiſſe omnibus hujuſmodi ſubſtantiis. Nec propter hoc tamen putandus eſt ſpecie diverſatus ab illis: magis enim & minus naturales perfectiones non diverſant ſecundùm ſpeciẽ. Quis enim dubitat omnes homines ejuſdẽ eſſe ſpeciei; & tamẽ vides perfectiones naturales eorum multùm differentes eſſe multúmque diſſimiles? Non enim viſus, & auditus, neque alij ſenſus in eis æquales per omnia ſunt; ſimiliter neque interiores virtutes, ut memoria, intellectus, & ratio, & ingenium: alij enim tardi ingenij, alij velocioris ſunt, & alij brevioris intellectus, alij altioris. H De animabus etiam primò creatorum hominum audiviſti, quia perfectæ creatæ ſunt perfectionibus ſcilicet naturalibus. De iſtis autem dicit Ariſtoteles, quia perfectibiles ſolummodò creantur, & non perfectæ. Verùm ſicut acquiſitio, vel obtentus hujuſmodi perfectionum, non mutat ſpeciem in animabus noſtris, ſed decorat eam, & perficit; ſic carentia earum ſpeciem ipſam non alienat, aut deſtruit; alioquin ſapientes, & inſipientes eſſent ſecundùm ſpeciẽ diverſati. Et puer non efficeretur vir, ſed potiùs corrumperetur in virum, & generaretur acquiſitio ſapientiæ, & aliarum perfectionum virilium. Et propter hoc conſequenter non eſſet idem homo vir, qui fuerit puer. Quod non dubito nonnullos inſipientes ſenſiſſe. Verùm hunc errorem deſtruit ſenſus, quo unuſquiſque virorum ſe ſentit eſſe, quod fuit; alioquin memoria nihil eſſet. Non enim recordaretur quis eorum, quæ fecit puer, quoniàm nunquàm fuiſſet puer. Cùm enim non fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet, manifeſtum eſt, quia nunquàm fuiſſet puer, incœpiſſet enim eſſe vir per novam generationem. Accidit etiam ſecundùm hunc errorem nullum virum natum fuiſſe, ſoli enim parvuli naſcuntur: viri verò alij homines ſunt, quàm parvuli pueri. Si quis autem quærat, ſi omnes hujuſmodi ſpiritus, videlicet unius hierarchiæ æquales ſunt per omnia, atque ſimillimi, quomodò ordines ſunt inter eas? Et jam dixi tibi, quia reverà ordinatæ ſunt hierarchiæ, & ad ipſum creatorem, per hoc; quia poſt ipſum & ſub ipſo, & ad invicem, quoniàm prima iſta, de qua nunc loquor ſupra ſecundam eſt, & ſecunda ſupra tertiam, & ſub primâ. tertia verò poſt præcedentes, & ſupra quartam.

CAPUT CXXVI.

Impartibilitas in animabus brutalibus, quæ ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, non prohibet multiplicem diverſitatem ſecundùm ſpeciem; non etiam prohibebit in angelis.

CONveniens autem eſt, & expediens valdè, ut extendas conſiderationem tuam in animas brutales, de quibus, cùm manifeſtum ſit eas eſſe incorporeas, non eſt tibi dubitandum, eas conſequenter impartibiles eſſe, nec diverſitatem ſpecificam, quæ inter eas eſt, aut inter operationes earum, à diverſitate materiarum ſuarum, ideſt corporum eſſe, quoniàm potiùs pro diverſitate ipſarum aptata ſunt eis corpora operationibus earum velut organa convenientiſſima. Vides igitur quanta ſit iſta diverſitas, quantaque multiplicitas hujuſmodi animarum, & operationum ipſarum, licet impartibiles ſint ſubſtantiæ earundem. Sed & cùm conſideraveris virtutes earum, videbis apud eas artes mirabiles, & artificia, quæ nec etiam in hominibus inveniri poſſunt, ſicut ſæpè dixi tibi de artificio nendi, ſive filandi, quo prædita eſt aranea. De artificio ædificandi, quod edocta eſt hirundo. De artificio compingendi nidum ſuum, quod habet pica, & multæ aliæ aves. Sic etiam dico & de artificio pugnandi delphinis, videlicet pinnulis, vel pennulis, quæ in dorſo ejus ſunt, ad modum ſerræ, quibus etiam ſecant ventres crocodilorum, multo impetu ſe ponentes, & natantes, ſub eis. Animal etiam, quod græcè Bonachon dicitur, egeſtionibus ſuis pugnat, emittens eas vehementi impetu in facies venatorum, aut aliorum, à quibus ſe defendere vult. Urſi verò pugnant non ſolùm dentibus, & unguibus, ſed etiam lapidibus: modos verò prædationum, quibus cibum ſibi quærunt quædam animalia, quis non miretur? Quæ fraus, ſive doloſitas major cogitari poteſt, illa, quâ utitur hiena quam lupum africanum quidam dicunt? Addiſcit enim nomen alicujus hominis, & veniens nocte ad oſtium ipſius profert illud, quod audiens homo, & ſe vocari ab aliquo homine credens, exit domum ſuam, & ſic rapitur, & devoratur ab ea. Inſidias verò luporum, & catorum, quis cogitet? vulpis etiam malitiam, quâ ſe mortuam ſimulat, & deſcendentem milvum ſuper eam capit, & devorat? Quod & de muſtella dicitur. Aſtutiam verò avis, quæ cucula nominatur, nolo præterire, quæ devorans ova quarundam aviculatum, propria ponit in nidis earum, ut ea foveant, ſive cubent. Sic ergo deceptæ pullos cuculæ excludunt, & nutriunt, & tandem ab eis devorantur. Sunt & alia innumera, quæ in libris de naturis animalium jam editis, & ſcriptis invenire potes, ſi vis. Hæc autem ſufficiunt ad declarandum, quod hìc intendo, hoc autem eſt, quia impartibilitas in ſubſtantiis incorporeis non prohibet multiplicem diverſitatem ſecundùm ſpeciem. Quomodò igitur prohibebit eam in ſubſtantiis abſtractis? Et ſicut manifeſtum eſt aſtutiam ſerpentinam, & aſtutiam lupinam, nec non & vulpinam diverſas eſſe aſtutias ſecundùm ſpeciem, quid mirum ſi Cherubim novo, & proprio lumine ſcientiæ, vel ſapientiæ lucent, quo non lucent Throni, aut Seraphim ſi tanta varietas, tantaque multiplicitas artium, ut ita dicam, & ſcientiarum, in animalibus brutis invenitur? Quomodoque ſublimes illæ ſcientiæ, vel ſapientiæ, non multo plures erunt, atque diverſæ. Ut quid enim magnificentia quædam data eſt leonibus, & non ſimiliter data ſit aliquibus ſpiritualibus hujuſmodi ſubſtantiis, ex qua vel throni, vel dominationes, vel principatus, vel poteſtates nominari debant? & quid prohibet, ut quemadmodùm ſerpens calliditate, vel ſapientia, juxta teſtimonium legislatoris Hebræorũ, præeminebat aliis animalibus, quin eodem modo aliquis ex ſublimibus iſtis ordinibus luce ſapientiæ euſque præfulgeat cæteris, ut aliqui de hujuſmodi ſpiritibus meritò inter eos cherubim debeant nominari. Quomodò etiam leo fortiſſimus beſtiarum dicitur fortitudine præcellens aliis, quomodò hoc dono ſcilicet fortitudinis, non erit aliquis ordo præditus, ut per ipſum meritò virtus, aut fortitudo nominetur? Scito etiam, quòd eſt natura leonum in hoc, quia alienam ſubjectionem amant, & ſubjectis ſibi naturaliter parcunt, in erectos autem contra ſe inſurgunt, nec ceſſant ab impugnatione eorum, donec ſe ſub eis humiliaverint, atque ſubjecerint, nunquid non in hoc relucet in eis aliqua ſimilitudo, vel ſaltem veſtigium, excellentiæ illius ordinis, qui dicitur dominationes, parcere, inquam, ſubjectis, & debellare ſuperbos.

CAPUT CXXVII.

Exempla, & ſimilitudines ab animabus ad dona, & dignitates Angelorum.

QUòd ſi quis attendat ipſam aquilam, qualiter ſcilicet regit domum ſuam, nidum ideſt qualiter munit ipſum lapide jaſpide contra ſerpentes. qualiter replet eum cibis, quandò pulli ibi ſunt, qualiter ornat ipſum linteis, forſitan ad decorem, vel forſitan ad protectionem pullorum, ne ſcilicet æſtus, aut pluvia noceat eis, qualiter erudit familiam ſuam, hoc eſt, pullos, erudit inquam ad volatum volitans ſuper eos. quam juſtitiam exercere videtur de aliis avibus, ſi ad nidum ejus appropinquare præſumpſerint, videbit nonnullum veſtigium dignitatis, & officij ordinis principatuum apparere in ea. Similiter & in domeſticis quibuſdam animalibus & etiam feris inveniet quaſi quandam ſimilitudinem ejus doni, quo præditus eſt ordo, qui dicitur poteſtatis, qui ſemper præſto eſt contrarias, & inimicas repellere poteſtates, & à nocumentis omnibus prohibere. Reſpice in arietes, & videbis in omne id, quod eis ex adverſo erigitur, irruere paratiſſimos, totoque impetu illud ferire. Hinc eſt, quòd viri ſancti etiã cornua habere dicti ſunt apud Prophetas: ſicut eſt illud: Exaltabuntur cornua juſti. Cornu in ſermonibus Prophetarum poteſtas intelligitur, quâ adverſario reſiſtitur, vel quâ etiam debellatur. Conſidera igitur hæc omnia, quæ adduxi, tam exempla, quàm rationes; & tenta, ſi quomodò, vel venari, vel conjicere poſſis hanc remotiſſimã à nobis, & propter hoc occultiſſimã veritatem iſtam, quam vir iſte ſanctus, & ſapiens, doctoris ſui primi, ac perfectoris, revelatione genti Chriſtianorum primus ſcripſit, &

ſcriptam tradidit, prætericns omninò de identitate, aut diverſitate ſecundùm ſpeciem inter hujuſmodi ſubſtantias. Quæ præmiſſa exempla brutalium animarum, ſi qui diligenter, ac ſtudioſè conſiderant, non videbuntur eis improbabiles rationes prædictæ; intendo diverſitatem ſecundùm ſpeciem, & diſſimilitudines perfectionum tam naturæ, quàm gloriæ, ipſos non abhorrere inter ſubſtantias hujuſmodi, ſive ejuſdem hierarchiæ ſint, ſive etiam ejuſdem ordinis. Manifeſtus eſt enim amor vehementiſſimus canum in dominos ſuos; manifeſta etiam fideliſſima cuſtodia eorum in res illorum, ſimiliter defenſio, & protectio eorundem, & ſi fas eſt dicere, juſtitia, ſeu vindicta ipſorum in raptores, vel invaſores tam dominorum, quàm rerum ipſorum. Quis autem ignoret prudentiam, vel aſtutiam ipſorum in præſenſione, & inveſtigatione venationum, & præcipuè in inveſtigatione, & deprehenſione latronum. Attende igitur diligenter iſtas eminentias animarum brutalium, & alias, quas in præcedentibus audiviſti; quarundam ſcilicet ex hujuſmodi animabus ſuper alias; & hoc quantùm ad vires apprehenſivas, quemadmodùm intellexiſti de canibus, quantùm ad virtutem inveſtigativam, & deprehenſivam, ſimiliter in aquila, & lynce, quantùm ad virtutem viſibilem. Sic etiam audiviſti eminentias quarundam hujuſmodi animarum ſuper alias; ſicut eſt virtus baſiliſci, per quam ſolo viſu interficere dicitur hominem. Et fortè ſimilis eſt virtus buffonis, quem fortiſſima armatura non prohibet, quin interficiat hominem, cùm ſuper armaturam illam incubuerit, & iratus vehementer eidem fuerit. Similis eſt virtus piſcis illius, qui dicitur torpedo, de quo ſuperiùs mentionem tibi feci. Sic forſitan ſunt & aliæ in multis animalibus non minus mirabiles. Cocodrilus etiam, & unicornis virtute bellicâ in animalibus præcellere videntur, licet viribus apprehenſivis multis aliis inferiores ſint. Dico igitur, quia indomabilitas, & inſubjicibilitas, & inſervibilitas, ut ita dicatur, in quibuſdam hominibus, & fortè in nationibus, evidenter apparent, quæ non ſunt in eis magnificentia, ſed magis ferilitas, vel ferina duritia. In ſanctiſſimis dominationibus libera magnificentia eſt, aut magnificentiſſima libertas, qua omni ſervilitati, & ſubjectioni, præterquàm ſoli dominationi creatoris, adeò advertſantur, eamque adeò dedignantur, ut nullus omninò ſit acceſſus ad eas. Hoc autem efficit in eis ultimitas ſubjectionis, & jocundiſſimæ ſervitutis, ac fideliſſimæ, quâ gaudent, & gloriantur dominatione ſuper eas nobiliſſima creatoris: juxta ſermonem illum ſapientis. Qui timet Deum, nihil trepidabit, & alibi. In timore domini fiducia fortitudinis. Sicut igitur timor Dei, cùm fuerit fortiſſimus, ac vehementiſſimus, omnem alium timorem ab anima, in qua eſt, avertit, & prohibet; eamque erigit, & confortat, atque firmat fiduciâ; ſic nobiliſſima iſta ſub dominatione creatoris ſubjectio altiſſima, ac beatiſſimâ dominatione magnificâ libertate elevat, & firmat eouſque, ut dominationes meritò cognominentur, ex eminentia ſcilicet inſubjicibilitatis, & inſervibilitatis, ad omne aliud à creatore. Et juxta hunc modum ex eminentia incorruptibilis rectitudinis, ſive regiminalis incorruptibilitatis, principatus cognominati ſunt; ſic poteſtates ex eminentia invincibilitatis; ſic virtutes ex eminentia infatigabilitatis, & indefectibilitatis. Etſi enim omnes illi ſublimes, ac beati ſpiritus, hujuſmodi donis præditi ſint: iſti tamen quatuor & eminentiùs, & appropriatè illa obtinent, quemadmodùm in una acie bellatorum, etſi omnes bellatores in ea fortes ſint, & fortitudinem obtineant, illam tamen eminen-

Quod qui Deo ſubjiciuntur, omnem aliâ dominationem dedignantur

E tiùs obtinere debet, qui dux in ea conſtitutus eſt; aut ſignifer, quoniàm ex officio ducatus, aut ſignifератus, incumbit eidem, ut ſit omnibus aliis audacior, & in conflictibus prior. Tu etiam ſcis, quia Bubali leonibus fortiores ſunt; & quia leones vincunt pugnantes cum ipſis. Fortitudo tamen iſta pugnatoria appropriata eſt leonibus, & data eiſdem ad acquirendum victum: Bubalis verò non ad pugnandum data eſt; ſed potiùs ad labores evectionum, ſeu agricolationum. Eodem modo ſe habet & de bobus. Cùm igitur ex ea pugnant contra leones, vel lupos, non hoc tanquàm ex officio, & per ſe ex illa faciunt, ſed tanquàm intorſione vel extorſione; Leones namque, & lupi eos ad defendendum ſe, & repugnandum cogunt. Et propter hoc dixi intorſionem, vel extorſionem, quoniàm virtutem ad

F alium uſum datam bubalos, & boves, in pugnam intorquere leones, & lupi compellunt, & ab inimicis hujuſmodi pugnam metu mortis extorquent. Notum etiam eſt homines & capite, & pedibus, humeris interdùm pugnare, præſertim cùm impugnantur, & arma quibus ſe defendant, vel repugnent, non habeant. Idem etiam dentibus facere quandoque coguntur. Fortaſſis autem dicet aliquis non eſſe univocam fortitudinem bubalorum, & leonum. Verùm non refert, an univoca, an æquivoca ſit: nec pes aliud eſt ullo modorum, cùm quis eo utitur ad greſſum, & cùm eo utitur ad pugnandum. Quemadmodùm igitur non miraris, neque abhorres eminentias antedictas in animabus animalium irrationabilium; multò fortiùs non debes eas ſtupere, vel abhorrere in ſubſtantiis abſtra-

G ctis nobilibus. Neque neceſſe eſt, ut vires apprehenſivæ, & motivæ ſemper æquales ſint; quemadmodùm in canibus non eſt neceſſe, ut qui ſagacior eſt ad inveſtigandam feram, curſu velocior ſit, aut in ipſam fortior, neque econtrariò. Et hoc idem ſimiliter ſe habet in hominibus; non ſemper enim cõtingit, ut qui ingenioſior eſt ſit itâ vehemẽtior, aut timoratior; & de aliis diſpoſitionibus ſimiliter ſe habet, nec clarè videntur iſtæ diverſitates provenire vel hominibus, vel animalibus ex parte materiæ corporalis, ſive corporum. Quis enim credat araneis eſſe à parte materiæ ſuæ peritiam vel filandi, vel nendi: quòd ſi apprehenſivæ virtutes non ſunt animalibus à parte materiarum ſuarum, quomodò erunt eis motivæ à parte earundem, & ſi hoc ita eſt, eminentiæ, de quibus agitur, erunt eis ex neceſſitate à parte datoris univerſalis, qui eſt creator benedictus. Quare nihil eſt, quod cogat te confiteri apprehenſivas, & motivas, vel diſpoſitiones, quæ ſunt ſecundùm ipſas, vel æquales ſemper eſſe, vel proportionabiles. Et intendo quia non eſt ne-

H ceſſe, ut ſi major eſt apprehenſio rei alicujus apud animam, ut major ſit affectio quæcunque in illam apud eandem. Hujus autem exemplum eſt, videlicet, quia non eſt neceſſe, ut ſi quis ex hominibus magis novit aliquem hominem quàm tu, magis vel diligat, vel odiat ipſum, quàm tu. Propter quod non eſt neceſſe, quòd baſiliſcus ſi vehementiori ira in hominem moveatur, quem videt, quàm quivis alius ex ſerpentibus, non eſt inquam neceſſe, ut magis illum videat, quàm ſerpens alius. Quemadmodùm non propter hoc, quia leo majori audacia, aut ferocitate invadit onagrum, aut majori animoſitate pugnat contra feram quamcunque, quàm canis aliquis, non inquam propter hoc neceſſe eſt, ut major ſit apprehenſio, vel cognitio ejus de illa, quàm cognitio, vel apprehenſio canis de eadem. Eodem modo ſe habet de cognitione cibi, & appetitu ejuſdem. Non ſemper enim qui magis appetit cibum, magis & cognoſcit illum.

Ex

Digitized by Google

Applicatio ad propoſitum.

Ex omnibus igitur his, & aliis, quæ audiviſti de A mirificis iſtis eminentiis virtutum, ſeu vitium animatum brutalium, conſidera, & collige, quia in ſublimibus ſubſtantiis iſtis non minus poſſibile, atque conveniens, videri debet, eſſe virtutum eminentias congruentes nobilitati ſuæ, quales nominavi tibi, videlicet ut in dominationibus ſit virtus contraria indebitæ ſervituti, ſive ſervibilitati, & erecta præcellentet contra omnem vilitatem. & dejectionem ſubjectionis. Sic & in principatibus nobilis, ac præcellens, & incōpatabiliter, atque indeflexibiliter erecta, & omni modo ininclinabilis, ſive indeclinabilis in partem iniquitatis quamcunque, vivax poteſtativa juſtitia, vel potiùs regibilitas, ſeu principalitas. Sic & in poteſtatibus erecta, fortis, & averſans omnem iniquam rebellionem ſtrenuitas, & vinci neſciens, aut cedere rebellantibus per modum omnem impatiens: propter quod & inceſſibilitatem, & invincibilitatem eam tibi nominavi in præcedentibus. Sic in virtutibus vigor in- B fatigabilis, & indefectibilis, poteſtativus eorum etiam operum, ad quæ virtus naturæ nequaquàm attingat, & hæc ſunt, quæ meritò dicuntur mirabilia, ſive miracula. Cùm igitur quatuor ordines iſtos perſcrutatiùs cogitaveris, videbis in eis magnificentiam gloriæ creatoris, quantùm quidem eſt poſſibile dilucidè relucere. In dominationibus enim nobilitas, ac præcellentia dominationis ipſius evidenter apparet. Sic in principatibus principalitatis illius mundiſſima, & per modum omnem immaculabilis veritas, atque ſinceritas ſe oſtendit. In poteſtatibus verò omnipotentia ejuſdem, contra quam nec reſiſtentia ulla, nec rebellio ſtare poteſt, niſi quæ minus clarè, oſtenditur: & juxta hunc modum in virtutibus ultimitas virtuoſitatis ejus, ad quam nullo modorum attingere poſſe defectibilitatem, vel aliquid ex conſequentibus illam, intueri valen- C tibus apparet expreſ… Quòd ſi quis dixerit, quia iſta etiam in ſuperioribus ordinibus non minus apparent: Reſponſum eſt tibi jam ad hoc in præcedentibus. Cum his autem, quæ præceſſerunt, debes ſcire, quia omnis & virtus, & potentia, & principatus, & dominatio, ſimilitudo quædam eſt, & deſignatio aliqualis, atque velut umbra, & veſtigium, & virtus diſpoſitionum. quæ hujuſmodi nominibus per ultimitatem excellentiæ de creatore dicuntur. Scito etiam quia quemadmodùm ſplendor propheticus majori influentiâ primi ſapientialis luminis fit in hominibus, & poteſtas miraculorum majori ſimpliciter influentia divinæ virtutis: ſic virtutes illæ, quas ita mirantur homines in animalibus prænominatis, ut in baſiliſco, & torpedine, & echeneide ex valde nobili influentia divinæ virtutis fiunt in eis. Juxta D hunc modum aſtutia inveſtigationis in canibus, & in aliis, quæ jam audiviſti, procedit ex nobili quadam influentia primi, ac divinalis luminis. Audiviſti autem, vel audire potuiſti, quia ſimiles virtutes, ad nocendùm ſcilicet; imponunt homines quibuſdam hominibus, & mulieribus. & virtutem faſcinandi, & virtutem occidendi quibuſdam arcariis, & baliſtariis, euſque ſcilicet, ut quantulumcunque vulnus ſagittis ſuis infligant, dummodò ſtilla ſanguinis inde effluat, mori neceſſe ſit vulneratum ab ipſis. Alias etiam virtutes aliter occaſionandi homines, & nocendi eis, multiplices imponunt hominibus. Utrùm autem verè an falsò, diſputationem requirit philoſophicam, quam nondùm auditus eſt aliquis ex philoſophis apud me diffiniſſe.

CAPUT CXXVIII.

An angelorum militia ex diverſis ſecundùm ſpeciem aggregata ſit, & unde cauſetur inter ipſos dilectio.

POſt hæc igitur revertar ad id, in quo eram, & dicam: quia cùm tot, tamque mirabiles influentiæ deſcendant à fonte primo univerſali ſuper animas brutales, quomodò non multò plures, longèque mirabiliores deſcendant ab eodem fonte ſuper iſtas ſublimes, longéque nobiliores, & longè receptibiliores magnificarum, & mirificarum influentiarum ſubſtantias? Et licet in viribus apprehenſivis earum inveniatur interdùm æqualitas, aut inæqualitas, non propter hoc tamen ſimilem æqualitatem, aut inæqualitatem in virtutibus motivis earundem ſemper neceſſe eſt inveniri: & de hoc multa exempla poſita ſunt tibi; & jam noſti exemplis præcedentibus, quia non cogunt iſtæ præeminentiæ, ut debeas concedere diverſitatem ſecundùm ſpeciem in ſubſtantiis, de quibus agitur: quémadmodùm apparet tibi in canibus, qui præditi ſunt, & præeminent aliis ſagacitate venandi, & aſtutiâ deprehendendi latrones, tamen propter hujuſmodi præeminentias non diverſanturàquibuſcunque aliis diverſitate, quæ eſt ſecundùm ſpeciem. Nec ullo modorum veriſimile eſt, ut civitas illa, ſeu aula aggregatione diverſarum multitudinum ſecundùm ſpeciem repleta ſit, & aggregatus illarum militiarum exercitus qualiter poteſt credi ex ſubſtantiis, ſive militibus, ſecundùm ſpeciem diverſatis; cùm ſocietas illorum ſit in ultimitate pacis, & dilectionis, quam diverſitas ſecundùm ſpeciem pati non poteſt? Quis enim credat non multo majorem eſſe abſque ulla comparatione pacem, ac dilectionem inter homines optimè diſpoſitos, quàm inter homines, & alterius ſpeciei animalia? Quòd ſi dixerit quis, quia inter homines, qui glorificandi ſunt, cùm in conſortium beatorum illorum ſpirituum aſſumpti fuerint, & inter illos ſpiritus, non erit ullo modorum major ſocietas, ſive unitas pacis, & dilectionis, quàm inter homines illos, licet manifeſtum ſit ipſos homines glorificandos diverſos eſſe ſecundùm ſpeciem ab hujuſmodi ſpiritibus. Reſpondeo in hoc, quia ſocietas, & æqualitas gloriæ in utriſque prohibebit impedimentum, & diminutionem ſocietatis, & dilectionis, quòd alias præſtaret hujuſmodi diverſitas, quemadmodùm contingit plerunque, quia nullâ propinquitate ſibi invicem attinentes homines ex convictu. vel alia ſocietate, non minùs ſe invicem diligunt, quàm multi, qui invicem ſunt fratres.

Quod dilectio ex ſocietate cauſatur.

CAPUT CXXIX.

Quòd aliquæ denominationes ſunt communes Deo, & angelis.

ET quoniàm nominationes angelorum, & archangelorum, deſignationes tantùm ſunt officiorum exteriorum, & quæ exercentur in alios, nihil de ſubſtantialibus, aut naturalibus ſubſtantiarum hujuſmodi nos ſcire facientes, ſeptem ordinum aliorum cognominationes ſolertiùs, & perſcrutatiùs, tibi cogitandæ ſunt Nominationes enim illæ propriæ creatoris eſſe videntur, & hujuſmodi ſubſtantiis eadem largitate, quâ & influentiæ donorum, & gratiarum, ab ipſo creatore communicatæ; quemadmodùm enim ipſe primus

Quod nominatio ſeraphim congruit patri, & filio.

propheta, & legis Hebræorum lator dixit: Deus noſter ignis conſumens eſt; Et alius iterùm propheta? Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus; ſic veraciſſimè, ſi hoc uſus loquendi haberet, ſeraphim diceretur, cùm ſit in ſe totus, ideſt, purè ardens, & incendium aliorum, quæ incenſibilia ſunt, & calefaciens eorum quæ calefactibilia ſunt calore hujuſmodi, qui eſt calor ſpiritualis, ideſt, amor. Et iſte ardor ſive igneitas in ipſo, vel apud ipſum, non eſt niſi bonitas, & pulchritudo ipſius, quibus incendit amore ſuo eos, qui proximi ſunt ei; & propter hoc tota illa civitas gloriæ ipſius ardet ardore incogitabili, ardore ſcilicet, dilectionis ipſius, ad quem ardorem vix tepor dicendus eſt amor, quantumcunque fortis, aut vehemens, quo in vita iſta diligitur; & iſtam differentiam fecit nos intelligere alius ex prophetis Hebræorum, dicens: Vivit dominus, cujus ignis in ſion, & caminus in hieruſalem; Proculdubiò ignem vocans dilectionem, quâ creator in hac vita diligitur à dilectis, & electis ſuis: caminum verò illam, quâ in ſtatu gloriæ illius diligitur. Ipſe verò creator in ſe, & apud ſe, fornax eſt vivifici, ac ſpiritualis ardoris; fornax inquam incogitabilis immenſitatis, ex qua creaturarum univerſitas tota calet: calet enim quicquid calefacere natum, vel aptum eſt. Quòd autem calefacere poſſint creaturæ, ex minimis earum, & ignobilioribus, hoc eſt, ex ſenſibilibus, manifeſtum eſt. Quis enim non videat quantùm ardeant avari, & cupidi, & alijs vitijs laborantes homines; ardent inquam amore creaturarum ſenſibilium. Hic igitur ardor, & hujuſmodi inflammatio, manifeſtum iudicium eſt caloris, quo calent creaturæ ſenſibiles amatores ſuos taliter inflammantes. Quòd ſi dixerit quis, quia non eſt hoc ex calore, quo caleant, ſed ex perverſitate eſt malè amantium; nemo tamen dubitat, quin creaturæ, omnes ipſâ bonitate, & pulcritudine ſuâ amabiles ſint, & amoris flammas aptæ natæ, & potentes accendere in cordibus eas prudenter, & rectè conſiderantium: & hoc eſt, quod vocamus in eis calorem, quo calent, & virtutem calefaciendi, quâ calefaciunt inſpectores, & conſideratores ſuos. Ex quo duo tibi manifeſta eſſe debent, videlicet, quàm immenſa ſit, quàmque incogitabilis fornax, ſive caminus, bonitas, & pulchritudo creatoris, ex qua omnia ſic calent, & cujus veſtigia ſunt omnes calores hujuſmodi. Neque enim bonitates, & pulchritudines creaturarum aliud ſunt, quàm veſtigia permodica bonitatis & pulchritudinis creatoris. Secundò manifeſtum eſt tibi ex hoc, quàm vehemens ſit ardor amoris in eum, eorum, qui non ſolùm ex proximò ei ſunt, ſed totaliter in eo, & ex illo igniti; quemadmodùm ferrum candens ex igne. Vides igitur, quia quibuſdam incendium ſe exhibet bonitate ſua, & pulchritudine creator, inflammans eos, & igniens, ut dixi, & tales ſunt ſancti, ac beati ſpiritus & animæ humanæ quæ in conſortium gloriæ ipſorum jam aſſumptæ ſunt: quibuſdam verò calorem tantùm ſe exhibet, videlicet dilectis, & electis ſuis, quos in vita iſta pro congruentia præſentis ſtatus amore ſuo calefacit, atque vivificat. Alio autem modo, ſicut jam dixi, nulla ex creaturis abſconditur à calore ejus; omnes enim calidæ ſunt calore ipſius, hoc eſt, conſideratores, & inſpectores ſuos calefacere, ut ſupra dictum eſt, aptæ natæ ſunt: & hoc non eſt aliud dicere, niſi quòd ipſâ pulchritudine ſuâ, & bonitate amabiles ſunt, & amorem ſui ingerentes naturaliter ſpectatoribus, & conſideratoribus ſuis, rectum autem, & ſanctum, amorem rectè, piéque conſiderantibus ipſas, ita ut per eas non ſolùm amabilis creator benedictus appareat, ſed etiam ametur

Quod creaturæ ingerunt amorem ſui conſiderantibus.

E per eas; non autem, propter eas; hoc enim eſt amoris perverſitas; ipſæ enim propter creatorem diligendæ ſunt, ad quem cognoſcendum, diligendum, & venerandum multipliciter adjuvant rectè, ſanctéque philoſophantes. Viæ namque ſunt eis ad ipſum cognoſcendum, diligendum, & venerandum, & propter ipſum ſunt, quoniàm ipſe eſt finis ultimus, & unicus earum. Quapropter eis utendum eſt, ut vijs, quibus, & per quas venitur ad ipſum; nullo modorum autem abutendum eſt creatore, videlicet, ut ipſe via habeatur ad ipſas, & ille finis ad ipſum; quod indubitanter facit, qui propter eas, & non per eas diligit creatorem; propoſitio enim, quæ eſt propter deſignativâ, eſt finis, ſive finalitatis, illa verò, quæ eſt per deſignativa, eſt viæ, & mediationis. Iſto quoque modo calendi, ſive caloris, tantò vehementiùs calet ordo ſeraphim F creaturis ſenſibilibus, quantò puræ, & divinæ pulchritudinis, & bonitatis, abundantiorem, expreſſioremque ſimilitudinem accepit; & hoc eſt dicere, quia tantò amabiliores ſunt ſuâ ipſâ pulchritudine, & bonitate ſubſtantiæ illæ, quæ de ordine ſeraphim ſunt, quàm creaturæ quæcunque ſenſibiles, quantò donis illis duobus antedictis propenſius decoratæ. Quid autem jocunditatis, quid ſanctarum, ſpiritualiumque deliciarum habeant aſpectus earum, & alloquia, & omnis omnimodò appropinquatio earum ad homines, illi ſoli norunt, quibus datum eſt hoc ſentire, & earum frequentiâ gloriari. Apparet autem & hoc ex lege Hebræorum, & ſermonibus prophetarum, & potiſſimùm ex narrationibus miraculorum, & exemplis ſanctorum, qui apud gentem Chriſtianorum inveniuntur. Apparet etiam ex comparatione ſenſibilium ad ſpiritualia, ſi tamen aliqua comparatio eſt pulchritudinis, & bonitatis ſenſibilium, ad pulchritudinem, & bonitatem G ſpirituales. Si enim, quod nullatenùs tibi dubitandum eſt, ſuper omnem comparationem majores ſunt pulchritudo, & bonitas ſpirituales, pulchritudine, & bonitate ſenſibilibus, & hæ duæ utrinque, hoc eſt, in utriſque creaturis, hoc eſt, in ſpiritualibus, & ſenſibilibus, ſimul ſumptæ, ſunt ipſa amabilitas earum, erit amabilitas ſpiritualium ſuper omnem comparationem major amabilitate ſenſibilium, quare ſpirituales ſubſtantiæ incomparabiliter magis amabiles ſunt ſubſtantijs ſenſibilibus, & propter hoc evidenter incomparabiliter calentiores, ſive calidiores calore hujuſmodi. Scito & cum his, quæ præceſſerunt, quia lex, & doctrina Chriſtianorum expreſsè habet, quia ipſe Deus charitas eſt, id eſt, ipſa dilectio, quâ diligit: non enim alieno, vel ullo modorum adventitio, calore calet in ea, quæ diligit, ſed proprio, & eſſentiali, & in ultimitate gratiæ gratuito. Quòd ſi ſeraphim H ex officio intendens intelligitur, ipſe Dei filius, & legiſlator Chriſtianorũ iſtud officium ſe ſuſcepiſſe confitetur evidenter, dum dicit in eadem lege. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Ex iſto igitur officio ſeraphim rectiſſimè intelligitur ipſe creator benedictus. Et primò, ſicut prædixi, ex ipſa ultimitate pulchritudinis, & bonitatis ſuæ, ex quibus eſt fornax, & caminus incogitabilis ardoris, omnes illas ſpirituales militias exercituum antedictorum flammans, & igniens, ut audiviſti, propter quod cœlum ultimum empyreum nominatum non immeritò forſitan quis exiſtimet: empyreum enim valde igneum & ignitum interpretatur. Ardet enim totum cœlum illud ardoribus incogitabilis ſuavitatis, quemadmodùm clibanus ſuccenſus, cujus ſubſtantia nequaquàm ardet, ſed ligna in eo poſita: ſic non ipſa ſubſtantia cœli empyrei ardet, ſed illi ſancti & Deo

Deus eſt charitas.

Quomodò intelligitur ſathan fuiſſe inter lapides ignitos.

dilecti exercitus, qui in eo collocati ſunt. Veriſimile igitur dicitur ardens, quemadmodùm prædixi, ſicut clibanus ſuccenſus. Debes hîc reminiſci, quòd quidam ex Prophetis Hebræorum, ipſum Sathan inter lapides ignitos fuiſſe dixit; intelligens proculdubiò lapides ignitos illos ſanctos, ac beatos ſpiritus, non quòd tunc igniti eſſent illo ſancto, ac ſuaviſſimo ardore amoris, qui pars potiſſima gloriæ illius eſt, ſed ardore potiùs naturalis amoris, qui tantò in eis erat ardentior, quantò & majora beneficia, & magis ſe à creatore accepiſſe cognoſcebant, nihilominùs tamen, quod dicitur ignitos, ad aliud tempus referri convenienter, & rectè poteſt ſub hoc intellectu, inter lapides ignitos fuiſti, hoc eſt, qui nunc igniti ſunt, rectè enim intelligitur inter lapides ignitos fuiſſe, qui vel inter eos, qui igniti erant, vel qui nunc igniti ſunt, fuit. Et quoniàm omnes illi ſpiritus, qui de ordine Seraphim ſunt, rectiſſimâ, fortiſſimâque dilectione creatorem diligunt; neceſſe eſt, ut gloriam ejus totis ſtudiis, ac viribus quærant. Quare quoniàm pars potiſſima gloriæ ipſius eſt dilectio, quâ ipſe diligitur; neceſſe eſt eos totâ diligentiâ intendere ad hoc, ut creator ab aliis, prout dignum, & juſtum eſt, diligatur; quare neceſſe eſt eos invitare, & provocare ad dilectionem creatoris, & inducere modis, quibus eis poſſibile eſt, ad hoc, vel homines, vel Angelos etiam, ſi talibus indiguerint adjumentis. Hoc autem eſt apud eos, tanquàm ex officio incendere alios amore creatoris.

Quòd officium Seraphim eſt incendere amore creatoris.

Manifeſtum igitur eſt per hoc, quòd toti ordini Seraphim congruit ex officio dilectionis, quâ creatorem diligunt, incendere alios ad id ipſum. Jam igitur declaratum eſt tibi per me, quia duobus modis congruit creatori nominatio Seraphim, videlicet tam ex natura, quàm ex officio, & ex natura quidem duobus modis; ardet enim in ſe, quemadmodùm fornax, aut caminus ſpiritualis, aut vivifici amoris; ardet etiam in alios, quos ipſemet ſe diligere teſtatur in ſermonibus Prophetarum, & nihilominùs incendit ex miræ dignationis officio ſuſcepto, quo dixit ſe veniſſe ignem mittere in terram, & adjecit, quid volo, niſi ut accendatur? Tribus verò modis congruit ipſis ſanctis, ac beatis ſpiritibus, qui in ordine Seraphim conſtituti ſunt: & iſtos modos non eſt neceſſe, ut repetam tibi.

CAPUT CXXX.

Quare aliqua lumina ſcientiæ Cherubin ſupra Seraphin non deſcenderunt, & quomodo Angeli ejuſdem ordinis dicantur inæquales, deque cauſalitate dilectionis Dei.

NOminatio verò Cherubim, quâ plenitudo ſcientiæ, vel fuſio ſapientiæ intelligitur, in primis, & maximè congruit, ſeu cõpetit creatori, & appropriatè, ſicut audiviſti, Dei filio: ſanctis verò, ac beatiſſimis ſpiritibus, qui beati ſunt in illo ordine, quem Cherubin nominavi, ex abundantiſſima influentia ſapientialis luminis ex lumine primo; & per hanc communicata eſt ei denominatio iſta ab ipſo fonte luminis pleniſſimo, ac redundantiſſimo.

Quod Cherubim aliquibus luminibus ſapientiæ fuerit illuſtrati, quæ nõ deſcenderunt ſuper Seraphim.

Quòd ſi quis dicat, ſicut in præcedentibus audiviſti, quia non minori influentiâ inundavit ſuper Seraphim fons luminis, his, quæ ſuper hoc in præcedentibus dixi, adjicio nunc, quia nihil prohibet aliquibus luminibus ſcientiæ, vel ſapientiæ illuſtratos eſſe Cherubim, quæ tamen ſuper Seraphim non deſcenderunt; multi enim ſunt, atque immenſi, & inſcrutabiles theſauri ſapientiæ creatoris, & potuit aliquibus ex illis ditare Cherubim, quibus ex cauſa, quæ apud ipſum eſt, non placuit ditare Se-
A raphim, vel non eouſque, quemadmodùm manifeſtum eſt eum etiam feciſſe, & facere adhuc in hominibus; non enim eaſdem artes, vel ſcientias, vel eadem artificia omnibus largitur, ſed neque illis, quibus eadem tribuit, æqualia vult eſſe. Non enim omnes eandem ſcientiã, vel idem artificium habentes, in illa, vel in illo æquales sũt. Sic ſe habet & de virtutibus, omnibuſque donis, quibus genus humanum ornat, ac perficit. Veriſimile igitur eſt alicujus præclaræ, ac præeminentis ſapientiæ donatum fuiſſe munere Cherubim, quo forſitan non eſt donatum Seraphim; ſecundùm datum enim ſuum præbet illam diligentibus ſe, nec poteſt quiſquam conqueri ſibi factam injuriam, ſi non tantum ei datum eſt de lumine ſcientiæ, vel ſapientiæ, quantum alicui alij; quemadmodùm luna conqueri non poteſt, quòd non tantum luminis ei; quantum ſoli datum eſt: nec ſtella Mercurij conqueri poteſt, niſi injuſtiſſimè,
B quòd non ita ſplendet, ut ſtella Veneris. Menſurávit igitur creatór dona ſua beneplacito ſuæ optimæ, ac libertimæ voluntatis. Sic forſitan, & de Seraphim videatur alicui alicujus amoris privilegio obtinuiſſe nomen ardoris, & incendij: unus enim ardor amoris ſancti zelus eſt rectitudinis, quo multi ex Dei electis, & dilectis, aliis non minoribus præeminere videntur: non enim neceſſe eſt, ut quicunque major eſt zelator Dei, major ſit & amicus ipſius, quoniàm in aliis amoris ramis poteſt alius eſſe præſtantior; magis enim amicus videtur interdùm, qui magis amico compatitur, & magis, atque libentiùs miſeriam ejus aut ſupportat, aut conſolatur, eo qui irrogatam amico injuriam acriùs vindicat; plerunque etiam ex propenſione beneficentiæ magis amici judicantur: nonnunquàm verò ex negligentia, vel ſuſtinentia damnorum, quæ pro amicis incurrunt, juxta ſermonem ſapientis, quo dictum eſt. Qui negligit damnum propter amicum, hic juſtus eſt. Hæc autem omnia induxi tibi, ut intelligas ſermonem
C ſancti, ac ſapientis iſtius, qui dixit, ordines ejuſdem hierarchiæ æquales eſſe. Quemadmodùm enim præeminentia in uno dono, vel arte, vel artificio, æqualitatem in bonitate, vel in amicitia, ut dixi, non prohibet apud homines: ſic forſitan neque ibi, quia quod minus habet unus ordo in aliquo donorum, ſuppletur ei in præeminentia doni alterius; ſicut quod minus habet in zelo rectitudinis, ſuppletur ei in propenſione, & amplitudine cõpaſſionis. Nihil prohibet igitur ordinẽ Seraphim, & ordinẽ Cherubin, æquales eſſe in totalitate ſuæ perfectionis, & multiplices inæqualitates habere, atque præeminentias, ſive differẽtias in partibus illius. Hoc etiam iſte ſãctus & ſapiens dixit; quia in ipſis ejuſdem ordinis ſpiritibus multiplex eſt inæqualitas; inter ipſos verò
D primos tres ordines, quantùm ad totalitates ſuas, æqualitas, & adduxit exemplum de una, & eadem anima humana, dicens: quia in ipſa quantùm ad vires, & perfectiones ſuas, invenitur multiplex inæqualitas: & propter hoc viſum eſt ei non poſſe eſſe mirandum, ſi in uno, & eodem ordine, in quo innumerabilia millia beatorum ſpirituum ſunt, invenitur multiplex differentia, & inæqualitas, nec habet parvam admirationem iſta inæqualitas quæ ponitur in partibus ad invicem: in totis autem æqualitas: qualiter enim ejuſdem ordinis ſunt ſi inæquales ſunt? Et reſpondeo in hoc, quia non omnes ejuſdem exercitus bellatores æqualis fortitudinis, aut dignitatis eſſe neceſſe eſt, ſed neque ejuſdem aciei; ſic neque ſtellas ejuſdem ſigni, aut ejuſdem altitudinis, à terra, æquales eſſe oportet, licet ejuſdem ordinis ſint in ſitu, & poſitione ſua; alia enim differt ab alia in claritate, & quantitate, & forſitan in virtute, ſi virtus eſt eis juxta poſitionem aſtronomo-

Qualiter ſtat, quod Angeli inæquales ſint ejuſdem ordinis.

rum cujus exemplatibi ſunt præ oculis. Vix enim in aliqua conſtellatione habente plures ſtellas, quàm quatuor, inveniuntur tres æquales ſplendore, vel magnitudine, quanquàm ejuſdem ordinis ſint in altitudine, id eſt, in elongatione ſui à terra, vel à medio cœli, quod eſt medium mundi. Si quis autem dicere voluerit, quia ſapientia Cherubim non minor eſt, neque minùs accepta creatori, quàm charitas Seraphim; quemadmodùm ſapientia filii non minor eſt ullo modorum, quàm charitas Spiritus ſancti, ſive quæ eſt Spiritus ſanctus; & quia quemadmodùm ſe habet veritas ad veritatem, ſic ſimilitudo ad ſimilitudinem, vel exemplum ad exemplum, ſive ſignaculum ad ſignaculum, & propter hoc, cùm Seraphim, & Cherubim Spiritus ſancti, & filii imagines quædam, & ſignacula expreſſiſſimæ ſimilitudinis illorum ſint; neceſſe eſt, ut ſicut eſt æqualitas veritatis ad veritatem, id eſt ſapientiæ, quæ eſt filius ad charitatem, quæ eſt Spiritus ſanctus; ſic ſapientiæ, quâ illuſtratus eſt Cherubim, ad charitatem, quâ ardet Seraphim, neceſſe eſt æqualitatem eſſe per omnia. Non improbo ſermonem iſtum, quamquàm apud nos longè aliter ſit; hoc autem eſt, quoniàm ſapientia apud Cherubim, ſive in illo, non ſolùm viva eſt, ſed etiam vita, vita inquam beata beatitudine completâ: & propter hoc actus in ultimitate perfectionis ſuæ. Apud nos autem eſt habitus ſopitus, ſeu dormiens, excitatione, & evigilatione indigens ad hoc, ut exeat in actum ſuum, hoc eſt, ut operetur operationem ſuam, & eſt fortiſſima, & inſeparabilis unio, ſive unitio intellectus ipſorum Cherubim adprimum, & ſapientiale lumen. Apud nos autem non ſic, quin potiùs admodùm tenuis aſpectio luminis illius propter multiplices tenebras, quibus involvimur, & deſipientiam palati cordis noſtri, qua de febre originalis corruptionis inceſſanter nobis bona vel malè ſapiunt, vel minùs bona, quàm bonitas eorum requirat. Quòd ſi dixerit quis ipſam charitatem ſimiliter ſe habere apud nos propter eandem cauſam, deſipientiæ ſcilicet ſpiritualis, quam ex naturali corruptione, ut prædixi patimur. Reſpondeo in hoc, quia charitas, quâ in hac vita creatorem diligimus, licet penè torpor ſit, & quaſi modicus igniculus comparatione perfectionis, quam ne dicam in beatiſſimis, ac ſanctiſſimis Seraphim, ſed etiam in animabus humanis, jam glorificatis, & habet & habitura eſt, immediata tamen eſt ad ipſum creatorem: & intendo immediationem iſtam, ſive conjunctionem abſque medio, quòd ea, ſive per eam, creator benedictus hîc diligitur: & intendo, quia per ſemetipſum, & propter ſemetipſum. Quapropter mens humana dilectione hujuſmodi unitur ei, quaſi ad nudum, & non ſub operimento, neque per ſemetipſam cognoſcitur hic, niſi à rariſſimis atque pauciſſimis, & eximio ſplendore prophetico illuſtratis: ſicut dicitur in lege Hebræorum de quodam Propheta, quia Deum facie ad faciem videbat, & ei non per viſiones & ſomnia loquebatur: & de aliis quibuſdam in utraque lege, Hebræorum ſcilicet, & Chriſtianorum, ſcriptum eſt. Sed egregius iſte ſplendor rariſſimorum, ut dixi, atque pauciſſimorum etiam Prophetarum eſt. Creator autem benedictus non videtur hîc per ſe, neque ad nudum, ſed quaſi ſub operimento, & nube univerſi: quemadmodùm ſcilicet ſub nube denſiſſima; & ſicut anima humana non videtur, neque cognoſcitur ad nudum in corpore, ſed ſub operimento corporis per motum, & alias operationes, quas exercet in illo, & per illud quodammodò videtur, atque cognoſcitur: ſic creator ſublimis per ipſam mundi gubernationem, atque

E per operationes, quibus mundum adminiſtrat, & regit, intelligibiliter cognoſcitur. Hoc modo forſitan, dicet aliquis, ſubſtantiam, quæ ſuſtinet decem prædicamenta ſub operimento, & circumveſtitione, accidentium ſenſibilium videri, vel cognoſci: & de his exemplis ſunt ſermones authentici multi in legibus prædictis, in lege quippe Chriſtianorum, & doctrina præcipua evidenter legitur. Quia videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem, hoc eſt, in ſtatu gloriæ, videmus facie ad faciem, & alius iterùm ſermo in libro eodem. Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt viſibilia, intellecta, quod eſt dicere, intus lecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus ejus, atque divinitas: & alius iterùm ſermo de hoc eſt. Videbimus eum, ſicuti eſt, creatorem ſcilicet, non eſt igitur mirandum, ſi melior eſt charitas, quâ creator à ſanctis, & electis ſuis in hac vita diligitur, quàm ſa-
F pientia, quâ ab eiſdem in eadem vita cognoſcitur, cùm charitas eouſque approximet, ſeque ipſam, & diligentes ipſum, abſque medio ei conjungat, & uniat: prædicta autem ſapientia, quaſi foris ſtans, ad fores ſcilicet creaturarum, ſive pro foribus, ad ipſum nullatenùs attingat. Adjuvatur autem ſermo iſte probatione, ut videri tibi poteſt, validâ, & irrefragabili, quam tibi ponam hîc: ſi enim non minùs beata, aut minoris gloriæ erit in ſtatu illo perfectionis ultimæ vis noſtra apprehenſiva nobilis, quàm vires, ſi duas vis ponere motivas, videlicet concupiſcibilis, & iraſcibilis, ſuperiores, quales igitur erunt beatitudines virium iſtarum? Quare ſapientia illa, ultimæ ſcilicet illuminationis, non minor futura eſt, quàm charitas illius ultimi, ac ſu-
G premi ardoris. Ampliùs. Cùm non minor ſit ullo modorum pulchritudo, ac luminoſitas, quàm bonitas ejuſdem, neque minor, aut minùs conveniens conjunctio viſus interioris noſtri ad illam, quàm virtutis noſtræ concupiſcibilis nobilis ad bonitatem ipſius; non minor igitur erit delectatio, nec minus gaudium ullo modorum prædictæ noſtræ virtutis apprehenſivæ, quàm prædictæ motivæ; quare nec minor beatitudo. Manifeſtum igitur eſt tibi ex his, quia nihil prohibet ſapientiam Cherubim æqualem eſſe charitati, ſive dilectioni, quâ ardet Seraphim, nec minor eſt alterius applicatio, ſive conjunctio, ſive unio ſpiritualis, & gratiæ alterius ad creatorem, quàm alterius.

Quòd apud nos charitas & dilectio magis accepta eſt Deo quàm ſcientia.

CAPUT CXXXI.

De ratione denominationis, ſeu cognominationis, & deſignationis thronorum.

H THronorum verò cognominatio, deſignatio eſt ſtabiliſſimæ quietis, & regalis magnificentiæ, ſeu gloriæ, quibus ſedet firmiter, & imperturbabiliter in ipſis ſanctiſſimis ſpiritibus, qui throni cognominati ſunt. His enim eſt in regali gloria, & magnificentia creatoris tantum gaudium, tamque pacata quies, ut eum inſtar ſedis aut throni portare videantur; intuentes enim ipſum Regem dominantiſſimum ſæculorum in regali gloria ſua, quæ non eſt ei ullo modorum adventitia, ſed nativa, eſſentialis, non gaudere, non gloriari incogitabiliter nullatenùs poſſunt, nullatenùs eidem inſeparabiliter, & inconcuſſibiliter non adhærere, & ſubſervire. Non enim parva gloria eſt Regem ſuum in tanto decore, & gloria inceſſanter videri; præſertim ab eis, qui eum incogitabiliter diligunt, qui ei ſervire veriſſimè, ac beatiſſimè, regnare eſſe lucidiſſimè cognoſcunt, qui Regi ab eodem gloriam ſupermun-

Digitized by Google

ſupermundanam, & inæſtimabilem eſſe ſciunt; & propter hoc de poteſtate ejus regia, & de regali ejuſdem ipſius gloria, ſuper omnem noſtram æſtimationem, & cogitatum gloriantur. Propter hoc igitur in eis, & decore regio, ac gloriâ quieſcere meritò dicitur Rex dominantiſſimus, Rex ſæculorum omnium. Ponatur autem exemplum tibi trium iſtorum ſanctiſſimorum ordinum in tribus puellis, quarum matrem novi, & fratrem unum. Prima earum mirabiliter gaudebat de poteſtate creatoris, ſecunda de ſapientia illius, tertia de bonitate ipſius. & incredibiliter ſibi complacebant in illis; quid ergo mirum, ſi tres illi beatiſſimi ordines ex ſenſu, & fruitione creatoris gaudent, & gloriantur, ſibique eouſque complacent in illis, ut inde & luminoſi, & glorioſi ſint, quando tres illæ puellæ ex tenui, adumbrataque conſiderationeillarum tanto gaudio perfundebantur. Et jam dixi tibi, quia poteſtas creatoris non eſt conſideranda, vel recogitanda, ut informis, ſive materialis, vel irrationabilis, quin potiùs, ut viva ſapientia, luminoſiſſimaque, & per modum omnem in ultimitate formalitatis decora; quapropter nullo modorum minus beatificans thronos ſanctiſſimos, qui appropriatâ intentione ei adhærent, atque ſuperſerviunt, eamque intuentur, quàm bonitas beatiſſimos Seraphim, aut ſapientia luminoſiſſimos Cherubim. Hæc igitur de tribus ordinibus iſtis, & cognominationibus eorum, ita dicta tibi ſunt juxta poſſibilitatem meam.

CAPUT CXXXII.

De duabus novis denominationibus, Cherubim ſcilicet, & Seraphim: & quare iſti ordines dicantur pennati, & oculati.

ALias quoque nominationes duas adjecit duobus primis ordinibus, & Theologus iſte vocans Cherubim, & Seraphim, oculoſos, atque pennoſos ordines, quas indubitanter à Prophetis Hebræorum accipere potuit, vel etiam accepit. Plena enim oculis ante, & retrò, atque intus, & foris ſcripſit animalia quidam ex Prophetis Hebræorum. Oculi autem non poſſunt intelligi in ſanctiſſimis, ac beatiſſimis ſpiritibus, niſi indita, vel inſita eiſdem ſapientialia lumina, & multò magis propriè ac verè lumina hujuſmodi oculi dicenda ſunt, quàm inſtrumenta videndi, ſi ad cauſam videndi per ſe reſpexit Propheta corporaliter; magis enim propriè videmus viſu, quàm oculo, ſic & hujuſmodi luminibus magis vident, & magis propriè viſione ſpirituali prænominati ſpiritus, quàm nos videamus oculis viſione corporali. Scito ſecundò, quia lumina iſta ſive naturæ ſint, ſive gloriæ magis infixa ſunt eis, & magis inſeparabiliter adhærentia, hoc eſt, longè difficiliùs ſeparabilia, quàm oculi corporales à nobis; & convenienter oculoſi, & pleni oculis dicti ſunt Cherubim, propter plenitudinem luminum iſtorum, quam ipſa eorum cognominatio ſonat expreſsè. Ante verò, & retrò plena oculis dicta ſunt propter plenitudinem ſapientialis cognitionis eorum, quæ ſunt ante, id eſt, ſpiritualium, & æternorum, & eorum quæ ſunt retrò, id eſt, corporalium, & temporalium, vel eorum, quæ ſunt ante, id eſt, quærenda, vel eligenda, & eorum, quæ ſunt retrò, id eſt relinquenda, vel poſtponenda. Juxta hunc modum plena oculis intus, & foris, propter plenitudinem ſcientialium luminum, quibus ad lucidum intuentur interiora, & exteriora, & ſunt ſpiritualia, & temporalia, vel interiora ſua, hoc eſt, naturalia ſua, ſive eſſentialia, & exteriora ſua, hoc eſt, advenientia à foris ex prælarga beneficentia creatoris ſibi adventitia. Et intende, quid in ſe, vel ex ſe ſint, & quid in ſe, vel ex ſe habeant, plenè cognoſcentia; item & quanta, & qualia ex munificentia creatoris acceperint, jugiter conſiderantia. Juxta hanc viam intelligere debes illud, quod dicitur, in circuitu plena oculis; hæc enim plenitudo non eſt, niſi luminoſitas circumſpectionis, quâ ea quæ ſupra ipſa ſunt, & poſt ea, & circa ipſa, circumſpectè conſiderant animalia illa beatiſſima, & qualiter erga unumquodque illorum ſe habere debeant, qualiter illis, vel frui illâ oporteat ſapientialiter, plenéque cognoſcunt. Quòd ſi quis circuitum iſtum oculorum eorum præſentium, & futurorum, circumſpectionem intelligat; eorum inquam prætetitorum, atque futurorum, & præſentium, quorum ſapientiali cognitione illuſtrata intelliguntur; non eſt errare putandus.

CAPUT CXXXIII.

Quòd non ſolùm duo ordines Cherubim, & Seraphim, pennoſi, & oculoſi dicuntur, verùm etiam cæteri.

PEnnoſos verò ordines ſublimes illos ſpiritus, qui de ordine Seraphim ſunt, vocaſſe videtur iſte ſanctus & ſapiens, & accepiſſe hoc ex ſermone Prophetæ, qui dixit. Quia Seraphim ſtabant ſupra templum, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, & quia duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant: & ex ſimili, quod alius Propheta dicit, quòd unum duabus alis corpus ſuum tegebat, & alterum ſimiliter velabatur. Sciendum tamen eſt tibi, quia iſte ſanctus Propheta illa animalia nominat Cherubim. Et propter hoc non ſoli Seraphim pennoſi ordines intelligendi ſunt; quin potiùs, ſi diligenter conſideres, omnes illæ ſublimes ſubſtantiæ pennoſæ ſunt, & etiam oculoſæ; licet iſta duo ordinibus Seraphim, & Cherubim, appropriatâ quadam ſignificatione attribuantur: pennæ enim in eis intelligi non poſſunt niſi dona virtutum, & gratiarum, quibus abſque omni terreno fulcimento, & adminiculo ſtant in ſublimi beatitudinis ſuæ; hæc enim eſt propria virtus una, ſive proprietas, ex multis virtutibus, & proprietatibus: Pennæ autem ſublimes ſunt in eis virtutes, & gratiæ antedictæ, & ad terrena, & inferiora per ſe nullatenùs intendentes, neque inclinabiles inclinatione, quâ declinent hujuſmodi ſpiritus à ſublimitate fœlicitatis ſuæ; quamvis enim interdùm ad exteriora, vel inferiora officia juſſu creatoris veniant, ab initio tamen, & ſublimi veræ contemplationis ſuæ, nec exeunt, nec recedunt: & hoc declarabitur tibi in ſequentibus, alioquin inæſtimabile detrimentum, ſeu damnum ex juſſu creatoris, & obedientiæ ſuæ bono incurrerent, quoties huc mittuntur, ſi fœlicitas illorum, & gloria, vel ad momentum interpellaretur. Quod apparet ex ſermone Prophetæ dicentis ad ipſum creatorem: Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia: In quo ſermone intellexit ſuper infinita millia dierum aliorum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam non eſt comparatio fœlicitatis diei unius gloriæ illius ad quotcunque millia fœlicitatis vitæ præſentis. Et hoc jam declaratum eſt tibi per me etiam generaliter, bonorum præſentium ad bona illa futuræ gloriæ nullam omninò eſſe comparationem. Quòd ſi unius diei gloriæ illius ad millia præſentis quantæcunque fœlicitatis non eſt comparatio; ergo nec unius horæ gloriæ illius ad quotcunque infinita millia præſentis fœli-

Digitized by Google

citatis; ſi enim unius horæ eſſet, comparatio ad illam, cùm uniuſcujuſque horæ ad diem ſuum comparatio certa ſit, eſſet & unius diei ad eandem. Omnium enim duorum ad invicem comparabilium, ſive proportionem ad invicem habentium, ſi alterius eſt proportio ad quodcunque tertium; erit & reliqui ad idem tertium: eodem modo ſe habet & de quacunque particula. Quantacunque igitur particula diei interrumpatur gloria uniuſcujuſque ex iſtis ſanctis, ac beatis, ſpiritibus, inæſtimabile damnum, ſeu detrimentum gloriæ illius incurreret, & propter hoc incogitabiliter damnificarentur pariter, atque miſerabiliter, illi, qui continuè cum hominibus commorantur, quemadmodùm illi, qui in ſermonibus Prophetarum principes regionum, atque provinciarum vocati ſunt. Taceo de his, qui aſſiduè cum hominibus ſunt familiaritate jocundiſſimâ ſive cuſtodiâ ſaluberrimâ, de quibus audies in eis, quæ dicentur tibi poſt hæc.

CAPUT CXXXIV.

Quòd virtutes, & dona ſubſtantiarum hujuſmodi rectè pennæ, ſive alæ quadruplici ratione vocatæ ſunt.

Revertar autem ad id, in quo eram, & dicam, quia virtutes, & dona ſubſtantiarum hujuſmodi rectè pennæ nominatæ ſunt, ſive alæ. Primùm propter vim velociſſimè ſuſtentativam, ut dixi: deinde propter vim velociſſimè motivam, eſt enim volatus apud nos in animalibus velociſſimus. Tertiò propter parilitatem, ſive æqualitatem, quæ naturaliter invenitur in alis; non enim ſic eſt in pedibus, aut in manibus etiam noſtris; dextera enim manus in hominibus, & dextrum brachium, fortitudine, & agilitate excedunt ſiniſtram manum, & ſiniſtrum brachium, ferè in omnibus hominibus. In pauciſſimis enim econtrariò invenitur. Quartò propter ſocietatē, quæ eſt inter alas ad invicē in operatione ſua, non enim movet volatile, cujus eſt altera ſine altera: & ita ſe habebunt in virtutibus, & donis hujuſmodi ſubſtantiarum, quia ſocietas & pax abſque ulla rebellione, & reſiſtentia eſt inter eas, omnes ſe invicem adjuvant, tanquàm conſortes fideliſſimi in motibus, & operationibus ſuis.

CAPUT CXXXV.

Quòd aſſignatio hujuſmodi pennarum, & alarum à Prophetis variè enarrata nihil aliud eſt, quàm veritatis figuratio, ſeu virtutum earum declaratio.

Nec te conturbent antedicti ſermones Prophetarum, quibus penè contrariæ ſunt operationes, attributæ ſunt alis, & pennis: velatio enim & volatus antedicti contraria ſibi invicem eſſe videntur operationes, & alter eorum non facit mentionem expreſſam de volatu animalium illorum, ſed inſinuationem modicam tantùm, audiebam inquit ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, in quo inſinuat indubitanter motum alarum. Ampliùs Ambulaſſe dicit animalia illa, cùm ambularent, inquit, animalia. Scito igitur, quòd in viſione fiebant iſta, in cujus expoſitione ſapientiſſimi Hebræorum laboraverunt, nec adhuc cauſam inveniſſe eos pervenit ad me, ſimiliter & alterius Prophetæ narratio, quâ dixit quia duabus alis velabant faciem creatoris, & duabus velabant pedes ejus, duabus autem volabant. Ampliùs. Iſte

E poſuit ſex alas utrique Seraphim evidenter, iſte autem non poſuit Cherubim, niſi duas: iterùm poſuit uterque Cherubim, corpus, de quibus conſtat, quia incorporei ſpiritus ſunt, & corpora non habentes. Apparet igitur tibi, quia ſermones iſti ſermones viſionis ſunt, & figurati, veritatem ipſam rerum, & eſt ſecundùm planum ſuum nullatenùs deſignantes, per ſimilitudines & figuras, longè aliud, quàm ſecundùm planum ſignificantes. Ego verò non intendo tibi, in hoc tractatu exponere viſiones illas; quia grandem, atque profundum, & ſuper poſſibilitatem meam tractatum exquirunt. Adjuvabo te tamen ad hoc, ut nonnullum ingreſſum habeas ad iſta, quæ tam profunda, tamque obſcuratè nobis clauſa videntur: & ex magna parte ſunt Dico igitur, quia ſecundùm ultimam intelligentiam ſuam inter ſermones non eſt contrarietas Prophetarum iſtorum, licet ſecundùm planum contrarij videantur, ſapientum autem Hebræorum opinio eſt eandem veritatem ſub eſſe duabus viſionibus
F illis, & idem vidiſſe ſub diverſis ſignis Prophetas illos. Manifeſtum enim eſt tibi ſpirituales ſubſtantias nec alas habere, nec corpora, neque pedes, cùm tamen aliter iſtorum dicat, eorum pedes recti, & planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli, nec dubitandum eſt tibi ipſos Prophetas hoc ſciviſſe; ſed aliud quàm ſecundùm planum ſuum figuræ illæ continerent, eiſdem per ejus figuras figuratum fuiſſe.

CAPUT CXXXVI.

Quot modis, & quibus de cauſis illæ beatiſſimæ ſubſtantiæ ex Deo exire, & in eundem reflecti, ſeu redire intelliguntur, & de ratione communicationis denominationum.

G Ordini verò, thronorum adjecit ſecundam cognominationem, vocans illum deiferum, Seraphim igneum, & Cherubim luminoſum propter antedictas cauſas, ordinem verò Thronorum, deiferum, attendens intentionem throni, & officium per quod eſt thronus, & hoc eſt portare, vel ſupportare ſedentem, cujus nonnullum exemplum invenitur apud nos. Portari enim ſe faciunt ſive ſupportari à familiaribus ſuis interdùm reges magni apud nos: & hoc non ad infirmitatis ſubſidium, nec propter caſus, ſive cadendi metum, ſed potiùs ad honoris obſequium: ſic veriſimile eſt propter aliquem, ſi ita cogitare fas eſt, hujuſmodi famulatum thronos deiferos prædictos, prædictum ordinem nominatum Cherubim quoque Dei nidum ex aliqua præcellentia, ut prædixi, quâ vel Deum, vel
H ex Deo ſublimius videt, hoc eſt, ſicut ante dictum eſt, ex aliquo ſapientiali lumine, quo cæteris præfulget. Hæ igitur ſunt nominationes, quibus nos volunt, quantùm ſatis fuit, facere cognoſcere ordines illos ſacratiſſimos ſapiens, & ſanctus ille. Sacros autē principatus, ſive hierarchias omnes ordines nominat, non tam propter poteſtativa officia, quæ habent in ſubditos, ſed quia inter ſubſtantias creatas principatum nobilitatis obtinent. Et intendo principatum eminentiam, ſive ſupereminentiam ejuſdem, Prophetam verò, qui viſionem rotarum ſcripſit, eaſdem ſubſtantias rotas intellexiſſe non improbabiliter forſitan neque inconvenienter opinabitur aliquis: ſi quis enim naturam earum perſcrutatiùs conſideret, videbit ſpiritualiter eam circularem, atque rotabilem; intentio enim circuli eſt exitus ab uno, & reverſio, ſeu reflexio ad ipſum. Tales autem natæ ſunt beatiſſimæ illæ ſubſtantiæ, ut totum, quod ſunt, ſicut ex Deo exeunt, totum reflectant

Digitized by Google

reflectant in eundem: & intendo in reverſione, ſeu reflexione iſta totalem converſionem ad ipſum, totum enim quod ſunt. totumque, quod habent ab eo, & ad ipſum, & ſunt, & habent; quemadmodùm enim rectitudo eſt exitus purus, id eſt, ſine retroceſſione, ſeu reverſione totaliter, ſic rotunditas exitus eſt cum totali reverſione. Vocatæ autem ſunt iſtæ rotæ volubiles, audiente Propheta, ſicut iſte teſtatur, quia omnis motus earum ſpiritualis revolutio eſt, & reverſio ad ipſum principium, à quo operantur; & hoc eſt ſecundùm duos modos, primo videlicet, ſecundùm intentionem; & hoc eſt dicere, quoniàm ſicut ab ipſo, ſive ex ipſo creatore totaliter operantur; ſic & propter ipſum, ſecundo per virtutem gratitudinis: ſicut enim totum & quod ſunt, & quod habent, ex gratuita bonitate creatoris, & ſunt & habent; ſic totum per virtutem gratitudinis ei attribuunt, & per gratiarum jugem actionem, ſeu collaudationem totum in ipſum reflectunt, ſive refundunt. Poteſt & tertio modo rotunditas, ſeu circulatio iſta intelligi, videlicet in hoc, quia totum quod ſunt, totumque quod habent, non ſibi ipſis ſunt, vel ſibi ipſis amant, ſed creatori benedicto, cui totum ſunt quod ſunt, & totum vivunt quod vivunt, in nullo autem ſibi, ſcientes hoc eſſe rapinam damnabilem, ſi quicquam de toto eo, quod ſunt, vel quod habent, ſibi appropriarent, vel ſuum eſſe quodlibet modorum arbitrarentur. Cùm enim totum ſciunt ſe debere creatori, totum eidem reddunt, non ſolùm attribuendo illi; ſed etiam totum convertendo in obſequia honoris, & gloriæ illius; fur enim, & raptor eſt omnis, qui quod debet, ſuum dicit, vel utitur tanquàm ſuo. Cogita igitur diligenter in ſermone hoc, quòd rotæ iſtæ audiente Propheta vocatæ ſunt volubiles, non ſolùm natæ ſic volvi ut dixi, ſed etiam per rotam illam, hoc eſt per rotam influentiam donorum, & gratiarum, quibus à creatore illuſtratæ ſunt, & repletæ, inceſſabili revolutione rotatæ. Quòd ſi rotas iſtas cœlos corporales mobiles quis intelligere conatus fuerit, occurrent ei difficultates difficillimè explicabiles, & forſitan nullo modo intelligibiles cùm rotis iſtis oculos poſuerint: qui enim oculis cœlis iſtis confingi poſſunt, niſi forſitan quis exiſtimet eos animalia eſſe, & animabus nobiliſſimis animatos eſſe, animaſque iſtas oculos eorum intelligere, velit: quomodo ergo rotæ iſtæ intelligentur quatuor? Cùm jam declaratum ſit cœlos mobiles plures eſſe, quàm quatuor, & iterùm, qualiter intelligetur. rota eſſe in medio rotæ juxta ſermonem Prophetæ iſtius? quod enim cœlorum mobilium dici poteſt in medio eſſe cœli alicujus? Si verò hoc ipſum quis mihi objiciat, quomodò videlicet aliquis ex hujuſmodi ſpiritibus poſſit eſſe in medio alicujus alterius: reminiſci debes, quia jam feci te ſcire hoc declaratione, quâ fuit mihi poſſibile. Reminiſci etiam debes ſermonis ſapientis, quo dixit, quia in ſapientia eſt ſpiritus ſapientiæ, qui omnes capiat ſpiritus intelligibiles, qualiter autem capiat eos. ſi illos non continet, & intra ipſum non ſunt? & quoniàm, ſicut jam dixi tibi, non ſuſcepi exponendam viſionem illam, neque aliam revertar ad id, in quo eram, & proſequar capitulum iſtud de ſanctiſſimis iſtis, ac beatiſſimis ſubſtantiis, & dicam, quia dominatio, & dominus nominatio eſt propria ſublimitatis, & præcellentiæ creatoris. Communicata autem eſt quarto ordini ex ea cauſa, quam prætergi tibi, videlicet quia in eis præfulget evidentiùs, quàm in cæteris ordinibus, hoc autem eſt, vel propter altiſſimam ſubjectionem ipſorum, quâ apparent in ultimitate

A ſubjectionis ejuſdem eſſe ſubditi, vel quoniàm ad illam manifeſtandam, videlicet dominationem creatoris, ſpecialiter intendunt, vel quia dominationis neque rem, neque nomen, in aliis ferunt, quin, quantùm permittuntur, utrunque ab omnibus aliis exterminant, & excludunt, tanquàm nomen ipſius domini, & dominationis, & res ipſa utriuſque; in alio ferenda non ſit, ac ſi ſit graviſſima injuria, & contumelia creatoris, omni igne, & gladio perſequenda: quemadmodùm igitur in ipſa lege Chriſtianorum legitur, quia qui ſe humiliat exaltabitur; ſic & iſte ordo beatiſſimus altiſſima humilitate ſubjectionis obtinet nomen, & honorem dominationis, veriſſimè namque dominari in omni ſubſtantia intelligente non eſt, niſi veriſſimè; ac perfectiſſimè, domino ſæculorum ſubjectum eſſe: quemadmodùm enim verus eſt ſermo ſapientis, quo dixit, qui timet Deum, nihil trepidabit, ipſo B enim timore Dei ab omnibus aliis ſecurus eſt, ſic perfecta ſubjectione ad eundem ab omnibus aliis ſubjectionibus adeò liber eſt. ut nihil in eo poſſint quæcunque alia quantùm ad ſubjectionem: non enim dominari quærunt ſanctiſſimæ illæ ſubſtantiæ cuiquam earum ſubſtantiarum, quæ Deo voluntariè ſerviunt, quin potiùs omnibus ſubſervire paratiſſimæ ſunt. Propter hanc igitur ſubjectionem nobiliſſimam adeò venerabiles effecti ſunt, ut dominationes nominentur, apud nos etiam uſitatiſſimum eſt perſonas venerabiles dominos vocare. Juxta modum iſtum princeps, & principatus creatoris ſunt propriæ nominationes, ſed per præfatum modum quinto ordini attributæ, qui euſque ab eo ſolo ſe regi gaudent, & gloriantur, adeò Dei principatum ſuper ſe diligunt, & illum dilatari, & extendi in alios cupiunt, & quantùm eis permittitur, vel injungitur. enituntur, ut nomen principatus Dei non immeritò obtineant, quaſi ab eo, quod in ſe & maximè diligunt, & maximè obtinent: & C etiam aliis cupiunt, nomen iſtud habentes: ſic poteſtas, cùm per proprietatem excellentiæ ſoli creatori conveniat tanquàm eſſentialiter, & per ſe, in ſextum tamen ordinem bonorum ſpirituum tranſlata eſt, ipſe enim ſolus eſt verè & eſſentialiter poteſtas, ab omni impotentia, difficultate, prohibitione, & impedimento, in ultimitate elongationis longè, contra quem nihil rebellare, nihil erigere ſe niſi ad gloriam. & victoriam ipſius poteſt; nominationem igitur iſtam huic ordini, ſexto videlicet, communicavit, quia contra omnem rebellionem, contra omne, quod adverſùs ipſum extollitur ordinem iſtum adeò potentem efficit, ut neque reſiſtere ei valeat, neque ex adverſo ſtare. Ipſi etiam homines. qui poteſtates apud nos dicuntur, ad D hoc utique conſtituti ſunt, ut inimicos reipublicæ, vel comprimant vel exterminent, viribus, & armis; nec dubitandum eſt tibi, quin poteſtatem creatoris incogitabiliter diligant; & ſupra, quam cogitare poſſumus, de eadem glorientur. Virtus quoque non eſt tibi dubium, quin propria, & eſſentialis nominatio creatoris ſit, præſertim ſecundùm intentionem præſentem, cùm ipſe ſit, qui facit mirabilia ſolus: hanc ergo nominationem ſeptimo ordini communicavit, quem ea virtuoſitate extulit, ut dixi, ut miniſterio eorum operetur opera admiratione digniſſima, quæ uſualiter miracula nominantur, quibus virtus ejus ſingularis oſtenditur, & ipſi per quos talia fiunt, miniſtri ejus fideliſſimi appareant, propter quod & eis creditur, & obeditur in his, quæ ad gloriam pertinent creatoris. Iſti ergo ſeptem ordines nominationum ſuarum has videntur habere cauſas & rationes, quantùm ad præſens capio. Si quis autem dixerit, quia in omni

palatio regali, ſeu comitatu regio inveniuntur perſonæ honorabiles, quarum aliæ vocantur purpurati, aliæ rogati, aliæ anulati, aliæ fibulati, aliæ mitrati, pro varietate dignitatum ab ipſis ornamentis ſuis, quibus propter dignitates hujuſmodi decorantur: ſic in præclara aula illa, atque civitate regis, & dominatoris ſæculorum omnium, pro varietate dignitatum, & officiorum nominationibus hujuſmodi deſignavit beatos illos, & ſublimes ſpiritus ille, qui illuc raptus per viſionem illos cognovit, quemadmodùm etiam magiſtratus, & ſeniores populi, ſcribæ, & judices, cæterorumque officiorum, & dignitatum homines, nominibus officiorum, & ipſorum officiorum varietate, apud nos diſtinguuntur, & diverſantur, ſic & ibi.

CAPUT CXXXVII.

Quòd Angelorum, & Archangelorum, duo ſunt ordines, ſecundum quod ad majora, aut minora nuncia, ſeu officia Dei diriguntur.

VErum Angelorum, & Archangelorum qualiter duos ordines eſſe poſſint, quæſtionem habet. Et primo, quoniàm neque Angeli, neque Archangeli ſunt, niſi majores nuncij, vel minores, & omnes iſti videntur eſſe de aliis ordinibus, quoniàm inde videntur mitti: quemadmodùm unus ex Prophetis dixit, quia volavit ad me unus de Seraphim, & tetigit labia mea. Ampliùs. Archangelus Raphaël dixit de ſeipſo, quia ipſe erat unus de ſeptem, qui aſtant ante Deum, quo ſermone indubitanter inſinuatur ipſum eſſe de majoribus, ac ſuperioribus. Ampliùs. Secundùm legem, ac fidem Chriſtianorum cùm verus Dei filius, & verus Deus miſſum ſe toties dixerit in mundum, quali comitatu credendus eſt veniſſe in mundum? nunquid de ſolis inferioribus ordinibus, & ignobilibus comites habere voluit? Ampliùs. Quis rex proficiſcens ad maxima regni ſui negotia non majores, ac ſapientiores domus ſuæ ſecum ducit? Manifeſtum autem eſt, quia de ſuperioribus ordinibus ſunt majores, & ſapientiores inter hujuſmodi ſpiritus. Conſequens igitur eſt illum de ordinibus ſupernis congruentem gloriæ ſuæ; & qui deceret honorem ſuum, inde comitatum aſſumpſiſſe. Quòd ſi dixerit quis, quia ad humilia venit, humilitatem ſcilicet in ſemetipſo exhibiturus, minoratus etiam ab Angelis apparuit; & propter hoc pompam illam regalis comitatus habere noluit Reſpondeo in hoc, quia adventus ejus in mundum non fuit niſi naturæ humanæ ſuſceptio, & in eadem ipſius apparitio, omnes autem ordines militiarum ſuarum præſto erant ei ad explendum omne voluntatis ſuæ beneplacitum. Cùm igitur de adventu ejus in mundum, & de adventu beatiſſimorum illorum ſpirituum quis loquitur, æquivocè proculdubiò de illis loquitur, nullus enim illorum unquàm ſic venit, ut homo fieret, neque hoc oportuit, vel humani generis ſaluti utile, vel expediens fuit; quòd ſi eos ſic venire voluiſſet, magis comitatum hominum, quàm beatiſſimorum illorum ſpirituum adduxiſſet. Ampliùs. Quem ex hujuſmodi ſpiritibus mitti noluit, aut cui illorum in parte iſta pepercit, quandò nec etiam in hoc chariſſimo unigenito ſuo parcere voluit, quin eum mitteret, quandocunque hoc humanæ reparationis negotium hoc requireret, propter quod ipſum filium miſerat? Dubitandum igitur non eſt, quin frequentes comitatum mittantur, & veniant
E huc, de ſublimibus illis ordinibus multa millia; unde & in libris Hebræorum apparuiſſe leguntur in ſpecie magni, & innumerabilis, exercitus armatorum. Illi quoque tres, qui in ſpecie trium virorum veniſſe dicuntur in lege Hebræorum ad ſubvertendam Sodomam, & Gomorrham, qualiter videri poſſint de inferioribus, cùm illos ſolos comites habere voluerit, & elegerit in illo ſtupendo opere ſubverſionis civitatum illarũ? Ampliùs. Illos quibus regna credita, & cõmiſſa ſunt, quis exiſtimet non de majoribus, ac precellentioribus eſſe? cui videtur Michaël de minoribus iſtis militibus eſſe, cui regnum Judæorum credendum, & regendum commiſſum eſt? Quòd ſi, ut apparet de ſermonibus Prophetarum, de tota univerſitate hominum ſibi elegerat, & matrimonio ſpirituali
F gentem illam ſibi ſponſam, & uxorem copulaverat Deus. Cui videatur non de maximis eſſe Archangelis ille, cui tam carum creatori regnum creditum erat, & commiſſum ad gubernandum? Quis rex maxima ſua bona minimis ſervis ſuis regere credit, aut committit? maxima enim ſua maximis ſuis reges credere, & committere conſueverunt; minoribus verò minora. Tu etiam audiviſti in antecedentibus ex lege Chriſtianorum: quia omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Propter hoc viſum eſt quibuſdam ex Theologicis doctoribus, quia de omnibus ordinibus mittit creator in hunc mundum: & hoc ex prædicto ſermone aſtruere ſe confidunt; adjuvantur etiam in
G hoc ex illo ſermone prophetico, quo dictum eſt: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis, vel ignem urentem; ipſos inquam ſpiritus, hoc eſt, ſublimes ac ſpirituales ſubſtantias, facit Angelos ſuos, id eſt, nuncios ſuos: & hoc non facit, niſi quandò mittit eos ad annunciandum aliquid. Quod autem ſequitur, & miniſtros ſuos flammam ignis, vel ignem urentem, ad Seraphim ſpecialiter pertinere videtur. Eſt ergo intellectus hujus ſermonis, quia illos de Seraphim, qui ſunt flamma ignis, vel ignis urens, ſicut in præcedentibus audiviſti, facit miniſtros ſuos: & hoc non niſi tunc, intelligi poteſt, cùm eos mittit ad miniſteria aliqua propter utilitatem hominum, vel etiam aliqualiter de ſublimibus ſubſtantiis iſtis. Quod apparet ex prophetico illo ſermone, quo dictum eſt: Quia Seraphim clamabant alterum ad alterum, ac ſi diceretur, quia Seraphim annunciabant aliqua de ſecretis, quæ habebant alterum ad alterum, & iſta annunciatio clamor dicta eſt; quia omnis vox Seraphim indubitanter clamor eſt, non vocalis,
H ſed ſpiritualis. Quod enim clamor eſt in voce corporali, hoc eſt evidentia, & intelligibilitas in voce ſpirituali; ſicut enim clamor vocem facit audibilem, ſic evidentia illius annunciationis faciebat eam intelligibilem eis, quibus fiebat: vel quoniàm clamor alta vox accipitur, Seraphim clamare alterum ad alterum dicta ſunt, quoniàm de altis, ac profundiſſimis alterum annunciabat ad alterum. Aggregata ratiocinatione videri poteſt ex præmiſſis: quia cùm creator benedictus omnes ſpiritus ſublimes illos Angelos ſuos faciat, ſimiliter facit & Archangelos ſuos, dum eos ad majora, & principalia nuncianda dirigit, & tranſmittit. Angeli igitur, & Archangeli ex aliis ordinibus ſunt aſſumpti ad principales, & minores annunciationes; non videntur igitur ordines eſſe per ſe. Ampliùs. Si ſeptem prænominati ordines ad omnes annunciationes peragendas ſufficiunt & creatori, & illis, quibus faciendæ ſunt,

ut quid

Digitized by Google

ut quid propter illas duo inferiores ordines conſtituti ſunt? Aut igitur ſupervacui ſunt, aut omninò non ſunt.

CAPUT CXXXVIII.

Quòd ad ornatum aulæ Dei altiſſimi multi angelorum ordines juxta ipſius voluntatem cognominantur, & ordinantur, ſecundùm officiorum diverſitatem, & recapitulatio prædictorum.

DIco igitur in his, quia reverà duo ordines ſunt ſupernorum ſpirituum angeli, & de aliis ordinibus ad annunciationes faciendas creator pro beneplacito ſuæ voluntatis plerunque aſſumat: quemadmodùm vides in domibus regiis, magnorum ſcilicet, & inclytorum regum, quia ſunt ibi laterales ipſorum regum magni viri, ut ſatrapæ, & qui vocantur proceres, atque barones: & ſunt ſimiliter ibi annunciationibus faciendis, & mandatis regum deferendis viri multi Nihilominùs tamen de latere ſuo mittit unuſquiſque pro magnis, & arduis negotiis ſuis expediendis. Sic quaſi laterales dominantiſſimi regis omnium ſæculorum Dei altiſſimi ſunt cherubim, ſeraphim, & throni, & immediatè aſſiſtentes eidem. De illis igitur, tanquàm de latere ſuo, mittit interdùm tanquàm legatos, prout requirit magnitudo, & arduitas negotiorum. Poſſet autem, ſi eſſet beneplacitum voluntatis ſuæ, mittere de illis pro expediendis quantumcunque parvis negotiis; ſed hoc neque deceret magnificentiam gloriæ ipſius, neque deceret tam honorabiles perſonas pro parvis negotiis diſcurrere. Qualiter enim conveniens eſſet ducem unum, vel comitem, pro vili uno latrone ſuſpendendo mittere; licet ergo ſufficerent magnates alicujus magni, & incliti regni, paucos latrones, vel alios maleficos ſuſpendere, vel alias juſtificare, non tamen ſupervacui ſunt lictores prætorij, qui hujuſmodi officio cõvenientiſſimè deputati ſunt, magnates verò inconvenienter ſe talibus officiis applicarent Non eſt igitur ullo modorum negandum creatorem de ſpiritibus cujuſcunque ordinis angelos ſuos, id eſt, nuncios ſuos facere, & ad omnia alia miniſteria, quæ magnificentiſſimam gloriam ejus, & dignitatem ejus, non dedeceant, mittere, vel deputare. Civitates quoque Italiæ habent majores, & minores nuncios, ad majora, vel minora mandata ſua; & conſilia ex officio deferentes, quo miſſi fuerint; & vocant quoſdam eorum ambaſſatores, qui etiam inſignia officij ſui deferunt in veſte, vel in pileo: interdùm autem de potentioribus, & honoratioribus civium aſſumunt legatos, hoc eſt, aſſumunt, & legatos illos ſuos faciunt. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quantùm ex divinæ largitatis dignatione mihi datum eſt: quia nominationibus novem prænominatorum ordinum apparet utcunque gloria creatoris. & ordinatio regni ipſius ſpiritualis, & ornatus aulæ præclariſſimæ ſuæ, nec non & aliquatenùs, ſive ex parte, mirificentia gubernationis ſuæ, quam partim per ſemetipſum, partim per ſublimes illos, ac beatiſſimos ſpiritus, partim per homines exequitur: & intendo gubernationem iſtam in ſubſtantiis intelligibilibus, quantùm ad res voluntarias. Alia enim eſt gubernatio naturalis, quam per ipſas naturas, & naturales vires in corpore hujuſmodi animalium, & plantarum. & in corporalibus generabilibus, & corruptibilibus, multa mirificentiâ, & decore diffundit, ſicut ipſa corpora animalium per animas vivificat, & regit, adauget, & minuit, atque conſervat, & propagat, ſive multiplicat. Oſtendunt etiam iſti ordines, unuſquiſque in ſe, non parum A de gloria creatoris: quemadmodùm ſeraphim ardore ſuaviſſimo ſanctiſſimi, ac beatiſſimi amoris non parum oſtendit de bonitate, & pulchritudine creatoris, oſtendit evidenter, quòd fornax ſit, & caminus amoris vivifici, ſinceriſſimi; hoc inquam oſtendit ex flamma, quæ in eum ordinem ex illa emicat. Sic cherubim ex ſplendore, quo relucet ad ipſum creatorem, oſtendit non parum, de luminoſitate ipſius. Sic & beatiſſimi throni de regia, ac magnificentiſſima bonitate ipſius. Sic dominationes de ſupereminentiſſima, ac dominantiſſima nobilitate ipſius. Sic principatus de illæſa, ac per omnem modum immaculabili, principatione, & gubernatione ipſius. Sic poteſtates de invincibili, & per modum omnem inceſſibili, per omniaque victorioſiſſima poteſtate illius. Sic virtutes de infatigabili, & ſuper omnem admirationem mirifica virtute ipſius. quæ apparet in miraculis. & mirabilibus ſuis. B Sic angeli, & archangeli providentiſſimam curam, & per omnem modum ineffabilem, & inenarrabilem, ac purè bonam in ea, quæ regere, & adminiſtrare, atque ordinare dignatur. Hæc igitur omnia, ſic oſtenduntur, quantùm eſt in iſtis ſanctis, ac beatiſſimis ordinibus, licet pauciſſimis ad liquidum, & lucidum videre donetur in vita iſta. Vidit magiſter primus, & præfector hujus ſancti, ac ſapientis viri, per quem græci primum theologi, & deinde latini acceperunt ſcientiam iſtam, vidit inquam beatiſſimarum militiarum iſtarum exercitus, & ordines, & ordinationem pulcherrimam, vidit & pulchritudines ſubſtantiarum iſtarum, atque officia. nec vidit omnia hæc illuminatione prophetica ſed nobiliori longè, ac ſublimiori ſplendore raptus ſcilicet à ſpiritu ſancto, & translatus in cœlum illud præclariſſimum, quod eſt civitas univerſalis imperatoris, in qua velut cives omnes ſancti ſpiritus collocati ſunt, & diſtinctis ordinibus pulcherrimè, ac decentiſſimè conſtituti, & dignitatibus, atque officiis, C quæ audiviſti, præditi, ne dicam onerati: quemadmodùm vides apud nos, manifeſtum eſt tibi quia dignitas, & officia onera ſunt graviſſima, & portitores ſuos, niſi virtute creatoris fulciantur, confringentia: ibi verò gaudia ſunt, & pulchritudines. Et generaliter totus creatoris famulatus ibi eſt decus, & decor regni, & fœlicitas, ultrà quam non eſt alia, ſervire enim illi fœliciſſimè regnare eſt.

CAPUT CXXXIX.

An nominationes, dignitates, & præcellentiæ ſupradictæ ſint naturales, an adventitiæ ſpiritualibus ſubſtantiis.

POſt hæc autem conſequens eſt perſcrutari de D dignitatibus, & præcellentiis prænominatis, an ſint naturales, ſive eſſentiales ſanctiſſimis iſtis, ac beatiſſimis ſpiritibus, an ſint eis adventitiæ, & poſt eſſentialia ſua naturalia dono creatoris appoſitæ, ubi primùm illud occurrit, quia lex & doctrina Chriſtianorum principatus, & poteſtates adhuc nominat ipſos malignos ſpiritus, de quibus manifeſtum eſt, quia de his, quæ gratiæ, vel gloriæ ſunt, nihil unquàm habuerunt, vel habent, quòd ergo ſunt principatus, & poteſtates eſſentialiter, vel naturaliter habent. Accidit utique plerunque aliquem nominari, vel denominari ex eo, quod fuit, vel habuit, ſicut evidens eſt in quibuſdam, qui reges fuerunt. qui etiam mortui reges nominantur. Debes igitur reminiſci, quia maligni ſpiritus principes hominum fiunt perverſâ voluntate, ac vitioſis operationibus ſe illis ſubdentium, & hujuſmodi principatum, atque poteſtatem ipſi ardore vehementiſſimo ambiunt.

Digitized by Google

Ipſum etiam malignorum ſpirituum principem hujuſmodi ſæculi Deum, ac principem vocat lex, & doctrina Chriſtianorum; ſæculum, hoc eſt, mundum iſtum, non aliud intelligens, quàm ſæculares homines, & mundanos, videlicet, qui hæc ſæcularia, & mundana, id eſt, tranſitoria bona ſolummodò, neglectis ſpiritualibus, & perpetuis, quærunt. & nihilominùs tamen verum eſt, quod inter eos ſunt principatus, & poteſtates, & alij in alios principatum quendam, & poteſtatem exercent, & ipſe, qui fuit inter omnes ſpirituales ſubſtantias, antequàm peccaſſet, ſummus, princeps malignorum ſpirituum eſt, juxta ſermonem ſapientis. qui de eo loquens dixit: Quia ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Poteſt aliter intelligi, quòd principatus, & poteſtates dicti ſunt, ad hanc enim gloriam nati ſunt, hoc eſt, naturaliter aptati, & illam perfectè obtinuiſſent, niſi per peccatum illam deſeruiſſent; ſicut dixit quidam ex primis ſapientibus Hebræorum, evidenter dicens: Quoniàm deſeruerunt principatum ſuum. Et iſte modus loquendi uſitatiſſimus eſt in quibuſdam regionibus: omnes enim filij comitũ in aliqua regione comites nominantur, & omnes filiæ regum ſimiliter reginæ dicuntur in aliqua regione. Habet autem admirationem non levem, maximè ſecundùm illos, qui ex omni ordine ponunt aliquos cecidiſſe, quòd nullus eorum vel Seraphim, vel Cherubim, vel Thronus, vel Dominatio, vel Virtus, nominatus invenitur in ſermonibus authenticis: propter quod & aliquibus viſum eſt de his quinque ordinibus nullum cecidiſſe: ut quid enim nomina ſuorum ordinum, inquiunt, non retinuiſſent? quemadmodùm nomina principatuum, & poteſtatum eos manifeſtum eſt retinere. Dico igitur in hoc, quia ipſe princeps malignorum ſpirituum Cherubim nominatus eſt ab ipſo creatore, ſicut teſtatus eſt quidam ex Prophetis Hebræorum, dicens ex perſona creatoris: Tu cherubim extentus & protegens: Et quoniàm ipſe omnibus ſublimior extitit, quem cecidiſſe manifeſtum eſt, non eſt mirum ſi de quocunque ordine aliqui ceciderunt: ipſe enim aut de ordine Seraphim, aut de ordine Thronorum fuit, aut ſuper ordines excelſior omnibus ordinibus conſtitutus eſt. Propter quas verò cauſas nomina illa quinque ordinum neutra dictarum legum, aut doctrinatum, eis attribuit, quæſtionem habet proculdubiò, in qua mihi non videtur aliud reſpondendum, niſi quòd nominationes iſtæ adeò contrariæ ſunt malignitati ipſorum, in qua obſtinatiſſimi ſunt, ut eas nullo modorum patiantur: quis enim creatoris ſedem, vel thronum, nominare audeat, quem conſtat inimiciſſimum ejus eſſe, & regno ipſius toto animo, totaque voluntate, quod utique non poteſt opere, rebellare. Oderunt enim indubitanter creatorem omnibus modis, cùm malignitatis ſuæ ſtudiis eidem inviti ſerviunt, ſicut in eis, quæ præceſſerunt, didiciſti: & plerunque etiam neſcientes: dùm enim voluntati optimæ creatoris adverſari intendunt, illam adimpleri inviti, & neſcientes, procurant. Quis verò Seraphim eos nominet, apud quos nec ſcintilla una ſanctæ dilectionis remanſit, quin potiùs ira, & odio in creatorem benedictum inextinguibiliter ardent? Quis Cherubim nomen attribuat, quorum omnia opera inſaniſſima ſunt, ſapientiæ contraria? Quis dominationes illos dicat, qui malignitatis ſuæ ſervi nequiſſimi ſunt, & eouſque ſubditi eidem, ut nihil contra eam omninò poſſint? Quis demùm virtutes illas nominet, quibus cum Dei mirabilibus nihil omninò eſt, qui nihil facere norunt niſi monſtra vitiorum, qui

E tantâ infirmitate, ac debilitate preſſi ſunt, vinculis, ſcilicet vitiorum ſuorum adeò itteriti, & contriti, ut nec minimum filum eorum irrumpere prævaleant? Nominationes verò principatuum, & poteſtatum, rerum utique informium, & penè materialium ſunt, ſecundùm uſum apud nos conſuetum, rerum, quæ bonis, & malis communes ſunt, & communiter utriſque tribuuntur; annunciationes autem ſive majorum, ſive minorum, per hoc, quod annunciationes, nec bonæ, nec malæ ſunt, & propter hoc nec nominationes ab eis ſumptæ. Deformatis igitur malignis ſpiritibus informes iſtæ nominationes non inconvenienter relictæ ſunt, quemadmodùm & etiam malis hominibus & quod plus eſt, peſſimis ablatæ non ſunt: quid igitur mirum, ſi ſimiles ſimilibus nominationibus nominantur, ſimiles quippe ſunt mali homines malis ſpiritibus; propter quod & ipſe legiſlator Chriſtianorum ad

F quoſdam malos veriſſimè dicit; Vos ex patre diabolo eſtis. Propter evidentem igitur repugnantiam nominationes quinque ſupradictæ malignis ſpiritibus meritò ablatæ ſunt. Apparet etiam ex ipſo teſtimonio creatoris, quo principem dæmoniorum vocat extentum, & protegentem, atque ſignaculum ſimilitudinis, perfectum etiam decore, aliis inſuper magnis perfectionibus illum deſcribens; apparet inquam omnia illa, quæ creator illi attribuit, in ipſa creatione accepiſſe: & per hoc, quòd Cherubim eum nominat, ſapientiâ naturali, & inclytâ, illum eouſque claruiſſe, ut ad gloriæ ſpiritualis ſplendorem præparatiſſimus, & aptiſſimus eſſet. Et juxta hunc modum veriſimile eſt ſe habere de aliis, videlicet, ut donis naturalibus, & excellentiis eorum, ad dona gloriæ apti nati, & à creato-

G re præparatiſſimi viderentur, quemadmodùm dicit unus ex Prophetis Latinorum: Te excelſum natura creavit, audita de magnificentia oratio ſtatim inſedit animo. Quòd ſi magnificentia, quædam leonibus naturaliter indita eſt, unde & illud dictum eſt. Nobilis ira leonum: cùm nihil magis deceat nobiles iſtas ſubſtantias, de quibus agitur, quàm magnificentia, & excelſitas, quid habet admirationis, ſi hac virtute præditæ naturaliter dicuntur beatiſſimæ dominationes, quemadmodùm dixit vir iſte ſanctus, & ſapiens; Quia nihil pedeſtre habent dominationes, quod eſt dicere, nihil dejectum, nihil vile, nihil conculcabile, quin potiùs totum magnificum, præterquàm in creatorem, in quem totum habent ſubditum quicquid ſunt, & quicquid habent, & hoc in ultimitate ſubjectionis. Sic ſentiendum de ſublimiſſimis Seraphim, quia ipſâ natura & amoroſi, & amabiles ſunt: Quod in quibuſdã etiam hominibus invenitur, ſunt enim ad amicitiam quidam vehementer applicabiles, &

H valde prompti. Quid ergo mirum, ſi naturali amore ardent Seraphim in creatorem? Quid mirum ſi tam largâ beneficentiâ provocavit eos creator, & rapuit in amorem ſui? Quid mirum, ſi pulchritudine ſuâ, & bonitate, quam naturaliter ignorare non poterant, inflammavit eos amore ſui, ita ut ex iſta naturali inflãmatione Seraphim nominari meritò debuerint: licet poſtmodùm incomparabiliter majori ardore, videlicet gloriæ & arſerint & ardeant? Sic & cogitandum eſt tibi de luminoſiſſimis Cherubim, quòd multo lumine ſapientiali naturaliter fulſerint, antequàm illo ſplendore gloriæ illũſtrati fuerint. Et ſimile aliquid vides in hominibus. quorum quidam non tam dociles. quàm natura prudentes cognominantur, & habentur; nec dubitatur, quin natura prudentes homines ad eruditiones, & doctrinas, atque ſcientias per ipſam naturalem, prudentiam naturalem, atque naturalem docilitatem,

aptiores, atque paratiores, quàm alii ſint; ſic & quidam regalibus obſequiis, & maximè Regibus in thronis ſuis ſedentibus aſſiſtere, atque famulari multis aliis habiliores, atque convenientiores ſunt: ipſi etiam naturaliter in hujuſmodi obſequia promptiores, & animo inclinatiores ſunt. Sic & invenies de principatibus etiam apud homines, quòd quidam ad regendum alios, vel regentibus in ipſo regimine adhærere, & cooperari naturaliter amant, & ab aliis officiis animo longè ſunt nec illa appetunt. Vidi multos quibus nullum aliud officium placere poterat, nec aliis animo applicabantur, quàm armorum ſeu bellorum exercitio: vidi & alios, quibus plus placebat malignitatem alienam comprimere, quàm bonitatem alienam fovere. Interdùm quidam plus ardent zelo rectitudinis, & vehementiùs excandeſcunt contra aliena mala, quàm ferveant calore ſanctæ dilectionis; quemadmodùm quidam ex ſapientibus Latinorum dixit, Quia profundiùs injuriæ, quàm beneficia deſcendunt; ſic injuriæ creatoris beatiſſimas illas poteſtates etiam ex naturali dilectione creatoris ultra æſtimationem noſtram inflammant in vindictam contra hujuſmodi injuriatores: quapropter aptiores habiti ſunt iſti beatiſſimi ſpiritus ad officium, quod prædixi; non enim poſſibile eſt, ut ſit divinarum injuriarum propulſator idoneus, aut impugnationum creatoris repugnator, & expugnator conveniens, niſi qui zelo rectitudinis juxta exigentiam hujuſmodi injuriarum, & expugnationum in eas exarſerit. Jam autem declaratum eſt tibi per me aliàs de magnitudine injuriarum, & contumeliarum, quæ irrogantur creatori, ſive à malignis ſpiritibus, ſive à malis hominibus: præſertim quando ſcienter irrogantur eidem. Declaratum, inquam eſt tibi, quia unaquæque earum infinita eſt: & propter hoc, nec modus, nec menſura debent eſſe, ſi poſſibile eſt, zeli, & iræ juſtiſſimæ contra illas: quare qui naturaliter ſic ardent, ut prædixi, contra eas aptiores indubitanter, & paratiores inventi ſunt, ut zelo incomparabiliter nobiliori, atque ſublimiori, videlicet qui gloriæ eſt, ardeterent. Ampliùs. Cùm princeps ille malignorum ſpirituum ab initio contra creatorem ſe erexerit, & partem regni ejuſdem ei detraxerit, & ad ſe traxerit, & poſtea id ipſum facere non ceſſaverit cum tota factione ſua, & hoc totum ipſe creator benedictus lucidiſſimè, certiſſiméque prænoverit; quid mirum, ſi contra nequiſſimos iſtos rebellatores ſuos bellatores ex adversò conſtituerit. Quis Rex bellum habens, videns exercitum contra ſe armatum, & acies ordinatas, non congreget exercitum ſuum, & acies ſuas ex adverſo non ordinet, & totum apparatum bellicum contra hoſtes ſuos non inſtruat? niſi fortè quis dicat, quia vel vinci vult, vel in fugam ſe vertere, quod Regi ſæculorum minimè conveniens eſt, nullatenúſque de eo veriſimile. Paravit igitur contra iniquiſſimos, ac nequiſſimos hoſtes iſtos exercitum congruentem gloriæ, & ordinavit acies bellatorum ſuorum, & iſtæ acies ad bellandum contra malignos hoſtes à creatore ordinatæ non ſunt, niſi ordo beatiſſimarum poteſtatum. De virtutibus quoque quòd debeant eſſe intra ſupercæleſtes ordines illos ordo unus, non immeritò videri poteſt ex conſideratione ejus, quod ab ipſo invenitur in hominibus quibuſdam, qui non contenti rectis, & laudabilibus communiter operibus, præcellentiora appetunt, & eximia, atque admiratione digna. Sic & de ſcientiis in quibuſdam ſe habet, non ſufficiunt notæ, licet magnæ, & profundæ ſcientiæ, ſed ad occultiſſimas & à communi conſuetudine remotiſſimas, enituntur, parùm ſe æſtimantes profeciſſe, niſi eas ſcientias, quas ſapientes ignorant, acquiſierint, & quas alii mirentur, ac deſperatas habeant, adepti fuerint; quia igitur appetitus ejuſmodi, & deſideria naturaliter in quibuſdam ſunt hominibus, ſeu animabus humanis, ſuntque boni, atque laudabiles; quid mirum, ſi ſimilis magnificentia appetituum ſeu deſideriorum inveniatur naturaliter in quibuſdam ſubſtantiarum ſpiritualium ſublimium, & hæc utique tantò præcellentior, quantò nobilitas earum nobilitati præcellit animarum humanarum. Nec poteſt dici ullo modorum, quòd hujuſmodi appetitus, vel deſideria ſint in animabus humanis à parte materiæ, id eſt, corporum; nihil enim ad corpora noſtra de hujuſmodi magnificentia, aut etiam de rebus arduis, & mirabilibus, quæ ab animabus noſtris vel appetuntur, vel fiunt, vel acquiruntur. Quòd ſi in animabus noſtris invenitur iſta appetituum, & deſideriorum, quam dixi, nobilitas licet non univerſaliter ſed particulariter tantùm; quantò fortiùs, ſaltem particulariter, invenietur apud illas ſublimes ſubſtantias, quæ ad omnem præcellentiam, & præclaritatem tantò aptiores naturaliter ſunt, tantóque ad operationes qualcunque, quas voluerint promptiores & expeditiores naturaliter ſunt animabus noſtris, quantò ipſis nobiliores creatæ ſunt, atque liberiores? Cui autem non convenientiſſimum videatur ipſâ glorificatione ſuperappoſita eis congruente diſpoſitionibus, quas dixi, virtuoſitatem inquam gloriæ incomparabiliter majorem, atque nobiliorem, virtuoſitate naturæ? gloria enim omnis naturæ ſuperveniens, nec minuit aut pervertit illam, aut ullo modorum lædit, ſed potiùs illuſtrat, ac perficit. Quòd ſi dixerit quis, quia appetitus, & deſideria, efficiendarum rerum mirabilium invenitur apud hujuſmodi ſubſtantias, ſed non propter hoc conſequens eſt, ut inveniatur apud eaſdem virtus efficiendi, aut perficiendi res hujuſmodi: Dico in hoc, quia ſermo iſte eſt ſermo erroneus, & hominis omninò ignorantis naturam ſubſtantiarum hujuſmodi in illis, ſive voluntariis; & iterùm ſive naturæ ſit, ſive gloriæ, non poteſt eſſe fruſtra, & vanè, neque inordinatus, ſive temerarius; fruſtra autem, & vanè eſt appetitus efficiendi, cujus non eſt virtus, aut potentia apud appetentem: nec tam temerè, quantùm etiam ſtultè, appetit quis efficere quod non poteſt: hæc autem ſunt longè à ſapientiſſimis, & ordinatiſſimis. Ampliùs. Qualiter beatæ intelligi poſſent, vel etiam cogitari cum iſta miſeria cruciatus, & imperfectionis? Impoſſibile enim eſt aliquem velle efficere, quod non poteſt abſque dolore, ſive cruciatu: impoſſibile ſimiliter eſt aliquem non poſſe quod vult, ſine defectu, & imperfectione. Jam igitur per hoc utrumque deduxi te ad æſtimandum de beatiſſimis virtutibus, propter quod neceſſe eſt eas eſſe, & decorare ſuâ virtuoſitate, atque mirificentiâ præclaros illos ac divinales exercitus. Harum igitur virtus, & officium eſt operibus mirabilibus creatorem magnificare, & admirabilem efficere, atque cognoſcentes eas in admirationem, & laudem creatoris inducere, quæ etſi datâ ſibi virtuoſitate miranda efficerent, ſuperveniente tamen eis virtute creatoris longè majora, magiſque ſtupenda efficiunt. De ſeptem igitur prænominatis ordinibus in tantùm tibi dictum eſt. De noviſſimis verò duobus cognominationes eorum ſola indicant annunciandi officia, & nihil evidenter, quod ſit vel naturæ, vel gloriæ indicant; quapropter non fuit mihi poſſibile, niſi hoc unum, quia forſitan natura viciniores ſunt animabus noſtris, & propter hoc ad eas illuminandas, vel commonendas per re-

velationes applicabiliores; & de his applicationibus audies juxta poſſibilitatem meam in ſequentibus, ob hanc igitur cauſam iſta officia ſuſcepiſſe videntur.

CAPUT CXL.

Definitio, & diviſio Hierarchiæ ſecundùm Dionyſium, & quæſtiones circa definitionem.

QUoniàm autem vir iſte, & ſapiens diſtinxit beatiſſimas iſtas ſubſtantias in Hierarchias tres, & ordines novem, & diffinivit Hierarchias ſecundùm ſe, hoc eſt, ſecundùm ſententiam ſuam, & aſſignavit eis officia tria; videlicet purgationem, illuminationem, & perfectionem. Juxta ſenſum, & planum literæ ſuæ, non inconvenienter aggrediendum eſt mihi exponere paucos de ſermonibus ipſius, cùm manifeſtam obſcuritatem habeant, partim propter ipſarum rerum profunditatem, & remotionem multam, ſive elongationem à conſuetudine noſtra, ſermonumque noſtrorum, partim propter inæqualitatem Latini eloquii, & Græci, per quam contingit, ut tranſlatio Latina non ex æquo, & plano reſpondeat Græco eloquio, ex quo tranſlata eſt. Forſitan autem cauſam huic obſcuritati, & difficultati pariter dedit imperitia interpretum: has verò difficultates meliùs diſputando, & exponendo cognoſces, manifeſtum verò illud eſt, quòd Hierarchia ex Græco ſermone interpretata ſacer eſt principatus. Et juxta intentionem ſapientis illius nominatio iſta, ſeu cognominatio per excellentiam convenit beatiſſimæ, ac glorioſiſſimæ Trinitati, quæ eſt Deus unus, verus ac ſolus: ipſa enim eſt ſacra ſupra omnem cogitatum, ipſa etiam eſt principatus in ultimitate principalitatis, & princeps atque principium ex ſemetipſa, & non aliunde, nec principatus eſt in ea, vel apud ipſam, ſuſceptum, vel injunctum officium, quin potiùs pura, ac vera, eſſentialiſque nobilitas ipſius. Cœtus verò ſubſtantiarum ſublimium, ſive etiam hominum, qui ad officia antedictorum ordinum ſacrati ſunt, juxta ſimilitudinem quam in talibus eſſe poſſibile eſt, Hierarchiæ dicuntur, juxta intentionem ſapientis iſtius: diſtinxit quippe Hierarchias in tres, Divinam, ſcilicet, Angelicam, & Humanam, Divinam intelligens ipſam venerandam, ſolamque & ſemper adorandam beatiſſimam Trinitatem. Hierarchiam verò humanam, & ordines ejuſdem declaravi tibi in præcedentibus. Diffinivit autem Hierarchiam ſimpliciter, & abſolutè, ſic dicens: Eſt quidem Hierarchia ſecundùm me divinus ordo, & ſcientia, & actio, Dei formæ, quantùm poſſibile eſt, ſimilans, & ad inditas ei divinitùs illuminationes proportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendens. Primum ergo non ſolùm falſum, ſed impoſſibile videtur, quod dixit, quia Hierarchia eſt divinus ordo, cùm omnis Hierarchia, maximè Angelica, & humana multi ordines ſit, & unus ordo; ipſemet etiam diviſit ſpirituales, divinaſque ſubſtantias, in tres Hierarchias, & unamquamque Hierarchiam in tres ordines, ſicut pluries in præcedentibus audiviſti. Deinde manifeſtè impoſſibile eſt Hierarchiam eſſe ſcientiam, ſimiliter & eandem actionem. Quòd ſi dixerit quis, quia dictum eſt eam eſſe ſcientiam & actionem, pro eo, quòd eſt eſſe ſcientem, & agentem, non videtur effugere poſſe ſic; quæ enim urgebat ſapientem iſtum neceſſitas euſque abuſivè loqui? cùm abuſio ſermonis hujuſmodi nec ornatum, nec decorem præſtaret locutioni, & inſuper impoſſibilem ſermonem ipſius omnibus audientibus videri faceret evidenter? Qua

E utilitate, vel fructu voluerit, velle mentiri ſanctus, & ſapiens tantus. Quòd ſi dixerit quis, quia in abſtractis ſubſtantiis idem eſt ſciens, & ſcientia, & agens, & actio, quemadmodùm dicunt multi ex Philoſophis de primo principio, quia ipſum eſt actio ſua, & voluntas ſua. Ipſe etiam Ariſtoteles dixit, quia in abſtractis, ſeu ſeparatis ſubſtantiis nihil differt potentia ab actu: Dico in hoc, quia etiamſi ita eſſet, non videtur diffinitio ſermo antedictus, diffinitio enim omnis propria eſt diffiniti, & cum eodem convertibilis; quælibet autẽ congregatio ordinata ſubſtantiarũ intelligẽtiũ eſt divinus ordo ſciens, & agens. Et etiã quod ſequitur convenit eidem: videlicet dei formæ, quantùm poſſibile eſt, ſimilians, quod eſt dicere deiformem pulchritudinem, ſeu perfectionem, quantùm naturæ poſſibilitas adjuvat, vel efficere ſufficit, imitans, hoc eſt
F aſſimilata illi, nec tamen verum eſt, quòd hujuſmodi congregatio, ſeu aggregata multitudo ſubſtantiarum hujuſmodi Hierarchia ſit, quia tunc quilibet novem ordinum, & etiam quælibet legio cujuſcunque ordinis Hierarchia eſſet: necnon etiam quælibet duæ, vel tres ex ſubſtantiis, de quibus agitur; eſſent Hierarchia, cùm diffinitio prædicta Hierarchiæ illis conveniret. Hoc etiam, quod ſequitur de præmiſſa diffinitione, non minus impoſſibile videtur duabus de cauſis. Primò, in eo quod dixit, aſcendens in Dei ſimilitudinem; non aſcendunt enim in Dei ſimilitudinem nobiles illæ ſubſtantiæ, ſed magis ſtant, & quieſcunt in illa, nec in illam, vel ad illam ulteriùs proficiunt, vel natura, vel gloria, niſi fortè. quemadmodùm dixi tibi in præcedentibus, videlicet, quia de aſſociatione glorificandorum hominum augebitur gaudium earum, & gloria, verum augmentum iſtud eſt de accidentibus, & propter hoc ad diffinitionem impertinens.
G Quod verò dicitur ad inditas ſibi divinitus illuminationes, & hoc iterùm impoſſibile videtur, nihil enim aſcendit ad id, quod habet; habent autem ſibi divinitùs inditas illuminationes, ergo nec acquirunt illas, nec aſcendunt ad illas. Ampliùs. Iſta diffinitio non convenit, niſi unicuique ordinum novem, ſicut prædixi, quia eſſe ordinem divinum, quod eſt prima pars illius, non convenit, niſi unicuique ordinum; nihil enim divinus eſt ordo, niſi aliquis ex ordinibus novem antedictis, Hierarchia verò, quod eſt diffinitum ibi, non dicitur niſi de tribus ordinibus ad minus, quemadmodùm ipſemet dixit, quia prima Hierarchia continet Seraphim, Cherubim, & Thronos, atque pennoſos ordines, ſecunda Hierarchia dominationes, principatus, & poteſtates, vel virtutes ſecundùm ipſum, tertia continet virtutes, Angelos, & Archangelos, ſicut prædixi, ſecundùm ipſum
H verò Poteſtates, Archangelos, & Angelos.

CAPUT CXLI.

Solutio prædictarum quæſtionum.

DIco igitur in hoc, quia ordo non ſic accipitur in hujuſmodi diffinitione, ſeu deſcriptione Hierarchiæ, quemadmodùm cùm ordo dicitur unus de novem, aut cùm dicuntur ordines eſſe novem, ſed quemadmodùm in choro pſallentium, & Deum laudantium, varii ordines diſtinguuntur & in pſallendo, & laudando, ita videlicet ut alii ſublimiùs, alii verò voce humiliori, ſeu depreſſiori pſallant, & laudent; & quemadmodùm in cithara, & organo varii ſunt ordines nervorum, fiſtularum, ſonorum, qui ex ipſis ſunt, ſic ſpirituales illi cœtus ſublimium

virtutum,

Digitized by Google

A virtutum, ſeu ſubſtantiarum, de quibus agitur, ordinati ſunt per ſocietates, & congregationes novem, non ſolùm ad laudes, ſive hymnodias creatori ſpirituali reſonantia decantandas, ſed etiam ad alia obſequia, quæ honor, & gloria creatoris requirunt. Quemadmodùm etiam in uno, & eodem capitulo ſunt ordines dignitatum, ſive nobilitatum, verbi gratiâ, in primo ſublimiori ordine ſunt, qui dicuntur illuſtres, in ſecundo, qui dicuntur ſpectabiles, in tertio verò, qui dicuntur clariſſimi, ad hunc modum de aliis, & ordo iſte primus Regum eſt, propter quod Reges adhuc hodie cognominantur illuſtres; ſic ergo dictum eſt, quia Hierarchia eſt divinus ordo, id eſt, divinæ ordinationis, ſocietatis, ſive cœtus aggregatus, atque divinitùs ordinatus ad obſequia, ſeu officia creatori placita, vel ab eodem impoſita, & habet nonnullam ſimilitudinem cognominatio ordinum Eccleſiaſticorum ad hanc divinalem, & ſublimem ordinationem. B Exempli gratiâ: vides evidenter, quòd ordo Monachorum non eſt niſi cœtus aggregatus, & ſanctè ordinatus ad certa officia, & determinata obſequia creatoris, ſic & ordo Canonicorum regularium, ſimiliter ordo Templariorum, & ad hunc modum ſe habet de unoquoque aliorum, ſed & in unoquoque iſtorum ordinum manifeſtum eſt gradus diverſos eſſe, atque multiplices, atque perſonas uniuſcujuſque ordinis vides non omninò æquales eſſe vel ſanctitate, vel ſapientiâ, vel aliis donis, licet in uno, & de unoquoque ordine ſint. Differt autem in hoc inter iſtos, & illos ſupercœleſtes ordines, quia non invenitur in aliquo ordinum iſtorum aliquis, cui æqualis, vel forſitan eo major non inveniatur in aliquo ex aliis ordinibus, vel forſitan in omnibus, ibi autem non ſic: ſublimiores enim ſunt, qui de primis tribus ordinibus ſunt, quàm qui C de inferioribus, & qui de mediis, quàm qui de extremis: ſicut igitur ordines apud nos dicti prænominati cœtus, ſeu congregationes ſunt ſanctæ converſationis, & ſacrorum officiorum ſecundùm pulcherrimam ordinationem, ad quam inſtituti, & in qua conſtituti ſunt: ſic & in illa beatiſſima civitate nobiliſſimarum ſubſtantiarum ubi incomparabiliter major eſt pulchritudo ordinationis in Dei obſequiis, & ab eodem eis impoſitis officiis, & nihilominùs tamen tota univerſitas illa beatiſſimorum ſpirituum divinus ordo convenienter & dici poteſt, & dicitur; quemadmodùm ordo Clericorum apud nos, qui tamen continet ordinem ſæcularium, & ordinem clauſtralium, & in utroque eorum multi ordines ſunt: ſic & ordo militum ordo unus dicitur uſualiter, in quo tamen multi ordines ſunt: videlicet centurionum, decurionum, quaternionum, & iterùm Ducum, Marchionum, Comitum, Conteſtabilionum. Tolerabile igitur eſt, & præter abu- D ſum, quod iſte ſanctus, & ſapiens dixit, quia Hierarchia eſt divinus ordo, licet multos ordines contineat. Quod autem ſequitur, & ſcientia, & actio, ſic dictum eſt, quemadmodùm intelligentia dicitur ſubſtantia nobilis, & ſublimiter intelligens, & eodem modo, quo iſte idem ſapiens, & ſanctus iſtas ſubſtantias nominat ſupernos intellectus, ac ſi non aliud eſſet in eis, vel apud eas, intelligens, & aliud intellectus, quod eſt dicere, quòd non aliud eſt ibi, qui intelligit, & quo intelligitur, & hoc eſt dicere, quia eſſentialiter, hoc eſt per ſeipſas, ſive per ſubſtantias, aut eſſentias ſuas, non per aliud aliquid, quod additum vel appoſitum ſit eis, intelligunt, & ſua eſſentia eſt unicuique earum ſuus intellectus, ſive ſua intellectivitas; quemadmodùm ſua vita eſt unicuique ſua eſſentia, & ſuum vivere unicuique, ſimiliter ſuum eſſe, ſicut ſuum mori eſſet unicuique ſuum deſtrui, & ſuum deſinere eſſe; hoc autem non dico hîc per diffinitionem, habet enim diſputationem, & dubitationem apud multos apud Philoſophos verò, nec plenè diſcuſſum eſt hoc adhuc, nec ad liquidum declaratum. Propter multam quoque ſimilitudinem ad primam ſapientiam, ſive intelligentiam, quemadmodùm illa & ſapientiſſimus Dei filius eſt, & ſapientia nihilominùs, ſic ſubſtantiæ iſtæ & intelligentes, & intellectus ſunt, propter prædictam cauſam, quia non aliud videtur apud eas, vel in eis eſſe ipſa intellectivitas, ſive virtus intellectiva earum, quàm ipſa eſſentia, vel ſubſtantia ipſarum ſit, & ſcientia ipſarum non aliud, quàm eſſentia earundem. Ad hunc modum ſe habere videri poteſt & de actione: ſicut enim unaquæque illarum & intelligens eſt, & intellectus, ſic eſt ſciens, & ſcientia & agens, & actio, actio inquam, quam agit apud ſemetipſam, vel in ſemetipſa, multas enim actiones agunt, extra videlicet, in alias ſubſtantias nec poſſibile eſt, ut ſint illæ, & de his audies in ſequentibus, cujuſmodi, & quales ſint actiones iſtæ, quod autem intra ſemetipſas agunt, vel operantur ſunt admiratio, & collaudatio creatoris, & ſimiles, nec ſunt apud eas per modum actionum, quæ ſunt, & fiunt in tempore, neque fluunt cum tempore, ſed totæ, & ſimul ſunt, neque differunt ſecundùm Ariſtotelem, & ſequaces ejus à potentiis, ſeu principiis, ex quibus eas exire ponunt multi, quia ſecundùm Ariſtotelem nihil differt in hujuſmodi ſubſtantiis potentia ab actu, quin potiùs creatæ ſunt potentiæ non in potentialitate, ſed in actu, & perfectione ſua ultima; ita ut ſecundùm ipſum nihil aliud ſit ipſa potentia apud eas, quàm ipſe actus; perfectæ enim ſecundùm ipſum creatæ ſunt illis potentiæ earundem, perfectæ quidem perfectionibus naturalibus: alias enim perfectiones eis non ponit, ignoraſſe ſiquidem videtur omninò perfectiones gloriæ, quas ſola gens Chriſtianorum plenè novit, & ſola ſperat, quare neceſſe habet ponere gens iſta aliud eſſe perfectiones gloriæ, aliud potentias glorificandas, hoc eſt, quæ perfectionibus gloriæ illuſtrandæ ſunt, & etiam jam in ſanctis, ac beatis ſpiritibus, & glorificatis animabus humanis illuſtratæ: quia igitur ſecundùm legem, atque doctrinam Chriſtianorum etiam ſancti illi, ac beati ſpiritus, in ſolis naturalibus perfectionibus ſuis creati fuerunt, & poſtmodùm incomparabiliter nobilioribus, ac ſublimioribus, videlicet perfectionibus gloriæ decorati ultra noſtram admirationem, & cogitatum, & adornati, neceſſe eſt perfectiones gloriæ longè, hoc eſt, eſſentialiter, & etiam majori diverſitate, quòd ſit diverſitas in ſpecie, diverſas eſſe, & ab ipſis beatiſſimis ſpiritibus, & perfectionibus eorundem naturalibus, cùm manifeſtum ſit ſecundùm hoc & has, & illas aliquando fuiſſe, quando perfectiones gloriæ, quas poſtmodùm adepti ſunt, nondùm erant; non enim poſſibile eſt in quocunque genere rerum aliquid eſſe, quoniàm ipſum non eſt, vel aliquid ſeparari à ſeipſo. Sententia quoque Ariſtotelis de hujuſmodi ſubſtantiis immaterialibus, & abſtractis evidenter eſt, eas eſſe, & fuiſſe ſemper in ultimitate ſuarum perfectionum, & propter hoc, nec aliquid eis addi poſſe. Gens autem Chriſtianorum ex lege ſua, & doctrina ponit eis nova dona multiplicia advenire, & in magis, & melius eas proficere, donec compleatur reparatio, & reformatio humani generis, quod erit per glorificationem hominum, quos Deus altiſſimus ad illam prædeſtinavit, & elegit.

Digitized by Google

CAPUT CXLII.

Quòd ipſa beatiſſima ſubſtantia nova dona, ut eſt ob creatoris gloriam exultatio, & ſimilia ſuſcipiunt, & Ariſtoteles oppoſitum dixerit naturali curſu procedendo.

HÆc parvam, aut levem admirationem habet poſitio, ſive ſententia Ariſtotelis, quia poſuit euſque immutabiles eſſe intelligentias, ut nec proficere ullo modorum poſſent in majus, aut melius: ſi enim diligunt creatorem, quod utique neceſſe habent facere, quæ & ultimitatem bonitatis ejus ignorare non poſſunt & à vitio ingratitudinis, omnique alia perverſitate, atque inordinatione ex neceſſitate liberæ ſunt, & immunes, cùm in futuro univerſali judicio vindicandæ, & exterminandæ ſint omnes contumeliæ, & injuriæ, quæ ab initio mundi irrogatæ ſunt creatori, cùm inquam hoc viderint, videlicet ipſum creatorem ſic glorificari, ut nihil appareat, niſi gloria creatoris in mundo, purgato eo ſcilicet, & quicquid immundum, vel turpe erat in eo, quaſi quandam fæculentiam, in ejus infinito, & quaſi fundo dejectam, perpetuoque reſidere, & hoc non ſine magna gloria creatoris tum ex decore juſtitiæ ipſius, quæ ibi omnium oculis eluceſcet, tum ex laudibus beatorum ſpirituum, & glorificandorum hominum, quæ non ſunt ceſſaturæ in ſæcula ſæculorum, quomodò non gaudere poſſent de tanta gloria creatoris, & utique novo gaudio de tam nova, immò noviſſima gloria ejuſdem, noviſſimam dixi, non quia finem faciant glorificationis ipſius, ſed propter admirationem, & immenſitatem ipſius, propterea quod modò vix creditur, & à paucis: quòd ſi dilectos, & electos Dei homines, quos Deum diligere, & à Deo diligi cognoſcunt, non diligunt, & perverſæ, & iniquiſſimæ ſunt hujuſmodi intelligentiæ ſi verò diligunt, de glorificatione igitur eorum nova, erit eis novum gaudium. Verùm ſi dixerit aliquis, quia illam glorificationem, licet futura ſit, iſtæ intelligentiæ jam quaſi præſentem vident, meliùs cum videbunt quandò fiet, quàm modò videant eam, licet futura ſit? Reſpondeo in hoc, quia naturalis cognitio, quam ſolùm ponit eis Ariſtoteles, non attingit altitudinem, ſeu profunditatem tanti miraculi; naturalis enim cognitio rebus naturalibus limitata eſt, nec ultra eas extenditur, ſicut alibi jam audiviſti, quæ verò ſupra naturam ſunt, extra univerſalitatem, & limites rerum naturalium ſunt, quare ad illas naturalis cognitio non pertingit.

CAPUT CXLIII.

Proſequitur magis diffuſè dictam Hierarchiæ diffinitionem, oſtendens qualiter dicti ordines beatiſſimi, divinæ pulchritudini aſſimilentur, & in quibus.

REvertar igitur ad id, in quo eram, & dicam quæ iſte vir ſanctus, & ſapiens, cùm dixit in ſermone ſuo, quia Hierarchia eſt divinus ordo, & ſcientia, & actio, hæc intellexiſſe videtur, quia cœtus ille beatiſſimorum ſpirituum, & ſacratiſſimus principatus eſt divinitùs ordinata ſocietas, ordinata inquam pulcherrimâ diſtributione donorum, ac decentiſſimâ conſtitutione graduum, ad obſequia creatoris, juxta congruentiam donorum, hoc eſt, ſcientiarum & virtutum, quibus illuſtrari ſunt ab eodem, & juxta decentiam officiorum, quibus ea præditi ſunt. Quod verò dixit ſcientia, & actio, ad hanc ipſam ordinationem pertinet; in ipſa enim

E ſcientia, vel ſapientia ordinati ſunt, & ipſa in illis, multa enim alii aliis, & prius & melius cognoſcunt, & de ipſis ſecretis, atque conſiliis creatoris juxta hunc ordinem aliis, & priùs, & clariùs revelationes recipiunt, quas interdùm aliis innoteſcunt juxta beneplacitum ipſius, à quo fiunt. Et hoc inſinuat ille ſermo Propheticus, quo dictum eſt, quia Seraphim clamabat alter ad alterum: hoc igitur eſt unum eorum, in quo Ariſtoteli & ſequacibus ejus contradico, quia de ſubſtantiis hujuſmodi ſenſerunt, quia neque nova cognitio, neque nova alia ulla diſpoſitio, advenire poteſt illis, vel fieri quolibet modorum in eis propter perfectionem naturalem ipſarum, quæ neque additionem, neque aliam mutationem ullo modorum recipit, aut patitur in eiſdem: ſic tibi ſentiendum eſt de ſcientia naturali beatiſſimorum ſpirituum, quia ordinata eſt in eiſdem majoritate, & minoritate, propinquitate & remotione ad luminoſitatem ſapientiæ creatoris, juxta

F hunc modum ſe habet, & de actione, ſecundùm quam expoſui tibi actionem. Quòd ſi actionem intelligere volueris ipſum agendi quamcunque operationem officium, non diſcrepabit intellectus tuus à vero, & veriſimili, & pertinebit evidentiùs ad ordinationem prædictam, quemadmodùm vides in ordinibus, qui apud nos ſunt. Ordinem enim habent dignitatis; alia enim aliis digniora ſunt, habent etiam ordinem ſubjectionis, ſive obedientiæ, & prælationis, ſive imperii, & multos alios, de quibus non eſt tibi opus, ut ponam multitudinem exéplorum, ſeu faciam prolixum ſermonem, nec eſt remotum ab uſu noſtro, ut officium dicatur ipſe, cui impoſitum eſt officium, quemadmodùm mandatum dicitur uſualiter Regis, aut Principis, ipſe, cui

G mandatum datum eſt. Erit igitur intellectus ſermonis iſtius, videlicet, quia Hierarchia eſt divinus ordo, hoc eſt, divinitùs aggregata, & ordinata ſocietas, & ſcientia, & actio, hoc eſt, tam ſcientia, quàm officio, quod eſt dicere, ſcientialiter, & officialiter: ordinatæ namque ſunt ſcientiæ in eis ut prædixi, ordinata etiam officia convenientiſſimâ impoſitione, ac pulcherrimâ diſpoſitione ipſorum, non juxta difformitatem, quæ apud nos, prô dolor, ſæpiſſimè invenitur. Præclariora namque, ac ſublimiora officia illis imponuntur, qui & minimè ſciunt illa exequi, & exercere, & maximè executionem ipſorum oderunt, & pulchritudinem eorum perverſitate ſuâ deturpant intolerabiliter, ac deformant: ibi verò omnia ad congruum, ad decentiam & decorem omnia compoſita ſunt, & conſtituta: omnia quippe officia idoneis impoſita ſunt, & aptis aptiſſimè coaptata: propter quod ſequitur in eodem ſermone, dei formæ, quantùm poſſibile, ſimu-

H lans: & intendo dei formæ, hoc eſt formoſitatem, ſeu pulchritudinem ſimilans, hoc eſt, eximiâ ſimilatione imitans, quantùm poſſibile eſt, hoc eſt dicere, quantùm permittit inferioritas, & remotio, ſeu diſtantia incogitabilis à ſupereminentiſſima præcellentia creatoris, aliter, quantùm poſſibile eſt naturali perfectione; non enim habet, quò ulteriùs ſe extendat apud hujuſmodi ſubſtantias naturalis perfectio, cùm in unoquoque ordinum prædictorũ ſit in ultimitate completionis ſuæ. Jam enim audiviſti aliàs per me, quia vires, & potentia ex ultimitate actuum ſuorum ſunt ibi, quod eſt dicere, quia quæque eſt ibi in actu quanto poteſt majore. De perfectionibus quoque gloriæ ſimiliter ſe habet, quia unaquæque relucet ad Dei pulchritudinem actu quanto majori, ac pulchriori poteſt: non enim poſſent in majores, ac pulchriores actus, niſi novo adjutorio ſcilicet novæ revelationis, aut alio novo munere adjuvétur; non enim contrahunt, ſed potiùs extendunt,

extendunt, inquantùm poſſunt; neque reſtringunt ſe parva, & modica, ſcientes, quia in hoc gloriæ detraherent creatoris, quod eſt dicere, ſi minus in ſe divinæ pulchritudinis oſtenderent, quàm haberent, vel etiam quàm oſtendere poſſent. Aliter dico, quia ſermo iſte, quantùm poſſibile eſt, intelligitur non inconvenienter, quantùm fas eſt, & quantùm dignum eſt, ſive conveniens: neque enim ultra fas, ſeu dignũ eſt, ut divinam pulchritudinẽ imitentur, niſi quantùm ipſa eis conſtituit, & gratuita bonitate contulit. Si quis autem quærat, qualiter, & in quibus ſacratiſſimi, ac beatiſſimi illi ordines aſſimilentur divinæ pulchritudini; licet de hoc tam multa audieris in præcedentibus. Dico, & addo, quia unaquæque hujuſmodi ſubſtantiarum exemplum eſt divinæ, ac beatiſſimæ Trinitatis, & unaquæque ſpeculum clariſſimum eſt illius pulchritudinis, & exemplum quidem Dei patris virtuoſiſſimâ potentiâ, quâ unaquæque prædita eſt: exemplum verò filij luminoſiſſima ſapientia, quâ illuſtrata eſt: exemplum verò Spiritus ſancti vehementiſſimo, ac beatiſſimo ardore ſanctiſſimæ dilectionis, quo inflammata eſt. Tota verò illa ſublimis, ac beata civitas in ſingulis civibus ſuis, ſic conformis eſt dominantiſſimæ, ac ſupereminentiſſimæ Trinitati, & ſic relucet ad ipſam, ut unuſquiſque illorum ſignaculum illius ſimilitudinis ſit, & uniuſcujuſque trium perſonarum divinalium, propter quod & tota civitas in ſingulis civibus, ut prædixi, divinæ pulchritudinis exemplũ eſt: ſed & ipſa tota civitas in ipſa totalitate ſua pace, concordiâ, & bonitate ſanctiſſimi, ac ſinceriſſimi amoris, eximiâ pulchritudine ſimilitudinis ad Dei formam, ſeu divinam formoſitatem, quantùm fas eſt, ſe conformat. Quapropter unaquæque nobilium hujuſmodi ſubſtantiarum, ſicut exemplum eſt, ut dixi, beatæ, & glorioſæ Trinitatis, & ipſa civitas in totalitate ſua, ſicut & ſpeculum clariſſimum divinæ pulchritudinis eſt; ſic unuſquiſque illorum civium per ſe & ipſa civitas in totalitate ſuæ ſpecioſitatis ſimiliter reddens quaſi inſpectori Deo in ſemetipſa ſimilitudinem pulchritudinis illius.

CAPUT CXLIV.

Quid ultima hierarchiæ diffinitionis particula contineat, & de hujus nominis interpretamento.

QUod verò ſequitur in prædicta diffinitione, videlicet, ad inditas ſibi divinitùs illuminationes in Dei ſimilitudinem proportionaliter aſcendens, quod eſt dicere, ad, ideſt, juxta, inditas ei divinitùs illuminationes, quemadmodùm dictum eſt, quia creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, in Dei ſimilitudinem, aſcendens, ideſt elevatus; non enim ſecundùm motum profectus, ſive profectionis, aſcendens dicitur, non enim proficiunt in Dei ſimilitudinem, vel proficiſcuntur in illam, aut in augmentum ipſius, niſi quemadmodùm, & quatenùs audiviſti, videlicet novis revelationum illuminationibus, & gaudiis. Scito tamẽ, quia ſanctus iſte, & ſapiens ponit unicuique ſubſtantiarum hujuſmodi virtutem aſcenſivam, & ab omni humili, & abjecto remotivam, ab omnique inclinatione, & dejectione in terrena fugacem, ſive fugitivam; juxta quem modum ponunt Philoſophi inclinationes in corporibus naturalibus, & dicunt inclinationem in levibus corporibus naturalibus ad ſurſum, inclinationem videlicet ignis eſſe ad ſublimem concavitatis ſphæræ, ſeu cœli lunaris. Et Philoſophi Latinorum vocant inclinationem conatum, eo quòd A totâ virtute ſua tendat, & intendat ignis in locum illum; ſimiliter & tota virtute ſua, atque conatu illi inhæreat, & abrumpi ſe ab illo totâ virtuoſitate ſuâ prohibeat, & niſi per violentiam virtute ſuâ majorem ſeparari ab illo non patitur. Tanta etiam eſt, tamque vehemens inclinatio hæc, ut ab illa non poſſit eſſe declinatio, niſi, quemadmodùm dixi per violentiam vincentem juxta ſermonem Ariſtot. quo dixit. Quia ignis nunquàm deſcendit. Ad hunc modum ſe habet unaquæque beatarum, ac ſublimium hierarchiarum, ut unicuique ſit inclinatio fortiſſima in ſublime divinæ ſimilitudinis, quantùm fas eſt, aut poſſibile eſt, ut prædixi, & adhærentia inabrumpibilis ab eadem, & ſtabilitas inconcuſſibilis in illa, ac vera quies, ac pacatiſſima, eiſdem in illa, tanquàm in loco naturæ ſuæ convenientiſſimo, & in patria, extra quam eſſet ei damnationis exilium, & captivitas, carcer, & locus tormentorum. Rationabiliter igitur dicta eſt hierarchia in Dei ſimilitudinem aſcendens, ex illa, quam dixi B fortiſſima inclinatione, quæ eſt ei tam ex natura, quàm ex gloria, quemadmodùm de inclinatione ignis tibi expoſui. Quod autem dictum eſt, ad, ideſt, juxta, vel ſecundùm inditas eis divinitùs illuminationes, non aliud eſt, quàm ſecundùm intimas à Deo eiſdem datas virtutes, per has enim eſt eis inclinatio, quam dixi, & intentio, ſive aſcenſivitas, & ab inferiorum, ſeque ignobiliorum, fugacitas, ſeu fugivitas. Quod verò adjecit, quia vera interpretatio eſt hierarchiæ, ad Deum, quantùm poſſibile, ſimilitudo, & unitas, ſic intelligendum videtur. Cùm enim interpretatio expoſitio ſit ampliato vocabulo unius ſermonis per alium ejuſdem linguæ, vel alterius, intendiſſe videtur ſanctus, & ſapiens iſte interpretari, vel exponere nomen hierarchiæ per hunc ſermonem ſuum, juxta planum litteræ. Cùm enim hierarchia ſacer principatus interpretetur, & ſit divinus ordo, juxta quod expoſui, & C ſanctitate, & principalitate aſſimiletur, & uniatur Deo. ſanctitate quidem, ideſt, elongatione ab omni execratione, & ab omni inquinamento, quod Deo diſſimilat, & ab ipſo ſeparat; ſimiliter & principalitate, dùm omnem utilitatem ſervitutis, omnemque iniquam dominationẽ refugit, & repellit, & ad regulã rectitudinis divinæ voluntatis ſe ipſam, & omnia quæ ſibi ſubdita ſunt, regit. Et intendo, quia & ſanctitate, & rectiſſimâ, ac modeſtiſſimâ ſui, & ſubditorum gubernatione, Deo aſſimilatur, eo quòd unitur, quantùm poſſibile eſt quod eſt dicere, non unitate eſſentiali, ſed adhærentiâ ſingulari, & immaculata per omnia, de qua dictum eſt. Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo. Et in ſermone Prophetico. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt; qui enim voluntate propriâ, vel ſemetipſum regit, vel quæ ſua ſunt adminiſtrat, à Deo ſe D ſeparat, & contra ipſum ſe erigit, atque ſedem regni, ideſt, regiminis proprij ex adverſò eidem ponit, vel ſtatuit, ſemetipſum ſibi caput conſtituens, & Deum caput habere nolens. Ubi ergo ſolus Deus caput eſſe debuit, ibi aliud caput ſemetipſum erigens, unitatem dividit, pro uno capite duo ſtatuens. Rectè igitur dictum eſt quia interpretatio hierarchiæ, ideſt, ſignificatio, vel intentio, eſt ad Deum, quantùm poſſibile, ſimilitudo & unitas, ſive aſſimilata, & unita ad Deum hujuſmodi ſubſtantiarum ſocietas. Et videtur mihi, quia Græca lingua utitur nominibus abſtractis pro concretis, & econverſò, quemadmodùm & latina; uſualiter enim latinè dicitur, rogo dilectionem tuam, pro eo quòd eſt, rogo te dilectum: & hujuſmodi exemplorum tibi præſto multa eſt copia. Erravit enim quidam, qui dixit interpretem malè tranſtuliſſe pro Græco

Digitized by Google

quod eſt ſcopos, hoc nomen, interpretatio. Cauſa autem erroris iſtius fuit, quia ignoravit ſignificationem hujus nominis intentio; illam ejus inquam ſignificationem, quâ ſignificatio vocabuli dicitur intētio ejuſdē. Etiam uſitatum eſt apud Philoſophos tam Græcos, quàm Larinos, ut intentio cujuſcunque vocabuli ſignificatio ejuſdem dicatur; interpretatio verò pro ſignificatione ſæpiſſimè accipiatur. Ex hoc etiam alius error, qui interpretem ejuſdem hujus libri, qui de ſacris principatibus eſt, involvit; dixit enim pontificata pro eo, quod eſt in Græco, epiſcopata, timens, ut videtur, plus nominationem hanc epiſcopata, quàm illam aliam, cùm econversò ei faciendum videretur; epiſcopata enim rectiſſima tranſlatione, & interpretatione ſuperintenta dicitur, juxta quod expoſui tibi in præcedentibus de igne, cujus inclinatio eſt in ſublime concavitatis cœli lunaris, & rectiſſimè hujuſmodi inclinatio intentio dici poteſt; non enim aliud videtur inclinari in locum illum, quàm intendere in illum; & intendere non eſt aliud, quàm tendere in ſuper: quēadmodùm igitur de igne diceretur, quòd eſſet epiſcopatus, ideſt ſuperintendens, hoc eſt, tendens in ſuper, quod ſuper eſt locus ſuperior in mundo ſublunari; & unaquæque beatiſſimarum hierarchiarum eſt epiſcopata, ideſt tendens in ſuum ſuper, quod non eſt niſi ſimilitudo, qualis poſſibilis eſt eis, ad perfectionem, & pulchritudinem creatoris. Sicut igitur ignis nihil habet inclinationis ad inferius, ſed totaliter eſt inclinatus, & tendens in ſuum ſublime, quod dixi, ſic beatiſſimæ iſtæ ſubſtantiæ nihil habent inclinationis in deorsùm ullo modorum, ſed totaliter, hoc eſt totalitate ſuarum virium, atque perfectionum, in ſublime ſuum, quod dixi, inclinatæ, & intendentes ſunt. Fiet autem apertiùs, quod dico, ſi conſideraveris naturam animarum noſtrarum, quæ duas habent naturaliter inclinationes; alteram quidem per ſe, videlicet in ſublime ſuæ perfectionis: alteram verò ad corpora ſua, & hoc non eſt illis per ſe, ſed ſicut in viam quandam, & adminiculum ſuarum perfectionum inclinantur; corpora namque nonnulla adminicula præſtant eis ad perfectiones quaſdam, verùm in illis non ſtant, neque quieſcunt ſtabilitate perpetuâ, neque ſunt eis deſiderabiles per ſe, & propter cauſam, quam dixi. De his enim perfectionibus ſunt ſcientiæ propheticæ, & quædam virtutes conſuetudinales; quoniàm per has adjuvantur ad cognitionem, & admirationem, atque magnificationem creatoris, & præparantur utcunque ad longè nobiliora, ac præſtantiora dona gratiæ creatoris, per quam potentes efficiuntur, & aptæ promereri ab eo ſublime illud divinæ aſſimilationis, poſt quod non eſt eis expectatio ulla, nec deſideriū ulterioris acquiſitionis: & quemadmodùm iſta ſublimitas, & reverà vera fœlicitas non obtinetur, nec quæritur, niſi per gratiam creatoris, ſic neque deſideratur, neque cognoſcitur, niſi per ipſam. Propter quod non eſt animabus noſtris naturalis inclinatio, ſive intentio in ipſam, ſed in ſolam perfectionem naturalem, quæ ſuper omnem æſtimationem, & cogitatum inferior eſt, quàm ipſa: & de perfectionibus iſtis animarum noſtrarum multa jam audiviſti per me in tractatu de virtutibus.

E

CAPUT CXLV.

Quòd tria officia, illuminatio ſcilicet, purgatio, & perfectio ipſis beatiſſimis hierarchiis attribuuntur; & de ratione dictarum nominationum, & in qua acceptione ipſis conveniant.

HAbet autem quæſtionem ſermo ſapientis iſtius quo aſſignavit, & attribuit beatiſſimis hierarchiis tria officia, videlicet illuminationem, purgationem, atque perfectionem. Videtur enim intellexiſſe illuminationem, vel quâ illuminantur à lumine primo, quod eſt creator b nedictus, vel illuminationem, quâ illuminant ipſæ ſubditas, & poſt F ſe, ſive iuſta ſe collocatas beatiſſimas ſubſtantias: quòd ſi intellexit illuminationem, quâ illuminantur ipſæ à lumine primo, hoc videtur abſurdiſſimum, primùm, quoniàm non eſt conſuetum officium eſſe ad paſſiones, ſeu receptiones, quin potiùs ad actus, & diſtributiones; qualiter enim officium lignorum, vel aliorum combuſtibilium eſſe poteſt comburi? maximè cùm officium poteſtatem ſonet: comburi verò impotentia ſit. Ampliùs. Manifeſtum eſt tibi, quia officium diffinitur apud oratores, congruus actus uniuſcujuſque perſonæ ſecundùm mores, & inſtituta patriæ, quomodò igitur paſſionem illuminationis, ſeu receptionem intelligere potuit officium beatiſſimorum ſpirituum iſtorum? Si verò intellexit illuminationem, quâ illuminant; & hoc ipſum non eſt nſquequaque clarum, vel evidens; qualiter enim illuminent, G & quos illuminent, reſtat quærendum: quia creatoris dare quidem ſapientiæ lumen, vel cujuſcunque virtutis, ſolius eſt. Ampliùs. Omnes illæ illuminationes, quæ apud beatiſſimas hierarchias dantur, vel recipiuntur, non ſolùm gratiæ eſſe videntur, ſed etiam gloriæ. Quia igitur ea, quæ gratiæ ſunt, dare, creatori ſoli poſſibile eſt, multo fortiùs ea, quæ gloriæ ſunt donare, non erit alij cuiquam poſſibile. Quia igitur illuminare eſt lumen dare; illuminatio enim non eſt niſi luminis datio, manifeſtum eſt illuminationes non eſſe poſſibiles beatiſſimis iſtis ſpiritibus, officium autem nunquàm eſt alicui ad actū impoſſibilem. Quòd ſi dixerit quis, quia non ſunt datores luminum iſtorum, ſcilicet miniſtri, quemadmodùm doctores non ſunt datores ſcientiarum, ſed miniſtri quidam, & adjutores diſcipulorum ad percipiendas illas, ipſi etiam libri adjumenta magna, & efficientia ſunt, nec tamen eos dicimus datores ſcientiarum. Quòd ſi ad modum doctorum, ſive docentium, & hoc ipſum difficile eſt videre qualiter fiat ab eis; videlicet, an per H ſe ipſos, an per ſigna aliqua, quemadmodùm doctores, & libri, ſicut prætetigi tibi in ſermone illo, quo dictum eſt, quia Seraphim clamabat alter ad alterum; clamor enim hujuſmodi non videtur fuiſſe clamor vocalis, ſive vocis ſenſibilis; ſupervacuè enim ad ſpirituales ſubſtantias fiant, cùm non deſerviant niſi ſenſibus Prophetæ. Ampliùs. Cùm nec os, nec labia, nec lingua, nec palatum, nec alia inſtrumenta, quibus vox audibilis perficitur, & clamor, ſicut in animalibus, ſint in hujuſmodi ſubſtantiis; qualiter vox, vel clamor eſt apud eas? Et ſimiliter, cùm nec auris, nec auditus ſit in eis, ad quid clamor ſenſibilis fieret eis? Hoc igitur in ſequentibus explicare tentabo. Dico igitur in hoc, quia tres iſtæ nominationes, intentiones duplices habent; dicuntur enim ſecundùm habitum, ſeu potentiam, & ſecundùm actum; & ſecundùm habitum quidem nihil aliud eſt illuminatio, quàm luminoſitas, ſimiliter & purgatio non eſt niſi puritas.

Digitized by Google

Er ad hunc modum perfectio non eſt in eis, niſi plenitudo, ſive integtuas eorum, quæ ſunt ad eſſe, vel bene eſſe. Sanctus autem vir, & ſapiens iſte interdum intendit in iſta tria actus eſſe officiorum beatiſſimarum ſubſtantiarum hujuſmodi, quod quidem eſſe poſſet multis modis, quod ſcire te faciam exemplis, quæ tibi ponam ad hoc quoniàm viſus lumen dicitur & propter hoc illuminatus, qui lumen viſus recipit, & illuminans, qui illud dedit, atque conſequenter illuminator, qui ſic illuminandi, vel uſum habet, vel officium, vel poteſtatem. Lucerna quoque illuminare dicitur, ſimiliter & qui tenet eam, vel adhibet alicui ad hoc, ut videat, vel melius videat. Propter quod & lucerna verbi Dei illuminare dicitur audientem, atque legentem illud, & ipſe doctor, vel prædicator, qui adhibet eam per aures oculis, ſeu viſui cordis, illuminare dicitur Ad hanc cauſam doctores, & prædicatores in lege Chriſtianorum mundi lux dicti ſunt: nec tamen datores luminis, propter hoc, vel auctores habendi vel dicendi ſunt, ſed miniſtri luminis tantùm, præcedentes videlicet; & adhibentes illud prædicto modo illuminandis hominibus, auctor verò, & dator omnis luminis ſpiritualis non dubitatur eſſe creator ſublimis, & benedictus. Qualiter igitur conveniens ſit beatiſſimis ſpiritibus illuminare vel nos homines vel quoſdam de ſe, jam tibi manifeſtum eſt ex his, quemadmodùm de doctore, qui lumen ſcientiæ, quod habet in anima ſua, adhibet vel per vocem, vel per ſcripturam, vel per quodcunque aliud ſignum interiori viſui, ſeu intellectui, ejus quem docere intendit. Verùm qualiter hoc fiat à lucidiſſimis iſtis ſubſtantiis, ſive in quibuſdam earum, ſive in nobis, nondùm declaratum eſt per me alicubi, neque etiam mihi per alium, ſigna quippe ſenſibilia non habent locum apud eas, ſicut neque vox neque clamor, neque ſcriptura, quemadmodùm in proximè præcedentibus audiviſti, & propter hoc quis modus ſit illuminationis, quo ſublimes iſti ſpiritus illuminare dicuntur, declarare, ut potero, citò poſt hæc aggrediar. Interim ergo tibi determinatum ſit nunc, quòd licet occultus ſit modus iſte tibi adhuc tamen manifeſtum eſt tibi, quia longè ampliùs poſſunt in illuminationem inferiorum ſuorum, quàm ipſi doctores noſtri, & multò ampliùs operantur ad illam. Quapropter ſi doctores verè illuminare dicuntur illos, quibus lumen ſcientiæ juxta modum, quem dixi, miniſtrent, multò fortiùs iſti luminoſiſſimi ſpiritus illuminare dicendi ſunt.

CAPUT CXLVI.

Quomodò intelligatur ſubſtantias aliquas aliis puriores eſſe, & de ipſarum purgationis eſſentia, & ratione.

DE purgatione verò duas habet quæſtiones, unam, quâ nihil purgandum videtur eſſe poſſe in infimis etiam omnium illorum ordinum ſpiritibus, quare officium purgationis ſupervacuum eſſe omninò videri poteſt, quantùm ad illos, alteram verò quæſtionem facit ipſa eſſentia purgationis, quæ nec verè, nec propriè, videtur eſſe poſſe, niſi de maculis, aut maculoſis, aut impuris Manifeſtum autem eſt, quia maculæ iſtæ non eſt poſſibile ut ſint corporales; ſimiliter neque impuritas, aut inconvenientis admixtio poteſt ibi cogitari corporalis: maculæ autem ſpirituales quid ſunt niſi vitia, aut peccata? hæc verò delere, ſive purgare, ſolius virtutis eſt omnipotentiſſimæ creatoris, illique ſoli conveniens Dico igitur in hoc, quia ſicut ſunt inter eos aliqui aliquibus lucidiores, ac ſanctiores, ſic & puriores, ab omnique aliena, & indecente admixtione remotiores, quemadmodùm ſi propinquiores efficerentur lumini primo efficerentur lucidiores ex neceſſitate, ſic ex neceſſitate efficerentur & puriores, non quidem deterſione ſordium, & majori elongatione ab illis, ſed majori receptibilitate beatiſſimarum influentiarum, quæ ex magnificentiſſima largitate creatoris pro beneplacito ſuo indeſinenter deſcendunt, & ad inſtar terſiſſimorum ſpeculorum, hoc eſt, nihil omninò fæculentiæ, vel labis habentium, quæ efficiuntur ſplendidiora in apparitionibus ad pectora, efficerentur iſta ſpiritualia ſpecula divinæ pulchritudinis apparitionibus, ſeu reſultationibus convenientiora, ac receptibiliora. Nec te conturbet quod alibi determinatum eſt tibi; videlicet de ſimplicibus ſubſtantiis, qualiter depurationem recipiunt, cùm admixtionem fæculentiæ nullam habeant, aut qualiter virtutes, quæ ſimplices ſunt, magis, & minùs recipiant cùm hoc non aliter eſſe poſſe videatur, niſi per depurationem ab admixtione contrarij, aut per admixtionem ejuſdem, quemadmodùm in corporibus mixtis, & mixtibilibus invenitur: jam enim dixi, quòd in ſimplicibus, ſive ſubſtantiæ ſint, ſive alia, per elongationem fit, & appropinquationem, juxta quod dixi in proximo Addo autem hîc tibi, quia remiſſio lucis, ſive luminis non eſt per admixtionem tenebrarum neque remiſſio motus per admixtionem quietis. Tunc enim motus æqualis qualis eſt motus circularis, totus eſſet quies, & nihil haberet veritatis, aut eſſentiæ motus, & hoc jam alibi per me tibi declaratum eſt. Sic dico, quòd remiſſio, ſeu obſcuratio, viſus non eſt per admixtionem cæcitatis. Quod igitur verus, & purus motus invenitur remiſſus, & minus velox alio, manifeſtum minoritatem iſtam, ſive remiſſionem non eſſe per admixtionem quietis, alioquin nec verus, nec purus motus eſſet motus hujuſmodi. & ita nec verè, nec purè movetur aliquod cœlorum, cùm intelligibile ſit motu primi cœli aliquem eſſe, vel poſſe eſſe velociorem. Hic eſt modus, quo ſolo locum habere poteſt purgatio in ſublimibus ſubſtantiis, videlicet illis dando cauſam, vel occaſionem majoris appropinquationis ad fontem inundantiſſimum puritatis, qui eſt creator benedictus. De purgatione verò peccatorum jam noſti, quia uſu certiſſimo apud gentem Chriſtianorum per ſacerdotes, homines utique, dicuntur & tolli, & deleri, & remitti peccata, hominesque juſtificari, ſacrari, & ab omnibus peccatorum maculis, ſeu ſordibus emundari, & modum etiam, quo illud dicatur, atque intentionem, non ignoras: non enim auctores, ſeu largitores ſanctitatis dicuntur ſacerdotes, ſed miniſtri ſolummodò, videlicet, quia miniſterio eorum datur, non ab eis. Et intendo, quia miniſterio eorum adeſt virtus omnipotentis, ac miſericordiſſimi creatoris, quemadmodùm orationibus eorum, cum ritè fiunt, adeſt pius, ac promptiſſimus exauditor, faciens quod ab eis petitur: ſic miniſteriis exterioribus eorundem adeſt ipſe inter quos operatur, efficiens interiùs, ac ſpiritualiter quod deſignat exteriùs miniſterium eorundem. Jam igitur patefactum eſt tibi per hæc, quia purgatio nec fit, nec dicitur in ſubſtantiis ſpiritualibus, vel diſpoſitionibus earum, per depurationem ab earum contrariis. Verùm, quòd animæ noſtræ purgari dicuntur, & reverà purgantur, cùm deponunt ſordes vitiorum, & cùm ſeorſum fiunt ab omnibus innaturalibus, & apprehenſionibus, & affectionibus, non dicitur hoc per modum illum, qui eſt depuratio alicujus ab admix-

tione cõtrarij ſui, cùm ea, quæ prædixi, non ſint contraria animabus noſtris verâ ratione contrarietatis, quamvis ſint obſcurantia eas multipliciter, quia noxia eiſdem, & impedientia illas; non enim admixta ſunt illis, ſed potiùs in ipſis ſunt, quemadmodùm accidentia in ſubjecto. Nemo verò adhuc cogitavit admixtionem eſſe veri nominis inter accidens, & ſubjectum eorum, cùm eorum conjunctio utrumque ſalvatum eſſe eſſentialiter permittat, quod admixtio vera in neutro mixtorum patitur ullo modo. Purgatio igitur, prout verè dicitur in rebus antedictis, elongatio eſt à maculantibus ipſum, de quo dicitur, & de hoc ſuppetit multa tibi copia exemplorum, & hic eſt modus manifeſtiſſimus, ac communiſſimus apud legem, & doctrinam Chriſtianorum in animabus humanis. Unde purificari, mundari, ſanctificari, & lavari per ipſa, quæ ipſi nominant ſacramenta, dicunt animas noſtras; & miniſtros hujuſmodi purificationum, & ablutionum, ſicut prædixi, nominant ſacerdotes tanquàm ſacra dantes, non quidem virtute ſua, & largitate, ſed miniſterio, quo prædixi. Neque enim qui feneſtram aperit, vel alio quolibet modo viam patat, quâ ingrediatur lumen, à ſciente dator luminis dicitur, niſi multùm ampliatâ, & extenſâ, ultra proprietatem ſuam intentione vocabuli; ſimiliter neque qui componit in rogum ligna effector ignis, aut dator propriè habendus eſt, vel dicendus; ſic neque qui plantat, aut rigat, aut arat, aut ſeminat, dator rectè dicitur frugum, aut fructuum, licet nonnullum adjumentũ miniſterio ſuo præbeat ad generationem ipſarum: ſic neque doctrina, vel prædicationis magiſtrorum dant, vel efficiunt eruditionem, aut motum compoſitionem in auditoribus; quin potiùs omnipotentis, ac miſericordiſſimi virtus creatoris, ſicut lucerna, aut qui lucernam adhibet, ſive anteponit oculis alicujus, non præſtat viſum eidem, aut efficit illum in ipſo; verbum autem doctrinæ, vel prædicationis lucerna eſt, ſicut ait ſermo propheticus: Lucerna pedibus verbum tuum. Congruit & aliud exemplum, de illo ſcilicet, qui excitat dormientem, de quo manifeſtum eſt, quòd non dat ſenſum, aut virtutem ſurgendi, & ambulandi. ſed tollit impedimentum, quod hujuſmodi vires prohibeat ab actibus ſuis, videlicet ſomnum, qui ſenſum, & virtutem ſurgendi, & ambulandi prohibet in dormiente ab operationibus ſuis, quemadmodùm vinculum quoddam ligatas eas tenens, juxta ſententiam Ariſtotelis in libro de ſomno, & vigilia. Nemo quoque dubitare poteſt de illo, qui ſolvit ligatum à vinculo, quòd virtutem illi movendi ſe, vel ambulandi, non tribuit, ſed ab impedimento, quo virtus ejus motiva prohibebatur operari, eam liberat, & expedit, ſic qui feneſtram aperit, non lumen præbet domui, vel introducit, ſed impedimentum, quo lumen intrare prohibebatur, removet, & tollit.

CAPUT CXLVII.

Quòd macularum, & inquinamentorum, quibus animæ noſtræ polluuntur, abſterſiones, & remiſſiones, ſoli creatori, quæ verò erga homines fiunt, ſicut injuriarum, & ſatisfactionum, & ſimilia, homini poſſibiles ſunt.

VTrùm autem iſto modo conveniat intelligi de ſanctis, ac ſublimibus iſtis ſubſtantiis, quod purgare dicuntur, vel quædam illarum ad quaſdam alias, vel ſaltem animas noſtras, an alio quolibet modo non immeritò dubitari poteſt: non enim ad modum miniſtrorum, qui ſacerdotes vo-

E cantur, miniſteriis exterioribus purgare videntur. Sed neque ille de Seraphim, qui attactu calculi, quem tulerat de altari, labia Prophetæ purgare dictus eſt, miniſterium hujuſmodi, ſacerdotale videlicet, adhibuiſſe videtur. Præſertim, cùm totum illud in viſione factum fuiſſe dubitari non poteſt; præſertim cùm de altari materiali ibi agi non videatur. Quod ſi etiam fieret, nec calculus in eo convenienter fuiſſe intelligi poſſet, qui etſi ibi fuiſſet virtutem ſic purgativam nullatenùs habuiſſet: qualiter enim credibile eſt calculum vim, ſeu virtutem purgativam inquinamentorum ſpiritualium habere potuiſſe? ſed neque virtus angelica ad hoc potens eſſe videtur, ſicut neque virtutes infundere, ſic neque vitia tollere poſſe, angelicæ virtutis eſt, nulla inſuper legum nominatarum trium, nulla doctrina, quæ ſecundùm aliquam earum ſit, adhuc auſa fuit attribuere hoc alicui virtuti, vel potentiæ, vel quantumcunque nobili, vel eminenti creaturæ, invocari quippe invenies ſublimes il-

F las, ac beatiſſimas virtutes, & rogari ab hominibus, & potiſſimùm à gente Chriſtianorum, quæ ſola in hoc plenè edocta eſt, invocari inquam ſublimes illos, ac beatiſſimos ſpiritus, ut ipſi eos adjuvent apud miſericordiam creatoris ad obtinendam remiſſionem peccatorum, non ut ipſi præſtent illam: ſanctificatio quoque, & juſtificatio animarum ſoli Deo attributa eſt ſemper à Prophetis. Propheta namque erat, qui dicebat ad ipſum, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam; ſimiliter illud. Ampliùs lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; & iterùm: Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Crebrò etiam ingeminat lator legis Hebræorum: Ego Dominus, qui ſanctifico vos; ex perſona creatoris loquens,

G & alius ejuſdem gentis Propheta: Ego ſum, qui deleo omnes iniquitates tuas propter me, & alia multa hujuſmodi. Ampliùs. Peccata, & offenſas, quæ in Deum committuntur, quis remittere poteſt, niſi ipſe? ſimiliter & à debitis, quæ Deo ſoli debētur, quis poteſt abſolvere, præter ipſum? Quòd ſi dixerit quis, quia ſaltem peccata, quibus peccatur in homines, homines poſſe remittere videntur. Dico igitur in hoc, quia remiſſiones peccatorum, quæ fieri dicuntur ab hominibus in homines, remiſſiones ſunt aut injuriarum, aut ſatisfactionum, aut pecuniarum, ſeu aliarum rerum, quæ in poteſtate hominum poſitæ ſunt: pœnarum verò æternarum remiſſiones non ſunt poſſibiles hominibus: ſimiliter macularum, & inquinamentorum, quibus animæ noſtræ polluuntur ablutiones, & exterſiones ſoli omnipotenti creatori poſſibiles

H ſunt.

CAPUT CXLVIII.

Quòd vitia in poteſtate noſtra ſunt, virtutes verò non cùm nobis à creatore dentur, & ſola vitia fugare poſſunt, & purgare.

QUòd ſi dixerit quis, quia abolitio, & deſtructio virtutum, non ſolùm poſſibiles ſunt hominibus, ſed etiam facillimæ, cùm omnes virtutes omnibus vitiis indubitanter ſint incomparabiliter fortiores, ſicut declaratum eſt tibi in tractatu de virtutibus; quomodò igitur infirmitas, & debilitas vitiorum, & macularum, virtutum pulchritudini contrariatũ, non efficiet deſtructionẽ, & abolitionem earum hominibus multo poſſibiliorẽ, multoque faciliorem? Reſpondeo in hoc, quia audiviſti in hujuſmodi quæſtionibus penè vulgarium, &

Digitized by Google

A ab altitudine ſapientiæ remotiſſimorum, qui dixerunt, quia facilius eſt deſtruere, quàm conſtruere. Sermo autem iſte illorum nec diſſolvit nodum, nec difficulatem explicat propoſitæ quæſtionis. Scito igitur, quia vitia, & peccata ſicut vulnera ſunt, & ſicut mortes animarum, non tantùm ſicut inquinamenta, & ſordes, & propter hoc, quia non ſolùm eſt poſſibile, ſed etiam facile hominibus vulnera, & mortes ſibi inferri: ea verò tollere, id-eſt, vulnera, & mortes, non ſolùm difficile, ſed etiam interdùm impoſſibile. Et hoc utique de corporis vulneribus, & mortibus manifeſtum eſt omnibus. De ſpiritualibus verò vulneribus, & mortibus multò manifeſtiùs eſt illa diligenter conſiderantibus: vitia ſiquidem, & peccata, non recedunt ab animabus noſtris, niſi per virtutes contrarias, ac ſublimes, quæ omninò in poteſtate noſtra non ſunt, B cùm ſint creatoris dona gratuita, bonitate ipſius ſola in animas noſtras deſcendentes. Quemadmodùm igitur ſi aqua non eſt in poteſtate alicujus, neque ablutio, quæ per ipſam ſolam fit, erit in poteſtate illius; ſic aqua illa divinæ gratiæ, cujus rivuli virtutes ſingulæ ſunt, non eſt in poteſtate noſtra, & propter hoc neque ablutio ab inquinamentis vitiorum, & peccatorum, quæ per illam ſolam fit in poteſtate noſtra eſt. Ea verò, quibus inquinantur & maculantur animæ noſtræ, non ſolùm propè nos, & in poteſtate noſtra ſunt, ſed etiam plerumque nobis ſe ingerunt, & ex nobis ipſis, quaſi ex tarugine nobis innata, vel indita, oriuntur Manifeſtum ſiquidem eſt ubi delicias, & divitias corporales cæteraque hujuſmodi, propè nos eſſe, noſque quaſi undique circundatos obſidere, ſcis etiam penè aſſiduâ experientiâ ex nobis oriri paſſiones concupiſcentiarum carnalium, quarum quædam immundæ, & noxiæ ſunt, & reverà plures earum, quod dico propter famem, & ſitim naturales, & C alias hujuſmodi, quæ non inquinant animas noſtras, niſi vel ordinem, vel menſuram exceſſerint. Sic dico de paſſionibus iræ, & timoris, doloris, & gaudij. quæ non ſemper noxiæ ſunt, aut perverſæ, quin potiùs interdùm rectæ, atque laudabiles, & animas noſtras nullatenùs inquinantes, ſed potiùs decorantes. Cùm enim ira fuerit pro quibus meritò iraſcendum eſt; & nec præceps fuerit, nec infrænis, erit in anima velut ejuſdem decentiſſima pulchritudo, alioquin non erit leonina rabies, aut lupina, ſubvertens in primis ſubjectum proprium, & bona, quæ in eodem ſunt, velut incendium, faciens ipſam faciem mentis, velut vultum combuſtum, horrificam, & deformem. Hæc igitur purgatio non eſt, niſi depoſitio hujuſmodi ſordium, ſive ablutio, aut emundatio ab ipſis: labia igitur prophetæ nec virtute ſpiritus illius, qui ad eum de Seraphim volaverat, nec virtute calculi illius purgati D ullatenùs potuerunt, ſed virtute omnipotentiſſimâ creatoris, nec calculus adhibitus eſt, ut purgationem illam efficeret, quod utique nullo modorum poterat, ſed ut illam prophetæ ſignificaret: virtus enim purgativa omnis de altari inviſibili ſumitur, hoc eſt de altitudine, & immenſitate miſericordiæ creatoris: inde enim animabus humanis venit purgatio, & omnis ſanctificatio, omniſque firmitas, atque ſoliditas ſpiritualis, omniſque calor vivificus, ſeu vitalis, qui non eſt niſi ardor ſanctæ, Deoque placitiſſimæ dilectionis, quæ omnia in calculo deſignata ſunt. Quòd ſi juxta planum literæ de altari viſibili ſumptus fuit calculus corporalis, certum eſt facillimum eſſe omnipotentiæ creatoris in hujuſmodi actu illius calculi purgaſſe labia prophetæ, ideſt, peccatum labiorum, quod timebat, abſterſiſſe: calculum autem, & miniſterium angelorum,

A adhibitos fuiſſe ad miniſterium, & deſignationem ſolummodò purgationis illius, non ad virtutem, vel neceſſitatem effectionis ipſius. Et hæc quidem ita hîc determinata ſint tibi.

CAPUT CXLIX.

Quòd ſpiritus illi beatiſſimi animarum noſtrarum purgationes ſua virtute efficere nequaquam poſſunt, juvant autem plurimum, & hoc multifariam.

REvertar igitur ad in quo eram, & dicam, quia ſancti, ac beatiſſimi illi ſpiritus purgationes animarum noſtrarum non efficiunt, aut perficiunt virtute ſua, ut prædixi, ſed eas adjuvant multipliciter, & procurant. Et primùm quidem impetrando B eas nobis ab omnipotente & univerſali bonorum datore, qui eſt Deus altiſſimus, impetrando inquam orationibus ſuis, deinde abſterrendo, & arcendo malignos ſpiritus à nobis, qui nos inquinant, & polluunt ſuggeſtionibus ſuis. Cogitationes, nã-que & imaginationes quas nobis vel ſuggerunt, vel ingerunt, plerumque accendunt in nobis deſideria, & delectationes, & alias paſſiones, quas nemo dubitat inquinamenta eſſe animarum: quamquàm etiam ipſæ cogitationes, & imaginationes interdùm immundæ ſint. Quoties igitur malignos ſpiritus ab hujuſmodi ſuggeſtionibus, & ingeſtionibus ceſſare compellunt, ab earum pollutionibus animas noſtras liberant ſaltem in hoc, ut in eis, ſaltem illa hora, non ſint in effectu. Tertiò contrario ſuggeſtionibus purgationem animarum noſtrarum adjuvant angeli ſancti, & procurant. Sicut enim illæ malignorum ſpirituum ſuggeſtiones animas noſtras obſcurant, & inquinant; ſic angelorum ſanctorum ſpirituales allocutiones animas noſtras ſplen- C dificant, & emundant, non ſolùm ratione contrarietatis inquinationes illas depellentes, & abſtergentes, ſed etiam virtutes animarum noſtrarum naturaliter confortantes, & quodammodò elevantes. Ampliùs. Omnis virtus, & omnis potentia debito uſu ſuo, & moderato confortatur, & expeditur, & quodammodò exacuitur, ſicut econtrariò abuſione ſua, & otio, atque uſu immoderato hebetatur, obtunditur, & flacceſcit, ſi tamen in ſtatu eſt receptibili meliorationis, quod dico propter ſtatum completæ gloriæ, in quo nihil ulteriùs expectatur. Ibi etiam non habet locum abuſio, vel hebetatio, ſeu debilitatio quæcunque cujuſcunque virtutis, ad ſtatum igitur præſentem vitæ iſtius refero, quod prædixi de hoc. Hujuſmodi autem indicium eſt manifeſtum expeditio, & promptitudo, quæ acquiritur virtutibus noſtris naturalibus ex D bonis aſſuefactionibus. Quartò adjuvant, & procurant, beati ſpiritus purgationem animarum noſtrarum eruditionibus ſuis, quibus oſtendunt animabus noſtris, & frequenter ſuggerunt noxietatem, vilitatem, fugacitatem divitiarum, & fallacitatem vitiorum, & peccatorum, atque omnium eorum aliorum, quibus ad illa trahuntur: ſic enim non ſolùm contemptibilia, ſed etiam odibilia, atque horribilia illa nobis efficiunt. cõtemptus autẽ atque horror, & odium elongationes ſpirituales ſunt ab his, de quibus ſunt Per hunc igitur modum longè faciunt animas noſtras ab inquinamentis vitiorum, & peccatorum angeli ſancti. Elongatio autem ab inquinamentis, & impuritatibus purgatio quædam eſt: hoc igitur modo purgationem animarum noſtrarum ſancti angeli adjuvant, & procurant. Quinto verò modo per contrarium ad amorem, & deſiderium puritatis, & ſanctitatis animas noſtras

Digitized by Google

accendunt. Amor autem puritatis, & deſiderium appropinquatio eſt ſpiritualis ad illam. Jam autem noſti, quia appropinquatio ad puritatem purgatio quædam eſt, ſicut appropinquatio ad puriſſimum. Quòd ſi dixerit quis, quia ſufficit alterum contrariorum fugare, & abolere reliquum totaliter à ſubjecto, in quo eſt; & propter hoc purgare ipſum ab illo: quare non eſt neceſſarius purgator alius animabus noſtris inquinatis per vitia, vel peccata; aut opera ipſorum, niſi applicatio earum, & aſſuefactio ad contraria. Scito igitur in hoc, quia ſi poſſibile fortaſſe ſit, ut aſſuefactio in operibus largitatis deſtruat penitùs, & abradat habitum avaritiæ ab anima, in qua eſt, non tamen facile, & forſitan neque poſſibile eſt animæ, quæ vitio avaritiæ irretita eſt, & oppreſſa, aſſuefacere ſe per ſemetipſam operibus largitatis; teterrimo enim atque tenebroſiſſimo carcere, & vinculis fortiſſimis ligata tenetur, & ſicut audire conſueviſti in ſermonibus moralium exhortationum, velut in profundo ſepulchro malæ conſuetudinis preſſa. Nolo tamen hîc negare, quin aſſuetudo non furandi, & non rapiendi, & cæterorum hujuſmodi, quæ avaritiæ ſunt, extinguere poſſint famem illam habendi validam, & ſitim illam ardentiſſimam avaritiæ; quemadmodùm longa tenuitas diætæ guloſitatem; opera enim vitiorum omnium quaſi pabulum ſunt, & nutrimentum illorum. Et propter hoc ſubtractis lignis extinguitur ignis per ſemetipſum nullo ſufflante. Propter hoc autem, id eſt, propter abolitionem, ſeu deletionem avaritiæ, non eſt neceſſe, ut ſtatim ſuccedat habitus largitatis; ſive enim conſuetudinalis ſit hujuſmodi habitus, ſive deſuper adveniens, & infuſus, privatio ſola avaritiæ non eſt cauſa, quæ facere ſufficiat illum debere eſſe. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm conſuetudinales habitus aſſuefactione operum acquiruntur, & quodammodò generantur. Habitus verò deſuper infuſi, qui Theologici uſualiter vocantur, nonniſi de fonte gratiæ, ſeu gratuitæ bonitatis creatoris in animas humanas deſcendunt. Debes autem ſcire in hoc, quia mundatio, ſive purgatio hæc non liberat ſic purgatum ab offenſa creatoris, & culpa. Quapropter neceſſaria eſt ſic purgato reconciliatio ad creatorem, & placatio ipſius, quâ impetretur propitiatio ipſius, & effugiat vindictam ejuſdem: reus enim eſt mortis, & iram creatoris incurrit homo hujuſmodi primo opere avaritiæ ſuæ; non enim qui occidit hominem unum, licet multis millibus hominum pepercerit, immunis eſt à culpa, & offenſa creatoris: neque qui unicum adulterium commiſit, licet innumerabilia non committat, reus non eſt adulterii; nec propter hoc dignus eſt, ut ei parcatur à judice ſuper illo adulterio, quoniàm à multis aliis abſtinuit, quemadmodùm quidam ſtultus, cùm confitetur ſe domum Dei quandam, id eſt Eccleſiam, combuſſiſſe, diceretque parci ſibi debere, quia multis hujuſmodi domibus pepercerat, nolens eas comburere, quid aliud reputari debuit, quàm infamis? Sunt & alia multa adjumenta, quæ Angeli ſancti præſtant hominibus, quæ in ſequentibus enarrabuntur, & enumerabuntur tibi: modum autem alium, quo Angeli ſancti quidam quoſdam alios purgare dici debeant, nondùm inveni. Tentabo autem inveſtigare de hoc in ſequentibus, cùm de colloeutionibus eorum ad invicem, & de allocutionibus eorum ad nos, inquiram; non enim ignotum eſt tibi, quin multa, & majora de ſecretis creatoris aliquæ aliis noverint. Et cùm tota purgatio eorum ſit aſſimilari, quatenùs poſſibile eſt creatori in munditia, & puritate, manifeſtum eſt quia quantò ampliùs puritas, & ſanctitas creatoris eis innoteſcit, tantò

E ampliùs diligunt illam, & in amorem, ac deſiderium ejuſdem, atque in ejuſdem ſimilitudinem avidiùs rapiuntur. Et forſitan iſte amor, atque aviditas, non ſolùm appropinquatio ad illam, ſed etiam aſſimilatio ad illam eſt, nec dubium eſt illis beatiſſimis ſpiritibus virtutes multas eſſe nobis imperſcrutabiles, & inattingibiles.

CAPUT CL.

De perfectione hujuſmodi ſpirituum, & de differentia lucis corporalis, & ſpiritualis.

De perfectione verò, quæ beatiſſimis, ac ſublimibus ſubſtantiis ſpiritualibus attribuitur, jam dixi tibi, quia ſecundùm duas intentiones intelligi poteſt nominatio perfectionis. Primò, ut F perfectio accipiatur, quâ ipſi perfecti ſunt; ſecundò, ut intelligatur perfectio, quâ ipſi perficiunt, videlicet quidam ex ipſis aliquos alios, & animas noſtras juxta injunctionem creatoris. Et perfectio quidem congruit eis, quemadmodùm imperfectio animabus noſtris, quæ juxta ſententiam Ariſtotelis perfectibiles creatæ ſunt ſcientiis, & virtutibus; non autem perfectæ. Plato namque perfectas eas fuiſſe creatas credidit, & extra corpora, atque in ſtellis compatibus ab initio collocatas. Et jam audiviſti per me, quia perfectio iſta, in qua creatæ à Platone poſitæ ſunt, non poſſit intelligi, niſi perfectio naturalis; non enim poſſibile fuit, neque conveniens, ut crearentur in perfectione gloriæ. Et cauſas, quæ hoc prohibuerunt, audiviſti in ſecunda parte tractatus iſtius. Scito etiam, quia perfectio iſta naturæ non eſt, ſicut de ea ſenſit Ariſtoteles, qui eam poſuit euſque completam, ut additionem non recipiat, quemadmodùm audiviſti de G intelligentiis, quas poſuit per omnem modum immutabiles, & propter hoc diſpoſitiones earum neque majus, neque minus recipere poſſe. Cauſa autem in hoc fuit Ariſtoteli, quoniàm ignoravit mutationes, & additiones, quæ ſunt ſupra naturam, & omninò ſtatum gloriæ, qui genti Chriſtianorum ſpiritu Dei cæli revelatus eſt, viſumque eſt de ſublimibus, ac nobiliſſimis ſubſtantiis abſtractis, quòd ab initio tantùm à creatore receperint, quod ad perfectionem earum pertinet, & quòd nihil à parte creatoris eſſent ulterius accepturæ; propter verò ſublimitatem ſuam, & elongationem ſuam ab imperfectione, & ſtatu mutabilitatis, atque impoſſibilitatem, non poſſet ad eas attingere mutatio quæcunque, & propter hoc neque additio, neque diminutio. Tu autem audiviſti nonnullos ex nobilioribus Philoſophis dixiſſe, Ariſtoteli credendum H eſſe de his, quæ ſunt ſub circulo lunæ; de altioribus, ſive ſuperioribus, nequaquàm, quoniàm in eis non profundavit uſque ad perfectum. Prophetis autem, quorum prophetia miraculorum teſtimoniis approbata eſt, aut præcellentia ſanctitatis, & aliis viris ſanctis, quos manifeſtum eſt ſpiritu Dei fuiſſe locutos, tu ne dubitaveris eſſe credendum de rebus hujuſmodi divinalibus, quorum etiam ſermonibus probationes non deſunt, ſicut jam tibi apparet ex præcedentibus. Quòd igitur ſcientia hujuſmodi ſubſtantiarum interdùm creſcat novis revelationibus, ſimiliter & fœlicitas earundem novis gaudiis, & qualiter hoc fiat, jam in eis, quæ præceſſerunt, audiviſti. Quapropter erravit Ariſtoteles indubitanter ponens perfectionem ipſarum euſque completam, ut additionem, vel crementum recipere non poſſet. Quemadmodùm igitur in præcedentibus audiviſti, perfectio earum indubitanter antedictum recipit incrementum, & tunc primùm

Digitized by Google

primùm erit completa, cùm erunt homines electi, A & dilecti Dei glorificati, atque conſortio beatorum ſpirituum donati; eritque civitas illa Imperatoris univerſalis Regisque, ac Domini ſæculorum, velut ex duobus parietibus, altero videlicet ex beatiſſimis iſtis ſubſtantiis, altero ex hominibus glorificatis, ædificata, & in mundo, ſeu ſæculo altiori, quod eſt cœlum ultimum, & mundus divinus, quod eſt cœlum decimum, & ultimum, collocata, ab illa enim hora nihil expectabit, nihil perfectionis ejus addetur. De perfectione autem, quâ perficere dicuntur hujuſmodi ſubſtantiæ, tu ne abhorreas, ſi perficere dicuntur vel quædam quaſdam alias, vel animas noſtras; cùm iſte ſapiens perfectorem ſuum nominet doctorem ſuum, à quo Theologiam iſtam de ſacratiſſimis Hierarchiis didicit, & accepit. Congruit quoque illis eiſdem modis, & eodem modorum numero, perficere, quibus, & quos audiviſti, quòd eiſdem conveniat purgare. Nec expectes, ut illos modos repetam hîc tibi. Similiter & de illuminationibus mihi videtur B ſentiendum, ut iidem modi ſint, & totidem, quibus illuminare dicuntur. Verùm quæſtionem habet; & utinàm ille, qui hoc ſcripſit, mihi, & tibi illam determinaſſet; ſi enim lux corporalis veriſſimè naturali virtute ſuâ illuminat conveniens, aut conuenienter ſibi appoſitum illuminabile; unde iſta impotentia, vel imperfectio erit luci ſpirituali, ut non illuminet, vel illuminare poſſit, propriâ virtute naturali convenienter applicatum ſibi ſpiritualis illuminationis receptibile: majoris ſiquidem, ac largioris influentiæ eſt ex neceſſitate lux ſpiritualis, quàm corporalis, quod evidenter apparet, quia lux corporalis limitatæ influentiæ eſt, & ultra terminos ſuæ limitationis illam extendere nullo modorum potens: deinde influentia ipſius tenuatur, atque minuitur continuè, & proportionaliter elongationi ſuæ ab origine, & cauſa: illa verò infinita eſt, & ejus diminutionis, ſeu tenuationis, omni modo non receptibilis; cujus exemplum eſt nonnullum in docente, qui docet per ſermonem ſuum quantumcunque longè ſint ab eo, qui ſermonem ejus audiunt illuminationem doctrinæ ejus, ſi æqualiter capaces ſint, æquales recipiunt; nec ſi aliquis eorum longè magis remotus eſt ab eo, propter hoc minùs lumen doctrinæ recepit per ſermonem illius, dummodò ſermonem illius plenè audiat, ac perfectè; in hoc enim videlicet, ut auditum, vel ipſam vocem adjuvet, vel impediat, poteſt aliquid reverà remotio, vel appropinquatio ad loquentem. Vides igitur manifeſtè, quòd illuminationem ſpiritualem, ſive influentiam ſpiritualis lucis, diſtantia, vel propinquitas nec expedit, nec impedit, quantùm in ipſa eſt. Sic evidenter videre potes infinitatem ejuſdem lucis ad comparationem lucis corporalis; lux enim ſolaris orbem ſibi limitatum influentia ſua non poteſt excedere, ſi ex neceſſitate cum prædicto orbe terminatur influentia luminis ipſius: lucis verò ſpiritualis influentia non ſolùm à quàm longè doctor auditur, ſed etiam quàm longè audiri poteſt, oſtenditur, & ſi ad infinitum longè vox docentis à quocunque audiri poſſet, in auditorem doctrinæ lumen influeret, in nullo per hujuſmodi diſtantiam diminutum; non enim propinquiores diſcipuli majùs lumen doctrinæ recipiunt, quàm remotiores ab eodem, dummodò omnes æqualiter capaces doctrinæ ſint, & ſufficienter vocem ejus audiant. Quòd ſi dixerit quis, quia virtute vocis influentia iſta doctrinæ in tam longinquum extenditur, & virtute vocis fit hoc, non virtute lucis ſpiritualis; errat intolerabiliter: quia vox vehiculum ſolummodò influentiæ lucis illius eſt. Illuminatio enim effectus lucis proprius eſt, & ſingularis, non vehiculi, nec à vehiculo recipitur, ſcilicet à luce. Quemadmodùm, ſi quis deferret ignem, & applicaret illum combuſtibili, non virtute ſuâ combureret ille combuſtibile illud, ſed virtute ignis quem defertet. Ampliùs Vox in ſe nihil habet lucis ad infundendum ſcientiam, ſicut neque alia ſigna, quæ non ſignificant per naturam; quare manifeſtum eſt, quia virtute ſuâ non illuminat, vel influit lumen ſcientiæ, ſed reverà quodam modo applicat intellectus audientium luci ſcientiæ, quæ eſt in anima doctoris, applicat inquam applicatione ſpirituali. Innatum ſiquidem eſt nobis intellectus noſtros applicare ad ſignificata, quæ per ſigna nobis ſignificantur; innatum etiam eſt nobis per ſigna hæc procurare in eis, quibus hujuſmodi ſigna oſtendimus; ſigna enim quodammodò res ad intellectus ſigna intelligentium deferunt, & propter hoc res ipſas, quas ſignificant, applicant intellectibus eorum, oſtendentes eas ſuo modo eiſdem. Rebus autem intellectui per modum iſtum applicatis, fit illuminatio cognitionis, vel alterius apprehenſionis in animabus eorum, quibus ſigna hujuſmodi exhibentur, quemadmodùm calefactibilibus applicatis fit calefactio in eis. & cognoſcibilibus applicatis intellectui per ſigna fit illuminatio cognitionis, non in rebus, ſed in animabus de rebus, & applicatio iſta ſpiritualis approximatio eſt, non corporalis attactus.

CAPUT CLI.

De modo illuminationum, & allocutionum Angelorum ad invicem, & ad animas hominum.

C QUoniàm autem jam ingreſſus ſum ſermonem de hujuſmodi illuminationibus, & applicationibus, per quas illuminationes iſtæ fiunt; aggrediar inveſtigare de his perſcrutatiùs & latiùs, & de allocutionibus hujuſmodi ſubſtantiarum ad invicem, & ad animas noſtras, & ſpecialiter ad animas Prophetarum. Dico igitur inprimis, quòd nullo modo de luce ſpirituali negandum eſt, quin ex ea deſcendant influentiæ luminales, ſive ſcientiales, & ad inferiores earum à ſuperioribus, & ad animas noſtras, & præcipuè ad animas Prophetarum, aliorumque tam virorum ſanctorum, quàm mulierum, quibus divinæ revelationes ſive per raptum, ſive per extaſim, ſive per ſomnium fiunt: verùm non per modum influentiarum corporalium, & naturalium; illæ enim per neceſſitatem, & quandam ſervitutem fiunt; iſtæ verò per D voluntatem, ac libertatem. Non enim eſt in poteſtate ſolaris lucis, ut minùs luceat, quàm lucet, vel ut aliquem ex radiis ſuis retineat, ſed quaſi impetu, & violentiâ divinæ largitatis toto poſſe luminoſitatis ſuæ lumen circumquaque diffundit. Iſtæ verò luminoſæ ſubſtantiæ provt volunt, & quantùm volunt, lumina revelationum infundunt: ſimiliter & retinent, & luminoſitatem ſuam habet unaquæque pleniſſimè in libera poteſtate ſua. Hujuſmodi autem exemplum eſt in eo, qui tenet librum multorum voluminum, atque foliorum, habens pleniſſimam poteſtatem aperiendi illum, atque claudendi, & aperiendi illum ad inſpectionem unius folii, vel unius verſiculi, & oſtendendi in eo, quicquid voluerit, & quantùm voluerit, & quoties. Unaquæque namque hujuſmodi ſubſtantiarum verus liber ſpiritualis eſt lucidiſſimæ inſcriptionis ſcientiarum naturalium, hoc eſt, quæ in ipſa creatione ſua eidem inſcriptæ ſunt, &

Digitized by Google

inditæ, ſimiliter, & divinalium, hoc eſt earum, quas ſuper illuminationem, ſive inſcriptionem creationis, divinæ bonitatis largitione receperunt. Quantùm igitur voluerint, ſe aperiunt, & aſpicientes in ſe legere permittunt, vel potiùs concedunt, quod eſt dicere, quot verſus, ſeu ſententias voluerint, ex juſſione ſcilicet, & beneplacito creatoris, ſine quibus, & extra quæ, nihil omninò faciunt, & ſunt ex omni modo, ſicut ſpecula materialia, & viſibilia. ſunt reverà ſpecula clariſſima viſibilium, & inviſibilium juxta quod menſuravit eis creator benedictus, imagines lucidiſſimè redolentia, ſive reddentia, verumtamen eouſque ſuæ poteſtatis, ac libertatis, ut in eis nemo videat niſi inquantùm ipſæ voluerint. Hoc autem eſt ad nonnullam ſimilitudinem creatoris, atque ſapientiæ ipſius, quæ reverà ſpeculum ſine macula bonitatis illius ſermone prophetico dicitur; in illa enim nemo intueri poteſt, niſi quantùm fuerit bonitatis ejuſdem dignatio: neque quiſquam Prophetarum in ea vidit, aut legit, niſi quantùm fuerit ejus beneplacitum, & quidam multùm clarè; quidam verò multùm obſcurè, videlicet in figuris, & ænigmatibus. Cauſa autem hujuſmodi diverſitatis alia eſſe non poteſt, quàm beneplacitum creatoris. Si quis autem quærat de applicationibus hujuſmodi, qualiter fiant; jam dixi tibi, quia non fiunt per corporalem attactum; ille enim proprius eſt corporum, atque ſubſtantiarum corporalium. Jam autem aperuerunt Prophetæ, videlicet, quia ſublimes iſtæ, ac beatæ ſubſtantiæ in homines intrant. Unde & quidam eorum dixit. Et dixit Angelus, qui loquebatur in me. De ipſa verò ſapientia creatoris dixit quidam, quòd intravit in animam ſervi Dei; & iterùm. In animas ſanctas ſe transfert & alius: Quocunque introierit, benedicetur Deus. Tu verò jam didiciſti, quia non eſt prohibita aliqua ex hujuſmodi ſubſtantiis intrare animas noſtras; prohibitio enim non poteſt habere, niſi duarum cauſarum alterutram, groſſitiem, ſcilicet, aut contrarietatem, & groſſitiem quidem nullam habent, quæ vacuitatem requirat, quemadmodùm audiviſti in præcedentibus de ſubſtantiis, & virtutibus, quæ plenitudine nec repelluntur, nec coanguſtantur; quin potiùs illam velut amplitudinem amplectuntur, & in ea tantò ſpatioſiùs collocantur, quantò major fuerit. In anima enim humana, quantò arithmetica plenior fuerit, tantò in eam geometria & largiùs intrabit, atque faciliùs, & ſpatioſiùs manebit. Nec eſt prætereundum hîc, quod dixit ex divinis unus Prophetis: Quia dæmonibus non eſt poſſibilis ingreſſus animarum noſtrarum, quoniàm ipſas creator benedictus proprias ſibi ſedes, & habitacula conſecravit. Tibi verò. nec alii non licet contradicere, ubi honor vel gloria creatoris tangitur. Notum etiam eſt prohibita eſſe dæmonia à multis modis nocumentorum humani generis; & ſpecialiter interdùm à quibuſdam quorundam nocumentis: non enim arrepticios, aut lunaticos, aut aliter occaſionatos, poſſibile quidem eſt omnipotenti creatori malignos ſpiritus prohibere, & tenere ligatos à quibuſdam animabus humanis, & etiam ab omnibus, ne illas intrent, vel polluant, aut lædant ullo modorum, ubicunque decreverit iſtud congruere gloriæ ſuæ. Verùm quod hîc dico, ſecundùm naturalem poſſibilitatem intelligi volo, naturaliter ſiquidem poſſibile eſt & malignis ſpiritibus intrare animas humanas, & animabus humanis eos recipere, & interdùm hoc permittit ſapientiſſima bonitas creatoris vel ad terrorem ſanitate, & libertate malè utentium, & aliis de

E cauſis, quæ illi ſoli notæ ſunt. Interdùm verò non ſuſtinet ſciens malignitatem hujuſmodi ſpirituum, quorum intentio tota eſt ad nocendum hominibus, & creatoris gloriam minuendam, à tempore quoque promulgatæ legis Chriſtianorum evidens eſt longè ampliùs repreſſam eſſe, ac refrænatam, eorum malitiam, quando neque invocationibus, nec adjurationibus, nec oblatis ſacrificiis. quibus maximè alliciuntur, & attrahuntur, plerumque etiam nec apparere permittuntur, quod jam multorum revelationibus, & teſtimoniis mihi innotuit. Enarrationibus verò miraculorum, quæ per primos doctores gentis Chriſtianorum facta ſunt, & ejectos fuiſſe ab hominibus, in quos intraverunt, & ligatos eouſque fuiſſe, ut nihil ludificationum ſuarum, nec etiam loqui poſſent, manifeſtum eſt. Quòd ſi maligni ſpiritus animas dæmoniacorum, & arreptorum, nec habitant, nec intrant; quò ergo intrant, & inhabitant apud eos? Mirabile F namque, & vehementer admirandum videtur, qualiter moveant, vel etiam movere poſſint corpora eorum. quos vexant, & ipſas animas eorum ad ea videnda, vel cogitanda, quæ eas videre, & cogitare faciunt, ſi extra ipſas ſunt. In hujuſmodi namque narrationibus nullo inſtrumento utuntur forinſeco, & omninò nullo adminiculo. niſi vel ſeipſis, vel eis, quæ apud ipſos, & in ipſis ſunt. Si autem ſeipſis abſque ullo medio tantis paſſionibus, & cogitationibus, exagitant animas illas, hoc non eſt, niſi cum ipſis ſint, & propter hoc in illis: impartibile namque non poteſt eſſe aliquo modo conjunctionis, niſi ſit etiam in illo; neque enim continuitas, neque contiguitas locum habet apud impartibilia, ſicut jam declaravit Ariſtoteles in libro Phyſicorum. Ampliùs. Nulla ſubſtantia intelligit, vel aliter cognoſcit, niſi in ſeipſa, & intra ſe- G ipſam, & per ea, quæ apud ipſam ſunt, niſi per ſenſum. Iſtæ autem ſubſtantiæ, videlicet malignorum ſpirituũ, nihil cognoſcũt per ſenſum; quare per ſe, & intra ſemetipſas cognoſcũt quęcũq; cognoſcũt, abſq; forenſibus adminiculis. Sicut autẽ cognoſcunt, ſic & docent, quod eſt dicere, non per forinſeca, ſive ſenſibilia ſigna, quemadmodùm docemus nos, ſicut vocibus, libris, imaginibus, vel aliis ſignis. Forſitan autem & hoc poſſibile eſt hujuſmodi ſubſtantiis tam bonis, quàm malis, videlicet voces, vel alia ſigna adhibere in revelationibus. quas faciunt, ore namque, & linguâ, & labiis dæmoniacorum interdùm loquuntur ipſi dæmones in eis. Et narravit mihi quidam, qui multos curaſſe videbatur, quia diſtinguibiles erant voces dæmonum & dæmoniacorum, dicebatque, quia voces dæmonum in dæmoniacis loquentium ſemper ſubraucæ ſunt, voces verò ipſorum dæmoniacorum clariores. Sciebat igitur, prout multoties narravit H mihi, quando loquebatur ipſe malignus ſpiritus in eo per antedictam diſtinctionem vocum in claritate, & obſcuritate: hujuſmodi autem obſcuritatis, ſive ſubraucedinis, cauſa mihi aliquando viſa eſt ineptitudo, & incongruentia, inſtrumentorum vocalium ad naturam dæmoniacam; non enim ea ſibi ipſi ita convenienter aptare poterat, nec ita pro voluntate uti, ut ipſe homo dæmoniacus, vel anima hujuſmodi, cui erant naturali convenientia coaptata; quemadmodùm neque nos, aut animæ noſtræ adeò rectè, aut expeditè uti poſſumus ligneis pedibus, aut aliis materialibus inſtrumentis, ſicut pedibus. Forſitan autem divinæ bonitatis providentia eſt, ut non poſſint ſe occultare maligni ſpiritus. quantùm vellent. Et propter hoc ipſa voce ſuâ interdùm produntur, & manifeſti fiunt, cogente hoc, & aliter eos facere non ſinente

Digitized by Google

divinæ bonitatis miſeratione propter cauſam, quam prædixi. Ampliùs. De omni operatore manifeſtum eſt, qui inſtrumento forinſeco non utitur, quia ſeipſo, vel diſpoſitionibus aliquibus, quæ intra ipſum ſunt, operatur, quicquid operatur. Intelligibiles igitur, ac ſpirituales iſtæ ſubſtantiæ, quoties inſtrumentis non utuntur, aut ſe ipſis, aut ſuis diſpoſitionibus, illuminationes iſtas & revelationes, de quibus hîc agitur, efficiunt. Ampliùs. Uſus inſtrumentorum non eſt, niſi ex impotentia, & defectu virtutum operativarum, aut ipſas operationes recipientium. Propter hoc enim & libris, & ſignis aliis docentes utuntur, quia nec per ſe, nec per res, poſſunt ipſas introducere, vel applicare ad corda diſcentium: ſi enim hoc vel per ipſas, vel per ſuas diſpoſitiones, poſſent, inutiliter, & ſupervacuè ſignorum adminiculis uterentur. Cùm igitur ea ſit perfectio ſubſtantiarum, de quibus agitur, ut inſtrumentis non egeant, manifeſtum eſt per ſemetipſas iſtas illuminationes, & revelationes eas efficere. Ampliùs Si per libros ſenſibiles fiunt in animabus noſtris ſcientiales illuminationes, & doctrinæ, quantò fortiùs per libros intelligibiles, qui incomparabiliter lucidioris inſcriptionis ſunt, fieri debent ſpirituales illuminationes, & revelationes, & in animabus noſtris, & in ſubſtantiis ſpiritualibus abſtractis? Cùm igitur dubium non ſit ſubſtantias ſpirituales abſtractas libros hujuſmodi eſſe, manifeſtum eſt per applicationem eorum, juxta quod dixi, ſpirituales fieri illuminationes, & revelationes applicatione eorum convenienti. Eodem modo eſt ratiocinari à ſimilitudine, & proportione ſpeculorum: multo enim potentiora neceſſe eſt eſſe ſpiritualia ſpecula ad transferendas, ſeu transfundendas apparitiones, ſeu reſultationes ſuas, in ſimilia ſpiritualia ſpecula, quàm ad id efficiendum corporalia ſpecula in ſimilia ſibi ſpecula, cùm ſint incomparabiliter expreſſiorum apparitionum, ſeu reſultationum, & majoris receptibilitatis formarum: corporalia namque ſpecula una apparitione occupantur euſque, ut alteram cum illa non recipiant, ſpiritualia verò quantò plures, & majores, receperint, vel habuerint, tantò plurium, & majorum receptibiliora ſunt. Ampliùs. Cùm hujuſmodi ſubſtantiæ libri, & ſpecula ſpiritualium inſcriptionum, & intelligibilium apparitionum ſint, quâ de cauſa erunt arctata hujuſmodi ſpecula, & libri, ut in eis legere, vel inſpicere nemini liceat, præterquàm ipſis? Quòd ſi aliis licet in eis legere, vel inſpicere, cùm hoc non poſſibile ſit per corporalem applicationem, fiet igitur hoc per ſpiritualem applicationem: hoc autem non poteſt alia intelligi, quàm conjunctio eſſentialis, quâ ſcilicet altera intret alteram, ſicut prædixi, cùm ex neceſſitate immediata ſit, & medio non indigens, quoniàm nec corporali medio, nec ſpirituali. medium enim corporale, ſi eſſet in hujuſmodi illuminationibus, eſſet deferens lumen ab altera in alteram, quemadmodùm ſe habet in illuminatione corporali, quæ fit à ſole ſuper terram, & in aqua, per aera medium deferentem evidenter lumen in ſuperficie terræ, & in aquam. Corporale autem medium non eſt poſſibile deferre, vel recipere lumen hujuſmodi, videlicet ſpiritualis illuminationis quoniàm nec receptibile eſt illius Quòd ſi dixerit quis, quia non eſt neceſſe medium deferens lumen ſpirituale, ut ſit receptibile illius, quemadmodùm de libris, & vocibus, & aliis ſignis corporalibus; jam expedivi te, & me de hoc, cùm dixi tibi; quoniàm ſigna propriè non deferunt lumen ſcientiæ, neque propriè deferunt res, ſed animas noſtras excitant, ut applicent ſe rebus. Et applicatio iſta non eſt, niſi cogitatus, ſeu cogitatio: quòd ſi

A hoc poſſunt ſigna iſta forinſeca, & corporalia, quæ utique nec naturalia ſigna ſunt, nec per ſe, ſed poſitiva tantùm, & voluntaria. quantò fortiùs hoc poterunt naturalia ſigna propriè, ac per ſe ſigna, & naturales libri, propriique, ac per ſe libri? quales ſunt iſtæ ſubſtantiæ, de quibus agitur, & voces non inſtitutione, vel placitò loquentium, ſed vera, ac naturali ſimilitudine ſignificantes, ut veræ expreſſæque imagines rerum; formæ enim quæ in hujuſmodi ſubſtantiis ſunt, veræ, ac propriæ imagines rerum, qualiter ſcientia eſt apud iſtas ſubſtantias, ſimiliter & verè, ac propriè naturales voces, ſive locutiones ſunt earundem Quare non ſunt alia ſigna neceſſaria beatis hujuſmodi ſubſtantiis ad loquendum, vel ſignificandum, quod voluerint animabus noſtris, aut aliis ſubſtantiis ſpiritualibus. Loqui igitur earum, vel ad invicem, vel ad animas noſtras, non eſt, niſi applicatio eorum ad invicem, vel ad animas noſtras, quemadmodùm nec loqui noſtrum ad alios eſt, niſi applicatio noſtræ vocis ad
B auditum illorum. Cùm igitur unaquæque ſubſtantiarum iſtarum vox naturalis ſit, non poſitiva, & tota ſignum, tota liber, liber inquam naturalis, & proprius; applicatio earum ad invicem, vel ad animas noſtras, eſt ſpiritualis locutio earum ad invicem, vel ad animas noſtras, ſimiliter inſtructio, & revelatio earum ad invicem, vel ad animas noſtras.

CAPUT CLII.

De illuminationibus iterùm, deque applicationibus angelorum ad animas, & de raptibus.

QUòd ſi dixerit quis, quia prophetiæ, & revelationes, interdùm per imagines, & figuras
C corporales, factæ ſunt, & fiunt forſitan hodie multæ, exempli gratia, per animalium diverſorum generum figuras, ſicut aquilarum, leonum, urſorum, hominum, & iterùm, quadrigarum, rotarum, & curruum, & aliorum plurimorum figuras, & imagines. Reſpondeo in hoc, quia poſſibile eſt ſanctis, ac beatis ſpiritibus ſic homines inſtruere, vel docere: nihilominùs tamen interdùm hoc eis facere poſſibile eſt per ſe ipſos; non eſt igitur negandum, quin poſſibile ſit eis hoc: ſed dico, quia non eſt neceſſe, ut ſic homines doceant, vel inſtruant, videlicet per ſigna corporalia, vel imagines corporales; nobiliores enim ex prophetis abſque hujuſmodi figuris, & imaginibus ab aliis ſunt edocti; ſicut evidenter apparet in ſermonibus eorum, videlicet in illis, in quibus nulla hujuſmodi figurarum, vel imaginum mentio habetur. Sed & tu
D noſti intentionem meam in hac parte. Inveſtigatiò enim mea eſt hîc de naturis hujuſmodi ſubſtantiarum, & de naturalibus viribus earum: de injunctionibus autem creatoris, ſcilicet quas eis facit de officiis, atque operibus earum, conſequenter inquiram. In tantùm igitur tibi determinatum ſit nunc id, de quo agitur, unumquemque beatiſſimorum iſtorũ ſpirituum totum librum eſſe ſpirituale, naturalem, ac lucidiſſimæ inſcriptionis; & vocem ſpiritualem clariſſimæ auditionis & expreſſiſſimæ ſignificationis, & propter hoc applicationes eorum, ſive conjunctiones, eſſentiales, & immediatas ad animas noſtras per illuminationes earum eſſe, quoniàm reverà lumina ſunt ad ea, quæ illuminanti, & inſtructiones, vel edoctiones noſtræ ſunt, quoniã in ſemetipſis doctrinæ ſunt & ſcientiæ; & allocutiones noſtræ ſũt ſpirituales, quoniã veræ, ac naturales voces ſpirituales ſunt. Applicatio autẽ, ſive conjunctio luminis ad illuminabile illuminatio eſt, ſimiliter &

Digitized by Google

libri, ſive doctrinæ veræ, ac ſpiritualis, ad docibile inſtructio, ſive doctio eſt. Eodem modo applicatio, ſeu conjunctio vocis ſpiritualis ad auditum ſpiritualem locutio eſt: & hujuſmodi locutio loquela eſt naturalis, & linguagium naturale, quoniàm per naturalia ſigna tantùm eſt. Debes autem ſcire, quia vox hujuſmodi non tantùm vox ſpiritualis eſt, ſed etiam clamor fortiſſimus, atque clariſſimus, & auditui ſpirituali aptiſſimus, propter quod, ſicut jam prædixi tibi, dixit unus ex prophetis Hebræorum. Quia ſeraphim clamabat alter ad alterum; non enim ſubmiſſis vocibus ſibi invicem loquuntur angeli ſancti; voces enim eorum ſcientiæ vivæ, ac veræ ſunt, nec ſunt habitus dormientes, ſed actus; ſicut intuitus, aut cogitatus, ſunt etiam pars gloriæ ſanctiſſimorum, ac beatiſſimorum ſpirituum. Et propter hoc neque remiſſionem, neque ſubmiſſionem, neque ullius generis diminutionem, patiuntur; hoc enim audiviſti in præcedentibus. Quia ſtatus gloriæ nulli detrimento obnoxius eſt, & nullius mutationis, qui in indeterius vergat, receptibilis, augmentum autem recipit, ſicut jam dixi ſæpè, & nec mirum tibi videatur ſi conjunctio animarum noſtrarum ad viva, & vera lumina eſt illuminatio earum: neque ſi conjunctio earum ad vivas, & veras ſcientias, & ſapientias ſcientificatio, & ſapientificatio eſt earum. Similiter non eſt tibi abhorrendum, ſi applicatio, vel conjunctio habitus ſpiritualis ad voces vivas, & veras ſpirituales, auditio ſpiritualis eſt, & propter hoc inſtructio, vel edoctio ſpiritualis; auditus enim ſpiritualis non eſt niſi intellectus, quemadmodùm neque viſus ſpiritualis aliud, quàm auditus ſpiritualis eſt. Quapropter audire ſpiritualiter non eſt niſi videre ſpiritualiter, & intelligere. Cùm autem de novo fiunt, videlicet videre ſpiritualiter, & intelligere, utrumque eorum addiſcere eſt, & propter hoc utrumque eorum eſt inſtrui, vel doceri. Audaciùs autem loquitur gens Chriſtianorum, dicens. Quia conjunctio, vel applicatio animarum humanarum ad Deum altiſſimum deificatio earum eſt, quod tibi dubium eſſe non debet. Erit etiam tibi manifeſtum, ſi conſideraveris conjunctionem iſtam in perfectione ſua, & plenitudine, qualis ſperatur à dilectis, & electis creatoris. Et ipſa eſt indubitanter glorificatio animarum, quemadmodùm completa conjunctio ferri ad ignem ignitio ferri ipſius eſt, licet multæ ſint conjunctiones, & appplicationes aliæ ferri ad ignem, quarum nulla ignitio dici poteſt. Eodem modo ſe habet & de aliis, quæ ad hoc inducta ſunt tibi, exemplis. De conjunctione verò dæmonum ad animas humanas nullatenùs dubites, quin exturbent eas horribilitate malignitatis ſuæ; ſicut vides, quòd appropinquatione, & etiam aſpectu, multò autem ampliùs attactu ſerpentis, vel alterius nocentis, ac venenati animalis, horrent, & expaveſcunt homines, & præ vehementia timoris, ac terroris, interdùm in amentiam vertuntur, interdùm etiam fiunt perpetuò horrentes, ac paventes. Quid ergo mirum, ſi præſentiâ maligni ſpiritus, cui nullum animal, quantumcunque venenatum æquè noxium eſt hominibus, exturbatur humana natura? Hujuſmodi enim conturbatio in vultibus eorum, & aſpectu, qui aliquem de malignis ſpiritibus intra ſe receperunt, ſemper poſteà notabiliter, nec ſine horrore, aſpicienti poſtmodùm videtur tanquàm malignus ſpiritus inhabitationis ſuæ inſignia hujuſmodi relinquat in habitaculis hujuſmodi, hoc eſt, hominibus. Nec mirum tibi videatur, ſi adeò horribiles, adeòque horrifici, & terrifici ſpiritus horroris ſui veſtigia aliqua imprimant, ubicunque fuerint: propter hoc enim dixit quidam in libro ſuo malefico, quo-

E niàm in locis, quæ frequentant dæmones, ſunt horrores, & horripilationes tranſeuntibus. ſic econtrariò tibi dubitandum non eſt, quin ſancti, ac beati angeli in locis frequentationis ſuæ relinquant nonnulla placoris ſui veſtigia ſicut interdùm odorem ſuavitatis, & alia, quæ hîc tibi numerare, & nominare ſuperſedeo. Debes etiam ſcire, quia facile eſt beatis, ac ſanctis ſpiritibus transferre ſe in animas humanas, & ſuo ingreſſu, vel inhabitatione confortare eas, dirigere, & jocundare, & per modum omnem, ut meliùs eis ſit, vel meliùs ſe habeant, præſentiâ ſuâ efficere. Quòd ſi conſideraveris in anima tua habitus ſcientiarum diverſarum, & ipſum theſaurum memoriæ tuæ, qualiter ab illis illuminatur anima tua, & effulget in ea in effectu ex ipſis id, quod reminiſci, vel cogitare volueris; non abhorrebis, neque admiraberis; ſi de ipſa præſentia lumi-

F noſiſſimarum ſubſtantiarum, de quibus agitur, effulget in anima humana lumen revelationis, quam facere voluerint: ſi enim effulgentiæ iſtæ ex luminibus dormientibus, hoc eſt, ex habitibus, quaſi ſopitis, atque ſepultis, ſunt in anima humana juxta voluntatem tuam, & exeunt extra illam, juxta quod poſſibile eſt eis, videlicet per ſigna forinſeca: quantò fortiùs poſſibile eſt hoc eis, videlicet vigilantiſſimis, & in actu ſemper exiſtentibus ſubſtantiis, præſentiâ ſuâ effulgentias revelationum in animabus noſtris efficere? Multò enim magnificentiùs, atque efficaciùs hoc poſſunt per ſe in animas noſtras, quàm animæ noſtræ in alias per ſigna forinſeca. Multò enim magis illuminare poteſt, quod luminoſum eſt in ſeipſo, quàm quod lucet ex alio tantùm. Et omnis virtus generaliter, & omnis potentia expeditior, & potentior eſt, & efficacior ad id, quod poteſt per ſemetipſam, quàm ad id, quod non poteſt, niſi per aliud. Similiter omnis virtus, &

G omnis potentia potens per ſe, hoc eſt per eſſentiam ſuã, vel per id, quod eſt apud eam, & in eſſentia ſua, quàm quævis alia, quæ non poteſt niſi per id, quod extra ipſam eſt. Nec propter hoc intelligas tu, vel intendas, quòd una & eadem virtus, non poſſit & aliquid per ſe, & inſuper aliquid per id, quod eſt extra ſe. Creator enim benedictus multa facit per ſe, & nihilominùs multa per beatiſſimos hujuſmodi ſpiritus, ſimiliter & per homines, & per alia quæcunque vult; ipſos enim primos, & ſupremos ſpiritus per ſemetipſum illuminat, omnique modo perficit, cæteros autem novis revelationibus illuminat per ipſos. Attendenda quoque eſt tibi in parte iſta ſimilitudo eorum ad creatorem, neceſſe enim eſt, cùm omnes beatiſſimi, ſanctiſſimique ſpiritus; ut pote in quibus ſimilitudo pulchritudinis ipſius clariſſimè reſultat: neceſſe inquam eſt, ut influen-

H tiis illuminationum ei ſimillimi ſint: ſi enim ſubſtantiæ corporales influentiis corporalibus ſimillimæ fiunt juxta poſſibilitatem, & congruentiam naturæ, tantò fortiùs congruit, ſeu convenit, & debitum eſt, ut iſtæ, videlicet ſpirituales ſubſtantiæ, in influentiis ſpiritualibus ſimiles illi ſint, tantoque eidem ſimiliores in hoc, quantò ſublimitate, ac nobilitate, naturæ pariter, & gloriæ conſtat eas eſſe viciniores eidem. Attendendum etiam eſt tibi in capitulo iſto, videlicet de appropinquationibus, & applicationibus iſtis ſublimium iſtarum ſubſtantiarum ad animas noſtras, quòd valde concordant, valdeque amicabiles ſunt naturis animarum noſtrarum, ut ita dicantur: hujus autem indicium eſt, quòd ipſæ animæ noſtræ ad præſentiam hujuſmodi ſubſtantiarum ipſa corpora quandoque proparte deſerũt, quandoque etiam ex toto, ſicut apparet in raptu, & extaſi, & in extatu, qui dicitur eſſe in ſpiritu. Quemadmodùm igitur ferrũ ad præſen-

ad præſentiam adamantis, vel lapidis magnetis, deſerit locum ſuum & currit rapida velocitate ad illum, ac ſi raperetur de loco ſuo ab ipſo adamante: ſic eſt & de animabus noſtris, non enim violentiæ eſt iſte raptus, quo rapiuntur ad præſentiam hujuſmodi ſubſtantiarum: quin potiùs amoris naturalis, quemadmodùm raptus ferri ad adamantem, qui indubitanter ex amore naturali eſt, quo ferrum naturaliter amat illum. De hoc accidit tempore meo cuidam viro religioſo, qui ex applicatione cujuſdam de hujuſmodi ſubſtantiis, tanto gaudio perfuſus eſt, immò repletus eſt, ut ab illa hora, qua ceſſavit hujuſmodi appropinquatio, deſiderium ſimilis applicationis in eo poſt ea quieſcere non potuit, dicebatque; quia ſi Deus hujuſmodi gaudium ſemel adhuc eidem iteraret, in tota vita iſta nihil ampliùs ab eo peteret. Quòd ſi dixerit quis, quia ſimiles raptus efficere videntur maligni ſpiritus, verum indubitanter dixit. Tu verò ſcito, quia multa diſſimilitudo eſt inter raptus iſtos, & etiam contrarietas quædam. A principio enim malignus ſpiritus ſuam occultans malitiam, ſine ullo terrore, vel errore, rapit hujuſmodi raptu, quo dixi, ad ſe animam humanam. Et hoc naturali bonitate, & placore, quos habet, & ſentire facit, cùm ſuam occultat malitiam, quemadmodùm, cùm transfigurat ſe in angelum lucis. Verùm quia non permittitur diutiùs illam abſcondere, oſtendit iſtam faciente hoc divinâ providentia, & prohibente eum à deceptione hominum, ſentitur tandem ejus noxietas atque malitia, & propter hoc ſentitur horror, & terror, & reliquit pavidum, & trementé illum, cujus animæ ſe applicuerit. Interdùm etiã cogitur ſuam immunditiam revelare, recedens cum fætore intolerabili, & fæculentia abominabili. Beatiſſimi verò, atque ſanctiſſimi ſpiritus ècontrariò faciũt applicationibus, & conjunctionibus ſuis, ad animas noſtras, ab initio enim timorem ingerunt reverentiæ ſuæ, ſimiliter & novitatis, atque magnitudinis ipſius doni apparitionis, vel revelationis: in receſſu verò ſuo relinquunt animas confortatas, conſolatas, atque jocundatas, contrariaque veſtigia veſtigiis antedictis. Dicuntur autem hujuſmodi raptus exceſſus mentis, & extaſis, quoniàm per ipſam extra ſtatum priſtinum, quaſi in alio ſæculo, & alia vita, conſtituta videtur ſibi anima ſic rapta. Et hoc eſt excedere, hoc extracedere à ſeipſa & aſcendere ſupra ſe: hoc autem eſt, quoniàm trahitur à ſuperiori ſe, & conjungitur illi. Propheta namque qui dixit: Ego dixi in exceſſu mentis meæ, projectus ſum à facie oculorum meorum: cognovit ſe hoc non vidiſſe ex proprio lumine intellectus ſui, ſed ex deſuper infuſo, de ſuper ſe igitur, & non de ſe vidit hoc; & propter hoc reverà excedens ſe, & quaſi exiſtens ſupra ſe; iſta enim projectio, quâ quis à facie Dei projectum ſe conſpicit, intellectu humano, & naturali, videri non poteſt, ſed ſolo deſuper infuſo lumine divinæ revelationis, nec hoc propheta vel intellexiſſet, vel dixiſſet, niſi ſupra ſe raptu hujuſmodi aſcendiſſet; aſcenſum hujuſmodi ſpiritualem intelligens nullatenùs corporalem, vel eſſentialem. Interdùm tamen eſſentialiter rapiuntur animæ, ſicut rapta fuiſſe videtur anima illius, qui dixit raptum ſe fuiſſe uſque in tertium cœlum; ſicut nonnullis viſum eſt. Verùm cùm virtuti noſtræ intellectivæ nihil accreſcat ex loco, vel appropinquatione corporali ad id quod intelligendum eſt ei, vel videndum, ſupervacua videri poteſt eſſentialis translatio animæ illius in tertium cœlum; ſicut nonnullis viſum eſt. De hoc verò audiviſti in præcedentibus intentionem meam; miræ ſiquidem nobilitatis, & vix nobis cogitabilis in vita iſta eſt cœlum, quod dicitur paradiſus. Et propter hoc ipſis ſpiritualibus virtutibus, beatiſſimiſque ſpiritibus in cœlo illo creatoris ordinatione decentiſſimè conſtitutis, non eſt dubium aliquid accreſcere, quod addit ad gloriam illorum, cùm & unicuique regi ex pretioſitate, ac præclaritate aulæ ſuæ non parùm gloriæ & honoris accreſcat, & unicuique; habitatori ſimiliter ex pulchritudine, & magnificentia ſuæ habitationis. Nec putes ullo modorum, quòd maligni ſpiritus in pythonicis, & phanaticis, ariolis, & arreptitiis habeant liberum pingere, vel effulgere facere in animabus hominum, in quibus loquuntur, quicquid voluerint. Neque ipſis etiam permittitur ſcire, vel dicere de ſecretis, & conſiliis creatoris pro voto ſuo, & voluntate, ſed neque de abſconditis hominum, licet multa de illis noverint, & interdùm revelent, atque exprobrent hominibus. Etiam temporibus meis multa de hujuſmodi revelationibus, & exprobrationibus audivi. Vidi etiam mulierem arreptitiam, quæ mulieribus aliis exprobrabat me audiente, & vidente, turpitudines ſuas, quæ cùm ſana facta eſſet, & mentis compos, interrogata, reſpondit mihi ſe vidiſſe manifeſtè quæcunque loquebatur de abſconditis hominum, vel mulierum, tempore infirmitatis ſuæ, & ita ſe adhuc memoriter tenere atque plenè reminiſci earum. Utrùm autem per naturam ſolùm tales viſiones, & revelationes fieri poſſint, quæſtionem habet non facilè inveſtigabilem, aut determinabilem, de qua tentabo dicere quod tibi ſufficiat loco ſuo. In ſermonibus verò præcedentibus meis, in quibus dixi, beatiſſimos ſpiritus libros eſſe ſpirituales, & voces, non fuit intentionis meæ multùm curare, an ipſas hujuſmodi ſubſtantias, an formas vivas & lucidas, quibus inſcriptæ ſunt, libros, & voces intellexerint; quoniàm non multùm refert, quantùm ad intentionem meam, neque quantùm ad præſens, eadem enim veritas utroque modo declaratur. Ex his etiam aliquid capere potes, quid eſt, quod dicitur in viſione illa, cujus obſcuritas, atque profunditas, necdùm eſt explicata, cùm multorum ingenia ſudarint in eadem. Audiebam, inquit, ſonitum alarum cherubim, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei. Et iterùm: Cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, ut ſonus caſtrorum: apparet enim tibi quantus ſonus, quantaque ſonoritas innumerabilium vocum illarum excelſarum erat, quod aliis ſermonibus explicari non poterat, quàm ſono aquarum multarũ, & ſono multitudinis, atque caſtrorum. Iſti enim ſoni maximi ſunt apud nos, ita ut alios audiri non ſinant. Conſiderandum tibi eſt, quandò unaquæque ex illis vocibus clamor validiſſimus eſt, quanta debet eſſe ſonoritas, atque vociferatio omnium inſimul clamantium. Iſte etiam ſonus, quaſi ſonus ſublimis Dei eſt, duobus modis; quoniàm ipſum ſublimem creatorem omnis illa ſonoritas reſonat laudibus incogitabilibus, ſecundò quoniàm reverà ſimilis eſt ipſi verbo ſublimis Dei: omnis enim ſapientia, & omnis ſcientia viva imago quædam eſt, & ſimilitudo primogenitæ ſapientiæ, quæ eſt primus ſonus ſonans ipſum creatorem perfectâ, & ineffabili reſonantiâ; ſic unaquæque beatiſſimarum ſubſtantiarum pro modo ſuo ſonat ipſum, quantùm ſimiliter poteſt primo ſono. Et hoc eſt dicere, quaſi ſonũ ſublimis Dei, quod eſt dicere, in univerſo, quem ipſe ſublimis Deus ſonat, emittendo de ſe per generationem, ut verbum proprium, & à quo ipſe ſublimis Deus ſonatur pleniſſimâ, ac perfectiſſimâ ſignificatione, ac repræſentatione. De hoc ſono & ejus ſuavitate in prima parte primi ſapientialis, ac divinalis, magiſterii multa jam audiviſti per me.

Digitized by Google

CAPUT CLIII.

Utrùm ſcientiæ, vel doctrinæ lumen hujuſmodi ſpirituum in animas noſtras transmitti poſſit, & ſi ſic, quomodo id fiat, & cur non virtutes etiam transfunduntur.

QUòd ſi quis quærat, quomodo lumen ſcientiæ, vel doctrinæ, ab hujuſmodi ſubſtantiis in alias quaſdam, vel in animas noſtras, transfunditur, & non ſimiliter transfunduntur virtutes; hoc enim non videtur. Si enim transfundi poſſent ſic virtutes, manifeſtè verum eſſet, & planè, quòd hujuſmodi ſubſtantiæ verè juſtificent, & verè perficerent animas noſtras, viderenturque veri datores gratiarum, quod nondùm à quoque dictum eſt. Hoc enim eſt ſingulare, ac proprium creatoris, videlicet datio gratiarum, atque virtutum. Quod autem & illuminare, & docere poſſunt aliquæ ſubſtantiarum iſtarum aliquas alias, & animas noſtras, non negatur ab aliquo. Si igitur tantum poſſunt ad perfectionē virtutis intellectivæ noſtræ quæ eſt illuminatio ejuſdem, quomodò minùs poterunt ad perfectionem virtutis noſtræ motivæ nobilis, quæ eſt directio, & reformatio, atque decoratio ipſius? neque enim minùs ſalutaris eſt, aut neceſſaria, neque per modum aliquem minus bona, vel utilis, quàm perfectio intellectivæ, neque ad minorem gloriam cedens creatori. Ampliùs. Si non minus receptibilis eſt virtus motiva ſuæ perfectionis, quàm intellectiva, neque virtutes hujuſmodi ſubſtantiarum minoris, aut difficilioris influentiæ ſunt ex perfectionibus motivis ſuis, quàm ex perfectionibus ſuis intellectivis; unde erit eis iſta imperfectio, vel impotentia, ut lumina ſcientialia tanta facilitate transfundant ex luminoſitate virtutum ſuarum intellectivarum, & non poſſint æquâ facilitate ex perfectionibus virtutum ſuarum motivarum virtutem, vel gloriæ transfundere in animas noſtras, & purificare, ſeu decorare eas tam gloriæ, quàm gratiæ virtutibus? Scito igitur in hoc, quoniàm apprehenſiones, & perfectiones intellectivæ faciliores ſunt, ſicut & priores, quàm virtutum motivarum nobilium. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm quaſi exteriores, & forinſecæ ſunt: illæ autem profundiores, & intimiores. Et iterùm iſtæ ſicut pictura, illæ verò ſicut ſculpturæ, iſtæ ſicut appoſitiones forinſecæ, & quaſi ſuperficiales, illæ verò ſicut tincturæ totum penetrantes, & intimè inhærentes. Non eſt igitur mirum, ſi ſubſtantiæ hujuſmodi poſſint id, quod eſt minus, atque facilius, & deficiunt ab eo, quod eſt majus, & difficilius. Quatenùs autem illuminatio virtutis noſtræ intellectivæ attribui debeat hujuſmodi ſubſtantiis, jam audiviſti; neque enim qui librum adhibet, vel ſpeculum viſui, neque ipſe liber, neque ipſum ſpeculum propriè docet vel videre facit, licet multū adminiculum ad videndum præſtet. Juxta modum iſtum multa proculdubiò adminicula ad perfectionem virtutum obtinendam præſtant doctores, & correctores, & qui exempla rectitudinis oſtendunt, & præbent, ipſam autem virtutum pulchritudinem, & per hoc adminicula etiam ſine his præſtat pro beneplacito bonitatis ſuæ dator & auctor omnium bonorum. De tribus igitur iſtis, illuminatione, purgatione, atque perfectione, in tantùm ad præſens dictum ſit tibi. Debes autem ſollicitè attendere, quia ſcientiæ, ſive ſapientiæ, ſanctarum, ac beatarum ſubſtantiarum, de quibus agitur, abyſſi ſunt latiſſimæ, ac profundiſſimæ: & propter hoc viſio earum vel etiam uniuſcujuſque, quaſi viſio maris eſt, hoc eſt, quaſi abyſſa-

E lis profunditatis & latitudinis, juxta quod dicit ſapiens quidam, de ſapientia ipſa. Alta profunditas: & quis inveſtigabit eam? Et iterùm, aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ; Et iterùm: Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, & homo ſapiens exhauriet illud. Statura verò, quam antedictus propheta eſſe rotis dixit, ſubſtantialitas, vel altitudo, eſt ſapientiæ. juxta quod idem propheta dixit exponens illam ſtaturam, & dicens: Statura quoque erat rotis, & altitudo, & aſpectus horribilis. Et intende horrorem iſtum non terroris, aut terribilitatis, ſed vehementis admirationis, atque ſtuporis. Innatum nobis quippe eſt ad aſpectum rerum magnarum, & inconſuetarum, vehementi admiratione, atque ſtupore moveri, & infra limites noſtræ parvitatis reſilire, & quodammodò nos ipſos contrahere. Quod autem ſubjunxit de oculis rotarum, expeditum eſt tibi ex
F præcedentibus. Quod verò dixit, quia cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ non eſt dubitandum, quin ambulatio ſpiritualis profectus eſt, vel operatio. Manifeſtum autem eſt quod omni recta, & ſpirituali ambulatione, hoc eſt, omni profectu, & operatione ſpirituali, & in nobis, & in ſubſtantiis aliis, in quibus locum habent profectus, & operatio rectitudinis, ſimul proficiunt ſapientia, & virtutes, & ipſa ſubjecta earum, hoc eſt, ſubſtantiæ, in quibus ſunt, & econverſò. Et hoc eſt dicere, eum virtutibus ibant, & cùm elevarentur animalia, elevabantur pariter, & rotæ ſequentes ea. Jam autem dixi, propter quid & animalia & rotæ eædem beatiſſimæ illæ ſubſtantiæ dictæ ſunt. In hoc verò, quod dixit, ſequentes ea, propter illud dictum videtur, quia ſubjecta omnia priora ſunt perfectionibus ſuis ſemper. Et propter hoc ad quodcunque opus rectitudinis, ad quodcunque juſſum, vel beneplacitum creatoris, ſe inclinent, vel
G transferant, perfectiones illas præclaras, quibus eas decoravit, & ornavit creator, ſecum trahunt, quoniàm per illas juſſa creatoris ad beneplacitum ejus per omnia adimplent. Nec te conturbet, quòd de rotis, & animalibus, tanquàm de diverſis videtur eſſe ſermo propheticus; ſecundùm enim ea, quæ dixi, in viſione tantùm erat, ſicut & apparebat iſta diverſitas. Quòd autem pedes animalium illorum pedes recti dicti ſunt nihil convenientiùs intelligitur nominatione pedum rectorum, quàm affectiones eorum rectiſſimæ, pedes enim & inſtrumenta motuum ſunt, & ab ipſis eſt virtus motiva illorum. Et hoc declaravit iſte ſanctus, & ſapiens in tractatu de ſacratiſſimis hierarchiis. Manifeſtum autem eſt tibi, quia cœli nullo genere pedum utuntur, niſi fortè talibus, quales dixi: & hoc utique, ſi animalia, vel animati ſunt: elementa verò nullo
H genere pedum utuntur. Hoc autem dico propter quoſdam, qui viſionem illam partim judaicè, partim propheticè exponere conati ſunt: cùm expoſitiones eorum nihil prophetali intentionē, vel officio dignum contineant, aut eidem conveniens. Prophetarum quippe officium, & intentio tota eſt mores hominum, vitamque componere, & de malis, quæ illis imminent, præmonere, Dei comminationes, & promiſſiones, mandata ejuſdem, atque judicia, & cerimonias, hoc eſt omnia, quæ ad honorificentiam divini cultus pertinent, exponere, quorum omnium nihil invenies in expoſitionibus ipſorum. De motibus autem elementorum, aut aliorum corporum, ſuperiorum ſcilicet atque cœleſtium, nulla cura fuit unquàm hominibus intendentibus in compoſitionem, & decorem vitæ præſentis, & acquiſitionem futuræ, quapropter multò minus curanda fuerunt illa prophetis, qui ad hoc,

Digitized by Google

&propter hoc ſolùm ad homines miſſi ſunt à creatore, ut eos de legis doctrina, & bonis moribus audirent; & per eos ad futuram gloriam intendere, eaque ſperare hominibus ſuaderent: neque inanem propheriam, aridamque, & mortuam, quæ animas vivificare non poteſt, neque nutrire, neque conſervare, neque in eis, quæ ſalutaria ſunt ullo modorum dirigere, Prophetæ voluerunt, vel intenderunt: propter quod expoſitiones hujuſmodi, tanquàm inanes, & vacuas ab omni pabulo ſalutis, & fructu contemnendæ tibi ſunt & rejiciendæ. Quòd ſi conſiderationem de illis per ſingula tibi facere placuerit, facillimum erit tibi deſtruere illas. Tu ergo noli oblivíſci eorum, quæ hic audiviſti de naturis, & officiis ſublimium ſubſtantiarum abſtractarum. Et cum his attende in eis, quæ addam tibi de ipſis.

CAPUT CLIV.

Quomodo dicti Angeli beati laudant creatorem.

Primum officium Angelorũ laudare creatorem.

DIco igitur, quia unum ex officiis ipſarum eſt laudare creatorem vocibus, quas prædixi tibi. Laudare verò juxta communem intelligentiam non eſt, niſi bona narrare aliquibus, vel ſignificare; laudare verò ipſum, hoc eſt bona illius eidem narrare, vel ſignificare. Et quoniàm voces iſtæ clamores ſpirituales ſunt, ut prædixi; laudantes creatorem vocibus iſtis ſunt ex neceſſitate clamantes laudem creatoris; quoniàm inſuper iſtæ voces continuæ ſunt, nec ullo ſilentio interrumpuntur; manifeſtum eſt, quia non habent requiem die, ac nocte, quin clament de creatore, ſanctus, ſanctus, ſanctus, ſimiliter & alia magnalia ipſius. In ſtatu enim gloriæ, in quo manifeſtum eſt hujuſmodi ſubſtantias eſſe, non habet locum interruptio ab actu quocunque, cùm ad ipſum neque mors, neque mutatio ulla in deterius vergens attingere poſſit, ſicut jam audiviſti; ſed neque requies locum habet ibi, cùm motus ſpirituales, qui ibi ſunt, & actus, perfectiones, & gloriæ, ſint inibi exiſtentium: nihil autem contrarium perfectionibus illis, aut gloriæ adminiculis patitur ſtatus ille. Ampliùs. Ubi laſſitudo nullum locum habet, ibi nec pauſatio, ſicut igitur à cognitione in effectu magnalium creatoris, quæ non eſt niſi cogitatus certiſſimus, ac lucidiſſimus eorum, nunquàm ceſſant illæ beatiſſimæ ſubſtantiæ, ſic neque à clamoribus laudum ipſius, non ſolùm à clamore triplici ſanctitatis ejuſdem juxta ſermonem Propheticum, ſed neque à clamoribus laudum aliarum ipſius.

CAPUT CLV.

De aliis officiis Angelorum, quæ ſunt benedicere, magnificare, & laudare Deum.

Secundùm officium ipſorum quale ſit.

SEcundum officium earundem ſubſtantiarum eſt benedicere creatori: benedicere verò alicui, prout hic intenditur, non eſt niſi bona imprecari eidem, vel bona dicere de illo; primum verò magis conveniens eſt intentioni propoſiti, quemadmodùm, cùm dicitur, benedictio, & claritas, & ſapientia, honor, & gloria, illi, ſubauditur, ſit. Hac igitur oratione oſtendunt, qui hoc dicunt, ſe velle, vel optare bona in oratione hujuſmodi nominata illi, de quo, vel ad quem loquuntur. Quòd ſi quis quærat, qualiter optant ei, vel volunt ea, quæ plenè habet, & poſſidet, præſertim cùm hoc non ignorent. Reſpondeo, quia optatio hæc, quam oratio illa inſinuat, magis amor eſt bonorum hujuſmodi; cùm deſideriũ propriè non ſit, niſi eorum, quæ non habentur, vel haberi neſciuntur, aut non putantur; deſiderium namque veri nominis in uſu, qui eſt apud nos, ſic eſt, quemadmodùm dixi, propter quod & ceſſat omninò obtenta deſideratione. Non improbabiliter igitur dicit quidem ex ſapientibus, quia placitum eſt quieta voluntas, deſiderium verò mota voluntas, ſive in motu, & hoc eſt dicere, motus voluntatis in id, vel ad id, obtinendum, in quod eſt; hoc autem eſt ipſum deſideratum. Sunt igitur placitum, & deſiderium, ſicut quies in re, & motus in illam: veruntamen viſum eſt quibuſdam, quia tanta eſt ſuavitas bonorum gloriæ, ut ſemper ipſa rapiant in ſe ipſa fruentes eiſdem, & ſemper eoſdem in ſe quieſcere faciant. Et apertè dixerunt, quia ſemper obtenta, & habita ſemper deſiderantur. In quo ſermone difficile eſt aliud intelligere, niſi quia infatigabiliter, & amantur & poſſidentur, econtrariò autem ſe habet res in corporalibus delitiis. Hic eſt igitur intellectus ſermonis prædicti, quo dictum eſt benedictio, & claritas, &c. hujuſmodi, ſint creatori, ſcilicet illa ei eſſe volumus, & amamus, & hoc imprecatione, non tanquàm ea non habeat, illa optant eidem, vel imprecantur, quin potiùs gaudere, & gratulari ſe inſinuant tantis, ac talibus bonis illius.

Tertium officium.

Tertium earundem officium eſt magnificare, quod in ſe ipſis, & quantùm ad ſe ipſas nihil aliud eſt niſi magnitudinem ſeu immenſitatem creatoris prædicto modo clamare: quantùm ad alias verò ejus gloriæ conſortes ſubſtantias magnificare creatorem non eſt, niſi illum eiſdem prædicare, vel quoquomodo inſinuare; nihil enim prohibet unamquamque ſubſtantiarum in ſe, & apud ſe magnum, & immenſum, cognoſcere, & habere: quantùm ad alias verò non eſt niſi hoc ipſum eidem modo quodlibet nunciare, vel innoteſcere.

Quartũ officium.

Quartum autem officium eſt ipſum glorificare, & quoniàm gloria, ſicut alibi didiciſti, non eſt, niſi clara, ſublimis, & lata fama glorificare ipſum non eſt, niſi clarè, ſublimiter & latè bona ipſius prædicare: clara quidem eſt fama creatoris propter nobilitatis ipſius præſtantiam; claritudo enim, & claritas ad nobilitatem apud nos referuntur, unde & clariſſimi vocari ſolẽt, qui in primo ordine nobilitatis erant; qui verò in ſecundo expectabiles: qui autem in tertio, & ſupremo illuſtres; & hic eſt honoris, & dignitatis regiæ gradus proprius. Quare ſoli reges illuſtres vocantur; ultra enim regiam celſitudinem non eſt gradus alius nobilitatis. Sublimis verò dicitur fama propter ſupereminentiam altitudinis creatoris, qua incomparabiliter ſupereminet univerſis, & ſingulis. Eodem modo & bona ſua, quæ intelligo potentiam, ſapientiam, bonitatem, pulchritudinem, & hujuſmodi, quæ de ipſo propter ſemetipſum dicuntur, hæc enim omnia in ultimitate ſupereminentiæ, & nominibus ſuperlativis de eodem dicuntur, quapropter non ſublimiter laudatur, cùm potens, & ſapiens, aut bonus ſimpliciter dicitur; ſed cùm potentiſſimus, au ſapientiſſimus, aut optimus vocatur, ultimitatem ſiquidem ſupereminentiæ ipſius ſolæ ſuperlativæ nominationes utcunque deſignant: ſed neque illæ, neque aliæ plenæ, & ut eſt, in enarratione illius quippe deficiunt omnes linguæ, & non conſequitur eum loquela, neque cogitatus, ſicut alibi didiciſti: pro brevitate igitur, ac depreſſione noſtri intellectus, & etiam omnis alterius intellectus creati dixi hoc, quia ſuperlativis nominationibus laudatur ſublimiter, quorum intellectus reputat ſublimia, quæ hujuſmodi nominationibus deſignantur, quamquàm ineffabiliter procul ab ultimitate ſuæ altitudinis, & laudabilitatis. Lata verò propter univerſalem pervagationem, quâ replet omnia; non enim ſolùm vocibus hominum omnium, ſed reſonantia etiam creaturarum omnium; omnes

Digitized by Google

enim creaturæ laudes ejus reſonant, & prædicant audire ſpiritualiter, hoc eſt, intelligere valentibus, & tantò veriùs, ac magnificentiùs ipſam laudat univerſitas creaturarum, quantò veritas major eſt ſua deſignatione exigua. Et intendo, quia opera magnifica majora ſunt laus artificis, ac verior, quàm voces opera prædicantium. Propter quod Prophetæ Hebræorum veriſſimè dixerunt: Operuit cælos gloria ejus, & laudibus ejus plena eſt terra: & plena eſt terra gloria ejus: & iterùm: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum; non aliis utique vocibus, quàm oſtenſione mirificentiæ, & pulchritudinis ſuæ. Meritò igitur gens Chriſtianorum cantat in laudibus ejus: Quem terra, pontus, æthera, colunt, adorant, prædicant, trinam regentem machinam, clauſtrum Mariæ bajulat. Iſta igitur prædicatio creaturarum univerſarum fama, ſeu famoſitas eſt creatoris, non ſolùm latâ univerſali pervagatione, ſed etiam clarâ, dum præcellentiam nobilitatis ipſius per eam innoteſcit cunctis audientibus auditione ſpirituali. Et etiam eſt ſublimis; quoniàm ultimitas altitudinis creatoris tantis vocibus, tantiſque teſtimoniis in totalitate univerſi clamatur. Glorificant igitur ſublimes, atque beatæ ſubſtantiæ, dum vocibus antedictis famam ejus claram, ſublimem, & latam, clamare non ceſſant; glorificare enim creatorem non eſt aliud, quàm gloriam ejus, cujus diffinitionem jam audiviſti, vel in ſeipſo recognoſcere, vel nunciare. Hæc igitur quatuor officia ſunt beatiſſimis ſpiritibus in ſeipſis ad creatorem: ad quoſdam verò eorum, ut ad nos, inquantùm ad annunciationem, vel pertinent, vel reſpiciunt, vel officiis hujuſmodi deſervitur partim aliquibus eorum, & partim hominibus.

CAPUT CLVI.

Proſequitur magis diffuſè officia, ſeu ſervitia ipſorum ſpirituum nobis ab eiſdem præſtita, quæ ſunt inſtruere, & orare, &c. & num ſibi mereantur.

His ergo ita determinatis incipiam proſequi officia, quibus deſerviant hominibus, & horum primum officium eſt inſtruendi, per quod revelant hominibus Dei beneplacita, vel mandata, & leges, atque ea, quæ ad ipſas leges, & earum obſervantiam pertinent, quemadmodùm ſunt promiſſiones, & comminationes creatoris. In lege namque Chriſtianorum expreſsè legitur, quia lex Hebræorum ordinata fuit per Angelos in manu mediatoris. Qualiter autem fiunt inſtructiones, & revelationes iſtæ animabus hominum, jam declaratum eſt tibi in eis quæ præceſſerunt. Effulgere ſiquidem faciunt in humanis animabus ſignis vivis, & luminoſiſſimis, & hoc præcepto creatoris, & liberâ voluntate propriâ, res, quarum notitia, vel neceſſaria, vel ſalutaris eſt hominibus. Nec mirum tibi videri debet, ſicut prædixi, ſi per naturalia ſigna, & viva, & vera & luminoſiſſima, effulgentiæ iſtæ fiunt in animabus noſtris, quando per innaturalia ſigna, & minoris, atque debilioris incomparabiliter ſignificationis, necnon & multùm remotiora ab animabus noſtris, fiunt in eiſdem; hoc igitur tibi non eſt neceſſarium, ut repetam. Quapropter tranſeo ad ſecundum hujuſmodi eorundem officium. Dico igitur, quia illud eſt interpellare, & orare pro nobis. Cui officio quidam addiderunt officium præſentandi orationes noſtras, & vota, quod utique valde ſimpliciter, & incircumſpectè dictum videtur. Inſinuat igitur hujuſmodi ſermo non aliter venire ante Deum orationes

E noſtras, & vota, niſi beatiſſimis illis ſpiritibus præſentantibus, quod manifeſtum eſt impoſſibile eſſe: nulli enim hominum intelligentium dubium eſſe poteſt, creatorem primum videre, & cognoſcere quæcunque vel à nobis, vel in nobis fiant, & mediatione præſentationis, vel oblationis hujuſmodi illum nullo modo indigere. Deinde cujuſmodi præſentatio, vel oblatio erit hæc; ridiculoſa quippe, & ſupervacua iteratio precum noſtrarum erit hujuſmodi vel oblatio, vel præſentatio, cùm antequàm ipſa fiat, venerint jam preces noſtræ, & vota ante creatorem. Si enim petitionem, quam quis offert Regi alicui, poſtmodùm offerret eidem nullo addito, vel mutato, indubitanter ridiculoſè, & ſupervacuè, hoc faceret; neceſſe igitur eſt ab offerentibus, & præſentantibus Angelis ſanctis orationes F noſtras Deo, & vota altiſſimo, aliquid addi eis, quod exaudibiliores eas efficiat, hoc autem non eſt, niſi interpellatio ipſorum, vel aliud adjutorium: procurator namque, vel mediator, ſi favorem, vel gratiam habuerit in conſpectu judicis, adjuvat proculdubiò, & promovet ipſam petitionem, quam porrigit: fit etiam plerumque apud nos, ut petitio, quæ de manu, vel ore offerentis à judice non recipitur, ab interceſſore, vel de manu ipſius, aut ore, gratioſè accipiatur, quod eſt dicere manu ipſius petitio ſcripta ad exauditionem ſuſcipitur, aut ad vocem ipſius petitum conceditur, non ſolùm enim vox rogantis impetrat, ſed etiam manus porrigentis: ſatis enim rogat, ut ait ſapiens, qui cauſas rogandi inſinuat, ſimiliter non minus efficaciter deſiderium obtinendi inſinuans intercedit interdùm, G quàm ſi voce, vel petitione illud exprimeret. Manifeſtum autem eſt, quia qui petitionem manu porrigit, vel ad recipiendam illam manus extendit, deſiderium obtinendi inſinuat: & unus ex Prophetis Hebræorum dixit deſiderium cordis eorum audivit auris tua, & iterùm alius: deſiderium cordis eorum juſtis dabitur. Orationibus igitur noſtris, & votis permultùm addunt Angeli ſancti. Et hoc eſt favore ſuo, vel gratiâ, quas obtinent in conſpectu altiſſimi, non ſolùm orando, vel petendo, ſed etiam favendo, vel porrigendo. Amore enim ipſorum plerunque nobis tribuitur, quod petimus, & etiam quandoque, quod non petimus ipſi nobis impetrant per ſemetipſos; namque nobis dormientibus, & torpore, vel negligentiâ ab oratione, vel ab aliis bonis ceſſantibus, ipſi pro nobis vigilant orantes, & gratias pro nobis largitori bonorum omnium referentes; nunquàm enim dormiunt ſublimes illæ virtutes, ſed ſemper vigilant. Et quia neque laſſitudo, neque alius hujuſmodi defectus, locum habet apud ipſos, ſicut nunquàm à creatoris H laudibus ceſſant: ſic neque ab aliis ſacris officiis, ex quo conſequenter manifeſtum eſt, quòd multa nobis merentur, & impetrant quæ meritis noſtris nullatenùs obtineremus: ſanctiſſimi quippe ſunt, & creatori acceptiſſimi, ſpiritualiſque rhetoricæ peritiſſimi oratores, quapropter gratioſitate tantâ digni ſunt obtinere, quicquid petunt. Impoſſibile autem eſt denegari eis à benigniſſimo, largiſſimoque largitore bonorum omnium, utpote omnibus, quæ petunt, dignis, & eadem dignè petentibus. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia nobis merentur, & impetrant quæcunque pro nobis petunt: neque enim poſſibile eſt ſapientiſſimos, ſanctiſſimoſque, aliquid petere vel indignum, vel indignè. Utrùm verò ſibimetipſis aliquid mereantur, vel mereri poſſint, quæſtio fuit nonnunquàm apud ſacros doctores, in quo facile eſt tibi videre, quia ſi nobis mereri poſſint, etiã ſibi gaudium, quod eſt eis, vel eſſe poteſt de juſtificatione, vel ſanctificatione

Digitized by Google

tione noſtra. Jam autem declaravit legiſlator Chriſtianorum, quia gaudium eſt eis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, declaravit inquam indubitabili, & irrefragabili teſtimonio ſuo: quia igitur meritis ſuis nobis obtinent pœnitentiæ gratiam, ſeu juſtificationis, in qua eſt gaudium antedictum, meritis ſuis indubitanter obtinent gaudium illud. Quòd ſi dixerit quis, quia ſi intenderent per merita ſua obtinere gaudium illud, & referrent orationes ſuas ad illud, ut ſic orarent, & peterent, omnipotens, & miſericors Deus, juſtifica peccatorem illum, & fac nos gaudere de pœnitentia, vel juſtificatione illius, vel ſi dicerent, ut nos gaudeamus de juſtificatione ipſius, ſi inquam ita intenderent, & dicerent, tunc meritò mererentur: Dico in hoc, quia jam declaratum eſt tibi per me, quia obſequium quantò magis gratis impenſum fuerit, tantò magis eſt meritorium, magiſque retributionis obligatorium; quantò autem plus intenditur in præmium, vel mercedem, tantò minùs gratis impenditur; tantò minus igitur eſt meritorium. quare ſi omninò in præmium non intenditur, vel etiam non cogitatur de præmio illo ab Angelis ſanctis, non minus propter hoc illud mererentur, quin potiùs verius, rectiuſque, quod apparet ex ratione, ſeu diffinitione meriti, quæ eſt hæc meritum eſt obſequium gratis impenſum retributionis obligatorium. Cui igitur magis convenit hæc ratio, magis convenit & nomen meriti. Quare quantò magis gratis impenſum eſt obſequium, tantò magis habendum eſt, & dicendum eſt meritum. Et propter hoc quantò minùs impenſione obſequii intenditur præmium, nec de illo etiam cogitatur, tantò rectiùs, veriúſque, & habendum, & dicendum eſt meritorium ſic impenſum obſequium. Si quis autem quærat, qualiter orant pro nobis, vel pro quibuſcunque aliis beatiſſimæ iſtæ ſubſtantiæ: Reſpondendum eſt, quia piis deſideriis, & petitionibus ſpiritualibus. Et jam dixi tibi aliàs, quia petitio ſpiritualis multùm diſtat à deſiderio: deſiderium enim per hoc, quod eſt deſiderium, non reſpicit in rem deſideratam; petitio verò eſt intentio reſpiciens in ipſum datorem ad inclinandum ipſum, ſeu inducendum ad dandum rem petitam. Et eſt alius motus, id eſt alia inclinatio animi, cùm quàm optatio, & deſiderium. Et deſiderium quidem per hoc, quòd deſiderium cadit in ſubſtantias non intelligentes, petitio verò non. Ampliùs. Petitio per hoc, quod eſt petitio, intendit in conceſſionem, ſeu donationem rei petitæ, & eſt inquiſitio propriè conceſſionis, ſeu donationis hujuſmodi, deſiderium verò per ſe eſt in illam, hoc eſt, in rem deſideratam. Eſt enim petitio per ſe, & hoc eſt, abſque medio, in conceſſionem rei deſideratæ; conceſſio autem, vel donatio via eſt ad obtinendum rem deſideratam: in conceſſionem autem, ſeu donationem hujuſmodi rei eſt petitio per hoc, quòd eſt petitio: deſiderium autem per hoc, quòd eſt deſiderium, non eſt in hujuſmodi via, alioquin non caderet in animas brutales. Hæc autem omnia de differentia, ſcilicet petitionis ſpiritualis, & deſiderii dixi tibi hîc, propter brevitatem intellectus, & levitatem aſſertionis quorundam hominum, qui leviſſimi ſunt ad judicandum de rebus, ad quas non attingit intellectus eorum: quis enim non videat, quia petitio nec de manifeſtis impoſſibilibus eſt, nec de rebus deſperatis, deſiderium autem eſt de utriſque, multa namque deſideramus, quæ nullatenùs obtinere poſſe nos putamus, nulla autem petimus, quæ impoſſibilia eſſe ſciamus, vel obtenturos nos eſſe deſperamus. Et hæc eſt patentiſſima differentia inter deſiderium, & petitionem ſpiritualem. Ampliùs. Petitio & conſiliabilis eſt & deſiderabilis, nec aliter unquàm exit ab homine rationabili. Ampliùs. Juſta, vel injuſta dicitur ſemper; nullum autem iſtorum convenit per ſe deſiderio, declarata igitur eſt tibi per hoc multiplex differentia inter petitionem ſpiritualem, & deſiderium.

Nota differentiam inter petitionem & deſiderium.

CAPUT CLVII.

Quòd Angeli deſerviunt hominibus regendo, & gubernando, ac præſertim defendendo à dæmonibus, beſtiis, & aliis noxiis.

TErtium officium, quo hominibus deſerviunt Angeli ſancti, eſt regimen, ſeu gubernatio noſtra, cujus multæ ſunt partes, præter prædicta officia: non enim dubitas, quin inſtructio, ſeu revelatio, ſimiliter & interpellatio pro nobis ad regimen, & gubernationem noſtram pertineant. Inſtruendo propriè quippe nos, & orationibus ſuis obtinendo nobis bona, & avertendo à nobis mala, regunt nos Angeli ſancti. De his igitur duobus expedivi te, & me: propter quod tranſeo ad alia officia eorum, quæ pertinent ad regimen, ut dixi, & gubernationem noſtram. Hujuſmodi igitur primam partem pono defenſionem, ſecundam liberationem, tertiam cuſtodiam. Dico igitur, quia defenſionem hujuſmodi impendunt Angeli ſancti contra omnia, quæ nocent, vel nocere poſſunt nobis primùm contra malignos ſpiritus; & hoc faciunt arcendo eos, & diffugando à nobis; & interdùm etiam religando, ſicut legitur in libris Hebræorum de Archangelo Raphaële, quòd religavit dæmonem nomine Aſmodæum in deſerto ſuperioris Ægypti; quibus autem, vel qualibus vinculis hoc fecerit, in ſequentibus tibi patefaciam, ut potero, ſi Deus voluerit. Et in narrationibus miraculorum gentis Chriſtianorum innumerabilia penè leguntur de hujuſmodi religationibus. Secundò defenſionem nobis præſtant contra homines nobis nocere volentes, atque conantes, non ſolùm arripiendo eos, ſed etiam interficiendo. Et ſicut dixi tibi in libris miraculorum illorum, de iſtis arreptionibus, & interfectionibus multa eſt tibi copia exemplorum. Multi namque ex perſecutoribus Chriſtianorum arrepti fuerunt à dæmonibus, & illi per hoc liberati: arreptiones verò, niſi permiſſione, aut præceptis ſanctorum Angelorum, nullatenùs facere potuiſſent. Interdùm etiam ipſi beatiſſimi, ſanctiſſimique Angeli per ſemetipſos nefarios homines interfeciſſe ſciuntur, ut liberarentur innocentes, & ſancti. Cujus unum exemplum evidens eſt de filio præfecti cujuſdam urbis Romæ, qui violentâ oppreſſione dum ſacratiſſimam quandam virginem Chriſtianam polluere attentabat, ab Angelo ſancto interfectus eſt; quod miraculum adeò celebre fuit, ut non ſolùm toti Urbi Romæ, quæ totius orbis monarchiam eo tempore obtinebat, innotuerit; ſed etiam multis poſtmodùm temporibus ipſa virgine in multa gloria poſt mortem ſuam multoties apparente famoſum effectum eſt. Contra quoque ipſas beſtias defenſionem nobis multiplicem præſtant Angeli ſancti (ſicut in eiſdem libris plura legere potes) à leonibus quippe, & ſerpentibus, atque draconibus terrificis. Et in lege Hebræorum in eiſdem libris narrationum liberatos invenies homines ſanctos per beatiſſimos Angelos Dei altiſſimi. Notiſſimum quippe miraculum eſt illud, quod ſub Rege Babylonis Nabuchodonoſor Propheta quidam Hebræorum de medio leonum liberatus eſt, cùm fame validiſſimâ laborarent leones,

de quibus non eſt dubium, quin à ſanctis Angelis prohibiti fuerunt nocere Prophetæ. Et de hujuſmodi prohibitionibus, quòd multoties factæ fuerunt ab Angelis ſanctis ad beſtias, remitto te ad libros illos Et, quòd miſſi fuerint Angeli ſancti ad liberandos viros ſanctos, in prænominatis libris invenies. Quartò defenſionem præſtant hominibus Angeli contra ipſa elementa, ſicut dixit ipſe Propheta; Quia deſcendit Angelus Domini de cœlo, & excuſſit flammam ignis de fornace, & medium fornacis fecit, quaſi ventum flantem; ubi etiam legis exemplum de interfectione eorum, qui ipſum Prophetam perſequebantur; ipſemet enim teſtatus eſt; quia flamma fornacis incendit miniſtros regis, qui eam incendebant. Quintò contra ſemetipſos ipſi boni Angeli præſtant nobis defenſionem, ſicut apud eundem Prophetam legitur de principe Perſarum, qui reſiſtebat alij Archangelo ſatagenti pro liberatione populi Hebræorum: ille verò, videlicet princeps Perſarum econtrariò allegabat pro regno ſuo, ſcilicet regno Perſarum, ac liberatio populi illius fieret in derogationem, vel detrimentum regni Perſarum. Et de hac defenſione manifeſtum eſt, quod facta non fuit diſceptatione, quæ eſſet viribus, ſeu per vires: hic enim modus diſceptandi, videlicet, qui viribus exercetur, ut ait quidam Philoſophus, magis beluinus eſt, quàm humanus: quantò minùs igitur decet ſanctiſſimos, ac beatiſſimos Angelos, & hoc contra ſe invicem: contra malos ſiquidem Angelos non eſt dubium, quin utantur fortiſſimâ diſceptatione, dùm eos ligant, & incarcerant, ſicut prædixi tibi. Et intendo iſtam diſceptationem non ideò fortiſſimam eſſe, quia nulla fit eis à malignis ſpiritibus reſiſtentia, vel rebellio, niſi ſola voluntate: ſubjectiſſimi enim ſunt bonis ſpiritibus, ac beatis, nec eſt eis poteſtas contra eos in aliquo rebellare. Fortiſſimam igitur iſtam diſceptationem dixi, quòd ex magna valde fortitudine eſt, quâ præditi ſunt beatiſſimi ſpiritus, & magna eſt valde diſtrictio atque pœnalitas, quâ eos & carceribus includunt, & vinculis diſtringunt. Quòd ſi quis quæſierit, quæ ſint hujuſmodi vincula, vel carceres? cùm nec corporalibus carceribus teneri naturaliter, nec corporalibus vinculis arceri valeant. Dico in hoc quia Dei beneplacitum, & ſanctorum Angelorum juſſa ſola virtute ſuæ imperioſitatis hoc faciunt ſubſtantiæ iſtæ nobiles. Quod enim inſtrumentis corporalibus faciunt ſubſtantiæ ſpirituales corporibus conjunctæ, & alligatæ, hoc faciunt ſubſtantiæ iſtæ nobiles virtutum ſuarum ſola perfectione, & multò ampliùs ideſt ampliora, atque magnificentiora Sicut enim in præcedentibus audiviſti, indigentia inſtrumentorum de imperfectione eſt virtutum, quibus illa deſerviunt. Quare perfectione ſua non tam ſuppletur hujuſmodi virtutibus, videlicet abſtractis, & abſolutis inſtrumentorum hujuſmodi indigentia, ſed etiam additur multa mirabilium operum mirifica præſtantia, & hoc cogit non tam perfectio, & libertas, per quam inſtrumentis hujuſmodi indigent; ſed etiam ipſa naturalis earum nobilitas. Et debes hoc ſcire, quia non eſt parva ſimilitudo hujuſmodi ſubſtantiarum ad creatorem benedictum in perfectione, & virtuoſitate. Quemadmodùm igitur vides creatorem benedictum virtuoſitate ſua omnipotentiſſima omnia coërcere, & hoc ſolo imperio optimæ voluntatis ſuæ, ita ut nihil ultra vel progredi, vel citrà ſiſtere poſſit, quàm ipſe unicuique creaturarum præſcripſit: ſic omnes beati ſpiritus ſimili virtute, licet incomparabiliter diſſimili ejuſdem virtutis inæqualitate præditi ſunt, ut ſubjecta ſibi ſive lege, & ordine naturæ, ſive juſto Dei judicio, imperioſitatis E ſuæ diſtrictione coërceant. Et intendo ſubjecta ſibi ea ordine naturæ, & lege, quibus naturaliter imperant, quemadmodùm ſuperiores ſpiritus inferioribus, juſto verò judicio intelligo ſubjectos eſſe, tanquàm in pœnam damnationis, omnes malignos ſpiritus omnibus ſanctis, ac beatis. Claruit etiam experimentis innumerabilibus multis Dei electis, & dilectis hominibus, malignos ſpiritus ſubditos fuiſſe, & juſſis eorum per omnia obediviſſe. Ex eodem etiam ordine divinæ juſtitiæ gehennali igni ſubjecti ſunt, & effecti paſſibiles ab eodem. Quid igitur mirum, ſi ſubjecti omnimoda ſervitute juſtiſſimo creatoris judicio effecti ſunt ſanctis, ac beatis ſpiritibus, quando etiam ex iſto tartareis carceribus, & flammis juſtiſſimè ſubeſſe coguntur, vel cogendi ſunt? Ampliùs. Quemadmodùm leges creatoris, quaſi vincula, ſunt univerſis creaturis, tenentia eas, ne ultra eas, vel ſupra eas, quicquam naturaliter poſſint: ſic beneplacitum creatoris, & juſſa ejus, F quæ per ſãctos Angelos malignis ſpiritibus innoteſcunt, quaſi vincula fortiſſima malignos ſpiritus retinent & prohibent, ne ultra hujuſmodi juſſa aliquid poſſint. Non eſt igitur mirum, ſi beneplacitum creatoris per ſe velut ligatos tenet, atque coërcet malignos ſpiritus, cùm univerſum tanta fortitudine, tantaque diſtrictione retineat, & conſtringat. Quare quemadmodùm creator benedictus ad tenendum, & retinendum aliis ligaturis, & cathenis non indiget, quàm imperioſiſſima omnipotentia virtutis ſuæ; ſic nec ſancti, ac beati ſpiritus aliis vel carceribus, vel vinculis, indigent ad coërcendos dæmones, quàm fortiſſima virtute imperioſitatis ſuæ præſertim cùm ad hoc beneplacitum creatoris acceſſerit vel ſaltem non diſcrepaverit; hoc inquam dico eos poſſe ex virtuoſitate imperioſitatis ſuæ; multò autem fortiùs, ſi de novo ex novo juſſu G creatoris poteſtatem acceperint, quemadmodùm apud nos fieri conſuevit: quia præſides provinciarum & multa poſſunt ſemper per ſe, & de multis novam poteſtatem accipiunt, novaque miſſa, novaque mandata, & cum ipſis mandatis interdùm etiam poteſtatem novam priſtina non amiſſa.

CAPUT CLVIII.

Quid à ſanctis Prophetis, immò & ab ipſis philoſophis cognita eſt hujuſmodi cuſtodia, & gubernatio, & probat rationibus.

ET quoniàm eouſque pervenit inveſtigatio iſta, ut jam dixerim quoſdam ex beatiſſimis iſtis ſpiritibus rectores eſſe, & gubernatores: conveniens eſt, ut faciam te ſcire, qualiter iſtud inventum eſt. Dico igitur, quia iſtud innotuit hominibus per Prophetas Hebræorum, quibus Deus multa re- H velavit de miſteriis conſilij ſui, & primùm quidem per eoſdem genti Hebræorum: & deinde genti Chriſtianorum. Apud unum igitur ex Prophetis illis legitur expreſsè de principe Perſarum, & principe Græcorum, atque Michaële Archangelo, qui ibidem inſinuatur princeps eſſe gentis Hebræorum: apud autem alium, cujus libros libris Prophetarum annuat gens Chriſtianorum, legitur de creatore, quia in unamquamque gentem præpoſuit rectorem. Et iterùm in 5. libro legis Hebræorum legitur de eodem creatore juxta quandam tranſlationem. Conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Dei. Plato verò, & platonici omnes ex doctrina ejus hoc ipſum ſenſerunt, videlicet, quòd bonis, ac beatis ſpiritibus credita eſſet, & commiſſa generis humani gubernatio, & cura. Gens autem Chriſtianorum ex ipſo teſtimonio legiſlatoris ſui

Digitized by Google

ſui credidit unicuique hominum unum bonum ſpi- A ritum aſſignatum à creatore, ita enim legitur in lege ipſorum de parvulis. Angeli, inquit, eorum ſemper vident faciem patris. Et parvulis igitur, & adultis dati, vel aſſignati ſunt Angeli boni à patre miſericordiarum. Nec ſolùm teſtimoniis Prophetarum credibile eſt hoc, ſed etiam probationibus, quæ fidem indubitatam tibi facere de illo ſufficiant. Et primùm quidem, quia naturalis eſt pietas, & dilectio in hominibus ad invicem, naturaliſque amor honeſtatis, & compoſitionis vitæ, per quem unuſquiſque pater familias ad hoc intendit, ut componantur mores, & decoretur vita familiæ ſuæ in forinſecos. Etiam oſtendit hanc pietatem, & dilectionem, monens eos, atque corripiens à vitiis, & peccatis, quibus deformantur mores hominum, & vita turbatur Et nemo dubitavit adhuc, quin hoc & bonum ſit, & Deo altiſſimo placitum; quantò fortiùs igitur in ſanctis, ac beatiſſimis Angelis, eſt iſta naturalis pietas, atque dilectio? Et B etiam tantò major, quàm in hominibus, quantò nobilitas eorum ad hæc, & alia bona omnia expeditior eſt atque potior quàm ipſi homines in miſeria vitæ præſentis: ſi igitur natura humana in iſta depreſſione, & miſeria, homines bonos à correptione & gubernatione hominum, quoad poſſibile eſt, abſtinere non patitur quantò magis nobiliſſima illorum bonorum Angelorum natura ex incomparabiliter majori pietate, atque dilectione, miſerabiliſſimos homines ſuis conſiliis, & auxiliis, aliiſque omnibus ad gubernationem eorum pertinentibus, carere non ſinet? Ampliùs Si in tantùm poſſunt apud homines naturalis pietas, atque dilectio, ut quemadmodùm prædixi, alij aliis conſulant, alij alios adjuvent, aliiſque officium regiminis impendant; quantò magis hoc poterunt pietas gloriæ, ac dilectio, ut beati, ac ſancti Angeli in tanta miſeria, C ac deſolatione, deeſſe nolint hominibus? Ampliùs. Si juſtitia eſt, quæ nec miſerum facit, nec miſerum deſerit; nulla igitur erit juſtitia ſanctorum, ac beatorum Angelorum, ſi curam non gerant hominum. Ampliùs. Quæ erit eorum pietas, ſi videntes genus humanum in faucibus, & dentibus malignorum ſpirituum eos eripere inde non curant. Quòd ſi dixerit quis, quia reverà ea eſt, & tanta eſt bonitas Angelorum ſanctorum, ſive ſit naturæ, ſive gloriæ, quòd parati eſſent omnem curam boni regiminis impendere niſi hoc prohibitio creatoris impediret. Reſpondeo in hoc, quia ſermo iſte valde erroneus eſt, quoniàm ſi ita eſſet, longè major eſſet creatoris crudelitas ea, quæ pietatis ſunt, prohibentis, & impedientis, quàm ipſorum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm major eſt crudelitas bona avertere, quàm eadem non conferre, quapropter tantò major eſſet D malitia creatoris injuſtitia ſanctorum Angelorum in parte iſta, quantò impedire bonum alienum majoris eſt nequitiæ, quàm illud non expedire. Ampliùs. Innumerabilibus experimentis jam manifeſtum factum eſt ſanctos Angelos multipliciter & conſulere, & auxiliari hominibus, multipliciterque curam boni regiminis impendere eiſdem, quemadmodùm prædixi tibi de inſtructionibus & defenſionibus, & religationibus malorum ſpirituum: ſimiliter & de liberationibus ſanctorum virorum de manibus impiorũ. Ampliùs. Quot, & quantæ prophetiæ aliæ, & ſaluberrimæ revelationes hominibus oblatæ ſunt, & miſſæ hominibus à creatore per Angelos ſanctos quis non videat? manifeſtum igitur eſt curam regiminis hominibus impendere ſanctos Angelos licet tota non appareat, cùm tot, & tanta ejuſdem indicia tam manifeſta ſint. Ampliùs. Si hominibus datur poteſtas in homines, & præficiuntur eis

A rectores hominum, & hoc contra perturbatores publicè faciunt homines, atque privatè: quantò fortiùs contra malignos ſpiritus, qui maximè infeſti, maximè noxij ſunt hominibus neceſſarij ſunt eis rectores, & defenſores? ſi igitur cura eſt creatori, videlicet Deo altiſſimo, ut omnes rectores, & defenſores habeant, ſive reges, & principes, contra infeſtatores, & perturbatores homines: quantò fortiùs cura eſt eidem creatori benedicto, ut ſint eis rectores, & defenſores, contra infeſtatores, & perturbatores ſpirituales, videlicet malignos ſpiritus, ubi tantò magis indigent hujuſmodi regimine & cura, quantò majora ſunt ſpiritualia & bona, & mala, corporalibus & temporalibus Ampliùs. Cùm ordinata ſit univerſalis gubernatio Dei altiſſimi, & nihil ultra gubernationem ſuam eſſe patiatur, nihil ſinat debito carere regimine; unumquodque igitur pro modo, & ordine ſuo, congruentibus ſubjecit rectoribus: manifeſtum autem eſt, quia homines hominibus nec congruentes pro toto, nec ſufficientes rectores exiſtunt, B maximè cùm in majori, & meliori parte, regiminis eorum deficiant, videlicet contra principes malitiæ ſpiritualis: contra eos enim virtute ſuâ, aut ſapientia incomparabiliter minùs poſſunt, quàm requirat cura gubernationis hominum. ut igitur perfecta ſit gubernatio Dei altiſſimi, quâ regi totum indiget univerſum, neceſſe eſt & ſapientiores, & fortiores atque modis omnibus meliores, eſſe rectores hominibus, præſertim propter infeſtationes, ac perturbationes, quæ hominibus, & rebus humanis, à ſpiritibus proveniunt; præſertim cùm manifeſtum ſit per gubernationem rectorum, hoc eſt, regentium homines, nec aſtutiæ, nec potentiæ malignorum ſpirituum reſiſti poſſe, alioquin quid aliud eſſet de hominibus, niſi quòd malignis ſpiritibus, tanquàm animalia occiſionis, abſque paſtoribus, & cuſtodi- C bus dati eſſent in prædam, & devorationem, quod bonitas, atque benignitas creatoris benedicti nullo modorum patitur.

CAPUT CLIX.

De officio defendendi homines in adverſis, atque inſtructione eorumdem. & quòd juſto Dei judicio multa permittunt.

His autem ita determinatis proſequar tibi dè duobus officiis ſublimium virtutum iſtarum, videlicet de inſtructione, atque cuſtodia hominum; paucis ante præmiſſis de officio defenſionis, quam eis ſæpiſſimè impendunt. Quia igitur jam alibi declaratum eſt tibi, bella, & clades, ægritudines, & mortes hominum ex occultis, ac juſtiſſimis Dei D judiciis propter inenarrabiles utilitates hominum in mundo iſto terreno fieri; non debet tibi videri, ſanctos iſtos, ac beatos ſpirituales principes defenſionem hominum à Deo altiſſimo ſic ſuſcepiſſe ad hoc, ut ejus reſiſtant judiciis, aut utilitates eorum impediant, qui antedicta officia, non niſi propter Dei gloriam, & utilitates hominum, ſuſceperunt. Quare manifeſtum eſt non imputandum eſſe negligentiæ ſanctorum, ac beatorum Angelorum, quòd una gens, aut civitas una, tota detur in gladium, vel etiam multæ. Quemadmodùm enim Dei juſtiſſimo judicio exercitus Ægyptiorum in mari rubro eſt ſubmerſus; & quod eſt mirabilius, totum genus humanum, exceptis octo hominibus, diluvij univerſalis aquis immerſum eſt; ſic & in multitudine hominum, & in paucitate, & etiam in uno plerunque ſimilia fiunt ex cauſis, & utilitatibus, quas novit ſolus inſpector omnium, & curator altiſſimus. Jam enim declara-

Digitized by Google

tum eſt tibi hic, quia æqualiter cognoſcit, & videt univerſa, & ſingula quapropter ſicut nihil effugit cognitionem, ſic neque curam ipſius. Præſertim in hominibus, & rebus humanis, in quibus quotidianis, & innumerabilibus experimentis, & indiciis providentiæ ſuæ curam evidenter oſtendit: ſtultus igitur eſt ſermo, & omni modo erroneus hominum dicentium, quare permiſit princeps ille angelicus civitatem illam ſubverti, aut gentem illam perire totaliter, aut virum illum bonum tam injuſtè occidi; mors enim eſt injuſtiſſima, quæ à viris bonis proculdubiò non ſolùm juſtiſſimè, quando pro juſtitia, ſed etiam glorioſiſſimè cùm propter Dei gloriam ſuſtinetur, quemadmodùm cùm pro lege ejus, aut honorificentia, cultus ipſius, nec mors tantùm eſt mors, quæ ſic ſuſcipitur, ſed fœliciſſimum commercium, quo morte hujuſmodi vitam mercatur, ad quam mors non attingit. Non eſt igitur mirum, ſi ſanctiſſimus ille tam lucroſè mercari permittit viros bonos, quare non eos à mortibus hujuſmodi defendere in hujuſmodi caſu negligit, ſed tam amabile, tamque precioſum lucrum acquirere eoſdem permittit, nec ſine gaudio mortem eorundem tam precioſam, quàm glorioſam intuetur. Eadem cauſa prorſus eſt, propter quam iſti angelici defenſores ſævientibus in innocentes & bonos impiis plerunque non reſiſtunt niſi intantùm, ut non pro voto ſæviant, ſed quatenùs ipſi angeli ſancti vident expedire. Et quoniam, qui prohibet perſequentem, ne noceat illi quem proſequitur, indubitanter defendit eum, manifeſtum eſt beatos, ac ſanctos angelos illos etiam defendere quos occidi corporaliter ſuſtinent: quantò fortiùs igitur illos, quos nec uſque ad mortem affligi permittunt.

CAPUT CLX.

Quare angeli tot gentes permiſerunt, & permittunt in perfidia perire.

POſt hoc præmiſſum incipiam inveſtigare, ac determinare quæſtiones, quæ ſunt de inſtructione ſanctorum angelorum, quam ex officio impendere debent hominibus, ubi illa occurrit prima; quam ob cauſam, videlicet, & qualiter, tot regna, & tot nationes in erroribus impiiſſimis vel cecidiſſe permiſerunt, vel permanere patiuntur. In hujuſmodi enim homines exercere non videntur inſtructionis officium, cùm de his potiſſimùm inſtruendi ſint homines, in quibus & periculoſius eſt errare, & pernicioſius. Cùm igitur omnes idolatras, & omnes incredulos, & infideles, omneſque leges in his, quæ Dei ſunt, tam graviter errare permittant, non ſolùm ipſos homines non curare, ſed ipſa etiam à creatore ſibi injuncta officia, & propter hoc ſe ipſos negligere manifeſtè videntur. Ampliùs. Cùm hujuſmodi officia nec eis injuncta ſint, nec ea ipſi ſuſceperint, niſi propter Dei gloriam, & utilitatem hominum quomodò vel Dei gloriam, vel hominum utilitates curant per iſta officia, cùm tantas ipſius contumelias, tantas hominum pernicies, immò ſtrages ſpirituales, nec avertant nec avertere ſtudeant? Sed quod non avertant, in evidenti eſt: quòd verò nec avertere ſtudeant, facile eſt videre, cùm nec hujuſmodi contumelioſos puniant, nec eos vel probationibus, vel ſignis ad contrariam veritatem erudiant. Cùm enim de his, quæ Dei ſunt, ſapientiſſimos ipſos eſſe dubitari non debeat manifeſtum eſt, quia tanta hujuſmodi erroneorum fatuitas, atque ſtultitia contra ſapientiam eorum ſtare nullatenùs poſſet Ampliùs. Si per homines validiſſimis probationibus deſtruuntur errores hu-

E juſmodi, quantò fortiùs per ſanctos angelos hoc facile fieri poſſet? Et hoc tantò faciliùs, quantò ſanctorum, ac beatorum angelorum ſapientia ſublimior, atque præſtantior eſt, quantacunque humanâ ſcientiâ. Manifeſtum igitur eſt, quia non eſt eis cura avertere hujuſmodi erroneos à tam impiis, tamque pernicioſis erroribus. In hoc igitur, nec Dei gloriam, nec hominum illorum utilitates quærere, vel curare videntur. Ampliùs. Prophetæ cuidã ex prophetis Hebræorum, ſicut ipſe teſtatur, & eſt creditum hoc tam in gente Chriſtianorum, quàm in lege Hebræorum quia ipſe creator benedictus dixit ei: Annuncia populo meo peccata eorum & ſcelera eorum. Quòd ſi non annunciaveris, ſanguinem peccatoris de manu tua requiram. Si ſimile mandatũ receperunt iſti principes ſpirituales à creatore, ſcilicet de inſtruendo ſuper peccatis ſuis natio-
F nes ſibi ſubditas, & commiſſas; igitur non implent hujuſmodi mandatum: videlicet non annunciantes hujuſmodi hominibus ſcelera ſua, & non inſtruẽtes eos, de his, quæ Dei ſunt, & quæ ad ſalutem pertinent animarum: & ex hoc ſequitur patenter, quòd tranſgreſſores ſunt divinorum mandatorum hujuſmodi angeli, & inobedientes Deo altiſſimo: & quia ſanguis tantarum multitudinum pereuntium requirendus eſt à creatore de manibus eorum; quare non boni angeli, ſed mali ſunt: & ita de principibus hujuſmodi nullus bonus invenietur, cùm in omni regno innumerabiles defectu eruditionis pereant. Ampliùs. Quæ pietas, & charitas in eis eſſe credenda eſt, qui tam miſerabiliter pereuntibus non ſubveniũt? Quòd ſi dixerit quis, quia non eſt eis hoc ex defectu pietatis, aut charitatis, quod hujuſmodi errores non deſtruunt, aut erudiunt, ſed ex prohibitione creatoris, qui inſcrutabili judicio prohibet angelos ſanctos precioſiſſima dona ſapientiæ ſuæ
G tam indignis communicare In hoc ſiquidẽ ſupplaudere ſibi poſſunt videri Judæi, cùm de eis per unum ex prophetis eorum dicitur. Non fecit taliter omni nationi Non mediocriter igitur honoravit creator altiſſimus gentem Hebræorum, cùm eam, ut populus ejus eſſet peculiaris, & ſacerdotale regnum ipſi eſſet, elegit: ſed etiam magnificè, & ſublimiter ipſam dotavit, cùm lege ſuâ, & cognitione ſapientiali illam inter omnes nationes ſingulariter illuſtravit: quod licet meritis patrum populi illius nonnulli attribuant, tamen de ipſis patribus dubitari non poteſt, quin gratuita creatoris benignitate ſapientiali, ac divinali, ejuſdem cognitione præditi fuerint. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia quemadmodùm gens Hebræorum ex prælarga creatoris benignitate tam præclara, tamque precioſa dona ſortita eſt, ſic ex ordine juſtitiæ ipſius in tenebris ignorantiæ ſuæ nationes relictæ ſunt. Quem-
H admodùm etiam per unum ex prophetis gentis illius dixit ipſe creator ad quendam. Quia tu repuliſti ſcientiam Dei, repellam & ego te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Quid ergo mirum, ſi hi, qui honorem creatoris repulerunt, nolentes ei debitæ ſervitutis culturam impendere, ab ejuſdem ſcientia repelluntur? evidentiori; autem juſtitia abſcondantur eis, vel ab eis ſecreta ſanctæ iſtius, ac venerabilis ſcientiæ, ſi ipſæ hujuſmodi nationes eam repulerunt, & nec doctores de eadem habere nec ipſæ per ſemetipſas in illis ſtudere voluerunt? Jam autem noſti, qualiter barbaræ nationes multæ divinales, atque ſalutares ſcientias, non curantes, in magicas, & maleficas, vanaſque curioſitatis ſcientias ſtudia ſua totaliter contulerunt. Quemadmodũ & noſtris temporibus multos feciſſe manifeſtum eſt, & lucrorum ſtudia, id eſt, lucrativas ſcientias, vides innumerabiles ſtudentes, ſola diligere, & curare. Apparet igitur

Digitized by Google

igitur evidenter ex his, quia indignos multi ſe fecerunt, vel facere potuerunt nobilis dono ſapientiæ ipſius, & propter indignitatem ſuam illud non obtinuerunt à creatore. Qui verò vel repulerunt illam, vel habere non curaverunt, repellentes ſacros doctores, vel per ſemetipſos addiſcere, vel ſtudere neglexerunt, patenter juſto Dei judicio non eis donata ſunt. Apertè igitur videre potes ex his, quia ſine culpa ſanctorum, ac beatiſſimorum principum iſtorum ſpiritualium erroneæ nationes ſcientiâ Dei & caruerunt, & adhuc carent. Lex autem Chriſtianorum apertè continet, quia ſpiritus ſanctus prohibuit ſacros doctores prædicare verbum Dei in Aſia: quid igitur mirum, ſi ſacri, ac veri principes illi interdùm prohibentur à creatore revelare ſecreta ſapientiæ ſuæ ipſius revelatione indigniſſimis? præſertim cùm ipſe legiſlator Chriſtianorum diſcipulis ſuis præceperit, dicens: Nolite dare ſanctum canibus: nolite margaritas veſtras ſpargere ante porcos; evidenter oſtendens ſacram doctrinam non eſſe communicandam caninis hominibus, aut porcinis. Et caninos quidem homines intelligo eos, qui ſacris doctoribus oblatrant, eoſque dentibus, id eſt, verbis maledictis perſequuntur: hi enim nequiſſimè bonam doctrinam Dei repellunt, dùm panem ſacræ doctrinæ rejicientes, eos qui illum porrigunt, caninâ rabie mordent, & lacerant; porcos verò vel porcinos homines, quibus ſola ſpurcitia vitiorum ſapit, aromata verò ſpiritualia abominabiliter eis deſipiunt, eaque inſtar porcorum, qui etiam ea, quæ comedunt, pedibus conculcant. Si igitur legis Chriſtianorum lator Deus, & Dei filius, prohibuit doctrinam ſuam communicari talibus; quid mirum, ſi ſanctis, ac beatis angelis propter eandem cauſam ſimilem prohibitionem, aut fecit, aut facit. Non eſt igitur culpa eorum, quòd hujuſmodi homines tam pernicioſè errant; quare manifeſtum eſt eos non negligenter, vel aliàs culpabiliter exercere officium inſtructionis, etiam circa ſic errantes. Ampliùs. Si tales ſunt erronei, qui doctrinam bonitatis oblatam ſibi reſpuerent, vel receptam non ſervarent, non expedit eis vel recipere, vel audire illam: ſive enim illam reſpuant, ſive receptam non ſervent, deteriores efficiuntur, quàm eſſent, doctrinâ hujuſmodi, eis nec etiam oblata, cùm manifeſtum ſit grande peccatum eſſe, & Deo inferens contumeliam, legem ejus repellere, ne vel etiam audiatur: aut cùm ſit jam recepta, recedere ſive per apoſtaſiam, ſive per inobedientiam. Parcitur igitur hujuſmodi nationibus in hoc ipſo, quòd ſacra iſta, & ſalutaris ſcientia eiſdem nec etiam offertur, in hoc inquam parcitur, quia deteriores aliis efficerentur. Ex his igitur cauſis, vel ex aliqua earum prohibendum fuit verbum Dei prædicari in Aſia, videlicet, ne ipſa prædicatio occaſio eſſet illi genti deteriorationis, ut prædixi, vel propter hoc, ut ſacræ, ac venerandæ doctrinæ debitus honor ſervetur. Nam contumelia irrogatur ſanctis, cùm à prophanis vel pollutis hominibus traduntur, aut exponuntur. Si verò fuerit quis, qui quærat, quare diſtrictè ſit præceptum principibus hominibus, videlicet, qui principatum ſpiritualem obtinent, quòd ab inſtructione ſubditorum non ceſſent, ut errores impietatis docendo, & diſputando, exterminent: & ut eos etiam igne, & gladio perſequantur, cùm angelis ſanctis permittitur errores hujuſmodi ſuſtinere, non ſolùm veteres, ut maneant, ſed etiam, ut creſcant, & ut novi ſuboriantur, atque ſucceſcant. Reſpondeo in hoc, quia tanta eſt in quibuſdam nationibus horribilitas, & abominabilitas, ac fœtulentia vitiorum, & peccatorum, ut ipſi angeli

A ſancti cohabitationem eorum abominentur, & horreant, nec mirum, cùm ipſe creator benedictus de gente Hebræorum dixit: Coinquinabor in medio eorum, quod utique non propter hoc dixit, quia ulla ſit via inquinamentis attingendi ad ipſum; ſed quoniàm abſtulit ſe ab eis, ac ſeparavit, & longè fecit; quemadmodùm facere conſueverunt timentes coinquinari, fugiunt enim à ſordibus, & ſordidis. Et adjuvatur iſte ſermo meus ex eo, quod accidit in civitate famoſiſſima Hieruſalem imminente excidio ejuſdem, quod factum eſt per Imperatores Romanos, audita namque fuit ibi vox ſanctorum angelorum dicentium: Tranſeamus ex his ſedibus. Quo ſermone evidenter oſtenderetur ſedes illas indignas fuiſſe contubernio, ſeu habitatione illorum. Similis vox audita fuit in quadam domo religioſa imminente diſſipatione ipſius, audita inquam fuit ex perſona beatæ genetricis filii Dei, quæ patrona erat domus illius, ut pote quæ ædificata erat in honore, & nomine ipſius: ſubſecuta autem patefecit
B diſſipatio ipſam Dei beatam genitricem, juxta verbum, quod auditum fuerat, à domo illa receſſiſſe, eidemque conſuetum patrocinium ſubtraxiſſe. Ex omnibus igitur his oſtenditur tibi ſanctos ac beatos iſtos principes patrocinium, & eruditionem, & alia officiorum ſuorum beneficia hominibus propter antedictas cauſas non immeritò, neque injuſtè, aut culpabiliter, interdùm ſubtrahere. Et quòd nationes, quæ hujuſmodi beneficiis tam indignas ſe fecerunt, aut adhuc faciunt, juſtiſſimo Dei judicio ſceleribus ſuis & ea amittere, & amiſiſſe, perditionemque ſuam non ſanctorum angelorum negligentiæ, ſed eorum malis meritis imputandam eſſe. Si enim juxta ſermonem ſapientis ſpiritus ſanctus diſciplinæ fictum effugit, & aufert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu; quid mirum, ſi ſancti, ac beati angeli ſequentes tantum, ac talem ducem, effugiunt ſceleratiſſimas, deoque altiſſimo, & ipſis abominabiliſſimas nationes? quid mirum, ſi creator
C benedictus relinquit eas, cùm ipſe priores ipſum dereliquerint; ſi abjicit eas, quæ priores eum abjecerunt, ſi ſubtrahit eis præcipua beneficia ſua, quæ ſunt ſpiritualia, cùm ipſæ ſacræ, ac debitæ ſuæ ſervitutis officia eidem ſubtrahere nec timuiſſe habitæ ſunt, nec adhuc etiam expaveſcunt. Juſtiſſimum quippe eſt, ut his, qui ſe ab illo averterit, ſeipſum avertat. Admiranda autem eſt benignitas creatoris, quòd talibus vitam & largitur, & conſervat, aliaque multiplicia dona ſua pretioſiſſima largitate ſua præſtare non ceſſat, qui non ſolù vita iſta indigni ſunt, ſed etiam omni bono, præſertim cùm ipſis bonis, quæ ab ipſo creatore accepiſſe illos manifeſtum eſt, non ſolùm execrabiliter abutantur, ſed etiam ipſum creatorem benigniſſimum nequiſſimè impugnant, non ſolùm in ſemetipſis ſemetipſos nefariè polluentes, ſed etiam in Dei cultoribus, quos à Dei cultu, & honorificentia recedere totis ſtudiis, & viribus, atque igne, & gladio compellere
D conantur.

CAPUT CLXI.

Quatuor modi cuſtodiarum impenſi hominibus ab Angelis.

POſt hæc de cuſtodia, quam hominibus vel adhibent, vel exhibent ſancti, ac beati angeli, conveniens eſt, ut aliquid juxta poſſibile audias. De hoc igitur officio, cuſtodiendi ſcilicet, teſtatur unus ex nobilioribus prophetis Hebræorum, quia mandatum acceperunt de ipſo Deo altiſſimo, ſcilicet ut illud exequantur in homines: Angelis, inquit,

Digitized by Google

ſuis Deus mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Jam autem didiciſti alibi ex ſermonibus Propheticis, quia cuſtodes dicuntur etiam civitatum, ſive ab hominibus, ſive ab aliis noxiis eam prohibeant, & longè faciant. Interdùm enim adhibent cuſtodes civitatibus contra incendia, videlicet ne ignis per incuriam vel volans, vel aliter, non benè cuſtoditus eas incendat: pedagogi etiam pueros ducentes à caſibus, & offenſis pedum, id eſt, à ſcandalis cuſtodire dicuntur: nutrices quoque ab aqua, & igne pueros ſimiliter cuſtodiunt, & à porcis, ne eos conculcent: ipſi etiam medici ægros quorum curam gerunt, viſitare, & cuſtodire dicuntur. Dico ergo, quia iſti quatuor modi cuſtodiarum impenduntur à ſanctis, & beatis Angelis, Dei dilectis, & electis hominibus juxta ſermonem propheticum antedictum; excubant namque, & dormientibus illis ipſi vigilant, ut fideles vigiles, & avertunt ab ipſis multis modis etiam corporalia pericula, ſeu nocumenta, & hoc vel excitantes, vel ſollicitos reddentes, qui talia prohibeant, & avertant; procurantibus enim illis fit plerumque, ut excitentur à ſomno qui occurrant incendio, vel vigilent eâ horâ, quâ imminet; nonnunquàm etiam procurant aquam præparari contra incendium, quod ipſi præſciunt imminere, licet propter aliam cauſam ab hominibus præhauriatur. Hæc, & his ſimilia, ex inſidiis, & nocumentis malignorum ſpirituum lucidiſſimè innoteſcere poſſunt, qui ad contrarium, hoc eſt, ad nocendum hominibus, contraria procurant; plerunque enim abſentiam eorum, qui nocumenta prohiberent, ſi adeſſent, ſomnolentia per ebrietatem procurant: incendium autem ſpirituale ſummo opere intendunt ab hominibus avertere Angeli ſancti, videlicet incendium noſtrarum cupiditatum & aliarum peſtium hujuſmodi, de quibus in libris miraculorum Dei, & aliorum mirabilium plurima exempla legere potes, & leges, ſi mihi credideris; ſicut eſt illud de parvulo, quem occidit ſanctus Angelus, & ſic liberavit parentes ab incendio cupiditatum, & ab incendio nimii amoris ejuſdem; eo namque nato ardore cupiditatis, & avaritiæ ſuccenſi ſunt, ut in acquirendam, & adaugendam illi hæreditatem, congregandaſque eidem divitias totum ſtudium ſuum, & labores ſuos conferrent; ſed per mortem ejuſdem parvuli extinctum eſt utrunque incendiũ ab eorum utroque, liberati ipſi parentes ad priſtina largitatis, & pietatis opera ipſo mortuo redierunt, qui taliter à die nativitatis illius cupiditati, & avaritiæ, intenderunt, ſeu intendere propoſuerunt: ſic & alius bonus vir interfecto nepote ſuo à quodam ex Angelis ſanctis de mandato Dei, à morte, quam idem nepos eidem inferre cogitaverat, liberatus eſt, & ipſe nepos à peccato, & impietate hujuſmodi homicidii. Ex his igitur exemplis patefieri tibi poteſt, quòd pluribus, & nobis incogitabilibus modis à morte tam corporali, quàm ſpirituali cuſtodiunt homines Angeli ſancti, de quibus plura exempla prolixitatem metuens ponere tibi nolo.

CAPUT CLXII.

Quòd à variis periculis corporalibus, & ſpiritualibus Angeli eruunt homines.

ADinſtar quoque pedagogi interdùm homines ducunt, regentes, & dirigentes greſſus eorum, ne offendant ad lapidem, vel lubricum E patiantur, aut cadant in quodcunque diſcrimen viarum. Hæc autem maximè ſpiritualiter eis, quos cuſtodiunt, impendunt, & interdùm manibus, juxta ſermonem propheticum, aliquos ex hominibus portant, juxta planum litteræ, aut aliis vehiculis, quemadmodùm quendam Prophetam Hebræorum in curru igneo tulerunt in cœlum, ſed & alii rapti ſunt per Angelos ſanctos de habitatione noſtra, ſicut invenire poteris in libris narrationum miraculorum de parvulis projectis, & expoſitis à matribus ſuis, quam curam adhibeant cuſtodiæ illorum Angeli ſancti cognoſcere facile eſt ex cuſtodia, quam eis adhibent lupæ, quæ quamvis ſæviſſimæ ſint, inventos rapiunt, & ad ſpeluncas ſuas deportant, eoſque inibi, quaſi humanâ benignitate, ac pietate cuſtodiunt, & nutriunt, & à devoratione luporum defendunt quod F niſi procurantibus ſanctis, ac beatis Angelis fieri poſſe non videtur; innaturale enim eſt, ut lupina rabies humanam pietatem, atque benignitatem per ſemetipſam ſervet in homines, quare aliunde, & adventitia eſt lupabus iſta benignitas, ac pietas. Unde igitur vel ſuaderi eis, vel procurari, putanda eſt, niſi à ſanctis, ac beatis Angelis, quemadmodùm, quòd corvi paſcebant quendam ex Prophetis Hebræorum, ſicut legitur in libris ipſorum, unde procuratum eſt, vel qua viâ opus tam inſuetum, & à natura corvina tam alienum, niſi ab eiſdem ſanctis Angelis curam de alimento Prophetæ illius gerentibus? ſicut in eodem libro legitur idem creator dixiſſe, quia præcepi, inquiens, corvis, ut paſcant te, per quos præcepit, niſi per Angelos ſanctos, qui eos ad hoc, ut implerent voluntatem creatoris, modis qui nobis ignoti ſunt, induxerunt? A periculo igitur famis, & moleſtia per ſanctos Angelos liberatus fuit antedictus Propheta. Juxta modum eundem corpus ſancti viri pro fide, & lege G Chriſtiana cruciatibus horrificis interfectum, cuſtoditum fuit à corvo, ita ut neque aliæ aves, quæ cadaveribus veſcuntur, neque alia ulla fera appropinquare auderet ad illud, nec ullo modorum lædere. Contra corvinam quippe naturam evidenter eſt parcere cadaveribus, & cuſtodire ea ne comedantur ab aliis. Unde igitur corvo illi fuit iſtud, ut non ſolùm corpori ſancti viri parceret, ſed etiam ne ab aliis feris, vel avibus devoraretur, illud cuſtodiret? Quod etiam ad modum nutricum ab aqua & igne, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus, homines cuſtodiant Angeli ſancti, ne in ea vel cadant, vel poſtquàm ceciderint, in eis pereant, & ab aliis ſimiliter periculis eiſdem caveant, jam innumerabilibus experimentis declaratum eſt. Cùm enim parvulos ſine cuſtode, & incautiſſimè plerunque reliquerint nutrices, quot H modis periclitati fuiſſent, niſi cuſtodes angelici ſubveniſſent eis, ab ipſis, qui hoc viderint, vel ab aliis, qui ab illis audiverunt, audire facillimum eſt. Audivi temporibus meis muros magnos cecidiſſe ſupra corpora parvulorum, & de ſub acervis lapidum magnis extractos fuiſſe illæſos, ubi quiſquam eos omninò intactos ab omni læſione ſervare non potuit, niſi virtus creatoris per ſanctorum miniſterium Angelorum. In ipſis autem, igne & aqua, multos præcipitatos, aut caſu merſos, incolumes exiviſſe inde, in gente Chriſtianorum famoſiſſimum eſt. Hæc autem, quia humanâ virtute fieri nullatenùs potuerunt, neceſſe eſt, ut divinæ potentiæ deputentur, quæ per miniſterium ſanctorum Angelorum in tantis diſcriminibus ſola potuit ſervare, quos voluit; à ſpiritualibus verò ignis, & aquæ periculis, quibus modis & viis Angeli ſancti cuſtodiãt, quos creatorem velle cuſtodiri cognoſcunt, enarrare,

Digitized by Google

vel enumerare non eſt poſſibile: plerunque enim ſpirituales plagæ, & ægritudines corporalibus plagis, & ægritudinibus ſanantur, juxta ſermonem ſapientis, quo dictum eſt: Infirmitas gravis ſobriam reddit animam; & iterùm, malitia unius horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ. Leges autem, ſi volueris, quod tibi conſulo, quantùm poſſum, in libris miraculorum, quæ facta ſunt in gente Chriſtianorum, multos à ſanctis Angelis verberatos, plagatos, etiam membris mutilatos, ut ſic corrigerentur, & ceſſarent à vitiis ſuis, & peccatis, & proculdubiò, ſic correcti fuerunt. Medicinale namque officium exercent in homines, non ſolùm ſpiritualis ſanationis ſed etiam corporalis, ſicut apparet ex libris Hebræorum de Archangelo Raphaële, qui ſanavit oculos à cæcitate quam irrogaverunt ſtercora hirundinum calida cadentia ſupra oculos ejuſdem. Medicinas verò ſpirituales ultra quam ſcire poſſumus, exhibent, & impendunt hominibus: quemadmodùm enim mali ſpiritus vitiis, & peccatis homines lædunt, & vulnerant: ſic iſti ſancti, atque beati eiſdē contra læſiones iſtas, & vulnera ſalutaria medicamenta præſtant: magna quippe læſio ignorantia eſt eorum, quæ Dei ſunt, & quæ ad componendam, decorandamque vitam noſtram pertinent; & hanc læſionem ſanant ipſi per inſtructiones, & illuminationes, quas hominibus ipſi, vel per ſeipſos faciunt, vel per alios fieri procurant, ſiquidem timores paſſiones graves ſunt, quibus medentur confortationibus: eodem modo vulneri graviſſimo, & læſioni deſperationis, dum eos erigunt, & animant, ad ardua, & magnifica; ſic doloribus per conſolationes, triſtitiis per gaudia, quæ vel ingerunt, vel promittunt, iras quoque velut ardores febriles, freneticoſque furores, ſuis allocutionibus mitigant, & extinguunt. His igitur modis, & aliis nobis incognitis ſerviunt, & conſulunt hominibus.

CAPUT CLXIII.

Cur Angeli ſancti flagellis, vel aliter non avertunt peccata mundi, & cur dæmones permittuntur ſic propinquare hominibus.

HAbet autem quæſtionem; cùm homines, qui præſunt hominibus, ſive in temporalibus, ſive in ſpiritualibus, non ſolùm doctrinis & exhortationibus, inducant ſubditos ſuos ad ea, quæ rectitudinis ſunt, & quæ divini cultus, & honoris, atque ab his eos aberrare non ſinant, quin etiam variis pœnis, & etiam mortis ſuppliciis his bonis inſiſtere; & à contrariis eos cavere compellant, qualiter, & quam ob cauſam, iſti ſancti, ac beati principes tantas nationes, & multitudines ſceleratiſſimam vitam, creatorique contumelioſam ducere patiuntur, præſertim cùm adeò facile ſit eis quantumcunque robuſtos viribus, quantacunque aſtutia pollentes virtute ſubjicere, vel domare abſque ullo effugio; poteſtas enim humana reſiſtere non poteſt virtuti angelicæ, neque fortitudo mundana contra poteſtatem hujuſmodi. Reſpondeo igitur in hoc, quia, ſicut in præcedentibus audiviſti, grande divinæ bonitatis beneficium eſt, & gratia incomparabilis ipſa flagellatio peccantium. Quapropter manifeſtum eſt innumerabiles homines indignos eſſe tam ſalutari beneficio. Angeli verò ſancti, quibus plurima revelat Deus de conſiliis, & ſecretis ſuis, norunt qui tanto bono digni ſunt, & de quibus beneplacitum ejus ſit, ut eis impendatur, nec dubitat aliquis intelligens, quin juxta Dei beneplacitum omnia in parte iſta faciant Angeli ſancti. Quod ergo vindicant interdùm injurias creatoris, interdùm autem non vindicant, totum eſt ex beneplacito juſtiſſimi, ac ſapientiſſimi creatoris; & quòd inſipientes miſericordiam, vel indulgentiam reputant in peccatores, tantò major ira eſt, duriorque vindicta in eoſdem, quantò æternale ſupplicium, gehennaleſque flammas conſtat eſſe ſuppliciis temporalibus acriores. Meritò igitur obſtinationis, pertinaciæque ſuæ minoribus ſuppliciis, quæ ad correctionem pietas creatoris irrogari vel jubet, vel permittit, incorrigibiles impij indigni juſto creatoris judicio reputantur, & majoribus quibus digni ſunt, ſceleribuſque ſuis congruentibus, juſtiſſimè, ac convenientiſſimè reſervantur, nec debes ullo modo opinari judicem juſtiſſimum iniquè agere, flagello, vel virga latronem, vel homicidam, ſi non percutit, cùm videas eum hujuſmodi maleficium patibulo reſervare. Ampliùs. Si principes iſti ſancti, atque beati, cùm omnibus impiis in principatibus eorum commorantibus, eiſdemque ſubditis, pœnis, & ſuppliciis, ſic agerent, ut nullum peccare ſinerent, quin eum ſtatim digna pœna ferirent, coacta eſſet vita noſtra, non libera. Vir autem iſte ſanctus, & ſapiens hoc ſolùm in quæſtionis hujus determinatione dixit, & ſcripſit; videlicet, quia non habemus vitam coactam, haberemus autem indubitanter, ſi peccantibus ſtatim imminerent ſupplicia, nec aliter regeremur, quàm quemadmodùm canes, aut aſini, qui ſolo aſpectu, & timore verberum, & ſtimulationum, impelluntur ad ea facienda, quæ homines volunt, vel coërcentur à contrariis. Diſpoſuit igitur de nobis ſapientiſſimi creatoris bonitas, juxta ſermonem ſapientis, qui dixit: Quòd reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui, poſuit ante eum aquam, & ignem, ad utrum voluerit extendet manum; & quod placuerit ei, dabitur illi. Si quis autem quærat, quomodò ſi nullus hominum videns lupum, vel leonem devorantem alium hominem, contineret ſe, quin eriperet eum de faucibus, & dentibus belluarum hujuſmodi, ſi poſſet, immò & bovem, & aſinum, & ovem; præcipuè ſi paſtor eſſet, & hoc utique, ut ſervaret illi, exempto ſcilicet, vitam temporalem: qualiter igitur iſti ſancti, ac beati principes, & paſtores ſpirituales hominum, vident omnibus belluis incomparabiliter acriores, lupos ſcilicet, leones infernales, devorantes homines, & hoc in mortem utramque, ſcilicet æternam, quæ ultra omnem cogitatum major eſt morte corporali & non eripiunt eos de faucibus, & dentibus iſtarum tam crudelium beſtiarum? reſpondeo in hoc, ſicut prædixi, quia certiſſimam cognoſcunt Angeli ſancti hanc eſſe voluntatem creatoris, ut relinquantur à creatore, quem ipſi impiiſſimè reliquerunt, & permittantur devorari à beſtiis, quibus propria voluntate ad injuriam, & contumeliam creatoris, ſe ſuis peccatis, & vitiis tradiderunt, præſertim cùm auxilium creatoris adverſùs hujuſmodi beſtias reſpuant, & repellant: auxilium namque unicum contra hujuſmodi beſtias cultus eſt, & honorificentia creatoris, obſervatioque mandatorum ipſius; quam ob cauſam in eos, qui hoc faciunt, nihil poſſunt hujuſmodi beſtiæ, niſi hujuſmodi ſuffragentur ad ſalutem, ſicut ſæpè audiviſti, quia Dei dilectis, & electis hominibus, omnia cooperantur in bonū, & ubi maligni ſpiritus maximè eis nocere intendunt, atque conantur, ibi maximè, licet occaſionaliter, eis proſunt. Homines autem principes, ſive ſpirituales, ſive corporales, longè ſunt ab illa claritate, & perfectione angelicæ cognitionis, & cùm voluntatem Dei, & judicia ejus aliter noſſe non poſſunt, niſi quatenùs legibus Dei, & aliis ſanctorum ſermonibus, atque conſiliis innoteſcunt, benè, & laudabiliter agunt, cùm

Digitized by Google

juxta hoc, & ſecundùm hoc judicantes, parcunt,
vel puniunt: aliàs autem eis nec licet parcere, nec
punire. Hæc igitur eſt cauſa diverſitatis inter judi-
cia, & facta Principum utrorumque, & intendo
rectè judicantium, & agentium. De Principibus
enim malis, & judicibus iniquis à nemine curan-
dum eſt, cur vel malè parcant, vel malè puniant,
cùm certiſſimum ſit, quia ex malitia propria talia
faciant: etſi enim quidam ex ignorantia facere vi-
deantur interdùm, ſi voluerunt, vel neglexerunt in-
telligere, ut benè agerent: malitiæ tamen eorum
hujuſmodi mala deputanda ſunt, cùm tam repelle-
re, quàm non curare ſcientiam eorum, quæ officiis
ſuis neceſſaria eſt, malitia damnabilis ſit. Jam igi-
tur declarata eſt tibi innocentia, & inculpabilitas
ſanctorum, atque angelicorum Principum, & li-
cet pauca de officiis eorum dicta ſint tibi, pruden-
tiæ tamen tuæ ſufficere debere arbitror; eſt enim
prudentium virorum ex paucis multa, ex parvis ma-
gna, & ex propinquis remota, poſſe, & ſcire co-
gnoſcere, præſertim cùm in ſcientia probationis
provecti fuerint, & in viis inventionum in mul-
tis materiis, multoque tempore exercitati; plures
namque ſcientias nobiles propter defectus contra-
rios plurimi perdiderunt. Quòd ſi boni homines
continere non poſſunt vires ſuas, ut non eripiant
homines de tam pernicioſa morte, quomodò non
credendi ſunt digni morte boni, ac ſancti Angeli,
atque fideles, & paſtores Dei, qui tam nobilem
gregem ita paſſim vaſtari, devorarique permittunt?
Dico igitur in hoc, quia juſtiſſimo creatoris judicio
non impenditur ſic devoratis peccatoribus illud
magnificum beneficium ereptionis, & culpæ eo-
rum prohibent, & arcent ab auxilio eorum ſanctiſ-
ſimos iſtos paſtores, qui certiſſimè cognoſcunt ju-
ſto Dei judicio derelictos eſſe eos, & hanc eſſe ip-
ſius rectiſſimam voluntatem, & qui propriâ, &
damnabili voluntate ſe dederunt in hujuſmodi de-
vorationem injicientes ſe, vel immittentes in fau-
ces, ac dentes beſtiarum tam crudelium, relin-
quantur eiſdem juſtiſſimè à creatore, quoniàm ip-
ſi injuſtiſſimè eum reliquerunt. Quòd ſi dixerit quis,
quia interdùm ſceleratiſſimi peccatores liberantur,
& eripiuntur de faucibus, & dentibus beſtiarum
hujuſmodi, qualiter igitur interdùm qui longè mi-
nùs peccarunt, ab eis non eripiuntur, & ad creato-
ris ſervitium revocantur? Si enim peccata, & vitia
cauſa ſunt hujuſmodi derelictionis, majora vitia,
& peccata, magis deberent illam efficere, magiſ-
que prohibere ſanctos Angelos à liberatione ſic pec-
cantium. Dico igitur in hoc, quia hæc libertas
eſt, & ſuperabundantia divinæ pietatis juxta ſer-
monem ipſius, quem dixit per Prophetam Hebræo-
rum, & legiſlatorem ipſorum, quo dixit: Miſere-
bor cui miſerebor, & clemens ero, in quem mihi
placuerit. Non eſt igitur alligata creatoris miſeri-
cordia malis meritis peccantium, ut non aliud eis
reddat, quàm quæ eorum merita requirunt: cùm,
ſicut in lege, & doctrina Chriſtianorum habetur,
miſericordia ſuperexaltet judicium: licet igitur
mala merita juſtiſſima cauſa ſint, propter quam
Deus interdùm deſerit peccatores, non tamen eo-
uſque valida, vel potens, ut cogat, vel urgeat crea-
torem ad continendum in ira ſua miſericordias
ſuas, vel obliviſci eum faciat miſereri, juxta ſer-
monem alterius Prophetæ. De miſericordiæ igi-
tur ipſius immenſitate eſt, quòd peccatores ipſum
deſerentes, quandoque non deſerit, quin potiùs
eos revocat, liberat, & ſalvat. De juſtitia verò
ipſius eſt, quòd eos deſerit, quotieſcunque deſerit,
utrumque autem facit ſine alterutrius injuria illarũ.
Non enim injuriam facit juſtitiæ, cùm miſericor-
E diam impendit peccatoribus, nec injuriã miſericordiæ,
cùm pœnam meritam irrogat eiſdem. Cùm eiuſdem
optima voluntas libera ſit in ultimitate libertatis,
ita ut omne, quod vult, ei liceat, & ſine cuiuſquam
iniuria ſuam in omnibus, & de omnibus adimplere
valeat voluntatem. Quòd ſi quis quærat, qualiter
immenſitas pietatis, & dulcedinis creatoris pati,
vel permittere poſſit, ut tanta multitudo ſæviſſi-
marum belluarum infernalium tantam appropin-
quationem habeat: tamque patentem, tamque mul-
tiplicem ingreſſum, ad gregem ipſius nobiliſſi-
mum, atque largiſſimum, videlicet genus huma-
num totum, quaſi immixti ſint maligni ſpiritus ho-
minibus, ita ut inter eos verſentur, atque cum eis
inhabitent. Ampliùs. Cùm adulteri ſint avidiſſi-
mi, atque aſtutiſſimi corruptores animarum hu-
F manarum, atque vehementiſſimi pollutores, & in-
quinatores earum, quas creator vult habere mun-
diſſimas, atque ſanctiſſimas, & velut ſponſas in-
corruptiſſimas, qualiter ſuſtinet iſtam frequentiam
malignorum ſpirituum, vel modicum acceſſum ad
illas? qualiter etiam leviſſimam, atque breviſſimam
allocutionem tam execrabilium adulterorum cum
eis vel videre poteſt? an obſtupuit zelus eius eo-
uſque, ut non curet, ſi proſtituuntur viliſſimis,
ſpurciſſimiſque corruptoribus illis, præſertim cùm
tam crebrò de zelo ſuo minetur adulteris in lege
Hebræorum, & Prophetis ipſorum, dicens, ſe vin-
dicare peccata patrum in filios, uſque in tertiam,
& quartam generationem, & in libro qui dicitur
ſapientiæ: Auris, inquit, zeli audit omnia; & ite-
rùm, zelus viri non parcet in die vindictæ, nec
acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro
redemptione dona plurima. Dico igitur, quia non eſt
opus, ut aliqua addam præteritæ reſponſioni: ip-
ſe enim creator dixit per quendam ex Prophetis
G Hebræorum: non viſitabo ſuper filias veſtras, &
ſuper uxores veſtras, cùm fornicatæ fuerint, ze-
lus enim meus receſſit à te: & iterùm, non iraſcar
tibi. Ira igitur hæc indubitanter de amore, &
pietate procedit: ira enim, quæ ad correptionem
eſt, proculdubiò beneficium grande eſt; manife-
ſtum autem eſt, quia beneficium omne ex amore,
& pietate intenditur, quare conſequens eſt, ut ip-
ſum non iraſci, non corripere, non flagellare, ira
magna ſit, vel iræ magnæ indicium in eum, qui
ita negligitur, ut eius correctio non quæratur.
Alibi verò didiciſti, quia mariti incorrigibiliter for-
nicantes uxores omninò deſerunt, & abiiciunt à ſe,
non utique ira crudeli, ſed indignas iudicant, ut
correctio earum curetur; ſic & medici videntes non
prodeſſe medicamenta infirmantibus, deſerunt eos,
nullum eis medicamentum ulteriùs impendentes,
quam deſeritionem nemo iræ, vel odio imputat,
ſed potiùs prudentiæ, vel providentiæ medicorum,
ut ſibi prudenter parcant ab inutili opera, & expen-
H ſa. De eo quoque, quod quæritur, videlicet, qua-
liter divinæ pietatis immenſitas pati poteſt acceſ-
ſum ſæviſſimarum belluarum ad tam nobilem, tam-
que dilectum ſibi gregem, univerſitatem ſcilicet ho-
minum: Reſpondeo, quia duabus de cauſis; ſicut
enim de ordine rectiſſimo ſuæ iuſtitiæ ſuſtinet devo-
rationem impiorum multorum; ſic & multò fortiùs,
acceſſum huiuſmodi belluarum ad ipſos, qui devo-
rantur ab eis. Secunda cauſa eſt ipſa divina pietas,
quæ ſcit nobis hominibus ſaluberrimum eſſe timo-
rem ab huiuſmodi belluis, ut territi fugiamus ab
eis. Et tu quidem iam vidiſti mulieres aliqua terri-
bilia oſtendere parvulis ſuis, ut terrore huiuſmo-
di avertant eos ab aliquibus pericoloſis, vel no-
xiis, terribiliaque illa vulgari gallico barbuardos
vocant. Si huiuſmodi terribilium appropinqua-
tio

Digitized by Google

tio, vel oſtenſivum, parvulis adhibetur ex amore, vel pietate, utpote ſalutaris eiſdem, quantò fortiùs benignitas creatoris ſalubriter nobis adhibet, & oſtendit horribiles, terrificaſque beſtias malignorum ſpirituum, ut earum timore, atque terrore declinemus, & fugiamus, quicquid nos donare poteſt eis in prædam, & devorationem? præſertim cùm ſciat creator omnipotens nihil hujuſmodi beſtias contra eos poſſe, niſi ipſe permiſerit, aut quantùm nos ipſas contra noſmetipſos adjuverimus, quantumque poteſtatis ſuper nos eiſdem dederimus. Verùm omnes, qui ſic peccant, reverà ſpiritualiter cæci ſunt, & ſpiritualiter inſani, & non immeritò quæſtionem habet, quomodò ipſi Angeli ſancti hujuſmodi homines non tractant ea pietate, aut benignitate; quâ etiam à malis hominibus tractari conſueverunt cæci, & inſani. Cùm enim cæci in foveam, vel aliud periculum ceciderunt, non ibi relinquuntur etiam ab inhumanis hominibus, quin potiùs tanta aviditate, totis ſtudiis, & viribus exinde trahuntur: ſimiliter furioſi, & cæci, cùm in aquam, vel ignem ſe præcipitant, quâ velocitate poſſunt, eos inde rapiunt homines licet per culpam ſuam cæcitatem, vel inſaniam incurrerint, non eorum mala propria merita, ſed propriæ pietatis officium attendentes: quid igitur facere debet in ſpiritualibus periculis angelica pietas, cùm tam profuſa eſt tamque prompta in longè minoribus periculis circa homines pietas humana? Reſpondeo in hoc, quia cæcitas iſta corporalis multùm diſſimilis eſt cæcitati ſpirituali, eſt enim involuntaria, & inaverſibilis; ſpiritualis autem voluntaria eſt, & averſibilis, voluntaria inquam eo modo, ut nemo illam patiatur invitus. Doctrina namque prudentium facilis eſt, ſicut dixit quidam ex ſapientiſſimis Hebræorum, parati autem doctores illius, librorum multa copia ſuppetit; ipſæ quoque creaturæ illam non tam offerunt, quàm etiam per ſenſus corporis inferunt, propter quod dixit quidam ex Prophetis Hebræorum: Ecce homo, qui voluit intelligere, ut benè ageret, & alius ex ſapientibus de quibuſdam inſipientibus qui dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus: & alius iterùm Propheta, qui dixit videntibus, nolite videre, & intelligentibus, nolite aſpicere: quia igitur neceſſitas, & impoſſibilitas legem non habent, neque prævaricationem, neque tranſgreſſionem, & ideò neque peccatum, ideò non immeritò cæcis ſuccurritur, cæcis inquam corporaliter, contra mala, quæ hujuſmodi neceſſitate incurrunt: cæcitas verò ſpiritualis, quoniàm voluntaria eſt, ſive quia voluntate incurritur, ſive quia voluntariè toleratur, meritò mala omnia, quæ per illam hujuſmodi cæcis advenerunt, voluntaria reputantur, & propter hoc culpabilia, atque damnabilia. Non injuſtè igitur contumacibus, ſeu pertinacibus in illis cura correctionis non impenditur, præſertim cùm ipſam reſpuunt, & repellunt. De furioſitate arbitror ſimiliter reſpondendum Furioſitas namque corporalis non ſolùm omninò voluntaria eſt, & inaverſibilis, ſed etiam poteſtatem, & libertatem, aufert non ſolùm operandi, ſed etiam quid operandum ſit cognoſcendi, quam ob cauſam in nullo genere operum ſuorum culpantur, vel laudantur furioſi, inde eſt, quòd nemo de his conqueritur, nemo eos ad judicia trahit, nullus judex de his juſtitiam facit, nemo etiam de furioſis conquerentes audiret. Manifeſtum igitur eſt, quia omnes homines communiter inculpatos eos habent, & inaccuſabiles. De furioſitate verò ſpirituali, quod culpabilis ſit, & accuſabilis, inde manifeſtum eſt, quoniàm omnes actiones contra illos fiunt, omnia tribunalia pro illis ſunt, illiſque corrigendis, aut puniendis deſerviunt. Et omninò omnes lites, & omnia bella contra eos infliguntur, omnia conſiſtoria querimoniis, & litigiis, judiciiſque earum perſtrepunt.

INCIPIT TERTIA PARS Secundæ partis principalis Guilielmi Pariſienſis de Univerſo Spirituali.

PROOEMIUM.

POſtquàm auxilio Dei conſeque deduxi tractatum de parte nobiliori univerſi, ut jam compleverim ſermonem, juxta dictum, de ſanctis, ac beatiſſimis, ſubſtantiis abſtractis, ſive ſeparatis à materia corporali, & ejus appenditiis, atque conditionibus, & intendo, ab omni circumveſtitione diſpoſitionum ſenſibilium, non ſolùm conveniens, immò conſequens eſt, ordine rectiſſimo (prout fuit datori bonitatis dignitas, vel dignatio) perſcrutari de tertia parte partis iſtius, hoc eſt, de his ſubſtantiis, quæ apud Græcos cacodæmones, & diaboli, apud nos verò maligni ſpiritus communiter nominantur Ubi primùm de diſpoſitionibus adventitiis inveſtigare tentabimus, naturales quippe, & eſſentiales diſpoſitiones eaſdem habuerunt cum beatis, ac ſanctis ſpiritibus. Et de his expedivi me & te juxta poſſibile; malignitas autem eſt eis acquiſita, & omnibus tam hominibus, quàm aliis, qui mali, vel maligni dicuntur Jam enim declaratum eſt tibi malitiam creaturarum non eſſe opus naturæ, aut creatoris nec intendo aliud malitiam, quàm vitium, & peccatum, à qua mundi penitùs, & immunes creati ſunt utrique, & quos dixi ſanctos, & beatiſſimos, & qui communiter dicuntur maligni ſpiritus Secundò proſequar differentias eorum, & ordinem, dominationes, & poteſtates. Tertiò vexationes, & arreptiones, quas operantur in hominibus. Quartò divinationes quæ per eos fieri videntur. Quintò ludificationes, quas vocant opera magica, & necromantica, ſimiliter & apparitiones, quibus apparent hominibus ſub diverſis formis, & ſpeciebus. Sextò loquar de incubis, & incubabus, vel incubitibus eorum cum mulieribus, aut econverſò, necnon & de generationibus, quæ eis imponuntur, & de filiis, qui nati dicuntur ex eis.

Pariſiẽ operis.

CAPUT I.

De diſpoſitionibus adventitiis dæmonum, & quomodo vires eorum ſunt deterioratæ.

INcipiam igitur, Deo dante, & auxiliante, & dicam, quòd malitia, ſeu malignitas, cùm nullo modo opus eſſe poſſit optimi creatoris, acquiſitio eſt, & inventio, juxta conſuetudinem ſermonum Prophetarum, malignorum ſpirituum. Et quoniàm depravata eſt in eis vis motiva nobilis, neceſſe eſt deterioratam eſſe in eiſdem vim apprehenſivam, quæ conjunctiſſima eſt illi, ſicut manifeſtè vides in ira, & odio, invidia, & amore; propter hoc enim dicitur invidia, quaſi viſui contraria

Natura invidi.

Invidiæ paſſiones.

Nota, & vide.

Invidus enim quantumcumque bonus ſit is, cui invidet, non videt, ideſt, non judicat in eo niſi malum, & bona omnia illius, aut mala illi eſſe videntur, aut minus bona, quàm ſint; ſic ira turbat oculum mentis, ideſt intellectus: iuxta ſermonem propheticum, quo dictum eſt. Turbatus eſt à furore oculus meus: hoc idem vidit poëta, qui dicit, Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum. Ipſe etiam creator in lege hebræorum dicit, quòd munera excæcant oculos ſapientum, quod non propter ipſa munera dictum eſt, ſed propter cupiditatem, quæ non eſt niſi inordinatus amor eorum, quæ cupiuntur; nec ignoras, quin amor, & odium, veritatis pervertant iudicium, ſic ait Ptolemæus; amor enim vel pervertit, vel minuit judicium virtutum ſenſibilium, & intellectivarum; ipſam enim mulierem, quæ deformis eſt, videri facit, & iudicari pulchram, vel ſaltem minus deformem, propter quod dicit minuit iudicium, quia videlicet obſcurat vim iudicativam, ut plenè verè non iudicet, ſic ſe habet, & de aliis ſenſibilibus: ſi enim abſurdè cantet amaſia, amatori videtur egregiè cantare, ſi fætet, videtur ei aromatizans, & iuxta hunc modum ſe habet de aliis ſenſibus. Vis quoque intellectiva ſimilibus paſſionibus obnoxia eſt, bona enim amicorum maiora videntur amantibus, quàm ſint, inimicorum minora. Et ego memini me vidiſſe, qui mala amicorum dicebant bona, nec perſuaderi eis poterat, quòd mala eſſent, propter hoc dicit ſermo propheticus, væ his, qui dicunt bonum malum, vel malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, inſtar noctuarum, & veſpertilionum, de quibus non eſt dubium, ſi loqui poſſent, quin noctem dicerent eſſe diem, & diem noctem, ſimiliter ſolem tenebroſiſſimum, lunam verò lucidiſſimam. Propter hoc dictum eſt à ſapiente, quòd inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum multa cogitantem. Tu igitur collige omnia, & collecta ratiocinatione, ex his apparebit tibi manifeſtè, malas diſpoſitiones virtutum nocivarum obſcurare, imò etiam pervertere virtutes apprehenſivas nobiles ad malè ſentiendum. Facile etiam eſt tibi cognoſcere, quantùm ſuperbia, & inanis gloria, cæteræque huiuſmodi peſtes, videlicet partes, ſive rami ſuperbiæ, obtenebrant animas, in quibus ſunt, & quàm malè, quàmque perverſè ſentire, & judicare eas faciunt tam de ipſis, quàm de aliis.

Quod amor & ira pervertunt verum iudicium.

Hæc igitur omnia aggregavi tibi, ut ex his ſcias malignos ſpiritus à luminoſitate ſuæ naturalis cognitionis multùm obſcuratos eſſe, & ipſam virtutem intellectivam ipſorum non parùm deterioratam, & impeditam ab operatione ſua, quæ eſt cognoſcere, vel ſcire. Amplius. Hæc eſt ſocietas, atque coniunctio virium apprehenſivarum, & motivarum nobilium, ut ſimul ex neceſſitate meliorentur, & deteriorentur; manifeſtum etiam experimentis innumerabilibus vires motivas malignorum ſpirituum tanta diverſitate depravatas, ut nihil boni velle poſſint principaliter, & per ſe. Interdùm verò aliqua ſuggerunt hominibus, ſed non propter hoc, quia bona ſint, aut quia proſint eis, ſed ut ſint eis in occaſionem alicuius mali, vel nocumenti: huius autem exemplum eſt, quia nonnunquàm ſuggerunt aliquibus ingreſſum alicuius religionis, quos noverunt inſtabiles, & inconſtantes, & nullo modo perſeveraturos in propoſito religionis. Quapropter manifeſtum eſt, quòd ob eam cauſam religionem huiuſmodi hominibus ſuggerunt, & ſuadent, ut eos in apoſtaſiæ peccatum inducant. Et quoniàm depravatio, & obſcuratio virium apprehenſivarum nobilium eſt ex depravatione & perverſione virium motivarum, conſequens meri-

Virtutem intellectivam demonum deterioratam, & impeditã.

E tò videri poteſt, ut quantò fuerit maior cauſa depravationis huiuſmodi, tantò maior ſit obſcuratio ipſorum. Cùm igitur princeps malignorum ſpirituum in viribus ſuis motivis maximè depravatus ſit, atque corruptus, neceſſe eſt, ut & vis eius apprehenſiva nobilis, hoc eſt, intellectiva magis obſcurata, magiſque obtenebrata ſit, quàm vis intellectiva alicuius aliorum; quare omnium malignorum ſpirituum ipſe erit inſipientiſſimus, & aſtutiâ minimus, hoc autem nemo dicit uſque adhuc. Dico igitur, quòd non eſt neceſſe, quòd ad deteriorationem virtutis apprehenſivæ ſequatur obſcuratio virtutis apprehenſivæ cuiuſcunque, ſicut manifeſtum eſt, quia cùm motiva ſuperior, id eſt, voluntas depravata fuerit in aliquo per avaritiam, non eſt neceſſe, ut virtus eiuſdem viſibilis in aliquo obſcurata ſit. Et ſimiliter ſe habet de virtute audibili & de F omnibus aliis, quæ ſunt apprehenſivæ à foris. Cauſa autem in hoc eſt remotio iſtarum virium à motiva ſuperiore. Vnde vis apprehenſiva ſuperior in avaro in hoc deteriorata eſt, & obſcurata, videlicet, ut pecuniam ſpiritualiter diiudicare non prævaleat (quod eſt dicere) quia an pecunia expetenda ſit, an contemnenda, vel fugienda, & quatenùs, & qualiter, hoc videre non ſinit tenebroſitas, & perverſitas avaritiæ. Et ſic forſan aliquid in parte iſta avarus videre non ſinitur, niſi ad modicum, & debiliter valde, quin potiùs intolerabiliter errare cogit avarum teterrimum vitium avaritiæ circa pecuniam: propter quod dicit unus ex Italicis philoſophis, quòd avaritia eſt opinio inhærens, & quaſi inſita de pecunia, & quòd ſe ipſa ſit bona, & propter ſe ipſam expetenda ſit. Hanc igitur tam erroneam opinionem tenebroſitas avaritiæ inducit in vim intellectivam avari, neque adhuc declaratum eſt declaratione perfecta æquales eſſe corruptiones, G ſeu deteriorationes virium iſtarum, verè ut poſſit dici, quòd quia corrupta, vel perverſa, vel depravata eſt motiva in quacunque creatura, obſtinata, vel depravata eſt apprehenſiva in eadem: licet verum ſit abſque ulla dubitatione, quòd cuius vis motiva nobilis, ideſt, voluntas magis corrupta eſt, vel depravata circa rem quamcunque, eius apprehenſiva nobilis magis obſtinata vel obſcurata eſt, circa remillam, iuxta prædictum modum, & intendo ſpiritualiter. Cuius exemplum eſt de amore inordinato, quia in quocunque amor circa rem quamcunque magis eſt perverſus, aut inordinatus fuerit eius vis intellectiva circa illã rem erit obſcurior, ſeu tenebroſior, in amore autem non inordinato ècontrariò ſe habet multis de cauſis. Primò, quia ipſæ rationales affectiones non ſolùm luminoſæ, ſed etiam lumina viva ſunt. Non eſt igitur mirum, ſi H totam animam humanam ſeveriorem efficiunt, & hoc quidem naturali efficientia. Secundò verò divinæ largitatis gratia, & hoc eſt, tanquàm merito; gratam enim, & gratioſam in conſpectu creatoris animam humanam efficit gratia, & propter hoc ampliora etiam dona obtinet, quinimmò veriſimile eſt, ut proportionaliter corruptiones, ſeu depravationes virium motivarum nobilium vires apprehenſivas nobiles, quibus coniunctæ ſunt in eiſdem ſubiectis, obſcurent, & obtenebrent, videlicet, ut quantò maior ſecundùm proportionem depravatio fuerit in virtute motiva, tantò magis obſcuret, & obtenebret virtutem ſibi junctam intellectivam eiuſdem ſubiecti: quia igitur vel in infinitum, vel ſecundùm magnam proportionem, videlicet in centuplum, vel in millecuplum, eſt maior depravatio in vi motiva principis malignorum ſpirituum, quàm ſit in minimo omnium, tantò erit in infinitum, vel in centuplum, obſcurior, ſeu tenebroſior vis intellectiva

Digitized by Google

intellectiva maledicti iſtius principis, quàm ſit vis intellectiva minimi illorum. Dico igitur in hoc duo, quorum utrumque tibi ſufficere debeat. Primum eſt. quia hoc reverà eſt jus (quia ordo naturæ) videlicet ut minùs videat, minùſque cognoſcat, & maximè rem illam, circa quam depravata eſt, vel corrupta ejus voluntas, res iſta eſt creator benedictus: in illum enim maxima eſt ira ejus, & odium, nihil quippe adeò, nihil tantâ irâ perſequitur, ut creatorem benedictum, illum ergo minimè cognoſcit, & minimè videt à patte illa, ſecundùm quam illum odit, vel illi iratus eſt, & intendo, quia ſi odit illum in eo; quòd juſtus, minimè cognoſcit juſtitiam ipſius, & ſi in eo, quòd ſapiens, ſimiliter, eo modo, ſi eo, quòd bonus, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Quòd ſi dixerit quis, quòd in omnem reſpectum, & comparationem, & in omnem modum, odit eum princeps iſte malignitatis, & omni modo creator eſt ei ignotiſſimus, verum utique eſt juxta intentionem meam: jam hoc enim audiviſti, quòd vera omnis cognitio, & præſertim acquiſita, ſimilatio eſt cognoſcentis ad cognitum, ſicut ſcriptum eſt in lege Chriſtianorum, quia tunc ſimiles ei erimus, quandò videbimus eum, ſicuti eſt. Adeò enim eſt diſſimilatus perverſitate vitioſitatis ſuæ iſte maledictus apoſtata creatori, ut inter omnes malignos ſpiritus, & minùs ei relictum ſit de ſimilitudine creatoris, & minùs ei relictum ſit de ſimilitudine pulchritudinis, aut bonitatis ipſius. Aliàs autem, hoc eſt, multiplicibus cognitionibus, videlicet, per effectus, & opera, magis cognoſcit creatorem, quàm aliquis aliorum malignorum ſpirituum. potentiam namque creatoris cognoſcit per impotentiam, ad quam redactus eſt, quæ & in eo ligata eſt euſque, ut nihil poſſit, niſi quantùm ille permiſerit: ſimiliter juſtitiam creatoris cognoſcit per pœnam, quam ſentit, quæ illi ex ordine juſtitiæ creatoris inflicta eſt, & ad hunc modum ſe habet de aliis Verùm iſtæ cognitiones nec aliquid beatitudinis eidem afferunt, nec aliquid ejuſdem miſeriæ detrahunt, quin potiùs illam adaugent, & aggravant. Cùm autem ipſe erat ſignaculum ſimilitudinis, hoc eſt, expreſſa imago, & ſimilitudo divinæ pulchritudinis, antequàm ſcilicet operiret eum iniquitas, & impietas ſua, in ſemetipſo velut in ſpeculo clariſſimo intuebatur faciem creatoris relucentem. Nunc autem deformatus eſt, & ut dixi, ſic operatus eſt omnem deformitatem in ſemetipſo, quia ipſemet ſeipſum deturpavit, videlicet, quia nunquàm non illam velut larvam horrificam, quam pro naturæ pulchritudine, ac divini decoris ſimilitudine aſſumpſit, habebit. Secundò reſpondeo, quia poſſibile fuit, & omninò facillimum reſervaſſe huic maledicto apoſtatæ cognitionem, & ſcientiam ſui, quam in ſua ipſa creatione habuerat; dico creatorem reſervaſſe eidem in tormentum. Cùm enim cognitio illa plurimum jucunditatis haberet, tunc videlicet, antequàm in iram iſtam, & odium creatoris exarſiſſet, nunc nihil illi ingereret, niſi tormentum acerbiſſimum, quod eſt inde manifeſtum, quia quantumcunque ſit pulchritudo inimici, quantuſcunque ornatus, quantacunque gloria, odienti nihil gaudij ingerit, quin potiùs tantò majorem dolorem, quantò major fuerit. Quòd ſi quis dixerit, quia tantus eſt divinæ pulchritudinis placor, tanta ſuavitas, ut non poſſit non delectare videntem illam: Reſpondeo, quia nota eſt tibi natura invidiæ, invidiorumque conſuetudo in hoc videtur, nam de bono alieno torquetur invidus, & hoc tantò actius tantòque acerbius, quantò majus fuerit illud Noſti etiam invidiam diaboli, quæ adverſùs creatorem exardet. Quia igitur invidia ejus parem non habet, neceſſe eſt, ut nec tormentum ejus, videlicet, quod ei eſt ex aſpectu divinæ pulchritudinis, æquale tormentum habeat. Ex quo manifeſtum eſt, quanta eſt invidiæ perverſitas, & rabies, cùm illam nec fontalis, abyſſaliſque creatoris iſta bonitas ordinet, nec mitiget.

An malus angelus aliquã Dei proprietatem cognoſcat.

CAPUT II.

Utrùm virtus concupiſcibilis dæmonum habeatur ab errore, & num inclinatur in voluptates corporales.

HAbet autem quæſtionem, utrùm vis illa concupiſcibilis ſuperior, & nobilis, in malignis ſpiritibus euſque depravata ſit, ac dejecta, ut etiam in corporales voluptates inclinentur. Et non immeritò fortaſſis alicui videatur, quòd ſic, præſertim cùm multi ex illis incubi, & ſuccubi eſſe dicantur, moleſtique & viris, & mulieribus, imò interdùm violenti, & euſque amantes concubitum mulierum, & virorum, ut violenter etiam illas opprimere conentur. Ampliùs. Si perverti potuit eorum voluntas, ſeu vis concupiſcibilis ſuperior eorum euſque, ut indigna omnium deſiderio, & omnium concupiſcentiâ appeterent, quomodò non incomparabiliter majora, & meliora non appeterent? Inani namque gloriâ, & falſa dominatione nihil vilius, nihil omni deſiderio, & concupiſcentia indignius. Voluptates verò corporales (ſi qua inter talia comparatio eſſe poteſt) incomparabiliter meliores ſunt, & minùs malæ incomparabiliter, & minùs indignæ deſiderari, ſeu concupiſci. Quare longè major perverſitas eſt appetere, vel deſiderare inanem gloriam, & falſam dominationem, quàm appetere voluptates corporales. Quare, ſi potuit voluntas malignorum ſpirituum in majus corrumpi, atque perverti, multò fortiùs potuit in minus. Et hoc eſt, ac ſi diceretur, quia ſi potuit aliquid elongari ab aliquo per ſtadium, multò fortiùs per dimidium. Et videtur conveniens eſſe exemplum, quoniàm ſi voluntas potuit euſque perverti, ut magis longè fuerit à vero naturalis bonitatis, & rectitudinis, potuit multò fortiùs corrumpi, ſeu perverti, ut minùs longè fieret, quemadmodùm, ſi quis poteſt moveri per ſtadium, multò fortiùs per dimidium ſtadij. Quòd ſi quis dixerit, quòd ſubſtantiæ ſpirituales ſeparatæ non habent naturam ad corpora, cùm naturaliter ſeparatæ ſint, & abſtractæ à corporibus, neque vires habent, quæ corporalibus organis, ſeu inſtrumentis indigeant propter exercendas operationes ſuas, & propter hoc uſque ad corporales voluptates, quæ non niſi per corporalia inſtrumenta, membra ſcilicet, agendo, & patiendo obtinentur, inclinari, vel extendi non potuerunt: ad ſpirituales verò voluptates, quæ corporalibus inſtrumentis, ſeu membris indigere non potuerunt, propriis actionibus, & paſſionibus, quæ naturaliter, tantùm ſpirituales ſunt, exerceri, & ordinari potuerunt, eaſque acquirere, & procurare eſſentialibus actionibus ſuis, & paſſionibus, qui inquam hoc dixerit, non improbabiliter dicit. Et licet, quia magis elongant à creatore, reverà gravioris culpæ ſunt, quàm corporales: tamen propinquiores ſunt eis appropinquatione naturæ, cũ ſine medio ad eas attingãt. At corporales non eſt poſſibile attingere abſque corpore medio, & per corporales actiones, & paſſiones, ut jam prædixi. Scito tamen, quia nondùm declaratum eſt, an voluptas aliqua ſit poſſibilis, immò quæſtionem habet de qualibet, de quo loquar in

Digitized by Google

ſequentibus. Si quis quærat, ut quid dæmones incubi, vel ſuccubi iam infeſti ſunt mulieribus, & viris, manifeſtum eſt enim, quòd omnem vim, & omnem violentiam inferunt eis, ut patiantur concubitus eorum: dico in hoc, quia ſecundùm poſitionem, quæ veriſimilis eſt, dicendi ſunt indubitanter, quia non amore concubitus, neque deſiderio voluptatis hujuſmodi faciunt, quæ faciunt viris, & mulieribus, ſed potiùs ſtudio malignitatis, polluunt eos, & eas, & ad ſpurcitiam luxuriæ inducunt. De his autem juxta promiſſum latiùs audies in ſequentibus.

CAPUT III.

Quomodò intellectus intelligat & rem per aſſimilationem.

DE hoc, quod dixi in præcedentibus, quia vera cognitio eſt per ſimilitudinem, ſeu ad ſimilitudinem, nolo te opinari, vel intelligere, ex hoc ſermone, quòd intellectus, ſeu vis intellectiva aſſimiletur rebus intellectis, juxta modum aſſimilationis ſenſuum ad ſenſibilia, ut expreſſit Ariſtoteles in ſermone, quo dixit, quòd ſentientes calidum caleſimus, intelligentes autem calidum non caleſimus. Addam autem quod eſt mirabilius de natura intellectus, quia intelligentes turpe, vel turpitudinem, non turpamur, (ut ita dicatur) immò, quod eſt mirabilius, decoramur, neque cognoſcentes malum, mali ſumus, vel ſimus. Cognitio enim mali nec malitiæ eſt, nec mala, quin potiùs bona eſt, & etiam bonitas quædam intellectus, ſicut bonitas viſus, vel oculi, eſt viſio, vel claritas viſionis. Omnis ergo cognitio, omnis ſcientia pulchritudo eſt, & bonitas intellectus. Cùm igitur cognitio actualis (intendo cognitioné, quæ eſt actus) non ſit in intellectu noſtro, niſi ſignum rei cognitæ, in effectu relucens in ipſo intellectu noſtro, manifeſtum eſt, quòd ſignum turpitudinis pulchrum eſt, & etiam eſt pulchritudo in intellectu noſtro. Similiter & ſignum mali, vel malitiæ bonum, & etiam bonitas eſt in eodem. Non eſt igitur vera imago, aut ſimilitudo turpitudinis, aut malitiæ id, quod eſt ſignum, vel deſignatio alterutrius earum in intellectu noſtro. Quapropter mirabile eſt, quare, & propter quid illa tam diſſimilia, immò contraria repræſentant intellectui noſtro. Jam autem dixi tibi aliàs, quia non eſt neceſſariũ, ut ſignum habeat ſimilitudinem cum ſignato, niſi modicam, & tenuiſſimam, ſicut oſtendi tibi in deſignationibus numerorum, & rerum, quæ numerantur. Cujus exemplum eſt in figura unitatis, & in qualibet aliarum, quibus utimur numerando, quæ eſt ſecundùm Indos doctrina, videlicet, quæ eſt figura in algoriſmo, ubi illa ſignificat nunc unum interdùm decem, nunc centum, nunc mille, & ita in infinitum, & iterùm, nunc unum argenteum, nunc unum aureum, nunc marcam, nunc libram, ſicut nunc hominem, nunc virum, nunc equum. Et ideò (quod mirabile eſt) tot numero deſignat eadem figura, quamvis ad tam diverſa, tamque diſſimilia ſimilitudinem ullam, niſi exiliſſimam habere non poſſit, nec aliam, ad illa videtur habere ſimilitudinem, niſi, quòd una eſt, eadem deſignatio per multitudinem figurarum fieri poſſet: verùm eadem eſſet ſimilitudo, licet tenuior, & eſſet in unitate ſimilis illa ſimilitudo, unitate, ſcilicet aggregata. Nihil enim prohibet, quantumlibet diverſa, & diſſimilia in unum numerum aggregari, & uniri, & in multos numeros ſimiliter. Eſſent igitur omnes iſtæ aggregationes, ſi ſic fierent, ad invicem ſimiles in unitate, qua quælibet eſſet una, li-
E cet ex tam multùm diverſis, tamque diſſimilibus eſſent. Non eſt igitur mirum, ſi tenuiſſima, & exiguiſſima ſimilitudinis deſignatio apud intellectum quolibet modo facta, vel impreſſa, ſufficit eidem repræſentare res quæ foris ſunt, licet diſſimillimas, cùm cauſa exigua, tamque modicæ ſimilitudinis figuraliter ſufficiat eidem tantas rerum varietates, & numerorum pariter potentiſſimè deſignare. Differt autem exemplum iſtud à deſignationibus, quæ fiunt in intellectu, quia deſignatio hujuſmodi figurarum ad placitum, vel ex placito eſt, & pacto: illæ autem, quæ fiunt in intellectu, ſive apud intellectum, per ipſum ex natura, & per naturam fiunt, natura inquam intellectus, qua mira velocitate, atque agilitate format apud ſemetipſũ deſignationes, quas à rebus non recipit, ſed leviſſimè commotus, exiliſſiméque excitatus ab illis, res ipſas ſibi ipſi exhibet, &
F præſentat, & earum ſpecies ipſe ſibi ipſi in ſemetipſo format. Et hæc unus ex nobilioribus gentis Chriſtianorum doctoribus ſic dicit: Debes autem ſcire, quòd natura intellectus, & virtus ejus nec plené inveſtigata eſt à philoſophis, nec adhuc uſque ad liquidum declarata. Qualiter enim in ſemetipſo rerum intelligibilium ſpecies formare poſſit ipſemet, quis declarare ſufficiat: cùm tam impartibile agere in ſemetipſum non videatur eſſe poſſibile. Neque enim aliquid circa idem agens, & patiens poſſe eſſe videtur, cùm contraria ſecundùm idem eidem ineſſe poſſe non videantur. Agere autem & pati, imprimere, & recipere, manifeſtè contraria ſunt, ſecundùm diverſa verò agere ſic, & pati intellectum, qualiter poſſibile erit cùm non ſint aliud, & aliud, quorum alterum hujuſmodi formas imprimat: Propter hoc coactus fuit, & propter alia, Ariſtoteles ponere intellectum agentem, qui hujuſmodi formas imprimit, & intellectum poſſibilem, ſeu mate-
G rialem, qui eas recipit: quare neceſſe haberet ponere vel unum neceſſariò intellectum agentem numero eſſe in omnibus animabus humanis, vel unumquemque habere ſibi appropriatum unum intellectum agentem. Cùm in omni anima humana fiant hujuſmodi formarum deſignationes, unus autem numero quomodò eſſet in tot, tamque diſperſis animabus? Sicut neque animam humanam poſſibile eſt eſſe in omnibus corporibus humanis. Si verò unumquodque haberet appropriatum ſibi, etiam de illo ſuborirentur inexplicabiles quæſtiones, quoniàm aut haberet apud ſe formas hujuſmodi, aut reciperet ipſe, quandò eas imprimeret, in intellectum materialem, ſive paſſibilem: quòd ſi haberet ſemper eas apud ſe, cur igitur non ſemper, & omni hora ageret impreſſiones hujuſmodi? Si verò non haberet eas, ſed aliundè reciperet, videlicet ab alio intellectu agente, de illo eſſet eadem quæſtio. Pro-
H pter hoc, & alia, quemadmodùm prædixi, licet tot, & tanti ſapientes de anima ſcripſerunt, naturam tamen ipſius, & naturam virtutis intellectivæ multùm obſcuram, & imperſcrutatam reliquerunt. Hinc eſt, quòd deſiderium mihi fuit, & eſt adhuc, de ea tractatum completum ſcribere, per quem anima humana poſſet innoteſcere ſibi, & cognoſcere, qua cognitione poſt creatoris cognitiones nulla eſt ei ſalubrior, & per omnem modum utilior, ſicut contraria ignorantia poſt Dei altiſſimi ignorantiam nulla eſſet ei periculoſior, aut turpior, in beneplacito igitur creatoris ſit dare vitam, & ſpatium, gratiæque ſuæ adjutorium ad tam deſiderabilem, tamque nobilem tractatum perficiendum. Ipſo namque auctore, & adjutore potentiſſimo id ipſum ſapere in ipſo dabitur, determinareque quòd non parum adjutorij, & oblectamenti ſequacibus ſit allaturum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IIII.

Quomodò naturalis cognitio dæmonum obſcurata ſit, & quomodo non, & utrùm aliquid gaudij habere poſſint.

HInc revertar ad illud, in quo eram, videlicet ad perſcrutandum iſtam corruptionem, & perverſitatem malignorum ſpirituum, videlicet, quantùm ſe extenderunt, quantumque eis de illa bonitate, & claritate naturali virium ſuarum, apprehenſivæ videlicet, & motivæ relictum eis fuerit. Dico, quòd ſi fauni, & ſatyri, ex eis ſunt, cùm fauni ex fatuitate ſic nominati videantur, & vulgari Gallico expreſſius à fatuitate *Folet* cognominentur, modicum relictum eſt eis de claritate ſapientiæ naturalis, & hoc utique dicit Porphyrius Aegyptius, qui familiariſſimus fuit cultorum ipſorum, impiiſſimus planè, teſtificans quia ſtultiſſimis, imò & inſaniſſimis comminationibus deterrentur, & ſic deterriti, & timore comminationum hujuſmodi compulſi, faciunt quæ jubentur ab hominibus. Quis enim niſi fatuiſſimus terreatur quocunque homine ſibi comminante & dicente, hoc niſi feceris, concutiam cœlum, & terram, ſubvertam cœlum, atque dejiciam, ſcindam terram, conteram illam, & comminuam. Hujuſmodi autem comminationibus tanto terrore concutiuntur, ſicut iſte Porphyrius teſtatur, ut nihil audeant denegare ſic eis comminantibus. Quare manifeſtum eſt illos eſſe ſtultiſſimos, & fatuiſſimos, ſi verum dicit Porphyrius. Ampliùs. Si vehementia iræ, furoris, & inſaniæ facit vehementer iratos, cùm nulla in hominibus comparabilis ſit iræ ipſorum, neceſſarium eſt eos inſaniâ continuâ laborare, cùm ira ipſorum nunquàm quieſcat, nec unquàm ad modicum mitigetur, ſive temperetur, non immeritò igitur & fauni, & ſtulti dicti ſunt. Quòd ſi quis dicat, quòd tanta eſt claritas ſapientiæ naturalis illorum, ut nullâ vehementiâ iræ turbari poſſint uſque ad inſaniam, deſtrui videretur iſte ſermo per argumentum à proportione: proportionales namque videntur eſſe homini iræ, & ſcientiæ eorum ad iras dæmonum, & ſcientias ipſorum. Nec minùs videretur excedere ira dæmonum iram hominum, quàm ſcientia illorum excedat ſcientiam hominum. Quare ſi ira hominum magnitudine ſua, ſeu vehementiâ extinguere ſufficit ſcientiam hominum in hominibus, extinguere prævalebit ira dæmonum ſcientiam ipſorum, & in inſaniam eos vertere, ſeu furorem. Idem videtur facere debere luxuriæ ardor in incubis dæmonibus: ſi enim euſque flagrant ardore luxuriæ, ut apparet ex inſtigatione, & violentia, quam irrogant mulieribus, cùm hujuſmodi ardor in deſipientiam vertat etiam ſapientes, quid ſapientiæ eſſe poſſe videtur in his dæmonibus cum tanto ardore luxuriæ? Ampliùs. Cùm in lege Chriſtianorum ſcriptum ſit, quòd dæmones tremunt, & contremiſcunt, manifeſtum eſt non eſſe parvam Dei cognitionem apud eos, qu: Dei timorem illis ingerit, ejuſque terrorem illis incutit, cùm tot, & tanti multo ſplendore ſapientiæ, inter homines præfulgere videantur, deumque timere, ne dicam timore ejuſmodi concuti, non videntur. Si quis enim in eis eſſet timor dei, nullo modorum tam audacter, tamque impudenter illum offenderent, quoniàm non eſt veriſimile munditiam, ac ſplendorem ſapientiæ cum vitiorum ſordibus eſſe poſſe. De hac enim ira dicitur in libro ipſius, attingit ubique, propter munditiam ſuam, nihil coinquina-

A tum incurrit in illam. Ampliùs. Cùm tot, & tanta mirabilia faciant in magicis operibus, quæ nulla arte, nullo ingenio ſuo poſſint homines, quantumlibet ſapientes, cùm ſapientiſſimos etiam ſubvertant, atque decipiant, ſcriptum enim eſt in lege Chriſtianorum: Non ignoramus aſtutiam ſathanæ, & iterùm, de his, qui non noverunt altitudinem ſathanæ, ubi altitudo non niſi ſapientiæ profunditas intelligi poteſt. Quòd ſi dixerit quis, quia non omnes euſque infatuati ſunt, vel pueriliter ſapere, vel furioſè decipi credendi ſunt, ſed ſolummodò quidam eorum, propter quod nec omnes fauni, vel ſatyri dicuntur, ſed quidam ſolummodò, oritur ex hoc quæſtio, propter quam cauſam iſta pœna, videlicet, infatuationis quibuſdam potiùs, quàm aliis inflicta ſit, cùm ſimiliter omnes, & non diſſimiliter peccaſſe videantur: licet enim ille, qui primatum inter eos tenebat, principaliter peccaſſe credatur, & alii ſolo conſenſu, & propter hoc participes peccati illius ſolummodò: agentes tamen, B & conſentientes, & cujuſcunque peccati participes, & conſortes, ſimilibus pœnis puniendi videntur. Ampliùs. Secundùm hoc primus, ac præcipuus eorum, ſicut maximè peccavit, maximè puniendus eſt, & propter hoc maximè infatuandus. Quare maximè cognominandus fuit faunus, aut ſatyrus. Neminem autem audivi adhuc ſic illum cognominaſſe. Ampliùs. Maximè abuſus fuit omnibus bonis ſuis naturalibus, & hoc in injuriam, atque contumeliam creatoris. Sicut enim maximis bonis præditus fuit, & in donis creatoris præſtantiſſimus, ſic debuit eſſe ſub creatore humillimus omnium, & devotiſſimus. Quarè plus aliis peccavit contra datorem ſe erigens, atque ſuperbiens, & alios in id ipſum inducens. Omnibus igitur donis creatoris maximè privandus fuit: quare ſapientia naturali, & bonitate omnibus aliis magis ſpoliandus fuit, quare omnium fatuiſſimus, omnium impotentiſſimus eſſe debuit, econtrariò autem ſe habere ab omni- C buſcreditur, qui de eo aliquid noverunt: de potentia namque, & perſona ejus dicit quidam ex ſapientibus antiquis ſic, non eſt poteſtas ſub cœlo, quæ ei valeat comparari; de ſapientia verò, vel aſtutia ejus jam audiviſti. Ampliùs. Cùm tantum inimicum ſuum, tamque proditorem creator benedictus illum invenerit, qualiter ei tanta de bonis ſuis reliquit? hoc eſt, tantam ſapientiam, tantamque poteſtatem? Nemo enim ex regibus, vel principibus apud nos, qui inimicum, infidelemque, & proditorem adverſum ſe probavit ſubditum, aliquid poteſtatis in ditione ſua poſtmodùm relinquit ei, præſertim cùm ipſum in malitia perſiſtentem cognoverit, & perſiſtere volentem. Notiſſima autem eſt creatori benedicto malignitas iſtorum ſpirituum, & inimicitiæ eorum ad ipſum, immò & bellum, quo ipſum impugnare non ceſſant, nec regnum ejus infeſtare, atque vaſtare totis ſtudiis, & viribus. Talibus autem inimi- D cis quis princeps unquàm pepercit in regno ſuo? quis eis unquàm aliquid poteſtatis reliquit, ſi auferre id potuit? Reſpondeo igitur in his, quia veriſimile eſt, quod in præcedentibus reſpondi, quòd virtus apprehenſiva nobilis in hujuſmodi ſubſtantiis non debuit omninò extingui propter multas cauſas. Quarum prima eſt, quia hoc eſſet in alleviationem pœnæ ipſorum, & propter hoc in diminutionem juſtitiæ, & vindictæ creatoris: longè enim minùs dolerent de malis propriis, & de bonis alienis, ſi ea vel minùs cognoſcerent, vel penitùs ignorarent. Secunda cauſa eſt perfectio, & utilitas Dei electorum, quam creator optimus elicit de aſtutia, & malignitate

Digitized by Google

illorum, impugnantes enim electos multipliciter illos exercitant, & erudiunt, atque occaſionaliter humiliores, & timoratiores efficiunt. Tertia cauſa videtur eſſe ipſa illuſio, & contumelia ipſorum, quod de principe ipſorum ſermone prophetico dictum eſt, videlicet, draco iſte, quem formaſti ad illudendum, &c. de aliis etiam non abſurdè dicitur, contumelioſiſſimè quippe illuditur ei, cùm ab hominibus ſimpliciſſimis, ejus aſtutia illuditur, ſimiliter cùm ab infirmiſſimis hominibus virtus ejus, & potentia vincitur. Dat igitur innumerabilium victoriarum occaſionem viris ſanctis aſtutia, & poteſtas diaboli, & propter hoc innumerabilium coronarum. Ipſis etiam malignis ſpiritibus ſunt aſtutiæ eorum, & potentiæ in occaſionem contumeliarum, & illuſionum, quæ proculdubiò de pœnis gravioribus ſunt, maximè inanis gloriæ amatoribus, quales ipſi ſunt & ſuperbis. Scire tamen debes, quia vires iſtæ, motiva videlicet, & apprehenſiva, nec pares ſemper ſunt, nec ſe proportionaliter comitantur in ſuis diminutionibus, & augmentis. Hujus autem exemplum evidentiſſimum eſt in beſtiis, quarum apprehenſivæ non excedunt apprehenſivas noſtras inferiores, iraſcibilis tamen in eis eſt longè fortior, quàm in nobis, & vehementioris operationis: neque enim leo, vel urſus meliùs videt, aut audit, quàm homines, longè tamen vehementius iraſcitur uterque. Videmus etiam in furioſis hominibus apprehenſivam admodùm turbatam, motivam verò tam imperativam motus, quàm executivam euſque fortificatas, ut ſi ſani eſſent, ea facere non poſſent viribus ſuis, quæ faciunt in furore. Sicut igitur bonitas apprehenſivæ non ſufficit compeſcere, vel mitigare plerumque perverſitatem motivæ, ſic neque corruptio, aut turbatio motivæ ſemper prævalebit obſcurare, vel excæcare apprehenſivam, niſi fortè eâ horâ, qua in effectu eſt ipſa turbatio motivæ, vel corruptio, & hoc manifeſtum eſt in hominibus. Non enim propter vehementem iracundiam obliviſcuntur artifices artes ſuas, ſed reverà in ipſa hora iracundiæ minùs benè operantur. Dico etiam, quia in ſubſtantiis abſtractis nobilibus vires apprehenſivæ, & motivæ fortiores longè ſunt, atque liberiores, quàm in ſubſtantiis materiatis, & corruptibilibus ſcilicet, & propter hoc difficilius, & longè minùs impedimentum alterius nocet alteri. Manifeſtum eſt etiam tibi, quòd interdùm turbatio alterius clarificat alteram. Cujus exemplum manifeſtum eſt in homine, qui vehementi odio alium perſequitur, qui tantò ingenioſior eſt ad nocendum illi, tantoque profundior, & acutior excogitator malorum illius, quantò vehementiori odio illum habuerit. Sic nimirùm maligni ſpiritus vehementer iras, & odia quibus homines perſequuntur, acuunt in profundiores aſtutias, & fraudes, atque loquelas occultiores, quibus homines lædant & capiant. Nec dubitandum eſt tibi malignos ſpiritus omnes inſanos eſſe, quia nec timorem Dei, nec metum ſuppliciorum infernalium, qui eos moveret, nec ipſo acerbiſſimo dolore cruciatuum, quos patiuntur, arceri poſſunt ab impugnatione hominum, quemadmodùm beſtia inſaniens rabie in ignem, & ferrum ſe injicit. Hoc igitur, quod dictum eſt, quòd dæmones credunt, & contremiſcunt, non cogit, ut eo timore timeant, qui eos à malis, quæ permittuntur facere, compeſcat. Tanta quippe malignitate ſuccenſi ſunt adverſùs creatorem, & homines, ut libertatem arbitrii quodammodò amiſerint, totaque poteſtas, ac libertas voluntatis eorum in ſervi-

E tutem malignitatis data ſit, propter quod nec pœnitere poſſunt de malis præteritis, nec continere ſe à futuris, ſed inſtar brutorum animalium, & hominum conſuetudine peſſima corruptorum, & & obduratorum, quaſi impetu neceſſitatis feruntur, & non quaſi libertate voluntaris. Adducam igitur ad declarationem ſermonis ejuſdem quem prædixi ſermonem, videlicet, quòd non eſt neceſſe, ut virtus apprehenſiva ex corruptione, & perverſitate conjunctæ ſibi motivæ obſcuretur in his, quæ ſunt motivæ illi, etiam quantùm ad ea, ex quibus eſt hujuſmodi corruptio, niſi quemadmodùm dixi, ſpiritualiter, ut incommoda ſpiritualia, quæ ex hujuſmodi corruptione proveniunt, minùs cognoſcat & videat ſcilicet iram creatoris, & vindictam, & alia hujuſmodi, ſed res ipſas, unde corruptio advenit, non ut propter hoc minùs videat, vel cognoſcat, quinimmò potiùs circa illas vel excogitandas, vel conquirendas, vel perpe-

F trandas ingenioſior efficitur vis apprehenſiva nobilis. Hujus autem exemplum eſt in guloſis, & luxurioſis hominibus, qui quantò corruptiores, quantò depravatiores in his fuerint, tantò ingenioſiores in hujuſmodi rebus proculdubiò inveniuntur. Cujus exemplum eſt in guloſis, qui in diſcretione ſaporis in præparationibus eſcarum, in apparatibus ſalſamentorum, & aliorum condimentorum longè peritiores ſunt, quàm omninò immunes, & mundi à vitio guloſitatis: ſic ſe habere manifeſtum eſt & in luxurioſis, qui quantò magis in ſordibus luxuriæ contaminantur, tantò in exquirendis, inveniendis, & procurandis voluptatibus turpitudinis ingenioſiores ſunt. Videas igitur, quia de ipſa corruptione, & depravatione virtutis concupiſcibilis ipſa vis apprehenſiva nobilis in hujuſmodi hominibus clarificatur, ac acuitur circa res,

G in quibus pravitas, & corruptio provocatur. Jam ergo declaratum eſt tibi per hujuſmodi, quia non eſt neceſſe, vim apprehenſivam nobilem ex corruptione, vel depravatione conjunctæ ſibi motivæ per omnia obſcurari, quin potiùs manifeſtum eſt illam inde ex parte acui, & clarificari, quod etſi in hominibus neceſſe eſſet ita fieri, non propter hoc oporteret in ſubſtantiis ſpiritualibus abſtractis ſimiliter ſe habere propter fortitudinem, & libertatem illarum apud ipſas. Patefactum etiam eſt tibi, propter quas cauſas tanta bona creatoris, videlicet, tanta virtus, ſive potentia, tanta ſcientia ſpiritibus malignis relicta ſunt, licet omninò indignos ſe fecerunt. Claruit inſuper tibi per hæc, quæ præceſſerunt, quòd maligni ſpiritus inſaniſſimi ſunt, non ſolùm furunt in homines, ſed etiam in ſe ipſos, ut prædixi. Verùm inſania hujuſmodi non extinguit in eis, aut euſque abſorbet, vim cognitivam in eis, quemadmodùm in furioſis hominibus, licet

H ſævire eos faciat irrationabiliùs in homines, quàm in ſe ipſos, hoc tamen faciunt, non quòd faciant ignorantes, ſed ex certa ſcientia, & deliberato ſtudio malignandi; in furioſis autem hominibus longè eſt intentio malignandi, & ſtudium nocendi. Quapropter nec de eis ſunt querimoniæ, nec querelæ, nec vindicantur, nec juſtitiantur, quicquid faciant, nec accuſantur, nec in jus vocantur, nec rei ullatenùs reputantur. De ſermone verò Porphyrij Aegyptij, qui hujuſmodi ſpiritus ſtultiſſimos reputat, & dicit, perſcrutatio, & inveſtigatio per me fiet in ſequentibus. An fauni etiam de malignis ſpiritibus ſint, qui ſua pravitate dejecti de cœlo ceciderunt, an monſtra aliqua, quæſtio eſt difficilè explicabilis, de qua loqui aggrediar loco ſuo. Verùm non eſt dubitandum malignos ſpiritus in multis

Digitized by Google

Porphyrium decepiſſe, & veriſimile eſt malignos ſpiritus, qui in deceptionem, & læſionem hominum toto ſtudio intendunt, & viribus, interdùm ſimulare ſtultitiam, ſive fatuitatem, ut ab eorum aſtutia minùs ſollicitè terreantur. Non enim compoſſibilia ſunt fatuitas, & aſtutia, quâ ſæpè circumveniunt inſipientes, neque in eodem ſubjecto ſe ullo modo patiuntur. Nec mirum tibi videatur, ſi de ſe ipſis mentiuntur, cùm unus eorum, qui familiaris erat iſti Porphyrio, de Deo Hebræorum interrogatus ab ipſo, cùm vera loqui cœpiſſet de illo, reſponſionem ſuam in mendacio conſummavit. Quòd ſi in Angelos lucis ſe transfigurant, ut decipiant, quid mirum, ſi in fatuos eadem malignitatis intentione ſe transformant? Et tu jam audiviſti, quòd buffonicus in ſpecie buffonis apparet, & ſe exhibet adorandum, quibuſdam aliis in ſpecie cati nigri, multis in ſpecie ſerpentis apparuiſſe invenitur in libris narrationum miraculorum, quæ apud eos geſta ſunt. Et ideò certum tibi ſit, nihil eos non ſimulare, quod nequitiam eorum abſcondat eis, quos decipere, & lædere ſtudioſiſſimè intendunt. Verùm iſtas ſimulationes, & transformationes non pro voto ſeu voluntate ſua faciunt, ſed prout divinæ bonitatis diſpenſatio judicaverit permittendum. Quòd ſi quis quærat quam ob cauſam tantâ malignitate exardeant contra creatorem, & creatoris cultores: Scito multos jam reſpondiſſe cauſam iſtam eſſe invidiam, de qua jam me expedivi ſecundùm poſſibile. Cauſa autem alia videri poteſt ipſa juſtitia creatoris, qua juſtitiati ſunt jam, & poſtmodùm acutiùs juſtitiandi in igne gehennali, cùm jam de altitudine cœli, & de fœlicitate illa naturali dejecti ſint. Quòd autem invideant hominibus propter locum, quem ipſi perdiderunt, & homines habituri ſunt veriſimile eſt, & hoc habet doctrina Chriſtianorum. Non immeritò autem quæritur, ut prædixi: An gaudere poſſint de quocunque malo, vel de quocunque propter malum, quod ex illo elicere intendunt. Quòd ſi gaudere non poſſunt, aut ergo deſiderant mala, quæ ſtudioſè ſuggerunt, vel ſuadent hominibus, aut non deſiderant. Non eſt poſſibile, ut non deſiderent, quæ tam ſtudioſè, tantiſque conatibus quærunt, præſertim cùm eâ voluntate quærant; deſiderant ergo mala hominibus; quare cùm ea illis evenerint, neceſſe habent gaudere de ipſis. Ampliùs. Aut voluntariè quærunt mala hominibus, aut inviti, ſive involuntariè, aut pro indifferenti habent, an eis eveniant, aut non, eſt manifeſtum, quoniàm non inviti, quia nihil eſt, quod eos poſſit cogere, niſi vel Angeli ſancti, vel creator altiſſimus, & benedictus, cùm nihil aliud inveniatur fortius malignis ſpiritibus. Manifeſtum autem impoſſibile eſt creatorem optimum, vel aliquem ex ſanctis Angelis eos, vel aliquem illorum, cogere ad hoc, videlicet quòd mala vitiorum, aut peccatorum quærant hominibus, hoc enim nullo modo patitur vel divinæ bonitatis immenſitas, vel bonitas ipſorum. Quòd ſi pro indifferenti habent, an mala iſta ſint hominibus, vel eveniant, unde igitur illis tanta ſtudioſitas tanta vigilantia inſidiarum, tot, & tanti conatus, ut hujuſmodi mala ſint hominibus: ſi non curant, an hujuſmodi mala ſint, aut non ſint, hominibus? aut quomodò non curant, qui tam ſtudioſè, tantiſque conatibus conantur? Quòd ſi voluntariè hujuſmodi mala quærunt hominibus, procul dubiò conſequens eſt, quòd illa volunt hominibus. quieſcit igitur voluntas eorum circa hoc, cùm talia procuraverint; placitum autem eſt quieta voluntas, ſicut diffiniunt quidam ex ſapientibus. Placent igitur hujuſmodi

A mala hominum, placere autem, & delectari idem ſunt in ſubſtantiis intelligentibus; inter delectationem autem, & gaudium, & voluptatem non eſt diſtinctio, delectantur igitur, & gaudent de malis hominum. Ampliùs. Cùm manifeſtum ſit, eos dolere de bonis ipſorum, neceſſe eſt gaudere de malis eorundem. Ampliùs. Qualiter poſſibile eſt ut vehementi deſiderio optata à quocunque. ſuccedant ei ſcienter, & inde non gaudeat? Quòd ſi eſt, videlicet, ut de malis hominum gaudeant, veriſimile eſt, ut pro magnitudine, & vehementia irarum ſuarum, & odiorum, atque invidiarum, quibus adversùs homines exardeſcunt, ad proportionem magnitudinis, & multitudinis ipſorum malorum gaudeant de malis eiſdem. Quia igitur hujuſmodi malorum incogitabilis eſt tam menſura, quàm numerus, neceſſe eſt, ut gaudiorum hujuſmodi nec cogitabilis ſit menſura, nec numerus.

B Quare ſi qua ſint malignis ſpiritibus tormenta, vel cruciatus, magnitudine, & vehementiâ gaudiorum hujuſmodi abſorbentur, aut ſaltem in multo vel minuuntur, vel mitigantur; & quia inceſſanter multiplicantur, & magnificantur mala hujuſmodi, neceſſe eſt gaudia inceſſanter hæc multiplicari, & magnificari. Quartò ſi invidus in ſtatu, in quo eſt, eſſet duraturus in infinitum, gaudia hujuſmodi, & numero, & menſurâ excreſcerent in infinitum; quare eveniret ex neceſſitate, ut omnia tormenta, & cruciatus eorum abſorberent, & omninò inſenſibilia illis efficerent. Quòd ſi quis dixerit, quia ſicut gaudent de malis hominum, ita & debetur dolor de bonis eorum. & propter hoc ut multiplicantur & magnificantur gaudia eorum, ſic & dolores: Dico contra ſermonem hujuſmodi, quòd mala longè plura ſunt, quàm bona hujuſmodi ſunt & mali homines plures ſunt, quàm boni. Nec poſſes dicere, quòd bona ipſa, licet numero

C pauciora ſunt quàm mala de quibus agitur, majora tamen ſunt magnitudine, ſeu intentione incomparabili, ſicut alibi, videlicet in tractatu de virtutibus, & moribus, declaratum eſt tibi: quapropter magnitudo, & intentio bonorum paucitatem eorum non ſolùm redimunt, & compenſant magnitudinem, & multitudinem malorum, ſed etiam illam incomparabiliter ſuperant, & excedunt. Quare non eſt neceſſe. ut gaudium quod eſt malignis ſpiritibus de malis hominum, aut de malis aliis, abſorbeat dolores, & cruciatus eorum, nec etiam, ut mitiget, aut temperet illos, licet mundus in iſto curſu duraturus eſſet in infinitum. Licet enim multiplicarentur mala, & tam numero, quàm menſurâ in infinitum excreſcerent, ſi ſtatus iſte mundi finem non eſſet habiturus, quia bona hominum, licet malis hujuſmodi pauciora, ſimili-

D ter excreſcerent, & quod minus haberent in numero, non ſolùm ſuppleretur eis intentione, ſeu magnitudine, ſed longè ſuperabundantiùs ſuperabundarent eiſdem. Nec prætermittendum eſt tibi, quantùm doleant de immenſitate gloriæ creatoris, de qua ſi dolent ad ſimilitudinem, & comparationem, qualis excogitari poſſet aliorum bonorum, dolent indubitanter dolore omni gaudio, quod habere poſſunt de malis hominum, incomparabiliter majori. Quanti igitur dolores eis ſunt de fœlicitate, & gloria ſanctorum & beatiſſimorum Angelorum, quæ tanta eſt, ut non attingat eam æſtimatio noſtra, vel admiratio, & hæc quidem non ita ſint dicta à me. ac ſi gaudium alicujuſmodi, vel lætitia haberi poſſet apud illos. Non enim veriſimile eſt, ut tormenta, in quibus ſunt, eos vel per modicum gaudere patiantur, quemadmodùm manifeſtum eſt de his, qui in inferno poſiti ſunt,

Digitized by Google

quia immanitas, & immenſitas tormentorum nullius generis gaudium in eis patitur, nec etiam, ſi quis arderet, vel cremaretur in igne qui apud nos eſt, aliquod gaudium in illo ardore habere poſſet, niſi omnipotentis creatoris miraculo, & virtute. Quemadmodùm gens Chriſtianorum credit factum fuiſſe in eis viris ſanctis, quos Chriſti Martyres dicunt, & Dei chariſſimos venerantur. Hujuſmodi autem mirabilia Dei longè ſunt à malitia malignorum ſpirituum. Ampliùs. Sicut illa gloria paradiſi, quæ eſt beatitudo, & fœlicitas Sanctorum, & hominum glorificandorum, nihil doloris patitur, vel admittit, ſic contraria miſeria ab omni gaudio prohibita eſt, & ſecluſa. Quare gehennarum miſeria, immò cruciatus, nihil admittit gaudii, vel conſolationis. Cruciatus autem malignorum ſpirituum longè major eſt, quàm animarum cruciatus, quæ jam tormentis infernalibus traditæ ſunt, & expoſitæ. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm ipſi maligni ſpiritus contra creatorem ſe erigentes, longè graviùs peccaverunt quàm ipſæ animæ. Sequitur ergo ex his, quoniàm tormenta, ſive cruciatus, in quibus jam ſunt maligni ſpiritus, nullo modo permittunt eos, vel ad modicum gaudere. Quòd ſi quis quærat, qualiter, aut quare tanti cruciatus permittunt eos ita ſtudioſè intendere inſidiis, & deceptionibus, & interdùm flagellationibus hominum vacare, ac ſi nihil haberent facere, quod revera non immeritò quæſtionem habet: Dico in hoc, quia voluntas, id eſt, permiſſio creatoris, in hoc eſt, propter multiplices utilitates, quæ de inſidiis, & tentationibus eorum Dei dilectis, & electis proveniunt. Tanta etiam eſt virtuoſitas, & fortitudo eorum naturalis, ut tantis tormentis nec teneri, nec prohiberi poſſint uſquequaque ab hujuſmodi operibus. Non ita autem eſt in noſtris animabus propter longè minorem fortitudinem ipſarum. Ad illud autem, quod de deſiderio, & voluntate quærebatur, reſpondeo, quòd illa eſt ira diaboli, & omnium malignorum ſpirituum, ut de malis noſtris ſatiari non poſſint. Nec mirum, cùm de quodam Rege Principe Babylonis in hiſtoriis Hebræorum ſcriptum ſit, quòd nec humiliatione, nec applauſu hominum eidem ſe ſubjicientium intùs ferocitas ejus vel mitigari poterat, cùm tamen nihil aliud quæreret, vel intenderet, niſi ſubjectionem hujuſmodi. Vides igitur, quòd fames inſatiabilis nullâ refectione quieſcit. Fames autem non eſt, niſi deſiderium, ſive appetitus cibi: ſicut autem eſurientibus nullâ refectione ſatisfit, ſic neque quieſcit deſiderium, aut appetitus cibi apud eos. Ipſum quoque odium, quo adversùs homines ſuccenſi ſunt maligni ſpiritus, quod non eſt, niſi deſiderium, vel amor malorum, id eſt, rerum malarum hominibus, ſimiliter inexplicabile, ſive inſatiabile eſt, nullâ quippe quantitate malorum humanorum impleri poteſt deſiderium hujuſmodi malignis ſpiritibus. Nec mirum tibi videri debet iſtud, cùm ſimilia videas evidenter in avaritia, & in morbo, qui dicitur hydropiſis. Cùm enim avaritia ſit amor, vel deſiderium pecuniæ, amor inquam, inordinatus, nullâ quantitate pecuniæ ſanatur, vel expletur, ſicut & hydropiſis nullâ quantitate potus expletur, ita nec ira malignorum ſpirituum adversùs hominem; ſicut enim ignis exardeſcit, de quo manifeſtum eſt tibi, quòd nec lignis, nec aliis cremabilibus (cùm omnibus illis paſcatur, & nutriatur) ejus voracitas ſatiatur. Ignis enim quemadmodùm dixit ille ſapientiſſimus Hebræorum, nunquàm dicit, ſufficit. In hominibus inſuper tantam iram unius adversùs alium eſt jugiter experiri, ut

E nec tormentis, nec ipsâ morte alter alterius ſatietur. Inſuper in totum genus alter ſævit alterius, necnon & in amicos omnes, ſi poteſt, & ſingulos, & cùm aliud facere non poteſt, in nomen, & famam mortui debacchatur, nec laudantibus illum, aut libris continentibus laudem illius parcit. Quid igitur mirum, ſi ira malignorum ſpirituum, velut ignis exardeſcit, ut prædixi, & nullo modo unquàm dicat, ſufficit. Aggrega igitur hæc omnia, & cognoſces ex eis, propter quid ira dæmonum in nullis malis hominum quieſcit. Nihil enim quieſcit niſi in fine ſuo, nulla autem mala hominum finiunt hujuſmodi iram. Quare ſemper eſt in motu, ideò nunquàm in quiete. Quòd ſi dixerit quis, quòd fame valida laborans comedens delectatur, licet non plenè, ſed quaſi in tranſitu; ſic maligni

F ſpiritus, licet ſic non ſatientur malis hominum, delectari tamen debent hujuſmodi malis, ſaltem quaſi in tranſitu, & in via ſatietatis, non autem tanquàm in fine: Reſpondeo, quòd hoc utique veriſimile eſſet, niſi majores dolores obſiſterent. Dolores autem, & cruciatus eorum ſunt pro parte maxima de gloria Dei, & de gloria ſanctorum Angelorum, atque de bonis hominum. Pro parte autem alia cruciatus acerrimos ſuſtinent de juſtiſſima damnatione qua damnati ſunt merito depravationis, & apoſtaſiæ ſuæ, qua tam impiè receſſerunt à creatore. Quòd ſi quis dicit, quòd differuntur eis cruciatus hujuſmodi uſque ad diem judicii, in qua cum hominibus malis gehennalibus flammis tradendi ſunt: Reſpondeo, quòd gratia inæſtimabilis eis fieret, ſi per ſeptem millia annorum à debitis cruciatibus abſolverentur, hoc autem indubitanter eſſet, ſi pœnæ eorum uſque ad diem judicii differrentur. Cùm enim ab initio

G creationis mundi peccaverint, & ab illo uſque ad diem judicii ſeptem millia annorum ſpatium eſſe credatur à multis, & ſapientibus; proculdubiò tanto tempore differretur juſtiſſima pœna eorum. Ut quid igitur creator optimus pœnam malorum hominum adeò accelerat, ut ſtatim poſt mortem in ignem gehennalem eos mittat? Secundùm hoc enim major eſſet juſtitia ejus in homines multos, quàm in ſpiritus malignos, atque major ira ipſius in hujuſmodi homines, quàm in illos. Quod nemo rationalis unquàm dixit, vel etiam cogitat. Manifeſtum enim eſt, quòd ira Dei altiſſimi in magis peccantes major eſt, in minùs peccantes minor. Quapropter cùm longè graviùs peccaverint hujuſmodi ſpiritus, quàm homines mali, major eſt ira creatoris in illos, quàm in iſtos, alioquin quæ eſſet juſtitia creatoris, ſi illis per ſeptem millia annorum parceret à debitis cruciatibus, hominibus verò nec per ſpatium unius horæ poſt mortem? præſertim cùm illi longè graviùs, quàm homines peccaſſe non dubitentur.

H

CAPUT V.

De differentia, & ordinibus, & poteſtate malignorum ſpirituum, quibus ſe colis ſuggeſſerunt, & de odio eorum.

POſt hæc juxta præmiſſæ promiſſionis debitum aggrediar proſequi differentias, & ordines malignorum ſpirituum, nominationeſque, & poteſtates ipſorum. Scito igitur inprimis, quia differentiæ ipſorum, ſi tamen eis creditur, ab ipſis acceptæ ſunt, & traditæ hominibus, ipſis ſuggerentibus illis differentias ſuas: & quidam dixerunt ſe eſſe Deos agrorum, & hi ſunt, quibus primus Rex Romanorum

Digitized by Google

Romanorum ſtatuit ſacra, & ſacrificia, & duodecim ſacerdotes, quorum unus ipſemet eſſe voluit. hujuſmodi ſacerdotibus inſigne conſtituit coronam † ſpineam, inductus autem fuit ab ipſis ad hoc ea ſuggeſtione, vel ſuaſione, quâ credidit ſterilitatem, ſeu fœcunditatem arvis amore hujuſmodi numinum advenire, & concedi. Per iram verò, & offenſam eorum opinatus eſt læſiones multiplices arvis evenire, videlicet ſterilitatem, & peſtem, ſive peſtilentiam, non ſolùm uredinis, & grandinis, atque ſimilium ab aëre provenientium, ſed etiam nocentium animalium, & brutorum, & locuſtarum, & ſimilium, quæ creſcunt in arvis, lædentium, & comedentium, & conſumentium. Eo igitur prætextu, eaque de cauſa numinum hujuſmodi culturam conſtituit, ut propitiationem eorum, & favorem obtineret, & per hanc fructuum, & frugum copiam, augmentum, & conſervationem. Per eandem viam hortorum numina, & cultus eorum introducta ſunt, videlicet, ſuggerentibus ipſis dæmonibus ſe poteſtatem habere ſuper hortos, ira ut favore, & propitiatione eorum adjuvaretur fœcunditas illorum, ſive fertilitas, ira verò, & offenſione illorum vel prohiberetur omninò, vel læderetur aliqua ex prænominatis læſionibus. Hac igitur de cauſa Veneri, & Priapo iſte principatus deputatus eſt, quamquàm & alia de cauſa hoc fieri potuiſſe videri poſſet, videlicet, quia horti, & fructus eorum operibus venereis, & priapo, non mediocriter deſerviunt, tum propter amœnitatem, quam Venus ſemper expetit, tum propter naturam fructuum, quæ carnis petulantiam mirabiliter paſcit, & nutrit. Norunt hæc Medici, quòd porri, & cepe, & alia multa, quæ in hortis creſcunt, concupiſcentias carnis nutriunt, & augent, & maximè concupiſcentias venereas. Proceſſit autem & invaluit euſque hujuſmodi ſuggeſtio malignorum ſpirituum, ut deam quandam cloacis præeſſe euſque perſuaderent hominibus, ut ſacra illi, & ſacrificia conſtituerent Sic febres, timores, atque pallores deificaverunt, colendaſque, atque adorandas illas ſtatuerunt, æquivocantes nomina eorum (ut puto) ad hujuſmodi paſſiones, & deos, vel deas, quos præeſſe opinati ſunt. Non tamen credibile eſt, ut paſſiones hujuſmodi, quas creberrimè medicamentis extingui videbant, vel deos, vel deas eſſe crederent, cùm & has, & illos immortales putarent. Proceſſit iſta veſania apud Ægyptios uſque ad ſtrepitus ventris, quos, ut, deos immortales coli conſtituerunt, ſicut apparet ex narrationibus hiſtoriographorum eorum. Sic quoque nymphæ, ideſt deæ fontium, & culturæ earum introductæ ſunt. Sic lares, & penates, tanquàm quidam dij familiares habiti ſunt. Et lares quidem, qui domibus præerant, & quorum favore, atque propitiatione benè eſſet domibus ab omnibus nocumentis, eſſentque eis omnia bona per providentiam, & cuſtodiam eorum. Penates verò, tanquàm qui ſecretioribus, hoc eſt, remotioribus partibus domorum, præeſſent, videlicet thalamis, vel cubiculis, vel à penu, quod eſt horreum, ſic dicti putati ſunt, quaſi præſides, & cuſtodes horreorum. His igitur duobus generibus deorum, vel potiùs dæmonum familiares cultus impendebant decepti homines, & lares in domibus, penates in thalamis, & cubiculis nefandè venerabantur, tanquàm nutu, & favore eorum credentes benè eſſe, & fore in poſterum domibus, vel thalamis, atque horreis ſuis. Forſitan autem ſpecialiter propter lepras, & alias corruptiones, & læſiones domorum, & cubiculorum, ſeu horreorum, de quibus in lege Hebræorum aliqua legiſti, quæ & per me juxta poſſibile expoſita ſunt tibi Et, ut paucis ſermonem de

† *Aliàs laneam.*

A his concludam, euſque proſiluit, & erecta eſt maligniſſima vanitas dæmonum, quòd noluit contenta eſſe tanta numeroſitate templorum, & penè innumeris ſacrificiis, & aliis nefandis culturis, quæ in tanta numeroſitate templorum ipſis impendebantur, ſed etiam totas habitationes hominum culturis ſuis infecerunt, dùm & in domibus, & in thalamis, ſeu cubiculis, & in cloacis, & in corporibus hominum, quod dico propter febres, & in cordibus, quod dico propter timores, & in ipſis ventribus, propter crepitus, adorari ſe, & coli procuraverunt. Sed nec iſta ſuffecerunt ipſis, nec adhuc ſatiata eſt eorum perverſitas, quia & in agris, & in vineis, & in montibus, & ſylvis, in deſertis, in terris cultis, & fluminibus, & fontibus, & maribus impendi ſibi culturas nefarias ſuggeſſerunt. Ad hæc etiam, ne quid vacaret à cultura eorum apud homines, neve quid relinquatur eis, quod non in ſubverſionem

B eorum, & Dei contumeliam converterent, etiam in anulis, & ſpeculis, in figuris, ſcripturis, in fuſuris, in ſculpturis, in privatis ſtatuis, aut ſtatuarum capitibus, in horis temporum, & momentis, herbis, & lapidibus coli ſe ab excæcatis, & perditis hominibus ſtatuerunt, & obtinuerunt. In quibus omnibus manifeſtum eſt omni intelligenti, quòd præter vaniſſimam, fallaciſſimamque illius execrabilis culturæ ſuæ gloriam, non erat eis alia intentio, niſi iſtum totum inferiorem mundum implere creatoris contumeliis, & reddere illum eidem abominabilem, totumque genus humanum cum tota ſua habitatione efficere creatori odibile, & per hoc in damnationem mortis æternæ præcipitare. De culturis autem ipſorum expedivi te, & feci te ſcire, quòd hujuſmodi cultura, videlicet idolatriæ

C non ſolùm inutilis, & ſupervacua eſt, ſed penitùs ſine fructu, ac etiam contumelioſa, & offenſiva creatoris, damnatione digniſſima, omni igne & gladio de toto mundo exterminanda, neque tempus eſt, ut memorationem diffuſiorem faciam tibi de his. Jam enim declaratum eſt tibi probationibus irrefragabilibus non poſſe eſſe bonos, & ſanctos Angelos, qui divinam culturam, hoc eſt, ſacrificia, & adorationes impendi ſibi velint, aut etiam aliquam noſtrorum permittant, ſed eſſe dæmonia peſſima, poteſtates refugas, à creatore ab antiquo damnatas, totique humano generi implacabiliter inimicas, ſacrilegiorumque, & ſacrificiorum ſibi impenſorum non ſolùm ingratas, ſed etiam in ipſos, qui eis illa impendunt, atrociùs, quàm in alios ſævientes; in eos verò qui creatori debiti cultus honorificentia ſervierunt nihil ad nocendum poteſtatis habentes. Quid igitur mirum ſi mentiri non veriti ſunt hominibus Deos ſe eſſe, ut culturam idolatriæ ſuæ ſuaderent ipſis,

D eùm adorari ab eiſdem, & ſacrificia ſoli creatori debita ab ipſis recipere non timuerint? Tu quoque noſti ad quot, & quanta mendacia, quámque incredibilia inducat homines vanitas ſuperbiæ, & inanis gloriæ. Quis enim ignorat jactantias ſuperborum, falſaſque promiſſiones ambitioſorum? Quis denique ignoret, quanta levitate cordis impoſſibilia de ſe credere parati ſunt: juxta verbum Poëtæ dicentis: Nihil eſt quod credere de ſe non poſſit, cùm laudatur diis æqua poteſtas, &c. Non eſt igitur abhorrendum tibi vitium falſitatis, & peccati mendacium in apoſtatis, nequiſſimiſque ſpiritibus, eùm certiſſimum ſit jugi experientiâ, homines quibuſcunque vitiis oppreſſos, ad ſimulationes, & mendacia paratiſſimos, quæ illis ad obtinendum, quod malè cupiunt, ſuffragantur. Sive enim ex malignitate ſola intendunt homines pervertere, ut in damnationem æternæ mortis

Digitized by Google

eos præcipitent, ſive eo fine ſuperbiſſimæ vanitatis ſuæ, ut eoſdem ad cultum ſuum convertant, radix eſt utriuſque perverſitatis malignitas. Non enim poſſunt nequiſſimi iſti ſpiritus quærere ſibi vanam gloriam ſui cultus, execrabilis, niſi illam creatori benedicto invident, ex quo provenire conſequenter neceſſe eſt ut illam creatori ſurripiant, & ſibi vendicent, & uſurpent. Veriſſimus ſiquidem eſt ſermo ſapientis, qui dixit; Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum. Attende autem, quòd neque poſſibile eſt, ut creatorem maligni ſpiritus odio habeant, quin pulcherrimam ejus, eiſdemque honorificentiſſimam imaginem, quæ utique homo eſt, odio habeant, quemadmodùm & viceverſa ipſe creator ſtatuas dæmonum habuit odio, & proptereà conſcindi, ac deſtrui præcipit illas in lege Hebræorum. Dico etiam, quòd non ſolùm homo imago Dei eſt propter ipſum amanda, & veneranda, ſed etiam templum ejuſdem ſanctum, præſertim cùm fuerit debita ſanctificatione ſacratum. In hoc igitur templo maximè adorari, venerari, & coli vult. Exteriores autem culturas nec vult, nec remunerat, niſi propter iſtas interiores, videlicet quas ſibi impendi, vel exhiberi jubet, & præcipit in hoc templo. Maligni verò ſpiritus, tanquam ſimiæ perverſæ imitationis in hoc eodem templo adorari, venerari, & coli omnibus modis, quibus poſſunt, expetunt, & procurant, ſive in Dei altiſſimi odium, ſive in ſuperbiæ ſuæ vaniſſimam gloriam, ſive in hominum perniciem. Propter cauſas antedictas inventa eſt interdùm ſuperbiæ vanitas in hominibus, qui divinos honores non ſolùm ambire auſi ſunt, ſed Deos omnium gentium exterminare conati ſunt, ut ipſi ſoli Dij haberentur, & nominarentur, arroganter præſumpſerunt. Hujus rei exemplum evidentiſſimum fuit rex ille Babylonis potentiſſimus, qui vocatus fuit Nabuchodonoſor. Quid igitur mirum, ſi tanta ſuperbiæ vanitas in ſublimibus illis, immortalibuſque ſubſtantiis invenitur, quandò & in miſeris hominibus mortalitate, & innumerabilibus pœnalitatibus, atque miſeriis, circumdatis, & oppreſſis, locum habere potuit? Quòd ſi dixerit quis, improbabile valdè eſſe ſuperbiam iſtam, & vanitatem, vel ad momentum durare poſſe, cùm in graviſſimis, & atrociſſimis cruciatibus fuerit juxta ſermonem propheticum ad Deum directum, dicentem, humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. Et iterùm Humilians peccatores uſque ad terram. Reſpondeo in hoc, quia ipſa ira, & invidia graviſſima tormenta ſunt, ipſa quoque ſuperbia vehementer torquet, & excruciat illos, in quibus eſt. Et nihilominùs tamen in hominibus, qui vitiis laborant, atque vexantur, maximè invenitur hujuſmodi vanitas, quantóque eos vehementiùs exagitat, & torquet ſuperbia tantò major eſt, & magis augetur in eis hæc vanitas. Debes autem ſcire, quòd corporalia ſupplicia in ſubſtantiis incorporeis non curant vitia ſpiritualia, in hominibus quidem ceſſare illa ad tempus faciunt, non tamen in priſtinam puritatem illos reſtituunt, vel reducunt, juxta ſermonem Sapientis dicentis: Infirmitas gravis ſobriam reddit animam. Et iterùm. Malitia unius horæ oblivionem facit magnæ luxuriæ, & maximè, licet mentem humanam non plenè ſanctificet, occaſionem ſiquidem ſanctificationis nonnullam præſtat infirmitas, vel adverſitas, unde tempeſtatem, tentationemque, ceſſare faciat, quamdiu eſt, tentationes enim nec de ipſa ſanctificatione cogitare interdùm permittunt. Meritò autem quis admiretur, & quærat, qualiter immanitas tormentorum, & quæ ſuſtinent, & quæ ſibi

E poſt futurum judicium imminere conſpiciunt maligni ſpiritus eos non reprimant, & compeſcant, à ſubverſionibus hominum atque ſeditionibus, & inſidiis eorumdem: in quo reminiſci debes eorum, quæ quotidiè in hominibus experiris, & primùm quidem in falſis juſtis, quos hypocritas Græcè vocamus, quantis jejuniorum, & afflictionum auſteritatibus vaniſſimi nominis ſanctitatis, & juſtitiæ gloriam quærere conantur; in militibus verò quantis verberum, & vulnerum ſuppliciis, nomen ſtrenuitatis ſibi facere contendunt. Multos etiam vidiſti, vel videre potuiſti, qui tantâ irâ, vel odio adverſùs inimicos ſuos incenſi ſunt, ut nulla ſupplicia metuerent, nec etiam ipſam mortem declinare vellent, dummodò illis ſimilia vel inferrent, vel inferre procurarent. Memini enim me vidiſſe, hiſtrionem, qui aſſari
F ſe horrendo cruciatu, & penè uſque ad mortem, ſuſtinuit, ut cohiſtriones ejus compellerentur ad ſimilem cruciatum. Cùm igitur ira, & odium, & omnes partes, & rami ſuperbiæ incomparabiliter majores ſint in nequiſſimis ſpiritibus, quàm ſint, vel eſſe poſſint hominibus in vita iſta, ceſſare debet admiratio pariter, & dubitatio antedicta, in omni corde rationabilis hominis, & intelligentis, cùm cauſæ ſimiles, ſimilibus effectibus proportionales ſint ſemper ex neceſſitate.

CAPUT VI.

Quomodò dæmones non habent poteſtatem in bonos, & de eorum mend. ciis, & de errore dicentis quotidiè novos ſpiritus creari, & de cœlo cadere in diverſas terræ partes.

G HIs, prout mihi poſſibile eſt, ita determinatis, revertar ad illud, unde diverti, & dicam, quòd nulla dubitatio de hac quæſtione relinquitur apud intelligentem malignitatem iſtorum ſpirituum, videlicet quin mentiri audeant, & ſuggerere inſipientibus hominibus ſe poteſtatem habere majorem, quàm habeant, ubi aliquam habent ſimiliter & poteſtatem aliquam habere, ubi nullam habent, cùm Deos ſe eſſe adorandos, atque colendos, ſuggerere, & aſſerere non ſint veriti, & quod eſt execrabilius, honorem, & cultum ſoli creatori benedicto debitum uſurpare. Manifeſtum igitur jam tibi factum eſt ex his non eſſe credendum eiſdem in hujuſmodi, videlicet quæ in injuriam, & contumeliam, aut perniciem hominum vergere dignoſcuntur, videlicet, de poteſtate, quòd aliqua eis ſit, niſi ex
H providentiſſima permiſſione creatoris. Quare nec in domibus, nec in aliis locis prænominatis, quicquam eos poſſe, niſi quatenùs aut voluerit, aut permiſerit creator omnipotentiſſimus, certum habeto per hoc. Hoc verò, quòd in cloacis habitare, ibique poteſtatem ſe habere dixerunt, magis in contumeliam ipſorum, atque damnationem, quàm in honorem interpretandum eſt, cùm habitatio hujuſmodi ignominioſa ſit, & viliſſima, & quaſi perpetuo opprobrio apud homines habeatur, qui ibi ceciderit, aut etiam fuerit ibi ad momentum. Ipſi quoque mundatores cloacarum, qui tam neceſſaria, tamque utilia opera in ipſis operantur, inter omnes operarios viliſſimi reputantur, non obſtante neceſſitate, vel utilitate operum antedictâ. Hoc etiam, quod in ſilvis, locíſque deſertis longè ab hominibus habitare ſe dicunt, & etiam videntur, pietati creatoris totum adſcribendum eſt, quæ & utilitati noſtræ, atque

ſalubritati

Digitized by Google

ſalubritati in hoc non mediocriter conſuluit, quòd tam atroces inimicos tam longè fecit à nobis: nihilominùs etiam & in hoc poteſtatem eorum reſtrinxit, quapropter non poteſtas eſt, quam habere ſe dicunt in locis hujuſmodi, ſed vel damnatio ipſorum, vel reſtrictio poteſtatis. Vides igitur maniſeſtè quòd de contumelia ſuæ damnationis honorem ſibi vendicare, & de reſtrictione poteſtatis ejuſdem amplitudinem ſuadere hominibus intendunt mendaciſſimè. Nunc autem pateſaciam tibi alium errorem, quem per necromantiam, de cujuſmodi libro maledicto tibi feci in præcedentibus mentionem, ſuadere conati ſunt. Scripſit enim ille in libris hujuſmodi duodecim ordines eſſe ſubſtantiarum abſtractarum, & poſuit ex illis aliquas quotidie cadere, poſuit etiam, & quam audiviſti rationem, ad hoc probandum induxit, videlicet quotidie creari aliquas hujuſmodi ſubſtantias, divinæque bonitatis largitatem ceſſare nunquàm poſſe à creatione ſubſtantiarum tam nobilium, & creationem earum perennem eſſe, & nunquàm finem habituram. Hujuſmodi autem erroris deſtructionem in præcedentibus audiviſti. Hic igitur, & nonnulli poſtmodùm, poſuit quoſdam de ſpiritibus hujuſmodi cecidiſſe, vel cadere in diverſas partes terrarum, & marium, & in illis partibus poteſtatem unumquemque habere, in quas ceciderit. Unde alios in deſertis, alios in ſilvis, alios in fontibus, alios in fluminibus poteſtatem habere poſuit, & in herbis, & arboribus, & arbuſtis, necnon in gemmis & lapidibus pretioſis eos dixit virtutes varias exercere, & in ipſis etiam habitare. Et inde (hoc eſt, de præſentia, & habitatione ipſorum) virtutes eſſe, quæ imponuntur lapidibus & gemmis. Conveniens autem arbitror, & Philoſophiæ iſti non parùm congruere perſcrutari de iſtis. Et primùm, quid intelligat caſum hujuſmodi, & qualem ipſum eſſe faciat. Caſus enim non dicitur, niſi qui ex virtute naturali procedit. Dicitur enim caſus lapidis, qui utique naturalis motui ipſius eſt, & inquiſitio motus hujuſmodi eſt ſibi naturaliter congruens, & intenta, ſed caſus non eſt poſſibilis apud ſubſtantias ſpirituales, quæ locum corporalem motu naturali non inquirunt, & etiamſi illum inquirerent, non inquirerent locum infimum, cùm locus infimus ignobiliſſimus ſit inter loca, & à corporibus ignobiliſſimis ſolummodò inquiratur. Hujuſmodi etiam ſubſtantiæ inter ſpirituales nobiliſſimæ ſunt, cùm ſint abſtractæ, nec obſiſtit huic rationi, quòd animæ humanæ cœlum ultimum naturali appetitu inquirere dicuntur ab aliquibus, ſicut neque quòd locum iſtius habitationis terrenæ fugere naturaliter meritò dici poſſint, propter multiplices miſerias, & impedimenta plurima, quæ à parte hujuſmodi habitationis eiſdem ſe ingerunt, juxta ſermonem ſapientiæ, qui dicit, quòd deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem; quia igitur cœlum ultimum liberrimum eſt ab hujuſmodi miſeriis, nec aliud præſtare poteſt animabus humanis impedimentorum hujuſmodi, quin potiùs adjumenta præſtat eiſdem quo ad corpora glorificata: meritò igitur hanc habitationem fugere, & illam naturaliter appetere credi poſſunt. Jam igitur feci te ſcire per hoc, quòd ſecundùm hanc intentionem nullo modo verum eſt, ſubſtantias ſpirituales quotidie cadere de cœlis, ſed nec in ſecunda intentione, ſecundùm quam dicitur infirmus pedibus, aut aliàs debilis, & ſe ſuſtentare non valens, cadere. Hujuſmodi enim debilitates, & infirmitates longè ſunt, maximè apud errorem iſtum, à talibus ſubſtantiis. Tertia verò intentio eſt, quâ fit caſus ex

A aliena impulſione. Si igitur hoc modo cadunt, à fortiori, quandò ipſæ ſunt depulſæ, dejiciuntur, & quia nihil eſt fortius ipſis, niſi ſolus creator omnipotentiſſimus, neceſſe eſt ipſas depulſione ejuſdem cadere, & propter hoc dejici ab eodem. Quia verò dejectio hujuſmodi pœna eſt, pœnam verò nunquàm creator optimus irrogat ſine culpa, quia nunquàm injuſto judicio quemquam punit, conſequens eſt, ut creator juſtiſſimus hujuſmodi culpabiles inceſſanter inveniat, quos de loco ſublimi, tantæque fœlicitatis inceſſanter dejicit, & deturbat: neceſſe eſt igitur hujuſmodi ſpiritus malos eſſe, & malitiæ ſuæ meritis, ſicut prædixi, damnatos, hoc eſt, de loco ſuæ creationis ejectos, & exilio hujuſmodi terrenæ, & miſeræ habitationis relegatos. Quapropter in hoc ſaltem cum doctrina veritatis concordant, cùm eos & malos, & damnatos, & de fœlicitate cœleſtis
B habitationis juſto Dei judicio in hoc exilium dejectos confitentur. Illud autem erroris ſuperadducunt, quòd quotidie eos, & inceſſanter creari, id eſt novos ab eo creari ſpiritus, & cadere mentiuntur. Hujuſmodi autem declaratio fiet ibi per vias, quas dixi. Neceſſe enim eſt, ut vel omnes, qui de novo cauſantur, cadant, aut pars illorum tantùm cadat, & pars ſtet. Quòd ſi noviter omnes creati cadunt, erit creator benedictus omnium ſtultorum ſtultiſſimus, quod patet, quia nemo adeò ſtultus eſt, qui quotidie ruentem domum, vel aliam machinam ædificare contenderet, & ruinam tantam ejus videret, ut de ea nec lapis ædificio perſiſteret. Sic autem ſe habet evidenter in creatione multitudinis hujuſmodi ſpiritualis, quia nec unus eorum ſtat, vel permanet in loco, vel ſtatu ſuæ creationis. Ampliùs. Ut quid hujuſmodi ſubſtantias in cœlo creat, quas inde ſtatim ejecturum ſe eſſe
C non dubitat? Ampliùs. Cùm omnes hujuſmodi ſubſtantias adverſarias ſibi, & inimicas ſtatim futuras eſſe certiſſimè prænoſcat, ad quid, niſi in injuriam ſuam, vel contumeliam, eas cauſet? Ampliùs. Quid aliud facit cauſando eas, niſi quòd exercitum principis tenebrarum inceſſanter adauget, & gentem ejus multiplicat, & propter hoc ipſum ornat? Ampliùs. Ubi miſeratio ejus & benignitas in filios hominum, contra quos tam immanes, tamque ſævas belluas inceſſanter multiplicat, & immittit in eos, dum in ipſorum habitationem illos dejicit? Ampliùs. Alibi eos non patiens habitare. Ampliùs. Jam feci te ſcire in parte tractatus iſtius, primâ videlicet, quæ eſt de parte univerſi ſpirituali, quòd multitudo non poteſt infinita eſſe, ſicut nec magnitudo. & quoniàm neceſſe eſt, omnem multitudinem diſgregatam ſummam habere, vel in ſumma aliqua eſſe, & quoniàm numerus ſumma eſt unitatum, omnes unitates, quæ in actu ſunt, in numero aliquo eſſe, quod
D eſt dicere, in aliqua ſumma, ubi etiam declaratum eſt tibi, quòd impoſſibile eſt numerum aliquem eſſe, quo alius major non ſit, vel eſſe non poſſit. Quapropter impoſſibile eſt hujuſmodi multitudinem ruinoſam exceſcere in infinitum. Hoc autem neceſſe eſſet, ſi finem non haberet creatio, & ruina hujuſmodi ſpirituum; hoc autem ipſi poſuerunt, videlicet nec generationem generabilium, nec creationem hujuſmodi ſpirituum, habituram eſſe finem. Si verò pars novorum, id eſt, incipientium ſpirituum, & quotidie creatorum ſtat, & pars ruit, quomodò veriſimile eſt hoc, ut innumerabiles ruinæ, ſive quæ futuræ ſunt, ut ipſi dicunt, ſive quæ præterierunt ſecundùm eos, & tam diræ damnationes non deterreant eos, qui quotidie cadunt, ab ea culpa, & iniquitate,

propter quam ipſis hujuſmodi caſus infligitur? Ampliùs. Cùm omnes ſecundùm eos boni ſint, quomodò pars illorum locum fœlicitatis retinet, & pars altera in locum tormentorum, & ærumnarum multiplicium exilio mittitur? ſi enim æquè digni habitatione cœleſti ſunt hi, ut illi, injuſtè agitur cum eis, quibus cœleſtis habitatio denegatur. Quòd ſi iſti, qui huc cadunt, vel ceciderunt, cœleſti illa habitatione indigni ſunt, quomodò cœleſtes, & cœligenæ putandi ſunt, cùm nulla creatura indigna ſit loco ſuo naturali, ſive naturæ? Ampliùs. Secundùm hoc ignobiliores erunt animabus ſanctis, quibus cœleſtis habitatio, & promittitur, & datur, ſicut in præcedentibus didiciſti. Quotidiè enim de loco purgationis, & igne purgatorio, vel de ſtatu perfectæ purgationis ſive illa ſit pœnitentia completa, ſive de ſtatu perfecto ſanctificationis Chriſtianorum, qualis eſt ſanctificatio baptiſmalis, quâ nihil purgandum relinquitur in eis qui eam dignè, &, ut decet, recipiunt, ſive ſit mors precioſa in conſpectu domini, qualis eſt mors eorum qui pro creatoris altiſſimi gloria, & honore, ſive pro veritate religionis occidi ſe patiuntur, ne illam ſcilicet, violent, vel ab illa recedant eo migrant. Quare manifeſtum eſt miſerabiliores eſſe hujuſmodi ſpiritus, quibus tanquàm perpetuo exilio damnatis nulla ſpes reverſionis ad cœlum relinquitur, quàm ſint animæ humanæ, quæ præſentis vitæ miſeriis, & cœleſtem habitationem, & beatorum gaudia promerentur Reſtat igitur, ut ſi veri nominis caſus eſt hujuſmodi ſubſtantiarum caſus, ſit ex defectu ſuſtentamenti, vel fulcimenti, qualis eſt domus caſus, cujus columnæ, vel fundamenta, vel franguntur, vel ſuffodiuntur. Verùm hujuſmodi caſus non habet locum, niſi in ponderoſis, opinari autem ponderoſitatem in his ſubſtantiis ridiculoſum deliramentum eſt. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc, quia nullo modorum eſt veri nominis caſus, quem hujuſmodi ſubſtantiis impoſuit prædictus erroneus: quare conſequens eſt, ut eis deſcenſus à ſublimi illa, & præclara habitatione, cùm nec violentus, nec naturalis, nec defectivus, quod eſt dicere, nec ex debilitate, nec infirmitate eis eſſe poſſit, neceſſe ſit, ut ſit eis ſpontaneus, ſive voluntarius. Hoc autem, ſicut nec verum, nec veriſimile eſt, præſertim, cùm ipſe vocet eas inhabitantes lucem, & magiſtros eos habuiſſe nephariæ artis ſuæ jactet. Qualiter enim veriſimile eſſe poteſt, quòd ſpiritus tanta luce ſapientiæ radiantes hanc inſaniſſimam commutationem facere voluerint, ut tam nobilem, tantæque fœlicitatis habitationem relinquerent, cœleſtem videlicet, & ærumnoſam iſtam terrenam appeterint, & quod eſt mirabilius, vaſtam ſolitudinem, omnique habitatione deſtitutam ei prætulerint? In tali enim ſolitudine ſe cum eis habitaſſe, & ab ipſis didiciſſe, quæ ſcrip ſit apertè dixit in libro ſuo illo, quem prædixi. Ampliùs. Eſt-ne adeò anguſtata cœleſtis illa habitatio, ut eos cum aliis capere non poſſit? apparet hîc & alia quorundam veſania, quia conſortium ferarum, ſerpentum, atque draconum, quorum habitatio loca deſerta ſunt, hominum conſortio prætulerunt: quæ igitur bonitas, vel pietas de ipſis credenda eſt, qui tantas indigentias hominum, tantas miſerias alias, tantaſque ignorantias ipſorum ignorare non poſſunt, & ab eis tam longè ſe fecerunt, quibus poſſent & in multis conſulere, miſeriaſque illorum in parte tollere vel ſaltem lenire? pars ſiquidem injuſtitiæ eſt altera miſerum facere, altera miſerum deſerere. Ab iſta igitur parte injuſtitiæ nullatenùs immunes ſunt, qui homines in tantis miſeriis deſerunt, & ad ſerpentum, draco-

E numque conſortium ſe transferunt, quos manifeſtum eſt eorum nec auxilio, nec conſilio indigere. In quo, conſortio videlicet, quid aliud intelligendum prudentibus eſſe videtur, niſi quòd conſortium ſimilitudoque ſævitiæ belluinæ ad habitationis conſortium belluinæ eos trahit, & materiam exercendæ pietatis, quæ tam multa eſt in hominibus, eos declinare, & fugere facit? Et hæc quidem contra errorem iſtum hominis iſtius ſic dicta ſint. Cæterum in his, quæ præceſſerunt, didiciſti, quia providentia divinæ pietatis non permittit eos cum hominibus, vel inter homines habitare, ne ipſa propinquitate, & commixtione inter homines, major ſit eis & nocendi hominibus facilitas, & facultas Ampliùs. In libris de imaginibus maledictis, & in quibuſdam aliis nephariis ſcripſerunt ad deteſtabiles actiones eorum deſcendere ſpiritus de unoquoque cœlorum mobilium, ſed invocatos & adjuratos & ſacrificiis nephandis illectos. Ipſe quoque Ariſtoteles ſpiritum unum de cœlo Veneris accepiſſe ſe jactavit, quod quàm erroneum ſit ex his, quæ nunc audis, videre facile eſt evidenter; cogi ſiquidem ad hujuſmodi deſcenſum per hujuſmodi vel verba, vel ſacrificia impoſſibile eſt, allici autem. & capi eos, atque ſeduci viliſſimis hujuſmodi ſacrificiorum vinculis ſapientiſſimos, ac beatiſſimos, ut ipſi ponunt deos, qualiter poſſibile eſt, cùm nec in homines ſtultiſſimos talis inſania locum habere poſſit? quis enim dives, & ſtultiſſimus, fœlicem, & opulentam habitationem ſuam talibus verbis, aut muneribus deſereret, & in exilium abiret, quem hominem poſſent talia vel verba, vel ſacrificia cogere, vel euſque dementare? Manifeſtum igitur eſt eos nec in cœlo eſſe, nec de cœlo deſcendere; ſed, ſicut ſæpiùs audiviſti, utrunque iſtorum mentiri hominibus ad deceptionem videlicet, & cœleſtem habitationem, & de cœlo deſcenſum; neque enim in cœlo habitare permittuntur tam nequam, tamque Deo altiſſimo injurioſi, & contumelioſi ſpiritus. Ampliùs. Quis ex ſervis, & militibus cujuſcunque regis, aut principis, ex aula regia, vel comitatu, in longinquam regionem abire audeat abſque licentia domini ſui? ad nepharia verò, & injurioſa, atque contumelioſa ipſi domino aſpicienda, vel audienda, quis bonus, & fidelis miles, vel ſervus, oculos vel aures intendat? & quantò fortiùs ad illa facienda manus extendere non horreat? abhorrent igitur audire ſancti, & veri, ac fideles creatoris ſpiritus, verba injuſtiſſimarum, ſpurciſſimarumque petitionum, & precum, quas porrigunt, cùm nec aures humanæ, niſi fortè perditorum, ac deceptorum hominum, eas exaudire, vel etiam audire, ullatenùs vellent. Quis enim, niſi perditus & vitiis, atque peccatis totus deditus, audiret aliquem petentem ab eo, ut inflammaret caſtum virum, vel caſtam mulierem, ad libidinem? quis aures non averteret à poſcente ſe, ut occideret unum hominem innocentem, vel ligaret, ne ambulare poſſet, vel vi animalia alterius hominis occideret aut agros ejus ſteriles faceret, aut maritum mulieris alicujus, vel uxorem ligaret? quis etiam peſſimus petentem talia exaudiret? Manifeſtum eſt autem ex libris eorum, quia preces, & adjurationes, & nephanda eorum ſacrificia pro hujuſmodi rebus à talibus impetrandis ſpiritibus fiunt; ſi autem in eis, qui terram inhabitant, bonis hominibus, iſtæ nequitiæ locum non habent, quantò minùs in eis, qui cœlos inhabitant, & nomine deorum iſti honorandos putant, talia inveniri impoſſibile eſt? De eo verò, quòd poteſtatem in locis illis, vel rebus, in quæ, vel in quas ceciderunt, vel quotidiè cadunt, poteſtatem omnes habere, &

virtutes

virrutes admirabiles in eiſdem exercere ſpiritus hujuſmodi poſuerunt, nullo modo prætereundum eſt, quin aliqua inde perſcrutatio fiat. Dico igitur in primis, quia poteſtas hæc aut erit eis per ipſam damnationem, & dejectionem, aut ex alia cauſa; per damnationem verò. & dejectionem quòd honor acquiratur, aut per exilium poteſtas in loco exilij, nec debitum eſt, nec poſſibile. Quòd ſi dixerit quis, quia hujuſmodi poteſtas eis conceditur ab omnipotentiſſimo creatore in aliqualem recompenſationem honoris, & poteſtatis cœleſtis, quam amiſerunt; dico, quia hujuſmodi poteſtatem ligant in eis amici, & electi Dei altiſſimi, & de locis hujuſmodi eos cum ignominia ejiciunt: quòd ſi ex conceſſione creatoris illam obtinerent, eis injuſtè proculdubiò auferretur; juſtiſſimè autem auferuntur eiſdem & loca, & poteſtates, cùm eis in contumeliam creatoris, atque perniciem hominum abutuntur. Quòd ſi dixerit quis, quia naturalis eſt eis poteſtas hæc, & præſidentia, quemadmodùm unicuique hominum in domo ſua, vel habitatione, etiam unicuique animalium in nido, vel ſpelunca. Reſpondeo in hoc, quia iſtæ habitationes non ſunt eis naturales, neque creatoris dono eiſdem conceſſæ, ſed ab ipſis uſurpatæ, & à creatore permiſſæ. Dico etiam, quia carceres ſunt eis tanquàm habitacula. In carcere autem cùm aliquis captus eſt, & ligatus, nemo ſibi aliquam vendicat poteſtatem, cùm nec ſui ipſius poteſtatem ullam habeat. ſed nec hoc illis concedendum eſt, quòd hujuſmodi ſpiritus in res ante nominatas, vel loca ceciderunt, cùm jam manifeſtiſſimum ſit manifeſtis & planis indiciis eos in parte aliqua aëris remanſiſſe, & tanquàm in ergaſtulis, vel carceribus inibi detineri uſque ad diem futuri univerſalis judicij, in quo ipſi deceptores cum eis, qui per eos jam decepti ſunt, vel interim decepturi ſunt, extremæ damnationis ſententiâ retrudendi ſunt in barathrum gehennale, ſicut evidenter docet lex, & fides Chriſtianorum. Ab ipſis etiam, qui apparitionibus, & ludificationibus eorum intendunt, hoc ipſum audies, videlicet, quia innumera multitudo hujuſmodi malignorum ſpirituum in aëre eiſdem apparet, propter quod in excelſis immolare ſolebant idolatræ, & excelſa habitacula ſibi in aëre compingere conſueverunt augures; ut inde quaſi ex viciniori, atque convenientiori captarent auguria, eo quòd inde expreſſiùs, & intelligibiliùs avium garritus perpenderent. Unde & tecta hujuſmodi templa vocabant, quaſi recta ampla, neque, ſicut ſæpè dictum eſt tibi quòd in locis aliquibus apparent iſti ſpiritus, cogit intelligentem aliquem recipere, quòd eorum locorum vel præſides, vel domini, vel etiam incolæ ſint, licet ad modicum interdùm ibi eſſe permittantur; quod inde manifeſtum eſt, quia per viros ſanctos, vel bonos etiam ſpiritus multoties ejecti ſunt, & adhuc ejiciuntur, & præcipuè apud legem, & fidem Chriſtianorum: frequentiſſimum etiam eſt, atque creberrimum experiri volentibus, hujuſmodi ſpiritus ligari, abſterreri, & diffugari per exorciſtas, & ſacerdotes Chriſtianorum: quòd ſi in omnibus locis, & perſonis aliquandò fieri non dat omnipotentiſſimus creator, vel meritis illorum imputandum eſt, quorum vitia, & peccata liberationem ſuam à tyrannide tam nequam dominorum impediunt, aut aliis cauſis, quarum inventio non eſt tibi difficilis ex his, quæ alibi didiciſti; propter quas etiam cauſas deſcendere de præfatis carceribus permittuntur, interdùm etiam in multitudine magna ſicut jam in præcedentibus ſcire te feci. Attende autem, quantis tenebris involuti ſunt, vel quantâ potiùs cæcitate laborent, qui ita ſentiunt, ut qui totum penè orbem ante fidem, & legem Chriſtianorum replebant, omniaque regna, excepto dumtaxat regno Hebræorum ſuis ludificationibus dementabant, ad quam paucitatem redacti ſunt, vel ſaltem, quàm anguſtis ſpatiis inferioris mundi concluſi ſint, cùm vix de eis etiam rariſſimi rumores audiantur. Quod verò quidam de hujuſmodi ſpiritibus dixerunt quoſdam eorum cecidiſſe in gemmas, & lapides precioſos, & habitationem ſibi in ipſis elegiſſe, atque de præſentia ipſorum virtutes hujuſmodi lapidibus eſſe, quas eis homines imponunt, ubi primùm id quærendum eſt, videlicet utrùm per electionem ſuam habitationes hujuſmodi ſortiti fuerint, vel inviti; quòd ſi per electionem, viliſſimi igitur, & infœliciſſimi fuerunt, qui latrinas inhabitare elegerunt, & adhuc alibi non apparent: quis, niſi intolerabiliter imbecillis, atque delirus, ſubſtantiis hujuſmodi quicquam numinis eſſe credat? quis eas nobiles dicere audeat, quæ non niſi in ſordibus abominabiliſſimis habitant? in quo evidenter oſtendunt ſe nullatenùs ſuavitatis odoribus delectari, neque illam ſacrificiorum fragrantiam ſibi placere, neque venerationem hominum, cùm ſolo porcorum conſortio, & habitatione dignos ipſi ſe judicaverint, hominumque frequentiam fœtore, & fœtulentia habitationum ſuarum declinaverint, & à ſe repulerint. Accidit etiam hujuſmodi erroneis, ut cloacæ immundiſſimæ templa deorum hujuſmodi ſint, & propter hoc in illis venerandi, atque colendi, cùm in illis ſolis eos habitare fateantur. Ampliùs. Secundùm hoc non eſſent mundandæ latrinæ, cùm latrinales ſordes diis hujuſmodi placeant: quòd ſi circa hæc diligentiùs negotiari volueris, & errorem iſtum magis, ac magis ridiculoſum oſtendere, inquires in qua parte latrinæ, intuſne deus illius inhabitet, an in fundo, ſcilicet, an in orificio. Ampliùs. Poſtquàm ſordes cloacales eis euſque placent, ut alibi eiſdem eſſe non placeat. aſſellantium igitur ſtercora, tanquàm grata munera, & oblationes, recipiunt, quapropter dyſentericis, & diarrhæticis, magis propitij ſunt, quàm ſanis hominibus, ipſoſque devotiſſimos cultores ſuos non immeritò reputant, utpote qui eoſdem hujuſmodi muneribus, & oblationibus affluentiùs, & crebriùs honorant. Ex quo ſequitur, ut conſtipatis, & accelerare non valentibus, graviter offenſi ſint. Ampliùs. Aquarum ductibus, quibus latrinæ mundantur, & cloacariis, qui latrinas mundare conſueverunt, infeſtiſſimos eos eſſe, neceſſe eſt, tanquàm templorum ſuorum deſtructoribus; emundatio enim latrinarum deſtructio eorum eſt, cùm latrina non ſit, ſi munda eſt, & latrina eſſe non poſſit, quæ incoinquinabilis eſt. Ampliùs. Quid beneficij accipiunt cultores deorum, vel dearum cloacarum, ab eis? Ampliùs. Scitum eſt de præſentia ſpirituum bonorum, quos Angelos ſanctos diximus, loca fragrantiam miræ ſuavitatis accipere. Quapropter manifeſtum eſt, non eſſe ſpiritus bonos, qui fœtores intolerabiles latrinarum à locis habitationum ſuarum non removent, & ſimiliter tenebroſitatem à latrinis penitùs non eliminent, cùm Angeli ſancti loca, in quibus apparent, multo fulgore illuſtrent, atque clarificent. Quod verò de gemmis, & aliis lapidibus precioſis, imbecilles illi, & erronei impoſuerunt hujuſmodi ſpiritibus, multis viis deſtruitur. Et primùm quia præſentia ipſorum, ſi ita bonificaret, & mirificaret lapides antedictos; multò fortiùs iſta bona operaretur in hominibus, & in animalibus. Manifeſtum autem eſt innumerabilibus experimentis, eos vexare homines, in quibus

ſunt cruciatibus innumeris, & eos à ſenſu ſuo avertere, atque alienare. In uno autem genere animalium brutorum, videlicet porcis, experimento conſtitit evidenter, nocivam tantùm, atque maleficam fuiſſe præſentiam eorum; cùm enim tota una legio ipſorum in gregem porcorum intraſſet, vexationem, & cruciatum ipſorum grex ille ſanè non ſuſtinens, in mare ſe præceps demerſit, & hoc ſcriptum eſt in lege Chriſtianorum. Tu autem intellige, quia in omnibus tractatibus iſtis ſpecialibus non utor teſtimonio legis alicujus, nec intentionis meæ eſt veritatem communem, & communiter ſciendam, vel credendam ab hominibus, aſtruere per teſtimonia, ſed per probationes irrefragabiles. Hoc igitur factum, videlicet malignorum ſpirituum in porcis, non adduco, vel affero, quia ſcriptum in lege, ſed quia experimento viſus multorum certiſſimum. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia intolerabilis eſſet iſta perverſitas in hujuſmodi ſpiritibus, ſi tam propenſæ bonitatis eſſent in lapides, tam diræ autem crudelitatis in homines, & porcos. Quòd ſi dixerit quis, quia virtutibus hujuſmodi lapidum ſervantur interdùm animalia bruta, & homines à langoribus ſuis, & peſtibus, & hoc indubitanter multi credunt ex hominibus; non ſunt igitur nocivi, vel peſtilentes, aut malefici ſpiritus iſti ſemper hominibus & animalibus: Reſpondeo in hoc, quia ſanitates, ſi quæ per hujuſmodi lapides præſtantur hominibus, vel cæteris animalibus, nemo tamen adhuc applicavit eas hujuſmodi ſpiritibus, ſed lapidibus ſolis. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia multæ ex gemmis, & multi ex lapidibus, de profundis exitibus terræ, atque maris extrahuntur, ut lapis ſolis non invenitur, niſi in profundo maris, & eſt lapis colore niger, & lucidus; ſaphiri etiam multi fodiuntur ad modum aliorum mineralium, licet interdùm inveniantur poſt inundationem torrentum, videlicet diſcooperti, & nudati per hujuſmodi inundationem à terra, & luto quibus circumvoluti erant, deinde ſculpuntur, & poliuntur, & cæduntur ab hominibus. Si igitur creduntur in omnibus hujuſmodi lapidibus habitare ſpiritus, de quibus agitur, miſerrimi fuerunt illi, & adhuc ſunt, ſi in profundo maris, aut in profundo terrarum ſe demerſerunt & ſepelierunt, habitacula alia vel non invenientes, vel habere non valentes. Quapropter magis demerſi, atque ſepulti videntur in locis hujuſmodi, quàm inhabitatores, aut inibi colendi. Ampliùs. Si boni ſpiritus ſunt ſpiritus hujuſmodi, qualiter inhabitant apud peſſimos? Manifeſtum enim eſt, quia peſſimi, ut divites, avari, & potentes iniquiſſimi lapidibus abundant, quomodò igitur habitant lapides, qui apud nequiſſimos homines ſunt? Ampliùs. Hujuſmodi lapides plerunque, & doloſè emuntur, & doloſè venduntur, omnique fraude, omnique furto, omni violentiâ acquiruntur: qualiter igitur boni ſpiritus de habitaculis ſuis hæc ſuſtinent, quod ita nequiter, & culpabiliter tractentur? Ampliùs. Præſtare caſtitatem, invincibilitatem, gratioſitatem, ſolius virtutis eſt, & potentiæ omnipotentiſſimi creatoris. Quapropter impoſſibile eſt hoc eſſe alicujus creaturæ; impoſſibile ergo eſt, ut hoc ſit alicujus ex gemmis, vel lapidibus. Ampliùs. Major eſt virtus, qua præſtantur iſta, quàm iſta ſint, major namque virtus eſt qua præſtatur caſtitas, quàm ipſa caſtitas ſit: & ita ſe habet de aliis. quapropter hujuſmodi lapides, & gemmæ, multò meliores, atque præſtantiores erunt hominibus. Ampliùs Qualiter poſſibile eſt lapides præſtare poſſe incomparabiliter majora, & meliora bona, quàm ipſi ſint? nihil enim naturaliter poteſt, quàm ipſum ſit, majus, vel melius præſtare. Ampliùs.

E Cùm non poſſint lapidibus ipſas antedictas virtutes præſtare, videlicet caſtitatem, & alias, qualiter poſſunt eis præſtare quæ incomparabiliter majora, & meliora ſunt? incomparabiliter namque major & melior eſt caſtitate virtus, per quam ipſa caſtitas præſtatur. Ampliùs. Aut naturâ, aut voluntate præſtant hujuſmodi virtutes lapidibus; violentia enim locum non habet in præſtationibus, ſeu largitionibus: quòd ſi naturaliter, nulla eis igitur gratia, vel meritum: quare nec colendi, nec venerandi ſunt propter hujuſmodi præſtationes, nec etiam regratiandum eſt eis pro ipſis, quia nec ignis adorandus eſt, nec venerandus propter præſtationem caloris, hoc eſt dicere, quia calefacit, cùm ſerviliter, & per modum ſervientis operetur calorem, ſicut alibi didiciſti, nec liberâ poteſtate, ſed tanquàm coactiſſimâ ſervitute calefaciat. Quòd ſi liberâ voluntate præſtant hujuſmodi virtutes lapidibus, tunc manifeſtum eſt eos intolerabiliter inſipientes eſſe, qui lapidibus, qui nec regratiari eis poſſunt, nec etiam

F recognoſcere eos tantorum beneficiorum eſſe largitores, tanta bona præſtant. Ampliùs. Tantas virtutes lapidibus dare, videlicet qui eis uti neſciunt, & qui indifferenter in eos, qui digni ſunt, & indigni, eorum beneficia dant, vel potiùs diſpergunt, quid ſtultius, atque dementius? niſi quis fortè dicat, quia medicinis utiles ſunt virtutes hujuſmodi lapidum, & propter hoc præſtantur eiſdem ab hujuſmodi ſpiritibus. Ampliùs. Manifeſtum eſt, quia ſeparabiles ſunt, & nullatenùs inſeparabiliter alligati ſunt ſpiritus iſti lapidibus hujuſmodi, alioquin quid niſi incarcerati eſſent in illis? de virtutibus autem non eſt auditum adhuc, quòd ſeparabiles ſint ab illis: quare manifeſtum eſt de præſentia ſpirituum iſtorum non eſſe virtutes iſtas lapidibus. Ampliùs. Si liberâ voluntate eligunt loca habitationum ſibi, quomodò non eligunt templa Chriſtianorum, quæ pulcherrima ſunt, & eorum habitatio eſt honora-

G bilis pariter & delectabilis? Præſertim cùm honorari tanto opere expetant, ut etiam cultum honorificentiæ creatoris ſibi impendi, hominibus, quantùm poſſint ſuadeant, & per principes idolatras ad illum ſibi exhibendum homines cogant. Ampliùs. Claruit tam innumeris experimentis eos horrere, ac fugere templa Chriſtianorum, in quibus ſolus creator benedictus debito cultu colitur. Quapropter, ſi boni ſpiritus eſſent, templa hujuſmodi propter creatoris honorem indubitanter diligerent, & ea, quæ ſuæ poteſtatis & libertatis eſſent, potiſſimùm frequentarent; quemadmodùm viri ſancti alia loca quaſi faſtidiunt: loca verò divini cultus, atque ſervitii, ſola eos delectant ita, ut ab eis nunquàm ſine moleſtia recedant. Ampliùs. Manifeſtum eſt eos creatoris veros cultores ita ab eo tempore, quo verus ejus cultus innotuit, & eouſque

H inhorruiſſe, ut à facie eorum cum clamoribus magnis, & ejulatibus fugerent; certiſſimum autem eſt, ſi boni & ſancti ſpiritus eſſent, quòd creatorem diligerent, & propter hoc diligentes eum, ac venerantes non ſolùm diligerent, ſed etiam eis ubique cuſtodes, adjutores, ac defenſores aſſiſterent. De hoc autem tibi ſunt exempla innumera in libris narrationum, in quibus continentur geſta præclara, & miracula ſanctorum virorum, qui claruerunt in gente Chriſtianorum: propter quod manifeſtum indicium eſt malitiæ hujuſmodi ſpirituum, quòd cultu Chriſtiano, & religione eouſque abſterriti, & diffugati ſunt, ut vix, rariſſiméque indicia eorum in toto orbe Chriſtiano hodie appareant, nec cogit te errorem iſtum recipere, videlicet de virtutibus gemmarum, & eorum lapidum precioſorum, quòd aliquandò aliqui de hujuſmodi

Digitized by Google

ſpiritibus ibi incluſi fuiſſe dicuntur, & inde reſponſa dediſſe: hoc enim, quid fuerit, & qualiter factum fuerit, ſcies in ſequentibus. Similiter apparitiones eorum nec certitudinem, nec etiam fidem facere ſufficiũt quòd in locis, in quibus apparẽt aliquid poteſtatis, aut dominationis obtineãt quia nec apparere licet eis, aut poſſibile eſt, ubicũq; vellẽt, aut quãdocunq; neque ludificare homines permittitur eis in ſpeciebus animaliũ, præter quã immundorum, & horrificorum, niſi rariſſime ſicut jam audiviſti de ſpeciebus bufonis, ſerpentis, & cati nigri. Extendam autem ſermonem iſtum paululùm adhuc, videlicet, ut declarem tibi errorem quorundam, qui dixerunt virtutes hujuſmodi eſſe ab eo, quod eſt in gemmis, & aliis nobilibus lapidibus de quinta eſſentia. Cujus erroris prima deſtructio eſt per hoc, quòd impoſſibile eſt aliquid in illis eſſe de quinta eſſentia. Illud enim aut eſſet generatum hîc, hoc eſt, in iſta regione terrena, ubi lapides hujuſmodi generantur, aut eſſet deciſum de iſta quinta eſſentia, quæ eſt mundi pars ſublunaris: quòd ſi eſſet generatum hîc, eſſet igitur generatum vel ex pluribus elementis, vel ex uno, vel ex elementato aliquo. Jam autem credidit declaraſſe Ariſtoteles, quòd in elementis non ſit generatio, niſi vel ipſorum ex invicem, vel elementatorum; quinta verò eſſentia nec elementum eſt, nec elementatum, ſicut ipſe declaravit. Quare manifeſtum eſt id, de quo agitur, non eſſe generatum vel ex elementis, vel ex elemento. Relinquitur igitur, ut ſit generatum ex elementato. Tu verò jam didiciſti in aliis, quòd ex elementato non eſt poſſibile, ut aliquid redeat, niſi in quod ipſum poſſibile corrumpi, vel reſolvi. Manifeſtum quoque eſt tibi, quòd non eſt poſſibile illud reſolvi, niſi in talia, ex quibus eſt; non eſt autem niſi ex elemento vel eis, quæ media ſunt inter ipſum, quemadmodùm germen medium inter granum, & elementum, ex quibus eſt granum, & quædam alia. Similiter & eodem modo ſemen inter corpus animalis, quod ex illo generatum eſt, & elementa & hoc à parte generationis: putredo verò medium eſt inter corpus, & elementa à parte corruptionis. Elementatorum verò ultima reſolutio eorum elementa ſunt, nec ultra ea, hoc eſt, elementa procedit reſolutio elementatorum; quare manifeſtum eſt illud, de quo agitur non eſſe generatum ex elementato, ſed neque ut oſtenſum eſt ex elemento, vel elementis; ex aliis autem, vel aliter, non fit generatio apud nos; non eſt igitur generatum illud, de quo agitur apud nos; quare relinquitur illud eſſe deciſum de totalitate quintæ eſſentiæ, hoc autem eſt, quod ſequuntur multa inconvenientia. Primum, quintam eſſentiam eſſe ſecabilem, ac diviſibilem, & propter hoc paſſibilem, & corruptibilem. Secundum eſt, motum ejus rectum eſſe; motus enim ad medium, quòd indubitanter eſt in infimum, rectus eſt. Id verò, de quo agitur, non deſcendit de totalitate quintæ eſſentiæ ad lapides, niſi motu recto, niſi quis fortè dicat, quòd motu violento huc allatum eſt; quo autem vaſe, vel vehiculo huc deferri potuit, quis cogitabit? nemo enim dicet illud ſpontè, ſeu voluntariè huc deſcendiſſe. Ampliùs, Illud aut eſt ſalvatum in lapidibus, aut eſt per corruptionem propriæ ſubſtantiæ transfuſum in illos; quòd ſi eſt ſalvatum in illis, cùm ſit effuſum per totam ſubſtantiam ipſorum erit igitur cum unoquoque lapide, in quo eſt, in eodem loco, & propter hoc cùm ipſum ſit corpus, erunt duo corpora in eodem loco; quòd autem effuſum ſit per totam ſubſtantiam, inde manifeſtum eſt, quia virtus ſaphiri, & carbunculi per totam utriuſque ſubſtantiam

A effuſa eſt, cùm utriuſque quælibet pars partem virtutis habeat: invenitur tamen in quibuſdam lapidibus, quòd pars aliqua virtutem habeat, pars autem aliam contrariam, ſicut in quadam ſpecie magnetis lapidis, qui ex altera parte ferrum attrahit, ex altera verò illud repellit. Memini etiam me vidiſſe adamantem, cujus pars cuſpidem acus attrahebat, altera ſolam caudam. In hujuſmodi igitur exemplis manifeſtum eſt illud, de quo agitur, non eſſe generatum ex elementis, vel ex elemento; relinquitur igitur ut ſit generatum ex elementato, & virtutes iſtas non in totalitate lapidis effuſas, ſed partibus ſolummodò conſtitutas. Quòd ſi per corruptionem immixtum eſt lapidibus iſtis id, quod unuſquiſque illorum habet de quinta eſſentia, erit igitur quinta eſſentia corruptibilis, cùm ipſa ſit totum homogeneum, & pars ejus inveniatur cor-

B ruptibilis. Ampliùs. Quinta eſſentia non venit in compoſitionem alterius corporis, niſi fortè quemadmodùm pars cœli integralis in compoſitionem ipſius cœli neque enim per commixtionem, aut aliam corruptionem venit in compoſitionem alterius corporis, cùm ſit incorruptibilis. Ampliùs. Qualiter abſcinderetur à totalitate cœleſtis corporis? neque enim per ſemetipſam poſſibile eſt, ut ſcindat ſe ab illo, & cadat huc neque excogitare eſt alium abſciſſorem, & in his non oportet te ampliùs adjuvari.

CAPUT VIII.

De differentiis, & ordinibus dæmonum.

POſtquàm autem jam huc uſque perduxi ſermonem, & complevi capitulum iſtud, aggrediar proſequi differentias, & ordines, & dominationes,

C & poteſtates hujuſmodi ſpirituum, quos cacodæmones, & malignos ſpiritus, & Angelos apoſtatas vocant. Dicam igitur in primis, quia differentiæ eorum non eſt poſſibile quin ſint vel ſecundùm eſſentias ipſorum ad invicem, vel ſecundùm diſpoſitiones accidentales. Prænoſcere tamen debes, quia inter hujuſmodi ſubſtantias annumerantur etiam monſtra quædam animalium, ſicut fauni, pygmæi, & fortè lupus indicus, de quo Odilitius opinatus eſt, quòd humanum habeat intellectum, ſicut teſtatur Ariſtoteles in libro de animalibus, quo venatur homines, & humanam fingit loquelam; forſitan enim de hyæna, id eſt lupo Africano, aliquis ſimiliter ſentiat propter admirabilem aſtutiam, quam non ſolùm effigiate, ſed etiam habere dicitur: & de faunis quidem dicitur. & hoc ſcriptum eſt in narrationibus miraculorum gentis Chriſtia-

D norum, unum dixiſſe ſe eſſe de his, quos decepta gentilitas Deos habebat, vel pro Diis venerabatur, atque colebat. Narrant hiſtoriæ Romanorum, quia tempore Anaſtaſii Imperatoris faunus quidam in prælio quodam interfectus fuit ſagittis, cùm aliter non poſſet vinci: verùm, quòd veri nominis faunus non fuit, hoc eſt, de multitudine malignorum ſpirituum, qui ab idolatris cœcitate impiiſſimâ, ac dementiſſimâ pro Diis habentur, atque coluntur, mors ipſa indicat, cùm omnes hujuſmodi ſpiritus indubitanter immortales ſint. Quapropter vel filius incubi dæmonis fuit, ſi tamen verum eſt, quòd aliqui tales ſint dœmones, qui generent; hoc autem nondùm per me tibi declaratum eſt, vel fuit; quemadmodùm homo ſilveſtris quidam invenitur piloſus, qui eſt animal miræ fortitudinis, nec minùs terribilis paſtoribus, quàm leo, vel urſus, vel quaſi unus ex militibus, qui vulgò

Digitized by Google

fatari dicuntur, de quo etiam non prætęribo, quin perſcrutet loco ſuo, & tempore ſuo, ſi Deus voluerit. Interim autem dimittentur iſta. Revertar igitur ad declarandas differentias, & ordines hujuſmodi ſpirituum. Dicam igitur, quia differentiæ ipſorum maximè innotuerunt ex operibus ipſorum, ex quibus & agnominati ſunt, quemadmodùm & quidam joculares dicuntur qui de hominibus mira in ridiculoſitate jocantur, ſicut jam de multis crebertimæ famæ teſtimonio mihi claruit: vidi namque joculatorem, de quo ludebat quidam ex hujuſmodi ſpiritibus, permittebat enim eum intrare lectum, non patiebatur in eodem quieſcere, vel dormire, aut enim tumultu, quem lapidibus ad parietes alliſis, aut vaſorum colliſione ad invicem concitabat, quietem hujuſmodi, & ſomnum impediebat, aut rapto coopertorio, & in linteis ipſum in lecto vexabat, aut extractâ violenter culcitrâ de lecto eum detrudebat, & in mediam domum projiciebat, læſionem verò nullam aliam ei inferebat. Aliis etiam ludis jocari dicuntur cum hominibus, unde & joculatores vocati ſunt. Interdùm enim res aliquas, ut libellos, vel alias res leves, & facilè tranſlatibiles auferunt de oculis hominum, etiam de manibus ipſorum, & transferunt eos ad alia loca, interdùm autem illuminant capita equorum de nocte equitantium, interdùm ſcuta, interdùm lanceas, quas deferunt, interdùm caudas, interdùm crines equorum, interdùm etiam mirâ diligentiâ pectinant, & tricant crines ipſorum in ipſis ſtabulis, & accenſos cereos deſuper colla eorum, & defluentes aſſiduè ſuper guttatos crines, & colla eorum eſt videre. Apparent interdùm & fœdâ ridiculoſitate jocantes cum hominibus, ſicut ille, qui ita altus apparuit divaricatis tibiis, & cruribus, ut totam publicæ ſtratæ latitudinem occuparet, neque aliàs iter pateret, niſi per medium tibiarum, & crurum illius, & per ſubter locum turpitudinis, qui paratus apparebat ad inquinandum egeſtionibus de ſubter tranſiturum, quod tamē factū non eſt: non enim quæcunque minantur hujuſmodi ſpiritus, & poſſunt quemadmodùm lapides plerunque jaciunt in homines, nec tamen eos vulnerant, vel lædunt, terrorem quidem eis incutere, læſionem verò inferre non permittuntur, interdùm autem permittuntur. Recolo namque ad me adductam mulierem fuiſſe, quam lapidibus parvis obruerat quidam ex hujuſmodi ſpiritibus, & læſiones eidem licet modicas, inferebat. Hæc igitur ſunt manifeſta indicia limitationis poteſtatis ipſorum, quibus apparet interdùm nihil eos læſionis inferre poſſe hominibus, interdùm autem modicum; quapropter jocari tantùm videntur cum hominibus, cùm terrorem ſolummodò de jactu lapidum, aut vibratione gladiorum eiſdem ingerunt. Veriſimile eſt autem de joculatore, de quo ſermo præceſſit, propter vitium artis ſuæ, & peccata, quæ committebat joculationibus ſuis, traditum eſſe poteſtati ſpiritus ipſius eouſque, ut vexaretur ab eo, quantùm, & qualiter prædixi, juxta verbum ſapientis, qui dixit: Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Quemadmodùm autem manifeſtum eſt in hominibus unum, & eundem hominem plures artes habere, vel artificia: ſic nihil prohibet eundem malum ſpiritum & interdùm joculationibus vexare, vel ludificare homines, interdùm autem aliis modis, & intendo quantùm ad poſſe, ſive potentiam naturalem ipſius: poſſibile namque eſt omnipotenti creatori, neceſſarium autem, & ſaluberrimum hominibus reſtrinxiſſe poteſtates malignorum ſpirituum, & ſævitias refrænaſſe, alioquin totum genus humanum ſubverterent, atque con-

E fund erent. Quòd ſi quis quærat, an ipſi, qui joculatores dicuntur, hoc ſibi artificium vel elegerunt, vel aſſumpſerunt, an ſit eis naturale, quoniàm in hominibus naturale videtur jocis, & joculationibus intendere, licet paucis hominum iſtud conveniat; manifeſtum enim eſt quoſdam hominum aliquas artes, & aliqua artificia, quaſi naturaliter reſpuere, joculationes autem mirâ aviditate amplecti, ita ut ab eis averti non poſſint; à parte autem corporis hujuſmodi appetitus, & hujuſmodi affectiones nullatenùs eſſe videntur; quare à parte animarum inditas eſſe hominibus hujuſmodi affectiones veriſimile eſt. Ampliùs. In opere illo necromantico, quod dicitur major circulus, dixerunt, doctores hujuſmodi operum, convenire quatuor Reges dæmonum à quatuor partibus mundi, & coram unoquoque multitudinem virorum joculatorum, & citharœdorum, quæ multitudo nonniſi dæmonum eſſe poteſt. Quare ſi veritas ſubſtat di-

F ctis, & ſcriptis hujuſmodi doctorum, in univerſitate dæmonum, hoc eſt malignorum ſpirituum, eſt etiam multitudo joculatium dæmonum. Ampliùs. Manifeſtum eſt joculatoribus, qui præſtigiis, & incantationibus utuntur, multitudinem hujuſmodi dæmonum deſervire ad opera hujuſmodi, qui ad illa convenientiores, aptioreſque eſſe videntur. Ampliùs. In feſtis antiquæ idolatriæ ſi Poëtis creditur, apparebant dæmones, alii ſaltantes, alii ſtrepentes, alii cantantes, alii citharizantes, unde hæc aliàs, niſi ipſi joculatores ſint, & apud eos ſint joculationum artificia. Ampliùs. Joculationes non tam jocationes ſunt, quàm adulationes, & applauſus majorum, quibus credunt ſe adorari. Cùm igitur tam ardentes, tamque cœci amatores honorum ſint, qui majores ſunt inter malignos ſpiritus, & maximè, qui eorum eſt maximus, quomodò non

G erit apud eos applauſus joculatorius, & adulatio muſicata? Ampliùs. Cùm maximus illorum aſſimilari altiſſimo initio contenderit, & adhuc contendere non deſiſtat, hujuſmodi autem honor altiſſimo ubique impendatur, videlicet cantationum, & modulationum muſicarum, quomodò in illo non enitetur aſſimilari altiſſimo? Ampliùs. Si ab hominibus illud expetit ex vanitate ſuperbiæ ſuæ, quomodò non à ſubditis ſibi ſpiritibus talia exigit, aut impendi ſibi recuſabit? Ampliùs. Dicit Mercurius in libro ſuo de Deo Deorum; quia Dii muſicis cantationibus delectantur; quod inde manifeſtum eſt, quia omnes idolatræ cultum muſicalem Diis ſuis ſemper exhibuerunt, & adhuc exhibent. Ampliùs. In conſecratione annuli Saturni maledicta, & execrabili, jubetur ut lugubres cantus canentur circa ipſum annulum, de quibus non dubium eſt quin Saturno offeruntur tanquàm pars aliqua cultus ſui. Si iſta igitur muſicalia amant iſti ſpiritus execrabiles,

H quomodò non illa ſibi invicem ipſi impendent? neque enim libenter cantantes audit, qui non ipſe ſibi libenter cantet, ſi canendi peritiam habuerit. Saltatio autem, & omnis geſticulatio, qua modulationibus reſpondetur, & quæ illis aptatur ad artem, vel artificium joculatorium pertinet. Hæc igitur omnia aggregavi tibi, ut ex eis, prout poſſibile eſt, cognoſcas, an ſecundùm veritatem ſint aliqui ex hujuſmodi ſpiritibus joculares, & ſi ita eſt, quæ ſit illis cauſa hujuſmodi artis, vel artificii, videlicet an præceptio principis ſui, videlicet qui hiſtrionum, & joculatorum applauſibus gloriatur, an ſit eis fortaſſis in pœnam impoſita, quia Principi ſuo in ſuperba illa elevatione ſua non ſolùm conſenſerunt, ſed etiam joculatoriè applauſere, ſicut mos eſt apud homines, quòd in exaltationibus eorum fiunt eis applauſus hujuſmodi; congregantur

enim

Digitized by Google

enim joculatores, ducuntur chori, inſtituuntur ludorum varietates multiplices, ut feſtivetur exaltatio hujuſmodi. An igitur ſimile aliquid factum fuit in illa vaniſſima, & apoſtatica elevatione principis malignorum ſpirituum, ſermones prophetici non declarant. Scito igitur in his, ſicut tibi per me declaratum eſt in eis, quæ præceſſerunt, omnes ſublimes, ac nobiles ſpiritus, hoc eſt tam illi, qui in charitate, ac rectitudine bonitatis ſuæ naturalis perſtiterunt, quàm hi, qui malitiâ ſuâ damnati ab iſtius naturalis fœlicitatis altitudine ceciderunt, naturaliter dici joculatores, & ad hoc nati, ſive creati ſunt, ut creatoris magnalia non ſolùm cognoſcant, ſed etiam ineffabilis concentus ſpiritualis ſuavitate illa jubilent, & decantent ſicut dixit ille ſapiens ex perſona creatoris: ubi eras cùm me laudarent aſtra matutina, & mihi jubilarent omnes filij Dei: non enim apprehenſio, ſeu cognitio eorum, qua Dei magnalia naturali claritate, ſed tamen pura, & qua decet, comprehendunt, apprehenſio nuda eſt, & ſola, quin potiùs jubilatoria ſuavitate, & ſpiritualis exultationis incogitabilibus tripudiis jocunda. Et propter hoc, quemadmodùm præclariſſima, ac nobiliſſima naturalis comprehenſio perfectio eſt virtutis apprehenſivæ in illis, ſic iſta ineffabiliter modulata, & muſicata jocunditas perfectio eſt virtutis motivæ in eiſdem. Et non intendo hîc perfectionem niſi naturalem, perfectio namque gloriæ ſecundùm utramque vim incomparabiliter nobilior eſt, atque præſtantior, & indubitanter tantò ſublimior, quantò gloria, quàm natura excellentior. Nec mirum, quod dixi, quia de animabus noſtris omni intelligenti manifeſtum eſt, quia creatæ ſunt ſecundùm duas nobiles vires ſuas, apprehenſivam videlicet, & motivam, ad perfectiones eorum naturales, & ad perfectiones glorioſas, vel, quod eſt veriùs, quæ ſunt gloriæ ipſarum, & intendo iam animarum, quàm virium. Nec te decet imbecilliter, immò nec ridiculoſè cogitare de his, quemadmodùm inſipientes, quos brevitas intellectus à rerum iſta ſublimitate longè diſtare compellit, non enim fœlicitas illa naturæ, vel ſublimior illa gloriæ, defixus tantùm aſpectus eſt in claritatem, & pulchritudinem creatoris, neque amor ſolus attendens in illum, & ſic quietus, vel quod verius eſt, otioſus, ut non habeat admirationem, & gaudium, atque tripudium, ſed qualia fas eſt, & conveniens, illic cogitare, & apud nos quidem geſticulationes corporales tripudia interna, ac ſpiritualia effigiant, vel utrumque repræſentant: ſanctiſſimis autem, ac beatiſſimis illis ſubſtantiis geſticulationes corporales, & ſaltationes, ſive tripudia, quæ à trepidando dicta ſunt, locum omninò non habent: ſed tamen gaudia eorum hujuſmodi ſermonibus, prout poſſibile fuit, deſignare conati ſunt theologi gentis Chriſtianorum, unde crebra ſunt in ſermonibus propheticis nomina jubilationis, exultationis, & eructationis. Facile autem eſt tibi videre cauſas, & ſimilitudines hujuſmodi deſignationum. Nec mirum, ſi defectum patimur in ſermonibus, aliiſque deſignationibus rerum tam longè à noſtra conſuetudine diſtantium, quandò nec apprehenſiones noſtræ ad illas attingere ſufficiunt. Attende igitur, & conſidera, ab iſta altitudine naturalis nobilitatis in quantam depreſſionem ceciderit humanarum animarum natura. Vides enim, quòd homines, qui creatoris joculatores eſſe debuerunt ex naturali inſtitutione, ſive conditione ſua, facti ſunt joculatores hominum, joculatores dico non ſolùm honeſtæ, ut ita dicatur, & pulchræ joculationis, ſed inhoneſtiſſimæ, ac turpis, & ridiculoſæ, & honeſtam quidem, atque pulchram joculationem intelligo nar-

A rationum, & cantationum, quæ vitiis nullo modorum ſerviunt, neque turpes concupiſcentias incitant aut inflammant & multæ quidem ſunt narrationes honeſtis virtutibus ſervientes, quales ſunt, quæ continent virtutes magnificas, & præclara geſta virorum magnificorum, atque illuſtrium; auditiones namque, quantùm in ipſis eſt, ad imitationem talium provocant, & animant, ſimiliter ſunt & cantationes, quæ animos auditorum non diſſolvunt in laſciviam, neque molliunt à robore virtutis, ſed potiùs adjuvant, & roborant ad virtutes, & hæc eſt muſica, quam benè moratam Plato vocavit in libro ſuo Timæo. Eodem modo ſe habet & de inſtrumentis muſicis. Quemadmodum igitur vides vim rationabilem in animabus humanis in deſipientiam ultra brutorum ignorantiam cecidiſſe, ſimiliter & vim motivam animarum noſtrarum in ſervitutes paſſionum turpiſſimarum dejectam, ita ut ri-

B diculoſa, & viliſſima, atque turpiſſima joculationum ei placeant eouſque, ut nobiliſſimæ, ac jocondiſſimæ, quam prædixi, joculationi creatoris præferat, & præponat. Similiter non debet mirum tibi videri, ſi ſimilis delectionis perverſitas in multis malignis ſpiritibus invenitur, præſertim cùm hoc ſit evidenter divinæ juſtitiæ judicium, ut per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur; ſic virtus apprehenſiva nobilis in nobis, cujus prima, ac luminoſiſſima veritas ſponſa eſt, cùm ſpreto connubio illo nobiliſſimo ab illa ſe avertit, in fornicatam turpitudinem proculdubiò cadit: hæc eſt curioſitas, per quam indignis ſe ipſa veritatibus proſtituit, ad amplexus illas recipiens, quas pediſſequas ſolùm habere debuit, quæ illam inducerent in thalamum, idest ſecretarium primæ, ac luminoſiſſimæ verita-

C tis. Sic de duabus aliis viribus ſcilicet motivis nobilibus animarum noſtrarum ſe habere videre facile eſt evidenter, & de his in aliis tractatibus quæ tibi ſufficere debeant jam audiviſti. Quid igitur mirum, ſi ſpreta illa honeſtiſſima, ac jocundiſſima joculatione in iſtam viliſſimam, ac turpiſſimam dejecti ſunt, per quam, & juſtæ damnationis ſuæ pœnam oſtenderent ad exemplum correctionis hominibus, & nihilominùs eos per eandem vexarent, ut divina in ſe ipſis judicia formidarent. Sic ſentiendum mihi videtur & de his, qui rident hominibus, & derident eos, & excachinnantur in eos & ſi quid malè, vel turpiter agunt, hæc effigiant in contemptum eorum, quemadmodùm non eſt diu, quòd cùm quidam viri religioſi valdè inordinatè, & indecenter pſallerent, unus ex ejuſmodi ſpiritibus effigiavit in irriſionem eorum turpem illam & indecentem pſalmodiam. Si quis autem quærat, utrùm iſti ſint, ſicut prædixi, quæ joculatoribus in cantationibus ſuis deſerviunt, atque præſtigiis?

D Reſpondeo in hoc, quia poſſibile eſt, ut prædixi, & ut iſti hoc faciant, aut alii. Quòd ſi quis dicat, quia omnes maligni ſpiritus ſpreverunt, & abjecerunt honeſtiſſimam illam joculationem, qua naturaliter ſervire debebant creatori, & propter hoc omnes in iſtam pœnam dejiciendi erant, videlicet ut omnes efficerentur joculatores turpis iſtius ac viliſſimæ joculationis; Reſpondeo, quia omnes hac pœna punire juſtiſſimè potuit, & nullus eſt inter eos, quem pœna iſta aliquo modo non teneat, omnes enim illam vel amant ſuperbiâ vaniſſimâ, vel eam exercent, nec eſt parva miſeria amare tam vile ſervitium, tamque turpe ſibi impendi, ſicut dixit nobiliſſimus ille philoſophus latinorum, videlicet quia vel ipſum velle malum eſt miſerrimum: exercere autem hujuſmodi joculationes etiam apud homines adeò miſerum eſt, atque vile, ut joculatores hujuſmodi inter homines infames, atque viliſſimi

Digitized by Google

habeantur, unde nec ad teſtificationes, nec alios actus legitimos recipiuntur ab hominibus. Forſitan autem & inter malignos ſpiritus viliſſimi reputantur, atque impotentiſſimi, ſi nulla alia, quàm hujuſmodi operari poſſunt, vel permittuntur. Quemadmodùm enim apud bonos, & ſapientes homines, nihil poſſunt mimi & hiſtriones, nec etiam auditu, vel aſpectu eorum digni habentur, ſed ubique, & undique repelluntur ab ipſis; ſic apud bonos, & ſanctos viros nihil omninò poſſe reputantur, qui talia ſola exercere poſſunt: quod enim tam infirmum eſt apud eos in hominibus, quid virtutis habere poſſe putandum eſt adverſùs eos: in dæmonibus, & in officiis quidem, & artificiis humanis joculatoria turpiſſima eſt, atque viliſſima, & à ſola plebe indocta recipitur, viri autem ſapientes, & boni eam undique repellunt, & exterminant, tanquàm labem peſtiferam, atque corruptionis bonorum morum venenatiſſimum ſeminarium. Scito igitur, quia differentiæ malignorum ſpirituſi exteriores, & accidentales, non potuerunt innoteſcere nobis, niſi ex operibus eorum, vel pœnis, vel nominationibus, vel præſidentiis, ſive prælationibus, de quibus loquar in ſequentibus. Et in iſtis adjuti ſumus plurimùm ex apparitionibus eorum, quemadmodùm in illo, qui ſe dicit vocari tintinillum, & apparuit quaſi colligens minutias, & omnes partes alias pſalmorum, quæ elabebantur de ore pſallentium monachorum per incuriam, & negligentiam ipſorum. Innotuit igitur per hoc ipſum eſſe deputatum ad officium talia colligendi, ſive ex propria malignitate in odium Deo pſallentium illud uſurpaſſe, ſive ex creatoris juſtiſſimo judicio hoc illi in pœnam impoſitum eſſe; ex quo non mediocriter proficere debent in cantationibus, & hymnologiis divinis, quicunque ſe divinis officiis, obſequiis, & laudibus obſtrinxere, dum per hoc quod patefactum eſt eis, non unum ſolum malignum ſpiritum inſidiatorem habere, qui labia eorum tanta obſervet diligentia, ut nec ſyllabam, nec literam & fortè, nec vocalem prætermittat, nec apicem, cujus omiſſionem, & elapſum, quem dixi in accuſationem eorum non reſervet, propoſiturus eam ante diſtrictiſſimum judicem creatorem. Et quoniàm dubium eſſe non debet quemcunque alium ex malignis ſpiritibus officium illud exercere poſſe ex unaquaque antedictarum cauſarum, dico differentias iſtas exteriores, & accidentales, eſſe inter ipſos, & apud ipſos. Non enim poſſibile eſt, ut innata ſit eis, vel prudentia, vel malignitas, quæ per ſe ſit ad hoc, quapropter nec eſſentialiter, nec naturaliter diverſant eos opera hujuſmodi, vel officia: ſic & de his, qui ſpiritus procellarum ſecundùm unam intentionem dicti ſunt pro eo, quòd tempeſtates concitant, & naufragia operantur; nihil enim ad ſubſtantiam, vel naturam ipſorum, de aquis, aut ventis, aliis igitur non minus naturaliter poſſibile eſt talia operari. Eodem modo & de his, qui concremationes urbium, aut domorum, vel efficiunt, vel procurant: quia non per hoc neceſſe eſt, ut ſubſtantia eorum, vel natura naturaliter convenientior, vel aptior ſit ad ea, quæ fiunt per ignem, quàm eorum, quos dixi ſpiritus procellarum; longè enim ſeorſum à naturis elementorum, & longè incontingens eas eſt ſpiritualitas, qua omnes hujuſmodi præditi ſunt. De his quoque, qui dij reputati ſunt à deceptis hominibus, quibus templa, & ſtatuæ, ſacra, & ſacrificia ab eis conſtituta ſunt, nullo modo putandum eſt naturaliter hujuſmodi ſpiritus falſiſſimos, impiiſſimoſque honores illos appetiiſſe; nulla enim natura naturaliter appetit, quod ſibi non eſt conveniens, aut ſibi non

E congruit: cùm igitur talia, ſoli ſupereminentiſſimæ magnificentiæ creatoris naturaliter conveniant, nulla natura alia illa ſibi appetit. Ampliùs. Sicut naturale, ſingulariterque proprium eſt præcellentiæ creatoris ſupereſſe omnibus; ſic naturaliter conveniens eſt omnibus aliis ſubeſſe eidem ſubjectione ultimæ ſervitutis: quia igitur ultimitas ſervitutis, atque ſubjectionis naturæ non patitur iſtas glorias vaniſſimas, & honores falſiſſimos, quibus adorari, & coli ſe volunt maligni ſpiritus, manifeſtum eſt eos contra naturale debitum, & rectitudinem, uſurpatos ab ipſis in injuriam, ac contumeliam omni gladio, & igne exterminabilem creatoris. Dico inſuper, quia hoſtis, qui ita vehementi odio contra hoſtem ſuccenſus eſt, diverſas vias nocendi contra illum exquirit, & explorat, manens unus, & idem, nunc pugnat gladio, nunc arcu, nunc machinis, F nunc ſuffoſſionibus, nunc igne, nunc inſidiis, nunc explorationibus, nunc proditionibus; ſic unus, & idem malignus ſpiritus pluribus artificiis, & inſtrumentis utitur in impugnatione humani generis, & etiam interdùm unius, & ejuſdem hominis. Non eſt igitur neceſſe, ut pro diverſitate officiorum, vel operum ſit diverſitas ipſorum: forſitan autem ad ſeductionem ſapientum aſtutiores eligit principes eorum tanquàm ad illud malignitatis officium aptiores. Quis enim dux belli non eligit ad inſultus omnes, atque conflictus, bellatores, quos ad eos magis idoneos eſſe cognoſcat, quamquàm multùm diſtet inter duces bellorum noſtrorum, & duces illos maligniſſimos; liberum enim eſt ducibus noſtris eligere ex legionibus, quorum duces ſunt, quos aptiores cognoverunt bellatores, illi autem non pro voto ſuo permittuntur eligere, quos ad impugnationes hominum aſtutiores, vel fortiores cognoverunt. Moderatur G enim divina clementia tentationum iſtos inſultus dœmoniacarum pro fortitudine, vel infirmitate hominum, alioquin nullus ex hominibus ſtaret adverſùs eos, juxta ſermonem ſapientis, qui dixit: Non eſt poteſtas ſub cœlo, quæ eis valeat comparari: & multa alia de hoc in eodem capitulo, videlicet ſternet ſibi aurum, quaſi lutum, deridebit vibrantem haſtam, non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ: cùm enim in poteſtate naturali habeat transfigurare ſe in mulieres ſpecioſiſſimas, quem maximè in ætate juvenili in luxuriam non diſſolveret? cùm ſimilem poteſtatem in aurum, & argentum habeat, quem in avaritiam non inflammaret? Et ad hunc modum de aliis, quibus humana deſideria pervertunt; ſic de flagellis, & tormentis, quorum tantam naturaliter habent poteſtatem, quis per ea non frangeretur? ſi eum creatoris clementia pro voto ſuæ malignitatis in homines ſævire permitteret. H Non eſt igitur ſimiliter in ducibus bellorum noſtrorum, & in ducibus illis malignorum ſpirituum. Quia ſcilicet alii ad ludos vel laxantur, vel aſtringuntur, ut prædixi, alii ad flagella, alii ad tempeſtates faciendas, alii ad irriſiones, & cachinnos, alii ad fœda ſui ſpectacula facienda, alii ad larvas horrificas in ſe ipſis oſtendendas hominibus, alii ad ducendos choros, alii ad alia nocumenta, ut ad ſeductiones, vel dejectiones hominum, ſicut prædixi, vel laxantur, vel reſtringuntur, ſemper tamen cum moderamine divinæ pietatis, ſicut prædixi: neque enim dare reſponſa, nec loqui etiam in conſpectu Dei amicorum, & electorum permittuntur interdùm, & à multis aliis operibus prohibentur, interdùm ipſâ præſentiâ ſanctorum Dei amicorum, ut eo ipſo appareat, eos non ſolùm ſubjectiſſimos divinæ poteſtati, ſed etiam dilectis, & electis ejus ſubditos eſſe

Digitized by Google

eſſe ad vincula, & tormenta. Et hoc ex teſtimoniis eorundem ſæpiſſimè claruit in gente Chriſtianorum, & etiam idolatrarum, præſentibus namque, & audientibus cultoribus ſuis, clamaverunt ſe vinculis igneis religatos nec quicquam poſſe vel loqui, vel facere in præſentia hujuſmodi Sanctorum. Propter quid autem & Fauni bicornes, & Satyri ſaltantes, atque tripudiantes, ſe oſtendant, dicam in ſequentibus. De his enim, qui ſe in Angelos ſanctos transfigurant, non eſt dubium, quin ad deceptionem hominum iſtud faciant, videlicet, ut eis credatur ab hominibus in eis, quæ ſuggerere eiſdem voluerint. Apparuit autem & quidam ex eis in ſpecie filii Dei, ut ſic ſe perſuaderet adorari, quòd ipſe vir ſanctus cui ſic inſidiabatur, divinâ revelatione cognovit, & hoc modo inſidias ejus evaſit. Quæſtionem tamen habes, utrùm B ipſe princeps malignorum ſpirituum ad vilia, quæ prædixi, per ſemetipſum exercenda deſcendat, & de ſublimioribus ſuis eadem quæſtio eſt, an talia facienda ignobilioribus, & inferioribus facienda committant, videlicet riſus iſtos, & irriſiones. & cachinnos, cæteraſque jocationes. Et reverà non apparuit adhuc, quòd ipſe princeps eorum per ſemetipſum talia exercuerit, non apparuit inquam, quòd ad me pervenerit. Verùm, ſi creditur libris necromanticorum, ad quædam opera exercenda per ſemetipſum venit, & ad quædam reſponſa danda, coùſque, ut doceat qualiter ipſemet incarcerari valeat, ad quod tamen execrabiliſſimè, ac nefariè ſacrificio ipſum induci dixerunt. Sed hæc quis credat? quomodò enim veriſimile eſt ipſum velle incarcerari, præſertim ab his, in quos vult & habere, & exercere omnimodam poteſtatem, cùm certum ſit eidem ipſum nihil poſſe, cùm incarceratus fuerit? Ampliùs. Tantum amatorem gloriæ, & honoris, quis credat ad vilitatem, & C ignominias carceris ſponte velle deſcendere? Ampliùs. Quis ipſum ex altitudine primitivæ illius naturalis fœlicitatis dejecit in iſtam viliſſimam ſervitutem, & captionem, niſi amor falſæ libertatis, qui etiam creatoris ſervitutem nobiliſſimam atque liberrimam recuſavit, & à ſe rejecit? Qualiter igitur vincula, vel carcerem docentur, de quibus manifeſtum eſt libertatem ei protſus auferri, ita etiam, ut nec ſuiipſius habeat poteſtatem?

CAPUT VIII.

De ordinibus malignorum ſpirituum, & quomodo ordinantur ad invicem, contra Necromantem, qui duodecim ordines ponit, & omnes bonos.

POſt hæc conſequenter incipiam perſcrutari de ordinibus malignorum ſpirituum, ſi qui ſint, & qui ſint, ſi ſunt, & unde ſunt eis ordines. In quo debes reminiſci ſermonem, quem audiviſti in præ- D cedentibus & hic eſt hominis, qui dixit ſe inhabitaſſe cum habitantibus lucem ſpatio triginta annorum, & didiciſſe ab eis opera malefica, quæ ſcripſit. Scito ergo hominem iſtum non diſtinxiſſe inter bonos, & malos ſpiritus, neque etiam aliquos eſſe malos, quantùm etiam apparet ex ſermonibus ſuis. Ex quo manifeſtum eſt ipſum vel intolerabili ignorantiâ excæcatum, qui tam diu converſatus cum eis non deprehendit eorum malitiam, vel mirâ malignitate damnatum, qui non ſolùm non abſcondit eam, ſed ponit, &, ut foveretur nefariis cultibus, edocuit. Nec mirum ſi tam longâ inhabitatione cum eis, tantæ familiaritatis contubernio, & diſciplinâ, in partem eorum eouſque tractus eſt, ut non ſolùm idolatram cum fecerint, ſed etiam idolatriam eorum, nefandamque ſervitutem, ſive culturam imitando, ſuam ut culturam doceret, & ſcriberet, induxerunt. Hic igitur poſuit, & ſcripſit duodecim eſſe ordines ſpirituum abſtractorum, quos omnes bonos ſenſiſſe non dubium eſt, ſermones ejus legentibus, & intelligentibus. De octo quidem ordinibus non diſcrepavit ab errore Mercurii, & aliorum, qui poſuerunt unicuique cœlo proprios ſpiritus, quemadmodùm præoſtendi tibi, quia etiam in circulo ſignorum poſuerunt ſpiritus miniſtrantes, ſimiliter in circulo Saturni, deinde in circulo Jovis. Quatuor autem elementis deputavit alios quatuor, unum videlicet igni, & hic videtur ſuggeſſiſſe idolatriam ignis, quæ primùm, & maximè viguit in regno Chaldæorum, propter quod & princeps eorum Deus ignis ab ipſo etiam Mercurio vocatus eſt nomine proprio, compoſito ex Græco, & Hebræo. Secundum deputavit aëri, & hic eſt ordo, qui colebatur in aëre, ubi templa ædificabantur hujuſmodi ſpiritibus unde & templa dicta ſunt, quaſi circa tecta ampla, quæ etiam excelſa ædificabantur, non quidem ex lateribus, ſeu tentoria, & teguria ex arboribus, & ramis ipſorum, aut laquearia, ut inibi per ſacrificia obtinerent reſponſa eorum per aves, ſive garritibus earum, ſive extis, ſive volatibus earum, aut aliis motibus. Hujuſmodi igitur templa conſtituta fuerunt Diis in æthere, ſcilicet quorum multitudo magna in aëre pluries ſe oſtendit. His attribuebant ſerenitates aëris, & tempeſtates pluvias, nives, & grandines, fulgura, & tonitrua, & alias paſſiones. Latinorum autem Philoſophus nobilis Cicero in libro ſuo de Natura Deorum, & Divinatione dixit, æthera plenum eſſe Diis immortalibus. Tertium ordinem aſſignavit aliis, quorum principes Neptunum, & Thetin eſſe voluit juxta fabulas Poëtarum. Nec C dubium, quin multi ex hujuſmodi ſpiritibus in maribus, & fluminibus, & multoties apparuerunt, Deoſque marium, & fluminũ ſe dicere præſumpſerunt, ut in periculis marium, tanquàm præſtare poſſent auxilia, ab hominibus invocarentur. & colerentur. Quartum ordinẽ terris præeſſe voluit, ejuſque principes Cererem & Bacchum. In iſto ordine poſuerunt Numina hortorum, quorum Principem voluerunt eſſe Priapum, ſimiliter & Numina limitum quorum principem voluerunt vocari Limitivum. Iſti omnes Cereri & Baccho propter fructus, & utilitates terræ ſecundùm errorem eorum ſubeſſe credebantur; cæteri verò, qui in templis inhabitare dicebantur, vel in domibus, aut in ſilvis aut in locis deſertis, ad hunc ordinem pertinebant, his dumtaxat exceptis, quos in cœlis inhabitare credebant, quanquàm & illud verum ſit, quia Saturnus, Juppiter, Mars, Venus, Sol, & Luna, nec reſponſa eis dabant, nec alia quælibet ad munera pertinentia ipſius operabantur Sed reverà nomina Planetarum ſibi uſurpa- D bant, ut Dii cœleſtes ab hominibus crederentur, & propter hoc ſublimiori veneratione ab eiſdem piè colerentur; nec mirum, ſi nomen ſolis uſurpare aliquis eorum præſumpſit, cùm etiam eidem permiſſum aliquandò fuerit in ipſum ſolem ſe transfigurare, & inſtar ſolis exhibere ſe in ejus idolis præ fulgore, forſitan, & ſimilis ludificatio de aliis Planetis à dœmonibus ejuſdem nominis attentata, & nonnunquàm facta eſt. Verùm, quòd fantaſtica, & nullo modo vera fuerint ulla viſionum hujuſmodi, inde manifeſtum eſt, quòd nulla unquàm fuerit domus, quæ corpus alicujus ex Planetis capere potuerit, quapropter in nulla domorum idolatriæ hujuſmodi planetariæ fuit unquàm aliquis ex planetis, quare ſecundùm varietatem eorum nunquàm aliquis inibi viſus eſt, propter quod phanta-

ſticam ludificationem neceſſe eſt fuiſſe omnes hujuſmodi apparitiones, quibus in domibus planetas illos apparuiſſe crediderunt. Ampliùs. Qualiter potuerunt credere planetas in idola deſcendere, ut ibi ſe cultoribus ſuis oſtenderent, cùm jam declaratum ſit illos in cœlis ſuis fixos immobiliter eſſe omni alio motu, quàm motu ſuorum cœlorum? Ampliùs. Manifeſtum eſſe potuit illis erroneis unumquemque planetarum in cœlo ſuo eſſe, nec inde deſcendiſſe, ſi tamen oculos ad cœlum levare poterant. Ampliùs. Si ſol huc uſque deſcenderet, claritas ejus omnes excæcaret, & calor ejuſdem vegetabilia non ſolùm areſaceret, ſed etiam conflagraret. Cum his autem omnibus ſcito, quia homo iſte non habitavit, niſi cum Angelis malis, quos tamen ipſe vocat inhabitantes lucem, de quorum malitia penitùs tacet. Ex hoc autem manifeſtum eſt eos fuiſſe ſpiritus malignos vel malos Angelos, quia in deſerto habitabant, ſicut ipſe dicit; quomodò enim ſponte in loco horrido, & viliſſimo habitabant, ſi locus habitationis erat eis ſublimior, atque nobilior in cœlo ultimo, ubi inhabitabat Rex, & dominus ſæculorum cum innumeris exercitibus ſanctorum ſpirituum, & beatorum? Planum eſt igitur, eos cecidiſſe de loco præclaro illius habitationis, niſi quis deliret eos in deſertum illud deſcendiſſe ad docendum iſtum erroneum hominem, atque nefarium, & ad erigendas ibi ſcholas necromanticæ & execrabilis artis, atque Deo odibilis. Ampliùs. Boni Angeli longè ampliùs, quàm boni homines deteſtantur idolatriam; quomodò igitur boni fuerunt, qui hominem illum, ſicut ipſemet teſtatur, docuerunt, ſicut ipſe dixit, ab his didici, quæ ſcripſi, vel ſcribo. Hæc autem non ſunt ſolùm deteſtanda idolatriæ opera, ſed etiam quæ minus habebant aliqui viri malefici, ipſe in libro ſuo ſuperaddidit, & ſupplevit. Et notandum, quòd ea, quæ dicta ſunt de ordinibus ſubſtantiarum abſtractarum juxta ordines cœlorum, jam remota ſunt per ea, quæ præceſſerunt in hoc tractatu; jam enim feci te ſcire, quia nulli ſunt miniſtrantes ſpiritus in aliquo cœlorum, quia nec etiam fingere poſſibile eſt miniſterium, in quo cuiquam ex illis miniſtrare poſſunt. Et hoc oſtendi tibi per ſingula miniſteria, neque enim in motibus ſuorum cœlorum miniſtrare poſſunt eis, nec in aliis, quapropter non oportet, ut repetam tibi quicquam de his, cùm ſufficientia ipſorum additione non indigeat. Videtur autem in ſermonibus iſtius interdùm ſenſiſſe: quia illorum, cum quibus inhabitaſſe ſe dicit, duodecim ordines ſint: verùm, ſive hoc ſenſerit, ſive non, non videtur inconveniens inveſtigare de hoc, an ſint ordines eorum, & qui, & quot ſunt, & qualiter ad invicem ſe haberent, præſertim, cùm lex & doctrina Chriſtianorum nominet ſpiritualia nequitiæ, principatus, & poteſtates; aliorum verò ordinum cognominationes tacet omninò: ſimiliter & lex Hebræorum, excepto, quòd quidam ex Prophetis ex perſona creatoris loquens ad principem malignorum ſpirituum, dicit ſic: Tu Cherubim, extentus, & protegens, propter quod nonnulli ipſum de ordine Cherubim opinati ſunt. De hoc autem ſatisfeci tibi in præcedentibus, & propter quid iſtas cognominationes principatuum, & etiam poteſtatum reſervaverunt eis Theologi Chriſtianorum. Dico igitur in primis, quia ſi ordinem intellexerit juxta quod expoſitum eſt, ubi audiviſti, quia Hierarchia eſt cœtus continens tres ordines ſublimium, ac beatorum ſpirituum, ſicut per revelationem divinam acceptum eſt, impoſſibile eſt duodecim ordines eſſe omnium ſpirituum, hoc eſt, beatorum, & malorum, inſimul acceptorum.

E Verùm beatorum ſpirituum notitiam ipſum non habuiſſe ex teſtimonio ejus patet, ſcilicet dicit ſe ab illis, cum quibus habitavit in luſtris annorum, didiciſſe nefandiſſimam idolatriam, quam ſcripſit in libro ſuo, palam eſt duodecim ordines non ſanctorum ſpirituum illum poſuiſſe, ſed malignorum tantùm, quorum ſe familiarem, & diſcipulum ſpatio prænominato fuiſſe teſtatus eſt. Sequitur autem, vel æquivocè uſum fuiſſe nomine ordinis, vel non intellexiſſe rationem ipſius nominis, primùm, quia ſi univocè uteretur nomine ordinis, neceſſe eſſet plures eſſe malos ſpiritus, quàm bonos, cùm plures eſſent ordines illorum, quàm illorum. Ordines enim numero legionum, & numeroſitate ſpirituum, æquales eſſe neceſſe eſt omnes. Jam autem audiviſti ordinem tot continere legiones, quot legio continet unitates. Ampliùs. F Doctrina Chriſtianorum non continet, nec ponit niſi novem etiam ab initio creatos, & conſtitutos, unde igitur cecidiſſent duodecim ordines? Ampliùs. Theologi Chriſtianorum ponunt decimum ordinem ſolùm cecidiſſe, ſic intelligentes non ſecundùm planum literæ, quia decimus ordo nunquàm fuit, ſed ſecundùm æqualitatem, quod eſt dicere, quia tot ceciderunt, quot unus ordo continet, ceciderunt inquam ſecundùm eos, ità quòd ex unoquoque ordinum aliqui, ex quibus omnibus ſimul aggregatis ſumma unius completitur; quare manifeſtum eſt, quòd non eâ intentione ordinis poſſunt eſſe duodecim ordines malignorum ſpirituum, cùm ſecundùm hanc poſitionem ſapientum Chriſtianorum, non niſi decima pars cœleſtium ſpirituum ceciderit, & à bonitate naturali depravata in malignitatem degeneravit. Quare manifeſtum eſt, quòd non ea intentione ordinis poſſunt eſſe duodecim ordines malignorum G ſpirituum. Ampliùs. Jam audiviſti ordines omnes juxta naturales ſuas perfectiones conſtitutos, & collocatos, & perfectiones gloriæ ſortitos. Quia igitur juxta cognominationes ipſorum, quæ in univerſo novem inventæ ſunt, quemadmodùm & cauſæ ipſorum, vel rationes poſitæ ſunt, & ordines novem, manifeſtum eſt erroneum, & frivolum eſſe, quod iſte dicit de duodecim ordinibus; ante caſum quidem non erant niſi novem, & poſt nova eis naturalia, hoc eſt, novæ naturales perfectiones eis collocatæ non ſunt. Si igitur, ſecundùm eas, & per eas ſunt diſpoſitiones ordinum, manifeſtum eſt, quia poſt caſum non ſunt apud eos multiplicati ordines. Ampliùs. Nihil apud eos multiplicatum eſt, niſi fortè malitiæ, aut injuſtitiæ opera; iſta autem nec ordines, nec dignitates multiplicant, ſed turbant potiùs, vel pervertunt; nam ordinem primitùs conſtitutum non H mutavit creator in ſanctis ſpiritibus, & intendo ordinem, id eſt, ordinationem, ita ut aliquem elevet de ſpiritibus, & transferat ab ordine ſuo ad ſublimiorem, aut aliquem dejiciat à ſublimiori ad inferiorem ordinem; nullus autem habet, vel habuit unquàm poteſtatem tranſmutandi, vel potiùs convertendi conſtitutam à creatore ordinationem. Quare manifeſtum eſt, quòd nec princeps ſpirituum malignorum mutare potuit ordinationem à creatore, etiam in his, qui ceciderunt, ſpiritibus, quoniàm cùm eſſet in ſua primaria poteſtate, ac libertate conſtitutus, nec minimum omnium ſpirituum hujuſmodi poterat vel deprimere, vel exaltare; quantò minùs religatus, & captivus, & in miſeria, in qua modò eſſe dignoſcitur, hoc poteſt, vel potuit? quomodò enim veriſimile ex captivitate ſua, & miſeria, & dejectione antedicta fuiſſe ei poteſtatem hujuſmodi

modi

Digitized by Google

modi? Dico igitur juxta veriſimilitudinem, & juxta certitudinem, quia quemadmodùm permittit omnipotentiſſima bonitas creatoris principibus hominibus malis diverſos ordines in principatibus, & ditionibus conſtituere, & hoc juxta placitum perverſitatis ſuæ, malos exaltare, bonos dejicere, & in dignitatibus, ac poteſtatibus indigniſſimos, atque peſſimos collocare, ſic & principem malignorum ſpirituum juxta perverſitatem malignitatis ſuæ alios de malignis ſpiritibus exaltare, & variis malis operibus præficere, alios ab hujuſmodi officiis removere, propter innumeras utilitates, quas novit inde elicere bonitas creatoris; & hujuſmodi indicium evidentiſſimum legere potes ex narrationibus miraculorum Chriſtianorum. Apparuit namque cuidam viro ſancto princeps malignorum ſpirituum ſedens in ſolio regali, & ante eum multitudo horribilium ſpirituum: & cùm venirent ante eum de diverſis regionibus; interrogabatur ab eo unuſquiſque rationem legationis ſuæ, ſcilicet quantum mali ſuggeſſiſſent, vel intuliſſent hominibus; quæ mala cùm ei parva videbantur, torquebat, & flagellabat eos; quandò verò mala magna, & gravia ſe referebant ſuggeſſiſſe, vel intuliſſe hominibus, cum applauſu, & aggratulatione eos recipiebat. Unde factum eſt quòd cùm quidam ex eis ſe quendam virum ſanctum in turpitudinem fornicationis diceret dejeciſſe, tanto gaudio, ac feſtivitate ab eo receptus eſt, ut eum juxta ſe collocaret, & coronam, quam in capite ſuo geſtabat, deponens, capiti illius imponeret, & hoc eſt dicere, quòd ipſum vel dignum honore regio, vel egregium victorem judicabat. Hâc igitur inſinuatione revelatum eſt malignorum ſpirituum mala opera circa homines quaſi merita quædam eſſe apud principem ſuum, & remunerari ab eo honoribus, qui non ſunt niſi falſi, & gloriæ vaniſſimæ, & ſi quis diligentiùs conſideret, non ſunt niſi illuſiones ridiculoſæ. In ſervis enim nequiſſimis, & pro ſuis ſceleribus damnatis, atque tormentis graviſſimis addictis, quid eſt corona regia, niſi illuſio? quid quæcunque laudes, & applauſus, niſi deriſio? Tu autem ſcis ex his, quæ præceſſerunt, quia princeps ſpirituum malignorum, & totus ille malignitatis exercitus, amator eſt ab initio illuſionum, & irriſionum hujuſmodi, ſicut imitatores illius, juxta ſermonem ſapientis, qui dicit, imitantur eum, qui ſunt ex parte ejus. Si igitur honorare, vel exaltare ſubditos ſuos permittitur ab omnipotente propter multiplices utilitates hominibus malis, quid mirum ſi propter eaſdem utilitates, ſimilia permittantur principi malorum ſpirituum, & etiam aliquibus de majoribus principatibus ipſius? Ampliùs. Sicut apparet ex ſermone prophetico, in ipſo cœlo ultimo non eſt dubium ipſum ambiviſſe æqualem ſimilitudinem altiſſimi; ex hac enim ambitione proceſſit ille ſermo: aſcendam in cœlum, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſſimo. Quid mirum igitur, ſi ambit qualemcumque ſimilitudinem regni Dei altiſſimi, & ipſius gloriæ, & ſi inſpectâ pulchritudine ſublimium ordinum, & beatorum ſpirituum, effigiat ei, quantùm permittitur, ſimilem ordinationem in ſubditis ſibi? præſertim cùm hoc evidens ſit ipſum facere in ſubditis ſibi hominibus; quorum multitudinem Eccleſiæ Sanctorum aſſimilare contendit, & ordines ordinibus adæquare, & aſſimilare? verbi gratiâ, Pſeudoapoſtolos ſanctis Dei Apoſtolis, ſic & Pſeudomartyres ſanctis Dei Martyribus; & ad hunc modum de Confeſſoribus, & Virginibus, velut quandam ſimiam veræ, ac ſanctæ Eccleſiæ Sanctorum

A factionem malorum, ac perditorum hominum ædificare contendit; qui enim ab initio erat ſignaculum ſimilitudinis, & perfectus decore factus eſt ſimia ridiculoſæ, ac deformis imitationis; ſic & totum regimen ipſius, quod eſt multitudo perditorum, velut in quandam ſimiam Eccleſiæ Sanctorum, quæ verè regnum Dei eſt, quoniàm in eis regnat, & imperat, evidenter effigiat, & convertit.

CAPUT IX.

Quare quærunt hi ſpiritus honores, cùm ſint ita aſtuti, & de eorum duritia.

QUòd ſi quis quærat, qualiter aſtutiſſimi, & ſcientiâ profundiſſimi dæmones quærunt hujuſmodi honores falſiſſimos, & ridiculoſiſſimas illuſiones, cogitet, qui ſic interrogat, unde, & B qualiter perverſi homines iſtos terrenos honores, & glorias, tanto opere ambiunt, & concupiſcunt, ut nihil pro eis agere, vel pati formident, quot, & quanti apoſtataverunt à lege Dei, & fide, ut honoribus hujuſmodi honorarentur; nec te conturbet quòd in præcedentibus audiviſti malignos ſpiritus cruciatibus acerbiſſimis torqueri, quaſi per illos averti debeant ab ambitionibus hujuſmodi, & cognoſcere non ſe honorâri in talibus, ſed potiùs irrideri, cùm audieris in lege Hebræorum de Pharaone Rege Ægypti, cor ejus induratum inter plagas, & flagella, quibus ad obedientiam debuit emolliri. Reminiſci etiam debes ſermonem ſapientis, quo dixit de ipſo principe malignorum ſpirituum diabolo, indurabitur cor ejus, quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatorum incus; ſiquidem incus nec aſſiduis malleorum tunſionibus, aut frangitur, aut mollitur, quin potiùs induratur: ſic nec malignorum ſpirituum corda, hoc eſt, intimæ C voluntates ullis cruciatibus molliuntur, nec à malis aliquibus avertuntur.

CAPUT X.

Utrùm ordines dæmonum ſint ad ordines Angelorum econtrario nominati.

VItium namque ſuperbiæ adeò longè facit ſuperbum à fonte gratiæ, adeò inficit, & corrumpit ſapientis intima ſuperbientis, adeò excæcat intellectum, atque pervertit affectum illius, ut quaſi nihil relinquat naturæ ipſius, ſed totum ipſum ſibi vendicat, & totum poſſidet abſque contradictione, & rebellione, qua ſcilicet, ſe velit, aut valeat erigere contra ipſam. Hæ igitur cauſæ D videntur eſſe ordinationis, & conſtitutionis ordinum in malignis ſpiritibus, ſi tamen ordines apud eos ſunt, & non potiùs perverſitas, atque confuſio exhorrenda pariter, & ridenda. Opinabitur autem fortaſſe aliquis apud eos ordines eſſe ordinibus ſanctorum ſpirituum econtrariò ſe habentes, & propter hoc contrariis nominandos nominibus, ut Antiſeraphim, Anticherubim, Antithroni dicantur; & de aliis ſimiliter. Antiſeraphim ſecundùm poſitionem iſtam propriè dicendi ſunt, qui majori creatoris odio exardeſcunt, Anticherubim qui majori cæteris præcellunt aſtutiâ, Antithroni, qui pervertendis judiciorum ſemitis, & corruptioni judicum, ſeu tribunalium ſummoperè intendunt, & taliter malignandi peſtilentiſſimum officium vel ſibiipſis aſſumpſerunt vel à principe malitiæ ſuſceperunt, & Anti-

dominationes, Antiprincipatus, Antipoteſtates econtrariò ſanctorum ordinum officiis accipies. Et juxta hos modos Antivirtutes eos, qui monſtra vitiorum, & imbecillitates ſtupendas gerunt, vel ſuadent, ſic Antiarchangelos, qui majora mala, quæ propriè ſcelera dicuntur, ſuggerunt hominibus. Hæc eſt igitur ordinatio Eccleſiæ malignantium, & ſynagogæ ſathanæ juxta ſermones propheticos tam Hebraicæ, quàm Chriſtianæ legis, hæc eſt ridiculoſiſſima ſimia, & horrificâ deformitate ignominioſiſſima, de cujus ſimilitudine ad glorioſam Dei Eccleſiam principes malignorum ſpirituum gloriantur, ac ſi iſta ſimilitudo eſſet veri nominis ſimilitudo, & non potiùs diſſimilitudo diſtantiæ, & diſcrepantiæ manifeſtè, quâ ſi præcisè tali catervæ damnatorum, & æternis ſuppliciis adjudicatorum aliquid eſſet laudis, & gloriæ, cùm reverâ non aliter aliquid laudis habeat, aut gloriæ, niſi cùm præeſt eis aliquis ad eos torquendos; hoc autem ibi non eſt, cùm ipſe princeps eorum non ſolùm in eadem damnatione ſit, ſed tantò etiam in majori, quantò conſtat plus eſſe ſceleratum omnibus aliis. Debes etiam reminiſci de Plutone Deo Tartarorum, quæ de ipſo fabulati ſunt Poëtæ. Non enim poteſt iſte Princeps malitiæ Deus intelligi Tartarorum, cùm ibi nihil poteſtatis habiturus ſit, cùm illic detineatur: ibi enim religandus eſt, & perpetuo carcere recludendus, ac æternis ſuppliciis deputandus. Quemadmodùm igitur latro confixus patibulo nihil poteſtatis habet in illo, ſimiliter nec recluſus carcere præeſſe carceri unquàm dictus eſt; ſic neque iſte Rex miſerorum dici, vel intelligi poteſt. Unde qui Plutonem præeſſe inferis dixerunt, non ibidem eum religatum in carcere, vel ſuppliciis traditum ſenſerunt.

CAPUT XI.

Proponuntur quæſtiones multæ de dæmonibus, maximè num torquebunt in inferno damnatos homines.

VTrùm autem data ſit eis poteſtas torquendi homines damnatos, qui cum eis fuerint in inferno, quæſtionem habet, & nonnulli ex Chriſtianorum Theologis iſtud videntur ſenſiſſe, ut ſcilicet per hoc acerbiora ſint tormenta damnatorum, quia illum videbunt ſe habere tortorem, quem habuerunt in hoc ſæculo deceptorem, & hanc ſolam computare poterunt ſe recipere ab eo mercedem, cui tam ſtudioſè, atque officioſè ſervierunt. Verùm ſi hoc eſt, quòd damnatos in inferno cruciaturus ſit princeps iſte nequiſſimus, quid ſit ipſum ejus cruciare, & quid habet in cruciatibus hujuſmodi, quæſtionem habet difficilem, & inveſtigatione indigentem. Et hoc eſt, quoniàm carbones congerere, & ignem adaugere, vel ſufflationem adhibere, adaugendis, vel acuendis ignibus videretur. Quid igitur operabitur in cruciatibus illis? an fortè impinget eos in profundum aquarum, nivium, aut in ſæviores flammas, aut enatare conantes, & eripere ſe volentes de tormentis hujuſmodi detrudet in ea, & coarctabit, ne exire valeant, an aliquid aliud in eis operaturus eſt, & illud quid eſt? Inconſideratè igitur, & nimis leviter degluriuntur iſta ab hominibus imperitis, & paucæ conſiderationis, & propter hoc ſuo loco perſcrutatiùs de his loquar tibi: verùm rememorationem facio de his, ut tibi, & aliis ſapientibus dem occaſionem ſapiendi, & ſermones, qui nodos habent profundiſſimarum quæſtionum, & difficillimarum, non juxta imperitorum conſuetudinem tranſeundi, atque deglutiendi, cùm verè philoſophari, verè, id eſt, ſpiritualiter, comedere ſit, & acumine diſputationum duritiem difficultatum confringere, & veritatem quaſi medullam reficientiſſimæ ſuavitatis extrahere, & ipſam velut nutrimentum eidem ingerere, & unire.

CAPUT XII.

Quomodò nominationes dæmonum ſumptæ ſunt à malignitate operum eorundem, & de apparitionibus dæmonum in circulis necromanticis.

SI quis autem juxta nominationes ipſorum ordines eis ponere voluerit, laborem grandem, & ſupervacuum ſubibit, quoniàm nominationes ipſorum ex malignitatis operibus eorundem ſumptæ ſunt, ſicut Lares ab eo, quòd laribus præeſſent, & Penates eo, quod horreis, vel penitioribus domorum partibus: Fauni verò à fatuitate, Satyri à ſaltationibus, Joculatores à jocis, Incubi à concubitu mulierum, & Succubi eo, quòd ſub ſpecie mulieris viris ſe ſupponunt: Nymphæ verò fontium Deæ, Stryges, ſeu Lamiæ à ſtridore, & laniatione, quia parvulos laniant, & laceſſere putabantur, & adhuc putantur à vetulis inſaniſſimis: ſic & dæmon, qui prætextu mulieris, cum aliis de nocte domos, & cellaria dicitur frequentare, & vocant eam ſatiam à ſatietate. & dominam abundiam pro abundantia, quam eam præſtare dicunt domibus, quas frequentaverit. Hujuſmodi etiam dæmones, quas dominas vocant vetulæ, penes quas error iſte remanſit, & à quibus ſolis creditur, & ſomniatur, dicunt has dominas edere, & bibere de eſcis, & potibus, quos in domibus inveniunt, nec tamen conſumptionem, aut imminutionem eas facere eſcarum, & potuum, maximè ſi vaſa eſcarum ſint diſcooperta, & vaſa poculorum non obſtructa eis in nocte relinquantur. Si verò operta, vel clauſa inveniunt, ſeu obſtructa, inde nec comedunt, nec bibunt, propter quod infauſtas, & infortunatas relinquunt, nec ſatietatem, nec abundantiam eis præſtantes. Huic verò idolatriæ pariter, & errori occurrit creator benedictus in lege Hebræorum, præcipiens vaſa omnia habere opercula, ſtatuens immunda eſſe, quæ non haberent. Ob hanc cauſam contrarius mos erat idolatris, quòd vaſa eorum carebant clauſuris, ſicut dictum eſt modò, ob hoc ſcilicet ut eſca, & potus præſto eſſent dijs eorum, tam die, quàm nocte, quoties inde edere, vel bibere vellent. Sic larvæ, & lemures ab horrifica ſpecie, in qua apparebant & à velocitate reptandi, ut mures, vel à læſione potiùs, quaſi lædentes mures nominati videntur. Et iſtæ quidem denominationes etiam poſt exterminatam idolatriam apud nos remanſerunt; nominationes Romanæ idolatriæ, quæ valde ſunt multæ, Cloacina, Lucina, Limitanus, Priapus, Genius, Hymenæus, & aliæ quàmplures hujuſmodi nominationes, quæ cum ipſis operibus idolatriæ à conſuetudine hominum de toto Romano imperio abierunt. Iſtorum autem duodecim quæ prænominavi, ſcilicet vel generum, vel manerierum opera, quæ prædixi, adhuc extare putantur vetulis facientibus, & in errore ſuo incorrigibiliter perſiſtentibus. Illi verò, qui ſibi nomina planetarum impoſuerunt, neſcio ſi quid apud abſconditos idolatras operari permittuntur: lex enim Chriſtiana eos mirabiliter exterminavit, & ubique urget eos, reprimit, & compeſcit, atque imperioſè excommunicat, & repellit. In his autẽ, quæ audiviſti, non eſt ordinationis vel primũ vel medium, vel extremũ invenire; niſi forſitan quis rerũ ordinẽ hîc attendat, ut Cloacinã Deã ſcili-

Digitized by Google

rer cloacarum infimã, & ignobiliſſimam ponat pro eo, quòd cloacæ in humanis habitationibus, & rebus viliſſimæ videntur: Faras verò in ſupremo ordine pro eo, quòd fatare præcipuum ſit, atque divinum inter omnia, quæ diis attribuuntur: fatare namque non ſolummodò eſt prædicere, vel cavere, ſed etiam præordinare, & ut eveniant, quæ prædicuntur, efficere. Hoc autem in ſingulis prænominatis non ſolùm invenire difficile, ſed etiam impoſſibile videtur. Sicut igitur in malis hominibus nec quærenda eſt hujuſmodi ordinatio, quâ alii primi, alii infimi, alii medii habendi ſint, niſi fortè quantùm ad malitias; ſic neque in malignorum ſpirituum ordinationibus eſt tibi laborandum, niſi quatenùs jam audiviſti, præſertim cùm & idem malignus ſpiritus diverſis in locis, & diverſis de cauſis adorari, & coli ſe ſuggeſſerit. Et deam enim ſapientiæ, & deam belli, & deam venationum, & propterea Palladem, & Minervam, & Bellonam, ſe procuravit apud homines vocari: in quo igitur collocandus erit ille? iſta enim opera bellorum, & venationum, & ingeniorum, non unius ordinationis ſunt. Quia igitur non alia innotuere adhuc nobis, quàm opera quædam, quæ audiviſti, quædam verò in opinione vetularum ſolummodò ſunt, non eſt poſſibile, ſicut dixi, ordines eis congruentes aſſignare. De equitibus verò nocturnis, qui vulgari Gallicano hellequin, & vulgari Hiſpanico exercitus antiquus vocantur, nondùm tibi ſatisfeci, quia nondùm declarare intendo, qui ſint; nec tamen certum eſt eos malignos ſpiritus eſſe; loquar igitur tibi de his in ſequentibus. Quoniàm autem in opere illo malefico, quod majorem circulum vocant, apparere dicuntur quatuor reges dæmonum à quatuor mundi partibus, cum exercitibus ſuis, & comitatu magno, convenientes, & ab ipſis quatuor mundi partibus heu. cognominaverunt eos, ita ut primus vocatus ſit Oriens, ſecundus Occidens, tertius rex Auſtri, quartus rex Septentrionis. Credo quòd benè ſe habet diſputare de hoc, an ſecundùm veritatem reges ſunt, & quæ ſint regna eorum, qui ſubditi; de poteſtatibus namque, ſeu potentiis ipſorum, videlicet, quid, & quantùm poſſint in ſubditos expediam me, & te in ſequentibus: de ſanctis ſiquidem, & beatis ſpiritibus, & de Prophetis, quibus hoc videre datum eſt, abſque ulla hæſitatione indubitanter credendum eſt, quod ipſi poſuerunt, & ſcripſerunt in libris ſuis, unicuique genti præpoſitum eſſe rectorem de ſanctis, ac beatis ſpiritibus; expreſsè etiam vocaverunt principem Græcorum, principem etiam regni Judæorum, quem proprio nomine Michaëlem vocant, quem nunc gens Chriſtianorum principem ſuum, & rectorem deputatum ſibi ſpecialiter ex altiſſimo credit; ab illo ſiquidem tempore, ex quo gens Judæorum ipſum ſibi ſpecialiter repulit, & corporali præſentia Dei filium miſſum negavit, repulit, crucifixit, & occidit, indignam ſe tanto principe, tantoque rectore reddidit; quapropter genti Chriſtianorum datus eſt cuſtos, & rector gente illâ ſpretâ, & derelictâ. Meritò igitur quæritur ab idolatris illis, utrùm illi quatuor reges, quos à quatuor mundi partibus ſe educere poſſe, & multotiens ſe adduxiſſe credunt in opere illo nephario, quod circulum majorem vocant, ſint de ſanctis ſpiritibus, & beatis, aut de multitudine malignorum: quod ſi dixerint de ſanctis eſſe, contradicit eis ipſum opus nephandiſſimum, quod multiplici idolatriâ conſtat eſſe refertiſſimum. Manifeſtum autem eſt illos ſublimes ſpiritus, & beatos idolatriam ſummopere deteſtari, & propter hoc nec illic unquàm intereſſe eos velle, nec per illam advo-

A cari poſſe, ſed magis ad iram implacabilem provocari. Contradicit etiam illis ipſa figuratio, & picturatio dæmonum, quæ in circulo illo adeò deformis, & horrifica deſcribitur, ut horrorem incutiat ſpectantibus, cùm nemo ſani capitis dubitet talibus figurationibus illos beatos ſpiritus ac ſublimes, deſignari non poſſe: hujuſmodi autem deſignationem ſi quis attentare præſumpſerit, intolerabilem eis contumeliam irrogaret. Jam autem tibi dixi pluries, quòd maligni ſpiritus non permittuntur apparere hominibus in quibuſcunque ſpeciebus vellent, ſed plerunque in horrificis, & deformibus, & hoc utique divinæ bonitatis clementiâ tunc fit, non aliter, ut non lateant homines, qui ſint, qui tam terribiles apparẽt. Quòd ſi de malignis ſpiritibus illos eſſe dixerint, quomodò igitur reges intelligẽtur eſſe, cùm alios reges, & rectores habeant ſingulæ partes hujuſmodi inferioris mundi? Dico igitur, quia reges iſti quatuor eo reges dicuntur, quo ipſe legiſlator Chriſtianorum vocavit principem malignorum
B ſpirituum principem mundi hujus, & alibi in eadem lege Deus hujuſmodi ſæculi vocatus eſt, & ſapiens ille antiquus ex perſona creatoris dicit: quia ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, nec prohibiti ſunt à creatore maligni ſpiritus, quin interdùm ſe reges oſtendant, & quin de regia potentia ſe jactent, unde ipſe Dei filio auſus eſt diabolus promittere omnia regna mundi, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Jam autem feci tibi ſcire, quòd nec ipſe princeps malignorum ſpirituum poteſtatem habet, niſi permiſſione creatoris reſtrictam, & limitatam & nunquàm eouſque ampliata eſt ejus poteſtas, ut omnia regna mundi vel dare, vel auferre poſſet? alioquin ſanctos. & juſtos reges nunquàm iſte mũdus habuiſſet. Tu autem non ignoras naturam ſuperbiæ, atque conſuetudinem
C vanitatis ſuperborum, qui & promittunt plerunque, quod ſolvere non poſſunt, & oſtendunt ſæpiùs, quæ non habent. In illo autem opere malefico, & in opere nefario Almandri, & in multis aliis artis hujuſmodi operibus, ſcito, quòd operationes perſonarum, quæ ibi fiunt, & rerum aliarum, non ſecundùm veritatem fiunt plerunque, ſed tanquàm in illuſione fantaſtica, & tanquàm in ſomno, unde ſtatim evaneſcunt, & nullum aliud indicium de priorum eorum exiſtentia reſiquitur, niſi horror in vultibus, & aſpectibus eorum, qui talia operati ſunt. Facile autem eſt ſpiritualibus ſubſtantiis, etiam malis, in imaginationibus eorum, qui illis appropinquant, pingere ſigna, vel imagines rerum, quas illis voluerint apparere. Si enim res corporales, & quæ extra nos ſunt, per ſenſus corporeos nobis appropinquantes tam facilè pingunt in ſen-
D ſibus noſtris, & etiam animabus imagines ſuas; quid mirum, ſi ſubſtantiæ ſpirituales, quæ formis plenæ ſunt juxta ſermonem Philoſophi, qui dicit, quia omnis intelligentia plena eſt formis, cùm animabus noſtris conjunguntur, pingunt vel in eis, vel in imaginationibus noſtris, atque effulgere faciunt in eis rerum ſimilitudines, quas voluerint, prout à creatore noſtro omnipotentiſſimo permittuntur: & de his quidem audiviſti ſupra latiùs. De regibus iſtis, ſi quis dixerit regem orientis nobiliorem, ac potentiorem eſſe, pro eo, quòd inferioris mundi pars orientalis nobilior eſſe videtur cæteris, eo quòd ab ipſa eſt initium motus cœleſtis, nolo contendere de hoc; vel etiam ſi dixerit, quòd pars orientalis totius terræ nobilior eſt divitiis metallorũ lapidum, & aromatum, gemmarum, ideſt lapidũ precioſorum, & quia paradiſus terreſtris in illa parte eſſe creditur, fortaſſe verum eſt illum nobiliorẽ eſſe; verùm ex cauſis, ex quibus ponit hoc, nullatenùs

poſſibile, ut ſit; quemadmodùm enim in ditiſſimis
regionibus nihil prohibet eſſe pauperrimos aliquos
habitatores & in gente nobiliſſima nonnullos
ignobiles; ſic & in oriente, quantiſcunque ſit præ-
dita pars illa, nihil prohibet, & illum, & multos
alios habitatores ejuſdem, ignobiles eſſe, ſimiliter
& pauperes, licet pluribus divitiis abundare no-
ſcatur regio illa: præſertim cùm neque in motu cœ-
leſti in ejus initio, neque in complemento, neque
in radice ipſius, aut cauſa quicquam habeat pote-
ſtatis: ſic & de divitiis reſpondendum, quia coha-
bitatio eas non facit ſed poſſeſſio Ex hoc mani-
feſtum eſt neque regem illum poſſidere divitias,
neque quicquam habere poteſtatis in illis, quia ſi
hoc eſſet, boni viri, & pii diſpenſatores divitia-
rum, nullatenùs eas obtinerent quia hujuſmodi
homines eleemoſynis, & uſibus malignos ſpiritus
impugnant, ſicut dicit ſapiens aqua extinguit
ignem, & eleemoſyna reſiſtit peccatis; & idem ſa-
piens: Super ſcutum, & lanceam pugnabit eleemo-
ſyna pro te adverſùs inimicum tuum. Nec intelli-
gas, quòd adduxerim ſermones iſtos, ut probatio-
num media, ſed ad hoc ſolùm, ut ſcires veritatem,
quam probationibus intendo declarare fuiſſe in
cordibus ſapientum, & tandem ab ipſis eſſe ſcrip-
tam, & dictatam. Veritatis autem hujuſmodi de-
claratio eſt radix, ſuper quam fundata eſt propo-
ſitio, quâ dicitur, omnia opera bona hominum
creatori placita obſequia ejus eſſe; omnia autem
opera noſtra mala, creatori, ſcilicet diſplicentia,
obſequia malignorum ſpirituum ſunt, & propter
hoc manifeſta impugnatio ipſius contumelioſa, &
capitalibus inimicis ipſius impenſa; qui enim prin-
cipi malignorum ſpirituum ſerviunt, ſive ipſi per
ſe, ſive in aliquo ſubditorum, ſive dœmoniorum,
indubitanter ipſum regem, & principem ipſo ſer-
vitio reputant, & quodammodò confitentur: qua-
propter regno Dei altiſſimi, & gloriæ ſe ſubtrahen-
tes, ipſum impugnant, & quantùm in eis eſt prin-
cipem contrarium ex adverſo ejuſdem conſtituunt;
unde regnum ipſius, quod unicum eſt omnium ſæ-
culorum, quantùm in ipſis eſt, dividunt, & par-
tem illius altiſſimo Deo auferunt. Hæc autem eſt
impugnatio manifeſta creatoris: quare econtrariò
omnes illi, qui de regno contrario ſe ſubtrahunt, &
regno creatoris per ſacratiſſimam, ac nobiliſſimam
ſervitutem ipſius ſe adjungunt, regnum illud dia-
bolicæ malitiæ minuunt. Et quoniàm placitis crea-
tori operibus tota iſta impugnatio fit, quia &
malignis ſpiritibus reſiſtitur per ipſa, & ab homini-
bus abjiciuntur, & regnare, vel dominari in eiſdem
per eadem prohibentur, manifeſtum eſt, quòd pla-
citâ creatori ſervitute quæ in bonis operibus inte-
rioribus, vel exterioribus potiſſimùm conſiſtit, li-
cet radicaliter à virtutibus. Palàm eſt igitur, quod
intendebam, quoniàm boni, & pii diſpenſatores di-
vitiarum, hoſtes ſunt, & impugnatores fortiſſimi
malignorum ſpirituum; unde poteſtas dandi vel
auferendi eas non eſt penes malignos ſpiritus, quia
ſi poteſtas divitiarum, vel auferendarum, vel con-
ferendarum penes eos eſſet, nec illas ſanctis, & ju-
ſtis hominibus darent, & ab eiſdem, tanquàm ab
hoſtibus eas indubitanter auferrent; quapropter
manifeſtum eſt eos divitiarum nullam penitùs ha-
bere poteſtatem. Quòd ſi dixerit quis quòd id ip-
ſum ſic poteſt dici de creatore, quòd omnes mali,
& malè utentes inimici ejus ſunt, ſicut habet ex-
preſsè lex Chriſtianorum: quia ſi quis voluerit
amicus hujus mundi eſſe, inimicus Dei conſtitui-
tur. Reſpondeo in hoc, quia bonitas creatoris
etiam inimicis non ſolùm divitias temporales, ſed
etiam ſpirituales largitur, nec malitia eorum poteſt

E eiuſque, vel contrahere, vel reſtringere prælar-
gam bonitatem ipſius, ut non eis multipliciter be-
nè faciat: ea verò eſt malignitas diabolica, ut nec
etiam ſervientibus ſuis parcat. Cujus exemplum
ipſe legislator in ſole oſtendit quem non ſolùm ſu-
per bonos, ſed etiam ſuper malos lucere facit Deus
& pater omnium. Veruntamen quantùm parvipen-
dat, quàmque viles habeat temporales divitias, at-
que poteſtates, & honores, in hoc evidenter oſten-
dit, quòd eos indigniſſimis, atque viliſſimis, &
inimicis etiam plerunque largitur, electis autem,
& dilectis ſuis frequenter conferre eas dedignatur,
tanquàm dignitate ipſorum indigniſſimas. Indubi-
tanter quidem verum eſt, quia ea eſt malignitas
diabolica, ut ſi poteſtas ei divitiarum ſuppeteret;
eas etiam inimicis ſuis, non tamen in bonum eorum
daret ſed in malum ipſorum. Divitiæ namque
F juxta ſermonem ſapientis antedicti, aggregantur
in malum domini ſui; illis enim potiſſimùm daret
vel dari procuraret eis, quos crederet abuſuros, &
in malum imperium, & in aliorum hominum, &
potiſſimùm in creatoris contumeliam converſuros.
Bonitas autem creatoris intendit, quod decet ho-
norem, & gloriam ipſius, atque magnificentiam
largitatis ſuæ, etiam cùm ſcit receptores beneficio-
rum ſuorum in perniciem ſuam, & aliorum peſſimè
uſuros. Cauſa autem in hoc eſt certiſſima, quia
ipſe novit nequiſſimâ abuſione hujuſmodi adeò
benè uti, ut multa, & bona magna inde eliciat, &
longè majora, quàm ſint abutentium mala; quod
evidentiſſimum eſt in malitia diabolica, quâ tamen
benè utitur bonitas creatoris, de qua tot, & tanta
bona elicit, ut omnem æſtimationem noſtram, &
cogitationem exuperet, ſicut in tractatu ſingulari
de ejuſdem providentia didiciſti Cùm igitur nec
re, nec nomine, nec ratione, reges ſint maligni
ſpiritus, cùm nec ratione agant, nec ratione agere
G faciant, vel doceant obedientes ſibi, manifeſtum
eſt eos nomen regum mendaciter uſurpaſſe, quod
utique nulli intelligenti mirum videri debet, cùm
honorificentiam cultus ſoli creatori debiti, & no-
men etiam incommunicabile deitatis, non expa-
veſcant, nec vereantur ſibi aſſumere, gloriamque
altiſſimi in ſe tranſferre, & adorari, & coli ab ho-
minibus, tanquàm Deus: & quandoque extor-
quent per tormenta, miniſterio videlicet idolatra-
rum, vel potiùs inſaniſſimâ ſævitiâ eorundem.
Jam igitur manifeſta eſt tibi intentio, quâ rex vo-
catus eſt, ſcilicet ſuper omnes filios ſuperbiæ.
Concedatur autem reges eos eſſe, quemadmodùm
latrones habere principes dicuntur, & aliquis prin-
ceps latronum dictus eſt, non quòd eos ratione age-
ret, vel in aliquo corrigeret, ſed pro eo, quod eis
in latrociniis, & rapinis principaretur, & præeſſet,
H & obedientiam ei in talibus exhiberent. Nec tibi
de hoc eſt decertandum quòd reges quatuor plaga-
rum terræ vocati ſunt, cùm alius intellectus hujuſ-
modi ſubeſſe ſermoni non poſſit, niſi quia ideò rex
Orientis dictus eſt, pro eo ſolo, quòd in plaga
orientali malignantibus ſpiritibus præeſſe putatur,
& ad hunc modum de aliis. De poteſtate autem ip-
ſorum, qui præeſſe dicuntur malis ſpiritibus, & de
poteſtate ipſius principis aliorum, in ſequentibus
doceberis quæ, & quanta, & qualis ſit, in ſubdi-
tos. Verùm non eſt prætereundum de hoc, quod in
nominatis operibus, ſcilicet duorum circulorum,
qui vocantur major, & minor, & de ipſa figura
mandal ſive aliander, atque aliis hujuſmodi, in
quibus convenire dicuntur multitudines maligno-
rum ſpirituum, nec non & reges ipſorum cum co-
mitatibus, ut eis videtur, regalibus. Scire debes,
quòd omnes hujuſmodi apparitiones in viſionibus
fantaſticis

Digitized by Google

fantaſticis ſunt, quod inde manifeſtum eſt, quia hujuſmodi nec coronas habent, nec geſtare poſſunt, nec incedere coronati, cùm capita non habeant; ſimiliter nec mimi, nec ſaltatores, aut joculatores ſint, cùm omnia hæc artificia vocibus corporalibus perficiantur; ſpirituales verò ſubſtantiæ naturali impoſſibilitate motibus corporalibus prohibitæ ſunt, ſicut alibi didiciſti. Citharœdi autem, aut tibicines eſſe non poſſunt, cùm hujuſmodi inſtrumenta ſoli auditui ſerviant, & digitis, aut aliis inſtrumentis tangi neceſſe habeant, & moveri ad hoc, ut muſicos ſonitus ad congruum reddant, auditus autem locum non habeat apud hujuſmodi ſubſtantias, ſed neque manus, aut digitos habent. Manifeſtum igitur eſt, quoniàm non niſi deceptis, & ſcientiæ naturalis ignaris illuſiones hujuſmodi oſtenſionis faciunt: apud ſcientes autem & rationales, non audent fantaſias hujuſmodi ingerere, vel ſuggerere, ſcientes ſermonem ſapientis, quo dictum eſt: Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Et intendo facere te ſcire in ſequentibus cauſas hujuſmodi fantaſiarum, viaſque, & modos, quibus naturaliter fiunt; nam & ipſi maligni ſpiritus per res naturales hæc omnia faciunt, verùm ad ea facienda per vias perditionis inducuntur, hoc eſt, per ſacrificia nefaria, oblationeſque, & obſervantias ſacrilegas. Has igitur vias non ſperes ſcire per me, vel audire à me, contrariæ ſiquidem ſunt veritati, & rectitudini Philoſophiæ, & quod habent impiiſſimum, ac ſummo opere fugiendum, & in creatorem contumelioſum. Declaratio autem, per quam ſcitur, quia hæc omnia, & hujuſmodi fantaſmata ſunt, & nihil veritatis habentia, hæc eſt, quia ſi veri equites eſſent, qui apparent, poſt diſperſionem, ſeu diſparitionem apparerent veſtigia equorum, & impreſſiones notabiles in locis & impreſſiones pedum ſimiliter ſi veri currus eſſent, relinquerent poſt revolutiones ſuas, & notabiles impreſſiones in locis revolutionum; nihil autem ex omnibus his apparet poſt diſparitionem ipſorum, ut dixi. Ampliùs. Spirituales ſubſtantias, & impartibiles quis equitare cogitare poteſt, aut fingere? Et ut ad unum dicam, apparatum illum corporalem, ſive armorum, ornamentorumve, virtus imaginationis aptare poteſt ſubſtantiis contrariarum omninò diſpoſitionum. Ampliùs. Si veri equites, & veri currus, & veræ rotæ, cæteraque corporalia, quæ ibi apparent, vera eſſent, æqualiter ab omnibus viderentur, omnibus inquam, qui ſecundùm viſum æquè benè diſpoſiti eſſent non autem apparent, niſi his, qui intra circulum ſunt. vel magiſtro operum, & ſociis ejus, videlicet, qui tam execrabilis operis conſortes, & coopertores ſunt. Ampliùs. In hujuſmodi magiſter percutit terram ad partem Orientis ante ſe cum gladio extento, & hæc dicit: exeat hic magnus rex Orientis, unde jubet eum exire, non niſi de profundo terræ, & per aperturam, quam gladio efficit; unde non venit rex ille ab Oriente, licet exit, unde exire jubetur, ſcilicet de loco percuſſionis; qualiter enim in Oriente conſtitutus vocem audiret hujuſmodi, quam ad jactum lapidis audire non poſſet? Ampliùs. Qualiter inde exire jubetur, ubi non eſt? ponam autem tibi exemplum alterius operis, quod eſt valde famoſum apud hujuſmodi maleficos, de caſtro fantaſtico, quod facere ſe ſimulant hujuſmodi deceptores, cùm reverà couique & ſacrificio, & aliis tacendis, & nunquàm nominandis obſervantiis alliciant, ut reverà miniſterio eorum caſtrum cum portis, & turribus, & muris, & arce miræ ædificationis, & ſtructuræ appareat, verùm ad modicum, & ſolam horam operationis hujuſmodi; conſum-

A matâ autem illâ adeò diſparent, ut nullum omninò veſtigium ejus in loco, in quo apparuit, relinquatur. Quòd ſi verum caſtrum eſſet, nec tam parvò circulo claudi poſſet, nec tam ſubitò dirui, vel everti, ut everſionis ejus ruinæ nullæ appareant, & nullus, cujus ſonitus audiretur; quia verò reges eos credere, & nominare auſi ſunt malefici, conveniens eſt, ut detegatur, & declaretur tibi imperitia, quâ iſtud fecerunt. Dico igitur, quia manifeſtum eſt intelligentibus regiam dignitatem, & poteſtatem primam, & maximam eſſe in terrenis, ſeu ſecularibus poteſtatibus, & dignitatibus, & quia non eſt ei ſuperior, aut compar, etiam in regione alia in genere, vel ordine ſuo. Quapropter ſecundùm veriſſimam examinatiſſimamque rationem ſuam, ſeu diffinitionem, ſolus nominandus eſt rex creator altiſſimus, & omnipotentiſſimus, qui eſt verus, ac ſolus Dominus omnium ſæculorum; propter quod lex Chriſtianorum congruentiſſimè nominat ipſum regem

B ſæculorum. Quòd igitur potentiores reges vocantur, propter nonnullam ſimilitudinem eſt: hujuſmodi enim homines in ordine ſuo aliis hominibus non ſubſunt. Propter quod ſecundùm conſuetudinem Saracenorum potentiſſimi apud eos Soldani vocantur, quaſi ſoli Domini, vel ſolummodò Domini, eo quòd ſine participe dominantur in ditionibus ſuis, vel quia pura, hoc eſt, ſine ſubjectione eſt dominatio eorum. Quòd ſi quis dixerit, quia potentes quidam qui imperatores dicuntur, præſunt regibus, & ſubjectos habent reges multos: Reſpondeo in hoc, quia ipſi, qui dicuntur imperatores, reges ſunt, & regia dignitas, vel poteſtas in ultimitate eſt ordinis ſui, nec ultra, vel ſupra ipſam eſt poteſtas, vel dignitas, vel dominatio. Quicunque etiam imperator dictus eſt rex, etiam ſi monarchiam totius orbis obtineat. Ipſe etiam Alexander, qui primus

C regnavit in Græcia, regeſque, & omnes tyrannos, ſtrenuitate perdomavit, & ſibi ſubjecit, rex vocari non indignatus eſt, ſciens nomen iſtud poteſtati ſuæ, & dignitati congruere, & per ipſum in nullo honori ſuo detrahi, vel gloriæ derogari. Non eſt igitur rex, qui alij regi ſubjectus eſt, quoniàm nec verè liber eſt, cùm ſuperiori ſuo, ac præſidenti ſervire neceſſe habeat; libertas enim omnium honorum, & dignitatum veri nominis, & rationis, fundamentum eſt, juxta ſermonem Sapientis, quo dictum eſt, quia non decet ſervum dominari principibus: cùm manifeſtum ſit veræ dominationis rationem non poſſe pati ſervitutem, & veram præſidentiam, ſeu prælationem non admittere ſubjectionem. Quare ſi veri reges ſint illi quatuor prænominati, & à quatuor mundi plagis agnominati, manifeſtum eſt eos non ſubeſſe alij regi, vel principi, excepto dumtaxat principe, vel rege, & Domino omnium ſæculorum. Jam autem declaratum

D eſt, & notiſſimum effectum unum eſſe principem omnium malignorum ſpirituum, quod nec ipſi malefici inficiari adhuc auditi ſunt. Si quis autem dixerit, quia reges ſunt ſingularium civitatum rectores, & reguli etiam dici conſueverunt, qui parvis regnis præerant: Reſpondeo in hoc, quia rectores civitatum, qui ſubſunt regibus, præfecti, ſeu præpoſiti civitatum nominantur, non reges, ſed præſides provinciarum propriè nominãtur, qui ſub regibus præſident provinciis. Inſuper manifeſtum eſt, quia qui regitur in eo ipſo, quod regitur, non propriè rector dici poteſt, ſed rectoris potiùs inſtrumentum, quemadmodùm gubernaculum navis non gubernator navis, ſed gubernatoris organũ. Et hoc non eſt ob aliam cauſam, nisi quia gubernaculum in gubernatione navis nihil agit ex ſe, vel per ſe, ſed agitur potiùs ipſum, & agitatur voluntate,

& induſtriâ ſolummodò gubernantis. Iam igitur declaratum eſt antedictos Reges à quatuor mundi plagis Reges non eſſe, cùm ſit manifeſtum ex omni lege nominatâ, & famoſa eos ſubeſſe Regi, qui Rex dicitur in ſermone ſapientis ſuper omnes filios ſuperbiæ. Cùm autem inſpexeris totum illud nefandiſſimum opus, quod nominavimus tibi maioris circuli, invenies cauſam nullam, fructum nullum, propter quem oporteat quatuor illos Reges cum tantis ſuis exercitibus convenire ad illud; pauciſſimis enim, atque parviſſimis expediri poteſt quicquid illo opere intenditur. Quapropter dubitari non debet, quoniàm malefici ad oſtenſionem ſacrilegæ artis ſuæ conventus illos procurent, & ipſi maligni ſpiritus vaniſſimo honore, & gloria, quæ ibi ipſis impenditur, conveniant ibi in tanta multitudine, & apparatu: & iam quidem notum tibi eſſe debet ex eis, quæ præceſſerunt, quantum appetunt nomen regiæ dignitatis, & poteſtatis, & alia, quorum appetitum ſuperbia, & inanis gloria ſuggerunt.

CAPUT XIII.

Qualiter maligni ſpiritus vexant, & decipiunt homines.

POſt hæc autem iuxta ordinem promiſſionum præcedentium aggrediar loqui de vexationibus, quas irrogant maligni ſpiritus, & de arreptionibus, quibus arripere dicuntur homines, propter quod & arreptitii dicuntur, qui ab eis arreptionem huiuſmodi patiuntur. Dico igitur, quia vexationes, quas irrogant hominibus, non ſolùm iuſtâ, ſed etiam piâ creatoris permiſſione ſecundùm duos modos ſunt. Alii enim ſunt à foris, & iſti etiam duobus modis, videlicet in rebus, & in corporibus; alii verò ab intùs ſunt, ſive intùs, quia animas hominum multipliciter lædunt, ſicut audies in ſequentibus. Et quidem à foris vexatus fuit ille ſapiens, & ſanctus, qui non ſolùm in exemplum patientiæ propoſitus eſt omnibus Dei dilectis, & electis, ſed etiam in ſaluberrimum documentum curæ, ſive curationis, & providentiæ Dei altiſſimi ad medendum errorem eorum, qui non curari, ſed negligi ſe putant à creatore, quoties vel in rebus ſuis, vel in corporibus affliguntur. Evidenter enim videre potes in exẽplo viri iſtius, quia Dei dilecti, & electi maximè curantur à Deo altiſſimo, eùm ab eodem derelicti, neglectique videntur: huic enim viro quæcunque ſathan abſtulerat, bona temporalia Deus reſtituit duplicata: rebus igitur omnibus ſpoliatus fuit à ſathan, vexatus fuit etiam ab eodem in corpore ſuo, ſicut evidenter legitur in libro ipſius, his verbis: Egreſſus igitur ſathan à facie Domini percuſſit Iob ulcere peſſimo, id eſt, ſcabie ſanioſâ, per prædones autem ovibus ſuis, & aliis animalibus ſpoliatus fuit, ſicut eiuſdem libro legitur evidenter; facile autem fuit ipſi ſathan concitare corda illorum malorum hominum ad huiuſmodi prædam faciendam, qui tot millia prædonum ad rapinas concitat, quanquàm etiam propriâ cupiditate ad hoc ipſum induci potuerunt. De igne verò, qui de cælo deſcendiſſe dicitur ſuper oves, & pueros, & de vento qui irruit à regione deſerti, & evertit domum ipſius, non eſt dubium, quin eos adducere potuerint, & generationem eorum procurare, cùm in Ægypto generationem ranarum quæ per magos Pharaonis facta fuit, potuerit procurare, de his tibi loquar in ſequentibus. Qualiter autem percuſſit illum virum ſanctum ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem, non eſt perſpicuum

E ex libro illo. Memini autem multos ex peritioribus medicis opinatos fuiſſe, quia ſimilis plaga ex hauſtu veneni pervenerit; an veneno igitur, an afflatu tam vehementis corruptionis huiuſmodi plagam viro illi ſancto intulerit ſathan, liber ille non exprimit, ſicut de vento, & igne, qualiter eos concitaverunt, forſan ob hanc cauſam tacens quibus viis, vel modis ita virum illum Dei vexaverit, ne aperiret viam ſimilia faciendi maleficis, ac veneficis, quibus plerumque non deeſt voluntas nocendi hominibus, ſi poteſtas eis, & ſcientia ſuffragarentur. Artificium igitur id diabolicum creatoris pietas hac de cauſa voluit ſubticeri, non tam parcens hominibus, quibus inſidiantur ipſi malefici, quàm etiam ipſis maleficis, dum ipſis per hoc poteſtas, & ſcientia ſubtracta eſt malignandi. Arreptiones verò, à quibus arreptitii nominantur, qui eas à F malignis ſpiritibus patiuntur, ab intùs ſunt, & propriè animæ, ac per ſe, ſic arreptæ dicuntur. Ad cognoſcendas igitur ipſas neceſſe habes illud advertere de natura animarum noſtrarum, quòd ſigna, & paſſiones, quæ fiunt in ipſis, aut in organis virtutum apprehenſivarum, rapiunt eas ad ea, quorum ſigna ſunt, vel à quibus impreſſa ſunt, & cogunt eas cogitare illa, id eſt, apprehendere generaliter, quamdiu in eiſdem ſunt in effectu. Quemadmodùm vides de his, quæ oculis impreſſa ſunt à rebus viſibilibus; quia quamdiu in oculis ſunt in effectu, tamdiu neceſſe habemus apprehendere viſibilia, à quibus impreſſa ſunt, niſi fortè animæ noſtræ abſtractæ, vel occupatæ ſint, quemadmodùm accidit nonnunquàm, quòd ea, quæ coram oculis habemus, etiam apertis oculis non videmus pro eo, quòd animæ noſtræ aliis intentæ in ipſis detineantur, ac ab his, quæ in eo- G rum oculis ſunt, illâ horâ avertantur. Invenies interdùm homines ſic attonitos, & à ſenſibus abſtractos, ut nihil de ſenſibilibus illâ horâ apprehendant. Et ſi quis eos ad huiuſmodi apprehenſiones inducere voluerit, neceſſe habet illos vel impulſu, vel voce altâ, quaſi de ſomno excitare, & ad ea ſenſibilia, quæ eos apprehendere voluerit, advocare. Memini enim me ipſum tenuiſſe librum coram oculis viri literati intelligentis, qui ſic ſtupefactus, & raptus fuit, ut in eo nihil prorſùs legere poſſet, quem cùm voce ſollicitarem, manuque pulſarem, ut in librum intenderet, & legeret, vix revocata eſt anima eius ad exteriora ſenſuum; timore enim aſtantis multitudinis ab exterioribus ſenſuum quaſi fugerat, formidans vehementer in conſpectu tot, & tantorum, legere, quæ ipſi legenda offerebantur. Nec tibi iam dubium eſt vehementiâ timoris tales ſtupores, & attonitiones ſæpiſſimè fieri animabus noſtris, ita ut adeò metuere videantur ab exterio- H ribus, ut intra ſe fugiſſe non immeritò iudicentur. Accidit etiam interdùm, ut ipſa exteriora membra deſeruiſſe videantur, cùm nec motus, nec ſenſus in eis appareat, ſicut evidens eſt in extaſi, & ſpaſmo, & in omni etiam raptu. Interdùm autem accidit ex vehementia huiuſmodi paſſionum univerſalis deſertio corporis, de qua non eſt dubium, quin ſit mors. Cùm igitur profundatæ vehementer, & fixæ fuerint huiuſmodi paſſiones in organis virtutũ, quæ dicuntur apprehenſivæ ab intùs, rapiunt in ſe animam humanam, & ſubripiunt eam ſibimetipſi, ita ut liberæ voluntatis nihil interdùm habeat, interdùm verò valdè modicum, & cùm ita totaliter liberam voluntatem ei ſubripuerint, feruntur huiuſmodi homines ſic arrepti non libertate voluntatis, ſed impetu paſſionum illarum, quemadmodũ bruta animalia, quæ feruntur neceſſitate paſſionũ, ſeu impreſſionum, quas recipiunt à ſenſibilibus, nec habent reſiſtere, vel contradicere illis. Et non eſt dubiũ iam experiri

Digitized by Google

experiri volentibus, quin quidam furioſi in aquam, & ignem, ſe præcipitare conentur, & in alia quæcunque pericula, ita ut nullatenùs niſi vi & violentia ab his averti poſſint. Propter quod ligantur, & recluduntur, & longè fiunt ab eis arma, & omnia alia inſtrumenta, quibus vel ſeipſos, vel alios lædere poſſunt. Mirabile autem multis non immeritò videtur, qua de causa fortiores ſint furioſi tempore furoris, quàm tempore ſanitatis, cùm ægritudo nihil viribus corporis addere videatur. Dico igitur in hoc, quia vehementia paſſionum, ex quibus ſunt furores, adjuvat, & confortat euſque virtutem imperativam motus, ut ex hoc virtutes executivæ plurimùm invaleſcant, ac ſi de confortatione, & adjumento hujuſmodi, videlicet virtutis imperativæ, redundet in ſibi conjunctas executivas motus, atque ſubjectas. Contingit quoque imminentibus magnis periculis naturam omnem animalium magis eniti contra illa, & quaſi collectis undique viribus contra illa pugnare, & hoc ſive ad evaſionem, ſive refugium, ſive ad reſiſtentiam, atque victoriam: & quoniàm ex paſſionibus prænominatis fiunt arreptiones hujuſmodi, ſunt opinati nonnulli ex peritioribus medicis non operari eas malignos ſpiritus. quod quidem opinari ſtultiſſimum eſt; hoc enim eſt tanquàm ſi quis diceret mortem non irrogari veneno, vel gladio, propter hoc, quoniàm ex corruptionibus humorum, aut membrorum accidit, quamvis namque & à rebus forinſecis, & à vaporibus intùs, videlicet in corporibus, reſolutis, & ad cerebrum aſcendentibus, organaque apprehenſiva in eodem inficientibus, paſſiones, & impreſſiones hujuſmodi proveniant ſic, nihilominùs facile eſt malignis ſpiritibus ad hujuſmodi organa appropinquantibus ſimiles eis imprimere paſſiones applicatione ſua, vel conjunctione ad illa. Et jam dixi tibi, qualiter, & unde hoc ſit poſſibile hujuſmodi ſpiritibus. Non enim propter hoc, quia homines gladiis occidunt homines, minus poſſibile eſt de malignis ſpiritibus gladiis homines occidere, cùm à creatore optimo permittuntur. Jam autem ſcitum eſt, quia ſimilitudo aquæ, cùm profundata, & fixa fuerit in ſpiritu imaginabili, efficit, ut ille, qui hoc patitur, ſemper aquam ſibi videre videatur, & ab ea fugiat, quaſi timens immergi in ipſam. Eodem modo ſe habet & de ſimilitudine ignis in eodem ſpiritu ſimiliter impreſſa. Et ad hunc modum de aliis, hoc eſt, de aliarum rerum ſimilitudinibus, ſimiliter in eodem organo ſe habentibus. Et ſimilitudines quidem iſtæ interdùm adeò profundantur, ut ipſum patientem ſic arripiant, & alienent à ſe ipſo, ut nihil aliud ſe credat eſſe, niſi rem ſimilitudinis illius. quemadmodùm accidit in illo, qui ſe eſſe gallum credebat, nec potuit induci, ut loqueretur, vel aliquam vocem emitteret, ut homo, ſed galli vocem tantùm effigiabat, prout poterat, hoc tamen non erat ei ablatum, quin gallum ſe diceret eſſe, & quòd alia vox, vel cantus eum minimè deceret. Ego ipſe memini me vidiſſe hominem, ante quem non volabat avicula, vel avis magna, quam ſe eſſe non crederet. Credebat etiam interdùm ſe eſſe filium Dei, interdùm ſpiritum ſanctum, interdùm diaboli filium, & antichriſtum. Scito etiam me vidiſſe mulierem, quæ credebat ſe cognoſci ab intus, & à diabolo, & alia vix credibilia ſe ſentire dicebat. De illo verò, qui credebat ſe eſſe avem quamlibet ante ſe volantem, qualiter hîc facile, tamque citò in alienationes hujuſmodi incidebat? dico, quia raritas ſpiritus hujuſmodi imaginabilis ſimilitudines, & formas facilè recipiebat, & intimè admittebat. Quòd ſi quis quærat de vapo-

A ribus, ſeu fumis reſolutis vel à cibis, vel ab humoribus corporis humani, qualiter ſimilitudines rerum tam diſſimilium vel imprimunt, vel exprimunt animabus noſtris, conſideret homo hujuſmodi, quia modica albedo de nocte in pariete ſimilitudinem hominis exprimit, & geniſtæ, atque filices, de nocte viſæ, cuneus bellatorum, & acies, & interdùm exercitus magnus videntur. Quòd autem ex hujuſmodi fumis, atque vaporibus, & in vigilantibus, & in dormientibus apparitiones mirabiles, & interdùm horribiles fiant, inde manifeſtum eſt, quia cùm ſigna, ſive impreſſiones, per quas fiunt, apud animas patientium ſint, hoc eſt, vel in ipſis animabus eorum, vel in organis virium apprehenſivarum, quæ apprehenſivæ ab intus vocantur, neceſſarium eſt eas habere cauſam agentem, vel à foris, vel ab intus. Et à foris quidem manifeſtum eſt

B eas cauſam hujuſmodi non habere, cùm ſecundùm corpus nihil patiantur, quod ſigna imprimat hujuſmodi, quare neceſſe eſt, ut ab intus cauſa ſit agens impreſſiones hujuſmodi; ab intùs autem non eſt aliquid fingere, quod eas efficiat, niſi vel vapores, quos dixi, vel ſpirituales ſubſtantias, quibus eſt acceſſus, & applicatio, quam audiſti, ad animas noſtras. Beati autem, ac ſancti ſpiritus, impoſſibile eſt, ut iſtas delirationes, & abalienationes faciant animabus humanis, cùm evidenter ſint pernicioſiſſimæ læſiones earum; quare neceſſe eſt eas vel à malignis ſpiritibus, vel à cauſis antedictis fieri. Adjuvabit autem ad hoc te experientia artis medicinæ, ſi vel modicum quidem peritiæ ipſius habueris. Sequuntur enim alienationes hujuſmodi naturas humorum, ex quibus ægritudines ſunt, quemadmodùm ſi ex cholera fuerit ægritudo, ſomnia ſunt de rebus ad ignem pertinentibus, quales ſunt fulgores, & ardores. Et ad hunc mo-

C dum ſe habet de aliis humoribus, & elementis, ac elementorum rebus eiſdem congruentibus, experimento quoque certiſſimo hoc ipſum probabis in ipſis patientibus, qui in ſemetipſis ſentiunt creſcere, vel dilatari, rareſcereque, & evaneſcere in nihilum, & fantaſmata, & imagines, proculdubiò ſecundùm quod hujuſmodi vapores, ſeu fumi rareſcunt, & evaneſcunt in nihilum, aut creſcentes primum, & dilatati per rarefactionem, ut prædixi, & quemadmodùm præaudiviſti, per rarefactionem creſcentes. Nec dubitare poteſt aliquis intelligens, quin quidam ex vaporibus hujuſmodi fortioris, ac vehementioris ſint impreſſionis, quàm quidam alii. Similiter & de organis virtutum apprehenſivarum prædictarum non eſt dubium, quin quædam ſint facilioris receptibilitatis, & etiam profundationis, quibuſdam aliis. Quapropter figuntur, & radicantur ſecundùm magis, & minus impreſſiones hujuſmodi; ex quo accidit, quod quidam ſunt perennis fixionis, &

D ineradicabilis, unde phreneſis, mania, & melancholia interdùm incurabiles inveniuntur arte medicinæ. Similiter accidit in ſomniis, videlicet quòd quædam fixiora ſint quibuſdam aliis, quædam verò adeò debilis impreſſionis, ut cum ipſo ſomno, vel etiam antea, evaneſcant, & propter hoc fugiunt à memoria ſomniantium. Debes autem attendere cum his, quæ præceſſerunt, quia impreſſiones hujuſmodi, videlicet ſomniorum, moverent ipſos ſomniantes, niſi virtutes executivæ motus ligatæ eſſent in eis per ſomnum, quod inde manifeſtum eſt, quia virtutes imperativas non minus movent in ſomno, quàm moventur in vigilia. non enim minor eſt delectatio in ipſo ſomno, quàm eſſet in ipſa vigilia, & veritate. Exempli gratiâ, non minus

delectatur, qui ſomniat ſe comedere, vel bibere, quàm delectaretur, ſi in veritate comederet, vel biberet. Similiter nec minus eſurit, aut ſitit, ſomnians, quàm ſi vigilaret. Similiter ſe habet & de delectatione cum mulieribus; non minus enim delectatur qui ſe ſomniat dormire cum muliere, quàm ſi reverà cum ipſa dormiret. Manifeſtum eſt igitur tibi per hoc, qualiter, & propter quid exagitantur quocunque genere furoris furioſi, cùm furia, ſive furor non ſit in eis, qui continuè vexantur, niſi ſomnium fixum; in eis verò, qui facilè, & ſæpè arripiuntur, arreptio ſimiliter ſomnium eſt, quæ propter cauſam, quam prædixi, facilè profunditur, & facilè evaneſcit. Feci igitur te ſcire per hoc, quia vera eſt medicorum ſententia, qua ſentiunt arreptiones, & furores fieri ex vaporibus, & fumis, ut prædixi, & nihilominùs verus eſt ſermo, quo dicitur, quia per malignos ſpiritus fiunt arreptiones, & exagitationes, ſive vexationes hominum juxta modos, quos prædixi. Tu verò ne dubites, quia orationibus virorum ſanctorum, & Dei amicorum omnia genera hujuſmodi arreptionum, atque vexationum curantur, arte verò medicorum non curantur, quæ à malignis ſpiritibus fiunt, præſertim cùm poteſtas eis datur vel imprimendi adeò vehementem, & profundam impreſſionem, vel continuandi eam, quam poteſtatem ſola virtus omnipotentis creatoris, quæ ſanctorum virorum orationibus promptiſſima ſemper adeſt, avertit, atque compeſcit. Jam igitur dixi tibi arreptiones, & vexationes, quæ fiunt hominibus à malignis ſpiritibus, & qualiter ab ipſis, & etiam qualiter, & qua via liberantur homines ab ipſis. Dedi etiam cauſam, propter quam multi erraverunt medicorum in hoc non credentes arreptiones aliquas, aut vexationes irrogari, vel procurari à malignis ſpiritibus, quæ proculdubiò non alia fuit, niſi quia cognoverunt eas plerumque eſſe à vaporibus, & humoribus naturaliter, & arte etiam medicinæ interdùm curari. De qua etiam manifeſtum eſt, quia contra malignos ſpiritus nihil poteſt, & in errore ſuo certum eſt fuiſſe Ariſtotelem, qui malignos ſpiritus eſſe non credidit, & propter hoc nec arreptiones, nec vexationes ab eis aliquas irrogari, cùm à non entibus manifeſtum ſit nihil eſſe poſſe, aut fieri. Quoniàm autem communis ſermo eſt apud homines, malignos ſpiritus intrare in homines, & exire ab eis, & habitare in ipſis, meritò inveſtigandum eſt, ut quid ſit ingreſſus, vel exitus, & quid habitatio, & ubi: multis enim viſum eſt malignos ſpiritus corpora hominum non intrare, neque animas eorum, ſed magis obſeſſa tenere. Et iſti proculdubiò non ſolvunt quæſtionem hanc, ſed majorem difficultatem innodant. Obſidiones namque caſtrorum, & urbium, omniumque munitionum à foris eſſe, & fieri conſueverunt. Et inde etiam obſidiones nominatæ ſunt, qui enim obſidet caſtrum, ob illud, id eſt, contra illud ſedet, quod eſt dicere, ſedet econtra, & hoc magno, grandique circuitu, videlicet cùm ad hoc eſt ſufficiens exercitus multitudine, atque fortitudine, ut ipſum ex omni parte circumdet. Qualiter autem poſſibile erit, ut unus ſpiritus circumdet hoc modo corpus hominis unius, præſertim cùm non poſſit eſſe in multis locis ſimul (hoc autem neceſſe eſſet, ſi ex omni parte circumdaret ipſum) cùm ſit ſubſtantia impartibilis? Quòd ſi dixeris, quia in una parte ſedet à dextris, vel ſiniſtris, vel ante, vel retrò, ſuboritur ſtatim alia quæſtio, videlicet quàm longè ſedet, & ad quam longè poteſt corpora hominum obſidere: quòd ſi à longè poteſt, videlicet à longitudine cubiti unius, vel pedis, nihil prohibebit ipſum multa corpora ſi-

E mul obſidere poſſe. Scitum quippe eſt lapidem magnetis ſecundùm notam longitudinem ferrum vel ad ſe trahere, vel etiam repellere, & ſecundùm majorem longitudinem hoc ipſum non poſſe, experientia ſenſus evidens eſt. Quid igitur erit de hujuſmodi ſubſtantia ſpirituali, cùm nullam ex virtutibus ejus vel juvare, vel impedire poſſe videatur propinquitas, vel diſtantia? Virtutem enim apprehenſivam nobilem, hoc eſt, intelligentiam non juvat, vel non impedit propinquitas, aut remotio corporalis intellecti, id eſt ejus quod intelligitur, ſimiliter nec vim motivam nobilem, quæ eſt amor, vel voluntas, & indubitanter manifeſtum eſt etiam in nobis, quoniàm ipſam virtutem imaginativam noſtram, quæ longè inferior eſt, & omni modo pendens ex corpore, in nullo juvat, vel impedit ad operationem ſuam propinquitas, vel remotio rei, quàm volumus imaginari; non enim melius imaginatur quis

F Chartaginem, vel Babylonem, ſi fuerit ad decem ſtadia longè ab ipſa, quàm ſi fuerit ad decem milia ab eadem: neque diligit quis plus amicum, qui eſt ad duo ſtadia longè ab eodem, quàm ſi per decem milia ſtadiorum diſtet ab ipſo. Quacunque igitur virtute ſua obſideat malignus ſpiritus corpus humanum quodcunque, æquè poteſt ipſum poſſidere ab Oriente in Occidentem, ut in ipſo Oriente. Si verò ab intus, accidit in primis abuſio ipſius vocabuli intolerabilis. nuſquàm enim uſque hodie vocata eſt obſidio impugnatio, vel vexatio quæ ab intus tantùm eſt. Dicendum igitur eſt in hoc, quia vexatio hujuſmodi, ſi ab intus eſt, obſidio iſta eſt per ſimilitudinem, quam dicam: quemadmodùm enim obſidio prohibet egreſſum, & ingreſſum civitatis obſeſſæ, & his, quæ in eis obſeſſa ſunt, & aliis, qui in eam intrare vellent ad ferendum obſeſſis auxilium; ſic malignus ſpiritus prohibet

G egreſſum convenientium operationum ab anima ſic obſeſſi; ſic & ingreſſum operationum, ſeu impreſſionum in eandem animam; neque enim exhortatio, neque doctrina, neque conſilium ullum ſalutare intrare poteſt ad ipſam, & propter hoc convenientius ipſa obſeſſa dicetur, quàm corpus illius dicatur obſeſſum. Verùm quia in corpore ſunt ſenſus velut quædam portæ, per quas fiunt ingreſſus, & egreſſus hujuſmodi, non inconvenienter corpus ſic vexati hominis dicitur obſeſſum, pro eo ſcilicet, quod prædictas operationes vel admittere, vel omittere non permittatur. Quòd autem hujuſmodi obſidiones ab intus vel univerſaliter, vel ex majori parte fiant, jam manifeſtum videtur, quia in arreptitiis hominibus malignus ſpiritus interdùm loquitur, & ſicut prædixi tibi, aliquandò vocalis differentia eſt inter vocem ipſius hominis arreptitii, & vocem maligni ſpiritus in eo loquen-

H tis. Et dicunt aliqui ſubraucam eſſe vocem maligni ſpiritus, & vocem arreptitii clariſſimam claritate conſueta, & cauſam in hoc eſſe dixi, quia anima humana aptis, & aptatis ſibi naturaliter organis liberius, & convenientius utitur, quàm malignus ſpiritus, qui præter naturam eadem uſurpat, quemadmodùm nos longè melius utimur pedibus, qui nobis naturaliter ſunt, quàm ligni pedibus, & aliis inſtrumentis, quæ in ſupplementum defectus inſtrumentorum naturalium nobis aſſumimus, & aptamus. Non improbabiliter forſitan tamen quis dicat, quia aſſiſtens à foris malignus ſpiritus obſeſſum tenet hominem arreptitium. Manifeſtum enim eſt, quia lupus extra domum exiſtens obſeſſas detinet oves intùs, ita ut exire non audeant, cùm ejus præſentiam ſenſerunt; ſimul enim ſentiunt & rabiem ejuſdem, qua in earum devorationem ſævire paratiſſimus eſt. Quid igitur mirum, ſi anima humana

Digitized by Google

humana maligni ſpiritus ſævitiam ſentiens, ab ea refugit, & ſe totam quaſi intra colligit, nihil ſuum egredi permittens, & hoc non ſentit niſi ſenſu naturæ, quo ovis, vel agnus ſentit lupinam contra ſe rabiem, quam nulla præcedenti experientia cognovit. Interdùm autem, ſi dæmoniacis hujuſmodi creditur, in forma horrifica malignos ſpiritus intuentur, timoreque, & terrore vehementi concuſſi, aſpectu eorum, quo poſſunt, & quantùm poſſunt, ab eis fugiunt. Si quis autem in hujuſmodi dubitatione pertinax fuerit, non volens credere animas humanas ſenſu naturæ poſſe ſentire præſentiam malignorum ſpirituum, attendat hujuſmodi homo, qualiter talpæ ſentiunt cancros fluviales ſuſpenſos in horto, vel in prato, in quo ipſi ſunt, & qualiter ab eis fugiunt, quos indubitanter nec vident, nec alio ſenſu exteriori ſentiunt. Sunt etiam de hujuſmodi alia exempla plurima, de quibus multa in præcedentibus audiviſti. Attendat, qualiter ferrum ſentit lapidem magnetem, vel adamantem, & alia hujuſmodi, quæ vel naturali amore, vel naturali odio ſe invicem ſentiunt, attrahunt, & repellunt. Debes autem ſcire, quòd in poteſtate malignorum ſpirituum interdùm eſt, ut in forma horrifica ſe vel intus, vel foris exhibeant, vel oſtendant. Et propter hoc interdùm liberum eſt eis vel ab intus, vel à foris obſidione hujuſmodi homines obſidere. De eo verò, quod quæritur, ſi à foris obſidere poſſunt, in quanta longitudine hoc poſſint, philoſophia nondùm determinavit, quia neque naturam malignorum ſpirituum, neque malitiam ad liquidum declaravit, neque, quòd eos ad perfectum invenit, adhuc ad me pervenit, certum tamen eſt ſecundùm legem hebræorum, & legem Chriſtianorum, intelligentibus, repreſſam eſſe, atque reſtrictam poteſtatem eorum naturalem, multumque reſtrictam malitiam, atque ligatam. Forſitan autem, quicquid ſit de potentia eorum, & malitia, ſenſus naturæ limitatus eſt, & terminatus in animabus noſtris, quemadmodùm ſe habet in igne, calore, & luce; longius enim poteſt aliquid lucere à loco, in quo eſt, quàm tu poſſis illud videre. Stellæ ſiquidem cæli lucent de altitudine cæli in terra, multi tamen ex hominibus non poſſunt eas de terra videre in cælo; non eſt igitur mirum, ſi ſenſus naturæ brevior ſit, ut ita dicatur, in animabus noſtris, quàm virtus activa, ſive motiva etiam in malignis ſpiritibus. Nemo etiam dubitat, quin rabies lupina interdùm longior ſit, quàm ſenſus naturæ, quem poſui, in ovibus, & agnis, quod eſt in evidenti, cùm latet in inſidiis, tunc enim non videtur ſentiri ab ovibus. Opinor autem, quia ſi multùm propè oves inſidiaretur eiſdem, quòd ſenſu naturæ ſentirent ipſum, & propter hoc quaſi territæ diffugerent. Licet autem propinquitas, & diſtantia nec juvare, nec impedire videantur virtutem apprehenſivam, aut motivam in malignis ſpiritibus, ſenſus tamen naturæ in animabus noſtris ind uvatur, vel impeditur, ſicut manifeſtum eſt, quòd ex præſentia illorum interdùm horrorem vehementiſſimum patiuntur, & hoc per ſenſum, ut dixi, naturæ, nec mirum, quia ex præſentia ipſorum totus locus horribilis efficitur, quemadmodùm ex præſentia ſanctorum, ac beatorum ſpirituum placor, & fulgor & fragrantia redditur. Notum etiam tibi, quia ipſi arreptitii dæmoniaci ex inhabitatione etiam momentanea horrore aſpectus perpetuo notabiles remanent, & hujuſmodi horrorem tanquàm ſignaculum, ſeu veſtigium tam præſentis, quàm præteritæ inhabitationis in eis relinquunt. Et ut ad unum colligam omnia, quæ hîc aggregata ſunt, dico, quia etſi limitata longitudine,

A vel propinquitate, non eſſet potentia, vel malitia malignorum ſpirituum, propinquitate inquam, vel diſtantia corporali, ſenſus tamen naturæ & in corporibus, quæ illo prædita ſunt, & in animabus noſtris limitatus, & terminatus eſt. Et iſtud oſtendi tibi de lapide magnete, & adamante, & ſi creditur magiſtris imaginum, atque præſtigiorum, verorumque virtutis limitibus regionum, ſuper quas vel in quibus fiunt, intra ipſas regiones arctata eſt; adeò ut extra illas, vel ultra, nihil poſſint. Ampliùs. Si malignitas diabolica in quoſdam homines ſolummodò, & non in omnes poſſe permittitur, & quaſi religata omnipotentiſſima creatoris voluntate ab illis prohibetur, quid mirum, ſi de locis, atque temporibus ſimiliter ſe habet, & certo utrorumque ſpatio diffinita, atque concluſa creatoris beneplacito tenetur. Ampliùs De virtute baſiliſci non eſt dubium, quin limitata ſit infra limites viſus ipſius; non enim ad quantumcunque longè vidit hominem, interficit hominem, ſimiliter nec buffo. Qua-

B propter non mirum, ſi malignitas diabolica non ex omni longitudine lædere poteſt vel homines, vel alia animalia; nec opineris tu, quòd ego intendebam æquales eſſe nocendi virtutes malignorum ſpirituum, hujuſmodi animalium, ſed reverà ſimiles ſunt & hoc modo nocendi, quoniàm apprehenſione, & ira nocent ſolummodò, quamvis ſecundùm notam longitudinem, juxta quod prædixi: ut autem de arreptionibus, & vexationibus clarius tibi fiat, ſecundùm quod dixi, attende exemplum, quod dicam Erat quidam arreptitius, & per dies arripiebat eum malignus ſpiritus & euſque dementabat, ut crederet ſe eſſe lupum, in diebus autem arreptionis præcipitabat eum diabolus in locum abſconditum, ibique relinquebat eum, tanquàm mortuum, tempore verò hujuſmodi abſconſionis intrabat diabolus lupum, vel ipſemet in ſpecie lupi oſtendebat hominibus ſe, & faciebat incurſationes terrificas

C contra homines, & animalia, ita ut à facie ejus fugerent, devorari timentes ab ipſo. Erat quoque fama hominem illum lupum fieri per dies, & hoc ipſe homo credebat, ſicut prædixi. Credebat inſuper ſe eſſe lupum illum, qui faciebat incurſationes hujuſmodi, quo audito venit quidam vir ſanctus in regionem illam, in qua hæc fiebant, prædicavit hominibus non eſſe verum, quòd de homine illo credebant, videlicet, quòd lupus fieret, adductuſque ad locum, in quo jacebat quaſi mortuus, oſtendit hominem populo, qui venerant ad hujuſmodi ſpectaculum, atque coram hominibus eo excitato, & à vexatione hujuſmodi liberato, oſtendit ei lupum, & aſtantibus quem homo ille credebat ſe eſſe, ſicut etiam ipſe coram omnibus, qui aderant, confeſſus eſt. Vides igitur in hoc exemplo, qualiter imago lupi, quam in organo imaginationis

D ſpiritus ille malignus impreſſerat, hominem illum à ſe ipſo abſtraxerat, & in ipſum lupum ſic traxerat, ut nihil de ſubſtantia ſua, vel eſſe ſuo, aliud ipſi credere, vel cogitare liceret, niſi quòd ipſe eſſet lupus ille. Vides etiam in majori parte hominum, quomodò adeò à ſe ipſis abſtracti ſunt, & in corpora ſua tracti, atque demerſi, ut nihil de parte ſua ſpirituali, id eſt, anima, quæ præcipua eſt pars illorum, ſentiant, vel credant, aut etiam cogitent, nec aliud ſe eſſe credunt, quàm corpora, quoniàm non aliud de ſe ipſis vel cogitant, vel noverunt. In hoc quoque exemplo illud attendere debes, quòd in lupo illo erat malignus ſpiritus, qui eum prædictis incurſationibus exagitabat; impreſſio verò arreptitia, quæ hominem illum, quaſi mortuum, effecerat; & in illud deliramentum rapiebat, ut lupum ſe eſſe crederet, in homine illo erat in

Digitized by Google

organo, ſcilicet imaginationes ipſius, quam impreſſionem, non ut ſignum, propter vehementiam, & profunditatem ipſius, ſed ut rem ipſam, hoc eſt, ut ipſum lupum, apprehendebat, hoc eſt, imaginabatur, nihil aliud de eſſe ſuo, ut dixi, apprehendere, vel cogitare valens. Erat igitur in ſomno vehementer fixo, & profundo. Si quis autem dicere voluerit, econverſò rem ſe habuiſſe, videlicet malignum ſpiritum in homine illo tunc extitiſſe, impreſſionem verò fantaſticam in lupo, per quam prædictis incurſionibus exagitabat, non eſt opus, ut diſputatione contendam; utrumque enim poſſibile erat maligno ſpiritui, videlicet & hominem ſola impreſſione fantaſtica tali ſomno, & ſomnio ſic ligaſſe, & etiam lupum ſimili impreſſione exagitaſſe. Jam igitur tibi manifeſtum eſt, quid poſſint impreſſiones hujuſmodi etiam in hominibus ſanis, quemadmodùm evidenter vides in ſomniis, ubi non minus movent ſpiritualiter ſomniantes quàm veritas ipſa moveret, & intendo motus ſpirituales, dolores, & gaudia, amores, & iras, & alia hujuſmodi, quæ vocat Ariſtoteles paſſiones: non enim in fantaſmatibus ſe eſſe, vel cum illis ſe agere putat ſomnians, ſed cum ipſis rebus, & cum ipſa veritate, quoniàm ipſa fantaſmata, non ut fantaſmata, ſed ut res ipſas conſiderans, intuetur. Adjuvabunt te plurimùm ad hoc, ut iſta omnia lucidiùs, & liquidiùs videas, exempla ſomniorum tuorum, & aliorũ, ſi conſiderationem in illis feceris diligentem. Videtur autem mihi, quia de rebus iſtis, hoc eſt, de arreptionibus & vexationibus dæmonum, tibi debeant ſufficere, quæ audiviſti; quòd enim interdùm flagellant homines, interdùm lapidibus obruunt, interdùm occidunt, ad unum ex ſequentibus capitulis pertinet, in quo intendo facere te ſcire, qualiter vel lapides jaciunt, vel gladiis uti poſſunt, vel homines ipſos portare, aut ſaxa grandia, interdùm autem & partes domorum rapere, & exportare.

CAPUT XIV.

De pace inter ſe dæmonum, & an inferiores ſuperioribus pacificè obediant.

POſt hæc igitur aggrediar de poteſtate malignorum ſpirituum diſputare, quam ſcilicet habet in eis princeps eorum, vel majores eorum in minores, & qualiter exerceant eam in ipſis, videlicet qualiter coërceant eos, aut torqueant, ſi juſſa eorum non adimpleverint: nec non & de pugna & modis præliandi, quibus ſancti, ac beati ſpiritus adverſùs eos præliari dicuntur. Et primùm quidem illud determinandum videtur, an ipſi pacem habeant ad invicem. Manifeſtum enim eſt ventum ſuperbiæ, quo omnes illi inflatiſſimi ſunt, turbinem, & quaſi tempeſtatem turbationis inter omnes ſuperbos ſemper efficere, & hanc eſſe perverſitatem ſuperbiæ, ut ſemetipſam in aliis impugnet, cum contrario verò ſuo, id eſt, humilitate, pacem habeat, juxta ſermonem ſapientis, quo dixit: Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt. Deinde cùm ira, velut tempeſtas quædam ſpiritualis ſit, qualiter inter extremæ iracundiæ ſubſtantias pax eſſe poterit, cùm iracundus nec ſecum pacem habere valeat? Iracundus enim, ut ait Socrates, cùm aliis iraſci deſierit, ſibi ipſi iraſcitur. Ampliùs. Iracundia, & pax contraria ſunt, quemadmodùm tempeſtas, & tranquillitas: quia igitur manifeſtum eſt apud ipſos iracundiam non qualemcunque, aut quantamcunque, ſed vehementiſſimam, & turbulentiſſimam apud illos eſſe, conſequens videtur nullam pacem apud illos eſſe, ſed potiùs turbulentiſſima inquietudine unumquemque illorum in ſe, & ad invicem exagitari. Ampliùs. Si pax apud illos eſt, erit ex neceſſitate & patientia, quam manifeſtum eſt & pacis eſſe cuſtodem, nec qualiſcunque, aut quantacunque, ſed miranda, & ſuper humanam menſuram; grave enim eſt ſaxum, ut ait ſapiens, & onerosa arena, ſed ira ſtulti utroque gravior, & iterùm, impetum ſuſcitari ſpiritus quis poterit ſuſtinere? Ampliùs. Si omnis ſuperbus jugum omnis alterius abjicit, illud ferre non ſuſtinens, qualiter ſuperbiſſimi illi ſpiritus jugum ſibi præſidentium ſuſtinent? neceſſe enim eſt, ut vel inviti, vel voluntarij, ſuſtineant illud: quòd ſi inviti, obtrectant igitur, & rebellant contra ſuperiores ſuos pro viribus, præſertim cùm illi avidi adeò, ferventeſque amatores ſint dominationis: quare rebellant univerſaliter omnès contra principem ſuum maximum, & quicunque apud eos ſubditi ſunt aliis, contra ſuperiores ſuos. Aut igitur jam dejecerunt eum milleſies à principatu ſuo, & dominatione, ſi viribus illi prævalerent, aut ſi ipſe prævalet omnibus, neceſſe eſt eum plus per ſemetipſum ſolum, quàm omnes illos poſſe, cùm omnes & ſinguli adverſentur eidem: eadem enim cauſa omnes illos, & ſingulos, concitat contra illum. Quis autem hæc dicere audeat, ut iſte ſolus potentia, & viribus tot, & tanta millia fortiſſimorum, ac potentiſſimorum ſpirituum ſuperet? in rebus enim ejuſdem ſpeciei non invenitur, ut unum individuum plus poſſit naturaliter omnibus aliis ſimul aggregatis, ſicut unus homo omnibus hominibus, aut unus equus omnibus equis. Quòd autem unus homo omnibus hominibus imperat, non ex natura hoc eſt, neque potentia regis, aut imperatoris in eo, quod rex, aut imperator hominum, ſed hujus cauſa nihil aliud eſt, quàm voluntas, aut obedientia hominum. Quapropter ceſſante illa, videlicet obedientia hominum, ceſſat & illa poteſtas, propter quod non plus poteſt, quàm unus homo, cùm extra ſe nihil poſſit, non poteſt inquam plus, quàm unus homo æquè fortis viribus illis. Ampliùs. Si jugum creatoris juſtiſſimum, jugum inquam dominationis ipſius ferre recuſaverunt, & ad hæc pro viribus ferre detrectant, qualiter jugum ſæviſſimi tyranni, principis videlicet ſui vel voluntarii ſuſtinent? Ampliùs. Qualiter ab ira, & odio invicem ſibi cavent? Amicitiam enim & pacem inter ſuperbos ſuperbia non patitur: quòd ſi ira, & odio contra ſe invicem exardeſcunt, neceſſe eſt illos bello perpetuo, & jugibus præliis ſe invicem oppugnare: Erit igitur inter eos bellum, nec pace ſedabile, nec treuga ſuſpenſibile. Sequitur etiam ex hoc, ut unuſquiſque contra omnes, & omnes contra unumquemque, & ſinguli contra ſingulos inceſſanter pugnent. Quòd ſi pax, & amicitia, & benevolentia inter eos eſt, ira verò eorum, & odium ſolummodò contra Deum, & homines inardeſcunt, qualiter erit hoc, ut minores eorum majoribus ſuis non invideant, & non doleant prælatos eſſe ſibi, quos deteriores, quàm ipſi ſunt, eſſe conſpiciunt, & principatibus indigniores? Hoc enim non eſt mediocris, aut parvæ humilitatis, immò laudis, atque præſtantiæ, videlicet patienter ſuſtinere deteriorem ſe ſibi eſſe prælatum: qualiter igitur ſuperbi reputari poſſunt, qui patienter ſuſtinent omnium inter ſe viliſſimum, ac indigniſſimum ſibi eſſe prælatum; quantò enim quis pejor, & nequior eſt, tantò omniũ principatu, & prælatura indignior. Quapropter ipſe princeps eorum, ſicut eſt omnium peſſimus, atque nequiſſimus, ſic eſt & principatu, quem obtinet, indigniſſimus. Quanta igitur eſt humilitas eorum, qua miſerrimum, ac viliſſimum inter ſe, non ſolùm non dolent eſſe prælatum, ſed etiam per omnia humiliter ei, ac reverenter obediunt.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Quomodò maligni ſpiritus inter ſe ſint pacati, & obediunt principi ſuo in deſpectum creatoris, & num poſſent rebellare ſuo principi.

HÆC igitur conſideranda ſunt tibi in primis, juſtitia creatoris, quæ non immeritò nequiſſimo, ac ſæviſſimo tyranno eos ſubjici voluit, qui mitiſſimum nobiliſſimæ ſervitutis ejuſdem jugum damnabiliſſimè abjecerunt. Deinde conſideranda eſt tibi nequitia ſuperbiæ eorum, quæ non meliùs, aut convenientiùs puniri potuit, quàm ſubjectione turpiſſima quâ viliſſimo omniũ eorũ ſubjecti ſunt. Nulla enim pœna juſtior eſt tam iniquæ excellentiæ, quàm viliſſima conculcatio, quâ à viliſſimo, abominabiliſſimoque principe ſuo nequiſſimè opprimũtur. Tertiò odiũ, & ira, qua in creatorem benedictũ, & homines exardeſcunt, tibi attendenda eſt. Illa namque duo pacatos eſſe ad invicem hoc modo efficiunt, ut ſe invicem non impugnent, quin potiùs ſe ad invicem coadjuvent in impugnationem noſtram. Et hoc apud nos etiam frequenter experiri potuiſti, quòd inimicitia unius inimicos illius plerunque conciliat, & concordat; non enim leve, aut modicum beneficium reputat inimicus alicujus impugnationem illius, licet propter ipſum, ſive ab ore ipſius fiat. Ex his igitur advertere potes, ex qua affectione, vel intentione nequiſſimo principi ſuo obediant, videlicet in odium creatoris, & hominum. Et ex eadem cauſa contra eundem rebellare nolunt, etiamſi poſſent, non poſſunt autem, cogente eos creatoris juſtitia, & ligante, ne contra principem aliquid poſſint. Manifeſtum igitur eſt, quia non cogeris per ea, quæ præceſſerunt, concedere, vel confiteri patientiam, vel humilitatem, apud eos eſſe, vel in ipſis; ſimiliter neque pacem, aut amorem; cùm præter iſtas virtutes, & ſine illis, & obedire principi ſuo, & impugnationem noſtram poſſint ex cauſis, quas dixi, & ſe invicem concorditer adjuvare. Cauſæ autem iſtæ ſunt ira, & odium, & malignitas eorum in creatorẽ benedictũ & homines. Quòd ſi quis quærat an amor, & pax, ſit apud eos, vel inter eos, naturaliter quippe ſe invicem dilexerunt: qualiter igitur naturalis dilectio, & quam ob cauſam extincta eſt in ipſis; & eodem modo de pace eorum invicem quæri poteſt: Dico, quia quemadmodùm videtur in hominibus, iram, & odium, ſuperbiam, invidiam, & alias hujuſmodi peſtilentiſſimas paſſiones, naturalem dilectionem, adeò impedire, & quaſi ſuffocare ut vix ex ea modicus igniculus, aut ſcintilla tenuiſſima boni deſiderii, ex illa emittat actum; ſic non eſt tibi mirandum, ſi vehementia malignitatis hujuſmodi ſpirituum non permittit eos bonum velle, vel deſiderare in alterutrum, ſed nec etiam cogitare; præſertim cùm adeò illos occupet, poſſideatque malignitas, ut penè nihil, ſi tamen eis aliquid bonæ affectionis reliquerit. Et hoc ipſum tibi manifeſtum eſt in hominibus, quos ira vehementer exagitat, qui dùm in eos, quibus irati ſunt, ſæviunt, nec de ſeipſis, nec de illis, quod homines ſint, prævalent cogitare, nec de creatoris juſtitia, vel judiciis. Veriſſimè tamen de his ſermone prophetico dictum eſt. Quia non eſt timor Dei ante oculos eorum; ſimiliter neque amor. Nec mirum ſi omnes bonæ affectiones vel ſopitæ, vel etiam in eis extinctæ ſunt, quia tanta perverſitate à naturali bonitate ſua alienati ſunt, ut ipſum fontem bonitatis, creatorem ſcilicet benedictum, & odire potuerint, & adhuc poſſint, quemadmodùm ſermone prophetico dictum eſt, ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit

A ſemper. Quòd ſi quis quærat, utrùm pietate, vel compaſſione aliqua moveantur inter alterutrum, cùm alteri aliorum miſerias, tormentaque, cognoſcant, & quibus in præſenti torquentur, & quibus in futuro judicio cruciandi ſunt. Non aliud videtur mihi reſpondendum in hoc, niſi quòd unus eorum in quadam apparitione reſpondiſſe dicitur de ſeipſo, videlicet, quia pietatem nunquàm habuit. Tu jam noſti multiplici experientia, quòd paſſiones, quas nominavi tibi, vel ſopiunt, vel extinguunt funditùs bonas affectiones in eis, quos arripuerunt, ſicut manifeſtum eſt tibi de invidia: videlicet, quòd amorem invidentis in eum, cui invidet, nullum eſſe patitur; niſi quis dicat amorem ipſum potentiam amandi naturalem, quæ etſi radicaliter in illis remanet, adeò læſa, adeòque impedita eſt, ut fructus debitus ex ea naſci, vel exire non poſſit. Habet inſuper hujuſmodi potentia fortiſſima impedimenta cruciatuum, quos patiuntur. Ampliùs. Si immenſa, & incogitabilis bonitas creatoris non
B movet eos, ſive excitat in eis dilectionis ſaltem naturalis, affectum, quomodò quæ in infinitum minora ſunt, ſufficient vel illum, vel qui pietatis eſt, affectum excitare in illis? Quòd ſi quis quærit, ſi rebellare vellent omnes contra principem ſuum pro iniquitatibus, & malignitatibus ipſius, utrùm in hoc haberent creatorem adjutorem aut ſaltem non adverſarium? cùm enim creator optimus, ac benedictus, malignitatem eorum, & malitiam oderit, in hoc uno proculdubiò cum ipſo eſſent, quòd illam in principe ſuo perſequerentur. Quare juxta ſermonem propheticum eſſet ipſe creator cum eis in negotio eodem. Dicit enim Propheta quidam ad populum Hebræorum: Dominus vobiſcum, quoniàm fuiſtis cum eo. Dico igitur in hoc, quia ſi rebellarent adversùs principem ſuum propter dictas
C cauſas, aut deſererent ipſi ſuas malignitates, ſive malitias, aut non deſererent illas. Quòd ſi deſererent eas, indubitanter creator eſſet etiam cum eis adjutor in negotio perſecutionis illius. Verùm hoc non eſt eis poſſibile propter radicationem & profundationem malignitatis in ipſis. Scito tamen, quòd impoſſibilitas hæc non excuſat eos à malitia, vel culpa, & hoc eſt, quoniàm voluntaria eſt non ſolùm quoniàm per voluntatem ſuam ſe induxerunt in illam, ſed etiam cum voluntate mali, & mala, in eis eſt. Impoſſibilitas autem excuſat, ubi contraria eſt, voluntati, videlicet ubi voluntas eſt per impoſſibilitatem prohibita, vel impedita. Verùm apud eos, ſicut impoſſibile eſt eis malitiam deſerere; ſic & voluntarium eſt eiſdem perſiſtere in eadem. Quapropter, cùm quoſdam in ipſis, atque ſe invicem coadjuvant, malignandi neceſſitas, ſive non mali-
D gnandi impoſſibilitas, & malignandi pertinaciſſima voluntas, non eos excuſat, cùm eis non diſplicet.

CAPUT XVI.

Quâ poteſtate ſuperiores dæmones coërcent vel ſubjiciunt minores, & Angeli ſancti dæmones quoſcunque.

POſt hæc autem conſequenter incipiam declarare majorum hujuſmodi ſpirituum coërtiones in minores, quod reverà non levem habet diſputationem, & deinde de pugna eorum, & rebellione, ſi quæ ſint eis ad invicẽ, vel contra beatos, ac ſublimes ſpiritus. Quod enim in viſione apparuit, de qua feci tibi in præcedentibus mentionem, videlicet, in qua princeps malignorum ſpirituum quendam ex ſubditis ſuis & durè increpaſſe, & dirè flagellaſſe, viſus

Digitized by Google

eſt pro eo, quòd parva, & pauca mala irrogaſſet hominibus, rudes, & imperitos in errorem inducere poteſt, quo credant corporalibus flagellis torqueri poſſe hujuſmodi ſpiritus. quod indubitanter impoſſibile eſt. Cùm enim nec humeros, nec dorſa habeant, nec alias partes hoc modo paſſibiles, manifeſtum eſt ſecundùm veritatem eos non eſſe per modum iſtum flagellabiles. Ampliùs Cùm omninò intangibiles ſint à corporibus, à flagellis autem pati non ſit poſſibile, quod ab ipſis eſt intangibile; relinquitur evidenter ipſum non ſic fuiſſe flagellatum, nec aliquem illorum per modum iſtum eſſe flagellabilem. Quare manifeſtum eſt in viſione ſolummodò iſtam flagellationem fuiſſe, niſi fortè quis dicat juxta illud, quod audiviſti in præcedentibus, quia ex ordine divinæ juſtitiæ ſubjecti ſunt corporibus, & paſſibiles ab eis effecti, qui creatori altiſſimo ſubjecti eſſe iniquiſſimè noluerunt, & ob hanc cauſam igni gehennali, qui utique corpus eſt, ſubditi ſunt ad torquendum. Quid ergo mirum, ſi ex ejuſdem juſtitiæ æquiſſimo ordine etiam flagellis corporalibus ſubjecti ſunt cruciandi. Et hoc quidem non improbabiliter dicat quis. Quòd ſi in viſione tantùm flagellatio fuit hujuſmodi, inſinuata eſt intelligentibus viſione illâ divinæ bonitatis pietas, quæ voluit innoteſcere hominibus ſæviſſimam iram principis illius malitiæ, quæ tantâ crudelitate iraſci potuerit illi ſatelliti ſuo pro eo, quòd tam parùm nocuiſſet hominibus; quantùm igitur in hominum perniciem exardeſcit? Quòd ſi eorum, quæ præceſſerunt, benè meminiſti, manifeſtum tibi fiet etiam ſine inſtrumentis corporalibus, & etiam ſpiritualibus, beatos, ac ſublimes ſpiritus malignos ſpiritus poſſe torquere & etiam ligare, atque recludere. Si enim ea eſt virtus quarundam animarum, ut etiam homines abſque ullo inſtrumento tam corporali, quàm ſpirituali, torqueant, & eos utique innocentes & bonos; quantò fortiùs eam poterit poteſtas beatorum. ac ſublimium ſpirituum in malignos ſpiritus, ut ad eos torquendos, nullis inſtrumentis indigeant, & hoc quidem manifeſtum eſt in hominibus, qui dicuntur faſcinantes. Faſcinare enim proculdubiò eſt torquere; eſt enim tanquàm faſce ſuperimpoſito hominem aggravare, unde & faſcinus dicitur. Hæc autem paſſio non infligitur aliquo inſtrumento corporali, ſed ſolâ paſſione, quæ in anima eſt faſcinãtis, & hoc eſt vel ira, vel invidia, vel forſitã amor nimius, de quo interdũ procedit nimia laudatio: ex hujuſmodi namque laudatione homines dicuntur faſcinari. Reminiſci etiam debes piſcis, quem vocant Echeneidem, ſeu Remoram, qui adhærentiâ ſuâ navem ligat, atque detinet immobilem, adeò ut nullo impetu ventorum moveri poſſit; quod indubitanter nullâ virtute corporali ipſius fieri poſſibile eſt, quapropter virtute ejuſdem, ſpirituali videlicet, quæ in anima ejus ſit, hoc fieri poſſe eſt neceſſe. Quid ergo mirum, ſi ſublimes illi, ac beati ſpiritus virtute ſuâ tenere ligatos poſſunt malignos ſpiritus? Si enim in hujuſmodi ligationem, ſive ligaturam poteſt anima brutalis corpori alligata: quantò fortiùs in ligationes malignorum ſpirituum potens erit virtus libera ſpiritualis, & ſublimis? Ampliùs. Si anima baſiliſci potens eſt in tormentum, & læſionem humanarum animarum uſque ad mortem corporum: quantò fortiùs virtuoſiſſimi illi, ac ſublimes ſpiritus poterunt in tormenta, & cruciatus malignorum ſpirituum? Ampliùs. Si malitia, vel malignitas baſiliſci poteſt in innocentiam, & bonitatem hominum, in tormentum, ac etiam mortem eorum: quantò fortiùs ſanctitas, & virtus beatorum ſpirituum poterit contra ma-

E litiam ipſorum ad eam coërcendam, & reprimendam? Ampliùs. Quomodò autem ſuperiores eis erunt, niſi ſint & potentiores eiſdem; & quomodò potentiores niſi ſint & fortiores, quàm ipſi: qualiter erunt fortiores, quàm ipſi, ſi nihil poſſunt in læſionem eorum? Ampliùs. Quæ erit iſta eorum prælatio, niſi annexa fuerit eis coërtio, atque repreſſio ipſorum Quia igitur nulla eſt virtus ſanctis & beatis ſpiritibus, niſi ſpiritualis, & hæc nonniſi apprehenſiva, vel motiva ſpiritualis, neceſſe eſt igitur alterutra virium iſtarum, aut ambabus ſimul eos poſſe coërcere, atque reprimere malignos ſpiritus. Ampliùs. Reminiſcere exempli, quod prædixi tibi de illo, qui imaginando caſum cameli, ſolâ imaginatione hujuſmodi dejecit illum. Quid igitur mirum, ſi vis intellectiva in ſanctis, ac ſublimibus ſubſtantiis, multò majora poteſt, ſive ſuper malignos ſpiritus, ſive ſuper alia, animalia ſcilicet, & corporalia; cùm etiam naturaliter vis intellectiva incomparabiliter nobilior,
F ac fortior ſit, quàm virtus imaginativa. Ampliùs. Non ignoras famoſiſſimum eſſe, leonem rugitu ſuo ligare cætera animalia, ut eo audito, quaſi fixa ſe teneant, pedes ad greſſum ulteriùs non moventia, donec ceſſaverit in eis memoria, vel timor, vel alia paſſio, quæ illa ſic à motu prohibuit & fixit. Quid ergo mirum, ſi præpotentes, atque fortiſſimæ illæ ſubſtantiæ ſono ſpirituali aut alio motu ſuo, ligant ſpiritus malignos, ut nihil poſſint contra voluntatem eorum facere? Ampliùs. Reminiſcere exemplum de animali quod vocatur torpedo, quod vel imaginatione ſuâ, vel aliâ paſſione ſuâ ſpirituali, ligat hominum membra: quantò fortiùs igitur diſpoſitiones illarum ſubſtantiarum ſublimium potentiores erunt in ſpiritus malignos ligandos coërcendos, reprimendos, & etiam torquendos? Potiſſimùm autem attendenda eſt tibi ſimilitudo imperioſiſſimæ, omnipotentiſſimæque virtutis creatoris, quam ſubſtantiæ illæ habent ad ip-
G ſum, & quâ relucent ad eundem, tanquàm ſpecula nobiliſſima, atque clariſſima pulchritudinis ipſius: quemadmodùm enim in ſubditis omnibus, hoc eſt in tota univerſitate creaturarum fit voluntas ipſius, hoc eſt, impreſſiones, & paſſiones, & quæcunque alia juxta nutum, & beneplacitum ipſius; ſic & in eis omnibus, quæ ſubdita ſunt ſanctis, ac beatis ſpiritibus, fiunt paſſiones, & impreſſiones juxta imperium voluntatis ipſorum. Hujuſmodi exemplum eſt in anima humana, & in omni alia. Ex ſimilitudine namque, quam habet ad fontem vitæ, qui eſt creator benedictus, exeunt influentiæ vitæ, atque vitalium radiorum, in corpora ſua, & partes eorum. Quòd ſi dixerit quis, quia meritò effluunt influentiæ vitales ab anima humana, & ab omnibus aliis animabus in corpora, quæ eiſdem conjuncta ſunt, non autem extra: Reſpondeo in hoc, quia quod hujuſmodi animæ poſſunt in corpora ſibi conjuncta per hujuſmodi conjunctionem; hoc, & ampliora poſſunt illæ ſubſtantiæ beatæ per fortitudinem, atque perfectionem ſuam, per quam liberæ ſunt, & non indigentes hujuſmodi corporibus. Et jam audiviſti pluries eas locutas fuiſſe, non ſolùm in hominibus, ſed etiam in aliis animabus, ſicut in aſina, prout in lege legitur Hebræorum; & de camelo, quod legitur in miraculis Chriſtianorum. In hujuſmodi autem locutionibus nulli dubium eſt, quin uſæ ſint partibus corporum, quibus voces formantur. Quapropter manifeſtum eſt tibi per exempla hujuſmodi, quòd ſublimes, ac beatæ ſubſtantiæ ea poſſunt in corpora animalium, & in partes ipſorum, quæ animæ illorum poſſunt in ipſa,

Digitized by Google

in ipſa, & in partes ipſorum. Quòd ſi quis excipere voluerit influentiam vitæ, dicens, quia vitam influere non poſſunt corporibus animalium ſubſtantiæ hujuſmodi, erunt qui eis contradicent, videlicet, qui putant eas pluries aſſumpſiſſe humana corpora, & per ſemetipſas illa vivificaſſe abſque auxilio animarum. Veriſimile tamen eſt longè nobiliorem, longéque remotiorem à natura corporum animalium, vitam hujuſmodi ſubſtantiarum, quàm vitam humanarum animarum, & multò fortiùs, quàm aliarum; atque propter hoc non eſſe idonea corpora animalium ad ſusceptionem influentiæ, quæ ex vita illa ſublimi, ac nobili effluat; quemadmodùm corpora brutorum animalium, aut ſubſtantiarum vegetabilium, videlicet plantarum, nullatenùs idonea ſunt ſuſcipere influentiam vitæ, quæ ex animabus noſtris effluat. Fortaſſis autem Philoſophi, qui cælis animas eſſe poſuerunt, angelicas eas animas vocaverunt, & corpora cœlorum crediderunt idonea B ad ſuſcipiendam influentiam vitæ illius tam nobilis. Verùm ſi diligenter attenderis ea, quæ dicta ſunt tibi in præcedenti capitulo, non videbitur tibi verum animas cœlorum, ſi quæ ſunt illis, paris nobilitatis eſſe cum ſubſtantiis ſeparatis: alligatio enim animarum ad corpora de imperfectione ipſarum eſt, & indigentia, quâ indigent aliquibus perfectionibus, quæ eis non acquiruntur, niſi per corpora, ſeparatio verò id eſt, ſeorſum natas eſſe à corporibus, ex perfectione eſt ipſarum ſubſtantiarum hujuſmodi, quæ prohibet eas indigere corporibus, & perfectionibus, quæ per corpus acquiruntur.

CAPUT XVII.

Quomodò veris pœnis corporalibus, & ſpiritualibus torquentur dæmones, & quòd inter Angelos ſanctos non eſt diſcordia. C

REvertar igitur ad id, in quo eram, & dicam quia quemadmodùm creator excelſus, & benedictus, adimplet omne beneplacitum voluntatis ſuæ intelligendo, & volendo ſolummodò, quod eſt dicere, nihil aliud omnimodè agendo, neque agere indigendo: ſic hujuſmodi ſubſtantiæ ex ſimilitudine perfectionis, atque virtuoſitatis, quam habent ad creatorem, intelligendo, & volendo tantummodò perficiunt beneplacitum voluntatis ſuæ in omnibus, quæ ordinatione creatoris eiſdem ſubjecta ſunt, cùm non ſit eis alia virtus operativa naturaliter data ad operandum in illa ſine voluntate ſua, ſive juſſu creatoris, à qua volita illorum nunquàm diſcrepant, aut diſcordant. In coërcendo igitur malignos ſpiritus non eſt eis neceſſarium aliud juvamen, præterquàm virtutes D illorum; intellectiva ſcilicet, & motiva, ſimiliter nec in reprimendo, nec in torquendo: & hoc, ſicut prædixi, eſt eis naturaliter ex ſimilitudine, quam habent ad perfectionem ſupereminentiſſimam creatoris. cum quo eſt eis virtus, ac poteſtas multò præſtantior, multóque fortior ex præcellentia gloriæ, quæ incomparabiliter omni præſtantiâ ſupereminet naturæ. Cum his etiam omnibus eſt invictiſſima virtus ex mandato, & voluntate creatoris, ſine quo nihil agunt, nihil aggrediuntur. Jam autem didiciſti in prima parte ſcientiæ iſtius ſapientialis, ac divinalis, voluntati, & beneplacito creatoris nihil in univerſo poſſe reſiſtere, nihil penitùs contraire. Exemplum autem hujuſmodi expreſſum habes, & evidens in milite deferente mandatum Regis ſui, vel Principis, cui A propter mandatum Regis, & potiſſimùm in his, quæ ad mandatum pertinent, ſubditi Regis illius obediunt: ſic omnes maligni ſpiritus neceſſe habent obedire ſanctis, ac beatis ſubſtantiis, quas nihil velle imperare cognoſcunt certiſſimè, niſi quòd ex creatoris voluntate, & beneplacito acceperunt, à quo & virtutem eis eſſe ſentiunt ad ipſos cogendos ad omnia, quæ juſſerint, vel voluerint. Quòd ſi quis quærat, cujuſmodi pœnas malignis ſpiritibus infligere poſſunt, ſi contra voluntatem vel mandatum eorum rebellaverint. Dico quia veriſimile eſt, quòd etiam materiales eis infligere poſſunt, poſtquàm ordine divinæ juſtitiæ in tantam miſeriam dejecti ſunt, ut à corporibus patiantur. Si enim paſſibiles ab igne materiali juſtiſſimo judicio creatoris effecti ſunt, cur non ſimiliter & ab aqua, & ab aëre, & à terra paſſibiles erunt ejuſdem ordine juſtitiæ? Sed & in miraculis Chriſtianorum leges alios ex ipſis immerſos lacubus, & aliis aquis, ubi uſque hodie dant certiſſima indicia præſentiæ ſuæ, præſertim cùm injectu lapidis, aut motu, vel ſonitu aliquo provocantur. Infernus quoque, qui locus eſt proprius tormentorum, & malignis ſpiritibus propriè præparatus, non ſolùm ignem habet cruciatuum, ſed etiam aquam, juxta ſermonem Sapientis, qui dicit: Tranſibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Cur autem aër, & terra pœnales non ſint apud inferos in vindictam, ob injuriam creatoris contra impios juxta ſermonem ſapientis, quo dictum eſt: Pugnabit cum eo orbis terrarum contra inſenſatos? Quod indubitanter non ſolùm de uno elemento, nec de una ſola parte orbis dictum eſſe putari poteſt à rectè intelligentibus; ſimiliter neque illud quod conſequenter in ejuſdem Sapientis ſermone ſubjungitur, videlicet: Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, non ſingulariter de una ex creaturis accipitur ſermo iſte, ſicut nec ille alius ejuſdem ſapientis ſermo, quo dixit in eodem libro, loquens ad creatorem: Creatura exardeſcit in iram adverſùs impios, & levior fit ad benefaciendum pro his, qui tibi ſerviunt. Cauſa enim communis eſt omnibus creaturis, videlicet excandendi adversùs impios, & eſſendi levior ad benefaciendum pro his, quæ creatori ſerviunt. Similiter eadem cauſa eſt creatori armandi omnes ad ultionem inimicorum, & armandi unam. Quapropter ad omnes creaturas extenditur armatura iſta in ultionem, & excandeſcentia iſta in iram. Manifeſtum eſt tamen eſſe ſpirituales pœnas, & tormenta graviſſima, quibus cruciantur maligni ſpiritus à ſanctis, & beatis ſubſtantiis & quàm gravis ſit cruciatus pudoris, ſive erubeſcentiæ, & confuſionis, manifeſtum eſt unicuique in ſemetipſo. Vix enim invenies hominem rationabilem, qui non mallet ſuſtinere magnum cruciatum corporis, quàm parvam confuſionem, ſeu erubeſcentiam. Vides etiam, quòd maximarum voluptatum carentiam multi ſuſtinere præeligunt verecundiæ, nam maximam volùptatem inter corporales reputant veneream, quâ multi magis carere volunt, quàm incurrere infamiæ verecundiam, vel unius hominis aſpectum, ac ſcientiam. Quis enim non verecundetur, & præ verecundia non dimittat in conſpectu unius hominis turpiſſimam luxuriæ voluptatem, ſed & ipſius concupiſcentiæ ardores ſuſtinere non præferat verecundiæ hujuſmodi voluptatis? quos quidem ardores perferre, quàm durum, quámque moleſtum ſit, pauciſſimi de hominibus ignorant. Nec oportet, ut modos, & cauſas verecundiarum hìc tibi deſcribam, aut numerum, cùm notum ſit tibi, quantùm verecundetur

Digitized by Google

eſſe ſub hoſte, qui vincitur; ſimiliter & fur, cùm
deprehenditur, juxta ſermonem Prophetæ: ſimili-
ter & qui in facto turpi quolibet invenitur, niſi qui
jam theſaurum pudoris amiſit, & cui, juxta ſermo-
nem creatoris per Prophetam, frons mulieris me-
retricis facta ſit, ut erubeſcere non ſciat. Nec dubi-
tas irriſionem, & illuſionem verecundias graves
ingerere, ſeu incutere his, qui irridentur, vel illu-
duntur, niſi jam effrontes, & impudentes effecti
ſunt. Nemo autem eſt, qui ignoret beatos, ac ſubli-
mes ſpiritus irridere poſſe, & illudere malignos,
quos vident ab infirmiſſimis hominibus tam ſæpè,
tamque multipliciter vinci. Noſti etiam, quantus
dolor ſit iracundi furentibus, quoties impediuntur
explere furores. Hoc autem inceſſanter contingit
malignis ſpiritibus, qui tanta rabie iræ excandeſ-
cunt in homines, aut graſſantur, cùm à beatis ſpiri-
tibus impediuntur, & prohibentur. Hujuſmodi
autem tormenti exemplum evidentiſſimum eſt in
leonibus, aliiſque rapidis, ac rabidis beſtiis, quæ
tanto dolore torquentur, tantoque furore iracun-
diæ cruciantur, quoties præda ſua de faucibus ea-
rum eripitur: quanto igitur cruciatu putandæ ſunt
torqueri beſtiæ iſtæ ſpirituales id eſt, maligni ſpi-
ritus, qui tam implacabili odio, & ira homines
perſequuntur, quoties à ſua ſævitia, & rabie, per
ſanctos, ac beatos ſpiritus compeſcuntur? Leones
ſiquidem, & urſi, cæteræque beſtiæ rapaces nulla
ira, vel odio prædas ſuas perſequuntur; ſed, ut eſ-
cam ſuam, vel alimentum vitæ ſuæ, illas rapiunt;
quemadmodùm neque nos in ea, quæ in cibum ſu-
mimus, ullo odio, vel ira movemur, neque inten-
tio noſtra eſt in comedendo nocere ipſis, ſed ſolum-
modò comedendo prodeſſe nobis. Ampliùs. Si viri
ſancti dilecti, & electi Dei, ſolo imperio coërcent
eos, & compeſcunt à ſævitiis ſuis, ejiciuntque eos,
& extrahunt de regionibus, & hoc ſola virtute,
vel poteſtate gratiæ, quâ Dei ſancti, & amici præ-
diti ſunt; quantò fortiùs utraque poteſtate naturæ
videlicet, & gratiæ ſancti, ac beati ſpiritus hoc po-
terunt in eos? idem de tormentis, ligationibus, &
eadem ratione tibi ſentiendum eſt. Et ſicut ſæpè
prædixi tibi, miracula gentis Chriſtianorum, &
etiam gentis Hebræorum, juvabunt te ad omnia hæc,
quæ audiſti hîc, ſi in eis diligenter attenderis. Ex his
quoque patefactum eſt tibi de pugna malignorum
ſpirituum contra ſanctos, & beatos, ſi qua eſt, vel
eſſe poteſt inter eos. Impoſſibile namque eſt ut
equis, vel armis inter ſe pugnent, Non enim poſſi-
bilis eſt applicatio. ſeu conjunctio equorum, vel
armorum corporalium ad ſubſtantias impartibiles.
Et jam multis experimentis claruit tibi, quia qui
pugnare contra illos attentaverunt, & percutere eos
conabuntur, ſic pugnabant, quaſi aëra verberantes,
nec quicquam vulneris. aut alterius læſionis eiſ-
dem inferre poterant. Quapropter manifeſtum eſt
tibi pugnam inter eos nullam eſſe poſſe aliam, quàm
ſpiritualem, ſi tamen & illa eſſe poteſt; non enim
poſſibile eſt eſſe pugnam, ubi non eſt poſſibile eſſe
reſiſtentiam. Si igitur verum eſt malignos ſpiritus
non poſſe reſiſtere ſanctis, ac beatis, conſequens
eſt illos neque poſſe pugnare cum eiſdem: niſi quis
dicat, quia quemadmodùm ſancti, ac beati ſpiritus
voluntate ſola, & imperio ſpirituali pugnant con-
tra eos. eoſque debellant; ſic & illi voluntate obe-
diendi, ſeu operandi, repugnant illis. Sciat autem
homo hujuſmodi, quia voluntas eorum inefficax
eſt, impotens etiam, & infirma impedite volunta-
tem. & imperium ſanctorum, ac beatorum ſpiri-
tuum. Non enim eſt voluntas eorum, aut imperium
ſuper malignos ſpiritus de hoc, ut velint, quod
ſciunt velle beatos ſpiritus, vel nolint, quod

E ſciunt illos nolle; ſed & de forinſecis tantùm, ſicut
de non vexandis, aut tentandis, aut ſeducendis ho-
minibus: ſimiliter & de rebus hominum non diſ-
perdendis, aut lædendis, à quibus omnibus prohi-
bentur, & compeſcuntur voluntate, & imperio
ſanctorum, ac beatorum ſpirituum, quotieſcunque
cognoſcunt hoc eſſe beneplacitum creatoris. Et
quoniàm inviti prohibentur à talibus, perſiſtit
quædam in eis voluntas nequiſſima adversùs homi-
nes. & res ipſorum, ſimiliter & voluntas propria
perverſa, quia deſiſtere inviti compelluntur à tali-
bus. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm malignitas
adeò profundatur, & radicata eſt in eis, ut muta-
tionem, vel etiam immunitionem, nec per tormen-
ta recipiat. Hæc igitur eſt cauſa propter quam dixi,
quia inefficax. impotens, atque infima eſt volun-
tas ipſorum, videlicet quantùm ad forinſecos effe-
F ctus de nocumentis, & læſionibus hominum. Jam
igitur feci te ſcire intentionem pugnæ, quam cre-
dunt homines inter ipſos, & beatos ſpiritus eſſe.
De ſermone verò Sapientis. quò dicit de creatore
benedicto, videlicet, qui facit concordiam in ſu-
blimibus ſuis: cave ne intelligas, aut opineris bel-
lum, vel diſcordiã irarum, vel odiorum inter ſubli-
mes, ac beatos ſpiritus eſſe, vel etiam poſſe eſſe;
cùm paſſiones hujuſmodi grandes ſint miſeriæ, &
propter hoc ſtatus fœlicitatis, & gloriæ, in quo ipſi
ſunt, nullo modorum illas vel patitur, vel admit-
tit. Ampliùs. Secundùm hoc ſtatus ille nec eſſet fœ-
licitas, neque miſeria, ſed eſſet quaſi mixtus ex am-
babus, cùm de utraque tam grandes partes in ſe ha-
beret. Ampliùs. Jam declaratum eſt tibi, quia cùm
ſtatus infernalis pura miſeria ſit, & ſtatus habita-
tionis noſtræ in hoc mundo terreno quaſi mixtus
ſit ex fœlicitate, & miſeria, cùm partes habeat ex
utraque, neceſſe eſt & tertium ſtatum eſſe, qui eſt
pura fœlicitas, nullam prorsùs habens commixtio-
G nem miſeriæ, quemadmodùm audiviſti in præce-
dentibus ex ſermonibus Ariſtotelis. Quia ſi de duo-
bus contrariis invenitur alterum, & invenitur mix-
tum ex ambobus illis, neceſſe eſt inveniri in univer-
ſitate & reliquum. Cujus exemplum poſuerunt ſe-
quaces Ariſtotelis in oxymelle, in quo cùm inve-
niatur acetum, & mel mixta, quòd eſt dicere mix-
tum ex illis ambobus, ſi inveniatur acetum per ſe,
quod eſt alterum contrariorum, quæ in oxymelle
mixta ſunt, neceſſe eſt, ut in rerum univerſitate in-
veniatur mel per ſe, ſive purum: neceſſe eſt igitur
inveniri puram fœlicitatem, videlicet quæ neque
partem neque admixtionem aliquam habeat mi-
ſeriæ Ubi autem eſſet hujuſmodi fœlicitas, ubi lo-
cum habere poſſet, ſi ab ea excluſi eſſent ſublimes
illi, ac beati ſpiritus? Manifeſtum eſt igitur, neque
diſcordias irarum, neque odiorum, neque alias hu-
H juſmodi paſſiones, quæ vel turbent, vel minuant,
vel ullo modorum lædant fœlicitatem ſtatus illius,
apud illos eſſe poſſe. Quod igitur dictum eſt in ſer-
mone prophetico ab uno ex hujuſmodi ſpiritibus,
Quia princeps Perſarum reſtitit Michaëli, tu ne in-
telligas reſiſtentiam impugnationis, aut contradi-
ctionis, abſolutè, & præcisè. Si enim à principe
Perſarum ſatagente pro regno ſuo dictum eſt in cõ-
ſpectu altiſſimi gentem Judæorũ dignã eſſe longiori
captivitate peccatorum ſuorum meritis exigenti-
bus: alius autem princeps dicebat ſupplicando, &
orando pro gente illa, ut liberaretur à captivitate,
in qua detinebatur; non erat in eis contrarietas, vel
etiam, ſi alligando diceret gentem Perſarum peſſi-
mam, & impietati idolatriæ deditam indignam eſſe,
quæ populum Dei diutiùs jugo ſuo premeret, &
affligeret ſervitutis, non adhuc contradiceret illi
præcisè, & abſolutè Quemadmodùm enim juſtitia,
& miſeri-

Digitized by Google

& miſericordia creatoris neque ſibi invicem contrariæ ſunt, neque altera alteri adverſatur: ſic nec iſti principes in eo. quòd alter allegat juſtitiam, alter verò precatur miſericordiam, ſibi invicem vel adverſantur, vel contradicunt: licet verum ſit indubitanter, quia quæ finaliter intendunt, contraria ſunt: intendebat enim finaliter alter liberationem gentis illius Hebræorum à captivitate, alter autem detentionem ejuſdem in illa. Cauſa autem in hoc hæc eſt, quia non præciſè, neque abſolutè fines illos intendebant, ſed ſub conditione beneplaciti creatoris, quia in hoc uno, ſcilicet beneplacito creatoris, ſtabant finaliter intentiones, & voluntates eorum, & hoc erat eis, & eſt ſemper principale volitum, & intentum: licet per diverſas vias, hoc inquirere, & intendere viderentur, quemadmodùm vides in una, & eadem religione Chriſtianorum, in qua tot, & tantæ viæ eſſe videntur, tanta varietas, tantaque diverſitas profeſſionum, & ordinum, unus tamen eis eſt finis, in quem omnes tendunt, & ſinguli, videlicet futura fœlicitas, & gloria poſt hanc vitam. Quòd ſi quis quærat quæ utilitas, vel neceſſitas ſit allegationum hujuſmodi, præſertim apud judicem, qui nec de facto, nec de jure inſtrui poteſt, neque ullo modorum indiget, cùm in ultimitate certitudinis omnia & facta, & jura, & omninò omnia merita cauſarum nota ſint eidem: ſcito, quia allegationes hujuſmodi cogitationes ſunt, & deſideria; locutiones enim earum ſubſtantiarum, & hujuſmodi cogitationes, & deſideria, allegationes ſunt juxta ſermonem propheticum, quo dictum eſt: Deſiderium cordis eorum audivit auris tua. Quòd ſi inſpexeris expoſitionem ſermonis hujuſmodi, quam dixerunt, & ſcripſerunt ſapientiſſimi Theologi Chriſtianorum, invenies eam non diſcrepare ab his, quæ dixi in hoc.

CAPUT XVIII.

De divinationibus factis per dæmones per inſpectionem ſpeculorum, & unguium per pueros, & virgines.

HIs autem ſic determinatis incipiam proſequi de divinationibus, & revelationibus, quæ per malignos ſpiritus fieri videntur. Et dicam divinationum iſtarum modos, & cauſas; juxta quòd pertinet ad intentionem meam, atque propoſitum in hoc tractatu; non enim eſt intentionis meæ dicere hic vel ſacrificia, vel alia nefanda opera maleficorum, quibus intendunt illicere, vel inducere malignos ſpiritus ad revelationes hujuſmodi faciendas, vel quibus etiam (quod eſt majoris inſaniæ) crediderunt ſe poſſe cogere eos ad impia illa, & ſacrilega facienda, quæ ipſi ſcripſerunt in libris ſuis. Scito etiam cum hoc, quia divinationes Aſtronomorum, Necromanticorum, & aliorum hujuſmodi, qui nec nominari etiam digni ſunt, non ſuſcepi in hoc tractatu vel deſtruere, vel declarare, de quibus jam multa audiviſti per me in multis tractatibus. Scito igitur, quia divinatio deitatis quædam imitatio eſt, juxta intentionem propriam nominationis iſtius, licet uſu certiſſimo ſola malignorum ſpirituum revelatio divinatio nominetur, neque enim beatos illos, ac ſublimes ſpiritus divinare dicimus, cùm aliqua de ſecretis creatoris revelant hominibus. Sic neque Prophetas ſanctos divinare ullus hominum dixit, ſed magis prophetare, neque divini, ſed prophetæ ſancti vocari conſueverunt: vulgariter autem divini nominantur, qui ex revelatione malignorum ſecreta aliqua, vel occulta loquuntur, & ſic loqui proA priè divinare eſt, medicos autem, qui interdùm ſanationes hominum & mortes prædicunt] experientiâ artis ſuæ, quamquàm occulta aliis hominibus dicant, nemo dicit eos divinare, quia ſicut prædixi, divinare non eſt ex arte, vel artificio, ſed ex revelatione. Sic neque Aſtronomos, divinos homines dicunt, ſed ſapientes tantùm, quoniàm non ex revelatione, ſed ex ſapientia, & arte, multa aliis hominibus interdùm occulta revelant, prout, alibi didiciſti; non enim de rebus particularibus, & voluntariis poteſt eſſe ſcientia, vel certitudo per ſtellas. Eſt igitur divinatio prout dixi, divinitatis quædam imitatio, & intellexerunt antiqui divinitatis, ideſt, deitatis, quâ Deos ſive divinos vocabant. Inde & dæmones, ideſt ſcientes, ex eminentia ſcientiæ quam habere opinati ſunt, vocaverunt. Hæc autem erat ſecundùm opinionem ipſorum, qua occulta præſentium, præteritorum, & futurorum, eos, hoc eſt, Deos hujuſmodi, ſeu dæmones noſſe credebant, propter quod eos Deos potiſ-B ſimùm æſtimaverunt. Et credulitas iſta non parum provexit cultum eorum, ideſt idolatriam; multi enim ex hominibus aviditate, & nimio deſiderio ſciendi occulta hujuſmodi, in impietatem cultus eorum prolapſi ſunt, & uſque hodie prolabuntur, quorum ſtultitia longè ſit à te. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia ariolos, fanaticos, & arreptitios divinos vocavit antiquitas, & noſtra conſuetudo, ſive furore, ſive alio modo divinent, hoc eſt, ex revelatione diabolica loquantur occulta: illos ſimiliter divinos nuncupant qui inſtrumenta aliqua adhibent, quare in eis aſpiciantur occulta hujuſmodi, ſicut ſpeculum, aut unguis puerilis, aut ovum, aut manubrium eburneum, aut gladius elimatus; quibus omnibus apponitur etiam unctio ex oleo, ut augeatur inſtrumentorum hujuſmodi luciditas: ad-C dunt etiã deceptores, & malefici, exorciſmata quædam, ſive adjurationes, & obſervantias temporum, & horarum, tanquàm virtute rerum hujuſmodi fieret apparitio, vel viſio in inſtrumentis prænominatis. Jam autem audiviſti per me, quia in inſtrumentis illis utique neque res ſunt, neque rerum formæ, quæ videri videntur; alioquin neceſſe eſſet, ut ab aſpicientibus omnibus, & æque clarè videntibus, æqualiter viderentur. Claruit autem jam multis experimentis quia cùm ſeptem, vel decem pueri, ac virgines, ad hujuſmodi viſiones applicantur, vix unus ex eis invenitur, qui videat rem, cujus revelatio quæritur: videlicet furtum, aut latronem, aut aliquod de occultis. Propter hoc igitur inducti ſunt ſapientes nonnulli ex antiquis, & dixerunt, omnia inſtrumenta hujuſmodi illud ſolum operari ad hujuſmodi apparitionem, ſeu viſionem, quod D dicam. Hoc igitur eſt illud, videlicet, reflexio aciei mentis in ſe ipſam, mentis inquam ejus, qui aſpicit in hujuſmodi inſtrumento; prohibet enim luminoſitas inſtrumenti ipſum aſpicientem faciem mentis in exteriora intendere, ſeu dirigere, & repellit eam, atque reflectit in ſe propter quod cogitur intueri in ſemetipſa: in qua, juxta ſententiam Platonis, ſi purgata ſit, & terſa à ſordibus, quæ à parte corporis adveniunt, & adhærent animæ humanæ, velut in ſpeculo claro, & terſo, videt vel omnia occulta, & manifeſta, vel partem eorum, vel occultum, quod quæritur; & hoc ſecundùm magis, & minus, ſecundùm perfectius, & imperfectius quod eſt dicere, prout purior, & ab inquinamentis remotior fuerit. Noſti ſiquidem ſententiam Platonis de animabus noſtris, & diſcrepantiam ipſius ab opinione Ariſtot. videlicet, quia poſuit Plato animã humanam creatam perfectam, Ariſt. perfectibilem tantùm. Inſcriptam igitur poſuit eam Plato formis

omnium cognoſcibilium; & hoc quantùm ad virtutem ejuſdem intellectivam: ornatam autem, & decoratam totâ pulchritudine, ac varietate virtutum, quantùm ad virtutem ejus motivam. Ariſt. verò utramque iſtarum perfectionum poſuit apud animam humanam in potentia tantùm eſſe, & non in actu, vel effectu, poſuit etiam quemadmodùm ſpeculum, in quo nulla adhuc reſultat apparitio, aut tabula, in qua nondùm aliquid ſcriptum eſt, inſcriptibilem tamen omni genere figurarum, & quemadmodùm ceram ab omni impreſſione formarum vacuam, omni tamen figuratione ſigillabilem. Propter quod proceſſit ulteriùs ſermo Platonis, ut diceret nos nihil omninò poſſe addiſcere, vel invenire. Unde & quod apud nos vocatur lectio, apud Græcos vocatur repetita cognitio. Non igitur fiunt in animabus noſtris novæ ſcientiæ per doctriam, aut diſciplinam, aut experientiam, ſed veteres, ac innatæ nobis, quæ quaſi ſepultæ fuerunt, & obtectæ, deteguntur per exercitationes doctrinales, aut experientias; & apparet etiam nobis ipſis, quod priùs apud nos eſſe non videbamus. Hoc igitur ſecundùm Philoſophorum ſententiam iſtam operantur luminoſa inſtrumēta, ut ad ſemetipſam reverſa anima inſpiciēs in ſemetipſam, profundet intuitum & figat acutius aciem intellectus, quod quantùm ampliùs, & intimius in ſe facit, ampliora, & lucidius in ſemetipſa intuebitur, & cognoſcet. Debes autem ſcire, quia adeò profundatus, & intimatus poterit eſſe in animam ipſam hujuſmodi intuitu, adeóque ad ſeipſam poterit eſſe converſa, ideſt intùs ad ſemetipſam collecta, ut raptus hujuſmodi ſit collectio, vel propè raptum, vel propè extaſim propter, quod qui in hujuſmodi operibus exercitati ſunt, ſtatim conſummato opera hujuſmodi claudunt, & clauſos fortiter tenent oculos puerorum, quibus factæ ſunt apparitiones hujuſmodi; tenent inquam, donec anima reverſa ſit ad ſtatum priſtinum à collectione hujuſmodi, & effuſa juxta conſuetudinem, atque ſparſa in corpus ſuum, & ejus organa; & hoc eſt dicere, donec reſumpſerit vires, & organa, quæ deſeruiſſe, ſaltem ad modicum, videbatur, alioquin immineret puero periculum corporis, aut fortè inſania, quia etiam cum iſta obſervatione, quam dixi, notabiliter perpetuò horrificus remaneret aſpectus hujuſmodi puerorum poſt expletionem talis operis. Quòd ſi ab arreptione dæmoniaca fiat viſio, vel apparitio, remanebit longè major horribilitas in aſpectu illius propter præſentiam dæmoniacam, quæ naturam illius non modicum turbaverat, nec unquàm intrat corpus humanum, quin veſtigia horribilitatis ſuæ relinquat in eo. Quapropter nec debet tibi mirum videri, ſi minor horror appareat in oculis hujuſmodi inſpectoris, cùm ſola natura operata fuerit, quàm cùm horrifica, & inimica naturæ diabolica ſubſtantia operas ſuas immiſerit, vel admiſcuerit hujuſmodi viſioni. Ex his autem feci te ſcire, cur non omnia videant hujuſmodi pueri in animabus ſuis, etiam ſecundùm opinionem iſtam, quam audiviſti: ſunt enim de animabus humanis magis alligatæ quædam, magiſque immerſæ, & mixtæ corporibus ſuis, quibuſdam aliis, & propter hoc difficiliùs ab illis avocabiles, & ad ſe ipſas revocabiles: & iſta fuit cauſa, quare ungues puerorum ad hujuſmodi viſiones, ſeu revelationes elegerunt, qui ſecundùm naturam ſolùm operari talia voluerunt. Voluptas namque venerea nō ſolùm proprio corpori mirabiliter alligat animam humanam, ſed & alieno. Evidenter etiam eſt videre quaſdam animas humanas penè ſingulis membris ſuorum corporum miſerabiliter alligatas, & delectationibus omnium ſenſuum

E euſque captas, ut eis carere ſine dolore non poſſint. Videbis nonnullas non curare delectationes auditus, & guſtus, aut etiam viſus. Et narrant hiſtoriæ Barbaros quoſdam eſſe in extremis partibus Aquilonis, in terra, quæ vocatur Sarphaica, habitantes populos, qui nihil pulchrum, nihil delectabile curāt, venationibus, & operibus æris & ferri, belliſque ſolummodò dediti. Horum igitur animæ ad hujuſmodi opera aptiſſimæ videri poſſent, niſi prædicta beſtialis inhumanitas ſic in ſe rapuiſſet eos, ut alia quæcunque nec amare valeant, nec curare. Nullo namque modorum veriſimile eſt avaritiam, aut aliam quamcunque ex peſtibus ſpiritualibus minori, aut infirmiori alligatione detinere captivas animas humanas, quàm voluptas venerea eas detineat, & propter hoc non minus prohibere eam à reverſione, ſive converſione ad ſemetipſam. Verùm pueri
F ab avaritia, & à ſimilibus, mundi, & liberi eſſe conſuevarunt: propter hoc ergo ſolam virginitatem propter hujuſmodi opera in pueris quærere conſueverunt ſcientes eos à vitiis, quæ adultorum ſunt, nondùm eſſe arreptos, vel pollutos. Eſt & alia cauſa, quam ipſos arbitror ignorare, videlicet ſuggeſtionem malignorum ſpirituum, quorum ſuperbia gloriæ creatoris perverſiſſima æmulatrix in operibus idolatriæ munditiam expetit virginalem: quemadmodùm creator benedictus munditiæ, & puritatis amator, pudicitiam virginalem acceptiſſimam habet, & inibi familiaribus, & in culturæ ſuæ ſervitiis. Sciendum inſuper eſt tibi, quia magorum antiquorum apud Latinos nominatiſſimus illo errore dementatus eſt, ut crederet animam pueri immaculati violenter necati ſcientiam habere omnium præſentium, præteritorum, & futurorum. Quapropter in hoc ſcelus inductus eſt, ut puerum immaculatum ſic necaret, meritoque tanti ſceleris in eam devenit
G inſaniam, ut crederet ſe habere animam pueri illius, quem execrabiliter necaverat, & audire ab ea reſponſa de his, quorum ſcientiam habere volebat: ubi quis dubitat de ſuggeſtione maligni ſpiritus alicujus errorem tam impium proceſſiſſe, ut in tam deteſtabile facinus nefarius ille magus rueret, & poſtmodùm ſimulatione dæmoniaca ſub ſpecie, & prætextu animæ pueri illius ab aliquo maligno ſpiritu reſponſa hujuſmodi audiret? Qualiter enim apud ſe habere, vel ſervare poſſet animam hujuſmodi, niſi fortè juxta ſermonem Platonis anima illa, utpote de corpore ſuo violenter expulſa, circa tumulum ſuum, ideſt, corporis ſui, donec debitum temporis impleret numerum, moraretur? Ampliùs. Qualiter hujuſmodi animam euſque benevolam, atque propitiam habere potuit, ut de præteritis, præſentibus, & futuris eum inſtrueret, cùm ipſe mortem proprij corporis intuliſſet? An fortè
H hujuſmodi anima Chriſtianæ legis perfectionem jam didicerat, atque ſuſceperat, videlicet, ut inimicos diligeret, & eiſdem benefaceret. Sed non eſt ulteriùs immorandum ad deſtructionem veſaniæ iſtius, contra quam nec eſſet etiam diſputandum juxta ſermonem Ariſtotelis, qui dicit. Cum quolibet contrariis opinionibus proferente ſtultum eſt ſollicitum eſſe: non enim curanda ſunt mendacia, quæ neminem in ſuam credulitatem inducere poſſunt, cùm ſua ipſa inopinabilitate corruentia ſubruantur. Quid autem veritas habeat circa iſtam contradictionem Platonis, & Ariſtotelis, etſi non ex directo pertineat ad præſentem tractatum, determinare illud aggrediar.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De errore Platonis, dicentis non fieri in anima novas cognitiones, & ſcientias, ſed tantùm detegi priores, & an de virtutibus ſimiliter ſe habeat.

ET primùm quidem dicam illud, quia ſecundùm Platonem conjunctio animarum ad corpora ſua quaſi mors quædam ipſarum eſt, & quædam proculdubiò ſepultura; quemadmodùm enim mortuus eſt homo, cujus omnes ſenſus extincti ſunt, ita videlicet, ut nullo eorum utatur, quomodò non ſimiliter anima humana mortua reputanda eſt, in qua potiſſimùm virtus intellectiva ſic ſopita, vel ſepulta eſt, ut nihil ex ea vitæ appareat. Omnium enim, quæ ex vivente virtute intellectiva vel ſunt, vel procedunt, primum. & minimum, eſt cogitatio, ſive nuda apprehenſio, quapropter cùm ex illa nec appareat, vel procedat, nec vivere reputanda eſt. Quòd ſi dixerit, quia merito peccatorum, quæ commiſerunt in comparibus ſtellis, antequàm intrant in corpora, infligitur eis mors, & ſepultura hujuſmodi. Vide, quàm erroneus ſit ſermo hominis hujuſmodi; quæ enim pœna putari poteſt, quæ nec cognoſcitur, nec ſentitur: nulla enim eſt anima humana, quæ ſe ſic punitam ſentiat, aut aliter cognoſcat. Ampliùs. Si vera corpora humana animarum ſuarum organa ſunt & ſecundùm partes ſuas, & ſecundùm totum; conjunctio igitur earum ad ipſa non eſt niſi applicatio, & aptatio, videlicet ad organa ſua. Quis autem dicat ex hujuſmodi applicatione, vel aptatione, videlicet ad organa ſua, vel mori, vel impediri virtutes operativas? quod in exemplis evidentiùs videtur; exempli gratia. Quis mori, vel impediri virtutem viſibilem dicet pro eo, quòd applicatur, vel aptatur oculo, aut oculus illi. Quòd ſi fortè dicat, quia vires illæ, ſeu virtutes, quæ per corpus, & membra corporis operantur, non moriuntur, vel impediuntur reverà aptatione, vel applicatione organorum, per quæ perficiunt operationes ſuas, ſed vis intellectiva, quæ per hujuſmodi organa nõ operatur, corpori jungitur, & quodammodò in eo moritur; & ſepelitur: & hoc ipſum quærendum eſt ab hujuſmodi homine, videlicet, qualiter, & ob quam cauſam, proveniat ei mors ex corpore, & ſepultura hujuſmodi; virtus enim intellectiva, quaſi ſeorſum eſt longè valde à corpore ſecundùm ſtatum ſuum, & ſublimitatem eſſentiæ ſuæ. Et manifeſtæ ſunt multæ bonæ, & nobiles influentiæ ex ipſa in corpus, & partes ejus; ipſa enim regit totum, moderatur, & toti providet. Omnis enim actus voluntarius in corporibus humanis virtute intellectiva totus regitur, atque dirigitur, & inchoatur, atque terminatur, intenditur, & remittitur. Quòd ſi dixerit, quia hoc eſt poſtquàm vis intellectiva revixerit ab hujuſmodi ſepultura, vel pro toto excluſa, vel educta fuerit. Reſpondeo, quia ſermo iſte in in parte verus eſt, in hoc videlicet, quia non antea de regimine, & gubernatione corporis ſui curat, vel quicquam agit virtus intellectiva, quàm ipſa figi cœperit in anima humana: hoc autem eſt, cùm adjuta fuerit, & illuminata per ſenſus, imaginationes, atque memorias: quæ ſcilicet provenerunt animæ humanæ, & fiunt in ea parte corporis; ex his enim cognoſcit commoda, & incommoda, ſecuritates, atque pericula corporis ſui; quapropter inde excitatur, ut corpori ſuo caveat, atque provideat, non ſolùm propter illud; ſed etiam propter utilitates, quæ eidem proveniunt ex operationibus, quas A operatur per ipſum, & partes ipſius organicas. Quam enim curam gerat, quàm ſolicita ſit de organis operationum ſuarum unuſquiſque hominum in ſemetipſo cognoſcit, & ſentit: exempli gratiâ, de oculis, manibus, & pedibus, de lingua, & auribus, ut eis caveat à nocivis, naturaliaque provideat, & neceſſaria ſingulis ſubminiſtret. Quia igitur non ante exercitationem hujuſmodi operum curam gerit anima humana de corpore ſuo, vel partibus ipſius; poſt exercitationem autem agit hæc omnia, quæ prædixi de cura, & gubernatione ipſius: manifeſtum eſt hanc exercitationem cauſam eſſe hujuſmodi curæ, & gubernationis, ipſamque illuminare animam humanam, & ut cognoſcat utilitates operationum, quas per corpus exequitur, & organorum per quæ operatur eaſdem, quas cùm cognoſcit, non poteſt eas non amare, & non requirere. Sequitur etiam ex hoc, ut hæc illuminatio figat virtutem intellectivam, & firmet in hoc ut per ipſa ſenſibilia cognoſcere valeat multa de inſenſibilibus, hoc eſt, de his, B quæ ſenſu per ſe non cognoſcuntur. Ante igitur hanc illuminationem adeò debilis, & infirmata eſt, & quaſi jacens, preſſa infirmitate hujuſmodi, ut erigere ſe non poſſit ad apprehenſionem intelligibilium, ſed per hujuſmodi illuminationem ad ipſa cognoſcenda erigitur, dirigitur, & introducitur. Ampliùs. Manifeſtum eſt animas brutorum animalium illuminari per hæc ſenſibilia, & acquirere per ea imaginationes, & memorias, & exercitationes multas de rebus ſenſibilibus. Quapropter conſequens eſt, ut animæ humanæ per eaſdem ſimiles diſpoſitiones ſaltem acquirant; non enim æquivocè dicuntur animalia homines, & bruta, & propter hoc univocè dicuntur ſenſibilia: quare ſentire, & videre, imaginari, & memorari, dicuntur univocè homines cum cæteris animalibus; præſertim cùm naturalis ſit iſtarum diſpoſitionum generatio, per paſſiones ſenſuum tam in hominibus quàm in aliis animalibus. Ampliùs. Non eſt adhuc ab aliquo opi- C natum, vel cogitatum, quòd oculus æquivocè dicatur de oculo humano, & equino, vel aſinino; ſimiliter neque de pede, neque de aure, neque animal, neque corpus, neque anima, hinc, & inde, æquivocè dicantur; nominationes igitur partium, & operationum potentiarum, habituum, & paſſionum, in humanis animabus, & brutalibus, univocè dicuntur. In eo igitur, quòd animæ, non diſcrepat animæ humanæ, & animæ brutales: quare earundem diſpoſitionum receptibiles ſunt in eo, quòd animæ, & eædem diſpoſitiones generabiles ſunt per eandem cauſam in ipſis. Manifeſtum eſt autem de brutalibus, quia novæ prorſus ſunt, & de novo omninò fiunt imaginationes, & memoriæ de rebus ſenſibilibus, quare neceſſe eſt, ut & in noſtris. Dico etiam, quia ſi animæ noſtræ communicant cum animabus brutali- D bus in operationibus antedictis, videlicet ſenſuum, imaginationis, & memoriæ, atque æſtimativæ, quæ ſunt de ſenſibilibus, tunc non poteſt eſſe, quin convenirent cùm animabus noſtris animæ iſtæ, & viribus, quæ ſunt principia, & radices hujuſmodi operationum, & in receptibilitate paſſionum, ſive impreſſionum, per quas fiunt, quapropter & in habitibus, ſive diſpoſitionibus, quæ ex hujuſmodi operationibus relinquuntur. Quapropter quemadmodùm vera eſt generatio, & vera novitas, & vera nova acquiſitio hujuſmodi habituum, & diſpoſitionum hujuſmodi, in animabus brutorum animalium, ſic & in animabus noſtris. Quare non eſt juxta ſententiam Platonis detectio, vel revelatio præteritarum cognitionũ in animabus noſtris, quantùm ad res ſenſibiles; ſed vera novarum cognitionum de rebus hujuſmodi acquiſitio. Ampliùs. Adjuvaris in hoc ipſum

Digitized by Google

omnium animarum noſtrarum teſtimoniis, quæ omnes univerſaliter confitentur ſe addiſcere, & de novo generari in eis, ſive apud eas doctrinales, & diſciplinales, omninoque omnis generis ſcientias, & cognitiones, & nulla eſt, quæ non ſentiat in ſemetipſa vacuitatem, & ignorantiam ab hujuſmodi ſcientiis, & cognitionibus, antequàm per experientiam ſenſuum, aut doctrinam ſentiat eas fieri, hujuſmodi ſcientias, & cognitiones generari, vel haberi in ſe ipſa. Ampliùs. Oblivio oppoſitio ſcientiæ eſt; & interdùm quantùm ad actum tantùm cum facilitate revertendi ad ipſam, & iſta facilitas vocatur reminiſcentia; interdùm radicalis eſt oppoſitio, ita, ut neceſſe ſit denuò inchoare doctrinam, vel experientiam, & hoc à primis principiis, vel aliis. Quòd ſi habitus memorativus relictus eſſet, ſive remanſiſſet in theſauro memoriæ, levi adjutorio reduceretur ad actum ſciendi, & non omnia illa, per quæ generatus fuerat actus ſciendi, iteranda eſſent apud illum, qui hujuſmodi oblivionem pateretur, ſed pars aliorum ſolummodò, cujus exemplum evidentiſſimum eſt in abolitionibus ſcripturarum quæ interdùm ad modicum abolentur, & levi, vel modica adjectione reintegrantur: interdùm autem radicaliter, & propter hoc totaliter delentur, ſicut per abraſionem, ubi neceſſe eſt ſcripturam totaliter innovari totaliterque reſcribi. Si igitur ad modum hunc ſe habeant animæ noſtræ ad ſcientiarum inſcriptiones, & abolitiones ipſarum, tunc manifeſtum eſt quaſdam ſciẽtias ſic interdùm nobis aboleri, ut nova inſcriptione ſolummodò redeant, & reficiantur. Ampliùs. Cùm nuſquàm clariùs videat, vel videre poſſit anima humana, quàm in ſemetipſa, & in eis, quæ apud ipſam ſunt, nec veſtigia autem videat multarum ſcientiarum in ſe ipſa, quomodò opinari poteſt ipſam ſcientiam in ſe ipſa, vel apud ipſam eſſe? Ampliùs. Si clarè, & perfectè videns intueretur pellem, in qua nec apicem litteræ unius videret, nonne teſtaretur vacuam eſſe pellem hujuſmodi, & ſcribendam, vel reſcribendam eſſe, & res, ſeu figuras litterarum, pingendas eſſe de novo, ſi quis in ea legere vellet? Quis diceret eas detegendas eſſe, cùm earum nec ſignum, nec apicis unius in ea veſtigium appareat; propter hoc nemo noſtrum dicit, detego ſcientiam, quæ in anima mea ſcripta eſt, nec detumulo eam, quæ in anima mea ſepulta eſt, cognitionem; ſed potiùs, doce me, & effice per doctrinam in me ſcientiam, quam non habeo. Nemo dicit, oſtende mihi ſcientiam, quæ latet in anima mea, neque eam video, ſed planè dicimus omnes ad ad unumquemque docentium; fac me ſcire, quod ignoro. Nemo dicit apud nos, fac me videre illud, quod reverà ſcio, ſed quod ego me neſcire indubitanter ſentio. Ampliùs. Secundùm hanc ſententiam neceſſe habet Plato, & omnes ſequaces ejus, ſimiliter opinari de habitibus virtutum motivarum. Hi autem ſunt vitia, & virtutes; quapropter contrarii habitus erunt in animabus noſtris ab ipſa creatione earum, virtuteſque, & vitia contraria, & omnes, & omnia. Hujuſmodi autem declaratio hæc eſt, quoniàm virtus ſecundùm hanc opinionem nec aboleri, nec de novo fieri poterit in anima humana, quare nec vitium. Quòd ſi dixerit, quia virtutes naturales inſunt animabus noſtris, eiſque innatæ, atque concreatæ; vitia verò adventitia ſunt illis: quæritur tunc, ab eo, utrùm vitium poſſit fieri in anima humana. Quòd ſi dixerit, quòd ſic, erunt igitur ſimul illud vitium, & virtus contraria in anima humana; tamen quemadmodùm ſcientiæ naturales inexiſtentes animæ humanæ aboleri non poſſunt ab eadem: ſic neque virtutes, ut jam prædixi. Quia igitur virtutes hujuſmodi, & vitia contraria

E permanent in ipſa, erunt ſimul vitium illud, & virtus illi contraria, in eadem humana anima; erunt igitur ſimul bona, & mala. Ampliùs. Sicut in ſuperficie alba non poteſt fieri nigrum remanente in ea albedine, & cauſa in hoc eſt cõtrarietas alterius ad alterum: ſic in anima bona, ſeu virtuoſa, non poteſt fieri malitia manente bonitate, ſeu virtuoſitate illius boni, cùm non minor contrarietas ſit, ſive repugnantia, hinc, quàm inde: quare manifeſtum eſt ſecundùm opinionem hujuſmodi neminem poſſe fieri malum. Aut igitur innata ſunt animabus noſtris vitia, ſicut etiam virtutes, & tunc ab ipſa creatione ſua bonæ, & malæ fuerunt, & adhuc ſunt bonitate, & malitiâ contrariis: aut bonæ ſolummodò permanſerunt, cùm vitia in eis, nec fuerint, nec fieri potuerint; & tunc nulla anima mala eſt, neque homo malus, ſed omnes boni. Quare ſoli boni homines peccant, ſoli boni omnia mala faciunt, ſoli

F boni furantur, ſoli boni rapiunt fraudant injuſtè judicant, cùm mali nulli vel ſint, vel eſſe poſſint, poſtquàm nec malitia naturaliter eſt in animabus indita, nec advenire poſſit eiſdem. Ampliùs. Habitus, & privatio nec in eodem ſimul, nec de eodẽ dici poſſunt, ſicut videns, & cæcus nemo ſimul eſt, & de nemine ſimul dici poſſunt cæcum & videns. Cùm igitur per modum iſtum ſe habeant ſciens, & ignorans, cùm unaquæque animarum noſtrarum ſciens, immò ſcientiſſima, ſeu ſapientiſſima à natura ſit, & perpetuò talis permaneat, cùm habitibus eam privari impoſſibile ſit; cùm hujuſmodi ſcientiæ in ea indelebiter perſiſtant, impoſſibile eſt inſciam, vel ignorantem cujuſcunque rei illam fieri. Quia igitur ſimiliter ſe habet de bonitate ejuſdem, atque virtutibus, impoſſibile eſt eam vel malam fieri vel etiam non

G bonam, quemadmodùm ſi viſus ſic eſſet inditus alicui, ſicque inſeparabiliter adhærens, impoſſibile eſſet ipſum vel cæcum, vel non videntem fieri. Ampliùs. Cùm manifeſtum ſit tot millia hominum malè agere perverſéque vivere; unde malitia in operibus, & perverſitas in vita eorum, poſtquàm radices operum, & totius converſationis humanæ fons boni ſunt? operum namque radices habitus ſunt, ſimiliter fons, unde tota manat humana converſatio, non niſi bonitas eſt apud animam humanam, cùm in ea bonitas, nec malitia ſit, nec fieri poſſit. Quòd ſi quis dixerit, quia cum habitibus radicabilibus, licet bonis, ſunt etiam hominibus multis malæ diſpoſitiones, & ex malis diſpoſitionibus mala opera procedunt; quare non eſt neceſſe, ut qui malè facit, habitum habeat ad malefaciendum; iraſci enim ſemel, & ſubitò, ſufficit ad occidendum, vel percutiendum illum cui quis iraſcitur; & ad hunc modum ſe habet de aliis diſpoſitionibus, diſpoſitio au-

H tem, & habitus non videntur eouſque repugnantes eſſe invicem, ut alter alterum non patiatur ſecum, quemadmodùm dici ſolet: quia nihil prohibet aliquem ſcire omnem mulam ſterilem eſſe; & tamen ignorare de hac in particulari, an habeat in utero: ſic pallidus, & albus per naturam, per verecundiam rubens efficitur, & dicitur; nec tamen adhuc dixit aliquis, quòd albus per naturam non poſſit fieri rubens per verecundiam, quin deſtruatur albedo naturalis in ipſo. Dico igitur in his, quia intolerabiliter errat homo hujuſmodi; primùm, quia negat virtutes conſuetudinales eſſe, & poſſe fieri, ipſaſque diſpoſitiones invaleſcere poſſe, & radicari in habitus; negat ſimiliter, quòd nemini intelligenti ignotum eſt, vel etiam dubium. Ampliùs. Neceſſe habet confiteri omnes homines bonos eſſe, & etiam æque bonos, cùm habitus naturales in omnibus individuis ejuſdem ſpeciei naturaliter æquales ſint; & cùm dicat bonitatem naturalem neque aboleri,

Digitized by Google

neque minui poſſe. Ampliùs. Non niſi ſtultiſſimè, & per abuſionem intolerabilem, ſecundùm ſententiam ipſius dicentur homines mali; quemadmodùm non dicuntur rubei, qui per verecundiam ſolummodò rubeſcunt. Per hunc igitur modum non poſſunt homines dici mali per huiuſmodi diſpoſitiones leves, & ſubitas, cùm contrariis habitibus naturaliter boni ſint. Ampliùs. Qualiter dici poteſt iuſtus, qui nonniſi iniuſtitiam operatur? Et bonus qualiter dicetur, qui nonniſi malitiam operatur? an ullum eſt teſtimonium operum? qualiter dicit Sapiens ille, quia creator interrogabit opera noſtra: ſi non eſt credendum operibus, qualiter iudicabit Deus vivos, & mortuos ſecundùm opera eorum, ſi non tales ſunt homines, qualia opera ipſorum? Ampliùs. Quæ eſt iuſtitia, quâ ſuſpenduntur latrones, & homicidæ, aliique malefici, & puniuntur, cùm ipſi boni ſint, & non mali? Errant igitur iudices, & publicæ poteſtates, iuſtitiando huiuſmodi homines, qui utique boni ſunt, qui etiamſi mali eſſent ex huiuſmodi malis diſpoſitionibus, magis tamen eos bonos eſſe neceſſe eſſet ex naturaliter eis inditis virtutibus, & bonitate naturali. Quapropter magis prodeſſe debent eis, magiſque eos defendere, quàm malitia adventitia poſſet eis obeſſe; præſertim, cùm dicat Ariſtoteles: Quia quòd natura tale, magis tale. Quare magis boni ſunt ex naturaliter indita bonitate, quàm poſſint eſſe mali ex malitia exteriùs eis accidente, atque ſuperveniente. Magis igitur non ſolùm parcendum eſt eis, quin potiùs magis remuneratione digni ſunt ex bonitate innata, quàm puniendi ex malitia acquiſita. Quòd ſi fuit ſententia Platonis animas humanas creatas perfectas eſſe quantùm ad virtutem intellectivam ſolummodò, & perfectè inſcriptas ſcientiis, quantùm naturaliter capaces ſunt; nudas verò, & vacuas, quantùm ad virtutes motivas. Dico inprimis contra ſermonem huiuſmodi, quia ridiculoſæ, & ridendæ eſſent animæ humanæ in ſtatu illo, cùm eſſent in parte veſtitæ, & in parte nudæ, & hoc nuditate indecentiſſimâ, & maximè erubeſcendâ; longè enim tolerabilior eſt ignorantia ſcientiarum in animabus humanis, quàm defectus virtutum, & longè minùs turpe eſt, non eſſe ſcientem, quàm non eſſe bonum & iuſtum, aut iuxta ſermonem Apuleii Philoſophi magis audacter, & abſque verecundia reſpondere poſſet quis interrogatus, neſcio Aſtronomiam, neſcio Grammaticam, non ſum Aſtrologus, non ſum Geometra, quàm reſpondere poſſet, non ſum bonus, aut iuſtus, aut non habeo bonitatem, aut iuſtitiam. Secundò dico, non parvam contumeliam eſſe creatori adeò turpem imperfectionem, adeóque ignominioſum defectum in tam nobili opere ſuo reliquiſſe. Quid igitur arctavit prælargam bonitatem ipſius, atque magnificentiam munificentiſſimam, ut adeò pauperibus, & indigentibus dimidiam ſolummodò veſtem, & quam non niſi ridiculosè portare poſſent, animabus noſtris daret? Denique dico impoſſibile eſſe ſubſtantiam cognoſcentem bonum, & malitiæ occupatione non infectam, neque impeditam, non amare illud: aut ſi hoc caſu aliquo eveniret, ut cognoſcens bonum non etiam diligeret, culpabilem eſſe in hoc, ac reprehenſibilem nemo intelligens dubitaret. Ampliùs. Quòd in animabus humanis fuerit naturalis virtus, & potentia diligendi bona, & odiendi mala cognita, unum eſt de manifeſtis. Aliud iterùm eſt de manifeſtis, quia ex potentia nullo modorum impedita, & ut decet, atque oportet, adiuta, neceſſe eſt exire actum. Cùm igitur potentia diligendi, & odiendi nullo modorum impedita ſit in animabus

A humanis toto eo tempore, vel ævo, quo eas poſuit Plato fuiſſe in comparibus ſtellis; eſſet autem adiuta cognitione bonorum, & malorum, ſicut ipſe poſuit, & hoc eſt adiutorium decens, & opportunum, quod ſolum neceſſarium eſt huiuſmodi potentiæ ad exeundum in actum; neceſſe eſt animas humanas ex tunc dilexiſſe bona, & odio habuiſſe mala, odio inquam, & amore naturalibus, qui ſunt fortiſſimi, & inſeparabiliſſimi habitus, & per hoc virtutes, cùm ſint principia fortiſſima rectarum, & laudabilium operationum. Ab ipſa igitur creatione ſua neceſſe eſt animas humanas perfectas, ac decoratas fuiſſe pulchritudine virtutum naturalium, ſi verum eſt eas ex tunc perfectas fuiſſe ſcientiis, ut Plato poſuit. Quare neceſſe habet Plato cum omnibus ſequacibus ſuis ponere eis utramque perfectionem, ſcientiarum videlicet, & virtutum, aut utramque removere ab eis.

B

CAPUT XX.

De variis irradiationibus à Deo in animas humanas venientibus, & de impedimentis ſuſceptionum earum.

Iam igitur feci tibi conſtare impoſſibilitatem erroris Platonicorum de animabus humanis in parte iſta de ſcientia. Sed de Ariſtotele, qui Platoni ſatisfacere non valens aliter de formis, vel ideis, poſuit intelligentiam agentem, velut ſolem quendam ſpiritualem animarum noſtrarum, quantùm ad virtutes intellectivas, qui & auſus fuit ipſam intelligentiam agentem dicere creatricem animarum noſtrarum, non ſolùm illuminatricem, debent tibi ſufficere, quæ in præcedentibus, & in ſpeciali, vel ſingulari tractatu de intelligentiis audiviſti. Quapropter revertar ad id, in quo eram, videlicet ad
C declarandum tibi, qualiter divinationes per inſpectionem lucidorum inſtrumentorum fiant ſecundùm nonnullos Philoſophos, & abſque miniſterio dæmonum, & per naturam tantùm inſtrumentis huiuſmodi, ſicut prædixi, adiutam. Dico igitur, quòd ſcientiæ huiuſmodi, ſive cognitiones, de quibus agitur, non ſunt in animabus humanis ante inſpectionem inſtrumentorum huiuſmodi, ſed fiunt in eis, & de novo adveniunt durante inſpectione, quam dixi. Quapropter fiunt irradiatione lucis ſpiritualis ſublimioris; & quoniàm videmus huiuſmodi revelationes fieri, atque irradiationes in furioſis, & in graviter ægrotantibus, & in vehementer timentibus, & in ſomniantibus, & de rebus aliquibus ſolicitudinem magnam, atque profundam gerentibus, quoniàm res huiuſmodi omnes, quas nominavi, abſtrahunt animas humanas ab omnibus exterioribus,
D & etiam ab ipſis corporibus ſuis, & approximant eas luci, quæ ſupra ipſas eſt immediatè per naturam, vel alii luci, quæ ad ipſas illuminandas beneplacito creatoris immittitur; ſicut interdùm factum eſt in Prophetis, & in quibuſdam aliis hominibus, tam viris, quàm mulieribus, ad quos ſancti Dei Angeli propter revelationes aliquas faciendas pluries miſſi ſunt, & adhuc mittuntur. De luce autem, quæ ſupra animas noſtras eſt immediatè, & cui quantùm ad vires ſuas nobiles animæ noſtræ coniunctiſſimæ ſunt, dicit unus ex ſapientiſſimis Chriſtianorum: quia lux illa creator eſt benedictus. His verbis inter mentem noſtram, & lucem interiorem, quæ Deus eſt, nihil eſſe medium intelligens, & hoc ex ſermone prophetico, quo dictum eſt ad ipſum creatorem: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; hoc eſt, luminoſus vultus tuus, qui non eſt aliud, quàm tu. Hunc ergo vultum illuminant ſuper nos, cùm ex eo eſ-

Digitized by Google

biles eis videntur, ſicut reverà ſunt. Sciendum eſt etiam tibi cum his, quæ præceſſerunt, quia euſque invaluit opinio iſta apud quoſdam ex antiquis Philoſophis, ut crederent ſe facere poſſe Prophetas, propter quod pueros excæcabant, ut obtuſâ viâ viſus, acies mentis humanæ non habens quà exiret per viſum, in ſemetipſam reflecti cogeretur, & propter hoc in ſemetipſa, tanquàm in libro naturalis inſcriptionis, legeret, & videret, vel omnia, vel multa de abſconditis, quæ alii homines ignorabant, & ſcire etiam, non valerent. Quidam autem, ſicut traditur, in tantam proſilierunt audaciam, ut ſemetipſos etiam excæcarent, credentes, & omninò aſſerentes, quòd ſenſus luminoſitatem mentis diſpergerent, minuerent, & tenuarent; occluſi verò illam colligerent, congregarent, ac etiam adaugerent: quemadmodùm evidens eſt de luminoſitate viſibili, quòd eam concluſio colligit, & aggregat, & adauget, ſicut manifeſtum eſſe tibi poteſt ex libro, qui eſt de viſu ſimul, & ſpeculis. Et ne tibi videantur leviter, ac irrationabiliter in eam credulitatem inducti, præter experimenta, quæ acceperunt ex operibus hujuſmodi, ponam tibi indicia, & rationes, & nonnulla exempla, quæ non modicam habent admirationem. Dico igitur in primis, quia ſi debilitatem patitur aliquis alterius manus, in altera aut ſuppletur, aut penè ſuppletur ejuſdem defectus hujuſmodi, ubi quid aliud cogitari poteſt, cùm in aliis membris ſimiliter ſe habeat, niſi quod prædixi de lumine: & quod evidenter apparet in aqua plures exitus habente: videlicet, quia ſi obſtructus fuerit unus exitus, abundantiùs exibit per alium; ſimiliter ſi impeditus fuerit, ſcilicet, ut minùs exeat per illum, ſupplebitur iſta diminutio in alio exitu. Aliud exemplum eſt de vaſe perforato, & aquam aliunde continuè recipiente, quia quantò plures, & majores exitus habeat, vel habebit, ſive foramina, tantò minùs de aqua retinebit: quantò verò pauciores, & minores, tantò plus in eo de aqua remanebit. Cùm igitur corpus humanum ad modum hujuſmodi vaſis ſe habeat: quantò plus habebit aperturas majoreſque ac liberiores, tantò de influentiis animæ intra ſe minùs retinebit: quantò verò pauciores, & impeditiores; tantò plus etiam influentiæ ab aliis exitibus prohibitæ ad alios redundabunt. Quia igitur organa ſenſuum ad modum hujuſmodi exituum, ſive foraminum ſe habent, non eſt mirum, ſi obſtructis, vel uno, vel pluribus exitibus hujuſmodi, influentia, quæ fluere non permittitur, ad alios exitus tranſmittitur, hoc eſt, ad alia organa ſenſuum. Et hoc indubitanter apparet in multis hominibus excæcatis, in quibus tanta eſt vis imaginationis, ut penè ſuppleat apud eos defectum viſus, de quibus exempla plurima, & mihi notiſſimâ narratione, ſcribere poſſem hîc, niſi ſupervacua prolixitas illa me cogeret præterire: præſertim cùm tanta tibi ſuppetat copia hujuſmodi exemplorum, ut vix inveniatur cæcus, qui non incredibili aliquo ſplendore imaginationis incredibiliter polleat, & clareſcat. Ponam tibi & aliud incredibilis admirationis exemplum, quod accidit propè terram nativitatis meæ, de uno quodam, qui cùm eſſet cæcus à nativitate, factus eſt bellator fortiſſimus, nec ceſſavit à bellis uſque ad tempora ſenectutis ſuæ, cæcus tamen uſque ad illa tempora perſiſtens. In ſenectute autem ſua reſpexit eum miſericordia creatoris, & avertit eum à vita priore, & religioſum eum effecit: in religione autem multùm ... nis devotus, & per omnia laudabiliter converſatus, tandem divino munere, & miraculo lumen viſus accepit, quo à nativitate ſemper caruerat. Quid igitur hîc aliud dici, ſeu cogitari

Nota cujuſdam cæci laudes.

[A] poteſt, niſi quòd lumen retentum intra, & non habens, qua exiret, cæcitate oculos obſtruente, in ipſo organo virtutis imaginativæ adductum, & multiplicatum eſt euſque, ut defectum viſus illi cæco ſuppleret, & ipſum in prælus regeret, eique ab inſidiis præcaveret. Forſitan autem iſte ſplendor prophetia eſt virtutis imaginativæ, de qua alibi aliquid audiviſti. Ampliùs. Siquidem canibus eſt iſte ſplendor, ut latrones occultiſſimos inveſtigent, deprehēdant, & prodant, ſive revelent; eſt inquam eis non ex eruditione, ſed ex natura, quomodò non multò fortiùs debet eſſe in animabus humanis ſplēdor, quo omnia occulta videant in ſeipſis? & hoc cùm ſemetipſas liberè poterunt intueri: non enim videt canis latronem intra ſe, ſed in anima ſua intuetur eum, ſed neque olfactus repræſentat eum, ut quidam opinati ſunt, cùm latro per hoc, quod latro, nihil olfactibile habeat, per quod deprehēdi valeat eſſe latro. Certum enim eſt, quia latrocinīū nec odor eſt, nec odo-
[B] rabile per ſe. Et jam tibi dixi in eis, quæ præceſſerūt de ſplendore hujuſmodi, quis eſt, & unde eſt, & quam ob cauſam datus canibus quibuſdam. In his igitur, & hujuſmodi, oportet te diligenter intendere, & non ſequi conſuetudinem imperitorum quorundam, qui etiam in omnibus rebus adminiſtrandis, quarum cauſas ignorant, & inveſtigare prorsùs neſciunt, ad omnipotentiſſimam virtutem creatoris recurrunt, dicentes miracula eſſe omnia hujuſmodi. Similiter declinare debes à via eorum, qui in rebus hujuſmodi ad imperioſiſſimam Dei voluntatem altiſſimi refugiunt, quæſtiones indiſſolutas penitùs relinquentes, & liberatos ſe eſſe putantes, cùm dixerint, quia ſic voluerit creator, vel voluntas ipſius cauſa eſt ſolùm rerum talium: errant autem intolerabiliter: primò, quòd omnium quæſtionum hujuſmodi ſolutionem unicam reddunt. Secundò, quia
[C] interrogati propter quid, cauſam remotiſſimam aſſignant, cùm quæſtiones iſtæ tam variæ ſint, ut unâ, & eâdem ſolutione diſſolvi non poſſint, & interrogationes, quæ ſunt propter quid cauſam remotiſſimam non quærant, ſed proximam. Miſerrimum igitur hoc habēt ſolatium imperitiæ ſuæ, & quamquàm ad exterius rationem prætendant, ignorantiam tamen ſuam in his rebus nullatenùs ignorant. Relinquens igitur eos in erroribus ſuis, qui tam nobiles ſcientias vel diſcere negligunt, vel erubeſcunt; attende, quia non cogeris exemplis iſtis, vel argumentis concedere, vel recipere, vel etiam opinari, animam humanam inſcriptam eſſe naturaliter ſcientiis, ac virtutibus decoratam: ſed potiùs novis influentiis, & irradiationibus illuſtrari à luce prima radiātiſſima, quæ eſt creator benedictus: & hoc, ut prædixi, interdùm per ſeipſam, interdùm per lumina alia, quæ ſunt boni ſpiritus, ac ſublimes. Qualiter
[D] autem emicent, vel fulgeant ſplēdores iſti vel ab ipſa luce prima, vel à luminibus mediis nunc dictis jam audiviſti in præcedentibus: nec oportet, ut hic tibi repetantur. Quæſtionem tamen habes, qualiter in animabus peccatricibus irradiationes hujuſmodi fiant. Manifeſtum autem eſt tibi de malignis ſpiritibus, quanta ſint peccata, & iniquitas eorum, cùm tamen magnis ſcientiarum ſplendoribus fulgeant; non enim ſunt vitia euſque repugnantia ſcientiis, ut eas prorsùs à ſubſtantiis ſuis repellant, aut exterminent, præſertim cùm irradiationes hujuſmodi influentiæ ſint naturales, & naturaliter emicantes de luminoſitate creatoris. Et de hoc evidentiſſimum exemplum eſt in influentia vitæ, de qua nemo intelligens dubitat, quin ſit ex fonte largiſſimo, ac redundantiſſimo vitæ, qui eſt creator benedictus. Hanc quidem influentiam vides effluere in omnem materiam receptibilem ipſius, ubicunque

Digitized by Google

enim parata eſt materia vitæ receptibilis, eidem infunditur vita. Et hoc videre tibi facile eſt in omnibus animalibus, quæ generantur in lignis, lapidibus, & etiam in caſeis, quæ utique non generantur ex commixtione maris, & fœminæ. Et hæc generatio certiſſimum eſt indicium præſentialis exiſtentiæ creatoris in omnibus ſubſtantiis, & inſuper propinquitatis immediatæ omnium hujuſmodi materiarum (hoc eſt ad vitam recipiendam paratiſſimarum,) propinquitatis inquam immediatæ; non enim eſt etiam cogitatione fingere medium, propter quod ex fonte illo redundet in omnes hujuſmodi materias. Sicut igitur non refert apud bonitatem creatoris de ſeminatione grani cujuſcunque, an fiat ex avaritia, vel ex cupiditate, ſed ex quacunque cauſa fiat; dum tamen materia grani receptibilis vitæ ſit, & adſint ei adjumenta convenientia vivificationi, vitam eidem creator benedictus infundit. Hoc autem eſt, quoniàm redundantia vitæ ex ipſo eſt largitate naturali in prædictas materias; ſic de irradiationibus hujuſmodi ſe habet, quoniàm non refert de animabus, quæ ad luminoſitatem creatoris eouſque approximant, an bonæ, vel malæ ſint, cùm non attendat prælarga bonitas creatoris merita earum, ſed receptibilitatem, & præparationem, quam prædixi, ſicut oſtendi tibi de vita. Quapropter videbis penè in omni genere vitioſorum hominum irradiationes iſtas, & raptus fieri, quoties vel per timorem, vel per aliam paſſionem vehementem animæ ipſorum à corporibus ſuis vel avocatæ fuerunt, vel abſtractæ. Similiter ſe habet & de ſomniis, maximè cùm per quaſdam fumigationes, & odores ſopor fuerit ingravatus, & ſenſus communis, in quo ſomnus potiſſimùm fit, fuerit vehementiùs illigatus. Et noverunt nonnulli ex medicis medicinam iſtam, videlicet, per cujus fumum, cùm in angulis domus, in qua jacet dormiens, vaporaverit, ſomnus dormientis fit, vel ingruat, vel placidet, aut ut placata anima de immerſione corporis quaſi libera emergens, regionem lucis id eſt luminoſitatem creatoris attingat: & hoc indubitanter naturale eſt animabus humanis rapi ad ipſum creatorem, quoties prædictis impedimentis non prohibentur, quemadmodùm naturale eſt ferro ad lapidē magnetem, vel adamantem rapi. Nec mirum, cùm etiam præſentia ſanctorum angelorum, & viſione ſimiliter, ad eos rapiantur. Nec mirum, cùm cauſa, qua lapis magnetis, vel adamantis ſic rapit ad ſe ferrum, longè fortior inveniatur in creatore, & in prænominatis ſubſtantiis: hic autem eſt naturalis amor ferri ad utrumque lapidem prædictorum: quemadmodùm autem interpoſita quædam inter ferrum, & lapides illos prohibent motum, ſeu raptum hujuſmodi, ſic fantaſiæ, & prænominatæ paſſiones prohibent raptus animarum noſtrarum, & elevationes earum ad regionem lucis. Oportet autem te jugiter reminiſci de anima humana, quòd ipſa eſt in horizonte duorum mundorum, & in confinio duarum regionum & etiam ei naturaliter liberum inclinare ſe in inferiorem, atque erigere ſe, ſive elevare ad ſuperiorem, niſi corruptio, quæ eſt à parte corporis, impediret. Nunc autem non eſt ei liberum elevare ſe ad mundum ſuperiorem, ſive regionem illam, in ſtatu miſeriæ, & corruptionis iſtius; eſt enim mirabiliter depreſſa, & incurvata per corpus, de quo dixit ſapiens. Quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. Et ipſe latinorum poëtarum egregius, loquens de animabus noſtris, dixit. Quantum non noxia corpora tardant. Hinc eſt, quòd tempore adoleſcentiæ meæ viſum fuerit mihi, quòd facilis erat acquiſitio prophetici ſplendoris, & irradiationis magnæ, propter hoc, quoniàm animæ noſtræ ſunt quaſi tangentes utrumque mundorum iſtorum, ſive utramque regionum iſtarum. Videbatur itaque mihi, quia facilis erat purgatio animarum noſtrarum à ſordibus vitiorum, faciliſque diruptio laqueorum, ſeu vinculorum, quibus animæ noſtræ tenebantur incurvatæ, & quaſi in obtorto collo, ſicut dixit mercurius in libro ſuo de Deo deorum Opinabar enim, quia paulatim abſtinentia, & abſtrahendo animam meam à ſollicitudinibus, & delectationibus, quæ eam captivant, & demergunt in mundum inferiorem, qui eſt mundus ſenſibilium, abſtergerentur ab anima illa, quæ erant obſcurantia eam, & obtenebrantia, & per conſuetudines contrarias dirumperentur, & conſumerentur vincula illa, & laquei; & ſic evaderet anima mea libera, & potens per ſemetipſam in regionem ſuperiorem, quæ lucis eſt, erumpere. Nunc autem, & à tempore multo jam didici per exercitationem rerum divinalium animas humanas non poſſe purificari ab inquinamentis vitiorum, & peccatorum, niſi virtute, & gratia creatoris; & iſtam libertatem, quamquàm naturalis ſit, videlicet, erumpendi, & elevandi ſe in regionem lucis, non eſſe eis aliter reparabilem, aut reſtaurabilem. Ex ſermonibus etiam prophetarum manifeſtum eſt eos interdùm orationibus recipere, vel revocare ad ſe ſplendorem propheticum, nec non jejuniis, & abſtinentiis, aliiſque ſacris exercitationibus ipſum ſæpius impetrare.

Nota.

CAPUT XX.

De virtute muſica, & quòd anima ſita ſit in horizonte duorum mundorum, & de revelationibus diverſis per diverſa media.

Quæſtionem autem habet, an harmoniis, id eſt concentibus muſicorum inſtrumentorum, poſſit obtineri, vel acquiri quolibet modo ſplendor iſte, præſertim cùm de quodam propheta Hebræorum legatur in libris eorum: quia cùm à quodam rege conſuleretur, nec aliter ſciret ei reſpondere, niſi per irradiationem propheticam, juſſit vocari pſaltem, factumque eſt, cùm pſalleret, tandem facta eſt ſuper eum manus Dei, & virtus domini Dei ad prophetandùm. Dico igitur in hoc, quia reverà quidam concentus muſicales multùm præſtant adjutorium ad hoc, ut obtineatur ſplendor hujuſmodi, quòd iſte propheta non ignorabat. Manifeſtum eſt etiam multos morbos ſpirituales muſicis interdùm fuiſſe curatos concentibus, ſicut inſaniam & melancholiam, & alias quaſdam alienationes. Cauſa autem in hoc eſt, quoniàm concentuum quorundam ſuavitas mirabiliter eſt demulcens animas humanas, & rapiens eas, & propter hoc eripiens eas ab aliis paſſionibus. Nec mirum, cùm in libris Hebræorum expreſſè dicatur de quodam rege, quia quandocunque ſpiritus malus arripiebat ipſum, tollebat quidam puer citharam, & percutiebat eam manu ſua, & refocillabatur rex, & lenius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus, id eſt, diabolus. Et quoniàm non legitur ibi, quòd verba aliqua tangens citharam dixerit, ſolâ virtute harmoniæ fugatum fuiſſe malignum ſpiritum non immeritò quis opinetur. Quantam autem poteſtatem Plato harmoniis attribuit, apparet evidenter ex libro ſuo, qui vocatur Timæus, ubi dicit, quòd potentiſſima artium muſica eſt; & nemini intelligenti dubium eſt, muſicam eſſe virtutem harmoniarum ad mitigandos dolores animarum humanarum, & ad incutindos

Digitized by Google

incutiendo eoſdem, ſimiliter ad lætificandas ipſas, & ad omnes paſſiones ingerendas eiſdem. Tantaque eſt vis earum in commovendis animabus, ut etiam eas cogat movere corpora ſua motibus geſticulationum, quibus, quatenùs poſſibile eſt, effigiant motus paſſionum ſuarum interiorum. Manifeſtum igitur eſt, quia per harmonias fugantur maligni ſpiritus, ſicut recedunt ab animabus, quas vexant. Et cauſa in hoc eſt, quam dixi, videlicet, virtus harmoniarum, quæ adeò rapit animas humanas in ſe, adeoque abſtrahit illas non ſolùm ab aliis paſſionibus, & ſollicitudinibus ſed etiam à ſe ipſis. Nihil mirum igitur, ſi recedant à malignis ſpiritibus, & ſeorſum fiant à paſſionibus, per quas tenebantur ab ipſis; quando etiam à ſemetipſis quodammodò abſtrahuntur, & in ipſam harmoniarum ſuavitatem rapiuntur. Ex quibus manifeſtum tibi eſſe debet, quoniàm harmoniæ gratiam contemplationis, & divinalium ſcientiarum ſtudia, non mediocriter adjuvant. Verùm peritia muſicalis, & ars inveniendi, cōponendique cantus, maximè harmonicos, qui omnium ſunt ſuaviſſimi, neceſſaria eſt in his. Fortè igitur, & fortuitò curati ſunt multi morbi ſpirituales per harmonias à neſcientibus medicis, quæ, vel quales harmoniæ virtutem iſtam habent. Verùm ſi prænominata peritia præditi eſſent, vix eos effugeret aliquis morbus ſpiritualis. Ex his etiam facile eſt tibi ſcire, quòd non mediocriter confortant, & adjuvant virtutem intellectivam, atque motivas nobiles, quemadmodùm cantiones, quæ ſunt de chromatico genere molli, laſciviam, & motus venereos vehementer incitant, & acuunt; ſicut & illæ, quæ ſunt de tertio genere, hoc eſt, de diatonico, incitant animas humanas in rigorem, & ferocitatem exaſperant, & erigunt, propter hoc conſilio muſicorum in prœliis adhiberi ſolent, ubi & illud mirabile accidit, quia etiam equos in prælium excitant, & exacuunt ſoni diatonico genere muſicati. Vides igitur quantus defectus eſt in medicis, tempore iſto potiſſimum, quantùm ad morbos ſpirituales. Revertar autem ad illud, in quo eram, & dicam, quia jam claruit tibi per ea, quæ præceſſerunt, ſtatus naturalis animæ, quo poſita eſt ipſa nobilitate ſuæ creationis in horizonte duorum mundorum, & in confinitate duarum regionum. Et dixi tibi, quia mundus iſte ſenſibilis, ſive ſenſibilium eſt alter iſtorum. & eſt mundus inferior, & eſt regio tenebrarum, quantùm ad virtutem intellectivam animarum noſtrarum, quoniàm ipſa ſecundùm ſtatum miſeriæ iſtius nihil videt, vel cognoſcit in ſenſibilibus, ut ſunt ſenſibilia & particularia, ab his tamen, & à parte mundi inferioris illuminatur ad cognoſcenda, quæ per hoc poſſunt cognoſci, ſicut per motum ad cauſam motus cognoſcendam. Et intendo in hoc, quod dixi, ſenſibilia, ut ſenſibilia, & particularia ſunt, non illuminare virtutem noſtram, intellectivam, immediatè, & per ſe, ſed per ſenſus, ut imaginationem, & memoriam, quæ relinquitur ex his. Impreſſiones enim à rebus ſenſibilibus non veniunt immediatè ad intellectum, quia neque intellectus formarum ſenſibilium receptibilis eſt, ſed reverà legit in imaginatione, & memoria reliquias impreſſionum, quæ relinquuntur in eis ex impreſſionibus, quæ fiunt in ſenſibus à rebus ſenſibilibus. Propter quod imaginatio hujuſmodi, & memoria, ſunt virtuti intellectivæ quaſi libri, in quibus legit res ſenſibiles; ex ſe autem penetrat ad res, quæ ſubſunt formis ſenſibilibus, & cauſas earum; ſenſus enim, ut ait quidam philoſophus latinorum, nihil integritatis percipit, ſed uſque ad proximum venit: ratio verò quædam ſubeſſe perpendit. Stat igitur ſenſus foris in formis ſenſibilibus, & introducit, ut

A prædixi, intellectum ad illas; intellectus autem ſua virtute intrat ad ea, quæ ſubſunt, & cauſas eorum, quod ipſa nominatio, intus, indicat. Intellectus enim quaſi intus, vel intra legens dicitur evidenter; ſenſus verò exterius ſolummodò nunciat, dat autem occaſionem, ut prædixi, intellectui, ut interiora per hoc intelligat, & cognoſcat. Mundus autem intelligibilis, ſive regio lucis, quæ non eſt, niſi æterna, & luminoſiſſima veritas, quæ eſt creator benedictus, quaſi ſupereminet animæ humanæ à vertice & propter hoc quaſi contingit eam virtus intellectiva, quæ ſi libera, incorruptaque eſſet, & ſana, multò facilius ſe erigeret ad regionem lucis, & intueretur eam, quàm modò ſe inclinet ut intret in regionem tenebrarum, ſive in mundum ſenſibilem. Et ſicut modò incurvatur, & trahitur, ad ſenſibilia, & remanet virtus ejus intellectiva, quaſi ſopita, vel potius ſepulta, quantùm ad intelligibilia nobilia; ſic ècontrariò etiam eſſet, quòd virtute intellectivâ erectâ ad nobilia intelligibilia, quæ ſuper eam ſunt, velut occupata placore eorum, atque B deliciis, relinqueret vires apprehenſivas ſenſibilium, quas nominavi, quaſi ſopitas, & propter hoc ſenſibilia corporis ſui, ut nuditatem, deformitatem; vel pulchritudinem, nec videret hora illa, nec cogitaret. Et hic fuiſſe videtur ſtatus primorum hominum, vel parentum, qui ſuſpenſi ad ſublimia, quæ ſupra ipſos erant, nuditatem corporum ſuorum non videbant, neque etiam cogitabant; ſuſpenſi enim erant, & occupati cogitatione ſublimium, & occupati in ipſis, quemadmodùm èconttariò ſe habent animæ humanæ occupatæ cogitationibus inferiorum ſenſibilium, & quaſi ſopitæ, & ſepultæ ſunt vires nobiles, ac ſublimes earum, adeò ut ſemetipſas, & quæ earum ſunt, ſpiritualia videlicet, atque interiora ſua, nec videre, nec intueri prævaleant C ſenſibilium cogitationibus, & eorum, quæ per ſenſibilia intelligunt, occupatæ. Licet autem poſſibile ſit fieri revelationes, & irradiationes, per modos quos audiſti, videlicet per inſpectiones corporum lucidorum: tamen, ut prædixi tibi, interdùm immiſcent operationes ſuas operibus iſtis maligni ſpiritus, vel hac de cauſa, ut noceant hominibus læſione viſus eorum inſpectione luminoſorum corporum, quæ reverà noxia eſt oculis humanis, vel ut aſſuefactione in revelationibus hujuſmodi, ſeu divinationibus, protrahant eos ad aliqua, quæ ſine periculo, & offenſa creatoris exerceri non poſſunt. Mirabile autem non immeritò videtur, ſi quid habet veritatis ars triblia vel ſyntriblia quam Arteſius magus cùm audacter tradere, & veritatem in ea aſſerere præſumpſit, qui per ſolam aquæ refulgentiam ex ſuppoſitione gladii elimati, & terſi viſio- D nem omnium occultorū quemcunque inſpectorem obtinere poſſe & dixit, & ſcripſit. De viſionibus quoque, & revelationibus quæ per medicinas fieri poſſe dicuntur, conveniens eſt, ut aliqua audias per me, de quibus non aliud oportet, ut audias, quàm quòd ſi ſunt, vel fiunt, non niſi per cauſas, quas dicam tibi, quemadmodùm & ars Arteſii, quam prænominavi tribliam, vel ſyntribliam. Scito igitur oculum indicæ teſtudinis, & cor upupæ, & omnia hujuſmodi virtutes habere attrahendi vapores, quæ ingravant ſomnum, & generant fantaſias ſomniorum. & propter hoc ſuis virtutibus liberant, & expeditam efficiunt animā humanā à gravedine, & craſſitudine quibus impeditur à parte corporis, & propter hoc præparant ipſam ad recipiendas irradiationes, quæ deſuper deſcendunt à luce prima radiantiſſima, vel à mediis luminibus, quæ prædixi. Eodem modo ſciendum eſt tibi de fumigationibus, quas nominavi: fortaſſis autem non eſt

generale hoc, videlicet, ut irradiationes iſtæ fiant
in omnibus animabus per vias iſtas omni hora pro-
pter particularia impedimenta, quæ eveniunt ani-
mabus. Forſitan autem poſſibile eſt res iſtas habera
virtutes horrificas, & ideò harum præſentia horre-
re mentes humanas, atque reſilire ab eis, qua reſili-
tione quaſi diſlocant ſa, & quodammodò diſiun-
gunt à corporibus. Jam autem audiſti, quia elon-
gatio à corpore, quæ per timorem, vel terrorem
eſt, inducit extaſim, vel potiùs ipſa extaſis eſt, quæ
eſt præparatio ad revelationas, & illuminationes.
Audiviſti etiam de ſenſu naturæ, qualiter per ipſum
ſentiantur horrifica & nociva naturæ ſicut malefici
ſcripſerunt in libris præſtigiorum ſuorũ, inter quæ
nominaverunt fella corvorũ, quæ cum aliis quibuſ-
dam naturæ humanæ inimicis, loca in quibus ſepul-
ta, vel abſcondita fuerunt, efficiunt terrifica, &
quicunque loca illa ingreditur, horrorem ſimul, &
tremorem, ſtatim patitur, neſciens, unde vel qua
de cauſa proptar quod neceſſe habet fugere de locis
illis. Et hic aſt modus, per quam efficere ſe crede-
bant loca, quæ vellent, inhabitabilia, & habitato-
res de illis hoc modo abſterrere, vel diffugare · quid
ergo mirum ſi in oculo indicæ teſtudinis, vel in
corde upupæ aſt virtus aliqua ſimilis huic, quam
poſuarunt corvorum fellibus? Debes etiam ſcire
cum eis, quæ præceſſerunt, quia eſſe in ſpiritu non
eſt, niſi ſeorſum eſſe ſpiritualiter à regione, quam
dixit tenebrarum, & eſſe liberum à ſollicitudinibus
& paſſionibus nec non, & à cogitationibus, quæ
veniunt animabus noſtris à parra regionis illius.
Declaratio autem hujuſmodi eſt, quia eſſe in cor-
pore, quod eſt contrarium ei, quod eſt eſſe in ſpiri-
tu, non eſt niſi immerſio in illo. Et propter hoc
eſſe in corpore, & eſſa in ſpiritu, ſunt ſicut immer-
ſio in illo, & emerſio ab eodem. Quapropter quaſi
paries, & corpus, prohibet radios hujuſmodi illu-
minationum ab anima humana, juxta ſermonem
ſapientis, quo dictum eſt, en iſte ſtat poſt parietem;
& per quendam prophetarum ſimiliter; fili homi-
nis fode parietem Aut igitur totus iſte paries tran-
ſiliendus eſt, ut ſit anima humana in ſpiritu, aut
apertura quodammodò in ea neceſſaria eſt, ut in-
tret aliquid hujuſmodi luminis, & per mortem
quidem corporis totus iſte paries quodam modo
tranſilitur tranſilitione exitus, & ſeparationis omni-
nò à corpore, tranſilitur & ſpiritualiter raptu no-
biliſſimo, quo anima humana tota quodammodò
fit apud ſe, nihil omninò de corpore, vel curans,
vel ſentiens, aliis verò raptibus tanquàm particula-
ribus, & longè minoris luminis, quaſi per cancel-
los, & aperturas irrumpunt radii illuminationum,
& revelationum quaſi coruſcantes in madiis tene-
bris: ne credideris autem mendacibus, qui plenam
revelationem obtinere ſe poſſa credunt per ſpecu-
lum Apollinis, quoniàm nec ipſe Apollo cognitio-
nem habet omnium preſentium, præteritorum, &
futurorum, quæ per ſpeculum Apollinis pollicen-
tur. Habet autem fortaſſis fantaſia ſpeculi ipſius ex
arreptione dœmoniaca, ſine qua opus ſpeculi non
eſt veriſimila conſumari, habet inquam hoc, ut ſic
deceptus, & arraptus opinetur ſe habere ſciantiam
omnium occultorum. Et jam in multis experientia
docere potuit, quòd in iſtud deliramentum incide-
runt. Sic enim plerúque vides de melancholicis id-
eſt de morbo melancholiæ laborantibus, quia mul-
ta ſe opinantur ſcire, quæ penitùs ignorant. Ita poſ-
ſibila eſt, ut creſcente in ipſis morbo iſto, creſcat &
in eis delira iſta opinio. Quòd ſi aliquis ex malignis
ſpiritibus quædam revelare de occultis per hujuſ-
modi ſpeculi inſpectionam permittitur, ſcito illa
pauca eſſe, & quòd rarò eidem ſpiritui revelatio-

E nes hujuſmodi facere permittitur. Similiter & de
libro execrabili, quem ſacratum vocant, tibi
ſentiendum eſt. Attendendum autem tibi eſt, quia
quantumcunque larga ſit diffuſio radiorum primæ
lucis, quæ eſt creator benadictus, in beneplacito
tamen ſolo liberrimæ voluntatis ipſius eſt radioſitas
luminoſitatis ſuæ juxta ſermonem ſapientis, qui
dicit: In manibus abſcondi lumen, ut non niſi
cùm voluerit, & quantùm voluerit, & quomodò
voluerit, & quandiu voluerit, irradiet, & ſuper
quem voluerit, ſimiliter & non irradiet. Eodem
modo ſe habat, & de redundantia vitæ, verunta-
men redundantia vitæ evidentioris eſt profuſionis,
cujus ultima veſtigia recipere videntur corpora ina-
nimata, de quibus dicit Ariſtoteles, quia virtus
motiva in eis eſt quaſi vita, & ipſa ſenſus, quo
unumquodque corpus, etiam inanimatum, quo-
dammodò cognoſcit, quod ſibi noxium eſt: & pro-
pter hoc fugit ab illo, ſimiliter & ſentit quòd ſalu-
tare ſibi eſt, atque conveniens, & propter hoc in
F ſequitur illud, & adhæret illi: nonnullum eſt ve-
ſtigium luminis primi radiantiſſimi, & ſapientiæ
univerſalis per quam omnia quodammodò ſapere
videntur. Hujuſmodi quidem lumina videntur in
ſeminibus, & in avibus nidificantibus, atque ve-
nantibus, & hæc lumina dicit Ariſtoteles ſimilia eſ-
ſe artificiis Ego autem adiicio ſermoni Ariſtotelis,
quia non tam ſimilia ſunt illis, quàm longè præ-
ſtantiora Quis enim artifax nidum picæ, vel ara-
næe, arte ſua compingere, vel componere poſſet?
quia textor ſimiles pannos floſculis roſarum vel te-
xere, vel ordiri ſciret? Et de tinctura, quis inter
fullones, vel tinctores, ſimilis pulchritudinis tin-
cturam efficere, vel cogitara poſſet? Quòd ſi ad alia
artificia naturæ intendere voluerit, quàm ſpecioſa
ſunt, quàm mirifica opera generationis gemma-
rum, & metallorum? Demum quæ ars alchimica ſi-
miles tranſubſtantiationes facera poſſet, videlicet,
G & tam mirabiles, ut ſunt in animalibus, & plantis?
Vide ex herbis generationem vellerum, in ovibus,
generationem lactis, butyri, caſei, & ſari; dejnde
generationem ſanguinis, carnium, & oſſis ex eiſdem
in illis. Et juxta hunc modum de ſingulis animali-
bus, quàm admirandæ, quámque nobiles genera-
tiones fiunt in ſingulis, quemadmodùm carbuncu-
lus nobiliſſimus generatur in fronte draconis, ſimi-
liter & lapis alius prætioſus in fronte buffonis, alia-
que mirifica in corporibus aliorum animalium, &
hæc omnia de paſtu veriſſimo ſolis artificiis naturæ,
ſeu naturalium fiunt. Ad ultimum verò de ſemine
tot genara animalium generantur, & omnium mi-
rabilius, ac nobilius ipſe homo. Et ex uno, eodem-
que ſemine generatur tanta membrorum multitu-
do, atque varietas, tanta mirificentia. & pulchri-
tudo, ut evidentar appareat, non niſi arte, & ſa-
H pientiâ creatoris, immò non niſi ea magiſtrante,
atque docente tam mirifica, & tam ſpecioſa opera
naturas efficere poſſe. Sunt & alia, quæ commix-
tionibus & aliis conjunctionibus naturarum fiunt,
de quibus multa innotuarunt: plurima autem ad-
huc in abſcondito ſunt. Harum igitur naturarum vi-
res, & potentias occultas, qui noverunt, multa
mirifica faciunt, & multò mirabiliora efficerent, ſi
rerum eis hujuſmodi facultas, & copia ſuppeteret,
& ſcientia non deeſſet, propter quod & magi hu-
juſmodi homines vocati ſunt, quaſi magna agen-
tes, licet quidam malè interpretati fuerint magos,
quaſi malos, ſeu malè agentes: Qui autem miniſte-
rio dæmonum talia operantur, reverâ & mali, &
mala agentes, & habendi, & dicendi ſunt.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De tribus generibus magicorum operum, & de mirificis virtutibus quarundam rerum.

POſt hæc veniam ad opera hujuſmodi, quæ opera magica, & ludificationes, vel hominum, vel dæmonum nuncupantur. Dico igitur in primis, quia horum tria ſunt genera: alia namque fiunt agilitate, habilitateque manuum, ſicut repoſitiones, & tranſpoſitiones quarundam rerum, & vocantur vulgariter tractationes, vel trajectationes, & ſunt magnæ admirationis hominibus, donec innoteſcant modi quibus fiunt. Secundum genus eſt eorum, quæ non habent, niſi apparentiam, & nihil omninò veritatis, fiunt tamen ſubtractione, vel adhibitione quarumdam rerum. Et inter ea ſunt quædam ſpecies lucernarum, ſeu luminum, ſicut eſt lucerna, quæ conficitur ex cera, & corio ſerpentis ſulfurato Si enim accendatur candela in loco, ubi aliud lumen non luceat, loco inquam paleis, vel juncis ſtrato, ſingulæ feſtucæ, & ſinguli junci videbuntur ſerpentes per domum diſſilientes. Cauſa autem in hoc eſt, quia varietas colorum à pulvere pellis ſerpentinæ faciet apparere viriditatem ſimilem in juncis, atque feſtucis; motus verò flammæ faciet apparere diſſultus, ſive diſilitiones, cujus exemplum evidentiſſimum eſt, quia folium quercuum, vel alterius arboris ſimilis, de nocte videtur buffo, vel rana, ſimiliter & virga decorticatione variata indubitanter in obſcuro loco videbitur ſerpens. Nec mirum, cùm putredines, & ſquamæ piſcium, & poſteriora quorumdam vermiculorum videantur ignes, & flammæ de nocte. Dixerunt etiam hujuſmodi experimentatores, quòd ſi de ſemine aſinino, & cera, prædicto modo fieret candela, ubi iſta ſola luceret, quicunque homines viderentur apparere aſini, & de lacryma aſini, quòd ejuſdem virtutis ſit, ut admixta ceræ ſimilem apparentiam operetur, quidam ſenſerunt. Veruntamen non eſt veriſimile, quòd aquoſitas lachrymæ admixtionem ceræ patiatur, quam etiam ſi pateretur, ardere tamen hujuſmodi cera aquoſa non poſſe videtur. Habet autem admirationem qualiter potentia ſeminis aſini, quæ reverâ non eſt in ſubſtantiam, figuram, & colorem aſininum converſa, tam facile exit in actum hujuſmodi, ut antedictam apparentiam efficiat. Tu igitur intende in hoc quod dixi, videlicet, quia apparentia hujuſmodi multa facilitate, & ex cauſa exigua, valdeque exili provenit, ſicut evidenter vides in exemplis hic tibi poſitis: quamquàm tibi ſolerter conſiderandum eſt, quàm incredibilis ſit virtus uniuſcujuſque ſeminis, & quàm admirandæ operationes ipſius, potiſſimùm verò ſemen unde animal generandum eſt, mirificentioris eſt potentiæ, & operationis, inter omnes quoque ſenſus magis eſt obnoxius fallaciis viſus; jam enim alibi didiciſti quia levi, & modica infectione Inſtrumenti viſus, vel imaginationis, patienti viderentur omnia nigra, vel acuta, vel tremula, atque fugientia; aliæ quoque fallaciæ ejuſdem innumerabiles ſunt. Præſtigium quoque, quo alicui manus ſua videtur pes aſininus, propter quod erubeſcit eam de ſinu extrahere, forte legiſti in libris experimentorum hujuſmodi, ſi recolis. Quòd ſi arte, vel artificio humano, fit abſque miniſterio dæmonum, ne dubites, quin fiat per viam antedictam ſcilicet adhibitione alicujus lucernæ, vel aſperſione aliqua ſuper manum. Præſtigium quoque, quo apparet aqua, vel fluvius, ubi reverâ aqua non eſt, niſi intus, vel extra, aliquid adhibeatur ſpectantibus, quod hujuſmodi fallaciam viſus efficiat, non videtur poſſibile, & in libris experimentorum jubentur adhiberi quædam, quæ virtutem hujumodi fantaſiam inducendi nullatenus habere videntur, ſicut eſt arcus ex quodam ligno, & chorda ex quodam filo, & ſagitta ſimiliter ex alio ligno; quantum igitur eſt jactus ſagittæ illius per arcum hujuſmodi, tanta apparet latitudo aquæ. Evidenter autem vides, quia res huiuſmodi non habent virtutem ſic fallendi, vel potiùs ſubvertendi viſum humanum. Quapropter hic ſcilicet in hoc præſtigio ſolum malignorum ſpirituum miniſterium operari videtur: res autem, quæ adhibentur, non ad hoc utique adhibentur, ſed ad eorum ſervitium. Et hoc quidam expoſuit in necromantia ſua, ita dicens in ſermone ſuo, quòd tale quid, videlicet lignum, vel talem lapidem, aut talem liquorem, ſeu quodcunque vis aliud, tali die, tali horâ accipiendum, faciendum jubemus; & hoc ipſum oblatio eſt: oblatio autem non poteſt hic intelligi, niſi diabolicæ ſervitutis, & culturæ, ſive ſervitii: hoc autem tacuerunt, qui huiuſmodi experimenta ſcripſerunt; ſi enim iſta expreſſiſſent in ſcriptis ſuis, quis ea, niſi inſenſatus, & perditioni addictus reciperet? vel etiam reſpiceret? Hæc igitur eſt fraus diabolica in huiuſmodi operibus, ut illa ibi adhiberi procuret, quæ nihil virtutis ad operandum id quòd intenditur, habeant: adhibeantur inquam in ſervitium ſuum, & culturam, non in adiutorium, vel adminiculum operationis, ad quam penitus nihil poſſunt. Non eſt autem prohibitum naturali impoſſibilitate, quin res aliquæ contra aliquas virtutes, & ſuper illas habeant, quemadmodùm lapis adamas ſuper lapidē magnetem, propter quod & in præſentia adamantis ferrum ad ſe trahere non poteſt, licet non improbabiliter opinari quis poſſet non ex virtute dominationis hoc eſſe quæ fit adamanti ſupra magnetem, ſed potius ex diſpoſitione magnetis, quæ præeligit adamantem, & præfert magneti, eo dimiſſo currens ad illum. De lapide autem, qui vocatur heliotropia, ſi vera ſunt, quæ de iſto ſcripſerunt experimentatores: neceſſe eſt ipſum poſſe contra colorem, cuius operationem ita impedit, ut geſtantem illum videri non ſinat. Et reverâ multa eſt poteſtas ejus contra lucem, cùm ſplendorē ſolis in ruborem transmutet; non enim aliter poſſibile eſt, ut geſtantem ſe efficiat inviſibilem, niſi colorem illius ab operatione ſua & in aera, & in oculos hominum prohibeat, alioquin qualiter prohibetur à viſu geſtans hunc lapidem, ſi paſſio coloris illius ad oculos non hominum perveniret? Similem verò virtutem attribuerunt pelliculæ, vel nervo, qui eſt in ſpina ſerpentis, dicentes, quia ſi ex eo fiat corda in viella, vel cithara, ubicunque nervus ille ſonuerit, impoſſibile eſt nervos aliorum inſtrumentorum ſonare: eſt igitur hujuſmodi nervo virtus prohibendi ſonum ab aliis nervis, & ſuſpendendi alia hujuſmodi inſtrumenta Et tu iam audiviſti multas alias ligationes eſſe ex virtutibus animalium, ſicut de Torpedine, cujus ſupra feci mentionem, quæ tactu ſuo ligat membra tangentium ipſam; & de Remora, qui ligat naves contra Impetum ventorum, & de Ranunculo viridi, qui aſcendit ſuper arbores parvas, & poſitus in ore canis ligat vocem ipſius, ut latrare non poſſit. Sed & lupus prævidens hominem ligat vocem ipſius. Mirabilius autem eſt id, quod experimentatores poſuerunt in libris ſuis: videlicet de ſerpente, quòd ligat maleficos, & magicos, ut in præſentia ipſius ceſſent omnia præſtigia eorum, & incantationes dimittant. Et idem dixerunt de argento vivo, ſi incluſum fuerit inter duos nodos cannæ. Et habent iſta duo ultima admirationem non levem ex hoc, videlicet, quòd ſerpens nec in malignos ſpiritus quicquam poſſe

Digitized by Google

videtur, nec in res, quæ hujuſmodi incanta-
tionibus adhibentur. De argento verò vivo, quæ
virtus cogitari poteſt, per quam incantationes, &
præſtigia ſpirituum malignorum prohibeat? cùm ſi-
cut dixi de ſerpente, nec in malignos ſpiritus, nec in
res, quæ hujuſmodi incantationibus adhibentur,
quicquam poſſe videatur. Hic igitur advertendum
eſt tibi, quia virtutes occultæ multæ, & mirabiles
ſunt in rebus quas attingere non poſſumus, qualis
eſt virtus cancrorum fluvialium, per quam fugant
talpas ab hortis, & pratis, in quibus ſuſpenſi fue-
rint, ſicut dicunt experimentatores, & hanc virtu-
tem non habent ſecundùm eos pauciores quàm
decem. Qualiter autem fugiunt talpæ, cùm ipſos
non videant, nec alio ſenſu deprehendere eos vi-
deantur, cùm ipſi in aëre ſuſpenſi ſint, illæ verò
in profundo terræ lateant? Dico igitur, quia ſi cre-
ditur experimentationibus, herba quæ vocatur
pæonia magnam poteſtatem habet in malignos ſpi-
ritus, fugat enim ipſos ſecundùm eos à Dæmonia-
cis, appenſa collis eorum; quòd ſi eſt, non debet
videri improbabile, ſerpentem, qui utique animal
eſt, habere virtutem ad impediendum aliqua ope-
ra magicorum, & propter hoc conſequenter de ar-
gento vivo, cujus virtutes, & operationes magnæ,
& mirabiles ſunt, non debet intelligentibus incre-
dibile videri, quin contra malignos ſpiritus, vel
res, quæ magicis operibus adhibentur, aliquid poſ-
ſit. fuit enim apud Romanos antiqua opinio, quòd
urina humana perfuſione ſua diſſoluebat opera ma-
gica, & præſtigias diabolicas. Et propter hoc ma-
gos, & magas, quorum præſtigias diſſoluere vole-
bant, urina hujuſmodi perfundi faciebant. An au-
tem ex indignatione diabolica diſſolutio hujuſmo-
di operum fieret, an alie occulta virtute urinæ hu-
juſmodi, non eſt certum mihi; hoc autem dubita-
re non debes, quin maligni ſpiritus vilificari ti-
meant, & mirabiliter erubeſcant. Propter hoc viri
ſancti jacentes ſputum contra eos, & ſpuentes in
contumeliam eorum, eos à ſe plerumque diffugant;
non enim libenter frequentant homines, à quibus
contumeliam patiuntur, cùm ſint ſuperbiâ inflatiſ-
ſimi, & iracundiâ indignantiſſimi, atque contu-
meliæ impatientiſſimi. Debes autem ſcire, quia
urina humana lotium dicitur, & non debet intelli-
gentibus incredibile videri, quin contra malignos
ſpiritus, vel res, quæ magicis operibus adhibentur,
aliquid poſſit. Manifeſtum eſt etiam & lapidem jaſ-
pidem fugare ſerpentes, propter quod & aquilæ
ponunt illum in nidis ſuis, ut per ipſum abſterreant
inde ſerpentes. De galbano verò ſcripſerunt aliqui
ſapientes, quòd dracones, & ſerpentes, diffugat,
& omnem virtutem veneni extinguit. De lapide
verò, qui achates nominatur, quis non miretur
virtutem illam, per quam virginitatem prodit, nec
in potu pulverizatum ſumi ſe patitur à muliere,
quæ virgo non ſit: quòd ſi tentaverit, ſtatim evo-
mere cogitur illum. Hoc igitur experimento pro-
bare conſueverunt in majori britannia, qui pueri,
quæ puellæ virgines eſſent. Quis verò non miretur,
hanc virtutem lapidis iſtius? quid ad ipſum de vir-
ginitate? quæ comparatio ejus ad iſtam; quæ habi-
tudo, quis aſpectus: & de corruptione, ſeu deflo-
ratione, non minor quæſtio eſt. Si igitur lapis iſte
ex occulta virtute corruptionem in muliere ſecum
prædicto modo non patitur, quid mirum, ſi argen-
tum vivum opera illa diabolica in præſentia ſua
fieri non patitur? Si quis autem admirabilia medi-
cinarum intenderit, inveniet, quæ mirari non im-
meritò poſſit, & debeat. Quis enim non miretur
theriacam venenum rejectantem, & de toto corpo-
re ejus, qui illud hauſit, fugantem, & ad os addu-

E centem, per ipſumque illud expellentem, ſimili-
terque, cùm in vulnus toxicatio fuerit immiſſa,
qualiter totum corpus vulneratum perſcrutari vide-
tur, ut venenum in eo inveniat & per viam, qua
intravit, illud inde educat? Arboris autem, quæ
agnus caſtus dicitur, famoſiſſima virtus eſt ad con-
ſervandam caſtitatem, unde & nomen accepiſſe vi-
detur: quam virtutem ſi diligenter attenderis, mi-
rabilem illam invenies: aut enim materiam ſemi-
nalem præſentia ſua conſumit, aut calorem ejus ex-
tinguit, quorum neutrum videtur, niſi, quemad-
modùm dixi, ex virtute occulta. In camphora nam-
que, quæ odore ſuo reprimit luxuriam in viris non
eſt mirum, ſi quid enim de illa per nares ab odoran-
tibus eam ſumitur, operatur aliquid in organis ſe-
minalibus, vel in materia ſeminali. De agno verò
caſto non videtur aliquid transfundi in corpus, cui
F caſtitatem præſtare dicitur, vel ſervare, ſed ſolâ
præſentiâ ſuâ hoc efficere putatur, propter quod
qui hoc ſentiunt de arbore hujuſmodi, juxta lectos
ſuos, vel in lectis ſuis habent aliquid de ipſa, vi-
delicet ramum ejus, aut frondem aliquam. Ex his
igitur, & ſimilibus, quæ in libris experimentorum,
& in libris naturalium narrationum plurima legun-
tur, utcunque cognoſcere poteris cauſas, & ratio-
nes quorumdam operum magicorum, maximè quæ
ſunt ex arte magica naturali. An autem verum ſit,
vel ſaltem veriſimile, quòd herba pæonia fugat
dœmones à dœmoniacis, inde utcunque poterit
eluceſcere; ſi enim harmoniis eſt iſta virtus, vide-
licet fugandi dœmones, cur non potius herbis,
quarum tam multæ, tamque miræ virtutes eſſe pro-
bantur? Et mercurius idem philoſophus, & magus
ægyptius poſuit herbis quibuſdam, & aromatibus
virtutes divinitatis in libro quem ſcripſit de deo
deorum, dicens: Ita majores noſtri herbis, & aro-
matibus virtutem divinitatis in ſe habentibus ani-
G mas dœmonum ſtatuis indiderunt. Ego verò non
innitor ſermonibus hominis iſtius, quem conſtat
deceptum fuiſſe mirabiliter ab ipſis malignis ſpiri-
tibus. Et error ipſius declaratus eſt tibi jam per me
in tractatu de fide, & lege, atque legibus, & ſectis,
poſſibile eſt tamen malignis ſpiritibus odioſas eſſe
res omnes, quia ſalutares ſunt hominibus, unde
& fabuloſum eſt malignum quendā ſpiritum den-
tes infixiſſe radici cujuſdam herbæ, quæ propter
hoc remorſa vulgariter dicitur, in qua apparet re-
verâ ſimilitudo morſuræ. Hoc igitur non eſt dubi-
tandum, quòd implacabiles humani generis hoſtes
odioſa habent quæcunque hominibus ſalutaria
ſunt: herba verò pæonia multas habet virtutes, &
magnas, hominibus neceſſarias; poſſibile igitur eſt,
ut ex odio iſto fugiat à præſentia ipſius malignus
ſpiritus, & propter hoc ab ipſo dæmoniaco, præ-
H ſertim cùm propter ipſum fugandum appenſa fuerit
collo ejuſdem dœmoniaci; nihil tamen prohibet
ſpeciali, & propriâ virtute illius hoc effici poſſe,
videlicet ut fugiat ab illo malignus ſpiritus, cui
collo fuerit alligata. In uno namque ex libris he-
bræorum expreſsè legitur, dixiſſe quendam ex ſan-
ctis angelis: quia fumus cordis cujuſdam piſcis po-
ſiti ſuper carbones exterminat omne genus dæmo-
niorum, ſive à viro, ſive à muliere. Et manifeſtum
eſt, quòd liber iſte authenticus eſt tam apud gen-
tem Hebræorum, quàm apud gentem Chriſtiano-
rum. Quis autem melius noſſe potuit hanc naturam
dœmoniorum, qua conſque ſubditi ſunt etiam fumo
cordis piſcis, ut omne genus illorum exterminari, &
fugari valeat per ipſum, quàm ipſe archangelus, qui
hoc dixit? Deinde ſi hanc virtutem habet piſcis
ille, quomodò non erit veriſimile etiam ſerpen-
tem habere ſimilem virtutem ad prohibendos ma-

Digitized by Google

lignos ſpiritus ab aliquibus præſtigiis, & fallaciis ſuis? Quòd ſi illis creditur, qui de virtutibus lapidum ſcripſerunt, quædam ſpecies jaſpidum fugat fantaſmata, & propter hoc prohibet à geſtatore ſuo omnes hujuſmodi præſtigias dæmonum. Nec habet levem admirationem, aut quæſtionem, qualiter virtuti corporali eouſque ſubditæ ſint iſtæ ſubſtantiæ ſpirituales; niſi quis fortè dicat, quia in pœnam ſuam hujuſmodi ſubjectionem patiuntur, quemadmodùm eſt prædictum tibi in præcedentibus, quòd igni gehennali, qui utique corpus eſt, ſubjiciendi ſunt maligni ſpiritus, & ab illo perpetuò torquendi, cùm ab omni ſubjectione corporali immunes eſſe prorſùs deberent, & liberi, per naturæ ſuæ nobilitatem, & præcellentiam, ſicut & manifeſtum eſt eos eſſe ſubjectos ſanctis, & juſtis hominibus; quapropter tam ſæpè fugantur ab eis, ligantur, & recluduntur. Et nemo intelligens dubitat, quin natura & præſtantiores, & fortiores ſint hominibus: quòd igitur inferiores, & infirmiores eis effecti ſunt, pœnam eorum eſſe manifeſtum eſt. De præſtigiis autem, hoc eſt, de operibus ludificatoriis, quibus videntur facere mira quædam, quæ non videntur eis eſſe poſſibilia, non immeritò quæſtionem habet, utrùm fiant, & qualiter: & de generationibus quorumdam animalium non eſt dubium, quin ea faciant vel ſaltem procurent. Et legiſlator Hebræorum in ſecundo libro legis illius expreſsè teſtatur, quia ranas fecerunt magi ebullire ſimiliter per incantationes, & quædam arcana. Verùm quoniàm animas hujuſmodi animalium nec creare eis unquàm poſſibile fuit, nec corpora formare, manifeſtum eſt eos, vel ſemina hujuſmodi animalium, vel materias, ex quibus facillimè generantur, magis Ægyptiis aliquo modo miniſtraſſe: naturæ autem in ſeminibus, & per ſemina non fuit difficile operari juxta conſuetudinem ſuam: divina verò virtus, ſicut utique patentiſſimum eſt, promptiſſima eſt adjuvare ſemina, & infundere eis animas, quàm citò fuerit opportunum & quas, & quales decuerit. Licet igitur magi illi malè operarentur, quicquid operabantur, & contra Deum, Prophetæ ipſius, provt poterant, reſiſtentes, non retrahebat tamen creator benigniſſimus largitatem bonitatis ſuæ à materiis, quin eas adjuvaret, & ipſis animas convenientes infunderet, ſicut vides evidenter de illo, qui commiſcetur mulieri vel per fornicationem, vel per adulterium; ſemini enim ſic ſeminato infundit benigniſſimus creator animam humanam, non attendens ad peccata generantium, ſed potiùs ad magnificentiam, profuſiſſimamque largitatem ſuæ bonitatis. Sic nec ad mala opera, vel ad malam intentionem magorum Ægyptiorum reſpiciens, nec ad malignitatem etiam dæmonum, ſeminibus, quæ vel miniſtrabant, vel præparabant magi illi, animas infundebat ex profuſione largitatis bonitatis ſuæ.

De operibus ludificatoriis malignorum ſpirituum.

CAPUT XXIII.

De ludificationibus dæmonum, quibus aliqua faciunt apparere quæ non ſunt, & quâ virtute ſpirituales ſubſtantiæ movent corpora.

EXpediens autem arbitror aliquantulum diſputare de ludificationibus quibuſdam malignorum ſpirituum, ut ex illis apparere tibi debet, qualiter aliàs operentur. Exempli gratiâ de nummis, vel aureis, vel argenteis, quæ revertuntur quoties dati fuerint pro rebus aliis. Dico igitur in primis,

A quòd nec auro, nec argento præſtare poſſunt virtutem greſſibilem, aut volatilem, vel aliàs motivam eorum contra naturam ponderoſitatis ſuæ. Quòd igitur redeant hujuſmodi nummi, non eſt ex virtute aliqua ipſorum; virtute igitur ſolâ malignorum ſpirituum revertuntur: ipſi igitur ſunt, qui reportant eos ad illos, qui ipſos videbantur expendiſſe: ſi tamen verum eſt, quòd revertantur ad ipſos. Tu verò ſcire debes, quia facile eſt malignis ſpiritibus ſimilitudines aureorum, vel argenteorum nummorum facere apparere, ubi veritas rerum hujuſmodi nulla eſt. Quapropter non eſt neceſſe, ut veri nummi ſint, qui reverti dicuntur, & ſicut legere poteris in libris miraculorum Chriſtianorum, facilitate, quâ malignus ſpiritus apparere fecit in via cuidam viro ſancto vas magnum argenteum, poteſt & facere apparere unum nummum, B vel multos ubi nullus nummus eſt. Et quoniàm creditur, quòd malignis ſpiritibus eſt iſta poteſtas, vel facultas, ut appareant in ſpeciebus hominum, vel aliorum animalium, cùm permittuntur; quid mirum, ſi in ſpecie aut nummorum, aut vaſorum interdùm appareant per transfigurationes, quas ipſi noverunt. Et pluries quidem in ſpeciebus ſerpentis, & in ſpeciebus mulierum ſpecioſiſſimarum eos apparuiſſe legere potes in prænominatis libris. Non multùm autem refert, utrùm de ſemetipſis hujuſmodi transfigurationes, an de materiis aliquibus aliis efficiant. Propter hoc igitur non immeritò quærendum eſt de forma apparente ſic, videlicet de forma ſerpentina, vel muliebri, utrùm ſit, vel non ſit, cùm indubitanter appareat, & inſuper ubi ſit, utrùm in aëre, an in ſubjecto alio, an in anima ſolùm ejus, qui ſic ludificatur. Quòd ſi in aëre hujuſmodi formam eſſe dixeris, tu noſti ſermonem iſtum eſſe erroneum, cùm ſcias aëra non poſſe C retinere formas hujuſmodi, neque aliud diaphanum corpus, propter quod & vitro plumbum ex altera parte opponitur, videlicet, ut ejus diaphanitas impediatur, quæ prohibet retentionem formarum in ipſo, & reflexionem earum ab eodem. Si dixeris formam hujuſmodi, vel in terra eſſe, vel in alia materia ſubitò ibi adhibita per virtutem maligni ſpiritus, dico quòd in terra eſſe non poteſt, niſi vel inſcripta, vel inſculpta, vel in eadem picta. Et inſculpta quidem eſſe non poteſt: cùm ad inſtar ſomnii confeſtim evaneſcat: ſculpturæ autem non eâ facilitate recedant ab his, quibus impreſſæ fuerunt, ſimiliter nec picturæ, nec ſcripturæ eſſe poſſunt: hoc enim latere non poſſet ſanos oculos habentem, & ſollicitè intuentem. Quare relinquitur, ut in anima ſolùm ſit forma hujuſmodi, ejus qui per eam ludificatur. Quia igitur apparitiones hujuſmodi ſepiſſimè factæ leguntur viris ſanctiſſimis, quomodò veriſimile eſt malignis ſpiritibus tantum D acceſſum eſſe ad animas ſanctiſſimas, Deoque placidiſſimas? Verùm ad hoc facile videtur, & etiam reſponſum eſt à ſapientiſſimis Chriſtianorum: quia etiam ad eorum corpora vexanda, & torquenda data eſt malignis ſpiritibus plerumque poteſtas. Et de ipſo vero Dei filio, veroque Deo Domino ſæculorum expreſsè legitur in lege Chriſtianorum, quòd malignus ſpiritus ipſum tranſportavit, & in montem excelſum, & ſupra pinnaculum templi cujuſdam. Ampliùs. Nullus intelligens hodie dubitat, quin maligni ſpiritus viros ſanctos ſpiritualiter impugnent cogitationibus & imaginationibus: qualiter autem hoc poſſunt, ſi non eſt eis acceſſus ad animas eorum, & ſi non eſt eis facultas pingendi cogitatum hujuſmodi in imaginationibus eorum, & forſitan virtute intellectiva ipſorum? Præſertim ſi fuerit tentatio cogitationis de rebus ſubli-

Quòd maligni ſpiritus Deo permittente juſtos torquent tentationibus.

Digitized by Google

mibus, ac ſpiritualibus, quales ſunt cogitationes blaſphemiæ de eſſentia creatoris, & de aliis hujuſmodi, quæ non cadunt, niſi in virtutem intellectivam. Quapropter facile eſt in virtutibus interioribus animarum noſtrarum malignis ſpiritibus pingere cogitata quæcunque voluerint, quoties permittitur, & illa non ut cogitata tantùm, ſed ut viſa, quemadmodùm in ſomnis, & ſomniis. Quapropter qualibet hora diei, vel etiam noctis, poſſibile eſt eis hoc ex naturæ ſuæ virtute, dummodò adſit eis permiſſio creatoris. Intende igitur diligenter in hoc, quia hoc videtur mihi declaratio ludificationum iſtarum. Cum his autem attendendum eſt tibi, quòd ipſa cogitata, quæ vigilantes cogitamus, interdùm euſque animas noſtras in ſe rapiunt, ut non cogitare illa, ſed videre nobis potiùs videamur. Ex his igitur elucere tibi poterit de incantatoribus, qui videntur lacerare fruſtatim equos ſuos, & quia forma equi, vel integri, vel detruncati eſt in animabus ſpectantium, procurantibus malignis ſpiritibus, ut prædixi. Veruntamen non eſt in eis, ut cogitatum, vel tanquàm ſignum, ſed potiùs, ut viſum & res. Hoc autem efficit fortitudo impreſſionis, cui addere, & detrahere poſſibile eſt malignis ſpiritibus ex permiſſione creatoris. Quare ſicut cogitationes ipſas ingerunt ſpectantibus opera magorum, ſic ipſas cogitationes viſiones efficiunt, & quæ erant ſigna, non ut ſigna, ſed ut res videri faciunt. Quòd igitur magus equum ſuum detruncare videtur fruſtatim, hoc modo eſt, & per hanc viam, quantùm eſt de naturali virtute malignorum ſpirituum: non tamen improbabile eſt alias vias eis eſſe poſſibiles, qui multarum rerum virtutes occultas, & mirificas non ignorant. De hoc verò, quòd homines interdùm portant, ſicut & unus ex bonis, & beatis ſpiritibus portavit quendam de Prophetis Judæorum de terra Judæ in Babylonem, & hoc cincinno capitis, & de aliis hujuſmodi portationibus, quibus vel homines, vel ſaxa grandia portaſſe dicuntur, quæ reverà non habet admirationem parvam, nec levem quæſtionem, conveniens eſt quantùm poteris perſcrutari: videlicet qualiter hujuſmodi portationes eis poſſibiles ſint, qui nec habent colla, nec humeros, nec ulla inſtrumenta portationibus convenientia. Similem quæſtionem habet jactus lapidum, quod etiam hodie facere videntur, & reverà faciunt, homines tamen hujuſmodi jactibus vel rariſſimè, vel nunquàm lædunt. Ex quo manifeſto indicio apparet moderatione divinæ bonitatis reſtrictam eſſe virtutem eorum, ut etiam lapides pro voto ſuo, vel voluntate jacere non poſſint, nec habet levem admirationem, qualiter uſque in homines ſine læſione ipſorum ipſos jaciant, ſed cauſa in hoc eſt reſtrictio, quia conatus eorum moderatur divina bonitas. Ut igitur iſta tibi, quantùm poſſibile eſt, declarentur, attendenda ſunt tibi exempla ad ea, quæ tibi ponam.

Exemplū de adamāte.

Et primum exemplum eſt adamantis, ſive magnetis, qui virtute ſuâ ſolâ dat motum ferro contra naturam ponderoſitatis ipſius ferri, & hoc abſque impulſu aliquo, vel attactu corporali. Quid igitur mirum ſi incorporalis ſubſtantia tantâ virtute prædita eſt, ut ſine impulſu, vel attactu corporali, præſtare poſſit motum corpori, immò corporibus multis? Ampliùs. Cùm lapis jacitur, vel ſagitta trahitur, quid eſt, quod dat motum lapidi, vel ſagittæ? nemo dubitat, quin illud ſit violentia impulſionis, & quoniàm motus ille contra naturam ineſt illi lapidi, vel ſagittæ, manifeſtum eſt ipſam naturam lapidis, vel ſagittæ ſuſpendi à propria operatione, hoc eſt, à motu, qui eſt deorſum, quamdiu durat violentia illa impulſionis. Duo ergo

E operatur ibi violentia hæc præſentia ſua, videlicet ſuſpenſionem, quam dixi, naturalis ponderoſitatis, & motum illum violentum. Cùm igitur impulſio iſta accidens ſit, & propter hoc incomparabiliter debilioris eſſe, quàm ſubſtantia, & maximè, quàm ſubſtantia ſpiritualis, quomodò non potiùs ipſa ſubſtantia ſpiritualis ſuſpendere poterit præſentiâ ſuâ naturalem ponderoſitatem lapidis, aut ſagittæ, & dare eidem motum ſimilem, vel, ſicut quibuſdam viſum eſt, violentam levitatem? hoc enim nonnulli opinati ſunt, videlicet quòd impulſio violenta levitatem dat corpori ponderoſo per violentam impulſionem moto. Cauſam autem hujuſmodi poſitionis ſuæ habuiſſe videntur, videlicet, quia non videbatur eis moveri poſſe corpus aliquod à principio motus ſolummodò, quod eſſet extra ipſum, niſi impreſſionem aliquam in ipſum faceret, ex qua motus ille procederet.

F Præterea non videbatur eis principium naturalis motus impediri poſſe ab operatione ſua naturali, niſi per diſpoſitionem, quam illud ſuâ conjunctione cum ipſo ageret. Quapropter viſum eſt eis diſpoſitionem, ex qua violentus motus immediatè procederet, eſſe in ipſo corpore moto per violentiam, & hanc diſpoſitionem vocaverunt in eo violentam levitatem. Ampliùs. Quomodò violentus motus poteſt per violentam impulſionem imprimi corpori alicui, & non ſimiliter levitas violenta? Ampliùs. Cùm poſt impulſionem ſtatim quieſcat impellens, & eſſet ab omni motu, & actione corporali, quid eſt, quod tunc movet corpus violenter motum? non movet ipſum illud, quod impulit ipſum, cùm ſicut poſitum eſt, quieſcat, & ceſſet ab omni motu, & actione. Quare non eſt apud impellentem, ſeu impulſorem, quòd ipſum moveat illâ horâ, neceſſe eſt autem ipſum moveri ab

G aliquo, & motum illum cauſam habere conjunctam: in ipſo igitur, quòd movetur violenter, eſt diſpoſitio movens ipſum, & principium motus illius: quæ autem poteſt cogitari, vel fingi etiam diſpoſitio immediatè efficiens motum violentum, & exiſtens in ipſo corpore violenter moto, niſi levitas violenta? Ampliùs. Si principium motus in deorſum naturale naturalis eſt ponderoſitas, ſimiliter motus naturalis in ſurſum levitas naturalis, quomodò principium motus violenti in deorſum non erit ponderoſitas violenta, & principium violenti motus in ſurſum non erit levitas violenta? Ampliùs. Duæ diſpoſitiones contrariæ ſunt motus naturalis in deorſum, & motus violentus in ſurſum. Quare ex principiis contrariis neceſſe eſt eis eſſe immediatè. Sicut igitur motus naturalis in deorſum eſt ponderoſitas naturalis, ſic violenti motus in ſurſum, neceſſe eſt, ut ſit principium levitas violenta. Et debes attendere, quia iſta ratiocinatio

H firmatur & à ſimili, & à proportione, & à contrariis. Si igitur iſta ſufficiunt facere certitudinem de hoc, quòd violenta impulſio corpori ſic impulſo levitatem imprimat violentam, jam feci te ſcire per hoc, quia corpus ponderoſum etiam ſine violentia impulſionis, vel attractionis levitatem aſſumit, vel induit, violentam, ſicut apparet in ferro, quod ad adamantem currit: & hoc ſine attractione, vel impulſione, de quibus non eſt opus, ut ponam te ad exempla, cùm omnium oculis tam clarè, tamque latè pateat. Quòd ſi hoc poteſt corpus in corpus per virtutem corporalem ſcilicet, imprimere illi diſpoſitionem contrariam naturali ponderoſitati, quantò fortiùs ſubſtantiæ ſpirituales per virtutem ſpiritualem poterunt hæc in corpora naturaliter ponderoſa: nemo enim intelligens dubitat virtutes ſpirituales fortiores incomparabiliter eſſe, atque

Digitized by Google

atque profuſioris influentiæ, quàm ſint virtutes corporales. Sive igitur corpora inanimata ſint, ſive animata corpora, non eſt impoſſibile ea aſſumere, vel induere violentam levitatem, ex fortitudine, & influentia virtutum ſpiritualium ſubſtantiarum. Quòd ſi corpus Prophetæ, qui de terra Judææ per unum ex ſublimibus, ac beatis ſpiritibus in cincinno capitis translatus eſt in Babylonem, levitatem ex virtute illius aſſumpſit, facile fuit ipſum in capitis cincinno per illum ſpiritum à terra Judææ in Babylonem tranſportari. Si enim naturalis ponderoſitas per contrariam diſpoſitionem non erat impedita in corpore Prophetæ, neceſſe erat cincinnum capitis ejus rumpi, vel avelli à capite, & ſic ipſum Prophetam cadere in terram; niſi fortè quis dicat, cincinnum novâ fortitudine conſque roboratum, aut novâ aſtrictione conſque radicatum, ut ponderoſitatem corporis Prophetæ ſuſtinere valeret abſque ruptione ſua & avulſione à capite illius. B Verùm ſi quis hoc dixerit, non minùs mirabile dicet, quàm ſit illud, quod prædixi. Non enim minus mirabile eſt cincinnum tantam aſſumpſiſſe fortitudinem, vel radicem capillorum, tam fortem radicationem. Quòd ſi juxta imperitorum conſuetudinem dixerit, neutrum factum eſſe, videlicet nec capillos recepiſſe talem fortitudinẽ, nec radices eorum talem radicationem, nec ipſum corpus Prophetæ, qualem prædixi levitatem, ſed potiùs virtute divinâ permanente in ſua virtute ponderoſitate, & in capillis, atque radicibus eorum debilitate, factam fuiſſe Prophetæ tranſportationem. Dico quia homo hujuſmodi non vult recipere minora mirabilia neſcio quo timore, majora tamen concedere non veretur. Majus enim mirabile eſt pacificatio contrariorum in uno, & eodem ſubjecto, vel etiam in diverſis, cùm etiam ſe contingunt invicem, ut alterum in alterum liberè C agere poſſit, quàm aſſumptio levitatis in corpore ponderoſo, & hoc eſt, quoniàm alterum contrariorum ibi impeditur ab operatione ſua, ſcilicet ponderoſitas naturalis: & impedimentum hoc manifeſtum eſt, videlicet impulſio violenta, quæ non permittit ponderoſitatem operari operationem ſuam naturalem. Ampliùs. Evidentiſſimum eſt animam humanam, quæ utique ſubſtantia ſpiritualis eſt, præſtare motum innaturalem corpori ſuo, videlicet in quo eſt. Fortior autem ex omnibus modis eſt ſubſtantia ſpiritualis abſtracta à corpore nullo modorum eo indigens, quàm anima humana. Cùm igitur anima humana ſolo imperio præſtet hujuſmodi motum corpori ſuo, quantò fortiùs hoc poterit ſubſtantia abſtracta, videlicet ſolo imperio id præbere corpori, cui ſe ad hoc applicuerit. Quòd ſi dixerit quis, quia ſeparatio à corpore prohibet virtutem iſtam imperativam ab hujuſmodi operatione: D Reſpondeo in hoc, quia ſi abſtractio à corpore prohibet, vel impedit virtutem imperativam, tunc neceſſe eſt, ut creator benedictus ſit in ultimitate prohibitionis, & impedimenti hujuſmodi, cùm ipſe ſit in ultimitate abſtractionis, & elongationis à corpore: ubicunque enim cauſa eſt major, & magis eſt, ibi neceſſe eſt cauſatum, & majus, & magis eſſe. Si verò dixerit, quia ſeparatio à corpore impedit animam humanam, & prohibet à motu corporis ſui, & hoc inde apparet, quia cùm ſeparata per mortem ab eo fuerit, nihil poteſt in ipſum, quantùm ad motum, nec virtuti ejus imperativæ etiam in modico, quantumcumque imperet, obedit, vel etiam obedire poteſt: Reſpõdeo igitur in hoc, quia virtus imperativa animę humanę ſuper motũ corporis ſui reverà impeditur per ſeparationem dictam, tam à parte animæ, quàm à parte corporis. Et à parte quidem

A animæ, quoniàm caret vehiculo virtus illa, quæ vehitur per membra corporis. Et hoc vehiculum vocaverunt Philoſophi ſpiritum. & diverſificaverũt hujuſmodi vehicula pro diverſitate operationum animæ ipſius, verbi gratia ſpiritum vitalem, quo vita vehitur ab ipſa anima, quæ fons vitæ eſt, per ſingula in corpore viventia; ſimiliter ſpiritum ſenſibilem, quo ſenſus per ſingulas partes corporis, quæ ſentiunt, vehitur: eodem modo & ſpiritum naturalem, quo quaſdam virtutes ipſius animæ per corpus vehi notaverunt. Deficientibus igitur, & extinctis per mortem hujuſmodi vehiculis, impeditur omnis operatio animæ humanæ, & impeditur omnis ejus virtus operativa in corpore, & per illud: à parte verò corporis, quia per mortem efficitur ineptum ad omnem operationem ipſius animæ ſuſcipiendam: virtutes ſubſtantiarum abſtractarum non indigent hujuſmodi vehiculis, nec ullis diſpoſitionibus in corporibus, quæ movere voluerint, B ſed totum eſt in eis, & apud eas, quo indigent ad operationes, quas efficere volunt, ſive intra ſe, & apud ſe, ſive extra. Hoc autem eſt in eis ex ſimilitudine perfectionis, qua ſupereminentiæ creatoris appropinquantur, quantùm fas eſt eis, atque poſſibile juxta ordinem nobilitatis ſuæ Manifeſtum enim eſt exercitatis in rebus divinalibus, quia ordinatæ ſunt perfectiones, & virtutes in ſubſtantiis tam abſtractis, quàm aliis, ita ut qui propinquiores ſunt creatori, ordine nobilitatis majores ſint, & quæ remotiores, minores, & ſic, donec perveniatur ad noviſſimam & minimam. Quapropter neceſſe eſt animas humanas perfectionibus ſuis & minores, & inferiores eſſe ſubſtantiis abſtractis. Et intendo, quantùm ad ordinem naturæ; quod inde evidenter manifeſtum eſt, quia animæ humanæ ex iſta minoritate perfectionis corporibus indigent propter mul- C tiplices perfectiones ſuas, quæ non acquiruntur eis, niſi in corporibus, & per illa. Et intendo, ut ex his ſermonibus meis cognoſcas indubitanter, quia ipſa abſtractio in hujuſmodi ſubſtantiis ex perfectione earum eſt, quemadmodùm in animabus humanis conjunctio earum ad corpora ex indigentia ipſarum & imperfectione. Quod autem dixi de vehiculis virtutum animarum ex ſermonibus ſapientum, & multam habet difficultatem, & profundiſſimam diſputationem. Similiter & de ipſa eſſentia, vel natura hujuſmodi ſpiritus, materiam nobis reliquerunt perſcrutationum, & quæſtionum, cùm de his declaratio ad tempora mea necdùm venerit, quam ego invenerim. Revertar igitur ad id idem, in quo eram, & dicam, quia ſi meminiſti eorum, quæ præceſſerunt de virtutibus animarum, etiam brutalium, ſive irrationabilium animalium, invenies quaſdam ex illis ligare motum voluntarium in membris ho- D minum, ſicut dixi tibi de torpedine, & de virtute animæ ipſius, & quædam ligant corpora, & prohibent ab eis motum violentum contra vim, & impetum ventorum fortiſſimorum. Quid igitur mirum ſi aliquæ ſubſtantiæ ſpirituales econtrariò poſſunt vim præſtare motus corporibus quaſi naturali immobilitate econtrariò ligatis. Et intendo ponderoſa corpora ipsâ ponderoſitate ligata, & prohibita naturaliter à motu omni violẽto. Omninò enim veriſimile eſt non minus poſſe ſubſtantias incomparabiliter meliores, ac fortiores, videlicet abſtractas, plus poſſe inquâm ad prohibendas hujuſmodi ligationes, quàm illæ animæ adeò ignobiliores, adeòque inferiores poſſint ad eas efficiendas. Cui enim videatur echeneis piſcis poſſe ligare navem magnam contra omnem impetum ventorum, & prohibere eam à motu, & ſubſtantiam abſtractam nobilem non poſſe movere eandem incomparabiliter nobi-

liori, ac ſublimiori imperio, cùm anima ipſius echeneidis prohibitionem iſtam, & ligationem non alia virtute efficiat, quàm imperio, vel alia hujuſmodi paſſiones? Fortaſſis enim ita eſt paſſio illa, ſicut dixi tibi de virtute, quâ baſiliſcus per viſum interficit hominem, & de virture, quâ lupns ligat vocem hominis, quem ante videat, quàm videatur ab illo. Quòd ſi quis quærat, qualiter quendam virum ſanctum quidam ex malignis ſpiritibus portaverit ex juſſione ipſius de regione Burgundiæ uſque Romam, & hoc ſpario duarnm, vel trium horarum. Reſpondeo, quòd jam expedivi me, & te ſuper hoc, quia ſi voluit, potnit enm portare in cincinno capitis, ſicut de Propheta prædixi de terra Juda in Babylonem per Angelum ſanctum tranſvecto. Quòd ſi vir ille ſanctus eſſe ſibi videbatur ſuper humeros, aut dorſum maligni ſpiritus. Dico quia iſtud ſecundùm veritatem ab hujuſmodi ſpiritu fieri non poterat ullo modo, cùm nec humeros, nec dorſum habeat, neque poſſibile eſſet ei talia membra vel generare, vel cauſare, vel alio modo efficere. Quapropter in viſione ſolummodò fiebat ſeſſio illa: ſic enim acceptiot, & decentior erat viro ſancto hujuſmodi vectigatio, benignitatemque divinæ potentiæ magis ſibi propitiam cognoſcebat, qua malignum ſpiritum ei, nt jumentum ad ſervitium evectionis ſibi ſubjecerat. Quòd ſi dixerit, quia hoc non ſecundùm veritatem erat, ſed ſecundùm viſionem tantùm. Reſpondeo, quia non ignorabat vir iſte ſanctus malignum ſpiritum ad illud jumentinum obſequium virtute divina ſibi paratiſſimum, ſi hoc natura ſpiritualitatis permitteret, & hoc ei viſione illa certiſſimè inſinuabatur: & ſufficiebat eidem, cum obſeqnio vectigationis, quam & impendebat ſpiritus ille. Si verò quæritur de eqno, quem ad vectigationes facere ſe credunt malefici, credunt inquã facere de canna per characteres nefandos, & ſcripturas, quas in ea inſcribũt, & impingunt: Dico in hoc, quia non eſt poſſibile malignis ſpiritibus de canna verum equũ facere, vel formare; neque cannam ipſam ad hanc ludificationem eligunt, quia ipſa aptior ſit, ut transfiguretur in equum, vel ex illa generetur eqnus, quàm multæ aliæ materiæ. Forſitan autem propter planitiem ſuperficiei, & facilitatem habendi eam, alicui videatur ad hoc prælecta. Execrabilibus namque ſcripturis illis procnldubiò aliquantulnm eſt apta. Jam autem audiviſti, quia non eſt poſſibile malignis ſpiritibus ſub quacunqne ſpecie homines impugnare, vel ludificare, & plerunque non permittitur eis hoc, niſi ſub ſpeciebus, quæ ipſo horrore ſuo homines inſtruant de malignitate eorum, ſuſpectaque eis efficiant opera hujuſmodi, atque per hoc ipſum homines exterreant, & avertant ab illis, quemadmodùm de illis, quæ in ſpecie ſerpentis, aut ſpecie buffonis, aut aliis horrificis operari conatur diabolus. Sic forſan hac de cauſa ludificationem iſtam efficere in canna ſola, & non alio ligno permittuntur maligni ſpiritus, nt facilitas, & vanitas eorum per cannam hominibus inſinnetur. Eſt enim hujuſmodi lignum, & falſum, & vacunm; videtur enim lignum ſolidum, cùm vacuum ſit intns, & inane, & de veritate ligni non habeat, niſi qnod exterius in eo apparet. Inſinuatur etiam in eo per ipſam fragilitatem cannæ, quàm formidanda hujuſmodi eqni, & non ſecura inſeſſio, ſimiliter & periculoſitas fracturæ ipſius cannæ, quæ ipſos etiam incumbentes ſibi multipliciter vulnerat. Si qnis autem dicat, qnia canna, & calamus habitationes interdùm malignorum ſpirituum ſunt, ſicut ſerpentum, ranarnm, atque bufonum, & aliorum immundorum animalium, juxta ſermonem Sapientis, qui dixit,

E quia in ſecreto calami dormit in locis humentibus: ego et.'m non improbo. Si enim habitare inter hujuſmodi ligna permittitur, veriſimile eſt in hujuſmodi lignis eidem plus eſſe poteſtatis, pluſque licere, quàm in multis aliis. Ex his igitur collige non eſſe poſſibile verum eſſe equnm, qui ſic factns videtur nec veram equi ſeſſionem, quæ in eo ſic eſſe videtur, ſed totnm potiùs fieri in illuſione fantaſticæ viſionis Nec mirum ſi malignis ſpiritibns datur, vel permittitur ſic ludificare maleficos, cùm ipſi priuſquàm eis hoc fiat per ſacrificinm ſanguinis in poteſtatem malignorum ſpirituum ſeipſos tradant. De ſanguine namque illo diabolicis characteribus & literis inſcribitur canna, de qua eqnum fieri inſaniſſimè opinantur. Quòd ſi quis dixerit, quia malignis ſpiritibus eſt illa poteſtas, atqne ſcientia, quæ qnondàm fuit eis in Ægypto ad generationem ranarnm; F & propter hoc poſſibile eſt eis procurare generationem veri equi. Reſpondeo in hoc, qnia non eſt neceſſe, cùm facillima ſit generatio ranarum: equi verò generatio difficilis eſt, & multi temporis. Ampliùs. Verum equnm impoſſibile eſt tanta velocitate portare ſeſſorem aliquem, qnanta portari ſibi videtur, qui hoc modo ludificatur; ſibi enim non minori velocitate rapi videntnr, quàm ſi volarent. Scito etiam, quòd fortaſſis non per vias, & terras gradi videtur equus hujuſmodi, ſed quaſi per aëra ferat pariter, & feratur: poſſibile tamen eſt, ut & ſic gradi videatnr. Arteſius quoque magus ſcripſit in libro ſuo, quem vocavit de virtute verborum, & characterum, figuram per quam aſſerebat ſe ligare molendinum, ut nulla rota ejus moveri poſſit motu circulari: quòd ſi ita eſſet, conſequens eſſet, ut virtute alicujus figuræ poſſent etiam moveri abſqne innndatione aquæ, & impetu venti rotæ molendinariæ. Qualiter enim veriſimile eſt, nt G figuris, & characteribus ſit virtus ad prohibendos motus tam ntiles, atque neceſſarios, & non ſit eis virtus, vel aliquibus aliis, ad eos efficiendos? Alioquin virtus diabolica eſſet hæc, quæ tam potens eſſet ad nocumenta. & tam impotens ad utilitates. Hoc autem unum eſt ex his, de quibus in alio tractatu expeditus es. Declaratum autem eſt tibi figuras & characteres per figurationes ſnas, & lineationes nullam prorsùs habere virtutem Et ſi quæ eſt eis virtus, jam tibi declarata eſt unde illis eſt. De columbis quoque, leporibns, & aliis qnibuſdam animalibus, ſicut de porcis, quos aliquandò venales exhibuiſſe, & etiam vendidiſſe dicuntur malefici, non aliter eſt poſſibile, quàm qnod proximè audiviſti. Impoſſibile enim eſt veras colnmbas, aut veros lepores, aut alia cujuſcunque generis vera animalia fieri etiam ſic, ideſt tam ſubito, id eſt miniſterio dæmonnm. H Tu autem noſti, qnia generatio hujnſmodi animalium mnlti temporis eſt, & multiplicis præparationis. Præterea animalia, quæ ſic apparent, ita ut ſubitò apparent, ſic ſubitò evaneſcunt nnllum prioris exiſtentiæ veſtigium relinqnentia: verorum autem animalium non eſt poſſibile, ut ſubita ſit deſtrnctio, vel potiùs conſumptio, ita ut nnlla veſtigia ipſorum remaneant. Quare omnia illa in viſione fantaſticæ viſionis omnimodè fiunt, Jam autem dixi tibi modos, & vias. & cauſas, quibus viſiones hujuſmodi fiant, vel fieri poſſint. Quia verò latent nos res illæ, qnæ virtntes habent iſtas mirificas, quibus faciunt apparere. quæ non ſunt, vel quibus impediunt apparitiones hujuſmodi, & quia etiam copia rernm hujuſmodi apud nos minimè invenitnr, rariſſimè fiunt, & facta ſunt apud nos opera magica, præterquàm eo tempore, quo poteſtas malignorum ſpiritunm per fidem, & legem Chriſtianorum, nondùm repreſſa erat euſque, ut

modo

Digitized by Google

modo eſt, neque ligata. In partibus autem Indiæ, & cæteris illis adjacentibus copia rerum hujuſmodi magna eſt, & propter hoc magica naturalis potiſſimùm ibi viguit, & viget: quâ de causâ ſunt ibi ſuper experimentatores multi, & rerum mirabilium per hujuſmodi peritiam effectores. In Ægypto verò propter idolatriam, quæ maximè ibi fervere conſuevit, atque malignorũ ſpirituũ longè majorem, quàm in aliis partibus frequentiã, ludificationũ fantaſiæ maximè abundant nunc, licet nulla pars hominum habitationis ludificationibus hujuſmodi caruerit, donec, ut prædixi, lex, & fides Chriſtianorũ viguit, & floruit. De ludificationibus autem quarum famoſitas partes occidentales replevit, & potiſſimùm minorem Britanniam, non aliud tibi ſentiendum puto, vel video, niſi quòd per antedictum modum fiunt. Una verò ex his eſt, quâ interdùm videtur ſibi aliquis eſſe in palatio magnifico, atque pulchro, & videre ſibi mulierem ſpecioſiſſimam in apparatu regio, & ornatu, eſſeque in epulis ſplendidiſſimis cum ipſa, & poſtmodùm in lecto in venereis deliciis tota nocte cum ipſa. Hujuſmodi autẽ ſubitò evaneſcentibus deprehendit ſe fuiſſe in luto ſordidiſſimo tota nocte, & inter oſſa cruorum vaccæ unius, equum quoque ſuum alligatum ad arborem tota illa nocte non comediſſe. Et memini me videre potuiſſe virum cui illuſio iſta acciderat; non autẽ vidi propter negligentiam meam, atque deſidiam. Similia etiam contigiſſe ſæpius eſt viſum, & famoſitate non dubia notiſſimũ. Et in ore hominũ regionis illius penè aſſiduis narrationibus creberrimũ. Facile autem malignis ſpiritibus homines de quibus hoc permittitur, ſeparare, eiſque ſomniantibus delectamentis tota una nocte, vel magna parte illius noctis illudere, eiſque ſoporatis equos eorũ arboribus alligare, corpora eorum, ubi voluerint, collocare, cùm nihil horum ſentiant ſoporati. Nihilominùs per illuſoriam viſionem raptis ſimiles illuſiones fieri poſſunt, cùm ad hujuſmodi viſa ſuſpendi alia nec videant, nec attendant, interdùm autem neque ſentiant. Poſſibile igitur, & facile fuit ludificatori ſpiritui virũ illum, de quo loquor, ſic ſopitum, & dormientẽ collocare in luto, ſimul & loco turpitudinis & equum ejus, ut ipſum invenit evigilans, alligare eâ horâ vel tẽpore potiſſimùm, quã eò nihil niſi ſomniatas delitias ſentiebat. Notiſſimum etiam eſt interdùm ad aliqua cognita, ſeu cogitata rapi, quod apparet, cùm de his, quæ dicunt eis, vel circa eos fiunt, nihil penitùs ſentiant, aut aliter cognoſcant. Quapropter manifeſtũ eſt cognita illa, non tanquàm cognita, apud eum eſſe, ſed tanquàm viſa, & tanquàm res ipſas. Sic etiã accidit in ſomniis, ut viſa in eis non tanquàm ſomnia? ſed tanquàm res ipſæ habeantur ſomniantibus, nec minùs movent talia ſomniantes quàm veritas ipſa viſorum hujuſmodi moveret, ſi eam veriſſimè apprehenderent. Quemadmodùm igitur non miraris de teipſo, vel alio ſomniante, ſi videris tibi per ſomnium eſſe in urbe aliqua, vel in caſtro nobiliſſimo, vel in mari, vel in prato, vel in ſilva, vel in horto amœniſſimo & hoc cum muliere ſpecioſa, ornataque venuſtiſſimè: ſic mirari non debes de viro iſto, ſi ſoporatus ſic, & dormiens, tales illuſiones paſſus eſt. Quis enim eſt ex vitis, cui ſimilia pluries in ſomno, & per ſomnium non accidunt. Nec plus mirabile eſt, quòd collocatus, ut prædixi, exiſtens in loco turpiſſimo, & fœtulentiſſimo, talia delectamenta ſentire ſibi viſus eſt, quàm ſi in carcere, & funiculis, poſitus illa, vel ſimilia per ſomnum paſſus eſſet. Ex his igitur evidenter videre potes, quantum adjuvari potes ad cognoſcendas ludificationes iſtas ex conſideratione ſomniorum, & ſomniantium. In quo attendendum eſt tibi, quòd furioſi, & arreptitij, tanquàm ſomniantes loquuntur. Quapropter quemadmodùm ſomnia interdùm de rebus ſunt, quæ verè ſe habent, ut ſomniantur, licet hoc ignorent ipſi ſomniantes; ſic & hujuſmodi homines interdùm vera loquuntur, licet ipſi quæ loquuntur vera eſſe ignorẽt. Quidam autem ipſam rerum, quas loquuntur, veritatem vident, videlicet juxta modũ, quem audiſti, & per viam, quam non oportet, ut repetam hîc tibi. Sufficiãt igitur tibi hæc de rebus arduis, donec per aliũ pleniùs docearis; notũ eſt enim tibi, quia de rebus hujuſmodi nihil ab eis, qui præceſſerunt, ad hæc tempora devenit. Quapropter grata ſint tibi de his, quæ audiviſti, quæ etſi plenè nec tibi, nec aliis forſitan de rebus à conſuetudine noſtra tam remotis ſufficiant, occaſionem tamen, & nonnulla initia ea, quæ deſunt inveniendi, tibi, ac aliis philoſophantibus, præſtant.

CAPUT XXIV.

Cujuſmodi ſunt iſti ſpiritus per modum exercitus apparentes; & de rebus nocturnis, quibus vetulæ decipiantur, & de apparitionibus mortuorum.

POſt hæc conſequenter de ſubſtantiis apparentibus in ſimilitudine equitantium, & bellatorum, in prælium currentium, & in ſimilitudinem exercituum innumerabilium, interdùm autem & in ſimilitudine paucorum equitum. Ubi primùm inveſtigandum erit illud, cujuſmodi ſint ſubſtantiæ, quæ ſic apparent, & quâ de causâ potiùs de nocte, quàm de die, ſimiliter & in compitis viarum, quàm in agris, vel aliis locis. Deinde quam ob cauſam in ſimilitudines hominum, qui non fuerunt in mundo iſto, & in vita iſta. Deinde quid ſibi vult equitatio hæc, atque diſcurſus, quid equi, vel arma, quid totus ille apparatus belli, qui in eis apparet, quas, vel quorum injurias in armis vel propulſare, vel vindicare velint, vel intendant, & qui ſunt, contra quos præliaturi, & præparati currere, vel volare videantur, videlicet an ſint ſubſtantiæ ſpirituales, & utrùm bonæ, vel malæ. In primis igitur reminiſcendum eſt tibi, quia ſubſtantiæ, quæ ſic apparent, neque corporeæ, neque corporales ſunt. Et feci te ſcire hæc in præcedentibus, quoniàm nec vulnerabiles, nec ullo modorum ſunt læſibiles, & cùm conantur homines eas gladio transfigere, vel diſſecare, fruſtrà ſe hoc attentare ſtatim experiuntur. Quòd ſi corpora eſſent eis aërea, eſſent omniũ animalium mortaliſſima, omnique vulneri, & læſioni maximè obnoxia propter paſſibilitatem corporũ ſuorum, quod evidenter vides in aëre. Dixi etiam tibi, quia neque figura poſſet eſſe hujuſmodi corporibus, neque magnitudo determinata, cùm ſecundùm Ariſtotelem didiceris humidum, qualis maximè eſt aër, malè terminabile eſſe proprio termino. Arma verò ferrea quomodò portare poſſent corpora aërea? Didiciſti etiam apud eundem Ariſtotelem, quia neque aër neque terra ſuſceptibilis eſt animæ, vel vitæ, neque ullum corpus ſimplex: hoc eſt, ex quatuor elementis. Addam autẽ hîc alia, nec volo repetere omnia illa. Dico igitur, quia ſi eſſent aërea, non eſſent eis membra, nec partes diverſæ, cùm in aëre non poſſit eſſe diverſitas hujuſmodi. Dico inſuper, quia non poſſet eſſe motus eis per aëra, cum aëri non ſit motus per aëra, neque aquæ per aquam, neque terræ per terram, niſi violentia aliqua hoc efficit, naturæ autem impoſſibile eſt. Ampliùs. Ad quid eis arma? maximè arma protectionis, qualia ſunt loricæ, & ſcuta, & galeæ, cùm nec vulnerabiles, nec ullo modorum læſibiles armis ſint? Arma verò impugnationis qualia sũt enſes, & lancea, fruſtra, & vana ſunt eis, niſi contra ſibi ſimiles ſubſtantias, de quibus manifeſtum eſt, quòd nullam vul-

nerare poſſunt. Quòd ſi contra hoc homines eſſet eis bellum, primo & uno conflictu occidiſſent omnes homines, & genus humanum totum penitùs deleviſſent, cùm omnes homines vulneribus & læſionibus morti ipſi adeò obnoxii ſint, ut eam effugere nullo modorum poſſint. Ampliùs. Nulla turris, nulla munitio poteſt homines tueri ab hujuſmodi hoſtibus, cùm nec muro, nec vallo, quantumcumque excelſo, & forti, arctari poſſint, & prohiberi ab acceſſu ad homines, quacunque horâ ad eos intrare voluerint: quare ſaltem eâ horâ, quâ dormirent, eos univerſaliter jugularent. Ampliùs. Quomodò bellū illud non innotuiſſet omnibus, quod jā per ſex millia annorum & ampliùs duravit? quòd ſi contra ſimiles ſubſtantias, videlicet immortales, & illæſibiles, eſt eis bellum, tunc inſipientiſſimæ ſunt evidenter utræque, cùm armis ſe invicem proſequantur, ſcientes indubitanter, quòd alteræ alteris nocere non poſſunt. Non igitur intendunt alteræ alteris ſic armis nocere, neque conantur ad hoc, cùm ſciant hoc impoſſibile eſſe. Ludus igitur eſt, ſi quid armis inter eas agitur, vel agi videtur. Ludus inquam, quod vulgariter vocatur haſtiludium. De equis verò & armis hujuſmodi, manifeſtum eſt etiam parum intelligentibus, quia in apparentia, & in viſione tantùm ſunt, cùm ſimiliter ſint invulnerabiles, immortales, & illæſibiles, ſicut ipſi, qui videntur illis arma illa portare. Verum autem equum immortalem eſſe, & illæſibilem, impoſſibile eſt. Ampliùs. Ubi nec veri equi ſunt, nec vera arma, nec veri armati, ludum armorum verum, vel haſtiludiū verū, impoſſibile eſt eſſe. Quapropter totum, quod ibi vel eſſe, vel agi videtur, in viſione, ſive illuſoria, ſive fantaſtica ſolummodò eſt, & agitur. Dico igitur in his, quia non ſunt prohibiti impoſſibilitate, quin tales illuſiones, & ludificationes faciant hominibus, & modos effectionis earum jam feci te ſcire in præcedentibus, & hic eſt unus modus apparitionum iſtarum, videlicet, quia ludificationes dæmonum interdùm non ſolummodò ſunt in hac manerie, ut apparent, in ſimilitudine hominum mortuorum, ſed apparent terribiles magnitudine, armis, & equis, apparent etiam cum facibus, ſeu faculis, ſeu aliis ignibus. Sunt & aliæ ludificationes malignorum ſpirituum, quas faciunt interdùm in nemoribus, & locis amœnis, & frondoſis arboribus, ubi apparent in ſimilitudine puellarum, aut matronarum ornatu muliebri, & candido; interdùm etiam in ſtabulis cum luminaribus cereis, ex quibus apparent diſtillationes in comis, & collis equorum, & comæ ipſorum diligenter tricatæ; & audies eos, qui talia ſe vidiſſe fatentur, dicentes veram ceram eſſe, quæ de luminaribus hujuſmodi ſtillaverat. Manifeſtum autem eſt tibi, quia facile eſt malignis ſpiritibus ceram veram ex melle agreſti, & ex operibus apum ſilveſtrium colligere, & inde luminare facere. A parte verò hominum nondùm audivimus eis hujuſmodi rapinam exercuiſſe: nec tamen dubitandum eſt, quin ex permiſſione creatoris interdùm hæc facere poſſint: quòd autem non faciunt vel hæc, vel alia mala hominibus, ex bonitate creatoris eſt, qui tenet eos ligatos inſtar immaniſſimarum belluarum, ut non noceant hominibus quantumcumque velint. De illis verò ſubſtantiis, quæ apparent in domibus, quas dominas nocturnas, & principem earum vocant dominam abundiam pro eo, quòd domibus, quas frequentant abundantiam bonorum temporalium præſtare putantur, non aliud tibi ſentiendum eſt, neque aliter, quàm quemadmodùm de illis audiviſti: quòd enim comedere, & bibere videntur, viſio illuſoria tantùm eſt, cùm manifeſtum ſit ſubſtan-

E tias ſpirituales cibis, aut potibus corporalibus uti non poſſe. Deinde nihil conſumptionis aut diminutionis apparet in cibis, & potibus corporalibus, de quibus ſumpſiſſe videantur poſt receſſum eorum, vel potiùs poſtquàm evanuerint. Quapropter eouſque invaluit ſtultitia hominum, & inſania vetularum, ut vaſa vini, & receptacula ciborum diſcooperta relinquant, & omninò nec obſtruant, neque claudant eis noctibus, quibus ad domos ſuas eas credunt adventuras, ea de cauſa videlicet, ut cibos, & potus, quaſi paratos inveniant, & eos abſque difficultate apparitionis pro beneplacito ſumant. Ubi manifeſtum eſt, ſcelus idolatriæ committi, cùm cibi, & potus malignis ſpiritibus ſint expoſiti eâ intentione, qua ad locum venturi, & inde ſumpturi creduntur; jam enim eo ipſo oblati ſunt illis, propter quam idolatriam omnipotens, ac benigniſſimus creator præcepit in lege Hebræorum vaſa omnia cooperiri, ſtatuens, ut vas quod cooperculum non haberet, im-

F mundum eſſe reputaretur, quāquàm & alia de cauſa obſervandū eſſet iſtud, quod jā didiciſti in expoſitione plani: hoc eſt, literæ legis Hebræorū. Manifeſtū etiā eſt tibi, quia non vacat à ſcelere idolatriæ credulitas illa, qua tēporalis abundantia ab alio, quā à creatore optimo præſtari creditur; hic enim præcipuus honor eſt, & gloria creatoris, quo ab hominibus honoratur, fides, atque credulitas, qua omniū bonorū unicus auctor, & largitor largiſſimus ſolus creditur. Hunc igitur honorē, & gloriā transferre in maledictos, & malignos ſpiritus, manifeſta eſt cōtumelia, & injuria intolerabilis creatoris, impiiſſimaque idolatria, igneq; & gladio exterminanda. Idem & eodē modo ſentiendum eſt tibi de aliis malignis ſpiritibus, quas vulgus ſtryges, & lamias vocant, & apparent de nocte in domibus, in quibus parvuli nutriuntur, eoſq; de cunabulis raptos laniare, vel igne

G aſſare videntur. Apparent autē in ſpecie vetularū, videlicet, quæ nec verè vetulæ ſunt, nec verè pueros devorare poſſibile eſt eis propter cauſam, quam dixi. Interdùm autē permittitur eis parvulos occidere in pœnā parentum, propter hoc, quia parentes eouſque interdùm diligunt parvulos ſuos, ut Deum non diligant: utiliter igitur, atque ſalubriter cum ipſis parētibus agitur, cū cauſa offenſæ creatoris ſubtrahitur. Inſipiētes autē more ſuo, unde eruditi deberent, inde occaſionē deteſtabilioris ſtultitiæ aſſumunt, qua de cauſa factū eſt, ut ſpiritus maligni ſub nomine, & ſpecie vetularū, in quibus apparere credebantur, timorem, & honorem, ac culturam idolatriæ ſibi acquiſiverint, ea videlicet de cauſa, ut parvulis parcerent, hoc eſt, ut illos nec laniarēt, neque igni aſſarēt. Vetularum autem noſtrarum deſipientia opinionem iſtam mirabiliter diſſeminavit, & provexit, atque animis mulierū aliarum penè irradicabiliter infixit.

H Similiter & de dominabus nocturnis, quòd bonæ dominæ ſint, & magna bona domibus quas frequētant, per ea præſtantur, mulieribus potiſſimū perſuaſerunt, & ut ad unū dicā, penè omnes reliquias idolatriæ retinuit, & reſervavit, & adhuc promovere nō ceſſat anilis iſta fatuitas. Debes autē ſcire cū his, quæ audiviſti, quia multæ de viſionibus iſtis, & apparitionibus fantaſticis, ex morbo melancholico in multis fiunt, ſed in mulieribus maximè, ſicut vides etiā de viſionibus veris, ac revelationibus. Et cauſa in hoc eſt præter eā, quā medici dicunt, natura muliebrium animarū, ob hoc videlicet, quia longè facilioris impreſſionis ſūt quā animę viriles, & quemadmodū vides, quia viri armis, & bellis dediti, & faciliùs, & ſępiùs de illis rebus ſōnia vidēt, vel potiùs patiūtur, & ſic viſiones iſtę de bellis ſcilicet, & armis crebriores eiſdē fiūt, & abſque ulla operatione malignorū ſpirituum, plerumque enim ea, quæ maximè cordibus

Digitized by Google

cordibus noſtris inhærent, altiúſque animabus noſtris infixa ſunt, animas noſtras ſic in ſe rapiunt, ut non ſigna rerum hujuſmodi, ſed potiùs res ipſas liberè videre videamur, etiam vigilantes. Jam igitur per iſta ſcire debes, quia ex operatione malignorum ſpirituum, & ex aliis cauſis, quas audiviſti, proveniunt illuſiones iſtæ haſtiludiorum, & aliarum apparitionum, quas tibi nominavi. Propter quid autem in compitis magis, quàm in agris, vel in aliis locis? Dico, quòd in aliis locis etiam fiunt, cùm videantur exercitus ibi nocturni multitudine ſua operire montes, & valles. Compita verò propter frequentiam hominum minus habent munditiæ & ſpiritualis, & corporalis. Agri namque mundiſſimi, ut ita dicatur, cõparatione viarum publicarum, & compitorum. In his enim, hoc eſt in viis publicis, & compitis, de nocte conveniunt latrones, & raptores, omniaque genera maleficorum. Narratur quoque, quòd quidam videns hujuſmodi exercitum terrore percuſſus à via publica declinavit in agrum contiguum, ubi quaſi in refugio, tranſeunte juxta illum toto illo exercitu, illæſus permanſit, & nihil mali paſſus eſt ab illis, propter quod inolevit opinio apud multos, agros gaudere protectione creatoris propter utilitatem hominum, & hac de cauſa non eſſe acceſſum malignis ſpiritibus ad eos, neque poteſtatem nocendi propter hanc cauſam hominibus exiſtentibus in eis. Gens autem idolatrarum tutelam iſtam, & defenſionem, ſi eam vel crederet, vel audiret, numinibus arvorum illam attribueret. Et ſi quis de gente illa in agros metu hujuſmodi declinaret, non ad agrum eum fugere, ſed ad protectionem, & præſidium prædictorum numinum illum fugere judicaretur. Opinor autem, quòd Cererem deam, quæ agris præeſt, hujuſmodi hominem protexiſſe crederent, exercitumque illum intra fines, regnumque Cereris nemini poſſe nocere. De hoc autem, quòd in ſimilitudine hominum apparent, hominum dico mortuorum, & maximè gladio interfectorum, videatur forſitan alicui juxta ſententiam Platonis, quòd agere viderentur numeros dierum, vel temporum debitorum animæ mortuorum hujuſmodi, temporum dico, quibus in corporibus victuræ erant, eas niſi mortis hujuſmodi violentia expuliſſet. Tu autem debes ſcire mortuorum ſic, ideſt per violentiam, animas ſecundùm Platonem circa tumulos vagari, & non agere diſcurſus prædictos. Expletis autẽ numeris ſecundùm iſtum reverti ad compares ſtellas, & quoniàm illi, vel ſoli, vel potiſſimùm illi apparent in exercitibus iſtis, qui armis interempti ſunt, diſgladiatos eos vulgus vocat, creduntur autem pœnitentiam agere in armis, quoniàm in armis peccaverunt. Propter quod interdùm charos ſuos ſollicitant, ut eos orationibus, & aliis ſuffragiis adjuvent, & de liberatione ſua à pœnis, quas patiuntur, ſi tamen efficaciter adjuventur, charos ſuos ſic edocent, & ſermo Sapientis, quo dictum eſt: Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, adjuvare videtur opinionem iſtam. Ipſi etiam, qui ſic apparent, prout fama eſt, iſta ſæpè revelaverunt, videlicet & pœnas, quas patiuntur, & pœnarum cauſas. In eis quoque, quæ præceſſerunt, didiciſti, quia locus purgatorij, hoc eſt, purgationi animarum congruus, & etiam deputatus, terrena habitatio eſt. Et cauſam in hoc audiviſti hanc, videlicet, quia purgatio hujuſmodi ſuppletio pœnitentiæ eſt inexpletæ, quare pœnitentia in hac vita inchoata ibi perficicitur. Meritò igitur in eodem loco, ſive habitatione idem agitur, quod eſt dicere, ejuſdem operationis meritò locus eſt unus. Fiunt autem apparitiones iſtæ, ſcilicet exercituum armatorum ad terrorem eorum, qui armis utuntur, ut per pœnas, quas abuſores armorum viſionibus iſtis pati conſpiciunt, detetreantur à ſimilibus. Et iſta ſunt, quæ in apparitionibus ſuis ipſi mortui retetarunt. Permittuntur igitur animæ mortuorum hominum ſic apparere hominibus ad deterrendos eos ab armorum abuſionibus, & rapinis, & ſævitia, homines occidendo. Verùm, ſicut prædixi, nec veri equi, nec vera ſunt arma, quæ ibi apparent, nec vera haſtiludia, nec vera prælia, nec veri diſcurſus, aut æquitationes propter cauſas antedictas, ſed ſigna tantùm rerum hujuſmodi, tanquàm in viſione apparent ad commoveri faciendos homines, & deterrendos à malis prædictis, & ad ſollicitandos eos de ſuffragando animabus defunctorum. Dico etiam quia non ſunt pœnæ illæ omnes, videlicet armorum, larvarum, equitationis, & conflictuum bellicorum, atque haſtiludiorum congruentes animabus ſeparatis, ſed neque poſſibile eſt, illas taliter puniri, cùm impoſſibile ſit eas taliter operari, non enim poſſibile eſt animam ſeparatam equitare, arma portare, neque armis ludere, vel pugnare. Quapropter manifeſtum eſt, quia non eſt poſſibile, ut pœnas patiantur, quæ non niſi agentes talia pati poſſunt; ſigna tamen ſunt ex conſequenti pœnarum, quas talibus actionibus, dum eſſent in corporibus, meruerunt. Neque neceſſe eſt, ut ipſæ animæ in eſſentiis ſuis, vel perſonis, præſentialiter ſic appareãt, quemadmodùm neque in ſomnis neceſſe eſt, ut res ipſæ quæ videri videntur, præſentia ſua, & veritate appareant, ſed ſufficiunt ipſa ſigna earum ſomniãtibus, quæ pro rerum veritate ſe illis exhibent: ſic & in his apparitionibus, ſed de his potiùs, tanquàm de viſis per ſomnia, judicandum omnimodè eſt. Ubi autem in ipſis locis pœnarum ipſi mortui apparere videntur, & ipſi revelant ſe in locis illis per pœnas purgari, & præſentialiter eſſe, dubitari non poſſet, ſi his de ſemetipſis creditur, & potiſſimùm, ſi opera ſe agere, quæ animabus ſeparatis poſſibilia ſint, & congrua, fateantur, quemadmodùm in viſione illa, quâ apparuit quidam mortuus in ipſo loco thermarum, atque hanc pœnam ſe ibi perpeti, ut aquas ipas calefaceret ad opus ibi balneari volentium; poſſibile namque ſibi erat ex virtute creatoris ligna in igne cremare, & ſolo imperio congregare, atque componere, & non aliter, ſicut ſæpè audiviſti, niſi virtute creatoris, non enim poteſt alia corpora anima humana movere, niſi per motum proprium corporis. Quare manifeſtum eſt, quòd non virtute ſua movebat ligna ad componendum rogum, neque ordinabat ea in ſtruem, ſed fruſtra hanc purificationem, eidem creator benedictus impoſuiſſet, officiumque eidem hujuſmodi improvidè injunxiſſet niſi virtutem illam, quâ hæc peragere poſſet, præſtitiſſet: quòd ſi non ita eſſet non, viſio, ſed illuſio fantaſtica, viſio illa videbitur. Ampliùs. Quæ pœna erat animæ illi prunas calefacere, ſi hoc illa ſolo imperio faciebat, ſoloque nutu propriæ voluntatis? In quo reſpondeo, quòd pœna reverà graviſſima eſt animabus ſeparatis vacare operationibus vilibus, & indignis ſe, & fraudari ſublimibus, & jocundiſſimis operationibus, propter quas creatæ ſunt, & reparatæ. Hæc autem ſunt benedictiones, gratiarum actiones, collaudationes, admirationes, & glorificationes creatoris, & alia hujuſmodi, quibus totaliter vacat multitudo militiarum illarum cœleſtium, hoc eſt, ſublimium ac beatorum ſpirituum. Et attendendum tibi eſt, ne credas omni generi ſomniorum, & ne vanitatem pro viſionibus, quæ à creatore mittantur, amplectaris, in memoria ſemper habens ſermonem Sapientis, quo dixit: Quia fantaſias

Intelligit Gregoriū Magnū

patitur cor tuum, niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio. Quia verò tantus vir, unus ſcilicet de ſanctis, & ſapientiſſimis Chriſtianorum, tradidiſſe videtur fuiſſe viſionem de calefactione thermarum, de qua proximè audiviſti, defendi eam, ut potui, ne tantus vir videri poſſet incautè viſioni fantaſticæ credidiſſe. Quòd ſi quis quærat, qualiter arma, & equi in hujuſmodi ſignificent pœnas, quibus ab eis purgantur peccatis, quæ armis abutendo commiſerant. Jam dixi tibi, quia ſignificatio iſta eſt quaſi ex conſequenti, juxta tropum illum, quo per inſtrumentum res, quæ per ipſum fieri conſuevit, ſignificatur, ſimiliter & ars, & operatio, quæ per illud exercetur, eodem modo & illud, quod ex operatione, ſive illud ſit culpa per operationem contracta, vel commiſſa, ſive pœna propter hujuſmodi culpam illata, & creberrimum eſt in rebus humanis, & in conſuetudine hominum, maleficos ſuſpendi, vel alio modo torqueri, cum inſtrumentis, quibus maleficia perpetrantur, quod ſicut fit ad terrorem, videlicet, ut qui hoc viderit doceatur ſimilia devitare: ſic arma, & equi in hujuſmodi viſionibus apparent, ut quibus hujuſmodi oſtenduntur, à rapinis, ac violentiis aliiſque armorum abuſibus, ſe compeſcant, ſimiliter & qui viſiones tales audiunt. Propter quod divinæ bonitatis providentia non ſolùm procurat, ut viſiones hujuſmodi videantur, ſed etiam à non videntibus audiantur. Quòd autem nefandæ illæ dominæ nocturnæ, quibus præeſſe credunt vetulæ dominam Abundiam, vel dominam Satiam ab eo, quod eſt ſatis, vel à ſatietate dictam, ſimiliter & illæ, quæ in ſtabulis, & arboribus frondoſis apparere dicuntur, ſint maligni ſpiritus, per hæc, quæ dicam tibi, patefiet. Et primùm quidem, quia boni, ac beati ſpiritus cibos, vel potus ſibi præparari, vel exponi, ſive apponi, nunquàm expetunt, utpote, qui talibus non indigent. Quòd ſi aliquandò hoc fieri permiſerunt, non alia de cauſa hoc feciſſe putandi ſunt, niſi, ut devotio, & obſequium eis apponentium corporales cibos, non perirent, & ut condignam remunerationem à largiſſimo creatore reciperent. Deinde nunquàm in locis ſanctis apparere conſueverunt, ſed loca honori, & cultui creatoris dedicata omni modo declinant: de quibus locis nulli intelligenti dubium eſt, quin à ſanctis, & beatis ſpiritibus frequententur, & quoniàm eis chara ſint propter gloriam, & honorem creatoris. Tertiò, quia boni, ac beati ſpiritus, quoties apparent, juſſa vel mandata creatoris omnipotentis ad homines deferunt, atque à malis imminentibus eos præmuniunt, & ad bona aliqua exhortantur. De his verò dominabus nefandiſſimis non eſt adhuc auditum, quòd aliquid boni conſilij, vel ſalutaris exhortationis, aut aliqua juſſa creatoris ad homines detulerint. Quartò, quia ſancti, ac beatiſſimi ſpiritus, nunquàm niſi in ſpecie viri in mundo, & nunquàm in ſpecie muliebri apparuiſſe auditi ſunt. Quintò manifeſtum eſt ſexum muliebrem eis non eſſe: didiciſti namque jam alibi, quia mulier in adjutorium viri facta eſt, ſicut legis in libro Hebræorum: per me autem didiciſti, quia ſexus tam mulieris, quàm viri factus eſt cauſa generationis, & prolis, apud autem ſubſtantias ſpirituales abſtractas non eſt poſſibile generationem eſſe, vel prolem ſtare, neque ſexum, cùm ſexus cauſa ſit unica generationis in habentibus ſexum. Evidens igitur ſignum eſt ſexuum iſta diverſitas, videlicet apparitio, quòd boni Angeli in ſpecie virorum ſolummodò apparent, & nunquàm in ſpecie muliebri, quod maligni ſpiritus faciunt. Quòd ſi dixerit quis, quia ſimiliter virilis ſexus non habet locum apud ſublimes, ac beatos ſpiritus. Reſpondeo,

Nota.

quia verum eſt, verumtamen virtus, & fortitudo, & vis activa locum habet in viris, & congruunt iſta benè ſubſtantiis ſpiritualibus; vis verò paſſiva, & infirmitas, atque debilitas diſpoſitiones muliebres ſunt omni modo incongruentes hujuſmodi ſpiritibus. Ob cauſam igitur hanc ſpecies virilis conveniens eſt eis, non propter ſexum, qui non eſt aliud niſi vis activa in operatione generationis, à qua naturæ ſuæ nobilitate prohibiti ſunt: ac remotiſſimi. Quòd ſi volueris proſequi ſtultitiam vetularum, ac potiùs vetulis in errore iſto credentium, videlicet quia veræ mulieres ſunt, quæ ſic apparent, interrogabis èas, utrùm unquàm generent, vel utantur ſexu muliebri: quòd ſi dixerint, quia minimè generant, nec utuntur ſexu muliebri unquàm, vel ad generationem, vel ad voluptatem, eſt ergo omnimodè otioſus, & inutilis, videlicet otioſitate, & ſterilitate perpetua, quod non poteſt eſſe, niſi altero duorum modorum, videlicet vel natura, vel vetuſtate, propter quam certum eſt tam viros, quàm mulieres, interdùm ſteriles fieri, vel alio caſu: quòd ſi natura, tunc erit naturalis aliqua potentia perpetuò otioſa, & inutilis, & hoc per naturam, quod indubitanter eſt unum de impoſſibilibus, videlicet ut virtus, vel potentia ſit naturali impoſſibilitate prohibita ab exitu in actum; vetuſtas autem apud hujuſmodi ſubſtantias locum non habet, quoniàm ſi veteraſcere poſſent, ſic inveterati poſſent utique deficere paulatim, & tandem mori. Si verò caſu alio advenit eis ſterilitas, cùm pœna magna ſit ſterilitas, præceſſit eam ex neceſſitate aliqua culpa, cùm omnis pœnæ cauſa ſit culpa in eis, quæ ratione utuntur, quare pœnam ſterilitatis præcedente culpa aliqua meruerunt. De bonis autem ac beatis ſpiritibus manifeſtum eſt nullum unquàm peccaſſe, conſequens eſt igitur iſtas execrabiles mulieres malignos ſpiritus eſſe: quòd ſi vis generativa in eis non eſt prohibita vel naturâ, vel ex alia cauſa ab opere generationis, manifeſtum eſt eas generare, & quia hoc non poſſunt per ſe, neceſſe eſt, ut hoc faciant ex commixtione ſubſtantiarum ſublimium: quia igitur fœtus earum immortales eſſe, neceſſe eſt, ſicut & ipſæ ſunt, & patres hujuſmodi fœtuum, neceſſe eſt generationibus ſuis eas jamdudùm iſtum orbem repleviſſe, ſicut evidenter vides in hominibus, quia ſi mors multitudinem hominum, quæ per generationem eſt, non minueret, aut reſtringeret, multitudinem hominum tota iſta terrena habitatio capere non ſufficeret. Quòd ſi fortè dixerit, quia rarò, & paucos fœtus generant, & propter hoc non euſque multiplicantur, non effugit homo iſte, quin multiplicatio iſta exereſcat in infinitum, cùm filios, & filias hujuſmodi generationis neceſſe ſit generare filios, & filias immortales. Quapropter non ſufficeret habitationi totus mundus tot, & tantarum generationum: verùm quia multitudo iſta non apparet, manifeſtum eſt multitudinem hujuſmodi non eſſe. Et quoniàm credunt ſubſtantias hujuſmodi comedere, & bibere, etſi in alio generi humano non nocerent, in hoc uno tamen plurimùm noxiæ generi humano ſunt, quòd magnam partem ipſi neceſſariorum comedunt, & conſumunt. Quòd ſi dixerit, quia licet comedant, & bibant, nihil tamen de cibis, & potibus minuunt, quàm erroneum ſit hoc ex aliis noſti penè; non enim comeditur, aut bibitur, niſi quod corrumpitur, & mutatur, atque per corruptionem, & mutationem hujuſmodi in nutrimentum comedentis, & bibentis aſſumitur. Manifeſtum eſt igitur, quia in viſione fantaſtica fit comeſtio illa, & bibitio illa, quam videre ſe credunt, qui ab hujuſmodi ſpiritibus ludificantur

Et hoc ipſum teſtatus eſt ille ſanctus Archangelus, qui filium cuiuſdam Hebræi viri ſancti duxit, & reduxit itinere longo, & apparebat in ſpecie viri, videbaturque comedere, & bibere corporales cibos, & potus; non autem comedebat, & bibebat, & ſicut ipſemet dixit, inviſibili cibo ſolummodò utebatur, quemadmodùm omnes ſublimes, ac beati ſpiritus; inviſibilis autem cibus ille non erat, niſi fruitio continua pulchritudinis, & ſuavitatis creatoris. Similis autem apparitio comeſtionis, & bibitionis in primo libro legis Hebræorum legitur facta apud primum, & maximum Patriarcham Hebræorum. Cùm enim in ſpecie virorum trium apparerent, & ipſe vir eſſet gratiâ, & largitate hoſpitalitatis profuſiſſimus, eoſque viros eſſe crederet, invitavit eos more ſolito liberalitatis: qui Angeli ſancti, & Dei miniſtri boni acceptaverunt, ut eis pararet, & componeret prandium, ſicut prædixi, ne opus, & obſequium tantæ devotionis periret, & vir ille optimus mercede illius congruenti fraudaretur; non enim erat illa comeſtio, quam ſancti Angeli illi prætendebant, ſed exteriùs, & apparenter devotioni viri ſancti deſerviebant, cùm ſecundùm veritatem nec comedere, nec bibere poſſent. De hoc autem, quòd multi ex ſapientibus opinati ſunt ſpiritus & bonos, & malos, aſſumere corpora, iam expeditus es in his, quæ præceſſerunt, quantùm tunc poſſibile fuit. Verùm ſi aliud vel per ſemetipſum, vel per doctorem, qui hoc poſſit etiam declarare, vel aliâ viâ creatori aliud certum facere placuerit, ſcito me eſſe unum de his qui hoc addiſcere parati ſunt, & cum gaudio acceptare; non enim prudentiæ meæ ſic innitor, ut ubi nonniſi opinari veriſimiliter poſſum, certitudinem veritatis, per quemcunque mihi fieri poſſit, repellam. De nocturno verò dæmone, quem Ephialtem multi vocant, ſcire oportet, quia multi ex peritioribus medicorum Ephialtem dæmonem eſſe negant, & oppreſſionem illam, quam eos incumbens dæmon facere videtur, hominibus ex compreſſione cordis eſſe dicunt, quâ nervus, per quem ſenſibilis, & motivus ſpiritus à corde ad membra alia digreditur, & permeat, atque diffunditur, ibi ſtringitur, ut ſpiritus illos retineat, & ad membra tranſire prohibeat. Quapropter & ſenſus, & motus prohibetur à toto corpore. Et hæc eſt cauſa, propter quam ſedem animæ cor eſſe poſuit Ariſtoteles, quoniàm inde, ſicut audiviſti, quaſi à fonte, tres vitæ, videlicet vita, ſenſus, & motus, in totum corpus, & membra ſingula derivantur. Veritas autem hæc eſt, quia etſi hoc modo fieri poſſit, & plerumque fiat huiuſmodi compreſſio, vel oppreſſio, nihilominùs tamen poſſibile eſt hanc poteſtatem malignis ſpiritibus, ut conſimiles oppreſſiones dormientibus de nocte faciant, & quandoque etiam ſuffocant. Quòd autem vera ſit opinio medicorum, indicium eſt, quòd iſta paſſio non accidit iacentibus ſuper alterutrum latus, ſed ſolummodò inverſis, hoc eſt, ſupinis dormientibus, & hoc eſt, quia ſtomachus diſtenditur, & extenditur ad partem cordis. Quòd ſi repletus fuerit, compreſſionem, & reſtrictionem efficit, quam dixi. Et hoc eſt aliud indicium veritatis opinionis eorum, quia non accidit, niſi poſt repletionem ex cibo, vel potu, ut multis viſum eſt. Verumtamen dubitare non debes, quin malignis ſpiritibus interdùm providentia creatoris permittat compreſſiones, & oppreſſiones facere, necnon & ſuffocationes, & alterius modi extinctiones hominum, ſimiliter & ſanctis, & beatis ſpiritibus id ipſum permittitur, immò & facere iubentur à benigniſſimo creatore. Et plerumque in

A his manifeſta ſunt iudicia creatoris: plerumque autem occulta, ſicut apparebunt tibi ex libris narrationum, qui ſunt de miraculis, quæ facta ſunt in gente Chriſtianorum. Illis autem, qui dormiunt, & ab huiuſmodi malis, utpote ſomno ligati, tueri ſe non poſſunt, hoc ſolum ſaluberrimum, & tutum, ut vigilantes huiuſmodi malis occurrant, vel per conſilium medicinale, cavendo ſibi à repletione ſuperflua, & dormitione ſupina, vel quod eſt incomparabiliter melius, ſi ſemper intrent cubicula ſua, ut ad mortem corporis, quâ decet purificatione, ac ſanctificatione, creatoriſque debitâ placatione parati ſint. Talibus enim non timenda eſt mors corporum, quin etiam deſideranda, tanquàm evaſio de carcere horrido, & vinculis, tanquàm applicatio ad portum ſalutis de tempeſtate
B valida, tanquàm reditus de exilio ærumnoſiſſimo ad patriam opulentiſſimam. Ex his quoque patefacta eſſe tibi debent, quæ audis plerumque de quibuſdam hominibus mortuis, qui alios de vivis occidunt; cùm enim non reſurgant adhuc à morte huiuſmodi, ſed generalem expectent reſurrectionem, manifeſtum eſt corporaliter eos, & in propriis corporibus nec apparere, nec huiuſmodi noxas inferre. Præſertim cùm corpora ipſorum, quæ illâ horâ hoc agere videntur, vel in ſepulchris integra iaceant, vel ſaltem oſſa eorum, & alia de corporibus, quæ putredo conſumere necdùm potuit: animæ quoque huiuſmodi mortuorum, non eſt veriſimile, quòd ad hanc vitam redeant propter tales interfectiones efficiendas; ubicunque enim ſint in vita altera, & ſæculo altero, vel non velle, vel non poſſe eas vacare talibus veriſimile eſt. Si enim in conſortio fuerint beatorum, & ſublimium ſpirituum, qualiter à tantæ fœlicitatis gaudiis ad talia peragenda deſcenderent? Si verò in ipſo carce-
C re infernali, vel in igne purgatorio ſint, in utroque videntur impotentiâ exeundi ligatæ; in inferno quidem uſque ad diem univerſalis iudicii: illâ namque die aſtare habent ante tribunal iudicis vivorum, & mortuorum, ut unaquæque earum recipiat, prout geſſit in corpore, ut poterit noſci ex fide, & lege Chriſtianorum. Ampliùs. Huiuſmodi interfectiones faciunt, aut propriâ voluntate, aut iuſſu alieno: quòd ſi propriâ voluntate, tunc manifeſtum eſt eas maioris eſſe potentiæ in ſtatu illo poſt mortem corporum, quàm fuiſſent, dum eſſent in corporibus, & hoc ad corporales operationes; interfectiones namque huiuſmodi corporales ſunt operationes. Cùm autem erant in corporibus animæ iſtæ, prohiberi poſſent ab actibus huiuſmodi, & reſiſti poſſet eis armis, & viribus corporalibus. Manifeſtum igitur eſt, quòd nec armis, nec viribus corporalibus talia agunt; ſed nec virtus
D eſt eis, cùm ſeparatæ ſint, per quam ſic agere poſſint abſque armis, & membris corporalibus; illam enim virtutem haberent etiam in corporibus, cùm virtus illa non ſit ex corporibus, ſed ex ſeipſis eiſdem. Quòd ſi alieno iuſſu, & poteſtate agunt interfectiones huiuſmodi, tunc indubitanter, qui talia iubet, præſtat eis virtutem, & poteſtatem talia faciendi: non eſt autem poteſtas, vel virtus malignis ſpiritibus, ut animabus mortuorum præſtare poſſint huiuſmodi poteſtatem, vel etiam adducant eas, & educant de locis, in quibus ſunt. Congregatâ igitur ratione declaratum eſt tibi ex omnibus his, malignos ſpiritus talia more ſuo in viſione efficere, non ipſos mortuos. Et ſi vulnera in corporibus ſic interfectorum apparent, proculdubiò veris armis hæc facta eſſe, tibi dubitandum non eſt; vera enim arma vibrare, & in corpora hominum impingere poſſe ex virtute ſua naturali habent abſtractæ ſubſtan-

Digitized by Google

tiæ, verumtamen non eâ virtute ſic uti poſſunt, niſi provt moderatur eis bonitas creatoris; non enim poſſunt interficere homines pro voto, & libito malignitatis ſuæ, ſicut ſæpiùs audiſti. Quod autem in miraculis Chriſtianorum legitur, quemdam militem ſuſcitatum fuiſſe, ut quendam impium, & blaſphemum interficeret, potentiâ, & virtute creatoris hoc factum eſſe manifeſtum eſt, quoniàm ipsâ ſacratiſſimâ filii Dei matre jubente miles ſuſcitatus eſt. Quod ſicut omnipotenti filio Dei facere nequaquàm difficile fuit, ſic & glorioſæ genitrici ipſius hoc denegare poſſibile non fuit. Nec prætereundum eſt tibi in loco iſto de Propheta, quem mulier Pythoniſſa ſuſcitaſſe legitur à mortuis in libris Hebræorum. In quo facto, quoniàm nonnullos errare graviſſimè ſcio, conveniens arbitror veritatem facti hujuſmodi tibi declarare. Quia ergo reformare corpora humana jam putrefacta, & animas eis reddere, & denuò applicare ſolius eſt omnipotentis virtutis creatoris, manifeſtum eſt, Prophetam illum non ſecundùm veritatem ſuſcitatum fuiſſe, & maximè per mulierem Pythoniſſam, utpote blaſphemam, & creatoris adeò inimicam, & tales in lege Hebræorum interfici juſſerit. Malignus igitur ſpiritus fuit, qui in ſpecie Prophetæ ſuſcitati procurante muliere illa apparuit, nec mirari debes, ſi malignus iſte ſpiritus reſponſa aliqua Regi Hebræorum de his, quæ interrogabat, dedit, multa namque de occultis hominum maligni ſpiritus cognoſcunt. Quid igitur mirum, ſi in ſpecie Prophetæ aliqua de occultis ipſius Regis interrogatus illi reſpondit. Quia igitur nec virtute, nec meritis bonis mulieris ipſius, nec etiam virtute Pythonis, id eſt, Apollinis, veram mortui ſuſcitationem fieri poſſibile fuit, manifeſtum eſt, non ſecundùm veritatem, ſed ſecundùm viſionem tantùm illuſoriè non Prophetam illum Regi apparuiſſe, ſed malignum ſpiritum in ſpecie ipſius.

CAPUT XXV.

De dæmonibus incubis, & ſuccubis, & utrùm generare poſſint, & de aliis viſionibus circa hoc.

POſtquàm autem jam produxi tractatum iſtum euſque, ut jam convenientiſſimum ſit perſcrutari de malignis ſpiritibus, qui uſualiter incubi, vel ſuccubi nominantur, incipiam hîc cum auxilio Dei, & dicam, quia eſſe eorum, & concupiſcentiam eorum libidinoſam, necnon & generationem ab eis, eſſe famoſam, atque credibilem fecerunt teſtimonia virorum, & mulierum, qui illuſiones ipſorum, moleſtiaſque, & improbitates, necnon & violentias libidinis ipſorum, ſe paſſos fuiſſe teſtificati ſunt, & adhuc aſſerunt. Accedunt & ad hoc hiſtoricæ narrationes, per quas augetur non mediocriter hujuſmodi credulitas; præſertim cùm gentem Hunnorum ab hujuſmodi dæmonibus eſſe generatam evidenter aſſerat hiſtoria regnorum Occidentalium. Sed & Inſulam Cypri totam populatam eſſe, & inhabitatam eſſe à filiis incuborum dæmonum fama prædicat, cùm ipſa etiam lex Hebræorum expreſſè habeat, quòd videntes filias hominum filii Dei, quòd eſſent pulchræ, acceperunt eas ſibi in uxores ex omnibus, quas elegerant. Et iterùm, poſtquàm ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo, & viri famoſi. Alia verò litera habet expreſſiùs: videntes autem Angeli Dei, &c. Ipſa verò lex Chriſtianorum, & doctrina evidenter habet, quia mulier debet velare caput ſuum propter Angelos, & intellexit quidam propter Angelos malos, ſcilicet dæmones incubos, quorum libidinem pulchritudinem crinium mulierum vehementer provocare, & in- E flammare opinantur. In ſermone verò legis Hebræorum quidam Dei filios, & Angelos Dei, electos, & dilectos homines intelligendos putant, nolentes credere concupiſcentiam libidinoſam in ſpiritualibus ſubſtantiis, præſertim cùm lex ipſa Dei filios, & Dei Angelos evidenter cognoverit. Dubium enim & à conſuetudine ſermonum propheticorum, alienum viſum eſt, quòd filii, vel Angeli Dei ſimpliciter, vel mali homines, vel mali ſpiritus nominentur, & quòd nec libidinoſa concupiſcentia, nec generatio, quarum utraque per carnem eſt, poſſit eſſe in hujuſmodi ſubſtantiis, & viis multis & probationibus patefieri poteſt. Primùm, quoniàm ſpiritus carnem, & oſſa non habet, neque inſtrumenta generationis, per quæ ſola & voluptas concupiſcentialis, & generatio carnalis expletur: ſpirituales enim ſubſtantias impartibiles eſſe manifeſtum eſt. F Ampliùs. Cùm generatio omnis per ſimilitudinem ſit, neceſſe eſſet ex commixtione ſpirituum hujuſmodi, & mulierum, nec homines, nec ſpiritus generari, ſed medias quaſdam ſubſtantias, quæ nec ſpiritus eſſent, nec homines. Manifeſtum autem eſt generationem Hunnorum, & gentem Cypri, de quibus prolocutus ſum, veros homines, & veras mulieres totaliter & eſſe, & fuiſſe. Impoſſibile eſt igitur alterutram illarum gentium ex commixtione ſpirituum, & virorum, & mulierum generatam eſſe. Hujuſmodi autem rei exemplum evidentiſſimum eſt generatio quæ fit ex aſina, & equo, ubi nec equus, nec aſinus eſt animal, quod ex eorum commixtione generatum eſt, & ad hunc modum ſe habet de aliis diverſarum ſpecierum commixtionibus. Ampliùs. Ex ſolo ſexu muliebri non eſt poſſibile generationem eſſe ſecundùm naturam. À parte autem hujuſmodi ſpirituum nihil ſeminis diffunditur in vaſa generationis, cùm ſemen hujuſmodi non niſi in carne, & ex carne ſit, & non ſit niſi ſuperfluitas tertiæ G digeſtionis, ſicut docuit Ariſtoteles. Non eſt igitur commixtio inter hujuſmodi ſpiritus, & mulieres, vera inquam commixtio à parte ſpirituum, cùm nulla ſit ex parte illorum ſeminis generativi in vas generationis transfuſio. Ampliùs. Quæ concupiſcentia libidinoſa poteſt eſſe hujuſmodi ſpirituum in ſubſtantias alterius ſpeciei, & longè ignobiliores, quàm ipſi ſunt? abominabiliores indubitanter ſunt, quàm ſit Sodomia, id eſt, Sodomica ſtultitia. Quòd ſi quis dixerit, quia hujuſmodi ſpiritus non ex vaſe generationis ſemen emittunt, ſed aliunde afferunt, & illuſoriè, & fantaſticè emittunt, non ſecundùm veritatem, cùm ex ipſis non exeat, utpote quòd nec in ipſis eſſe poteſt: Dico in hoc, quia nulla eſt voluptas conjunctionis hujuſmodi, cùm voluptas concubitus potiſſimùm conſiſtat in effuſione ſeminis, nulla autem eſt voluptas libidinoſa H in tranſlatione ſeminis hujuſmodi, quam procurant. Ampliùs. Si eſt eis concupiſcentia, & tantus ardor carnalis voluptatis, cur non in propriam ſpeciem magis inardeſcunt, quàm in alienam, cùm major pulchritudo ſit in ſpecie propria, quàm in ſpecie mulierum, & virorum; non enim comparabilis eſt pulchritudo corporalis ad pulchritudinem ſpiritualem. Quòd ſi dixerit quis, quia fœmineus ſexus non invenitur apud eos, cui commiſceri poſſint: abhorrentes autem maſculi ſexus commixtionem, ad mulieres ſe transferunt. Reſpondeo in hoc, quia in ſpecie muliebri multoties ſe ſupponunt hominibus & ab eis illuſione ſimili cognoſcuntur. Quapropter ſi apud eos virilis ſexus eſt, & muliebris apud eoſdem non enim magis credendum illuſionibus, quibus in ſexu virili apparentes illudant mulieribus, quàm illis, quibus in ſpecie muliebri illudunt viris. Ampliùs. Si tanto ardore libidinis inſanirent,

quomodò

Digitized by Google

quomodò à ſodomitica libidine immunes eſſent, ut non vel in viros noſtros, vel in maſculos ſuos concupiſcentia inſanirent. Benedictus autem altiſſimus, qui virilem ſpeciem in hominibus à flagitiis eorum uſque hodie ſic ſervavit, ut nullus virorum iſtâ nefariâ libidine pollutus adhuc auditus ſit. Nec igitur prætereundum eſt, quòd nec ipſi invicem iſtam abominationem, videlicet ſodomiticam exercere, vel unquàm exercuiſſe, dicti ſunt. In quo non mediocriter confunditur ſodomitarum flagitioſitas, cùm ab ea ſe contineant ipſi maligni ſpiritus, qui ad fædandam humanam naturam totis ſtudiis invigilant, & totis viribus elaborant. Sciendum etiam tibi, quia gigantes opinati ſunt nonnulli ab hujuſmodi dæmonibus generatos eſſe, & ex hujuſmodi generatione fuiſſe eis tantam magnitudinem corporum, & tantam fortitudinem. Non debet autem te movere ſermo legis hebræorum antedictus adhoc, ut credas matrimonia fuiſſe inter veras mulieres, & eos, qui viri veri non erant; non enim poteſt eſſe maritus, qui non eſt vir. Ampliùs. Quomodò contracta fuiſſent matrimonia iſta, quibus videlicet teſtibus, & ubi, cùm hujuſmodi ſpiritus inviſibiles ſint, nec ab ipſis mulieribus videri potuerint, nec audiri, niſi illuſoriè, atque fantaſticè? quapropter nuptiæ hujuſmodi non potuerunt eſſe niſi ſicut nuptiæ ſolummodò in ſomniante. Ampliùs. Cùm non ceſſet adhuc, nec poſtmodùm ceſſaverit iſta illuſoria commixtio dæmonum incuborum, quomodò ceſſavit generatio gigantium? jam enim à mille 300. annis, & ampliùs non eſt viſus gigas ſuper terram, & in Britannia majore multis præliis interfecti ſunt per Brutum Ducem quendam Trojanorum, cùm tanta multitudo gigantum ibi fuiſſet, ut terra eorum regio iſta diceretur. Ampliùs. Qualiter eſſet eis magnitudo iſta, & fortitudo corporalis longè major aliis hominibus à parte hujuſmodi genitorũ: cùm nec ipſis genitoribus eſſet ullo modorum magnitudo aut fortitudo hujuſmodi? Manifeſtum igitur ex omnibus his veri nominis generationem, & rectæ rationis concubitum, ſive commixtionem non eſſe poſſibilem inter hujuſmodi ſpiritus, & veros viros, veraſque mulieres, & propter hoc nec veram generationem, qua vel veri patres, vel veræ matres poſſint, vel debeant nominari. Et id ipſum, quod dixi de gigantibus, poteſt etiam dici de gente hunnorum ſcilicet quia ſi potuit concupiſcentia incuborum in generationem gentis unius, & tantæ, quantam fuiſſe, conſtat gentem hunnorum hiſtoricis narrationibus, quomodò † patres illius non reparaverunt ſemen per repetitam generationem, & aſſiduos concubitus? an fortè obſtrixit in eis calor ille generativus, & ſenectute defecit? Hoc autem dicere non poſſunt, qui ſic ponunt, cùm eos immortales, & impaſſibiles aſſerant. Dicat aliquis forſitan, quòd mulieres illæ, ſicut narratur in præfatis hiſtoricis, mulieres maleficæ fuerunt, & propter maleficia magica ſubtractæ de medio habitationis hominum. quam ob cauſam fugientes ad deſerta, & nemora, inibi habitaverunt, atque dæmonibus, quibus familiares fuerant, familiarius, & facilius adhæſerunt: ex qua familiaritate ſubſecuta eſt conſuetudo libidinoſa, & commixtiones, ex quibus proceſſit generatio tota gentis illius: mortuis autem mulieribus hujuſmodi non ſucceſſerunt eis filiæ mulieres, ad quas tam facilem, tamque familiarem acceſſum haberent hujuſmodi ſpiritus. Revertar igitur ad radicalem quæſtionem, ex cujus explicatione omnia hæc declarantur. Dico igitur, quia nec verè generare, nec veri patres eſſe poſſunt propter dictas cauſas, generationem tamen poſſe

† *Alias.* partes.

A eos procurare opinabile eſt: neque opus eſt, aut neceſſe, quòd omne, quod procreat generationem, verè pater aut mater valeat nominari. Dubitari ſiquidem non poteſt ſuper omnes medicos, & phyſicos hujuſmodi ſpiritus noſſe naturam tam virilis ſeminis, quàm muliebris, ſimiliter & aliorum animalium, atque differentias eorum ad invicem, ſimiliter & adjutoria, quibus adjuvari poſſunt ipſa ſemina ad accelerationem generationis, ad majoritatem, & fortitudinem fœtuum, & ad alias multas diſpoſitiones, ſicut ad colores, & pulchritudines fœtuum, quemadmodùm audiviſti noſcere patrem hebræorum, ex lege ipſorum, artificium, quo variis velleribus fecit eſſe fœtus ovium, quas paſcebat. Debes etiam ſcire, quòd modico, & levi adjumento adjuvatur ſemen fœmineum, ut ex eo fiat generatio in quibuſdam animalibus, quemadmodùm fieri conſuevit in inſula Portugal-

B liæ, ubi equæ vento favonio flante abſque maſculorum commixtione imprægnantur: natura namque maſculi ſeminis hæc eſt, quòd plus habet ſpiritus, & caloris, quàm fœmininum, & quia calore coagulatur, frigiditate verò diſſolvitur, eſt aliquo modo ad ſemen fœmineum, ſicut coagulum lactis ad lac: juxta ſermonem ſapientis, quo dixit in ſermone ſuo ad creatorem: Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Apparet igitur ex his, quia quod ſufflatur in matrices equarum de vento favonio ad ſemen fœmineum, quod eſt in eis, eſt ſicut ſpiritus, qui eſt in ſemine maſculino in eiſdem, cùm evidenter operetur id ipſum, quod iſte ſpiritus operatur in ſemine fœminino equarum, ſi ſemen maſculinum in eis effunderet. Non igitur dubium eſt, quin poſſibile, immò &

C facile, ſit dæmonibus ſimiles aliquas inſpirationes, aut inſufflationes in matrices fœminarum facere, cùm illas fantaſtico illo concubitu illudunt. De ſeminibus autem quorundam animalium qui cum humano ſemine convenienter ſe applicent ad generationem, uno exemplo noviſſimo faciam te ſcire. Scito igitur, quia in provincia Saxoniæ urſus quidam rapuit uxorem cujuſdam militis, & detulit in ſpeluncam, in qua inhabitabat, ibique habuit eam diebus multis, & annis, genuitque ibidem filios ex ea, qui poſtmodùm recuperata muliere illa, & reſtituta viro ſuo, vixerunt cum eadem muliere, & facti ſunt poſtmodùm milites. Et cùm eſſent veri homines de natura urſina hoc apparebat in eis, quòd vultus eorum in ſimilitudinem urſinorum vultuum aliquantulùm declinabant, cognominationem autem acceperunt à patre, ſcilicet urſo, à quo geniti fuerant, & vocati ſunt urſini. Tu autem ſcis, quia urſus in duobus aſſimilatur hominibus, videlicet in hoc, quod coëunt, ſicut

D conjugati, & cùm decoriati ſunt, tota figura corporis ſimilis apparet hominibus, propter quod & multi eſum carnium ſuarum abhorruerunt, videlicet tanquàm eſum carnium humanarum. Non igitur mirum eſt, ſi ſemen urſinum etiam tanta ſimilitudine humano ſemini appropinquet, ut ei etiam ad generationem convenienti conjũctione applicetur. Cui autem intelligenti non eſt notum, hujuſmodi ſpiritus facile eſſe ſubitò exhibere, & adhibere mulieribus, quas ſic ludificant, ſemina animalium, quæ cognoverunt ad generationem convenientia. Præſertim cùm in libris narrationum, de quibus ſæpè prædiximus, cùm ab hominibus ejiciebantur, multa fæculentia, fœda veſtigia reliquiſſe narrentur. Quomodò igitur ſordes iſtas, quas ex ſe mittere non valebant, facile erat illis ſubitò afferre, & ac ſi eas egererent, poſſe relinquere: ſic de hujuſmodi liquore vel humore, quod ſemini hu-

Ortus urſina familia.

mano ſimile eſt, vel fortè verum ſemen alterius animalis, cur non eadem facilitate poſſibile eſt eis, ſubitò ipſum afferre ad hujuſmodi ludificationem explendam? Ampliùs. Manifeſtum eſt ex lege hebræorum, atque innumerabilium hominum teſtimoniis, quòd in Aegypto procuraverunt converſionem aquarum in ſanguinem, quapropter generationem ſanguinis ex aquis non videtur autem difficilior eſſe generatio humani ſeminis ex aqua, vel ex alio liquore, quàm generatio ſanguinis ex eodem; manifeſtum igitur eſt eis poſſibilem eſſe procurationem generationis humani ſeminis, de oblatione verò ejuſdem ad ludificationis locum, nulli dubitatio eſt, quin ſit eis poſſibile, atque faciliſſima, ſicut ſcire te feci in præcedentibus. Ampliùs. Sicut ex teſtimonio ſanctæ cujuſdam mulieris ſcire potui, quidam ex hujuſmodi dæmonibus, cùm ſic ludificaſſet eam, videlicet concubitu fantaſtico, tanto fluxu ſeminis inquinavit eam, ut mille homines non emitterent tantum. Aggregata igitur ratiocinatione manifeſtum eſſe tibi debet ex hujuſmodi, quia poſſibile eſt de dæmonibus incubis, non quidem generari homines, ſed generationem ipſorum juxta quod prædixi procurari. Nec mirum, cùm jam attentatum ſit ab hominibus, & creditum ab eis homines per aliam viam efficere, quàm per viam conſuetæ generationis: ſicut in libris experimentorum poteris invenire, ſimiles etiam ludificationes mulierum eis, quas agunt incubi dæmones, quidam malefici & attentaverunt, & ſcripſerunt, poſteriſque reliquerunt, ſi tamen eis de talibus creditur. Scripſerunt enim experimentum ludificatorium, quo apparere dicebant mulieribus ſe multò pluries cognoſci, quàm cognoſcerentur. Verbi gratia. cùm non cognoſcerentur, niſi ſemel, vel bis, ab eo, qui experimentum illud operaretur, appareret eis ſe quadragies, aut ſexageſies cognoſci. Quapropter cùm non eſſet niſi unus verus concubitus, aut duo, reliqui omnes eſſent ludificatorii & tanquàm illuſiones, quas dormientes in ſomnis patiuntur. Erant igitur ſimiles ludificationibus dæmonum incuborum. Attendendum etiam tibi, quia nonnunquàm impregnatæ ſibi videntur mulieres à dæmonibus incubis, & intumeſcunt vehementer ventres earum, cùmque tempus partus adveniſſe credunt, ſola emiſſione multæ ventoſitatis detumeſcunt. Jam autem audiviſti de ovis formicarum, quòd cùm in potu ſumpta fuerunt ab aliquo incredibilem ventoſitatem, & tumultum intolerabilem generant in ventre illius. Similiter non ignotas de granis † cataputiæ, & de granis arboris, quæ dicitur nigra pinus, quòd ſimiles ventoſitates, tonitruaque in ventribus hominum operantur. Quòd ſi hæc de tribus his rerum generibus jam hominibus innotuerunt, quomodò dubitat aliquis intelligens, quin & hæc, & multò fortiora, atque occultiora ad hujuſmodi tempeſtates, & tonitrua generanda in ventribus mulierum, ſeu virorum dæmonibus innoteſcant? Quàm verò facile ſit eis vel viris, vel mulieribus, talia ingerere, nemo qui virtutem eorum, & aſtutiam noverit, ignorat. Ex his igitur omnibus colligere potes non improbabiliter, ſermonem famoſum, opinione vulgarum, de quodam, qui in majori Britannia filius dæmonis incubi fuiſſe dicitur, non eſſe impoſſibilem. Quòd autem propheta in eadem regione habitus eſt, eo quòd multa de futuris vaticinatus fuiſſe viſus eſt prophetice, ex inſtructione, vel doctrina paterna hoc accepiſſe non immeritò credi poteſt: multa enim de futuris, & aliis abſconditis, certum eſt noſſe dæmones, & interdùm aliis, nedum filiis, revelare. Potuit quoque adju-

† *Aliàs* Catatuciæ.

De Merline propheta.

E vari homo hujuſmodi ad prævisionem futurorum bonitate complexionis, & priorum generantium, ad quam patris aſtutia multipliciter potuit ſuffragari. Verùm non memini me audiviſſe, quòd ſigna aliqua ille homo fecerit, vel quòd homines de his, quæ Dei ſunt, & ad ſalutem eorum pertinent, docuit quæ duo virorum ſunt, & à Deo altiſſimo miſſorum, officia prophetarum, propter quod inter prophetas ſanctos non eſt ab hominibus alicujus legis adjudicatum annumerari debere. Quòd ſi quis quærat, quam ob cauſam incubi dæmones mulieribus pulchros habentibus crines magis infeſti ſunt, & in eaſdem vehementiori libidine inardeſcunt, non alia cauſa mihi occurrit ad præſens, niſi aliqua iſtarum, quas dicam, videlicet, aut quia in cultu, ornatuque, atque tinctura crinium cura nimia intendunt hujuſmodi mulieres, vel quia pulchritudine illa, inflammare ſpectantes in ſuam libidinem conari conſueverunt, vel quia in eis inſolenter mulieres gloriantur. Propter hoc igitur F dæmonum illuſoriam patiuntur libidinem. Et forſitan ad terrorem divinæ bonitatis providentia hanc tentationem à malignis ſpiritibus eaſdem pati ſuſtinet, ut ab hujuſmodi cultu deſinant, timentes viros ad ſuam libidinoſam concupiſcentiam inflammare, dum ipſos dæmones ad eam inſtigare, & provocare videntur: incredibilis ſiquidem cura, & ſollicitudo eſt mulieribus hujuſmodi de ſpecioſitate, & apparatu crinium ſuorum, plurimùmque, atque graviſſimè peccant in illi, dum crines in laqueos juvenum, ac jacula ignita cordium humanorum invertere tanto opere, tantoque ſtudio conantur. Alibi autem didiciſti, qualiter ſic peccantes, hoc eſt, ſtudioſè, & voluntariè, quantùm in eis eſt, in poteſtatem, & laqueos malignorum ſpirituum ſe non ſolùm tradant, ſed etiam injiciant, & immittant. Ego quoque tempore pueritiæ meæ audiviſſe certiſſimè recolo mulierem G tunc defunctam, quæ tingendis, & ornandis crinibus ſuis dum viveret, damnabiliter intenderet, apparuiſſe poſt mortem crines ſuos pectinantem, & ornantem, & interrogatam, dixiſſe, quia pectinatio illa intolerabilis cruciatus erat eidem, & pecten ipſum immenſitate ponderis gravabat eam, & deprimebat intolerabiliter. Placuit igitur bonitati creatoris inſinuare hujuſmodi apparitione quantùm diſpliceat ei ſuperflua ſtudioſitas in hujuſmodi apparatu. Ut autem ea, quæ prædicta ſunt, tibi faciant certiora, addam eis, quòd ſi vera concupiſcentia, veraque libidinis voluptas, eſſe dæmonis incubi, poſſent hujuſmodi libidinem & faciliùs explere inter ſemetipſos, & invicem, & majori incompatabiliter voluptate, cùm facile ſit eis virorum, & mulierum, ſpecioſiſſimas ſpecies vel H aſſumere, vel effigiare: & quia conjunctio hujuſmodi longè magis naturalis eſſet, quàm cum viris noſtris, aut mulieribus noſtris, & etiam ex neceſſitate longè majoris voluptatis, ſicut apparet ex diffinitione voluptatis. Non igitur ardore libidinis commiſcentur viris noſtris, aut mulieribus, cùm neceſſe ſit eos invicem inardeſcere longè magis propter naturæ ſimilitudinem antedictam; neque enim invenitur hoc in animalibus, ut in alienas ſpecies libidine exardeſcant, præſertim cùm copiam habeant propriarum: ut quid igitur viris, vel mulieribus hujuſmodi in tanto ardore, & contra naturam, concupiſcerent commiſceri? Nec prætereundum eſt tibi de parvulis, quos vulgus cambiones nominant de quibus vulgatiſſimi ſunt ſermones aniles, videlicet, quòd filii dæmonum incuborum ſunt, à dæmonibus mulieribus ſuppoſiti, ut ab eis tanquàm proprii filii nutriantur propter

propter quod & cambiones dicuntur, ideſt, cambici, quaſi commutati, & à mulieribus parentibus pro filiis propriis ſuppoſiti. Hos dicunt macilentos, ſemper ejulantes, & lactis couſque bibulos, ut quatuor nutrices nulla ubertate lactis unum lactare, & paſcere lacte ſufficiant. Hi cum nutricibus annis multis morari viſi ſunt, & poſtmodum evolaſſe, vel potius evanuiſſe. Hic igitur dico non eſſe mutandam ſententiam antedictam: facile enim eſt malignis ſpiritibus in ſpecie hujuſmodi parvulorũ apparere, & videri converſari cum hominibus, quoties divina bonitas hujuſmodi permittit. Et ſi vacat inſpicere libros de narrationibus miraculorum, quæ facta ſunt in gente Chriſtianorum, leges ibi aliquem in ſpecie ſerpentis malignum ſpiritum cum viro quodam ſancto habitaſſe, alium cum alio ſancto in ſpecie ſervientis. Quòd igitur hujuſmodi parvuli tamdiu, & pene inſatiabiliter ubera nutricum exuxiſſe, vel alia alimenta ſumpſiſſe viſi ſunt, viſio tantum fuit illuſoria, & non veritas, propter quod evanuerunt, nullum indicium prioris exiſtentiæ relinquentes, utpote vera fantaſmata, & non veri parvuli, quemadmodum in aliis duabus apparitionibus nec verus ſerpens erat, qui apparebat, nec etiam verus famulus, qui ſervire videbatur. Nec te removeat, aut conturbet ullatenus vulgaris illa Hiſpanorum nominatio, qua malignos ſpiritus, qui in armis ludere, ac pugnare videri conſueverunt, exercitum antiquum nominant; magis enim anilis, & delirantium vetularum nominatio eſt, quam veritatis. De his quoque, qui in ſpecie mulierum vel crinitarum, vel in aliis apparatibus, circa fontes, vel flumina apparere dicuntur, non aliud, neque aliter, quam juxta ea, quæ præceſſerunt, video ſentiendum.

CAPUT XXVI.

Utrum dæmones habeant propria nomina, & de deceptionibus circa hoc accidentibus.

POſt hoc loquar de propriis nominibus, ſeu nominationibus, quibus nominantur, & nominati ſe ipſimet dicunt; non enim veriſimile eſt, ipſos habere poſſe propria nomina, neque enim ab ipſis impoſita ſunt eis, cum non loquantur, nec voces aliquas exprimant per ſe, & apud ſe, ſed neque ab hominibus, cum ab eis ſingulariter cognoſci non poſſint: nomina autem propria certis, & ſingulariter notis perſonis ſolummodo imponuntur, ab hominibus autem numquam hoc modo cogniti ſunt, cum nec viſibiles, nec audibiles, nec attrectabiles ſint. Quod ſi dixerit quis, quia ex quibuſdam factis ſingularibus ſingulariter cognoſci potuerunt, exempli gratia, ex hac revelatione, vel ex hoc opere magicorum: Dico, quia iſtud non eſt verum, quia illam revelationem, vel illud opus magicum potuit alius fortè facere, quam ipſe, qui fecit. Quapropter à nullo malignorum ſpirituum diſtinguit revelatio illa, vel operatio, facientem, præſertim, cum neſciat ille, cui facta eſt, de quocumque eorum, quis vel non fecerit, vel facere non potuerit. Amplius. Si eſſet in medio totius multitudinis malignorum ſpirituum, qualiter dignoſceret factorem hujuſmodi operis? Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his, quod ab hominibus non potuerunt eis imponi propria nomina, cum non eſſet ex hominibus propria, vel ſingularis cognitio eorum, vel alicujus ex ipſis. Quod ſi dixerit, quia ipſis malignis ſpiritibus eſt propria, & ſingularis cognitio eorum, vel etiam alicujus ex ipſis, & de unoquoque genere, & propter hoc potuerunt ſibi imponere propria nomina? Reſpondeo in hoc, quia ſupervacua, & omnino inutilis eſſet quantum ad ipſos hujuſmodi nominum impoſitio. Primum, quia per illa nec eſſent, nec eſſe poſſent noti alij aliis, & hoc eſt, quoniam nomina illa ſigna ſenſibilia eſſent, videlicet, audibilia: auditus autem non eſt hujuſmodi ſpiritibus, quare non eſſet cognitio nominum iſtorum apud eos, & propter hoc nec per ipſa poſſent cognoſci, nec ab illis; per nomen enim ignotum, vel per aliud quodcumque ignotum, quod alias ignotum eſt alicui, non poteſt eidem fieri notum, ſicut in logicis didiciſti. Amplius. Nomina non imponuntur, niſi tribus de cauſis: primum, ut per illa noſcantur, quæ per illa nominantur: deinde, ut per ea ſe vocari intelligant, cum illa audierint: tertio, ut per ipſa cognoſcantur, & cognitio eorum per ea retineatur. Quia igitur nec vocare ſe poſſunt invicem hujuſmodi ſpiritus, cum voce, & vocandi virtute omnino careant, nec audire illa poſſent, utpote ſpirituales, & propter hoc non ſolum auditu, ſed omni etiam alio ſenſu carentes, propter duas cauſas priores omnino inutile fuit eis imponi nomina, & maxime ab ipſis, ſed neque propter tertiam cauſam: videlicet propter cognitionem ipſorum, cum in eos non cadat oblivio. Quod ſi dixerit, quia propter homines utile fuit eos habere propria nomina, ut per ea vel vocarent, vel invocarent illos, ut de nominationibus & invocationibus iſtis taceam, quæ indubitanter omnes noxiæ ſunt, dico, quòd nihilominus ſupervacua ſunt hujuſmodi nomina: cum enim aliquis ex hominibus vel vocat, vel invocat aliquem ex ipſis, ſi forte venit vocatus, vel invocatus, ignorabit eum veniſſe, cum ipſum ſingulari, & propria cognitione non cognoſcat, poterit enim alius pro illo veniſſe. Quod ſi dixerit, quod hoc cognoſcat vocãs per ipſum: Reſpondeo, quia per iſtud non cognoſcet ipſum, niſi per verbum, aut teſtimonium ipſius; qualiter autem crederet teſtimonio maligni, aut falſiſſimi ſpiritus, an mendacium, an verum diceret, ut ait ſapiens? Amplius. Quomodo ſcire poterit, quis ei loquitur, ſcilicet an ille, quem vocavit, an alius, cum vocum & ſermonum apud eos nulla diſtinctio, nullaque ſit diſcretio, quemadmodum eſt apud homines, ut ſola voce propria, vel ſermone cognoſcibiles ſint? Et tu ipſe multorum hominum auditis vocibus, vel ſermonibus, ſtatim cognoſcis, qui ipſi ſunt, apud autem hujuſmodi ſpiritus non eſt ſic, cum nulla vox ſit alicui eorum propria, nullus ſermo ſimiliter. Reſpondeo igitur in his, quia in ſermonibus prophetarum aliqui ex ſanctis, & beatis ſpiritibus nominati inveniuntur, verumtamen communibus nominibus, appropriatis tamen eiſdem ſecundum officia, propter quæ miſſi fuerunt, ſicut Raphaël vocatus fuit archangelus quidam propter officium medicandi, quod exercuit in quodam viro ſancto, quem à cæcatione liberavit. Et ad hunc modum ſe habet de aliis, qui in hujuſmodi ſermonibus nominantur. Et de his omnibus facile eſt cognitionem ſufficientem habere ex libris expoſitionum, quos ſapientes, & ſancti Chriſtianorum ſcripſerunt. Nomina vero, quæ in libris imaginum, & aliis maleficis leguntur, & per ea invocari ſpiritus in eis jubentur, vel etiam ſcribi, ab ipſis dicentibus impoſita eſſe non dubites; alioquin nec vocari, nec invocari potuiſſent ab hominibus. Quapropter deperiſſet eis pars non modica culturæ ſuæ, quemadmodum ſi nullum nomen creatoris eſſet nobis notum, periiſſet omnis invo-

catio, qua invocamus ipſum, invocationes autem creatoris pars non minima ſunt honorificentiæ ipſius. Forſitan autem nomina dæmonum, quæ utique barbara ſunt, interpretationes habent, forſitanque ſonant honorificentiam ipſorum dæmonum, ſicut nomen, quo creator nominatur, vel rex, & dominus. Et propter hoc cavendum eſt tibi à pronunciationibus hujuſmodi nominum, ne honorare malignos ſpiritus videaris, nomina vero planetarum impoſuerunt ſibi quidam ex malignis ſpiritibus, ſicut Jupiter, Venus, & alij tibi notiſſimi per nominationes iſtas. Cauſa autem in hoc fuit, ut homines in culturam ſuam facilius inclinarent, cum utilitates, quæ à planetis mundo iſto inferiori proveniunt, ab eis credunt provenire: utpote quos vel eſſe planetas credunt, vel præeſſe planetis. Alias autem nominationes gentes idolatriæ & ſtatuis, & dæmonibus, quos colebant, impoſuerunt, ſicut doceberis ex libris hiſtoriarum. Verumtamen in idem inconveniens recidunt, ſcilicet in ignorantiam eorum, quibus nomina hujuſmodi ſic imponere credunt. Omnino enim ignorat, quis hujuſmodi ſpirituum Phœbus ſit, vel Mars, vel Venus, & ad hunc modum de aliis, cum nulla operatio ſit appropriata alicui eorum, ita ut alius illam exercere non poſſit. Quod ſi dixerit quis, quoniam vocant venerem eum, qui ſolus poteſt in opera venerea, hoc eſt, in opera luxuriæ & laſciviæ; ſcito igitur in hoc, quia vehementer errant, qui ſic credunt arctatas potentias hujuſmodi ſpirituum, ut ille, qui vocatur Mars non poſſit, niſi in ea, quæ belli ſunt, & ille, qui vocatur Mercurius, non poſſit, niſi in ea, quæ eloquentiæ, & mercantiæ ſunt, & de aliis juxta appropriationes, quas de planetis ſcripſerunt magiſtri judiciorum aſtronomiæ. Et hoc apparet per ipſos modos apparitionum, videlicet, quòd per naturam non eſt eis iſta arctatio, vel appropitiatio; cum enim non operentur, niſi per intellectum, & voluntatem, iſtæ autem duæ vires arctatæ non ſint naturaliter juxta dictos modos, manifeſtum eſt ex his arctationibus non eſſe nomina eis impoſita naturaliter. Quod ſi dixerint, quòd hujuſmodi appropriationes partim ſunt eis ex voluntate creatoris, vel ejuſdem permiſſione, & hoc ipſum neceſſe eſt eos ignorare, qui ſic ponunt. Sed neque ex hoc ipſo cognoſcere poſſunt, quis ſpiritus Mars, & Venus nominetur, ita de aliis, quemadmodum qui eſt in Britannia, licet audiat regem eſſe in India: ignorare tamen neceſſe habet, quis homo ſit rex in India, niſi alias, quam per adminiſtrationem regni illius cognovit. Amplius. Per hoc, quòd regit Indiam, non poteſt ei proprium nomen imponi, cum hoc ipſum regere Indiam, ſive regnare in India, commune ſit, & multis communicabile, nomen autem proprium communiter, ſive univoce aptari non poſſit pluribus. Amplius. Poteſt creator ſingulis momentis mutare, & aliter diſtribuere hujuſmodi officia, & hoc ipſum, quod aliquando mutet, & aliquando aliis ſpiritibus commutat hujuſmodi officia, manifeſtum eſt eos ignorare, qui hoc ponunt; quare quemadmodum ignorant qui in Britannia ſunt, quis homo regnet in India, ſic & iſti erronei ignorant, quis modo Mars nominetur ſpiritus, & quis vocabitur cras, vel poſtquam cras eodem nomine. Amplius. Secundum hoc Mars non erit nomen proprium, ſicut iſta agnominatio rex Indiæ, vel rex Perſiæ, ratio enim nominis, & nomen æqualia ſunt ſemper. Poſt hæc potes ſcire, quia hujuſmodi nominationes ſint ignoranter, & omnino incircumſpecte impoſitæ aliquando ab ipſis auctoribus idolorum, videlicet, qui ea fieri fecerunt, & ab ipſis idolis proceſſerunt ad dæmonia, ſicut ab idolis Babyloniorum Baal, & Baalim. Quidam vero ex regibus Romanorum dæmonem, quem credebant habere familiarem, & à quo ſibi revelari multa opinabatur, eodem honore, & temeritate egeriam vocabat, quia, ut putabat, egerebat ei, ideſt revelabat, abſcondita multa, ſed neque ipſe ſciebat, an uni tantummodo, an multis eiſdem nomen iſtud poſuiſſet, neque utrum ille ſpiritus, qui revelationem fecerat ei, aliquam die ſequenti diem illam eidem faceret, an alius ad ſimilitudinem prioris: non enim ſciebat ſingularem, & appropriatam cognitionem de aliquo eorum, per quam dignoſcere poſſet, num unus multoties loquens iſtas revelationes faceret, an multi ſucceſſive, videlicet, unus poſt alium. Propter quod evidenter apparet ipſum impoſuiſſe nomen illud adeo inſipienter, ut cui illud imponeret penitus ignoraret, & quod eſt majoris inſaniæ, an uni, an multis illud imponeret, prorſus neſciret. Manifeſtum igitur eſt ex his, quia nec iſta agnominatio, Delphicus Apollo: neque iſta Pythius Apollo agnominatio eſt certæ ſignificationis, cum non ſit certum, an unius, an multorum agnominatio ſit, ſimiliter neque hoc nomen, Apollo certæ ac notæ ſignificationis eſt, quia ſi eſt unius, ignoratur cujus nomen ſit, & etiam ſi multorum, neſcitur quorum. Sed neque hoc certum eſt, an unius, an multorum nomen ſit, neque ſcietur, an univocum, an æquivocum ſit. Quapropter manifeſtum eſt, ſi nomen proprium à certa, & propria nominatione nomen proprium eſt, cum nullum hujuſmodi nomen certè, & propriè nominet aliquem ex hujuſmodi ſpiritibus, nullum ex eis nomen proprium habere, vel certam nominationem. Et hoc eſt quod per omnia hæc intendebam te facere ſcire. Et hîc finem facio tractatus iſtius, obſecrans te, ut quidquid minus recte dictum in eo cognoveris, defectibus meis, & ignorantiis multiplicibus imputes; quicquid autem bene, & prout habet ſe veritas, auctori bonorum omnium Deo attribuas cum actionibus gratiarum. Deo gratias.

Quod impoſſibile eſt ſcire quis ſpirituum ſic vel ſic nominetur.

tur; quãvis quædam habeantur nomina ex officiis eorũ impoſita.

Numa Popilius.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVÆ IN PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

AARON quare vitulum offerebat, columna prima E. folio 40.
Abacuch portatus per Angelum fuit præter naturam angelicam. col. 1. H. 924
Abbaloachim ſpiritu prophetiæ dotatus. c. 2. H. 152
Abel quid interpretetur col. 2. D. 283
Abiſſus quid ſit, col. 1. A. 619
Ablutio communis exhibenda erat generi humano, col. 1. F. 95
Abominatio idolatriæ. col. 2. B. 39
Abominatio ſecundum unam intentionem quid ſit, c. 2. E. 174
Abraham qualiter interpretetur, columna 2. F. 14
Abraham ignem colere noluit, col. 2. B. 81
Abrahæ ignorãtia de angelis in ejus hoſpitio ſuſceptis, c. 1. G. 882
Abrahæ humilitas commendatur, col. 1. A. 143
Abſolutio ſacerdotis in ſacramento pænitentiæ, quid ſignificet, columna ſecunda, A. 461
Abſtinentia quæ, & quotuplex ſit, col. 2. B. 167
Abſtractum & concretum, quid ſignificent col. 1. E. 686
Abſurda multa, quæ ſequerentur, ſi error, & ignorantia ubique excuſarent, col. 2. G. 18
Abuſio quædam loquendi contra humilitatem, unde originem ſumpſit, col. 1. C. 247
Accedens ad ſacramentum Euchariſtiæ ſine lachrymarum effuſione ſe indignum reddit, col. 1. C. 458
Accidens cur dicatur, col. 2. G. 794
Accidẽtales differẽtiæ nõ faciũt aliud, ſed ſolũ alteratũ c. 1. D. 819
Nec prohibent identitatem ibid. B col. 2.
Accidia quid ſit fol. 174. columna 1. F. & de ejus effectu. ibid.
Accuſatio peccatorum debet eſſe ſpontanea, col. 2. A. 461
Accuſatores localiter non appropinquant ad creatorem, vel ad thronos, col. 1. B. 973
Acies gratiarum quæ, & quid ſignificent, col. 2. E. 598
Acquiſitio operum per creationem ſubita eſt, non continua, columna 2. D. & col. prima 951 & 954
Actio violenta, non eſt violentia patientis, ſed tantum inferentis. col. 1. G. 296
Actiones pendentes ex ipſis patientibus, quando eſſe dicantur in poteſtate noſtra, col 2. D. 789
Actiones voluntariæ, an cadant ſub cura & providentia creatoris columna 1. B. 773
Actuale peccatum ſequitur actualis pœna, col. 1. F. 240
Actus hominis proprius, quis eſt, col. 2. D. 829
Actus in ſubſtantijs abſtractis ſunt ſcientiæ, & virtutes, c. 2. A. 865
Actus & potentiæ differunt in ſubſtantijs abſtractis, c. 2. C. ibid.
Actus omnis cujuſcunque virtutis naturaliter bonus eſt, c. 1. B. 889
Actus omnis voluntarius in corporibus humanis, an totus virtute intellectiva regatur, col. 2. D. cum ſeq 1051
Actuum ſola exhibitio ſine aliqua cogitatione liberat ab obligatione intentionis, col. 2. 269
Adulatores dicuntur chimeras offerre, col. 1. D. 239
Adulatores incendiarij, & combuſtores bonorum dicuntur, columna ſecunda A. ibid.
Adulatores magnis precijs comparantur, & mercedibus conducuntur, col. 2. B. ibid.
Adulatores per verbum placere ſolent aſtruere figmenta humanarum laudum col. 1. H. 240
Adulatorum reprehenſio graviſſima, col. 2. F 238 & ſeq.
Adulter eſt vehemens amator uxoris, col. 2. B. 319
Adulatio & fornicationes idolatriæ vocantur, col. 1. B. 45
Advocati charitatis, qui, col. 1. C. 206
Advocati proprium officium quid ſit, col 2. B. 481
Advocati cœleſtes juris periti, col. 2. F. 512
Advocatorum præda in monaſteria. col. 1. H. 224
Ædificatio proximorum, quæ col. 1. D. 491
Ægritudo vel infirmitas caſtigatio dicitur, col. 1. D. 253
Immo domatio eſt, ibid.
Et etiam ſtimulatio appellatur, ibid.
Item citatio ibid.
Item commutatrix, ibid.
Ægritudo ſpiritualis originale vitium eſt, col. 1. D. 261
Ægyptus pluvias non habet, col. 2. D 79
Æqualitas ordinum primæ hierarchiæ penes quid attendenda, columna ſecunda, D. 978
Adam & Eva bonitate naturali ante peccatum boni fuerunt, fol. 98. col. 1. C. & fol 101. col 2 B
Adam avertit aures ab inſtinctu naturæ. col. 2. A. 103
Adam & Eva ante peccatũ ſe nudos eſſe non ſentiebant, c. 1. E. 172
Adam ex ſolis naturalibus mereri non potuit, col. 2. A. 195
Adamantis natura col. 2. H. 722. & col. 1. A 723
Adjumenta orationis quæ, & quot ſint, fol. 167. col. 2. C. cum ſeq. uſque ad fol. 175
Adjumenta tria nobis à Deo donata ad conſervandam legem honeſtatis & repellenda contraria, col. 2. E. 456
Adjumenta quæ Angeli ſancti præſtant hominibus ad purgationẽ animarũ, quæ, & quot ſint, fol. 997. c. 2. A. cũ ſeq. per tot.
Adjutoria Dei quæ, col. 2. D. 138
Adjutoria Dei quæ & quot ſint, col 1. F & G. 298
Adjutoria quibus à creatore adjuvamur, quæ ſint, & quid operentur, col. 1. E. 7 6
Adjutoria multa homini à parte materiæ ſuæ, c. 1. D cum ſeq. 858
Adoratio quid, fol, 14 col. 1. A & col. 2. E 242
Adoratio de non apparente fiebat col. 2. fol. 32
Adorator rei inanimatæ ſe inferiorẽ illa & viliorẽ facit, c. 2. A. 81
Adulatio quæ, col. 2 D. 177
Adulatio ignis dicitur comburens omnes virtutes, & ſcientias & bonas operationes, col. 1. C. 239
Æqualitas vel inæqualitas quæ reperitur in viribus apprehenſivis ſubſtantiarum ſpiritualiũ non eadem eſt in motivis, c. 2. A. 979
Æqualitas & ſimilitudo apud nos confuſionem inducit, c 1. B. 865
Æqualitates & inæqualitates multæ inter ordinem Cherubim & Seraphim, col. 2. C. 981
Aer eſt frigidior õni lapide, & metallo; ſed nõ duratione, c. 1. E 139
Aer attrahitur pulmonis dilatatione, col 1. E. 798
Aeris ſtatus qualis futurus erit, col. 1. H. 742
Ætas quæ & quot modis dicatur, col. 1. D. 689
Æternitas quid ſit, col. 1. B. & col. 2. 683
Et in quo differat à tempore. ibid.
Et impartibilis eſt ſecundum prius, & poſterius ibid.
Æternitas contraria tempori, col. 2. B. 685
Et qualiter differant, col. 2. F. 692
Æternitas eſt eſſe creatoris, col. 2. D. 685
Æternitas an præceſſit tempus vel ne, col. 1. F. & G. 786
Et an ſit in tempore, an non. ibid.
Æternus ſolus eſt Deus, col. 2. C. 785
Ævum quid & quot modis dicatur, col. 1. F. 690
Affectiones bonæ quæ, col. 2. C. 8
Affectiones noſtræ paſſiones vocantur ſecundum Ariſt. c. 1. G. 119
Affectiones in Deum in univerſum, ſeptem ſunt, c. 1. H 170
Affectiones in nos invicem quot habere debeamus, col 1. B 171
Affectiones animarũ humanarũ in Deũ, quot ſint, c. 2. G & ſeq. 148
Affectiones bonæ peccatorum quot ſint, col. 1. B. & ſeq. 149
Affectionum multitudo, & varietas, col. 1. D. 171
Affectivæ quæ dicantur, & quæ effectivæ, colum. 2. B. 773
Affectus qui, columna 1. C. 12
Affectus noſtri in Deum quales, & quot, col. 1. D 169
Affirmatio & negatio non dicitur niſi de rebus, quæ per prædicata, & ſubjecta ſignificantur, col. 2. B. 785
Afflictiones corporales valent ad animarũ expiationẽ, c. 1. H. 702
Agareni qui, col. 1. H. 50
Agẽtiũ & paſſionũ diſſimilitudines variæ cũ ejus cauſa, c. 1 A & B 915
Agere & pati contraria ſunt, col 1. D. 105. & 508
Agere & pati quando proprie dicatur, col. 1. F. 956
Aggregatio & adunatio quid, col. 2. H. 604
Aggregatio impartibilium non poteſt facere, vel augere quantitatem continuam, col. 1. C. 917
Aggregatio partium amplitudinem communitatis anguſtat, columna ſecunda B. 920
Aggregatum omne ex partibus continuis, dicitur aggregatum de neceſſitate ex finitis, col. 1. A. 767
Aggregatum ex infinitis ſuæ ſpeciei, vel generis neceſſe eſt eſſe infinitum, col. 1. C. 915
Agilitas dos eſt corporum glorificatorum, col. 2. E. 412
Agilitas & pulchritudo in corporibus inerit glorificatis, c. 1. F. 734
Secus tamen in damnatis, col. 2. D. 719
Agni paſchalis ratio, col. 2 G. 124
Agricolatio ſpiritualis quæ, & de ejus fructu, col. 2. F. 492
Alberti magni error de accidentali differentia, col. 1. D. 819
Alimenta ſumenda tanquam medicamenta, col. 1. D. 150
Allegoria quæ col. 2. F. 48
Alopetia quæ, col. 2. H 42
Alpherragus philoſophus qui, col. 2. B. 653
Altare cujus reſpectu dicatur. col. 2. D. 437. & col. 1. E. 438
Altare aureum quid ſignificet, col. 1. A cum ſeq. 387
Altare quid & unde dicatur, col. 2. H. 30
Altaris officia quatuor, col. 1. A. 31
Altaris tabernaculis ſitus. col. 2. B. 31
Altarium gradus nulli, col. 1. C. 32
Amandi virtus ad quid creata, col. 1. E. 816
Amãdũ nihil eſt propter ſe, aut quærẽdũ præter creatorẽ, c. 1. G. 812
Amans prudẽter agere non amat illud niſi propter Deũ c. 2. E. 138
Amare quid, col. 1. C. 207
Amare ſeipſum quibus modis contingat, col 1. F. 126
Amare & deſiderare opus naturæ quando dicatur, col. 2. F. 9
Amare ſeipſum figurate dicitur, col 2. D 125
Amare ex propria virtute fortius eſt, col. 1. A. 5
Amator inanis gloriæ qualis, col. 1. C. 239
Amatores teneri qui, col 1. A. 148
Amatores divitiarum qui, col. 2. G. 494
Amazones liniebant earum arma quodam bitumine, quod neque

Digitized by Google

ferro, nec igne ſolvebatur, col. 2. D. 729
Idem & de arca Noe in montibus Armeniæ. ibid.
Ambitio dominandi fuit in Angelo primo, col 1. E. 902
Ambitioſi cur in picturis pinguntur oculis velatis, col. 1. H. ibid.
Ambitioſitas quæ, col. 1. H. & E. 176
Ambulatio ſpiritualis quæ, col. 2. F. 1004
Amicitia vera, quæ, fol. 73. col. 2. D. & 149 col. 1. A.
Amicitia vera probatur ex advenienre paupertate, col. 1. F. 230
Amicitia æquiparantia eſt in prædicamento relationis, c. 1. G. 562
Amicitiæ non ſunt leviter ineundæ, col. 2. C. 177
Amicorum omnia communia, col. 1. B. 77
Amicus totum diligit, quod eſt amici, col. 1 E. 140
Amor ſui ipſius fundamentum eſſe dicitur babilonicæ civitatis, col. 1. B. 271
Amor naturalis obligat recipientem, col. 1 C. 311
Amor Dei quid operetur in nobis, col. 2. D. 971
Amor eorum idolatriæ quæ, col. 2. F. 82
Amor vix propter finem & amor ipſius propter ſe, ſunt unus amor, vel ex uno amore, col. 1. H. 138
Amor & odium veritatis judicium pervertunt, col. 1. F. 1016
Amor nimius uxoris adulterium, col. 2. B. 166
Amor quid, col. 1. C. 53
Et quot modis dicatur, col. 2. D cum ſeq. 419
Amor primæ bonitatis, vel gaudium nunquam minuitur ex ejus fruitione, col. 1. C & D. 715
Amor cenſus ſeu redditus quis, col. 1. C. 217
Amor Dei maximus erga animas noſtras, col. 1. H 764
Amor, voluntas & intentio quomodo differant, col. 2. G. 140
Amor Dei, & amor ſui contraria ſunt, col. 2. B. 321
Amor rectè omnem ordinat amantem, & proportionat ad amabilia, col. 2. B. 815
Amor naturalis ſapientiæ, & honeſtatis, col. 2. D. 51
Amor quot debeat continere, ut virtus veri nominis dicatur, col. 1. F. & ſeqq. 139
Amor virtuoſus qualis, col. 1. B. 135
Amor naturalis eſt in bonum determinatum, non autem ſimpliciter, col. 1. D. 115
Amor gratuitus qui dicitur charitas, major eſt omnibus aliis, col. 2. D. 325
Amor non eſt concupiſcentia coitus, col. 1. F. 112
Amor fraternus quis, col. 1. B. 227
Amor immenſus in Deum, & Dei in nos, col. 1. D. 141
Amor in creatore qualis, col. 2. F. 970
Amor ſui privatus propriè eſt avaritia, col. 1. F. 322
Amor paupertatis quid operetur, col. 1. D. 237
Amor non imperat ultra vires naturales, col. 1. F. 139
Amor boni, & notio ejuſdem naturalis eſt, col. 2. C. 129
Amor habitus quid: idem & amor actus, col 2. C. 125
Amor eſt radix motuum ſpiritualium, col. 1. C. 723
Amor dupliciter dicitur, col. 1. H. 138
Amor ſui quis dicatur, col. 2. F. 206
Amor unus etiam in rebus inhoneſtis reperitur, col. 2. G. 118
Amor in Deum qualis, fol. 126. col. 2. H. & qualis in parentes, & in filios. ibid col. ſeq. A.
Amor gratiæ maior amore naturæ col. 1. E. 186
Amor & pulchritudo, & bonitas ſe habent inter ſe ſicut ſponſus & ſponſa, col. 1. D. 815
Amoris ſenſibilium ad amorem creatoris nulla eſt comparatio, col. 2. G. 722
Amoris veri differentiæ variæ, & conditiones, col. 1. A. 141
Amoris vinculum fortiſſimum, col. 2. A. 323
Amoris tres ſunt ſpecies, col. 2. B. 269
Amoris perfectiones quæ, fol. 141. col 1. B. cum ſeq.
Amoris inſania quæ, col. 2. A. 141
Amplitudo ſpeciei ad individua infinita eſt, col. 1. A. 921
Idem de ſpecie ad genera. ibid.
Amplitudo immenſitatis creatoris extra locum eſt, col. 2. H. 942
Et eſt ubi proprium angelorum, & animarum beatarum, c 2. D. 945
Amplitudo corporalis, & ſpiritualis à quo fiat. col. prima H. 684
Angeli mali per aliquam moram ſteterunt in bonitate col. 2. D. 889
Angeli ſuperiores aliqua poſſunt revelare inferioribus, ut revelentur hominibus, col. 1. A. & B. 963
Angeli an ferant ſententias ex conſilio Dei, an exequantur eas, an utrumque faciant, & ubi, col. 2. F. 972
Angeli & homines glorificādi ſimul in gloria habitabūt, c. 2. D. 937
Angeli ſancti, an aliquid mereri poſſint ſibimet ipſis, col. 2. H. 1006
Et qualiter orent pro nobis, col. 1. A. 1007
Angeli qualiter diffinitivè ſint in cœlo, col. 1. B. 933
Angeli mittuntur miniſtratori ad omnes gentes, c. 2. A. 961
Angeli qui in ſua bonitate naturali remanſerunt, nobiliorem bonitatem receperunt à creatore, col. 1. H. 930
Angeli qua virtute, & qua animæ movent corpora ſua. col. 1. F. 872. cum ſeq.
Angeli cur tot gentes permiſerunt, & adhuc permittunt in perfidia perire, col. 1. G. 1010
Et cur flagellis, vel aliis modis non avertunt peccata mundi, fol. 954. col. 1. H cum ſeq.
Angeli & archangeli qualiter intelligantur duo ordines, c. 2. F. 986
Angeli ex rebus ſenſibilibus novas acquirunt ſcientias, c. 1. H. 922
Angeli per furorē non deſideraverunt recedere à Deo, col. 1. D. 895
Angeli ſancti non omnia futura ſciunt, col. 1. E. 914
Angeli per ſe non poſſunt eſſe ſimul in multis locis, col. 2. E. 958
Angeli mali multa ſciunt per conjecturas, col. 1. F. 914
Angeli mali damnati in inferiorem partem aeris, quæ eſt caliginoſa, col. 1 B. 947
Angeli ſunt à Deo decentiſſime collocati, & non affixi partibus cœli, col. 1. E. 914
Angeli qualiter cognoſcant à rebus ſenſibilibus, col. 2. D. 921
Et recipiant formas intelligibiles. ibid.
Angeli tam boni, quam mali præditi ſunt ſolertia, & providentia, col. 2. F 914
Angeli locum corporalem habere dicuntur, col. 2. G. & H. 940
Angeli boni in ſpecie hominum ſolummodo apparent, non autem mulierum, col. 1. H. 1068
Angeli ſancti ſunt in cœlo collocati ad ſimilitudinem ſtellarum, col 1 G. 940
Angeli ſpiritus adminiſtratores ſunt, col. 1. B. 437
Angeli omnes æque propinqui ſunt à natura creatori, c. 1. G. 966
Angeli ſunt amici hominum, col. 1. D. 749
Angeli non ſunt ſignis miniſtrantes, & aliis ſimilibus, c. 2. H. 950
Neque etiam adjuvantes motum cœlorum, col. 2. B. 951
Et qualiter hoc totum intelligatur, C. ibid.
Angeli boni nunquam moventur ab eorum officiis ſibi à creatore injunctis per quamcunque invocationem, vel oblationem eis factam, col. 1. F. 952
Secus tamen in malis; & ob hoc cognoſci eos eſſe malos. ibid.
Angeli ex nulla cauſa eſſendi in loco poſſunt eſſe in cœlis, vel ſignis, col. 2. H 952
Angeli cœlum replent effulgentiis ſuis, & non eſſentiis, c. 1. D. 945
Idem in anima quoad corpus. ibid.
Angeli multiplici eorum effulgentia cœlum exornant, col. F. & G. cum ſeq. 932
Aliquem tamen certi ſpatii locum occupant. ibid. D. cum ſequent.
Angeli non aſſumunt corpora nova neceſſario, ſed utuntur corporibus jam factis col. 2. A. 881
Angeli quare non pænitent, col. 2. F. 904
Angeli multi poſſunt eſſe in anima humana cum trinitate glorioſa, col. 1. A. cum ſeq. 945
Angeli dum moventur, non habent neceſſe tranſire per media, col. 2. B. & C. 959
Angelorum cuſtodia, & Dei protectio erga nos, col. 2. A. 491
Angelorum fœlicitas quantum ad eorum motus, an diviſibilis ſit, velne, col. 2. F & G. 744
Angelorum ſuſceptio per Abraham in ejus hoſpitio quid ſignificet, col 1. F. 882
Angelorum tanta multitudo qualiter peccavit, col. 1. E. 906
Angelorum unuſquiſque quantam partem occupabit de cœlo empyreo. col. 2. E. 648
Angelorum motio ſola voluntate, & intellectu fit col. 1. A. 955
Angelos malos reperiri quibus probetur, contra Ariſtot. col. F. cum ſeq. per totum. 882
Angelus primus à principio voluit coli ſicut Deus, col. 1. F. 905
Angelus unus tantum nobiliſſimus, ut fuit lucifer, creandus erat, col. 2. B. 855
Angelus primus non ſeduxit alios ad peccandum, col. 1. E. 908
Angelus gubernans unum regnum non eſt neceſſe eſſe in qualibet parte illius, col. 2. A. 939
Angelus primus cur noluit ſubeſſe creatori, col. 2. C. 901
Angelus in aſina loquebatur, non autem ipſa, col. 1. B. 885
Anima humana glorificata quibus aſſimiletur, c. 1. E. cum ſeq. 314
Anima ſimul agens, & patiens, col. 1. E. 188
Anima prius quam corpus diligenda, col 2. B. 205
Anima movetur ad corpus, ut ipſum perficiat, non ut in eo quieſcat, col. 1. B. 335
Anima quare eſt in qualibet parte corporis, & angelus non, col. ſecunda, A. 913
Anima humana apud ſe, & in ſuo eſſe illæſa permanet deſtructo corpore toto, col. 1. A. 705
Anima humana ſecundum duas nobiles vires apprehenſivam, & motivam creata, ad duplicem perfectionem. col. 1. B. 1031
Anima quælibet cœlorum amat omnes intelligentias communiter, juxta differentias, & computationes perfectionum ipſarū, c. 2. F. 810
Anima humana harmonia ſecundum Philoſophum, col. 1. D. 803
Anima mundi compoſita ex numeris, & conſonantiis muſicalibus ſecundum Platonem, col. 1. B. ibid.
Anima noſtra in intelligentia à qua creata eſt, an habeat fixum intellectum, col. 1. C. 811
Anima humana Deum habet ſponſum, col. 1. B. 567
Anima Regina corporis, & imperatrix, col. 1. A. 797
Anima eſt in corpore, ſicut Rex in regno, col. 2. A. 945
Sed Plato dixit eam in caput ſedem habere: Ariſtot. verò in corde, col. 2. B. ibid.
Quo tamen modo ſit, & intelligatur, col. 1. D. ibid.
Anima humana totum corpus ſimul ingreditur, col. 2. H. 918
Anima corpori imperare poteſt per motum ſubitum, non autem tempore, col. 2. B. 719
Anima brutalis, & vegetativa eſt forma materialis. col. 1. B. 331
Anima ſponſa Dei dicitur, col. 1 E. 62
Anima una totum corpus vivificat, col. 1. H. 798
Animam in vaſe eſſe quid ſit, col. 2. G. 280
Anima noſtra qualiter cadat in corpus, col. 2. D. 271
Anima quomodo diſtat à Deo, col. 1. D. 72

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Anima humana qualiter ſit in corpore, & in qualibet eius parte, ut nec tangat illud, nec è contra col. 1. A 643
Anima humana non implet ea, quæ non vivunt in corporibus humanis. columna 1. H. 918
Anima à vitijs per infirmitatem corporalem ſobria effecta, quid ſignificet. columna 1. G. 314
Anima humana impartibilis eſt. col. 1. E. 274
Anima Chriſti corpus ejus exhibet quocunque vult. col. 2. B. 443
Anima humana, an potentior ſit in motu proprij corporis quam anima volatilium. col. 2 C. 925
Et quid de animabus cœlorum juxa opinionem Plat. & Ariſt. ibid.
Anima vel homo propriè meretur apud Deum. col. 1. G. 718
Anima debet mactari cum gladio ſpirituali in oratione, vel meditatione. col 1 A cum ſequen. per totum. 197
Anima humana eſt fons naturalis vitæ col. 1. C. 715
Anima filij non poteſt eſſe ex anima patris. col. 2. H. 802
Anima noſtra, an mala faciat vel ne, vide pulchrum diſcurſum columna 1. H. cum ſeq per totum. 1032
Anima humana eſt media inter animas animales, & naturas angelicas columna 2. H. 312
Anima cauſa formalis corporis eſt. col 1. C. 82
Anima ita ſe habet ad corpus ſicut rex ad regnum. col. 2. B. 273
Anima quare à corpore trahatur. col. 1. D 273
Anima una novE cœlorũ an ſit, an vero plures. c. 2. G per tot. 798
Anima ſine corpore non eſt perfectè beata. col. 1. D. 801
Anima peccatrix qualia loqui poſſit col 2. E. 670
Anima quælibet creatur in corpore ſuo, & ſimul eſſe in intelligentia agente. col. 2. B & C. 817
Anima beata eſt imago primæ hierarchiæ col. 1. H. 274
Immo etiam ſanctiſſimæ trinitatis. ibid.
Anima humana præſentiam ſui exhibet in omnibus corporis, cui conjuncta eſt col. 2. A. 445
Anima humana in medio voluptatum tanquã puella col. 1. C. 301
Anima humana multiplicẽ habet alligationẽ ad corpus c. 1. E 648
Anima noſtra ſi eſſet mortalis quæ abſurda ſequer. c. 1. C & D 129
Anima Chriſti potentiſſima omnium creaturarum. col. 1. H. 442
Anima cæleſtis non perficit corpora humana col 1. G. 822
Anima humana impoſſibile eſt eſſe localiter in loco corporali columna prima B. 647
Animal ſpoliata corpore, non ſpoliatur diſpoſitionibus ab ipſo corpore acquiſitis. col. 1. G. cum ſeq. 858
Anima omnis ſuum corpus amat col. 2. C. 85
Anima humana ſe ipſã movet per motũ velle vel nolle. c. 2. G 916
Anima humana quibus medijs venire debeat ad ſuam ultimam perfectionem. col. 1. H. cum ſeq. 116
Anima impartibilis eſt. col. 1. E. 422
Anima humana moveri poteſt naturaliter diverſis motib. c. 2. B 109
Anima mundi qualiter ignorare poſſit col 2. H 800
Anima nobilior & fortior corpore. col. 2. H. 262
Anima humana cui aſſimiletur col. 2 B. 77
Animarum deſcenſus per quem fiat modum. col. 1. E. 704
Animarum diſtantia quæ ſit. columna 1. D. 721
Animæ dæmonum in ſtatuis ſecundum opin. Mercurij. c. 2. A 85
Animæ creantur in corporibus ſuis. col. 2. B. ibid.
Animæ humanæ intellectiva ſpecul eſt om. intelligibil c. 2. H 116
Animæ primorum parentum an creatæ fuerint in perfectionibus naturalibus. col. 1. E. 282
Animæ noſtræ qualiter purgentur vitijs col 1 E. 996
Animæ noſtræ duas habent naturales inclinationes. col. 1. G 994
Animæ ſeparatæ à corporibus habent fortiorem vim imperativam columna 1 G. 916
Animæ à corpore ſeparatæ nihil patiuntur ex paſſionibus corporum columna 2. E. 914
Animæ rationalis capacitas. columna 2. H. 720
Animæ noſtræ in corporibus eſſe dicuntur in miſerrima ſervitute. columna prima B. 171
Animæ glorificatio à corporis glorificatione dependet columna 2. E. & F. 718
Animę omnino ſeparatæ viſione intellectiva tantum vident, quæ vident columna 2. G. 946
Et error eſt dicere, ipſas tantum univerſalia cognoſcere. ibid.
Animæ humanæ nobilior perfectio redit ad ſuũ creatorẽ c. 1. C 611
Animę rationalis proprium officium. col. 2 A. 77
Animæ noſtræ multiplices habent conſolationes per operationes ad quas utuntur corporibus. col. 1. E. 670
Animæ ad corpus conjunctionis tres ſunt modi. col. 1. F. 82
Animæ angelicæ quæ. col. 1. C. 869
Animæ beatæ qualiter ſuſtineant ſine dolore dilationem reſurrectionis corporum ſuorum col. 1. D. 731
Animæ noſtræ extra ſe quomodo apprehendant col. 1. E. & F 318
Animæ noſtrę limitæ ſunt in humanis corporibus. col. 1. H. 988
Animę ſolis in operationibus comparatio. col 2. F. 56
Animæ omnes ſeparatæ à corporibus plures ſunt, & non una cõtra Ariſt. & alios fol 817. col. 2. D. cum ſeq. per totum uſque ad fol. 880. & columna prima A 827
Animæ humanæ ultra modum diligunt habitare in cœlo empyreo columna 1. G 648
Animæ humanæ nobiliores animabus cœleſtibus. col. 2. H 718
Animę intellectivæ vis col. 1. E 102
Animæ noſtræ patiuntur à corporibus non per ſenſus exteriores, ſed ab intus. col. 1. E. 914
Animæ rationalis vis apprehenſiva habet ſponſam naturaliter veritatem col. 1. B 367
Animæ vera libertas eſt ſervire Deo. col 1. G 68
Animæ humanæ quid penitus ignorent: col. 2 E 702
Animæ noſtræ quomodo differant ab angelis. col. 2 D 805
Animæ noſtræ communicant paſſionib corporum. col. 2. B 117
Animæ noſtræ non ſunt propter corpora. col 2. F 169
Animæ immortalitas potiſſimum à ſenſu noſtro, & experientia probatur. col 1. C 129
Item authoritate ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum patrum & præcipue in dialogo Gregorij Papæ col 1 D ibid.
Sed inter philoſophos præcipuè ex authoritate Ariſt. c. 2. A ibid.
Petrus autem apoſtolus contra Simonẽ magum de quo in itinerario Clementis Papę multas rationes ponit. ibi. & col. 2. B 129
Sed magis propriè auctor ipſe multas rationes ponit: & ſigna & argumenta & col 2 F 130 cum ſeq.
Animę humanæ ab alijs ſubſtantijs ſpiritualib. non differunt, niſi naturali perfectione & imperfectione. col 1. C 969
Animæ noſtræ non ſunt locus ſive habitatio Angelorum, nec è contra. columna 1. G 918
Animę humanæ cum ſeparantur à corporib. non revertũtur ad intelligentiam agentem col. 2. C 825
Animæ defunctorũ ſuffragijs adjuvantur eccleſię, & col 2 F 678
Animæ humanæ mutabilitas non parieur aliquem ſui immutabiliter eſſe bonum vel malum. col. 1. D 677
Similiter miſericordia & juſtitia Dei. ibid.
Animæ noſtræ an receptibiles influentiarum ſecundum magis & minus ab intelligentia agente col. 1. C 825
Animæ à corporibus corrumpuntur, col 1. B 252
Animæ humanæ valde differunt ab omnibus ſubſtantijs ſeparatis. columna prima A & B 611
Animæ noſtræ ſolo imperio voluntatis movent ſpiritus vitales. columna ſecunda, E 914
Animæ humanæ ſimilitudo ad cogitationem capacitatis loci multorum angelorum col. 1. E 944
Animæ brutales impartibiles ſunt & diverſæ ſecundum ſpeciem. columna prima B 977
Animæ vires extenduntur extra corpus in quo ſunt, col 1. G 934
Animæ primorum parentum creatæ fuerunt perfectæ ſcientijs & virtutibus columna. 2 G. 864
Et non exiverunt à ſpecie ſua. col. 1. C 878
Animæ noſtrę in gloria intellectus an ſint viſuræ omnia ea quæ ſunt & eſſe poſſunt. col. 2. A 317
Animæ conjunctio ad corpus quid. col 1. A 273
Animę quomodo à ſubſtantijs abſtractis differant. col. 2. D 129
Animæ noſtræ deſiderium aſſimilari creatori. col. 2. F 814
Item intellectus & veritas ſe habent ad invicem per modum ſponſi, & ſponſæ col. 1. C 815
Animæ cœlorum in continua ſunt miſeria ex carentia impletionis deſiderij, quod habent ad ſe aſſimilandũ intelligentijs c. 2. F 812
Animæ rationales ſunt alterius generis quàm intelligentia agens. columna prima H 814
Animæ noſtræ habent liberam facultatem imitandi quaſcunque animas ſanctas, vel etiam angelos. col. 1. A 812
Animæ cœlorum non amant intelligentias propter ſe. col. 2. C 813
Et movent cœlos ſuos ex obedientia Dei altiſſimi. ibid.
Animæ humanæ aliquando amore perverſo capi & detineri, ut nil aliud cogitent quàm amara ſua. col. 1. 811
Animæ humanæ perfectiones inferiores ſubſtantijs abſtractis columna ſecunda E 1053
Animæ cœlorum non ſunt nec debent dici brutales. col. 2. D 978
Animæ virtutes per totum corpus diffuſę. col 1. B 805
Animæ noſtræ ex cognitione creaturis illuminantur. col 2. G 832
Animal ſuffocatum à beſtia quare non comedebatur col. 2. H 38
Animale noſtrum an peccet. col. 2. G 169
Animale noſtrum nullo modo eſt ſimile ſecundum eſſentiam animali bruto. col. 2. F ibid
Animale noſtrum ſicut equus umbratilis. col. 2. D. 299.
Animale jure naturæ debet eſſe omnino ſubditum ſpirituali. columna prima C. 123
Animale brutum nullo vinculo ſervitutis ſubjectum: ſecus vero in animali noſtro. col. 1. F. 162
Animalia infeſta diligendi modus. col. 2 E. 140
Animalia ferina an ſint diligenda tanquam donum Dei, an potius occidenda col. 1. H. 140
Animalia an propter indigentiam intendant alijs animalibus nocere, an vero ſibi prodeſſe, cum multis exemplis notatu dignis columna 2. H. cum ſeq. 618
Animalia diverſa quibus paſcantur. col 2. A. 645
Animalia quædam quare eligebantur. col. 1. H. 32
Animalium occiſiones variæ in ſacrificijs. col. 1 D 39
Animalium quorumdam virtutes mirabiles col 2. C 833
Animalium diverſorum officia & operationes c. 1. B cum ſeq. uſque per totum. 977
Animaliũ cõmixtio diverſi generis quare prohibebatur c. 2. C. 43
Animalium uſus in altera vita ceſſare col. 2 E 740
Item & eorum generatio. ibid.
Item & irreſurgibilia ſunt & irreparabiliter corrupta ibid
Animoſitas quæ col 1. E. 176
Annus aſtronomorum quis: col. 2. B. 707
Et quis annus magnus. ibid

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Anletis exemplum de humilitate, col. 1. B. 241
Antichriſtiani qui, col. 2. F. 211
Antiperpetuitas quæ, col. 2. E. 686
Antiqui cur juſſi adorare verſi ad occidentem, col. 2. A. 31
Aplanem quare ſic dicatur, col 2. B. 649
Apoſtata quis dicatur, col 2. D. 219
Apoſtoli verba, omnes naſci filios iræ, qualiter intelligantur, columna 1. A 279
Apoſt. ſentẽtia, quod ignorãs ignorabitur, qualiter intellig. c. 1 E 58
Apoſtolorum zelus qui, col. 1. B. 221
Apoſtolus quomodo diſſolvi optabat, col. 2. B. 202
Apparitiones ex ſolis imaginationibus, & fantaſijs fieri poſſunt. columna ſecunda, B. 877
Et de earum diverſitatibus ſecundum necromantiam, c. 1. G. 878
Et quot modis fieri dicantur ibid.
Apparitiones dæmonum in circulis necromanticis quot modis columna 2. A per totum. 1037
Apparitiones diverſæ ſpirituũ malorũ, c. 2. B cũ ſeq. per tot. 878
Etiam bonorum, col. 1. A. & B. cum ſeq. per totum, 879
Appetitus ad appetitum in magnitudine comparatio non datur fol. 52. col 1. E. idem in tempore. ibid.
Apprehenſio araneæ ſuper captione muſcæ à quo motu fiat, columna 1. G. 928
Apprehenſio in communione hominum non eſt niſi credulitas columna 2. F, & G 10
Apprehenſio quot modis intelligatur. col. 1. C 135
Apprehenſio & allocutio de amato eſt ſimilis flatui ad ignem corporalem augendo vel adjuvando, col 2 G. 119
Apprehẽſiones intelligibiles ipſius intellectus quæ ſint, c. 1. E. 922
Apprehenſiones circa quid verſentur, col. 1. A. 787
Et cauſæ ſunt generantes affectiones. ibid.
Apprehenſiva ex corruptione motivæ non ſemper obſcuratur, immo potius clarificantur: cũ multis exẽplis, c. 2. E cum ſeq. 1010
Apprehenſivæ & motivæ vires in ſubſtantijs abſtractis nobilibus fortiores ſunt quam in materiatis, col 1 G 1010
Appropinquatio ad creatorem elongatio eſt ab omni corruptione, & contagio, col 1. H. 716
Appropinquationes & applicationes ſubſtantiarum ſublimium ad animas noſtras qualiter fiant, col. 2. H 1002
Apulei opinio circa religionis ſcientiam colum. 1. D. 1
Aqua eſt omnium elementorum generationibus aptiſſimum elementum, col. 1. D. 633
Aqua ardens ignis vocata, quæ adeo capillos intingit, ut alia lucerna ad menſam neceſſaria non ſit, col. 1. F. 680
Aqua dulcis tribulationem ſignificat, ſed aqua ſalſa voluptates, columna 1. A. 253
Aqua quæ eſt inter terram & cœlum quietiſſimum quibus nominibus nominetur, col 2 H. & ſeq. 628
Aqua tribulationis quæ, col. 1. G 252
Aqua roſacea qualiter fiat, col 1. E. 80
Aqua baptiſmalis quibus aſſimiletur, col. 1. H. 418
Aquarum nomen equivocum eſt, col. 2 E. & F 644
Aquarum utilitates quæ ſunt ſuper firmamentum, quæ ſint columna 2. G per totum. 632
Aquarũ reſolutio & vaporatio fit ex operatione calorũ, c. 2. E. 634
Aquæ quomodo ſuper cœlos ſunt, col. 1 H. 644
Aquæ omnes an ſalubres ſint, vel ne, ex quibus probari poſſit, columna prima E. 658
Aquæ ſuper cœleſtes an fuerint reſervatæ propter diluvium futurum, valde erroneum eſt dicere, col. 1. D. 633
Aquę quæ ſub cœlo fuiſſe dicũtur, ad quid creatę fuerũt c. 1. G 668
Aquæ tribulationis operationes quę, col 1. A. cum ſeq. 253
Aquæ dulcis operatio quædam per quam tribulatio ſignificatur columna prima A. ibid.
Aquæ baptiſmalis operationis ſeptẽ quæ ſint, c. 2. B cum ſeq. 417
Aquæ baptiſmalis effectus qui, col. 1. F. 418
Aquilæ artificium mirabile & prudentia, col 2. C. cum ſeq. 977
Aranea an dicatur ſcire nere vel filare & alia facere, quæ facit, columna 1. H. cum ſeq. 790
Arca Noë quodã bitumine linita igni & ferro reſiſtente, c. 2. D 729
Arcus Dei & ſagittæ quid ſignificent. c. 2. B. cum ſeq. 403
Architecti imaginatio qualis, col. 2. H. 630
Arioli prohibiti, col. 1. A. 41
Ariſtoteles creditur habuiſſe ſpiritum familiarem de cœlo Veneris columna 2. D. 883
Ariſtotelis & Avicẽnæ error de æternitate mundi, c. 2. G & H. 690
Ariſtotelis rationes quibus credidit mundum æternum, col. 1. B. cum ſeq. per totum. 694
Cum reſponſionibus ad eas. ibid.
Ariſtotelis ſententia cum catholica doctrina concordat reprobata opinione Platonis, col 1. G. 280
Ariſt. opinio de tempore an ſit infinitum vel non, col. 2. A. 683
Ariſtotelis opinio de bono. col. 1. G. 110
Ariſtotelis ſententia de anima, col. 1. G. 814
Ariſtotelis & Avicennæ opinio de mundo. col. 2. C. 77
Ariſtotelis error, col. 1. G. 70
Arma & equi in viſionibus qualiter ſignificent pœnas peccatorum per arma commiſſorum, col. 1. E. 1068
Arma fidelium quę ſint, col. 2. D 597
Armatura neceſſaria fides dicitur, col 1. E. 4
Armatura virtutum tota eſt in ſpirituali noſtro, non autem in animali, columna 2. F. 300
Armatura virtutum quæ ſit, col 2. C. 297
Armaturæ Dei quæ ſint, & à te quando ei auferendę, ut victor efficiaris & ita ſalveris, col. 1. A. cum ſeq. per totum. 403
Armonię omnes & concentus delectabiles in futura ſunt gloria columna ſecunda G 718
Aromata quatuor ex quibus conficitur thymiama, quid ſignificẽt. columna 2. H 384 & col. 1. A. 385
Arrogantia quæ, col 1. A. 177
Ars divina non eſt limitata ad certum numerum creandorum, licet ſecus quoad genera & ſpecies & diſſimilia. col. 2. D. 615
Ars & ſcientia de ordinarijs dicitur, col. 2. G. 276
Ars & virtus quæ ſint, col. 2 D. 5
Ars dæmonum in fallacijs abſtruendis, col. 2. B 69
Ars eſt tanquam ſigillum principalis formæ, col. 1. B. 615
Ars Dei eſt verbum ipſius. col. 2. H. 616
Arſio & combuſtio fit per continuitatem, non autem ſubito, columna 1 H. & col. 1. E. 914
Artes mecanicę qualiter defẽſioni reipublicę deſerviãt, c. 2. A. 777
Articuli fidei apprehenſa dicuntur, col. 1 H. 11
Articuli fidei quotuplices ſint, col. 2. G. f 18. & col 1. E. 10
Articuli aliqui fidei mirabiles, col. 2. H 184
Articulos fidei quilibet credere tenetur, col 2. A. 12
Artifex omnis per artem operans neceſſe habet per verbum operari, columna 1. G. 614
Artifici credendum in ſua facultate, col. 2. B. 277
Artificia ſeu modi pugnandi contra tentationes contrarias, quibus virtutes utuntur, tria ſunt, col 2 G 108
Artificiũ quod ex inſtinctu naturę provenit, eſt majus, quàm quod ex arte, col. 1. H cum ſeq. 760
Aſcribi in civitatem Dei quid ſit. col 2. D. 415
Aſmodæus dæmon quare ligatus ab archangelo Raphaele fuit in deſerto ſuperioris Ægypti, col. 1. B 958
Aſperſio ſeptennaria quid ſignificabat. col. 1. A. 42
Aſperſoria ex Iſopo quid ſignificabant, col. 2. D. 48
Aſſentatio quæ, col. 1. E. 178
Aſſertio quid col. 1. B. 20
Aſtaroth Bartholomæo pręſenti loqui non poterat col 1 G. 484
Aſtris ſervire magis quam creatori, idolatriæ eſt. col. 1. E. 44
Aſtrorum cultus gentilium, col. 2. F 44
Aſtronomi qui columna 2. C 79
Aſtronomi & magi reprehenduntur, col. 2. H. 664
Aſtronomi ab auctore reprehenſi circa virtutes cœlorum & ſtellarum columna 1 A. 719
Aſtronomi & generiaſi ab auctore improbãtur, c. 2. F cũ ſeq. 274
Aſtronomia ſciri nõ poteſt ſine arithmetica & geometria c. 1. C 841
Aſtronomia judiciaria ab auctore allegata, col. 1. B 57
Aſtronomia judiciaria male ponit, planetas & alia corpora influere in animas noſtras, col 2 A 929
Aſtronomorum quorumdam deliramenta & judicia, c. 1. C cum ſequen. per totum. 615
Aſtronomorum opinio de fortunarum & infortuniorum diſpoſitionibus imprimendis in nobis, col. 1. E & col. 2. C 277
Aſtronomorum errores ponentium, imaginem fuſam ex ęre in ortu Saturni, ut hominem, loqui, col. 1 F 670
Immo nec ut ſpiritum, col. 2. ibid.
Aſtutia qualiter tanta remanſit in vi intellectiva primi Angeli, columna 1. A 905
Et an ejus uſu augeatur, B ibid.
Aſtutia maligniſſima dęmoniorũ per imagines, c. 1. E cũ ſeq. 672
Aſtutię in luctatione quot ſint, col. 2. C cum ſeq. per totum. 402
Aſtutiæ diaboli quæ & quot, col. 1. H & col. 2. cum ſeq. 302
Aſtutiæ diaboli in ſacrificijs, col. 1 B 19
Attritio quomodo differat à contritione, col. 2. H. 466
Attritio & omnis præparatio ad gratiã donum Dei eſt. c. 2. C 499
Avari verba deteſtanda, col 1 D 207
Avari & luxurioſi reprehenſibiles affectiones, c. 2. E 204
Avari mores & natura, col. 2. C 809
Avaritia quę, col. 1. H 48
Avaritia radix omnium malorum, 2. col. B 899
Et etiam de alijs rebus dicitur ultra pecuniam. ibid.
Et quomodo dicatur primũ peccatũ in cõparatione ſuperbiæ. ibid.
Avaritia quid ſit, col 2. F 1016
Et pervertit intellectum avari. ibid.
Avaritia avertit à creatore. col 1. E. 894
Avaritia proprie dicitur amor ſui privatus col. 1. F 322
Avaritia & ambitio dicitur etiam ſcientiæ, col. 2. E 268
Avaritiæ cœcitas miſeranda, col. 2. D 237
Avaritiæ effectus quis, col. 1. G 894
Avaritię peccatum curatur ex largitate ſibi contraria data omnium ęqualitate, col. 1. H 560
Avarus nullius amicus dicitur, col. 2. C 583
Avarus habere dicitur palatum aſininum, col. 2 B 587
Avarus proprie quis, col 1 E & F 894
Auctoris intẽtio in tractatu de univerſo, quę ſit, c. 2 B per tot. 593
Auctoris deſiderium de quo ſcribendo tractatum de animę humanę cognitione col. 2 H 1018
Auctoris opinio de muliere & viro ignoranter coëuntibus columna prima A cum ſeq. 59

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Auctoris tractatus ſingularis de octo beatitudinibus. col. 2. G 158
Audacia & animoſitas differunt col. 1 B. 177
Averſio ab incommutabili bono fuit primum peccatum actuale diaboli. col. 2. F. 892
Et quot modis dicatur col. 2. A. 895
Augaria ab auctore damnantur. col. 1. A. 759
Auguria ab antiquis obſervata. col. 1. D. & ſeq. 35
Auguſtini exclamatio. col 2. F & G. 320
Aviceembron quis fuerit col. 2 B. 121
Avicenna blaſphemus. col. 1. H. 54
Avicennæ error. ibid.
Auri minera non per ſe tantum, ſed ut ex ea aurum fiat. c. 2. A. 725
Auxilium divinum in reſiſtentia tentationis neceſſarium, c. 2. F. 306

B

Baculus paſtoralis quid ſignificet. col. 1. C. 225
Baculus Petri cuius fuit virtutis. col. 2. C. 419
Baptiſma unum cur dicatur. col. 1. A. 423
Baptiſmi virtus triplex per tria ſigna demonſtrata. col 1. F. 408
Baptiſmus flaminis quid. col 2. H. 45
Baptiſmus flaminis qualiter intelligatur. col. 1 E. 464
Baptiſmus cur non iteretur. col 2. H. 422
Baptiſmus incomparabiliter eſt magis quam pœnitentia. c. 1. C. 421
Barbariſmi & ſolleciſmi voluntarij quare non lædant grammaticam col. 2. B. 142
Baſiliſci ſerpentis aſpectus & habitudo ad naturam humanam qualis. col 2. D. 657
Beatitudo ſanctorum quæ & quot modis dicatur & quot nominibus nominetur, col 2. B cum ſeq. 313
Beatitudo virtutis intellectivæ quæ col. 2. H. 316
Bedæ expoſitio ſuper verbo prælio col. 1. H. 210
Bella etiam inter deos fieri. col. 1. G. 76
Bella per matrimonia pacificantur, col. 2. C. 567
Bellum contra quæ gerendum, col. 2. C. 831
Bellum carnis adverſus ſpiritum, col. 2. A. 521
Bellum quando iuſtum dicatur, col. 2. D. 27
Bene vivere eſt actus hominis proprius & nobiliſſimus. c. 1 E 124
Bene vivere quid col 2. A. 1
Benedicti exemplum imitandum. col. 2. H 184
Beneficentia venalis non eſt veri nominis. col. 1 A. 71
Beneficia Eccleſiaſtica ad quid data. col. 1. A. 351
Beneficia multa obtinentes monſtra dicuntur. col. 2. F. 284
Beneficia potiora quam ſint naturalia dona largitur creator hominibus, medio ſubſtantiarum nobilium col. 2. D. 913
Beneficiis Dei abutentes contra ſeipſos eius iuſtitiam provocant, col. 2 A. 771
Beneficiorum rememoratio facienda in oratione, columna 2 F. cum ſeq 38
Beneficium omne obligat receptorem erga datorem & ſecundum magis & minus, pro ut eſt ipſum beneficium, col. 1. C. 63
Benevolentia quid. col. 1. G. 566
Beſtia dicitur concupiſcentia carnalis, col. 1. A. 515
Beſtiæ unde dictæ ſint. col 2 A. 513
Beſtiæ proprietates quæ, col. 1 C. 441
Benignitas ſeu bonitas ſpiritui ſancto attribuitur. c. 1 F cũ ſeq. 124
Blaſphemate in creatorem dicitur qui aſſerit, planetas malos eſſe, col. 2. H. 634
Blaſphemia in Deum qualiter committatur, col. 1. H 15
Blaſphemia in cultu Dei diminuto, col. 2. C. 17
Blaſphemiæ in creatorem ſunt omni igne & gladio exterminandæ, col. 1. A. 781
Boetij opinio de mundo, col. 2. D. 77
Eiuſdem de bono, col. 1. A. 111
Bona gloriæ ſuper omnem proportionem ſunt maiora bonis naturæ & gratiæ, col. 1. A. 913
Bona ex dolore quæ ſint, col. 1. E. 764
Bona correctionis & retractationis dicuntur diſciplinalia, columna 1. E 768
Temporalia vero attractionis & allectionis. ibid.
Bona paupertatis quæ & quot, col. 1. F. cum ſeq. 236
Bona vel mala rerum humanarum non eſſe imputanda deorum gratiæ vel iræ, col. 1 B 81
Bona naturalia in diabolo non ſunt extincta, col. 1. A. 913
Bona pacis & belli quæ ſint, col 2. B. 777
Bona & mala à Deo ſolo proveniunt, col. 1. H. 681
Bona orationis quæ. col. 2 B. cum ſeq. per totum. 371
Bona paupertatis ſex, col. 1. E. 231
Boni qui dicantur, col. 1. A 111
Boni Chriſtiani imitatores Dei. col. 1. E. 710
Boni qualiter tot gaudia, & mali tot tormenta ſimul habebunt, col 2. B. 745
Boni homines cur dicantur, col 2. F. 970
Boni & mali cognitio non ſufficit perficere bonum vel malum col. 1. G 808
Bonitas & amor propriè ſpiritui ſancto attribuitur. col. 2. C. 971
Bonitas & bonus tripliciter dicitur, col. 1. D. 111
Bonitas quid ſit, col 2. E. 112
Bonitas & virtuoſitas naturalis dicuntur etiam de ſubſtantiis abſtractis, col. 1. E. 118
Bonitas abſoluta quem pariat effectum, col. 2. E. 148
Bonitas naturalis quæ & quæ gratuita, col. 2. A. 291
Bonitas Dei in creaturis, col 1. C 53
Bonitas Dei ſola fuit cauſa inductiva, ut per ipſum mundus crearetur, col. 2 F 694
Bonitas & malitia ſunt ſapores rerum ſpiritualium. c. 1. D. 114
Bonitas Dei tam bonis quam malis exercetur. col 2. E. 605
Bonitas etiam dulcedo cordis appellatur. col. 2. E. 172
Bonitas voluntatis in quatuor modis conſiſtit. col. 1. G. 138
Bonitas creatoris quid. col. 2. F. 970
Et quomodo intelligatur diffuſiva ſui ipſius. F. ibid.
Bonitas & benignitas differunt. col. 2 F. 172
Bonus vel malus an quis ſit dicendus, ſine alicuius teſtimonio. colum. 1 B 123
Bonum quid ſit ſecundum intentionem Ariſt. col 2. G. 110
Bonum & malum quid ſint col 2. B. 169
Bonũ ſimpliciter poteſt eſſe malum alicui per accidens. col. 2. G 884
Bonum diligere eſt naturale. col. 2 C 119
Bonum & malum ad unum genus reducuntur ſecundum communes ipſorum intentiones. col. 2. F B 605
Bonum & malum verè non ſunt contraria. col prima H. 844
Bruta ex neceſſitate paſſionum feruntur col. 2 H 120
Brutorum exempla varia ad probandam Dei providentiam. 2. D. cum ſeq. 757
Bucefalus equus Regis Alexandriæ alium ſeſſorem ſua exagitatione dejiciebat, & ſolum Regem ſuſtinebat col. 1. H. 194
Buffo unde dicatur. col 1. H. 90

C

Caducitas & deficientia non veniunt corpori humano naturaliter, ſed adventitiè. col. 1. A. 557
Caius Cæſar in templo domini, quod erat in Hieruſalem ſibi ſtatuam erigi fecit, ut pro Deo coleretur. col. 1. G. 66
Caliditas quomodo afficiatur col. 1. H. 146
Calor vitalis in ſacramẽto Euchariſtię quid ſignificet. col. 2. D. 419
Campanarum ſonitus arcet fulgura col 1. B. 87
Campi eliſij qui ſecundum poetas col. 1. D. 675
Candelabri forma col 2. C. 31
Canes interdum mortui ſunt ob mortem domini ſui c. 2. E. 90
Canes habent linguas medicinales, licet detractoribus comparentur. col 2. E. 506
Canis ad vomitum reverſus quis, col. 2. G. 284
Canis amor, & fidelitas, col. 1. E. 976
Canis natura quæ & ad quid creatus, col 1. A. cum ſeq. 661
Canna & calamus quid ſignificet; col. 2. E 1064
Canonicæ injunctiones quare ſint magis pœnæ ad correctionem peccantium ſtatutæ quam ſatisfactiones ſacramentales, col. 2. H. cum ſeq 508
Cantio canticum, & cantilena ſunt pars perfectionis orationis, col. 2. H. 180
Capacitas animæ humanæ multarum virtutum oſtendit loci capacitatem multorum angelorum, col 1 E 944
Capricornus quare nobilioris virtutis quam aries. col. 1. H. 810
Caput in homine ſecundum Platonem quid ſignificet, c. 2. B. 801
Carbunculus in fronte draconis cuius ſit virtutis col 2. D 731
Carentia viſionis Dei ex carentia eſt gratiæ, col. 1. C. 279
Carentia miſeriæ æternæ, nec pars eſt veræ felicitatis, col. 2. F. 312
Carnales voluptates quibus deſipiunt. col. 1. H. 522
Carnalis quis ſit, col. 2. A. 97
Carnis voluptas in conjugibus, an peccatum inducat, col. 2. C. 165
Caro Chriſti quot modis dicatur, col 2. E 440
Caro noſtra in eo quod caro inermis eſt penitus. col. 2. F. 300
Caſpiæ portæ quodam bitumine liniitæ fuerunt igni & ferro reſiſtente, col. 1. D. 255
Caſtigatio eſt ægritudo vel infirmitas, col. 1. D. 255
Caſtitas pars eſt prima temperantiæ, col. 2. H. 166
Caſtor animal unde dicatur, col. 2 H. 494
Caſu evenientia cur ſint ſub providentia Dei, col. 1. H. 774
Caſus quid, col 1. F. 276
Caſus animarum in corpore quid ſit, col. 2. A 271
Caſus animarum, vel mors eſt, vel non longe à morte, c. 1. B 231
Caſus & temeritas quantum ad nos non autem ad creatorem conſideratur, col 2 C 755
Caſus primi angeli quare, col 2 H 854
Et profuit alijs ad humilitatem, col 2 H ibid.
Caſus & temeritas ſunt procul à ſapientia Dei, col 2 C 767
Caſus vel accidens non poteſt auferre bonitatem intrinſecam rei, columna prima A cum ſeq 655
Caſus primi angeli qualiter probetur, col 2 D cum ſeq 903
Et qualis fuit, col 1 G 904
Caſus quid & quot modis dicatur col 1 C cum ſeq 1015
Cauſalium nullus eſt ordo nec ſcientia, col 2 B & C 787
Et an quotidie cadant de ſubſtantiis abſtractis, & etiam creentur ubi multi damnantur errores, uſque ad fol. 1020. col. 1. per totum, & fol. 1027. col. 1. H. ibid.
Catechiſmus quid ſit, col. 2. D 425
Catholica fides certorum articulorum numero eſſe debet, c. 2. D 12
Cauſa prima nihil propter aliud operatur, ſed tantum propter ſe col 1. D. 65
Cauſa ſola inimpedibilis eſt colenda, col. 1. C. 81
Cauſæ pravationis primorum parentum qualis, c. 2. E. 908
Cauſa efficiens voluntariorum actuum quæ, col 2 F 276
Cauſa non exiſtens in poteſtate noſtra, nec eius pariter effectus,

Digitized by Google

col. 1. E. 750
Cauſa efficiens quæ.col 1. D. 161
Cauſatio per ſe, quid ſit, col 1. A. 827
Cauſæ eſſendi in loco quæ & quot ſint col. 2. F. 912
Quæ tamen in angelis locum non habent: & ob id in cœlis vel ſignis eſſe non poſſunt. ibid.
Cauſæ admirationis de caſu malignorum ſpirituum, quæ, col. 2. D. cum ſeq. 909
Cauſæ infinitę proportionabiles infinitos etiam proportionabiles patiuntur effectus, col.1.D. 63
Cauſæ variæ errorum impietatis, & ſacrarum perditiones, col.1. E. cum ſeq. 8
Cauſæ duæ quare furtum reſtituebatur in duplum in lege veteri, col. 1 E. 26
Cauſæ multitudinis mandatorum quæ, col.1 G. 24
Cauſæ immediatæ magis ſunt appropinquabiles virtuti intellectivæ ad res, quam aliæ col 1.C. 885
Cauſæ ſuis cauſatis non differunt, niſi ſecundum magis & minus col 2. C. 831
Cauſæ efficientis aggregatione, & omnium eam adjuvantium ex neceſſitate, an ſequatur effectus, c.1. C. uſque ad finem. 789
Cauſæ tres limitationis dæmonum, col.1 A, 925
Cauſæ & cauſata debent eſſe proportionalia, col.1. A. 623
Cauſæ ſecundæ quid ſint. col.1.D. 127
Cautela adhibenda contra duplicitates ſermonum. col 1. C. 781
Cæci cuiuſdam laudes, col.1. D. 1055
Cœli omnes mobiles ſunt proportionales, col 1.E. 804
Cœli empyrei nobiliores partes obtinebunt qui maioris gloriæ tunc erunt, col. 2. A. & ſeq. 648
Cœli contigui ſunt, ſed non ad ſe invicem colligantur. columna 2. G 798
Cœli an ſint animati, & an animæ eorum rationales col. 2 C. 805
Cœli empyrei plenitudo inhabitatio; & cætera quid ſint. c.1. C. 643
Cœli empyrei utilitates quæ, col 2. A. per totum. 629
Cœli novem ſimul creati, col. 2. E. 640
Et nobilitate inter ſe differunt, col. 2. F. ibid.
Cœli & elementa utrum ſimul & ſubito extiterint, an per generationem continuam, col 1. A. 625
Cœli indiviſibiles ſunt, col 1. F. 650
Cœli non animantur neque ornantur ab angelis. col. 2. F. 952
Cœli cardines quatuor, col. 1. D. 161
Cœlis an præpoſiti ſint ſpiritus, col 1.G. 76
Cœlorum inferiorum, ſeu ſeptem planetarum ſtabilitio eſt per motum eorum, qui habent obliquationem, & declinationem ad Auſtrum & Aquilonem, col. 2. G & H. 650
Cœlorum numerus qui ſunt inter cœlum ſtellatum & quatuor elementa ſeptenarius eſt, col. 2. H 652
Cœlum propter quid moveatur, col. 2 D. 627
Cœlum aplanon incognitum apud Philoſophos. col. 2. F. 646
Cœlum empyreum in inſtanti creatum. col. 2. F. 636
Cœlum ſtellarum fixarum eſt mobile, & multipliciter compoſitum, col. 2. A. 649
Cœlum ultimum habitaculum eſt beatorum ſpirituum, & corporum glorificatorum, col. 2 H 930
Cœlum ultimũ eſt bonus ultra novem mobiles cœlos, col 2. A 629
Cœlum medium ſimplex, & mobile eſt inter cœlum ſtellarum fixarum, & cœlum empyreum, col 2. A. 649
Cœlum eſſe habitationem angelorum quo ſenſu capiatur, columna 1. A. 941
Cœlum animal ſecundum Ariſt col. 2 .C. 727
Cœlum empyreum cui comparetur, col. 2. F. 648
Cœlum decimum, quod eſt empyreum à ſolis Chriſtianis cognitum, col. 1 B. 801
Cœlum primum an ſit creatum empyreum, an aliud. col. 1. D. fol 625 & col. 1. E 626
Cœlum & terra quomodo & quo ordine fuerunt creata, col. 1. cum ſeq. 629
Cœlum empyreum de utraque participat natura, col. 1. E. 935
Cœlum ultimum, quod eſt empyreum, ſimplex eſt, & quietum ac ſtabile, col. 1. D. 649
Cœlum ſtellarum, an ſit primum, vel ne, col. 2. C. 727
Celula imaginativæ quæ, col. 2. H, 814
Ceci benedicti viſiones, col. 1. B. 87
Cereris & Bacchi idolatria ad quid tendebat, col. 2 G. 44
Certimonialia relinquenda, col. 2. F. 23
Ceſſatio ſeu carentia à tentationibus quæ & quot mala pariat, col. 1. C. cum ſeq. 303
Chaos peccati magnum inter Deum & hominem erat, c. 2. E. 568
Character in baptiſmo imprimitur, col 2. D. 421
Characteres nihil ſignificant, col. 1. D. 89
Characteres quid ſint, col. 1. A. & B. ibid.
Charitas unctio chriſmatis dicitur, & fons bonorum, col. 2. E. & ſeq. 208
Et operit multitudinem peccatorum. ibid.
Et dedit nobis filium Dei litera. ibid.
Et fuit fideliſſimus nuncupatur. ibid.
Dicitur etiam numiſma Dei. ibid.
Immo debitum appellatur. ibid.
Et etiam vinculum. ibid.
Item funiculus triplex. ibid.
Et pleni juris domina dicitur. ibid.
Et ignis etiam appellatur col. 2. G. 210
Charitas quare vincatur ab omni quantumvis modica cupiditate, & luxuria, & alia contrarietate, col. 1. B. cum ſeq. 142
Charitas quot nominationibus vocetur. fol. 203. col. 1. D. uſque ad fol. 210
Charitas tria offert ſacrificia, col. 1. F. 100
Charitas apud nos eſt magis accepta à Deo quam ſcientia c. 2. F 982
Charitas proprium ſignaculum ſpiritus ſancti, ſapientia filij, potentia patris, col. 2. C. 978
Charitas eſt radix merendi, & ideo remuneranda. col. 2 B. 319
Et omnium virtutum eſt vita. ibid.
Charitas erga proximum, quæ & qualis eſſe debeat. col. 1. B. 205
Et communicatio ſancti ſpiritus eſt col 2. C. 205
Charitas ſola eſt virtus eſſentialis: cæterę autem accidentales, & relativæ col. 1. E. 160
Cuius laudes infinitæ. ibid.
Charitas ſapientia, & potentia cur ſint ita ordinatim poſitæ. col. 1. D. cum ſeq. 978
Charitas oleum quoddam dicitur col. 1. H. 208
Charitas & amor ſæculi non ſe compatiuntur. col. 1. H. 204
Charitas quando dicatur eſſe in ultima perfectione. col. 2. A. 121
Charitas eſt donum Dei maius. col. 2. E & F. 410
Charitas vita omnium virtutum. col. 2. B. 319
Charitas Dei quæ. col. 1. D. 203
Et tribus de cauſis gratia dicitur. ibid.
Charitas adeps animarum eſt col. 1. A. 441
Charitas Dei, & proximi una eſt. col. 2. F. 346
Charitatis laudes multæ col. 1 F cum ſeq. 208
Charitatis laudes provi & gratia quę col. 2. C. 203
Sed provt eſt charitas ex tribus cauſis ſunt. col. 2. D. ibid.
Charitatis effectus qui col. 1. G. & H. 206
Charitatis officium interdum ſubtrahendum. col. 2. B & C. 205
Charitatis rivuli qui col. 1. H 100
Charitatis funiculus triplex col 1. E. 210
Cataractæ quando intelligantur apertæ. col 2. D. 638
Cherubin aliquæ illuſtrationes ſapientię non communes cum ſeraphin. col 1. D. 981
Cherubin duo ſuper propitiatorium, col 2. F. 84
Chiliades quæ dicatur col. 2. A. 689
Choreæ & geſticulationes in gloria, an ſint. col. 2. B. 719
Choreæ, geſticulationes, & cantilenæ non conceduntur in altera vita. col 1. G. 746
Chriſti paſſio an omnibus indifferenter proſit. col. 2 B. cum ſeq. per totum. 569
Chriſtiano prohibitum eſt circumcidi col. 1. F. 20
Chriſtianus quid agere debeat in ſumendo corpore Chriſti. columna 1 H. 440
Chriſtus quare tria pro nobis officia ſuſcepit. col. 1. G. 415
Chriſtus oſtium dicitur. col. 2. D. 215
Et dextera patris. col. 1. E. 216
Et via, veritas, & vita. ibid.
Chriſtus advocatus eſt pro nobis. col 2. A. 435
Item & medicus B. ibid.
Et in forma humana panis eſt parvulorum D. ibid.
Chriſtus cur deſcendat in altare inter manus ſacerdotis, multæ afferuntur rationes. col. 2 B. 447
Chriſtus omnium patronus eſt. col. 1. C. 437
Chriſtus advocatus humani generis col. 2. B. 567
Chriſtus nihil impoſſibile præcepit col. 1 H. 286
Chriſtus per charitatem crucifixus col. 1. F. 210
Cibus in Sacramento Euchariſtiæ quid ſit. col. 2. A. 418
Et de eius effectu. ibid.
Cibus corporalis fallax eſt. col. 2. F. 440
Ciconiæ mirum exemplum de vindicatione adulterij, col. 1. A. 771
Cinamomum exemplum humilitatis eſt. col 1. F. 248
Cinis qualiter interpretetur. col. 1. D. 211
Circulatio & rotunditas quid ſignificet. col. 1. B. 985
Circulatio quæ & in quibus ſit rebus col. 1. D. 709
Et in totum inutilis eſt quoad ſtatum mundi, col. 2. E. 710
Circuli intentio quæ. col. 2. H. 984
Circulus in generationibus, & ſæculis, ut eadem omnia revertrentur ad priſtinum eorum eſſe nullo modo conceditur. columna prima E. 712
Circumciſio quid. col. 1. G. 33
Circumciſio noviſſima quid col. 2. D. 209
Circumciſio octava die fiebat. col. 2. F. 31
Circumciſio tollebat peccatum originale. col. 1. G. 24
Circumciſio manualiter tantum facta, quid operetur. col. 1. G. ibid.
Circumciſio ſoli generi Abrahæ impoſita. col. 2. E. ibid.
Circumciſionis cauſæ, & utilitates, col. 2. E. 33
Circumſtantiæ bonæ quomodo augent peccatum col. 2. B. 289
Civitas Dei qualis eſſe debeat, ut ſanctificata dicatur. fol. 409 col. 1. D cum ſeq. uſque ad fol. 412
Civitas angelorum non habet poteſtates, & magiſtratus. columna. 2 G. & H. 960
Civitas glorię quæ. col. 2. D. 723
Civitas bonorum quæ. col. 2. C. 413
Civitatis Dei acquiſitio, eſt perfectæ Juſtitiæ acquiſitio, columna prima G. & H. 412
Claves Eccleſiæ neceſſariæ ſunt in Sacramento pœnitentiæ, columna 1. H. 462

Clementia

Clementia unde dicatur, col. 2. C. 163
Clementia quæ & eius virtus. col. 1. D. 217
Clementia in oratione Dei allegãda eſt, col. 1. B. cum ſeq. 142
Coccus quid ſignificet col. 2. B. 41
Et quid bis tinctus. col. 2. A. 41
Clericatus & Epiſcopatus an ſint ordines. col. 2. E. 530
Cloacæ ſpirituales per Chriſtum purgatæ. col. 2. B. 215
Coitus ex ſuperfluitate tertiæ digeſtionis proveniens, c. 2. E. 52
Colligatio quid ſit col. 2. F 314
Communicantes plus ſe diligunt quam alij. col. 1. H. 448
Communicatio cum brutis in quo conſiſtat. col. 2. B. 33
Color quomodo ſit in corporibus glorificatis. col. 2. E. 730
Colores operimentorum tabernaculi col. 1. E. 12
Communio ſanctæ dilectionis & ſancta unitas quæ ſit, & quid operetur. col 2. G. 440
Communitas hominum unienda eſt in univerſali credendorum ſalutarium credulitate. col. 2. B. 12
Comparabile omne univocum eſt. col 2 G. 692
Comparatio gloriæ creatoris, & creaturarum, an aliqua ſit. columna 2. C. 917
Comparatio peccati ad peccatum, nec pœna ad pænam non datur. col. 1. G & H. 64
Comparatio vera & propria inter ſola univoca eſt. col. 2. B. 917
Comparatio de voluntate ad intellectum bona eſt. col. 1. F. 58
Comparatio lucernæ ad ius rei empiæ pulcherrima col. 1. B. 61
Comparatio æternitatis, & temporis quæ. col. 2 C 687
Comparationes ſecundum prius & poſterius non habent locum inter æternitatem, & tempus col 2. E. 692
Compaſſio poſt hanc vitam otioſa eſt, & inutilis. col. 1. H. 318
Compati quid ſit. col. 1. H. 212
Compenſatio qualiter fieri debeat col. 1. H. 564
Complexio multum confert ad operationes animarum noſtrarum col. 1. F. 1044
Compoſitum omne ſuis componentibus ex neceſſitate poſterius eſt, & omne mixtum ſimiliter. col. 1. A. 667
Compoſitum omne reſolvitur in ea ex quibus eſt compoſitum. col 2. G 708
Compunctio dicitur interior pænitudo. col. 1 D. 463
Conari ad gratiam qualiter intelligatur. col. 2. H. 456. & col. 1. 457
Cogitare ſine aſſenſu quid, col. 2. B. 5
Cogitare an ſit voluntarium, col. 1. C. ibid.
Cogitatio verbum intellectuale dicitur, col. 2. D. 613
Et eſt prima omnium operationum, & locutio intellectualis vocatur, col. 1 F. 614
Cogitationem volvere quid ſit, col. 1. e. 575
Cogitationes angelorũ ſunt à creatore limitatæ, col. 1. E. & F. 886
Cogitationes panis vitæ, quæ & quot ſint, col. 1. E. cum ſeq. 450
Cogitationes quot ſint, col. 2. C. 295
Cognitio actualis non eſt intellectu noſtro, niſi ſignum rei cognitæ, col. 1. G. 1018
Cognitio vera per ſimilitudinem habetur, col. 1. D. ibid.
Cognitio veſpertina & matutina quæ, col 1. H. 182
Cognitio ordine naturæ prior quam dilectio, col. 2. B. 969
Cognitio & fruitio ſunt conceſſiones ſpirituales, col. 2 D. 431
Cognitio Dei ſola, & enarratio laudum ipſius non perficit animas noſtras, col. 1. C. 593
Cognitio acquiſita per donum intellectus qualis, col. 1. A. 153
Cognitio naturalis dæmonum quomodo obſcurata fuit, col. 1 A. cum ſeq. per totum. 1019
Cognitio duplex, col. 1. B. 519
Cognitio ad intellectum pertinet, ibid.
Cognitio noſtra aſſimilatio quædam ab ipſa cognita, col. 2. B. 821
Cognitiones rerum in quo differant à cognitionibus ſubſtantiarum, col. 2. A. & B. 885
Cognominationes angelorum ex eorum officiis ſortitæ, c. 2. C. 965
Conceptio communis omnium animalium quæ ſit, col. 2. C. 57
Concluſio auctoris omnium quæ dixit in tractatu de univerſo uſque ad tertiam partem primæ partis, col. 2. C. cum ſeq. 753
Concomitantia virtutum, col. 2. D. 187
Concubinatum multiplicatio eſt contra naturæ legem, & impedit gentis ſuæ multiplicationem, col. 1. G. 524
Concubitus omnis illicitus eſt præter matrimonium, col. 1. G. 514
Concupiſcentia carnis qualiter deſtruatur, col. 1. C. 521
Concupiſcentia in carne reſiſtentia in ſpiritu eſt, col. 1. G. 304
Concupiſcentia qui ardent parum generare dicuntur, col. 1. F. 524
Concupiſcentia & deſiderium voluptatis donatura eſt tantum in brutis animalibus. col. 2. G. 522
Concupiſcentia carnis diffuſa eſt per totam corpus ſecundum diverſas ejus ſpecies, col. 1. A. 301
Concupiſcentia quid ſit, col. 1, A. 415
Concupiſcentiæ inconſtantia tranſmutãt omnẽ ſenſum, c 1 G. 1016
Concupiſcere & concupiſcentiæ reſiſtere ſimul in inſtanti non ſunt col. 1. B. 305
Concupiſcibilis dæmonum an ſit ita depravata ut etiam in corporales voluntates inclinentur, col. 1. A. cum ſeq. 1017
Concupiſcibilis vis quot affectionum ſit ſuſceptibilis, c. 2. C. 171
Condignum quot modis accipiatur, col. 2. B. 513
Confeſſio an dividatur, col. 2. D. 492
Confeſſio quando ſit reiteranda, col. 1 G. 500
Confeſſio operimentum nominatur, col. 2. A. 467
Confeſſio pura & integra quid, col. 1. D. 491
Confeſſio differenda non eſt, col. 1. H. 498
Confeſſio quot modis ſeu nominibus nominetur, col. 1. F. 482
Confeſſio dæmonibus horrifica, col. 2. F. 244
Confeſſionis frequentia eſt valde ſalutaris; col. 1. F. 588
Confeſſor quid & quot agere debeat erga pænitentem, col. 1. B. 591
Confirmati dicuntur portæ regis cœlorum veſtigium, columna 1 A. 419
Confirmatio quot modis dicatur, col 2. E. per totum, 426
Confirmationis & baptiſmi differentia quæ, col. 1. C. 427
Confitens quid in generali debeat dicere coram ſacerdote, columna 1. H. 500
Confiteri contemnens injurioſus Deo efficitur, col 2. C. 459
Confiteri quare teneamur, & quid ſit, col. 2. C. cu n ſeq. 575
Confiteri quando quis non teneatur proprio ſacerdoti, c. 1, C. 457
Confortatio quid, col. 1. C. & col. 2. A. 201
Congelatio quid ſit, col. 1. A 633
Conjunctio animarum ad corpora ſua naturalis eſt, & diviſio contra naturam, col 2. A. 705
Conjunctio ad Deum fælicitas eſt, & gloria, col. 1. F. 722
Conjunctiones Dei, & animæ quæ, col. 1. C. 191
Conſcientia erronea quid ſit, col. 1. H. 290
Conſcientia erronea, an, & quando, & quomodo peccatum faciat, col 1. C. 291
Conſcientia ubi non errat, duobus modis peccatur; ſed ubi errat, uno tantum, col. 1. C. ibid.
Conſcientia domus animę eſt, col. 1. D. 519
Conſcientiæ contemptus, & negligentia dicitur unum malum per ſe, col. 1 C. 291
Conſilij utilitas quæ, col 1 H. 154
Conſilium auctoris de monachi obedientia, col. 2. D. 165
Conſilium ſalubre auctoris, col. 2. G 318
Conſtantia & perſeverantia idem, col. 2. F. 157
Conſtellationes quæ, col. 2 H. 56
Conſtellationum ratio & diſcurſus, col 2. E. cum ſeq. 276
Conſolari quis dicatur, col. 1. A. 201
Conſolatio ægri in ore medici eſt, col. 2. B. 591
Conſolatio quid, col 2. F. 200
Conſuetudo probandi philoſophos per convitia. col. 2 G. 246
Conſuetudo Nubiorum reprobatur, col. 1. H. 91
Conſumptionem non pati ab alio minus quam facere conſumptionem, in cibo, col. 2. E. 52
Contactus quid, col. 1. G. 84
Contemptus divitiarum paupertas dicitur, col. 1. G. 216
Contentioſitas quæ, col 1. G. 176
Contiguitas differt à colligantia, col 2 G. 798
Contiguitas virtus in medicinis, col. 2. F. 804
Continuitas pars eſt fęlicitatis, col. 2. D. 51
Continuum omne in infinitas partes diviſibile eſt, col. 1 D. 915
Continuum omne, ejuſque partes infinitæ ſunt per curam, & providentiam Dei. col. 2. G. 756
Contra naturam eſſe vel ſupra naturam qualiter intelligatur, columna 1. D. 128
Contraria duo ſimul facere vel impoſſibilia nemo tenetur, columna 2. H 290
Contraria contrariis curantur. col. 1. B. 559
Contraria quæ, col. 2. E. 108
Contrarietas poſſibile eſt inveniri in virtutibus naturalibus, & conſuetudinalibus, col. 1. H. 64
Contrarietas veri nominis non eſt inter materiam & formam, columna 1 B. 851
Contrarietas quid ſit, col. 1. F 810
Contrariorum eadem eſt diſciplina, col. 1. G. 144
Contrariorum alterum ſi invenitur in natura univerſi, in eodem, & reliquum invenitur, col. 2. H. 668
Contrariorum alterum non poſſe ex altero, qualiter intelligatur, col 1. G 602
Contrariorum nullum eſt non ens, & nullum non enti contrarium, col. 2. A. 595
Contrarium ſuperveniens deſtruit contrarium ſuum ſubjectum, columna 1. D. 455
Contrarium quid dicatur, col. 2. A. 605
Contritio quid & quot modis intelligatur, & de differentia inter ipſam & confractionem, col. 2. G. cum ſeq. fol. 462
Contritio poteſt eſſe abſque motu pudoris, col. 1. B. 469
Contritio veteris eſt hominis mortificatio, col. 1. H. 470
Contumacia iram Dei provocat, col. 2. F. 458
Contumacia & pœnitentia, item remiſſio, & vindicatio, contraria ſunt, col. 2. A & B. 497
Contumax & pœnitens ſunt contrarii, col. 1. C. 453
Contumelia & blaſphemia in Deum quæ. col. 1. E. 15
Contumelioſitas quæ col. 2. H. 176
Converſatio noſtra quatuor habet partes. col. 1. H. 160
Convivarum cœleſtium multitudo col. 2. G. 514
Convivæ dapſilis officium col. 1. D. 765
Convivij cœleſtis laudes multæ enarrantur. col. 2. H. 446
Cooperatio ex libero arbitrio noſtro proveniens nec meritum eſt nec pars ipſius. col. 1. H. 512
Cooperatio noſtra ad gratiam multiplex eſt col. 1. A. 472
Cor animalis habet motum per ſe, ſed non alia membra ſolum,

Digitized by Google

2. H. 798
Cor obduratum cui comparetur col. 2. B. 471
Cor peccatoris imago eſt diaboli, col. 2. C. ibid.
Cordis motus diverſus à motibus aliorum membrorum, c. 2. H. 798
Cornu in ſermonibus prophetarum qualiter intelligatur, columna 2. D. 277
Corpora damnatorum immortalia ſunt, col. 2. C 719
Nec nutrimento indigent, & inconſumptibilia ſunt. ibid.
Corpora alia cedunt glorificatis, col. 1. D. 445
Corpora cæleſtia meliorationem ſuſcipient ex largitione divina, col. 2. B. 737
Corpora damnatorum qualiter non conſumantur ab igne infernali, col. 2. C. 681
Idem de lateribus quibuſdam dicendum. ibid.
Idem de quodam bitumine quo linita fuiſſe dicuntur arma Amazonum. ibid.
Corpora ſubjecta ſunt ſanctorum voluntati, col. 1. H. 422
Corpora cæleſtia quibus virtutibus dant formas hominibus, & cæteris animalibus col. 1 H 80
Corpora non glorificata cedunt in omnibus glorificatis, columna, 1. E 728
Et ſecum illa patiuntur H. ibid.
Corpora glorificata impalpabilia ſunt, col. 2. F. 736
Corpora glorificata cibo non indigent, col 2. D. cum ſeq. 727
Et cur ſpiritualia dicantur, ubi quatuor aſſignantur cauſæ, colum. 2. E. 728
Corpora cælorum motus habent naturales, col. 1. D. 825
Corpora parvulorum in ſtatu virilitatis reſurgent. col. 1. E. 740
Corpora ſolis & lunæ immutabilia, col 2. D. 53
Corpora glorificata, an luminoſa & colorata futura ſint, columna 1. F. 730
Corpora glorificata, an in toto cælo empyreo, an in parte habitabunt, & quę illa erit, col 2. E. 750
Et quo ordine, & qua decentia, col 1. A. 751
Corpora ad quid animabus data, col. 1. A. 715
Corpora nobiliora eſſe animabus, eſt contra ordinem naturæ; col. 2. D. 51
Corporales ſubſtantiæ à ſpiritualibus non dependentes ipſis nullo pacto adæquantur. col. 1. E. cum ſeq. 862
Corporales delitiæ faſtidium, ex ſui abundantia generant: ſpirituales vero non, col. 1. E. 722
Corporales afflictiones valent ad animarum expiationem, columna 1. H. 702
Corporalis commixtio non eſt de neceſſitate matrimonij, ſed potius medicamentum infirmitatis, col 1. F. 500
Corporalis afflictio multum valet ad impetrationes lachrimarum col 2. E. 352
Corporis voluptas omnino fugienda eſt. col. 1. D. 495
Corporis veſtimentum tres habere utilitates, col. 2. B. 115
Corporis clarificati dotes quatuor, col. 1. A. 53
Corporis Chriſti præſentiam non fieri per motum multiplicem & quare, col. 2. E. 424
Corporis humani vita ad ipſam animam, eſt ut inundatio ad fontem ſuum, col. 1. C 715
Corpus Chriſti in manu eius eſt, & ad eius beneplacitum, columna 1. A. 425
Corporum glorificatorum partes quæ, col. 2. C. 719
Corporum aſſumptio per angelos bonos qualis fuerit, col. 2. E. cum ſeq. 880
Corpus bruti animalis longe magis aggravat animam quam corpus humanum corruptum. col 2. B. 257
Corpus totaliter inſtrumentum eſt animæ humanæ, col. 1. G. 714
Corpus animalis quoad ſacramentum Euchariſtiæ cui comparetur, col 2. B. 411
Corpus Chriſti ſequitur voluntatem animæ imperantis. c 1. H. 424
Corpus occidi quando liceat. col. 1. A. cum ſeq. 27
Corpus totum unica perficitur anima, col. 2. H. 702
Corpus duobus contrariis motibus moveri nullo modo poteſt, columna 1. A. 651
Corpus, linea, & ſuperficies infinitum nullo modo recipiunt, col. 2. D. 699
Corpus omne finitum, col 1. H. 52
Corpus non poteſt pluribus locis eſſe, niſi ſucceſſive. col. 2. B. 425
Et quare. ibid.
Corpus humanum eſt naturale vas ad animam ſuſcipiendam, ſicut fons ad emanationem, col. 2 F. & G. 738
Corpus humanum quid, col. 1. D. 205
Corpus cauſa materialis dicitur, anima vero formalis, columna prima C. 81
Corpus Chriſti quare in infinitis altaribus ſimul à cœlo aſcendendo & deſcendendo fertur, col. 2. G. 444
Corpus noſtrum amicus infidelis, & proditor, col 2. H. 198
Corpus Chriſti locorum multitudinem recipit, col. 1. B. 444
Corpus illud, quod ex aquis ſupercœleſtibus factum dicitur, quare cœlum non eſt. col. 2. B. 645
Corpus non continet animam, nec è contra ad ſimilitudinem vaſis, col. 1. B. 939
Corpus glorificatum immortale dicitur, col. 1. A. 725
Corpus omne & corporeum ex neceſſitate finitum eſt, columna prima E. 618
Corpus à quibus nutriatur cibis, col. 1. B. 52
Corpus noſtrum domus eſt patens, col. 2. H. 300
Corpus omne quotuplex ſit, col. 1. D. 667
Corpus eſt organum operationum animæ, col. 1. E. 110
Corpus glorificatum animæ arbitrio ſervit, col. 2. D. 323
Corporibus glorificatis alia corpora non poſſunt reſiſtere, colum 1. F 84
Correctio quid, col. 2. D. 222
Correctio neceſſaria quibus aſſimiletur, col. 2. C 225
Correctionis modus adhibendus, col. 1. A. 225
Correlativa omnia æqualia ſunt, & omnis relatio ſui correlationi æqualis, col. 1. D. 729
Corrigendi modus, & ratio per tribulationem, col. 1 F. 254
Corvi ætas quæ, col. 2. C. 689
Corruptio originalis magnum impedimentum eſt dilectionis naturalis, col. 1. A. 129
Corruptio virtutis noſtræ appetitivæ interioris unde oriatur, col. 2. B. 555
Corruptio qualis, quæ vocatur originale peccatum, columna prima. C, 717
Corruptio quæ in carne eſt ex Deo eſſe dicitur, ſed non quæ in ſpiritu, col 2. C. 265
Corruptio quæ eſt ex parte corporum quæ ſit, col. 2. E. 268
Corruptionis tres lepræ quid ſignificent, col. 1. E. 42
Corruptio naturæ idolatriam induxit, col. 2. G. 84
Corruptio naturæ non tollit veſtigia primi parentis ante peccatum ad alta humiliari, col. 2. H. 68
Corruptio virium motivarum arguit corruptionem intellectus, col 1. H. cum ſeq 1016
Corruptio originalis eſt tota periculoſitas, col. 1. H. 316
Corruptio originalis eſt contra naturam animæ, col. 1. G. 266
Corruptionem originalem philoſophi & poëtæ non intellexerunt, col. 1 G. 330
Corruptiones noſtræ ex quibus proveniant, col. 2. C. 265
Corruptiones cordis, & animarum noſtrarum, quæ ſint, columna ſecunda C. 328
Creare proprium eſt creatoris, & non alij communicatur, columna 2. B 833
Creata prima, an ab æterno per verbum fuerint creata, & libera, col. 2. F. cum ſeq per totum. 614
Creatæ res ſuſceptibiles ſunt melioris ſtatus, col. 1. A. 737
Creatio angelorum ante creationem omnium corporum fuit, & ex amplitudine ſuæ immenſitatis, col. 2. D 941
Creatio novi cordis per contritionem efficitur, col. 2. A. 471
Creatio mundi ſublunaris non fuit ordinata ordine naturali & recto, col. 1. A. 667
Creatio & generatio quid ſint, col. 1. C. 625. & col. 2. F. 618
Creatio & operatio ſolum ſummi Dei, col 2. E. 829. & columna prima D. 85
Creatio & generatio non dicuntur ad accidentia. col. 2. B. 837.
Creationis intentio, ut quæ priora ſunt natura, intelligantur eſſe priora creatione, col 1. A. 625
Creationis nomen quot modis dicatur, col 2. D. cum ſeq. 833
Creatoris opera ſubita ſunt, non continua, col. 1. E. 954
Creator poteſt ad ſui libitum de ſpiritibus cujuſcumque ordinis Angelos ſuos facere, col. 1. C. 987
Creator ſolus intelligi poteſt ante, vel ultra æternitatem ipſam, col. 1. G. 688
Creator eſt ſibi ipſius ſpeculum & exemplum, in quo videt quidquid videt, col. 2. A. 687
Creator quid intendebat in creatione mundi, col. 2. H. 694
Creator eſt ſuper infinitum, & pluſquam infinitum, col. 1. D. 915
Creator in unaquaque eſt ſubſtantiarum, col. 2. D. 715
Creator eſt Paradiſus ſpiritualis beatorum. col. 2. G. 936
Et nulli creaturæ denegat dona ſua, col 2. F. 938
Creator cur deſtitit à creatione ſubſtantiarum nobilium, col. 2. G. cum ſeq. 85.
Creator cur Adam poſuit, & uxorem ejus in Paradiſo delitiarum, col. 2. A. 67
Creator factus fuit ſub lege, col. 1. D. 562
Creator dici non poteſt fons univerſi propriè per modum emanationis quoad creata contra opinionem aliquorum, columna 1. F. 612
Creator quomodo in creatione ſe habuerit ad univerſum & ſingula creata, variæ adducuntur opiniones, columna prima E. per totum. 612
Vera tamen opinio ponitur per Auctorem, columna ſecunda. E. per totum. ibid.
Aliter tamen tenet quoad eam partem univerſi primo creatam, col. 1. C. & D. 613
Creator ſolus dat eſſe rebus creatis, col. 2. A. 625
Et eſt proximus, ac præſentiſſimus unicuique eorum. ibid.
Creator an meliores potuerit creare res quam creaverit, columna ſecunda B. 617
Creator per intellectum in ſemetipſum nihil creavit, ſed tantum per intellectum extra ſeipſum, col. 1. A 621
Creator eſt ultimus finis totius ſapientialis, & divinalis magiſterij, col. 2. B. 593
Creator univerſa, & ſingula tam bona quam mala curat, col. 2. H. cum ſeq. 754

Creator cauſa eſt ſimpliciter, & æqualiter omnium ſicut eſt ſciens, & intelligens æqualiter omnia, col. 2. F. 611
Creator eſt locus proprius animarum, & Angelorum, col. 1 C. 941. & col. 2. D. 945
Creator immediatè, & mediatè regit omnia ab eo creata, columna prima B. 755
Creator incorporalis eſt in ultimo incorporalitatis, col 1. G 612
Creator eſt finis omnium rectarum intentionum, & operationum, col. 1. G. 812
Creator quando incipiat aliquid ſcire, & illud idem deſinat, columna prima A. 783
Creator qualiter ſit unum hoc numero demonſtrabile, & intelligibile, col. 2. A. 919
Creator eſt in ſe ipſo, velut mundus intelligibilis, & ſpeculum lucidiſſimum, col. 1. G. 816
Creatorem aliquid ſciviſſe, vel providiſſe, quomodo probetur, col. 1. G. 780
Creatori qualiter poſſibile ſit tantam rerum multitudinem, & diverſitatem curare, col. 1. G & col. 1. B. 777
Creatoris incomprehenſibilis virtus in mutationibus ſenſibilium in corporibus glorificatis, col 2. D. 737
Creatoris ad creaturam, an aliqua detur proportio, columna. 2. B. cum ſeq. 917
Creatoris verba quibus uſus fuit in creatione ſonant imperium, col. 1. H. & ſeq. 614
Creatoris domus repleta hominibus glorificatis, erit ſecundum ultimum decentię, & decoris proprij, col. 2. E & F. 714
Sic & de inferno dicendum ſecundum creatoris iuſtitiam. ibid.
Creatoris potentia eſt ſuper poſſibile ſimpliciter, non ſuper quoddam poſſibile, col. 2. E 616
Creatoris beneplacitum animabus beatis de reſurrectione corporum eſt notum, col. 1. A. 733
Creatoris intentio in largitione munerum, quæ ſit, columna prima F 726
Creatoris verbo mortui reſurgent, col. 2. B. 733
Creatoris intentio in creando res quæ ſit, col. 2. H. 702
Creatoris verba, fiat lux &c. qualiter intelligantur, col. 2. A. 613
Creatum primum, an ex neceſſitate fuerit unicum ſecundum doctrinam Peripateticorum, col. 2 G 612
Creatura omnis ipſa bonitatis, & pulchritudinis conſideratione amabilis eſt, col 1. G 950
Creaturæ alicui, quicquid boni eſſe poteſt ex ſuo ibi totum illud eſt Angelis, col. 2. H. 942
Credenda de Deo quotuplicia ſunt, col. 2. G. 13
Credenda neceſſario quæ ſint, col. 2. H. 4
Credere dupliciter dicitur, col. 1. cum ſeq. 2
Credere improbabilia cuius ſit virtutis, col. 2. F. 2
Credere quando improbabile dicatur, col. 2. E. 2
Credere quid ſit, col. 2. C. 295
Credere apparentia non eſt virtutis, col. 1. E. & F. 4
Credulitas qualiter eſſe debeat, col. 2 D. 17
Credulitas contradicens communi fidei error eſſe dicitur, columna ſecunda G. 16
Credulitas rerum divinalium communis eſt, ſicut & communis eſt veritas, col. 2. F. & G. 16
Credulitas nimia non excuſat, ſicut nec ignorantia, col 2. H. 18
Credulitas religioſa una, & de certis articulis dicitur, columna ſecunda G. 18
Credulitas qualiter dicatur religio intellectus, col. 2. ibid.
Credulitas quęcumque fidei nomine non continetur, col. 2. D. 1
Credulitas ex probationibus orta non dicitur virtus, columna prima B. 5
Credulitas divinæ providentiæ multas affert utilitates, columna ſecunda D 775
Cruciatus dæmonum ſunt pœnæ ſpiritualeſ, & tormenta graviſſima, col. 2. C 1047
Crucis laudes & ſignificationes, col. 2. B. & C. 213
Crudeles qui dicantur, col 2. H fol. 175. & col. 2. H. 176
Culpa vel laus in ſubſtantiis rationalibus locum non habet niſi per liberam voluntatem, col. 2. B. 957
Culpa animarum expianda in corporibus, quæ ſit, col. 2. E. 704
Culpa de ordine naturæ debet præcedere pœnam, col. 2. C. 755
Culpa propriè quæ dicatur, col. 2. E. 278
Culter lapideus in circumciſione, col. 2. H. 33
Cultores ignis quid faciebant, col. 2. G. 43
Cultura idolis quot modis impendebatur, col. 2. H. 82
Culturam deorum inutilem fuiſſe, col. 2. A. 75
Cultus Dei uſque ad ſacerdotiú Chriſti diminutus fuit. c. 2. A. 417
Cultus Dei eſt ad cumulum perfectionis humani generis. c. 1. A. 411
Et quo ſublato remanet vita hominis vitioſa, col. 2. B. ibid.
Cultus divini tres eſſe intentiones dicuntur, col. 1. D. 417
Cultus Dei, & lex ſuperiores ſunt, & fortiores ſole & luna, columna prima C. 55
Cultus Dei eſt omnium gentium, col. 1. G. 532
Et quot ſint eius partes H. ibid.
Cultus ſtellarum ex Dæmonum ſuggeſtione provenit, col. 1. D. 663
Cultus perfecti decoris in Chriſtiana eccleſia, col. 1. H. 102
Cultus Dei nunquam deſuit bonis, & malis, col. 1. D. 96
Cultus Deo debitus communis eſt, & ab omnibus exhibendus, col. 2. F. 10
Cupiditas omnis non eſt mortale peccatum, col. 2. A. & B. 165
Curare quot modis dicatur, col. 2 A. 773
Et quomodo intelligatur Deus curare numerum muſcarum, quæ devorantur, col. 1. E. 774
Curioſitas quid, col. 2. E. 594. & col. 1. E. 70
Curioſitas pia quæ, col 2. H. 190
Curioſitas prima eſt impugnatrix virtutis rationalis, & apprehenſivæ. ibid.
Curvitas duplex, col. 1. F. 558
Curvitas dilectionis quæ, col. 1. D. 321
Cuſtodia à Deo nobis data quæ ſit, col. 1. E. 298
Cuſtodia & gubernatio, quæ ab Angelis nobis præſtatur, ex quibus probetur, col. 2. G. cum ſeq. 1008
Et quot modis præſtetur, col. 2. D. 1011
Cypri inſula inhabitata à filijs incuborum dæmonum, columna prima H. 1070

D

Damnati dolores omnes ſimul in inferno patientur, columna ſecunda G. 700
Dan & Bethel quid ſignificent, col. 2. D. 181
Dare quid ſit, col. 2. C. 125
Dare & recipere contraria ſunt, col. 1. E. 412
Data bona ſpiritualium ſunt fortiora quàm temporalium, columna prima G. 6
David patiens fuit, col. 1. H. 156
David aliquibus in locis declaratur, col. 1. D. cum ſeq. 47
Davidis copula de Berſabee quid ſignificet, col. 2. G. 48
Deambulatio propter videndos amicos, aut aliqua delectabilia, eſt ſignum imperfectæ fœlicitatis, columna ſecunda B. cum ſequent. 243
Debitum primæ tranſgreſſionis nulla creatura ſolvere potuit, col. 2. A. 561
Declinatio à rectitudine eſt contra naturam, & morem, columna ſecunda B. 557
Decor & ornatus civitatis ex quibus conſiſtat, col. 2. B. 751
Decor domus Dei mirabilis eſt, col. 1. H. 102
Decor quando inveniatur in animabus humanis, col. 1. D. 115
Decor animarum quis, col. 1. A. 719
Dedicatio eccleſiæ quid, col. 1. D. 101
Defectus & defectibilitas neceſſe eſt, ut ſit in rebus non perſeverantibus in eſſe, col. 1. A. 715
Defectus defenſionis, an ſit ex defectu gratiæ, col. 1. G. 170
Defenſio quæ nobis ab angelis impenditur quot modis ſit, col. 2. B cum ſeq. 1007
Deiector Deorum quis, col. 2. G. 78
Delectabile primum & ſecundum quid ſit, col. 2. G. 60
Delectari in Domino & ei ſubditum eſſe orationem valde adiuvant, col. 2. F. 174
Delectatio quid ſit fol. 51. col. 2. A. & col. 2. H. 318
Delectatio ſpiritualis ex coniugalis debiti redditione, columna prima B. 521
Delectatio guſtabilis ſpiritualis, an ſit aliud quam delectatio amoris, col. 1. E & ſeq. 146
Delectatio quæ ſola beatitudinis nomine digna eſt, quæ ſit, col. 2. C. 671
Delectatio in eo quod quis non amat, nulla eſt, col 1. B. 55
Delectationes præteritæ amaræ pœnitentibus, columna ſecunda G. & H. 186
Delfinis gratitudo, col. 1. G. 118.
Deliramenta Hebreorum circa lignum vitę, col. 1. H. 676
Deliramenta Machometi enarrantur, col. 2. C. 49
Deliramenta melanchonicorum multa narrantur, col. 2. G. 615
Delitiæ corporales quare fugiendæ ſint, col. 2. D. 735
Delitiæ corporales valde noxiæ animabus humanis, col. 2. A. 678
Delitiæ corporales ardenti amore non habitę diliguntur, ſed poſtea obtentæ ſua ſacietate amorę ſui minuunt, col. 1. C. & D. 715
Delitiæ naturales quæ vocentur, col. 1. H. 6
Dæmones nullam habent poteſtatem in divitijs, columna 1. E. cum ſeq. 1038
Dæmones in corporibus certo modo loqui poſſe, col. 2. E. 86
Dæmones quomodo lapides imperando iaciant, col. 1 G. 814
Dæmones, an habeant poteſtatem torquendi homines in inferno damnatos, col. 1. G. 1036
Et quibus modis, & tormentis, col 1. cum ſequent. 1040
Dæmones contremiſcere qualiter intelligatur, col. 1. H. 1020
Dæmones pacem, an inter ſe habeant, col. 1. G. 1044
Et an inferiores ſuperioribus pacificè obediant, col. 2. H. ibid.
Et quomodo inter ſe ſint pacati, & obediant principi ſuo, columna prima A. 1045
Dæmones ſuperiores qua poteſtate ſubiiciant ſibi minores, col. 2. D. cum ſeq. 1045
Idem in angelis ſuper dæmones, col. 2. E. 1048
Dæmones, an de malis hominum, vel alijs quibuſcumque gaudere poſſint, col. 1. C. 1021
Et an dolores eis augeantur de bonis. ibid.
Dæmones habitant in parte inferiore aëris uſque ad diem iudicij, fol. 924. col 1. H. & 947. col. 1. B. & 948. col. 2. F.
Dæmones cur permittuntur hominibus propinquare, col. 1. C. cum ſequent. 1013
Dæmones quomodo veris pœnis corporalibus, & ſpiritualibus

Digitized by Google

torquentur, col. 1. C. cum ſeq. 104
Dæmones an gaudere poſſint vel ne, col. 2. H. 912
Dæmones in idolis reſponſa dabant idolatris col. 1. H. 65
Dæmonum ſcientia, & aſtutia augeri poteſt, contra Ariſt. columna ſecunda A. cum ſeq. 911
Dæmones non aſſumunt vera corpora, col. 2. F. 876
Dæmones incubi, & ſuccubi cur tam infeſti ſint viris, & mulieribus, col. 1. E 1018
Dęmones qui ſecundum Mercurium, col. 2. A. 85
Dæmones corruptiores animarum dicuntur, col. 1. D. 301
Dæmones quare quærant ſibi honores, col. 2. B. 1035
Dęmones inimici generi humano, col. 1. D. 665
Dæmones per modum exercitus apparentes cujuſmodi ſint, columna ſecunda B. 1065
Et in forma etiam mortuorũ hominum, col. 1. C. cum ſeq. 1067
Dæmones incubi, & ſuccubi reperiuntur, col. 1. cum ſeq. 1070
Dæmones quomodo ſubditi ſunt Angelis, & ſanctis viris, columna prima C. 967
Dæmonia à multis modis nocendi humano generi prohibita ſunt, columna prima H. 1000
Dæmonum poteſtas qualis, fol. 1023. & 1014 & 1025 per tot.
Dęmonum diffinitio ſecundum Apuleium reprobata, col. 2 B. 875
Dæmonum nominationes quomodo ſumptæ à malignitate eorumdem operum, col. 2. B. 1016
Dęmonum differentiæ, & ordines quæ, col. 2. H. 1022. & ſeq.
Demonſtratio de quibus ſit rebus, col. 2. A. 859
Denominationes duę noviter additę ordini Cherubim, & Seraphin, quæ, col. 1. C. 983
Immò & cæteris ordinibus communis, col. 2. B. ibid.
Denominationes varię trium ordinum primæ hierarchiæ, quę, columna 2. G. cum ſeq. 984
Denominationes hominum, vel locorum à quibus fiant, columna prima A. 967
Denominationes aliquę communes Deo & angelis, colum 1. D. cum ſeq. per totum, 972
Denominationes rerum mundi non ſunt per ſimilitudinem, ſed per veritatem, contra Platonem, col. 2. B. & ſeq 855
Denſitas & groſſities ſunt ignobilitates, deformitates in corporibus, col. 1. F. 600
Dentes diaboli, qui, col. 1 H. 250
Dentes canini detractores ſignificant, col. 1. H. ibid.
Depravatio virium apprehenſivarum ex depravatione virium motivarum provenit, col. 1. H. 1016
Deprecatio quid, col. 2. A. 14
Deſiderans in tempus non affligitur illo deſiderio ante tempus, colum. 2. A. 711
Deſideria naturalia finita ſunt, col. 1 G. 312
Deſideria cum delitijs creſcunt, col. 1. C. 51
Deſideria propria animæ humanæ quæ, col. 1. D. 351
Deſideria carnalia vincula appellari, col. 2. H. 52
Deſiderij omnis quies in Deo eſt, col. 1. G. 712
Deſiderij impletio naturalis eſſe dicitur, col. 1. C. 705
Deſiderium animarum quale, col. 2. B. 701. & col. 1. E. 702
Deſiderium uniuſcujuſque animarum cæleſtium eſt, ſicut fames validiſſima col. 2. G. & H. 812
Deſiderium animarum cœleſtiũ ad renovationem ſituum, vel continuationem renovationum, quid habeat utilitatis. col. 1. B. 813
Deſiderium incorporandi quatenus naturale ſit, non eſt peccatum, col. 2. D. 715
Deſiderium ex quo generetur, col. 1. E. 120
Deſiderium ubi quieſcit, ibi amoris plenitudo deprehenditur, col. 1. D. 715
Deſiderium & petitio quot modis inter ſe differant, col. 1. C 1007
Deſiderium quid, col. 2. G. 174
Deſignatæ res, & intellectæ augent plerumque, & minuunt ſigna ſua, col. 2. D. 919
Deſignatione una, & finita deſignantur multa, & infinita, c. 2. B. 919
Deſtruere & expellere quid, col. 2. H. 464
Deæ fatales vaniſſimæ & dæmones ſunt, col. 2. E. 796
Dei providentia, & charitas erga nos, col. 1. H. 58
Dei beneficia erga nos infinita, col. 2. D. 497
Dei honoratio utilitas eſt animarum, atque perfectio, col. 1. H. 731
Dei bonitas quid operetur in dilectione, col. 1. F. 140
Dei beneficentia erga nos, col. 1. D. 497
Dei nomen incommunicabile, col. 2. E. 74
Dei genitium vani & ſtulti, col. 2. H. 796
Deitas non eſt in non intelligente, col. 2. D. 77
Deo quid deceat in eos qui nec pœnitent, nec emendari volunt, columna. 1. D. 65
Deo ſecundum tres vires adhærendum, col. 2. H cum ſeq. 892
Deo non ſimpliciter credere dicitur ei fieri injuria, col. 2. B. 5
Deo amore adhæremus, ſpe fulcimur, col. 2. A. 17
Deorum qualitates, & paſſiones quæ col. 1. C. & D. 79
Deorum victorum, quæ ratio habenda, col. 2. H. & ſeq. 76
Detractores ſunt intolerabiliores quam fures, col. 1. G. 506
Deum non exaudire eccleſiam impoſſibile eſt, col. 1. G. 558
Deum duabus ex cauſis bis patrem vocamus, col. 1. C. 111
Deum præſentiſſimum ac ſecretiſſimum quomodo intelligatur, col. 2. D. 317
Deum habitare in templis qualiter intelligatur, columna 2. A. cum ſeq. 647
Deus zelotes qualiter interpretetur col 1. C. 45
Deus amandus eſt ſupra nos col 2. G. 114
Deus ſolus omnia creavit, col. 1 G. 691
Et an aliquid potuiſſet creare ante creationem univerſi, columna 1. H. ibid.
Deus ſolo nutu juvat, col. 1. F. 78
Deus mirabilis in gratiæ largitione cognoſcitur, columna. 1. B. cum ſeq. 415
Deus quare creavit primum Angelum nobiliſſimum, & non plures, col. 1. G. 854
Deus quare diligatur amore gratuito, & ſupra naturam. col. 2. A. 135
Deus quomodo per luctam orationis vincatur, col. 2. H. cum ſeq. per totum. 402
Deus naturis particularibus prçcavet, columna ſecunda H. 774
Deus nihil facit ſine cauſa, col. 1 D. 765
Deus non negligit opus ſuum, col. 2. E. 460
Deus deſignabilis ſingulariter eſt, & verè intelligibilis, col. 1. G. 855
Deus per beneficia non autem propter ea eſt diligendus, col. 2. B. 128
Deus per eſſentiam eſt ubique, col 2. H. 920
Et qualiter dicatur totus in mundo, col. 1. D. 921
Et an ſit in ſe finita, col. 2. C. ibid.
Deus per quem modum ſit videndus ab animabus noſtris, col. 2. A. 117
Deus neceſſe habebat miſereri generi humano ſalva juſtitia, & juſtè agere cum eodem ſalva miſericordia, col. 2. B. 561
Deus animas prçcipuè curat, col. 2. D. 769
Deus gratis amandus, col. 2. C. 128
Deus ſolus potuit peccatum Adæ emendare, col 1. E. 560
Deus furti habet actionem adverſus hominem, col. 2 G. 174
Deus quos pœnitentes plenè poſſideat, col. 1. F. 592
Deus ad quid orandus ſit, col 1. C. cum ſeq. per totum. 388
Deus debitor ex promiſſione, col. 1. D. 313
Deus non mentitur, col. 1. F. 4
Deus verax eſt, & non mentitur. ibid.
Deus quare pro peccato primorum parentum, totam poſteritatem in damnatione mortis reliquit, col. 2. H. 558
Deus incomparabiliter magis diligendus, col. 2. C. 111
Deus eſt cauſa prima, col. 1. H. 612
Deus precioſa dicitur margarita, col. 1 H. 204
Deus univocè dicitur de duobus principiis, col. 2. C. 595
Deus obſes, & fidejuſſor humani generis, col. 1. D. 215
Item paſtor & tutor ſordium appellatur, col. 2. A. ibid.
Deus quid requirat à peccatore, col. 1. F. 352
Et perfectè miſeretur peccatori, col. 2. D. per totum. ibid.
Deus qualiter diligendus, col. 1. C. cum ſeq. 893
Deus cuncta videt ad nudum, col. 2. D. 767
Deus per verbum omnia non ſimul, ſed ordinatè creavit, columna prima D. 617
Deus quomodo ſit orandus, col. 2. G. 414
Deus plures mundos non potuit, nec poteſt adhuc creare, columna 2. C. 618
Deus charitas eſt, col. 2. G. 980
Deus neminem deſerit qui ei ſtudeat adhærere, col. 2. A. 59
Deus præceptor eſt charitatis, col 1. C. 209
Deus exemplar, & ſpeculum lucidiſſimum univerſorum, columna 1. A. 619
Deus habet curiam, & auditorium, col. 2. H. 460
Deus quædam per media, & quædam ſine medijs creavit, c. 1. G. 612
Deus ſe tractari ſinit ab immundo ſacerdote, col. 1. E. 516
Deus cur creavit quos malos futuros eſſe præſcivit, col. 2. F. 266
Deus ad nudum, & lucidum omnia videt, col. 1. C. 14
Deus eſt ſponſus naturalis animæ humanæ, col. 1. C. 567
Deus ſolus finis, & quies laborum eſt, col 2. C. 67
Deus quare laudavit importunitatem orandi in Evangelio Lucæ, col. 2. E. 373
Deus à nobis jure amatur, & timetur, col. 1. C. 165
Deus charitas eſt, & fons omnium virtutum, col. 1. H. 25
Diaboli terror, & metus quomodo, col. 2. C. 495
Diaboli inſidiæ, col 1. B. 19
Diabolo quomodo quis captivatur, col. 1. F. 304
Diabolus victus erubeſcit, col 2. G. 304
Diabolus fœnerator dicitur, col. 1. G. 294
Diabolus aliquando invenitur apparuiſſe in forma Domini Salvatoris, & etiam crucifixi, col 1. B. & C. 59
Diabolus hoſtis aſtutiſſimus, col. 1. F. 484
Diabolus quomodo peccavit in peccato ſuperbiæ, col. 1. H. cum ſeq. per totum. 900
Et qualiter præeſſe voluit, & non ſubeſſe, col. 1. B. cum ſeq. 901
Et unde hoc, col. 2. C. ibid.
Diaconorum tria officia, col 2. B. 538
Diamantis comparatio ad corporis glorificationem, col. 1. E. 738
Diana pro quibus colebatur, col. 1. A. 77
Diapaſon quid, col 2. D. 803
Dicere de aliquo ſimpliciter, & verè quid ſit, col. 2. H. 339
Dictio, totus, quid ſignificet, col. 2. B. 921

Didimi

Didimi philoſophi ritus. col. 1. C. 96
Dies & nox, item hora de quibus in principio Geneſis qualiter intelligantur. col. 1. E. cum ſeq. per totum. 618
Dies noſtri tanquam dies mercenarij dicuntur. colum. 2. F. 201
Differentia doli incidentis contractui, & dantis cauſam eidem, unde habuit originem. col. 2 F. 226
Difficultas ſe movendi ſecundum ſpiritum, oſtendit infirmitatem ipſius. col. 2. A. 161
Diffinitio hierarchiæ qualiter intelligatur. col. 1. H. per totum. 952
Difforitatio quid. col. 2. C. 201
Dignitas Sacramenti Euchariſtiæ, quæ. col. 2. A. 447
Dignitates & officia tribus cauſis inveniuntur, in univerſo. colum 1. G. 960
Dignitates & officia Angelorum non ſunt niſi propter homines, colum. 1. C. 963
Dignitates graduum, & ordinum an in Angelis ſint. columna ſecunda. C. 961
Dignitates, & præcellentiæ, an ſint naturales ſpiritualibus ſubſtantiis, an vero adventitiæ col. 2. D. 987
Dignitatum inter Angelos ejuſdem ſpeciei nulla diverſitas. col. 1. H. cum ſeq. 966
Dij Æneæ & Laban, qui. col. 2. D. 85
Dij fugati ex orbe. col. 1. D. 75
Dij equivocè dicuntur col 2. A. 801
Dij gentium ſubjecti paſſionibus humanis col. 2. G. 76
Dilapidatorum patrimonij Chriſti reprehenſio gravis c. 2. D. 219
Dilatio confeſſionis aliquando ex cauſa permittitur. col. 2. H. 498
Sine fructu tamen eſt periculoſa. col. 1. A. 499
Dilectio ex ſocietate cauſatur. col. 2. C. 979
Dilectio ex quibus augeatur. col. 2. H. 139
Dilectio una Dei & proximi eſt. col. 2. E. 138
Dilectio media inter dilectionem naturalem, & dilectionem gloriæ. col. 1. E. 116
Dilectio gratuita, an in infinitum ſit major dilectione naturali. col. 1. D. 185
Dilectio naturalis ad comparationem dilectionis gratuitę, dicitur eſſe dilectio ſecunda. col. 2. C. 185
Dilectio gratuita, & naturalis dicitur eſſe de perfectione virtutis. col. 2. D. 183
Dilectio gratiæ eſt per ſe ſola ſufficiens ad merendum. col. 1. D. 311
Dilectio gratiæ eſt major quàm dilectio naturæ. col. 1 B. 185
Dilectio naturalis erit cuique electorum in patria. col. 2. D. 111
Dilectio Dei univerſalis eſt. col. 1. H. 140
Dilectio gratuita major naturali. col 1. G. 184
Dilectio Dei erga genus humanum quæ. col. 1. G. 162
Dilectio Dei quid ſit. col. 1. G. 140
Dilectio & fides quando infirma dicatur. col. 2. C. 115
Dilectus filius unigenitus. col. 2. C. 569
Diligens ferventius non magis diligit quam alius. col. 2. F. 119
Diligere aliquem quot modis contingat. col. 1. G. 2
Diligere ſe ipſum quid, & quomodo. col. 2. B 125
Diligere ſe ipſum ſi nemo poſſet, quid abſurdi ſequeretur. columna prima H. 116
Diligere bonum inquantum bonum non eſt virtutis, & ideo nec meriti. col. 2. H. 134
Diminutio corporalium deſideriorum augmentatio eſt ſpiritualium. col. 1 B. 515
Diſcendi & dicentis intentio in duos dividitur ſtatus. col. 1. A. 781
Diſceptationes quandoque fiunt inter Angelos. col. 2. G. 972
Et an fiant coram Deo. H ibid.
Diſceptationum duo genera, col. 1 E. 486
Diſciplinæ utilitas quæ col. 2. A. 763
Diſcipuli tales dicuntur, qualis eſt doctina. col. 1. D. 219
Diſcolitas quæ col. 1. E. 198
Diſcrepantia inter Platonem, & Ariſtot. de anima, quæ. col. 2. D. cum ſeq. 1049
Diſpendia multa ex pudore oriri. col. 1. D. 489
Diſpenſator quis ſit. col. 1 E. 72
Diſpoſitio quotuplex. col. 2. D. 955
Diſpoſitio partibilis partibilitate continuitatis non poteſt eſſe diſpoſitio impartibilis. ibid.
Diſpoſitio omnis, & effectus cœli ſeorſum à poteſtate noſtra. columna prima. B. 665
Diſpoſitio omnium ſæculorum per Deum nutu ſuo ſit. c. 2. C. 777
Diſpoſitio impartibilis ſubito acquiritur. col. 2. C. 955
Secus ſi partibilis. ibid.
Diſpoſitio quæ requiratur ad infuſionem animę. col. 2. H. 872
Diſpoſitiones bonorum temporalium quæ. col. 2. D. & ſequen. 149
Diſpoſitiones corporis valde juvant orare volentes. col. 1. D. per totum. 365
Diſpoſitiones fortunatorum, & infortuniorum, ao imprimantur in hora nativitatis, & propter quid col. 1 A. 277
Diſpoſitiones gloriæ perpetuę ſunt. col 1. G. 962
Diſpoſitiones malæ virtutum nocivarum pervertunt virtutes apprehenſivas. col. 1. G. 1016
Diſſimilitudo & inæqualitas in individuis ejuſdem ſpeciei ooo eſt ab ipſa natura communi. col. 2. H. 862
Diſtantia quomodo inter potentiam, & actum naturaliter non eſt. col. 2. A. 865
Dives quid ſit, col. 2. D. 149
Divites an, & quando religioſi & prælati dicantur. columna prima. E cum ſeq. 214
Diverſitas ſecundum ſpeciem in ſubſtantiis abſtractis non invenitur. col. 2. F. 864
Diverſitates inter virtutes agentes, & paſſiones, & earum cauſa, quę. col. 2. H. cum ſeq. 914
Divinatio dæmonum quam vim habebat. col. 2. C. 69
Divinationes factæ per dæmones, quæ. col 1. C. cum ſequen. 1049
Divinitas per naturam ubique eſt. col 2 B. 441
Divinitatis favor nec ex loco nec tempore pendet. col. 2. B. 79
Divinitatis propria eſſentialiter quæ col. 2 H. 80
Divinus honor qui. col. 2. E. 74
Diviſio concupiſcentiæ non eſt diviſio vitiorum ſed rerum. columna prima. C. 283
Diviſiones in ſacris litteris quomodo intelligendæ. ibid.
Divitiarum multa mala. col. 2. C. 117
Divitiæ humilitatis quę. col 1. H. 246
Divitię cum labore acquiruntur, & cum dolore amittuntur. columna ſecunda. F. 233
Divitiæ veræ quæ dicantur. col. 1. E. 232
Divitiæ contemnendæ ſunt. col 2 F. 218
Divitię ſpirituales facilitet comparantur. col. 2. C. 207
Divitiæ onera ſunt graviſſima. col. 1. H. 494
Divitiæ pietatis, quæ col. 1. E. 212
Divortia quibus ex cauſis in lege veteri fieri permittebantur. col. 2. B. cum ſeq per totum. 527
Doctores ſunt in adjutorium ſacerdotalis officij, & ab initio non erant col. 1. B. & C. 459
Doctorum gradus varij. col. 2. B. 47
Doctrina & exemplum feneſtræ duæ ſunt. col. 1. B. 472
Doctrina cibus eſt intellectus. col. 2. B. 47
Doctrina ſtudium Chriſtianorum quale. col 1. C. 763
Doctrina prædicationis eſt ſacrificium mactationis. col. 2. G. 100
Doctrina & exemplum probant magiſtrum col 2. B. 441
Dolere plus debito, ao quis teneatur, & quid differat inter dolere actu, & habitu. col 2. F. 468
Doloris utilitates, quæ. col. 1. E. cum ſeq. 764
Dolor & gaudium, an ſint paſſiones animi, an etiam virtutes. col. 1. B. 178
Dolor & ira quomodo differant. col. 1. G. 155
Dolor aqua dicitur tribulationis. col 1. B. 765
Dolor extinguit omnem carnalem concupiſcentiam. col. 1. E. 764
Dolus incidens contractui, & dolus dans cauſam eidem, differunt, col. 2. F. 226
Dominus & ſubditus eadem fide ſibi tenentur, col. 2. G. 164
Dominus verus quis dicatur, col. 1. H. 604
Dominationes quare nominantur, col 2. A. 985
Domus regiæ ad domum creatoris valet exemplum, columna ſecunda D. 777
Domus Dei, Domus pietatis dicitur, col. 2. C. 215
Dona Gloriæ & virtutes in animabus glorificatis tanto majora ſunt, quanto ipſa gloria eſt major, quam gratia, columna ſecunda H. 936
Dona ſeptem ſpiritus ſancti, an dentur in ſacramento Confirmationis, col. 2. B. cum ſeq. 427
Dona ſeptem ſpiritus ſancti in petitione orationis Dominicæ repetiri, col. 2. F. 543
Dona creatoris quæ, col. 2. H. 726
Dona gratiarum & virtutes omnes requiſitæ ad neceſſitatem ſalutis ſine apprehenſione infunduntur in nobis, col. 1. D. 135
Dona virtutum, & gratiarũ facilè in nobis extinguũtur, c. 1. F. 298
Doni ſeu gratiæ inquantum eſt amor, virtutes, & laudes multæ col. 2. A. 207
Donum & donare quid, col. 1. F. 143
Donum conſilij ad quid neceſſarium, col 2. C. 168
Donum intellectus aſſimilatur ſpiritui prophetiæ, col. 2. H. 152
Donum ſcientiæ neceſſarium eſt, ad vitandas fallacias, & deceptiones, col. 2. E. 168
Donum fortitudinis, cujus utilitatis, c. 2. H. 154. & c. 1. A. 155
Et eſt principium, & finis operationum, col. 2. H. 156
Donum conſilij ad quid extenditur, col. 1. E. & C. 154
Donum ſcientiæ contra fallaciam, col 2. A. 157
Et velnti ſtella ſex radiorum, cujus ſex ſunt, col. 1. E. 158
Dotes corporis Chriſti, quæ & quot ſint, col. 2. C. 443
Dotes aliquę corporum glorificatorum, col. 1. F. 738
Et ſunt in ſumma quatuor, col. 2. A. 739
Dotes animarum glorificatarum, quot ſint, col. 1. G. 314
Dubitatio quæ dicatur, col. 2. F. 4
Duratio quot modis dicatur, columna ſecunda H. 684
Et quomodo differant inter ſe duratio temporis & æternitatis, col. 2. F. 692
Duratio ante æternitatem non eſt, col 2. E. 688
Duritia cordis quæ, col. 2. F. 175
Durities cui comparetur, col. 1. F. 156

E

Eccleſia quot nominibus vocetur col. 1. B. cum ſeq. 419
Eccleſiæ preces nunquam vacuæ eſſe poſſunt à præmio & mercede, col 2. E. 420

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Eccleſia eſt miſticum corpus Chriſti, col. 2. B. 545
Eccleſia primitiva Pſalmodiam non habuit, col. 1. C. 531
Eccleſia Hæreticorum adultera, col. 1. G. 534
Eclipſis ſolis quid iudicet, col. 2. C. 653
Effectus confirmationis quis, col. 1 D. 417
Effectus gratuitarum virtutum qui, col. 2. E. 182
Effectus timoris qui, col. 2. G 594
Efficacia Euchariſtiç duplex, col. 2. B 441
Effici ab aliquo tribus modis dicitur, col. 1. C. 439
Effulgentiæ ſpiritualium ſubſtantiarũ, quæ ſint col. 1. E. & F. 946
Elatio quç, col. 2. F. 176
Electi cur tentationibus impelluntur, col. 2. H. 298
Electiones artificiorum vitiorum duplici modo voluntariç ſunt, nec ſub ſtellis, vel conſtellationibus, reguntur, col. 2. D. 277
Elecmoſina unde dicta col 1. C. 555
Eleemoſina præſtantior, quæ dicatur, col. 1. H. 234
Eleemoſinarij cujuſdam exemplum ſequendum, col. 2. F. 578
Elementa cur habebunt inter ſe pacem in mundi ſublunaris renovatione, col. 2. D. 741
Elementa contraria ſunt, col. 2. F. 798
Elementa corpora ſunt inanimata, col. 2. C. 81
Elementa quatuor ex quibus fuerint generata, col. 1. H. 666
Elementa quatuor inanimant, ſed ipſa non ſunt animata, columna ſecunda A. & B. 797
Nec ſunt cauſa, quæ debeat prohibere eſſe animal, ibid.
Elementatorum ultima reſolutio eſt in elementa, ultra quç nulla alia reperitur, col. 1. C. 1029
Elementorum ira in ſodomitas, col. 1. E. 514
Elementorum cultus à gentilibus, col. 2. E. 44
Eliſos & deſperantes diabolus conculcat, col. 2. D. 599
Elongatio à bonis ſpiritualibus vitium eſt perverſum faciens, columna ſecunda F. 262
Elongationis ultimitas à miſeria eſt unum de conſequentibus corporis gloriam, col. 1. E. 728
Eloquia Dei varia, col. 2. C. 47
Emanatio animæ ad corpus eſt vita ipſius perpetua, col. 1 G. 714
Emanatio propria ex fonte juſtitiæ per ſe, quæ ſit, columna prima E. 164
Eminentia cauſa ſuperbiç, col. 1. B. 907
Enigma & parabola quç, col. 1. G. 48
Ens communiter dicitur de bonitate. & malitia, colum. 1. E. cum ſequen. 596
Ens omnium prçdicabilium communiſſimum, & impartibile, columna prima H. 910
Ens perfectum non habet contrarium veri nominis, col. 2. H. 596
Epilogus auctoris in materia fidei, col. 1. C. 7
Epiſcopata dictio qualiter intelligatur, col. 1. E. 994
Epiſcopatus ordo non eſt, col. 1. D. 551
Epiſcopi de quibus interrogandi ſint in confeſſionibus, columna prima H. 496
Epulonum reprehenſio, col. 2. D. 150
Equalita bella, & tentationes omnium vitiorum col. 1. F. 282
Equalitas quæ, col. 1. H. 176
Equalitas in quibus reperiatur extremis, col. 2. E. 178
Equç in inſula quadam Portugaliæ à vento quodam impregnantur, col 1. E. 240
Equi exemplum de vendicatione inceſtus notatu dignum, columna prima A. 771
Equi umbratici natura, & conſuetudo, col. 1. G. 772
Equitas quæ, col. 2. A. 563
Equus aſſimilatur animali noſtro, col. 2. C. cum ſeq. 299
Eraclitus auctor ſuperſtitionis ignis, col. 2. F. 82
Erectio ſive reſtitutio animæ in ipſius ſublimitatis gradum, non fit niſi per gratiam, col. 1. G. 269
Eros quid, col. 1. D. 267
Error impietatis quid ſit, col. 2. G 10
Error virtutis appetitivæ qualis, col. 1. B. 261
Et qualis intellectivæ, col. 1. C. ibid.
Et eſt prima via tacens ad vitia, ibid.
Secunda dicitur rebellio, ibid.
Tertia eſt incurvatione rectitudinis noſtræ, ibid.
Adde & quartam, quæ vocatur inſenſibilitas, col. 1. H. 192
Quinta etiam, quæ vocatur promptitudo, & expeditio ad malum, quæ vulgariter perverſitas nominatur, c. 1. D. 253
Error aſtronomorum de conſtellationibus, & diſpoſitionibus fortunatarum, vel infortuniorum in nobis imprimendis, columna ſecunda, B. 277
Error quorundam de novitate mundi, col. 2. F. 694
Error Platonis de ſtatu animarum deſtruitur, col. 1. F. 702
Error quorundam circa obſervationem quarundam horarum fortunatarum, vel non, col. 2. D. 91
Error eorum qui dicunt, planetas malos eſſe, deſtruitur, c. 2. F. 654
Error damnabilis dicentium, hominem ſalvari poſſe in ſua fide vel lege, dummodo eam credat eſſe bonam, col. 2. B. 17
Error aliquorum circa ſolemnitatem ſabbati hæbreorum, columna ſecunda G. 14
Error perniciosiſſimus eſt negare providentiã Dei, col. 1. E. 776
Error quorundam dicentium, animam humanam naturaliter diligere corpus, deſtruitur, col. 1. H. & col. 2. E. 58
Error ponentium, à primo principio non pervenire niſi unum creatum, deſtruitur, col. 2. G. 816
Error dicentium, quædam eſſe, quæ ab hominibus communiter non creduntur, dupliciter repellitur, columnã 2. A. 12
Errores duo hæreticorum circa ſacramentorum Euchariſtiæ, columna 2. H. 430
Errores eorum qui dicunt, confeſſionem ſoli Deo faciendam, deſtruuntur, col. 2. H. 452
Et ampliſſime per Auctorem colum. 1. C. per totum, 457
Errores multorum de Iove poteſtatem habente ſuper animas humanas, col. 2. D. cum ſeq. 655
Et ſic de alijs planetis, col. 1. E. cum ſeq. 656
Errores manichæorum, duo eſſe principia ponentium, quomodo deſtruantur, col. 2. F. cum ſeq. fol. 594. & columna ſecunda A. per totum, 595
Errores peripateticorum circa decimam intelligentiam columna ſecunda A. 619
Errores duo hæreticorum circa poteſtatem ordinis, col. 2. F 540
Errores quinque philoſophantium contra veram philoſophiam columna prima E. 594
Errores circa juſtitiam, & miſericordiam qui, col. 2. C. 54
Errores impietatis quot, col. 1. F. 55
Erroribus humanis quinque modis conſulitur, col. 1. A. cum ſequen. 329
Erroris cauſæ dicentium unumquemque in ſua fide, vel lege ſalvari, enumerantur, col. 1. D. cum ſeq. 57
Erroris pernicioſiſſimi deſtructio de neceſſitate eventuum, & omnium quæ in mundo fiunt col. 1. B. per totum, 785
Erroris cauſæ tres quæ induxerunt Ariſt. de creatione intelligentiarum, col 2. C. 623
Erubeſcentia eſt hoſtis atrociſſimus confeſſionis, & ex ea multa damna ſequuntur, col. 2. D. per totum 439
Erubeſcentia quid ſit, col. 1. E. 522
Et eſt confeſſio quodammodo culpæ, ibid.
Erubeſcentia ſeu pudor quid, col. 1. G. 190
Eſſe in ſpiritu quid ſit, colum. 2. H. 516
Eſſe per ſe quid ſit, col. 1. C. 97
Eſſe diffinitive in ubi vel loco, qualiter intelligatur, columna prima D 945
Eſſe ſive entitas advenit cuilibet rei creatæ præter completam eius ſubſtantiam, col. 1. H. 852
Eſſe in tempore quid, col. 1. A. 687
Eſſe per ſe quotuplex ſit, col. 1. E. 596
Eſſe de creatore dicitur eſſentialiter, & ſecundum ſubſtantiam: de alijs autem accidentaliter, col. 2. H. 79
Eſſe aliquid in poteſtate noſtra, qualiter intelligatur, c. 2 G. 790
Eſſentia prima in quo ſit, col. 1. C. 793
Eſſentia creatoris eſt ubique diffuſa, col. 2. H. 920
Eſſentialia ſola, & naturalia, in diffinitionibus ponenda, columna prima E. 876
Eternitas an aliquid ante vel ultra ſe habeat, col 2. G. 688
Eternitas quæ ſit, ibid.
Etherea regio ex aquis ſuperioribus conſiſtit, col. 1. C. 643
Evangelicæ perfectionis excellentia, col 1. C. 99
Evaporatio abſque motu locali non fit, col. 1. A. 645
Euchariſtia quç, col 2. E 206
Evidentia veritatis, & probatio, quæ ſint, col. 2. G. 4
Eutiches & Neſtorius damnati, col. 1. G. 50
Exanimatio quæ, col. 2. C. 201
Exaudiri quis dicatur, col 1. C. 518
Exceſſus & terminatio ſunt contraria, col. 2. A. 141
Exclamationes admittendæ, col. 1. B. 187
Excommunicare ſecundum unum modum quid ſit, col. 1. F. 548
Excommunicare & excommunicari naturaliter poteſt eſſe bonum, & malum, col. 1. B. & C. 545
Excommunicati boni an poſſint, vel ne, col. 1. F. per tot. 548
Excommunicati quibus priventur, col. 1. F. 545
Excommunicati occultè duobus modis intelligi poſſunt, ibid.
Excommunicatio quid, col. 2. E. 542. & col. 1. D. 545
Et quot requirantur, ut valeat, ibid.
Excommunicationis vinculo, qui ligentur, col. 2. E. 546
Excommunicationis ſententia differt ab ipſius vinculo columna ſecunda, A. 547
Excoctio quid ſit, col. 1. C. 251
Excuſatio coitus Loth, & Iacob qualiter intelligatur columna ſecunda B. 19
Executio ſententiarum per malos fieri poteſt, col. 2. A. 548
Exempla multa de importunitate, & aſſiduitate orationis imitatione digna, col. 1. E. 374
Exempla & ſimilitudines ad humilitatem pertinentia, columna ſecunda E. cum ſeq. 242
Exempla multa quibus auctor docet difficile eſſe reſiſtere tentationibus, col. 2 A. cum ſeq per tot. 299
Exempla plus movent quam verba, col 2. H. 418
Exempla multa de vera fælicitate, col. 1. D. cum ſeq. 757
Exempla quorumdam de miraculis ſanctæ Euchariſtiæ, c. 2. B. 471
Exemplar non eſt veritas exempli col. 2. D. cum ſeq. 855
Exemplorum ſimilitudo via eſt decentiſſima ad intelligenda ſpiritualia col. 2. G. 940
Exemplum filij prodigi, col. 2. H. 270
Exemplum memorabile de converſione unius peccatoris oſtme-

Digitized by Google

tiſſimi in peccato per orationes fidelium, col. 1. G. 314
Exemplum bonum de novo ornatu palatij ob coronationem novi regis, ad novum cœli ornatum futurum ob adventum corporum glorificatorum, col.1. B. & ſeq. 741
Exemplum ſenſibile ad demonſtrandum corpus Chriſti in eodem inſtanti, ſimul eſſe poſſe in quolibet loco, col.1.B. & C. 445
Exemptio non eſt à legis obſervatione, col. 2. A 20
Exite vel intrate impartibile quid ſit, col. 2. A. & B. 958
Exitus à potentia in actum quid ſit, col. 2. D. 955
Exordium orationis quale, col. 1.C. 341
Expectatio quid ex qua fides definitur, col. 1. E. 202
Expectatio Dei quos pariat effectus, col 1 H. ibid.
Expiatio animabus, & purgatio poſt corpora eſt col. 2. C. 677
Expoſitionum varietas fugienda, col. 1.C. 49
Expulſio à domo, quæ fit per fumum, ſtillicidium, & uxorem quid ſignificet, col.2.A. 583

F

FAbula de Angelis Haroc, & Maroc nullius eſt momenti, columna 2. B. 881
Facere aliquid, vel evitare quando quis teneatur ſub pœna peccati mortalis, col. 1. F. 246
Factum iniquè ab homine, aut dæmone aliquando apud Deum dicitur iuſtum, col. 2. A. 949
Fama fallax parum ſtabilis, col.2. G. 674
Fames quid, col. 1. A. 435
Familia regia ordinibus Angelorum comparatur, col 1. G 964
Fantaſmata omnia ſeparantur ab anima à corpore abſtracta, columna 1. H. 246
Farina hordeacea ſine oleo, & thure quare offerebatur, columna 2. H. 42
Faſcinare quid ſignificet, col. 1 G. 1046
Faſcinatio quid operetur, col. 1. H. 258
Fati nomen reſonat idolatriam, col. 2. G. 792
Et horrificum eſt apud Hæbreos, & Chriſtianos, col. 1.G. 796
Fato evenire quomodo intelligatur, col.1. E. 792
Fatum quid, & quot modis accipiatur, col.2 B. 791
Et unde dicatur, col.2. ibid.
Et quid ſit ſecundum alium modum. ibid.
Et quid ſecundum catholicos ibid.
Fatum an ſit, & quid per auctorem de eo, col.2. E. 714
Fatum & immutmenes idem ſunt ſecundum Ciceronem, columna 1. L. 791
Fatum apud prophetas col. 1. F. 792
Fauni unde dicti, & de eorum natura, col 1.A. 1019
Fames inſatiabilis nulla refectione quieſcit, col 2. G. 1022
Et quid ſit. ibid.
Fauni, pygmæi, & etiam lupus iudicus numerantur inter ſpiritus malignos, & ſunt monſtra animalium, col, 2. C 1019
Fauni & ſatyri illuſio, col 2. G. 40
Fauſtus hæreticus, col 1. H. 74
Favus mellis, quid ſignificet, col 1. G. 410
Febricitantibus dulcia amara videntur, col.1. G. 272
Fœditates abominandæ, col. 2. E 52
Fœdus cum Deo quid ſit, col.1. F. 95
Fœdus cum Deo initur per circumciſionem, col.1.H. 55
Fœlicitas æterna, an ſaltem augeri poſſit, cum non poſſit minui, col 2 H. 748
Fœlicitas vera nihil habet miſeriæ, col.2.B. 51
Fœlicitas æterna omnium utilitatum utilitas, col. 1.E. 210
Fœlicitas apud principem malorum nullo modo eſt, col.1 A 601
Fœlicitas vera, & plena non patitur aliquo modo morum, ſicut nec carentia, nec indigentia, col.1.E. 744
Fœlicitatis conſequendæ gratia homo natus & creatus eſt, columna 2. E. & F 110
Fœlicitas divinitatis inſeparabilis eſt comes, col.2.E. 88
Fœlicitas animarum noſtrarum non eſt ex conjunctione ſui cum intelligentia agente, col.1.E. 216
Fœlicitas turpis, quæ col.1. E. 52
Fœlicitas æterna unde proveniat, col.1. C. 1
Fœlicitas vera, qualis eſſe debet, col. 1. D. 727
Fœlicitas & miſeria, & earum partes quare contraria ſint, & quomodo intelligantur, col.1. C. 745
Fœlicitas actus dicitur, col.1.B 323
Fœlicitas quid, col 1.D. 55
Fœlicitas vera, & perfecta nihil habet admixtum miſeriæ, columna 2. C. 937
Fœlicitas Machometi, quæ, col. 2. H & ſeq. 50
Fœlicitas pura & vera quæ, col 2 D. 63
Fœlicitas quid ſit ſecundum Ariſtotelem. col 2 E. 316
Fœlicitas vera, & perfecta non eſt, quæ vel minui, vel impediri aliquo modo poteſt, col.2. C. 741
Fœlicitas noſtra nullam ſecum patitur miſeriam, col.2. E. 718
Fœlicitate ſemel gaudens non poteſt amplius ab ea diverti, col.2. D. & ſeq. 51
Fœlicitatis partes integrales quæ, col.1. E. & F. 744
Fœlicitatis ſimilitudines variæ, col.2. 727
Fœlicitatis æternæ pars, quæ dicatur, col.2. B. 1
Fœmina ager humanæ ſeminationis eſt, col.2. A. 585
Fœmina dicitur eſſe terra negociationis, col.2. D. ibid.
Fœminæ ſemen lactis vita eſt, col. 1. B. 513
Feneſtram cordis ſolus Deus aperit, & gratiæ ſuæ aditum pandit, col.1. C. 419
Fercula virtutis concupiſcibilis, quæ quot, col.2. C. 325
Fercula menſæ cæleſtis, quæ, col 1. A. 325
Ferculorum diviſio, quæ col.2. B 327
Ferinitas, quæ col.2. C. 177
Ferrum acutum verbum Dei dicitur, col.1. E. 222
Ferrum ad lapidem magnetem quot aſpectus habeat, columna ſecunda A. 657
Feſtum tabernaculorum, & feſtum paſchæ apud hæbreos quid rememorabant, col 1. E. 102
Fœtor egeſtionis cavendus, col. 1. G. 16
Fidei officium, quid col.2. B. 22
Fidei diffinitio, col.1 G. & col 2. G. & col.1. H. 2.6. & 8
Fidei effectus, & dotes qui, col.1. B. & col.2. cum ſeq. 191
Fidei Vexillum quod, col.2. D. ibid.
Et eius victoriæ 1. G. 193
Nec non eius miracula, col 1. H. ibid.
Item eius obſequium, col 2. F. ibid.
Eiuſque laudes ampliſſimæ, col 1. E. 191
Fidei partes tres in his, quæ Dei ſunt, col 2. D. & ſeq. 14
Fidei ſcutum contra omnes tentationes, col.1 G. 108
Fidei probatio per miracula, col.1 B. 16
Fidei catholicæ facultates, quæ col.1 H. 18
Fidei virtus, col. 2. B. 17
Fidem unam eſſe ex quibus radicibus cognoſcatur, col.2. H. 10
Fides una eſt, nec diverſificatur ob credendorum diverſitatem, col. 2. F. 138
Fides adjuvat orationem, & eius adjuvat gratiam, col.1.D 171
Fides & ſpes tam gratiæ, quam veniæ ſunt præparatoriæ ad baptiſmum, col 2. D. 425
Fides & charitas quibus rebus ditetur col.2. C. 491
Fides ſola, an ſanctificet baptizandum in caſu neceſſitatis, columna 1. G. 95
Fides relicta ad mentiendum qualiter intelligatur, col. 1 E. 254
Fides mortua, quæ col.2. A. 7
Et quomodo differat à viva, col 2. C. ibid.
Fides catholica, quot in ſe potentias contineat, col 2. A. 16
Fides ex qua virtute oriatur, col 2. D. 567
Fides porta dicitur morti clauſa, col 1. D. 191
Et eſt columna veritatis firmiſſima 1. B. ibid.
Omneſque alias virtutes fulcit. 2. C. ibid.
Necnon galea ſalutis dicitur, col 2. D. ibid.
Et ſtella eſt in cælo ſpirituali col 1 E. 192
Immo virginitas mentis humanæ, col. 2 G ibid.
Fides provt eſt pars iuſtitiæ propriæ eſt contra fraudem, & dolum, col.1 E. 164
Fides ſuaſa, quæ col.2. A. 67
Fides dicitur armatura neceſſaria, col 2. E. 4
Fides, quæ ſit, col 2. B 1
Fides de Deo per res & ſub rebus eſt una viſio, col.2 E & F. 146
Fides non habet meritum niſi amore, & voluntate teneatur, columna 2. C. 95
Fides medium dicitur inter cognitionem naturalem, & ſtatum gloriæ, col.1 E. 136
Fides eſt donum Dei gratuitum, col. 2. A. 9
Fides in ordine omnium ſapientialium divinarumque ſcientiarum primum obtinet locum, col 2.B. 2
Fides dicitur fortior omni cognitione naturali, col.2. E. 6
Fides & ſpes in Angelis non habent locum col.1. A. 171
Fides catholica, quæ col.1. E. & colum 2. E. 11 & 15
Fides ſacramentorum intellectum captivat, col.2. G. 433
Fides recta quid, col.2 B. 17
Fides fundamentum religionis, col.1. A 7
Fides una & eadem eſt, col 2. D. 9
Fides gladius acutus, col.1. F. 18
Fides & perfidus, quid ſint, col.1.B. 163
Figura peccatorum horrenda, col. 2. F. 40
Figura una eſt totius cæli in uno climate, col.2 H 16
Figurarum ad idolatriam pertinentium genera quatuor, columna 2. C. 89
Figuræ & characteres in diabolicis incantationibus nullam habent virtutem, col.2. G. 1054
Filiæ ſpei quæ, & quot, & de earum utilitatibus, col 2 H cum ſeq. 196. & 197
Filij hominum quare in ſacra ſcriptura ita nominentur, columna 1. C 515
Filij Iſraël juxta litteram credentes, col.2. C 59
Filij Abrahæ de lapidibus, col 2. A 217
Filij cur interdum portent pœnas parentum, col 1. C 271
Filij Adæ omnes ægri, col 1. E 556
Filius prodigus quid ſignificet, col.1. H 464
Filius cur dicatur potius imago patris, quam ſpiritus ſanctus, col.1.D.cum ſequen. 974
Et cur diverſimodè procedat à patre, & ſpiritus ſanctus ab eodem. ibid.
Finis præcipuus, & ultimus totius ſapientialis, divinaliſque magiſterij quis ſit, col.2. B. 593
Finis amoris proprius, quis, col. 1. H. 514
Finis ſemper melior eſt eo, quod eſt ad ipſum, col.2. D. 117

Digitized by Google

Finis fugæ quis ſit, col.1. G. 170
Finis noſtus una tantum via eſſentialis, col.1.E. 95
Finita & determinata credenda fundamentum religionis eſſe dicuntur, col 1 H 10
Finitum infinitum non capit, col. 2.F 52
Firmamentum in medio aquarum qualiter intelligatur, col. 1. C. cum ſeq. 629
Firmamentum ſeu cœlum continens novem cælos, quare factum fuit in medio aquarum, col.1. G. per totum. 632
Firmatio quid, col.2.D 105
Firmitas requiritur in dilectione, ut ipſa dicatur virtus, columna 2. H 159
Fiſtula una, ſive arteria qualiter in glorificatis habebit tantas multitudines vocum, col 2.B 745
Flamma quid ſit, col.1. E. 610
Fluviorum decurſus ad mare unde, col.2.D 641
Fluxus menſtruorum, col 2. F 36
Forma materialis quotuplex ſit, col.1. A 331
Forma orandi qua uti ut penitens quando intendit facere totum, quod in ſe eſt, col.2.G. per totum. 350
Item alia dum procurat ſatisfactionem. ibid.
Forma cælorum, quam medium aquarum in materia ſua ſuſcepit a creatore, eſt forma præter quatuor formas elementorum, & & omnium elementatorum, col.2 D 633
Forma ſubſtantialis cujuſque ſubſtantiæ eſt principium per ſe actus nobiliſſimi illius ſubſtantiæ, col.1.G 546
Forma petitionis, ſeu orationis coram Deo, quæ columna 2. cum ſeq. 354
Et confirmationis ipſius, col.1.F. cum ſeq per totum. 356
Item alia pro interceſſione Beatæ Mariæ Virginis, col 2.B. cum ſeq. per totum. 357
Item alia ſupplicatoria pro patrocinio Ieſu Chriſti aſſequendo, col 2.F. cum ſeq. per totum. 358
Item alia pro concluſione petitionis, & confirmatione. col.2 B. cum ſeq. per totum. 361
Item alia pro excuſatione propriæ infirmitatis, columna prima D. per totum. 361
Forma intelligibilis in ſubſtantia impartibili non impeditur aliquo modo conſortio alterius, col.1.C. 841
Forma qualiter diſtinguatur ſubjecto, cum ſubjectum, & forma idem ſint, col.2 D 105
Forma ſpiritualis, & ſubſtantialis non indiget materia, columna 1. H 652
Forma quotuplex ſit, col.2.H cum ſeq. 817
Forma ſacramenti confirmationis, quæ ſit, col.1.C. 419
Formæ intelligibiles quomodo ab intellectu recipiuntur, columna 1. F 911
Formæ exemplares, & rationes omnium creatorum & creandorum, viventes ſunt apud creatorem æternaliter, & unum ſunt, col.2.D 841
Formæ intelligibiles, quæ recipiuntur ab intellectu noſtro, quæ ſint, col. 1. B 823
Formæ materiales non habent ubi, niſi ſubjectorum ſuorum, col.1. C 915
Formæ petitionum, & orationum de quibus per Auctorem ad quid utile ſint, col.1. H. cum ſeq. per totum 362
Formæ intelligibiles ab animabus noſtris non exeunt per illuminationem intelligentiæ agentis, col. 1. E 840
Formæ reſultantes in ſpeculo aliunde illi adveniunt, ibid.
Fornax charitatis quid operetur col. 2 D 321
Fornicatio etiam virium animæ naturalis dicitur, col. 1.G 68
Fornicatio intellectus, & effectus, qui, col.1 G 432
Fornicatio animæ, quæ col. 1. B 187
Fortes quotupliciter dicantur, col.2.B 113
Fortitudo duplex, col 1 F 157
Fortitudo quæ, col. 1.E. 110
Fortitudo an idem ſit, quod patientia, col.1.E 114
Fortitudo amoris, quæ col.2.F 139
Fortitudo vera, quæ col.1.H. 193
Fortitudo eſt omnis virtus, col.1.A 155
Et quid ſit ſecundum Ciceronem. ibid.
Et idem eſt cum patientia. ibid.
Et in quo differat à manſuetudine, & magnanimitate, & ea qua quis mitis dicitur, ibid.
Et velut genus eſt ad multas ſpecies, col.1 D. 157
Fortuna an poſſit in rebus humanis, col.1 G. 78
Fortuna vel infortunium in rebus an ſit, col 2.D 275
Et quæ dentur hominibus ad acquirendas, vel evitandas ipſas fortunas, vel infortunia col 2.F. 276
Fortunæ impedimentum apud planetas non valet, col. 1.F 56
Forum pietatis quod, col.1. C. 217
Fragor quid, col 2.G 83
Fraterni odij quot ſint vituperia, col.1 & 2. per totum. 227
Freneſis cordis quid, col.1.F 224
Freneſis quid, col.1 D 267
Frequentia operum quid col.1. G 106
Frigiditas, quæ col 2 C 115
Frigus animæ, quod ſit. ibid.
Fructus agricolationis noſtræ, quot ſint col.2. F. cum ſeq. 492
Fructus bonorum operum in mortali factorum, qui ſint, columna 2. F. 508
Fructus generationis quibus modis perdantur, columna 2. D. cum ſeq. 515
Fructus pœnitentiæ, qui col 1. H 504
Fructus tales ſunt, qualis eſt arbor col.1. F 564
Fructus diſparitas quid operetur, col.1.F 94
Frugalitas, & parſimonia, quæ col.1.D 167
Fuga Parthorum qualis eſt, col.2.H 193
Et vitiorum, quæ col 2 H ibid.
Fuga & inſequutio ſunt contraria, col. 2.A 809
Fuga eſt optimum remedium contra tentationes blandientes, col 2 G 306
Fuga ex Ægypto quid ſignificet, col.2. C 763
Fulgor quid ſit, col 2 G 82
Fumi cujuſdam medicinæ virtutes, col 1.F 1056
Fundamentalia tria eſſe dicuntur, col. 2. H 13
Fundamentum credendorum quod, col.1 G. 12
Funis Iudæ quo ſuſpenſus eſt quid ſignificet, col. 2. C 497
Fur ſpiritualis quis dicatur, col 1.D 199
Furioſi non ſunt extra curam, & providentiam Dei, col.2 H. 768
Furioſi quare fortiores ſint tempore furoris quam ſanitatis, columna prima A. 1042
Et de eorum variis inſaniis, & imaginationibus, cum ſequen. ibid.
Furti cauſa quare quis pro uno ove tenebatur reſtituere quatuor, & pro uno bove quinque, col 2.C. 25
Furtum pium quale ſit, col.2. E. 26

G

GAd quomodo dicatur pugnare contra peccatum, columna 2. H 464
Galbanum ſpirituale quid ſit, col 2. G. 388
Gaudium futuræ beatitudinis, an ſecum patiatur operationem aliquam corporalem, col.1.C 749
Gaudium augetur pro magnitudine amoris in amatum ex ipſius adeptione, col 1.H. 748
Idem eſt in corporibus glorificatis. ibid.
Gaudium multiplex eſt, col.2 A. 173
Gaudium divinæ juſtitiæ eſt infinitum, col.1. F. 60
Gaudium triplex de viſione Dei, col.1. B. 749
Gaudium quid, & quotuplex, col. 1. H. 202
Gaudium triplex de viſione Dei, col.1.D 319
Gaudium in cœlis pro uno peccatore pœnitentiam agente, columna 1.H 490
Gaudium virtutis concupiſcibilis triplex, col.2. E. 320. & columna .1.H. 322
Gaudium veræ dilectionis quod, col 1.F. 147
Gemmæ cæleſte aliquid in ſe continent col 1. E. 410
Generari quid dicatur ex commixtione ſpirituum, & mulierum, col.2 F 1070
Generatio quæ ſit in mulieribus ex commixtione ſubſtantiarum ſublimium, dicitur eſſe immortalis col 2. F. 1068
Generatio poſt judicium omnino ceſſabit col 1.B. 758
Generatio ſpiritualium quomodo fiat, col.1 D 107
Generatio partium humanarum in ventribus matrum, quid ſit col.1.D. 275
Generatio pluviarum ex quibus fiat. col 2. C. 613
Idem de generatione nivium. & grandinum, ibid.
Generatio quod fieri poſſit per ſubſtantias abſtractas, atteſtatur lex Hæbreorum, col.2. D. & ſeq. 1069
Immo & doctrina Chriſtiana. ibid.
Generatio & creatio valde differunt inter ſe col.1. H 870
Generatio non intendit renovare particularia, ſed ſpecies tantummodo col.2 E per totum. 708
Generatio ex aquis ſit, col.1. E. 418
Generatio ſpiritualis quid operetur, col.1.D 265
Generatio affectionis per apprehenſionem naturalis eſt; columna 1. A. 115
Generatio corporum per partem poſt partem, col.1.C. 107
Generatio & renovatio inter ſe differunt, col.1.D. cum ſeq. 709
Generatio quid, col 2 B. 817
Generatio hominis ex homine, & ſole ſit, ſecundum opin Ariſt. col 1 D. 79
Generatio unde dicatur, & quot modis intelligatur. col.2.G 640
Generatio cælorum novem ex qua materia fuit facta, col.1.D 639
Generatio ad prolem debet eſſe, & non ad voluptatem, columna 2. F. 514
Generationes & corruptiones omnes ſubjectas eſſe poteſtati planetarum ſecundum opinionem quorumdam, col.1. A. 79
Generationes ſolæ hominum non pendent ex conſtellationibus, col.2 B. 275
Generatum aliquid impoſſibile eſt corrumpi, niſi poſtquam eſt generatum, col 2. H. 624
Geneſis verba, in principio creavit Deus &c. qualiter intelligantur, col.2.G. cum ſeq. per totum 634. & columna prima E. & ſeq. 638
Item verba, terra erat inanis & vacua, &c. quomodo intelligantur, col 1. D. 635
Gens Hæbrea duræ cervicis, col.2.D. 763
Gens Iſmaëlitica quo tempore fuit, col.2. D. 49
Gentes ſeptem, & horę quid ſignificent, col.2. F. 590

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Gentes immaniſſimas inter montes Caſpios recluſit Deus ad Aquilonem in terra Sarphaica, col.2.H 610
Gentilitas quid attribuit cœlo, col.2.F 82
Genus humanum eſt tanquam minera perfecti ædificij, col.1.C 409
Et eum ponere ſine ſuis perfectionibus, eſt ponere eum ſine intellectu, D ibid.
Geſta per falſum procuratorem irrita ſunt, & nulla, col.1.C 519
Gladius evaginatus quid ſignificet, col.1.A 284
Gladius ſpiritualis verbum Dei eſt, col.1.H 132
Gladius elimatus quid ſignificet, col.1.G 400
Gladius ſpiritualis quid ſit, col.1 A 397
Gloria quid ſit, col.2. A & col.2.A 14. & 65
Gloria corporum glorificandorum, quæ col.2.E. per totum. 716
Gloria hominum erit æqualis gloriæ ſanctorum, ac beatorum Angelorum, col.1.B 645
Gloria patientiæ, quæ col.1.G 256
Gloria humana quid boni in ſe habeat col.2.C 219
Gloria inanis, quæ col.2.G 176
Gloria corporum glorificatorum quædam eſt fulgentia, columna 2. D 217
Gloria an poſſibile ſit mereri ex ſolis naturalibus, col.1.A 518
Gloria mentis humanæ quid, col.2. A 183
Gloria animarum ſeorſum à corporibus perfecta non eſt, colum.2. F 714
Gloria animarum quæ, col 2.G 115
Et quæ corporum, cum ſeq. ibid.
Gloria virtutis noſtræ concupiſcibilis, quæ col.1.E 310
Gloria Dei quot modis dicatur, col 2.H 320
Gloria nihil habet imperfectum, col 1. A 319
Gloria ſuperveniens naturæ ipſam non deſtruit, ſed luſtrat, colum 2.B 305
Gloria corporum redundantia eſt beatitudinis, col.2. G 315
Gloria virtutis intellectivæ, quæ col.2 H 316
Gloria ſanctorum cœna dicitur magna, col.1 H ibid.
Glorificandi homines totaliter glorificabuntur ſine aliqua membri diminutione, col 1.C 717
Glorificati homines poſſent moveri per cælum ſi vellent, columna 1.E 936
Glorificatio animarum noſtrarum, quid col 1.A 189
Glorificatio corporum neceſſaria ad perfectam gloriam animarum, col.2. B 719
Glorificatio cœleſtis quæ col.2.C ibid.
Glorificatis corporibus quis modus audiendi, vel ſentiendi futurus ſit, col. 2. B per totum. 717
Glutonum reprehenſio, col 1. C 351
Gog & Magog gentes quæ, col 1.C 83
Gradus poteſtatum, & ordinum, an ſint inter Angelos, columna 1. G. 960
Gradus operationum ſpiritualium ſubſtantiarum, quæ ſunt conjunctæ corporibus, enumerantur, col 2. F 56
Gradus peccati, & circunſtantię dantur, col 2 D 61
Gradus & dignitates non conſtituunt proximitatem penes creatorem, col. 2.F 967
Graduum diverſitas an ſit, ſi omnes ſubſtantiæ abſtractæ ſint ejus ſpeciei, col.2 E 968
Gratia quid, col. 1. C 132
Gratia an in totum extinguatur per multiplicationes peccati venialis, col 1. G 190
Gratia Dei vita eſt æterna, col.1 B 313
Gratia inter naturam, & gloriam medium dicitur, col.2. E 6
Gratia Dei ſupra naturam dicitur, col. 2 F 132
Gratia Dei neceſſaria eſt in nobis. col.2.F 132
Gratia divina ex promiſſione nobis debetur, col.1.D 313
Gratia contritionis quibus modis obtineatur, col. 1. A 472
Gratia gratum faciens, & mortalis culpa contraria ſunt, colum. 2. A 499
Gratia filiationis eſt individua, col 2. H 94
Gratia dividi non poteſt, col 1 A 503
Gratia creatoris vita dicitur noſtra, col.1 H 908
Gratia media inter naturam, & gloriam non eſt niſi pro neceſſitate vitæ præſentis, col 1 H 136
Gratia utrum præcedat remiſſionem peccatorum ordine naturali, an è converſo, col 1.F. cum ſeq. 452
Gratia prima, quæ ſit, col. 2. A 603
Gratia quomodo radicatur, col.1. E 314
Gratia ſola introducit homines ad gloriam col 2. 978
Gratia adoptionis per exemplum probata, columna 1. H. cum ſeq. 726
Gratiam deſiderare munus eſt, col.1.A 457
Gratiæ debetur gloria multis ex cauſis, col.1.C 313
Gratiæ neceſſitas in præſenti vita, col.1 A 231
Gratitudo unde originem ſumat, col 2.C 169
Gregorij dictum notabile, col.1. B 315
Greſſus ſpiritualis prior eſt, quam vinculorum diruptio, colum.1. G 478
Gubernatio omni creaturæ neceſſaria, col 1 B. cum ſeq. 755
Gula in uſu ciborum, ebrietas autem in uſu potuum dicitur, colum 2.H 164
Gula & luxuria inſatiabilis, col.2 G 230
Guſtus & olfactus ſpiritualis, quid ſint col. 2.G & H 146
Guſtus ſpiritualis an ſit in anima reſpondens guſtui corporali, col.1.E ibid.
Guſtus propriè, & per ſe quid, col.2 E 146

H

Habilitates ſeu aptitudines dicuntur initia virtutum, columna 1. F 129
Habitationes in locis quibus ex cauſis fiant. col.1. G 712
Habitacula in cęlo ultimo multis de cauſis habentur, col 1.E 912
Habitationes hominibus diverſificantur duabus de cauſis, columna 2. F. & G 610
Habitatio dæmonum eſt in parte inferiori aëris, caliginoſa vocata, quæ eſt eis loco carceris, col 1.B & col 1.E 947 & 948
Habitus uno inſtanti generari poteſt, col 1.B 107
Habitus & mores qualiter inter ſe differant. col 1.A 117
Habitus quandoque una operatione generari, col.2 H 106
Habitus ex frequentibus actibus generatur, col 1 H. & ſeq. 119
Habitus & diſpoſitiones cur ſint intellectui noſtro in ultimitate cognitionis, col.1. C 585
Habitus contrarij virtutibus, an generentur in nobis, col 1. F 108
Habitus & privatio in eodem ſimul, nec de eodem dici poſſunt, col. 2. F 1052
Habitus effectus varij, & operationes col. 1. H & ſeq. 108
Habitus quid ſit, & ex quibus fiat, col. 1. B 117
Habitus qualis ſit, col. 2.F 104
Habitus quando dicatur col. 2.H 106
Habitus quare ita dicatur, col.2.H 107
Habitus unde dicatur col.2.C 105
Harmonia qualis erit, quæ delectabit animas noſtras in alia vita, col.2. F 746
Harmoniæ virtutes, & operationes, col. 1.A 107
Harot, & Marot fabula refutatur, col 1.C 958
Hæbrei libris ſuæ legis contenti, col.1.C 805
Hæbrei quibus laborabant vitiis, col.2.H 54
Hæbreorum populus ignarus ſacrificiorum ſpiritualium, columna 2. A 99
Hæditatio, col. 1.A 31
Hęreditas onerata non devolvitur ad hæredem, niſi cum onere ſuo col.1.E 564
Hæreditas cæleſtis quæ col.2.C 187
Hæreditas cœleſtis, ut reſtitueretur humano generi, quot neceſſaria fuerunt, col.2. C 565
Hæreſis eſt neceſſarium contrarium fidei, col.1.D 898
Hæretici deſcriptio col. 2. H 392
Hæretici qui reputari debeant col.2. A 898
Hæreticorum facta ſunt facta dęmoniacorum, col.1 G 186
Hęreticorum zelus quis col.1.A & B 219
Hæreticorum rara converſio col.2.H 28
Hierarchia ordinibus Angelorum comparatur, col.1. C 963
Hierarchia prima trinitati aptatur ſecundum aliquos, columna 2. A 972
Hierarchia quid, & quotuplex, & unde dicatur, colum. 1. F. cum ſeq. 995
Et quomodo etiam eius diffinitio intelligatur, col.1.H 1034
Hierarchiæ nomine omnes ordines Angelorum continentur, col.2 H 584
Hilarionis exemplum imitandum, col 2 G 354
Hircus emiſſarius quare ita dictus, col 2 C 39
Hircus quare immolabatur, col 1.F 40
Holocauſta quare non comedebantur, col.2.H 30
Holocauſta martyres ſunt, col 2 H 420
Holocauſtum unde, & quid, col.2. A 95
Homo deificandus, an ſit, col.1. E 588
Homo imago Dei eſt, col.2.G 568
Homo judex eſt ſui ipſius ex juriſdictione delegata, col.2. E 578
Homo quibus ex cauſis ſe ipſum totum Deo debetur, col.1. G per totum. 574
Homo quomodo naſcitur ſicut brutum, col.1. G 558
Homo quid ſit, col 1.C 6.2
Homo dæmoniacus quare diverſis loquatur vocibus, col. 2.A 672
Homo mortuus per peccatum qualiter dicatur, col.2 G 904
Homo impoſſibile eſt moveri contrariis motibus, col.1.D 653
Homo interior quid ſequatur, col 1. D 188
Homo novus naſcitur per confeſſionem, col.1. D 489
Homo vetus monſtrum appellatur, col. 2.C 412
Homo minor dicitur mundus, col 2 A 797
Homo plus ſpiritualis eſt, quàm animalis, col.1.G 262
Homines quare ſe invicem adjuvare, & amplexari debent, colum.2 H 412
Homines glorificandi transferendi ſunt ſupra cœlos mobiles, col.1. D. 645
Homines Deos faciunt col 2.G 66
Homines in Beelzebub dæmonia ejicientes, col.2.C 223
Homines inter Deum, & peccatores judices ſunt, col.2.H 456
Homines ſi dicerentur æquivocè, quid ſequeretur, col.1 A 612
Homines ſine patientia computreſcunt, ſicut piſces ſine aqua, col. 2. F 252
Homines venales viliſſimi ſunt, col. 2. A 20
Homines imponentes rebus licitis malitiam culpabilem, peccatum grave committunt, col. 1. B. 892
Honeſtas matrimonij quæ, col.2.G 148

Digitized by Google

Honeſtas vitæ debita, quæ dicatur, col.2. E 10
Honor creatoris de primis impreſſionibus eſt, col.2. A 107
Honor exibendus ſanctuario, col 2. A 36
Honor tabernaculi, col.2. G 36
Honorare aliquem de alieno qualiter intelligatur, col.2 D 71
Horizon æternitatis, & temporis eſt medium, col.1. E 688
Hortulani diabolici, qui col.1 B 225
Hoſtiæ quid ſignificabant, col.2. E 40
Humana miſeria, quid requirat, col.1. B 565
Humana ſpecies propter quid creata, col.1. E 732
Humanitas quæ, col 1. H 175
Humanitas Dei eſt veluti veſtis ſacerdotalis ipſius, col.2. A 441
Humerus dexter, col.1 D 32
Humiliatio animæ noſtræ unde proveniat, col.1. E 266
Humilis pacem conſequitur: ſuperbus autem ſemper inquietudinem habet, col. 1. E 242
Humilis non illaqueatur, col.2. B 241
Nec à ſagittis diabolicis vulneratur. ibid.
Humilis ſuas fugit laudes, col.2 G 238
Humilis verus quis, col.1. C 241
Humilis verus adulationes fugit, col.1 E 240
Humilitas quid ſit, col.2. G 176
Humilitas eſt ſoror patientię, col.1. E 240
Humilitas Chriſti, quæ col.1. F ibid.
Humilitas & ſuperbia contraria ſunt, col.1. A 129
Humilitas à laudibus adulationis necari dicitur, col. 2. B 239
Humilitas creſcit ex creſcentia aliarum virtutum, col.1 D 245
Humilitas volat licet repere videatur, col.1. E 248
Humilitas ſimilis eſt piſciculis, qui per anguſtas viaculas retium liberi enatant, col.2 B 241
Humilitas ex qua cauſa ſit apud Deum gratioſiſſima, & de infinitis ejus beneficiis, col.1. A 371
Humilitas in imò eſt, col.2. E 240
Humilitas quibus rebus comparetur, colum 1. C. & col.1 E. & F. cum ſeq. 247. & 248
Humilitas omnis juſtitia dicitur, col. 1. D 241
Humilitatis laudes multæ & utilitates, & nominationes, col. 1 G. per totum. 238
Humilitatis operationes variæ, & effectus, columna prima C. cum ſeq. 247
Humilitatis mirabile quoddam narratur, col.1. D ibid.
Humilitatis exemplum de quodam diſcipulo de quo in vitis ſanctorum patrum, col 2. G 246
Item aliud exemplum humilitatis de quodam Simeone de Columna, col.2. H ibid.
Humilitatis prima laus quæ, col.2. E 240
Item ſecunda, & tertia uſque ad decimam, col.2. C 245
Humores corporis humani quatuor elementis aſſimilantur, columna, 2 B 797
Hunnorum gens à dæmonibus, incubis & ſuccubis generata, columna 1. H 1070
Hur qualiter interpretur, col.1. C 81

I

IAcula ad removendum unumquodque vitium ab ipſo vitio, quæ ſint, col.2. D 109
Iaſpis humilitatis præbet exemplum, col.1. G 248
Idea Salomonis quæ, col 2. D 89
Ideas ſive ſpecies intelligibiles in intellectu eſſe, quibus rationibus probetur, col.2. A 821
Idola cujus virtute fiant, col 2. B 83
Idolatriæ inventiones, quæ ſint, col.1. D 77
Idolatria eſt Dei contumelia, col.2. G 670
Idolatria quid, col.2. D 65
Idolatria duplex, col 1. A 98
Idolatria inimica eſt creatori, col.1. D 883
Idolatria vetus quæ, col 2. H 66
Idolatria per varias figuras animalium fiebat, col. 2. G 86
Idolatria Ægyptiorum, col. 2. D 39
Idolatria naturalis eſt ex natura corrupta proveniens, col.1. H. 68 uſque ad 69. col.1. A. cum ſeq.
Idolatria noſtri temporis ſub qua forma fiat, colum 1. D 83
Idolatria prima, quæ fuit, col.1. E 66
Idolatria eſt dicere non eſſe alium auctorem, & remuneratorem animabus noſtris, quam intelligentia agens, colum.1. H. 816
Idolatriam quæ obſervationes ſapiant, col.1. G. & H 46
Idolatriæ pars noviſſima quæ, col 1. C 93
Idolatria inventionis ratio & cauſa, col.2. A 93
Idolatriæ ſpecies omnes & modi unde ortum habuerunt, columna 1. D 663
Idolatriæ characterum deſtructio, col.2. G 88
Idolatriæ deſtructio per capita decem, col.1. D 69
Idolatriæ quædam narrantur, col 1. C 37
Idolatriæ elementorum partes, col.2. B 81
Idolatriæ origo, & cauſæ quæ, col.1 D & ſeq. 67
Idolatriæ variæ ſpecies, col.1. B 67
Idolatriæ ethimologia, quæ col. 1. E 66
Idolorum ſpecies quot, col.1. H. & ſeq. 66
Idolorum fabricatio in corde quę col 2. E 68
Idolorum aſtutia, col.2 E 296
Idolum nihil eſſe ex verbis Apoſtoli, qualiter intelligatur, columna 2. E 74
Iejunio quare tanta virtus tribuatur, ut ea eleemoſinę pariſicetur, col.2. F. 368
Ieroboam quid ſignificet. col 2. D. 285
IESVS Chriſtus Dominus noſter quomodo appariturus, cum venerit judicare vivos, & mortuos, col 1. G 710
Ignem non timentia, & eidem reſiſtentia, quæ col.1. D 651
Ignem orationis, quæ valeant ad accendendum, vel nutriendum. col.1. B cum ſeq. 398
Igni inferni perpetua, & pœna corporum damnatorum, columna prima F 716
Ignis purgatorius quantus, col 1. C 279
Ignis, cœli, & ſtellæ quare non habeant habitatores, col. 1. E. & ſeq. 950
Cœli tamen, & planetæ videntur habere, ſecundum opinionem aliquorum. ibid.
Ignis virtutes & operationes, quæ col.1. C. & D. cum ſeq. 249
Ignis purgatorij, & ignis infernalis, quis colum.1. E 680
Et quandoque afflictio appellatur, col 1. H ibid.
Ignis inferni quis ſit, & qualiter cruciaturus animas, columna ſecunda D 665
Et quomodo agat in animas. ibid.
Ignis ſpiritualis dicitur ignis iræ, vel deſiderij. ibid.
Et quid ſit col.1. E cum ſeq ibid.
Ignis generatus ex ſuperiori parte aquarum, col.2. F 668
Ignis quo cibatur Salamandra eſt ignis apud nos, qui non eſt elementum, col.2. B 641
Ignis & gladius debent eſſe in ſacrificio orationis, col.1. C. & D. cum ſequen. 391
Ignis eſſe quod ſit elementum, duabus viis ſtabilitur, col 2. G. 668
Ignis tribulationis nihil agit in animas patientium, col.2. C 149
Ignis purgatorius, vel infernalis ſola ſui imaginatione ſufficit torquere animas humanas à corporibus ſeparatas, col.2. A 681
Ignis corporalis qualiter purgare poſſit animas humanas, columna 1. H 680
Ignis Græcus, quis, & quot ejus ſpecies, ibid.
Ignis ſacer, quis col 2. F 228
Ignis peccatum eſt, col.1. A 285
Ignis fugiendus quotuplex ſit, col.1. A 307
Ignis ſpiritualis quot ſpecies, col. 2. G 2
Ignis elementum ubi, col.2. H 674
Ignorans an ſemper ignoretur, vide pulchram diſtinctionem, col.1 E 58
Ignorantia quid ſit, col 2. F 294
Ignorantia an oblivio dicatur in animabus corpore conjunctis, col 2. C 705
Ignorantia bene vivendi neminem excuſat, col.2. A 2
Ignorantium bona gratiarum reprehenſio gravis, col.1. A 207
Illuminatio nobilior quę ſit, col 1. F 6
Illuminatio, purgatio, & perfectio quot modis intelligantur in hierarchiis, col 2. H 994
Illuminatio animæ rationalis quanta, col.1. A 721
Illuminatio quæ dicatur, col.2. D 1003
Illuminationes omnes deſuper animabus noſtris advenientes qualiter fiant, col.1. A 841
Illuminationes ſubſtantiarum ſublimium ad inferiores earum, & ad animas noſtras quomodo fiant, colum.2. C. cum ſequen. per totum 999
Illuminationes ſoliſicæ, & ſpirituales differunt, col.2. G 962
Illuſio mentis humanæ, quæ col.2. H 68
Illuſiones quomodo fiant, c.1. H 878
Imaginatio, memoria, & ſenſus communis quomodo ſe habeant ad voluntatem, col 1. F 122
Idem de intellectu, & ratione dicendum. ibid.
Imaginatio rei deſiderabilis commovet deſiderium, col.1. G 44
Imaginationis ratio, & modus, col.2 H 90
Imagines ſtellarum, & luminum nihil virtutis habent, & eſt error intolerabilis, qui contrarium diceret, columna ſecunda C. cum ſeq. 659
Imagines juxta quot modos intelligantur, col. 2. H 90
Imago in nihil juvat ſpiritum, col 1. H 84
Imarmenes quid, col 1 C 785
Et de ejus deſtructione, col.2. D. 787. & eſt idem cum fato, colum.2. A 791
Immolatio hircorum nihil ad Deum, col.2. C 96
Immortalis vitę animalium nulla utilitas, colum.1. H. & columna ſecunda E 742
Immortalitas corporum glorificatorum quibus probetur, colum.1. G 738
Immortalitas mortem humanam ſequitur, col 2 B 735
Immortalitas & paſſibilitas qualiter inter ſe compatiantur in corporibus damnatorum, col 1. D 735
Immortalitas animæ quæ, col.1. D 315
Immunda quatuor in viris, & mulieribus, col.1. H 36
Immunditia eorum qui mortuum tetigiſſent, col 1. H 36
Impartibile motu continuo moveri non poteſt, col.2. B. fol. 953. & col 2 H 954
Et quid illud ſit cum eſt continuum. ibid.
Impartibilia replere non poſſunt locum partibilem quantumvis parvum, col.2. D 945

Impartibilitas

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Impartibilitas puncti quæ, col.1. G 920
Et de ejus effectu. ibid.
Impartibilitas ſecundum rationem facit amplitudinem, & extenſionem prædicabilem, col. 1. G ibid.
Impartibilitas quotuplex, col 1. F & G ibid.
Et qualiter de creatore intelligatur, G ibid.
Impaſſibilitas quæ, col.1. C 177
Impaſſibilitas corporum glorificatorum eſt longe major quacunque virtute, & fortitudine corporali, col.2 A 915
Impaſſibilitas animarum, & corporum glorificatorum eſt una ex dotibus eorum, col. 2. D 327
Impatientia & iracundia quando idem ſint, col 1. C 177
Impedimenta in anima irradiationum, quæ col 2. B. & ſeq. 1053
Impedimentum virtutum naturalium quod, col. 1. C 23
Imperativa virtus animæ humanę ſuper motum corporis ſui impeditur per ſeparationem, col.1 D 1063
Imperativæ virtutis fortitudines, & opera mirabilia, colum 1 B, cum ſeq. 927
Imperium & obedientia æqualia ſunt, col. 2. B 729
Impium juſtificare eſt majus, quàm cælum creare, col.1 H 314
Importunitas in rogando quid & quotuplex ſit, col.2. F 370
Et quibus locis probetur. ibid.
Et quæ fuit ipſius cauſa. ibid.
Importunus unde dicatur, col. 2. G ibid.
Impoſſibilia, an in imperium cadant, col.1. F 288
Impoſſibilium non eſt obligatio, col 2.E 452
Impreſſiones in anima quæ, col.2.C 107
Impreſſiones aëris quæ, col. 2. D 29
Impreſſiones in corporibus multæ ſequuntur ex ſubſtantiis abſtractis, col.1. F 616
Impreſſiones minores tanto facilius imprimi quam majores, quanto eiſdem minores fuerint, col.2. H 928
Impreſſiones primæ cur magis cognoſcantur, col. 2. C 885
Improbabilia & ab intellectu humano innotiſſima ad quid pertinere dicantur, col. 2. H a
Improbatio contra deos gentilium, col.2.H 796
Improbitas quid operetur, col. 2. E 2
Impudens quid ſit, col.1. F 176
Incantatio ſine idolatria non eſt, col.2 A 45
Incapacitas à credulitate articulum excuſat, col.1. D 12
Incarnatio filij nil aliud fuit, niſi humanæ naturæ oſculatio, colum. 1. E 568
Incommoda ex divitiis multa, col.1.B 495
Inconvenientia duo quæ ſequuntur ex communicatione cum brutis, col.2. C 55
Inconvenientia multa quæ ſequerentur ſi ſacerdos malus non poſſet ſacramentum conficere, col. 2. G 115
Incorporatio quid ſit. col 2. F 40
Incurvatio rectitudinis noſtræ tertia dicitur via ad vitia patens, col.2. B 261
Indicia caſus & temeritatis quæ ſint, col 1. B 715
Indicium præſentialis exiſtentiæ creatoris in omnibus ſubſtantiis, quod ſit, col.1. E 1016
Indigentia pars miſerię appellatur, col 2. B 51
Indigentiæ & careutiæ ceſſatio perfectionem ſtatus inducit, colum. 1. C 743
Indignatio quæ elicitur ex peccatis quid valeat, colum, 1. H. per totum. 258
Individua omnia eiuſdem ſpeciei æqualia, & ſi minima ſunt, colum. 1. A 863
Individuorum omnium ejuſdem ſpeciei eædem ſunt vires, & potentiæ naturales æquales, col 2 H 856
Individuum vagum qualiter ſe habeat in ipſo ſenſu, & imaginatione, col.2. A 761
Et quomodo cognoſcatur, an ſit vagum, vel majus vagum. ibid.
Individuum eſt in amplitudine ſpeciei, ut punctus in linea, colum 1. E 685
Indulgentiæ & remiſſiones ex quibus probentur fundamentis, colum. 2. F. cum ſeq. per totum 550
Et pro pecuniis non dantur, col.2. E. & F ibid.
Infantes non baptizati mortui, an dolorem aliquem patiantur, col.2. F 278
Infauſti dies quare ſint, col.1. F 92
Inferni conſideratio quæ, col.2 F 194
Inferni magnitudo quæ, col. 2. F 210
Inferni locus quis, col.1.B 665
Infernus damnatis repletus erit ſecundum ultimum decentiæ juſtitiæ creatoris requirit, col 2. F 724
Infernus cur ſit, col 1. B 665
Et quæ corpora habeat, col.2. C ibid.
Infernus bonus & diligendus quatuor de cauſis, col 2. H 210
Infinita ſignis finitis deſignantur, col 1. B 919
Infinita ponere eſt deſtruere credulitatem eorum quæ ſunt religionis fundamentum. col.1 H 10
Infinitas & immenſitas creatoris ad creaturam ex quibus probetur, col.1.B 915
Infinitum ſimpliciter, quid ſit, col.1. C 915. & col.2. F 916
Infinitum qualiter intelligatur, col 2. F 62
Infinitum ad aliud non eſt infinitum per ſe, col.1. C 185
Infinitus ad infinita eſt pluſquam infinitus, col.1. G 918
Infirmitas omnis ægritudo eſt & vitium, col.2.A 281
Infirmitas gravis ſobriam reddit animam, col. 1. H. 1091
Infirmitas caſtigatio dicitur, col 1. D 251
Et citatio, ibid col.2 C ibid.
Et optima commutatrix, col 2. D ibid.
Infirmitas quid ſit, col. 2. F 525
Infirmitates humani cordis ſive ſpirituales quæ, colum 1. C cum ſequen. 155
Infirmitatis propriæ conſideratio, col.1. D. 213
Inflationis ſeu impregnationis diabolicæ rami, ſeu filiæ, columna 2. F 244
Influxum virtutum naturalium deſcribitur, col 2. H 116
Influxus corporum cœleſtium in hæc inferiora col.2. C 117
Infortunia mala bona ſunt per ſe, contra opinionem aliquorum, col.1. A 633
Et caſu accidunt præter intentionem. ibid.
Ingreſſus animæ humanæ in corpus improprius eſt, col 1. A 958
Ingreſſus unus tantum in civitate Dei eſt: qui initiatio & ſanctificatio dicitur, col.1 F 95
Inimicus Dei eſt qui vitia ſequitur, col.1. F 140
Iniquitas ponderoſitati attribuitur col 2.D 59
Iniquitatis partes duę col 2. E 178
Initia & res initiales quæ ſupponuntur parti nonę idolatrię, quot modis intelligantur, col.1.G 92
Initia motus inſpicere vanitatis eſt, & idolatriæ. ibid.
Initia virtutum ſunt ipſæ vires naturales, col.1. F 119
Injuſtitiæ partes duæ, col.1 H 1026
Innocentia in præcepto eſt legis naturalis, col.1. G 572
Innocentiæ debitum de quibus ſit impreſſionibus, col.1. C 109
Inobedientia fuit primum peccatum primorum parentum, columna 1. H 160
Et quæ ſit. ibid.
Et per obedientiam emendatur. ibid.
Inobedientia Adę ſola obedientia Dei ſola emendari potuit, col.1. C 561
Inops quis dicatur, & inopia quæ col 1. E 219
Inquietudo quæ, col 2. H 175
Inquinatio communis eſt tam ad originale peccatum quam actualia, col.1. E 95
Inſania quorundam enarratur, col.1. B 75
Intellectiones quæ ſint, col.2. C 821
Intellectiva virtus quomodo immaterialia cognoſcat, c.2. C. 867
Et quot nominibus nominetur, col 2 B 821
Intellectiva per ſe non eſt ſufficiens ad vitam corporis, col 1. C. 715
Intellectiva vis noſtra non poteſt recipere materiales formas, ſicut ſenſus, col 2. F 914
Intellectiva virtus dæmonum valde deteriorata, col 1. G 1009
Intellectum quem debeat habere quis ad legis intelligentiam, colum.1. D 47
Intellectus viſus interior dicitur, col 1. H 516
Et eſt creatus ad intelligenda intelligibilia, ſicut virtus ad viſibilia. ibid.
Immo fortius ad intellectum ſuſius creatoris. ibid.
Intellectus habitu ſcientiæ illuſtratus cui comparetur col 2 G 116
Intellectus noſter intelligendo creatorem eum non ſtatit, nec terminat, col.2. D 919
Intellectus non minus Deo conformis eſſe debet quam affectus, col.2. E & F 58
Intellectus noſter non agit ſine voluntate ſibi imperante, col 2. H & ſeq. 891
Intellectus noſter ita ſe habet ad altitudinem credendorum, ſicut viſus ad altitudinem videndorum, col. 1. H 8
Intellectus hæreticus non habet apparitionem veritatis, col.2. C. 9
Intellectus caput humanæ veritatis dicitur, col.1. D ibid.
Intellectus quo creator intelligit ſe in ſe, & per ſolum ſe, ipſe æqualiter omnia creata, col.2. C 619
Intellectus & intelligere quot modis accipiatur, col 2. D 621
Intellectus & voluntas ſunt ſubiecę in operationibus ſuis, c.1 B. 955
Intellectus noſter qualiter ſpoliat formas ſenſibiles a conditionibus particularibus, col.1 H 822
Et qualiter per ipſam ſpoliationem illuminetur, C. ibidem
Intellectus excitatus per ſenſum format ſibi in ſeipſo formas intelligibiles, col 2. G 914
Intellectus verborum in principio creavit Deus, &c quot modis capiatur, col 2 G cum ſequen. 6. 4 & columna 1. F 628
Item verborum, terra erat inanis, & vacua, col 1. D 635
Intellectus humanus eſt velut ſponſus primæ veritatis, col 1. G. 452
Intellectus omnis natus eſt eſſe receptivum omnium intelligibilium, c. 2. H 116
Intellectus humanus ad quid creatus, col 1. G 58
Intellectus ſemper totum intelligere non pro parte, col 2. D 514
Et ideo impartibilis eſt. ibid.
Intellectus cui ſit ſubiectus, col 2. A 3
Intellectus operatio, col 2. G. & H 4
Intellectus quoad credulitatem cui comparetur. ibid.
Intellect. noſter eſt liber ad intelligendum omnia intelligibilia, c.1. H 8.0
Intellectus quibus ſit gratis veſtitudus, col.2. H 2
Intellectus & ſubſtantiæ ſeparatæ excitantur a non agentibus in ipſas, col.2. C 919
Intellectus unde & quid, col 1. H 156
Et quis eius effectus, col.1. H ibid.
Et quod non omnibus datus æqualiter, col.2. G ibid.
Et in quo differat à fide, col.1. C 153

I

Et contra brutalitatem diſtinguitur, col. 2. A ibid.
Intellectus eſt virtus omnium apprehenſivarum nobiliſſima, columna 2. E 808
Intellectus practicus quis, col. 1. G 788
Intellectus an ſit forma, col. 2. C 333
Intellectus locus eſt proprius regulariter honeſtatis, col. 1. B 20
Intellectus quomodo intelligat, & an per ſimilitudinem, col. 1. F. per totum. 1018
Intellectus paſſionibus ſenſuum excitatur, & per ſemetipſum format ſibi formas intelligibiles, col. 2. D 927
Intellectus omnis differt ſecundum ſpeciem, col. 2. A 863
Intellectus ad voluntatem bona comparatio, col. 2. E 58
Intelligens & ſciens non eſt agens, ſed patiens, col. 1. B 811
Intelligentia agens quomodo cauſat aliquam ex animabus, columna 2. B 831
Intelligentia omnis quid, col. 2. G 816
Et eſt creatori naturaliter conjunctiſſima. ibid.
Intelligentia agens noviſſima, & infima ordine & nobilitate omnium ſubſtantiarum nobilium abſtractarum, col. 1. E 826
Et quare ita ſit, ibid. & col. 2. H 820
Intelligentia prima per quem intellectum à creatore fuerit creata col. 1. 8. cum ſeq. 821
Intelligentia prima non eſt nata eſſe ſola, nec naturaliter prohibita cum aliis, nec alias prohibere, col. 2. A 817
Intelligentia agens naturaliter non influit, niſi ſimilitudinem ipſius, aut ejus quod habet, col 2. H 822
Intelligentia prima non exivit à creatore proceſſione naturali, ſed liberrima, col. 1. A 813
Intelligentia prima per quem modum intelligendi exivit à creatore, col. 1. B 619
Intelligentia à prima quot per ſuum intellectum exiverunt. ibid.
Intelligentia agens intelligendo non cauſat animas noſtras, columna 1. C 832
Intelligentiæ non ſunt ponendæ propter motus cœlorum, nec in eo numero poſito per Ariſto col 1. A 843
Intelligentia agens lux eſt animarum ſecundum Ariſt. col. 2. A. 819
Intelligentia agens non pateretur animas elongari à ſe, ſi eas ipſa creaſſet, col. 1. D 827
Intelligentiarum multitudo quomodo poſſit eſſe, ſecundum aliquos, col. 1. H 823
Intelligentiæ moventes corpora cœleſtia quot ſint, col. 2. E. 618
Intelligentiæ decem differentes inter ſe, col. 1. D 819
Intelligentię primæ, & aliarum locus quis, ſecundum Ariſto. col. 1 E 820
Intelligentiæ omnes æquales, & ſimiles ſunt, col. 2. H 828
Immo nullus ordo, nec gradus nobilitatis inter eas eſt. ibid.
Nec etiam inter animas cœlorum, nec inter cœlos. ibid.
Intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ nobiles, & perfectæ naturaliter per omnes modos, col 1. E 808
Et ſunt naturaliter pro congruentia ſui gradus. ibid.
Et earum perfectio quæ ſit. ibid.
Intelligentiæ agentes cur non ſint plures ſecundum Ariſt. columna 1. F 824
Intelligentiæ novem cur ab Ariſtot. poſitæ col. 2. H 808
Intelligentiæ omnes creatæ à Deo: non autem una creavit alteram, col. 1 D. & ſeq. 829
Immo nec per intellectum una poteſt alteram creare, col. 1. F. 830
Intelligere neceſſarium eſt ad ſalutem, col. 2. C 153
Intelligere an diverſificetur ſecundum ſpeciem, col. 1 D 957
Idem quo ad noſtrum intelligere, & angelorum, col 2. C. ibid.
Et quando habeat locum. ibid.
Intelligibilia ſe habent adinvicem ſicut ſpecula viſibilia directa oppoſitione inter ſe, col. 1. H 816
Intemperantes qui ſint, col. 2. C 179
Intendere ad gratiam quid ſit, col. 1 A 417
Intenſio peccatorum qualiter, col. 2. G 406
Intenſio in virtutibus quid, col. 2. H 188
Intenſio & remiſſio quid, & in quibus fiat, col. 2. G 188
Intentio authoris, col. 2. B 1
Intentio authoris in legis tractatu, col. 2. C 22
Intentio creatoris circa tentationes quæ, & quæ diaboli, columna 1. C 949
Intentio quæ dicatur, col. 1. F 994
Intentio in ſacramentis eſt de eorum forma, col 1. A 535
Intentiones communes, ſeu dignitates quæ ſint, col. 2. E 120
Interpellare ut amicum, & ut nuncium differunt, col. 1. H. 532
Interpretatio quomodo intelligatur, col. 1. G 994
Invidia fera peſſima dicitur, col. 1. & 2. per totum. 228
Invidia & avaritia ſunt in ultimitate elongationis à creatore, col. 1. C 817
Invidiæ paſſiones & effectus, col 1. E. per totum. 1016
Invidia cur ita dicatur, col. 1. E ibid.
Invidia fuit peccatum primum diaboli ſecundum opinionem aliquorum, col. 2. F 896
Inviſibilia non cognoſcuntur, niſi per viſibilia, col. 2. F. 412
Invocatio divini nominis in ſacramento Confirmationis quid operetur, col. 2. H 418
Joannes Baptiſta quid damnavit, col. 1. C 219
Joannis de monte mirabili exemplum humilitatis notandum, columna 2. C. & D 245
Joannis eleemoſinarij exemplum imitandum, col. 2. G 216
Iocunditas quæ & quo nomine vulgariter vocetur, col. 2. G 202
Ira quid ſit, col 2. G 213
Et apud Deum quid, col. 1. C 471
Ira Dei ſumma quæ, col. 1. E 216
Ira Dei in nos major & minor ſecundum gravitatem peccati, col. 2 G 1022
Ira Dei ſumma & ejus ſumma miſericordia, quando in eo ſint, col. 1. B, & C. 571
Ira dæmonum cur de malis noſtris nunquam ſatietur, col. 2. E. 1022
Ira intenta ad correptionẽ ex amore & pietate provenit, c 2. G. 1014
Ira & amor pervertunt verum judicium, col. 1. F 1016
Et cognitionem & ſcientiam obſcurant, col. 1. A. & ſeq. 1019
Ira & miſericordia contraria ſunt, col. 2. A 497
Ira injuſta quæ, col. 1. F 72
Ira deorum, nec favor nocet, nec prodeſt, ſine Dei auxilio, columna 1. B 73
Iraſci an & quando licitum ſit, col. 1 D. cum ſeq. per totum. 192
Iraſci & gaudere ad creatorem non pertinet, niſi per tropum, columna 2. B. 773
Iraſcibilitas quid, col. 1. H. 156
Iraſcibilitas facilis ad provocandum, col. 1. F ibid.
Iracundi natura & paſſiones, col. 1. D 177
Iracundi naturaliter patientiam deſerunt, col. 1. E 106
Iracundi natura quæ, col. 2. H 180
Iracundia naturalis quæ, col. 1. A 181
Iratum aliquem alij non eſſe, eſt non quærere, vel non velle ei facere malum, col. 2. B 471
Iræ & odij differentiæ, col. 2 G 218
Irradiationes variæ à Deo in animas noſtras venientes, col 2. B. cum ſeq. 1053
Et de earum impedimentis, col. 1. D 208
Iſopi virtutes, & ſignificatio, col. 2. A 41
Iudæi mali interpretes prophetarum, col. 2. D 17
Iudæi per ſigna credunt, ſed græci per probationum ſapientiam, col. 2. C 5
Iudicare alios non debemus, col 1. A 487
Iudicia, curæ, & providentia Dei ex quibus cognoſcantur, col. 2. B cum ſeq. 755
Iudicia Dei varia in genus humanum, col. 2. G 770
Iudicia aſtronomorum quorundam, & eorum radices multa narrantur, col. 1. C. cum ſeq. 655. & col. 1. D. per totum. 657
Iudicia quæ fiunt hic per judices quandoque fiunt per thronos, columna 2. B 975
Iudicibus ſpiritualibus parendum eſt, col. 1. C 555
Iudicium univerſale Deus exercuit per aquas univerſalis diluvij, col. 2. F 770
Iulianus apoſtata damnatus, qui negavit peccatum originale non reperiri, col. 1. H 264
Iuramentum & votum, quando non obligent, col 2. F 290
Ius ſibi dicere nemo poteſt, col. 1. D 457
Ius naturale quid, col 2. G 378
Ius ſummum ſumma injuria eſt, col 1. C 225
Ius naturale in brutis quid, col. 2. G 522
Iuſtificare impium dicitur majus quam cœlum creare, col. 1. H. 314
Iuſtificatio peccatoris majus eſt quam ſuſcitatio mortuorum, columna 1. E 420
Iuſtificatio quid ſit, & quot ſint ejus partes, col. 1. A 555
Iuſtificationis quot ſint partes, col. 1. A 465
Iuſtitia quid, col 1. C 163
Iuſtitia nomen generale omnium virtutum, col. 2. D ibid.
Iuſtitia, miſericordia, & æquitas unum ſubjecto ſunt, columna 2 E 178
Iuſtitia Dei vita eſt ad miſericordiam obtinendam, col. 1 E 454
Iuſtitia ſicut ſe habet ad contumaces, ſic ad pœnitentes miſericordia, col. 1. G ibid.
Iuſtitia omnes alias virtutes amplectitur, col. 1. E 188
Iuſtitia Dei omnem virtutem veri nominis fœlicitate æterna remunerat, col 1. H ibid.
Iuſtitia Dei ubique eſt, col. 2. H 770
Iuſtitia & miſericordia Dei, quando pœnitenti impendatur, columna 1. B 453
Iuſtitia & aliæ virtutes illi ſimiles aut ſunt effectiones virtutis concupiſcibilis, aut virtutis iraſcibilis, col. 1 H. & ſeq. 180
Iuſtitia divina quid à nobis requirat, col. 1. B 98
Iuſtitia & temperantia ad quid neceſſaria, col. 2. C 179
Iuſtitia & ſanctitas, & alia ſimilia dicuntur eſſentialiter de creatore, col 2. D 845
Iuſtitia in nobis quid operetur, col. 2. A 14
Iuſtitiæ ſpecies ſex, col. 1. D 163
Iuſtitiæ divinæ nulla datur proportio in magnitudine, ſeu intentione, col. 1. H 62
Iuſtitiæ intentiones duæ, col. 1. A 165
Iuſtum vel injuſtum de quo dicatur, col. 2. G 224
Iuſtus lampas dicitur, col 1. C 173
Iuſtus & bonus dicitur qui facit quod debet, columna ſecunda G 598
Iuſtus quis dicatur, col. 2. D 187
Iuvenalis verſus in materia reſiſtendi tentationibus allegatur, col. 2. D 201

Iuvenalis

Iuvenalis in ſatira decima paupertatem laudat, & Seneca inquit quod eſt bonum ſine calumnia, col. 1. E 230
Iuvenalis de motu indignationis quid ſentiat, col. 1. B 461

L

LAc quid ſignificet, col. 2. E 154
Lancea & ſcutum quid ſignificent, col. 2. E 216
Lancea Dei quid ſignificet, col. 2. A. 403 & col. 1. G 404
Lachrimarum impetratio per quę adjutoria ſit requirenda, col. 2. B. cum ſeq. 367
Lachrimarum pietatis utilitas, col. 2. C 221
Lachrimæ ſunt ſanguis animarum col. 1. A 221
Laici in venialibus abſolvunt in neceſſitate, col. 1 E 500
Lapidis heliotropiæ virtutes mirificæ, col. 2. C 1059
Lapis ſardonicus fluxum ſanguinis reſtringit, col. 2. C 669
Lapidum aliquorum virtutes, col. 2 B. & ſeq. 11
Lapidum quorundam colores ad ſimilitudines ſtellarum, columna 1. G 642
Lapidum precioſorum aſpectus qui, & de eorum virtutibus, colum 2. B 657
Lapis paſſivus, quis, col 2. H 42
Lapſus animarum ea qua parte ſit irreparabilis, col. 2. A 453
Largitas creatoris quando reſtricta dicatur, col. 2. F 828
Largitas quot in ſe contineat, col 2. A 14
Largitas creatoris quanta, col. 1. B 719
Largitatis divinę dona nulla ſunt comparationi ejus boni quod eſt ſpiritus ſanctus, col. 1 B. & C 327
Largitatis opus majus eſt quam alia opera magica. ibid.
Latria quid, col 2. C 65
Latriæ cultus qualiter impendatur, col. 2. E 11
Latrones qualiter intelligantur ſecundum unam intentionem, colum. 2. E 376
Laudare quid ſit, col. 1. D 1005
Laudes & virtutes gratiæ, ſeu doni inquantum amor eſt, columna 2. A 207
Laudes faſcinatrices quæ, col. 1 H 218
Laus inanis, & vana dicitur quæ eſt à boni virtute remota, colum 2. B 247
Laus prima humilitatis dicitur eſſe ſecuritas à caſu, col. 1. E 240
Laus ſacræ ſcripturæ refertur, col. 2. D 47
Laus humana panis mendacij dicitur, col 1. C 239
Leges humanæ æquitatem, & juſtitiam continent, col. 2. D 777
Et cur quandoque iniquę dicantur. ibid.
Leges ſpirituales neceſſariæ ſunt, col 2. A 459
Leges famoſiſſimæ prohibentes idolatriam quot fuerunt, colum. 1. B. & C 883
Leges ſalutares inſpirare cordibus regum, & ſtatuta neceſſaria, ad thronos pertinet col. 1. C 972
Legis partes quot, col. 1. A 19
Legis partes ſecundum ejus ſignificationem, col. 1 A 23
Legis machometi improbatio, col 1. D 12
Legis ſapientia in Hebræis periit, col. 1. A 47
Legis intentio quo ad ſacrificia, col. 2. E 42
Legiſlator bonus quis, col. 2. F 46
Legiſlatoris Moiſi prudentia in ſcribendo, col. 1 D 19
Legio una ſpirituum malignorum quare convenerit ad vexationem unius hominis col 1. A 949
Legiones in unoquoque ordine ſubſtantiarum abſtractarum quot ſint, col 2. G 948
Legionis numerus malignorum ſpirituum quis, col. 1. H ibid.
Legum diverſitates aſtris attributas, col. 2. G 54
Legum diverſitates quæ, col 2. E & ſeq. 54
Leonis & Freneceti mirabilia per virtutem imperantem, quæ alias non eſſent, col 1 B 927
Leonis gratitudo mirabilis, col. 1 G 318
Lepra quid, col. 2. E. 42 & col. 1. A 271
Lepræ varia ſignificata, col. 2. F 42
Lepræ ſigna quæ, col. 2. G ibid.
Lepræ ſpecies quot, col. 1. A 43
Leproſi ratio, col. 2. H 36
Leproſi ex urbibus ejiciendi, col 1. F 142
Leproſi omnes quare non mundabantur, col. 1 F 42
Leproſi in mundatione quare quatuor adhibebantur, col. 1. C 43
Levitas humilibus conveniens quæ, col 1. C 243
Levitas & conſtantia quæ, col. 2. B 177
Lex quid, col. 2. H 18
Et unde dicatur, col. 1. A 19
Lex in mente magis quam in ſcripto eſſe debet, col 1. A 20
Lex ſpiritualis & corporalis, col. 1. C ibid.
Lex impreſſa cordibus humanis, col. 1. D ibid.
Lex qualiter ſit jus divinum, col. 2. A ibid.
Lex ſcripta regulas & mandata continet ad numerum virtutum, col. 2. B 10
Lex civilis malos judicat ex uno actu, col. 1. B 123
Lex naturalis an fuit illius ſcientiæ, quæ dicitur ſcripta in corde hominis, col. 1. G 124
Lex naturalis vivendi qualis fuit in ſubſtantiis nobilibus, columna 1. H 898
Lex naturalis, & innocentia voluntati imperant, col. 1. H 172
Et de bene actis gaudendum docet & de male dolendum. ibid.
Lex non præcipit, niſi juſta & poſſibilia, col. 2. G 598
Lex debet habere literalem intelligentiam: item & ſpiritualem, col 1. B 47
Lex multiplex data, col. 2. A ibid.
Lex Hebræorum circa reſtitutionem cauſa furti faciendam, colum. 2. D 25
Lex talionis qualiter, & contra quos exercenda, col. 1. G 16
Lex Hebręorum, & Chriſtianorum in quo concordat in materia fati, col. 1 G 796
Lex non eſt poſita brutis, col. 2. B 285
Lex ſaracenorum lex naturæ dicta fuit, col. 2. F 54
Lex Chriſtianorum lex gratiæ dicitur. ibid.
Lex ſolis apud Chriſtianos quæ, ſecundum aliquorum opinion. col. 1. A 55
Lex de divortiis permiſſio, non præceptio fuit, col. 2. B 527
Lex Machometica narratur, col. 2. F 50
Lex ſignificationis quæ, col. 1. D 23
Lex cuique naturæ indita, col 2. G 776
Lex Hebræorum appellata lex fortunæ, col. 2. E 54
Lex ſtatuenda erat ad favorem matrimonij, & ad deſtruenda omnia ejus contraria, col 2. A 515
Lex intellectus poſita eſt, col 2. H 58
Lex veritatis non eſt niſi una, col. 1. E 2
Liberalitas paupertatis valde commendatur, col. 2. F 232
Liberatio a periculis nobis imminentibus quot modis ab angelis fiat, col. 1 H cum ſeq. 1012
Liberatio & damnatio ſe habent ad invicem ſicut contumacia & pœnitentia, col. 1. G 454
Liberi arbitrij ratio, col. 2. H 182
Libero arbitrio aliquid ſubeſſe quid ſit, & quæ ei ſubſint, columna 2. F 288
Libertas quid, col. 1. F 316
Libertas voluntatis impediri non poteſt ab aliquo motore extrinſeco, col. 2. A 289
Liberum arbitrium qualiter in homine intelligatur, colum. 2. per totum. 571
Liberum arbitrium naturaliter in homine propriè eſt, col 2. B 455
Liberum arbitrium eſt cauſa in homine omnis peccati, columna 1. D. ibid.
Liberi naturales legendi, col. 2. H 284
Ligatio malignorum ſpirituum ex quibus col 2. G 958
Ligationes quæ ſint & quid ſentiat auctor de ipſis. col. 1. D 662
Ligna igni ſubtrahenda quæ ſint, col. 1. B 307
Lignum cedri quid ſignificat, col. 2. A 41
Lignum vitæ in paradiſo vitam perpetuat, col. 1. F 440
Lignum vitæ cur ita dictum, col. 1. F 676
Et in perpetuam vitam ſervabat, G ibid.
Lixivia quare eſt amara & ſalſa, col 1. F 668
Loca diverſa animarum quæ, col. 2. A 827
Loca innaturalia corpori per animam acquiruntur, col 2. E. 442
Locus ſubſtantiarum abſtractarum qualiter cogitandus, col. 1. D & col. 2. per totum. 941
Locus intelligentiæ primæ, & aliarum quis, ſecundum Ariſt. colum 1. E 820
Locus futuri judicij univerſalis quis, col. 1. E 710
Locus duplex eſt, col. 2. H 942
Locus infantium non baptizatorum quis col. 1. H 278
Locus habitationis beatorum ſpirituum debet eſſe conveniens fœlicitati, col. 1 B 977
Et ubi vere ſit, col. 2. G. 978
Locus omnis ſublunaris eſt locus corruptionis, col. 1. B 335
Locutio naturalis quid, col. 1 E 1002
Locutiones ſpirituales cogitationes tantum ſunt, & deſideria, col. 1. B 973
Idem in locutionibus dæmonum. ibid.
Longanimitas quæ, col. 2. B 155
Et cui comparetur, C ibid.
Lucernę in candelabro ſeptem, col. 1. G 32
Luciæ virginis exemplum de humilitate notandum, col. 1. D 245
Lucis vocabulum quot modis intelligatur, dum Deus dixit, fiat lux col 2. C. cum ſeq. 635
Lucis in tenebras mutatio & è contra fit per operationem continuam, col. 1. E 914
Lucta animæ in oratione quæ, & de eius variis accidentibus & aſtutiis, col 1. C, cum ſeq. per totum. 401
Ludificationes per quæ ſiebant, col. 1. E 82
Lumen fidei maximum eſt, col. 1. A 185
Lumen tenuatur ac minoratur per elongationem à luce ex qua emicat, donec annihiletur, col. 1. G 254
Lumen fidei omnia vincit ſenſibilia, col. 2. A 6
Lumina nobiliora quæ dicantur, col. 1. E 6
Luminoſitas fidei quid operetur, col. 2. F 184
Luna qualiter augeat, vel minuat mare, col 2. A 669
Luna coli à mulieribus multa aviditate ſolebat, col. 2. F 36
Lupi natura & virtus, col. 2. D 853
Lutum Ægyptium quid, col 1. H 210
Lux tenebras expellit, & locum quantumcumque tenebroſum illuminat, col. 1. E 600
Lux ſpiritualis majoris eſt influentiæ quam corporalis, c. 1. B 972

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Lux æterna quæ, ſecundum Ariſt. & Platonem, col.1.H 114
Luxuria in porco non eſt peccatum, col.2.G 269

M

MAcometi opinio de Angelis col.1 E 104.
Macometi error deteſtandus, col.1 G 72
Macometus de genere Abrahæ, col. 2.D 49
Macometus alter qui fuit philoſophus, col. 1.F 50
Macometiſtarum perfidia, col.1. E 2
Macrocoſmum & microcoſmum quid, col.2.E 848
Maculæ ſpirituales peccata ipſa ſunt, col.1.D 291
Magia naturalis in quibus verſetur operibus, col.2. D 69
Magicæ vanitates quæ, col.1. F 70
Magicæ operæ quæ, & quot ſint eorum genera, col.1.A 1059
Et ejus aliquæ mirificæ virtutes, col.2.B ibid.
Magis & minus non ſemper dicuntur ſecundum accidens, columna 2. B 967
Magis & minus intentio, & remiſſio non ſunt per admixtionem contrarij vel ab eo remotionem, col.1.F 866
Magiſtri in aliquibus reprehenduntur, col.1. D 219
Magnanimitas quæ, col.2.B 355
Magnetis ſeu adamantis proprietas & exemplum, col.1.H 1062
Magnetis quot ſint ſpecies, & de earum virtutibus, c.1. C 775
Majores ſervi ſunt aliorum, col 2 H 970
Mala ex rabie corrigentis provenientia, col.2.C 122
Mala ex carentia tentationis provenientia, quæ & quot ſint, colum.1. C 303
Mala multa ex ebrietate provenientia, col. 1.F 770
Mala ſeptem ſubvertentia & dentrpantia vitam humanam, colum.1.F 152
Mala per errorem intenduntur, non autem conſultè, col.2.F 754.
Mala non dicuntur à creatore proviſa, ſed bene recognita, colum. 2. G 754
Mala quotuplicis ſunt generis. ibid.
Malæ actiones per ſe, non autem proprié dicuntur à creatore, col.2. B 766
Malefici credentes obtinere virtute verborum, quæ proferunt, damnantur, col.1. B 91
Maleficia tam ad bonum quam ad malum fieri poſſunt, c.1.E 76
Mali angeli quomodo cognoſcantur col.1.G. & H 952
Mali an ſimus ex male agere frequenter ſicut ex male velle, colum.2, F. & ſeq. 122
Mali cur floreant in proſperitate, & bonis dominentur, c.2.A. 775
Mali homines etiam dæmones ejicere poſſunt, col. 1.D 91
Maligni ſpiritus nihil cognoſcunt per ſenſum, niſi in ſe ipſis, & intra ſemetipſos, col. 2. G 1003
Maligni ſpiritus non poſſunt homines vexare pro libito eorum malignitatis, col 1. A 949
Malitia unius horæ oblivionem facit magnæ luxuriæ, c.1.H.1024
Malitia non poteſt eſſe bonitati adventitia, vel accidentalis, colum 2. F 596
Et hoc probat multis rationibus. ibid.
Malitia quot modis capiatur, col. 2 G 882
Malitia creſcente creſcit & malignandi aſtutia, col.1.G 912
Immo eam illuminat ſicut virtus erga ſcientiam. ibid.
Malitia in diabolo inceſſanter creſcit, col.1. G. cum ſeq. 912
Malitia non eſt innata in cœlis, col.2.B 787
Malitia nullatenus Deo attribuenda, col.2.F 772
Et quæ ſit, ibid.
Malitia non poteſt eſſe eſſentialis ei, quod neceſſe eſt eſſe per ſe, col 1.E. 596. col.2.F ibid.
Malitia quot modis dicatur in ſpiritualibus ſubſtantiis, c. 1. F. 884
Malitia creaturarum opus naturæ aut creatoris non eſt, colum. 2. B & C 1015
Malitia ſacerdotis non impedit confectionem Euchariſtiæ, & quare, col.2 B 535
Malitia angelorum à ſeipſis provenit, col.2. A 889
Malitiam in ſubſtantiis ſpiritualibus reperiri, quibus probetur contra Ariſt col.2.F. cum ſeq. per totum. 882
Malitiæ in ſubſtantiis ſunt ſpiritualibus contra Ariſt. c. 2.A 849
Malum eſſentialiter, & ſecundum ſubſtantiam non eſt, col.2.C cum ſeq. 601
Malum e bono & è contra ex malo bonum ſæpe oriri, col.2.F. 602
Malum primum an aliquid ſit, aut nullum videas diſtinctionem col.1 C. cum ſeq. per totum. 603
Malum quot modis accipiatur. ibid.
Malum primum quid ſit, col.2.A ibid.
Malum primum diaboli quod, col.1.F 896
Malum maximum omnis mali quale, ibid.
Malum quot modis dicatur, col 2.B 597
Malum malo contrarium ſæpe invenitur, col.2.E 598
Malum primum prout eſt nocumentum quale: & quale etiam prout eſt noxium, col.1.F 196
Malum quot modis dicatur, col.2.A. 883. & col.1.E. per totum. 884
Et eſſentialiter ſive naturaliter non reperitur. ibid.
Nec ſimpliciter nec etiam in rebus moralibus, col.2.E ibid.
Malum naturaliter non reperiri, col.1.D 55
Malus an ille ſit formaliter, qui male agit actu aliquo, c.2.H. 282
Malus angelus an aliquando Dei proprietate cognoſcat, columna prima C. 1017
Mandal & Amandel, col.2.H 84
Mandata generalia quæ, col.1.F 24
Manichæorum rationes quæ eos in errorem induxerunt, ut duo eſſe principia ponerent, col.2.B 601
Manichæorum errores de duabus naturis in nobis impugnantur, col.2. D. 303.& col.2. G 304
Manichæorum errores, col.1. H. 15
Manichæorum errores & impietates damnantur, col.1.A 291
Manus ſacerdotis ſuper caput pœnitentis quid ſignificet, & etiam abſolutio, col.2. A 461
Manna quid ſignificet, col 2.A 419
Mare quando dicatur augeri vel minui, col.2. A 669
Maria Magdalena ſublimior cunctis virginibus in cœlo, c.2.B. 481
Maria Dei genitricis humilitas admiranda, col.2.C 145
Moriones qui dicantur, col.2.C 267
Maris ebullitio & augmentatio unde, col.1.E 670
Martialis quædam verba de humilitate. col.1.A 247
Martini verba notanda, col 1.D 208
Martirium quid, col.2 F 100
Martirum tormenta fructus ſunt patientiæ, col.1. D 358
Materia prima an vivere dicatur victu ſpirituali, col.1.F 846
Et quid ſit, col 2.C 851
Et non eſt niſi ſubſtantiarum ſenſibilium. ibid.
Materia quacunque ſua forma non poteſt eſſe perfectior, c.2.F 846
Materia omnis creata non propter ſe tantum, ſed propter perfectionem ad aliud, col.2.A 725
Et ideo non eſt utilis niſi propter id quod ex ea exſtutum eſt. ibid.
Materia cæli empyrei an ſimilis ſit materiis aliorum corporum, col.2.D 638
Materia ſpiritualis ſubſtantiæ quotuplex, col.2. D 849
Materia ex qua facta ſunt quatuor elementa, quæ ſit, colum.2. C. cum ſeq. 667
Materialia non curantur niſi propter perfectionem, ad quam ſunt, col 2.H 408
Materiæ nomen unde. col. 2.A 847
Matrimonia ſingularia laudantur, col.2. F 524
Matrimonij fructus qui col.2 H. cum ſeq. per totum. 516
Matrimonij ſanctitas quæ col 2. H. cum ſeq. per totum. 518
Matrimonij ſanctitas ex benedictione, vel oratione ſacerdotali, col. 1. G 520
Matrimonij neceſſitas ex quibus cognoſcatur, col.2. E 528
Matrimonij neceſſitas ex quibus manifeſtum appareat, col.1. E. cum ſeq. 415
Matrimonium ſpirituale quod, col.1.D 45
Matrimonium quid, col 2 H 512
Matrimonium vere non dicitur niſi uterque conjugum plenum jus conjugalis uius alteri in corpore ſuo dederit, col.2.G 516
Matrimonium celebrandum ſine benedictione non eſt, col.1.G. 502
Et dicitur vinculum perfectæ ſocietatis, col.2. F ibid.
Matrimonium optimum eſt remedium contra voluptates carnis, col.2. D 523
Et duplicem habet delectationem ſpiritualem. ibid.
Matrimonium remedium eſt fornicationis, col.1.A 567
Matrimonium naturale eſt, col.2. E 518
Matrix aquarum quæ, col.2.D. 641
Maurus beati Benedicti diſcipulus, col.2 H 136
Media per quæ ſit generatio, non eſt neceſſe intendi generaliter vel particulariter, col.1.F 716
Media, infima, ſuperiora, & ſuprema quibus conjungātur, c.2.H. 606
Medici ſpirituales cauti eſſe debent, col.1.E 224
Medicina conſumptiva quæ, col 2. E 506
Medicina nullius erit virtutis in altera vita, col.2.E 742
Medicinæ ſpirituales variæ ab Angelis hominibus impenſæ, colum. 1. A 1015
Medicinæ contra venena trahuntur ab ipſis animalibus venenoſis, col 2. A 309
Medietarius quis dicatur, col.1.A 315
Medium terræ cor ejus nominatur, col. 1. C 665
Medium inter præteritum & futurum eſt col 1.G 700
Medium nullum datur inter regionem intelligibilium & intellectum noſtrum, col.1.A 265
Medium non datur inter contritionem perfectam & operationes gratiæ prævenientis, & conſumantis, col.1.B 467
Mel quare non imponebatur in ſacrificiis, col.2.F 38
Melancholia ad quid utilis, col.1 C 769
Melancholici ingenioſi, & irradiationibus apti, col.1.G 1054
Melchiſedech ſacerdos fuit, ſed ritus ſacrificij ejus non invenitur, niſi quod panem & vinum offerebat, col.1.B 96
Membra genitalia occulta à natura, col.1. E 512
Membris maculati non admittuntur ad ſacrificium, col.1. A 37
Memorativa vis in vi imaginativa quid generet, col.2.D 107
Memoria & ſcientia differunt, col.2. E 106
Memoria officium, col.2. G 110
Menſa Dei variis ferculis abundans, col.2.C 42
Menſa cæleſtis quid, col 2.E 314
Et de eius magnitudine col.1.A 325
Nec parvulis eſt parata ibid.
Menſa ab æterna ſapientia propoſita quæ ſit, col.2.E 412
Menſa altaris dicitur menſa animalium, col.1.G 414
Menſa quotuplex ſit & de ejus effectibus, col.1.F. cum ſeq. 438
Menſa patris filiis tantum paratur, col.1, F. 44

Menſa propoſitionis quæ, col. 2. C. 11
Menſæ ſpiritualis ad corporalem comparatio notanda, columna ſecunda E. 418
Menſæ effectus & operationes quæ, col. 1. E. cum ſeq. 418
Menſæ cœleſtis varietas ferculorum, col. 2. H. 114
Ejuſdemque deliciæ. ibid.
Mercurij doctrina de virtutibus verborum & characterum qualiter intelligenda, col. 2. E. 910
Mercurij Triſmegiſti narratio mirabilis quoad imagines, columna ſecunda G. 66
Mercurij opinio de mundo, col. 2. D. 77
Mercurij errores, col. 1. 85. 86. & 87
Meretricum mos quis, col. 2. C. 219
Meretrix magna quid, col. 1. H. 128
Merita omnia & præmia virtutum viæ æqualia, col. 1. C. 183
Merita noſtra unde proveniant, col. 2. F. 114
Merita plurium plus operantur quàm demerita unius, columna prima F. 518
Meritis noſtris ſolis non poſſumus Deum nobis obligare, ſed ex meritis & ejus promiſſione ſimul, col. 1. A. 313
Meritorium an aliquid noſtrum ſit, col. 1. H 312
Meritum quid ſit & quot modi metendi, col. 2. F. 310
Item quotuplex, col. 2. G. ibid
Meritum congrui quid, col. 1. A. 160
Meritum eſt in ſubſtantia intellectus, col. 1. D. 419
Metalla non recipiunt intellectum, col 2. C. 87
Metallum in circumciſione prohibitum, col. 2. H. 33
Methodius quis, col. 1 H. 50
Miles veniens in exercitum magis amore rapiendi ab hoſtibus Regis quàm animo ſerviendi, an ſatisfaciat Regi ſuo, c. 1. D. 565
Miles optimus Chriſtus, col. 2. A. 567
Militia cœli quæ ſit, col. 1. E. 76
Militia ſpiritualis quę, col. 1. D. 497
Miniſter juſtitiæ juſſus ſuſpendere condemnatum inique ad mortem, quid facere debeat, col. 1. G. 166
Miniſterium clavium quale, col. 1. H. 462
Miniſtrativum ad miniſtrationem ita ſe habet, ſicut imperativum ad imperationem, col. 1. C. 512
Miniſtri Dei honorandi ſunt, col. 1. D. 71
Mirabilia quæ oriuntur ex tertio bono paupertatis, col. 2. F. cum ſequent 216
Mirabilia de pietate notanda, col. 2. F & col. ſeq. 212
Miracula ex reliquijs ſanctorum conſideranda, col. 2. C. 419
Miracula ſeu mirabilia quæ dicantur, col. 1. B. 679
Miraculum quid, col 2. G 18
Miraculum notatu dignum in ſacramento Euchariſtiæ, col 2. A. 435
Miſera habitatio utilis animabus humanis, col. 2. A. 675
Miſeratio limitata & forma præſcripta in inferno eſt miſerendi, col. 1. D. 211
Miſeria quæ ſit, col. 2. F. 178 & col. 1. E. 728
Miſeria pura & vera quæ, col. 1. D. 63
Miſeria magna eſt amiſſio totius fœlicitatis, col. 2 E. 743
Miſeria à philoſophis quomodo appelletur, col 1 E. 119
Miſericordia quid ſit, & quot ejus ſpecies, column. 2. G. 178. & columna 2. G. 166
Miſericordia Dei ſumma, col. 1 E. 116
Miſericordia Dei ſumma & ejus ira quando in eo ſint. col 1. B. 171
Miſericordia & juſtitia partes divinæ ſunt juſtitiæ, col. 2. G. 60
Miſericordia cum correctione conjuncta, col. 1. A. 213
Miſericordia Dei infinita, col. 2. A. 17
Miſericordia juſtitia eſt, cujus contrarium eſt iniquitas & injuſtitia, col. 2. F. 178
Miſericordia tetractat juſtitiæ divinæ ſententiam, columna 2. G. cum ſeq. 482
Miſericordia Dei immenſa, col 2 E. 15
Miſericordiæ partes quæ, col 1. D. & ſeq. 14
Miſeriæ admixtio magna quæ, col. 1 C. 51
Miſeriæ animarum noſtrarum quæ, col. 2. H. 112
Miſeriæ partes ſunt de directo contrariæ partibus fœlicitatis col. 2. H. 744
Miſſa quid, col. 1 H. 446
Miſſa quot officia contineat, col. 2. D. 435
Miſſa unde dicatur, col. 2. G. 450
Miſſa dum celebratur quot ſint petenda à Domino noſtro, col. 2. B. cum ſequent. 371
Miſſæ celebratio quid, col. 1. E. 416
Mitis quis dicatur, col. 1. D. 177
Mitis fortitudinis ſpecies, col. 2. A. 357
Mixtio quid, col. 2 E. 866
Mixtum diverſificatur ab utroque extremorum ſecundum ſpeciem, col 1. D. 967
Mobile compoſitum præcedit ordine naturæ ſimplex mobile, col. 2. A. 649
Modeſtia quæ dicatur, col. 1. D. 167
Moleſtiæ augentur cum carnalibus delitijs, col 2. A. 11
Monachi & Religioſi fures quomodo ſint, col 2. B. 215
Monſtra animalium ſunt fauni, pygmęi, & lupus indicus, columna 2. C. 1019
Montes caſpij à multis vocati Gog & Magog, col. 2. H. 610
Mora in peccato vel negligentia quærendi remiſſionem, vel peccata ſunt, vel circumſtantiæ peccati, col. 1. D. 161
Moralia de neceſſitate honeſtatis eſſe dicuntur, col. 1. D. 22
Morbus eorum qui alios reprehendunt ſe ipſos autem nolunt curare, eſt ſimilis illi dicto, noli me tangere, col. 2. A. 213
Morbi animæ qui, col. 2. B. 771
Mori non eſt propriæ naturæ, col. 2. B. 557
Mors quid, col. 2. D. 315
Mors certiſſimum ſignum amoris pro amato ſuſcepta, col. 1. G 416
Mors in hominibus ex quibus indicijs cognoſcatur quod ſit per curam & providentiam Dei, col. 2. C. 755
Mors humilitatis imputanda ſuperbo detrahenti ſibi neceſſaria alimenta, col. 1. F. 245
Mors corporum ad quæ utilis ſit, col. 1. A. 217
Mors quibus utilis, col. 2 A. 765 & col. 1. H. & ſeq. 768
Mors plaga eſt adventitia, col. 1. E. 558
Mors æterna non potuit eſſe redemptio mortis æternę primorum parentum, col. 2. E. 564
Mors & corruptio finem habebunt in genere humano, col. 1. H. 714
Mors peccati à nobis requiritur, col. 2. A. 98
Mors ſpiritualis quæ, col. 1 E. 135
Mors corporalis leviter ferenda, col. 2. A. 205
Mors in quo locum non habeat, col. 2. E. 52
Mortificatio quid, col. 1. A. 97
Mortificatio vitiorum eſt ſacrificium, col. 1. B. ibid.
Mortis laudes & operationes quę, col. 1. B cum ſeq. 259
Mortui homines non apparent, ſed ſpiritus maligni in eorum forma, col. 2. D. 1069
Mortui immundi, col 1. D. 37
Mortuos ſepelire mortuos quid ſignificet, col. 2. E. 240
Mortuus eſt qui non diligit fratrem, col. 1. D. 217
Mos quid, col. 1. B. 117
Mos maritorum Zelotyporum in uxores qui, col. 2. D. 219
Mos magnatum quis, col. 1. F. 240
Motio ſubſtantiarum abſtractarum ſit in inſtanti, col. 1. C. 955
Idem in animabus noſtris, col. 2. C. 955
Idem in corporibus glorificatis. ibid.
Motiva virtus in unoquoque mobilium eſt quidàm ſenſus, & vita ipſius mobilis, col 2. B. 917
Motiva nobilis corrupta arguit corruptionem ſimiliter intellectivę, col. 2. H. 1016
Motivæ corruptio non ſemper excęcat apprehenſivam, columna prima G. 1010
Motores cœlorum diverſi, col. 1. G. 798
Motus quid & quotuplex & quot modis intelligatur, col. 2. A. 955
Et qualis ſubſtantiarum abſtractarum. ibid.
Motus naturalis quid ſit, & quot modis dicatur, col. 2. B, 305
Motus primum ſignum vitę, col. 1. F. 86
Motus cœlorum eſt diverſus à motu hominis & animalium, col. 2. H. 798
Motus affectivi quot ſint, col. 1. D. 465
Motus localis quid, col. 2. G. 444
Motus cœlorum neceſſarius eſt, col 1. A. 17
Motus proprius bonitatis quæ dulcedo appellatur quis ſit, columna 2. G. 172
Motus ab aliquo, & motus ad illud contrarij ſunt ſicut fuga, & inſequutio, col. 2. A. 809
Motus plures locales non inveniuntur voluntarij, col. 2. C. 181
Motus corporalis in futura gloria an poſſibile ſit ibi eſſe, columna 2. B. 739
Motus cœleſtis intentio in generatione non extenditur in particularia, col. 1. C. 709
Motus primi concupiſcentiarum noſtrarum & odiorum, columna prima B. 581
Motus cœleſtes non ſunt cauſę neceſſitatis aliquo modo apud res humanas, col. 2. C. 787
Motus impartibilis non poteſt eſſe in diſpoſitionem impartibilem partitione continui, col. 2. D. 958
Motus ſpirituales animarum noſtrarum paſſiones vocantur ab Ariſt. col. 2. C 955
Motus quilibet cœleſtis quare debeat eſſe in non tempore & ſubitus, col. 2. H. 728
Motus naturalis naturalium corporum naturam ſequitur, columna 2 B. 719
Motus ad motum nulla debet eſſe comparatio, ubi non eſt virtutis moventis ad virtutem moventem, col 2. D. 729
Motus ultimi cœli eſt omni tempeſtate rapidior, col 2. H. 628
Motus omnis eſt propter indigentiam, & ideo apud cœlum primum impoſſibile eſt eſſe motum, col. 1. D. 617
Motus eſt via ad perfectionem in perfectibilibus inferioribus, columna 2 C. 617
Motus aplani unius eſt & ſimplex & ſemper æqualis: cæteri vero non, col. 2. C. 649
Motus duo contrarij ſimul non poſſunt eſſe in uno & eodem corpore, col. 1. A. 651
Motus planetarum quomodo, col. 1. C. cum ſeq. ibid.
Motus alterius modi quàm ponitur in planetis impoſſibilis eſt. col. 1. H. 652
Motus ad motum nulla datur proportio, col. 1. F. 916
Motus vel mutatio, an erit poſt tempus, col. 2. E. 700
Motus cœlorum an ſint ceſſaturi, vel ne, col. 2. B. 701

Digitized by Google

Motus angelorum qualiter intelligatur, col. 1. F. cum ſequentibus. 744
Motus omnis generationis & corruptionis eſt ab altero oppoſitorum in altero per medium, col. 1. B. 641
Motus octavæ ſpheræ ad motum ſtellæ Saturni quomodo proportionetur, col. 2. C. 803
Motus novem cœlorum an ſint plures, an vero unus, col. 1. E. 811
Motus ad volendum tribus dicitur modis, col. 2. D. 957
Motus in angelis fit ſubito & in inſtanti, col. 1. F. 918
Motus velociſſimi qui ſint, col. 1. F. 960
Motus & movens quando in eodem ſubjecto ſimul eſſe poſſint, col 1. E. 956
Motus circularis primus & nobiliſſimus omnium motuum ſecundum Platonem, col. 1. D. 805
Motus gratiæ, & motus liberi arbitrij qualiter inter ſe differant, col 2. D. 467
Motus requiſiti in contritione qui ſint, col. 1. C. 469
Idem de attritione dicendum. ibid.
Motus præparatorij attritionis & gratiæ præparantis quibus comparentur, col. 2. D. 469
Motus primi compeſcendi, col 2. C. 521
Motus naturalis ad poſſibilia fieri dicitur, col. 1. F. 460
Motus animarum deſideria ſunt, ſed amor eſt virtus hujuſmodi motuum, col. 1. C. 723
Motus cœlorum, & viciſſitudines temporum ſunt indicia curæ, & providentiæ Dei, col. 2. A. 755
Item perpetuitas, & frequentia & univerſalitas, B. ibid.
Motus ſpirituum inſtantaneus efficitur, col. 2. A. 701
Motus in tempore quid, col 1 H. 786
Motus cœlorum, & omne quod ſequitur ex eis, ſunt ex cura & providentia Dei, col. 2. D. 755
Motus an ſit futurus in altero ſæculo, col. 1. B. 741
Motus elementorum, elementatorumque omnium ex indigentia & carentia eſt, col. 1. C. ibid.
Motus ſeptem qui ſunt in planetis, non ſunt eorum propriæ, ſed ſicut partium in totis ſuis, col. 1. A. 653
Motus bigæ ſeu quadrigæ qualis, col. 2. A. ibid.
Motus cœleſtis extra nos ſecundum opinionem aliquorum, columna 1. G. 786
Motus de loco tantum relinquit de illo loco quem exit, quantum acquirit de loco, in quem movetur, col. 1. C. 699
Motuum numerus eſt juxta numerum mobilium, col. 2. H. 652
Motuum diverſitates & effectus qui, col. 2. A. 171
Motuum velocitas angelorum per volatum, & motum fulguris deſignatur, col. 1. F. 960
Movere & moveri quot modis dicatur, col. 1. B. 957
Movere multipliciter dicitur, col 2. B. 305
Mulier litigioſa quomodo intelligatur, col. 1. B. 150
Mulier menſtruata immunda, col. 2. F. 36
Mulieres incantationibus dæmonum attendentes ſunt maligni ſpiritus, col. 2. F. 1068
Et generatio in eis fit ex commixtione ſubſtantiarum ſublimium. ibidem.
Mulieres loco circumciſionis quid habeant, col. 2. E. 33
Mulieris ſpecioſitas eſt nutrimentum & cibus turpis amoris, col. 1. E. 410
Mulieris exemplum quæ abſcondidit ſacratiſſimam eucharistiam in ejus ſinu, col. 1. C. 122
Mulieribus gravidis quid ſapiat interdum, col. 2. H. 522
Multitudo in cauſatis non haberet caſum, ſi ex uno ſecundum quod unum, eſſent multa, col. 2. H. 618
Multitudo animarum noſtrarum non poteſt eſſe ab intelligentia agente creata, col. A. 825
Multitudo perditorum quanta, col. 1. D. 59
Multitudo formarum ſpiritualium qualiter ſit in omni ſubſtantia ſpirituali, col. 1. B. 841
Mundi initium ex quibus probetur rationibus, column. 1. H. cum ſequent. 696
Mundi facies quæ, col. 2. D. 157
Mundi archetypi quæ ſit intentio ſecundum doctrinam Chriſtianorum, col 2 C. 823
Munditiæ ſigna duo, col. 1. F. 38
Mundorum multitudines ponentes abſcondunt gloriam creatoris & ſupprimunt, col. 2. A. 611
Immo plures mundos Deus neque potuit, nec poteſt adhuc creare, col. 2. C. ibid.
Mundus an ſit æternus vel ne, & de errore Ariſtotelis & Avicennæ, col. 2. G. cum ſeq. 690
Mundus nihil extra vel ultra ſe habet, col. 2. G. 692
Mundus totus qualiter eſt in amplitudine majeſtatis creatoris, ut nec tangat illum, nec mundus ipſum, col. 1. A. 943
Idem de anima humana in corpore dicendum. ibid.
Mundus dici non poteſt ubi deficit humana ſpecies, col. 2. E. 610
Mundus ſeptem annorum millibus finiendus, col. 2. E. 34
Mundus archetypus an ſit ipſe creator, vel aliud à creatore, col 2. E 838
Et eſt ſapientia creatoris, col. 2. H. ibid.
Mundus qualiter creatus à Creatore, col. 1. B. 697
Mundus naturæ, & mundus ſublunaris idem ſunt, col. 2. C. 707
Mundus archetypus quomodo intelligatur ſecundum Platonem, columna ſecunda H. 836
Mundus idearum Platonis, col. 1. H. 114
Mundus muſicalis eſt ſecundum Platonem, col. 1 B. 805
Mundus totus Corporeus una eſt domus Creatoris, col. 1. A. 645
Mundus ſublunaris quem ſtatum ſit habitaturus in ejus renovatione, col. 2. D. 741
Mundus ſuperior animal unum an ſit, an plura, col. 2. C. 805
Mundus domus Creatoris vocatur, col. 1. E. 778
Mundus ſeptem millia annis duraturus ſecundum opinionem aliquorum, col. 2. G. 1022
Mundus abſolutè non vocatur continens niſi raro: uſualiter tamen ſecus, col 2. F. 608
Mundus animal ſecundum Platonem, col. 1. B. 797
Mundus inferior regitur à circulo ſignorum, non tamen miniſterio angelorum, col. 1. A. 951
Mundus iſte eſt veri hominis mundus, & non per ſimilitudinem col. 1. C. 837
Mundus, ſive totum, ſive omne ſive univerſitas eſt unum opus, col. 1. D. & ſeq. 605
Mundus an renovandus ſit & pro quota, col. 1. D. 701
Mundus civitas eſt Dei, col. 1. D. 665
Mundus patientiæ ſervire dicitur, col. 2. F. 358
Mundus ſecundum Platonem quid, col 2. C. 77
Munera propter homines, non autem homines propter munera ſunt, col. 1. D. 311
Muneris dator longe differt à nuncio illud deferente, col. 1. F. 74
Muſica cœleſtis uſque ad quater diapaſon aſcendit ſecundum Platonem, col. 1. D. 803
Muſicalibus etiam maligni ſpiritus delectantur, col. 2. G. 1030
Muſicę virtutes quę, col. 2 G. cum ſeq. 1058
Muſeus aromaticus humilitas dicitur, col 1. F. 248
Muſculas quas hirundines tam ſtudioſè venantur, qualiter Deus curat, col 2. G 762
Mutabilitas quid, col 2. G. 908
Et naturalis eſt in omnibus ſubſtantijs H. ibid.
Mutare quid ſit, col 2. C. 779
Mutatio motuum, legum, & ſectarum unde proveniat, colum. 2. D. & ſequent. 55
Mutatio lucis in tenebras & econtra fit per operationem continuam, col. 1. E. 954
Mutationes magnæ factæ in varijs temporum ſpacijs, col. 2. A. 689

N

NAbuchodonoſor Deum ſe ſolum vocari juſſit, columna ſecunda C. 75
Naſci omnes cum originali peccato dicuntur, col. 2. D. 265
Natio belluina quę, col. 1. G. 486
Natura nihil pravum ſuggerit, col. 2. D. 103
Natura non eſt mendax, col. 1. C. 109
Natura ordine operatur, non autem creator, col. 1. F. 612
Natura humana quod in nihilum reſolvatur, quantum ad corpora, error eſt graviſſimus, col. 2. E. 714
Natura ſerviliter operatur, col. 2. E. 720
Natura humana poſſibilis eſt immortalitatem recipere poſſibilitate per ſe, & ordinata ad illam, col. 1. D. 725
Natura quomodo peccare dicitur, col. 1. E. 264
Natura quid ſit, col. 2. E. 270
Natura non movet niſi ad id in quo quietibile intendit ſubjectum, col. 2. B. 617
Natura arborum & plantarum quomodo comparetur naturę humanæ quoad pœnitentiam, col. 2. A. 455
Natura nihil fruſtra operatur, col. 2. H. 21
Natura in his quæ naturaliter facit, errare non poteſt, columna ſecunda G. 738
Natura ſubjecta eſt orationibus ſanctorum, column. 2. D. 419
Natura humana eſt velut arbor precioſiſſima, column. 1. A 515
Natura facit mares & fœminas in ſpecie humana numero pares, col. 2. C. 515
Natura humana ad quid nata. col. 1. G 522
Natura univerſalis intendit ad renovationem univerſi quantum ei poſſibile ſit, col 2. E. 708
Natura motuum ad motum gloriæ in velocitate, nulla eſt comparatio, col. 1. D. 729
Natura nihil perverſum operatur, col. 1. D. 127
Natura ſola in quibus operetur, col. 2. D 69
Naturale quicquid eſt uni ex individuis cujuſcumque ſpeciei, non eſt naturale omnibus alijs individuis ejuſdem ſpeciei, col. 2 F. 854
Naturale cuique effectui, cauſam ſuam indicare, col. 1. B. 875
Naturale deſiderium nunquam pernicioſum, col. 2. B. 281
Naturale nihil inhoneſtum eſt, col. 2. H. 522
Naturales virtutes ad quid dentur hominibus, col. 2. G. 276
Naturales virtutes quibus rebus aſſimilentur, col. 1. G. 336
Naturales motus immunes ſunt labore, col. 2. C. 557
Naturales virtutes in nobis propriæ virtutes non ſunt, col. 1 E. 119
Naturales ignorantiæ in brutis tolluntur per aſſuetudinem, col. 2. H. 800
Naturalia non recedunt ab his quibus naturalia ſunt, col. 2. B. 701
Naturalia bona ante gratiam homo tantum habet, col. 2. H. 310
Naturalia deſideria finita ſunt, col. 1. G. 322
Naturalia bona non ſufficiunt ad defenſionem noſtram, col. 1. A. 133

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Naturalia non imputantur ad pœnam actualem, col. 1. B. 277
Naturalia ſunt priora nobis quam adventitia, col. 2. D. 731
Naturalia lumina intellectus quæ ſint, col. 2. H. 6
Naturalis operatio quibus aſſimiletur, col. 2. B. 55
Naturalis conditio in quo ſit limitata, col. 1. A. 875
Naturalis omnis inquiſitio opus naturæ eſt, col. 1. C. 117
Naturalis colligantia facilis & amabilis, col. 1. H. 802
Naturalis dilectio cur per ſe non ſufficiat ad merendum, ſine adjutorio dilectionis gratiæ, col. 2. C. 511
Naturarum duarum neceſſitas unionis, col. 1. H. 569
Naturæ ſenſu multæ apprehenſiones fiunt mirabiles, col. 1. D. 923
Naturæ lumen multorum animalium ponitur, col. 2. B. ibid.
Naturæ nullus motus fruſtra eſt, col. 1. G. 556
Naturæ ſagacitas in brutis, col. 1. A. 775
Naturæ inſenſibiles qualiter cognoſcant creatoris voluntatem, col. 2. E. 776
Naturæ cœleſti corporali non invenitur contrarium, col. 2. H. 608
Naturæ univerſalis intentio quotuplex ſit, col. 2. A. 713
Naturæ providentia, col. 2. G. 276
Nebula, nubes & nubilum media ſunt inter aquas & aëra, col. 1 A. 643
Neceſſaria & impoſſibilia legem non habent nec peccatum, col 2. G. 412
Neceſſitas eveniendi duobus dicitur modis, col. 1. H. 778
Neceſſitas an ſequatur providentiam creatoris, col. 1. F 784
Neceſſitas & impoſſibilitas, ut excuſent à peccato, quot requiri debeant, col. 2. B. cum ſeq. 285. & col. 1. A. 287. cum ſeq.
Negligentia etiam an idem faciat, cum ſeq. col 1. A. 287
Neceſſitas ſuperveniens facto à principio licito & voluntario, an excuſet à peccato mortali, col. 1. E. & 2. F. 286
Neceſſitati an omnia quę ſunt, vel evenire poſſunt, ſubjecta ſint, ita ut nihil liberè in noſtra ſit poteſtate, ubi deſtruit tunc errorem pernicioſiſſimum, col. 1. B. cum ſeq 785
Negationes ſeu prohibitiones divinæ obligant ad ſemper: affirmationes vero pro loco & tempore, col. 1. H. 286
Negligens facere bonum quid mereatur, col. 1. H. 58
Negligentia quęrendi viam ſalutis damnabilis eſt, col. 2. D. 57
Negligentia ſciendi vel addiſcendi unde proveniat, col. 1 B. 295
Negligentia aliquid faciens contra conſcientiam peccatum committit, col. 2. H. 290
Negligentiæ angelorum non eſt imputandum, ſi aliquando populus aliquis perierit, col. 2. D. 1009
Negotiatores boni in talento paupertatis quid ſint, col. 1. B. 495
Negotium ille agit cujus nomine agitur, col. 1. G. 538
Nequitia fraterni odij inexplicabilis eſt, col. 2. B. 227
Nili ortus ignotus, col. 1. H. 674
Nobile omne magis nobilioribus applicatur ignobilibus, columna 1. H. 332
Nocere & nocivum eſſe differunt: & ſic de ſimilibus, col. 1. C. 603
Nocumentum quid ſit, col. 1. E. 604
Nomina excellentiæ dicuntur de ſolo Deo per ſe, de alijs autem ſecundum quid, col. 1. H & ſeq 834
Nomina rerum mundi eſſentialiter prædicantur de corporibus ſuis, & ſecundum veritatem, col. 1 A. 837
Nomina eſſentialia ſunt veri nominis nomina. ibid.
Nomina dæmonum varia, col. 2. H. 1012 & col. 2. C. 1029
Nominatio Seraphin congruit patri & filio, col 2. D. 979
Nominationes quędam convenientes creatori, communicantur etiam creaturis, & quæ ſint, col 2. A. 837
Secus tamen in eis quæ ſupereminentiam ſignificant. ibid.
Et quomodo ſecundum veritatem communicantur, col. 2. D. 837
Nominationes quinque ordinum quare ablatæ fuerunt malignis ſpiritibus in eorum caſu, col. 1. G cum ſeq. 988
Nominationes tres hierarchijs attributæ quos modis intelligantur, col 2. H. 994
Nominationes ordinales quæ ſint, col. 1. D. 971
Nominationes angelorum diverſæ deſignationes tantum ſunt officiorum exteriorum, col. 2. D. 979
Nomine ſemel poſito non poteſt uti humanus intellectus æquivocè, col. 2. D. 595
Noviſſima mundi ætas ſola apta fuit evangelicis ſacramentis, col. 2. A. 423
Novum quomodo intelligatur, col. 2. B. 693
Numerus an aliquis ſit determinatus ſubſtantiarum ſpiritualium, an verò poſſit eſſe infinitus, col. 2. D. cum ſeq. per tot. 859
Numerus glorificandorum æquabitur numero eorum qui ceciderunt, col 1. B. 851
Numerus denarius an angelis conveniat, col. 1. E. 862
Et quomodo intelligatur à pithagoricis. ibid.
Numerus nec augeri nec minui poteſt, & quot ſint ejus ſpecies, col. 2. B. 189
Nuncius in oratione qualiter interpretetur, & quot modis generaliter intelligatur, col. 1. E. cum ſeq per tot. 376
Nundinæ Dei quæ, col 2. D. 205
Nuptialis benedictio quæ, col. 1. C. 525
Nutrimentum amoris eſt beneficium, col. 1. A. 563

O

Obedientia ad obediendum & amor ad amandum proportionabilia ſunt, col. 1 B. 128
Obedientia intellectus in credendo, col. 2. F. 4
Obedientia valde laudatur, col. 1. D. 163. & col. 2. D. 165
Oblatio ſuiipſius eſt principale ſacrificium, col. 2. D. 99
Oblatio, qua quis tenetur Deo obedire atque ſervire, an ſit finita vel infinita, vide pulchram diſtinctionem, col 1. G. 62
Obligatio non ſuſcipit magis & minus quoad ejus intentionem, col. 1. A. & B. 63
Obligatio noſtra in Deum quanta ſit, col. 1. C. ibid.
Obligatio infinita qua tenemur Deo ratione animæ, col 2. A ibid.
Obligatio & tranſgreſſio obligationes æquales, col. 2 C. ibid.
Obligationes æquales, ita etiam tranſgreſſiones, col. 2. A. 481
Obligationis tranſgreſſio triplex, col. 2. C. 63
Oblivio quid, col. 1 E. 782
Obſecratio quid & quomodo differat ab oratione, col. 1 E. 338
Obſequia intenta amore ſolo gratuito, dona ſunt apud Deum cui impenduntur, col. 2. A. 227
Oculus impudicus impudici cordis eſt nuncius, col. 2. E. 274
Occupatio ſicut aqua ignem extinguit fornicationis, col. 1. B. 307
Odij intentio quæ ſit, col. 2. C. 363
Odij fraterni vituperationes, col. 1. A. cum ſeq. & col. 2. A. 227
Odilirius quis, col. 2. C. 1029
Odium fratris homicidium dicitur, col. 1. G. 188
Odium an ſit virtus alia quàm amor, col. 2. D. 171
Offendiculum ponere coram cęco quid ſit, col. 2. B. 493
Offenſa omnis Dei an ſit infinita, col. 2. E. 62
Offenſionum multitudo quare, col. 2. H. 416
Officia confeſſoris quæ & qualia eſſe debeant, col. 2. E. cum ſeq. per totum. 510
Officia angelorum qualia & quale primum cum alijs, folio 1005. col. 1. B cum ſeq.
Et qualia ſint ea quę ab ipſis præſtantur hominibus, & in quotuplici ſint differentia, col. 1. G. cum ſeq per totum uſque ad fol. 1009. col. 2. C. 1006
Officia tria beatiſſimis hierarchijs attributa, col. 2. E. 994
Et quomodo intelligantur, col 2. H. ibid.
Officiales ac judices pietatis quid, col. 1. A. 217
Officina communis gratiæ Dei quæ, col. 1. A. 96
Officium quid, col. 2. F. 994
Officium trium ordinum primæ hierarchiæ, colum. 1. B. & C. 982. & col 2. H. 982
Officium ſubdiaconi quale, col 2. C. 531
Officium judicis quale, col. 1. A. 583
Officium interpretandi eſt proprium epiſcoporum, col. 1. C. 551
Ogerus dotus, quis, col. 2. E. 154
Oleum ſanctum charitatis quod, col. 1. H. 208
Oleum quomodo interpretetur, col. 1. H. 450
Omne vel totum ſimpliciter differt ab eo, quod eſt ſecundum quid, col. 2. A. 605
Omne ſecundum quid dicatur, col. 1. A. 605
Onera fraternorum peccatorum quæ, col. 1. D. 215
Opera naturæ magis perfecta omnibus operibus artificialibus, col. 2. B. 281
Opera Dei diligenda ſunt, col. 2. E. 140
Opera magica nobiliora ſunt quam ſit cognitio naturæ, c. 2. H 710
Opera artificiorum non ſunt merè ex ſpiritualibus operationibus, col 1. H 56
Opera creatoris in nobis quæ ſint, col. 2. F. 790
Opera omnia immunditiæ menſtruata vocantur, col. 2. H. 293
Opera pœnitentiæ quid ſint, col. 1. C. 498
Opera noſtra bona Dei dona ſunt, col 2. G. 314
Opera omnia Dei judicia dicuntur, col. 2 F. 972
Opera dęmonum qualia. col. 2. C. 69
Opera humana qualia eſſe debeant, col. 2. C. 109
Operatio organo non eſt imputanda, col. 1. C. 289
Operatio omnis neceſſe habet ſequi verbum, & artem ipſius operantis, col. 2. A. 615
Operatio per modum naturæ eſt operatio per modum ſervientis, col. 1. F. 610
Operatio intellectualis fit in inſtanti, & ſubito, & non indiget tempore, col. 1. B. 637
Idem de omnibus ſubſtantijs, & diſpoſitionibus ſpiritualibus, col. 2. A. & B. ibid.
Operatio diei quartæ quæ fuit, col. 1. F. 643
Operatio animę abſtractæ à corpore nobilior eſt, col. 2. G. 316
Operatio naturalis per aliquam interpoſitionem impediri poteſt, col. 2. C. & D. 55
Operatio debito fine privata mala eſt, col. 2. E. 114
Operatio omnis ex radice voluntatis judicanda eſt, col. 2. G. 391
Operatio ſolis non eſt in poteſtate noſtra, col. 1. E. 790
Operatio fabricationis dicitur fieri per violentiam, col. 2. E. 80
Operatio duplex eſt, col. 2. F. ibid.
Operatio naturalis quæ, col. 2. F ibid.
Operatio ignis extremæ ſervitutis eſt, col. 1. H. 82
Operatio infinita non perficitur in tempore, col 2. C. 315
Operatio mortificativa malorum, & effectiva bonorum ſunt duo genera ſacrificiorum, col. 1. C. 98
Operationes quæ ſunt ab animabus noſtris in corpore ſibi conjunctæ, non eſſe ea ſolis ſpiritualibus quæ in anima ſunt, col. 1 H. 16
Operationes ſpiritus ſancti ordinem non requirunt, col. 2. F. 470
Operationes ſeu viæ variæ operandi propter amorem, col. 2. H. 138

Digitized by Google

Operationes voluntatiſ quæ ſint, col. 1. D. 142
Operationes in tempore non congruunt omnipotenti virtuti creatoris, col. 2. G. 616
Operationes corporales per modum naturæ per contactum ſunt, col. 1. A. 661
Operationes provenientes ex virtute neceſſitativa longe differre à provenientibus ex virtute liberi arbitrij, col. 2. per tot. 55
Operationes ſubſtantiarum ſpiritualium ſunt in duplici differentia, col. 1. H. & ſeq. 56
Operationes animæ quæ per corpus fiunt, dicuntur propriæ ipſius animæ, col. 2 G. 714
Operationes quæ fiunt per inſtrumenta propriè dicuntur ab ipſo qui utitur inſtrumentis, fieri, col. 2 G. 714
Operationes ex ſuis virtutibus tribus modis proveniunt, c. 1. A. 121
Operationi ſoli totum debetur præmium, non autem cooperationi, ex libero arbitrio noſtro provenienti, col. 1. H. 512
Operationum naturalium differentiæ, col. 2. C. 55
Opinari credere, & ſcire differunt, col 2. B. 5
Opinio auctoris, quoad imaginum virtutes, col. 1. A. 67
Opinio philoſophorũ de cœlo ſtellatum ſiarum quę, col. 1. G 646
Opinio quæ ſit, col. 2. G. 4
Opinio auctoris de viro & muliere ignorantes cocuntibus, columna 1. B & D. 19
Opinio & ſcientia non ſunt virtus, col. 1. E. 612
Opinio quorundam de Paradiſo reprobatur, col. 2. H. 674
Opiniones quorundam circa legum diverſitates, col. 2. E. 14
Oppreſſionis utilitates ſpirituales quæ, col 1. B. 267
Optare verbum quid ſignificet, col. 2. C. 337
Optativus modus à quo nomen ſumpſit, col. 2. C. 121
Opus ex intentione judicandum eſt, col. 1. E. 222
Opus juſtum quando dicatur: & quando opus miſericordiæ, col. 2. F. 178
Oraculum olim abſconſo velo quid ſignificabat, col. 2. H. 32
Orantes quid & quot rememorare debeant ut gratia in eorum oratione augeatur, col. 2. A. 371
Orantes à quibus cavere debeant, col. 1. cum ſeq. per tot. 177
Oratio coram Deo prout eſt oratio, dicitur eſſe quædam juſtitia, col. 1. G. 144
Oratio ad quæ ſit utilis, col. 2. E. 351
Oratio vera quæ ſit, col 1. B. 795
Oratio pientiſſima qualis, col. 2 H. 142
Oratio quare figuratur per fumum thuris, & pulveris pigmentarij, col. 1. H. cum ſeq. 184
Oratio debet eſſe brevis & pura & quare, col. 1. B. cum ſeq. 389
Oratio ad Deum eſt quaſi nuncius ad Deum miſſus, col. 2. B. 175
Et ejus virtutes multę per totum. ibid.
Oratio eſt ſicut arbor ſuavitatis, col. 2. A. 355
Orationes ſacerdotales & benedictiones ex parte eccleſiæ & ejus nomine fieri debent, col. 1. E. 410
Orationes & ſuffragia licet ſint à ſanctis petenda, non tamen debent ultra modum onerari. col. 2. E. 212
Orationis narratio quæ & qualia continere debeat, colum. 1. D. cum ſeq. 141
Orationis meritum qualiter ſit & duret, col. 2. E cum ſeq. 190
Orationis adjutoria quæ & quot ſint, fol. 367. colum. 1. B. cum ſeq. uſque ad fol 375
Orationis aſſiduitas mirabiliter juvat, col. 2. A. per tot. 169
Orationis inſtantia quibus locis probetur, col. 2. G. 170
Orationis perfectiones quæ & quot ſint, col. 1. H. cum ſequent. per totum. 180
Orationis humilitas neceſſaria eſt, col 2. H. 138
Orationis recognitionis exemplum quale, col. 1. D. 139
Orationis petitoriæ forma, quæ, col. 2. E. cum ſeq. per tot. 154
Et ipſius etiam confirmatio, col. 1. F. cum ſeq. 156
Orationis virtutes mirificæ, quæ, col. 1. F. cum ſeq. 406
Orationis dignitas maxima, col. 1 F. 316
Orationis virtus, quę, col. 2. A. 317
Orationis ſeptem alia adjutoria, quę, col. 1. A. cum ſeq. 371
Orationis duplex reperitur perverſitas à quibus magnopere cavendum eſt, col. 1. H. 183
Orationis perfectiones ſeptem, col. 2. G. 138
Orationum & petitionum formæ de quibus per Auctorem, ad quid utiles ſint, col. 1. H cum ſeq. 161
Orator ſpiritualis, quid intendat, col. 1 H. 338
Orbis terræ totus dicitur eſſe patientia, col. 3. F. 218
Ordinatio creatoris ad quid, col. 1. D. 112
Ordinare, ſanctificare, & conſtituere idem ſunt, col. 2. F. 114
Ordinari quid ſit, col. 1 G. 530
Et quid differat ab ordine. ibid.
Ordine naturæ priora, ſunt priora ordine eſſendi, col. 2. E. 844
Ordines dæmonum qui, & unde, col 1 D. cum ſeq. 1013
Et quot contineant legiones, col. 2 E. 1014
Et an ſint ad ordines angelorum econtrario nominati, columna 2. C. ibid.
Ordines & differentiæ malignorum ſpirituum, quæ column. 2. H. cum ſeq. per tot. fol. 1012. & col. 2. C. per tot. 1019
Ordines beatorum ſpirituum qualiter aſſimilentur divinæ plenitudini, col. 2. H 992
Ordines quot ſint, col. 2. E. per totum. 530
Ordines tres circa Deum immediatè collocati æquales ſunt, columna prima F. 970
Ordines Angelorum primę hierarchiæ ſunt ſpecula glorioſiſſimæ Trinitatis, col. 2. G. 974
Ordines novem Angelorum quibus cognominibus nominentur, col. 2. A. 961
Ordines primæ hierarchiæ per omnia inter ſe ſunt æquales, col. 2. E. cum ſeq. 974
Ordines familiæ regiæ, qui, col. 1. G. 984
Ordinis neceſſitas, quæ, col. 1. G. 530
Ordo cauſarum idem eſt cum ordine effectuum ipſarum, c. 2. C. 475
Ordo naturalis inter remiſſionem, & gratiam quis, col. 1. F. 478
Ordo Seraphin an prior ſit quàm ordo Cherubin, col. 2. B. 969. & col. 2. C. 971
Ordo in cognoſcendis rebus quis, col. 2. B. 885
Ordo Angelorum quot contineat, col. 1. G. 984
Et comparatur ordini familiæ regiæ. ibid.
Ordo naturæ ordo creationis dicitur, col. 1. A. 625
Ordo quot modis dicatur, col. 2. H. 930
Ordo thronorum cur in prima hierarchia noviſſimus ponatur, col. 1. C. 975
Ordo Angelorum primę hierarchiæ quibus virtutibus adaptetur, columna 2 A. 975
Ordo ſuperioritatis in Angelis non eſt juxta ordinem nominationum, col. 1. F. 970
Ordo Angelorum quod non ſit, impugnari poteſt, col. 1. D. 971
Ordo & nominationes ordinales differunt. ibid.
Ordo univerſi pulcherrimus, col 1. G 718
Ordo virtutum ſecundum modernos theologos quis, col. 1. B. 965
Ordo clericalis ordini Angelorum comparatur, col. 1. C. ibid.
Ordines & dignitates naturales an ſint Angelis, vel adventitiæ, col. 1 F. 966
Ordo quid ſit, & quot, col. 2. H. 528 & col. 2. C. 529
Ordo naturæ ordo veritatis eſt, col. 2. B. 649
Ordo naturæ univerſalis, & perpetuus eſt, col. 2. D. 709
Ordo veteris teſtamenti, col. 2. B. 19
Ordo vitæ noſtrę à Deo eſt, col. 2. H. 92
Organa virtutibus reſpondent, col. 1. F. 14
Origenes damnatur, col. 1. D. 323
Origenis error quidam falſo aſcriptus, col 1. H. 214
Originale peccatum quid, col. 2 H. 558. & col. 2. B. 559
Originale peccatum fuit initium omnium vitiorum, col. 2. H. 416
Originale peccatum magis lædit quàm veniale, col. 2. D. 279
Originale peccatum non eſt meritum alicujus pœnę, col. 2. F. 280
Originale peccatum hæreditas mala dicitur, col. 2 G. 260
Originale peccatum in omnes illos tranſit, qui vitioſa lege naſcuntur, col. 1. G. 268
Originale peccatum ſeminarium vitiorum dicitur, col. 2. F. 272
Et tribus modis adjuvatur G. ibid.
Et eſt ſimile ebrietati, & inſaniæ, H. ibid.
Originale peccatum quid ſit ſecundum varias opiniones, c. 2. B. 273
Originalis corruptio radix eſt omnium vitiorum, col. 1. A. 713
Ornatus quotuplex, col. 2. F. 952
Os ſicut molendinum eſt, col. 1. A. 436
Os hominis cujuſque glorificari, quibus aſſimilabitur, col. 2. B 745
Ortus coloris ſuper Orizonta ſub Equinoctiali ſit in inſtanti, columna 2. E. 914
Ovidij locus de qua medicina intelligatur, col. 2. B. 133

P

Pacificatio quot modis fieri contingat, col. 1 E. 590
Palma maſculina, & fœminina cujus ſint virtutis, col. 1. D. 775
Panis vitæ ad quę utilis ſit, & neceſſarius, col. 1. B. 442
Panis vitæ panis Angelorum vocatur, col. 1. E. 430
Panis ſacramentalis qualiter reficiat, col. 1 F. 446
Panis quotidianus, & ſuperſubſtantialis dictus eſt ſacramentum Euchariſtiæ, col. 1. H. 432
Panis cœleſtis cur comparetur, col. 2. H. 124
Panis vitæ operatio & effectus, col. 2. H. 430
Et eſt radix probationis vivi filij, & ineffabilis ſacramenti, col. 2. A. ibid.
Pantheon Romæ templum, col. 1. D. 75
Parabola, quæ, col. 1. G. 48. & col. 2. E. ibid.
Paradiſi terreſtris utilitas, quæ, col. 2. C. 675
Paradiſi flumina quatuor, ſunt quatuor virtutes, col. 2. F. 163
Paradiſus terreſtris, quo in loco ſitus, col. 2. G. 674
Et propter quid creatus, & cur vacuus derelictus, col. 2. C 675
Paradiſus carnalis non eſt poſſibilis in alio mundo, col. 1. B. 723
Paradiſus cœleſtis, quis, col. 2. A. 345
Paradiſus Machometi, quis, col. 2. H. 10 col. 1. H. 11. & col. 1. C 131
Paradiſus gaudet videns Dei juſtitiam in inferno, col. 2. B. 65
Parcere qui neſcit, punire neſcit, col. 2. G. 224
Parcitas & largitas unde dicantur, col. 2. E. 178
Parcitatis & largitatis ratio, col. 2. E. ibid.
Pars nunquam eſſe poteſt extra ſuum totum, col. 2. E. 610
Parcæ poëticæ, quæ, col 2. E. 754
Parvuli ſanctificati ſimiles ſunt Chriſto in gratia, col. 1. F. 720
Parvitas ſpeciem non deſtruit, col 1. F. 118
Parvitas ſigni non parvificat rem ſignatam, col. 2. A. cum ſeq. 919
Paſſer quid ſignificet, col. 1 E. & col. 2. D. 42 & 43
Item paſſer evolans, col 2. F 43
Paſſio per ſe nihil laudis, aut vitij habet, col. 1. H. 119

Paſſio

Digitized by Google

Paſſio Domini holocauſtum fuit, col. 1. D. 517
Paſſio omnis non eſt ſimilis agenti, col. 2. G. 914
Paſſio Chriſti quibus, & quantum prodeſt, col. 2. D. 447
Paſſio ſecundum unam intentionem etiam in lapidibus reperitur, col. 1. A. & B. 43
Paſſio nulla perturbans eſt inter angelos ſanctos, col. 2. H. 1048
Paſſio quæ ſit, col. 2. F. 120
Paſſionem imprimere quid, & quid eam recipere, col. 1. F. 956
Paſſiones novæ, & cogitatus aliquando exeunt ab intellectu, & ſubſtantijs ſeparatis ſine aliqua excitatione agente, col. 2. C. 929
Paſſiones quales ſecundum Ariſt. col. 2. G 119
Paſſiones humanæ non cadunt in Deum, col. 1. B. 77
Paſſiones animarum noſtrarum motus ſpirituales dicuntur, columna 2. C. 955
Paſſiones perturbantes victum noſtrum, quot ſint, col. 1 H. 112
Paſſiones noſtræ ſex numero ſunt, col. 1. H. ibid.
Paſſiones meræ non ſunt, nolle, & velle, gaudere, & triſtari, col. 1. G. 956
Paſſiones meræ, nec laudandę, nec vituperandæ, col. 2. E. 956
Paſſiones etiam in veſtibus, & domibus, col. 1. A. 43
Paſſiones animarum mortiferæ ſunt, col. 1. H. 90
Paſſiones in dęmonijs, an habeant locum, col. 2. H. 912
Paſſiones animæ, quæ, col. 1. G. 119
Paſſionibus non meremur, col. 2. H. ibid.
Paſſionis dominicæ conſideratio, & utilitas, quæ, col. 1. A. cum ſeq. per totum. 581
Paſſionum turpium impreſſiones dum ſuſtinemus in illis fieri, nobis imputantur, col. 2. G. 956
Paſſionum in iraſcibili contrarietates viginti duæ, col. 1. G. 175
Paſtor bonus quis, col. 2. G. 15
Paſtorum reprehenſio, col. 2. C. 150
Paterfamilias ſpiritualis, quis, col. 2. F. 541
Pater quomodo flagellat filium, col. 1. E. 414
Patiens quis, col. 2. G. 248
Patientia perfecta, quæ, col. 1. D. 249
Patientia victrix glorioſa dicitur, col. 1. C. ibid.
Et armatura fidei. ibid.
Patientia quibus nominationibus nominetur, col. 2. F. 248
Patientia quid. ibid.
Patientia aſinaria, quæ, col. 1. B. 249
Patientia quando ſit diabolica, col. 2. B cum ſeq. 191
Patientia homines magnos & magnificos reddit, col. 2. G. 252
Patientia fame paſcitur, & paupertate locupletatur, col. 2. B. 259
Patientia omnium virtutum clypeus, col. 2. A. 769
Patientia quid in genere, col. 2. E. 156
Patientiæ ſectores, quæ, col. 1. C. 249
Patientiæ laudes multæ, fol. 248. col. 2. F. cum ſequent. uſque ad fol. 258
Patientiæ officia, & operationes multæ, col. 2. C. cum ſeq. 259
Patientię merita communia cum eleëmoſina, & propria, quæ, col. 2. F cum ſeq. 258
Patrimonium Crucifixi quale, col. 2. D. 151
Et quale Eccleſiæ. ibid.
Pauci interna ſuavitate reficiuntur, col. 2. H. 440
Paulini Nolanæ civitatis Epiſcopi vita, & mores, col. 2. G. 216
Pavor & timor ab inſuetis naturaliter advenit, col 2. B. 879
Pauper inſaniſſimus, quid ſit, col. 2. D. 383
Pauperes à ſecularibus [illegible] non furantur, col. 1. C. 215
Paupertas charitatem ſequitur, col. 2. H. 228
Et fundamentum eſt, & mater religionis, col. 2. E. 229
Et eſt ſecura ab inſidijs. ibid.
Et bonum ſine calumnia dicitur, col. 1. E. 230
Et probatrix veræ amicitiæ, F. ibid.
Item expeditio, & exoneratio, col. 1 H. ibid.
Et libera dicitur à fraudibus negotiantium, & ab omni periculo, col. 2. H. ibid.
Item vocatur mundatrix, col. 1. A. 231
Et vallum fortiſſimum, col. 1. B. ibid.
Nec non cibus delicatus, & talentum pretioſiſſimum. ibid.
Item dicitur largiſſima. ibid.
Item talentum pauperum, & omnium nutrix, columna 1. H. & ſequent. 232
Et propterea etiam pacifica dicitur, col 2 A. 233
Quæ etiam dicitur conculcatrix divitiarum, col. 2 A. 235
Vnde dicitur, Beati pauperes, col. 1. H & col. 1. A. 229. & 237
Paupertas miſeranda, quæ, col 1. E. 258
Paupertas ad quid utilis, col. 1. E. 718
Paupertas ſpiritualis, quæ. ibid.
Paupertatem habentes qui, col. 2. A. 495
Paupertatis laudes, & utilitates, quæ, col. 1. G per tot. 238
Paupertatis utilitates multæ, & quę, col. 1. D. 767
Paupertatis bona, quæ, col. 1. F. 718
Pax humili datur, & inquietudo ſuperbo, col. 1. E. 242
Pax quibus modis, & vijs reformari ſolet etiam apud homines inter ſe diſcordes, col. 2. B. 518
Pax quid & quotuplex, col. 1. E. 316
Pax tecum ab Epiſcopo in confirmatione, col. 1. C. 429
Pax interdum pericuIoſa, col. 1. B. 301
Pax & concordia bona matrimonij dicuntur, col. 1. H. 510
Pœna debet præcedere culpam, col. 2. A. 159
Pœna peccati primi Angeli caſus fuit, & primi hominis mors, col. 2. F. 904
Pœna talionis quis teneatur, col. 1. G. 26
Pœna non debet excedere peccatum, col. 2. A. 537
Pœna talis eſſe debet, quale peccatum fuit, columna 2. B. cum ſeq. 1067
Pœna actualis nulla debetur pro originali peccato, col. 1. F. 278
Pœna infinita cuicumque peccato mortali debetur, col. 2. F. 190
Pœna infinita infinitæ injuriæ debetur, col. 2. A. 61
Pœnæ purgatorij, quæ, col. 1. F. 678
Et an ſint in quantitate determinatæ vel ne, col. 2. H. ibid.
Pœnæ finitæ & infinitæ acerbitatis ad pœnas finitæ, & infinitæ durationis, bona ſit comparatio, col. 2. A. 61
Pœnę de juſtitia malorum meritorum magis debentur quam præmia bonorum, col. 1. G. 64
Pœnę temporalis comparatio ad pœnam æternam, col. 1. A. 65
Pœnæ vel alæ cur dicantur dona ſubſtantiarum abſtractarum, col. 1. F. 984
Et quid ſignificent, col. 1. H. ibid.
Pœnitens qualiter excuſare ſe debeat, col. 1. C. cum ſeq. 147
Pœnitens quomodo teneatur reddere rationem villicationis, & quę conſiderare debeat, col. 1. G. per totum. 588
Pœnitens qualiter ſe agere debeat in ſacramento pœnitentiæ, & in deteſtatione peccatorum ſuorum. vide multa exempla. fol 144. uſque ad fol. 152. & ſeq
Pœnitens quæ conſiderare debeat poſt reſtitutam ſibi ſanitatem, col. 1. F cum ſeq. 592
Pœnitens ſui ipſius habet perpetuam juriſdictionem, col 1. A. 585
Pœnitens quibus conſiderationibus adjuvari poterit ad veram pœnitentiam faciendam, col 2. D. per totum. 585
Pœnitens quot habere debeat, ut peccata repellat, ac deteſtetur, col. 2. D. 461
Pœnitens debet totum facere quod in ſe eſt, col 1. G cum ſeq 140
Pœnitentes veraciter abſoluti ſunt apud Deum, col 2. F 416
Pœnitentes ut veri dicantur, quare præparationem debent habere, & quot in ea requirantur, col 1. G. 462
Pœnitentes propinquiores ſunt Dei miſericordiæ, quam alij peccatores, col 1. C. 415
Pœnitentia quot nominibus nominetur, & de ejus laudibus, col 2. D. & ſequent. 451
Et de ejus multis utilitatibus. ibid.
Pœnitentia motus eſt naturalis in hominibus. col. 2. H. 412
Pœnitentia refugium nominatur, col. 2. A. 467
Pœnitentia dicitur eſſe ſecunda poſt naufragium tabula, columna 2. H. 520
Et unde dicatur. ibid.
Et quot modis definiatur per totum. ibid.
Pœnitentia interior eſt de jure naturæ, & ejus inſtinctu eam agi, col. 1. B. 573
Pœnitentia prout eſt medicatio infirmorum, quæ ſit, col. 1. H. & col. 2. per totum. 586
Pœnitentia prout eſt reconciliatio quo modo conſideranda, col. 2. D. cum ſeq. 589
Pœnitentia donum Dei eſt, col. 2. C. 505
Pœnitentia nulla apud inferos, col. 1. C. 61
Pœnitentia dicitur eſſe quædam juſtitia, col. 1. G. 344
Pœnitentiales ſatisfactiones injungens poteſt eaſdem augere, minuere, & mutare, col 1. C. 551
Pœnitentiæ bonum quid, col. 2 C. 461
Pœnitentiæ partes quare tres eſſe debeant, col. 2. D. ibid.
Pœnitentiæ opera Deo valde placent, col. 1. H. cum ſeq. 148
Pœnitere quid ſit, & quot ejus differentiæ, col. 2. E. 344
Pœnitere quilibet peccator tenetur, col. 1. F. 456
Pœnitudo interior quæ, & de ejus effectu, col. 1. D. 679
Exterius autem quando detur, col. 2. C. ibid.
Pœnitudines interiores non omnes æquales ſunt, col. 2. H. 678
Peccare aliquem utrum poſſibile ſit, col 2. A 285
Peccans mortaliter in uno, totum debitum ſervitiorum à Deo debitorum extinguit, col. 1. G. 62
Peccans venialiter quando mereatur in purgatorio, col. 2. D. 689
Peccata quot nominibus nominentur, col. 1. E. per totum 292
Peccata originalia in unoquoque tria, col. 2. B. 278
Peccata & vitia in noſtra ſunt poteſtate: virtutes vero non, col. 1. A. 997
Peccata ſuis pœnis ſemper ſunt proportionabilia, col. 1. G. 64
Peccata ſe invicem invitant, col. 1. F. 478
Peccata malorum miniſtrorum non ſunt imputanda Eccleſiæ, col. 2. G. 420
Peccata quotupliciter remitti dicantur, col. 2. E. 464
Peccata ſacerdotum non impediunt Eccleſiæ merita, col. 2. C. 517
Peccata malorum frixorium juſtorum dicuntur, col. 1. H. 214
Peccata ſacerdotum monſtra dicuntur, col. 1. B. 417
Peccata mortalia incendia dicuntur, col. 1. A. 419
Peccata actualia voluntaria dicuntur, quæ, & contraria voluntate deſeruntur, col. 1. A. 677
Peccata omnia actualia, an ex vitiis oriantur, col. 2. G. 282
Peccata venialia non ſunt propriè contra legem, col 1. F. 160
Peccata quædam proprio ſacerdoti occultanda, col 2 D 499
Peccata an redeant per relapſum, quæ ſpectant ante dimiſſa, col 2. H. & per totum. 500. & 501

Digitized by Google

Peccata quomodo redire dicantur, col. 2. A. 503
Peccata populi imputari capiti hirci, ridiculum, col. 2. F. 40
Peccati natura, quæ, col. 1. H. 60
Peccati medicina aliquando trahitur ab ipſo peccato, col. 1. D. 309
Peccati comparationes multæ, col. 2. H. 62
Peccati perpetratio eſt quaſi contractus, col. 1. A. 61
Peccato quot modis occurrendum ſit, col. 1. E. 460
Peccator qua forma uti poſſit pro excuſatione propriæ infirmitatis, col. 2. D. & ſeq. per totum. 361
Peccator ſperans pugnat adverſus diabolum, col. 1. C. 197
Peccator pœnitens quot in ſe debeat habere, col. 1. D. ibid.
Peccator interrogandus eſt de dimiſſione peccatorum, columna 2. A. 497
Peccator in dimiſſione peccatorum quomodo interrogandus. ibid.
Peccator quibus animalibus comparetur, col. 1. D. 463
Peccator lapſus, eſt ſicut civis deſertor, & transfuga, col. 2. E. 458
Peccator per pœnitentiam renaſcitur, col. 1. G. 464
Peccator recidivans, an ſit magis malus, quam ante fuerit, col. 2. C. 503
Peccator utrum reſurgere poſſit in æquali gratia, col. 2. E. cum ſeq. per totum. 478
Peccator nihil meretur per bona naturalia, col. 2. H. 310
Peccator per confeſſionem evomit ejus peccata ſicut ſerpentes, & lumbrici, col. 2. H. 488
Peccatorem teneri in vinculis à diabolo ligatum, qualiter intelligatur, col. 2. D. 295
Peccatorem nihil mereri qualiter intelligatur, col. 1. G. & H. 314
Peccatores quibus ex cauſis deſolantur, col. 1. H. 200
Peccatores quomodo intelligantur perire ſicut cera, col. 1. G 250
Peccatores malis operibus ſuis ſolis inviſibilis radios excludunt, col. 2. F 8
Peccatores quales intus & extra, col. 2. D. 463
Peccatori cur dicatur, terra es, & in terram, col. 2. C. 217
Peccatorum remiſſio non poteſt fieri niſi per ſolum Deum, col. 2. A. & col. 1. F. 995. & 996
Et quomodo per homines fieri intelligatur, col. 2. G. ibid.
Peccatorum exterior cognitio neceſſaria, col. 1. H. 414
Peccatorum pondera, quæ, col. 1. G. 200
Peccatorum extinctio per mortificationem per ſe dicitur ſacrificium, col. 1. C. 97
Peccatorum ſtatus quis, col. 2. B 585
Peccatum quid ſit, col. 2. F. 160. & col. 2. F. 64. & col. 1. H. 160. & col. 1. C. 149
Et in quo differat à vitio, col. 2. F. 160
Et quot continere debeat, col. 1. C. & D. 559
Peccatum mortale virtutem extinguit, col. 1. D. 189
Peccatum graviſſimum quomodo dicatur ignorantia Dei, c. 2. G. 64
Peccatum actuale quid, col. 2. B. 889
Et in Angelis quale, ibid. cum ſeq.
Peccatum omne in vi motiva conſiſtit, col. 2. G. 890
Et voluntarium eſt, col. 1 A. 891
Et idem de virtutibus, col. 2 C. ibid.
Peccatum primum Angelorum, quot modis dicatur, col. 2. B. 889
Et quid & quale fuit, col. 2. E. 892
Et an fuit in vi apprehenſiva, col. 2. G. ibid.
An vero in vi motiva, col. 2. H. per totum. ibid.
Peccatum originale, quot modis dicatur, & ſecundum unum modum hæreditas mala dicitur, col. 2 G. 260
Peccatum omne caſus dicitur ſpiritualis, col. 1. H. 910
Peccatum quibus nominibus nominetur, col. 2. B. 457
Peccatum quot modis dicatur, col. 2. C. & c. 1. per tot. 263. & 264
Peccatum naturale quid ſit, col. 1. E. 264
Peccatum originale dicitur propriè, & verè peccatum, c. 1. G. ibid.
Peccatum originale unde contrahatur, col. 1. H. 254. & col. 1. C. 267
Peccatum aſſimilatur ſerpenti capite contrito, col. 2. G 264
Peccatum originale an à Deo ſit, col. 1. D. & col. 2. A. cum ſeq. 265
Et tenet quòd non, col. 1. H. 266
Peccatum originale quare in poſteros transfundatur, plures afferuntur rationes, col 2. G. ibid.
Peccatum ſolum eſt declinandum, col. 2. D. 287
Peccatum homines committunt imponentes dictis malitiam culpabilem, col. 1. B. 291
Peccatum originale, an unum, & æquale ſit in omnibus, col. 1. H. cum ſeq. 272
Peccatum primorum parentum per vim guſtabilem fuit commiſſum, col. 1 G. 274
Peccatum originale non dicitur culpa, col. 1. F. 278
Peccatum veniale in purgatorio expiatur ſi moriens cum illo deceſſit, col. 2. C. 189
Peccatum adorationis horrendum eſt, col. 2. B. 87
Peccatum debitum eſt, & injuria irrogata Deo, col. 1. G. 498
Peccatum ſanguis appellatur, col. 1. F. 292
Peccatum primi Angeli ſubitum, & non deliberatum, col. 2. H. 904
Peccatum originale minus eſt incomparabiliter, col. 1. C. 279
Peccatum originale facit elongationem majorem à viſione Dei quàm veniale, col. 1. C. ibid.
Peccatum mortale in infinitum majus eſt quam originale, col. 2. D. & ſequent. 279
Peccatum tribus modis dicitur, col. 2. A. 279
Peccatum eſt gladius biceps, col. 1. A. 463
Pecuniæ obediunt omnia, col. 2. B. 535
Pelagiani gratiam negaverunt, col. 2. G. 130
Pelagij error, qui, col. 1. H. 270
Penthagonus quam virtutem habere dicatur, col. 2. H. 88
Percuſſio & repercuſſio ſimul tempore ſemper non ſunt, col. 1. B. 505
Percuſſivum quid dicatur, col. 1. D. 603
Perditio animæ dolenda valde, col. 1. C. 205
Perennitas non poteſt eſſe pars infœlicitatis animæ, col. 2. G. 312
Perfectio in homine omnium laudabilium ad Deum ſpectat, col. 2. H. 408
Perfectio & conſumatio digniores ſunt, quam initium, & initialia, col. 2. F. 92
Perfectio ſubſtantiarum ſublimium, quot modis intelligatur, col 2. E. cum ſeq. per totum. 998
Perfectio ultima virtutis intellectivę, quæ, col. 2. H. 316
Perfectio uniuſcujuſque intelligentiæ qualis, col. 1. F. 808
Perfectio in perfectibili quid, col. 1. H. 316
Perfectio ſubſtantiæ abſtractæ quantum ad vim intellectivam, quæ, col. 1. H. 872
Perfectio multiplex erit in corporibus animarum bonarum in reſurrectione & perpetuo, col. 1. F. 636
Perfectio animæ abſtractæ à corpore, quæ, col. 2. E. 312
Perfectio intellectiva in omni eſt intelligentia, col. 1. C. 819
Et quotuplex ſit. ibid.
Perfectiones naturales, quæ de ſubſtantijs ſpiritualibus dicuntur, de creatore eſſentialiter dicuntur, col. 2. C. 845
Perfectiones ſubſtantiarum ordinatę ſunt, col. 2. B. 1063
Perfectiones animarum cœleſtium ſunt ſcientiarum, & virtutum eiſdem convenientium, col. 2. B. 813
Perfectiones tres attribuuntur bonis operibus, col. 2. D. 315
Perfectiones bonorum operum tres. ibid.
Perfectionis defectus de quibus dicatur, col. 1. H. 874
Perficere & perfici oppoſita ſunt per ſe, col. 2. H. 702
Pericula multa ex defectu boni conſilij, col. 1. A. 169
Permiſſa in lege, quæ ſint, col. 1 E. 25
Permiſſio Dei circa hominum tentationes ad quid, col. 1. C. 949
Perpetuitas & antepetpetuitas durationem non complectuntur æternam, col. 2. E. 686
Perpetuitas, quot modis dicatur, col. 1. G. 690
Perpetuitas, quæ, col. 1. A. 685
Perpetuitas, quę, col. 1. A. 685
Perpetuum quid dicatur, col. 1. H. 686
Perſecutio ad quid dicatur, col. 2. G. 218
Pertinacia ex mora creſcere dicitur, col. 1. H. 912
Perverſitas virtutis appetitivæ quid operetur, col. 2. D. 555
Perverſitas, quæ, col. 2. E. 469
Petitio & deſiderium differunt inter ſe, col. 1. D. 1007
Petitio ſeu oratio noſtra apud Deum ad quæ utilis ſit, col. 2. E. 554
Petitionem manu porrigens, vel ad eam recipiendam manus extendens, deſiderium obtinendi inſinuat, col. 2. F. 1006
Pharaonis aliqua geſta, col. 2. C. 238
Phœnicis avis natura, quæ, col. 2. F. 220
Philoſophantis intentio in duobus verſatur, col. 1. H. 696
Philoſophi cur erraverunt in naturis, & earum virtutibus, columna 1. E. 742
Philoſophi veri qui, col. 1. F. 594
Philoſophia quid, col. 2. C. 645
Philoſophorum opinio de habitatione ... humanæ, columna 1. D. 647
Philoſophorum ſtudium in quibus verſabatur, col. 1. D. cum ſeq. 5..
Philoſophus ut viator curioſus, col 2. F. 132
Pietas intelligitur eſſe galbanum ſpirituale, col. 2. E. 388
Pietas quid, & eſt contra prophanitatem, col. 1. E. 158
Pietas fœneratrix exactiſſima, col. 2. F. 214
Item eleēmoſinaria, col. 2. G. ibid.
Pietas aufert Deo arma vindictæ, col. 1. H. 216
Et judicium Dei retractat, col. 1. B. 217
Pietas humana veſtigium eſt dominicæ pietatis, col. 2 C. ibid.
Pietas qualiter intelligatur, col. 2. F. 145
Et quot modis intelligatur, col. 1. E. 145
Pietas vitis eſt vinum lachrimarum producens, col. 1. F. 214
Pietatis laudes & utilitates multæ recenſentur, col. 1. H. 216. cum ſeq. & ejus divitiæ, & virtutes cum ſeq. uſque ad fol. 218
Pietatis & charitatis differentiæ, col. 1. E. 218
Pietatis intentio, quæ, col. 1. E. ibid.
Pietatis magnitudo, col. 2. H. 216
Piromantiæ origo, col. 1. H. 82
Piſcis echinus, qui, col. 1. D. 241
Piſcium diverſorum naturæ, col 2. C. 833
Pythagoræ opinio de tranſitu animarum deſtruitur, col. 2. G. 704. uſque ad 707
Placitum quid ſit, col. 1. F. 128
Planeta quilibet, & ſtellæ ſunt in omni loco potentes ad operationes naturales, col. 1. F. 56
Planeta quilibet eſt in ſpiſſitudine cœli ſui, col. 1. F. 820
Planetarum operatio triplex in rebus humanis, col. 1. A. 79
Planetas dicere malos eſſe eſt error impietatis, col. 2. F. 654
Planetę aliquando impediri poſſunt, col. 1. G. 78
Planetæ certis vicibus nominantur annis, col. 2. E. 78
Planetus liberum non eſt juvare, col. 2. F. ibid.

Plane-

Plato quid intellexit per mundum archetypum, col. 2. H. 836
Plato in Timæo quid ſenſerit de muſica, col. 2. E. 90
Platonis error, & pythagoræ de anima ab auctore refellitur, col. 2. H. 266
Platonis opinio de ſtatu animarum, col. 1. C. 701
Ejuſque deſtructio, ibid. uſque ad 703
Platonis reprobatio creatione. col. 1. C. 281
Platonis error de anima reprobatur, col. 2. E. 1050. & c. 1. A. 1051
Platonis opinio de anima mundi, col. 1 B. 801
Platonis opinio in Timæo reprobatur, col. 2. B. 73
Plenitudinis immoderatæ indicium triplex, col. 1 D. 241
Plenitudinis ultimitas quæ ſit, col. 2 C. 671
Plenitudo primæ bonitatis numquam ex ſui fruitione minuit amorem ſui, col. 1. D 715
Pœnitudo interior eſt ſacrificium Deo acceptiſſimum, & quid operetur, col. 2. G. 498
Pluto Deus tartarorum vocatus à poëtis, & ſupplicijs animarum præeſt, col. 2. C. 679
Poëtæ verſus: immerſos animos mens generoſa capit, qualiter intelligatur, col. 2. D. 201
Poëtæ quos Deos fieri putabant, col. 1. H. 712
Pomorum ratio, col. 1. E. 36
Pomum quod Proſerpina rapta apud inferos comediſſe dicitur à poëtis, quid ſignificet, col. 1. F. 272
Pondus ſpirituale quid ſit, col. 1. H. 910
Et ſuperbia dicitur. ibid.
Populi habitantes verſus Aquilonem in terra Sarphaica, qui, col. 2. E. 1050
Populus ſeu gens aliqua ſi pereat, negligentiæ Angelorum non eſt imputandum, col. 2. D. 1009
Populus Iſraël pronus ad idolatriam, col. 2. D. 45
Item rudis erat, col. 1. F. 46
Poſſeſſio exterior, & interior quomodo pacificanda, col. 1. G 562
Et qualiter interior intelligatur, col. 1. A. ibid cum ſeq. 583
Poſſibilitas ſubſtantiarum ſpiritualium naturaliter perfectarum prior eſt ordine naturæ poſſibilitate naturaliter imperfectarum, col. 1. C. 845
Poſſibilitas nulla eſt in intelligentijs, niſi potentia effectiva earum, col. 2. G. 810
Poſſidens verus, quis dicatur, col. 1. H. 604
Potens quis dicatur, col. 1. H. ibid.
Potentia quid ſit, col. 1. G. 830
Potentia creaturæ ad potentiam creatoris non eſt digna nominari potentia, col. 2. G. 834
Potentia propter actum dicitur, col. 2. E. 316
Potentia & habitus in quo differant, col. 1. F. 104
Potentia ſupernaturalis ſecundum Ariſt. quæ ſit, col. 1. H. 106
Potentia creatoris eſt ſuper omne poſſibile, col. 1. B 693
Potentia in ordine cum charitate, & ſapientia ultima eſt, col. 2. A. cum ſeq. 971
Potentia intelligendi ſunt formæ ſubſtantiales, ſubſtantiarum abſtractarum, col. 1. H. 846
Potentia omnis totum habens apud ſe non debet habere moram ad ſuum actum, col. 1. G 728
Potentia Dei incomparabilis, col. 1. C. 14
Potentiæ naturales ſunt principia per ſe bonorū actuū; c. 2. C. 103
Poteſtas quid ſit, col. 1. C. 495
Poteſtas omnis à Deo eſt, col. 2. H. 74
Poteſtas publica ad quid conſtituta, col. 1. D. 543
Poteſtas ligandi atque ſolvendi, quæ ſit, col. 1. E. 144
Et ſecundum quid non eſt virtus neque gratia, col. 1. A. 145
Poteſtas gratię, ſive virtutis non eſt ſub cœlo, ſed ſupra cœlum, col. 1. E. 296
Poteſtas dæmonum retinetur, & frenatur, col. 2. G. 958
Poteſtas omnis excepta Dei potentia, ſervitus eſt, col. 2. E. 912
Poteſtates malignorum ſpirituum ſunt ligatę, & ſubditæ Angelis bonis, col. 1. B. 967
Poteſtatis nomine factum, quid dicatur, col. 2. H. 790
Præcepti obſervatio tantum valet, quantum labor afflictionis per patientiam, col 1. F. & G. 254
Præceptum ex unaquaque regula oritur, col. 1. D. 20
Preces bonorum attendendæ, col. 2. F. 314
Prædicamenta tria ponere & tria genera rerum, eſt error manifeſtiſſimus, col. 2. D. 783
Prædicatio officij eſt ſacerdotalis, col. 1. D. 531
Præeſſe quis alteri, quot modis dicatur, col 1 B 901
Prętati negligentia, & remiſſio reprehenditur, col. 1. C. 225
Prælati canes aliquando vocantur, col. 1. D. 225
Prælati quare dicantur ſervi, col. 2. H. 970
Prælati exequi dicuntur ſententias Eccleſiæ tanquam nuncij, & mandatarij, col. 1. D. & ſeq. 145
Prælati adulatores permittentes graviter reprehenduntur, c. 2. A. 232
Prælati qualiter ſervi ſint ſubditorum ſuorum, col. 2. B. 901
Prælatos malos, vel poteſtates pręficiens graviter peccat, c. 1. H. 292
Præmia virium animæ in electis ęqualia, col. 1. G. 466
Præparatio ad pœnitentiam, quo motore fiat, col. 2. A. 467
Et quare potius una hora, quam alia. ibid.
Præſcientia à providentia quomodo differat, col. 2. F. 754
Pręterita omnia in ęternitate ſūt, & qualiter intelligatur, c. 1. D. 687
Præſtatio omniū beneficiorū per ſe, eſt divinæ voluntatis, c. 1. D. 71
Præſumptio & deſperatio, quę & de earum effectu, col. 2. A. 177
Pretium totius humanis generis nulla creatura pura potuit eſſe, col. 1. G. 564
Pretium ut juſtum dicatur, oportet æquare rem, quæ ex eo emitur. ibidem.
Primi parentes non poterant lædi in primo ſtatu ab aliqua viſione maligna, col. 2. C. 879
Primitijs frugum, qui honorabantur, col. 2. D. 55
Primum principium deſignabile eſt ſingulariter, & verè demonſtrabile, col. 2. B. 853
Princeps malignorum ſpirituum, an ad vilia deſcendat exercenda, col. 2. H. 1033
Princeps bonorum ita ſe habet ad bonum, ſicut malorum, ad malum, col. 2. H. 598
Princeps quęſtum quærens à ſubditis malè dicitur prçeſſe, c. 1. D 901
Princeps malorum non eſt corporeus, & Regna ejus tenebroſa non eſſe obſcuritate corporali, contra Manichæos, col. 2. D. 599
Principes ſubditis quomodo ſerviunt, & econtra, col. 1. C. 925
Principijs poſitis acquieſcendum eſt, col. 1. C. 3
Principium quod, col. 2. E. 13
Principium motus naturalis, quid, col. 1. D. 909
Principium malorum an ſit nocivum, col. 2. C. 597
Prior naturaliter, quod ſit, col. 1. C. 115
Privatio & habitus ſemper æquales ſunt, col. 1 A. 237
Privatio oppoſita intentioni eſt malum primum, & maximum omnis mali, col. 2. F. 892
Privilegia non faciunt jus commune, col. 2. D. 165
Probabilitas & evidentia quomodo ſe habeant ad intellectum noſtrum, col. 2. G. 2
Probabilitas quid operetur, col. 1. H. 2
Probabilitas non ingerit credulitatem intelligentibus ex neceſſitate, col 1. D. 3
Probatio quid ſit, col. 2. B. 251
Probatio immortalitatis animæ ex quibus rationibus fiat, col. 1. F. cum ſeq. 330
Procacitas & infrontitas, quid ſit, col 1. F. 178
Proceſſio filij à patre, & ſpiritus ſancti ab eodem differunt, col. 2. A. 975
Procurator fit ex mandato, & conſtitutione, col. 2. B. 513
Profunditas cœli ſolaris, aut major eſt, aut ad minus æqualis diametro ipſius corporis ſolaris, col. 2. E. 654
Profunditates cœlorum debent eſſe proportionales magnitudinibus ipſorum, col. 1. F. ibid.
Progenies, quæ, col. 2. D. 689
Prohibitio characterum, & aliorum, quæ vergunt in idolatriam, col. 2. B. 49
Prohibitionis cauſæ, ne vir uteretur veſte fœminea, vel econverſo, col. 1. F. 44
Proles fructus eſt generationis, col. 2. G. 52. & col. 1. C. 515
Promiſſio temporalium quid ſignificet, col. 2. F. 170
Prophanitas contra pietatem, col. 1. E. 158
Prophanitas, quæ, col. 2. C. 177
Prophanitati contraria pietas eſt, & quid ea ſit, col. 1. E. 158
Propheta unde dicatur, col. 1. D. 857
Prophetarum dicta de militia cœli non intelliguntur de cœlis mobilibus, col. 2. H. 952
Prophetæ ſermo, quis eſt iſte qui venit de Edom, quot modis intelligatur, col. 1. F. 976
Prophetæ viſiones habuerunt limitatas, col. 2. B. 863
Prophetia quid, col. 2. H. 156
Prophetia vera quę, col. 1. F. 754
Prophetiæ ſpiritu & revelatione divina quæ præſcibilia ſint, col. 2. E. 658
Prophetis & revelationibus credendum eſt in rebus divinalibus & à conſuetudine noſtra remotis, col. 1. B. 915
Proportio difficultatis ad impoſſibilitatem nulla eſt, col. 2. D. 915
Proportio extremorum ſemper componi dicitur ex proportionibus intermedijs, col. 2. B. 68
Proportio mortalis peccati ad veniale nulla eſt, col. 2. F. 190
Proportio bona quę, col. 1. H. 564
Proportio uniuſcujuſque cœlorum ad profunditatem quæ ſit, col. 2. C. 867
Proportio culpæ ad pœnam quæ, col. 1. H. 190
Propoſitum non peccandi, & rectè vivendi, omnem maculam peccati delet, col. 2. C. 278
Proprietas excommunicatio quædam eſt, col. 2. F. 205
Propter ſe quid & qualiter intelligatur, col. 1. B. 329
Proſper de vita contemplativa, col. 1. B. 319
Proſperitas temporalis eſt laqueus irretiens, col. 2. B. 249
Proſperitatis fructus & effectus peſſimi, col. 1. E. 252
Providere quid, col. 1. F. 754
Providentia quot modis intelligatur, col. 1. E. 148
Providentia Dei etiam ad particularia ſe extendit, columna 2. F. cum ſeq. 756
Et probatur etiam ex induſtria brutorum, col. 2. D. cum ſeq. per totum. 757
Providentia Creatoris in regendo totum mundum ſublunarem, col. 1. D. 728
Providentia Dei per quot capita, & quæſtiones terminetur, columna 1. H. 714

Providentia Dei etiam in minimis ſe extendit, col. 2. C. 419
Providentia & præſcientia creatoris an rebus & eventibus neceſſitatem imponat, col. 1 G. 778
Et de qua neceſſitate intelligatur, col. 2. G. 780
Providentiam divinam negare quot affectat mala, col. 1 E. 776
Prudentia ad quid neceſſaria, col 1. C. 113
Prudentia una eſt virtus, circa quam omnis operatio cadit, col. 2. D. & ſeq. 179
Prudentia ſervientibus eſt neceſſaria, col. 1. G. 168
Prudentia multiplex eſt, col. 2. G. 162
Prudentia in credendo dicitur rationabilis, col. 1. C. 163
Prudentiæ virtus & operatio, col 1. G. fol. 102. & col. 1. C. & D. 113
Pudor & erubeſcentia, quæ ex peccato elicitur, ad quid proſit, col 1. F. 490
Pudor unde originem habeat, col. 1. E. 170
Pudor & erubeſcentia eſt hoſtis atrociſſimus confeſſionis, c. 1. G. 489
Pudor & erubeſcentia quomodo vinci poſſit, col. 1. E. 490
Pueri hebræorum legem diſcebant ex præcepto Dei, col. 1. C. 47
Pulchritudo creaturarum unde, col. 1. E. 622
Pulchritudo, quid operetur, col. 1. H. 972
Pulchritudo mulieris eſt ignis ardens, col. 1. A. 307
Pulmo aërem ad ſe trahit, col. 2. H. 82
Pulmonem piſces non habent, col. 1. F. 798
Punctum medium eſt in quacunque linea, col. 2. B. 629
Punctus qualiter imaginatur moveri, col. 2 A. 959
Punitio omnium cur in hac vita non fiat, col. 1. D 221
Pura creatura non poterat redemptionis myſterium implere, col. 2. G. 566
Purgatio & expiatio quid ſit, & de ejus effectu, col. 1. E. 996
Purgatio ſubſtantiarū qualiter intelligatur, col. 1. D. cum ſeq 995
Purgatio mundi quare per ignem facienda, col. 2. C. 41
Purgationes animarum quæ fiunt in purgatorio, ſunt ſupplementum pœnitentialium ſatisfactionum, col. 2. B. 679
Purgatorij locus in quo animæ defunctorum purgentur, eſſe neceſſe eſt, col. 1. H. & ſeq. 678. & col. 1. D. cum ſeq. 679
Purgatorium quis locus ſit, col. 2. F. 676
Et propter quid ſit. ibid.
Purificatio in ſacerdote circa miniſterium ſacrificij, col. 2. C. 37
Puſillanimitas quæ, col. 1. E. 512
Puſillanimus quis dicatur, col. 1. E. 176

Q.

QVadrupli quare in ovibus tenebantur in furto, & quintupli in bobus, col. 2. C. 25
Qualitates & diſpoſitiones corporum glorificatorū, quæ, c. 1. C. 727
Quæſtio inter quercum & arundinem eſt exemplum humilitatis, col. 1. H. 242
Quæſtum quærentes à ſubditis malè dicuntur præeſſe, col. 1. D. 901
Quinta eſſentia non eſt nec elementum, nec elementatū, c 1. B 1019
Nec venit in compoſitionem alterius corporis, col. 2. B. ibid.
Et eſt homogeneum. ibid.
Quies & ſtabilitas ordine naturæ præcedunt motum, & inſtabilitatem, col. 1. D. 649
Quies vera animabus noſtris quæ, col. 1. A. cum ſeq. 941
Quies omnis deſiderij in Deo eſt, col 1. G. 722
Quid dicatur pignus hæreditatis noſtræ, col 2. A. 197

R

RAdix probationis in omnibus ſacramentalibus quæ, c. 1. F. 554
Rathabitio per quæ verba fiat, col. 1. D 569
Ratio quomodo differat ab intellectu, col. 2 B. 855
Rationalitas in nobis quare ſepulta, col. 2. G. 416
Rebellio dicitur ſecunda via ad vitia, col. 1. D. 261
Rebellio cur maximè in membris genitalibus, col. 1 H. 274
Rebellio animalitatis noſtræ ad ſpirituale an ſit naturalis, c. 1. F. 516
Receptibilitas, quid, col. 1. G. 850
Receptibilitas formarum non eſt propria materiæ, contra opin. aliquorum, col. 2. G. cum ſeq. ibid.
Et paſſibilis eſt, col. 2. B. 851
Recognitio quibus ex cauſis fiat in foro ſæculari, col. 2. F. 484
Et quæ ſint ejus utilitates. ibid.
Reconciliatio in pro lapſis non poteſt fieri niſi per ſacrificium ſpiritus contribulati, col 1. C 461
Reconciliatio totius mundi cur majus fuerit quàm paucarum animarum de purgatorio, col. 2. D. 447
Reconciliationis modi quot ſint, col. 1. E per totum. 592
Rectitudo quid ſit, col 2. D. 263
Rectitudinis ſpiritualis incurvatio quæ, col. 1. E. 558
Rectum quid, col. 1. C. 159
Rectum prius eſt obliquo, col. 2. B. 649
Reddendi actus ad quid Deus requirat à nobis, col. 1. H. 164
Reddere unicuique, quod ſuum, eſt propriū juſtitiæ opus, c. 1. E, ibid.
Reddere cujus ſit actus, col. 1. F. ibid.
Reddere Deo quod ſuum eſt & ſine intentione reddendi contingit in adimpletione mandatorum, col. 2. H. ibid.
Redemptio noſtra ex pietate, col. 1. A. 215
Reditus animarum noſtrarum ad intelligentiam agentem non datur, col. 1. D. cum ſeq. 827
Quid tamen ſit ſecundum fidem Chriſtianam, vide ibidem.
Refectio quæ & quotuplex ſit, col. 1. A. 441
Refectio exterior interiorem operatur, col. 1. D. ibid.
Reflexio radiorum ſolarium quando fortior dicatur, col. 1. F. 6
Reformatio corporum in reſurrectione, contra opinionem aliquorum, col. 2. H. 750
Reges ad quid conſtituti, col. 2. A. 147
Regimen Angelorū erga nos in bona faciendo duplex, ſed in mala avertēdo triplex, c. 1 G cū ſeq 1006. & c. 2. A. cū ſeq uſq. ad 1011
Regio quæ ex aquis à quibuſdam eſſe facta putatur, nullo modo convenit habitationi corporum glorificatorum, col. 1. F 644
Regis cujuſdam Babilonis exemplum de inſatiabili ejus ferocitate, col. 1. G. 1022
Regnum tam lucis, quam tenebrarum juſtis legibus ac ſtatutis regitur, col. 2. A. 599
Regnum unum quid ſit, col. 2. F. 606
Regnum cœlorum qualiter interpretetur, col. 2. E. 492
Regulæ honeſtatis quæ, col. 2. C. 19
Regulæ omnes honeſtatis ſunt naturaliter apud intellectū, c. 2. B. 20
Relatio veri nominis ſeu per ſe, quid exigat in correlativo, columna 2. G. 126
Relativorum alterum non eſt cauſa eſſe alterius: neque alterum contrariorum ſimiliter, col. 2. G. 784
Religio vera quæ, col. 2. F. 566
Religio una & unum ipſius fundamentum eſſe debet, col. 1. H. 10
Religio vera quæ ſit quoad matrimonium, col. 2. G. 520
Religio omnium ſcientiarum regina, col. 1. B. 1
Religio vitæ noſtræ ſolus decor, col. 2. A. 1
Religio decor humanæ vitæ, col. 1. D. 12
Religio aliqua apud omnes reperitur, col. 1 G 532
Religionem intrans licet non cogitet abſolvi à voto ingrediendi emiſſo, nihilominus ex illo actu abſolvitur, col. 2. G. 164
Religionis ſumma quæ, col. 2. A. 17
Religionis conſummatio quæ ſit, col. 2. B. 1
Religionis fundamentum in infinitis credendis non eſt, col. 1. F. 10
Religionis fundamentum fides dicitur, col. 2. B. 1
Religioſi ſæculo placere ſtudentis reprehenſio, col. 2. B. 219
Religioſi pauperes eſſe debent, col. 2. D. 213
Religioſi quando pauperes dicantur, col 2. F. 214
Remedia generalia & modi reſiſtendi tentationibus quot, & quæ ſint, col 1 G. & col. 2. F. cum ſeq. per totum. 307
Remedia tentationum blandientium quæ, & quot ſint, col. 2. G. ibid.
Et quæ adverſantium, col. 1. H. cum ſeq. per totum. 308
Remiſſio torpens cui aſſimiletur, col. 2. B. 225
Remiſſio peccatorum qualiter intelligatur fieri per homines, col. 2. D. 996
Remiſſiones & indulgentiæ, & mutationes pœnitentiarum fiunt ab Eccleſia de poteſtate ordinaria, col. 2. D. 509
Remota ab intellectu humano quæ ſint, col. 1. G. 55
Remotiſſima ab intellectu noſtro juxta fidem quæ ſint, col 2. H 874
Remunerari ſupra debita quot modis dicatur, col. 2. G. & ſeq. 312
Remuneratio Dei juſta, col. 2. G. 183
Remuneratio vitiorum apud principem malorū, quæ ſit, c. 2. F. 600
Et damnatio, ſeu miſeria dicitur, non autem remuneratio, col 1. A. 601
Remuneratio quid ſit, col 1. A. 12
Remunerationes juſtitiæ Dei perpetuæ ſunt, col. 1. B. 64
Renovandi virtus in thiro ſerpente, & alijs multis reptilibus, col. 2. H. 716
Renovatio & regeneratio differunt, col. 1. A. & B. 709
Renovatio & melioratio reliqui mundi corporei an futura ſit, col. 2 H. 740
Renovatio ſituum motus dicitur circularis, col. 1. D. 813
Reprehenſio contra ſuperbos qui humilitatem contemnunt, columna 2. C. 241
Reprehenſio ſalutaris contra carnales voluptates, c. 1. H. cū ſeq 254
Reprehenſio in eos qui pendentes ſunt ab uberibus. ibid.
Reprehenſio in eos qui non ſinunt operari in domo patientiæ, col 2. C. & D. 255
Item in eos qui facile ad vindictam currunt, col. 1. E. 256
Reprehenſio gravis in pſeudoprædicatores, col. 1. C. 225
Reprehenſio in iracundos & rabidos correctores, col. 2. D. 225
Reprehenſio in aſſertores conſtellationum, col. 1. F. 276
Reprehenſio auctoris in aſtrologos, col. 2. G. ibid.
Reprehenſio in malos ſacerdotes, col. 1. H. fol. 410. & col. 1. A. 411
Reprehenſio in eos, qui matrimonium contrahunt, libidinis cauſa. col. 2. B. 519
Reprehenſio ſalutaris in eos, qui voce, & habitu tantum profitentur paupertatem, col. 1. C. 213
Reprehenſio in ſacerdotes dicentes, ſe non poſſe audire in confeſſione tantam multitudinem peccatorum, col. 2. H. 450
Reprehenſio in avaros graviſſima, col. 2. D. 257
Reprehenſio contra Hæreticos graviſſima, col. 1. B. 443
Reprehenſio contra indigne ſumentes Corpus Chriſti, col. 1. A. 447
Reprehenſio aliquorum, qui omnia unum eſſe dixerunt, col. 2. F. 842
Reprehenſio in malos conjuges notanda, col. 1. C. 525
Reprehenſio in reformatores ſeveros, col. 1. G. 224
Repudium uxoris odioſæ permiſſum tantum, col. 1. D. 25
Requies ſanctorum, quid, col. 1. F. 316
Requiſita quæ, & quot eſſe debeant, ut neceſſitas, & impoſſibilitas excuſent à peccato, col. 1. E. 288
Res temporales quid ſint in animabus bene diſpoſitis, col. 2. B. 149
Res omnes per formas exemplares factas unum ſunt in veritate, columna 2. E. 842

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Res propriè & verè nominata dicitur etiam ſi per ſimilitudinem nominetur, col. 1. H. 838
Res cara quomodo, & quæ, col. 1. F. 204
Res viliores non ſunt cauſæ nobilium, col. 2. G. 92
Reſiſtentia contra omnes tentationes an ſit, col. 1. C. 295
Reſiſtantiarum modi generales, quibus ſuperantur tentationes, quot ſint, col. 1. G. & ſeq per totum. 306
Reſpirationes qualiter fiant, col. 2. B. 797
Reſponſa Deorum ambigua, & mendaciſſima, col. 2. G. 796
Reſtitutio quomodo ſit facienda per confitentem, col. 2. B. fol. 579. cum ſeq uſque ad fol. 581
Reſtitutio quantum ſpectat ad partem ſatisfactionis quomodo ſit facienda, col. 2. A. per totum. 505
Reſurgere ex peccato per pœnitentiam non eſt naturæ efficientis, ſed miraculum grande, col. 1. G. 452
Reſurgere fruſtra, quis conatur ſine auxilio Dei, col. 2. H. 456
Reſurrectio mortuorum ex multis Eccleſiæ auctoritatibus probatur, col. 2. B per totum & ſeq. 731
Reſurrectio mortuorum quare differtur, col. 2. G. 712
Reſurrectio corporum damnandorum erit ſicut glorificandorum, ſed illa ad pœnas ſuſtinendas, iſta ad gaudia fruenda, col. 1. D. cum ſeq. 715
Reſurrectio mortuorum quibus ſtabiliatur fundamentis, col. 1. D. cum ſeq. 717 & col. 2. E. 718
Reſurrectio Chriſti noſtræ reſurrectionis exemplũ, c. 2 D & ſeq 719
Reſurrectio humanæ naturæ impoſſibilis per modum refectionis, col. 1. H. 710
Reſurrectio ex potentia cœlorum non eſt, col. 1. H. ibid.
Reſurrectio corporalis eſt quędam ſimilitudo reſurrectionis ſpiritualis, col 1. A. 471
Reſurrectio mortuorum reſtitutio corporum dicitur, col. 1. C. 717
Reſurrectio mortuorum, & eorum glorificatio, unde probetur, col. 1. G. 726
Reſurrectio ex peccato eſt tantum ex divina gratia, col. 2. F. 456
Reſurrectio ad virtutes extinctas, quare facilis, col. 2. B. & ſeq. 142
Retis blanditiarum, quæ, col. 2. E. 238
Retributio quid ſit, col. 1. F. 310
Retributio ſanctorum quid, col. 2. B. 315
Retributio conveniens divinæ largitati, quæ. col. 1. A. 727
Reubarbari aſpectus quis, col, col. 1. D 657
Revelatio occultorum, & erubeſcendorum, col. 1. B. 485
Revelatio quomodo locutio intellectualis dicatur, col. 1. C. 913
Revelationes quot modis fiant, col. 2. C. cum ſeq. 1001
Revelationes divinæ ordinant vitam humanam, col. 1. H. 314
Revelationis nomen tam in lege Hebræorum quam Chriſtianorum conceditur, ſed non fati, col. 1. F. 796
Reverentia quid, col. 1. E. 170
Rex miniſter juſtitiæ, ſacerdos autem ſanctitatis, col. 1. E. 514
Rex cœlorum in poteſtate pietatis, col. 2. F. 215
Rex univocè dicitur de bono & malo, col. 2. D. 595
Rex gloriæ quot modis intelligatur, col. 2. C. 721
Rex à patre mentis unuſquiſque eſt, col. 2. B. 199
Rhetorica cœleſtis in quo conſiſtat, col 1. B. 555
Rhetorica divina neceſſaria eſt, & ad quid, col. 1. G. 316
Rigor inflexibilis ſpecies ſuperbiæ dicitur, col. 1. H. 175
Ritus quid ſit col. 1. E. 94
Ritus idolatrię quis, col. 1 G. 40
Ritus initialis ſanctificationis quis ſit, col. 2. E. & ſeq. 95
Ritus varij narrantur, col. 1. B. 96
Ritus Iob gentilis fuit. ibid.
Ritus latinorum antiquiſſimus in expiationibus peccatorum, col. 1. C. 677
Rixæ & bella quare facile concitantur in regionibus calidis, columna 2. B. 665
Rogatio quæ ſit, & quomodo differat ab oratione, col. 2. E. 340
Ros antelucanus cui comparetur, col. 2. B. 151
Rotabulum quid ſit, col. 1. B. 285
Rotam eſſe in medio rotæ, qualiter intelligatur, col. 1. C. 985
Rotæ & circulationes quid ſignificent, col. 1 A. 985
Ruſticorum ſermo de ſolutione quæ per eos fit, col. 1. E. 256

S

Sabbati obſervatio unde habuit originem, col 1. G. & H. 34
Sabbatum Hebræorum à quo ortum habuit ſecundum opinionem aliquorum, col. 2. G. 54
Sabarra quæ, col. 1. B. 243
Sacerdos medicantis officio fungitur, col. 1. H. & ſeq. 586
Et quæ obſervare debeat ad pœnitentem ſanandum. ibid.
Sacerdos inter Deum, & pœnitentem mediator eſt, col. 2. D. 589
Sacerdos quomodo pœnitentem debeat interrogare, col 1. C. 572
Sacerdos orans perſonam Eccleſiæ debet induere, col. 2. A. 515
Sacerdos portare dicitur peccata populi ſuper caput ſuum ob figuram capitis capri emiſſarij, col. 2. F. 40
Sacerdos judex pœnitentialis, col. 1. G. 500
Sacerdos mediator, & advocatus eſt, col. 2. H. 512
Sacerdos non requiritur, quod ſit ſanctus ad miniſterium exequendum, col. 1. C. 535
Sacerdos & procurator eſt ab Eccleſia conſtitutus, c. 2. D. 513
Sacerdotalis ordinis officium, quale, col 2. E. 540
Sacerdotẽ ſanctitas non facit, ſed conſtitutio Eccleſiæ, col. 2. H. 512
Sacerdotes Nabuzardam, qui, col. 2. E. 230
Sacerdotes medici ſunt ſpirituales, col. 2. E. 458
Item diſpenſatores, F. ibid.
Sacerdotes mundi eſſe debent, col. 2. B. 17
Sacerdotes exauctorati an poſſint officium ſacerdotale exercere, col. 2. A. cum ſeq. 519
Sacra ſcriptura mirabili artificio conſtat, col. 1. D. 49
Sacra martis & veneris per mulieres quibus fiebant veſtibus, columna 1. F. & G. 44
Sacramenta medicamina ſunt animarum, col. 1. E. 538
Sacramenta viſibiles ſunt ſanctificationes, col. 1. F. 410
Sacramenta à charitate profecta ſunt, col 2. E. 210
Sacramenta cognoſcere, & de his bene ſentire quare non omnibus datum eſt, col. 1. H 408
Sacramenta in via tantum ſunt neceſſaria, col. 2. D. 411
Sacramenta ſunt portæ ſanctitatis, col. 2. A. 407. & col. 1. E. 408
Sacramenta, ſacrificia & ſacra propter quid inſtituta, col. 1. F. 94
Sacramenti altaris effectus, quis, col. 1. E. 416
Sacramento altaris quæ præſtantur, col. 2. A. 515
Sacramentorum virtus, & utilitas quibus modis & rationibus cognoſcatur, col. 2. C. 407
Sacramentorum effectus per malitiam miniſtrantium impediri non poſſunt, col. 1. A. 419
Sacramentorum intentio duo continere dicitur, col. 2. E. 412
Sacramentũ Euchariſtiæ eſt fons omniũ ſanctificationũ, c. 2. H. 518
Sacramentum confirmationis & ſacramentum refectionis quare inſtituta ſunt, col. 1. D. 415
Sacramentum altaris quid, col. 2. B. 421
Sacramentum confirmationis jam ferè perijt, col. 2. H. 428
Sacramentum Euchariſtię eſt medicamentum ſaluberrimum, columna 2. G 516
Sacramentum regenerationis quare primum dicatur, col. 1. B. 417
Sacramentum ex qua cauſa dicatur viſibilis forma vel viſibile ſignum, col. 2. B. 411
Sacrificare quid, col. 2. E. 72
Sacrificia quare erant diverſa, col. 1. E. 78
Sacrificia an vana reddantur reſpectu fortunæ, col. 1. H. ibid.
Sacrificia ſpiritualia ſeptem ſacramenta dicuntur, col. 1. C. 99
Sacrificia animalium inutilia fuiſſe, col. 2. B. 96
Sacrificia legalia ſeu literalia, in quo tempore ceſſaverunt, c. 2. C. 97
Sacrificia peccata ſignificabant, & ita vocabantur peccata, c. 1. H. 38
Sacrificia vera quæ, col. 2. D. 99
Sacrificia ſpiritualia quot ſint, col. 2. E. 103
Sacrificia operum exteriorum quot ſint, col. 2. F. ibid.
Sacrificia veri nominis quid operentur. col. 2. H. & ſeq. 100
Sacrificio pro emundatione leproſi, quæ adhibebantur, col. 2. E. 48
Sacrificiorum intentiones quę, col. 2. F. cum ſeq. 76
Et quæ ſit intentio conſona legi, col. 2. E. 38
Sacrificiorum cauſæ ſeptem, col. 2. A. 29
Sacrificiorum genera quot apud Ægyptios, col. 2. H. 30
Sacrificiorum ritus, col. 2. A. 38
Sacrificium quid, col 2. E. 72
Sacrificium ſpirituale ſpiritus eſt contribulatus, col. 1. G. 102
Sacrificium generale, & primum quod à nobis Deus requirit, eſt uniuſcujuſque noſtrum oblatio, col. 1. D. 99. & col. 2 E 100
Sacrificium Salvatoris noſtri in ara Crucis fuit apotheca ſpiritualium aromatum, col. 2. H. & ſeq. 100
Sacrificium per ſe quid ſit, col. 1. C 97
Sacrificium de quatuor elementis quare offerebatur, col. 2. C. 41
Sacrificium miſſæ charitatem ſapit, col. 2. G. 450
Sacrificium de rapina quomodo, col. 1. B. 98
Sacrificium Zelotypiæ quid ſignificabat, col. 1. H. 42
Sacrilegium quomodo committitur, col 2. D. 529
Sacrorum exteriorum modi ſeptem, col. 1. D. 101
Sacrorum exteriorum nulla virtus, quinque tamen ſunt eorum utilitates, col. 2. D. ibid.
Sacrorum noſtrorum commendatio, col. 1. F. 102
Saccus quot habeat ſignificationes, col. 1. A. cum ſeq. 215
Sagena cor mulieris dicitur, col. 1. B. 285
Sagittarius cęcus homines occidens, quis, col. 2. H. 214
Sagittæ quibus humilitas necatur, quæ ſint, col. 2. B. 219
Sal in ſacrificijs quare imponebatur, col. 2. F. 38
Sal in baptiſmo quare ponatur, col. 1. D. 417
Salamandra quomodo patientiam ſignificare dicatur, col. 1. D. 258
Et de alio ejus ſignificatu vide, col. 1. B. 284
Salamandræ habitatio in igne, col. 1. H 950
Salutationis forma ſervanda in miſſæ celebratione, columna 2. B. cum ſeq. 378
Sancta ſuperbia nolle vinci, col. 2. D. 113
Sancti & juſti poſſunt etiam excommunicari, col. 1. A. 549
Sancti gaudent à parte juſtitiæ de damnatione malorum in inferno, col. 1. F. 318
Sancti viri quale difficile habeant gratiam devotionis, & lachrimarum, & econtra peccatores iſtud facilè conſequantur, col 1. G. 190
Sancti interpellatores pro nobis, col. 1. H. 74
Sancti datores ſalutis non ſunt, ſed impetratores, col. 1. H. 74
Sancti & juſti an poſſint reſiſtere cuicumque tentationi abſque novæ gratiæ auxilio, vel ejus quã habent, augmento, c. 1. D. 197
Sanctificatio eſt opus ſolius divinæ virtutis, col. 2. D. 418
Sanctificatio neceſſaria eſt, & quid ſit, col. 2. C. 409

Digitized by Google

Sanctificatio an aliquid accreſcat rei ſanctificatæ, & an illud ſit ſubſtantia, vel accidens, col. 1. C. 87
Sanctificationis tres modi, col. 2. B. 421
Sanctitas quid, col. 2. H. 108
Sanctitas ordini annexa dicitur character inſeparabilis, c. 1. C. 519
Sanctitas remanet in baptizatis etiam poſt gratiæ amiſſionem, col. 1. H. 412
Sanctitas remanens in baptizatis cujus ſit effectus, & de ejus figura & ſigno, col. 1. H. ibid.
Sanctum eſſe quid eſt, col. 1. B. 98
Sanctum non eſſe dandum canibus, qualiter intelligatur, c. 1. B. 451
Sanguis quare aliquando dæmonib. placuit in ſacrificijs, c. 2. H. 18
Sanguis pro anima qualiter intelligatur, col. 1. A. 19
Sanguinis fluxus per quem lapidem reſtringatur, col. 2. D. 669
Saphiri & cæterorum lapidum virtus, quæ, col. 1. A. 87
Sapiens quid perpendat, col. 2. C 911
Sapientes & modeſti homines quare induci non poſſunt in rapinas, & bella, & alia ſimilia col. 2. C. 655
Sapientes corporalia non curant, col. 1. E. 332
Sapientia quid, col. 2. F. 145
Et quot modis capiatur, col 1. E. 148
Et quotuplex ſit, col 1. H. 970
Sapientia genita, quę, col. 2. D. 1003
Sapientia creatoris eſt gubernans, & dirigens per ſe ea, quæ ſunt apud ipſam immediatam, col. 1. A. & B. 751
Sapientia quale donum ſit, col. 2. F. 141
Sapientia creatoris etiam circa minima verſatur, col. 1. D. 771
Sapientiam gignere quid ſit, col 1. E. 326
Sapientia patientiæ, quæ, col. 2. G. 216
Sapientia optimum eſt antidotum, col 1. A. 221
Sapientiæ Dei quomodo detrahatur, col. 2. B. 16
Sapientiæ dictum, diligite ſapientiam, qui judicatis terram, qualiter intelligatur, col. 1. D. 223
Sapientiæ ſapores quot, col. 2. H. 145
Sapientis intentio, quæ, col 2. D. 755
Sapor ſpiritualis in parte vitæ quare non ita à multis ſentiatur, col. 1. D. 449
Sapor ſacramenti Euchariſtiæ in eo quod ſacramentum eſt, ſanctitas eſt, col. 1. B. 451
Sapores divinæ pietatis quot nominibus nominentur, col. 1. H. 450
Sapores ſapientiales, quid ſint, col. 2. E. 148
Sapores peccatorum, quot, col. 1. C. 149
Sapores bonorum temporalium, quot, col. 2. B. ibid.
Sapores divitiarum quatuordecim: ciborum vero, & potuum duodecim ſunt ſpirituales, col. 1. C. cum ſeq. 150
Sarraceni quare prohibiti non bibere vinum, col. 2. D. 881
Sarraceni, qui, col. 1. H. 60
Sarracenorum error circa delectationem in rebus ſenſibilibus in gloria, col. 1. H. 718
Sat & ſatis in quibus reperiatur extremis, col. 1 H 178
Sathan qualiter intelligatur affuiſſe cum filijs Dei, coram Domino, cum fuerit ab ipſo perpetuo exilio damnatus in inferiori parte aëris, col. 1 C. cum ſeq. 947
Sathan quomodo intelligatur fuiſſe inter lapides ignitos, c. 1. A. 981
Satisfacere pro peccatis, quot modis intelligatur, colum. 1. F. cum ſequent. 352
Satisfactio, quid eſt, col. 1. E. 504
Et quot ejus fructus. ibid. per totum, & col. 2. A. per tot. 505
Satisfactio quomodo injungenda in ſacramento pœnitentiæ, col. 1. F. cum ſeq. per totum. 584
Saturni ſtella nullam habet poteſtatem includendi ſpiritus abſtractos in imaginem æream, col. 1. H. 665
Saturno, quid tributum, col. 1. E. 78
Saturnus & Mars nominandi ſunt planetæ boni, & fortunati, col. 1. A. 655
Saturnus in qua tenebatur exiſtimatione apud gentiles, col. 2. G. 14
Saturnus Dux Regni Hebræorum, col. 2. F. 14
Satyri inſipientes, & ſtulti, col. 1. & 2. A. 1019
Et quare hoc cognomen ſibi impoſitum fuit, col. 2. A. ibid.
Scarabeorum mirum artificium in eorum generatione notandum, col. 1 E. 758
Scelera ſacerdotum non minuunt merita Eccleſiæ, col. 2. H. 554
Scientia, quid eſt, eſt unum de principijs philoſophandi, per quod ſcitur, quod eſt, col. 1. A. 609
Scientia eſt fortitudo magna intellectus, col 2. F. 116
Scientia omnis eſt quædã imago primogenitæ ſapientiæ, c. 2. D. 1003
Scientia Angeli primi qualiter fuit obtenebrata, col 2. G. 902
Et qualiter in omni peccatore ſimiliter, F. col. 2. cum ſeq. ibid.
Scientia & providentia Dei fluxus ſunt, cui tota ſeries ſubeſt ſæculorum, col 2. D. 783
Scientia Adæ & Evæ qualis, col. 1. A. 155
Et an ſit litteris deſcriptibilis, & ſermonib. interpretabilis, B. ibid.
Scientia de ſacramentis eſt ſexta in ordine inter ſapientiales ſpiritualeſque ſcientias, col. 2. C. 405
Et ſequitur ſcientiam de ſanctitate, col. 2. A. ibid.
Scientia, qua, & ſcientia propter quid, non ſunt unius, & ejuſdem ſecundum idem, immo propter diverſa, col. 1. D. 467
Scientia una non eſt minor alia, vel minus intenſa, per admixtionem ignorantiæ, col. 2. E. 866
Idem de intentione, & remiſſione virtutis. ibid.
Scientia eſt illud quod eſt in virtute intellectiva rebus ſenſibilibus, col. 2 H 914
Scientia in animabus primorum parentum an fuerit revelatio, col 1. G. 282
Scientia ſine vita cui comparetur, col. 1 F. 496
Scientia non eſt præciſè deſcriptio formarum intelligibilium in ſpeculo viventis, col. 2. A. 851
Scientia noſtra adventitia dicitur, col. 1. H. 780
Scientia & providentia Dei qualiter neceſſaria intelligatur, columna 2. G. 780
Scientia creatoris qualis, qualis noſtra, col. 2. D. 781
Scientia, omnis de rebus eſt, quæ præteritis, præſentibus, & futuris continentur temporibus, col. 2. A. 783
Scientia Angelorum, & ſcientia creatoris differunt, col. 1. B 887
Scientia creatoris quando ab æterno, & quando nunc eſſe incipiat, col. 2. A. ibid.
Et quando in Beatis nova adveniat, col. 1. F. 888
Scientia divinalis dicitur via acquirendi fœlicitatem æternam, col. 1. C. 2
Scientia de univerſo, quot modis dicatur, col. 1. A. 593
Scientia de univerſo ſecundum unum modum, & ſcientia de omni, & de mundo ſimpliciter una & eadem, col. 2. B. 593
Et quare eſt pars ſecunda primi ſapientialis, & divinalis magiſterij. ibid.
Scientia actualis, & per ſe differunt, col. 2. C. 783
Scientia poteſt eſſe talis, quæ ſit virtus, col 2. D. 118
Scientia & virtus contraria ſunt, col 2. B. 142
Scientia intelligentiarum nobilis eſt, & perfecta, col. 1 G. 808
Scientiæ & artes de quibus eſſe debeant, col. 2. H. 56
Scientiæ novę occaſionaliter etiã in Angelis generantur, c. 1. H 928
Scientiæ novæ rerum particularium qualiter fieri poſſint, col. 1. H. & ſequent. ibid.
Scientię habentes veram unitatem, quæ, col. 1. A. 955
Scientiæ lumen deſuper cadit ſuper animas noſtras, à quacumque virtute deſcendat, col. 1. G 840
Scientiæ & virtutes intenſiones, & remiſſiones habent, col 2. A. 917
Scientiæ naturales tribus dicuntur modis, col. 1. G. 124
Scientiæ vel doctrinæ ſubſtantiarum ſublimium quomodo in animas noſtras transfundantur virtutibus excluſis, col. 1. E. 1004
Sciẽtię naturales ſubſtantiarũ ſeparatarũ, an æquales ſint c. 1. A 871
Et an augeri vel minui poſſint, col. 2. F. 874
Et duobus modis limitatę ſunt, col. 2. H ibid.
Scientię & virtutes in Angelis ſimul infunduntur, col. 2. G. 962
Scientiæ & virtutes naturæ, & gloriæ differunt. ibid.
Scientiæ quare impugnentur à voluntarijs operationibus, col. 1. B. cum ſeq. 142
Scientiæ naturales, quę ſint, col. 1. H. 6
Scire nihil aut parum ad virtutem operatur, col. 2. F. 112
Et quare, col. 1. G. 808
Et quomodo operetur, col. 1. G. 112
Scire nemo ſe præſumere debet, col. 2. F. 238
Scire aliquid, & non ſcire qualiter poſſit Deus, quod tamen apud nos impoſſibile eſt niſi per aliquam mutationem, col. 2. C. 783
Scire parum ad virtutem facit ſecundum Ariſt. col. 2. H. 116
Secta Machometi quando, col. 1. F. 50
Scorpiones quid ſignificent, col. 2. A. 302
Sectę diverſæ quare ſecundum aliquorum opin. col. 1. B. 55
Sæcula ſęculorũ juxta quas intentiones, intelligantur, col. 1. A. 689
Sæcula rerum generabilium ſe invicem deſtruunt, & conſervant, ſed non ad priſtinum ſtatum reducuntur, col. 2. A. 711
Sęculum quot modis intelligatur, col. 2. C. & ſeq. 689
Et quid ſit, & unde dicatur. ibid.
Item quotuplex ſit. ibid.
Securitas otioſa, quid operetur, col. 1. B. 195
Securitas à caſu laus eſt humilitatis prima, col. 2 E. 240
Securitas duplex, col 2. A. fol. 197. & col. 1. E. 198
Securitas comes eſt patientiæ, col 2. H. 198
Et omnes tentationes exuperat, col. 2. C. 199
Securitatis laudes, col 2. G. 198
Securitatis à caſu ſpecies quot, col. 2. E. cum ſeq. 248
Sedes animæ qualis, col. 1. C. 1069
Sedes pudoris frons dicitur, col. 1. C. 413
Et quot modis dicatur, col. 2. C. ibid.
Segnities & puſillanimitatis effectus, col. 1. C. 91
Semel quomodo intelligatur, col. 2. G. 412
Semen humanum quid ſecundum Ariſtot. col. 2. G. 1070
Semen humanum, & aliorum animalium in generatione, quid operetur, col E. 268
Semen quid, col. 2. H. ibid.
Semen viri coaguli vicem habet in generatione, col. 1. A. 513
Semina noſtra, quæ ſint, col. 1. F. 206
Seminifluus rejiciebatur à ſacrificijs, col. 2. H. 16
Seminis effectus & operatio, col 1 H. 268
Senecæ dictum de ſene, & puero memoria tenendum, col 1. F. 154
Senecę authoritas, col. 2. C. 155
Senectus mundi fuit ab initio apta Evangelio, col. 2. D. 423
Senſibilitas pendet ex corpore, col. 2. G. 334
Senſibilium ſenſatio ſicut intelligibilium intellectio, col. 1. E. 822
Senſu naturali, quæ ſentiuntur ipſa ſunt, quæ ſui ſenſum aut nocivitatem, aut utilitatem ſuam ingerunt ſic ſentientib. col. 1. C. 668

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Senſus humani in corporibus glorificatis, quo ſtatu futuri ſint, col. 1. C. per totum 717
Senſus noſter non percipit niſi ſingularia, col. 1. A 913
Senſus non litterales quatuor modis fieri, col 1. F. & ſeq. 48
Senſus & experientia imperfectionis plus humiliat, quam alia ejuſdem cognitio, col. 1. A 617
Senſus quid apprehendat, col. 2 G 858
Senſus communis operatio, col 2. F 120
Senſus exteriores quomodo ſe habeant ad voluntatem, colum. prima F 12
Idem de ſenſu communi imaginatione, & memoria. ibid.
Senſus ſpiritualis quid, col 2 G 147
Senſus qualiter applicetur ſenſatis, col. 1. B 355
Senſus exteriores quid ſint in nobis, & operentur, col. 1. H 112
Senſus ſpiritualis ad quid, col. 1. A 49
Sententia excommunicationis differt à vinculo ipſius, columna 2. A 547
Sententia paſtoris eſt timenda, col. 1. E 546
Separatio & receſſio quid ſit, col. 1. A 895
Separatio & libertas naturalis à corporibus fortiorem vim imperativam tribuunt, col. 1 G 926
Separatio à corpore ſequela eſt ſalutis, & perfectionis, c. 2, G. 334
Seraphin officium quale, col. 1. B 981
Et quale cherubin. D ibid.
Item & thronorum, col. 2. H 982
Serapis ab Ægyptiis fuit adoratus in forma tauri, col. 1. B 85
Sergius monachus ſeductor, col. 1. F 50
Series ſeculorum Regnum eſt creatoris, col. 2. E 770
Sermo, quis eſt iſte qui venit de Edom, quot modis intelligatur, col. 1. A 20
Sermo, qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis, qualiter intelligatur, col. 2. F. cum ſeq. 986
Sermo Dei theriaca eſt, col. 1. A 489
Serpentes & lumbrici quomodo evomantur, col. 2. H 488
Servicus Deo quando ſuum ſervitium ei vendere dicatur, columna 2 C 111
Servitia animarum quæ ſint, col. 1. E 506
Servitia Deo neceſſario exhibenda, quæ tamen infinita non ſunt, col. 1 F 11
Servitium quod nobis præſtatur ab Angelis in bona faciendo duplex, in mala vero avertendo triplex, fol. 1006. col. 1. cum ſeq. uſque ad fol. 1012
Servitus omnium ſervitutum extrema eſt naturæ, col 2. H 80
Servitus voluptatis quæ, col. 1. F 54
Sicomorus eſt humilitatis exemplum, col. 1. H 248
Sigillum furtivum quod ſit, col. 2. G 422
Signa exteriora ad quid in unoquoque ſacramento requirantur, col. 1. C 411
Signa aliqua magni eventus præcedere ſolent, col. 1. D 929
Signa fœderis ſive pacti cum Deo quæ ſint col 1. G 95
Signa naturalia magis ſignificant quam poſitiva, col. 2. G 90
Signa & ſtellæ non moventur propriis motibus, ſed motibus cœlorum, col. 1 C 951
Signa lepræ in pollicibus, col 2. B 43
Signa & clades & cometæ & alia ſimilia quare in cœlis apparere ſolent, cum multis exemplis, col 1. E 666
Signa ex quibus probatur immortalitas animæ, quæ ſint, columna 1 F 330
Significationes cœleſtes immutabiles, col. 2. G 664
Signum baptiſmalis ſignificationis eſt ad omnem initiationem totius generis humani, col. 2. F 95
Signum in fronte baptizandorum quid ſignificet, col. 2. H 424
Signum crucis in hominibus peccatis expoſitis & deditis, quid ſignificet, col 2. B 425
Signum neceſſarium eſt ut homines introducantur in templum Dei, col 2. D 408
Et ad quæ neceſſarium ſit, col. 1. E. cum ſeq. 409
Signum crucis cur pingitur, in confirmatione de criſmate, columna 1. A 429
Signum & ſimilitudo differunt col 1. F 1018
Immo nec habet ſimilitudinem cum ſignato, niſi modicum G. ibid.
Simeonis de columna exemplum humilitatis notandum, columna 2. H 246
Similæ zeli quæ, col. 1 A 215
Similitudines impropriæ enumerantur, & propterea fugiendæ, col. 2. F. & G 48
Similitudines rerum imprimuntur intelligentiis à Deo, ſecundum Ariſt. col 2 D 823
Similitudines de loco cogitando ſubſtantiarum abſtractarum quæ, col 1 D 945
Similitudines pulchræ circa bonitatem paſtoris, col. 2. G 15
Similitudo geometrica ad humilitatis exemplum, col. 2. A 245
Similitudo quantacunque ſit, non prohibet multitudinem, colum. 1 B 819
Similitudo ejuſdem ad ſe non poteſt aliquo modo eſſe, col. 2. F 828
Similitudo duobus capitur modis, col 2. A 823
Similitudo de agnoſcentia in firmitate corporis valet ad oſtendendam infirmitatem ſpiritus, col. 2. A 263
Similitudo de extinctione lenius perpetua ad extinctionem ſervitiorum a Deo debitorum, laudatur, col. 1. A 63
Similitudo quæ, col. 2 G 48
Simplicia digniora ſunt quàm compoſita, col. 2. D 813
Et in compoſitis ſi inveniuntur, ſunt naturaliter ſeparata, colum. 2 G 844
Simplicitas quorundam orationes facientium ad imagines ſine diſtinctione, reprehenditur, col 2 E 66
Sinterēſis quid, & unde dicatur, col 2 A. 271. & col. 1. F 274
Sinus creatoris eſt locus naturalis Angelorum, & animarum beatarum, col 2. D 945
Situs aquarum circa terram eſt, col 1. A 648
Situs & poſitiones ſtellarum non videntur nobis ad liquidum, col. 1 C 913
Situs cælorum, inquantum ſitus, nullius ſunt utilitatis, columna 1. B 809
Smaragdi color mirabilis, col. 1 G 642
Smaragdi virtus quæ, col. 1. G 56
Sobrietas & abſtinentia ſunt animabus non minus, quam armamenta, col. 1. H 719
Sobrietas ſecunda pars eſt temperantiæ, col. 1. C 167
Socialitas quæ, col 2. D 177
Societas noſtra cum Deo, col 1. A 315
Societas ſaluberrima quæ, col. 2 H 212
Societas cum Deo quæ ſit, col. 1. A 315
Societatis matrimonii partes, quot ſint, col. 2. F 502
Socratis dictum in adulatores, col 1 H 240
Socratis dictum notabile, col. 2 A 157
Socratis exemplum de invincibilitate, col. 1. H 242
Sodomitica abominatio, quid ſit, col. 1 A 523
Sol & luna obedierunt Joſue cultori Dei, col. 1. C 55
Sol viſibilis & ignis in rubro quondam ardens cui comparentur, col. 2. D 217
Sol viſibilis cui comparetur. ibid.
Sol non habet in poteſtate lucem ſuam, neque ignis calorem, colum. 2. G 614
Solamen quid, col. 1. A 201
Solem lunam & ſtellas quando videre incipiamus, col. 1. F 688
Solis dies celebris quare apud Chriſtianos habetur ſecundum aliquorum opin. col. 1. & 2. 55
Solis & lunæ corpora immutabilia, col. 2 A ibid.
Solis retroceſſio in ſignum liberationis Ezechiæ ab ægritudine, col. 1. C ibid.
Solitudo philoſophati volentibus valde commendatur, c. 1. D 707
Solvendi & ligandi duo modi in Eccleſia ſunt, col. 2. E 540
Solutione nemo liberatur à debito Dei, col 2 G 62
Sonus unde dicatur, col 2. B 803
Sonus aquæ ad aquam quomodo, col. 2. C ibid.
Sortes ubi locum habeant, col. 1. B 75
Spaſmus unde, col 2 A 155
Speciem non diverſificant magis & minus, col. 2. H 50
Species quid, col 1 F 802
Species una in diverſos non poteſt dividi mundos, col. 2. H 610
Species omnis eſt totum eſſe uniuſcujuſque individuorum ſuorum, col. 2. D 815
Et perficitur perfectione ſua ultima in individuo, col. 1. E 856
Species intelligibiles qualiter formentur in anima, col. 1. F 922
Speciositas creatoris rapit apud ſe intuentes col 1. H 836
Specula viſibilia apta ſunt eſſe ſpecula omnium viſibilium, colum. 1. H 816
Et ſicut ſe habent directa oppoſitione ad invicem, ita intelligibilia inter ſe. ibid.
Speculum humani intellectus quid, col. 1. C 317
Speculum humani intellectus cui comparetur, col. 1. C ibid.
Spei veritas datur intelligentiæ, col 1. B 157
Spei laudes & effectus multi, col 1. F. & col. 2. cum ſeq. 196
Spei erectio, col 1 D 199
Spes quot filias habere dicatur, col. 1. G 196
Spes nunquam confunditur, col. 2. G ibid.
Spes quotuplex ſit, col. 2. H & ſeq. 148
Spes ex qua credulitate generetur in nobis col. 2. D 16
Et quot ſperanda contineat. ibid.
Spes unam fidem unam ſequitur, col. 2. G 94
Spirituale ſacrilegium quid, col 2 H 422
Spirituales ſubſtantiæ limitatæ ſunt in perfectione, col. 1. C 847
Spirituales delitiæ quid operentur in animam. col 2 C. & D 58
Spirituales ſubſtantiæ an locum occupent, ſeu replere poſſint, col. 1 H & col. 2. per totum. 610
Spiritualia corpora cur dicta, col 2. E 716
Spiritualia peccata quæ col 1. D 287
Spiritualia lux dicuntur, & carnalia tenebræ, col. 2. E & ſeq. 108
Spiritualis homo permittens ſe à laudibus adulationis extolli, dejectus in triſtitiis perpetuæ incurrit infamiam, col 2. D 219
Spiritualis operatio potens eſt in omni loco, col. 1. F 56
Spiritualis applicatio quid, col. 1. D 447
Spiritualis victus ita eſt neceſſarius ad corpora noſtra, ſicut cibus materialis, col 2 H 448
Spiritualitas ut prævaleat in nobis contra carnalitatem, quid requiratur, col. 1 F 114
Spiritualitatis natura & proprietas quæ col. 2. D 843
Spiritualium multitudo æquiparatur multitudini corporalium col. 1. H 844

Digitized by Google

Spiritum ſanctum animam mundi aſſerere, error nefandiſſimus eſt, col. 2. F 806
Spiritus ſanctus, quid ſit, col 1. C 127
Spiritus vadens, & non rediens, qualiter interpretetur, col. 2. G. 456
Spiritus maligni principia hominum fiunt perverſa voluntate, colum. 2. D 987
Et quare non retinuerunt nomen eorum ordinum à quibus ceciderunt, col. 1 G 988
Spiritus Beati animas noſtras non purgant aut perficiunt virtute ſua, ſed eas adjuvant, & qualiter, col 2. A 997
Spiritus beati liberi ſunt, & voces ſpirituales, col. 1. C 1001
Et facile tranſeunt in animas humanas, col. 2. E 1002
Spiritus abſtracti animæ non ſunt, col. 2. H 670
Spiritus omnes abſtracti beatitudinem priorem naturalem habuerunt antequam malitia perverterentur, col. 2. D 671
Spiritus maligni an eandem poteſtatem quam habent, retineant in alios ſpiritus, col 1. H 966
Spiritus maligni imaginativas noſtras perturbant, col. 1. A 879
Spiritus quidam apparentes in forma hominum mortuorum, colum. 1 C. cum ſeq. 1067
Spiritus maligni ex natura ſua non poſſunt ſuſcitare mortuos, col. 1. H 880
Spiritus ſanctus cur non debuerit incarnari, col. 1. B 569
Spiritus & caro ſibi invicem ſunt contraria, col. 1. H 174
Spiritus ſanctus omnibus modis æqualis eſt patris & filio, colum. 2. C 971
Et ſic etiam non plus diligit, quam filius vel pater, licet charitas ſit proprium ei attributum, col. 1. E 974
Spiritus ſanctus, ſpiritus timoris dicitur, col. 1. H 145
Spiritus animæ pars nobilior, col. 1. H 556
Spiritus quidam malignus qualiter portavit quendam virum ſanctum è regione Burgundiæ uſque Romam, col. 1 E 1064
Spiritus omnes maligni religati ſunt, & incarcerati, col. 2. F. 958
Spiritus omnes propter quid adminiſtratorij ſunt, & in miniſterium miſſi, col. 2 G 960
Spiritus maligni inceſſanter particularia cognoſcunt, col. 2. F 912
Et invocationes, & ſacrificia, quæ eis offeruntur. ibid.
Spiritus familiaris Ariſt. quis, col. 1. A 913
Spiritus faciunt apparere res in anima noſtra, col. 1. H 878
Spiritus includi in annulis erroneum eſt, col. 1. E 84
Spiritus omnis qualiter alligatus corpori ſuo, col. 1. C 801
Spiritus cooperantur operationes, quæ ab animabus ſunt in corpora ſibi conjuncta, col. 2. E 56
Spiritus Ariſt. mendax, col. 1. G 952
Spiritus multi ſunt in cœlo ſecundum magos, col. 2. F 824
Spiritus maligni omnes inſani ſunt, col. 1. H 1020
Spiritus noſter aut mens ſecundum unum modum quid ſit, columna 2. D 299
Spiritus blaſphemiæ quis, col 1. B 295
Spirituum malorum apparitiones, quot modis fieri dicantur, colum 2. F 878
Spoliatio à materia non prohibet numerum ſeu multitudinem, colum. 1. C 859
Spoliatio à materia non prohibet ſubſtantiam à ſingularitate, col. 1. D 855
Spoliatio & denudatio rerum ab intellectu quomodo intelligatur, col 1. G 822
Spuma quid, col. 2. G 240
Statum futuræ gloriæ eſſe æternitati ſimillimum qualiter intelligatur, col. 2. H. & ſeq. 746
Status optimus naturæ humanæ quis, col. 2. E 740
Status humani generis, quot & quibus indigebat, col 2. F 562
Status noſter in hoc mundo mixtus ex fœlicitate, & miſeria, colum. 2. F 1048
Status mundi inferioris poſt judicium qualis futurus erit, columna 1. D 753
Status primi hominis qualis, col. 2. D 903
Status finalis uniuſcujuſque electorum in vita iſta, ſive malorum, quis ſit, col. 1. F 182
Status terræ, qualis futurus ſit, col. 1. G 742
Status gloriæ nihil habet imperfectionis, aut carentiæ, columna 2. F. 812
Status vitæ futuræ quis, col. 1. G 54
Statuta & leges omnes ſunt ita de bonis faciendis, ſicut & de malis fugiendis, col. 2. H 598
Statutum illud debet à ſubditis obſervari, quod ita fieri debebat. ibid.
Stellæ innocentiſſimæ ſunt à conſtellationibus & caſibus imprimendis in nobis, col. 1 E 278
Stellæ corpora ſunt, col 2. G 280
Stellæ nullum adjumentum præſtant virtutibus naturalibus & harum operationibus, col. 1. E 282
Stellæ an ſint ſigna voluntariorum operum, col. 1. F 664
Stellæ fixæ non moventur motu proprio, ſed motu corporis tantum, in quo fixæ ſunt, col. 2. C 649
Et quibus indiciis hoc ſciatur, col. 2. G 650
Stellæ ſerviunt divino cultui col. 1. B 55
Stellæ an ſint fixæ in cœlo ſicut oſſa in corpore ſuo, col. 1. G 618
Stellæ ſunt partes & ornatus ipſius cœli, col. 2. E 650
Stephani exemplum ſequendum, col 1. B 561
Stephanus inſtitutor ordinis grandimonten, col. 1. G 514
Stilla maris ſtilla tribulationis vocatur, col 1. F 252
Stimulatio tribulationum exiliis egit luxuriantes de luto luxuriæ, col. 1. D 253
Stipendia peccati quæ, col. 2. D 150
Stomachus eſt veluti coquina aut lebes, col. 1. A 431
Stultitia propter Deum quæ, col. 2. A 141
Stultitia hominum quibus aſſimiletur, col. 2. G 8
Stultum Dei quid, col. 2. G 144
Suavitas in creaturis quid, col. 1. D. 131
Suavitates in veritate decem ſeptem, col. 1. C 325
Suavitatis divinæ ad ſuavitatem carnis nulla datur proportio, colum. 2. E 262
Suavitates in veritate quot ſint, col. 1. C 325
Subditi an teneantur juvare eorum principem in bello injuſto, col 1. H 166
Sublimationis ſeu diſtillationis gradus, col. 2. E 80
Sublunaria omnia convertuntur in ignem, col 2. B 667
Subſidium proximorum quale, col. 2 B 493
Subſtantia quælibet ſpiritualis non omnia à principio ſuæ creationis cognovit, col 2. H 886
Subſtantia generali intentione quid ſit, col. 2. B. & C 595
Subſtantia univoce dicitur de ſubſtantiis bonis & malis, columna prima E 596
Subſtantia nulla extra ſe nihil cognoſcit, niſi in ſeipſa, & intra ſeipſam, col. 2 F 1000
Subſtantia ſpiritualis eſt anima rationali nobilior, col 1. H 844
Subſtantia intelligens an poſſit intelligere, vel cognoſcere ſe, col 1. H 126
Subſtantia omnis eſt amplectens eſſentiam creatoris intra ſe, col. 2. E 920
Subſtantia una abſtracta non præeſt alij naturali dominatione, col 2. A 969
Subſtantia ſpiritualis abſtracta à corpore fortior eſt quam anima humana, col. 1. C 1063
Subſtantia quare ſit dicta, col. 1. H 850
Subſtantia non poteſt nutriri accidentibus, col. 1. A 435
Subſtantia criſtallina & omnium gemmarum quid ſit, col. 1. B. 613
Subſtantias corporales eſſe per ſenſum probari poteſt, col. 2 G, 856
Subſtantiæ ſeparatę ſunt ſubjectæ paſſionibus à rebus ſenſibilibus eis contingentibus, col. 2. E 914
Et quomodo. ibid.
Subſtantiæ nobiles quæ remanſerunt in puritate ſuæ bonitatis, quibus nominibus nominentur, col. 2. A 913
Subſtantiæ abſtractæ in ipſa ſui creatione ſubito & totaliter illuminantur ſcientia naturali completa, col. 2. E 871
Et non decet eas creari in imperfectione potentialitatis, colum 2. H 872
Subſtantię ſpoliatæ qualiter cogitentur eſſe in loco, col 2. A 943
Subſtantiæ ſublimes primæ ſunt in eſſe & ordine inter omnes ſubſtantias creatas in nobilitate, col. 2. D 847
Subſtantiæ ſeparatæ immateriales, col. 2. C. 849 & folio 850. col. 2. G & col. 1. H 852
Subſtantiæ nobiles creatæ fuerunt cum lege naturali vivendi, colum. 1. G & H 898
Subſtantię beatæ poſſunt nova bona ſuſcipere contra Ariſt. col 1. E cum ſeq. 992
Et qualiter divinæ pulchritudini aſſimilentur, col. 1 A 993
Subſtantiæ omnes beatæ circulo & rotis comparantur, columna 2. H 984
Et quot modis intelligantur ex Deo exire & in eundem reflectere. ibid.
Subſtantiæ ſpirituales inventæ in compoſitione naturaliter, neceſſe eſt ut inveniantur ſeparatæ, col. 2 G 844
Subſtantiæ nobiles & abſtractæ an corporeæ ſint, col. 1. E 868
Et an ſaltem habeant ætherea corpora, col. 2. H. fol, 868. & col. 2. A cum ſeq. 869
Vbi nec figuram animalem nec ſphæricam habere poſſunt, columna 1 E 870
Subſtantiæ abſtractæ an ſint diverſæ ſpecie, an vero ſint unius ſpeciei, col 2. F 862
Subſtantiæ ſpirituales receptibiles paſſionum & malitiarum & paſſibiles, contra Ariſto. col 1. E per totum. 884
Subſtantię nobiles non movent corpora noſtra, ſicut nec animas, niſi per earum appropinquationem, col. 1. H 926
Subſtantiæ abſtractæ, an perfectè ſint creatæ, col. 2. A 117
Subſtantiæ abſtractæ bonę creatæ, col. 1. E 118
Subſtantiæ malæ cur bonæ prius dicebantur, col. 2. H 888
Subſtantiæ ſpirituales non habent, nec quando nec ubi ſecundum opin aliquorum, col. 1. C 945
Subſtantię abſtractæ introducuntur in animam per apprehenſiones, non autem per viſum, col. 1. E 147
Subſtantiæ malignorum ſpirituum antea illæſibiles, nunc læſibiles, col. 1. A 919
Subſtantiæ ſeparatæ non ſunt in ſignis miniſtrantes, col 2. H 950
Neque ad alia miniſteria exercenda in cœlis conſtitutæ, columna 1. E 952
Subſtantiæ abſtractæ an multæ ſint vel ne, col. 2. G 852
Subſtantiæ naturaliter nobiles quę, col. 1. H ibid.
Subſtantiæ intelligentes quomodo cauſent motus in corporibus cœleſtibus, col 2. H 820
Subſtantiæ extrinſecæ & accidentia non conſtituunt pluralitatem,

col. 2.

Digitized by Google

col.2. D 827
Suffragia dănatis non proſunt contra opinionẽ aliquorũ, c.1.D.211
Suffragia ſanctorum requirenda ſunt ad impetrationes lachrimarum, col.2. B 367
Sugillatio odij ex laudibus charitatis, col.1.B 209
Sugillationes diaboli quid operentur, col.1.A 205
Superabundantia divinæ miſericordiæ quæ, col.1. C 721
Superbi hominis indicium quoddam, col.1.B 247
Superbi qualitates peſſimæ contra humiles, col 1. E 146
Superbia quid ſit, col. 2. C. & f.896. col.2.G. & f.899.c 2.B. 559
Et cauſa fuit invidiæ diaboli ibid.
Et ſic primum fuit eius peccatum, col.2. D. cum ſeq. per totum. & f.898 col.1.G 897
Et quomodo dicatur primum peccatum in comparatione avaritiæ, col.1.B 899
Superbia humana diabolicam exceſſit, col. 2. F 242
Superbia initium eſt omnis peccati, col 2. G 242
Superbia in paupere valde execranda, col. 1. G 494
Superbia cauſa eſt pudoris, col.2 A 489
Superbiæ contraria quæ ſint, col. 2. F 910
Superbire quid ſit, col 1. D 399
Superbus totum mundum dicitur onerare, col 2. D 241
Superbus ex quibus inflari ſolet, col 2. G 244
Superbus ſuperbum non patitur, col. 1. D 245
Superbus omnis diligit humilitatem in alio præter ſe, col 1.G. 910
Superbus quibus aſſimiletur, col.1. F 242
Superioritatem non habent res ejuſdem ſpeciei ad invicem naturaliter, col.1. B 969
Superſtitio omnis fugienda, col.1. G 46
Superſtitio quorundam dicentium, imagines virtutem ſortiri, ſexageſimo anno in factione ſua, & deinde durare, valde damnatur, col.2. F 66
Superſtitio gentilium, col.1. H 44
Superſtitiones idolatricæ vetularum & hominum quorundam, col. 2. E. cum ſeq 1066
Superſtitiones antiquorum, col. 1 E 56
Superſtitiones cauſa ſunt idolatriæ, col.1. E 66
Superſtitionis antiquæ narratio quædam, col.1.G 82
Supervacuum quid, col. 1. B 98
Supplicia infernalia quæ, col.1. D 323
Surdus naturaliter mutus eſt, col 1. F 86
Suſpendere & revocare differunt, col. 1. C 539
Suſtinentiæ non ſunt veri nominis paſſiones, col. 2. F 956
Suſtinere quid. ibid.

T

Tabernaculi forma, col.2. A 31
Tabernaculorum feſtivitas ſcenophegia appellata, c.1 A 45
Tabernaculum figuram mundi gerebat, col. 1 G 32
Talenti nomine quid in ſacra ſcriptura ſignificetur, col.2.D 311
Talentum quid ſit, fol.494. col 2. H. & quot eius lucra. ibid.
Talentum paupertatis paupertas dicitur, col.1. H 232
Tarditas & levitas credendi vitia ſunt, col. 1. B 163
Tarditas ad credendum vitium eſt, col.2. H 294
Tarditas intellectus non excuſat, col.1. C 12
Temerarij operantes ſine conſilio reprehenduntur, col.1.D 763
Temperantia quę, col.2. C 179
Temperantia large de omni virtute dicitur, col.1. D 167
Temperantiæ ſpecies quot, col.2. G 166
Temperantiæ effectus qui, col.1. D. 167. & col.2. H 110
Templorum duo ſunt genera, col.1. C 101
Templum Dei uniuſquiſque efficitur per baptiſmum, col.1.A. 425
Templum Dei quid & ad quid ædificatum, col.2.F. cum ſeq. 410
Templum Dei omnes Chriſtiani dicuntur, col. 2 H 510
Temporalium oblatio viro perfecto contumelioſa eſt, col.2.A. 237
Temporis ad tempus nulla eſt proportio, col.1 F 916
Temporis intentiones & differentiæ quæ, col 1. G 692
Tempus an fœlicitate & æternitate conſideretur, c.2. A. cum ſeq. 747
Tempus finitum infinita continere non poteſt, col 1. G 10
Tempus quod cœpit à creatione mũdi non ante vel prius, c 2. G 692
Tempus locus, & numerus improportionales ſunt col.2. E 684
Tempus an ſit infinitum, vel ne, in quo vide opin. Ariſt. c. 2. A. 685
Tẽpus præteritũ & futurũ ęquales habet velocitates, c.2.D. cũ ſeq 697
Tempus cum ſit finiendum quid erit poſt ipſum, col.2.E 700
Tempus quid ſit, col.1. E. f. 92. & col.1. B. & col 2. 683
Et eſt partibile in infinitum ibid.
Tempus remotiſſimum eſt ab æternitate, col. 1. H 748
Tempus veri nominis an in inferno ſit, col.2. E 690
Tempus & æternitas æquivoce dicuntur, col.1. F 692
Tenebra quot modis dicatur, col.1. F 600
Tenebras fuiſſe ſuper faciem abyſſi, qualiter intelligatur, c.2.B. 635
Tentare experiri dicitur, col. 1 E 294
Tentari non dicitur qui non repugnat, ſed capi, col.2. C 303
Tentari quid & quomodo, col.2. D 303
Tentatio parentum per ſerpentem, col.2. G 58
Tentatio quid, col.1. E 294
Tentatio quot modis intelligatur, col.1. G ibid.
Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, col.1. G 294 & col.2. C. 303
Tentatio tribus modis perficitur, col.1. H 294
Tentationes diabolicæ & occultæ inſidiæ quæ & quot ſint, col.1 E. & col 2. cum ſeq. 302
Tentationes quomodo diminuuntur, col 2. E 308
Tentationes variæ à diabolico inflictæ, col 2. B 131
Tentationis modi qui & quot ſint, col.1. H & col.ſeq. 294
Tentationis utilitates, col.1 G 194
Tentationibus an reſiſti poſſit ex ſolis donis & virtutibus quibus præditi ſunt electi ſine alio adjutorio, col.1. B 299
Tentationum moleſtia nec alia pœna infligi alicui poterat ante peccatum primi parentis, col.1. C 257
Tentationum quædã fiunt per blanda quædã per adverſa c 2. G 306
Tentationum impugnationes quę fiunt per virtutes quæ & quot ſint col.1. E. cum ſeq. per totum. 308
Tepidus quis dicatur, col 1. F 176
Terra arida quid, col.1. G 284
Terra non ſatiata aqua ebrietas eſt, col.1. A 285
Terra fæx elementorum apud philoſophos, col.1. A 130
Terra frigida eſt, & ſicca, col.2. A 635
Terra vere & per ſimilitudinem accipitur, col.1. C 837
Terra humilitatis eſt elementum, col.2. D 247
Terra à nono cælo quantum diſtat, col. 2. H 644
Terra poſt judicium meliorabitur col.2. F 752
Quæ tamẽ propter peccatũ primorũ parentũ eſt deteriorata ibid.
Terremotus qualiter fiat per timorem in reſurrectione ſpirituali, col.1. B 472
Teſtamentum ſcribendum pro inſtitutione hæredum, col.2.H. 568
Teſtis proprium officium quid, col.1. C 483
Et non eſt niſi juratus. ibid.
Theriaca ex carne viperina, col. 2. D 439
Theriacę aſpectus quis, col.2. A 657
Theſaurarij patientiæ qui, col 2. D 257
Theſauri patientiæ qui, col 1. A ibid.
Theſaurizare in alio ſæculo quando dicatur, col.2. F 216
Th[illegible]notum cognominatio quid deſignet, col. 2. H 982
Thuribulum aureum quid ſignificet, col 2. G 386
Thus quid in oratione ſignificet, col.2. H 388
Timor quid, & de ejus utilitatibus, col.2. A 763
Timor ſecuritatem expellit otioſa, col. 2. H 194
Timor optimus vigil, col.1. A 195
Timor theſaurus eſt, col.2. B ibid.
Et expellit peccatum, col 2. D ibid.
Et dicitur radix ſapientiæ, col. 1 E 196
Timor contra timorem præſumptionis dicitur medicina, c.1.G. 196
Timor ſervilis quid, col.2. H 160
Et cui comparetur. ibid.
Timor prout eſt motus quid ſimiliter & deſiderium fuga & inſecutio, col.2. B 318
Timor triplex & de ejus effectu, col. 1. E. & f.148. col.2.G 144
Timor domini expellit peccatum, col.1 H ibid.
Timor eſt eadem virtus cum ipſa ſpe, col. 1. G ibid.
Throni cur tertio loco nominentur, col.1. H 972
Et quomodo per eos Deus judicia ſua exercet, col.2.E ibid.
Timor reverentialis qui, col.1. G 145
Timor primus ſapor eſt animæ, col.2.G 148
Timor Dei quid faciat, col.2. D 99
Timor & pudor alias affectiones patiunt, col.1. B 14
Timor unde oriatur, col.2. D 169
Timorate & reverenter de Deo loquendum, col. 2. G 790
Timoris effectus, col.1. G. fol. 194
Timoris tres filiæ, col.1 C 195
Timoris Dei effectus, col.1. H 244
Timoris laudes multæ enumerantur, col. 1. F 193
Tingi quid ſit, col.2. H 418
Tyranni omnes quantumcunque potentes vere impotentes dicuntur, col.2. C 973
Tonitruus, quid, col.2. G 82
Torpor & negligentia quid ſit, col.1. G 384
Torpor ſpiritualis qui, col 2. G 142
Totum omne unum eſt, & quid ipſum ſit, col. 2. H 604
Et ex quibus ſit illud. ibid.
Traditiones ſcholaſticæ debent proportionari profectibus, c.1.B. 99
Tranquillitas, & impetuoſitas operationum non diverſificant vires ſecundum ſpeciem, col. 2 A 957
Tranquillitas, & pax duplex eſt, col.1. D 459
Transformationes variæ malignorum ſpirituum, ut ſe præbeant hominibus adorandos, col 2. H 1020
Tranſubſtantiatio quid, col.1. F 434
Tremor corporalis, & ſpiritualis, unde oriantur, col.2. E 193
Tribulatio, quid operetur, col 1. G 764
Tribulatio eſt ſuaviſſimus cibus viro patienti, col.1. C 203
Tribulatio aſperitas eſt in itinere præſentis vitæ, col.1. G 254
Tribulatio eſt ablactatio parvulorum, col.1 H ibid.
Tribulatio corporalis ferula, & flagellum eſt in ſchola patientiæ, col.2. H ibid.
Tribulatio virga dicitur qua veſtes purgantur, col.1. A 255
Tribulatio formido eſt, quę vulgo dicitur eſpaventaculũ, c.1.C 255
Tribulatio ignis patientiam ſignificat, col.1. B 251
Tribulatio etiam aqua dicitur, col. 1 G 252
Tribulatio miniſtra patientiæ dicitur, col.1. B. cum ſeq. 249
Tribulationis aqua terrę fructiferę in ſalſuginẽ cõparatur, c 1. C 253
Item aquæ frigidæ ad ſedandum ſitim & alia, col.1 D 253
Tribulatores ruſtici dicendi non ſunt, ſed magis factores pagamen

Digitized by Google

torum, col.1. H 256
Trimegiſtus qualiter intelligatur in libro quem de heleta ſcripſit, col. 1 G 66
Triſtitia hujus ſæculi, quid operetur, col 1. F 174
Tropologia quæ, col.2. F 48
Tropologia violenta quæ, col.1. B 49
Tropus nullus, vel abuſio prohibet veritatem intentionis, c.1.E 838
Tubis clangere quid eſt, col.1.C 497
Tullij locus in quo definit virtutem declaratur, col.2 G 102

V

VAcuum in regione planetarum non eſt, col. 2 E 652
Vallis Ioſaphat locus futuri judicii univerſalis, col.1.F 750
Vanitas quid, col.1. B 891
Vanitas ridicula circa auguria, col.2. B 35
Vanitas vetularum, col.1. E 72
Vanitas decorem addit, col.1. C 751
Varietas hominum in Eccleſia Dei, unde procedat, col.1. H 95
Vas proprium qualiter intelligatur, col. 1. F 520
Vaſa multa in Domo Dei, col.2.C 121
Vbera quid ſignificent, col. 1. H 254
Vbi, an prædicet de ſubſtantiis ſpiritualibus, & quale eis ſit ſtuprum, col.1. A. cum ſequen. col.2. cum ſeq. 945
Vbique eſſe eſt ſingularis excellentia creatoris, col. 1. F 958
Vehementia & tepiditas quæ, col 1. F 176
Velle non dicitur qui non fecit quod potuit. col.1 F 296
Velle noſtrum liberum eſt ſicut ipſa voluntas, & eſt prima operatio ipſius, col.1. A 111
Velle noſtrũ quomodo neceſſe eſt eſſe volitũ, vel voluntariũ, c.1. A 915
Velle ipſum liberum eſt in nobis, col 2. C 917
Immo unus ſolus eſt motus in ſemetipſo indiviſibilis, ibid.
Velle ex voluntate quomodo fiat, col.2. A 115
Velle an quis poſſit vel ne, quot modis intelligatur, col.2. F 296
Venationes tam hominum quam animalium, an cadant ſub cura & providentia Dei, col.1.B 773
Venerea voluptas magis detinet animã quã extera vitia, c.2. E.1050
Venereas voluptates quare religio Chriſtiana maximè deteſtetur, col. 2. H 1054
Venerem colere quid ſit, col. 1. G 844
Venia & gratia peccatoribus per fideles apud Deum ſæpiſſime impetratur col.2. F 314
Veniale peccatum nec injuria, nec Dei offenſa eſt, ſicut nec originale, col 2 D 279
Licet auferat gloriæ portionem ad tempus. ibid.
Et ſecum patitur gratiam; ſecus in originali, col.1 E 280
Venus quid ſignificabat ſecundum legem ſarracenorum, col.2.H.54
Veracitas quæ, col 2. A 563
Verba Dei ſunt cibus animarum humanarum, col 1.G 430
Verba illa, caro mea vere eſt cibus &c. qualiter intelligantur, col.1. & 2. G.430 & col 1 H 440
Verbum patris pro patre ſufficiebat, col. 1. B 569
Verbum Dei eſt unum per omnẽ modũ & indiviſibile, c. 2. H 616
Verbum quot modis intelligatur, col. 2. C 613
Verbum eſſe, æquivocum eſt: & quomodo intelligatur in æternitate ſecundum quod de ſolo dicitur creatore, col. 2. C 685
Verbum, eſſe, ad æternitatem pertinet, col.2. F 684
Verbum Dei circa quæ cadit, col 2. F 792
Verbum Dei, nec minus nec aliud eſt quam ipſe, col.2. E 616
Verecundia quid, col.1 E 170
Veritas quid ſit, col.1. E 816
Veritas eſt ferculum virtutis intellectivæ, col.1. A 325
Veritas prima & eius illuminatio & alia hujuſcemodi proportionantur, col 2. A 53
Veritas propriè dicitur de affirmatione, & negatione, col.2.G 114
Veritas prima qualiter intelligatur, col. 1. B 793
Veritas quot modis dicatur, col. 2. E 794
Veritas eſt propriè factotum & apertum, & eſt contra hipocriſi, & aliarum ſimulationum, col.2. A 163
Veritas ad intellectum pertinet, col. 1. B 20
Veritas eſt cibus intellectus: bonitas vero eſt cibus noſtri affectus, col.1. C 431
Veritas particularium rerum in mundo eſt archetypo ſecundum Platonem, col 1. E. cum ſeq. per totum. 836
Veritas eſt intus in omni re, col 1. H 440
Veritas ſponſa humani intellectus col.1 C 567
Veritas prima & prima bonitas quid ſint, col.2. D 431
Verum ſolum eſt ſcibile, col. 1. C 431
Verus humilis qualis, col 2. C 243
Veſtigia virtutum naturalium in quibuſdam brutis, col. 1. F. 113
Veſtigium Idolatriæ naturalis in pueris adhuc manet, col.1.C 69
Veſtimentum Dei eccleſia dicitur, col.1. G 310
Veſtium prohibitio ne vir uteretur veſte fœminea, vel è converſo, & ejus cauſæ, col.1. F 44
Veſtis uſus ex lana & lino contexta prohibitus, col. 2. E 44
Veſtis in ſacra ſcriptura quomodo accipiatur, col. 2. D 115
Veſtis Ioannis Evangeliſtæ cujus virtutis fuit, col.2. C 459
Veteris hominis partes, & membra quæ, col.1. A 585
Vetularum & hominum quorundã inſania & idolatria, c.2. E. 1066
Vetularum opinio ſtulta in auguriis, col. 2. A. & B 35
Vetus homo quibus dominetur vitiis à quibus per baptiſmum purgatur, col.2. B. & ſeq. 417
Vexatio à dæmonio ſingulariter fit, col. 1. B 913
Via credendi quæ, col 1. H 41
Victoria vitiorum fit per mortificationem, col. 2. B. 52
Victoria petenda in conflictu pœnitentiæ, col.1. E. cum ſeq. 346
Victoria Dei contra diabolum quæ, col 1. F 570
Victoriæ premium & honor debetur, col 2. E 306
Videre & cognoſcere æquivoce dicuntur, col.1 E 968
Viæ univerſales tres ad committenda peccata, c.1. B. cum ſeq. 261
Adduntur & aliæ duæ, col.1. G. fol.263 & col.1. D 262
Viliorum major copia quam precioſorum reperitur, c. 2. C 59
Villici Dei ſumus, col.1. D 419
Et quãdo teneamur rationẽ reddere villicationis noſtræ, c.2.D.ib.
Vincens virtute aliena vincere non dicitur, col. 2. E 134
Vincula carnalium deſideriorum per patientiam dirumpi, c.1.F.358
Vinculum charitas dicitur, col. 2. D 209
Vindictæ & pœnæ juſtitiæ Dei perpetuę ſunt, col. 1. F 64
Vindictæ Dei diverſæ in genus humanum, col. 2 G 770
Vinea Domini quę, & quid ſignificet, f.492. col.1.H. & c.1. D 575
Vinum cui comparetur, col.1.C 319
Vir bonus qualis, col.1.B 71
Vir quantumcumque potens debet eſſe contentus numero 12. filiorum, qui dicitur mediocris numerus, col. 1. H 124
Vires corporales plurimum fortitudinis habent à naturis & paſſionibus animarum, col 1. F 734
Virga diſciplinæ cujus ſit utilitatis, col.2.C 765
Virginitas eſt nomẽ ab accidẽte impoſitũ virtuti caſtitatis, c.1.A.167
Virginitas & continentia non dicitur eſſe inimica humanæ naturæ, col. 2. D. & ſeq. 515
Virgo nupta reddens debitum conjugale marito non dicitur amittere virtutem virginitatis, col.1. A 167
Virgo an teneatur ad virginitatẽ poſt lapſum ſi eam vovit, c 2.F 288
Virtuoſi homines quare ita dicantur, col.1.C 971
Virtus naturalis quæ ſit, col 1. H 24
Virtus orationis & benedictionis mirabilis eſt, col.2.C 419
Unctio baptizandi quid ſignificet, col. 2. C 425
Virtus cœleſtis vel fatum, vel alius motor extrinſecus movens animas humanas ad volendum [illegible] non, non aufert eis dominium & imperioſitatem, col 1. D 289
Virtus non minor eſt quærere quam parta tueri, col.2 E 436
Virtus vocalis in glorificatis quas partes perfectionis habebit, col.2.B 745
Idem de virtute interpretativa, C ibid.
Virtus quid ſecundum Auguſt. col.1. C.559 & c.2.G.160. & c 2. G 160
A qua tamen virtutes conſuetudinales excluduntur, col. 2. C. 161
Virtus guſtabiles & alias ſimiles an erunt in uſu in futura gloria, col.1. G 738
Virtus & poteſtas conſtellationum an extendatur ad alia animalia quam ad homines, col.1. C 275
Virtus noſtra intellectiva ex quibus augeatur & meliore, c. 1. C 885
Virtus moralis idem eſt, quod bonitas quę maliriæ opponitur, col.1. B 103
Virtus una ſicut una bonitas, col.1. G 138
Virtus una & eadem non poteſt vim apprehenſivam atque motivam parere, col.2. H 146
Virtus iraſcibilis non poteſt eſſe ſine cultu divino, col.1. A. & B 69
Virtus intellectiva non recipit diviſionem, col. 1. A 867
Virtus intellectiva abſtracta non eſt paſſibilis ex ſenſibilibus, colum.2. F 872
Virtus obedientiæ laudatur, col 2. D 165
Virtus quot nominibus nominetur, fol.113. col. 2. A uſque ad fol. 115. per totum.
Virtus ſanitas etiam appellatur, item decor. ibid. & pulchritudo, ibid.
Virtus nutritiva ſeu renovativa, & virtus generativa, quid teſtantur, col.1. H. 708 & col. 1. D 709
Virtus omnis ex prima potentia deſcendit, col.2. A 69
Virtus ignis ſuſpenſa enarratur, col.2. A ſimiliter & virtus aquæ & etiam virtus lunę. ibid.
Virtus rationabilis concupiſcibilis & iraſcibilis quomodo ſe habeant ad eorum prima lumina & veritates, col. 2. D. 67. & col. 1. E 68
Virtus agens eſt anima fabricantis, col.2. F 80
Virtus omnis, potentia & principatus & dominatio, eſt quoddam veſtigium diſpoſitionum, quæ de creatore dicuntur, c.2. C 979
Virtus ſine operatione vana eſt, col.1. G 788
Virtus intellectiva ad quid à Deo creata, col.1. G 58
Virtus omnis & potentia creata habet eſſe propter perfectionem ſui ultimam, quæ eſt gloria ipſius, col. 1. F 816
Virtus creandi in intelligentiis non eſt, col.2. C 819
Virtus concupiſcibilis animæ noſtræ libera eſt à paſſionibus, colum.1. H 322
Virtus an propter ſe tantum ſit quærenda, col.2. F 110
Virtus moralis quid, & quomodo intelligatur Cicer. definitio, col 2. F. & G 102
Virtus cogitativa quæ, col.1. D 105
Virtus moralis qualitas eſt, col. 2. C ibid.
Virtus ſaporandi & ſentiendi panem vitæ donum eſt ſolius Dei, col.1. A 471
Virtus exercitatione invaleſcit, & ocioſitate debilitatur, c.1.F. 514
Virtus nulla ſtabilis ſine Dei auxilio, col.1. A 73
Virtus ſacramentorum ex miniſtris non pendet, col.1. E 539
Virtus dicta perfectio, quæ ſit, col 1. F 114

Virtus

Digitized by Google

Virtus ſacramentalis matrimonij quæ, col.1. B 515
Virtus motiva in duos ramos dividitur, col.1. C 121
Virtus una quomodo clarificetur ex depravatione alterius, col.2. E. cum ſeq. 1020
Virtus ſaphiri eſt humilitatis exemplum, col.1. G 248
Virtus intellectiva ſpeculum intelligibile eſt, col 1. E 912
Virtus juſtitiæ an pertineat ad thronos, col.2. D 973
Virtus intellectiva copulata cum Deo quid pariat, col.1.D 317
Virtus veri nominis & vitium non ſunt contraria, col.1. H 64
Virtus apprehenſiva nobilis quare in dæmonibus non debuit omnino extingui, col.2. D 1019
Virtus & ars circa quæ verſentur, col.1. D 5
Virtus naturalis quæ dicatur, col.1. G 6
Virtus eſſentialiter dicitur tantum de charitate: & accidentaliter & relativè de aliis, col.1. E 160
Virtus creatoris non eſt loco alligata, col. 2. H 640
Virtus ſalutaris una eſt, col.1. D 179
Virtutem eſſe gratiam ex quibus probetur, col. 2. E 6
Virtutes apprehenſivæ ſunt quinque, col. 2. D 167
Virtutes affectivæ ſeu motivæ quæ, & quot ſint, col.1. B 169
Virtutes lapidum & gemmarum quæ, col.2. B 657
Virtutes cæleſtes concedendę ſunt ſuper res, quæ fiunt ſub ſphera lunæ, col.1. D 665
Virtutes naturales & conſuetudinales non ſunt propriè virtutes, col 2. E 136
Virtutes nobis ſpiritualia largiuntur, col.2. H ibid
Virtutes veras pauci habent, col. 1. C 137
Virtute ſpirituales quid agant in anima, col. 2. H 136
Virtutes verę bonos faciunt, col.1. D 137
Virtutes philoſophicæ quæ, col 2. G 162
Virtutes theologicæ quæ, col.1. G ibid.
Virtutes ſingulares quæ, col. 1 H ibid.
Virtutes œconomicæ quæ, col. 1. H ibid.
Item & politicæ. ibid.
Virtutes omnes ſunt relativæ ad charitatem. col. 1. E 160
Virtutes cœlos moventes nullum habent impedimentum motuum ſuorum, col.1. A 729
Virtus gloriæ virtutibus naturæ longè nobiliores, col.1.D ibid.
Virtutes gratuitæ & earum operationes in ultimo ſunt perfectionis, ſed naturales ad illas ſunt ſicut ſemina, col.2. D 183
Virtutes & gratiæ ſunt multo majores vitiis, col.2. A cum ſeq. 185
Virtutes naturales & conſuetudinales apud nos non ſunt veri nominis & veræ rationis, col. 1. H 64
Virtutes theologicæ non habent veram contrarietatẽ ad vitia ib.
Virtutes neceſſariæ quæ, col.2. C 71
Virtutes liberę quæ, col. 2. C ibid.
Virtutes nobiles ad Deum ſpectãt in homines largiri col.2.A.409
Virtutes naturales ferè in nobis ſopitæ ſunt, col. 2. E. 64
Virtutes cœlos moventes deſinent moveri in fine ſæculorum currentium. col. 1. A 729
Virtutes quomodo faciliter extinguuntur, & quare, col.2. D 141
Virtutes diminutæ, & ſecundum quid quæ, col.1. G 138
Virtutes naturales ex eadem animæ humanæ eſſentia procedentes, quare æquales eſſe videantur, col.2. G 128
Virtutes ſe invicem juvant, col.2. E 160
Virtutes unde dictæ col. 2. A 115
Virtutes omnes voluntariæ, col. 1. C 891
Virtutes naturales in Adam perfectæ, col.2. C 22
Virtutes naturales omnes ſunt æquales, col.1. A 128
Virtutes cœlorum & ſtellarum nullæ ſunt, niſi per quatuor elementa, col 2. H 754
Virtutes naturales non influunt operationes ſuas; niſi ad beneplacitum creatoris, col.1. G 736
Virtutes omnes & omnia dona gratiarum requiſitæ de neceſſitate ſalutis infunduntur ſimul in parvulis baptizatis, col.1. D 135
Virtutes moventes proportionales ſunt in motibus ſuis, col.1 F.918
Virtutes naturales & conſuetudinales quomodo ſe habent in animabus, col.1. E 130
Virtutes omnes erunt in actu in gloria, col. 2. H 322
Virtutes impugnantur à voluntariis operationibus, f.141. col.2 D idem in ſcientiis eſt dicendum ibid.
Virtutes animalium diverſorum, fol.977 c.1 B. uſque ad fol 979
Virtutes naturales quæ, col.1. F.104. & col.1. D 117
Virtutes cœleſtes nihil poſſunt in homines, niſi quando ſunt extra eorum habitacula, col.2 D 55
Virtutes & potentiæ animæ ad quid, col.1. C 721
Virtutes & dona ſubſtantiarum nobilium, cur dicantur pennæ ſive alę, col. 1. F 984
Virtutes morales ſeu conſuetudinales non habent bonitatem veri nominis, ſed tantum ſecundum quid, col.1. C 117
Virtutes naturales ſunt organa operationum bonarum, c. 1 H. 130
Virtutes conſuetudinales quę & non ſine homine parãtur. c 2. C. 161
Virtutes cardinales quare, col.1. D ibid.
Virtutes dona dicuntur, col.2. E 158
Item veræ beatitudines. ibid.
Nec non & fructus. ibid.
Virtutes ex vi iraſcibili in totum ſunt viginti duæ, col.1. H. 172.
quarum vitia ſunt quadraginta ſex. ibid.
Virtutes ut ſcientiæ intenduntur ſecundũ diſpoſitionem recipientis aut eas influentis, col.1. A 867.
Virtutes noſtrę apprehenſivæ quare arctatę ſunt, col.1 D ibid.
Virtutes motivę in ſui creatione habent omnes perfectiones naturales ſuæ bonitatis, col. 1. C 873
Virtutes naturales exercitio proficere, col.2 D 22
Virtutis nomina varia per ſimilitudinem, col. 1. G 116
Virtutis ad virtutem non datur comparatio in magnitudine. f. 50. col.2. E. idem in tempore. ibid.
Virtutis definitio data ab Ariſt. qualiter intelligatur, col.1 A 105
Virtutis iraſcibilis ſedes in corpore, quę & quæ concupiſcibilis, col. 1. A 805
Virtutis naturalis perfectio quæ, col.2. F 21
Virtutibus & ſubſtantiis ſpiritualibus corpora aptantur pro exigentia operationum ipſarum, col.1. B 805
Virtutum gratuitarum & naturalium inter ſe comparatio ſimiliter, & vitiorum, col.2. C cum ſeq. 183
Virtutum ſpecies quot, col.2 C 20
Virtutum initia quæ ſint, col.1. F 119
Virtutum eminentiæ in ſubſtantiis nobilibus quæ ſint, & cui reſpondeant, col.2. B 257
Virtutum naturalium quæſtiones quædam pulcherrimæ, c.1.D. 123
Virtutum & vitiorum conflictus, col.1. F 116
Virtutum ultima perfectio quæ contra Ariſt col.2. D 129
Virtutum naturalium differentiæ quæ, f.67 col.2. D & f. c.1.E. 68
Virtutum in anima tria genera, col. 2. D 111
Virtutum ad vitia nulla datur proportio, col 2. H 216
Virtutum moventium ad operationem differentiæ, c 2 C. & ſeq 55
Vis intellectiva ad quid; item & affectiva col.2. D 718
Vis ſenſitiva quid agat in memorativam, col.2. D 107
Vis motiva & apprehenſiva pares ſemper non ſunt, cum multis exemplis col.2. F 1020
Vis concupiſcibilis ex imaginatione delectabilis neceſſario movetur, niſi voluntas repugnet, col. 1. C 957
Vis generativa activa in maſculo & paſſiva in fœmina, col.2. D 515
Vis generativa ad quid, col.1. E 514
Vis motiva nihil operatur ſine conſilio virtutis apprehenſivæ, col. 1. H 892
Et hoc etiam in ſubſtantiis ſeparatis. ibid.
Quandoque tamen ab alio quam ab intellectu movetur. ibid.
Vis regitiva in univerſo præter creatorem non eſt, col. 2. H 105
Vis motiva qualiter adjuvat vim apprehenſivam, & econtra, colum 1. A 925
Et de ratione, col.1. B ibid.
Vis apprehenſiva ſubeſt virtuti motivæ, col.1. F ibid.
Vis iraſcibilis quomodo exeat ab hominibus iracundis, c 1. H. 216
Vis eadem an ſe ipſam movere vel in ſe ipſam agere poſſit, c.2. H. 119
Vis intellectiva concupiſcibilis ac iraſcibilis quomodo corrumpatur, col 1 G 68
Viſus quomodo ſit harmonię, col.2. A 333
Viſibilia omnia in gloria ſimul videntur viſione lucida & diſtincta, col.1. F 718
Item & harmoniæ omnes. ibid.
Viſio quid, col.1. E 304
Viſio unius una eſt, & unius ſoni una auditio, & duorum duæ, &c. col.1. E 762
Viſio Dei eſt tota merces quæ ſanctis promittitur, col. 2. B 317
Et an ſit jocunda, vel delectabilis, col. 2. G 318
Viſio ſapientiæ ſanctarum ſubſtantiarum eſt quaſi viſio maris, colum.1. H 1004
Viſio ſive cognitio ubi invenerit gratiam vitæ, ibi dabit gratiam patriæ ſeu gloriæ, col.1. D 319
Viſiones multæ & apparitiones ex melancholia fieri ſolent, colum 2. H 1066
Item aliæ diverſæ per totum. ibid.
Viſiones ſpiritus prophetici cognitiones certiſſimæ ſunt, col. 1. B. cum ſeq. 857
Viſus promptior quam auditus, col.2. F 218
Viſus quid, col. 1. F & G 146
Vita perpetua in corpora humana naturaliter ex animabus humanis redundat, col.2. G 738
Vita hominis militia quædam, col. 1. D 831
Vita noſtra nocti aſſimilatur, col.2 G 152
Vita vitioſa in Dei contumeliam eſt, col. 1. B 418
Vita humana qualis ſecundum opinionem auctoris reprobata opinione aliquorum, col 1. B 109
Vita humana qualis debeat eſſe, col.1. B 109
Vita noſtra dividi non poteſt, col.2. C ibid.
Vita bona quid & quid eius operationes, col 2. A ibid.
Vita hominis vel parcendo vel puniendo corrigi debet, c.2.G. 224
Vita ſanctorum dicitur quædam negotiatio, col.1. E 206
Vita ſpiritualis vita omnium virtutum eſt, col.2. F 306
Vita hæc cur amara dicatur, col.2. C 765
Vita ſine ſocio eſt vita leonis ac lupi, col.1. C 821
Vita virtutis intellectivæ eſt intelligere, col 1. H 314
Vita duplex hominibus data, col. 2. F 642
Vitam corporalem multa prolongant & quæ, col 2. B 676
Vitam æternam an ex condigno mereamur, col. 2. A 313
Vitæ fortitudines tot, quot peccata, col 2. B 159
Vitia & peccata intra nos ſunt & ex nobis oriuntur, ſed virtutes ſunt extra nos, col.1. B 997
Vita cœleſtibus creaturis non adſcribenda, col.1. B 12

Digitized by Google

Vitia cognata dicuntur virtutibus, col.1. E 119
Vitia quot nominibus nominentur, col. 2. D. cum ſeq. 283
Vitia morbi dicuntur & vulnera: peccata vero vulnerationes, colum.2. G 114
Vitia & peccata miſeriæ, ſicut veri ſunt morbi, col. 2.F 158
Vitia & peccata per ſe & propter ſe odienda ſunt, col.1. G 172
Vitia omnia à principe ſunt malorum, ſicut virtutes à principe bonorum, col.2. F 600
Vitia quibus fiunt tentationes quæ & quot ſint, cum eorum nominibus, col.2. E 294
Vitia Hebræorum quæ, col. 2. H 54
Vitiorum alienorum reprehenſio, ſuorum autem ignotio maliſſimi exempli eſt, col. 1. E 214
Vitioſorum delectatio veri nominis non eſt, col.2. F 186
Vitioſus nullus vere potens dici poteſt, col.2. B 973
Vitium originale eſt tarditas noſtri ſpiritualis, col.1. C 263
Vitiũ quodcunque virtutes omnes excludit & è converſo, c.2.E. 308
Vitium quid & in quo differat à peccato, col. 1. E 292
Vitium an eſſe vel fieri poſſit in anima humana, col.1. H cum ſeq. per totum. 1052
Vitium vel vilis caſus unde dicatur, col 2. F 282
Vitium omne delebile eſt naturaliter ab anima humana, & omnis virtus in ea naturalis plantabilis, col.1. D 455
Vitium quot modis ſive intentionibus intelligatur, col. 2. F 260
Vitrum ex quo generetur, col.1. C 751
Vitula ruffa cur ſacrificabatur, col.1. D 41
Vitulus conflactilis quare ab Hebręis fuit adoratus, col. 1. A 83
Vitulus labiorum quid ſignificet, col.1. B. cum ſeq. 383
Vivere ſecundum paſſiones malum & vitioſum eſt, col.1. G 119
Vmbra terræ eſt pyramis rotunda, col.1. B 675
Vnctio inter ſcapulas quid ſignificet, col. 1. E 4 6
Item in vertice quid F. ibid.
Vnio animarum cum corporibus quanta ſit, col.1. B 133
Vnitas vel diverſitas exemplorum non ſequitur unitatem ſeu diverſitatem exemplaris, col. 2. G 842
Vnitas eſſentialis ideatum non prohibet ab exemplis pluritatem aut differentiam, col 2. F ibid.
Vnitas creatoris quid ſit, col.1. E 920
Vnitas & impartibilitas non impedit diſtinctionem terũ, c.2. A 843
Vnitas prima quæ, col. 2 A 853
Vnitas non poteſt eſſe cauſa multitudinis, col.2. H 618
Vnitio quot modis dicatur, col.1. G. cum ſeq. 606
Vniverſi auctor eſt unus & non duo, contra Manichæos, c.1 H 594
Vniverſi corporei partes quæ ſint, col. 1. A 645
Vniverſi corporei quindecim ſunt partes, col.2. H 672
Vniverſitas hominum eſt velut materia, & minera alterius mundi, col.1. H 712
Vniverſum an ſit æternum vel ne, & de errore Ariſtotelis & Avicennę, col 2 G cum ſeq. 690
Vniverſum ſpirituale in tres dividi partes ſecundum opinionem antiquorum, col.2. A 807
Vniverſum qualiter exivit à primo, & quales etiam res creantur ab ipſo, col 2. D 611
Vniverſum eſt unum ſolum & mundus unus, & quare, col. 2.G 604
Vniverſum ponere & negare ejus partem ſpiritualem, eſt ponere hominem, & negare animam humanam, col.2. E 848
Vniverſum ſpirituale neceſſarium propter corpora, col.2. H. cum ſeq. ibid.
Vniverſum qualiter intelligatur, ubi aliqui reprehenduntur de abuſione ipſius nominis, col 1 H. & ſeq. 610
Vniverſum renovandum an ſit ſecundum totum, an vero ſecundum partem, & qualiter, col.1 D. & ſeq. per totum. 707
Vniverſum quomodo ab auctore capiatur, col.2. B 593
Vnum quid ſit & ſimiliter univerſum, col. 1. B. per totum. 605
Voces dæmonum & dæmoniacorum differunt, col 2. G 1000
Voces angelorum quæ ſint, col. 1. F 1002
Voluntas quando dicatur ſemper culpabilis, col. 1. E 296
Voluntas tantum facit peccare, col.1. E. 286
Voluntas mala quot modis fieri dicatur, col.1. F ibid.
Voluntas ſuperveniens facto neceſſario, convertit illud in peccatum. G ibid.
Voluntas conſentanea divinæ voluntati, col.2. C 137
Voluntas illius an ſit recta qui gratis vult bonum alterius, columna 2. D ibid.
Voluntas imperativa quæ, col.2. F 786
Voluntas noſtra quomodo vim patiatur, col.2. G ibid.
Et quomodo inclinetur, col. 2. H ibid.
Voluntas imperioſa non dicitur exempta à lege Dei col.1. F 290
Voluntas ſuaſionibus non inclinatur, niſi ad quæ vult, col.1. H. 908
Voluntas noſtra bona per applicationem ſuam ad res bonas, colum.2. D. 891
Voluntas in nobis eſt veluti Imperator, col. 1. H 112
Voluntas boni quare bonos efficiat volentes, & ſcientia boni bonos non faciat ſcientes, col.1. A 813
Voluntas eſt magis intima quam ſcientia, col.1. B ibid.
Voluntas qualis in homine, col 1. F 118
Voluntas liberrima eſt in homine, col. 1. H ibid.
Voluntas ſola de omnibus viribus naturalibus animæ rationalis libera eſt, col.1. A 121
Voluntas contraria in his qui ſubito moriuntur, locum non habet, col.1. A 677
Voluntas noſtra qualiter ſit mortificanda, col.2. G cum ſeq. 584
Voluntas in anima humana imperfecta, in angelis autem perfecta dicitur, col. 2. A 925
Voluntas eſt virtus ſpiritualis, col.2. F 80
Voluntas recta eſt mater bonarum operationum, col.2. H 226
Voluntas creatoris lex fuit omnibus ſubſtantiis nobilibus, colum.2. H 898
Voluntas creatoris per ſuum intellectum, quomodo fuit, colum 2. E 610
Voluntas eſt rationabilium tantum, col. 2. B 77
Voluntas noſtra libera eſt, col.2. F 786
Voluntate ſolum peccatur & eadem voluntate recte vivitur, colum.2. G 428
Voluntatis liberæ eſt ſe avertere ab omni malo volito, ſicut & intellectus ab omni male credito, col.2. E 58
Voluptates pernitioſæ quæ, col.1. G 766
Voluptas abſorbet animam, col. 2. B 323
Voluptas venerea quid operetur, col 1. H 1050
Voluptas carnalis pernitioſa, col.2. G 514
Et abominatio eſt Deo. H ibid.
Voluptas carnalis per quæ nomina deſignetur, col.2. A 253
Voluptas abſorbet animam, col.2. B 323
Voluptas carnalis pernitioſiſſima, col.1. F 522
Voluptas in deſiderio eſt col.1. G ibid.
Voluptas veri nominis quæ, col. 2. F ibid.
Voluptates ſenſibiles vincula animarum appellari, col.1. E 54
Voluptatum inſatiabilitas, col.2. F. & G ibid.
Voluptuoſe viventes & barbaræ nationes qualiter ſub cura & providentia Dei vivere dicantur, col 2 B 769
Vomendæ cordis ſunt ſpurcitiæ per confeſſionem, col.1. H 488
Vomitus ſpiritualis quid, col.1. B 487
Et unde hoc eſſe debeat, col.1. H 488
Vota & deſideria hominum particularia raro exaudiuntur, niſi ſint facta in facie Eccleſię, col.2. E 412
Vovere voluntatis, reddere vero neceſſitatis efficitur, col.1. E 312
Vox angelorum audita in excidio Hieruſalem notanda, c.2. A. 1018
Vſurarum exactio ab alienis, quam fratribus, tantum permiſſa, colum.1. D 25
Vtilitas noſtra quid ſit, col.1. B 315
Vtilitas ordinis in comeſtione fabarum, aut granorum quæ ſit, col.1. G 774
Vtilitas ſacrificiorum quæ, col.2. B 98
Vtilitas ex officio judicis triplex, col.1. C 65
Vtilitas ſeu neceſſitas requirens præſentiam corporis Chriſti in tot altaribus, quæ & quotuplex ſit, col.2. H 442
Vtilitates aquarum quæ ſunt ſuper firmamentum, quæ ſint, col.2. F. per totum. 632
Vtilitates ex igne quæ ſint, col 1. B 669
Vtilitates provenientes ex habitatione animarum & angelorum in cœlo empyreo, quæ ſint, col 1. H 648
Vulgare dictum innatum eſt filiis Adę commoda ſua diligere: unde habuit originem, col.1. C 275
Vulgaris ſermo de patientia contra tempeſtates uſitatus, c. 2.F. 218
Vulgus non intelligit vera bona, col.1. B 121
Vultures quibus modis præſentiunt ſtragem imminentem hominũ bellicorum, col 1. C 929
Vxorem cognoſcens cauſa voluptatis carnalis tantum, an mortaliter peccet, col. 2. D 519
Vxores plures an ſint licitæ, col. 1. H 526

X

XErxis Regis exemplum mirandum, col.2. G 244

Z

ZElare Deum qui dicantur, col.2. F 218
Zelatoris officium quod, col.1. G 224
Zeli laudes, utilitates, virtutes, & effectus, & varia ejus nomina & ſignificationes, col.1. & 2. cum ſeq. per totum. 218
Zeli affectio quæ dicitur rectitudinis, tres parit motus, c.2.F. ibid.
Zelotypia vitium eſt, col.1. H ibid.
Zelotypię furor quis, col.2. E ibid.
Zelus quid. fol.45. col.1. G. & col.1. H. ibid.
Zelus dicitur tertia ſoror charitatis, col.1. H ibid.
Zelus rectitudinis quis, col. 2. F 218
Zelus rectitudinis conterit moras iniqui, col.1. D 241
Zelus & furor viri quid operetur, col.1. A 219
Zelus domini quis, col.1. E 220
Zelus cuſtos honoris divini dicitur, col.1. H ibid.
Et ignis, col.2. H ibid.
Item modeſtus, col.1. C 212
Et etiam ſanctus, col.2. C ibid.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

20 SET 1969

Digitized b [redacted]

Google